UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

urn:nbn:de:hbz:466:1-78172

Visual Library

Th. 573a.

G IX 8.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN






F. IV



R. P. THOMÆ

# TAMBURINI


E SOCIETATE JESU.

# OPERA OMNIA.

*QVIBVS CONTINENTVR*

Explicatio Decalogi.
De Confessione.
De Communione.
De Sacrificio Missæ.
De Sacramentis.
De Contractibus.
De Irregularitate.
De Bulla Cruciatæ.
Et Germana Doctrina ejusdem authoris, à nonnullis impugnationibus vindicata

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



R. P. THOMÆ

# TAMBURINI

SOCIETATIS JESU,

SICULI CALTANISSETTENSIS,

IN ALMA UNIVERSITATE NOBILIS CIVITATIS
Messanæ, Theologiæ primarii Professoris,

# EXPLICATIO DECALOGI,

DUABUS DISTINCTA PARTIBUS;

IN QUA OMNES FERE CONSCIENTIÆ CASUS,
ad Decem Præcepta pertinentes, missâ brevitate, claritate, & quantùm
licet, benignitate declarantur.

EDITIO POSTREMA AB AUTHORE MULTIS
additionibus & correctionibus, præ cæteris locupletata.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

Collegii Soc. Jesu Paderbornæ Ao 1900.




LUGDUNI,

Sumpt. Fr. ANISSONIORUM & JOAN. POSUEL

M. DC. LXXXIX.

Cum Approbationibus & Superiorum Permissu.



## Noi Riformatori dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per fede del N. Padri Inquisitore, & Commissario del Sancto Officio di questa Città, come nel libro intitolato Expedita Decalogi Explicatio prima, & secunda parte, Auttore P. Thoma Tamburino, non vi esse cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & similmente per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo licenza, che sia stampato, dovendosi osservar le leggi in questo proposito, presentarne due copie per le librarie publiche. Datum li 20. Aprile 1654.

Andrea Contantini Caval. Procur. Reform.

Alvise Foscarini Procur. Effecutor.

Pietro Vianoli *Segretario.*

Gio. Paolo Reimo *Segretario.*

---

## J. E. S. U. S. M A R I A.

MAndatis parens Reverendissimi Patris Ambrosii Fracassini Quæsitoris Generalis Venetiarum, recognovi Expeditam explicationem in Præcepta Decalogi R. P. Thomæ Tamburini, legendo, & lecta perpendendo animo sublevabar admirans Opusculum, quod plura continens, quod, nedum difficilia extricata, verum inutilibus rejectis utilia quæque aliàs dispersa affluenter, & quod plurimi valet, fusè collecta refert: Unde quæ corrigerem minimè, at quæ discerem utique excepi, propter veluti opus solerter elaboratum, in nullo offendens, pluribus favens, omnibus conducens, & quod plurimum capit Auctorem, dignum ut lucem obtineat, judico, desidero, & effiagito. Datum in nostro S. Bonavent. Venetiarum Cœnobio, ultimo Augusti 1653.

*Ego* Fr. Ægidius è Melo *Minor. de Observ. Reform. Lect. Gen. S. Theol. Definit. ac S. Officii Venet. Consultor.*

Imprimatur, FR. AMBROSIUS FRACASSINUS Mag. & Inq. Gen. Venet.

---

## *Facultas Reverendi admodum P. Ludovici Bomplani Provincialis Societ. Jesu in Sicilia.*

CUm librum, seu primam, & secundam partem Expeditæ Decalogi expositionis à R. P. Thoma Tamburino nostræ Societatis Sacerdote tres eiusdem Societatis Sacerdotes, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis ab admodum R. P. Francisco Piccolomini Præposito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ita illi, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras dedimus manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas. Melitæ 3. Junii 1651.

LUDOVICUS BOMPLANUS.

---

## *APPROBATIONES.*

EX Commissione illustriss. Regentis D. Petri de Gregorio M. R. C. in hoc regno Præsidis legi primam, & secundam partem Expeditæ Decalogi Expositionis continentes decem libros, Authore R. P. Thoma Tamburino Societatis Jesu, & nihil in iis inveni, quod imprimi cum laude non possit. Immò adeò illa ingenii ac doctrinæ luminibus, dicendique facilitate, & rerum varietate præfulget, ut maximo Christianæ Reip. bono, & Studiosorum utilitati fore judicem, si prodeant. Datum Panormi die 8. mensis Septembris Anno Domini 1653.

HIERONYMUS LA CHIANA,
è Societ. Jesu Deputatus.

Imprimatur, R. PETRUS GREGORIUS Panormitanus, &c.

---

OPus R. P. Thomæ Tamburini in Decalogum, post accuratam Theologorum recognitionem, annuentibus maioribus in Italia cusum, dignum est, iteratò cudi, ob doctrinæ soliditatem, & in explicandis modis conscientiæ perspicuitatem. Idem videtur de Opusculis quibusdam moralibus Expositioni Decalogi attextis. Neque verò Author à sola doctrinæ soliditate, & re dubias exponendi dexteritate, in his lucubrationibus commendandus est, sed etiam quia boni mores in eisdem exquisitè consuluit. Lugduni in Collegio SS. Trinitatis 9. Februar. 1658.

THEOPHILUS RAYNAUDUS, S. J.

CAROLUS DULIEU, S. J.

# Monitio Authoris ad Lectorem.

UNum, quod te monitum velim, amice Lector, hic brevibus perlege. Cùm sententiam quampiam probabilem, seu quod idem est, non improbabilem, *in his in Decalogum libris*, ut & *alibi* appello, illud dico; eam te sine peccati scrupulo amplecti, atque in praxi sequi tutò posse: jusmodi executionem communem bonis Doctoribus esse (lege Castropal. *tr. 1. de conscientia, part. 2.* & utrumque Sanchez, aliosque *ibid.* citatos) ex illo principio, quia *qui probabili ratione motus aliquid agit, prudenter se gerit, atque adeò sine culpa*, probè nosti. Verùm inmentem id revocare, ad omnem hæsitationem, operæ pretium fuit. Vale.



INDEX

# INDEX

## Capitum, Paragraphorum, & Titulorum, utriusque partis Explicationis Decalogi.

*Prior numerus paginam, & alter numerum marginalem notat.*


*Intentio, & divisio operis.* pag. 1

LIBER I. Isagoge.

CAPUT I. De peccatis.

§. 1. DIVISIO peccatorum. 2.
2. De Mortali, & Veniali ex [illegible]re suo. ibid.
3. De veniali per accidens. ibid.
De Veniali ex parvitate materiæ. ibid. 2
Vnde desumenda sit materiæ parvitas. 3. 1
De Veniali ex imperfectione actus. 4. 26
Peccatum in genere ibid. 3
De Veniali ex aliena causa excusante. ibid. 5
4. De Mortali per accidens. 5. 1
Mortale ratione finis. ibid.
Mortale ratione contemptus. 6. 4
Mortale ratione periculi. ibid. 10
Mortale ratione conscientiæ erroneæ, scandali, & unionis plurium venialium. 7. 17

CAPVT II. *De Voluntario.*

§. 1. QVid sit voluntarium. 7
2. Quotuplex sit voluntarium. ibid.
3. De violento, coacto, necessario. 8
4. Ira & Concupiscentia quomodo se habeant circa voluntarium. ibid.
5. Metus quomodo se habeat circa voluntarium. ibid.
Qui metus sit justus cadens in constantem virum ib. 3
Quid operetur metus gravis injustè incussus in contractibus. ibid. 11
Metus gravis in Matrimonio. 10. 22
Metus idem in aliis actibus. ibid. 23
6. Quid operetur metus levis injustus. ibid.
Contractus ex metu levi injusto. ibid. 1
Matrimonium ex metu levi injusto. 11. 14
Alij actus ex metu levi injusto. ibid. 13
7. Quid operetur metus gravis, vel levis justè incussus. 12
Contractus ex metu levi vel gravi iusto. ibid. 1
Matrimonium ex metu quocunque justo incusso. ib. 3
Alij actus ex metu justè incusso. ibid. 6
8. Quid operetur metus sive gravis, sive levis in votis etiã solẽnibus, qualis est professio in Religione. ib.
Quid operetur metus in juramento remissivè. 13. 7
9. Quid operetur metus in trãsgressione præceptorũ. ib.
10. De involũtario exignorantia & inadvertentia. ibid.
De ignorantia pœnæ impositæ à lege positiva. ibid. 9
Ex dictis colliguntur nonnulla ad praxim. 16. 10

CAPVT III. *De Conscientia.*

§. 1. QVid & quotuplex sit conscientia. ibid. 16
2. De Cõscientia erronea, ubi de perplexitate. ib.
De depositione conscientiæ erroneæ. 17. 9
3. De conscientia operãte, seu de opinione probabili. ib.
Quid sit & quotuplex. ibid. 1
Probabilitas probabilis. 1. 7. 8
Æqualitas probabilitatis. *Vbi.* Quid operetur possessio in probabilibus. ibid. 9
Exempla quando alterutram partem excipere practicè non possumus, licet utraque sit probabilis. 19. 16
Exempla de æquali probabilitate circa jus, quando alterutram partem sequi practicè valemus. 20. 24
Exempla de æquali probabilitate circa factum, quando alterutra pars excipi potest practicè. ibid. 27
4. De probabilitate, quam excipere quidẽ particulares debeant. 21
De Iudice. ibid. 1
De Advocato. 22. 14
De Doctore. ibid. 15
De Medicõ. ibid. 17
De Ministro Sacramentorum. 23. 20
De Rege quoad Bellum gerendum. ibid. 29
De Militibus. 24. 36
5. An liceat modò unam, modò alteram probabilem sententiam in eadem materia sequi. ibid.
6. De conscientia dubia. 26
Peccat ne operans ex conscientia dubia. ibid. 2
Explicatur illa Regula: *In dubiis melior est conditio possidentis.* In materia justitiæ. 27. 5
In aliis materiis à justitia. ibid. 10
7. Percurruntur ea, in quorum dubio prævalet possessio, idque ordine Alphabeti. ibid.

A
Abortus. ibid.
Absolutio à peccatis, & censuris. ibid.
Absolutio ab hæresi. ibid.
Actor. ibid.
Advocatus. ibid.
Ætas seu Anni. 28
Agere. ibid.
Alere filium. ibid.

B
Baptismus. ibid.
Bellum. 29
Beneficium. ibid.
Beneficiatus. ibid.
Bona delicta. ibid.

C
Castitatis votum. 30
Casus & censuræ reservatæ. ibid.
Censuræ. ibid.
Clericus. ibid.
Clerici percussio. ibid.
Confirmatio privil. 31
Confirmatio seu Chrisma. ibid.
Correctio fraterna. ibid.
Consuetudo. ibid.
Contractus. ibid.
Contractus Minoris. ibid
Creditor. ibid.

D
Damnum secutum. ibid.
Debitor morosus. 32
Decimæ. ibid.
Denuntiatio. ibid.
Depositum & Commodatum. ibid.
Detractio. 33
Dispensatio. ibid.
Donatio. 34
Dubij interpretatio. ibid.

E
Eleemosyna. ibid.
Epicheia. ibid.
Eucharist. susceptio. 35
Excommunicatio. ibid.
Executor testiarum. ib.
Extrema-Vnctio. ibid.

F
Famulus. ibid.
Festum. ibid.
Filij obligatio. ibid.
Filius legitimus. ibid.
Filius. ibid.
Filij gemelli. 36
Filiorum peculium. ibid.
Furtum. ibid.

G
Gabella. ibid.
Gamelli. ibid.

H
Hæresis. ibid.
Hæreticus. ibid.
Horæ Canonicæ. ibid.

I
Jejunium. 37
Jejunij votum. ibid.
Juramentum. 37
Immunitas Ecclesiarũ. ib.
Impedimentum matrimonij. ibid.

Irregulari

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


Irregularitas. *ibid.*
Iudex. *ibid.*
Iudicium temerarium. 38
Iurisdictio. *ibid.*
Iurisdictionis exemptio. *ib.*

L

Legatum. *ibid.*
Leges & Præcepta. 39
Legitimus. 40
Lis mouenda. *ibid.*
Ludus. 41

M

Maleficium. *ibid.*
Matrimonium. *ibid.*
Medicamentum. 42
Mensis, quo vacat Beneficium. *ibid.*
Missæ. *ibid.*
Mors conjugis. *ibid.*
Mutuum. *ibid.*

N

Nobilitas. *ibid.*
Nomen dubium. *ibid.* 43
Novitius.

O

Obedientiæ votum. *ibid.*
Officium diuinum. *ibid.*
Oleum sanctum. *ibid.*
Ordo. *ibid.*

P

Paupertatis votum. *ibid.*
Peculium filiorum. *ibid.*
Percussio Clerici. 44
Priuilegium. 45
Professio Religiosa. *ibid.*
Promissio. *ibid.*

R

Religionis votum. *ibid.*
Rescriptum. 45
Restitutio. *ibid.*
Reus & Testis. 47

S

Scandalum. *ibid.*
Sepeliri in loco sacro. 48
Seruus. *ibid.*
Simonia. *ibid.*
Sigillum Confess. *ibid.*
Solutio debiti. *ibid.*
Sponsalia. *ibid.*
Subditus. *ibid.*
Suffragium. *ibid.*

T

Testamentum. 49
Testis. *ibid.*
Tutor. *ibid.*

V

Venatio. *ibid.*
Venditio. *ibid.*
Virgo. 50
Voti irritatio. *ibid.*
Voti dispensatio. *ibid.*
Vorum. *ibid.*
Vsura. *ibid.*

8. De conscientia scrupulosa. Unde oriatur, & quomodo cognoscatur scrupulus. 52. 1
Destructio scrupulosi pro se ipso. *ibid.*
Instructio Confessoris pro scrupuloso. 63. 13.

Septima, Confiscatio bonorum. *ibid.* 16
Octava, incapacitas testandi, succedendi, &c. 61. 23
Nona, Exemptio filiorum, amissio seruorum & jurium cæteræque pœnæ corporales. *ibid.* 24
6. De cooperantibus cum Hæreticis. 62
Credens, Receptor, Defensor, Fautor Hæretici. *ibid.* 1
Pœnæ fauentis Hæreticis. *ibid.* 8
7. De libris Hæreticorum, & per occasionem de aliis libris prohibitis. *ibid.*
Clausula Bullæ Cœnæ de libris Hæreticorum. 63. 6
Libri Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes. *ibid.* 7
Sine authoritate Sedis Apostolicæ. 64. 17
Scienter. *ibid.* 21
Legentes. 65. 31
Detinentes. 67. 42
Imprimentes. *ibid.* 46
Defendentes. 68. 54
Aliqua notanda de libris vetitis. *ibid.* 56
8. De Absolutione ab hæresi. *ibid.*
Casus facilioris absolutionis. *ibid.* 1
Inquisitorum & Episcoporum potestas circa absolutionem hæresis. 69. 11
9. De Apostata, & Schismate. 70
10. De infidelibus. *ibid.*
Pagani. *ibid.* 2
Iudæi. 71. 6
Saraceni. *ibid.* 9
11. De præcepto Ecclesiastico non disputandi de rebus fidei. *ibid.*
12. De præcepto Ecclesiastico omittendi professionem Fidei. 72
Quoad Beneficiatos. *ibid.*
Quoad Prælatos Regulares. *ibid.* 5
Quoad professores artium liberalium. *ibid.* 8


## CAPVT II. *De Spe.*


§. 1. Quid sit spes, & peccatis contra ipsam. 73
2. De Tentatione Dei. *ibid.*


## CAPVT III. *De Charitate erga Deum.*


§. 1. Quid sit Charitas, & quæ sint peccata contra ipsam. *ibid.*
2. Quando tam obliget præceptum affirmativum Charitatis Dei. 74


## CAPVT IV.

*De Cultu Dei: hoc est de primo Decalogi præcepto, Unum Cole Deum.*


§. 1. De adoratione. Quid & quotuplex ea sit. *ib.*
Quid sit & quotuplex adoratio, & in quos cadat. *ibid.* 1.
Qui sint ij Sancti, quos adorare per Duliam licet. 75. 8
2. Quid, & quotuplex sit oratio, & quæ ejus præcepto. *ib.*
De attentione, & intentione in orando. 76


## CAPVT V.

*De peculiari cultu, qui Deo per Horas Canonicas exhibetur.*


§. 1. Qui teneantur ad Horas Canonicas. *ibid.*
Constituti in sacris. *ibid.* 3
Regulares professi deputati ad Chorum. 77. 6
Beneficiarij. 78. 19
2. Quod est illud officium, ad quod recitandum tenentur, prædicti. 80
De non recitante ex novo Breviario. *ibid.* 3
De licentia imprimendi nova Breviaria. *ibid.* 4
An religiosis obligetur recitare officium Diœcesanorum. *ibid.* 5
De additione, & diminutione officij. 81. 7
De officio Defunctorum, & de Litaniis. 82. 13
De Officium aliena lingua recitante. *ibid.* 15
De mutatione officij unius in officium alterius diei, stando semper in eodem ritu. 83. 20


De

## LIBER II.

### De primo Decalogi Præcepto.

*Vnum Cole Deum.*

## CAPVT I. *De Fide.*


§. 1. De primo & secundo præcepto, id est credendi, & sciendi certos articulos fidei. 54
Quando & quoties obligantur Fideles elicere actum Fidei. 55. 8
2. De tertio præcepto Fidei, illam exterius cõfitendi. 56
De interrogato de sua Fide. *ibid.* 9
De interrogato an sit Sacerdos, vel quid simile. *ib.* 4
De non obediente persecutoribus Fidei. *ibid.* 5
De videnti sacra contemni. 57. 7
3. De quarto præcepto illam exterius non negandi. *ib.*
De negante esse Catholicum, vel quid simile. *ibid.* 3
De utente vestibus seu signis infidelium. *ibid.* 4
De comedente carnes die vetito, ne deprehendatur Catholicus *ibid.* 8
De ingrediente Templum falsæ sectæ, Thus offerente & similibus. 58. 11
7. De quinto præcepto non negãdi interius fidem. *ibid.*
De Hæretico, seu Hæresi. Quid sit Hæresis. *ibid.* 2
Hæresis alia interior, exterior alia. *ibid.* 5
5. De Hæreticorum pœnis. 59
Prima pœna, Excommunicatio. *ibid.* 2
Secunda Irregularitas. *ibid.* 6
Tertia, Infamia. *ibid.* 7
Quarta, Privatio Beneficiorum & Officiorum possessorum, & inhabilitas ad futura. *ib.* 8
Quinta, Non posse esse Patrinum in Baptismo Catholici. 60. 13
Sexta, Non posse Hæreticum contrahere matrimonium cum Catholico. *ibid.* 14

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


De motatione officij, proprij ritus in alienum. 84. 33
De officio assumendo ab advena. *ibid.* 36
3. De modo recitandi Officium. 85
De attentione & intentione debita. *ibid.* 2
Sine omissione verborum, & mutilatione syllabarum. *ibid.* 4
De dubitante an omiserit aliquem Psalmum. *ibid.* 9
De non recitante, sed solum audiente lectiones. *ib.* 10
Sine interruptione. *ibid.* 11
Sine ordine, & inversione. *ibid.* 12
4. Quædam de recitatione in Choro, vel cum socio. *ib.*
De non assistente in Choro, nec distributionem recipiente. *ibid.* 1
De recitatione, & prolatione ejus, qui in Choro, vel cum socio Officium persolvit. 87. 8
Mente distractus in Choro. *ib.* Submisse cantans: 88. 15
Nihil dicens in Choro *ib.* 17. Dormiens ibidem. *ib.* 19
Confabulans, *ibid.* 22. Recitantes Tertiatim, *ibid.* 23
5. De tempore recitandi Officij. *ibid.*
6. De loco & situ recitandi Officium. 90
7. De obligatione, & pœnis non recitantium Officium. *ib.*
8. De causis excusantibus ab Officij recitatione. *ibid.*
Impotentia. *ibid.* 2. Qui non potest totum recitare, an teneatur ad partem. *ibid.* 3
Quænam sit major, quæ minor pars. 91. 5
Quænam infirmas excuset, ab Officio. *ibid.* 13
De nocumento dubio. 92. 15
Gravis occupatio. *ibid.* 26. Dispensatio. 93. 33


## CAPUT VI.

*De peccatis Religioni oppositis.*


§. 1. De superstitione. *ibid.* De Idololatria. 94. 6
De Magia, *ibid.* 7. De Divinatione. *ibid.* 9
De Astrologia. *ibid.* 13. De Insomniis, ubi obiter de Thesauris in somno ostensis. 95. 21
De vana observantia *ibid.* 2. Vanæ aliquot superstitiones nostra ætate usurpari solitæ. 96. 33
Sola Sacra. 97. 44. Sola non Sacra. 98. 51. Sacra simul & non Sacra. *ibid.* 57. Quid agendum, quando hac in re adest dubitatio. 99. 61. Decernitur quid sentiendum de superstitionibus allatis. 100. 73
2. De maleficio ejusque dissolutione. 101. De pœnis contra prædictos, déque eorundem dissolutione. 103. 14
3. De sacrilegio *ib.* Sacrilegium circa personas sacras. *ib.* 2
Circa loca sacra. 104. 6. Circa res sacras. *ibid.*
An téporis violatio cõstituat aliquãdo sacrilegiũ. *ib.* 12
An voti violatio sit sacrilegium. 105. 13
4. De blasphemia. *ibid.* Quid & quotuplex ea sit. *ibid.* 1
Blasphemiæ denũciãdæ. *ib.* 6. Correctio blasphemi. *ib.* 7
Modus confitendi blasphemias. *ibid.* 8
Discrimen inter Blasphemiam & Maledictionem. *ib.* 9
Verba certò blasphema. 106. 15. Verba certò, vel saltem probabiliter non blasphema. *ibid.* 16. Verba dubiè blasphema. *ibid.* 18. De pœnis blasphemorum, déque eorundem absolutione. 108. 26


## LIBER III.

### De secundo Decalogi Præcepto.

*Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.*

## CAPUT I. *De juramento in commun.*


§. 1. Quid sit juramentum. 108
2. Juramenti divisio. 109
An juramẽta prædicta sint ejusdẽ speciei. Remissivè. *ib.* 8
3. Norma cognoscendi quodnã sit verum juramentũ. *ib.*
4. De conditionibus juramenti. 110. Veritas. *ibid.* 1
Justitia. 111. 5. Judicium. *ibid.* 7
5. De consuetudine jurandi. *ibid.*
6. Juramentum exigere à pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos. 112


## CAPUT II.

*De Juramento assertorio.*


§. 1. De veritate requisita in juramento assertorio. 113
Certitudo ex parte rei juratæ. *ibid.* 2
Certitudo moralis ex parte juramtis. *ibid.* 6


## CAPUT III.

*De Juramento promissorio.*


§. 1. De veritate requisita in juramẽto promissorio. 114
De juramento promissorio doloso. *ibid.*
De illicito usu jurantẽti dolosi promissorij. *ibid.* 1
Quænam obligatio nascatur ex juramento doloso promissorio, & quando. *ibid.* 7
2. De materia requisita in juramento promissorio. 115
De materia dicti juramenti in communi. ibid. 2
De materia ejusdem soli Deo facti. 116. 7
De materia ejusdem in utilitatem hominis emiss. *ib.* 11.
4. Qua ratione interpretandum juramentum in ordine ad inducendam obligationem. 217
Prima regula. *ib.* 1. Secunda regula. *ib.* 3. Tertia. 118. 7
7. Expenduntur aliqua juramenta promissoria. *ibid.*
Juramentum sine consensu. *ib.* 1. Juramentum de actu irritato per legem *ibid.* 2. Juramentum ex parte actus illicitum. *ib.* 4. Juramentum illicitum ex parte ejus, qui illud per metum, vim, injuriam extorquet. *ib.* 6
Juramentum contra aliud juramentum. *ib.* 7. Juramentum in Matrimonio & in sponsalibus contractis ex metu. 119. 12. Juramentum de non accusando, vel de accusando *ibid.* 15. Juramentum malum ex fine malo. *ubi* de Juramento nimis prodigo. 120. 17
Juramentum errore, vel dolo extortum. *ibid.* 21
Juramenta aliqua de rebus indifferentibus. 121. 28
Juramentum de redeundo in carcerem. *ibid.* 29
Juramentum vólentis compensatione uti. *ibid.* 34
Juramentum factum contra leges. 122. 39
Juramentum non vẽdẽdi minoris, & non emendi pluris. 123. 49. Juramenta Medicorum Rectorum Civitatum Alumnorum Collegij. *ibid* 50. Juramentum non ludendi. 124. 57. Juramentum de non docenda arte. 125. 65. Juramentum non dandi, vel non dandi mutuum, vel non fidejubendi. *ibid.* 66
6. De Juramento confirmante contractus. *ibid.*
7. Juramentum an pariat obligationem in altero, atque adeo in successione, vel hærede. 126


## CAPUT IV.

*De Juramento judiciali.*


§. 1. An in contractibus æquivocare, vel fictè jurare liceat. 127
2. An in judiciis æquivocare cum juramento, aliis à Reo licet. *ibid.*
3. An idem liceat Reo. 128


## CAPUT V.

*Quis possit juvare, atque ad Juramentum admitti.*

## CAPUT VI.

*De Pœnis Perjurij.*

## CAPUT VII.

*De obligatione Juramenti.*


§. 1. De irritatione. 129
2. De Remissione. 130
3. De Relatione. *ibid* Quæ juramenta relaxari queant *ibid.* A quo. 131. 5. Ob quas causas. 132. 14
4. De commutatione. *ibid* Quis commutare potest. *ib.* 2
Quæ 133. 6. Ob quas causas. *ibid.* 7
5. De materia subrogata juramento. *ibid.*
6. Solutio aliquorum casuum huc pertinentium. *ibid.*


## CAPUT VIII.

*De Adjuratione.*


§. 1 De Adiuratione in universum. 134. Veritas in ea requisita. *ibid.* 4. Justitia. *ibid.* 5. Judicium. *ib.* 6
2. De Adiuratione Dæmonum 135
De fine Adiurationis, déque imperio adiurantis in Dæmonem. *ibid.* 3
Quæ locutio usurpanda cum Dæmone. *ibid.* 4

An liceat expoſcere à Dæmone ut aliquid faciat. *ib.* 8.
An adjurans licitè præcipere queat Dæmoni ſuperiori, ut Dæmones inferiores pellat à corpore, aut manifeſtet maleficia. 136.11
An contra, facere aliquid aut continere poſſit Exorciſta ad petitionem Dæmonis. *ibid.* 14
Monitiones non inutiles pro Adjuratoribus. 137.22

CAPUT IX. *De Voto.*

VOtum quid ſit, & quotuplex. *ibid.* 1

CAPUT X.

*De Libertate requiſita in Voto.*

§. 1. QValis deliberatio requiratur. 138
2. An ad votum ſufficiat deliberatio virtualis. *ib.*

CAPUT XI.

*De Propoſito requiſito ad Votum.* ibid.

CAPUT XII.

*De Promiſſione requiſita in Voto, déque Obligatione inde proveniente.*

§. 1. DE promiſſione vera & facta. 139
2. De obligatione gravi, vel levi, quæ naſcitur ex obligatione ſive abſoluta, ſive conditionata. 140
Pœnitere Voti facti *ibid.* 5
3. Quandonam votum obligat. *ibid.*
4. An votum obliget alios à vovente. 141
5. An votum obliget eos, qui ſunt ſub alicujus poteſtate. 142
Religioſorum, & impuberum vota. *ibid.* 5
6. Qua ratione votum conditionale. *ibid.*
Conditio qua ratione implenda. 143.4
7. Quomodo obliget votum pœnale. *ibid.*

CAPUT XIII.

*Quid operetur Error, vel Ignorantia in Voto.*

ERror in ſubſtantia voti. 144.2
Error in qualitate ejuſdem. *ibid.* 4
Error in fine; ubi etiam agitur quando deficit voti finis. *ibid.* 9

CAPUT XIV.

*De eo cui fit Votum.* 145

CAPUT XV.

*De Materia Voti.*

§. 1. MAteriam voti poſſibilem eſſe oportet. *ibid.* 2
2. Honeſtam, non indifferentem. 146
3. Majoris boni non impeditivam. 148
4. Expenduntur quædam particularia vota. *ibid.*
Votum non vovendi. *ibid.* 2
Vota non ludendi, & ſimilium. *ibid.* 3
Contrahendi Matrimonium. *ibid.* 4
Non acceptandi Prælaturas, vel Sacerdotium. *ibid.* 5
Inſerviendi in perpetuum. *ibid.* 6
Præſtandi hoc & non aliud. *ibid.* 7
Non petendi diſpenſationem. 149.8
5. De materia partim voto apta, partim non ita. *ibid.*
6. Quomodo votum ſit interpretandum. 150
Aſſeritur interpretatio aliquorum votorum. *ibid.*
Votum virginitatis. *ibid.* 2
Peregrinationis. *ibid.* 3
Audiendi Miſſam. *ibid.* 4
Recitandi Roſarium. *ibid.* 5
Ingrediendi Religionem abſolutè. *ibid.* 6
Ingrediendi eandem, ſi pater conſenſerit. *ibid.* 7
Jejunandi. *ibid.* 11
Abſtinendi à vino. 151.14
Jejunandi in pane & aqua, *ubi*, An paſtili exculenti, ſeu *macherones* hoc jejunium violent. *ibid.* 15
Abſtinendi à carnibus. 152.12
7. De Voto rei indeterminatæ. *ibid.*

CAPUT XVI.

*De obligatione Voti.*

§. 1. DE ceſſatione voti ex natura rei. *ibid.* 1
2. Quandonam votum ceſſat ratione temporis 153
3. De irritatione votorum. 154
Proponitur quidam caſus. ibid. 3
An Antonio per emiſſionem votorum biennij Soc. Jeſu, extincta fuerint vota præcedentia. *ibid.* 4
An patet potuerit vota Antonij irritare. 155.9
An Tutor, vel Curator ibid. 17
An mater, ubi an ſocia. 157.21. An ſuperior Religionis. Quod vota emiſſa in Religione. *ibid.* 28. Quoad emiſſa ante. 157.4. De ſervorum, & conjugatorum voti. *ibid.* 44. Vota ſervorum. 158.45. Uxoris. *ibid.* 48 Mariti. *ibid.* 54. An repetitio votorum facta ab Antonio, obſtet ne ea irritari valeant. 159.57
Concluſio, qua reſolvitur propoſitus caſus. *ibid.* 62
4. De diſpenſatione voti. *ibid.* Quid ſit & qualis eſſe debeat diſpenſatio. *ibid.* 1. A quo. *ibid.* 4. Ob quas cauſas. 160.10. Ob imperfectam deliberationem. *ibid.* 13 Ob difficultatē notabilem. *ibid.* 18. Ob damnum temporale, ubi quid de eleemoſyna. *ibid.* 19. Ob damnū ſpirituale. 161.21. Ob dubiū. *ibid.* 24. An ob commoditatem voventis? *ibid.* 25. Quæ vota. *ibid.* 26
An vota conditionata ſint reſervata. *ibid.* 32
An materia ſubrogata pro voto reſervato ſit reſervata. *ibid.* 33. Vota reſervata an aliquando ab inferioribus Papa diſpenſentur. 162.36. Ob neceſſitatem. *ibid.* 37 Ob imperfectionem voluntarij *ibid.* 41. Ob conſuetudinem. *ibid.* 42. Ob privilegium. *ibid.* 46
5. De commutatione voti. 164. Quinā commutandi voti poteſtatem habet. *ibid.* 1. De commutatione in majus. Quis. *ibid.* 3. Quæ vota. *ibid.* 4. Ob quas cauſas. *ibid.* 7
De commutatione in minus. Quis. Quæ vota, ob quas cauſas. *ib.* 8. De commutatione in æquale. Quis. *ib.* 10
Quæ vota. 165.17. Ob quas cauſas. *ibid.* 18
6. Praxis æqualitatis ſervandæ in commutatione votorum. *ibid.* Aliqui peculiares commutationes. 166.11
7. An facta commutatione, vel diſpenſatione, liceat redire ad prius votum. 167

CAPUT XVI.

*Conſilium de commutatione cujuſdam voti.*

§. 1. PRoponitur ſtatus Quæſtionis. *ibid.*
2. An P. Bern. potuerit tunc commutare, &c. 168
3. An liceat dicta commutatio. 170
4. An congruat. 171
5. An poſſit nunc idem P. Bern. *ibid.* Concluſio. *ibid.* 35

## LIBER IV.

### De tertio Decalogi Præcepto.

*Memento ut diem Sabbati Sanctifices.*

CAPUT I.

*De Feſto in genere.*

§. 1. QUis inſtituens dies feſtivos poſſit. 171
Quid ſint dies feſti, & à qua hora incipiunt, finiúntque. ibid.

CAPUT II.

*De obligatione Sacrum audiendi.*

§. 1. QUæ Miſſa audienda. 173. 2. Quanta. *ibid.* 3
Ubi. *ibid.* 7. Quo ſitu. *ibid.* 8. A quo. *ibid.* 9
An duæ mediæ Miſſæ. *ib.* 10. Quæ præſentia requiritur. *ib.* 11. Quæ intentio. 174.17. Quæ attentio. *ibid.* 19
2. De cauſis excuſantibus, ab aſſiſtentia ſacri. *ibid.*
Excommunicatio. Ubi, de obligatione tollendi impedimentum. *ib.* 1. Interdictum. 175.2. Impotentia. *ib.* 3
Periculum mali ubi. Quid de amiſſione lucri. *ibid.* 5
Charitas. 176.8. Conſuetudo. *ib.* 9. Eſſe peregrinū. *ib.* 10
3. Quædā ad hoc præceptum pertinentia, ubi, de obligatione nō ponēdi impedimēta ad Sacrū audiendū. 177
Præviſio carentiæ Miſſæ, an obſtet venatum ire cupienti. *ibid.* 9

CAPUT III.

*De abſtinentia ab operibus ſervilibus die feſto.*

§. 1. QUænam ſint hæc ſervilia. 178
An tranſcribere. *ibid.* 6

Pingere,

# Index Capitum, Paragr. & Titulor.


Pingere, venari, piscari, sculpere. *ibid.* 8
Iter facere. 179. 11. Molere, *ubi* de cooperatione cum operibus servilibus infidelium, vel animalium. *ib.* 15
Emundare triticum ad molendum. *ibid.* 18
2. De causis excusantibus ab operando in diebus festis. 80
Brevitas temporis. *ibid.* 1. Divinus cultus. *ibid.* 3
Necessitas corporalis. *ibid.* 6. An spes lucri. 183. 8
An panis, ciborum, & similium confectio. *ibid.* 9
An Barbitonsoris, Sutorisve officium. *ibid.* 13
An Pauperum relevatio. *ibid.* 14
Necessitas spiritualis. 182. 19
Absentia à loco ubi celebratur festum. *ibid.* 20
Consuetudo. *ibid.* 21. Dispensatio. 183. 31

CAPUT IV.

*De actionibus quibusdam non servilibus die festo prohibitis.*

§. 1. Hæ sunt Mercatus, Placitum, seu Judicium forense, Iuramentum. 184
Placitum. *ibid.* 4. Iuramentum. *ibid.* 8

CAPUT V.

*De Ieiunio.*

§. 1. De qualitate ciborum jejunij. *ibid.*
Abstinentia à carnibus. *ibid.* 1
Abstinentia à lacticiniis. 186. 19
2. De unica comestione in die jejunij. 187
Lac, Ius, Vinum, Mustum, Cervisia, Aqua cocta. *ib.* 2
Sapa, acetum, oleum, & similia condimenta. 188. 6
Uva *ibid.* 7 Cocholata. *ibid.* 8. Arundines mellitæ: 189. 14
Protractio refectionis. *ibid.* 15. Interruptio. *ibid.* 16
3. De jentaculo quod in jejuniis indulgetur. *ibid.*
Quantitas. *ibid.* Qualitas, 190. Tempus. 191. 10
4. De Hora comedendi in jejunio. *ibid.*
5. Quædam de obligatione jejunij. 192
De media nocte qua ratione hic intelligenda. *ibid.* 1
6. De obligatione nō cooperandi cum aliis in fractione jejunij. 193. Pater & Dominus. *ibid.* 2. Caupones, & qui cibum vendunt. *ibid.* 6. Amici. *ibid.* 8
7. De excusationibus à jejunio. 194. Ætas. *ibid.* 1
Jejunium voto castitatis à Pontifice subrogatum, an obliget sexagenarium. 195. 10
Infirmitas. *ibid.* 14. Ars laboriosa. 196. 18. Quæ sint exercitia per se laboriosa. *ibid.* 21
Quæ non. *ibid.* 25. Quæ dubia. *ibid.* 26. An concionatoris. *ibid.* Coqui. *ibid.* 27. Sutoris. *ibid.* 28. Barbitonsoris. *ibid.* 29. Artis non ex Officio. *ibid.* 30
Paupertas. 198. 33. Conjugium. *ibid.* 37
Opera pietatis. 199. 46
An difficultas jejunandi. *ibid.* 47
Transitus per terras hæreticorum, & servitus catholici apud Infideles. *ibid.* 48
Bona fides, An ratio Hospitij. *ibid.* 49
Ratio loci; An excusatio dubia. *ibid.* 51
Dispensatio. *ibid.* 52


## LIBER V.

*De Decalogum.*

### CAPUT I.

*Præmittuntur quædam de charitate proximo debita.* pag. 201


§. 1. Quando concurrunt bona temporalia proximi, & nostra. *ibid.* 1
In concursu vitæ privatorum. *ibid.* 2
In concursu vitæ privati, & boni Reip. *ibid.* 4
In concursu honoris & fortunarum privati, & boni Reip. 202. 6
In concursu propriarum fortunarum cum vita privati. *ibid.* 9
In concursu propriarum fortunarum cum necessitate temporali proximi. *ibid.* 13
Ubi de eleemosyna. *ibid.* 17
2. Quando concurrunt bona spiritualia proximi cum nostris temporalibus vel spiritualibus. 204
Necessitas salutis proximi non extrema. *ibid.* 2
Necessitas salutis proximi extrema. *ibid.* 5
3. De Charitate inimicis debita. 205. 1
Accusare inimicum, & non remittere Iuridicè. 206. 9
Salutatio inimici. *ibid.* 11. Resalutatio ejusdem. *ib.* 14
Exclusio à communibus beneficiis. 207. 17
Veniæ petitio. *ibid.* 18. Alioqui inimicum. *ibid.* 25
Desiderare malū alteri. 208. 29. Ubi de invidia. 209. 35
4. De Dilectione proximi quoad non concurrendum cum ejus spirituali ruina. 210. 1
Permissio peccati. *ibid.* Invitatio ad peccatum. *ibid.* 6
Cooperatio cum peccante. 211. 15
Cooperatio formalis cum Domino, & similium. 212. 18
Cooperatio cum Amasia. 213. 23
Ubi plura de puella honesta. *ibid.* 15
Pictor, Histrio; & Vector ejusdem Amasiæ. *ibid.* 28
Cooperatio vendentium. 214. 33
Cooperatio cum idololatria. *ibid.* 83
Cooperatio cū ministrante indignè Sacramēta. *ib.* 39
Cooperatio cum iniquè pugnantibus, vel aliorum bona dissipantibus. 215. 41
De cooperatione cum Pejeraturo, nō jejunaturo, maleficum maleficio dissoluturo. Remissivè. *ibid.* 42
Cooperatio cum usurario. *ibid.*
Quoad mutuatarium. *ibid.* 43. Quoad famulos. *ibid.* 46
Quoad alios. *ibid.* 47
Ubi quoad Notarios. 216. 56
Testes. 217. 61
Principem. Remissivè. *ibid.*
Cooperatio cum transgressurō præceptum. *ibid.* 26
Cooperatio cum parato ad peccandum. *ibid.* 65


### CAPUT II.


*Policrates*, seu filiorum Instructor, *Dialogus plura complectens de Charitate debita parentibus à filiis.* 218

§. 1. Introductio Dialogi. *ibid.*
2. A filio quid parentibus debeatur. 219
Amor. *ibid.*
Reverentia. *ibid.* 12
Obedientia. *ibid.* 18
3. An invitis parentibus matrimonium ire filiis liceat. *ibid.* 1
4. Pater non potest filium compellere, nec ad matrimonium, nec ad Religionem. 202. 1
5. An pater possit retrahere filium à Religione. *ibid.* 1
Impediens vi, fraude, injuria. 223. 2
Impediens sine vi, fraude, injuria. *ibid.* 5
Quoad peccatum. *ibid.*
Quoad restitutionis obligationem. 214. 9


### CAPUT III.


*Quid parentes filijs, quid conjuges conjugibus invicem debeant.* 214

§. 1. Pater quoad alimenta filij, eiusdemque exhæredationem & vota. *ibid.*
Pater filio legitimo. *ibid.* 1
Pater filio spurio, vel naturali. 215. 6
Causa negandi alimenta, & exhæredandi. *ibid.* 8
Habens patrem & filium à quo alendus. 216. 11
Pater quoad irritationem votorum filij impuberis & sparij. *ibid.* 12
Pater quoad vota filij; vive me Avo. *ibid.* 13
Quid debeat mater filio, quoad eum lactandum, & alendum. 227
3. Vir quid uxori debeat, quoad alimenta. *ibid.*
4. Uxor quid viro debeat, quoad alimenta. 228. 1
5. In necessitate extrema quis magis adjuvandus, pater, an filius, an uxor, &c. *ibid.*

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


CAPUT IV.

*Miscellanea quædam de filiis, parentibus, propinquis in præcedentibus prætermissa.* 229
§. 1. DE peculio filiorum. *ibid.*
Testamentum & alienatio peculij filiorũ. *ib.*
Ludus filijfamilias, vivente patre. 230.7
Ludus filijfamilias habentis Tutorem, patre demortuo *ibid.* 11
Filij professio religiosa nil nocet iuri paterno. *ib.* 12
De furto filiorum, remissivè. 231.13
2. De donationibus inter patrem, & filium. *ibid.*
3. De legitima filiis debita. 3
4. De fratrum, sororumque mutua obligatione. Quoad alimenta. *ibid.*
Quoad correctionem. 2

## LIBER VI.

### Non Occides.

CAPUT I.

*De homicidio justo.* *ibid.* 1
§. 1. DE homicidio ob defensionem vitæ. *ibid.*
Adulter & proscriptus an se defendere queant. 234
An ut defendas unum ex proximis, alterum occidere queas? *ibid.* 10. An te non aggredientem aliquando occidere possis? 235. 12. An per præventionem occidere possit inimicum? *ibid.* 15
2. De homicidio ob defensionem bonorum. *ibid.* 1
3. De homicidio ob defensionem honoris, & pudicitiæ. 236.1
De duello. 237.8
4. De homicidio ad malefactores puniendos. 238
Malefactores nondum comprehensi. *ibid.* 1.
Malefactores jam comprehensi. 239.5
Iuris ordo in condemnandis malefactoribus. *ibid.* 7
Innocens probatus nocens an possit condemnari. *ib.* 8
Malefactor omninò occultus an possit cõdẽnari. 240 18
5. De homicidio ex bello justo. Remissivè. 241

CAPUT II.

*De homicidio sui ipsius.* ibid.
§. 1. OCcisio sui directa. *ibid.*
2. Indirecta sui occisio. 243
3. De mutilatione sui. *ibid.* 1. Eunuchus. 243.4
4. De Abortu. *ibid.* Fœtus animatus. *ibid.* 3. Fœtus inanimatus. *ibid.* 4. An licitus sit abortus, ne adultera occidatur. *ibid.* 5. Pœnæ, & absolutio abortus. 244.7

CAPUT III.

*De homicidio injusto proximi.* ibid.
§. 1. DE homicidio voluntario, & casuali. *ibid.* 1
Dans operam rei licitæ. *ibid.* 4.
Dans operam rei illicitæ. 245.5. Omittens, seu non prohibens, quod quis debet ex justitia. *ibid.* 8
Omittens, seu non prohibens, quod quis debet ex charitate. *ibid.* 10
2. Praxis qua explicari homicidium injustum oportet in confessione. 246
3. Quæ pœnitentia imponenda injusto homicidiæ in Sacramento Confessionis 247

CAPUT IV.

*De obligatione restitutionis ex homicidio.* ibid.
§. 1. DE obligatione restitutionis ex homicidio indirecto. *ibid.* 1
2. De damno dato digressio. 248
Damnum indirectum à te illatum. *ibid.* 1
Damnum illatum à tuis. *ibid.* 4
3. De obligatione restitutionis ex injusto homicidio indirecto. 249
Quibus debeatur restitutio pro homicidio. *ibid.* 6
Hæres occisoris quid debeat? 250.14
Excedens modum suæ defensionis, vel invadens, vel provocans an obligetur ad restitutionem ex homicidio. *ibid.* 15. Pro bonis spiritualibus occisi an aliquid debeatur. 251.20
Pro damno personali an aliquid debeatur. *ibid.* 22
Alium pro alio occidens. *ibid.* 23
4. Quatuor casus ex sparsim dictis deducuntur. 253.1
Ex iisdem sparsim dictis colligitur quid sentiendum sit de cooperatoribus cum homicida. *ibid.* 1
Consilens & auxilians. 254.2
Mandans, seu quod idem est, jubens. *ibid.* 3
Rerum habens. *ibid.* 7. Non habens. *ibid.* 9

## LIBER VII.

### Non Adulterabis.

CAPUT I.

§. 1. DE Fornicatione. 255
2. Additio. 256
Concubinatus. *ibid.* 3. Copula cum vidua. *ibid.* 4
3. Copulam non perficiens. Remissivè. 257.8
Copula cum sponsa alterius. *ibid.* 9
Ignorantia in fornicatione. *ibid.* 10

CAPUT II.

§. 1. DE Sacrilegio. *ibid.*
2. Sacrilegium ex persona sacra. *ibid.* 2
Ex loco sacro. 258.7
2. Additio. *ibid.*

CAPUT III.

§. 1. DE Adulterio. *ibid.*
2. Sodomia conjugati. 259
3. Adulterij pœna. *ibid.*
4. De restitutione damnorum ex adulterio. 260
Adulterij obligatio. *ibid.* 2
Obligatio adulteræ. *ibid.* 7
5. De conjugatorum peccatis in materia luxuriæ. 267
Pollutio conjugis. *ibid.* 2. Copula fiat. *ibid.* 5
Ejusdem intentio 262.13. Effusio extra vas. *ibid.* 14
Debitum copulæ. 263. 20. Copulæ modus. 265.34
Copulæ tempus. *ibid.* 35
Copulæ locus extra insecus. *ibid.* 39
Tactus, & his similia inter conjuges. 266.31
Sine periculo pollutionis. *ibid.* 42
Cum pollutionis periculo. *ibid.* 46
De causis pollutionis. *ibid.* 48
De tactibus, &c. inter conjuges cum pollutionis periculo. 268.54
Tactus & his similia inter sponsos. 269.61
Tactus & similia inter solutos. Remissivè. *ibid.* 63

CAPUT IV.

§. 1. DE Incestu. *ibid.*
2. Additio. 270

CAPUT V.

§. 1. DE stupro. 271
2. Addstio. *ibid.*
De virgine occultè violata. *ibid.*
3. De obligatione stupratoris. 272.1. Defloratur virginis, eadem consentiente quid debeat? *ibid.* 5
Quæstio incidens. An virgo pro primo usu sui corporis possit aliquid amplius pretij petere. *ibid.* 8
Vbi, An acceptâ ob turpem causam sint restituenda. *ibid.*
Quantum pro usu corporis justè exiget mulier. 274 23
Defloratur virginis vi, metu, &c. 275. 26. Defloratur virginis cum promissione matrimonij. *ibid.* 33
Cum promissione vera. *ibid.* 34. Cum promissione ficta. 276.43
Dubium incidens de muliere fictè copulam promittente. 277.49

CAPUT VI.

§. 1. DE Raptu. 278.84
2. Additio. *ibid.* 1. Vis illata. *ibid.* 2 Finis inhonestæ libidinis. *ibid.* 6. Abductio. *ibid.* 7. Copula cum dormiente an sit raptus. 279. 17


CAPUT

# Index Capitum, Paragr. & Titulor.


CAPVT VII. *De peccato contra naturam.* ibid.
§. 1. Mollities. ibid.1
2. Additio. 280.1
De pollutione vigilantis voluntaria. *ibid.*2
De pollutione nocturna. 281.11.
De pollutione vigilantis, involuntaria. *ibid.*20
3. Sodomia perfecta. *ibid.*1
4. Sodomia imperfecta. 283.1
5. Bestialitas. *ibid.*
6. Additio. *ibid.*

CAPUT VIII.

*De impudicitia, hoc est de actibus, aspectibus, simulibusque actibus impudicis inter solutos.* 274
§. 1. VBi de parvitate materiæ in re venerea. *ib.*18.9
Tactus, oscula, amplexus inter solutos. 285
2. 286
3. Aspectus. *ibid.*
4. Turpiloquium. *ibid.*
5. Turpia legere, scribere, repræsentare, &c. *ibid.*
6. Munera acceptare, & se jactare de re turpi. Remissivè. 287.1
7. Choreæ. *ibid.*
8. Ornatus. 288

CAPUT IX.

*Discutio, duo dicta Caramuelis in materia luxuriæ.* ibid.

CAPUT X.

*Remedia adversus luxuriam.* 289

## LIBER VIII.

### Ne furtum facias.

Dispositio hujus libri. 290

*Tractatus primus hujus libri Octavi, agens de Dominio.*

CAPUT I.

*Quid sit Dominium, & quatione differat à possessione, usufructu, &c.* ibid.
VBi, An usus distinguatur à dominio jure ipso usu consumptibilis. *ibid.*
Corollarium pro Religiosis circa acceptationem rerum. 291.10

CAPUT II.

*Quinam dominium rerum habeant.* ibid.
§. 1. Electa de servis. *ibid.*1
Defenditur servorum mitigata conditio. 29 .9
Bona servi ab intestato defuncti cujusnam sint. *ib.*15
2. de filiis. Remissivè. 293
3. Selecta de uxoribus ex bonis mariti aliquid usurpantibus. *ibid.*
Quantum possit sibi congregare uxor ex mariti bonis. 294.12
4. De Beneficiariis. 195
5. Selecta de Religiosorum paupertate circa usum dependentem. *ibid.*
De dispositione pecuniæ à Religioso nomine alieno vel nomine Testatoris facta. *ibid.*4
De Religioso invitato ad convivium, & de acceptante res comestibiles à sæculari. 296.9

CAPUT III.

*Quatione acquiritur dominium.* 297.1

CAPUT IV. *De Præscriptione.* ibid.
§. 1. Communia de præscriptione summatim afferuntur. *ibid.*
Tempus pro rebus temporalibus. *ibid.*3
Tempus pro legibus. 298.8
2. Selecta de præscriptione. *ibid.*
An jure præscriptionis in foro conscientiæ quis gaudeat in Regno Siciliæ. *ibid.*
Iudicium D. Marij Cutrelli de hac Quæstione. 301.24

*Tractatus secundus, qui est de Furto.*

CAPUT I. *Quid sit furtum?* 302

CAPUT II.

*De quantitate furti sufficienti ad mortale inter extraneos.* 303

CAPUT III.

*De furtis modicis successivè continuatis.* ibid.
§. 1. Furans modica ab eodem. 304
2. Furans modica à multis. *ibid.*
3. Multi furantes modica ab eodem. 305
4. De quantitate furti sufficientis ad mortale inter propinquos & domesticos. *ibid.*
Quoad uxorem. *ibid.*2
Quoad filios. *ibid.*3
Quoad famulos. 306.5

CAPUT IV.

*De quantitate furti Religiosorum sufficienti ad mortale.* ibid.

CAPUT V.

§. 1. An sit fur qui per occultam acceptionem compensat quid sibi debetur. 307
2. Compensatio in re diversa. 308
3. Compensatio in debito dubio. *ibid.*
4. Compensatio in re quæ mittitur ad debitorem, vel ei debetur. *ibid.*1
5. Compensatio famulorum. *ibid.*
6. Compensatio fidejussoribus. *ibid.*
7. Compensatio ex bonis defuncti. 309

CAPUT VI.

*An extremè, vel graviter indigenti liceat furari.* ibid.
§. 1. Tria certa. *ibid.*
2. Tria controversa. 310
Indigens an furripere, vel consumere debeat animo reddendi. *ibid.*2
3. Indigenti an res ipsi necessaria debeatur ex Iustitia. 311.4

CAPUT VII.

*De continuitate peccati furti in eo qui non restituit. Remissivè.* ibid.

CAPUT VIII.

*De emptione rei furtivæ.* ibid.

CAPUT IX.

*De peculiaribus quibusdam furtis in ludendo venando, lignando, &c.* 313
§. 1. De furtis & obligationibus ludentium. *ibid.*
Ludere pecunia sive numerata, sive credita. *ib.*8
Ludere cum animo non solvendi, vel non solvendi nunc. 314.14
Vincere plus quam amittere. *ibid.*
Ludere cum iis, qui alienare nequeunt. *ibid.*18
Cum filiisfamilias. Remissivè. *ibid.*
Cum uxore alterius. *ibid.*19
Cum alterius marito. *ibid.*20
Cum servo. *ibid.*21
Cum Religioso. 315.25
Cum furibus, & usurariis. *ibid.*28
Cooperantes ludi. *ibid.*31
Vbi de loco expolito ad ludum, quem vocant Barattaria. *ibid.*31.32
2. Venatores, Piscatores. 316.1
3. Lignantes, pascentes. *ibid.*

*Tractatus tertius huius libri octavi, agens de Restitutione.*

CAPUT I.

*Quid sit restitutio, & quo præcepto jubeatur.* 317

CAPUT II.

§. 1. De prima radice, seu causa restitutionis, quæ est injusta acceptio seu retentio. 318
Præmittitur regula generalis. *ibid.*1
2. Per actionem injustam. *ibid.*
3. Per actionem extrinsecè injustam. *ibid.*
4. Per culpam Theologicam. *ibid.*
5. Per culpam Theologicam gravem. 319
An culpa levis externa, sed interna gravis pariat obligationem restitutionis. 320
6. Statim. *ibid.*
Restitutio ex delicto quomodo statim obliget. *ibid.*1
Restitutio ex contractu quomodo statim obliget. 321.6
Restit. ex re accepta qua ratione obliget statim. 322.11

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


7. Totam rem, seu ejus valorem. *ibid.* 1.
Fortuitò rem ablatam consumit primo tempore. *ibid.* 6
Consumit secundo tempore. 323. 12
Consumit tertio tempore. *ibid.* 16
De restitutione fructuum rei injustè ablatæ. 324. 22
Prima regula. *ibid.* 23
Secunda regula. *ibid.* 24
8. Etiamsi res perierit. *ibid.*
9. Onus restitutionis quandonam adsit, si acceptio, vel detentio sint dubiè injustæ. Remissivè. 325

CAPVT III.

§. 1. De secunda radice, seu causa restitutionis, quæ est res accepta. 325
Consumens rem bona fide acceptam. 326. 8
Donans rem bona fide acceptam. 327. 9
Vendens rem bona fide acceptam. *ibid.* 10
Donans pretium rei alienæ bona fide venditæ. *ibid.* 13
2. Prima Quæstio, An rem, v.g. equum bona fide venditum, vel donatum, ubi nescis esse furtivum, tibi liceat furi reddere. 328
3. Secunda Quæstio. Quoad idem, quando adfuit mala fides. *ibid.*
De emente, ut item de acquirente rem alteri obligatam. 329
4. Occasione prædictorum explicamus, quandonam per conjunctionem res aliena transit in merum dominium, ita ut non debeam rem ipsam in individuo *ibid.*
Per alluvionem. *ibid.* 3
Per adjunctionem. *ibid.* 7
Per confusionem. *ibid.* 11
Per admixtionem. 330. 15
Decluntur frequentiores casus de rebus mistibilibus. 331. 22
5. De obligatione restitutionis fructuum ex re aliena bona fide perceptorum. *ibid.*
Melioramenta. 333. 13
6. Tres dubitationes circa variationem bonæ & malæ fidei. *ibid.*

CAPVT IV.

*De tertia radice restitutionis, quæ est injusta damnificatio, seu læsio.* 334
§. 1. De positivo destructore rei alienæ. *ibid.*
2. De impediente bonum alteri, ejusque restitutione, quoad ea, quæ pertinent ad justitiam commutativam. 335
Dubium incidens de impediente donationem peccaminosè alteri factam. 336. 7
3. De impediente bonum alteri, quoad ea, quæ pertinent ad distributivam. *ibid.*
Vbi aliqua de Beneficiis, & Officiis. *ibid.*
De impedientibus consecutionem Beneficij. *ibid.* 3
4. De distributione Beneficiorum & Officiorum. 337

CAPVT V.

*De quarta radice restitutionis, quæ radicaliter est ex contractu.* 339. 1
§. 1. De obligatione restitutionis orta ex culpa in proprio dicto contractu. *ibid.*
2. De obligatione restitutionis orta ex culpa in quasi contractu. 340
3. An rem commodatam, depositam, &c. debeat quis in communi periculo præferre suæ. *ibid.*
4. Summa cruta ex dictis quoad obligationem restituendi ex culpa. 341

CAPVT VI.

*De eadem quarta radice restitutionis, quæ immediatè est ex contractu in Universum.* ibid.
§. 1. Præmittitur definitio contractus. *ibid.*
Divisio contractuum. 342
2. Prima divisio in contractum nominatum, & innominatum. *ibid.*
Secunda divisio in contractum bonæ fidei, & stricti juris. *ibid.* 2.
Tertia divisio in contractum, seu pactum nudum, & vestitum. *ibid.* 6
Quarta divisio in contractum onerosum, & lucrativum. 243. 9
3. Regula generalis de restitutione ex prædictis contractibus in universum. *ibid.*

CAPVT VII.

*De eadem quarta radice restitutionis ex contractu particulari venditionis, & emptionis.* ibid.
§. 1. Quid sit emptio & venditio. *ibid.*
Requiritur cõsensus & quidẽ absolutus. *ib.* 2
Requiritur pretium determinatum. 344. 4
Quæstio incidens pro Gabellariis. *ibid.* 5
Requiritur item res & pretium. *ibid.* 7
Duorum casuum huc incidentium resolutio. Primus de permutatione fructuum Hortuli Domus Professæ Soc. Jesu. *ibid.*
Secundus casus de permutatione mercis, cujus venditio sit prohibita. 345. 11
Venditio voluntaria esse debet. *ibid.* 13
Rem emens aliena pecunia. 346. 17
Arrham recipiens in venditione. *ibid.* 18
2. Quæ personæ vendere, & emere possunt. Remissivè. *ibid.* 1
3. De rebus quæ vendi, vel emi possunt. *ibid.* 1
Hominis venditio. *ibid.*
Venditio officiorum. *ibid.* 3
Venditio electionis ad Officium, vel ad legatum. 347. 6
Venditio sententiæ probabilis in Iudice. *ibid.* 13
Venditio omnium bonorum. 348. 14
Venditio hæreditatis. *ibid.* 16
Venditio debitorum. *ibid.* 17
Venditio rei litigiosæ. *ibid.* 18
Venditio ejus quod nundum est. *ibid.* 20
4. De pretio justo rerum. *ibid.*
Quinque capita unde crescant, vel decrescant rerum pretia. 349. 3
Ex parte rei venditæ. *ibid.* 4
Ex parte pretij. *ibid.* 5
Ex parte emptorum & venditorum. *ibid.* 6
Vbi an exteris carius possit vendi. *ibid.* 8
Ex parte seu ratione expensarum. *ibid.* 10
Ex parte modi vendendi. *ibid.* 14
Necessitas & utilitas mercium quomodo augeat pretium. 350. 17
Quo pretio res emendæ, vel vendendæ. *ibid.* 18
Merces extraordinariæ quanti. *ibid.* 20
Merces nunc cariores mox futuræ viles, & quanti. *ibid.* 21
Jam subhastationis quanti. 351. 23
5. Casus aliquot speciales circa rerum pretia. *ibid.*
occasione prædictorum decernitur cuinam restituendus excessus pretij, immediatè damnificato, an damnificato mediatè. *ibid.* 7
6. De venditione pecunia credita. 352. 1
An pluris credito, quàm numerato rem vendere fas sit. *ibid.* 2
Frumentum venditum, & consignatum hyeme ad pretium mensis Maij. 353. 9
Frumentum venditum *à pagare*, & *consignare*. *ib.* 12
An venditor non solùm pretium ab emptore possit percipere fructus rei à se credito venditæ, quamvis ementi traditæ. *ibid.* 13
Contractus *à godere*. 354. 16
7. De emptione anticipata. *ibid.*
Lanæ, & similia anticipato emptæ. *ibid.* 6
De contractu emptionis frumenti celebrato inter Massarium, & Mercatorem anticipato pretio in Sicilia & Apulia passim usurpato. 355. 9
An Massarius possit cogi ad dandum frumentum. 356. 14
An rescindi possit hic contractus. *ibid.* 16
Augmentum frumenti cujus est. *ibid.* 17
An possit statui certa quantitas frumenti. *ibid.* 18
An Mercatori licet pignus accipere. 357. 19
An qui Massarius non est, uti hoc contractu queat. *ib.* 20


Quid

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


Quid debeat Missarius morosus. ibid.28
An renovata idem contractus possit adhito lucro forti. 358.31
8. De quibusdam modis contractus emptionis, & venditionis. ibid.
An creditum, seu Chirographum possit minoris emi numerata, seu anticipata pecunia. ibid.1
An liceat carius vendere credito, ut statim vilius numerato, idem ematur, quod alicubi dicitur Porro, alicubi Abilizza, alicubi Baratto, &c. 359.9
An liceat vendere vel emere cum pacto retrovenditionis. ibid.15
Pactū de retrovendendo in favorē venditoris. 360.19
Pactum de retrovendēdo in favorē emptoris. ibid.25
Pactum de retrovendēdo in favorem utriusque. ib.26
9. De venditionibus, & emptionibus nomine alterius factis. 361
Venditio alieno nomine. ibid.
Emptio alieno nomine. ibid.8
Venditio in loco distanti an faveat venditori alieno nomine. ibid.11
10. An Mercatoris remissio faveat emenri alieno nomine. 362
11. De deceptionibus occurrentibus in venditione, & emptione. ibid.
De deceptione in pretio. ibid.1
De venditione facta à duobus. ibid.2
Prætextu minoris pretij rē venditā diminuere. 363.4
Venditio rei vilioris mixtæ cum pretiosiore. ibid.6
Vendere quod pro quo. ibid.7
De fraude, & dolo interveniente in ipsa venditione. 364.11.
Quando dolus non trahentis dat causam contractus. 365.15
Quando dolus contrahentis in contractu. ibid.18
Quando dolus Tertij dat, vel non dat causam contractus. ibid.19
Notationes quatuor circa prædicta. ibid.21
De vendente rem, cujus vitium non cognoscitur ab emente. 366.25
Res vendita solum vitiosa ex parte. 367.30
Fructus rei vitiosæ vendit. cujus. ibid.31
Vitium patens an manifestandum. ibid.32
Interrogatus de vitio quid respondebit. ibid.33
De vendente rem non incogniti valoris. ibid.34
Venditio rei in se non cognitæ. 368.42
Solutio per monetam falsam. ibid.43
12. De fraudibus ex Monopolijs. 369
Monopolium ex privilegio. ibid.2
Monopolium ex compacto. ibid.6
Monopolium ex emptione omnium mercium. ibid.11
Monopolium ex remotione aliorum vendentiū. 370.18
Monopolium ex inducente penuriam. ibid.20
Pretium in Monopolio. 21


## CAPVT VIII.

*De eadem quarta radice restitutionis ex contractu particulari mutui.* ibid.


§. 1. Quid sit Mutuum. ibid.
2. Quid sit Usura. 371
Gratitudo ex mutuo. 372.6
Mutuare ex pacto ut fiat quod debetur ex Charitate. ibid.9
Mutuare cum pacto ut fiat quod debetur ex Iustitia. ibid.10
Vbi, an liceat Christiano dare Turcis ad usuram. ib.11
Mutuare cum pacto aliquid faciendi. ibid.12
De intentione lucri supra sortem ex parte unius tantum ex contrahentibus. ibid.13
3. An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis liceat quid accipere supra sortem. 373
Tres conditiones quoad damnum emergens. ibid.2
De damno emergente ex mora. ibid.7
Tres conditiones quoad lucrum cessans. 374.11
Laboris æstimatio. ibid.15
Lucrum cessans anticipato sumptu. ibid.16
Lucrum cessans ex contractu explicitè injusto, sed ejusdo implicitè. 375.21
Duo mulierculārum contractus mutui discutiuntur ibid.28
4. Difficultas, vel periculum recuperandi sortem, an det lucrum. 376
5. An liceat aliquid plus accipere ob promissionem, quam alteri quis facit non repetendi pecuniam mutuatam intra certum tempus. ibid.
Quibus valeat promissio non repetendi mutuum, &c. 378.17
6. An liceat quid supra sortem reportare ob molestiam privationis suæ præsentis pecuniæ. ibid.
7. De cooperantibus cum usurario, & de ejusdem pœnis. Remissivè. ibid.


*Tractatus quartus huius libri octavi agens de circumstantiis, testimoniis, & concausis.*

## CAPVT I.

*De novem circumstantiis restitutionis.* ibid.


§. 1. Quis. ibid.
Pauper factus ibid.2
Religiosus ære alieno vel furto gravatus ante professionem. 379.7
Ære alieno gravatus post professionem. 380.16
2. Quid. 3. 381
Cui. 382
An restituenda Domino res ipsi nocitura. ibid.2
Cui restituendum non apparente, seu ignoto Domino. 383.11
Defuncto Domino rei, cui sit illa restituenda. ibid.12
Ignoto vel incerto Domino, cui restituendum. ib.15
Nullo exigente Dominō, cur res restituenda. Vbi de Thesauris. 385.32
Thesaurus inventus. ibid.33
4. Quantum. 386
5. Quomodo. ibid.
Restitutio facta Domino illam non advertenti. ib.2
Restitutio facta per intermediam personam. ibid.3
Restit. cū errore facta ex Consilio Cōfessarij. 387.8
Mediator non restituendam amittens. ibid.9
Restitutio doni mortuo donatore. ibid.11
6. Quando. ibid.
7. Ordine quo. 388
8. Quo loco. ibid.
Ex delicto. ibid.2
Quo loco, ex re accepta. 389.6
Quo loco ex contractu. ibid.8
13. Quæ causa excuset iniquum. 390
Inopia excusat à restitutione. ibid.2
Impotentia Tertij & Notarij. ibid.6
Cessio bonorum. 391.7


## CAPUT II.


§. 1. De cōcausis seu cooperātibus ad actiones injustas ex quibus oritur obligatio restitutionis. ib.
Iussio, seu quod idem est, mandatum. 392.1
2. Consilium. 393
3. Consensus, Palpo. 394
4. Recursus. ibid.
5. Participans. ibid.
6. Mutus, non obstans, non manifestans. ibid.
7. Quo ordine hæ concausæ restituere debent. 396
8. Quantum singulæ damni concausæ restituere debent. ibid.


## CAPUT III.

*Quatuor Casus à Caramuele adducti in materia restitutionis, expediuntur.* 397


Primus Casus de servo infirmo. ibid.1
Secundus Casus de rebus immistis. 398.6
Tertius Casus de promissione in diem. ibid.8
Quartus Casus de mutuo cum quadam obligatione, &c. ibid.10


CAPUT

# Index Capitum Parag. & Titulor.


CAPVT XV.

*Quomodo se gerat Confessarius, si quando pœnitens eam possit non restituit, nec debita solvit.* 399
§. 1. Potens restituere, non restituit. *ibid.* 3
2. Jussus, à Confessario nondum restituit. *ibid.* 10
3. Non potens restituere in foro interno, &c. *ibid.* 12

LIBER IX.

Non falsum Testimonium dices.

CAPUT I.

*De falso, seu temerario iudicio.* 400

Discrimen inter dubitationem, suspicionem, & iudicium, *ibid.* 1
Conditiones requisitæ, ut iudicium sit mortale. *ib.* 4
De ignoto quidpiam iudicare mortale non est. 401. 10
Solū suspicari de re gravi nunquam est mortale. *ib.* 11

CAPUT II.

*De falsitate in iudiciis publicis.* 402

§. 1. Iudex. *ibid.*
Modus procedendi. *ibid.* 2
Munera à Iudice non acceptanda. *ibid.* 5
Munera Iudician donanda. 404. 13
2. Reus. *ibid.*
Reus an licitè aperiat occulta crimina testium. *ibid.* 1
An debeat stare sententiæ. *ibid.* 8
An fugere à carcere. *ibid.* 9
3. Advocatus & Procurator. 405
4. Accusator & denuntiator. 406
5. Testis, Notarius seu Tabellio. 407

CAPUT III.

*De lædente famam alterius, eiusque restitutione.* ibid.

§. 1. Quid sit fama, & quomodo lædatur. *ibid.*
Excusationes saltem à mortali, infamantis. *ib.* 1
2. Ignorantia, & parvitas materiæ. *ibid.* 2
Circumstantiæ in quibus non adhibetur fides. 408. 5
Referre uni, vel alteri probo. *ibid.* 7
Crimen esse publicum. *ibid.* 9
In alio loco. 409. 11
In alio tempore. 410. 17
Affinitas in criminibus. *ibid.* 20
Ob malum avertendum. *ibid.* 21
Justa querela. 411. 23
3. Excusationes restituendi famam. *ibid.* 1
Non peccasse contra Justitiam. *ibid.* 4
Non graviter læsisse. *ibid.* 5
Sine culpa læsisse. *ibid.* 7
Consensus infamanti, vel eiusdem remissio. *ibid.* 9
Iusta, vel non nocens detractio. *ibid.* 12
Infamatio reciproca. 412. 19
Fructuanea restitutio. *ibid.* 18
Damnum proprium. *ibid.* 19
4. Qua ratione fama sit restituenda. *ibid.*
5. An Detractor restituere teneatur famam non solum apud suos auditores, ut certum est, sed etiam apud eos, apud quos iidem auditores detraxerunt. 413
6. An se infamare quis possit. *ibid.*
7. De audiente Detractorem. 414
8. De lædente honorē alterius, eiúsque restitutione. 415

LIBER X.

*Non concupisces uxorem nec rem proximi tui.*

CAPUT I.

*Præmittuntur quædam scitu necessaria de cogitationibus & imaginationibus obiecti mali.* ibid.

CAPUT II.

*An ad peccatum evitandum opus sit positivè resistere cogitationibus, & moribus pravis.* 417

CAPUT III.

*De delectatione morosa.* ibid.

CAPUT IV.

*In quo vitæ statu liceant cogitationes quædam morosæ in materia luxuriæ.* 418

CAPUT V.

*An & quando à cogitationibus malis censeatur separari malitia, ut illæ earumque delectatio licitè admitti possint:* 419
§. 1. Per præcisionem in aliis materiis à luxuria. *ib.*
2. Per præcisionem in materia luxuriæ. 420
Per appositam conditionem in aliis materiis à luxuria. *ibid.* 1
4. Per appositam conditionem in materia luxuriæ. *ibid.*
5. Expenduntur aliquæ aliæ similes conditiones. 421

CAPUT VI.

*Qua ratione dignoscatur voluntas consentire mortaliter in peccatum remissa.* ibid. 1

CAPUT VII.

*Expenditur decisio Cabamelis de delectatione speculativa.* ibid. 2


*FINIS.*

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac B. Aloysio.

DE

# DE PRÆCEPTIS DECALOGI

## LIBRI DECEM.

## Intentio, & Divisio Operis.

OCEANUM palmo concludere nitor, dum tasus ferè omnes ad Decalogum spectantes brevibus Opusculis explicare contendo. Vires assumit timor. Vnde enim in tanta nobilium Scriptorum de eodem argumento obvia multitudine, ac frequentia novi aliquid ad Lectorum animos alliciendos, mihi expiscari concedetur? Nitar tamen, & cersè si assequar, lucro apponam; sin minus, excusabit me obedientia R. P. N. Vincentij Carraffæ, totius nostræ Societatis moderatoris, qui Opusculum primum meum, *de Expedita Confessione*, evolvere non dedignatus, adeò sibi placuisse mihi indignissimo significavit, ut etiam me ad summam casuum universalem eodem modo ac stylo conscribendam, adhortaretur, hoc est, (ut sunt Superiorum nutus excipiendi) pro suo in me imperio, præciperet. Id autem, quod dirigendum suscipio, *quàm sit operosum atque prolixum*, (cum S. Aug. *lib.* 17. *de Civit. c.* 1. meritò loquor) *& quàm multis indigeat voluminibus, quis ignorat, qui hoc vel mediocriter cogitat?* Proinde (cum eodem *ibid.* concludo) *ita, si potuero, stylo moderabor meo, ut huic operi nec ea, quæ supersint, dicam, nec ea, quæ satis sint, prætermittam.*

Decem ergo libris decem Decalogi præcepta complector. In primo quasi Isagogen instituo pro consequentibus libris, siquidem de quibusdam ago, quæ scitu sunt generatim, atque universè præ-necessaria, antequam ad sequentes tractationes speciatim descendatur: hæc sunt de peccatis, de voluntario, de conscientia. In cæteris verò disseram de præceptis ipsius Decalogi, ita scilicet ut singuli libri singula præcepta contineant; præter librum decimum, qui duo, hoc est nonum & decimum præceptum complectetur: ubi multa tanquam in proprio loco de internis actibus desiderij simul colligam, quæ Confessariis, imò & pœnitentibus fructū parient, si Deo placet, non contemnendum. *Erudi me Divina Sapientia, & doce me: ads te enim sapere, desipere est.* S. Ang. *in medit. c.* 5.

# PRIMA PARS.

## LIBER PRIMUS.

### Isagoge, seu de cognitu præne cessariis ante Decalogi tractationem.

#### Caput Primum.

#### De Peccatis.

§. I. *Divisio Peccatorum.*

1. PECCATUM, quod ex S. Aug. *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 27. est dictum, factum, concupitum contra legem æternam, atque adeo contra rectam rationem, aliud est Mortale, aliud est veniale: differunt autem hæc in eo, quod veniale leviter adversatur legi æternæ, Mortale graviter: unde fit, ut illud mereatur æternam pœnam, hoc est, pœnas Inferni; hoc verò pœnam temporalem.

2. Ejusmodi autem peccata possunt patrari, per commissionem, ut furando, blasphemando, &c. vel per omissionem, ut non restituendo, non adjuvando extremè indigenti, non audiendo sacrum, &c.

3. Rursus aliud est mortale, vel Veniale ex se, seu ex genere suo, aliud est Mortale, vel Veniale per accidens. Ita Sanchez *lib.* 1. *in decis. c.* 1. *num.* 3. Meroll. *tract.* 2. *d.* 1.

c. 4. aliique passim. Ex genere suo Mortale, vel Veniale est, quod ex objecto, seu considerata materia, circa quam versatur, grave vel leve quid est, verbi gratia, grave est homicidium, adulterium, &c. Leve est verbum otiosum, mendacium officiosum, impatientia laborum, &c. Mortale per accidens est, quando ex aliquo accidente veniale transit in mortale, ut si verbum otiosum, verbi gratia, sit occasio seu periculum proximum alicujus peccati mortalis. Veniale per accidens est, quando mortale ex aliquo accidenti transit in veniale, ut si homicidium fiat ex imperfecta deliberatione. Vnde habes non statim te posse pronuntiare actum esse culpam mortalem, vel venialem, nisi perpendas, an quod ex se est tale, per accidens tale nequaquam sit, id quod enucleatius explicandum breviter suscipio.

## §. II. *De mortali, & veniali ex genere suo.*

1. Regula passim obvia ad hæc discernenda est ejusmodi: Illud ex genere suo est mortale, quod charitatem Dei vel proximi, vel sui ipsius graviter lædit: secus erit veniale ex genere suo. Nec dissimilis est ea, quam aliqui afferunt, illud est mortale quod continet gravem deformitatem contra rectam rationem, illud veniale, quod levem. Ita Sanch. *l.c. n.* 1. ex Azor. *t. 1. lib. 4. cap. 9. q. 8.* aliique. Veræ sed insufficientes regulæ: nam hoc ipsum inquiro ecquodnam est illud, quod charitatem graviter lædit vel quod gravem continet deformitatem?

2. Quoniam verò difficulter potest id per universalem regulam diffiniri, multa signa ad hoc facientia proponere meritò solent Authores. Erit ergo actio ex se graviter charitatem lædens, ac propterea culpa mortalis primò, si in sacris literis Deus ejusmodi actioni comminetur exclusionem à Regno cœlorum, ut ad Galatas 5. Fornicatio (inquit Apostolus) Immunditia, Contentiones, Æmulationes, Iræ, Dissensiones, Sectæ, Invidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comessationes, & his similia, qui talia agunt, regnum Dei non assequentur.

Secundò, si Ecclesia declaravit esse peccatum mortale.

Tertiò, si viri docti communiter, considerata natura actus tali, iudicent esse mortale, nec sit ratio in contrarium.

Quartò, si sint peccata contra graves virtutes Theologicas, v.g. Religionem, Iustitiam, &c.

Quintò, si sint contra præcepta Decalogi.

Sextò, si sint contra Ecclesiæ præcepta; ad quod caput revocantur omnia, quæ præcepto humano sub mortali præcipiuntur, quando autem sic præcipiantur, diximus *in opusc. de expedit. sacrif. Missæ l. 3. c. 1. §. 8.*

3. Erit verò actio ex se leviter lædens, quando, cùm mala sit, sub istis prædictis signis saltem principaliter non comprehenditur. Atque hic vides, cur non rarò aliqui Doctores dicant actionem quampiam esse mortalem, negent mordicus alij. Ratio enim est, quia cùm omnes conveniant in illo universali, peccatum mortale esse, quod graviter lædit charitatem, vel quod difforme est rectæ rationi; non tamen, (ut sunt hominum diversa ingenia, convenire omnes possunt, An hoc, de quo controvertitur, graviter lædat, An huic peculiari actioni gehenna à scriptura comminetur, ab Ecclesia sic decernatur, An lædantur graves virtutes, An adsit excusatio, per quam mortale transeat in veniale, &c. Et doctus quidem, atque discretus melius resolvet, quàm indoctus & imprudens: ille enim cordatè scripturam intelligit, ac doctores, rationésque expendit: hic ab obvia quapiam authoritate, vel simulata ratione ductus, imprudenter pronuntiat. Verum ne inter hos posteriores connumereris, facient (Deo aspirante) ea, quæ in his opusculis disseremus.

## §. III. *De Veniali per accidens.*

1. Mortale trãsire in veniale potest pũr accidens tribus ferè ex capitibus. Primò, ex parvitate materiæ. Secundò, ex imperfectione actus. Tertiò, ex aliqua causa excusante. Jam de singulis.

### *De Veniali ex parvitate materiæ.*

2. Qua ratione, quod est ex genere suo mortale, abeat aliquando, ex parvitate materiæ in veniale, non obvium est cuique discernere: nam propterea sit hujusmodi regula, (Lege Sanch. *lib. 1. in dec. c. 4. n.* 1. Suar. *d. leg. lib. 2. c. 28. n.* 2 5. Bonac. *d. 2. de pecc. q. 3. p. 3. n.* 11. Castro P. *tom. 2. tr. 1. d. 2. p. 7. n.* 1. Merollam *t. 1. d. 1. c. 4. d. 7. n.* 430.)

3. Quoties ratio malitiæ gravis, seu offensio gravis contra charitatem Dei, vel proximi, (quod alij, & rectè quidem dicunt, contra rectam rationem) invenitur in materia parva æquè ac in magna, toties perstat mortalis culpa inesse mortalis, etiam in materia quantumvis parva, secus transibit in venialem. Ratio est manifesta: quia malitia peccati mortalis consistit in gravi offensione, si ergo hæc invenitur in aliqua materia etiam levi, semper erit mortalis, si non invenitur, non est, unde sit pronuntianda mortalis.

4. Sed quando id erit vel illud? non potest id melius explicari, quàm per aliqua discurrendo in quibus quacunque posita vel levi materia, gravis formaliter offensio reperitur.

5. Dico igitur eam reperiri primò in actionibus, quæ immediatè, & directè contra Deum versantur, ut in odio Dei, contemptu ejusdem, blasphemia, infidelitate, in peccatis contra spem Theologicam, &c.

Quare quodcunque modicum odium, contemptus, &c. erit culpa mortalis. Ratio est, quia in his (ut ex majestate Dei patet) etiam in quacunque parvitate gravis apparet contra rectam rationem deformitas.

6. Dixi (immediatè & directè) nam contemptus indirectus, ut, v.g. contemptus in rebus Deo sacris, videtur posse habere parvitatem; sicut perpendit Sotus *in 4. d. 1. q. 1. art. 8. §. si autem*, si eo contemptu, quo quis in consecratione calicis pronuntiare omitteret illud (enim) ut nos explicuimus *in opusc. de sacrific. Missæ, lib. 2. c. 5. §. 2. n. 3.* vel in eo qui jocosè diceret aliquid leve de sanctis, quo homines sunt, ut sanctum Crispinum fuisse sutorem, &c. De quo Sanchez, *lib. 2. in dec. c. 32. n. 44.* Hæc enim mediatè ad Deum pertinentia, quando sunt modica, non videntur graven deformitatem continere, cum eiusdem Dei reverentiam graviter nequaquam violent.

7. Secundò, reperitur gravis semper offensio in perjurio assertorio. Ita Castro P. *l. c.* Sanchez, *lib. 1. in dec. c. 4. num. 1.* Semper enim apparet grave, instituere Deum testem mendacij, quamvis levissimi: ei enim sic tribuitur posse mendacium approbare. Non autem reperitur semper in juramento promissorio, vel in voto, quando cum fuerit tibi animus illa observandi, deinde non observas; tunc enim non observare erit veniale, si res promissa sit levis, ut *infrà lib. 3. c. 3. de jur. §. 3. n. 4.* ex probabilissima sententia disputabimus.

8. Tertiò, reperitur eadem semper gravis offensio in magia & superstitione, quæ est de pacto expresso cum dæmone, quia semper malum grave est pacisci cum hoste Dei, & hominum infestissimo. Lege Merollam, *l. c. num.* 112. Videnihilominus quæ dicam *infra lib. 3. c. 6. §. 1. de superstitione, n.* 46.

9. Quartò, reperitur item in Simonia ex iure divino, per quam datur pretium temporale pro re spirituali. Ita Sanchez, Castro Palaus *l. c.* Merolli. *diff.* 1. Semper enim gravis est irreverentia quamcumque rem sacram temporali pretio quamvis modico æqualem, ipso facto emptionis, profiteri: quæ gravis irreverentia non apparet, saltem semper, in simonia jure Ecclesiastico prohibita, ubi res empta est temporalis, seu de temporali participat. Hujus posterioris generis est officium, verbi gratia, œconomi, sacristæ, quando aliquid parvum datur pro eo consequendo.

10. Quintò, reperitur in re venerea, deliberatè quæsita. Ita Merolla *l. c. diff.* 2. quia omnis delectatio libidino-

sa, cum juxta Gal. *lib.14. de usu partium, cap. 9.& 10.* ex se ordinetur ad seminis effusionem ob generationem, quæ est graviter prohibita in solutis) quomodocunque modi-ca abilla prohibita effusione deformitatem gravem semper concipit. Dixi (libidinosa) ut innuam malè adversa-tios hanc doctrinam impugnare ex eo, quod nimis seve-ra videatur. Concedimus enim obscœna, amplexus, aspe-ctus, &c. non libidinosos, sed ex joco, curiositate, vel si-mili causa factos non pertingere ex se ad gravem defor-mitatem, quia non sunt in re venerea, cum non habeant ex se ordinem ad actualem seminis profusionem, id quod de libidinosis dicere nequaquam possumus. Lege Castro Palaum *t.1.tr.16.di sp.5.p.9.n.8.*

11. Sextò reperitur in irritatione Sacramentorum, in fractione sigilli, in Jejunio naturali præcessario ad Eu-charistiam suscipiendam: in his enim ratio integritatis-simæ eadem, propter Sacramenti dignitatem semper re-sidet. Ita idem *t.1.tr.4.d.2.p.7.n.2.*

12. Septimò, reperitur in homicidio injusto: cùm enim mors sit omnium temporalium damnorum in ho-mine maximum, graviter semper ejus charitatem lædit. Ita idem *ibidem.*

Hæc satis sit compendiosè collegisse, in quibus par-vitas materiæ non datur; non datur, inquam, formaliter, in ratione offensæ parvæ: licet enim materia sit ex se materialiter modica: gravis tamen est (ut vidimus) con-tra rectam rationem offensio.

Quoniam autem in aliis materiis præter hactenus dictas ejusmodi materiæ parvitas regulariter adest, so-lemnis hic illa emergit disceptatio, quonam modo, & unde ea sit desumenda, & dignoscènda: quod ita sub-do. Lege Dianam *p.5 tr.5.de parvitate materiæ.*

*Unde desumenda sit materiæ parvitas.*

13. Profectò ex triplici capite desumi posset: Primò, ex re ipsa in se absolutè spectata: Secundò, ex compara-tione ad totum, quod præcipitur: Tertiò, ex relatione ad finem, propter quem res præcipitur. Labor, v.g. in die festivo per unam horam exhibitus, potest primò consi-derari, an ex se absolutè spectatus, sit modicum quid, an magnum. Secundò, an sit tale comparatus, cum labore totius diei viginti quatuor horarum. Tertiò, an sit tale, ut relatus ad finem vacandi Deo, multum scilicet, an parum labor dictæ unius horæ nocet cultui Dei, qui est finis in præcepto de non laborando in die festivo.

14. Dico, quamvis primum, & secundum caput, immò & aliæ circunstantiæ forte concurrentes, attendendæ omnino sint, tamen ex tertio tota hæc conjectura prin-cipaliter desumi debet. Itaque illa erit parva materia, quæ supposita gravitate finis, parùm conducet ad dictum finem intentum à legislatore: illa magna quæ multum. Quia ergo labor unius horæ parum nocet fini vacandi Deo in die festivo, erit venialis; labor verò decem, v.g. horarum, quia multum nocet, erit mortalis. Unde, ut id cognoscatur, opus valdè est judicio viri prudentis spe-ctantis omnes circunstantias & expendentis primùm & secundum caput ex prædictis, sed semper in ordine ad tertium; an scilicet res, de qua agitur, graviter, vel le-viter ad finem intentum conducat, an eidem obstet: Habe exempla: Aliqui concesserunt laborem non excedentem duas horas in die festivo esse venialem, aliqui laborem unius horæ duntaxat. Unde hæc judicandi diversitas? quia nimirum utrique prudenter judicare se credidérunt, omni-bus prædictis expensis, eo tempore laborare, parum fi-nem præceptum impedire.

15. Præterea, quia furari obolum parum domino regulariter nocet, at furari aureum, v.g. multum; ideò illud veniale, hoc mortale erit; Et quia attenta circun-stantia paupertatis alicuius; unius, v. g. acus ministerio se sustentantis, acus jactura multum huic noceat, necesse est ideo acum ab eo furari mortale erit. Rursus, quia aliqui contendunt quatuor Iuliorum furtum parum no-cere dicto fini, aliqui, multum, etiam ratione dissimi: siquidem cum quatuor Iulios potest quis se alere per unum diem, quod his videtur grave, ideò hi ejusmodi furtum mortale, illi veniale pronuntiant. Sicuti etiam qui furari centum Iulios surripiendo unum à singulis multum nocet, si non singulis certè toti communitati ipsorum, ideò mortale. Ita Merolla *t.1.d.2.c.4.n.9. Co-roll.* aliique *ibid.cit.*

16. Pari modo si obligaris elargiri eleemosynam mille aureorum, omittens dare quinquaginta aureos, peccas mortaliter, quia licet quinquaginta respectu numeri, mil-lenarij, sit parva materia, at respectu finis intenti suble-vationis pauperum, vel exercitationis pietatis, materia notabilis est. Ita Castro P. *t.1.tract.2.d.2.p.7.n.7.*

17. Item si vovisti, vel jurasti audire Missam ob cul-tum Dei, grave quid est, illam non audire: cum graviter conducat ad illum finem, vel una Missa; nam secus non audire Missam die festivo, mortale non esset. Ita Sanch. *in dec. lib.2.c.4.n.2.& 6.* At si idem jurasti ob observan-tiam quandam bonæ gubernationis (ut fieri solet à scho-laribus in quibusdam Academiis) non videtur grave unam, vel alteram Missam omittere, quia vel finis non est admodum gravis, cum sit finis sæcularis gubernatio-nis, vel certè omissio unius Missæ hujusmodi fini non admodum nocet, ita Castro P. *l. c.n.4.* Sanchez *l.c.*

18. Ad hæc murmiloquium, ingressus in alienam cel-lam, & similia de se levia, quia notabiliter possunt con-ducere in aliqua Religione ad solam observantiam, erunt ratione finis gravia, & sic poterunt illa superiores sub mortali præcipere: ita idem *ibi.*

19. Dico (poterunt) nam cæterum invitus hanc licen-tiam superioribus concedo. Cùm enim subditi ignorent; vel subinde non credant finem magni esse momenti, & per se res levis appareat, facilè, & quidem probabiliter, (si sine magno consilio) sub mortali res levis præcipia-tur) putabant superiorem potius ad terrendum (& uti-nam non imprudenter) quàm ad solidum quempiam fi-nem obtinendum eam præcepisse.

20. Illud non invitus addo. Si quando expressè tantum onus peccati mortalis non declaretur, nec ex aliquo tan-dem capite colligatur, præsumendum esse præceptum grave nequaquam ferri de re levi. Exemplum. In quibus-dam Monasteriis advertebatur panem, vinumque, & si-milia notabiliter deficere ex eo quod subditi illa per mi-nutas largitiones exteris donarent: statuerunt ergo sub mortali reservato Prælatis, ne quis quidpiam panis, vel vini sine expressa facultate externis largiatur. Dubita-tum fuit, an si Petrus subditus clam parùm panis, vi-nive quantitatem semel, aut iterum daret, quamvis ad-verteret alios (sed non cum illis cooperaretur,) pari mo-do donare, unde notabilis quantitas dissiparetur, An in-quam mortaliter peccaret.

Respondi, si statutum fuisset, ne quis quidpiam etiam leve elargiretur, considerandam fuisse doctrinam *num. precedente* allatam, & *num.* 24. mox afferendam: nunc verò, quandoquidem statutum fuit absolutum, (Ne quis quidpiam daret,) nec expressè levitas sub mortali inter-dicta, putavi statutum loqui de notabili quantitate re-spectu singulorum, de materia nimirum culpæ mortali accommoda, & consequenter Petrum graviter non pec-casse. Sed redeo ad exempla.

21. Insuper si vovisti coronam Beatissimæ Virginis ex sex decennariis constantem, duo decennaria compa-ratione dictæ coronæ, cum sit tertia pars, videtur non modica materia; at quia ad finem intentum, id est, ad cultum Virginis modicè nocet, si cætera quatuor decen-naria recitentur, veniale erit, duo tantum omittere. Idem videtur in omittente tertiam partem cujuslibet horæ ca-nonicæ ex minoribus, nempe Tertiæ, Sextæ, Nonæ, &c. nisi fortè benigniorem sententiam, quam sententiam infra afferemus, cum de horis canonicis agendum erit, amplecti velis.

22. Si adsit prohibitio sub mortali, ne frumentum, merces, vel pecunia ob bonum publicum extrahatur à Regno, materia pertingens ad mortale mensuranda erit

à fine intento per legem, id est, à dicto bono publico. Quare, quamvis Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 4. num. 8.* censeat esse mensurandam ex ipsa quantitate exportatæ mercis spectata in se, etiam si parum Reipublicæ noceat: tamen probabilius est cum Castro Palao *tom. 2. tr. 2. d. 2. p. 7. n. 6.* esse ex dicto nocumento mensurandam: quod, si grave inferatur, spectatis omnibus circunstantiis, raritate annonæ, necessitate regni, &c. mortaliter peccabitur: secus venialiter.

23. Quando quis parum cibi multoties in die jejunij assumpsit, & non perveniat ad graviter nocendum fini intento, per præceptum jejunij abstinendi à refectione, venialiter peccabit: si perveniat, mortaliter. Quoniam ergo si semel, aut bis unam vel alteram nucem, v. g. eodem die comedas, non te reficis, nisi admodum leviter; ideò veniale erit, illas sive simul, sive successivè eodem die comedere; at si ita multiplices, ut notabiliter reficiaris, peccabis mortaliter. Aliqui docent intra diem jejunij (extra unicam comestionem, & extra jentaculum vespertinum) unam unciam cibi comedere, esse parvitatem materiæ, atque adeo sic comedentem peccare solum venialiter. Turrianus *ap. sum. Theolog. mor. cap. 256. d. 17. n. 1.* quem citat Pasqual. *de jejunio decis. 139.* extendit ad duas uncias. Vnde hoc? certè non nisi quia ex dictis illi unam unciam, Turrianus, etiam duas parum fini prædicto jejunij nocere, ut sunt hominum diversa judicia, probabiliter putant.

24. Hic denique adverte. Quando dubitatur an res præcepta graviter conducat ad finem, vel an gravis sit finis, præsumi probabiliter posse ac debere ita esse, si ejusmodi præceptum magno consilio, & à superiore prudenti constituatur. Ita Castro P. *t. 1. tract. 1. d. 7. num. 4.* ex Sanch. *lib. 1. de Dec. cap. 4. num. 3.* Ratio est, quia ex communiter contingentibus præsumendum est pro superiore prudente; prudentes enim non solent præceptum grave imponere, nisi ad finem gravem, deque re ad gravem finem graviter conducente: Quod si clarè de imprudentia constet, vel etiam, omnibus perpensis dubiè, vel ex aliquo capite præsumatur præceptum, ejusque pœnam ad terrorem dumtaxat ferri, leve quid est reputandum, quia tunc prævalet subditi libertas, juxta ea, quæ disputabuntur infra *cap. 3. §. 7. v. leges*, latius.

25. Semel Episcopus prohibuit sub pœna excommunicationis, ne moniales aliquid excerperent ex floribus domestici hortuli: sic urgente horti præfecta, ad communem recreationem conservandam. Interrogatus ego, an id sub mortali obligaret, Respondi nequaquam, quia manifestè constabat finem esse admodum levem: imò, ut eram Vicario perfamiliaris cum admonui, ne modicis huius generis culpis tam gravem pœnam imponeret, foret potius sic contemni præcepta solere, quàm custodiri: pœnamque excommunicationis, quæ severissima est, tam vulgarem habere; simis esse reprehensibile.

Facit ad hæc Sanchez, qui excommunicationem fortè latam adversus consummantes matrimonium, non præmissis benedictionibus, ait, minime ligare; quia Excommunicatio ferri non potest, nisi ubi adest materia imponendi præceptum obligans ad mortale, quæ materia non apparet in ea consummatione, nisi forte aliquando dissi in aliqua Diœcesi solerent differri ejusmodi benedictiones; nam tunc posset sub excommunicatione præcipi, ut intra tempus commodum, v. g. intra semestre, adhiberentur. Hæc ex illo. Vbi vides invasidè excommunicationem ferri circa rem, quæ non est apta, ut de ipsa imponatur præceptum grave; At certè materia, cujus finis, modo dicto est levis, gravis esse moraliter non potest, &c.

*De Veniali ex imperfectione actus.*

26. Duplici modo transit mortale in veniale ex imperfectione actus, ita S. Th. *p. 2. q. 88. art. 2.* communiter receptus. Primò ex defectu deliberationis: id est quando non plenè, ac perfectè intellectus advertit ad objecti malitiam, nec de ea, expendendo singula, deliberat; ita sæpè occurrit in semisomniente, in semiebrio, in distracto ad alias cogitationes. Secundò, ex defectu pleni consensus: quando scilicet voluntas objectum malum non amplectitur toto, ut ita dicam, actu, sed subreptione quadam, inde, & imperfectè: ita fere accidit in motibus quibusdam subitaneis.

27. Ad quorum intelligentiam, nota, in voluntate triplicem reperiri posse motum in rem, seu objectum aliquod, ita Petr. Sotus *de inst. Sacer. Tr. de discrim. pec. lect. 8.* & passim apud Merol. *t. 1. d. 2. c. 4. q. 7. n. 103.* Alius est primò primus, qui ita celer est, rationemque hominis prævenit, ut illum cohibere sub ejusdem potestate non sit. Alius est secundò primus qui impediri quidem potest, sed sub quadam tenui, seu semiplena libertate, id quod accidit propter homines ad singula discurrenda, tarditatemi qui non rarò, licèt advertat rem esse malam, imperfectè tamen veluti in confuso advertit, unde, & non pleno consensu ad illam movetur. Alius denique motus est deliberatus, & perfectus, quando nimirum est planè liber, cum sit ex ratione singula expendente, & ex voluntate, expedito consensu, se inclinante.

Primus motus ex his, etiam quando objectum est mortaliter malum, nullum est peccatum: Secundus est veniale: Tertius mortale: quæ est communis doctrina, quidquid Ioan. Sanchez *in sel. d. 18.* quem rectè Castropalaus *t. 1. tr. 2. p. 6. n. 3.* impugnat, in contrarium innuat. Iam vero difficultas in eo sita est: qua ratione dignoscendum sit adesse, vel abesse in actu plenam deliberationem, plenumque consensum; Dantur sequentes conjecturæ ex eodem *ibid. à n. 5.* nam aliquando certitudinem habere, nisi Deus, qui animum nostrum solus introspicit, homo non potest.

28. Prima est desumenda ex defectu ætatis, quia non attigistis septensium; tunc enim si dubites an acquisieris plenam libertatem, seu usum rationis, præsumere potes non acquisivisse. Idem, si dubites, an perfectè à somno fueris excitatus, vel ebrietatem deposueris, vel distractionem mentis alias res cogitantis excusseris; quia hæc, cum perfecta sunt, libertatem impediunt, ergo cùm imperfectè existunt, illam diminuunt. Ita Bonac. *disp. 2. de pec. q. 2. p. 3. n. 9. fine*, citatis Thom. Sanch. & Filiuc.

Secunda conjectura est: Si animum firmum habeas; & sæpè repetitum nunquam committendi mortale: præsumere enim potes peccato non plenè consensisse; nam quando aliquid odio multoties est habitum, si deinde plenè amatur, facile & sine difficultate cognoscitur, ita Caietan *in summa, v. delectatio morosa*, apud Merol. *t. 1. d. 2. cap. 4. q. 7. n. 108. fine.*

Tertia est, Si facilè potes peccatum exequi, illudque cum tui compos es, pro viribus respuis; præsumere enim potes, antea non plene consensisse, siquidem non ita facilè affectus mutatur. Ita Sanchez *l. c. n. 27.* Bonac. *l. c. n. 19.* Hinc quando motus parvus tempore ferè imperceptibili insurgit, & paulo post, ut advertis, curas expellere, est signum nullius, aut certè imperfecti dumtaxat consensus præstiti.

Quarta conjectura sumitur ex communiter contingentibus, quæ est efficacissima, ita Mendoz. *lib. 1. præsemp. 18. & lib. 5. præs. 32.* Vnde si quis timoratæ sit conscientiæ, peccatumque mortale abhorreat, præsumendus est non plenè consensisse, cum de consensu dubitat: secus si perditis moribus sit: hic enim, cum peccatum, velut aquam bibat, cum dubitat, præsumere potest verè ebibisse. Ita Sanch. *l. c. n. 20.* Bon. *n. 16.* Sayr. *in clavi, lib. 8. c. 7. n. 6.*

29. Quæliber ex his conjecturis regulariter facit opinionem probabilem, qua tuti esse possumus, non affuisse libertatem saltem perfectam, unde nec peccatum mortale.

*Peccatum in genere.*

30. Quæres, si quis solum advertat in objecto malitiam in genere, verbi gratia, mendacium cum juramento, vel verbum otiosum esse mala, sed præscindat an mala sint gravia an levia, potestne id habere pro conjectu-

ra

ra, quod amplectendo tale objectum commiserit solum peccatum leve. Respondeo in pueris potest ita Io. Sanc. *in Select. d.17.n.10.* quando enim hi sunt in confinio adipiscendæ rationis, sæpè occurrit, ut cognoscant in confuso rem esse malam, sed nondum pertingant ad cognoscendam qualitatem malitiæ, an gravis, sit, an levis, & tunc certò mihi videntur in mortale ij nequaquam labi, quia malitiam mortalem nondum cognoscunt. Vide mox *num.33.*

31. At verò, si de iis, qui perfectum usum rationis habent sit loquutio, non est universalis conjectura: nam propterea Doctores apud Thom. S. *lib.1. in Dec. cap.11.n.6.* aliique apud Castrop. *t.2.tr.1.d.1.p.3.n.4.& 5.* Stan. Vasq. *p.2.q.19.art.6.d.59.c.3.n.20.* communiter docent tunc gravitatem, vel levitatem peccati desumi debere ex ipso objecto, seu materia peccati, & sic illud mendacium cum juramento allatum *n.30.* esse mortale, verbum verò otiosum esse veniale, etiamsi in utroque solum advertatur malitia præscindens à gravi & levi. Cuius doctrinæ ratio esse potest, quia ut habet Layman *lib.1.tr.2.c.4. num.7.* in tanta determinatione dicti casus præsumendum est hominem, licet non actualiter, at certè virtualiter, apprehendere objectum, ut peccaminosum sub ea gravitate, vel levitate, in qua re ipsa est, vel saltem præsumendum est, non numis ab ejus qualitate aberrare, licet distincte non satis cognoscere videatur.

32. Ergo quoad praxim, probabile puto, si de nominibus cultis, & doctioribus agamus, acquiescendum esse allatæ doctrinæ, atque adeò tunc conjecturam peccati faciendam esse ab ipsa qualitate objecti, seu materiæ; at si de rudioribus, v.g. rusticis, mulierculis, & similibus sermo sit, pronunciandum esse non peccare nisi venialiter.

Ratio est, quia præsumere possumus illos doctiores aliquo tandem modo (ut diximus ex Layman) qualitatem malitiæ cognoscere. At si rudiores, nec apti sunt ad illam virtualem apprehensionem habendam; nec sciunt, nec regulariter advertunt ad obligationem examinandi, utrum id quod agunt mortale sit, an veniale; cum igitur solum se illis offerat malitia quædam indeterminata, illam tantummodò contrahent, quæ cum sit communis, & præscindens à mortali, & venali, imperfecta est, atque adeò ad culpam levem reducenda, ita Val. *p.2.q.24.p.4.q.3. fine*, citans Nau. *in summa latina, prælud.9. num.9.* Idem posse evenire doctioribus non dubito, quia sapiens non semper sapit, ut ait Plinius, præsertim in subitis quibusdam casibus, in quibus & ipsi non solent ad prædictam obligationem advertere.

33. Confirmo ex Io. Sanch. *d.17.n.10. Quo sit* (inquit) *pueros falsò iurantes, non discernentes An sic iurare sit malum grave, vel leve, venialiter delinquere ex imperfecta cognitione offensæ, quia non sunt potentes discernere gravitatem malitiæ, & quamvis plures apud Thom. Sanchez, lib.1. in dec. cap.11. n.6. dicant peccare mortaliter eum, qui cognoscens aliquid malè agere, non curat discernere, an veniale sit an mortale: ex eo enim se periculo peccandi mortaliter ultrò tradit, quod verissimum arbitror: non tamen à nobis tradita adversantur, cum puer, cum jurat, etsi cognoscat se malum committere, non tamen se illi offert, quod obligatus sit examinare quanta sit culpa; nec ob id se tradere periculo committendi mortale, cognoscit. Sicuti percipitur à grandævo.* Hæc Io. Sanchez: subsumo: At grandævus rudior, immò interdum etiam doctior non advertit ad dictam obligationem; ergo nec peccabit mortaliter. De hac re dixi olim breviter *lib. 2. Meth. confessionis, c.1..... §.15.num.92.*

34. Si quis ita in genere statuat, Volo offendere Deum non est mirum, quod peccet mortaliter: quia tunc non adest solùm malitia præscindens, de qua hactenus, sed determinata, & veluti immediata contra Deum, id quod sapit Dei contemptum; cum enim ad nullam materiam descendat, videtur contra ipsum Deum immediatè operari velle, quod est grave.

35. Hæc solet esse vel ignorantia, vel in aliquibus casibus necessitas. Quoad primum. Si quis ex ignorantia inculpabili putet aliquid esse veniale, quod aliàs est mortale, venialiter tantùm peccabit. Ita S. Thom. *p.2. q.76. art.3.* Quem omnes sequuntur apud Merollam, *t.1.d.1.c.2. dub.2.n.8.* Ratio est, quia, ut infra videbimus, peccatum debet esse liberum, & voluntarium procedens ex cognitione singulorum: cùm ergo hæc supponamus cognosci solum, & quidem citra culpam, malitiam levem, leve erit peccatum.

Idem erit si ignorantia sit culpabilis tantum venialiter. Ita Val. Sanc. Sanc. aliique apud eundem Meroll. *ibid. dub.3.* quia tunc, cum non adsit nisi culpa ignorantiæ, quam supponimus esse venialem, non nisi venialiter inficiet actionem. Quænam sint ejusmodi ignorantiæ, habebis, si Deo placet, *infra c.2.§.10.*

36. Quòd secundum, advertendum est, adesse præceptum grave, ne quis cooperetur cum peccato alterius, qui enim cum alio concurrit ad actionem malam, peccati illius particeps sine dubio fit. V.g. si quis mulierem excitat ad fornicandum cum alio, quamvis ipse non fornicetur, particeps est peccati illorum. Jam evenire aliquando solet, ut quis cooperetur ad quasdam actiones materialiter malas, & tamen non peccet, quia nimirum quasi invitus, & non potens aliud agere cum ea actione cooperatur. Locat v.g. domum suam quis Meretrici. Hic videtur cooperari cum ejus peccato, dum dat illi opportunum locum peccandi, & tamen, quia id facit ne amittat locationis suæ pretium, non censetur peccare. Necessitas igitur excusat in aliquibus materiis à peccato, quæ tamen debet esse proportionata actioni, cui quis cooperatur; hoc est, ut sit gravis, quæ excuset à peccato cooperationis cum actione graviter mala materialiter: gravior, quæ à peccato cooperationis cum actione gravius mala materialiter; fortior enim causa, ut ex se patet, debet excusare à cooperatione cum actione, cui conjungitur homicidium, quàm cui furtum: vel cum actione, cui proximè conjungitur idem homicidium: quàm, cui remotè, &c. Hinc ergo fit, ut si parum, seu leviter deficiat necessitas à tali debita proportione, leviter tantum peccetur, de qua tamen tota re commodius dicetur inferiùs, & interim legi potest Meroll. *t.1.c.4.dub.10.* Castrop. *tom.1.tr.6. de charitate, tota disp.6.*

## §. IV. *De Mortali per accidens.*

1. VEniale transire per accidens potest in Mortale sex ferè modis. Ratione finis, contemptus, periculi, conscientiæ erroneæ, scandali, denique ratione unionis multorum venialium, in aliquibus casibus. Jam de singulis breviter.

### *Mortale ratione finis.*

2. Duplici id modo evenit. Primo si veniale committatur propter finem mortalem; ut si quis mentiatur, ut adulteret: ita Sanchez, *lib.1. in dec. c.5.n.7.* ratio est, quia actio specificatur à fine, ergo à fine graviter malo malo graviter fiet. Qua ratione id peccatum aperiri confessario debet fusè declaravimus *lib.2.meth.confess.c.1.§.11.*

3. Secundo. Veniale transit in Mortale, si in veniali ultimum finem quis constituat. Ita S. Thom. *2.2. q.132. art.3.* & communiter. Ratio est, quia in hoc magna intervenit deordinatio, cum enim id eveniat, sive explicitè, quando plus appretiativè amatur venialis illa res, quàm Deus ultimus noster finis; vel implicitè, quando quis actualiter paratus est præcepta obligantia ad mortale transgredi, ut obtineat rem illam venialem, non potest non adesse gravis deordinatio, atque adeò culpa gravis, juxta illud Sancti Augustini, *hom.24. in Ioan.* & refertur *c. unum orarium, 25. dist.* §.1. *Nullum peccatum est adeò veniale, quin fiat criminale: dum placet.* Subintellige, dum placet, ut finis ultimus.

*Mortale ratione contemptus.*

4. Si quis, sive ex malitia, sive ex prava consuetudine, sive ex alia simili causæ violat præceptum, non dicitur contemnere: at dicetur, si contemptus est causa alicujus peccati, ideò scilicet violat quis præceptum, quia contemnit. Quoniam autem contemnere quis potest vel præceptum, seu quod nunc in idem recidit, rem præceptam, vel ipsum præcipientem, seu legislatorem, ideò de utroque differendum.

5. quoad posterius, quando præceptum est divinum, si quis violet præceptum leve, verbi gratia, mentiatur, quia contemnit præcipientem, sive formaliter ut præcipiens est, & superior, sive materialiter; ut talis est in suo esse, semper peccat mortaliter; Ita Val. Less. Suar. apud Meroll. *t.1.d.2. c.4. d.8. num.136.* quia id semper est quid grave contra obedientiam, vel reverentiam debitam Deo, qui est præcipiens in dictis præceptis, quæ propterea vocantur divina.

6. Quando autem præceptum est humanum, si violetur præceptum etiam leve, eo quod contemnitur præcipiens formaliter, id est quatenus superior est, atque adeò spernitur ipsa potestas, ac si nullius esset momenti peccatum mortale committitur: Idem *ibid.* At verò si præceptum leve violetur ex eo, quod contemnatur præcipiens materialiter, id est quatenus talis homo est, quia verbi gratia, est imprudens, vel indiscretus, peccatum mortale non committitur. Idem, *ibidem.* Idémque erit, si quis nolit alicui obedire, non quidem, quia is superior est, sed ne hominem ea re levi solatio afficiat. Ratio horum est, quia in primo casu injuria fit Deo, à quo est omnis legitima potestas: in aliis duobus contemnitur solùm ipse homo, & quidem in re levi.

7. Quoad prius, id est quoad contemptum rei præceptæ; si præceptum rei levis est humanum, & illud quis violet, quia spernit ipsum præceptum cum relatione ad præcipientem formaliter, id est spernit, quia illi, ut superiori, non vult se subjicere, mortaliter peccabit; quia tunc contemptus, ut modò dictum est, vergit contra ipsum præcipientem ut sic. Si quis verò illud leve violet, quia spernit sive illam rem levem, sive ipsum leve præceptum sine relatione ad præcipientem, ut sic; vel cum relatione sola ad præcipientem, ut talis homo est, peccabit solùm venialiter, quia tunc contemptus cadit in rem verè levem, unde non nisi leviter culpabilis erit. idem, *ibid.*

8. Quod si præceptum rei levis sit divinum, illudque quis violet, quia spernit ipsam rem levem, seu leve præceptum cum relatione ad præcipientem ut sic, nolens se illi subjicere, certè erit clarè mortale: nunc enim adest injuria contra Deum; si verò quis illud leve violet non cum tali relatione, sed solum, (mentitur verbi gratia) contemnens ipsum mendacium, distinguunt Doctores iidem, *ibid.* Si enim contemnat quasi putans illud præceptum de non mentiendo esse inutile? & vanum, peccat mortaliter, & in hoc ferè omnes conveniunt, quia id continet tacitam blasphemiam contra Deum, qualem etiam contineret, si quis consilia Christi Domini eadem ratione, ac si essent vana, contemneret: At si putetur quidem utile præceptum, sed parvi pendatur, quia est res levis, & non obligans ad mortale, docet Sanchez *in dec. lib.1. c.5. n.11 fin.* adhuc esse mortale, quia (inquit) est magna inordinatio, præceptum Dei ita contemnere. Verùm Sanchez nimis rigoroſe loquitur, cum certè illa deordinatio non sit magna, sed levis, ut leve est objectum. Temperat ergò Lessius *lib.2.c.46. d.6.n.penult.* dicens fortè non esse mortale. Ego sequor libens Layman, *lib.1.tr.3.de pec.7.num.6.* qui absolutè, & sine distinctione docet contemptum rei præceptæ levis, quia non redundat saltem graviter contra legislatoris authoritatem, esse venialem. Ratio autem esse potest, quia in hoc casu non parvipenditur, nisi res levis, & nequaquam redundans, nisi multùm remotè, contra Deum. Sanè si ego contemnam non ex alio capite, sed solum, quia est leve quid, satellitem Regis resalutare, graviterne Regem offendo? nequaquam: pari igitur modo proportionaliter in casu nostro. Et ulterior ratio est, quia quando ego contemno rem levem, quia levis est, resolvitur mea culpa in hunc modum. Contemno rem levem, quia levis est, nam si esset gravior, atque adeò gravis injuria Dei non contemnerem.

9. Ex dictis facilè colligere potes peccantem ex contemptu duo peccata committere, utrumque explicitè confitendum apud confessarium, quia scilicet primò præceptum in tali materia violat, & quia secundò, vel agit contra obedientiam nolendo se superiori subjicere, vel contra Religionem, Deum præcipientem contemniendo, &c.

*Mortale ratione periculi.*

10. Veniale imò & quælibet actio indifferens transit in mortale, si in illa advertatur adesse proximum periculum committendi mortale: ita Doctores *mox* cit. & *passim.* Verbi gratia, si quis verbum otiosum dicat fœminæ ex quo ipse expertus est sæpè aliàs in mortale peccatum esse lapsum, mortaliter peccabit. Ratio est, quia mortale velle convincitur qui tam proximum peccandi periculum sponte subit, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Hinc fit, ac peccantem debere Confessario aperire speciem peccati, cujus periculo se exponit, illud enim censetur committere: quando quidem eodem præcepto, quo vitare tenemur peccatum, tenemur & illius periculum proximum vitare. Quando ab hac culpa excusamur, urgente nimirum necessitate, & de praxi absolvendi in proximo periculo peccandi constitutos diximus *in met.exp.confess.lib.3.cap.5.§.3.*

11. Sed hîc tanquam in proprio loco quæritur. An qui vult committere omnia venialia, quæ se offerunt committenda, peccet mortaliter ratione periculi committendi mortale. Peccare mortaliter docet Sanch. *in dec.lib.1. cap.5. num.4.* Bonac. *d.2.de pec.q.3.p.5.n.17.* quia peccata venialia sunt dispositiones ad mortale.

12. Si verè esset hæc opinio, væ plurimis Fidelibus, qui verbis & factis profitentur se uno esse contentos, non peccare mortaliter; cæterum non admodum laborant de venialibus. Benignior igitur est, immò & probabilior sententia Castropalai *tom.1.tr.1.d.2.p.9.§.3. n.5.* & Salas *c.2.t.2.q.88. n.13.d.16.sect.2.n.67.in fine*, & *sect.26.n.84.* negantium. Ratio præcipua sit, quia falsum est venialia esse dispositiones proximas ad mortale, atque adeò proximè periculosas, esto sint remotè. Videmus enim plures, qui de venialibus non multum curant, vel ad ipsum nomen mortalis horrere, & re ipsa diu à mortalibus abstinere. Ulterior autem ratio esse potest, quia dum malitia coarctatur ad terminos levis offensæ Dei, minus hominem Christianum afficit, ac percellit: at valdè urget, & terret, dum transcendit ad gravem: ex quo tam diverso affectu, nullo modo judicandum est eum, qui priorem affectum habet, habere posteriorem. Excipe tamen aliquas occasiones sive in genere luxuriæ, sive alterius materiæ, quando ex aliquo capite in illa levi actione verè apparet proximum abendi periculum, sed id non est ex vi peccati venialis, sed ex vi naturæ talis actionis. Certè consuetudo jurandi verum sine necessitate, non videtur Thomæ Sanchez *lib.3.in dec.c.5.n.9.* occasio proxima jurandi falsum, quia qui curam habet jurandi verum, non ex hoc inducitur ad jurandum falsum, immò potius abducitur. Simili modo ergo universaliter in casu, de quo agimus, &c.

13. Secundò quæritur. An qui concupiscit fœminam, cujus statum ignorat, aut fœminam in communi, peccet peccato stupri, adulterij, vel sacrilegij, ex eo quod exponit se periculo sic peccandi. Affirmat Sanchez *lib.1 in dec.c.8.n.5.* cui adde Meroll. *c.1.d.2.c.4.d.8.num.145.* aliosque, atque adeò teneri id in confessione explicare. Ratio est, (inquit) quia quantum ex parte sui desiderij fertur in fœminam cujuscunque status sit, vel certè se exponit periculo peccandi cum illa, quibuscunque sit conditionibus affecta: excusari tamen sæpe sic concupiscentem, ait, quod eam malitiam ejusque periculum non advertat.

Hanc

Hinc excusationem libens amplector, sed doctrinam non item. Ratio potissima est, quia, vel hic in mortale ob hanc ratione periculi, vel ratione indeterminationis. Non ratione periculi, siquidem non ferè semper, nec frequenter, qui concupiscit puellam alicujus conditionis, v.g. solutam, concupiscit conjugatam, vel Deo dicatam, quod est peccatum majus, quàm sit solutam concupiscere. Quod enim ad constituendam culpam ratione periculi sit necessarium ferè semper, vel certè frequenter cadere, dixit Thomas *Opusc. Meth. confess. lib. 3. cap. 3. §. 1.* Nec ratione indeterminationis, quia cum hic supponatur ignorare statum, vel à statu abstrahere, contra statum non peccat. Adde cujusnam generis erit illa culpa? Primò enim stupri erit, an adulterij, an potius sacrilegij? Secundò: an omnium? Tertiò, an generis innominati. Primum esse non potest, cum non sit major ratio de uno, quàm de alio. Secundum est difficile creditu; quia voluntarium non est, quod est incognitum. Tertium denique videtur potius fingi, quàm probari.

14. Puto igitur esse peccatum simplicis fornicationis & ratio est, quia licet non habeat circumstantiam fœminæ solutæ, per quam constituitur Fornicatio simplex ut sic habet tamen totum illud malitiæ, quod moralis judicio continet simplex dicta fornicatio, & nihil amplius; id autem in rebus moralibus ad culparum notiones cognoscendas, seu constituendas satis est.

15. Fateor interim in confessione aperiendum esse, concupitam fuisse à te mulierem, cujus statum ignoras, vel puellam in communi. Id autem, non ob rationem Sanchez, quæ nobis non arrisit, sed quia, ut docuimus *Opusc. Meth. confess. lib. 2. cap. 1. §. 1. n. 6.* in simili, sic dicas, non explicas peccatum quod commisisti, sed aliud, quod non commisisti: quod esse mentiri in confessione in re gravi. Si enim diceres concupivi solutam, vel concupivi conjugatam, &c. non vere diceres, si quidem tu nec solutam concupivisti, nec matrimonio ligatam, sed abstraxisti ab utraque.

16. Dices, fatebor me concupivisse fœminam. Respondeo vel confessarius ex circumstantiis percipit te in fœminam indeterminatam oculos mentis conjecisse, ut sciat te esse advenam in hac civitate, teque concupivisse fœminas, quæcumque obviam tibi fuère, ac propterea incognitas, & sic jam servatur nostra monitio; vel non percipit, & tunc vel ille obligabitur interrogare, vel tu rem explanare, ut sciatur: An fœmina concupita fuerit contracta ad conditionem conjugij, vel voti, nec ne.

*Mortale ratione conscientiæ erroneæ, scandali, & unionis plurium venialium, remissivè.*

17. Si quod est tantum veniale, putet quis per conscientiam errantem esse mortale, mortale erit. Item si quis leve quid agat, v.g. jocosè mentiatur, intendens quinam alterius spiritualem, est similiter mortale ratione scandali: sed de prior agemus *infrà c. 3. §. 2.* de posteriore diximus *Opusc. Meth. conf. lib. 2. c. 1. §. 7.*

18. Denique si quis multa venialia unibilia ad malum grave committat, graviter peccat: ut accidit in furto per modica, & in nonnullis aliis materijs: de qua re ea, quæ per occasionem diximus *supra §. 3. à num. 15.* satis superque pro præsenti disputatione sunt.

## Caput II.

## De Voluntario.

### §. I. *Quid sit Voluntarium.*

1. VOluntarium latè sumptum, seu actio latè voluntaria (quo pacto etiam vocatur spontanea, conveniens item brutis) est, quæ procedit à principio intrinseco cognoscente singula: ita Aristot. *3. Eth. cap. 1.* S. Thom. *1. 2. q. 6. artic. 1.* & Theologi communiter. Cognoscunt enim Bruta per suas potentias sensitivas convenientiam, vel disconvenientiam aliquarum rerum, v.g. cibi, vel fugationis, eamque spontaneè prosequuntur, fugiuntve.

2. Liberum autem, seu actio libera, (quo pacto erit strictè, & magis propriè voluntaria, & differens à spontanea, conveniens solum creaturæ ratione utenti, & præ necessaria ad peccatum) est, quæ procedit quidem à prædicto principio cognoscente singula, sed ita, ut sit in potestate agentis illam actionem facere, vel non, ita Azor. *lib. 1. c. 3. q. 4. & passim*, v.g. Homo, dum per voluntatem amat bona delectabilia, (quæ per operationem intellectus, seu rationis, ut talia cognoscit) ita amat, ut possit amare, & possit non amare. Si amet igitur, vel si non amet, voluntariè ea velle, vel nolle dicendus erit. Hinc vides voluntarium latè sumptum esse magis latè patens, quàm liberum: omne enim liberum est voluntarium, non verò contra: fateor tamen apud Authores hæc sæpè confundi.

3. Adverte ipsam actionem, v.g. prosecutionem boni delectabilis cibi, dici voluntariam, ipsum verò bonum delectabile, v.g. cibum, dici volitum, seu objectum volitum, & consequenter differre voluntarium à volito, licet & hæc non raro confundant Authores.

4. Rursus adverte potentiam illam à qua immediatè procedit talis prosecutio, esse, & appellari in homine voluntatem: quæ etiam vocatur appetitus rationalis, quia regi solet ratione: in brutis verò invenitur appetitus, qui appellatur sensitivus, quia regitur à potentiis sensitivis. Quoniam verò homo aliquando operatur ex ratione, aliquando verò, more brutorum, ex appetitu sensitivo, ideò illi non solum competit liberè operari, sed etiam operari spontaneè, ut faciunt bruta, & consequenter non raro sine peccato.

5. Verùm quæ regula ad discernendi? sit hujusmodi si actio ab homine fiat ex advertentia rationis, quod tunc est, quando ratio considerat bonum & malum, honestum & inhonestum, si inquam ita fiat, erit actio voluntaria libera, & consequenter actio virtutis, vel vitij, vocaturque propriè actio humana, quatenus scilicet est ab homine, ut homo est. Si autem non fiat ex advertentia rationis, sed subitò quodam motu animi, absque eo quod ratio consideret honestum, vel inhonestum, &c. illa non erit voluntaria libera, nec actus virtutis, & vitij, nec digna præmio vel pœna, vocaturque quidem actio hominis, non verò actio humana, cujus conditionis esse motus primos innuimus *supra, §. 3. num. 27.*

### §. II. *Quotuplex sit Voluntarium.*

1. DVplex est. Aliud directè seu in se, aliud indirectè, & in alio, seu in causa. Directè in se voluntariè amas, v.g. vinum, cum illud volens, bibis: at verò indirectè, & in causa amas pollutionem, vel homicidium, dum videns, quòd vinum usque ad ebrietatem bibens, pollutionem in ebrietate patiens, vel homicidium in eadem patrabis, adhuc tamen bibis. Dixi (dum videns, & c. nisi enim præcognoscas effectum ex illa causa forte suscepta, secuturum, v.g. homicidium ab ebrietate, non dicetur, ne indirectè quidem ille effectus tibi voluntarius, sed dicetur esse merè per accidens: & consequenter non imputabitur tibi ad peccatum: sicuti, quia avis non prævidit se capiendam ex appulsu in viscum, captio illi voluntaria non est.

2. Illud adverte, ad hoc ut tibi aliquid sit indirectè voluntarium, necesse esse, ut elegeris aliquam actionem, vel omissionem, quæ tibi sit directè voluntaria, quæ actio, vel omissio sit, vel causa physica illius indirectè voluntarij, vel causa moralis: ita S. Thom. *p. 2. quæst. 6. art. 3.* Val. Vasq. aliique *ibid.*

Exemplum causæ physicæ habes in ebrietate, quæ tibi est directè voluntaria, & est causa physica dicti homicidij. Exemplum causæ moralis, quæ omnino suppone-

re debet obligationem ad aliquid faciendum; habes in gubernatore, v.g. navis, qui eligit directè dormire tempore tempestatis, ex quo sommo, atque adeò ex omissione navim gubernandi, indirectè, & moraliter sequitur naufragium; nam directè, & physicè sequitur à tempestate, quod quidem naufragium merito imputatur ipsi gubernatori, qui poterat & debebat navi opitulari, non autem imputari potest mihi, qui tali debito carebam, esto potuissem, sed quia erat cum meo gravi periculo, nequaquam obligabar, ut ex *tract. de præcepto charitatis* suppono: Confirmatur: quia secus, Deus videns me peccaturos, quandoquidem potest impedire, & non impedit voluntaria illi essent peccata nostra, sed certè non sunt illi voluntaria, quia nulla lege tenetur impedire.

3. Inquires: in hoc voluntario indirecto, v.g. in homicidio, commisso in ebrietate, quandonam peccatur, quando vinum largiter bibitur, an quando homini vulnus lethale infligitur ab ebrio? Respondeo peccari quando vinum usque ad ebrietatem bibitur; nam propterea in hoc casu homicidium dicitur esse peccatum in causa. Imò idem dicendum est aliquando etiam in voluntario directo, quando enim venenum, v.g. inimico propinas, directè, ut illum interimas, peccatum non committis, quando is post aliquot dies moritur, in quibus fortasse te pœnituit propinati veneni, divinamque amicitiam consecutus es, sed quando venenum propinasti. In utroque autem casu an mors dicenda sit effectus peccati cum Layman, *tract.2.lib.1.c.3. de voluntariis, num. 5.* an peccatum denominativè. cum Castropalao *tom 1. tract. 2. de peccat. disp.1.art.3.* quæstio est nobis inutilis. Vide tamen quæ alibi explicuimus *in opusc. Methodi confessl.2. cap.6.§.2.* quantum pertinet ad modum, quo sit in confessione id aperiendum.

4. Est & alia divisio voluntarij, nempe in expressum, quando scilicet explicitè aliquid volumus, & in tacitum seu interpretativum, seu juris fictione, quando scilicet aliquid volumus implicitè. Verum id, & eius quædam limitationes vide apud Layman *lib. 1. tract. 2. cap.3.num.3.*

## §. III. *De Violento, Coacto, Necessario.*

1. Violentum propriè (nam aliquando hæc nomina confunduntur) est, quod fit à principio extrinseco contra propriam inclinationem eius, in quo fit, & convenit tam rebus inanimatis cognitione carentibus, quàm animatis cognitione utentibus. Coactum addit ad violentum, cognitionem; nam lapis v. g. sursum projectus violentari dicitur, non cogi; animal verò, aut homo si in aliquo ligetur loco, dicitur cogi. Necessarium est illud; quod est determinatum ad unum, quod convenit tum violento, tum coacto. Convenit etiam spontaneo, quando ad illud habetur animi propensio; nam sic amor Dei in anima beata dicitur necessarius, ut item actus primò primus in voluntate: quamvis enim in his sponte, seu secundum propriam inclinationem, anima, & voluntas agant, tamen quia determinantur ad unum, necessario, & non liberè operantur. Hinc nota voluntarium liberum non solùm tolli per coactionem, quando scilicet cogitur quis ad aliquid præstandum contra propriam inclinationem, sed etiam quando non cogitur, sed necessitatur, seu determinatur ad unum, quamvis cum magna sua inclinatione, ut accidit in dicto amore, & dictis actibus primò primis.

2. Sit ergo regula, omnes illæ actiones seu passiones, quæ in nobis fiunt secundum alias inclinationes, fiunt tamen contra deliberatam voluntatem, non sunt nobis voluntariæ & liberæ, sed in illis violentiam, & coactionem patimur, quare non peccamus. Ratio regulæ est clara ex dictis, quia quamvis sint secundum inclinationem aliarum potentiarum, tamen sunt contra inclinationem voluntatis deliberatæ. Huius generis est prædictus amor in patria: Huius sunt prædicti actus primò primi in voluntate: Huiusmodi sunt motus in appetitu sensitivo, seu in membris corporis, quando voluntas advertens repugnat.

3. Sed ecce tibi celebris difficultas. Ad hoc ut aliquis actus, vel passio facta in nobis sit coacta, atque adeò involuntaria, & non peccaminosa; satisne est, ut voluntas deliberata non eos sentiat, negativè scilicet se habendo, an requiratur ut positivè dissentiat? v.g. vis infertur Virgini, aut alicuius rapitur ad Idola, ita ut manus eius cogantur inferre incensum ipsi Idolo, aut sentit quis in parte inferiori motus sensuales; Si prædicti solum non consentiant, satisne faciunt suæ obligationi, ac hoc ut tales actus seu passiones sint ipsis involuntariæ, atque adeò non peccaminosæ, an necesse sit, ut per actum positivum talibus motibus repugnent.

4. Respondeo. Multorum sententia est non satis esse, negativè se habere, quia si positivè non dissentiant, videntur illis motibus consentire, ita S.Th. *p.2.q. 74. art.6.* Morol. *tom.1.lib.4.c.6.quæst. 5.* aliique apud Ioan. Sanch. mox citandum.

5. Non desunt tamen plures, ut Tolet. Thom. Sanch. aliique apud Ioan. Sanch. *d.n. per totam*, qui docent cessante periculo positivi consensus satisfieri obligationi, si tantum negativè eius se habeat, quia præceptum ad nihil aliud obligat, nisi ad non volendum illos motus; at satis non vult, qui non consentit. Verum de hac re parco nunc meam proferre sententiam, *infra, lib.10.* si Deo placuerit, prolaturus.

## §. IV. *Ira & Concupiscentia quomodo se habeant circa Voluntarium.*

1. Hujusmodi animæ passiones (sub quibus comprehenditur Amor, Desiderium, Spes, Gaudium, Odium, Desperatio) non tollunt regulariter Voluntarium acceptum pro libero: ita S.Thom. *p.2. q.6. art. 7.* secus, communiter nunquam homines peccarent, quia communiter ad peccandum ab his passionibus inducuntur. Ratio autem ulterior est, quia regulariter supponimus ab his passionibus non ita obscurari rationem, vel cogi voluntatem, ut impendiatur debita advertentia, debitaque libertas.

2. At Minuuntne? sanè minuunt, ita Castrop. *tom.1.tr.2. d.1.p.5.* quia ejusmodi perturbationes, si non tollunt, turbant certè intellectum, ut non sinant considerare omnes objecti conditiones, & circa illas expeditè deliberare; videmus enim hominem eò magis inclinare in objectum, quo major est passio, quæ ad illud movet,

3. Ex his fit, ut contractus initi ob magnam spem lucri, vel ob magnum amorem circa aliquid, iuxta eundem *ibid.* ut item promissiones, donationes, legata, hæreditates extortæ blanditiis, & precibus sine dolo & fraude, sint observandæ, iuxta eundem *ibidem* aliis citatis, quia ex una parte sunt maximæ spontaneæ, & ex alia, debita libertas in his regulariter non deficit.

4. Dixi (regulariter) nam non nego aliquando has passiones adeò esse vehementes, ut omnino ab iis obscuretur nobis ratio: in quo eventu (nisi in causa quis peccaverit admittendo tales passiones cum prævisione effectus secuturi) à peccato excusabimur, quemadmodum nonnulli à peccato excusant interdum eos, qui ex vehementi passione se ipsos interficiunt, hi enim facile præsumuntur in brevem quasi amentiam incidisse, dum tantum malum propriæ internecionis non apprehendunt.

## §. V. *Metus qua ratione se habet circa Voluntarium.*

1. Ea, quæ fiunt ex metu, licet interdum (quando scilicet displicet actio, quæ ex metu fit) involuntaria sint secundum quid; absolutè tamen sunt voluntaria, tantamque habent voluntarij liberi rationem, quanta sufficit ad peccandum vel ad merendum: ita S. Thom. *p.2.q.6.art.6.* & passim Theologi. Ratio est, quia, qui merces v. g. projicit ob naufragij timorem, verè omnibus expensis, ob bonum vitæ, (quam servare hic & nunc intendit) ejusmodi jacturam, licet cum displi-

centia

tentia, eligit, esto, metu illo non urgente, nequaquam electurus.

2. Quod si tantus exterresceret metus, ut turbaretur mens, ac tolleretur deliberâtio, certum est non fore actum, nisi involuntarium, ut in simili vidimus §. *præcedente*, n. 4.

Moneo disputationem hîc esse de gestis caussaliter ex metu, nam facta comitanter cum illo, adulterium, v.g. susceptum à muliere cum metu instantis infamiæ, vel mortis, sunt ex omni parte voluntaria, quia fiunt à cognoscente singula, ut supponimus, nullo extrinseco cogente, cum propensione voluntatis, secus omnia peccata, quæ certè committuntur, comitante metu gehennæ, voluntaria non essent.

*Quis metus sit justus cadens in constantem virum?*

3. Duplex est Metus. Gravis alter, quem etiam justum, probabilem, cadentem in constantem virum appellamus. Alter levis, qui vocatur etiam injustus, improbabilis, non cadens in constantem virum.

Ij autem censentur Metus prioris generis, qui à gravi malo inducuntur, quique solent esse sequentes: Metus mortis corporalis, gravis cruciatus corporis, mutilationis alicujus membri, infamiæ notabilis sive juris, sive facti. Metus amittendæ virginitatis vel patiendi violentam copulam, amittendi omnia bona temporalia, vel notabilem eorum partem, amittendi proprium statum, amittendi honorem, & similia. Ita Sanchez *lib.* 4. *de matrim. d.* 2. Castro P. *tom.* 1 *tr.* 2. *d.* 1. *p.* 7. & alii. Ratio probans hos esse timores graves, qui ex ipsos prudentes viros concutiant, est, quia hæc mala nisi ex aliquo capite mox explicando, diminuantur, gravia esse, & merito timenda ipsi cæci vident.

4. Huc item pertinet metus excommunicationis injustæ: injustæ, inquam, non verò justæ, siquidem justa fertur, ut homo resipiscat à pertinacia, & à culpa, quod cùm is facilè possit præstare, obediendo tenetur præstare: ni faxit, sibi imputet: At injusta, licet coram Deo nequaquam liget; tamen, quia ligat in foro externo, timenda est; nam cogitur sic excommunicatus, (ut vitet scandalum) abstinere à Sacramentis, divinis officiis, fidelíumque participatione, à quibus abstinere, malum est non contemnendum. Vide quæ dicam §. 7. *de timore justè incusso.*

5. Dixi (nisi ex aliquo capite diminuantur) nam ad cognoscendum, an metus sit gravis, non solùm expendi magnitudo ipsius mali debet, quod hactenus fecimus, verum etiam qualitas personæ, tum ejus quæ infert, tum ejus quæ patitur metum: adde, & modum, & similia adjuncta, sub quibus ejusmodi metus incutitur, ita de Lugo *t.* 1. *de just. d.* 22. *sect.* 7. *n.* 33. Si enim puer, v.g. vel fœmina inermis cordato homini mortem comminetur, non illud inducet metum cadentem in constantem virum: ad gravem enim metum oportet, ut qui timorem infert, ejus sit conditionis, ut ei nequeat facilè resisti: Vel certè si aliàs possit, sunt tamen eæ circumstantiæ, ut hic, & nunc non possit: Ut si ego, v.g. essem funibus astrictus, & puer nudo gladio mortem mihi minaretur.

6. Etiamsi similia non sit solitus facere, si tamen seriò mala gravia minitetur, satis esse ad inducendum metum gravem existimo; siquidem qui agnus fuit, potuit (quæ prava est hominis propensio) repente in leonem verti.

7. Rursus id, quod fœminæ vel puero causa est sufficiens justi metus, non erit generaliter viro, cùm puellæ, puerique faciliùs timeant, quàm viri, qui majori prudentia rerum metuendarum momenta perpendunt.

8. Metus reverentialis Superiori debitus tum demum mihi videtur gravis, quando est conjunctus cum rationabili timore, ne superior, vel rigidè, vel malè tractet subditum, ita Castro P. *l. c. num.* 6. id enim rationabiliter conturbat hominem vel constantem: Aliàs, solus pudor, & erubescentia, quam pati subditus prævideat, ut superiori contradicat, non videtur nisi levis, & qui vinci possit, & debeat.

9. Scias importunas preces, hoc est, instantissimas, & sæpiùs inculcatas cadere in virum constantem, easque meritò timeri à viro gravi, affirmat Pontius *lib.* 4. *matr. cap.* 5. *n.* 17. negat Sanchez *lib.* 4. *matr. d.* 7. *n.* 7.

10. Denique, nota duo. Primò, metum non solùm cadere in constantem virum, quando prædicta mala timentur in persona propria, sed etiam quando in filiis, uxore, parentibus, consanguineis, amicissimis, in iis scilicet omnibus, quorum bona, vel mala ad personam propriam pertinere judicantur; ita idem *ibid. n.* 12. Secundò, metus prædictos aliquando justè alicui incuti posse, ut si mortem minetur Judex reo convicto: injustè aliquando, ut si mortem latro comminetur innocenti viatori; Diversos effectus hi diversi metus pariunt, ut ex dicendis patebit.

*Quid operetur metus gravis injustè incussus in contractibus.*

11. Quæstio celebris est, an contractus ex metu cadente in constantem virum celebrati sint validi: posse enim à Judice propter bonum publicum ut invalidos declarari, omnes fatemur: ita Doctor. cit. Juvat autem permaximè id nosceres nam ex testamento, v.g. in favorem meum extorto per metum injustum, ego hæres ero, si illud sit validum, esto post sententiam contra me ferendam amissurus sim hæreditatem: at si non est validum, ne ante sententiam quidem, hæres ero. Eodem modo si per similem metum mihi aliquid elargiaris, solvas, vendas, ego fiam illius dominus, si hi contractus sint validi, secus apud te dominium de jure remanebit.

12. Adverte autem nos hic de metu gravi injustè incusso ad extorquendum ipsum contractum loqui, secus omnes fatentur contractum esse validum, vide Sanch. *lib.* 4. *in dec. c.* 3. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 40. Si quis, v.g. ob timorem mortis ab inimico suo inferendæ eligeret sua prædia mihi vendere, ut expeditus à patria discederet, mortémque vitaret, valida erit venditio, quia timor ab inimico illatus cùm non fuerit directus ad extorquendam venditionem, venditionem inficere non potest, idem esse in matrimonio, Sanchez *lib.* 1. *de matr. d.* 12. idem in votis, rectè docet Th. Sanchez *lib.* 4. *in Dec. c.* 3. *n.* 4. aliíque. Ut si quis, v.g. te injustè occidere minetur, nisi illi tua prædia vendas, tunc enim verò quæstio est, an si vendas, validè vendas.

13. Jam verò idem Sanch. *de matr. l.* 4. *d.* 8. aliíque, quibus adde Castro P. *t.* 1. *tr.* 2. *d.* 1. *p.* 8. *n.* 4. Joan. de Lugo *tom.* 2. *de justit. d.* 22. *sect.* 6. *à n.* 73. plurimique docent contractus celebratos hoc metu injustè incusso ad eos extorquendos jure naturæ esse validos, & consequenter per illos transferri dominium, posse tamen à Judice nullos, invalidosque declarari, celebratos intellige cum vero consensu, licet meticuloso; si enim verum consensum removeas, tunc sine dubitatione contractus invalidus est, ex defectu consensus, qui est de contractus essentia. Excipit tamen idem Sanchez Matrimonium, dotis promissionem, vel dationem, promissionem, vel traditionem bonorum Ecclesiæ, & denique votum Deo factum: hæc enim extorta per dictum metum saltem propter declarationem factam ab Ecclesia, nulla prorsus sunt, & irrita. Ratio præcipua prædictæ validitatis est, quia, non obstante injuria allata per metum, jam adest justus titulus dati, & accepti, promissi, venditi, &c. verè enim datum, acceptum, promissum, venditum est, &c. adest item voluntarius consensus, quia metus, ut *suprà n.* 1. vidimus, voluntarium absolutè non tollit. Adest ergo totum illud, quod essentialiter requiritur ad rationem validi contractus. Adde Baptismum receptum ex dicto metu validum esse, ut item cætera Sacramenta, excepto matrimonio, cur igitur non sic contractus?

14. Verum Molina, Rebell. Val. aliique apud Onate *t.* 1. *de contractibus, tr.* 1. *d.* 3. *sect.* 13. *num.* 135. docent esse jure naturæ invalidos, hoc est, nullam ex iis oriri obligationem, & consequenter per illos non transferri dominium

nium. Cum his ego sentio, & ratio mea est, quia in jure naturæ impossibile est, ut ex injustitia oriatur justitia, seu jus; sicuti in physicis ex vitio profluere non potest actus virtutis; & in metaphysicis ex differentia Leonis fieri non potest risibilitas: sed si ex contractu metuloso oriretur obligatio justitiæ, sanè ex injustitia oriretur Justitia, ergo &c. Minor probatur; nam obligatio justitiæ oriretur ex contractu per injuriam extorto, hoc est, ex contractu injusto, atque adeò ex injustitia. Quoniam ergo ejusmodi contractus obligationem non parit, contractus essentialiter non erit, qui definitur, *Vltro citroque obligatio.*

15. Confirmatur. Nam qui per metum injustum extorquet contractum, & ex eo aliquid habet, tenetur illud statim restituere, ut concedunt ipsi adversarii apud Castro P. *l.c.n.*5. ergo signum est contractum esse nullum, secus expectari posset, donec Judex irritaret: scio responsionem quorundam apud Sanch. de Lugo, Castro P. citatos, sed non satisfacit, id quod tamen fusè persequi nobis otium non est.

16. Ex dictis solvitur. Ratio adversariorum illata *num.*13. nego enim adesse sufficientem consensum, ut in casu nostro requiritur: quamvis enim adsit consensus voluntarius sufficiens ad meritum, vel peccatum, quod solùm *num.*1. docuimus, tamen, quia ex ejusmodi consensu voluntario, sed per injuriam extorto, non oritur obligatio justitiæ, quæ est de essentia ejus consensus, qui est contractus, idcò sufficiens in casu nostro non est. Id quod solvit illud de Baptismo, & Sacramentis, ad quæ (præter matrimonium) satis est consensus voluntarius, & liber, non verò requiritur consensus, qui sit contractus. Quod ex Baptismo, vel alio Sacramento oritur obligatio ad servanda præcepta Ecclesiæ, &c. non est hæc obligatio justitiæ orta ex contractu, de quo loquimur, sed alterius virtutis, ut Religionis, &c.

17. At in promptu sunt multa jura, *l.*1. *de rescind. vend. qui in carcerem*, 22. *ff. de eo quod met. l.*2. *de jud. & alibi*, statuentia contractus aliquos ex metu esse infirmandos, ergo supponuntur esse ex se validos; Adde esse nonnulla item jura, quæ dicunt, vel insinuant esse validos.

18. Respondeo esse etiam jura, quæ dicunt hos contractus esse irritos: unde nego consequentiam; illa enim jura, quæ nobis videntur contraria, solùm statuunt eos esse declarandos nullos, ita Pont. *lib.*4. *de matrim. cap.*8. *n.*8. *in fine*, sicuti re ipsa sunt: id quod jura faciunt ad positivè retundendos contractus injustos, & injuriosos. Et certè frequenter id necesse est, propter illos, qui contrariam sententiam sequuntur, quæ certè probabilis est.

19. Ad id, quod additur, dico vel ea jura loqui de metu levi, ut mox §.6. dicemus, qui contractum nequaquam irriter in foro externo, vel loqui de validitate quoad forum externum, sic Onate *tom.*1. *de contr. tr.*1. *disp.*3. *sect.*13. *n.*239. jura enim antequam contractum meticulosum irritum declarant, eundem validum esse quà supponunt, quà ob bonum regimen (ne turbentur inter se sine authoritate Judicis contrahentes) permittunt.

20. Sed quid respondebimus ad paritatem de dolo, quæ ab adversariis magni fieri videtur? Communis est opinio, sic Castro P. de Lugo *l.c.* aliique invalidos esse contractus, qui celebrantur ex dolo dante causam ipsi contractui, ex dolo, inquam, versante circa substantiam rei, at ex dolo versante circa accidentia validos esse: v.g. si mihi vendis vitrum, fingendo esse gemmam, venditio invalida est: mihi vendis equum multorum annorum pro juvene, valida est jure naturæ; & per aliquos etiam jure positivo, venditio, licèt possit per Judicem irritari pro arbitrio illius, qui fuit deceptus, dummodo contractus non sit ex natura sua indissolubilis, ut est matrimonium. Hoc posito sic arguunt: Contractus per dolum extortus circa accidentia est injustus, & tamen est validus licet irritandus, ergo ejusdem rationis erit contractus per metum extortus.

21. Respondeo, primò quidem. Quid si negetur hoc antecedens, scilicet contractum hunc esse validum, utcerto plures negant: sic Rebel. *p.*2. *lib.*1. *q.*6. *sect. n.*11. apud citatum de Lugo; sed expeditius secundò. Distinguo idem antecedens; est injustus quoad substantiam nego, quoad accidentia, concedo, atque adeò est validus, qua parte est justus, id est, quoad substantiam concedo: qua parte est injustus, id est quoad accidentia nego: ex hac enim parte, cum adsit injuria, obligatio justitiæ fluere non potest, nam propterea compensari omnino debet. Atque hinc confirmo nostram doctrinam, cum enim in contractu meticuloso injuria sit in tota substantia, ut nemo negat, atque adeò nulla pars sit justa; non poterit ab illo ex ullo capite oriri jus. Rursus si metus, atque injuria in casu nostro cadit in totam substantiam, cur adversarii ducunt paritatem à contractu doloso circa sola accidentia? debuissent profectò ducere ex contractu doloso circa substantiam, quo pacto illis nullo modo suffragaretur paritas, cùm contractus dolosus circa substantiam, per omnes, nullus omninò sit.

### *Metus gravis in matrimonio.*

22. Ex his sequitur, primò Matrimonium ex dicto metu contractum esse jure naturæ nullum, quia illud etiam ut Sacramentum fundatur in contractu valido. Adde annullatum fuisse ab Ecclesia, *c. Significavit, de eo qui duxit in matrimonio, cap. requisivit, cap. gemma, de sponsalib.* sicuti aliàs annullatum fuit matrimonium clandestinum à Tridentino *sess.*24. *cap.*1. *de reform. matrim.*

### *Metus idem in aliis Actibus.*

23. Sequitur secundò, ut pronuntietur, an alii actus celebrati ex ejusmodi metu, sint jure naturæ nulli, esse naviter naturam actuum expendendam. Si enim ejus sunt generis, ut debeant parere obligationem justitiæ, eo ipso sunt nulli, quia metus est in causa, ut non oriatur, (sicuti modo statuimus) dicta obligatio. Hujusmodi sunt promissio sponsalium, ipsa sponsalia, promissio vel traditio dotis, venditio, emptio, & universim omnis traditio, vel promissio aliàs obligatoria. Si verò sunt ejus generis, ut ad eorum validitatem satis sit esse voluntarios, ac liberos, nec debent dictam justitiæ parere obligationē, erunt (quantum ex hoc capite metus) satis validi, licèt possint à Judice rescindi, & videndum an ex alio capite invaliditatem fortè contraxerint.

24. Certè Sacramentum validè confertur, si suscipiatur ex metu, ut modo *num.*1. diximus: & absolutio, v.g. ab excommunicatione, vel interdicto ex simili metu collata, (cum voluntaria absolutè sit,) valida item ex se esset, tamen quia invalidata est ab Ecclesia, *c. Vnico de iis, quæ vi, in 6.* nullitèr ex metu confertur; lege Castro Palaum *tom.*1. *tr.*2. *d.*1. *p.*3. *n.*2. & Joannem de Lugo *de justitia, tom.*2. *disp.*22. *sect.*7. *an.*120. aliosque ab ipsis laudatos, qui de constitutione procuratoris, de sententia Judicis, de concessione jurisdictionis, de electione, & similibus ex metu factis latè disputant, an quamvis ex hoc capite metus, quoad validitatem non claudicent, quia eis sufficit esse voluntarios, invalidi nihilominus ex aliquo alio capite inveniantur.

### §. VI. *Quid operetur metus levis injustè incussus. Contractus ex metu levi injusto.*

1. METum illum, qui respectu viri prudentis est levis, respectu verò mulierculæ, v.g. est gravis, huc non advocamus, quia de illo, utpotè tunc gravi, in præcedentibus disputatum est; loquimur ergo nunc de metu omnibus expensis levi, hoc est, de metu alicui, licèt injustè incusso: nihilominus tam modico, etiam respectu subjecti, cui incutitur, ut insufficiens sit ad ipsum graviter conturbandum, & quærimus: An si quis ex hoc levi metu, quasi ex levi tentatione, cui facili negotio resistere potest, commotus ineat contractum quempiam cum aliquo (præter matrimonium, de quo mox separatim) validè ineat?

2. Convenimus ejusmodi contractus, sive onerosos, sive

sive lucrativos esse validos, Ratio aliorum est, sic de Lugo mox citandus *n.* 135. quia si contractus sunt valiti ex sententia facti ex metu gravi; ergo multò magis ex levi. Sed nos, qui hoc antecedens §. præcedenti non admisimus, aliam rationem mox *num.* 4. proferemus.

4. Præterea quoniam contractus initus ex metu gravi rescindi solet à Judice, ut suprà insinuavimus, quæritur & hîc, an etiam initus ex metu levi à Judice rescindatur, & facilis, communisque est responsio negativa; ne enim detur ansa litibus, ità juribus sancitum est.

Superest ergo controversia, quid in foro conscientiæ? Rescindi docent nonnulli, cum Castro P. *l.* 1. *part.* 12. *n.* 2. atque adeò eum, qui accepit aliquid ex hujusmodi contractu, teneri ante omnem sententiam restituere, quia etiam qui levem metum incutit, injuriam facit. At alii cum Medina *Cod. de restit. q.* 3. *causa* 2. *vers. si fiat remissio*, Pontio, *l.* 3. *de matr. cap.* 10. *n.* 5. hæc duo negant, aiunt enim nec in foro conscientiæ rescindi posse, nec extorta tali metu esse sub obligatione restituenda. Cum his posterioribus ego sentio, & ratio hujus, & doctrinæ datæ *num.* 2. sit, quia metus levis est in potestate patientis metum, hoc est, facilè illum homo repellere valet, illíque non acquiescere, ideo enim est, & appellatur levis; quare qui non repellit, præsumitur etiam in conscientiæ foro liberè velle contrahere, nec ipsi factam esse injuriam ab alio; liberè enim, & sine injuria tibi contra contrahere mihi videris; & tam leve impedimentum, tam leviter obsistens (ut supponimus; non secus esset metus gravis non levis) à te removere, cum facilè posses, ultrò negligis.

5. Hanc rationem Castro Palaus *l.* & de Lugo *tit.* 1. *de Iust. d.* 22. *n.* 134. *fine*, referunt ex Pontio; verùm ne tentant quidem (quod mirum est) solvere; Certè, ex ipso Castro Palao, *d.* 1. *p.* 10. aliísque, contractus initi ex metu gravi justè incusso sunt validi, quia per metum justum, nulla fit, ut nos etiam mox §. sequenti dicemus, contrahenti injuria: at in casu nostro nulla item fit contrahenti injuria, ergo, &c. Idem Castro Palaus *l.* 1. *p.* 12. *n.* 4. docet contractum initum per importunas preces, quæ metum levem per Thomam Sanch. *lib.* 4. *de matr. disp.* 7. *n.* 7. constituunt) validum esse, quia illas facilè illum potest quis repellere: ergo.

6. Objicit de Lugo *tom.* 1. *de Iust. d.* 22. *sect.* 7. *n.* 142. contractus initus per dolum levem est, saltem ex parte injustus, pro portione scilicet, qua dolus is levis dat causam contractui, & saltem, pro rata aliqua, restitui debent ea, quæ ex illo dolo levi conquiruntur: nam pari modo quæ ex consilio levi alicujus aguntur, imputantur saltem ex parte dantis consilium, quatenus cum aliis concussis is concurrit ad actionem. Licèt igitur metus levis leviter concurrat, levitérque commoveat hominem ad contrahendum, tamen dat, saltem ex parte, causam contractui, & consequenter incutiens metum illum tenetur, saltem ex parte, facit injuriam, adeóque saltem pro rata injuriæ, ad restitutionem tenebitur.

7. Respondeo, Quicquid sit de doctrina antecedentis, certè pro casu nostro adest manifesta disparitas. Qui enim dolum patitur, cùm fallatur, quamvis leviter non habet in se principium tollendi illum, quamvis levem dolum, ideò non voluntariè, etiam quoad illam partem se gessisse nullo modo præsumi potest. At metum levem patiens, videt eum esse metum levem, & facilè illum posse abs se totaliter rejicere, & tamen non rejicit: quare nunquam concedendum est Joanni de Lugo metum levem reipsa influere in consensum, nec ut unicum motivum, nec ut partiale. Ratio est jam dicta, quia, cum facilè possit levem metum à se quis tollere, si non tollit, non consensit, seu non consentire præsumitur ex vi metus; sed ex sua libertate. Atque ex hoc patet ad illud de consilio levi. Consilium enim quamvis leve partialiter influit, unde non est mirum, quòd illud dans teneatur ad restitutionem, saltem juxta consilii mensuram: at noster metus non influit, ut dictum est.

8. Ex opinione aliorum *num.* 4. relata infertur eum, qui consentit ex importunis solis precibus, vel ex puro metu reverentiali, quæ in sententia aliquorum metum afferre levem diximus *supra*, §. 1. *n.* 8. & 9. infertur, inquam, non teneri stare contractui, atque adeò eum, qui ex ejusmodi contractu aliquid accepit, teneri restituere: Unde mulier, vel filius, vel subditus, qui à tali metu reverentiali, vel dictis precibus ductus, Marito, Patri, Superiori fidejubeat, etiam cum debitis solemnitatibus, solvere legata, seu aliud quidpiam promittat, vel hæreditatem renuntiet, &c. non tenebitur ex hac opinione, prædictis contractibus stare, immò si quid ex vi horum fortè solvit, poterit se clam compensare, quando aliam non habet viam recuperandi suum, & is, qui aliquid accepit ex iisdem contractibus, tenetur ante omnem sententiam in conscientia restituere. Ita Castro P. *t.* 1. *p.* 2. *d.* 1. *p.* 12. *n.* 3. Ratio est, quia in hac sententia contractus ex metu levi initus rescinditur, & obligatorius in foro conscientiæ non est.

9. At verò ex doctrina à nobis allata *eodem num.* 4. infertur contrarium, hoc est, ejusmodi contractibus standum esse, & illum filium, uxorem, subditum teneri solvere, nec ab iisdem, si quid solverint, posse intentari clanculam compensationem, & qui aliquid ex horum contractuum vi accepit, non tenèri restituere. Ratio est; quia per nos, non est iniurious, atque adeò est obligatorius ejusmodi contractus.

Hæc sententia probabilior mihi est, ut vidimus: contraria, saltem propter bonorum authorum reverentiam probabilis est, illámque, ejusque illationes *num. præcedenti* dictas sequi tutò potes. Vide Tancred. *l.* 4. *d.* 9. *de matrim.* contra Pontium pro eâ arguentem.

10. Qui authores, ut Petr. Navarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *d.* 7. *num.* 332. Sarmiento *lib.* 2. *select. cap.* 11. *num.* 10. rectè advertunt non omnia, quæ faciunt subditi, ob reverentiam superiorum, esse in conscientia modo dicto *num.* 4. rescindenda, multa enim agunt, v. g. filii, ut parentibus gratificentur, quæ licèt aliter non facerent, libenti tamen animo faciunt. Solùm ergo ea etiam in ipsorum sententia rescissioni sunt obnoxia, quæ à subditis fiunt quasi coactis, & voluntate omnino repugnante, sed præ timore, & reverentia contradicere non audentibus.

### *Matrimonium ex metu levi injusto.*

11. Matrimonium contractum ex metu gravi injustè ad illud extorquendum incusso, invalidum est, ex suprà dictis, at contractum ex metu levi estne invalidum? Quamvis modò *num.* 4. statuerimus cæteros contractus ex metu levi injusto celebratos validos esse, tamen de matrimonio potior apparet difficultas, quia cùm sit indissolubile, ac perpetuum vinculum, debet esse omninò, & perfectè liberum, atque adeò, dicet aliquis, ne levi quidem metu extortum.

12. Dico esse probabile matrimonium metu levi injustè ad hoc incusso celebratum nullum esse in foro conscientiæ, idque potissimùm propter dictam rationem, perfecti consensus ad matrimonium requisiti. Ita Sanch. *l.* 4. *matr. d.* 17. *num.* 2. de Lugo *tom.* 2. *de just. d.* 22. *sect.* 7. *n.* 141. *fine*; at multò esse probabilius validum in eodem foro esse, tum jure naturæ, tum positivo: ita idem Sanchez *ibid.* Pont. *lib.* 3. *de matr. cap.* 18. *num.* 1. aliíque. Ratio potissima est, quia cùm metus levis sit in potestate matrimonium contrahentis, & facilè illum, is depellere possit, si non depellit, liberè, & perfectè sine ulla coactione contrahit, & cum perfectissima libertate consentit, ut ex supradictis *à n.* 4. patet, ex quo ratio præcedentis sententiæ solvi utcunque posset.

### *Alii actus ex metu levi injusto.*

13. Non vitiari hos actus colligitur ex dictis; sunt enim absolutè voluntarii, nec injuriam patiuntur ex levi

metu

metu qui facilè repelli potest, ergo non est caput, unde claudicent.

§. VII. *Quid operetur metus gravis, vel levis justè incussus?*

*Contractus ex metu levi, vel gravi justo.*

1. SI quando quis, V. G. Petrus minetur alicui, tollere, vel non tribuere id, quod ab ipsius Petri libertate dependet, non cadit in quæstionem, an per eum metum contractus quicunque initus valeat: valet enim sine controversia. Ita Castro 9. *tom.1.tr.2. d.1.p.7. num.2.* Sanchez, *de matr. lib.4. d.5. numero* 18. Ita V. G. Petrus alicui comminatur: *Nisi contrahas cum mea filia matrimonium, nequaquam tibi elargiar centum aureos, vel tollam à te equum, quem tibi commodavi.* Certè matrimonium ex hac comminatione contractum validum erit. Ratio est quia tunc non jam terreris metu mali, seu pœnæ, sed spe præmii, vel mercedis excitaris: spes autem seu boni expectatio auget, ut suprà dixi, voluntarium, non minuit.

2. De vero igitur metu, sive gravi, sive levi, si sit justè incussus ad extorquendum contractum, adhuc dico, illum non irritare, sed esse contractum in utroque jure naturæ, & Ecclesiastico validum. Ita Castro 9. *l.c. p.*10. Sanchez, *cit. d.*13. *num.* 3. Pont. *cit. cap.* 14. Ratio est, quia radix, unde nullus sit, vel rescindi possit contractus, est injuria, quæ fiat contrahenti, at nulla injuria fit ei, qui sibi causa est metus: ergo, &c. quid enim tibi injuriæ irrogo, si dicam: Nisi mihi hoc vendas, accusabo te justè de homicidio à te patrato: graviamportius à te numero, quippe, tibi propono hoc remedio malum punitionis tibi debitæ posse non difficulter effugere.

*Matrimonium ex metu quocunque justè incusso.*

3. Quid de Matrimonio? idem esto judicium ex probabiliore sententia, sive metus à lege: sive ab alio quocunque proveniat, ita Sanchez *citat. d.* 13. *num.*3. Pont. *cit. cap.*13. Less. *lib.*2. *cap.*17. *d.* 6. *numero* 41. de Lugo *de justit.tom.*2. *d.* 22. *sect.* 7. *numero* 159. Ratio est, quia etiam in matrimonij contractu tota ratio illius irritationis est injuria, quæ fiat in illo contrahendo: at in casu nostro non fit injuria, ut patet ex *numero præcedente*, ergo, &c.

Dices, at matrimonium debet esse perfectè liberum, quæ libertas certè læditur per metum etiam justè incussum ad extorquendum matrimonium. Respondeo non lædi injustè, sed justè; matrimonium autem debet esse perfectè liberum libertate non læsa injustè, non verò libertate quomodocunque perfecta: sic à Castro Palao respondetur huic rationi; sed quia alicui videri potest rationi non plene satisfieri, addè & authoritatem multorum, ut Covarru. Manuël. Gutierr. aliorumque apud citatos, asserentium ejusmodi matrimonium nullum esse, non puto improbabilem ipsorum opinionem.

4. Bonacina, *de matr. quæst.*3. *p.*8. *à num.*10. aliique nonnulli, ut Coninch. *disp.*82. *d.*1. *num.*15. apud Sanch. & Castro P. cit. distinguunt in hunc modum: Ejusmodi metus gravis justè aliquando incutitur ad alios fines, aliquando ad extorquendum matrimonium, V. G. habet Cajus jus accusandi Titium ob injuriam sibi illatam per furtum mille aureorum; potest tunc Cajus metum accusationis incutere Titio ad extorquendos mille aureos, dicens: *Redde mihi aureos, secùs te accusabo*, at non potest licitè dictum accusationis metum incutere ad extorquendum matrimonium, sic dicens: *Duc meam filiam secùs te accusabo.* Ratio est, inquit quia hic metus injustè incutitur ad hunc finem matrimonii, cùm ipsius libertati repugnet: at verò ad finem extorquendi aureos justè incutitur, quia ad eos recuperandos utitur Cajus modo licito accusationis. Pari modo si Judex minetur carcerem Petro stupratori Virginis, nisi illam ducat, vel dotet; tunc licitè (aiunt,) & justè Judex carcerationis metum incutit ad extorquendum matrimonium, quia stuprator tenetur secundum leges illud celebrare.

5. Sed nos putamus in utroque casu, & exemplo esse validum. Ita Castro P. *t.1. tr.2.cit.d.1. p.7. num.*.. de Lugo *tom.2.d. just.d.*22. *sect.*7. *num.*60. Ratio est, quia in utroque abest injustitia, & coactio. In judice jam sponte conceditur in alio probatur; quia tunc Cajus non se illicite gerit, nam si rectè, & attente res expendatur, Cajus non minatur accusationem; quia Titium absolvè nullo modo cogit, sed solùm sub conditione proponit ipsi Titio, ut, si velit evitare accusationem, cui ipse causam liberè dedit, & quam sine peccato deferre Cajus potest, filiam liberè ducat. Non tamen interim nego propter extrinsecam Doctorum authoritatem, atque eorundem non contemnendam rationem posse Bonacinæ opinionem probabilem reputari. Vide Tancredum contra Lantium *lib.*4. *de matrim.d.*12.

*Alii actus ex metu justè incusso.*

6. Alii quicunque actus ex metu justo quomodocunque incusso valide sunt, si enim, validi sunt contractus, & matrimonia, multò magis cæteri actus, qui pauciores, minorisque conditiones requirunt, & ex alia parte satis sunt voluntarii, ut suo loco suprà, universè concludimus.

§. VIII. *Quid operetur metus sive gravis, sive levis in votis etiam solemnibus, qualis est professio in Religione.*

1. INstituo peculiarem de hac re brevem quæstionem, quia suis peculiaribus scatet difficultatibus.

Qui aliquid Deo vovet, motus timore periculi provenientis ex causa non liberâ, ex periculo, V. G. quod infertur ex tempestate, ex morbo, &c. dicitur vovere ob metum incussum ab intrinseco: qui motus timore periculi quod infertur à causa libera, V.G. à Latrone, à Judice, &c. dicitur vovere ob metum incussum ab extrinseco.

2. Jam si metus levis, vel gravis sive justus, sive injustus, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco non incussus sit ad finem extorquendi votum, certum est nihil officere validitati voti: votum ergo erit, & obligabit. Ita cancher *lib.*4. *tit.dec.c.*3. *num.*4. Castro P. *tom.*3. *de voto, d.*1. *p.*5. *num.*2. Ratio est, quia tunc à nemine impellitur vovens, sed sponte sua illud eligit, tanquam remedium imminentis mali. Huc reduciur quando elicitur votum, tanquam conditio oblata ad malum evitandum, de qua re videatur Sanchez *ibid. num.*5. & *lib.*4. *de matrim. d.*12. *num.*12.

3. At verò metus gravis injustè ad extorquendum votum ab aliquo incussus, illud sive simplex, sive solemne professionis invalidum reddit, saltem ex jure positivo, & per aliquos, etiam ex jure naturæ, unde, ut non serve, tur, relaxatione nequaquam eget. Sic Sanchez, *lib.*4. *in Decalog.cap.*3. *num.*12. Sotus, Abbas, Navarrus, Arg. Tolet. Sà, aliique *ibid.* cit. Ratio est, quia ex una parte votum describitur esse spontaneum Dei obsequium, unde omnino voluntarium esse convenit, & ex alia parte irritum esse votum sic emissum declaratum est ab Ecclesia. Ita Sotus aliique apud eundem Sanchez *l. c. num.*6. & apud Castro P. *tom.*3. *d.*1. *de voto, part.*5. *num.*6.

4. Hinc meritò deducunt aliqui, ut Navarr. Sà, Tolet. aliique cum Sanch. *lib.*4. *in Dec.cap.*3. *num.*12. initiatum Ordine Sacro metu viri constantis, non teneri Voto Castitatis ordini annexo, atque ita posse sine ulla dispensatione ad nuptias transire, si nolit in Ordinis Sacri usu permanere: sic Sanchez, *d.cap.*3. *c.*18. monent tamen, si cessante metu, vel semel eo ordine usus sit, quod nequeat resilire: quia usus ille est ordinis ratificatio:

ratificari

ratificari etiam posse interno consensu votum solemne, ut item matrimonium simili interno consensu etiam post multos annos, & quo modo, recte adnoter idem Sanchez, *de matrim. lib.2. d.33. num.11. & 14.* Sed quoad professionem ne omittas legere; quæ *infrà* dicentur *c.3. §.verb. professio Religiosa n.3.*

5. Quòd si metus gravis justè incussus sit ad extorquendum votum sive simplex, sive solemne, v.g. si quis te homicidam cogat ad emittendum votum aliquod; secus minetur tuum crimen apud Judicem delaturum (quod quidem justè potest) plurimum probabilis est sententia, illud irritum reddi. Sic Lopez, Vega, Manuel apud Sanchez *lib.4. in Dec. c.3. num.* 20. quia licet sine injuria possit quis tibi illud malum comminari in ordine ad punitionem, vel quid simile: at semper erit cum injustitia illud comminari in ordine ad votum emittendum, quod summam petit libertatem, ut in simili de matrimonio, aliqui paulò antè §. *præcedente, numerò* 4. dixerunt: tamen probabilius est, illud votum esse validum, & obligare sic voventem. Ita Sanchez, *loc.cit. n.*21. Castro P. *tom.3. tract. de Voto, disput.2. p.5. num.5.* aliique. Ratio est ibidem insinuata, quia tunc solùm tibi sine injuria, immò cum beneficio proponitur sub conditione, non sub coactione votum, ut scilicet voveas si malum, cui liberè causam dedisti, evitare velis.

6. Denique à metu levi extrinseco, sine quo votum non fieret, votum invalidari in foro conscientiæ atque adeò, nec votum simplex, nec solemne professionis, vel Ordinis sacri sic emissum esse validum, docent multi probabiliter; ut Navarr. aliique apud Sanchez *l.c. num.*22. quia huic voto deest perfectus, & omnino liber consensus: tamen probabilius est non invalidari, adóque tale votum esse in conscientia observandum, esto det facilem causam relaxationi. Ita Sanchez *l.c. n.*24. Val. Sotus, Lopez, *ibid.* citati. Ratio est, quia consensus habitus ex levi metu, quia facilè repelli potest, satis perfectus est, ut *suprà*, §.6.*n.*4. vidimus in simili.

*Quid operetur metus in juramento.*

*Remissio.*

An si promissioni factæ per metum addatur juramentum, promissio reddatur valida, obligétque: dicendum erit, Deo favente, cum de juramento *lib. 3. cap. 4. §.1. num. præsertim 6. & 12.* disputabimus.

§. IX. *Quid operetur metus in transgressione Præceptorum.*

1. CErtum est metum gravem, etiam mortis, vel gravis cujuscunque damni non excusare à peccato eum, qui ex illo transgreditur præceptum naturale in iis actionibus; quæ sunt intrinsecè malæ, quæque nulla ratione honestari queunt; qualia sunt mendacium, idololatria, odium Dei, pollutio voluntaria, accessus ad non suum, occisio directa innocentis, &c. Ita Castro P. *tom.1. tract.2. d.1. part.13. numero* 2. aliique passim. Ratio est, quia ex una parte si actio intrinsecè mala est, malitia tolli nulla ratione ab ea potest, & ex alia nequit duci excusatio ab involuntario; metus enim voluntarium absolutè, ut sæpè dictum est, non tollit. Quòd si minuit, jam fatemur, diminui ex metu, & peccatum. *C. Sacris, de iis quæ vi*, ibi: *licet metus attenuet culpam.* Sed certè, si adsit debita advertentia, nunquam ita, ut ex mortali extenuet usque ad veniale, quandoquidem, ut dictum est, malitia intrinseca gravis semper remanet.

2. Dixi (occisio directa innocentis) nam indirecta excusari non rarò potest, ut accidit in eo, qui fugiens persequentem, conculcat in via puerum innocentem: & in milite, qui dum justè bellum gerit, explodit bombardam, interficitque simul cum hostibus infantes innocentes, & in eo, qui occidit aggredientem injustè; in his enim, & similibus, ex metu mortis potest quis alium occidere, quia non interfectionem alterius, sed suæ vitæ justam defensionem intendit, & per accidens evenit innocentis mors.

3. Dixi iterum (quæ nulla ratione honestari queunt,) non enim quæ sunt actiones, quæ, extra necessitatem prohibitæ sunt; illa adveniente, honestari judicantur. Si enim, v.g. in extrema necessitate alienum rapias, jam hoc furtum honestatur à necessitate, immò ne furtum quidem est, quia tunc omnia sunt communia. Ita etiam, esse mortale cooperari cum alio ad fornicationem, ad homicidium, ad usuras extorquendas, & tamen ex metu gravis mali si famulus comitetur dominum ad turpem congressum, si Christianus remiget in triremibus Turcarum Christianos persequentium, si Debitor solvat fœneratori usuras, excusantur, modo alibi nucleatius explicando: quia illa cooperatio à necessitate honestatur.

4. Certum sit secundò, eundem metum excusare à peccato transgressorem præcepti divini positivi respicientis bonum, seu utilitatem propriam operantis. Ita Vasq.1.2. *disp.*161. *cap.*2. Suarez *de censuris d.6. sect.3. n.5.* & *de legibus, cap.*30. *num.*9. aliique apud Bonac. *d.1. de pecc. quæst.8. part.* 2. *num.* 3. Ratio est, quia etiam tunc actio honestatur à gravi necessitate: nec Deus præsumitur illud præceptum datum in utilitatem particularis, velle ut cum tanta difficultate servetur. Exempla sunt. Integritas confessionis, ipsa confessio præmittenda ante Communionem, Vota Dei facta, Vacatio à servilibus die festivo; hæc enim, & similia cum jubeantur ob bonum spirituale operantis, non censentur obligare cum tanto rigore: semper autem, præciso scandalo, contemptu, & ut non fiant ex odio Religionis; nam sic essent ejusmodi actiones ex iis finibus procedentes intrinsecè malæ.

5. Dixi (ob utilitatem propriam) nam, si prædicta præcepta sint respicientia bonum commune status Ecclesiæ, non excusatur quis à metu, qui illa transgreditur, si quidem bonum commune status Ecclesiæ, est bono particulari præferendum. Ita idem. Hujus generis censentur omnia Christi positiva præcepta pertinentia ad administrationem Sacramentorum, cujusmodi est sigillum Confessionis, Consecratio in duplici specie, Confectio Sacramentorum secundum debitam materiam, & formam; præstat enim hæc intacta servari, quàm hominem damnum quodlibet pati.

6. Nota hic obiter, non peccare eum, qui contrahit matrimonium adductus ad contrahendum ex metu gravi; quia sic contrahens verè non contrahit matrimonium, unde non ponit materiam, vel formam indebitam, in qua indebita positione consistit injuria Sacramenti: cum enim non ponat contractum validum, id est, validam traditionem, validámque acceptationem, in quibus materia, & forma Sacramenti matrimonii consistit; (metus enim invalidat, ut *suprà* dictum est, matrimonii contractum, unde nec peti, nec reddi debitum tunc potest) nihil Sacramenti ponit quod in irritum abeat; Debere autem hunc æquivocatione utique mentiatur, certum est.

7. Difficultas jam ergo superest de præceptis positivis humanis. Dico omnes ferè Theologos convenire, metum gravis mali justum, immò omnem magnam difficultatem excusare à quocunque humano præcepto sive Ecclesiastico, sive Civili, etiam si supponamus obligare aliàs ad mortale. Ita Castro P. *tom.* 1. *tractat.* 2. *disput.* 1. *part.* 13. *num.* 9. Valent. *part.* 2. *distinct.* 7. *de lege humana, quæstione* 5. *part.*6. §. *superest quarta quæst.* Sotus, Sylvest. apud eundem. Ratio est, quia leges humanæ non obligare sive solent, sive valent cum tanto dispendio, cujus tamen rei rationem, vide apud Valentiam, *l.c.* §. *Quæ autem Cajetanus.* Sic præceptum jejunii, auditionis Missæ festivæ, sic solutionis Decimarum, sic præceptum de non communicando cum excommunicato, sic similia non obligant gravi urgente necessitate.

Supponitur autem semper debere abesse scandalum, & contemptum, nec rem præceptam lege positiva esse aliunde jure naturali, vel divino imperatam, vel contra ejusmodi jus redundare, ut ex se patet.

8. Ex dictis fit primò habentem Votum Castitatis, quod est impedimentum matrimonii, posse timore mortis, vel gravis mali, quantum est ex hoc capite, contrahere matrimonium; ita Castro P. *l.c. num.* 9. quia cum votum obliget ad modum legis, non obligat cum tanto rigore. Sed hoc non erit verum matrimonium, unde non poterit reddi, nec peti debitum, quia metus extrinsecus ad extorquendum matrimonium incussus, ut *suprà*, §.5. *num.* 22. dictum est; irritum eo ipso reddit matrimonium. Quid si ratificet transacto metu? Respondeo, peccabit violando votum; Verùm si votum erat simplex, validè contrahet, quando solùm posset reddere; non verò petere debitum, ut *suo loco* dicetur, & docet Sanchez, *lib.9.de matrim. d.34.n.1. juncta d.34. num.3.*

9. Fit secundò, timore eodem licere pariter matrimonium contrahere, cum quocunque alio impedimento impediente, vel etiam dirimente inducto ab Ecclesia, (intellige, ne mentiaris, te æquivocatione hic, & *numero præcedente*; sicuti diximus *numero* 6. uti debere,) Ita Castro P. *l.c. numero 9. fine*, citans Sairum. Ratio est, quia Ecclesia non te obligat ad non contrahendum, cum tanto tuo detrimento. Sed tunc, quandoquidem propter metum, vel propter impedimentum dirimens nullum fuit matrimonium, nec debitum petere potes, nec reddere. Insuper si impedimentum erat dirimens, non poterit validè ratificari, sine debita dispensatione, ut ex *tractatu de matrimonio* constat.

## §. X. *De Involuntario ex Ignorantia, & Inadvertentia.*

1. IGnorantia (idem de oblivione, & inadvertentia, si quidem qui non advertit, actu ignorans est) alia est juris, alia facti. Rursus alia invincibilis, seu inculpabilis, alia vincibilis, seu culpabilis. Et culpabilis quidem alia est crassa, alia affectata, alia supina. Et iterùm alia culpabilis notabiliter, alia leviter. Quarum exactam explicationem habes *infrà, lib.2.c.1.§.7.a.n.21.*

2. Certum autem est primò, Ignorantiam graviter culpabilem sive rerum, quas lex jubet omninò esse sciendas, ut sunt Mysteria fidei, sive rerum, quæ ad tuum statum, & officium graviter pertinent, ut sunt præcepta à te sub gravi obligatione servanda, ex se esse peccatum mortale. Ita Castro P. *t.1.c.2.d.1.p.17.n.1.* Sanch. *lib.1. in dec.c.17.* Omnes enim obligantur scire ea, quæ graviter pertinent ad statum suum, ne scilicet periculum subeat, circa sibi pertinentia, graviter errandi.

3. Certum est secundò, Ignorantiam minuere culpæ gravitatem. Ita Castro P. *ibidem num.1.* Nam si ea sit omninò inculpabilis, à culpa omninò nos liberat, ut nox *numero sequenti* dicemus. Si sit quomodocumque culpabilis, quia semper minuit voluntarium, minuet & pro rata culpam.

4. Certum est tertiò, Ignorantiam invincibilem sive juris, sive facti tollere in foro conscientiæ omnem culpam à transgrediente præceptum: at verò crassam, affectatam, supinam non tollere culpam, sed, si sit in re gravi, afferre mortale peccatum. Ratio horum est, quia in invincibili nullum voluntarium adest, unde nullum peccatum; In crassa, supina, affectata, est voluntarium indirectum contra præceptum, quia præceptum, quod cum tanta ignorantia sciri negligitur, verè non intenditur servari.

5. Certum est quartò, negligentiam levem diminuere culpam usque ad veniale. Ratio est, quia negligentia solum levis contra obligationem sciendi præceptum non potest nisi parere levem culpam.

6. Afferamus claritatis gratia exemplum in Antonio, Caio, Titio, qui cum ignorarent hodie esse diem jejunii, carnes ad mensam adhibuerunt. Contigit enim ut Antonius nullo peccato peccaret, Cajus peccaret mortaliter, Titius solum venialiter. Nam Antonius inculpabiliter nescivit esse diem jejunii, ergo inculpabiliter carnes comedit: Dices, at debuit inquirere, ut sciret. Respondeo, cum ipsi ne in mentem quidem venerit hoc debitum inquirendi, nulla ratione imputabitur ei, ac culpam non quæsivisse: quod si id in mentem occurrit, nec tamen inquisivit, certè ignorantia esset hæc culpabilis, de qua *mox*, non verò inculpabilis, de qua nunc proferimus exemplum.

7. Cajus ex negligentia vel crassa, vel affectata, vel supina, vel notabiliter gravi, sive de industria, ut non obligaretur abstinere à carnibus, sive ut sine remorsu conscientiæ comederet, sive ex temeraria pigritia, cum facilè potuisset rem cognoscere, idque adverteret, non curavit, carnesque comedit. Hic ex culpa gravi nescivit esse diem jejunii: ergo cum culpa gravi carnibus se refecit. Sed nonnullos excusare à mortali transgredientem præcepta, non quidem naturalia, sed positiva ex ignorantia notabiliter gravi, quæ tamen non pertingat ad crassam. Verùm id per occasionem *infrà lib. 2. c.1.§.7. n.29.* tradam.

8. Titius incidit quidem in dubium, an hodie dies esset jejunii, veritatemque exploravit à suis vicinis, cum potuisset facilè à Parocho, vel Viro docto, sed negligentia quadam naturali captus ab his non quæsivit; unde factum est, ut carnes comederit. Hic culpabiliter ex levi negligentia nescivit prohibitionem, ergo culpabiliter cum levi peccato carnes manducavit.

At, Non possum discernere gravisne fuerit Titii hæc negligentia, an levis? Respondeo, tunc usui esse debent regulæ allatæ in superioribus *cap.1. §.3. n.32.* proportionaliter hic applicandæ.

Diximus jam satis de ignorantia quoad culpam, dicamus nunc ad ulteriorem doctrinam, de ignorantia quoad incurrendam pœnam culpæ à positiva lege impositam.

### *De Ignorantia pœnæ impositæ à lege positiva.*

9. Duobus modis tibi contingere hæc ignorantia potest.

Primò, si neque legem, seu prohibitionem scias, neque consequenter pœnam impositam transgredienti, ejusmodi legem, & sic illam transgrediaris. Ut si ignores prohibitam esse sub lata excommunicatione percussionem Clerici, & hunc percutias. Huc etiam pertinet, si noveris dictam prohibitionem, sed te fugiat hunc, quem percutis, esse Clericum, illam ignorantiam juris, hanc facti ignorantiam appellamus.

10. Secundò, legem quidem compertam habeas, sed non pœnam legi annexam, & sic legem transgrediaris. Vt si scias Clerici percussionem esse ab Ecclesia prohibitam, sed te lateat esse prohibitam sub pœna excommunicationis, & illum percutias.

11. Si neutrum, id est, nec legem, nec pœnam scias; semper excusaberis ab incurrenda pœna: Quare si percutias Clericum ignorans hanc percussionem esse ab Ecclesia vetitam, in pœnam excommunicationis non incurris. Ita Navarr. Sayr. Rodriq. aliique apud Merollam, *tom.1.d.1.c.2.dub.3.& dub.16. num.228.* Castro P. *tom.1. tract.3. d.1. part.17. à num.1.* aliique. Ratio est, quia sic non delinquis voluntariè contra Ecclesiæ prohibitionem, cùm illam ignores, pœna autem non debetur nisi propter delictum volitum. Idem est, si ignores percussum esse Clericum, tunc enim ex errore inculpabili nescis prohibitionem cadere in hanc percussionem.

12. Si legem scias, sed non pœnam, adhuc probabile est à te non incurri pœnam, sive hæc sit Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, quibus adnecto Irregularitatem, quæ est ex delicto, quia tunc, cum Censuris convenit, sive sit alia quæcunque extraordinaria pœna. Ita Sua, Sanchez, Bon. Coninch. aliique apud Castro P. *tom.1. tract.2. d.1.p.17. à num.5.* Ratio, quoad censuras,

est,

est, quia ad has incurrendas requiritur contumacia, quæ in ignorante certè non est. Ratio, quoad alias pœnas extraordinarias id est, quoad pœnas, quæ liberè dependent à voluntate Legislatoris, qui voluit eam determinatam pœnam imponere; Ratio est, inquam, quia ad has incurrendas requiritur delinquentem consensisse saltem tacitè in pœnam, quam subire debeat, ni obediat: injustum enim esset obligare quempiam ad solvendam pœnam, cui nullo modo se subjecit, subjicere autem non se potuit, qui eam ignorans, etsi sciverit culpam, unde & culpam commeruit.

13. Sed cur dictum est (extraordinaria?) Ut intelligas, cur is, qui fortè ignoret pœnam Inferni annexam peccato mortali, adhuc tamen illam incurrit, dummodo cognoscat peccatum suum mortale esse: id enim est, quia in hanc Inferni pœnam, imò & in omnes alias, quæ sunt ex natura sua annexæ transgredientibus leges, tacitè, & interpretativè consentit is, qui desinquit: eo enim ipso, quod scit malum esse eas leges transgredi, scit pœnam illi malo veluti ex natura sua esse connexam; omne enim malum, seu culpam mereri suam pœnam naturali lumine notum est: suam, inquam, hoc est quæ culpæ ex se hæret, non quæ, ad libitum hominis imponitur. Nam propterea illam, veluti naturalem, appellamus ordinariam, hanc ex Legislatoris voluntate pendentem, vocamus extraordinariam, & hanc dicimus non incurri, nisi expressè sciatur, cùm implicitè non involvatur in culpa.

14. Petes ad excusandum modo dicto delinquentem à pœna, quælibetne ignorantia requiritur, & sufficiens est?

Respondeo. Quando pœna imponitur sub his, vel similibus verbis: *Qui scienter, qui temerè, qui audacter, qui malitiosè, qui consultò id fecerit, hanc pœnam incurrat*, communis est sententia, satis superque esse ad excusandum ab incurrenda pœna, non solùm ignorantiam invincibilem, sed etiam crassam, supinam, vel affectatam, nisi fortè adeò sit temeraria, ut scientiæ moraliter comparetur. Ita Sanchez, *lib. 9. mayrim. d. 32. à num. 33. & lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 43.* Bonacin. aliique apud Castro P. *dict. p. 18. num. 1.* Ratio est, quia, quando sub illis qualificatis verbis pœna imponitur, lex non videtur solùm requirere ad incurrendam pœnam ipsam meram transgressionem: sed etiam contemptum quendam, & contumaciam, quæ certè non adsunt in ignorante etiam crassè, & affectatè, nisi affectatio temeraria sit, ut dictum est.

15. At quando pœna non sub illis formulis qualificatis imponitur, sed absolutè in hunc, vel similem modum: *Qui hoc fecerit, hanc pœnam, v. g. excommunicationem incurrat*, quid dicendum?

Dico primò, Ignorantiam crassam, vel supinam, vel affectatam non excusare tunc ab incursione pœnæ prædictæ extraordinariæ, Ita Meroll. *t. 1. d. 1. cap. 2. dub. 16. à n. 13.* Ratio est, quia sic ignorans, videtur cum dolo operari, cum ergo dolus nemini suffragari debeat, non est, cur à pœna incurrenda sit liberandus: siquidem dum sic dolosè, & culpabiliter contra legem se gesserit, interpretativè in pœnam doli consensisse est dicendus.

16. Dico secundò, Ignorantiam invincibilem sufficientissimè excusare. Ratio est, quia hic maximè militat ratio dicta *num. 12.*

18. Dico denique tertiò, Ignorantiam notabiliter culpabilem, quæ non pertingit ad crassam, excusare à dicta pœna legis positivæ. Ratio est, quia, ut *infrà lib. 2. c. 1. §. 7. num. 29.* dicemus, in legibus positivis ejusmodi ignorantia, si non pertingat ad crassam, non est reputanda verè notabiliter culpabilis, sed solùm culpabilis leviter: ex levi autem culpa gravem te mereri pœnam fas non est. Hoc tertium dictum perfectè non intelliges, nisi citatum locum *dicti lib. 2. c. 1. §. 7. n. 29.* legas, & cum præsenti doctrina conferas.

18. Superest magis magisque explicandum, quid eneleatius intelligatur nomine dictæ pœnæ extraordinariæ? Doctores communiter intelligunt eam pœnam, quæ non sit commensurata, sed major delicto, adeoque sit exorbitans, & transcendens delicti gravitatem. Ita Layman, Rodrig. Sanchez, aliique, quos sequitur citatus Merolla, *d. c. 2. dub. 3. num. 76. & 77.* sed ego paulò antè *num. 12.* asserui esse eam, quæ liberè dependet à voluntate Legislatoris positivi, qui voluit ejusmodi determinatam pœnam imponere. Ex priore explicatione Doctorum sequitur, si Legislator sic, v. g. legem ferat: *Qui adulteratur, eo ipso jejunet per diem*, sequitur, inquam, ignorantem, hanc pœnam, si adulteretur, illam incurrere, quia unius diei jejunium non est pœna exorbitans pro adulterio. At ex nostra explicatione sequitur non incurrere, quia est determinata pœna dependens à mera voluntate Legislatoris.

19. Sanè mihi persuadere non possum, eum, qui est inculpabiliter ignorans pœnæ, quamvis levissimæ, reum esse ejusdem pœnæ; nam si nescivit, nullo modo consensit in illam. Et certè si admittas ejusmodi explicationem, vix usui esset excusatio hactenus ducta ab ignorantia pœnæ in præceptis positivis: Cùm enim positiva præcepta sint multum rationabiliter imposita, & semper sit præsumendum pro Legislatore, semper præsumetur pœnas ab ipso taxatas commensurari delictis à se prohibitis. Adde magnum scrupulum Fidelibus injici, quibus necesse est sub momento expendere, an, & qua ratione, pœna sit proportionata delicto. Admittitur ergo nostra explicatio: Cui non obstat illud de pœna Inferni, quando supponitur ab aliquo ignorari, non obstat, inquam, si attentè ea, quæ *num. 13.* sunt dicta, perpendantur.

*Ex dictis colliguntur nonnulla ad praxim.*

20. Ex his colligit primò Navarrus *in sum. c. cap. 13. num. 47. & c. 27. num. 274. Versic. 13.* apud Castro P. *t. 1. tr. 2. d. 1. p. 17. num. 7. fine*, Judicem si sciat delinquentem ignorasse pœnam, ita ut illam, modo dicto, non incurrerit, non posse à reo exigere, quia verè illam non debet. Damnet igitur illum ad pœnam arbitrariam juxta qualitatem intrinsecam delicti, & ita se cum illo gerat, ac si illi delicto nulla pœna ex jure positivo annexa fuerit.

21. Colligit secundò Castro Palaus *ibid. n. 8.* & Merolla, *t. 1. d. 1. c. 2. dub. 3. ibid.* Sanch. *n. 21.* Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, Irregularitatem, quæ sit pura pœna delicti (Cur addatur (pura) vide apud Meroll. *dicto dub. 3. num. 87.*) annullationes actuum quando non sunt propter defectum solemnitatis, sed in delinquentis pœnam, non incurri ab invincibiliter ignorante, vel ab ignorante cum ignorantia solùm notabiliter culpabili: ratio est petenda ex *num. 13. & 16.* Imò neque ex ignorante, per Ignorantiam crassam, supinam, vel non temerariè affectatam, quando dictæ pœnæ sunt fulminatæ contra scienter, & consultò operantes, cujus ratio eruenda est, *ex num. 14.*

22. Colligit tertiò idem Castro P. *ibid. & p. 18. n. 3.* ignorantem esse pœnam impositam non petendi debitum iis conjugibus, qui cognoverint consanguineam in primo vel secundo gradu suæ conjugis, ut item ignorantem eos, qui absque necessitate baptizant, vel levant filium suæ conjugis, incurrere pœnam non petendi debitum, colligit, inquam, non incurrere dictam pœnam non debitum petendi, etiamsi ignorantia sit crassa. Ratio est, quia à sacris Canonibus hanc pœnam imponentibus requiritur scientia in delinquente, atque adeò videtur esse lata contra scienter operantes modo dicto *num. 14.*

23. Colligit quartò Duardus, *ad Bullam Cœnæ c. 2. quæst. 5. num. 2.* ignorantem invincibiliter esse impositam Excommunicationem in Bulla Cœnæ, licet sciat esse impositam in sacris Canonibus, excusari ab incurrenda Excommunicatione impositâ à Bulla Cœnæ, non verò ab impositâ à sacris Canonibus: unde, si hæc non sit

reservata Pontifici, poterit ab Ordinario Confessore absolvi, v.g. raptor bonorum naufragantium excommunicatur excommunicatione reservata in Bulla Cœnæ, & item in iure, sed excommunicatione non reservata *C. excommunicationis, de raptoribus*, si hanc scias, & non illam, hanc solum incurres; quæ cum non sit reservata, poteris ab Ordinario Confessore absolvi.

24. Verùm hæc Duardi illatio nullo modo placet, quia hæc non sunt duæ excommunicationes, sed una, & eadem, quæ fulminatur priùs in Canone, & deinde reservatur in Bulla Cœnæ. Sic Merolla *ibidem num.* 82. cum ergo reservatio sit restrictio Jurisdictionis in Confessario, jurisdictio autem tota dependeat à voluntate Superioris, non est necesse, ut delinquens eam restrictionem scias, satis est, si eandem sibi compertam habeat Confessarius.

25. Colligit quintò Sanchez, *libro 4. in Decalog. cap. 22. num. 19.* & Merolla *tom. 1. distinct. 10. cap. 2. distinct. 3. num. 88.* si quis voveat, v.g. non fornicari sub pœna profitendi in Religione, & memor voti, sed immemor pœnæ, fornicetur, non obligari ad dictam pœnam, quia votum obligat ad modum legis, lex autem non obligat ad pœnam exorbitantem, quando ea pœna ignoratur, seu, quod idem est, quando non advertitur. Addunt iidem, cohærenter ad suam sententiam dictam *num.* 18. secùs esse dicendum, quando pœna voto promissa, non esset exorbitans, at in nostra sententia hæc additio non est necessaria, ut ex dictis *num.* 19. manifestè colligitur.

Alias similes illationes affert Merolla, quas tamen, & similes poterit ex se quispiam ex principiis allatis, facili negotio cognoscere.

Quid operetur Error, vel Ignorantia in Juramentis, vel in Votis, vide propriis in locis *infrà, cum de Iuramento, & de Voto.*

---

## Caput III.

## De Conscientia.

### §. I. *Quid, & quotuplex sit Conscientia.*

1. NOmine conscientiæ intelligimus dictamen, seu Judicium rationis, quo judicamus aliquid esse hic, & nunc licitum, vel illicitum, seu quod idem est, aliquid esse sine culpa agendum, vel non agendum. Quapropter, quamvis judicet quis in universum, die festo, v.g. non esse laborandum, si tamen judicet die hoc festivo, ad quærendum cibum, laborari posse (hæc enim duo judicia stare simul valent, cum sibi non adversentur) poterit sine peccato laborare, quia licet tunc agat adversus prius judicium, non tamen agit contra posterius, in quo propriè consistit ratio conscientiæ, quæ est regula proxima, juxta quam suas actiones homo dirigere, quamque excipere omninò tenetur.

Prius judicium aliqui vocant speculativum, seu etiam conscientiam speculativam, posterius practicam. Sed non immoror in vocibus: iis, ut libet, nomen impono.

2. Conscientia autem alia est vera, & certa: alia erronea, seu errans: alia opinativa, seu probabilis: alia dubia, alia scrupulosa. Ita Thom. Sanch. *lib. 2. de matr. d. 45. num. 2.* & *lib. 1. in Dec. cap. 9. num. 1.* Ioan. Sanchez *in selectis, d. 41. num. 4.* Si enim Judicium nostrum circa aliquod agibile sit conforme ipsi rei, id est revera res ita se habeat, ut judicamus, dicitur Conscieatia vera, quæ si procedat ex aliqua ratione certa saltem moraliter, dicitur conscientia vera & certa.

3. Si verò dictum judicium non sit conforme rei, sed tamen appareat nobis verum, & certum ex vi alicujus falsæ rationis, qua decepti certò putamus rem ita esse, dicitur conscientia erronea: ut si quis motus à reverentia Ecclesiæ debita, certò sibi persuaderet expuere in ilia esse mortale.

4. Quòd si dictum judicium procedat ab aliqua ratione, non quidem certa, sed probabili, id est, ex qua intellectus inclinatur ad assentiendum rem ita esse, sed cum formidine, quod pars opposita vera sit, appellatur conscientia opinativa, seu probabilis.

5. Si autem intellectus sit omnino anceps, nullamque rationem saltem probabilem habeat, per quam inclinet ad aliquam partem, dicitur conscientia dubia, seu vocatur, & est dubium, quod aliqui meritò appellant dubium negativum, quia negativè se habet in illa incertitudine intellectus, nec scilicet assentiendo, nec dissentiendo: sicuti, quia non habemus rationes saltem probabiles ad judicandum arenæ maris grana paria esse, vel imparia, vere de illis dubitamus. Quòd si aliqua ratio appareat, sed non adeò efficax, ut intellectum movere possit ad aliquem prudentem assensum, dicitur etiam conscientia dubia, & rectè ab aliquibus suspicio appellatur; quia tunc, cùm non pertingatur ad probabilitatem, adhuc intellectus negativè se habet ad assensum, vel dissensum: sed solùm ita esse à longè suspicatur. Sic esset si unus testis non multum probatæ fidei affirmaret hanc pecuniam à se inviam fortè repertam esse Pauli, & alter infirmæ similis fidei negaret.

Quando autem sunt æquales probabiles rationes pro utraque parte oppositæ, licet aliqui judicium ex illis ortum vocent impropriè dubium positivum, at verè judicium probabile utrumque est, de qua re *infrà*, §. 3. *num.* 9.

6. Si denique, dum ex idoneis rationibus certò, vel probabiliter judicamus aliquid esse licitum, vel illicitum: nihilominus sine rationabili fundamento occurrit aliqua hæsitatio in contrarium, vocabitur, & erit conscientia scrupulosa, quæ sic describitur: Apprehensio ex levibus rationibus orta, judicium certum, vel probabile nequaquam excludens.

Jam de singulis breviter agamus, excepta prima, quæ est Conscientia certa, & vera, siquidem, si secundum illam, non operemur, non rectè nos operaturos non est ambigendum.

### §. II. *De Conscientia erronea, ubi de Perplexitate.*

1. QUi agit contra conscientiam, qua sibi persuadet aliquid esse peccatum, licèt id peccatum nequaquam sit, peccat ex conscientia erronea, sive mortaliter, sive venialiter, juxta quod judicat: ita Vasquez, aliique passim apud Joan. Sanchez *dict. disput. 41. num. 1.* Ratio est, quia operatur contra proximam regulam humanarum actionum, ut modo diximus §. 1. *num.* 1. Confirmatur, quia si conscientia tibi proponit hoc esse malum contra legem, & tu illud eligis, convinceris illud amare, plusquam legem: ergo convinceris peccare.

2. Quoniam autem conscientia erronea duplex est: Invincibilis seu inculpabilis alia, alia vincibilis, seu culpabilis, potest quis, verbi gratia, putare hoc die Dominico, non oportere Missam audire, vel ex ignorantia inculpabili, vel ex ignorantia culpabili, juxta superius dicta *cap. 2. §. 6.* ideò sic erit distinguendum. Si est invincibilis, obligamur juxta illam nos gerere, ut *num. præcedenti* dictum est, donec affulgeat aliqua lux, qua moveamur ad illam conscientiam erroneam deponendam, de qua depositione mox à *num.* 9. Si verò est vincibilis, ni eam vincamus, peccamus, tum sequendo ejusmodi conscientiam, tum non sequendo.

3. Exemplo id clarius reddo. Si quis invincibiliter sine ulla culpa judicet se posse, debereque mentiri, ad tuendam proximi vitam; hic sanè, periclitante vita proximi, tenetur ex dictis *num.* 1. mentiri: secùs enim ageret ex conscientia erronea contra proximi charitatem: contra charitatem dico, siquidem peccatum ex erronea conscientia sumit suam speciem, ut etiam

suam

suam gravitatem, levitatémque à virtute, contra quam agere peccare putat. At verò si id vincibiliter, id est, cum culpa sua sibi persuadeat, quia, v. g. affectate nolit id à Confessario scisciari, aio hunc peccaturum, tum mentiendo, tum non mentiendo. Peccabit non mentiendo, quia faciet adversus Charitatem, dum certò credens se obligari ad adjuvandum proximum, illum non adjuvat. Peccabit item mentiendo, quia potest, & debet illum errorem à se removere interrogando Confessarium. Ibi peccat directè contra charitatem, hic indirectè contra veracitatem, ad quam sicuti directè pertinet non mentiri, ita indirectè amovere omnia impedimenta, quæ ad mentiendum inducunt, quæque amoveri possunt, qualis certè est Ignorantia culpabilis; nam præterea culpabilis est, quia illam potest quis vincere, & sua culpa non vincit.

4. Dices. At Theologi docent non dari in mortalibus perplexitatem, hoc est, non dari casum, in quo quis considerato præsenti statu peccet operando, & peccet non operando: sic enim necessariò peccaret, cum necessarium sit, alterum ex duobus contradictoriis eligere: cùm igitur in casu nostro hic peccaret mentiendo, & peccaret non mentiendo, certè ejusmodi perplexitatem patereretur.

Respondeo. Theologi negant aliquem posse esse perplexum sine sua culpa: idque merito, propter rationem dictam: at in casu nostro adest culpa, quare cùm obligetur ille, & possit tollere ignorantiam; non necessariò peccabit, sed ex sua prava voluntate nolente ab ignorantia recedere. Ita Castro P. t. 1. tr. 1. d. 1. p. 2. num. 3. Sanchez *loco mox citando.*

5. Quid, si olim potui interrogare virum doctum, nunc non possum? Rursus quid, si olim sciebam illud mentiri esse peccatum, nunc verò, quando instat tempus mentiendi, puto sine culpa peccatum non esse? Respondeo in utroque eventu adesse conscientiam inculpabilem, atque adeò à peccato excusantem. Ratio est, quia in priore casu jam non potes, hic, & nunc ignorantiam depellere, ergo jam laboras conscientia practica inculpabili. Sic Thom. Sanch. *lib. 1 in Dec. c. 11. num. 12.* Joan. Sanch. *dict. d. 41. num. 26.* In posteriore, nec item potes, cùm enim tibi tunc non occurrat illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate, jam laboras inculpabili conscientia per oblivionem, seu inadvertentiam, à quibus excusari operantem perinde ac ab ignorantia, innui *suprà cap. 3. §. 6. n. 1.*

6. Denique, quid, si quis per inculpabilem ignorantiam putet utramque partem alicujus contradictionis esse peccatum? Aliquis, v. g. ægroto gravi assistens putat (si Missam die festo audiat, & sic infirmum deserat) se mortaliter peccare contrà charitatem proximi; putat etiam se peccare, si non audiat, contra obedientiam Ecclesiæ, auditionem Missæ præcipientis. Idem esset in excommunicato non valente absolutionem impetrare, si putet sibi imputari ad peccatum die festivo, non interesse Sacro, quia non obedit Ecclesiæ, & similiter, interesse, quia, contrà ejusdem Ecclesiæ præceptum, se irretitum excommunicatione immiscet divinis. Simile quid evenire posset in carcere detentis, in nemorum, & gregum custodibus, & similibus. In his ergo casibus intercedit re verâ perplexitas, ita ut peccent ii, quamcunque elegerint partem?

7. Respondeo nec intercedere hic veram perplexitatem, nec ullum ab iis peccatum committi, quamcunque partem eligant; Sic Thom. Sanch. *lib. 1. in Dec. c. 11. n. 14.* Joan. Sanchez *d. 41. n. 27.* Manuël Rod. 2. *tom. sum. c. 51. n. 6.* Ratio est, quia, in his casibus sine culpa occurrentibus, non adest sufficiens libertas ad peccandum, si enim quamlibet ex partibus eligendo, peccarent, jam necessariò peccarent, necessariò enim aliquam eligere compelluntur: cum tamen ad peccandum requiratur ea libertas, qua in operantis arbitrio sit potestas peccandi, & potestas non peccandi.

8. At enim verò ipsi judicant se peccare. Respondeo nihil id officit, nam peccatum non consequitur ad judicium intellectus, sed ad actum liberæ voluntatis; quam voluntatem liberè agere in casibus positis non posse, prædicta ratio probat. Alia huc speculativè pertinentia lege apud Castro Palaum *t. 1. tr. 1. d. 1. p. 5.*

### *De depositione Conscientiæ erroneæ.*

9. Non peccaret quis ex Conscientia erronea, si errorem relinqueret, seu à se illum removeret. Docet ergo Caietanus *p. 2. quæst. 19. art. 5.* posse hujusmodi errorem removeri sine ulla nova superveniente ratione, sed solum per exclusionem Judicii erronei. Errat, v. g. quis putando hodie esse diem festivum; judicet non esse, & sic laboret, Vasquez *part. 2. d. 67. cap. 2. num. 5.* docet debere adesse rationem, quæ vincat illum errorem, non quamcunque, sed efficaciorem illa, per quam conceptus est error. Putavit quis, v. g. hunc diem feriæ esse diem festivum ex dicto unius testis fide digni, non potest deponere hunc errorem, nisi vel per plures testes eadem fide dignos, vel per testem digniorem certiorem fiat de contrario. Neutrum dictum arridet.

10. Aio enim primò contra Caietanum, necesse esse, ut error deponatur ex vi alicujus rationis saltem probabilis. Ratio est, quia secus temerariè prius illud judicium, licet in se erroneum, sed à te non ut sic cognitum relinqueres. Adde, si nulla affulgeat ratio contra ejusmodi prius judicium, non posse intellectum judicare contrarium, quantumcunque à voluntate imperetur; intellectus enim est potentia necessaria, quæ objectio cuilibet non assentitur, nisi ex vi alicujus tandem veritatis visæ in aliqua ratione saltem probabili.

11. Limitant Merolla, aliique quos citat sequiturque P. Bardi *de consc. disput. 3. cap. 11. numer. 5.* hoc nostrum dictum, nisi intellectus erret sine ulla ratione, tunc enim, si idem intellectus advertat falsitatem ejusmodi erroris, poterit (inquiunt) illam respuere sine ulla ratione. Vera doctrina, sed limitatio non necessaria: non enim video, quo pacto intellectus, nisi aliqua ei affulgeat probabilis lux contra eam falsitatem possit falsitatem agnoscere: at illa nova suborta lux, ratio nova est, vel rationi novæ æquipollens, ergo semper stabit nostra assertio, non posse errorem dictum deponi nisi probabili accedente ratione.

12. Aio secundò contra Vasquez, ad depellendum errorem de quo loquimur, satis esse rationem probabilem, nec necessariam esse sive probabiliorem, sive efficaciorem. Ratio est ducenda ex eo principio quod infrà §. *seq.* sæpè repetetur, nimirum posse quemlibet moveri ad prudenter operandam ex qualibet ratione practicè probabili. Si igitur unus dignus fide asserat hodie non esse diem festivum, alter verò eadem dignus fide neget, cur in tanta æqualitate illi potius, ut contendit Vasquez, fides habenda sit quàm huic? Certè, vel neutri, vel probabiliter alterutri, ut maluero. Et quidem hoc posterius me posse facere *infrà* probabimus.

13. Peccatum ex conscientia erronea, an sit ejusdem speciei & eodem modo confitendum perinde ac peccatum ex scientia, diximus *in opusc. method. Conf. lib. 2. cap. 1. §. 15.* Rursus quodnam peccatum committatur, quando quis agit contrà conscientiam dictantem illam actionem esse peccatum in genere, diximus *suprà, cap. 1. §. 3. à n. 30.*

Denique qua ratione Confessarius se gerere debeat cum pœnitente laborante conscientia erronea, diximus item *in opusc. Method. Conf. lib. 3. cap. 4.*

## §. III. *De Conscientia opinante, seu de Opinione probabili.*

### *Quid sit & quotuplex.*

1. OPinio probabilis est Assensus intellectus de aliqua re, qui nitatur ratione, vel authoritate alicujus momenti, modo pro parte oppositâ nihil

appareat convincens, quamvis adsit nonnulla ejusdem partis oppositæ formido. Ita Thom. Sanch. *lib.1. in Dec. cap.9.num.*2. Portell. *in dubio reg. V. opinio, num.* 1. Castr. *t.1.tr.1.d.2.punct.1.& passim.*

2. Quando ejusmodi assensus innititur rationi, dicitur probabilitas intrinseca; extrinseca, quando authoritate. Rursus, quando idem assensus, hic & nunc dirigit proximè actionem, quam gerimus, juxta dicta §.1. *num.*4. appellatur probabilitas practica, quam Joan. de Lugo *de just. tom.1. d.16. sect.3.num.*97. vocat probabilitatem proximam: quando remotè, seu in universum, quam idem de Lugo appellat probabilitatem remotam, vocatur probabilitas speculativa. An autem aliquid speculativè tantum possit esse probabile, non verò practicè, lege apud P. Bardi *de conse. disp.4.cap.*8.

3. Cum verò, qui aliquid operatur, motus ex opinione probabili, bene operatur, & sine peccato, quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula humanarum actionum, operemur, non nisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod ita certum est, & ita à Doctoribus utroque Sanch. *hic.* Castro P. *tom.1.tr.1.d.2.p.1.* Vasq. *p.2 d.62 cap.4.num.*8. Merol. *t.1. d.3.cap.4. d.1.* & novissimè Bardi contra Philalethum *de cons. d.4.c.*10. comprobatum, ut nostra discussione non indigeat, etiam opinione probabiliter relicta, ex Castr. *l.c.* Joan. Sanch. *d.4. num.*12. etiam omissa tutiore, ex iisdem *ibid.* etiam communi, juxta Castro P. *l.c.n.*1. Thom. Sanch. *l.1.in Dec.c.9. num.*9. etiam in articulo mortis; cum Joan. Sanch. *d.19. n.*8. Pasch. *dec.*27. quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, juxta Pasq *decis.*20. Præsertim Franciscum de Amico apud Bardi *l.c.cap.*13. modo à probabilitatis finibus non exeatur, ut explicabitur mox *num.*11. *fine*, consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Neque obstat, quod in dubiis tutior sit pars eligenda, nam (præter alia,) nos hic sumus in probabilibus, non in dubiis.

*Authoritas unius.*

4. Ut autem faciliore negotio dignoscas, quænam sit ejusmodi præsertim practica probabilitas. Dubitabis primò. An authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilem practicè, & proximè opinionem constituendam, ita scilicet, ut tutò, & sine peccato ex vi ipsius in actionem prorumpamus.

5. Respondeo. Tunc solùm puto sufficere unum, tametsi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmámque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens: ita Azor. *part.1.cap.*17. *q.*6. Vasq. *p.2.tom.1. d.62.cap.4.num.*12. aliique. Ratio est, quia ex tali authore sic vallato nascitur meritò prudens judicium. Quod si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur, idque tu doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere, cùm tamen possit indoctus. Ratio est, quia tibi non potest tunc innasci judicium prudens, indocto potest, vel certè illum sequi eidem indocto, qui sine culpâ ei doctori fidem habet, culpæ non dabitur.

6. Dico, (regulariter) nam potest contingere, ut ille, rem seriò tractans, sit adeò doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minus à te penetratam, vel notam, & item judicare, ipsum, rationem in contrarium tibi probatissimam facilè posse diluere, in hoc enim eventu, ejus opinionem utpotè extrinsecè probabilem, si amplectaris, prudenter geres.

*Probabilitas probabilis.*

7. Dubitabis secundò, ut valeat quis firmare opinionem probabilem, an debeat ipsi constare evidenter talem opinionem esse probabilem, an sufficiat illi constare probabiliter.

8. Distinguit Merolla *t.1. d.3. cap.4. dub.*1. *coroll.* 3. asserens, si opposita est evidenter probabilis, debere constare pariter evidenter, alteram esse probabilem. Si opposita solùm probabiliter est probabilis, satis esse alteram esse probabiliter probabilem. Sed absolutè puto cum Salas, Vasquez, Sanch. Merolla apud Bardi *de conse. dict.1.c.6.* quibus adde Pasq. *dec.*18. satis esse in omnibus casibus constare probabiliter opinionem esse probabilem: tunc enim satis firmabitur certa moraliter illa veritas me in hunc ferè modum dirigens: *Ego hic & nunc prudenter operor; quia, dum probabiliter puto hoc esse probabile, satis prudenter illud judicium in praxi sequor.* Nec enim quod opposita sit evidenter probabilis, dejicit opinionem meam à sua probabilitate: Non sic, si contraria esset evidenter certa, tunc enim (cum una sit veritas) mea esset falsa, nec consequenter probabilis.

*Æqualitas probabilitatis. Vbi quid operetur possessio in probabilibus.*

9. Dubitabis tertiò, an probabiles rationes pro una parte, & æquales rationes probabiles pro alia faciant, ut utraque pars sit reputanda probabilis? Ut id intelligatur, præmitto ejusmodi rationes posse esse vel circa jus, vel circa factum. Circa jus est, quando rationes ducuntur à legum, & statutorum interpretationibus, eorumque intespretibus. Circa factum est, quando ducuntur ex ipsa positione facti, seu conjecturis factum testificantibus. Exemplo res fiet manifestior. Sunt probabiles rationes, quæ probant rem ab aliquo inventam, v. g. Crumenam argento plenam, facta diligentia, nec ullo comparente, posse quemlibet sibi illam applicare; sunt etiam æquales rationes probantes debere pauperibus distribui. Hæ rationes sunt circa jus, quia ponderant id, quod de jure competit, & ex vi legis sive naturalis sive positivæ. At si quatuor fide digni testificentur crumenam esse Pauli, alii verò quatuor simili fide asserant esse Petri; æqualésque conjecturas pro se Petrus afferat, afferatque Paulus, hæ rationes erunt circa factum, quia probant id, quod in facto est.

10. Conveniunt ergo Doctores, rationes alicujus momenti æquales circa jus parere opinionem practicam probabilem pro sua parte, sic idem Joan. Sanchez *disp.3. num.*49. & communiter, ratio est toties dicta, quia quælibet pro parte sua inclinant intellectum ad formandum prudens judicium.

At verè similes rationes æquales circa factum asserunt non pauci parere non posse opinionem probabilem, sed dubiam, sic idem Jo. Sanc. *ibid à num.*48. Garc. 2. *t. de Ben.p.*11. *cap.*5. *num.*32. Merolla *tom.1. disp.*48. *Ratio est,* (sunt verba Joan. Sanchez *l.c. n.*48.) *quia dubium solùm circa factum versatur, & tunc dicimus propriè aliquem dubitare, quando certò non scit, an aliquid factum sit, vel non, vel an ita factum sit, vel minus.* Hæc ille, sed falsum est, primò dubium solum circa factum versari. Nam etiam an solidè jus aliquod interpretemur, meritò dubitamus, quando scilicet interpretatio non est ejus generis, ut efficax aliquo tandem sit modo ad prudenter assentiendum. Secundò falsum item est, propriè dubitare esse, quando certò quis non scit; nam etiam quando quis probabiliter opinatur, certò non scit: opinatur enim solùm probabiliter. Quid igitur sit propriè dubitare, *supra* §.1. *num.* 5. definivimus; est enim, quando quis ita anceps est, & incertus, ut nec ad assensum inclinetur, nec ad dissensum, modo *ibidem* explicato.

11. Sed jam respondeo ad dubitationem propositam. Rationes æquales probabiles non solum si sint juris, verum etiam si sint facti, semper (Nisi quid aliunde obstet) pariunt opinionem practicè, seu proximè probabilem. Ratio est, quia rationes probantes aliquid, sive probabiliter probent jus, sive factum, non relinquunt intellectum ancipitem & incertum, seque negativè habentem, sed æquè ipsum inclinant ad prudenter assentiendum ex vi ipsarum, rem ita esse: non absolutè,

absolutè, sed ut dico ex vi ipsarum; quare donec ab alia evidenti ratione in unam solam partem impellatur intellectus, tendere in utramque partem poterit, & consequenter, alterutram excipiendo, prudenter operari. Atque hæc ratio allatam doctrinam probat, etiamsi altera pars sit probabilior; modò major probabilitas alterius extra partis non sit tanta, ut dejiciat à probabilitate circa partem illam oppositam, quia tunc, expulsa jam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus.

12. Dixi autem, (Nisi quid aliunde obstet,) ut signarem notatem hanc limitationem, seu exceptionem semper præ oculis habendam esse, antequam decernatur, num aliquid sit solùm remotè probabile, à quo non possumus licitè dirigi ad actiones peragendas: an etiam proximè seu practicè, à quo non possumus. Nam si adest aliqua lex, vel consuetudo disponens de contrario, vel pactum, vel circunstantia urgeret aliqua; una tantùm pars existi tutò valeret. Exemplo res explicabitur. Si Paulus illam inventam crumenam *num.* 9. dictam pacificè possideret, non posset quis eam ab ipso tollere, & dare Petro, æqualibus testibus fallato: quia tunc obstaret aliquid: obstaret enim illa lex definiens *Quòd in pari casu melior est conditio possidentis*, & sic quamvis verum sit stante æquali probabilitate facti pro duobus posse alterutri rem attribui; at si alter inveniatur habere rei possessionem, non erit amplius probabile, id est non erit practicè, seu proximè probabile, posse dari alterutri, sed possidens debet omnino illam retinere: Ita Suar. Thom. Sanch. quos citat Ioan. Sanch. *disp.* 44. *num.* 54. & *disp.* 33. *num.* 29. Vt notationem *hujus muneri* adeò necessariam altius menti figamus, afferamus alia exempla, quæ illam quà magis explicent, quà confirment.

13. Verùm, antea, ne iterum ad hanc doctrinam de meliore possidentis conditione regredi cogar, Rogas, an hæc possidentis melior conditio vera sit sive rationes æqualiter pro utraque parte probantes, sint ex parte juris. Respondeo, si sint ex parte facti id verum esse, lege Castro P. *to.* 1 *tr.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 11. Io. de Lugo *tom.* 1. *de Just. d.* 16. *sect.* 5. *num.* 106. Nam si rem, de qua sunt probabiles facti probationes pro duobus, unus ex illis hoc habeat amplius, quòd rem, quæ possideat, nec privatus quispiam, nec, ut mox §. *sequenti* dicam, Iudex, poterit eam à possidente auferre; Ratio est, quia illa lex disponens, in pari casu meliorem esse conditionem possidentis, ut deciditur *C. ex litteris, de probationibus*, ibi: *Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes proferuntur*, maximè locum habet in pari casu ex parte facti.

14. Verùm, Quando rem, de qua sunt æquales rationes quoad probationes juris, altera ex partibus possidet, An possit parti non possidenti ea attribui, major est controversia; puto tamen privatos (nam, quid in hoc casu facturus sit Iudex, dicam mox §. 4. *à num.* 1.) non posse sibi à parte, quæ possidet, palam, vel occultè eam auferre: ita Th. Sanch. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. *n.* 7. & *lib.* 4. *in dec. cap.* 40. *num.* 18. Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *num.* 11. Ratio est, quia, licet quis habeat opinionem probabilem, imò probabiliorem quoad jus, aliquam rem esse suam: nisi habeat certitudinem saltem moralem rem verè esse suam, non est probabile, posse facere spolium authoritate propria contra possidentem; Vlterior autem ratio est, quia etiam hic maximè militat illud: *In pari casu melior est conditio possidentis*: Par autem moraliter semper est casus utriusque litigantis, donec utriusque causa in jure probabilis perseverat, & alterutra, non transit in certam.

15. Non ignoro aliquos apud Ioan. Sanch. *d.* 43. *à num.* 40. docere habentem rationes probabiles quoad jus posse licitè alterum similes probabiles rationes habentem occultè à possessione spoliare, sibique rem vendicare, modo res non sit deducta ad forum contentiosum; tunc enim ratio dictat, ut expectetur Iudicis sententia, & modo cesset scandalum, & turbatio: non, inquam, id ignoro, nam propterea propter auctoritatem Doctorum extrinsecam; hæc sententia non est censenda saltem quoad aliquos, casus improbabilis.

Et certè quamvis Io. de Lugo *de Iust. tom.* 1. *sect.* 5. *disp.* 17. *n.* 106. non audeat universaliter hanc sententiam approbare, tamen in particularibus quibusdam eventibus, quos Doctores afferunt, (afferam ego mox *num.* 25. *exemplo* 19. & 20. & §. 4. *num.* 31. nonnullos) non invitus approbat, quia (inquit) fortasse in particularibus casibus, Doctores id propter aliquod caput concedere valuerunt, cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde omnibus casibus idem concedere potuerint.

Sed redeamus ad exempla: communstrantia nihil debere obstare ad constitutionem practicæ probabilitatis.

*Exempla quando alterutram partem excipere practicè nos possumus, licèt utraque sit probabilis.*

16. Fœmina habens solam probabilitatem mortis sui viri, non valet alteri nubere. Io. Sanc. *disp.* 43. *num.* 50. quia dum Matrimonium cum hoc viro sit in possessione, non est à sua possessione spoliandum, neque certò constet de viri interitu.

17. Habens rationes probabiles, mediæ noctis signum nondum sonuisse, & probabiles, jam sonuisse, propter diversitatem Horologiorum, quamvis possit manducare carnes tempore noctis supervenientis ad diem Iovis, contra diem veneris: tamen non potest idem facere nocte Sabbathi adveniente Dominica, ita Sanch. Fag. Trul. lench. aliique apud Pasqual. *de jejun. dec.* 163. quia tunc possidet Sabbatum, in quo carnibus vesci non licet: posse tamen etiam adveniente Dominica idem facere docent probabiliter iidem apud eundem *decis.* 164. quibus adde Mgroll. *tom.* 1. *disput.* 3. *cap.* 3. *n.* 139. ut dicam *infra* §. 5. *n.* 6.

18. Quando testamentum est minus solemne, hoc est celebratum sine requisitis à Iure, cùm sit controversia uter habeat melius jus in foro conscientiæ, hæres ab intestato, an hæres institutus in dicto testamento minùs solemni, & pro utroque sit probabilis opinio; si tamen alteruter ex his occupaverit bona, & inveniatur in legitima possessione, juvabitur ab illa, meliúsque jus habebit in foro conscientiæ, quare non poterit à possessione deturbari. Sanch. *in cons. lib.* 4. *c.* 1. *d.* 14. *n.* præsertim 6.

Pari modo quando hæres institutus in minus solemni testamento obtinuit bona, dubitátque probabiliter de testantis animo, & an fuerit fraus, potest adhuc bona testatoris retinere, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ita ex Burgos de Paz Sanchez *ibid. num.* 7. Addo, quia nemo, nisi certò constet, præsumendus est fraudem fecisse: vide aliqua huc pertinentia *cap.* 3. §. 7. *v. Testament.*

19. Asserentibus quatuor; v. g. fide dignis, vel authenticis scripturis attestantibus alicui esse dispensatum ad consanguineam ducendam, quatuor similibus negantibus, non posse illam ducere: quia possidet impedimentum. Ioan. Sanch. *d.* 43 *n.* 45. & 57.

Simile quid eveniret etiam præscindendo à possessione impedimenti, si contra duos asserentes sibi fuisse à Papa dispensatum ad consanguineam ducendam decem æqualis fidei assererent non dispensatum fuisse; illi enim duo, licèt absolutè facerent probabilitatem: tamen in hac circunstantia tot contrariorum non facerent, siquidem illi decem probabilitatem ex duobus testibus ortam prorsus obscurant, ac dejiciunt.

Contra, in sententia probabili, quod adsit impedimentum dirimens; v. g. si sit probabile, immò etiam si sit minus probabile, quod non adsit, potes contrahere; Ita Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 6. *n.* 18. quia satis est sequi opinionem, quamvis minus probabilem in rebus moralibus, ubi nihil aliud obstat, ut in hoc casu, ubi nec obstat possessio impedimenti, de hoc enim dubitatur, nec ab aliquo obscuratur alterutra probabilitas, ut supponimus.

20. Obstat item practicæ probabilitati contractus: Ita Caramuël *lib 5. Theolog. moral. num.* 1542. sicut enim illicitè, & iniquè venderes aurum probabile pro certo, quia minùs valet aurum certo probabiliter tale, quàm aurum: pari modo injuria fieret enti à te prædium, si ipse numeraret tibi certum pretium, tu verò dares prædium, quod ex probabili solùm jure posset à te vendi: certo enim pretio non satisfit per probabile jus. Huc reducitur pactum implicitè cum aliquo initum, ut mox dicemus de Iudice, & Medico, §. 4. *n.* 1. & 17.

21. Obstat præterea Votum vel Iuramentum, ut si juraveris, vel voveris alteram ex sententiis probabilibus sequi. Idémque esset si juramento, vel voto promiseris sequi opinionem probabilem, quam superior voluerit, jurata enim, & promissam sequi debes, non verò aliam, quamvis alioqui probabilissimam.

22. Obstat etiam aliquando necessitas proximi: ut accidit in opinione, quæ concedit posse conferri baptismum in aqua rosacea; Tanta enim potest esse necessitas proximi, quæ occurreret, & is esset in fine vitæ, & alia aqua non adesset; ut tu teneretis omittere opinionem negantem (quamvis hæc sine dubio sit multò probabilior) & sub conditione illum cum aqua rosacea baptizare.

23. Obstat denique non rarò confessio Sacramentalis, debes enim absolvere pœnitentem juxta ipsius probabilem, non vero tuam, quamvis probabiliorem opinionem, ut mox aliquantò fusiùs, §. *sequenti, num.* 22. dicam. Stet ergo aliquid probabile esse remotè, seu speculativè posse, quod, tamen practicè, & proximè improbabile ob supervenientem aliquam circumstantiam omnino sit: ut in præcedentibus exemplis hactenus animadvertimus: superest nunc afferre exempla de eadem æquali probabilitate, quando alterutram partem excipere practicè possumus.

*Exempla de æquali probabilitate circa jus, quando alterutram partem sequi practicè valemus.*

24. Ex doctrina allata *num.* 17. quòd rationes æqualiter circa jus probantes faciant æqualem probabilitatem resoluitur:

25. Primò. An unicus testis omni exceptione major constituat semiplenam probationem in criminalibus, unde sine aliis adminiculis possit reus ad torturam adstringi?

Secundò. An in causa capitali possit Iudex reum interrogare, illum ex præcepto obligando ad respondendam veritatem in delicto semiprobato?

Tertiò. An Iudex, vel ejus Minister possit in carcerem conjicere delinquentem in alieno territorio inventum?

Quartò. An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus industriales bona fide consumptos?

Quintò. An Filij reorum Majestatis divinæ, vel humanæ geniti ante parentum crimen admissum puniantur pœnis in jure statutis contra Hæreticorum filios;

Sextò. An filij expositi reputentur legitimi?

Septimò. An jus patronatus possit præscriptione requiri?

Octavò, An Pater sit astrictus filiam naturalem dotare?

Nonò. An pestis tempore valeat testamentum cum minori Testium numero?

Decimò. An collatio Beneficij facta Infami, vel Irregulari, sit ipso jure nulla?

Vndecimò. An Blasphemo immunitas Ecclesiæ faveat;

Duodecimò. An committenti delictum in Ecclesia, faveat Ecclesia pro aliis delictis extra Ecclesiam patratis?

Decimotertiò. An exeunti ab Ecclesia, commitendi crminis causa, faveat Ecclesia?

Decimoquartò. An occidenti Clericum faveat Ecclesia?

Decimoquintò. An delinquenti, qui è manibus satellitum eripitur, & ad Ecclesiam confugit, faveat Ecclesiæ?

Decimosextò, An Episcopus possit dispensare in impedimento dirimenti, quando illud est occultum, & ad Papam non potest propter paupertatem, vel aliam causam recurri, & in separatione matrimonij magnum scandalum oriretur?

Decimoseptimò. An ab aliquo infamatus, (si qui infamavit, vel hon vult, vel non potest resarcire damnum infamanti in ipsa fama) possit compensationem sibi facere, negando pecuniam ipsi infamanti, quam infamatus apud se habet; quia est probabile infamiam compensari debere pecunia, quando alius modus non suppetit?

Decimooctavò. An quando duo se mutuò æqualiter infamarunt, possint invicem compensare, ita ut neuter teneatur restituere, quandiu alter restituere non vult? quia probabile est esse licitam compensationem famæ unius cum fama alterius; licèt non esse licitam etiam sit probabile?

Decimononò. An is cui ex testamento minùs solemni legatum debetur, possit legatum detinere, vel de manu hæredis tollere, vel occultè sibi compensare, cùm sit opinio probabilis debiti in foro conscientiæ ejusmodi legata; licèt non deberi sit etiam probabile?

Rursus. An hæres ab intestato licitè uti possit simili occulta compensatione contra eum, qui bona defuncti possidet ex simili testamento minùs solemni?

Vigesimò. An is qui sponsalia contraxit possit ea dissolvere, si causa secundùm probabilem opinionem sit sufficiens ad eadem dissolvenda? Et an sufficiat authoritas viri docti assentis causam esse sufficientem ad dissolvenda, quamvis nunc agatur de spolianda sponsa suo jure?

26. In his inquam, & similibus ideò probabiliter resolvit Ioannes Sanchez *d.* 44. *a num.* 52. quoad sexdecim priores casus, & de Lugo *de just. tom.* 1. *d.* 16. *sect.* 5. *num.* 95. quoad alios quatuor, posse quemlibet sequi affirmativam, & posse item negativam, quia adest probabilis opinio apud Doctores pro utraque, unde & prudenter ex alterutra ex illis quilibet operari, ut maluerit potest.

Dixi (resolvit Ioan. Sanchez, & de Lugo;) nam ego video in aliquibus ex his exemplis, obstare possessionem, ut in 19. obstare videtur possessio hæredis, & possessio habentis bona defuncti, & in 20. possessio sponsalium in sponsa, immò & in primo, & secundo aliisque non nullis possessio libertatis.

*Exempla de æquali probabilitate circa factum, quando alterutra pars excipi potest practicè.*

27. Ex doctrina asserente æquales rationes circa factum parere æqualem probabilitatem proximam, ita ut quod maluerimus, excipere possimus, si nihil obstat, resolvitur primò, An qui habet probabiles rationes se commisisse mortale, habeat autem æquales se non commisisse, obligetur illud confiteri. Non obligari docet Suarez *de pœnit. distinct.* 22. *sect.* 9. *num.* 6. aliique apud nostram methodum confessionis, *lib.* 2. *cap.* 1. §. *num* 9.

Secundò, An qui, cùm certò sciat se commisisse mortale, habet rationes probabiles se illud confessum esse, habeat autem item probabiles non fuisse confessum: An inquam teneatur illud clavibus subjicere: Non obligari idem docet, aliique *ibid.*

Tertiò. Si sit probabilis opinio inter Medicos, An semen corruptum sit, negantibus aliis, aliis æquè affirmantibus, An possit sumi medicamentum directè illud expellens? Posse docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. d.* 17. *num.* 19. *fine.*

Quartò. Si adsint quatuor testes fide digni asserentes conjuges esse consanguineos, verbi gratia, in quarto gradu

gradu, sint autem alij non dissimiles quatuor, qui negant, An post contractum matrimonium possit conjux reddere debitum sequendo negantes, an possis non reddere, sequendo affirmantes, posse utrumlibet docet Hurtad. *d. mar. d. 10. diff. 9. n. 37.*

Quintò. Quid in eodem casu, ante contractum Matrimonium, An scilicet possint contrahere; Posse docet Merolla *tom. 1. disputation. 3. cap. 3. dub. 2. corollar. 10. num. 135.*

Sextò. Si probabile tibi sit aliquid vovisse, vel promisisse, probabile item contrarium, An possis non servare votum, vel promissionem? Posse docet Thom. Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 9. num. 11. fine, & lib. 1. in d. decal. cap. 10. n. 36.* sibi contrarius *lib. 2. de matr. disp. 41. num. 34.* posse item docet Ioan. Sanch. *disp. 43. num. 2.* Suar. *de vot. lib. 4. c. 5. num. 5.*

Septimò. Si sint quatuor fide digni, asserentes crumenam plenam argento à me inventam esse Petri, aliis similibus quatuor asserentibus esse Pauli. An cui maluero tradere illam possim, cum tam neuter sunc eam possit dear? posse cui maluero docent viri docti consulti à Ioan. Sanch. *disput. 43. num. 53.* licet contra doceat Castro P. *tom. 1. tr. 1. p. 10. n. 2. & 9. fine.*

Octavò. in jejunio naturali quoad Eucharistiam suscipiendam, si habeas rationes probabiles quod sonuerit media nox, & probabile quod non sonuerit propter diversitatem, v. g. duorum Horologiorum, de quibus non constat esse certò falsa, & comedas, An possis die crastino communicare; Posse docet Thom. Sanch. *disp. 41. de matr. num. 40.* Ioan. Sanch. *d. 34. num. 30. §. propterea videtur.*

28. In his, inquam, & similibus, resoluitur posse nos complecti partem, quam citati Doctores tenent, posse & contrariam, quam tenent alij, quia nimirum etiam in æqualibus facti probationibus residet nonnunquam in singulis partibus sua proxima, practicáque probabilitas.

29. Video nonnullos contra sentire circa aliqua exempla ex his, propterea quod in iis militet melior conditio possidentis in alterutra ex partibus: lege Merol. *tom. 1. d. 3. cap. 4. coroll. 1. & 2.* Verùm satis est nobis probabilem doctrinam attulisse; cùm nobis non sit necesse omnia fusè persequi. Non tamen gravari debeo aliqua adhuc superaddere, quæ ad majorem præcedentium declarationem hic solent latè à Doctoribus agitari.

## §. IV. *De probabilitate, quam excipere quædam Particulares debeant.*

### *De Iudice.*

1. Dico primò si sint rationes æqualiter probabiles circa factum inter civiliter litigantes, Iudex non potest sequi quam maluerit opinionem, sed tenetur rem, modo mox explicando, dividere, sic Salas, Villalobos Coninch. Sanch. aliique apud Castro P. *tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 10. num. 2.* quibus adde Layman *lib. 1. §. 3. num. 16.* Ratio est, quia iuxta super dicta hic aliquid obstat, ne probabilem quamlibet opinionem Iudex sequatur: est autem, ipsum munus Iudicis. Præscribit enim lex, immò ratio ipsa dictat, ut ex officio, vel ex pacto tacitè inito cum Republica, Iudices inquirant diligenter quantum possunt veritatem, & judicent secundum allegata, & probata, merita causæ ponderando: adjudicent ergo rem melius probanti, vel si major ratio non adsit pro alterutro, dividant utrique.

2. Quid si res sit individua? Aliqua ratione res componatur inter partes, dando uni rem, alteri æstimationem suæ partis, & ni sic litigantes quiescant, cum non sit major ratio, cur uni res adjudicetur, alteri pretium, sorte poterit lis, quoad hoc, definiri: ita Merolla *tom. 1. d. 3. c. 4. d. 3. conc. 4. n. 170.*

3. Ex hac conclusione vides primò, cur privatus possit authoritate propria dare crumenam illam modo dictam Petro, vel Paulo, ut libuerit, idem autem non possit Iudex ex officio, qui tenetur omnino eam dividere. Vide *suprà, §. præcedente, n. 27. versu sexto. si sint.* Ratio enim est, quia Iudex debet sartatecta custodire à re merita causæ ex pacto inito cum Republica, cum privatus, quia à simili pacto liber existit, vratur iure suo sequendo opinionem, quam malit, probabilem; & sic illa circunstantia muneris Iudicis facit pro ipso proximè improbabilem illam opinionem, quæ proximè probabilis est pro privato.

4. Vides secundò, cur aliqui (& quidem meritò) limitarint hanc conclusionem, ut Iudex in aliquibus civilibus causis, putà dotis, matrimonij, libertatis, pupilli, peregrini, viduæ, locorum piorum, quæ sunt causæ privilegiatæ, non possit rem dividere, sed obligetur ad ferendam sententiam pro his privilegiatis. Ratio enim est, quia lex, quam servare tenentur Iudices, decrevit, ut his in pari casu faveretur: id quod si est otium, vide fusiùs apud Doctores. Lege *cap. fin. de sent. & re judicata*, Mascard. *de prob. v. opinio, n. 14. conc. 1143. n. 10.*

5. Dico secundò, si rationes circa factum, inter eosdem civiliter contendentes, probabilius uno probent, quam pro altero, tenetur Iudex probabilius probanti rem per suam sententiam adjudicare; sic Sanchez *disput. 44. num. 51. §. in secundo.* Ratio ducitur ex eodem principio, quia Iudex ex legibus, & pacto inito cum bono publico, ferre sententiam debet pro melius probante causam suam. Excipe, nisi majoritas probabilitatis sit adeò exigua ut (quia modica) prò nihilo reputanda, sit, tunc enim recurrendum erit ad præcedentem conclusionem *n. 1.* dictam.

6. Major autem probabilitas, omnibus diligenter à judice, sive ex parte facti, sive etiam ex parte juris perpensis, prudentis arbitrio est ponderanda, & quidem non rarò tanta potest esse major probabilitas, ut etiam si alter, cui minor probabilitas favet, possideat, debeat per Iudicem à possessione depelli. Id enim Iudici ex officio incumbit, ut dictum est.

7. Dico Tertiò. Si rationes circa jus probant æqualiter pro collitigantibus civiliter, nec impediunt rationes circa factum, ut impediunt, si de facto alter possideat, vel quod dixi *n. 4.* Iudex non potest, ut ego certum puto, rem cui maluerit, adjudicare, sed modo paulò antè dicto debet rem dividere. Ratio efficax mihi videtur esse, quia non video, cur hîc non militet eadem ratio ducta à Iudicis munere modo inculcata. Quæso, Lector, rem naviter perpende; nam summam pavitatem, ne dicam identitatem, invenies. Dixi (ut ego certum puto) nam propter extrinsecam bonorum Doctorum authoritatem, asserentium in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare; potes id ut probabile, si velis, amplecti, cum limitationibus dictis *num. 4.* Lege Merollam *tom. 1. d. 3. c. 4. n. 182.* Ita Sanchez *in dec. lib. 1. c. 9. n. 45.* Franciscus de Lugo *p. 1. de cur. q. 8. num. 66.* Texeda *tom. 1. contra Mer. lib. 2. contr. 8. num. 15.* aliique.

8. Dico quartò. Multò magis res à Iudice dividenda, modo dicto, est in civilibus, si sint rationes tam circa jus, quàm circa factum æqualiter probantes. Sic Merolla *l. cit. num. 166.* Bannes, Sanchez, Layman, aliique apud eundem; id enim multò fortius probat dictum Iudicis munus, ita ut aliqui, qui nobis adversantur in præcedente conclusione, ultrò hanc præsentem amplectantur.

9. Dico quintò. Si rationes circa jus probent magis pro uno, quam pro altero in litigantibus civiliter, non potest Iudex nec dividere etiam pro rata probabilitatis, nec tribuere cui maluerit: sed ferre sententiam debet pro habente majorem probabilitatem in Iure: semper excipe, nisi majoritas esset exigua: nam tunc juxta regulam communem, *parum pro nihilo* reputandum erit, & judicandum, ac si essent rationes æquales modo jamiam dicto. Ita Sotus, Val. Tanner. Suar. Sanchez, Bussser. aliique, quos citat & sequitur Pater Bardi *de consc. d. 4. cap. 27. num. 10.* Ratio autem nostri dicti est,

ipsum

ipsum munus Iudicis toties repetitum, quod hic, ubi agitur de jure, juxta quod Respublica vult Iudices dirigi, permaximè militat. Scio Doctores non infimæ notæ contrarium asserere, ut Ioan. Sanch. Salonius, Salas, Texeda, Gasp. Hurtardus, aliique apud Bardi *l. c.* putant enim in hoc casu posse judicem, cui voluerit, rem adjudicare; quia semper probabiliter, atque adeò prudenter adjudicabit. Sed profectò non probabiliter proximè propter novam hîc superadditam rationem muneris Iudicis: nolo tamen à probabilitate saltem extrinseca tantorum sententiam Doctorum excludere.

Non nemo, videlicet P. Bardi *l. cit. à num.* 14. admitti hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto allatam, illámque peracriter probat, sed deinde *l. c. num.* 21. non admittit doctrinam à nobis modo *num.* 8. in quarto dicto traditam: Verum nec ipse tentat disparitatem afferre, ne solidam afferri posse mihi videtur.

10. Additum est autem semper in prædictis (civiliter) nam in criminalibus probabilibus puto Iudicem debere sententiam proferre in favorem rei iuxta rationes probabiles: sive hæ rationes circa factum sint, sive circa jus, ac parvi facere debere rationes probabiles, immò & probabiliores: quæ essent contra eundem reum; sic Merolla *l. c. d. c.* 4. *num.* 180. Ratio est, quia pro criminalibus superadditur illa nova ratio, putà dispositio legum *reg.* 11. *de reg. juris*, *in* 6. *cum sint partium jura obscura, reo favendum potius quam actori.* Per quas præscribitur ut quando jura partium non sunt clara, faveatur reo: at stantibus rationibus probabilibus pro reo, rationes contra ipsum omnino claræ non sunt, faveatur ergo reo, reo, inquàm, qui propriè sic dicitur in criminalibus nam in civilibus, is, qui urgetur, propriè vocatur conventus.

11. Non nego probabile esse Iudicem non teneri ad se ita gerendum, licèt possit; id enim non ignobiles Doctores viz. Salonius, Sayr. apud Merollam *l. c.* asserunt, juxta quam opinionem nonnulla attulimus in exemplis, §. *præcedente*, traditis.

12. Quandoquidem de Iudice sermo est: Quæro, ubi sunt à Republica creati plures Iudices pro causarum decisionibus, potestne licite unus se remittere sententiæ alterius? Respondeo. Absolutè non potest, quia ideo Respublica plures exposcit, ut plurium suffragio, atque adeo cum majori cautione res decernantur, atque ad id Iudices acceptando officium cum Collegis, se tacitè obligarunt. Lege Vasq. *p. 2. d.* 64. *c.* 2. *n.* 5.

13. Illud licitum puto posse unum deponere suam opinionem probabilem, & sequi opinionem alterius, quem doctum, moribúsque integris & fortasse se meliorem cum fundamento credit: id enim non est se remittere alteri, nec relinquere cognitionem causæ, sed est ipsum moveri ad decidendum ex principio extrinseco probabili, nempe ex authoritate sui Collegæ viri docti, ac justi. Ne igitur incidat in errorem *numero præcedente* dictum contra pactum initum cum Republica, consideret Iudex causam; quod si nihil clarum occurrat contra opinionem alterius Collegæ, tunc enim vero poterit, modo dicto, jus se probabili sententiæ remittere.

*De Advocato.*

14. Is potest sequi probabilem opinionem in advocando, etiam probabiliore relicta, dummodo de majore probabilitate contrarij suum clientem admoneat. Sic Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *d.* 9. Vasq. *p.* 2. *q.* 19. *art.* 6. *d.* 64. *cap.* 1. *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q. ultima.* Ratio est, quia ex una parte Advocatus prudenter agit sententiam probabilem defendendo, & ex alia nulla lex id prohibet. Neque obstat tacitum pactum cum cliente, ne illum in periculum probabile amittendi causam dejiciat; jam enim huic malo occurrit, dum ei major adversarij probabilitas explicatur. Nec rursus obstat illud: *In dubiis reo, & possessori est favendum*, & illud modo dictum; *In pari casu pro possessore*, non obstat, inquam, nam hæc, sive ad Iudicem, sive ad privatum, quoad sibi rem vendicandam diriguntur, non verò ad Advocatum, qui favere suo clienti omni meliori modo, quo sine calumniis potest semper concesserunt leges; si quidem is nulli injuriam facit, partem minus probabilem defendendo, quam enim denique Iudex pro habente melius jus sententiam proferet. Nec denique obstant expensæ conligantis interim faciendæ, nam ad id dat Advocato rationabilem causam illa, sua probabilitas, & spes, illa quamvis modica, quam habet, ut causa bene ex utraque parte coram Iudice discussa, pro se, ut non rarò accidit, sententia proferatur.

*De Doctore.*

15. Is, à quo petitur consilium, potest illud dare iuxta probabilem opinionem, etiam relicta propria, immò & probabiliore, quia semper consilium dat prudens: ita Castro P. *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 2. *p.* 3. Sayr. uterque Sanchez, Vasq. apud eundem. Nam propter eandem rationem Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 24. meritò concedit interrogantem, cui grata non est resolutio unius Doctoris posse quærere alium, qui benignius, sed tamen probabiliter, loquatur.

Duas tamen adhibeo limitationes, primò quod si quis teneretur tam tuam dare tenuis, non alienam, quamvis probabiliorem. Secundò communiter qui petit consilium in casibus ad suam conscientiam spectantibus semper intendit noscere, an partem sibi benigniorem sequi sine peccato valeat, verbi gratia, si quis petit quid faciet de invento argento, nullo domino post diligentiam comparente, petit an sibi possit illud retinere, id quod, quia est probabile, licet etiam sit probabile debere pauperibus distribuere, illud non verò hoc consilium dare, teneris ex suppositione, quod consilium dare suscepisti; sic idem *ibid. num.* 4. Unde indoctos Confessarios, qui semper putant se bene facere obligando pœnitentes ad restitutionem, quia id semper est tutius, reprehendo. Sanè si id, quod est tutius, ij cognoscere voluissent, tuum consilium non expectassent, sed ex se restituissent. Verùm tu, dum juves alteri, tuo huic clienti iniquus es, qui non vult, nec tenetur restituere, nisi omnino debeat.

16. Dum idem Doctor sive publicè, sive privatè docet, peccat mortaliter, si falsam in re gravi doctrinam præsertim in moralibus doceat; quia sic graviter Auditores decipit, viámque pandit erroribus, atque peccatis, sic Castro P. *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 2. *p.* 3. *num.* 8. Docere tamen potest probabiles opiniones etiam prætermissis probabilioribus, modo non prævideat aliquod scandalum exoriturum, quia sic jam se prudenter gerit, si quidem probabilem bene gerendi viam Auditoribus ostendit.

*De Medico.*

17. A Medico in medendo semper excipienda probabilior est opinio. ita Val. 2. 2. *d.* 3. *q.* 10. §. 2. *versus Altero modo*, apud Sancho *lib.* 1. *in Dec. cap.* 9. *num.* 42. Nec sine peccato contra justitiam ægroto probabile medicamentum applicabit; omisso certo, vel probabiliore. Sic Bruserus *lib.* 3. *de conse. cap.* 3. *n.* 125. Ratio est, quia id requirit lex, seu pactum tacitum cum ægroto initum. Medicus enim, & ægrotus tacitè conveniunt, ut quandoquidem agitur de salute, eámque Medicus suscipit (quamvis sine pretio) conservandam, omni meliori modo medicamenta porrigat. Nam propterea non est Medico concedendum ut experientiam faciat de suis medicamentis, etiam in desperatis; sic Azor. Corduba, Villalobos, aliique cum Castro P. *l. c. p.* 9. *num.* 3. tum quia non licet morte proximi, quam certè accelerari sæpe continget cum ejusmodi experimentis, licentiam comparare: tum quia non observaretur dictum pactum de medendo omni meliori modo.

18. In

18. In casu autem, quo duo sese offerant medicamenta cum æquali prorsus probabilitate profutura, nec posset haberi certum, vel magis probabile, concedatur Medico libera electio; quia tunc prudenter se gerit, omnique meliori modo, quo nunc potest, ægroto famulatur.

19. Denique, quando est æquale dubium, nec virtutem potest an medicamentum profuturum sit, an nocitum, & aliud certum, vel probabile medicamentum non adest, Valentia *tom.3.d.3.q.10.p.2.vers. Non improbo*, concedit adhiberi posse, Castro Palaus *l.c.p.9.n.5.* negat nisi in casu, quo (ut etiam notat Sanchez *l.c.n.42. fine*, vide etiam *l.9. de matr.disp.10. n.18.*) aliqua tandem spes luceat proficiendi. Ratio Castro Palai est, quia tunc Medicus, quantum est ex se, sine necessitate se exponeret periculo infirmi mortem accelerandi, quod nunquam licet. Ratio Valentiæ est, quia periculum ejusmodi dubiæ accelerationis satis superque compensatur ab illa spe licet dubia sanitatis. Tunc enim (addit hic Valentia) habet locum, quod ex Galeno fertur: *Interfice audaster.* Veraque sententia est probabilis, & ex affirmativa sequitur debere Medicum adhibere, quia quandoquidem potest, debet omni meliori via decumbenti consulere.

### *De Ministro Sacramentorum.*

20. In conficiendis Sacramentis poterit eorum Minister sequi opinionem probabilem, etiam probabiliore relicta, nisi tamen obstet usus, & consuetudo Ecclesiæ, vel tacitum pactum cum suscepturo Sacramentum. Ita Vasq. *1.2. q.19. art.6.dub.63.cap.2. &* 3. Basi. de Pœn. *l.4. de matr.c.25. n.9.* quibus adde alios apud Merollam *1.1.d.3.c.4.corol.3.* Explico, qui, v.g. conferret Baptismum per illa verba: *Ego te babtizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*: quibus probabile est confici Sacramentum; vel qui eundem conferret in aqua rosacea; vel consecraret in pane facto ex frumento silvestri, quibus, quia est probabilis sententia in Philosophia aquam ex herbis extractam non differre ab aqua naturali, & frumentum illud non differre à vero tritico, quibus, inquam, est probabile, confici Sacramentum, non peccaret ex hoc capite sic conficiendo, quia qui juxta probabilem opinionem operantur, peccatum non committunt coram Deo; nec consequenter injuriam faciunt Sacramento. At quia adest Ecclesiæ gravissima consuetudo, ut Baptismus conferatur sub illa certa forma: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & in aqua naturali: atque Eucharistia in vero, indubitatoque tritico conficeretur, graviter peccaret contra legem, qui secus extra necessitatem faceret: peccaret etiam contra justitiam ille Baptizans ex eo capite; quia (sive sit Parochus, qui tenetur ex justitia stipendij dati, sive sit alius) tacitè videtur contrahere cum suscipientibus, vel cum Ecclesia, ut in re tam gravi salutis spiritualis, quandoquidem munus ministrandi acceptat, omni meliori modo, quo tunc potest, suscipienti, famuletur iuxta dicta de Medico corporali, quæ hic applicanda proportionaliter sunt. Absolvere autem solum attritum cum attritione cognita, ideò absolutè semper Confessarius pœnitentem potest, quia, sic confici Sacramentum Pœnitentiæ, non est solum probabile, sed post Concilium Tridentinum est saltem moraliter certum. Præpositus *de pœn. d.2.n.56.*

21. Quando autem adest probabilis opinio de jurisdictione, approbatione, vel simili dependente ab Ecclesia, potest quilibet juxta eam probabilem sententiam operari, in administrandis Sacramentis. Sic Less. *l.2.cap.29. d.68.* Suar. *4. tom.in 3.p. d.26. sect.6.à num.7.* aliique. Adest, v.g. probabilis opinio, te, qui es Sacerdos, posse propter quandam Episcopi licentiam absolvere à peccatis, à censuris, à reservatis, vel posse assistere matrimonio, &c. potes absolvere, & assistere sine necessitate admonendi proximum de opinione contraria, quamvis probabiliore. Ratio est, quia in his casibus certò fit Sacramentum ex eo, quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesiæ potestate, ipsa ex consensu tacito, & de præsenti ratihabitione supplet. seu confert jurisdictionem certam, ut fusè apud Doctores Less. Suar. *l.c.* Thom. Sanch. *lib.2. de matrim. d.22. n.65. & in Decal. cap.9. n.35.* Basil. de Pont. *lib.5. de matr. c.19. num.8. & cap.20. num.7.*

22. Denique Confessarius dum agitur de peccato pœnitentis potest sequi opinionem probabilem, neglecta etiam probabiliore, ut item potest, immò interdum, sicuti docuimus, *in methodo nostra confess. lib.3.c.9.§.1.* debet secundum opinionem probabilem pœnitentis se gerere. Ratio est toties dicta, quia sic coram Deo prudenter agitur. Nec intervenit damnum ullum pœnitentis; si quidem certissimum est nullum peccatum committi ab eo, qui secundum opinionem practicè probabilem operatur, unde sufficienter ad suscipiendam absolutionem erit is dispositus, si opinionem suam, quæ probabilis sit, velit excipere, & non aliam.

23. Hinc quando est probabile, peccatum aliquod non esse reservatum, licet sit probabile, & multò magis si sit solum dubium, reservatum esse, poterit Confessarius ordinarius licitè, & validè ab illo absolvere, quia ex probabili opinione operabitur, quæ ex communi jam Doctorum sententia, dat jurisdictionem. Sic Merolla *t.1.d.3.c.3.d.coroll.23.num.370.*

24. Immò puto obligari Confessarium in hoc casu ad absolvendum, si quidem non absolvere, esset condemnare. Ita Ioan. Caramuël, *l.3. Theol. mor. n.1346.* Adde charitatem velle, ut si potes sine tuo incommodo (ut certè hic potes) non dimittas inabsolutum pœnitentem graviter ex mortali peccato laborantem. Non obligari tamen quando actio tenet ex parte Ministri puta Confessarij, notat de Lugo *lib.1. Resp. moral. d.18.* & ego dixi *lib.3. Method. Confessionis, cap.9. §.3. num.4. in Addit.* & iterum dicam cum Ioanne Sanchez, quando agam de Pœnitentia *lib.5.cap.5.§.1.num.39.*

### *De Rege quoad bellum gerendum.*

29. Rex, seu Respublica ad gerendum bellum, vel habet probabilitatem fundatam in jure, vel in facto. In jure est, quando adest opinio Doctorum, Regnum in aliquo certo casu posse ab aliis occupari. Fac, v.g. Regem alicujus Regni esse spurium, certè si adesset opinio Doctorum probabilis, ejusmodi Regem licitè posse suo Regno repelli, esse hæc probabilitas innixa in jure. Probabilitas fundata in facto est quando duo, plurèsve scripturis, vel testibus contendunt probare Regnum ad se pertinere.

30. Dico, in probabilitate orta ex jure quemlibet Regem licitè bellum gerere contra alium posse. Sic Sanchez *d.44. à n.57.* Ratio est quia, ut est toties dictum, potest quis sequi opinionem probabilem, omissa probabiliore. Quid si alter possideat, ut est in casu proposito *numero præcedenti*? Respondeo tunc ex mea sententia non posse, quia ut *supra §.3. n.24.* dixi, & mox *numero sequenti* repetam, possessionem favere possidenti est lex canonica ab omnibus observanda. An tunc recurri valeat ad Iudices, mox tangam *n.33.*

31. Dixi (ex mea sententia) nam ex bonorum authorum opinione posse video, qui, nihil obstante prædicta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege bello impeti Regem possidentem posse. Lege item Castrop. *tomo 1. disputatione 2. part.7.n.1.* Ioan. Sanc. *d.44.n.58.*

32. Quid, si sit opinio practicè probabilis fundata probabiliter in jure, quod dictus Rex possit regnum ab alio possessum occupare? Respondeo tunc sanè etiam in mea sententia posse, nec mirum, quia jam supponis eam opinionem esse practicè probabilem. At ego adverto, hanc nunquam fore opinionem practicè probabilem ex principiis intrinsecis) nam esto ex authoritate extrin-

seca

seca *num.* 31. dicta) posse Regnum ab alio Rege possessum occupari, si ejusmodi Rex cum probabilitate juris sit in ejus controversa possessione, quia nemo, ut toties cantavimus, per hominem privatum (qualis profectò est Rex, vel Respublica quæcunque respectu alterius, qui sit suæ absolutæ potestatis) nemo, inquam, spoliari potest à sua possessione, nisi certò moraliter constet possidentem iniquè possidere.

33. In probabilitate ex probationibus facti negant absolutè plerique posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Iudices modo latè tractato à Castro Palao *l.c.n.5.*

Sed sic est distinguendum. Potest Primò Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione non potest contra ipsum intentari bellum ab alio Rege etiam probabiliores habente rationes facti: Ioan. Sanch. *d.* 64. *num.* 56. Ioan. de Lugo *t.* 1. *de just. d.* 16 *sect.* 7 *num.* 98. quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes Fideles subsunt, quámque nos *suprà* §. 5. *num.* 14. attulimus, & inculcavimus.

Certè in hoc casu possessionis, quando probatio facti ex probabilioribus rationibus uni favet Regi, & in casu quem *n.* 30. huc remisimus, non est improbabile posse recurri ad Iudices eo modo, quo laudatus Castro P. *l.c.* prosequitur: illum, si placet, adi; non enim nobis est otium ea, quæ rarò contingunt, universa pertexere.

34. Potest secundò dictum Regnum vacare, hoc est, in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in ejusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet: ita Vasq. & Tanner. quos sequitur citatus Merolla *tom.* 1. *d.* 3. *c.* 4. *dub.* 3. *n* 204. Ratio est, quia obstat jus Regni vacantis: dum enim non est certum jus pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus iterum manet, sic Salas *p.* 2. *tr.* 8. *de unic. sect.* 10. *n.* 128. apud Castro P. *cit. n.* 16. prævalet enim Regni libertas, si non constat de servitute. Quare tunc Regnum, vel se gubernet, vel se alterutri ex Regibus gubernandum spontè tradat, vel certè recurratur ad Iudices, eo modo, quo idem Castro Palaus ibidem affert.

35. Postremò si certus sit Rex Regnum ab alio Rege possessum esse suum, illum admoneat, ut Regnum consignet domino: si renuat, bellum gerere contra ipsum poterit. Ita Vasquez. Mol. Salas apud Castro P. *cit. n.* 13. Quamvis enim Rex, qui occupat Regnum, non cognoscat veritatem, adhuc injuriam materialiter facit, quam propulsare licet illi, qui de sua certus est.

*De Militibus.*

36. Milites denique, sive subditi, sive non subditi, alicujus Regis, *cap Quid culpatur* 23. *quæst.* 2. sive actu serviant, sive ad bellum mercede conducantur, dum illis non constat de injustitia belli, possunt licitè militare. Ita Valent. Vasquez, Sanchez, aliique apud Castro P. mox citandum. Ratio est quia cuilibet licitum est alterum juvare in re, quæ præsumitur bona. Bona autem præsumitur donec non constat esse malam. Id certè ita se habet in bello suscepto à Principe Christiano; in suscepto enim ab Infideli difficilius justitia præsumenda est. Suarez, Vasquez contra Thom. Sanchez *lib.* 6. *in decis. cap.* 2 *n.* 5. quos sequitur citatus Castro Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *part.* 8. *num.* 8.

## *COLLATIO BENEFICII in mense reservato.*

37. Beneficiarius in ultima nocte mensis Papæ reservati moritur, postquam unum ex Horologiis signum mediæ noctis dedit: sed aliud ex iisdem mediam eandem noctem, per suum pulsum, signavit post mortem Beneficiarij. Quæritur, An possit providere de hoc Beneficio Episcopus, qui vult se conformare cum secundo Horologio, atque adeo judicare Beneficium vacasse in suo mense, An potius Pontifex summus, qui se conformare vult cum prima?

38. Dico posse quemlibet providere: & ille prævalebit, qui prius conferet. Ratio est eruenda ex dictis, quia, cum Horologium quodlibet non apertè falsum faciat opinionem probabilem, probabile erit jus pro utroque, id est, Episcopo & Pontifice: Prævalebit autem qui prius conferet, quia tunc subintrat Regula, quod: *Melior est conditio possidentis*, juxta jam dicta. Et certè passim Doct. firmant quando plures conferre possunt idem Beneficium, subsistere Provisionem quæ est prior tempore. Si ipsi sit dubia, dicam *inferius* §. 7. *v. Mensis.* Vide etiam *ibidem, v. Beneficium.*

39. Dices. Provisus ab Ordinario, ut excludat provisum à Pontifice, debet evidenter probare suam intentionem, & quod Beneficium sit liberæ collationis. Respondeo id solum verum esse, quando Papa prius tempore providit, quando agitur de Beneficio, de qua dubitatur an sit reservatum: non autem quando agitur de expiratione mensis, & res est probabilis, pro Episcopo: nam tunc quia certum est Episcopum posse in suis mensibus providere, & duratio reservationis non est evidenter certa, imò est probabile talem durationem non adesse, prævalebit possessio Iuris Episcopalis: Quare potius, debebit evidenter adversarius probare, secus nihil facies contra possessionem quam supponimus habere provisum ab Episcopo.

§. V. *An liceat modò unam, modò alteram probabilem sententiam in eadem materia sequi.*

1. PRobabile est, verbi gratia, hoc vestigal injustè esse impositum: probabile item, esse impositum justè: possumne ego hodie, quia sum exactor regius vectigalium, exigere ejusmodi vectigal, sequendo opinionem asserentem illud justè esse impositum, atque adeo licere mihi sine injustitia illud exigere, & eras, imò etiam hodie quia sum mercator, illud occultè defraudare, sequendo opinionem asserentem illud à justitia deficere? Abstrahimus ab eo, quod exactor acceptando officium, promisit tacitè sequi opinionem probabilem faventem Regi, juxta dicta §. 3. *à n.* 20.

2. Peobable rursus est ablationem famæ pecunia compensari, probabile non compensari: possumne ego hodie infamatus velle ab infamante compensationem in pecunia, & eras, imò hodie ego ipse alium infamans nolle famam proximi à me ablatam compensare pecunia?

3. Probabile item ego licere æquivocare in judicio causa semiplena, probabile non licere, possumne ego hodie reus æquivocare, eras verò creatus Iudex cogere eum, ut non æquivocet? Hæc & innumerabilia ejusdem generis hîc in controversiam vocantur.

4. Pater Franciscus Bardi in utraque Theologia vir nostræ Societatis eruditissimus, cujus familiaritatem ab hinc annis triginta, & amplius, cum in Collegio Romano cursui Theologico operam navaremus, contraxi, & demceps similium studiorum communicatione, fovimus utrique, & animus Pater, inquam Bardi *de conscientia, disp.* 4. *cap.* 14. de hac opinione latè disputat, & pro negativa sententia affert Cardinalem de Lugo Pasqualigum, & Franciscum de Lugo.

5. Verùm quidquid sit de authoribus, venio ad quæstionem. Assero posse licitè fieri ejusmodi variationem prout libet, tum in casibus relatis, *n.* 1. 2. & 3. tum in similibus, modò unam, vel alteram limitationem præ oculis habeas, quam mox subdam. Ita Ioan. de Lugo *de Euch. d.* 15. *sect.* 2. aliique. Ratio efficax hujus assertionis est, quia in nostra libertate est sequi quamcunque opinionem practicè probabilem, si quidem eam sequendo semper prudenter humano more, ut *suprà* sæpe dictum est, operabimur.

6. At ex hac sententia sequuntur sequentia incommoda. Primò, si hodie sit jejunij dies, eras verò sit dies

Dominica

Dominica, & audita hora mediæ noctis comedat quis carnes, utpotè in tempore pertinente ad diem Dominicum sequentem, ex vi probabilitatis, quam facit præfatus horologium, certè peccatum non committet, quia sequitur opinionem probabilem, quam facit quod libet horologium; quoties non clarè constat esse falsum. Hic idem audiat, post quadrantem, aliud simile horologium dans signum ejusdem mediæ noctis, posset se huic conformare, sequendo opinionem probabilem, quam facit hoc secundum horologium, ac dicere, comestionem prædictam pertinuisse ad diem præcedentem, seq. pro die Dominico esse prorsus jejunum; ac proinde posse recipere Sacram Eucharistiam. Ita Ioan. de Lugo *l.c.n.*46.

7. Secundò, si quis, audito primo horologio dante signum mediæ noctis, Sacrum faciat, (Suppono hunc habere privilegio celebrandi statim à media nocte,) & illo absoluto audiat aliud horologium signans eandem noctem mediam, posset prætendere juxtà hoc horologium non celebrasse hoc die, sed præcedente, atque adeò iterum celebrare. Ita Ioan. de Lugo *l.c.n.*48.

8. Tertiò, in quadragesima posset quis audito primo horologio post mediam noctem prandere, pro die sequenti, sequens opinionem illam, quod anticipatio comestionis non sit peccatum mortale, sic idem *ibid.*

Postea verò audito secundo horologio, posset se huic conformem reddere, & ex tunc computare diem sequentem jejunij, ut posset denuò plenè comedere, prætextu quod in hoc die computato juxta secundum hoc horologium nihil comederit.

9. Quartò, Sacerdos, qui nondum recitavit Vesperas hodiernas prævidens parum abesse, ut detur signum mediæ noctis ab hoc horologio, potest se conformare alteri horologio, à quo prævidet tardius esse dandum ejusmodi signum, & sic recitationem tantisper differre: At deinde dato signo mediæ noctis à primo, posset sibi persuadere se esse liberum à recitatione, quia juxta hoc primum horologium, quod nunc vult sequi, jam dies præcedens præteriit, cui onus Vesperarum erat addictum. Idem *ibidem.*

10. Quintò: debet quis hodie dare ex justitia nummum aureum alicui, quod si non dies dari, iterat, si intra diem non solvat non debeat duplum solvere sequenti die. Hoc posito: imminente sonitu mediæ noctis exigit creditor aureum, abnuere debitor posset; quia vellet expectare aliud secundum horologium tardius sonaturum: at, postea dato sonitu à primo horologio celeriore, posset debitor dicere, sequor hoc primum horologium: atque adeò contendo transactum esse præcedentem diem, & sic me aureum nummum non debere, loco *ibid.n.*49.

11. Sextò, ex contractu cum Petro debes auferre equum tuum ab ipso intra hunc annum: sed ex alio contractu si abstuleris transacto anno, debes illi dare centum aureos. Hoc posito; ultima die anni post mediam noctem juxta primum horologium aufers equum à Petro, debes ergo centum, quandoquidem abstulisti equum incepto jam secundo anno; Sonat deinde secundum horologium aliquantò tardius sed postquam equus fuit à te ablatus, posses dicere, Amice nihil debeo, quia sequens opinionem probabilem hujus secundi horologij non abstuli equum in sequenti, sed in præcedenti anno, in quo esto non potuerim ex vi prioris contractus, pœnam tamen solvendi centum non incurri; nã pœna solum adest in secundo contractu. Idem *ibid.n.*53.

12. Septimò, Si quis subjaceat voto hodiè jejunandi, amplecti posset opinionem probabilem, quæ affirmat licere votum propria authoritate commutare in æquale: commutet ergo sibi dictum jejunium in certam eleemosynam, & sic impunè frangat jejunium; Posset deinde amplectens opinionem probabilem affirmantem non licere votum propria authoritate commutare in opus æquale, posset, inquam, non elargiri eleemosynam: & quia jejunium jam invenitur fractum irreparabiliter, liber etiam esset à jejunio: ex Bagdi *num.*5 *l.c.*

13. Octavò. Si jejunandum in vigilia cujusdam Sancti, sit autem probabile hodie esse vigiliam, sit item probabile esse cras; posset quis dicere: Hodie nolo jejunare, quia jejunabo cras, quando est probabile esse onus jejunandi, & ex hac probabilitate liceret ei hodie comedere. Cras deinde posset dicere: hodie nolo jejunare, quia est probabile heri fuisse jejunandi onus, quare posset hodie plenè comedere, & sic vigiliæ jejunium effugere. Ex de Lugo *l.c.n.*50.

14. Nonò, Sacerdos, meridie jam imminente, die festo, dicat: Sequor sententiam docentem posse celebrari sacrum paulò post meridiem, & sic à Sacro tantisper sine peccato supersedeat; posset mox, post meridiem, variare opinionem, ac dicere: Sequor contrariam sententiam asserentem illicitum esse celebrare Sacrum à meridie, atque ita, eo die festo posset Missam non celebrare, nec, ut supponimus, audire, quia Missa non adest: de Lugo *l. c.n.*51.

15. Est probabilis opinio: Testamentum factum sine requisitis à Iure esse servandum in foro conscientiæ, tum quo ad hæreditatem: tum quo ad legata, & est probabilis etiam opinio servandum in eodem foro non esse. Iam sit Petrus hæres ex dicto testamento, posset, sequens opinionem docentem illud testamentum esse validum, retinere hæreditatem, sed insuper, sequens opinionem aliam asserentem illud non esse validum, posset negare legata legatariis, & sibi eadem retinere, quod videtur absurdum. Lege Sanchez *in Decal. l.b.* 4. *cap.* 1. *d.*14. *latè.*

16. Vt hæc incommoda ab universali doctrina *numero octavo* data vitentur, afferunt varias distinctiones, limitationésque prælaudati Doctores: ita ut operosum valdè sit vel mediocriter docto Confessario dignoscere in particularibus eventibus, quandonam militet universalis doctrina, quandonam limitatio: experiamur ergo nos, An, superis aspirantibus, possimus duarum Regularum lucem facilem terere, atque expeditam viam.

17. præmitto opinionem quampiam practicè probabilem esse, duplici modo posse, altero independenter, altero dependenter proximè à nostra voluntate. Quòd, v. g. hoc vectigal sit probabiliter justum, vel probabiliter injustum, unde probabile fiat, posse, vel non posse illud defraudari, vel exigi, non dependet à nostra voluntate, sed ex natura, & circunstantiis tributorum propriis. At, quod quadrans, v. g. ille temporis inter pulsum primi, & secundi horologij fluens pertineat ad diem sequentem vel præcedentem, à mea voluntate dependet proximè, & immediatè, nam propter incertitudinem horologiorum, probabilium tamen, possum non recipere, & possum recipere illud tempus pro die alterutro, ut mihi libuerit. Dico, (immediatè, & proximè) nam si ego ex hoc territorio, v. g. ubi adest obligatio jejunandi, me transferam in locum, ubi ejusmodi obligatio non adest, unde me probabiliter liberem à jejunio, à me quidem dependet translatio, sed non proximè à me habetur probabilitas; habetur enim hæc immediatè à loco exempto, ad quem me liberè contuli.

18. His positis, facilis, expedita, & brevis sit prima Regula: Nunquam nos posse opinionem probabilem semel electam relinquere, & aliam quamvis probabiliorem, in eadem occasione amplecti, quando probabilitas à nobis immediatè, & proximè dependet. Ratio regulæ est, quia sic in eadem occasione possemus dare, & tollere probabilitatem, quod esset simul ædificare, & destruere quo nihil adsurdius.

Hinc in casibus Vectigalis, Famæ, & æquivocationis in judicio positis *num.*1. 2. & 3. licebit (nisi obstet secunda regula, quæ tamen in his tribus eo modo quo allati sunt, non obstat, ut iterum mox *num.*21. dicam) licebit inquam in eadem occasione, & materia variare opinionem; quia probabilitas in his materiis non dependet immediatè à nostra voluntate, sed à natura Vectigalis famæ, Iudicij. Contra, in eventibus variorum horologiorum positis *à num.* 9. usquè ad 14. & in illa

voti commutatione posita *num.* 15. quia probabilitas immediatè à nostra electione dependet; nequaquam licebit.

19. Secunda Regula. Quando probabilitas à nobis immediatè non pendet, in eo tantummodo casu nequit variari in eadem occasione sententia, quò propter aliquam circunstantiam apparet ratio, quæ reddat hic, & nunc alterutram practicè improbabilem, in aliis enim casibus poterit: id ut facilius intelligas, meminisse ex supradictis §. 3. *n.* 12. debes, aliquid esse speculativè probabile: quod in particulari hic, & nunc, seu practicè propter aliquam supervenientem rationem est improbabile. Probabile est, v.g. valide conferri Baptismum per illam formam: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*, at proximè propter illam rationem, ne cum certum possis Sacramentum conferre proximo conferas quod aliquam continet incertitudinis formidinem, omnes *supra*, §. 4. *n.* 20. concluximus, proximè & in ordine ad praxim non esse sic Baptismum conferendum. His in memoriam redactis, exemplo hæc secunda Regula probabitur simul, & fiet manifesta. Probabile est votum, v.g. mei jejunij posse authoritate propria in opus æquale à me commutari, probabile item non posse: atque hæc ex natura, & circunstantiis voti, non verò ex nostra libertate.

20. Dico, in hoc casu, posito quod elegerim sequi opinionem affirmantem, posse jejunium à me commutari, amplius non licere mihi in eadem occasione sequi negativam, quæ asserit non posse, quia nunc adest clara circunstantia quæ reddit hic: & nunc improbabilem hanc negativam: circunstantia autem est obligatio certa, quam ego habeo servandi vel ipsum votum, vel id, ut quod legitimè sit commutatum, quæ obligatio eluderetur, si fieri illa variatio opinionum in eadem occasione posset. Pari modo si ego centum tibi certò debeo, non possum per mutationem opinionum quantumcunque alias probabilium, ea tibi denegare, quia hæc particularis circunstantia certi debiti, id omnino modo dicto, prohibet.

21. Ex his habes, quia prima regula officit sex primis incommodis relatis *à n.* 6. & secunda officit octavo, & nono *n.* 13. & 14. allatis, ideo negamus in omnibus his novem, & similibus casibus excipi sine peccato posse in eadem occasione mutationem opinionum: ut verò quia in casibus relatis *n.* 12. & 13. ibi referuntur, atque in similibus, nemo ex his regulis obstat, ideo tunc, etiam in eadem occasione, materiaque licitam esse hujusmodi mutationem concedimus.

22. Denique in casu relato *num.* 15. de Testamento minus solemni, dico ibi obstare secundam Regulam; nam posito quod acceptas tanquam validum illud testamentum, obligaris acceptare omnia quæ in eo continentur, ergo posita tua acceptatione ponitur obstaculum, ne aliam opinionem amplecti valeas. Antecedens manifestè probatur, quia illud testamentum se habet quo ad omnes sui partes per modum unius & indivisibiliter ratione unius ultimæ voluntatis Testatoris cadentis super hæreditatem, & ei hæreditati connexa legata. Vel ergo juxta forum externum rejiciatur totum Testamentum, vel si à te in foro interno recipitur, recipi totum necesse est, secus eadem una voluntas Testatoris à te reciperetur, & non reciperetur, quo nil absurdius.

Vnde habes legata prædicta legatariis omnino à te deberi, siquidem neque ea tibi potes retinere, nec Hæredi ab intestato dare, nec Testamentum à te acceptatum, quod, ut probavimus) quo ad omnes sui partes acceptari à te debet, legatariis esse danda disponit.

23. Scio Thomam Sanchez *in consil. 4. c. 1. d. 14. n. 11* sic docere: *Nota quod hæres in minus solemni testamento non potest retinere hæreditatem, & nolle solvere legata, quasi utens una opinione, quo ad retinendam hæreditatem, & utens alia quo ad retinenda legata. Ratio est, quia sententia qua dicit non deberi ea legata, non ea applicat sibi, sed hæredi ab intestato. Item, quia ubi semel vult uti illo testamento tanquam valido, tenetur omnia ejus legata implere saltem vel dando legatariis vel hæredi ab intestato.* Scio inquam hæc, & in cæteris quidem non dissentio, sed non approbo hoc postremum: *Vel dando hæredi ab intestato*, me enim id non approbare posse facit ratio modò dicta, & quam si Sanchez attulisset, is enim solum dixit: *Ubi semel uti vult illo Testamento, tenetur omnia ejus legata implere*, nec hujus dicti rationem attulit) quam, inquam, si attulisset, advertisset ea legata non posse dari hæredi ab intestato & colligitur ex ipsa doctrina Sanchez, nam si eo ipso utens illo testamento tenetur implere omnia legata, quo modo poterit ea negare legatariis, & dare hæredi? sanè si hoc posset, convinceretur non teneri ea legata implere.

## §. VI. *De Conscientia dubia.*

1. Recole quæ dicta sunt §. 1. *num.* 5. ut quid sit conscientia dubia, noscas, ne scilicet ea, quæ hic dicuntur, cum conscientia probabili, quæ hactenus explicita est, confundantur.

### *Quomodo operans ex conscientia dubia.*

2. Peccare secundum qualitatem peccati, de quo dubitat, si possit de rei veritate docere, & non curet, certum est apud omnes: ita Vasquez, Rom. Sanch. aliique apud Ioan. Sanch. *d. 41. n. 2.* quia qui dubitat, an hoc in his circunstantiis, sit peccatum, necne, & operatur, dubium non deponendo, videtur parum curare, an id, quod agit peccatum sit, necne, ergo elegit eam actionem indiscriminatim sive bonam, sive malam; ergo, quantum est ex se jam infectam malitia.

3. Dixi (in his circunstantiis) ut notarem nihil tibi nocere dubium aliquod speculativum, seu in genere; si non adsit hic, & nunc practicè, & proximè ad actionem Sic Vasq. *p. 2. d. 65. c. 1. n. 2.* Th. Sanchez *lib. 2. de mat. c. 41. n. 5.* & *in dec. l. 1. c. 10. n. 6.* Ioan. Sanchez *d. disp. 41.* Potes, v.g. dubitare, an laborare die festo sit licitum, atque hoc dubium est in genere speculativum: at non dubitabis, sed rectè existimabis, hodie tibi propter paupertatem, licere laborem; quod est judicium practicum, per quod rectè deponitur dubium illud in genere, quod alibi satis explicatum est.

Vt deponas ejusmodi dubium in genere, debere tibi aliquod affulgere, per quod tibi licet illud deponere, ut in casu dicto est pauperias, secus temere deponere, *supra* in simili dictum est §. 3. *à n.* 9.

Sed quid faciet, qui diligentiam apponere non valet ad deponendum dubium, vel ea posita, nihil invenit, quo dubium avertat? Respondeo tunc illud, quod est tutius, est eligendum, pro hoc enim casu maximè ex illa regula *In dubiis tutior pars est eligenda, C. illud Dominus, de Clerico excom.* ita Azor. *p. 1. lib. 2. cap. 16.*

4. Sed quid, si quod tutius est, discernere nequeas, & ex alia parte urgeat opus faciendum? Dubitas, v.g. an in hoc die festivo, propter paupertatem, laborare tibi sit concessum, nec habes qui te de veritate doceat, dum tu interim fame torqueris; similiter si instent duo præcepta, v.g. audiendi Missam, & assistendi graviter ægrotanti, dubites autem quodnam sit urgentius præceptum, careasque magistro, quid docere te possit, quid tibi faciendum?

Respondeo. Facias quod tibi magis expediens, in Domino, *ex c. duo mala, & dist. 13. & c. cap. Nervi testiculorum*, attentis omnibus, videtur, quod si adhuc anceps fueris, fac illud quod tibi placuerit; cum enim non sit major ratio de uno, quam de altero, quandocunque elegeris, ratum coram Deo erit. Quid si adhuc per ignorantiam putes, quodlibet, quod eligas, esse peccatum? Respondeo; Nullum tunc committi peccatum, dixi *supra*, §. 2. *n.* 7. & 8. Eadem Castr. *t. 1. tr. 1. d. 3. p. 1. n. 7.* citans Thom. Sanch. Hæc in universum: cæterum ex mox dicendis

multa

multa habebis, per quæ quod magis in similibus dubiis eligere tibi liceat, expedite cognoscès.

*Explicatur illa Regula:* In dubiis melior est conditio possidentis.

*In materia Iustitiæ.*

5. Communis doctrina resolvit dubitantem, utrùm res sit sua an aliena, si facta moralì diligentia, dubium evincere nequeat, eam stare pro possidente bona fide, illámque alienare posse, consumere, &c. juxta regulam ab omnibus receptam: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Vide Ioan. Sanch. *d.* 43 *n.* 12. asiósque citatos passim apud Dianam *p.* 4 *tr.* 3. *n.* 32. Ratio præcipua sit, quia possidens habet duos titulos, unum dubium, eundémque valdè exilem, id est, suspicionem an rei proprietas ad se pertineat, & in hoc convenit cum alio non possidente, ut supponimus: alterum verum, & sine controversia, id est, certitudinem, quia possidet, quo titulo jam alter careat; ergo ipse possidens semper prævalebit. Vide quæ in hanc rem dicenda sunt infrà, §. 7. *v. Restitutio*, & *v. Furtum*, & *v. Damnum.*

6. Si fortè rem à te sic possessam alicui vendas, primò monere de dubio ementem debes; ita Ioan. Sanch. *ibid.* Castro P. *t.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *num.* 13. licèt enim vendas rem tuam secundum præsentem justitiam, subest tamen periculum, ne certò competente domino, redemptor amittat. Secundò debes vendere minoris, quia vendis rem oneratam timore, ne appareat dominus, eámque sibi vendicet. Si tamen moraliter es certus dominum non comparuturum, ab utroque onere liberaberis, quia ea certitudine morali posita, nihil damni cedit ementi.

7. Quòd in dubio sit melior conditio possidentis, verum est, etiam si magis propendeas ad putandum, seu (ut rectè aliqui loquuntur) ad suspicandum rem ad alium non possidentem pertinere, modò hæc propensio (quia scilicet sit ex levi ratione) sistat juxta limites dubij. Ita Vasquez, Salas, Thom. Sanch. cum Castro Pal. eos citante *t.* 1. *n.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 11. Ratio est, quia certa possessio præponderat rationi cuique, quæ sit intrà terminos dubij.

Quòd sit ratio transeat ad probabile: non possidenti danda res est, à Iudice: non autem authoritate propria potest illius possidentem spoliare, quia ad dictum spolium à privato intentandum contra possidentem, requiritur certitudo moralis, ut ex dictis de opinione probabili constat.

8. Illa tamen æquivocatio est hìc fugienda. Si enim, v. g. certus sis te debere centum Paulo, dubitas autem, An illa ei solveris; quamvis tu dicta centum possideas, non propterea eximeris ab iis solvendis, ita Suar. utrique Sanch. aliique apud Dianam *p.* 3 *tr.* 3. *res.* 30. Ratio est, quia nunc contra tuam possessionem pecuniæ prævalet possessio actionis debiti, quam Paulus habet contra te: certum enim est quod debeas, dubium quod solveris; ergo debitum, seu actio debiti contra te prævalet.

9. Id quod in materia iustitiæ verum est, ex Merolla *t.* 1. *d.* 3. *c.* 3. *n.* 65. etiam si non solùm debitor, sed creditor dubitet, nam debito sit satisfactum (quidquid alij cum Tanner. 1. 2. *disp.* 1. *q.* 6. *d.* 4. *n.* 49. sentiant) eam semper vincit certitudo debiti: Layman *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 42. quem sequitur Dian. *l. c.* (certè non improbabiliter) putat tunc satisfieri, si solvatur pars juxta quantitatem, & proportionem dubij, quia æquitas non patitur, ut debitor exponatur periculo solvendis bis. Probabiliter quidem, sed adhuc contra Layman dici posset, nec æquitatem pati, ut creditor certo exponatur periculo, ne sibi totum, sed solùm pars solvatur. De hac re iterum redibit sermo §. 7. *v. Restitutio*: ubi multa huc pertinentia congeremus.

*In aliis materiis à Iustitia.*

10. Quamvis aliqui negaverint, ut Sotus *in* 4. *de justitia, quæst.* 5. *art. ultim. versùs finem*, Arag. 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *tract. de domino.* Iam hodie probabilissimum est etiam in aliis materiis, verbi gratia, Religionis, Obedientiæ, Temperantiæ, &c. meliorem esse conditionem possidentis. Sic Thom. Sanch. *lib.* 2. *matrim. d.* 41. *n.* 32. & *lib.* 3. *in Dec. cap.* 10. *num.* 11. *fine*, aliique. Est certus, verbi gratia, Sacerdos quod constringatur præcepto sive Obedientiæ, sive Religionis de recitandis horis, dubius autem an recitaverit, dico, quia certa est obligatio, dubia recitatio, meliorem fore conditionem præcepti, quod veluti habet possessionem obligandi Sacerdotem: atque adeò Sacerdotem obligari ad recitandum. Ratio est eadem, quæ dicta est, *num.* 5. hic proportionaliter applicanda.

11. Illud igitur solùm, & quidem difficilè hic explicandum est, ex quibusnam conjecturis, seu qua ratione mihi constare poterit, ex qua parte sit possessio. Quidquid autem alij, ut Sotus *lib.* 7. *de justitia, quæst.* 3. *art.* 2. Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 10. *num.* 13. asserant, qui quidem regulam generalem dare, quamvis velint, non possunt: dico debere in variis materiis vario modo rem definiri: nam propterea, quia interdum in pluribus materiis Doctores discrepant, ex qua parte se teneat possessio, ideò discrepant in resolutionibus; id in exemplis tum pro materia justitiæ, tum pro aliis materiis, quæ subdam, apparebit.

### §. VII. *Percurruntur ea in quorum dubio prævalet possessio.*

OPerosum id ita est, & prolixum (quippe per omnes ferè materias est percurrendum,) ut integrum meritò volumen exposcat. Satagam tamen per Alphabeti ordinem, quo facilitati legentium consulam, ea quæ solent passim occurrere ad compendium meo more, conferre: Prosper aspiret Deus. Neque mihi contrarium esse suspicetur is, qui fortè animadvertat me interdum aliquam sententiam approbare, quam alias non sum amplexus; id enim tunc solùm facio, quando utraque sententia probabilis à me judicatur, quod non est mihi adversari, sed docere potiùs sententias illas posse ad libitum tutò excipi.

A

*Abortus.* Vide *v. Casus & Censuræ reservatæ*, & *verb. Irregularitas.*

*Absolutio* à peccatis, à censuris, ab irregularitate Vide *ibid.* & *v. Confessio.*

*Absolutio* ab hæresi dubia. Vide *v. Hæresis* Ab hæresi dubiè externa. Vide *infrà*, *lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. *n.* 4.

*Actor.* Vide *v. Lis movenda.*

1. *Advocatus.* An is posset patrocinari, in causa dubia, concedunt aliqui, alij negant, alij denique distinguunt inter causam civilem, & criminalem: ego breviter sic statuo. Si Advocatus prævidet rem licèt non possit evinci, posse tamen saltem semiplenè pro suo cliente probari, & universim si advertit, causam dubiam esse, & controversiam, potest ejusmodi causis patrocinari, quia hujus generis causæ in Republica utiliter agitantur, & posita ea probabili spe, non imprudenter Advocatus se gerit. Ita apud Layman *lib.* 1 *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *numero* 17. Vide §. *præcedentem*, *numero* 14. ubi monendum esse clientem diximus: nam id multò magis hic esse faciendum adverto. At si nihil speret, non poterit initio; Solùm poterit inceptam causam, in uno duntaxat casu, defendere, quando nimirum sit periculum, ne Actor, qui est ejus cliens, pœna talionis puniatur; rationabile enim videtur, ut non rejiciatur ab Advocato cliens, si defendi in hoc utcumque potest.

2. Si actor (velit nolit Advocatus) accusare vult, vel jam accusavit, tametsi nullum jus videatur habere; posse illi Advocatum patrocinari, sensit Caramuël

*lib.3. Theol.mor.n.*1470.nimirum quantum per leges licet; quia non apparet (inquit) quare prudens Advocatus debeat desistere accusatorem temerarium, & cur non possit illi facere, quantum licet per leges : in tali tamen casu actor ad expensas damnandus. hactenus ille.

Verùm hæc sententia mihi probari non potest, quia si Advocatus videt actoris temeritatem, qua ratione cum illa cooperari sive incipiendo, sive prosequendo licitè & sine obligatione restitutionis potest ?

3. *Ætas, seu Anni.* Si dubites, an expleveris annos viginti & unum, non teneris ad jejunia Ecclesiastica, quia libertas, qua per totum tempus antecedens certò gaudes, non potest tolli à præcepto dubio, de quo scilicet nondum constat quod obligare inceperit.

Contra : si dubitas an expleveris annos requisitos ordines, vel beneficia, vel matrimonium non potes licitè ad ea admitti, quia certa obligatio ætatis requisitæ non potest vinci à dubio, quo laboras provectioris ætatis. Sic Ioan. Sanch. *d. 43. n.7. quo ad matrim.* Vide Tom. Sanch. *lib.7. d. matrim.d.*104.*n.*4.

4. Pari modo discurrendum in dubio de annis sexaginta requisitis pro exemptione jejunij, prævalet enim obligatio, si sis dubius an ad illos pertingas. Quòd si ad beneficium, ordinésve admissus fuisti, & post eorum possessionem incipis dubitare de annis, sanè tunc prævalebit possessio beneficij, ordinisve.

5. Si quis certus est de voto, dubitet autem an emiserit ante annos, quibus possunt vota irritari à Patre, poteritne irritationem obtinere ? hæc difficultas supponit Patrem posse vota filij irritare etiam post multos annos; sed certè personalia emissa ante 14. annum; at realia etiam emissa ante 25. de qua re infrà suo loco. Nunc autem respondeo ad difficultatem satis probabiliter posse. Ita Ioan. Sanchez, Diana, Villalobos, apud Caramuël *in Theol. mor. num.*1378. Adde Suarium, quem sequitur, & citat Thom. Sanch. *lib.4. in Dec.cap.*32.*n.*2. Ratio vera esse debet, quia prior est minor ætas, deinde major : ego, donec constet te esse majorem, potes te gerere ut minorem, atque adeò irritationem ejusmodi legitimè impetrare.

6. Illud in universum tene : quando dubium est, An pueri rationis usum habeant, præsumendum esse habere, si septennium compleverint: Secus, antea; Ita Diana *p.4.tr.3.res.*52. quia præsumptio est desumenda ex communiter contingentibus : communiter autem contingit, ut post septennium affulgeat rationis usus, non verò antea : Immò (addit huic doctrinæ Caramuël *loc. cit. n.*2389.) hic non videtur dubium, sed probabilitas, ubicunque non probetur contrarium; nam hæc consequentia : *Ferè omnes septennes usum habent rationis : ergo etiam Petrus* : videtur probabilis, & debere rationibus fortibus elidi, quare si nulla ratio contra eam militet, videtur moraliter certa.

7. Quod si certus sis, te voviſſe, at dubitas an voveris ante septennium, quando non eras certus usum perfectum rationis habuisse, obligaris ad votum ex Sanchez, *lib. 4. in Dec.cap.*1. *n.*14. & 15. quia constat de promissione, dubitatur de excusatione. Verùm puto cum Castro Palao *t.1.tr.1. d.3. p.*11. *n.* 4. esse probabile te non obligari, quia tunc non constat de promissione, si quidem cùm dubitatur, an affuerit perfecta deliberatio, dubitatur de constituente essentiam promissionis, atque adeò de promissione. Quod si certus es te voviſſe, dum usum rationis haberes, quamvis sis incertus, num expleveris septennium : obligaberis ad votum; ad voti enim validitatem sufficit usus rationis.

8. Item non obligaberis si certus sis te voviſſe ante septennium, in quo ratione non utebaris, sed dubius an postea ratum illud votum habueris. Ratio est prædicta, quia possidet tua libertas certa contra ratificationem dubiam.

9. Quid in contractibus ? Respondeo cum Caram. *lib. 3. Theol.mor.num.* 1477. Ante contractum initum, si dubites an minor habeat annos sufficientes, judicandus est non habere, quia possidet minor ætas : post contractum bona fide factum standum pro contractu, quia semper præsumendum pro valore Actus, ut in simili dicetur. *infrà, v. Dispensatio, num.*5.

10. *Agere.* In dubio an quis egerit nomine proprio an alieno, præsumitur egisse nomine proprio, quod prius est alieno : sunt tamen aliquæ exceptiones, quas lege apud Laccium *d.2.decis.*139.

11. *Agere filium dubium.* Si dubitetur de duobus, uter sit Pater hujus pueri, quis debet illum alere? Respondeo plures apud de Lugo *tom.*1. *de just.d.*33. *sect.*2. *à num.* 19. Caramuël *lib.*3. *Theol. mor.n.*1368. communiter ajunt dividendos esse sumptus, & quidem à ditiore plus contribuendum. Quod si alter deficiat, alterum obligari contendunt ad sumptus integros, ne scilicet proli deficiant alimenta. Ratio potest esse, quia necessitas prolis alendæ certa est, dubium verò quisnam debeat, dividantur igitur sumptus pro rata dubij : Verùm cum de Lugo *l. c. num.*14. probabile est in rigore justitiæ neutrum debere alere hujusmodi dubium filium, quia uterque est in possessione antiqua, suæ libertatis, nec obligatur se credere debitorem proli, nisi se debitorem esse constet. Proli, inquam, nam, an alteri, vide omnino apud de Lugo citatum. Quid fiet probabile (id supponamus,) unum ex duobus esse verum Patrem ?

Respondeo : nec obligari puto, quia in hoc casu, esset etiam probabile contrarium, id est, ipsum non esse verum Patrem; poterit ergo hujusmodi posteriori probabiliter se illi conformare.

B

1. *Baptismus.* Quoties prudenter dubitatur, quocunque tandem dubio sive juris, sive facti, an quis sit ritè baptizatus, iterum sub conditione baptizetur. Ita Castro Palaus *parte 4.tract.*19. *disputatione unica, part.* 13. *num.* 4. licèt enim in aliquibus casibus præsumptio sit pro Baptismo, ut communiter evenit in infantibus apud Christianos (nam apud Infideles, est præsumptio in contrarium) tamen tanta ejus necessitas debet, sic urgente charitate, vincere omnes præsumptiones. Dixi (prudenter dubitatur) nam dubitatio debet esse rationabilis, secus, quia nemo sit metaphysicè certitudinem sui Baptismi, cui semper possit dubitare, An minister habuerit intentionem baptizandi, An protulerit verba formæ, & similia omnes iterum essemus baptizandi. Nam propterea infantes expositi in Terris Christianorum (si invenitur scriptura, vel aliquod testimonium eorum Baptismi) non sunt baptizandi : sunt autem, si non inveniatur : quia nimirum ibi imprudenter, & temerè, hic prudenter dubitatur. Ita Suar. *tom.*3. *in* 3.*p.d.*12. *sect.*2. Bon.mox citandus *n.*39. Parique modo infantes Christiani, quos Infideles rapiunt, si non sint signa moraliter certa fuisse antè baptizatos, baptizandi sub conditione erunt, &c. Ita Bonac. *de Sacr.d.*1.*q.*2.*p.*1. *num.*39.

2. Si quando nascantur duo gemelli ita monstruosè junctì, ut dubitetur utrum unus sit homo, an duo, erit expectandum, utrum ipsa ætate res melius dignoscatur, si mors brevi futura non timetur : nam si timetur, baptizentur absolutè tanquam duo, existentibus certis signis indicantibus esse duos, quale esset unum vigilare, altero dormiente. Secus, unus, qui apparet principaliter, absolutè, sub conditione alter baptizandus erit. Ita Layman. *lib.5. tract.*2. *cap.*6. *q.*6. Castro Palaus *l. c. part.*6. *num.*4. lege etiam Comitolum *in Resp. lib.*1. *quæst.*8.

3. Quoniam verò Infantes Gentilium ante rationis usum, & mortis periculo non urgente, baptizare non licet, sine consensu unius saltem ex parentibus, quæri potest, quid si dubitetur de usu rationis, & puer Baptismum deposcat invito utroque parente ? Aliqui negant, ut Henriquez *in sum. lib.*2. *cap.*25. *num.*3. quia possidet rationis carentia, atque adeò sunt certò in potestate,

state parentum Aliqui contendunt, ut Vasq. Suar. quos citat, sequiturque Laym. *lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 41.* quia debet prævalere bonum pueri, & favor fidei: Aliqui distinguunt, ante septennium, non licere; quia possidet præsumptio carentiæ rationis, postea, licere; quia possidet præsumptio usus rationis. Ita Bonac. & Sanch. quos sequitur Bardi *d. 6. de consc. cap. 11. §. 4. n. 4.*

Ex his certam pronuntio secundam sententiam, quia bonum pueri tam ingens debet propter obligationem charitatis, quascunque inferiores præsumptiones evincere.

4. Sed quid si parentes consentiant, ille autem puer; de quo dubitatur, an potiatur rationis usu reluctetur? Respondeo, urgente mortis periculo baptizetur sub conditione, ob pueri bonum: eo non urgente, differatur donec perfectum usum rationis nanciscatur. Ita Laymam *Le. Vasq. tom. 3. in. 3. p. d. 155. c. 3. n. 38.* cujus dilationis ratio est, quia puero reluctante, periculum timetur invaliditatis Sacramenti, & apostasiæ in ipso puero, quod periculum *in num. precedente*, quia puer consensum utcunque præbebat, non tam graviter timebatur. Cùm ergo nullum incommodum ex mora consequatur, ut supponimus prudenter baptismus differetur.

1. *Bellum.* An militi dubitanti de justitia belli militare in eo liceat? Tres sunt sententiæ. Prima concedit ita Navarra, Suarez. S. I. Diana, Tannerus, apud de Lugo *de just. t. 1. d. 18. sect. 1. num. 17.* Secunda negat; ita Vasq. Lorca apud eundem *ibidem.* & ipse idem de Lugo. Tertia distinguit, nam concedit militi subdito, negat non subdito. Ita Val. Azor. Thom. Sanch. aliique apud eundem de Lugo, Certè non passim occurreret ejusmodi dubium in bello Fidelium contra fideles, quia bella indicuntur à Senatoribus, & à principe, qui cum regulariter supponantur prudentes, seu certè non imprudentes, nec suorum animorum prodigi, poterunt probabiliter milites (& ne peccent, debent) propter auctoritatem saltem extrinsecam suam conscientiam deponere. Lege Caramuel *lib. 3. Theol. mor. num 1412.*

Verùm admisso dubio. Dico tandum esse pro possessore ante dubium: Cum igitur princeps fuerit in possessione præcipiendi, & subditus in possessione obediendi, poterit subditus obedire militando. Idemque est in non Vassallo tum conducto, antequam bellum indiceretur, tum conducto postea; est enim & hic in possessione valendi liberè servire in Militia.

2. Nec obstat argumentum de Lugo *ibidem n. 10.* quatenus docet nemini licere exponere se periculo injustè alios occidendi, quod est intrinsecè malum, nisi sit ex legitima authoritate, vel nisi sit in propriam defensionem, quando jam tollitur ab occisione circunstantia, quæ illam intrinsecè malam reddebat: non obstat inquam, nam dum miles obedit, vel servit principi, satis probabiliter judicat se ex legitima auctoritate pugnare, & occidere, atque adeò satis probabiliter judicat non adesse circumstantiam reddentem occisionem intrinsecè malam.

3. Iam si miles militando in bello dubio, in quo cum potuisset deponere conscientiam, tamen non deposuit, unde ex conscientia erronea mortaliter peccavit, bona hostium diripiendo, obligaturne ad restitutionem, si peracto bello comperiat ipsum fuisse injustum? Respondeo non obligandum ex injusta receptione. Ratio est, quia ad obligationem restitutionis ponendam non sufficit actionem fuisse injustam ex conscientia erronea, seu, ut loquimur, fuisse solum formaliter iniquam, sed etiam requiritur ut actio verè & materialiter sit injusta: Ita Molina, quem sequitur, & citat Bardi *de cons. d. 4. cap. 9. §. 15. n. 12.* cum ergo actio ejusmodi militis verè, & materialiter injusta non sit, quia ipse, ut modò diximus, potest militare in bello dubio, sequitur non esse illi obligationem restitutionis imponendam. Si fortè adhuc extent apud ipsum bona direpta, vel id, in quo factus sit ditior, restituere hæc tenebitur, sed id ex re accepta est, non ex injusta acceptione.

2. *Beneficium.* Si certò scio, me possidere Beneficium, sed ambigo sæcularene sit an regulare, curatum an simplex, (Quid hæc sint vide apud Castropal. *tom. 1. tract. 3. d. 1. p. 3.*) meritò præsumere possum esse sæculare, & simplex; de quo lege Barbosam *part. 3. de potest. Episc. all. 57. num. 167.* Dianam *p. 4. t. 3. resol. 74.* Ratio est, quia in dubiis præsumere possum pro eo quod prius est: quod enim est prius, possessionem contra posterius obtinet; at esse regulare, & curatum cum sint qualitates, quæ advenerunt beneficiis, quæ suo initio sæcularia, & simplicia instituta sunt, posteriora esse præsumuntur.

2. Quod si certus sim, me titulum utcunque habere Altaris, vel Ecclesiæ, sed omnibus expensis, anceps sum, an Capellania hæc sit, an Beneficium, meritò item præsumere mihi conceditur esse Capellaniam, quia id minùs meam libertatem aggravat. Lege Barbosam. *de jure uni. lib. 3. cap. 5. n. 14.*

3. Huc reducamus incertidudinem eam quæ ducitur ex collatione Beneficij. Certus sum mihi legitimè à summo Pontifice fuisse collatum Beneficium, & insuper sum certus idem Beneficium alteri legitimè collatum fuisse ab Ordinario; uterque enim in sua probabilitate fundati Pontifex, & Ordinarius dictum Beneficium contulerunt, & quidem in eodem prorsus die, (nam secus, anterioritas alterutri ex nobis sine dubio faveret) quid faciam? dubius enim sum, an Beneficium meum, sit, an alterius, nec possum recurrere ad possessionem, quæ sine dubio daret jus possidenti, nullus enim ex nobis adhuc in possessionem missus est. Lege Rebuffun *de pacifica possessione, à num. 293.* ubi ponit quasdam limitationes; & Barbosam *l. mox citando, num. 12.* Respondeo cum Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 57. num. 14.* in hac tanta rerum paritate, tu præponendus es illi alteri, quia ob dignitatem provisoris, provisus à summo Pontifice, est per jura præferendus, *cap. si à Sede Apostol. de præb. in 6.*

1. *Beneficiarius.* Probabile jam est licitè posse Beneficiarium se sustentare de redditibus beneficij, servatis ad alios usus redditibus sui patrimonij, vel aliunde acquisitis; & consequenter posse se alere redditibus patrimonij animo repetendi, seu compensandi cum redditibus beneficij. Contigit ergo, ut quidam familiaris dubitaverit, an hunc animum compensandi habuerit, & potestne adhuc compensare, Respondeo cum Lessio *lib. 2 cap. 4. dub. 6. n. 38.* Ioan. de Lugo *tom. 1. de just. d. 4. sect. 3. à n. 45.* posse, non solum si dubitet, verùm etiam si est certus hoc animo carvisse, imò etiam si positivè ejusmodi animum compensandi respuisset. Ratio est, quia ille animus, seu propositum, (cum non sit votum) non adimit à beneficiario potestatem exequendi oppositum ad quod jus ex se habet, lege fusè de Lugo, mox laudatum.

2. Dicemus *infrà lib. 2. c. §. n....* Beneficiarium, tenue beneficium possidentem non obligari ex probabili sententia ad horas Canonicas persolvendas. Quid ergo erit, si quando, omnibus expensis, ambigatur utrum beneficium sit tenue, nec ne?

Respondeo, puto probabile cum Vasquez *p. 2. disp. 65. cap. 4. num. 11. versu primum de eo*, obligari, & item probabile non obligari, cum Caramuel *lib. 3. Theol. moral. n. 1364.* quare alteram ex his sententiis, quam tibi libet, amplecti licet. Ratio obligationis duci potest ex eo, quia hic possidet certitudo beneficij, quod obtinet, atque adeo recitandi obligatio, quæ non potest evinci ab incertitudine tenuitatis. Ratio de obligationis sumitur ex eo, quia tua certa libertas, quæ præcedit omne beneficium à te comparatum, soluta est ab obligatione, ergo non potest ligari superveniente incerta obligatione, qualis invenitur in hoc tuo beneficio incertè sufficienti ad prædictam obligationem patiendam.

1. *Bona derelicta.* Ea bona, quæ dominus non curat recuperare, derelicta dicuntur, & quælibet ea potest sibi applicare; nam Bullæ Cœnæ excommunicatio solum est *num. 3.* contra arripientes bona naufragantium, quæ dominus præsumitur velle recuperare. Quid ergo,

ergo erit, si omnibus expensis nimirum qualitate, seu pretio rei, distantia domini, difficultate recuperandi, &c. non potest conjici, an dominus recuperare nolit, atque adeò an verè sint derelicta? Respondeo esse judicanda domini, atque adeo non derelicta. Ita Bonacin. *disp. 1. de restitutione in gen. quæst. 3. p. 5. num. 3.* Ratio est, quia prius est ea bona esse domini, & deinde esse derelicta, ergo in dubio prævalet possessio, quæ est prior, nempe esse domini.

C

*Castitatis Votum.* Vide *Votum, num. præsertim 7. & 8 num. 12.*

*Casus & censuræ reservatæ.* Certum est me commisisse peccatum, sed dubium sive juris, sive facti est, an id sit reservatum, censendusne est casus reservatus? v.g. certò scio, me propinasse venenatam potionem puellæ gravidæ, sed ponamus dubium esse, An abortus sit à lege reservatus, quod est dubium juris. Vel ponamus me dubitare, an deliberatè venenum dederim, Vel an in quantitate sufficiente ad mortem inferendam, Vel an fœtus fuerit animatus, quæ sunt dubia facti, eritne ejusmodi propinatio casus reservatus? Idem quæritur de censuris, quando dubium est an sint reservatæ.

Respondeo cum Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. d. 2. n. 366.* de Lugo *de pœn. d. 20. sect. 2. num. 18.* aliisque permultis. Non erit: multò minùs, si quæ diximus esse dubia, essent probabilia, quoad carentiam reservationis. Ratio est, quia reservatio est odiosa, & restringenda: cum ergo possideat, carentia reservationis, (prius enim est casum non esse reservatum, & postea esse,) non potest amoveri à superveniente dubia reservatione.

2. Hinc puto cum Thom. del Bene *de Immunitate Ecclesiastica, dub. 4. subsect. 3. subcoroll. 10. num. 9.* casus in Bulla Cœnæ dubios non esse etiam intra Italiam nunc, post secundum Clementis VIII. decretum, reservatos, quia saltem rationibus hinc inde discussis, probabile est Clementem moderatum esse prius decretum, quod casus Bullæ Cœnæ dubios reservabat.

3. Si tamen certò constaret Pontificem voluisse aliquem casum, vel de jure, vel de facto dubium reservare, is certè esset reservatus, nec mirum: quia tunc certò constat de reservatione. Hoc pacto Pontifex *Extravag. perlectis*, apud Molinam *tom. 4. tract. 3. de Justitia, disp. 57. num. 2.* Bonac. *n. tom. 3. de censuris in partic. d. 2. quæst. 3. p. 6. sect. 5. num. 8.* voluit, ut percussio, de qua dubitetur levisne sit, an mediocris, mediocris reputaretur, & consequenter esset Pontifici, perinde ac gravis reservata: Sed id, ut dixi, jam certò propter eam Pontificis voluntatem constat: nos verò loquimur, quando res dubia est.

4. Iam verò si certus sim hunc casum esse reservatum, sed ego Confessarius ambigam, an mea potestas ad illud se extendat, poterone illud absolvere? Respondeo perdiligenter esse distinguendum, cum Caram. *lib. 2. Theol. moral. n. 1330. & n. 1347.* Si enim dubites an expiraverit tua potestas, quam certò scis te antea habuisse, potes illud absolvere. At verò si dubites, an tibi concessa fuerit ejusmodi potestas, quia, v.g. Prælati verba concessionis subobscura fuerunt, non potes. Ratio est, quia ibi possidet potestas, quæ à superveniente dubio non est infringenda: hic possidet carentia potestatis, quæ ab insurgente dubio de concessione tolli non potest.

1. *Censuræ.* Si dubites sive per dubium juris, sive facti, an lata sit contra te, vel à te incursa excommunicatio, suspensio, irregularitas, uno verbo, censura (præter irregularitatem ex homicidio injusto, de quo *suo loco, verbo Irregularitas*) vel quælibet alia pœna, si facta debita diligentia, non potes veritatem assequi, non obligaris te gerere, ut censura, vel alia pœna innodatum, quia possidet tua libertas, & incursus est dubius. Ita Sanch. Bonac. quos citat, sequiturque Merolla *tom. 1. d. 3. c. 3. Coroll. 17. num. 201.* Caramuël. *lib. 3. Theol. moral. n. 1938*, Layman, *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. n. 38.* Vide quæ dicam V. *Leges*, & V. *Præcepta.*

2. Hinc in dubio, de quo Caram. *n. 1804.* An censura sit lata vel ferenda, ferenda præsumatur: In dubio, an verba contineant censuram, nullam continent; In dubio, an quis Clericum percusserit, vel an percusserit publicè; non est vitandus: In dubio, an Superior sit legitimus, præsertim, de quo Merolla *ibidem num. 206* si non sit in possessione superioritatis, censuram legitimè fulminabit, unde ea à prætenso subdito non incurretur. In dubio, an impleta fuerit conditio, sub qua fortè censura fuit lata, judica non esse impletam, ita Merolla *ibidem num. 207.* Ratio horum est, quia libertas, quæ in sua residet possessione, quantò magis valet jugum excutere, potest. Adde odia esse restringenda, favores ampliandos, verba legis duplicem sensum ferentis benigniori sensui addicenda. Ita Caram. *n. 1403.*

3. Si dum rationabiliter dubitas, negligis veritatem inquirere, peccas; & ut censura affectum te gerere debes: quia tunc malæ fidei possessori assimilaris. Vide *infrà v. Restitutio, in simili.*

In dubio an absolutus fueris ab excommunicatione, suspensione, interdicto, &c. debes te ut ut non absolutum gerere, quia certa est censura, incerta absolutio. Ita Sanchez. Bonacin. Layman, cum Merolla *loco supra citat. num. 284.*

4. Si certum sit latam esse à Iudice contra te excommunicationem, seu censuram quamlibet, sed facta diligentia dubitas an fuerit justa, vel an ex causa sufficienti, vel an solum voce tenus, vel an servato modo requisito ad validitatem, vel an præcesserit ante ejusmodi sententiam appellatio, unde & nulliter sit lata, vel denique an à Superiore, qui, quamvis existat in possessione Superioratus, dubitetur esse legitimus, multi, ut Merolla *ibidem*, Bardi *de conscientia, disc. 6. cap. 7. §. 1.* probabiliter censent debere te existimari ut censura devinctum, quia in his omnibus prævalet ipsa excommunicatio, quam certò fulminatam esse constat, dubia autem sunt capita nullitatis. Egò verò, licet fatear in foro externo te in his esse judicandum à Iudice, propter jura *C. cum tu, de test. & attest.* & alibi, faventia præsumptioni talium censurarum, cujus contrarium probare pertineret ad reum, & donec non probat, sententiæ est subjiciendus: tamen, si in foro conscientiæ, verè is reus, facta diligentia, dubitet in prædictis, verè dubitat, an innodatus censura existat, ergo cum certus sit de possessione suæ libertatis, non poterit à dubio censuræ vinculo colligari.

Vide quæ dicam *verbo Subditus, & verbo Leges.*

1. *Clericus.* Quidem à Iudice sæculari captus fuit, nunc verò dubitatur, an is Clericus sit: quis rem decernet, Ecclesiasticusne Iudex an sæcularis? & donec res decernatur, debetne sæcularis Iudex illum Ecclesiastico tradere?

Respondeo. Si id consideres præscindendo à sacris Canonibus. Sæcularis decernet, nec delinquentem Ecclesiastico tradet, ipse enim sæcularis est in possessione, & sicut si supervepiat dubium, an hoc prædium, verbi gratia, quod Laïcus possidet, sit Ecclesiæ, necne, non statim est tradendum Ecclesiæ, sed ab ipsomet Laïco diligentiæ de veritate indagandæ, præstandæ sunt, & interim eo dictus Laïcus non est spoliandus, ita in casu nostro. Sed sacri Canones *C. si Iudex, de sententia excom. in 6.* & *ibi* Glossa, Covarr. *in pract. q. cap. 33. n. 1.* Gutierr. *lib. 1. pract. q. 6.* aliique ex optima congruentia, ut personæ sacræ plus faveatur, quàm ejus bonis, meritò statuunt in hoc dubio de Clericatu Iudicem Ecclesiasticum judicare debere, & interim delinquentem ad Ecclesiasticum Iudicem debere remitti. Cætera similia cum pertineant ad forum externum, hic exponere superdeo; videri apud Doctores citatos facilè poterunt, quibus adde Carolum de Graff. *effectu 1. Mol. t. 4. tract. 3. d. 64.* Zerol. *in prax. V. Clericus ad 6.*

*Clerici percussio* Vide *Percussio Clerici.*

1. *Compensatio.* Debebat mihi Caius centum, titulo anteriori, & privilegiato, & item alia centum nullius privilegii; Cum ea exigere non potuerim, clam mihi compensavi centum. Sed quia sum dubius, quænam intenderim compensare, quid credam? Respondeo cum de Lugo *de justitia, tom.* 1. *d.* 16. *sect.* 6. *n.* 129. credendum compensatum creditum non privilegiatum. Ratio est, quia actio compensativa sit à creditore independenter à debitore; at quilibet, atque adeò hic creditor præsumitur in suis actibus velle sibi favere, quantò magis potest. Sicut enim debitor solvens debitum præsumitur velle solvere, quod magis gravat, quia id est sibi favorabilius: ita creditor sibi compensans, præsumitur compensare, quod ipsi magis favet.

1. *Confessio Sacramentalis.* Quæ de peccatis dubiis pertinent ad Sacramentum pœnitentiæ, à nobis disputata sunt satis *in opuscul. de confessione, lib.* 2. *c.* 1. §. 3. & 4. ubi etiam de pueris, vel aliis afferentibus materiam dubiam, & *in opusculo de communione, cap.* 1. §. 16. quæ verò de casibus reservatis, vide *verb. Casus, & Censuræ reservatæ.* Illud habe. Posita ea sententiâ, quæ docet in mortis articulo non posse quemlibet Sacerdotem absolvere moribundum à reservatis, sed debere, si tempus permittat, expectari Confessarium habentem jurisdictionem ad illa, cujus tamen contrarium ego sum sequutus, tanquam probabilissimum, *lib.* 3. *Moth. Confess. cap.* 7. *n.* 1. posita tandem, ut dicò, ea sententia, inquires, quid faciendum, si sit dubium, an infirmus sit supervicturus, donec ille Confessarius jurisdictionem habens advocetur? Respondeo, absolvatur. Lege Castro P. *tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 2. §. 10. etiam in illa sententia, quia ne subeat infirmus periculum damnationis, ita certò velle Ecclesiam, judicandum omnino est.

1. *Confirmatio privilegii.* Solet Pontifex privilegia confirmare sub forma communi? solet, sub forma speciali, quæ appellatur ex certa scientia; Hæc autem exprimi consuevit in confirmationis tenore, vel per ipsas has voces, *ex certa scientia*, vel per æquipollentes; quales sunt *de plenitudine potestatis, non obstante lege contraria*, & item tenor præcedentis privilegii ad verbum in confirmatione insertus: Ni si exprimatur, erit forma communis. Lege Castro P. *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *part.* 2. §. 10. Confirmatio ex certa scientia habet (inter cæteras) vim, & efficaciam renovandi, seu iterum concedendi privilegium, etiam si id fuerit usu, vel alia via revocatum, quam vim non habet forma communis, propterea multum proderit ea forma specialis.

2. Dubium ergo hic enascitur; Quid præsumendum, quando verba quibus confirmatur aliquod privilegium, non sunt clara, sed ambigua; an contineant dictam formam specialem, nec ne?

Dico cum Sanch. *lib.* 7. *in Dec. cap.* 19. *n.* 144. Merol. *tom.* 3. *d.* 6. *cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 7. debere præsumi esse in forma communi. Ratio est clara, quia certum est (ut supponimus) privilegium usu, vel alia via, fuisse deperditum; at dubium an adsit confirmatio ex certa scientia illud revalidans, ergo prævalet amissio.

1. *Confirmatio Sacramenti Chrismatis.* Ambigis, an sis confirmatus, sive dubio juris, sive facti. Respondeo iterum cum Bonac. *de Sacram. d.* 3. *q. unica, p.* 4 *n.* 10. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *res.* 23. sub conditione confirmeris. Neque majus dubium requiritur hic, quàm in Baptismo, quamvis Baptismus sit magis quàm Confirmatio necessarius. Contra Nannum *in* 3. *p. S. Thom. q.* 72. *art.* 5. *post tertiam conclusionem, V. notandum est*, quia modò res sit dubia, sufficientem habes causam suscipiendi certò tamutile Sacramentum. Hinc, cum sit apud Theologos controversia, An balsamus oleo sit admiscendus, an Chrismate confirmationis; si non fuit admistus, vel si dubitetur an commistus fuerit, reiteretur sub conditione tua confirmatio, propter rationem dictam. Ita Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *de Sacram. d.* 32. *sect.* 1. *vers. Dico ego quarto*, Suarez *ibid.* ait posse reiterari sine conditione, sed immeritò, per conditionem enim obsistitur periculo, ne reiteretur idem Sacramentum, quod fortè coram Deo verè collatum fuerit.

3. *Correctio fraterna.* Si dubitas peccasse tuum fratrem, atque adeo dubitas an à te debeat ille corrigi, corrigere non teneri. Ita Caram. *lib.* 3. *Theol. mor. n.* 1402. quia in dubio innocens proximus est præsumendus; Immò etiam (addit hic Caramuël) probabiles rationes, atque adeo graves, non tamen convincentes habeas; nec teneris, quia sic te exponeres periculo landi medicinam sæv. Hæc ille, melius dicerem, *ex l. meritò ff. de dubio*, quia si solùm est probabilitas peccati; peccatum non est certum: at nemo ex citata lege est præsumendus malus, nisi certò moraliter constet de ejus malitia, ergo, &c.

*Consuetudo.* Vide *v. Leges.*

*Contractus.* Eodem die duos celebro contractus, quibus mea bona duobus hypotheco, seu subjicio: si bona mea utrique non sufficiunt, quis prævalebit, si neutrius creditum sit anterius seu privilegiatum, nec alteruter inveniatur bonorum meorum possessionem recepisse; Respondeo, Antonius de Marinis *in resolution. quot. lib.* 1. *capite* 72. *numero* 10. & 11. docet prævaliturum eum contractum qui invenitur esse scriptus priore loco in Notarii protocollo juxta regulam juris: *Prior in tempore, potior in Iure*, & ita decisum fuisse Neapoli. Sed quæstio nondum plenè soluta est, quid enim si ejusmodi protocolli non habeatur copia? Respondet Novarius *in praxi miser. person. privil.* 54. tunc prævaliturum personam miserabiliorem. Sed nec id solvit plenè quæstionem, quid enim si personæ sint æquales? immò nec doctrina Novarii universaliter placet; præscindendo enim ab extrema, vel saltem gravi necessitate, vel manifesta alia ratione seu manifesto privilegio, à quo nunc abstraho, res unius non est alteri tradenda. Respondeo igitur in hoc casu, in quo nulla affulget lux prælationis, dividenda esse bona utrique creditori, quia uterque jus æquale hoc est, jus dubium habet. Vide quæ dicam *infrà, verb. Restitutio.*

*Contractus minoris.* Vide *verb. Ætas.*

*Creditor.* Vide *verb. Solutio debiti, num.* 5. & *verb. Restitutio.*

## D

1. *Damnum secutum.* Si certus sis, te aliquam actionem exhibuisse, unde damnum secutum sit proximo, sed dubius, num id fuerit, ex culpa Theologica levi, an ex gravi, te non obligari ad restitutionem damni illati, dicam mox V. *Depositum.* At si certus sis, te actionem malam per culpam gravem egisse, sed ambigis an illa actio habuerit influxum in damnum proximi, id in præsentia quærimus. Animo, v. g. pendes, utrum per tuum consilium, vel associationem moraliter pravam, concurreris ad furtum, vel homicidium, teneirisne ad reparciendum damnum secutum?

2. Respondeo. Nonnulli, ut Sayr. *in clavi lib.* 10 *cap.* 8. *num.* 1. Rebell. *part.* 1. *lib.* 2. *quæstion.* 14. *sectione* 2. *num.* 5. & 7. docent te nequaquam obligari, quia certa est tua libertas, incertum, an fueris causa damni. Alii, ut Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disputat.* 41. *numero* 17. Caramuel *lib.* 3. *Theol. moral. numero* 1464. asserunt te obligari, quia certa est actio injusta, seu delictum, ergo præsumendum est te cooperatum esse ad illud, quod ad delictum consequi solet, nempe ad damnum. Utrumque probabile, & ad hanc sententiam affirmantem faciunt, quæ dicam V. *Suffragium*: Illud prius nihilominus videtur probabilius, quia nemo est obligandus ad aliquod, nisi constet ab ipso id certò deberi. Solum exciditur Homicidium dubium quoad pœnam Irregularitatis, de qua mox. V. *Irregularitas.* Sed enim vero pro praxi notandum est, te in dictis exemplis de consilio & associatione; ex natura ipsa talium actionum obligari regulariter ad resarciendum damnum. Nam eo ipso, quod consulueris, vel associaveris, debes esse moraliter certus,

te concurrisse ? atque id fortasse est, quòd modò asserebat posterior sententia. Ratio est, quia communiter, qui consulunt, vel associant, sine dubio sunt delicti cooperatores.

3. Non inficior tamen, si adessent rationes efficaces, quæ certò probarent te nihil adjuvasse, vel reponerent in vero dubio, ut si consilium tunc dederis, quando homicida jam erat inimicus capitalis occisi, omnia præparaverat ad homicidium, & similia, non inficior, inquam, tunc te fore probabiliter excusandum, quia es in vero dubio, an verè interfueris cooperatio tua.

4. Subadverto excusationem hanc faciliorem fore in consilio, quam in associatione : quia associato semper per se animum addit associato ; nisi fortè socius sit puer, senex, infirmus, merus servus, &c. Dictum delinquentis, quo affirmet, se nihil fuisse à tua actione motum, nisi is sit fide dignus, vel nisi alia adsint adminicula, certitudinem excusationis non affert, ut meritò putat Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 10. num. 44.*

*De Damno secuto ex mora debitoris.* Vide, *Debitor morosus.*

1. *Debitor morosus.* Debet Caius ex contractu centum Titio, qui Caius præfixo termino ea non reddit ; unde Titio damnum secutum est, oportuit enim, ut pro suo victu pecuniam ad cambia acciperet cum interesse decem, v. g. aureorum. Quoniam autem est probabilis opinio de Lugo *de just. tom. 1. disputatione 18. sectione 2. num. 32.* Titium nisi de eo damno præmonitus fuerit à Caio (idem de lucro cessante) ad illud damnum resarciendum non obligari, quia si admonitus fuisset, vel solvisset fortasse, vel aliqua tandem ratione sibi consuluisset, quoniam, inquam, hæc probabilis est, imò mihi certa sententia, quæstio subnascitur, si Caius dubitet an quando fuisset admonitus, verè solvisset illa centum, nec ne, & consequenter dubitat an occurrisset damno secuto ipsi Titio, quem tenendum, obligabiturne ad dicta decem restituenda ? Respondeo non obligari. Ratio est ducenda ex prædictis ; sicut enim non debeo præsumere delictum de proximo, sic, nec de me, unde non debeo præsumere me non fuisse soluturum. Adde me esse in possessione meæ innocentiæ, cur ergo prævalere debeat dubium de iniquitate : lege de Lugo *loco citato*, ex cujus doctrina idem confirmabis.

2. Sed quid si certus sim me (quia paupertatis meæ satis eram conscius) non fuisse prorsus solutum ? Respondeo, te in hoc casu ex alio capite non obligo, nempe quia ex mora Theologicè inculpabili, id est ex mora admissa sine peccato mortali, qualis est propter paupertatem, probabile est non teneri quempiam ad restitutionem damni emergentis, vel lucri cessantis. Ita de Lugo *loco citato, à num. 34.*

1. *Decimæ.* Si certus sis te privilegio gaudere Decimas non solvendi : anceps autem, an privilegium eximat à Decimis tua prædia extantia tempore, quo privilegium concessum fuit, an etiam ea, quæ postea acquisivisti, quid judicandum ? Respondeo si ejusmodi privilegium solùm præjudicet ipsi Pontifici qui privilegium concessit, cui nimirum soli deberent solvi decimæ, nisi privilegium tibi concessisset, extenditur ad prædia acquirenda, quia tunc est amplè privilegium interpretandum, ut mox dicam V. *Privilegium.* At si præjudicat tertio, v. g. Episcopo, Parocho, &c. quibus dictæ decimæ debebantur, non extenditur, quia tunc ex ibidem dicendis, strictè est interpretandum. Nota tamen extare privilegium aliquibus à Summo Pontifice concessum, ut illud extendatur ad prædia acquiranda, etiamsi sit cum tertii præjudicio. Lege decisiones Rotæ apud Paulum Rubeum *tom. 2. decis. 44. num. 5. & decis. 10. num. 2.* Verùm id ex Summi Pontificis indulgentia speciali est, qui circa decimas, utpotè bona Ecclesiastica, jus plenum solus habet, nos autem loquimur abstrahendo à speciali privilegio.

2. Si certus sis te eximi à decimis solvendis, ambigas verò an privilegium loquatur de prædiis propriis, an etiam de conductis, idem cum eadem distinctione propter paritatem rationis videtur esse sentiendum.

1. *Denuntiatio.* Adest lex, vel edictum de aliquo delicto denuntiando ; dubius autem sum primò, An Petrus, v. g. illud commiserit : Secundò certò scio illud commisisse, sed dubius sum an prorsus sit emendatus, obligorne illum denuntiare ? nam si est emendatus, & crimen est occultum, damnumque si quod fuit, reparatum est, nec aliud ingruit, non obligare ejusmodi legem, cum doceat alios citans Castro Palaus *tom. 1. tract. 4. d. 3. puncto 4. n. 7.* cum Sanch. Toleto, Soto, Navarro, idque sit satis probabile, disputatione non indiget.

Respondeo, ex principiis dictis te non obligari in priori casu, quia possidet bona fama personæ denuntiandæ, & de nemine præsumitur delictum nisi de eo constet. *l. Meritò, ff. de dubio.* In posteriore casu prima facie videris obligari, quia possidet delictum certò commissum quod à dubia emendatione non evincitur : verùm distinctione modo insinuata opus est : Si enim agitur de crimine, cujus infamia præcesserit, ingruitque alicujus damnum, obligaberis : ita bono proximi requirente : at si peccatum sit occultum, & sub nullius damni timore, non videris obligandus, quia peccato existente occulto, possidet bona fama denuntiandi : quare videtur hæc præferenda. Quandonam sit peccatum occultum, & quando præsumatur quis emendatus, vide apud Castro Palaum *l. c. & tract. 6. de charitate, d. 2. p. 14.*

2. Facit item ad quæstionem hanc de dubio id, quod his verbis docet idem Castro Palaus *dicto puncto 14. numero 11. Quando Prælati, seu Inquisitores mandant denuntiationem sibi fieri de iis, & aliis delictis, absque eo quod cum aliquo communices, hoc intelligi debet de dilictis, quæ tibi certè constant in edictis contineri ; quæque tibi mandantur denuntiari : Nam si dubius es, an peccata, quæ scis, sint contenta in edictis vel non ; poteris absque dubio consulere Confessarium, vel virum doctum, neque hanc communicationem intendunt inquisitores prohibere*, ut advertit Joan. Sanchez *in sel. disput. 11. num. 55.* cum Aravelo & Bañez. Hæc Castro Palaus.

1. *Depositum, & Commodatum*, &c. probabilis jam est sententia, cum de Lugo mox citando, neminem obligari in foro conscientiæ ad restituendum sive ex officio sive ex contractu mediatè, immediatè ex culpa, sive sine sua culpa gravi Theologica, id est, sine peccato mortali. Quare si depositum, vel commodatum alicujus, quod apud te habes, pereat sine tua negligentia morali, ad illud restituendum non teneris. Pari modo, si sine gravi negligentia Medici, vel Advocati pereat ægrotus, vel clienti causa cadat ; si sine gravi culpa Viatoris sequatur mors equi locati ; si sine gravi tua negligentia, dum ignem ad tuum commodum incendis, forte sequatur incendium segetis proximi, & similia, ad nullam restitutionem in foro conscientiæ teneris. Illud tamen per diligenter hic notandum est, culpam illam, quæ in una occasione, seu contractu, seu officio levis est, & venialis, posse esse gravem in aliis ; v. g. illa quæ levis culpa fortè judicatur in officio Advocati, ubi agitur de bonis externis, noc judicabitur levis, sed opinio gravior in officio Medici, ubi agitur de vita. Et illa quæ exigua est in conservando depositio, quod est solùm in utilitatem deponentis, non verò depositarii, erit notabilis in commodatarii non non verò commodantis, quæ omnia fusè, & optimè explicat Card. de Lugo *tom. 1. de just. di sp. 8. sect. 4. usque ad 9.*

2. His positis. Certus sum me habuisse depositum, commodatum, locatum rei alterius, & item hæc periisse apud me. Certus sum præterea me habere officium Medici, Advocati, Fabri, &c. & item ægrotum è vita sub mea cura migrasse, causam amissam esse, ædificium corruisse. Certus insuper sum me ad meos cibos coquendos ignem accendisse, & item ab eo igne segetem fuisse combustam : sed dubius sum an his omnibus graviter peccaverim, ad quid teneor ?

Respondeo ad nihil, Ita S. Thom. 2. 2. *quæstione 61. art. 8.*

ant. 6. Joan. Sanchez *in select. disput. 43. num. 21.* ex parte, aliique ab eodem citati, quibus adde de Lugo *loco citato, disput. 18. sect. 1. num. 14.* Ratio est, quia tunc impræditis omnibus deberes obligari ad restitutionem, quando affuisset tua culpa respectivè gravis, ut dictum est, at in dubio nemo præsumendus est graviter peccasse, quia delictum nunquam præsumitur, ergo prævalet incertas tuæ innocentiæ, si sis certus te graviter peccasse, sed incertus an per tuam, actionem peccaminosam influxum habueris ad prædicta damna, dixi modo, V. *Damnum secundum.*

1. *Detractio.* Placuit semper mihi rerum, & quæstionum exacta distinctio, Audi amice lector. Detrahit quis graviter de proximo, dubitans an ejusdem fama sit jam prostituta, hoc est, an ejus delictum sit jam publicum, peccatne detractor cum onere restitutionis famæ? Resp. Quia, qui audit detractorem, sed illum non excitat, nec illi cooperatur, licet non obligetur ad restitutionem, peccat nihilominus, si potest detractori sine magno incommodo obsistere, & non obsistit, juxta ea, quæ *in tractatione de Detractione* dicuntur, de quo Azor. Molina, Lessius, aliique apud Bonac. *de restitutione in genere, d. 2. q. 4. p. 11.* peccabitne hic, qui audio, si pari modo dubitet, an fama ejus, de quo versatur obloquutio, si prostituta, & in universum, si dubitet an detractor ex aliquo tandem capite possit licitè detrahere?

2. Respondeo hæc duo esse prorsus distinguenda. In priore enim casu peccat cum onere restitutionis: ita Malderus apud Dianam *part. 2. tract. 7. resol. 24.* in posteriore nequaquam; ita idem Malderus, & Rebellius, apud eundem Dianam *l. c.* & Bon. *loc. citato, num.* 8. Ratio est, quia in priore, fama bona stat pro proximo, possidet enim quilibet suam famam, donec illam amisisse certò & publicè constet, ergo non potest ea lædi propter peccatum dubium, sive propter publicitatem dubiam. At in casu posteriore, fama bona stat pro ipso detractore; cum enim nemo sit judicandus malus, nisi ejus malitia clarè cognoscatur, ego debeo ejusmodi detractorem non judicare malum, seu male agere, sed debeo judicare eum posse peccatum illud proximi patefacere: ipse ergo viderit an famam proximi lædat, ut certè in dubio lædit, ego lædere ipsum detractorem non debeo, certò autem læderem, si in dubio illi obstarem, illum enim corriperem de actione detrahendi peccaminosa, quam peccaminosam esse mihi nondum constat.

1. *Dispensatio.* Pro sequenti potissimum prima difficultate præmittendum est, dispensandi potestatem esse eam authoritatem, seu jurisdictionem, quæ residet in dispensante. Dispensatio autem est ipse actus Iurisdictionis, quo aliquid dispensatur. Conveniunt ergo ferè recentiores, potestatem dispensandi esse per se favorabilem, adeoque amplè interpretandam, ipsam verò dispensationem esse per se odiosam legibus, adeoque utpote quæ à jure exorbitet, esse restringendam. Dixi per se, nam limitationes, quæ hìc adducuntur, & prolixæ sunt, & nostræ brevitati adversantur, nec nobis nunc necessariæ.

2. Jam, si certus sis te potestatem habere dispensandi, dubius autem, an ad aliquem casum ejusmodi potestas extendatur, præsumendum per se est pro extensione. Ita Sanchez, *de matrim. lib. 8. d. 2. numero 9.* aliique *ibidem* citati. Contra, si dubites, an ipsa dispensatio, quæ tibi concessa fuit, ad aliquid se extendat, necne? nequaquam se extendere censeo. Ita Sanc. *loco citato* Meroll. *tom. 2. disputatione 4. cap. 6. dub. 1. num. 5.* aliique. Ratio est, quia ibi amplior, hic strictior interpretatio est eligenda. Hinc si Pontifex dispenset alicui Votum Castitatis, dubiumque emergat an Pontifex dispensaverit totaliter, an solùm ad effectum contrahendi matrimonium, judicandum erit solum ad effectum matrimonii, quia dispensatio strictè est interpretanda. Sed pergamus ad alias difficultates, de eadem materia dispensationis.

3. Si dubites, an indigeas aliqua dispensatione in Bigamia, ad Sacerdotium assumendum; in impedimento dirimenti ad contrahendum matrimonium cum aliqua, & in similibus, potes tibi persuadere ea non indigere, & consequenter posse te Sacerdotium, & matrimonium inire, quia possidet tua libertas, dum interim, dubia est indigentia dispensationis, seu dubium est impedimentum; ita Merolla *tom. 1. tr. 3. cap. 3. dub. 2. coroll. 10. n. 34.* Sanchez *lib. 8. de matr. d. 6. n. 18.*

4. Unum notat ex Sanchez Merolla *l. c. num. 135.* Nam licèt non rarò indigentia dispensationis, seu impedimentum, primo aspectu, dubia appareant, nihilominus propter præsumptionem ductam ex communiter accidentibus, re ipsa non sunt dubia, sed certa, quare tunc indigentia, seu impedimentum, non verò libertas possidebit; Dubius es, v. g. an emiseris semen intra vas fororis ejus, quam ducere intendis, (quod est necessarium ad contrahendam affinitatem dirimentem matrimonium) cum tamen illam cognoveris valde proximè ad dictum vas (nota illud valde) tunc enimvero ex communiter contingentibus certò præsumitur fuisse intra, atque adeò certò aderit indigentia dispensationis, seu impedimentum dirimens.

5. Si verò certus es te indigere dispensatione, sed dubius an illam obtinueris, prævalet indigentia certa contra dubiam dispensationem. At si certus de indigentia, seu impedimento, & item certus quòd obtinueris dispensationem, sed ambigis an dispensatio sit valida, quia dubitas num causa in petitione dispensationis tacita, vel falsò expressa, sit finalis, hoc est, ut sine illa adhuc fuisset concessa: vel quia dubites, an superior, qui est in certa possessione superioritatis in aliquem, sit superior legitimus, necne, validane erit judicanda dispensatio? Respondeo, aliqui, ut Molina, Baldus, Socinus, quos citat, & sequitur Merolla *l. c. coroll. 14. & coroll. 15. à num. 175.* autumant invalidam esse censendam, atque adeo te in exemplis modo allatis non posse licitè ad Sacerdotium ascendere, vel matrimonium contrahere; quia constat de impedimento: at dispensatio omnibus pensatis est certa. Aliqui, ut Santarellus aliis citatis, quem sequitur Diana *p. 4. resol. 45.* item Salas, Bon. apud Meroll. *ibidem numero 177.* & Caramuël *lib. 3. Theol. mor. numer. 1468.* existimant esse præsumendam validam, quia semper in re dubia est judicandum in favorem actus, *c. Abbate, de verb. signif. l. quoties, ff. de rebus dubiis*, ut scilicet actus potius valeat, quam pereat, & consequenter non erit incerta dispensatio, sed certò valida, valida, inquam, præsumptione Iuris. Adde, dum ille Superior possidet Iurisdictionem, non esse ab ea repellendum ex superveniente dubio, quo ambigitur non esse legitimus. Utraque opinio saltem propter authoritatem extrinsecam probabilis esto.

6. Quid si superior certus sit de causa dispensandi, at incertus an alia sit sufficiens, poteritne dispensare? Quid secundò, si sit incertus an aliqua causa adsit? Respondeo in priore casu posse dispensare, in posteriore licitè non posse. Ita Sanch. *lib. 4. in Dec. cap. 44. numero 6.* ibique plures. Ratio prioris est, quia nimis onerosum esset, si Superior sufficientiam expendere tam rigidè deberet. Ratio posterioris est, quia potestas dispensandi, ut alibi diximus, causam necessariam expostulat, si ergo dubitetur an illa adsit, dubitatur an adsit ipsa potestas dispensandi, at nemo uti potest dubia potestate dispensandi ad certò dispensandum. Dixi (licitè) causa enim in omnibus superioribus requiritur ad licitè dispensandum: at ad dispensandum validè, non in omnibus, ut *infrà* cum de Juramento disputabitur.

7. Sed quid fiet, si processu temporis deprehendatur Superior non fuisse legitimus, quia scilicet, nec habuit verum titulum, nec titulum coloratum cum errore populi, nec saltem communem ipsum populi errorem? Respondet si habuit aliquem ex his, jam legitima fuit dispensatio sic Ecclesia supplente; at si nullum habuisse deprehendatur, corruat dispensatio necesse est. Ita Sanchez, *lib. 4. in Dec. cap. 44. n. 10.* Lege item Pontium,

&

& iterum si ea uti velit, à legitimo Superiore postulanda. Ratio est clara, quia illa prior nulla omnino fuit.

8. Quod si processu temporis appareat causam fuisse insufficientem, vel potestatem delagati non se potuisse extendere ad hanc dispensationem expedientem, vel materiam, v. g. votum fuisse reservatum, persistit dispensatio à Delegato facta, ita Sanch. *ibidem num.* 11. quia ex Ecclesiæ benignitate judicatur Pontifex, ne scrupulis omnia scateant, dare in his potestatem amplam dispensanti bona fide, dispensat autem bona fide, si dispensat juxta doctrinam datam *numero quinto*, & *numero sexto*.

9. Verùm si deregatur falsum fuisse expressum, vel verum fuisse tacitum in causa finali, vel causam finalem qua motus est Superior ad dispensandum nullo modo adfuisse, corruet dispensatio, & iterum erit petenda, quia tunc patefit non adfuisse in Superiore voluntatem dispensandi, atque adeo apparet ipsum dispensationem non dedisse. Ita docet Sanchez *ibidem*. Sed, quæso te, cur hic ex benignitate Ecclesiæ non judicetur Superior voluisse dare pari modo dispensationem ei, qui bona fide sic petiit, sicuti dictum est *num. præcedente*? Lector me doctior id expendat. Dixi (bona fide) nam si mala fide petiit, id præsumi non potest, cùm dolus nemini patrocinari debeat, certum est.

1. *Donatio*, Si dubium sit an ego librum, v. g. tibi donaverim, non potes illum à meis manibus auferre: quia prius fuit librum esse certò meum, & deinde dubitatur an si tuus, ergo possessio stat pro me.

2. Si autem certum sit, te mihi quidpiam donasse, sed dubium insurgat, an per donationem gratuitam dederit, an per remuneratoriam, pronuntiato cum Lessio *lib. 2. c. 20. dub. 6 num. 45.* fuisse per remuneratoriam, quia nemo præsumitur res suas velle prodigere: nisi fortè qui acceptat sit pauper, tunc enim certè præsumitur res non magni valoris in eleemosynam gratis data. Ita Navar. *in praxi miserab. person. priv.* 80. Similiter si quis dederit alimenta alicui, dubiteturque, an ea præstiterit, animo donandi, an animo repetendi? judicandum animo repetendi: excipe diligenter, nisi donator fuerit Pater, Mater, Frater, vel quomodocunque peramicus: nam tunc præsumitur ex communiter contingentibus, præstita fuisse animo donandi. Nonnulla huc facientia vide *verb. Solutio debiti, n.* 4.

3. Propter eandem rationem, si ego tibi centum mutuem, & tu reddas mihi post annum similia centum, atque insuper decem, dubiumque sit, an hæc decem dederis ex libera donatione, an ratione mutui, judicandum est te dedisse ratione mutui; quia scilicet nemo, ut dictum est, nisi coactus res suas dare præsumendus est: quare obligaris illa decem restituere, utpotè accepta pro usuram sine justo titulo.

4. Quid, si certum sit, non fuisse ex libera donatione; sed dubitetur, an ratione mutui, an verò ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis? Respondeo, si ex bona fide in possessione illorum, ne angaris, prævalet enim possessio contra omnes rationes non convincentes: at si mutuatarius nondum illa decem solvit, & nunc ambigatur an adsit ejusmodi justus titulus damni, vel lucri, puto tibi abstinendum ab acceptione illorum decem: Ratio est, quia certum est mutuatarium illa non debere, incertum an tibi debeantur, prævalet ergo jus mutuatarij.

5. Pari modo si famulus servitia, ad quæ non non obligabatur domino exhibuit, ipso jubente domino, dubiumque nunc enascatur, an gratis id fecerit famulus, an spe mercedis, censendum erit spe mercedis, ita Dicastill. *tr. 2. de Just. tr. 14. d. 5. n. 121.* quia nemo, ut dixi, suas operas perdere, seu prodigere præsumendus est. Dixi (domino jubente) nam si dominus videat, sed non jubeat, aliqui docent, ut Bardi *de consc. d. 4. c. 9. §. 32.* resolutionem prædictam non procedere, quia potest meritò tunc dominus putare gratis sibi servitia fieri: At Vasquez *p. 2. d. 125. c. 2. n. 10.* docet sufficere si videat: quia dominus videtur consentire in mercedem dandam ad servitium compensandum, dum non prohibet sibi servitium exhiberi, & dum ex alia parte scire debet neminem solere servire, seu ferri gratis. Si in his casibus certò famulus voluit servire gratis, non potest mutare deinde voluntatem, & velle mercedem, quia jam gratis dedit ea servitia: at si certò voluit servire propter mercedem, potest illam petere, & accipere, si dominus vidit servitia: nam, si non vidit, cùm potuisset nolle sibi illud servitium exhiberi à famulo, famulus non videtur habere jus contra dominum: Tamen adhuc probabile est deberi famulo mercedem: ita Dicastil. *l. c.* ex Vasq. Lessio, & Navarro, quia jam domino utile fuit illud servitium, (de hoc enim agimus) & illud ab alio gratis non habuisset, ut suppono: ergo non denegarida merces famulo. Solùm igitur tunc denegandæ erit quando dominus ab alio gratis illud servitium habuit, ut à me dictum est fusè *in opusc. de sacrif. Missæ, lib. 3. cap. 55.*

*Dubii Interpretatio.* Vide *Iudicium temerarium.*

## E.

1. *Eleemosyna.* Si dubius sis, an eleemosynam sub voto promiseris ad illam non teneris, quia possessio est pro te: at si certò promisisti, dubius autem an erogaveris, erogare debes, quia prævalet promissio. Utrùm autem possit colligi ex infrà licendis Verbo *Restitutio numero* 1. non esse improbabile, deberi solam pro rata dubii, me sapientiores decernant. Aliqua huc pertinentia vide *verb. Votum, à numero* 7.

2. Illud pro certo tradit Sanchez *lib. 4. in Dec. c. 1. num. 17.* si in dubio, an votum eleemosynæ emiseris, illam pauperi nihilominus erogas, non erogaturus si scivisses te obligatum non fuisse, non posse te à manibus pauperis illam amplius auferre: quia tunc legitima possessio est pro paupere: legitima: inquam, quia est etiam probabilis opinio ex tali vôto te fuisse obligatum: quare pauper sequens hanc probabilem opinionem legitimè possidet, à quo detrudari non potest. Sicut (inquit Sanchez) si, quis restituat Petro, v. g. pecuniam credens contractum cùm illo initum fuisse usurarium, de quo sunt opiniones diversæ, si non restituisset, si sciviset se juxta opinionem aliam probabilem potuisse retinere, nequit pecuniam datam auferre. Porrò quippe is legitimè possidet, dum innititur suæ probabili opinioni: ita in casu nostro, &c.

1. *Epicheia.* Præmittendum est primò epicheiam, quam & emendationem legis, & interpretationem latè dictam secundum æquum, & bonum appellamus. Ita Layman *lib. 1. tr. 4. c. 15. n. 2.* est benigna interpretatio, qua casum aliquem particularem, ob aliquam circumstantiam, seu necessitatem, hic & nunc occurrentem, in lege universaliter lata non esse comprehensam, judicamus, lex ergò quia universalis esse supponitur, etiam hunc casum per se involvit, ac propter circumstantiam occurrentem prudenter judicatur illum casum noluisse, vel non potuisse includere: nam si ejusmodi casum legislator per aliqua verba excepisset, is non diceretur exceptus ex vi epicheiæ, sed ex vi legis ipsius, seu ex vi interpretationis propriè dictæ verborum legis, v. g. sit lex hujusmodi: *sub pœna carceris nemo de nocte exeat ab urbe.* Si occurrat adesse necessitatem succurrendi, v. g. tuo patri graviter extra urbem ægrotanti, ex vi epicheiæ diceris posse exire. At si ea lex in hunc alium modum fuisset lata: *Nemo ex urbe exeat, exceptis Medicis, aliisque ad salutem extra urbem infirmantium necessariis*, ex vi propriæ interpretationis verborum legis exire poteris.

Ponimus autem exemplum in legibus humanis, nam in legibus naturalibus, vel divinis aliqui negant dari posse epicheiam, quod disputare nostrum non est. Lege, Bardi *de consc. d. 6. cap. 3. §. 6. & 7.* has sententias expendentem.

2. Præmittendum secundò, quando prædicta necessitas

cessitas est moraliter certa, certum esse uti nos posse epicheia, quia prudenter judicamus illum casum in eo necessitate urgente, à lege non includi, & consequenter possessionem esse pro libertate. Idem dic (quidquid alij apud Bardi *d.6.de consc.cap.3.§.5.* sentiant) si probabile sit veram adesse necessitatem, quia pari modo tunc prudenter judicamus, &c. Ita Merolla *tom.2. d.4. cap.8. dub.3. numer.14.* At si dubium sit, an tanta sit necessitas, quæ faciendum? Dico cum Castro Pal. *tom 1. tract.1. d.3.p.8. num. 2.* esse ad Superiorem recurrendum, ut explicet mentem suam, si ad illum recurrendi locus datur: quia quoties dubium ad legem observandam enascitur, obligamur veritatem inquirere si possumus, ut ex supradictis patet, sed quid si urget tempus executionis, adest necessitas, & ad superiorem non est nisi difficilis recursus? enimvero hic consistit hujus cardo difficultatis.

4. Dico ex vi possessionis debere legem servari. S.Thom.Sotus, Med. Vasqez, uterque Sanch. Suar. apud Castro P. *l.c. num.4.* In ea, verbi gratia, lege absolutè de non exeundo ab urbe, & dubitas, an pater infirmus extra urbem degens indigeat tuo auxilio, non potes ab urbe exire. Ratio est, quia lex est in possessione, certa enim est lex, quare non potest negligi propter dubiam excusationem.

4. Dixi (ex vi possessionis) nam ex alio capite potest aliquando prævalere dubia illa necessitas, atque adò in dubio locum esse epicheiæ: Ita Sylvester, Corduba, Henriquez, Salas *eidem cit. num. 3.* sic enim est distinguendum. Vel adimpletio legis est molesta & incommoda, vel non ita: si priùs, in prædicto dubio potest lex non observari, quia præsumendum ex benignitate legislatoris est, ut rebus incommodis, & molestis, nolit subditum obligare, quando particularis casus præter aliquam prudentem circumstantiam, à lege universali eximi judicatur, ut scilicet subditi non aggraventur à legibus, nisi sint omnino, & usquequaque certi; si posteriùs, lex servari debet: quia tunc ex una parte militat possessio legis, & ex alia non adest excusatio, quæ educatur ex præsumpta benignitate legislatoris. Cujus autem ponderis debeat esse ejusmodi molestia, non nisi à viro prudenti decerni potest, spectata necessitate actionis, gravitate legis, & similibus.

5. Quæres primò. An quando possum transgredi legem ex vi epicheiæ, seu ex prædicta legislatoris benignitate, debeam sub obligatione transgredi, si transgressio contra aliquod aliud præceptum sit, v. g. in exemplo nuper allato, possumne licitè me conformem reddere legi prohibenti exitum ab urbe non exeundo ad auxiliandum patri, quamvis id præcepto charitatis adversetur.

Respondeo universaliter nequaquam posse, Suar. *lib.6. de legib.cap.8.num.1.* Merolla *tom.2. d.4.cap.8. dub.3. n.33.* quia regula generalis est, in concursu duorum præceptorum debere servari id, quod urgentius est. Quoniam ergo in casu proposito magis urget præceptum charitatis erga patrem, quàm ea lex, illud erit, non autem hæc observanda. Quædam alia de concursu præceptorum vide infrà V. *Leges.* Quòd si necessitas nullum præceptum respiceret, v.g. si exire mihi ab urbe per epicheiam concederetur, ut mille aureos, v.g. lucrarer, certè tunc licet non obligater, possem cum laude legem observare, & sic ab urbe non egredi, quia nullum me urget præceptum de lucro illo acquirendo, ut suppono.

6. Pari modo potest contingere tam laudabile esse legi me conformem reddere, ut etiam concurrente alio præcepto, possim hoc negligere & illam observare, atque adeo possim licitè servare legem, & epicheiæ renuntiare. Sic solent Doctores, Vasq. *p.2.d.262. per totam,* Sanch. *in consil. l. c.* Charusiano concedere abstinentiam à carnibus in ultima vitæ necessitate propter laudabile exemplum suum institutum observandi, licèt in ea necessitate, vel per epicheiam, vel per prudentem sui voti, seu præcepti interpretationem, carnibus vesci licitè possit.

1. *Eucharistiæ susceptio.* Diximus *in opusc. de comm. cap.* §.7. sive sis certus de comestione, & dubius an comestio fuerit ante vel postmediam noctem, sive dubius an illa fuerit vera comestio, quamvis certus eam fuisse post noctem mediam, diximus, inquam, probabile esse tibi licere mane sacra Eucharistia refici, nam propterea iterum hæc in præsentia non sunt repetenda.

2. Illud, quod ibi exciderat hic addo. Sit Petrus, qui expergefactus à somno de nocte bibat, nesciens, nec omnibus pensatis scire potens, qua hora biberit, poteritne mane licitè ad communionem accedere? posse videtur colligi ex dictis *num.præcedente*, in hoc enim casu dubitatur, An potus fuerit ante vel post mediam noctem. Dico tamen non posse.

3. Ratio est, quia *in numero præcedente*, loquimur de eo, qui comedit existens, & persistens in vigilia, hic autem casus est de dormiente, qui expergefactus bibit, quæ duo sunt longè diversa; ille enim persistens in vigilia, potest suas diligentias ponere ad inquirendum, num ante, num post mediam noctem comederit, & re ipsa, ne temerè se gerat, omnia expendit, quibus expensis, nihil certum contra se inveniens, judicat, & quasi sententiam fert pro libertate sua: at ille expergefactus omnia expendere non potest, diligentias debitas exhibendo, cum de horis transactis in somno, dijudicare nequeat; remanet igitur sine factis diligentiis, ergo remanet impotens ad judicandum pro sua libertate, quod si sententiam proferret, temerè proferret. Prudenti autem judicio nequaquam posito ad licitam communionem percipiendam, accedere sine culpa non poterit, quia est certus se comedisse, comestionemque esse impedimentum communionis, at judicare non potest, an sua libertas prævaleat. Video hanc rationem alicui non omnino fortè satisfacere, verùm in re morali satis superque sit.

*Excommunicatio.* Vide V. *Censuræ.* V. *Leges* V. *Percussio Clerici.*

1. *Executor sententiæ.* Si Principis Minister incertus sit, an sententia sit iniqua, potest illam, imò debet regulariter exequi, Ita Caram. *lib.3. Theol.mor. num.1488.* Ratio est, quia semper præsumendum (nisi luce meridiana clarior sit iniquitas, quæ in Principe Christiano vix unquam præsumetur) Principem moveri gravibus rationibus ad sententiam proferendam. Adde Ministri esse obedire, non verò disputare. Tunc ergo solum Minister ab exequendo abstineat, quando manifestè, & sine dubio constat iniquitas.

*Extrema-Unctio.* Vide v. *Oleum sanctum.*

F

*Famulus.* Vide *Servus.*

1. *Festum.* Si dubites, an hic sit dies festivus, operibus servilibus vacare potes, quia prævalet laborandi libertas. Ita Suar. *cons.d.40.sect.5 num.15.* contra Bressetum *lib.4.de consc.cas.7. n.61.* Contra, si hodie sit certò dies festus, dubitetur autem an propter aliquam necessitatem laborare tibi concedatur, abstinendum tibi à servilibus est, quia possidet obligatio, quæ certa est contra excusationem incertam; in hoc autem casu posse à Superiore dispensari, dicetur *infrà.*

2. *Filii obligatio erga parentes.* Si certò scis tuum, v. g. patrem esse in extrema, vel etiam in gravi necessitate, non potes Religionem ingredi, quia certa est obligatio Patrem adjuvandi: ita Caram. *lib.3. Theol. mor. num.1474.* At si dubiè de dicta Patris necessitate timeas, nec factis diligentiis, veritatem comperire possis, prævalet tua libertas, quæ certa est, cùm incerta interim sit obligatio. Dixi dubiè, nam si probabiliter opinaris tuo auxilio Patrem non indigere, sequi opinionem probabilem potes, illum si velis, deserendo. Quod si Religionem vovisti, debes in prædicto dubio Religionem ingredi, quia voti obligatio certa est, excusatio dubia, ita Castro *tom.3 tract.16.d.1.p.7.§.5 num.6.*

*Filius legitimus.* Vide *Legitimus.*

1. *Filius.* Vide *Alere.* Natus sum à Matre, quæ statim,

tim, mortuo marito Petro nupsit Caio, ego autem natus sum nono mense à secundis nuptiis, cujus sum censendus filius & hæres? Respondeo Caij, quia in dubio major est præsumptio pro possidente matrimonium, nunc autem possidet Cajus.

2. Quid si sum similis vultu ipsi defuncto? Secundò, si sum eidem similis in moribus; Tertiò, quid, si certum sit posteriorem virum uxorem aliàs castam non cognovisse, nisi post aliquot menses à nuptiis? Respondeo in hoc tertio casu clara est præsumptio te esse filium defuncti. In secundo, si maxima sit modò similitudo, esset magna item præsumptio pro paternitate defuncti: sed rarò contingit tanta, ut tollat omnino dubium. In primo res manet item dubia, quia similitudo potuit evenire ex recenti memoria defuncti, quare in utroque casu regulariter eris Caij filius reputandus.

*Filii Gemelli.* Vide *Gemelli.*

*Filiorum peculium.* Vide *Peculium filiorum.*

1. *Furtum.* Princeps quidam cùm advertisset clam sibi pretiosum argenti vas fuisse furreptum, constaretque manifestè crimen non ab aliis quàm à famulis, quos ad triginta domi alebat, commissum fuisse, qui tamen ad argenti custodiam non tenebantur, juxta consuetum alicubi morem, ubi uni tantùm hæc cura demandari solet, Princeps, inquam, quoniam quis esset determinatus fur deprehendere non poterat, intendebat à singulis famulis partem pro rata sibi esse solvendam: ni faserent, eam partem sibi de constituto eisdem salario se subducturum minabatur: scisciatus est nihilominus à me, an id justè exequi valeret: Respondi afferendo verba Joannis de Lugo *de just. tom. 1. d. 13. sect. 2. num. 12. Si quis* (inquit) *inveniatur occisus, & dubitetur, an occisus sit à Petro, vel à Paulo, nec possit dubium illud superari: iniquum erit utrumque punire, cùm certum sit alterum ex illis esse innocentem, atque adeò si uterque puniatur, certum erit innocentem puniri: unde barbarum omnino & crudele fuit, quod Princeps quidam fecisse narratur, qui cùm nesciret quis ex tribus famulis certos suos fructus pretiosissimos comedisset, jussit singulos secari, ut appareret in cujus stomacho reperirentur, prout in secundo apparuerunt, primus autem innocens fectus est. Non enim sunt puniendi innocentes, ut in eos delinquens puniatur, sed potius dimittendus est delinquens, ne innocentes puniantur.* Hæc ille, & nil diversum ego in casu Principis allato, &c.

G

1. *Gabella.* Subditus, qui omnibus expensis dubitat an Gabella sit justè imposita, teneturne illam solvere? Teneri docent alii, ut Lessius, & Mulder. apud Caramuël, mox citandum, quia possessio justitiæ præsumenda est pro Principe. Non teneri putant, Villalob. Castrus, Arag. Molina, Filliuc. Sylvester aliique apud Caramuël mox citan. quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de justitia, Caramuël. *lib. 3. Theolog. mor. num. 1466.* asserit tributa sive nova, sive prisca non poni leviter, sed magna consideratione; ergo dubia nequaquam erit tributi justitia, sed vel certa, vel probabilis. Si certa, omnino debebitur: Si probabilis non debebitur, quia probabilia neminem involuntarium cogunt, nisi in ea Republica esset ex acceptata, ut subditi teneantur ad obediendum etiam in materia probabili. Omnes hæ tres sententiæ sunt probabiles, quia bonis fundamentis innituntur. Et Januarius quidem *p.p. resp. 51.* citans Lessium, aliosque contra Suar. docet, non teneri quempiam ad Gabellas, non solùm quando dubiè, sed nec quando opinabiliter solùm sunt justæ, cujus doctrinæ fides sit apud ejus Auctores.

2. *Gemelli.* Nascuntur simul duo filii, ex quibus quinam sit censendus primogenitus, dignosci nequit, cuinam prædium, seu majoratus in dubio attribuendus?

Respondeo. Si alteri data sit fortè possessio, is manutenendus, donec alter probet se natum fuisse priùs, quia possessio prævalet contra omnes rationes non convincentes. At si neuter possideat, Tiraquellus *de jure primog. quæst. 12.* duodecim sententias hac de quæstione recenset.

Verùm tu sic judicato, si prædium dividi potest utrique dividatur, si non possit, quale est Regnum, Castrum, Majoratus, &c. detur alteri medium æstimationis pretii, alteri Majoratus; cui autem Majoratus, cui æstimationem dari oporteat, ex pari fratrum concordia, vel si dissentiant, sorte demum decernatur. Ratio horum est alibi tacta, & *infrà*, V. *Nomen dubium, n. 5.* & V. *Restitutio, n. 1. & 8.* & sæpè est repetenda, quia nimirum nemo est privandus sure quod habet, cùm ergo hi fratres simul sumpti jus certum habeant ad Regnum, sed separatim sumpti, sub dubio; ne alterutri injuria fiat, divisione insinuata eos uti debere, ipsa ratio dictat.

2. Scio Merollam *tom. 3. d. 6. cap. 8. d. 29. num. 181.* ex eodem Tiraquello videri velle admittendum quidem esse utrumque fratrem, sed ita res componenda, quando est indivisibilis, verbi gratia, quando est Regnum, ut vel ambo in solidum regnent, vel uno anno regnet unus, alter, altero. Verùm id non arridet; debet enim compositio fieri meliori modo, quo Reipublicæ minùs noceatur, at grave periculum multorum inconvenientium Regnum subiret ex duobus simul regnantibus, vel ex annua regnantium mutatione: satius ergo erit id facere, quod nos innuimus, & innuit ipsemet Tiraquellus, dum concedit posse hos fratres rem certi committere, sed non invitos, *nisi fortè sic aliter transigi non possit, & immineat aliquod periculum.* Hæc ille.

H

*Hæresis.* Dubius sum an in hæresim consenserim, possumne absolvi per Ordinarium, simplicémque Confessarium? Respondeo, possum, ut patet ex iis, quæ dixi V. *Casus, & Censuræ reservatæ.*

*De hæresi, dubiè externa*, vide *infrà, lib. 2. cap. 1. §. 8. num. 4.*

*Hæreticus.* Si faviste hæretico, illum domi recipiens, sed dubium est, utrùm receperis, ut amicum (seu consanguineum, &c.) an ut hæreticum, censendus es recepisse, ut amicum. Ita Bonacin. *disput. 1. de censuris in particul. quæst. 2. part. 3. num. 2.* Ratio est duplex, tum quia ex communiter contingentibus præsumitur pro affectione, vel inclinatione naturali, tum quia quilibet præsumitur bonus, seu quantò minùs potest, malus.

1. *Horæ Canonicæ.* Si Sacerdos, qui jam certò tenetur ad horas, dubius sit, an eas recitaverit, adhuc recitare tenetur, quia possidet obligatio recitandi. At si dubitet, an teneatur ad illas, sit accidit in habente beneficium tenue de quo dubitatur an ad illas teneatur, dixi *supra*, V. *Beneficium, num. 2.*

De eo qui recitavit Officium, sed dubitat an omiserit aliquem Psalmum, vide *infrà, lib. 2. c.... §. 1. num. 9.*

2. Quid si dubium non recitandi emergat ex dubia infirmitate Sacerdotis?

Respondeo Suarez *tom. 2. de Relig. l. 4. cap. 28. n. 21.* ait tunc Sacerdotem obligari ad recitandum; quia obligatio recitandi est certa, dubia autem est excusatio; dubitatur enim, an ea recitatio damnum salutis grave sit allatura, solùm igitur tunc erit causa dispensationis, non verò absoluta excusatio. At Castro Palaus *tom. 2. d. 2. part. 6. num. 10.* Bonacin. Caramuël *loc. cit. num. 1396.* & nonnulli asserunt non obligari. Ratio est, quia licèt sit dubium, an nocitura sit illa recitatio; tamen periculum certum est, in quo certo periculo, scimus Ecclesiam nos non obligare; imò nec posse, quia non potest præcipere contra præceptum Decalogi quartum (de non exponendo se periculo occisionis? Quoniam ergo possessio quam habet homo non se exponendi periculo gravi, est prior (est enim de jure naturæ) quam præceptum recitandi officium, illa prævalet, non hoc: utraque sententia sua est probabilitate donanda.

1. *Jejunium*

I

1. *Jejunium.* Si dubites, an soluerit media nox potes comedere carnes nocte sequenti ad diem Jovis, quia possidet libertas diei Jovis, dubium autem est an præceptum diei Veneris inceperit. Ita Thom. Sanch. *lib. 2. mor. d. 41. n. 40. & 44.* & Joan. Sanch. *d. 42.* Contra non potes nocte sequenti ad diem Sabbati, quia, contrà, possidet præceptum pro Sabbato. Idem quoad alia jejunia Ecclesiastica; semper enim est videndum ex qua parte sit tenenda possessio.

2. In jejunio autem naturali pro recipienda sacra Eucharistia. Vide *verb. Eucharistiæ susceptio.*

Si dubites an jejunium, vel abstinentia carnis tuæ saluti nocitura sit, te posse, immò debere comedere docet Caramuel *lib. 3. Theol. mor. n. 2395.* aliique, & ratio est modò dicta *verb. Horæ Canonicæ.*

*Jejunii Votum.* Vide *Votum.*

*Innamentum.* Vide *Votum.*

*Immunitas Ecclesiarum.* Gregorius XIV. per Bullam communem (ut ego certum habeo, Lege Tanc tedum *de Relig. tom. 1. d. 4. d. 8.* contrà aliquos,) toti orbi, aliquot casus excipit, pro quibus Ecclesiæ refugium non patet. Accidit autem sæpissimè, ut Judices sæculares, & Ecclesiastici contendant, num reus in Ecclesiam receptus immunitate gaudeat, nec ne? Judex ergo Ecclesiasticus, ad quem id decernere pertinet, cùm claris argumentis caueat, anceps omnino est, quinam per sententiam favere oporteat; cui igitur favebit? Respondeo, faveat reo, hoc est, immunitati Ecclesiæ. Sic DD. mox citandi. Ratio est, quia priùs fuit Ecclesiam fuisse refugium delinquentium, & postea exceptio à Gregorio facta possidet ergo jus refugii pro reo, quod superari non debet à superueniente incertitudine exceptionis, immò ut Judex Ecclesiasticus ejusmodi reum sæculari potestati tradat, requiri puto probationem concludentem; ita Bonac. Farinac. aliique quos citat, sequiturque Diana *p. 3. tr. 1. resol. 38.* quia ex una parte reus possidet jus refugii, ut dictum est, & ex alia adest lex, semper favendum esse reo: quæ duo non possunt elidi, nisi per vehementem probationem.

1. *Impedimentum matrimonii.* Vide *verb. Matrimonium,* & *verb. Dispensatio.*

1. *Irregularitas.* In facto homicidii injusti, quando scilicet ambigis, an de facto illud injustè commiseris, debes te gerere in utroque foro pro irregulari: quia ob reverentiam rerum sacrarum, decrevit Pontifex *c. ad audientiam, cap. significari, cap. petitio, de homic.* in dubio facti (non juris) de homicidio, debere eligi tutiorem partem: at nomine homicidi, non intelligitur occisio justa; Unde nec occisio dubia in bello justo, vel in condemnatione justa, nec dubia mutilatio etiam injusta, (quia mutilatio homicidium non est) irregularitatem inducunt; tunc enim valet regula allata *verbo, Censuræ,* pœnas non incurri, nisi ex delicto certo. Lege Suarez *de censur. d. 4. sect. 5. à num. 11.*

2. Quoniam autem homicidium debet esse certò secutum, ut irregularitas incurratur, puto dubitandum an fœtus fuerit animatus, in cujus abortum suo quis consilio, vel opera cooperatus fuit, non debere se censere irregularem. Ita Præpositus, aliique apud Bardi *d. conf. d. 6. a. 7. §. 4.* quia cum non constet de corpore delicti, hoc est, de fœtu animato occiso, homicidium, de quo loquitur Canon, non præsumitur adesse. Contra verò si constet fœtum animatum fuisse, ut si masculinus post quadraginta dies, fœmininus post sexaginta, vel octoginta, fuisset oppressus, (& in dubio quidem, fœmininus erit judicandus, ut minùs aggravetur delinquens,) si constet, inquam, fuisse animatum, sed dubitetur, An ex tuo consilio, vel opera ejus mors secuta fuerit, irregularis eris: idémque erit, si certò constet homicidium à Petro, v. g. fuisse commissum, sed dubites, an ex tua cooperatione seu consilio. Ratio est mihi manifesta, quia hi casus clarè comprehenduntur in supradictis Canonibus.



Dixi in proxima parenthesi (fœmininus est judicandus) Verùm Naldus *Verb. Abortus*; Filliucius *cum de Aborsu*, aliique non pauci putant, in dubio forum censendum esse masculinum, & ita servari in sacra Pœnitentiaria. Nihilominus esse, quoad forum internum censendum fœmineum, adhuc mihi improbabile non est, dum loquimur de irregularitate, nam cæterùm Pœnitentiaria tutiori, & certè probabili sententiæ contrariæ se conformat. Id autem hæ rationes inter cæteras probare possent. Primò quia, ut innuimus, minùs gravari debet delinquens, & in dubio semper est favendum reo. Sanè Castro Palaus *tom. 1. d. 3. de leg. part. 2. §. 1. num. 8. Quoties* (ait) *duæ præsumptiones concurrunt in uno actu, illa prævalere debet pro qua est honestas, & excludenda præsumptio delictum committens.* Dic, tu, & excludenda præsumptio majus delictum committens. Secundò, quia priùs est, fœtum esse inanimatum, quàm animatum, ergo donec mihi clarè ostendas, illud habere animam, pronuntiabo esse sine illa; quia prævalet possessio prioris status. Tertiò, si percutias quempiam, de quo dubitatur, an sit Clericus, non Clericus est reputandus, quia prius est hominem esse non Clericum, quàm Clericum, & similia multa hactenus habuisti, & paulò post habebis. Cur igitur non idem in casu nostro?

Olim sic item argumentabar: Ex frequentiori eventu est in re dubia, judicandum: at frequentius est, quod fœminæ nascantur, quam mares; ergo, &c. Sic, inquam, olim: sed numeratis deinde infantibus, qui nati per aliquot annos sunt in hac Parochia sita in Cathedrali Ecclesia hic Panormi, in qua habitant ferè duodecim millia Capitum, hoc argumento amplius non sum usus; Nam cum ex libris Baptizatorum à me diligenter visis, collegissem numerum marium, & fœminarum, qui in toto decursu unius annorum sacro fonte lavati sunt, inveni, quindecim amplius fuisse Mares, quàm fœminas, qui parvus excessus certam parere præsumptionem non potest, qua potius judicemus, masculinum esse fœtum, quàm fœmininum, vel contra.

Et ut obiter mireris Divinam Providentiam, quæ ex una parte facit, ut vincat vis naturæ ad perfectum semper intendens, plures mares procreando, ex alia ferè æquales producat mares, fœminásque ad sobolem propagandam, legitimo non cum multis, sed cum singulis uxoribus contracto matrimonio; ut id, inquam, obiter mireris, eos distinctim, & annuatim à me numeratos hic lege.

Anno Domini 1649. à primo Sept. usque ad primum Septembris consequentis nati sunt.

Mares—251. Fœminæ—253.

Anno 1651. à primo Sept. usq; ad primum Sept. sequent.

Mares—286. Fœminæ—292.

Anno 1652. à primo Sept. usque ad primum Sept. sequet.

Mares—283. Fœminæ—260.

3, Illud operæpretium erit hic adnectere. Cum Episcopus possit ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. c. 6.* absolvere ab irregularitate incursa propter homicidium occultum casuale, non autem propter voluntarium, si omnibus pensatis, non appareat, an tuum homicidium fuerit voluntarium, an casuale, poteritne tecum ille dispensare? Respondeo cum Fagund. *in Dec. in 5. præcept. lib. 3. cap. 9. num. 6.* posse; quia, ut modò innui, semper præsumi debet id, quod minus peccatum est, quare in casu dicto præsumatur homicidium casuale.

4. Hæc de irregularitate ex homicidio injusto; nam in aliis quibuscunque irregularitatibus in dubio, non ex censendus irregularis, ut *citato verbo, Censuræ,* pro omnibus censuris, probabiliter dixi.

1. *Iudex.* Si omnibus expensis lis civilis sit dubia (neutro ex litigantibus possidente; nam alterutro possidente, lis non erit dubia, sed probabilis pro ipso possessore, ut *suprà, §. 4. à n. 1.* vidimus, quem locum omnino recole si) lis, inquàm, civilis sit dubia, Judex non potest, nisi rem dividere: idque propter officium Judicis, ut *ibidem*, latè dictum est. In lite, seu causa criminali reus erit liberandus, ut ex *ibidem, n. 10.* Ex dictis colligi potest.

1. *Iudicium temerarium.* Id tunc est, quando sine sufficienti fundamento aliquid pravum de proximo judicatur. Judicatur autem, vel per suspicionem, vel per opinionem, vel per assensum firmum, vel denique per suspensionem ab his, quæ propriè dicitur Dubium, quando scilicet, vel dubitat quis negativè de bonitate proximi suspendendo judicium, nihil in utramque partem judicando, vel quando dubitat positivè, id est, quasi per reflexionem, sic dicit intra se: *Eligo dubitare de bonitate istius.* Suspicio, & dubium ex levibus conjecturis oriri solent: Opinio ex probabilibus rationibus, quæ non excludunt formidinem sive implicitam, sive explicitam oppositi: assensus firmus ex rationibus moraliter saltem certis. Quoniam ergo conveniunt fermè Doctores apud de Lugo *de justit. tom. 1. d. 14. sect. 2. num. 11.* assensum firmum, & deliberatum de malo proximi gravi, esse mortale, si eliciatur sine sufficienti fundamento, quia sic graviter læditur proximi fama: Suspicionem autem, opinionem, & dubium negativum modo explicato saltem est probabile esse venialia; ita Faber, Layman, Caiet. Navarr. aliique quos citat sequiturque Diana, *p. 3. tract. 5. miscell. resol. 30* etiam si sint sine sufficienti fundamento de peccato gravissimo, & contra gravissimam personam, cujus rei rationem *numero sequenti* proferemus, ideò remanet hic proprio in loco quæstio de dubio positivo, An scilicet peccet mortaliter, qui positivè eligit dubitare de bonitate actionis proximi sine fundamento sufficienti; nam si sit ex indiciis sufficientibus, temerarius non esset, sed prudens assensis.

2. Dico non esse nisi veniale, neque ex hoc capite illud dictum apud S. Thom. 2. 2. *q. 60. art. 4. Dubia sunt in meliorem partem interpretanda,* sub alia culpa per se obligare, quàm sub veniali. Ita Faber, Layman, aliique apud Dianam citatum. Ratio est universalis pro omnibus indiciis prædictis, quæ concipiuntur sine firmitate. Nam suspicio, opinio, dubitatio etiam positiva sunt in genere judicii actus imperfecti, atque adeo non sunt planè temerarii, neque necessariò conjuncti cum contemptu saltem gravi proximi, ut rectè habet S. Thomas *quodlibet. 12. art. 34.* Et ratio ulterior est, quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas, & qui actualiter, vel virtualiter habet formidinem oppositi, paratus assensum illum contra proximum facilè deponere, proximum graviter non lædit; ergo sicut cætera peccata contra justitiam non sunt, nisi venialia ex parvitate materiæ, ita & hæc. Non nego esse interdum mortalia ex odio mortali vellet quis ita dubitare, suspicari, opinari, vel si quis grave quid ad extra operatur contra proximum, motus ex illis infirmis judicis, sed hoc non est nisi aliunde, & per accidens.

3. Aliqui peccari mortaliter putant ab eo, qui de libertate suspicatur, vel dubitat positivè, vel opinatur de persona honesta & proba, aliquid enorme sine proportionato fundamento, ut si quis de gravi Prælato hæresim vel incestum cum matre suspicetur, &c. quia tantæ personæ (aiunt) fit hoc modo gravis injuria. Ita de Lugo *l. c. num 19.* Sed non approbo, cum enim hi actus sint etiam hic in genere suo leves, levis erit culpa. Ita Navar. & Caiet. quos citat, sequiturque Layman, *lib. 3. tract. 3. tr. 3. g. 2. cap. 2. num. 6.*

4. Dices, potiùs eligeret quis amittere decem aureos, v. g. quàm suum bonum nomen, etiam per levissimam suspicionem, vel dubitationem apud unum: ergo si amittere decem aureos res est gravis, erit & id, de quo loquimur. Confirmatur primò, quia verè est majus bonum altioris que ordinis fama, quàm pecunia: ergo etiam levissima ejus jactura est gravior, quàm jactura pecuniæ. Confirmatur secundo, quia si amicus nosceret meam suspicionem contra ipsum, averteretur à mea amicitia: signum ergo est à suspicione graviter amicum lædi.

5. Respondeo. Quandoquidem suspicio, & quælibet dubitatio est ex se leve malum, nullúmque effectum graviter malum post se trahit, ut supponimus, nec ex odio procedit, nemo prudenter eligeret amittere potiùs decem aureos, quàm illam pati; quia cum procedat ex humana fragilitate, qua cætere non valemus; juxta illud S. Augustini: *Suspiciones vitare non possumus*, non debet judicari prudenter afferre læsionem notabilem. Ad confirmationem primam respondeo, famam esse altioris ordinis, sed in suo ordine posse interdum esse levem, atque adeò ejus ablationem esse venialem: non enim valet illatio, saltem semper, ab uno ordine ad alium, secus lædere tantillum in honore per levem injuriam esset mortale, quia ex se honor est nobilioris ordinis, quàm sint bona temporalia: ita etiam levissimè Deum offendere, esset mortale, quia ex se ejusmodi offensio ordinis est altioris. Ad confirmationem secundam dico irrationabiliter illum amicum fore avertendum ab amicitia, cùm omnes parati esse in hac valle nostræ fragilitatis debeamus ad hujus generis suspiciones tolerandas, quæ non consurgant ex malo odio, nec grave externum damnum inferant, quæque frequenter ex amore nascuntur, cum de maximè amicis malè subinde suspicemur, quia mala in illis esse nollemus.

6. Ex his obiter vides quàm rarò judicia, quæ vulgo temeraria appellantur, sint peccata gravia, sunt enim ferè leves assensus, vel sæpissimè judicia prudenter ex proportionatis indiciis elicita, nec procedunt, ut dictum est, ex odio, nec damnum externum pariunt.

1. *Jurisdictio.* Si sis in possessione jurisdictionis alicujus, & superveniat dubium, an ea sit legitima, perge porro in ea exercenda, quia possessio tibi favet, donec per diligentias (quas facere omninò debes, si dubium oriatur ex gravi fundamento, juxta dicenda in simil *infrà, verbo Restitutio*) donec, inquam, clara sit ratio contraria. At si nondum es in possessione, eam exercere non vales, quia tunc per dubiam potestatem certos actus jurisdictionis facere tentares, quod non licet.

2. Si tibi lex, vel Princeps concedat jurisdictionem, nec ex verbis, vel subjecta materia possit cognosci, detne ordinariam an extraordinariam, seu delegatam, detne privativè, an cumulativè, & alia ejusmodi quamplura, cùm pertineant ferè ad forum externum, lege apud Doctores passim, Menoch. *de præsumpt. lib. 2.* Mevoll. *t. 3. d. 7. c. 2. à n. 30.* atque apud ipsos citati; apud quos apud Bardi *d. cons. disp. 6. c. 2. §. 15.* etiam habebis, num Judex habens jurisdictionem ordinariam, & item delegatam, judicetur agere ex hac, an ex illa.

3. *Jurisdictionis exemptio.* Si oriatur dubium, An Summi Pontificis privilegia eximant in aliquo casu Religiosum à Jurisdictione Episcopi, ad quem pertinet dubium solvere? Respondeo certè non ad Episcopum, tum quia ita explicuerunt Summi Pontifices, tum quia congruum non fuit constituere Episcopum in causa propria Iudicem. Ita Sanch. *in cons. lib. 6. c. ... dub. 1. num. 34.* lege item Lezanam, *v. Privilegium*, Tamburinum *de jure Abbatum, d. 16. q. 6. t. 10.* Pertinet igitur ad ipsum Summum Pontificem, & cui ipse delegaverit, ut aliquibus Religiosorum Generalibus delegasse contendit Lezana *ibid.* nam, utrùm evincat, ignoro.

## L

1. *Legatum.* Testator hic Panormi legavit Titio pauperi mensuram frumenti, quoniam verò in hac Civitate usui est mensura magna, & parva, dubitatur, sub qua sit Titio frumentum consignandum.

Hæc difficultas petit altiorem illam quæstionem, An legata strictè sint interpretanda, ut scilicet quantò minus fieri potest, servata proprietate verborum noceant hæredi, an verò largè, ut quantò fieri possit, faveant legatario. Si prius; parva erit Titio mensura danda, si posterius, magna. Tres sunt sententiæ, omnes, fateor, probabiles; Prima docet omnia legata strictam habere interpretationem, quia sunt odiosa, cum in damnum hæredis cedant. Ita Molina *de just. t. 1. d. 198. num. 10.* Trullench. *in dec. lib. 7. cap. 18. dist. 12. numer. 4*

Alciat.

Alciat. *cons.44. n.44.* aliique ab his citati, & apud Merollam loco mox citando. Secunda, omnia habere largam, quia sunt favorabilia, cum in favorem legatarii cedant. Ita Merolla *tom.3. d.6. cap.6. dub.3. coroll. 5. n.208.* Tertia; legata pia largè, non pia strictè esse interpretanda; quia pia sunt in favorem animæ Testatoris, cui voluisse favere quantò magis potest præsumitur fidelis testator, id quod non adest in legatis non piis. Ita Bardi *d.5. de consc. cap.10. §.22. à num.6.* aliique *ibid. citati.*

2. Mihi videtur probabilior prima sententia, juxta quam aliquid innui per aliam occasionem *in opusc. de Sacram. Missæ l.4. cap.1. §.3. n.82.* Ratio est, quia in dubio melior est conditio ejus, qui prior est in aliquo jure, & veluti illud jus possidet: cum igitur certus sit hæres de jure, quod ipse habet ad hæreditatem, quod est prius quàm sit jus legatarii, (quia jus legati supponit constitutionem hæredis, non contra) sit autem incertus de jure, quod habet legatarius, contra hæreditatem, prævalebit jus certum hæredis, ut quantum potest de possessione non deturbetur. Nec in legatis piis agnosco differentiam; cùm enim certum sit Testatorem hæredi, & non legatario quantumvis pio, maximè gratificari voluisse, semper hæredi cessitudo contra dubium legatarii prævalebit.

Illud hic permaximè est advertendum, Hæredem non posse quod minus est legatario tribuere, si ex usu loquendi, vel ex conjecturis (de quibus plura habes apud Manticam, *de conject. ult. vol.* & Menoch. *de præsumpt.*) colligatur Testator velle, quod magis est, relinquere, v.g. si in tua Civitate usualis communis mensura tritici est magna, quis dubitet hanc magnam legatario debeti? Calicem Testator Ecclesiæ relinquat, quis ambigat, non deberi æneum, (sed verò nec aureum) deberi autem argenteum, saltem quoad cuppam; sacro cultui aptum? Hoc ipsum erit repetendum *infrà, verb. Votum, num.17. & 18.*

3. His positis, Respondeo ad difficultatem propositam *num.1.* Hæredem debere Titio mensuram frumenti parvam, ex duplici capite. Primò, quia hic Panormi ubi facta est dispositio, parva mensura in usu communi est, cum agitur de mensurando frumento, non verò major. Secundò, quia in mea sententia de legato stricta est facienda interpretatio.

4. Si Hæres certus sit adesse legatum pro Titio, v.g. in Testamento, in quo ipse hæres est constitutus, incertus, an illud solutum Titio fuerit, debet solvere, quia possidet certitudo legati: Contra, si est incertus, an legatum adsit, quamvis sit certus non solvisse, nihil debet, quia possidet libertas hæredis; nequè enim solvere certum quis obligatur, propter obligationem incertam.

5. Incidit hic alia difficultas. Testator legat Titio centum, ad effectum aliquem determinatum, v. g. ædificandam pauperum construendam, vel ad Missas celebrandas. Hæres ergo solvit prædicta centum Titio, sed nunc dubitat, immò certò scit, domum non fuisse constructam, nec Missas fuisse celebratas, obligabiturne Hæres iterum solvere? Respondeo; Ut proponitur casus, non obligabitur, quia Hæres voluntatem Testatoris jam est exequutus, dando centum Titio: cæterùm si Titius iniquè se gessit, ipsius culpa est, non Hæredis.

6. Dixi (ut proponitur casus) nam si executionem ædificii, vel alterius operis hæredi Testator imposuisset, alia esset ratio, ut ex se patet.; nec tamen condemnarem Hæredem non Sacerdotem, si pecuniam solvisset Sacerdoti non manifestè malo ad celebrandas Missas, si comperiretur deinde hunc Sacerdotem Missas non celebrasse, non condemnarem, inquam, ad iterum solvendum, quia quo ad Missas non potuit hæredem non Sacerdotem Testator obligare ad aliud, nisi ad dandam fideliter pecuniam, quod jam hæres fecit. Si quid simile eveniat, idem decernito. Quoad ad ædificium, vel simile, quandoquidem executionem hæredi testator commisit, ipse hæres exequi debet, secus est obligandus, vel non obligandus juxta gravem, vel levem culpam, qua aliis illud commisit, quæ est doctrina communis in similibus commissionibus susceptis.

7. Denique Doctores citati à Bardi *d.6. de consc. c.10. ferè per totum*, passim multa quærunt de legatis. Primò, An legatum seu dispositio his, vel illis verbis explicata, sit censenda conditionalis, an modalis? Secundò, An legatum relictum viro in dignitate constituto, censendum sit in dubio relictum illi, ut talis est, an ut tali dignitate præditus est? Tertiò, An si Testator relinquat Joanni pauperi legatum, si is nempè Joannes, obeat, legatum debeatur; an potius cedat hæredi? & rursus: posito quod debeatur, an erogandum sit alteri pauperi, an potius hæredibus Joannis? Quartò, An si Testator relinquat pecuniam pro Missis, & nil addat præterea, sint eæ celebrandæ pro anima defuncti, an verò pro cultu Dei absolutè? Quintò, An legatum factum Ecclesiæ talis nominis, si inveniantur duæ Ecclesiæ ejusdem nominis, debeatur uni, an alteri? Hæc, inquam, & innumerabilia ejusdem generis dum quærunt Doctores, investigant diligenter conjecturas, & præsumptiones, quibus quod in his dubiis standum sit, cognoscatur. Verùm licèt id prudenter fiat, (de quo lege Menoch. *de præsumpt.* Mantic. *de conject. ultim. volunt.* utrumque fusè) imò semper ex necessitate sit faciendum, ut mens Testatoris, quantum fieri potest, innotescat, ut & nos de legatis Missarum fecimus *in opusc. 3. de Sacr. Miss. l.3. cap.1. §.3.* præsertim *à n.15.* tamen id hic quærendi locus non est, cum solum hic quæramus, quid faciendum, quando omnibus prorsus conjecturis, ac præsumptionibus expensis, adhuc anceps remanet intellectus.

8. Nos igitur breviter rem ex dictis decernamus. Dicendum est pro qua parte stet possessio, & pro illa decidendum: quod si pro neutra, dividendum erit, seu transigendum inter partes, quia (ut diximus *suprà, v. Gemelli, n.1.*) quando est æquale dubium, non alio modo, nisi per divisionem utrique parti satis fit: quod si divisioni, seu transactioni locus non est, pertinebit ad Principem in legatis non piis, in piis ad Episcopum, rem decernere. Hinc in prima ex dictis quæstionibus dispositio censenda est, ex nostra sententia asserente legata esse strictè interpretanda, conditionalia, quia sic magis favet Hæredi suum jus possidenti. In secunda decernat Princeps, seu Episcopus. In tertia dividatur legatum inter illos, super quos cadit dubitatio, & quidem pro mensura dubii. In quarta decernat Episcopus, nisi valeant ad decernendum conjecturæ à nobis allatæ *in opusc. 3. de Sacram. Missæ, l.c.* In quinta dividatur, & de hac quidem quinta quæstione, Vide *infrà, v. Nomen dubium, num.3.*

Si dubium sit, an ut legatum fieret, intercesserit fraus, Vide *v. Testamentum.*

1. *Leges, & Præcepta.* Si adhibita diligentia dubites, At sit aliqua lex excommunicationem, v. g. vel præceptum imponens; de quo Thom. Sanch. *lib.2. de matrim. d.41. n.36.* Sà *v. Dubium, n.2.* Vel, An dicta lex ad aliquem casum se extendat; de quo Th. Sanch. *ib. n.33.* Vel, An sit usu recepta, vel an fuerit promulgata, vel, an aliqua lex sit consuetudine introducta, de quo Azor. *p.1. l.2. cap.19. q.12.* Salas *p.2. tr.8. disput. unica, sect.18. num.189.* vel, an sit introducta ex obligatione, de quo Castro P. *tom.1. tractat. 1. disputatione 3. part. 7. num.4.* Caramuel *lib. 3. Theolog. mor. num.1344.* an potiùs ex devotione, de quo Suarez *lib.7. de lege, cap.15. num.13.* Diana *part.1. tr.10. res.30.* & *part. 4. tr.3. res.58.* non teneris ad illam. Ratio est, quia tunc possidet libertas, quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incerta, qualis est quælibet ex prædictis, si attentè consideretur.

2. Contrà, si certus sis de lege imposita, dubites autem an fuerit abrogata, vel an ratione alicuius necessitatis, vel circumstantiæ sis ad illam obligatus, de quo Th. Sanc. *in Dec. l.1. c.10. n.34.* Ioan Sanch. *d.43. n.8. init.* teneris illi parere. Ratio est, quia tunc lex possidet. Hic tamen recole, quæ dicta sunt de epicheia *suprà, v. Epicheia.* Hinc, si dubites, num lata sit, vel promulgata lex,

quod hodie sit dies festus, vel quod sit dies jejunii, non teneris Missam audire, vel jejunare: at si dubites, an lex certò lata, vel promulgata de hodierno festo, vel jejunio, ablata fuerit, vel abrogata, teneris, quia hìc possidet, lex, ibi libertas.

3. Rursus, si dubites, num sub mortali, an veniali, vel num sub peccato, ac sub consilio lex feratur, de qua re lege Thom. Sanch. *in Decal. l. 6. cap. 1. fusè*, potes judicare ferri sub consiliò, vel sub veniali. Ratio est non absimilis, quia libertas quantò minus potest esse gravanda, nisi constet de contrario; sic uterque Sanch. *ibid.*

4. Similiter in concursu duorum præceptorum, quorum alterum est dubium, alterum certum: certum est cum Castro P. *ibid. p. 8. n. 5.* observandum, quia certum possidet ex meliore conditione. Sic servus, si facta diligentia, sit dubius an hodie dies festivus celebretur, laborare pro domino debebit, quia obligatio laborandi est certa, obligatio feriandi dubia. Quod si sit concursus duorum præceptorum, nec decernere, vel ab alio discere possis, quod magis urgeat, serva illud quod tibi pro libito videbitur, quia tunc non est major ratio de uno, quàm de altero. Ita Granadus apud Dianam *p. 7. tr. 3. res. 70.*

5. Præterea quando lex habet duos sensus dubios, consulendus quidem est, qui legem tulit; at si eum consulere non possis, judicandum semper erit pro libertate, modo præ oculis semper habeas favores esse ampliandos, odia restringenda, reo favendum, possidentes favendos: ita Caramuël *loco cit. num. 1403.* his enim servatis, probabiliter potes legem interpretari, & sic interpretatam sequi, ut ex Vasquez *opusc. de Com. cap. 4. §. 4. n. 54. fine*, notavi: Hinc si dubites, num verba præcepti sint à Superiore, ut est Pater per potestatem dominativam, An ut est Prælatus per potestatem jurisdictionis, An potius ut est Superior, cui præstitum sit votum, vel juramentum obediendi, dic esse ut à Patre, quia id est favorabilius, & consequenter qui inobediens erit, peccabit quidem mortaliter, sed non sacrilegè. Hinc si dubites, num præceptum sit merè pœnale, necne? dic esse pœnale. Hinc, si dubites num tenearis obedire statim, an post aliquod tempus, dic teneri post aliquod tempus, & similia, quia libertas, quantò minus potest est gravanda.

6. Sed quid, si certus es legitimum Superiorem aliquid præcipere, & certus item eum velle præcipere sub mortali, sed dubitas an materia legis seu præcepti sit gravis, an potius erit judicandum præceptum obligare sub culpa gravi, an sub levi?

7. Respondeo. Sanchez *in Dec. l. 6. cap. 4. n. 46.* & Merolla *tom. 2. disp. 4. cap. 3. dub. 26. n. 254.* dicunt esse judicandum sub gravi, quia nunc possessio est pro Superioris legitima potestate, & pro præcepto, seu lege, quæ certò adest. Addit Merolla exemplum; Sicut enim (ait) dubitans, an hoc sit mortale, vel veniale, si illud facit, mortaliter peccat; quia se exponit periculo peccandi mortaliter, si fortè contingat illud esse mortale, ita hic se exponeret periculo mortaliter peccandi, si fortè contingat materiam esse gravem.

8. Sed certè mihi videtur probabile esse tunc judicandum fore sub levi. Ratio est, quia, donec constet materiam esse capacem obligationis gravis, non constat de constitutivo præcepti gravis; ergo prævalet libertas, quæ nec potest ligari à præcepto omnibus pensatis dubio; Falsum igitur est nos in casu, de quo loquimur, esse certos de præcepto mortaliter obligante, quòd hic est considerandum; solùm enim sumus certi de præcepto abstrahente ab obligatione mortali, & veniali; Vide quæ in simili *supr. cap. 2. §. 3. n. 37.* diximus de peccato pari modo abstrahente à mortali, & veniali.

9. Confirmatur. Si adest certò præceptum, & dubitatur an sit sub mortali, vel veniali, possumus credere esse sub veniale, ut modò ex eodem Sanchez vidimus *n. 7.* ubi, cùm certi simus de præcepto, malitia mortalis non prævalet; ergo pari modo licèt in casu nostro certi simus de præcepto, poterit mortalis malitia non prævalere, existente nimirum dubia capacitate materiæ.

10. Ad exemplum Merollæ facilis est disparitas; nam ibi, ideò peccatur mortaliter, quia cum possis indagare veritatem, id neglegis, unde indiscriminatim videris amplecti illam materiam, sive bona sit, sive mala, ut nos *supra §. 6. num. 2.* explicuimus. At, in casu nostro, supponimus non posse subditum certum reddi de gravitate, vel levitate materiæ, Vrges, faciat quod tutius est, ut *ibidem numero sequenti*, diximus; Respondeo. Tunc ideò quod tutius est facere obligaris, quia ex nullo capite dubium evincere potes, at jam hìc illud evincimus ex eo capite, quod certa est possessio libertatis, & gravitas præcepti dubia; unde etiam sequitur te non exponi periculo peccandi graviter, in ea enim tuæ libertatis possessione nullum est periculum graviter errandi, si eam libertatem tibi pro tuo jure custodias.

Quando dubitatur, An quis sit legitimus Superior, vide *v. Subditus*; & *ibidem* vide quando dubitatur an res præcepta sit licita, necnè?

Quando incertus ambigis, an res levis præcepta conducat graviter ad finem grævem, vel an finis gravis sit, vide *suprà, lib. 1. cap. 2. §. 5. num. 24.*

Quando dubium est an præcepti positivi observatio sit sanitati nociva, quid faciendum? Lege *verb. Horæ Canonicæ, n. 2.* Si dubium sit, an lex sit justa, non obligor illi parere, quia lex debet esse certò justa. Vt fusè probat Ianuar. *1. p. res. 44.* nec sufficit esse justam opinabiliter, vel dubiè; neque enim meæ libertas certa cedere debet legi dubiæ. Ianuar. *resol. 46.* Illud addit Ianuarius, dubitantem de materia justa legis, si cognoscit, Superiorem inscium, non posse obedire cæco modo, sed teneri ad examinandum legem, secus, si cognoscit doctum, Adde, & non malum.

1. *Legitimus.* Quando inceptus es, utrùm sis legitimus an naturalis, cum certus sis te esse filium, verbi gratia, Bertæ, qualis eris reputandus? Dico esse reputandum legitimum, ita de Lugo *de just. tom. 1. d. 13. sect. 2. num. 25.* Merolla, Barbosa, Baldelli, Franciscus de Lugo, aliique, quos citat, sequiturque Bardi *d. 6. de cons. cap. 7. §. 11.* quia culpa patris est dubia, pœna illegitimitatis infligenda tibi filio, esset certa; Ergo si esses reputandus illegitimus, pro culpa incerta patris, daretur pœna certa tibi filio. Adde quemlibet esse damnandum quantò minus potest: nam propter eandem rationem, si dubitetur, an aliquis sit spurius, id est, ex coitu damnato, an naturalis, naturalis est reputandus, Ita Menoch. *l. 1. præsumpt. 19. num. 28.*

Hinc expediti in Hospitali possunt sine dispensatione ordinari, Beneficia acceptare, ad Prælaturas ascendere, &c. Ita iidem apud eundem Bardi, quia cum nesciatur, an sint illegitimi, legitimi reputantur.

Illud adverto; Quoad effectum acquirendi hæreditatem ab alio possessam, non posse hunc dubiè illegitimum recurrere ad prædictam doctrinam: ita Castro *tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 5. a num. 3.* Ratio est quia ille alius est certus possessor, at dubius de facto præcedere certo possessori non debet.

2. *Lis movenda: In dubio* (ait Caramuël *in lib. 2. Theolog. mor. num. 1384.*) *licet litem instituere contra eum qui etiam dubitat, & tamen non vult concordiam admittere. Et quidem tunc duo dubitant, quando neuter possidet, nam contra possidentem debent esse rationes moraliter convincentes.* Hæc ille. Sed profectò, si res hoc modo se haberet, quis unquam posset litem movere? passim autem videmus à probabilibus rationibus moveri homines ad litigandum, non semper à convincentibus; fortasse quia processu litis quilibet sperat suam rationem fore cognoscendam ut convincentem. Aliud igitur est rem sibi adjudicare à possidente, aliud litem movere ad adjudicandum; ad illud prius requiritur ratio convincens, ad hoc posterius sufficit ratio probabilis: Vide *verb. Advocatus.*

Benignius item loquitur Layman, *lib. 1. tom. 1. cap. 5. §. 3. n. 17.* sic enim habet: *Quotiescunque causa dubia, seu controversa est, permittitur parti litem cum adversario contestari*

*contestari, atque propositis juribus, ac rationibus suis, Judicis dirimentis sententiam postulare.*

1. *Ludus.* Ludis cum Titio, quem facta fraude vincis, lucrarisque ab eo decem; obligatus hinc quæstione hæc decem, restituere: at quia si usus fraude non fuisses, erat spes pro Titio, ut ipse te vincerer, haberétque ea tu similia decem, quæritur, an tu propter illam dubiam Titii spem, non solùm reddere debeas ea decem fraudulenter acquisita, sed etiam aliquid aliud, quanti scilicet spes hæc, consideratâ peritiâ ludentis, cæterisque circumstantiis valebit.

Respondeo cum Less. *lib.2. cap.26. d.2. n.18.* Bonac. *d.2. de rest. q.3. part.2. num.7.* non obligari, nisi ad illa decem. Ratio est, quia in hoc casu spes vincendi in Titio est dubia, poteras enim & tu vincere etiam sine fraude: at nemo est cogendus solvere aliquid certum pro debito dubio. Dico (poteras;) nam si certò perdidisses, te obligari, tum ad decem acquisita, tum ad alia decem, manifestum est.

2. Dices, si impedis Petrum, v. g. ei, vel fraude à consecutione beneficii, debes illi restituere quanti valet spes beneficium consequendi; ergo pari modo in ludo. Ita Less. *lib.12. cap.12. num.123.* Respondeo in casu ludi prædicto spes Titii est dubia; nam in ipso, dicet sit spes vincendi decem, est etiam in eodem, ut supponimus, æqualis timor perdendi alia decem, compensantur ergo inter se spes, & timor, & remanet in tè libera, & certa possessio tuæ pecuniæ. At in casu beneficii non est in Petro timor perdendi aliud simile beneficium: Petrus enim habet spem obtinendi beneficium, sine timore quod si non obtineat illud, debeat aliud simile perdere: quare remanet ipsum habere spem acquirendi sine timore perdendi alterum tantum de suo; cum ergo ea spes sit judicio prudentis pretio æstimabilis, restituenda erit ejus æstimatio ab eo, qui per fraudem contra illam agit.

3. Sequitur alia difficultas; ludis cum eodem Titio, ac vincis facta fraude ejus rationis, ut non possis esse certus, an ex ea fraude viceris, an ex arte, seu fortuna, ad quid obligaberis: Respondeo cum Filliuc. *tom.2. tr.37. cap.7. num.103.* te obligo ad indagandam veritatem, quæ si sciri non possit, te obligo ad restitutionem, quia, perseverante dubio, melior est conditio alterius possidentis suam pecuniam: nam cum tu inceperis acquisita per hunc ludum possidere cum dubio, æquipararis mala fide possidenti.

M

1. *Maleficium.* In dubio an Magus maleficium maleficio dissolvendum suscipiat, quia non licitè possimus, dicam fusè *infrà, suo loco.* In dubio an Maleficæ transferantur re ipsa ad locum Sagarum; præsumendum esse transferri affirmat Castro Palaus, quem, si est otium, lege *tom.3. tr.17. disp.1. de superstitione, p.9. n.7.*

1. *Mutuum.* Do tibi mutuos centum aureos cum obligatione reddendi mihi lucrum, v.g. decem post annum; si dubium sit, an contractus hic sit usurarius, possumne ea decem accipere? Respondeo, Non potes, quia possessio stat pro mutuatario, qui est certus dominus suæ pecuniæ, cùm interim tu mutuans dubium titulum habeas ea retinendi. Si bona fide acceperis, an possis retinere? Vide *verb. Restitutio.*

1. *Matrimonium.* Vide *v. Dispensatio, v. Sponsalitia, v. Mors conjugis.* Si facta diligentia, dubites de impedimento dirimenti ad ducendam aliquam, potes illa sine dispensatione ducere. Ita Merolla *tom.1. c.3. d.2. coroll.20. num.134.* ex Sanchez *lib.8. de matrim. d.6. num.18.* quia possidet tua libertas, dum interim dubium est impedimentum: Quod si processu temporis impedimentum discooperiatur, necessariam tunc fore Pontificis Summi dispensationem, certum esto, quia tunc cessat præsumptio pro libertate, sub qua contraxisti. Impedimentum aliquando apparere dubium, sed revera esse certum monui *supra, v. Dispensatio, num.4.*



2. Quando impedimentum oritur ex dubio de morte conjugis, vide *verb. Mors conjugis.* Quando oritur ex superveniente impotentia, de qua dubium sit, an fuerit antecedens matrimonium; an supervenerit, & alia similia ratiò contingentia, vide apud Doctores citatos.

3. Si post contractum bona fide matrimonium superveniat dubium, etiam in utroque conjuge de ejus invaliditate, nec post diligentiam, veritas haberi potest, poterit uterque conjux reddere & petere debitum; ita Suar. Sà, aliíque quos refert, & sequitur Th. Sanch. *lib.2. de matr. d.41. num.46.* quia possidet matrimonium, quod non est propter dubium superveniens à sua possessione spoliandum. Adde semper præsumi debere in favorem validitatis contractus. Antequam incipiant adhibere diligentiam, si utrique conjuges rationabiliter dubitant, non possunt uti matrimonio, ita iidem, & Vasq. *p.3. d.66. c.9. initio,* quia tenentur diligentiam moralem ad dubium dilucidandum apponere, & donec apponant, æquiparantur malæ fidei possessoribus. At si alter dubitet, poterit is, qui dubitat, ante dictam diligentiam reddere (non verò petere) debitum non dubitanti. Ita iidem. Ratio est, quia conjux alter, qui bona fide contraxit, possidet conjugem tanquam suum: ergo non est illo spoliandus, siquidem ipsi fieret injuria, si debitum negaretur: Intelligè, post primum bimestre matrimonii; in primo enim bimestri, cùm nulla injustitia sit, debitum negare, nec alter jus petendi habeat, is, qui prudenter dubitat, ne reddere quidem poterit, juxta Sanch. *n.48.* cum intra bimestre non adsit excusatio ducta ex injustitia, quæ fieret conjugi petenti. Quod verò hæc redditio debiti non necessariò fieri debeat, in quibusdam casibus, affectu maritali, sed solum ne à conjuge tollatur sua possessio; Vide apud Sanch. *de matrim. l.2. d.43. n.8.*

4. Casamuël *lib.3. Theol. mor. à num.* 1425. concedit, dum adhibetur diligentia, posse prædictos dubitantes conjuges petere, & reddere; dum enim requirunt (quod prudenter faciant) à sua possessione matrimonii bona fide concepti non sunt dejiciendi. Sicut si Paulus bona fide prædium pro suo habet, non statim supervenientè dubio, quod prædium pertineat ad Petrum, debet illius possessione privari, immò fructus colligere potest, donec dubium elucidetur; quia contra possessionem debent rationes esse convincentes, nec sufficiunt probabiles, mulò minus incertæ, & dubiæ: ita in casu nostro. Hæc ille contra Hurtadum id negantem ab eodem citatum.

5. Hæc post contractum bona fide matrimonium. At si mala fide uterque contraxit, nihil illis suffragabitur possessio, quia mala fides nullum jus tribuit; tunc ergo possidet sextum Decalogi præceptum, quod est certum; matrimonium verò, quod est veluti dispensatio sexti præcepti, est dubium, atque adeò tunc conjuges nec reddere, nec petere, donec impetrent dispensationem, poterunt.

6. Quid si dubitetur, an affuerit verus consensus in conjugibus, vel an fuerit præsens Parochus, intercesserit metus, vel quid simile, unde ambigatur, an sit validum matrimonium?

Respondeo. Judicem debere in foro externo judicare pro validitate matrimonii, & compellere conjuges ad simul cohabitandum, certum est apud Doctores. Sanch. *lib.1. de matr. d.18. n.5.* Excipe, quando dubium provenit ex impedimento impotentiæ, de quo suæ Regulæ videndæ apud Sanch. Idem *lib.7. de matrim. à d.97.*

7. Sed difficultas est, an idem sit asserendum in foro conscientiæ?

Non idem, docet Henriquez, *lib.11. de matrimon. c.13. num.4. & cap.11. n.5.* quia nemo in dubio obligatur in conscientia subire certum onus, quale profectò summum est in matrimonio, quia in dubio melior est conditio possidentis; cùm ergo conjuges certò suam possideant libertatem; matrimonium autem non sit certum, sed dubium, prævalebit libertas, sicuti eadem prævalet in dubio voto. Id quod nos etiam dicemus *inferius, v. Votum:*

Verùm Sanchez *l.1. de matrim. d.18. n.6.* cum Covarr. & Menoch. apud eundem, quibus adde Pontium *lib.2. mat.c.9. n.6.* cum communi sententia idem asserendum esse, docet in utroque foro, atque adeo in dicto dubio validum fore etiam in conscientia matrimonium, quia utrumque forum, externum & internum idem judicant, ubi externum non innititur falsæ præsumptioni.

Ad illud de voto respondet, adesse disparitatem; nam quod votum (utique simplex) quando est dubium non obligat voventem, inde est, quia in hoc voto non adest traditio, & sic non est possessio ex parte alterius; quasi dicat, quia in matrimonio, & in voto solemni dubiis adest traditio, per quam alter, id est, vel matrimonium, vel unus ex conjugibus, vel Religio sunt in possessione, ideo ejusmodi matrimonium, & votum valida sunt, vel certè ut valida sunt censenda.

9. Equidem idem hic assero, quod mox repetam V. *Professio Religiosa*, nimirum me nolle à tam communi tantorum Doctorum opinione discedere, ut etiam me non discedere ostendunt ea, quæ modò *n.3.* dixi, tamen in confirmationem sententiæ Henriquez hæc consideranda propono. Primò, in casu matrimonii dubii, cui, quoad forum conscientiæ, (nam in foro externo semper debebit judex judicare juxta communem sententiam modò *n.6.* dictam propter rationem, quam superius attuli hoc eodem *cap.3.§.4.n.4.*) cur, inquam, prævalere contra dubium non debeat id quod firmum, & certum est, pro à, libertas conjugum? Secundò, cur non dicamus, nihil obstare huic libertati traditionem, quam innuit Sanchez? nam de ipsa traditione dubitatur; quare traditio atque adeo possessio matrimonii, vel etiam professionis solemnis non est certa, cum de ipsis dubitetur, an habeant sua essentialia, id est, an adsit consensus, solemnitas substantialis, præsentia Parochi, &c.

Negandum est igitur Sanch. in matrimonio, & in voto solemni dubiis, de quibus est præsens controversia, adesse traditionem, per quam alter sit in pacifica possessione: Non enim est in possessione, quæ prævalere possit certæ libertati is, qui solum est in possessione dubia.

10. Jam verò illud certum judicat Sanchez *ibidem*, aliique, si stante eo matrimonio dubio, conjux certò contrahat aliud matrimonium cum alia, prævalere debere posterius hoc matrimonium. Ratio est (inquit Sanchez) quia hoc est certum, illud prius dubium.

11. Sed oro te, doctissime Sanchez. Si à posteriore matrimonio certo in hoc casu vincitur matrimonium prius dubium, cur à libertate conjugum certa illud idem matrimonium vinci in præcedente casu non poterit?

Rursus, si in priore matrimonio adest in tua doctrina certa traditio, & certa possessio, cur tam certa possessio sit à consequenti posteriore matrimonio (quod certè valde dubium esse debebit, cum superveniat priori fortè valido; imò, per te, ratione traditionis, prorsus ut valido putando) cur, inquam, sit tam facilè incenda? Sed hactenus sic dubitasse sufficiat.

12. Denique (ut id etiam hac occasione proferam, si prius matrimonium in suis essentialibus sit probabiliter certum, & posterius fortè contractum, existente priore, sit item probabiliter, imò probabilius certum, prævalere debebit prius matrimonium.

Ratio est ducenda ex superiùs dictis. Si enim prius est probabiliter certum, est in possessione moraliter certa; unde à nemine dimoveri potest, donec manifestè ipsius probabilitas infringatur, & matrimonii posterius, stante dicta probabilitate prioris semper erit in suis essentialibus incertum, & consequenter certitudine morali invalidum.

*Medicamentum dubium.* Vide *supra, cap. 4. §.4. n.19. de Medico.*

1. *Mensis, quo vacat beneficium.* Ultimo die Mensis Episcopalis vacat Beneficium per mortem, v.g. Beneficiarii, nec sciri potest, an is mortuus sit ante mediam noctem, an postea, quando incipit Mensis Pontificius. Quid judicandum? Provisio Beneficii in hoc dubio, pertinetne ad Ordinarium, an ad Pontificem?

2. Respondeo plures magnæ literaturæ Doctores, ut Gonzales, Garcias, Barbosa, Massobr. Merolla, quos citat, sequiturque Bardi *de conf. disp.6 c.6. §11.* aiunt, si nemo est in possessione beneficii, nec ulla extat provisio à Pontifice, vel ab Ordinario emanata, præsumendum pro Ordinario. Ratio est, inquiunt, quia jus commune favet Episcopo, per quod ipsi datur conferre omnia Beneficia suæ Diœcesis: cum ergo hæc facultas sit à Summo Pontifice restricta contra jus commune, pro ipsa facultate certa Episcopo, quæ prior fuit, est in dubiis judicandum.

3. Admitto libens hanc doctrinam, ex alio principio, quia nimirum in hoc casu possideret dies Episcopalis; certum enim est Episcopi diem esse, incertum an advenerit dies sequens, qui addicitur Papæ; ergo prævalet jus Episcopi in suo die fundatum.

4. Sed quid si formetur casus in contrarium, cujus non meminit Pater Bardi *loco citato*, meminit tamen Merolla *tom.1. disp.3.c.3. coroll.13. n.173.* (neque enim universa possunt singuli Authores complecti,) fac enim beneficium vacare ultimo die Mensis Pontificii, nec sciri possit: num ante, num post mediam noctem vacaverit: pro quo præsumendum? Certè Doctores modò laudati adhuc asserent præsumendum pro Episcopo, quia ratio ab iis modò allata hic etiam urget. At ex illo alio nostro, & communi principio sequitur, præsumendum pro Pontifice, quia certa est ejus possessio pro illo die, at incertum, an dies sequens, qui pertinet ad Episcopum inceptus fuerit.

5. Dictum autem est *num.2.* (si nemo est in possessione, nec ulla possessio, &c.) si enim alteruter possideret Beneficium propter privilegium possessionis, is, qui possidet præferretur, ex Gonzales apud eundem Bardi *l.c.* quod si nullus possideret, & Pontifex provisionem pro uno fecisset, Episcopus pro altero ex his, nec appareret quisnam anteriùs provisus esset, provisus à Papa propter dignitatem provisoris esset præferendus. Ex *c. si à Sede Apost. de præb. in 6.* licèt utrumque neget Garc. apud eundem Bardi *locacit.* & Castro Palaus *tom.2. tr.13. d.2. p.22. §.2. à num.3.*

*Missæ.* Vide *v. Legatum, n.7. in medio.*

1. *Mors conjugis.* Apertus est uxor, factis omnibus exquisitis diligentiis, an suus vir è vivis desierit: nec potest confugere ad lapsum temporis, cum sciat, ad præsumptionem mortis hominis requiri lapsum annorum: poteritne hæc uxor licitè ad secundas nuptias evolare? Respondeo non posse, quia hic non possidet libertas uxoris, sed potiùs obligatio matrimonii, quæ non potest dejici, nisi certò constet dissolutio per mortem alterius ex conjugibus. Imò nec probabilitatem sufficere, colligi potest ex supradictis; possessio enim actualis non potest vinci, nisi à rationibus clarè contrarium convincentibus.

N

1. *Nobilitas.* In dubio quilibet præsumitur ignobilis. Ratio inter alias est, quia magis communiter contingit esse ignobilem: ergo hoc præsumi in dubio debet. Lege Riccium *in praxi aurea variar. resol. res.286.* ex Baldo, aliisque.

1. *Nomen dubium.* Vide *v. Restitutio, num.....* Testator instituit in sui filii tutorem Titium: inveniuntur autem duo ejusdem nominis, quis in tutorem erit instituendus, si non sint conjecturæ pro altero determinato, quales essent, alterum esse amicum Testatoris, propinquum, in negotiis ejusdem versatum, &c. Respondeo, cum Sanchez *lib.8. de matr. d.27. n.36.* neutrum, donec Princeps declaret, quem ipse ex officio eligat: Ratio est clara decisio Textus, *l. duo sunt Titii, de testamentaria tutela*; suffragatúrque congruentia, quia, quicunque eligatur, semper dubitabitur, an tutelam illi Testator crediderit. Nec possumus hic recurrere ad partis consensum modo dicendo *infrà*, V. *Rescriptum*, quia pupillus, qui est

hac

hac in re pars, non est aptus ad eligendum tutorem. Nec licitè possumus recurrere ad præsumptam voluntatem Testatoris, quia supponimus non habere conjecturas aptas ad eam præsumendam.

3. Quid de legato? legat quis danda Titio, v.g. centum, duo autem sunt Titij, nec apparent signa pro alterutro, qualia essent alterum majori paupertate vexari, esse propinquum, esse familiarem, esse famulum, &c. Testatoris. Idem evenire potest in legatis piis, ut si legentur centum Ecclesiæ Sancti Ioannis, & duæ ejusmodi Ecclesiæ inveniantur, sine ullis signis dictinctionis, quæ persuadeant pro alterutra: hoc autem esset, alteram esse Parochiam Testatoris, vel sitam esse in ejus Parochia, vel esse ejus habitationis proximam, vel fuisse ejus peculiaris devotionis, vel esse ejus sepulturæ locum, vel similia.

3. Respondeo. Multi Iuristæ propter similitudinem cum præcedenti casu de tutela, dixerunt neutri dandum legatum, sed in legatis non piis cedere hæredi, in piis, eligi debere ab Episcopo ex prædictis Ecclesiis, quam maluerit. Verum vera mihi sententia est legatum ejusmodi sive pium, sive non pium esse dividendum utrique, pro rata dubij. Vide de Lugo *de Iust. tom. 2. disp. 24. sect. 9. §. 4. à numero* 251. Ratio est, quia certò constat legatum hoc non pertinere ad hæredem, extraxit enim illud Testator ab hæreditate; cum ergo dubium jus participetur ab illis duobus; ratio postulat ut pro rata dubij neuter defraudetur sua legati parte. Vide *v. Restituio numero* 1. *&* 8. Alia huc pertinentia lege apud de Lugo citatum.

Atque ex tradita doctrina multa similia colligi possunt. Si promittas, v. g. præmium primo ascendenti murum hostium, primo pervenienti ad metam cursus, primo nuntio de accepta victoria, &c. duoque sint, qui sine ulla prælatione hæc exhibeant, cuinam præmium erit elargiendum? sanè dividendum, quia æquale jus habent, &c. quod si præmium sit indivisibile, transactione res agatur, ut in simili dictum est *supra*, *verbo Gemelli.*

1. *Novitius.* Post debitas indagationes decernere non valeo, an Novitius sit aptus ad professionem emittendam, possumne illi suffragium dare ad professandum?

Respondeo. Cum nemo sit judicandus malus, atque adeò indignus professione, nisi probetur, hic malus indignus judicari non potest: cum ergo ex alia parte is habeat jus, ne religione dimittatur, posito quòd ad Novitiatum fuerit admissus (de quo lege Suar. *tom. 1. de rel. lib. 5. cap. 10. num. 14. faciunt quæ lit.* Castro P. *tom. 3. tr. 15. disp. 4. p. 20. num. 4.* prævalet hoc jus, quod esse jus Iustitiæ meritò placet Ioanni de Lugo *de just. 5. 1. d. 9. sect. 3. in Append.* Quare secundum illud potes, immò debes pro ipso, secus illi injurius esses, suffragari. Contra verò, si is sæcularis esset, deque eo ageretur, an ad Novitiatum esset admittendus, suffragari non potes, quia licet non debeat judicari indignus, nisi probetur, tamen prævalet jus Religionis, quæ non debet admittere nisi positivè dignos, & ex alia parte, is nullum jus habet ad ejusmodi receptionem. Illud adverte, ad indagandam commodius Novitij aptitudinem, posse eidem differri tempus professionis: nam quando Tridentinum *Sess. 25. cap. 16. de Regularibus*, jubet Novitium, finito anno, si inveniatur habilis, debere ad professionem admitti; nequaquam interdicit dilationem, quæ sit ob rationabilem causam, id enim de jure naturæ est, & sacra Congregatio apud Rodriq. *tom. 3. q. reg. 17. art. 10.* sæpè declaravit.

O

*Obedientiæ Votum.* Vide *verb. Subditus.*

*Officium Divinum.* Vide *Horæ Canonicæ.*

1. *Oleum sanctum.* Parochus dubitat primò, An ægrotus afflaverit animam necne, debebitne Sacro Oleo illum inungere? Secundò, cum hoc Sacramentum non sit dandum, nisi morti proximis, dubitat idem, An ægrotus morbo laboret periculoso: nec vel ex Medicis, vel expectando per aliquod tempus, id valet, saltem probabiliter, dignoscere, quid agat? si enim posset has diligentias præstare, sine controversia ad illas teneretur.

Respondeo ad primum. Conferat Sacramentum sub conditione saltem, mente concepta, etiam si ægrotus alia Sacramenta susceperit: Ita Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 42. sect. 1. n. 1.* Sa *v. extr. unc. n. 15.* Præpositus *in 3. p. q. unic. de extr. unc. d. 7. n. 56* quia ex una parte non est privandus tanto auxilio ægrotus, si fortè sit vivus, & conditio tollit periculum frustrandi Sacramentum, & ex alia parte possidet vita ægroti, quæ fuit prior, quam superveniat dubium mortis. Ad secundum; conferat item sub conditione, si capax est; Ita Chapeavilla *Minist. unc. unc. 5. q. 11.* nam licèt in hoc secundo casu possideat morbus non periculosus, qui prior est, quàm periculosus, tamen magnum bonum ægroti prævalere debet, quo privari, quando nullum incommodum sequitur, is non debet nullum autem posita dicta conditione sequi certum est. Si coram Deo ejusmodi ægrotus non est morti proximus, an adhuc valide, nec solùm licitè Sacramentum conferatur, Scholastici Theologi est, quærere.

1. *Ordo.* Qui dubitat de ætate requisita ad Ordines, an initiari possit. Vide *verb. Ætas.*

Qui vero rationabiliter dubitat, an ritè quo ad substantialia sit ordinatus, quid agere? Dubitat, v. g. nec dubium potest vincere, An vera forma, vel materia adhibita sit, An illam ipse ordinatus ritè tetigerit, An Episcopus (quia, verbi gratia, erat hæreticus) intentionem habuit initiandi, &c. quid, inquam, aget? Dico hunc vel segerere debere, ac si non esset ordinatus. Ita Sanchez *lib. 7. consil. c. 1. d. 15.* & multi apud Dianam *p. 5. t. 13. res. 47. & 48.* (quare puto non obligandum ad horas Canonicas, si dubium sit de ordinibus sacris, cum possideat hominis libertas, quæ non est opprimenda ab obligatione dubia superveniente) vel esse iterum initiandum sub conditione, eo modo, eoque tempore, quo tradit idem Sanchez *ibidem.* Ratio est, tum quia prius est hominem carere ordine, quàm eo gaudere: ergo prævalet carentia; tum quia jus ipsius sacrificij, & jus fidelium ad accipiendum certa, & non dubia Sacramenta, requirunt hominem certò, & non dubiè ordinatum. Solùm invenio apud Dianam *ibid.* ordinatum Ordinibus Sacerdotio inferioribus oriente dubio, quod ordinatus moraliter, non verò physicè, materiam tetigerit, liberari posse à reiteratione talium ordinum, quia, modò postea receperit certò Ordinem Sacerdotij, nullum damnum saltem notabile oritur ex illa dubia inferiorum Ordinum susceptione.

P

*Paupertatis Votum* Vide *v. Religiosorum vota.*

1. *Peculium Filiorum* Præmittenda hic sunt duo. Primò ejusmodi peculium quadruplex esse. Castrense, quasi Castrense, Adventitium, Profectitium; quæ his ferè verbis Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 23.* explicet ex jure communi; nam jura propria quisque consulat.

2. Castrense, *l. Castrense. ff. de Castrensi peculio, & l. 1. C. eodem tit. lib. 12. & alibi*, est quod a parentibus, vel quibuscunque aliis filiofamilias in malitia agenti donatum est, vel quod ipse filius in malitia acquisivit, quodque nisi miles esset, acquisiturus non erat. Milites autem etiam hic dicuntur nautæ, remigésque in destinatis ad pugnam navibus navigantes; & quicunque castris, arcibus, oppidis, aliisque locis præsunt, ut custodiant. Præterea Castrense putatur quod filius acquirit in famulatu Regis, quodque ludendo, vel negotiando ex pecunio Castrensi fortè lucratur.

3. Quasi Castrense est, *l. fori C. de Advocatis & vers. jud. &* ibi passim Doctores, quod acquirit filius ex rtium liberalium professione, vel ex publico munere, putà

putà Advocati, Medici, Iudicis, Prætoris, &c. vel ex Sacerdotij seu Clericatus proventibus. Ejusmodi etiam est quod filius, vel ex propria parsimonia, vel ex Regis liberalitate consequitur. Imò Clerico omnia bona quæ alias Laico essent adventitia, ipsi sunt quasi Castrensia. Talia ergo putantur quæ ex officio suo, vel ex sui Beneficij redditibus, vel aliundè quam ex bonis Ecclesiæ habet: bona enim quæ ex Ecclesiæ rebus acquirit, sua non facit, sed sunt ipsius Ecclesiæ.

4. Adventitium est quod filius aliundè, quàm ex re Patris vel propter Patrem consequitur: *Cum oporteat, C. de bonis, quæ licet ubiq.* Quare quod Filius à Matre, vel ab Avis maternis, vel ab aliis extraneis accepit, adventitium est.

5. Profectitium est, quod ex bonis Patris ejusve causa seu proximè propter ipsum ad Filium proficiscitur, modò Castrense non sit, vel quasi Castrense.

6. De acquisitis à Filio suo labore, vel industria distinguendum est. Si enim is cum suis patentibus habitet, eorumque bonis sustentetur, vel lucretur ex re Patris, v. g. colendo Patris agrum damno, & periculo ejusdem Patris, totum lucrum erit profectitium. Quod si Filius vivat suis sumptibus, vel suo periculo rem, seu pecuniam Patris negotietur, lucrum reputabitur adventitium. Ita Sylvester *v. Peculium primo, n.* 11. Glossa, Speculat. Aron. apud Azor. *l. c. cap.* 22. *quæst.* 1. *& cap.* 23. *quæst.* 6.

7. Præmittendum cum DD. *l. c.* Secundò, in Peculio Castrensi, vel quasi, Patrem nihil juris habere, sed proprietatem, & usumfructum ejus esse penes Filium: ita ut ipse filius censeatur paterfamilias, & de illo possit disponere sine Patris consensu, & quando est Pubes, testari.

8. In adventitio jus proprietatis habet Filius, at ususfructus pertinet ad Patrem. Quod si filius, patre superstite, moriatur, totum peculium adventitium ad patrem pertinebit, nisi filius filios relinquat, nam tunc hi loco sui Patris succedunt. At si pater ante filium obeat bona adventitia filio cedunt universa, nec erunt inter fratres dividenda. Quod si pater filium emancipaverit, dimidia pas ususfructus ad filium pertinebit, dimidia remanebit in patre.

In profectitio denique tum proprietatis, tum ususfructus omne jus habet Pater, nihilque ejus spectat ad filium. Quare patre mortuo, dividendum erit inter fratres perinde ac reliqua patris bona.

Iam verò his præmissis, difficultas est hujusmodi. Quando filius aliquid acquirit, & dubitatur, an ex re, vel gratia patris illud habeat, an potius ex gratia sui ipsius, putandumne erit bonum adventitium an profectitium? expedit enim id scire, ut videatur an filius ejus rei proprietatem habeat, an pater. Respondeo cum Bartol. *in Tract. de duobus fratribus, num.* 7. *&* 8. legentem Azor. *l. c. c.* 22. *q.* 1. *& c.* 23. *q.* 5. si filius sit industrius, judicabitur adventitium, ut potè tanquam ex meritis vel industria sua filij acquisitum, secus propter contrariam rationem, reputabitur profectitium. Quod si omnibus expensis adhuc res dubia maneat, tunc locum habebit favor possessionis, hoc est, si inveniatur pater rem illam possidere, reputabitur profectitia, si filius, adventitia.

Propter eandem rationem, si omnibus expensis dubitetur an bonum quod acquisivit filius, sit Castrense an adventitium? erit Castrense tantum si possidet filius, adventitium si Pater.

Sed quid, si neuter fortè possideat? De hoc certè casu nec Bartolus, nec Azor. meminêre. Equidem judicarem pro rata dubij tale vel tale esse reputandum, atque adeò partem ejus rei pertinere ad patrem, partem ad filium. Ratio est, quia, ut diximus *suprà, v. tamen dubium, num.* 3. *& infrà v. Restitutio, num.* 1. *&* 8. Regula est generalis, rem esse tradendam juxta jus, quod quisque participat: Cum ergo nunc pater, & filius sub dubio jus participent, ratio dictat, ut pro qualitate dubij participent & rem.

*Percussio Clerici.* Vide *verbo Censuræ, num.* 2.

2. *Privilegium.* Præadverte sequentia: Privilegium personale est, quod alicui conceditur ratione ipsius personæ, moritúrque cum ipsa. Lege Castro P. *tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 2. *à.* §. 1. Reale est, quod alicui conceditur ratione rei distinctæ à persona; putà ratione dignitatis, officij, loci, &c. & perseverat toto tempore, quo durat res, cui adnectitur, unde est, quod ad hæredes transire soleat.

2. Rursus privilegium conventionale est, quod ex conventione, & pacto conceditur, quare appellatur onerosum: purum, est illud, quod ejusmodi pactum non involvit: nam propterea appellari solet gratiosum, vel remuneratorium. Denique aliud privilegium derogat, sed solùm fortè ipsi concedenti, qui tale privilegium liberè concessit.

3. His positis: si certus sis te privilegium obtinuisse, dubius verò, an concessum ratione personæ sit, an ratione rei, judicandumve est esse reale, an personale? Respondeo esse distinguendum cum Basil. Pont. *lib.* 8. *de matr. cap.* 8. §. 1. *à num.* 7. Si non derogat juri communi, nec præjudicat alicui tertio, sed soli ipsi concedenti, est judicandum reale: si derogat, vel præjudicat, est personale judicandum. Ratio est, quia ex communi doctrina privilegium non derogans, nec præjudicans est amplè interpretandum: Derogans est restringendum: amplius autem est reale, utpotè ad hæredes transiens, quàm personale.

4. Rursus si privilegium sit conventionale, in dubio an concessum fuerit personæ, an rei? censendum est fuisse concessum rei; ita idem *ibid.* Ratio est, quia conventionale cùm sit onerosum, & ex pacto, ampliari in favorem recipientis meritò debet: Quod si privilegium sit purum, & pari modo dubitetur reine, an personæ concedatur? erit distinguendum modo dicto *num. præcedente*, idque propter eandem ibidem dictam rationem.

5. Præterea concessum tibi sit privilegium, seu officium aliquod, *Ad instar*, hoc est, in hunc ferè modum. *Concedo tibi hoc Officium, sicuti illud habuit prædecessor.* Inquiro, si prædecessor, præter illud officium, habuit etiam aliqua privilegia personalia, participabisne tu etiam & hæc, quia debes ad instar ejus prædecessoris privilegia acquirere? Respondeo cum Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 15. *num.* 19. Merolla *t.* 3. *d.* 6. *cap.* 2. *diff.* 4 esse diligenter distinguendum. Si enim id evenit per meram successionem (potest enim occurrere, v. g. ut tu hæres succedas testatori habenti aliquod officium,) sanè tunc non participabit nisi officium reale, non verò privilegia personalia, quæ fortè ille habebat: Ratio est, quia ut modò dixi, in rebus realibus datur successio, non autem in personalibus, & consequenter, illud, *ad instar*, cadit solùm super officium personale.

6. At si id evenit per concessionem Principis, quia scilicet Princeps sic dicat: *Confero tibi Officium seu Beneficium ad instar, sicut habuit tuus prædecessor*, est iterum distinguendum. Si concessio fiat à Principe sub forma ordinaria, quæ solet fieri in provisione ejus officij, non extenditur ad personalia, si verò fiat sub forma extraordinaria, quæ semper vsurpata fuerit, cum annexione scilicet aliorum privilegiorum personalium, extendetur ad personalia; Ratio est, quia ejusmodi extraordinaria forma, cum sit major Principis gratia, id emolumentum videtur afferre, quod non videtur si sit forma ordinaria.

6. Denique si dubites an privilegium obtineris, illò uti nequis, quia carentia privilegij certa est, concessio autem dubia. Contra, si certus sis de privilegio, at dubius an illud fuerit revocatum, præsume revocatum non esse. Ita Pont. *l. c. cap.* 19. §. 19. *à num.* 17. Merolla *loc. cit. cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 221. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *res.* 15. quia tunc possidet certitudo privilegij, quæ non valet ejici ab incertitudine revocationis. Sic alibi asseruimus Mendicantes posse benedicere paramenta Missæ etiam externa. Vide *in nostro opusc. de Sacrament. Missæ, lib.* 1. *cap.* 3. §. 2. *num.* 7. sic docebimus *infrà, lib.* 2. *cap.* 1.

*cap. 1. §. 8. num. 8.* Episcopum posse absolvere ab occultis Cœnæ Domini. Sis *infrà ibidem §. 7. num. 19.* etiam dicemus eundem Episcopum posse suis subditis concedere licentiam legendi libros vetitos præter libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, quia de his privilegiis, seu potestate certò constat, incerta interim existente eorundem revocatione.

Nonnulla huc pertinentia, Vide v. *Confirmatio Privilegii*, & v. *Iurisdictio*.

1. *Professio Religiosa.* Si ambigat Religiosus an sua professio sit valida, communiter Doctores, Merolla *t. 1. d. 3. c. 3. n. 18.* Peliz *in manu. Reg. t. 1. tr. 3. c. 1. n. 75.* Bordonus *in cons. Reg. res. 57. n. 69. & 31.* docent præsumendam esse validam, quia constat de professione, sed dubitatur de ejus valore. Adde semper judicandum esse, ut *suprà* diximus, in favorem valoris actus multò magis in favorem Religionis, à qua jus contra subditum acquisitum est. Lege Castro P. *tom. 1. d. 3. p. 11. n. 4. fine.* Verùm quæcumque hic non dicamus valere regulam illam generalem dandam *infrà*, v. *votum*, quando non constat de voto, ejusque essentia, prævalere libertatem: cum enim in dubio an sit valida professio, dubitetur de essentia ipsius seu de constituentibus ipsam, prævalebit libertas, & invalida erit professio. Id aliis discutiendum relinquo, ne contra tot Authores sentire videar; Certè Caramuël *lib. 3. Theolog. moral. num. 1472.* huic sententiæ sic favet: *A paucis annis* (inquit) *consultus de professione in Iudicis sententia dubia, resolvi libertatem fuisse professione priorem, adeoque pro Religiosi libertate standum. Erat timoratus, aut potius timida conscientia Iudex ille, & quia timebat ne injuriam communitati faceret illum liberum declarando, subjunxit, talium Religiosorum discessum esse Monasteriis utilissimum, nocivam stabilitatem, &c.*

2. Sed quid de Novitio? si dum dubitat, an, v. g. habeat annos sexdecim necessarios ad professionem, profiteatur, licitè & validè profitetur? Respondeo certum est hunc, nisi à bona fide excusetur, peccare mortaliter quia cum possideat ætas insufficiens, quæ est prior sufficienti, ut dixi v. *Ætas*, debuerat Novitius se ineptum ad professionem judicare: An verò sit valida perseverante dubio, jam universaliter videtur *num. præcedenti.* Quod si facta diligentia, comprehendatur, ætatem dicti Novitij insufficientem fuisse, tunc sine controversia ex Tridentino *sess. 25. cap. 15. de regular.* requirente in professo sexdecim, invalida erit: At si inveniatur postea habuisse ætatem sufficientem, dico validam fuisse professionem. De hac ultima resolutione Caramuël *ibid. num. 1158.* dubitat, aliisque decernendum relinquit. *Cum enim hic Novitius* (ait) *sic prosiliendo peccaverit, Prælatus seu Religio non præsumitur consensisse ad talem professionem* (etiam quoad substantiam) *tam illicitè factam, atque adeò professio erit invalida ex defectu consensus illam excipientium.* Hæc ex illo: Sed profectò, hic dicta præsumptio non adest, adest enim in Religione universalis quædam voluntas admittendi omnes qui legitimè re ipsa profitentur: at hic re verâ jam ætatem legitimam habet, quare legitimè profitetur: ergo, &c. quod enim ab ipso ea sufficientia non cognoscatur, nocere non potest prædicto universali consensui excipientium. Vide quod in simili à nobis dictum est *in opusculo de Sacrament. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 3. n. 11.*

3. Si dubitetur, An metus fuerit incussus ad professionem emittendam, præsumendum est non esse incussum, Sanch. Suar. aliique apud Dianam, *p. 4. tr. 3. res. 55.* quia possessio stat pro libertate, & negatione metus, cùm quilibet præsumendus sit fuisse bonus, & metum incussisse.

4. Rursus si certum sit adfuisse metum, sed ambigatur, an parvus, an magnus, resolve fuisse parvum, quia prævalet possessio incutientis metum in sua bonitate; atque adeò præsumendus est incussisse parvum; donec magnum fuisse demonstretur. Colligitur ex eiisdem *ibidem.*

5. Si denique Religiosus; sive propter metum, sive propter aliud invalidè certò laboret professione; sed dubitat, utrùm ante vel post quinquennium illam ratificaverit, distinguendum erit cum Merolla *tom. 1. d. 3. cap. 3. num. 28.* nam si dubitat, an ratificaverit ante quinquennium non erit censendus ratificasse. Ratio est, quia ante quinquennij finem, non præsumit Ecclesia ratificationem: ergo Novitius remanet in possessione suæ libertatis. At verò si dubitat, an confirmaverit post quinquennium, judicandus est confirmasse; nam elapso quinquennio si Religiosus non reclamat, jam tollit omne dubium, ipsum enim non reclamare est ratam habere professionem priorem, & Ecclesia ratihabitionem hanc accipiat, solemnemque reddit. Intellige nisi adhuc duret aliquod impedimentum essentiale, putà nisi ipse positivè velit non profiteri, vel nisi aliquæ solemnitates essentialiter necessariæ factæ non essent, &c. tunc enim nulla enascetur in foro conscientiæ professionis confirmatio, nam cæterùm certum est reclamare in foro exteriori Religioso non permitti, quinquennio elapso, nisi prius probet habuisse causas non reclamandi.

*Promissio*, Vide *verb. Votum.*

Q
R

*Religionis Votum.* Vide v. *Votum*, *præsertim numero 7. & 16.*

1. *Religiosorum Vota*, quoad obedientiam, Vide verbo, *Subditus*, & v. *Votum.* Quoad castitatem, Vide v. *Votum.* Quoad paupertatem, hic breviter locus est dicendi. Præmittendum est probabilem esse sententiam, posse Religiosum ex tacita, seu præsumpta licentia Superioris quam ratihabitionem appellamus, aliquid expendere, retinere, accipere, &c. Ita Suarez, Rebell. Fagund. Diana, Pelliz aliique apud Bardi *d. 6. de consc. cap. 3. §. 9 num. 2.* Hæc autem est, quoties adest judicium, quo prudenter credatur Superior licentiam concessurus, si petatur: & ratio est, quia non sit contra paupertatem, quando dependenter à Superiore hac in re subditus operatur, dependenter autem operatur satis, dum tacitam judicat habere licentiam. Et quamvis non pauci, ut Ioan. de Lugo *tom. 1. de just. d. 3. sect. 7. num. 124.* ad licitam ratihabitionem constituendam, requirant ulterius, ut Superior credatur non solùm licentiam concessurus, quoad substantiam, sed etiam quoad modum, scilicet, quod ille modus, quo hic, & nunc subditus expendit pecuniam cum præsumpta licentia, placeat Superiori, vel saltem, (ut habet Sanchez *lib. 7. in Dec. c. 19. num. 15.*) non graviter eidem displiceat. Nihilominus, Lessius Fag. Suar. Tanner. aliique apud Bardi *loco citato* probabiliter docent, hoc nequaquam requiri (semper intelligo quando displicentia Superioris non est adeo notabilis, ut trahat seu inferat negationem licentiæ quoad substantiam) non requiri inquam nisi ad vitandum veniale contra obedientiam, & ratio est quia ex una parte ea non est sub obedientiæ mortali præcepto prohibita, ut supponimus, juxta Doct. cit. & ex alia non est contra votum paupertatis, quia jam adest licentia tacita, posito quod non adsit displicentia Superioris quoad substantiam expensionis, nec tanta displicentia modi, ut redundet in substantiam.

2. Petes primò: qua ratione prudenter judicabit subditus tacitam adesse prædictam veniam quoad substantiam? Respondeo si advertat naturam non rigidam, sed benignam Superioris, merita, & dignitatem ipsius subditi, familiaritatemque cum eodem Superiore. Item ipsa res parvane, an magna est expendenda, ut etiam finis & omnes circumstantiæ operationis; licentia enim, verbi gratia, ad munusculum etiam devotionis elargiendum fœminæ, facilius dabitur seniori, quàm juveni, & facilius pro matrona benemerita, quàm pro levi quapiam puella & facilius dabitur licentia expendendi ad emenda necessaria, quam superflua, &c.

3. Petes

3. Petes secundò, ad majorem hujus doctrinæ declarationem: si Superior se declaret nolle has præsumptas licentias, sed velle, ut subditus tunc solùm prædicta facere possit licitè, quando prudenter judicat Superiorem fore contentum: tum, ut expendat, tum ut expediat sine licentia: vel si in aliquo peculiari casu sic dicat Superior: *Nemo expendat aliquid ad emendum id genus, v. g. pecturæ, ni si expressam obtineat à me licentiam*, poteritne adhuc locus esse dictæ licentiæ tacitæ sine peccato mortali, si judicetur Superior esse solùm invitus quoad modum; Respondeo posse in utroque casu, donec id sub virtute obedientiæ legitimè Superior prohibeat. Ratio est, quia adhuc poterit esse casus, in quo, etiam illis declarationibus extantibus, judicetur Superior hic, & nunc non fore quoad substantiam invitus. Fatcor interim fortiores debere conjecturas adesse, ut Superior positis illis declarationibus invitus non censeatur, etiam quoad substantiam: id enim illæ declarationes tam rigidæ significare videntur. His declaratis.

4. Duo addo. Primùm, non solùm satis esse si certò moraliter constet adesse ejusmodi licentiam tacitam, sed etiam si probabiliter; ita Sanch. *lib. 1. in Dec. c. 19. n. 55. fin.* Pelliz. Castro P. Fag Caramuël, quos citat, sequiturque Bardi *l. c. §. 10.* (quidquid aliqui dicant, qui semper certam moraliter exposcunt.) Ratio est quia, ut sæpè dictum, probabilitas semper sufficit ad prudenter operandum. Secundò, me putare post factum non obligari Religiosum ad patefaciendum Superiori id, quod ex præsumpta licentia fecit, nisi in eo casu, quo continuanda esset aliqua actio contra paupertatem, ad quam requireretur nova licentia, & ex alia parte desinerent conjecturæ, quibus dicta nova licentia præsumatur: lege Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 11. n. 3.* Sanch. *in Dec. l. c. n. 8.* Pelliz. *in man. Reg. tom. 1. tr. 4. c. 2. n. 215.* alios que. His declaratis.

5. Difficultas propria hujus loci est. Quando ejusmodi tacita licentia est dubia, hoc est, Dubitas an Superior licentiam concessurus sit, an licitè eas actiones possis contra paupertatis votum efficere? Respondeo negativè. Ratio est, quia in hoc casu certum est paupertatis votum, seu certa, & firma est obligatio: at dubia exemptio ducta à tacita licentia: ergo votum ejusque obligatio prævaleat, necesse est.

1. *Rescriptum*, contigit, ut cum Summus Pontifex causam quandam Vicario Generali commisisset, inverentur in eo Episcopatu duo Vicarij Generales, nec apparebat unus altero principalior, nec aderat caput unde colligeretur uni potiùs, quàm alteri rescriptum esse præsentandum, quis in tanta incertitudine præferendus?

Respondeo, vel rescriptum est concernens ad forum contentiosum, & tunc neuter ex Vicariis eligi in judicem potest, partibus non consentientibus, sed recurrendum iterum ad Pontificem; ita Sanch. *lib. 8. de matr. d. 27. n. 37.* Pirr. Conrad. *de disp. l. 7. cap. 4. n. 49.* Ratio est, quia cum partes hîc non convenire supponantur, possidet æquè libertas utriusque ad eum dubium Iudicem repellendum, & ex alia parte, cùm neuter ex iis judicibus sit à Pontifice determinatè designatus, neutri jurisdictio delegatur. At si partes consentiant in alterutrum, is eligi meritò potest, quia tunc voluntas Pontificis, quæ intendit partibus providere, præsumitur illi ab utraque parte electo jurisdictionem communicare. Facit huc quod dixi *v. Nomen dubium, n. 1. de tutore.* Vel ejusmodi rescriptum est gratiosum, quale est in dispensationibus matrimonij, bigamiæ, legitimitatis, &c. tunc puto posse eligi quemlibet ex duobus, quem velit is, in cujus favorem emanavit rescriptum, seu dispensatio; ita Sanch. *ibid.* Ratio est, quia præsumitur Pontifex designare eum, quem dispensandum voluerit, ut potè in cujus favorem Summus Pontifex rescripserit. Si simile quid eveniret in delegato à Principe sæculari, eade resolutio erit casui proportionaliter applicanda.

01. *Restitutio.* Vide *v. Furtum*, & *v. Damnum seculum.* & *v. Solutio debiti.* Debes certò centum, dubitas an solveris, adhuc solvere centum teneris: Ita de Lugo *de just. tom. 1. d. 18. sect. 1. à num. 8.* Debes sub dubio centum, quæ certus es non solvisse, ad onere solvendi liber es. Ratio est, quia ibi possidet vinculum debiti, hic tua libertas. In priore casu, non solùm debitor, sed etiam creditor dubitat de solutione: Laym. *lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. nu. 41. in fine*, Diana *p. 4. tr. 3. r. 32.* docent probabile etiam esse non esse dividendam, & solam partem, pro rata dubij, dandam huic creditori: Ratio, quidem in materia iustitiæ probabilis est, quia cùm is non habeat, nisi dubium ius, non est æquum ut ei solvatur tantum, quantum solueretur, si haberet ius certum: solvatur ergo, pro rata dubij. Id iterum me notasse memini *supr. §. 6. n. 9.* Dico autem (in materia iustitiæ) nam in aliis materiis multa absurda sequerentur, ut expendit de Lugo *de just. c. 1. d. 18. sect. 1. à n. 18.* contra Laym. ego verò aio id solùm esse probabile in materia iustitiæ, disparitatemque pro aliis materiis alteri non difficulter inveniendam relinquo: cùm mihi sit satis pro modo authoritas Layman, & Dianæ, qui non de aliis materiis, sed solum de materia iustitiæ loquuntur.

2. Verùm ad alia quæ hic dicenda se offerunt, accedamus.

Possessionem cujusdam rei certò obtineo, sed ambigo, an ea res mea sit? ad restitutionem ne teneor?

Respondeo, vel incepisti obtinere bona fide, vel mala, vel dubia, de omnibus separatim.

Si primùm, & deinde quidem incepit consurgere contra te dubium, inquiro: Incepitne eiusmodi dubium, ex levibus, vel probabilibus rationibus, an ex moraliter convincentibus, hoc est, ex rationibus eius generis, quæ omnem probabilitatem contrariam depellunt? Si ex levibus, vel probabilibus, non teneris ad restitutionem, possessio enim tibi suffragatur contra omnes rationes non convincentes: teneris tamen veritatem inquirere, modo mox *n. 5.* dicendo. Si ex convincentibus, rem restituere teneris, quia iam mala fides certa contra possessionem incipit non pugnare solùm, sed etiam expugnare.

3. Si verò incepisti mala fide possidere, locus quæstioni non datur; omnino enim restituere teneris, cùm possessor malæ fidei semper restitutioni subiaceat, cui autem restitutio sit facienda, quando ignoratur dominus, mox intelliges *n. 9. in fine.*

4. Denique, si dubia fide possidere incepisti, & ad indagandam veritatem minus attendisti: nec est locus quæstioni, assimilaris enim mala fide possidenti, ut omnes docentius; de qua re lege de Lug. *t. 1. de just. d. 17. sect. 4.* & *d. 18. sect. 1.* quare obligaris ad novam diligentiam, qua veritas dominus possit inveniri, faciendam: Quod si hic inveniri non possit, cui res sit restituenda mox dicam.

5. Nunc doctrinæ ratio monet, ut de hac diligentia subdamus. Primum omnium cùm diligentiam adhibendam esse dico, intelligo hic, tum in similibus moralem, & ordinariam, ad extraordinarias enim nemo, ex vi legis ordinariæ tenetur. Deinde si bonæ fidei possessor incipiat dubitare, an res sit sua, videndum an semper teneatur examinare, & inquirere veritatem? Vt item an semper possessor dubiæ fidei ad idem obligetur? Respondeo. Si ille incipiat dubitare; & hic fuerit, vel sit dubius propter leves rationes, non tenetur, si propter graves, ideſt probabiles, tenetur; ita Villalob *in summ. t. diff. 10. n. 4.* aliique.

Ratio prioris dicti est, quia nemo tenetur inquisitionem contra se instituere ex levibus rationibus; sicut enim ipse superior non tenetur, & fortè non potest ex levibus coniecturis moveri ad inquirendum contra te, sic multò magis nec tu adversus te ipsum. Ratio posterioris est, quia tunc prudenter timere debes, ne tua possessio vincatur à certitudine contrarij, quæ probabiliter sit apparitura, quando rem apud te retinere non poteris.

6. Iam si adhibita morali diligentia verus dominus inveniatur, ei res attribuetur; At si non inveniatur, poterit (aiunt Castro *P. t. 1. tr. 1 d. 3. p. 2. n. 9.* Coninch. Vasq. uterque Sanch. Mol. aliique apud Dianam *p. 4. tr. 3. res. 25.* sanè probabiliter) possessor sibi rem retinere, quia cùm illæ rationes propter quas dubitat, supponantur solùm esse,

ste ad summum probabiles, semper prævalebit possessio, quam habet ipse rei, quæ possessio solum cedit, ut melioribus rationibus convincentibus. Alij, ut de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 18. sect. 1. n. 4.* & *ibid. disp. 27. sect. 4. n. 84.* quos Lessius sequor, docent rem esse dividendam pro rata dubij inter ipsum possessorem, & alios, si ij nequeant, quia hæc possessio non est nisi dubiè bona, ergo non potest taliter favere possidenti. Quod si ij nequaquam inveniri possunt, tunc rem totam dictus possessor retineat, quia tunc nullus potest contra ipsum, etiam sub dubio, aliquid petere, ergo illa possessio, quamvis dubiè bona illi soli favebit, illi, inquam, qui ab initio possessor bonæ fidei fuit, de quo loquimur.

7. Inquires primò: & quis censendus sit verus Dominus? Respondeo is, qui per probabilem aliquam rationem negari non potest; si enim probabiliter negari posset, non esset certò dominus verus, & consequenter contra possessorem non prævalebit.

8. Inquires secundò: quid si inveniantur duo, qui veri domini appareant, nec possit dignosci, quisnam ex his certò dominus sit? Respondeo esse rem dividendam pro rata dubij: ita Molin. *t. 1. de just. d. 72. n. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 6. n. 21.* Bonac. *de rest. d. 1. q. 2. p. 2. n. 11.* est enim regula generalis, restitutionem esse mensuram dam juxta jus, quod quisque participat, ut modò insimili *n. 1.* & *verb. Nomen dubium n. 3.* & aliàs nimis sæpè dictum est.

9. Sed quid si omisit quis prædictam inquirendi diligentiam, & interim supervenit circunstantia, per quam dominus verus non possit ampliùs innotescere, ut si mortui fuerint ij, qui apti testes esse potuissent, valeréne sibi tum illam retinere? Respondeo hunc mortaliter peccassed rem retinere sibi licitè posse, ita Bonac. *de contract. d. 1. q. 1. p. 2. n. 8.* & probabile putat Castro P. *tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 2. n. 9.* quibus adde Diadam *p. 3. tr. 3. res. 29.* quia post mortem testium, nemo nunc (quidquid sit antea) habet meliorem conditionem, seu jus, quàm ipse qui bonæ fidei possessor ab initio fuit, qui certò rem possidet. Si enim initio malæ fidei possessor, vel huic similis fuit, de quibus dixi *n. 3.* & *4.* retinere non potest, sed pauperibus erogare tenetur (ut fusè explicat de Lug. *de Iust.*) vel per Bullam compositionis sibi consulere juxta ea, quæ docentur *in expositione Bullæ Cruciatæ.*

10. Denique, si adhibita diligentia, & domino non apparente, is qui est bonæ fidei possessor, rem consumat, vel vendat, si post eam consumptionem appareat verus dominus, ad quid ejusmodi possessor tenebitur? Respondeo teneri solum ad restituendum domino id, in quo factus est ditior: quia is post exhibitam diligentiam fuit etiam possessor bonæ fidei: at possessor bonæ fidei, ut est communis doctrina, non obligatur in similibus casibus nisi ad restituendum id, in quo locupletior factus est. Quid si is dubitet an in aliquo factus sit ditior? Respondeo, tunc sibi persuadere licitè valet, se non esse factum ditiorem, & sic potest nihil restituere, quia ex communiter contingentibus præsumatur latiùs, vixisse: ita Sanch. & Bonac. apud Bardi *de cons. d. 6. c. 9. §. 6.*

11. Petes, dum diligentiæ exhibentur ad inveniendum dominum, licétne ejusmodi possessori rem retinere, vel alienare? Respondeo, potest retinere, sed cum intentione rem servandi tanquam in depósito; si enim hodie non dat, poterit cras dare cras: siquidem si imprudenter nunc daret, proh! quàm difficulter posset postea recuperare? Si res sit fructifera, an possit colligere fructus, innui *supra, v. Matrimonium, num. 4.* Alienare autem non potest nisi cum duabus conditionibus, quas in simili dixi *supra, §. 6. n. 6.* quem locum recole.

1. *Reus & Testis.* Dubitant hi, an legitimè interrogentur à Iudice: obligabunturne ad ejus mentem respondere? Supponimus hic obligari hos legitimo judici parere: nam cæterum *infra, lib. 2. c. 4. §. 3.* de tota hac re benigniùs disputabitur.

Respondeo non obligari, etiam si Iudex præcipiat sub pœna excommunicationis Ita Fag. *in Dec. præcept. 2. lib. 1. c. 11. n. 18.* de Lugo *de justitia, t. 2. d. 40. sect. 1. num. 3.* Sanch. *in Dec. lib. 6. c. 3. n. 23.* & *in cons. lib. 6. c. 3. dub. 31.* Pasqual. *decis. 126.* Ratio est, quia Reus, & Testis sunt in possessione suæ libertatis valendi æquivocare ex causa: ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis; Causa autem hic semper intervenit, quia semper ij possunt velle custodire suum jus, quo possunt non aperire veritatem ei, qui ex certa, & manifesta obligatione non debeant.

2. Scio quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à reo, vel teste magnum malum, non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere, &c. Sed hos sequi non possum, quia prædicta possessio libertatis in reo, & teste què prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur.

3. Lege Dianam *p. 3. tr. 3. res. 106.* qui sine distinctione universaliter nostram sententiam amplectitur. Unde colligit, quando superior inquirit generaliter super aliquo notorio delicto, cujus Author nescitur, posse te vocatum ad testificandum æquivocare; si dubites, num infamia, vel indicia sint contra delinquentem, licèt jure delinquentem scias. Nec contrarium docent Sanchez, & de Lugo, ut quidam putant. Audi de Lugo *n. 5. num. 6.* Regulam hanc (inquit) non procedere admonet Sanchez *n. 3. & 4.* in rebus levioribus, ubi leve sequitur periculum in quibus si certò constat Iudicem esse virum probum, & peritum, tam reus, quàm testis debent in dubio respondere, & manifestare veritatem. Tantum de Lugo ex Sanchez. Vides? tunc solum obstringunt hi DD. reum, & testem, cum Iudex pius est, & peritus; sanè quia propter has circumstantias præsumendus est Iudex, certò legitimè interrogare, ergo jam non sumus in casu dubio, Quare, si verè perseverat omnibus pensatis ejusmodi dubium, numquam hi Doctores videntur nostram Responsionem in levi damno limitasse, solum aliquando ex peritia, & pietate Iudicis, legitimam certò esse interrogationem collegerunt.

4. Illud nihilominus advertendum est, quando periclitaretur bonum commune, vel innocentis grave damnum, te interrogatum à Iudice debere ad ejus mentem in similibus dubiis respondere, si solum tibi subsit leve periculum, quia pugnarent hic tua libertas, & bonum grave innocentis: at bono communi semper tuum bonum peculiare est postponenduum: & bonum grave innocentis tuæ levi damno, juxta vulgares charitatis leges, debet anteponi.

S

1. *Scandalum*; Dubitat quis; an sua actio sit futura causa peccati in proximo, liciténe illam exercere potest? supponimus autem ipsum non intendere peccatum alterius, si enim intendat, erit scandalum directum, & sine dubio peccaminosum, ut dictum est *in nostro opusc. de exp. confess. lib. 2. cap. 1. §. 17. n. 100.*

Respondeo revolendo priùs quod *ibid. n. 103.* ex Sanchez notavi, plures excusari à prædicto peccato scandali, quod *ibidem* indirectum vocavimus, quia vel ipsi tam pravi sunt, ut eorum malum exemplum parum noceat, vel qui inducuntur, tam faciles sunt, proclivésque ad peccandum; ut qui suo exemplo occasionem illis obtulit, non censeatur eos moraliter inducere.

Hoc posito, assero licitè prædictam actionem exerceri posse. Ratio est, quia tunc pecco peccato scandali, quando actio mea moraliter censetur inducere proximum ad peccatum, ut jam dictum est, sed quando dubito an mea actio futura sit causa peccati in proximo, non censeor ipsum inducere ad peccatum, ergo, &c. Minor probatur ex doctrina toties allata, neminem in dubio censendum committere delictum, & omnes, nisi contrarium constet, debere reputari bonos: *l. Merito. ff. pro socio*, lege Menochium *de præsumpt. lib. 1. præs. 29. n. 18.* docentem præsumptionem, quæ delictum excludit, esse omnium fortissimam: nam inde fit, ut quoties dubito, an proximus sit admissurus peccatum, debeam deponere, imò repellere hoc dubium, & censere illum non peccaturum, atq; adeo putare meam actionem nequaquam inducere proximum ad peccatum.

1. Sæpe

1. *Sepeliri in loco sacro.* Puer, de quo dubitatur, an sit Baptizatus, in loco sacro sepeliendus neutiquam esset, quia certò possidet in puero Paganismus, qui fuit ante Baptismum dubius: at spectata Ecclesiæ benignitate, sepeliatur, usurpando ceremonias sacras sub tacita conditione, si est Baptizatus; ita Bonac. apud Dianam *p.4. tr. 3. res. 69.* Ratio est quia ipsa non præsumitur repellere ab Ecclesiastica sepultura, nisi certò non Baptizatos.

2. Qui se ipsum voluntariè interfecit, non est Ecclesiastica sepultura decorandus, *c. Placuit ut qui, 23. q. 5.* nisi signa contritionis fortè dederit antequam spiraret. Ita ex Sylvest. Laym. *lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 8.* si quis igitur inveniatur domi laqueo suspensus, gladio confectus, in puteum projectus, &c. nec adsint conjecturæ, utrùm ex se, an ab alio, vel casu occisus fuerit, gaudebit sacra sepultura; Respondeo gaudebit: ita Covar. *lib. 2. var. c. 1. n.* 11. Lavorius *de prisco, & recenti fun. mor. 2. c. 12. a n.* 31. quia in dubio nemo præsumitur delictum commisisse: Contrariæ autem conjecturæ, vt iudex posset huic negare humationem sacram, vehementes esse deberent, hoc est, evincentes eam universalem præsumptionem, qua nemo est existimandus admisisse delictum. Si certum sit aliquem sibi mortem conscivisse, dubitatur verò an ex amentia vel furore, indeliberate, an verò voluntariè sana mente id fecerit, Layman. *l cit.* docet non esse sepeliendum in loco sacro, quia possidet certò delictum, & quia praxis Ecclesiæ eiusmodi occisorem arcere solet à sacra sepultura, nisi ex signis coniiciat ex aliqua gravi causa in furorem abiisse, sed tu expende illud Canonis citati (voluntariè) & vide an huic favere possit.

1. *Seruus.* Certum est, te meo patri famulatum exhibuisse, seu ipsi operam tuam locasse; Incertũ, an mercedem habueris, teneor absolutè loquendo ego hæres, ad exhibendam tibi congruam mercedem, quia debitum est certum, solutio incerta, præualet ergo debitum. Dixi (absolutè) nam si obstet legitima præscriptio, vel quid simile, non versaremur in dubio, sed certa lex esset obseruanda. Lege Molin. *t. 1 de iust. d. 67.* Fag. *lib. 2. de iust. c. 15. n. 39.*

De seruitiis exhibitis vltrò à seruis, Vide *v. Donatio, num. 5.*

1. *Simonia.* Contra Simoniacos sive communes, sive confidentiales sunt multæ pœnæ, præsertim excommunicatio, & obligatio dimittendi beneficium simoniacè obtentum. Et quidem si simonia fuerit certò & indubitanter commissa, te pœnas incurrisse, non est quod ambigamus. Si fuerit probabiliter non commissa, eas non incurristi, quia secutus fuisti, vel nunc sequi potes opinionem probabilem. At quid in dubio? Scis, v.g. certò te centum aureos dedisse, sed dubitas, an dederis in pretium rei spiritualis, seu rei annexæ spirituali, an potiùs ob aliquid temporale, seu ob aliquid quod solùm se remotè habuerit ad rem illam obtinendam?

Respondeo, te non incurrisse pœnas, quare posse te reputare liberum ab obligatione dimittendi beneficium, & ab excommunicatione. Ratio est, tum quia in utroque foro, de quo lege Farinac. *cons. 75. lib.* non est æquum ut subeatur pœna certa pro delicto incerto *c. Grave 11. n. 3. c. Iudicante. 30. q. 5. c. Habuisse, d. 33. Inst. de rerum diuisione, §. Illud quæsitum, & Inst. de Act. §. Curare,* tum quia possessio tuæ innocentiæ prævalet, donec certum delictum probetur. Quod si, mala fide se in possessionem Beneficij immisisti, quia scilicet dubitabas de simonia patrata, peccasti quidem ex conscientia erronea, qua putabas habere malam fidem, & de hoc peccato debes in Confessione absolvi: sed revera ob rationes dictas nequaquam pœnas incurristi, quæ fulminantur contra non dubiam simoniam: Quare nunc depone illam erroneam, conscientiam, & Beneficium retine.

1. *Sigillum Confessionis.* Cadere in sigillum confessionis, peccatum dubiè ex confessione notum, dixi *in appendice, seu lib. 5. opusc. de confess. c. 3. n. 20.* nec me ab hac certissima sententia movent aliqua in contrarium allata novissimè à P. Bardi *de consc. discept. 6. c. 11. p. 4. §. 11.*

1. *Solutio debiti.* Debeo tibi centum ex uno, & alia centum ex alio titulo, si tibi solvam centum dumtaxat pro quo debito satisfaciam, si nihil exprimam?

Respondeo: Hic locum non habet quæstio de conscientia dubia; constat enim id debitum extingui, etiam in foro externo, quod magis gravat debitorem, & ratio est, quia quilibet censetur operari quod sibi utilius est, ita de Lugo aliquos citans *t. 1. de just. d. 16. sect. 6. n. 128.*

Hinc debitum solvens, censetur in dubio velle solvere potius pro debito maturato, quàm pro maturando, pro debito nomine proprio contracto, quàm alieno ex fidejussione; pro liquido, quàm non liquido, pro anteriore, quàm posteriore; pro debito, de quo currit interesse, quàm pro mero mutuo. Favent huic doctrinæ ea quæ dixi *v. Donati. n. 2.*

2. Si tamen debes decursa, & capitale, & aliquam partem modo dicto solvas, pro decursis satisfacies, non pro capitali, quia ad indemnitatem creditoris id meritò decernit *l. 9. de sol. & l. usur. eod. de usur.* Quod si debita sint paris oneris, tunc judicaberis solvisse pro omnibus pro rata, quia est major ratio de uno, quàm de altero.

3. Dictum est autem *n. a.* (si nihil exprimam) nam si debitor verbis dixit, vel mente voluit pro uno potius, quàm pro alio satisfacere, tali dicto, vel intentioni standum erit etiam in foro conscientiæ, quia obligatio tollitur dependenter à voluntate ipsius, quare cùm per illam intentionem jam ablata sit, non poterit illa obligatio, per quamvis retractationem reviviscere.

4. Sed quid, si tibi debeo centum ex quocumque titulo justitiæ, sive ex contractu, sive ex re accepta, sive ex injusta acceptione, & interim do tibi gratis centum, sive per remunerationem non debitam ex justitia, sive gratiosam donationem, nihil exprimendo, imò nihil cogitando de debito illo justitiæ, intelligitúrque extinctum illud justitiæ debitum, quod mihi multum sine dubio grave est? Respondeo, licèt non extingui sit probabile, quia debitum non extinguitur, nisi per solutionem: hæc autem donatio est: Ita Sanchez aliique apud Dianam mox citandum. Tamen etiam est probabile extingui, ita Nicol. Baldel. Magister in Theologicis meus *t. 1. lib. 5. d. 25. n. 18.* ex *l. cum ex pluribus, ff. de solut.* quia adest voluntas semper in homine implicita, & generalis satisfaciendi, prout, potest per unum quemque actum suis obligationibus, quas ipse habet, tum in materiis aliis, tum in materia justitiæ, ex qua sententia sequitur, si quis ex devotione inviseret Ecclesiam, recitaret coronam daret eleemosynam, Missæ interesset, &c. & deinde recordaretur, se illa voluisse, vel à Confessario jussa sibi fuisse, vel adesse præceptum ea faciendi, de quo vide Dianam *p. 3. tr. 6. res. 57. & 77.* sequitur, inquam, non teneri iterum ad ea, quia jam per illam generalem voluntatem illis satisfecit; nam propterea ait Sanch. *in Dec. lib. 1. c. 13. n. 11.* qui nihil cogitans eleemosynam, v.g. centum aureorum, per totum annum sparsim pauperibus dedit, si deinde advertat se centum debuisse reddere ob aliquam obligationem, ad iterum largiendum non obligabitur, & item Beneficiarius, qui centum Ecclesiæ suæ deberet ex omissione Officii Divini, si eidem Ecclesiæ, nihil de hac obligatione cogitans, sacram, v.g. vestem ejusdem pretii donavisset, ad nihil, propter eandem rationem, amplius satis probabiliter tenetur. Ita Layman *lib. 3. sect. 5. tr. 2. c. 22. n. 9.* & apud Dianam *p. 3. tr. 6. res. 57.*

5. Dictum est de debitore quando ex se solvit debitum: quid de creditore, quando sibi compensat de bonis, quæ potest clam habere sui debitoris, parùm modo censebitur sibi compensare illud creditum, quod sibi utilius est? Respondeo ita, quod quia longè est à nostro instituto, vide fusè apud de Lugo *de justit. t. 1. d. 16. sect. 6. n. 129.* Dixi nihilominus de hoc breviter *suprà verbo, Compensatio.*

1. *Sponsalia.* Si dubium sit, post habita sponsalia, num aliquis defectus notabilis supervenerit, vel cognitus de novo fuerit, quæstio solet fieri, an possit sponsus à contrahendo matrimonio resilire, & regula quidem universalis, hæc dari consuevit: quando sponsus, quamvis ignorasset defectum illum, ita erat affectus, ut si illum agnovisset,

tisset, adhuc contraxisset, non posse resilire, quia impliciteret habet universalem quandam voluntatem contrahendi etiam sub eo defectu, posse, si in eo affectu non fuisset, quia prædictam voluntatem non habuit, ita Mol. *t.1. de just.d.* 272. Sanch. *de m lib.1.id.74.n.* 2. Audio. Sed nostra quæstio est, quid si de eo animo dubitet sponsus: (nam si probabiliter judicet non habuisse, certe resilire; formando sibi opinionem practicè probabilem, posset) Respondeo tunc expendendum, cum Sanch. *l.1. n.ult.* Bonac. *de matr. q.3. p.8.n.* 20. an id, quod supervenerit, vel de novo cognoscitur, afferat sponso damnum notabile, necne: si afferat notabile, pro libertate sponsi decernito; secus, si solùm afferat damnum leve. Ratio est, quia ex communi ut contingentibus, in priore casu, præsumitur sponsus non habuisse illâm voluntatem, nemo enim vult promittere matrimonium cum tanto suo damno: at propter contrariam rationem præsumitur cum levi. Neque dicas, tum in gravi, quàm in levi debet vincere certa libertas sponsi, atque adeò poterit semper resilire: ne id dicas, inquam, quia in damno gravi cùm præsumatur, non affuisse voluntas contrahendi libertas sponsi possidet, at in damno levi, cùm contra præsumatur affuisse dicta contrahendi voluntas, non libertas sponsi, sed contractus sponsalitius, ejúsque certa obligatio possidet.

1. *Subditus.* Si ambigas primò. utrum re tibi à superiore præcepta, licita sit, an illicita; Secundò, an legitimus sit Superior; Tertiò, cùm sit certus superior, an tunc excedat in præcipiendo limites suæ jurisdictionis, teneˊne, te non obligari obedire, docent, Vasq. *t. 2.q.*19. *a.*6. *d.*66. *c.*9. *à n.*51. Rodriq. *in sum. v. Obedientia 2. p. c.*9. *à concl.* 2. quia nemo est in potestate præcipiendi ea, de quibus dubitatur an sint honesta; vel an sint extra suam jurisdictionem, prævalet ergo tunc subditi libertas. Thom. Sanch. *lib. in Dec. c.*3. *n.*3. Io. Sanch. *d.*33. *n.* 37. Diana *p.*4. *n.*1. *res.*9. & 9. docent te obligari in hoc tertio (esto non obligaris in duobus prioribus casibus) quia eo ipso, quod ille superior est, & tu subditus, teneris tu obedire, cùm ejus certa potestas non possit vinci à dubia exceptione exemptionis. Utraque sententia videtur probabilis.

1. *Suffragium.* Decretum fuit suffragiis secretis Gabellam, v. g. injustam populis esse imponendam, Beneficium, Cathedram, Officium, esse hic injustè concedendum, & similia, ad quæ decernenda licèt sufficissent suffragia, v.g. undecim ex viginti Senatoribus, seu electoribus, tamen adfuêre quindecim, quid dicendum? nam omnes hi dubitant an suffragium suum fuerit ex primis undecim, adeòque, an rem illam injustam ipsi concluserint, unde ad restitutionem teneantur; esto peccaverint, quia consenserunt decreto injusto; ut notat Lessius *lib.*2. *cap.*13. *disp.*3. *n.*22. & 23.

1. Respondeo tres esse sententias. Prima absolutè affirmat omnes ad restitutionem in solidum teneri, quia omnes conflant unam causam adæquatam; sicuti enim navem trahentem navim, licèt nonaginta sufficerêt, omnes tamen trahunt, ita in casu nostro: ita Merolla *t.*1. *d.*3. *c.*3. *Coroll.*6 *n.*21. Secunda absolutè negat: quia singuli sunt in possessione certa suæ pecuniæ, quam non tenentur alteri tradere, nisi obligatio, sit luce meridiana clarior: ita Rebell. Syr Henriq. Diana, Granadus, aliíque apud de Lugo *t.* 1. *de just. d.*19. *sect.*2. *n.*20. Tertia denique obligat quidem omnes, at non ad totum in solidum, sed solùm ad partem pro rata dubij: ita Molin. *t.*1. *d.*736. *n.*6. de Lug. *l.c. n.*22. Ratio est, quia solùm ad partem clara videtur obligatio: si quidem omnes inceperunt dare suffragium cum dubio, an ipsi essent, qui injustè damnum decernerent, & datis suffragiis, remanet idem dubium: at *supra, v. Restitutio,* 9. diximus incipientem possidere cum dubia fide, eademque dubia fide perseverante, restituere debere. Cùm ergo ex alia parte omnes sic dubitent, omnes participare debebunt de obligatione restitutionis. Alias rationes vide apud Molin. & de Lugo *loc. cit.* nam propterea hæc tertia sententia est excipienda, licèt primam, & secundam, tum propter bonas rationes, quibus innituntur, tum propter authoritatem tot Doctorum, non audeam vocare improbabiles; & secundæ quidem etiam favent Doctores citati, & doctrina allata *supra, v. Restitutio, n.* 1. *litera E.*

3. Dixi *n.*9. (suffragiis secretis) nam quando suffragia sunt aperta, non adest simile dubium, quare peccabis quidem mentaliter, si suffrageris rei injustæ jam ab aliis conclusæ, quia consensus, ut dictum est, injusto decreto: ita Laym. Tum. aliique apud Dian. *p.* 1. *tr* 3. *res.*16. & *res.*30. ubi docet eidē rei conclusæ te non posse subscribere: sed te non obligari ad restitutionem, quando tuo suffragio impedire injustam illam nequis, docent probabiliter, Iidem apud eundem. Quod si res injusta concludenda à posterioribus suffragantibus sufficienter erit sine tuo suffragio, tu tamen suffrageris inter priores, & peccabis, & restituere obligaberis, quia sic certam causam tunc injusti damni das; ut docent communiter Doctores, Turrian. Lessi *l.c.* Filliuc. Vallalob. cum Diana *l.c. res* 17. vide de his suffragiis multa apud de Lugo *t.* 1. *de justitia. d.*20. *sect.*1. *an.*17, & *sect.*2. §.3. *n.*55. & §.5. *n.*87.

1. *Testamentum.* Anceps sum an testamento (idem proportionaliter de legato) affuerit fraus, possúmne licitè ex vi hujus testamenti hæreditatem consequi? Respondeo, si ejus es in possessione, te in ea firmum serva: quia in dubio melior est semper possidentis conditio: ita Sanc. *lib.*4. *consc. cap.* 1. *d.*14. præsertim 7. At si hæreditatem nondum adivisti, major est difficultas, asserо nihilominus te posse adire, quia fraus & dolus, utpotè delictum, non sunt præsumenda, nisi certò constet.

2. Imò etiamsi fraudem affuisse scias, non quidem certò sed probabiliter, idque nunc post habitam bona fide possessionem, non teneris dimittere hæreditatem ante judicis sententiam, quia inter privatos, ut ex dictis constat contra possessionem legitimam sola certitudo, non verò probabilitas prævalet. Atque hic est casus allatus *sup.* §.3. *n.*19.

3. Sed quid si probabiliter adfuit fraus, & primo est in possessione hæreditatis? Respondeo tunc dividendam esse hæreditatem inter probabiliter prætendentes juxta ratam probabilitatis. Imò idem dicendum erit ex nostris principiis, etiamsi dubium sit de fraude, quando nemo possidet.

Vide *v. Nomen dubium, n.*2 & *v. Restitutio, n.*1. & 8.

*Testis* Vide *v. Reus & Testis.*

*Tutor.* Vide *v. Nomen dubium.*

## V.

1. *Venatio.* Dubito an fera laqueo tuo irretita possit effugere, néne, & illam ego capio, An primò tibi debeam feram? an secundò tibi saltem debeam, quanti spes illa valet, quod fortè tua fuisset? An tertiò teneat saltem solvere valorem laboris tui, quo laqueum tetendisti?

2. Respondeo, non debeo primò feram, quia in dubio an fera amiserit libertatem, ne fera quidem præsumitur eam amisisse: si igitur ipsa adhuc libera censetur, ergo utor jure meo illam capiendi. Ita de Lugo *t.*1. *de just. d.* 6. *num.*83.

2. Non debeo secundò valorem spei, ex de Lugo *l.c.* esto Lessius *lib.*2. *c.*5. *d.*1. *n.*30. Mol. *d.*41. & Layman. *l.*3. *tract.*1. *cap.*4. *num.*12. dicant pro rata dubio esse feram dividendam. Ratio autem nostræ responsionis est, quia licet mihi uti jure meo, esto per accidens sequatur frustratio suæ spei in alio: ut patet, si ego utor arte non injusta ad habendum beneficium, vel Cathedram, est alter sua spe frustretur, &c.

4. Debeo tamen tertiò valorem laboris: quia hujus certus est Dominus ille quia laqueum paravit, & idem labor mihi viam stravit ad capiendam feram. *Inst. de divis.* §. *ex diverso*, *l. adeò ex diverso, ff. de rerum divisi. Qua ratione, ff. de acquir. rer. domin.*

1. *Venditio.* Consigno tibi vestem, quam pro me vendas decem aureis, tu alteri vendidisti undecim dubitasque an potius tu ipse emeris pro decem, & deinde alteri nomine tuo vendideris pro undecim, an verò tibi non emeris: sed absolutè nomine Domini vendideris, Quid judicandum? in priore enim casu tuus erit undecimus ille aureus, utpotè pretium tuæ rei; in posteriore

erit Domini, quippe suæ rei pretium, Respondeo, de Lugo, *de just. tom. 2. d. 26. sect. 9. n. 153.* aliique laborant in assignandis conjecturis, an hæc venditio nomine alieno fuerit, an proprio, & rectè. Verùm, si in hoc sistimus quæstionem non diluimus; nostra enim quæstio est, an adhuc remanente dubio post expensas conjecturas, statuendum sit pro Domino, an pro venditore. Dico igitur statuendum pro Domino vestis. Ratio est toties dicta, quia prius fuit vestem fuisse Domini, & hoc certum est, at postea dubitatur, an fuerit empta ab hoc venditore, prævalet ergo Dominus.

1. *Virgo.* Defloravit quis Virginem multa promittens, inter quæ omnibus expensis, ambigitur an intercesserit promissio illam ducendi, vel dotandi, ad quid obligatur? Respondeo ad nihil, quia libertas ipsius est certa, promissio incerta. Vide *v. Vota.*

Idem dico, si quis dubitet, an Virginem per fraudem, vim, metum seduxerit, in quibus casibus leges defloratorem urgent ad dotandum, vel ad damnum alia via resarciendum. Ita inclinat Pater Bardi *de conscientia d. 6. cap. 9. §. 22.* contra Molinam & de Lugo ab eodem citatos. Ratio est, tum quia possidet certa defloratoris libertas, tum quia nemo præsumitur delictum fraudis commisisse, *l. merito ff. de dub.*

At certò quis promisit dictam virginem ducere, vel dotare, sed dubitat an ab ipso fuerit virgo inventa: Respondeo judicandum est fuisse inventam virginem, atque adeò ducendam, vel dotandam à defloratore, Ita Menoc. *lib. 6. præs. 49. n. 2. & 3.* Mol. *t. 4. de just. tr. 3. d. 104. n. 14.* de Lugo *de just. to. 1. d. 12. sect. 1. n. 3.* Ratio est, quia prior est virginitas, illa ergo possidet: nec vinci ejus possessio potest, nisi ex aliis potentioribus conjecturis colligatur præsumptio contra illam, quales essent eam habitasse in prostibulo, habitu meretricio incedisse, & similes. Menoch. allatæ *loc. cit.*

*Voti irritatio*, Vide *v. Actus.*

*Voti dispensatio.* Vide *verbo Dispensatio.*

3. *Votum.* Si dubites an voveris, vel juraveris, non obligaris ad votum, ita Sanc. *lib. 1. in Dec. c. 19. num. 36.* & *lib. 1. de matr. d. 9. n. 11.* Rebell. *lib. 1. q. 2. num. 13.* & passim, etiamsi magis propendeas, quod voveris, vel juraveris, modò hæc propensio lineam dubij non transiliat. Ita Castro P. *t. 1. tr. 1. d. 3 p. 13. n. 17.* citans Suarium, & utrumque Sanchez. Ratio est, quia semper possidet libertas, & iniquum esset pro debito incerto, certam solutionem exposcere.

2. Idem dic, si dubites, an votum, seu promissio se extendat ad illam, vel illam materiam; v. g. an voveris in jejunio te abstinere à lacticinijs, &c. jam enim tunc dubitas de ejus rei promissione; At verò si promiseris, seu voveris, sed anceps es, an solveris, solvere teneris; quia tunc possidet promissio, seu votum Ita Sanch. Rebel. *loco citato*, aliique.

3. Si dubites, an res sint ita notabiliter mutatæ, ut excuseris à promissione, sanè excusari non poteris, ita Castro P. *t. 3. tr. 13. d. 2. de juramento. p. 05. n. 4.* ex Sanch. v. g. juraste, seu vovisti ingressum in Religionem, à quo excusaris ob gravem habitualem morbum, deinde incipis bene habere, sed cum dubio, an restitutus integrè, teneris ingredi, quia obligatio est certa, excusatio dubia, Sed certè licèt doctrina hæc vera esset propter rationem dictam, circa quam tamen lege, quæ *suprà* diximus *verbo, sponsalia*: & expende affectum voventis: at aliquid peculiare hic haberi possit, per quod excusaretur quis ab ingressu; si enim ingrediendo subiret etiam sub solo dubio grave periculum reincidendi in morbum, excusaretur, eo modo quo *suprà*, *v. Hora Canonica, n. 2.* diximus excusari quempiam à præceptis in simili dubio periculo.

4. Si certus sis te vovisse jejunium, v. g. Sabbati, sed dubitas, an dictus dies signatus à te fuerit, ob devotionem ejus particularem, an verò tanquam terminus, ne scilicet differretur jejunium ultra illam: diem tunc, transacto fine jejunio Sabbato, debes adhuc jejunium, quia possidet votum, certus enim es de illo, incertus de terminata Suar. Azor. cum Bonac. *d. 4. de voto q. 2. p. 5. §. 1. n. 1.*

5. Si dubites, an tua verba continuerint promissionem potiùs, quàm propositum, non teneris, quia dubius es de ipsa substantia promissionis, certus de tua libertate.

6. Sed quid, si certò vovisti, vel juraste, at ambigis, an animum te obligandi habueris per illa verba, seu per illud juramentum, & quid si dubites, an tua verba invocationem Dei, quæ est de essentia juramenti, saltem tacitè continuerint? Respondeo, Suar. *de voto, lib. 4. c. 6. n. 3.* t. 1. *tr. 1.* Castro P. *d. 3. p. 19. n. 4.* Merolla *t. 1. d. 3. c. 3. d. 2. coroll. 3. n. 84.* aliique, censent in utroque casu te obligari, quia possidet promissio, quæ certò voce tenus emissa est, & consequenter, cùm nemo sit præsumendus voluisse peccare, aliud proferendo verbis, aliud habendo in animo, præsumendum est affuisse certum animum se obligandi. Puto tamen non esse improbabile te nequaquam obligari, ita Alphonsus de Leone, quem citat, & sequitur Caram. *lib. 3. Theolog. mor. n. 1338.* quia possidet libertas, & dum solùm voce tenus est promissio, verè dubitatur de substantia ipsius, dum dubitatur an animus se obligandi, vel Deum invocandi affuerit; ergo ejusmodi dubitatio non potest prævalere contra certam libertatem. Nec obstat allata præsumptio, juxta quam fateor Iudicem judicare debere contra promittentem: at in conscientia, si verè dubitetur, prævalebit, ut dictum est, libertas.

7. Si cùm certò promiseris, vel voveris, dubitas, num promiseris ingredi Religionem aliquam indeterminatè an determinatè hanc, Vel num promiseris castitatem perpetuam, an temporalem, Vel num Religionem hanc strictam, an illam laxiorem, Vel num voveris dare centum: an ducenta; Num majores mensuras, an minores? Vinúmne optimum, an mediocre; Totúmne Rosarium recitare, an tertiam ejus partem, & similia; potes eligere quod minus est; quia in hisce omnibus possidet libertas, quæ non est à superveniente dubio comprimenda *c. exposuit. de cens.* & *ibi* Glos. & Abbas; lege item Merolla *t. 1. d. 3. c. 3. d. 2. coroll. 3.* Caram. *l. c. à num. 1339.* Suarium *t. 2. de Rel. tr. 6. lib. 4. c. 8. n. 8.* Idem esse in legatis dixi *v. Legatum*, ubi notavi, & mox advertam necessariam cautionem.

8. Propterea rectè docet Sanchez *in Dec. lib. 4. c. 13. n. 15.* si vovisti orationem, vel eleemosynam, satis esse recitare unum Ave, vel unum largiri obolum, si vovisti dare plures res, satis esse dare duas, quod scilicet minùs, minúsque gravat voventem. Vide *v. Eleemosyna.*

9. Propterea item, si vovisti sub conditionibus aliquibus, & dubitas; an sub iis copulativè, an disjunctivè, potes putare, quod copulativè? quia id minùs te onerat, v. g. promisisti jejunium si tuus pater absens convalesceret, domúmque rediret, nec potes dignoscere an utramque conditionem simul intenderis, an tantùm unam, v. g. sanitatem, potes putare utramque intendisse, &c. Ita Sanc. *l. c. n. 20.*

10. Propterea etiam, si dubites an in voto jejunandi omnibus vigilijs, vel Sabbatis, v. g. incluseris vigiliam Natalis Domini, potes jentaculum pingue tunc assumere, quia potes eligere quod minus te gravat: ita Sanc. *l. c. n. 65.* aliique passim apud Bardi *de conscientia d. 6. c. 1. §. 14. n. 2.* Adde te certum esse de concessione illud pingue tunc assumendi, incertum de obligatione, ergo prævalet jus concessionis.

11. Pari modo, si certus es, te vovisse non ludere sub pœna largiendi in eleemosynam unum aureum, vel certus es te vovisse jejunium in vigilia, v. g. Beati Aloysij; at incertus, num solùm pro prima vice qua ludis, vel pro prima vigilia anni: non obligaberis, nisi pro prima vice: vel pro primo anno. Ita Sà *Votum, n. 26.* Ratio est jam dicta, quia potes eligere quod minus est.

12. Ex eodem principio resolve id quod alij, ut Bardi *l. c. §. latè*, ex aliis principiis rectè item statuunt utrùm scilicet, qui vovit non habiturum copulam cum fœmina, & sine dolo incertus sit, an intellexerit etiam de copula licita, utrùm, inquam, possit licitè uxorem

ducer

e

discere, illámque cognoscere ? Dico enim posse, quia potest eligere, quod minus est. Et certè votum est strictius, atque adeò odiosum, siquidem est lex, quam sibi imponit contra suam libertatem voventis; ergo coarctanda est ad interpretationem strictam, non verò extendenda ad latam includendo in casu dicto etiam copulam licitam.

13. Ad hæc, certò scias te vovisse, v. g. castitatem; dubites autem in sæculone, an potius in Religione solemniter emittendam, non teneris ingredi Religionem, quia potes eligere quod minus est, cùm in hoc casu pari modo possideat libertas manendi sæculo, servà igitur in sæculo castitatem. Ita Caram. *l. c.* 1381.

14. Eodem modo si ambigis, an voveris castitatem absolutè, an conditionatam, si Religiosus, v. g. fieres, potes judicare te conditionatam vovisse, quia id minùs est; Ita Sanch. *in Dec. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 114. An autem debeas ponere dictam conditionem, si à te dependeat, dicetur *infrà, cum de voto conditionato.* Quod si certò scias vovisse ponere aliquam conditionem, teneris illam ponere; at si dubitas, non teneris propter regulam generalem toties repetitam, quia prævalet tunc libertas.

15. Insuper, si dubites, utrùm voveris absolutè castitatem, v. g. ad honorem Dei, an sub aliqua conditione, vel pœna, si sanitatem receperis, vel si lusseris, potes tibi persuadere sub conditione, vel sub pœna vovisse, atque adeò ex sententia probabili, *infrà* dicenda, votum non esse reservatum, id enim certè minus est. Si dubites an conditio sub qua vovisti fuerit impleta, necne? censeo non esse impletam, quia tunc dubium est de ipsa essentia obligationis. Et quia quando, (licet certò quid voveris) dubitas, seu non recodaris, an gratiam, v. g. sanitatem, ad quam impetrandam, votum direxisti, obtinueris, necne, dubium cadit super conditionem, an scilicet illa fuerit adimpleta, ideo, propter eandem rationem prævalebit tua libertas, nec voti reus eris. Colligitur id ex Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 25. *n.* 9. *& cap.* 16. *n.* 3. Ita idem *lib. cap.* 33. *n.* 29.

19. Deinde, si dubites utrùm voveris perseverantiam, vel professionem, an solum ingressum, teneris solum ad ingressum, quia hoc minus utique est. Ita Suar. *tom.* 1. *de rel. tr.* 6. *lib.* 4. *c.* 8. *n.* 7. legè item Sanch. apud Diana *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 36. Caramuël *lib.* 3. *Theol. mor. n.* 1465. & *in Reg. S. Ben. n.* 460. non improbabiliter notat hunc ne ad ingressum quidem teneri. *Ratio est*, inquit, *quia malum est ingredi cum animo egrediendi, nec certè ullus prudens id juveni ingenio consuleret. Adde hunc mendacem, & injurium ipso facto fore contra Religionem, quæ nec illum exciperet, nec illi victum exhiberet, si eo animo instructum illam esse subdoraretur.* Verùm aliquantulum illlustremus. Tribus enim modis contingere ejusmodi casus potest. Primò, si simul voveas per modum unius ingressum simul, & egressum paulo post faciendum, & hoc pacto certum est votum esse invalidum, quia totum complexum est malum, dum continet unam partem malam, scilicet egressum, qui saltem, ex suppositione ingressus, & nulla rationabili existente causa, malus est, & inconstantiam sapit. Secundò, si ingressum solum voveas, de egressu, vel nihil decernas, vel solum de illo timeas, vis tamen ingredi, saltem ad probationem: & hoc modo validum est votum, quia totum, quod vovetur, bonum in se est, & servari cum laude potest. Tertiò, si voveas ingressum, & simul proponas, sed non voveas, egredi. Dico hunc esse casum Caramuëlis, & satis probabiliter votum hoc validum nequaquam esse. Dices cum aliquibus, ut Bardi *de conse. d.* 6. *cap.* 1. §. 21. At totum, quod vovetur, servari cum laude potest, ingressus enim in Religionem, qui solus vovetur, bonum quid est. Respondeo, Nego antecedens, nam ingressus, prout refertur ad egressum; quamvis sola voluntate propositum, & non promissum, malum quidem est, & quippe jam refertur ad egressum, qui posito ingressu bonus esse non potest, cum pari modo sit contra constantiam, & contra religionem nolentem acceptare eum, qui hoc animo laboret.

17. Redeo ad libertatem, qua potes id, quod minus est, indubio eligere. Notare enim oportet id quod *v. Legatum*, etiam notavi: non rarò id, quod minus est eligi à te non posse, si ex communiter contingentibus, ex usu loquendi, vel ex aliquibus adjunctis colligatur, te verè promisisse, quod majus est: nam tunc, ut ex se constat non essemus in casu dubij, v.g. si in tua regione mensura usualis sit magna, parva verò esset extraordinaria, magnam debes, si mensuram vovisti.

18. Rursus, si vovisti Calicem, & dubitas, an voveris aureum, argenteum, an stanneum; argenteum, saltem quoad cuppam debes: quia nomine Calicis intelligitur is, qui est aptus ad usum sacrificij. Simili modo si vovisti non permanere in sæculo, debes Religionem ingredi: quia illud) non permanere in sæculo) hoc sonat, id est Religioni se tradere, non autem eremiticam, v.g. vitam assumere, vel quid simile.

19. Si dubites num voveris, seu promiseris deliberatè, ex eo quia dubites, an promissio fuerit facta rempore somni, ebrietatis, vel phrenesis, obligaris, ex Sanchez *lib.* 4. *in Dec. cap.* 1. *num.* 14. *&* 15. quia constat de promissione, ambigitur de excusatione. At Castro Palaus *t.* 1. *tr.* 1. *d.* 3. *p.* 11. *num.* 4. *&* 7. meritò probabile etiam esse ait, te non obligari, non enim est omnino verum tunc constare de promissione, si quidem dum dubitatur, an affuerit plena deliberatio, dubitatur de eo quod necessariò requiritur ad promissionem, atque adeò dubitatur de ipsa promissione.

20. Si certus de promissione, vel voto, anceps sis an promiseris tempore amentiæ, idem propter eandem rationem dicendum est cum Castro P. *l. c. n.* 8. solum perdiligenter est advertendum, difficulter oriri posse ejusmodi dubium. Primò, quia communiter contingentibus, is, qui certus est de suo voto, certus esse debet de suo usu rationis, nunquam enim insanus vovere solet: ergo si vovet, sanus est. Si vovit, sanus fuit. Secundò, quia qualitas, quæ naturaliter inest, semper adesse supponitur, nisi clarè constet de oppositio: at usus rationis naturaliter homini inest, ergo, &c. Si tamen omnibus his perpensis, adhuc res est dubia, jam dictum est *num.* 19. probabiliter ex Sanchez, & obligari, & probiliter ex Castro Palao, non obligari.

21. Quod si dubites an promissio facta fuerit sine deliberatione ex eò, quod fuit emissa tempore iræ, vel subitæ passionis, eodem, quo dictum est, modo non obligaris, ita Suar. *lib.* 4. *de voto. capite* 6. *num.* 10. quia dubitatur de eo, quod necessariò requiritur ad constitutionem liberæ, atque obligatoriæ promissionis. Moneo tamen hic iterum, iterúmque regulariter non adesse ejusmodi dubium, quia subita ira; vel passio non solet sufficienter usum rationis tollere; secùs occidens aliquem soleret excusari à peccato, quem tamen regulariter non excusamus: ita Thom. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. d* 8. *n.* 19.

22. Si, voveris, vel juraveris aliquid, quod nunc dubitas, an sit licitum, necne, nec potes fieri certus de qualitate rei promissæ, ad nihil obligaris, quia certa est tua libertas, sed dubia obligatio, cùm rem non esse illicitam, de essentia sit obligationis voti. quid si dubitetur, an votum sit de meliori bono, *infrà, lib.* 3. *de voto, c.* §. explicando? Respondeo tunc te obligari ad exequendum illud bonum, quia ejusmodi votum honestum est, nec habet, unde maculetur, & totum servari, cum laude potest: ita Sanch. *in Dec. lib.* 4. *c. num.* 6. At quid dicendum, si certum sit votum, vel juramentum esse de re indifferenti, dubium verò an de re bona? Respondeo ejusmodi votum vel juramentum soli Deo factum non est validum, quia invaliditas est certa, vota enim, & juramenta soli Deo exhibita necessariò debent esse de bono, ut *infrà, lib.* 3. *cap.* 3. *de juramento*, §. 3. *n* 7. dicetur: at Iuramentum homini præstitum, validum erit, quia juramenta, ut item *infrà, lib. num.* 11. dicetur, homini præstita valida sunt de re indifferenti.

23. Si certus sis te vovisse visitationem, v. g. Virginis Lauretanæ, sed verè dubitas, an in eo voto inclusseris laborem peregrinationis ad illam, satisfaciésne huic

voto si recreationis causa, vel negotij inveniaris Laureti, & ibi Sanctissimam Virginem visites? Respondeo satisfieri, non solùm si illuc eas animo & visitandi, & negotiandi, ut certum est ex Castro P. *tom. 3. tr. 15. disp. 1. cap. 12. n. 9. & 10.* sed etiam si casu illic inveniaris, & non animo visitandi, illuc accesseris. Ratio est toties repetita quia certus es de tua libertate, incertus an includeris dictum laborem peregrinationis, atque adeo num adsit votum de labore, ergo prævalet libertas. Quando est dubium, qualis sit finis voti, malúsne an bonus, an indifferens, utrùm valeat votum, dicetur commodiùs *lib. 3. cap. 15. §. 2. n. 10.* Supersedeo à sexcentis similibus; nam ex allatis facilè non allata diluentur.

*Usura.* Vide *verbo Mutuum.*

Atque hæc de conscientia dubia nimis fortasse contra nostrum institutum prolixa, sed profectò nequaquam inutilia, sufficiant.

## §. VIII. *De Conscientia scrupulosa. Unde oriatur, & quomodo cognoscatur scrupulus.*

1. EX dictis *suprà*, §. 1. *num. 6.* cognoscis scrupulum esse leve fundamentum, seu argumentum, quo quis movetur ad credendum aliquid crimen esse, quod re vera non est: scrupulosum autem esse illum, qui motus ex his levibus fundamentis existimat cum errore, vel dubitat, aliquid esse peccatum quod non est. Oritur ejusmodi scrupulus ex variis causis, scilicet ex dæmone suggerente, ex consortio cum hominibus scrupulosis, ex ignorantia, additâ aliquando ingenij perspicacia, qua quis cognoscit objectiones contra suam actionem, sed nescit eas solvere, ex capitis imbecilitate, seu læsione imaginationis, ex mala corporis constitutione, præsertim melancholia, ex animi infirmitate, præsertim pusillanimitate, ex nimio amore sui ipsius, ex lectione librorum casuum conscientiæ in indocto, ex Deo sic disponente, sive ob pœnam multorum peccatorum, quæ quis commisit in adolescentia, sive ob majus hominis bonum, ejúsque exercitium, & purgationem. Ita Azor. *p. 1. lib. 2. cap. 20. q. 5.* Sair. *lib. 2. cap. 14. num. 19.* Rodrig. *in summa 2. cap. 54. n. 1.*

2. Sed difficultas hic in eo versatur, ecquanam ratione, quis deprehendat sua argumenta scrupulos esse, séque esse scrupulosum? ipse enim semper, putat illud, quo hic, & nunc movetur ad credendum, hoc esse peccatum, cum non sit: non esse leve argumentum, sed grave, & solidum; Si enim esse leve adverteret, jam non fineret ab illo moveri, atque adeo scrupulosus nequaquam esset.

3. Dico (hic & nunc) nam non rarò contingit, ut quis sive ex dicto Confessoris, sive ex experientia, quod sua argumenta, quæ aliàs sibi solida videbantur, invenerit levissima, se cognoscat esse veluti habitualiter scrupulosum: verùm deinde, in singularibus actionibus, levia illa fundamenta ipsi offerantur ita gravia, ut secundùm illa cogatur operari, & consequenter errare.

Confessarius certè, sive alius, vel mediocriter doctus faciliùs scrupulos aliorum, quam suos deprehendet, quia in re aliena faciliùs actionum momenta, qualia sunt, cognoscuntur. Quoniam igitur scrupulosum ex se sua actualia damna cognoscere difficile est utatur sequentibus remediis mox afferendis.

Equidem, qui scrupulis angitur, caligat aliquando in una materia, aliquando in omni: Alij scrupulis opprimuntur in peccatis præteritis perperam, (ut ipsi putant; seu sine dolore confessis: alij in actionibus præsentibus exhibendis: Alij in cogitationibus, quibus se semper consensum præbuisse formidant: Alij in aliis, ideo remedia sequentia partim universalia sunt, partim in uno, alióve genere, ut nimirum iis uti quisque possit, quibus indiget.

### *Instructio Scrupulosi pro se ipso.*

4. Primum, & penè dixerim, unicum remedium est pro omni classe scrupulosorum, ut ejusmodi morbo laborans eligat pro Confessario, vel animæ directore virum doctum, & pium, cujus consilio paratus sit omnino acquiescere. Val. *tom. 2. disp. 2. quæst. 14. p. 4. 9. 5.* addens hoc remedium continere omnia remedia. D. Antonius, Sylvester, Navarrus ab eodem citati. Nisi sic animo sit paratus, & in operando deinde veré Confessario obediat, vel certè conetur, pro incurabili illum habere. Accessit ad me olim fœmina nobilis, innumeris agitata scrupulis, totaque urbe ut talis cognita, spopondi me idam, pro virili parte directurum, modò mihi promitteret se paratam esse obsequi meis consiliis, nec ad Confessionem iterum peccata deferre, quando ego non deferenda judicarem, ad sacram Communionem accedere, quando præciperem, & alia ejusmodi. Noluit bona mulier hæc mihi promittere, quare illam ut immedicabilem dimisi, veluti dimissam deinde cognovi à pluribus prudentissimis Patribus fuisse.

Ejusmodi generis hominis, pro cerebro læsis habe: non pro scrupulosis.

5. Primum igitur, ut dico, remedium est, ut scrupulosus animæ suæ Directori se subdat omnino, illíque credat, atque ea faciat, quæ is imponit, & quamvis ipse deprehendat gravissima argumenta peccandi, deponat libens conscientiam suam ex sola authoritate Confessarij sic docentis. Nec erit necesse mutare suum judicium, seu habere rationes intrinsecas, quibus evacuet sua illa argumenta, sed satis est, ut putet se etiam stante suo illo judicio, non peccare: & certè de facto coram Deo non peccat, quia sequens sui directoris dictamen, id quod probabile est sequitur, atque adeò practicè prudenter operatur: ita Vasquez, Lessius, Th. Sanchez, Coninch. Salas; Layman, aliique apud Ioan. Sanch. *disp. 1. num. 7. & 8.*

6. Secundò, quæ diximus, faciat scrupulosus, non solùm exactuali, ut ita dicam, Directoris consilio, sed etiam habituali, hoc est, ipsemet ex se operetur juxta doctrinam Directoris, vel juxta regulas sequentes, absque necessitate eadem apud Directorem deferendi: imò nec deferat, & data opera faciat contra suos scrupulos: prudenter enim gerit, ita operando, quod si forte inveniat aliquando se verè malè egisse, malè quidem materialiter se gessisse, non verò formaliter, atque adeò non peccavisse, pro certo & explorato habeat: ita Vasquez, Sayr. Valentia citati à Ioan. Sanch. item Merolla *tom. 1. disput. 3. cap. 3. dub. 3. num. 381.*

7. Tertiò, nihil putet esse mortale, nisi quod manifestè, & absque formidine mortale videatur, v. g. non potest se consensisse turpi cogitationi, infidelitati, blasphemiæ, &c. nisi certò, & penè dixerim evidenter videat consensisse, consensisse autem difficillimum sanè est in timoratis horum conscientiis, qui potius mori eligerent, quàm mortaliter peccare. Expedit etiam similes cogitationes spernere: nec eas ut peccata aperire Confessario; peccata enim verè non sunt: ita Granad. *p. 2. tr. 12. d. 5. num. 8.* Imò aliquando potest quis adeò esse scrupulosus, ut nisi jurare possit illud esse mortale, credere non debeat esse mortale; ita Vasquez *p. 2. disp. 67. cap. 72. num. 3.*: Addit Ioan. Sanchez *l.c. num. 24. fin.* & meritò, aliquos ita scrupulorum tenebris offundi, ut quod ipsimò in mentem venit, statim admisisse putent, (cognovi ego quosdam hujus ingenij.) Ij igitur etiam si putent se posse jurate in cogitationibus ejusmodi mentem voluntariè fixisse, sibi persuadeant non ita esse, & tunc solùm credant peccasse, quando in actum exteriorem prorumperunt.

8. Quartò. Qui confessus est diligenter, ut sibi tunc videbatur, uno verbo, bona fide, & deinde incipit dubitare, an sit confessus aliquod peccatum, vel circumstantiam, vel numerum, an cum dolore, &c. certò credat ritè se gessisse, nec indigere nova confessione, licèt aliqua peccata relinquenda sint per accidens, non confessa, ita Cajet. *v. Scrupulus*, qui vehementer commendat hoc consilium. Castro P. *tom. 1. tr. 1. disput. 4. part. 2. num. 4.* & quidem Sà *v. Dubium, num. 5.* sic scribit: *Scrupulosus non tenetur fateri, nisi quæ potest jurare, & fecisse peccata*

peccata mortalia, & se numquam fuisse confessum. Imò ex modò dictis habes, nec cum juramento aliquibus esse habendum: unde absolutè ij, qui scrupulosi sunt non tenentur fateri peccata, sive aliàs confessa, sive ante confessionem bona fide factam commissa, tum quia ipsos ea confessos esse præsumendum est, tum quia ne ipsorum scrupuli confirmentur, à tali confessione sunt excusandi. Certè scrupuloso concedi aliquando facere confessionem non integram materialiter, diximus *Opusc. de confess. exped. lib. 2. c.10.§.1.n.22.*

3. Quintò: Scrupuloso sufficit mediocrem diligentiam apponere ad examinandam conscientiam pro confessione. Imò in timoratis, & frequenter confiteri solitis modicissima sufficit: ij enim si peccarent mortaliter, ob oculos certè peccatum semper haberent, Ita Ioan. Sanch. *disp. 41. n. 17.* Facit ad hoc id narrat de Lugo *de pœn. disp. 16. sect. 14. n. 591. Quidam juvenis nobilis, & quoad reliqua prudens, sed nimis scrupulosus, cum confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad eam præparavit, & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non sufficerunt. Sed neque his contentus novum adhuc examen instituit, quo facto, cum jam per dies aliquot confiteri cœpisset Vallisolei, ubi ipse cum regia curia morabatur, in ea tandem angustias confessionis redactus est, ut ipsemet pugione se letaliter perforaverit, Deo tamen providente, ut ante mortem posset iterum confiteri.* Hæc de Lugo. Hic ergo nonne à tam exacto examine de rigorosa confessione erat excusandus?

10. Sextò, multùm confidat in gratia Dei, humilis animo sit, se aliorum judicio submittere assuescat, Deum Sanctósque assiduè deprecetur. Fertur Cardinalis Bellarminus probitate, & sapientia toto orbe clarus affirmasse, tum demum à se scrupulos recessisse, cum affulsit lumen, quo cognosceret se non suis meritis, ac diligentia, sed Dei miseratione, & Christi meritis forè salvandum.

11. Septimò, si est melancholicæ complexionis, abundéntque humores, sumat pharmacum, utatúrque honestis recreationibus cum bonis amicis, ita Sylvester *v. Scrupulosus, n.6.* Azor. *p.1.l.12.c.20.q.6.* sed non familiariter agat cum scrupulosis, ne magis inficiatur, abstineatque ab immoderatis vigiliis, & jejuniis: Ita Ioan. Sanch. *d. 41. n. 23.*

12. Octavò, sciat se aliquibus regulis generalibus, & quidem benignioribus uti posse, v. g. licitum esse sequi quamcunque opinionem probabilem, etiam minus tutam: Probabile esse id, quod aliqui Sapientes docent: ita Merolla *tom.1. disp.3.c.3.d.3. n.385.* Non oportere abstinere ab iis, quæ docti, & timorati faciunt, vel etiam, quæ sine sapientium reprehensione alij usurpant. *Ibid.* Vota dubia an sint emissa, & præcepta, an sint imposita non obligare *supra, §.7. v. Vota, & v. Leges.* Confessiones absque dolore sufficienti non ex industria factas, vel dimidiatas, non esse repetendas, ita Merolla *ibid.* lege nostram opus *de confess. lib.1.c.1.§.4.n.29.* posse quempiam uti epicheja in legibus positivis: hoc est, non peccare eum, qui violat legem secundùm mentem Legislatoris; licèt offendat verba legis: nec peccare eum, qui eam observat juxta communem sensum bonorum, licèt is sensus laxior videatur: ita S. Thom. *2.1.q.220.* leges civiles de facto, vel rarò, ex Cajet. *in summa, v. Clericus, & v. Iejunium,* Imola Felino apud Navarr. *in summa, cap. 23.n.54.* vel certè, ex Bonac. *de legibus, disp.1.q. 1. num. 1. fine,* non frequenter obligare sub mortali: Ecclesiasticas item nec multùm frequenter, ut latè diximus *Opusc. de Sacr. Missa, lib.3.c.1. §8. n.7. & 9.* juncto *n.* 17. in audiendo Missam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione satis esse attentionem externam, unde posse quemlibet voluntariè distrahi: sic Coninck. Layman. Hurtad. Sylvester, aliique citati *in dicto opusc. lib.2.c.3.n.5.* peccata dubia pro scrupulosis non esse sub obligatione Confessori aperienda, sic Suar. Granad. Bec. aliique relati à Joan. Sanch. *disp.41. n.16.* Castro P. *tom.1 tract.1. disp.4. punct.2. n.4. in nostro opusc. Meth. confess. lib.1.c.1.§.3.n.15.* multò minùs numerum dubium, vel dubiam circumstantias, imò omnia peccata dubia pro his censenda non esse peccata: sic ille, & de Lugo *de pœna imperfect. ad Lectorem.*

*Instructio Confessarii pro scrupuloso.*

13. Is servanda omninò curet ea, quæ modò pro remediis scrupulosorum dicta sunt, sed insuper ex prædictis suas & ipse regulas sequentes colligat.

Primò, non permittat scrupulosum suos scrupulos tanquam peccata confiteri: audiat nunquam confessiones ejus generales, nisi certissimè constet de necessitate, illíque persuadeat, ut à peccatorum præteritorum memoria perinde ac dæmonum suggestionibus abhorreat, cogitationes turpes, infidelitatis, blasphemiæ, si semel aut iterum audire velit à scrupuloso Confessarius, judicans id ad curationem, & consolationem pœnitentis conferre: id faciat, cum Joan. Sanch. *d. 41. n. 14.* Thom. Sanch. *in Dec. lib.1.c.10.n.81. fine,* verùm persuadeat pœnitenti, se non ad confessionem, sed ad consilium audire, si non sint certò peccata Ita Joan. Sanch. *l.c.n.34.*

14. Secundò, dubitationes, & hæsitationes scrupulosi in mitiorem partem semper interpretetur, sic Castro P. *l.c.* memor prædictæ Doctrinæ, quod dubia quæ sunt ab aliis confitenda, non sunt à scrupuloso, & dubia, quæ pro aliis fortasse peccata censentur, non præsumuntur pro scrupuloso. Interrogationes minutiores, & fortasse necessarias pro aliis, ad cognoscendas species peccatorum; non inculcet. Scitè de Lugo *loc. cit. Requiritur prudentia Confessoris, ne nimium pœnitentem torqueat aliis & aliis interrogationibus, minutissimis, sciens quod nunquam ita exactè illum examinabit, ut ab alio doctiore non posset ulteriùs interrogari: sicut etiam ex parte pœnitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientiæ nimium vexet, sed humano examine contentus sit.* Hæc ille: Si ergo id dictum est de cæteris, quid dicere de scrupuloso debeamus?

15. Tertiò, Eum sæpè Deo commendet, erigat animo, interdum item juvabit asperè eum reprehendere, ac dimittere, si quàdo acquiescerè judicio directoris refugiat.

16. Quartò, assuefaciat scrupulosum, ut suo directori pareat obedientia cæca; ne director sui consilii rationes, & doctrinas scrupuloso regulariter afferat; experientia enim compèrti, majores scrupulos ab illis eum deducere, & sic magis offuscari.

17. Quintò, docet non immeritò Vasq. *p.2. disp.67.c.2. n.8.* difficilè remedium posse adhiberi iis, qui laxa conscientiâ, cum faciles sint ad multa peccata committenda, scrupulosi in ipsis sunt actionibus, vel in confitendo, pro his ergo aliud remedium, non suppetit, nisi quod à Confessario ad Dei timorem, & ad frequentes Confessiones, & communiones adducantur. Interim tamen, si vere sint scrupulosi, non est cum illis tam severè ut cum aliis agendum, sed regulæ prædictæ cum iisdem benevolè, & prudenter sunt observandæ: secùs facilè propter molestiam, quam sentiunt, & propter laxam conscientiam, qua laborant, omnem Confessarii curationem diffugient, petibuntque.

FINIS LIBRI PRIMI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER SECVNDVS.

## DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

### Vnum Cole Deum.

1 NIsi in Deum per fidem credas, ipsum colere nequaquam potes: cultum autem ejusmodi educat Spes, firmátque Charitas; nam, ut propereà, ut ordine procedamus, casus circa Fidem, Spem, Charitatem, antequam ad præceptum Religionis de cultu Dei quod primum est in Decalogo, veniamus, sunt breviter præmittendi.

### CAPVT PRIMVM.

### De Fide.

1. FIDES, quæ ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 1. aliisque Theologis, est Virtus Theologica, à Deo infusa, per quam firmiter propter ipsius Dei authoritatem assentimur iis, quæ à Deo revelata sunt, & ab Ecclesia proposita, quinque præcepta continet, tria priora affirmativa, atque adeo non obligantia ad semper, sed in quibusdam casibus, duo posteriora negativa, ac propterea obligantia semper, & ad semper. Iam de singulis.

#### §. I. *De primo, & secundo præcepto, id est, credendi, & sciendæ certos articulos Fidei.*

1. HAc de re egi dilucidè per occasionem *in primo opusculo de expediendâ Confessione, lib. 3. c. 5. §. 1.* Id quod, ne lectorem meum ad alium locum exquirendum, cum molestia dimittam, hic repetere, aliqua tamen addendo, non otiosum judico.

2. Aliud est quærere, quidnam credendum sit de necessitate salutis, seu medij, sine quo scilicet adultus justificationem, atque adeò salutem consequi non potest, aliud quid de necessitate præcepti tantum. De credendis ex necessitate medij sic habet perspicuè Sanch, *lib. 2. in dec. c. 3. n. 13. fin. In rigore non tenetur Confessarius pœnitentem instruere procurando, ut tunc addiscat, quæ credenda sunt, sed satisfacit proponendo illi, & explicando duo mysteria, Trinitatis & Incarnationis, ut ea explicitè credat, & inducendo ad negligentiæ dolorem, & emendæ propositum (si quæ in hoc fuit.)* Hæc ille.

3. Tria hic insuper adverto. Primò, in bene moratis, vel confiteri solitis supponi posse semel hæc mysteria credidisse, semel inquam, nam ex necessitate medij semel sufficit. Vide Sanch. *ibid. n. 18. & 24.* lege item Arag. apud eundem Sanch. *ibid. cap. 1. n. 2.* Benignius loquitur Castro Palao, *tom. 1. tr. 4. disp. 1. p. 11. n. 5. & 7.* dum de mysteriis credendis necessitate medij ait sufficere ea implicitè credere, credendo scilicet Deum potentem remittere peccata, & gratiam, gloriámque dare, atque adeò raros, vel nullos, ea ignorare.

Secundò. Rectè paulò ante dictum esse (si qua negligentia fuit) nam communiter puto vix, præsertim moraliter gravem affuisse. Vel enim sunt pœnitentes ex urbanis, & cultis, & supponuntur scire, vel ex rudibus, seu pueris, & supponuntur inculpabiliter non advertere ad tale onus. Ita Azor. & Vasquez, apud eundem Sanchez *cap. 3. n. 30.*

4. Tertiò. Ab aliquibus hanc necessitatem salutis multò benignius explicari. Ita Turtianus *de fide, disp. 27. dub. 4.* citans Vasquez, Sà mox citandus. Coninch. *de fide, disp. 14. dist. 9. num. 165.* vide etiam Dianam *p. 3. tract. 5 resol. 46. & 48.* Instat omnium sit Emmanuel Sà, *v. Fides* qui, sic habet: *Necesse explicitè credere Fidei mysteria, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, sentiunt multi cum D. Thoma, alij excusari multos ignorantia, præsertim, cum deest, qui doceat, sufficéreque in illis cum Baptismo credere, quod credit Ecclesia. Quam opinionem, & si adhuc seliebam improbare, nunc non ausim. Quid enim? Dicemúsne posse infinitam Christianorum, alioqui bonorum multitudinem, qui de mysterio etiam Trinitatis, & Incarnationis, vix quidquam rectè norunt, immò perversè sentiunt, si interroges? Potius crediderim condemnari istorum pastores ob negligentiam docendi hæc eadem.* Hæc Sà.

5. *Quod ad alterum caput*, communior sententia est, quemlibet Christianorum teneri scire, & credere saltem quoad substantiam omnes articulos Symboli Apostolici (excipe Communionem Sanctorum, quæ intellectu difficilis est etiam pro doctis.) Additur etiam eodem modo Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, itémque Decalogum. Ratio est, quia quilibet tenetur ea scire, quæ pertinent ad suum statum, & officium. Sanch. *l. c. c. 3. n. 16. & 17.*

6. *Dixi primò* (quoad substantiam) ut significarem necesse non esse memoriter ea callere. Ita Sanchez *ibidem* (nisi forte sub culpa veniali ob textus id præcipientes. Lege Bonac. *tom. 2. circa primum dec. præcept. disp. 3. q. 2. p. 2. num. 14.* alios citantem,) si quidem satis est ea, quo ad res ipsas scire, præsertim rusticis & rudibus, qui sine ullo propter impotentiam excusandi sunt. Ita Sanchez *ibid. num. 18. citato.* Immò etiam hi rudes facilè præsunt possent scire quantum sufficit, Baptismum, Decalogum, adde & præcepta Ecclesiæ, eo ipso quod se Christianos baptizatos fatentur, & quo ad Confessiones accedant, sacram Eucharistiam adorent, atque inter Christianos versentur cum aliquo timore peccandi. Lege Castro P. *tom. 1. tract. 4. disp. 2. p. num. 7.* Ratio est, quia hæc sunt signa, quod illa, quoad substantiam ab ipsis sciantur.

7. *Dixi secundò* (quemlibet Christianum) nam Pastores, Confessarij, & Curati, & similes tenentur scire hæc cum aliqua majori explicatione, nam quilibet ex præcepto tenetur scire ea, quæ sui muneris sunt, prædictorum autem munus cum sit alios docere, explicatiùs illa scire oportebit. Sicuti etiam qui alia Sacramenta præter prædicta susceperturi sunt, eadem, propter parem rationem scire tenentur.

*Excusantur* tamen communiter multi ex inadvertentia vel ignorantia; quis enim rusticum non excuset matrimonium ineuntem, vel puerum confirmationem suscipientem, quando ad talia Sacramenta quamvis sine notitia ipsorum, bona tamen fide accedunt? Qui eorum curam gerunt minus excusabiles, sunt si non doceant.

*Quando*,

*Quando, & quoties obligantur fideles elicere actum fidei.*

8. *Vel primò*, sermo est de actu fidei necessario necessitate salutis, & hunc quidem, semel in vita elicere satis esse, modò vidimus *num.* 3. Eliciendus autem est, ut prius num propositi sufficienter sunt articuli fidei. At quoties pro infideli adulto, ex Sanchez *lib.* 2. *in Dec. cap.* 1. *n.* 8. vel etiam baptizato, sed nutrito non inter Catholicos *ibid. num.* 6. erit, quando per annuntiationem Evangelii instructus incipit jam prudenter cognoscere mysteria aliqua esse credenda, & contrarias sectas esse falsas. Pro fideli autem, qui nutritur inter fideles, tempus hoc erit, cum primùm rationis usus assequitur, *ibid. cap.* 3. *num.* 3. quia tunc etiam ad alia præcepta incipit obligari. Cùm igitur actus fidei ex necessitate salutis eliciendus sit etiam, ut notant Theologi, de necessitate præcepti, quia omnia obligamur facere, quæ necessariò ad nostram salutem requiruntur, consequenter ad talem actum, quam primum scilicet possimus (id enim videtur requirere tanta necessitas) eliciendum obligabimur.

Rectè tamen pro praxi advertit Sanch. *ibid. cap.* 1. *n.* 3. non esse cum pueris scrupulosè agendum; hi enim quamvis statim ac perveniunt ad usum rationis, obligentur elicere talem fidei actum, tamen quia ipsi nunquam advertunt ad talem obligationem, vix potest evenire, ut peccent non eliciendo. Adulti etiam inter fideles nutriti nec sunt passim cogendi ad talem actum faciendum: nam quando didicerunt mysteria fidei, fatáque Christi Domini coluerunt, conciones, aliáque similia audierunt, nisi prorsus animalium more vixerint, iis mysteriis præbuisse saltem semel assensum, atque adeò satisfeciisse huic præcepto, judicandi erunt.

9. *Vel secundò*, est sermo de actu fidei ex necessitate præcepti; quo scilicet obligamur credere ea, quæ diximus *num.* 5. Sanè nondum obviam habui Doctores, qui id explicando mihi satisfecerint. Unde omnibus perpensis, subdendo tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S.R.E. judicio, puto per se, & directè nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicitè, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei (nam medii simul & præcepti jam modò dictum est, qua ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sæpissimè verò obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia, ut diximus *in opusc. de exped. sacrif. lib.* 2. *cap.* 9. §. 16. *num.* 5. nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cùm enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practicè esse complexum, taléque fuisse præceptum confessionis, ut item communionis extra mortis articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus Paschale; *ibidem* innuimus ex de Lugo *de Euchar. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 28. & *de pœn. d.* 15 *sect.* 3. *num.* 39. At nunquam invenimus determinatum esse tempus, quo obligemur ad prædictum actum fidei eliciendum, ut ex *num. sequenti* patebit; ergo, &c. Ratio posterioris dicti est, quia multoties occurrit debere nos ad servanda aliqua præcepta elicere quosdam actus, qui necessariò supponunt prædictum actum fidei: ergo tunc per accidens, ratione scilicet actus adjuncti obligabitur fidelis ad eliciendum prædictum fidei actum, sine quo actus per se præceptus constare nequit, ut ex mox dicendis à *num* 11. clarius intelligetur. Hinc vides prudenter Christum Dominum præceptum per se de prædicto actu fidei non imposuisse: quia satis superque esse judicavit actum fieri ex necessitate salutis, & insuper alios necessariò prærequisitos in servandis, ut dictum est, aliis præceptis.

10. *Confirmatur* primò nostra sententia, ex Azor. *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. *fine*, qui docet charitatis præceptum tunc solùm obligare, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus, quia hoc præceptum non videtur obligare, nisi ut medium justificationis, vel ut dispositio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo similiter dici posse de fidei actu, & cum de charitate agam *infrà, cap.* 2. §. 1. *num.* 2. huc me remittens, rursus innuam *infrà cap.* 3. §. 2. *num.* 2. non teneri scilicet nos ad actum fidei, & spei, nisi quando tenemur justificari per contritionem, & ego addo, vel per attritionem cum sacramento; &c. atque adeo ratione alterius actus virtutis, non autem per se.

11. *Confirmatur* secundò discurrendo per aliqua tempora, quæ Doctores nobis contrarii assignare solent hujus obligationis.

*Primum* tempus, quo fideles per hos Doctores obligantur ad eliciendum actum fidei, assignatur ab Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 8. quando obligatur quis gratiam per peccatum amissam recuperare: tunc enim non poterit actum, v.g. contritionis, vel attritionis cum perceptione Sacramenti elicere, nisi credat ea, sine quibus constare hi actus nequeunt: nisi enim credat in Deum, spem veniæ ab ipso sperando, nisi credat pœnas inferni, cujus timore, verbi gratia, atteritur, nisi credat Sacramentum Confessionis, cujus perceptione liberari à peccatis intendit, contritionem, attritionémve dictam exercere non poterit.

Verùm quis non videt, ut ipsemet Azor. vidit, & fassus est, fidei actum tunc non præcipi nisi ratione contritionis, vel attritionis, non verò per se: nam propterea bene infert Sanch. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 1. *num.* 3. *fine*, omittentem se tunc convertere, non peccare contra præceptum fidei, sed solum contra præceptum recuperandæ gratiæ: id quod verum est etiam in aliis casibus, quoties scilicet tale præceptum fidei, ratione alterius actus, hoc est, per accidens obligare mox docebimus.

12. *Secundum* tempus assignatur ex Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. *p.* 5. *concl.* 4. quando tenetur quis aliquid exteriùs facere, quod nequit commodè præstare sine interno actu fidei, ut si teneatur ipsam fidem exteriùs confiteri.

At *ibidem* Valentia jam fatetur tunc non obligare præceptum fidei per se, sed ratione præcepti adjuncti, nempè confessionis exterioris: Immò addo, si quis merè exteriùs tunc fidem confiteretur, præscindendo ab omni actu fidei interno, jam satisfacturum præcepto, id quod fortasse aliquibus sanctis Martyribus accidit, quando toto animo intenti ad externam confessionem, & ad tormenta patienda, minùs, ad actum internum fidei eliciendum, & cum externa confessione conjungendum attendebant.

13. *Tertium* tempus simile huic esse potest, quando quis ex fidelibus obligetur, jam factus capax rationis scire prædicta mysteria; non enim commodè scire ea poterit, nisi illis assensiatur; sed jam vides id etiam esse per accidens ratione præcepti sciendi.

14. *Quartum* tempus ex Ledesma *t.* 2. *summæ, tr.* 1. *c.* 8. *concl.* 4. assignatur semel singulis annis, quando tempus præcepti confessionis, & communionis instat, sed jam tunc non erit nisi ratione præcepti adjuncti. Quod si aliud præceptum tunc agnoscat Ledesma, gratis agnoscit.

15. *Quintum* assignatur à Valentia 2. 2. *disput.* 1. *q.* 2. *parte* 5. *concluf.* 4. articulus mortis, quia tunc se debet fidelis fidei actibus contra dæmones in tanta necessitate munire. Sed rectè Sanch. *lib.* 2. *in Dec. c.* 1. *n.* 3. iu tempus reprobat, cùm nulla ratione, vel textu comprobetur.

19. *Sextum* assignatur ab eodem Sanchez *ibidem*, quando quis gravem aliquam contra fidem tentationem patitur; tunc enim tempus est resistendi contrariis fidei actibus. Sed certè hoc etiam gratis dicitur. Primò: quia potest is aliò, verbi gratia, mentem divertendo, tentationi non succumbere, ergo non habet necesse per contrarium fidei actum ei tentationi obsistere. Secundò, quia nimis durum patienti tentationem fidei est, illum omnino sub mortali obligare ad contrarium actum: certè tentatum ad odio habendum Deum, non obligas ad actum contrarium amoris eliciendum; satis enim erit non consentire tentationi, cur igitur obligabis in tentatione de fide?

Dices, pone aliquem non posse vincere tentationem contra fidem, nisi eliciendo actum contrarium, tunc is jam obligabitur ad actum fidei. Respondeo, tunc etiam esset per accidens ratione subjecti sic affecti, vel certè ratione præcepti negativi, de fide non abnegando, non verò ratione præcepti positivi de actu credendi, de quo hic signanter cum omnibus Doctoribus agimus. Adde primò, hunc casum fore tam rarum, ut vix possit in moralem considerationem cadere. Adde secundò, quo modo sciet tentatus talem tentationem contra fidem non posse aliis remediis, aliisque virtutum actibus vinci, sed solùm actu contrario fidei? quis ei id revelavit? ergo jam apparet per tuam doctrinam scrupulos ingeri fidelibus, & nil præterea. Meam verò in simili approbat Castro Palaus *tom.2.d.1.de oratione, part.8.num.4.* quòloquens de necessitate Orationis, sic habet: *Nota te ab hac necessitate in supradictis casibus contingere excusari, quia obligationis invincibiliter oblivisceris, cùm nec cognoscas gravitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem. Sic Valentia, Lessius, Suarez.*

17. *Septimum* tempus assignatur à Bañez, 2.2. *q.13. artic.1. dub.2.* quando adest gravis tentatio etiam in aliis materiis; tunc enim recurrendum est ad Deum, quod non potest fieri sine meto fidei circa ipsum Deum, ad quem confugi non potest, nisi illi credatur. Sed jam vides, ut superioribus dictum est, id esse ratione actus adjuncti.

18. *Octavum* denique tempus assignatur ab eodem Sanchez *ibidem*, cùm primum fides alicui sufficienter proponitur, quia cùm actus fidei sit de necessitate medii, non est ratio, cur quam primum non amplectatur. Sed hoc certè non negatur, ut *num.8.* vidimus, cùm id sit ex necessitate medii; At verò hic loquitur de necessitate præcepti dumtaxat.

19. Ex his duo illa *numero 9.* dicta facilè colligis, & sæpissimè per accidens urgere præceptum de actu fidei, & rationabiliter proinde præceptum per se, & directè exigens illum actum, impositum non fuisse.

### §. II. *De tertio Præcepto Fidei, illam exteriùs confitendis*

1. Regula prima, Tunc solum fidem exteriùs confiteri sub mortali debes, quando exterior tua confessio necessaria est, vel ad Dei magnum honorem, vel ad animæ proximi salutem, vel ad tuam. Ita S. Th. *2.2. q.3. artic.2.* Suarez *de fide conf. lib.6.cap.9.numero 3.* aliique allati à Bonacina *circa primum Dec. præceptum d.3.quæst.2.p.3.numero 3.* & Layman *lib.2. tom.1. cap.11. num.1.* Ratio regulæ est, quia etiam & aliarum virtutum actus tunc sunt in præcepto, quando sunt necessarii ad finem charitatis erga Deum, erga proximum, erga se ipsum. Nota cum Valentia *tom.2.quæst.2.p.2.* illud (magnum) quia secus, semper teneris, cùm semper aliquis honor simpliciter à Deo subtrahatur, te non confitente.

2. Regula secunda. Quando non est necessaria, vel non utilis, quin potiùs tua exterior fidei professio perturbationem gigneret, peccabis eam exhibendo veniàliter, vel mortaliter juxta perturbationis mensuram. Ita Layman *ibid.* aliique. Ratio est, quia nisi fortè, (uti certè sæpissimè accidit) à bona fide, & inadvertentia exoriendæ perturbationis excusareris, temerè ageres, & imprudenter.

Ex his duabus regulis sunt omnes ferè particulares casus decidendi, quorum aliquot producam hic in gratiam lectoris, & solvam.

#### *Primus Casus De interrogato de sua Fide.*

3. Quidam, evaginato gladio, multis in navi existentibus minatus est, ut dicerent, quinam ex ipsis Catholici essent; nam eos occidere omninò se velle jactabat. Nemo ex Catholicis suam fidem fassus est, & rectè ab ipsis factum esse Theologi pronunciarunt, ut Tabiena *verb. Fides, quæst. ultima*, Sanchez *in Dec. lib.2. capo.4. numero 8.* Bonacina *loco citato*, aliique, quia nullus inde honor Christi Domini periclitabatur, & scorra ille, cùm publicam auctoritatem non ageret, potiùs fuit illudendus, quam audiendus. E contra, Judice seu publica potestate interrogante Christianum de sua fide, tenetur is, etiam cum omnis periculo, fidem fateri; secus magnus Deo, & Christo Domino honor subtraheretur. Ita idem, *& passim.* At undè tantus subtrahetur honos? Respondeo. Id supponunt Doctores, & colligunt ex sensu Ecclesiæ primitivæ, quæ se in ejusmodi casu obligatam esse fidem fateri semper existimavit; & meritò, quia verè magnus est Dei honor, quòd Christianus, coram Principibus hujus sæculi contra oblatrantibus, fidem suam fateatur. Præterea dum mortis, & periculorum minis in publico, judicio Fides nequaquam cedit, mirum in modum ejus veritas confirmatur, atque in regnis radicem agit, quare si quando exterior ejus confessio urget, tunc certè urgere, multum est rationabile.

Atque hinc rectè colligit S. Thomas, si vir admodum gravis interrogetur etiam à privatis, verbi gratia, ab hæreticis, ipse autem si taceat, vel respondere effugiat, magnum aliquod populo scandalum oriri rationabiliter timeat, tacere non posse, quia in illis circumstantiis magnus Dei honor externam fidei confessionem exigit, ut supponit.

#### *Secundus Casus, De interrogato, An sit Sacerdos, vel quid simile.*

4. Si quis interrogetur ab hæretico, verbi gratia, Primò, esne Sacerdos, vel Monachus? Secundò, Audisne Missam? tertiò, abstinesne à carnibus die veneris? Quartò, esne Papista? advertatque interrogatus has interrogationes apud interrogantem æquivalere huic; Esne Catholicus? obligaturne fateri se esse talem? Respondeo, cum Doctoribus citat. si interrogans est privata persona, non obligari jam patet ex dictis. An, si sit persona publica, dico adhuc non obligari, sed silere, vel responsum eludere posse in tribus prioribus interrogationibus, obligari fateri se esse talem in quarta. Ratio est, quia in quarta illud (esne Papista?) æquivalet illi (esne Catholicus?) in tribus prioribus non item; multi enim sunt Catholici, qui nec sunt Sacerdotes, nec abstinent à carnibus feria sexta, nec Missam audiunt, &c. An possint positivè respondere se non audivisse Missam, non esse Sacerdotem, &c. dicam mox *§.3.num.9. fine.*

#### *Tertius Casus, De non obediente persecutoribus Fidei.*

5. Ejicit Tyrannus Chrystianos à suis regnis, vel quosdam pœnas pecuniarias contra illos taxat, vel præcipit, ut certas vestes ferant in signum suæ Religionis, tenenturne ij abire in exilium, vel pœnam, solvere, vel illud ferre? Sic enim obediendo tenerentur prodere se, atque adeò fateri se esse Christianos. Respondeo non teneri, Ratio est, quia ex una parte Tyrannus tunc injustè agit, & ex alia ad sese propalandum, nullo interrogante, nemo tenetur. Sic Sanchez *ibidem d.6. c.4. n.29.* Excipe nisi fortè magnus Dei honor, vel spiritualis proximorum salus aliud requireret; id quod colligi ex dictis potest. Ita Castro P. *tom.1.tract.4.de fide, disput.1.part.15.num.4.* Propter eandem rationem tenereris è contra te occultare, si sic crederes te in meliora tempora reservatum posse melius fidem promovere, ut rectè monet Castro P. *mox cit.num.3.*

6. Quid autem? potèstne Christianus fugere è regno, in quod timetur superventura persecutio contra fidem; Respondeo cum eadem exceptione, si ejus sis conditionis, ut te fugiente, periclitetur Dei honor, vel salus animarum, tuique muneris observantia, fugere non potes, secus potes, ut modo dictum est. Sic Sanchez, Becanus, Reg. Fill. aliique apud Bonac. *loco citato num.9.*

num.9. Quod si solum esses utilis, non tamen necessarius, posses remanere, sed non obligaris. Quòd si denique, remanendo turbares potiùs, quàm rem Christianam promoveres, peccare non fugiendo, propter malum quod infers, nisi ex bona fide, & ignorantiæ esses, ut *supra*, dixi, interdum excusandus. Ita Castro *ibid. n.3. fin.*

*Quartus Casus, De vidente sacra contemni.*

7. Si advertas Turcam, vel infidelem militem, verbi gratia, sacras imagines conculcare, Virgines sacras, & templa profanare; teneris, si potes, illos cohibere, etiam si cum vitæ periculo te Christianum manifestare oporteat. Sic apud eundem Bonac. *loco citato num.13.* Ratio est, quia ita exposcit Dei honor, & veræ fidei indemnitas, si potes, inquam; nam si tua prohibitio, seu conatus non judicentur profutura, non est caput, unde obligeris.

## §. III. *De quarto Præcepto Fidei, illam exteriùs non negandi.*

1. Connexum est hoc cum præcedente præcepto: si enim exteriùs fides est confitenda, certè à fortiori non erit exteriùs neganda; illud addit, quod cum sit præceptum negativum, exposcit ut nunquam liceat externis actibus negare, etiam si cæterùm mente fidem quis teneat; præceptum enim fidem exteriùs non negandi est distinctum à præcepto nunquam negandi interiùs, de quo *in §. sequenti.*

2. Regula universalis est hæc: Omnia illa verba, vel actiones vitare ex hoc præcepto debemus, quæ sunt ex se, & spectatis circumstantiis significativa internæ denegationis fidei, ut esset, v.g. dicere, non sum Catholicus. Quæ verò non sunt absolutè significativa internæ denegationis, vel ex instituto particulari alicujus, vel per accidens, licèt absolutè teneamur vitare, ne demus ansam credendi aliis nos fidem negare, ex causa tamen licebit non vitare, quia tunc necessitas causæ excusabit. Ut, v.g. uti communibus vestibus infidelium. Ratio regulæ, quæ ex casibus particularibus fiet clarior, est, quia præceptum, de quo loquimur, prohibet ne exteriùs negemus fidem; at satis id servatur per dictam regulam.

*Primus Casus, De negante se esse Catholicum, vel quid simile.*

3. Certum est id licere nunquam, etiam si quis ficte, hoc est, animo retinendi fidem, neget; siquidem id esset absolutè exteriùs negare. Quoniam verò aliquando contingere posset, ut nomen hoc (Christianus, v.g.) apud aliquas gentes non sit significativum Religionis, sed nationis, ut in India Occidentali contigisse testis est Bañez, *part.2.quæst.3. art.2.d.2.* ubi nomine Christiani, intelligebant Hispanum, ideò tunc posset quis sine mendacii negare se esse Christianum, quia non negaret nisi se esse Hispanum, quod esset leve mendacium, & si accederent leges justæ æquivocationis, nec mendacium quidem esset.

Idem dic de negante se esse Sacerdotem, Clericum, Monachum, se audivisse Missam, se abstinere à carnibus die Veneris, & his similia; hoc enim esset negare statum vel consuetudines, actionésque suas, non verò fidem.

*Secundus Casus, De vente vestibus, seu signis infidelium.*

4. Ut separemus certa ab incertis; certum est primò si vestis, vel signum sint distinctiva solius nationis, v.g. Indi, vel Mauri, posse quemlibet iis uti, ut esset vestis Turcarum oblonga, & galerum fascia alba turbinatum. Ita Sanch. *lib.1.in Dec.c.1. à n.16.* Ratio est, quia id non est negare fidem, sed ad summum profiteri se esse talis nationis.

5. Certum sit secundò, si sint distinctiva quidem Religionis, sed solùm ad finem politicum dignoscendi quisnam sit talis Religionis, non verò ut signum institutum ad confitendam illam falsam Religionem, certum, inquam, sit, posse quemlibet iis uti, ut esset, verbi gratia, pileus flavi coloris, quo Romæ utuntur Hebræi. Ita Sanchez *ibidem num.92.* Ratio est, quia omnibus circumstantiis attentis, illarum vestium usus non est signum falsæ Religionis, sed politicæ illius distinctionis dumtaxat: id quod quamvis sit quædam simulatio, potest ex gravi causa excusari à culpa. Immò, si quis non intendat se fingere Judæum, verbi gratia, vel Turcam, sed solùm dissimulare se Christianum esse in eo loco ac tempore, quo fidem suam non tenetur propalare, videtur excusandus etiam sine magna causa; utitur enim iure suo, illas vestes ex se differentes induendo. Ita Layman. *lib.tr.1.c.11.n.3.*

6. Certum sit tertiò, in Comœdiis ad repræsentandum, in vexillis ad decipiendos hostes, in speculatoribus ad explorandos Turcarum apparatus, & in similibus, licere uti communibus vestibus, & signis ipsorum; ita Sanch. *ibid.n.22. & 23.* quia id non est profiteri illorum sectam, sed solùm mores, & politica symbola exhibere. Nam pari ratione Sacerdos, Clericus, Monachus ut incolumis evadat iter agens per loca Infidelium, potest suas deponere, & Infidelium usuales vestes induere, ut à fortiori ex dictis *n.3. fine* patet. Hæc sunt certa.

7. Illud remanet incertum: An liceat uti veste instituta ad profitendam falsam sectam, verbi gratia, veste Sacerdotali Turcarum, vel vexillo, ubi sit depictus Mahometus, vel falsum idolum. Negat Azor. *p.1. lib.8. c.ult. quæst.4.* & Sanchez *ibid. n.22. & 23.* etiam gravissima existente causa, quia in his apparet sectæ falsæ professio; cùm talia signa sint destinata ad exhibendum cultum, vel obsequium authori illius sectæ; Sed alii meritò, gravi existente causa putà. ad mortem vitandam, & ad victoriam de Infidelibus reportandam, &c. benigniùs loquuntur: *Hanc professionem* (ait Layman, *dict. lib.2. tract.1. cap. 11. numero 4.* & probabile fatetur Castro P. *t.1.tr.4.disp.1.p.17.n.7.* citatque Azorium, & Coninch.) *falsi cultus generatim loquendo non cogimur agnoscere, cùm etiam apud Christianos ejusmodi signa, putà Mercurii, Veneris, &c. tanquam fabulosa, ornatus gratia, adhibeantur. Ioitur non damnarem milites nostros, si iis tanquam indifferemibus insidiarum causa in bello uterentur.* Hæc Layman.

*Tertius casus, De comedente carnes die vetito, ne deprehendatur Catholicus.*

8. Catholici ne ut tales cognoscantur in hospitiis hæreticorum, non possunt comedere carnes die, v.g. Veneris, nec Sacerdotes possunt negligee recitationem officii, si solùm timeant parvum quandam irrisionem hæreticorum, ita Becanus apud Layman *c.num.5.* quia hæc, cùm sit modica causa, superare non potest grave Ecclesiæ præceptum; sed possunt si rationabiliter aliquod malum proportionatum ex gravioribus timeant. Ita Sanch. *num.25.* Layman *n.5.* aliique. Ratio hujus est, quia ex una parte illa non sunt per se signa falsæ sectæ, cùm ex variis causis & Christiani soleant comedere carnes, & Sacerdotes officium negligere; & ex alia, illud præceptum Ecclesiæ, ut cætera positiva præcepta, non obligat gravi imminente periculo.

9. Hinc colligo aliquos nostros Missionantes inter Turcas ob magnum bonum, quod sperabatur, ne deprehenderentur, licitè potuisse, (adderem libens & debuisse) Missam non celebrare, nec audire die festo, quamvis occultè, utcumque valuissent: id enim periculum, quod regulariter dum agitur inter hostes imminet, exposcebat, eventúsque rem docuit; nam propter Missam, & alia similia Sacerdotum propria ab infido famulo delati, captivique facti Missionis fructu privati sunt.

10. Illud notat cum communi Layman, *l.c. num.4.* fas non esse Catholicis, qui occultè vivunt inter hæreticos; ob metum quarumcunque pœnarum cœnam hæreticorum

ticorum sumere, quia ex circumstantiis personarum, loci, temporis, adjunctorum, &c. determinatur ea cœna ad profitendum cultum hæreticæ Religionis. Meritò quidem: sed id intelligo, aliquo vidente vel cum prædictis ceremoniis adjunctis: nam cæterùm nullo advertente, & nihil referendo ad falsum cultum, eas carnes materialiter comedere res est indifferens, nec ex se peccatum. Ita Castro P. *l.c.n.*10. Sanch. *lib.*2. *in Dec. c.*31. *n.*7. Idem docere solemus de Idolothytis, hoc est, de carnibus sacrificatis idolo.

*Quartus Casus, De ingrediente templum falsæ sectæ thus offerente, & similibus.*

Thus adolere, adorare, genuflectere idolo, nunquam, quocunque metu mortis id fiere certum sit. Ita Laym. *lib.*2. *tr.*1. *c.*2. *n.*3. & 4. Quid enim est profiteri exteriùs cultum idolorum, si hoc non est? Difficultas ergo solùm superest de ingrediente Templum, seu Moschæas falsæ Religionis, déque conciones inibi audiente? posset enim id fieri ob finem indifferentem, verbi gratia, curiositatis, vel observandi quid ibi fiat, ut confutetur, vel causa associandi Dominum infidelem, vel ob quid simile. Puto distinguendum esse, Si nullum sit tuum periculum deferendi fidem, nec scandalum aliorum, qui fortè tuo exemplo ad cultum idolo profitendum commoverentur, utique non esset saltem culpa mortalis, illuc accedere, & cum causa proportionata, ne venialis quidem. Ita Sanch. *lib.*2. *in dec. c.*31. *n.*18. Bonac. *tom.*1. *circa primum Decal. præc. d.*3. *q.*2. *p.*3. *n.*27. *fine*; licèt contrarium doceat Castro Pal. mox citandus *n.*12. Ratio est, quia his conditionibus positis, non apparet, unde graviter delinqui possit. Et hoc fortasse concessit Elisæus Namanno, ut scilicet ad famulandum domino suo, ingrederetur in templum idoli, immò & genuflecteret, domino genuflectente, non quidem in gratiam idoli, sed in commoditatem Domini se innitentis super ipsum. Ita Sanch. *lib.*2. *in Dec. c.*4. *n.*14. At verò si ex circumstantiis appareat illum templi ingressum esse ad profitendam falsam sectam, nunquam licebit. Idem *ibid. n.*25. quia (quidquid videatur in contrarium innuere. Azor. *p.*1. *lib.*8. *c.*27. *quæst.*5.) sic esset intrinsecè malum, idque videtur declarasse Paulus V. apud Sanch. *ibid. n.*27. Laym. *ibid. n.*6. nam cùm in dubium verteretur, An in Anglia liceret Catholicis ingredi hæreticorum templa, sic jubente Rege hæretico, liceret, inquam, cum protestatione, quod id facerent merè ad obediendum civiliter Principi in re indifferenti, qualis est materialis ingressus templi, Paulus V. doctissimique insuper viri censuerunt, nequaquam licere. Ratio potissima fuit, quia in iis circumstantiis non poterat præsumi juberi materialem prædictum ingressum, sed ingressum, ut signum profitentium hæreticorum sectam, quam Rex ab omnibus exigi contendebat, & per illum ingressum tanquam per implicitum signum extorquebat.

12. Ex dictis solvitur ille casus, an Rex animo Catholicus, possit prædictas, similesque actiones exercere, ut nimirum sic, vel non irritet infideles subditos, expectétque aptius tempus ad eorum conversionem, vel facilius in cognitionem hæreticorum deveniat, quo deindè illos punire & de regno ejicere possit, &c. solvitur, inquam: nam ut ex dictis constat potest eas exercere, quæ non sunt professiones falsæ sectæ, nec in aliorum scandalum sint, ut comedere carnes diebus vetitis, induere vestes nationis, ingredi materialiter templa, &c. at non potest adolere thus idolo, illi genuflectere, adorare, & similia ex se, & circumstantiis significativa falsi cultus: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

13. Solvitur secundò illud: An liceat matrimonium contrahere coram Parocho Hæreticorum; Non enim licet, quia esset testificatio, seu approbatio hæreticæ sectæ. Ita Coninch. *de fide, d.*13. *d.*3. *n.*63. liceret tamen coram Magistratu civili, modò antea Catholico ritu matrimonium fuerit contractum, vel postea contra hæretur. Ratio utriusque dicti est, quia ibi saltem implicitè approbatur secta. Ministri hæretici, hîc sola recognitio politici præcepti, per quam civiliter constet initum à Catholico esse matrimonium.

## §. IV. *De quinto Præcepto, non negandi interiùs Fidem.*

1. DUplici modo contra ad præceptum delinqui potest: primò negando, vel dubitando per deliberatam voluntatem de articulis fidei. Secundò amplectendo aliam sectam, paganismum v. g. vel judaïsmum, qui enim has amplectitur, veram fidem jam negat, & communi vocabulo infidelis vocatur; nam ille prior dicitur hæreticus, vel apostata à fide, vel schismaticus. De singulis ea quæ sunt necessaria breviter delibabimus.

### *De Hæretico, seu Hæresi.*

#### *Quid sit hæresis.*

2. Est error hominis baptizati in intellectu voluntarius, contra aliquem fidei articulum cum pertinacia; Sanch. *lib.*2. *in Dec. c.*7. *n.*1. aliique nam si contra omnes, erit Apostata, de quo paulò pòst.

Non ergo Catechumenus erit propriè hæreticus, saltem ad hoc, ut incurrat pœnas ab Ecclesia statutas, quia is nondum susceptit baptismum, per quem, tanquam per januam ingreditur quis in Ecclesiam, ejúsque fit subditus. Præterea non erit hæresis, factum, vel dictum externum contra fidem, si non sit cum errore intellectus, nec si ejusmodi error sit sine pertinacia, qua nequaquam posita, meritò ait S. Augustinus *epist.*16. *Errare quidem potero, sed hæreticus non ero.*

3. Dubii item in fide, hoc est qui deliberatè putant rem fidei dubiam esse, ut etiam qui opinativè solùm assentiuntur rebus fidei, putantes articulum aliquem fidei esse solùm probabilem, hæretici sunt, si quidem ad fidem requiritur, ut certò articuli credantur ex Dei revelatione. Ita Sanch. *ibid. n.*12. aliique Dico (solùm) nam ex vi alicujus rationis affirmare probabilem esse aliquem articulum, non est hæreticum, immò laudabile, modò teneas ex vi revelationis esse certum. Ita Castro P. *tom.*1. *tr.*4. *d.*3. *p.*2. *n.*12.

Sed in quo consistit dicta pertinacia. Dico non consistere in aliqua temporis mora, ut innuere videtur Sylvest. *v. Hæresis,* 1. *q.*2. sed in electione deliberata voluntatis, cum certa cognitione, quòd illud sit contra id, quod sentit Ecclesia: pertinax igitur eris, si doctrinam Ecclesiæ noscens, propriæ opinioni illi contrariæ adhæres. Ex quo vides in momento temporis hæresis actum consummari posse. Iaceor ex mora brevi posse conjici, fidélem præsertim deliberatum non consensisse cogitationi de hæresi admittenda, quod solùm fortasse docere voluit Sylvest.

4. Qui verò errat contra fidem ex ignorantia crassa, vel affectata quomodocunque culpabili, per quam nescit illud in quo errat esse contra fidem, éstne verè hæreticus? esse affirmat Sotus, Lorca, aliique apud Castro Pal. *citat. num.*1. quia peccata ex ignorantia culpabili, & ex certa scientia sunt ejusdem speciei, v. g. idem specie peccatum committit, qui ex ignorantia culpabili, quòd hodie sit dies festus, non audit Sactum, ac, si sciens esse diem festum, non tamen audit: Sed melius cum communione sententia negat Suarez, Azor. Coninch. Arag. Farinac. ipséque Castro Palaus, hoc citans *ibid. num.*1. (estò in foro externo reputetur, ut hæreticus) quia ad hæresim non satis est quælibet culpa, ut accidit in aliis materiis, in quibus procedit doctrina Soti, sed requiritur præterea pertinacia, quæ certè non est in ignorante, de quo loquimur.

#### *Hæresis alia interior, exterior alia.*

5. Hæresis autem alia est merè interna quæ scilicet, consummatur in ipso intellectu, nullo signo exteriùs dato. Alia externa, quæ exteriùs prodit per aliquam vocem

cum, vel nutum, etiamsi nullus prorsus sit, qui illam audiat, vel illam videat, & si quidem prodeat coram multis, dicitur hæresis publica, si verò nullo audiente, vel paucis, puta duobus, vel tribus, dicitur externa occulta.

Quod si quis solùm exteriùs affirmet hæresim, secus habeat in mente errorem, verè non dicitur hæreticus exterior, vocari tamen solet hæreticus purè exterior, quia ipsi non creditur, si allegetse interiùs non habere errorem contra fidem, ideò regulariter in foro externo reputatur, & punitur ut verus hæreticus. Ita Castro Palaus *tom.1.tr.4.d.3.p.2.n.16.*

6. Illud hîc nota, ad hæresim externam constituendam requiri duas conditiones, ex Sanchez *lib.2. in Decal. cap.8.num.7.* Primò, ut signum, seu vox exterior procedat ex affectu hæresis. Secundò, ut signum illud ex se, vel ex aliis circumstantiis hæresim determinatè exprimat. Ejusmodi sunt ipsa verba hæresim absolutè, & non sub dubio, significantia: ejusmodi, ipsa facta propria hæreticorum, ut eorum cœna, similésque ceremoniæ: ejusmodi, ipsamet opera bona ipsorum, v.g. visitare infirmos, adire Ecclesiam, &c. si ex circumstantiis colligatur fieri ab aliquo, ut se conformet falsæ sectæ illa præcipienti. Ita Sanchez *ibidem n.8.*

7. Quare qui, dum confitetur suum peccatum, dicit se non credidisse, vel loquens cum amico dicit, si fuisse hæreticum, nunc verò non esse, vel dum scribit, vel disputat, vel legit, pronuntiat hæresim illam, quam etiam ipse habet interiùs, sed ipse tunc pronuntiat solùm ut hæresim aliorum, nihil ad se referendo, non erunt hæretici exteriores, ex defectu nimirum prioris conditionis.

8. Simili modo, si quis dum mente non credit, moveat caput ex tali hæretico affectu, vel dicat solùm: *Non est*, vel etiam disputet, ita tamen, ut non appareat ex tali disputatione ipsum confirmare velle hæresim, sed solùm disputandi causa illam hæresim proferre, immò si quis non aperiat caput, v.g. Eucharistiæ, in quibus apprehenditur potiùs id fuisse irreverentiæ signum, quàm incredulitatis, & si quis comedit carnes die vetito, v. g. vel ducat duas uxores, vel rebaptizetur, &c. in similibus circumstantiis, in quibus ejusmodi actiones apprehenduntur fieri ob aliud, quàm ob errorem contra fidem, non erunt hæretici exteriores ex defectu posterioris conditionis, quia nimirum hæc signa hæresim determinatè non exprimunt. Ita Sanchez *ibid. à num.* 8. Castro Pal. *ibid.n.16.cit.* aliique apud Dianam *p.4. tr.4.res 264.* Nam sicuti, quicunque alius conceptus interior hominis per similia determinata signa prodiens non dicitur saltem perfectè manifestatus, sed adhuc remanens in terminis conceptus interioris, ita in conceptu hæresis. Non nego ejusmodi signum imperfectum esse peccatum hæresis, & aperiendum expresse in confessione, sed dico non esse hæresim absolutè, & perfectè externam, atque adeò per hanc non incurri censuras, pœnas, & reservationem impositas contra hæresim externam, quæ pœnæ, cùm sint odiosæ, & restringendæ, requirunt non actum quemcunque externum, sed externum determinatè, & perfectè.

Ad secundam prædictam conditionem reduco, si quis motus hæresi interna aliquid agat, quod sit veniale peccatum, v.g. comedat parum carnis die vetito, animo sequendi hæreticorum sectam: ajo enim hunc non fore per illam externam confessionem hæreticum absolutè externum: Ita Sanch. *ibid.n.7. & n.17.* quia non completè exprimit per eam levem actionem errorem internum: patet; nam si quis illum in quacunque circunstantia videret eam levem actionem exhibere, non statim rationabiliter judicare posset illum errare interiùs in fide.

## §. V. *De Hæreticorum pœnis.*

1. Præmittendum est omnes pœnas contra hæreticos ab Ecclesia constituras intelligi esse contra hæreticos externos, sive occultos, sive publicos, modo in sequentibus explicando: nullam verò contra internos. Id semel, dixisse sufficiat, sed notetur diligenter. Ratio est *suprà* tacta, quia Ecclesia visibilis non judicat de internis, sed de externis, qualis certè est hæresis foras prodiens, quamvis nullo præsente.

### *Prima pœna. Excommunicatio.*

2. Prima igitur pœna contra hæreticum externum est excommunicatio latæ sententiæ *c. excomm. 3. & 2. c. ad abolendi, de hær. Bullæ Cœnæ*, Summo Pontifici reservata.

3. Hîc nota primò, Hæreticum, donec sit nominatim declaratus excommunicatus, ex Sanch. *lib.2. in Dec.c.9. num.3.* Castro P. *t.1.tr.4.d.4.p.1.n.5.* non est ex vi excommunicationis vitandum post Concilium Constantiense *in extravag. Ad evitand.* Non ergo sufficit esse declaratum illum hæresim externam commisisse, sed insuper requiritur alia declaratio, ipsum in excommunicationem incidisse.

4. Nota secundò, ex eo quod hæreticus est excommunicatus, consequenter eum incurrere cætera, quæ excommunicationem comitantur.

5. Hinc fit ut si sit privatus omnibus officiis, quibus privat excommunicatio, non possit recipere Sacramenta, nec ex se ministrare, non possit exercere actum ordinis, privetur communibus suffragiis Ecclesiæ, & similibus, quæ dicuntur *in tractatu de excommunicatione.* Verùm, quia nos hîc agimus de pœnis propriis hæreticorum, addere necesse est alias, quæ, licèt non sint annexæ cæteris excommunicationibus, comitantur tamen excommunicationem contractam propter hæresim, quales sunt irregularitas, infamia, privatio beneficiorum, aliæque, quas jam subdimus.

### *Secunda pœna. Irregularitas.*

6. Non hæreticum publicum, seu notorium per omnes incurrere irregularitatem, *c. Nec si, §. item Samuël 2. q.7.c.Presbyter, de pœnis, d.5.* at occultum esse probabile non incurrere. Ita Castro P. *tom.1.tr.4. d.4. p.4.* contra Suar. & Sanch. *ibid.* relatos. Ratio est, quia jura, quæ hanc pœnam imponunt, loquuntur de delicto notorio, & ex alia parte irregularitas nulla contrahitur, nisi in casibus jure expressis. Quid sit publicum, quid occultum, hac in re, innui *suprà, §.5.num.5.*

### *Tertia pœna. Infamia.*

7. Nota ad hanc perfectè contrahendam, debere hæresim esse notoriam, vel notorietate facti, vel juris, hoc est, vel ex se, vel ex sententia Judicis, *cap. Infames, 6.q.1. cap. excommunicamus, de hæreticis, & alibi.* Ita Sanchez *lib.2.in Dec.c.26.n.1.* Castro P. *l.c.n.4.* aliique. Ratio est, quia infamia est prava opinio de alio circa plures: donec igitur ad plures notitia delicti pervenerit, perfecta non erit per commissum crimen, erit solùm veluti inchoata & crimini debita.

### *Quarta pœna, Privatio Beneficiorum, & Officiorum possessorum, & inhabilitas ad futura.*

8. Certum est, durante hæresi, hæreticum non posse admitti ad beneficia, officiáque publica, cùm sit excommunicatus, & subinde irregularis, unde si admittatur, collatio erit nulla, cum onere restituendi fructus ante omnem sententiam: quia eos nullo titulo possidet, *cap. Vt commiss. §. privandi, de hæret. in 6. §. statutum, 1. eodem.* Ita Sanchez, *lib.2. in Decal. cap.26.n.4.* Castro P. *tom.1.tr.4. disp.3.p.5.num.1.*

9. At difficultas est primò, an quando hæresim relinquit, Ecclesiæque fuerit reconciliatus, possit ad illa admitti sine nova dispensatione? Secundò, an statim atque quis in hæresim labitur, privetur jure possessis? Beneficiatus, v. g. hæreticus cogitúrne ex se relinquere bene-

beneficium, fructúsque restituere an possit expectare donec à judice per sententiam compellatur? Tertiò, an si reconcilietur, possit ea sententia contra illum fulminari, dictísque beneficiis privari, ob peccatum hæresis ante reconciliationem contractum?

10. Breviter nostro more respondeo, sententiam de hisce tribus quæstionibus tum negativam, tum affirmativam esse, si rectè explicetur, saltem probabilem. Ita Sanch. Castro P. *loco citato*, aliique ab ipsis allati. Quare benigniorem volens quis eligere tutò, potest, atque adeò affirmare. Quoad primam, reconciliatum posse admiti, si hæresis occulta fuit, si enim publica, jam contraxit irregularitatem, per quam non potest ei beneficia, sine dispensatione, admitti. Quoad secundam, hæreticum non obligari se spoliare nec beneficio, nec ejus fructibus ante sententiam, imò post illam non ex se, sed per executionem à judice faciendam. Quoad tertiam, non posse reconciliatum, saltem eum, qui spontè ad fidem rediit, spoliari possessis. Ratio horum est, quia non extant textus contrarium ita clarè decidentes, ut non relinquant has opiniones in sua probabilitate.

11. Nota secundò filios hæreticorum, cósque, qui hæreticis favent (qui sint hi faventes dicam *mox* §. 6.) ad nullum beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum admitti posse, *c. Quicunque*, § *Hæretici. de Hæreticis*, *in* 6. non tamen amittere beneficia, vel officia ante possessa. Ita Azor. *p.* 1 *lib.* 8. *c.* 13. *q.* 8. § *Octava pœna*. Secundò, intelligi de filiis non legitimis, tum non legitimis, déque natis tum ante, tum post hæresim à patre commissam: denique de filiis solùm usque ad secundum gradum per lineam paternam, per maternam verò usque ad primum duntaxat. *Ibidem*, & *c. statutum* 2. *de Hæreticis*, *in* 6, Joan. Andræas, aliique *in d. c.*

12. Nota tertiò, huc reduci aliam pœnam, quam alii hoc occasione contrahunt, de quibus sic habet textus: *Ad hæc quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum hoc est, Hæreticorum vel credentium, receptatorum, defensorum, fautorum eorum, dignitates, personatus, & quæcunque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc, privamus totaliter acquisitis: volentes quod tales & habitis careant perpetuò, & si receperint illa scienter, ad alia, vel similia nequaquam in posterùm admittantur.*

Ubi adverte quinque. Primò, non includi nisi viros Ecclesiasticos, non ergo Sæculares, Secundò, non includi ea, quæ non sunt dignitates, vel personatus; vel beneficia. Tertiò, preces debere esse efficaces, hoc est, ita, ut ex vi illarum obtentum fuerit beneficium. Quartò, duas hic esse pœnas, alteram privationem acquisitorum; alteram inhabilitatem ad futura: ad priorem incurrendam non requiritur te sciviſse hæreticorum intercessionem, ad posteriorem requiritur ut clarè patet ex textu; quæ duo nescio, cur non distinxerit Castro Palaus *loco citato*, *n.* 9. Quintò, cum textus non dicat hunc fore inhabilem, sed non esse admittendum ad futura beneficia, inclinat rectè idem Doctor, inde colligi admissionem non fore invalidam, sed solùm Illicitè factam.

### *Quinta pœna. Non posse esse patrinum in Baptismo Catholico.*

13. Justa pœna, cum enim Patrini officium sit rudimentis veræ fidei filium instituere, non potest id ei competere, qui in illis errat. Ita Sanch. *lib.* 2. *in Dec. c.* 9. *n.* 12. Intelligo autem dum est hæreticus, nam si sit perfectè reconciliatus, non video textum, unde illum excludere oporteat.

Posse Catholicum esse patrinum filii hæretici, si Baptismus ritu Catholico conferatur neque scandalum adsit, concedimus ultrò, cum Sanch. *ibid.* quia nullo jure id interdictum invenimus.

### *Sexta pœna. Non posse Hæreticum contrahere matrimonium cum Catholico.*

14. Licèt matrimonium fidelis cum hæretico sit validum ex Sanch. *de matrim. lib.* 7. *d.* 72. *n.* 2. (quidquid aliqui apud eundem *ibid. n.* 1. adversentur) quia nullibi in jure, ut irritum statuitur, est tamen illicitum, & quidem cum mortali culpa contractum *cap. non oportet* 18. *q.* 1. Ratio est, quia est ab Ecclesia meritò prohibitum propter perversionis periculum, quod Catholico conjugi imminet. Id quod verum est, etiamsi sit spes certa conversionis conjugis hæretici, quia adhuc præceptum est in suo robore, solúmque id esset in causa, unde Pontifex Summus moveri facilè posset ad dispensandum, Ita Sanchez *de matr. lib.* 7. *d.* 72. *n.* 4. Si ritè contracto matrimonio contingat alterum ex conjugibus hæreticum fieri, qua ratione se fidelis gerere debeat, quíve juris sit divertendi, agitur *in tractatu de matrimonio*, interim vide Sanch. *lib.* 10 *de matr. disp.* 15. præterea contra uxorem fœminam cum hæretico contrahentem, imposita est pœna amissionis dotis, expectata tamen sententia judicis, ut notant iidem Sanchez, *lib.* 2. *in Dec. c.* 17. *n.* 18. Castro Palaus *t.* 1. *tr.* 4. *d.* 5. *p.* 1. *n.* 10.

Excipit Sanchez *lib.* 7. *de matr. d.* 72. *n.* 4. loca, in quibus hæretici nondum denuntiati cum Catholicis permisti vivant, ut in Gallia, Germania, Polonia, quia ibi ejusmodi matrimonia, ex receptâ consuetudine ob bonum pacis Reipublicæ, adde, & propter difficultatem inveniendi pares conjuges, toleratur.

15. Quoniam verò jus Ecclesiasticum *cap. Iudæi* 28. *q.* 1. *c. fin. de convers. Infid.* præcipit sobolem debere sequi conditionem parentis fidelis, id quod fundatur in jure divino, per quod incumbit parentibus cura educandi liberos in vera fide, ideò inire pactum, ut aliqui filii nutriantur apud fidelem parentem, aliqui apud hæreticum, illicitum est, imò & impium. Ita Sanch. *lib. de matrim. d.* 2. *n.* 4.

Quare filius etiam triennio minor, qui aliàs apud Patrem esset educandus, apud matrem fidelem, nutriri debet, & major apud patrem fidelem quia ætatis, patriæque potestatis ratio cedit favori fidei. Ita idem *ibidem*, *d.* 73. *num. ult.*

### *Septima pœna. Confiscatio bonorum.*

16. Innumeras hæc pœna habet difficultates, quas tribus regulis pro nostra praxi sufficientibus breviter concludam: doctrinas enim, limitationésque varias, præsertim ad forum externum facientes, apud Doctores citandos vide fusè tractatas.

17. Regula prima. Omnia bona, quæ sunt hæretici, quanto is in hæresim (utique externam) labitur, sunt confiscationi obnoxia. Ita Castro P. *t.* 1. *d.* 5. *p.* 2. *n.* 1. Nota singula.

Dicitur primò (omnia bona) ergo tum mobilia, tum immobilia bona, tum jura.

18. Dicitur secundò, (quæ sunt Hæretici) non ergo confiscantur quæ donaverat, (sed non in fraudem fisci) nec jus patronatus, nec (quoad proprietatem) dona subjecta Majoratui, vel fideicommisso, nec emphyteusim, nec bona quæcunque, si is, qui crimen hæresis committit, vel non est dominus prædictorum, vel ipso deficiente, sunt transmittenda ad alios, confiscantur verò quoad usumfructum. Ita *ibidem*, *in d. disp.* 5. *sparsim per totam*. Ratio est, quia tunc proprietas non est delinquentis, est verò usus fructus, præterea Doctores Sanchez, Suar. Fagin. aliique apud ipsum *l.* 1. *praxis*, *quæst.* 25. *num.* 13. & 143. sequitúrque Castro Pal. *cit. p.* 4. *n.* 2. docent, jura, id est, ea, quæ debentur hæretico, si debeantur ex testamento, qualis est hæreditas, fideicommissum, legatum, non confiscari, quia ea solùm transire possunt ad fiscum, quæ ad hæredes extraneos transmitti possunt; fiscus enim loco hæredis extranei succedit: si verò debeantur ex contractu, putà venditione, stipulatione, &c. confiscari, quia hæc transmitti queunt ad hæredes extraneos. Hæc autem ideò Doctores docent, quia eorum, quæ debentur hæretico ex ultima Testatoris, voluntate, ipse Testator est veluti Dominus, & disponens non

non verò ipse hæreticus, unde transmitti ad Fiscum contra Testatoris disponentis voluntatem, rationabiliter non debent: at eorum, quæ ex contractu ipsi hæretico debentur, ipse est absolutus Dominus, & disponens, atque adeò perinde ac alia sua bona sunt confiscationi subjecta. Insuper delinquente per hæresim Patre, confiscatur legitima, quæ eo mortuo debebatur filio, quia dum Pater vivit, illa legitima bonum Patris delinquentis est, non filii, *l. Suis, de liberis & posthumis*, & eodem modo delinquente per similem hæresim filio, vivente Patre, non confiscatur prædicta legitima contra Patrem innocentem, imò nec bona filii profectitia, nec adventitia, quoad usum fructum, quia similiter omnia hæc bona Patris sunt non filii delinquentis. Castro Pal. *d. disput. 5.* sparsim per notam. Bona verò Castrensia, vel quasi, & bona adventitia, quoad proprietatem, confiscantur delinquente filio, quia hæc ipsius sunt. Denique (ut alia taceam) dos, bona paraphernalia, arrhæ, & quæcunque sunt uxoris non publicantur, viro facto hæretico, quia hæc sunt bona uxoris innocentis, non viri delinquentis. Sic Farin. Sanch. Vasq. Azor. Bon. quos citat, sequiturque Castro Pal. *d. disp. 7. p. 12. num. 3.* Ex his cætera similia non difficulter intelliges.

19. Dicitur tertio; (Quando is peccatum hæresis committit) ut notetur omnia bona delinquentis à puncto commissæ hæresis externæ esse subjecta fisco; Idem *ibid. p. 17. n. 1.* ita ut, etiamsi ea hæreticus vendat, v. g. venditio, vel nulla sit, vel certè annullanda; *ibid. p. 19. n. 4.* & quamvis talis delicti notitia ad judices tarde perveniat, sententiaque contra hæreticum post multos annos feratur, tamen hæc sententia retrotrahitur, ac si pronuntiata esset eo puncto, quo delictum ante dictos annos commissum fuit.

20. Secunda Regula, ex Doctoribus mox citandis. Sive dicamus talem hæreticum amittere dominium suorum bonorum à puncto commissi criminis, sive non amittere, certum est non obligari in conscientia ante sententiam se spoliare suis bonis, seu ea fisco tradere. Ratio hujus regulæ est, quia extra potestatem Legislatoris humani est posse per legem obligare delinquentem ad exequendam contra se ipsum pœnam gravem, & acerbam; cùm bono communi repugnat talis obligatio; est enim humanæ infirmitati contraria, multisque transgressionibus obnoxia. At gravissima pœna est suæ substantiæ amittendæ, quempiam executorem constituere. Ex hac regula, vides, quantùm juventur delinquentes, non solùm in hæresi, sed etiam in aliis criminibus, quibus ipso facto annexa est pœna confiscationis; possunt enim sine scrupulo retinere, & frui suis bonis, donec detur sententia declaratoria saltem criminis. Possunt item ante eam occultare sua eadem bona, & fisco non tradere, nec fiscus ante dictam sententiam potest sibi ea accipere, quia delinquentes adhuc jure possident. Solùm posset fiscus ea sequestrare, & alicui custodienda tradere, nè distrahantur. Possunt denique eadem alienare dando, vel vendendo, modò ea recipienti damnum evenire non possit, quia licèt ea alienatio annullanda veniat, tamen donec annulletur, valida est; si igitur ex futura annullatione damnum proventurum non sit recipienti, non est unde illicita censeri possit. Ita Sanchez *lib. 2. in Dec. c. 22. n. 69.* Farin. *de hæresi, q. 190. §. 5. n. 82.* Bonacin. *d. 3. de contr. q. 8. p. ultim. §. 3. n. 4.* aliique ab his citati.

21. Tertia Regula ex Doctoribus citatis, addo & Castro Pal. *dict. d. 5. p. 18. n. 5.* Post sententiam, licèt possit delinquens ea bona retinere, paratus tradere, si exigantur, nec obligetur ea offerre, seu manifestare fisco, tamen non potest positivè resistere ejus executioni. Ratio posterioris partis regulæ est, quia post sententiam fiscus acquisivit perfectè dominium illorum bonorum. Ratio prioris est, quia nimis durum esset obligare delinquentem ad exequendam tantam pœnam contra se ipsum, quare præsumitur jam lex concedere ea bona fruenda delinquenti, donec fiscus exigat. Quam legem sequitur Covarr. Simancas, Azor. Molin. Sanch. Bonacin. Suar. Farin. ab eodem *ibid. cit.* Scio Castro Palaum *l. c. n. 6.* contrarium nobis esse in hac priore parte regulæ, quia si delinquens (ait) amisit omnino dominium, & possessionem per sententiam, non poterit tuta conscientia ea retinere. Scio, inquam, hoc, sed ei sufficienter respondetur, ita quidem futurum fore, nisi lex, ut dictum est, concederet, concedit autem, ne quid nimis acerbum, & extra humanas vires præcipere convinceretur.

22. Atque ex hac regula fit primò, posse delinquentem ita iis bonis frui, non exigente fisco, ut postea fisco exigente non obligetur ad restarciendum consumpta, quia, ut dictum est, donec is non exigit, conceditur delinquenti suorum bonorum liber usus. Ita iidem. Fit secundò, non posse eundem delinquentem, imò & ejus hæredem, vel quemcunque possessorem eorum bonorum, ex proposito, tunc, scilicet post sententiam, occultare, ne fiscus ea occupet, nec iidem possunt negare se ea habere, si à fisco interrogentur, nec tradere alteri clam conservanda, quia sic positivè resisterent, ne fiscus jam exigens consequeretur ea bona, quæ per sententiam sua jam omnino sunt. Sic iidem.

### *Octava pœna. Incapacitas testandi, Succedendi, &c.*

23. Hæreticus est incapax testandi, *cap. excommunicamus, p. §. credentes, de Hæreticis*, quia cùm ejus omnia bona sint addicta fisco, intestabilis additur. Insuper durante hæresi ex multorum sententia incapax est hæreditatis, successionis, legati, donationis: ita Castro Pal. *d. tract. 4. disp. 5. p. 26. à num. 3.* unde eam repudiare debet: ni repudiat, succedunt ij, qui succedere debent ab intestato. Est tamen etiam probabile esse quidem capacem, atque adeò non obligari ad eā repudianda, sed posse expectare sententiam judicis. Ita Sanch. *lib. 2. c. 1. num. 32.* aliique apud ipsum, & apud Castrō Palaum citatum *n. 5.* Ratio est, quia Canones pro utraque explicari probabiliter possunt.

Dixi (durante hæresi) nam illa per veram pœnitentiam abjecta, tum in foro interno, tum externo, non erit incapax. Ita iidem *ibid.* contra Vasquez *p. 2. disp. 169. c. 3. in princ.* quia hæc incapacitas non sequitur ad excommunicationem; sed sequitur præcisè ad hæresim, hac ergo cessante, cessat & illa.

### *Nona pœna. Exemptio Filiorum, amissio servorum, & jurium, cæteraque pœnæ corporales.*

24. Filius eximitur à patria potestate, & servus à servitute Domini, Patre, vel Domino facto hæretico: & universaliter hæreticus amittit quodlibet jus, & obligationem sibi aliàs debitam, etiam ex vi juramenti: cum hoc discrimine, quòd filius eximitur statim à puncto hæresis paternæ, ita Sanch. *lib. 2. cap. 24. num. 6.* servus & cæteri obligati non nisi post sententiam. Ita Castro Pal. *d. disp. 5. part. 26. num. 16. & 19.* Hæc patent ex testibus à Doctoribus Simanca, Roia, Pen. Sanch. Suar. aliisque à Castro P. *d. tract. 4. d. 6.* passim citatis, apud quos etiam invenies alias corporales pœnas, nempè fustigationis, exilii, carceris, mortis, &c. quibus solent, & debent hæretici condemnari, quæ, & similia cùm pertineant ad forum externum, non sunt hic à nobis necessariò prolixiùs expendenda.

25. Illud nota. Relapsum hæreticum, qui punitur pœna mortis *c. ad solvendam 55. c. illos quoque, de hæreticis*, non esse eum qui in foro pœnitentiæ sæpiùs in hæresim labitur, ex Azor. *t. 1. lib. 8. c. 14. q. 1.* sed qui, cùm fuerit publicè correptus, & emendatus, iterum labitur, vel in eandem hæresim, quam abjuravit, ut tenent Suarez, aliique *disp. 23. de fide, sect. 2. n. 8.* vel ut putant Castro Pal. aliique *d. tract. 4. citat. disp. 6. p. 2. n. 13.* etiam in aliam quamcunque. Id juvat notasse, inter cætera, ut scias, quosnam excludit Pontifex, quando concedit *in Compend. priv. Soc. Iesu. v. Absolutio, num. 6. & 7.* quædam

Privilegia circa absolutionem hæretici, non verò hæretici relapsi. Notat verò Peña apud Suarez *l. c.* priorem opinionem in praxi nullum habere locum, quia, qui est publicè correptus, semper ex praxi tribunalium facit abjurationem generalem omnium errorum, quam, si relabitur in quamcunque hæresim, in abjuratam relabitur, atque adeò relapsus sine dubio erit.

### §. VI. *De Cooperantibus cum Hæreticis.*

*Credens, Raptor, Defensor, Fautor Hæreticorum.*

1. CRedens est ille qui assentitur erroribus hæreticis, ut si quis etiam nesciens errorem particularem, dicat se credere, quod Hæreticus credit: ita Suar. *de cens. d. 21. sect. 2. n. 9.* & *d. 24. de fide, sect. 1. n. 2.* Sanch. *l. c. in Dec. cap. 10.* Pen. *2. p. Director. q. 50. comm. 75.* Farin. *de hæresi, q. 181. n. 104.* Hic autem, quamvis, verè sit hæreticus; jam enim assentitur implicitè errori contra fidem, unde, & incurrit easdem prædictas pœnas, tamen hic ad majorem expressionem ponitur sub nomine credentis.

2. Receptor est is, qui hæreticum causa hæresis, fugientem, quocunque in loco, vel modo recipiat, seu abscondat, modò sciat illum ob hæresim fugere.

3. Defensor est, qui vel hæretici etiam mortui errorem, vel hæretici personam ob causam hæresis defendit, ut si rationes afferat in favorem erroris, vel errorem, seu errantem hæreticum laudet, vel si dolo, potentia, muneribus, aliáve arte impediat, ne hæreticus capiatur, vel curet ut captus fugiat. Ita Sanch. *ibid. n. 17.*

4. Fautor est, qui similiter in causa hæresis hæretico favet, vel commissione, vel omissione. Primo modo esset, si illum domi quis abscondat, auxilium præbeat, ut fugiat, processum falsificet, vel celet; quæ & similes, quamvis reducantur ad receptores, vel defensores, tamen majoris explicationis gratiâ etiam sub nomine fautoris designantur.

Secundo modo esset, si cùm teneatur quis ex officio illum capere, indicare, punire; non capit, non indicat, non punit.

5. Dixi (ex officio) nam licèt alii omnes non indicantes, & non capientes, cùm possint, saltem quando ab Inquisitoribus id illis præcipitur, sub nomine fautorum comprehendantur, ex Pen. *cit. q. 53.* Sanch. *cit. n. 15.* probabile tamen est in conscientia non esse ejusdem generis eos, qui ex justitia ad illas actiones non obligantur. Sic Farin. *q. 182. §. 2. n. 36.* Emeric. *2. p. q. 52. n. 3.* Castro P. *t. 1. tr. 4. de fide, d. 3. c. 5. num. 1.* Esto, v. g. quòd homo privatus delinquat, si non denuntiet hæreticum, non est tamen fautor ex injustitia: at officialis, seu, ut vocant, familiaris, putà Inquisitor si non puniat, cruce signatus si non denuntiet, erit fautor, quia ex officio, & justitia ipsis incumbit magis hæreticos corrigi, quàm incumbat privatis. Hos omnes prædictos à *numero primo*, uno verbo, vocabimus deinceps faventes hæreticis.

6. Nota autem tria. Primò si ejusmodi actiones cedant quidem in favorem hæresis; sed non à te fiant ob favendam hæresim, sed ut amico, vel consanguineo faveas, non es censendus favere hæretico. Ita Sanchez *cit. cap. 10. n. 5.* contra Castro Palaum *cit. num. 9.* Ratio est, quia verè hic non favet hæretico, ut hæretico, sed ut subjecto alterius obligationis humanæ; & per accidens est, quòd redundet in favorem hæresis. Si res sit dubia, an faveris ut amico, an non ut hæretico, vide *suprà, lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Hæreticus.*

7. Secundò, si favor non habuit effectum: v. g. occultasti hæreticum in causa hæresis, ne caperetur, sed tamen captus est, eris censendus favens: Ita Castro Palaus *ibid. n. 11.* contra Bonacinam *de censuris in particulari, disp. 1. q. 1. p. 3. n. 3.* & Sanchez *ibid. num. 9.* Ratio est, quia ex parte tua posuisti totam protectionem; ergo absolutè favens fuisti. Fateor, & hic opinionem Sanchez, & modò *num. præcedente*, opinionem Castro Palai saltem propter eorum authoritatem esse probabiles.

8. Tertiò favor debet esse de vera hæresi, non verò de hæresi quomodocunque præsumpta: Ita Suar. *disp. 24. de fide, sect. 1. num. 13.* v. g. si favet quis excommunicato ob causam fidei non curanti per annum se ab illa absolvi, qui certè præsumitur in foro externo hæreticus, favet, inquam, quis huic excommunicato, non erit in conscientia favens hæretico, quia verè is excommunicatus non est hæreticus. Idem dic de faventibus Maleficis, Veneficis, & similibus, qui hæretici non sint. Ita Sanch. *cit. num. 14.*

*Pœnæ faventium hæreticis.*

Potissima pœna faventium hæreticis (utique etiam non denuntiatis in Bulla Cœnæ *num. 1.*) est excommunicatio lata Pontifici reservata. Quòd si sic excommunicati denuntientur ab Ecclesia nominatim, ipsi verò per annum in ea insorduerint, ejus absolutionem non curantes, tunc incurrent alias pœnas in jure latas, *c. Excommunican. §. credentes, de hæret.* nempe infamiæ, inhabilitatis ad officia, &c. quæ vide apud citatos. Vide etiam aliqua huc facientia *suprà, n. 15. & 16.*

### §. VII. *De Libris Hæreticorum, & per occasionem de aliis libris prohibitis.*

1. EXtant quatuor prohibitiones circa lectionem librorum.

Prima est in Bulla Cœnæ de libris hæreticorum hæresim continentibus, vel de Religione tractantibus, de quibus *infrà*, latè.

2. Secunda est Sixti V. *Cœli, & Terræ*, qui sub excommunicatione latæ sententiæ, Summóque Pontifici reservata prohibet libros Astrologiæ Judiciariæ, seu divinationis de futuris contingentibus, liberis, additque in hunc modum: *Mandamus ut contra scienter legentes, aut retinentes, libros & scripta hujusmodi, Inquisitores procedant.*

3. Tertia Clementis VIII. *in Iudic. prohib.* & apud Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 14.* lege item Merollam *tom. 1. d. 2. cap. 2. coroll. 7. difficult. 4. num. 354.* qui sub eadem excommunicatione lata, sed non reservata prohibet libros Hæresiarcharum, etiàm non tractent de Religione, nec hæresim contineant, donec corrigantur: His adde libros eorum, qui sunt de hæresi suspecti, item Catholicorum, in quibus sunt aliquæ hæreses immistæ, donec expurgentur: item Talmud, & alios libros Hebræorum, in quibus sit aliquid contra fidem, denique Alcoranum Basileæ impressum.

4. Quarta Pauli V. *Cum sicut accepimus: initio expurgat. Hispaniæ, impressi anno 1612.* & Urbani VIII. *Cum sicut asserimus: initio ejusmodi expurgatorii impressi 1632.* qui pro Regnis Hispaniæ prohibet omnes libros damnatos, vel reprobatos ab ipso Summo Pontifice, vel Generali Inquisitione Hispanica, idque sub censura Pontifici, vel dicto Inquisitori reservata, licèt Merolla *locum.* Azor. *loco citato, q. 5.* Bonacina *de cons. in partic. d. 1. quæst. 2. parte 4. num. 2.* & Sanchez, *lib. 2. in Dec. c. 10. num. 26.* dicant, hanc excommunicationem non esse reservatam, quia scripserunt ante datas dictas constitutiones. Qui autem sint hi libri damnati, cùm sint propè innumerabiles, cognosci poterunt ex ipso *expurgatorio Hispanico*, omnibus obvio.

5. Notat ex his rectè Bonacina *loco citato*, distingui debere tres classes librorum. Primò libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, de quibus móx fusè. Secundò libros, vel scripta ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionem, qui prohibentur sub excommunicatione dicta *num. 3.* & pro Regnis Hispaniæ *num. 4.* Tertiò libros alios præter dictos, inter quos numerantur libri ex professo tractantes de rebus obscœnis, quorum lectio non prohibetur sub censura, sed

solùm

Gilum sub mortali, & quos Episcopi legentes puniant: Vide reg. 7. expurgatorii Hisp. impressi anno 1612. & reg. 6. ejusdem impressi anno 1632. & 7. expurgatorii Trid. per Joannem Mariam Brescellensem.

Jam verò quamvis nostrum hîc non sit primam ex Bulla Cœnæ prohibitionem explicare, tamen per occasionem non negligemus & alias.

*Clausula Bullæ Cœnæ. De Libris Hæreticorum.*

6. EXcommunicamus Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scientes legentes, retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quamvis causa, publicè vel occultè quovis ingenio, vel colore.

*Libros Hæreticorum Hæresim continentes, vel de Religione tractantes.*

7. ALterutrum ex his sufficit ad totius libri prohibitionem; ita Castro Pal. *tom. 1. tract. 4. d. 2. part. 10. §. 1. num. 7.* sive scilicet sit liber Hæretici, Hæresim etiam unam, eámque non ex professo continens; ita Bonacin. *de censin particulari, d. 1. quæst. 5. part. 4. num. 9.* Coninch. *disp. 28. de fide, dub. 11. num. 177.* Sanchez, *lib. 2. in Dec. cap. 10. numer. 33.* sive sit liber Hæretici de Religione ex professo tractans, etiamsi non appareat ibi hæresis; id enim clarè notat illud, (vel) semper tamen debet esse liber authoris hæretici (licèt nondum damnatus fuerit, ex Suarez *disp. 20. de fide, sect. 3. numer. 11.*) idque certò; nam in dubio quisque præsumitur bonus, & Catholicus. Tractabit autem de Religione, si libri argumentum erit Scripturæ sacræ declaratio, vel Theologica, sive scholastica, sive moralis quæstio, putà de mysterio Fidei, Dei, Sanctorúmque cultu, de recta morum institutione: Ita Sanchez & Castro 8. *ibid.* Quid si primò liber agat de Deo, ut objecto Metaphysicæ? quo pacto etiam Philosophi infideles de Deo agunt. Quid secundò, si agat de politica institutione, præscindendo ab institutione morum? Puto in priore casu librum hîc prohiberi, quia certè est de Religione; in posteriore propter contrariam rationem, non prohiberi.

8. Liber ergo non baptizati, quamvis Cathecumeni, vel Pagani, vel Hebræi etiam hæresim continens, vel de Religione tractans, sub hac prohibitione non continetur: Ita Suarez *d. 20. de fide, sect. 2. num. 11. fin.*

Continetur verò liber Græcorum, vel Armenorum, qui sunt schismatici; atque adeò communiter hæretici, de suis ritibus tractans. Ita idem *ibid.* contra Sanchez *lib. 2. in Dec. c. 10. n. 27.* Ratio est, quia ille non est liber hæretici; & licèt non contineat hæresim, de rebus tamen ad Religionem spectantibus tractat.

9 Pari modo libri Necromantiæ, Astrologiæ judiciariæ, &c. hîc non prohibentur, quia libri hæreticorum non sunt: si quidem Magi, & similes, ut sic non sunt hæretici: Ita Bonac. *de cens. in p. d. 1. q. 2. punct. 4. num. 21.* esto tales reputentur in foro externo *ibid. n. 4.* liber item Catholici, qui vel propter Authoris ignorantiam, vel propter malitiam alicujus, qui errorem ibi inseruit, vel quomodocunque hæresim, sive unam, sive multas, ex Sanch. *ibid.* Bonacin. *ibid. num. 6.* sive hæreticorum scholia, seu adnotationes copiosissimas habeat, ex Sanchez *ibid. num. 25.* non est his prohibitus, & possent ex hoc capite legi, etiam ipsi errores copiosi. Ratio est, quia adhuc absolutè liber Catholici est, sicut Summa S. Thomæ, est ejus liber, licèt copiosas annotationes inseruerit Cajetanus. Liber denique à Catholico, & ab hæretico simul compositus, ex Merolla *tom. 1. d. 1. cap. 2. coroll. 7. different. 10. num. 408.* contra Suarium ab eodem citatum: & liber hæretici non continens hæresim, nec de Religione tractans, per se omnino distinctus ab alio tomo, de his tractante, ex Sanchez *l. c. num. 36.* Suarez *l. c. num. 16.* hîc non prohibentur, quia



ille liber non est absolutè liber hæretici, & hic tomus, qui diversus liber censetur, hæresim non continet. Dictum est autem semper (sub hac prohibitione, vel hic) nam cæterùm tum in prædictis, tum in mox dicendis, resolvendum est adesse alias prohibitiones, quas modò innuimus *n. 2.* & declarabimus ampliùs *infrà, n. 47.*

10. Tres supersunt difficultates. Prima est, an brevis scriptura, oratio, concio, disputatio, epistola typis impressa hæretici de Religione tractans, vel hæresim continens sub hac prohibitione concludatur? Respondeo, licèt probabile sit cum Suario *l. c. n. 10.* concludi: probabile tamen etiam est cum Sanchez *l. c. num. 29* aliisque apud Merollan *loc. cit. different. 3. num. 323.* non concludi. Ratio potissima Suarii est, quia hæc librorum prohibitio, cùm sit in favorem fidei, favorabilis dicenda est; non odiosa: ergo non debet limitari ad propriè dictum librum. Multò magis quia eadem ratio militat in hisce opusculis, ac in propriè dictis libris. Ratio potissima Sanchez est, quia in communi modo loquendi hæc libri propriè non sunt. Confirmat hanc Sanch. z sententiam Castro Palaus *l. c. n. 5.* ex eo quia parvæ prædictæ scripturæ, si sub nomine libri comprehenderentur, non liceret eas publicare, seu imprimere sine nomine authoris, quando sunt de rebus sactis, etiam à Catholico Catholicè scriptæ, siquidem id prohibetur in Tridentino de libris, cùm igitur usus obtinuerit, ut hæc sine nomine authoris prodeant, signum est non venire sub nomine libri. Ita Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 17. q. 4. fin.*

Ad rationem Suarii respondent iidem Sanch. & Castro Palaus, negando hanc non esse legem odiosam, licèt enim favorem fidei respiciat, tamen immediatè gravamen continet, dum privat fidelem libertate, qua aliàs fruitur, legendi; secus omnis lex pœnalis, v. g. lex quæ homicidam morte punit, esset favorabilis, quia est in favorem Reipublicæ. Imò, etiam si hæc, de qua nos agimus, esset favorabilis, sanè non esset extendenda ultra proprietatem verborum; nam prædicta, ut diximus, propriè libri nequaquam sunt.

11 Nota scripturam, atque adeò concionem, epistolam, &c. decem foliorum librum reputari à Castro Pal. *d. num 5. 5. versus fin.* ut contra, unius folii (adderem, vel alteriùs folii) non reputari librum à Sanchez *loc. cit. num. 35.* in simili, & quidem meritò, quidquid dicat in contrarium Bonacina *de censur. in partic. d. 1. quæstione 2. part 4. num. 16.*

12. Secunda difficultas est. An si quis habens ejusmodi librum hæreticì, in quo legatur una, vel altera hæresis, illas deleat; debeat deinceps librum ut prohibitum æstimare? Debere, ait Sanchez, *loc. cit. num. 35.* & Castro Palaus, *loc. cit. num. 7.* quia particularis expunctio non tollit communem libri prohibitionem, sed vide *infrà, num. 45.*

13. Tertia difficultas est, an sub nomine libri hîc intelligatur manuscriptum? intelligi ex communi sententia testantur Suarez, *disp. 20. de fid. sect. 2. num. 10.* & Sanchez *loc. cit. num. 28.* Ratio potissima est, tum quia secùs facilè eluderetur præceptum de libris hæreticorum impediendis, si quidem jam legerentur impunè manuscripta, tum quia manuscripta adhuc sub nomine libri censendi sunt.

14. Verùm pace tantorum virorum puto hîc non intelligi. Ratio potissima est, quia vera manuscriptum, etiam transcriptum à libro, non est propriè secundum usum communem loquendi, liber. Nec est verum sic eludi hoc præceptum; nam satis contra manuscripta provisum est per aliam prohibitionem allatam *num. 5.* Adde libros typis excussos meritò per hanc Bullæ Cœnæ legem, quæ est certè magis ardua, quàm alia, prohiberi, quia typis excussi libri ampliùs promulgantur, diutiùs durant, & faciliùs leguntur, quàm manuscripta; quam rationem modò *num. 9.* approbant iidem Sanchez, & Castro Palaus de brevibus epistolis & similibus; nam propterea debuissent, & hîc approbare: lege *dictum numer. 9.* huc enim permaximè, quæ ibi dicuntur, faciunt,

maximè illud, quod hæc est lex odiosa, atque adeò restringenda.

15. Confirmo primò: quia quando Pontifex scripturas vult sub prohibitione librorum includere, facit speciatim nominando scripturas: ergo dum hîc solùm libros nominat, illas non includit. Antecedens patet ex. Leone X. qui in Concilio Lateranensi sub Leone X *sess.*10. & apud Bonacinam *dist.*2. *de cens. in part. quæst.*2. *part.*18. *numero* 1. *Nullus* (ait) *librum aliquem, seu aliquam quamcunque scripturam imprimere præsumat, nisi priùs per Vicarium, &c. approbetur*, & ex Tridentino *sessione* 4. *sub fin. Nulli liceat* (inquit) *imprimere aut suis libros de rebus Sacris, &c. Qui autem scripto eos communicant, nisi approbati fuerint, eisdem pœnis subjaceant.*

16. Confirmo secundò, ex Bonacina *ibid. num.*12. & Azor. *tom.*1. *lib.*8. *cap.*17. *quæst.*4. quæ quærunt an manuscripta evulgari possint sine timore excommunicationis latæ à Tridentino in dicto loco: *Qui autem scripto eos libros, &c.* respondentque cum distinctione, negando posse ea scripta, quæ sunt opera completa, & perfecta, quæ typis mandari solent, concedendo verò posse ea, quæ solent fieri ad privatum usum, & commodum, quis est enim qui suas concionces, suas disputationes Theologicas etiam digestas in magna volumina in Scholis, & extra illas discipulis, aliisque, nulla præmissa approbatione sine scrupulo non communicat? & ratio datæ responsionis est, inquit Bonac. *loco citato*, quia cùm Tridentinum loquatur de libris, qui sunt manuscripti in dictis verbis: *Qui autem scripto eos libros communicant, &c.* nomen libri stricte accipiendum est, non largè, cùm versemur in materia pœnali, & odiosa, in qua stricta verborum interpretatio facienda, est *cap. pœnæ, de pœnitentia, distinctione prima.* Hæc ille; Si igitur in ea lege Concilii Tridentini, ubi fit mentio libri, & scripturæ, nomine libri, seu scripturæ non intelligitur merum, & quodcunque manuscriptum, multò magis in casu nostro, ubi nulla fit mentio scripturæ, sed solùm libri.

*Sine Auihoritate nostra, & Sedis Apostolicæ.*

17. Occasione hujus clausulæ possumus, Primò quærere: quisnam habeat potestatem concedendi licentiam libros vetitos legendi? Secundò; quisnam actu habeat eosdem libros legendi licentiam? Quoad primum. Dico primò nullum posse concedere licentiam libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, legendi, nisi Summum Pontificem, vel cui ipse potestatem concesserit. Hinc fit, ut nec Episcopi, nec Inquisitores ex Merolla *tom.*1. *d.*1. *cap.* 2. *coroll.*7. *diff.*12. *n.*418. nec Cardinales possint, ex Sanch. *l. c. n* 44. Suarez *disp. de fide,* 20. *sect.*2. *n.*28. Azor. *t.*1. *lib.*8. *c.*6. *qu.*12. immò nec iidem Cardinales etiam, Sede vacante, nisi in casu summæ necessitatis, (quam certè rarissimè occurrere posse video) observatâque forma, quæ præcipitur in Clementina, *Ne Romani, De electis.*

18. Verùm Pontifex alicuine hanc potestatem concessit? Nemini docet Castro Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disp.*2. *part.*18. §. 3. *num.*5. ne ipsis quidem Episcopis, vel Inquisitoribus. Immò Inquisitores licèt habeant potestatem concedendi licentiam legendi alios libros vetitos, non tamen legendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Extant tamen quædam privilegia concessa Religiosis, de quibus sua quisque consulat.

19. Petes, Episcopi possúntne concedere licentiam legendi libros vetitos (præter Hæreticos) sicuti, iisdem exceptis, posse, modò diximus Inquisitores?

Tacet, seu fugit id decernere Castro Pal. *ibid.* Sanchez, aliique communiter solùm loquuntur de libris hæreticis, ad quos legendos non posse eos dare licentiam docent; Puto tamen in Regnis, ubi viget Hispanica Inquisitio non posse, posse ubi illa non adest. Ratio prioris dicti est ducenda ex privilegiis concessis Inquisitioni Hispanicæ primitivè quoad alios quoscunque, apud Peñam *in Bulla.* Ratio posterioris est, quia Episcopus est primus Inquisitor in sua Diœcesi; ergo dum non constat ab ipsis hanc potestatem fuisse adeptam, non sunt de sua potestate dejiciendi.

Favet Regula secunda expurgatorii: *Hæreticorum libri*, inquit, *qui de Religione ex professo tractant omnino damnantur. Qui verò de Religione non tractant, a Theologis Catholicis jussu Episcoporum & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur.* Sane si Episcopis datur jus examinandi, & approbandi, non videtur iisdem denegandum jus concedendi licentiam legendi. Immò, cùm hæc regula sit *in expurgatorio Hispanico*, vide an etiam faveat Episcopis, etiam pro Regnis Hispaniæ,

20. Quoad secundum: Dico secundò, neminem habere licentiam legendi libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Solùm invenitur ejusmodi licentia concessa Inquisitoribus, ejusque commissariis à Paulo V. & Pio IV. apud Peñ. *l. c.* & in Regnis Hispaniæ solùm Inquisitoribus, non verò eorum commissariis ex *Bulla Pauli V. posita initio expurgatorii* Castro *l. c.*

Quid habeant Religiosi, id ex suis privilegiis quisque cognoscat. Si verò sit sermo de aliis libris vetitis, generaliter eam habent Inquisitores, & ij, qui ex modò dictis, possunt dictam licentiam aliis concedere: si enim aliis concedere possunt, certè poterunt & sibi. Denique ii omnes, qui post Constitutionem Urbani VIII. *Constitit Apostolatus Officium*, 2. *Octobr.* 1631. auferentis omnes præcedentes licentias legendi libros prohibitos, novam legitimè licentiam obtinuêre. An autem *ibidem* Urbanus restrinxerit Episcopis extra Hispaniam, immò, & Inquisitoribus omnibus potestatem dandi licentiam legendi libros vetitos non hæreticos, quâ eos, perinde ac Inquisitores, frui, modò dixi *num.*19. viri docti considerent. Verba Urbani VIII. *loco cit. num.* 3. *fine*, hæc sunt: *Neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur.* Considerent autem Docti, num hæc Urbani clausula (*ne concedantur*) auferat potestatem; non enim dicit: *Ne possint concedere*, sed: *Ne concedantur.*

*Scienter.*

21. Excusabit ergo ignorantia. Sed ecce nodus; quæcunquéne, an aliqua solùm ignorantia excusabit?

Præmittendum est, primò, aliam esse ignorantiam juris, aliam facti. Facti est, ut si quis in casu nostro sciret quidem librum Hæretici esse jure prohibitum; sed nesciret librum hunc esse Hæretici. Juris est; ut si quis, esto sciat hunc librum esse hæreticum, nescit à jure ejus lectionem prohiberi: Ita Sanchez *lib.*1. *Dec. cap.*16. Castro Pal. *tom.*1. *tr.*2. *d.*1. *p.*25, Merolla *tom.*1. *d.*1. *c.*2. *d.*2. aliique *passim.*

22. Præmittendum secundò, Ignorantiam aliam esse invincibilem, aliam vincibilem: ita iidem. Invincibilis, quæ etiam appellatur inculpabilis, justa, probabilis antecedens, est, quoties cogitatio nulla, nec scrupulus de aliqua obligatione menti hominis occurrit, qua cognitione possit homo excitari ad inquirendam obligationis notitiam: vel si menti occurrit, fecit, juxta qualitatem rei, moralem diligentiam ad habendam notitiam, & non habuit, ut si quis in casu nostro, cæterùm idiota, ne dubitavit quidem, hunc esse librum Hæretici, vel si dubitavit, interrogavit Parochum, responsúmque accepit, non esse: Sanè hîc idiota dicetur laborare ignorantia invincibili; quia illam evincere non potuit.

Vincibilis, quæ etiam dicitur culpabilis, improbabilis, injusta, consequens, est quoties ejusmodi moralis diligentia non est facta ab eo, cui jam occurrit dubitatio de obligatione: est autem quadruplex, Affectata, crassa,

notabilis

notabilis, levis; nam supinam, aliqui ad crassam, aliqui ad affectatam reducunt.

Affectata est, cùm quis data opera ignorare vult, & affectat; nam propterea hæc ignorantia dicitur directè voluntaria, ut si quis consultò non vult scire, an hic sit liber hæreticus, quò liberiùs illum legat.

Crassa est, quando quis propter meram negligentiam, piger est in ea ignorantia depellenda, sic dicta, quia crassi homines, & pingues, desides esse multum solent: Hoc ego reduco ignorantiam supinam, quia, more hominis supinè in lecto jacentis, non curat surgere ad illam depellendam.

Notabilis, seu notabiliter culpabilis est, quando quis adhibet quidem aliquam diligentiam, sed non tantam, quanta moraliter sufficit, ut si quis inquirat, an hic liber sit hæreticus, sed non à sufficienter perito.

Tenuis est, quando quis adhibet mediocrem, & quidem sufficientem diligentiam ad habendam obligationis notitiam; sed non tantam, quantam in summo rigore potuisset. Ut si quis petat, an liber sit hæreticus à mediocriter docto, potuisset autem à doctiore, vel ab Inquisitore, &c. Hic solùm supponitur levis culpa, in prædictis tribus culpa lata, vel gravis.

23. Quanta autem, seu qui gradus diligentiæ adhibendus sit in ejusmodi nostris obligationibus indagandis, non potest certa regula definiri; illa enim facienda est, quæ more humano, juxta qualitatem negotiorum, prudenti judicio fieri solet; nam certè major requiritur in iis, quæ sunt juris naturalis, quàm quæ sunt juris positivi: major, ubi agitur de damno tertii, quàm ubi hoc non adest; major, quando agitur de Vita, quàm quando de Bonis, &c. Lege Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 17. *num.* 19.

24. Denique si quis legem sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorans eo esset animo, ut etiam si sciret, legem non servaret, diceretur habere ignorantiam comitantem; id quod semel innuisse sit satis. His positis, & omnibus revisis iis, quæ *suprà*, *lib.* 1. *cap.* 2. §. 10. diximus de voluntario ex ignorantia.

25. Dico primò. Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, non solùm antecedens, sed etiam comitans excusat legentem libros hæreticorum tum à peccato, tum ab excommunicatione. Ita Suar. Farin. apud Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2 *p.* 10. §. 2. *n.* 1. Merolla *tom.* 1. *d.* 1. *r.* 2. *d.* 16. *coroll.* 7. *n.* 312. Ratio est, quia universaliter quando nulla alia lege actio aliqua est prohibita, nisi ab illa, quæ pœnam imposuit, ignorans invincibiliter legem illam si eam transgrediatur, nec peccat, nec pœnam contrahit. Non peccat, quia involuntariè agit, cùm legem invincibiliter non agnoscat: Non contrahit pœnam, quia, qui non peccat, non est, lege puniendus *ex reg.* 23. *de reg. juris in* 6.

26. Dices, quando ignorantia est comitans, transgressor habet illum malum animum, seu affectum legendi, etiamsi sciret prohibitionem, ergo peccat. Respondeo; Si ille malus animus est solùm in habitu, non est peccatum, donec exeat in actum, ut ex se constat: quòd si sit in actu, erit quidem peccatum, at actus ipse externus legendi; cùm nullo modo procedat de facto, à tali affectu, ut supponimus, sed ab ignorantia, à tali peccaminoso affectu infici nequaquam potest. Ita Merolla *ibid. d.* 2. *n.* 3. in simili.

27. Dico secundò, qui legit prædictos libros ex vincibili ignorantia sive juris, sive facti, ex ignorantia, inquam, sive notabili, sive crassa, seu supina, sive etiam affectata, quamvis peccet, non incurrit pœnam excommunicationis. Ratio est, quia est probabilis opinio quando lex imponit pœnam excommunicationis, imò & suspensionis, interdicti, & irregularitatis pœnalis iis, qui scienter aliquid committunt, (ut est in casu nostro, & est etiam, quando lex fertur contra audentes, præsumentes, consultò violantes, &c. quæ verba, cùm requirant contemptum æquivalent verbo, *Scienter*. De quibus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 10. *à num.* 9. satis diximus.) Probabilis est (inquam) ex ibidem dictis opinio, quæ excusat transgressores ab incursu pœnæ, si ex quacunque ignorantia legem non servant, quia adhuc contumaces non sunt, cùm verè non scienter legant: ita Sanch. *lib.* 9. *de matr. d.* 32. *n.* 35. Bonacin. *de cens. in comm. d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 10. Castropal. *tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 18. aliique. Excipio quando ignorantia affectata esset conjuncta cum ingenti temeritate; ut *ibidem* dixi *n.* 14.

An sit peccatum diversæ speciei legere hos libros ex ignorantia graviter culpabili, & legere scienter, & quo modo id Confessario aperiendum satis colligi potest ex dictis *in opusc. de exped. confess. lib.* 2. *c.* 1. §. 16.

28. Dico tertiò, idem dicendum esse de legentibus alios libros, si veterentur sub illa clausula (præsumant, vel sciente.) Ratio est eadem jam dicta.

29. Illud pro eo quod facit ad peccatum, nota hic & in præcedente conclusione, ignorantiam, quæ est solùm notabiliter culpabilis, quando agitur de diligentia facienda sciendi præcepta naturalia, non esse notabiliter culpabilem, si agatur de diligentia facienda sciendi præcepta positiva: ita Sanch. *in Dec. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 20. ut expendit Meroll. *l. c. dub.* 10. *n.* 167. quod non advertit Castro P. *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 1. *p.* 16. *num.* 3. Ratio radicalis est, quia magis nos obligamur ad exhibendam diligentiam circa jura naturalia, quàm circa positiva, ut modò *num.* 23. innuimus. Nam hinc colligimus in positivis præceptis atque adeò in hoc de libris vetitis solam negligentiam crassam, supinam, & affectatam, peccatum mortale afferre; non verò aliam etiam notabilem, quia in his positivis legibus ea, quæ non est crassa, vel ad crassam proximè non accedit, verè non censetur esse notabilis, sed levis, cùm in his sufficiat aliquam diligentiam, licèt non exactissimam adhibuisse ad mortale peccatum evitandum. Lege etiam Valent. *disp.* 7. *de lege humana q.* 3. *p.* 6. *fin.* & in hoc sensu, seu per hanc explicationem potest admitti eorum doctrina, qui docent in præceptis positivis ignorantiam notabilem non afferre mortale; quam rem decernere huc remisimus *suprà*, *lib.* 1. *cap.* 2 §. 10. *n.* 7.

30. Dico quartò, legentes prædictos cum ignorantia, levi, excusari à peccato gravi, & à pœna excommunicationis, patet, quia negligentia levis non potest parere peccatum grave, & peccatum non grave non potest inducere pœnam gravem, qualis est excommunicatio.

### *Legentes.*

31. Non legit unde contra hanc prohibitionem non facit, qui sensum libri non percipit: ut esset, qui in aliena lingua, quam ignoret, librum compositum materialiter legeret: Ita Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 4. *d.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 2. contra Bon. *ibid.* cit. legit verò, qui visu, & mente librum percurrit: non enim necesse est ad propriè dictam lectionem, ut ipsa verba proferantur: ita Sanchez Suar. Bon. ab eodem Castr. *ibid.* cit.

32. Quid si alium audias legentem? Respondeo, nec facies contra prohibitionem legendi ex probabilissima sententia; ita Sanchez *lib.* 2. *in Dec. cap.* 10. *n.* 48. Coninc. *disp.* 18. *de fide, dub.* 11. *num.* 178. Castro Pal. *ibid. n.* 4. quia, quamvis subeas idem periculum, tamen verè non legis, quod solùm hîc cavetur.

33. Objicis. Dominus jubeat famulum indoctum ut legat librum, verbi gratia, Latinum prohibitum, ipso Domino docto audiente. In hoc casu famulus non incurret censuram, & consequenter nec peccatum, quia sensum non percipit ex dictis *num.* 31. (idem esset si excusaretur ex gravis damni periculo non in contemptum legis incusso, tametsi perciperet sensum.) Rursus nec incurret Dominus, quia ipsi non prohibetur audire, ex dictis *numero præcedente*, & inducendo servum ad legendum, cùm solùm inducat ad materialem lectionem, quæ non est prohibita ex dicto *numero* 31. non cooperabitur ad peccatum ullum: quare Dominus sic audiens, præscindendo à retentione libri, non peccaret,

& consequenter frustraretur sua intentione lex de prohibitione Librorum. Respondeo ita colligi ex Doctrina, quæ est Sapientissimorum Doctorum, nec esse censendum inconvenies, si in aliquo raro casu suam non consequatur intentionem lex, habebit communiter in aliis, de quibus loquitur.

34. Excusari autem legentem tum à mortali, tum ab excommunicatione ex parvitate materiæ, ut regulariter solet esse in cæteris præceptis, certum esto, ita Suar. *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 20.* Sanch. *lib. 2. in Dec. cap. 10. n. 13.* quidquid aliqui negent cum Tol. *lib. 19. n. 9. vers. sextum genus.*

Quid si quis intenderit multùm legere, & postea parum de facto legerit? peccaret quidem mortaliter in ea lectione ex pravo animo ulterius procedendi, at non incurreret in censuram, quia hæc non punit intentionem, sed executionem. Castro Pal. *l. c. num. 9.* Materiæ parvitatem aliqui determinant esse, lege unum, aut alterum versiculum, seu paucula verba. Azor. *t. 1. lib. 8. cap. 16. q. 3.* Alii legere non multas lineas, sic Suar. *loc. cit.* Alii paucas lineas, sic Reginal. *lib. 9 n. 254.* Alii decem lineas, sic Sayr. *de cens. lib. 3. cap. 5. n. 2.* Alii unam paginam, sic Sanch. *l. c. n. 31.* Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 15. num. 5.* Alii unam paginam libri in folio impressi: sic Castro Pal. *l. c.* Omnes probabiliter, quidquid contra duas ultimas sententias nimis asperè immeritò obsistat Merolla *t. 1. d. 1. c. 2. d. 16. coroll. 7. diff. 3. n. 344. fine.* Ratio autem probabilitatis est, quia iterum brevi lectione non apparet regulariter grave periculum.

35. Nota denique. Sive locum, ubi nullus est error, legas, ex Sanch. *ibi, numero 35.* Bon. *d. 1. de cens. in partic. q. 2. p. 4. num. 22.* sive Epistolam Dedicatoriam, vel Procœmium, vel Indicem, ex Sanch. *ibi. n. 30.* contra prohibitionem facis, quia ob unum errorem qui inibi reperitur, totus liber, atque adeò omnes ejus partes sunt prohibitæ.

Quod si illæ paucæ lineæ contineant eam doctrinam, propter quam liber ille fuit proscriptus, certè non possem liberare à peccato eum qui scienter, seu consultò eas, quamvis paucas, legat: Cùm enim illæ sint tota causa prohibitionis, inobedientia gravis erit, non levis. Dixi (consultò) tam si casu, & non ex intentione, tunc propter parvitatem materiæ poterit excusari.

36. Superest decernere, An qui legit (idem si retinet) ejusmodi libros sine ullo periculo subversionis, scandali, alteriúsque mali, qui legit, verbi gratia, ad confutandos errores, an incurrat in peccatum, & consequenter in censuram?

Gravis est difficultas, & pendet ab ea celebri quæstione, An cessante fine adæquato legis positivæ in aliquo particulari casu, cesset pro eo casu & lex. Exemplum est: Si præcipiatur, ne quis noctu arma portet ob periculum rixandi, si quis senex, verbi gratia, certus moraliter se non habere hujusmodi periculum, ea portet, liciténe ea portabit? Adverte autem nos loqui in legibus positivis; nam in naturalibus, quæ semper sunt ob honestatem intrinsecam, quæ est in actu bono, vel in carentia actus mali, nunquam adæquatus finis ejus legis cessare potest. Si præcipiatur, verbi gratia, Jejunium, licèt cesset finis mortificationis carnis in satis aliàs mortificato, non tamen cessat honestas ipsa temperantiæ imbibita in virtute abstinentiæ, propter quam regulariter jejunium præcipitur. Dico (regulariter) nam si præciperetur idem jejunium ab Episcopo, ad impetrandam, verbi gratia, sanitatem Regis, cessante Regis infirmitate, cesseret ex mox dicendis & lex jejunii, quia licèt jejunium habeat ex se honestatem temperantiæ, tamen in hoc casu non præcipitur propter respectum ad temperantiam, sed adæquatè propter Regis sanitatem, quâ habitâ cessat pro omnibus totus dicti præcepti finis.

37. Porrò communis opinio docet cessante fine adæquato in uno particulari non cessare pro eo legem, nec consequenter obligationem: ita Suarez, Vasquez, Sasichez, Coninch. Sotus, Covar. Bonac. aliique usque ad 31. apud Dianam *p. 1. tract. 10. res. 27.* Ratio est, quia cùm lex nunquam feratur ob finem particularem, sed generalem, nisi cesset fere in omnibus, esto esset in aliquo, semper dictus finis generalis durabit, atque adeò perseverabit & lex. Delatio, verbi gratia, armorum non prohibetur ob peculiare periculum tuæ rixæ, sed ob periculum quod esse potest in Republica: quamvis ergo ejusmodi periculum cesset in re, cùm non cesset quoad alios, id quod respexit Legislator, nec lex cessabit, ergo & te obligabit.

38. Alia minùs communis opinio asserit cessare. Ita Henriq. Comitol. Sà, Granadó, Fose, Mexia, Navarr. Abbas, Angelus, Sosa, Megala, apud eundem Dianam *ibid.* Adde eundem Dian. *ibidem*, & *par. 5. tr. 14. resol. 96.* qui ait hanc opinionem cum magno plausu à viris Doctis fuisse receptam. Adde & Hurtad. de Mendoza *in 2. 2. tom. ... d. 47. sectione 3. §. 26.* fusè & doctè Ratio est, quia stante cessante adæquato fine in universum ex omnium sententia cessat lex in omnibus, ita cessante adæquato fine in uno, cessare debebit lex in illo. Et hujus ulterior ratio esse debet, quia ideo cessante fine in universum, cessat lex in omnibus, quia tunc lex redditur ex communi sententia inutilis; siquidem lex, cum semper feratur ob bonum publicum, non solùm non debet esse damnosa, sed nec inutilis negativè, hoc est, nullam utilitatem afferens; at cessante fine in uno, jam redditur inutilis in hoc, ergo, &c.

Quod enim sit inutilis aliis, non facit ad utilitatem hujus; nisi multùm remotè, tanquam bonum proximi, ad quod remotum, ex hac sententia non respexit lex. Certè nihil mihi non febricitanti prodest lapis Bessoar, quamvis aliis febri laborantibus sit proficuus. Adde & argumentum ductum à paritate præcepti de correctione fraterna: Hæc enim lex non obligat particularem, quando cessat in eo particulari finis legis, nempe spes emendationis, ergo idem erit in casu nostro. Ad hanc paritatem respondet Covarruvias, aliique apud Suar. mox citandum, legem correctionis datam esse propter privatum bonum singulorum, ideo non esse mirum, quòd hoc cessante, cesset & lex. Sed Suarez *lib. 6. de leg. ca. 9. n. 15.* ait, se non intelligere hanc responsionem, quia omnis lex (ait, & meritò) habet hoc, quòd sit data communitati propter bonum singulorum, & sic etiam lex correctionis, data est toti communitati propter bonum fratrum, seu singulorum.

39. Respondet ergo ipse Suarez, præceptum correctionis esse affirmativum, quod non obligat ad semper. Quando ergo non est spes emendæ, non cessat obligatio correctionis, sed differtur; quia non est tempus utile: sicut præceptum dandæ eleemosynæ indigenti non cessaret, sed suspenderetur, si adverteretur pauper eâ eleemosynâ fore abusurus: eodem igitur modo (ait Suarez) non cessabit in casu nostro obligatio legis. Sed, pace tanti viri, hæc responsio non satisfacit, & contra ipsum facit. Sicut enim lex correctionis, & eleemosynæ, (quia correctio, & eleemosyna in prædictis casibus sunt inutiles,) suspenditur, ita in aliis legibus, quia cessante causa in uno particulari, redditur pro eo inutilis lex, suspenderetur pro illo, & consequenter non obligabit. Quod ad intentum hujus secundæ opinionis satis, superque est.

Atque ex hoc solvitur etiam ratio prioris sententiæ, Concedimus enim legem, stante periculo in aliis, cùm sit pro illis utilis, non cessare, sive absolutè, sive pro illis; sed asserimus satis esse, si suspendatur, atque adeò non obliget illum particularem, pro quo Lex inutilis evasit.

40. His positis ad id, à quo recesseram, revertor. Cùm hæc secunda opinio propter Authores, rationésque, quibus innititur, non possit non esse probabilis: probabile etiam videbitur alicui in foro Conscientiæ, non incurrit in peccatum, nec in censuram à legentibus, vel retinentibus ejusmodi libros, si cesset causa prohibitionis

bitionis; ita Felin. Albert. Mascard. Decian. apud Castro Pal. *tr. 5. disp. 2. p. 10. §. 2. num. 8.* ipso Castro Pal. contra. *ibid. num. 9.* favet tamen Layman *lib. 1. t. 1. c. 14.* recente *ibid. num. 9.* hoc est, si verè nullum legenti periculum esse apparet, quod periculum esse finem hujus prohibitionis, fatentur Sanchez *in dec. cap. 18. num. 51.* & insinuat Castro Palaus *d. §. 2. n. 9.*

41. Verum, quia revera nunquam deest adæquatus finis, difficile enim videtur deesse periculum in re tam labrica, nec apparet periculum solum esse tantæ prohibitionis finem, ea enim etiam hæreticorum contemptus ex eorum exterminatione librorum enascens: est vitatio, quantum fieri potest, & communicationis cum ipsis, etiam in eorum scriptis: est, ut ipsi cùm videant suas lucubrationes de rebus sacris à fidelibus non esse legendas, à scriptione desistant: est, ut debita Sacrorum Inquisitorum, Conciliorum, Pontificum tam serias decretis reverentia, & obedientia in re summi momenti servetur, quia, inquam, adæquatus finis nunquam deest, nullo modo aperienda est janua, qua quisquam libros evolvere impune possis, tametsi pures te in periculum errandi non prolapsurum. Putes, inquam? Sed quandonam, vel quis ferreus se unquam adeò constantem, formémve putare poterit, ut in occasionem labendi sibi se conjicere audeat? Equidem dum hæc scribo, quadraginta quatuor annos ago à sancta hac mea Societatis Jesu Religione susceptâ, nihilominus in rebus sanctis ac sacris tandiu versatus, luteum me figmentum portare in dies experior: tu si æneum portas, periculis te ingeritio, ut libet.

*Retinentes.*

42. Sive in tua, sive in aliena domo, sive tuo nomine, sive alieno scienter dictos libros, seu eorum partem notabilem retineas, facis contra prohibitionem; ita Sanch. *in dec. c. 10. n. 53. & 54.* ita ut etiam aromatarios, & librarios, Sanchez *ibid.* non excuset, quia licèt illi ad aromata, hi ad eosdem ligandos, & non ex intentione legendi retineant, adhuc legem violant. Eosdem si retinens in aliena lingua scriptos, etiamsi à te intelligi non possint, condemnatis, Sanch. *ibid.* quia adhuc retines libros vetitos.

43. Excusat autem parvitas materiæ, ut si retineres unum, duo, vel tria folia, quia licèt plusquam unam paginam legere excedat parvitatem, ut diximus *num. 34.* non tamen excederet in retinendo; cùm minor culpa sit retinere, quàm legere, *ibid. num. 54.* Excusat item parvitas temporis, quo retines.

44. Imò si tempus etiam notabile requiratur, ut commodè Inquisitori tradatur liber, non es scrupulis agitandus; potes enim etiam diu expectare, modo sine fraude, & fallacia id facias, *ibid. n. 55.* Data autem commoditate per unum, vel alterum diem differre, non erit culpa saltem gravis, quia retentio levis est.

45. Si quando ex legitima facultate librum vetitum retineas, adverte ne tua occasione serpat ad alios facultate carentes libri venenum. Equidem cùm essem Romæ incidi in quemdam librum prohibitum, quem palàm quidam amicus apud se in aperto pluteo retinebat, cujus multa folia (ut eram meo more avidus evolvendi quoscunque libros, quos antea non vidissem) cùm securus perlegerim, adverti in fine libri sic adnotatum ex scripto fuisse: *Hic liber est prohibitus, sed ego ex legitima licentia apud me retineo.*

*Imprimentes.*

46. Hoc est, componentes litteras, præparantes papyrum, & atramentum, torcular prementes, & cæteros cooperantes: item Officinæ Impressoriæ dominos, ipsosque librorum Authores, qui eos imprimendos urgent: hi enim omnes imprimere librum dicuntur. Imò qui corrigit folia impressa, ut emendatiora exprimantur, hic comprehenditur; nam præterquam quod jam legit librum hæreticum, etiam censetur imprimere, dum ad imprimendum corrigit: Ita Sanchez *l. c. num. 57.* Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 24.* Castro Palao *l. c. num. 13.* Bon. *disp. 1. de Cens. in part. q. 2. p. n. 19.*

Qui verò solùm expensa dat ad imprimendum, & qui exemplar rescribit ut imprimatur, quique æneos charactéres, vel atramentum, vel similia impressoribus dictis vendit licèt fautores sint hæreticorum, & in pœnas fautorum incurrant, non sunt impressores, cùm remotè satis ad impressionem concurrant?

47. Hæc quoad libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, de quibus Bulla Cœnæ loquitur. Quid de aliis.

Tres hac de re constitutiones sunt apud Bonac. *d. q. 1. p. 16. n. 1.* Prima est Concilij Lateranensis, sub Leone X. *sect. 20.* ubi imprimentes, vel imprimi facientes libros, vel quamcunque scripturam in Vrbe sine Vicarij & Magistri Sacri Palatij, in aliis Civitatibus sine Episcopi approbatione, excommunicantur ipso facto: & pœna pecuniaria, ac suspensione ac exercitio imprimendi per annum, afficiuntur, libri que comburuntur.

48. Secunda est in Indice librorum prohibitorum *reg. 10.* ubi innovatur dicta Concil. Lateranensis constitutio.

49. Tertia est in Concilio Tridentino, quod solum loquitur de Libris sacris (ij autem sunt ijdem, quos diximus *n. 7.*) ubi eadem constitutio confirmatur, additúrque, Libri Sacri, cum nomine Authoris imprimantur, & si sint libri Regularium, ut præter Episcopi, vel Magistri Sacri Palatij approbationem, approbentur à suis Superioribus, secùs nec vendi, nec retineri queant, sub pœnis ejusdem Constitutionis: ipsa verò approbatio detur in scriptis? & appareat in fronte libri. Ex quo vides hos nisi aliunde sint prohibiti, posse legi, si apud se non retineantur, quia Conch. prohibet vendi, vel retiri, nihil de lectione.

50. Porrò aliquæ hîc insurgunt difficultates. Prima, an ubi receptus mos est, ut solùm Domini temporales examinent librum imprimendum, delinquat contra dictas Constitutiones, qui sine Episcoporum approbatione imprimit? Respondeo non delinquere. Ratio est, quia jam supponis Constitutiones has non esse legitimè receptas: ergo contra ipsas non peccabitur.

Adde cum Bonacina *l. c. num. 6.* in hoc casu Ecclesiam usu sic approbante, subrogasse Dominos temporales in approbatione librorum. Simile quid dicam *cap. 5. §. 2. numero 4.*

51. Secunda; in libris Sacris, in quibus juxta Tridentinum apparere debet approbatio in fronte libri, si moraliter constat adesse, non tamen sit in libro apposita, an peccetur? Respondeo. Credo non peccari saltem graviter, quia jam servatur tota substantia præcepti: multò magis si præponatur illud (cum superioris licentia) quod usu ipso toto comprobari video. Ita Bon. *lib. n. 7.*

52. Tertia, An qui habuit prædictam licentiam, sed deinde dum imprimit, addit vel demit aliqua sine nova licentia, peccet in legem hanc?

Respondeo negativè, cùm Bonac. *ibid. num. 7.* Nisi tale & tamen addat, demátve, ut novus moraliter liber censeatur. Ratio est, quia per pauca adiecta, non censetur quis librum sine licentia imprimere; per multa, sanè censetur.

Id explicatiùs decidamus. Si quod addis, quamvis non multas continens lineas, tu cognoscas esse prohibitum, sanè cùm mala fide agas, condemnaberis: id quod ego modò insinuavi per illud (tale) si verò certò cognoscas prohibitum non esse, procedit doctrina allata ex Bonacina. Si denique dubius sis, certè prævalet lex, atque addere nullatenus potes.

53. Quarta, An qui in libris sacris, de quibus solis loquitur Tridentinum, non apponit nomen veri Authoris sed alterius peccet? Quid si nomen sit fictum, & ementitium? Quid, si adhibeatut nomen Collegij, vel

Academiæ, tacito nomine determinatæ personæ? Respondeo, Non possum excusare eum, qui dictum nomen præponit, qui verò nomen alterius sufficientis vel Collegij, meritò excusare debeo. Sic Bon. *ibid. n.*10. Ratio est, quia in hoc posteriore jam adest, qui de libro rationem reddere potest, qui fuit finis in ea lege Tridentini; in priore autem non adest: nam propterea idem dicendum putò, si apponatur nomen authoris, sed anagrammaticè mutatum, quia sic perinde est, ac si nullius, qui possit librum defendere, nomen inscriberetur.

*Defendentes occultè, vel publicè, qualibet causa, vel colore.*

54. Sive factis defendas, ut si libros in Cœna Domini prohibito occultes, vel impedias, ne comburantur, vel deferantur; sive verbis, ut si eos ut tales laudes, vel persuadeas, ne exterminentur; sive scripti, ut si pro iis rationes etiam in tuo cubiculo occultè scribas, peccas contra legem. Patent hæc ex tenore Bullæ. Ita Castr. *n.*14. Sanchez *n.*48. Suar. *sect.*2. *n.*25.

55. Dixi (ut tales) nam si dicas librum esse optimum, quoad cætera; laudésque stylum, ingenium, &c. nec ejusmodi verba faciant ad libri conservationem, non condemnaberis; quia sic non faves hæresi. Quid si dicas, te velle librum defendere, nec tamen defendas? Aliqui cum Sanch. *ibid.* Castro Pal. *ibid.* putant id non esse contra Bullam, quæ defendentes, non verò volentes defendere damnat. Aliqui assérunt hoc ipsum esse defendere, adesse nimirum aliquem, qui illius defensionem velit suscipere. Puto ex se hoc non esse defendere: sed si sit in circunstantiis, in quibus significetur adesse patronum libri, unde retrahi possint, qui librum exterminare debent, erit certè defensio, & consequenter violabitur lex, ficuti esset defensio arcis, te paratum esse ad propugnandum pro ipsa.

*Aliqua notanda de libris vetitis.*

56. Deinde nota primò, eos qui sunt sub Hispanica Inquisitione, teneri illos tantùm libros pro vetitis habere, quos ipsa vetat: etiam si Romæ, vel alibi non sint, vel sint vetiti: constat id ex privilegiis datis Hispanicæ Inquisitioni usu ipso comprobatis.

57. Secundò. Quando per edicta præcipitur, ut quisque ostendat suo libros, seu eorum Catologum ad Inquisitores, solùm obligaris ad deferendos eos, quos aliàs non ostendisti; semel enim ostendisse sufficit: insuper si certus sis librum non esse ex vetitis, probabiliter non obligaris ostendere in foro conscientiæ. Ratio est, quia videtur esse res levis negligere libri delationem, si certus sis nullum in librum errorem irrepsisse.

Quid, si, ut usu venire solet, aliquem librum, quem tu Inquisitoribus protulisti, prohiberi postea contingat? Respondeo: urget tunc obligatio proferendi. Quare nisi certò scias librum, quem ostendisti, nec fuisse prohibitum, nec periculum ullum adesse, quod postea vetitum fuerit, semper (præsertim ab indoctioribus, qui ejusmodi periculum discernere non valent) ille erit ostendendus.

58. Tertiò, cùm per edicta præscribatur terminus infra octo dies ostendendi ejusmodi libros, incidítne in excommunicationem, qui vel post terminum, vel etiam nunquam ostendit? Respondeo, salvo meliori judicio, nequaquam quoad libros *numero præcedente* dictos. Ratio est, quia in edicto, ut hîc in Sicilia publicatur, dicitur (*verbi gratia*, *si commanda*, id est, *præcipimus ostendere libros, &c.* (& paulò pòst,) *procederemo ad altre pene*, hoc est, *alias pœnas infligemus*) unde nulla apparet lata excommunicatio. Dices in fine edicti fulminatur excommunicatio. Respondeo, si attentè edicti tenorem legas, videtur hæc excommunicatio, cùm sit tam rigorosa, cadere solùm in hæresim, cæteráque gravia delicta superiùs allata, non verò in eos qui dumtaxat à tali librorum ostentione se subtrahunt, si libri, vel aliàs ostensi fuerint, vel certè nihil erroris contineant.

59. Quid de peccato mortali? Respondeo. Quia illud (præcipimus) est, ita in legibus peccati mortalis, quando materia est gravis, peccati levis, quando materia est levis: ex Castro. Pal. *tom.*1. *d.*1. *de legibus, part.* 9. aliísque *ibid.* citatis, &c. In nostra autem materia, quando libri nihil erroris continent, videtur res esse levis, ut modò *num.*17. dictum est quando verò continent hæresim, res est certè gravis, ideo hîc esse mortale, ibi non esse dicendum erit.

60. Quartò denique, rectè notat ex Becano Layman *lib.*2. *tr.*1. *c.*14. *n.*4. ubi recepta non est Bulla Cœnæ, vel index librorum prohibitorum, ut alicubi in Germania, non excommunicari Catholicos legentes, &c.

## §. VIII. *De Absolutione ab Hæresi.*

*Casus facilioris Absolutionis.*

1. STatim atque tibi offertur absolvendus aliquis ob hæresim, perpendendum est, an possis vel ab hæresi reservata illum excusare, vel te esse in illis circumstantiis, in quibus ab illa absolvere, licèt privilegiatus nequaquam sis, validè possis?

2. Primò igitur, si hæresis fuit merè interna, non est reservata; ita Azor. *part.*1. *lib.*8. *c.*19. *q.* 4. de Lugo *de pœn. d.*30. *sect.*2. *n.*13. quia Ecclesia non judicat de interiori, est autem talis in his casibus, quos *suprà*, §. 3. *num.*5. diximus.

3. Secundò, si item fuit solùm externa, & non interna, putà, si metu, vi, subita ira, aliquid factum, vel dictum sit contra fidem, sed manente intellectu sine volito errore contra ipsam, licèt fuerit grauissima culpa contra externam confessionem: at, cùm non sit vera hæresis, non inducit satis Probabiliter excommunicationem Bullæ, ita Fag. *pr. Eccles.* 2. *l.*8. *c.*8. *n.*38. Toletus Sanch. Suar. Filliuc. aliique apud Dian. *tom.*3: *tract.*4. *res.* 145. & *p.*4. *tr.*4. *res.*240. *fine*, quare nisi in aliquo Episcopatu sit specialiter reservata, poterit non solùm vi Bullæ Cruciatæ, ex Henriq. Portell. Duen. Sanchez, Suar. aliisque apud Dian. *p.*1. *tr.* 5. *res.* 7. vel privilegiorum mendicantium ex Portell. aliíque apud Dian. *l. c. res.* 8. sed etiam à quocunque Ordinario Confessario absolvi. Ratio est, quia, quamvis in foro externo hic præsumatur hæreticus, unde & deputandus, & puniendus; tamen coram Deo, cùm talis non sit, non incurri coram eodem excommunicationem reservatam in foro interno, circa quod est forum pœnitentiæ. Hinc qui propositionem hæreticam enuntiat, qui comedit carnes temerare prohibito, qui idolo cultum externum exhibet, qui hæreticalem blasphemiam ex ira profert, & similia, si interim corde nullo errori contra fidem consensum præbet, absolvi, ut dictum est poterit.

4. Si quis certò sciat se lingua hæresim pronuntiasse, sed dubitet an mente consenserit, esse reputandum, commisisse hæresim externam, atque adeò absolvi non posse ab ordinario Confessario, cæteríque pœnis subdi, docet Sanchez *tom.*1. *in Dec. lib.* 1. *cap.*10. *num.*74. Ratio est, inquit, quia, cùm verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet, præsumptio est & possessio in hoc dubio, quòd hæresis illa processerit extrùs ex vero consensu interiori in illam.

Sed quamvis non negem forum externum contra hunc posse procedere, puto cum Caram. *in Theol. mor. lib.*3. *num.*1333. posse à Confessario non privilegiato absolvi in conscientia, nec subdi in conscientia dictis pœnis. Ratio est, quia cùm odia sint restringenda, reservatio, & pœnæ debent restringi ad certam hæresim externam; sic Merolla *tom.*3. *d.* 3. *c.*3. *dub.*2. *coroll* 23. *num.* 370. At hæc est omnibus pensatis dubia: ergo, &c. Non esset autem hæresis dubia, si fortè ex aliis circumstantiis (ut si is cognosceretur solitus similes veras hæreses pronuntiare) colligeretur adfuisse consensum; tunc enim

non

non esset dubium eum consensisse, sed moraliter certum, atque adeò item certum in Hæresim reservatam incidisse.

5. Tertiò si fuit externa, simul & interna, vide an pœnitens sciverit ei delicto fuisse annexam excommunicationem; si enim nescivit, cum non adhæserit contumacia, excommunicationem non incurrit. Quare cùm Hæresis, eiusque casus Pontificij in eo sint reservati, quia arctam habent excommunicationem, tunc ea hæresis reservata non erit, atque adeò à quocunque sit approbato poterit, ita Sanch. *lib. 2. in Dec. c. 8. n. 5. fine*, & absolvi poterit, ita Sanch. *lib. 2 in Dec. c. 8. n. 5. fine*, & n. 11. Castro Pal. *tom. 1. tr. 4. d. 4. q. 3. initio.*

6. Quandò, si pœnitens jam certò lapsus in excommunicationem ob hæresim internam, externamque est in articulo mortis, poterit etiam absolvi à quocunque Sacerdote simplici; etiamsi hæresis fuerit externa, imò & publica; ita de Lugo *de pœnitentia, d. 20. sect. 2. §. 1.* Castro Pal. *d. p. 3. §. 5. n. 8.* quia id concedit Tridentinum *sess. 14. c. 7. de pœnitent.* & in sententia probabili *ibidem* de Lugo §. 2. *n.* 23. Castro Pal. *ibidem* etiam præsente proprio Parocho. Tunc autem debet imponi, & juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, & onus, ut si convaluerit Superiori præsentet, juxta à nobis dicta *in methodo cap. Confes. lib. 3. c. 6.* Quibus addo duo. Primò ab impuberibus hæc juramenta non esse exposcenda, ac Sanch. *lib. 2. in Dec. cap. 13. num. 26.* Bonac. *disput. 1. de censuris in communi, q. 3. p. 3. num. 11.* quia non præsumuntur posse rationis usu, ut juramentum pro dignitate præstent: & quia ex probabili sententia *in nostro opusc. de exp. comm. c. 4. §. 2. à n. 11.* non sunt subjecti pœnis Ecclesiasticis, atque adeò excommunicationi. Secundò, quando judicatur ejusmodi juramenta, vel omerat impleri non posse, ut quia, v. g. pœnitens statim est certò moriturus, vel impedimentum fore perpetuum, illa non esse imponenda, quia frustra imponerentur: ita Castro Pal. *ibid. disp. 5. n. 18.*

7. Nota autem articulum mortis, & graue periculum, ex probabilissima sententia pro eodem hic accipi: ita Tol. *lib. 3. cap. 14.* Avila *de cens. p. 5. d. 4. sect. 1. dub. 5.* Sayr. *lib. 2. Thes. c. 20. num. 28.* est autem, quoties judicio boni viri morale periculum seu, ut aliqui quuntur, probabile periculum mortis imminet. Quare, Præter febres graves, similesque morbos, qui reperitur in probabili periculo naufragij propter exortam tempestatem, qui in bello est confligurus, quæ primò ea paritura imò quæ est parturita, quia partus semper periculo subjaceat, dicuntur esse in articulo mortis atque adeò, modo dicto, possunt absolvi. Qui longam navigationem, vel qui iter v. g. inter Infideles est aggressurus, huc reducitur, si non speret copia Confessoris potentis absolvere, quando adest deinde mortis discrimen.

8. Quinò, si pœnitens habet perpetuum impedimentum, v. g. ægritudinem, paupertatem, servitutem, pœnam cæteris, vel triremis, quia sic impeditus est moraliter certus se non posse ante mortem habere copiam potentis absolvere, dicetur esse in articulo mortis, poteritque pari modo absolvi ab hæresi etiam publica in foro interno: ita Castro Pal. *tom. 1 tr. 4. d. 4 part 3. §. 5. num. 4.* Quamvis enim Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 13. n. 3.* Suar. *d. 21. de fide, sect. 4. fine*, & aliqui id concedant de aliis criminibus, non verò de hæresi propter ejus gravitatem, tamen Castro Palaus &c. satis probabiliter, etiam de hac meritò concedit: est enim par ratio de cæteris, ac de hæresi.

9. Quid si impedimentum sit longum, non verò perpetuum? Puto esse tunc distinguendum, si enim putatur fore admodum longum, v. g. per quinque vel decem annos erit judicandum perpetuum, cùm in illo valde longo impedimento, morale subsit periculum mortis, in quo supponimus non adfuturum Confessarium, qui potens sit absolvere: si verò putatur non ita longum, non erit perpetuum judicandum, quia dictum morale periculum non præsumitur affuturum: Breviter erunt perpendenda futura pericula, sanitas pœnitentis, & similis, ut si judicetur morale periculum subesse, cum prædicto juramento, & onere absolvatur; secùs, nequaquam.

10. Duo denique adverte: Primò, si dubites, an possis vivere, donec habeas copiam potentis absolvere, adhuc judicaris esse in articulo, qui hæc concessio cùm sit contenta in corpore juris & in favorem animarum, latè interpretanda est, Adverte, secundo, si constitutus in dicto articulo possis vocare ad te Superiorem, vel medio confessario, vel missis litteris, possis expectare ab illo præsentem absolutionem, vel facultatem, ut absolvaris ab excommunicationem, te non obligari hæc facere, sed posse à quocumque modo prædicto, absolvi. Ratio est, quia tua obligatio est adeundi Superiorem, ut habent textus hanc obligationem inducentes; non verò faciendi alias diligentias; quare si adire non potes, excusaris. Ex hac doctrina potui consilium dare Sacerdoti Confessario, ut Monialem, quæ in hæresim externam inciderat, absolveret, tanquam constitutam in articulo mortis. Ratio fuit, quia hæc habebat perpetuum impedimentum adeundi ad potentem absolvere, nec obligabatur, vel Episcopum vocare, vel per litteras seu internuntium absolutionem petere, ut rectè pluribus expendit Castro Palaus *loco cit. num.* 7. adducens Sanch. & Henriquez.

Sextò, si quod remedium ex dictis non superit; vide an hæresis externa fuerit publica, an occulta; nam facilius invenies qui occultam, quàm qui publicam absolvere possit, de qua re jam dictum *à n.* 11.

Denique hìc recole, quid faciendum sit ei, qui incidit in hæresim, nec habet, qui eum possit absolvere, urgeat autem infamia, vel quid simile nisi communicet; posse nimirum, vel cum contritione communicare, vel dimidiare confessionem, ut latè universim dixi *in nostro opusc. de exped. communione. cap. 1. §. 4. à n. 20.*

### *Inquisitorum, & Episcoporum potestas circa absolutionem Hæresis.*

11. Dico primò, licèt hæreticus externus publicus; seu deductus ad forum externum non nisi à Summo Pontifice de jure absolvatur, tamen ex ejusdem Pontificis concessione in Hispania, hoc est, ubi residet Hispaniæ Inquisitionis Tribunal, ab Inquisitoribus simul cum proprio hominis absolvendi Episcopo saltem requisito, juxta Castro Pal. *l. c. §. 2. num. 1.* & Pen. *in Bullis in fine directorij ab ipso relatis.* Extra Hispaniam verò, ab Episcopo absolvi potest, & reconciliari Ecclesiæ, *c. Ut officium; §. p verò, de hæreticis in 6.* lege Castro Pal. *l. c. §. 1. n. 23.* quamvis neget Bardi *p. 2. in Bullam Cruciatæ, tract. 6. c. 2. sect. 3. q. 25.* Patent hæc ex sacris testibus, & ex privilegiis concessis Inquisitoribus Hispaniæ.

Occultum hæreticum Inquisitores etiam separatim unus ab alio (ex eo quia invicem sibi causas committere in hoc supponuntur) absolvere possunt, sed non nisi per depositionem, quam ipse absolvendus faciat sui delicti coram testibus, vel saltem coram Notario: ita Sanch. Farinac. Suar. Garzias, apud Castr. Pal. *l. c. §. 2. n. 3.* An verò possint sine hac solemnitate, sed omnino secretè, & in foro confessionis, concedunt nonnulli, ut Navarr. aliique, quos refert Sanch. *lib. 2. in Dec. cap. 12. num. 3.* dicens id esse probabile licèt contrarium probabiliùs nonulli negent, addentes praxim ipsorum Inquisitorum esse pro negantibus: ita Castro Pal. aliqs citans *d. num. 3.* Vtrumque probabile: *Profectò* (habet Escobar *in summa, tract. 7. exam. 4. potestne Confessarius?*) *Inquisitores Hispaniæ possunt, uti ex Sanchez didici, ab hæresi absolvere non solum in foro externo, sed etiam in conscientiæ foro, ita ut quilibet Inquisitor eandem cuilibet Confessario possit facultatem impertiri.*

12. Dico secundò, licèt probabile sit Episcopos non posse post publicationem Bullæ Cœnæ absolvere ab ulla hæresi, quia Bulla revocat omnem potestatem absolvendi ab hæresi occulta, quam Episcopi habebant ex Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* ita Suar. Sanch. Bonac.

Bonac. aliíque innumeri relati à Barbosa *secunda parte de potestate Episcopi, allegatione* 40. *n.* 24. & in Concil. Trid. *v. in hæresis crimine*, quibus adde Castro Pal. *l. c,* §. 1. *n.* 2. tamen etiam probabile, & tutum est, posse in foro conscientiæ suos subditos absolvere ab externa occulta, sive per se, sive per alium, cui occurrente casu committat suas vices Episcopus, non verò per Vicarium, seu alium ad hanc absolutionem indifferenter deputatum. Ita Bañez, Navarr. Henriq. Arag, quos refert. Barbosa *l.c. num.* 21. quibus adde Fag. *secundo Ecclesiæ præcepto, lib.* 8. *cap.* 8. *à num.* 10. qui ait fundamenta negantium esse parum firma. Adde & Granadum apud Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resolut.* 239. imò ipse Suar. & Castr. Pal. *l.c.* fatentur hanc esse probabilem. Ratio est, quia hac potestate Episcopi potiuntur ex dicto Tridentino, probabilissimúmque est eam non revocari à Bulla Cœnæ. Durum enim Patribus Concilij visum fuit, vt pro occulto delicto extra Diœcesim esse remedium exquirendum. A Bulla autem Cœnæ solùm revocatur facultas absolvendi prætextu privilegij, vt ex verbis Bullæ patet: at Episcopi esto absolvere non possint ob privilegia à Summo Pontifice concessa, certè absolvent ex authoritate à Christo Domino illis data (posito quod sint Episcopi) neque à Pontifice impedita. Rursus illud (prætextu) dicit colorem quæsitum, non verum. Vt explicat Budæus *in ll. ff. de offi io præsidis, l. sub prætextu, C. de transact.* seu dicit speciem veri, non veritatem. At Episcopi absolvunt non colore quæsito, vel sub aliquo velamine, sed sive authoritate jam dicta à Christo concessa, sive etiam à veris privilegiis concessis à Pontifice, & præsertim à Tridentino. Denique potestas Episcopi est certa, revocatio dubia: prævalet ergo potestas.

Quod potest Episcopus, potest & Capitulum, Sede vacante; ita Sanch. Henriquez, Arag. Rodriguez, Suarez citati Merolla *t.* 2. *disp.* 4. *c.* 6. *n.* 1. contra Bonac. Fill. Castro Pal. eundem Suarez *in alio loco* citato ab eodem Merolla *n.* 132. idest, quando casus occurrerit: poterit Capitulum alicui Sacerdoti committere absolutionem ab hæresi occulta; Verùm deferenda erit hæresis Capitulo sine expressione personæ absolvendæ, ne scilicet hæresis coram tot de Capitulo expressa fiat publica, & absolvi deinceps nequeat, quo pacto occurritur potissimæ rationi, quam à dicta publicitate Castro Palaus *t.* 1. *tr.* 4. *disp.* 4. *p.* 3. §. 1. *n.* 3. ducit, qui nobis contrarius est.

Quid conferant privilegia Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, vel Regularium circa absolutionem ab hæresi, in propriis Tractatibus agitari solet.

## §. IX. *De Apostasia, & Schismate.*

1. PVra Apostasia, quæ ut *suprà*, §. 1. *n.* 1. diximus, est totalis negatio fidei, ab hæresi, quæ negat aliquos articulos dumtaxat, differt secundùm magis, & minùs. Quare iisdem pœnis, si sit externa, subjacet, quibus subjacet hæresis. Ita Sanch. *lib.* 2. *in Dec. c.* 7. *n.* 4. *n.* 16. Nam propterea omnia huc pertinentia, ex supradictis de hæresi, petenda sunt: Dixi (pura) nam si ultra fidei negationem, amplectatur quis aliam sectam, v. g. Paganismum, Iudaïsmum, &c. certum est tunc superaddi & novam speciem.

2. Illud hujus est loci, An purus Apostata qui sine dubio graviùs delinquit, quàm Hæreticus, ratione ejus gravitatis deboat explicitè Confessori suam apostasiam, & hic suam hæresim patefacere. Dico certum esse hos non posse fateri sed aliquos articulos negasse, cùm negaverint omnes, vel omnes negasse, cùm solùm aliquos negaverint, quia sic cum mendacio confiterentur peccatum, quod non commisserunt, ut in simili dictum à nobis est *in nostro opusc. de exped. Confess. lib.* 1. *c.* 1. §. 9. *n.* 61. Posse autem in genere dicere se negasse fidem, seu articulos fidei, probabile est, quia, ut item diximus *ibidem*, §. 18. circumstantiæ ligèt aggravantes, si speciem non mutent, non sunt necessariò Confessario aperiendæ. Aliqua alia ad confessionem apostasiæ pertinentia, vide *ibid. lib.* 1. *c.* 2. §. 1.

3. Purus Schismaticus is est, qui, cùm credat omnes articulos Fidei, retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius, seu, ita se gerit, ac si ipsi subjectus non esset, consummatur enim schisma ipso opere externo; licèt nullus error adsit in intellectu, ita Sanch. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 36. atque Si ergo Schismaticus ultra divisionem à capite, scilicet à Summo Pontifice, addit aliquam hæresim, qualis est, si ideo à Pontifice deficit; quia asserit, creditque Pontificem caput Ecclesiæ non esse, jam non est purus Schismaticus; nam etiam est hæreticus, pœnasque hæretici omnes incurrens. Sed si sit purus Schismaticus, certè præter gravissimum peccatum, quod committit, est etiam ex vi Bullæ Cœnæ ipso facto excommunicatus: fit item inhabilis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & omnem insuper Iurisdictionem, si quam habuerat, amittit. Ita Sanchez *ibid.* & Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *c.* 20. Ex vi tamen puri Schismatis, nec contrahitur irregularitas, nec privatio beneficiorum jure obtentorum, quia id in jure nequaquam habetur, Ita Sanch. *ibid. n.* 20. contra Azor *ibid. cit.* nisi fortè dicas, Schismaticum notorium irretitum esse irregularitate generali infamiæ, quæ oritur ex quovis crimine notorio, quod dignum est pœna dispositionis, quale est sine dubio schisma, quæ tamen irregularitas cessat, ablata infamia per contrariam pœnitentiam; Ita idem *num.* 20. contra eundem *quæst.* 8.

4. Porrò hìc adverte eos, qui à schismaticis scienter, ter & sponte ordines, vel beneficia suscipiunt, esse ipso jure suspensos ab usu, & functione ordinis, & à beneficiis, sic impetratis, de qua re lege Sanch. *n.* 20. *in medio*, aliósque citatos.

## §. X. *De Infidelibus.*

1. INfidelem hìc intelligimus, vel Paganum, vel Hæbreum; vel Saracenum; hi enim omnes de Christo Fidem veram non habent. Et Paganus quidem, seu Gentilis est, qui Idola colit, dictus propterea item Idolatra.

Saracenus est, qui Mahumeti imbutus veneno, ejus sectam colit, ideóque appellatur etiam Mahumetanus, quales sunt Turcæ, Mauri, Arabes, &c.

Hæbreus, seu Iudæus est, qui credit veteri Testamento, novum verò, & consequenter Christum Testamento novo promulgatum reprobat, Adde Atheum, qui nullam Religionem, & ne Deum quidem ipsum esse cognoscit, sed id est scelus particularis hominis, & non nationis, aut populi; cùm nulla quamvis fera natio, vel populus compertus sit, qui numen aliquod non coleret, & ex alia parte nihil de Atheo hìc afferre speciatim occurrit.

Iam de singulis aliqua dicamus, dummodo advertas multa ex dicendis esse omnibus communia, quamvis propter occurrentem docendi opportunitatem de aliquo in particulari declarentur.

### *Pagani.*

2. Certum est Paganos, sive Christiano Principi subjectos, sive non subjectos, non posse cogi ad Fidem, posse autem muneribus allici. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. & communiter: probatúrque *c. Sicut Iudæi, de Iudæis, & Sar.* lege Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 24. *à quæst.* 2. & Castr. Pal. *t.* 1. *tr.* 4. *d.* 2. *p.* 6. Ratio est, quia Christi Fides voluntariè suscipienda est, secùs magnum periculum esset fictionis & sacrilegij in suscipientem illam coactè, cui tamen libertati munerum propositio non nocet.

Hinc non potest Bellum suscipi contra infideles, eo solùm titulo, quòd fidem respuant, nec id posset ipse Summus Pontifex demandare. Contrà verò mulier Christiana potest contrahere cum Pagano ea conditione, ut is ante celebratas nuptias, fiat Christianus: potest Rex liberare populum à tributo, si is Fdem recipiat, potest Iudex capite plectendum liberare à morte, si is vitale

Baptismi

Baptismi lavacrum suscipiat, &c. hæc enim non cogunt, sed alliciunt.

3. Certum sit secundò, vel saltem probabile juxta Azor. *loc. cit. q.* 3. Bañez, Suar. Bonac. sit: à Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 4. *d.* 2. *part.* 5. *num.* 4. eosdem subjectos Principi Christiano posse cogi, tum ad audiendum Evangelium, ut de more coguntur Hebræi Romæ, ex vi Bullæ Gregor. XIII. *Sancta mater Ecclesia*, tum ad abstinendum à peccatis contra Deum & Christum, & contrà jus naturæ, minimè verò non subjectos. Ratio est; quia in sibi subjectos habet Princeps Christianus jurisdictionem, unde poterit illos cogere tum ad illam actionem, quæ non est compellere ad Fidem, sed solùm eam audire, tum ad abstinendum ab iis delictis, quæ communitatis bono, & tranquillitati nocent. At verò, cùm in minimè subjectos, jurisdictione careat, ad prædicta illos urgere non poterit. Quòd si ij etiam non subjecti præcludant Prædicatoribus aditum prædicandi, si male dicta, & prohibita in Christum jaceant? si persequantur eos, qui Evangelium amplectuntur, si minis, & fraudibus Christianos ad infidelitatem pertrahant, si diis suis homines immolent, vel eosdem comedant, si hæc, inquam, universali ferè consensu faciant, possent etiam bello impetere nisi à scelere desistant; tunc enim non esset jus dicere in non subjectos, sed defendere innocentes, & punire eos, qui injuriam Christo, ejusque Religioni inferunt. Dixi (universali ferè consensu) nam ad bellum inferendum satis sit magnum, & publicum malum, non satis est quodcunque delictum hominis particularis, sed requiritur culpa gravis, & universalis.

4. Certum sit tertiò, Principes Christianos tolerare posse in Paganis sibi subjectis ipsorum ritus, dummodo non sint contra jus naturale, nec sit periculum subversionis aliorum, ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. imò puto tolerare debere, quoties vel dissidia, rixæque orirentur, vel ad fidem converterentur difficiliùs si ea permissio illis non concederetur: Ita idem *ibid.* Ratio est, quia ita bonum publicum tunc exposcit, &c.

5. Certum sit quartò, Paganos expelli posse ex regione, ubi pacificè subjecti Christiano Principi vivebant, absque nullo novo scelere commisso, solùm quia infideles sunt, modò detur ipsis electio, ut maneant, si velint ad Christum converti, si verò nolint, vendant omnia bona, & liberè aliò secedant: Ita Azor. *loc. cit. q.* 4. Ratio est, quia quamvis possent tolerari, ut modò diximus, tamen propter mala, quæ solent ex commercio cum infidelibus oriri, possunt etiam expelli, & quidem modo dicto, quo non fit illis tanta injuria, quæ non compensetur, imò vindicatur à publico bono, quod ex mala pestis separatione Christianis accrescit.

An Infantes infidelium possint parentibus invitis Baptismo ablui, insinuavimus *suprà*, *lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *v. Baptismus, num.* 3.

*Iudæi, seu Hebræi.*

6. Iure Ecclesiastico interdicitur communicatio Christianorum cum Iudæis, & speciatim quidem prohibentur undecim actiones, nimirum cum Iudæis habitare, eorum azimis vesci, Iudæis Medicis uti, ab eisdem medicamenta accipere, cum ipsis simul se in balneo lavare, eos invitare, vel ad eorum convivia accedere, esse obstetrices, aut nutrices ipsorum, in eorumdem domibus iisdem famulari, iisdem legata in testamentis relinquere, eorumdem esse mancipium, iisdem publica officia committere: ita toto titulo *de Iudæis*, &c. *Nullus*, *cap. omnes*, 28. *q.* 1. aliique textu reducti à Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 4. *d.* 2. *p.* 9. *num.* 6. & Sanc Bonac. Coninch. *ibid. cit.*

7. Hæ autem speciales prohibitiones solùm sunt de Iudæis, non verò generaliter de omnibus infidelibus: quia textus de Iudæis dumtaxat loquitur: Ita Castro Pal. *ibid. num.* 8. contra Sanch. & Suarium *ibid. cit.* Duæ nihilominus actiones ad alios extenduntur. Prima est famulari Iudæis? nam additur, *& Saracenis. cap. Iudæi*, 2. *de Iudæis*: Secunda est, præponere Iudæum publicis officiis; nam additur *vel Paganum, c. cum sit, c. ex speciali, de Iudæis*, quibus adde illa generaliter prohibita, portare nimirum lignamina, vel victualia, vel arma, &c. ad Christiani nominis inimicos, matrimonia cum infidelibus inire, &c. *in Bulla Cœnæ Domini.*

8. Sed, contra dictas prohibitiones ire, éstne mortale? Dico contra has duas postremas esse mortale, quia delatio lignaminum sub excommunicatione latæ sententiæ Pontifici reservata cavetur *in d. Bulla Cœnæ*: & matrimonium contrahere cum infideli, non est solùm illicitum, sed invalidum ex disparitate cultus, quod est impedimentum dirimens: lege fusè Sanch. *lib.* 7. *de matr. d.* 21. At cùm in cæteris non sit universim fulminata excommunicatio, & in aliquibus sit solùm ferenda, non facilè possumus, ut diximus *in nostro opusc. de exc. sacrif. lib.* 3. *cap.* 1. §. 8. ex ipsa pœna gravitatem culpæ colligere. Castro Palaus *loc. cit. num.* 17. docet solùm esse mortale delinquere in sex postremis casibus adductis *num.* 6. quia in illis, tum ex parte materiæ, actiones prohibitæ sunt graves. Sà Genuinus *v. Iudæus. num.* 1. & Arragonius 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. putant nunquam esse mortale, nisi ea sit familiaritas, ut suboriatur periculum subversionis; adde, vel nisi communicatio per illas actiones exhibita fiat ad favendum falsis ritibus. Ratio autem esse potest, quia, præciso hoc periculo, vel est res non magni momenti, qualis censetur civilis communicatio in humanis etiam cum excommunicato vitando, vel certè, cessante eo periculo, cùm cesset finis saltem præcipuus prohibitionis, videtur cessare & prohibitio, juxta *suprà* dicta §. 7. *num.* 38. Vtraque sententia sua probabilitate non caret.

*Saraceni, seu Mahumetani.*

9. Præter famulatum, officia publica, & delationem armorum, quæ modò *num.* 7. insinuavimus, & alia quæ universè in superioribus de Paganis dicta sunt unum dumtaxat, de quo olim interrogatus fuit, hìc explicandum occurrit.

10. Erat Turca Messanæ ita suæ superstitionis non bibendi vinum tenax, ut illud, propinante Domino, omnino respueret, testans vinum ebibere esse adversùs suam legem; atque adeò grave peccatum contra Deum. Quæsivit Dominus, an vinum ipse nihilominus propinare licitè posset, & ad illud ebibendum invitare? Respondi ex objecto certè peccatum non esse, vinum bibere, at nunc esse peccatum ex conscientia erronea illius mancipij? Nam sicuti, si Christianus putans esse mortale vinum extra comestionem bibere in die jejunij, si bibat, peccat conscientia erronea, quia conscientia est proxima regula operationis in omnibus, ita in Turca, &c. Poterit igitur Dominus docere mancipium de suo errore, quo à Turca deposito jam licebit ei vinum propinare. At difficultas erat, quòd Turca docenti Domino nulla ratione acquiescebat, & interim vini suavitate pellectus, bibere cum prædicta conscientia erronea subinde non recusabat. Hoc igitur est, quod quæritur, an scilicet potuerit tunc Dominus ad bibendum excitare? Dixi non potuisse, quia verè cooperatus esset cum alterius peccato, perinde ac si illi Christiano, eo errore non deposito, potum vini contra diem jejunij persuasisset. Scio quendam putasse hanc doctrinam nimis scrupulosam, sed certè immeritò, cum non appareat, unde Dominus id sine ulla causa præstans possit à peccato cooperationis excusari.

## §. XI. *De Præcepto Ecclesiastico non disputandi de Rebus Fidei.*

1. QVamvis naturale præceptum sit, ut indoctus de fidei dogmatibus non disputet; esse enim periculum se fallendi, decipiéndique simplices, si forte audirent; usúde & peccatum mortale ex genere suo commiteret,

mitteret, cùm in rem gravem imprudenter ingereret; tamen adest etiam præceptum Ecclesiasticum his verbis latum, *c. Quicunque, §. inhibemus, de hæresi in 6. Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel privatim de fide Catholica disputare; qui verò contrafecerit excommunicationis laqueo innodetur.*

2. Circa præceptum naturale nota, ad illud teneri sive Clericum, sive Laïcum, sive indoctus sit, sive doctus: insuper tunc fieri contrà illud præceptum, quando adest dictum periculum, & juxta gravitatem periculi, erit & culpa.

3. Circa præceptum Ecclesiasticum, Nota primò illud (laicæ personæ:) Non ergo Clericus, etiam primæ tonsuræ tantùm, tenetur hoc præcepto, qui, si indoctus fuerit, solùm tenebitur præcepto naturali. Scio Glossam *in dict. c.* sic habere: *Fortè intellexerunt de Laïco ad modum ultramarinorum, qui illiteratos Laïcos vocant, & literatos Clericos* 88. *distinction. 6. Inutile. Quid enim est dicere: quòd ruralis Clericus disputando de fide, non incidat in hanc pœnam. & Doctor Decretorum laïcus incidat?* Scio, inquam sed non acquiesco, quia verba sunt explicanda juxta communem sensum, non verò Provinciæ particularis, legesque ferunt de iis, quæ communiter accidunt; accidit autem communiter, quòd Clerici sint docti. Ego igitur ex alio capite excuso laïcum doctum disputantem, ex eo nimirum, quòd probabilis est illa sententia, quæ docet cessante fine legis in uno particulari, cessare & legem pro illo, at disputante docto, cessat periculum errandi. Ita Sanchez *lib. 2. in Dec. c. 6. num.* 4. licèt oppositum dicat probabilius. Immò quando hæreticus sollicitat Catholicum, teneri doctum Laïcum illum confutare disputando, injuriamque ab Ecclesia repellere, fatetur cum Aragonio idem Sanchez *ibid. num.* 7

4. Nota secundò illud (disputare) Nam quia disputare significat illam altercationem, quæ proponendo, & solvendo argumenta, ad aliquid persuadendum, suscipitur, quæque vocatur disputatio formalis, ideò non vetatur ea disputatio de rebus fidei, quæ solùm fit exercendi ingenij causa, vocaturque disputatio materialis, ut passim fit in Scholis.

5. Nota tertiò illud (innodetur) nam, quia est futuri temporis, significat excommunicationem ferendam, non latam. Hæc Communiter. Cæterùm.

6. Dico primò, hunc Canonem vix esse in usu in locis, ubi hæretici grassantur: hanc enim prohibitionem esse ibi consuetudine abrogatam, innuit Valent. 2. *d. 1. quæst. 10. p. 4. post. 2. conclus.* ubi verò hæretici non adsunt, cùm rarò occurrat casus persuadendi argumentis fidem, rarò contra illam posse peccati.

7. Dico secundò, etiamsi Canon hic ubique urgeret, probabile esse non obligare sub mortali. Ratio est, quia probabile diximus *in opusc. de exped. Sacr. Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 8.* ex Castro Palao, *t. 1. tr. 3. de leg. d. 1. p. 14. n.* 3. alios citante, & Valentia *p. 2. d. 7. q. 3. p. 6. v. Quartum signum*, pœnam excommunicationis ferendæ, (et hæc est) impositam in lege non esse signum obligationis sub mortali.

## §. XII. *De Præcepto Ecclesiastico emittendi professionem Fidei.*

### *Quoad Beneficiatos.*

1. TRia circa hoc, quoad Beneficiatos, Decreta inveniuntur, primum est Tridentini *sess. 14. c. 12. de reform.* Vt provisi de Beneficiis curatis emittant fidei professionem in manibus Episcopi, vel eo impedito (probabiliter sufficit, si is adhuc non impeditus, alij vices suas demandet,) in manibus Vicarij, idque intra bimestre adeptæ possessionis Beneficij: Vtque provisi de Canonicatibus, & Dignitatibus, in Cathedrali, idem faciant, non solùm coram Episcopo, sed etiam in Capitulo: secùs non faciant fructus suos, nec illis possessio suffragetur.

Huc reducitur & aliud Decretum ejusdem Concilij Trid. *sess. 25. cap. 2. de reform.* ut promovendi in Patriarchas, Archiepiscopos, vel Episcopos idem faciant in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint: Huc etiam facit decretum Gregor. XIV. *Onus Apostolicæ servitutis*, apud Vgol. *de pot. Episcop. cap.* 1. §. 3. per quod absolutè obligantur omnes Episcopi hanc professionem facere

2. Vbi nota primò, non comprehendi in hoc Decreto Parochos non Beneficiatos, nec Canonicos in Collegiatis; ita Sanchez *lib. 2. in dec. cap. 5. n.* 1. Quia Decretum ait: *Provisi de Beneficiis, & provisi de Canonicatibus in Cathedrali.* De eo proviso, qui per aliam occasionem fidei professionem emisit, vide mox, *num.* 6.

3. Nota secundò; licèt aliqui doceant cum, qui intra bimestre modo dicto fidem non profitetur, perdere in conscientia fructus beneficij, nulla expectata sententia Iudicis, ita Azor. *p. 2. lib. 7. cap. 2 q. 1.* est tamen probabile posse expectare sententiam; quare non esse obligandum ante illam reddere fructus. Ita Sanchez *ibid. n.* 10. Ratio est, quia in pœnis est benignior interpretatio facienda, & sit, cùm lex dixit: *Fructus ne faciat suos*, intelligenda est, ne faciat post sententiam. Adde, cùm lex vult statim, commissa culpa, fructus esse restituendos, solere explicare, ut fecit Conc. Trid. *sess. 23. c. 1. de ref.* quando obligavit non residentes: & Pius V. quando obligavit non recitantes officium ad dictos fructus beneficij restituendos.

4. Nota tertiò. Cùm hoc Decretum contineat pœnam restituendi fructus, atque adeò sit lex pœnalis, non est improbabile obligare solùm ad illam, & non (ut putat Sanchez *ibid. num.* 1. & Bonac. *d. 4. de fide, quæst. 2 p. 3. num.* 14. & 15.) ad peccatum mortale. Ratio est, quia diximus *in nostro opusc. de exped. Sac. lib. 3. cap.* 1. §. 8. legem pœnalem ad nil amplius, nisi ad pœnam obstringere transgressorem. An satis si profiteri per procuratorem, vide Castro Palaum mox citand. *num.* 10.

### *Quoad Prælatos Regulares.*

5. Secundum Decretum est Pij V. *Injunctum nobis*, qui prædictam Concilij Constitutionem extendit ad omnes Prælatos Regulares etiam Militarium; ut nimirum intra bimestre à possessione suæ Prælaturæ fidei professionem emittant.

6. Vbi nota primò ista multis locis, hoc usu receptum non esse, quare ibi non obligare rectè monet Sanchez *ibid. num.* 5. Sorbus apud Castr. *tom. 1. tract. 4. d. 5. p. 1. p.* 19. *num.* 5 ait nullibi esse receptum. Addo pro locis, ubi fortasse servatur, satis esse, si semel per aliam occasionem emiserit quis dictam professionem, quia sic menti legislatoris factum est satis, propter eandem rationem probabile est, si facta professione, Canonicus ad aliam Ecclesiam transferatur, non teneri ex necessitate iterum profiteri, ita Sanch. *ibid. num.* 6. licèt Azor. *ibid. cit.* neget, negetque Castr. *num.* 7. trahens ad se Sanchez, sed immeritò. Quòd si adest declaratio Cardinalium in contrarium, de ea non constat authenticè. Idem puto, ut affirmat Garz. *de Benef. p. 4. cap. 4. num.* 17. & 38. cum Sanchez *loc. cit.* de Magistro artis liberalis, de quo mox dicam, idemque de iis, qui primò Beneficium curatum admittunt, si per aliam occasionem, professi sunt: iidem enim, quoad substantiam præcepto satisfecerunt.

7. Notà secundò hoc Decretum probabiliter non obligare sub mortali. Ratio est quia à Pio V. extenditur ad Regulares illud idem Decretum, quod Tridentinum dederat de Beneficiatis Curatis; ergo si illud probabiliter non obligat ad mortale, ut *num.* 4. vidimus, durum esset, dicere hos obligare.

### *Quoad Professores artium liberalium.*

8. Tertium Decretum est Pij V. *In Sacrosanct.* qui ad eandem fidei professionem decrevit teneri omnes Doctores, Magistros, Regentes, & alios Professores artium, utiqu

rique liberalium, atque atque adeò Sancho *loc.cit.num.*4. Grammaticæ, Rhetoricæ, Musicæ, Arithmeticæ, &c. sive ij Magistri, Laici sint, sive Clerici; sive publicè, sive privatim doceant. Addit que excommunicationem latam, privationémque beneficiorum, ac Dignitatum; & inhabilitatis ad alia obtinenda, contra quoscunque promoventes eos, qui fidei ejusmodi professionem non emiserint.

9. Vbi nota primò alicubi hoc Decretum in usu non esse, ac propterea non obligare, & in locis, ubi viget, satis esse semel alià professum esse semel aliàs modò *n.*6. diximus.

10. Nota secundò excommunicationem latæ sententiæ, aliásque pœnas, atque adeò peccatum mortale, quod ex dicto Pij V. Decreto colligitur fulminari solùm in promoventes, non in promotos, ut patet ex ipso verborum in materia gravi obligari sub mortali, cum communi sententia diximus, *in nostro opusc. de exc. Sacr. lib.* 3. *cap.* 1. §.8. At ex alio capite promotos excusatem à mortali, quia nimirum, quòd vir Catholicus subeat munus sine tali externa professione, illihi non appareat res gravis; dum enim ipse nullum periculum habet recedendi à fide, non videtur grave, relinquere illam externam actionem. Non sic putandum de promoventibus, qui cùm sint Ministri publici: debent attendere ad executionem Decreti tam utilis ad fidei puritatem conservandam.

## Caput II.

## De Spe.

### §. I. *Quid sit Spes, & de peccatis contra ipsam?*

1. Spes, virtus, Theologica, est expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis ipsi gratiæ cooperantibus. Ita Magist. *in* 3. *distinctione* 26. Duo sunt peccata commissionis contra ipsam. Alterum per excessum, vocatúrque præsumptio: Alterum per defectum, appellatúrque desperatio: utrúmque est ex peccatis contra Spiritum Sanctum: ita S.Thom. 2. 2. *quæstione* 14. *art.* 2.

1. Dixi (commissionis) nam adest etiam contra ipsam peccatum omissionis, estque omissio sperandi dictam beatitudinem eo tempore, quo urget, necessitas, illam sperandi. Id quod quando, sis, colligo potest ex dictis *supra, cap* 2. §. 1. *à num.* 8. de necessitate actus fidei, cùm firmè iisdem casibus, in quibus urget actus credendi, urgeat regulariter & sperandi, nimirum per accidens & indirectè, numquam verò directè & per se: ita Layman *lib.*1. *tr.* 2. *cap.* 2. *n.*1. Sanch. *in dec. lib.*2. *cap.*33. *n.*3. Lege Castro P. *tom.*1. *tr.*5. *de veritate spei, p.*4.

3. Præsumptio igitur committitur, cùm quis confidit ex se ipso, vel ex naturæ viribus consecuturum, sive gratiam, sive virtutes supernaturales, sive gloriam; vel confidit quidem consecuturum ex Dei auxilio, sed sine sua cooperatione: ita iidem.

4. Desperatio est, cùm quis desperans se gratiam, vel gloriam consecuturum, suam cooperationem adhibere non curat. Nota in nostris regionibus rusticos confiteri solitos se in desperationem incidisse: at non intelligunt de peccato spei Theologicæ contrario, sed de quodam iræ, seu impatientiæ impetu cum blasphemiis non semel admisto, vel quid simile, quod ipsi, pattio sermone, desperationem appellant.

5. Duo nota. Primò, in prædictis peccatis contra spem non adesse materiæ parvitatem, ut ex supradictis *lib.*1. *cap.*1. §.3. constat. Secundò, si solùm præsumas, vel desperes, peccas contra spem: at si addas errorem in intellectu, affirmando, v. g. te adultum posse sine tuis meritis salvari, peccas insuper peccato contra fidem, speciatim, ut ex se patet, confitendum.

### §. II. *De Tentatione Dei.*

1. Est tentatio Dei quædam præsumptio: Qui enim Deum temerè tentat, de eo non sperat, sicut oportet. Consistit ejus malitia, quæ posset vocari voluntas de experientia Dei, indebita, & temeraria investigatione divini beneplaciti, vel divinorum attributorum per media incongrua, & aliena ab ejus providentia: ita Castro Pal. *t.* 3. *d.*2. *de tentat. Dei. p.*1. *n.*5. *fin.* Si ejusmodi investigatio fiat ex dubia fide, quam quis habeat divinarum perfectionum, addetur species peccati hæresis; si ex mera curiositate, vel temeritate, erit simplex Dei tentatio: quæ duplex est; Explicita, & implicita seu interpretativa? ita S.Th. *c.*2. *q.*97. *art.*1. & passim.

2. Explicitè Deum quis tentat, quando vel à Deo petit miracala, seu extraordinarium quemlibet providentiæ modum, vel exponit se gravi periculo, v.g. mortis ut exploret potentiam, vel amorem, vel simile attributum Dei, qui ipsum per miraculum liberet, Implicitè, seu interpretativè tentat, quando hæc, vel similia expectat sine actuali animo explendi, re ipsa tamen petit, vel facit aliquid, quod ex se miraculum poscit. Vtrumque est peccatum, sive contra Religionem, sive contra spem, nisi ob id est indeliberatio, vel nisi peculiaris Spiritus sancti instinctus urgeat, ad quem cognoscendum magna debet intervenire, ejusdem Spiritus directio, ne Angelus Satanæ transfiguret se in Angelum lucis: ita Bonac. *in primum Dec. præcept. d.*3. *q.*9. *unic. n.*2.

3. Expressa Dei tentatio faciliùs, quàm implicita est mortalis, quia in ipsa semper adest temeritas, quâ peritur experientia de Deo: si tamen fiat ex curiositate, atque in re levi, puto cum Tol. *lib.*4. *c.*19. *n.*7. posse esse veniale. Contrà, interpretativa potest faciliùs esse venialis ex parvitate materiæ, ut accidere solet in homine docto, si velit prædicare sine prævia meditatione, vel in homine pio, si in levi morbo nollet uti medicinis, sperando vanè salutem à Deo, sed non perito miraculo. At se offerre temerè martyrio, vel per longum tempus se omni cibo abstinere sub prædicta spe grave quid est mea sententia.

4. Sperare in Deo principaliter, & minùs principaliter in sua, vel creaturarum opera, non est præsumptio, nec Dei tentatio, cùm ipseme Deus eam operam, in novelit, & jubeatita Azor. *p.*1. *lib.*9. *cap.*2. *q.*7.

## Caput III.

## De Charitate erga Deum.

### §. I. *Quid si Charitas, & quæ sint peccata contra ipsam?*

1. Charitas Dei (nam de charitate erga proximum suo loco) est virtus supernaturalis, quâ Deum super omnia appretiativè diligamus. Dico (appretiativè) quod alias dici potest, toto corde, & tota anima, hoc est, ita ut Deus vero animo magis æstimetur, quam æstimentur cætera, esto cætera aliquando intensiùs, seu teneriùs diligantur. Sic homo intensiùs nonnunquam amat pecuniam, quàm filium; at certè nequaquam magis appretiativè: quia in concursu jacturæ filij, vel pecuniæ, pecunia negligetur, non filius. Debemus igitur Deo amorem appretiativum, quia omnis recta ratio dictat, ut summum bonum, à quo omnia bona nobis fluunt, summo, ac perfectissimo amore tanquam vltimum nostrum finem amemus, perfectiorem autem esse amorem appretiativum, quàm quemcunque alium, per se notum est.

2. Contra charitatem Dei dupliciter peccatur. Primò, per omissionem contra præceptum affirmativum-

de amando Deum, vt si ipsum non ames eo tempore, & eo modo apretiativo, quo amandus est. Secundò, per commissionem contra præceptum negativum de non odio habendo Deum, vt, si cui apprehendendo Deum vt sibi infestum, displiceat Deus, seque odio abominationis ab ipso auertat, illíque optet simplici affectu (nam non potest effici, hoc est, ita vt effectum habeat ea prava voluntas) aliquod malum, quod est scelus omnium grauissimum, dæmonibus, damnatísque familiare.

3. Petes, peccatne contra Dei Charitatem, qui vltimum finem in hac vita constituat, volendo hîc perpetuò manere?

Huic petitioni sic respondit Castro Palaus *tom. 1. tr. 7. d. 1. de charitate, p. 2. n. 6.* Sanchez *lib. 1. in Dec. c. 35. n. 11. fine, cum Bonacina, circa primum Dec. præcept. di. 3. q. 4. p. 1. fine, aliíque, affirmant peccare mortaliter, quia præfert Deo, ejúsque visioni, & fruitioni delicias hujus: sæculi; at desiderare longam vitam affirmat vocare culpa. Sed hoc dictum non universaliter approbo; si enim ex eo, quòd velis in hac vita perpetuò durare, infertur, te delicias humanas divinæ fruitione præferre, etiam cùm longam vitam desideras, præfers pro illo tempore delicias humanas divinæ fruitioni. Ergo hoc etiam sufficit, ut pecces, quia summa perversitas est pro uno, & minimo instanti divinam fruitionem humanæ voluptati postponere. Quapropter cùm vitam sine termino desideras, solum videris desiderare hac vita non privari. Hoc autem per se malum non est, sed potiùs bonum, ergo, &c. Adde te nescire an post hanc vitam salvandus sis, an condemnandus; ergo cùm desideras in hac vita perpetuò manere, potest illud desiderare ut periculum condemnationis fugias sed hoc periculum fugere non est malum; ergo non est peccatum mortale tale desiderium absolutum: ergo solùm esse potest cùm de facto præponis tuam vitam hujus sæculi bonis, quæ tibi Deus in æternum præparavit, quod rarò, vel numquam, nisi sceleratissimo accidit.* Meritò Castro Palaus.

### §. II. *Quandonam obliget Præceptum affirmativum Charitatis Dei.*

1. LAborant Doctores in assignando tempore, quo debet fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum, variáque tempora, vt varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus, quod aliqui assignant, est initium vsus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminatè sumpta, vt saltem semel in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus Deo specialiter vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur Martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odij Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.

2. Mihi placet doctrina Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1. circa fin.* qui docet hoc præceptum Charitatis impositum fuisse ob justificationem impij: solùm igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, quâ se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit: Consequenter igitur, & indirectè ratione suæ justificationis ad actum charitatis Fideles obligantur. Vide *suprà, cap. 1. §. 1. num. 10.* ubi idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actus fidei, & spei; nam per ibidem dicta, & confirmabitur hæc Azorij doctrina, & impugnari poterunt tempora modò assignata *numero præcedente.*

3. Confirmatur, quia licèt communis sententia doceat dari præceptum speciale de amãdo Deo in illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi, tamen non ignobiles Doctores docent hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale imbibitum in omnibus præceptis, sicuti secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum, nam propterea dicitur: *In illis duobus præceptis*, id est, dilectione Dei & proximi, *universa lex pendet, & Prophetæ*, &, *Qui habet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit, me*, &, *Plenitudo legis est dilectio.* Si enim qui servat præcepta diligit, quique diligit servat jam unum ex his continetur in alio; & consequenter præceptum charitatis indirectè solùm, & ratione alterius obligabit.

4. Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum, qui negant fideles initio usus rationis, sic Castro Pal. *tom. 1. tr. 6. de charit. d. 1. p. 4. n. 2.* cum Azor. Val. Sanch. Sair. Coninch. ab eodem cit. & fine vitæ: sic idem *ibid. d. n. 9.* cum Azor. & Sanchez ab eodem cit. obligari ad se convertendos ad Deum, illum amando; ponere enim ejusmodi obligationem, quæ certè fundamento solido non innititur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minùs advertunt; sed doctoribus, &c. Lege Castr. Palaum, Azor. Sanchez modò citatos.

---

## CAPVT IV.

## De Cultu dei, hoc est, de primo Decalogi Præcepto. *Vnum cole. Deum.*

1. PRæmissis iis, quæ fuerunt præmittenda, jam tandem ad primi Præcepti explicationem, Deo favente, pervenimus.

Porrò virtus Religionis, quâ Deo debitum cultum exhibemus, significando ejus excellentiam, nostrámque subjectionem, alios actus habet exteriores, interiores alios per hos sola mente, per illos etiam externa locutione, vel operatione Deum veneramur. Veneramur autem specialiter per orationem, adorationem, votum, juramentum; sed quia de voto, & juramento aptior videtur locus in secundo precepto, hîc solùm breviter priùs agemus de adoratione, & oratione, virtutis Religionis actibus, deindè de peccatis eidem Religioni contrariis.

### §. I. *De Adoratione.*

*Quid sit, quotuplex adoratio, & in quos cadat.*

1. ADoratio latè sumpta est actus creaturæ rationalis, quo significat submissionem, & reverentiam ob alicujus excellentiam, juxta illud *Genes. 10.* ubi Loth. dicitur adorasse Angelos, & *Reg. 11.* ubi refertur, Bersabee adorasse Salomonem. Stricta sumpta est actus quo quis profitetur cognoscere, seu colere excellentiam Dei. Sic *Deuter. 6.* Dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis*; sic Matth. 4. *Magi prodentes adoraverunt puerum*, sic. Joan. 9. *Cæcus illuminatus procidens adoravit Christum.*

2. Triplex autem à Theologis solet adoratio distingui: Latria, Hyperdulia, Dulia; ita S. Thom. *3. part. q. 25.* & Commentatores, aliique passim. Prima est, quæ fertur in Deum increatum: Secunda in Beatam Virginem, quæ habet peculiarem Sanctitatis excellentiam supra cæteros Sanctos: Tertia in Sanctos, & Angelos qui sunt Beatissima Virgine inferiores. Strictè enim sumpta adoratione Sanctos adoramus, quoties eorum sanctitatem licèt creatam, in qua tamen resplendet modo quodam peculiari, & supernaturali Dei excellentia, veneramur.

3. Rursus, dupliciter potest quid adorari Latria: Primò per se, & ratione sui, & sic ipse solus Deus est p

Latria

Latriam adorandus. Secundò ratione ipsius Dei, & per conjunctionem ad ipsum, cum quò facit unum; & hoc modo adoratur per latriam Humanitas Christi, quæ personaliter unita cum Deo. Unde vides Christum Dominum adorandum esse latria per se, & ratione sui, quia Christus absolutus est, & dicitur persona divina: at ipsa Humanitas Christi est adoranda per latriam ratione conjunctionis cum personalitate divina. Eucharistia autem per latriam ratione sui est adoranda, adoratur enim ibi essentialiter idem Christus Dominus: lege Suar. *tom.* 1. *in* 3. *d.* 51. *sect.* 2.

4. Reliquiæ ejusdem Christi Domini, ut spinæ, Sudarium, Crux, seu ejus fragmentum, in quibus idem passus est, & mortuus; adorantur etiam latria per conjunctionem, sicuti ipsa humanitas, quia adorantur, ut quid unum cum Christo: nam ex se nullam habent excellentiam vera & stricta adoratione dignam. Reliquiæ Beatissimæ Virginis, & Sanctorum eodem proportionali modo adorantur per Hyperduliam, vel Duliam ratione conjunctionis cum Virgine, vel Sanctis.

5. Sed quid de Imaginibus dictorum? Respondeo has adorari eodem modo, quo adorantur prototypa, seu exemplaria, id est, quo adorantur ipsæ res quæ per imaginem repræsentantur: sed propter significationem: referunt enim, seu significant prototypa: S. Thom. 1. *part. q.* 25. *artic.* 4. & Commentar. *ibid.* Hinc imagines Dei, Christi, Eucharistiæ, adorandæ veniunt per latriam; Imagines Beatæ Virginis per Hyperduliam, Sanctorum per Duliam. Omnes, non quidem per se, sed per relationem ad ea, quæ repræsentatur; per se enim spectatæ, & velut materialiter, & sine ordine ad repræsentata, licèt mereantur quandam venerationem, quia sunt res materiales spectantes ad pietatem, & Religionem, ut sunt materialia ligna, verbi gratia, & lapides templorum, non tamen merentur propriam adorationem, de qua nos agimus: ita Conc. Trident. *sess.* 25. *in Decr. de Vener. Sanctor.*

6. Imagines Crucis, Spinarum, Sudarij, & similium instrumentorum, si efformentur ad repræsentandum Christi Passionem, seu Christum passum, adorabuntur adoratione latriæ per significationem, quia tunc sunt Imagines Christi pro nobis passi: at si suimantur præcisè, ut significant illa instrumenta passionis inanimata, tali adoratione non sunt digna. Notat tamen S. Thom. 3. *q.* 25. *art.* 4. differentiam inter Crucem & cætera dicta instrumenta, quòd Crux semper assumitur non solùm ad repræsentandum Crucem, in qua pependit Christus, sed etiam ad repræsentandum ipsum pendentem, Christum: alia autem instrumenta rarò assumuntur ad repræsentandum Christum passum; quare cuicunque Cruci adhibetur latria per significationem, non verò cæteris instrumentis.

7. Petes. Beatissima Virgo, quandoquidem est conjuncta cum Christo Domino per relationem Maternitatis, potèstne, adorari per latriam ratione conjunctionis; Respondeo posse, sed non solere, nec fidelibus id suadendum, propter periculum ipsam propter se ipsam adorandi, quod non subest in cæteris vilioribus rebus, licèt Christo conjunctis, ut fusè Theologi, S. Thom. *dict. aq.* 25. *art.* 5. Clarius Castro Pal. *tom.* 2. *tract.* 4. *d.* 1. *p.* 3. *n.* 6. aliique *ibid.* citati.

An sit præceptum de adorando dicam §. 3. *n.* 3.

*Qui sint ij Sancti, quos adorare per Duliam liceat.*

8. Recole primò, cultum seu adorationem aliam esse publicam, quæ scilicet ab Ecclesia instituta est, & illius nomine fit: aliam privatam, quæ fit nomine, & devotione privatorum fidelium. Recole secundò, Sanctos alios esse canonizatione, beatificatione, vel generali approbatione Ecclesiæ tales, alios esse tales, ob certitudinem, quam tu de illorum sanctitate privatim habes, ob certitudinem, inquam, moralem, sine qua certitudine semper esset temerarium adorare.

9. His in memoriam redactis. Dico primò, cum Suarez *tom.* 1. *in* 3. *p.* 52. *sect.* 3. *vers. Respondet.* Bellar. *de Sanctis, c.* 20. Sanchez *in Dec. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 3. Ad adorandum, seu colendum privato cultu aliquem sufficit, si prudenter nobis persuademus illum esse Sanctum, seu Dei amicum in gloria. Ratio est, quia sic non erit mortale periculum errandi, secùs autem erit.

10. Dico secundò cum iisdem, ad colendum cultu publico, debet sanctitas ejus, qui colitur, esse ab Ecclesia publicè proposita. Ratio est, tum quia textus *in c. fin. de Reliquiis & venerat. Sanctorum*, aliæque Pontificum prohibitiones, tum quia ordo rectus exigit, ut publicè solùm qui publicè propositus est, colatur.

11. Ex his infertur defuncti viri, quem Sanctum putas licere tibi, præciso semper scandalo, pedes, & reliquias osculari, easdem cum decoro servare, ei orationem fundere, ejusdem imaginem depingere, & domi habere, diem mortis ejus privatim ut festivum colere, in ejusdem vigilia jejunare, in privatis colloquiis, aut precibus Sanctum, & Beatum nominare, & invocare, *Pater* & *Ave*, in illius honorem privatim recitare, votum privatim ei nuncupare, quia hæc omnia publicum cultum nequaquam sapiunt. Contrà, non licet ejus nomen in Litaniis, etiam privatim eas recitando, apponere, ejus imaginem in Altari etiam privato, vel in Ecclesia collocare (nisi constet collocari ad solum ornatum (in orationibus, seu collectis Missæ, vel Officij nominare, vota publica (ut solent Civitates facere in publicis necessitatibus) ex promittere, diem festivum publicè in ejus honorem, etiam approbante Episcopo, instituere, & similia, quia hæc vel publicum cultum supponunt, vel sunt institutæ solùm ad Sanctos publicè propositos venerandos Lege Barbosam *in coll. ad Trid. sess.* 25. *de invocat. Sanctorum, vers. Vltam solitam exponere*, & Lezanam *v. Sanctorum cultum, n.* 6.

12. Dixi autem (defuncti viri) nam adorare virum, quem sanctum reputas dum vivit, non licet, nisi ex peculiari Spiritus sancti instinctu, juxta illud: *Neminem in via salutaveritis*: ejus orationes coram, vel per litteras implorare, seu petere, quo liceat, non est dubium, quia hæc non est oratio, sed commendatio: solùm quæri posset, an liceat me commendare homini, quem reputo Sanctum, dum vivit & absens est? Sanè leguntur aliqui etiam multùm distantes se sancto Antonio, cum divina approbatione commendasse. Id quod innuisse satis est.

## II. *Quid, & quotuplex sit Oratio, deque ejus præcepto.*

§

1. ORatio proprie est petitio, quæ ad Deum, vel ad alium propter ipsum dirigitur, quâ petimus res seu bona nobis decentia: ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *ibid.* Commentar. Dixi (propriè) quia largè significat quamcunque elevationem mentis ad Deum per laudem, invocationem, confessionem peccatorum gratiarum actionem, &c.

2. Ex parte ejus, qui orat, alia oratio est publica, alia privata. Ex parte ipsius actus orationis, alia est vocalis, alia mentalis.

3. Duplex est præceptum de orando, idémque est de adorando Deum. Alterum naturale, quia præciso quocunque Ecclesiæ præcepto, tenemur bona, quæ nobis sunt convenientia procurare, & mala removere, removere autem tentationes, multáque alia mala, & procurare bona maximè supernaturalia, & præsertim perseverantiam in bono, non possumus, nisi ea expectando, & impetrando à Deo. Hoc naturale præceptum confirmatum fuit à præcepto Dei positivo *Deuter.* 6. ibi: *Dominum Deum tuum adorabis*, & ibi: *Oportet semper orare*, &c. & alibi. Alterum præceptum est Ecclesiasticum, quo obligamur assistere sacro diebus festivis; tunc enim omnes circumstantes unà cum Sacerdote offerunt Deo sacrificium, illúmque adorant, & orant per orationes, adorationésque ab eodem Sacerdote exhibitas.

4. At quandónam obligat prædictum naturale præceptum orandi, vel adorandi? Doctores modò citati varia tempora assignare conantur. Ego hîc sentio, quòd *suprà, cap. 1. §. 1. à num. 8.* dixi de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis; non dari scilicet certum tempus, & determinatum, in quo directè obligat, sed esse illud, in quo obligat indirectè; quando, scilicet, urget necessitas alicujus boni acquirendi, vel mali, seu tentationis avertendæ, quæ acquirere; vel avertere sine Dei auxilio nos non possè, tunc animadvertimus. Vnde *ibidem* dicta, quæ hùc maximè faciunt: unde sequitur omittentem eo tempore orare: verbi gratia, tempore tentationis gravis contra castitatem, non peccare nisi contra castitatem, quia solùm ex periculo violandi castitatem culpabilis est talis orationis omissio. Ita Lessius *lib. 2. cap. 37. d. 3. fine* apud Castro Palaum *loco citato, n. 6.* Verùm tametsi sentiremus directè hoc præceptum obligare, non est nobis in eo explicando diu immorandum, cùm illud facilè ab omnibus impleatur, quis enim tam perditus ut aliquando *Pater* & *Ave* non recitet, vel alio modo auxilium à Deo imploret?

5. Dixi paulò antè (præceptum naturale) nam ab Ecclesia pro omnibus Fidelibus esse determinatum tempus orandi medio Sacerdote in Missa audienda die festivo diximus *n. 3.* & pro ministris in recitatione divini Officij dicemus *§. sequenti.*

6. Quæ à Deo petere in Oratione debemus explicantur, & divinè comprehenduntur in oratione Dominicali, *Pater noster*, &c. Vtrùm autem: Primò, nostra Oratio sit meritoria, satisfactoria, & magis propriè impetratoria. Secundò, utrùm solùm Sancti, & Angeli nunc pro nobis orent in cœlo, an etiam possit in rigore dici Christus Dominus, ut homo est, pro nobis orare. Tertiò, an etiam animæ Purgatorij? quia non sunt quæstiones morales, lege Doctores citatos: & breviter dic; ad primum, & secundum affirmativè, ad tertium, negativè quidem cum Sancto Thoma *secunda secundæ, quæst. 83. artic. 15.* Castro Pal. *tomo 2. tract. 7. de orat. parte 5. num. 1.* & aliis, quia illæ animæ non sunt in eo statu, ut possint cognoscere preces, & desideria nostra; cùm nondùm videant Deum, in quo tanquam in speculo ea quæ longè distant cognoscuntur à Beatis: ita S. Thom. *secunda secundæ, quæ 83. artic. 11. ad 4.* aliique *ibidem.* Affirmativè autem die cum Bellarmino. *lib. 2. de purgat. cap. 15.* Suario *loco citato, cap. 15. n. 16.* aliisque; quia possunt in genere orare pro iis, qui vel sibi benefaciunt, vel ipsorum Orationes implorant; immò Angelos custodes iis nostras particulares Orationes deferre, vel alio modo eas Deum illis ostendere, cur improbabile sit?

*De intentione, & attentione in orando.*

7. Nisi intendas orare, licèt orationem ore fundas, vel mente obvolvas, Orationem Deo non porrigis. Satis tamen est voluntas implicita, seu virtualis: Quare si Breviarium legas, verbi gratia, ut studeas, non oras: at si Breviarium legas cum intentione orandi, etiamsi ab illa intentione actuali cesses, adhuc oras, quia remanet voluntas orandi nondum retractata, in ipso affectu, quo Breviarium legis.

8. Requiritur item attentio sive interna, sive externa, quæ triplex est ex S. Thoma, 2. 2. q. 83. *art.* 13. ad verba, ad sensum verborum, ad Deum.

9 Cum nulla attentione voluntariè orare, an sit mortale dixi satis *Opuscul. de Sacrament lib. 5. cap. §. & infrà, capite sequent. §.* repetam. Saltem autem esse veniale: omnes supponimus, quia irreverentia tandem aliqua est, cum Deo loqui aliò mentem voluntariè divertendo.

## Caput V.

### De peculiari Cultu, qui Deo per Horas Canonicis exhibetur.

1. Horæ Canonicæ, seu Officium divinum sic definitur à Bellarmino *lib. 1. de bonis operibus c. 10. Est certa oratio publicè laudandi Deum, & precandi mente simul & voce, authoritate præsulum Ecclesiæ instituta.*

De hac ergo potest primò quæri, quinam ad ipsam teneantur. Secundò, quid est illud quod est recitandum. Tertiò, quo modo. Quartò, quo tempore. Quinto, quo loco, & situ. Sextò, sub qua conscientiæ obligatione. Septimò, sub quibus externis pœnis Octavò, quæ causæ excusent, Separatim, si Deo placet, de singulis.

*§. 1. Qui teneantur ad Horas Canonicas.*

2. Tres hi sunt: Clerici constituti in sacris: Regulares deputati ad Chorum: Beneficiarij; nam Clericos in minoribus, si non habeant beneficium, non teneri, certa est & communis doctrina.

*Constitutis in Sacris.*

3. Sacerdotes obligari ad has recitandas docet *c. Presbyter, de celebr. Missarum* Diaconos docet *c. ult. d. 92.* De Subdiacono nullus est textus, ut habet Navar. *c. 7. de orat. n. 2.* sed est consuetudo vim habens legis, ut docent communiter Doctores.

4. Ordinati in sacris, qui ex concessione Pontificis post suos ordines uxorem duxerunt. Rursus Latini, qui ducta priùs uxore susceperè (certè cum peccato) eosdem sacros Ordines, & postea coguntur ut cogi debent, ad uxorem redire; Tertiò, qui sunt damnati ad Triremes Quartò, qui ab infidelibus capti, issque captivi inserviunt: Hi, inquam, omnes licèt probabiliter, ex Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 5. q. 5. & 6.* aliisque, obligentur ad Horas recitandas, si aliqua excusationem (de qua re *infrà,*) non habeant; tamen ipsis item probabile est eximi ab hoc onere. Quoad captivos, & damnatos, Sotus, Sanch. Less. apud Dian. *part. 1. tr. 2. resol. 40.* ducentes uxorem Sanch. *lib. 8. de matr. d. 8. n. 11.* Ratio est, quia sunt in statu ab hac obligatione alieno: nec immeritò videtur usus ipse sic explicuisse. Et quoad damnatos, & captivos sanè alienum esset ab Ecclesiæ benignitate, & decoro, si eos in tanta afflictione positos, & inter illam hominum colluviem ad officium adstringere. Sacerdotem uxorandum ex dispensatione Summi Pontificis Sanchez *ibid.* meritò liberat ab officio, non quidem à die dispensationis concessæ, sed à die usus concessæ dispensationis. Sequillante *de obligat. cleric. p. p. n. 33. & rursus de privil. Cler. c. 7. n. 39.* putat, hunc dispensatum deobligari ab Officio recitando, nisi post contractum matrimonium. Sanchez verò *loc. cit.* ait, deobligari ante contractum matrimonium, sed dimisso jam habitu, quia tunc utitur dispensatione, quod mihi videtur probabilius, quia tunc assumit alium statum. Excommunicatum, suspensum, interdictum esse obligatum fatemur ferè omnes, quia nec debet commodum reportare ex suo delicto nec est in statu alieno à recitatione. Ita Navar. *dict. c. 7. n. 17.* Sylvest. *v. Hora, q. 9.* & communiter.

De inclusis in carcere distinguere oportet. Privatos enim carceres non excusare à recitandis Horis certum sit; quia ibi nulla militat excusationis ratio. Publicos, excusare alicui videbitur, propter illum miserum statum valde similem tribus. Verùm excusare non audeo propter otium magnum, quo ibi abundant inclusi, & ubi se facilè recolligere, ad orandum Deum, possunt.

5. Degradatus propter eandem rationem cum excommunicato, videtur obligandus: ita communiter apud Castro Pal. *tom. 2. tr. 7. d. 2. p. 6. n. 3.* sed certè est probabile, non

non obligari, quia ab Ecclesia spoliatus est omni privilegio Clericali, atque adeò in statum sæcularem ejectus; de quo sic Sà verb. *Hora*, n. *Degradatum quidam excusant, alij obligant, Sotus, Navarrus, & id durius.* Hæc Sà. Emendatus verò sic habet: *Degradatum quidam excusant, alij communiter obligant, meritò, Toletus, Tuius & recitare, omittenda tamen solemnitates, & Dominus vobiscum.* Hæc expurgatus.

Tamredi, *t.1.de Rel. tr.3.lib.4. d.25.n.2.* Primò, liberat Sacerdotem damnatum ad mortem ab Officio, pro tribus diebus; dum est in cellò mortem expectans. Secundò, captum ob aliquod enorme crimen, v. g. Rebellionem. Tertiò, affectum aliquo repentino, eóque maximo mœrore, ut morte filij, jactura magni patrimonij, & similis. Liberat, inquam, propter animum valdè perturbatum, quo ij laborant. Equidem primò, ex iis dictis assentior, quia illa mortis propinquitas parit magnam debilitatem, infirmitatémque, quâ omnes fatemur excusari alias obligatos. Secundum dictum & tertium tunc approbo, quando tanta esset perturbatio, ut magnam afferret difficultatem recitandi, quam certè in omnibus non semper agnoso, cùm eosdem, in iisdem pertubationibus, negotia magni momenti expedire non raro videamus.

*Regulares professi deputati ad Chorum.*

6. Consultò dixi (professi deputati ad chorum) ut excluderem Novitios, Novitiásque, qui in odiosis habentur ut sæculares, utque excluderem Religiosos non deputatos ad chorum, quales sunt, v.g. Religiosi Societatis Iesu; qui obstringuntur solùm ex obligatione communi, si sint in sacris constituti: Hujus etiam generis sunt Religiosi Militantes v. g. Equites Melitenses, quos nisi gaudeant Beneficio, vel aliunde obligentur, nec teneri ex obligatione mortali, ad recitandum officium B. Virginis, nec ad alias Orationes illius loco rectè docet Castr. *tom.1.d.1.de orat.p.1.n.1.* aliique, quia hi addicti sunt Militiæ, non choro; idémque puto de Laicis, seu Conversis omnium Religiosorum, quia hi sunt addicti ad servitia temporalia, nisi ex peculiari præcepto ad illas teneantur.

Duplex autem in ejusmodi professis obligatio consideranda est; altera quoad recitationem publicam in choro: altera, quoad privatam, si fortè à choro absint.

7. quoad priorem certum est. Primò, curam providendi, ut in Choro Horæ recitentur esse apud Prælatum: hi provideat, peccare ex genere suo mortaliter, quòd si munueri suo desit, curare obligabuntur subditi; Superiore enim deficiente, obligatio officiorum communitatis recidit in particulares.

Duo monet Suar. *t.1. de Rel. lib.4. cap.ult.c.10.n.10.* Primò, quandiu superior non imponit grave præceptum (quod imponere legitimè in hac re potest) subditi non tenentur frequentare Chorum ex obligatione saltem mortali. Immò puto cum Fill. Bon. Suar. apud Dian. *p.3.tr.2. res.18.* etiam frequentissimè quis à Choro abesset, mortaliter non peccaturum, quia secluso scandalo, contemptu, cura providendi, & ejusmodi præcepto fortè à Superioribus lato, non esset nisi Regulam frangere. Et *c. vlt. dist.92.* præcipiens esse damnandum Clericum Choro non assistentem, loquitur de Clerico Beneficiatio, non de Religioso. Secundò, monet, si adsint, qui voluntatiè cum decoro satisfaciant Choro, non debere superiorem facilè imponere præceptum speciale singulis, quia jam communi obligationi per illos voluntarios satisfit sufficienter; adhortari autem, immò & consuetis in illa Religione pœnitentiis urgere omninò docet.

8. Certum est secundò, non licere alicui sine mortali emittere professionem solemnem in Religione deputata ad Chorum, nisi is speret quamprimum eorum, ut sciat legere Horas, quia deciperet Religionem in re gravi, ad quod neque Prælatus potest dispensare, cum sit dispensatio extraordinaria, & Religioni onerosa. Illud (quamprimum) dixit quidam esse duos, vel tres dies, sed de hoc dicam mox *num.* 14.

9. Certum prætereà semper mihi visum est per solos Novitios posse Choro satisfieri. Ita Pell. *t. 1. Man. Reg. 55. c.8. n.49.* Ratio est, quia in favorabilibus ij reputantur ut professi: quare sicuti iisdem datur participatio privilegiorum Religionis, ita erit rationabile, ut possint ejusdem onera professis annexa sublevare: sanè si Religiosi alicujus Conventus Missas per se, & non per sæculares celebrandas pro aliquo ex legato debeant, quis unquam illis scrupulum injecit, si suis Novitiis celebrandas commiserint? & tamen onus illud communitati Conventus annexum esse supponimus.

10. Hæc sint certa: illud demum est controversum: & est duplex difficultas; Prima, quóniam Religiosi satis sunt ad satisfaciendum in Choro? Secundo, quæ paucitas Religiosorum requiritur ad excusándum Monasterium à Chori obligatione. Hæc posterior difficultas pertinet *ad ultimum caput* de causis excusantibus ab Officio, sed hoc propter connexionem cum priore resolvenda est commodius.

11. Dico igitur primò, quatuor, vel quinque, multò magis plures satis esse; unum non esse satis. Ita Diana *p.2. tr.12.res.31.fine.* Ratio est, quia illi faciunt rectè Chorum, unus nequaquam; si quidem essentia Chori consistit in alternatione cantantium. Quare si Prælatus Monasterij permittat in Choro Officium recitari ab uno solo, suæ obligationi non satisfacit. Quid si à duobus, vel tribus tantùm? Respondeo, licèt non negem fore scandalum aliquod, si id in Monasterio frequenti permittat Prælatus; tamen ex natura sua videri posset alicui probabile satisfieri; quia in rigore jam servatur essentia Chori, scilicet cantus alternus.

12. Dico secundò, excusari Communitatem Religiosorum, Choro, si constet solùm ex quatuor, vel quinque. Ita Bordon. apud Pell. *l. c.n.* 50. Ratio est quia tametsi quatuor, vel quinque, immò, & duo sufficiant ad rigorem Chori; tamen, cùm sit probabilis opinio plures requiri ad constituendum Chorum ex obligatione, ut scilicet cum aliquo decoro alternatim cantetur, ne tantum onus quotidianum tam paucis ex obligatione imponatur, potest Communitas Religiosorum hanc opinionem sequendo, à dicto onere se tunc liberare (Dixi Religiosorum) nam strictius est jus, quo urgentur Beneficiarij, & Collegiati, quos certè obligo, etiamsi essent duo dumtaxat (non autem obligo, si sit solùm unus.) Ratio est, quia pactum inter Fundatores, & Beneficiarios saltem implicitè initum requirit ex justitia (ut servetur Chorus, quoties alternitas canentium servari aliqua tandem ratione potest. Scio Carolum Macignum *c.16.n.24.& 28.* docere Canonicos non teneri ad restitutionem fructuum, si non sint saltem quatuor; sed ei propter dictam à nobis rationem non assentior.

13. Iam verò quoad posteriorem obligationem *n.6.* propositam celebris est hodie quæstio, An professi non Sacerdotes in Religione addicta ad Chorum, ut sunt etiam omnes Moniales, teneantur recitare privatim Officium, quando à Choro absunt. Communis opinio affirmat: ita Suar. Navar. Val. Vasq. Bon. apud Castro *tom.2. tract.7.d.2.de orat. p.1. §.3.n.1. & 2.* Ratio non est, quia obligantur ex vi professionis, vel ex vi Conventionis cum fundatoribus Monasteriorum, vel ex jure communi seu particulari; hæc enim rectè consideranti non adsint, sed quia obligantur ex vi consuetudinis ab omnibus receptæ in re gravi, & à Prælatis ipso usu legitimè confirmatæ.

Aliqui pauci negant, quam opinionem negativam licèt Reginaldus *lib.18. num.4.* temerariam vocet, Sanchez *lib.7.consc.2.d.3.num.6.* non probabilem, Diana *p.6. tr.8 res.12.* prorsus improbandam, Bordonus tamen *in Cons. Reg. resol.30. nmer. 3.* & Caramuel *in Reg. S. Benedict. num.1359.* alios citantes probabilem judicant. Mihi verò illos sequi placet magis, & doctos, & plures, & antiquiores, quàm hos paucos & recentiores. Multò magis in nostra Diœcesi, ubi extat declaratio edita ab Illustriss. Dom. Martin. de Leon solertissimo nunc Archiep. Panorm

Panormitano, quà declaret hic adesse legitimam consuetudinem obligantem Moniales ad ejusmodi privatam officij recitationem, quam declarationem ad verbum affert P. Bardi *in selectis, lib. 8. q. 1. §. 2.*

14. Ex his respondeo dubitationi propositæ *n.* 8. ad quantum scilicet extendatur illud (quàm primum) in nesciente legere, & volente profiteri Religionem deputatam ad Chorum. Dico enim, si improbabilis est hæc secunda opinio, nimirum concessisse aliquos extendendo illud (quam primum) ad duos, vel tres dies: quia is deberet per illos dies non recitare Officium, quod in professione Deo promittere non licet, dum noscitur certum impedimentum, sicut non licet alicui promittere Principi se cras iturum ad bellum, si videat se certò tunc ire non posse; esset enim illum decipere. At verò si esset probabilis, puto illos parum concessisse; cùm potuissent concedere etiam duos vel tres menses, quia ex una parte dilatio duorum vel trium mensium non est judicanda contra Religionem gravis, ut in simili diximus *in opusc. de Sacrif. Missæ, lib. 3. c. 1. §. 9. n.* . & ex alia non peccaret non recitando Officium privatum, quia sic supponimus ex hac secunda opinione, nec peccaret non frequentando Chorum, ab aliis, ut supponimus, decenter frequentatum, quia sic docuimus *supra, n.* 7.

15. Insurgit hic dubitatio, An professus ad Chorum, qui non sit in sacris, possit transire ad statum Laicis & consequenter ex dictis *n.* 6 non obligari ad Officium?

Respondeo. Negat Navarrus *c. Quando, quæst. 21. n. 20.* & Portella *in Respon. Reg. p. 2. c. 8. n. 11.* Concedit Sanchez *lib. 6. in Dec. cap. 8. num.* 80. cum quo sentio. Ratio est, quia professum esse Choro addictum, non est substantialiter annexum professioni, sed oritur ex eo, quod Religiosus ex sua voluntate, consentiente Prælato, de putetur ad Chorum. Cum igitur tota substantia professionis adsit in statu laicali ejusdem Religionis, si Religiosus & Superior consentiant, non est ratio, cur ea status mutatio fieri nequeat; facta autem mutatione status, non est mirùm, quòd consequatur exemptio ab officio: sicuti, tollentes per sententiam Episcopi beneficium à Clerico, non est mirum, quòd consequatur, clericum ad Officium non obligari. Ejusmodi autem Superior debet esse vel Generalis, vel juxta cujuscunque Religionis consuetudines, saltem Provincialis, quia res est multùm extraordinaria: accedere item debet consensus Conventus, in quo hæc mutatio facienda est, ut notat *ibid.* Sanchez, aliique. Ascan. Tamb. *de Iur. Abb. tom. 2. d. 10. c. 33. n. 4.*

16. Sed quæ causa requiritur? Aliquantulum gravis, qualis esset ex Sanchez *ibid. num.* 81. summa consolatio Religiosi in eo statu humili servire volentis, vel ineptitudo ad sufficientes litteras addiscendas: est etiam causa delictum Religiosi non leve, propter quod posset, sed per legitimam sententiam, tollere Prælatus superior ab eo etiam invito statum illum nobiliorem, sicuti modò potuit Episcopus tollere Beneficium.

Dixi (superior) cùm enim hæc sit pœna gravis, non videtur commissa Prælato inferiori, sed Generali, vel saltem Provinciali, secundùm consuetudines Religiosorum varias, quas consule.

Dixi item (ab eo invito) nam præter hunc casum delicti, non potest Religiosus sine suo consensu depelli ad laicalem statum; posito enim quòd ad clericalem est admissus, fieret illi gravis injuria, si ipso repugnante eo statu spoliaretur.

17. Qui nesciens legere suscipit sacros Ordines (ut id etiam hac occasione dicam, & lege Suar. Castro Pal. Garziam citatos à Trancredi mox citando) aut Beneficium, graviter peccat, & Beneficium dimittere obligatur: sed postea si sit jam constitutus in sacris, nullóque Beneficio gaudeat, non peccat Officium non recitando: quia ad impossibile nemo tenetur. Quòd si bona fide Ordinibus initiatus fuit is, qui parum legere scit, sperans auxilium à Socio, vel sperans brevi à Magistro doceri, non peccavit, propter bonam fidem, bonámque spem; at tenetur recitare eo modo, quo potest; quia melius est sic recitare, quàm non recitare; Excipe, nisi magna esset difficultas in recitando, quia magna difficultas est impossibilitas Moralis: Episcopus tamè hunc ordinans vix unquam peccatum vitabit, quia examen de doctrina ordinandi ex officio ipsi incumbit.

18. quendam qui totum ferè diem insumebat in recitatione Officij, illud mutilando, deturbando multa propter summam insciti am, imò & incapacitatem omittendo liberavit ab Officio recitando Pater Tancredi *tom. 1. de Rel. tr. 3. lib. 4. d. 15. n. 7.* & meritò, quia impotentia morali laborabat, nec præscripsit alias preces loco Officij, quia nullum jus adest in eo casu compensationem cum aliis precibus esse faciendam: ad dimittendum tamen beneficium, si quod haberet meritò condemnavit: quod est semper faciendum, nisi fortè in casu, quo concurrerent hæc tria. Primò, quòd ipse non fuerit in culpa in sua ordinatione. Secundò, quòd non habeat unde vivat. Tertiò, quòd statum illum non assumpserit, nisi spe illius beneficij: Adde quartò, modò vel per se; vel per alium admoneat malè ordinantem, ut is Ecclesiæ satisfaciat restitutione fructuum beneficij.

Excludo etiam satis probabiliter cum Bonac. Tancr. mox citandis (licèt non excludi sit probabilius cum Suar. Fill. aliisque apud Dianam *part. 2. tract. de Hor. Can. res. 18. & res. 39.* & apud Bon. *de Hor. Can. d. 1. q. 2. p. 2.* Tancr. *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. d. 9. n. 11.*) ab obligatione recitandi Officium, eos Religiosos professos, qui permanenter ad longum tempus vivunt in sæculo, si non sunt in sacris. Quare excludo ejectos ob incorrigibilitatem (addit Bonacina *loc. cit.* etiam fugitivos, sed non approbat in praxi) ut etiam in carceribus publicis vel Triremibus existentes, & multò magis eum qui vivit in sæculo ob Pontificis dispensationem. Ratio hujus probabilitatis, est, quia quamvis hi non mutaverint statum (ex quo ducitur argumentum alterius sententiæ) tamen recitatio privata Officij Religiosis non constitutis in sacris, solùm est inducta ex consuetudine, ut modò vidimus: At non potest ostendi esse introductam consuetudinem pro prædictis, quando vivunt extra Religionem; cùm rati sint qui sic vivant, & ex alia parte consuetudinem inductam in Religionibus probabile est non obligare extra Religionem.

*Beneficiarij.*

19. Omnes, qui beneficio gaudent, Episcopi, Abbates, Canonici, Beneficiarij simplices, ad recitandum Officium divinum obstringuntur, idque ex Iure Canonico; habito respectu ad fructus, juxta illud *c. ultimò, de reser. in 6. Beneficium datur propter Officium.* Hinc, qui habent Capellaniam non sacram, hoc est, quæ est sine authoritate Episcopi, & à Laicis solet conferri, non tenetur quia hæc, esto fructus afferat, non tamen verè est Beneficium; Beneficium enim est illud, quod confertur à Prælato personæ Ecclesiasticæ ad Officium Ecclesiasticum exercendum. Qui est Vicarius Beneficij uniti alicui Ecclesiæ, quamvis habeat stipendium sui laboris, & quamvis sit perpetuus, non obligatur, quia non est Beneficiarius, sed Beneficiarij substitutus: ita Castro Pal. *tom. 2. tr. 7. d. 2. de Orat. p. 1. §. 2. n. 5.* Pari modo Coadjutorem cum futura successione hùc reduco, neque enim Coadjutor beneficij, etiam si gaudeat, pro sustentatione, aliqua beneficij portione, Beneficiarius est, sed erit.

20. Contrà, qui habent Capellaniam sacram, quam vocant Collativam, quia Episcopi authoritate confertur, tenetur ad Officium; ita Azor. *p. 1. lib. 20. c. 3. q. 5.* Hæc enim verè est beneficium fructus afferens. Rursus qui habent Beneficia manualia, scilicet ad nutum Superioris amovibilia, ex eodem *ibid. c. 4. q. 2.* & qui habent Præstimonia, scilicet beneficia quædam simplicia, quæ non impediant aliorum beneficiorum possessionem, juxta eundem *c. 3. q. 4.* ex Bulla Pij V. 138. *Ex proximo*: nec requirunt residentiam, ex Castro Pal. *l. c. n. 3.* quicunque habent

beneficium

beneficium in commendam, hoc est, habent administrationem sive temporalem, sive perpetuam Beneficii, fructusque percipiunt, licèt titulum non habeant, tenenturque officium pro eo tempore, quo hæc possident, quia vere hæc beneficia sunt.

21. Eximo autem ab obligatione recitandi intrusum, id est, recipientem beneficium injustè, vel nulliter, ut si per violentiam, vel per simoniam, vel existens excommunicatus, seu irregularis quis beneficium reciperet; ita Sanch. *in consum. l. lib. 2. c. 1. d. 73. n. 5.* Castro P. *l. c. num. 30.* contra Bonac. & Suar. *ibid.* cit. Ratio est, quia hic nec habet titulum beneficii, nec fructus facit suos: sed obligatur illud relinquere, & hos reddere. Addit rectè Sanch. hunc, si petat à Pontifice revaliditatem beneficii, tenesi exponere se officium non recitasse, ut scilicet fructuum præceptorum compensationem, quæ est quid diversum à revaliditate beneficii, obtineat. Immò etiamsi recitasset, debet hanc fructuum compensationem petere, quia adhuc ea illegitima, ut ita loquar, recitatione posita, nulliter recepit fructus.

22. Verùm, quid de habentibus pensionem? Respondeo qui possidet pensionem laicam, id est, quæ confertur alicui, in quo non requiratur tonsura Clericalis, qualis solet dari, ob inopiam, senectutem, meritа Ecclesiæ exhibita, vel quid simile, ad nihil tenetur: nisi fortè ex gratitudine congruum sit orare pro Fundatore beneficii, unde extrahitur sua pensio: qui verò clericalem obtinet, hoc est, illam, quæ Clerico ut sic confertur, tenetur per Sixtum V. *Sacramentum & tonsuram*, ferre habitum Clericalem ac tonsuram, & tenetur ex Jure novo Pii V. 138. & apud Navarr. *in man. c. 25. n. 12.* recitare Officium Beatissimæ Virginis. Posse autem hunc obligationi satisfacere per recitationem Officii Divini, cùm satisfaciat abundantiùs certum sit. Suar. Bon. Garc. apud Castr. *t. 2. d. 2. de orat. p. 1. §. 2. n. 6.* dixi (ut sic) quia pensio laicalis potest etiam dari Religioso, sed non quà Clericus, & de hoc casu est intelligendus Navarrus *cons. 22. de celebratione Missar.* quando docet Religiosum pensionarium non teneri recitare Officium Beatissimæ Virginis. Si enim detur huic pensio ob senectutem, inopiam, meritа, &c. cùm videatur illi dari non ut Clerico, non datur sub dicta obligatione. Puto similiter pensionarios sacros, si ex aliis obligationibus recitent Officium Divinum, non obligari ad Officium Virginis; ita Garcias alios citans *3. p. de Ben. c. 1. num. 116.* Suar. *l. 4. de Hor. Can. c. 22. à n. 6.* & hoc etiam forte voluit insinuare idem Navarrus, quia mens Pii V. fuit, ut Clerici pensionarii non essent omnino immunes ab orando; si ergo onerati inveniantur Officio magno, sive ex professione Religiosa, sive ex alio beneficio, sive ex Ordinibus sacris, sive etiam si quis Pensionarius fiat Religiosus laicus, unde ex peculiari præcepto obligetur ad quasdam alias Orationes, non obligabuntur ad dictum parvum Officium, quia non præsumitur Pontifex alio superaddito onere eos aggravare voluisse. Colligitur ex Azor. *l. c. c. 4. q. 3.* & ex Garc. *l. c.* Adderem libens pro hoc Laico, modò prædictæ Orationes non sint multò minores, quàm sit Officium Beatissimæ Virginis.

23. His explicatis adhuc dubitabis. Primò de eo, qui habet solùm titulum, & possessionem beneficii, sed fructus omnes alteri reservantur.

Respondeo hunc non tenesi ad recitandum ex probabilissima sententia; ita Cajet. Sotus, Sylvest. cum Navarr. *de Orat. c. 7. n. 28.* Ratio est, quia licèt beneficium habeat, tamen non habet ut relatum ad fructus, unde cùm de altari non vivat, non est æquum tantum onere prægravari. Idem sentio cum Azor. *l. c. cap. 4. q. 6. fin.* de eo, qui etiam est spoliatus beneficio; par enim est ratio.

Dixi (fructus omnes) nam si accipit distributiones in choro sufficientes, jam habet fructus, & tenebitur. Sic idem *ibid. q. 5.* etiamsi illud servitium assistendi in choro alteri committat, suásque distributiones concedat; tunc enim, utpotè proprietarius distributionum, tenebitur ad officium. Ita Castro P. *l. c. n. 10.* ex Suario. Nam propterea meritò Azor. nequaquam liberat ab Officio Canonicum absentem etiam cum licentia Episcopi, & causa studii, & etiamsi substituerit alium: quia ipse semper retinet beneficii proprietatem.

24. Dubitabis secundò, de obtinente beneficium tenue.

Respondeo, licèt communior sententia sit, hunc teneri ad Officium; ita Suar. Val. Regin. aliique apud Dian. *p. 2. tr. 12. ref. 9.* quibus adde Castro Pal. *l. c. n. 9.* probabilo tamen est, etiam de tutum non teneri. Ita Sotus, Less. Mad. Molf. aliique apud Dian. *l. c.* & apud Castro Pal. *loc. cit. n. 1.* Ratio est, quia beneficium tenue reputatur pro nullo; parum enim pro nihilo reputatur in jure: & non est credibile benignam Ecclesiam tantum onus apponere voluisse tam parvo proventui. Unde si is de altari simpliciter non vivit, altari non serviet; esto ex gratitudine conveniat ipsum orare pro benefactore.

25. Sed quodnam est beneficium tenue? Respondeo. Alij dicunt esse illud, ex quo octo circiter aurei à beneficio proveniunt. Ita Sotus *lib. 10. q. 3. art. 3.* Alii, ex quo aurei sexdecim; sic Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. part. 2. tr. 9.* Alii, ex quo viginti; sic Ledesma *p. 2. tr. 9. c. 4. concl. 5.* Alii meliùs, ut Arag. *2. 2. quæst. 83. art. 12.* ex quo minor tertia parte mediocris sustentationis Clerici exigitur, habita prudentis arbitrio, ratione personæ ipsius beneficiarii, & victus honesti, quo utuntur communiter alii Clerici similis conditionis in tali loco. Qui ergo tertiam partem (vel majorem tertia suæ sustentationis habet, non dicetur habere beneficium tenue. Si de tenuitate beneficii dubitatur, vide *suprà, lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Beneficiarius, num. 2.*

26. Quòd si beneficium fuit pingue, sed processu temporis, sine culpa beneficiarii, ut ex bello, peste, sterilitate fructus exigui proveniunt, vel per vim, fraudémve impediatur is à dictorum fructuum consecutione, dico tunc, compensandum esse unum annum fertilem cum alio, & obligandum beneficiarium ad recitationem, sicuti diximus *lib. 3. de Sacram. Missæ, cap. 1. §. 3. numer. 96.* quoad onus Missarum: licèt Castro Palaus *mox citandus num. 38.* in hoc casu etiam deobliget, quia, inquit, percepti fructus vel percipiendi correspondent suo tempori, & pro Officio suo tempore persolvendo dantur, non pro alio. At si multum tenue sit factum beneficium, sine spe incrementi, ita ut judicio prudentis ad æquam dictam compensationem pertingi ampliùs non possit, vel certè non nisi post longum tempus sibi inutile, non audeo manentibus his, obligare pro tempore, quo fructus non exigit ascendentes ad tertiam partem sustentationis; quia tunc verè, nec fructus, nec jus utile ad illos ipsi remanet. Nam propterea id ipsum docent non ignobiles Doctores, si in totum sine sua culpa beneficium pereat, quia non est justum quempiam suo stipendio alienis in castris militare. Ita Castro Pal. *tom. 2. tract. 5. d. 2. de Orat. part. 1. §. 2. num. 17.* Dixi (sine culpa) nam si ex sua negligentia, vel delicto hæc diminutio, vel extinctio contigerit, non eximeris ab obligatione, non enim æquum est, ut Ecclesia ex tua malitia suo servitio privetur. Dixi item (sine spe) nam cæterùm spes firma, sicuti dat tibi nunc jus percipiendi pro suo competente tempore fructus hujus anni, sic obligationem inducit nunc serviendi.

27. Denique si plura quis exigua beneficia obtinet pertinentia saltem ad tertiam suæ sustentationis partem, obligabitur ad horas, quia jam notabilem sustentationem ab Ecclesia recipit. Ita idem *num. 10.* ex Suarez, Bonac. Garcia. Contra (ut id hac occasione dicam) si plura etiam pinguia beneficia habeat, non obligabitur nisi ad unum Officium, & non, ut aliqui asserunt, ad dicenda tot Officia, quot ejus generis beneficia possit. Ita Suarez *lib. 4. de Hor. Can. cap. 18. numero 3.* Bonacina *num. 1. dub. 1. de Hor. Can. disput. 1. quæst. 2. p. 4. num. 27.* Ratio nostra est, quia hæc videtur benignæ Ecclesiæ intentio, ut solùm multiplicentur tituli, ob quos debetur recitatio, sicuti ordinatus omnibus Sacris Ordinibus

unum debet recitare Officium, & in die festivo, occurrentibus pluribus festis, uni Missæ debent fideles assistere.

28. Dubitabis tertiò de habente beneficium in Ecclesia, in qua sit consuetudo, ut per annum, vel per sex menses primos Beneficiarius nec habeat fructus beneficij, nec distributiones, sed ut dividantur inter antiquos beneficiarios, vel in opera alia pia, &c. Respondeo, licèt hæc consuetudo sit per Canones abolita, Extr. Joan. 22. *Suscepti de elect.* Conc. Trid. *sess. 24. de ref. c. 14.* Pius V. *Durum*, Const. 106. volentes, ut saltem mediam partem habeant beneficiarij: tamen si alicubi adhuc & legitimè viget, est probabile non teneri beneficiarium ad recitationem officii. Ita Castro *l. c. n. 19.* Ratio est, quia consuetudo est irrationabilis, ad quam non consentit beneficiarius, nisi admodum violenter, ne à beneficio excludatur. Cùm ergo fructibus, & distributionibus sine sua culpa careat, servire per Officium non tenebitur eo tempore correspondente fructibus ablatis Beneficiarios dictos antiquos excuso à restitutione, & peccato, quia favet illi consuetudo, licèt irrationabilis; at legitimè jam nunc introducta, ut supponimus.

29. Sed quid si solum titulum beneficii habeam, nondum tamen ejus possessionem saltem pacificam? Respondeo tribus dictis. Dico primò, si per te stat, quin possessionem habeas, fructúsque percipias: te obligari, quia ob tuam culpam non debet Ecclesia privari suo servitio. Ita Suar. *lib. 4. de Orat. cap. 19. n. 7. & 8.*

30. Dico secundò, si possessionem habeas, licèt litigiosam, sed tamen fructus percipis, vel spem moraliter certam habes percipiendi, te item obligari, sic Bonac. *tom. 1. d. p. Hor. Can. q. 2. p. 4 n. 16.* alios citans, quia tunc commodum, saltem per certam spem, sentis, unde & oneri te subesse æquum est. Quòd si certa dicta spes non adesset, quia commodo careres, careres & onere.

31. Dico tertiò, si licèt titulum habeas, à possessione tamen sine tua culpa sive ob litem, sive ob aliam causam, excluderis, te non obligari; sic Bonac. *ibid. p. 5. n. 25.* Ratio est, quia dum non possides, non diceris habere propriè beneficium, cui annexa est obligatio recitandi: quæ, cùm sit onus grave, non est extendenda, sed limitanda ad habentem propriè, & perfectè beneficium. Quare si possessionem eras sis certò habiturus, eras eris obligatus, non hodie. Quid si duo litigarent de Beneficio, & neuter esset in possessione? neutrum obligari ex dictis, deduci debet, quia neuter in rigore beneficium habet. Ita Castro Pal. *tom. 2. tr. 7. d. 2. de oratione, part. 1. §. 2. n. 15.*

32. Petes primò; An qui omittit Officium uno, vel altero die in anno, mortaliter delinquat? Angelus *v. Hora, q. 10.* refert, nec reprobat, sententiam Ricardi dicentis omittere Officium tunc esse mortale, quando, vel fastidio Divini cultus, vel ex contemptu, vel ex consuetudine omittentur: secundùm Juristas autem binum actum inducere consuetudinem, sed hæc sententia caret probabilitate, sic enim ex mera negligentia semel, aut iterum, non jejunare in Quadragesima, vel non interesse Sacro aliquo die festivo intra annum, pari modo, non esset mortale, quia non esset ex consuetudine, sed profectò grave quid esse unoquoque Horas non persolvere, ut item semel in Quadragesima non jejunare, vel Sacro non adesse die præcepto, ut certum, & exploratum omnes supponimus.

33. Petes secundò, Beneficiarius, qui sit Sacerdos, vel Religiosus deputatus ad Chorum, si Officium omittat, duplicíne, an unico peccato peccat? Respondeo, licèt probabiliùs sit cum Sanch. Suar. Bonac. apud Matth. *de ord. tr. 3. p. 6. c. 12.* peccare dupliciter, contra justitiam, & contra Religionem, tamen est etiam probabile, & Henr. Garsia alios referent. apud eundem March. *ib.* unicè delinquere, scilicet contra Religionem. Beneficiarii enim, cujuscunque deputati ad Officium obligatio tandem ad Religionem, seu ad colendum Deum resolvitur.

## §. II. *Quod est illud Officium, ad quod recitandum tenentur prædicti.*

1. VNo verbo: Officium ex Breviario Romano. Excipiuntur nihilominus qui alio Breviario utuntur ex consuetudine ante ducentos annos, quales sunt, v. g. Monachi Sancti Benedicti, Dominicani, Ecclesia Mediolanensis, Samburg. Leodicensis, & si quæ aliæ sunt hujusmodi: quibus tamen conceditur posse, si velint, consentiente Capitulo universo, hoc est saltem majore ejus parte, & suo Episcopo (in Monasteriis exemptis consentiente suo Prælato) concediturque, inquam, amplecti posse prædictum Breviarium Romanum: ita Castro *tom. 2. tr. 7. d. 2. de Orat. p. 2. n. 1.* quod si fiat non licere deinde eidem ad antiquum Breviarium regredi, rectè notat Less. *lib. 2. cap. 37. dub. 12. n. 74.*

Jam qui, secùs ac dictum est, recitat, obligationi nequaquam satisfacit. Impressores verò, ac Bibliopolæ sub pœna excommunicationis latæ prohibentur imprimere, vel vendere Breviaria Romana, nisi præcesserit licentia Inquisitoris. Ita Clemens VIII. *Cum in Ecclesia*, (vel ubi is non fuerit) Ordinarii in principio vel fine Breviarii apponenda; Adverte ejusmodi Romanum Breviarium fuisse primum à Pio V. *Quod à nobis*, editum, deinde à Clemente VIII. *Cum in Ecclesia citat.* recognitum, & denique cum hymnis novis ab Vrbani VIII. *Divinam Psalmodiam*, revisum, injunctúmque omnibus, ut ita novo hoc uterentur, ut qui haberent illud Pii, vel Clementis, eo possent uti, illúdque vendere: at in posterum imprimerentur semper nova cum prædicta Inquisitoris, vel Ordinarii facultate.

### *Prima Difficultas.*

### *De non recitante ex novo Breviario.*

3. Huc plurimæ confluunt difficultates à nobis breviter eò dandæ; Prima: An qui possunt emere novum, teneantur? Non teneri certum sit, quin etiam, si domi novum quis habeat, potest is soluere pensum Officii ex illo Pii V. vel Clementis VIII. Quia dum hæc extant, permittuntur; Immò, nec scrupulum ego injeci cuidam, qui Matutinum cum Breviario Pii, vel Clementis; Horas cùm Breviario Vrbani, vel contrà, recitabat: Multò minùs ei, qui pœnitentiam de recitando aliquoties Officio injunctam à Confessario, semel ex uno, semel ex alio persolvebat, jam enim semper legitimis Breviariis utebatur.

### *Secunda difficultas.*

### *De licentia imprimendi nova Breviaria.*

4. An possis uti novis Breviariis impressis, v. g. Parisiis, cum sola approbatione supremi Consilii Regii, non verò Inquisitoris, vel Ordinarii? Puto posse: ita Navar. *in summ. cap. 17. n. 148. in Reg. Cast. & Franc.* Bon. *d. 2. de cens. in part. quæst. 2. p. 16. n. 6.* quia jam usu receptum est alicubi, facultatem imprimendi haberi à dicto Supremo consilio, quod idoneum soleat virum deputare ad libros approbandos: Quare tunc, vel non sunt receptæ leges, quibus jubetur esse libros approbandos à persona Ecclesiastica, vel non deest ejusmodi approbatio, quia ex ipsa introducta consuetudine censetur Ordinarius deputare eos ipsos, quos Regium Consilium deputat: quam praxim Roma ipsa comprobat, cùm passim ejusmodi libri Romæ palam vendantur: Vide quæ dixi *cap. 1. §. 7. num. 50.*

### *Tertia difficultas.*

### *An Religiosus obligetur recitare Officium Diœcesanorum.*

5. Si quando in Diœcesi ritè celebrentur festa propria, v. gr. Patronorum, vel similium, reúsne erit Religiosus

giosus exemptus, si Officia ejusmodi festorum non recitet, recitet verò juxta suam consuetudinem, v.g. defectiva? Respondeo fore reum, si festa Patrocinorum, aliáque in diœcesi universalia non persolvat, non verò si cætera particularia negligat, quæ tamen, si velit recitare, licitè poterit, suóque oneri satisfacies. Ratio est, quia ita colligitur ex quadam Bulla Pii V. apud Castro *tom.2. tract.7. d.2. de orat. p.2. n.8.* quæ licèt ad Ecclesias Hispaniarum directa fuerit, tamen propter paritatem rationis, & convenientiam, quam continet, si ab omnibus observetur, laudabile est.

Hîc obiter adverte non posse Episcopum statuere, ut Clerici suæ Diœcesis recitent Officium alicujus Sancti Constitutione perpetuò observanda, quia id illis legitimè prohibetur à Greg. XIII. apud eundem *l.c.* Excipe, nisi sint instituenda ex vi Rubricarum, v.g. pro Patrono, pro insigni Reliquia, &c. quia tunc jam adest licentia data per leges Rubricarum. Una vel altera vice propter aliquam occurrentem causam posse puto: Ita Sanchez Nav. Armilla apud Pelliz. *in Man. Regul. t.1. tr.5. c.8. n.11. & 12. in simili*: quia id, cùm rarò contingat, nec multùm Breviarii Ordinem perturbet, Episcopi potestatem, cujus est in casibus contingentibus providere, nequaquam transcendit. Ejusmodi Episcopi potestas innititur in Decreto S. Rituum Congregat. appósito in fronte Breviarii Vrbani VIII. de hac ibi: *Non posse locorum Ordinarios addere calendariis*; & ibi: *Nec mutare ritum*; & ibi: *Nihil propria authoritate constituat.* Hæc enim verba, *constituere mutuare*, non quidem notant temporarias institutiones, sed perpetuas. Hanc potestatem pro una, vel altera vice extendit Pellizarius *l.c. fol.1. n.21.* ad Prælatos regulares utique pro suis subditis; Instituere autem festa Sanctorum quomodo possit Episcopus, unde & consequentes ad Officium talis Sancti obligare, dicetur *infra lib.4.c.1.§.1.*

6. Imò probabile judico, cum Antonio Quintanad. *tract.7. sing.1. & 2. & tr.8 sing.1.* Episcopos, vel Ordinarios, etiam Capitulum, Sede vacante, Regulares quæ Prælatos posse sine novo recursu ad Pontificem, vel Sacram Congregationem in sua Diœcesi statuere, ut Missa, & Officium celebrentur sub die de iis Sanctis, in quorum Canonizationis Bulla extant hæc verba: *Et singulis annis die tali, ejus Officium Breviarii Romani celebrari possit* (extat autem in Bulla Canonizationis sanct. Ignatij, Xaverii, Philippi Nerei, & aliorum quorundam.) Ratio est, quia per hæc verba accedit authoritas Pontificia, (sub nomine enim Officii intelligitur etiam & Missa) quàm authoritatem requirunt Decreta de hac re hactenus edita. Hoc ipsum possunt Episcopi in qualibet Ecclesia Hispaniæ pro Sanctis naturalibus suarum Diœcesum, siquidem id illis indultum per peculiarem Bullam Gregorius XIII. atque adeò Episcopi, dum ejusmodi festa statuunt, nihil statuunt sine Pontificia authoritate, ita idem *ibid sing.9.*

Hoc Privilegio concesso Hispaniæ, posse uti etiam omnes Insulas, & loca Regi Hispaniæ subjecta, quibus communicari solet Bulla Cruciatæ (quidem scimus esse Siciliam) videtur indicare. Quintanaduetias, *tr.7. sing.25. num.11.* propter extensionem, quam Gregorius XIII. fecit in Bulla *superiùs* laudata die 30. Decembris anno 1573. quæ præfigitur Officiis Sanctorum Hispaniæ propriis.

Profectò, quia sumus in materia favorabili, ac nemini nocente, & ad cultum Sanctorum spectante; atque præter dictum Authorem id probabile propter alias rationes indicant aliquot viri docti ex nostra Societate à me consulti: idcirco non possum ego huic sententiæ refragari, & non putare probabilem, de quo argumento doctam disputationem typis edidit amicissimus P. Franciscus Bardi.

*Quarta Difficultas.*

*De additione, & diminutione Officij.*

7. Qui notabiliter de Divino Officio diminuit, graviter peccare, quia non satisfacit suæ obligationi, certum est; Qui addit aliquid Divino Officio, nisi animo mutandi ritum addat, satisfecit; quia additio sine ejusmodi animo non mutat substantiam Officij, quod non totum recitari supponitur.

8. Quamvis autem aliquid sic addere, interdum culpa non sit, hoc enim pacto adduntur ad solemnitatem motteta, & cantus inter unum & alterum Psalmum, & in privato Officio semel, aut iterum id præstare sine animo ritum mutandi, non sit item gravis saltem culpa, tamen, si, ut in perpetuum duret addito, id facias, mortalis culpæ reum te constituit Castro Palaus *tom.2. tract.7. d.2. de Orat. p.2. n.15.* quod id mutationem ritus sapit; sed te liberat Bonac. *tom.1. d.1. de Hor. Can. quæst.3. p.1. n.21.* quia in privato Officio non facilè à bono viro novi ritus susceptio elegi præsumitur. In Missa autem etiam privatè dicta (quia ex se publicum est sacrificium) nunquam licere aliquid addi, disputavimus *in nostr. opusc. de Sacrif. Missæ, lib.2. cap.5. §.3.*

9. Sed difficultas hîc in eo non vulgaris versatur, Ecquánam sit officii pars notabilis, quam diminuere, seu omittere peccatum mortale sit.

Præmitto duas esse sententias: alteram communiorem Vasquez, Suar. Bonac. Garciæ apud Merollam mox citandum; dicentem totum unius diei Officium præcipi unico individuo præcepto, unúmque esse peccatum totum illud omittere, licèt graviùs, quàm si omitteretur una hora solùm, v.g. Matutinum. Altera am Caiet. *in summa, v. Hora Can* item Less. Tolet. aliorúmque apud Merol. *tom.1. d.2. cap.4. dub.7. n.132.* asserentem tot esse præcepta, quot horæ, nempe septem, totidémque esse peccata ea omittere. Prior putat præceptum horarum unius diei esse unum, sicuti est unum jejunandi uno die; posterior putat esse plura, sicuti sunt plura præcepta jejunandi diversis diebus.

Unde ex priore sequitur, omittenti omnes horas unius diei satis esse, si in confessione sic se accuset: *Omisi Officium semel*, quod non sequitur ex posteriore, ut *in opusc. Methodi Conf. loco mox cit.* à nobis explicatum est. Ratio autem prioris sententiæ ducitur ex eo principio, quia una Hora unius diei ordinatur ad aliam ejusdem diei, ita ut omnes Horæ unum integrum, individuúmque Officium constituant. Quoniam verò posterior sententia id negat, putátque unam horam ejusdem diei independenter ab alia præcipi, ideò docet quamlibet horam per se suam obligationem ab alia independentem parere. Vtraque sententia est probabilis, sed quia prior animo nostro magis insedit, *in Meth. Confess. lib.2. cap.2. §.4. n.12.* eamdem & nunc amplectimur.

10. Veniò nunc ad propositam difficultatem. Nonnulli docent decimam partem alicujus Horæ parvæ, v.g. Completorii esse notabilem partem; ita Moneta apud Bonacin. mox citandum; Alii tertiam; ita Azor. Malderus, Navar. apud Bonac. mox citandum: Alii medietatem ejusdem parvæ Horæ. Ego sequor Lessium *l.2. c.37. dub.9. n.52.* & Bonacinam *tom.1. d.1. de Hor. Can. q.5. p.2. n.2.* sentientes integram horam parvam esse notabilem partem Officii.

Qui igitur tantum negligit Officii, quantum notabiliter non æquat integram parvam horam, non omittit partem notabilem, atque adeò non peccabit mortaliter. Hoc dictum probant illa duo principia, quòd nimirum præceptum officii unius diei sit unicum, ut modò explicuimus, & quòd notabilitas, seu gravitas materiæ in præceptis principaliter desumitur ex fine præcepti, spectata tamen etiam quantitate rei, in se, & in ordine ad totum quod præcipitur, ut declaravimus *lib. 1.* cum de parvitate materiæ, &c.

11. Sic autem formari ratio potest: Omittere minus, quàm sit una parva hora, non videtur nocere notabiliter fini intento à Legislatore per præceptum de recitando officio, qui est cultus Dei. Rursus talis omissio, nec ex se, & absolutè, nec ut relata ad totum Officium unius diei, videtur magna; ergo non est notabilis. Confirmatur

firmatur, quia verosimile non est, piam matrem Ecclesiam velle æternis ignibus addicere eum, qui leviorem partem Officij eâ, quàm diximus, omittit.

Si modicam tantùm partem recites unius parvæ horæ, censeris totam negligere, atque adeò mortaliter peccabis, quia ea pars quæ recitata est, cùm sit quid parvum pro nihilo reputatur.

Scio aliquem docere omittere rem integram Tertiam, vel Sextam, vel Nonam non peccare mortaliter, quasi sit illa brevis hora parva materia in comparatione totius Officij Divini. Sed profectò id, cùm sit contra innumeros Doctores, approbare animus refugit. Et ulterior ratio fugæ est, quia quamvis alicui appareat esse materialiter quid modicum: Tertia, v. g. respectu totius Officij diei, sicut labor per duas horas respectu viginti quatuor horarum totius diei festi, tamen revera non ita est formaliter, consideratis omnibus circumstantiis, & fine Ecclesiæ, quæ voluit, ut singulis horis aliquid Deo à Sacerdotibus impenderetur, à quo notabiliter deficit qui totam integram horam, quamvis ex se parvam, omittit. Certè Sacerdos non recitans in Missa, *Gloria* vel *Credo*, quid modicum negligit: at si omittat in Canone tot versus, quot numerantur in *Credo*, grave quid omittet, ut omnes docemus, nempe ob circumstantiam illam quòd sint verba potissimæ partis Sacrificij. Rursus, oculus, vel manus, vel pes, parvæ partes singulæ sunt, respectu totius corporis, tamen, qui unum ex illis amputat, irregularis fiet per omnes Doctores. Non ergo respicienda sola est ipsa parvitas materialis, sed cætera omnia ut prudenter dijudices, utrùm grave sit, vel leve quod omittitur.

Si omittat quis Vesperas Sabbati sancti ex peculiari ratione, non audeo affirmare eum peccare mortaliter, quamvis integram horam omittat. Nam eæ Vesperæ, & extraordinariam habent parvitatem, & ex alio capite pro illo die tantæ lætitiæ, atque Indulgentiæ, & in quo præcesserunt in Ecclesia satis prolixæ orationes, non est putandum notabiliter lædi finem, & præceptum orandi.

12. Quod dictum est de Officio privato, die (ut id obiter hîc notem) de Officio in Choro (quamvis adversari nobis Suarium *loco cit.* sciam.) Ita Bonacin. *ibid.* Ratio est, quia non est diversum præceptum quoad substantiam, illud, quo tenemur, recitare in Choro ab eo, quo tenemur privatim, ergo nec est diversa gravitas, vel levitas, quoad ejus materiam.

*Quinta difficultas.*

*De Officio Defunctorum, & de Litaniis.*

13. Non obligari Sacerdotes utentes Breviario Romano hæc privatim, (imò nec in Choro) recitare, obligari autem alio Breviario utentes, dilucidè pronuntiat Pius V. *loc. cit.* lege Pell. *tom.* 1. *man. Reg. tr.* 5. *cap.* 8. *n.* 46. At subdubitatur, an saltem in die commemorationis Defunctorum, & quoad Litanias in Rogationibus, festóque S. Marci urgeat obligatio.

14. Probabilius est obligationem urgere, quia tunc illa sunt pars Officij ejus diei, lege eundem *ibid. n* 48. asserentem Dian. aliósque. Non urgere tamen plures *ibid.* autumant, negantes illa ad Officij illius diei partem pertinere: confirmant, quia Pius V. absolutè liberat Sacerdotes à privata recitatione Officii Defunctorum: Quare si rubrica illorum dierum nihilominus illud Officium, & Litanias imponat, quid vetat asserere eam esse merè directivam, non verò præceptivam? Non possùm à probabilitatis meta hanc sententiam excludere: Supersedeo tamen à longiore disputatione; siquidem illam apud citatos fusè leges.

*Sexta Difficultas.*

*De Officio aliena lingua recitato.*

15. Quæsivit olim à me P. Octavius Tedeschi notæ Societatis Vir eruditus, & doctus, an sibi liceret Psalmos Officij, idiomate Græco recitare, ut sic Græcas litteras, quas apprimè profitebatur, familiarius sibi ex ejus usurpatione conciliaret? Negativè respondendum videbatur non paucis. Castro Palaus enim *l. c. n.* 14. licèt id semel, aut iterum facere non esse grave delictum affirmet, tamen grave esse ex Bellar. Suar. Sà, Bonacina, si aliquoties fieret, concludit; Primò, quia sic censetur quis Ecclesiæ Latinæ generalem ritum parvipendere. Secundò, quia, si publicè id fieret, præberetur occasio scandali, & erroris.

16. Profectò, si publicè id fiat in Choro, pedibus in Castro Palai sententiam eo. Quale enim scandalum oriretur in Templo Latino, si Græci, vel Hebræi Psalmi decantari deprehenderentur? Idem dico, si privatim sit, intentione mutandi ritum; id enim, & per se grave est, & graviter prohibetur à Pio V. Idem denique de vulgari lingua etiam privatim, quia ab hac semper abstinendum duxit Romana Ecclesia, de qua loquitur Bellarm. & Sanchez citati à Castro Palao à me diligenter visi. At verò ad aliquem finem bonum, privatim, & sine periculo errandi, Græco, vel Hebræo idiomate Psalmos, etiam multoties, imò semper in Officio recitare, cùm Bonac. *tom.* 1. *d.* 1. *de Horis Can. q.* 3. *p.* 1. *n.* 15. asserens id consuevisse P. Maffeum Soc. Jesu; lege Escobar *tract.* 5. *exam.* 6. *cap.* 50. & Sà; *v. Hor. Can. n.* 10. quos pro se immeritò affert Castro Pal. *loc. cit.* puto peccatum non esse, & satisfieri præcepto, ad quod ex quocunque titulo obligàris. Ratio est, quia etiam sic retinetur formula Romana precandi quoad substantiam; hæc enim non tam ex idiomate Latino, vel Græco, quàm ex sensu verborum, & ritus dispositione constat.

17. Dixi (ad aliquem bonum finem) nam hoc non intercedente, meritò docet Bonac. *loc. cit.* non vitari veniale, quia, utcunque, fit contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ: quamvis, quia est in re accidentaria, & de qua non valdè laborare Ecclesia credatur (quando privatim fit) leviter solùm erretur.

18. Idem Bonac. *ibid.* approbat obligatum ex voto, vel pœnitentia ob bonum finem majoris v. g. devotionis, (quam fortè quis sentiat in Græca, Hebræa, imò vulgari lingua) recitare sic privatim posse Psalmos, aut alias preces. Admitto hanc doctrinam de Psalmis Græcis, & Hebraïcis, sed de vulgari distinguendum omnino est. Si enim votum, vel pœnitentia sit de recitandis *Pater*, & *Ave*, v. g. eâque tu vulgari lingua orando pronunties, non te reprehendo, imò laudo: quia *Pater* & *Ave* vulgari sermone translata passim in compendiis Doctrinæ Christianæ ab Ecclesia proponuntur: at quia Ecclesia, licèt Hebræos, & Græcos Psalmos admittat, (unde propterea utcunque possumus) nunquam tamen admittit, imò damnat, & prohibet vulgares, ideò te, si iis vulgaribus utaris, meritò reprehendo: quia Orationibus ab Ecclesia nullo modo permissis votum, & pœnitentiam satisfieri posse, nullus putare rationabiliter potest.

19. Vrges, qui Rubricas etiam merè directivas in Missa semper negligeret; censetur illas contemnere, sic Baldelli *in Theol. mor. tom.* 2. *l.* 3. *d.* 21. *n.* 33. unde & graviter peccare, ut *in opusc. de Sacr. Missæ, lib.* 2. *c.* 5. §. 1. *n.* 9. à nobis etiam dictum est; ergo idem de eo dicendum, qui Psalmos latinos semper negligeret: Respondeo, Missa ex se publicum opus est, non ita recitatio, de qua disputamus; Præterea Psalmorum Græcorum recitatio, in nulla negligentiæ culpa est, sed consultò motus illo fine bono formulam, seu modum loquendi, qui in Oratione non est de substantia, omittit, Psalmósque Græcos ab Ecclesia non rejectos suscipit; at Rubricarum ille tam ordinarius desertor, negligentiæ culpam committit, suásque, ut ita dicam, cæremonias, sibi confingit, in quo bonus adesse finis non potest.

*Septima*

*Septima difficultas.*

*De mutatione Officij unius in Officium alterius diei.*

*De mutatione, standō semper in eodem ritu.*

10. Licétne alicui sine peccato recitare Officium pro Officio? Varia Doctorum placita tribus dictis relatingo.

11. Dico primò, si id rarò sine causa ob solam commoditatem, v.g. fiat, errari venialiter: si verò fiat ex aliqua causa, ut ratione studii, itineris, infirmæ valetudinis; vel etiam ratione non vulgaris devotionis (idem si ex semiduplici, facias duplex) ne veniabiter quidem peccari) citra contemptum, vel animum introducendi ritum novum, ut semper supponimus) si etiam Officium quod assumitur, sit brevius, longius quod omittitur. Ita Cajet. Fil. Sà, Zerolas Val. Less. Vasquez, Castro Pal. Lon. 17. aliique apud Dian. *p. 2. tr. 12. de Hor. Can. res. 3.* & Pelliz. *tom. 1. man. Reg. tr. 5. cap. 8. à n. 73.* Ratio est, quia præceptum de percurrendis Horis jam servatur, quoad substantiam: & ex alio capite, etiamsi modus, hoc est, recitatio secundùm formam præscriptam pro hoc die, negligatur, unde & peccetur, si fiat sine causa: tamen cùm tam rarò fit, non videtur offensio gravis, & ex causa videtur nulla. Huc reduco inadvertentiam: non enim eum, qui inadvertenter Officium pro Officio recitavit, obligo ad resumendum proprium illius diei, quamvis commodè possit, quia illa inculpabilis inadvertentia una est ex prædictis causis, cùm non præsumitur Ecclesia velle ad duo Officia obstringere eum, qui sine culpa est.

12. Dico secundò, non propterea licere etiam semel, aut iterum, omisso proprio, recitare Officium octavæ Resurrectionis: Sic Diana *p. 7. tr. 11. res. 7.* Pelliz. *loc. cit. num. 73.* Ratio est, quia hoc adeò breve est, ut omissio proprij Officij sane notabiliter longioris, non censeatur res levis, quæ ex aliquibus ex dictis causis cohonestari queat.

14. Dico tertiò, si id persæpè fiat, peccari mortaliter. Ita Suarez, Regin. Fill. Bon. aliique apud eundem Castr. *loc. cit. num. 18.* & apud Marchinum *de ordine, tr. 2. p. 6. cap. 12. diff. 4.* Sæpè autem fieri dicetur, quando sine defectu, & communiter (ut in similibus, morali modo à prudenti decerni solet) Sacerdos dicta mutatione uteretur. Ratio dicti est, quia Pius V. non solùm principaliter præcipit esse percurrendum Officium Romanum veluti in genere, sed etiam esse percurrendum illud, quod tali die præcipitur, ut attentè legenti Bullam planum fiet, præsertim ibi: *Qui tenebuntur ad Officium sub pœna, ut quotidie solvant ex hujusmodi Breviarij præscripto, & ratione*: Cùm ergo qui persæpè mutat Officium ledat graviter Bullæ præscriptum, mortaliter peccabit.

14. Dices, ex his Bullæ verbis sequeretur peccari mortaliter, etiamsi uno die fieret mutatio, sicuti si uno die omitteretur omnino Officium, quia jam non servaretur Pij V. præscriptum: at *suprà* dictum est solùm peccari venialiter, si sine causa id, uno vel altero fiat die.

Respondeo ex his verbis Bullæ solùm sequi peccari, & fieri contra præceptum Pij, quod sanè concedimus etiam pro uno, vel altero die: At utrùm mortaliter, an venialiter, dependet à gravitate, vel levitate materiæ; quoniam igitur relinquere proprium diei, & aliud Officium ejusdem Breviarij rarò assumere, leve quid est, ideo peccatur solùm venialiter; at, quia tum sæpe mutare Officium pro Officio, tum relinquere Officium, nullum aliud simile ex eodem Breviario supponendo, grave est, ideo mortaliter sic peccabitur.

15. Sed adhuc supersunt aliquot curiosæ, ac practicæ quæstiones. Prima sic proponitur. Sacerdos Panormitanus hodie sub Vespera Panormi existens, ubi dies currit festæ, cras est pernoctaturus Montem Regalem, ubi celebrabitur memoria S. Castri Patroni: poterítne hic Sacerdos hoc sero Panormi recitare Matutinum S. Castri, & primas Vesperas? Respondeo posse; sed non obligari: Ratio est, quia cùm cras sit futurus peregrinus in ea civitate, poterit, sed non sub obligatione se ibi reddere illi Ecclesiæ conformem, & cras Officio S. Castri operam dare: cùm ergo Officium hoc vespertinum sit pars officij crastini, non est improbabile posse illud anticipato tanquam pertinens ad diem crastinum licitè ab hujusmodi Sacerdote persolvi.

Quid, si is Panormi percurrerit Matutinum festæ? Quando advenit cras Montem Regalem, meliúsne prosequetur horas festæ, an assumet illas S. Castri? Respondeo æquè utrumque. Nam si recitabit de feria; se conformabit cum Officio à se legitimè incepto, Si de Sancto, se conformem reddet loco. Utrùm ex his melius, in privato Officio, non discerno, ideo quod mavis gere; nam Missam, & Horas in Choro, quia sunt publica, de Sancto sunt celebranda.

16. Secunda quæstio. Sacerdos Panormi, v.g. non recitavit Officium de S. Ignatio, quia dies ejusdem fuit impeditus à Patrono Civitatis Panormi. Jam is discedit Panormo, venítque Montem Regalem, v.g. ubi jam S. Ignatij Officium persolutum est; ad quid obligabis Sacerdotem hunc Panormitanum? Respondeo illum non obligo ad recitandum Officium S. Ignatij; licèt enim possit, quia potest sequi ritum suæ Ecclesiæ, donec alterius Ecclesiæ domicilium fixum non acquirit; at minimè obstringitur illud S. Ignatij Officium reassumere, cùm sibi concessa sit facultas assumendi mores loci, ubi eo die adest, ejusdémque diei Officia persolvendi: cùm igitur eo loco nihil de S. Ignatio recitetur, nec ipse ex obligatione recitabit.

17. Tertia quæstio est. An liceat cuilibet ritum socij, cum quo Officium recitat, rationémque sequi, v.g. Regularis recitat hodie de suo Patrono Officium duplex, vel ex privilegio de Conceptione Virginis, mihi qui deberem de feria, licétne recitare de illo Patrono, si ut socius ab eo Religioso, etiam nulla accedente causa, ad secum recitandum adhibear?

Respondeo licere, nisi sit aliunde vetitum. Idémque esse, si ille habet facultatem anticipandi horam, licebit enim, & mihi propter dictam Societatem anticipatè recitare. Ita Henriq. aliique apud Quintanad. *tr. 8. sing. 8. n. 9.* Ratio utriusque est, quia id videtur consequi ex natura societatis, in quo contractu pares sunt socij in lucro. Rursus, quòd lex seu privilegium disponit in uno ex correlativis, extendi solet ad aliud, cùm correlativorum eadem sit ratio, *l. fin. ff. de acceptilat.* & alibi Navarr. *c. 22. n. 47.* aliique apud eundem Quintanad. *ibid.*

18. Dices, ex hoc sequi mihi Romano licere si advocer ad recitandas horas ab Ambrosiano Sacerdote, Ambrosiano Officio obligationi meæ satisfacere, quod durum videtur. Respondeo hoc non sequi; id enim est peculiariter prohibitum, ut ex mox dicendis *n. 33.* constabit, quod ego notavi in responsione dum dixi (nisi aliundè sit vetitum.)

19. Quarta quæstio. Ille qui ex errore de festo duplici, vel semiduplici die proprio non recitavit, potéstne recitare de eo, prima, die non impedita Officio novem Lectionum: An potiùs debebit omittere eo anno ejusmodi festum duplex, vel semiduplex? Respondeo. Probabilius est cum Quintan. *ibid. singul. 9.* debere omittere: probabile tamen est, & utrum posse dicto die non impedito recitare. Ratio prioris est, quia onus Officij, est alligatum illi diei, evolante ergo die, evolat & onus.

Multò magis, quia sic perturbaretur nimis sæpè ordo Breviarij. Ratio posterioris est, quia Sancti, & recitantes habent jus, ut recitetur ejusmodi Officium in eo anno: ergo non sunt eo privandi sine ulla sua culpa, *l. crimen, ff. de pœnis 12. reg. juris in 6.* & *alibi.* Adde esse quidem onus addictum illi diei, sed non ita, ut non possit transferri, quando dies est impeditus, ut præscribitur in Rubricis. Cùm ergo ea oblivio impedimentum fuerit, non videtur turbari ordo Breviarij, sed ejus Rubricæ potiùs observari, si omissa reassumantur.

30. Quinta quæstio. Quid fiet, si contrà quis hodie recitavit de festo, quod debebat aliquò ex diebus sequentibus recitare? Respond. vel die illo sequenti iterum recitet de festo: quod puto probabiliter cum Quintan. *ibid. sing.* 5. vel dicto die sequenti recitet (sed privatim) illud Officium, quod deberet recitari si festum eo esset, quod certè non est improbabile cum eodem *ibid.* Ratio prioris est, quia festum possidet proprium Officium eo die, ergo non debet omitti propter errorem ante factum de præcedenti. Adde absonum esse, dum omnes eo tempore recitant de Sancto, te de Feria, vel simplici recitare. Ratio posterioris est, quia inusitatum est, bis de eodem Sancto idem Officium recitari, multò magis, quia jam Sanctis factum est satis per illam veluti anticipatam solutionem. Unde licèt Sanctus possideat contra alios, non tamen contra me, qui jam solvi: & licèt sit absonum, si hoc fiat in Choro, vel Missa, ubi sic fieri certè negandum est, non est absonum, si fiat privatim.

31. Sexta quæstio, hodie per oblivionem Sacerdos recitavit Vesperas, vel Matutinum cum Laudibus diversum ab eo, quod legitimè erat recitandum est, v.g. erat recitandum de duplici, recitavit de feria, vel de alio duplici, quid melius faciet, prosequetúrne Officium inceptum per errorem, an recitabit reliquum Officij diei sequentis, omisso Matutino, quod legitimè recitare debuerat? Respondeo. Licèt optabile sit, ut repetat, quod erravit, tamen non obligatur, ut ex dictis *suprà* constare potest: satis autem erit si solùm recitet reliquum de Officio proprio, quod curvit; Ratio est, quia, ubi comprehenditur error, ibi corrigendus est: non obligatur autem repetere illud Matutinum, quod erat recitandum, quia bona fides eum excusat: eò, vel maximè, quòd per æquivalentiam pensum jam solvit. Aliquis ita forte judicabit Sacerdotem hunc posse prosequi quod reliquum est Officij, recitando horas congruentes Matutino, & Laudibus, quamvis per errorem recitatis, quia major pars debet trahere ad se minorem: Ita idem *ibid. n.* 4. sed non assentior, quia id esset velle errorem approbare. Adde semper meliorem debere esse conditionem possidentis: at nunc possidet jus officij hujus diei, non alterius à te per errorem recitati.

32. Septima quæstio. Dixi *in opusc. de Sac. Mis. lib.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 7. congruentius Capellano Monialium esse, si Missam in Ecclesia Monasterii celebret de Sancto, quem Moniales fortè propter suum ritum proprium celebrant (sed ex Missali proprio; quo ipse legitimè utitur): quia se concordem reddere debet cum solemnitate earum, quibus inservit. Jam quid de Officio? potestne & domi Officium privatum de ejusmodi Sancto recitare?

Respondeo. Judico satis probabile cum Quintan. *tr.* 8. *sing.* 7. posse cum suo Breviario proprio; ratio est, quia connexorum, seu correlativorum, idem est judicium, si ergo potest Missam, poterit & Officium, & jure quidem, quia hic æquiparatur Beneficiario, qui potest ex sententia aliquorum, cum eodem *ibid. sing.* 8. immò ex aliorum sententia cum Azor. Regina aliisque apud eundem *ibid.* obligatur recitare Officium Ecclesiæ in qua habet beneficium, in quocunque ipse tandem loco resideat; cùm ergo Capellanus Monialium sit addictus servitio Ecclesiæ illarum, congruum est, ut juxta illas oret in iis, in quibus expressè non prohibetur, ubicunque ipse resideat; Cùm igitur non prohibeatur, quoad conformitatem Officij, prohibeatur verò à Pio V. in Bulla initio Missalis primò sita, quoad diversitatem Breviarij, illud poterit, non autem hoc.

*De mutatione Officij proprij ritus in alienum.*

33. Certum mihi est in gravem culpam eum prolabi, qui obstrictus recitare more Romano, recitet etiam pro uno tantùm die, more peculiaris Ecclesiæ, verb. gratia, Mediolanensis. Ita Castr. Pal. *t.* 2. *tr.* 7. *d.* 2. *p.* 2. §. 2. Ratio est, quia Pius V. *Quod à nobis*, expressè edicit eum, qui suæ Ecclesiæ orandi formam non custodit, præcepto non satisfacturum: at præcepto non satisfacere vel per unum diem, materia gravis est. Contrà verò, obstrictum orare more suæ peculiaris Ecclesiæ non puto peccaturum, si nulla præmissa licentia, uno vel altero die, Romanorum ritu privatim oret. Ita Sà, Caiet. Suar. Bon, Less. apud eundem Castro Palaus *num.* 3. quia tunc conformem se reddit Romanæ Ecclesiæ omnium Matri, id quod placet Pontifici meritò præsumimus; consensum autem Episcopi atque Capituli ad ejusmodi mutationem solùm pro Choro à Pio Quinto *loc. cit.* requiri, vel saltem pro usurpatione perpetua, non improbabiliter asserimus. Excipe, nisi forte obstet præceptum Superioris. Certè sic obstitit Mediolanensibus Clericis Sancti Caroli lex, qui præceptum suis imposuit, ne alio quàm Ambrosiano Officio uterentur; potuit enim Sanctissimus Vir id præcipere, quia sic obsecutus est voluntati Pij Quinti relinquentis mores Ecclesiarum annis ducentis antiquiores.

34. Dictum est autem (uno, vel altero die) ut tutissimam opinionem proponerem; nam cæterùm adhuc benignius loquitur Sà *v. Hor. Canonum. 6. in utraque editione, tum genuina, tum expurgata*, absolutè scilicet concedens extra Chorum posse quempiam dicere Officium Romanum. Probabiliter quidem: nam Pius Quintus dum dicit: *Quibus inveteratum illud jus psallendi suum Officium non adimimus*, videtur concedere privilegium: privilegio autem utimur, quando volumus: meritò autem deinde idem Pius Quintus jubet pro Choro adhibendam esse prædictam licentiam, quia ad publicam mutationem publicum accedere consensum omnino decet.

35. Quæres. Licètne Episcopo suis subditis, vel Prælato suis Religiosis concedere licentiam recitandi privatim Officium in alio ex prædictis ritibus? Respondet Tancred. *de Rel. tract.* 3. *lib.* 4. *d.* 11. *num.* 7. probabile esse licere, ita tamen, ut quando fit dispensatio, per quam commutetur Officium proprij ritus Religionis, vel Diœcesis in Romanum, minor causa exigatur, quia tunc fit conformatio, ut dictum est, cum jure communi, id quod etiam sine licentia posse privatim fieri, modò nos probabiliter insinuavimus: ad hoc autem, ut Romanum Breviarium mutetur in alienum major causa requiritur, aliàs esset nulla. Sic Tancreda ex mente, ut ait Suarij. Equidem approbo illius priùs dictum; hoc posteriùs in quo supponit posse Prælatum Papa inferiorem, licentiam concedere mutandi Breviarium Romanum in alienum, mihi difficile redditur, quia Pius Quintus prohibuit ejusmodi ritus alienos à Breviario Romano, solum concessit iis, qui ante ducentos annos eos ritus usurpaverunt: At Prælatus inferior non potest ire contra Leges Pontificis, præsertim in re extraordinaria, qualis hæc sine dubio est. Ita Castro Pal. alios citans *lib.* 1. *tract.* 3. *d.* 6. *p.* 4. §. 8.

*Octava Difficultas.*

*De Officio assumendo ab advena.*

36. CUi ex beneficio preces Romanas recitandi onus est, si fortè is domicilium transferat, verb. grat. Mediolanum, fiátque Ambrosianus, Ambrosianum ei Officium indico, quia jam illius Ecclesiæ Clericus effectus est: Ita idem *t.* 2. *tract.* 7. *d.* 2. *p.* 2. *num.* 5. Non tamen puto improbabile, posse Romanas preces retinere, quia ratione beneficii, quod ab eodem retineri suppono, Romanus Clericus esse non desinit. Quòd si Mediolani per parvam moram adsit, non posse Ambrosianorum more psallere, docet Castro Palaus *ibid.* quia licèt Peregrino, ut aliàs diximus, liceat, si velit, leges sectari loci, fallit id tamen, quando aliquid obstat, ut quando privilegium quodpiam restringitur pro iis signatè, qui permanenter alicubi habitant: tale autem esse hoc privilegium de recitando Officio peculiari, diversóque à Romano, habetur in relata Pij Quinti Constitutione. Nihilominùs puto posse, quia non invenio ejusmodi

modi restrictionem. Ecce Pij V. verba, hoc privilegium habui gentis: *Illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipse institutio ducentos annos, antecedat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit, quibus inveteratum illud jus dicendi & psallendi suum Officium non adimimus.* Advertisti ne ullum quidem adest verbum, quod eam indicet restrictionem; concedit enim illis, sed non addit, *qui permanenter habitent*, vel quid simile.

37. Præterea, si Mediolanensis ex Beneficio obligatus monte Ambrosiano secasi, mutans domicilium, Romanus fiat, Romano Officio utatur necessariò: ita idem ibid. quia jam est ex Clericis Romanis; licèt probabile etiam sit, si retineat beneficium, posse suum Ambrosij rium retinere, quia ratione beneficij, us modò dictum est, non desinit esse civis Mediolanensis, unde & potest ab Episcopo Mediolanensi ordinibus initiari. Confirmo, quia Officium consequitur ad Ordines Sacros; si ergo hinc conceditur ordinari ab Episcopo Mediolanensi, videtur concedi & accessorium, quod est, more Mediolanensi orare posse.

38 Quid, si is Beneficiarius Mediolanensis obiter olim Romæ affuerit? Respondeo, posse tum Romano more precari, sed non astringi. Ratio est, quia, ut toties asseruimus, Advena potest, licèt non teneatur loci reges admittere. Dices, at obstat statutum S. Caroli *num. 33. fine*, allatum. Obstat secundò paritas; nam Dominicanus, verbi gratia, sive permanenter, sive per transennam aliquot menses moram faciat, semper Dominicanum ritum custodit ex necessitate, ergo pariter suum custodiat Ambrosianus. Respondeo ad primum, Statuta Diœcesana quale fuit illud S. Caroli, extra territorium nihil obtinent vitium. Ad secundum, nego adesse paritatem. Nam Dominicanus, similésque Religiosi ex vi voti, & professionis suæ obligantur ad proprium ritum, quæ obligatio ubique eos comitatur, cùm Religiosi Diœcesim fixam non habeant; At Mediolanensis Clericus olim obligatur ex vi Statuti Diœcesani, quod, ut dictum est, extra territorium vim non habet.

39. Denique, quando Sacerdos Beneficiatus non est, si aliò domicilium transferat, ejus Ecclesiæ Officium assumere debet. Si autem in loco obiter sit, potest, sed non debet; quia peregrinus potest, sed non obligatur conformare se legibus loci.

Putavit quidam recentior hunc Sacerdotem obligari, atque adeò, si Sacerdos alieni ritus à Romano, verbi gratia, Mediolanensis, etiam per parvam moram Romæ, verbi gratia, sit, debet Romanum Breviarium sequi. Quia, inquit, privilegium proprij ritus ac in re est affixum loco, & territorio Mediolanensi, non ergo alibi. Hæc ille. Sed certè, cur non dicam esse privilegium Ecclesiæ formaliter; atque adeò tum loco, tum multò magis Clericis Mediolanensibus Ecclesiam illam constituentibus?

Relege Pij V. Bullam, illud privilegium sive concedentis, sive permittentis, eam enim solùm loci affixionem Bulla continere nequaquam videtur.

## §. III. *De modo recitandi Officium.*

1. UT Officium studiosè, & devotè recitetur juxta *cap. Dolentes, de celebratione Missarum*, sex conditiones sunt observandæ: ut nimirum recitetur cum attentione debita, cum debita intentione, sine omissione verborum, sine eorundem mutilatione, sine interruptione, sine Ordinis inversione.

### *De attentione, & intentione debita, Remissive.*

2. De his egi per aliam occasionem, *Opus. de Sacr. Missæ, lib. 2. cap. 3.* vide etiam *infra, lib. 4 c. 3. §. 1. num. 9.* Illuc, ne eadem cogar repetere, Lectorem meum remitto. De attentione, qua caret, qui semidormiens recitat, dicam mox *num. 19.*

3. Illud hîc de intentione est addendum, te satisfacere præcepto, si Horas recites animo non satisfaciendi. Ita Castro Pal. *t. 1. tr. 3. d. 1. de legibus p. 17. n. 11.* Ratio est, quia probabilissimum judicamus satis observari præceptum, etiam sine eo animo, dummodo res præcepta exhibeatur, siquidem jam ponitur totum, quod præcipitur: præcipitur enim jejunium, v.g. in Quadragesima, non verò animus satisfaciendi. Tenetis tamen tempore præcepti ab hoc animo cessare, & velle te obedire præcepto, secùs enim præceptum ipsum voluntate violares, unde & peccares. Inservit nihilominus allata doctrina ad non repetendum opus, cùm solùm necesse sit, ut mutetur intentio, si quis adhuc est in termino satisfaciendi, ut dicetur *lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 18. cism de Missa.*

Sicut etiam, ne incidat in pœnas, v.g. in excommunicationem fortè fulminatam contra non facientes illud opus, jam enim fecit, licèt sine intentione. Castro P. *de vrat. d. 2. p. 3.* Sanch *l. 1. in Decal. cap. 13. n. 9.*

### *Sine omissione verborum, & mutilatione Syllabarum.*

4. Omnia Officij verba debere pronuntiari, atque esse mortale ea negligere, sive extra Chorum, sive intra, nisi excuset materiæ parvitas, omnes docemus; æquè autem excusari puto propter parvitatem materiæ, intra Chorum, atque extra: quia eadem est ratio utrobique. Scandalum autem intra Chorum, si relinquantur solùm aliqua verba, vix adesse unquam video: Fideles enim ad hæc, & similia minutiora non attendunt.

Qua voce ea privatim pronuntianda sint, dixi *Opusc. de Sacr. lib. 2. cap. 9. §. 2.* in Choro autem, mox *num. 15.* dicam.

5. Hîc ergo tanquam in proprio loco sic proponitur sequens difficultas: Sacerdos quidam ita Psalmum percurrebat, ut proferret initium versuum, & finem, sed præcipite quodam cursu verba intermedia vix, seu ne vix quidem proferebat. Inquiro; ecquónam in peccato reus erat?

6. Dico, si in Versuum notabili quantitate id voluntariè præstiterit, deliquisse mortaliter, quia notabilem Officij partem omisit: si in modica, propter materiæ levitatem, venialiter. Dico (voluntariè) nam propter inadvertentiam, vel linguam balbutientem, & non rarò etiam propter inveteratam consuetudinem, quam non valeat quis sine magna difficultate tunc corrigere, excusari aliquem posse, docet Lessius *lib. 2. cap. 37. d. 10. num. 56.*

7. Syllabas verborum abscindere, malum quidem est: Sed quandoquidem verbum, licèt diminutè, jam profertur, regulariter non esse mortale, notat Bonacina *tom. 1. dis. 1. de Horis Can. quæst. 3. p. 2. §. 1. n. 4.*

8. Huc facit error eorum, qui; quando cum socio adjuvante Psalmos percurrunt, ita festinatò præoccupant, ut nondum absoluto socij Versiculo, ipsi suum aggrediantur.

Graviter hi peccant, si in notabili quantitate versuum id præstent, ita Azor. Tollet. Fill. apud Bonac. *l. c. §. 1. n. 4.* quia, tunc ex praxi Ecclesiæ censetur quis recitare totum Officium, licèt ejus partem recitet socius, quando, illo partem non recitante, eandem recitat socius, ipse verò eandem audiat, sic enim fit utriusque Oratio utrique communis: cùm igitur id in casu dicto non observetur, non reputabitur totum Officium persolvi. Nisi sic doceremus, liceret dimidiam partem Officij canere, aliam dimidiam eodem tempore canente socio, quod esset præceptum Ecclesiæ notabiliter eludere.

Illud noto, in bene moratis Sacerdotibus difficulter hanc præoccupationem esse mortalem, quia semper levis est, & solù in aliquibus initiis versiculorù fieri contingit,

### *De dubitante, an omiserit aliquem Psalmum.*

9. In superioribus, *libro primo, cap. 3. §. 7. verbo Horæ Canonicæ* innui ad quid obstringendus sit is, qui dubitat

dubitat an Officium persolverit. In præsentia est alia & quidem consequens difficultas: An qui recitatis horis, non recordatur, seu incipit dubitare, num partem earum notabilem omiserit, obligetur ad eam eâdem die supplendam, seu repetendam.

Respondeo. Si non recorderis, seu dubites negativè, hoc est, nullas rationes probabiles habeas, vel circè satis exiguas, quæ consensum non sufficiant à prudenti extorquere, utrùm recitaveris, nécne, dico, te non teneri repetere, seu supplere. Ratio est, quia possessio videtur esse pro te; certus enim es te Officium recitavisse, incertus autem; an ejus partem omiseris. Neque dicas; de hac parte non adesse certitudinem fuisse persolutam; ne id dicas (inquam) nam ex communiter contingentibus supponere debemus recitantem Officium, totum certò recitasse, nec partem omisisse, nisi contrarium evidenter constet. Si verò positivè propter aliquas rationes solùm probabiles tibi id persuadeas, puto te pariter non teneri; quia prædicta ratio ducta ex communiter contingentibus, quod totum recitaveris, prævalet cuicunque rationi contrariæ, quæ sit probabilis dumtaxat. Solùm igitur tunc repetere cogeris, quando clarè moraliter tibi aliquid omississe constat.

*De non recitante, sed solùm audiente Lectiones.*

10. Quando recitas cum socio, obligaris proferre alternatim versus Psalmorum, cæterùm Responsoria, Antiphonas, Capitulum, Orationes, ac Lectiones, sufficit si profert socius; tu verò attendas (de qua attentione dicam mox §. 4. *n.* 9.) Ratio ducitur ex praxi recitantium in Choro, cui similis est recitatio cum socio, &c.

*Sine interruptione.*

11. Quæcunque interruptio sive extra Chorum, sive (præscindendo à scandalo) in Choro, dummodo continuatio fiat intra eundem diem, peccatum mortale nequaquam attingit. Ita Bon. *l. c. n.* 28. contra Suarium. Itaque qui unum Nocturnum, vel etiam unum dumtaxat Psalmum hoc manè, v.g. recitat, vel qui Matutini partem, etiam unum Psalmum ejusdem recitavit pridie Vesperi, (Id docuisse Joan. de Lugo testatur Tancreda *t.* 1. *de Rel. tr.* 3. *lib.* 4. *d.* 12. *n.* 8. quamvis immeritò contrarius) si postea antequam spiret tempus præscriptum recitandi, nempe media nox sequens, recitet quod recitandum fuerat, non erit culpæ mortalis reus. Ita Arag. Lessius, Suar. Laym. aliique apud Bon. *l. c.* & apud Pellizz. *t.* 1. *man. reg. tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *n.* 78. & legè item Quintanad. *tr.* 8. *sing.* 2. Ratio est, quia jam intra latitudinem temporis, in quo urget præceptum, totum Officium persolvitur: & ex alia parte non apparet irreverentia gravis id in oratione facere, quæ tamen gravis esset in celebratione Missæ, quia hæc non est sola oratio, sed sacrificium: cui plura deberi inficiabitur nemo.

Dixi (gravis) nam si id fieret sine causa, peccatorum veniale non effugeretur, quia non custodiretur status orandi modus: accedente autem causa, itineris, verbi gratia, negotii supervenientia, Charitatis, imò & Eutrapeliæ, hoc est, affabilitatis, etiam levis culpa facilè vitabitur, Deo Optimo humanis moribus, per suam benignitatem, sic indulgente, quod certè non indulgeret superbus quilibet humanus Princeps.

Si quando Matutinum à Laudibus dividas (id quod laudabile est, ne dum licitum ex Filliucio *tr.* 23. *n.* 235.) opus non esse Matutinum absolvere cum Oratione, nisi in nocte Natalis Domini, docet Sanchez *lib.* 7. *de consil. c.* 2. *dub.* 20. *n.* 2. nec oportere Laudes incipere cum Pater Noster, docet meritò Gavantus *in rub. Brevi. sect.* 4. *c.* 2. *num.* 4. quia de his nulla apparet nec obligans, nec consulens rubrica.

*Sine ordinis inversione.*

11. Quod dictum est de interruptione, assero de Inversione, non esse scilicet (abstrahendo à Rubricarum contemptu, vel à scandalo,) gravis culpæ obnoxium eum, qui Vesperas, verbi gratia, priùs recitat, quàm Matutinum: Primum, quàm Laudes, Unum Psalmum, quàm alium, &c. sine causa autem reum venialis, cum causa, nè venialis quidem. Ita Bonac. *disp.* 1. *de Hor. Can. quæst.* 3. *p.* 4. *num.* 5. aliique apud Pell. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *n.* 78. contra Suarium. Ratio est, quia ordo non est de essentia Officij. Hinc, si quis manè non habeat præ manibus nisi Diurnum, poterit sine scrupulo etiam venialis culpæ recitare horas, domi recitaturus Matutinum ejusdem diei, quia illa Breviarij carentia videtur causa sufficiens. Huc pertinet illa difficultas. An matutino nondum recitato Missam celebrare sit culpa, de qua tamen diximus *in opusc. de Sacrif. Miss. lib.* 1. *c.* 5. §. 2.

## §. IV. *Quædam de recitatione Officij in Choro, vel cum Socio.*

1. NOn paucæ hactenus expositæ lucem afferunt jam jam dicendis, atque hæc invicem illis: Quare ad complementum tractationis, nihil erit lectori ex utriusque negligendum.

*De non assistente Choro, nec distributionem recipiente.*

Primum obligentur recitare Officium in Choro, quales sunt Canonici, & similes Præbendat, & quales sunt Religiosi ad Chorum deputati, supponimus hîc non inquirimus; quilibet sui muneris obligationem, sive procurandi, ut chorus non desit, sive cavendi, sive solùm assistendi, ante oculos habeat.

2. Solùm quoad hoc, illud est pro conscientiæ foro asserendum, An prædicti Præbendati, hoc est, ij, qui redditus, seu distributiones habent ad cavendum in choro, peccent mortaliter, quando sine causa excusante (de qua causa mox *infra*, §. 7.) absunt à choro ultra tempus ipsis à jure concessum: concedunturque enim tres menses in anno, sive continui, sive interpolati, in quibus abesse sine scrupulo possunt. Ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.*

3. Et quidem si recipiant distributiones, certum est peccare, quia contra Justitiam recipiunt, cum hæ assistentibus solùm concedantur, iisdemque accrescant distributiones absentium.

4. Difficultas ergò est, si distributiones non recipiant, sed aliis de more absentibus eas dividendas sponte relinquant. Canonicus, v.g. dives qui ultra illos tres menses, fesidet quidem in loco suæ Ecclesiæ, recitatque privatim Officium, sed per desidiam, & quia distributionibus non indiget, choro, qui cæterùm per alios satis decenter frequentatur, non assistit per notabiles dies, putà viginti, triginta, plures, imò per totum annum, peccàtne mortaliter, si suis collegis distributiones ultrò remittit?

5. Duæ, ut solet, sunt Doctorum divisæ sententiæ: nonnulli affirmant esse culpam ex se gravem: nisi fortè à gravi parvitas excusetmateriæ, putà si duobus, vel tribus dumtaxat diebus absentia perseveret. Ita Suar. Vasq. Garsias, Bon. apud Castr. *t.* 2. *c.* 2. 17. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 3. eosdem sequens. Ratio præcipua ducitur à tribus vel quatuor textibus, apud eundem *ibid.* quia videntur graviter obstringere præbendatum ad talem assistentiam, additis excommunicationis ferendæ, & depositionis pœnis.

Præterea præbendati obligantur graviter ad residentiam, præter illos tres vacationis menses, ergo graviter ad assistendum choro, ut quid enim residentia est necessaria, nisi ad Chorum frequentandum? Denique pro hac sententia quinque declarationes Sacræ Congregationis affert Garsias *de ben. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 323.

9. Nonnulli tamen negant, Cajet. Val. Reg. Nau. Barb. apud eundem Castr. Pal. *l. c. n.* 2. Ratio præcipua est, quia

quia duæ obligationes sunt in præbendato, seu Canonico distinguendæ: altera recitandi Officium, altera recitandi illud in Choro. Propter priorem obligationem recipit Canonicus fructus Beneficij, propter posteriorem recipit distributiones: si igitur quando à Choro abest, alijs has cedit, non est unde contra ipsum interuneris culpam.

Asserere enim quod ex vi beneficij, seu, ex vi cujuscunque fructus beneficij nascatur obligatio non solùm ad privatum Officium, verùm etiam ad publicum in choro gratis divinare; Quamobrem cùm hæc saltem apparet dubia obligatio, nihil urgebit, cùm non sint imponenda onera certa sine certo, & indubitato fundamento, ut alibi explicatum est.

7. Utraque ex his sententiis probabilis est, posteriorem utpotè benigniorem (præciso semper scandalo, vel aliquo explicito pacto in contrarium) libentiùs admitto: ad rationes prioris sententiæ respondeo, ex illis rectibus nihil contra posteriorem concludi, posita probabili opinione, (de qua dictum est satis *opusc. de Sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 8.*) quod eæ pœnæ non sunt necessaria signa mortalis culpæ. Præterea dico, aliud esse residere in sua Ecclesia, aliud choro assistere; admittatur ergo adesse Canonico præceptum residendi, ut nimirum promptiùs, & faciliùs Chori necessitatibus ab ipso, si quæ sint, consulatur: at ex hoc non sequitur esse etiam præceptum remittendi distributiones, & choro per alios collegas decenter persoluto, ut per se chorum frequentet. Sanè Episcopus obnoxius est præcepto residendi in sua diœcesi, ut nimirum illam faciliùs regat, instituátque, non tamen propterea per se, quando pecuarium utiliter regit, regere, saltem in omnibus sub culpa (ut omnes fatemur) obstringitur. Denique ad declarationes Cardinalium, præter cætera, dic de iis authenticè non constare. Illud certum mihi est hunc Præbendatum posse, imò & debere cogi à Superiore, vel ad dimittendum Canonicatum, si ad dimittendum causas sufficientes habet, vel ad assistendum, saltem non infrequenter; licèt enim ipse, donec cogatur, non peccet, ut dictum est, Ecclesia tamen habet jus volendi suum numerum cantium in choro: quod jus possunt, imò, ut dictum est, debent Superiores omnino curare, ut sartum tectum custodiatur.

*De recitatione & prolatione ejus, qui in choro, vel cum socio Officium persolvit.*

8. Propositis aliquot quæstionibus breviter id explicabimus.

*Mente distractus in choro.*

Primò enim quæritur, an qui, vel cum socio partem suam legitimè pronuntiat, ad partem autem, quam alter chorus, vel socius recitat, mente distractus non attendit, an, inquam, is suæ obligationi faciat satis?

9. Dico ex probabili sententia non satisfacere; ita Azor. *p. 2. lib. 10. c. 11. q. 5.* Bonac. *d. 1. de Horis Canon. q. 3. p. 2. §. 1. n. 19. & 21.* aliique, etiam posita illa opinione alias admissa, *in nostro opusc. de Sacr. Missæ lib. 2. c. 3.* quæ docet neminem obligari internè attendere, dum Officium percurrit. Ratio est, quia ea sententia, ideo quamvis quis non attendat, satisfacit, quia non attendendo internè, jam adhibet aliquid, nempe externam attentionem: siquidem profert devotè verba externa Officii: at in casu nostro is, de quo loquimur, ex una parte non attendit internè ad verba alterius Chori, seu Socij, ut supponimus, & ex alia nec eadem externè pronuntiat, ergo nullo modo illam chori partè persolvit, ergo solùm suam partem, atque adeò dimidium Officij recitat.

10. Dices, is facit sibi communem chori, vel socij partem per assistentiam, quam in choro, vel cum socio retinet: ergo satis illam persolvere censendus est. Respondeo, si probabile esset per solam assistentiam sibi fieri communem Orationem chori, vel socij, probabile esset quod urgetur. Dicat enim Fideles solùm assistendo devotè Sacro, etiamsi internè non attendant, fiunt illud sibi commune in probabili sententia (quam *ibidem lib. 2. c. 3.* attulimus & afferemus *infra, lib. 4. c. 2. §. 1. n. 19.*) unde præcepto de audienda Missa satisfaciunt: Ita apud Pellizz. *in man. reg. t. 1. tract. 5. c. 8. num. 33.* se res haberet in casu nostro. At non ita quidem videtur. Officium enim eatenus cum socio, & in choro alternatim recitari conceditur, quatenus tuam partem te recitante, ad aliam, quam tu recitare debebas aliquo modo activè concurras, cùm igitur non concurras, eam dictam partem recitando, saltem debes, attendendo. Atque ex his vides facilius esse recitare sine socio, quàm cum illo; cum hoc attendere ad ejus partem obstringeris, ad quod sine illo, in ea probabili sententia, non obligaris.

11. Non inficior tamen aliquos absolutè concedere ut probabile, hominem voluntariè distractum satis solvere pensum Officij in Choro, (atque adeò cum socio) unde non videri eos necessariò requirere dictam internam attentionem ad partem quam socius recitat: id quod certè, (ne peioris conditionis sit, qui solus recitat quàm, qui cum alijs; & quia non clarè constet necessitas illa modò dicta activè concurrendi ad partem socij) non est improbabile. Et Caramuel quidem *in Reg. S. Ben. d. 108. numer. 1383.* citans Fillinciam docet recitantem cum socio non teneri partem illius audire, sed tantùm expectare ejus finem, id quod & majus est, & placuit etiam Tancredi *t. 1. de rel. tr. 3. lib. 4. d. 15. n. 15.* meritóne, judicent alii.

12. Illud sine hæsitatione pronuntio cum Sà, *v. Hor. n. 9.* te satisfacere tuæ obligationi: si attendas quantum moraliter vales, licèt propter socij, Chorive culpam nihil ex iis præcipias. Ratio est, quia hoc modo tu præstas id, quod potiùs, nec per te stat, quin audias, quare per recitationem tuæ partis addita assistentia ad finem, additáque tua hac attentione pro alia parte, satis tibi communem, in re morali, facies eam socij Orationem. Scio Castro Palaum *t. 2. d. 3. part. 4. num. 9.* huic concedere quidem distributiones cantantibus in Choro debitas, sed eundem obligare, (ut satisfiat præcepto) ad privatim recitandam eam partem, quam non percepit. Sed certè ratio à nobis adducta, & distributiones concedit, & eximit hominem ab ejusmodi privata recitatione.

13. Idem propter eandem rationem dico de surdastro, de cæco, qui possunt suam partem recitare; dum enim suam partem solvunt, ad aliam verò attendunt, quantum possunt (nec enim obligatur, propter surdastri indispositionem, Chorus vel Socius alta voce personare) satis sibi socij orationem communem reddunt. Ita Sanch *tom. 2. de Rel. lib. 4. de orat. c. 28. n. 15.* Non sic de omnino surdo, qui nullo modo socij partem audire potest, vel de omnino cæco, qui nullam partem recitet; hi enim non satisfaciunt per prædictam attentionem, quia omnino surdus (more humano loquendo) non censetur recitare illud, nec ad illud moraliter assistere, quod audire nullatenus potest, & ille cæcus non dicitur recitare officium, dum nec suam partem recitat, nec socij partem audit.

14. Obiter adverte, si quando loco antiphonæ, vel similis, personet Organum vel instrumenta musica, adhuc te obligari illam antiphonam submissa voce recitare, quia Organi sola pulsatio non est oratio. Ita Suar. Bon. apud Castr. *tom. 2. d. 3. p. 4. num. 7.* nisi fortè illam aliquis alta voce, (ut certè fieri solet in bene moderatis Ecclesiis) vel ipsi musici cantent cum Organo; tunc enim eam audiendo jam satis oras in Choro. Quòd si totam horam Canonicam ipsi Musici cantent, ut fieri in solemnioribus festis consuevit, aliquibus apud Pell. *l. c. n. 42.* probabile est satisfieri à Præbendaris, vel Religiosis suæ obligationi, si solùm externa devotione ibi assistant, non notabiliter confabulando, vel legendo, &c. etiamsi internè non attendant. Ratio potest esse, quia in iis circumstantiis nihil aliud requirit ab iis Ecclesia, nisi modestè assistere: secùs magnum onus esset, illos Præbendatos, seu Religiosos, vel debere eam domi repetere, vel debere

dubitat an Officium persolverit. In præsentia est alia & quidem consequens difficultas: An qui recitatis horis, non recordatur, seu incipit dubitare, num partem earum notabilem omiserit, obligetur ad eam eâdem die supplendam, seu repetendam.

Respondeo. Si non recorderis, seu dubites negativè, hoc est, nullas rationes probabiles habeas, vel circè satis exiguas, quæ consensum non sufficiant à prudenti extorquere, utrùm recitaveris, nécne, dico, te non teneri repetere, seu supplere. Ratio est, quia possessio videtur esse pro te; certus enim es te Officium recitavisse, incertus autem; an ejus partem omiseris. Neque dicas; de hac parte non adesse certitudinem fuisse persolutam; ne id dicas (inquam) nam ex communiter contingentibus supponere debemus recitantem Officium, totum certò recitasse, nec partem omisisse, nisi contrarium evidenter constet. Si verò positivè propter aliquas rationes solùm probabiles tibi id persuadeas, puto te pariter non teneri; quia prædicta ratio ducta ex communiter contingentibus, quod totum recitaveris, prævalet cuicunque rationi contrariæ, quæ sit probabilis dumtaxat. Solùm igitur tunc repetere cogeris, quando clarè moraliter tibi aliquid omississe constat.

*De non recitante, sed solùm audiente Lectiones.*

10. Quando recitas cum socio, obligaris proferre alternatim versus Psalmorum, cæterùm Responsoria, Antiphonas, Capitulum, Orationes, ac Lectiones, sufficit si profert socius; tu verò attendas (de qua attentione dicam mox §. 4. *n.* 9.) Ratio ducitur ex praxi recitantium in Choro, cui similis est recitatio cum socio, &c.

*Sine interruptione.*

11. Quæcunque interruptio sive extra Chorum, sive (præscindendo à scandalo) in Choro, dummodo continuatio fiat intra eundem diem, peccatum mortale nequaquam attingit. Ita Bon. *l. c. n.* 28. contra Suarium. Itaque qui unum Nocturnum, vel etiam unum dumtaxat Psalmum hoc manè, v.g. recitat, vel qui Matutini partem, etiam unum Psalmum ejusdem recitavit pridie Vesperi, (Id docuisse Joan. de Lugo testatur Tancreda *t.* 1. *de Rel. tr.* 3. *lib.* 4. *d.* 12. *n.* 8. quamvis immeritò contrarius) si postea antequam spiret tempus præscriptum recitandi, nempe media nox sequens, recitet quod recitandum fuerat, non erit culpæ mortalis reus. Ita Arag. Lessius, Suar. Laym. aliique apud Bon. *l. c.* & apud Pellizz. *t.* 1. *man. reg. tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *n.* 78. & legè item Quintanad. *tr.* 8. *sing.* 2. Ratio est, quia jam intra latitudinem temporis, in quo urget præceptum, totum Officium persolvitur: & ex alia parte non apparet irreverentia gravis id in oratione facere, quæ tamen gravis esset in celebratione Missæ, quia hæc non est sola oratio, sed sacrificium: cui plura deberi inficiabitur nemo.

Dixi (gravis) nam si id fieret sine causa, peccatorum veniale non effugeretur, quia non custodiretur status orandi modus: accedente autem causa, itineris, verbi gratia, negotii supervenientia, Charitatis, imò & Eutrapeliæ, hoc est, affabilitatis, etiam levis culpa facilè vitabitur, Deo Optimo humanis moribus, per suam benignitatem, sic indulgente, quod certè non indulgeret superbus quilibet humanus Princeps.

Si quando Matutinum à Laudibus dividas (id quod laudabile est, ne dum licitum ex Filliucio *tr.* 23. *n.* 235.) opus non esse Matutinum absolvere cum Oratione, nisi in nocte Natalis Domini, docet Sanchez *lib.* 7. *de consil. c.* 2. *dub.* 20. *n.* 2. nec oportere Laudes incipere cum Pater Noster, docet meritò Gavantus *in rub. Brevi. sect.* 4. *c.* 2. *num.* 4. quia de his nulla apparet nec obligans, nec consulens rubrica.

*Sine ordinis inversione.*

11. Quod dictum est de interruptione, assero de Inversione, non esse scilicet (abstrahendo à Rubricarum contemptu, vel à scandalo,) gravis culpæ obnoxium eum, qui Vesperas, verbi gratia, priùs recitat, quàm Matutinum: Primum, quàm Laudes, Unum Psalmum, quàm alium, &c. sine causa autem reum venialis, cum causa, nè venialis quidem. Ita Bonac. *disp.* 1. *de Hor. Can. quæst.* 3. *p.* 4. *num.* 5. aliique apud Pell. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *n.* 78. contra Suarium. Ratio est, quia ordo non est de essentia Officij. Hinc, si quis manè non habeat præ manibus nisi Diurnum, poterit sine scrupulo etiam venialis culpæ recitare horas, domi recitaturus Matutinum ejusdem diei, quia illa Breviarij carentia videtur causa sufficiens. Huc pertinet illa difficultas. An matutino nondum recitato Missam celebrare sit culpa, de qua tamen diximus *in opusc. de Sacrif. Miss. lib.* 1. *c.* 5. §. 2.

## §. IV. *Quædam de recitatione Officij in Choro, vel cum Socio.*

1. NOn paucæ hactenus expositæ lucem afferunt jam jam dicendis, atque hæc invicem illis: Quare ad complementum tractationis, nihil erit lectori ex utriusque negligendum.

*De non assistente Choro, nec distributionem recipiente.*

Primum obligentur recitare Officium in Choro, quales sunt Canonici, & similes Præbendat, & quales sunt Religiosi ad Chorum deputati, supponimus hîc non inquirimus; quilibet sui muneris obligationem, sive procurandi, ut chorus non desit, sive cavendi, sive solùm assistendi, ante oculos habeat.

2. Solùm quoad hoc, illud est pro conscientiæ foro asserendum, An prædicti Præbendati, hoc est, ij, qui redditus, seu distributiones habent ad cavendum in choro, peccent mortaliter, quando sine causa excusante (de qua causa mox *infra*, §. 7.) absunt à choro ultra tempus ipsis à jure concessum: concedunturque enim tres menses in anno, sive continui, sive interpolati, in quibus abesse sine scrupulo possunt. Ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.*

3. Et quidem si recipiant distributiones, certum est peccare, quia contra Justitiam recipiunt, cum hæ assistentibus solùm concedantur, iisdemque accrescant distributiones absentium.

4. Difficultas ergò est, si distributiones non recipiant, sed aliis de more absentibus eas dividendas sponte relinquant. Canonicus, v.g. dives qui ultra illos tres menses, fesidet quidem in loco suæ Ecclesiæ, recitatque privatim Officium, sed per desidiam, & quia distributionibus non indiget, choro, qui cæterùm per alios satis decenter frequentatur, non assistit per notabiles dies, putà viginti, triginta, plures, imò per totum annum, peccàtne mortaliter, si suis collegis distributiones ultrò remittit?

5. Duæ, ut solet, sunt Doctorum divisæ sententiæ: nonnulli affirmant esse culpam ex se gravem: nisi fortè à gravi parvitas excusetmateriæ, putà si duobus, vel tribus dumtaxat diebus absentia perseveret. Ita Suar. Vasq. Garsias, Bon. apud Castr. *t.* 2. *c.* 2. 17. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 3. eosdem sequens. Ratio præcipua ducitur à tribus vel quatuor textibus, apud eundem *ibid.* quia videntur graviter obstringere præbendatum ad talem assistentiam, additis excommunicationis ferendæ, & depositionis pœnis.

Præterea præbendati obligantur graviter ad residentiam, præter illos tres vacationis menses, ergo graviter ad assistendum choro, ut quid enim residentia est necessaria, nisi ad Chorum frequentandum? Denique pro hac sententia quinque declarationes Sacræ Congregationis affert Garsias *de ben. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 323.

9. Nonnulli tamen negant, Cajet. Val. Reg. Nau. Barb. apud eundem Castr. Pal. *l. c. n.* 2. Ratio præcipua est, quia

quia duæ obligationes sunt in præbendato, seu Canonico distinguendæ: altera recitandi Officium, altera recitandi illud in Choro. Propter priorem obligationem recipit Canonicus fructus Beneficij, propter posteriorem recipit distributiones: si igitur quando à Choro abest, alijs has cedit, non est unde contra ipsum interuneris culpam.

Asserere enim quod ex vi beneficij, seu, ex vi cujuscunque fructus beneficij nascatur obligatio non solùm ad privatum Officium, verùm etiam ad publicum in choro gratis divinare; Quamobrem cùm hæc saltem apparet dubia obligatio, nihil urgebit, cùm non sint imponenda onera certa sine certo, & indubitato fundamento, ut alibi explicatum est.

7. Utraque ex his sententiis probabilis est, posteriorem utpotè benigniorem (præciso semper scandalo, vel aliquo explicito pacto in contrarium) libentiùs admitto: ad rationes prioris sententiæ respondeo, ex illis rectibus nihil contra posteriorem concludi, posita probabili opinione, (de qua dictum est satis *opusc. de Sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 8.*) quod eæ pœnæ non sunt necessaria signa mortalis culpæ. Præterea dico, aliud esse residere in sua Ecclesia, aliud choro assistere; admittatur ergo adesse Canonico præceptum residendi, ut nimirum promptiùs, & faciliùs Chori necessitatibus ab ipso, si quæ sint, consulatur: at ex hoc non sequitur esse etiam præceptum remittendi distributiones, & choro per alios collegas decenter persoluto, ut per se chorum frequentet. Sanè Episcopus obnoxius est præcepto residendi in sua diœcesi, ut nimirum illam faciliùs regat, instituátque, non tamen propterea per se, quando pecuarium utiliter regit, regere, saltem in omnibus sub culpa (ut omnes fatemur) obstringitur. Denique ad declarationes Cardinalium, præter cætera, dic de iis authenticè non constare. Illud certum mihi est hunc Præbendatum posse, imò & debere cogi à Superiore, vel ad dimittendum Canonicatum, si ad dimittendum causas sufficientes habet, vel ad assistendum, saltem non infrequenter; licèt enim ipse, donec cogatur, non peccet, ut dictum est, Ecclesia tamen habet jus volendi suum numerum cantium in choro: quod jus possunt, imò, ut dictum est, debent Superiores omnino curare, ut sartum tectum custodiatur.

*De recitatione & prolatione ejus, qui in choro, vel cum socio Officium persolvit.*

8. Propositis aliquot quæstionibus breviter id explicabimus.

*Mente distractus in choro.*

Primò enim quæritur, an qui, vel cum socio partem suam legitimè pronuntiat, ad partem autem, quam alter chorus, vel socius recitat, mente distractus non attendit, an, inquam, is suæ obligationi faciat satis?

9. Dico ex probabili sententia non satisfacere; ita Azor. *p. 2. lib. 10. c. 11. q. 5.* Bonac. *d. 1. de Horis Canon. q. 3. p. 2. §. 1. n. 19. & 21.* aliique, etiam posita illa opinione alias admissa, *in nostro opusc. de Sacr. Missæ lib. 2. c. 3.* quæ docet neminem obligari internè attendere, dum Officium percurrit. Ratio est, quia ea sententia, ideo quamvis quis non attendat, satisfacit, quia non attendendo internè, jam adhibet aliquid, nempe externam attentionem: siquidem profert devotè verba externa Officii: at in casu nostro is, de quo loquimur, ex una parte non attendit internè ad verba alterius Chori, seu Socij, ut supponimus, & ex alia nec eadem externè pronuntiat, ergo nullo modo illam chori partè persolvit, ergo solùm suam partem, atque adeò dimidium Officij recitat.

10. Dices, is facit sibi communem chori, vel socij partem per assistentiam, quam in choro, vel cum socio retinet: ergo satis illam persolvere censendus est. Respondeo, si probabile esset per solam assistentiam sibi fieri communem Orationem chori, vel socij, probabile esset quod urgetur. Dicat enim Fideles solùm assistendo devotè Sacro, etiamsi internè non attendant, fiunt illud sibi commune in probabili sententia (quam *ibidem lib. 2. c. 3.* attulimus & afferemus *infra, lib. 4. c. 2. §. 1. n. 19.*) unde præcepto de audienda Missa satisfaciunt: Ita apud Pellizz. *in man. reg. t. 1. tract. 5. c. 8. num. 33.* se res haberet in casu nostro. At non ita quidem videtur. Officium enim eatenus cum socio, & in choro alternatim recitari conceditur, quatenus tuam partem te recitante, ad aliam, quam tu recitare debebas aliquo modo activè concurras, cùm igitur non concurras, eam dictam partem recitando, saltem debes, attendendo. Atque ex his vides facilius esse recitare sine socio, quàm cum illo; cum hoc attendere ad ejus partem obstringeris, ad quod sine illo, in ea probabili sententia, non obligaris.

11. Non inficior tamen aliquos absolutè concedere ut probabile, hominem voluntariè distractum satis solvere pensum Officij in Choro, (atque adeò cum socio) unde non videri eos necessariò requirere dictam internam attentionem ad partem quam socius recitat: id quod certè, (ne peioris conditionis sit, qui solus recitat quàm, qui cum alijs; & quia non clarè constet necessitas illa modò dicta activè concurrendi ad partem socij) non est improbabile. Et Caramuel quidem *in Reg. S. Ben. d. 108. numer. 1383.* citans Fillinciam docet recitantem cum socio non teneri partem illius audire, sed tantùm expectare ejus finem, id quod & majus est, & placuit etiam Tancredi *t. 1. de rel. tr. 3. lib. 4. d. 15. n. 15.* meritóne, judicent alii.

12. Illud sine hæsitatione pronuntio cum Sà, *v. Hor. n. 9.* te satisfacere tuæ obligationi: si attendas quantum moraliter vales, licèt propter socij, Chorive culpam nihil ex iis præcipias. Ratio est, quia hoc modo tu præstas id, quod potiùs, nec per te stat, quin audias, quare per recitationem tuæ partis addita assistentia ad finem, additáque tua hac attentione pro alia parte, satis tibi communem, in re morali, facies eam socij Orationem. Scio Castro Palaum *t. 2. d. 3. part. 4. num. 9.* huic concedere quidem distributiones cantantibus in Choro debitas, sed eundem obligare, (ut satisfiat præcepto) ad privatim recitandam eam partem, quam non percepit. Sed certè ratio à nobis adducta, & distributiones concedit, & eximit hominem ab ejusmodi privata recitatione.

13. Idem propter eandem rationem dico de surdastro, de cæco, qui possunt suam partem recitare; dum enim suam partem solvunt, ad aliam verò attendunt, quantum possunt (nec enim obligatur, propter surdastri indispositionem, Chorus vel Socius alta voce personare) satis sibi socij orationem communem reddunt. Ita Sanch *tom. 2. de Rel. lib. 4. de orat. c. 28. n. 15.* Non sic de omnino surdo, qui nullo modo socij partem audire potest, vel de omnino cæco, qui nullam partem recitet; hi enim non satisfaciunt per prædictam attentionem, quia omnino surdus (more humano loquendo) non censetur recitare illud, nec ad illud moraliter assistere, quod audire nullatenus potest, & ille cæcus non dicitur recitare officium, dum nec suam partem recitat, nec socij partem audit.

14. Obiter adverte, si quando loco antiphonæ, vel similis, personet Organum vel instrumenta musica, adhuc te obligari illam antiphonam submissa voce recitare, quia Organi sola pulsatio non est oratio. Ita Suar. Bon. apud Castr. *tom. 2. d. 3. p. 4. num. 7.* nisi fortè illam aliquis alta voce, (ut certè fieri solet in bene moderatis Ecclesiis) vel ipsi musici cantent cum Organo; tunc enim eam audiendo jam satis oras in Choro. Quòd si totam horam Canonicam ipsi Musici cantent, ut fieri in solemnioribus festis consuevit, aliquibus apud Pell. *l. c. n. 42.* probabile est satisfieri à Præbendaris, vel Religiosis suæ obligationi, si solùm externa devotione ibi assistant, non notabiliter confabulando, vel legendo, &c. etiamsi internè non attendant. Ratio potest esse, quia in iis circumstantiis nihil aliud requirit ab iis Ecclesia, nisi modestè assistere: secùs magnum onus esset, illos Præbendatos, seu Religiosos, vel debere eam domi repetere, vel debere

tam longum tempus, quo per voces musicas ea Hora Canonica canitur, internam attentionem adhibere.

Confirmatur ex Bauci *in selectis, quæst.* 37. *Petes*, 1. qui citans Sanchez *in consil. lib.7.cap.2. dub.16.* ait, non obligari servientem Choro recitare illam partem, quam pulsat organum, quia (inquit) Ecclesia sumit illam partem pulsationis Chori pro Oratione.

*Submissè cantans.*

15. Quæritur secundò, An si quis partem suam submissa voce; ita ut audiri à Choro non possit, profert; ad partem autem ejusdem Chori ritè attendit, an, inquam, satisfaciat. Dixi (partem suam) nam partem alteriùs Chori, ut etiam Lectiones, Antiphonas, &c. quæ ab aliis cantari solent, meliùs esse non recitare, etiam submissa voce, sed ad illam devotè attendere, ne submurmurando aliis detur causa perturbationis, meritò notant Doctores Suar. Sanch. Navar. apud Pell. *tract.1.man. Reg.cap.8. num.26.*

Dico hunc præceptor quidem dicendi horas satisfacere, non verò Ecclesiæ servitio, ideo non obligari ad iterum recitandum privatim; sed non posse distributiones accipere. Ita Bon. *disp.1. de Hor.Can.q.3.p.2.§.1.n,16. & 17.* Præceptum adimplet, quia ponit, quod debet, quoad præceptum orandi. Servitio non satisfacit, quia munus horum ad Chorum deputatorum non esse solùm recitandi quomodocunque Officium, sed publica, atque adeò clara voce. Sanch. Garc. Diana apud Marchinum mox citandum, videntur contrarium sequi, sed ex March. *tr.2.de ord.p.6.c.13. diff.7.n.8.* ij loquuntur de Canonicis, non obligatis nisi ad meram assistentiam, de quibus mox *n.18.* Atque hîc nota, cùm beneficiatus soleat exigere tum fructus à suo beneficio, tum etiam has distributiones ob assistentiam Chori, hunc, de quo loquimur, distributiones solas amittere, non fructus: nam hi dantur propter Officium etiam privatè dictum, illæ propter Chori assistentiam. Quòd si quis non habeat alios fructus, nisi distributiones, certè eas amitter, quia non ponit id propter quod ejusmodi emolumenta ipsi conceduntur. Amittit, inquam, etiam ante sententiam, quia eas Choro non inserviens nunquam facit suas, ut ex vulgatis juribus constat: ita Bon. VIII. *c.5. de Clerico non residente in 6.* Trid. *sess.24.cap.12. de reform.*

16. Petes, huic licétne saltem medietatem distributionum recipere, scilicet pro ea parte, quam Chorus cantat ad quam ipse jam ritè attendit? Respondeo, licere putant nonnulli, quia jam ponit partem sui muneris; Ita Suar. aliíque, quos citat, sequitúrque Bonac. *ibid. p.17.* negant alij meliùs, quia Pius V. prohibet dari distributiones intereffenti, & non recitanti Officium: ita hic ita submissè orans, licèt ad aliam partem attendens, non dicitur absolutè recitare in Choro. Ita Castro P. *t.2.tr.17.d.3.p.4.n.5.*

*Nihil dicens in Choro.*

17. Quæritur tertiò, an qui nihil in Choro dicit, attendat verò ad omnia, satisfaciat?

Dico hunc multò minùs satisfacere; ita Castro *ibid.* quia is nullo modo dicitur recitare in Choro, vel orare velociter, quare etiamsi privatim domi recitaret, satisfaceret quidem ipse præcepto, sed non Ecclesiæ servitio, unde fructus beneficij suos lucri faceret, non verò distributiones.

18. Excipe illud, quomodo diximus *n.14. fine*, excipe item eos Canonicos, seu Beneficiatos, quibus vel ex consuetudine, vel ex privilegio conceditur solùm interesse Choro, aliis Clericis Chori omnes partes persolventibus; ita Navarr. Less. Fill. aliíque apud Bonac. *quæst.3.p.2. §.1.num.17.* Castro Pal. *t.c.p.3.* Azor. *tom.1.lib.10.cap.11. quæst.10.* iis enim modestè attendentibus, neque confabulantibus non puto sive Pium V. sive Tridentinum Concilium suum acquisitum jus vel privilegium ademisse. An verò ex dictis *n.10. & 11.* colligatur his satis esse solam attentionem externam, tu perpende.

*Dormitans in Choro.*

19. Huc facit casus sequens. Beneficiarius dum Choro ritè assistit, maximè à somno impertitur, ipse tamen ei, quantum potest resistens, evincere non valet, ita, ut eo oppressus, nec ad verba, nec ad Officij ministerium attendat, ad quid obligabitur?

20. Puto primò, eum obligari ad privatam, iteratámque recitationem: Ratio est, quia ipse sic dormiens Officium per actionem humanam, & liberam non persolvit.

21. Puto secundò, hunc lucrari distributiones illius Officij sic imperfectè recitati. Ratio est, quia ad illas acquirendas sufficit assistentia, quantam sine culpa potest quis afferre. Certè omnes docemus distributiones acquiri ab legitimè impedito, v. g. ab infirmo, qui Choro non assistat: at quod magis legitimum impedimentum, quàm somnus ille pertinax, qui evinci moraliter non possit, quíque si actuali infirmitati comparetur, non erit error? Recitare autem postea ad finem acquirendi distributiones eundem frustra obligarem, siquidem hæ per horas in Choro recitatas acquiruntur, non per recitatas extra Chorum.

*Confabulans in Choro.*

22. Quæritur quartò, An Canonicus amittat distributiones quotidianas, si non attendat ad ea, quæ recitantur in Choro, sed cum aliis confabuletur, si tamen legitimè recitat, quæ sunt à se recitanda? Respondeo, non est improbabile non amittere, quia verè hic suo muneri non deficit assistendi in Choro, esto peccet contra Religionem, obligetúrque quod omisit, recitare privatim.

*Recitantes tertiatim.*

23. Sacerdotes tres ut laborem Officij temperarent, singuli Versiculum ex Psalmi recitabant; ita fiebat, ut non alternatim, sed tertiatim pensum majore facilitate persolverent; legitiméne id præstasse sentiendum erit?

Respondeo nequaquam, quia obligantur Sacerdotes recitare Officium more Ecclesiastico, id est, vel totum à singulis, vel ex Choro alternatim, nunquam verò quoad Psalmos tertiatim, & certè, si id liceret, liceret etiam quatuor, quinque, plures Sacerdotes suum singulos versiculi recitare, & sic præcepto satisfacere, quod nemo dixit. Huc facit, quod afferam *infrà, lib.3.c.25.§.6.n.5.* ex Castro Palao, qui negat votum recitandi Rosarium, posse impleri recitando alternatim; nam licèt nos ibidem secuturi simus oppositum, ubi mos est recitandi sic Rosaria, id tamen probat hanc doctrinam de non recitando officio tertiatim, quia id in Ecclesia receptum more non est.

## §. V. *De tempore recitandi Officij.*

1. SVis ab Ecclesia statutis horis recitandis esse preces Canonicas clarius est, quàm ut quæri oporteat: hoc est, jam nunc ex introducta consuetudine tenorum, sine culpa etiam veniali, Matutinum, & Laudes ab inclinato præcedenti die usque ad unam circiter horam post ortum Solis diei sequentis; Primâ, Tertiam, Sextam, Nonam, ab aurora usque ad meridiem; Vesperas, & Completorium à meridie usque ad semihoram circiter post Solis occasum. Nihilominus si intra eundem diem recitentur, licèt non in suis horis, non peccari certum sit, nisi venialiter, & aliqua existente causa (certè non necessariò magna) ne venialiter quidem in privata recitatione; nam cæterùm Prælati sub mortali tenentur diligentes esse, ut regulariter suis horis cantetur Officium in Cathedralibus, ac Regularibus Ecclesiæ, præcipitur enim sub indignatione Dei, & Sedis Apostolicæ Clem.1. *de celebr. Miss.* Alij autem inferiores, ad quos non pertinet Chori cura, solùm obligantur, quando esset grave scandalum, vel grave detrimentum divini cultus, qui ipsi succurrere possunt. Vide quæ dixi §.1. *n.7.*

2. Solùm

2. Solùm ergo hîc quærimus primò, Cùm Matutinum, & Laudes possint anticipari, hoc est, sub Vesperas antecedentis diei jam ex introducta consuetudine persolvi, quànam hora præcisè liceat sine mortali?

Nonnulli sive hyeme, sive æstate putant tribus horis ante occasum Solis, nempe 21. hora Italica. Ita Joseph. *Ang. in brevi notitia de Hor. Can. n. 6.* nonnulli tribus horis post meridiem, ut hodiè v.g. die 24. Julij; quo hæc scribo, quia meridies Panormi ad latitudinem gradus 38. est hora 16. min. 53. poterit in horum sententia recitari matutinum hora 19. min. 63. Ita Bonacin. *disp. 1. de Hor. Can. quæst. 3. part. 3. num. 15.* Barbosa, Gavant. Sà, Henriq. apud Dianam *p. 1. tr. 12. res 14.* Nonnulli circa tertiam, & quartam horam à meridie, hoc est, tribus citeriùs horis cum dimidia post meridiem: quæ esset in die 24. Julij, hora 20. min. 25. Ita Diar. *tom. 2. de Rel. lib. 4. cap. 26. n. 14.* nonnulli diem sive longum æstatis; sive hyemis brevem partiuntur in duodecim æquales partes, quales horas Planetarias appellant, & novem ex his elapsis, hoc est, tribus ex his horis ante occasum, docent recitari posse sine scrupulo Matutinum. Nonnulli denique dicunt duabus horis post meridiem, v.g. in dicto die 24. Julij, licere recitationem Matutini? hora Italica 18. min. 53. Ita Sanchez *in cons. tom. 2. l. 7. cap. 2. dub. 37. num. 4.* ex D. Thom. Viguer. Turrecr. & novissimè Fontanad. *tr. 8. singul. 2. num. 1.*

3. Dico has omnes sententias esse probabiles: sequere, quæ tibi meliùs ceciderit: & ratio est, quia ex recepta consuetudine licet recitare Matutinum, & Laudes, quando dies inclinat ad occasum: at quilibet ex dictis authoribus probabiliter putat, eo tempore ab ipsis assignato diem ad finem vergere; ergo meritò tunc licere illarum precum solutionem arbitratur.

Immò Sanchez *ibid.* affert quendam, qui asseruit statim à meridie, præsertim in Quadragesima, quando Vesperæ ante prandium cantantur, posse recitari Matutinum, & Laudes diei sequentis; credo, quia is putavit tunc jam incipere diei declinationem: sed nimis est latè dictum.

4. Illud licèt benignum excipi tutiùs potest pro Italis Horologiis totalibus; Hæc enim per pulsum campanæ dant signum communiter media hora, postquam det per styli umbram horologium solare; lege Pellizz. *tom. 1. man. reg. tract. 5. cap. 9. num. 103.* In eo puncto, v.g. quo Sol infra nostrum Hemisphærium sese abscondit Horologium totale dat signum horarum viginti trium cum dimidia, cùm solare ostendat horam vigesimam quartam. Cujus differentiæ ratio est, quia Horologium totale indicat horas civiles; cives autem usque ad mediam horam apperentes noctis negotia sua propter Solis crepuscula in luce sine tenebris agunt, atque adeò intra diem semihoram illam computant. At Horologium solare, cùm ademptum Solis cursum notet, rectè notat vigesimam quartam horam in ipso puncto occasus, quando verè corpus ipsum solare sese à nobis subducit, nosdémque parere incipit. Jam verò, quia matutinum recitari potest declinante Sole ad occasum, poterit recitari juxta notationem Horologii solaris talem inclinationem ostendentis: cùm ergo solare præcedat communiter media hora ante notationem Horologij totalis Italici, poterit Matutinum recitari semihora ante pulsum dicti totalis Horologij. Æquinoctio, v.g. quando meridies est hora decimaoctava, potest persolvi Matutinum sequentis diei duabus horis post dictum meridiem, ex opinione Sanchez *num. 3.* allata; poterit ergo vigesima hora Horologij solaris; sed vigesima hora solaris est decima nona cum dimidia in Horologio rotali; ergo poterit hora decima nona cum dimidia Horologij rotalis recitari Matutinum. Id quod certè quantum commodi afferat se ex officij penso expedire volentibus, luce clarius vides.

5. Diximus de peccato mortali: quid de veniali? Sanchez *in cons. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. num. 6.* ait, ne veniale quidem esse Matutinum, Laudésque sequentis diei persolvere una hora ante occasum solis diei præcedentis, quia moraliter censetur recitari Matutinum de nocte, quæ tota nox (non autem ipsa sola nox intempesta, seu media, ut aliqui falsò putant) deputatur ad Matutini recitationem. Addit tamen esse veniale, illud recitare sine causa duabus, vel tribus, vel aliis horis prædictis ante occasum, quia, inquit, sine causa tunc, tempore indebito, recitaretur.

6. Pace tanti viri in hunc modum ratiocinor: Persolvere matutinas preces ante occasum præcedentis diei, est consuetudine introductum, ut ipsemet Sanchez *ibidem* fatetur: sed ex eodem Sanchez consuetudo jam introduxit, ut duabus vel tribus illis horis, vergente nimirum ad finem diei, persolvantur, ergo secundùm legitimam consuetudinem licebit tunc recitare: subsumo, consuetudo legitima admittit non minùs veniale, quàm mortale, ergo, &c. Confirmo primò, nam passim video etiam timoratæ conscientiæ Sacerdotes hac in re solùm de hora inclinante ad occasum esse sollicitos, cæterùm aliam causam nec requirunt, nec considerant: credes, quia totas illas horas ad noctem sequentem pertinere ex ipsa praxi sive præsumunt, sive interpretantur. Confirmo secundò, quia idem Sanchez *ibid. num. 2.* affert, & non reprobat quendam doctum Magistrum dicentem quamlibet causam sufficere, & non necessitatem solùm, sed etiam commoditatem. Jam ergo nunquam erit peccatum veniale; quia quando alia causa deest, certè non deest commoditas, semper enim homo in similibus, nisi amens sit, si ab alia vehementiore causa non urgetur, satis à propria movetur commoditate.

7. Petes: licétne Matutinum Defunctorum diei eorum Commemorationis primo Novembris eodem modo pridie serò recitare post Vesperas Sanctorum? Respondeo Aceee: circumfertur autem quædam declaratio Sacræ Congregationis Rituum in contrarium apud Gavantum *in Rom. Brev. sect. 9. cap. 2. n. 6.* in qua solùm excipiuntur Episcopi in Cathedralibus: sed quia in ea declaratione dicitur (prohibuit pridie cantari) clara fit conjectura prohiberi publicam recitationem in Ecclesiis, non verò privatam, de qua loquimur. Adde primò de hac prohibitione non constare authenticè. Adde secundò Rubricam diei Commemorationis Defunctorum in Breviario Romano præscribere, ut dicto, *Benedicamus Domino*, post Laudes Sanctorum, incipiat absolutè Officium Defunctorum: (nota obiter illo die omitti post Laudes Antiphonam, *Salve Regina*) unitum ergo eo die recitanda per Rubricam sunt hæc Officia: ergo, si unione hac supposita, relinquitur potestas recitandi privatim die antecedenti Matutinum cum Laudibus diei infra Octavam Sanctorum, id quod nullus unquam negavit, consequitur relinqui potestatem recitandi eodem tempore Matutinum Defunctorum uniendum cum prædicto Sanctorum.

Atque hinc contrà colligo, Litanias die S. Marci, & Rogationum recitari consuetas, suppositâ eorum obligatione, de qua tamen dixi *cap. 5. §. 2. num. 41.* non posse pridie Vesperi recitari: tum quia Litaniæ illæ sunt loco assistentiæ Processionis, quæ certè pridie non celebratur; tum quia Rubrica Missalis Romani *in die S. Marci*, & *in triduo Rogat.* de iis persolvendis non signat unionem Laudum cum ipsis Litaniis, non enim dicit: Percurrantur Litaniæ, dicto *Benedicamus Domino*, sed: Hodie post Matutinum, seu post Laudes, putà suo debito tempore: tum denique quia pro Litaniis adest illud Hodie, quod non est pro Matutino Defunctorum.

8. Quærimus secundò. An quis profitetur Religionem deputatam ad Chorum, vel sacris, vel incipit possidere Beneficium, hodie, verbi gratia, circa meridiem, obligetur recitare Horas respondentes tempori antemeridiano, hoc est, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam; Nonam? Dico nequaquam obligari? obstringitur enim is illas dumtaxat solvere, quæ correspondent tempori pomeridiano. Ratio est, quia vis Professionis, Ordinis, Beneficij ad consequentia Officia

obligat, non verò retrahit obligationem ad antecedentia.

9. Difficilius est decernere, An si prædictus recitavit manè Horas respondentes tempori ipsi pomeridiano, v.g. Vesperas, obligetur post Professionem, seu Ordines in meridie susceptos, iterum easdem recitare? Obligari docet Bonacina, quem sequitur Castro Palaus *tom. 1. tract. 17. disput. 2. part. 4. numer. 3.* citans Bonacin. quia non satisfit præcepto eo tempore, quo nullum præceptum urget, sicuti non satisfit præcepto de audiendo Sacro die Dominico, per Missam auditam die Sabbati: si quidem die Sabbati nullum urget præceptum: non obligari repetere, supponit ut certum de Lugo, *de Eucharist. disput. 16. sect. 2.* multa enim adsunt præcepta (ait) quæ satis observantur, si paulò antequàm urget præceptum adimpleantur: sic, si manè sacrum fecisti, vel eidem interfuisti in loco, ubi non est festivus dies, nullus te accedentem eodem die manè in locum, ubi celebratur festum de præcepto, obligabit iterum assistere Missæ. Hinc ego sententiam eum secutus, *in opusc. de Comm. cap. 5. §. 2.* Hanc iterum amplector, cujus rationem ibi, si juvat, relege.

Quoniam tempore Officij agimus, Quæret quis: An Officium ex obligatione, recitare liceat tempore Missæ, quæ auditur ex præcepto; ex communi ferè calculo licere respondebimus *inferius, lib. 4. cap. 2. §. 10. num. 16.* quia utraque est attentio ad divina, neutra alteram impediens.

## §. VI. *De loco, & situ recitandi Officium.*

1. PRo publica recitatione locus est Chorus, & tota Ecclesia, ejusque Capellæ: immo alicubi, ex introducta consuetudine, Sacristia, quæ patet ad Ecclesiam: pro privata verò nullus est assignatus locus: solùm advertit Castro Palaus *l. c. n. 7.* ex Bonac. *disp. 1. de Horis Can. q. 3. p. 5. num. 5. & 6.* lege item Bellarminum *de bon. operibus, lib. 1. c. 18.* & Navar. *de orat. c. 3. n. 9.* ne in locis immundis, vel distractioni expositis recitetur sine necessitate, qua non existente, venialiter, inquit, peccaretur: ibi propter irreverentiam, hic propter periculum distractionis.

2. Ego hoc de loco distractionibus exposito libens amplector: Illud de locis sordidis, præciso contemptu (qui sanè gravissimum esset scelus) vix possum admittere, nam pari modo, si quampiam orationem vocalem Deo, vel Sanctis eo in loco effunderes: immò si orationem mentalem tunc exerceres, aspirationémque haberes ad Dominum Deum, venialiter peccares; & sanè nimis durum videtur velle fidelem obligare ad abstinendum ab Oratione eo tempore, quo humanis necessitatibus inservit. At in conceptu hominum Oratio ejusmodi sordido facta loco, reputatur irreverenter fieri. Respondeo ita reputari à vulgo, non à sapientibus, qui res suo momento expendunt. Deus optimus operis mundi æquè, atque immundi Creator est, & conservator, à nullis unquam sordibus, radij solaris instar, inquinandus; & rectè affert Pater Tanereda, *tom. 1. de Relig. tr. 3. lib. 3. d. 3. num. 3.* S. Anselmum apud eundem, id ex illis verbis comprobantem: *Deus ubique est*, & S. Chrysostomum *hom. ad populum Ant.* apud eundem, sic hortantem, *Templum es, ne locum quæras.* Lege Suarium *dict. lib. 2. de ord. disp. 3.* & *lib. 2. disp. 4. num. 3.* & item illud David Psalm. 102. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

Distinguendum igitur est; si locus ejusmodi sordidus sine delectu eligatur ad Horas recitandas, aliàsque preces effundendas, cum possit mundior eligi, aliquam venialem irreverentiam committi probabile est: at si vel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter, quia etiam in loco sordido melius est orare, quàm otiosum esse. Molphesius apud Bonac. *l. c. q. 3. p. 6. num. 6.* narrat quendam, qui in locis immundis recitabat Officium, in iisdem post mortem luisse pœnas. Meritò, is enim non ex amore non cessandi à Dei Laudibus in quocunque loco, sed fortasse temerè, & sine delectu, cùm alibi facilè potuisset, in locis sordidis Sacrum per sum peribebat.

3. Quod asserimus de loco, dictum esto de situ corporis: si enim sine necessitate in lecto decumbens vel sub immodesta corporis positione sine delectu recitares, cùm id sit aliquis desidiæ effectus, irreverentiam, puto, venialem committeres, præscindendo semper à contemptu, ut dictum est.

4. Stare cum standum; genuflectere, cum est ex præcepto Rubricæ genuflectendum, non excedit, citra eundem contemptum, fines peccati venialis: immò ne venialis quidem culpæ terminum attingere putat Castr. *loc. cit. n. 7.* quia eæ Rubricæ solùm videntur consilium dare, non præcipere: cùm videantur ad Chorum ordinatæ.

## §. VII. *De obligatione, & pœnis non recitantium Officium.*

SAtis ex dictis liquet præceptum Horas Canonicas recitandum esse sub mortali, idque, ut dictum est, *in opusc. de conf. lib. 2. cap. 2. §. 4.* satis probabiliter unicum uno die, pœnámque insuper contra præbendatos, seu Beneficiatos esse Restitutionem; contra alios enim præter mortalem culpam, nullam invenio pœnam in jure statutam. De ejusmodi ergo restitutione, si planè eam cognoscere cupias, adi Castr. aliósque *ibid.* citat.

## §. VIII. *De causis excusantibus ab Officij recitatione.*

1. POtest esse sermo vel de recitatione absolutè, vel de recitatione in Choro pro præbendatis. Quoad posteriorem sunt illæ tres, quarum meminit Bonif. VIII. Infirmitas, corporalis necessitas, utilitas Ecclesiæ, de quibus fusè Doctores. Quoad priorem: de qua ut potè magna, nobis necessariò aliud distinctius hic operæpretium est afferre, sunt item tres. Impotentia, gravis occupatio, dispensatio.

### *Impotentia.*

2. Impotens eris ad recitandum, ac proinde, sive ulla culpa Officium omittes: Primò, si inculpatè obliviscaris: Secundò, si ignores te obligari, vel si legere nescias, qua utraque ignorantia pueros in Beneficium assumptos laborare non rarò contigit: non tamen excuso, ut *supra, §. 1. n. 17.* dixi, nescientem legere, si is Beneficium, vel Ordinē susciperet, quia in ipsa susceptione peccat, dum graviter indispositus Officij recitandi onus advertenter acceptat. Recole locum citatum. Tertiò, si sine culpa Breviario careas. Quartò, si gravi quopiam malo; v.g. infirmitate, ætate, &c. premaris, vel ne illo vexetur jure times, putà febri, dolore vehementi. &c. Quintò denique, si jacturam non mediocrem timeas fortunarum, vitæ, honoris, quod licèt rarò inter Catholicos evenire soleat, solet in locis hæreticorum, vel infidelium, etiam præscindendo à contemptu Religionis, &c. Huc reducitur, si graves rixæ & discordiæ timeantur, si Officium recites, in quod certè rarissimè evenire video.

Filliucius *t. 27. p. 2. cap. 6. q. 9. n. 125.* non excusat eum, qui ex pravo habitu magnam habet difficultatem Officium recitandi, quia illum habitum à se tollere obligatur. Meritò: sed limita, nisi tanta sit difficultas, ut impossibilitas moralis reputetur, qualis esset si timeretur futura febris, vel gravis dolor capitis, isque continuus, &c. Sicut enim sua culpa incidens in impotentiam jejunandi, ea contracta ad jejunium non tenetur, ita in casu nostro.

Verùm circa causam infirmitatis quatuor mihi fiunt obviam non vulgares difficultates.

### *Prima difficultas.*

*Qui non potest totum recitare, non teneatur*

*ad partem.*

3. Visis multis, variis, confusisque dicendi modis

hanc

hanc judico omnium expeditissimam, & sanè tutam regulam: Qui non potest majorem divini Officij partem recitare, potest autem minorem, ad neutram obligatur. Contra: Qui non potest minorem, potest autem majorem, ad majorem (omissa licitè minore) planè tenebitur. Ita Sanchez *lib.7. concil. cap. 2. d. 47. num. 3.* Azor. *tom. 1. lib.10. cap.13. quæst.4.* Castro Pal. *tr.7. d.2. p.6. n.8. & 9.* Ratio regulæ est, tùm quia sic consuetudine receptum est à prudentibus, tum quia major pars trahit ad se minorem, non verò contra, tum denique quia sic suavius redditur onus Officij, & scrupulis minùs obnoxium.

4. Qui potest æqualem, hoc est, dimidium Officij dicere, obligatur ad illam, omissa dimidia parte, quam non potest. Ratio est, quia tunc non possumus recurrere ad regulam, per quam major pars trahat ad se minorem: cùm ergo pars dimidia sit planè pars notabilis, ab illa excusari aliquis non poterit.

*Secunda Difficultas.*

*Quænam sit major, quæ minor pars?*

5. Sed ex his ecce secunda difficultas in praxi emergens, ecquænam censenda sit major, quæ minor Officij pars? Ex quatuor dictis, quæ apud non ignobiles Doctores invenio, id facilè fortasse ad lucem evocabimus.

6. Primum dictum Navarri, Less. Azor. Val. apud Castro Pal. *l.c. n.* 8. Qui potest recitare Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, licèt non possit Matutinum, compellitur illas recitare omisso Matutino, quod supponimus, non posse. Ratio est, quia tot horæ sunt major Officij pars. Atque ex hoc dicto sequitur, quod si contra, potest quis solum Matutinum recitare, non autem illas horas, ad nihil obligabitur, ex dictis *n.* 3. quia nimirum solum Matutinum est minor Officij pars.

7. Secundum dictum Rodr. Garc. Molf. apud Bonac. *tom. 1. de Hor. Can. q.6. p.2. n.6.* Apud Ioan. Sanch. *in select. d.15. n.1.* Contra sentit Th. Sanch. *lib.2. indecall. c.19. num.8.* Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, ad nihil tenetur. Ratio est, quia Matutinum & Laudes sunt major, & certè potior Officij pars. Atque ex hoc dicto sequitur, quòd ex adverso, qui potest recitare Matutinum cum Laudibus, non potest autem illas cæteras horas, tenetur his neglectis ad illud, quia illæ cæteræ horæ sunt minor pars Officij divini.

8. Tertium dictum Castro Palai *l.c. p.6. num.* 5. Qui potest recitare cæteras omnes horas præter Vesperas, ad illas cæteras solvendas obligatur. Ratio est eadem, imò ut ex se patet, major. Ex quo contra sequitur, valentem solas Vesperas, adde & Completorium, non autem cæteras alias recitare, ad nihil teneri, quia Vesperæ, & Completorium, cùm sint pars minor, trahuntur ab excusatione aliarum, quæ sunt major.

9. Excipe tamen hîc, & in similibus, nisi fortè superveniat præceptum. Explico. Sit qui statim à meridie facto Ordine initietur: hic, licèt non obligetur recitare majorem partem Officij illius; diei nempe Matutinam Laudes, cæteràsque horas, ut *suprà*, §. 5. *num.* 8. vidimus, obligatur tamen Vesperas & Completorium. Ratio est quia tunc supervenit præceptum cadens in Vesperas & Completorium, materiam sanè capacem gravis obligationis, nullo respectu habito ad horas antecedentes.

10. Quartum dictum Ioan. Sanch & Gar. apud Pelliz. *tom. 1. tr. 5. c. 8. n. 110.* Non es obligatus recitare illam horam, cujus notabilem partem necesse habes omittere, v. g. si sit cæcus, qui memoriâ teneat Psalmos Matutini, non autem Lectiones, non tenetur Matutinum recitare, quia Psalmi sine Lectionibus non sunt substantialiter Matutinum Ecclesiasticum, atque adeò Lectiones sunt notabiles Matutini partes. Quid si sciat Psalmos horarum, nesciátque Capitula & Orationes? Certè similiter non videtur ad horas recitandas obligandus, ita Tol. Diana, & ex parte Sotus apud Pelliz. *loco citato num.* 112. quia pariter illi psalmi non sunt substantialiter Horæ Canonicæ, juxta formam à Pio. V. præscriptam. Si cæcus nesciat, vel tu non habeas hodierni Officij majorem partem, sciat verò ille, vel habeas tu majorem partem Officij alterius diei, non obligamini ad recitandum hoc alterius diei Officium, imò neque ad alias preces. Ratio est, quia non tenemur ex ullo præcepto aliud supponere loco Officij diurni.

11. Occasione hujus exempli ducti à cæco, Petes: Si possit ejusmodi cæcus, vel quicunque alius ascisci socium, cum quo valeat Officium totum ritè recitare, obligabiturne? Respondeo obligari ad ascisciendum socium docent nonnulli ita Bonac. alios referens *disp. 1. de Hor. Can. q.6. p.1. n.8.* sed certè probabile etiam est sacris initiarum, vel Religiosum non obligari, quia facultas admittendi socium etiam sponte sese offerentem, est privilegium: Privilegiis autem utimur, quando volumus. majori jure idem sentiendum de surdastro, qui quamvis, ut dixi *suprà* §. 4. *n.* 13. sit obligatus recitare Officium, tamen si ejus conditionis esset, ut non posset illud sine socio, cùm socio posset, non tamen obligaretur ad illud ascisciendum, atque adeò posset recitationem negligere. Ratio est tum quia, ut dictum est, recitare admisso socio est privilegium; tum quia valde onerosum esset socio eum obligari ad vociferandum, quod certè deberet præstare, ut surdaster audire posset.

12. Dixi (sacris initiatum vel Religiosum) nam Suar. Vasq. Azor. Reg. Laym. aliique apud Bonac. *loc. cit.* id meritò negant Beneficiato? Hic enim cùm ex justitia debeat recitare Officium, obligatur aliquanto plus, quàm alij. Unde si facilè, & non cum gravi suo incommodo socium habere potest, advocare tenetur, siquidem qui se obligavit ad Officium acceptando Beneficium, se videtur obligasse ad media saltem non multum difficilia apponendam.

Ex his difficultatem secundam modò propositam satis concepisse luminis jam vides.

*Tertia Difficultas.*

*Quænam infirmitas excuset ab Officio?*

13. Dico, nec levem, nec certè necessariò gravissimam; quia levis non affert mortaliter impedimentum, & pia Mater Ecclesia nequaquam cum tanta severitate nobiscum agit. Statuatur ergo hæc Regula: Si absit Medicus, vel vir expertus, qui possit de notabilitate infirmitatis diiudicare, nec adsit Superior, qui certè in dubio valet dispensare, tunc decerne infirmitatem esse notabilem, ad effectum negligendi Officium, cùm à recitatione timeas aliquod non parvæ considerationis malum. Video adhuc regulam non esse expeditam, verùm planior fiet ex corollariis.

Hinc enim ex Sanch. *lib.7. cons.c.2. d.45.* timor, quòd sit occasione recitationis futura stomachi cruditas, vel capitis gravedo, vel virium lassitudo, vel tardior febris remissio, excusabit hominem ab Officio.

Hinc, ex eodem *ibid. num.5.* imbecillitas ejus, quem febris deseruit, eundem per aliquod dies excusabit, quia illa imbecillitas infirmitas est, & Mater Ecclesia convalescenti per aliquod tempus requiem ab Officio concedere putanda est. quid si Missam hic celebrare velit? celebret, inquit Sanch. *ibid* esto vacet per eos dies ab Officio; hoc enim suavitati Ecclesiæ tribuere omnino debemus. Hi autem dies numerari debent judicio prudentis proportione habita ad gravitatem præteritæ infirmitatis, & præsentis difficultatis.

Hinc ex Pellizzario mox citando *n.*158. quartana laborans, quando expectat vespertinam febris accessionem, quamvis, si manè bene se habeat, debeat horas

Matutino tempori respondentes persolvere, nec obligetur manè, ex probabili sententia Vesperas & Completorium recitare, præveniendo tempus; nihilominus, si manè imbecillis existat, timeátque sibi recitationem, à toto officio absolutè, ut ex dictis patet, excusabitur.

Hinc luscus, & quicunque ex oculis laborat, timet videndi vim ex legendo paulatim deperdere, Horas Canonicas ne legat.

14. Quid si hic luscus, vel ille valetudinarius legat voluntariè fabulas, vel historias, omittit autem Officium, peccabítne; Respondeo non peccaturum contrà obligationem recitandi Officium; ita utrique Sanch. apud Pelliz. *tom.1. tr.5.c.8.n.166.* quia ab illo jam excusatur, sicuti non peccat contra præceptum jejunij, qui ex infirmitate commedit carnes, sed ex gulæ concupiscentia comedit pisces. Verùm, quemadmodum hic peccat contra charitatem in se ipsum, si multùm ei noceant pisces, ita peccaturum non ambigo illum, qui fabulas cum sanitatis detrimento legit: quod tamen detrimentum saltem notabile rarò evenit, quia hisce Lectionibus, quantum est ex hoc capite, recreatur animus, non multùm opprimitur.

*Quarta difficultas.*

*De nocumento dubio. Remissivè.*

15. Quid faciendum, quando omnibus pensatis tu, vel etiam Medicus ancipite remanetis, an sit allatura notabile nocumentum horarum persolutio? Resp. de hac re dictum esse satis *sup. lib.1.c.3.§.7.v.Hor.Canon.n.2.*

*Gravis Occupatio,*

16. Vt occupatio superveniens abrecitando excuset, gravísne, ac necessaria debet? gravis, inquam, sive in re pertinente ad animæ salutem, sic etiam ad honorem, vitam, fortunas: ita Suar. Vasq. Laym. aliíque apud Bon. mox citandum.

Ex hoc ergo capite excusantur communiter recitaturi publicam Lectionem in concursu ad Cathedram, vel ad Doctoris lauream acquirendam; Item concionatores, atque Confessarij, quando nec concionem, nec confessionem sine nota vel scandalo queunt omittere, nec simul cum illis Officium persolvere. Sed quid erit in magna frequentia confessionem exposcentium? Rarissimè hanc solam excusationem admitto, quia ex una parte facilè potest differri in alium diem aliquorum confessio (nisi fortè non posset in magno Iubilæo, ubi pauci essent Confessarij) & ex alia parte congrua est unius, vel alterius Horæ vacatio à confessionibus, ut quod Orationi debetur, exsolvatur.

17. Illud admitto libens, si quis bona fide Officium remisisset ad finem diei, ad unam vel alteram scilicet horam ante mediam noctem, & ad Confessionem, vel Communionem, vel etiam Extremam-Vnctionem moribundo conferendam, advocaretur, admitto, inquam, si ad utrumque, id est, ad Officium, & talia Sacramenta ministranda tempus non suppetat, posse Officium negligere, & ad morientem evolare, etiamsi non sit Parochus tunc enim elucet clara necessitas, quæ certè non est in vulgaribus Confessionibus, vel Communionibus.

18. Sacerdoti pauperi tum demum hanc excusationem indulgerem, quando extrema, vel etiam gravis necessitas victum quærendi, ita illum opprimeret, ut nequiret vitæ necessaria invenire, & Officium persolvere. Sed quando Sacerdotibus patrimonio communiter fruentibus tam acerba fors necessitatis?

19. Audi hîc, amice Lectori, facetum casum, non tamen facilis solutionis: Remisit bona fide quidam Parochus gravibus distentus per diem negotiis, recitationem horarum parvarum simul cum Vesperis & Completorio in ultimam horam ante mediam noctem; (fortè autem erat dies Iovis,) quando reversus domum incœnatus, voluit hac intentione cibo se reficere, ut absoluta per diam horam cœnæ, Officium recitaret alia media hora, quæ ante initium diei sequentis jam superfutura erat. Vix sedit ad mensam, cùm vocatur ad audiendam confessionem ejusdam fortè graviter de nocte in subita rixa vulnerati. Advolat, audit ritè confessionem, domúmque redit, sub eam temporis angustiam, ut semi horula, quæ supererat ante noctem intempestam non sufficeret ad utrumque, quod ipsi erat præstandum, nempe ad cœnandum, & certè cum carnibus (impendente enim die Veneris expirabat dies Iovis) & ad Officium persolvendum. Quid ergo faciet Parochus, præsertim volens die sequenti sacrificium ritè jejunus celebrare?

Si de consilio hîc ageretur facile illi hoc consilium dares, ut jejunus & incœnatus horas aliàs solito, Deó gratiores persolveret: sed de obligatione agimus, non de consilio. Obstringámne hunc jejunare nolentem? Ius cœnandi, quo homo fame, & negotiis oppressus gaudet, dixerímne necessitatem levem, an potiùs gravem? Deinde. Quid melius, recitatio Hæc officij; an Sacrificium diei sequentis, quod omittere absque dubio deberet Parochus, si propter recitationem comedere ante mediam noctem non posset; facilè enim comedet, si non carnes, certè pisces post mediam noctem, ac propterea ad Sacrificium peragendum ineptus erit. Hæc & similia expende, & prudens rem decernito: ergo ad utiliora progredior.

20. Si gravem occupationem (idem dic de quolibet alio impedimento) manè, verbi gratia, prævideas, obligaberísne Officium prævenire, & totum manè recitare?

Respondeo ita, cum Suar. *tom. 2. de rel. lib.4.de Hor. Can.c.28.n.28.& 36.* Azor. *p. lib. 10. c.13.q. 15.* Bonac. *disp.1.de Hor.Can. q.5.p.2.n.2.* aliísque ab eodem relatis; quia præceptum de officio percurrendo non urget solum suis correspondentibus horis, sed toto die: est enim unicum præceptum totius diei. Quoniam ergo toto die, atque adeò in qualibet ejus parte urget præceptum, obligaberis manè, si serò non potes; vel serò, si non potes manè: sicut qui prævidet die festo, se non posse adesse Sacro circa meridiem, posse autem manè, adesse obligabitur, & è contra, ut à nobis dictum est, *in opusc.de comm. c.4.§.4.n.39.*

Scio primò Emanuelem Sà *v. Hor. Can. num. 1. in genuina impressione* (nam *in expurgata* expunctum est) sic habere; *Nec tenetur ad Horas qui urgente negotio est impeditus, huic enim sufficit recitare horas temporis non impediti.*

Scio item secundò nonnullos, ut Henriquez, Sanchez, Diazam apud Pellizzar. *tom.1. tract.3.c.5.n.119.* uti distinctione, ac velle te obligari quidem ad prævenicndum, impedimentum est à te voluntariè apponendum, non verò si tibi sit involuntarium: unde laboratus à meridie febri quartana non obligatur (inquiunt) manè, etiamsi bene valeat recitare Vesperas, & Completorium, quia hoc impedimentum involuntarium est: at iter acturus obligatur, quia iter est impedimentum voluntarium: Scio, inquam, hæc, sed certè hoc posterius dictum, ejúsque distinctionem video esse probabilem, id quod ego *suprà* admisi *num.13.* ex Pellizzario: At illud prius propter rationem modò à nobis allatam, admittere non possum.

21. Nec obstat Officium esse dictum per diversas horas, id enim factum est propter significationem, non verò propter obligationem, quasi partis Officij recitatio sit addicta uni horæ. Si enim ita esset, transacta illa hora non obligaretur quis partem Officij illi horæ respondentem recitare, sicuti transacta die Dominica, non obligamur ampliùs Missæ interesse, quod nullus dixit. Qua ratione non possit quis nunc suscipere voluntarium impedimentum, quo prævidet se impediendum à crastina recitatione officij, & habes apud Bonacin. *loco citato*, & nos universim de hoc egimus *in opusc.de Sacrif. Missæ, lib.3. cap.6.§.2.* & iterum *infrà, lib.4.cap. 2.§.2 à num.5.* cum de Auditione Sacri.

22. Petes,

12. Petes, quando grauis occupatio impedit solam Officij partem, qua ratione obligabimur ad aliam partem recitandam? Respondeo ea ratione, quâ diximus paulò ante *à num.* 13. de infirmaliceat enim Suarez *tom.* 2. *de rel. lib.* 4. *cap.* 28. *à num.* 12. eam Doctrinam solùm tradat ad infirmum excusandum, tamen Castropalaus *tom.* 2. *tract.* 7. *d.* 2. *p.* 6. *à num.* 4. eam extendit ad quamlibet aliam occupationem, & meritò; par enim videtur ratio, vt ex *ibidem* dictis constat, dummodo firma remaneant quæ *num.* 10. dicta sunt.

*Dispensatio.*

23. Dispensatio de Horis Canonicis non percurrendis potest considerari, vel ut concedenda à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel à Prælatis Regularium ad singuli separatim.

*Dispensatio à Summo Pontifice.*

Dispensatio etiam sine causa à Summo Pontifice concessa, valida est, ac sufficienter excusat hominem ab horum solutione. Sylu. Tol. Nav. & passim, apud Bon. *d.* 1. *de Hor. Can. q.* 1. *p.* 2. *n.* 5. Ratio est, quia validè Pontifex dispensare potest in iis, quæ sunt de jure positivo Ecclesiastico, quale est hoc, de quo agimus ut fatetur omnes: sic videtur dispensare, quando scienter dat beneficium infanti, vel puero ignoranti, id quod intellige pro tempore impedimenti.

*Dispensatio ab Episcopo.*

24. Dispensare item validè poterit Episcopus quoad culpam (poterit etiam Vicarius generalis, tum ejusdem Episcopi, ex Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *c.* 6. *d.* 27. tum Capituli, Sede vacante, sed non nisi ex speciali mandato Episcopi vel Capituli respectivè, ut habet Merolla *ibid. c.* 1. *d.* 1. *n.* 33. & 34.) dispensare, inquam, validè poterit sed cum rationabili causa in casibus occurrentibus, non verò in perpetuum: sic Pell. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 8. *n.* 124. Ratio est, quia ex una parte, (ut est communior sententia cum Castrop. alios citan. *tom.* 1. *tract.* 3. *de dispensat. d.* 5. *p.* 6. *part.* 4. *num.* 8.) Episcopus non potest dispensare in lege superioris, nisi quando Superior eidem posse positivè concessit, & ex alia parte valet idem dispensare in eadem lege superioris, quando necessitas adest, nec commodè aditi potest Pontifex, & multò magis in casibus, qui frequenter occurrere solent; In iis enim censetur Superior potestatem Episcopis concessisse, ne in rebus frequenter occurrentibus ad Pontificem recurrere cogantur Fideles, sed ita est in casu nostro: ergo. Ita idem *ibid. p.* 5. *n.* 5.

25. Dixi (quoad culpam) quia quoad restituendos fructus non potest Episcopus dispensare. Ratio est, quia quoad hos, qui ex justitia restitui à negligente Officium debent, non apparet posse adesse rationabilem causam dispensandi, & applicandi fructus alienos alteri.

*Dispensatio à Prælatis Regularium.*

26. Denique de dispensatione pro Religiosis exemptis est distinguendum, posse nimirum nos loqui vel de subditis aliquo Ordine sacro initiatis, seu fortè Beneficium possidentibus, vel de subditis solùm obligatis ad Officium ex universali ratione professionis ad Chorum.

Si de prioribus agamus, poterit Prælatus in suos eodem modo, quo potest in suos Episcopus, nisi à Superiore fuerit prohibitus; quia prælatus etiam Conventualis, ex Suar. *lib.* 4. *de rel. tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 15. (nisi is à Superiore limitetur) se habet in hisce casibus frequentibus, sicut Episcopus.

27. Si de posterioribus, faciliùs poterit idem dispensare: ita Bon. *disp.* 1. *de Hor. Can. q.* 2. *p.* 2. *n.* 9. dispensatur enim tunc in jure Religiosi, circa quod plus, quàm in jure communi Prælati Religionis authoritatis habent: sicuti enim ij possunt in aliis præceptis Religionis (nisi prohibeantur (sic poterunt in hoc. Hinc colligit Bonacina *eodem*, Prælatum posse dispensare suos subditos non initiatos sacris, ab Officio ratione studiorum, vel negotiorum.

28. Si quæras, quinam Prælati Regulares possunt in prædictis dispensare? Respondet Bonacina, Supremum, nempe Generalem. At ego pro casibus occurrentibus posse Conventualem non ambigo, quando à Superiore non limitatur: quia si potest, ut modò dixi, cum initiatis, multò magis cum cæteris. Pro longo tempore, seu semper non potest Regula certa constitui, consulat quisque Superioris sui Conventualis authoritatem præsertim verò praxim suæ Religionis, & multò magis privilegia. Quâ ratione Episcopus, vel dicti Prælati si dispensent sine causa, non illicitè solùm verùm etiam invalidè dispensent, à nobis *infr. lib.* 3. *c.* 73. Deo aspirante tractabitur.

Existente denique dubio, an ut excuseris à recitatione, non indigeas dispensatione, eámque an petere obligeris ex *suprà* dictis *lib.* 1. *c.* 3. §. *v. Hor. Can. & v. Dispensat.* colligi potest.

---

## Caput VI.

### De Peccatis Religioni oppositis.

Hæc sunt Perjurium, Simonia, Adjuratio, Superstitio, (quo nomine multa includimus, ut mox patebit) Sacrilegium, Blasphemia.

De perjurio & adjuratione agam, cùm de juramento? de simonia cùm de contractibus: hîc de tribus posterioribus breviter disseremus. Adest & tentatio Dei; verùm hanc ad vitia Spei adversa non reducimus *suprà, c.* 2. §. 2.

#### §. 1. *De Superstitione.*

1. Dvplex ea est, altera, quâ cultus Deo debitus tribuitur creaturæ; Altera, quâ eidem Deo, tribuitur cultus indebitus. Ita Castro Pal. *t.* 3. *t.* 17. *disp.* 1. *de superstitione, p.* 1. aliique *ibid.* cit. Quoad priorem, quæcunque veneratio creaturæ impensa, animo illam ut Deum venerandi, mortalis est, solétque distingui in quinque species; Idololatriam, Magiam, Divinationem, vanam Observantiam, & Maleficium, de quibus mox sigillatim.

2. Quoad posteriorem (quæ nomine generis vocatur absolutè superstitio) si tribuas Deo indebitum cultum, hoc est, falsum, peccas mortaliter, ut si eum nunc colas per cæremonias Judaïcas, vel Mahumetanas, profiteretis enim sic veras esse Sectas illas falsas. At si tribuas indebitum cultum, hoc est, verum quidem, sed superfluum, communiter est venialis ut si in Missa unam vel alteram orationem seu versum adderes, quæ non addit Ecclesia. Dixi (communiter) nam ad mortale posset ascendere, si insermiscetur aliquod dæmonis pactum, vel aliqua gravis irreverentia, vel aliqui sive expressus, sive tacitus contemptus Rubricarum; ut *in opusc. de sacrific. Missæ, lib.* 2. *c.* 5. §. 1. diximus (vel similia.

3. Ex his colligit Sanchez *lib.* 1. *in Dec. c.* 37. *num.* 7. turpem sonum, vel turpia cantica profanáque admiscere inter divina Officia ad turpem finem esse mortale, quia videtur coli Deus per cultum falsum, qui scilicet Deo displicet: quod intellige præter peccatum contra castitatem ob finem inhonestum, adesse peccatum superstitionis propter irreverentiam, quâ modo dicto tunc afficitur Deus Quid si non fiat ad colendum Deum, sed solùm ad ipsum finem turpem? Erit etiam superstitio mortalis, quia, præter scandalum, adest Dei injuria, dum in Officio divino, ubi colitur Deus, intermiscetur materialiter id, per quod offenditur. Quid, si non sint turpia, sed

sed solùm vana ? puto tunc esse veniale, & universim hanc regulam serva; esse mortale, quando ex circumstantiis advertitur esse gravis officij irreverentia, secùs esse veniale.

4. Colligit secundò *ibid. à n.9.* falsas sanctorum reliquias intrudere adorandas, vel in signum falsi miraculi, vel Beneficij accepti, tabellas in templo, vel figuras exponere, falsa item miracula prædicare, vel typis imprimere, esse mortalia. Meritò, quia gravis veræ religioni sic infertur injuria: nec excusatio duci potest à bona intentione propagandæ devotionis, cùm potiùs hæc eo modo diminuatur, dum aperitur via ad vera neganda; præterquam quòd Deus verus honorari merdaciis valdè refugit.

5. Colligit denique Sanchez, *n.* 11. & 12. jejunare die Dominico, nisi id fiat ad confirmandam Manichæorum hæresim contra Christi Domini Resurrectionem, ne veniale quidem esse, quia ablato illo contemptu resurrectionis, adde & ablato aliquo studio singularitatis (quod ex se esset veniale, quódque magis apparet, si comedendo aliis diebus, die Dominico frequenter quis jejunaret) non apparet unde ex se esse colligatur vel levis culpa.

*De Idololatria.*

6. Hæc est illa actio, quâ divinus cultus tribuitur creaturæ, illam ut Deum honorando. Gravissima culpa; & in Baptizato, si sit cum errore intellectus quo putetur creatura illa Deus esse, est subjecta censuris Bullæ Cœnæ: nam si sit exterior, licèt mortale sit, & quidem non vulgare peccatum, est tamen à prædictis Bullæ Cœnæ censuris immunis: sed hæc de idololatria sufficiant, nam cætera satis sit *suprà, c.* 1. §. 3. breviter innuisse.

*De Magia.*

7. Magia dæmoniaca est, quæ à dæmone mirabilia quis expoſcit vel expectat. Dixi (dæmoniaca) nam magia naturalis, quæ ex scientia, quâ per abditas herbarum, vel similium rerum naturalium virtutes aliquid mirum agitur cùm ea improbanda non sit, hîc nequaquam locum habet. Ad hanc magiam naturalem aliqui reducunt Alchimiam, per quam vilia metalla in aurum commutantur; quamvis nonnulli ejusmodi virtutem naturalem adesse prorsus inficientur. Lege Delrium *lib.* 1. *de mag. t.* 5. *q.* 1. *sect.* 2. & 3. aliósque passim.

8. Solet autem ut plurimum inter magum & dæmonem intercedere pactum: Magus enim abnegat Sacramenta & Fidem, spondétque dæmoni obedientiam: hic repromittit se facturum quod magus ille voluerit: Hoc autem pactum erit expressum, si expressa conventio celebretur inter magum & dæmonem: at erit tacitum, si magus utatur actionibus mediis magicis non ab ipso, sed ab alio conventis cum dæmone; tunc enim utendo conventis, censetur voluntati dæmonis assentiri, fœtóque ipso dæmonem invocare: utrumque peccatum mortale gravissimum, licèt hoc minus grave, & magis excusationis capax, ut ex dicendis constabit, ubi etiam *n.* 25. & 26. regulæ afferentur ad pactum tacitum cognoscendum. Cætera, quæ de magia cognosci à nobis debent, ex dicendis fiet palàm.

*De Divinatione.*

9. Est inordinata earum rerum, quæ naturaliter sciri nequeunt, prædictio per media à Divina providentia non constituta: S. Thom. 2. 2. *q.* 91. *art.* 1. lege Aurel. fusè *lib.* 9. *cap.* 12. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 18. Hæc media possunt esse varia: Astrologi enim motibus Stellarum utuntur ad occulta prænoscenda: Aruspices avium volatibus: Sortilegi sortium jactibus; &c. Ipsæ item res occultæ sunt variæ, nimirum sive præteritæ, sive præsentes, sed nobis remotæ, sive futuræ. Denique alij sunt modi eas res occultas dignoscendi, nam aliquando cognoscuntur cum expressa dæmonum invocatione, aliquando per dictam mortuorum resuscitationem, quæ propriè dicitur Necromantia, non raro per signa visa in aqua, appellatúrque Hydromantia, sæpè per eadem apparentia in terra, aëre, igne, dicitúrque Geomantia, Aëromantia, Pyromantia; Huc etiam reducitur, quando per somnia vana, &c. Cùm ergo tam varia sint ejusmodi media, variæ etiam diversæque species solent describi Divinationis. Nobis ad praxim dumtaxat spectantibus has innuisse sat est: modò notentur tria, & modò de Astrologia, quæ frequentior est, & de Insomniis separatim differamus.

10. Nota primò: quando intermiscetur expressa dæmonis invocatio; committi alterius speciei peccatum, atque adeò specialiter Confessori apertendum, immò majus, quàm quando est tantummodo tacitum; quia explicitum addit commercium cum dæmone, & subinde promissionem actualem eidem factam, id quod non invenitur in tacito, ut à nobis dictum est *in opusc. de conf. lib. c.* 2. §. 5.

11. Secundò: si divinatio (idem est in cæteris superstitionum speciebus) habeat admistum aliud genus peccati, utique duplici peccato, utroque Confessori aperiendo, peccabitur, v. g. si augurium bonum, vel felices sortes, &c. exquiras ad puellam subornandam, præter divinationem, aderit & peccatum incontinentiæ: Ratio est ex se manifesta.

12. Tertiò: ad cognoscendum, quandónam sit mortalis divinatio, hanc regulam habe: Sive per expressam dæmonis invocationem sciri quærantur occulta, sive per tacitam, semper esse mortalem: posse tamen per tacitam, non infrequenter excusari, sed ecce nodus: & quandónam hæc excusatio tandem erit? Evolvo. In tribus casibus. Primò, accedente ignorantia excusabili; Secundò, si non fiant ejusmodi divinationes animo invocandi, ne tacitè quidem dæmonem, sed jocandi: ita Cajet. *in summa, v. Divinatio*, modò tamen nullo modo expectetur occultorum cognitio tanquam vera. Sic solent excusari, qui sortes mittunt ad cognoscendum qui sit felicior, qui infelicior; jocandi enim gratia id faciunt, non prorsus credendi: Tertio, adest excusatio, si ejusmodi cognitio quæratur non à dæmone, sed à naturalibus mediis, & quidem qualis per illa naturaliter haberi potest; præscindendo ab alio inconvenienti non est malum rerum occultarum captare scientiam per media tali scientiæ proportionata, sic apud Divum Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. ex quibusdam avium aliorúmque animantium cantibus, vel moribus prænuntiantur aliqua eventura; ut pluvia, tempestas, serenitas; Imò ex iisdem possunt aliqua, quæ pertinent ad hominem, probabiliter colligi, eadem enim causa, seu constellatio, quæ movet aves, v. g. ad garritus & motus, movere potest homines ad rixas & bella: ita Sanch. *in dec. lib.* 2. *c.* 38. *n.* 39. Hinc quidam Astrologus, & non infimus Theologus, cujus meminit Sanchez *lib.* 2. *in dec. c.* 4. *n.* 17. cùm impressiones choleræ, aut alterius inordinati motus ex Cœli dispositione metuebat, se occasionibus vitatis, aut oratione communire solitus erat.

*De astrologia.*

13. Si ex astrologia quæratur quod pertinet ad sanitatem, vel ad temporum mutationem, ut ad ubertatem, sterilitatémve, vel ad naturales hominum inclinationes, vel ad sciendum in communi, qui natus sub tali constellatione faceret, non tamen ad certò sciendum in particulari de hac vel illa actione pendente à libero arbitrio, non erit, ut docet S. Thomas *p.* 1. *q.* 115. *art.* 4. *ad* 3. culpa, quia naturaliter hæc ab astris cognosci, aliquo tandem modo possunt.

14. Immò ex Toleto *lib.* 14. *cap.* 15. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 12. *p.* 3. *vers. jam verò ex conditione.* Cajet. *in summa, v. Auspicium.* Martin. del Rio apud Sanch. *l. c. n.* 32. Castro Pal. *tom.* 3. *tr.* 17. *disp.* 1. *de superst. p.* 4. *num.* 6. si quis per Astrologiam vellet cognoscere aliquod contingens, liberum,

liberum, judicando tamen illam cognitionem esse incertam, & solùm conjecturalem, non est mortale, nisi in tanta, quo quis in suis actionibus, præsertim majoris momenti, uti vellet hac Astrorum regulâ ad aliquid faciendum, vel vitandum modo magis mox declarando *n.* 20. Idem propter eandem rationem dic de Physiognomia, Chiromantia & similibus; illud tamen, quod hîc evenire non raro solet, adverte.

Si quis cooperaretur in hac materia cum peccato alterius mortali, & ipsum mortaliter peccaturum; Tunc autem cooperaretur, quando licèt ipse non nisi incertam illam cognitionem reputaret, Astrologus tamen à quo ipse petit putaret, profitetúrque esse certam & infallibilem; non facilè id tamen suspicabor ab Astrologo Catholico, & aliàs probo.

15. Dices primò. Saltem fore contra *Motum proprium Sixti V. adversus Astrologos*, id contingens liberum etiam per dictam levem conjecturam, divinare, ut videtur docere Sanchez, atque adeò esse semper mortale.

16. Respondeo, negando id esse contra prædictum motum saltem in foro interno: ita Castro Pal. *l. c. p.* 8. affertus Suar. Valent. del Rio. Quoad Sanchez *lib. 2. in Dec. c.* 38. *n.* 34. *fine*, vereor, ne is duo afferat, sibi non constantia, quódque *n.* 16. negat affirmet *n.* 34. sic enim *n.* 16. habet: *Quamvis moneat Ecclesia in prædictis capitibus (inter quæ prædictum Sixti V. motum contra Astrologos posuerat) Fideles abstinere ab Astrologiæ, somniorum & lineamentorum manuum observatione, ob periculum in usum illicitum declinandi, at re vera nullum præceptum novum indicere intendit, sed eam solùm occultorum Inquisitionem damnat, quæ jure naturæ iniqua erat. Quod constat ex eo quòd in iis locis dicatur earum rerum observationem pertinere ad Paganorum ritus, & dæmonis societatem, quod de sola observantia jure naturæ interdicta verum est: Ita Cajetanus, Valentia, Sayro.* Hæc Sanchez.

Ex hoc loco sic ratiocinor: In motu hoc proprio Sixti V. ex Sanchez *d. n.* 16. non est præceptum prohibens, nisi de eo quod iniquum est jure naturæ: At non est jure naturæ iniqua ea cognitio conjecturalis, Ergo hæc per ipsum Sanchez non prohibetur; non igitur videtur sibi constare (pace tanti viri) dum contrarium docuit *ibidem, num.* 34.

17. Quòd autem cognitio illa conjecturalis ab astris ducta non sit jure naturæ iniqua; (præterquam quòd inde incertum est, quia si ea naturaliter haberi potest, ut habere posse fatemur passim, & colligit ex S. Thom. 2. 2. *q.* 65. *art.* 5. *in fine corp.* aliisque, Sanch. *n.* 32. *loc. c.* & docet idem S. Thom. *p.* 1. *q.* 115. *art.* 4. *ad* 3. non apparet cur ex se iniqua censenda sit) etiam ipsemet Sanchez *d. num.* 34. initio fatetur nullo jure antiquo esse damnatam, atque approbat, quoad hoc Doctrinam S. Thomæ dicentis conjecturalem cognitionem rerum pendentium ab arbitrio, posse haberi ab astris.

18. Dices secundò saltem futurum mortale, si hæc ut probabilia, nec solùm ut conjecturalia prædicentur.

Respondeo, ita docet Sanchez *ibid. n.* 33. quia sic transcenditur vis astrorum, qui solùm conjecturas leves pasunt, non probabilitatem: Addit tamen id ita esse, quando ut probabilia ex meris astris prænuntiantur, si enim astris consideretur temperamentum personæ, qualitates, circumstantiæ, &c. tunc non est saltem mortale aliquid liberum contingens probabiliter afferre: *Quia hæc non est* (inquit) *divinatio; sed providentia*: Hæc ex Sanchez consentitque Castro Palaus *tam. 3. tr. 17. disp. 1. de superst. p. p. 4. n.* 6.

Facilè ergo poterit à peccato recedere Astrologus, eúmque consulens, si dum hæc ut probabilia enuntiat, non astra solùm consideret, sed prædictas circumstantias: cognitis enim, v. g. personæ nobilitate, ingenio, bonis moribus, bona, gratáque indole, similibus, statim ac videt portendi per astra hunc fore, v. g. Prælatum, potest ut probabile prænuntiare eum, si Clericatum assumat, Romæque in Curia versetur, litterísque, ac bonis artibus operam navet, fore, ut in Prælatum eligatur.

19. Confirmantur quæ dicta sunt, quia video viros pietate, doctrina non mediocres ab Astrologis sui Natalis figuram, suósque particulares futuros eventus non cum scrupulo exposcentes, dum nec ipsi, nec Astrologi prædictam cognitionem modo dicto, transiliant.

20. Quid si is, cui talia prædicuntur, regi se in suis actionibus velit secundùm illa?

Respondeo: si cum infallibili credulitate id faciat, peccabit mortaliter, ut patet ex dictis. Idem censetur si velit quis in suis actionibus semper vel frequenter à prædictis cognitionibus regi, quia est signum cæcæ credulitatis adhibitæ, vel periculum in illam incidendi, commercíque cum dæmone: ita Sanch. *lib. 2. in Dec. cap.* 38. *n.* 21. At semel vel iterum, & quidem sub incertitudine eventus, non transcendit culpam venialem, quia non videtur magna deordinatio aliquid aliquando operari ob spem, vel timorem etiam levem alicujus rei: ita *ibid. n.* 22.

Certè eum, cui prædicitur, modo dicto, prælatura, non condemnarem saltem de mortali, si adire Romam velit; ad illam sub aliqua spe, non verò certitudine expectandam: nec hominem, qui prædictum ex astris fuit, ipsum hoc anno periclitaturum in aqua, si eo tempore à navigando abstineat: nec eum, cui morbum anno, v. g. vigesimo primo suæ ætatis, ratione nuptiarum, comminantur astra si eas tunc respuat celebrare: nec illum, cui ex iisdem nunc promittitur fortunatus negotij eventus, si nunc illud aggrediatur? Hæc enim non ut certa, sed solùm ut conjecturalia modo explicato credere, atque expectare non videtur ullo jure prohibitum, id quod confirmabis ex Suario de insomniis, de quibus jam subjungo.

*De Insomniis: ubi obiter;*

*De Thesauris insomno ostensis.*

21. De insomniis satis sit id afferre, quod lego apud Suar. *t.* 1. *de Rel. tr.* 3. *lib.* 2. *de superst. c.* 13. *n.* 25. *Potest hoc peccatum* inquit, *credendi insomniis à gravitate mortali excusari, quando homo non omnino credit rem in somno ostensam esse veram, seu futuram, & nihilominus aliquid operatur ratione talis somnij, quod alias malum non est, nec contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ (& ita non potest obesse, potest autem prodesse) ut evitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile: tunc enim, licèt sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet gravis malitia, quia ille non tam credit illud esse à Deo, vel esse verum, quam posse esse: in quo multò minus erroris est, licèt multum sit vanitatis. At verò si quis ita sit observatus somniorum, ut ordinarie per illas indicationes, vel divinationes in agendis negotiis gubernetur, non potest excusari à gravi culpa, & superstitione: nam hæc observatio auguriis comparatur, &c.* Hæc ille. Noto autem illud (*& similia*) nam sicut ad malum avertendum, ita ergo erit ad lucrum acquirendum.

22. Narravit mihi quidam amicus, bis, vel ter admonitum se olim fuisse in somnis à puella sibi incognita, ut ad certum locum accederet, ibíque aliquantulùm terram foderet: nam certò in ollam auro plenam incideret. Flexus ergo secunda, seu tertia monitione adolescens ad locum se contulit, & ollam quidem invenit, sed nigris carbonibus plenam, Inquiro; peccavitne hic mortaliter? certè nequaquam, propter Doctinam ex Suario modò allatam.

Quid si sibi is persuasisset puellam illam non fuisse, quidem à Deo, sed à dæmone immissam; Neque peccasset mortaliter quia ipse cognitionem illius ollæ à dæmone non inquisivit, sed solùm scientia jam habita usus est, quod non esse peccatum paulò pòst §. 3. *de malefic. n.* 11. per occasionem dicam.

*De vana Observantia.*

24. De hac specie priùs breviter aliqua in unum redigam, quæ apud Authores invenio, mox addam, si

Deo

Deo Placuerit, non pauca, quibus totius Quæstionis cognitio explicatiùs habeatur.

Est vana Observantia ea superstitio, quâ mediis inutilibus & a Divina Providentia nequaquam institutis procurantur commoditates, sanitates, benevolentia, divitiæ, & similia: ita Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. Molet. *lib.* 4. *cap.* 15. Cajet. *v. Superstitio, & verb. Incarnatio*, Sanch. *lib.* 2. *in Dec. c.* 40. aliique. Vides discrimen a Divinatio refertur ad aliquid cognoscendum, vana observantia ad aliquid obtinendum.

24. Hæc igitur, ut patet ex *suprà* dictis, erit cum expressa dæmonis invocatione, atque adeò mortalis culpa, si ille expresè invocetur; erit cum tacita, atque adeò ex se etiam culpa mortalis, si de facto usurpentur media illa inutilia, ut aliquid obtineatur. Sed quoniam aliquando non clarè apparet, an in hac materia ejusmodi invocatio tacita intermisceatur, & consequenter, An semper mortaliter peccetur, ideò ad hoc dignoscendum hæ duæ Regulæ afferuntur.

25. Prima Regula. Dæmonis tacita invocatio esse præsumitur. Primò quando adsunt verba non significativa. Secundò; figuræ inutiles. Tertiò; falsitas, ut quòd Christus Dominus habuerit febrim. Quartò; conditiones vanæ. Quintò; promissio effectus infallibilis supra vires mediorum; Quæ omnia in simili *suprà* sunt explicata.

26. Secunda Regula, Cùm vana observantia ideò sic dicatur, Quia semper aliqua saltem inutilia, & vana commiscentur, unde tacita præsumatur dæmonis invocatio; hinc fit, ut ex se semper sit mortalis, nisi excuset. Primò ignorantia. Secundò, jocus, modo tamen dicto, cùm de Divinatione *num.* 32 egimus. Tertiò, animus ea non cerò credendi. Quartò, cautela; quia usurpatio illorum, ad vitam iis vanis observantiis dirigendam, nec semper, nec frequenter adhibetur, ut *suprà*, item *num.* 20. diximus. Denique parvitas materiæ, de qua mox *infrà*, *n.* 49.

27. Ex his Regulis colligere possumus cum Sanchez *loc. cit. c.* 38. & *c.* 40. *per tot.* superstitiosum esse observare dies, quasi quidam sint fausti, quidam infausti: aut nolle opus incipere die Martis, nolle die Veneris ungues præscindere, puellam nolle die Sabbati nere, majorem vim tribuere aquæ benedictæ uno die, quàm alio, certis diebus scopis tangere olera, ne à vermibus lædantur, servare ova exclusa die Parasceves ad extinguendum incendium, mulierculas nocte Sancti Ioannis Baptistæ aliquid precari, auditúmque applicare, quo nomen hominis alicujus audiant, quem suum fore maritum putent, Orationes sacras recitare, vel scripturas gestare, quibus à manuum violentia, vel ab aliis malis liberari, beneque fortunatos fore se credant, lusores locum seu lusorias cartas mutare, vel tantisper surgere ad malam ludi fortunam, avertendam, gallinam gallorum more fortè cantantem, uti infortunij portentum occidere, & alia similia quamvis merè vana & inutilia, nullámque graviorem superstitionem continentia: quæ si certò credantur, vel si semper adhibeantur ad vitam dirigendam, cùm periculum subsit, ne dæmon se illis certò intermiscat, erunt mortalia: ita Sanch. *loc. cit. c.* 38. *n.* 21. At si semel, aut iterùm non ita: ut *suprà* dictum est *n.* 20. Namquamvis Doctores cum Sanch *loc. cit. c.* 40. *n.* 20. & 21. signatè solùm esse veniale, in dicto raro casu norent de aliquibus, v.g. de nolentibus suscipere opus die Martis, & de recitantibus Orationes errore carentes, déque mutantibus locum in ludo, & Castro Palaus *loc. cit. p.* 5. *n.* 7. ex Suario à nobis *suprà*, *n.* 21. allato, de sperante prosperum, vel timente infaustum somnium, tamen quando par est ratio in aliis; eadem erit applicanda Doctrina.

28. Præterea est superstitiosum observare quædam tempora, vel festa Sanctorum ad aliquid obtinendum, idque mediis vanis & inutilibus, ut jumenta die Sancti Antonij novies per ejus templum circumducere, venam aperire die Sabbati, herbas colligere die Sancti Ioannis & similia ferè innumerabilia, quæ tamen tunc erunt mortalia, quando eæ inutiles circumstantiæ esse putentur infallibiles, & efficaces ad effectum; secùs si à Sancto, in cujus honorem illa fiant, auxilium spectetur, & incolumitas: ita Sanch. *in Dec. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 20.

29. Sola protestatio, quâ quis nolit effectum expectare à dæmone non est satis ad excusandum à mortali, siquidem per illam solam, pactum cum dæmone, verbis renuntiaretur, sed approbaretur factis. Esse autem satis parvitatem materiæ mox dicam *n* 49.

30. Denique colligit idem Sanchez *loco mox cit.* non esse superstitiosos eos, quos Hispani vocant Empsalmistas, qui per empsalmos, hoc est, per quasdam scripturas sive ex Psalmis, sive ex aliis Orationibus confectas, curant infirmos; ne item eos, quos vocant Salvatores, qui suo tactu, vel Orationibus, etiam incurabiles morbos paucis modo sanant.

31. Addo, nec eos, quos Siculi vocamus *Citaulos*, qui, quia nascuntur nocte Conversionis Divi Pauli, sputo vel tactu venenosis, felici successu, morsibus, ut aiunt, medentur; Ratio, quod hi non sint superstitiosi, dummodo aliquid, quod superstitionem sapiat juxta supradicta non admisceant, est, quia fortasse hæ sunt gratiæ gratis datæ, de quibus vide fusè eundem Sanchez *lib.* 2. *in Dec. cap.* 40. *à n.* 55. Castro Palaum *tom.* 3. *disp.* 1. *de superstitione*, *p.* 1. *a num.* 15. Valle de Moura *de Incant. & Empsalmis*, *sect.* 2. *c.* 28.

32. Videbitur fortasse alicui res hæc esse satis hactenus explicata: sed certè molestior est, quàm primo intuitu adhuc apparuit: nam propterea aliquid enucleatius afferre nequaquam gravabor: & ut expeditior atque distinctior sit doctrina, proponam priùs aliquas peculiares superstitiones, quas in nostris regionibus usurpari mihi exploratum est deinde quid de illis sentiendum sit, decernam.

*Vanæ aliquod superstitiones nostra ætate usurpari solitæ.*

33. Ictericiam, quam Siculi *Zafaram*, vocamus, aliqui sanant quodam filo conquisito à telarum textricibus, quod iidem Siculi *Lizzum* appellant, quo quidem filo ægri staturam, ejusdémque extensa brachia ter metiuntur, mox filum complicant, vulgarique forfice super caput, humeros, pectus infirmi complicatum idem filum secant, addentes interea quædam verba deprecatoria; nam sacare sic, & profligare morbum profitentur, sanitatémque inducere, si id semel, bis, tertiò, continuis tribus diebus, faciant, certò putant; nonnulli cæremoniam illam dimensionis omittunt, cætera quæ dicta sunt expedientes. Imò non nemo solùm suprà caput non verò supra humeros, pectúsque filum secant. Sunt & alij, qui eandem curant jubentes, ut Ictericiam patiens mingat in herbam Marrochium, quæ in ipso fundo vasis urinarij in quo mingunt, sit imposita.

34. Morbo caduco quidam arreptus in via publica penè mortuus humi prostratus cùm jacuisset, accessit quidam ex plebe, me præsente, qui obmurmuravit quidpiam in ægri auriculam: quo murmure æger, quasi expergefactus post paululum sensus recuperavit: Curiosus ego à senè fortè astante familiari meo interrogavi, num sciret quidnam ille in ægri aurem insufflaverit? Respondit, se scire, fuisséque hæc sola verba: *O creatura Dei, memento Creatoris tui*: Præsens amuletum, inquiens, contra mali caduci affectionem: Simile quid usurpant nonnulli, cùm equi dolore intestinorum vaxantur: quædam enim verba insufflant in eorum ægrotantium aures, quibus eos ad sanitatem revocare se jactant.

35 Qui die festo Sancti Stephani Protomartyris pane & aqua jejunat, & ritè confessus communicat, non moriturum ab alio occisum, etiamsi multis ictibus sit impetitus, nonnulli prædicant.

36. Si fortè ad convivium invitati sint tredecim, pro infelici omine habetur: nam sicuti in Cœna ultima Christi Domini ex tredecim unus Christus defunctus est; ita unum ex discumbentibus moriturum timent: sanè

cu

nus non & duo, sicut duo, id est Christus Dominus, & Judas ex illa ultima Cœna defecerunt?

37. Non nemo gladium, quo quis ab inimico vulneratus accepit, quibusdam medicamentis novet; & interea accepit, quibusdam medicamentis novet; & interea sanitatem recipit ille, qui vulnere affectus domi sedens sanitatem recipit ille, qui vulnere affectus domi sedens jacet.

38. Filum Cannabis quidam assumebat, quod puella virgo neverat, eóque submurmuratis quibusdam precibus utebatur ad sanandos infirmos.

39. Filum cujuscunque materiæ, à quo pendeat aliquid grave, ut culus, sive lapillus, sive annulus, sive aliud, inter pollicem & indicem apprehendunt nonnulli suspendúntque in medio interiori cujuscunque vasis, ut vitri, amphoræ, etiam caldarij (sanè admirans vidi, cùm essem junior, nihil superstitionis inesse suspicans) eum sic suspensus à filo, pendénsque lapillus, ex vi pulsus (aut quidam ajebat) qui est in summitatibus digitorum pollicis & indicis, sensim se incipit movere in utramque latus, motum augendo, donec alterum ex interibus vasis tangat, torque ictus in illud impingit, quæ horæ Italicæ sunt eo tempore, quo id molitus. Quæri postea sæpius, An apud Hispanos, verbi gratia, qui mentur horologio Astronomico de meridie ad mediam necdem, Horæ Astronomicæ, An Italicæ notentur à præfato filo, sed quæstioni nemo mihi unquam expertus potuit respondere.

Verùm post hæc scripta, dum has meas lucubrationes P. Philippus Septimus Vir omnibus virtutibus, omnique Philosophiæ, ac Theologiæ literatura excultissimus, jussu N. R. P. Generalis, antequam eæ publicæ lucis fierent, de more relegeret, ubi in hæc, quæ scripseram de filo horatio incidit, mè peramicè convenit retrolique, se, cùm Romæ degeret, audivisse ab Eminentissimo Ioan. de Lugo tunc ipsius P. Philippi in Theologicis præceptore, plane illud, quod ego diutiùs exquisiveram. Dum enim publicam lectionem Auditoribus excipientibus dictaret idem de Lugo, narravit, se in Hispania sæpissimè hoc fili artificio in vasculum impendentis, ad horas dignoscendas, usum feliciter esse, rumve esse, quæ ab ipsa pueritia didicerat, motu feliciter pulsus, & cœlestis alicujus constellationis occulta vi, eos horarios ictus in lateribus vasis edi.

Potrò cùm jam ætate ac sapientia major Romam ad docendam ibi Theologiam adscitus ad primos fines Italiæ pervenissem, ubi Horologium Italicum usui communiter solere esse probè sciebat, cùm voluissem cognoscere; quota tunc hora esset, filum de more vasculo suspendisse. Verùm, ecce tibi, edi ictus non ad numerum Horologij Astronomici seu Hispanici, sed Italici, (ita ut dederit, v. g. in die Æquinoctij, ipsa deditio ortus Solis ictus duodecim, cùm debuisset, per Horologium Hispanicum, dare tantummodo sex) admiratum se id esse testabatur, atque concludisse illud artificium superstitiosum esse: In tanta enim vicinitate locorum, quæ inter fines Italiæ, & ultra montes intercedit, neque pollus arteriæ digitorum, nec stella ulla tantam Physicam mutationem parere rationabiliter potest.

Si enim ictus ad placitum hominum pro horis signandis instituti tam exacte, pro diversitate placitorum, ab illo filo producuntur, non naturæ opus, quod semper eadem, sed alterius virtutis esse manifestè convincitur, quæ nunc non nisi ex dæmonis pacto provenire comprobatur ex dictis paulò superius. Hæc ille Quare hujus eventus enarratio Decisionem meam, quam *inferius* num. 79. ponam, nempe hoc artificium redolere superstitionem, ita confirmat; ut jam, ne ipsi sic legas, Amice Lector, Filum adhibere ad horas dignoscendas superstitiosum mihi videtur: sed hoc modo, Filum adhibere ad horas dignoscendas superstitiosum est. Sed ad cætera pergamus.

40. Canes latrantes nonnulli compescunt, ac pehè mutos reddunt, & blandos, illud Psalmi proferentes *In chamo & fræno maxillas eorum constringe.*

41. Sanguinem è naribus vel in magna copia profluentem cohibent aliqui, simili versu ex Psalmis: *Libera me de sanguinibus.*

42. Denique, ut alia taceam, quidam quibusdam precibus & Psalmis, additis Verbenæ, aliarúmque herbarum suffumigiis, morbos quosdam propellere profitentur. Adhibent nonnulli, præter herba, oleráque communia, quam benedictam, vel incensum, vel sal benedictum, & similia.

4. Vt hæc mihi explorata, & sexcentena similia non cognita comprehendam, & explicem; Tres modos, quibus ejusmodi superstitiones usurpari possunt distinguo: Primus modus apponit sola Sacra: Secundus sola non Sacra; Tertius utitur utriusque. Iam de singulis distinctè discuramus; solùm pro cognitione terminorum advertè, quando res sacræ apponuntur per modum orationis impetratoriæ, ac veluti ex opere operantis, appellari à nonnulli, benedictiones, seu Cæremonias invocativas, quando verò apponuntur instar operis operati, quasi ex vi & institutione sua apta sint effectus speratos operari, dici ab iisdem Constitutivas: ita Emanuël Valle de Moura *in opusc. de incant. & Exsufflat. initio, & per tot.*

*Sola Sacra.*

44. Verba ex Psalmo devotè profers, ritè jejunas die sancti Stephani, preces, si non ab Ecclesia approbatas, certè piè compositas privatim Deo, vel Sancto fundis, vel in papyro ritè scriptas tecum geris, uno verbo religiosè quid agis, vel recitas ad sanitatem, vel grave quid tibi utile (namsi ad vanos, inutilésque effectus dicam *n.* 50. supra naturam obtinendum, superstitionemne committis?

45. Dico, si hæc (præscindendo ab aliis inconvenientiis, quæ in similibus facilè contingere solent, ut ex mox dicendis constabit; non propterea ocultatissimè sunt cavenda) si hæc, inquam, cum pietate, ac spe aliquid obtinendi agas, in superstitionem non laberis, nec peccas; si cum credulitate infallibilis eventus, superstitiosus es, & delinquis mortaliter, nisi parvitas materiæ excuset, (de quo mox *n.* 49.) vel ignorantia. Ratio prioris dicti est, quia in factis illis verbis, seu rebus dum speras in Deo speras, ad quem confugere cum fiducia sacræ nos Scripturæ semper docent. Ratio posterioris est, quia, cùm præter Sacramenta & Sacramentalia nihil sit ex sacris verbis, vel rebus, quod infallibilem habeat effectum si tu illum ab aliis sive per benedictiones invocativas, sive per constitutivas expectes non nisi à dæmone expectare per tacitam invocationem clarè convinceris: aliunde enim expectare non potes. Adverto tamen facilè hîc superstitionem evitari posse, si nimirum ita quis illis verbis utatur, ut eam credulitatem corrigat; solúmque à Deo cum fiducia, non autem cum infallibilitate effectum præstoletur. Ita Suarez *t. 2. de relig. lib. 2. c. 15. n. 27.* Sanc. *lib. 2. in Dec. c. 40. n. 31. & n. 44. fine.*

46. Iejunium illud die festo S. Stephani cum Communione peractum, de quo memini *n.* 33. frequentissimè hîc Panormi præsertim apud viros nobiles usurpatur, sæpiúsque à me scisciati sunt, an superstitionem redoleat, Respondi maximam, si infallibilitatem eventus expectent. Addidi, id esse plurium scelerum causam siquidem ea credulitate ducti non pauci, temerè peccatis habenas laxant: Profectò aliquos ex his, qui prædictum jejunium cæteráque quotannis nimis religiosè custodiebant, vulneribus recidisse, satis constans est fama; Quare væ illis qui ea spe freti peccatis commaculatam animam habere nihil laborant; adhortor hos, ut *Promontorium malæ spei* à patre Paulo Zehentner eruditè compositum meditatò legant, Si verò errorem corrigant, sperentque cum fiducia auxilium, quod Deo placuerit, fore impartiendum, superstitione, culpáque carebunt; quia nihil mali tunc Iejunium, Confessiò, Communio, sed plurimum laudis continebunt.

47. Eadem Doctrina utimur, si loquamur de sacris precibus, vel versibus Psalmi, sive canum latratus, sive

sanguinem, sive morbum quemcunque cohibentibus : hinc Cassiodorus *Psalm.* 115. meritò dixit fuisse variis morbis efficax remedium trinam recitationem hujus versus : *Domine, dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* : quòd rectè intellexit Sanchez *lib. 2. Dec. cap. 40. num. 36.* non esse id superstitiosum, quando nequaquam ab ipsa terna repetitione, sed à devotione ter repetentis in honorem Sanctissimæ Trinitatis effectus (& quidem non infallibiliter) intendetur impetrari.

48. Quando ergo hisce sacris aliquid inutile, seu vanum misceri continget, regulam hanc serva : Te Securum esse à superstitione, si quemadmodum corrigis prædictam infallibilitatis credulitatem, sic corrigas, vel tollas illas circunstantias vanas, & inutiles, & consequenter periculo superstitionis expositas : ita Sanchez *ibid. num.* 31. Verbi gratia, ad sanitatem, vel gratiam impetrandam requirit quis, ut missa dicatur cum vestibus incongrui coloris, vel ut preces novies effundantur, vel afferatur in eleemosynam ad sacram Ædem pondus ceræ infirmo æquale; vel candela cerea longitudinis eidem infirmo æqualis, &c. Si Missam celebres, si preces effundas, sine illo colore incongruo, & sine illo signato numero precum, ac sine illo præciso, immò cum majore pondere, &c. ritè eas vanas circumstantias tollis, si verò ideo novies Orationem effundas, ut novem Angelorum Chori tibi auxilientur, ideo te, quia Sanctissimæ Triadi fidem, reverentiámque profiteris, ritè corrigis, & vtroque modo actionem illam à superstitionibus liberas, eáque vti (sed semper sine infallibilitatis spe) tutò poteris.

Pari modo, si morbum caducum patienti insuffletur ad aurem illud, quod dixi *num.* 34. ob finem vanum, vel ut clam ea verba dicantur, suspicio magna est superstitionis : at si insuffletur ut morbum patibus audire possit, Deóque se commendare, ablata certi eventus credulitate, correcta videtur superstitio. Quo pacto non potest corrigi insufflatio, modò *num. eodem* dicta, in aures equi, quare tollatur hæc omnino, & sic emendabitur ejusmodi superstitio : ita Sanchez *lib. 2. cap. 42. num. 35. fine.*

29. Dictum autem est *num.* 45. (nisi parvitas materiæ excuset) nam licèt Valentia 2. 2. *disputation. 6. quæst. 13.* cui adde la Turri 2. 2. *tract. 2. quæst. 95. art. 2. d. 2.* concedat; Sanchez *loc. cit. cap. 40. num. 13.* neget in superstitione posse inveniri parvitatem materiæ, tamen vtrique conveniunt; quando modicæ sunt ejusmodi vanæ observationes, semper esse veniale peccatum: Valentia, ex ipsa natura parvitatis, quam hic inveniri posse docet, cùm ex eo solo parvo commercio tacito cum dæmone, non immineat notabile salutis damnum sic operanti : Sanchez verò ex eo, quòd posita parvitate materiæ, cùm actus non fiat seriò, sed joco & curiositate, vel ad experiendum, vel denique ex animi quadam levitate, erit imperfectus, atque adeò non erit nec vocabitur superstitio, sed animi levitas, & consequenter solùm culpa venialis. Ponit uterque exemplum Cajetani, *in summa, v. Incantatio*, de volente moveri annulum dictis quibusdam Psalmi verbis; id enim semel facere, modo explicato *num* 19. veniale esse ambo consentiunt. Multò ergo magis excusantur à peccato, qui (ut hoc hac occasione etiam dicam) naturalia sola, seu sola non Sacra cum ejusmodi vanitate, seu animi levitate semel, vel iterum sine spe infallibilitatis ad effectum quempiam etiam levem, & vanum consequendum usurpant. Ratio est eadem, quia exiguum periculum deceptionis adest. Vide tamen quandam cautelam mox apponendam *num.* 72.

50. Dices hoc ipsum, quod Verba sacra, precésque afferantur ad vanos, inutilésque effectus obtinendos, (v. g. ad motum annuli) gravis est superstitio, quia Deus non se intermiscet his rebus vanis, unde convincitur tunc expectari effectum à dæmone; Respondeo ita esse. Ideò enim notanter diximus *num.* 44. (ad sanitatem vel grave quid tibi utile obtinendum) quando ergo Sacra adhibentur ad effectum levem, & inutilem etiam sine infallibilitate, erit ex se, & genere suo mortale, quia est irreverentia rerum sacrarum, non tamen propterea non est excipienda parvitas materiæ, modò dicta *num. præcedente.*

*Sola non Sacra.*

51. Quando ad aliquem effectum consequendum, nil nisi quid profanum seu non Sacrum adhibes, quod vires non habet ad illum efficiendum, superstitione uteris, quia tacitè, modo supradicto, à dæmone illum expectas.

52. Certum autem hac in re est, uti his temerè ex pacto explicito, vel tacito cum dæmone, esse per se mortale. Ratio patet ex dictis.

53. Certum secundò est; iisdem uti cum discretione, & prudenter, ad habendos effectus verè naturales, ad quos medium à te adhibitum vires habet, licèt occultas; licitum, quia id nullam prorsus sapit superstitionem.

54. Certum denique tertiò est, hîc adesse multò magis pavitatem materiæ, ut per occasionem modò dixi *num. 49. fine.*

55. Illud hic vbi Sacra non apponuntur, sed naturalia, adverte, necessariam non esse eam cautelam, quâ effectus non sit infallibiliter expectandus : cùm enim à causa naturali, quæ necessariò agit, illum expectes, tanta certitudine expectare licebit; quantam afferet vis ipsa causæ naturalis. Contrà, necessarium etiam hîc erit, ut tollantur, vel corrigatur verba, vel circumstantiæ vanæ, inutilésve (si quæ fortè irrepserint) modo supradicto *à num. 45.*

56. Nota insuper hue reduci posse, quando aliqua fiunt, ut fieri omittuntur spe boni, vel timore mali eventus : siquidem communiter hæc Sacra non sunt, ut nolle iter incipere die Martis, nolle tredecim invitatos simul discumbere, &c. de quibus tamen nihil superest dicendum præter ea, quo *num. 27. & 49.* dicta sunt, & dicam *à num. 73.*

*Sacra simul, & non Sacra.*

57. Non est nobis hîc sermo quando cum irreverentia profanis Sacra miscentur, ut si Oleum benedictum, sacram Eucharistiam, & similia adjungerentur : id enim sacrilegium esse per se constat. Sermonem igitur solum habemus, quando, præciso alio inconvenienti, aliquis res sacras cum vanis adjungit; v. g. Orationem sacram, vel aquam incensum sal, benedicta unit cum circulo, ad movendum filum, vel morbum curandum, vel unit cum herbis, & medicamentis naturalibus ad sanandum infirmum, &c.

58. Dico primò, si res naturales adhibeantur ad obtinendum effectum ab illis solis effectum expectando, Sacra autem illa solùm apponantur ad precandum Deum, cum debita reverentia, & fiducia, idem dicendum, erit quod diximus *à num. 51.* quando adhibentur solæ res naturales. Ratio est quia tunc à re solùm naturali effectum naturalem expectas, réque sacra ritè, & sine culpa, modo dicto, affertur, ut supponimus.

59. Dicò secundò, si Sacra adhibeantur, ut ab istis solis effectus speretur, res autem naturalis adjungatur, ut aliquid juxta ejusdem rei naturales vires ea conferat ad effectum : idem dicendum est, quod diximus *n. 44.* quando adhibentur solæ res sacræ; Ratio est, quia cùm à sola re sacra effectum præstoleris, res autem naturalis sine peccato adjungatur, sola res sacra est consideranda, quam satis ibidem consideramus.

60. Dico tertiò, hæc sacra ita misceri cum rebus naturaliter operantibus, ut ea credantur his indigere, seu ab his habere vim efficacem, esse meram superstitionem, ne dicam hæresim; sic enim spiritualia

&

& sacra æquarentur naturalibus, immò illis postponerentur.

Quando sacra adhiberentur cum non sacris ad habendum effectum inutilem, & vanum, idem est dicendum quod *n.* 50. jam diximus.

*Quid agendum, quando hac in re adest dubitatio.*

61. Difficultatis hujus cardo in eo versatur, utrùm quando quis re quapiam naturali sola utitur ad aliquem effectum, quem infallibilem expectat, nec videt, an ejusmodi res tantam vim habeat, sed nec videt; facta diligentia quacumque, an non habeat, utrùm, inquam, sit judicandus superstitionem committere? Videt, v. g. quis annulum pendentem è filo dare signum horarum, gladium medicatum afferre sanitatem ægro distanti, & si non constet hæc naturaliter operari, sed nec constet contrarium, erúntne superstitiosa judicanda, & ab illis abstinendum?

62. Tradunt nonnulli regulam universalem: Quodcúnque effectus quilibet evasciturab aliqua causa, quæ non cognoscatur habere vires ad illum, toties est vera superstitio illum à tali causa expectare. Ratio regulæ est, ajunt, quia tunc expectaretur solum à dæmone. Sed certè doctioribus hæc regula nequaquam placet: Plurima enim sunt in rebus naturalibus, quorum vis penitus nos latet noscísne virtutem Magnetis, Succini, Mercurij, seu Argenti vivi, circa ferrum, paleam, pretiosus metallum, & sexcenta similia? Non igitur valet, Ego non cognosco, unde sit hic effectus, ergo est à Deo, vel à dæmone: poterit enim procedere ex causa illa naturali, cujus vis mihi incognita est, & occulta. Lege Sanctum Augustinum *lib.* 14. *de Civit. cap.* 24. qui mirabilia à quibusdam hominibus facta esse recenset, quæ certè ignarus virtutis naturalium causarum facilè dæmoni tribueret.

Inter hos hominem nomine Restitutum refert; qui ita ad libitum alienabatur à sensibus, ut etiam ignem admotum non sentiret, & alium, qui sudare solitus erat, quoties volebat, & multos, qui flere. Equidem, ego hominem ex nostra Societate cognosco perfamiliarem meum, qui quoties ei libet, compositis ad mœstitiam oculis, lachrymas emittit.

63. Formemus ergo probabiliùs hanc regulam, quam ponit Sanchez *ib. num.* 44.

In his rebus naturalibus, quoties non apparet immixta aliqua superstitio, ut sunt verba incognita, determinatus numerus rerum impertinentium, vel quid simile, præsumendum esse pro viribus naturæ, atque adeò non esse culpam (præscindendo ab alio inconvenienti) ea re uti. Ratio regulæ est quia, tunc res est dubia, à dæmone, an à vi occulta naturali sequatur effectus: at in dubiis, melior est conditio nostræ voluntatis volentis uti illis actionibus. Rursus, est melior conditio naturæ, quæ ex sæpius contingentibus præsumenda est potens, & multùm mirabilis in suis operationibus. Quamvis enim ejus vis vel à Doctissimis non videatur in se, potuerit cognosci in suo effectu, & hunc discursum à posteriore, formari; Sanati quia video à Magnete, & Succino ferrum, & paleam trahi, cognosco in illis esse virtutem trahendi, ita, quia video sanitatem fieri à gladio solis naturalibus medicamentis perúncto, colligo virtutem illis occultam inesse ægrum absentem sanandi, vide tamen quoad hoc exemplum, quæ dicam mox *n.* 77. lapidè Caramuël *lib.* 3. *th. mor. num.* 1381. *Si quid rarum* (inquit) *videt, gratias age naturæ conditori, potentissimus potentissimum condidit: hoc suppono: sublatâve aliquod pactum, aut dæmonis interventum, quousque videam evidenter, non credam.*

64. Evidenter autem constare effectum non esse à viribus naturæ quadruplici saltem via posset. Primò, si effectus adeò esset super naturam, ut à nulla naturali vi esse posset; qualis esset manifestatio secretorum cordis, mortui resuscitatio, &c. numerat inter hos Sanchez statim ab infirmitate convalescere. Sed licèt id in rebus naturalibus infirmitatibus verum regulariter sit, potest tamen in aliquibus, præsertim repentinis morbis contingere, ut remedium naturale illos statim expellat; pravum scilicet humorem, sicut ignis aquam, vel extinguendo, vel temperando. Novi Caltanissettæ in patria mea hominem jecoris anguore affectum, atque ita incensum, ut in ipsa exteriore carne jecori proxima turpis appareret nigredo, qui, dum aquam ex nive frigidam, sic consulentibus medicis, ebiberet, dolorem in ipso actu bibendi minui, nigredinem verò (ipse æger id mihi retulit) in eodem actu ita sensim disparere, ut aquæ epotæ locum cedere quasi victu videretur.

65. Constaret secundò, si Docti viri, & prudentes firmarent causam illam impotentem esse ad talem effectum producendum, secùs, nihil certum in Philosophia pronuntiari posset, ut Valentia docet apud Castro Palaum *tom.* 5. *disp.* 1. *de sub. p.* 10. *num.* 1. Placet hoc dictum: sed est temperandum ex doctrina modò data, quâ dictum est mirabilem aliquando etiam Doctioribus esse naturæ potentiam.

Colligere herbas tali die ad aliquem effectum, fateor persæpe esse superstitiosum: Verbi gratia, nocte Sancti Ioannis, die Sabbati Sancti, &c. si non est in illius mysterij reverentiam: & tamen aliquando esse quid naturale, ut potentior sit virtus herbæ collectæ in Æquinoctio, quàm in Solstitio, Vere, quàm Hyeme, &c. quando scilicet herba est in incremento, non verò in decremento virtutis, vel quid simile, negari non potest.

66. Constaret tertiò: si adhiberentur quædam quæ aliàs in iisdem omnino circumstantiis apposita, clarè apparuit ejusmodi vi nequaquam pollere v.g. expertus sum lapidem vulgarem nequaquam ferrum attrahere, si ergo attrahit, clarè pronuntio non esse id à virtute lapidis.

67. Constaret quartò. Si vana, & superstitionem sapientia naturalibus admiscerentur: prohibui nudius tertius cuidam honestæ matronæ, ne uteretur filo illo à Virgine ducto, de quo dixi *num.* 38. quia author ejus medicamenti volebat ad se priùs afferri filum, si quidem ad usum paulò post remisisset. Profectò ex hoc, aliísque circumstantiis certam conjecturam feci de tacita aliqua obmurmuratione: nam cæterùm, si filo duntaxat uti voluisset, non utique fortasse prohibuissem; Rupertus *lib.* 1. *tom.* 3. *de Trinitate, cap.* 1. apud Valle de Moura *sect.* 2. *cap.* 8. *numero* 15. ad illa verba Genes. 3. *Ponam inimicitiam inter te, & mulierem: Si nuda*, inquit, *mulieris planta dentem Serpentis prævenerit, & vivacissimum caput ejus vel leviter presserit, statim totum cum capite corpus repente interit, ita ut omnino motus nullus, nullus sensus in aliena parte residuus sit; id quod non malleis, aut vectibus, aut gladiis concidentibus citò ac leviter effici potest, si quidem excisum caput cum tribus, aut duobus digitulis vivere, & abire perhibetur; Hoc quod prædictum est, ita esse, ipsorum, qui per industriam exploraverunt fide, & relatione comperimus*; Hactenus Rupertus. Si ergo mulier, non autem vir, id efficaciæ habet, cur non possit Virgo innocens, non verò mulier corrupta alicujus efficaciæ nobis incognitæ particeps esse, ut suis manibus, immò etiam suo sputo, quo fœminæ solent nervo filum inungere, occultam virtutem ad aliquem morbum propellendum communicare? At quia, ut dictum est, Author medicamenti certam mihi suspicionem ingessit vanæ, & superstitiosæ obmurmurationis, vel similis, fuit meritò repellendus.

68. Superest alia non minor difficultas. Quando constat effectum quempiam admirandum non posse esse à causa naturali, v. g. sanitatem moribundi à scripta quapiam cartula; an statim judicandum erit à dæmone esse, non autem à Deo, tunc enim, quia dubium vertitur, sítne à Deo per gratiam gratis datam, an à dæmone, tacitè invocato, quid præsumendum?

Communis est Doctrina præsumendum adesse pactum tacitum cum dæmone; Ratio est, quia cùm res illa, quæ adhibetur, non sit causa naturalis effectus, erit regulariter solùm signum, ad cujus positionem vel Deus, vel dæmon effectum ponat: cùm autem non sit Deus, quia de Sacramentis solùm, vel sacramentalibus tale quid per revelationem habetur, non verò de aliis, restat non jam esse dubium, sed moraliter certum, illum effectum fieri à dæmone.

Multò magis, quando adhibentur signa vana ad effectum obtinendum: iis enim se Deus non immiscet, immiscet verò se sæpissimè dæmon; Vide Valle de Moura *de incant. & empsal. sect. 2 cap.* 18. qui solvit aliquas rationes in contrarium.

69. Dixi (regulariter) nam mihi non semper placet illa Sanchez argumentatio *lib. 3. in Dec. cap.* 40. *num.* 40. Hæc cæremonia vana certò non agit ex vi naturali ipsius, nec ex vi divina; ergo ex pacto cùm dæmone; Non, inquam, placet, quia potuit haberi effectus casu & fortuitò. Confirmo, & explico. Experientia compertum est nonnullos impostores; ut pecunias extorqueant, proprio Marte componere eas vanas cæremonias. Quod si quando habeatur casu effectus, ij se de sua virtute jactant; secùs, asserunt potè non esse exhibitam cæremoniam. Febrim quartanam, v. g. quidam amovit, propinata ad manducandum papyro quibusdam circulis scripta; non rectè argumentaris; sanitas hæc non fuit à Deo per miraculum, nec à causa naturali, ergo à dæmone; potuit enim esse, ut evenerit ex defectu humoris peccantis, qui tunc defecit, quando amuletum illud inscriptæ cartulæ manducatum est. Expendendæ igitur sunt omnes circumstantiæ perdiligenter. Et quidem in his similibus examinandis, Theologorum, Doctorúmque peritiam esse non opportunam modò, verùm etiam omnino necessariam; certum esto.

70. Adhuc duo notare libet. Primum, si in ejusmodi dubio infallibilitatem, sincero animo, excludis, nec certò expectes effectum, jam liberaris à superstitione mortali, si semel aut iterum eam opereris.

Ratio est, quia si id cum prædictis circumstantiis absolutè diximus *supra, n.* 45. *fine*, multò magis in prædicto dubio, & meritò, quia tunc vel actus imperfectus, vel non est grave periculum commercij cum dæmone, seu alterius notabilis inconvenientiæ, ut ex *ibid. & num.* 46. dictis colligi potest.

71. An verò, si tu semel aut iterum dictas superstitiones usurpes, usurpet tamen frequenter is, qui ad te sanandum accedit, an; inquam, propter tuam necessitatem excuseris à mortali cooperatione cum ipso, est quæstio similis ei quæstioni, qua quærimus an possis petere solutionem maleficij ab eo, qui cum peccato solutus est de quo mox §. 2.

72. Secundum. An usus dictarum superstitionum possit aliquando justificari ex eo capite, quòd propter meas necessitates illis utar? dico, si certum esse superstitionem, numquam licere. Ratio est clara, quia superstitio est intrinsecè mala; involvit enim comptentum Dei, dæmonisque reverentiam: si autem dubium est, an sit superstitio, sive quia potest effectus attribui causæ naturali, sive quia, cùm non possit naturæ attribui, dubium omnibus pensatis est, an Deo per gratiam gratis datam, an à dæmone per pactum; dico probabile esse (nisi aliud aliunde obstet) posse te cum protestatione mox *in fine hujus numeri* dicenda, ex tua notabili necessitate sine peccato ea uti, Ratio mihi non est intrinseca, quia etiam hîc militat argumentum factum *num.* 68. ubi vidimus cæremoniam, de qua dubitatur, esse à dæmone, vel à Deo statim esse certum moraliter, à dæmone procedere, atque adeò esse intrinsecè malam: sed est extrinseca bonorum Doctorum, sic enim colligit à Salas, licèt nobis contrarius Valle de Moura *dict. sect. 2. cap. 1.* Salas (*q. 2. tract. 8. disp. 17. num.* 154.) *putat regulam illam, quod in dubiis tutior pars de præcepto sit eligenda, quam aliàs tenet, limitare, quando ex eo incurreretur notabile, seu magnum nocumentum; probat, quia lex dubia in eo casu non censetur sufficienter promulgata, citatque pro se Suarium & alios, ut qui saltem ad medendum vulneribus, infirmitatibus, aliisve similibus malis; fas erit in dubio illis uti; limitationem verò, de qua Salas, judicat Sanchez (lib. 1. in Dec. cap.* 10. *num.* 32. & in eandem videtur incidere *n.* 37. *fine*) *probabile, licèt contrariam probabiliorem.* Hæc Vallle de Moura, quæ tamen *num.* 28. refellit. Verùm Lessius *lib. 2. cap.* 44. *num.* 46. sic docet apertiùs.

*Non est licitum uti remedio, de quo dubium est an conineat tacitam dæmonis invocationem, hoc enim est, se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi fortè id fiat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione.* Hæc Lessius. Vide Lessium sentire, te vallatum hac cautela, quâ facilè muniri vales, posse uti eo remedio, ob necessitatem, scilicet recuperandæ sanitatis.

*Decernitur quid sentiendum de superstitionibus allatis à num.* 33.

73. De Ictericiæ sanitate ex filo, explicata *num.* 33. sic pronuntio. In ea sananda, omnia apparent vana, quare penitè abeilla erit abstinendum: utrùm autem ex dictis *num.* 49. & 72. colligatur posse semel, aut iterum, videant magis sapientiores.

Eandem Ictericiam, mingendo in herbam, expellere, de qua re memini eodem *num.* 33. fortè superstitiosum non est, si nihil aliud addatur; posset enim esse vis naturalis herbæ Marrobij Ictericiæ contrariæ quæ herba, per eosdem meatus, qui propter urinæ exitum aperiuntur, emittit exhalationes suas ab calida urina excitatas, in interiores partes corporis, malam Ictericiæ tabem repellentes. Confirmo; nam aliqui hoc morbo infecti eandem herbam ponunt intra calceos; alij sub nuda planta pedum; alij fructuosiùs alligant ad nuda crura, refiéique se hoc remedio testantur. Fortè, quia ejusmodi herba occulta vi Ictericiam bilem avertit, dissipat; vel certè mitigat. Nam non omnino ab ejusmodi mictu, vel alligatione se fuisse valetudini redditum quidam adolescens mihi narravit, sed solùm aliqua ratione refectum: qui tamen addidit tandem omnino se sanitati restitutum intra paucos dies prædicta fili secatione fuisse.

74. De verbi insufflatis in aurem patientis malum caducum, vel equi ægrotantis, quorum mentio est *n.* 34. quid sentiendum diximus, satis *num.* 8. *fine.*

75. Jejunium sancti Stephani, de quo *num.* 35. qua ratione probandum sit *n.* 46. explicuimus.

76. De decimo sextio nolente ad convivium sedere, de quo diximus *n.* 33. assero: si id quis faciat, non certa credulitate, sed quodam levi timore ductus; de mortali non esse damnandum. Vide in simili *num.* 20. 27. & 28. Risi olim quoad hanc rem, & simul amicum sum collacrymatus. Cùm agerem Montis Regalis, tredecim ex Canonicis invitati simul discubuere, ejusmodi superstitionem parvi facientes.

Porrò die sequenti quidam ex Collegio Canonicorum, qui invitatus ad convivium non fuerat, obvius casu procedens uni ex convivis dixit fore, ut ex ipsis tredecim unus eo anno moreretur, qui alter subridens respondit; potiùs fore ut ipse non invitatus è vivis decederet, quàm unum ex invitatis; adeò vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam responsionem mihi idem, qui respondit, cum risu narravit, & ego, fateor, cum plausu illam excepi, sed cum lacrymis, non post multos dies amicum illum, qui convivio non interfuerat è vita ab inexpectata sublatum febre, sum prosecutus.

77. Gladij meditatio dicta *num.* 27. videtur manifesta superstitio, si quidem nihil naturale vel divinum in eo effecta apparet. Apud Vecherum *de decretis naturæ* describebatur hic medendi modus, & ego eum curiosè legi, volui eundem relegere post aliquot annos in nova (inquam fortè incidi) ejusdem libri editione, nec inveni

inveni, expunctúmque propter nostram rationem meritò credidi. An semel aut iterum propter necessitatem sinfirmi possit id tentari, quasi dubia sit superstitio, propter dicta *n.* 72. vel quasi sit parvitas materiæ propter allata *n.* 49. decernant docti, & timorati.

78. De Channabaceo filo à Virgine deducto, de quo diximus *n.* 38. quid sentiendum satis innuimus *n.* 67.

79. Filium adhibere ad horas distinguendas, eo modo, quo vidimus *n.* 39. superstitiosum mihi videtur, & vanum, an tamen solùm veniale sit semel aut iterum ex vanitate, vel curiositate id experiri velle ut etiam annulli motum, de quo *n.* 49. semel eadem curiositate velle cognoscere, colligo ex dictis *num. eodem.* 49. Certè velle experiri curiosè ex joco quid accidat, si filum cum annulo adhibeatur ad horas signandas; esse veniale docet P. Vincentius Tancredi *1. tom. de Rell. tr.* 2. *lib.* 2. *d.* 4. *n.* 14. afferens ibi Suar. *cap.* 9. *n.* 11. Sanch. Bonac.

Vnum de hoc filo advertas velim: nam Baldelli *t.* 2. *disp. mor. disp.* 12. *n.* 2. sic loquitur: *Ad hanc Hydromantiam reducitur ex Delrio* lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 3. *Si quis per annulum de filo suspensum, & intra aquam immissum intendat cognoscere, quota sit hora, ipso annulo certis ictibus ex si pulsante latera vasis.* Hactenus Baldelli. Adeamus autem Delrium, is certè *loco citato* hæc habet verba: *Vna species Hydromantiæ fiebat per annulum de filo suspensum in aqua, & vasculi latera constitutis ictibus pulsantem.* Hæc Delrius. Adverte igitur aliud esse hoc quod de horis, per filum cognoscendis huic explicuimus, & aliud quod Delrius protulit, quæ duo simul confudisse videtur Baldelli. Probatur: Primò, ex verbis utriusque inter se collatis. Secundò, quia ea superstitio fili ab utrisque his authoribus vocatur, & Hydromantiæ, id est, Divinatio per aquam, & fit in vase, in quo sit aqua: at in casu nostro nulla adest, nec a desse debet aqua, ut ego meis oculis pluries aspexi. Tertiò, nec in eodem in nostro debet necessariò esse annulus suspensus ex filo, cum satis sit quodlibet grave filo, serico, vel simili proportionatum: nec annulus debet in aquâm immiti, quæ videntur requiri à Delrio. Quartò, quia noster casus solùm est ad dignoscendas horas diei vel noctis: cum superstitio à Delrio descripta videatur esse absoluta, atque adeò ad alios item fines.

Rursus idem Baldelli *ibid. d.* 15. *num.* 6. sic habet: *Si quis annulum filo appensum digitis teneat intra aliquod vas, & pronuntiet certum aliquem versiculum Psalmi; ad hoc, ut annulus ex se moveatur ad latera vasis, & certo ictuum numero det horam diei; ideò est superstitio, quia verba sacra adhibentur ad effectum vanum, qualis est motus annuli, & horæ pulsatio.* Hactenus ille: Qui adhuc nostrum casum vel non tangit, vel ejus plenam notitiam non habuit ut signatè tangeret. Nam in casu nostro nullus Psalmi versiculus usurpatur, ut ego sæpius dixi, sæpius vidi. Verùm hæc pro curiosis innuisse sit satis.

80. Verba sacra pro latratu canum, próque effluente sanguine, quorum mentio facta est *n.* 40. & *n.* 41. & pro morborum expulsione; de quibus *n.* 42. amota certa expectatione, & vanis, si fortè adsint, cæremoniis, esse licita, colligi potest ex *n.* 45. & 48.

## §. II. *De Maleficio, ejúsque dissolutione.*

1. Maleficium sive amatorium, quo Malefici utuntur ad flectendos animos ad amorem, sive veneficium, quo iidem utuntur ad occidendum, ad inferendum morbum, ad bona temporalia adipiscenda, &c. est vis ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone; Hoc reducuntur peccata Lamiarum, seu Strigum, quæ Latinè Sagæ nuncupantur, quæque duo potissimùm quærunt; delectationes nimirum turpes ex commistione cum dæmonibus, & damna in aliis, &c. Quoad hæc porrò vide Authores, Sylvest. *v. Malef.* Tolet. *lib.* 4. *cap.* 16. Azor. 1. *part. lib.* 9. *cap.* 25. & 26. Val. 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *p.* 4. Sanch. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 42. & *lib.* 7. *de matrim. disp.* 95. Suarez, Delrio, aliósque ab iisdem cit. nobis enim satis sit tria vel quatuor hic adnotasse.

2. Primò, quando occurrit deferri à pœnitente peccatum maleficij, duo examinare Confessarius debet: Alterum, an præter maleficium, exercitum fuerit actuale commercium per expressum pactum cum dæmone; esset enim tunc duplex peccatum, ut *suprà*, §. 1. *n.* 10. innuí. Pari modo multiplex esset, ac signatè confitendum, si additæ fuissent aliæ peccatorum species: hæresis, v. g. vel idolatria externa, vel sacrilegium, vel Fornicatio, &c. Alterum est, utrùm intulerit damnum suo veneficio Maleficus; esset enim juxta regulas restitutionis omnia damna resarcienda, ut ex se constat.

3. Secundò: Celebris est quæstio, an sit peccatum uti opera Malefici ad maleficia dissolvenda. Equidem directè petere à Malefico etiam parato, ut maleficium maleficio dissolvat, certum est esse peccatum, cùm sit cooperatio ad id, quod est intrinsecè malum, id est, ad maleficium exercendum; & quamvis petitio fiat, ut sanitati restituatur maleficio affectus, adhuc tamen peccatum est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

4. Dico (opera Maleficij) nam si nesciam illum esse Maleficum seu Magum, non debeo illum ut Magum reputare, sed solùm obligor ad inquirenda illa, quæ adhibet, an sint superstitiosa? Quòd si is ea nolit declarare, erit ab illis abstinendum, ut potè suspectis de superstitione, multò magis si non sit vir doctus & pius, qui possit judicari remediis licitis uti.

5. Difficultas ergo est, si petam, ut maleficium dissolvat, non petendo ut id faciat per aliud maleficium, an licitè petam; Respondeo. Certè si petam, ut dissolvat solùm tollendo signum maleficij, vel illud destruendo, sciámque illum sic facturum, nec alio maleficio usurum, esse licitum omnes fatemur; quia tunc res licita petitur, quam quilibet posset facere sine culpa, idque non sit convivere dæmoni, sed potiùs ejus signa, ejúsque pacta destruere.

6. Rursus, si petam absolutè, ut dissolvat, sciam autem ipsum non posse dissolvere, nisi aliud maleficium moliendo, quia alium modum non habet, me mortaliter peccare certum est: quia tunc directè maleficium, quod est intrinsecè malum, exposcerem: At si petam absolutè, ut dissolvat, sciens eum posse dissolvere sine maleficio, & posse cum maleficio, at sciam ipsum sine maleficio dissoluturum, sane propter rationem modò dictam *n.* 5. licitè petam.

7. Quòd si absolutè petam, ut dissolvat, sciens ipsum posse dissolvere cum maleficio, & posse sine maleficio, putans tamen, imò certò sciens ipsum cum novo maleficio dissoluturum, major est, & multùm celebris controversia, num licitè possim petere? Dico tamen esse saltem probabile, & tutum licitè posse. Ita Sanch. *dicto disp.* 95. *de matr. num.* 12. & *dicto c.* 42. *in dec. num.* 13. & novissimè Baldi alios citans *disp. de conf. cap.* 2. §. 20. *n.* 6. Ratio est, quia tunc ego peto, quod is licitè facere potest: ipsi ergo imputetur, si eligat quod illicitum est: Quod si mea licita petitio est occasio, ut ipse peccet, sibi imputet: nam me summa necessitas avertendi à me, vel è proximo maleficium excusat à cooperatione, quæ fortasse ibi esse videtur. Solet afferri paritas de usurario & infideli: licèt enim possim ab his petere mutuum, & juramentum, licèt sciam eos peccaturos accipiendo usuram, & jurando per falsos deos, quia ego rem bonam vel indifferentem peto: non enim peto ut juret, v. g. Gentilis per falsos deos, hoc enim planè esset peccatum, quia directè poscerem juramentum per se malum, sed peto solùm, ut juret, id quod ipse potest bene præstare jurando per verum Deum: ni præstet, ipsi imputetur; me enim à coöperatione peccati, quod videtur hîc adesse, excusat necessitas firmitatis contractus ineundi cum Infideli, sicuti in casu mutui, necessitas, quam patior pecuniæ.

8. Inquires primò, quando ego exposco ut maleficium quis dissolvat, ac mihi medeatur, cùm possit sine novo maleficio, si accidit, ut ipse velit exercere in mea persona, vel in meo equo, v. g. præsente me aliquas superstitiones, possumne permittere? Respondeo cum Suarez *tom.1. de Relig.lib.2. de superstit. cap.* 18. *num.*10 *fine.* Lessius *lib.2. cap.44. num.* 46. non posse, quia tunc positivè cooperaris ad superstitionem illam, quæ accidit; quod non est, cùm maleficus sine re superstitiones adhibet, cùm possit non adhibere.

9. Inquires secundò: cùm debeamus (ut licita sit nostra petitio) cognoscere quòd Maleficus possit sine novo maleficio morbum depellere, qualisnam esse debebit ejusmodi cognitio? Respondeo, moralis, vel certè probabilis; si enim mihi probabile est, ipsum habere modum maleficium dissolvendi sine peccato, satis est, ut ego petendo non peccem; cum probalitate enim operari, est operari cum prudentia; ut in superioribus nimis sæpe docuimus.

10. At sufficitne dubitare? dubito, v. g. negativè, an maleficus modum licitum habeat dissolvendi maleficium, possumne licitè ab eo dissolutionem petere?

Respondeo: Credo satem aliquando posse, quia non rarò præsumere mihi integrum est, ex communiter contingentibus, à malefico modum licitum non ignorari; Communis enim modus est signum dæmonis dissolvere, in quo dissolvendo, non est necesse, ut interveniat novum maleficium. Neque contrarij sunt Doctores, Suar. Less. Sanch. apud Castro Pal. *tom.3. tract.17. disp.1. de superst.p.12. n.2.* & apud Bardi *ibid.n.7.* dum in hac re communi calculno sentiunt, in dubio præsumendum esse maleficium per novum maleficium, maleficium dissolvere, cùm semel malus semper præsumatur malus, *ex regulis juris in* 6. Non sunt, inquam, contrarij; nam statim addunt, nisi dubium vincatur: Cùm ergo vinci aliquando possit, ut dictum est, Doctores adversùs ... eam resolutionem neque quam stant; Fateor tamen multa prudentia, in tanto dubio, parique cautela opus esse. De hac re satis benignè loquitur Lessius *lib.2. cap.44. n.* 46. illi verbis allatis §. 1. *num.*72. ex quibus præsentem doctrinam confirmari posse alicui videbitur: *Non est* inquit) *licitum uti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis invocationem; hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi fortè id fiat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione.*

11. Dices, qui petit à malefico dissolutionem modo quantumvis licito; consulit maleficum: At consulere maleficos est per se malum, & in sacris litteris prohibitum: ergo saltem ex hoc capite grave peccatum. Ita P. Antonius Marsilius Vir doctus Soc. Iesu Lector Casuum conscientiæ in Rom. Collegio *in manuscript. super Dec. tract.4. cap.1. fin.*

Respondeo, consulere maleficos, ut tales, certè est prohibitum: at non ut tales, sed ut scientes bonis artibus maleficium tollere, prohibitum non est: secùs nec possent legitimum medicamentum, & bonas scientias addiscere ab eo, qui hæc à dæmone habuit; quamvis enim ipse, quando habuit, peccavit ex pravo commercio cum communi hoste, non pecco tamen ego, immò nec ipse, cum iis naturalibus medicinis, scientiaque bona, ad bonum finem utimur, ut Theologi probatissimi, Suar. Delrio, Val. Sanch. Vict. apud Castro Pal. *l. c.* 11. *nu.* 1. docent; non enim tunc consulemus maleficos, ut tales, sicuti dictum est, sed, ut viros doctos & expertos, nec nisi res ex se bonas tunc usurpamus: Ex eadem ratione possum uti equo, v. g. meo invento per artem magicam? & frui sanitate per eandem acquisita, immò & pecuniam retinere à dæmone fortè habitam (modò non constet moraliter fuisse ab aliquo ablatam, tunc enim esset Domino restituenda) & similia, nam quamvis graviter peccaverim in illis à dæmone obtinendis, non tamen postea illis rebus ex sese bonis utendo, peccatum committo: ut nec committit meretrix dum retinet, fruitúrque pecunia illicitè ex suo peccato comparata.

12. Mihi puero narravit quidam (fabella, ne ad puerorum animos aucupandos inventa; an vera res fuerit, ignoro) enem thesaurum magicis artibus terræ noctu infodisse, hac habita cum dæmone conventione, ut hominum nemini thesaurum patere posset, nisi ei, qui in ipso thesauri loco existens bonæ pultis pingui patina se recrearet, vinumque biberet liberaliter: inaudisse quendam rusticum non longè ab illo loco fortè decumbentem, manè peltem comedisse, vinum hilariter obibisse, thesaurumque sibi, nullo repugnante, arripuisse. Quo dolore avari senis, qui non multò póst ad locum invisendum se contulit, aurumque expiatum reperit, verbis explicet qui potest, jam inquiro, an sine peccato potuit rusticus hoc signum apponere? Respondeo, potuisse, quid id non fuit nisi contrarium signum apponere quo posito dæmon promisit non ampliùs thesaurum custodire; quando enim tale signum apponendum bonum est ex se, vel indifferens, apponi licitè potest, cùm apponatur medium ad dissolvendam confœderationem dæmonis, qui finis bonus est. ita Less. Sanch. apud Castro Pal. *loc.cit.num.*10. Idem ergo, & multò magis dicendum erit ad finem sanitatis consequendum. An is rusticus potuerit sibi thesaurum retinere, dependet ex ea quæstione: utrum thesaurus, cujus Dominus scitur, solùm ex eo quòd terræ se infossus ad nullum certè usum, reputetur non esse sub alicujus dominio, sed esse primi occupantis. De qua re suo loco alibi.

13. Quare quando Iudices pilos radunt, vel lavant maleficos torquendos, ne ij insensibiles sint ad tormenta, non solùm id scitè faciunt, ut tollant signum dæmonis fortasse sub pilis, vel in unctione corporis latens (quæ est communis Doctorum explicatio) sed etiam, quia potuit evenire pactum cum dæmone fuisse, ut ad tonsionem pilorum, vel lotionem, corporis cessaret conventio. Ex dictis colligere poteris non solùm tertium aliquem, sed ipsum etiam Magnum posse immò & debere sive destruere signum, sive positivè ponere signum contrarium pacto, quo scilicet posito, (sed sine novo maleficio) desinit nocere dæmon. Sicut enim (ait Lessius *lib:2.cap.4.num.*43.) Maleficus, qui Diabolum invocat verbis, vel scriptis, ut nocet cuipiam, tenetur cessare ab ista invocatione, non solùm quia superstitiosa, sed etiam quia noxia, ita quoque tenetur signa posita, quibus illicitur, ad nocendum, tollere, si aliter nocumentum impediri nequit.

Dixi (sed sine novo maleficio) nam propterea illa signa contraria, fortè debent poni, solùm possunt, esse, vel bona, vel indifferentia, Venefícium, v.g. sit hujusmodi. Si Venefica te tangat, tu morbo inficieris, & paulatim tabesces, at si illam tu repercutias, impedietur morbus. Dico, te posse repercutere, quia repercussio est res indifferens, nec enim repercussio est novum maleficium.

Id enim clarè docet Sanchez *lib. 2. sum. cap.41. n.*23. Tandem, inquit, licèt etiam signum positivum contrarium apponere, dummodo sit ex se licitum, aut indifferens ad pactum illud cum dæmone initum, rescindendum, v. g. si dæmon esset pactus cum maleficio se nociturum, nisi maleficiatus postea se signet cruce, aut lavet corpus, licebit huic se signare, aut lavare non intentione sanandi positivè eo medio, aut opera dæmonis, sed solo animo tollendi signi, & pacti nocendi dissolvendi. Hæc Sanchez citans Suarium, Lessium, Sylvestrum, Delrio.

Objicies primò Lessius *loc.cit.n.*48. docet, posse tolli, vel poni dicta signa ad hoc, ut cesset nocere dæmon, non verò docet, posse, ad hoc ut dæmon positivè det sanitatem: at in exemplo à nobis allato, potuit evenire, ut illa repercussio fecerit signum non solùm ne dæmon prosequeretur nocere, sed etiam, ut positivè afferret sanitatem: ergo illam ego ponere non possum; directè enim tunc vellem sanitatem à dæmone positivè illam conferente.

Respondeo. Huic objectioni sic diserté satisfacit Castro

Ito Pal. *t.3.r.27.d.11. n.8.* Negari non potest, (inquis) posse Maleficium destructionem illius signi ad unum finem dirigere (intellige ad desinendum nocere) & non ad alium (intellige, & non ad sanitatem positivè conferendam) concedo igitur (sic habet *num.* 10.) nemini licitum esse uti signis à dæmone datis eo fine, ut dæmon excitetur ad fidem servandam, vel sanitatem conferendam. At bene poterit illis signis uti, ut tollatur dæmonis incentivum, quod habebat ad nocendum. Quod autem dæmon destructo signo, non solùm cesset nocere, sed etiam concedat salutem, per accidens est intentioni destruentis signum, non enim destruens signum illum sanitatem consequi, destructione prætendit. Hæc Castrop. quæ est ipsissima doctrina Sanchez modò jam allata.

Ob. secundò. Esto illa positio signi contrarij sit novum, ut, eo signo posito, dæmon desinat nocere. At potest evenire, ut ea positio signi non sit solùm pacti prioris destructio, sed sit novum pactum, ob quod dæmon nocere desinat, ergo tunc esset novum maleficium.

Respondeo. Novum pactum non potest iniri nisi ex nova consensione duorum, atque adeò nisi destruens signum consentiat. At ipse nullatenus consentire solùm enim intendit prioris pacti dissolutionem, & nihil præterea. Adde primò, non consuevisse dæmonem, pro nova pactscenda conventione, rem bonam, imò nec reguliariter rem ex se indifferentem adhibere, semper enim aliquid vani saltem admiscet.

Adde secundò. Cùm mihi non constet, hoc esse novum pactum (pactum enim non destruitur novo pacto, sed solùm recedendo, ab ipso) cùm non constet, inquam, hoc esse novum pactum, ad summum dubia res erit, quare quærendum restarèt, quid in dubio hoc faciendum esset? Id quod jam subdo.

Inquires enim. Licebitne ponere ejusmodi contrarium signum, quando omnibus expensis dubium est, an talis signi positio sit maleficium, atque adeò novum pactum; Lavare enim se, ex Sanchez citato; vel reperire, ex Lessio cit. clarè non sunt maleficia. Sed quid, si sit, v.g. lavare se cum aqua benedicta, vel dicendo quædam verba, de quibus dubitetur, an sint vana, unde dubitetur, an illa lotio, vel peractio sit novum maleficium?

Respondeo, Lessius *l.c. n.42.* inclinat, licere, sed cum protestatione non consentiendi pacto forte novo: Similiter, inquit, non licet, si res sit dubia, non enim licitum est uti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis invocationem; hoc enim est, se exponere manifesto periculo superstitionis; nisi forte id fiat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione. Hæc Lessius.

Verùm absolutè nunquam licere, docet Sanchez *loc. cit.* his verbis: *Addit Lessius, si dubium sit, an id signum sit superstitiosum, non licere, nisi forte præmissa contraria voluntatis protestatione. Sed nec hoc modo audeo id approbare.* Hæc Sanch. dumtaxat; ubi vides nullam hîc ab ipso rationem afferri, unde illud non approbet. Affert tamen Castrop. *loc. cit. num.* 10. qui huic sententiæ Sanchez adhæret, & sic habet: *Bene advertit Sanchez, si dubium sit, an medium, quod assumitur superstitiosum, aut illicitum sit (quousque dubium deponas) te non posse illo uti, quamcumque protesteris nolle ullam cum dæmone societatem habere, quia hæc protestatio non vincit dubium, neque purgat malitiam, quæ in illo esse potest.* Hactenus ille.

Ego in praxi sententiam Lessij libens amplecterer. Et ratio esse posset, quia semper in eo dubium est caput, unde dubium deponere facilè queam, qua depositione habita, concedit ipse Castro Palaus. Nam quando est dubium, an hæc res, quæ adhibenda est, sit superstitio, nécne, judicandum practicè est, non esse superstitionem, quia prius est, rem esse indifferentem, immò, & bonam ex se, & deinde est, seu supervenit, esse malam ex pacto cum dæmone; ergo donec ostendas, superveniſſe pactum, semper possidebit indifferentia, vel bonitas. Cùm ergo nemo possit, vel debeat dejici à sua possessione per superveniens dubium, ut latè diximus *lib.1. cap. 3. per totum*, prævalebit in casu nostro negatio superstitionis, atque adeo deponetur dubium.

Dixi (amplecterer) nam absolutè tunc amplectar, quando eam tu, te maturiùs expensa, sapiens lector excipies.

*De pœnis contra prædictos, déque eorundem absolutione.*

14. Contra divinatores, sortilegos, &c. si hæresim exteriorem non committant, nullæ sunt pœnæ in jure latæ, nisi fortè ferendæ: nam si superaddatur hæresis, erit excommunicatio lata in Bulla Cœnæ, de qua suo loco dictum est; pœnæ autem à Judicibus inferendæ ad nostram tractationem minùs pertinent, de quibus nihilominùs lege Farinacium *de hær. q.* 181. *à n.*51. aliósque ab ipso citatos.

15. Quoad absolutionem: si cum hæresi formali, & externa, adjuncta sit culpa prædictorum, ille solus potest absolvere, qui potest hæresim, de quo *suprà, cap.1. §.8.* satis vidimus; Si hæresis intermissa non fuerit, quælibet adoratio dæmonis, pactum, commercium, superstitio, & quodcunque aliud, quod hæresim formalem externam non contineat, poterit absolvi à quolibet ordinario Confessore, nisi tamen aliqua ex his in Diœcesi sint ab Episcopo reservata: ita plures apud Dian. *1. par. tract. 5. resol.8.* cum Bulla Cruciatæ, & sine illa *p.3. tract.4 resol.143.* vide etiam *part.4. tract.4. resol.* 240. De abortu est quædam peculiaris dispositio, de qua dicam *l.6. cap.2. §.4. n.8.* Ratio est, quia, cum hæc omnia, licèt gravissima scelera, non subjaceant excommunicationi latæ sententiæ, non sunt Summo Pontifici reservata, huic enim nullum crimen reguliariter reservatur, nisi ratione excommunicationis, ut diximus *in nostro opusc. de confess. lib.3. c.7. §.1. n.2.* Nec sunt ex jure reservata Episcopo, quia, ut *ibidem* diximus, nulli casus vel excommunicationes sunt hodie Episcopo in jure reservatæ; Remanet igitur, ut nisi in aliquo loco peculiari reservatione afficiantur, liberè possint ab ordinariis Confessoribus remitti: multò magis virtute Bullæ Cruciatæ ita Diana, *l. c.* & Escob. *in summ. tract.7. exam.4. Opotéstne Confess.* Nec obstat reservatio DD. Inquisitorum, nam hanc esse solùm pro externo foro habes apud Dianam, aliósque apud ipsum.

## §. III. *De Sacrilegio.*

1. Sacrilegium propriè est sacræ rei læsio, seu violatio. Ita S. Th. *2.2.q.99. art.1.* lege Suar. *tom.1. de Rel. tr.3. lib.3.* aliósque passim. Dico (propriè) nam frequenter quælibet irreligiositas, hoc est, irreverentia contra Deum, quæ est genus ad omnem culpam Religioni genericè sumptæ oppositam, dicitur sacrilegium: sic idololatria, pactum cum dæmone, superstitio, & alia similia peccata sacrilegia latè nominantur. Propriè igitur sacrilegium solùm respicit rerum sacrarum violationem: Quæ res sacræ, hoc est, ea omnia, quæ lege divina, vel Ecclesiastica ad cultum Dei sunt destinata, quia ad tria communiter reducuntur, nempe ad personas sacras, ad locum sacrum, ad res sacras, ideò triplex sacrilegij genus constituitur, quodlibet suas species continens, utique specialiter in confessione aperiendas; cùm teneamur, ut diximus *lib.2. Method. Confess. cap.1. §.9. n.59.* confiteri ex Tridentino singulas species, & singula numerò peccata.

*Sacrilegium circa personas sacras: remissivè.*

2. Personas sacras, hoc est, vel vitæ statu per votum, vel sacro Ordine Deo peculiariter destinatas, quatuor modis, atque adeò quatuor speciebus sacrilegij, offendere potes; Primò, per violentam manus injectionem, de qua agitur, cùm explicatur excommunicatio: *Si quis suadente.* Secundò, per usurpatam jurisdictionem,

personas Ecclesiasticas ad Judicium sæculare trahendo, vel iisdem victigalia imponendo, de qua re agi solet *in tractatu de immunitate personarum Ecclesiasticarum*. Tertiò, per rapinam & furtum, de quibus *in tractatu de Restitutione*, & nos quæ sufficiunt *l.2. Method. conf. cap.8. §.2.* explicuimus. Quartò, per actiones venereas, de quibus in sexto Præcepto disseritur, quæque nos breviter *ibidem c.7.§.5. à num.30.* attigimus, quantum scilicet necessarium pro Confessoribus judicavimus; quibus tamen adde sequentem resolutionem.

3. Nudiustertius Græcus Sacerdos uxoratus, quæsivit à me, An ipse si aliam à suæ cognosceret, præter adulterium, contraheret peccatum sacrilegij eo, quòd sacro Ordine initiatus contra castitatem peccaret. Respondi, si Sacerdos Græcus in ipsa ordinatione votum hoc nullo pacto emittit, nequaquam contrahere. Ratio fuit, quia ideo Sacerdos sacrilegium turpibus vacando, contrahit, quia sive explicitè, sive implicitè in receptione sacri Ordinis emittit votum castitatis, séque hoc pacto sacrum reddit, id quod non est, si voti obligationem secludamus: ita Castro Pal. *l.c. p.3. §.2. n.2. circa finem*: sed Sacerdos Græcus nullum ejusmodi votum, ut supponimus, emittit, ergo, &c. Dicere enim eum certò emittere votum non tangendi alias præter uxorem, esset gratis loqui, & ego ab aliquibus hujusmodi Græcis id sciscitatus, nihil certi habere potui, quare si tibi Sacerdoti Græco idem dubium sit, an à te id votum emissum fuerit, te votum non obligat, ut universim de votis dubiis *suprà, lib.1.cap.3. §.7.v.Votum*, notavimus.

Nec obstat primò, hoc apud Græcos æstimari passim sacrilegium. Nec obstat secundò ejusmodi Sacerdotes, uxore extincta, aliam ducere nullatenus posse. Nam ad primum respondeo, æstimari latè sacrilegium propter gravem circumstantiam, non propter speciei diversitatem. Ad secundum, non posse alia ducere ex vi præcepti prohibentis in Sacerdote Bigamiam, non ex vi voti, &c.

4. Hanc resolutionem quidam Doctor minùs approbavit: asserebat enim Sacerdotem Græcum statui Sacerdotali addictum multò magis suum statum per fornicationem, etiam abstrahendo à voto, coinquinare, quàm per pollutionem, seu effusionem seminis polluatur Ecclesia benedicta, quamvis non consecrata: ergo saltem ex hoc capite sacrilegè se gerit. Confirmabat primò, quia per Aragonium *2.2. q.88. art.7. ad finem*, & Henriquez *l.5. c.5. n.6.* Religiosus fornicans non solùm debet confiteri fornicationem & votum absolutè, sed etiam votum solemne professionis, quia à Religioso non læditur votum quomodocunque, verùm etiam status Religiosus: ergo cùm à Sacerdote Græco lædatur status Sacerdotalis, idem erit dicendum.

5. Sed respondi, verum esse ab ejusmodi Græco commaculari sacrum Sacerdotis statum, at intra latitudinem eandem, quâ Christianus lædit suum statum hominis baptizati, id est, hominis participantis Sacramenta à Christo Domino instituta; sed quia non adest votum, non est læsio adversùs aliam peculiarem virtutem Religionis, sed solùm est notabiliter gravior: cùm ergo circumstantiæ etiam notabiliter aggravantes non constituant diversam speciem, (undè non sint specialiter ex probabili sententia confitendæ) ideo nec in casu nostro nova sacrilegij species enascetur. In violatione Ecclesiæ non est mirum inveniri sacrilegium, quia specialis & expressa prohibitio facta in honorem loci sacri transfert illam turpem actionem ad novam speciem: quam prohibitionem specialem in Græco Sacerdote non invenimus. Ad confirmationem respondeo, Aragonium & Henriquez ideo putasse Confessori aperiendum (in casu, de quo loquuntur) statum Religiosum, quia putaverunt circumstantias notabiliter aggravãtes esse clavibus speciatim subjiciendas, quam nos sententiam non sequimur.

*Sacrilegium circa loca sacra: remissivè.*

6. De hoc item ea, quæ ad sufficientem cognitionem pertinent, alibi meliùs disputantur. Tripliciter enim circa loca sacra sacrilegij labem quis contrahit. Primò, si eum; qui flagitium invenit in loco sacro, violenter, vel per fraudem extrahat ab eo loco; Secundò, si in iisdem sacris locis strepitum forensem vel mercaturam adhibeat; Tertiò, si quis venereas actiones in iisdem locis exerceat, de prioribus agitur *in tractatu de Immunitate*: de tertio *in sexto præcepto*; de quo nos *in Meth. confess. lib.2.cap.7.§.5. à n.35.* satis multa desservimus.

*Sacrilegium circa res sacras.*

7. Cùm variæ sint res sacræ, variæ & erunt hujus sacrilegij species. Quatuor enumerat S. Thomas *2.2. q.99. art.3.* Primò, Sacramenta. Secundò, vasa sacra, sanctas Imagines, Reliquiásque Sanctorum. Tertiò, ornamenta Ecclesiæ & ministrorum ejus. Quartò, bona temporalia Ecclesiastica in sustentationem Ecclesiæ ministrorum deputata. Scriptura sacra, sacræque cæremoniæ ad secundum caput reduci commodè possunt. Qui igitur malè, & irreverenter erga hæc se gerit, sacrilegè peccat, quia irreverentia illarum in Deum, qui in iis ritè, & sacrè colitur, tandem redundat.

8. Duo hîc sunt notatu digna. Primò: An qui conculcat sacratissimam Eucharistiam sit propriè sacrilegus? Ratio dubitandi est, quia sacrilegium est rei sacræ, hoc est, rei Domino deputatæ violatio: At Eucharistia non est res Domino deputata, sed ipsemet Dominus: ergo ejusmodi conculcatio erit quidem atrox irreligiositas, non verò propriè sacrilegium. Respondeo. Communis sententia sentit esse propriè sacrilegium, ita Cajet. *2.2. q.99.art.1.& 3.dub.6.* Lessius *lib.2.loc.c.c.46.dub.3.num.13.* aliique: quia Eucharistia, licèt Deum Dominum contineat, est tamen signum gratiæ sanctificantis; est enim Sacramentum: quare prædicta injuria non videtur facta seu exercita immediatè circa ipsum Dominum (cùm ipse ibi sit inysibilis) sed irrogata ipsi signo visibili Deum significanti, & continenti.

9. Secundò. An quælibet bona Ecclesiastica læsa constituant sacrilegium? Respondeo nequaquam: sed solùm ea, quæ aliquo modo sacra sunt, atque in Dei cultum ordinantur: Hæc solent esse bona, quæ destinata sunt ad Ecclesiæ servitium, & ad ejus ministrorum, ut tales sunt, sustentationem. Quare alia bona patrimonialia, vel quocunque alio sæculari titulo possessa ab Ecclesiastico, cùm non sint verè sacra, locum hîc non sortiuntur.

10. Quid, si quis sibi retineat legata vel hæreditates, & similia Ecclesiis pro dicto servitio relicta, contrahîne præter malitiam injustitiæ malitiam sacrilegij dum non solvit? Respondeo cum Castro Pal. *l.c. §.2.num.1.* contra Valent. & Leg. *ibid.* citat. solùm injustitiæ, quia donec Ecclesia ea possideat, non sunt sacra: antea enim eadem videntur remotè destinata ad Ecclesiæ servitium, quæ remota destinatio non videtur esse satis ad rem propriè constituendam.

11. Quid, si quis Decimas non solvat? Respondeo cum Castro Pal. *ibid.* nec hunc fore propriè sacrilegum, sed tamen præter injustitiam incidere in peius crimen, nempè in irreligiositatem, seu irreverentiam immediatè contra Deum: ita Deum *ibid.* Ratio est, quia solutio Decimarum est ordinata in recognitionem supremi dominij Dei, ergo eas negans, omittit Deum recognoscere, quod est nolle exhibere cultum Deo debitum: sicuti si quis justus legitimè aliquo actu Deum venerari, illum venerari negligeret.

*An temporis violatio constituat aliquando sacrilegium propriè dictum.*

12. Uno verbo. Tempus, estne objectum sacrilegij? v.g. qui die festivo, vel tempore Quadragesimæ, &c. peccaret, contraherétne speciem sacrilegij? Respondeo, de hac re me dixisse *in opusc. Meth. Confess. lib.2. cap.7. §.5. numer.40.* ubi resolvi non contrahere: addidi tamen contrahi non rarò posse culpam irreligiositatis

contra

contra reverentiam Deo debitam, ut si comœdias, vel lucta spectacula die Veneris Sancto celebrare, v.g. quis velit. In hoc enim facto non solùm esset scandalum populi, sed etiam irreverentia erga Christi Domini Passionem.

*An voti violatio sit Sacrilegium.*

13. Vovet quis jejunium, v.g. si id non exhibeat, ástne Sacrilegus? Respondeo, ita videri plerisque apud Valent. 2.2. d.99. q.85. p.1. *initio.* Ratio est, quia eo ipso, quòd res voto dicata Deo est, Deo est destinata: ergo si violetur, sacrilegè violatur. Sed certè probabiliùs est cum Suarez tom.1. de Rel. tract.13. lib.3. à n.5. non ita esse; tunc enim peccatur quidem contra fidelitatem Deo debitã ex promissione, sed non propriè cum sacrilegio, quia nihil sacrum violatur, sed immediatè Deo, negatur, quod promissum fuit. Neque obstat per votum Deo rem destinari, non obstat, inquam, quia non destinatur nisi in ordine ad ipsius executionem, solùm scilicet, ut res promissa executioni mandetur, non verò ipsa (donec actu Deo detur) fit sacra. Si quando ergo hæc infidelitas sacrilegium, seu irreligiositas sacrilegã nominatur, latè, ut in simili *suprà* dictum est, sacrilegij nomen usurpatur.

## §. IV. *De Blasphemia.*

*Quid, & quotuplex sit.*

1. Blasphemia est convitium, seu verbum contumelioſum contra Deum: ita S. Thom. 2.2. q.13. art.1. et igitur peccatum contra reverentiam Deo debitam, quod, An habeat parvitatem materiæ, *suprà*, *lib.*1. *c.*1. §. diximus.

2. Alia est hæreticalis, ut: *Deus est injustus.* Id quod si etiam sic mente affirmetur, non hæreticalis solùm erit, sed etiam hæretica, utraque Inquisitori deferenda: ita Sanchez *lib.*1. *in Dec. cap.*32. Laym. *lib.*4. *tract.*10. *cap.*6. *n.*7. Bon. *circa* 2. *dec. prac. disc.*3. *q.*6. *p.*1. Alia est simplex, & quidem quadruplex: Enuntiativa, ut: *Ad Injuriam Dei redo hoc efficere.* Detestativa, ut: *Pereat Deus, maledictus sit Deus, disficeat Deo.* Irrisoria, ut: *Vah, qui destruis templum Dei*: idémque erit, si nominentur irrisoriè membra Christi Domini pudenda. Juratoria, quando scilicet cum blasphemia quis jurat, Ut: *Pereat Deus, si ita non est, vel erit, &c.*

3. Rursus blasphemia committitur, vel aliquid demendo à Deo, Sanctisve, vel aliquid iisdem addendo. Demis, si dicas, Deum non esse omnipotentem, non misericordem, non providentem, Sanctos non esse in gloria, &c. Addis, si dicas Deum esse crudelem, Sanctos esse impudicos, &c. Sive autem addas, vel demas ex intentione inhonorandi Deum, sive sine tali expressa intentione, quia tamen sic addendo, vel demendo vêrè inhonoras illis verbis Deum, blasphemus eris, & quidem juxta eandem speciem blasphemiæ, cùm uterque modus sit tandem, & resolvatur contra Dei reverentiam: ita colligitur ex Castro Pal. *tom.*3. *disp.*2. *de tem. & p.*2 §.2. *num.*3. licèt deinde contrarium sentiat *num.*6.

4. Denique, alia est in Deum, alia in Sanctos, alia in cæteras creaturas, sive rationales, sive irrationales advertendo, ut sit blasphemia, illa, quæ jactur in Sanctos, vel cæteras creaturas, debere semper redundare in Deum: si quis enim vel dicat, vel imprecetur malum tempestati, seu ventis, certè, si præscindat ab eo, quòd hæc referantur ad Deum tanquam ad Creatorem ipsorum, injuriam, non Deo, sed ipsis creaturis faciet, ut mox clarius explicabitur.

5. Atque hinc vides, cur torquere convitium in Sanctos, semper sit blasphemia, non autem semper in alias creaturas: quia nimirum Sancti semper referuntur, seu apprehenduntur referri ad Deum, sive ut ipsos glorificantem, sive ut ipsorum amicum: non semper creaturæ cæteræ. Nam propterea qui maledicit patri, v.g. impius quidem erit contra reverentiam debitam patri ex quarto præcepto, & aliquando contra Charitatem ejusdem, si ex animo aliquod malum ei desideraret, ut mox explicatiùs dicam: at non erit irreligiosus in Deum contra præceptum hoc, de quo agimus.

Denique blasphemia quæcunque joco prolata regulariter est mortalis, ex Sanchez *lib.*1. *cap.*32. *n.*41. Castro Pal. *tract.*17. *d.*2 *p.*2. §.2. quia adhuc sic prolata vergit in diminutionem Divini honoris. Dixi (regulariter) nam si talis esset jocus; ut omnibus expensis nulla diminutio Dei honoris appareret, quod rarò esse posse mihi videtur) certè mortalis blasphemia non esset, quia blasphemia verè non esset, quippe cui deesset blasphemiæ essentia, & de hoc rarissimo casu intelligi debet Valentia 2.2. *d.*9. *quæst.*13. cùm docet blasphemiam joco prolatam non esse blasphemiam.

*Blasphemiæ denuntiandæ.*

6. Quatuor hic nota. Primò, blasphemias hæreticales esse Inquisitoribus, ut modò innui, ab audientibus denuntiandas, juxta regulas denuntiationis, de quibus alibi: ita Sanch. *loc.cit.n.*37. simplices verò Judici Ecclesiastico, vel sæculari, nam ita præcipiunt decreta Julij Tertij, & Pij Primi, quæ tamen decreta, quoad simplices blasphemias, propter desuetudinem obligare nequaquam videntur. Vide Castro Pal. *ci.* §.4. *n.*3.

*Correctio Blasphemiæ.*

7. Secundò, nota audientem blasphemiam non teneri blasphemantem increpare, nisi periclitetur honor Dei, qui rarò nunc inter Fideles periclitatur: ita Sanch. *ibid. n.*46. Immò increpare blasphemantem non expedit, cùm fervet ira, quia is irritaretur magis: Correctio igitur fraterna debito loco, & tempori reservetur.

*Modus confitendi Blasphemias.*

8. Tertiò pro praxi Confessariorum, quoad blasphemias, à nobis dicta *in nostro opusc. de confess. lib.*2. *cap.*2. §.1. recolantur, ubi resolvimus omnes blasphemias esse ejusdem rationis, sive in Deum, sive in Beatam Virginem, sive in Sanctos, &c. Addo nunc varias blasphemias in Deum, variásque in Sanctos, &c. non differre specie. Unde satis est in confessione dicere, *toties blasphemavi.* Ratio est, quia omnes specificantur à contumelia, quæ Deo infertur. Excipe blasphemiam hæreticalem, illa enim supperaddit, ut modò dixi, peccatum infidelitatis, si adsit error intellectus, vel peccatum contra præceptum de externa confessione Fidei, si solùm ea fuerit verbalis, &c.

*Discrimen inter blasphemiam, & maledictionem.*

9. Quartò, quia sæpissimè indignatio blasphemantis est solùm contra homines, ideo mihi placet regula Lay. *lib.*4. *tr.*20. *c.*6. *n.*12. quæ est hujusmodi: *Si pœnitens neget affectum indignationis suæ, erga Deum directè se extendisse, sed solùm adversùs hominem, vel jumentum, cui iratus fuerit, tunc Confessarius attendat ad verba, quibus homo usus fuit; si enim secundùm se divini honoris diminutionem nullam exprimunt, non censenda est blasphemia, neque mortale peccatum; sin autem verba tali, aut tali modo prolata sint, ut contumeliam Dei, aut Sacramentorum significent, videlicet per mille Sacramenta, per septem Sacramenta, perdat te Dei Chrisma, censeri debent blasphemiæ, dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur, sæpe autem ejusmodi verba blasphema proferunt inadvertenter, ac materialiter tantum, non attendentes, quid significent, tum verò excusantur à gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis ac voluntarij, modò interim conentur perversam ejusmodi consuetudinem deponere.* Hæc Layman.

10. Ubi nota, si blasphemia sit fine relatione ad Deum, solùm contra creaturas rationales, vel irrationales contorqueatur, propriè vocari maledictionem, & ut dictum est; communiter esse culpam venialem, quia

quia tamen potest aliquando esse mortalis, idque contra charitatem, ideò clariùs hoc tribus dictis sic explico.

11. Dico enim primò, quando maledicitur diabolus, raro esse peccatum mortale, quia semper solet maledici, ut author malorum, & ut Dei inimicus, quo pacto, abstrahendo ab impatientiæ impetu, ne veniale quidem est.

12. Dico secundò, quando maledicuntur homines & optantur eis mala, ut: *Possit crepare, occidi, &c.* communiter esse veniale; quia nec maledicuntur ut aliquid Dei, neque desideratur deliberatè, ut illis eveniat illud malum; si tamen deliberatè desideraretur, esset peccatum odij contra charitatem proximi, grave vel leve juxta gravitatem vel levitatem mali. Audi quid Escobar *in summa, tr. 1. exam. 3. c. 6. n. 26.* in hanc rem afferat: *Assotes interdum, in amicos indignari, ut filios, famulos, vicinos: interdum in inimicos. Cum ex inimicitiæ affectu maledicta prodeunt, plerunque cum plena intentione feruntur: cum autem in amicos rarissimè ex intentione exoriuntur, sed solùm ex perturbatione, ebrietate, &c. unde lethalia peccata non erunt, si interrogeris mox post prolationem maledicti, num intendas filios, aut famulum à diabolo arripi? Respondebis: minimè planè. Fateor quosdam tam immoderata passione perturbari solere, ut etiam illo instanti, vel filios intendant deperire: id quod prudentia Confessarij diligenti examine relinquo.*

13. Dico tertiò. Si maledicuntur animalia, arbores, &c. si hæ res sint proximi, & ex odio ipsius hoc dicatur, & cum animo, ut verè pereant illæ res, est similiter peccatum odij contra proximum: id quod tamen raro solet communiter evenire, & solùm in casu, quo, ut offendas Dominum, ejus rebus malum deprecaris. Quòd si res illæ nostræ sint, tametsi ex animo desideraretur ut eveniat eis malum, solùm erit veniale, quia odium est circa res nostri dominij.

14. Dico quartò: Quando maledicitur dies, hora, locus, ventus, ignis, pluvia, esset mortale, si maledicerentur; quatenus illis Deus, ut mediis utitur ad nos puniendos, vel periculum sit, ne indignatio sit contra Deum: at quando neutrum ex his adest, non est mortale, quia indignatio non est contra Deum. Quòd si redundet in parentes, ut quando dicitur; Maledicta hora, quâ mei parentes me ediderunt, esset contra pietatem, seu observantiam, graviter, si desideraretur illis malum, vel notabiliter pietas erga parentes læderetur; leviter si neutrum.

Jam verò quoniam aliqua verba sunt certò blasphema, alia certò non sunt, alia denique sunt dubia: de singulis classibus aliquot exempla, ad claritatem, more nostro, sectandam, subjiciamus.

*Verba certò blasphema.*

15. *Abnego Deum*, vel *Crucem*, vel *Sacramenta*, vel *Chrisma, quod fronte percepi: Non credo in Deum: Malgrado habbia i Dio. id est, malum Deo contingat: A dispetto di Dio: Non est potestas in Deo: Deum tædeat, vel displiceat: Velit nolit Deus: Peniteat Deum*, vel *Sanctum Petrum: Pereat Deus: Amittant Sancti vitam.* Doct. citati, aliique *sparsim.*

Maledicta omnia in Deum, vel Sanctos, immò & in creaturas quascunque, si ad Deum referuntur modo dicto *num. 4.*

Vituperia in Deum, Sanctos, res sacras: huc saltem reducuntur illa, *Abnego Sanctum Petrum, Sanctum Paulum, Apostolos, & similia.*

Laudare Deum obscœnis verbis, quia id spernere potiùs est in actu exercito, & irridere, quàm laudare.

Jurare per pudenda Christi, Dicere meretricem Virginem, vel ad injuriam Virginis. Intelligitur enim ex communi loquendi usu de Sanctissima Deipara.

Jurare seriò per falsos deos verè, falsò, vel jurare per creaturam sistendo in ea tanquam in infallibili veritate: quod posteriùs vix inter Fideles usu venire solet.

Denique dicere dæmonem, sanctum, vel omnipotentem, ex Joseph. Aug. *in brevi notitia, 1. præcep. Dec. n. 14.* vel puellæ amasiæ propriè tribuere nomen Deitatis, ex Thom. Sanch. *ci. n. 34.* Apertè enim hæ sunt blasphemiæ, quia fit commune creaturis, quod proprium est Dei. Dixi loquendo de amasia (propriè) nam si non ex animo significandi, quod verba sonant, sed per hyperbolen sic quis loquatur, perperam quidem loquetur, verùm ex probabili tandem sententia, non peccabit ex hoc blasphemiæ capite, mortaliter: Ita Lorca apud Dianam *p. 5. tract. 5. resol. 3. fine.*

*Verba certò, vel satis probabiliter non blasphema.*

16. Qui dicit; *Volo hoc facere, quamvis grave peccatum, vel Dei offensa sit*, licet graviter peccet, non blasphemat, quia nisi in Dei contumeliam expressè id faciat, nihil addit, vel aufert à Deo. Ita Bonac. *loc. cit. p. 2. n. 9.*

Maledicere vento, tempestati, pluviæ, bestiis, &c. non est blasphemia modo explicato *num. 13.* maledicens homini, licet, si animo malum illi exoptes, pecces contra charitatem, ut *ibidem, n. 12.* vidimus; non tamen blasphemes, quia communiter ea maledictentia ad Deum non refertur.

*Hoc verum est, sicut Evangelium*, vel *sicut Deus verus est*, non est blasphemia. Ita Azor. Medin. Bonac. *num. 13.* contra Suarem, & Sotum apud eundem Bon. quia communiter non æquiparatur veritas creata cum increata, sed solùm indicatur similitudo quædam, quoad conformitatem cum objecto.

Juramentum per intemeratam Virginem non est blasphemia, ita Sanch. *l. c. n. 32.* contra Sotum & alios, quia nec est execratorium, nec significantur pudenda Virginis, sed solùm adducitur in testem Virginitas Deiparæ, seu Deipara ut Virgo.

Juramentum falsum non eo ipso, quod est falsum, seu perjurium est blasphemia. S. Thom. *2. 2. q. 13. art. 3. ad 2.* Quamvis enim pejerans falsò adducat Deum ut testem, unde & peccet, non tamen blasphemus est, qui nihil demit, addit ve Deo in ejus convitium. Nec sic jurans petit (sicuti putat Castro Palaus *t. 3. disp. 2. de tent. &c. p. 2. §. 3. n. 9.*) ut Deus firmet falsitatem, sed solùm cum temeritate profert enuntiativè illud falsum à Deo confirmari, non autem optativè.

Dicere in eventibus: *Sic tandem fato futurum erat*, non est blasphemare, sic Sanch. *loc. cit. num. 35.* quia per hæc verba non affirmatur fato Gentilium regi universa; si id enim intenderetur affirmari, sanè hæreticalis esset blasphemia; sed significatur necessitas consequens ejus eventus à Deo prævisa. Dicere: *O Fides Dei! ô Sanctus Deus! ô Virgo sanctissima!* cum tali homine, non est blasphemia, quia indignatio solùm fertur contra hominem; at contrà Deum nihil.

15. Verba contra Deum in ebrietate, vel phrænesi, vel ex inadvertentia orta ex inveterata consuetudine, blasphemiæ nequaquam sunt; Malitia enim blasphemiæ, sicut & perjurij, atque hæresis requirit procedere ab homine, qui actu ratione utatur, neque enim quis contumelia rationabiliter afficitur ex convitio dicto à Pfyta-co: ita Vasq. Turtian. apud Layman. *lib. 4. tr. 10. c. 6. n. 2. & 3.* aliique. Vide quæ dixi *in nostro opusc. methodi Confess. lib. 2. cap. 3. §. 3. n. 25.*

Afferre verba aliqua Scripturæ sacræ ad confirmandam facetiam, si non ex contemptu, nec tam sæpè fiat, ut contemptum sapiat, vel non est blasphemia, sed venialis quædam irreverentia, ex Villalob. apud Dian. *p. 5. tr. 5. resol. 3.* vel si admittis parvitatem materiæ in blasphemia, erit hæc materia levis: sic idem *ibi.*

*Verba dubiè blasphemia.*

18. Multas esse blasphemias solùm ex prava intentione dicentis, modò dictum est. Hæ ergo dubiæ, & incertæ vocari possent, & ex dicta intentione, ecquales tandem

sint,

hoc, colligendum. Sed nos hîc aliud quærimus, An scilicet aliqua externa verba, quæ non clarè, sed dubiè ex se videntur continere Dei contumeliam, sint censenda continere.

19. Placet autem mihi illa regula: Quoties aliqua verba possunt accipi pro blasphemia, & pro non blasphemia, debere pro non blasphemia accipi. Ita Lazarus, aliique, quos citat, sequitúrque Bonac. *loc. cit. p. 2. n. 12.* & colligitur ex Castro Pal. *tom. 3. disp. 2. de sent. Dei, &c. p. 3. num. 6.* Ratio est, quia verba in dubio, nunquam sunt accipienda, ut sonent delictum; nunquam enim præsumitur delictum, nisi de ipso clarè constet. Hoc igitur posito:

20. Dubitatur primò de illis verbis: *Renego talem, Italicè Renego al tal*, vel *Santo de tal*, &c.

Respondeo, si per illud (talem) intelligis, vel indignas Deum, quis dubitet esse blasphemiam? at puto nisi dignanter Deum, vel Sanctos notes, te non incidere in blasphemiam. Ratio est, quia ex praxi communi video, ideò Fideles dicere: *Renego talem*, & non *renego Deum*, quia effugere volunt se contumeliosè cum Deo agere. Sanè usus vilionum percrebuit in Sicilia, ut in gravibus indignationibus dæmonem vocent sanctum, quam esse aperte blasphemiam modò diximus: Sunt autem aliqui melioris conscientiæ, qui sic proferunt: *Santo Dia*, seu *Santo Diantani*, aiúntque se ideo sic dicere, quasi sese cohibentes, ne diabolum sanctum vocent: hos ergo non peccare peccato blasphemiæ (abstrahendo à conscientia aliquorum erronea) ego, & aliquot docti à me consulti judicavimus. Pari modo qui in Italia dicunt: *Al dispetto di Di*, vel *rinego Di*, non blasphemant, quando ex modo proferendi videtur se velle cohibere à nominando Deo, quem abnegare, vel despicere nolunt: adde regulam dictam *num.* 19. si tamen signatè intelligant Deum, tunc non est dubium blasphemiam committere: atque de hoc solùm casu loquitur Bonacina *circa* 1. *dec. prædisp. 3. quæst. 8. p. 2. num. 13.* dum ait: *Al dispetto di Di*, esse mortalem blasphemiam, quia ipse scripsit in eo loco, ubi per proprium idioma verba communiter dimidiata proferuntur, & ubi per illud, Di, vèrè intelligitur Dio, id est, Deus.

21. Dubitatur secundò de his: *Al dispetto di quel becco che mi sostiene al mondo: Poter di Dio: Puo far Dio: Al cospetto di Dio.* Respondeo, præcisa contumelioſa proferentis intentione, has non esse blasphemias: nam prima potest non minùs in homines cadere, quàm in Deum, cùm etiam homines hominem sustentent præbendo alimenta: sic Bonac. *n.* 12. Secunda non negat Dei potentiam, nec illam convitiatur, vel irridet, sed solùm enunciat: sic idem *n.* 8. Tertia potiùs fatetur homines esse coram Deo, quod verum est, quàm proferat contumeliam: sic idem *n.* 9. Recole regulam *n.* 19. dictam: Quod si quis ideo hoc ultimum proferat, ut ostendat se veritatem dicere ad eum modum, quo veritas dici coram Deo debet, juramentum erit, non blasphemia.

22. Dubitatur tertiò de verbis blasphemiæ sub contitione, in hunc modum, dictis: *Non credo Deum*, seu *Abnego Deum, si ita res non est: Deus est injustus, si te non perassero.* Respondeo, mihi, & Salazario apud Sanchez mox cit. videri hæc non esse blasphemias, licèt videatur Thomæ Sanchez *loc. cit. n.* 24. & Castro Palao *loc. cit. p.* 4. *n.* 5.

Ratio nostra est, quia non est sensus, ut Thomas putat, quasi fides mea, vel justitia Dei dicatur dependere à veritate rei creatæ, vel à futuro eventu; quo pacto certè esset blasphemia: Sed sensus communiter est in hunc modum: Sicut est mihi certum (ex Dei gratia) me non recessurum à fide, ita certum est quod assero; & sicuti certum est Deum non esse injustum, ita certum habeo, à me re fore percutiendum, ita, inquam, per similitudinem modò *num.* 16. dictam, non per æquipatátiam. Neque per ejusmodi verba me offero, ut si res ita non sit, Deum renegem, ut putat Castro Palaus: absit, nam ex dictis, sic colligo sensum horum verborum: Abnego fidem, si res ita non est, sed est impossibile (ut ego judico) cum gratia Dei, quòd fidem abnegem, ergo impossibile est, quòd res ita non sit. Eam igitur certitudinem huic rei dare, sed per similitudinem pronuntio, quam certitudinem profiteor habere constantiæ in mea fide.

23. Dubitatur quartò, de juramento per Dei, vel Sanctorum vitam. Respondeo mihi videri cum Deciano allato à Castro Pal. *loc. cit. n.* 6. quod & eidem Castro Pal. Azor. aliisque ab ipso cit. non importare blasphemiam. Ratio est, quia non est, saltem certò, sensus, quod amittat Deus, vel Sancti vitam, si ita non est. Quo pacto esset sine dubio blasphemia, si quidem enuntiarentur Deus, vel Sancti quasi subjecti amissioni vitæ. Sed sensus est similis illi legitimo juramento, *Vivit Deus*, id est, sicut Deus vitam habet, sic (per similitudinem, quam toties diximus) verum est, quod dico. Confirmo: nam qui jurat, per vitam patris se aliquid facturum, hunc sensum facit, sicut meus Pater vivit, illúmque vivere firmiter volo, ita firmiter hoc, quod promitto facere intendo.

24. Confirmo secundò. Qui per vitam Dei, vel sui Patris jurat, si interrogetur, an injuriam illis facere velit, pernegabit, quia tota sua intentio est ostendere firmitatem sui dicti, vel promissionis, & nil præterea. Confirmo tertiò. Ille qui sic dixit. Æneid. 9. *Per caput hoc juro, per quod Pater antè solebat*, explicuit Patrem jurasse solitum per caput, seu per vitam Filij, ostendens amorem, quo Pater filium prosequebatur, illum enim, per quem juramus, amamus & reveremur: in tali igitur modo jurandi ne implicitè quidem contumelia includitur: pari igitur modo in juramento per Dei, vel Sanctorum vitam.

Quartò, certum est illud juramentum, quo utitur Deus Gen.... *Per memetipsum juravi*, esse venerandum, nec solùm licitum: ergo etiam potuisset Deus jurare per vitam suam, cùm æquivaleat illi: cur ergo homo non possit jurare per semetipsum, & per vitam suam, & consequenter per vitam sui Patris; & præterea, cur illud juramentum, quo utitur Deus, non possit cum reverentia imitari creatura, dicens, per vitam Dei? Dic, amice Lector, nónne idem est *per Deum* jurare, quod est per omnes licitum, ac jurare *per vitam Dei*? nil enim aliud est vita Dei, nisi Deus ipse: si ergo licitum est juramentum, blasphemia nequaquam erit.

25. Dubitatur quintò, an nominare, seu jurare per membra honesta Christi Domini, vel Sanctorum, ut per, capillos, per caput, per oculos Sanctorum, vel Dei, id est, Christi, sit blasphemia? Respondeo cum Sanch. 25. *loc. cit. num.* 29. non esse, quia ea membra nominando nihil additur Deo, vel Sanctis, nihil tollitur; nec ea nominare in ullam vergit Dei contumeliam: si tamen irriſoriè, vel contumeliosè nomines, blasphemabis, ut ex se patet, & meritò id solum reprehendunt sacri Canones *c. si quis 22. q. 2. n. 1.* Authentica, *Ut non luxuriantes homines, coll. 6.*

Hinc non est blasphemia, dicere ex indignatione contra hominem, vel jumenta: *Corpo di Dio, con voi. Al Sangue di Dio: Sacramenta Dei, ô vulnera Dei*: ita idem Sanch. *n.* 30. quia tota indignatio est contra eas creaturas, ut supponimus, & ex alia parte, nomine Dei, Christum, qui Corpus habet, & Sanguinem intelligere semper Christiani, nisi expressè Deum notare velint, præsumuntur. Quamvis ergo prædicta verba in ea indignatione effundere sit peccatum irreligiositatis contra secundum præceptum: *Non usurpabis nomen Dei frustra*, unde rectè abstterreri ab hujusmodi loquutionibus debent fideles, tamen non nisi tunc peccari venialiter docet meritò Layman. *lib. 4. tr. 10. cap. 6. n. 8.* citans Cajet. Arm. Sanch. Valent. Suarium, cùm indignatio tota feratur, ut diccbamus, contra creaturas. Si autem ex ira, & passione in Deum talia verba proferres, esset blasphemia, quia in actu exercito significaretur, Deum indignationem mereri, & certè summa esset blasphemia, adversùs Deum irasci, ex Castro Pal. *l. c. n.* 7.

De

*De pœnis blasphemorum, deque earundem absolutione.*

26. Nullæ pœnæ sunt in jure contra meros blasphemos latæ; Ferendæ autem à Judice, quænam sint, pertinet ad forum externum examinare, id quod satis eruditè facit Castro Pal. *tom.3.disp.2.dotrent.p.2.§.5.*

27. Absolutio blasphemiæ hæreticalis cum errore intellectus petenda est ab eo, qui hæresim absolvere potest, de qua re nos *suprà, cap.1. §.8.* satis disputavimus.

At blasphemiæ quæcunque quamvis atrocissimæ, sed non continentes hæresim formaliter, hoc est, quamvis contineant vetha hæreticalia, non tamen cum errore mentis interno assentientis, possunt absolvi in foro conscientiæ à quocunque Confessario ordinario, nisi in ea Diœcesi sint signatè reservatæ. Ratio hujus Doctrinæ est ea, quam diximus cum *de Maleficij absolutione* tractavimus, *suprà, cc.6.§.2.n.15.* quam propterea hic repetenda nequaquam est, lege ita Dianam *part.1. tract.5. resol.7.* & rursus *p.3.tract.4.resol.143.* & *p.4.tract.4.resol.240.* Ego enim quiescere tantisper appeto.

FINIS LIBRI SECUNDI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, & Beato Aloysio.*

# LIBER TERTIVS.

## *DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.*

### Non assumes Nomen Dei tui in vanum.

PECULARIS, & germana tractatio secundi Præcepti est ea, quæ actus bonos, vel pravos circa honorem Deo debitam suscipit explicandos. Ideò enim jubetur Dei nomen non esse in vanum assumendum, ne is congruâ reverentiâ defraudetur. Quoniam verò propter connexionem materiarum, pleraque de eadem in primo præcepto sunt disputata, supereſt hîc solùm de Juramento, Adjuratione que Juramento affini, ac de Voto differere; iis enim, si ritè ea nuncupentur, observenturque, honore Deus afficitur; secùs, contrà.

### Caput Primum.

### De Juramento in communi.

#### §. I. *Quid sit Iuramentum.*

1. EST invocatio divini testimonij ad faciendam fidem; ita S.Thom.2.2. *q.89.art.1.* Aliquando autem explicitè affertur Deus in testem, ut quando juratur per ipsum Creatorem: aliquando verò solum tacitè, ut quando juratur per creaturas, referendo ad Deum, modo explicando *infrà*, §. 3. & utroque modo perinde est juramentum, quia in utroque Divinum testimonium invocatur.

2. Potest item hujusmodi Dei invocatio exhiberi verbo, re tu, facto, mente. Verbo, ut si ore proferas, dicendo, v.g. *Iuro per Deum hoc ita esse, hoc me facturum.* Nutu, ut si tibi dicatur: *Iures per Deum*, tu verò oculis vel capite annuas. Facto, ut si cui offeratur juramentum cum Libro Evangeliorum, ipse verò illum tangat, eo enim ipso, etiamsi nihil proferat, jurare censetur. Idem evenit si se scribat scripturæ jurisjurandi formam continenti; propria enim subscriptio, ipsissimum est juramentum.

Mente denique, ut si quis intra animum suum juret. Quare si quis se aliquid facturum mente sic spondeat, obligabitur in foro conscientiæ, ex virtute Religionis, quia jam invocat Deum in suæ sponsionis confirmationem: licèt, ut in foro externo conſtet, (utque item conset alteri parti acceptanti, unde irrevocabilis ex vi justitiæ promissio fiat) necessarium sit aliquod ex tribus dictis externis signis.

3. Rursus aliquando verus Deus invocatur, aliquando à Gentilibus, falsus; & hoc posterius verum juramentum non est, quia divinum testimonium nequaquam invocatur. Unde sequitur promittentem quid sub juramento Dei falsi, solùm teneri ex conscientia erronea, quia putat se verè juraſſe; at si errorem deponeret, adverteretque se Deum verum in testem non adduxisse, minimè tenetur ex vi juramenti, sed solùm ex vi promissionis, seu fidei datæ humanæ.

Quòd peccatum sit cooperari cum juraturo per falsos deos, dicam mox §.5.n.7. & per occasionem innui *suprà*, in de maleficio *lib.2.c.2.§.2.n.7.*

4. Quid si quis juraret *per hæc Evangelia*, & deinde adverteret illum non fuisse Librum Evangeliorum, sed profanum, sed papyraceum, sed ligneum, ad libri formam edolatum? Respondeo hunc verum nuncupasse juramentum, si quidem error fuit materialis, dum interim ipse intenderet per ver. Evangelia jurare. Non sic fuit modò in Ethnico, qui ita juravit per Jovem, ut per verum Deum, quem ipse non cognoscit, jurare nullatenus intenderit; si enim intendisset, ac sub Jovis nomine verum Deum, licèt imprudenter, invocare voluisset, certè verum emisisset juramentum, eique omnino stare, etiam errore deposito, debebit.

5. Sed hinc oritur quæstio frequentissimæ praxis. Jurat quis *per fidem suam, in veritate, certò, profectò*, &c. ex prædicta conscientia erronea putans se verè jurare, obligatúrne ad rem tali juramento promissam, si doctior factus resciat illud, quia Deum non invocavit, nequaquam fuisse juramentum.

Respondeo, hac in re certum est primò, si is scivit in illis verbis non invocari Deum, sed solam propriam fidem

lem vel veritatem humanam, existimans hanc temporalem sufficere ad legitimum iurandum, obligationemque inducendam, certum, inquam, est, hunc rere non juravisse, inde depositio errore, ad nihil de ceps ex vi juramenti teneri. Hinc Suar. *tom. 2. de Rel. lib. 2 cap. 13. num. 15.* Ratio est, quia hæc nunquam fuit Dei invocatio.

6. Certum sit secundò, cum Sanch. *lib. 3. in Dec. cap. 2.* num. non adfuit talis error, quo putavit propriam fidem sufficere ad juramentum, protulit tamen ea verba, non existimans per illam proferri verum juramentum, sed existimans eam proferri, certum, inquam, sit non efficere juramentum, atque adeo ad nihil ex vi ipsius obligari. Ratio est, quia ad verum juramentum non satis est efferre verba dumtaxat, sed oportet positivè velle juratore, hoc est, Deum invocare; id quod in hoc casu supponimus non adesse.

7. Superest ergo propositum dubium, si per illa verba intendat quis, existimétque se juramentum efficere, an verum efficiat, & consequenter, quacunque advenerante cognitione, an ad illud observandum constringatur. Dico docti absolutè à Sanchez in hoc casu fieri verum juramentum, quia in ea intentione verum juramentum efformandi, claditur virtute relatio ad Deum; velle enim efficere verum juramentum nihil aliud est, nisi, Deum velle invocare. Si ergo non excluit positivè talem relationem ad Deum, convincitur ad Deum retulisse, quia verum voluit concipere juramentum.

8. Sed certè huic doctrinæ, nisi accedat distinctio consentire non possum. Si enim is scia quid sit jurare, & velit jure, procedit hæc doctrina, quia tunc habet vim ratio Sanchez. At si nesciat, ut communiter, nesciunt rustici, pueri, mulierculæ, puto per ea verba non effici verum juramentum, atque adeo, remota conscientia errante; illud nullam obligationem inducere.

Ratio est, quia, cùm hic ex una parte nesciat quid sit jurare, nesciat etiam in vero juramento invocari Deum: & ex alia parte, per sua verba illum non invocat: ergo quamvis ipse velit jurare, non jurabit: cùm enim hæc voluntas non dirigatur à præcognitione, quâ sciatur quid sit jurare, verè, & efficaciter juratoria esse non potest. Erit igitur solùm voluntas ineffica jurandi, immò erronea; verè enim jurare quis liberè non potest, nisi ex positiva præcognitione, saltem confusa, sciat in vero jurejurando invocari Deum. Vide omnino *inferiùs* cùm de voto *cap. 12. §. 1. n. 8.*

Quid si quis juret quidem invocans, seu putans invocare Deum, sed nesciat juramentum afferre obligationem implendi: obligabiturne illud implere? Respondeo de hac re me actarum, cùm de voto *infrà, cap. 12. §. 1.*

## §. II. *Iuramentum Divisio.*

1. PRima Divisio. Aliud est assertorium, aliud est promissorium. Assertorium est, in quo juramus aliquid ita esse, vel non esse. Promissorium est, in quo juramus aliquid nos facturos, vel non facturos.

2. Secunda Divisio. Contestativum, cùm quis simpliciter invocat Dei testimonium, Vt: *Per Deum ita res se habet.* Comminatorium, cùm quis alicui promittit malum pœnæ, Ut: *Per Deum te puniam*, Execratorium cùm nos ipsos, vel rem nobis charam Divinæ ultioni subjicimus, si verum non sit quod asserimus. At: *Deus me destruat*, vel: *Filiis meis malum accidat, si hoc ita non est.*

3. Tertia. Judiciale, & extrajudiciale. Illud certa quadam forma, & ritu coram Judice, vel Notario exhibetur. Hoc, sine certa forma inter privatos. Rursus: simplex, & solemne. Hoc constat certa forma, acceptatúrque à publica potestate: Illud non item.

4. Quarta. Absolutum seu purum, conditionatum, & pœnale: verbi gratia: *Iuro hoc me facturum: Iuro me hoc facturum, si cras tu huc veneris: Iuro me hoc facturum sub pœna solvendi centum, ni fecero.* Primum ex his est Juramentum absolutum. Secundum conditionale, Tertium pœnale.

5. Quinta. Aliud est juramentum, in quo explicitè invocatur Deus, vel Divina: Ut: *Per Deum, per Christum, per Crucem, per Sanctos.* Aliud in quo implicitè, seu tacitè, ut cùm juramus per creaturas, in quibus elucet Deus, ut *mox §. sequenti* declarabitur.

6. Tacitè item invocatur Deus, quando quis rogatus ab offerente, v. g. Crucem, Librum, ut juret, ipse illa tangit: item si interrogatus ut jurare velit, ipse vel respondeat, *volo*, vel quia simile. Rursus, si se subscribat scripturæ, modo dicto *suprà, §. 1. n. 2.* præterea si dicat, *Iuro*, vel simile verbum in eo loco, & circumstantiis, ubi intelligatur per illud verbum invocari Deum, seu concipi juramentum.

Dico (in eo loco, &c.) quia ex se verbum, *Iuro*, cùm abstrahat ab invocatione Dei, & creaturæ, & à Juramento vero, ac ficto, juramentum ex se non continet. His, inquam, modis tacitè invocatur Deus, secùs juramenta non essent.

7. Sexta. Ratione adjunctæ blasphemiæ, id quod quatuor contingere potest modis, primò, si juretur per creaturam, tanquam habentem divinitatem, Vt: *Iuro per Iovem*, &c. Huc reducitur, si per creaturam, ac si esset Sancta, juretur, Vt: *Per Lutherum, Mahumetum, Dæmonem*; honorarentur enim, dum invocarentur ut testes veritatis. Sic Sanchez *lib. 3. in Dec. cap. 2. numer. 11.* Secundò, si abnegetur fides, Vt: *Abnego Deum*, vel *Baptismum*, vel *Sanctos, si ita non est.* Tertiò, si Deus, vel Sancti pœnæ subjiciantur Vt: *Deus pereat*, vel *Sanctus Petrus, si ita non est.* Quartò, si juretur per membra obscœna Dei, vel Sanctorum, &c.

### *An Iuramenta prædicta sint ejusdem speciei Remissivè.*

8. Præter juramentum blasphemiam, in quo clarè apparet esse adjunctam aliam speciem, cætera sunt ejusdem speciei, unde omnia perjuria ex defectu veritatis, abstrahendo ab alio scelere, quod admiscerì possit, ejusdem sunt rationis, nec necessariò in confessione distinguenda, ut dictum est satis *in nostro opusc. de Conf. lib. 2. cap. 3. §. 2.*

## §. III. *Norma cognoscendi, quodnam sit verum Iuramentum.*

1. OPerosum est non rarò internoscere, verúmne fuerit juramentum, quod emisisti: Quare hæc regula dari solet: Si Deus, vel Divina invocentur in testes, erit sine controversia jusiurandum: Si verò invocentur creaturæ communes, tunc demum erit juramentum, quando illæ ad Deum referuntur.

Hæc posterior pars regulæ sic magis enucleatur à Sanchez *lib. 3. in dec. cap. 2. num. 9.* Quando juratur per creaturas, quasi creaturæ sint futuri testes infallibiles veritatis, est clara blasphemia, siquidem nullus præter Deum infallibilitatem testimonij participat. Quando verò per easdem juratur, sistendo in ipsis, adhibentúrque tanquam fallibiles testes, juramentum non erit, quia jam Deus non implorátur. Quando denique in ipsis non sistitur, sed in testes adducuntur: ut aliquid, in quo Deitatis lux relucet, tunc utique erit verum juramentum.

2. Sed ecce iterum difficultas, ecquánam ratione in ipsis non sisti dignoscere valeam? Sic hæc regula. Quoties juratur per creaturam, quæ aliquam insignem habet dignitatem à Deo, & in qua excitatur peculiaris quodammodo in nobis memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc fit relatio ad Deum, constátque verum juramentum, secùs non ita. Quoniam igitur, si jures per barbam, per capillos, per tuum equum, per aërem, per ignem, per vitam talis, nullum nominando, per fidem tuam, nobilis, vel boni viri, &c. juras per res, in quibus peculiari modo non emicat Deus; ideo juramenta vera non emittis: contrà, si jures per Evangelium, per Beatos per

Sacramenta, per Sacratissimam Virginem, per Crucem Sanctam, &c juras per res, in quibus Deus, ejúsque Sanctitas nitet, ideo vera concipis juramenta. Huic reducitur, si creaturis addas in obliquo Deum, Vt: *Per ignem Dei, per hunc aërem*, &c. Illa enim explicita Dei nomenclatura, ipsum invocari probat.

3. Adverte tamen ex alio capite oriri posse, ut non fiat juramentum, etiamsi Deum vel Divina proferas, nimirum, quia illa non invocando, sed enuntiando, vel alia simili ratione à juramento aliena compellas; v.g. si sic dicas. *O corpus Dei! ô Fides Dei!* cum tali homine: *Hoc quod dico est Evangelium: Coram Deo ita est: Deus scit: Deus vides ita esse: Maledicti illi nummi quos habes: Vel Angeli me associent, quot nummos tu habes: Sicut Christianus, sicut Sacerdos, sicut Religiosus, ita res est, &c.* si, inquam, sic dicas, non juras, quia solùm enuntias te esse contra illum iratum, tuum dictum esse verum instar (non quidem æquè) Evangelij, te esse coram Deo, nummos non verò te, esse maledictos, Angelos te esse associaturos, te esse Christianum, &c.

4. Verùm, enim verò, alia submergit molestior difficultas: nam plura efferuntur juramenta, quæ, an referantur ad Deum valdè dubitatur, Vt si jurem, *per animam meam, per Conscientiam, per Fidem, per Cœlum, per vitam meam, vel mei Patris, occidar, ni ita res sit*; dubium enim est, an hæc ad Deum referantur: quare investigandum erit, an prædicta vera sint juramenta? Rursus, quia incertum non rarò est, an etiam illa verba, quæ Deum, vel Divina manifestè continent, invocent Deum, an solùm eo modo, quo diximus *n.* 3. enuntient, ideo dubia etiam erunt juramenta, v g. si dicas: *Non credo in Deum, si ita non est*, non constat, an solùm enuntiativè, an etiam invocativè appelletur Deus ut testis. Simile est etiam illud; *Coram Deo ita est, &c.*

5. Hinc ergo laborant nobiles Doctores, Sanch. Castro Pal. citati, Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 2.* Azor. *part. lib. 11. c. 2.* in percurrendis juramentorum formulis, quò videant, quæ certò juramenta, quæ certò non talia sint judicanda. Cùm autem eæ formulæ penè sint innumerabiles, juxta varias variarum regionum loquendi consuetudines, nimis prolixum earum catalogum exscribere, cum exigua certè utilitate, nituntur: præterquam, quòd tractationem dilucidam in tanta varietate formularum exhibere nequaquam possunt. Nos igitur hanc regulam efformemus.

6. Per quæcunque verba etiam pessicuè Deum continentia, multò magis dubiè, emittatur juramentum, erit omnino & semper in foro conscientiæ ad intentionem jurantis attendendum, si velimus deprehendere, an verè juratum sit. Vel enim (quæcunque tandem verba proferantur) intendit, quis primò positivè invocare Deum, vel secundò positivè non invocare, vel tertiò, (sive quia non advertit, sive quia nescit) præscindit ab ejusmodi invocatione, hoc est, nec intendit, nec non intendit invocare. Partitio videtur adæquata, continet enim contradictoria, & præcisionem ab ipsis. Iam si primum, certò erit juramentum, ut ex se patet: si secundum, certò juramentum non erit, ut fatentur communiter Doctores, Sanch. *l. c. n.* 1. Laym. *lib. 4. t. 3. cap. 1. num.* 3. citans Suar. Mald. erum, aliósque; licèt enim ego dicam *Juro per Deum*, si nolim per hæc verba Deum ut testem mei dicti implorare, utique non implorabo, nisi valdè materialiter, sicuti si Pytacus à Magistro edoctus eadem verba proferret; Certè in Sicilia ignobiles Viri unoquoque verbo (*par Dio*) jurant, quis autem dicat eos ignobiles verè jurare, cùm nec ipsi aliquando sciant, quid significet illud (*par Dio*) videtur autem ex sua notione significare *per Deum*. Denique si tertium, certò item juramentum non erit, quia non invocat Deum. Cùm enim hic abstrahat ab invocatione, clarè apparet invocationem non exhibere.

7. Dices, at tacitè invocat, si verba juramentum continentia voce proferat. Respondeo, id prorsus negari; aliud enim est tacitè invocare Deum, aliud materialiter solùm vocalenus proferre verba juratoria. In priore modo est tacita invocatio, quia, licèt non expressè, ipse tamen Deus implloratur, de quâ re dictum est *c. 2 n. 5.* at in posteriore, ne tacita quidem invocatio intervenit, quia nullo modo imploratur Deus.

8. Dices secundò: At sic decipies eum, qui à te juramentum exposcit, si dum verba juramentum certò sonantia is petitur, aliud mente intelligendo, verè non jures. Respondeo, verè tunc in foro conscientiæ non jurari, quia non invocatur Deus, certum esse: cæterùm, an liceat propter tertij damnum, quem tunc deciris, sic æquivocare, alia quæstio est, de qua *infrà, c. 3. §. 2.*

9. Dixi *n. 6.* (in foro conscientiæ) nam in foro externo, si verba continentia certò juramentum protulisti, reum te juramenti pronuntiabit judex: liberabit verò ab omni obligatione, si tua verba illud certò non protulerint: Quòd si dubium sit, an protulerint, innui *sup. lib. 1. c. 3. §. 7. n. Iuramentum*, qua ratione sit judicandum.

10. Jam verò, pro Confessariis in foro interno hæc debet esse praxis; Fatetur quis se cum mendacio juraße, per animam, per conscientiam, per Cœlum, &c. ne condemnet statim Confessarius de perjurio sine alio examine, sed juxta doctrinam datam interroget, pœnitentem, An ipse per ea verba intenderit jurare, vel invocare Deum, vel se juxta consuetudinem graviter obligare (id enim esset implicitè verum afferre juramentum) vel quid simile: si abnuat, vel dicat se ab his præscidisse, non erit perjurium, si annuat, erit. Unum tamen adverte, quando pœnitentes confitentur se juraße per Deum, per Sanctissimam Virginem, pérque similia clarè ad Deũ relata, vel si sine viri culti, dicant se mendaces cum juramento fuisse, interrogandos non ampliùs esse, an intenderint Deum invocare; nisi enim sint planè rudes, sciunt saltem in confuso se sic invocaße Divinum testimonium; cæterùm, si aliqua muliercula hæc verè nesciret, eam non peccaße fatendum esset, prout in pari casu diximus *c. 1. n. 8.*

## §. IV. *De conditionibus Iuramenti.*

1. TRes conditiones habere oportet juramentum, quas juramenti comites appellant Doctores. Veritatem, Justitiam, Iudicium.

### *Veritas.*

Veritas in eo consistit, ut jurans advertat, seu bona fide putet, verum esse, quod jurejurando affirmat, sive rem præsentem affirmet, sive præteritam, sive futuram, v. g. si iures Petrum heri eleemosynam dediße, nunc velle dare, cras daturum, debes saltem moraliter scire ita esse, & fore. Veritas ergo non tam sumitur ex ipso objecto, seu re jurata materialiter, quàm formaliter ex ipso animo jurantis; contingit enim sæpè, rem non ita esse: ut ego sine dolo, & facta sufficienti diligentia inquirendi veritatem, deliberatè juro, sed tamen, quia ita est in cognitione mea, juramento non deest Veritas. Dico (deliberatè) excusatur enim quis à mortali, si perfecta deliberatio defuit, ut est universalis doctrina in similibus actibus humanis.

2. Vnum nota, non solùm juramentum promissorium esse de re futura, sed posse etiam esse de eadem re futura ipsum merum assertorium: sic Sanch. *l. 3. in Dec. c. 4. n. 1.* id quod contingit, quandò quis nihil promittit; sed solùm asserit rem ita esse futuram: ut si quis juraret, cras futuram fore solis eclypsim, is certè id assereret, non promitteret. Pari modo possem jurare, me cras eleemosynam largiturum, sine promissione, sed sub simplici proposito, asserendo nimirum me nunc certum esse de mea futura voluntate eleemosynam largiendi, quo pacto est merum juramentum assertorium: nam si adderem præterea promissionem largiendi, tunc sanè esset promissorium.

3. Porrò, qui sic per merum assertorium juravit rem futuram, obligatúrne eandem facere, sicuti si juraßet per promissorium? Respondeo, æquè obligari, sive res

sub

sub rigorosa obligatione jurata sit, sive solùm sub simplici proposito. Ita Castr. *tom. 3. tr. 14. d. 1. de jur. p. 2. n. 6.* citans Suar. *de rel. t. 2. l. 1. de jur. c. 9. num. 7.* Vide eundem Castr. *l. c. d. 2. p. 1. n. 3.* Sanch. *l. 3. in Dec. c. 6. n. 6.* vide, an sit sibi contrarius *ibid. c. 1. n. 2.* Ex hujus rei ratio est: quia juramentum in ratione juramenti, etiam præscindendo promissione, semper super rem juratam cadit, quare in Deo reverentiam ad illius rei executionem (se falsò Deum in testem sit adductus) jurantem astringit.

4. Petes denique, An defectus Veritatis sit specie mutati diversus in juramento assertorio, ab eo qui est in promissorio? Respondeo, videri diversum; ibi enim invocatur Deus ut testis veritatis, hîc ut fidejussor promissionis. Ita Lessius, ergo deberet pœnitens explicare in Confessione, an peccaverit juramento assertorio, an promissorio; ad quod tamen illum *supra*, §. 2. *n.* 8. non astrinximus. Respondeo, nec nunc astringimus abstrahendo ab injustitia, vel alio peccato, quod admisceri posset: itaque saltem ex opinione probabili, quia utrumque juramentum, quâ tale est, resolvitur tandem in invocationem divini testimonij, quod injuria afficitur. Dico (ex sententia probabili) nam scio Castro Pal. *loc. cit.* contrà sentire, quem, si placet, lege.

### *Justitia.*

5. Justitia in eo consistit, ut id quod juratur, honestè, & sine peccato juretur; sic Doctores citati, & passim, hîc enim Justitia non sumitur strictè pro virtute reddendi unicuique suum, sed latè, juxta illud: *Oportet me implere omnem justitiam.* Qui ergo aliquem, v. g. infamaret cum juramento, dicens: *Iuro per Deum hanc esse adulteram*, juramentum justitia carens Confessori specialiter (præter infamiam) aperiendum committeret: & ratio ejusmodi specialis culpæ est, quia sumere Dei testimonium tanquam medium ad iniquè agendum, præsumptio est, & irreverentia contra Deum.

Quare etiamsi ille adulter esset occultus, unde juramento non deficeret veritas, atque adeò illud propriè perjurium non esset, quia perjurium propriè vocatur à Doctoribus illud, cui deficit veritas; tamen esset perjurium latè, quod ab iisdem appellatur propriè juramentum temerarium, quòs in illo temerè adducitur Deus ad iniquam actionem confirmandam, nempè in casu dicto, ad proximum infamandum. Quid, si iniqua actio sit solùm venialis, v. g. *Iuro per Deum hunc mendacia officiosa dixisse?* hæc enim actio detractionis venialis est. Respondeo juramentum venialiter temerarium, Ita Castr. *ibid. p. 5. n. 4.* aliique *ibid.* cit. Ratio est, quia sicuti gravis est irreverentia Deum adducere tanquam medium ad iniquè mortaliter agendum; ita levis, ad leviter.

6. Atque ex hac ratione deduco affirmantem se esse adulterum, v. g. vel velle inimicum occidere, &c. denique hoc cum juramento, ut ab astantibus credatur, se gloriantem, committere quidem crimen mortalis jactantiæ, sed non temerarij ex defectu justitiæ: ita apud Castr. *ibid. n. 6.* Suar. *t. 2. de Rel. tr. 2. de Iur. lib. 1. c. 3. n. 6.* & alibi apud Sanc. *lib. 3. in Dec. c. 4. n. 33.* Ratio est, quia in hoc casu juramentum non assumitur, ut medium ad peccandum, seu ad gravius peccandum, immò nec invocatur Deus ut testis sit peccati, sed solùm invocatur ut testis veritatis, ad infundendam credulitatem in animos audientium, quæ credulitas, cùm non sit ex se peccatum, juramentum non assumitur ut medium ad peccandum.

### *Iudicium.*

7. Judicium consistit in eo, ut adsit causa necessaria, sive utilis, sive pia ad jurandum: irreverenter enim Deum implorares, si nulla causa rationabilis ad tantum testimonium interponendum accedere. Hujus autem conditionis defectus est ex se venialis: sic Doct. cit. passim, si quidem posita veritate, & justitia, non irrogatur gravis Deo irreverentia per solum dictum defectum: ex se, inquam, nam cæterùm, si inde nascatur gravis negligentia, unde non inquirantur legitimè necessaria ad nuncupandum juramentum, erit mortale ad periculum grave falsò, vel iniquè jurandi.



### §. V. *De consuetudine jurandi.*

1. Triplex potest esse ejusmodi consuetudo. Prima jurandi verum. Secunda malè, vel falsò jurandi advertenter. Tertia jurandi malè, falsò inadvertenter.

Quoad primum, certum esto, consuetudinem non addere juramento gravitatem mortalem, quia consuetudo ad aliquem actum non potest, nisi ejusdem actus gravitatem, vel levitatem contrahere. De secundo, & tertio satis dixi *in meth. Conf. lib. 2. c. 3. §. 3.* solùm hîc tanquam in suo loco decernendum clariùs, An, qui consuetudine malè jurandi laborat, peccet mortaliter, quoties illius pravæ consuetudinis recordatur, illámque extirpare non procurat? peccet, inquam, mortaliter, peccato num diverso ab eo, quo de facto pejerat? Affirmativam sententiam docet Castro Pal. his herbis: *Peccas mortaliter quoties illius prava consuetudinis recordaris, illámque extirpare non procuras: sicut si domi concubinam haberes, & advertens ad periculum peccandi, illam non removeres, cum posses, & sicut si obligatus esses restituere, & advertens omitteres restitutionem facere, quia in his omnibus amas periculum peccandi, peccas ergo mortaliter: ita Suarez, Valentia, Petrus de Ledesma, Sanchez, Reginaldus, Bonacina. Ratio videtur manifesta. Quia talis consuetudo est occasio sæpè pejerandi; ergo si illam non procuras expellere, censeris velle perjurium, ut in exemplis de concubina & restitutione alieni est manifestum.* Hæc ille.

2. Sed videntur huic doctrinæ refragari omnes illi, qui absolutè docent consuetudinem, ex qua quis peccavit, non esse necessariò specialiter confitendam; at si esset ipsa peccatum, confitenda utique foret: ita Suar. Reg. Bonac. &c. Sanch. quos sequitur, citátque Diana *p. 1. tr. de circumstant. aggr. res. 15. & 35.* certè Vasquez *t. 4. in 3. p. q. 91. art. 1. dub. 3. n. 3.* sic habet: *Consuetudo peccandi non est circumstantia aperienda in Confessione, nisi quando consuetudo illa peccandi fuisset ex occasione proxima, quam ille tenetur resecare, secus, quando fuisset consuetudo, ubi non est hæc occasio tunc enim non tenetur hanc consuetudinem explicare; nisi a confessario justa de causa interrogetur.* Vides non semper consuetudinem esse confitendam? Si autem semper esset occasio peccandi, atque adeò peccatum, confitenda semper esset: Audi item Joannem Sanchez *in sel. d. 9. n. 5. Notandum aliud esse habere consuetudinem peccandi, aliud occasionem, ut tradit Sanchez, Suarez, & communiter Doctores.*

3. Hæc Joan. Sanchez: non ergo constat Castro Pal. argumentatio: Est consuetudo pejerandi, ergo est pejerandi occasio; sunt enim hæc duo, scilicet consuetudo, & occasio, quid diversum. Idem Joan. Sanc. *ibid. n. 6. in medio*, firmans opinionem concedentem absolutionem assueto peccate, addit unum verbum, quod maximè faciet ad solutionem argumenti Castro Pal. *Igitur impertienda est* (inquit dictus Joannes) *pœnitenti absolutio volenti, & proponenti cessationem peccati, & nullam externam habenti occasionem, quantumcunque consuetudini peccati addictio.* Hactenus Jan. Sanchez.

4. Sed jam ex his respondeo directè ad rationem Castro Pal. & aliorum, si qui sententiam ejus consectantur, distinguendo illud: *Consuetudo est occasio peccandi*; Est occasio peccandi extrinseca, qualis est retentio concubinæ, vel retentio alienæ pecuniæ, & rursus est voluntariè assumpta & retenta, nego: est intrinseca, & involuntariè, vel certè non voluntariè assumpta, & involuntariè retenta, ut mox clariùs explicatur, concedo. Quoniam autem nos illam extrinsecam peculiari modo tenemur extirpare, non hanc, ideo ibi peccatur, non hîc. Sanè omnes excusamus à tollenda occasione, quam quis vitare non potest, ita Hurtadus *de pœn. disputation. 10. different. 13.* excusamus, v. g. fratrem habitantem juxta morem patriæ in eadem domo parentum cum sorore, licèt habitatio sit illis fortè causa peccandi, quia ejusmodi

occasio ( quamvis extrinseca) non est voluntariè assumpta: At in casu nostro, præterquam quòd est intrinseca in ipsa anima, est item non voluntariè assumpta : ergo, &c. Minor probatur, quia qui frequenter incidit volens in culpas, non advertit, unde nec deliberatè vult habitum ex illa consuetudine peccandi consurgentem ; ergo non voluntariè, nec directè, nec indirectè talem habitum recipit, retinétque : at quodcumque enim voluntarium advertentia opus est, ut *supra* diximus. Quòd si illum habitum, v.g. peccandi reciperet, & expresso actu retinere quis vellet, ut majorem facilitatem haberet in peccando, ( quod certè nimia esset perversitas ) novo enim saltem peccato peccaret, non inficior, etiamsi actu non peccaret: at nos de tanto crimine hîc non disputamus ; sed de eo solùm, quo quis non curat, seu negativè se habet, ad extirpandum. Præterea, esto adsit aliqua obligatio extirpandi dictum habitum, ( qui certè non est ex se peccatum, sed effectus peccati præteriti ) ex eo, quia est causa facilitandi peccata sequentia: tamen ejusmodi obligatio est imbibita in ipsa obligatione iterum non peccandi, & cum illa moraliter confunditur ; neque enim in moralibus est tanta subtilitate agendum, ut numero diversa una ex his obligationibus, judicetur ab alia, sicuti è contrà judicatur illa externa, & voluntariè assumpta de concubina.

5. Confirmatur, quia fragilitas, immò malitia in peccando sunt occasiones, & causæ propter quas homo peccat, sed quia sunt internæ, nec voluntariè per actum positivum volitæ, non arguunt novum peccatum in eo, qui remedia se corroborandi, ac fragilitatem, malitiámque tollendi, Jejunia, v.g. Orationes, Sacramenta, Pietatémque frequentando, non assumit ; & tamen sic argumentari quasi per eadem verba Castr. quis posset : Fragilitas est causa sæpe pejerandi, fornicandi, &c. ergo qui illam non procurat expellere, censetur velle perjurium, fornicationem, &c. quo certè argumentandi modo nullus adhuc usus est.

6. Stet igitur, puram negligentiam non extirpandi dictam consuetudinem non esse novum numero peccatum, nisi quando expresso actu haberi seu teneri ( quod rarissimum est, ut dixi) ea intendatur : licèt ad illam positivè pro viribus evellendam pœnitentes exhortari, atque urgere, ne dicam cogere, Confessarius omninò debeat.

### §. VI. *Iuramentum exigere à pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos.*

1. CVm justa & proportionata causa non est id peccatum, sive à parato, sive à non parato id exigas: est utique, si sine causa etiam à parato petas, & quidem ex genere suo mortale: ita S. Th. 2.2. *q.* 89. *ar.* 4. Suar. Sanc. Sal. Less. apud Bon. *t.* 2. *d.* 4. *de jur. q.* 1. *p.* 11. Idémque propter paritatem rationis est in juramento promissorio, si illud ab eo petas, qui creditur promissa non observaturus. Ita Suar. *t.* 2. *de Rel. lib.* 3 *de jur. cap.* 14. Sanch. *lib.* 3 *in Dec. c.* 8. *n.* 8. Castr. *t.* 3. *d.* 1. *de jur. p.* 10. *n.* 11. Ratio posterioris dicti est, quia sic inducitur proximus ad peccatum. Ratio prioris est, quia justa causa excusat à culpa, quando ab aliquo exposcitur opus ex se indifferens, licèt sciatur cum peccato illud opus esse faciendum ; nam propterea non debes petere, ut infidelis juret per deos falsos, vel ut fidelis juret falsò seu temerè, sed absolutè ut juret. Nonnulli ut Sanchez *in dec. lib.* 3. *cap* 8. *n.* 23. & 24. & ex Hurtado Diana *p.* 5. *tr.* 7. *ref.* 9. judicant esse tantùm peccatum veniale exigere sine causa juramentum ab infideli parato, quia probabile est ex multis, non esse nisi veniale petere ab usuratio mutuum sine causa : sed certè probabilius est, quod diximus, ex Castro Pal. *loc. cit. n.* 6. licèt & hoc sit etiam probabile.

2. Hinc Judex ratione Officij, hinc Privatus ratione sui juris tuendi, vel exposcendi, hinc Imperator ratione fœderis pulsandi, poterunt ab iis petere juramentum, qui perperam juraturi per ipsorum malitiam probabiliter creduntur : sic Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *c.* 11. *q.* 2. aliique cit. à Bonac. *ibid. n.* 3. *fin.* Dico, probabiliter, si enim solùm sub dubio, etiam sine causa, petere ex omnium sententia poterunt, siquidem, in dubio alterum velle pejerare non est præsumendum.

3. Sed quid, si quis inducat ad jurandum falsum, quod jurans putat verum, ipse verò inducens sciat esse falsum: Respondeo hunc mortaliter peccaturum; sic Bonac. *ibid. num.* 3. cit. Azor. Sanchez Suar. facit enim, ut Deus re vera in testem falsi adducatur, quamvis jurans propter bonam fidem excusetur.

4. In quibusdam Civitatibus sunt quædam Officia, quæ Civibus, non verò exteris, quamquam diu inibi per omnimodam domicilij mutationem sint commorati, distribuuntur. Titius ergo, qui à teneris unguiculis in quadam ex his Civitatibus educatus, credebatur à pluribus naturalis Civis, à pluribus autem incola, cupiebat eos, qui verum sciebant negligere, qui autem sibi favere possent, in testimonium de certa scientia adducere : verùm, an id fieri à se posset, quantum ad juramentum pertinebat, me peramicè scisciatus est ; nam quantum ad cæteros, ea obstare poterant, verè enim id erat contra justitiam, si quidem intendebatur præferri veris naturalibus) sibi aliunde consuluisse prætextu quarundam compensationum asserebat: cúique ego negativè respondissem, ac nondò aliatam doctrinam Bonacinæ ostendissem, noluit acquiescere, afferens in hoc casu non peccaturos amicos, quia verum se jurare putabant : non ipsum, quia nihil ipse jurabat, unde ergo peccati ratio deduci posset? Dixi culpam esse inductionem ad illud juramentum, licèt solùm materialiter falsum.

5. Illustravi id exemplis allatis à de Lugo *l. mox cit.* Fac tuum fratrem ebrium esse, quem inducas ad contumelias graves contra communem parentem contorquendas: certè non peccabit ebrius, at in peccatum tu incides, qui mediante fratre injurius esse non verearis patri : Fac te commovere infantem ad blasphemandum Deum, vel conculcandam sacram Imaginem. Infans, propter infirmam mentem, non delinquet ; quis autem te unquam excusabit, cum advertens verba illa, & facta esse blasphema, ea in os, & animum infantis immittis ? Fac tuum servum putare hodie non esse diem festum, si eum tu sine causa ad laborandum compellis, nonne ipse excusabitur, tu verò de præcepti violatione damnaberis ? Hæc & similia, quæ traduntur à Doctoribus apud Castr. *tom.* 1. *d.* 1. *de leg. p.* 24. §. 2. in ea quæstione, An sive excusatis à lege, sive à lege non comprehensis liceat subministrare contra legem ? ut audivit amicus, vidítque similem apparere casum nostrum, manus non invitus dedit.

6. Non me latet Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana, *p.* 5. *tr.* 7. *de scandalo, res.* 14. & Tanc. *de rel. disp.* 5. *de perjurio, n.* 11. docere esse probabile, non esse culpam inducere testem ad jurandum in prædicto casu; sed nec me latet Joannem de Lugo *t.* 2. *de just. d.* 30. *sect.* 3. *a n.* 1. putasse, ejusmodi Hurtadi sententiam apparere, solùm posse defendi.

7. Verùm, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses, subiit mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla *n.* 5. allata, quibus nitebatur tota vis consilij mei. Ille enim homo excitando ebrium ad injuriandum patrem, infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, quare eas, nec velle, nec intendere, nec consulere potest. At in casu nostro adverti in eo, qui modo dicto sine proximi damno, ut supponimus, jurat, adesse bonitatem virtutis Religionis ; jurare enim id, quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum, si ex proportionata saltem causa intendat is, qui ad illud juramentum proximum inducit, non peccabit : quod bonum formale, cùm non sit in illis aliis actionibus, non est mirum, si in illas proximum inducere nequaquam sine peccato potest. Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio : ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata sententia.

CAPUT

## CAPUT II.

### De Juramento Assertorio.

EX omnibus supradictis divisionibus Juramenti, Assertorium, Promissorium, Judiciale propria sui exequar in sequentibus) indigent tractatione: cætera enim à sorsim dictis, & dicendis opportunam, quanta satis est, explicationem habent.

*§. 1. De veritate requisita in Iuramento Assertorio.*

1. NE sis perjurus, certum te moraliter esse oportet de veritate, quàm juras. Quare si de illa dubitas, vel non facta sufficienti ad veritatem indagandam diligentia, tamen eam ut certam juras, moraliter peccas, quia censeris jurare falsum, ut ex se constat. Illud contingere potest, ut commodam quidem adhibueris in inquirendo solertiam, sed leviter defeceris: tunc cessat ad levitatem negligentiæ, levis erit & culpa.

Sed in quo consistit ea certitudo moralis? Dico, cùm ea possit considerari vel ex parte jurantis, vel ex parte rei juratæ, facilius explicari, si de his seperatim breviter disputemus.

*Certitudo ex parte rei juratæ.*

2. Id sufficienter habetur, si res, de qua profertur juramentum, secundùm modum, & sensum humanum sumpta, sic se habeat, ut profertur, v. g. si quis juret se antè hoc manè comedisse, se vidisse statuam marmoream lacteam, se scire Petrum esse iracundum, &c. non est necesse, ut lautissimum fuerit convivium, marmor verè lacteum, Petrum quocunque momento irasci solere: sed satis est, juxta consuetum civitatis morem, opiparè comedisse, marmor ad lactis candorem accedere, Petrum identidem excandescere; id enim est moraliter lautum, lacteum, iracundum, &c.

Hinc non est condemnandus Parochus, si testificetur suum Clericum frequentasse toto anno Ecclesiam, cùm tamen per majorem solùm anni partem divinis Officiis astiterit; id enim est moraliter toto anno frequentasse. Idem dic de scholasticis, si testificentur aliquem ex suis scholas simili modo frequentasse. Excipe, nisi fortè Universitatis, vel Ecclesiæ constitutione requirant annum mathematicum: tunc enim non de re morali, sed de re, pro ut annuum se habet, jurandum est.

3. Excusavi olim Sacerdotem jurantem se in Parochia per Hebdomadam Majorem Confessionibus excipiendis operam dedisse, juxta Edictum Episcopi sub excommunicatione latæ sententiæ id præcipientis (vides quàm severè? Sed non juxta Concilium Tridentinum, quod gravissimam hanc pœnam non adeò facilè fulminandam prudenter monet) excusavi autem ex prædicta doctrina, quòd, licèt per aliquem diem abfuerit, moraliter tamen semper adfuit, unde etiam ab excommunicatione eandem liberavi. An liberari potuerit ab excommunicatione, ex eo, quia officium, vel beneficium ejusmodi Sacerdos non haberet, sicut in simili edicto excusatus fuisset à processionibus: ex Bat. *in Conc. Trid. sess. 25. c. 23. n. Regn.* 40. vel ex eo, quòd non obstante illo (latæ sententiæ) ex modo fulminandi, & ex consueta acceptatione similium edictorum, illa fuerit solùm comminatoria, aliorum esto judicium. Quod si is in alia, & non in Ecclesia Parochiali, Confessiones audisset? excusassem etiam non invitus, quia jam suum munus utiliter, saltem per æquivalens, obisset: multò magis si id fecisset in sua Ecclesia, cui fortè serviebat; ei enim, usúque servitio non censendus est Episcopus præjudicare voluisse.

4. Ad moralem item certitudinem ex parte rei juratæ pertinet locutio hyperbolica: Juro Petrum infinitis polliere divitiis, à me infinito amore te diligi, innumerabiles esse tuos æmulos, &c. ut enim veritate non careant hæc juramenta, satis est divitias, amorem, æmulos, aliquo tandem modo excedere: id enim est prædicta esse talia humano more, & moraliter.

5. Atque hæc, ut semel dicam, locum etiam habent in juramento promissorio, ut si tibi promittam infinitas gratias acturum, si mater juret filium rixantem se occisuram, vel caput fracturam; si vir Urbanus, ut honore alium præveniat, inter se primum non egressurum ex janua, &c. Ad hodiernum enim veritatem satis, supérque est extraordinaria quædam gratitudo; Punitio filij qualiscunque; Animus qualis qualis non egrediendi: si quidem hæc dumtaxat per illa verba intelliguntur.

*Certitudo moralis ex parte juramis.*

6. Hæc tunc adest ex Sanchez, mox citando, cùm jurans juxta ac jurat, rem se habere, prudenter putat, & non levi conjectura ductus, sed certa, verisimili, aut probabili.

Profectò illud (verisimili, aut probabili) explicatione indiget; licèt enim ad prudenter, & sine peccato operandum, satis sit probabilitas bonæ actionis: at ad jurandum, non quælibet probabilitas, sed ea, quæ ad certitudinem moralem faciendam perveniat, necessaria est. Explico. Probabile est, v. g. Sacerdotem Religiosum aliàs consuetum quotidie celebrare, hoc manè celebrasse: possum ergo sine culpa mendacij, & prudenter affirmare eum Missæ Sacrificium hoc manè obtulisse: at non possum idipsum jurare, quia licèt probabile sit, non est tamen certum; quòd si accedat dictum alicujus viri fide digni, qui mihi testatus sit vidisse illum Sacerdotem hoc manè celebrantem, possem jurare, quia tale testimonium facit rem morali, & suo modo certam. Ratio autem hujus doctrinæ est, quia ad prudenter agendum satis est certitudo, quam humana prudentia requirere solet ad jurandum requiritur insuper ea certitudo, quæ digna sit, cui adhærere cum reverentia possit invocatio Dei in testem, id quod aliquid plus, quam quemlibet probabilitatem adesse debere convincit.

7. Illud adverte: in judicio, & in contractibus non satis esse certitudinem moralem, quæ consurgit ex auditu cujuscunque etiam fide dignissimi, quia communiter in his non petitur, (& quidem à legitima potestate, cui ex vi justitiæ legalis, saltem posito, quòd testificaris, respondere cum veritate debes) non petitur, inquam, certitudo ex auditu, qui non facit semiplenam probationem, sed ex certa scientia, quæ facit. Ita Sanch. *in Dec. lib. 3. c. 4. n. 13.* Bon. *tom. 2. d. 4. de jur. q. 1. p. 3. num. 7.* & sic præcipitur *c. testes 3. q. 9.* Dixi (communiter) nam quando petitur informatio, personæ, v. g. vel vitæ, & famæ, vel similium, cùm non intendatur à Judice certitudo de visu, satis est certitudo moralis ex auditu, ex Sanchez *ibid.* si quidem metaphysica, & omnimoda de his, nec haberi, nec quæri solet.

8. Atque ex his rectè Hurtadus 2. 2. *d.* 173. *sect.* 15. §. 200. apud Dian. *p. 5. tr. 7. de scand. res.* 10. *Scholasticus* (inquit) *volens probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibere potest duos amicos, qui illum non viderunt interesse lectionibus, at satis sibi persuadent illum interfuisse at non possunt jurare se id vidisse.* Hæc ille; Quæ sola approbat de Lugo *t. 2. de just. d. 39. sect. 3. n. 19.* & nil amplius, si attentè legatur.

9. Quidam multa fide dignus testibus carebat, pro credito mille aureorum, qui à debitore sibi negabantur: ergo viros duos sibi perfamiliares convenit, rogátque, ut pro se, suóque credito apud Judicem testificentur, sic fore, ut adversarius ad solvendum legitimè compelleretur. Ij ad me confugerunt interrogaturi, an possent fidem certam habere dignissimo illi creditori, & testimonium deponere de certa scientia crediti.

10. Respondi non posse, quia tametsi ejusmodi creditori integrum sit propter certum debitum, omni meliori via contra debitoris bona consurgere, sibíque clam, quod suum est compensare, & insuper jurare cum æquivocatione coram judice, amicis tamen non licet testimonium certum de scientia ferre in judicio; Judices enim, ut modò dicebam, non petunt, an quid quis noverit

quacunque certitudine morali, sed certitudine scientiæ, quam tamen non habent dicti testes, habet verò ipse creditor. Quare nisi ad Judicis mentem juraretur, omnia humana judicia enervarentur. Hanc autem mentem legitimè habet judex ad bonum publicum, cui ex justitia legali cedere debet quæcunque peculiaris utilitas. Dixi, in hoc casu, ubi legitimè jam procedit judex: si enim non legitimè procederet, tunc posse testes æquivocare dicetur *infrà*, *cap.* 4 §. 2.

11. Jam verò alia non multò pòst fuit solvenda difficultas: Boni illi viri, nescio qua mori causa, testimonium tandem fecerunt, quo facto, creditor pecuniam suam facilè obtinuit, ad quid ergo eos obligabimus?

12. Respondeo, si bona fide fecissent, ad nihil, quia sic non peccassent Theologicè, atque adeò ex probabili scientia ad nullam pœnam (cùm hæc condignam culpam sequi debeat) essent condemnandi; at verò cùm contra datum consilium, atque adeò fide mala processerint, res difficultate non caret. Putavi nihilominus ad restitutionem non teneri: Ita de Lugo *ibid.* ex Nav. *in man. c.* 25 *n.* 41. & ratio fuit, quia, esto peieraverint, peccaverintque contra fidelitatem judici, seu foro, bonóque publico debitam; non tamen peccaverunt contra justitiam commutativam: quia verè pecunia debebatur, idque ipsis, ut supponimus, moraliter constat. Cùm ergo ad prudenter operandum, vel non operandum satis sit, ut diximus, probabilitas, multóque magis certitudo moralis, pro restitutione non sunt compellendi.

13. Petes, an eadem certitudo moralis requiratur in juramento jocoso? Respondeo eadem: sic Azor. *t.* 1. *lib.* 11. *c.* 12. *q.* 4. quia posito, quòd tale juramentum sit verum, invocativum scilicet Dei veritatem æquè, ac juramentum serium continere, propter æqualem rationem, debet.

## Caput III.

## De Juramento Promissorio.

### §. I. *De Veritate requisita in Iuramento promissorio.*

Juramentum promissorium cùm veritatem de præsenti habere debeat, conveniátque in hoc cum assertorio, requirit, ut is, qui illud affert, animum habeat adimplendi, quod promittit: secùs, peccare verò perjurio nimis clarùm ex dictis est. Unde controversia apud Doctos non est, an rem etiam levissimam cum animo non implendi per juramentum promittere peccatum sit mortale, est enim certò mortale, ut *suprà* vidimus: Controversia quidem est, an sub mortali illam rem levem adimplere is, qui juravit obligetur: sed de hoc mox §. 3. *n.* 4.

Quid si quis promittat se commissurum peccatum mortale? quid si veniale? quid si rem contra Christi consilia? de his agam mox §. 6.

### §. II. *De Iuramento promissorio doloso.*

Illicitum an sit hoc juramentum, est primò quærendum, mox, an ex illo aliqua nascatur obligatio. Et quidem tribus modis potest in illo dolus intercedere. Primò, si juretur sine animo implendi. Secundò, si sine animo jurandi. Tertiò, si sine animo se obligandi, seu (quod in idem videtur recidere) sine animo promittendi.

#### *De illicito usu iuramenti dolosi promissorij.*

1. Certum est primò, jurare sine animo implendi esse mortale. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 9. *n.* 42. Suar. *tr.* 2. *Rel. lib.* 3. *de jur. cap.* 17. *à n.* 7. & communiter: patet ex dictis. Certum est secundò, jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, vel jurare verbis æquivocis non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa, juxta ea, quæ diximus *cap.* 2. §. 2. & 3. quæ sunt recolenda, quia quantum ad hoc eadem est ratio assertorij, & promissorij. Illud est advertendum, faciliùs ex hoc capite in promissorio mortaliter peccari posse, quàm in assertorio: quia in promissorio aliquid certo promittitur, unde faciliùs potest primi damnum intercedere, quo notabili accedente, mortaliter peccabitur.

2. Unum ergo supereſt, an sit licitum jurare sine animo promittendi, vel sine animo se obligandi? semper autem præscindimus à damno proximi, propter hoc enim peccari contra justitiam, nimis sæpè dictum est.

3. Prætermitto tripliciter, quantum facit ad nos, posse quempiam jurare sine animo promittendi, seu non se obligandi. Primò, animo promittendi sub obligatione promissionis ex vi fidelitatis debitæ ei homini, cui fit promissio. Secundò, sine animo promittendi sub obligatione juramenti ex vi Religionis, licèt cum animo dictæ humanæ promissionis. Tertiò, sine animo promittendi absolutè, hoc est, quo quis nullo modo vult promittere, nec scilicet coram Deo, nec, ut ita dicam, coram homine, & item, nec cum obligatione promissionis, nec cum obligatione verificandæ assertionis futuræ.

4. Dico primò, si quis juret cum expresso hoc tertio animo, nullo modo promittendi, vel se obligandi, non esse mortale. Ratio est, quia sic jurare est non jurare: non enim potest esse vel intelligi juramentum, nisi ut productivum obligationis, si ergo hanc obligationem positivè excludis, nec vis, ut juramentum illam producat, convinceris nolle jurare. Ita Sanch. *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 7. & *c.* 10. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *de jur. q.* 1. *p.* 7. *n.* 3. aliique. Vide etiam Castr. *t.* 3. *tr.* 14. *disp.* 2. *p.* 2. *n.* 6. Dixi (cum expresso animo) nam ad verum juramentum non requiritur expressus animus promittendi, vel se obligandi, si quidem satis, superque est, si animus jurandi habeatur, eo enim ipso, quo quis jurat, scítque quid sit jurare, velle censetur, quæ necessariò sunt connexa juramento, nisi ea expresè excludat. Sic Sanchez Suar. Bon. citá Castr. *l. c. disp.* 1. *p.* 8. *n.* 8. Notanter pono illud (scítque quid sit jurare) propter ea, quæ dicta sunt *cap.* 1. §. 1. *n.* 8. & iterum dicetur de voto *c.* 9. §. 1. *v. Remanet.*

5. Dico secundò, si quis juret cum animo solius promissionis humanæ, atque adeò non sub authoritate testimonij divini, seu, quod idem est, non cum animo se obligandi ex vi virtutis Religionis, idem dici debet, quod modò *n.* 4. innuimus, quia illud, quod sub divino testimonio non affertur, nullo modo est juramentum, ut colligitur ex iisdem *ibid.* remanebit ergo solùm promissio humana, de qua alibi disputatur.

6. Dico tertiò, jurare sine animo promittendi ex vi humanæ fidelitatis, sed cum animo obligandi se ex vi Religionis, non esse saltem mortale, si sit animus implendi: Ratio est, quia jam invocatur Deus cum veritate, & voluntate rem promissam implendi ex vi testimonij divini. Quòd si non adsit ejusmodi implendi animus, erit sanè perjurium, quia invocatur Deus cum falsitate. Quando autem deest animus implendi ex vi solius fidelitatis humanæ, erit quidem peccatum, sed veniale: quia quantum est ex hoc capite, nisi damnum grave inferatur, vel quid simile, solùm est mendacium leve.

#### *Quænam obligatio nascatur ex Iuramento doloso promissorio, & quando.*

7. Dico primò; Ex quibuscunque æquivocis juramentis, vel quoquo modo fictis, quæ in conscientia non sunt vera juramenta promissoria, non enascitur obligatio ex vi Religionis. Sic Sanch. *lib.* 1. *de mat. disp.* 9. *n.* 8. & *lib.* 3. *Dec. c.* 10. *n.* 4. Ratio est, quia obligatio non oritur, ut ex dictis patet, nisi ex vero juramento, in quo invocatur Deus. Hinc vides, non requiri dispensationem ad hæc juramenta negligenda, cùm, ubi non est vinculum, solutio esse non possit.

Contrà, quando fuit fictio circa rem implendam (jurat quis, v. g. se eleemosynam daturum cum animo non dandi) enascitur obligatio ex vi Religionis, seu, quod idem est, ex vi juramenti. Ita *ibid.* contra Sà. *v. Iuram. n.* 4. *fin.* Ratio mihi certissima est, quia sic jurans verò juramento

re juret, (licèt sine animo implendi, atque adeò licitè) ergo contrahit obligationem implendæ annexam vero juramento, illa enim nolitio executionis non tollit, quin ponatur substantia juramenti, & consequenter ejus obligatio. Pari modo, quando adest intentio se obligandi ex vi Religionis, sed fictè fiat promissio ex vi fidelitatis humanæ (Iurat quis verbi grati, eleemosynam se daturum cum intentione, quod non se velit obligare ex vi humanæ promissionis, sed solùm ex vi Religionis est eadem, quia jam ponitur substantia juramenti.

8. Dico secundò. Quando ex quocumque, vel æquivocis, vel fictis juramentis, quæ verè juramenta non sunt, aliquod damnum promissario obvenit, obligabitur ille jurans, non quidem ex vi juramenti, sed ob dolum, quem adhibuit, ad omne damnum, ac si prorsus verè juramentum fuisset. Ratio ibid. Ratio est, quia tunc contra justititiam delinquitur: Hinc fit, ut promissio sub ficto juramento, quâ non impletâ, nullum damnum sit promissario, quia fuit promissio liberalis, non pariat obligationem executionis, quia ex nullo ex his duobus capitibus, de quibus agimus, ea oriri potest: non ex capite Religionis, quia verè juramentum est, nec ex capite damni, quia nullum est illatum, ut supponimus.

9. *Dices*: At hoc ipsum, quod non des quod promisisti, damnum est. Respondeo, hoc non esse damnum: sed esse lucrum cessans, ad quod elargiendum, posito, quòd verum juramentum quis non fecerit, non se obligavit. Dices iterum: at aliquando erit scandalum, si juramentum fictum non observetur, credent enim audientes, te pejerare. Sic Sanch. *lib. 2. in dec. cap. 10. n. 13.* Respondeo, fateor duplex scándalum adesse hîc aliquando posse: Alterum contra Charitatem, si proximo verè detur occasio peccandi: Alterum contra Religionem, si detur similis occasio Deum per similia perjuria contemnendi: sed hæc universalia sunt cæteris peccatis convenientia, juxta declarata de scandalo *in nostra Meth. Conf. lib. 1. §. 17.* & dicentur, Deo dante, *lib. 5. in dec. c. 1. §. 3.*

10. Dico tertiò: Iudex debet condemnare jurantem fictè, vel æquivocè, non solùm ad omnia prædicta damna, sed etiam ad talia juramenta exequenda, quamvis promissio quoquo modo liberalis fuerit. Ratio est, quia Iudex debet secundùm juris præsumptiones judicare, at qui verbis externis jurat, præsumitur vero animo jurare.

11. Quid, si cesset ejusmodi præsumptio, & jurans clarè probet, se sine animo vero jurasse: poteritne judex eum condemnare? posse & debere docet Sanchez *ibid. d. 10. n. 6.* & Castr. *t. 3. tract. 3. q. d. 2. p. 2. n. 5.* non ex vi juramenti, sed ex legibus Castellæ sic disponentibus in pœnam delicti dolosè jurantis.

At quid, si talis lex alicubi non adsit? Respondeo tunc arbitrio Iudicis secundùm gravitatem culpæ sic jurans erit condemnandus. In quocunque autem casu, quò condemnabitur, parère post sententiam obligabitur, sed cum distinctione. Si enim sententia innititur falsæ præsumptioni, obligabitur condemnandus parère solùm ratione scandali, quare hoc cessante, ad nihil obligatur, nisi ad damnum modo dicto *num. 1.* At si innitatur legibus, vel arbitrio Iudicis, jurantem condemnantis in pœnam delicti, obligabitur sanè, etiam in conscientia, quia quilibet justæ pronunciatæ contra se sententiæ obedire tenetur.

Quando autem enascatur obligatio, hoc est quando incipiat juramentum obligare, dicam, cùm de voto; nam eadem est utriusque ratio.

## §. III. *De Materia requisita in Iuramento promissorio.*

1. VEl iuramentum sit ipsi soli Deo, vel in utilitatem etiam hominis. Si prius, induit rationem voti, si posterius, erit solùm promissio homini facta, sed sub Dei invocatione. Quoniam verò diversimodè ex his obligatio nascitur, separatim de iis erit disputandum.

Omitto autem, utpotè ad praxim non pertinens, quænam sit obligatio major, juramentine, an voti; videat qui velit apud Suarium *lib. 8. de Iuram. cap. 3. n. 2. fine*, Sanch. *lib. 3. in c. 8.* Fag. *lib. 2. præcept. dec. c. 5 1. à n. 16.* aliósque

*De Materia Iuramenti promissorij in communi.*

2. Primò, in juramento promissorio materia promissa possibilis esto, secùs temerè ea temeritate, quam dicam *num. 3.* jurares, quod implere tu non potes. Hinc tuum juramentum de facto alieno, ut quòd Petrus solutum sit debitum; quòd matrimonium sit contractum, &c. illicitum est, nisi intendas jurare, quantum in te est; nimirum, nisi solùm jures diligentiam adhibere, ut ille solvat, ut ille contrahat, &c. & certè id communiter juratur, dum factum alienum juratur.

3. Secundò, licita res sit, & honesta. Hinc juramentum de re peccaminosa mortaliter, vel venialiter, vel de re contra consilia, est peccatum, ex Castr. *t. 3. disp. 1. de Iuram. cap. 6. n. 11.* nec obligat, (unde non indiget relaxatione, ex eodem *ibid. disp. 2. p. 6. n. 6.* quid enim relaxabitur, si nulla adest obligatio? Ratio est, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, *c. Quando, de jurejurando*, & alibi: quòd autem peccatum sit; dicam *num. 9. & 10.*

Huc reduco, v. si Amicus, & Amasia invicem jurent, alios se turpiter non cognituros: non valet enim hoc juramentum. Sic Fag. *in præc. Dec. lib. 2. c. 24. n. 19.* Ratio est, quia est de peccato morali; est enim mortale velle his promissionibus turpem amorem inter se fovere.

4. Tertiò, debet esse res gravis; si enim levis, sit non oritur obligatio sub mortali, sed sub veniali dumtaxat. Hoc tertium dictum duo involuit: Alterum ab omnibus admittitur, sub pœna nimirum mortali esse præstandum quod juratur, si notabilis sit res promissa; quia gravis parvi fit: Alterum non omnes amplectuntur, sub pœna nimirum mortali esse faciendum quod juratur, si res promissa sit exigua.

Dico tamen, quamvis probabile, etiam rem levem, si sub juramento promissa sit, esse faciendam sub mortali, nihilominus esse solùm sub veniali videri probabilius ita Azor. *p. 1. lib. 5. c. 17.* & *lib. 11. cap. 5. quæst. 3.* Suar. *t. 2. de rel. l. 2. de juram. cap. 16. à n. 9.* Ratio potissima est ducenda ex ipsa natura juramenti promissorij: in hoc enim non invocatur Deus, ut testis futuræ executionis, sed ut testis præsentis voluntatis; quoad futuram executionem autem affertur Deus, ut sua authoritate promissionem suscipiat, ut scilicet fideliter executio correspondeat factæ promissioni: ergo si non correspondeat, infidelis erit jurans, non verò propriè mendax. Quare cùm casu nostro sit infidelis in re levi, leve solùm peccatum attinget.

5. Petes: quæ, quantáque culpa committitur ab eo, qui rem malam exequitur propter illud expressè, quia ad illam juramentum adhibitum fuit? Respondeo, ex ignorantia hunc excusari non rarò; nam cæterum sacrilegium esset, putare Dei invocationi deberi executionem peccati promissi; præscindendo autem ab hoc errore, veniale committeretur in materia levi; grave peccatum, in re gravi. Sic Sanch. *lib. 3. in Dec. cap. 4. n. 29.* Ratio est, quia in his non intercedit, nisi continuatio ejusdem voluntatis, quæ habita fuit, quando exhibitum fuit juramentum, ut consideranti patebit.

6. Ex his colligit rectè Sanch. *ibid. cap. 19. à num. 16.* juramenta parentum, vel Dominorum, quibus jurant se punituros filios, famulósve: item juramenta puerorum, quibus jurant accusare consodales apud præceptorem, & juramenta, quibus viri nobiles jurant se nolle prævenire in egressu, vel ingressu domus, & similia communiter, vel non obligare, vel facilè excusari aliquo ex sequentibus capitibus (præter illud, quòd non adsit in-

tentio jurandi, sed solùm comminandi) primò, quia communiter fiunt ex ira, vel passione, animóque vindictæ, & ut sic sunt de re saltem venialiter mala. Secundò, quia ferè materia est levis. Tertiò, quia supervenit frequenter causa excusans ab executione; Talis solet esse emendatio filij turbatio Domus, amici interfectio, veniæ petitio, &c. Quartò, remissio ejus, in cujus gratiam fit juramentum, ut accidit in prædictis viris nobilibus qui facilè remittere præsumuntur, promissionem in sui honorem factam. Si filiorum, aliorúmve punitio serio juramento confirmata, urget in eorundem bonum, adeóque in Dei obsequium, præstanda omnino est: hic tamen deerit excusatio, si superveniat emendatio; nam similia juramenta imbibunt tacitam conditionem, nisi rerum status muterur, quod est commune in omnibus juramentis promissoriis, ut *infrà* dicetur.

*De Materia requisita in Iuramento promissorio soli Deo facto.*

7. Habetur hæc regula: Quia votum non solùm esse debet de materia licita & honesta, sed etiam non debet esse de re indifferenti, nec de impeditiva majoris boni, ideo juramentum soli Deo factum cùm æquivaleat voto, easdem debet habere conditiones, ac votum. Ratio hujus regulæ dabitur mox *num. sequenti*. Hinc, si jurasti Deo jejunium, hoc autem majus bonum, verbi gratia, animarum conversionem impediat, ad jejunium non teneris si jurasti non dare eleemosinam, non colloqui cum proximo, &c. non teneris observare, quia hæc sunt contra Dei consilia, majúsque bonum impedientia, & sic de similibus. Quo modo autem intelligatur rem esse impeditivam majoris boni habebis *infrà*, cum de voto *cap.* 11. §. 1. *vers. Verum huic doctrinæ*.

8. Hinc item, si jurasti in honorem Dei non transiturum v. per hanc viam, quia id res est indifferens Deus non acceptat, utpotè non cedentem in ejus honorem. In quo tamen, & in similibus advertè, non rarò rem alioqui indifferentem fieri propter aliquod adjunctum materiam admodum bonam, & tunc juramentum fore licitum, atque obligatorium; ut si quis juret non transiturum per aliquam viam, quia illa habitat puella causa peccati. Quod si tunc jures rem indifferentem, sed deinde post dies fiat bona, juramentum non obligabit. Sic Laym. *lib. 4. tract. 3. cap. 6. num. 4.* quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut universaliter dicam *infrà, de voto, cap. 11. §. 4. v. Contrà*, ubi etiam declarabimus, an quando finis promittentis est malus, licèt res promissa sit bona, enascatur obligatio.

9. Petes: quodnam peccatum est promittere cum juramento rem non licitam? Respondeo cum Sanch. *lib. 3. Dec. cap. 9. num. 14.* mortale sacrilegium, si res est illicita mortaliter; quia uteris divino testimonio ad rem iniquam faciendam, quæ est summa Dei irreverentia, de qua diximus *suprà, cap. 1. §. 4 n. 4.* unde vides in confessione esse explicandum, an juraveris peccatum mortale, v. g. homicidium cum intentione illud exequendi, nam prius habet duas specie malitias, nempe homicidij; & irreverentiæ: posterius, solius perjurij.

10. Quòd si res sit illicita venialiter, vel sit contra consilia: ut cum veritate jures te dicturum mendacium officiosum, vel daturum eleemosynam, non ingressurum Religionem, non acceptaturum Officium Prætoris, &c. puto cum Fag. *lib. 2. in præcept. Dec. secundum, c. 14. num. 1.* esse veniale; quia non videtur gravis Dei injuria uti Divino testimonio ad rem leviter illicitam, ut *ibidem* diximus, vel ad nolendum facere id, ad quod non teneris. Quòd si deinde des eleemosynam, has Religiosus, vel prætor, non peccas, quia juramenta; quæ adversantur charitati, non obligant. Excipe, nisi Officium, verbi gratia, Prætoris tibi sit causa moraliter peccandi & sic in similibus: quia tunc juramentū fuit de re bona. Quid si res sit impossibilis physicè, vel moraliter, & ut sic tibi cognita, ut si jures te cras volaturum, vel daturum centum, quæ moraliter non habebis? Mortale esse docet communior sententia; ita Suar. *tom. 3. de Rel. lib. 3. c. 18. num. 7.* Fag. *lib. 2. cit. c. 6. n. 24.* Castr. *tom. 3. disp. 1. de jur. p. 6. v. Ad tertium.* Sanch. *lib. 3. dec. cap. 4. num. 4.* quia jam deest animus implendi promissum: idémque esse, si jures temerè non advertendo, si possibilis, nécne, quia virtualiter falsum juras. Rectè autem notat Sanch. *ibid. cap. 9. num. 12.* facilè in his casibus obtineri dispensationem. Non est tamen improbabile ex Arag. 2. 2. q. 89. *art. 3. in dict.* & Sayr. *lib. 5. c. 4. fin.* quando non deest implendi animus esse tantùm veniale, quia tunc solùm deficit judicium secundus comes juramenti, cujus defectus non semper est mortalis, ut *sup.* vidimus.

*De Materia requisita in Iuramento promissorio in utilitatem hominis emisso.*

11. Sit hæc regula ex Sanch. *lib. 3. c. 9. n. 19.* Materia requisita in hoc juramento ad inducendam obligationem implendi, satis est, si possit sine culpa mortali, vel veniali apponi, etiamsi res indifferens sit, quando hæc sub juramento promittitur, est omnino executioni mandanda, gravis sub gravi, levis sub levi, juxta *superiùs* dicta. Ratio regulæ, & cur id sufficit, non verò in juramento, seu voto, quod Deo fit, est, quia in promissione semper habetur ratio, ut sit grata illi, cui res promittitur: Deo autem non potest esse gratum, quod est impeditivum majoris boni, seu quod indifferens est nec ad suum obsequium pertinens: at homini sæpissimè gratum est, quod est indifferens, quódque munus sibi bonum est, & ex alia parte in hoc juramento Deus non est acceptor, sed solùm testis.

12. Hinc, si jures soli Deo fœminam ducere, & non in gratiam alicujus, poteris castitatem vovere, quia tunc matrimonium esset impeditivum majoris boni, qualis est ex se vita cælebs. Ita Sanch. *ibid. num 19. in medio.* Dico ex se; nam si matrimonium jurares ad sedandam tuam impudicitiam, obligaret juramentum, quia tunc matrimonium esset tibi majus bonum. At si idem jures ipsi fœminæ acceptanti in ejus, vel parentum gratiam, castitatem vovere non potes: quia ad observandum juramentum homini factum, nil aliud requiritur, nisi quod servari sine ullo peccato valeat.

13. Quod si nondum acceptavit nec puella, nec alius loco ipsius, adhúcne illo teneberis? Respondeo, esse diligenter distinguendum: Si enim per modum voti Deo promisisses aliquid in utilitatem tertij in hunc ferè modum: Promitto Deo, seu quod in idem recidit, Promitto cum juramento Deo, me daturum pauperi, vel Petro pauperi centum: & in casu nostro: Promitto Deo puellam hanc ducere ad vitandos meos lapsus; Cùm additum est (ad vitandos) Vide *infrà, c. 15. §. 3. n. 4.* tunc teneris; licèt enim pauper, vel puella nondum acceptaverit, unde non deficeas ex justitia, & possit relaxari ex causa à Superiore, qui ab habente potestatem; Deus tamen statim acceptat, utpotè votum sibi factum: quare, nisi adsit relaxatio, debebis centum dare, & puellam ducere ex virtute Religionis. Sic Laym, *tract. 3. lib. 4. cap. 11. n. 6. fin* An hæc relaxatio possit etiam fieri post acceptationem; colligitur ex dicendis *cap. 7. §. 6. n. 3.* & *c. 17. de Voto, §. 2.* At si juramentum fuit factum homini soli sine ulla promissione ad Deum (ne implicita quidem, quæ implicita promissio esse solet, quando ad Dei honorem promittitur opus pium) ut si jures, v. g. te centum daturum amico, isque neque per se, neque per alium acceptavit, non obligaris dare. Ratio est quia promissio homini facta nondum acceptata, non est completa, & propterea non obligat: sic Sanch. *lib. 1. de matr. d. 7. n. 25.* Less. *lib. 2. c. 17. d. 7. num 72.* aliique passim: cùm ergo juramentum sequatur naturam promissionis, ei adnectitur, ut *infrà, §. 4. n. 3.* dicemus, si hæc non obligat, nec illud obligat, sed authoritate propria poterit infringi.

14. Regula allata, quod juramentum homini factum nil requirit, ut observetur, nisi quod possit sine peccato servari, fallit, ex Sanch. *lib. 4. in dec. c. 10. n. 30.* Castro Pal. *tom. 3. de jur. d. 1. p. 4. num. 4 fin.* seu restringitur, quando promissio

promissio jurata liberalis obstaret susceptioni status Religiosi: si enim liberaliter jurarès te ducturum fœminam in ejus gratiam, vel famulaturum alicui toto vitæ tempore, vel quid aliud simile, etiam his acceptantibus adhuc potes ingredi Religionem, & non obligari juramentum servare. Ratio quoad promissionem matrimonii, est, quia in jure *c. ex publico, de conversione conjugatorum*, & passim Doct. conceditur sponsum etiam de præsenti ante consummationem posse intra duos menses Religionem ingredi. Si ergo ipsum matrimonium initum non obstat volenti ingredi in Religionem, multò magis non obstabit juramentum de matrimonio ineundo, quod est minus, semper etiam propter perfectionem status religiosi (ut deducitur ex jure Canonico) sive in matrimonio in illud bimestre, sive in promissione etiam jurata matrimonij, involuitur illa conditio, *ibid.* nisi Religionis status magis placeat. Ratio autem quoad promissionem juratam aliarum rerum, est, quia si talis conditio involuitur in ipso matrimonio ineundo, vel per illud bimestre etiam in initio ante consummationem, multò magis involuetur in cæteris promissionibus, quæ sunt vincula minus fortia, quàm matrimonium.

15. Consultò dictum est (liberaliter) nam accedat alia obligatio justitiæ, v. g. damni dati, injuriæ, &c. diversa est ratio, nec poterit Religionem ingredi, qui ratione horum, juravit, v. g. quis matrimonium fœminæ, quam prostituit, jurat famulatum toto tempore vitæ is, qui pecuniam accepit, &c. hi sanè religionem ingredi non possunt, renuente parte, quia tunc promissio jurata non est liberalis, sed onerosa, cujus executio ex justitia debetur.

16. Quid, si quis alicui cum juramento promisit, vel matrimonium, vel dictum perpetuum famulatum, vel vitam in sæculo cælibem, vel quid simile liberaliter, poteritne Ordines sacros suscipere; Respondet Sanchez, promittentem cum juramento matrimonium, non posse, promittentem verò famulatum, vitam cælibem, vel aliud quid, posse. Ratio est, inquit, quia aliæ promissiones non sunt tanti momenti, ut ordinibus suscipientis obstare debeant: at promissio matrimonij potens est, fortis, nec nisi à Religionis vero & proprio ingressu vinci debet, non verò ab ordine sacro, qui licet affinis statui Religioso sit propter votum Castitatis solemne, Religiosus tamen status propriè non est. Qui ergo jurat aliquid modo dicto impeditivum Ordinis sacri præter matrimonium, involvit conditionem; Nisi ipsum Ordinem sacrum, statum nempe Religioni similem, elegero; at qui jurat aliquid impeditivum vitæ cælebis, vel servitij Nosocomij, &c. non involuit dictam conditionem, Nisi vitam cælibem, vel dictum servitium elegero; quia non sunt status affines, seu similes Religioni, cui Religioni, & (propter congruentiam) statui, qui Religioni est similis, facta est dumtaxat à jure dicta concessio.

## §. IV. *Qua ratione interpretandum juramentum in ordine ad inducendam obligationem.*

Tribus regulis id perspicuè definito, quæ etiam sua proportione sunt applicandæ ad votorum obligationem de qua *infrà*.

### *Prima Regula.*

1. SI de intentione jurantis constet, non est opus interpretatione, secùs, interpretari debet juramentum, ut servata proprietate verborum, quantò minor potest, obligatio inducatur, quia semper præsumitur jurans minùs voluisse suæ libertati nocere. Ita Abbas, Sylvest. Suar. apud Castr. *t. 3. tr. 14. disp. 2. de jur. p. 14.* lege item Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 4.*

2. Hinc jurans Religionem ingredi quamlibet etiam minùs strictam ingredi potest. Promittens alicui servire potest per paucos dies. Promittens eleemosynam, potest elargiri quamcunque. Promittens servare statuta, v. g. collegij, potest non observare, quæ postea eduntur. Quòd si ex circumstantiis, vel modo communi loquendi, certus sit jurans se promisisse Religionem strictiorem, servitium longo tempore, largam eleemosynam, observantiam statutorum edendorum, (ut assolet esse in statutis, quæ de novo juxta proprium institutum feruntur in Religionibus (juramentum debere observari ex se patet.

### *Secunda Regula.*

3. Iuramentum restringendum est juxta naturam actus, super quem cadit, Sic Laym. Castro Pal. aliisque cit. quia: *Accessorium sequitur naturam principalis*, *Reg. Iuris 42. in 6.* nec jurans præsumitur alio modo se obligare voluisse. Quare omnes restrictiones, vel conditiones, quas de jure, vel consuetudine habet promissio, omnes habet juramentum illi adhærens. Habet autem communiter quatuor, quæ generales conditiones promissionis appellantur. Prima: Si potuero (ad impossibile enim nemo tenetur (vel si licitè potuero. Secunda: si superior legitimè non contradicat. Tertia, si res non fuerint notabiliter mutatæ. Quarta, si promissio fuerit acceptata, vel si non fuerit remissa a parte.

4. Hinc, si jurem tibi aliquid, aliudque tu mihi: te fidem frangente, ad nihil ego obligor. Si jurem tibi quidpiam donare, te ingrato existente, ad nihil item reneor. Si jurem solvere tuum debitum fidejubendo, & non instar principalis, si prius tu non excutiaris, nihil ego debeo. Si Clericus juravit residentiam, potest non residere in casibus à jure concessis. Si quis juravit statuta Collegij, Civitatis, Vniversitatis, potest non servare ea, quæ legitima consuetudine sunt abrogata: & ratio horum, & similium est ex Less. *lib. 2. cap. 42. num. 22.* quia promissiones involvunt has tacitas conditiones, si alter fidem servet, si gratus existat, si sit solvendo, si à jure, vel legitima consuetudine aliter non fuerit dispositum, &c. ergo & easdem involvet juramentum.

5. Ex illla tertia conditione, si res non sint notabiliter mutatæ, multa speciatim inferuntur. Hinc enim, qui juravit ducturum sponsam, certè si illa fornicetur, si in lepram, si in morbum incurabilem, si in paupertatem notabilem incidat, imò si inveniatur non habere dotem competentem, non obligabitur illam ducere. Si quis, facta pace, juravit se non nociturum inimico, si is dat novam inimicitiæ causam, jùramento deinceps jurans liberabitur, Iuravit quis se donaturum cuidam mille, si qui sic promisit, in paupertatem deveniat, potest non donare. Si quis juravit se non dissolutum contractum societatis, potest, si socius rixosus, vel notabiliter molestus evadat, dissolvere. Si quis in universitate Licèciatus jùravit se non assumpturum doctoratum in alia, si in hac alia iterum licentietur, potest in eadem doctoratus lauream accipere. Hæc autem & similia ideo sic se habent, quia rebus notabiliter mutatis, sicut nō obligat promissio, ita nec juramentum. Nam propterea, qui juravit usuras reddere, vel latroni pecuniam dare, quamvis, si prævidit omnes difficultates in solutionem futuras, obligetur ad solvendum saltem momentanea solutione, vel ad petendam relaxationem juramenti à Superiore, tamen si eas non prævidit, & quando est soluturus, pati cogitur grave detrimentum accipiendo ad interesse, vel sua bona vendendo, non tenetur solvere, nec relaxationē indiget, quia facta est mutatio notabilis, &c. propterea item jurans non loqui cum hoc quia fuit causa tibi, v. g. fornicandi, si mutentur ejus mores, ac probus efficiatur, non teneris illum vitare, quia permutatio notabilis facta est. Imò etiamsi hic sit occasio alterius peccati, illum ex vi juramenti non teneris evitare; sicuti etiam jurans non fornicari cum hac, non tenetur ex vi juramenti ad evitandam societatem; in committendo alio peccato, v. g. murmurationis, cum eadem, ita jurans vitare occasionem fornicationis, non tenetur, quantum est ex Religione juramenti, ab aliis occasionibus abstinere.

6. In

6. In dubio an mutatio superveniens sit tanta, ut juramentum non obliget, judicandum obligare, quia possidet juramentum: poterit nihilominus peti relaxatio, ipso dubio causam relaxationis concedente. Ita Suar. *lib. 2. de juram. c. 35. n. 10.* Fag *lib. 2 in Dec. præc. 2. c. 19. n. 17.*

*Tertia Regula.*

7. Iuramentum numquam censetur factum in præjudicium tertij, *cap. venientes, cum contingat, de jurejurando, cap. 2. eod. in alibi*, quia sic esset illicitum.

8. Hinc, qui juravit secretum servare alicui; si ex secreto penderet alicui malum poterit illud revelare ei, cui prodesse, non obesse potest qui juravit se de tali loco non abscessurum, si à Superiore seriò jubeatur discedere potest, imò debet obedire, secùs fieret eidem superiori præjudicium. Qui juravit solvere centum Petro posteriori, potest, debétque solutionem dare anteriori, si alia centum non suppetant. Qui juravit longam instituere peregrinationem, potest, ac debet ab ea desistere, si Dominus, in cujus fortè potestate est, abnuat. Atque hæc, & similia, ideo sic se habent, quia illicitum est nocere proximo, vel alicui præjudicium ferre.

## §. V. *Expenduntur aliqua Iuramenta promissoria.*

1. EX doctrina hactenus in superioribus sparsim allata, solvi possunt plures non contemnendæ difficultates circa aliqua juramenta particularia; quæ ad majorem claritatem sunt hìc sigillatim proponendæ.

*Iuramentum sine consensu.*

Quando tu consensum ex quacumque causa non præbuisti, (sed dissentiendo internè, solùm, v. g. hactenus promisisti, vel jurasti) etiamsi peccatum tibi non foret servare juramentum, tamen non teneris servare ex vi Religionis, nec obligaris petere relaxationem, sed gerere te poteris, perinde ac si nihil jurasses, nec promisisses, Sic Oñate *tom. 1. de contractibus, tract. 1. disp. 3. sect. 13. n. 234.* Ratio est, quia nunc, cùm non affuerit ullus animi consensus, ne meticulosus quidem, nulla obligatio contractus oriri potest.

Hinc vides discrimen, cur consensus meticulosus juratus obliget saltem momentaneam solutionem, ut mox *n. 6.* dicam, hic verò consensus fictus ad nullam; discrimen autem est, quia hic nullus adest consensus, cùm tamen ibi, quamvis meticulosus, adsit. Si quando tamen per ejusmodi fictionem injustè proximum decepisti, te obligari ad illius damna nimis sæpè diximus.

*Iuramentum de actu irritato per legem.*

2. Quando jus non solùm irritat contractum, seu actum, sed etiam juramentum, sive imitando ipsum actum sive prohibendo, ne ei contractui juramentum apponatur, non obligat juramentum. Sic de Lugo *l. 2. de just. disp. 22. sect. 8. num. 596.* Oñate *t. 2. de contractibus, tract. 4. disp. 11. sect. 2. n. 66.* Basil. Pont. *de matr. lib. 12. cap. 8. n. 37.* Ratio est, quia tunc Ecclesia veluti antecedenter facit bonam communitatis, sive irritavit, sive relavit illud juramentum: Sic Tridentinum *sess. 23. cap. 16. de Regul.* irritavit renuntiationem etiam juratam Novitij, nisi certis conditionibus assignatis: sic etiam matrimonium gravi, injustóque metu celebratum, etiam accedente juramento, invalidum est *ex cap. 2. de eo, qui duxit*; idem in professione solemni, & in quibuscunque votis ex metu, modo explicato *suprà lib. 1. c. 2. n. 8.*

3. Solùm posset esse controversia, an sicuti certum est, id posse facere Ecclesiam, cujus est potestas juramenta relaxandi, etiam antecedenter, quàm emittantur; ita possint Principes alio modo, sive remittendo obligationem, sive reddendo materiam ineptam juramento, sive constituendo jurantem incapacem, &c. Et quidem posse docent nobiles Doctores, Sanch. *lib. 3. in Dec. c. 22. n. 10.* de Lugo *l. c. n. 243.* Basil. Pont. *l. c. à n. 38.* Castr. *t. 3. tr. 3. disp. 2. de jur. p. 4. n. 6.* id quod nobis satis sit innuisse.

*Iuramentum ex parte actus illicitum.*

4. Si actus ipse jurandi sit illicitus ratione alicujus circumstantiæ, ut si, v. g. juramentum de donando equum amico, fuit cum magna ira, cum blasphemia, contra præceptum Superioris, contra votum, quod quis fortasse emisit de non jurando, &c. obligabitne ad sui executionem?

Respondeo cum Suar *t. 2. de Rel. lib. 2. de Iur. c. 24. n. 2. & 3.* obligare, quia, licèt juramentum comitetur aliquod ex illis capitibus prædictis, tamen ipsa materia, circa quam versatum juramentum, nempè ipsa donatio equi, non est illicita, ut supponimus, & actus ipse juramenti ex comitatu iræ quoad substantiam non vitiatur.

5. Quod si præceptum, v. g. Superioris non solùm fuerit de non jurando, sed etiam de non donando ex vi juramenti, & supponatur tale præceptum validum esse, & legitimum, certè tunc ipsa materia juramenti erit illicita, quia contra prohibitionem, atque adeò non aderit obligatio illam exequendi. Idem dic, si ex ira promittatur, puniri in vindictam aliquis, v. g. filius à patre, servus à Domino, &c. tunc enim cum illa punitio, quæ est materia juramenti sit mala, sive venialis, observanda, ex dictis §. 3. *n. 3.* non est.

*Iuramentum illicitum ex parte ejus, qui illud per metum gravem, vel vim, vel injuriam extorquet.*

6. Extorquet à te latro juramentum, ut promittas ei dare pecuniam; Idem facit per injuriam usurarius, ut promittas ei solvere usuras ex mutuo, obligarisne promissis? Respondeo te obligari. Ita S. Thom. Molin. Sanch. Bon. aliique apud Castr. *t. 3. disp. 2. de jur. p. 4. n. 3.* Laym. *lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 7.* Ratio est, quia, licèt illi peccent accipiendo, & ad restituendum accepta teneantur: tu tamen potes sine peccato dare. Adverte tamen id à te fieri momentanea solutione posse, ad servandam Deo, & juramento reverentiam, sed statim poteris etiam (si opus fuerit) Officio judicis implorato, repetere; cujus rei ratio redditur *infrà §. 6. n. 2.* Poteris, item, si libuerit, à Superiore petere juramenti relaxatione, & nihil dare, ipsa enim injuria sufficientem affert Superiori causam dispensandi. Quas disparitates huc facientes vide *infrà, n. 21. & n. 44.*

*Iuramentum contra aliud juramentum, vel votum.*

7. Si juramentum sit de re, seu materia opposita rei per aliud juramentum, vel votum promissa, obligabitne? v. g. juravi, vel vovi castitatem, deindè promitto ejusdem cum juramento ducturum hanc puellam, obligorne illam ducere?

Respondeo te non obligari. Ita Suar. *tom. 2. de Relig. tract. de jur. lib. 2. c. 19. num 10.* Oñate *tr. 11. disp. 40. sect. 5. n. 119.* aliis relatis, contra Gomez. Ratio est, quia, hìc non solum adest peccatum in ipso actu jurandi, sed etiam adest materia jam reddita mala ex vita antecedentis juramenti, vel voti. Similiter enim, si promisisti sponsalia etiam sine juramento huic fœminæ, non valet juramentum de ducenda alia, ex Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 50.* quia propter priora sponsalia, reddita sunt nulla hæc posteriora, atque adeò non sunt apta ad recipiendam obligationem novi juramenti.

8. Audi causam: Iuravit petrus se ducturum Bertam, deinde juravit se ducturum Catharinam. Post hæc Berta remisit voluntariè sponsionem sibi factam à Petro, obligabitúrne Petrus ducere Catharinam? Atque idem posse quæri, si ex quocunque alio capite prius juramentum incipiat vim non habere.

Respondi non obligari. Ita Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 50. num. 4.* Suar. *l. c. n. 15.* Castro Pal. *t. 3. disp. 2. p. 8. §. 6. fin.* Ratio fuit, quia: *Quod initio invalidum est, tractu temporis non convalescit. Reg. Non firmatur, de reg. jur. in 6.*

Cum

Cum ergo posterius juramentum de Cathatina ducenda, quando fuit emissum, invalidum fuerit, quia de materia mala, sic reddita propter prius juramentum, nulla convalescere non potuit, unde nec obligare. Si tamen post priora sponsalia dissoluta de novo ineantur posteriora, certè hæc obligabunt, quia posterior materia sponsalium mala non est.

8. Inquires. Dispositiones factæ contra prius juramentum, sintne validè? Iuravit quis, v.g. non vendere suum equum, deinde de facto vendit, alteríque tradit; valétne traditio? Iurat quis suum testamentum non commutaturum, deinde mutat, valétne mutatio? Iurat quis sponsam puellæ, deinde aliam, ducit, valétne matrimonium? & similia? Quid, si dicta venditio, mutatio, matrimonium, &c. fiant cum novis juramentis? Respondeo non obstare has posteriores dispositionem, juramenta continere perjurium, quia sunt contra priores graves, & non dispensatas, seu remissas, ut suppono, promissiones & sic sunt de re illicita, ut modò diximus. Superest ergo videre, an nihilominus tales actus contra prius juramentum validi sint, licèt illiciter facti. Et quidem validos esse defendit communis, & vera sententia. Ita Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 13. n. 4.* Laym. *lib. 4. tr. 3. c. 8. num. 5.* aliique apud Castro Pal. *tom. 3. tr. 14. disp. 2. p. 9. §. 7.* Ratio est, quia per juramentum non tollitur potestas à jurante, ne possit facere actum, quem aliàs validè facere poterat: quique à mera facultate agenti pendet. Sicut enim à jurante jejunium se servaturum, non tollitur potestas physica comedendi, sed solùm illa per juramentum fit comestio illicita, sic nec tollitur potestas, de qua loqui mur in casu nostro, &c,

10. Dixi (quem aliàs validè facere poterat) si enim aliunde actus erat invalidus, non est mirum, quòd etiam invalidè fiat post prius juramentum. Vendidisti, v.g. cum juramento equum, & de facto tradidisti emptori: deinde eundem cum juramento vendis alteri: hæc posterior venditio nulla est, quia per traditionem factam primo emptori, equus non est ampliùs in tuo dominio, quem valide vendere possis. Pari modo alienasti cum juramento fundum dotalem, sed sine requisitis, idque post juramentum antea factum de eo fundo non alienando; invalidè alienasti, quia alienatio ejusmodi sine debitis requisitis aliunde fuit invalida, hoc est, ex legibus disponentibus non posse sine debitis requisitis fundum dotalem alienari: nam per juramentum ejusmodi alienationi appositum, non esse in nostra sententia confirmatam, nec validam sectam ejusmodi alienationem, docebimus *infrà*.

11. Quòd in favorem tertij aliquid juraßi, nec juramento stetisti, sed per novum juramentum alteri rem de facto donasti, vel quid simile fecisti, unde damna evenerunt illi tertio, ea omnia ex *supra* dictis esse ipsi, resarcienda meminisse oportet.

*Iuramentum in Matrimonio, & in Sponsalibus contractis ex metu ad illa extorquenda injustè incusso.*

12. Antonius dicto metu, & quidem gravi coactus duxit, vel promisit ducere Bertam, addíque juramentum. Quæritur primò; an sicut matrimonium fuisse irritum, si juramento carvisset, sic etiam & illo addito? Secundò, an saltem illa juramenta Antonius teneatur ratificare, vel de novo emittere? Tertiò, An indigeat relaxatione, ut ea possit non observare?

Respondeo ad primum, esse irritum tùm matrimonium, tum juramentum, tum utrumque unitum. Ita Sanchez, aliique apud Taneredam *lib. 4. de matr. disp. 10.* Ratio est, quia matrimonio huic deest perfectus consensus, adde & jus Ecclesiasticum illud irritans, ut dixi nus *supra, lib. 1. c. 2. §. 5. n. 22. & §. 7. n. 3.* Cùm ergo juramentum superveniens non inveniat perfectum consensum, matrimonium semper remanebit in sua nullitate.

13. Ad secundum: Sive juramentum fuerit de præsenti, ut: Iuro me ducere Bertam, sive de futuro, ut: Iuro me huic matrimonio (ex metu contracto) non contraventurum; non teneri Antonium illud ratificare, vel iterare, Ratio est, quia cùm utrumque sit extortum per injuriam, non est unde obligatio oriri possit: Adde peccatum fore, si velit non contravenire dicto matrimonio; esset enim velle persistere cum non sua: nisi tamen deposito metu, valeat vero animo, & non meticuloso iterum Antonius contrahere, id quod posset quidem facere, sed, ut dictum est, non obligatus.

14. Ad tertium; non esse opus relaxatione, quia ubi nullum est vinculum, nulla est necessaria relaxatio. Ita Tanc. *ibid. d. 21. à n. 1.*

Quæ dicta sunt de matrimonio, dic de sponsalibus, quæ perfectè voluntaria etiam esse debent.

Illud nota, si vel matrimonium, vel sponsalia sint contracta ex simili metu, sed levi, cùm in nostra sententia *supra, lib. 8. c. 2. §. 6. n. 11. & §. 7. n. 3.* sint valida, juramentum illis additum validum erit. Puto tamen probabile esse ejusmodi juramentum in sponsalibus contractis ex metu levi posse ab Episcopo in foro interno relaxari (nam in externo non conceditur, ut *ibidem* dixi) ipse enim metus, licet levis sufficientem causam dat relaxationi. At in matrimonio de præsenti contracto ex simili metu levi non potest; quia matrimonium est contractus naturâ suâ irrescindibilis: quare posito, quòd in nostra sententia ipsum est validum, erit etiam validum juramentum, atque adeò nec matrimonium dissolvi, nec juramentum illi adhærens relaxari poterit.

*Iuramentum de non accusando, vel de accusando.*

15. Iuramentum de non accusando in universum irritum est, sic suár *lib. 2. de juram. cap. 17. à n. 14.* Sanch. *lib. 3. in Dec. cap. 21. n. 12.* quia est de re [illegible] aliquando expediat bono communi accusare. Dices, at aliquando non expedit, ergo pro hac parte, quando expedit, validum erit. Respondeo, nego consequentiam: cùm enim hoc juramentum fuerit per modum unius includens omnes casus, ut supponitur, inhonestum est, quia malum ex quocunque defectu, atque adeò totum corruit, etiam quoad illam partem fortè honestam. Quòd si loquamur de juramento, quod fiat de non accusando aliquo determinatè, vel de non accusando in tali materia, &c. valebit, vel non valebit, perinde ac poterit, vel non poterit servari sine peccato, modo nimis sæpe dicto.

16. Pari ratione juramentum de accusando in universum invalidum erit, ita Castr. *disp. 2. de juram. part. 7. §. 3 num. 2.* Basil. Pont. *lib. 12. de matr. cap. 8. num. 29.* quia id contra charitatem, & sæpe contra prudentiam est. Quòd si juramentum sit de accusando aliquo particulari, est distinguendum; Si enim sit ante commissum delictum, poteri esse validum, quando accusare bonum esse præ videretur, ut si prævideretur non sufficere meram denuntiationem, sed necessariam esse accusationem, ob bonum commune. vel bonum tertij. Si verò juramentum de accusando fiat post commissum delictum, aliquando item erit validum, quando accusatio affert bonum communitati, vel tertiò, vel emendationem rei. Non erit validum, quando accusatio est, propter aliquam circumstantiam malam, vel ex odio, seu vindicta; nam tunc materia est incapax obligationis juramenti, ut *supra* docuimus.

Illud video juramentum de accusando, rarò obligare. Ita Sanch. *lib. 1. in Dec. cap. 9. n. 17.* Castro Pal. *&c. 2 esf. lib. 2. cap. 42. d. 4.* in simili; nam si fiat ad vindictam non obligat, imò peccatur mortaliter sic jurando, nisi vindicta sit levis, ut accidit in pueris jurantibus se accusaturos sodales magistro, vel pædagogo, si fiat ob bonum, certè vel non solet esse verum juramentum, cùm sit solùm comminatorium, ut consueverunt matres jurare contra filios, vel facilè mutatæ inveniuntur circumstatiæ v.g. reus est emendatus, vel omissio accusationis est majus bonum, siquidem rixæ vitabuntur, &c.

Iuramen

*Iuramentum malum ex fine malo: ubi de Iuramento nimis prodigo.*

17. Paterfamilias juravit se daturum mille aureos, impudicæ puellæ, obligabitúrne illos ex vi juramenti dare? Duo hîc inquiruntur. Primò, an obliget hoc juramentum, quòd certè pravum est, ratione mali finis, ob quem conceptum fuit. Secundò, an obliget ex eo quod hæc promissio sit nimis prodiga, atque, ut suppono, saltem venialiter mala. Et quidem adverto, certum esse hanc promissionem ante patratum crimen esse sub mortali rescindendam, nec ullo modo obligare; quia continuare promissionem mortaliter pravam, illamque firmam juramento velle, est in peccato habituali commorari. At patrato jam scelere.

18. Respondeo ad primum; valere juramentum, atque obligare. Sic. Sanch. *lib. 3. dec. cap. 9. num. 28.* Bonac. *tom. 4. disp. 4. de juram. quæst. 1. p. 4. num. 5.* quia licèt actus fuerit turpis, juramentúmque illicitum in se; tamen materia ipsa, id est donatio, ex nullo capite illiciti supponitur. Non sic, si quis juraverit dare aliquid simoniacè: non obligaretur enim illud dare, quia omnis donatio simoniaca prohibita est in jure Canonico, ut explicatiùs *in tractatu de Simonia* dicetur.

19. Respondeo ad secundum: probabile esse valere dumtaxat, & obligare juramentum prædictum quoad partem, quâ promissio prodiga non est: non valere, quoad excessum. Sic Sotus, Banes, Arag. Suar. citati à Sanchez *ibid. n.* 27. Ratio est, quia, quoad excessum aliqua est culpa, nempè, ut supponimus, saltem venialis: quoad aliquam partem, nulla: Iuramentum autem alteri factū servari debere quando, & [illegible] potest sine ullo peccato, satis dictum in superioribus est,

20. Dixi (esse probabile) nam etiam judico probabile esse ejusmodi donationem, seu juramentum quoad omnes partes, esse nulla. Lege Tanc. *lib. 9. de matrimon. disp. 25. & 1. tom. de Relig. lib. 2. de jur. disp. 8. n. 34.* Ratio est, quia promissio videtur facta (nisi aliud expresè intētum fuerit, ut si jurans habuisse animum donandi ea, quæ sine prodigalitate potuisset:) videtur inquam, promissio per modum unius, & indivisibiliter facta de toto millenario aureorum: cùm ergo tota materia si inhonesta, quia totum inficitur à quacumque parte totum juramentum quoad omnes partes corruat, necesse est. Sanchez *ibid.* docet esse etiam probabile: valere quoad integram promissionem, quia esto saltem venialiter peccaverit prodigè promittens: at in executione non apparet culpa, imò adest justitia, nempè solutio debiti jam contracti. Sed non acquiesco, quia posita prodigalitate materiæ, nunquam ejusmodi debitum fuit à juramento, quod non est vinculum iniquitatis, confirmatum.

Si verè tunc post promissionem culpabilem donatio non esset prodiga, certè adesset obligatio ad donandum: quoad dictam conditionatam solam potest evincere de Lugo *tom. de Just. d. 18. sect. 2. à n. 60.* qui nobis contrarius videtur; vide eundem *tom. 2. d. 23. sect. 8. n. 113.* At re ipsa in casibus, de quibus loquimur, Donatio, quæ exhibetur ex vi promissionis prodigæ, prodiga est, & sine vocatur solutio promissionis factæ) quia refertur ad materiam prodigam, cùm sit perseverantia in prodigalitate promissa; & quia donans exequetur id, quod prodigum est, atque adeò saltem venialiter malum. Fac me tibi cum juramento promisisse projicere in puteum mille aureos, nónne tum promissio, tum promissionis executio est prodiga? Ita sanè, nec enim fidelitas promissionis extrahit projectionē à sua malitia intrinseca prodigalitatis, ergo fidelitatis hæc honesta non est, nec observanda; ita in casu nostro: idem enim est projicere in puteum aureos illos, ac projicere eosdem in tuum sinum, quod utrumque prodigum esse supponimus.

Exemplum quod ex Cajetano approbat Sanchez *dict. lib. 3. in Dec. c. 9 nu. 27.* quod scilicet solutio promissionis pretij factæ Meretrici, sit absque ulla culpa, licèt fuerit culpa ipsa promissio, non est contra nos, quia solutio justi pretij est debita ex justitia, post actum illum quamvis turpem, aut alibi à nobis fusè dicetur; nec ullo modo supponitur ex alio capite peccaminosa: at Donatio, de qua nos loquimur, est, ut, diximus, prodiga, & saltem peccatum veniale.

*Iuramentum errore, vel dolo extortum.*

21. Quando per errorem, vel dolum in substantia dantem causam contractui, aliquid cum juramento promisisti, ad nihil obligaris. Ratio est, quia tunc abfuit consensus. Si quis enim deceptus, quod hæc sit gemma, cùm sit vitrum, illam, etiam cum juramento, emit, non consentit in emptionem hanc, quæ est vitri, nec illam emat. Nota. In metu adest consensus, licèt meticulosus, hic non adest: non igitur mirum, si ibi obligat juramentum ad momentaneam illam solutionem, hîc ad nullam.

22. Dixi autem (per dolum in substantia) nam si dolus, vel error versetur circa accidentia, licèt deceptus semper habeat jus ad sui damni, si quod patitur, compensationem; tamen non infirmatur juramenti obligatio, sed relaxatione opus est, quia tunc jam adest consensus quoad rem substantialem. Ita Layman. *lib. 4. tract. 3. c. 2. num. 5.* Suar. Molin Sanch. ab eodem citati, & passim.

23. Adverto non solùm quando dolus, seu error est in accidentibus talibus, ut ex se redundet in ipsam substantiam, nullus est contractus, sed etiam quando similis error, vel dolus in accidentibus dat totam causam contractui quando scilicet contrahens expresè ideo contrahit, quia illam qualitatem vult. Ita Oñate *t. 1. de contractibus, tr. 1. disp. 3. sect. 8. à n. 154.* quidquid dicant de Lugo *t. 2. de Justitia, disp. 22.* Molina *de contract lib. d. 139.* qui sine distinctione loquuntur de metu, dolo. Ratio est, quia tunc qualitas illa est tota ratio consensus; ergo, si illa non adest, nec consensus advertit, atque adeò nec contractus, nec obligatio. Vt si cui volenti vinum vetus expresè emere, tu portigas novum, nulla erit emptio, si quidem nunc voluntas ementis est velut sub conditione, hoc modo. *Volo (nec solùm vellem) emere vinum, si talem qualitatem habet, secus absolutè nolo emere.* Id quod puto habere locum tum in errore, seu dolo antecedente, ut loquuntur, id est, sine quo contractus non fieret, tum etiam in concomitanti, id est; quo errore, vel dolo posito, fieret, sed tamen non, sit, contractus: jam enim utrobique non adest consensus contractui essentialis.

24. Hinc infert Fagundez *de contract lib. 5. cap. 42. num. 11.* si juraſti puellæ tecum fornicanti nuptias, putans illam virginem, vel juraſti emere, seu locare domum, quam à dæmonibus deinde vexatam invenis, vel juraſti vendere fundum tali pretio, quo te graviter læsum deinde invenis, vel renuntiaſti hæreditati contentus dote, quam deinde multò minorem invenis, quàm erat hæreditas, inquam Fagundez ex Lessio *lib. 2. c. 42. dub. 9. n. 35.* te ad ſtandum contractui, vel juramento, non obligari, quia scilicet in his omnibus, vel ratione doli, vel ratione erroris ex modo quo solent communiter fieri ſimiles promiſſiones contractus, tu verè non conſenſiſti.

25. Dices, ergò in matrimonio ſi quis accipit conjugem, quam credit nobilem, divitem, virginem, & talem deinde non invenit, nulliter contrahit; quod eſt contra omnes Doctores, apud Sanchez *de matr. lib. 7. diſput. 18. num. 11. & 25.* qui docent errorem in perſona invaliditate matrimonium, non vero in ſola qualitate. Reſpondeo cum Oñate *de contract. t. 1. tr. 1. diſput. 3. ſect. 6. n. 132.* Sanch. *de matr. lib. 7, diſp. 18. n. 21.* ſi expreſsè cum prædicta conditione quis contrahit, certè nulliter contrahit, abſente conditione, etiam quoad qualitatem, irritúmque faciet jure naturæ matrimonium: ut ſi ſic dicat: *ego conſentio in Bertam, ſi eſt virgo*, tamen ipſa eſſe virgo non inuenitur. Ratio eſt, quia tunc verè deeſt conſenſus, qui

qui est de essentia matrimonij. Idémque est in voto, & iuramento propter eandem rationem.

26. Dixi (expressè, nam cæterùm tunc in quocunque contractu, voto, juramento ex Castro Pal. *tom.* 3. *d.* 2. *de jur. p.* 5. *num.* 11. tum multò magis in matrimonio, professione Religiosa, quæ matrimonio, propter perpetuitatem æquiparatur, nisi expressè sub conditione circa qualitatem contrahas, semper validè contrahes, quia ex modo, quo consensus dari solet, & ex communiter contingentibus, præsumitur, quòd nisi conditionem de qualitatibus accidentariis expresso animo ponas, absolutè consentias, atque adeò validè. Simile quid evenire solet in Episcopo ordinante, qui quamvis aliàs noluit, imò prohibeat excommunicatum; verbi gratia, ordinandi, tamen quando actu ordinat, illum non excludit, sed absolutè, unde & validè, ordinat: simili igitur modo in casu nostro. Nam licèt fortasse, si scires illam qualitatem, non contraheres, nihilominus, quia actu contrahis habet is contractus in substantia omnia requisita ad validitatem, ac propterea non poterit dici invalidus esse ob ignorantiam qualitatis. Huc spectavit fortasse Molina cum apud Bonacinam *tom.* 2. *in* 2. *præcept. Dec. disc.* 4. *p.* 3. §. *num.* 9. dixit ideò matrimonium, & professionem in erroribus quoad qualitatem non irritari, quia, qui statum aliquem perpetuum assumit, censetur velle illum assumere, etiamsi res aliter, quoad accidentia, sit ac judicat, modò constet, quoad substantialia.

27. Hinc vides discrimen: error in personna, vel in personnam redundans, uti etiam error in Religione, vel in Religionis substantialia redundans, semper irritat contractu, seu votum, quia tunc deest consensus in substantialia: quare contrahas cum Berta, quam deinde invenis servituti mancipatam, eo ipso irritum est matrimonium: si ingrediaris Religionem, hanc putans S. Francisci, sed invenias deinde S. Dominici, eo ipso nulliter profiteris, &c. at in qualitate (nisi in casu expressionis modo dicto) non irritat, quia jam adest consensus in ipsum objectum, & in omnia substantialia: semper tamen, ut modò dictum est, remanet jus in decepto ad compensationem si ea potest dari, Vide de his, quæ *infrà* dicam, cùm de voto errore, & dolo.

*Iuramenta aliqua de rebus indifferentibus.*

28. Iuramentum Deo factum non scribendi, non suendi, non navigandi, non laborandi aliquo die, non exercendi mercaturam, vel talem artem, non comedendi hæc, vel alia, donec maritus, v. g. domum veniat, & similia, si emittantur ob fines temporales, ob malum eventum habitum talis negotij, ob mœstitiam de marito absente, ob vindictam, ob avaritiam, &c. non obligabunt: sic Suar. *lib.* 2. *de juram. cap.* 17. *à num.* 3. *ad* 7. quia ha[illegible] ut vidimus *supra, c.* 3. §. 2. sunt vota, quæ etiam jurata de rebus indifferentibus Deus non acceptat. At si ex circumstantiis colligantur fuisse emissa propter bonum finem, v. g. ut melius deo vacetur, ut ab ea exercitatione non impellatur quis ad peccatum, ut ea abstinentia rectius mariti impetretur à Deo, obligabunt sanè, quia sunt de re bona. Moneo item semper esse observanda quandò emittuntur in commodum, seu utilitatem alioum, quia tunc est juramentum factum homini, quod, ut diximus, *supra. c.* 3. §. 3. *num.* præsertim 12. obligat, modo *ibid.* explicato ac si esset promissio acceptata.

*Iuramentum de redeundo in carcerem.*

29. Iurat quis se rediturum in carcerem, an teneatur redire? communis, & vera Doctorum responsio est obligari, etiam cum vitæ vel gravissimo periculo, si redimus ex aliquo capite habeat rationem virtutis, ut si carcer sit justus, & mors justè inferenda, si eo non redeunte injustè vexandus sit custos, si redire faciat ad bonum publicum, vel ad avertendum scandalum contra Religionem Christianam. Ratio est, quia tunc juramentum est de re virtuosa, atque adeò servandum. Imò iidem Doctores dubitant, an hoc juramentum possit ab Episcopo relaxari, quòs, si est otium, vide.

30. Sed quid, si carcer sit injustus? negat obligari Vasquez, Basil. Pont. Navar. Covar. aliíque citati à Castro Pal. *tom.* 4. *tr.* 14. *disp.* 2. *p.* 4. *num.* 14. quia opus est meritatis, se sine necessitate morti offerre: ergo & juramentum de ea re temerarium erit, & non obligatorium; nam propterea aliqui, ut Covarr. Gutier. aliique apud Tanc. *t.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de juram. quares* 2. *num.* 21. addunt peccare, si redeat.

31. Affirmant Suarez, Sanch. Less. Bonac. aliique apud eundem Castro Pal. *ibid. num.* 15. obligari, quia esto se offerre morti sine causa sit temeratium: at se offerre morti post juramentum, est cum maxima causa, atque adeò non temerarium; nempè ut fidelitatis, & veracitas juramenti servetur; ergo, &c. Confirmat id ex Layman. *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 7. *n.* 3. *fine*, quia licet Princeps peccet promittendo cum juramento sine urgentissima causa Hebræis libertatem suorum rituum, tamen supposito, quòd juraverit, obligatur juramentum servare; ne cum damno commercij humani fides rumpatur. Sententia prior est probabilior, hæc posterior sit saltem, propter authoritatem extrinsecam, probabilis.

32. Notat autem Suarius in sua sententia hoc posterius juramentum, quando scilicet carcer est injustus, (nisi aliud bonum publicum exposcat (posse ab Episcopo relaxari; ipsum enim jus vitæ dat causam relaxandi.

De illo priori, quando scilicet est de re vitiosa, dubitant Doctores, citati, quos, si est otium, vide.

33. Illud denique libens addo, si pro reditu mutatæ sint circumstantiæ, quia non prævidit quis mortem, vel alia gravia pericula, quando juravit, quæ prævidet in reditu, non teneri juramento. Sic Tanered. *ibid. à num.* 18. Ratio est *superius* dicta quia mutatæ tunc essent circumstantiæ. Imò aliqui concedunt, etiamsi prævidisset mortem, cùm juravit, posse non redire ex eo capite, quia vix potest accidere, ut, qui jurat redire, concipiat periculum mortis eo horrore, quo concipit, quando redit, quare jam ratione ipsius mutantur notabiliter circumstantiæ.

*Iuramentum volentis compensatione uti.*

34. Quidam perfamiliaris meus (vocetur hic ficto nomine Ioannes) generosum equum vendidit creditâ pecuniâ centum aureorum Consobrino suo, quam exigere sola petitione nequaquam valuit, atque ob sanguinis conjunctionem cogere per Iudicem nunquam voluit. Quid tandem remedij? Sors, sive occasio, quæ se obtulit, filiæ nuptias celebrandi, modum, prudentémne, an fraudulentum ignoro, Ioanni aperuit. Adit consobrinum, mutuóque petit in ea necessitate aureos centum, jurans se infra mensem esse redditurum. Consobrinus juramenti Ioannis hominis religiosissimi obligatione contentus, mutuum concedit, nulla utrinque mentione facta debiti ex equi venditione contracti. Elapso mense, imò mensibus aliquot exactis, nulla apparente solutione, Ioannem Consobrinus interpellat, monendo de debito. Is compensatione se uti velle cum iis aureis centum, quos alter ex equo debebat, disertis verbis exposuit. Clamare creditor, juramenti religionem obtrudere, hominis alioqui omnibus virtutibus præditi fidem implorare. Contrà, Ioannes nihil se debere, juramentum juri compensationis nequaquam officere, de oblata occasione nuptiarum Deo se gratias agere immortales, respondebat. Itaque dum alter compensationem, alter juramentum urgeret, ad me delata res est quid iuri, quid rectæ rationi consonum magis esset, dijudicaturum?

35. Censui locùm esse compensationi, nec familiari meo emissi juramenti Religionem obstare. Absit autem, ut me familiaritatis affectus in transversum egerit, siquidem una veritatis vis, Iurisperitorum (sic Bartolus

*l. Amplius, ff. rem ratam habere.* Panor. *c. Ad nostram 1. de jurejur.* Baldus Cumanus, Faber, quos citat, sequitúrque Covar. *de pactis. p. 1. §. 4. n. 8. & 10.* Theologorum (ita Sanch. *lib. 3. & in Dec. c. 17. num. 15.* Molina *de just. tr. 2. disp. 560.* Suar. *t. 2. de Rel. l. 2. c. 37. à n. 9.* Sa, *v. Iuram. num. 20.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 8. quæst. 10.* Bonac. *d. 4. de juram. q. 1. p. 16. n. 2.* aliis cit.) authoritate comprobatæ, ad sic decidendum, animum meum non movit modò, sed compulit. Ratio potissima (nam cæteras, ut etiam aliquarum objectionum solutiones, vide apud Doctores laudatos,) illa fuit, quam adduxit rectè Bartolus quia non est censendus periturus, qui justè impeditur à promissis implendis, ut probatur à jure *l. fin. qui satisdare coganter*, & nos item insinuavimus in superioribus: at justè impedior solvere centum tibi, à quo centum mihi debentur. Quæ enim per fidem tuam æquitas postulat, ut te non solvente debitum mihi ego ad tuum debitum solvendum impellar?

36. Et quamvis aliqui, ut Gutt. *3. p. de juram. c. 6. n. 8.* id quod docemus solùm concedant, quando debitum contrahitur post juramenti obligationem, ut si consobrinus prædictus illa centum ex equi emptione incepisset debere Ioanni post mutuum ob filiæ nuptias concessum, non verò anteà, tamen dicta ratio utrobique semper urget: neque enim, quando Ioannes juravit se redditurum mutuum Consobrino, intentionem habuit renuntiandi juri compensationis, quo gaudebat, ut perperam putant adversarij: sed potiùs judicandum est eo animo jurasse Ioannem, quo sibi commodius esset, nempè se soluturum intra mensem per legitimam quamcunque solutionem, qualis est compensatio.

37. Hac prolata sententia ad me iterum, ut erat tenerrimæ conscientiæ scrupulis exagitatus Ioannes clanculum, venit asserens se quando mutuum, Consobrino petiit, intentionem habuisse, si is non urgeret, compensatione utendi: si instaret, atque hoc modo se multùm offendi ostenderet, animum habuisse omnino solvendi. A me ergo exquirebat, an illo perurgente, ipse vi justitiæ ad mutuum solvendum obstringeretur: nam cæterùm solas consanguinei injustas quærimonias non magni se nunc facere profitebatur.

Dixi, non obstringi, nihil enim sibi nocuit per illam intentionem mente retentam. Ita Sanch. *lib. 3. in Dec. c. 17. num. 16.* quidquid contradicat Bonac. *tom. 2. d. 4. de jurp. 16. vers. addit.* Sanè si hanc voluntatem Consobrino Ioannes aperuisset, isque acceptasset, quia tunc cum juramento compensationis juris renuntiasset, à renuntiatione resilire non posset, & sic sibi utique nocuisset. Nunc verò, quia id mente opertum retinuit, suæ justæ indemnitati nihil nocuit: deficiente enim acceptatione, juramentum in utilitatem hominis solius factum, nihil obligat, ut nos diximus *suprà*, §. 3. *num.* 12. & meritò docet Sanch. *de matr. lib. 1. d. 7. num. 24.* ex eo potissimùm capite, quia juramentum sortitur naturam primordialem, & conditionem actus, super quo interponitur: ed promissio alteri facta habet ex sui natura tacitam conditionem, *si acceptetur*. Ergo & juramentum promissioni addictum.

38. Si hæc ita se habent, quid dicendum de sequenti casu? Petrus vel usurario ex mutuo, vel latroni ex delictu promisit cum juramento dare centum, potéstne Petrus compensare, cum illis centum, quæ reddere debebit usurarius, vel latro, casu quo petrus observet juramentum momentanea solutione? atque adeo potéstne ex nunc non solvere Respondeo non posse, ratio est clara, quia compensationis natura requirit, ut fiat compensatio cum illa re, quæ tibi à debitore debetur: at antequam observes tu juramentum, solvásque, Vsurarius, vel latro nihil tibi debet: ergo, &c.

*Iuramentum factum contra leges.*

39. Quoniam juramentum de re contra leges civiles aliquando obligare, aliquando non item, docent Doctores, inquirimus modum id dignoscendi. Dico (contra leges civiles) nam contra leges Ecclesiasticas certum est non obligare. Vt si quis juraret se matrimonium initurum sine cæremoniis (quamvis accidentariis) Ecclesiæ. Ratio est, quia, lege Ecclesiasticæ, vel sub veniali saltem constringunt, vel certè ita pertinent ad bonum commune, bonúmve animæ, quales etiam esse solent nonnullæ Constitutiones Religionúm ad nullam culpam obligantes, ut contra illas juramentum non valeat. Sic Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 2. de jur. c. 20. n. 1.* loquendo igitur de legibus civilibus.

40. Respondet Sanch. *lib. 3. in Dec. cap. 9. num. 19.* afferendo hanc regulam: Quando lex principaliter est lata circa bonum publicum, quod cognoscitur ex eo signo, quòd verba legis dirigantur ad omnes universaliter: tunc contra ipsam non obligare juramentum, cùm tunc sit saltem veniale contra illam operari. Quando verò lex seu verba legis diriguntur ad personas particulares, obligare; quia tunc præsumitur lex ferri principaliter, propter bonum privatorum, atque adeo non cum tanto rigore peccati. Hinc, si quis Minor init cum aliquo contractum, si quis renuntiat futuræ successioni, si quis alienat fundum dotalem, atque hæc cum juramento: non peccat, quia leges hæc prohibentes sunt directæ principaliter ad bonum privatorum, atque adeò juramenta dicta obligant. Contrà, si quis jure se asportaturum arma, frumentum, vinum, &c. extra territorium contra legem id fortè prohibentem; peccat juxta damnum, quod facit communitati; quia ejusmodi lex respicit principaliter bonum publicum, cùm sit directa ad omnes universaliter, atque adeò juramentum contra ejusmodi legem, obligationem inducere non poterit. Hactenus ex Sanchez.

41. Huic doctrinæ non acquiescit Castro Pal. *t. 3. tr. de jur. d. 2. p. 8. n. 6.* potissimùm ex eo, quia Reipublicæ maximi interest, ut illæ leges directæ ad bonum privatum serventur; quare omnes eæ videntur verè, sive directè, sive indirectè ad bonum publicum pertinere: perinde enim bono publico in veritate servitur, si merces extra non asportentur, utque si non remaneant puellæ indotatæ, Minores non depauperentur, filij hæreditate non careant. Regulam ergo sequentem, quam fusè Castro Pal. ponit, sic breviter nos proponamus, & quia expedita ad praxim est, amplectamur.

42. Vel leges sunt prohibentes, jubentésve aliquid, vel sunt solùm permittentes. Si juretur contra priores, non valet, nec est obligatorium juramentum: sic Onate *t. 1. de contr. tr. 4. d. 11. sect. 2. n. 49.* quia sic etiamsi aliunde ne venialiter quidem peccaretur, fieret contra bonum publicum, dum non servarentur leges superiorum; unde oriri non potest obligatio ulla, nec ratione puræ assertionis, nec alio modo; quia eo ipso, quòd juramentum est de re contra leges prædictas, est de re sive mala, sive quæ à Deo non acceptatur ob bonum publicum, & animarum: At si jures contra posteriores, valet juramentum, quia non est unde illud sit malum: non quidem ex se, ut supponimus; nec ex lege, quia jam ipsa solùm est permissiva: ergo, &c. Exemplo res fiet dilucida, prohibet lex, ne fundus dotalis à muliere alienetur: si qua igitur juret se sine debita solemnitate alienaturam, contra legem prohibentem, jurat de re contra bonum publicum, & consequenter juramentum est inutile, & non obligatorium. Verùm, quia eadem lex permittit, ut si quæ fundum dotalem de facto alienavit, non obligetur illud repetere, alienationémque rescindere, quia nullibi invenitur lex ejusmodi repetitionem præcipiens: ideo si juret se non repetituram, validum emittet juramentum, atque obligabitur non repetere; quia non repetendo, contra nullam legem operatur.

45. Ex hac regula fit, ut si minor juret sine authoritate Prætoris contractum aliquem; si ludens juret se daturum id, quod amittit pecuniâ creditâ, ubi lex ex est, ne sic ludatur; si quis juret se conditum testamentum sine solemnitate (tametsi leges hæc disponant non sub aliqua culpa, sed sola politica gubernatione ad bonum publicum

publicum (sit, inquam, ut ij non obligentur ad ejusmodi iuramenta custodienda. Sed 5. Minor contractum dictum sine judice instituit, si ludens pecuniam jam solvit, si ille testamentum sine solemnitate condidit, & deinde idem jurent hæc se non esse rescissuros; obligabuntur iuramenta servare: & Ratio utriusque est jam dicta, quia ubi est resistentia juris, hîc adest permissio; idem enim jus, quod tibi prohibet, ne à te illi actus celebrentur, permitti celebratos non rescindi, si ita tibi libuerit. Multò magis Clericus renuntians cum juramento fori privilegio, vel fidejus jurans se non denuntiaturum hæreticum sacro Tribunali, vel alicui ex metu jurans futurum matrimonium, seu sponsalia; non obligantur ad prædicta servanda, nec relaxatione indigent, quia hæc clarè sunt, vel contra leges Ecclesiasticas, vel contra leges statuentes illa ex bono publico. Lege Basil. Pont. *lib. 13 de matr. c. 8. n. 57. 75. & 76.*

44. Quod si juramentum, de solvendis usuris mutuatio, vel de danda pecunia latroni per metum eam extorquenti, ut diximus *supra*, obligat, ideo est, quia hæc permittit lex, licèt enim leges contradicant usurario, latroni, ne injustas hic usura, & ne exortam ille pecuniam recipiat: non tamen contradicunt, sed permittunt solvi usuras, & pecuniam à mutuante, vel promittente. Eodémque modo præsumeretur ludenti pecuniâ credità permittere illam solvere, si non solvendo gravis infamiæ notam ludens contraheret; si quidem leges contra subditorum necessitates, honorémque (si aliud non requirat majus aliquod bonum publicum) non judicantur agere, quare in iis circumstantiis valeret ex tali fine juramentum; quia tunc juraretur id, quod est honestum conducens ad proprium jurantis charitatem, lege non contradicente.

45. Denique, si accidat fieri juramentum contra prædictas leges, quo confirmetur prius juramentum, eum vigorem habebit hoc posterius juramentum, quem prius: quare si prius nullum, est nullum est & posterius. Iurasti, verbi grati, alienare omnia bona in eo casu, quo nulla est alienatio, deinde alienationem jam factam alteto addito juramento confirmasti; assero neutrum juramentum obligationem parere. Ratio est, quia, quod nullum est, & inutile, confirmari nequit. Non ita, si jures te non repetere velle id, quod renuntiatarius per talem tuam alienationem fortè acquisivit, & possidet: valet enim hoc juramentum, cùm recurrat regula jam data, quod scilicet à jure non præcipiatur repetitio, sed permittatur.

46. Dices: Aliqui saltem ex his contractibus contra legem factis, qui ex se obligatorij in vim justitiæ non essent, tales fiunt, si addatur juramentum, quando proprio vocabulo dicuntur ejusmodi contractus confirmari juramento: ergo insufficiens est data doctrina. Respondeo nego tales fieri, ut *mox* §. 6. explicabimus nostra sententia.

47. Duo hic denique noto, Primo quia diversæ sunt opiniones, an dicta juramenta contra leges, imò & similia sint eo ipso irrita, ex eísque nascatur obligatio saltem ex vi Religionis; ideo semper esse tutum petere dispensationem. Et fortasse invenies aliquos textus apud Laym. *lib. 4. tom. 3. cap. 6. juncto cap. 8.* afferentem multa juramenta obligatoria, quæ talia non videntur, in quibus dicitur, oportere aliquorum juramentorum relaxationem petere, quæ non apparent ex se esse obligatoria, & tamen judicantur, vel ob maiorem conscientiæ securitatem, vel quia in iis textibus Pontifex loquitur juxta opinionem asserentium enasci prædictam obligationem. Causa autem dispensandi satis erit, ne homines ultra necessarios usus contra leges dispo-ant. Ita Castr. *disp. 1. de juram. p. 9. §. 1 n. 4. v. è contra.*

48. Secundò, non rarò leges aliquid prohibent, quia præsumunt fraudem, dolum, injuriam: quæ leges, si absit dicta præsumptio, non obligant in conscientia, ex nobilium Doctorum opinione. Lege Cabbedum 1. *part. dec. 138. n. 3. ex lege ult. C. de pactis*, & Gloss. *v. Eventus*



Noto igitur, tunc juramentum contra has leges in foro conscientiæ valere, (si alias res illicita non est, & fraus dolus vel injuria verè absint.) Patet, quia tunc juramentum non est verè contra leges. Habe exemplum. Nepotes, verbi gratia, pactum ineunt inter se cum juramento, ut vivente Avo dividat hoc, vel illo modo hæreditatem. Hoc pactum etiam juratum, nullum est ex legibus, ne scilicet detur ansa captandæ mortis Avo. Lege Tiraq. *loc. cit. v. Vnquam in præfat. à num. 135.* Si tamen nullus subsit, ne à longè quidem ejusmodi timor, sive propter virtutem nepotum, sive propter senectutem morti proximam Avi, vel quid simile; assero hoc pactum in conscientia valere, item juramentum, atque obligatorium esse: quia verè contra legem, seu ejus prohibitionem in conscientia tunc non oritur. Certè Advocatus non potest esse Iudex causæ, cujus fuit Patronus; Idem non potest pacisci cum cliente, de causa litis; Hæres non conficiens inventarium tenetur solvere legata, & æs alienum vires hæreditatis excedentia; & tamen hæc solùm sunt secundùm forum externum præsumens fraudes: at iis cessantibus, has leges nihil urgere in conscientia, non ignobiles Doctores affirmant. Ita Cord. apud Dianam *part. 3. tract. 5 resol. 56.* Val. *in different. utriusque fori, v. Hæreditas, differ. 2. num. 3.* aliique.

### *Iuramenta non vendendi minoris, & non emendi pluris.*

49. Hæc certè non obligant, quia regulariter nec cedunt in honorem Dei, nec in proximi utilitatem. Quòd si in emolumentum proprium jurantis aliquando cadunt, jam ipse potest sibi remittere. Sic Castro Pal. *t. 3. tract. 14. d. 2. punct. 7. §. 2. num. 4. fine.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. de jur. q. 1. part. 4. num. 3.* Addidi (regulariter) in enim in aliqua occasione moveris ad sic jurandum propter bonũ tertij, ne, v. g. merces pro filiis decrescant, vel quid simile; certè, si adhuc acceptatio, ut patet ex dictis, obligaberis.

### *Iuramenta Medicorum. Rectorum Civitatum, Allumnorum Collegij.*

50. Quoniam Regula fuit universalis, juramenta de servanda aliqua lege, vel statuto etiam individuo, &c. esse intelligendum, fuisse emissum sub ea conditione, quam, secluso juramento, habet statutum sive ex se, sive ex consuetudine: ideo idem dicendum est de juramentis præfatis in hoc titulo. Ita Suar. *tom. 4. in 3. p. 35. sect. 3. n. 4. & 6.* Sanch. *lib. 5. in Dec. c. 16. n. 10.* Nunus, & Homob. apud Dianam *p. 3 tract. 4. resol. 3.*

51. Hinc satis est ex Sanch. *ib.* ut Medicus sive per se sive per alios, imminente periculo, moneat infirmum de Confessione, nec tenetur testimoniũ exhibitæ Confessionis scriptum petere, ut possit ad curandum ægrum redire quamvis id, aliáque juraverit observare, ex præscripto Pij V. *Super gregem*, 1566. 8. *Maij.* Ratio est jam dicta quia ejusmodi Pij non videtur aliter recepta, quare non obligat, nisi ubi usu recepta cum toto suo rigore esset.

52. Hinc Rectores Civitatum, Iudices, similèsque Officiales, cùm jurant observare multa eorum statuta, ea ex vi juramenti dumtaxat custodire tenentur, quæ sunt in usu, consuetudinéque recepta.

53. Hinc Setibæ Procuratores, aliíque jurantes taxam præscriptam se servaturos, eam debent, & possunt pro sua impensa opera mercedem recipere, quam legitima consuetudo introducit: at certè consuetudinem non dum fore introductam puto, quandiu clanculum plus accipitur, & Princeps, cùm id noscit, punit. Ita Castro Pal. *tom. 3. d. 2. de jur. p. 7. §. 5. n. 4.*

54. Hinc alumni jurantes statuta Collegij servare, ea obstringuntur ex vi juramenti custodire, quæ aliàs firma sunt, & servari solent Sic Salas *de leg. d. 15. sect. 1.* Bon. *t. 2. d. 4. q. de jur. p. 16. n. 6.* Et quidem si ex se sunt levia, vel ut levia existimata, sub levi obligatione; si ex se sunt gravia, vel reputata ut gravia, sub gravi: neque

enim ejusmodi juramenta aliquid addunt, sed solùm magis firmant obligationem, quæ alias aderat.

55. Alumni autem Seminariorum jurantes, ad patriam post absoluta studia se redituros, Vel Clericatum, professuros, poterunt, non obstante juramento, Religionem ingredi. Ita Bas. Pont. *lib. 12. de sponsalibus, c. 8. n. 5.* quia hic status, ut potè majoris perfectionis semper censetur exceptus: nisi ob aliquod majus bonum expresè renuntiaverint: ut per tres annos post absoluta studia ab Alumnis Collegij Anglicani, huic potestati Religionem ingrediendi renuntiari ob inopiam operariorum in Anglia laborantium, refert Pellizarius *t. 1. man. Reg. tr. 4. cap. 4. n. 44.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 6. num. 6.* sentit nunquam posse dictos alumnos Religionem ingredi, si ingressus sit in Religionem, in qua satisfieri juramento non possit; quia illud juramentum, seu votum factum fuit in utilitatem Ecclesiæ suæ patriæ. Sed certè, quia status Religiosus, ut dixi, probabiliter censetur semper exceptus, & ut addit Fag. *lib. 2. in Dec. cap. 16. n. 5.* quia commutatur juramentum in melius (quod ex dicendis cum *de voto*, omnibus est licitum) ideo nostra sententia est probabilior, favèntque ea, quæ dixi *suprà, §. 3. n. 13.*

56. Dubitabis. Quòd si qui juret statutum, quòd nunc propter aliquam rationem non obligat, obligabit postea? tenetúrque is postea servare? Respondè, distinguendum esse cum Sanch. ex parte, *lib. 3. in Dec. c. 14. n. 2.* & Fag. ex parte *lib. 2. in 2. præc. dec. cap. 24. num. 1.* Tanc. ex toto, *t. 1. de vel. lib. 2. d. 19. à n. 8.* Si nunc quando juras, statutum non est usu receptum, vel est legitimè abrogatum, & nullum, etiamsi ponas postea illud statutum redire non teneris: Ratio est, quia juramentum fuit de statuto, quod existebat, quando juraſti. Si ergo tunc nullum [illegible], & nullum fuit juramentum de ipso non poterit deinceps tractu temporis convalescere. At si statutum fuit dumtaxat suspensum propter aliquam causam, & deinde, cessante illa, revivisci, ut ita dicam, sanè teneris; siquidem juramentum fuit validum prolege valida: at jam dicta lex valida est, & solùm per accidens eo tempore, quo suspensa, fuit, observatione caruit: ergo, &c.

Evenit id sæpè in taxis, & pretiis rerum. Iuraſti, v. g. non vendere frumentum, nisi juxta pretium à Republica taxatum, accidit maxima penuria per duos menses, quando taxa minor antea facta suspenditur, sed post duos menses, cessante penuria, redit: sanè si tempore illorum duorum mensium juraſti taxatam Reipublicæ servare, quamvis non obligeris pro duobus his mensibus, postea tamen, redeunte taxa, redit & tua obligatio.

*Iuramentum non ludendi.*

57. Quandónam Iuramentum non ludendi obligat jurantem? Respondeo, Tribus regulis id definiri posse.

Prima Regula: Si juraſti absolutè non ludere, nil cogitando, an de ludendo immoderato, & periculoso dum taxat, an etiam de moderato intellexeris: non teneris te abstinere à moderato. Ratio est, quia secundùm juxta *l. quidquid adstringendæ, ff. de ver. obl.* debet interpretatio ita fieri, ut minùs, quoad fieri potest, obligatio inducatur. Lege Bon. *t. 2. d. 4. de jur. p. 1 6. n. 3.*

58. Secunda Regula: Si juraſti te non lusurum, mente comprehendendo tum immoderatum, tum moderatum ludum, neutro ludo tibi licet ludere. Ratio est, quia quamvis ludus moderatus pertineat ad virtutem Eutrapeliæ, ex S. Th. *2. 2. q. 168. art. 2. incorp.* unde ipsius abstinentia videatur non esse bona, & honesta, adeóque non esse juramenti materia: tamen quia perfectius est ob mortificationem eo privari, materia est juramenti, id patet in cæteris honestis recreationibus assumptis ex cibo, ex potu ex similibus, quorum abstinentia apta est materia voti, atque adeò juramenti.

59. Sed qui modus dignoscendi, num uterque ludes, non solus immoderatus comprehendatur à jurante. Dico cognosci id ex fine à quo movetur quis juravit, sic Castr. *t. 3. tract. 14. de jur. d. 2. p. 7. §. 1.* S. enim solùm intendit vitare jurgia, jacturam bonorum, malaque non absimilia, solùm immoderatum ludum excluſit: si verò voluit se à delectatione ludendi, à jactura temporis, &c. cohibere, etiam moderatum comprehendit.

60. Atque ex eodem fine parvitas materiæ in ludente contra juramentum expendenda item est. Si enim juravit quis abstinentiam à ludo, ne prodigè rem familiarem contereret: à modico, vel notabili damno, quod ex ludo juxta ejusdem statum patitur, levis, vel gravis culpa metienda est. Si verò, ne tempus consumeret, vel ne delectatione ludi afficeretur, juravit, à tempore notabili insumpto, puta plus quàm per duas horas, metiendum peccatum mortale est: ita idem *ibid. num. 6.* Fag. *lib. 2. de præc. dec. cap. 26. n. 4.* Quare in hoc casu, quamvis notabilem peccuniam brevi tempore ludo exponeres, non peccares mortaliter, quantum est vi juramenti: quia finis intentus notabiliter non læderetur.

61. Regula tertia. Si juramentum fuit sub aliqua limitatione, v. g. non ludendi cum hac persona, in tali loco tali genere ludi, &c. distinguendum est; si enim id fuit sine ullo honesto, sed sive ad vindictam contra colludentem, sive quia in eo loco male fortunatum se quis credit, &c. non obligat juramentum, quia est de re mala, vel certè fuit juramentum Deo soli factum de re indifferenti: ita Navarr. *cap. 12. num. 28.* Bonac. *tom. 2. d. 4. p. 4. num. 2.* Si verò id factum fuerit, quia cum hac personâ, vel in eo loco adest occasio peccandi, quæ non adest alibi; juramentum sanè constabit, quia de re fuit utili, & honesta.

62. Denique hîc duo adverte. Primò, juramentum tuum de non ludendo, non includere, de non ludendo per intermediam personam, nisi id expresè mente conceperis; quia tunc tu non ludis, sed alius, etiamsi tu præsens esses, esses, cùm pro te ludit, Castr. *ibid. §. 5.*

63. Secundò, Iuramentum de non ludendo, an includat promissionem de non ludendo nomine alieno; ex fine, qui te impulit ad jurandum, debere colligere: ita Castr. *ibid. n. 6.* Si enim rationem habuisti jacturæ temporis, vel discordiarum, dum domi serò redis, &c. includeret: Si verò jacturæ rei familiaris dumtaxat, non item. Ratio est, quia illa obstant, hæc autem fini juramenti non obstant. Quòd si finis fuit, ne in blasphemias erumperes, nevana, vel falsa juramenta effunderes, ne cum collusore rixas ageres, & similia: perpendendum est, an quando nomine alieno ludis, tuámque pecuniam non perdis, hæc solitus sis committere: si solitus, includit; secùs, probabile est non includere.

Si juraſti alicui, v. g. filijs, non ludere in ipsorum commodum, teneris juramento, si fuerit ab ipsis id acceptatum: sic Sanch. *lib. 3. in Dec. cap. 28. à n. 9. usque ad 17.* sed si non fuerit acceptatum, poterit non observari, eo modo, quo potest promissio soli homini facta, nondum acceptata, de qua dictum est *c. 3. §. 3. num. 22.*

64. De juramento non ludendi limitato, donec duret aliqua conditio, satis sit legere sequentem resolutionem.

Titius profecturus Romam recipit juramentum à filio ipsum aleis non lusurum, donec pater rediret. Verùm is morte oppressus Romæ, numquam redire potuit: quare quæsivit filius, an ludus ipsi concedi licitè posset? Numquam posse, respondet Bonacina, *t. 2. d. 4. de jur. q. 1. p. 16. n. 6.* quia numquam ponetur illa conditio reditus.

Sed profectò ita se res haberet, si verba ad litteram sumenda forent: sed quia juramentum, ut dictum est §. 4. est ex animo, & mente jurantis interpretandum, mihi videtur mentem filij non fuisse, nisi se à ludo continere per aliquod tempus, & quidem per illud, quo sub potestate est Patris absentis, & non in perpetuum; si enim illum quàdo juravit interrogasset, ita respondisset; ex rationabili igitur interpretatione dati juramenti, licitè, quantum est ex hoc capite, ludere posse puto. Fac filium jurasse se non du-

dectorum uxorem, vel se non iturum venatum; donec Pater Roma rediisset, vel se non iturum ad villam, immò se non exiturum domo, nisi Pater rediisset à foro, v.g. & morte subita correptus nunquam rediret: num filium ad talia observanda in perpetuum obligares? Minimè.

De absolutione juramenti non ludendi, quis eam concedere, & qua ratione concedenda, legè apud Sanch. *lib. 3. de Dec. c. 11. n. 10. & cap. 19. n. 4.*

*Iuramentum de non propalanda arte.*

65. Medicus quidam Empyricus secreti cujusdam medicamenti contra febres malignas conscius, cum juramento promisit suo Magistro illud secretum nulli communicare, nisi uni ex consanguineis ejusdem sui Magistri. Quæsivit Empyricus, an posset nihilominus aliis communicare,

Dixi esse legendum Fagundez *lib. 2. in dec. c. 13. n. 17.* & Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 2. de jur. c. 17. n. 11.* qui explicant S. Thomam asserentem absolutè posse, quia ea promissio, quamvis justa, est contra charitatem. Cæterùm id ita est communiter. Sed ego unum omnino, vel addendum, vel monendum puto. Nam si bono publico, seu etiam bono tertij ex febri fortè labescantis satis consulitur per alia medicamenta, vel per illum unum, qui secreti conscius, medicamentum satis pro infirmis, in casibus occurrentibus distribuat, (ut accidit hic Panormi in Hospitario Mortetij, ubi unus satis illud per totam Civitatem, immò Regnum spargit) obligat illud juramentum, quia tunc non est contra charitatem, & ejus violatio esset contra jus tertij, id est, Magistri, cui lucrum reportare ex sua privata scientia congruit; & de hoc solo casu juramentum fuisse ab Empyrico emissum, præsumendum est; nam si bono publico, vel tertij non providetur, tūc sanè fateor non urgere juramentum, utpotè de re mala, & contra charitatem nuncupatum.

*Iuramentum dandi, vel non dandi mutuum, vel non fidejubendi.*

66. Hæc irrita sunt, nec obligant, quia sunt contra proximi charitatem: sic Suar. *t. 2. de Rel. lib. 2. de jur. c. 17. n. 12.* Sanch. *lib. 4. Dec. c. 2. n. 18.* Illud nihilominus, est advertendum, circumstantias, vel finem aliquando causæ esse, ut irrita ne sint, sed obligatoria, si enim hæc jurares in gratiam filiorum, v.g. vel tui hæredis, ne res familiaris deperquatur, ne tibi sint occasiones blasphemandi, furādi, eleemosynam non elargiendi, &c. valeret jusjurandum, quia esset de re Deo grata vel saltem (si acceptaverit) utili.

67. Contra, juramentum de mutuando, vel fidejubendo omnibus ex quadam humana urbanitate emissum non obligat: quia ex se nisi per aliquam circumstantiā honestetur, includit vitium prodigalitatis, vel imprudentiæ.

68. Quòd si id juramentum fiat in honorem Dei, sanè obligat: quia sicuti potest quis distribuere omnia sua bona pauperibus propter Deum si non habet alia onera familiæ, vel æris alieni, ita omnibus mutuare.

69. Adverto autem, si ejusmodi juramentum fiat absolutè, intelligi sine notabili saltem periculo solvendi de proprio ut scilicet juramētum interpretemur, quantò minori prudicio contra jurantem possit. Vt ergo intelligatur cum dicto periculo, debet expressè id jurāri. Iuramentum dictæ mutationis, vel fidejussionis pro aliqua determinata persona, si omnibus spectatis, sapiat prodigalitatem, vel imprudentiam, irritum est; si aliqua ratione honestatur; validum, ut ex dictis constat.

70. Huc facit sequens difficultas: Si juret quis pecuniam mutuam dare propter charitatem proximo, vel etiā dare eleemosynam, an liceat illi expectare, donec pauper petat eleemosynam, & donec aliquis mutuum exposcat?

Respondeo, quoad mutandum posse expectari petitionem mutuatarij. Ratio est, quia obligatio ad mutuandum, & similia, nisi jurans expresserit contrarium, intelligenda sunt juxta naturam actus: at natura mutuandi, hæc est, ut tunc mutuetur, cùm petitur. Quoad eleemosynam distinguendum est. Si enim jurasti, eam elargiri pauperi, vel Religioso mendicanti ostiatim, intelligitur, cùm petent: hæc enim est natura ejusmodi eleemosynæ promissæ, nisi aliud intendatur. Verùm, si jurasti dare eleemosynam pauperi absolutè, debes, quamprimum, si sine notabili incommodo poteris, etiam non petenti porrigere; absoluta enim eleemosynæ promissio nisi tamen tempus, vel aliam circumstantiam in juramento expresseris) ita requirit.

§. IV. *De Iuramento confirmante contractus.*

1. IVramentum promissorium aliquando, ut ex dictis constat, validum est, solùm in ratione juramenti, hoc est obligat solùm intra limites Religionis nè scilicet Deus falsò in testimonium adducatur; & tunc juramentum vocatur per se stans. Aliquando verò præter hoc dicitur confirmare contractus, hoc est, facit, ut contractus cui adjicitur, qui aliàs erat invalidus, vel qui non inducebat obligationem justitiæ, sed solùm, v.g. fidelitatis; fiat validus, & obliget in ratione justitiæ, dans jus justitiæ ei, in cujus favorem juratur; & tunc juramentum vocatur confirmatorium, seu confirmans contractum.

2. Quando ergo juramentum est per se stans, id est, quando obligat, ut solum juramentum, & non confirmat contractum, primo ipse contractus remanet qualis erat in sua natura sive validus, sive non, & nihil recipit à tali juramento, unde relaxato à Iudice Ecclesiastico juramento; si contractus ex se erat invalidus, potest iri contra contractum, quia ex illo nullum jus confertur tertio. Secundò, potest relaxari à P[illegible]ia juramentum, ut solum juramentum, Deum dumtaxat respicit, cujus nomine illud relaxare prælatus potest Tertiò, potest in casu contractus invalidi ipsi juramento satisfieri momentanea solutione, hoc est, potes dare, verbi gratia, centum illi, cui totidem per invalidum contractum juratam promisisti: ut sic adimpleas in reverentiam Dei per juramentum invocati, quod promisisti: sed potes statim eadem repetere: quia ex una parte tu non jurasti non repetere, & ex alia is ea centum invalidè recepi, cùm nullum jus ea retinendi obtinuerit, solum tu ex Religione tui juramenti debebas: cui jam satisfecisti per illam dationem momentaneam.

3. At verò, si quando juramentum confirmaret contractum, daretur jus ei, in cujus favorem juratum est, & consequenter contractus, si forte erat ex se invalidus fieret validus, nec posset ei satisfieri sola momentanea solutione, nec ab Episcopo posset absolutè, & in totum relaxari, quia esset contra jus acquisitum tertij, nisi fortè à Summo Pontifice in aliquo raro casu boni communis: & nisi fortè ex parte, ut non rarò accidit, quando à Prælato tale juramentum relaxatur ad effectum agendi: semper enim intelligitur remanere jus justitiæ acquisitum tertio, & solùm esse relaxatum id, quod est ex parte Religionis: ita Sanch. *lib. 3. in Dec. c. 12. n. 60.* Molin. *tom. 1. d. 150.* § *Illud etiam.*

His positis celeberrima est, & multùm implexa traditu hæc difficultas, An juramentum confirmet contractū. Sed Deo favēte, clara & brevis à nobis inietur via:

Potest aliquis contractus vel primò esse invalidus, sed jure positivo rescindibilis; vel secundò, esse absolutè eodem jure positivo invalidus: & de utroque quærimus an si illi adjungatur juramentum, confirmetur, hoc est, non solùm obliget ex vi juramenti, Religionis, sed etiam ex vi justitiæ. Dico (jure positivo) si enim contractus est invalidus jure naturæ, constat apud omnes non confirmari posse juramento, cujus rei rationem afferam mox *num. 10.*

5. Duæ sunt sententiæ, quæ dignæ sunt ut referantur. Prima universaliter docet nullum contractum confirmari juramento, & nunquam à juramento solo haberi, ut surgat jus justitiæ: habetur enim solùm à jura-

mento id firmitatis, quod ex se juramentum habet hoc est jus religionis. Alienavit, v.g. Vxor fundum dotalem, hic contractus ex jure positivo invalidus est: quod si addatur juramentum, adhuc remanet in suo statu invaliditatis, nec ei accrescit ullus valor ex justitia: solùm, si nihil obstaret; consurgeret obligatio Religionis, quam affert ex se juramentum, unde eo ritè relaxato ad nihil uxor tenetur. Ita Iason, aliique juris interpretes apud Sanch. *lib. 3. in dec. c. 12. num. 4. & 8.* fatetur probabilem Suarez *lib. 1. de jur. c. 29. n. 1.* ad quam meritò propendet Castro Pal. *t. 3. tr. de jur. d. 2. p. 9. §. 3. n. 4.*

Secunda sententia universaliter docet contra saltem aliquos, quorum Catalogum vide apud Oñate *tom. de contr. tr. 4. disp. 11. sect. 6. n. 130.* confirmari juramento, atque ideo in his consurgere ex juramento duplicem obligationem, alteram propriam Religionis alteram Iustitiæ: ejusmodi inter cæteras esse docent dictam alienationem fundi dotalis: quare eo alienato ab uxore cum juramento, etiamsi ritè dictum juramentum fuerit relaxatum, Vxor ex horum sententia tenebitur ex justitia stare alienationi factæ. Afferunt autem apud Oñate *ibid. sect. 4. n. 99.* præter dictum Catalogum regulam dignoscendi, quandónam juramentum confirmet contractum; quando non item. In eo casu (inquiunt) juramentum non confirmat contractum, quando illud servando, vel jurans peccat, vel peccat exigens juramentum, in cæteris confirmat. Hinc si jures usuras daturum usurario, vel pecuniam, dolúmne jure dare latroni pecuniam: ejusmodi promissiones non confirmabit juramento, quia quamvis tu non peccas, peccat usurarius, & latro exigentes: at in exemplo dicto uxoris confirmabitur juramento dicta alienatio, qua nec ipsa alienans, nec recipiens, seu alienationem accipiens peccat. Sanch. *d. c. 12. n. 5. 5. 11. & 12.* Mol Reb. Sà, de Lugo eos citans *t. 2. de just. disp. 22. sect. 8. n. 202. & 206.* Oñate *c. mox citando. sect. 4. n. 91.*

6. Profectò, ut hinc incipiam, quamvis hæc secunda sententia sit communior, inde mihi difficilis est, quia non possum mihi persuadere, jura voluisse firmare tales contractus cum dispendio fœminarum, & debilium, qui sicuti facilè contrahunt, sic facilè, & ex levitate jurant: & sic voluisse negare illis remedium rescissionis, quod illis competeret, nisi jurassent, semper etiam juramento relaxato à Prælato, remaneret obligatio justitiæ, ut modò diximus, quod absurdum licèt concedant aliqui adversarij, ego tamen tam prudentibus legislatoribus hanc notam inurere non audeo,

7. Dico igitur probabiliorem esse, & certè pro foro conscientiæ expeditiorem primam sententiam. Ratio potissima est, quia, quòd juramentum addat vim justitiæ, non habetur ex ipso juramento, ut ex se patet, & diximus *suprà*, quia juramentum est accessorium contractui, & relinquit illum, quantum (est ex natura juramenti,) ut est in se. Non ex jure, quia nulla jura dicunt juramentum confirmare contractus; solùm enim dicunt (Authentic. *Sacramentum puberum, c. si adversùs venditionem, & debitore. de usuris, c. cùm contingat de jurejurando, c. 2. eodem titulo in 6. cap. Quamvis pactum, de pactis in 6.* quibus nituntur Castro Pal. *tr. de juram. disp. 2. p. 9. §. 3. n. 4.* Oñate *l. c. sect. 4. num. 98. & sect. 6. num. 229. & 230.*) debere servari inviolabiliter, & non rarò expressè addunt, in reverentiam juramenti, vel quid similis: id quod optimè salvatur, si juramentum servetur, ex vi Religionis; unde non habemus necessitatem asserendi ea jura velle, ut addatur jus justitiæ. Inventum hoc fuit Iuristarum, non juris: sanè id maximum quid est in Republica ut contractus, qui aliàs propter bonum publicum, sive primarium, sive secundarium universaliter usurpantur, quique aliquando à juribus cum tanta consideratione invalidi sunt constituti, statim nullo negotio, adhibito dumtaxat juramento, validi evadant, & sic res, seu bona, quæ sunt unius, statim ex justitia fiant alterius. Non facilè id admitto, nisi expressè, & meridiana luce clarius id jura pronuntiet: quam claritatem nec ego vidi, nec adversarij possunt ostendere.

8. Vrgentis contra nos ratio secundæ sententiæ, quæ inter potissimas, est hujusmodi.

Contractus, in se validi, sed jure humano rescindibiles, ideò rescindi possunt, quia lex dat actionem contrahenti ad illius rescissionem petendam: sed quando adest juramentum, lex non dat talem actionem, sed vult servari juramentum: ergo rescidi non possunt, ergo per Iuramentum validantur, seu confirmantur. Simili modo, quando contractus sunt eodem jure positivo irriti (quales sunt alienatio fundi dotalis, renuntiatio futuræ successionis, contractus Minoris absque authoritate Curatoris ex decreto Iudicis circa immobilia, &c.) si illis addatur juramentum, lex vult, ut tales contractus sint perpetuò firmi, nec ulla actio competat contra ipsos: ergo per juramentum facti, sunt validi, seu confirmati, confirmatur, quia contractibus per metum celebratis, in promissione, v.g. facta latroni, leges dicunt juramenta debere servari, saltem momentanea illa solutione at in aliis spontanèe factis, in alienatione, v.g. fundi dotalis, eædem leges absolutè dicunt, debere similia juramenta omninò servari: ergo signum est, leges voluisse per hæc juramenta sponte facta, dare contractibus validitatem, atque adeò jus justitiæ.

9. Respondeò, negando ultimam consequentiam, id est, eos contractus sive rescindibiles, sive ipso jure irritos fuisse per juramentum factos validos; solùm enim jura includeant jus juramenti ex vi Religionis, & nihil aliud, ut accuratè textus considerant patebit. Ad confirmationem: Respondeo esse claram disparitatem, cur jura dicant contractum ex metu juratum, esse servandum momentanea illa solutione, contractum verò sponte juratum, esse servandum omnino: semper tamen, per nostram sententiam, ex solo vinculo Religionis. Nam quando adest metus, habetur in ipso contractu causa, cur facienda sit non perpetua, sed momentanea solutio, & causa, cur relaxari à superiore possit: quæ causa est ipse metus, seu injuria, quæ per metum fit juranti: at quando juramentum est spontaneum, licèt adjectum contractui, vel rescindibili, vel nulli, non habetur in ipso contractu causa momentaneæ solutionis, vel relaxationis, quia in ipso non interfuisse injuriam metus, vel doli supponimus quare si relaxandum sit, ea causa petenda est aliunde, & sic, si res promissa, servari sine peccato potest, omnino servanda est, donèc inveniatur dicta causa relaxandi: quamvis fatear facilè inveniri posse, ut *suprà*, *§. 5. n. 7.* annuimus cum Castro Palao.

10. Hìc denique notandum censeo, cur etiam in adversariorum sententia, apud Oñate *tom. 1. de contr. tr. 3. disp. 11. sect. 4. n. 102.* juramentum confirmare non possit contractum jure naturæ nullum, quales sunt contractus infantium, & amentium, vel contractus simulati; id est sine ulla voluntate, vel contractus de re aliena, &c. apud Oñate *ibid.* Ratio enim est, quia jura positiva si possent facere, quòd juramentum confirmaret contractum, ideò possent, quia darent actionem ex vi justitiæ ei, in favorem cujus contractus juramento vallatur: at jura positiva non possunt dare actionem ex vi justitiæ contractui, qui nullus est ex jure naturæ, nisi tollendo bona uni, & alteri applicando, quod non posse fieri, in quibusdam casibus pertinetibus ad bonum commune omnibus constat. Dicere autem id fecisse universim, quoties intervenit juramentum, quasi id esset bonum commune, est nimis gratis loqui. Placet mihi hæc ratio, quia doctrinæ à me allatæ *n. 7. sine*, egregiè favet.

## §. VII. *Iuramentum an pariat obligationem in altero è jurante, atque adeò in successore, vel hærede.*

1. VEl das juramento, id est, alicui aliquid cum jurejurando promittis, vel recipis, id est, tibi quispiam promittit aliquid cum juramento: illud se tenet ex parte jurantis: hoc, ex parte ejus, cui juratur.

Quoad primum. Iuramentum parit obligationem in solo jurante, non verò in ejus hærede, vel successore, sic

Sanch

Sanchez *lib.3.in dec.c.15.n.1.* Castro Pal. *tom.3. tr. de jur. disp.1.p.11.num.1.* & passim. Hinc, si quid jurasti humani, nam de voto, vel juramento Deo præstito dicemus mox (*infra, c.12.§.4.*) tuus hæres non obligatur, te mortuo, illud ex vi Religionis observare, etiamsi juraveris pro te, & tuis successoribus. Ratio est, quia non potest quis contrahere obligationem ex vi juramenti, nisi habeat intentionem jurandi, de quo (*infra*) : at successor nunquam habuit intentionem juranti : ergo, &c. unde vides rectè ab authoribus obligationem juramenti appellari personalem.

2. Dixi (ex vi Religionis) nam ex alio vinculo potest contrahere obligationem hæredes, hoc autem solet esse vel ratio contractus, vel ratio statuti. Prioris exemplum est : Si tu equum cum juramento vendidisti Petro acceptanti, & equo nondum consignato, tu moriatur, tuus hæres : equum consignare Petro debebit, non ex vi juramenti, quia nunquam tuus hæres juravit, sed ex vi contractus emptionis, & venditionis : obligatio enim, seu jus contractus, cùm sit fundatum in jure acquisito à parte, sitque obligatio justitiæ, ad successores non variò transmittitur. Idem dicendum in omnibus juramentis acceptatis ab alio, ex quibus alteri jus justitiæ acquiritur. Exemplum posterioris est : Si sit in Civitate lex solvendi gabellas, tuúsque Pater promiserit cum juramento eas solvere ; eo defuncto, tu non ex vi Religionis, sed ex vi legis, & statuti universalis solvere debebis, etiamsi Pater tuus non juraverit, ut ex se constat.

3. Atque hinc fit, ut, si in aliquo casu solùm urgeat vis juramenti, nihil debeat tuus hæres. Ita idem *ibid.* v.g. cum juramento exorto per metum latroni, vel usurario acceptanti promisisti pecuniam, te mortuo : non obligatur hæres tuus solvere, quia non obligatur ex vi juramenti, ut dictum est, nec ex vi statuti, quia nullum statutum invenitur, per quod obligentur latronibus, & usuariis pecuniam erogare ; nec denique ex vi contractus, quia nullum jus justitiæ acquisivit latro, vel usurarius in pecuniam alienam.

4. Dices, si quis Deo juraret, se velle dare pauperi stipem centum, v.g. aureorum, deberet hæres, eo defuncto, dictam eleemosynam erogare, &. tamen Testator solo vinculo Religionis tenebatur.

Respondet Sanch. *ibid. num.* 3. id ita esse, quia Deus illud votum, vel juramentum sibi factum ad utilitatem pauperis acceptavit, ut pars contrahens : quare præter vinculum Religionis, adest ratio contractus, atque adeò justitiæ.

5. Non placet hæc responsio Castro Palao, quia non apparet, nisi gratis dicatis, adesse talem contractum, seu Deum hic se habere ut contrahentem, & acceptantem, ideò docet, id esse, quia jus Canonicum, & Civile statuit hæreditatem à successore non aditi, nisi sub conditione exequendi vota, & juramenta realia defuncti, quæ non sint per injuriam extorta? Quod autem id statuerint jura, probat ex aliquibus textibus *c. licet de voto, c. si hæredes, de testamentis* : & præcipuè ex *c. ex parte, de Censibus*, ubi id expressè deciditur : & clarè *in l.2. ff. de pollicitationibus*, ubi : *Qui decimam partem bonorum vovit, si decesserit ante solutionem, hæredem ejus hæreditario nomine decimis obstrictum esse ; Voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Aliqua huc pertinentia addentur, cùm de voto, *infra, cap.11. §.4.*

6. Quoad posterius, breviter dic, certam esse sententiam ; obligationem, quam contrahit, jurans servandi tibi juramentum, (nisi contrarium expressum fuerit in juramento) contrahere etiam & servandi tuo hæredi, seu successori. Si, v. g. juravit quis fidelitatem Regi, hoc mortuo, ejus successori eandem fidelitatem sine novo juramento debet. Ita Layman. *lib.4.tract.3. cap.10. num.5.* & passim. Ratio, præter multos textus, est, quia successor subintrat in omnia jura eius, qui præcessit, seu eius, cujus est hæres.

## Caput IV.

## De Juramento Judiciali.

1. TRia hîc discutienda propono, (cætera enim huc spectantia, vel sparsim in toto tractatu satis habentur, vel propria sunt fori externi, quæ videri possunt apud Laym. *hîc*, Doctoresque ab ipso citatos.) Primò, An in contractibus æquivocare homini liceat, huc enim id reducto, cùm contractus & publici sit fori, & initium juris. Secundò, an liceat æquivocare aliis à reo, v.g. testi. Tertiò, an ipsi reo.

### §. I. *An in contractibus cum juramento æquivocare, vel secùs jurare liceat.*

1. CErtum est neutrum licere, idque sub gravi culpa, si inde notabile damnum alteri injustè nascatur ; certúmque est, ut sæpiùs *supra* per occasionem dixi, jurantem debere omnia damna ob causam sui juramenti dolosi alteri obvenientia resarcire : ita Sayr. *in clavi, lib.5. cap.4.* & passim Doctores. Ratio est manifesta quia tunc contra justitiam agitur, dum socius deluditur.

2. Dixi primò (notabile) si enim leve, levis erit & culpa. Ita Sanch. *lib.3 in dec.c.7.n.1.* Bonac. *d.4. de jur.q.1.p.12. a n.7.& 8.* Huc, quia dolosè in contractu jurans, semper in judicio habebitur, ac si verè jurasset, quia forum externum solùm considerat ipsa externa juramenti verba : ideò ex hoc capite difficulter notabile damnum, alteri fiet, unde graviter peccetur. Propter eandem rationem (ut id hac occasione innuam, quod mox disputabo distinctiùs) idem erit coram Superiore, quidquid contra sentiat Castr. *tom.3.tr.14. de jur.d.1.p.8.n.5. fin.* nec enim graviter Superioris potestas offenditur, modò falsum non juretur, & modò ut verum in foro externo juramentum habeatur.

3. Dixi secundò (injustè) si enim justè, ad justam, v.g. compensationem sic jurares, moraliter non delinqueres, immò nec venialiter, si causa æquivocandi adesset, ut ex superioribus patet. Ratio est, quia tunc nec contra Religionem peccas, nec contra justitiam : si quidem, data æquivocatione, Deum verè cum falsitate non invocas, & nullo supposito damno, nullam proximo injuriam infers.

4. Hinc in contractu promissionis sive liberalis, sive onerosæ in contractu mutui, sponsalium, venditionis, emptionis, &c. si quis contraheret cum juramento æquivoco, vel ficto, justam habens causam hic suis rebus, sine alterius injusto damno, consulendi ; immunis esset à culpa, cùm nil committeret contra Religionem, vel justitiam, immò nec contra fidelitatem, justa existente causa simulationis.

### §. II. *An in Judiciis æquivocare cum juramento aliis à reo liceat.*

1. COnveniunt Doctores non licere, si judex leviter interroget. Ratio communis, & vera est ; quia ob bonum publicum testes tenentur parere suo Superiori ; qualis est legitimus Iudex. Quando autem testis legitimè interrogari dicendus sit, non est hujus loci, colligitur tamen ex mox dicendis, & fusè Sanch. *in cons. lib.6.cap.3.d.36.& cap.5 d.5.* de Lugo *tom.2. de just. d.40. sect.1. num.8.* aliique. Si verò non legitimè procedat, vel quod in idem recidit, Judex legitimus non est, licere cuilibet uti æquivocatione, conveniunt item omnes : quia tunc Superior non est, adeóque non necessariò illi parendum. Ita Sanchez, de Lugo, Castr. mox citandi, & passim.

2. Hinc testis interrogatus à judice de occulto crimine alicujus, vel de crimine, de quo non tenetur testificari, ut quia, v. g. notabile damnum sibi sequeretur :

potest jurare se rem nescire, intelligendo ita, ut teneatur illi judicio subdere, vel quid simile.

3. Hinc, si quis licitè aliqua bona abscondit, v. g. à fisco, eo quòd illis indigeat ad vitam sustentandam, non solùm ipse, sed etiam alij, sive rogati, sive ex se (si tamen indigentia iis constet) possunt æquivocando testificari illum nihil abscondisse: Judex enim non legitimè procedit, si velit fisco applicare bona externa alteri necessaria: quòd si hæc excludit, ut excludere certè præsumendus est, jam testes ad ejus sanam mentem cum veritate respondent.

Hinc non solùm ipse reus, si, v. g. sit Clericus, sed etiam alij possunt jurare cum æquivocatione coram sæculari judice, Clericum non deliquisse, intelligendo ita, ut obligentur id coram sæculari deponere, quia hic illegitimus est, quoad Ecclesiasticos.

4. Immò obligabitur testis aliquando sic æquivocare. Solet afferri exemplum de eo, qui Judici peccatum omnino occultum rei manifestavit: is enim tenetur testificari coram eodem, reum non commisisse tale delictum, intelligendo ita ut sibi externo judicio: quia si speret se profuturum, reparare sic justè poterit damnum injustè ablatum: ita Sanch. *in Dec. lib. 3. de jur. c. 6. num. 28.*

## §. III. *An idem liceat Reo.*

1. SI non legitimè interrogetur, posse reum cum æquivocatione negare crimen à se commissum, certum apud omnes est: Ita Sanchez *in consil. lib. 6. cap. 3. d. 29.* de Lugo *de justit. tom. 2. disput. 40. sect. 1. numer. 1.* Joan. Sanch. *in select. d. 43.* aliique ab ipsis cit. suffragatur enim eadem [illegible] quam modò diximus §. *præcedente, num. 1.*

2. Hinc excusant communiter Doctores *loc. cit.* & Sanchez *in Dec. lib. 3. de jur. cap. 6.* & Castro Pal. *tom. 3. tract. 14 d. 1. de jur. cap. 7.* Reum negantem cum æquivocatione crimen, si Judex procedat contra leges, si semiplena contra ipsum reum probatio non est, si suspensa sit Judicis potestas, sive per appellationem, sive quia is est excommunicatus denuntiatus nominatim, vel notorius Clerici percussor. Hinc excusant negantem se quid commisisse, quod sine culpa commisit; ut si inculpabiliter, putans feram, hominem occidit. Hinc excusant negantem se vendidisse pluris, quàm sit taxa injusta, cùm vendiderit tamen justo pretio. Hinc excusant negantem aliquam circumstantiam, seu judicium criminis, quod crimen ipse non commisit: ut si interrogetur, an per illam viam transierit, per illam urbem, ubi est cadaver, cùm tamen ipse transierit: vel an ingressus sit domum meretricis occisæ, quamvis ingressus fuerit; sed tamen non occiderit. Hinc excusant negantem se debere quidpiam alteri, si verè nihil debeat, quamvis appareat instrumentum, vel scriptura, in qua debeat. Hinc excusant negantem se promisisse aliquid, quod verè cum juramento promisit, etiamsi sint sponsalia, si ex aliquo capite ea promissio, seu sponsalia non obligent. Hinc excusant negantem se adulterium commisisse, cùm occultè commiserit. Hæc, & similia cum æquivocatione jurando negare, idcò cuilibet licet, quia vel judex, contra leges procedendo, superior non est; vel etiamsi procedat secundùm leges quoad præsumptionem externam, unde ipse non peccet; Reus tamen jus habet respondendi juxta rei veritatem, atque adeò semper ad mentem boni, & justi Judicis respondebit.

3. Jam si legitimus est judex, legitimèque per semiplenam probationem interroget, unde reus ex nullo capite ex his excusari videatur à fatenda veritate, celebri quæstione quæritur, An ob periculum vitæ, quod sincerè respondendo, subit, possit excusari, atque adeò ipsi negare veritatem cum æquivocatione liceat?

Non excusandum, quamvis immineat vitæ discrimen, docet Sanchez *in consil. tom. 2. lib. 6. cap. 3. d. 29. & d. 33.* S. Thom. Sylvest. Navarr. Sot. aliique permulti apud eundem; & apud Joan. Sanchez, *in sel. mox cit.* præsertim antiquiores. Ratio potissima est, quia inter partes justitiæ potissima est obedientia, quâ tenetur quis obedire Superioribus justè & legitimè præcipientibus: sed jam supponimus legitimè præcipere, idque jam noscere reum: unde ergo excusari poterit à parendo? Adde non vulgare Reipublicæ detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina negaretur: passim enim hac impunitatis spe grassarentur maleficia.

4. Duo tamen hi Doctores notant: Alterum est ad hoc, ut reus teneatur sine æquivocatione respondere (de reo loquimur, non de teste, de quo alia est ratio videnda, & placet, apud citatos de Lugo *de just. tom. 2. d. 40. sect. 1. num 8. d. 39. sect. 2. numer. 14.* Thom. Sanchez *in cons. tom. 1. lib. 6. cap. 3. d. 36.*) requiri priùs infamiam, vel indicia contra ipsum esse legitimè probata in processu, saltem per semiplenam probationem, quam sine dubio facit unus testis idoneus de visu, & item requiri, ut id totum ipsi reo sit notificatum. Ratio est, inquit, Sanch. *in cons. lib. 6. cap. 3. dub. 32.* quia secùs potest reputare reus latam crimen esse occultum, & sic excusari à fatenda veritate: & quia (inquit Sot. apud Sanch. *loc. cit.*) sicut nemo tenetur ante legis promulgationem legi obedire, ita nec tenetur Judici, antequam notificet se juridicè interrogare.

Alterum est: si fortè quis veritatem Judici occultavit, non obligari ad se coram Judice retractandum, sive fuerit absolutus, sive fuerit damnatus, sive adhuc judicium pendeat, sive non sic Sanchez *in Dec. lib. 3. de jur. cap. 7. n. 8.* Ratio potissima est, quia esto tegendo suum crimen peccaverit contra obedientiam: tamen huic crimini satis medebitur, si de illo ritè doleat, &c.

5. Sed jam alij recentiores, ut de Lugo *l. c. n. 15.* Joan. Sanchez *in sel. d. 43. à num. 23.* cum Doct. viginti duobus, post accuratam discussionem, advertentes onus esse supra naturæ vires difficile, reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra se ipsum, docent probabilissimum esse, & tutum, reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum malum sibi parari videat: potissima ratio illa mihi videtur, quia nemo obligandus est concurrere ad se ipsum occidendum, cùm sit de jure naturæ, non solùm vitam sibi tueri, sed etiam ad mortem suam, quantum quis potest, non concurrere. Adde esse doctrinam communem, rem multùm difficilem reputari moraliter impossibilem, ad quam præcipiendam nulla potestas humana utendi possit: at præceptum de dicenda hac veritate, quam nunc tradit reo Judex, humanum est, & positivum: ergo non se extendit ad rem tam difficilem, quales est ea confessio, quæ reo mortem parat.

6. Hinc solvitur ratio adversariorum *n. 3.* allata; in re enim tam ardua Judex Superior non est: quòd si is soleat cogere, ideo est, quia sequitur contrariam opinionem, quæ saltem ob authoritatem Doctorum probabilis est: ita Joan. Sanch. *in sel. d. 43. n. 34.*

Ad id, quod additur, negandum est periclitari bonum Reipublicæ, alia enim via, nempè inquirendo testes, & incutiendo omnem torturæ reo, ut fateatur, potest se tueri Respubliea, sine necessitate obligandi reum sub mortali: & certè patet experientiâ, nihil adhuc profuisse timorem peccati per tot annos, in quibus opinio prior passim evulgabatur; de quâ testatur de Lugo *tom. 2. de justit. d. 40. sect. 1. num. 6.* Quotusquisque enim fuit ille, qui ob ejusmodi peccati timorem suum crimen aperuit? Adde non esse certum quod ego bono communi, ad quod non teneor ex stipendio, seu ex justitia, obliger mortem subire, de qua re alibi, interim lege Joan. Sanch. *in sel. 43. d. n. 4.*

7. Doctrinam hactenus à nobis allatam limitant citati Doctores, asserendo posse à reo negari sub æquivocatione crimen, modò aliqua tandem eluceat spes effugiendi mortem: secùs enim negatio (aiunt) esset inutilis, si ipse nihilominus convictus esset, & certò damnandus. Ego verò censeo, etiam nulla elucente tali spe

set, saltem ab mortali esse etiam ejusmodi reum excusandum (excipio cum Sanchez *in Decalog. lib.* 3. *cap.*7. *num.*11. casum hæresis; convictus enim de illa, fateri debet, ne negativus hæreticus cum scandalo pœnam habeat. Ratio, quæ me movet, est, quia ex una parte de ratione naturæ est hominem non posse constringi ad concurrendum ad mortem suam; & ex alia parte in hoc casu ad summum offenditur (si tamen offenditur) potestas superioris in re levi. Si enim reus jam convictus est, utique plectendus, nihil addet confessio rei, quantum ad punitionem criminis, de qua sermo est, cùm judex ad damnandum satis instructus. In qua igitur re gravi offenderetur potestas ipsius?

8. Sed certè notat Sanchez *lib.* 3. *in Dec. cap.*7. *n.*11. Judices reum interrogantes, nunquam solere statum cause, probationesque illi aperire; freti quorundam sententia, quòd id ad legitimè interrogandum non requiratur: cùm igitur reus statum suæ causæ ignoret, semper præsumere poterit, fore spem effugij, si ipse crimen non fateatur, & sic semper in praxi, etiam in adversariorum sententia, posset veritatem occultare.

9. Denique quod dictum est de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcunque malum grave, putà exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam, &c. ita de Lugo *l.c.n.*15. ad hæc enim tam gravia mala, petinde ac ad mortem advertendam, jus naturæ nos urget, immò nos urget.

10. Quid de malo levi? v. g. præcipiat mihi Superior, ut fatear, an dixerim mendacium jocosum, an sim furatus obolum, an silentium in Religione fregerim; ex qua confessione mihi non nisi malum leve accidere possit: vel præcipiar, ut fatear homicidium, furtum grave, &c. ex cujus confessione certus sim (ita suppono) solùm malum leve me incursurum, si negem cum æquivocatione, quòdnam peccatum committam?

Respondeo. A mortali fortasse excusandus esses; quamvis contrarius sit de Lugo *tom.*2. *de just. d.*40. *sect.*1. *n.*16. *fin.* Ratio esse potest, vel quia de jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam; vel quia, si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve, & non rigorosum superiosis præceptum; vel quia ex negatione talis veritatis, non oritur grave malum Reipublicæ, si solum levis pœna sit imponenda. Hîc tamen excipio, nisi aliàs bonum commune aliter postularet, vel nisi sic deberet averti malum grave imminens. tertiò: tunc enim charitas exigit, ut meo levi malo, bonum grave Reipublicæ, vel proximi præponatur.

## Caput V.

### Quis possit jurare, atque ad juramentum admitti.

1. PRæter Deum, qui, quando dicitur in scripturis jurare, (ut Hier. 22. *Ecce ego juravi in nomine meo magno*, &c.) improprie jurare dicitur, cùm Superiorem non habeat: Christus ut Homo, Angeli, Dæmones Damnati, Beati, homines viatores jurare possunt, quia Superiorem Deum cognoscunt, qui adhiberi ab ipsis in testimonium veritatis potest. Rursus ex hominibus possunt omnes utentes ratione, etiamsi sint impuberes, *cap.*1. *de delictis puerorum*: lege Suar. *de jur. lib.*1. *cap.*14. *num.*5. unde & juramento se obligare: hæretici item, infidelesque omnes, si modò Atheos excipias, qui ex errore (cum Deum Superiorem non agnoscant) ipsum invocare non possunt. Sed hæc, & similia sunt speculativa, quæ vide apud Doctores, Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de jur. c.*44. *lib.*2. *in Dec. cap.*5, aliósque.

2. Illud ad praxim pertinet scire, quinam in judicijs admittantur ad juramentum, qui repellantur. Primò ob defectum ætatis perfectæ repelluntur impuberes in causis civilibus, nempè qui non habent ex masculis quatuordecim annos completos, ex fœminis completos duodecim; nam in criminalibus etiam puberes, nisi habeant viginti annos, excluduntur. Si quando prædicti puberes, impuberésque admittantur, an sufficiant ad torturam, probationemque faciant, an solùm magnam præsumptionem, nostrum non est quærere: vide Suarium *loc. cit.* Fagundez *l.c.* Sanchez *lib.*3. *in Dec. cap.*3. Juristas ab iisdem citatos.

Secundò, ob sexum repelluntur fœminæ: licèt in quibusdam admittantur, &c.

Tertiò, in pœnam multi repelluntur, ut infames, perjuri, &c.

Quartò, ratione solius criminis, homo vilis, inimicus, consanguinei, domestici repelluntur, vide apud citatos, citandosque.

Quintò, ob privilegium: ut Sacerdotes, vel Clerici, qui prohibentur jurare in manibus Laici sine licentia sui Prælati, Laici, inquam, ut Superioris, & ut Judicis. Possunt autem jurare in causa fidei, vel ad purgationem delicti, vel cùm tertius læditur defectu probationis, vel ob indemnitatem Ecclesiæ, vel cùm ab excommunicatione absoluuntur, vel in causa propria quoad juramentum de calumnia, &c. quæ, & similia lege apud citatos, & Farinaceum *de testib. q.*54. Gomez. *c.*12. aliósque, inter quos sit Bonacina *tom.*2. *disp.*10. *circa* 8. *Decal. præcep. q.*3. *part.*3. qui hæc in compendium accuratè redigit.

## Caput VI.

### De Pœnis Perjurij.

1. IN jure Civili valdè incertum est, an pœna aliqua determinata quoad forum externum pejeranti sit imposita. Quoad forum Conscientiæ præter peccatum mortale, an in jure Canonico sit alicujus pœna eidem inflicta quæri potest, & nullam esse ipso facto impositam certum sit.

Imponendæ autem sunt tres: Infamia juris: Privatio, seu Repulsio à testificando: Alia pœna arbitraria à Judice decernenda: quæ omnia satis sit innuisse. Legatur Suar. *lib.*3. *de jur. cap.*20. Castro Pal. *disp.*1. *de jur. p.*11. aliique *ibid.*

## Caput VII.

### De Deobligatione à Juramento.

DEobligaris à juramento, Irritatione, Remissione, Dispensatione, seu Relaxatione, Commutatione. Jam de singulis.

#### §. I. *De Irritatione.*

1. QUando is, qui dominativam habet potestatem in te, tuásque res, ab obligatione juramenti omnino te liberat, dicitur tuum juramentum irritare. Omnes ergo illi juramenta irritare ita, ut nunquam revivíscant, possunt, ex Less. Sanch. aliísque apud Bonac. *tom.*1. *disp.*4. *de jur. q.*1. *p. ult. n.*6. qui aliis legitimè præsunt, quales sunt Pater, Prælatus Regularis, Dominus, Vir, respectu Filij, Subditi, Servi, Vxoris. Ita S. Thom. 2.2. *q.*86. *art.*9. *ad* 3. Azor. 1. *part. lib.*11. *cap.*10. *q.*5. Laym. *lib.*4. *tract.*3. *cap.*11. *n.*1. aliique passim, de quibus explicatiùs, cùm de Voto *infrà*, *cap.*16. §. 3.

2. Id tamen est intelligendum cum distinctione: nam juramenta soli Deo præstita poterunt hi irritare prædictis, etiam sine causa; secuti possunt, ex probabili sententia (de qua re *ibid. infrà*,) & vota: sic Sanchez *lib.*3. *in Dec. cap.*19. *n.*2. aliique contra Val. ab eodem citat. verò juramenta in aliorum utilitatem emissa, tunc solùm, & quidem etiam sine causa possunt irritare, quando

juramenta

juramenta emissa sunt de materia subjecta potestati ipsorum, v.g. si servus, filius, uxor, &c. jurent dare alicui pecuniam, vel quid simile, quod afferat detrimentum, & incommodum rebus Patris, Viri, &c. poterunt hæc juramenta à Patre, vel Viro, &c. etiam nulla existente causa, rescindi: sic Layman *loc.cit. num.2.* aliique ab ipso cit. Ratio est, quia pecunia, quæ est materia prædicti juramenti, est in Patris, vel Viri potestate, de qua ipsi solùm disponere, non alij possunt. Sic etiam Pontifex, vel Episcopus potest irritare juramenta suorum Clericorum de rebus pertinentibus ad sua beneficia, ad suas leges, ad sua statuta, &c. propter eandem rationem. Quòd si prædicti filius, & servus jurent de suo peculio, quo forte independenter ab alio gaudent; certè non poterunt Pater, & Dominus, &c. irritare: quia ea pecunia non est sub Patris, Dominive potestate, ac dominio; & illud juramentum non est solùm: ut supponimus, Deo præstitum, sed homini.

## §. II. *De Remissione.*

1. QVando is, in cujus favorem principaliter conceptum est juramentum, remittit obligationem, seu non acceptat promissionem; dicitur remittere juramentum.

Et quidem id non posse fieri, si juramentum est soli Deo præstitum, non est dubium; posse autem, si homini est præstitum, docet communis, & vera sententia, idque etiam sine causa, *cap.1. de jurejur. cap. significavit, de cens. cap. 2. de spons.* Ratio est, quia promissio, quamvis jurata semper tacitam imbibit conditionem: *Si alter velit acceptare.*

2. Sed quid, si juramentum sit præstitum saltem secundariò, homini, sed principaliter in Dei obsequium? v.g. si quis juret se daturum centum pauperi ob ejus paupertatem intuitu paupertatis in Deum: se ducturum puellam, ut inopem, in Sanctissimæ Virginis obsequium, potéstne pauper, vel puella etiam sine causa remittere?

Respondeo distinguendum sic esse: Vel in promissione signatus est pauper peculiaris, v.g. Petrus, vel non ita, sed pauper indeterminatè. Si signatè nominatus fuit, probabile est posse; si indeterminatè, certum mihi est non posse. Ratio prioris dicti est, quia juramentum, ut modò diximus, censetur semper habere tacitam illam conditionem: *Si is, de cujus commodo agitur, acceptarit*, vel *non remiserit*: at hoc juramentum dum designat pauperem, licèt in Dei obsequium, verè de pauperis commodo agit; ergo is poterit remittere.

Ratio posterioris est, quia tunc nullus pauper jus in illam eleemosynam acquirit, sed Deus; & sic ejusmodi juramentum voti rationem inducit; quod nonnisi ab habente potestatem, de qua re *mox*, relaxandum venit.

3. Petes: Si quando ex conventione partium prorogatur terminus juramento fortè præfixus, éritne perjurus, qui alicui rem post illam prorogationem promissam non servet? v.g. si jurasti homini alicui intra mensem aliquid te factuſum, & deinde is concedat tibi aliud mensem prorogationis; hoc alio finito, obligarísne rem promissam facere ex vi præstiti juramenti? Respondeo ita sanè: sic Suar. *lib.3. de jur. cap.36.* Sanch. *lib.4. in Dec. c.55. num.6.* aliique; quia remansit tota numero obligatio juramenti, & solùm dilatio fuit quoad tempus. Id sæpe evenire in compositione notant Doctores, qui addunt, nisi in principio compromissi conventum sit, terminum posse prorogari ad secundum, v.g. mensem, non esse improbabile, absoluto primo mense finiri jurisdictionem compromissariorum; atque adeò in secundo mense non adesse amplius juramenti obligationem, nisi de novo emittatur. Ita Suar. *loc.cit. n.14.* Sanch. *l.c.n.10.* Castro Pal. *de jur. p.14. n.3.*

4. Dubitabit curiosus, An si quis aliquid juret principaliter in suum commodum, v.g. juret se iturum Romam ad obtinendum beneficium: se, cùm sit pauper iturum ad accipiendam eleemosynam à divite, & similia, an, inquam, possit sibi ipse ejusmodi juramentum remittere, & consequenter Romam licitè non adire, & eleemosynam non recipere etiam sine causa.

Respondeo. Negat Abbas *c. quanto de Iurejur. n.8.* his verbis: *Aut juramentum respicit principaliter commodum hominis, & tunc sine causa Papa remittere non potest, sed cum causa. sic: is tamen, de cujus commodo agitur remittere potest, quod procedit, etiamsi juramentum concernit utilitatem utriusque contrahentium, ut quando aliqui juram sibi ad invicem aliquid facere; (intellige quando id non fit intuitu divini servitij: sic Escobar* in Tit. de leg. §. Hoc quoque.) *Secus puto, ubi quis simpliciter juraret ad commodum suum, nam non poterit sibi remittere juramentum, ne authorizet in facto proprio, nec alius poterit remittere sine causa, ut sentit Speculator.* Hæc Abbas, quam sententiam sequutus est Suarez *lib.2. de jur. cap. 12. numer.24.* Abbatem tamen non citat.

5. Sed profectò discrimen non inspicio, cur recipiens juramentum alteriùs in suum commodum, remittere possit, non possit autem remittere recipiens juramentum suum; & mirabile mihi est Patri juranti se emptum equum, v.g. in commodum sui filij, licere non emere, filio remittente; at juranti se eundem emptum in commodum sui non licere, se volente, commodo illi renuntiare: Puto igitur propter paritatem rationis licere, neque id est authorizare in facto proprio, sed sua sponte suam utilitatem negligere. Confirmatur, quia *suprà, cap.3. §.5. num.49.* docuimus ex Castro Pal. *tom.5. tract.14. d.2. p.7. §.2. num.4. fin.* & sequitur Sanchez *lib.3. in Dec. cap.9. num.15.* juramentum de non vendendo minoris, posse remitti ab ipso jurante, quando in utilitatem propriam est emissum: ergo & universaliter, in casu nostro, &c.

Post hæc scripta, cùm Pater Vincentius Tancreda amicissimus meus, suum utilissimum opus *in Suarium de Religione* permanenter mihi ostendisset, inveni ipsum hanc sententiam meam contra Suarium hîc amplecti. Profectò (ingenuè loquor) amicorum ingenia, altero nesciente de altero, in eandem sententiam conspirasse gavisus sum.

## §. III. *De Relaxatione.*

1. QVando, qui potestatem habet à juramento subditum absolvit, dicitur dispensare, seu magis propriè illud relaxare: nam id, quod in materia voti appellatur Dispensatio, hîc propria voce vocatur Relaxatio. Porrò ea nunc sunt exponenda. Primò, quænam juramenta. Secundò, à quónam Superiore. Tertiò, ob quas causas relaxari queant. Moneo tamen legenda etiam esse, quæ de dispensatione voti *infrà* dicentur.

### *Quæ juramenta.*

6. Uno verbo, relaxari queunt juramenta omnia soli Deo præstita, quæ diximus *cap.3. §.3. n.7.* Arag. 2.2. *q.88. art.12. d.3. dict.1.* alios citans. Juramenta verò in utilitatem solius hominis præstita, si sint acceptata, à nemine, ne à summo quidem Pontifice (nisi fortè dispensationem bonum commune expostceret) dispensantur; immò nec dispensari posse, docet rectè Cajetanus 2.2. *q.89. art.9.* & *suprà §.2. num.4.* docuit, Abbas, quia nullus potest suo jure privari, acceptatio autem facit, ut ex justitia illi debeatur, quod juratum est. Dixi (in utilitatem solius hominis) nam si secùs, vide mox §.5. *n.3.* & *c.17. de Voto, ibidem citando.*

3. Si verò non sunt acceptata, etiamsi fiant juramento publico, & coram testibus, poterit Superior ex causa dispensare, vel commutare. Lege Sanch. *in Dec. lib.4. cap.41. à n.6.* quia tunc solùm adest vinculum Religionis, cui ex causa dispensare concessum est Superioribus, ut mox dicemus: ita Dian. Ledesm. Trullenc. apud Pellizzar. *in man. Reg. tract.8. cap.3. sect. 2. num.159.* contra Sanch. & Suar. *ibid.* citatos: ut probabiliter accidit

in

in juramentis Deo principaliter; homini autem minùs principaliter præstitis, de quo re *dict. cap. 17. de Voto*, dicam: & ut certò accidit in juramento per injuriam à latrone extorto, & similibus, quia pati modo tunc non decet vinculum justitiæ, sed solius Religionis: immò ipsum solam injuriam sufficientem esse causam ad dispensandum mox dicemus. An Acceptatio prædicta legitimè fiat à Notario, vel ab aliis, non est disputatio hujus loci: vide tamen fusè apud Merollam *tom. 1. disp. 11. qu. 2. à num. 871.* & de Notario *à num. 885.*

4. Sunt præterea aliqua juramenta, ad quæ relaxanda, quia saltem vix datur causa dispensandi possunt, vocati indispensabilia: ejusmodi est juramentum, & votum annexum professioni Fidei; & ejusmodi etiam esset juramentum, quo quis professionem Religiosam, Matrimonium, statum Sacerdotis confirmaret: cùm enim hæc juramenta sint adhærescentia prædictis actibus, ex se perpetuis, & firmis, perpetua etiam & illa sunt. Vide Pellizarium *tom. 1. man. Reg. tract. 5. cap. 10. n. 25.*

*A quo.*

3. Certum est in Summo Pontifice residere potestatem relaxandi juramenta; quod enim pertinet ad bonam, suavémque Ecclesiæ gubernationem, maximè dedecet in ejus capite residere.

6. Dubitatur primò, An sicuti certum est omnes Prælatos Ecclesiæ jurisdictionem habentes (qui sine hi, vide *infrà, cap. 16. §. 4. numer. 4.*) ex communi doctrina gaudere hac potestate respectu suorum subditorum: ita certum sit dari aliqua juramenta uni Summo Pontifici reservata? Respondeo cum Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 15. n. 7. & lib. 3. in Dec. cap. 5 4. n. 21.* esse probabile dari aliqua reservata: asserri autem ad hæc dignoscenda hanc regulam: Illa juramenta sunt Pontifici Maximo reservata, quæ si fuissent voto promissa, ipsum votum fuisset Summo Pontifici reservatum. Quoniam ergo, ut *infrà* dicemus, vota Papæ reservata sunt communiter quinque, nempe Castitatis perpetuæ, Religionis, Triúmque Peregrinationum, Romanæ ad limina Apostolorum, Compostellanæ, & Hierosolymitanæ, quando absoluta, & non sub pœna, vel sub conditione sunt emissa; ideò juramenta his, votis, seu promissionibus addita, Summo Pontifici sunt reservata.

7. Sed certè aliqui docent etiam probabiliter, & tutò sola vota de illis esse reservata, sed non juramenta per se stantia, id est, quæ non adhærent Voto, quale est hoc, v. g. *Iuro*, (non autem *voveo*) *me Religionem ingressurum*: Ita Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 11. num. 4.* dicentem putatam esse probabilem à Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 19. num. 6. cit.* se ipsum alibi: lege etiam Pellizz. *tom. 1. man. Reg. tract. 8. cap. 3. num. 158.* favet Bonac. *tom. 2. d. 4. de jur. q. 1. p. vlt. num. 9.* Ratio est, quia à diverso non fit bona illatio; vinculum autem Voti est satis diversum, immò majus, ex S. Thom. 2. 2. *q. 89. art. 8.* quàm vinculum solius juramenti: ergo, &c. Quare omnia juramenta, ad quæ modò *num. 1.* diximus extendi potestatem Superioris, possunt dispensare Episcopi, eorum Vicarij saltem ex speciali mandato, Capitulum, Sede vacante, & omnes, qui jurisdictione quali Episcopali potiuntur. Lege Sanchez *lib. 3. in Dec. cap. 22. à num. 28.* & Castro Palaum *tom. 3. tr. 14. disp. 3. de juram. p. 4.* apud quos etiam habebis, quoad forum externum pertinere ad Episcopum loci, in quo emissum est juramentum, dispensare juramenta homini præstita, (semper intellige juxta *superiùs* dicta, quoad vinculum Religionis) sed ita, ut necessariò præcedere debeat citatio partis; at quando debet dispensatio fieri in foro conscientiæ tantùm, non esse necessariam citationem partis, & tunc dispensationem pertinere ad Episcopum, in cujus dominio degit jurans qui dispensationem postulat.

Præter illa quinque, alia quædam juramenta esse reservata docent aliqui, ut Azor. *p. 1. lib. 11. cap. 9. q. 4.* Sanch. *ibid. cap. 19. num. 7.* quæ cùm sint rara, hìc transcribere non est opus.

8. Dubitatur secundò: An qui habent potestatem dispensandi, vel etiam commutandi in votis, eo ipso intelligantur habere potestatem dispensandi in juramentis soli Deo præstitis, sive juramenta sint voto accessoria, ut: *Voveo, & juro jejunium*: sive nequaquam, sed sint per se juncta, & sine voto, ut: *Iuro me cras iturum ad Templum, ad venandum*, &c.

Respondeo probabile esse intelligi, tam in potestate ordinaria, ex Basil. Pont. *lib. 8. de matr. cap. 11. num. 1.* aliisque, tum in delegata, ex eodem *à n. 4.* Suar. *tom. 2. de Relig. tr. de voto, lib. 6. ca. 8. 14. à num. 19.* Sà *v. Votum, de irr. voti, num. 59.* qualem habere mox dicemus in foro interno Mendicantes. Ratio est, quia quamvis in rigore aliud sit vinculum voti, aliud Juramenti, quare potestas solvendi unum, non est potestas solvendi aliud: tamen quia juramenta hæc pia, seu soli Deo præstita, de quibus procedit hæc doctrina, voti naturam induunt, & sunt multùm voto affinia; existimantur in communi modo loquendi ut vota; ac propterea dans potestatem, seu privilegium solvendi unum, dare censetur & aliud: eodem modo posse dispensari juramenta, quæ principaliter sunt facta in obsequium Dei, licèt minùs principaliter ob utilitatem hominis, sive is acceptavit, sive non, dicam *infrà, cap. 17. de Voto, §. 2.*

9. Dubitavit tertiò; quisnam habeat ex Religiosis hanc dispensandi, vel etiam commutandi potestatem. Respondeo, privilegium dispensandi in votis etiam Episcopo reservatis (atque adeò in juramentis soli Deo præstitis, ex probabili opinione, modò *num. 7.* dicta) Martinus V. concessit Benedictinorum Confessariis deputatis, atque adeo omnibus participantibus eorum privilegia: sed nobis ex Societate sic illud restringit *in comp. priv. v. Dispensatio, §. 10.* R.P.N. Generalis, hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confessariis, quibus ipsi eam commiserint.

10. Privilegium verò commutandi concessum Societati (ut id hac occasione advertam) atque adeò participantibus ejus privilegia strictius est uno, benignius in alio; quàm sit prædictum privilegium dispensandi; concedit enim posse nostros commutare omnia vota, exceptis illis quinque, & sic est strictius: sed ex Gregorio XIII. extenditur ad vota jurata, dummodo commutatio non fiat in præjudicium tertij, & sic est benignius. Nec pater Generalis Soc. nobis hoc privilegium commutandi restringit, sic enim habet *in comp. privil. Soc. v. Commut. §. 1.* Communicatur hæc facultas omnibus Confessariis approbatis juxta Conc. Trid.

11. Qui de juramento homini præstito, in iis casibus, in quibus posse diximus *num. 7. & 8.* Episcopos, conceditúrne id relaxari posse ab iis, qui habent privilegium circa vota jurata, hoc est, à Religiosis participantibus privilegia Soc.

Respondeo Negat Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 32. num. 17.* quia juramenta hæc sola, quæ homini præstantur, nec sunt vota, nec voti rationem induunt. Sed certè probabilissimum est commutari à prædictis posse. Ita Trullench. Ledesma, aliique cum Pellizz. *t. 2. Man. Reg. tract. 8. c. 3. num. 159.* Ratio est, quia dans privilegium commutandi vota jurata, concedit commutari posse duo vincula voti, & juramenti: ergo non est, cur negemus, concessum esse, posse illos commutare, quando adest unum duntaxat vinculum id est juramentum. Quid enim tollit, vel addit illa conjunctio cum voto, si æquè fit sine tertij præjudicio? Atque hinc fit, ut in casibus, in quibus tertius propter turpitudinem injuriæ, metus, doli, &c. & in casibus, in quibus tertius nondum acceptavit, (unde jus ex justitia nondum acquisivit) possit hìc privilegiatus ejusmodi juramenta commutare: quia tunc commutatio nullo modo est in præjudicium juris, quod verè tertius habeat, ad quam commutationem privilegium extendit (ut modò diximus) Gregorius XIII.

12. Verùm, poterúntne hæc etiam dispensare? Respondeo cum in facultate dispensandi solùm detur potestas circa vota, ut modò notavimus, non verò circa

Vota

Vota jurata, difficilior est resolutio : nam propterea aliqui probabiliter negant, cum Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 23. apud Pell. *l.c. num.* 135. Dico tamen cum Suar. *lib.* 6. *de voto, cap.* 14. *num.* 6. citante Arag. Vivaldum, Rodr. & alios, probabile esse posse ; & quidem, ut semper loquuntur, in foro interno. Ratio est *supra* tacta, quia, cum hæc juramenta, quamvis homini præstita, vinculum justitiæ, ut supponimus, non involvant, habent solum vinculum ex vi Religionis, quod æquiparatur vinculo voti, immò, quod in rigore minùs est, quàm voti vinculum ; atque adeò qui hoc voti vinculum dissolvere potest, non est negandum posse & illud. Nec obstat, quod, si ita esset, frustra Gregorius XIII. potestatem commutandi vota extendisset ad vota jurata ; non obstat, inquam, quia id factum est ad majorem conscientiæ securitatem, ad scrupulos eximendos, & prò iis, qui contrariam sententiam sequuntur, ut alibi in simili docuimus.

13. An civilis potestas aliquo tandem modo possit relaxare juramenta, vide apud Layman, *lib.* 4. *tract.* 3 *c.* 9. *num.* 9. & Doctores *supr.* cit. *cap.* 3. §. 5. *numer.* 5. *lit. D.* aliosque ab ipso laudatos. Illud solum noto, si quando quis jurat aliquid in præjudicium Superioris, etiam sæcularis, posse hunc Superiorem remittere ejusmodi juramentum, seu potiùs illud non acceptare. Jurat quis, v. g. se non acceptaturum Officium Capitanei : potest Superior illum cogere, & post coactionem ; poterit is non obstante juramento, acceptare : quia juramentum illud non potuit præjudicare potestati Superioris. Puto tamen non posse post illud Officium acceptatum, aliud sine nova coactione acceptare : quia illa non fuit juramenti relaxatio, quam non potest sæcularis expedire, sed fuit solum, prò illa vice, suæ potestatis usurpatio : an nihilominus acceptare sit culpa solùm levis, dixi *supra, cap.* 3. §. 3. *num.* 10. cum Fagundez.

*Ob quas causas.*

4. Certum est adesse debere causam dispensandi, secùs irrita erit, & nulla relaxatio, etiamsi à Summo Pontifice feratur : ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Abbas *cap. quanto, de jurejur. n.* 8. aliique (excipe, nisi sit in materia ipsi relaxanti omnino subjecta, ut diximus §. 1. *n.* 1.) Ratio est, quia Summus Pontifex in legibus ab ipso latis validè quidem sine causa ideo dispensat (quidquid sit, an aliquando illicitè) quia eæ ab ipso liberè dependent : at vinculum voti, & juramenti ab ipso non dependet, cùm de jure naturæ sit, vota & juramenta Deo esse reddenda : ergo non poterit validè sine causa dispensare, siquidem ipse dum dispensat, id facit nomine, & ex parte Dei : Deus autem relaxationem temerariam, & sine causa ratam habere nequaquam potest.

15. Difficultas igitur sola superest in explicandis his causis, quæ sint sufficientes ad hoc, ut Superior relaxet juramenta homini præstita in iis casibus, quos posse, *supra* diximus ; nam de causis pro juramentis soli Deo præstitis, seu quando solùm urget vinculum Religionis, innuam *infrà*, §. 4. *num.* 12. & colligitur ex dicendis fusè *cap.* 16. §. 4. *num.* 10.

16. Ad sex reduci solent. Primò, quando adest turpitudo ex parte extorquentis juramentum, ut accidit, quando juramentum, metu, vi, dolo extortum fuit : ipsa enim injuria sufficientissimam causam præbet relaxandi. Et quidem, si metus sit gravis, poterit ab Episcopo etiam in foro externo relaxari : si levis, solùm in foro conscientiæ : lege Sanch. ibique cit. *lib.* 3. *in Dec. cap.* 21. *à num.* 6. Secundò, quando adest dubium, an juramentum valeat. Vide Covarr. *Regul. peccatum* 2. *p.* §. 3. *n.* 7. *initio* ; Vinc. Tancred. *lib.* 4. *de matrim. disp.* 20. *num.* 7. Tertiò, quando adest dubium, an cedat in injustam læsionè tertij. Quartò, quando est dubium, an ex observatione juramenti œnascatur occasio, seu periculum peccandi? Quintò, quando juramentum est temerè, inconsideratè, vel ex iræ doloríve perturbatione factum ; & in his quidem solvitur a effectum agendi à Superiore vinculum Religionis : at remanet videndum apud Judices, an jus Justitiæ faveat alterutri ex partibus. Recte autem id potest à Superiore fieri, quia pertinet ad Ecclesiam providere, ne jurans vexetur injustè. Castro Pal. *tom.* 3. *disp.* 3. *de jur. p.* 3. *n.* 4.

Dictum est (quando est dubium) quia non ratò in prædictis, quando res est certa, nullum est, nec indigens relaxatione, juramentum æquale est, si turpitudo sit ex parte materiæ juratæ, si juramentum cedat in injustum tertij detrimentum, &c. ut ex supradictis constat.

17. Sed quid agendum, quando causa dispensandi adest quidem ; sed omnibus expensis, non est omnino sufficiens ? Respondeo cum Sanch. *lib.* 3. *in Dec. c.* 19. *n.* 4. tunc intermiscendam esse commutationem, de qua *mox*, & *infrà*, cùm de voto ; hoc est, non esse absolutè juramentum remittendum, sed loco rei per juramentum promissæ esse aliquid boni operis injungendum juranti, magis, & minùs juxta insufficientiam causæ, non mathematicè, sed morali modo prudenter expendendam, v. g. si est certa. & gravis causa dispensandi juramentum de semel jejunando : absolutè Superior relaxet : si autem causa est mediocris, ita relaxet, ut obliget jurantem ad aliquam, v. g. orationem recitandam ; putà Coronam Beatæ Virginis, vel Officium Defunctorum, vel unũ Miserere, &c. juxta proportionem insufficientiæ causæ, &c.

## §. IV. *De Commutatione.*

1. QUando loco rei juramento promissæ substituitur ab habente potestatem aliud opus honestum, dicitur juramentum commutari. Potest autem substitui vel opus bonum majus, vel æquale, vel minùs : & circa hæc quærimus, quis commutare possit, quæ juramenta, ob quas causas.

*Quis.*

2. Non solùm Pontifex, & Episcopus, cæteríque, juxta dicenda *cap.* 16. §. 4. *num.* 4. jurisdictione Episcopali fruentes, sed etiam Confessarij, quibus id concessum est per privilegia, ut per occasionem diximus §. *præcedenti num.* 10. sub hoc tamen discrimine, quòd Pontifex potest ea omnia, quæ *supr.* §. 3. *num.* 5. diximus, ipsum relaxare posse : at Episcopus restrictior est hæc potestas, juxtà *ibidem* dicta. Rursus Pontifex, & Episcopus, quia hanc potestatem ordinariam habent, possunt illam aliis delegare : quam non possunt Confessarij, quia ipsi solùm sunt Delegati. Denique iidem Confessarij solùm quoad forum internum : Pontifex verò, & Episcopus, etiam quoad exterum.

3. Omnes autem, qui possunt dispensare, possunt & commutare : non contrà, quia dispensare est majus, quàm commutare : cui autem conceditur majus conceditur & minus in eo majori contentum, cùm tamen cui minùs conceditur, non concedatur majus.

4. Dubitatur hìc primò, An Confessarij electi per Bullam Cruciatæ possint juramenta commutare ? Ratio dubitandi est, quia Bulla solùm concedit commutationem votorum, de juramentis autem ne verbum quidem. Respondeo tamen posse juramenta soli Deo præstita, seu quæ solùm afferunt vinculum Religionis : sic Francisc. Bardi *de Bulla Cruciatæ, p.* 2. *art.* 7. *cap.* 1. *sect.* 10. aliique *ibid.* cit. Ratio est, quia hæc æquiparantur votis, ut *supr.* §. 3. *num.* 8. diximus, & probat fusè Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 14. *n.* 11.

5. Dubitatur secundò, An ipse jurans, aliquando possit sibi etiam sine causa commutare dictum juramentum soli Deo præstitum. Respondeo, posse in opus melius : sic Tol. Val. Bon. Sanch. aliique apud Castro Pal. *tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 3. *p.* 1. *n.* 6. Ratio est, quia non dicitur promissum infringere, qui in melius illud commutat : ita Abbas communiter receptus apud Sylv. *v. Juramentum* 5. *quæst.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 10. *q.* 1. Immò probabile etiam est, in opus æquale : ita Bonac. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1.

*n.17.n.11.* citans Val. Reginald. Sà, aliósque, & nos *supra*, cùm de commutatione voti : quia tunc redditur Deo, quod æquè illi gratum est, ipsúmque opus æquale, vel melioris bonitatis satis causa sufficiens est commutandi. In minùs nullo modo potest, quia ad hoc requiritur potestas jurisdictionis, ut mox *n.11.* dicam, & *infrà*, cùm de commutatione voti.

Dixi ( juramentum soli Deo præstitum ) nam non ita in juramentis homini principaliter factis, quia non æquè gratum est homini bonum æquale, vel melius: nam proprietas in eadem specifica forma, quâ res promittitur, est juramentum implendum à jurante. Sed de hac re iterum dicetur, cùm de voto recurret sermo *cap.16. §.5. à num.5.* & *cap.17.* ubi consilium quoddam afferam de juramento homini minùs principaliter facto, sive acceptato, sive non acceptato.

*Quæ Iuramenta.*

6. Omnia ea, quæ possunt à Superiore habente potestatem relaxari, multò magis possunt ab eodem commutari : vide quæ dixi *§. præcedenti, n.2.* solùm igitur hîc quærendum esset, an juramenta pœnalia, & conditionalia possint commutari ab Episcopo, vel privilegiatis, etiamsi sint de materia Summo Pontifici reservata : sed quia nos *supr. §.3.n.7.* probabile putavimus, illa quæque juramenta per se stantia non esse reservata, ideo multò magis reservata non erunt, quando sunt conditionalia, vel pœnalia ; quare poterunt à prædictis commutari.

*Ob quas causas.*

7. Ut superior possit juramenta homini præstita commutare, sufficiunt eædem causæ, quæ sufficiunt ad dispensandum, *§. precedente* : & illæ, illisque sub conditionibus requiruntur hîc, quæ ibi. Ut autem commutentur hæc juramenta soli Deo facta, quæ votis, ut sæpe dictum est, æquivalent, cujus ponderis causæ requirantur, hîc supereſt breviter explicandum.

8. Præmitto autem primò, licitè posse ab habente potestatem commutari juramentum, non solùm in bonum majus, vel æquale, sed etiam ( licèt existente causa, ut mox *n.11.* dicam ) in minus, atque hoc regulariter esse licitum, quoties habet quis potestatem commutandi vota, vel juramenta : ita Arag. *2.2.q.88. art.12.* citans Cordub. *in summa, de casib. q.189. & 190.* Tol. Sà, Less. Sayrus, aliique apud Sanch. mox citand. *n.1.* Ratio est, quia alioquin illa potestas frustratoria esset, nam, ut commutetur votum, vel juramentum in bonum majus, sufficit probabiliter propria authoritas, ut modò diximus *n.5.* quare, si facultas cómutandi aliquid tribuit, tribuit in minùs. Adde aliqua jura apud eundem Arag. addè & ipsam praxim.

9. Scio Sanchez *lib.4. in Dec. c.50. n.4.* & alios omnino velle, ut commutatio etiam ab habente potestatem semper debeat expediri, vel in æquale, vel in quasi æquale, quia commutatio ex ex D. Thoma *in 4. dist.38. q.1. art.4. quæst. ult. in corpore*, est veluti contractus inter commutantem nomine Dei, & voventem : at contractus permutationis debet æqualitatem habere. Sed fortasse Sanch. intelligit non posse ita in minus, ut moraliter æquivaleat dispensationi : non enim esset licita commutatio, si jejunium, v.g. commutaretur in unum Ave : fateor enim debere adesse aliquam proportionem inter rem juratam, & materiam suppositam, ne scilicet commutatio in dispensationem, quæ majorem requiri potestatem, transeat : id quod videtur Sanchez notasse per illud ( quasi ) Ad rationem ex Divo Thoma patet responsio, quia in mero contractu permutationis non intercedit potestas jurisdictionis, ut intercedit in casu nostro, nam propterea aliquid plus est casui nostro concedendum.

10. Præmitto secundò, ut fiat licitè & validè commutatio in majus, nullam requiri causam ; & in æquale satis levem, cùm ipsa bonitas operis causa sit sufficiens : ita Car. Pal. *tom.3. d.2. de voto, p.15.n.7. & 8.* at ut fiat in minùs requiri causam, ita, ut nec licitè, nec validè sine causa expediatur : ita Sanch. *lib.4. in Dec. c.19. n.4.* Ratio est, quia tunc admiscetur aliqua dispensatio, ad quam semper requiri causam *supra* diximus.

11. Dictum est *num.8.* ( ab habente potestatem ) quia nullus potest sibi ipsi in minus commutare suum votum Deo præstitum. Ratio est eruenda ex dictis, nam ad hanc intermiscetur aliqua dispensatio, quo non potest oriri, nisi ab habente jurisdictionem : at nemo ex se ipso habet in se jurisdictionem, quæ requirit superioritatem in alium, &c.

12. His positis, causæ ad commutandum ad tres reducuntur. Primò, si res promissa sit reddita illicita, vel inutilis. Secundò, si ex parte voventis, seu jurantis reddita sit difficilis, seu incommoda, ut si supervenerit infirmitas, vel imbecillitas, &c. Tertiò, si magis bono communi expedit, ut non impleatur tale votum, seu juramentum. Alia huc pertinentia dicemus, cùm de commutatione voti ; eadem enim est voti, & hujus juramenti ratio, ut nimis sæpe dictum est.

## §. V. *De materia subrogata Iuramento.*

1. QVi non observat id, in quod suum juramentum commutatum legitimè fuit, éstne perjurus ? Respondeo, non fore perjurium, quia rem subrogatam nec juravit, nec, ut suppono, illam sub novo juramento acceptavit : ita Less. *lib.2.c.42.n.57.* Trull. *lib.2. in Dec. d.33. n.7.* Bon. *tom.2. dis.4. de jur. q.1. p.17. n.13.* citans Suar. & Sanchez.

Tenebitur ergo solùm ex pacto, quoad rem illam loco materiæ juratæ præstandam consensit. Unde si res subrogata gravis erit, graviter contra pactum peccabit : Quòd si levis, etiamsi loco gravis rei juratæ supposita fuerit, puto probabile esse leviter peccatum. Id quod mihi persuadet paritas sumpta à pœnitentia Sacramentali, quæ si levis sit, licèt pro peccatis gravibus imposita, non obligat ex probabili opinione, *in nostro opusc. de Confess. lib...c.1.§.2.n.5.* nisi leviter.

2. Illud adverte : ab emittente materiam subrogatam voto, peccati contra votum : quia ex eo, quòd quia accepta materiam subrogatam in Voti commutationem, censetur promittere Deo illam servare ; atque adeo consentit transferri vinculum Religionis, quod erat in materia voti, in materiam subrogatam, vide *infrà, c.16.§.6. n.2.* ubi citatur Sanchez : id quod in casu juramenti, ut juramentum est, non ita se habet ; quia non statim ac promitto aliquid facere, id sub juramento censeor promittere. Ita Less. *loc.cit.*

Alia spectantia ad materiam subrogatam, dicentur *infrà, cap.16.§.4.n.35. & §.7.*

## §. IV. *Solutio aliquorum casuum huc pertinentium.*

1. EX dictis operæ pretium erit, sequentes solutiones practicas deducet. Petrus vovit, & juravit pauperem puellam, nullam determinando, se ducturum. Franciscus vovit idem, sed sine juramento. Antonius juravit idem duntaxat, sed sine voto, & nulla adhuc acceptatio ab aliqua certa puella facta est. Qui potest hæc dispensare, vel commutare ? Dico tum Episcopum, in utroque foro, tum in foro interno te privilegiatum, seu Confessarium delegatum posse, cum causa, ut semper supponimus, dispensare, vel certè commutare juxta privilegium, quo gaudes. Ratio est eruenda ex probabiliter dictis *§.3. n.2.* quia hæc sive Vota, sive juramenta, solum continent vinculum Religionis.

2. Rursus, Petrus juravit Bertæ puellæ matrimonium, quæ nondum acceptavit. Franciscus idem juravit eidem, quæ jam acceptavit. Antonius vovit, & juravit idem eidem acceptanti. Martinus vovit, & juravit idem & eidem non acceptanti ; quisnam dispensabit, vel commutabit ? Dico Episcopum, & te privilegiatum dispensare, vel juxta tua privilegia commutare posse primo,

& quarto, id est, Petro, & Martino; quia cùm non sunt juramenta vera acceptata, solum continent vinculum Religionis, ad quod Episcoporum, & privilegiatorum potestas extenditur.

Aliis verò duobus, secundo, & tertio, id est, Francisco, & Antonio, dico neminem posse. Ratio est, quia hæc sunt vota, vel juramenta emissa principaliter, ut supponimus, in commodum tertij acceptantis; ad quæ nec Episcopi, nec Delegati potestas, quæ est ad ea, quæ in solum Dei obsequium præstantur, extenditur: eo ipso enim, quo sunt acceptata, nec intervenit injuria ex parte recipientis; involvunt vinculum justitiæ, quod solvere nulla authoritas valet, nisi ob bonum publicum, &c.

3. Denique Petrus propter amorem Dei vovit, juravítque puellam inopem indeterminatè ducturum (supponamus hoc votum esse validum? de quo tamen dicam *infrà, c.15.§.3.n.4.*) mox determinatæ Bertæ id manifestavit, quæ acceptavit promissionem. Antonius pari modo vovit, juravítque eleemosynam alicui pauperi, seu Ecclesiæ, nullam signando, erogatùrum; mox determinatum pauperem, seu Ecclesiam acceptantem elegit: quæritur, an Petrus possit aliam puellam inopem ducere, & Antonius alteri pauperi ab electo eam stipem elargiri? Rursus, qui dispensare in his, vel commutare valeat?

Dico, posse Petrum, quantum est ex vi juramenti, vel voti, aliam ducere; & Antonium alteri stipem erogare: ita Sanch. *lib.4. in Dec.c.41.n.14.* Castro *tom.3. tr.de voto, disp.1.c.16.num.7.* Ratio est, quia cùm hæ promissiones nonnisi Deo directæ sint, non possunt prædicta Berta, & Ecclesia dici legitimè acceptare; acceptat enim legitimè aliquis id, quod illi promittitur: nunc verò nihil ipsis promissum fuit: ergo si acceptant, illegitimè, & nulliter acceptant. Hic ergo casus est longè diversus, ab eo, quem posuimus modò §.3. *n.2.* in quo votum, vel juramentum emissum supponitur solum in hominis commodum, atque hunc legitimè acceptasse: propter eandem rationem, in utroque foro poterunt dicta juramenta ab Episcopo, vel in foro conscientiæ à privilegiato dispensari, seu commutari, perinde ac cætera solum retinentia vinculum Religionis, de quibus dictum est *suprà*. Si juramentum, vel votum sit principaliter in obsequium Dei, sed minùs principaliter in commodum hominis, etiam determinati, isque acceptaverit; dicam *cap.17.de Voto, §.2.*

4. Dixi (quantum est ex vi juramenti, vel voti) nam si Petrus sponsalia cum dicta Berta iniisset, requirerentur causæ à Doctoribus apud Sanch. *4. de matr. lib.1.d.55.* explicatæ, ad ea dissolvenda, aliámque ducendam. Pari modo, si Antonius, quando elegit dictum illum pauperem, vel Ecclesiam, se principaliter in commodum ipsorum nova jura promissione illis acceptantibus obligasset: essemus in alio casu, in quo est legitima jam acceptatio, ubi dispensare, ut sæpe docuimus, nullus potest. Nam si principaliter fuisset in obsequium Dei, & minùs principaliter in ipsorum utilitatem, jam promisi me dicturum, cùm *de Voto, cap.17. §.2.*

## Caput VIII.

## De Adjuratione Juramento affini.

### §. I. *De Adjuratione in universum.*

1. Si quis ita obtestetur: *Hoc præsta per amorem, quem Deo, Sanctis, tuo Patri geris: Per vitam tuam, per vitam Patris tui hoc age.* Item si sic te quis terreat aliquid imperando: *In virtute Dei, vel Sanctorum, in nomine Regis, id gere*, dicetur te adjurare. Adjuratio igitur non est juramentum, nec deprecatio: Sic Suar. Sanch. Castr. *l.mox cit.* aliique, sed imprecatio, seu jussio per aliquam rem dantem moraliter, hoc est, in conceptu hominum ipsi imprecationi, seu jussioni vim. Et quidem si per Deum, vel per ea, quæ ad Deum pertinent, exhibetur, erit actus Religionis Latriæ; si per Virginem, Hyperduliæ, si per Sanctos, Duliæ; si per homines, erit actus politiæ, humanæque imprecationis.

2. Hinc vides primò, omnes creaturas adjurari posse; omnes, inquam, quæ jussionem, imprecationémque percipiunt, quales sunt Rationales? Irrationalia tamen, impropriè; quatenus Deo obedientiam physicè præstant, adjurantur; Vt si monti dicatur à Sancto viro: *In nomine Christi hinc transfer te in alium locum*; quo pacto verè Deus adjuratur, ut scilicet in re assistat.

3. Vides secundò, adjuratum ex vi solius adjurationis nequaquam obligari ad rem præstandam: quia adjuratio est tantùm inducta ad inducendam majorem quandam reverentiam, vel timorem ipsi personæ adjuratæ, non verò ad inducendam obligationem, qualem inducit commemoratio juramenti facti, vel obedientiæ votum, præceptúmve. Ne autem temerè contra virtutem Religionis exerceatur adjuratio, requirit eosdem proportionaliter comites, quos Juramentum: nempe Veritatem, Justitiam, Judicium.

*Veritas.*

4. Hæc consistit in eo, quòd non fiat adjuratio per falsos Deos, v.g. per Saturnum, per Jovem, &c. vel per eum, cui non debeatur reverentia, v.g. per Luciferum, per dæmones, &c. quibus modis peccatum esse mortale non est dubium.

Consistit etiam in eo, quòd non intermisceatur aliquod in adjuratione mendacium; ut si quis occultus dives eleemosynam petat, ut pauper, propter amorem Dei; At peccátne is mortaliter? Respondeo, sive hic peccet contra justitiam, sive non item, de qua re alibi, certè non peccat, nisi venialiter contra Religionem: ita Sanc. *lib.2. in dec.c.42.n.5.* citans rectè Suarium, quia inducere alium ad præstandum bonum, etiam cum fictione, & mendacio levi, ut hîc supponimus, non est gravis Dei irreverentia. Neque enim tunc assumitur Deus ad iniquitatem patrandam, ut contendit Castr. *t.3.tr.14.d.5p.4.de adjur.p.1.n.5.* immeritò citans Suarium: assumitur enim ob bonum actum faciendum ex parte dantis eleemosynam, licèt, quia ex parte recipientis is actus bonus non sit, aliqua committatur, nempe venialis irreverentia. Non esse autem mendacium leve fictis miraculis ad fidem allicere, *suo loco* docebitur.

*Justitia.*

5. Hæc consistit in eo, ut non petatur, nisi res justa, & honesta. Ita Sanch. Castro Pal. *l.c.* aliique. Quare si quis per Deum vel Sanctos, etiam sistendo in illis, adjuret quempiam ad committendum peccatum mortale, præter ipsum mortale in propria materia, mortaliter peccat contra Religionem; si ad committendum veniale, venialiter: quia ibi gravis, hîc levis est irreverentia: At si per hominem, v.g. per vitam Patris, amici consanguinei, adjuret quis ad patrandum sive mortale, sive veniale peccatum, non addit aliud peccatum præter peccatum, quod petit, quia ex hac adjuratione non transfertur culpa pravæ petitionis in aliam speciem.

*Iudicium.*

6. Hoc in eo consistit, ut adhibeatur modus discretus, & prudens. Ita Suar. *lib.4. de Iur.* qui est *de Adjuratore, cap.4.n.9.& 11.* quare non decet passim, & sine occasione per Dei, & Sanctorum nomen aliquem adjurare: esset enim culpa, sed certè venialis, sicuti est juramentum verum, quod sine consideratione in vanam emittitur. Rursus, ne adjuretur Deus, & Sancti imperativè, nec dæmon deprecativè, quæ ut pater, essent mortalia peccata: nec homo subditus, imperativè, quod esset mortale, si injustitia, quæ ipsi fieret sic imperando, esset gravis: venialis, si modica. Irrationalia, sive imperativè, sive deprecativè, eo modo propriè, ac si intelligeret, adjurare, vanum certè est, & consequenter veniale; potest tamen aliquando mortale, & superstitiosum esse, si fiat ex

ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone: & sic est (nisi excuset ignorantia) quando his creaturis, v.g. locustis frugibus nocentibus, ventis grandini, vel similibus aliqui constituunt Advocatum, assignant terminum, pronuntiat sententiam, &c. quia tantus rerum vanarum apparatus non videtur fieri sine tacito saltem pacto cum dæmone.

7. Denique Deus adjurari potest per semetipsum, juxta illud Dan. 9. *Ne moreris propter temetipsum, Deus meus*, potest item per creaturas, quas utpotè eorum conditor, non potest non amare, & sic adjurat, &c. Exod. *Recordare Abraham, Isaac, Iacob servorum tuorum.* Dæmon autem per Deum, Sanctósque ad Deum relatos, adjurari recte potest, Creaturas enim vel non timet, vel parvi facit. Creaturæ per Deum, per sanctissimam Virginem, per Sanctos adjurantur, ut innui *n.* 1.

## §. II. *De Adjuratione dæmonum.*

1. Potissimæ difficultates in hoc argumento versantur circa adjurationem dæmonum, corpus hominis obsidentium, nam propterea de illa hîc meritò sigillatim disputare, operæpretium erit. Illud præadverte diligenter: Exorcistam (sic Græci vocant adjuratorem, sicut exorcizare dicunt, quod nos dicimus adjurare) cognoscere debere hominem verè esse à dæmone obsessum. Signa certa sunt, si abreptus loquatur diverso, ignotóque idiomate, si canat, scribat, aliáque faciat, quæ antea nulla ratione callebat, si ita stet immotus, ut à robustissimis quibusque nequeat dimoveri, si distantia & verè occulta patefaciat, & similia. Ita Delrius *lib.* 2. *c.* 2. *q.* 3. *Sect.* 2. Corvelo *de superstitione*, 3. *p. c.* 8. Alia signa, ut dissonæ voces, sævi dolore, motus corporis insoliti, & similia valde sunt incerta.

### *De fine adjurationis, & quæ imperio adjurantis in dæmonem.*

2. Dæmonis adjuratio tunc solùm est licita, cùm fit ad finem, ut is à nocendo desistat, & ab homine, locóve aliquo expellatur. Ita Suar. *t.* 2. *de Rel. lib.* 4. *de adjurat. c.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in Dec. c.* 42. *n.* 25. & 26. aliique ibipsis cit. Ratio est, quia cum Dei inimico, eóque, qui nostra æterna mala semper intendit, commercium, familiaritatémque habere, esset charitatem Dei, propriámque violare. Neque obstat Sanctos aliquos non ignobile aliquod ministerium à dæmone poposcisse, atque admisisse, ut sternere lectum, equum ducere, &c. id enim ij fecerunt ex peculiari sancti Spiritus instinctu ad publicam utilitatem, ejusdemque dæmonis confusionem.

3. Præterea hæc adjuratio fieri debet imperativè, v.g. *Exi, fac, die*, non verò deprecativè, v.g. *Rogo te, ut facias, ut dicas, hanc à me gratiam ineas, aut exeas*, &c. quia, nimirum deprecatio præfert humilitatem, & amicitiam, quæ non ostendit imperium, quod exercere solùm concessit Fidelibus Christus Dominus in dæmones, ad eosdem suo nomine profligandos.

### *Quæ locutio usurpanda cum dæmone.*

4. Si Exorcista nomen dæmonis interroget ab obsesso, si scisciteur ingressus causam, numerúmque spirituum, si petat aliquam veritatem, quam verè huc, & nunc ad Dei gloriam conveniat ab ipso propalari, & similia cum dæmoniaco tractet, quæ ad dæmonem fugandum, terendúmque conducant, licitè operabitur; at si longos sermones, vanos, curiosósque cum illo commisceat, scientias rerum ab ipso expostulet, præterita quæque recenseret, vel occulta, futuráve prædicere eum cogat, mortaliter peccabit, quia sic cum eodem familiaritatem habere velle, facto ipso convinceretur.

5. Dixi (sermones longos) si enim quis aliquid modicum semel, vel iterum curiosè peteret, esset veniale ex levitate materiæ.

Certè in hoc nimis rigidè loquitur Castro Pal. *tom.* 3. *tr.* 14. *d.* 4. *n.* 8. cùm sic habet: *Verius est, quamlibet interrogationem, quæ ad expulsionem non conducit, esse peccatum mortale.* Ex alia parte nimis laxè Navar. *in sum. c.* 11. *n.* 28. (cum quo Less. *lib.* 2. *c.* 42. *n.* 71. *vers. unde sequitur*, Cajet. 2. 2. *q.* 90. *art.* 1.) dum absolutè, & sine ulla restrictione sic ait: *Colloqui cum ipsis dæmonibus, corpora hominum obsidentibus, & curiositatem, vel vanitatem, tantum non est plus, quàm veniale.* Media igitur via est eligenda, ut sit veniale, sermones hos obiter, & judicio prudentis modicos intermiscere; mortale, prolixos. Ratio est mihi manifesta, quia hi sermones ostendunt socialem, ut rectè loquitur Cajetanus, conversationem habere velle cum communi hoste; illi nequaquam, sed meram, vanámque curiositatem. Duc exemplum ab homine: si enim quempiam de aliqua re vanè interroges, non statim ex ea interrogatione habere cum illo amicitiam, societatémque velle præsumeri; si seriò, & protractos, præsumeris certè.

6. Dices cum Castro Palao *l.c.* Deprecativè, ut modò dictum est, cum dæmone loqui sub culpa mortali non licet, sed solùm imperativè; At si vel breviter cum illo loquaris curiosè, loqui cum ipso deprecativè convinceris, quia per curiositatem illam imperativè te habere non potes, ergo, &c. Respondeo, nego Minorem: non enim valet: non loquor cum Petro imperativè, ergo loquor deprecativè; possum enim tertio modo loqui, nempè, ut ita dicam, expositivè, exponendo ei illa, quæ discere intendo, expectandóque responsum.

7. Dices iterum cum eodem: Dæmon quidquid dicit, facítque, ex odio contra Deum dicit, & facit. Ergo cum illius peccato cooperor, si illum invito ad aliquid faciendum, quod non sit illud, quod concessit Christus ad eum fugandum. Respondeo cum dæmon semper sit ad tale peccatum paratissimus, ego non quidem causâ, sed mera occasio sum ejus peccati: ad quam occasionem evitandam Deus non me obligat, sic [illegible] obilis opinio non obligar me ad non petendum mutuum ab usurario parato. Lege Dien. *p.* 4. *tr.* 7. *res.* 8. & *ibid.* citatos.

### *An liceat exposcere à dæmone, & aliquid faciat.*

8. Ad tria reduco ea, quæ gerenda exposci possunt à dæmone. Primò, quæ ad fugam, vel desitionem nocendi conducunt, vel easdem significant, quale est genuflectere, stare, tacere, dare signum egressus, lampadem extinguendo, vitrum frangendo, &c. Secundò, quæ ad obsequium tuum, vel tui amici, ut sternere lectum, ducere equum, mederi infirmo, &c. Tertiò, quæ ad neutrum, seu ad nihil, ut movere lapidem, extirpare arborem longè positam, &c. quæ ad nihil conducere, sed solùm ad curiositatem pertinere supponimus.

9. Jam licitè exposci posse, quæ in primo capite comprehenduntur, patet ex dictis, posse autem, quæ in secundo capite, jam etiam ex dictis patet, nimirum, quia hæc utraque sunt manifesta signa, imò illectamenta amicitiæ, & societatis: & quia Christus Dominus non ad dæmonum ministeria admittenda, sed solùm reliquit potestatem Ecclesiæ ad eos arcendos. Ita Castr. mox citandus *num.* 12.

10. De tertio ergo nonnulla subotitur dubitatio. Et quidem Castr. Pal. *d.* 4. *cit. p.* 4. *num.* 8. ait id esse mortale, quod petere quid ab aliquo, in quem potestatem non habes, est te humiliter illi subjicere, ac deprecari, & reluti pactum Societatis cum illo inire: at quoad hæc vana non habet homo potestatem in dæmonem à Christo, ut dictum est, ergo, &c. Sed meritò Sanchez *lib.* 2. *in Dec. c.* 42. *n.* 25. Nav. Sylv. Bon. Val. Suar. aliique cit. ab eodem Castr. *l.c. n.* 7. putat esse veniale, quia est levitas materiæ, & imperfectus actus commercij socialis: neque enim eo ipso, quod aliquid vanè à te peto, pactum tecum ineo, amicitiam tuam mihi concilio, vel me tibi submitto, ut Castro Palai ratio gratis contendit. Intellige autem, si id fiat semel, aut iterum, & quidem non deprecativè, consequenter ad ea, quæ modò diximus de collocutione; nam si sæpè, vel deprecativè, convinceretur appeti cum dæmone absoluta socialis amicitia, vel subordinatio, quod esset mortale.

*An adjurans licitè præcipere queat dæmoni superiori, ut dæmones inferiores pellat à corpore, vel ut manifestet maleficium.*

11. Accidit non rarò in obsesso adesse superiorem dæmonem, & simul inferiores, (id autem suppono potiùs, cum Less. *lib.2.c.44.n.22.* & Suar. *t.1. de superb. c.18. n.8.* quàm quæro) in hoc ergo casu, quamvis demus non posse à dæmone, qui sit extra corpus peti, ut pellat eos, qui sunt in corpore, de qua tamen re dicam *mox num.3.* casus noster nunc est de dæmone superiore, qui est in obsesso. Ratio dubitandi, quòd non possit id peti, est; quia sic videtur beneficium postulari à dæmone, quod non licet. Sed certè (quidquid sentiant Castr. *t.3. disp.4. de Adjur.p 4.n.10*, Sanch. *lib.2.in Dec.c.42.n.21.* alique) licitè adjurantem id præcipere posse, indubitater censeo. Ita Sylv. *v. Adjurat. q.5. vers. & hæc etiam ratione.* Ratio est, quia falsum est eo modo peti beneficium, vel obsequium sociale: non enim statim ac à te peto, vel imperativè volo id, quod mihi bonum est, recipio, vel peto amicabile beneficium: sic enim Exorcista ne expulsionem quidem imperativè petere posset, quia expulsio bonum quid est. Beneficium ergo debet quidem esse mihi bonum, sed quod gratis, sed quod ex voluntate bona, sed quod ex tuo amore procedat. Sive ergo sic præcipiat adjurator: *Exi cum aliis tuis sociis*, in quo loquendi modo non manifestè apparet petitio à superiore dæmone, ut depellat socios: vel sic, ubi apparet: *Exi, & pelle tuos socios*, licitè præcipit, quia nec amicabile beneficium affectat, & utitur potestate, quam Christus circa ejiciendos, sive directè, sive indirectè, dæmones, amplè concessit.

12. Dices primò: At ostenderet Exorcista se indigere auxilio [illegible] dæmonis, in corpore obsessi existentis, quod esset se illi submittere. Respondeo, nego id ostendere: patet in hominibus: si quis enim haberet plenam potestatem expellendi milites, eorúmque ducem ab arce quapiam, utque illos de facto expelleret, imperium non in milites dirigeret, sed in Ducem, ut scilicet ipse suos secum aliò duceret, nullo modo diceretur præse ferre indigentiam auxilij, sed solùm velle uti potestate, sive immediatè, sive mediatè hostes ab eo loco expellendi. Videat me doctior, an etiam propter hanc rationem licitè possit Adjurator petere, imò & cogere ab hoc dæmone, ut dicat, an alius, v.g. infirmus sit maleficio affectus, nécne, & ut manifestet, maleficij genus, vel signum, & in quo loco fortè invenire possit, quæ omnia videntur dirigi ad salutem proximi, & ad arcendos dæmones à fidelium vexatione.

13. Dices secundò, hæ rationes probant posse etiam idem peti (certè interpretativè) à dæmone superiore existente extra corpus obsessi. Respondeo ita quidem, id quod docet Sylvest. aliique apud Tanc. *de rel. disp. de adjurat.n.48.* unum tamen video, id vix posse in praxim deduci, quia nescit Exorcista, quisnam ex dæmonibus extra corpus sit superior, nec facilè credendus ipse dæmon in corpore, si aliquem sibi superiorem extra corpus affirmet: Mendax enim est ipse ab initio: at in corpore magis credendus, quia ex usu Ecclesiæ huc spectant Exorcismi.

*An contrà, facere aliquid, vel connivere potest Exorcista ad petitionem dæmonis.*

14. Certum est non posse, si res sit illicita, vel si quamvis aliàs licita, animo amico dæmoni concederetur. Solùm ergo ea possunt, ad ejus petitionem fieri, vel permitti, quæ faciunt ad ejus expulsionem, & fugam: Sed tamen adhuc pro his controversia triplex agitari solet.

15. Prima. An si dæmon petit, ne illum in infernum amandet, (quò illum amandare certè licitè posset Exorcista, quia ei loco à Deo dæmon addictus est) sed releget in locum desertum; possit ab Exorcista id concedi? Respondeo licitè posse sub spe divinæ ratificationis; cùm enim Deus dæmonem nondum actu in inferno conclauserit, id reservans post finale judicium: relegationem in locum desertum nomine Dei ab Exorcista concessum, idem Deus ratificare credendus est. Quòd si Exorcista potest, videtur teneri: sic Castr. *d. d.4. p.4. num.* 14. quia charitas dictat, ut proximo succurratur, quando sine incommodo potest, hîc autem proximo succurritur, quia facilior redditur expulsio, nec incommodum ullum inde timetur.

16. Secunda. An si dæmon petat, ut immittatur in equum, v.g. Petri, sicut petiit, ut immitteretur à Christo Domino in gregem porcorum, concedere id liceat? Christus enim erat Dominus illius gregis: atqui Exorcista non est equi Dominus. Respondeo, conveniunt Doctores apud Tanc. mox cit. licere in equum immittere, vel in quid simile, non admodum grave damnum inferes equo, Ratio est, quia etiam hic tertius num modico suo incommodo illi dæmoniaco subvenire obligatur. Sed quid, si id damnum tertij grave notabiliter esset. Nequaquam licere censent aliqui, cum Tanc. *t.1. de Rel. disp. de adjur. num.67. fin.* quia nemo tenetur cum gravi suo incommodo saluti corporali alterius succurrere.

17. Verùm mihi videtur licere. Ratio est, quia hanc dæmoniaci non puto esse solùm gravem necessitatem, sed extremam; in qua ex communi sententia, omnia sunt communia. Audi Castro Palaum *t.2. disp.2. de charit. p.2. n.1.* sic rectè docentem: *Extrema necessitas est, si proximus in probabili, & moraliter certo periculo vitæ versetur, nisi illi succurras. Ad hæc reduci potest periculum mutilationis membri, perpetui carceris, aut alicujus infirmitatis perpetuæ, quia hæc morti comparantur, ideòque à Doctoribus necessitas horum eventum vocatur quasi extrema.* Hæc ille: at certè quæ gravior infirmitas, quàm à dæmonibus vexati? & certè sine fine obsessus vexabitur, nisi succurratur. Secunda tamen regula: Ne proximus, qui est in possessione suarum rerum, ponatur, in simili malorum, vel notabilis paupertatis periculo, id quod, & similia vide apud Castro Palaum citatum.

18. Tertiò, An, si dæmon pêtat, ut immittatur in alium hominem, seu dicat se exiturum quidem, sed velle aliud hominem arripere, an, inquam, possit id concedere, seu connivere Exorcista?

Non posse, communis; & vera docet opinio. Ita Deltius *lib.16.disq.mag.cap.3.* Sanchez *lib.2.in Dec.c.42.n.36.* Castro Pal. *t.3.d.disp.4. de adjur. p.4. n.13.* quia nemo est Dominus vitæ proximi. Neque dicas saltem posse permittere: ne id, inquam, dicas, quia ejusmodi permissio esset tacita concessio: sicuti si servus volens aliquem interimere, expectaret nutum Domini, Dominus autem connivèret; sanè ejusmodi permissio nutui in his circumstantiis æquipolleret.

19. Illam exceptionem faciunt ex Tyraco Sanchez *ibid.* & Castro Palaus *ibid.* Aiunt enim tunc posse Exorcistam connivere translationem dæmonis in alium hominem, quando concurrerent hæ quinque conditiones. Primò, si is, qui de novo opprimendus est, sit pessimæ vitæ. Secundò, si circa opprimendum habeat Exorcista summum dominium. Tertiò, si Exorcista summam potestatem habet dæmonem à noviter obsesso, quando vult, expellendi. Quartò, si adsit spes majoris boni ex priori obsessi liberatione, & istius posterioris damno. Quintò, si non fiat ex voluntate placendi dæmoni.

20. Sed profectò huic exceptioni, pace tantorum virorum, non est acquiescendum. Primò, quia tot ponuntur conditiones, ut vix simul in praxi conjungi possint. Secundò, quia nullus omnino homo in hominem tanto dominio potitur, ut eum vexare per dæmonem possit. Quòd si Princeps in reos propter Reipublicæ bonum animadvertere etiam usque ad inferendam mortem potest, testes sunt proferendi, reus est audiendus, sententia est pronuntianda, quæ non potest facere, nedum non facit Exorcista. Quare si sanctus Paulus Satanæ tradidit semel pravum hominem, ut spiritus salvus fieret: fuit dispensatio peculiaris Dei ex Spiritus sancti instinctu. Tertiò, ecquis erit ille, qui potestate certa

sit,

ſit, iterum repellere à nova ſede dæmonem? Id & illi ſupernaturaliter concedendum eſſet, & per aliud miraculum foret idem revelandum id fuiſſe conceſſum, quæ & ſimilia, quàm ardua ſint, nullus non videt.

11. Aliam exceptionem, ſeu declarationem legi apud Tanc. *tom.1. de Relig. d. de adjur. num.* 67. poſſe ſcilicet adjuratorem concedere, ut exeat dæmon, ſi conceſſio non feratur in hunc hominem determinatè, ſed in aliquem indeterminatè, ut ſi dæmon diceret: *Si hinc abeo, alium hominem arripiam*, poſſet reſpondere Exorciſta *Fac, & alium aggredere.* Ratio eſt, inquit, quia jam dæmon non poteſt deinde in aliquem determinatè ingrediendi, ſine Dei voluntate.

Verùm animo nequaquam ſedet hæc exceptio, perinde ac non ſedet ejus ratio. Si quidem ne ſine Dei quidem voluntate in hominem determinatum ingredi eidem conceditur, & tamen id ab Exorciſta permitti nequit, quare cùm contra utramque permiſſionem, tum de determinata ſcilicet, tum de indeterminata perſona obſtendà, eædem militent inconvenientiæ, ut accuratè conſideranti conſtabit: concedi, ſeu permitti neutra poteſt.

*Monitiones non inutiles pro Adjuratoribus.*

12. Primò, ex Suar *tom.2. de Rel. lib.4. de adjurat. c.1. n.1.* Sanch. *lib.2. in Dec.c.42.n.4.* Caſtr. *d.4. de adjur. p.2.* ſciat Exorciſta ex juſtitia ſe obligari ad adjurandum dæmonem, ſi ſit Paſtor, & prudenter judicet ſe poſſe obſeſſo ſuis adjurationibus opitulari: imò, qui non eſt Paſtor (modò non adſit aliud remedium aquæ benedictæ, aliarum orationum, Agnorum Dei, &c.) tenebitur ex charitate, quando ſine magno ſuo incommodo per adjurationem adjuvare poteſt, juxta regulas generales, de præcepto Charitatis.

Video tamen vix prudenter poſſe Exorciſtam judicare, ſe tantum auxilium ferre, niſi ſit admodum peritus, & proſpero experimento contra dæmonem comprobatus.

13. Secundò: qui ſolemniter, & publicè dæmoniacum adjurat, Sacerdos ſit, vel ſaltem prima tonſurâ Clericus inſignitus, vel certè Religioſus Deo dicatus (& quidem ejuſmodi ut non ſubſit periculum, quod à dæmone decipiatur) id enim pertinet ad publicum miniſterium à Chriſto Domino relictum Eccleſiæ.

14. Quid, ſi Laïcus ſine dicto periculo dæmonem vellet ſolemniter, & publicè adjurare? Reſpondeo: peccaturum mortaliter, etiamſi doctiſſimus ſit, aliqui docent: ita Tanc. *loc.cit. num.*42. Ratio eſt, inquiunt, quia affert aliis ſcandalum, & quia à gradibus Eccleſiaſticis ſejunctus publicè eorum miniſteria, ac ſolemniter uſurparet. Ego non peccaturum mortaliter putò. Primò, quia, neque ſic peccat, qui publicè Miſſæ inſervit, Acolythi v.g. munus exercens: multò minùs ergo, qui Exorciſtæ. Secundò, quia omnes fideles Baptiſmo Chriſti inſigniti terribiles ſunt dæmoni, juxta illud, quod fidelibus omnibus dictum eſt: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Tertiò, quia jam inſinuas privatim poſſe, etiam Exorciſmos Eccleſiæ recitando. Ita Suar. *t.2. de Rel. lib.4. de adjur. cap.2. n.10.* Sanch. *lib.2. in Dec.c.42. n.18.* Caſtr. *diſp.4. citata p.3.n.2.* cur ergo non publicè? Propter ſcandalum? verùm, ut ſit ſcandalum paſſivum. Sed facit eſſe activum. Fateor, ſi quando ejuſmodi apparet, non licere; Sed ait hoc inter fideles rarò contingere; quod ſi contingat, facilè poſſe aſtantes ab ipſo adjurante inſtrui de rei veritate. Quartò, quia non obſtat alieni miniſterij uſurpatio; nam in re tam neceſſaria, atque utili proximo, tamque modici præjudicij, facillimo negotio Miniſtrorum ratihabitio præſumi poteſt. Quintò, quia quod aliquibus ex officio competit, non negatur aliquando aliis, qui idem non ex officio faciant. Sic baptizare convenit ex officio Sacerdoti, nec tamen propterea negatur Laïcis, imo, & fœminis in neceſſitate; & ſexcenta ſimilia; &c.

Hæc igitur ſententia probabilis eſt, ſi ſemel, aut iterum dæmoniacus à docto, pióque Laïco publicè adjuretur; cæterùm, ſi ſæpiùs, cum admiratione gravi populi cum contradictione Parochi, &c. id, attentaretur; certè tunc juxta gravitatem ſcandali, vel contradictionis, gravis eſſet conſtituenda culpa.

15. Tertiò, licèt Exorciſtæ ſcribere nomen diabolis & illud comburere; licèt in obſeſſum exſpuere, licèt leviter percutere, & ſimilia; atque hæc in dæmonis contemptum. Ita Delrius *lib.2. Magic.q.*30. *ſect.*3. Sanch. *lib.4. in Dec.c.4.n.*33. Tullench. *lib.1. in dec.c.*14. *n.*21. Caſtr. *l.c.p.4.n.*15. aliique paſſim; quia cæterùm res corporales vim nullam habent ad vexandos ſpiritus, qui rebus corporeis non afficiuntur, niſi fortè ut ſignis. Lege S. Aug. *l.2. de civ. Dei, c.*6. capillos radere, ſi fiat ad ſuperſtitionem, v.g. ut facilius exeat, pilis non impedientibus, dæmon; certè non licèt? ſed licitè poſſet fieri, vel ad dæmonis contemptum, vel ad amonendum ſignum maleficij, fortè in capillis per unguenta adhæreſcens, ut alibi dixi, cùm *de maleficio.*

16. Quartò, medicamenta, vel ſuffumigia naturalia adhibere etiam licet, quia dæmoniacus non rarò atrabili, aliiſque noxiis humoribus abundat; ſed hæc medicis præſtanda potiùs relinquat adjurator, quàm ipſe exhibeat. Atque hìc in multis peccant mulierculæ, remedia adhibentes inutilia. Nam primò, peccant contra juſtitiam extorquentes pro ſcimmeritò pecuniam, & inutiles ſumptus cauſando in aliis. Secundò, contra juſtitiam iterum, & contra charitatem, dum ſunt cauſa, ne infirmus alia utilia remedia quærat, quibus fortè convaleſceret. Tertiò, contra Religionem, dum ſunt cauſa, ut vanis ſuperſtitionibus, quas ipſæ frequentiſſimè admiſcent: ſimplices, ac rudes adhæreant, atque inſiſtant.

17. Quintò, non licèt acriter flagellare, vel pugnis percutere dæmoniacum: Ita Delrius, Sanchez, Caſtr. *ibid.* quia & eſſet contra charitatem proximi, & nihil utile fieret ad expulſionem eorum ſpirituum, qui corporeas percuſſiones non ſentiunt.

Quid, ſi dæmoniacus eſſet Clericus? Si Exorciſta, licèt imprudenter, & cum culpa, dæmonem in obſeſſo graviter percuteret, incideréne in excommunicationem: *Si quis ſuadente?* Reſpondeo. Niſi ignorantia excuſationi eſſet, ſanè incideret, quia jam Clericus percutitur.

Dices: at non percutitur Clericus, ſed dæmon in Clerico. Reſpondeo; at percutitur etiam Clericus: atque adeò Clericus in dæmone, idque fit ſuadente diabolo, poſito, quòd ignorantia non excuſet, & advertas injuriam gravem te facere Eccleſiaſticæ perſonæ. Idémque verum haberet, ſi dæmon te contumeliis, v.g. afficeret, & tu exicandeſcens, illum in vindictam graviter cæderes; tunc enim, quamvis directè tua intentio ad dæmonem contemnendum ferretur, tamen non dæmoni, ſed Clerico realem percuſſionis injuriam infligere, idque non ſuadente ſolùm, ſed excitante etiam, ut ita dicam, & commovente diabolo excandeſcentiam tuam. Si carnem, v.g. contra te latrantem ſtricto gladio proſequereris, & illum in ſui Domini Clerici ſinum proſilientem, ſimul cum Domino (id advertens) confoderes: nónne in excommunicationem incideres: Ita ſanè, quia ſic injuriam Clerico facis: & tamen directè, & ex prima intentione canem ferire, non Clericum percutere, contendebas; non abſimili modo in caſu noſtro, &c.

## CAPUT IX.

## De Voto.

*Votum quid ſit, & quotuplex.*

1. VOtum, quod eſt promiſſio facta Deo de re ipſi grata, id eſt, ad ejuſmodi Dei cultum: ut conſtituatur, quinque requirit. Primò, Deliberationem. Votum enim debet eſſe voluntarium liberum. Secundò, Propoſitum. Tertiò, Promiſſionem ſub obligatione. Quartò, eſſe Deo factũ. Quintò, eſſe de re ipſi grata. Hæc igitur ſuo ordine declaremus: quibus, ſi quid addiderimus

de voti, cessatione, satis erit de hac materia completa tractatio.

2. Dividitur autem votum. Primò, in absolutum, purè conditionatum, & pœnale.

Secundò, in solemne, id est, quod acceptatur in Ecclesia: & simplex, quod privatim emittitur.

Tertiò, in necessarium, hoc est, de præcepto debito; & in liberum, seu, ut alij loquuntur, in commune, & singulare.

Quartò, in reale, in quo promittitur res externa; in personale, in quo vovetur actio personæ; & in mistum in quo utraque.

Quintò, in affirmativum, quo scilicet promittitur aliquid positivum, v.g. eleemosyna, & in negativum, quo aliquid negativum, v.g. abstinentia à carnibus.

3. Adde denique, quasdam alias divisiones accidentales: v.g. in perpetuum, & temporale: in reservatum, & non reservatum: in publicum, & occultum, &c. quorum & similium explicationem, ubi opus erit, in deinceps afferendis non negligemus.

## Caput X.

## De libertate requisita in Voto.

### §. I. *Qualis deliberatio requiratur.*

1. EA requiritur, & sufficit, quæ ad peccatum mortale? ita Sanch. Suar. Arag. Mol. apud Laym. *lib. 4. tr. 4. c. 1. n. 3.* Quòd ea requiratur; Ratio est, quia votum est lex, quam sibi vovens imponit; at imponere sibi, ut etiam alteri obligationem, ex se grave quid est, nec est rationabile, eam posse sine maturo judicio, plenóque imperio libertatis, imponi: Nam propterea semiplena libertas, quæ est in semidormiente, & semiebrio, vel in primis quibusdam motibus, licèt sufficiat ad culpam venialem, non tamen ad Votum: quia hoc modo grave aliquod onus sine matura discussione imponeretur voventi. Quòd ea sufficiat, ratio est, quia illa deliberatio, quæ in peccando sufficit ad demeritum, sufficit ad Voti meritum: & rectè Glossa *cap. Mulier, 32. q. 1. Quæ* (ait) *per tantam deliberationem potest obligari diabolo*, nempe per peccatum, *potest etiam obligari Deo*, nempe per Votum, Non ergo requiritur omnis convenientiæ, & disconvenientiæ exacta discussio circa Votum emittendum; secùs certè satis pauci essent qui vera Vota conciperent, cùm communiter in calore timoris, vel iracundiæ, imò non rarò, in fervore devotionis, Vota emitti soleant. Nec statim pœnitere Voti facti, vel quod sine calore Votum non fuisset emissum; signa sunt non adfuisse debitam deliberationem: sæpissimè enim multa deliberatè in aliqua circumstantia fiunt, quorum statim pœnitet, & in alia circumstantia omnino rejicerentur.

2. Dices: Vovere sine exacta discussione prædicta, ut, v.g. in calore iracundiæ affert aliquando peccatum veniale, sicuti afferre mox dicemus, vovere cum sola deliberatione semiplena, quia in utroque casu deest prudentia in vovendo; ergo non validum est Votum, cùm Deo gratum esse non possit, quod fit cum peccato. Respondeo, negari debere consequentiam. Ratio est, quia cùm in nostro casu jam ponatur libertas necessaria, ut supponimus, ponitur jam completè votum in substantia, & solùm defectus est in circumstantia extrinseca, id est, votum conjungitur cum defectu exactioris discussionis: quare Deus acceptat sacrificium, & quodcunque opus in substantia bonum: & non respicit culpam venialem, qua quis, verbi gratia, per aliquam levem negligentiam, vel vanam gloriam, illa operatur.

3. Vovere autem cum sola semiplena deliberatione, quæ cùm ad Voti substantiam non sufficiat, Votum verum non constituit, semper est veniale. Sic Suar. Sanchez, Cajet. Valent. apud Castr. Pal. *tom. 3. tr. 15. d. 1. p. 4. n. 5.* quia tunc sive in Voto de gravi, sive de levi semper adest defectus prudentiæ, quæ non videtur posse ascendere ad deordinationem mortalem.

Excipit primò Castro Palaus *ibid.* nisi ob vovendum cum imperfecta deliberatione exponeret se quis periculo vovendi aliquid, graviter illicitum; excipit secundò Sanchez cum Suario apud eundem *ibid.* nisi quando se quis exponeret periculo transgrediendi Votum grave. Sed certè veniam mihi dabunt tanti Doctores proferendi quod sentio. Vel hi casus sunt admodum Metaphysici, vel prorsus nulli. Si enim is, de quo loquimur, semiplenam habet deliberationem circa vovendum, semiplenam etiam deliberationem habebit circa periculum, cui se exponit: ergo non peccabit mortaliter sic se exponendo: nam ad mortale omnes scimus plenam debere adesse deliberationem. Quòd si judicas posse occurrere casum, in quo quis semiplenè deliberatè voveat, sed plenè deliberatè videat prædictum periculum: mirum dices, & mihi, vel quid incredibile, vel quid valdè Metaphysicum. Propterea, si iidem dicti Authores, Suar. Sanchez Leff. apud eundem *ibid. n. 2.* & omnes dicemus, votum ex semiplena deliberatione non esse verum votum, atque adeò nullam afferre obligationem: ut modò *n. 1.* vidimus: quòd quam peccatum grave erit, illud, quod omni caret obligatione, non observare, ejúsque fractionis periculo se exponere? Denique falsum est, hunc se exponere periculo vovendi rem tunc illicitam; Patet, quia nihil vovet, obstante scilicet semiplena, seu imperfecta deliberatione, quæ substantiam voti de medio, ut dictum est, omnino tollit: qui autem non verè vovet, nec illicitè vovere verè poterit.

Quando dubium incidit, an votum cum debita deliberatione fuerit conceptum; quid præsumendum? *supr. lib. 1. cap. 3. §. 17. v. Votum.*

### §. II. *An ad Votum sufficiat deliberatio virtualis.*

1. QUidam exacto probationis anno ritè ad Oratorium accessit, vota professionis coram Prælato ex vero animo emissurus: illa tamen ex scripto recitavit quidem, sed prosus nulla actuali deliberatione, animo nimirum distractus, atque ad omnia alia, præter ipsa vota, intentus, & quod caput est, affirmat se voluntariè distractiones illas admisisse. Dubitavit, an sine necessitate eadem ratificandi, valida fuerint sua vota. Dixi valida fuisse. Sanchez *lib. 4. in Dec. cap. 1. n. 6.* Castr. Pal. *l. c. n. 3.* aliíque. Ratio fuit, quia jam adfuit deliberatio, seu intentio virtualis, quæ sufficit ad validitatem voti: Sicut enim virtualis intentio sufficit administranda Sacramenta, imò & ad omnes humanas actiones præstandas, sic ad vovendum. Certè, si sola adfuisset habitualis, vel indirecta, ut si dormiens, vel ebrius vota legisset, nullatenus fuissent valida: Verùm, quænam sit intentio actualis, virtualis, habitualis, indirecta, *in opusc. 3. de sacrif. lib. 2. cap. 1. §. 2.* explicuimus, quare ibi dicta huc à te sunt omnino transferenda.

Metus qua ratione impediat obligationem voti, satis *supra, lib. 1. cap. 2. §. 4.* disputavimus: De errore verò, vel ignorantia in votis, dicam mox *cap. 13.*

## Caput XI.

## De Proposito requisito ad Votum.

1. PRopositum est voluntas deliberata aliquid faciendi, quæ quidem semper prærequiritur in voto. Propositum enim continet solam voluntatem faciendi opus: Promissio huic voluntati, seu intentioni addit aliam voluntatem, se nimirum alteri, & in casu voti, Deo obligandi.

2. Hinc fit solum propositum non esse votum. An verò (ut id obiter hinc decernam) nolle facere illud bonum, quod firmiter quis proposuerat, sit veniale (nam certum est non esse mortale, nisi aliàs sit sub mortali præceptum)

certum) apud Doctores controvertitur, Castro Palaus *n.3. tract.15.disp.1.de voto, part.1.n.4.* citans Suarium, & Less. affirmat: Quia, inquit, fix contra virtutem constanter, quæ non solùm inclinat, ut quis perseveret in bono obligatorio; sed etiam; nisi legitima excuset causa, in voluntario firmetur proposito. Sanè levitas est cordis, & talem actus otiosus, se fine causa mutare.

Negat Sanchez *lib.4. in Dec. cap.1.n.21.* citans Navar. *in Sum. Hisp.* Tol. Valent. Quia si nulla lex, nec divina, nec humana te ad illud obligat, undenam orietur peccatum? Dices, ipse proponens sibi ullam legem imponit per merum propositum profitetur: ergo nullam sibi imponit. Probabilior est hæc posterior sententia, quòd etsi ad perseverandum inclinet constantia, fateor: at nulla sub culpa, sed sub solo consilio, eo modo, quo virtutes aliquas inclinare etiam ad actus supererogationis, scimus omnes: esto igitur resilire à bono proposito sit aliqua levitas, hoc est, defectus majoris boni, non erit levitas peccaminosa. Quod si sit aliquando actus otiosus, qui fiat sine causa, non erit venialis ex vi mutationis propositi contra constantiam, sed ex generali ratione, quo in aliquorum sententia, omnes actus humani in individuo requirunt finem aliquem honestum, quæ est longè alia consideratio, de qua *alibi*.

## CAPUT XII.

### De Promissione requisita in Voto, déque Obligatione inde proveniente.

#### §. I. *De Promissione vera, & ficta.*

1. VEtè promittis, quando intendis quid facere sub obligatione alteri exhibita. Et quidem per externam locutionem respectu hominis, qui secùs eam acceptare non posset per internam solam voluptatem respectu Dei, qui externis vocibus non indiget, ut accepter.

2. Fictè promittis, primò, quando solis verbis, non autem animo. Secundò, quando animo quidem promittendi, seu rem promissam exequendi, sed positivè expresso animo te non obligandi. Tertiò, animo quidem quomodocumque rem exequendi, sed abstrahendo à voluntate te obligandi. Quartò denique, animo quidem te obligandi, sed cum voluntate rem promissam nullatenus exequendi.

3. Certum autem est, primò: in primo, & secundo casu sive noscas vim voti, sive nequaquam, non oriri in te obligationem rem promissam exequendi. Ita Azor. Sanch. Val. Less. Bon. aliique apud Castr. *t.3. tract.23.d.1. p.3. n.2.* Ratio est, quia, dum expresè à te reiicis obligationem, illam non contrahis; siquidem Votum est lex privata, quam sibi quilibet in Dei obsequium imponit, lex autem non obligat ultra imponentis intentionem. Atque hinc fit, summa probabilitate firmari, cuilibet licere quidpiam grave, v.g. jejunium vovere sub sola obligatione venialis, quia tota obligatio ab ipso vovente dependet. Illud nota, sic simulatè etiam in re gravi verbo tenus vovere, non transcendere peccatum veniale, quia solùm est mendacium, nec redundans in gravem Dei irreverentiam. Excipe in voto Castitatis annexo Ordini sacro, & in Voto professionis religiosæ; In his enim posito, quòd externè voves, juxta intentionem Ecclesiæ, & Religionis, vovere ex justitia debes: nisi fortè gravis metus, causam det æquivocandi, ut diximus in simili *suprà, lib.1.§.9.à n.6.*

4. Certum sit secundò, in quarto casu verum esse votum, & inde validam enasci obligationem. Ita Sanch. plurib. relatis, Azor. Suar. apud eundem Castr. *l. c. n.4.* Scio Valentiam 2.2. *disp.6. quæst.6. p.1. vers. secundò obstat.* censere tunc nullam exurgere obligationem, quia, si nullam habes voluntatem rei faciendæ, quam *suprà* diximus prærequiri ad Voti essentiam, nullum emitis Votum. Sed ratio nostri dicti est altera à posteriori à priori altera. A posteriori: quia secùs Sacerdos concubinam domi retinens, non emitteret validè Votum Castitatis, si (ut evenire facilè potest) animo illam retinendi sacros Ordines Suscipiat. Pari modo Eques Melitensis, v.g. si professionem emittat eodem crimine, & proposito maculatus, castitatem non voveret validè. Idemque temporalia bona sub suo dominio servare statuens, non voveret validè paupertatem. Et denique, qui solùm, ut Commendas lucraretur, aliquam profiteretur Religionem, animo non observandi, quæ solemniter promittit, Religiosus non esset; unde illicitè, & cum injustitia fructibus Commendarum postea frueretur: quæ tamen omnia absurda censentur; hi enim quamvis voveant illicitè mortaliter, propter illam pravam dispositionem vota gravia non exequendi, nihilominus valida ea esse vota nullus negat. A priori: quia hæc duo, obligatio ad aliquid exequendum, & ipsa rei executio, sunt admodum diversa: ut patet in contractu emptionis, & venditionis, de quarum essentia est obligatio ad tradendum, non verò ipsa traditio, quæ satis est, ut deinde suo tempore ponatur. Quando igitur diximus requiri propositum, & voluntatem exequendi in promissione, est sensus, ne peccetur; requiri, ut suo tempore executio ponatur: nam cæterùm pro promissionis, seu voti essentia, satis est voluntas suscipiendi in se obligationem exequendi.

5. Remanet igitur solùm, decernere de tertio pro quo adverte, dupliciter posse quempiam negativè se habere circa obligationem voti, seu promissionis. Primò, quando non habet hujusmodi intentionem obligandi: neque explicitè, neque explicitè [illegible], quando habet saltem implicitè, ut si quis cognoscens naturam voti quæ sit adducens obligationem, voveat, non advertens nunc ad oligationem vel nesciens dictam naturam voti, voveat tamen juxta modum ordinarium, quo alij vovent: in his enim duobus exemplis dicitur quis implicitè habere intentionem se obligandi.

6. Dico igitur primò, in posteriore hoc modo esse verum votum, vtrámque ex eo oriri obligationem exequendi. Ita Sanch. *de matr. lib.1. d.9. num.5.* Castro Pal. *loc.cit.num.2.* Ratio est, quia jam voluntaria tunc est obligatio, dum sciens quis, & volens suscipit id, à quo necessariò, obligatio sequitur, nec illam obligationem ullo modo excludit, multò magis, si expresè intendat vovere juxta modo ordinarium vovendi: in hac enim intentione, involuitur intentio se obligandi.

7. Dico secundò, in priore modo non esse verum votum, nec ex eo exurgere obligationem. Ita Sanch. *ibid. num.2.* sed contrarius videtur Castro Pal. *l.c.n.2. fin.* imò & ipsemet Sanch. *alibi*, ideſt, *lib.3. in Dec. cap.10. n.9.* sed fortè *in hoc n.9.* loquitur de casu à nobis dicto *n. præced.* Ratio est, quia obligatio consurgit ex animo voluntario promittentis: at si non cognoscas ex promissione oriri obligationem, voluntaria tibi obligatio esse non potest; ergo ea oriri nec poterit.

8. Hæc duo dicta non solùm vera sunt in voto, vel simplici promissione, verùm etiam in juramento. Ita Sanch. *d.l. de matr. num.9. v. Etiam,* & *in dec. lib.4. cap.1. à n.23.* Quare si juraſti, ut exteri jurare solent, vel sciens naturam juramenti, obligabit te juramentum: si verò juraſti cum ignorantia invincibili; seu negativè te habes ad obligationem, illam scilicet non includens, nec excludens, juramentum non obligat, nec indiget relaxatione. Atque horum duorum ratio est, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adiicitur, cùm igitur in priore ex his duobus adsit promissio obligans: in posteriore non item (ne implicitè quidem, ut supponimus, secus enim esset casus *n.6.*) valebit in priore juramentum, ut & votum; non autem in posteriore.

§. II. *De obligatione gravi, vel levi, quæ nascitur ex promissione sive absoluta, sive conditionata.*

1. VOtum absolutum est, quod obligationem parit ex nulla conditione pendentem; v. g. *Voveo jejunium* Purum conditionatum est, quod eandem obligationem suscipit, cùm ponitur conditio; v. g. *Voveo jejunium, si sanitatem obtinuero.* Quòd si rem promissam exequi voves, quasi in pœnam delicti, vocabitur votum conditionatum pœnale, v. g. *Voveo jejunium, si lusero*: & tunc profectò bonum negationis ludi tu potiùs intendis, quàm bonitatem jejunij; nam jejunium assumis ut medium ad obtinendam, tanquam finem intentam, ludi negationem. Advertendum tamen perdiligenter est, illud (si) non esse semper signum voti conditionati: hæc enim particula non rarò æquivalet particulæ (quando) & sic absolutum erit omnino votum, v. g. *Voveo eleemosynam, si domum redibit meus Pater*, duplicem habet sensum: Primus sensus est: *Promitto eleemosynam, quando redibit meus Pater, quando scilicet nummis non carebo*; & hoc modo est absolutum, & non conditionatè obligationem inducit, licèt ejus executio usque ad Patris reditum suspendatur. Secundus sensus est. *Promitto eleemosynam, sub ea conditione, quòd à Deo reditum Patris obtineam*, & hoc modo votum erit conditionatum, nec obligationem nunc inducit, sed tunc quando Pater redibit.

2. Interdum autem negotij difficilis est ejusmodi discrimen agnoscere; sed illud expiscaberis, tum ex ipso modo, seu verbis promissionis, tum ex affectu rei, quæ promittitur, tum ex appetibilitate ejusdem rei promissæ, quæ voventem potuit allicere; Conditionalia enim vota solent ex affectu habendi, vel non habendi conditionem, Absoluta ex affectu rei, quæ promittitur, v. g. *Voveo jejunium si convaluero*, ideo conditionatum regulariter est, quia hujusmodi votum solet emiti ex affectu conditionis habendæ, idest sanitatis. Dico (regulariter) nam si infirmus ex amore jejunandi propter Deum, voveret se jejunaturum quando convalescet, votum sic explicaretur: *Voveo jejunium pro eo tempore, quo convaluero*, & hoc pacto esset Votum absolutum, quia affectus voventis ferretur in ipsum jejunium.

3. His positis, votum quodcunque de re gravi, sive absolutum, sive purum conditionale, sive pœnale, graviter obligare nimis est manifestum, idque, ut probabilior sententia fert, ex sola virtute fidelitatis Deo debitæ, cui res promittitur. An verò votum de gravi re, leviter obligare possit ex mera intentione voventis, licèt nonnulli refragentur, ut Sot. Vasq. Pont. apud Castro Pal. *mox* citandum: tamen probabilissimum est posse. Ita Sanch. Suar. apud Castro P. *t.3.tract.15.d.1.p.11.n.34.* quia ad promissionem obligantem requiritur, ut quis voluntariè sibi imponat obligationem: poterit igitur ut libet, imponere limitatam, leviter autem votum obligare, si levis sit res promissas, secuti accidit in præceptis de rebus levibus, jam communis est, & tuta sententia. Ita Sot. Nav. Suar. Val. Sanch. aliique apud eundem Castr. *num.6.*

4. Difficultas superest in decidendo molestissimâ. Vndénam levitas, vel gravitas materiæ in Votis, Iuramentis, ut & in aliis præceptis mensuranda sit. Sed ego hac de re egi satis, supérque in superioribus *lib.1.c.1.§.3. à num.2.*

*Pœnitere Voti facti.*

5. Inquires, peccátne contra obligationem voti, quem voti facti pœnitet? v. g. qui tristatur se emisisse votum Castitatis, Obedientiæ, &c.

Respondeo, non esse saltem mortale, modò ex hac pœnitentia nihil imminuatur de Voto. Ratio est, quia ejusmodi dolor, inobservantia voti non est: sicuti non est inobservantia, seu, inobedientia præcepti, si sentias, doleásque te de præcepto Superioris gravari.

At éstne veniale? Respondeo. Non esse. innuit Suarez *de voto, lib.3. c.7. à n.4.* quia ex objecto is dolor nullam continet malitiam; sicut enim potuisti non vovere sic potes nollè vovisse. Esse docet probabilius Castro Palaus *t.3.tract.15.d.2.p.21.n.3.* quia ejusmodi dolor saltem infirmat ex se propositum, & executionem voti. Esto igitur potueris sine culpâ non vovere: at ex suppositione quòd voveri, obligaris non ponere id, quod aliquarum retardare potest, quamvis re ipsa non retardet executionem ejus, quod promisisti.

§. III. *Quandonam Votum obliget.*

1. CErtum est primo, si voveas aliquid faciendum tempore determinato, v. g. anno sequenti, te antea non obligari, etiamsi intenderis, non tamen promiseris, ante facere. Ratio est, quia nó nisi pro anno sequenti urget obligatio. Quod si dubium sit, intenderisne solùm an etiam promiseris, standum pro libertate, & judicandũ, te nequaquam promisisse, Ita colligitur ex dictis *lib.n.c.3. §.7.v.Votum, n.1.* & docet Sanch. *lib.4. in dec.c.11.n.5.*

2. Solùm inquiri posset, An si prævideas, fortè anno sequenti impedimentum, quod non posses totum adimplere, tenearis prævenire? Dico non teneri. Ita idem *ib. cap.4. n.18.* Suar. *t.2. de rel. tr.6. lib. 4. de Voto, c. 14. à num.4.* Bon. *t.1. d.4. in 3. Dec. præc. quæst.2. part.5 §.1. n.13.* quia obligatio non potest nunc esse major, quàm tu tibi imposuisti, imposuisti autem pro solo sequenti tempore, ut supponimus. At poterisne prævenire? Respondeo, si annus sequens fuit signatus, ne ultra differretur voti executio, licebit cum laude prævenire: quia in hoc casu obligat votum, etiam hoc anno, licèt cum libertate, ut possit ad consequentem annum, sed non ultra, transferri. At si consequens annus decretus fuit ad suspendendam obligationem usque ad illum, veluti si annum illum elegisses in honorem talis anni, verbi gratia, Anni sancti, vel ex alia quipiam tua intentione, prævenire nequaquam licebit. Ratio est, quia tuum votum de præsenti anno fuit, sed signatè de sequenti. Simile quid evenit in voto conditionato, quod nec obligat, nec consequenter impleri potest ante positam conditionem. Excipe, nisi anticipes intentione commutandi votum in æquale, vel in melius, juxta dicenda *suo loco*, melius enim est hodie hoc opus bonum, quam cras operari.

3. Si quis autem vovit elargiri eleemosynam, v. g. vel jejunium in hoc mense, obligabitur prævenire, si prævidet in fine mensis impedimentum. Ita Sanch. *ibid.* Suar. *c.12.n.9.* Bon. *loc.cit.* Laym. *lib.4.tr.4.c.3.n.5. q.5.* quia in totam latitudinem mensis, licèt cum libertate singulorum dierum, cadit obligatio; sicuti enim si prævides, te die Dominico impediendum ab auditione Sacri, non teneris audire die Sabbati; at si ipso die Dominico prævides impediendum hora, v. g. decima octava Italica, teneris antea, hora, v. g. decima quarta audire, quando nullum obstat impedimentum; ita in casu nostro.

4. Si voverit quis ad Sacerdotium promoveri anno 25 suæ ætatis, docet Sanch. *l.c.n.23.* non obligari prævenire susceptionem aliorum ordinum; potest enim eodem anno 25. ab Episcopo interstitia dispensante ordinari omnibus; quòd si Episcopus noluerit, excusabitur vovens. Sed profectò tanto viro hac in re absolutè non adhæreo. Qui enim vovit finem, vovit & media, saltem ordinaria: quare si hic sibi persuadet fore, ut Episcopus probabiliter dispenset, probanda est sententia Sanchez; secùs, pertinet ad voventem media necessaria apponere ad votum implendum pro suo tempore, quod in casu nostro non potest fieri, nisi mediis aliis ordinibus suo tempore susceptis.

5. Certum est secundò, si nullum determinaveris in voto tempus, te obligari illud exequi quamprimum sine notabili incommodo potes. Ita iidem. Ratio est, quia, si sine determinatione temporis rem promisisti, sine dilatione saltem notabili, & more morali, & humano censeris velle rem solvere, dixi (sine notabili incommodo

non

non enim præsumitur quis tam rigorosè se velle obligare, ut cum magna incommoditate ad executionem astringatur.

6. Anceps si fueris, an tempus in tuo Voto decreveris, néne, vel cùm certum sit te statuisse, ambigis, brevène fuerit, an longum? Iudicandus es perinde, ac si nullum tempus determinaveris, vel statuisse longum: quia in dubio standum est pro libertate. Ita Sanch. *lib.* 4. *de Dec. cap.* 14. *n.* 3. Intellige, nisi substantia voti ex se possit tale tempus. Vovisti v. g. peste infectis servire, anceps autem sis de tempore: certè nunc, quando grassatur pestis, servire debes quia in tuo voto hoc tempus implicitè imbibitur.

7. Ex illa particula (sine notabili incommoditate) excusant Doctores iidem *loc. cit.* differentem Religionis ingressum debitum ex voto, quia expectat tempus aptum, quo suus pater consentiat, quo vires aptas acquirat ad Religiosos labores sufferendos, cùm nunc idoneus non sit, quo scientias, sine fraude volendi differre, ediscat, quibus notabiliter meliùs Religioni deserviat, &c.

Illud adverto ejusmodi dilationem faciliùs extendi posse in Votis, in quibus etiam post longam expectationem possum eandem rem præstare, quam in iis, qui per temporis lapsum diminutionem patiuntur; v. g. si prominum jeiunium differas, idem postea exhiberi potest: at si differas ingressum Religionis, non idem postea præstabitur, cum diminuatur tempus, quo victurus in Religione sis. Pari modo, si vovisti eleemosynam annis sterilibus sublevandis pauperibus, non æquè sublevabuntur anno fortè fertili consequenti.

8. Difficultas jam in praxi illa supereſt, ecqua tandem ratione agnoscemus, tantam esse dilationem, ut incurratur in mortale, quando tempus à vovente determinatum non fuit; Aliqui sic distinguunt: In voto Religionis, similique pro tota vita, in quo adest prædicta servitij diminutio, moram trium annorum non videri afferre dilationem moralem, nisi aliunde adsit periculum impedimenti, vel ulterioris dilationis vel trangressionis; In votis verò non patientibus ejusmodi diminutionem, nusquam dilationem esse mortalem, nisi in eo casu, quo ex dilatione subesset periculum voto nunquam satisfaciendi.

9. Non placet hæc doctrina Castr. *t.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *de vot. p.* 13. *n.* 7. nam propterea in posteriori casu concedit moram duorum, vel trium dumtaxat mensium, in priori aliquantò amplius, nempe sex mensium: quia, inquit, pro longiore dilatione, Deus qui est Creditor, videtur invitus: sicuti invitus esset homo, si tandiu solutionem expectare à creditore cogeretur.

10. Ergo sic statuo Primò, in votis, in quibus dilatio servitium diminuit, v. g. in Religione, in Xenodochio, &c. considerandum esse tempus, seu ætatem vovenitis: nam si vovens agat, v. g. decimum quintum annum, trium, imò quatuor annorum dilationem non judicarem notabilem: suscipere enim vitam religiosam solent adolescentes circa decimum quintum, & vigesimum annum, quando scilicet status vitæ consuevit assumi: quare cum aliquis decimum quintum annum agens, perpetuam Religionem vovet, nisi tempus determinet ad ingressum, non videtur renuntiasse consueto modo, & tempori in assumendo statu vitæ. Certè Ledesma *tom.* 1. *summæ, tr.* 10. *cap.* 3. *dub. pen.* docet juvenem sexdecim annorum satisfacere voto Religionis, si intra triennium illud expleat; at fore transgressorem, differendo octo; vel novem annis. Verùm, si vovens quadragesimum, v. g. annum ætatis attingeret, dilationem ultra sex menses satis esse notabilem libens admitto: talis enim ætas longiorem moram non permittit. Adde tres annos fortè videri alicui parvam materiam, si demantur à servitio totius vitæ ab adolescentia ad senectutem: at non videri parvam materiam, si similes anni tres demantur ab ætate provecta, ad mortem usque.

11. Statuo secundò, In aliis votis, quibus dilatio nihil mali affert, nisi meram temporis moram; licèt probabilius si, quod modò docuit Castro Palaus; tamen, ut indicat Sanch. *lib.* 4. *in Dec. cap.* 14. *n.* 21. apud Castr. *disp. cit.* 1. *d. vot. p.* 13. *n.* 7. non videri improbabile, dilationem quamcunque, modò non sit probabile periculum omittendi omnino votum, non esse nisi venialem (imò ex Bon. *d.* 4. *de voto, q.* 2. *p.* 5. §. 1. *n.* 3. citantem Arag. Tabienam, Sanch. ne veniale quidem, rationabili causa intercedente) Ratio esse potest. Primò, quia nemo, cùm dat totum, quod promisit, & nullum damnum ex mora creditori facit, condemnandus videtur de gravi errore: sed solùm de levi negligentia: at nullum damnum ex prædicta dilatione Deo cedit; ergo, &c. Non igitur ducenda paritas à creditore humano, hic enim semper aliquid officit dilatio. Secundò, omnia sunt Deo præsentia, quare ex suppositione, quòd vovens ponet etiam post multos annos id, quod vovit, præsens est Deo solutio, non futura: id quod certè non est in homine creditore. Tertiò, votum est lex, quam privatim sibi quisque indicit, at eo ipso quò quis tempus in suo voto non determinat, videtur ad nullum terminum se astrinxisse; sed solùm ad rem quocunque tandem tempore exhibendam; ergo, &c. Quod si objicias illud Deut. 23. *Cum votum voveris Domino non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus & si moratus fueris, reputabitur tibi* (intelige sine rationabili causa) *in peccatum.* Facilis est responsio, nempe in peccatum, hac commoda proportione: mortale, si additum fuit tempus, vel ex mora periculum subsit transgrediendi, &c. veniale, si tempus determinatum non fuit, & simile periculum prudenter non timeatur.

12. Illud meritò certum est. Bonacina, *loc. cit.* quando non adest periculum diminutionis servitij, posse etiam sine veniali votū factū sine temporis determinatione differri usque ad tempus, quo credit quis se finem cum majori devotione adimpleturum; quia hæc cedit ad majorē Dei honorem, ad quem Votum ordinatur: quare major sperata devotio, judicanda est causa sufficiens dilationis.

## §. IV. *An Votum obliget alios à vovente.*

1. VOta esse personalia, sicuti docuimus de juramento *suprà c.* 3. § 6. atque adeò non nisi ipsum ventem iis obligari, communis est doctrina. Si pater, v. g. voveat filium Religioni mancipare, abnuere licet filio: solùm pater obligabitur ex sua parte (nam sic interpretandum est ejusmodi votum, ut & similia de facto fieno) ad præstandā, quantum potest ea, quæ ad ejusmodi voti executionem conducunt.

2. Hinc sequitur, Nec hæredes, nec successores astringi ex vi Religionis ad vota Testatoris exequēda. Ita Sanc. Castr. aliique *mox* cit. Dico (ex vi Religionis) nam sive ex vi statuti, sive ex vi contractus, aliquando eos obligari, rectè docet Sanchez *lib.* 4. *in Dec. c.* 16. *à n.* 16.

3. Tria sunt hîc addenda. Primum, Vota realia, adde & mista ea parte; quæ sunt realia, & separabilia à parte, quæ sunt personalia, (de qua separabilitate *mox* dicetur) deberi ex vi justitiæ ab hæredibus: sed certè non nisi juxta vires hæreditatis aditæ, & quidem in foro conscientiæ, etiamsi confectum inventarium non fuerit. Ita Bon. *d. disp.* 4. *de vot. q.* 2. *p.* 5. §. 1. *n.* 4. citans Sanch. aliosque. Ratio est, quia quando quis hæreditatem adit, illam suscipit cum oneribus hæreditatis annexis: at onus hoc adimplendi vota realia, juramenta defuncti, esse annexum hæreditati saltem ex legibus canonicis, & civilibus probavimus *suprà, c.* 3 §. 7. *n.* 5.

4. Secundùm. Concurrentibus aliis defuncti debitis præferendáne sunt vota, an postponenda? Dico cum Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 13. primum omnium solvendū esse æs alienum defuncti, & expensas funeris: mox legitimam integram, sive ascendentibus, sive descentibus debitam, deinde vota; denique legata pia; præferuntur enim vota legatis, quia prior fuit obligatio votorum, quippe quæ testatorem adstringebant; quàm legatorum, quæ nunc hæredes obligant.

Quod si, ære alieno, & legitima solutis, hæredita non sit

sit solvendo omnia defuncti vota, non est implendum unum, & alia omittenda, sed singula pro rata: Ita Laym. *ibid.* cùm enim æque ex vi Religioni: debeantur, non est cur unum alteri præponatur.

Tertium. Hæredem non debere vota realia persolvere, fortè ante aditam hæreditatem defuncti obtinuerit commutationem, vel irritationem; Patet, quia non obligatur hæres ad vota extincta, secuti non obligatus fuisset. ipse vovens, cujus nunc hæres personam gerit. Nam propterea rectè Bon. *disp. 4. cit. de voto, q. 2. p. 5. §. 2. n. 7.* infert Monasterium succedens in bonis professi, non obligari ad solutionem votorum, quæ fortè is emisit ante professionem; si quidem probabile est omnia, etiam realia vota extingui per professionem.

§. V. *An Votum obliget eos, qui sunt sunt alicujus potestate.*

1. OMnes ratione utentes, nisi specialiter ab habente potestatem inhabiles reddantur, & nisi sint sub alicujus dominio, voto obstringi possunt. Ita S. Th. *2. 2. q. 88. art. 9. & passim.* Ratio est, quia omnes hi possunt aliquid Deo gratiam promittere; quare si Deus id acceptat, (ut certè, quia ipsi gratum est, acceptare supponitur) enascetur obligatio.

2. Dixi primò (utentes ratione) ut excluderentur amentes, puerique nondum septennes, nisi evidenter constet perfecto usu rationis potiri; nam in dubio nequaquam potiri præsumuntur ante septennium, ut dictum est *suprà, lib. 1. c. 3. §. 17. v. Ætas, n. 6.*

3. Dixi secundò (nisi inhabiles reddantur) nam sic Ecclesia inhabiles fideles reddidit ad Votum professionis Religiosæ ante sexdecim annos, & non expleto rite anno probationis, qui fecit non acceptando loco Dei, ea professionis vota. Ita Suar. *lib. 3. de voto, c. 4.* Laym. *lib. 4. tr. 4. de vot. c. 7. n. 2.*

4. Tertiò (nisi sint sub alicujus dominio) nam dubitatur, an impuberes, Religiosi, servi, uxor, filij, validè voveant, obligationémque voti contrahant, Quare de his disputandum erit in consequentibus) & priùs quidem duobus prioribus, quorum voluntas secundùm omnes suas actiones subdita est alteri: nam de cæteris, qui solùm ratione materiæ alteri subjectæ, sub aliorum sunt potestate, colligetur ex dicendis, illam esse dependentiam à Superiore, quoad voluntatem, quæ offert; hanc, quoad rem offerendam, rectè monet Valentia *2. 2. d. 6. q. 6. vers. secundò diligenter.*

*Religiosorum, & impuberum Vota.*

5. Dico primò, cum Laym *ibid.* & aliis apud citatos esse probabile, horum Vota de materia honesta, quæ non sit præjudicialis superiori, vel patri, valere, pareréque obligationem, nec necessarium consensum positivum dicti patris, vel Prælati, sed sufficere consensum veluti negativum, hoc est, quod hi non contradicant. Si enim, sive ante votum factum, sive postea, illud positivè irritent, non valere votum omnes fatemur. Ratio prædictæ probabilitatis est, quia cùm pueri, & Religiosi dicuntur esse sub dominio Prælati, vel patris, quoad voluntatem, non est sensus, quòd nihil possint velle, vel nolle; sed quòd ejusmodi nolle vel velle potest ab illis firmum relinqui, vel irritum reddi, prout ij voluerint. Illud, quoad Religiosos, obiter hîc adverte: non posse à suo Prælato irritari Vota eorum de transeundo ad arctiorem Religionem; idémque esse de quibusdam Votis annexis professioni; quia quoad hæc Religiosus non est subditus suo Superiori, sed Pontifici. Ita Suar. Sanch. Less. quos citat, sequitur Laym. *l. c. n. 6.*

6. Si Religiosus voveat aliquid, quod non licet in ea Religione facere sine licentia, cùm supponamus in hac sententia valere votum, quæri potest, an obligetur licentiam illud faciendi postulare, v. g. si in Religione quapiam non potest quis sine licentia jejunare, at ipse jejunare Deo promisit, tenetur licentiam jejunandi petere? Respondeo teneri: ita Azor. Sotus. Armilla, Rodrig. Sanch. Suar. aliique apud eundem Laym. *ibid. n. 7.* qui enim se obligat ad finem, se obligat & ad media saltem ordinaria, quæ sunt necessaria ad finem; talis autem nunc est licentia Prælati: excipe nisi expresse, vel tacitè secus intellexisse.

7. Illud certè dubium est, An tunc Religiosus obligetur declarare superiori suum votum: faciliùs enim fortasse Superior licentiam concederet? Respondeo, licèt tutius sit, suum votum explicare, tamen non obligari probabile esse censeo, cum Cajet. Navarr. Suar. Sanch. contra Sotum Less. Azor. apud Laym. *ibid.* nisi tamen aliud expresse, vel tacitè vovens intenderit. Ratio est, quia, cùm voti obligatio strictæ sit interpretationis, non est censendum voventem se obligasse, nisi ad media ordinaria, non verò ad extraordinaria; at ad præstanda ejusmodi opera, sufficit Religioso, si suum desiderium superiori ostendat. Fac Religiosum promisisse dare quid alicui, quod sine licentia dare non licet: nonne satis ei erit petere licentiam donandi, sine necessitate explicandi se promisisse: ita profectò: ita igitur in casu nostro.

8. Dico secundò, aliquos docere omnia, etiam de actibus externis, vota Religiosorum, atque impuberum, etiam Patri, vel Prælato, non præjudicantia, esse invalida, nec obligationem ullam inducere, nisi positivè ipsi consentiant, seu approbent. Itaque hæc sententia requirit ad voti valorem, scientiam, & consensum superioris positivum: illa prior allata *n. 5.* solùm requirit Superiorem non contradicere, etiamsi ignoraret. Ratio hujus sententiæ duci possit, primò ab authoritate, eam enim videtur docere S. Thoma, quam effert Valentia *2. 2. d. 6. q. 6. p. 6.* Hæc sunt sancti Doctoris verba *2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. Nullum Votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati.* Idem habetur *c. Monacho 20. q. 4.* ubi ex S. Basilio refertur non licere vovere Monacho sine consensu Abbatis, si autem voverit, frangendum esse votum.

Ratio secunda potissima esse, potest, quia ex quo Deus acceptavit votum professionis in sui cultum, & impuberes potestati Patris propter eorum fragilitatem subjecit, satis probabiliter dici potest, ipsum Deum non acceptare obligationes illorum, nisi ij, quos superiores, & veluti directores eis præscripsit, positivè consentiant. Hæc opinio non placet, neque enim ratio subjectionis tanta est in prædictis, ut libertatem volendi cætera alia tollat: ergo nec putandum est tollere libertatem volendi vovere in rebus nihil præjudicantibus superiori. Lege eundem Valentiam *ibid. vers. cæterum tutius est.*

§. VI. *Qua ratione obliget Votum conditionale.*

1. SI Votum fiat sua conditione præterita, vel præsenti quacunque, vel sub conditione futura necessaria: ut: *Voveo jejunium, si pater meus mortuus est, si nunc vivit, si cras orietur sol*, non suspenditur voti obligatio, posita veritate conditionis. Ita Azor. *p. 1. lib. 11. cap. 15. quæst. 9.* Sanch. *lib. 4. in dec. cap. 23.* aliique, quia conditio habetur pro impleta, adeóque habetur, ac si ejusmodi votum purè, seu sine conditione emissum fuisset.

2. Rursus, votum sub conditione impossibili, ut: *Voveo jejunium si volavero*, nunquam obligat, quia nunquam ea conditio ponitur. In quo ex Sanch. *ibid. num. 8.* Bonac. *disp. 4. de voto, quæst. 2. p. 2. num. 3. vers. dico 2.* votum differt à contractu matrimonij, & ab ultimis voluntatibus; hæc enim valent, conditione impossibili rejecta; ratióque diversitatis, satis nunc illa sit, quia in his ita leges sanxère, quod non est in voto.

3. Hîc ergo solùm sermo remanet de voto sub conditione futura contingente, v. g. *Voveo me jejunaturum si meus pater convaluerit.* Ajo Ante impletam conditionem obligationem voti manere suspensam; ea posita, statim obligationem urgere. Ita Sanch. *loc. cit. cap. 22. num. 28.* Ratio ducitur ex intentione voventis, sic enim sibi ipse voluit legem imponere. Quòd si sub duplici conditione vovit,

vovit, ait: *Jejunabo, si pater meus non morietur, & ego pecuniâ* [illegible] utraque erit expectanda, si indivisibiliter utramque intendidit: vel solùm alteram, nempe principaliter intendidit, vel solùm alteram principaliter, alteram accessoriè intendere tenta, si unam principaliter, alteram accessoriè intendere mens fuit, ut in simili dicetur *infrà*. His tanquam jactis fundamentis, duplex est enodanda difficultas.

*Conditio qua ratione implenda.*

1. Primò: An sufficiat conditionem impleri æquivalenter, an sit necesse, ut impleatur sub propria forma? Voveo quis, v.g. eleemosynam, si ex negotiatione frumentaria, lucrum reportet: An si lucrum obtineat ex alio negotio, v. g. collectione fructuum sui prædij, ad illam eleemosynam obligetur: idem in casu, quo frater voveat se ingressurum Religionem, si soror nupserit, vel filius, si pater divitias obtinuerit; quia hi propter eorum paupertatem sunt ipsis impedimentum: quæritur enim, an si soror, & pater aliquem statum assumant, ut impedimento ampliùs non sint, ad Religionem ingrediendam adsit obligatio? Respondeo, quando votum emittit sub conditione illa determinata: *Si ex ea negotiatione lucrum acquirat, si pater ditescat, si soror nubat*, non obligari, quia non ponitur conditio quam præcisè intendebat vovens, ut patet ex dictis: At difficultas est, quando sub illa conditione vovit, non ob finem habendi lucrum, vel divitias patris, vel sororis nuptias; sed quia judicat his positis se habiturum, unde pauperibus subveniat, & habiturum faciliorem aditum ad Religionis ingressum. Obligari docent aliqui cum Sanch. *lib.4. in Dec.c.23.n.26.* quia intentio voventis fuit, ne impediretur à paupertate: at jam per illam æquivalentiam verè non impeditur; ergo; &c. Sed probabile etiam est cum Castr. *t.3.tr.15.d.1.p.17.n.5.* non obligari quia votum nuncupans non se obligavit in eventum, quo cessaret quomodocunque impedimentum, (nisi id expresserit) sed quo cessaret illo modo, quo ipse expressè pronuntiavit: v. g. ex determinata illa negotiatione frumentaria, non ex fructibus in agro collectis.

2. Secunda, An possit licitè impediri ejusmodi conditio à vovente? Voveo, v. g. Religionem, vel primò, si ego; vel secundò, si meus pater Panormum accedamus, quæro, possumne, vel ego non accedere, vel patrem, ne accedat, impedire.

Respondeo primò, quando à te conditio dependet, nam propterea integrum tibi est Panormum non adire, & sic obligationem subterrefugere. Ita Bon. *disp. de Vot. q.3.p.1.n.5.* Ratio est, quia, si quid vovisti sub conditione liberè à te pendente, signum te intendisse cum tua libertate illam esse ponendam. Quædam nobilis Matrona vovit primò, quoties domo exiret, daturam eleemosynam, vovit secundò, quoties in nostrum templum ingrederetur, jejunaturum in honorem Sancti Xaverij. Illa ergo nec domo egrediebatur, ne stipem elargiretur; nec templum adhibat, ne ad jejunium obstringeretur. Dixi primò, licere ei domo non egredi, quia ab ipsa dependet hæc conditio, & consequenter posse eleemosynam non distribuere. Dixi secundò idem, quantum est ex hoc capite, licere in voto ingressus in templum; sed addidi hoc votum imprudenter fuisse emissum; & quia retrahit à meliore bono frequentandi Ecclesias, esse irritum, & nullum, ac propterea liberè illa mulier in templum ingrediebatur sine necessitate jejunandi.

6. Respondeo secundò. Quando conditio ab alia dependet, eam impedire vi, vel fraude non potes. Ita idem *ibid.* quia, dum conditionem ponendam in aliena voluntatem remisisti, signum fuit, te vovisse, velle dependere ab aliena, non à tua voluntate: at à tua omnino dependeres, si posses modo dicto impedire. Dixi (vi, vel fraude) in quo omnes convenimus: nam utrum liceat bonis artibus, nempe petendo, rogando, persuadendo, controversia est; ut si in dicto exemplo roges tuum patrem, ne Panormum accedat, ut si ad votum non tenearis. Idem esset, si quis, v. g. voveret Religionem, si Petrus positivè approbet, si confessarius consilium det, &c. licebitne voventi Petrum, vel confessarium rogare, ne approbet ne det consilium, &c.

Dico, quamvis aliqui negent cum Sanch. quoad petitionem *l.c.c.23.n.34.* esse tamen probabile licere, quia sic petendo, verè, & absolutè non ponitur impedimentum voto, cum semper liberè maneat pater ad accedendum, &c. Petrus ad approbandum, Confessarius ad dandum consilium, &c. Ita Suar. *lib.4. de voto.c.27. num.18.* Laym. *lib.4.tract.4.cap.6.q.6.*

3. Sed esto, quis cum gravi culpa vi impedierit conditionem ab alio pendentem, v.g. fraude, vel vi impedierit Confessarium, ne approbaret, ne consilium daret, &c. tenetúrne ad votum servandum, tametsi id præstiterit ad finem non servandi votum; an solùm peccavit impediendo, sed nunc ad votum non obligetur? Respondeo, si adhuc res est integra, cessare debebis ab impediendo (id quod nemini dubium est.) & expectare, an ponatur conditio, hoc est, approbatio, ut votum serves: at si conditio ampliùs ponit non potest, ut si Confessarius, & Petrus mortui sint, quid dicendum? Suar. Quem sequitur citátque Laym. *l.c.c.3.* Castr. *t.3.tr.15.disp.p.17. n.11.* aliique probabile putant non teneri ampliùs. Sed teneri putant Bonacina *disp.4.cit. q.2.p.2.n.6.& 7.* Ratio hujus est, quia ex eo, quod vovisti sub conditione dependente ab alio, tacitè te obligasti velle ingredi, v.g. Religionem, si per Patrem non stet apponere conditionem; at jam in casu nostro non per Patrem, sed per te impedientem stetit; ergo, &c. Affert exemplum: Si promiseris dare decem asses Petro, si tuam domum ingrediatur, tu verò illi fores claudas, ut ipse ingredi nequeat; teneris promisso, quia per te, non per rem stat, quominus is ingrediatur. Ratio Laym. est, quia conditio, quam, omnino, & expressè respexit intentio voventis, non adest, nec adesse potest. At Votum non obligat ultra expressam intentionem voventis; quare immeritò (ait) recurritur ad tacitam; quandoquidem hic adest expressè contraria. Ad exemplum respondet, id verum esse, quia in promissionibus humanis sic leges, considerata ea tacita obligatione, statuerunt, quod non est in promissionibus Deo factis, in quibus tota obligatio pendet ab ipsa expressa intentione voventis. Utraque opinio est probabilis.

Si votum fuit non sub conditione de positivo consensu, sed solù de negatione consensus: dicam mox §.6.*n.*10.

8. Quid de industria malè se in Religione gerit ut sic dimittatur, etiam post biennium in societate, non est tutus in conscientia, sed post dimissionem, debet instanter petere ingressum, ut votis satisfiat. Ratio nostra (quæ enim adducitur à Castro Pal. *t.3.tr.15.d.1.p.17.n.13.* non satisfacit) est, quia res semper est integra, si quidem qui sic se malè gessit, potest se emendare: unde & debet juxta modò dicta impedimentum per fraudem appositum tollere, & pro ingressum bonis virtutibus associatum à dolo desistere.

Quòd si fraude, qua usus es ad extorquendam dimissionem detecta, Superior ad quem pertinet dimittere simul, & recipere, te nihilominus repelleret, liber manebis. Ita idem *tr.3.tr.16.disp.4.p.20.à n.1.* quia aperiendo fraudem recisti pro virili parte, quod in te fuit. Cur dixi ad quem pertinet dimittere simul, & recipere) vide apud Castro P. *ibid.*

## §. VII. *Quomodo obliget Votum pœnale.*

1. Quid sit Votum pœnale, & quid in eo principaliter intentatur, dixi *supra*, *cap.1. §.2. num.1.* Aliud autem est simplex, aliud duplex (nam si voveat non ludere, & item si ludet, se jejunaturum, duplex est: alterum absolutum, hoc est, votum non ludendi; alterum sub conditione, ludi, hoc est, si luserit, volendi jejunare. Utrumque tamen unum constat votum, quia ad unum abstinentiam à ludo tenuit.

2. Si

2. Si pœna exprimatur sine determinatione quoad vices, quibus pœna sit assumenda, v.g. sic: *Voveo jejunare si ludam, Voveo peregrinationem Hierosolymitanam, si adulterium committam, &c.* non semper intelligitur toties esse subvertendam pœnam, quoties votum violatur; sed teneto regulam: Quando pœna est ex ordinariis, quæque iterari solet, intelligitur toties quoties; quare in prædicto voto de jejunando, si luseris, toties re ad jejunium condemno, quoties ludis, quando autem est ex gravissimis, quæque iterari non consueverunt, qualis est dicta peregrinatio, in prima solùm transgressione urgebit pœna, in consequentibus ex doctr. Sanch. Lam. apud Castr. *tom. 3. tr. 15. d. 1. p. 18. num. 6.* Ratio est, quia non est verosimile voventis intentionem (quam ex communi hominum more interpretandam esse in votis, post paululum dicemus) fuisse, sibi imponere toties, quoties pœnas illas insolitas; verosimile est voluisse moderatas, & solitas; semper intellige, nisi qui contrarium experiaris.

3. Si recorderis, sciásque te votum emisisse, at nescias, an sub pœna alicujus emiseris, ad nullam pœnam te obligo, quando, quamvis cum gravi culpa, contra votum agis; quia nemo sibi debet pœnam indicere, si certa non est.

4. Si recorderis voti, non autem pœnæ, votúmque transgrediaris; te ad pœnam nequaquam obstringi diximus *suprà, lib. 1. c. 2. §. 6. n. 26.* probabiliter.

Præterea, quando ob quancunque rationem à voti transgressione excusaris, te pœnæ reum neutiquam facio. Ita Sanch. *lib. 4. in dec. c. 22. à n. 14.* vovisti, v. g. jejunaturum, si Sacro interfis, sive die feriato, sive die etiam die festivo; impeditus autem ex assistentia infirmi, vel ex invincibili [illegible] Missam non audis, ad jejunium non teneris. Ratio est, quia intentio fuit te in pœnam jejunare velle; at ubi nulla culpa est nulla debetur pœna, secundùm hanc regulam, te votum emisisse præsumendum est. Idem dic, si in transgressione adsit sola venialis culpa, quia gravis pœna levi culpæ nequaquam imponitur.

5. Denique in voto pœnali duplici, cùm pœna sit accessoria voto, sequitur, quod si absolvaris à voto censearis absolutus à pœna. Ita Castr. *l. c. n. 4.* Imò non est improbabile, si petas dispensationem dicti duplicis voti, satis esse explicare superiori ipsum votum principale, v.g. votum de non ludendo, sine necessitate explicandi pœnam, sub qua dictum votum confirmasti. Sic idem *n. 5.* Ratio est, quia tota ratio dispensandi residet in ipso principali.

## Caput XIII.

### Quid operetur Error, vel ignorantia in Voto.

1. Error, sive ignorantia potest esse, vel circa voti substantiam, vel circa qualitates: vel circa finem; de singulis breviter. Et quamvis nonnulli distinguant, quando adest ignorantia positiva, & quando negativa: ego tamen non distinguendum censeo: quia quoad hæc, quæ *in hoc capite* tractamus, necessaria non est.

*Error in substantia Voti.*

2. Dico primò, si erretur circa voti substantiam, vel ea ignoretur, votum irritum est, quia deficiente substantia, omnia, quæ ab ea consequuntur, deficiunt Ita Less. *lib. 4. c. 40. dub. 2. n. 31.* Suar. *t. 2. de Rel. lib. 1. de voto, c. 11. n. 6.* Suar *lib. 4. in Dec. c. 2. n. 6.* Hinc, si quis non cognoscens votum inducere obligationem exequendi, illud emitteret, emitteret nulliter? Obligatio enim est de essentia voti. Si quis erraret in objecto, seu materia, quam vovet, idem esset, materia enim est de voti substantia: Vt, si quis voverit ire Hierosolymam, putans sine navigatione id fieri posse: idem esset, si ignorans professionem Religionis esse perpetuam, illam quis voveat: perpetuitas enim in Religione pertinet ad essentiam.

3. Illa ergo prædictis, licendis notanda est exceptio: nam si, quod de substantia est nescias, voveas tamen, prout res in se est, & prout alij vovent (id quod ex animo tuo colligendum erit) Reus eris voti: quia tunc tacitè consentis in substantiam voti.

*Error in qualitate Voti.*

4. Dico secundò, si ignorantia sit circa voti circumstantias, vel qualitates, distinguendum esse. Ita Less. *loc. cit. dub. 10. & 13.* Sanch. *loc. cit. c. 3. à num. 8.* Suar. *l. cit. à n. 11.* Bonac. *t. 2. disp. 4. q. de voto, p. 3. §. 2. n. 4.* nam si tanti sint ponderis, ut in ipsum voti objectum redundent, vitiabitur, annullabitúrque votum, tum quoad substantiam, tum quoad illas circumstantias. At si circumstantiæ sint Parvi ponderis, validum erit votum. Ratio est, quia ignoratis circumstantiis magnis ponderis, ignorari censetur ipsa voti substantia: at ignoratis circumstantiis modicæ considerationis, non censetur ignorari substantia voti, solùm circumstantiæ illæ ignoratæ portigent causam faciliorem relaxationi. Explico utrumque exemplis.

5. Si voveas Religionem Cartusianorum, vel Minimorum, nesciens eos te continere à comedendis carnibus: vel Religionem Capucinorum ignorans ab eis nudum corpus rudi lana contegi, nulliter voves: nec eas, imò nec aliam ingredi obligaris: quia ex una parte tu illam Religionem vovisti non aliam: & ex alia parte eæ qualitates tantæ sunt gravitatis, ut prorsus immutent objectum tui voti: ita ut iis qualitatibus non cogniris, unde nec promissis, Religio incognita censeatur, & non promissa.

6. Contrà verò, si voveas dare eleemosynam huic pauperi, credens eum esse, v. g. Sacerdotem, si invenias Sacris non esse Ordinibus insignitum, adhuc teneris voto: ejusmodi enim error in illa circumstantia non videtur esse tantus, ut tuum votum immutare possit: licèt enim non vovisses, si illum Sacerdotem non putasses, vovisti tamen consentiendo substantiæ eleemosynæ ex vi piecatis in pauperem, quę te principaliter movebat.

7. Petes, si solùm circumstantia parvi momenti sit ignorata, unde validum sit votum quoad substantiam, eritne obligatio exequendi, si ea sit inseparabilis pars materiæ voti?

Respondeo, erit: quia, cùm parum pro nihilo reputetur, censebitur votum esse etiam de illa parva circumstantia necessariò imbibita in principali. Quòd si fortè esset separabilis, posséteque integré substantia voti poni sine illa circumstantia; tunc ea circumstantia posset omitti, quia cùm fuerit ignorata, sub voti obligationem non cadit.

8. Video operosum esse aliquando dignoscere, An qualitas sit magni, vel parvi ponderis, sitque, tanta ut redundet in substantiam: Nec tamen aliam regulam tradunt Doctores, nisi prudens boni viri judicium, quo ex circumstantiis, mente, finéque, quem de facto habui vovens (nec solum quem habuisset, si scivisset (tota res morali diligentia examinetur.

*Error in fine Voti. Vbi etiam agitur, Quomodo deficit Voti finis.*

9. Finis quantum ad nos hic pertinet, vel est solùm impulsivus, & veluti quædam occasio vovendi, vel est principalis, & rectè intentus.

Hanc vocant authores causam finalem voti; illam causam excitantem, & moventem, Si, v.g. voveas visitare Virginem Lauretanam, occasione, quòd Laureti adsit tuus amicus, visitatio Lauretana est causa finalis; Amici, est solùm motiva.

10. Dico jam tertio, si error sit in causa finali, nullum est votum, si in motiva, votum est validum. Ita Less. *l. c. n. 11.* Suar. *l. c. n. 14.* Sanch. *l. c. n. 45.* Bon. *l. c. n. 13.* Ratio est, quia finis intentus pertinet ad essentiam promissionis; ex fine enim promissio æquè, ac cæteræ humanæ

actiones

ationes speciem suam, & essentiam trahunt; Contrà verò ad essentiam promissionem non pertinet causa solùm impulsiva. Hinc, si voveas ire Neapolim, quia credis ibi esse corpus sancti Nicolai, corruit votum: quia error non fuit causa finalis; at verò si adesset Laureti tuus ille amicus, cujus fortè occasione peregrinationem vovisti, certè voti vinculo teneris; quia amici visitatio solùm fuit causa motiva.

12. Quid, si sancta Domus Lauretana aliò, v.g. translata esset, vel corpus modò dictum sancti Nicolai alibi invenietur? Respondeo, si multùm, seu notabiliter in loco plus distanti, quàm à te distat Civitas Neapolitana, & Lauretana, inueniretur, sanè dissolveretur votum: si parum, non item, sed obligabit, ut ex modò dictis à *num.* 4. colligitur.

12. Hæc doctrina probat non solùm, si dicta causa finalis non adsit, seu ignoretur tempore, voti, votum non obligare; sed etiamsi illa esset post factum votum, etiamsi illam intendisset, & adesse sciviſſet vovens. Quare si totus tuus finis vovendi peregrinationem Lauretanam fuit ut Virginem salutares, si casu Laureti deficeret sancta Virginis Domus, deficeret & Votum.

13. Quod si affuerit duo fines principales, v.g. visitatio Virginis, & confessio facienda cum docto Confessario Laureti commorante, deficiat autem alteruter ex his, vel in alterutro erretur, non valebit votum, si per modum unius, vovisti; quia jam tuus finis deest: at si non per modum unius; sed separatim, valebit: quia jam constat alter ex finibus, qui cùm sit principalis, firmitatem voto satis communicabit. Quod si alter finis dependenter ab altero fuisset intentus, certè elanguente eo, à quo est dependentia, elangueret, & votum: Exemplum est in promissione, quam cum voto emisit Episcopus Trecensis *cap. Magna, de voto*, de Hierosolymitana peregrinatione, animo obtinendi libertatem suæ Ecclesiæ à Comite Campaniæ, ibidem commotante; ut enim mortuum eum esse perlatum fuit, fuit & nulla judicata promissio. Dices, at Pontifex illud votum commutavit, ergo judicatum fuit validum. Respondeo cum Sanchez *lib.* 4. *Dec. cap.* 2. *num.* 43. commutasse Pontificem ob dubium, quod peregrinatio promissa fuerit independenter ab auxilio Comitis, vel ad majorem conscientiæ securitatem.

14. Qua ratione autem dignoscendum, causáne finalis sit, an motiva? Aliam regulam non habeo, nisi *n.* 8. insinuatam, nempe id ex circumstantiis, & præsertim ex animo voventis à prudenti esse dijudicandum: nam interdum vovens est ita affectus ad unum finem, qui videtur minùs principalis, ut ipsi maximè præcipuus.

Quo modo error irritet, vel non irritet votum solemne professionis, ut item Matrimonium, vide in superioribus *de juram. cap.* 3. §. 5. *à n.* 25.

## Caput XIV.

### De Eo, cui fit Votum.

1. IS certè est Deus, quem per vota recognoscimus? & ab omnium authore impetrare bona quæpiam intendimus. Ita Sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. 5. Quòd si quis opus bonum Sanctis promittat, duplici hi modo gerere potest. Ita idem *ibidem*, & *passim*. Doct. Primò, ut ipsi testes voti, vel mediatores, seu intercessores apud Deum; & tunc quia principaliter Deus est, qui fit promissio, votum in omni proprietate nominabitur. Secundò, ut ipsi immediatè colantur, spectatâ eorum excellentiâ, & spectatis beneficiis per ipsos alicui concessis; & tunc quia promissio ipsis Sanctis principaliter præstatur, propriè votum non est, sed latè, & proportionaliter, non tamen illicitum erit sic vovere; sicuti enim ipsi possunt orari, immò adorari propter propriam dignitatem per cultum Duliæ; ita & propter eandem possunt ipsis promissiones: bonorum operum fieri quæ omnino servandæ sunt; nam secùs committeretur peccatum specialiter confitendum contra fidelitatem Sanctis debitam. Certè, sicut licet nobis pater promissionem humanam, & politicam aliquod bonum opus homini spondere, ut: *Promitto tibi me jejunaturum*, cur non ita licebit & Sancti? Ita Nau. *c.* 12. *n.* 15. *initio.*

2. Dixi (is solet esse Deus) ut innuerem, Deum esse ordinarium finem principalem voventium, quare cùm in professione Religiosorum dicitur votum fieri coram Deo, Sanctis, & Prælato, Deus est, cui propriè fit votum. Sancti sunt intercessores, vel mediatores, vel testes. Prælatus est, vel item testis, vel ut Minister acceptans loco Dei. Ita D. Thom. Sanch. Azor. Suar. Bon. Val. apud Castr. *tom.* 3. *tra.* 15. *d.* 1. *p.* 7. *n.* 2.

## Caput XV.

### De Materia Voti.

1. MAteria Voti possibilis esto, honesta, non indifferens, nec impediens majus bonum, quæ in sequentibus breviter enodabimus.

§. I. *Materiam Voti possibilem esse oportet.*

1. IN potestate voventis id, quod quis vovet, esse debet: quia impossibilium nulla est obligatio. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. aliíque communiter. Si quis tamen videns rei impossibilitatem, illam voveat, non puto peccaturum mortaliter, Dei enim injuria saltem gravis hæc non videtur esse. Ita Castro Pal. *t.* 3. *tr.* 14. *de voto, d.* 1. *p.* 9. §. 1. *num.* 14. Hinc votum de facto alieno, de non moriendo, de non peccando, neque mortaliter, neque venialiter, & similia perinde se habent, ac si non fuissent emissa. Solùm in primo diligentia adhibenda tibi erit, ut alius faciat rem à te promissam, is enim bonus sensus est illius voti. Simile quid in secundò, si intenderis non dare causam morti. In tertiò an saltem obligeris ad partem, nempe ad non peccandum mortaliter, quod in tua est potestate, & alia quæ ad hoc votum de non peccando pertinent, quia tale votum rarò omitti solet, vide apud Doctores *ibid. à n.* 6.

3. Quid de vovente, duo, quæ separatim possibilia sunt, unitim impossibilia, v.g. Si quis pro die hoc Dominico voveat se inserviturum Hospitali; & pro eodem se auditurum Confessiones: Respondeo, si simul per modum unius vovit, quasi utrumque omnino voluerit exequi, certè impossibilia vovit, atque adeò neutrum jure vovit: At si simul, sed separabiliter, dico debere unum eligere, sed cum distinctione, nam si unum ex his est de meliori bono, quàm alterum illud de meliore valebit, & erit observandum, ita Sanch. *in Dec. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 23. majus enim bonum à Deo acceptari præsumitur: quòd si utrumque votum æqualem, vel quasi æqualem continet bonitatem, alterutrum licebit eligere, & observare, altero neglecto; quia tunc nulla est urgens ratio pro uno determinato. Ita Sanch. *ibid.*

4. Nota, posse contingere, ut non simul, sed prius, v. g. heri factum fuerit votum de uno, v.g. de inserviendo Hospitali, & hodie de altero, v.g. de audiendis confessionibus, quid erit tunc dicendum? Assero sive memor fueris prioris voti, sive immemor, valere prius votum, & sic in exemplo allato, valere illud de serviendo Hospitali, illúdque esse servandum. Ratio est, quia prius illud jam fuit absolutè validum, suámque obligationem induxit, ergo non potest à superveniente dejici,

5. Sanchez *lib.* 4. *in Dec. cap.* 5. *num.* 24. aliíque docent, quando votum postea, factum, v. g. hodie, est majoris Dei obsequij, quàm votum antea factum, v.g. heri, prævalere posterius, utpotè Deo gratius, ac negligi debere prius, solùm si sit dubium, quódnam sit majus

bonum ; prævalere , observandúmque esse prius. Vnde vides in exemplo de famulatu in Hospitali , heri promisso , & de auditione Confessionum promisso hodie , quia certum est auditionem esse meliorem famulatu , consequenter dicendum fore auditionem eligendam non famulatum. Ita quidem Sanchez, & Ratio est ( inquit ) tum quia illud votum , v. g. serviendi in Hospitali non valet , quia est impeditivum majoris boni ; tum quia concurrentibus duobus præceptis gravius est observandum ; cùm ergo in casu nostro concurrant duo vota, quæ sunt præcepta privata, gravius, seu melius erit observandum.

6. Verùm , huic doctrinæ non acquiesco : quia semper prævalet , ut dictum est , prior obligatio, quæ certò possidet contra secundam promissionem. Ad primam rationem in contrarium respondeo, ex ipso Sanchez *lib. 4. in Dec. cap. 8. num. 40.* qui tradit hanc regulam : Quando votum includit aliquod bonum , v. g. statum Religionis laxioris , quod est sufficiens ipsius voti materia , quamvis illud perfectiora bona excludat, v. g. excludat statum Religionis strictioris validum est , quia materia illa promissa , v. g. perseverantia in dicta laxiore Religione est sufficiens voti materia respectu status imperfectioris , quem tum vovens habebat , qui est esse in sæculo, atque est res consilij. Esse igitur impeditivum majoris boni , quod invalidat votum , non esse impeditivum boni majoris cujuscunque , sic enim nulla ferè vota valerent , cùm semper sit invenire majus aliud bonum, quàm sit votum factum : Sed est esse impeditivum majoris boni, quod vovens habeat tunc , cùm vovet; ut si quis dum est Religiosus in Religione observanti , velle vovere aliam non tam observantem. Hac doctrina ipsius Sanchez posita, sic sublumo , Sed servire hospitali non est impeditivum majoris boni , quod habeat vovens tunc cùm vovet , melius enim est servire , quàm otiosum esse; ergo validum erit votum , licèt sit impeditivum auditionis Confessionem : sicuti erat Religioso laxior impeditiva strictioris , Si ergo est validum , quo modo à superveniente promissione invalidari poterit? Non ergo interim, cessaret votum , si superveniat urgens necessitas , sive corporalis sive spiritualis , ut *infrà* dicetur , & iterum non nego posse ipsum voventem, si velit, prius votum famulatus , commutare in auditionem confessionum , utpotè in melius bonum , secundum communem doctrinam asserentem licere cuilibet suum votum commutare in melius, Deóque gratius, solum assero valere illud prius votum.

7. Ad secundam rationem, neganda est minor argumenti : Falsum enim est concurrere duo vota, prius enim solùm est verum votum , quod obligationem sine impedimento in vovente peperit ; posterius verò , cùm sit incompossibile cum priore , obligare non potest : atque adeò præceptum privatum non est : Immò hæc posterior promissio posset dici esse impeditiva majoris boni ; impediret enim, si executioni mandaretur , illud prius , ad quod inveniris ex privato præcepto obligatus : sicuti enim si voveres , seu promitteres Religionem ingredi, contra præceptum charitatis subveniendi tuo patri extremè indigenti ; non valeret promissio , quia hæc esset contra præceptum obligans ; ita in casu nostro , quia promissio posterior pariter contra præceptum est, scilicet contra votum , jam , ut probatum est, obligans, nequaquam valebit.

## §. II. *Materiam Voti oportet honestam esse , non indifferentem.*

1. BOnam , honestámque debere esse votorum materiam inde constat, quia debet esse de re Deo grata: secùs eam Deus acceptare non poterit: nam propterea potest esse etiam de re alias præcepta. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 2.* Quid de re indifferenti , quæ est illa , cujus executio non magis est utilis ad vitam æternam , quàm ejus privatio ? Respondeo , neque illam Deus acceptabit , utpotè ut sic incapacem divini cultus , & obsequij. Quamvis rem indifferentem , ut item venialiter malam , vovere putem nisi venialem , siquidem gravis esse injuria non videtur : nam rem graviter malam vovere, certum est esse duplex peccatum mortale: alterum contra virtutem oppositam : alterum contra Religionem ; cùm sit peculiaris Dei injuria velle voto firmare peccatum.

2. Ex his advertis differentiam juramenti promissorij , quod homini fit , & voti , seu juramenti, quod fiat Deo. Illud enim potest esse de re indifferenti , quia homo, cui sæpè placet, quod non est melius, rem indifferentem acceptat; hoc verò non ita, quia Deus non acceptat, nisi illud quod sibi gratum est, sulque cultus capax. Neque obstat , in juramento illo promissorio homini, invocari Deum, invocatur enim solùm , ut testis , non acceptatur.

3. Duo hîc explicationem postulant. Primò: An malus finis, vel indifferens adjunctis à vovente materiæ bonæ illam vitet, irritétque votum. Secundò: An è contra bonus finis materiam indifferentem afficiens, illam voti capacem reddat.

Quoad Primum. Sint hæ duæ regulæ, ex Sanch. *lib. 4. in Dec. c. 6. n. 11.* Quoties finis , sive mortaliter , sive etiam venialiter malus, sive solùm indifferens, ita adjungitur à vovente materiæ promissæ, ut verà sit finis ipsius promissæ materiæ ( id quod fit, quando vovens intendit per illam rem, quam promisit , obtinere aliquod malum vel solùm indifferens ) toties ultra peccatum, quod fortè invenitur in illa materia , votum est irritum. Ratio est , quia tunc res redditur mala ex illo pravo fine , atque adeò non acceptabilis. Sic esset , si quis voverit eleemosynam dare pauperi , ut per illam pauper usuras exerceret , vel ut potens esset ad occidendum inimicum , & similia.

4. Regula secunda : Quoties finis malus additur ipsi voto, remanente re promissa in sua bonitate, toties votum est validum ; quia tunc materia ipsa bona est unde & a Deo acceptator : id autem tunc accidit, cùm vovens non intendit uti ipsa res promissa , sed solùm ipso vovendi actu ad obtinendum finem malum , v. g. si quis voveat eleemosynam pauperi coram multis , ut ij id audientes, vanam æstimationem concipiant de virtute voventis ; valet votum , quia res promissa nulla inficitur pravitatis macula ; & solùm ipse vovendi actus ad finem illum malum dirigitur.

5. Vna est sive exceptio, sive declaratio. Nam si ipsum votum emittitur , atque adeò ipse actus vovendi ordinetur, ut obtineatur à Deo malus quispiam finis; tunc quia hoc Deo gratum esse non potest , irritum erit , ut suprà diximus; quare si voveret quis dare eleemosynam, ut obtineret à Deo potiri posse puella , vel inimicum occidere, &c. invalidè voveret. Idémque esset, si voveret eleemosynam, ut obtineret à Deo vanam nó hominum existimationem: in quo notes pervelim differentiam: nam modò *n. 4.* fuit validum votum factum ob vanam gloriam , quia votum non emissum ad illam à Deo obtinendam ; sed solùm comitanter ex actione vovendi , illam vanitatem qui aucupabatur: at nunc ipsum votum concipitur ad impetrandum à Deo vanitatem illam, quæ ingrata prorsus Deo est, & quidem si res Deo mortaliter ingrata per votum exorari intendatur, peccabitur mortaliter : si venialiter ingrata, venialiter: qualis enim est finis, tale reddat votum, necesse est.

Ex dictis cum eodem *l. c.* Si quis voveat rem bonam v. g. jejunium , ut ex bello injusto incolumis evadat, ut ex concubina filium suscipiat , ut ex ludo illicito , sed non injusto lucrum reportet , lucrum scilicet , ad quod restituendum ex nulla lege sit obligatio , validè vovet ; quia esse incolumem, habere prolem , lucrum illud retinere ; mala nequaquam sunt , nam ideo licet de effectibus gratias Deo agere. Contrà verò, si quis voveat ut lucrum ex usuris , vel ludo injusto reportet , ut obtineat à Deo vires ad inimicum occidendum ut recuperet sanitatem

fanitatem ad adulterandum; invalidè vovet, quia habere bonum injustum, pollere viribus ad occidendum, habere sanitatem ad adulterandum, mala sunt. Deòque ingrata. Hæc ex Sanchez, sed Castro Palaus mihi hîc magis placet, ait enim, etiam in præcedenti casu non esse validum votum, quia neque in illo est votum de re bona Iesum enim, ut relatum ad habenda prædicta, imbibit ullum medium ad illa; at, sic malum quid est.

Sed adhuc unus est casus, in quo est validum ejusmodi votum, quando scilicet fit, non quidem ad habendos illos effectus ex illis mediis, verùm illis effectibus jam habitis, fiat propter gratitudinem ad agendas gratias Deo de illo filio, incolumitate, lucro. Tunc enim ex una parte hæc non sunt mala ex se, & ex alia non intenduntur habiti (jam enim sunt habita) pro pravo medio, à quo in casu præcedente inficiebantur.

6. Unum denique adverte cum eodem *loc. cit.* malum quod apparet in ejusmodi votis, interdum non esse finem, sed conditionem; nam tunc valet votum, v. g. si quis vovet Religionem, si suus collitigans injustus litem vincat, bonisque suis injustè potiatur, illa injustitia colligantis non est finis voventis; patet, quia voventi mala est, sed conditio, sensúsque voti est: posito, quòd illud malum mihi eveniet, Deo Religionem voveo. Similè quid evenit aliquando in votò pœnali; nam si quis ita voveat: *Promitto ingredi Religionem, si adulterium commisero*, seu *in pœnam quod commiserim*, validè vovet, quia sensus non est, quod ipse adulterium tanquam finem velit, sed in pœnam sui sceleris Religionem velit suscipere.

7. Quoad secundum. quid dicendum, si bonus finis jungatur materiæ indifferenti? illámne voto aptam reddet, & sic de ea constabitne votum? Respondeò, reddere aptam in eo casu, quo aliqua circumstantia facit, ut res indifferens, grata Deo evadat, pertineátque ad ejus obsequium. Ingredi, v. g. vel non ingredi domum hanc, equitare, vel non equitare, rusticari, vel non rusticari, res est indifferens: at si tibi ingressus, equitatio, rusticatio sit occasio peccandi, dum manet talis occasio, honestum tibi, gratumque Deo erit horum privatio. Quare si tuum votum ad bonum hoc ordinetur, valebit votum: nam si à te non ordinaretur, remanerent in sua indifferentia respectu tui voti res illæ, nec voti capaces erunt. Pari modo votum ad obtinenda bona temporalia, quia finis est indifferens, non valet: at votum ad hæc obtinenda, ut illis impetratis Deo gratiæ reddantur, validum est, quia hic finis honestissimus est; & certè cùm Fideles vota propter temporalia nuncupant, hoc posteriori, vel simili modo se gerere præsumuntur, non priori. Ita Sanch. *c.7.n.28.*

8. Illud notandum, ut res indifferens, modo dicto ex bono fiat bona, debere esse aptam ad talem bonitatem, ut ita dicam, recipiendam. Ponit exemplum Sanchez *ibid. n.5. & num.13.* in vovente non præscindere ungues, vel exercere ludum agitationis Taurorum in Festo Sanctissimæ Virginis; hæc enim vota irrita ex se sunt, nec relaxatione indigent, quia ungues non præscindere, & Taurum agitare, cum in Dei, vel Sanctorum obsequium non cedant, materia est incapax bonitatis.

9. Si quis voveret capita animalium non comedere in honorem Sancti Ioannis Baptistæ, vel vestibus quibusdam vestiri, vel non nere die Sabbati in honorem Virginis, & similia invalidè voveret: quia hæc sunt vana; & inutilia ad fines prædictos. At si propter aliquam circumstantiam hæc pertinerent ad aliquam virtutem, utique valerent vota de iisdem. Si quis enim multùm alliceretur à cibo capitum animalis, si quis vestibus illis se per humilitatem contemnere intenderet, si quis ab affectu nendi retardaretur, vel ab oratione, vel ab exercitiis spiritualibus validè ea vota conciperet: quia sic pertinerent ad virtutem abstinentiæ, humilitatis, Religionis. Ipsum vestiri albo colore cedere in honorem Virginis ut etiam vestiri colore ordinis alicujus Religionis, vergere in obsequium sancti Fundatoris, communiter homines prudentes existimant; nam propterea votum de hujusmodi vestibus induendis communiter valere censeo. Ita Sotus *lib7. de just. q. 1. art. 3. circa secundam conclus.* favétque Azor. *p. 1 lib. 11. c. 14. q. 5.*

### *Quando dubitatur de Bonitate finis Voti.*

10. Denique illud est, hîc explicatu molestum, quid sentiendum, quando dubium est, qualisnam sit finis ipse principalis, bonusne, malus, an indifferens? Vt huic difficultati faciam satis, recole, finem in voto esse posse duplici modo. Primo, si quid, executione rei promissæ, obtineri intendatur, verbi gratia, per jejunium intendit quis obtinere, vel victoriam à tentatione prava, vel vindictam inimici, vel indifferenrem corporis recreationem. Secundò, si quid non sit finis rei promissæ, sed ipsius voventis, quod alij dicunt, esse finem ipsius voti v. g. si quis promittat eleemosynàm non quidem, ut acquirat mediante illa, vanam gloriam (hoc enim modo esset finis rei promissæ) sed ut exerceat quidem actum misericordiæ; at illo actu intendit vanè laudari à circumstantibus. Vides? Hic finis est ipsius voventis, ipsúmque afficit, non verò inficit actum eleemosynæ, qui etiam tunc est actus bonus, si solùm comitanter ex illo vana gloria captari intenditur.

11. Iam verò communis doctrina est, in primo casu esse invalidum votum, si finis est malus, vel indifferens, quia tunc res promissa affecta illo fine, mala est, vel indifferens, unde materia voti esse non potest.

Contrà validum est in secundo casu; quia res promissa bona est, esto, illa comitans affectus sit malus, malitiâ, vel veniali, vel mortali, jvxta affectum ipsius voventis.

12. Non est igitur in hoc difficultas, si supponimus, esse nos certò de bususmodi finibus, sed implicata difficultas est, quando dubitamus. ut ergo clarè procedatur, distingue diligenter tria.

Vel enim primò agi potest, quando finis principalis est unicus, & certò malus, vel certò indifferens, dubitatur autem, an hic afficiat re promissam, an verò ipsum voventem?

Vel secundò, quando finis idem principalis, pari modo, in se unicus certò afficit rem promissam, sed dubium est, an in se sit malus, vel indifferens, an potiùs sit bonus? Dico (afficit rem promissam) nam si afficit solùm voventem, etiamsi finis sit certò malus, nec solùm dubiè malus, vel dubiè indifferens, jam diximus *n.* 11. validum esse votum.

Vel tertiò, quandò duo sunt fines, à quibus moveri principaliter vovens potuit, alter certò bonus, alter certò malus, vel certò indifferens, sed dubitatur à quonam ipse motus ad vovendum fuerit, ab hoc, an ab illo? Petrus, v. g. certò vovit Visitationem Lauretanæ Virginis, sed dubitat, motúsne principaliter fuerit à pietate erga Sanctissimam Virginem, an à mera curiositate, an ab impudico amore puellæ inibi habitantis?

13. His distinctis. Dico primò, Sanchez *loc. cit. n.28.* docere in primo casu valere votum, atque adeò obligare, quia certi sumus de voto, incerti de fine. Sed mihi videtur esse etiam probabile, nequaquam valere; cum Tancredi *in q. mor. tr.3. d.4. q.14.* Ratio est, quia in eo dubio, an finis ille cadat in rem promissam, an potiùs in ipsum ventem, seu votum, jam dubitatur, an votum habeat bonitatem, quæ de essentia voti, atque adeò, an adsit votum. At ad illud, quod dubito, num sit votum; non obligor, quia nunc prævalet mea certa libertas contra votum dubium.

13. Dico secundò, cum eodem Sanch. *ibid. c.26. n.24.* in secundo casu non valet votum. Ratio est, quia tunc dubitatur de bonitate rei promissæ, & consequenter dubitatur, an bona sit, an mala; At operari cum hoc dubio malum est.

Sed quid, si in hoc secundo casu dubitetur, an bona sit; an indifferens? Respondeo adhuc non valere, quia in casu hoc dubitatur, an Deus votum hoc acceptaverit,

dubitatur enim, an id habuerit essentiam voti, quæ est; esse de re bona.

15. Dico tertiò, neque esse validum votum in tertio casu, idque satis probabiliter; esto aliqui probabiliter etiam asserant, esse validum.

Ratio nostræ probabilitatis est eadem, quam modò attulimus; Si enim omnibus diligenter expensis (ut certè à te semper supponimus; hîc, & in præcedentibus esse expendenda) manet dubium, an motus fueris ad vovendum ex hoc bono, vel illo fine non bono, semper remanet dubitatio de constitutivo essentiali ipsius voti; ergo votum erit dubium, ergo non obligans, cùm præveleat certa libertas.

Dices, in hoc tertio casu sumus certi de voto, sed incerti, qualisnam finis fuerit adhibitus: ergo prævalet votum. Ita sentire videtur Sanchez *loc.cit. cap.7.n.20.* Respondeo. Nego nos certos esse de voto, quamvis per verba illa exterius fuerit explicatum: cùm enim dubitemus, an ejusmodi promissio habeat bonitatem finis, de voti essentia, atque de ejus certitudine dubitamus; prævalet ergo certa nostra libertas: nam verba illa solùm materialiter se habent.

Replicas: Nemo præsumitur commisisse delictum, ergo, quando est dubium, an voveris, v.g. Peregrinationem Lauretanam ex fine visendi amicam, vel visendi Sanctissimam Virginem; præsumeris vovisse ex posteriore hoc fine; nam secùs, peccasses, dum vovisses illam peregrinationem instituere, ut turpem amorem foveres. Ita quis poterit ex illis Sanch. verbis, ibi (*ut minus delictum præsumatur*) argumentari.

Respondeo, nos loqui, quando, omni præsumptione consideratâ, & omnibus expensis circumstantiis, adhuc remanet res dubia: nec enim dico, in foro conscientiæ votum esse æstimandum invalidum, quia non adest certò essentia voti. Esto igitur in foro externo me urgere possis ad votum propter dictam, vel quascunque alias præsumptiones, at in interno, cùm verè nesciam qualitatem finis, unde & nesciam, an commiserim delictum, nécne, sum in eodem foro dubius de essentia voti: ergo illud exequendi nequaquam reus.

## §. III. *Materia Voti impeditiva majoris boni esse non debet.*

1. HUjus generis tunc esse materiam Voti, cùm impedit majus bonum, quod vovens actu habet, dixi per occasionem *suprà*, §. 1. *n.6.* Si quis ergo, dum est Religiosus strictæ regulæ, voveret Regulam laxiorem, certè nulliter vovet; quia Deo id quod meliorem bonitatem impedit, gratum esse non potet. Id quod satis sit in memoriam revocasse.

## §. IV. *Expenduntur quædam particularia Vota.*

1. POtrò, quia nõ ratõ negotium facessit dijudicare, an majus bonum emissum Votum impediatur, vel alia quædam peculiaria; ideo nonnulla vota, quæ in controversiam vocari solent, hîc examini subjiciam, & manifestè decernam.

### *Votum non vovendi.*

2. Votum non vovendi absolutè nullum est: Ita Azor *p.1. l.11.c.14.q.6.* quia opponitur votorum emissioni, quæ Deo grata est. At votum non vovendi indiscretè, temerariè, sine consilio Confessarij, validum est; quia vovere cum tali cautela, honestam, & virtutem prudentiæ sapit.

### *Non ludendi, & similium.*

3. Vota non ludendi modestè, seu per Eutrapeliam non recreandi, cibis delicatis non utendi, valent communiter, procedunt enim ex amore mortificationis, & pœnitentiæ, quæ melior est, quàm illa, quamvis honesta, recreatio. Ita Suar. *tom.2. de Relig. lib.2. de Voto, c.8. n.8. & c.40. dub.5. n.43.* Dico (communiter) nam si ea recreatio, ludus, cibus, in speciali casu essent arsimæ tuæ utiliora, Vota de abstinendo ab illis non valerent, quia tunc bonum Deo gratius impedirent: Ita Suar. *ibid. n.9.*

Pari modo non valerent, si emitterentur ab uxore, v.g. ob mœstitiam, quam profiteri velit ob mortem viri: ut sic enim illa abstinentia, vel indifferens est, vel potiùs vana, nec Deo grata, votum non ludendi, ne fiat jactura rei familiaris, valet ex Sanch. *lib.4. in decal. c.7. n.29.* & meritò, quia actus virtutis est, nolle prodigere.

### *Contrahendi Matrimonium.*

4. Votum absolutum contrahendi Matrimonium non valet, quia impedit cælibatum, bonum nimirum melius. Ita Suar. *l.c.c.9. n.* 2. Laym. *lib.4.tr.4.c.2.n.*12. Sanch. *lib.* 1. *de matr. d.40.n.*1. & *in Dec.c.* 8. *n.* 51. & 52. aliique. Votum contrahendi cum hac puella paupere, cum hac meretrice, &c. nec item valet, ex Suar. *d.c.9.n.*8. quia puellam esse pauperem non vincit majus bonum cælibatus. Excipe, nisi forte matrimonium esset tibi necessarium ad vitandos tuos lapsus, vel esset necessarium ad prolem pro bono publico susciendam, vel ad ducendam puellam, quam data fide violasti? in his enim casibus urget præceptum quod observare melius est, quàm servare cælibatum, quod est de consilio. Idem est, (ait Bonacina) si sub conditione sic voveas? Si quam ducam, ducam meretricem, vel pauperem; Ratio est, quia quandoquidem cælibatum non servas, melius est, majorisque charitatis opus illis per tuum matrimonium, auxilium impendere.

### *Non acceptandi Prælaturas, vel Sacerdotium.*

5. Votum non acceptandi Prælaturas, sæculáresve dignitates, validum est, si recta fiat intentione. Ita D. Thom. *2.2. q.185. art.1.* & 2. aliíque; licèt enim primo aspectu videatur impedire majus bonum, nempe Episcopatum, v.g. quia est status perfectior eo, quem habet actu vovens; tamen propter humilitatem, mortificationem, & pericula debitum munus non exequendi, melior est ejus privatio. Hinc infert Suar. *l.c.11.n.* 10. *fin.* Votum non suscipiendi ordines irritum esse, quia ordinum susceptio non affert illud periculum; at votum non suscipiendi beneficium, aut quodcunque regimen animarum, ratum esse, quia in hoc voto dictum periculum adest. Sed certè puto etiam Votum non suscipiendi ordines validum forè, si finis sit humilitas, & reverentia, qualem respexit S. Franciscus, dum ad Sacerdotij gradum noluit ascendere. Qua ratione Superior posset nihilominus præcipere prædictis ejusmodi munera, vide *suprà, cap.7. §.3. n.*13.

### *Inserviendi in perpetuum.*

6. Votum inserviendi hospitali in perpetuum, quamvis te impediat ab ingressu in Religionem, quod est melius bonum, validum est; quia *suprà*, §. 1. *vers. ad primum*; vidimus non debere considerari in hac materia quodcunque majus bonum; sed illud, quod vovens habet actu, dum vovet: at certè melius est inservire hospitali, quàm non inservire, seu domi suæ cum libertate otiandi permanere.

### *Præstandi hoc, & non aliud.*

7. Votum præstandi hoc determinatum opus, non verò aliud, valeat, nécne? Si quis, v.g. Deo promittat hanc, & non aliam Religionem ingressurus, hanc arreorum decem eleemosynam distributurum, & non aliam, Coronam Virginis non nisi flexis genibus recitaturum, validéne promittit? Sanchez *lib.4. in dec.cap.8. num.* 47. asserit, validè promittere; quia licèt hæc vota sint conditionalia, excludántque alia bona: quia tamen indirectè excludunt, sunt certè directè de bono honesto. Adde melius esse, hæc bona ex obligatione facere, quam liberum esse in aliis, quæ fortè non fient. Castro Pal. *t. 3. tr.15. d.1.*

*Lib. de voto, c.8. §. num. 16.* affirmat invalidè promittere: quia cùm in his votum hoc, & non aliud majus bonum, imò nec aliud minus promittatur, (vult enim hic vovens coronam non alio modo, nisi flexis genibus recitare eleemosynam non nisi decem aureorum dare) immissa, erat in illis materia apta voto cum inepta, inepta enim materia est privato faciendi bonum opus, v. g. privatò facultatis dicendi coronam stando, vel deambulando, si forte non possit flexis genibus; privato volendi dari eleemosynam quinque aureorum, si non possit decem, vel si velit viginti, &c. & consequenter invalidè, ex modo dicendis §. *sequenti*, sic vovebitur.

Certè utraque sententia est probabilis; sed in hac ulteriore, ne error irrepat, est aduertendum, non rarò tibi videri esse immixtam materiam ineptam, cùm non sit. Nam si quis voveat, v.g. ingredi hanc Religionem, & non aliam, quia iudicat pro sua dispositione hanc omnium aptissimam esse ad famulandum Deo; non audebis dicere illam nulliter vovere, quia licèt hoc votum vniatur cum privatione strictioris cuiuscunque Religionis; tamen cùm respectu talis personæ alia strictior non sit, quid bonum coram Deo, ea voti materia non erit immixta cum materia inepta, quare valebit Votum? Eodem ergo modo in similibus philosophandum perdifficiliter erit.

*Non petendi dispensationem.*

8. Votum non petendi sine causa dispensationem voti facti, vel faciendi, validum pronuntio: quia ad prudentiam pertinet nolle sine causa à voti obligatione eximi. At votum non petendi dispensationem absolutè, nequaquam valere puto; Ita Sanch. *loc.cit.c.*8.*n.*21. lege etiam Castro Pal. *l. c.* §. 5. *à n.*4. quia impedit majus bonum, nempe libertatem petendi dispensationem, quæ aliquando necessaria, vel saltem valde vtilis erit voventi.

9. Votum denique non petendi dispensationem non includere votum non petendi irritationem, vel commutationem, & contrà, probabilius negari potest, quia hi sunt satis diversimodi; quorum unum qui vult, vovétque, non statim alterum vovisse præsumendus est.

§. V. *De materia partim Voto apta, partim non item.*

1. QVoties tuum votum ita est de materia quæ sit partim apta, partim inepta, v.g. partim possibilis, mala, indifferens, contra consilia, sine malo infecta, &c. partim possibilis, honesta, bona, sine bono affecta, &c. ita, inquam, est, ut indivisibiliter per modum unius, sic poscente talis rei natura, vel sic te intendente, promiseris, nullum est votum. Si divisibiliter, & vera dividi materia possit, votum est validum, & obligans, quoad partem aptam duntaxat. Ita Sanch. *lib.*4.*in Dec.c.*10. *à n.*1. Castr. *loc.cit.p.*8.§.2.*à n.*10. Vovet, v. g. quis construere Ecclesiam: si non potest totam, non tenetur ad partem ædificandam, quia indivisibiliter, & per modum unius tota Ecclesia promissa esse videtur; At si intenderit divisibiliter, si nimirum totam non posset, partem voluerit, ad hanc tenebitur. Ratio huius doctrinæ est, quia vovens, dum indivisibiliter quid vovit, unum non promisit sine alio: promisit dum divisibiliter.

Tota difficultas est, qua ratione id, quando clara non apparet voventis intentio, dignosci queat. Tres afferuntur communiter conjecturæ.

2. Prima: Quando res ex natura sua est inepta dividi, per modum unius censetur promissa; quando est apta dividi, censetur promissa divisibiliter. Hinc quia eleemosyna est huius posterioris generis, qui promittit decem, nec potest nisi quinque, ad hæc obligatur: at quia jejunium unius diei est prioris modi, qui non potest usque ad meridiem à cibo abstinere, liber à Voto est.

3. Secunda conjectura desumitur ex usu loquendi, & communi æstimatione. Quare qui promisit nunquam peccare, quia ex usu loquendi intelligi solet indivisibiliter, id est, nullo tempore velle peccare; cùm id non possit; siquidem ab omni etiam veniali peccato nemo potest se semper liberare; ideo quamvis possit aliquo tempore non peccare, votum votum corruit.

4. Tertia conjectura ducitur ex illo principio: *Accessorium sequitur principale, non contrà.* Quare si pars principalis voti est apta materia, licèt pars accessoria sit inepta, obligabitur vovens ad partem ad principalem: quia pars principalis, utpotè magis intenta, censetur absolutè promissa sine dependentia ab accessoria; v.g. si quia vovisse peregrinaturum Romã sacco indutum, sacco deficiente, reus erit peregrinationis, quia sacci usus accessorius est: Excipe, nisi accessorium sit tanti ponderis, ut meritò appareat rem non esse absolutè, sed cum illo accessorio inseparabiliter promissam. Vt si quis promisisset dictam peregrinationem equestrem: certè deficiente equo, non teneretur ad pedestrem. Si verò pars principalis est inepta voto, licèt accessoria sit apta, ad nihil vovens obligatur: quia corruente principali, non censetur accessorium subsistere, cùm per se accessorium fuisse promissum non præsumetur, nisi contrarium expresse fuerit intentum in voto. Quare in allato voto, si quis peregrinari non posset, non propterea obligaretur saccum induere, vel expensas itineris satisfacere, quia hæc sunt accessoria peregrinationis.

5. Quid primò, si materia initio fuit inepta, postea apta? Quid secundo, si contrà? Vnum ante responsionem moneo, An materia sit voto apta, nécne, non est dijudicandum ex tempore, quo votum emittitur, sed ex tempore, quo emittitur: certum est enim, si hoc sero voveas audire Missam, videndum esse, an [illegible] matutino audire possis, quando est aptum tempus audiendi; non verò pro serotino.

6. Hoc monito, sit hæc regula Sanchez *lib.*4. *in Dec.cap.*9.*n.*4. Pro casu, quo initio materia fuit inepta, postea apta; nec clara est intentio voventis; Votum non valere; nisi quando ineptitudo fuerit ex aliqua circumstantia accidentali, & Voto extrinseca. Exemplum clariùs regulam explicabit: Si voveas non ingredi domum quampiam nullo bono fine motus, etiamsi deinde adveniat bonus finis, in illum, v. g. transmigret puella periculum tibi afferens; non obligaris voto, quia illud votum initio fuit invalidum ob materiam tum voto ineptam; at quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit.

Verùm si voveas, dum es in mari, vel dum es excommunicatus, audire, v.g. Missam per annum, obligaris ad Missam, remoto excommunicationis, vel maris impedimento: quia hoc votum valet pro suo tempore habili; illæ enim circumstantiæ maris, & excommunicationis, licèt reddiderint votum ineptum, pro tempore, quo existebant: tam ut potè extrinsecæ voto, & accidentariæ, votum pro tempore apto, nequaquam invalidaverunt. Cùm igitur huius voti executio tractum successivum habeat, implerique remotis illis circumstantiis possit, omnino debet.

7. Iam verò pro votis, quorum materia initio fuit apta, deinde evasit inepta. Regula sit huiusmodi: Quando fit inepta omnino, & in perpetuum, extingui omnino votum, quando autem fit inepta ad tempus, suspendi vorum pro eo tempore, unde redeunte aptitudine, redire & votum. Ratio Regulæ est, quia pari passu procedit obligatio voti, cum aptitudine materiæ. Quare si vovisti non ingredi illam domum ob peculiarem puellam ibi commorantem, si ea vitam absolvit, absoluitur & tuum votum, si autem eadem discedit ab ea domo per annum, & deinde redat, votum tuum suspenditur, nec obligat per illum annum, obligabit postea.

8. Quando si votum fuit pro hac determinata puella, v. g. Berta, adveniétque in eam domum alia, v.g. Lucretia: licèt afferat idem, vel etiam majus periculum ad illam domum non extenditur votum, quia intentio voventis non fuit universalis ad omne periculum, ut

ſupponimus, ſed ad illud ex hac individua perſona dimanans.

9. Quid, ſi votum ſit diſiunctum, cuius una pars cadat in materiam aptam, altera in ineptam? ut ſi quis ita voueat: *Ego promitto Deo vel me furaturum, vel me Religionem ingreſſurum: Ego promitto religionem ingreſſurum, vel ut furer, vel ut Deo ſeruiam: Voueo vel me occidere, vel me per aliquot dies jejunaturum*, & ſimilia? Reſpondeo dandam eſſe non abſimilem regulam; videndum enim eſt, an diſiunctio cadat in duplicem illam materiam, vel finem, nécne. Si cadat in utramque, illicitū eſt votum, quia exiſtente una parte mala, utraque pars mala erit, cum malum ex quocunque defectu, quare voti materia eſſe non poteſt. Quòd ſi diſiunctio non cadat in utramque partem, ſed determinatè intendatur una pars, altera verò ſolùm ſit appoſita, ut conditio, valebit votum quoad illam partem determinatam, ſi aliunde apta voto eſt. Exemplo clarior evadet doctrina. Sit, qui ſic voueat: *Promitto aliquid furari, quo ſim dives; vel ſi furari non poſſum, promitto me in Religionem ingreſſurum.* Vide hìc adeſſe veluti duo vota. Alterum: *Promitto furari*: & hoc invalidum eſt. Alterum: *Promitto me Religionem ingreſſurum, ſi furatus non fuero*, & hoc validum eſt; quia de re ex ſe bona, & omiſſio furti, eſt ſolùm conditio.

10. Quid denique, ſi votum ideò diſivnctivè emittatur, quia vouens neſcit, quænam materia apta ſit voto; ut ſi quis voueret ſe, vel daturum eleemoſynam anno ſequenti, vel jejunaturū, quia neſcit, an anno ſequenti habeat pecuniam, quam pauperibus elargiatur? Reſpondeo, ad aliquam partem poſſibilem obligari, nemini dubium ſit, quia tunc adeſt virtualis voluntas ſe obligandi ad partem, quam poſſibilem inveniet: ſic etiamſi mulierecula voueret jejunium, ut cōtineret à Deo vel amaſium, vel maritum, certè invalidè voueret eo modò dictis *n.* 9. at ſi ipſa ex ignorantia ſic voveret, ut deinde à Confeſſario ſuo inſtructa eligeret id, quod bonum fuerit; virtualiter determinatam illam partem pertinentem ad maritum voveret, quare & validè.

## §. VI. *Quomodo Votum ſit interpretandum.*

1. Brevis eſt Regula, fuſior petenda ex dictis *cùm ex Iuramento, ſuprà, cap.* 3. §. 4. Cùm Votum obliget ſolùm ſecundùm intentionem voventis, benignè, & non ſtrictè erit interpretandum, ut quantò minùs poſſit gravet voventem. Lege Suarez *lib.* 4. *de voto, c.* 7. *num.* & 9. Laym. *lib.* 4. *de voto, c.* 3. *n.* 3. Quòd ſi de ejus intentione non conſtet, præſumendum eſt votum fuiſſe emiſſum, juxta id, quod requirit natura rei promiſſæ; de qua re, ſi item non conſtet, præſumendum erit juxta quod ſignificant verba, quibus facta eſt promiſſio; & quidem ſecundùm communem vſum loquendi, cùm ſemper præſumatur quis ſua verba menti velle conformare, eadémque juxta morem patrium proferre.

### *Affertur interpretatio aliquorum Votorum.*

### *Votum Virginitatis.*

2. Votum puellæ de virginitate perpetua, immò de virginitate, niſi expreſsè aliqua limitatio addatur non ſolùm eam obligat ad recuſandum primum actum turpem, ſed omnes deinceps. Ita S. Thom. quem citat, ſequitúrque Suar. *loc. cit. n.* 5. & 7 quia ex vſu loquendi illud (voveo virginitatem) ſignificat perpetuam Caſtitatem; quare amiſſa per primum actum virginitate, adhuc obligatur ad reſpuendos omnes actus tum externos, tum etiam internos contra virtutem continentiæ. Ita *in noſtr. opuſc. de Confeſſ. in editione Panormitana, lib.* 2. *c.* 7. §. 1. *n.* 4. & colligitur ex Suar. *loc. cit.*

### *Votum Peregrinationis.*

3. Votum Peregrinationis poteſt impleri per peregrinationem equeſtrem; ſic Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 16. hæc enim in omni rigore peregrinatio eſt, & ſic minùs gravatur vovens: ut item propter non abſimilem rationem, poteſt impleri per peregrinationem factam propter alia negotia, dum adſit intentio volendi voto ſatisfacere.

### *Audiendi Miſſam.*

4. Votum de audienda Miſſa impletur juxta, ac impleretur, ſi eſſet de præcepto Eccleſiæ; hoc enim modo præſumitur promitti: ſic Suar. *loc. cit. n.* 14. Si voviſti audire Miſſam quotidie; cenſeo ex vi huius voti tibi die feſtivo ſatis eſſe vnam audire; quamvis hæc ſit de præcepto, quia intentio tua videtur ſolùm fuiſſe, nullum tranſire diem ſine Miſſa.

### *Recitandi Roſarium.*

5. Votum de recitando Roſario, abſolutè intelligitur de tertia parte, quia hæc communiter Roſarium appellatur: ſic Suar. *l. c. cap.* 8. *n.* 5. Sanch. *l. c.* 13. *n.* 15. Rurſus poteris recitari cum ſocio alternatim, quia hic jam eſt vſus apud nos communis: qui apud Hiſpanos, quia fortaſsè non adeſt, ideo Caſtro Pal. *tom.* 3. *tr.* 25. *d.* 1. *p.* 12. *num.* 3. ejuſmodi alternationem in eo voto adimplendo negavit. At ſola mentè recitari non poterit, quia oratio vocalis eſt in eo voto promiſſa.

### *Ingrediendi Religionem abſolutè.*

6. Votum ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordines ſacros, non obligat ad caſtitatem, donec ſtatus illi aſſumantur; ſecùs plus nimio gravaretur vovens, nec enim, illis nondum aſſumptis, eſt emiſſum caſtitatis votum. Ita Val. 2. 2. *d. q.* 6. *p.* 4. *verſ. atque ex hoc quidem.* An idem votum ingrediendæ Religionis obliget filium in neceſſitate parentum, fratrum, ſororum, &c. vide apud Caſtro Palaum *tom.* 3. *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 7. §. 5. *per totum.*

### *Ingrediendi Religionem, ſi Pater conſenſerit.*

7. Hoc votum tunc obligat, quando Pater id à filio ſincerè proponente ſciens, non contradicit. Ita Sanc. *mox.* citandus; non enim opus eſſe cenſeo, vt pater aſſenſū poſitivum præbeat? quia ex communi more hic ſenſus ejus voti eſt: *Ingrediar, niſi pater ægrè ferat, & contradicat.*

8. Quid, ſi prior contradixerit, ſed deinde mutata voluntate conſentiat? Dico tunc impletam eſſe conditionem, votúmque obligare, iam enim abeſt contradictio.

9. Quid, ſi contrà: hoc eſt, ſi conſenſerit, ſed deinde, ante ingreſſum filij in Religionem contradicat? Aio votum non obligare, quidquid dicant Sanch. *lib.* 4. *in Dec. cap.* 24. *n.* 14. Layman. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *q.* 2. quia non eſt, impleta conditio juxta conſenſum voventis, qui voluit moleſtiam patris vitare.

10. Quid denique, ſi vel antequam pater poſſet ſignificare aſſenſum, vel diſſenſum; vel antequam adveniat tempus ingreſſus, ipſe pater moriatur; Dico votum obligare; quia ſolùm, niſi aliud manifeſtè fuerit expreſſum, requirebatur, ne pater contradiceret, moleſtiámque patefieret, quæ neg. jam nunc adeſt.

### *Iejunandi.*

11. Votum jejunandi intelligitur de jejunio more Eccleſiaſtico, unde pro quocunque die voveris, licet tibi lacticiniis veſci, ex Sanch. *lib.* 4. *in Dec. c.* 11. *n.* 53. quamvis Caſtro Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *d.* 1. *de voto p.* 12. *n.* 18. neget, ſi votum fuit pro Quadrageſima, vel aliis temporibus, in quibus ex conſuetudine ab his abſtinetur: vterque probabiliter: Si vovit quis jejunare in vigilia alicuius Sancti, quando hæc incidit in Dominica, poteſt, immò præſtat jejunare die Sabbati, quia hæc tranſlatio de more Eccleſiæ eſt. Nam propter eandem rationem, eum, qui per totum menſem jejunare vovit, non obligo Dominicis, niſi expreſsè etiam ſe pro illis obligaverit.

12. Si jejunium promiſſum violaſti, carnium comeſtione

bitum, vel iterata comestione, licèt peccaveris, potuis deinceps sæpius comedere, quia iam jejunium illius diei impossibile redditum est; An verò, si iterum carnes comedas, contra votum pecces, controversia est. Negat Sanchez *in Dec. lib. 4. cap. 11. num. 42.* quia abstinentia à carnibus erat debita ex vi solius voti jejunij accessoriè ad illud, non verò per se, ut per distinctum præceptum jubetur in diebus jejuniorum Ecclesiæ: jejunio igitur impossibili per primam comestionem carnium reddito, abstinentia ab illis non ampliùs urgebit voventem. Affirmat Suarez, quia votum jejunij intelligitur more Ecclesiæ, hæc autem ita præcipit jejunium, ut per eadem præceptum prohibeat carnes concedere pro quacunque hora. Hæc, & alia Suarez satis probabiliter, asserens contrarium esse absurdissimum, & contra omnes; nihilominus Sanchez instat multorum nobis sit, ut etiam sint Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 3.* sententiam Sanchez non improbabilem reputanti.

Votum jejunandi in perpetuum, an obliget sexagenarios, vide *infrà, lib. 4 cap. 5. §. 7. n. 9.*

13. Si vovit quis omnibus sextis feriis, vel Sabbatis jejunare, probabile est, si tunc incíderit Natalis Domini, posse à jejunio se continere: Ita Molina *t. 2. d. 272. n. 3.* Sayr. *p. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 3.* Fag. *part. 1. & 2. lib. 1. c. 6. num. 6.* quia is est mos Ecclesiæ; nisi tamen expressè contrarium intenderit, vel ex professione Religiosa (hæc enim expressioni æquivalet) id noverit. Sic Th. Sanch. *lib. 6. in Dec. cap. 6. num. 20.* Propter eandem rationem, qui vovit in Vigilia ejusdem Natalis Domini jejunare, potest Vesperi refectiunculum solito majorem sumere, nisi expressè, vel modo dicto æquivalenter rigorosum jejunium promiserit. Ita Th. Sanch. *lib. 4 in Dec. cap. 11. n. 65.*

*Abstinentia à vino.*

14. Votum abstinendi à vino, etiam ad evitandam ebrietatem, non prohibet cerevisiam, & similia; quia hæc sunt satis diversa, & finis extrinsecus sub voti obligationem non cadit. Alia de hoc voto mox afferam *num. 15. & 17.*

*Jejunandi in pane & aqua: ubi An Pastillj esculenti, vulgò Macherones, hoc jejunium violent?*

15. Votum jejunandi in pane, & aquâ obligat sub mortali, ne aliud comedas, vel bibas. Excipe parvitatem materiæ: quæ certè in re nimis laxè mihi videtur Castro Palao *t. 3. tr. 15. d. 1. p. 12. n. 21.* dixisse, dum docuit votum abstinendi à vino, obligare sub gravi culpa ne bibatur ea quantitate, quæ vino temperatè sientibus sufficeret pro una comestione; quasi ad majorem non obligetur graviter: nimis, inquam, laxè. Si quis enim quater bibat vinum, quâ de more mistum in prandio, temperatè bibet, ergo sequitur, quòd is, cui non liceret vinum propter votum bibere, posset sine gravi culpa bibere bis, vel ter. Id non credo. Semel igitur modo dicto bibere, non putarem grave; pluries, putarem: Nec id durum videatur; nam idem Castro Palaus, *ibid. n. 19.* nescio, an sibi repugnans, non multò antè dixit, seu supposuit, semel bibendo vinum, frangi jejunium promissum in pane, & aqua.

16. Qui in pane, & aqua jejunare vovit, si non potest sic jejunare, obligabitur jejunare cum piscibus; si nec cum his, vel similibus potest, obligabitur cum lacticiniis jejunium servare. Ratio est, quia accessorium sequitur principale; non contra: cùm igitur ex mente communiter voventium (nisi aliud expressè intendatur) in prædictis promittatur principaliter jejunium; si illud observari potest, debet. Contrà verò, si jejunare non possis, non propterea à prædictis cibi, & etiam à carnibus te continere iubeo, quia abstinentia ab his accessoriè ad jejunium fuit promissa. Ita Layman. *lib. 4. tr. 4. cap. 2. n. 3.* propter eandem rationem, si vovens jejunium in pane, & aqua, hora consueta alios cibos quadragesimales adhibuerit, violando graviter votum, adhuc tenetur ad jejunium; quia jam remanet principale, scilicet jejunium, quod servari potest. Dixi (nisi aliud expressè intendatur) nam si intendam te jejunare præcisè sub hac forma, sine vino, sine pascibus, &c. & non sub aliatilla forma semel, quamvis cum primo violata, ad aliam ex vi voti non obligaberis; quia illam vovisti, non aliam.

17. Sed quid, si vinum biberis, atque adeò quoad hanc circumstantiam votum violaveris, licebitne tibi sine novo peccato, vinum iterum, iterúmque potare, posito, quòd aliud in contrarium expressè non intenderis? Affirmat Sanchez *lib. 4. in dec. cap. 11. num. 41.* quia pro abstinentiam vini semel violatam redditur pro illo die impossibilis dicta abstinentia. Negat Castro Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. p. 12. n. 19.* quia intentio voventis videtur adstrinxisse jejunio abstinentiam vini pro singulis horis totius diei: Ego assentior Sanchio, si sermo sit de voto jejunandi in pane, & aqua: Castro Palao autem, si de voto abstinendi eo die à vino; nam in his duobus votis, licèt videatur magna affinitas, quia tamen in altero est negatio bibendi vinum, quæ est malignantis naturæ, in altero est affirmatio bibendi aquam; videtur adesse non spernenda diversitas, quam pro doctioribus innuisse sit satis.

18. Huc facit sequens casus: Voveram ego per omnes sextas ferias solum panem comedere, & item voveram in Vigilia B. Aloysij panem non comedere, sed verò res alias, ciceres, fabas, lentes, immò & pisces, &c. incidit autem hoc anno Vigilia Beati in sextam feriam, quid agam; sive enim solum panem, sive sola esculenta comedam, contra alterum ex votis faciam. Respondeo, hac in re non puto attendendum ad priùs tatem temporis emissi voti; quia tempus in Votis Deo factis videtur res valdè extrinseca, neque ad intentionem voventis; supponimus enim hanc concurrentiam ipsum non prævidisse. Puto hunc obligari ad ponendum, quod Deo gratius existimabitur. Sicut enim, si tibi duo promisi, gemmam, v. g. pretiosam, & mediocrem picturam, quæ ab amico expectabam; si deinde ab eodem non possim obtinere utrumque, sed alterutrum, quem maluero; certè gemmam eligere debeo, quo tibi in re maiore, quam possim satisfaciam: ita videtur in casu nostro.

19. Vetum, quid Deo erit gratius in re, de qua agimus, ubi utrumque jejunium ab eadem virtute abstinentiæ procedit, nec ad excellentiorem actum recurrere possumus? Respondeo. Cernit quidam, jejunium sine pane esse gratius Deo; quia in genere abstinentiæ rigidius est, quàm jejunium cum solo pane. Non assentior, puto enim esse rigidius jejunium in solo pane, quàm jejunium in cæteris. Nam ego potiùs eligerem, sive ad incitandum palatum, sive ad nutritionem, comedere pisces, ciceres, lentes, pultes varias, variáque saccaro condita, fructúsque cum libertate diversos, præsertim pro uno tantùm die; quam vnum aridum, siccum, insipidum, nullo obsonio associatum panem. Meritò ego assero gratius esse Deo jejunium in solo pane, quàm jejunium cum libertate in cæteris.

Sed quid si vovens advertisset, cùm vovit, ad utrumque jejunium, ad quod obligabitur?

Resp. aliqui cum Sylv. *v. Votum 2. q. 17.* ad utrumque, si potest, quia utrumque promisit, quare nihil comedat. Alij cum Vasq. *de jejun. d. 243.* respondent, ad neutrum, quia satis diversum jejunium est, nihil comedere, quod certè vovens non videtur vovisse? quàm jejunium sive pane, & jejunium cum cæteris, quæ promisit.

Dico congruentiùs loqui Priores, quia nisi vovens amens fuerit, dum vovit panem non comedere, & alia esculenta non comedere, nihil comedere promisit. Id ergo servet, si potest; nam cæterùm facile Superior dispensabit, vel gravis debilitas consideratis voventis viribus iustè timenda excusabit.

20. Qui vovit jejunium in pane, & aqua, potéstne comedere pastillos esculentos, quos Itali *Macherones*, vel *Vermicellos* appellamus: nam, si in illos, dum coquuntur, parum olei, & amaraci pauculæ frondes infun-

ſupponimus, ſed ad illud ex hac individua perſona dimanans.

9. Quid, ſi votum ſit diſiunctum, cuius una pars cadat in materiam aptam, altera in ineptam? ut ſi quis ita voueat: *Ego promitto Deo vel me furaturum, vel me Religionem ingreſſurum: Ego promitto religionem ingreſſurum, vel ut furer, vel ut Deo ſeruiam: Voueo vel me occidere, vel me per aliquot dies jejunaturum*, & ſimilia? Reſpondeo dandam eſſe non abſimilem regulam; videndum enim eſt, an diſiunctio cadat in duplicem illam materiam, vel finem, nécne. Si cadat in utramque, illicitū eſt votum, quia exiſtente una parte mala, utraque pars mala erit, cum malum ex quocunque defectu, quare voti materia eſſe non poteſt. Quòd ſi diſiunctio non cadat in utramque partem, ſed determinatè intendatur una pars, altera verò ſolùm ſit appoſita, ut conditio, valebit votum quoad illam partem determinatam, ſi aliunde apta voto eſt. Exemplo clarior evadet doctrina. Sit, qui ſic voueat: *Promitto aliquid furari, quo ſim dives; vel ſi furari non poſſum, promitto me in Religionem ingreſſurum.* Vide hìc adeſſe veluti duo vota. Alterum: *Promitto furari*: & hoc invalidum eſt. Alterum: *Promitto me Religionem ingreſſurum, ſi furatus non fuero*, & hoc validum eſt; quia de re ex ſe bona, & omiſſio furti, eſt ſolùm conditio.

10. Quid denique, ſi votum ideò diſivnctivè emittatur, quia vouens neſcit, quænam materia apta ſit voto; ut ſi quis voueret ſe, vel daturum eleemoſynam anno ſequenti, vel jejunaturū, quia neſcit, an anno ſequenti habeat pecuniam, quam pauperibus elargiatur? Reſpondeo, ad aliquam partem poſſibilem obligari, nemini dubium ſit, quia tunc adeſt virtualis voluntas ſe obligandi ad partem, quam poſſibilem inveniet: ſic etiamſi mulierecula voueret jejunium, ut cōtineret à Deo vel amaſium, vel maritum, certè invalidè voueret eo modò dictis *n.* 9. at ſi ipſa ex ignorantia ſic voveret, ut deinde à Confeſſario ſuo inſtructa eligeret id, quod bonum fuerit; virtualiter determinatam illam partem pertinentem ad maritum voveret, quare & validè.

## §. VI. *Quomodo Votum ſit interpretandum.*

1. Brevis eſt Regula, fuſior petenda ex dictis *cùm ex Iuramento, ſuprà, cap.* 3. §. 4. Cùm Votum obliget ſolùm ſecundùm intentionem voventis, benignè, & non ſtrictè erit interpretandum, ut quantò minùs poſſit gravet voventem. Lege Suarez *lib.* 4. *de voto, c.* 7. *num.* & 9. Laym. *lib.* 4. *de voto, c.* 3. *n.* 3. Quòd ſi de ejus intentione non conſtet, præſumendum eſt votum fuiſſe emiſſum, juxta id, quod requirit natura rei promiſſæ; de qua re, ſi item non conſtet, præſumendum erit juxta quod ſignificant verba, quibus facta eſt promiſſio; & quidem ſecundùm communem vſum loquendi, cùm ſemper præſumatur quis ſua verba menti velle conformare, eadémque juxta morem patrium proferre.

### *Affertur interpretatio aliquorum Votorum.*

### *Votum Virginitatis.*

2. Votum puellæ de virginitate perpetua, immò de virginitate, niſi expreſsè aliqua limitatio addatur non ſolùm eam obligat ad recuſandum primum actum turpem, ſed omnes deinceps. Ita S. Thom. quem citat, ſequitúrque Suar. *loc. cit. n.* 5. & 7 quia ex vſu loquendi illud (voveo virginitatem) ſignificat perpetuam Caſtitatem; quare amiſſa per primum actum virginitate, adhuc obligatur ad reſpuendos omnes actus tum externos, tum etiam internos contra virtutem continentiæ. Ita *in noſtr. opuſc. de Confeſſ. in editione Panormitana, lib.* 2. *c.* 7. §. 1. *n.* 4. & colligitur ex Suar. *loc. cit.*

### *Votum Peregrinationis.*

3. Votum Peregrinationis poteſt impleri per peregrinationem equeſtrem; ſic Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 16. hæc enim in omni rigore peregrinatio eſt, & ſic minùs gravatur vovens: ut item propter non abſimilem rationem, poteſt impleri per peregrinationem factam propter alia negotia, dum adſit intentio volendi voto ſatisfacere.

### *Audiendi Miſſam.*

4. Votum de audienda Miſſa impletur juxta, ac impleretur, ſi eſſet de præcepto Eccleſiæ; hoc enim modo præſumitur promitti: ſic Suar. *loc. cit. n.* 14. Si voviſti audire Miſſam quotidie; cenſeo ex vi huius voti tibi die feſtivo ſatis eſſe vnam audire; quamvis hæc ſit de præcepto, quia intentio tua videtur ſolùm fuiſſe, nullum tranſire diem ſine Miſſa.

### *Recitandi Roſarium.*

5. Votum de recitando Roſario, abſolutè intelligitur de tertia parte, quia hæc communiter Roſarium appellatur: ſic Suar. *l. c. cap.* 8. *n.* 5. Sanch. *l. c.* 13. *n.* 15. Rurſus poteris recitari cum ſocio alternatim, quia hic jam eſt vſus apud nos communis: qui apud Hiſpanos, quia fortaſsè non adeſt, ideo Caſtro Pal. *tom.* 3. *tr.* 25. *d.* 1. *p.* 12. *num.* 3. ejuſmodi alternationem in eo voto adimplendo negavit. At ſola mentè recitari non poterit, quia oratio vocalis eſt in eo voto promiſſa.

### *Ingrediendi Religionem abſolutè.*

6. Votum ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordines ſacros, non obligat ad caſtitatem, donec ſtatus illi aſſumantur; ſecùs plus nimio gravaretur vovens, nec enim, illis nondum aſſumptis, eſt emiſſum caſtitatis votum. Ita Val. 2. 2. *d. q.* 6. *p.* 4. *verſ. atque ex hoc quidem.* An idem votum ingrediendæ Religionis obliget filium in neceſſitate parentum, fratrum, ſororum, &c. vide apud Caſtro Palaum *tom.* 3. *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 7. §. 5. *per totum.*

### *Ingrediendi Religionem, ſi Pater conſenſerit.*

7. Hoc votum tunc obligat, quando Pater id à filio ſincerè proponente ſciens, non contradicit. Ita Sanc. *mox.* citandus; non enim opus eſſe cenſeo, vt pater aſſenſū poſitivum præbeat? quia ex communi more hic ſenſus ejus voti eſt: *Ingrediar, niſi pater ægrè ferat, & contradicat.*

8. Quid, ſi prior contradixerit, ſed deinde mutata voluntate conſentiat? Dico tunc impletam eſſe conditionem, votúmque obligare, iam enim abeſt contradictio.

9. Quid, ſi contrà: hoc eſt, ſi conſenſerit, ſed deinde, ante ingreſſum filij in Religionem contradicat? Aio votum non obligare, quidquid dicant Sanch. *lib.* 4. *in Dec. cap.* 24. *n.* 14. Layman. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *q.* 2. quia non eſt, impleta conditio juxta conſenſum voventis, qui voluit moleſtiam patris vitare.

10. Quid denique, ſi vel antequam pater poſſet ſignificare aſſenſum, vel diſſenſum; vel antequam adveniat tempus ingreſſus, ipſe pater moriatur; Dico votum obligare; quia ſolùm, niſi aliud manifeſtè fuerit expreſſum, requirebatur, ne pater contradiceret, moleſtiámque patefieret, quæ neg. jam nunc adeſt.

### *Iejunandi.*

11. Votum jejunandi intelligitur de jejunio more Eccleſiaſtico, unde pro quocunque die voveris, licet tibi lacticiniis veſci, ex Sanch. *lib.* 4. *in Dec. c.* 11. *n.* 53. quamvis Caſtro Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *d.* 1. *de voto p.* 12. *n.* 18. neget, ſi votum fuit pro Quadrageſima, vel aliis temporibus, in quibus ex conſuetudine ab his abſtinetur: vterque probabiliter: Si vovit quis jejunare in vigilia alicuius Sancti, quando hæc incidit in Dominica, poteſt, immò præſtat jejunare die Sabbati, quia hæc tranſlatio de more Eccleſiæ eſt. Nam propter eandem rationem, eum, qui per totum menſem jejunare vovit, non obligo Dominicis, niſi expreſsè etiam ſe pro illis obligaverit.

12. Si jejunium promiſſum violaſti, carnium comeſtione

bitum, vel iterata comestione, licèt peccaveris, potuis deinceps sæpius comedere, quia iam jejunium illius diei impossibile redditum est; An verò, si iterum carnes comedas, contra votum pecces, controversia est. Negat Sanchez *in Dec. lib. 4. cap. 11. num. 42.* quia abstinentia à carnibus erat debita ex vi solius voti jejunij accessoriè ad illud, non verò per se, ut per distinctum præceptum jubetur in diebus jejuniorum Ecclesiæ: jejunio igitur impossibili per primam comestionem carnium reddito, abstinentia ab illis non ampliùs urgebit voventem. Affirmat Suarez, quia votum jejunij intelligitur more Ecclesiæ, hæc autem ita præcipit jejunium, ut per eadem præceptum prohibeat carnes concedere pro quacunque hora. Hæc, & alia Suarez satis probabiliter, asserens contrarium esse absurdissimum, & contra omnes; nihilominus Sanchez instat multorum nobis sit, ut etiam sint Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 3.* sententiam Sanchez non improbabilem reputanti.

Votum jejunandi in perpetuum, an obliget sexagenarios, vide *infrà, lib. 4 cap. 5. §. 7. n. 9.*

13. Si vovit quis omnibus sextis feriis, vel Sabbatis jejunare, probabile est, si tunc incíderit Natalis Domini, posse à jejunio se continere: Ita Molina *t. 2. d. 272. n. 3.* Sayr. *p. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 3.* Fag. *part. 1. & 2. lib. 1. c. 6. num. 6.* quia is est mos Ecclesiæ; nisi tamen expressè contrarium intenderit, vel ex professione Religiosa (hæc enim expressioni æquivalet) id noverit. Sic Th. Sanch. *lib. 6. in Dec. cap. 6. num. 20.* Propter eandem rationem, qui vovit in Vigilia ejusdem Natalis Domini jejunare, potest Vesperi refectiunculum solito majorem sumere, nisi expressè, vel modo dicto æquivalenter rigorosum jejunium promiserit. Ita Th. Sanch. *lib. 4 in Dec. cap. 11. n. 65.*

*Abstinentia à vino.*

14. Votum abstinendi à vino, etiam ad evitandam ebrietatem, non prohibet cerevisiam, & similia; quia hæc sunt satis diversa, & finis extrinsecus sub voti obligationem non cadit. Alia de hoc voto mox afferam *num. 15. & 17.*

*Jejunandi in pane & aqua: ubi An Pastillj esculenti, vulgò Macherones, hoc jejunium violent?*

15. Votum jejunandi in pane, & aquâ obligat sub mortali, ne aliud comedas, vel bibas. Excipe parvitatem materiæ: quæ certè in re nimis laxè mihi videtur Castro Palao *t. 3. tr. 15. d. 1. p. 12. n. 21.* dixisse, dum docuit votum abstinendi à vino, obligare sub gravi culpa ne bibatur ea quantitate, quæ vino temperatè sientibus sufficeret pro una comestione; quasi ad majorem non obligetur graviter: nimis, inquam, laxè. Si quis enim quater bibat vinum, quâ de more mistum in prandio, temperatè bibet, ergo sequitur, quòd is, cui non liceret vinum propter votum bibere, posset sine gravi culpa bibere bis, vel ter. Id non credo. Semel igitur modo dicto bibere, non putarem grave; pluries, putarem: Nec id durum videatur; nam idem Castro Palaus, *ibid. n. 19.* nescio, an sibi repugnans, non multò antè dixit, seu supposuit, semel bibendo vinum, frangi jejunium promissum in pane, & aqua.

16. Qui in pane, & aqua jejunare vovit, si non potest sic jejunare, obligabitur jejunare cum piscibus; si nec cum his, vel similibus potest, obligabitur cum lacticiniis jejunium servare. Ratio est, quia accessorium sequitur principale; non contra: cùm igitur ex mente communiter voventium (nisi aliud expressè intendatur) in prædictis promittatur principaliter jejunium; si illud observari potest, debet. Contrà verò, si jejunare non possis, non propterea à prædictis cibi, & etiam à carnibus te continere iubeo, quia abstinentia ab his accessoriè ad jejunium fuit promissa. Ita Layman. *lib. 4. tr. 4. cap. 2. n. 3.* propter eandem rationem, si vovens jejunium in pane, & aqua, hora consueta alios cibos quadragesimales adhibuerit, violando graviter votum, adhuc tenetur ad jejunium; quia jam remanet principale, scilicet jejunium, quod servari potest. Dixi (nisi aliud expressè intendatur) nam si intendam te jejunare præcisè sub hac forma, sine vino, sine pascibus, &c. & non sub aliatilla forma semel, quamvis cum primo violata, ad aliam ex vi voti non obligaberis; quia illam vovisti, non aliam.

17. Sed quid, si vinum biberis, atque adeò quoad hanc circumstantiam votum violaveris, licebitne tibi sine novo peccato, vinum iterum, iterúmque potare, posito, quòd aliud in contrarium expressè non intenderis? Affirmat Sanchez *lib. 4. in dec. cap. 11. num. 41.* quia pro abstinentiam vini semel violatam redditur pro illo die impossibilis dicta abstinentia. Negat Castro Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. p. 12. n. 19.* quia intentio voventis videtur adstrinxisse jejunio abstinentiam vini pro singulis horis totius diei: Ego assentior Sanchio, si sermo sit de voto jejunandi in pane, & aqua: Castro Palao autem, si de voto abstinendi eo die à vino; nam in his duobus votis, licèt videatur magna affinitas, quia tamen in altero est negatio bibendi vinum, quæ est malignantis naturæ, in altero est affirmatio bibendi aquam; videtur adesse non spernenda diversitas, quam pro doctioribus innuisse sit satis.

18. Huc facit sequens casus: Voveram ego per omnes sextas ferias solum panem comedere, & item voveram in Vigilia B. Aloysij panem non comedere, sed verò res alias, ciceres, fabas, lentes, immò & pisces, &c. incidit autem hoc anno Vigilia Beati in sextam feriam, quid agam; sive enim solum panem, sive sola esculenta comedam, contra alterum ex votis faciam. Respondeo, hac in re non puto attendendum ad priùs tatem temporis emissi voti; quia tempus in Votis Deo factis videtur res valdè extrinseca, neque ad intentionem voventis; supponimus enim hanc concurrentiam ipsum non prævidisse. Puto hunc obligari ad ponendum, quod Deo gratius existimabitur. Sicut enim, si tibi duo promisi, gemmam, v. g. pretiosam, & mediocrem picturam, quæ ab amico expectabam; si deinde ab eodem non possim obtinere utrumque, sed alterutrum, quem maluero; certè gemmam eligere debeo, quo tibi in re maiore, quam possim satisfaciam: ita videtur in casu nostro.

19. Vetum, quid Deo erit gratius in re, de qua agimus, ubi utrumque jejunium ab eadem virtute abstinentiæ procedit, nec ad excellentiorem actum recurrere possumus? Respondeo. Cernit quidam, jejunium sine pane esse gratius Deo; quia in genere abstinentiæ rigidius est, quàm jejunium cum solo pane. Non assentior, puto enim esse rigidius jejunium in solo pane, quàm jejunium in cæteris. Nam ego potiùs eligerem, sive ad incitandum palatum, sive ad nutritionem, comedere pisces, ciceres, lentes, pultes varias, variáque saccaro condita, fructúsque cum libertate diversos, præsertim pro uno tantùm die; quam vnum aridum, siccum, insipidum, nullo obsonio associatum panem. Meritò ego assero gratius esse Deo jejunium in solo pane, quàm jejunium cum libertate in cæteris.

Sed quid si vovens advertisset, cùm vovit, ad utrumque jejunium, ad quod obligabitur?

Resp. aliqui cum Sylv. *v. Votum 2. q. 17.* ad utrumque, si potest, quia utrumque promisit, quare nihil comedat. Alij cum Vasq. *de jejun. d. 243.* respondent, ad neutrum, quia satis diversum jejunium est, nihil comedere, quod certè vovens non videtur vovisse? quàm jejunium sive pane, & jejunium cum cæteris, quæ promisit.

Dico congruentiùs loqui Priores, quia nisi vovens amens fuerit, dum vovit panem non comedere, & alia esculenta non comedere, nihil comedere promisit. Id ergo servet, si potest; nam cæterùm facile Superior dispensabit, vel gravis debilitas consideratis voventis viribus iustè timenda excusabit.

20. Qui vovit jejunium in pane, & aqua, potéstne comedere pastillos esculentos, quos Itali *Macherones*, vel *Vermicellos* appellamus: nam, si in illos, dum coquuntur, parum olei, & amaraci pauculæ frondes infun-

dantur, gratos se palato exhibebunt; cúmque ex alia parte concedamus omnes solum esse veniale, propter parvitatem materiæ, tam exigua additione non violandum mortaliter sic esse jejunium, videbitur alicui. Quid, si neque hæc addantur sed meri vermicelli, & similes aquâ cocti comedantur?

Respondeo: quamvis hoc posterius sit concessu facilius, tamen utrumque puto esse contra ejusmodi votum. Ratio ducitur ex intentione communi sic voventium, qui dum jejunium vovent in pane, & aqua, solo pane se fore contentos promittent, nisi expresè aliud intendant: at illa, quamvis ex simili farina, quâ panis, compacta edulia longè aliud sunt in vsu humano, quàm panis. Illud facilè indulgeo, ut panem possit quis aquâ coquere; quia sic non se extrahit ab vsitate pane: quare sicuti posset illum ad prunas assare, assatóque tum vesci, quod nemo negat; sic poterit aquâ elixare, elixatumque comedere.

### *Abstinendi à Carnibus.*

21. Qui vovit abstinere à carnibus, potest comedere lacticinia, quia hæc non veniunt in communi loquendi more, nomine carnium. Propter eandem rationem, qui vovit abstinere à lacticiniis, videtur posse carnibus vesci, & ita putat Sà *v. Votum n.* 25. Sanchez *d. cap.* 11. *num.* 46. Sed non assentior, quia ex communi hominum existimatione, qui à se prohibet lacticinia, prohibet & carnes seu supponit carnium prohibitionem: & certè mirum esset, hominem tunc non posse comedere ova, posse gallinam tacitè (igitur (nisi expressè contrarium intendatur) in voto abstinentiæ à lacticiniis, involuitur promissio abstinentiæ à carnibus, non verò contrà. De abstinentia carnis accessoriè ad votum jejunij, vide *n.* 12.

### §. VII. *De Voto rei indeterminatæ.*

1. VOtum de materia indeterminata, sive primò quoad quantitatem ut: *Voveo eleemosynam*, non designando quantam; sive secundò quoad qualitatem, ut: *Voveo dolium vini*, non decernendo cujus bonitatis, sive tertiò quoad individuitatem, ut: *Voveo dare in eleemosynam vnum ex his duobus seruis, hunc, vel illum equum, &c.* Votum, inquam, de re indeterminata validum est, & licitum; quia indeterminatio non tollit bonitatem materiæ, sed solùm obligat volentem, ut illam decernat. Sed ecce difficultas, qua ratione ea determinari in ipsa executione debeat?

2. Dico primò, quoad priora duo, ita determinari debere, ut secundùm regulam §. *præcedente* datam, quantò minùs potest, vovens gravetur, usum tamen loquendi, & voventis intentionem semper præ oculis habendo. Ita Valentia 2.2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. *quæst.* 3. Azor. 5. *parte. lib.* 11. *cap.* 20. *quæs.* 2. & 10. Bonacina *tomo* 2. *disput.* 4. *quæst.* 2. *de voto, punct.* 6. *num.* 12. & 31. aliique. Poterit igitur minimam, infimámque, prout maluerit, eligere: Dixi (Vsum loquendi, & intentionem præ oculis habendo) perdiligenter enim adverte, quod & Doctores advertunt *l. Nummis, ff. de legatis* 3. & nos *supra* 5 *lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *v. Legatum.* & *v. Votum*, monuimus in legatis; tacitè ipso voto interdum determinationem involvi, verbi gratia, si calicem voveas, certè argenteum, non verò vilioris materiæ debes; quia ex usu loquendi, dum voves Calicem, pro Missa celebranda voves, qualis est ad minimùm argenteus quoad cuppam. Pari modo, si vovisti panem, oleum, &c. non potes quæcunque vilissima, sed quæ vsui communi solent convenire.

3. Vinum pro celebrandis Missis vovit quidam dandum singulis diebus Patribus Capucinis, atque hoc Votum in hæredes transmisit: qui (ut aflolet) sui genitoris pietatem obliti, vinum dabant infimæ qualitatis: interrogatus ego de hæredum obligatione, eosdem monui, Votum Patris non servari, nisi bonum vinum, ac Sacrificio dignum ministrarent, hoc enim tacitè promisit, ex communi more, Pater.

4. Dico secundò, quoad tertiam indeterminationem individuationis; posse voventem, quod libuerit, eligere. Quia dùm quis ita promisit, tacitè voluit non unam partem determinatè promittere, sed liberè offerre, quam voluerit. Si quando alterutrum ex his ante electionem pereat, an, quod superest, integrè debeas, variant Doctores. Dividendum putant, Sanchez *lib.* 4. *in Dec. cap.* 13. *num.* 19. & Molina, *tom.* 2. *de iust. d.* 270. *vers. quando res una*; integrè dandum docet Bonacina *d.* 4. *de voto, q.* 2. *part.* 6. *num.* 34. & Castro Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *disp.* 1. *p.* 12. *num.* 26. illi, quia res remanens non erat tota addicta: sed solùm veluti pars; hi, quia sensus promissionis videtur hic: *Dabo equum*, v. g. *quem habebo ex his duobus* Vtrumque probabile.

## CAPUT XVI.

## De Obligatione Voti.

1. NOn obligat Votum, Primò, si cesset ex natura rei. Secundò, si ex lapsu temporis. Tertiò, irritatione. Quartò, dispensatione. Quintò, commutatione, de quibus ea, quæ magis sunt necessaria, insequentibus explicabuntur.

### §. 1. *De cessatione Voti ex natura rei.*

1. CEssat veluti ex natura sua Votum, Primò, quando materia promissa, sive in re, sive secundùm prudentem hominum æstimationem, diversa notabiliter fit. Ita Valentia 2.2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *p.* 4. *vers. eo igitur modo*, Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 20. Ratio est, quia illam promisit vovens, non verò diversam.

An sint mutatæ circumstantiæ in eo, qui vovit castitatem, vel Religionem, si multos, vel aliquos annos vixit vxoratus, disputat amicissimus Tancreda, *p. p. q. mor. tr.* 3. *de Voto, disp.* 1. *quæst.* 51. an nimis benignè, qui legit, expendat.

Diversa autem fiet, quando notabiles difficultates supervenient, vel de novo quid simile cognoscitur, ex parte ipsius materiæ promissæ; quare est periculum vitæ, honoris, gravis alicuius damni. Sic Suarez *lib.* 4. *de Voto, cap.* 10. *num.* 1. tunc enim res videtur transire in alium statum moraliter diversum, quem vovens, nequaquam promisit.

Dixi (de novo cognoscatur) nam si, non obstante illo periculo cognito, adhuc vovisti, obligaris promisso, quia res pro te non est mutata: solùm erit perpendum, an honestum fuerit, cum eo vitæ verbi gratia, periculo vovere, atque adeò, an votum valuerit? Sanè interdum valere, quando virtuti consonum est, tali periculo se exponere, certum est; vt accidit fortè Carthusiano, voventi, nunquam, ne in infirmitate quidem, carnes comedere.

2. Cessat secundò, cessante causa finali, non verò impulsiva: sic Sanchez *loco citato, num.* 42. Azor. *parte* 1. *l.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 14. fine enim non subsistente, nec subsistit promissio. Quòd si finis principalis sit duplex, videndum est, vtrùm divisibiliter, an indivisibiliter uterque fuerit intentus, & inde vigorem voti cognosce, ut *supra cap.* 13. *n.* 12. & 13. innuimus satis.

Hinc, si vovisti dare eleemosynam Petro pauperi, & hic dives evasit: Si eandem vovisti ad finem impetrandi salutem absenti filio, & hic mortuus erat, quando votum emittebas; Si ad finem liberandi captivum à servitute, & hic non inveniatur fuisse captivus, vel ante tuum votum ad libertatem fugâ se vindicasse; Si ad finem ædificandi Ecclesiam, atque hæc propter hæreticos, v. g. invuentes, ædificari non concedatur; ad nihil teneris; siquidem causa finalis tui voti nequaquam subsistit.

Nota

4. Nota rarò solum suspendi votum, quia materiæ levitas vel finis non omninò, sed ad tempus cessat, satis dictum *supra, cap.* 15. §. 4 *n.* 7. breviter insinuasse.

An cesset votum ingrediendi Religionem in eo, qui egressus est Novitiatum, & Religio illi non placuit, tam bene, & clarè docet Sanchez, *l.* 4. *sum. cap.* 16. *à num.* 88. ut superfluum omnino judicem hic doctrinam illam exhibere.

Cessat tertiò, votum transactò tempore, quo illud amplius non obligat; quod clariùs per solutionem sequentis casus intelligetur.

2. Sed antea non est omittendum, notare interdum cessare votum per illius satisfactionem, etiamsi voti immemor fueris, vel, etiamsi satisfacere voto nolueris, id quod breviter, sic habet de Lugo *de just. d.* 4. *n.* 46. *fine.*

Si ex voto debeas dare, v.g. hoc mense aliquam eleemosynam, & immemor voti eam dedisti; satisfecisti procul dubio, sicuti, si cum voto audiendi Missam, voti immemor eam audisti, ut docet Sanch. *lib.* 1. *in Dec. cap.* 13. *n.* 10. & 18. & 4. *cap.* 13. *n.* 40. qui notat idem esse, licet haberes intentionem non satisfaciendi voto per illud opus, nisi fortè novo voto te voluisses obligare ad illud opus, iterum faciendum. Hæc de Lugo.

Quod si quæras hujus doctrinæ rationem; ea est, quia, jam nunc est communis sententia, quòd, qui ex lege debet facere aliquod opus, v.g. die Dominico interesse sacro, si illi interest immemor legis, immò etiam memor, & nolens per illam Missam satisfacere præcepto, adhuc præcepto satisfacit: quia jam ponitur ab illo id, quòd lex præcipit, nec enim lex præcipit, & obligat ad ponendum opus cum intentione satisfaciendi legi, sed solùm ad ponendum illud opus. Vnde sequitur, quòd, si hic intra tempus habile mutet intentionem, seu advertat, jam satisfeciſſe, non peccet, non audiendo aliud Sactum. Ergo idem meritò dicimus de voto, quæ est lex privatè obligans, ex vi Religionis, non verò ex vi justitiæ.

Quod ultimum addo, quia in obligationibus ex justitia, est quæstio inter DD. an quando quis aliquid ex justitia debet, extinguat debitum; si illud solvit immemor ejus obligationis, vel si solvit animo donandi: & quidem negat extinguere de Lugo *l. c. num.* 45. concedit Baldelli *tom.* 1. *d.* 5. *d.* 25. *n.* 18 *ex l. Cum ex plur. ff. de solut.* quem refert, & sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 13. *res.* 44 vide etiam *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 3. at cùm nos loquamur de obligatione, quæ non pertinet ad justitiam, jure dicimus hanc nostram, communem esse sententiam. Redeamus nunc ad promissum casus solutionem.

## §. II. *Quandònam voti obligatio cesset ratione temporis.*

5. TItius vovit orationem, jejunium, eleemosynam, pro certo designato tempore, quando ea nequaquam præstitit, obligaturne alio die, an potiùs ille jam liber à voto?

Respondeo, hoc pendere ex intentione voventis. Si enim illo die signato intendit orare, jejunare, &c. illo elapso die, non jam tenemur amplius; si verò diem illum præfixit, potiùs pro termino, ante quem non vult obligari, quàm quòd velit illo signato die orare, jejunare, &c. signavit enim solum, ut initium, suæ obligationis; tunc eo elapso tempore, tenetur, cùm primùm potest. Ita Arag. Cajetan. Valentia, Vasquez, Suarez, Sanchez apud Castr. Pal. *t.* 3. *tr.* 14. *d.* 1. *p.* 14. *num.* 1. Ratio est, quia sic se vovens voluit obligare, & non aliter.

6. Sed quid, si incertum sit utrò ex his modis quis voverit? Respondeo, colligi etiam ex voventis intentione debere. Nam si tempus præfixum continet specialem devotionem, nec contrarium expressè intendatur: præsumitur dies ille signatus fuisse in honorem talis diei, & consequenter res inseparabiliter cum tempore fuisse promissa. Vt si vovens jejunium die Sabbati, eo fine, quia hic Dies est peculiari modo devotioni Virginis addictus: inseparabiliter cum jejunio dies ipsa ex tua intentione conjungitur; atque adeò si non potes, vel si cum peccato non vis eo die Sabbati jejunare, ad nihil postea teneris. Sic Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 1. *n.* 32. sicuti si vovisses recitare Coronam coram signata Imagine sanctissimæ Virginis, propter ejus Imaginis peculiarem devotionem. si coram illa non potes, alio in loco Coronam recitare non teneris. Et ratio est, quia, seu pro tali die, seu pro tali loco, te, & non aliter, obligasti. Fateor tamen interim in eo casu, quo promisisti, v.g. jejunare per unum annum integrum, si per sex mensis priores non jejunasti, teneri te ad jejunia sex mensium posteriorum: quia pro his remanet implenda pars voti, quæ in hoc casu, ut ex se patet, dividua est, & impleri potest.

7. Si verò tempus præfixum non continet specialem devotionem, vel si continet, tu principaliter ex illa ad votum emittendum non te movisti; tunc separabiliter à tempore res fuisse promissa præsumitur, & tempus præsumitur esse additum, ut initium tuæ obligationis: quare urgebit promissio, etiam post præfixum terminum. Verbi gratia, voves eleemosynam dandam die sancti Joannis eo fine, quia tunc tuos census exigere soles, vel quia commodiùs eo tempore promptos habes pauperes, vel quid simile; transacto S. Joannis die, nec impleto voto, postea adimplendum erit; quia in hoc voto præfigitur ille dies, non in ejus honorem saltem principaliter, sed in tuam commoditatem, principaliter autem intenditur ipsa pauperum sublevatio. Sicuti, si coronam illam modò dictam vovisses ex amore ipsius Virginis, locum autem Imaginis solum ut aptiorem ad illam recitandam elegisses: si ibi non [illegible] ubi recitare teneris.

8. Hinc votum jejunandi diebus sextis Feriis hujus annò, (si non potes, vel etiam cum peccato non vis hoc anno jejunare) evaneſcet votum pro alio anno: sic Sanchez *lib.* 2. *num.* 12. Bon. *disp.* 4. *de voto, quæst.* 2. *p.* 5. §. 1. *num.* 9. quia inseparabiliter cum hoc anno, in honorem Dominicæ Passionis, jejunia fuêre promissa; vovisti enim his sextis Feriis, non verò alterius anni jejunare, atque adeò signatis his, alias exclusisti.

Hinc votum peregrinandi Romam hoc anno sancto, illo transacto, cessat; quia inseparabiliter conjuncta est res promissa cum ejusmodi anno.

9. Hinc, si jejunare quis voveat semel singulis hebdomadis, per totam suam vitam, si in aliqua hebdomada non jejunet, sive quia nequit, sive quia cum peccato non vult, non tenetur supplere alia hebdomada, bis, verbi gratia, jejunando; quia ex ipsa mente voventis addicitur jejunium illis singulis septimanis, cùm finis principalis sit, vel se in singulis semel mortificare, vel in singulis Dominicam passionem semel recolere, &c. idem posset esse in eleemosyna, ut si quando quis voveret singulis diebus illam elargiri, vel in honorem Sancti illius Dei vel ut nulla dies præteriret sine pauperum sublevatione. vel quid simile. Quia tamen communiter solet eleemosyna promitti ob ipsam inopum misericordiam, rectè monet Sanchez *loc. cit. num.* 37. communiter obligari quempiam, qui sic vovit, ad supplendum, si fortè aliquo die omisit.

10. Hinc, contrà, promittens ingressum Religionis die, verbi gratia, S. Francisci, nec id eo termino adimplens, obligatur postea ingredi. Ita Suarez, Bonacina, apud Castr. *tom.* 3. *trav.* 1. *p.* 14. *n.* 3. quia, licèt is dies contineat peculiarem devotionem: ex mente tamen voventis clarè apparet, devotionem illam nec fuisse voti finem, nisi minùs principalem, & separabilem.

11. Pari modo, si vovisti jejunare tot diebus, quot sunt anni Sabbata, si hoc anno non jejunasti, teneris ad supplendum anno sequenti: quia jam apparet votum non fuisse propter devotionem hujus anni, vel huic anno addictum. Immò, si expressè vovisti te continuato anno, omnibus Sabbatis, v.g. jejunaturum, anno, inquam, non designato propter devotionem peculiarem illius, sed,

propter

propter commoditatem, vel quid simile: alio anno continuato tibi erit jejunandum, ut ex jam dictis patet.

21. Quid, si dubium sit; an vovens decreverit tempus in honorem diei, nécne? Respondeo, tunc censendum esse cum Sanch. *lib. 4. in Decal. c. 14. n. 38.* ac si non decreverit in honorem. Ratio est, quia de voto jam certi sumus, dubitamus de tempore, ergo prævalet possessio voti: quare transacto tempore, adhuc obligabit.

13. Sed quid, si voveat quis se jejunaturum, v. g. die Sabbati, & certus quidem sit non Sabbatum quodcunque elegisse, sed determinatum, sit tamen dubius quodnam signatè fuerit? Respondeo cum Bonac. *disp. 4. de voto, q. 2. p. 5. §. 1. n. 5.* tunc jejunandum illi erit proximo Sabbato: quare, si votum fuit intuitu temporis, eo transacto non obligabitur ampliùs. Ratio est, quia ea videtur esse intentio voventis, sumpto exemplo à simili promissione humana, quæ obligat proximo quoque tempore, *l. eum, qui Kalendis, in princip. ff. de verb. oblig.* Denique quando dicimus extingui obligationem, vel te non obligari ampliùs ad votum, intelligimus, nec te obligari ad rem promissam, nec ad aliud opus ejus loco. Ita S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 3. q. 1. ad 1.* Suarez *lib. 4. c. 15. n. 7.* quia vovens illam rem promisit, non aliam in ejus compensationem, ut supponimus: atque hæc; de qua loquimur, non est commutatio, sed obligationis cessatio.

Ex his resolui sequens dubium: Antonia vidua vovit se daturam pauperibus totum suum Dotarium, quod mox sperabat recuperaturam ab hæredibus sui viri defuncti. Recuperavit non multò pòst dimidiam ejus partem, alteram hæredibus dimisit bona fide, nil cogitans de voto. Et pone etiam fuisse mala fide, adeóque cum peccato, dico, quòd advertenter disposuerit de re jam Deo dicata. Quæritur nunc an habeat obligationem restituendi pauperibus, alterum tantum ejus, quod remisit?

Respondeo, non obligari. Solùm, si mala fide remisit, cùm potuisset non remittere, peccavit contra votum, peccato delendo per pœnitentiam. Ratio est eruenda ex dictis: & in simili sic affert Suarez *lib. 4. de voto, cap. 16. num. 9. Si quis*, inquit, *soli Deo vovit dare Hospitali servum suum Petrum, & postea illum occidit, non tenetur ad aliquam compensationem: deberet enim esse aliqua restitutio æquivalentis valoris, vel alterius servi similis. Nemo autem dixit vinculum voti præcisè spectatum obligare ad restitutionem aliquam Deo faciendam.* Et paulò post probat illam culpam, quando ea affuit, non esse contra justitiam, sed contra fidelitatem, seu Religionem, & ideo non esse mirum, si obligationem restitutionis nequaquam pariat.

## § III. *De Irritatione Votorum.*

1. ILle dicitur votum irritare, qui tollit absolutè, & sine timore reviviscentiæ obligationem voti cujuscumque, sive futuri, sive præteriti, sive sola mente, sive etiam voce prolati: tollere autem eam solùm potest is, à quo vovens dependet. Quoniam ergo dependentia, vel est quoad voluntatem, ut est filius, vel Religiosus, qui dependent à voluntate patris, & superioris: vel quoad rem promissam, ut est servus, qui quoad bona temporalia, quando non habet, nec habiturus est peculium proprium, dependet à Domino; ideo duplex est irritatio: alia scilicet directa, quæ est quando à Superiore, vel Patre tolluntur vota dependentia à sua voluntate: alia indirecta, quando tolluntur vota de rebus subjectis dominio alicujus. Et rectè quidem Pontius *lib. 10. de matrim. cap. 17. num. 22.* notat, non esse necesse, superiorem quemcunque respectivè ad vota, quæ irritare potest, ea spectatim cognoscere: sic enim potest irritare: *Ego aufero à te quæcunque tua vota.* Non sic in dispensatione, vel commutatione; debet enim dispensans, vel commutans peculiaria vota cognoscere, ut causam dispensandi, vel æqualitatem commutandi perpendat: quæ expensio, ut dicimus, in irritatione non requiritur.

2. Directa irritatio semper est actus dominativæ potestatis: Indirecta potest esse etiam actus jurisdictionis, & ita quidem esset, si Pontifex prohiberet materiam ab aliquo promissam, prohiberet, verbi gratia, jejunium in die Dominica, quod quis vovisset, &c.

Porrò tractationem de votorum irritatione breviter, sed spero complectè, hìc dabo, subscribendo sequentem resolutionem.

*Proponitur Casus.*

3. Antonius tredecim annos natus duo emisit Vota: Alterum ingrediendi, perseverandique in Religione: alterum dandi notabilem quandam eleemosynam. Verum, eo egresso à pubertate, post annum scilicet decimum quartum completum, Pater cùm votorum filij conscius factus esset eadem irritavit: sed Antonius, cùm dubitaverit, an id fecerit patri; putaretque se reum esse nihilominus votorum, eadem sæpè ratificavit: nec multò post, mortuo Genitore, ingressus Societatem Jesu, atque anno decimo octavo suæ ætatis vota biennij de more nuncupavit: hinc duobus post annis, nulla antea facta renuntiatione bonorum, è Societate, ipso petente, dimissus est, regressusque in sæculum matrem viventem invenit, itemque patruum tutorem suorum fratrum, immò & futurum eorundem Curatorem: Pater enim ex testamento constituit dictum Patruum administratorem, Curatoremque suorum bonorum omnium, donec filij, inter quos numeravit etiam Antonium, annum vigesimum quintum complerent. Antonius ergo multas difficultates; nec vulgares proposuit de prædictis votis, quas jam sigillatim subdo, & diluo.

*Difficultas prima.*

*An Antonio per emissionem Votorum biennij Societatis Jesu, extincta fuerint vota præcedentia.*

4. Concedimus omnes, universa vota, tum realia, non acceptata tamen à tertio, tum personalia in sæculo, vel in Novitiatu facta, extingui per professionem solemnem, sive jure Divino, sive Ecclesiastico; atque adeò, etiamsi commutandi intentionem non habeat profitens, non obligari ampliùs ad illa vota. Ita D. Thomas *2. 2. quæst. 189. art. 3. ad 3.* Cajet. Azor. Sanchez, Lessius, aliique apud Castr. Pal. *tom. tract. 16. de susceptione Religiosi status disp. 2. p. 8. n. 4.* Ratio, cur tantâ prærogativâ professio gaudeat, est quia in illa continentur eminenter quæcumque alia opera particularia fortè promissa; quare, qui se totum Deo in perpetuum dedicat, perfectissimè solvit quæcumque ab ipso promissa illi fuerint.

Quoniam verò vota biennij Societatis Jesu non afferunt professionem solemnem, sed sunt simplicia, licèt ex jure Pontificio novo verum constituant Religiosum, matrimoniumque irritent; ideò amplius quærendum est, quid juris in casu nostro, quo Antonius non solemnem professionem, sed prædicta vota biennij nuncupavit; pro quo.

4. Præmitto primò, sive ab ipso vovente, sive à suo Superiore posse omnia prædicta in sæculo, vel Novitiatu facta vota commutari in dicta vota biennij. Ita Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 8. num. 30.* Castro Pal. *ibidem num. 5.* aliique ab eodem citati. Ratio est, quia commune est omnibus, ut *infrà* dicetur, quemlibet posse votum suum in melius commutare: at assumptio Religiosi status per dicta biennij vota, cùm æquivaleat ex parte voventis, professioni solemni; melior est, quàm sint quæcunque alia vota sæculi.

Hac autem commutatione facta, jam non ampliùs vota præcedentia obligabunt; quia vota semel irritata, dispensata commutata, quando observantur conditiones, sub quibus expedita fortè fuit dispensatio, vel commutatio, non ampliùs obligant, sed solùm obligat materia subrogata. Vnde, si sine culpa quis ita commutatus à Societate dimittatur, non ampliùs vota sæculi ipsum urgerent. Dico cùm Sanch. *lib. 5. in Dec. cap. 5. num. 55.* fine

(sine culpa) nam si cum culpa, tunc teneretur, vel iterum priori, vel prioribus votis satisfacere. Sicuti enim professo Religiosa ita & vota biennij imbibunt conditionem perseverandi, quantum est ex se, in Religione, si ergo quis ex culpa sua non perseverat, non observat conditionem à se dependentem: ergo non ponit materiam subrogatam: ergo obligatur reverti ad priora vota, vel certè iterum ingrediatur Religionem, nam sic ad illam subrogatam materiam apponet.

4. Præmitto secundò, ex vi dictorum votorum dimissione dicta commutatione non extingui, sed solùm suspendi vota præcedentia. Ita idem, *loco citato*. Ratio est, quia hæc prærogativa conceditur professioni solemni Religiosæ: at vota biennij vera professio solemnis non fiunt: & meritò in Can. 2. *pr. Congregationis Societatis* id declaratum est, dum *ibidem* dicitur: *Revertenti in seculum revivisc ere vota, illámque iterum obligare*. Quidam autem ad commutationem explicatam *num.* 5.

7. Nota autem ad commutationem explicatam *num.* 5. requiri ipsius voventis, vel superioris intentionem: non enim commutantur vota sine voluntate ejus, qui commutat: At ad suspicionem explicatam *num.* 2. illam non requiri, cùm ea suspensio sequatur veluti ex natura sua ad ejusmodi status assumptionem.

8. Ex dictis collige, resolutionem propositæ difficultatis: Nam quia audivi Antonium suorum votorum commutationem nec intendisse, nec à Superioribus factam esse: ideo ejus vota in seculo emissa, si non fuerint à Patre legitimè irritata, suspensa solùm fuerunt per vota biennij: quare per regressum ad sæculum revivisc ant, & illum reum faciant, necesse est.

*Difficultas secunda.*

*An Pater potuerit Vota Antonij irritare?*

9. Dico Patrem potuisse licitè, & validè, dummodo Antonius egressus à pubertate vota legitimè non ratificavit. Ita Doctores mox citandi, & passim. Ratio est, quia propter dominativam potestatem, qua potitur in filium legitimum, immò & in illegitimum: Vide Castro Pal. *tom.* 3. *tract.* 15. *disput.* 2. *p.* 7. *n.* 5. quando tamen pro hoc non adest tutor; de qua tamen re vide *infrà*, *lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. *n.* 12.) vota omnia filiorum impuberum (id est, in fœminis usque ad duodecimum annum, in masculis usque ad decimum quartum completos) vota, inquam, impuberum habent imbibitam hanc conditionem *si Pater consentiat, vel non contradicat*. Id quod rectè, sive ex jure naturæ, sive ex jure Ecclesiastico, dispositum est, ut imbecillitati ejus ætatis consulatur. Si ergo Pater liberè hanc conditionem non ponet, jam omne votum corruet: Nec solùm potest Pater hæc vota irrita reddere, dum adhuc filius impubertatem tenet: sed etiam quocunque tempore post adeptam pubertatem; quia semper militat ratio, quòd ea vota fuerint nuncupata tempore ætatis imperfectæ. Ita Cajet. Navarrus, Sanchez, Lessius, Bonacina, Suarez, Valentia, aliique apud Castro Pal. *loco citato* §. 4. *num.* 5. contra Sotum Arag. aliósque ab eodem citatos.

10. Extenditur hæc patris potestas ad prædicta omnia vota in impubertate emissa, licèt implenda tempore pubertatis, seu implenda, quando filius fuerit sui juris. Verbi gratia, ad vota, quæ nunc puer undecimum annum agens emittit de eleemosyna danda, de jejunando, de peregrinando, etiam quando ipse erit grandior, quando sua bona possederit, &c. Ita Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 29. *num.* 3. quidquid dicat Castro Pal. *d. p.* 3. §. 4. *num.* 2. Ratio est, quia irritativa hæc potestas fundatur in imperfectione, quâ puer votum emittit: at hæc vovendi imperfectio jam adfuit tempore, quo ea vota fuerunt emissa.

11. Extenditur item ad aliqua vota facta à filio post pubertatem, si tamen adhuc sit sub potestate Patris: Ita idem apud eundem Castro Pal. *d. part.* 2. §. 7. *num.* 9. hæc autem sunt omnia, & sola vota, quæ præjudicant dictæ patriæ potestati, Quandónam ab hac egrediatur, vide Molin. *tom.* 1. *de instit. d.* 240. Anton. Gom. *l.* 47. *Tauri, num.* 1. & *passim.* Jurisconsult. Ratio est, quia circa hæc jus ipse non habet disponendi: esto de aliis, in quibus est sui juris, disponere, atque adeò vovere sine dependentia potuit.

12. Hinc non solùm eleemosynam dicto tempore promissam ex bonis ad patrem spectantibus, sed longas etiam peregrinationes, diuturnam à domo absentiam, jejunia immoderata, & longas orationes, quibus domus perturbatur, vel quibus filius infirmari timetur, potest irritare pater dicto filio puberi. Contrà, vota Religionis, Castitatis, & dandæ eleemosynæ ex suo peculio, irritare non potest. Sic Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 35. idem est in voto de frequentandis Sacramentis, de jejuniis, orationéque moderatis; déque similibus eodem dicto tempore promissis: quæ cùm nihil præjudicent patriæ potestati, irritare non valet pater: quia in his sui juris est pubes.

13. Nota posse à patre fieri irritationem, etiam contradicente filio: quia patria potestas non dependet in suo usu à filij voluntate. Nec obstat commutationem voti non posse intentari invito vovente: non obstat, inquam, quia in commutatione vovens acceptare debet materiam subrogandam, id quod requiritur consensus voventis: quod non est in irritatione: nam propterea probabile etiam reputatur cum Castro Pal. *disp.* 2. *citat. p.* 4. *num* 6. contra Suarium *lib.* 6. *de voto, cap.* 1. *num.* 13. ex gravissima causa posse dispensationem voti tradi invito; quia liberam habet Prælatus potestatem dispensandi; nec à subdito dependentem, licèt necessariò, non nisi ex rationabili causa, exercendam.

14. Quæres. Requiritúrne causa, ut prædicta vota irritet Pater; Respondeo, quamvis aliqui, ut Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 12. *num.* 70. & *dub.* 3. *num.* 76. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 18. causam requirant, asserántque sine illa tam irritantem patrem, quam filium irritationem petentem, peccare venialiter: aliqui verò id negant: ut Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *c.* 7. *q.* 1. citans Sylvest. Angel. aliósque Basil. de Pont. *de matrim. cap.* 17. *num.* 22. video tandem utrosque Doctores quoad praxim esse concordes: fatentur enim & illi causam ad excusandum à quacumque culpa, eam unam sufficientem esse: quia scilicet gravatum se filius voto sentiat, cùm igitur tam modica causa sit satis moraliter loquendo, culpa semper evitabitur. Sic Sanchez *lib.* 4. *in Dec. cap.* 24. *n.* 15. & 16.

15. Quid, si pater concessit licentiam vovendi, vel votum filij confirmavit, liciténe valebit deinceps irritare?

Negativam sententiam sectantur Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *disp.* 10. *nam.* 76. citatis Cajet. & Panor. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 8. *num.* 7. sed probabiliorem esse affirmativam puto cum Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 27. *num.* 18. & 21. & Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 17. quia per licentiam concessam non se pater privat, nec se privare potest potestate, quam à naturâ, vel à jure habet irritandi. Vnum limita: nam si votum sit reale, paterque per licentiam concessam filio illud emittendi, tacitè, vel expressè rem promissam filio donavit, ut per totum de ea disponeret; non posset revocare, quia eam à suo dominio jam abdicavit. Si Pater promisit non irritari an adhuc possit, dicam mox *num.* 37.

16. Ex dictis collige Patrem tutò potuisse Antonio irritare prædicta vota: quia nulla sua licentia fuerunt emissa. Si ergo eorum legitima ratificatio subsecuta non est, (de qua tamen *mox*) liber à votis est filius.

*Difficultas tertia.*

*An Tutor, vel Curator, &c.*

17. Tutor, dum Tutoris officio fungitur, potest omnia pupilli vota facta in impubertate irritare, quæ potest pater, ejus enim loco succedit. Ita Castr. *d. d.* 2. *p.* 7. *num.* 6. ex communi sententia. Idem jus est in Curatore quoad vota facta concernentia ad bonum temporale, vel

vel præjudicantia gubernationi domus: ita Sanchez *lib.4. in Decalog.cap.35.num 69.* alios citans; in hoc enim Patris & Tutoris vicem subit Curator, dum Curatoris munus obit. Tutor autem datur pupillo usque ad 14. annum completum: Curator datur minori, id est, a dicto *anno* 14. usque ad 25. item completum. Quædam difficultas de Tutore, vel Curatore superveniente, videatur *num.42.*

18. Quid, si sint plures Tutores, vel Curatores; Respondeo cum Bon. *d.4.q.2.p.4.§.7.n.24. fine*, quemlibet ex his posse: quia hæc potestas iis convenit ratione officij, nec videtur concessa dependenter à socio.

19. Sed insurgit difficultas, An Curator irritare valeat Minoris vota etiam personalia, tempore impubertatis emissa: Negandum enim inde visum fuit Suario, *tom.2. de Relig.lib.6.de Voto, cap.6.num.24. & 25.* quia Curator non succedit loco patris in totum, perinde ac succedit Tutor; sed solùm in administratione bonorum Dico tamen cum Sanchez *lib.4. in Dec. c.50. n.51.* probabile esse posse, quandiu est in eo munere: quia esto directè, & principaliter detur Curator in prædictum finem: datur tamen etiam secundariò in filij personam.

20. Ex his vides patruum Tutorem, seu Curatorem valuisse Antonij vota irrita pronuntiare, nisi tamen votum Religionis confirmasset post pubertatem, de qua ratificatione *mox*. Dico (votum Religionis) nam alterum de eleemosyna danda, etiamsi Antonius ratificasset ante annos 25. cùm fuerit reale, nec factum ex licentia patris, ut supponimus, potuisset à Curatore patruo usque ad 25. annos, ut modò diximus, irritari.

*Difficultas Quarta.*

*An Mater, &c. Vbi, an Socer, &c.*

21. Certum est ex Suario *lib.6.de voto, cap.6. num.21. & passim*, vivente patre, vel hoc mortuo, seu longissimè agente, si tamen existimat Avus, Tutor, vel Curator filij, nihil Matrem posse circa irritationem votorum ejusdem sui filij: quia Mater nullam tunc in filium potestatem habet. Si verò omnibus illis sit filius destitutus, certè succedit Mater, & hac deficiente, Avia, poteritque vota filij in impubertate facta irritare, dum filius est impubes. Ratio non est, quia Mater tunc sit Tutrix, supponimus enim illam non esse Tutricem, licèt Tutelam filij possit petere à Judice, sed est, quia de jure naturæ est, ut tunc Mater, vel Avia impuberem filium, loco Patris gubernet, sitque Tutoris loco.

22. Duo hic sunt controversia. Primò. An Mater, quæ nec Tutrix, nec Curatrix sit possit, Patre, Avóque demortuis, vota filij emissa in impubertate irritare, non solùm quando filius impubes, est, ut modò dixi; sed etiam postquam filius adeptus est pubertatem usque ad annum 25. dum scilicet est Minor, & non emancipatus. Ita Molina, Covar. aliíque apud Suarium *loco citato, cap.5 num.1.* Negat Sanchez *lib.4 in dec.cap.30. num.17.* quia Matri, inquit, non concedendum est, nisi quod conceditur Tutori, At Tutor circa vota pupilli facta in impubertate nihil potest, ubi pupillus ab eadem egressus est. Addit Castro Palaus *tom.3.tract.15.disp.2. part.7. num.15.* idémque Sanchez, cujus rei rationem esse, quia in jure §. *Fœminæ, institut. de adoptione*, Mater nullam habet potestatem neque in personam, neque in bona filij impuberis.

23. Sed certè probabile etiam judico cum Sayr. *in Clavi, lib.6.cap.14.num.ultim.* Sà *v.Irritatio, num.1.* posse, & ea prorsus ratione, quâ posse diximus *num.17.* Curatorem. Ratio est, quia valdè rationi consonum est, ut sicut Mater, aliis deficientibus, subintrat in Tutoris locum, ita etiam sic loco Curatoris: ergo eidem officia Curatoris non sunt deneganda. Ad ea, quæ contrà afferuntur, nego Matri non esse concedendum, quod conceditur Curatori: Nego, inquam, quia ejus loco ipsa succedit: unde quamvis Tutor omni privetur potestate in pupillum, quando hic pubertatem acquirit, non tamen omni privatur Mater, quia Tutor relictâ tutelâ, non eo ipso subintrat in officium Curatoris, subintrat modo dicto Mater, Ad jura in contrarium, dic ea loqui de Matre, ut Mater est, non verò quando jure naturali in ea munera subintrat; vel loqui de rebus pertinentibus ad usum politicum, non verò spectantibus ad conscientiam. Ita Sanch. *d.lib.4.c.30.n.15.* Castr. *l.c.n.7.*

24. Volo item advertas discrimen non vulgare, quod *num.22.* innui. Nam Pater potest irritare impuberis vota (intellige ex supradictis à *num. 9.* nor confirmata post pubertatem) semper, etiam post longissimos filij annos, etiam post emancipationem, at Mater solùm usque ad 25. annum filij non emancipati. Ratio est, quia vota impuberis propter ejus modicam discretionem censentur facta sub conditione, *si Pater non contradicat*, ut *suprà* vidimus; cum ergo Pater semper talis remaneat, etiam post emancipationem, semper poterit irritare: At verò cùm Mater, ut & Tutor, & Curator, irritent loco Patris, tandiu poterunt irritare, quandiu illius loco substituuntur, hoc est, Tutor usque ad annum 14. filij, Curator usque ad 25. ejusdem non emancipati.

25. Secundò; An Mater filio minori prædicto possit irritare vota realia de bonis temporalibus, vel vota præjudicantia gubernationi domus, emissa tempore pubertatis? Censent plerique cum Suarez *lib.6. de voto, cap.5.* Sanchez *lib.5. cap.35. num.77.* neque hæc realia, neque quæcunque alia emissa in dicto pubertatis tempore, posse, quia filius pubes nullo modo est sub Matris potestate, nec quoad se, nec quoad bona sua. Sed certè probabile est cum Sayr. *in clau. lib.9. cap.10. num. ultim.* Sà *v.Voti irritat.num.1.* posse realia, vel præjudicantia; quia ex modò dictis Mater in hoc casu succedit loco Curatoris; ergo non est illi denegandum, quod ex omnibus Curatori conceditur. Ita Suarez *l.c.cap.6.num.21.* Bonac. *disp.4.q.2.p.7.§.2.n.25.fine.*

26. Ex his colligere potuisse genitricem, si non adfuisset Curator, & filius non ratificasset, eidem filio consulere: sed, quia Curator adfuit, nihil Mater potuit pro filio.

27. Inquies obitet: Socer potestne vota irritare Generi carentis Patre, Matre, Tutore, Curatore, &c. Respondeo, Socerum tunc subintrare loco Patris, atque adeò posse, docet ex Moterico Pater Tancredi *de Relig. tom.1.disp.16.num.6.* sed id mihi difficile est; ipse autem promittit se hoc probatum, cùm de Voto aget *tomo secundo, de Religione* quem molitur: expectemus ergo, donec videamus probationum vires.

Velim etiam expectes solutionem illius difficultatis, An Avus, vivente Patre, votum impuberis Nepotis irritare possit? De qua re dicam, Deo favente, *lib.5. infrà, c.2.§.6,n.14.*

*Difficultas quinta.*

*An Superior Religionis, &c.*

*Quoad Vota emissa in Religione.*

2°. Superiores possunt suis Religiosis omnia vota nuncupata in Religione etiam non impedientia ipsorum gubernationem irritare, præter vota constituentia statum Regularem, illíque annexa, & præter votum assumendi strictiorem Religionem. Ita S. Thom. *2.2.quæst.88. art.8. ad 3. & 4.* Layman. *lib.4.tract.4. cap.7. num.6.* Bonac. *d.4.q.2.p.7.§.2. num.26.* aliíque apud ipsos, Ratio dicti est, quia assumpto eo modo vivendi, & obediendi in Religione, conveniens fuit, ut subditorum voluntas in totum à Superiore regeretur. Ratio exceptionis primæ est, quia quæ statum Religiosum constituunt, sunt fundamentum talis potestatis in Prælato: ergo si hæc irritari possent, ipsum fundamentum potestatis se ipsum everteret, quod est impossibile: cùm Superior potestatem non habeat, suam potestatem, & ea quæ potestati adhærent, destruendi, Ratio denique secundæ exceptionis est, quia in hoc subditi ex sacris Canonibus *c. licet, de*

*regularibus*, sui juris sunt, nec à Superioribus impediri valent. Petes, vota facta tempore, quo quis est Religiosus implenda, quandò non erit amplius subjectus, v.g. quando erit creatus Episcopus, possuntne superiores irritare: Respondeo, de hoc dicetur *infrà*, cum de servorum, uxorúmque votis.

29. Nomine autem Superioris hac in re veniunt. Primò Summus Pontifex: Ita Valent. 2.2.d.6. *quæst.*6.p.6. §.3.n.15. quilibet enim Religiosus, per votum obedientiæ, ipsi tanquam capiti omnium Religiosorum subjicitur. Unde videtur Pontificem posse quidem dispensare in illum non Religiosorum vota, non verò directè irritare; quia potestas irritandi ortum habet ab obedientiæ voto, quod non omnes Fideles emittunt: at facultas dispensandi consequitur ad potestatem jurisdictionis Pontificis, cui omnes iidem Fideles subjiciuntur. Dixi (directè) propter illud quod docui §.3.n.2.

30. Secundò, Generalis, Provincialis, Prior seu Rector hoc est, Superior localis, & quicunque habet absolutum regimen Conventus: hi enim jurisdictionem habent sufficientem in subditis.

31. Tertiò, Abbatissæ in valdè probabili opinione. Ita Sanch. *l.c.d.*33.*n.*19. Suar. *l.c. fin.* subditæ enim emittunt votum obedientiæ Abbatissis, sicuti subditi Prælatis: quidquid sentiant Azor. *p.*1 *lib.*11.*c.*17.*q.*3. Castr. *l.* 10.*n.*17. qui solùm Abbatissis concedunt posse irritare vota præjudicantia gubernationi domus.

32. Nomine autem subditorum veniunt. Primò, dicti professi solemniter. Secundò, ij, qui vota biennij emittunt in Soc. Jesu Suar. *l.*6. *de voto,c.*7.*n.*20. Sanch. *l.*4. *in Dec.c.*33.*n.*24. quia hi sunt verè Religiosi, atque ex parte sua omnino Superioribus subjecti. Id autem intelligo de Votis factis in Societate; nam de factis in sæculo, non ita ut *n.*6. diximus.

33. Non verò veniunt, Primo Novitij. Sic Suar. Sanch. aliique apud Castr. *l.c.* §.10. quia nondum votum obedientiæ Religioni emiserunt, quamvis particularia quæcunque vota emiserint. Neque obstat Novitios in favorabilibus reputari Religiosos, ut diximus *suprà, lib.*2. *cap.*11. nam tales reputantur, ob privilegia; at potestas irritandi, de qua hic agimus, fundatur in potestate dominativa, quæ Superioribus competit ratione voti obedientiæ Religiosæ, à subditis emissi.

34. Secundò, nec Religiosi creati Episcopi, sic Castr. Pal. ibid.&p.3.n.7. Tertiò, nec dimissi perfectè in sæculum; quia sic Prælatis Regularium jam ampliùs non esse subditi supponuntur. Hinc vota facta à Religioso tempore, quo Religiosus est; non possunt irritari tempore, quo exemptus fiat à talis Superioris subjectione; is enim non remanet Superior respectu illius. Non ita in Patre respectu filij; quia is remanet semper Pater, ut *suprà* vidimus.

35. Una supereſt difficultas: Quid enim dicendum si de licentia, vel tacita, vel expressa Superioris factum sit votum? Respondeo tribus dictis, quæ proportionaliter sunt communia Patri respectu filij, & omnibus, qui irritare vota aliquorum possunt. Dico primò: Si Generalis dederit alicui vovendi licentiam, non potest deinde illud votum irritare Provincialis, & Superior localis; Si dederit Provincialis, vel dictus Generalis, nec item potuit localis Superior. Ita Suar. *l.*6. *de voto,c.*8. *à n.*1. Sanch. *l.*4. *in Dec.c.*17.*n.*2. Ratio est manifesta, quia Superiore majore consentiente, non valet minor Superior validè contradicere. Quod si licentiam concesserit Superior æqualis, etiam cum promissione eam non revocandi, poterit æqualis, successor: v.g. dedit licentiam Provincialis, poterit Successor Provincialis; dedit Rector, poterit Rector, qui succedit. Ratio est, quia successor numquam amittit suum jus.

36. Dico secundò, idem Superior, qui dedit vovendi licentiam, vel promisit non revocaturum, irritare quidem validè adhuc potest; Ita iidem: sed nisi causa excuset, peccabit eo pacto, quo mox *n.*37.& 38. dicemus. Ratio est, quia per illam licentiam, vel promissionem non se abdicavit, immò nec abdicare se potuit sua potestate, & ex alia parte, cùm id sit saltem contra fidelitatem, aliqua erit culpa, quam tamen non potest rationabilis causa non excusare.

37. Dico tertiò. Irritare, vel irritationem petere contra promissionem datam de non irritando, non videri nisi peccatum veniale. Ita Castr. *tract.*15.*d.*2.*p.*3.§.2.*n.*9. (esto communior sententia doceat ex se esse mortale. Ita Cajet. Arag. Laym. Sanch. aliique apud Castr. *l.c.n.*8.) Ratio est, quia tota malitia hujus culpæ consistit in infidelitate, & quadam levitate, seu inconstantia, quâ concessio promissa sine causa revocetur: at infidelitas, & inconstantia, nisi aliud grave addatur contra Justitiam, vel Religionem, non obligat ad mortale: ergo, &c. Fateor fore ex genere suo mortale, si id Superior cum juramento promisisset: sed certè id non esset mirum, quia tunc adderetur perjurium contra Religionem.

38. Dixi (contra promissionem) nam si Superior solum licentiam dedisset nullam addendo promissionem, peccatum non committeret illam revocando, atque adeò votum irritando: Sic Castro Pal. *ibid.num.*4. quia licentia absolutè concessa semper intelligitur sine præjudicio juris proprij, & quantò minus potest lædere propriam potestatem.

39. Ex dictis habes casum nostrum, hìc non habere locum; quia Vota Antonij, de quibus est disputatio, non fuerit emissa tempore Religionis, sed in sæculo.

*Quoad Vota emissa ante subjectionem.*

40. Dico primò. Vota facta in sæculo, vel in Noviciatu, uno verbo, ante ingressum Religionis, atque adeo ante subjectionem (sed non ætate pupillari, de his enim *mox*) nequeunt irritari à Superiore. Sic Castr. *t.*3. *tr.*15.*d.*3. *p.*3.§.5. *n.*1. Ratio est, quia non fuerunt facta sub conditione beneplaciti superioris. Hæc igitur vota extinguntur quidem ipsius professionis vi, & suspenduntur per vota biennij, Societatis Jesu, ut nuper diximus, non verò à superiore irritari valent. Illud adde, quòd si ejusmodi vota nec extinguerentur, nec suspenderentur modo dicto, adhuc possent suspendi à superiore ea, quæ ipsius gubernationi nocerent; Ita *ibid.* quia per potestatem, quam acquirit vi voti obedientiæ, potest omnia præjudicantia bono regimini propellere.

41. Dico secundò. Vota facta ante Religionem à pupillo ita potest Superior irritare, sicut potuisset Pater, vel Tutor, vel Curator, Ratio est, quam breviter innuit Lessius *lib.*2.*cap.*30.*d.*15.*n.*93. his verbis: *Si Novitius in sæculo, vel in Novitiatu emisit vota in ea ætate, in qua Parens, Tutor, vel Curator potuisset ea irritare eadem poterunt etiam à Prælato Religionis irritari, cùm in illorum potestatem sucedat, ut Sanchez*, lib.9. de matr. d.41.n.4. *notat.*

42. Petes: Si pupillus carens Patre, Tutore, Curatore Matre, &c. noveat, & deinde detur ei à judice. Tutor, vel Curator, possuntne hi vi authoritatis supervenientis irritare ejusmodi pupilli vota ante subjectionem facta: Nam si possunt, confirmatur nostra doctrina, quòd possint etiam superiores. Respondeo, Non posse docet Castro Palaus, quia tale votum non fuit emissum tempore subjectionis. Sed profectò mihi hoc difficile videtur; censeo enim posse. Ita *ibid.in* 2.*edit.* quia ea vota semper supponuntur facta cum minori discretione, atque adeò esse irritabilia: unde ex juris interpretatione censentur fuisse emissa sub conditione beneplaciti Patris, vel ejus locum tenentis, si quando existet: bene igitur ex hoc confirmatur nostra doctrina, cùm superior loco illorum succedat. At idem sit in servis, & uxore, dicam *n.*52.

43. Ex dictis habes, superiorem Societatis Antonio providere potuisse, ejus vota facta, dum in sæculo impubes versaretur, irritando; sed quia non irritavit, alia via quærenda est.

*De Servorum, & Conjugatorum Votis.*

42. Ut hac occasione tota materia de irritatione Votorum agitetur, digrediamur tantisper ab Antonio, & servorum, conjugatorúmque vota consideremus.

*Vota Servorum.*

45. Nomine servi non intelliguntur ij, qui mercede conducti serviunt; sed qui verè sub dominio alicujus sunt.

Ea autem sola horum vota irritanda jus habent Domini, quæ ipsorum servitio obsunt: ita DD. cit. & communiter. Ratio est, quia in ea tantummodo potestate dominativa fruuntur in servos. Hinc votum Castitatis, moderatæ Orationis, Sacramentorum frequentationis: dandæ eleemosynæ de proprio peculio, irritari non possunt: quia in his est sui juris servus, nec communiter ea observando, Domini obsequio nocet. Contrà, Votum Religionis, longæ peregrinationis, eleemosynæ de pecunia, quæ sub servi absoluto dominio non est, potest propter contrariam rationem Dominus irritare. Quid dicendum, si hæc vota emittantur cum licentia Domini, dicemus *n.* 53. cum exceptione afferenda *n.* 55.

47. Vota item horum emissa tempore, quo sunt servi, sed implenda tempore, quo soluti erunt à servitute, non possunt Domini irritare. Ita iidem *passim*, quia talia vota nunquam Domino præjudicant: non enim præjudicant tempore, quo emittuntur, cum nunc executioni nihil mandetur, neque tempore, quo implebuntur, quia tunc extra Dominorum jurisdictionem sunt servi, ergo, &c.

47. Pari modo vota ante servitutem emissa, non possunt Domini per potestatem supervenientem irritare: sic Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 17. *p.* 2. *n.* 10. aliique quia hæc vota, utpotè, quæ omnem vim obligandi perfectè & sine conditione ante servitutem habuerint, non censentur facta ad beneplacitum futuri Domini, atque adeo non subjacere supervenienti potestati: nisi in quantum eorum executio Domini obsequio fortè præjudicet; quare solùm tunc suspendi potuerunt, non aboleri; & nisi in ea casu, quem ponam *n.* 52.

Quando servus est uxoris, non vero Mariti, an subdatur quoad prædicta vota ipsi uxori; cùm sit ratus casus, vide apud Fagund. *n.* 2. *præc. Dec. lib.* 2. *c.* 39. *à n.* 15.

*Vota Vxoris.*

48, Vota præjudicantia Marito, quæ Vxor, dum est in matrimonio, emittit, posse ab ipso irritari, docemus universi, apud Sanch. *lib.* 9. *de matr. d.* 3. *n.* 7. & 39. *n.* 4. & *lib.* 4. *in dec. c.* 43. *n.* 3. id requirente ipso matrimonij contractu: at non præjudicantia, ut votum moderatæ Orationis, observationis Præceptorum, frequentationis Sacramentorum, &c. eodem tempore facta, non posse, docent nonnulli. Ita Navar. Azor. Sayr. Bonac. Laym. Less. aliique cum Castr. *t.* 3. *tr.* 15. *d.* 3. *p.* 6. *n.* . sed puto probabilissimum, posse, cum Sanchez *l. c.* probabile dicunt Bon. & Less. apud eundem Castr. Pal. *n.* 1.

Ratio est totalis subjectio, quam propter bonum regimen domus, ac propter pacem, concordiamque habere debuit Vxor erga Virum, qui caput est mulieris unde semper censentur ejus vota emitti sub conditione: *Si vir non contradixerit.* Sanchez excipit Votum Religionis, quando id impleri potest ab uxore, conjuge invito, ut viro adulterante, &c. Merito quidem, in hoc enim Vxor non subditur Viro.

49. Si uxor, dum viro conjuncta est, aliquid vovet implendum post matrimonium dissolutum, vel implendum sub conditione, quæ post matrimonium dissolutum ponenda expectetur, posse etiam à marito irritari puto. Ita Sanchez *lib.* 4. *c.* 31. *n.* 17. Ratio est, quia ipse potest solvere omne vinculum, quod suscipit mulier, dum est sub ipsum potestate, tale autem est, ut supponimus: hoc votum.

50. Vota ab uxore emissa ante matrimonium, sed implenda dum matrimonium viget, seu universaliter vota emissa ante subjectionem, implenda tempore subjectionis, suspendi à marito, quando ipsi sunt præjudicantia, non irritari possunt: Ita Nav. *c.* 12. *n.* 65. Sylv. *v. Vot.* 4. *quæst.* 2. *d.* 1. Sanch. *lib.* 4. *in Dec. c.* 31. *num* 9. aliique apud ipsum. Ratio est eadem, quam diximus modo, cum de servis *num.* 47. Inter emissa ante matrimonium, numera emissa constante legitimo divortio; tunc enim in his votorum obligationibus suscipiendis libera est uxor, & non subjecta, quare suspendi poterunt, si marito reconciliato præjudicent, non irritari.

51. Vota ab eadem emissa ante matrimonium, sed implenda post matrimonium dissolutum, puto non posse à marito irritari: quia hæc nullo modo pertinent ad maritum præsentem, cùm sint facta ante, & sint implenda post ejus potestatem, ut quid simile diximus de Religiosis *à n.* 40.

52. Illa exceptio pro votis uxorum, imò & servorum, est notatu digna: probabile enim est, vota personalia fœminæ, vel servi, facta in impubertate, vel realia facta, dum minores sunt, posse irritari à superveniente marito, vel Domino. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 40. *d.* 15. *n.* 92. Sanch. *lib.* 9. *de mat. d.* 41. *num.* 4. & 5. Ratio est, quia Maritum, & Dominum succedere uxori, & servo, vice parentis, vel Tutoris, Curatorisve, quando ij ordine prædicto non adsunt, non est improbabile.

53. Si votum uxoris emissum fuerit de licentia viri, poteritne deinde à viro irritari? Idem quæri potest de servis. Respondeo cum Castr. *t.* 3. *tr.* 15. *d.* 2. *p.* 3. §. 2. *n.* 6. si mera fuit licentia, poterit: quia præsumitur data ad suum beneplacitum, ut nimirum quantò minùs potest, sibi præjudicaverit: at si addita est promissio non revocandi, adhuc validè poterit irritare in nostra sententia vir. Ita *ibid.* (nam de Domino respectu servi dicam mox *num.* 55.) quia semper remanet caput uxoris, nec cedere huic juri capitis, quod habet, potest. Dico, validè; nam, ut videatur peccatum utique in mea sententia veniale requiritur causa. eo modo, quo *suprà* diximus de Religiosis, *n.* 37.

*Vota Mariti.*

54. Vxorem posse solùm irritare vota Mariti, matrimonij tempore emissa, sibi præjudicantia, ut longæ peregrinationis (excipiunt Doctores, & Castr. *l. c. d.* 2. *p.* 6. *n.* 9. Less. *ibid.* Hierosolymitanum in Terræ Sanctæ subsidium, vel contra hæreses, & infideles) castitatis, immoderatæ eleemosynæ in damnum familiæ, &c. docet communis, & vera sententia. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 40. *d.* 15. *n.* 98. *in* 2. *edit.* & meritò; quia vir non subjicitur quoad voluntatem uxori, sed solùm quoad materiam promissam, si sit matrimonio præjudicans. Inter hæc præjudicantia vota meritò numerantur, Suar. *lib.* 6. *de voto, c.* 4. *n.* 8. & 12. Less. *lib.* 2. *c.* 40. *d.* 15. *n.* 91. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 2. *n.* 17. immoderatam abstinentiam, nimias preces, similiáque, mutuam habitationem, readendique debiti obligationem impedientia: nam propterea addunt, posse etiam irritare votum de susceptione habitus Eremitæ, seu tertij Ordinis S. Francisci, quia ob horrorem vestis (aiunt) retraheretur uxor à debiti petitione. Vota mariti emissa ante matrimonium, posse item ab Vxore dumtaxat suspendi, si sunt præjudicantia, colligi potest ex dictis.

55. Sed quid, Votum mariti factum cum licentia uxoris, poteritne ab eadem irritari? Respondeo cum iisdem *ibid.* si dedit uxor meram licentiam, posse; quia, ne sibi plus nimio præjudicetur indicatur dedisse ad suum arbitrium. At si promisit non revocare, irritare nec licitè, nec valdè potest. Sic *ibid.* Ratio est, quia ideò uxor potest vota quædam mariti irritare, quia sibi sunt præjudicantia: at per promissionem non revocandi à marito acceptam, ejusmodi præjudicio uxor cessit: ergo, &c. Confirmatur, quia idem docent Doctores cum Sanchez *lib.* 4. *in dec. c.* 27. *num.* 21. *fin.* Castr. *ibid.* de dominio respectu votorum servi, si quando Dominus concessit ei licentiam vovendi cum promissione illam non revocandi; & meritò. Sicut enim potest Dominus integram libertatem servo concedere, quam concessam, & acceptatam revocare non potest; ita poterit concedere libertatem circa partialem materiam, quam servus vocat, quam ubi concessit, servúsque acceptavit, revocare utique non poterit. Ita ergo in casu nostro, &c.

56. Si

56. Si ex mutuo pacto conveniant conjugari, siquæ invicem promittant non revocare votum, v.g. Carthusiani, vel Religionis, an adhuc possint pacto ex utroque consensu rescisso, sibi votum invicem irritare; Vide apud Bannez *lib.4. in Dec.c.34.n.25.& lib.9.de matr.d.40.* Castro Pal.*t.3.tr.15.d.2.p.6.n.6.* nos enim ad Antonium, nostram de suis Votis resolutionem nimis diu expectantem, regredi tempus monet.

*Difficultas Sexta.*

*An Repetitio Votorum facta ab Antonio, obstet, ne ea irritari valeant.*

57. Diximus Antonium ideo sæpè ratificasse sua vota, quia existimabat post irritationem à suo Patre exhibitam, adhuc illis obstringi: id nunc expendamus.

Dico primò, Ex eo, quòd vovens velit, vel incipiat exequi votum in impubertate, vel alias factum, non censeri illud ratum facere, seu confirmare. Ita Val.2.2.*d.6. q.ult.* Less*lib.2.c.40.dub.14.num.83.* Ratio est, quia sola voluntas exequendi, imò executio ipsa, non potest præcedenti voto obligationem novam inducere. Unde, si quis vovit aliquid tractum habens successivum, ut quotidie eleemosynam distribuere, singulis Sabbatis jejunare, &c. & observasset hæc vota aliquandiu; si deinde votum fuisse nullum, vel irritabile, comperiret, non propterea immutaretur ex illa observantia votum, nec certè confirmaretur, vel in irritabile redderetur.

58. Dico secundo. Quamvis votum sæpissimè quis renuntiaverit, seu repetierit, non ideò illud ratificavit. Ita Nav.*c.12.n.71.* Less*l.c.* Sanch.*lib.4. in Dec.c.30.dub.38.* Ratio est, quia id nihil aliud fuit, nisi prius vinculum approbare, non verò de novo suscipere: quare si illud infirmum ab initio erat, infirmum remanebit.

59. Dico tertiò. Tria requiruntur ex parte voventis ad veram voti obligatoriam ratificationem. Primò, ut vovens sit conscius debilitatis prioris voti. Secundò, ut velit de novo se obligare firmiter, perinde ac si nunquam obligatus fuisset. Tertiò, ut ita dispositus, voce, vel saltem mente vota præterita repetat, seu certè approbet. Ita iidem. Ratio cur hæc requirantur, est, quia secùs remanerent prætérita vota eo prorsus modo, quo antea erant: at his positis, novam obligationem sine dubitatione contrahant, necesse est.

60. Si immemor quis votorum antea emissorum, denuo, & non ex vi prioris obligationis votum emittat, rous erit votum: tunc enim votum recens suam novam obligationem independenter ab antiquis, patit. Ita iidem.

Dixi *n.59.* (ex parte voventis) nam in nonnullis votis, ut in solemni professione, sicut etiam accidit in contractu matrimonij, an hæc tria sufficiant, accedente et parte Religionis, vel alterius contrahentis acceptatione, & qua ratione accedere possit, vel accessisse præsumatur, vide de professione apud Castr. *t.16.d.2.p.5.* de matrimonio apud Sanchez *lib.4. in dec.c.30.n.38.*

61. Consequitur manifestè ex his, Antonium per repetitionem suorum votorum, de quibus est sermo, vel per assumptionem status Religiosi, vota priora in impubertate emissa, nequaquam ratificasse: quia eorum repetitio, imò & executio; in errore validitatis suorum votorum infirmo satis fundamento nitebatur, ut ex propositione casus initio *n.3.* clarè constat; quare nunquam legitimè, seu validè ratificavit.

*Conclusio.*

Concludamus ergo breviter, Antonium regressum ad sæculum, liberum esse, tum à voto Religionis, tum à voto distribuendæ eleemosynæ, emissis tempore impubertatis. Ratio præcipua est, quia hæc ejus genitor legitimè irritavit, nec ipse filius postea ratificavit validè. Adde, etiamsi Pater non irritaverit, posse nunc à Patruo Curatore utrumque votum irritum reddi; cùm ea vota fuerint emissa tempore impubertatis, quæ irritare potest pater, si is vivat, vel valde probabiliter ejus vice Tutor, seu Curator, & denique, aliis deficientibus, Mater, quæ omnia ex dictis patent.



## §. IV. *De dispensatione Voti.*

*Quid sit, & qualis esse debeat dispensatio.*

1. TVnc dispensatur Votum, cùm is, qui potestatem habet, illud Dei nomine absolutè relaxat, seu remittit. Ita DD. *mox* cit. nam si aliquid voti subrogat, tunc dicitur commutare; vel certè, si quod subrogat, minus est, quàm quod voto fuerat promissum, dicitur dispensationi intermiscere commutationem.

2. Hinc vides irritationem, quia fit à potestate dominativa, quâ quis suo nomine potitur, validum esse, etiamsi sit sine causa: dispensationem sine causa non illicitam modò esse, sed invalidam, quia fit à potestate jurisdictionis, quam habet Superior nomine Dei; Deus enim non approbat solutionem voti, temerè, & sine ratione factam. Ita S. Thom. Navar. Sotus, aliique, quos sequitur, citatque Suar.*lib.6.de voto, c.17.n.2.*

3. Quid, si bona fide data est dispensatio, & deinde invenitur fuisse sine sufficienti causa, validáne erit? Affirmat Less. *lib.2.c.40.dub.27. n.119.* & Sanch. *lib.4. in dec.c.44.num.10.* sicuti valida etiam erit, si dispensatio fuit cum causa dubia, & ut sic explicata; sed deinde invenitur nulla fuisse. Ratio est, quia pertinet ad Dei benignitatem approbare, quod bona fide concessum, & acceptatum fuit. Negat Castr. Pal.*t.3.tr.15.disp.2. de voto p.9.n.4.* putans votum obligare, ubi comperta fuerit causæ insufficientia: ratio est, quia verè tunc nulliter Superior operatus est: utraque sententia est probabilis: prima benignior: atque adeò, quia suavitati regiminis Ecclesiæ est conformior, lubentius excipitur. Quod hîc dicimus de dispensatione, dicendum proportionaliter de commutatione est.

Porrò tria breviter, ut in materia Juramenti fecimus, sunt hîc examinanda. A quo, ob quas causas, & quæ Vota dispensari possunt.

*A Quo.*

4. Pontificem Summum in omnibus votis dispensandi potestatem habere, nimis certum est. At Archiepiscopus confirmatus, licèt nondum consecratus, & nondum accepto pallio, Episcopus item solùm confirmatus (sed utique post acceptam possessionem, ex cap. *injuncta, de cler. inter extrav. com.* Azor. *p.2.lib.3.q.9.*) Capitulum, Sede vacante; Abbates, qui jurisdictione Episcopali gaudent; Legatus Pontificis in sua Provincia; Prælati Ordinum exemptorum; Pœnitentiarius Summi Pontificis in votis non reservatis; (quæ hæc sint, dicam mox *num.*...) respectu suorum subditorum habent potestatem ordinariam ad dispensandum. Ita Sanch.*l.c.c.38.à n.4.* Delegatam verò habent: Primò, Vicarij Episcopi, vel Capituli, Sede vacante: modò advertas debere delegationem esse specialem, cùm non sufficiat ipsa Vicariatus constitutio. Ita Sanch.*ibid. num.1.* Merolla *t.3 d.7.c.6. d.17.& c.7.n.33.* Secundò, ij, quibus prædicti Pontifex, Episcopus, &c. commiserint. Parochum ex se non puto habere ullam potestatem in dispensandis votis, ut & in juramentis: Sic Sanch. *lib.8. de matr. disp.9. n.27.* licèt enim is possit aliquid in dispensatione jejuniij, vel operis servilis die festivo, ut suo loco dicemus; non tamen in prædictis, quia pro jejuniiss & operibus introducta est consuetudo, ut Parochi possint; non verò pro votis, & juramentis.

5. Archiepiscopus, quoad Episcopos sibi suffraganeos, habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, nullam verò quoad ipsorum suffraganeorum subditos, nec dum eos non visitat, nec dum visitat: sic Sanch.*lib.4. in dec.cap.38.à n.9.* Illud Archiepiscopo non denegatur, ut scilicet possit dispensare prædictis suffraganeorum subditis in eo casu, quo alicui Episcopus, causa subsistente, denegaret injustè voti dispensationem, vide apud Avilam, Henriq. Laym.*lib.5. tr.de voto, c.8.n.7.* aliósque *passim.*

6. Sed quis dispensabit Episcopum in suis votis; Respondeo, vel Archiepiscopus, cujus est suffraganeus, ut modò dixi, vel poterit ipse secum dispensare, vel denique committere suo Confessario, ut etiam extra Confessionem dispenset. Pari modo, Prælatum inferiorem regularem dispensabit Superior, v.g. Provincialis Rectorem: vel ipse Rector sibi; vel denique committat suo Confessario, ut id etiam extra Confessionem, faciat: Ratio horum omnium est; quia, cùm non repugnet hanc jurisdictionem dispensandi exerceri in ipsum, sive mediatè, sive immediatè, cùm hæc sit voluntaria, & non contentiosa, nec ex se sit Sacramentalis, quæ requirit distinctionem personarum; & ex alia parte dicti Prælati habeant plenam dispensandi in votis jurisdictionem, nec, quoad hoc, restrictam, ut supponimus, non est à nobis restringenda. Ita Sanchez latè *lib. 8. de matr. d. 3.* contra Suar. *tom. 2. de rel. lib. 6. de voto, cap. 11.*

7. Quid de iisdem Prælatis exemptorum, quoad suos Novitios? Respondeo: hos posse suorum Novitiorum vota dispensare, vel commutare probabilius est, cum Rod. Less. Bon. Sanchez apud Castr. *d. 2. de voto, p. 10. n. 3.* quia in eos habent omnem potestatem jurisdictionis, dum ipsis sunt subditi; esto non habeant potestatem dominativam, unde eorum vota irritare non valeat. Nec tamen iisdem Novitiis negatur posse ab Episcopo (certè eo, in cujus Diœcesi domicilium habent, ex Sanch. *lib. 4. in Dec. cap. 38. n. 19.*) dispensari; quia ante professionem, non desinunt esse Episcopis subjecti.

8. De Prælatis, & Confessariis cæteris Regularibus, quoad sæculares, cùm Religiosi nullam habeant jurisdictionem ordinariam in eorum vota; an nihilominus habeant delegatam ex privilegiis, mox ex citandis à *n. 46.* colligetur.

9. Superest innuere aliquid de Abbatissis. Assero Abbatissas non posse dispensare, nec comutare suarum Monialium vota, licèt eadem (quod est plus) possint irritare. Ita Rodr. *in comp. resol. 2. num. 12.* Sanchez *lib. 4. in Dec. c. 39. n. 7.* aliique. Ratio est, quia irritatio provenit à potestate dominativa, quâ ipsæ gaudent in subditas (non verò in Novitias, ut *suprà, c. 16. §. 3. n. 33.* diximus) at dispensatio, & commutatio ortum ducit à potestate jurisdictionis, quâ de facto carent Abbatissæ.

*Ob quas Causas.*

10. Regula generalis hæc brevis esto: illæ causæ sufficiunt, quæ obstant executioni voti. Sed ecce nodus. Ecquænam sunt ejusmodi; Non valet id melius dignosci, quàm prudentis arbitrio; quod certè lucem concipiet ex examine aliquarum, ex quibus cæteræ poterunt non difficulter expendi, quas jam subjicio.

11. Præmitto tamen, Primò, quando causa, consideratâ gravitate voti, etiam ipsa gravis est, vel plures leves satis gravem constant, absolutè concedi posse dispensationem: at quando adest quidem causa, sed expensis omnibus, non adeò sufficiens, tunc admiscendam aliquam esse commutationem, hoc est, subrogandum aliquid operis boni, quod dispensandis judicio voti gravitatem compensare prudenter possit.

12. Præmitto secundò, stante causa, obligari Prælatum ad concedendum dispensationem. Ita Sanch. Castr. citandi, aliique *passim*: quia potestas dispensandi ipsis data est ad subditorum bonum; ut è contra, dispensare in voto gravi sine causa, est morale, ex Sanch. *in Dec. c. 45. n. 3.* quia juxta dicta *n. 2.* usurpatur authoritas sibi nõ concessa. Porrò causæ ad dispensandum sunt sequentes.

*Imperfecta Deliberatio.*

13. Hæc sufficientem dat causam, etiam sola. Ita Suar. *t. 2. de Rel. l. 6. de voto, c. 17. n. 8. junctò n. 14.* Castr. *t. 3. de voto, p. 9. c. 6.* contra Val. *ibid.* cit. quidquid aliqui Doctores dicant, qui ad sufficientiã petunt, ut præter imperfectã deliberationẽ, adsit alia causa, quale esset, v.g. periculum violandi votum, magna ejus difficultas, &c. Ratio, quod sola sufficiat, est; quia hoc ipsum periculum violandi, magna quæ difficultas, quæ ab iis Doctoribus requiruntur, regularitet interveniunt, vel timentur in eo, qui minus voluntariè, per imperfectam scilicet deliberationem, vovit.

14. Potest autem ejusmodi imperfecta deliberatio tribus modis evenire: Primò, ratione ætatis, ut cùm quis in pupillari, vel minùs capaci ætate votum emisit; poterit enim tunc votum etiam sine commutationis admissione dispensari. Sic Castr. *ib. n. 8.* Sanch. *l. c. n. 30. & lib. 8. de matr. d. 20. n. 13.* Ratio est, quia benignitatis est Dei non ita rigidè acceptare votum in tenera ætate conceptum, ut nequeant Superiores remittere. Quò autem imperfectior est ætas, eò major erit causa, quia de majore involuntario timetur.

15. Secundò, cum Sanch. *lib. 4. in dec. c. 45. n. 30.* Castr. *l. c. n. 9.* ratione turbatæ mentis, ut cùm quis ira, tristitiâ, metu oppressus, imprudenter vovet. Huc facit ex Laym. *lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 5.* facilitas, seu levitas vovendi, ut consuevit esse in fœminis, aliisque timidæ naturæ. Ratio est, quia in ejusmodi non omnino voluntariis votis, non est multa affectio ad rem promissam; quare semper aderit periculum illa violandi.

16. Hinc, si quid vovisti ob timorem mortis, v.g. naufragij, vel cujusque alterius mali, dispensationem impetrare licitè vales: nam tametsi hic timor non sit incussus ad extorquendum votum; præstat tamen regulariter, ex Sanch. *ib. n. 31.* Castr. *l. c. n. 9.* sufficientem causam dispensationi: quia cum immatura deliberatione sic voveri solet. Dico (regulariter) si enim matura fuit deliberatio, jam non erit ex hoc capite causa sufficiẽs. Si verò vovisti ex timore incusso ad extorquendũ votum, causã fiue dubio habes sufficientẽ, ex Sanc. *ib. n. 32.* imò etiãsi timor levis fuerit; probabile esse votũ tunc non obligare, adeóque non egere relaxatione, *sup. lib. 1. c. 2. n. 3.* diximus.

17. Tertiò, ratione erroris, vel doli in causa impulsiva voti. Ita Castro Pal. *l. c. n. 10.* (nam si sit error in causa finali, vidimus *suprà, cap. 13.* qua ratione votum sit irritum) vel in aliqua voti conditione. Ratio est, quia error, vèl dolus minuit sine dubio voluntarium; licet fatear admiscendam hîc esse aliquam commutationem; quia votum jam supponitur, quod principale, satis esse voluntarium.

*Difficultas notabilis exequendi Votum.*

18. Si hæc non fuit prævisa, quamvis non sit tanta, ut obtolere possit obligationẽ voti; tamen ad benignitatem Dei spectat, ut saltem sit causa dispensandi: sic Sanc. Suar. Castr. eos citãs *l. c. n. 13.* Si verò fuit prævisa, refugiunt aliqui concedere esse causam sufficientem: puto tamen regulariter sufficientem esse; quia semper multò difficilior apprehenditur res, quando ipsa est executio, quàm quando remotè providetur facienda. O quoties dum mente, & cogitatione soli præliamur, in quæque menti obvia pericula fugimus; ad quorum tamen primum occursum statim expallescimus, & terga etiam nolentes vertimus!

*Damnum temporale: ubi, quid de Eleemosyna?*

19. Voti executio tibi causa est damni, vel tui, vel publici, vel tuæ familiæ, &c. sufficienti causa instructus, dispensationem voti petis. Sic Sanc. *l. c. c. 49. n. 50. & 51.* Castr. *l. c. n. 13. & 16.* Hinc longæ peregrinationes, austera jejunia, si te, vel familiam notabiliter lædant dant sufficientem causam; quia tibi providere, vel familiæ, ad charitatem pertinet, pietatémque. Huc reducitur causa dispensandi in castitatis voto, ne quis castè vivens morbo continuo fortè divexetur, ne familia illustris pereat, ne inimicitiæ grassentur inter Cives, quando dispensato voto, his malis matrimonio occurri speratur, Si causa est merè temporalis, ut accidit in dicto morbo, illustris familiæ conservatione, &c. utpotè non omnino sufficiente, semper erit aliqua commutatio admiscenda; sic enim in praxi servat sacra Pœnitentiaria. Ita Sanch. *l. c. c. 51. & 52.*

20. Quid de larga eleemosyna, datne ea causam dispensan

dispensandi vota; Si enim vovens, ut sibi dispensetur in voto, verbi gratia, jejunij, eleemosynam offerat ad opera pia, poterit ex sola hac causa à jejunio dispensari. Respondeo negativè, cum Sanch. *loc. cit. num.* 17. quamvis enim ea sufficiat ad commutationem, quia eleemosyna commeratur certè inter opera bona, in qua potest bonum opus voti commutari; non tamen sufficit ad dispensationem, quia dispensatio requirit aliquid obstans executioni voti, quod non affert quæcunque oblata eleemosyna.

*Damnum spirituale.*

21. Si tibi facta est materia voti inutilis, vel mala, impediens majus bonum, ut si votum sit tibi causa spiritualis, sufficientem habes causam pro dispensatione. Tale esse Votum Castitatis in conjugato affirmant enim in tanta Conjugij occasione cohibere quis à culpa se potest. Tale item esset idem votum, quando vel ex fragilitate, vel etiam ex malitia à te sæpe illud esse violandum, notabiliter timeres: sic Suar. *l. 2. de Rel. lib. 6. de voto c. 17. num.* 12. Sanch. *l. c. num.* 44. & 45. quia posito, quod ex quocunque capite tibi votum inutile, vel perniciosum est, congruum est, ut pia Ecclesia tanto malo subveniat per dispensationem.

22. Huc reducito, si speretur aliqua major utilitas spiritualis voventi per concessam dispensationem: sic Suar. *l. c. n.* 10. Sanch. *l. c. n.* 38. nam id dat causam sufficientem; quia per votum, principaliter bonum spirituale voventis intenditur.

23. Huc item pertinet quando vovens multis scrupulis in voto exequendo divexatur; id enim damnum spirituale est, cui pium est succurrere. Sic Sanch. *l. c. n.* 43.

*Dubium.*

24. Si sis dubius, an intentionem habueris vovendi, an votum impediat minus bonum, an ex executione voti malum, damnúmve impendeat, an votum impleveris, &c. satis, superque dispositus es ad dispensationem. Ita Castro *l. n.* 11. & 14. citans Suar. & Sanch. quia benignitas Dei petit, ut in obligatione incerta facilitas sit eam remittendi. Immò in aliquo dubio ex his votum non obligare, dictum est *supr. lib. 1. c. 3. §. 7. verb. Votum.*

*Commoditas Voventis.*

25. Illud non admitto, solam commoditatem esse causam sufficientem licèt enim hæc sufficiat ad commutationem, ut alacriùs Deo serviatur: at satis nequaquam est ad dispensationem; quia ad hanc requiritur causa obstans executioni voti, qualis certè mera commoditas non est.

*Quæ vota?*

26. Omnia vota, quæ non sunt in præjudicium tertij, possunt dispensari ab Episcopis, Episcoporúmque jurisdictionem participantibus; præter quinque, Castitatis perpetuæ, Religionis, triúmque peregrinationum, nempe Hierosolymitanæ, Compostellanæ, Romanæ, devotionis causâ. Ita DD. *mox* cit. & *passim*. Quoniam verò reservatio odiosa est, utpotè ordinariam potestatem restringens, erit strictè interpretanda; ita ut ea quinque vota tunc reservata intelligantur, cùm sunt strictè talia. Ita Azor. Sayr. Less. aliíque apud Castro Pal. *tom. 3. tract. d. 2. de voto, part. 11. num.* 1.

27. Unde vota dicta peregrinationum non devotionis causâ, reservata non sunt, nec votum Religionis non approbatæ. nec Castitatis non perpetuæ, nec votum non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non se polluendi, non tangendi turpiter mulierem, non petendi debitum in Conjugatis, non petendi dispensationem de Voto castitatis perpetuæ, & similium: quia non sunt absolutè & strictè vota reservata. Ita Sanchez *lib. 4. in Dec. cap. 40. num.* 77. Pont. reputat probabilem *lib. 8. de matrim. cap. 8. §. 2. num.* 27.

28. Idem dic de quibusdam circunstantiis voto reservato à se annexis, v. g. de voto illarum trium peregrinationum pedibus, vel de voto Religionis strictæ: Ita iidem, quibus adde Navar. *lib. 3. cons. 41. de voto, in 2. edit.* non enim sunt reservatæ illæ conditiones, *pedibus statim, strictæ*; quare potuerunt dispensari ab Episcopis, remanente tamen substantia dictorum votorum, quæ certè reservata est.

29. Dixi autem (quæ non sunt in præjudicium tertij) nam quæ sunt in hujus præjudicium, an possint dispensari, diximus *suprà*, §. 3. *num.* 2. & 3. & dicemus mox *cap.* 17.

30. Quod de Voto disiuncto; Si quis, verbi gratia, vovit vel Castitatem, vel Jejunium; Dico non esse reservatum. Ita iidem; quia libertas, quam is habet eligendi pactum non reservatam, facit, ut totum ejus votum absolutè à reservatione sit liberum. Quid, si pars non reservata reddatur illi impossibilis? ut si dictus vovens gravem infirmitatem incidat; unde jejunare non possit? Adhuc dico partem alteram non remanere reservatam, quia per accidens est, alteram eligi non posse. Ita iidem, quibus adde Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 8. n.* 12.

31. Quid denique, si is elegerit partem reservatam: hæc post electionem, nunc reservata? Dico, si elegisti per novum votum, reservata utique erit, ut ex se patet: at si elegisti absolutè sine novo voto, puto non esse reservatam, quia sic remanet in sua primæva natura.

*An vota conditionata sint reservata? Vbi An materia subrogata pro voto reservato, sit reservata.*

32. Occurrunt hîc tres difficultates: Primum de votis verè conditionalibus, & pœnalibus in materia reservata. Si quis ita, v. g. voveat: *Remitto Deo castitatem ob amorem hujus virtutis*, vel *ob amorem Dei*, est votum absolutum, & certò reservatum: at si voveat in hunc modum: *Si à Deo impetravero Sanitatem, ei Religionem promitto*, dicitur votum conditionatum. Si verò in hunc alium modum: *Si lusero in pœnam voveo castitatem*, dicitur votum pœnale. Quæritur jam, an hæc duo vota conditionale, & pœnale sint reservata? Addidi autem illud (verè) propter dicta *suprà*, *c. 1. §. 2. n. 1. & 2.* & hîc notat. Castr. *d. 2. p. 12. num. 17. de voto.*

Respondeo, probabile quidem esse ex Sot. Azor. Pont. aliísque apud Castr. *l. c. p. 22. n.* 14. hæc vota, saltem adveniente conditione, substare reservationi, quia tunc transeunt in absoluta: sed esse etiam probabile, *ibid.*. & tutum tum ante, tum post conditionem impletam, reservationi nequaquam subjici. Ratio potissima mihi videtur esse, quia ejusmodi vota, cùm sint sub cõditione de futuro, imbibunt imperfectum consensum, utpotè dependentem à futuro eventu; adventus autem conditionis; non facit, quin consensus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare potest; ergo, licèt ea vota transeant, quoad alios effectus in absoluta: at semper primævam imperfectionem retinent, atque adeò non subjacebũt reservationi, quæ cùm sit odiosa, cadit solùm in vota perfectè voluntaria. Adde dictum à nobis *suprà lib. 1. n. 3. §. 7. v. Votũ, n.* 15. fatentibus Doctoribus, votum, de quo est dubium, an reservatum sit, reservatum non esse; quia reservatio est odiosa, unde & strictè interpretanda: at nemo negat, saltem dubium esse, an hæc vota sub conditione, vel sub pœna afficiat reservatio; ergo ab illa erunt immunia.

*An materia subrogata pro Voto reservato, sit reservata.*

33. Secunda difficultas: An quando Pontifex commutat votum reservatum in alias pias actiones, v. g. votum Castitatis in Jejunia: an, inquam, ipsum opus subrogatum, putà jejunium, sit reservatum, an potiùs ab Episcopo, similémque jurisdictionem participantibus dispensari queat, vel commutari?

34. Dico, non esse reservatum, dispensarique, vel commutari posse. Ita Sanch. Castro Pal. *mox* cit. P. Bardi *in Bull. Cruc. p. 2. cr. 7. c. 2. sect. 5. §. 4.* aliique ab ipsis citati.

Ratio præcipua sit, quia ejusmodi opus submissum nec ex se est reservatum, nec ex Pontificis nova reservatione.

35. Dices; At per regulam Juris *leg. unica. C. de rei uxoriæ actione, cap. Ecclesiæ 1. ut lite pendente: Subrogatum sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur.* Sed facilis est Responsio, id verum esse in favorabilibus, non in odiosis. Alias responsiones vide apud Sanchez *lib. 4. in Dec. c. 46.* & Castr. Pal. *t. 3. tr. 15. d. 2. de voto, p. 11. n. 5.*

An jejunium subrogatum voto Castitatis perpetuæ, cesset perveniente anno sexagesimo ætatis, & similia. Vide *infra, lib. 4. c. 5. de Iejunio, §. 7. a n. 9.*

Vide etiam de Lugo *lib. 4. Resp. mor. d. 41.* ubi rectè monet petentem commutationem, vel dispensationem materiæ subrogatæ cuilibet voto, multò magis reservato, debere explicare ipsum votum; ut scilicet dispensans, vel commutans gravitatem vinculi cognoscat, nec plus æquo de promissione temerè remittat.

*Vota reservata, an aliquando ab inferioribus Papæ dispensentur?*

36. Tertia difficultas. An adsit aliqua exceptio, ita ut Episcopus, aliique similis jurisdictionis, valeant in aliquo eventu dispensare, vel saltem commutare vota reservata? Assero adesse quatuor. Prima habetur à necessitate, Secunda ab imperfectione voluntarij, Tertia à consuetudine, Quarta à privilegio: habe de singulis.

*Necessitas.*

37. Petrus voto Castitatis astrictus Bertam virginem violavit, cujus honor, nisi Petrus eam ducat, nequit reparari. Si tamen expectanda sit Summi Pontificis dispensatio, timetur interim, ne à cognatis alterutrius res impediatur. Idem erit, si Petrus morti proximus, ni Bertam duceret, relinqueret filios illegitimos, vel orirentur graves discordiæ inter cognatos, vel similia. Poterítne tunc inferior Papâ, verbi gratia, Episcopus dispensare? Respondeo cum Less. Suar. Pont. Barb. Sanch. apud Castro Pal. *d. disp. 2. p. 12. n. 4.* posse ex præsumpta Pontificis voluntate; sic enim bonum Ecclesiæ regimen postulat, ut in extraordinariis hujusmodi urgentibus causis non desit remedium. Hanc potestatem non concedi privilegiatis, mox dicam *n. 49.*

38. Nota duo. Alterum: Si posset esse recursus ad aliquem, cui specialis facultas à Papa dispensandi in reservatis commissa fuisset, non posse tunc Episcopum docet sententia communior. Ita iidem apud eundem *n. 5.* quia tunc non esset urgens necessitas, jam enim in promptu esset, qui adiri posset: At probabile puto, etiam tunc Episcopum posse. Ita Henr. *lib. 8. de pœn. c. 10. n. 1.* & *lib. 12. de mat. c. 3. n. 1.* Auil. *de cens. 2. p. c. 7. d. 1. d. 6. not. 4.* aliique; quia per accidens est, quòd ejusmodi potens delegatus præsto sit; nec inde tollitur ab Episcopo potestas, qua valdè amplâ gaudet in casibus hisce necessariis.

39. Alterum: Potest tunc Episcopus id dumtaxat, quod necessitas postulat, & non ampliùs: quare mortua hac uxore, verbi gratia, non licebit Petro aliam ducere; atque si idem fornicetur, si se polluat, si adulteret, addet hujusmodi peccatis peccatum contra Religionem, id est, contra proprium votum; quia hoc non fuit dispensatum, nisi ad effectum illius peculiaris matrimonij.

40. Quid, si periculum, quod immineret, esset spirituale, v.g. rationabilis sæpe timor violandi votum, dum expectatur Papæ rescriptum? Respondeo, multò magis judicandum propter eandem posse Episcopum: Ita iidem apud eundem Castro Pal. *l. c. n. 4.* sed puto hunc casum, præsertim in nostris regionibus, non valde Româ distantibus, rarum fore; quia non longa est mora, quâ te continere debeas.

*Imperfectio voluntarij.*

41. Si Votum reservatum, v.g. Castitatis emittatur ex metu, etiam levi, incusso ad extorquendum votum, quamvis ex sententia aliquorum sit validum (nam in probabilissima non esse validum, *supr.* nos docuimus) non esse tamen reservatum iidem fatentur. Ita Nav. *cap. 12. n. 69.* Less. *lib. 2. c. 40. d. 18. n. 127.* quia votum per injuriam extortum non præsumitur ita à Pontifice approbari, ut reservatum velit, ne scilicet is iniquitati favere videatur.

Guttierrez *lib. 2. Canon. quæstionum, c. 12. n. 49.* aliique apud ipsum, omnia vota reservata emissa ab iis, qui sub dominativa potestate vivunt, posse putant ab Episcopo dispensari; quia si irritari possunt ab iis, quibus subduntur: non est credibile Pontificem ea sibi reservare voluisse. Sed quia potestas irritandi est satis; diversa à potestate dispensandi, unde, non valet illatio unius ab alia; nec Sanch. nec Suar. nec Castro Pal. *d. 2. de voto, p. 12. n. 12.* citans Suar. Sanc. eam sententiã admittunt: nec igitur ego.

*Consuetudo.*

42. In jure nulli, ne Legato quidem à latere, ex Castr. *ibid. n. 1.* concessa est facultas dispensandi in prædictis quinque reservatis. At concessáve est alicui ex legitima consuetudine? Invenio Episcopos, similíque jurisdictione fungentes, posse ex consuetudine ob incontinentiæ periculum dispensare ad petendum debitum ei, qui castitatis votum emisit, si sit conjugatus: Verùm id clarior indiget explicatione, quam sequentibus dictis jam subdo.

43. Dico primò. Ei, qui, cùm sit solutus, emittit castitatis votum, nullus nisi Summus Pontifex dispensare votum potest, nec absolutè, nec ad effectum contrahendi matrimonium. At si idem, non obtenta dispensatione, nihilominus (certè cum peccato) contrahat matrimonium (quod certò est validum, quia supponimus hoc esse votum castitatis simplex) etiamsi nondum consummaverit, poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum, manente voto firmo, quoad cætera alia, v.g. ad non fornicandum, ad non se polluendum, ad castitatem servandam, mortuo conjuge, &c. Atque hic est casus, qui ex consuetudine concessus est prædictis Papâ inferioribus, ex omnium sententia.

44. Dico secundò. Ei, qui post contractum matrimonium votum castitatis emisit sine licentia conjugis, qui non cesserit juri petendi, potest Episcopus dispensare; sed tunc non dispensat, nisi jure proprio, cùm hoc non sit votum castitatis absolutè, sed partialiter, scilicet non petendi debitum: absolutam enim castitatem nulliter vovet conjugatus, cùm is reddere semper debitum ex obligatione justitiæ teneatur.

45. Dico tertiò. Ei, qui castitatem vovit cum licentia conjugis cedentis juri petendi, vel quod idem est, iis conjugatis, qui mutuo consensu idem votum castitatis emittunt, quamvis aliqui negent, posse Episcopum dispensare, quia hi tunc tenentur non cohabitare simul, atque adeò non habent periculum incontinentiæ, quod est radix prædictæ consuetudinis; tamen probabile judico posse, quia vivente conjuge, quamvis in alia domo, semper subest incontinentiæ periculum. Multò magis, quia esto hoc periculum fuerit radix, tamen occasione illius inducta est absoluta consuetudo, quâ in conjugatis possit modo prædicto ab Episcopo dispensari: pater, quia si esset ob solùm, præcisúmque periculum, non esset diversa hæc potestas consuetudine inducta, ab ea, quam urgente necessitate spirituali habent Episcopi, de qua diximus *num. 40.*

*Privilegium.*

46. Ex Privilegio posse Mendicantes, quinque eorum facultatum sunt participes, vota omnia sæcularium ad se accedentium, præter illa quinque reservata, dispensare, vel commutari, notum est omnibus. Tria autem ejusmodi privilegia reperio,

Primum est Pauli III. *in comp. priv. Soc. Iesu, v. Commutatio, n. 1.* concedétis Confessariis Societatis Jesu, posse commutare omnia vota, exceptis prædictis quinque. Et quidem Noster Pater Generalis hanc facultatẽ omnibus Confessariis juxta Tridentinum approbatis communicat.

47. Secun

47. Secundùm est Innocentj VII. apud Sanch. *lib.* 4. *dec. c.* 43. *n.* 4. qui concessit Mendicantibus, posse dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, demptis votis peregrinationis ultra duas dietas. Verùm aliud Martini V. est sine restrictione, concedit enim *in comp. priu. t.* 7. *Dispensatio.* §. 10. Benedictionis, posse dispensare in votis etiam Episcopo reservatis: Idem concessit per Bullam Eugenius IV. apud Pell. *in man. reg. tr.* 8. *cap.* 3. *num.* 141. & quidem idem Pater Noster Generalis hanc facultatem communicat omnibus superioribus, & quibus ipsi comiserint.

48. Tertium est Pij V. *in comp. priu. Soc. Iesu, v. Dispensatio*, §. 9. concedentis *viuæ vocis oraculo*, Provincialibus Mendicantium, ut possint concedere suis Confessariis approbatis juxta Tridentinum, facultatem dispensandi ad petendum debitum cum iis, qui ante matrimonium voverant castitatem. Et Pater idem noster Generalis hoc privilegium communicat Provincialibus & aliis Confessariis, quibus ij per se, vel per alios id commiserint.

Hanc facultatem, ut etiam dispensandi ad petendum debitum ex superveniente affinitate, esse etiam per Bullam notat Thomas Hurtadus *tr.* 12. *n.* 1195.

49. Horum privilegiorum ampliorem declarationem, vide apud Sanchez *lib.* 4. *in dec. c.* 43. Castr. *d.* 2. §. 15. *n.* 6. Pellizzarium *in Man. reg. tr.* 3. *c.* 3.

Lege Ascanium Tamburinum, qui affert Catalogum votorum quæ possunt dispensare Mendicantes, quem in lectorum gratiam breviter contractum hîc subdo.

Mendicantes, & qui cum ipsis communicat in Privilegijs possunt in votis Papæ reservatis dispensare: quoties in iisdem possunt Episcopi ratione alicujus circumstantiæ, unde verè deficiant à rigorosa reservatione. Possunt ergo dispensare.

I. Voto disiunctivo, cujus altera tamen pars reservata est.

II. Voto Castitatis non perpetuo, sed temporali; At ad centum annos, judicatur perpetuum.

III. Voto non reservato, in quod Pontifex votum reservatum commutavit.

IV. Voto Virginitatis servandæ, si fuit solùm prima vice, &c.

V. Voto, in quo vovens incidit; solùm ad culpam venialem obligare.

VI. Voto de numquam contrahendo matrimonio.

VII. Voto non fornicandi, vel non tangendi mulierem.

VIII. Voto castitatis emisso ex metu, licet levi, incusso ad votum emittendum.

IX. Voto castitatis, ubi dubitatur, an sit validum.

X. Voto assumendi Ordines sacros.

XI. Voto expresso promittendi Castitatem.

XII. Votis diversis ad Castitatem pertinentibus, separatim emissis, &c.

XIII. Voto ingrediendi Religionem non approbatam.

XIV. Voto paupertatis, vel obedientiæ in sæculo, aut Religione non approbata.

XV. Voto ingrediendi Religionem militarem, excepta Hierosolymitanâ; hæc enim est vera Religio, de aliis conuertitur.

XVI. Voto arctioris Religionis, ut commutetur in votum laxioris.

XVII. Qualitatibus peregrinandi, ut si pedester vovisti commuteris in equestrem.

XVIII. Voto Religionis non perpetuæ, v. g. ad duos vel tres annos: ad centum iudicatur perpetuum.

XIX. Voto, quo quis promisit perseverarum, & professurum in Religione. Votum enim Religionis reservatum est illud quo quis velit legitimè ingredi in Novitiatum, & ibi sine fraude experiri, secùs ex justa causa egredi.

XX. Executioni in differendo ingressum in Religionem, vel aliis reservatis dummodo non immpediat totaliter, vel æquivalenter ingressum.

XXI. Votis trium Peregrinationum reservatarum non in eorum locorum devotionem, sed ad alium finem emissis. Ad finem devotionis præsumitur, si de fine alio expresse non cogitetur.

XXII. Voto non petendi dispensationem ab alio, quàm à Summo Pontifice.

XXIII. Voto reservato pœnali, & conditionali, ob conditionem de futuro. Sed ex Ascanio Tàburino *loco cit.* nondum impleta conditione, at ex me, aliisque, ut *suprà n.* 32. vidimus, etiam post eam impletam.

Hæc ex Ascanio Tamburino, qui *ibid. quæst.* 9. addit, eum qui obtinuit à Pontifice voti dispensationem exequendam ab Ordinario voti, inquam, cui valeat Prælatus inferior, vel Religiosus dispensare, posse huic gratiæ Pontificis renuntiare, & illam habere à Prælato hujusmodi, vel Religioso. Quod si Pontifex nolit dispensare, non poterit alius inferior, nisi nova superveniente causa ex Sanch. *lib.* 8. *de matr. d.* 14. *n.* 5.

Non sunt tamen hic tria prætermittenda. Primò, discrimen inter potestatem Episcoporum, & Religiosorum. Religiosi enim nunquam possunt propter urgentem necessitatem dispensare in aliquo ex quinque votis reservatis. At Episcopi possunt in omnibus quinque, si quando urgeat necessitas, adhuc. Pontifex non possit. Ratio differentiæ est, quia potestas dispensandi ex vi urgentis necessitatis, fundatur in jurisdictione ordinaria, quam habent Episcopi; at quoad seculares, hac non fruuntur Religiosi.

50. Rursus Mendicantes possunt exercere sua dicta privilegia circa omnes Fideles ad se accedentes, agunt enim Summi Pontificis nomine: at Episcopi, qui per suam jurisdictionem agunt, extra suos dicœcesanos se extendere nequeunt.

51. Præterea Episcopi possunt suam potestatem dispensandi, & communicandi aliis delegare, quia in ipsis hæc potestas est ordinaria: an Mendicantes non item, quia delegatus non potest subdelegare, si ejus sit industria electat, Adverto tamen cum Pellizar. *l. c. num.* 143. cit. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *num.* 27. posse Religiosum hac uti forma cum suo pœnitente: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designaverit, cujus sententiæ volo te stare*: posse, inquam, quia id non est delegare, sed prudentia alterius uti ad statuendum materiam subrogandam.

52. Conveniunt tamen primò, quòd utrique possum vota commutare, vel dispensare extra Sacramentum Confessionis: sic Sanch. *l. c.* aliique, imò & absentibus, ex Pelliz. *l. c.* 170. quia nec pro Episcopis à jure ullo, nec pro Religiosis à clausula ulla exercitium ejusmodi potestatis ad forum Sacramentale restringitur.

53. Secundò, quia diximus *suprà, n.* 32. Vota conditionalia, & pœnalia non censeri reservata; ideò hîc consequenter advertimus illa omnia tum ab Episcopis suo jure, tum à Religiosis per privilegia posse dispensari, vel commutari: Id quod certè amplissimam potestatem continet, ut consideranti patebit.

54. Tertiò; quia item diximus *num.* 42. ex consuetudine posse Episcopum dispensare votum castitatis conjugati ad petendum debitum; cùm Regulares habeant, ut modo diximus *num.* 47. privilegium dispensandi ea, quæ potest Episcopus, consequenter iidem Regulares poterunt cum conjugatis, quod possunt Episcopi; idque non solùm ex vi privilegij *viuæ vocis oraculo*, de quo dictum est *num.* 48. sed etiam ex vi privilegij Bullati dicti *n.* 47. Sic Sanch, Hurtadus, Henriquez, Rodriq. Cord. quos citat, sequiturque Quintanad. *tr.* 9. *sing.* 2. 3. & 4. Scio id negari ab aliquibus, quia (inquiunt) Episcopus non dispensat in hoc ex jure ordinario, sed ex consuetudine: scio, inquam, id, sed immeritò negatur. Privilegium enim Mendicatium dicit, posse eos dispensare in votis, in quibus potest Episcopus; & quidem rectè omnes declaramus, in quibus potest ex vi jurisdictionis, nec solùm ex vi necessitatis urgentis, quando non ex vi suæ ordinariæ jurisdictionis, sed ex præsumpta voluntate Pontificis dispensat.

At Episcopus, posita dicta consuetudine, jam ex vi ornariæ jurisdictionis acquisitæ per consuetudinem dispensare, ergo poterunt Regulares: Consuetudo enim dat jurisdictionem ordinariam, ut probat Sanchez *lib.8. de matr. d. 12. n.4. cum contingat, de foro competenti.*

Quid possit fieri circa aliqua vota reservata per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum, insinuabitur *mox* §.5.*n.*1.

Facta dispensatione, an quis possit redire ad prius votum, dicetur item *mox* §.7.

## §. V. *De commutatione Voti.*

### *Quis commutandi potestatem habeat?*

1. HAbent sine dubio commutandi vota potestatem. Primò, omnes Superiores jurisdictione Episcopali potentes, Secundò, omnes Regulares, ut diximus *a n.*47. Tertiò, omnes Confessarij per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum electi, modo *n* 11. mox dicendo.

2. At enim vero: eo ipso, quòd quis potestatem habet dispensandi, censetúrne habere potestatem commutandi; Respondeo ita, quia quibus conceditur majus, concessum intelligitur & minus in eodem genere rerum: juxta illud: *Cui licet, quod est majus, licet, quod est minus.* Ita Sanch.*lib.4. in dec.c.49. n.*28. Castro Pal. *d.2. de voto, p.14.& tr.25.d.unica, de Bulla Cruc.part.10.*

Quid contrà? eo ipsóne quòd quis commutare potest, potéstne dispensare? Respondeo, non ita, quia major potestas nullo modo continetur in minori Sic iidem *ibid.*

### *De commutatione in majus.*

#### *Quis?*

3. Non solùm prædicti Superiores, & Privilegiati sed quilibet potest suum votum non reservatum, nec tertio præjudicans, in melius commutare. Ita Navarr. Cou. Sayr. Val. Suar. Sà, aliique apud Castro Pal.*l. c. de voto, p.15. n.*2. Ratio est, quia melius bonum Deus acceptat loco minoris, utpotè sibi gratius. Certè id non accidit in hominibus, quibus non eo ipsò, quòd aliquid melius est, placet magis. Regulæ autem ad discernendum, quodnam sit opus melius, videantur *infrà c.*17. §.4. *n. præsertim* 23.

#### *Quæ?*

4. Omnia vota præter verè reservata, & præter ea, quæ in utilitatem tertij cessa sunt, & ab eo acceptata, potest quis, in evidenter melius commutare. Ita Navarr. Val. Sayr, Sà, Suar. Sanch. aliique apud Castr. *l.c. d. 2. p. 15.n.*2. Dixi primò (præter reservata) non enim quis, v. g. peregrinationem Romanam sui in quodcunque aliud commutare, ne in aliud quidem reservatum, v.g. castitatem potest. Ratio est, quia eo ipso, quod votum est reservatum, subditur Superioris arbitrio, & non voventis dispositioni relinquitur. Excipe, nisi commutatio fiat in ingressum Religionis; quia propter summam perfectionem status Religiosi, potest quodlibet votum in illum mutarit; quam exceptionem fecit Pontifex *cap. scripturæ, de voto*; ibi: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum nosci tur ob Religionis obsequium commutare.*

5. Dixi Secundò (præter ea, quæ in utilitatem tertij, &c.) non enim, ex Sayr. Suar. Less. apud Castro Pal. *l.c. de voto, n.*2. si quis fortè vovit dare, v.g. pauperi huic determinato eleemosynam decem aureorum, isque acceptaverit, pote in aliquorum sententia in aliud melius opus, v. g. in Missas permutare; quia tunc acquisitum est jus tertio, cui non semper, ut modo dixi, quod melius est, placet. Dico (in aliquorum sententia): nam cæterùm vide, quæ docui *c.*7.§.6.*n.*3.& mox *infrà* docebo *c.*17. §.2.

6. Quid, si votum ejusmodi acceptatum non fuerit? Ajo cum iisdem, posse commutari, ut ex dictis *suprà* §. 4. *n.*29. manifestum est. Nam propterea, si Calicem huic Ecclesiæ pauperi vovisti, nec ipsa, vel ejus Rector, aliúsve legitimè acceptavit, potes pauperiori dare. Ita Sanch.*lib.4. in dec.c.*49. Less. *n.*6. Pont. aliique apud Castr.*de voto l.c.*

#### *Ob quas causas?*

7. Nulla causa ad explicatam commutationem in melius desideratur; siquidem, opus ipsum Deo gratius esse, satis causam præbe. Ita Navarr. Sayr. Azor. Laym. Sanch. Suar. aliique *loc.cit.*

### *De Commutatione in minus.*

#### *Quis, Quæ Vota, Ob quas causas?*

8. Nullus, nisi qui potest dispensare propter Vota sive reservata, sive non reservata, in notabiliter minus commutare (enim sit in paulò minus, cùm parum pro nihilo reputetur, non minus, sed æquale moraliter, reputabitur.) Ratio dicti est clara, quia tunc admisceretur remissio partis voti, æque adeò dispensatio. Vnde etiam fit, ut causæ ejusmodi commutationis in minus, eædem debeant esse, quæ sunt dispensatione, nempe obstantes executioni voti, ut suo loco *suprà* diximus. Quòd si quis Superior, vel Delegatus ab ipso sine causa votum grave in notabiliter minus commutaret, v.g. jejunium in quinque *Pater* & *Ave* peccaret mortaliter, quia usurparet authoritatem sibi non concessam, hoc est, potestatem dispensandi sine causa, quod esse mortale diximus *sup.*§.4.*n.*12..

9. Quid de validitate? Respondeo, Quando commutatio fit in minus authoritate Prælati, vel Delegati per Bullam, Iubilæum, privilegia, etiam nulla subsistente causa, valet commutatio; concipit tamen vovens gravem obligationem supplendi id, quod deest ad æquælitatem materiæ subrogatæ cum promissa. Ita Sanch. *lib.4. de voto, cap.*31. Ratio est, quia contractus permutationis, sicut & venditionis, non annullatur ex inæqualitate pretij, vel rei cum re; sed solùm est onus supplendi id, quod ad æqualitatem deest: ita proportionaliter in casu permutationis voti. Eadem ratio idem persuadet, si commutatio in minus fiat propria authoritate; sat enim erit implere, seu habere animum supplendi quod deest: vel certè redeat vovens ad prius votum. Hæc ex Sanchez, cui non in omnibus consentit Castr.*d.2. de voto, p.*17.

### *De Commutatione in æquale.*

#### *Quæ?*

10. Constat ex dictis Episcopos, Episcoporúmque jurisdictione potientes, item Religiosos ex privilegio, posse etiam extra confessionem commutare vota non reservata in æquale, vel ex modò dictis *n.* 8. in quasi æquale.

11. Eadem, etiam extra Confessionem, facultate petitur Confessarius electus virtute Bullæ Cruciatæ; vel Iubilæi: Verba Bullæ hæc sunt: *Possunt eligere Confessorem, &c. & illis vota omnia, (ultramarino Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem Confessarium commutari possum.* Verba Iubilæi: *Possunt approbatos Presbyteros eligere qui valeant vota quæcunque ab eis emissa (Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.* Ex quibus verbis vides ad dandam licentiam petendi debitum ei, qui cum castitatis voto matrimonium contraxit non se extendere, nec Cruciatam, nec Iubilæum: quia ea licentia esset partialis dispensatio voti facti castitatis, quòd hîc excipitur.

An eleemosyna data ob Bullam Cruciatæ, & an privilegium ipsum Iubilæi, faciant, ut commutatio vororum licitè, vel validè fiat in minus, similia; pertinent ad tractationem de Bulla, & de Iubilæo.

12. Iam verò, an quilibet propria authoritate possit votum utique non reservatum in æquale sibi commutare, celebris est quæstio: Negat Suar. *lib.5.de voto, cap 19. n*1. Sanch. *l.4. in dec.c.43.n.*12. alios citans, quibus adde Castr. *de voto, p.*15. *n.* 5. & communior sententia; quia quamvis opus subrogatum sit æquale operi promisso per votum: at eo ipso, quòd hoc promissum, melius est, quam non promissum; ergo, si tunc quis commutaret,

convin

convinceretur commutare in minus, quod non posse, modò n.8. diximus.

13. Affirmat Henriquez, *lib.5.de pœn.cap.20.n.5.* & *lib.7.de indul.c.30.n.5.* Manuël. *tom.3.summæ, c.100.n.4. vers.4.initio*, alique apud Sanch. *l.c.n.18.* quia si materia æqualiter æquali, non potest Deo non esse æqualiter & evidenter æquali, non potest Deo non esse æqualiter gratus, quare ea ipsi laudabiliter, & æqualiter satisfiet.

14. Vraque sententia est probabilis: mihi autem probabilior apparet affirmativa: nam etiam homini per æquale satisfit debito, si ipse invitus non est: at invitum esse Deum in opere æqualiter bono, satis ob suam benignitatem præsumere debemus, & ad argumentum in contrarium, respondemus, negando melius esse, quoad substantiam opus promissum, esto, quoad promissionem sit melius, sed quia ob benignitatem Dei jam satisfacti per opus, quoad substantiam æquale, illa ratio promissionis remittitur, non est ejus habenda ampliùs ratio. Sicuti, si tibi debeo decem aureos ex promissione, vel contractu, idem autem totidem in frumento, juxta tuum beneplacitum, æqualiter satis tibi facere dicor, non verò minus. Adde remanere vinculum promissionis; quando fit commutatio, ut mox dicam *§.seq.n.2.* & solùm transferri in rem subrogatam: Ergo ex hoc capite dicta res subrogata minor non erit.

15. Vnum tamen perdiligenter adverte, non raro tibi videri æqualem materiam voto subrogandam; quod non est, quia bene circumstantias non expendis. Promisisti, v.g. meæ servum Ecclesiæ, filium hunc Religioni, Calicem Altari: non erit æquale, si des des pro servo pretium etiam valde excedens, si offeras alium filium, si largiaris Calicem majoris pretij, quàm fuerit promissum: quia poterit individuus ille servus, filius, calix aliquid utilitatis, vel æstimationis, per quod hic, & nùc sint eligibiliores, quàm quodcunque aliud.

16. Rectè denique notant Doctores, ne fallamur in subrogando materiam æqualem voto, semper consulendum esse, ut aliquantò plus subrogetur: non solùm quando propria authoritate commutatur votum; verùm etiam quando id ex jurisdictione Superioris, nollam admittere volentis dispensationem exhibetur. Nihilominus pro Superioribus, & privilegiatis adest aliqua major benignitas, quam mox leges *n.20.*

*Quæ vota?*

17. Non modò vota non reservata: verùm etiam reservata, deficientia in aliquo, ut conditionalia; pœnalia, & similia *supra §.4.n.32.* dicta. Item omnia vota facta in favorem tertij, sed nondum acceptata, commutari in æquale à prædictis Episcopis, Religiosus, electis ex Bulla vel Jubilæo Confessariis, possunt Ita DD. *c. litt. B.* adde Lud. à Cruce *de Bull.Cruc.d.1.c.6.d.ult.*

De commutatione voti jura dixi, cùm de commutatione juramenti: lege etiam Ludovicum à Cruce *in explicatione Bullæ Cruc.d.1.c.6.d.5.*

*Ob quas causas?*

18. In nostra sententia (quidquid sit in alia) in qua potest quis propria authoritate votū sibi commutare inviderit æquale, causam satis levem requiro. Ita Henriq. aliique quos citat, & sequitur Lud à Cruce *in expositione Bullæ Cruc.d.1.c.6.d.4.n4.* Ratio est: quia ipsum opus subrogandum esse Deo æque gratum, valdè sufficiens est. Adde remanere idem vinculum, licèt translatum in re subrogata. Quare solùm levis aliqua causa tunc requiritur, ne imprudenter mutes propositum: sufficere autem pro causa; quòd hilarius votum per materiam à te subrogandam implebis, mihi certum est, propter rationem *n.seq.* afferendam.

19. Dices: ergo pari modo; quando votum: sive per Episcopum, sive per Bullam, &c. commutatur in æquale, levis sufficiet causa. Respondeo, ita profecto; nam propterea sufficientem esse causam, putant Doctores apud Sanch. *l.c.6.50.n.23.* si commutationem quis petat, sperans alacriùs rem subrogatam executurus; id enim benignitatem Dei commendat, allicitque fideles ad promptiùs vovendum.

20. Dictum est (inevidenter æquale) nam apponendum est discrimen inter potestatem, quam habet hac in re superior, sive Ordinarius, sive delegatus, ab ea, quâ diximus, ipsummet privatum uti posse: Superior enim, vel electus per privilegium potest commutare in aliquantùm minus; at verò ipse privatus inevidenter æquale, sed certe moraliter, hoc est, prudenti judicio æquale, quis enim actionibus possit, quænam sint æqualia, vel inæqualia metaphisicè deliberare? Ratio discriminis est, quia si privatus posset (ut certè ex nostra sententia potest) commutare votum in æquale, & Superior, vel per Bullam electus non posset in aliquantò minùs, ad nihil inserviret Superioris jurisdictio, posset enim superior solum id, quod ex se jam habet ipse privatus vovens: Vt sit igitur proficua jurisdictio, & ut vovente eleventur nonnihil à Superiore, & à privilegiis dictis poterunt ab his in aliquantò minus eorum vota commutari. Vide quæ dixi *c.7.§.4.à n.8.*

## §. VI. *Praxis æqualitatis servanda in commutatione Votorum.*

1. Operosum est suo momento expendere æqualitatem, vel quasi æqualitatem, quæ inter materiam voto promissam, & subrogandam intercedere in commutatione debet: nam propterea, ut *supra, §.5.n.16* innui, consilium præbent Doctores, ut ad securitatem conscientiæ semper ea fiat in aliquantò saltem majus. Regula autem hujus rei certio dari nequit, quam prudens arbitrium Confessarij, qui omnibus circumstantiis expensis, æqualitatem, vel quasi in Domino constituat, Has autem ut expendas, hæc, quæ fusè habes apud Doctores breviter sic habe.

2. Primò, materiæ voti gravitas est ex se præscindendo à vinculo, voti consideranda: sic Sanch. *lib.4.in dec.cap.56.* Ratio est, quia in commutatione vinculum voti remanet, & solùm transfertur in opus subrogatum: quare, cùm non sit illud relaxandum, non erit opus hic illud in lancem inducere. Non sic in dispensatione, in qua vinculum voti omnino tollitur.

3. Secundò, non est spectanda sola excellentia virtutis, quam habet materia subroganda, ita ut melior sit commutatio, quæ fiat in excellentiorem virtutis actum; sed est melius ipsi voventi hic, & nunc quod seu pro tempore, loco, dispositione ipsius.

Si flagellationem, v.g. ad domandam carnem vovisti, melius erit, si illud commutes in jejunia, quàm in Orationes: quia jejunium magis, quam oratio, licèt hæc sit excellentior actus, ad carnis mortificationem conducit Ideo in frequentiam Sacramentorum omnia vota commutari regulariter consilium esto; quia Sacramenta ad bonum voventis melius, quàm opera cætera, sunt utilia.

4. Tertiò, expende item difficultatem implendi rem promissam, rem subrogandam; & in Peregrinatione pericula, laborem, expensasque proprias pro eundo, & redeundo faciendas; quæ quidem expensæ ex probabiliore sententia cadunt intra votum peregrinandi, nisi expressè excluseris, vel nisi mendicando ire promiseris.

Quartò, commutatio, licèt convenientissimum sit, non tamen est necesse, ut fiat in favorem ejus Sancti, vel Ecclesiæ, cui factum est votum, quia supponimus promissionem ab ea Ecclesia nondum acceptatam legitimè fuisse.

5. Quintò, non est opus, ut votum personale commutetur in actionem personalem, vel reale in realem, neque ut actio subroganda sit æqualis in duratione, vel numero, vel ut certo die fiat; possunt enim hæc aliundè compensari.

6. Sextò, quando dilatio nihil minuit de voto, nec multum interest implere votum die destinata, modica

commuta

Commutatione suppleri potest. Sic Lud. à Cruc. *d.* 1. *c.* 7. *d.* 7. *n.* 3. Certè ego potenti commutari jejunium hujus diei in alium, præscindendo ab aliqua peculiari circumstantia, facilè concederem sine alio supplendo: quia tunc dilatio patum, aut nihil demit de obsequio Dei.

7. Sed occurrit difficultas circa votum conditionale pœnale. Diximus in commutatione votorum expendendam esse gravitatem materiæ voti, ut illi commutatione subrogetur opus æquale: cum ergo in voto condirionali pœnali adsit duplex materia, utraquéne est expendenda? Petrus, v. g. vovit non ludere, quòd si ludat vovet dare quandam eleemosynam, adest hîc promateria voti ipsa eleemosyna, adest ipsa negatio ludi, quæ per votum istud intenditur, in commutatione ergo bonitas non ludendi sola, an etiam bonitas eleemosynæ expendenda est?

8. Assero cum Sanch *ibid. à n.* 30. si commutatio petatur, & facienda sit post impletam conditionem, hoc est, post ludum, utriusque, nimirum bonitatis non ludendi, & bonitatis eleemosynæ, rationem habendam esse. Ratio est, quia ex una parte, non ludere, fuit res per votum directè promissa; ex alia verò parte, ipsa eleemosyna, purificata conditione hoc est, posito ludo, transit in rem absolutè promissam.

9. Si verò petatur ante completam conditionem, variant Doctores. Nonnulli negant esse etiam expendendam pœnam; id est, in casu dicto eleemosynam, quia illa nondum est promissa, cùm nondum purificata sit conditio. Verum, dico primò, esse expendendam non ratione sui sed ratione bonitatis directè promissæ: explico, & probo. Votum non ludendi est gravius, si referatur ad pœnam illam dandi eleemosynam; quam si ad talem pœnam non referatur: gravius est enim sic promittere. *Voveo non ludere, quòd, si lusero, voveo eleemosynam*, quàm solùm sic: *Voveo non ludere*; ergo non est mirum, esse expendendam illam pœnam, ut videatur gravitas totius voti. Fateor tamen ejusmodi pœnam, scilicet in casu dicto, eleemosynam non esse accipiendam hîc secundùm totam suam nobilitatem, seu gravitatem: ratio est, quia, cùm nondum sit incursa, sed à voluntate vovent is, quoad futurum eventum adhuc pendeat, multum sine dubio à sua gravitate deficit.

10. Denique subjiciam hîc aliquas commutationes approbatas à Doctoribus, apud Sanchez *lib. 4. in dec. c. 56. à n.* 39. & Lud. à Cruce *mox* cit. ut nimirum faciliùs, ad harum exempla, praxim commutationum deducere valeat, qui legit.

*Aliquæ peculiares Commutationes.*

11. Votum Hierosolymitanum cujusdam pueri commutatur à Pontifice *c. Venientis, de voto*, eleemosynis, & ut uni pauperi toto vitæ suæ tempore vovens provideat.

12. Votum simile cujusdam Episcopi commutatur, *cap. Magnæ, eodem*, ut expensas eundi, redeundi, ibique commorandi integrè in subsidium Terræ sanctæ mittat, laborémque itineris compenset, sollicitiùs instando Vigiliis, Orationibus, Jejuniis.

13. Peregrinationem pedestrem Viri docti apud Sanchez *lib. 4. in Dec. c. 46. n.* 40. commutant in æqualem laborem, idest, præter expensas piè distribuendas, labor tot dierum tolerandus in itinere compensetur cum jejunio totidem dierum: at non pedestrem commutatur ita, ut labor quatuor, vel etiam quinque dierum compensetur cum jejunio unius diei. Ludovicus à Cruce *de Bull. Cruc. d. 1. c. 7. d. 3. n. 2.* sic commutat ejusdem peregrinationis votum: Si equester quis peregrinaturus per votum sit, est facienda sumptuum comparatio, & hi Monasterio pauperi, vel orphanæ maritandæ, vel alteri pio operi dentur. Pro labore autem itineris, toto tempore, quo duratura erat peregrinatio, singulis mensibus confiteatur, & communicet; singulis ejusdem temporis hebdomadis semel jejunet, ac ter in hebdomada Rosarium recitet: & ad majorem securitatem sex sacrificia celebrari curet: Si pedester erat peregrinaturus, ultra expensas modo dicto erogandas, pro labore fateatur, communicétque decimoquintò quoque die, toto tempore, quo duratura fuisse censetur peregrinatio: semel in hebdomada ejusdem duraturi temporis jejunet: unum, vel alterum Rosarium recitet; eleemosynam quampiam juxta sui status possibilitatem eroget, ac sex sacrificia celebrari curet.

14. Si quis potestatem habet commutandi votum Religionis Dominicanæ, in qua quotidie recitatur Officium, jejunatur in septem mensibus anni, abstinetúmque semper à carnibus, commutare hæc posset, ex Sayro *in clau. reg. lib. 6. c. 12. num.* 21. in jejunium Feriæ sextæ pro tota vita; item eleemosynam suis facultatibus congruentem, qui petit commutationem largiatur; quotidie septem Psalmos recitet; & decimo quoque quinto die peccata fateatur. Addit Medina! *l. 1. sum. c.* 14. §. 7. *tract. de commutat. reg.* 3. ut etiam dicto decimo quinto quoque die communicet.

Non placet Ludovico à Cruce *de Bulla Cruc. d. 1. c. 7. d. 4. num. 2.* sicut nec Sanch. *ibid. n.* 43. hæc commutatio, videtur enim esse in minus, cùm onera Religionis sint his multò majora; quare tandem concludit, ut intermisceatur dispensatio.

15. Votum absolutum tum Castitatis, tum Religionis nunquam posse propriè commutari: quia omne opus est minùs, quàm Castitas, & Religio, notant Sanch. *l. c. n.* 41. aliique *ibid.* cit. (quod tamen mihi difficile dictu videtur) unde semper admiscendam esse dispensationem. Absolutum dixi: nam conditionatum, vel pœnale, cùm à voris absolutum aliquantum deficiant, unde minorem exigant compensationem, commutari in æquale, vel quasi æquale sine dubio possent; Sic Sanch. *n.* 41. *fine* testo neget Ludov. à Cruce *ibid. n.* 41.

16. Votum assumendi Religionem certam non bene commutatur in aliam laxiorem, vel in aliam magis inobservantem: sic Suar. *t. 3. de Rel. l. 4. c. 9. n.* 2. unde vel misceatur dispensatio, vel alia opera addantur. Ratio est manifesta, quia laxior est minus bonum, minúsque Deo grata, quàm strictior.

16. Votum non ineundi matrimonium commutant aliqui docti in Confessionem mensibus singulis biennio, aut triennio faciendam, & in novem sacra: sic Sanch. *ibid. n.* 42. Sed Ludovicus à Cruce *de Bull. Cruc. l. c. d.* 5. cui meritò hæc minora videntur, addit injungendum esse aliquod pium opus in perpetuum, sicuti perpetuum est votum: quod tamen necessarium non esse, nos notavimus *supra, n.* 5.

18. Tum Sacerdotij Votum commutant aliqui apud Sanch. *ibid. n.* 43. in recitationem quotidianam septem Psalmorum Pœnitentialium cum Litaniis; vel in quotidianam recitationem Officij Beatissimæ Virginis, vel Calculorum Virgineorum, & in Confessionem, & Communionem decimoquinto quoque die, & ut cures celebrari sacrum singulis mensibus, utque insuper voveas castitatem; Quòd si castitatem vovere refugias, hujus loco jejunes omnibus sextis Feriis.

19. Sed certè hæc commutatio valdè minor videtur, quare vel, aliud addatur, vel intermisceatur dispensatio.

20. Votum semper singulis, v. g. Sabbatis jejunandi potest commutari in Confessionem, & Communionem decimoquinto quoque die per annum integrum, & in tria sacra celebranda, vel in recitatiopem Calculorum Virgineorum, & in eleemosynam modicam Sabbatis perpetuò faciendam. Ita nonnulli apud Sanch. mox cit. Aliis id parum videtur. Ita Ludov. à Cruc. *l. c. d.* 7. *n.* 3. fatetúrque Sanch. *n.* 44. nam ideo ita commutant, ut vovens perpetuò Rosarium Beatæ Virginis genuflexus recitet in hebdomada, vel eleemosynam aliquam distribuat semel item in hebdomada, additâ Coronâ Christi Domini flexis genibus recitandâ.

21. Votum recitandi singulis Feriis sextis perpetuò septem Psalmos, legitimè commutabitur in modò dicta;

dita; vel ut eadem Feria sexta, seu alio die semel in hebdomada jejunetur. Ita Ludov. à Cruc. *ibid.*

12. Jejunium in pane, & aqua rectè commutabitur in recitationem integri Rosarij genibus flexis, addita flagellatione corporis: vel in eleemosynas competentes facultatibus voventis, vel melius in confessionem, & communionem. Ita Bardi *in exp. Bull. Cruc. p.2. tr.* 73. *fol.*5.10.

13. Eleemosyna commutetur in servitium in Hospitali unius dierum, quot judicantur sufficientes ad compensandam quantitatem eleemosynæ promissæ. Ita idem *ibid.*

14. Confessio, & Communio in actum contritionis, vel Amoris Dei, & jejunium, addita recitatione Rosarij, vel Coronæ Virginis. Ita idem *ibid.*

15. Celebratio Missæ in Communionem, in recitationem Officij, vel coronæ Virginis; vel in eleemosynas, vel in jejunium. Ita idem *ibid.*

### §. VII. *An facta commutatione, vel etiam dispensatione, liceat redire ad prius votum?*

1. Facta per legitimam jurisdictionem commutatione, extinguitur prius votum. Ita Sanc. *l.4.c.*54.*n.*42. ita commutatio est translatio in novam materiam, eâque prioris extinctio. Hinc, si subrogata materia fiat inutilis, vel impossibilis etiam culpâ ipsius voventis, (qui subrogatam eandem materiam omiserit cum peccato, juxta Ludov. à Cruce *de Bull. Cruce, d.2.c.6.dub.*16. *n.*12.) non obligatur vovens ad redeundum ad prius votum. Ita Sayr. Sanc. Suar. Laym. apud Castr. *d.2.de voto*, *n.*8. *n.*2. Commutatur, v. g. oratio S. Ignatio promissa, in jejunium ejus vigiliæ? si in vigilia propter infirmitatem jejunare tibi non datur, vel cum peccato non jejunasti, ad orationem non teneris, quia votum de oratione jam extinctum per commutationem fuit. Idque locum etiam sortitur in commutatione votorum sæculi, quæ fit vi professionis Religionis. Sic Castr. *ibid. num.*3. (quidquid negent Vivald. *in Candel.* 3.*p.c.*24. *n.* 28. Graff. 1.*p.decis.lib.*2.*c.*30.*n.*3.) quare, si in sæculum sine culpa, ex dispensatione pontificis redeas, ad vota sæculi non teneris, si cum culpa, vide *supra, c.*16.§.3.*n.*5.

2. Si dispensetur, vel commutetur ad tempus tuum votum per subrogationem alicujus pij operis, teneris (finito tempore, votóque iterum redeunte) ad illud opus subrogatum; v.g. dispensat Pontifex tuum votum Castitatis ad effectum nubendi, subrogátque jejunium singulis hebdomadis, si moratur uxor, adeóque ad votum castitatis redeas, obligarisne prosequi jejunia, posito, quòd in Brevi commutationis Pontifex neque dixit, neque negavit jejunia debere esse perpetua?

3. Respondeo: Sanch. *lib.4.in dec. c.* 55. *n.* 21. quamvis in commutatione aliorum votorum te non obliges ad dictam perpetuitatem; te tamen obligat in commutatione prædicti voti castitatis: quia tenor Brevis Pontificij videtur eam requirere. Sed certè probabile est cum Castro Pal. *de voto, cap.*18. *num.*6. te non obligari, quia cum redeat prioris voti obligatio, longè est à benignitate Ecclesiæ, ut remaneant opera subrogata, gravaretur enim duplici onere vovens, altero voti, altero operis subrogati. Facta commutatione à Pontifice, v. g. jejunandi, ad effectum matrimonij ineundi: an obligatio jejunandi incipiat, antequam ineatur matrimonium; vide apud Sanch. *lib.*4 *in Dec.c.*51.*a n.*21.

Vt item, an Pontifex pro semper tibi dispenset in voto, v.g. Castitatis, dum nullam aliam strictiorem clausulam apponens, dicit (*pro hac vice*) & sic intelligatur, pro hoc voto, atque adeò absolutè, vel mortua una uxore, possis aliam ducere? Vide apud eundem Sanchez *lib.*8. *de matr. d.*31. Basilium Pontium *lib.*8. *matr. cap.* 20. Summam Dianæ *v. Dispensatio, n.*13. id tanquam probabile judicantem.

4. His præmissis, venio ad difficultatem in titulo propositam, an scilicet impetrata dispensatione, vel commutatione voti à Superiore, liceat voventi negligere materiam subrogatam, séque subjicere iterum priori voto? Dico cum Laym. *lib.4.tr.4. cap.*8.*n.*27. Sanch. *l. c. n.*26. licere, sive res subrogata sit minor, sive major, sive æqualis, (quamvis, si sit major, neget Suarez *lib.*6.*de voto cap.*20.*n.*4.) idque quoties vovens, volet. Ratio est, quia tametsi prius votum, ut *n.*1. dictum est, fuerit extinctum, tamen ex benigno & interpretativo consensu benignissimi Dei, qui est creditor Voti, & ut Fideles ad vovendum alliciantur, præsumimus hanc libertatem nobis Deum concessisse. *Hinc etiam sequitur* (inquit Lessius *lib.*2.*c.*40.*dub.*16. *in fin.* 111. *in* 2. *editione*) *si sæpius facta sit commutatio, posse servari quidvis illorum, in quæ facta fuit, v. c.*9.*votum peregrinationi, annuæ commutatum est in mensuam confessionem, mensrua confessio in jejunium hebdomadarium, jejunium hebdomadarium in certas preces quotidianas; potest vovens satisfacere voto, vel precibus vel jejunio, vel confessione, vel peregrinatione* Hæc ex Lessio.

5. Hactenus dictum est de Commutatione impetrata à legitima jurisdictione; nunc de eadem dicamus, quando fuit facta propria authoritate voventis.

Si commutasti votum tuum in majus, vel æquale, & hoc implesti, non teneris ampliùs redire ad prius votum; quia jam satisfactum est Deo, ut ex se patet. Ita Ludov. à Cruc. *in expos. Bull. Cruc. d.*1.*c.*6.*dub.* 16.*n.*2. Si commutasti in minus, & hoc item implesti, teneris supplere, quod deficit, vel si id nolis, poteris reassumere prius votum, Quòd si rem propria authoritate subrogatam, v. g. jejunium subrogatum Rosario non implesti, distinguendum erit. Si enim res subrogata fuit, vel major, vel æqualis potes, quod tibi libuerit, exhibere: v.g. in dicto exemplo, potes, vel Rosarium recitare, vel jejunare. At si res subrogata minor fuit, tunc vel addendum aliquid, quo pertingatur ad æqualē, seu majus, vel prius votum erit assumendum: patent hæc ex dictis.

6. Denique, si materiam subrogatam, v.g. jejunium exhibere non potes, potes autem prius votum v. g. in dicto casu Rosarium, certè obligaris redire ad Rosarium, hoc est, ad prius votum, sive ad majus, sive ad minus, sive ad æquale fuerit facta à te commutatio. Colligitur ex eod. Lud. à Cruce, *l.c.* Ratio est, quia per commutationem propria authoritate exhibitam, non transfertur vinculum ad rem subrogatam, sed solùm per æquipollens satisfit benignissimo Domino. Cum igitur ipsi satisfieri per materiam subrogatam, quæ tibi impossibilis, vel inutilis est reddita, jam non posse supponas, consequenter sequitur urgere vinculum voti, quod à suo robore per tuam commutationem nunquam cadit, quod tamen cecidisset, si per legitimam jurisdictionem concessa fuisset commutatio, ut *num.* 1. dicisti.

An peccet contra Votum, qui neglecto Voto commutato, negligit & materiam subrogatam? Dixi *supra, c.*7.§.5.*num.*2.

---

## Caput XVII.

## Consilium de quadam Voti Commutatione.

1. Interrogatus, dum hæc scriberem, de cujusdam voti, ac Iuramenti Commutatione, aliqua dedi, quæ non parum erunt accommoda, ut magis, magisque confirmentur, lucémque majorem nonnulla hactenus allata concipiant, nam propterea labori eadem exscribendi, in Lectorem gratiam, hic non parcam.

### §. I. *Proponitur status Quæstionis.*

1. Pater Bernardinus à S. Sthephano, antequam suam apud Minores de observantia professionem emitteret, legavit uncias centum monetæ Siculæ, id est, scuta ducenta

ducenta supra quinquaginta annuatim solvenda quibusdam puellis Monialium statum susceperturis. His verbis:

Item voluit dictus donator. P. Bernardinus, quòd quoad partitam unciar. centum rendalium de summa didictorum reddituum liberorum, ut *supra* donatorum Hospitali magno hujus Civitatis Panormi, quolibet anno dentur, & dotentur pro Monachatu illius personæ eligendæ per prædictum Patrem Bernardinum, quæ debeat se monachare, & professionem facere in aliquo Monasterio, & mortuo dicto Patre Bernardino, vel etiam eo vivente, dicta electio fieri debeat ab illa persona declaranda, & nominanda per ipsum Patrem Bernardinum per acta publici Notarij, Itaut persona eligenda pro dicto Monachatu sit virgo nobilis, ætatis annotum sexdecim completorum, pauper, & orphana, periculosa, &c.

2. Post aliquot menses idem P. Bernadinus nondum eadem sua professione nuncupata, declaravit prædictam electionem expediendam esse per P. Provincialem Provinciæ Siculæ pro tempore existentem: & insuper voluit, ut idem Provincialis prædictam dispositionem de puellis monachandis posset in aliud opus pium, quod, ipsi libuerit, commutare. Hæc sunt verba dispositionis.

P. Bernadinus à S. Stephano præsens coram nobis, &c. omnem potestatem sibi reservatam valendi eligere, ac nominare, &c. dedit, & Reverendo P. provinciali Ordinis Minorum de observantia hujus Provinciæ, præsenti, vel qui pro tempore erit in posterum, qui ea omnia præstare possit, quâ posset ipse P. Bernadinus, addita amplissima potestate, quâ P. Provincialis dictus possit eandem potestatem eligendi, & nominandi, alteri personæ tradere. Quòd si eidem P. Provinciali præsenti: vel pro tempore existenti videtur obsequium fore Dei, commutare dictum legatum in aliud pium opus: in eo casu dictus P. Bernardinus dat omnem illi authoritatem, ac potestatem, quam ipse P. Bernardinus habet valendi commutare dictum legatum, in prædicta donatione irrevocabili factum, &c.

3. His duabus dispositionibus se habentibus, intendens in præsentia P. Bernardinus ad majus, præstantiúsque Dei obsequium, instat apud P. Provincialem, ut is commutet legatum pro puellis monachandis in aliud opus pium, nempe in augmentum Missionum inter Infideles, & Turcas, in quibus Sacerdotes nonnulli maximo Christianorum ibidem degentium bono pro Religione Catholica in utroque ritu Latino, & Græco laborant, & laborabunt plures, majorique securitate, ac stabilitate si hujus subsidij accessu fundatio earundem Missionum confirmetur.

4. Vt ordine procedamus, tria in hac difficultate sunt disputanda. Primò, an potuerit P. Bernardinus per posteriorem dispositionem allatam *num.* 2. transferre in P. Provincialem potestatem commutandi legatum, quod juramento confirmavit in priore dispositione allata *n.* 1. Quod est idem, ac quærere, An P. Bernardinus, constante priore dispositione habuerit potestatem illud legatum commutandi? Si enim ipse ea potestate gaudebat, cùm quilibet rei suæ, suorúmque jurium sit Dominus, & dispensator: sine controversia consequitur potuisse illam P. Provinciali communicare.

Secundò, An valdè jam concessa hac facultate, inculpatè uti, & legatum in prædictum opus licitè possit P. Provincialis commutare?

Tertiò, An & congruenter?

Addam quartò ad uberiorem doctrinam, an quod nunc possit P. Provincialis, possit & P. Bernardinus?

## §. II. *An P. Bernardinus potuerit legatum à se factum in aliud opus pium commutare, unde & eandem potestatem P. Provinciali delegare?*

5. PRæmittendum est, priorem dispositionem, cùm fuerit directa ad virgines pauperes dotandas, proque consecrandas, nihil aliud reipsa fuisse, nisi votum Deo nuncupatum; & quia fuit juramento vallatum, appellari posse à Doctoribus votum juratum, seu quia solùm hic apparet juramentum, voto saltem explicito non adhærens, sed per se stans, vocari communiter juramentum pium. Quamvis enim verba sint directa ad ipsas puellas (*dentur, & dotentur pro Monachatu personæ eligendæ*, &c.) tamen clarè apparet ex fine dispositionis totum id fuisse dispositum in honorem Dei, cùm nunquam præsumitur quis velle inopes alere, & pro Monachatu dotare, nisi intuitu virtutis Misericordiæ, Charitatis in proximum, Religionis in Deum. Et quidem rectè, docent Cajet. *in his quodlibetis, tr.* 11. *quæ est de voto, q.* 3. & Suarez *t.* 2. *de Relig. tr. de voto lib.* 6. *c.* 15. *n.* 2. promissionem sui Deo fieri, an etiam homini, pendere ex voventis intentione: At P. Bernardini intentionem fuit solùm, Deo se gratum per eam dispositionem exhibere, & nimis clarum est, cùm cætera sua bona in similia opera pia, ut Deo se expeditiùs in Religione consecrare, tunc distribuerit: & ipsemet nunc vivens diserte idipsum affirmet, licèt fatear adfuisse minùs principaliter aliquem respectum ad dictas puellas, præsertim suæ familiæ, quæ erant aliis præferendæ: id quòd nihilominus nobis nihil obstare paulò post videbimus.

6. Quòd autem hujusmodi jurata dispositio, seu Iuramentum pium sit censendum votum, seu voti omnino naturæ particeps, docet his verbis Sanchez, lib. 3. in Dec. c. 19. n. 2. *Dicendum est, eos omnes, qui potestatem habent irritandi vota subditorum, posse juramenta de iisdem rebus Deo prostita irritare eodem prorsus modo, & in eisdem casibus, in quibus possunt & vota. Ducor, quòd hujusmodi juramenta*, induant voti. Rationem; *& ita* cap. 30. *Nam æqua facultas tribuitur Patri, & marito relaxandi vota, & juramenta. Atque idem docent S. Thom. D. Antonius, Sylvester, Armilla, Tabiena, Sotus, Aragonis, Alcozer, Azor. Toletus, Sà, Ledesma.* Hæc Sanchez, apud quem horum Doctorum loca videre poteris.

7. Atque his velim addas Ludovicum à Cruce in *exp. Bullæ Cruc. d.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. *n.* 10. qui loquens de juramento pio, quale est illud, de quo agimus, sic habet *Nec intendo solùm potestatem ordinariam circa vota extendi ad juramenta pia, sed idem sentio etiam de potestate delegata, ex duplici ratione. Primò cùm juramentum ordinatur ad Deum durexat, perinde reputatur ac Votum, unde sub nomine Voti solet juramentum comprehendi; & è converso, præsertim juxta communem loquendi modum. Atque ideo Canonistæ interdum asserunt hujusmodi juramentum esse*, Quoddam votum. *Ita Abbas*, cap. 6. verò, de jurejurando fines. *& D. Antoninus* 2. part. tract. 11. cap. 2. §. 2. *inquit: juramentum promissorium de iis, quæ pertinent ad Dei honorem, includere votum. Hinc autem in communi æstimatione tale juramentum quomodocunque fiat, pro voto reputatur, & sub ea voce comprehenditur: ita ut votum sic generatim sumptum, significet debitum voluntariè contractum ex Religione ad Deum.* Hæc Ludovicus.

8. Præmittendum est secundò, Dispositionem prædictam P. Bernardini ex ea parte, quâ minùs principaliter respicere illas puellas fassi sumus non multò ante, nequaquam fuisse ab ipsis acceptatam, nec ab alio pro ipsis. Pater id primò, quia nec in dispositione allata *n.* 1. & 2. id apparet, nec invenitur alibi. Secundò, quia, cùm hæc dispositio non fuerit directa ad personam certam, & individuam, sed ad puellas illas in communi, non potuit ab aliqua ex ipsis acceptari, &c.

9. His tanquam firmis jactis fundamentis, Dico primò, P. Bernardinum semper potuisse prædictum votum, seu juramentum pium de dotandis ad Monachatum puellis commutare in aliud pium opus melioris; immò æqualis bonitatis, &c.

Quòd potuerit in melius probatur: quia Vota quæcunque jurata, & juramenta pia, etiam per se stantia, Deo principaliter præstita: possunt ab ipso vovente, seu jurante propria authoritate in opus melioris bonitatis commutari,

gummutari; sed dispositio, de qua loquimur, Votum est, ergo juramentum ergo, &c.

Minor hujus argumenti constat ex *n.* 3. Major verò est certa, eamque sequuntur innumeri Doctores. Navarr. Covarruvias, Sayro, Azor. Valentia, Sal. Suar. Sanch. apud Castro Palaum, *t.3.d.2.de voto.p.19.n.1.* Et Sanchez eadem *lib.1. in Dec.c.4. n.49.* postquam firmavit hanc sententiam, quam communissimam appellat, affert pro illa triginta quatuor magni nominis Doctores.

10. Verùm, ne solùm authoritate pugnare videar, in rationem afferre mihi vel alteram rationem non gravabor. Nam si opus, quod subrogatur rei per Votum, vel juramentum promissæ, est melius, & Deo gratius, illud vovens reddat, reddet id quod gratius Deo est: ergo abundantiùs satisfaciet: ergo satis, supérque suam obligationem adimplebit.

Adde Primò, in omni nostra promissione facta Deo, videri inclusam esse conditionem illam (*nisi perfectiorem materiam elegero*) cùm enim in rectæ rationi, & Dei beneplacito magis conveniat, magis promissioni satisfactum sic censebitur. Adde secundò, adesse sacros Canones, hanc sententiam approbantes; Satis sit ille *si convenit, de jurejurando: Promissam* (ait Pontifex) *non infringit, qui illud in melius commutat*; Cæteros textus *t.2. de voto, c. licèt, de Regularibus.* lege apud Sanchez, & Castro Palaum citatos. Adde tertiò ex Iure etiam Civili, *tit. de quibus modis tollitur obligatio, initio*, de consensu creditoris posse unum pro alio rectè solvi: At certò scimus Deum consentire, ut ipsi solvatur opus præstantius, utpotè sibi gratius.

11. Hæc quoad commutationem in melius. Quoad commutationem in æquale, licèt sit multorum sententia non posse ab ipso vovente commutari votum in opus æqualis bonitatis, est tamen probabile, & tutum, posse: Ratio est, quia si materia subrogata voto, vel juramento pio est evidenter æqualis, non potest Deo non esse æqualiter grata, & consequenter erit obligationi per votum contractæ æqualiter satisfaciens. Vnde vides, hùc recurrere meliora fundamenta, quæ modo probaverunt commutationem in melius. Hanc sententiam amplectitur Henriq. *lib.5. de pœn. c.20. n.5.* & *lib.7. de Indulg. c.3. n.5.* Manuel *tom.2. summæ p.100. num.1. concl. 4. initio*, aliique apud Sanch. *lib.4. in Dec.c.49. n.10.* & probabile vocant Aragonius, Suar. Alcozer, Less. ab eodem Sanch. *ibidem* citati. Sed etiam commutatio, de qua nos agimus, est in bonum evidenter melius; ideo diutius hîc non immorandum censeo.

12. Illud moneo cum Castr. *t.3. d.2. de voto, p.15. n.7.* ad commutationem præstandam in opus manifestè perfectius, nullam causam requiri specialem; quia ipsamet susceptio perfectioris operis, utpotè Deo creditoria gratior, sufficit pro causa: ut tenent communiter Doctores, Cajet. Navar. Sà, Less. Suar, Sanchez, Layman ab eodem Castr. citati. Pro commutatione autem in materiam æqualem, licèt necessaria sit aliqua causa, levem tamen sufficere, moneo cum eodem *n.8.* quia, cùm hæc non sit absoluta voti obligantis remissio, sed illius obligationis in aliam materiam translatio, levis causa satis, supérque est. Sic Cajetan. Val. Suar. Sanch. Laym. Less. apud eundem Castro Pal.

13. Objicies: Dictæ commutationi obstat jus tertij, nempe jus puellarum illarum, ad quas habitum respectum minùs principaliter fuisse, modò *num.5.* insinuavimus. Respondeo: Quoniam hæc objectio potissimum locum habet in hac quæstione, ut studiosis magis, magisque faciam satis, afferam verba Castro Pal. qui directè hîc respondet ibid. *n.2. Neque obstat, quòd vota sint facta in favorem tertij, nisi specialiter ipsi promisso factâsit, & ab eo acceptata: quia secluſa hac promissione, & acceptatione, jus tertio acquisitum non est: ac proinde solùm spectari debet quod Deo, & creditori gratius sit, ut tradit Suarez, lib.6. de voto, cap.8. n.21. Less. lib.2. c.40. dub.16. n.104* in 2. edit. *Sanchez lib.4.* in *Dec.c.41. n.8. Sayro* in *Clavi, lib.6. cap.11. num.vult. Hinc, si promiseris calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, potes alteri pauperiori tradere, nisi fortè promissionem non solùm Deo, sed etiam ipsi Ecclesiæ direxeris, & ab ea fuerit acceptata. Utrumque enim requiritur, ut bene dixit Less.* suprà, *& explicuit Basilius Legionensis*, lib. 8. de matr. c.8. n.15. Hæc Castr. Pal. Ex quibus a minori ad majus sic possumus argumentari: Si votum dandi aliquid determinatæ Ecclesiæ, quando ea nondum acceptavit potest in melius commutari, quantò magis votum factum personis indeterminatis, quale est illud, de quo agimus, quod, ut patet *ex n.2.* directum est puellis in incertum, quodque *ex n.8.* à nemine est acceptatum?

14. Sed operæpretium erit, si idem confirmetur à Sanc. *lib.4. in dec.c.41. n.11. Ex promissione* (inquit) *aut donatione factis causa piæ, nullum jus acquiritur ante acceptationem, ac proinde vota illa manent sicut facta soli Deo, dum ea præpositus illi Ecclesiæ, aut pauper ille non acceptavit. Nec Deus ea vota acceptat, nisi quatenus in suum honorem redundant, quæ acceptatio in reliquis quoque votis invenitur. Atque ut jus irrevocabile acquiratur causæ piæ, est opus acceptatione more humano. Et sic hujus sententia sunt clarè Tabiena, Armilla, Ludovicus Lopez: ajunt enim tunc acquiri jus Ecclesiæ per promissionem, quando ipsa sciens acceptat, & non ante quamvis instrumento publico, & coram Testibus fiat: Et Angelus, Sylvester, & Grassius, ajunt per id votum non acquiri jus, quia non sit eis acceptantibus, aut aliis pro eis, & Sayro, Vsualdus, & Suarez, petunt acceptationem Rectoris Ecclesiæ, ut jus irrevocabile acquiratur, & in propriis terminis Leonardus, &c.* Hactenus Sanch. cui addatur Fagund. qui *lib.2. in 2 Dec. præc. c.19. n.4. & 11.* innumeros authores pro hac sententia citat, & refert, id quod tamen satis sit innuisse.

15. Denique non prætermittâ aliud magis amœnum hîc adnectere. Nam non ignobilium Doctorum est etiam opinio, posse commutari Votum, vel juramentum pium in honorem Dei emissum, etiamsi Ecclesia, vel pauper, in quorum utilitatem cedit, acceptaverit. Audi ex Fag. *tom.1. in dec. lib.2. c.49. n.10.* aliqua, ad tanquam probabile excipiente: *Tertia opinio* (inquit) *docet Iuramentum pium, etiam post acceptationem Rectoris Ecclesiæ, cui facta est promissio, & Votum, etiam post acceptationem pauperis, cui propter Deum, voto aut Iuramento promissa res fuit, posse non solùm authoritate Superioris, & Episcopi, sed etiam authoritate propria voventis, ac promittentis in melius commutari, dando scilicet rem promissam alteri Ecclesiæ pauperiori, aut pauperi egentiori. Primò, quia hæc Vota, & Iuramenta principaliter, & ultimatè in Deum diriguntur, tanquam finem cujus, & solùm pauper est finis cui atque adeò accessorius, & minus principalis; cùm ergo accessorium sequatur principale, si potest votum propter respectum ad principale commutari in melius propria authoritate, nihil obstabit acceptatio ejus qui fuit finis accessorius. Secundò, quia etiamsi dirigas intentionem ad hunc peculiarem pauperem, id sit propter Deum: & sic tota ratio promissionis est Deus, & per accidens est, quod pauper acceptaverit, unde & quod jus aliquod acquisierit: acquisivit enim dependenter à beneplacito Dei, cui non potest non esse gravius, quod melius est unde, facta commutatione, non poterunt illi, ad quos utilitas Voti, & Iuramenti spectabat, Officium Iudicis implorare: quia vovens & jurantes obligationi suæ jam satisfecerunt. Tertio, quia in omni voto includitur illa conditio: Voveo hoc, nisi in melius voluero hoc votum commutare, quam conditionem alterius minùs principalis acceptatio tollere nullo modo valet. Quartò, quia cum, qui in aliqua religione profitetur, jam Religio acceptat, & tamen potest ad meliorem transire, petitâ, & non obtentâ veniâ à suo Prælato, atque adeò invita Religione, juxta sacros Canones* (c. licet, de regularit.) *cujus rei rationem reddens Cajetanus* (apud Fagund. loco citato) *dicit, in eo capite nihil novi juris statui, sed declarari natura ipsius voti, nempe posse quempiam votum suum, etiam acceptatum, in melius sua propria authoritate commutare, & ratio cur possit in tali casu præjudicari Prælatis & Religioni priori, est* (inquit Cajetanus) *quia non propter illos, sed propter Deum Prælatis, & Religioni data est Religiosi persona; & propter hoc*

*solius Dei Ratio habetur in hujusmodi commutatione.*

*Quintò, quia cessante fine præcipuo, ultimato Voti, & Iuramenti cessat ejus obligatio : ergo cùm, facta commutatione in meliorem Dei cultum ; esset finis Voti præcipuus, cessabit & obligatio Hanc sententiam videtur apertè sequi Gajetanus* ( 2.2. quæst.86. art. 11. vers. ad hujus evic. ) *& Navarrus* (lib.2.de restit.cap.2.in nova ed.dilp.3.n.14.)Hæc ex Fagundez.

Cui adde de Lugo *d.29. de just.n.93.* Votum(ait)non dat jus in iis,in quorum favorem vota emissa sunt,quãdo promissio non ipsi , sed soli Deo fit : quo casu , etiamsi ipsi præsentes essent, & acceptarent, nullum jus acquirerent, & ipsis invitis posset dispensatione , vel commutatione tolli illud votum , ut fatetur Sanchez *l.4.in Decal. cap.51.n.14.*

16. Dico secundò , P. Bernardinum semper etiam habuisse jus petendi à legitimo Superiore irritationem vel dispensationem , vel commutationem prædictæ dispositionis. Probatur id manifestè:nam quicunque subditus Religiosus , immò , quicunque absolutè habet jus petendi relaxationem sui voti , vel juramenti pij, de qua re nullus dubitat, ergo & P. Bernardinus, quam doctrinam, quia nunc usui nobis ea non erit, satis sit innuisse dumtaxat.

17. Dico tertiò , ex dictis consequenter fieri , ut totam potestatem , quam P. Bernardinus habebat ad commutandum suum hoc votum, seu juramentum in melius, vel in æquale:& jus,quo potiebatur ad petendam in illius relaxationem , legitimè transtulerit in P. Provincialem. Patet id ex illis verbis *n.2.* allatis : *Das autem illi authoritatem ac potestatem , quam ipse P. Bernardinus habet valendi commutare dictum legatum.* Cùm ergo ipse P. Provincialis possit in præsentia , quod antea poterat P.Bernardinus , consequens est, ut P. Provincialis possit tunc illud Votum,seu Iuramentum in opus præstantius,vel ob opus æquale transferre; sicut antea potuisse P.Bernardinum,hactenus probatum est.

18. dices in priore dispositione allata *n.1.*non invenitur. P. Bernardinum potiri hac potestate commutandi. ergo illa nequaquam gaudebat:ergo eam Patri Provinciali communicare non potuit. Respondeo , negando omninò antecedens.Cùm enim certum sit,votum,seu juramentum pium subjacere ex natura sua commutationi; eo ipso, quòd in priore illa dispositione adsit votum,seu juramentum , adest , seu imbibitur in eadem quidquid est de natura Voti , & Iuramenti , & consequenter facultas prædicti commutandi , &c. Immò etiamsi quis aliquando vovisset,vel jurasset se de priore suo aliquo voto non petiturum dispensationem , seu illud non commutaturum; adhuc posse,existente causa, de hoc posteriore voto dispensationem obtinere, & deinde procedere ad dispensationem prioris, firmant *passim* Doctores. Legantur Sanchez *lib.4. in dec.c.8. n.56.* Suarez *lib.2 de voto,c.11.n.6.*Castr.*t.3.d.1.de voto p.8.§.5.n.5.* Quare si in prædicta priore dispositione ( cùm sit irrevocabilis inter vivos) adfuit juramentum de non revocando , erit præcommutandum & hoc juramentum. Quod cùm sit accessorium ad juramentum pium de legato , erit & ipsum pium,atque adeò propria authoritate in melius transferri poterit. Transferti autem in melius videtur statim , atque commutatur in aliud juramentum de non revocando subsidium illud Missionum ; quod certè subsidium præstantius bonum esse *mox* probabimus , & consequenter juramentum illi adhærens.

### §. III. *An liceat expedire commutationem prædicti Iuramenti in subsidium Missionum inter infideles ?*

19. Asero licere. Ratio potissima est, quia , ut *suprà* vidimus , licet , etiam propria authoritate , juramentum pium non acceptatum , & in sententia probabili , etiam acceptatum , opus evidenter melius commutare. Sed subsidium prædictum est longè , & evidenter melius , quàm puellarum illarum sustentatio : ergo , &c. Minor hæc , in qua est vis argumenti , adeò mihi videtur manifesta , ut me pudeat eam velle argumentis comprobare. Probatur tamen ad alicujus pertinaciam evellendam.Primò,quia bonum ad plures se extendens;semper est excellentius bono , se extendente ad pauciores ; ut per se notum est : sed Monachatus ille est bonum aliquarum puellarum particulare : subsidium verò hoc vergit in bonum totius communitatis. seu populi orientalis, imò totius Ecclesiæ,ut per se etiam constat ergo,&c.

20. Probatur secundò : Dote illæ Virgines destituantur : fateor , sed illas animas inter infideles degente remediis , auxiliis pro spirituali salute , majori damno destitutas esse inficiabitur nemo.Quare tu ipse cogita,quod bonum ex objecto præstantius est, proximo nec in temporalibus,nec in spiritualibus multum periclitanti;an verò in spiritualibus graviter periclitantibus, esse subsidio.

21. Probatur tertiò , subsidium , de quo agimus,tandem pertinet ad bonum fidei, ut conservetur scilicet,augeatúrque Fides apud Infideles , & Schismaticos : ergo sine controversia excedit eam bonitatem , quæ residere posset in illis puellis adjuvandis : quibus non deerunt aliunde, apud Christianos,suósque consanguineos, congrua alimenta : quæque si dote careant sufficienti,poterunt in paterna domo cum omni puritate divinis rebus inservire.Confirmatur primò,quia tanti semper æstimata est cura propagandi fidem,statim atque pro fidei prædicatione fierit quis à Barbatis interfectus , numeretur inter martyres Christi sine controversia : quod non ita esse docet S.Thomas,propter alias causas,rametsi ad cæteras virtutes pertinentes , nisi addatur aliquis ordo ad fidem. Ergo tanti æstimanda est cura dilatandi fidem, eadémque conservandi inter Infideles , ut meritò sit præferenda illi actui virtutis , quo Virgines prædictæ sublevari possent Doctrinam D.Thomæ his verbis affert Layman. lib. 3. sect.4.n.5. *Causa Martyrij debet esse pia, quæ per fidem supernaturalem innotuit : nam Martyr dicitur, qui testimonium voluntaria sua morte probet veritati fidei Christianæ, secundùm verba Christi : Omnis : qui me confitebitur. &c. Notæ autem S. Thom.* ( 2. 2. q. 124.art.5. in corp.) *quando aliquis partitur pro opere virtutis cum ordine ad doctrinam Christi , id est dum opus bonum deserere refusat , quia consentaneum est Fidei Christi : verè Martyrem esse,&c.* Confirmatur secundò, quia Summi Pontifices,si quando velint in aliqua concessione causam non vulgarem,sed magnam sed urgentissimam assignare,ajunt eam pertinere ad cultum Fidei,& Christianæ Religionis conservationem : ergo eam maximum bonum , & præstantius esse profitentur. Lege Bullam Pauli V. de Societatis nostræ confirmatione , qui dum omnium suprenam causam nostro instituto vellet afferre , ad cultum fidei illud pertinere disertis verbis edocuit : Id quod,si de toto corpore Societatis rectè dicitur, multò magis de Missionibus immediatè versantibus in partibus Orientalibus, Infidelium ac Turcarum ditioni subjectis , idem erit sentiendum.

22. Probatur quartò, ne sit in cultum fidei : certè hujusmodi subsidium dandum Missionibus est , ad finem cooperandi cum salute animarum : at omnes Sancti Doctores cum sancto Dionysio clamant, divinissimum esse cooperari cum animarum salute: Inquiro nunc ego,quænam major cooperatio cum salute animarum,auxilio esse octo,vel decem puellis,an tot Concionatoribus,Sacerdotibus, Operatiis laborantibus in vinea Domini, nec jam inter Fideles , sed inter Turcas , ubi major urget necessitas animarum , & ubi vel nullus , vel satis exiguus est numerus operariorum Christi, &c.

23. Probatur quintò Nec desunt præstantissimi Doctores , ex quorum doctrina possumus colligere id, quod in præsentiâ disputamus. Suar. *t.2.*de Rel. tt. voto,lib.6. cap.18. n.8:*in commutandis votis*(ait)*sunt maximè spectanda spiritualis voventis utilitas , & finis voti intentus.* Hæc ille. Cùm ergo certum sit,P.Bernardinum intendisse majorem

torem Dei gloriam, & hactenus probatum sit, subsidium Missionum vergere ad majorem gloriam Dei : non est male de nostra assertione dubitemus. Sot. *lib. 7. de just. q. 4. art. 8. vers. ex istis consequitur*, asserit ad commutationem non melius factam non exigi causam executioni voti debitam : sed satis esse, materiam subrogatam magis ad finem conducere : subsumo. Sed jam magis ad finem obsequij Dei conducit opus adjuvandi Missiones : ergo. Gabriel *supplemento 4. dist. 38. q. 1. art. 5. litt. Y. ad fin.* docet bonum attendendum, sive ratione personæ voventis, sive Reipublicæ, id, juxta id, quod exigit charitas majoris boni voventis, aut publici, ex quo sic breviter ergo : sed subsidium illud Missionum magis facere pro bono publico, vel cæcus videt : ergo, &c. verùm, quid pluribus lectorem meum in re tam aperta distineo ?

### §. IV. *An congruat prædicta commutatio, &c.*

22. Assero non licere modò, id, quod hactenus probatum est; sed etiam congruere. Hæc conclusio ideò est hic brevibus confirmanda, quia adfuit non nemo, qui præcedentibus rationibus convictus posse eam commutationem expediri, & sine culpa licere fatebatur : sed ne puellis illis, earúmque consanguineis querimonia causa contra P. Provincialem, ejúsque Religionem præberetur, negabat congruere.

23. Sed contra hunc est primò; quia illæ Virgines nullum jus justitiæ habent in illud legatum : ergo immeritò conqueri possunt : nec propter irrationabiles paucorum querelas, negligi id debet, quod ad gloriam Dei magis, magisque conducit. Proh quàm frequenter contra Religiosos invehunt sæculares ! at non quærimoniæ, sed earum justæ causæ timendæ sunt : & rectè S. Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio : *Si quis* (inquit) *ob populi dicta animadversionem dejici cæperit, is nihil unquam, quod generosum, animandumque sit, parere poterit.* Ne igitur expavescas. Injusta enim ista expectulatio statim, intra horas, nec solum intra dies, deferveſcet : major verò Dei gloria, quæ in Missionibus intenditur, diu stabit.

24. Secundò, quia facili negotio à P. Provinciali ejusmodi odium averteretur, cùm scient illæ quæcunque sint puellæ, hanc commutationem ab ipso P. Bernardino postulari, qui sicuti olim voluit ipsi, liberè gratificari, ita nunc liberè vult aliis.

25. Tertiò, quia audio, admodum paucas esse ejusmodi puellas de ejusdem P. Bernardini familia, quas magis legati cura tangit ; & per triginta ferè annos ab hujus legati dispositione usque ad hæc nostra tempora devolutos, vix duæ, vel tres ejus generis inventæ fuit, quibus eo legato sui concessum est. Etiamnè igitur laborandum de minis, vel alterius querela, adversùs tam grande bonum, quod per commutationem intendimus ? non ita profectò prudentia dictat, non ita.

26. Quartò, semel accidit, ut ( quia multæ conditiones requiruntur in illis puellis eligendis ) sine ullo delectu quædam nominata fuerit : unde eam nominationem rescindere oportuit : Ne quid ergo simile futuro tempore eveniat, mortuo præsertim P. Bernardino, ac propterea nemine illas conditiones perurgente : congruum satis, ne dicam necessarium, erit, vel in illud subsidium Missionum, vel in aliquod simile certum, quod ejusmodi negligentiis subjacere non facilè possit, juramentum dictum commutare, &c.

27. Denique video de quærimoniis prædictis neminem rationabiliter debere esse sollicitum : quia eas nunquam futuras esse sperandum est : tum quia, ut dictum est, manifestæ rationes pro comutatione. & pro libera P. Bernardini voluntate stant : tum quia admodum paucos ejus commutationis fama perveniet ; Vt quid enimdam per multos evulgare necesse sit ?

### §. V. *An quod potest nunc P. Provincialis possit & P. Bernardinus, &c.*

30. Finis impositus jam esset huic quæstioni, nisi illud vellem non prætermittere. Assero enim mihi satis probabile fieri, P. Bernardinum cómunicasse quidem potestatem commutandi suum pium juramentum P. Provinciali : sed illam à se non abdicasse : quod idem est, atque asserere, non privativè, sed cumulativè P. Provinciali concessisse ; ex quo sequitur, P. Bernardinum ex se posse eam commutationē facere, atque, si ipse præveniat Patrem Provincialem, prævalituram suam commutationem : ut accidit in similibus eadem potestate fruentibus, in quibus datur locus præventioni, &c.

31. Ducor ad id affirmandum, quia verba allata *n. 2.* Hæc sunt : *Dat, & dedit omnem potestatem, & authoritatem valendi commutare, &c.* ad hæc verba significant quidem eam potestatē datam fuisse P. Provinciali, sed non ablatam ab ipso P. Bernardino : id quod significatum fuisset, si adfuisset hæc similia verba : *Abdicavit, se privavit ea facultate, ei renumiavit, &c.* quorum verborum, vel similium, nec umbra quidem apparet in P. Bernardini dispositione.

32. Secundò, quia pari modo Episcopus, v. g. vel Delegatus à Principe ad universitatem causarum, qui alium subdelegare potest, *c. fin. de off. deleg. init & c. cum causam, de app. jud. c. à judiciis*, vel Prælatus quicunque regularis ; communicant quidem subinde suis aliquam authoritatem Vicario, Subdelegato, Confessario Monasterij vel conventus : & non raro addunt se concedere totam suam authoritatem ad agendum, ad dispensandum, ad absolvendum : at non propterea suam potestatem ab se ablegant, vel renuntiant. Ita ergo videtur in casu nostro.

33. Tertiò, quia juramentum, cùm sit lex privata, quam sibi indicit jurans, est interpretandum ita, ut minùs, quàm possit præjudicet juranti, nisi contrarium expressè de ejusdem jurantis intentione constet. Cùm ergo expressè non constet de intentione P. Bernardini, quâ voluerit facultatem commutandi suum juramentum in melius omnino, se renuntiare ; præsumendum est nequaquam renuntiasse, sed eam sibi retinuisse. Quòd autem juramentum, servata proprietate verborum, sit ita interpretandum, ut quantò minor potest, obligatio inducatur, quia semper præsumitur jurans minùs voluisse suæ libertati nocere ; est doctrina nimis vulgaris ; & potest videri apud Abbatem, Sylvest. Suar. aliòsque apud Castr. *t. 3. tr. 14. d. 2. de jur. p. 14.* lege etiam Laym. *lib. 4. t. 4. c. 3. n. 4.*

34. Neque te scrupulus commoveat quasi non potuerit P. Bernardinus eam facultatem nominandi, eligendi, & commutandi sibi post professionem, retinere, potuisse enim discessum ex dictis per similem ocasionem à Castr. *t. 3. tr. 16. d. 4. p. 13. §. 1. n. præs. 12.* & de Lugo *tom. 1. de just. d. 4. sect. 6. n. 111.* quos, si est otium, lege, nam nobis id funius persequi opus non est.

### *Conclusio.*

35. Summa igitur hujus Consilij est, P. Provincialem posse validè, licitè, & congruenter legatum de monachandis puellis, in subsidium Missionum transferre : ac probabile esse, idem posse fieri ab ipso P. Bernardino, nisi is eam potestatem à se abdicare expressè intenderit, quando eam cum juramento P. Provinciali communicavit.

FINIS LIBRI TERTII.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER QVARTVS.

## DE SECVNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

### Sabbata Sanctifices.

PER Sanctificationem, seu observationem Sabbati præcipitur observatio Festorum, quæ nunc propria sunt populi Christiani. Ejusmodi autem observatio consistit ex Cajetano *in summa, v. Festorum violatio*, in tribus, in missæ auditione In abstinentia ab operibus servilibus: In abstinentia quorundam operum forensium. Addo, & quartum, In observatione jejuniorum, quæ instituta sunt certo die bus in honorem Christi, & Sanctorum.

Primum ex his est Præceptum positivum: Secundum, & Tertium negativum; Quartum, alij positivum, ut Bonac. *tom. 2. d. vlt. de præc. Eccl. q. 2. p. 3. §. 7.* alij probabiliùs negativum esse contendunt, ut Sylvester *v. Iejunium, n. 22.* Ioan. Sanch. *in sel. disp. 54. n. 42.* Præmittam aliquid de festo in universum: tum de his quatuor correspondentia capita digeram, favente Deo.

---

### CAPUT PRIMUM.

### De Festo in genere.

#### §. I. *Quis instituere dies festivos possit.*

1. DIes indicere festivos pro universa Ecclesia in honorem Domini, & Sanctorum, *cap. conquestus, de Fer. c. 1. de consecr. dist. 3.* (utique Canonizatorum dumtaxat, ex Sylv. *mox* cit. vel certè etiam Beatificatorum, sic Suarez *tom. 2. de Rel. lib. 2. cap. 11. num. 4. & 5.* esto oppositum doceat Diana *p. 3. tract. 5. resp. 9.*) pertinet ad Pontificem Summum: Pro Diœcesi, vel oppido ad Episcopum modo *mox* explicando. Eandem vim habet legitima consuetudo, sive universalis pro tota Ecclesiæ, sivæ peculiaris pro Diœcesi, vel oppido. Legitima; inquam, quia ex se consuetudo sola, orta dumtaxat ex populi observatione, ejusmodi vim non habet, nisi quando saltem tacitè prælati consensum includeret. Ratio est, quia id pertinet ad jurisdictionem spiritualem, quam nullam habet populus, sed solùm Prælati, quibus eam Christus Dominus communicavit. Quod non ita se habet in jurisdictione temporali; hanc enim primitus residere in populo ab ipso tamen Principibus sæcularibus ad mèliorem sui gubernationem communicatam esse, docent communiter Authores &c.

2. Si quando autem Princeps mandet observari aliqua festa, ut ob insignem victoriam, coronationem Regis, imò etiam ob reverentiam alicujus Sancti de Rep. benemeriti, (quæ, non accedente Prælati jussione, festa sæcularia, non verò Sacra appellari rectè possunt) non erit obligatio in conscientia ex virtute Religionis audiendi Missam, abstinendi à servilis: lege Abbat. *cap. quantum, de Feriis*, Sylv. *v. Domin. q. circa initium*, S. Ant. 2. *p. tit. 9. cap. 7. §. 1.* solùm enim tunc externa festivitas, & abstinentia à negotiis prohibetur. Interim tamen non nego contra legem peccari posse, & contra Principis obedientiam; sed hoc ad mortale, vix, aut ne vix quidem de facto pertingere, alibi à nobis est disputatum.

3. Episcopus verò, Episcopalémque jurisdictionem habens indicere potest dies festos, quos voluerit. Ita Suar. *t. 2. de Rel. tr. 2. lib. 2. cap. 12.* Castro Pal. *t. 3. d. 2. p. 1. num. 5.* aliique, ab omnibus etiam Regularibus observandos, ex Pell, *tract. 5. c. 4. à n. 9.* notante *num. 14.* Regul. non obligari ad festa sola consuetudine introducta, sed accedente consensu cleri, hoc est, majoris partis Capituli, & consensu Populi: ex *cap. cum Clericis, de verb. signif.* & *c. conquestus, de Feriis*: vide Dianam *p. 4. tr. 4. resol. 178.* sic etiam intelligit Castro Pal. *tom. 2.* ubi de Gabellis, quoad Ecclesiasticos; & de Lugo *tom. 2. de Iust.* ubi de iisdem gabellis.

Monet Tamen Vib. VIII. *in Bulla edita anno 1642.* (sed non jubet, nec potestatem tollit ut parce, ne fideles aggraventur, hanc potestatem Episcopi exerceant: puto insuper in rigore Episcopum sive positivo consensu populi, quem satis est non contradicere, id etiam licitè (cum consensu tamen dicti Cleri) posse consuetudine nimirum sic legitimè introducta.

#### §. II. *Quid sint dies festi, & à qua hora incipiant, & finiantur?*

1. PRæter omnes dies Dominicos, festósque dies quosdam Sanctissimæ Deiparæ, ac Sanctis dedicatos, omnibus satis cognitos, illi ex universali regula inter dies festivos sunt connumerandi, quos constitutio Synodalis præcepit, & non abrogavit consuetudo, quósque eadem consuetudo legitimè introduxit: Ita Cajet. *in summa, v. Festorum violatio, q. 2.* Navarr. *cap. 12. num. 5.* pro quibusdam festis dubiis Regula hæc esto: Esse observandos eos; quo magna pars populi observat. Si multi festum non violant, violant multi, verùm Prælati silent; habendum est eos festos esse ex libera populi pietate, atque adeò non obligare.

2. Quoad inceptionis horam, licèt olim ea fuerit à Vesperis ad Vesperas, *cap. 1. de Feriis*; Navar. *l. c.* jam nunc (nisi alicubi legitima sit diversa consuetudo) à media nocte ad mediam noctem dies festus incipit, & absolvitur. Ita Abb. *c. 2. de Feriis, n. 2.* Syl. *v. Dominico, n. 4.*

---

### CAPUT II.

#### §. I. *De obligatione Sacrum audiendi.*

1. TEneri omnes baptizatos adultos ad missam (& quidem unam etiam in natali Domini) die festivo audiendam, idque sub mortali, (quia res est gravis etiam semel omittere, ex Suarez *tom. 3. in 3. part. d. 88. sect. 2.*) jam omnium fidelium sensus edocuit: Non autem tenentur non baptizati, quamvis cathecumeni sint; nec usum rationis non habentes, quales sunt parvuli

&

dimentes: illi, quia nondum subduntur Ecclesiæ regi-bus; hi, quia assistentiam humanam exhibere non possunt. Quæ ad ejusmodi obligationem faciunt, millies ab Authoribus scripta, in summam sic redigo.

*Quæ Missa.*

1. Primò, quam Missam audire tenemur; Respondeo, Catholico ritu peractam, quacunque lingua, de quacunque Sancto, quamcunque votivam, etiamsi sub mala fide, in recitanda una Missa pro alia Sacerdos erraverit. Ita Amor. *p.1. lib.7. c.3. q.5.* Ratio est, quia præcipitur audiri Missa; non vero hæc, vel illa.

*Quanta Missa.*

2. Secundò, quantam Missam? Respondeo totam. Excusaberis tamen à mortali, si omittas levem partem; levis autem jam nunc judicatur omissio ab initio usque ad Evangelium exclusivè. Sic Fag. *in 1. præcept. Eccles. lib. 2. cap.6. num.2.* Bonacin. *tom.1. d.4. de Missæ Sacrific. quæst. ultim. p.11. num. 16.* alios citans. Imò (si audias sive ab eodem, sive ab alio celebrante ultimum Evangelium S. Ioannis) etiam inclusivè. Sic Fag. *ibid. n. 7.* alique; levis item cesetur, si audias ab initio usque ad Communionem inclusivè: omissis cæteris usque ad finem. Qui non est præsens consecrationi, sed cæteris partibus, licèt consecratio, quia dignior est, multum valeat; tamen præcepto satisfacit. Ita de Lugo *de Euch. d.22. sect.1. n.4.* quia potest adhærere opinioni asserenti Sacrificij essentiam in Communione consistere, atque adeò non est is dicendus omisisse sacrificium: Quòd si, tum Consecrationi, tum Communioni præsens non est, nullo modo satisfacit, quia nulli assistit sacrificio.

4. Erat quidam Sacerdos, qui dum sacrificium in privata ædicula faceret, in *Memento*, vel Communione orabat ferè per horam, certè huic author essem, ut viam communem iniret, orarétque potiùs ante, vel post Missam: singularitas semper est odiosa, nec Deo, vel in rebus sanctissimis, grata: imo vereor, ne id fiat contra Rubricas modicam tunc orationem præscribentes. Nam *cap.16. Rubr. gener. num.21* expressè præcipitur: *Ne nimis morosè dicatur Missa*, quo scilicet audientes tædio non afficiantur, & *cap.8. ritus celebrandi Missam, num.3.* dicitur de *Memento*, ut tunc juncti manibus stet populus per in quiete: sed ad nostra. Minister ergo ab ædæ ad sua negotia peragenda discedebat, tum exactâ horâ rediens, ministeriumque reassumens, ritè sacrificio usque ad finem intererat. Inquiro, ejusmodi minister faciebatne præcepto satis? Satis utique, quia sine illa mora, Missa jam remanebat.

5. Is, cui integræ Missæ assistere, propter legitimum impedimentum non conceditur, & Ecclesiam ingreditur dum Sacerdos celebrans nondum pervenit ad consecrationem, debet quod superest audire. Ita de Lugo *de Euch. d.21. sect.1. n.6.* quia tunc pars principalis, & quæ potissimum intenditur à præcepto, audiri potest. Nec est audiendus Ioan. Sanchez *in selec. d.25. num.5.* qui docet accedentem ad audiendum sacrum tempore præfationis minimè teneri interesse; qui nullâ hujus rei ratione allatâ, solùm ait talem esse usum. Fidelium etiam annotatorum; de quo tamen usu authoritas solùm apud ipsum est.

6. Quòd si post consecrationem accedat, non obligatur ad assistendum parti, quæ recitanda superest: quia nunc deficit pars principalis, & substantialis; exemplumque proferre possumus ex Feria sexta Hebdomadæ Sanctæ, quando, licèt in Missa adsit Communio, & quædam alia, quia non adest consecratio, tenemus audire, si nunc luceret dies festus: ita ergo in casu nostro.

*Vbi?*

7. Tertiò, quo loco Missa est audienda? Respondeo in quacunque Ecclesia, etiam extra Patochiam: imò nunc non possunt subditos cogere Episcopi ad audiendam in Parochia, & declaratione Congregationis Cardinalium, quam refert de Lugo *ibid. n.3.* An, & in quibus Oratoriis; diximus *opusc. nostro 3. de Sacram. Missæ, lib.3. c.4. §.4.*

*Quo situ?*

8. Quærò, ut audiatur Sacrum genibus, v. g. flexis vel stando, vel alio modo, non est necessitate præcepti caveatur irreverentia, vel scandalum.

*A quo?*

9. Quintò: à quocunque Sacerdote Catholico celebratam Missam audire potes, modo is non sit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor: quare, si nullus præsto est Sacerdos die festo, qui rem sacram facere, velet, nisi is excommunicatus: omittendum tibi potiùs erit sacrificium illo die, quàm cum illo, Sacrum audiendo communicare. Ratio est, quia fortius judicatur in Ecclesia præceptum vitandi ejusmodi excommunicatum non toleratum, quàm audiendi Missam. Ab excommunicato autem tolerato potes: quia tametsi antea id non licuerit, tamen Concilium Constantiense ad sedandas conscientias, restrinxit prohibitionem, ut scilicet solùm obligemur non communicare, sive in humanis, sive in divinis cum non tolerato. Ab hæretico nondum nominatim, denuntiato, cùm, donec accedat denuntiatio, sit toleratus, posset ex hoc capite audiri Sacrum: sed obstat in hæretico cognito scandalum, ne scilicet videaris, ipsi vel favere, vel ipsius hæresis particeps esse.

*Duæ Mediæ Missæ.*

10. Sextò: qui mediam Missam, v. g. post consecrationem usque ad finem audit ab uno Sacerdote, audiendo postea eadem die ab alio aliam mediam, hoc est, ab initio usque ad consecrationem, præcepto satisfacere, saltem propter authoritatem extrinsecam multorum, id asserentium, probabile est: Ita Sà, Nau. Sot. Henr. apud Dian. *p.2. tr.3. miscel. res.18.* Major, Ægid. Medina apud Fag. 2. *Eccl. præc. lib.2. c.6. n.11.* Bon. *t.1. d.4. de Sacr. Missæ, q.vlt. p.11. n.13.* Hurt. *d.5. de Sacr. Miss. diff.4.* sed in rigore veram autumo contrariam sententiam, quia ex illis duabus partibus nequaquam conflatur unum sacrificium, cui interesse jubet Ecclesia. Adde & absurdum, quod ex priore opinione consequitur, nam sic posset quis simul ab uno Sacerdote dimidiam Missam audire, & ab alio celebrante; eadem hora, in vicino altari, aliam dimidiam, & hoc pacto satisfacere: Cùm ad utrumque Sacerdotem præsentia moralis haberi possit; quòd certè quidquid sentiant aliqui Suarez *de Euch. disp. 88. sect. 2.* meritò reputat absurdum, quia sic posses à tribus, vel à quatuor Sacerdotibus simul in vicinis altaribus Missas celebrantibus varias partes Missæ audire, & satisfacere & in officio divino à sex recitantibus sex diversas lectiones simul audire, & satisfacere, cùm præsentia moralis ad omnes jam habeatur.

*Præsentia.*

11. Septimò; requiritur ad audiendam Missam præsentia moralis, humana, unde non satis est, si cœpcris vigilans interesse, & deinde obdormias. Ita Sanchez *2. tom. consil. lib.7. cap.2. dub.33.* imò neque si raptum, aut exstasim patiaris; cùm tunc præsentia moralis per somnum, vel raptum interrumpatur. Ita Fagund *l.c. lib. 2. c.7. num.3.* Gaspard. Hurtad. *l. disp.5. diff. 1.* Non autem est necesse audire, vel videre, nam cæcus, & surdus satis præceptum adimplent.

12. Hinc infero primò, satis esse ejusmodi assistentiam exhiberi humano modo, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel saltem ita sociando alios videntes, audientes, (quamvis sit quis extra Ecclesiam omnes præsentes non capientem) ut ex signis, & gestis Missæ aliqua colligere possit, & ut ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere: id, quod certè

semper contingit in sacello parvo etiam post columnam ejusdem parvi sacelli, etiam in Choro post altare pro Religiosis, vel Clericis ibi cantantibus. At in templo magno, ut, v. g. S. Petri Romæ, non satisfaceres, si tu esses in Capella & in altera fieret sacrum: multò minus si propè columnam ab Altari distantem [illegible] parietem Capellam dividentem; quia tunc tanta distantia, vel divisio inter, & celebrantem nullis aliis intermediis tollit præsentiam moralem: nam propter contrariam rationem, satisfaceres, si adesset magna hominum multitudo, tu verò esses ex postremis in eadem magna Ecclesia, quia scilicet tunc moraliter faceres unam cum ea multitudine præsentiam.

13. Ex hac doctrina olim resolvi, num Monachales à loco post Altare, quem in suis claustris habent, qui locus non videtur pertinere ad Ecclesiam, cùm sit solùm ad commoditatem ipsarum, ut inibi aliquibus diebus Officium cantent, num, inquam, à tali loco illæ possint visitare Altare, & indulgentiam illud visitantibus concessam lucrari: an potiùs obligentur illud visitare à Choro, qui est in ipsa Ecclesia ad Altaris prospectum directè situs? Dixi, cùm inde horis Canonicis satisfaciant, indèque Missam etiam audire soleant, ut ipsæ à me interrogatæ fassæ sunt, & quidem ritè propter rationem *num. præcedente* dictam; nullam posse esse dubitationem quoad indulgentias, utrobique enim eadem præsentia moralis in Ecclesia requiritur, & sufficit.

14. Infero secundò, fenestra tuæ domus, si sit parva distantia ad altare Ecclesiæ, posse te satisfacere præcepto inde audiendo Sacrum etiamsi sit intermedia via publica. Ita de Lugo *de Euch. disp. 22. sect. 2. num. 21.* quia sic verè præsens es moraliter Sacro: secus erit in magna arbitrio prudentis, distantia, propter oppositâ rationem.

4. Infero tertiò, non esse moraliter Missæ præsentem eum, qui Sacramentaliter confitetur, dum Missa celebratur. Ita Suar. *de Sacram. disp. 88 sect. 6. v. Septimum caput*; Azor. *1. p. lib. 7. c. 7. q. 8.* quia non satis est pietas actionis, si hæc distrahat, seu excludat moralem assistentiam; distrahit autem in casu nostro, quia actio externa Confessionis impedit ipsum externum cultum attendendi ad Missam.

16. Infero quartò, satisfacere præcepto de audientia Missæ eum, qui dum eam audit, recitat Psalmos, vel alias Orationes, etiam illas, quas ex obligatione recitare tenetur: Ita Suar. *l. c.* Azor. *l. c. cap. 5 q. 3.* aliique communiter, quia talis attentio ad res divinas moralem præsentiam nequaquam tollit.

Imò, dum Sacerdos secretè orat, Orationes aliquas à fidelibus recitari, bonum consilium est; si quidem mentis evagatio; hac ratione, meliùs evitabitur: quomodo autem duabus obligationibus possit uno opere aliquando satisfieri; vide latè apud Sanchez *lib. 1. in Dec. cap. 14. num 5.*

*Intentio.*

17. Octavò, requiritur intentio volendi audire. Quare non satis est, esse in Ecclesiæ ad expectandum, v. g. amicum, nisi intendas etiam Sacro interesse. Pari modo, etiamsi Missæ quis interfit ad videndam mulierem, vel ad aucupandâ vanam gloriam, licèt aliunde peccet, satisfaciet nihilominus, si interim Sacrificio vacet; modò hæc non impediant, ut certè ex se sola non impediunt, præsentiam humanam ad Missam. Ita Sanch. *ibid. n. 1.*

18. Si quis Missæ assistat intentionem habens non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfacit (esto, peccet ex malo affectu, si die festivo non habeat animum implendi præceptum.) Ita Sanchez *ibid. cap. 13. n. 8.* Suar. *tom. 2. de Rel. lib. 4. c. 26. num. 8.* quidquid Marchinus *de ordine, tract. 3. p. 3. cap. 17. n. 10.* cum Azor. aliisque *ibid.* citat. quia ponit jam rem præceptam; præcipitur enim, ut audiatur Sacrum, non verò ut cum ista, vel illa intentione audiatur. A peccato autem satis abundè desistet, si intra debitum tempus, v. g. ante meridiem, voluntatem illam retractet, velitque per auditam jam Missam obligationi satisfacere. Hinc etiam fit, ut ignorans hodie esse diem festum, si audiat Missam non obligetur aliam audire post scientiam festi; jam enim præcepto satisfecit.

*Attentio.*

19. Nonò, desideratur attentio, estque communis quæstio, cum attentione ad Divinum Officium. Necessariam esse attentionem internam, hoc est, internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum, docent communiter Vasquez Sanchez, Suarez, innumerique alij citati à Diana *p. 3. de Hor. Canon. resol. 2.* vide etiam *p. 3. tract. 4. resol. 101. ubi de Missa*, Oppositum, id est, solam externam satis esse, ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvester, Durandus, Medina, S. Antonius, aliique, quos refert Diana, ex recentioribus Coninch. Gaspar. Hurtadus; Diana; & probabile vocant Lessius, Henriquez, Victorellus, Layman; novissimè denique Jo. de Lugo *de Euchar. disp 22. sect. 2. n. 27.* prædictos citans, optimis rationibus id confirmat: unde & ego, sicut *in opusc. 5. de Sacr. Missæ, lib. 2. cap 3.* ita hic, idem probabile judico.

20. Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione ejus negotij, vel occupationis externæ. quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. g. velle historiam legere, confabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.

21. Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est: quia falsum assumunt adversarij, dum contendunt actualem internam attentionem esse de substantia Orationis, unde, cùm Ecclesia præcipiat Orationem, necesse esse præciperet etiam dictam attentionem: falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet, absque ea posse consistere Orationem.

Patet id in forma Extremæ-Unctionis, quæ est substantialiter Oratio: & tamen, si Sacerdos, sive voluntariè, sivè involuntariè distrahatur, adhuc conficit Sacramentum; signum est igitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Patet iterum, quia orare est loqui cum alio: at certè ego tecum loqui possum, licèt non attendam; ut esset, si ex scripto, vel versis memoriæ traditis, tecum agerem, imò & cum Rege; vel Principe interim aliquid aliud cogitando. Patet denique eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur cum excommunicato vitando; vel professionem in Religione emittere: nam & ille in excommunicationem incideret, & hic veram emitteret professionem, si intendisset ille loqui, & hic emittere: aliud enim est intentio externa, quæ omnino est necessaria; de qua locuti sumus *num. præcedenti*, & sufficere virtualem diximus, *in opusc. 3. de Sacr. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 2.* aliud attentio interna, quam non esse sub mortali (esto sub veniali *sup. lib. 2. cum de orat. &c.*) necessariam, hic affirmamus. Cùm enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam, unde certò habes Ecclesiam, quotiescunque orationem præcipit, præcipere & attentionem? Nisi certò habeas, non debes onus tam gravis legis certò fidelibus imponere. Alia minutiora in hanc rem, præsertim verò oppositorum solutione, vide apud citatos.

## §. II. *De Causis excusantibus ab assistentia Sacri.*

*Excommunicatio.*

*Ubi de obligatione tollendi impedimenta.*

2. EXcusabitur primò, ab audiendo sacro excommunicatus, vel interdictus, sive publicè, sive privatim. Ita Suar. *d. dis. 88. sect. 6. initio* March. *de ord. tr. 3. part. 3. cap. 17. num. 17.* quia hos prohibet, nedum excusat Ecclesia; idque procedit etiamsi culpabiliter

negliga-

negligat sibi procurare absolutionem (nollem tamen sic negligeret ex fine non audiendi Sacrum :) nam sicuti infirmus, & captivus, si de sua sanitate, vel liberatione solliciti minùs sunt, non peccant, non audiendo sacrum quia non tenetur tam remota impedimenta tollere: ita esse in casu nostro diximus *opusc. 2. Com. cap. 4. §.4. à n.17. & opusc. 3. de Sacrif. Missæ, lib. 3. cap. 6. §. 2.* mox §. 3. *n.4.* de obligatione non ponendi impedimenta, non-nulla subdemus.

*Interdictum.*

2. Qui, sive personaliter, sive localiter est interdictus, eodem modo, & propter eandem rationem, quam *numero præcedenti* diximus, excusatur à Missa. Solùm dubitatur, An qui habet Bullam Cruciatæ concedentem privilegium, ut possit Sacro assistere tempore interdicti localis, teneatur illi interesse die festivo? Respondeo, Non obligari tenent plures, ita Avila, Victoria, Canus, Conincb. Alterius, Ledesmas Liamas, Diana eosdem sequens, ac citans *p. 1. tract. 14. resol. 2.* alique Doctores Salmanticenses apud de Lugo mox citandum *numero 12.* quia nemo cogitur uti suo privilegio. Obligari tenent multò plures, ita Suar. Navarr. Sotus, Vivaldus, Medina, Valdez, qui citat, sequiturque de Lugo *de Euch. disp. 22. sect. 1. num. 13.* quia præceptum hoc obligat, quotes non habes legitimum impedimentum, seu quoties potes: at nunc posito privilegio, potes: ergo, &c. certè, si carcere detento detur privilegium, seu licentia à Judice, die festo adeat Ecclesiam interfuturus Sacro, nónne obligabitur uti hoc privilegio, ut audiat Sacrum, cur igitur non in casu nostro: Hæc sententia est verior: præcedens solùm attingit fines probabilitas, propter auctoritatem Doctorum extrinsecam.

*Impotentia.*

3. Secundò excusat Impotentia corporalis. Unde excusantur carcere detenti, ægroti, & regulariter omnes ij, quibus propter debilitatem, vel aliud exire à lecto, vel tecto ad similia negotia non datur. Incolentes loca valdè à templo distantia, communiter excusantur. verùm, aliqui tria, aliqui duo, aliqui unum milliare magnam esse distantiam statuunt. Ita Marchal. *c. n. 19.* Sed revera est attendenda personæ, viæ, pluviæ, tempestatis; & similium ratio, ut omnibus perpensis tali personæ judicetur iter notabiliter difficile. Item excusantur itinerantes, & navigantes, quando vel Missa carent, vel notabilis esset difficultas divertendi ad Missam. Præterea excusantur justo præcepto Superioris domi detenti; imò & ij, qui bona fide promissione, præsertim cum juramento, viro, verbi gratia, nobili data, è domò exire non valent.

4. Sed quid, si tunc domi suæ in Oratorio privato haberi ex Sacerdote aliàs stipendiato sacrum posset obligabiturne domi inclusus ad Missam audiendam? Negat, vel respondet Suarez *d. disp. 88. sect. 3. c. 1.* apud de Lugo *disp. 22. de Euch. sect. 2. num. 14.* sed affirmativè probabilius Marchinus *de ordine, tract. 5. p. 3. cap. 17. num. 18.* de Lugo *ibid. num. 15.* quia non videtur excusandus, qui cum in prompta Missam habere, quamvis ex privilegio, possit, tamen audire nolit: Dixi (aliàs stipendiato) nam cæterùm non te obligo ad accersendum Sacerdotem dato novo stipendio: quia hoc præceptum obligat solùm ad audiendam Missam, non verò ad illam peculiari stipendio procurandam.

Incidit hìc curiosa Dubitatio: Pater, vel quivis Dominus filium, vel servum, ob correctionem, domi, vel in cubiculo, quasi in carcere inclusum retinet, vel negat iis indumenta ipsorum statui convenientia, unde non possint exire ad sacrum audiendum. An sicut excusatur ipse filius, vel servus, ob impotentiam, ut certum est, sic excusetur Pater, vel Dominus? Ita etiam Superior Religiosus, vel Princeps in ordine ad suos, &c.

Respondeo: Huic scrupulo, quoad filium, his verbis obviam ita Fagundez Eccl. præc. lib. 4 cap. 1. n. 2. *Aliquando possunt patres, si non omino negare, saltem restringere, & moderari filiis alimenta circa victum, & vestitum ad tempus in pœnam criminis, & ut in posterum resipiscant, sine gravi eorum damno, aut valetudine. Quod intelligendum est, etiamsi filij ob vestitus negationem sacrum non audiant diebus festis: quia parentes solùm intendunt filiorum emendationem, non omissionem Missæ: per accidens enim est, quòd illam omittant. Emendatio enim à parentibus intenta rationabiliter causa est ad utrosque, tam filios, quàm parentes excusandos.* Hæc meritò Fagundez, quæ sunt etiam propter paritatem rationis applicanda ad servum, subditum, vassallum.

Solùm de subdito Religioso adverte, duplicem posse esse inclusionem: alteram in Monasterio: alteram in Carcere, seu Cella, utramque rationabilem, ut suppono: In posteriori excusabitur tum ipse subditus, quia non potest; tum ipse superior, quia rationabiliter inclusit: In priore, cùm possit Religiosus audire sacrum in Ecclesia Monasterij (& eodem modo esset, si filius prædictus posset audire in Oratorio privato suæ domus, &c.) non excusabitur. Fateor interim graviorem causam requiri, ut prohibeatur Religiosus, ne è Cella ad Oratorium pro Missa, etiam associatus, si opus fuerit, accedat; quam ut prohibeatur sæcularis ne ad Ecclesiam extra domum adeat; id quod Superior prudenti examine ponderabit.

*Periculum mali; Vbi, quid de amissione lucri.*

5. Tertiò, Excusabit omne justum, ac probabile periculum notabilis mali, vel amissionis boni, sive timeatur damnum in vita, sive in honore, sive in bonis. Ita March. *ibid. n. 29.* Hinc excusantur ægroti, convalescentes, prægnantes, peste infestam, vel bello vexatam Civitatem incolentes, quando sine notabili incommodo, judicio prudentis, domo exire nequeunt: item mulieres nobiles, quando decenti vestitu, suo statui accommodato carentes, extra domum eas esse non datur, nec occultè eas exire posse conceditur. Præterea matres, nutricésque, quæ nec relinquere possunt infantes, nec propter magnos vagitus possunt eosdem ad Ecclesiam adducere. Similiter quæ domo exeundo, cùm gravida sit, propalaret suum lapsum. Item itinerantes, cursoréve, ex eo etiam capite, ne amittant socios, vel viarum ductores, vel quando urget periculum latronum. vel quid simile notabile incommodum. Mulieres insuper, quæ ob mariti zelotypiam, si è domo contra viri voluntatem exeunt, timent rixas, perturbationes, notabile malum. Item famuli, qui, nisi Dominis pareant, aliquod sibi damnum timent: sed certè de alio Domino se tunc famuli provideant, si possunt, quando ex consuetudine eos ab auditione sacri Dominus avertit. Denique Custodes Gabellarum Civitatis, messium, vineæ, gregis, vel domus, quando propter Missam dubitant de futuro, &c.

6. Quod mihi contigit, cùm Collegij Montis Regalensis Præfecturam gererem; ut lectorem à seria lectione tantisper avertam, breviter enarrabo: Emerat Collegij procurator, ut stabulo provideret, ex area cujusdam coloni non paucas paleatum mensuras. Interim ergo, dum paratur mulio ad eas asportandas, incidit dies festus: quare à me procurator exquisivit, an rusticus noster, quem ad paleas custodiendas adduxerat, obligandus esset ad Missam audiendam. Ego sive religione Sacri tactus, sive damni securus dixi, custodi indiceret, ut sacro interesset; Addidi tantum præceptum mihi videri non esse transgrediendum propter eas paleas, quævis non exigui pretij, quæ difficulter, imò vix furto erant obnoxiæ, præsertim intra tam modicum tempus unius, vel alterius horulæ, quæ in itu, reditu, Missáque consumenda erat. Ita igitur factum est: Verùm, quid deinde est consequutum? Eo temporis momento, quo longè abfuit custos ignis repente nescio, è quo vicino loco casu accensus, in aridas paleas incidens totas incendit, ita ut cineres per aream suffusos, non jam paleas, imò ne palearum quidem pauculas reliquias invenerit, regressus ad custodiam post Missam famulus; qui statim me convenit, de infortunio docuit, factóque

ipso me monuit, ne multùm difficiles, sed verò prudentes in similibus se exhibeant Confessarij.

7. Sed redeo ad difficultatem posteriorem indicatam in titulo: An Missa omitti possit sine culpa die festo, propter lucrum, quod mihi cessaret, si Missæ adessem? Communis hæc mihi videtur quæstio, cum esset in eodem die festo propter lucrum notabile, possit quis operibus servilibus vacare? & ut affirmativè de ea respondebimus *infrà, cap.* 3. §. 2. *num.* 8. sic & affirmativè propter eandem rationem de hac erit sentiendum; rationem utriusque doctrinæ *ibidem* proferemus.

*Charitas.*

8. Quartò, Excusat titulus charitatis: ut quando non potest quis Missæ interesse, & infirmo assistere, qui vel periculum subiret, vel medicamentis opportuno careret tempore; vel solus relictus laborem, animique anxietatem pateretur. Ad eundem titulum reducito si quando fœmina sciens se ardenter amari à juvene, qui præsto est in Ecclesia, à Missa abstinet; excusantur enim propter charitatem, ne scilicet labatur proximus. Ita Suar *loc. cit. sect.* 6. § *quarum caput:* (licèt à Joan. Sanch. *in select. disp.* 37. *n.* 2. & 8. & *disp.* 38. *n.* 26. *fin.* Diana *part.* 5. *t.* 7. *resol.* 22. citante Granadum; hanc non excusari sciam; quia propter scandalum passivum non sunt omittenda opera præcepti) puto tamen illam non teneri ad ejusmodi Missæ omissionem; quia potest sequi hanc posteriorem sententiam, quæ certè probabilis est; & ex alia parte hoc non est scandalum datum, sed acceptum, quod homo non tenetur vitare cum tanto detrimento amissionis Missæ. Ita Suar. *ibid.*

*Consuetudo.*

9. Quintò; Consuetudo introducta excusationem meritò affert: Ejusmodi est illa, quâ mulieres post partum, habitámque ex parte salutem, aliquot dies se domi continent; & quâ filiæ, vel uxores, sororésve ob defunctum domo non egrediuntur; in quo certè consuetudo patriæ, præsertim in ejusmodi dierum numero decernendo, est attendenda. Pariter modo excusantur in Regno Neapolitano, præsertim Aquilæ, virgines nubiles, quæ nunquam exeunt è domo. Ita March. *loc. cit. num.* 12. quæ quidem consuetudines essent prorsus extirpandæ sed donec ab Episcopis tolerantur, non videntur esse damnandæ.

*Peregrini.*

10. Sextò; Excusantúrne iter agentes, & Peregrini, qui transeunt per locum, vel in locum se conferunt, in quo celebratur festum de præcepto, si in loco suæ habitationis festum ejusmodi non celebretur? Respondeo, ij, qui sunt in transitu prandendo, v.g. vel ibi pernoctando, etiamsi una, vel altera nocte ibidem hæreant, non obligantur audire Missam. Ita Coninch. *quæst.* 49. *de Euchar. art.* 4. *d.* 3. *num.* 114. Contra, si ibidem permaneant per majorem anni partem, obligantur. Ita idem *ib. n.* 715. lege Sanch.. *de matrim. lib.* 3. *d.* 18. & *in dec. lib.* 1. *cap.* 12. Fag. *in Eccl. præc. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *lib.* 2. *cap.* 24. Ratio utriusque est, quia omnes tenentur legibus Communitatis, cujus sunt partes; at in priore casu partes non sunt ij, qui jam modico tempore in ea Communitate permanent; sunt in posteriore: Quod dictum est de Missa, dictum esto propter paritatem rationis de faciendis operibus servilibus & de jejunio: remoto tamen scandalo quod in his contingere posset.

11. Quid, si nec majore anni parte, nec una, vel altera nocte, sed per octo, decem, viginti dies ibidem peregrinus commoraturus sit? Respondeo Mihi satis fuit præscribere illos duos terminos, sub quibus certò urget, vel non urget obligatio: cæterùm in casu nunc proposito Joan. Sanc. *n.* 4. *in select. disp.* 54. *n.* 31. citans Thomam Sanchez, aliosque, docet non teneri, dummodo is non maneat, seu non habeat animum ibi manendi per majorem partem anni. Ratio est sæpè dicta: quia peregrini non tenentur legibus loci, per quem transeunt vel in quo per modum hospitij reperiuntur. At Suarez *tom.* 1. *de Rel. tract.* 2. *lib.* 2. *cc.* 14. *n.* 7. aliíque apud Joan. Sanch. citatum; docent teneri, quia secus nimis concederetur peregrino; nam etiam per quatuor, vel quinque menses non temeretur, eo prætextu, quòd ibi non remaneret, seu manere nollet pro majore parte anni.

12. Afferamus aliud oppositum: Si enim contrà, in loco tuæ habitationis sit festum de præcepto, non sit autem in loco, quo per transitum accedis, teneberisne mane ante discessum audire sacrum; Respondeo, Si pridie egrederis à tuo loco, non obligaris. Ita Coninch. *ibid. n.* 109. *fine.* Ratio est, quia exeundo ex loco, ubi aderit præceptum, illúd à te excutis (neque enim leges particulares obligant extra Territorium) etiamsi de industria, ut non audias sacrum, ut non jejunes, ut servilia opera exerceas, ab eo loco discedas: fugis enim sic legitime legis onus, sicuti ij, qui dispensationem petunt, non verò violas. Ita Doctores *passim* apud Castr. *de legibus, tract.* 1. *d.* 1 *part.* 24. §. 5. At difficultas est, si eodem manè, velit quis exire à loco, ubi præceptum urget audiendi sacrum, & in locum, ubi non urget, pervenire. Nonnulli, ut Coninch. *ibid. num.* 106. Suar. *ibid. cap.* 13. *num.* 9. & 10. Basil. Pont. *lib.* 5. *de matrim. cap.* 8. *num.* 6. docent, obligari Missam audire; quia ante profectionem jam erat præcepto astrictus; ergo si ejusmodi obligationi non satisfacit, perveniendo ad locum, ubi non est festum, peccabit, cum suam obligationem non adimpleat. Nonnulli resolúsint, non obligari, etiamsi de industria modo dicto id faciat, dummodo ad locum, ubi non est festum, perveniat anee ultimum sacrum ibi peragendum nempe ante meridiem: Ita Sanchez *loc. cit.* Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8. Salas, Joan. Sadch. quos citat, sequitúrque Castro Pal. *l. c. n* 8. Ratio præcipua est, quia in proprio loco poterat differre auditionem Missæ usque ad meridiem, sit certum est: cùm igitur discesserit, inque illum locum pervenerit intra illud tempus, in quo nulla est obligatio, poterit se illius loci moribus conformare, & à Sacro, ut etiam à jejunio, atque abstinentia servilium se liberare. Vtramque sententiam ut probabilem amplectimur.

13. Si in tuo territorio servatur festum peculiare v.g. S. Rochi, & in alieno territorio servetur aliud festum peculiare, v.g. S. Hyacinthi; si te in alienum hoc territorium, transeúnter ante meridiem transferas, non obligaris probabiliter audire Sacrum. Sic Joan. Sanch. *disp.* 54. *n.* 3. *circa fin.* contra Thom. Sanch. & Granad. *ibid.* cit. quia non ex vi legis tui territorij, si quidem jam existi ab illo, & leges peculiares extra non obligant: nec ex vi legis alieni territorij, quia ibi tu es peregrinus: ergo &c.

14. Vagi, hoc est, qui nullam certam habent habitationem, donec vagi sunt, non tenebuntur audire Missam in festis particularibus Civitatum: Sic Joan. Sanch *ibid. num.* 34. alios citans; quia jam non sunt ibi commorantes per majorem anni partem, juxta dicta *num.* 11. ut supponimus. In festis particularibus, dixit nam in universalibus Ecclesiæ; eos teneri nulla est dubitandi ratio.

*Confessio mortalium Sacramentalis à te facienda.*

15. Aliena dixi, à te, nam si, ut fiat à moribundo confessio, tu Sacerdos omittas Sacrum, si tempus aliud non suppetit, te excusari à Sacro non est dubiũ ex dictis *n.* 8. sicuti nec est dubium, te obligari, si tempus suppetat.

16. Dixi rursus (mortaliter) nam cùm confessio venialium, quò etiam reducuntur mortalia, aliàs absoluta, non sit de præcepto, Missæ autem auditio de præcepto sit, non poterit relinqui Sacrum die festivo, ut illa confiteris.

17. De mortalibus igitur aliàs non absolutis, est quæstio. Et quidem Suar. *tom.* 3. *in* 3. *d.* 88 *sect.* 6. *vers. septimum caput:* neque confessionem hanc, neque concionem putat, esse excusationem aptam ad omittendum Sacrum, etiam

etiam quando occurrit moralis necessitas, ut quando non habetur Confessoris copia, & non habebitur postea, quia Confessarius discedet, sive, quia, pater, vel filius, sive, quia, nolunt, ut filia, vel uxor redeat ad Ecclesiam.

18. Sed certè, sicuti Suario assentior de concione quidquid dicat Angelus, Suar. *l.c.*) quia hæc non est eadem necessitas, ita ab eodem discedo, de confessione mortalium in illa necessitate, non quidem unius, vel alterius diei, sed aliquorum, ea, quæ à me alibi *c.*1. §. *comm.* 6. *n.* 24. dicta sunt in eo casu, quo quis gravia peccata reservatis, nec habet Confessarium potentem ea absoluere.

Ratio nostræ doctrinæ, quam meritò sequitur Bauci, *d. sing. c.* 19. est, Primò, quia, licèt per contritionem possit peccatum, id tamen medium est difficile, & ex altera parte diu permanere in inimicitia Dei, valde est periculosum, cùm, qui à dæmone possidetur, facilè in alia peccata prolabatur, juxta vulgatum illud S. Gregorij: *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, moxsuo pondere ad aliud trahit.* Secundò, quia DD. pro necessitatibus valde hac inferioribus, excusant à Missæ auditione, ut hactenus vidimus: ergo non est hæc, de qua nunc loquimur, improbanda. Tertiò, ex charitate excusamus puellam ab auditione Sacri, ne adolescens illam videns, peccet, & non excusabimus, ut illa ipsa à se peccatum excutiat, divinámque sibi amicitiam recuperare ea nequaquam differat?

## §. III. *Quædam ad hoc præceptum pertinentia.*

### *Vbi:*

### *De Obligatione non ponendi impedimenta ad Sacrum audiendum.*

1. Advertè denique breviter quinque. Primò, eum, qui rationabiliter excusabitur ab assistentia Missæ, non teneri fundere orationem aliquam loco illius.

2. Secundò, omittentem cum culpa Missam die festo, præter mortale, nullam incurrere pœnam.

3. Tertiò, præter Missam in die festo, non adesse obligationem audiendi concionem, vel alterius boni operis faciendi. Ratio horum trium est, quia de his nullum apparet præceptum. Ita Navar. *cap.* 21. *n.* 7. Sylv. *v. Dominica, quæst.* 8. alique.

4. Quartò, docuimus *in opusc.* 3. *de Sacrif. Missæ lib.* 3. *cap.* 6. §. 2. lege item *opusc.* 2. *de comm.* §. 4. *a n.* 37. cum, qui mane diluculo potest audire sacrum, prævidétque non posse sub meridiem, obligari audire diluculo: quia præcepti obligatio tunc jam adest, urgétque toto tempore matutino: id quod nunc recoluisse sat satis.

5. Quintò, quid dicendum est de ponente impedimentum: Potestne quis licitè se in negotium, v.g. aliquod grave implicare, vel in aliquem locum distantem ab Ecclesia discedere, in quo prævidet non posse die festivo Missam audire?

6. Dico primò, posse, tempore à die festo remoto, etiam eo fine, ne audiat, seu ne teneatur audire Sacrum, Ita Castr. *t.* 1. *disp.* 1. *de l.p.* 12. Sanch. *lib.* 1. *in Dec. c.* 15. Merull. *t.* 1. *d.* 4. *de l. dub.* 17. Ratio est, quia tunc præceptum adhuc non obligat, nec est in proximo, ut supponimus. Ergo ponendo etiam cum illa intentione impedimentum, non tam censetur ponere impedimentum executioni præcepti, quàm se eximere à præcepto, seu effugere, ne obligetur ad præceptum; quod quamvis non sit universale in omnibus præceptis, & in omnibus impedimentis, videtur innui de excommunicatione §. 2. *n.* 1. certè admittitur in his præceptis humanis, quæ non cum tanto rigore obligant, ut est præceptum de Missa, de Jejunio, & similibus, & in his impedimentis temporalibus. Non absimili modo, qui exit à loco, ubi est aliqua lex, v.g. Jejunij, & se etiam cum intentione non jejunandi confert ad locum, ubi ea lex non adest; non legem transgreditur, sed legem ipsam à se legitimè sine peccato excutere satagit: Idem evenit in eo, qui dispensationem à lege legitimè petit, exemptionem enim à lege petit, non verò inobservantiam. Idem ergo in casu nostro.

7. Dico secundò, non posse quempiam impedimentum ponere eodem die festo, vel festi proximo, quo posito, non vacet interesse sacro. Ratio est, quia eodem die, vel tempore proximo, quod moraliter, & humano modo ad eundem diem pertinere videtur; urget præceptum, & consequenter obligatur fidelis tollere impedimenta executionis præcepti per se obstantia; qui enim obligatur ad finem, obligatur ad media per se, & proximè necessaria ad illum consequendum; ergo multò magis obligabitur ad illa impedimenta de novo non ponenda: quis enim non censeat, te nolle audire Sacrum, & non obedire præcepto, si eodem die à loco, ubi Missa adest, recedas, atque ad alium, ubi nulla invenienda est Missa, sine necessitate te conferas? Ita nos *Opusc.* 3. *de Sacr. Miss. cap.* 6. §. 1.

De his duobus dictis fusè Diana *p.* 10. *tr.* 14. *resolut.* 11. ad meam sententiam. Loquitur autem ipse de ludente pila, an sic defessus obligetur jejunare? Scio Januarium *p. præsol.* 53. & 54. dicere, si ludo defatigantem, vel pharmacum sine necessitate sumentem in die jejunij, non peccare, non jejunando, etiam ad finem non jejunandi ea suscipiat, scio, inquam, id, sed certè ejus rationes ad libram expensæ probabiles nequaquam apparent.

8. Adhuc tamen vellicat me quidam scrupulus; quantánam propinquitas desideratur, ut judicetur impedimentum esse positum tempore proximo ipsius diei præcepti: atque adeò, ut sic censeatur moraliter esse positum in eodem die, quo urget præceptum, de quo loquimur *in hoc num.* 7. non verò censeatur esse positum antecedenter, de quo *num.* 6. loquuti sumus.

### *Prævisio carentiæ Missæ an obstet venatum ire cupienti?*

9. Id expeditiùs explicabitur, si proposuero casum, de quo olim fuerunt interrogati duo quidam ex nostris Patribus, dum ego in eodem, quo illi, collegio adolescens versarer, mcóque more jam tum omnia ferè similia ad futurum tempus, etiam scripto reservabam. Quidam ex congregatione nobilium selecti adolescentes, ad feras in remoto nemore venandas se egressuros, ut fit, ex compacto decreverunt; quo in nemore opportunitas audiendi sacrum die festo ne quaquam suppetebat. Agebatur autem dies Veneris illius hebdomadæ; & die consequenti iter arripere cùm intenderent, interrogaverunt à Patre sodalitatis Præfecto, an illis id liceret, quandoquidem fore prævidebant, ut die Dominico instanti, in eo loco Ecclesiis remotissimo, Missæ non essent interfuturi? Respondit Pater, sine culpa licere, quia nunc (aiebat) hoc est, die Sabbati, non est in præcepto auditus Missæ; die autem Dominico propter remotam ab Vrbe distantiam, excusatio aderit satis legitima; potestis ergo uti hodie vestra libertate egrediendi, quò libuerit. Profectò, si vobis ad venandum hoc die proficiscendi venia non daretur, nec simili die concederetur voluntario Peregrino posse iter prosequi, vel suscipere; nec mercatori diviti posse navem conscendere, & à portu solvere; nec Dominus nulla necessitate oppressus ad sua prædia diebus festum immediatè præcedentibus se conferre: quæ tamen, & similia Fidelibus interdicere, durum esset, & rigorosum nimis. Hæc ille. Verùm, adolescens quidam ex illis, paulò cæteris religiosior, hujus Patris consilio non acquiescens. Patrem Rectorem ejusdem Collegij, quid de hoc ipse sentiret, interrogavit: qui nequaquam licere respondit. Addidítque rationem quia, quamvis die Sabbati (dicebat) quando paratur profectio, non appareat præceptum; instat tamen, atque in proximo urget, & consequenter adest præceptum moraliter: Nam fac, velle quempiam exire ab Vrbe una hora ante mediam noctem, quæ diem Dominicum præcedit, nullus non illum reum faciet præcepti; quia ita est in proximo tunc præceptum, ut moraliter adesse censeatur: sed etiam moraliter adesse censetur die præcedenti, id est, toto Sabbato: ergo pariter reus erit censendus, si

tunc

tunc exeat. Illi autem iter agentes, mercatores, similésque, certè nec excusari deberent ; communiter tamen excusantur, quia ad obligationem non attendunt, bonáque fide procedunt. De hac Responsione Rectoris admonitô Patre congregationis, versa res est in disputationem, altero negante, concedente altero, qui fatebatur quidem moraliter censeri adesse præceptum illa hora una, vel altera ante mediam noctem, negabat, toto die Sabbati; idque propter sufficientem distantiam à die Dominico, præsertim in hoc præcepto, quod non judicatur tam rigorosè recipiendum; ut ex praxi, qua propter tot capita fideles ab eo excusare consuevimus, perspicuum est. Et hæc quidem illi Patres. Sed cujus sententiæ profecturi juvenes annuerint, ignoro : illa duo scio, & utrumque Patrem probabiliter esse loquutum ; & quænam sit hac in re propinquitas, vel distantia, ex gravitate, & rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis necessitate, utilitate, honestate, & cæteris similibus, judicio prudentis, ut *Opusc. 3. lib. 2. c. 6. §. 1.* fecimus, esse judicandum, Quod quidem judicium, cùm diversum ex variis causis esse soleat, ut fuit in proposito casu ; mirum non est, si frequenter idem casus diversimodè à diversis, probabiliter resolvatur.

## Caput III.

## De Abstinentia ab operibus servilibus die festo.

### §. I. *Quænam sint servilia.*

1. Opera propriè servilia, quæ sub mortali in diebus festivis vetantur, ea sunt, ad quæ deputantur servi, atque exerceri à liberis nequaquam solent, & immediatè in corporis utilitatem fieri, ut plurimùm consueverunt. Ita Suar. *t. 1. de relig. tr. 2. lib. 2. c. 23.* Castr. Pal. *t. 2. d. unica, de observ. fest. p. 5.* Hujus generis sine dubio censentur, arare, fodere, serere, ligna, lapidésve cædere, fabricare, & universaliter opera artium mechanicarum exhibere : liberalia sunt ea, quæ ad artes liberales pertinent, atque à liberis exercentur, & immediatè referri, ut plurimùm solent, ad instruendam mentem, seu ingenium; qualia sunt, dare consilium, concionari, studere, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, choreas agere, de gladiari, vulgò (*schermire*) Bellum gerere, &c. Ita Laym. *lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 6.* citans Molinam, & Besarium. Inveniuntue & alia tertij generis, quæ scilicet sunt servis, & liberis communia, ut iter facere, venari, piscari. Vide tamen quæ dicam *à n. 8.*

2. Jam verò certum sit primò, servilia esse prohibita, liberalia, & communia, non item. Patet ex illo Levit. 23. *Omne opus servile non facies in eo*, quod ab Ecclesia receptum jam est *c. licèt, de feriis.*

3. Certum sit secundò, servilia, tametsi non fiant propter lucrum, esse prohibita; quia adhuc sunt servilia, prohibitio autem non est nisi de ipsis operibus; quare parum facit, an ob lucrum exerceantur, an verò gratis: contrà, tum liberalia, tum communia, si fiant ob lucrum, non propterea prohibitioni sunt obnoxia, (idem si fiant ex officio) quia spes lucri, vel ea facere ex officio, non transferunt opus ex se liberale, in servile, Studere, v. g. sive ob lucrum fiat, sive gratis, suam operis liberalis naturam semper retinet.

4. Certum sit tertiò, si quid facias ob finem moraliter bonum, v. g. ares ad sublevandos pauperes, ad reparandam Ecclesiam, &c. te non extrahere opus servile à suis terminis, & in liberale transmittere. Quamvis enim interdum opera servilia ob talem finem liceant diebus festis, id non est, quia induant rationem operis liberalis; sed ob alias rationes *infrà* expendendas.

5. Certum sit quartò, in hac re maximam habendam esse rationem usus, & consuetudinis : potest enim usus aliquas artes pro servilibus habere, & consequenter eas vetitas esse diebus festis; & contrà. Servitus enim, & ignobilitas operis præmaximè ex existimatione hominum comprobatur. His jactis fundamentis, in illis operibus, quibus aliqua subdubitatio de ipsarum conditione exorta est, tantisper immoremur.

### *Transcribere.*

6. Licet die festo transcribere. Ita Pelliz. *in man. Reg. tr. 5. c. 4. n. 23.* Laym. *lib. 4. tr. 7. c. 2.* Sanch. *c. 2. l. 5. d. 11.* Castr. *l. c. n. 4. & 5.* sive enim gratis, sive ex mercede, sive ex officio, sive alio modo fiat, semper est opus liberale: quia non differt ab ipsa actione scribendi; & Romæ passim copiosè die festo sine scrupulo, suum hoc munus obeunt publicè.

7. Hinc 1. licèt Brevia, & Privilegia transcribere, item libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superpositâ chartâ conglutinatâ; id enim quamvis videatur servile, est tamen accessorium, quando per accidens fit ab ipso corrigente : sicuti etiam Typographo licet characteres ordinare, seu componere; non autem Torculari exprimere, quod certè servile est. Ita Homobonus, & Layman apud Dianam *p. 4. tract. 4. resol. 6.* licèt denique computare mercedem, & illam solvere operariis, rationes dati, & accepti facere, ac transcribere ; non enim hæc sunt servilia. Ex his disce similia.

8. Quid de scribendis, vel exscribendis notis Musicis? Respondeo. Id pertinere ad artem liberalem Musicæ; atque adeò, non esse diebus festis prohibitum, nequaquam ambigo. At lineas iidem notis subjectas, seriò, & per se ducere non permitto: id enim mechanicum quid est, & apparatus ad scribendum, non verò est, scribere; nisi fortè per accidens interdum fiat, quando nimirum eas designare necessarium videatur ad præsentes notas describendas.

### *Pingere, Venari, Piscari, Sculpere.*

8. Concedunt non pauci, die festo imitari, seu retrahere exemplaria, item designare, item fœminis acu eadem exemplaria excipere, item discipulis Pictorum aliquid ad discendum delineare : hæc enim (aiunt, & quidem rectè) ad ingenium exercendum magis, quod est quid liberale; quàm ad operandum referuntur. Ita Castro Pal. *l. c. n. 7.* aliíque apud ipsum; sed de ipsa absoluta pictura idem docere prædicti Doctores nequaquam audent. Breviter arridet mihi sententia Laym. *lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 3.* cui adde Sà *v. Festum, n. 5.* Pelliz. *tract. 5. cap. 4. n. 25.* aliíque apud Castro Pal. *l. c. n. 6.* qui, cùm dixisset, Pictores contendere, suam artem unam esse ex liberalibus; concludit esse probabile, pingere sine magno apparatu licere die festivo: merum enim pingere, liberale est, ipsi scriptioni simillimum : nam perinde color in pictura, ac atramentum in scriptura, ex vase in telam, seu chartam artificiosè deponitur, & quoad operationem ipsam materialem, quæ ab hoc præcepto potissimùm respicitur, & prohibetur; parum facit, quod pictura intendat rerum imagines exprimere, scriptura autem internos conceptus.

9. Sed urget scrupulus: quisnam est ejusmodi magnus apparatus: Puto esse eum, quo conteruntur, seu miscentur colores, edolantur tabulæ, gypso parantur telæ, efformantur penicilli, &c. hæc enim verè famulorum sunt ministeria; & certè idem esset in venatione, vel piscatione: quia quamvis hæ licitè ex se exerceant die festo; tamen, si aliqua intermisceantur propria servorum, non exercebuntur licitè. Ita Layman. *loc. cit. n. 6.* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 222.* lege Castr. *ibid. n. 8.* ubi multi pro hac sententia citantur, Azor. Sà, Bonac. &c. Hujus generis esset reficere ex proposito retia, componere seriò armamenta, escas, hamos, nassas, principaliter compingere; immò, & eadem magna retia, quas *Sciabbicas* vocamus, magno nisu, & piscatorum labore, longo tempore attrahere, & similia. Vide *infrà*, §. 2. *n. 23.*

10. Quid de arte sculptoria? Respondeo certè hanc

hanc esse servilem puto, sive sculpas, statuásque formes marmore, sive gypso, cerâ, cretâ, metallo, vel simili : Ita Castro Pal. *d. disp. 2. p. 3. n. 7.* pertinent enim hæc ad veras artes mechanicas; saltem sic interpretante usu hominum, vera dicta *suprà, n. 5.*

*Iter facere.*

11. Sive id pedibus fiat, sive equo, sive lectica ab hominibus, equisque portata, semper licet, quando etiam omnia itineri necessaria differri possunt: quia sunt itinera necessaria. Ita Castro Pal. *l. c. n. 12.* aliique *ibid.* cit. Bon. *2. dis. prac. d. 5. q. unica, p. 2. n. 25.* Quid de bestiis, ac curribus omnibus? Respondeo. Sententia Suarij *de Rel. t. 1. tr. 2. lib. 2. c. 27.* est, absolutè non licere : quia onera levando, & imponendo, quid servile, & laboriosum est, sive loquamur de Mulionibus, atque Agasonibus ex officio, sive de quibuscunque aliis. Dixi (absolutè) nam propter necessitatem sui itineris, vel propter publicam utilitatem, vel Agasones ex officio cogantur vacare omnibus festis cum suo notabili nocumento, excusabuntur saltêm, quando bona fide ejusmodi iter inceperint.

12. Sed bene advertit Diana *p. 3. tr. 15. res. 36.* quia regulariter ejusmodi labor solet esse modicus ( ecquando enim his duas horas, quæ est, ut dicemus, parvitas temporis in hac re, perdurabit? ) non esse eos sive iter continuent, sive incipiant, de mortali culpa damnandos, audire, & semper Missâ, si aliunde non adsit excusatio.

*Molere. Vbi, de cooperatione cum operibus servilibus Infidelium, vel animalium.*

13. Licétne in diebus festis uti molendinis non solùm aquatilibus, sed etiam iis, quæ animalia solent obvertere? Respondeo, ex necessitate, vel consuetudine, quæ facilè adesse in hoc opere poterit, non est dubium licere. Sed his præcisis puto distinguendum. Nam si cooperari cum his rationis expertibus nullam, vel modicam habet applicationem, licere puto, si notabilem, nequaquam. Ratio est, quia ea applicatio ; seu labor servile opus manifestè continet.

14. Id, ni fallor, docet Sanchez *l. 5. cons. c. 2. d. 13.* cùm enim quærat, an sit licitum in festis molere, afferátque Abulensem *c. 12. Exod. q. 38.* omnino id condemnantem tanquam illicitum, sic distinguendo resolvit : licitum quidem esse in festis molere mola trusatili, id est, mola, quæ circumagitur aqua, vel vento ; non autem pistrino, hoc est, mola, quæ ab animâtibus circumfertur. Ratio est, inquit, quia in pristino habetur magnus labor, & occupatior ; in trusatili minimè. Ex qua doctrina duo colligo. Primò, si in molendinis animantium, quos Siculi *Centimulos* appellamus, molam ducerét aliquod animal, tam bene instructum, ut sine notabili hominis ministerio, suum munus obiter, non fore prohibitum sic molere die festo : siquidem nec animanti id culpæ vertitur, quod est rationis expers, & legibus minimè subditum; neque homini, qui supponitur non notabiliter operari, sicuti non notabiliter idem homo operatur in mola trusatili, ex Sanchez, quando aquæ cursum dumtaxat in molam derivat, vel quid simile modicum laborat. Lege Filliucium, *tr. 17. q. 9. n. 10. n. 109.* qui excusat opus stillandi aliquid simplex, vel mistum, in quo exigua corporis fatigatio impenditur. Quare voce, sibilo, strepitu animal excutere, vel etiam baculo identidem stimulare, videtur modicus labor. Ut non semel adverterim famulum, recitantem devotissimè Coronam Virginis, his centimulis facillimè præsidere potuisse. At sæpiùs esset alligandus, vel solvendus equus, si cùm eodem malè instructo sæpè incedendum esset, si mola obvertenda non rarò foret, & similia; notabilis tunc labor intercederet, & prohibitus.

15. Sed hic insurgit non inutilis difficultas : Si animanti opus servile injungere die festo ex dictis possum, possúmne & infidelibus servis, Mauris, Turcis, Ethnicis, qui Ecclesiæ legibus non subduntur ? Sanchez *l. 1. in Dec. c. 12. num. 18.* promittit se de hac re *in tertio præcepto* tractatum, quod deinde morte præventus in lucem non edidit. Ego autem volui hunc modum conferre cum quodam ex nostris docto, & diligenti Theologo, qui negavit id nobis licere ; nam tunc ille infidelis servus labori incumberet, ut instrumentum nostrum; quare nos convincerentur in nostris servis laborare, adeóque nobis imputaretur servilis ille labor. Institi : At cur eidem Infideli possumus sine peccato subministrare carnes, ab ipso utpotè legi Ecclesiasticæ non subdito, comedendas die, v. g. Veneris? Sic Castr. *tom. 1. d. 1. de lege, p. 24. §. 2. n. 11.* alios citans; Sanch *l. c. n. 14.* aliique, quia (respondit) in commodum suum, & non ut nostrum instrumentum. Instituti tursus, præter alia ; ergo saltem possem Infideli injungere, ut laboraret die festo pro se, & pro commodo suo, concessit ultrò Theologus id posse.

16. Verùm, tametsi ipse infidelis ex se, sive in suum, sive in alienum commodum sine peccato diebus festis valeat laborare, quia non subditus legibus Ecclesiasticis ; Fidelis tamen nunquam eidem poterit, sine culpa ejusmodi laborem injugere. Ratio est, quia prohibitio operum serviliom fundatur in illo Decalogi præcepto, *Sabbata sanctifices* ; at non dicitur quis diem festum more humano, & morali sanctificare, si quamvis ipse quiescat, aliis tamen, ut laborent præcipit. Certè si videris Dominum præcipientem otius servile suis famulis, quamvis in pacatissima sede alias quiescat ; diem festum ab eo coli, & sanctificari nequaquam reputabis: signum igitur est, non solùm nobis immediatè, sed mediante etiam quodcunque alio homine, (non quidem animanti rationis experte, quod magis remotè se ad festi sanctificationem habere potest) laborem servilem diebus festis fuisse prohibitum.

17. Post hæc scripta, inveni hanc nostram sententiam fuisse approbatam ab Antonio Fernandez nostræ Societatis *in instit. conf.* apud Dianam p. 5. tract. 14. res. 7. *Facere* (inquit,) *quòd meum mancipium Maurum laboret die festo non licet : & mancipium quidem per se, vel ex se laborare licitè potest: at in ordine ad me, laborare, me impetrante, non debet.* Hæc ille. In eandem valdè propendet Merolla *tom. 2. d. 4. cap. 2. num. 467.* qui tamen sic concludit : Hæc omnia dicta sint, non omnino affirmando, sed potiùs dubitando. Quoniam verò scio Paulum Laymanti *lib. 1. tract. 4. cap. 9. num. 3.* docere, perpetuò ameritibus fas esse opera servilia diebus festivis imponere, quare idem concessurus esset propter parem, immò majorem rationem Infidelibus, ut in terminis idem concedit Diana *loco cit.* ideo non improbabilis est ea sententia, præsertim, quia rationes nostræ *n. 16.* allatæ ( fateor ) non sunt omnino convincentes. Lege item Januarium *p. p. res. 57.* contendentem solvere argumenta contraria adducta à Merolla, atque affirmantem, licitè nos infantibus, & infidelibus jubere posse opera servilia die festivo, cujus rationes in eo fundantur, quòd ille labor, ut est ab infideli, vel infante, peccaminosus non est, ergo illum ipsis injungere, mihi non est prohibitum.

*Emundare Triticum ad molendum.*

18. Solent famuli, & mulierculæ in nostris regionibus antequam triticum ad molam destinent, illud cribris à crassioribus ramentis, lapillis, hordeo, Loliove purgare, deinde minutiora purgamenta manibus quærere, legere, ac diligenter emundare. Quæsitum sæpè fuit, an hæc duo liceant, præcisa semper necessitate, ac consuetudine, quam certò in his adesse introductum nondum possumus affirmare? Respondi, licitum non esse cribro purgare, (nisi fortè excuset parvitas materiæ, quæ certè facilè hîc adest, cùm per brevi tempore, non modica tritici quantitas cribrari possit. Ratio fuit, quia id est proprium servorum, & ex alia parte id ad ciborum usum, quos parari die festo licere concedemus *infrà*, satis remotum est. At verò frumentum cribro eventilatum, minutiùs manibus expurgare non licere, olim sine hæsitatione putabant; quia militat eadem præcedens ratio : at nunc animi pendeo an liceat; quia modicissimæ

dicissimæ applicationis est ejusmodi occupatio, unde recreationis etiam causa ab honestis fœminis excipi solet; Certè Filliucius modò *n.*14. citatus, excusavit opus distillandi aliquod simplex, vel mixtum, in quod exigua corporis fatigatio impenditur: at exigua etiam impenditur in tritico, per otium emundando. Pari modo *ibid.* excusavimus à mortali, eum, qui molâ bene instructâ præsidet in pistrino; quia hæc modica apparet applicatio, &c. Sed hæc dubitandi causâ sint dumtaxat dicta.

## §. II. *De Causis excusantibus à operando in diebus festis.*

### *Brevitas temporis.*

1. PEr duas horas vacare servilibus non esse mortale, est jam nostra ætate recepta sententia. Ita Diana *p.*2.*tr.*15.*res.*36. & *p.*5.*tr.*5.*res.*8. quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum. Apud Marchantium *q.*1. *c.*3. *d.*2. apud Dian. citat. aliquis dat etiam horas quatuor: Ipse requirit tres ad mortale. Sed his, saltem ob communem sensum Fidelium in contrarium, assentiri non debeo.

2. Notat hîc Sanchez *lib.*1. *in Dec. c.*4. *n.*12. Bonac. *num.*3. non esse mortale, singulis festis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio est, quia unus dies festus non adnectitur cum alio, ad hujus materiæ gravitatem effotmandam. Non absimili modo advertit Bonacina *disp.*5. *de* 3. *Dec. præc. q. un. p.*3. *num.*4. Pellizz. *tr.*5. *man. Reg. c.*4. *sect.*1. *n.*8. aliique, Dominum injungentem laborem duarum horarum, viginti, v.g. famulis simul, non peccaturum mortaliter; quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius: idemque erit, ex Portella *in dub. reg. v. Laborare, in additione*, si singuli successivè per modicam horam in eodem die laborent, etiamsi uno post alterum laborante, totus dies occupetur, quia pari modo unius opus cum alio non connectitur. Contrà, peccabitur mortaliter, si idem in eodem festo, diversis vicibus interpolatis, modicè quidem laboret, sed ita, ut unitim ascendatur ad tempus notabile. Ita Sanch. *in Dec. lib.*1. *c.*4. *n.*8. Portella *in dub. Reg. v. Festi dies, n.*2. *in addit.* quia unc diversa illa parva intervalla violata in eodem die conflant unam notabilem violationem: sicuti, si quis eodem die jejunij per diversa intervalla singulis vicibus modicè comederet; jejunium violaret, quando illa modica unita notabilem facerent comestionem.

### *Divinus cultus.*

3. Opera servilia immediatè, vel propinquè divino cultui servientia, ut crucem deferre, organa, campanásque pulsare, &c. exerceri in festo possunt. Ita Suar. Fag. Bon. Azor, aliique apud Castr. Pal. *tom.*2. *d.*2. *de observation. fest. d. unica, p.*20. *num.*1. quia ex tanta propinquitate cum divino cultu, sufficientem concipiunt liberalitatem: & sanè præceptum hoc, quo divinus cultus attenditur, non debuit ea, quæ proxime ad ipsum cultum faciunt, prohibere. Altaria ornamentis vestire, templum vertere, parietes Ecclesiæ aulæis adornare, conficere Hostias, &c. etiam quando potuissent die non festivo, probabile est culpam non esse mortalem, si die festo fiant; idque propter aliquam cum rebus Sacris propinquitatem. Ita Tolet. *lib.*4. *cap.*25. Suar. *tom.*1. *de Relig. tract.*2. *lib.*2. *cap.*22. *num.*11. At arare, ligna cædere, lapides ferre, etiam ad Ecclesiam ædificandam, &c. nequaquam licet, prætextu, quòd hæc fiant pro Ecclesia; ex Castro Pal. *loc. cit. num.*1. *fine*, Bonac. apud Dianam *p.*3. *tract.*3. *res*8. remotè enim cultum divinum respiciunt, & consequenter non judicantur sanctimoniam, liberalitatemque sufficientem participare, secùs omnes Rustici, omnésque famuli servientes Ecclesiis, non tenerentur servare festa; quod est inauditum, contra Sà *in edit. ione gen. v. Festum. n.*14. ubi sic excusantur laborantes pro loco pio, aut publico, *in expurgata* hoc expulsum fuit.

Quid hac in re fieri ob paupertatem Ecclesiæ liceat, mox dicam *à num.*14.

4. Fagundez *in Eccl. præcepto, lib.*1. *cap.*14. *num.*4. Pelliz. *in man. Reg. tract.*8. *cap.*4. *num.*20. docent præparatas ad processiones licere sine mortali; sed esse tantum veniale, si pridie parari possint; at tabulata ad eandem processionem, v.g. videbam, licèt, si pridie constituta propter oblivionem, vel propter alia legitima impedimenta hoc potuerint, licitè die festo construantur; quia ita concedit & hîc nunc cultus divinus: tamen ex se peccatum mortale esse, scienter differre in diem festum, quia de se talis actio, servilis omnino est, & multum à re sacra distans, & remota; non sic viam parare, id enim est magis conjunctum cum divino cultu, quàm dicta Tabulata compingere.

5. Ex qua doctrina infero. Sepulchra Christi Domini pro hebdomada Sancta, & præsepia ejusdem pro diebus sacri Natalis, & moles artificiosas ad exponendam in iis Divinam Eucharistiam, & Cœnam ad repræsentationem sacram, licitè collocari in Ecclesiis, saltem sine mortali posse die festo; etto cum veniali, si potuissent antea: non posse eadem fabricari, vel arcus triumphales erigi; vel Pyras igneas, & similia construi. Ratio est, quia illa æquiparantur præparationi viarum, cùm habeant aliquam propinquitatem ad res sacras: hæc similia sint tabulari, quæ satis remotè ad res sacras referuntur; semper intellige, præcisa necessitate, quæ facillimè tum in tabulatis, tum in his inveniri potest, quando nimirum, ut modò dixi, non potuerunt die non festivo illa fieri, vel certè, bona fide prævisum id antea non fuit, vel tandem adfuit dispensatio, de qua mox *suo loco*.

Diximus *n.*3. de ornandis Templis, sed quid de iisdem ab ornatu spoliandis? & hoc abstrahendo ab alia necessitate, ut esset notabilis obligatio statim reddendi ornamenta, carentia eorum, qui possent id efficere die sequenti non festivo, &c.

Puto, in hoc casu non posse duci excusationem à cultu sacro, sicuti diximus in casu, quo idem Templum ornatur. Ratio est, quia ornare ad sacrum cultum aliquo tandem modo propinquè pertinet, ut *ibidem* vidimus. At ornatum auferre, non ita, cùm potiùs id dirigatur ad eos ornatus asservandos, quod sacrum quid non est.

### *Necessitas corporalis.*

6. Quia præceptum, de quo agimus, non est interpretandum rigorosè, sed benignè, & moraliter, ut ex ipso Fidelium usu colligimus; ideo quælibet non modica, sed nec necessariò maxima necessitas, excusabit à culpa eum, qui die festivo opera servilia peregerit.

7. Excusat ergo necessitas corporalis propria, vel proximi, vel Rejpublicæ: Hinc pauperi ad se, suósque alendos conceditur (audità Missâ, & sine scandalo, quòd in sequentibus etiam semper intelligitur) arti servili cuique vacare: immò tanta potest urgere necessitas, ut is possit etiam Missam relinquere. Hinc licet cibos sibi coquere, panémque necessarium conficere, ac fructus ad quotidianum usum colligere. Dico (sibi necessarium ad quotidianum usum,) nam præscindendo ab his, quid sit sentiendum, mox *n.*9. afferam. Hinc serere, arare, vindemiam facere, metere, messem colligere, quando est probabile periculum pluviæ, vel alterius impedimenti, omnino licèt. Hinc Sartori, vel cuique licet vestes suere, quando bonâ fide absolvi diebus feriatis non possunt, & eas ad usum expectant, qui suendas dederunt. Hinc Chirurgus, vel Pharmacopola, vel quilibet potest medicamenta componere, vel aliud facere; si tunc infirmus iis indigeat, nec commodè, prudentis judicio, compositio, vel alia quæpiam res transferri, aut præteriri potest. Sit autem ex Suarez *tom.* 1. *de Rel. tract.* 2. *lib.*2. *de diebus festis, cap.*32, *num.* 6. hoc judicium benignius, si agatur de salute proximi, quàm si de tua, quia in tua est periculum amoris proprij; in aliena, facilius à charitate dirigeris: Hinc in solemnitatibus etiam sæcularibus

tribus licet vias parare, & locos pro spectaculis videndis construere: publica enim festa, & publicæ lætitiæ reduntur ad utilitatem Reipublicæ: id quod est aliquantò benignius, quàm quod modò diximus ex Fagundez *n.* 4. Hinc Ferrarij ferreas laminas equorum pedibus imponentes, excusantur ob necessitatem itèr facientium. Sine necessitate igitur hi Ferrarij sunt condemnandi, nisi exigat parvitas laboris: nam id ex se opus est nimis manifestè servile. Hinc excusantur coquentes latere, calcem, vitrumque, quoties vel cum detrimento coctio intermitteretur, vel detrimentum esset, si expectari dies non festi ad coquendū deberent. Hinc ne aliquod damnum notabile quis patiatur, poterit laborare; exemplúmque ponit de famulis, quibus concedimus laborare ob timorem, ne à Dominis dimittantur, & ita cogantur pauperiem pati; quamvis ipsi Domini laborem imgerantes, à culpa neguaquam immunes sint. Advertit denique Suar. *d.cap.11.n.11. fine*, si quando aliqua opera servilia pridie fieri poterant, sive cum culpa, sive sine culpa, tunc non licere fieri posse, si sint necessaria, in die festo; quia tunc jam est casus necessitatis, à novo peccato excusans. Sed remanent enodandæ sequentes difficultates.

*Spes lucri.*

8. An sicuti damni gravis timor nobis concedit opera servilia, sic concedat spes lucri notabilis; an scilicet sicuti ne amittam videmiam, possum die festo eam facere, sic eum possim vacare labori, quo notabile mihi lucrum conquiram? De extraordinario lucro sermonem facimus, nam secùs cuilibet artifici pro mercede diurnâ integrum est laborare, quod ex hoc pretioso capite ei nequaquam conceditur certum est. Respondeo, quamvis Suarez *l.c.c.* 33. *n.* 8. & Castro Pal. *tom.* 2. *d. unica, de Fest. observ. p.* 10. *n.* 3. videatur in sententiam esse negativam; tamen affirmativam sententiam esse probabilem: Ratio est, quia ut notat etiam Diana *part.* 2. *tract.* 15. *Miscell. resol.* 34. *sive*, & Sanchez *in con. lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 19. notabile lucrum amittendum grave est; Adde, non esse existimandum, piam Matrem Ecclesiam velle obligare Fideles ad rem oppido difficillimam, qualis est ob abstinentiam servilium amittere centum, ducentos, mille plures aureos; quod certè consequenter dicendum esset, si semèl probabilitatem nostræ sententiæ denegaveris: Favet denique Pontifex, qui *c. licet, de Feriis*, concessit Halecum piscationem die festo (excipit festa solemnia, sed non sub mortali, ut notat Sanchez *in cons. lib.* 5. *dub.* 20. *n.* 4.) quæ certo anni tempore nostra maria excurrunt: favéntque Doctores Cajet. Navarr. Sotus, alíque apud Sanch. *loc. cit. disc.* 20. *num.* 5. qui ex paritate cum dictis Halecibus, piscationem Tynnorum eodem festo, ne magnum lucrum amittatur, concedunt. Scio hanc concessionem ab aliquibus trahi ad necessitatem, seu utilitatem publicam ne victui communi hæ deficiant, & ab aliis ad dispensationem, nam prout ibid. Pontifex imponit piscatoribus; ut dent aliquam eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ viciniori: verum, ad prædicti lucri necessitatem ab aliis probabiliter illam reduci, nequilam ex præcepto, sed solùm ex consilio dandam esse eleemosynam, etiam scio.

*Panis, cibi, Fructus, &c.*

9. Est ne legitima excusatio panes conficiendi, cibos delicatos parandi, fructus colligendi, animalia ad victum occidendi, domum vertendi? Respondeo, certum esse, has esse actiones serviles; quare si nullam necessitatem importent, non est unde eas per se licere pronuntiemus: solùm consuetudo excusaret, quæ facilè posset introduci in rebus quotidie necessariis, quæque ubi ea servetur. Et certè panem conficiendi, animalia occidendi, fructus colligendi solùm, ut recentiora, & meliora, & cum abundantiâ habeantur, an adsit absoluta consuetudo, non audeo affirmare, cum Doctore Bonac. *3. prac. in dec. d.* 5. *q. unic. p.* 3. Castro Pal. Fagund. *l.c* aliique passim ad aliquam ex supradictis rationibus semper recurrant: Solum Castro Pal. *t.* 2. *disp. unic. de observ. fest. p.* 19. *n.* 3. sic habet: *Parentes cibum, & potum, tametsi superfluum, & ad delectationem, excusantur consuetudine, namque hoc jam est introductum, idque extensum est ad colligendo secundo eodem die, ut faniores, integriores sint, & ad occidenda, & excorianda animalia præcipuè si sit ratio aliqua, qualis est, cibaria non esse ita suavia, si alio die disponantur*, &c. Hæc ille. Vbi vides ab ipso affirmari has actiones concessas jam esse ex consuetudine; nam illud (*præcipuè*) non restringi: sed addit majorem rationem. Non sic loquitur de coquentibus panem; eos enim solùm excusat, si panis coctus non sit sufficiens, si concurrent multæ festivitates, si denique coctus non satis aptus sit. Atque aliquam ex his rationibus requirunt etiam in conficiendo pane, Fagundez, 1. *Eccl. l.* 1. *c.* 11. *n.* 20. Bonacina *l.c. n.* 9. Sanchez *l.* 5. *cons. c. d.* 18. *n.* 4. aliique; ex intelligas, nondum constare, an adsit consuetudo absoluta de pane conficiendo.

10. Illud nota, parare cibos, etiam superfluos pro ordinaria mensa: non improbabiliter doceri à Fagundez *loc. cit. n.* 1. non solùm per consuetudinem, sed per ipsam legem concedi, quia nunquam fuit intentio Ecclesiæ, has tam ordinarias actiones, in præcepto de abstinentia à servilibus comprehendere.

11. Ex his colligo parare pastillos esculentos, quos Itali *Maccharones* appellamus, ut & cæteros ex farina confectos cibos, quos Siculi *Cuscusum, Gnocchittos, Vermicellos* vocamus, & frequentissimo usui habemus, ex se esse opus servile, & consequenter in die festo prohibitum: verùm erit totalis excusatio, si quando opus essent ad publicam abundantiam, vel si quando fierent à privatis, ut eodem die illa usui essent, tunc enim id redueceretur ad proprij victus præparationem: & denique erit excusatio à mortali, si quando una vel altera tantummodo hora in iis conficiendis consumeretur, quæ est excusatio communis à parvitate materiæ.

12. Denique, ut domum verras, excusat persæpe parvitas materiæ, nonnunquam necessaria domus mundities, quam vel prævidere non potuisti, vel bona fide pridie neglexisti. Sic *l.c. n.* 7. nam cæterum, ut dixi, nimis clarè opus id servile est *loc. cit. c.* 11. *n.* 9.

*Barbitonsoris, Sutorisve Officium.*

13. Barbitonsores: Primò, excusantur à parvitate materiæ quando nimirum unum: vel alterum tondent; Ita Azor. Sayr. Navarr. aliíque apud Dian. *p.* 2. *tract.* 15. *res.* 34. Secundò, ex necessitate rusticorum, vel aliorū, quibus non conceditur nisi diebus festis posse; tonderi; sic Sanch. *in cons. lib.* 3. *c.* 2. *d.* 21. *n.* 7. Tertiò, ex consuetudine jam scita, tolerata Prælatorū; de qua; quamvis certi sint aliqui Doctores, aliqui tamèn expresè eam jam esse introductam affirmāt Ita Fernand. apud Dian. *l.c.* Quartò, ex lucro cessante non ordinario: idem *ib.* si enim Barbitonsor diebus festis, suis Parochianis neget suum laborem facilè plerísque relinquetur; cum notabilis lucri jactura; Quæ ultima ratio militat etiam pro Sutoribus, qui nisi calceos novos suis Parochianis imponāt, ab ipsis facili negotio derelinquētur.

*Pauperum sublevatio.*

14. Excusabitúrne quis à peccato, si velit die festo laboribus insistere ad pauperes sublevandos? Respondeo, si necessitas pauperis, vel Ecclesiæ alicujus particularis ita notabilis esset, ut licitè posset ipse laborare, posset, & quilibet tertius: sic Sanch. *l.* 5. *cons. c.* 2. *dub.* 23. tunc enim hic operator est instrumentum ipsius pauperis, vel Ecclesiæ.

15. Verum nodus difficultatis, quoad praxim, est, gradum ejusmodi necessitatis agnoscere. Breviter ex Castro Pal. *t.* 1. *tr.* 6. *d* 2. *de charit. p.* 2. *n.* 1. Necessitas alia est extrema, quando scilicet proximus probabili, & moraliter certo vitæ periculo versatur. Alia gravis, quando

nimirum proximus in periculo moraliter certo existit gravis damni, sive in corpore, sive in honore, sive in bonis; Huc autem pertinet, quando Ecclesia est nimis pauper, ita ut non habeat necessaria ad cultum divinum, vel ad suorum ministrorum sustentationem. Ita Tol. *in sum. l. 4. n. 25. n. 2.* vide Fagund. *1. Eccles. præc. l. 1. cap. 14. n. 5.* alia denique communis, quâ scilicet paupere communiter laborant, cui necessitati potest ipse pauper sive sua, sive alterius ope, licèt cum difficultate, succurrere.

16. Dico jam pro communi non licere pro extrema, & gravi alicujus certi pauperis, vel Ecclesiæ, licere tibi in die festo mechanicis artibus operam dare: in quem diem si incideret præceptum de jejunando, dico te posse licitè etiam tum laborare, & sic à jejunando excusari. Lege Fag. *ib num. 16. 19.* Ratio est, quia festorum, ut & jejunij observatio, præcipitur sub gravi præcepto quod non est probabile vinci posse à qualibet communi proximi necessitate, secùs passim omnes dies festi, & jejunia omnia violarentur, cùm passim ejusmodi necessitates occurrant: at ab extrema, vel gravi vincitur, saltem tacitè Ecclesia consentiente. Certè ex communi sententia, apud Caitr. *tom. 1. tr. de charit. d. 2. p. 9. n. 1.* ad necessitatem extremam proximi subveniendum, licet rem divitis furripere; & ex multùm probabili, etiam ad gravem, ita ut tunc minimè obliget præceptum de furto non committendo; multò ergo magis non obligabit præceptum Ecclesiæ ad abstinentia à servilibus, & à cibis. Ita idem Fag. *l. c n. 6.* citans Suar. Navarr. Toletum, & alios.

17. Ex his collige rationem consilij, quod olim dedi Nobilissimæ, æque ac piissimæ puellæ hîc Panormi. Scisciatâ ea est à me, an diebus festis posset alicubi operi servili suendi, vel vestes phrygias elaborandi vacare, quo post impletum Missæ præceptum otium falleret diei; quem quidem diem aliæ ejusdem conditionis fœminæ in nugis, atque confabulationibus, ut interim alia taceam, vanè consumunt?

18. Dixi sententiam esse Doctorum non ignobilis notæ, licere ad otium vitandum aliquid laborare die festo: Ita Sylvester. *v. Dominica, quæst. 5. conc. 4. marg. 3. præc. f. 12.* Sà *v. Festum num. 6.* Pell. *in man. Reg. tract. 8. cap. 4. fin.* sed id negari verius ab aliis; Ita Sanchez *lib. 1. consil. cap. 2. d. 8 num. 13.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. 4. n. 2. fin.* aliiq; nam aliis viis licitisque operibus provideri otio potest; nec tantum præceptum pro causa tam levi, negligendum est. Excipitur dumtaxat ab iisdem Doctoribus, si quando in otio dæmonis tentatio urgeret, ut labore illo succurri posse tanto malo crederetur, quia certè in eo eventu urgeret boni spiritualis notabilis, gravisq; necessitas. Puellæ hæc responsio nequaquam placuit: tum quia religiosissimæ erat conscientiæ, tum quia non quidem tentationes illas graves in hoc suo otio expertebatur, sed tantummodo molestiam quandam, animique mœstitiam.

Dixi ergo iterum ipsam, immò & ancillas suas quemcunque laborem, audità Missâ, posse suscipere, quo aliquid laborarent, quod pauperi alicui Ecclesiæ, necessariis ornamentis apud cultum divinum pertinentibus, carenti consecrarent, vel quo pauperi alicui peculiari, & extremam, gravémque necessitatem patienti, auxilium præstarent; tunc enim & ab otij tædio se, suásque ancillas subduceret, & Deo ob doctrinam modo allatam ejusmodi servilis labor non displiceret: Nota Lector, me dixisse (alicui peculiari) nam in genere pro Ecclesia, vel paupere laborare; cùm in tali universitate non appareat urgens, gravisque, ac certa necessitas, non posse die festo laborari, rectè advertit Fagundez, *1. & ult. præc. l. 1. cap. 14. n. 19.* Porrò acquievit huic consilio Nobilis puella, non paucis ægrotis summa necessitate constitutis: suo festivo labore per maximam pietatem deinceps alimenta festivè suppeditavit.

*Necessitas Spiritualis.*

19. De hac per occasionem satis sit pauca modò dixisse *n. 18.*

*Absenti ubi celebratur Festum.*

20. Si quis, ex Sanch. Suar. Fill, Navar. aliisque apud Bon. *3. Eccles. tr. disp. 6. q. unic. part. 3. n. 17.* sive casu, sive etiam cum intentione, laboret, exit à loco, ubi agitur dies festus; accedens ad locum; ubi festum non est; ibidem posse cum servilia operari, nec per illam intentionem peccare, & alia simili satis colliguntur ex supradictis, *cap. 3. §. 2. n. 10.* quia nimirum is non transgreditur præceptum, sed utitur jure suo, illius obligationem à se excutiendo; illum locum recole, & satis erit.

*Consuetudo.*

21. Hæc est excusatio communis in omnibus præceptis, & legibus humanis; nam propterea solùm hîc aliquæ consuetudines subdam circa nostram materiam ab Auctoribus approbatas; cæteras quisque exploret in Patria sua, inventásque custodiat.

22. Cajetanus *2. 2. quæst. 122. l. 4.* & Suarez *tom. 1. de Rel. l. 2. cap. 21. n. 3.* cùm docuissent actiones coquendi cibos, alias que; quæ ad præparationem culinæ, mensæque ordinariæ pertinent, esse de servile; addunt consuetudinem tamen eas fecisse jam licitas. Notat insuper Fag. *1. Eccl. p. l. 1. c. 11. n. 19.* fuisse hanc consuetudinem auctam ad parationem ciborum artificialium, atque ad actiones colligendi fructus, occidendi, excoriandique animalia, quando hæc fieri antecedenti die potuerunt.

23. Toletus *in sum. l. 1. cap. 24. d.* Cajetanus *l. c.* Sotus, *lib. 2. de just. q. 4. art. 4.* ajunt venationes, aucupationes, piscationes esse ex se prohibitas die festo, sed jam excusari consuetudine, quæ videtur prævaluisse, scientibus & patientibus Prælatis. Intelligo autem, si hæc fiant sine magno apparatu, ut *§. 1. num. 9.* explicui. Et quamvis Suar. *t. 1. de Relig. lib. 2. c. 28. n. 3.* restringat consuetudinem de piscatione, ad eam, quæ sit flumine; tamen prædicti Doctores citati, *supr. cùm de Pictura, lit...* quibus adde Sanch. *in cons. lib. 5. c. 2. d. 15. n. 2.* loquuntur universim: Et certè, quando sit sine magno apparatu (ut etiam piscari arundine quamvis ob lucrum, eadem videtur esse ratio; sive in fluvio exerceatur, sive in mari.

24. Fagundez *l. c. c. 11. num. 3.* cùm docuisset actionem delineandi imaginem; & lineas ducendi ad illam postea pingendam; esse (in sua sententia; nam in nostra jam diximus *suprà*) opus servile, addit solum excusari posse, vel ex parvitate materiæ, seu temporis, vel ex consuetudine, vel ex eo quòd illud non sit pingere; sed memoriam juvare.

25. Idem *ibid. n. 22.* cum statuisset opus digladiandi esse opus mechanicum, subdit: *Consuetudo tamen hanc actionem fecit licitam, addiscunt enim juvenes artem digladiandi diebus Dominicis, videntibus, & consentientibus Prælatis.*

26. Rodriquez, *in summa, cap. 122. n. 4.* & Navarrus *cons. 1. de festorum observatione*, excusant venditiones Calceorum, ob consuetudinem visam & toleratâ à Prælatis.

27. Castro Pal. *tom. 2. d. 2. de observ. festorum. p. 6. n. 21.* docet usum, quo fiunt aliquæ exercitationes Militares, licere die festivo; tum ratione consuetudinis; tum notabilis necessitas, quia non possunt cómodè aliis diebus fieri.

28. Sanchez. *in cons. l. 5. c. 2. d. 18 n. 12.* sic habet: *Etiam cessante necessitate, ex consuetudine antiquissima sunt licita aliqua minuta, quæ solent facere Agricolæ in vere, dum habent segetes in area, scilicet triturum vertere, extendere, aut separare: & idem est de consuetudine Hortulanorum vigantium olera in die festo, maximè quando in his omnibus interveniat aliqua necessitas: sic docti juniores.*

29. Sanch. *v. Festum n. 5.* sic docet: *Iter agere etiam comitantibus multis onustis supellectili, licet concedente id consuetudine: molendina item, & nundinas excusat consuetudo.*

30. Addam denique, & ego junior consuetudinem illam; quâ omnibus ferè diebus festis à Prandio famuli prædiis inservientes, solent in Sicilia lignatum à Dominis mittijut nimirum singuli suum fascé, certè cum notabilis temporis jactura, colligentes, domum ad communes usus

ferus humeris asportent. Observavi id cùm ruri essem; (rusticari enim me persæpe juvat, & illò otio, quo nunquam minùs otiosus fui, litteris vacare) observavi, inquam, & quæsivi non semel à Dominis, quo jure in die festo præciperent; respondérúntque sic, morem in suis locis convaluisse, ut qui famuli die festo Domini suam comederent, iidem & Domino, ne tota die otio torpescerent, aliquid inservirent: Arrisit excusatio, atque, ubi ejusmodi mos inductus est, non videri condemnandum existimavi.

*Dispensatio.*

31. Si adest causa moraliter certò excusans ab observatione festi, perpensa scilicet solemnitate festi, necessitate operis, cæterisque circumstantiis; Superioris dispensatione opus non est. Ita Azor Sylvester, Suar. aliique quos sequitur, citatque Fagund *p. Eccles. l. 1. c. 14. n. 17.* solùm si publicè sit laborandum, ut vitetur scandalum; petatur dispensatio quæ gratis ex Concil. Trid. *sess. 25. c. 18.* (ut cæteræ omnes dispensationes) dari debet. Si verò nulla adest causa, nec est petenda, nec concedenda dispensatio: quod si concedatur, peccabitur: an valeat tamen detur, mox *n. 37.* docebimus: denique quando prudentis judicio (nam certior regula ad sufficientem causam hac in re dignoscendam, non habetur) talium est, an causa sit sufficienter excusans; tunc enim vera dispensatio concedi potest, quâ impetratâ operi servili, die festivo sine scrupulo vacabitur.

32. Sed quis Superior eam legitimè dabit? Summum Pontificem in festis quibuscunque posse validè, etiam sine causa licèt sine eadem illicitè, dubium ne sit. Ita DD. *cit. & passim.* Illiciténe moraliter, an venialiter? Vnde apud Castro Pal. *tom. 1. tr. 2. disp. 1. 6. p. 8. §. 1. n. 5.* Pontius *lib. 8. de matr. c. 14. n. 4.* Sanchez *lib. 8. de mat. d. 18. n. 7.* atque retractandum *lib. 5. consc. 3. dub. n. 6.* lege eundem Sanch. *de matr. lib. 8. d. 8. n. 4.* similis modo ordinarius in festis, juxta Diœcesano, vel propria consuetudine introductis: Hi autem cum causa ita dispensare possunt in particularibus casibus, quoad festa introducta à jure communi; ut hac non existente, non solùm illicitam, verùm etiam invalidam dispensationem, si attentaverint frustra concedant, cujus rationem trademus *infrà, c. 5. §. 7. à n. 55.*

33. Nomine Ordinarij in hac materia veniunt, ex Fagund. *ibid.* aliique cit. Primò Episcopi, omnésque jurisdictionem Episcopalem exercentes, eorumque Vicarij Generales in spiritualibus, non jam ex Generali Vicariatus concessione, sed ex speciali mandato. Ita Merolla *t. 3. d. 7. cap. 6. dub. 57. n. 146.* Barbosa *de potestate Episcop. p. 3. cap. 34. num. 11.* alios citans Sanch. *de matrim. lib. 2. d. 40. num. 12.* siquidem in Mandato generali non committuntur ea, quæ sapiunt liberalitatem, & gratiam, qualis certè est quæcunque dispensatio. Quod si in generali Vicariatus creatione committi intelligitur dispensatio in denuntiationibus Matrimonij, id propter peculiarem concessionem Tridentini esse, notant Juris Doctores apud Merolli. *ibid. n. 154.* Nam cæterùm, utpotè gratia, mandatum speciale requireret & ipsa.

34. Secundò, veniunt Prælati Regulares, quales sunt Generales, Provinciales, Superiorésque locales, totius Monasterij regimen habentes; semper, quoad suos dumtaxat subditos.

35. Quid, quoad famulos sæculares? De jure nihil circa hos Prælati Regulares hac in re possunt; quia sæculares de Religiosorum jurisdictione spirituali non sunt, ex vi privilegiorum modicissimum quid illis conceditur, quod sic tradit Portella in dub. reg. v. Laborare: Eugenius IV. (orat. 7. in Bull. *Rodrig. lega, & alium Rodriquez in comp. resol. 67. n. 13.*) *concessit, quod sæculares absque peccato possint laborare in nostris Conventibus in die S. Crucis Septembris, in die S. Michaëlis, Sanctorum Innocentium, S. Sylvestri, quando non incidunt in Dominicam. Vide videam Prælati se peccare mortaliter alios, si contra prædictam explicationem invitent, vel patiantur, quod in suis Conventibus sæculares laborent, etiam gratis?* Hæc ille.

Vbi nota. Primò, hoc esse vivæ vocis oraculum; Secundò, propter paritatem cum prædicto festo Sanctæ Crucis, non [illegible] esse, de quonam festo S. Michaëlis sit locutio; de eo quod celebratur mense Septembris, an quod mense Maij? Tertiò, nobis ex Societate *in compend. privil Soc. Iesu*, hoc tantùm privilegium nondum à N. P. Generali communicatum esse.

36. Tertiò, nomine Ordinarij hìc præterea venit Capitulum, Sede vacante; sic Fagundez *l. c.* aliíque, quia hoc succedit in universa jurisdictione Episcopi præmorti, ex Merolla *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. num. 2.* exceptis casibus in jure expressis; non autem in jure invenitur expressum, non posse has dispensationes expedire; idem *ibid. n. 33.* Idem potest Vicarius Generalius ejusdem Capituli, *ibid. num. 34. fine*, sed ex speciali mandato, juxta dicta *n. 33.* de Vicario Episcopi.

Prædictos Episcopos, Prælatos Regulares, Vicariósque posse suas vices dispensandi aliis committere, dicendo: *Si aliter tertius approbaverit causam, is dispenset*, etiam certum videtur: quia, cùm sint ordinarij, vel certè delegari ad universalitatem hujus causæ, poterunt subdelegare. Ita Sanch. *lib. 3. matr. tota d. 31.*

37. Quartò denique, veniunt etiam & Parochi, absente Ordinario: ita Azor. Sylvester, aliíque apud Fagund. *l. c. n. 37.* (putarem, etiam ipso præsente, propter ea, quæ dicam in simili *infrà, cap. 5. §. 6. n. 56.* cum de jejunio) pro casibus occurrentibus, id, quod saltem consuetudine introductum est; ne scilicet desit Parochianis, ad quem in quotidianis dubiis recurrant: Quoniam autem hæc commissio videtur concessa Parochis ad universalitatem hujus causæ, quamvis aliquantum limitata, id est, in occurrentibus casibus; ideo & poterunt eam, modo *n. 36. præcedenti* dicto, alteri subdelegare, ut ex eodem Sanch. *ibi e. n. 4. & 21.* colligi potest.

Nonnulla de hac dispensatione dicetur *infrà, cum de dispensatione jejunij*: nam quæ ibi, quæque hìc dicuntur, invicem sibi lucem pariunt.

38. Superest docere. An Episcopus possit, quando hac in re dispensat, imponere Fideli, ut aliquam elargiatur eleemosynam pauperi Ecclesiæ?

Respondeo: Si causa dispensationis, à festi observantia excusans, est certa, non videtur posse, quia tunc nihil concedit Episcopus: ex se enim Fidelis valet laborare: Si est dubia, satis probabile est, eum posse aliquid moderatum imponere, sic Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de diebus festis, c. 16. n. 4.* Layn. *lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 29.* aliíque; id enim nil aliud est, nisi cultum Deo per observationem festi tribuendum, in aliud bonum opus commutare. Nec rationes in contrarium, quas ex Sanchez *loc. mox citando, n. 9.* adducit Bonacina *tom. 2. d. 1. de legibus, q. 1. p. 3. numer. 23.* in contrarium, tanti sunt momenti, ut non possint facilè solvi quantum faciunt contra præsentem hanc doctrinam: eas; si est otium, apud ipsos lege.

39. Quid, si nulla existente causa excusante, Superior dispenset ad labores die festo suscipiendos solùm, ut fiat aliquod aliud opus bonum à laborante, v. g. ut ab eodem applicetur eleemosyna alicui operi pio, legitimane erit dispensatio? Respondeo affirmativè, si eleemosyna elargienda sit certo pauperi, vel Ecclesiæ, extremè, vel graviter indigentibus, quibus non patet alia via ut succurratur: tunc enim ipsum auxilium tantæ paupertati attribuendum, causam sufficientem gravem affert, ut ex supradictis colligi potest: Verùm, si alia via succurrendi appareat, unde nec extrema, nec gravis necessitas existimetur; non video, cur possit Episcopus in festis jure superiori inductis. Ita Sanch. *l. 3. de matr. d. 10. n. 9. fin.* Ratio est, quia Prælati inferiores nihil possunt in legibus Superioris, nisi, quantum Superior expressè, vel tacitè concepit, ut est communior, & probabilior opinio. Ita Sanc. Suar. Bonac. Guttier. aliique, quos citat: sequitúrque

Castr. *tom.1.tr.3.d.6.de dispens. leg. q.4.n.8.* at nullibi apparet adesse ejusmodi concessionem, ut scilicet nulla existente causa subditos excusante, dubia ne quidem, & solùm ad communes eleemosynas distribuendas, vel ad quodcunque aliud opus bonum faciendum, inferior Pontifice dispenset in legibus iuris communis, qualis est observatio festorum, vel jejuniorum, id enim esse dispensare ex causa; sed commutare ad libitum, atque adeò transcendere limites dictæ concessionis. Dixi autem (in festis jure Superiori inductis) nam de Summo Pontifice in his, vel de Episcopis in festis iure Diœcesano impositis, alia est ratio, de qua *alibi*.

40. Illud approbo, quia in aliquibus Diœcesibus imposita est concedens mulcta pecuniaria laborantibus in die festo; hanc posse, ut favet Sanch. *lib.3. de matr.d.n.10.* probato delicto, & sine fraude exigi; & posse, immò debere (ut monet de omnibus similibus pœnis Tridentinum *sess.25.c.3.de reform.matr.*) locis piis applicari.

41. Cur signatè dictum est (sine fraude?) Quia alicubi (dolens refero; quod vidi) ab Episcopis constituti sunt aliqui Officiales, quibus festorum iura dedit nomen *Festuariorum*, quorum est munus laborantes die festo deprehendere, deferre, ac mulctâ pecuniariâ condemnare. Ex his ergo Festuarii nonnulli nullo rubore, religione nulla, interdum pactum ineunt cum artificibus, camporúmque cultoribus, ut reddant quendam pecuniæ censum quotannis, ne eodem anno ab ipsis Festuariis molestiam patiantur; quo freti pacto, an Opifices, ac Rustici faciliores sint ad frangendam legem, alii judicent. Illud proclamo, & id concedi, vel permitti, & ab ipsis Officialibus id præstari, indignum, scandalosum, pernicioſum esse.

## Caput IV.

## De Actionibus quibusdam non servilibus die Festo prohibitis.

### §. I. *Hæ sunt Mercatus, Placitum, seu Iudicium forense, Iuramentum, Mercatus.*

1. Tripliciter sumitur Mercatus. Primò enim significat universales Nundinas (Italicè *Fiera*) quæ semel, vel bis in anno ad publicum commercium celebrantur. Secundò, Nundinas de quibusdam rebus usualibus, (Italicè *Mercato*) quæ semel in hebdomada ad Oppidi abundantiam sunt institutæ; Tertiò, ipsum actum mercandi; id est, emptionem, venditionémque rerum, *c.1. & ult.de Feriis, l.1.2.3.& ult.c.eodem tit.*

2. Primus jam est in usu etiam in festis: Sic Tolet. Suarez, Fagund. Azor. quos citat, sequitérque Castro Pal. *tom.2.tr.2.d.un. de observ. fest. p.6. n.4.* Secundum video alicubi in die festo non permitti; licèt jam ex consuetudine permitti, dicat Castro Pal. *ibid.* Servetur ergo consuetudo Patriæ. Tertius magna ex parte consuetudine videtur jam permissus, videmus enim (ait idem *ibidem*) operarios sine ullo scrupulo die festo conduci, bona defuncto rum publica voce Præconis vendi, necessaria cibo, & potui venalia fieri, calceósque aliásque res leves emi, ac denique passim fiunt privatæ venditiones, vel locationes solùm propter reverentiam festi non quasi in publico id fit; sed semiclausis officinarum januis: servetur ergo loci consuetudo.

3. Alicubi venduntur per Vrbem publicè Cupedia, & res esculentæ ad populum, & maximè puerorum illectamenta: atque ut id impunè faciant, impetrant vendentes licentiam à Ministris Ecclesiasticis, data eleemosyna. De hac ergo re illud tene, quod paulò *superiùs, c.3. §.2. n.41. cùm de Festuariis egeremus*, habuisti.

### *Placitum.*

4. Placiti nomine comprehenditur omnis strepitus judicialis, id est, citatio partis, formatio processus, seu cognitio causæ, & sententiæ, sententiæque executio in causis omnibus civilibus, & criminalibus, à quocunque fiant iudice, sive Ecclesiastico, sive Sæculari: quæ omnes actiones non solùm sunt, nisi adsit legitima excusatio, illicitæ, sed insuper invalidæ. Ita Laym. *lib.4.tr.7.c.2.n.7.* aliique passim; Fagundez *lib.1. Eccl.præc.à cap.14.* fusè, Castr. item fusè *loco cit.*

5. Puto tamen licere præsentationes facere, institutiones, collocationes, provisiones, & cætera Beneficiorum; quia hæc non afferunt strepitum iudicialem, nam propterea ne putes vetitum esse diebus festis excommunicationem ferre in aliquem; nec multò magis ab illa absolvere; & ea facere, quæ sunt voluntatiæ iurisdictionis, ut est, v.g. expedire dispensationes; quia hæc non requirunt iudicialem causæ cognitionem. Pari modo, si Advocatus Judicem informet, si arbitrator, non ut Judex, amicabilem compositionem statuat, si Judex privatim sententiam postea proferendam scribat, &c. contra observantiam festi, propter eandem rationem non agent.

6. Nec tamen hìc deest causa excusans, nempe necessitas, & pietas. Festis ergo diebus possunt expediri licitè causæ alimentorum, Carceratorum, Pupillorum, Viduarum, & miserabilium personarum: Item causæ, quæ celeritatem requirunt, quia alioquin res peritura sit. Ita Layman. *ibid.* Et Suarez quidem *tom.1. de Relig. tract. 2. l.2. de observ. fest. cap.30. ad fin.* notat latronem de fuga suspectum, posse die festo capi, & in carcerem trudi; item in pagis causas civiles agitari, si aliis profestis diebus rustici nec adesse, nec vocari commodè valent.

7. Qua ratione hic etiam habeat locum parvitas materiæ, vide apud Fagundez *lib.1. Eccles.1. p. præc.c.2.n.8.* & Suarium *l.c.c.31.*

### *Iuramentum.*

8. De hoc satis sit adnotare, quæ compendiosè affert Layman ibi n.8. *Probabile est*, inquit, *quod Caietanus docet, iuramenta in die festo prohibita non esse præter iudicialia. Alia verò negotia, quæ die festo exercentur, ut inaugur. ab Doctorum, Contractus alicuius civilis, etiam iuramento, si opus sit, confirmari poterunt; accessorium enim sequitur suum principale. Quod si* in cap.1. de Feriis, *major prohibitio iuramentis facta fuit, sitibi Textus significare videtur; non est id usu receptum, vel postea abrogatum.*

## Caput V.

## De Jejunio.

1. Non hìc agemus de jejunio naturali, præneceſſario ad Eucharistiæ receptionem, quod abstinentiam à cibo, & potu requirit omnimodam, nec de morali, quo juxta rectæ rationis regulas abstinemus prudenter à dictis: sed de Ecclesiastico, quod Fidelibus præcipitur statis diebus, potéstque describi esse ex Azor. tom.1. lib.7. c.9. de jejun. q.1. *Abstinentia à certò genere ciborum sub unica concessorum comestione, sub meridiem suscipienda.* Abstinentia à carnibus tantùm, cum facultate pluries in die alios cibos comedendi, quæ ab Ecclesia servatur Feria sexta, & Sabbato; vocari quidem solet Jejunium, sed largè.

### §. I. *De qualitate ciborum jejunij.*

### *Abstinentia à carnibus.*

1. Hanc esse de Jejunij essentia, saltem ob universalissimam consuetudinem, firmant communiter Doctores, Ita S. Thom. *q.147. art.8.* Sylvester *v. Iejunium.* Navarr. *c.21.n.1.*, aliique mox citandi; ex quo principio colliguntur sequentia.

2. Primò, Dispensatus ad carnes edendas, liber est à jejunio. Ita Caiet. *in prædictum locum S. Thom.* Fagund. multos referens *præc. Eccl.4. lib.1.c.2.n.6.* quidquid dicat Joan. Medina *Codice de jejunio, quæst.5 d.2. ad finem.* Ratio est, quia ad actionem quampiam quis teneri non

potest

potest si id, quod est de ejus essentia, non obligantur: hinc illi, cui conceditur ob dispensationem carnes, licet eas simul comedere, immò plures, in die se reficere: quia ob obligationem jejunij jam est solutus; ità idem contra eundem. Non placent ergo, qui sentiunt cum Less. *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 6. *fine.* Dispensatum ad carnes ob debilitatem virium, posse non observare jejunium; dispensatum verò ob detrimentum, quod alij cibi viliores ipsi inferunt, obligari ad jejunium: non placent, inquam, nam æque ac jejunij essentiam ponere neutri possunt. Ita Ioan. Sanch. *in sel. disp.* 53. *n.* 1. Illud placet, dispensatum ad comedendas simul duntaxat carnes, licèt possit pluries comedere alios quadragesimales, non tamen pluries easdem carnes; quia præceptum abstinendi à carnibus toto perdurat, dicta idem *ibid. n.* 15. Verùm, cùm dispensat quis aliquem ad carnes (nisi aliquam circumstantiæ contrariâ videatur) intelligitur absolutè, & per totum diem; quare regulariter poterit multoties eas manducare.

3. Secundò, Dispensatus ad carnes, est liber ab abstinentia à lacticiniis, Ita Thom. Sanch. aliique apud eundem Ioan. Sanch. *l. c. n.* 7. Ratio est, quia dispensatus ad majus censetur etiam ad minus in eodem genere.

4. Eodem modo dispensatus, ad carnes eo die, quo ex libito carnes non manducat, non obligatur jejunare; sed licitè potest sæpius comedere: sive dispensatio fuerit circa præceptum, sive circa votum jejunandi. Ita Author Casuum Conf. Bononiensium anni 1638. *casu* 2. *inscr. In verum. vers. Respondeo secundò*, apud Dianam *p.* 9. *tr.* 6. *resp.* 11. Ratio est, quia ab hoc jam ex dispensatione est ablatum jejunium quoad essentiam; ergo ab illo non amplius obstringitur. Aliqui distinguunt, concedúntque prædicta, si dispensatus fuerit qui ad carnes propter vitium debilitatem; At si fuerit dispensatus ex eo, quia cibi quadragesimales sunt illi nocivi, eo die quo carnes non comedit, non poterit jejunium frangere, & pluries comedere; quia hic in tantum posset, in quantum comedit carnes, quæ sunt distinctivæ jejunij; at jam eas non comedit, ergo non habet rationem, unde ad jejunium non teneatur. Ita Thom. Sanch. *l.* 3. *cons. c.* 1. *dub.* 30. *n.* 3. & 4. aliique apud Dian. *l. c.*

Et vi hujus discursus acquiescerem huic distinctioni; verùm ex alio capite fit mihi probabile, in utroque casu ejusmodi dispensatum posse pluries comedere: Ita Henriq. Rodriq. Azor. aliique apud Ioan. Sanch. *in select. d.* 51. *n.* 12. Nam hic fuit dispensatus ad carnes propter eam rationem, quòd cibi quadragesimales sint ipsi notabiliter nocivi; ergo die illo, quo non carnes, sed cibos illos comedit, jam habet in stomacho causam notabilem infirmitatis, nempe dictos nocivos cibos; ergo est liber à jejunio, utpotè infirmus. Quare licèt iterum, iterúmque comedendo quadragesimalia, peccet contra sui charitatem, ut *mox num.* 7. dicemus; non tamen peccabit contra præceptum jejunij.

Quòd si quis dispensetur ex mera liberalitate Pontificis, adhuc puto posse serò comedere quodlibet, si manè pisces comedit. Ratio est, quia si potest serò propter dispensationem, cujus jure die non fruitur, ut etiam ipsi adversarij fatentur: poterit & pisces: cui enim conceditur majus; minus in eodem genere non negatur. Quod ratione licèt Sanchez *lib. c.* 1. *d.* 30. *n.* 6. conetur solvere, tamen nequaquam solvit.

5. Tertiò, qui inadvertentèr in die jejunij non contemnendam carnium quantitatem fortè comedit, si errorem postea advertat, non obligabitur jejunium servare: Ita Basil. Pont. contra Manrique apud Dianam *p.* 9. *tr.* 6. *res.* 28. quia modo non absimili jam habet sufficientem in stomacho nutritionem eodem die sumptam directè incompatibilem jejunio Ecclesiastico, cùm nutritionem essentialiter excludenti.

6. Quartò; dispensatus ad carnes, potest simul comedere pisces: quia nulla lex adest, quæ hæc simul comedere prohibeat: Quòd si saluti noceat, fiet quidem contra temperantiam, non verò contra legem Ecclesiasticam jejunij.

7. At si potes (ait Navarrus) vesci piscibus, injustè fuit tibi concessio carnium. Respondeo: nulla consequentia; fortassè enim pisces simul cum carnibus; vel saltem medica piscium portio, non nocent. Deinde ajo hunc non posse comedere sine detrimento pisces, & propterea scire illi dispensatum fuisse; at ex gulæ irritamento vult pisces etiam addere; peccatum ergo committet contra temperantiam, quod tamen solet communiter esse veniale; non verò contra legem jejunij, quod esset mortaliter.

8. Quintò, Dispensatus ad unum genus carnium, v. g. ad Gallinas, poterit quascunque carnes comedere laridum, farcimen, porcinam, &c. Ratio est, quia una est, & individua omnium carnium prohibitio: quare licèt illa nocumentum valetudini pariant, unde ea comedens peccet contra temperantiam, non tamen peccat contra legem jejunij.

9. Prædicta intelligenda sunt non solum pro legitimè dispensatis à jejunio, verùm etiam pro nobis obligatis, vel quomodocunque excusatis, quales sunt infideles, infantes usque ad septennium, amentes, infirmi; qui omnes, cùm non teneantur abstinere ab esu carnium, non tenentur ad legem jejunij. Obiter tamen recoles, pueros à termino, in quo ratione potiuntur, seu ab ætate septennij usque ad annum vigesimum primum, & senes sexagenarios, teneri ad abstinentiam à carnibus, nisi aliunde excusarentur; quamvis non teneantur ad jejunandum, ut ex universali consuetudine patet. Quare advertis hæc esse duo præcepta dividua: alterum de non comedendis carnibus: alterum de unica comestione: nam propterea non valens propter debilitatem unica comestione contentus esse poterit quidem sæpè comedere in die cibos quadragesimales; at non poterit vesci carnibus, nisi debilitas hoc etiam petat.

Sed quid dicendum de illis, qui prædictis non obligatis carnes ministrant? Respondeo, Infidelibus, ut etiam pueris ante septennium completum, & immò postea, si usum rationis nondum acquisiverunt; poterunt ministrari carnes. Ioan. Sanchez *l. c. n.* 31. quia cùm hi non teneantur Ecclesiæ legibus; cooperatio non est ad actionem contra leges, sicuti enim ipsi licitè illas comedunt, ita & licitè eisdem eæ porriguntur. Idem dic quoad perpetuò, & omnino amentes, idque propter duas rationes: Primò, quia probabile est, hos amentes nullis humanis legibus adstringi; siquidem lex humana nunquam intenditur dari, nisi humano, & rationabili modo viventibus. Secundò, quia ij sunt verè infirmi, cùm cibi quadragesimales, utpotè pravos humores foventes, regulariter noceant amentibus: Quoad amentes in aliqua materia, vel aliqua intervalli luce gaudentes, idem dicendum puto, si non propter primam, certè propter secundam rationem: Ebriis denique nullo pacto concedendum est posse à te die jejunij ministrati carnes. Ita Thom. Sanchez *l.* 1. *in decal. cap.* 12. *num.* 16. *fine.* Ratio est, quia hi sunt per se comprehensi à legibus, nec ab infirmitate aliqua, ut supponimus, excusantur. Et quamvis si ipsi comederent, non peccarent, quia tunc propter turbationem, quam à vino patiuntur, non advertunt; peccarent tamen ministrantes, dum cooperarentur ad comestionem illam materialiter malam.

10. Illud superest: Quorúmnam animalium carnes hic prohibentur? Respondeo, non nisi eorum, quæ communis hominum existimatio, & consuetus usus jam decrevit; habito, semper præ oculis fine Ecclesiæ, quæ propterea prohibet in jejuniis carnes, ut alimenta multùm nutrientia, hominúmque vires admodum reficientia, à Fidelibus excludat: Ita Bonac. *t.* 2. *vult. circa octavum præcept. Decal. q.* 1. *p.* 2. *n.* 1. Trullench. *lib.* 3. *in decal. c.* 2. *d.* 3. *num.* 1. Tamb. *tom.* 2. *de jure Abbatum, d.* 12. *q.* 9. *n.* 9. *in ultima editione.* Certè melior regula dari hac de re non potest: Illa enim, assignat pro prohibitis ea animalia, quæ vivunt extra aquam, & terrestria vocantur, pro concessis, quæ intra aquam degunt, & Aquatilia nominantur, fallax regula est: nam Testudines terræ, & Limaces

maces extra aquam vivunt, & tamen prohibita die jejunij nequaquam sunt.

11. Si fortè appareat nondum nobis cognitum animal ut in orbe novo occurrere facilè potest; incidátque dubitatio, an sit caro prohibita, nécne; recurratur ad finem prohibitionis, & ad similitudinem cum aliis prohibitis; si enim validè nutriat assimilétúrque animantibus nostratibus prohibitis; erit & illud censendum prohibitum, secùs non item.

Novi ego hominem nobilem genere, pietate, ac litteris nobiliorem, qui nescio qua elephantiasi lepra diu vexatus, post multas peritorum consultationes à non illiterato Medico hoc remedium nactus est suæ incurabilis, ut ab aliis censebatur, infirmitatis: ut per annum integrum nullis aliis vesceretur dapibus, nisi præcisis capite, & cauda viperis. Horror fuit id initio attentare variísque, atque exquisitis modis carnes illas condiendas, ut imaginationem suam, nauseamque falleret, curabat sanitatis per omnia appetens ægrotus: Verum, non multo post tempore non horrorem modò deposuit, sed Viperea fercula ita adamavit, ut postquam in pristinam, immò majorem valetudinem, præter multorum expectationem, fuit restitutus, pro deliciis haberet vesci Viperis. Incidit interim ieiunium quadragesimale, nec à viperis undique conquirendis, atque comedendis bona fide bonus vir destitit, donec ab amico semel, qua ratione eas carnes diebus vetitis comederet, interpellatus in scrupulum incidit, séque ab illis eo tempore comedendis (ut erat religiosissimæ conscientiæ) statim abstinuit, quæstionémque, An eæ carnes prohibitæ censendæ essent, nobis Theologis disputandum reliquit.

12. Quid ergo, quæso te, de hac quæstione sentis, docte Lector? Ego ex modo dictis *numero præcedente*, nisi me mea fallit ratiocinatio, colligerem carnes hasce prohibitas nequaquam esse; quia Vipera similior est Anguillis, quæ prohibitæ non sunt, quàm cæteris animalibus prohibitis: exiguæ item nutritionis Viperam esse, cùm sit multùm terrea, atque admodum medicinalis, non improbabiliter conjicio: quare nisi Medicus aliundè ostendat eas esse validæ nutritionis, sicuti sunt cæteræ carnes; prohibitas Viperas non esse puto.

13. Sed quid de partibus dictorum prohibitorum animalium, omnésne sunt prohibitæ? Respondeo omnes, eas nimirum, quæ sunt partes quomodocunque constitutivæ animalis, cartilagines, nervos, sanguinem, &c. quia dum animal prohibetur, non possunt non prohiberi omnes eæ partes, quæ ipsum constituunt. His adde jus ex carnibus ex Sanch. *lib.4. in dec. c.11. n.4.* Bon. *t.2. circa secundum dec. præc. d.4. q.2. p.6. num.23.* jus enim continet partes subtiliores substantiæ carnis, per elixationem eliquatæ.

14. Quæcunque item medulla, laridum, axungia, & quæcunque pinguedo nondum vi ignis liquefacta, inter carnes sunt omnino censenda: quia verè sunt partes ut cumque animalis in omnium hominum conceptu, & non mera, & propria excrementa. Idem in rigore dicendum esset de iisdem liquefactis, quo pacto aliquod illorum vocatur à nostris *Sagimen*, de quo *mox*: quia modica illa liquefactio, mutare naturam substantiæ carnis non potest.

15. Dices at pinguedo, & laridum nondum liquefacta continent quasdam venulas, nervulósque verè carneos, quos non continet Sagimen, cùm ejusmodi partes carnæ virtute ignis, vel expurgentur, vel resideant, vel evaporent: ergo posset dici, pinguedinem esse carnem, non verò Sagimen. Respondeo: propter ejusmodi solas venulas, nervulósque, laridum, & prædictæ pinguedines essent interdictæ: semper excusaretur à mortali, qui ea comederet; quia semper esset parvitas materiæ, in magno cum laridi frusto, proh! quam parvæ modicæque venulæ reperiuntur? Si igitur sub mortali sunt vetita; certè non propter aliud, nisi quia ipsa verè sunt ex se carnes.

16. Dixi autem signatè (in rigore) nam quia modo *num.* 9. dictum est, hac in re existimationem hominum esse maximè attendendam, probabile autem est, sagimen existimari inter carnes; ut item non existimari, sed esse numerandum inter lacticinia; ideo probabilis etiam erit utraque sententia; atque adeò posse recipi in jejunio, & posse ab eodem rejici. Ita multi apud Hent. *lib.7. c.13. n.11.* Ludov. à Cruce *de Bull. Cruc. d.1. cap.5. d.16. num.4.* Diana *p.1. tract.9. res.21.* inclinat Fag. *Eccles. præc.4. lib.1. cap.2. num.26.* aliíque ab iisdem cit.]

17. Superest & aliud: An pluries peccet, qui pluries die jejunij carnibus vescitur?

Duplicem quæstiunculam, hæc una quæstio complectitur: Alteram, An qui per sufficientem distantiam plures carnium manducationes, v. g. manè, meridie, serò facit, plura numero distincta peccata committat? Et certum est, plura committere. Ita Suar. *t.2. de rel. lib.4. c.7. n.2.* & Doctores passim, quia hoc præceptum est negativum, quod obligat semper, & ad semper. Non ita res se habet in præcepto de unica comestione duntaxat faciendà eodem jejunij die; sta Henriq. Tolet. Lay. Filliuc. Suar. aliíque apud Dianam *p.1. tr.9. res.44.* quando enim plenè bis comedisti,, vel semel carnes manducasti, atque adeò jejunium cum culpa fregisti, tertiò, vel quartò, vel deinceps eodem die quadragesimalia comedas, non iterum peccas: quia fracto jam per secundam comestionem, vel per carnium manducationem jejunio, ipsum adimplere non ampliùs potes: ac propterea contra nullam præceptum, quod à te observari possit, operaris.

18. Altera quæstiuncula est; quænam sit censenda continuatio comedendi carnes, ut sic censeatur una comestio, adeóque unicum numero peccatum? Si quis enim initio mensæ comedat ferculum intritum ex carnibus, mox pergat ad tria, quatuórve fercula ex piscibus, denique redeat ad aliud ferculum carneum; dúone numero peccata committi, Confessori ut duo aperienda, an unicum dumtaxat?

Respondeo: in hoc exemplo unicum numero peccatum committi censeo; quia per continuatam comestionem, una est refectio, unáque moraliter transgressio. At si interrumpatur per alia negotia, judicio prudentis viri judicandum erit an, si rectum sit ad iterum comedendum, confletur unica moraliter comedendi, seu se reficiendi actio: Certè si post integram horam redeat quis ad carnes, sive recesserit animo continuandi postea comestionem, sive non continuandi, puto multiplicari peccata, quia tam distans tempus hac in re videtur sufficiens ad moralem multiplicationem: si verò redeat post quadrantem cum dimidio, non ita, propter contrariam rationem. Suadet persuadet paritas ducta ab eo, qui die jejunij surgit è mensa, & deinde post horam, vel semihoram redit: post horam enim puto, quantum est ex hoc capite discontinuationis, fracturum jejunium; post quadrantem, ejusdemque medium, non item: de quare *mox suo loco.*

*Abstinentia à Lacticiniis.*

19. Lacticiniorum nomine veniunt, Lac, Caseus, Butyrum, similiáque ex lacte conflata, atque ova, & etiam illa, quæ vocant *Non nata*; nec solùm ea, quæ tenero albumine sunt circumvoluta, sed etiam, quæ solum continent vitellum; omnia enim sunt ipsa substantia ovorum, licèt magis, minúsve completa, excludimus tamen nervorum illum racemum, & unde hæc ova pendent, is enim totus est carneus. An sagimen sit inter lacticinia connumerandum, vidimus modò *num.6.*

Dispensatum autem ad unum ex his, dispensari etiam ad omnia, certum esto, cum Trull. *lib.3. in dec. cap.1. dub.2. num.9.* Lezana *in summa. v. Ieiunium, n.11.* aliíque: quia sunt in eodem genere, & pro uno, eodémque sumuntur; ut in simili diximus de diversitate carnium, modò *n.7.*

20. Porrò controversia est, an ejusmodi lacticinia sint in jejuniis prohibita? Si loquamur de jejuniis infra annum, Vigiliarum nimirum, vel quatuor Temporum, probabile est non esse jure interdicta: quia, ut rectè

advertit

tentiis Vasquez *p.1.tom.2. disp.177.cap.5.n.54.* Idémque docent Reginaldus, Villalobos, Thom. Sanchez apud Dianam *p.2.tr.9.resol.41.* id præceptum nullibi appare.

21. Quid de consuetudine: In Hispaniis, & consequenter ubi evulgatur Bulla Cruciatæ, consuetudinem abstinendi à lacticiniis in prædictis jejuniis non adesse, merito docet idem Vasquez: quia, cùm ibi major fidelium pars abhinc quadraginta annis sumat Bullam, comedat-que lacticinia, allegari non potest consuetudo contra lacticinia.

Dices: at si non sumerent Bullam, abstinerent à lacticiniis. Audio, sed consuetudo non ex agendis, sed ex actis consurgere legitimè debet. Ita Ioan. Sanchez *in sel. disp.19.*

22. In quibusdam locis extra Hispaniam, lego nec esse ejusmodi contra lacticinia consuetudinem: addunt tamen non ignobiles Doctores, etiamsi adesset, non obligare fideles saltem ad mortale: ita Henriquez, Villalob. utergue Sanchez, Portella, aliique apud Dianam *part.1.tract.9. resol.41. & resol.5. cap.6.* quibus adde Escobar. *part.3. de poen. c.3.* quia non constat esse introductam scienter, & animo se mortaliter obligandi, sed potiùs ex ignorantia, quia crediderunt simpliciores, se esse à jure obligatos; ita Salas, aliique apud Ioan. Sanchez *d.51.n.19.* Incerta ergo est, & anceps obligatio prævalet contra illam fidelium libertas, quæ est certa, nec ab ullo jure; ut vidimus, lata: cùm in dubio lex non sit censenda obligare, ex Suario *lib.7. de legibus cap.1.n.13.* Castro Palao *tom.2. d.2.p.2.§.3.n.13.* Merolla *tom.3. c.3. d.2.n.3.* & aliis.

23. Si verò loquamur de jejuniis Quadragesimæ, quæ sunt solemniora, & strictiora, major est, & convenientior difficultas: Nihilominus, quòd neque pro quadragesima adsit in jure, saltem rigorosa prohibitio, inde nonnulli probant. Ita Paginus *prac. Eccles. 4. lib. 1. cap.2.n.11. in editione Lugdun. anno 1632.* afferens Doctores Conimbricenses, Eboracenses Salmanticenses, quia in jure, ubi est de quadragesima locutio, solùm sic habetur c. denique, dist. 4. *Par est, ut ab iis, quæ fermentinam in carnibus originem trahunt* (sic vocantur in jure lacticinia.) *abstineamus.* Vbi Glossa: *Par, id est, æquum, & justum.* Lege Baronium *tom.8. ann.622.* Explicate autem illud (par est) quasi sit sensus, par debere esse præceptum de carnibus, & lacticiniis, est nimis negligere vocis latinæ significationem; *par* enim *est*, significat æquum est, convenientem est: non verò, par præceptum est: Dixi (solùm) quia alium textum de prohibitione lacticiniorum non invenies in jure; quidam enim alius, qui affertur *ex Canone 56. Trullano sexto Synodi*, nullius est authoritatis: cùm illos Canones ediderint peculiares quidam Episcopi, nec omnino Catholici: ut constat ex eo, quòd asserant Ecclesiam Constantinopolitanam esse supra Romanam Azor *p.1. lib.1.c.16.*

24. Sed quid de consuetudine obligante: Respondeo eam nequaquam adesse, videntur probare modò dicta num. 21. de consuetudine extra quadragesimam: æquè enim utrumque persuadent.

Quid ego tandem sentiam, noli à me expectare, amice Lector, donec clarior declaratio Summi Pontificis accedat, vel firmior usus Fidelium alterutram sententiam amplectatur.

25. Ex eo, quod *num.* 20. dictum est, jejunia intra annum admittere in jure lacticinia, sequitur dispensatum ad lacticinia teneri ad jejunandum: quia cùm in jure stet jejunium cum lacticiniis, poterit, atque adeò debebit illud servari, ad quod non se extendit dispensatio. Inde etiam infertur, per jejunium cum iisdem exhibitum posse quempiam lucrari Iubilæum, uti etiam satisfacere Voto, & pœnitentiæ Sacramentali, nisi ex circumstantiis contrarium conjiciatur: Ita Azor. *part.1. lib.7. cap.10. question.2.* aliique contra Navarrum *cons.5. de observ. jejuniorum.* Ratio est eadem, quia jejunium Ecclesiasticum est.

26. Inquires: Dominicæ infra quadragesimum occurrentes admittúntne usum lacticiniorum, more Vigiliarum intra annum, an verò repellant ad modum Feriarum in isius quadragesimæ Respondeo: ex communiore sententia repellunt. Ita Dana *p.3. tract.6. resol.80.* Trull. *lib.3. in Decal. c.1. dub. 20.n.3.* Diana *in summa, v. Iejunium, n.3.* Idem Sanchez *in sel. d.51.n.25.*

27. At per Bullam Cruciatæ, Sacerdotes Religiosos securè posse in dictis Dominicis lacticinia comedere, puto: Ita Palatius, Corduba, Hunnus, Llamas, Villalobos, Diana, Ludovicus à Cruce, quos citat, sequitúrque Pasqualicus *de Iejunio, dec. 73. num.4.* Ratio est, quia in Bulla Latina, cùm est locutio de Sacerdotibus, & Religiosis, signatè dicitur, eos non posse licitè comedere lacticinia in diebus ejunij, At dies Dominici, dies jejunij nequaquam sunt.

28. Dices: in Bulla vulgari, que solet publicari à commissario Cruciatæ, non dicitur *in diebus jejunij*, sed *in diebus quadragesimæ*: at dies Dominici, de quibus loquimur, dies sunt quadragesimæ. Respondeo: cùm Commissarius minimè gaudeat facultate mutandi substantialia Bullæ, credendum est, cum nomine dierum quadragesimæ, quod ponit in Bulla vulgari, intelligere dies jejuniorum quadragesimæ: & quidem meritò: nam dies Dominici sunt altra dies quadraginta, qui dies propriè sunt Quadragesimæ. Responsio ipsius Pontificis, qui contrarium decrevisse à nonnullis apud Rodr. *in Bulla Cruc. §.8. dub.1.* affertur, eodem eliditur modo, quo *n. præc.* diximus in simili, nimirum de ea responsione authenticè nequaquam constare.

## §. II. *De unica comestione in die jejunij.*

1. COmestionem unicam esse de substantia jejunij *supra* diximus; unde *num.17.* intulimus per tertiam, quartamve, vel aliam comestionem non frangi jejunium, quia jam fractum irreparabiliter fuit per secundam. Contrà, certum est frangi, si pluries eodem die cibus in parvitate materiæ ultra unicam refectionem sumatur; quia ex pluribus parvis sit una notabilis comestio. Ita Merolla *tom.1.d.2.c.4.dub.9.n.215.* & passim.

### *Lac, Ius, Vinum, Mustum, Cervisia, Aqua condita.*

2. Vnicam comestionem diximus, non, unicam potationem: hanc enim pluries in jejunio adhibere nullo jure prohibetur, cùm in die jejunij prohibeatur solùm nutritio, delectatio gulæ, ut provenientes ex cibo: non verò ut ex potu procedentes. Ita S. Thom. 2. 2. *q.147. art.6.* Azor. *part.1. lib.7. cap.10. quæst.7.* Sanch. *in consiliis lib.5.c.1.dub.23.n.2.* aliique passim.

3. Verus autem potus in eo consistit, quòd adhibeatur ad vehiculum cibi, seu alimenti, & verè talis sit: non enim sufficit, quòd tu ad talem finem assumas, nisi etiam res ejusmodi sit; ut per se, & naturâ suâ adjuvet ad eliexandum, vehendúmque alimentum, non verò sit alimentum: secùs Gallina distillata potus esset, quia liquida, quia sedat fortasse sitim, quia ad finem vehendi per venas cetera alimenta, à te posset assumi.

4. Hinc non licet intra diem jejunij ebibere Ale, vel jus: sed licet bibere vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel eodem vino distillatas. Ita Anton. de Leon. *in q. chocolata, p.2. §.1.* etiam de manè, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunij: quia illa in usu communi cibi sunt; hæc autem etiam cum prædictis circumstantiis verè sunt potus. Ita Laym. *lib.4. tr.8. c.1. n.7.* Sanch. *l.c. n.4.* Dian. *p.1. tract.9. res. 23.* Lezzan. *v. Iejunium, n.2.* Fag. *Eccles. præcept.4. lib.2. c.4.n.14. in edit. Lugdun. anno 1632.*

5. Idem puto de aqua saccaro, citro, gelsiminis, anito, aromatibúsve conditâ, eo modo, quo nostra ætate usui Proceribus sunt: tum quia modica est quantitas saccari, vel aliarum rerum, quæ in ea aqua intermiscentur: tum quia illa apponuntur per modum medicinæ, ne sola aqua stomacho noceat: tum præcipuè, quia assumuntur in veram potationem, & in verum alimenti

vehiculum,& verè tales sunt : on vero in comestionem vel per se in nutritionem.

6. Contrarius videtur Sanchez *in consil. libes. c. 1. dub. 23. n. 1.* sed fortasse loquitur in casu, uo ita intermisceatur magna quantitas substantialis, cibi at extrahantur à natura potionis.

*Sapa, Acetum, Oleum, & similia Condimenta*

Præscindendo à parvitat materiæ, quæ semper in his usu venire solet, hæc ex se jejunium frangunt. Id quod certum omnino sit, quia non ad potum, sed ad cibum pertinent. Vnde fit, ut si jentaculo V. pertino illa adhibeas in die Iejunij, non quidem extra octo Vncias, quibus constare illud posse dicemus *infeius* : sed extra illas computari debeant, cibi enim sunt quoad substantiam : & ad modum item cibi assumuntur.

*Vua, Mala Massilica, Medica, Aurea, Punica, & similia.*

7. Ne idem de Vua sentias, quod de Vino; hæc enim frangit omnino jejunium, cùm non sit potus, sed cibus, Dices, At Vua sumi potest ad sedandam sitim, perinde ac potus. Rursus in illa nihil aliud continetur, quod nutriat, nisi ipse liquor inclusus in cortice, qui non est nisi Vinum, vel Mustum, à quo jejunium non violatur. Respondeo, esto sumatur ad sitim extinguendam, esto, nil aliud in illa cõtineatur, nisi ipse liquor, quod nostrum non est disputare esto, tu succum dumtaxat sugas, cætera ab ore projicias, satis illa à nonis excluditur ex eo, quòd, ut sic, assumatur: per veram comestionem, & non in alimenti vehiculum, cùm vinum, vel Mustum ab ipsa expressum, per veram & usualem potatione ebibatur.

8. Quod dixi de Vua, de cæteris fructibus dictum volo v.g. de Malis Massilicis, Medicis, Aureis, Punicis, &c. Italicè *Limoni, Aranci, & ogni Granati*; eadem enim est, ac de Vuis ratio.

*Cocholata.*

9. Cocholata Indis, Hispanisque jam diu, Italis verò dudum valdè familiaris, an sit vera potio, ac propterea in jejuniis extra refectionem admitti possit; vulgaris est nostra ætate, ac celebris quæstio ?

Puto non esse veram potionem, sed cibum, atque adeò frangere jejunium : Ita Anton. de Leone *in erudita disc. de cocholat. per totam*, Trull. *lib. 3. in dec. cap. 2. dub. 2. n. 15.* Diana. *p. 4. tract. 4. res.* 194. & clariùs *p. 9. tr. 5. res.* 11. Ioannes Cardines Medicus apud eundem de Leone *in advertentiis, cap. 9.* Ratio ut mihi videtur efficax; sic formatur, discernendo, quibusnam animantibus uti in jejuniis liceat, rursus quænam vera sit potio, quæ comestio? Diximus in Superioribus attendendum esse usum, existimationémque communem; non quidem solam, sed ita fundatam, ut non declinet à fine, & intentione Ecclesiæ jejunium præcipientis: At cocholata fini Ecclesiæ jejuniũ præcipientis omnino adversatur: ergo &c. Minor probatur; quia finis Ecclesiæ est prohibere extra unicam refectionẽ, cibos ex se nutritivos, solúmque concedere veram potionem distributioni alimenti servientem: at Cocholata componitur ex cibis multùm substantialibus, & nutritivis, nec per se ordinatis ad vehendum, distribuendúmque per venas alimentum ; nam propterea manè, & serò jejunio ventriculo sumi consuevit: ergo, &c. *loc. cit.* de Leone, & Cardines.

10. Semel ego Virum nobilem mihi familiaritate conjunctum convesci manè diluculo, cum eo negotia quædã collaturus. Cúmque primo ipso ingressu observasse ejus vultum insolenti pallore suffusum, macilentum, cadaverique per similem; interrogavi, ut fit, de ejus valetudine. Is, infirmè satis se habere subtremula voce, respondit, méque eramanter rogavit, ut post mediam horam reverterem. Parui, jvi, redivi. Mirum! advertì ejus faciem pristino colori restitutam, oculos hilares, vocem validam: ex morte in vitam jam rediisse non gratis dixisses, Quare me cohibere non potui, quominus exclamarem. Deo, superisque sint gratiæ! Bene, immò optimè valere gratemor Dominationem vestram? Vndenam tam subita ac tanta virium refectio? Subridens respondit amicus: Ne mirere, Pater amantissime; modò enim Cocholatæ potionem assumpsi, quæ miraculi instar colorem, vires, vitam ferè in instanti mihi parere consuevit: Deus immortalis! Hanc meram potionẽ, non verò validam comestionem, Iejunii fini ex diametro oppositam appellaveris ?

11. Anton. de Leon. *l. c. p. 3. n. 20.* ex parvitate materiæ excusat à mortali adhibentem mediam unciam Cocholatæ, & Escobar *t. 1. exam. 3. c. 3.* unam unciam cum sufficienti aqua. Id mihi propter duas rationes nequaquam arridet. Primò, quia ad generalem quæstionem de omnibus cibis in modica quantitate sumptis, hoc modo præsentem difficultatem extorques. Secundò, qua ad dignoscendum, an res modica in aliqua materia, semper est recurrendum ad finem prohibitionis, ut *sup. lib. 1. cap. 1. §. 3.* fusè docuimus: at certè media uncia Cocholatæ, valde nocet fini intento ab Ecclesia in jejunio; siquidem media ejusmodi potionis uncia multùm, ac validè nutrit, & ut audio plusquam sex unciæ alterius cibi valdè nutrientis ; ergo minùs rectè hac in re parvitatem dimetiris : Posses ad eundem modum unam, vel alteram unciã ex vitellis ovorum cum modicissimo saccari, frustulo aquæ ebullienti immiscere, ( nam sic pultem non ingratam palato conflabis) illámque sive mortali absumere inverdiu, cùm jejunas, quia Bulla Cruciatæ gaudes, quantum ad qualitatem ovorum, & quantum ad quantitatem, nil, nisi modicum comedi : cùm enim ova non sint perinde nutritiva : ac Cocholata, videbitur sibi esse parvitas materiæ, una, vel altera eorum uncia : sive item posses magnum piscem in patvam potionem distillatum sumere, & similia. Apage hæc: siquidem in ordine ad finem nutriendi, modica illa nequaquam sunt, sed notabilia satis.

12. Pro Cocholata, quasi jejunium non frangat, afferuntur ab aliquibus, Turrianus, *in summa, p. 1. c. 556. dub. 24. Bonac. q. 4. & 7.* Lezana. *v. Iejunium, n. 2.* Diana *p. 4. tr. 4. res.* 194. *& part. 5. tr. 5. res.* 11. Sed Turrianus loquitur de pura Cocholata, cui jam mistæ cum aliis cibis ad nos semper adducatur; & ad parvitatem materiæ videtur se reducere. Ita Anton. de Leone *in disp. c.* Lezana clarè sentit nobiscum : solùm affert, sed non reprobat contrariam : Diana satis dubitativè loquitur *in quarta parte* : quósque nominat Theologos pro Cocholate, nominat tantummodo ex auditu alterius: & *in quinta parte*, re meliùs fortasse perpensa, stat manifestè pronostræ sententiæ. Tandem invenio Escobar. *in sum. tr. 1. exam. 13. cap. 5.* qui etiam ad parvitatem confugere videtur : sic enim habet : *Aliquando dixi pro potu haberi Cocholatam : at magis authoritati inhærens, quam rationi, Potum esse assero : sed non uti condit abusus, sed quemadmodum potio ab Indis in Hispaniam pervenit : Vnde Cocholate olvis., aut lacte conditum, potus non est : sed cibus substantialissimus. Item hujusmodi potio admodum crassa, in notabili quantitate jejunium violat. Verum Cocholate liquidum adeo, ut unicæ potioni uncia una adhibeatur saccaro necessario ; potus est, & absque scrupulo absumi. potest.* Hæc ille, ubi notat primo illuc ( *ut ab indis in Hispaniam pervenit* ) unde igitur tibi fides, an tua Cocholata sit pura, an mista ? Secundò, nec unam unciam Cocholatæ esse admittendam, jam modò *numero præcedenti* dictum est.

13. Quæ hactenus de Cocholata disputavi, vera mihi videntur propter rationes intrinsecas: Cæterum, quia video viros pios, religiosos, ac doctos putare eam, prout in Hispania, & Romæ est nunc in usu, esse usualem potionem, nec violare jejunium; nolo ( idque propter authoritatem extrinsecam ) hanc sententiam à probabilitatis, securitatisque finibus repellere. Enarravit mihi vir nostræ Societatis omni fide dignus, Eminentissimum Joannem de Lugo, antequam ad sacram purpuram esset ascitus ; dum scilicet Theologiam in Romano

mano Collegio profiteretur, ita facerè respondisse cui dam Sacerdoti ab eo scisciranti, an Chocholata jejunium frangeret: *Qui eam usurpant, nequaquam frangere asserunt: frangere contendunt, qui ab ea se contineant: ego verò inter usurpantes sim, ne utiquam jejunium violare protestor*: Hæc ille. Si ergo vir adeò doctus, ac pius, tantâ quæ authoritate præstans, sic diserès verbis edisserit; qua ratione cum non probabiliter loqui, agere, valet quispiam suscipiari?

Post hæc scripta legi *Tractatum Thomæ Hurtadi, de potione Chocholata, p. 2. mor. tract.* 10. acriter defendentis, & quidem eruditè, eam jejunium nequaquam frangere. Si id otium, illum lege.

*Arundines Mellitæ.*

14. In pluribus nostræ Siciliæ campis Mellitæ arundines educantur, ex quibus magno artificio, nec minori lucro extrahi; congelarique Saccarum solet. Solent & incolæ eas interdiu per fruticula cultrò incisas, recreationis gratiâ, quasi cupedias sugere, seu, ut veriùs loquar, dentibus mandere, & atterere, earúmque succum palato gratissimum, expulsis interim ab ore pargamentis, degustando trajicere: Nil vulgarius apud summos, medios, infimos, quare sæpe in disputationem ducta est quæstio, an jejunium illæ dissolvant? Et dissolvere quidem, si in magna quantitate sugantur, conveniunt nostrates Theologi: est enim ille succus maximè nutritiuus, alitque non modicè, cùm sit ipsa saccari mera substantia: sed illud audivi, P. Bernardinum Piccinum Societ. Nostræ, quem Natura, & sancti Spiritus peculiaris gratia magnum hominem fecit, & sapientem, cùm casus ad conscientiam pertinentes hic explicaret Panormi, docuisse, duarum ex his arundinibus trajectum succum non esse contra jejunium, nisi materiæ parvitatem. Assentior libens: ac ratio esse posset, quia humor, sive ex parvis, sive ex magnis duabus hisce cànis in stomacum deglutitus, vix ad duas uncias pertingit: hanc autem quoad violandum jejunium esse in communibus cibis quadragesimalibus parvitatem materiæ, docet Turrianus *in sum. p. 1. c. 256. d. 27. n. 2.* & nos infrà videbimus.

*Protractio Refectionis.*

15. Si quis in unica sua comestione, quacunque ex causa, insumat unam, vel alteram horam, non frangit jejunium: quia continuat eandem refectionem, quæ moraliter unica tandem est. Ita Fagund. *præc. Eccl. 4. lib. 1. c. 3. n. 5.* Si in aliquo solemni convivio eam quis protraheret in tempus multùm notabile, verbi gratia, à meridie ad Vesperam usque, ut audio protrahi alicubi, etiam usque ad noctem, jejunium ne servabitur?

Respondeo. Dixit quidam, si id apud nos fiat, jejunium nequaquam servari; servari autem, si fiat in locis, ubi id fieri consuevit: quia ab Ecclesia (ajebat) præcipitur unica comestio secundùm consuetudinem regionis; at ibi tam producta comestio, unica est secundùm morem patriæ; non verò apud nos. Hæc distinctio non placet ubique enim jejunium Ecclesiasticum non servatur; quidem Ecclesia unicam in die comestionem præcepit: illa autem longa refectio, multiplex virtute est, & multiplici comestioni verè æquivalet; unde nullo modo est apta ad præceptum Ecclesiæ servandum. Tunc jejunium dixi celebrasse eum dices, qui diem totum, vel ejus majorem partem in convivio, & compotatione protraxit? Tu quidem id dices, non ego.

*Interruptio.*

16. Me ad satietatem refeci. Quanto post tempore, plicato, v. g. linteolo, possum sine violatione jejunij aliquid addere meæ refectioni? vel quanto tempore ante, ndum, v. g. eodem explicato, possùm aliquid præguare? Respondeo: quantum judicio morali satis est, ne interrumpatur unitas refectionis, hoc est, ne distrahatur unica comestio ad constituendam secundam. Ita colligo ex Sanch. *in cons. lib. 5. c. 1. d. 24. n. 5.* Quadrantem unum cum dimidio, innui *suprà* non afferre moralem interruptionem, etiamsi animo destinaveris nil amplius comedere, quia dum adhuc remanet unitas moralis comestionis, illam voluntatem mutare, culpa non est: Ratio, curplus temporis admittendum non sit, ea est: quia secundum moralem, communémque hominem existimationem in hoc casu, ubi nulla necessitas excusat; eæ refectiones non erunt unica comestio, sed plures.

17. Sed quid, si propter aliquam causam v. g. propter negotium aliquod, interrumpat quis comestionem, quando nondum plena habita est refectio? Respondeo: Huic propter dictam necessitatem aliquid longioris temporis indulgerem: nempe horam: ita Sanch. *ibi. n. 1.* alter Sanch. duas horas concedit *disp. 52. n. 4.* quando animo redeundi facta est interruptio; multò magis si animo redeundi interruptio facta sit: hinc infert Thomas Sanchez *ibid. n. 2. & 3.* Lectores ad mensam, imm ediatè ante lectionem aliquid comedere posse, ut item famulos, quando Domino comedenti inserviunt: propter necessitatem enim refectionem, quam post unam circiter horam perfecturi sint. Simile quid licet Mercenariis, qui dum ad mensam sedent, vocantur ad merces vertendas; hæc enim artis necessitas facit, ut illæ semiplenæ refectiones per moram unius horæ, plus minus, interruptæ, animo præsertim redeundi, unicam moraliter constituant. Duas horas concedit Sanchez, sed nimis id esse putat Escobar *tract. 1. exam. 13. de jejun. c. 3.*

18. Audivi asserentem, posse refectionem propter aliquod negotium interrumpi à meridie etiam usque ad vesperas; illæ enim (ajebat) semiplenæ comestiones uniuntur per intentionem unicam volentis serò ad sibi debitam refectionem redire: sed nimis id amplè dictum est: Cùm enim jam penè digesta sint alimenta sub meridiem assumpta, nequit unicam refectionem vespertina refectio conflare cum meridiana. Illud igitur in hoc, & similibus casibus attendendum est, an negotium sit magni momenti, nécne; & iterum, an notabili refectionis parte carveris; si enim magna causa fuit, cur notabilem cœnæ partem Vesperas rejeceris, Pia Mater Ecclesia non intendit te sine sufficienti refectione diem transigere. Quòd si modicum cœnæ reliquisti, cùm parum pro nihilo reputetur, non habes jus te iterum reficiendi: jam enim manè sufficienter, quoad substantiam refectus es: si verò necessitas interrumpendi notabilis non est, tibi imputabitur; non enim debueras sine urgente necessitate refectionem differre. Fateor tamen posse evenire, ut peccaveris manè, dum sine necessitate refectionem interrupisti cum animo comedendi sub noctem; non verò serò peccas comedendo; quia nimirum poteris ita viribus destitui, ut refectione prorsus indigeas.

Hæc autem omnia judicio prudentis viri, gravitatem negotij, temporis distantiam, personæ vires, & similia perpendentis potiùs, quàm certâ regulâ definiri valent. Ita Azor. *p. 1. l. 7. c. 9. q. 1.* Regin. *t. 4. c. 14. n. 177.* aliíque.

## §. III. *De Ieiunculo, quod in Iejuniis indulgere.*

1. Quæ possunt de Vespertina refectiuncula quæri, ad tria reducuntur, ad ejus quantitatē; ad qualitatem; ad tempus sumendi.

*Quantitas.*

Iam apud Recentiores opinio recepta nunc est, ad octo circiter uncias pertingere eam posse, non quidem ex lege scripta, sed ex consuetudine legitimè introducta. Ita Fag. *lib. 2. de Eccl. pr. c. 4. n. 13. & 19.* Suar. Dian. *p. 1. tr. 9. res. 1.* Ioan. Sanch. *in sel. d. 52. n. 7.*

Posse quartam partem solitæ cœnæ pro jentaculo comedere; ut si viginti uncias assumere in cœna soles, possis assumere quinque, si quadraginta, decem, probabilis est opinio. Ita Regin. *tom. 1. lib. 4. cap. 14. dub. 10. nu. 185.* Laym. *lib. 4. tr. 8. c. 1. n. 9.* Filliuc: *t. 2. tr. 26. p. 2. c. 3. q. 7. n. 33.* sed quia communiter vix ad triginta duas uncias hominum cœna solet ascendere, ideo, qui concedunt

uncias

unicas octo absumi posse, quæ sunt quarta pars de triginta duabus, non longè ab hac opinione videntur recedere; accedunt tamen: quia hasce uncias octo concedunt omnibus, sive ampla, sive modica cœna utentibus, sive robustis, sive valetudinariis, sive iis octo unciis fames prorsus extinguatur, sive nequaquam id, quod prudenter inductum pro praxi est, nempe scilicet scrupulis pateret, paulò religiosioribus via.

Dixi autem (octo circiter uncias) nam parum excedere addendo unam vel alteram unciam supra prædictas octo, esset, ex nonnullorum sententia parvitas materiæ, nec peccatum mortale constituens. Ita Pell. Leander ex Turriano apud Dianam *part. 9. tract. 6. resol. 15.*

2. Petes. Potéstne licitè quis panem in quantitate debita, vel ciceres, fabas, similémque materiam coquere in aqua, vel alio liquore, illámque totam pro jentaculo assumere? Respondeo: non posse docet Filliucius *tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 2. num. 31.* quia sic liquor ille non retinet ampliùs rationem potus, sed propter coctionem ex illo, & materia solida, fit onus cibus solidus, & quidem excedens concessam jentaculi quantitatem. Posse probabiliter censet Bon. *sect. 4. de Iubil. casu. 18. n. 128.* quia in substantia ille liquor semper remanet liquor, & vehiculum alimenti, nihilque addit ad substantiam nutritionis, illáque coctio solùm reddit cibum magis stomacho convenientem. & nil præterea. Quare sicut panis in vinum infusus extumescit quidem, sed non fit major in substantia, unde nec Fideles timent concessam quantitatem panis sic pro jentaculo absumere; ita in casu nostro, &c. His in prima editione evulgatis, volens quidam meus perfamiliaris id in praxim deducere, panis uncias ad lancem octo, in aquam infudit, elixavitque. Coctione autem facta, bilancem iterum admovit, comperítque augmentum valde excedens, hoc est, usque ad triginta ferè uncias, pultem illam ascendisse. Bonam ergo partem eius cùm sumpsisset, séque illa ferè ad satietatem refectum esse, sentiret, sive noluit, sive non valuit ad id, quod reliquum erat comedendum, procedere, dicebátque deinde amicis: *Ientaréne hoc est, an plene cœnare? Certè Filliucius, & qui eum sequitur Pasqualigus*, de jejun. decisione 106. *dum illam sententiam proferebant, rem experti non erant.* Hæc ille. Quare ejusmodi opinionem vocare probabilem nequaquam audeo. Non, quia putem aquam illam augmenti causam, in aliquo commutari per ignem, sed quia non potuit consuetudo, unde totum jentaculi jus habentur, introducere, ut tantam pulcem pro jentaculo absumeres, quanta ferè sufficiet, si non ad plenè nutriendum, certè ad plenè satiandum. Introducere verò potuit, biscorum, panémque in aquam, vel vinum, dum actu te reficis, infusa (id, quod parvam mutationem affert) comedere.

Huc, quando agimus de quantitate jentaculi, reduci potest quantitas, quæ in die jejunij sumpta, judicanda sit parva materia; Hanc igitur, vel esse unam, vel alteram unciam ex nonnullorum sententia dixi; nunc confirmo ex mea, quia tam parva quantitas cibi Quadragesimalis (nam de carne mox non nocet notabiliter jejunio.

Addit Bauci, *in select. q. 241.* & Henriquez, unum ovum, aut parum orizæ cum lacte, vel frustum casei esse parvam materiam, affirmántque tum, propter hanc parvitatem, tum propter paupertatem, posse concedi ostiatim mendicantibus, quando alias non habent, ut ea comedant in die vetito. Hæc ex Bauci. Verùm Henriquez *l. 2. c. 13. n. 9.* propter paupertatem ea concedit, non propter parvitatem. id autem probabile est, quia aliud non habenti parum obsonij videtur esse prædicta quantitas talis cibi, at propter parvitatem, nec unum ovum posse concedi, ex mox dicendis *n. 3.* colligetur: verba autem Henriquez hæc sunt: *Habet enim paupertas multa Privilegia, & unum ovum parum orizæ cum lacte, vel fraustum casei est in his parva materia.* Nota illud in his.

Sed quid de parvitate in esu carnis? Respondeo. Cùm hæc sit majoris nutrimenti, quam leviores cibi Quadragesimales, & prælla adsit aliud præceptum, de ea non comedenda tempore jejunij, parva ejus quantitas judicetur ab Alphonsio de Leone, & Dian. citati à Pasqualig. *mox* citando, quam sumere solent coqui, ac Pincernæ ad præguſtandos cibos (qui certè ne venialiter quidem peccant; quando ob necessitatem famulatus, & sui muneris id præstant.) Pasqualigus autem, *de jejunio decis. 49.* quem refert, nec refellit Banci *in sing. cas. 287. vers. Pen. duodecimò*, ait, iſi esu carnium dimidiam circiter unciam esse parvitatem materiæ.

Quoniam igitur volui ego expendere quanti ponderis esset ovum unum, atque inveni illud mediocris magnitudinis, & deducto cortice, tum aqua coctum, seu elixatum, tum crudum, tum sartagine frictum, duarum unciarum pondus attigisse, ideo fit, ut quarta pars ovi, vel æqualis illi carnis portio sit in hac re nostra materiæ parvitas judicanda.

*Qualitas.*

3. Hic certant Theologorum arbitria. Breviter, Dico primò: de cibis communibus quadragesimalibus, herbis nimirum, sive crudis, sive elixatis; piscibus, sive parvis, sive magnis, sale coctis; fructibus, sive recentibus, sive siccis, dulciariis, pultibus, quas *Ministras* appellamus, ex amygdalarum cremore, ex leguminibus, & similibus: ea accipi possunt pro jentaculo, quæ cuilibet arrident, modò conflatum ex pane, ut fit, & ex prædictis, quod accipiens, non excedat uncias octo. Colligitur ex Bon. *t. 2. disp. ult. de præc. Eccl. q. 1. p. 3. n. 3.* & sic Cajet. *in summa, v. Iejun. §. 1. fin.* Bizoter. *p. 4. summæ, de 3. præc. dec. c. ult. memb. 2. n. 3.* plures apud Dian. *p. 9. t. 6. res. 8.* Ratio hujus dicti est, quia, licet jentaculum ex consuetudine sit introductum, & passim non accipiantur nisi cibi leviores ex prædictis, quales sunt fructus, dulciaria, &c. tamen non est certum esse introductam absolutè consuetudinem de sumendo jentaculo, sub hac tricta necessitate, ut non possint nisi tales, vel tales cibi jejunantibus assumi: Ergo nec nos astringere sub peccato debemus. Certum etiam est jentaculo posse nos frui; incertum, an tales cibi substantiales, sint exclusi: ergo prævalet libertas valendi illa assumere.

4. Dico secundò: in diebus jejunij, in quibus *suprà* diximus posse ex Bulla Cruciatæ, vel ex aliquo capite comedi lacticinia, probabile est posse ea assumi pro jentaculo, (exceptis ovis, de quibus postea) in modica prædicta quantitate; ita scilicet, ut juncto proportionato pane, octo unciarum fines non transiliantur: Ita Laym. *lib. 4. tr. 8. c. n. 9.* Turr. *in summa, p. 1. c. 256. dub. 37. concl. 3.* & plures apud Dian. *loc. cit.* Ratio est, quia ex una parte per Bullam, vel aliud caput licet tunc Fideli iis lacticiniis, caseo, lacte, butyro vesci: & ex alia, non apparet unde ea certò prohibeantur pro refectiuncula vespertina: ut modò de quadragesimalibus cibis dictum est ergo, &c.

Adde si ij, qui strictissimè de jentaculo loquuntur, concedunt posse in eo assumi ea, quæ apponi pro secundis mensis solent, fructus, dulciaria, &c. cur non poterit caseus, qui communiter in secùdis mensis adhiberi consuevit? At est magnæ nutritionis. Respondeo non ita: ut *mox* dicam, cùm de ovis, de quibus jam subjicio.

5. Dico tertiò: pro jentaculo ova adhiberi non licet: Ita Sanch. *lib. 5. consc. c. 1. dub. 25. n. 4.* Fill. *t. 2. tr. 27. p. 2. c. 2. dub. 6. n. 30.* Diana *p. 1. tr. 9. res. 1.* & *p. 4. res. 117.* Ratio est, quia sunt maximè substantia, & nutritionis, atque adeò ex diametro jejunio opposita; ut vix unquam invenias, qui videns Fidelem vespere ova comedentem, judicet eum jejunare.

Non sic de caseo, cæterisque lacticiniis; quæ certè, ut omnes fatentur, minùs sunt nutritiva, & nullo modo ovis similia: nam propterea viribus ob debilitatem destitutis, vitellos propinant Medici: non verò alterius generis lacticinia.

Instas, licèt ova sint valdè nutritiva, tamen in jure pro aliquibus saltem jejuniis, conceduntur, ut *suprà* vidimus: ergo unde habetur, quod pro eorundem jejuniorum jentaculis prohibeantur? Respondeo, habetur ex hac ipsa eorum vi nutritiva: si enim ea concedantur in

refectione

refectione meridiana, & iterum in refectiuncula vesperna; jam sufficientem, vel quasi sufficientem habebis illo die nutritionem: Ago non habebis Ecclesiastico jejunium; quare non sumus incerti, an venturi sint in jentaculo, sed certissimi: siquidem propter tantam oppositionem, quam habent cum fine intento per Jejunium, censetur certissimum, ea esse ab Ecclesia pro jentaculo prorsus interdicta.

6. Remanent dubitationes duæ. Prima: An in jejunio etiam in iis, in quibus tenes non posse comedi lacticinia, liceat nihilominus propter materiæ parvitatem assumere mustacea, seu placentulas ex ovis confectas? Respondeo licere, si ovi quantitas his immista, immò & sanguinis sit parva, quia parum pro nihilo reputetur: & regulariter ab igne tam modica quantitas absumitur. Ejusmodi sunt, quos *Biscotellos* vernaculâ linguâ nuncupamus, quique passim usui sunt pro jentaculis. Quod si magna pars sit in illis, ovorum substantia, ut in pane, quem *Hispanicum* vocamus qui ferè totus ex ovis modico immisto farinæ flore constat, nequaquam licere per se patet.

7. Secundò: An in Vigilia Natalis Domini majori refectiuncula vires sibi reficere liceat? Respondeo licere duplo circiter majori, hoc est, pertingente circiter ad uncias sexdecim; & quidem propter paritatem rationis ex iisdem obsoniis, quibus in cæteris Iejuniis licitè utens: atque adeò etiam ex lacticiniis præter ova. In Vigilia Pachatis, & Pentecostes, nisi legitima sit alicubi consuetudo introducta, quæ in Sicilis nondum est nequaquam hæc benignitas locum habet.

At utraque est vigilia lætitiæ. Scio; sed unde habes, quod in vigiliis lætitiæ major sit refectio corporalis assumenda, cùm lætitiam sacram audis; ne ad corporales delicias, sed ad spirituales animum adjicias: juxta illud S. Pauli: *Itaque epulemur non in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

8. Quod dictum est de Vigilia Natalis Domini, intelligè etiamsi ea incidat in diem Sabbati, in quo celebretur jejunium quatuor Temporum. Ita uterque Sanch. quia magis dignum trahit ad se minùs dignum: quare etiamsi festum Natalis sit celebrandum postridie, nempe die Lunæ (quia dies Sabbati jam est Vigilia Natalis) hæc prærogativa benignioris refectiuncula illi conceditur.

9. Qui vovit in hac Vigilia jejunare, an possit duplo jentaculo frui, docuimus *sup. c.* 15. §. *n.* 13.

*Tempus sumendi Ientaculum, seu Cœnulam.*

10. Sub Vesperas jentaculum sumi consuevit, cùm hi introductum ad somnum nocte conciliandum? quia tamen posita jam, ob hanc causam consuetudine, absolutè illud licitum est; ideo licitè illud meridie assumere, etiam fide necessitate, poteris, rejecta in Vespera integra refectione. Ita Io. Sanch. *d.* 53. *n.* 10. Quod idem probabiliter facere poteris in Vigilia Natalis Domini, quamvis pinguior, modo *suprà* dicto, sit assumenda refectio. Ita Pell. *Man. Reg. t.* 2. *tr.* 5. *c.* 5. contra Th. Sanch. & Trull. citat. à Diana *p.* 9. *tr.* 6. *res.* 17.

11. Quid, si manè diluculo sumas refectiunculam, serò deinde completè comedas? Respondeo: propter tantam temporis anticipationem, causam in hoc aliquam requiro: secùs nonnulla erit culpa; non tamen mortalis quia in substantia nihil ultra debitum sumis. Ita Anglez in *Floribus*, *q.* 9. *de jejunio*, *n.* 2. *diff.* 5. Fernand. *p.* 2. *exam. Theol. mor. c.* 7. §. 2. *n.* 7. Basæus *in Flor. Theol. v. Iejun.* 1. *n.* 9. Pasqual. *de jejunio*, *dec. c.* 101. & 103.

12. Quid, si eodem diluculo refectiuncula te firmes, sed postea horâ meridianâ plenè comedas, serò autem omnino incœnatus cubitum discedas: Respondeo. Non audeo sine notabili causa, vel dispensatione id approbare: esset enim aliam jejunij formam inducere. Sed neque audeo id sine causa facientem condemnare de culpa mortali: Colligitur ex iisdem, tum quia servatur substantia jejunij, quæ consistit in unica talium ciborum comestione, & unica refectiuncula, ut iidem *loc. cit.* docent, tum quia quod manè deest de media, suppletur satis, supérque vespere, dum tunc nihil omnino comeditur.

1. Quid denique, si manè, vel meridie te levi refectiuncula, quam Vesperi fieri solet, recrees; & deinde duabus seu tribus horis à meridie integram cœnam exhibeas? Respondeo. Neque id approbare sine gravi causa, vel dispensatione possum: videtur enim etiam hæc diversa forma jejunandi: sed nec reprobare sub mortali audeo propter rationes *n. præcedenti* dictas, Ita ex iisdem.

14. Illud fateor posse occurrere, ut quis summo manè jentaculum, nesciens, vel non advertens esse diem jejunij, sumat: tunc profectò licitè etiam sine causa poterit, sive meridie, sive paucis interjectis à meridie horis, sive Vespere perfectè comedere.

Nam propter illam bonam fidem, jentaculum matutinum poterit inservire pro vespertina refectiuncula; cùm bona fides leniat inconveniens ductum à nova forma jejunandi; & non sit cogendus Fidelis plenam sibi debitam refectionem in Vesperis, sine sua culpa protrahere.

Quidam dixere in hoc casu licere jejunanti, hora consueta prandere, & deinde serò iterum sumere consuetum jentaculum, præter matutinum casu, & bona fide sumptũ. Videtur colligi ex Fag. *præc. Eccl.* 4. *c.* 4. *n.* 7. Villal. *in sum. p.* 2. *tr.* 23. *diff.* 6. *n.* 7. Verùm, id approbandum nec in bona, nec in mala fide censeo. Ita Less. *lib.* 4 *c.* 2. *d.* 4. *n.* 19. Lay. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. Io. Sanc. *d.* 52. *n.* 2. quia bona, vel mala fides non abstulit, vires verè per illud jentaculum matutinum fuisse refectas. Id ergo in duobus solùm casibus approbarem. Primò, quando parum quid, v. g. una, vel altera cibi, uncia manè fuisset per errorem assumpta; tunc enim modico alimento refectæ nequaquam vires fuerũt, unde non est homo de sua refectiuncula defraudandus. Et quidem Turrian. apud Dian. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 11. sumenti mala fide per peccatum veniale parvum illum cibum, concedit posse vespere consueta refectiũcula frui: multò ergo magis bona fide sumenti. Secundò cùm serò notabile propter inediam incommodum aliquis pateretur: necessitas enim tũc licentiam se reficiendi concederet. Non defuit item, qui diceret eum; qui sive ignorans esse diem jejunij: sive sciẽs atque adeò cum animo peccaminoso non jejunandi, manè prædictum jentaculum sumpsit; non teneri amplius ad jejunium, quia jam est (inquit) destructum Iejunium. Sic Bon. *d. vlt. de pr. Eccl. q.* 1. *p.* 3. *n.* 8. Sed immeritò id dictum esse judico; quia adhuc stare posse substantiam jejunij, nil serò sumendo, vel usus videt.

## §. IV. *De hora comedendi in Iejunio.*

1. COnsuetum tempus in nostra ætate plenè nos reficiendi, cùm jejunio vacamus, est sub horam meridiem plus minus. Meridei, inquam, horologij solaris, quod cætera horologia artificialia per semihoram præcedere solet: Ita Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 11. *q.* 1. Fill. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 68. Si qua enim lex unquam de tardiore cœna fuit, usu legitimè jam est abrogata. Consuetum autem ita est: ut volenti tardiùs differre usque ad vesperam, utique liberè liceat: cùm rigorosius jejunium sic exhibeatur.

2. At contentio inter Theologos non mediocris in anticipatione desudat. Prolixas amputo quæstiones. Ajo primò, non esse de essentia jejunij Ecclesiastici, nec de præcepto, hora comedendi meridiana: Non de essentia, ut omnes ferè DD. *mox* cit. contra Io. Sanch. *d.* 53. *n.* 5. concedunt: quia jejunij essentia est solùm unica comestio, cum abstinentia à certo genere ciborum. Nam propterea eum, qui quomodocunque horam comedendo anticipat, tenent ferè omnes ad jejunium ea die obligari, cum substantia jejunij non sit adhuc violata. Ita Trull *lib.* 3. *in dec. c.* 3. *d.* 4. *n.* 71. Fag. 4. *Eccl. pr. l.* 1. *c.* 3. *n.* 11. Thom. Sanch. *in consil. lib.* 5. *c.* 1. *d.* 28. *n.* 8. Laym. *lib.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1. *n.* 11. Fill. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 66. Bon. *t.* 2. *d. ult. de præc. Eccl. q.* 1. *p.* 4. *num.* 5. Non de præcepto, vel consuetudine obligante, quia quia non nemo illa quærere satagat, nunquam invenit tamen. Ajo insuper, consequenter non esse mortale, horam prædictam anticipare etiamsi comedatur summo,

ſummo mane: ita Laym. *ibid. n.*10. Fill. *l.c.5.n.*72. Bon. *l.c.n.*3. Lezz. *v. Iejunium, n.*5. Toll. *lib* 6. *c.*2. *n.*5. quia contra nullum præceptum delinquitur, & corpus toto integro die non comedendo, æque, ne dicam plus, maceratur, Ajo denique, cum diſpenſatione, vel aliqua cauſa, ne veniale quidem eſſe, ſine illis culpam eſſe, tum modo venialem. Ita iidem, quia eſt aliqua deordinatio tam citò ad prandium accurrere, quando cæteri ſe continent; à qua liberat diſpenſatio (vel cauſa.

3. Pro iis autem, quos juvat putare meridiem eſſe horam ſe reficiendi ſtatutam ſub mortali; nota poſſe eos prandere unâ horâ circiter ante meridiem in hyeme. Ita Ioan. Sanch. *d.* 53. *n.*1. Trull. *in dec. lib.*3. *c.*2. *dub.*4. *n.*2. *fin.* & duabus in æſtate: Ita Boſſius *ſect.* 4. *de Iubileo. c.*18. *n.*100. Ratio eſt, quia una hora ante, vel poſt punctum præciſum meridiei hyemalis, & duæ ante æſtivum, quando longior eſt dies, poteſt hac in re meridies moraliter haberi. Hinc quoniam mendicantes, quinque eorum privilegia participant, gaudent privilegio anticipandi refectionem jejunij per horam. Ita *Comp. priu. Soc. Ieſu, v.* ... ideo poterunt hi prandere duabus horis hyeme, tribus æſtate ante meridiem ſolaris horologij; nam unam, vel alteram dat moralitas meridiei, reliqua Pontificis conceſſio. Et quia multi probabiliter concedunt, comedere ſemihora ante ſtatutum, vel conceſſum tempus, etiam ſine cauſa non eſſe notabilem culpam, quia parum pro nihilo reputatur. Ita Diana *p.*5. *tr.* 5. *reſ.*10. *& p.*1. *tr.*9. *reſ.* 27. Fil. *tr.*27. *p.*2. *c.*4. *n.* 73. ideirco hyeme poterunt hi duabus horis cum dimidia, æſtate tribus cum dimidia ante Solarem meridiem menſæ accumbere; & quidem ex cauſa ſtudij, itineris, negotij, &c. etiam ſine veniali. Atque hæc quantum jejunantibus faveant, etiam in opinione illa rigoroſa jam vides.

4. Illud denique hic proprium ſibi vendicat locum. An in Quadrageſima liceat ante recitatas Veſperas comedere? Præſcribitur enim *in Miſſali Rom. in rubr. fer.* 4. *cin.* Veſperas eo tempore eſſe recitandas ante comeſtionem, Reſpondeo licere, ſive iis, qui in Choro Veſperas perſolvunt, ſive iis, qui extra chorũ. Ita Medina *c. de jejunio, q.*2. *fin.* Cajet. *in ſumm. v. Iejunium. §. hora competen.* Navar. *c.*21. *Manual. n.*27. Fagund. *præc. Eccl.*4. *lib.*1. *c.*3. *n.*9. Regin. *lib.*4. *c.*13. *n.*159. Ratio eſt, quia horæ Canonicæ non habent hanc connexionem neceſſariam cum jejunio: ſolùm ita congruenter ſervari diſponitur (non jam jubetur) per Rubricas, ne Veſpertinum Officium differatur, ſi decantandum ſit poſt cœnam jejunii, quæ valdè ſerò facienda ſupponitur in Quadrageſima; Imò, quia apud nos jam inolevit uſus comedendi circa Meridiem opportunius eſſe poſt meridiem, atque adeò poſt comeſtionem, ſua ſcilicet congruenti hora, Veſperas recitare. Cùm Romæ Sacerdotio ego initiatus recenter fuiſſem, operámque Rubricis ediſcendis de more darem, narrabat quidam ex meis ſodalibus Robertum Bellarminum Sapientiſſimum, æquè, Sanctiſſimum Cardinalem ſolitum dicere, congruentius eſſe noſtra hac tempeſtate Veſperas Quadrageſimales recitare poſt prandium, quàm antea: *Nam apud majores noſtros* (dicebat prudentiſſimus vir) *ideo Veſperæ recitabantur ante refectionem, quia refectio protrahebatur ad horas Veſpertinas, & in Quadrageſima quidem longè poſt Nonam*: c. ſolent, de conſecr. diſtinct. 1. *at nunc ſi jam à ſtatuta hora eſt cœna dejecta, & in prandium mutata aſcendit ad Meridiem: ne, quaſo, per novam licentiam dejiciatur hora recitationis Officij Verſpertini, contra debitum ritum ad tempus ante meridianum tranſmittatur.* Hæc Bellaminus.

### §. V. *Quædam de obligatione Iejunij, ubi: De media nocte, qua ratione hic intelligenda.*

1. FRangere jejunium etiam unius tantùm diei, ſemper exiſtimatum eſſe mortalè peccatum, communis docet Theologorum ſententia. Ita Vaſq. *p.*2. *q.*72. *art.* 6. *diſput.* 1. *quæſt.*8. *n.*8. Suarez 3. *p. tract.*4. *d.*22. *ſect.*4. *num.*22. Sanchez *lib.*9. *de matr. d.*15. *num.*6. *&c.* non autem eſſe culpam duplicem, ſed unam contra Temperantiam, cum præceptum Eccleſiæ jejunium conſtituat in materia Temperantiæ, docent iidem. Niſi forte ex intentione inobediendi, vel ex contemptu Superioris non jejunes: tunc enim non eſt mirum, ſi ſuperaddatur alia ſpecies peccati, ut ex ſe patet.

2. Porrò circa obligationem jejunandi notanda ſunt ſequentia. Primò: ſi pluries comedas Quadrageſimalia die jejunij, ſolum in ſecunda plena refectione peccas; Ita Th. Sanch. *lib.*5. *in dec. c.*11. *n.*42. alter Sanch. *d.*54. *n.*42. at ſi carnes, toties quoties, ut *ſuprà* dictum eſt ſetis.

3. Secundò: Qui initio Quadrageſimæ ſtatuit nunquam in illa jejunare, unum numero, ſed gravius, nempe æquivalens multiplici omiſſioni, peccatum committit. At in executione toties peccat, quoties diem jejunij frangit, vel quoties carne veſcitur: quæ cur ita ſint, & qua ratione in Confeſſione aperienda, ex à nobis dictis *in opuſc. exp. conf. lib.*2. facilè colliget.

4. Tertiò: Iejunandum eſſe ex præcepto Eccleſiæ in Quadrageſima, in Vigiliis, in Quatuor Temporibus, & in omnibus diebus fortè in Diœceſi ab Epiſcopo decretis.

5. Quartò: Qui jejunium ſolvit obligatus ex duplici Eccleſiæ præcepto v.g. Vigiliæ, & Quatuor Temporum, vel Vigiliæ, & Quadrageſimæ, &c. unum numero peccatum committit: quia utrumque obligat ex eadem Temperantiæ virtute. Ita Vaſquez *p.*2. *q.*72. *art.*6. *d.*98. *n.*8. Suarez 3 *p. t.*4 *ſect.*2. *n.*22. Sanch. *lib.*9. *de matrim. d.*25. *n.*6. alique. At qui ſolvit jejunium, v.g. Vigiliæ, quod is fortè voverat, vel illi ex profeſſione ſuæ Religionis impoſitum erat, duplici, ſpecie peccati peccat. Ita Sanchez *ibid.* Vaſquez *ibidem.*9. quia tunc, adversùs Temperantiam atque adversùs Religionem agit.

6. Quintò: Iejunium Eccleſiaſticum incipit à media nocte in noctem mediam ſubſequentem. Ita Sylveſt. *v. Iejun. n.* 18, Azor. *p.*1. *lib.*5. *cap.*15. *quæſt.*6. & paſſim. Quoniam verò diximus *ſuprà*, §. 4. *n.*3. Meridiem in hac jejunij materia moraliter eſſe ſumendam, atque adeò comprehendere mediam circiter horam inter ipſum punctum meridiei Mathematicum, & mediam poſtea quærimus, an idem dicendum ſit de media nocte.

7. Certè in jejunio naturali requiſito ad ſumendam Euchariſtiam, Mathematicè ſumendum pro comperto habeo; is eſt enim omnium Fidelium ſenſus, ut ex *aliis* dictis colligi poteſt: At in Eccleſiaſtico; tantus requirendus rigor non eſt. Vt clarior evadat ſolutio, fac in Æquinoctio, in quo media nox incidit in horam ſextam Italicam noctis, adeſſe obligationem jejunij ita, ut die ſequenti ſi jejunandum; præcedenti verò: præceſſerit dies liber à jejunio. Nam inquiro, mediâ hora poſt ſextam noctis, ſciténe poſſim carnes comedere? Si Mathematicè media nox eſt in materia jejunij accipienda, non poſſim, ut ex ſe patet: ſi verò moraliter, poſſem; quia media hora poſt ſextam pertinet ad mediam noctem moralem, atque adeò ad diem præcedentem liberum à jejunio: quare cùm morali modo datum ſit ab Eccleſia hoc præceptum, ut cætera ſimilia dari ſolent: conſequenter ſit, ut tunc licitè carnes comedantur, cùm nondum pertranſierit media nox moraliter ſumpta.

8. Dico tamen primò: ſi quis non multùm attendens ad ſciendum, utrùm in hoc puncto ſit media nox, nécne; verùm humano modo procedes non curet exactè id more mathematico, ſed ſolùm moraliter cognoſcere; comedátque carnes circiter illud tempus; non peccat quamvis revera fuerit hora ſexta cum dimidia noctis. Ratio eſt modò inſinuata, quia præcepta hæc non tam rigoroſa, morali modo ſunt intelligenda, ne Fidele cogantur tam ſubtiles apices à communi procedendi modo alienos inveſtigare.

9. Dico ſecundò: Si quis ſciat, vel facilè ex horologiis, ſeu aliunde ſcire poteſt, punctum noctis mediæ Mathematicum: ſecundùm illud debet ſe gerere, nec poſt illud, ne per minutum quidem in caſu propoſito poteſt carnes comedere. Ita Ioan. Sanchez *diſput.*42. *n.*20.

tenuit Castro Pal. *t.1.tr.3.d.5.p.1.n.8.* & supponit Sanc. *lib. de matr. d. 4. n. 40.* Ratio est, suppositâ scientiâ de mediæ noctis momento, vel facilitate moraliter eam habendi; non possum etiam humano modò, & morali non attendere illud tempus ad hujusmodi momentum consequendum, pertinere ad diem sequentem adjectum jejunio, & consequenter non possum non cognoscere præceptum jejunij urgere; Si ergo præceptum urget, atque est in possessione obligatio jejunij, non verò mea libertas condendisquia fieri potest, ut à jejunando sim liber; Res hæc est mentenda, sicuti in numero peccatorum profertendo in Confessione; si enim nesciam præcisum numerum, sat est dicere, *toties peccavi plus minus* nec obligor ad modum diligentiam adhibere ad numerum scientem, ut si sciam, vel facilè recordari possim, ter v.g. peccasse, & non ampliùs: debeo fateri tes Mathematicè me peccasse, &c. Ita igitur in casu nostro.

Esto in ultima nocte Bacchanalium, illuscescente Feria quarta Cinerum, si sciam, vel facilè possim scire momentum mediæ noctis, à cœna abstinere omnino debeo: quia satius est, quod possideat, ut quidam non rectè judicavit, cœnandi libertas; possidet enim clarè jejunij quadragesimalis obligatio. Idem dic de nocte diei Iouis, illucescente Feria sexta, quoad carnes comedendas, cum par sit ratio: Quòd si prædictum momentum nesciam, nec per moralem diligentiam scire possim: tunc enim verò ad sattis omnibus diligentiis, adhuc sit dubium de media nocte, quid faciendum? diximus satis *lib. 1. c. 5. §. 7. v. Eucharistia suscepto.*

### §. VI. *De obligatione non cooperandi cum aliis in fractione jejunij.*

1. Cum certum sit, cometionem indebitam ministrare alicui Fideli ex intentione, ut ille jejunium frãgat esse mortale; est enim directè intendere rẽ moraliter malam: inquiritur tamen, an idẽ sit, si sine hac intentione ministretur cometio? Id ergo, ut ordine quæramus, dicamus primò de Patre, vel Domino: Secundò, de Cauponibus, cibosque vendentibus: Tertiò, de famuliaribus, & amicis. Dixi (alicui Fideli) nam respectu Infidelium, vide quæ dixi *n. 13. §. 1. n. 15. & 16.* & universim plura cooperatione cum alieno peccato dicentur, Deo dante, *lib. 5. c. 1. §. 3.*

### *Pater, & Dominus.*

2. Patrem, & Dominum ad compellendos filios, vel famulos, ut ij jejunent, non obligo, Ita Fag. *pr. Eccl. 4. l. 1. c. 10. n. 11. fin.* Sanch. *lib. 5. cons. c. 1. d. 17. n. 5.* Azor. *p. 1. l. 2. c. 10. q. 12.* ad monendum, corrigendum, modestèque increpandum, obligari eosdem puto. Ita iidem. Ratio est, quia filij, ac servi, juxta illud 2. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, ad Patrum, Dominorúmque curam pertinent. Et quia ij non sunt horum Prælati, nec spiritualem in hos jurisdictionem exercent, monere possunt, atque adeò debent: non verò compellere.

3. Quare poterunt, imò & debebunt illis cibos, quamvis sciant eos non jejunaturos, ministrare; quia ex una parte hæc submin istratio opus est ex se indifferens; & ex alia Patrem, Dominúmque excusant proprium officiũ alimenta suis cum debita liberalitate præbendi, modò secundùm authoritatem, quâ in illos pollent, moneant, & increpent, prout dictum est.

4. Ipsi item famuli, filij, similésque subditi poterunt Dominis, Patribúsque frangentibus jejunium, scienter cibos parare, ac ministrare. Ita Azor. *p. 1. l. 7. c. 31. q. 11.* Sanch. *lib. 1. in dec. c. 7. n. 13.* quia hæc sunt opera ex se indifferentia, & ex alia parte, famulatus, ac filiationis ratio ipsos satis excusat.

5. Sed quid? Possúntne licitè Domini, laboriosas actiones servis, filiísque, imò & operariis imperare, quibus consequenter fit, ut hi à jejunij lege liberentur; Respondeo: Si bona fide Domini procedunt: imperando labores, qui communiter imperari solent, etiamsi aufferre valeat, non peccabũt. Ita Bon. *t. 2. d. ult. de Pr. Eccl. q. 1. ult. n. 9.* Sauch. *in cons. lib. 5. c. 1. d. 9. n. 2.* quia utuntur jure suo, præcipiendo quæ possunt servis: qui servi nec item peccabunt, quia ex officio laborant, atque ideo legitimè à jejunio, ut mox in proprio loco dicemus excusantur, imò propter eandem rationem poterit quis ex Escobar. *tr. 1. c. 13. de jejun. n. 3.* operarios conducere cum pacto, ut non jejunent, ne aliàs minus laborent. Ita DD. *mox* citandi.

### *Caupones, & ij, qui cibos vendunt.*

6. Quando probabiliter putantur accedentes ad hos non violaturi jejunium, posse caupones, & vendentes cibos iis ministrare, vendere, atque invitare, patet ex se. Sed quid, si sit dubium; adhuc poterunt: quia, nisi certò constet contrarium, nemo est præsumendus malus: atque adeò, non est præsumendus jejunium violaturus.

7. At quando probabiliter, vel certò sciunt violaturos; concessu est difficilius. Concedimus tamen satis probabiliter. Ita Sanc. *lib. 5. cons. c. 1. d. 16. n. 2.* lege item Dian. *p. 1. tr. 9. res. 38.* & eundem Sanch. *lib. 1. in dec. c. 7. n. 32.* Ratio concessionis est, quia ministratio illa, imò ultronea invitatio non fit à Caupone, vel Venditore directè alliciendo ad non jejunandum, atque adeò peccandum; sed ad lucrum expiscandum, idque sciunt; probéque noscunt ementes; & ex alia parte, illa submin istrandi, atque invitandi actio, opus est ex se indifferẽs, cùm possint illi cibi emi ad licitum usum; & quamvis per malitiam accedentium conjungatus talis emptio, cum peccato transgressionis præcepti, vendentes tamen excusantur propter officiũ quod ipsi sine fraude exercent: eosdem Caupones posse nolle recipere, eos qui cœnaturi non sunt, modò ex circumstãtiis illud *nolle*, æquivaleat coactioni, probabilis est sententia. Tunc enim non compellunt ad cœnam, sed utuntur jure suo, dum hospites alliciant: Cujus rei clara conjectura est, quia ij possent, si vellent, solùm cœnare non præmittendo prandium, & sic non violare jejunium, quare sensus Cauponũ est hujusmodi: *Si tu velis apud me divertere, manè à cibo abstineas, cœnaturus apud me vespere; secùs de alio hospitio tibi consule.* An Caupones possint ministrare carnes, innuam per occasionem *mox n. 14.*

### *Amici.*

8. Quidam die Quadragesimali nobilem per familiarem hospitio sub veseras recepturus lautissimam cœnam ex permissis cibis, atque lacticiniis, ut erat dives & libertatis amans, cùm paravisset; cognovit nobilem illum amicum cum toto comitãtu opiparè per viam apud alium hospitem manè comedisse: incidit ergo in scrupulum, an posset eam cœnam expectatis hospitibus proferre, offerre, ministrare; imò & eosdem invitare ad sese reficiendos, certus non paucos ex comitatu sine ulla necessitate jejunij leges violaturos, ac sine bulla lacticiniis se refecturos?

9. Diximus primò: (nam Nostros consilij gratia convenit) parare cœnã, proferre, ministrare urbanitatis gratiã eum licitè posse. Ita Trull *lib. 3. in dec. c. 2. d. 5. n. 18.* Anglez *in floribus, q. 7. de jejun. difficult. 4. in concl.* quia ex una parte ratio Hospitij excusat, & ex alia hæc sunt opera indifferentia, nec ex se mala; poterunt enim hospites tantum ex ea cœna, si velint, accipere, quantum sufficit ad vespertinam refectiunculam, si plus assumant, sibi imputent, cùm scire debeant, hæc fieri solere ad ostentationem liberalitatis, conciliationémque amicitiæ? non verò ad eos omnes cibos ventri infarciendo.

10. Diximus secundò: hæc exhibere ex directa intentiones, ut hospites cœnent, licitè non posse; quia id esset velle eos hîc, & nunc peccare, ut modò *n. 1.* dictum est.

11. Dix:mus tertiò: posse licitè tum paratis fortè alibi cœnare: sic Escobar ex Sà *exam. 13. tract. 1. de jejun. c. 3. fin.* tum etiam non paratis offerre cœnam, eosdémque invitare

invitare, nonquidem animo, sicuti dictum est, ut hospites oblata acceptent, atque completè cœnent; sed animo, ut sua hospitis liberalitas appareat, amicitiæque signa videant amici: nullo autè modo potest cogere, ut comedant. Ita Dian. *p.1.tr.9.res.38.* aliique ab eodem citati & rursus, latè *p.5.tr.7.res.7.* ex Hurtado. Ratio priori dicti est, quia ea obligatio; & invitatio eodem modo tunc se habet, ac modò dicta subministratio, & prolatio ciborum, apparet enim clarè esse merum urbanitatis signum: & ex alia parte ex se opus indifferens, cùm invitentur amici ad comestionem, quæ sit meruti jentaculum; non ad omnia devoranda. Ratio posterioris dicti est, quia si urgeret absolutè (nam urgere expressè ad solum jentaculum, non esset, ex ullo capite culpa) urgeret ad actionem hîc, & nunc moraliter peccaminosam.

12. Diximus quartò, lacticinia etiam posse ministrare, eáque offerre hîc, ubi viget usus Bullæ Cruciatæ. Ita Sanchez *l.5.conf.c.1.d.16.n.3.* Ratio est, quia sensus offerentis semper intelligitur conditionatus, ut scilicet ea qui comedat, si licitè potest. Quid si certò sciatur accumbens carere Bulla, & tamen sine necessitate ea manducaturus; Sanc. *ib.* docet non posse, quando est dubium an accubentes habeant Bullam: unde sequitur multò minùs posse, quando est certum. Sed profectò, si sit dubium, potest; quia in dubio nemo est judicandus immemor esse suæ salutis; at si sit certum, non poterit, nisi justa, ac proportionata urgeat causa: quia tunc sine causa excusante esse offendiculo ipsi proximo ad illud peccatum, quod facilè removere posses: facilè enim posses, si causa nulla te ad ea ministranda cogeret.

13. Diximus quintò, si invitans commodè potest, ut, si nec inurbanitatem sibi exprobrandam, nec aliud malum timeat, multò magis si speret futurum, ut sua monitione invitati ab illa peccaminosa refectione se retrahant, obligari ex Charitate ostendere se ex parte sua eos cibos præparasse quidem, obtulisse, ad eosdémque invitasse: cæterum vellent quisque suæ conscientiæ consulat. Ratio est, quia tunc Charitas dictat, ut quia facilè potest peccato proximi occurratur.

14. Diximus denique sex ad uberiorem doctrinam, Patrem hunc familiàs nullo modo carnes parare, ministra, vel ad eas invitare accumbentes posse: Ita Laym. Less. *mox.* cit. quia tunc (ut supponimus) peccarent inviti eas comedendo; quare sine ulla causa (neque enim ratio hospitij causam dat, ut diebus jejunij carnes apponantur cooperaretur Paterfamilias ejusmodi peccato. Non sic accidit cauponi, inte hæreticos, & Catholicos degenti; à suo enim officio fortasse in quibusdam casibus excusabitur, ministrando simul carnes, & cibos quadragesimales tempore jejunij: de qua re vide Laym. *lib.2. tr.3.c.13.n.5.* Less. *lib.4.c.2.n.23.* Filliuc. *tr.27.p.2.c.5.n.92.* Castro Pal. *in 2.disp.6. de charitate, p.14.* & nos *infrà, lib.5.c.1.§.3.*

## §. VII. *De excusationibus à jejunio.*

CAusæ excusantes à jejunio multiplices sunt; quæ ordinis, & charitatis gratiâ, operæpretium erit distinctè percurrere.

### *Ætas.*

1. Qui vigesimum primum annum non complevit, ex S. Th. *2.2.q.147. art.4. ad 2.* & passim DD. & qui sexagesimum annum attigit, quamvis nondum illum compleverit, excusatur à jejunio. Ita Ioan. Sanch. *d.54.n.10.* Trull. *lib.3. in dec.c.2.d.4.n.3.* ille propter adolescendi necessitatem, hic propter vires (licèt robustæ aliàs appareant) jam senio declinantes. Qui anceps est de sua ætate, quid faciet, diximus *sup. lib.1.c.1.§.7. verb. Ætas.*

2. Porrò, quoad hæc, Dubitabis primò, si quis in prima hora mediæ noctis hoc die, quo jejunandum est, compleat annum vigesimum primum, obligandúsne erit ad jejunandum hoc eodem die?

Respondeo, si compleat ex eo, quòd ipse natus sit in ipsa media nocte, ita ut privata jam dicta fuerit tempus extrinsecus sui natalis, obligabitur: quia tunc totus dies, cujus initiù dat hæc prima hora, pertinet ad annum vigesimum secundum talis ætatis, quo urget jejunandi præceptum. At si compleat ex eo, quòd natus sit in ipsa prima hora mediæ noctis, ita ut dicta prima hora sit terminus intrinsecus ortus sui, non obligatur. Ita Io. Sanc. *l.c.n.4.* Dian. *p.1.tr.9.res.49.* Bonac. *c.vult. de præc. Eccl. p. vlt.n.7.* quia tunc illa prima hora pertinet ad complementum intrinsecam anni vigesimi primi, in quo tota atque âdeò etiam in hoc complemento habet adolescens ille jus comedendi; Cùm igitur possit hac hora comedere, & deinde non sit fraudandus communi refectione, quæ conceditur in jejunio, bis legitimè comedet plenè, adeóque, ut ex dictis liquet, legitimè jejunio liberabitur. Atque hæc excusatio multò erit clarior, si annum vigesimum primum compleat horâ secundâ, post mediam noctem, tertiâ, quartâ, cæteris.

3. Similè quid præterea eveniet in sene: non enim obligabitur jejunare eo die, in cujus prima hora intrinsecè attingit annos sexaginta, ut ex dictis item patet.

4. Quod si quis compleat annum vigesimum primum post aliquot dies, quadragesimæ, certè solùm ad consequentia jejunia obligabitur: ut contrà, si quis attingat annum sexagesimum post ejusdem aliquot dies, ad jejunia consequentia non obstringetur: Ita Sanch. *lib.5.conf. c.1. dub.2.n.8.* Lezana *v.jejunii.n.6.* aliique. Ratio est, quia præceptum jejuniorum in diebus quadragesimæ dividuum est; quare potest urgere uno die, & non alio.

5. Dubitabis secundò, éstne probabile fœminam non obligari ad jejunium, si pertingat ad annum ætatis quinquagesimum; Respondeo, mihi non videri probabile: quia non invenio jus, nec consuetudinem, nec rationes hanc sententiam solidè confirmantes. Ita Fag. *4.Eccl. pr. l 1.c.8.n.11.* Laym. *l.4.c.1.n.2.* Io. Sanch. *d.54. n.1.*

Quòd enim dicunt fœminas faciliùs senescere, non convincit: quia ex alia parte jejunio, ut omnibus est compertum, non perinde ac homines, hoc est, non multum macerantur. Non inficior interim, si quæ debilior notabiliter sit, posse excusari: verùm non erit tunc ex ætate, sed ex mala valetudine dicta excusatio.

6. Dubitabis tertiò, religiosus, qui nondum explevit annum vigesimum primum, tenetúrne ad jejunia per suam regulam, mortaliter indicta; Respondeo: probabile est obligari: Ita Ioan. Sanch. *d.54.n.3.* Sà *v. Jejun. n.3.* Thom. Sanch. *in dec.lib.4. c.11.n.56.* Fag. *pr. Eccl.4. c.1.c.8.n.6.* quia aliud est vinculum Religionis, quo tenetur dictus Religiosus ex vi regulæ; aliud Temperantiæ ex vi præcepti Ecclesiastici: Non igitur si uno non astringatur, ab altero liberabitur: cùm non valeat illatio quæ à diversis. Sed notabile est etiam non obligari. Ita Ascan. Tamb. *tom.2. de jure Abb. d.12.q.2.n.4. in volt. edit.* Med. *l.1. sum.c.4 §.10.* Graff. *1.p.l.2.c.37.num.41.* apud Ioann. Sanch. *l.c.* quia præsumi potest nullam regulam velle sub mortali vrgere eum ad ieiunandum, quem Ecclesia obligare non solet. Vtraque sententia tuta est, & excipi sine timore potest. Limita, nisi regula expressè, vel tacitè (quod ex verbis ipsius colligetur includat etiam nos minores adolescentes: tunc enim ad jejunium hi ex vi voti à se emissi obligabuntur.

7. Quid, si regula præcipiat, ut à suis Religiosis serventur jejunia Ecclesiæ, tenebuntúrne Minores anno vigesimo primo, ex vi regulæ eadem Ecclesiastica jejunia custodire?

Respondeo, cum Ioan. Sanch. *l.c.n.2.* Fag. *l.c.n.6.* Diana *p.1.tr.9. res.16.* si id præcipiat regula, solùm, ut ita dicam, demonstrativè, tanquam id, quod de jure inest, hoc est, veluti memoriam revocet Ecclesiastica præcepta, nequaquam tenebuntur: quia hoc modo non additur nova religionis obligatio: sed pristina tantùm recollitur, proiis, qui aliàs per ætatem obligantur, at si id regula novo mandet præcepto, utique, ut ex se patet, tenebuntur.

8. Ex dictis colligo, an obligentur sexagenarij ad jejunia prædicta ex se sola regula obligantia? Dico enim probabile

probabile quidem est obligari; Ita Bordonus *in cons. Re-* *gin. 18. n. 6.* at esse etiam probabile neutiquam obligari, *Ioan. Sanch. d. 54. n. 8. fin.* At. Tamb. *de jur. abb. loc.* *6. in ult. edit.* Rodriq. *in comp. sec. 74. n. 10.* quia, ut dictum est, nisi contrarium expressè constet; lex Religio- proportionari præsumitur cum lege Ecclesiæ.

9. Simile quid in quibuscunque votis de jejunando si enim quis vovit singulis Sabbatis, v. g. jejunare toto hac vitæ tempore, additâ etiam clausulâ *in perpetuum*, probabile est excusari post annum sexagesimum. Ita San- *chez lib. 4. in dec. c. 46. n. 54.* Diana *p. 1. tr. 9. res. 20.* Fag. *in 3. lib. de pr. Eccl. q. 1. p. ult. n. 4. fin.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 2. n. 2.* Non enim jejunandi non præsumuntur (nisi contrarium constet quis intendat) emitti, nisi ad modum legis Ecclesiæ: & ratio ulterior est, quia post annum dictum manifestè subjectum incapax jejunij propter viresjam- pridem cadentes, atque adeò jejuniis non obligatum.

*Jejunium Voto Castitatis à Pontifice subrogatum, an obliget sexagenarios.*

10. Facit ad hoc argumentum Lectori non ingrata quæstiuncula: Illustris quædam virgo exoravit à Sum- mo Pontifice Voti Castitatis dispensationem, ad Matri- monium cum pari adolescente contrahendum, ita posi- tamque fuit in voti commutationem jejunium in qua- libet sexta Feria, constante saltem Matrimonio, servan- dum: Annos produxit Mulier usque ad sexagesimum, & amplius, pariquefortuna vir; uterque tam validis viribus, ut adolescentium agere videretur: quæsitum fuit: An obliganda Mulier esset ad prosequenda injuncta à Pontifice jejunia?

11. Fuerunt Theologorum, quibuscum ego quæstio- nem communicavi, diviſæ sententiæ: Negabant non- nulli Primò, quia veluti matrimonium constabat, ita constare juxta Pontificis præscriptum debebat jejunium: Secundò, quia incongruum esset eam mulierem gaudere voti dispensatione, castitatem non servando, & negli- gere opus loco Castitatis impositum: Tertiò, quia subro- gatum sapit naturam rei, cui subrogatur: *l. 5. C. de rei uxo- riæ actione, c. Eccl. 1. & 2. ut lit. pend.* si ergo perpetuum erat Votum, perpetuum esse debet & jejunium Voto subrogatum: Quartò, quia eiusmodi jejunij iniunctio vi- detur reduci ad hanc conditionatam concessionem: *Quandiu vis Matrimonio frui, tandiu exhibe jejunium*; non ergo reicere licet jejunium, si adhunc eidem datur Matrimonio frui.

12. Concedebant alij: Primò, propter illud fundamen- tum, quod modò attulimus, quia scilicet votum jejunij non obligat, nisi juxta mensuram præcepti Ecclesiæ, idem, qui propter parem rationem videntur esse in pœnitentiis à Confessore impositis; cùm igitur jejunium tali mulieri impositum, vel æquipolleat voto, vel pœnitentiæ, eas- dem conditiones participabit, atque adeò mensuram, terminumque habebit in anno sexagesimo: Secundò, non est præsumendam plus Pontificem velle obligare hanc fœminam, quam obligetipsemet Pontifex, prout ait legislator universalis, obligatque subdito ad jeju- nandum; sed ipse tunc non astringit Fideles post an- num sexagesimum, ergo, &c. Tertiò, quia ratio funda- mentalis, cur sexagenarius etiam robustarum virium ad jejunia non obligetur, est, quia tanta ætas ad debilita- tem vergit; jam peto, si hæc mulier, quando erat junior in gravem morbum incidisset, nonne excusata fuisset à tali jejunio? Vtique, ut omnes fatemur: ergo & nunc excusabitur post sexagesimum annum, etiamsi videatur esse robustæ valetudinis: Probatur hæc consequentia. quia sexagenaria verè intrinsecè infirma est, cùm ætas provecta juxta illud: *Senectus ipsa est morbus*, magnis in- firmitatibus æquipolleat. Quartò, nunquam præsumi- tur adesse præceptum obligans, nisi de obligatione con- stet: at dubium saltem est, an hæc obligatio urgeat præ- dictam Mulierem; ergo illam non obligat. Neque dicas prævalere præceptum, quod possidet: dico enim ego prævalere libertatem, & exemptionem senectutis, quæ est certa; dubitari autem de præcepto, an scilicet hoc dictam ætatem comprehendat.

13. Ad rationes negantium respondere possum. Ad primam, præscriptum Pontificis esse regulandum juxta morem ipsasmet Pontificis in quibus dat jejunia feren- dis; non ergo pro tempore tam provectæ ætatis. Ad secundum, nego Mulierem negligere opus impositum: impositum enim jejunium fuit solùm pro tempore ante- cedente annum sexagesimum, nempe juxta morem Ec- clesiæ. Ad tertiam (ut interim alias explicationes taceam) dico opus subrogatum debere sapere naturam rei, cui subrogatur, in favorabilibus. Vide *sup. 16. §. 4. n. 35.* non verò in odiosis, & ex alia parte communis est Doctrina, posse vota perpetua in actiones temporales à Confessa- rio, nedum à Pontifice commutari. Ita Sanch. *lib. 4. in dec. c. 46. n. 27.* citans Lessium, & Suarium. Ad quartam, ne- gandum est conditionatam illam concessionem esse per- petuam; dico enim esse regulandâ juxta morem Ecclesiæ, pro tempore scilicet an ipsa consuetudo; usque ad annum sexagesimum. Ex his igitur vides hanc sententiam esse intra probabilitas terminos admittendam.

*Infirmitas.*

14. Excusari à jejunio notabiliter infirmos, ac valetu- dinarios, res est certa, nimis, etiamsi ij in infirmitatem in- ciderint propria culpa. Ita DD. *mox* citandi. Idem dic de iis, quibus jejunium infirmitatem parit notabilem, ut ca- pitis vertiginem, stomachi dolorem, &c. Ita Fag. *pr. Eccl. 4. lib. 1. c. 8. n. 13.* Trull. *lib. 3. in dec. c. 2. d. 7. n. 4.* Sanch. *lib. 5. cons. c. d. 14. n. 10.* idem de illo, qui ita stomacho debili friget, ut unicam plenam refectionem, quanta ad plenam nutritionem est necessaria, sumere non possit; is enim co- getur sumere duplicem, atque adeò legitimè jejunium violabit. Ita Sanch. *ibid. n. 11.* Idem de eo infirmo, cui fortè conducerent ad sanitatem jejunia: Itaidem *ibid. n. 2.* tunc enim quia vere est infirmus, liberatur à præcepto jeju- nandi; esto, per accidens proficuum aliunde illi sit jeju- nium. Vnde, si non jejunet, peccat; peccabit enim con- tra Temperantiam, vel contra propriam Charitatem; non verò contra præceptum Ecclesiasticum de jejunando. Idem de eo, qui noctu dormire per notabile tempus non potest, nisi cœnet, nimis enim esset onerosum sic jeju- nare. Ita Fag. *l. c.* Ioan. Sach. *d. 54 n. 13.* Laym. *lib. 4. c. 3. n. 3.* Necte hunc obligo manè jentare, sèque serò plenè reficere: quo pacto jam jejunium sartum rectum, ut ex supradictis patet, conservare: Non Obligo, inquam, licet id commodè facere queat: quia nemo in jejunando est obligandus ad extraordinaria remedia, & ad relinquen- dum suum jus comedendi circa meridiem. Sic. Th. Sanc. *l. c. n. 10.* Ioan. Sanch. *l. c.* Fag. *l. c. n. 10.* Idémque denique de eo, qui de nocte absque perfecta cœna calefieri nota- biliter nequit, Ita Fag. *l. c.* Thom. Sanch. *l. c. n. 10.* quia id non contemnendum tanitatis detrimentum judicatur.

15. Addidi in prædictis casibus illud (notabiliter, vel notabile) quia notare volui, non quodlibet leve valetu- dinis detrimentum, quale est regulariter, v. g. duplex ha- berè cautemium, contra Ioan. Sanch. *d. d. 14. n. 1.* vel ex- temporaneus, & brevis, remissúsque dolor capitis vel quid simile; sed verò grave, (licèt fatear propter Ecclesiæ be- nignitatem, non necessariò gravissimum) debere esse illud, quod à præcepto jejunandi liberum hominem red- dat. Insuper non est expectandum ipsum actuale detri- mentum; sufficit enim timor rationabilis de damno per jejunium inferendo: timor, inquam, non levis; sed ma- li notabilis, notabilis timor.

16. Verùm enim ecce nodum non facilè à scrupulo- sioribus dissolvendum; Ecquánam ratione hujusmodi gravitas est mensuranda? De gravitate timoris satis dixi, cùm rationabilem eum debere esse dixi; & com- muniter conscientia ipsius jejunantis sufficiet, quâ bona fide, sive ex experientia præterita, sive ex probabili ratione putat sibi graviter nociturum jejunium: Ita

Ioan. Sanch. *d.* 51 *n.* 24. Idem nonnulli rectè dicunt de ipso damno: credendum enim est ipsi jejunanti, qui bona fide sibi persuadet jejunium, sine gravi damno se tolerare non posse. Ita Sanch. *l.* 1. *in dec. c.* 17. *n.* 21. Suar. *de leg. lib.* 3. *c.* 24. *fin.* Sà *v. Iejunium n.* 14. aliique. Adhuc tamen fecimus scrupuloso satis, qui licèt fateatur id judicio prudentis esse dijudicandum, faciliùs enim uni jejunium officiet, quàm alteri; tamen qua ratione id judicium fieri cum facilitate possit; à nobis doceri expectat, habeat ergo regulam illam quam, ut expeditissimam Doctores cit. & *passim*, communiter hîc afferunt.

17. Illa infirmitas, seu illud damnum salutis notabile est quod operationes ordinarias cujuslibet personæ impedit; ita ut, qui consueto suo operandi modo eas exercere commodè cum jejunio nequeat, graviter ab illo offendi censendus sit: Hinc, si scolasticus ex jejunio capite doleat, vel quomodocunque cum difficultate studeat: Si mulier ex debilitate jejunij servitia domus incommodè operetur: Si vir quilibet suum officium, artémque jejunando difficulter exerceat, & similia, ex hoc capite damni à jejunando legitimè excusabuntur. Nutrientes, prægnantésque huc reducuntur. Ita Cajet. *in sum. v. Iejunium. cap* 3. Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *q.* 6. Sanch. *lib.* 5. *conf. c.* 1. *dub.* 14. *n.* 12. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 14. propter salutem enim sive infantis, sive suam, jejunio communiter excusantur: carnes autem tunc solùm comedere iis conceditur quando sic complexio, & necessitas earum, vel infantium exposcit: idque etiam puto, antequam fœmina concipiat, si à Medicis judicentur jejunia matris nocitura proli suscipiendæ: quia multùm grave est, fœminam uxoratam, prolem probabiliter in utero concipiendam fovere non posse sicuti enim alia remedia, sic convenientia alimenta poterit, imò & debebit ponere: ne fœtus fortè concipiendus elanguescat.

*Ars laboriosa.*

18. Officium, seu ars, quam quis exercet, sit ex se laboriosa, hominem per se liberat à jejunio. Ita DD. cit. & *passim*, & ita quidem, ut etiamsi in illo exercitio quis inveniatur posse tolerare jejunium, adhuc ad illud non astringatur, ex declar. Eug. IV. *an.* 1440. *in comp. prim. Fratrum Min. v. Iejun. n.* 2. apud Fag *p.* 1. *Eccl.* 4. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 15. quia semper aspicitur à lege id, quod est communiter, & per se. Quare posito, quòd lex universaliter omnes artem laboriosam exercentes excluserit, non erit hic includendus. Adde rationem, quia laboriosis artibus vacantes, frequenti indigent refectione, ne in debilitatem, quando minùs putant, labantur. Hinc Arator etiam robustus, patientissimúsque in rediæ, contra Reg. *lib* 4. *c.* 16. *n.* 216. imò etiam ditissimus, ex *declar. cit.* non obligatur ad jejunium; quia per se omnes aratores excusantur, & ex alia parte Ecclesia non intendit privare Fideles suo officio, modóque vivendi. præterea, quamvis exercitia ex se non laboriosa obligationi jejunandi subjaceant; tamen, si quis ita sit debilis, ut suum officium aliis leve, ipsi sit laboriosum, à jejunio per accidens hoc est, ratione suæ complexionis, excusabitur: Ita Th. Sanch. *in conf. lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 6. *n.* 8. Reg. *l. c. n.* 219. quia pia Mater Ecclesia cum tanto dispendio obligare Fideles non intendit: Hinc Scriptores, verbi gratia, obligantur ad jejunandum, quia scribendi officium levis est laboris; fortè modice jejunans faciliùs scribet, quàm cibo refectus: tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sic duplici refectione suum munus obire nequeat; excusabitur certè per accidens, ratione suæ complexionis.

19. Hæc Doctrina ante oculos in tota hac materia perdiligenter habenda est; sit enim frequenter, ut in aliquo Doctore invenias excusari quempiam à jejunio, sed per accidens: tu verò credas excusari per se, regulámque ad omnes alios minùs legitimè deducas. Nudius tertius fuit, qui referret quendam Theologum non vulgaris literaturæ, excusasse à jejunio hominem equo iter agentem; addebátque Theologas (ut idem referebat) rationes, quia succussans equus ita malè hominem tractabat per integros dies, ut satis laboriosum illis fuisset illud iter equestre; quibus verbis clarè excusatio per accidens fuit, non per se, ille tamen, qui solutionem narrabat, acriter contendebat Theologum in ea esse sententia, ut iter equo agentes excusandi sint à jejunio. Cùmque ego inculcarem, ejusmodi excusationem nequaquam universalem, sed tali peculiari personæ addictam fuisse, nunquam constans vir veritati manus dedit. Deus immortalis! quantum refert, non apices rerum aspicere, sed interiorum earum viscera penetrare!

20. Si quæras, quænam sunt officia ex se laboriosa. Dico ea esse, quæ exercentur cum magna agitatione membrorum corporis; tunc enim multi spiritus consumuntur, unde & ciborum auxilio opus est; & inedia, quæ magis corpus exedit, non est addenda.

Porrò, plura sunt exercitia claré laboriosa, plura manifestè non laboriosa; plura denique de quibus, qualia sint, dubitatur; suo igitur ordine breviter singula delibamus.

*Exercitia per se laboriosa.*

20. Fabri Ferrarij, Lignarij, Murarij, Fossores, Agricolæ, seu Aratores, Lapidicidæ, Bajuli, id est, onera per diè integrum portantes, Pistores, seu panem conficientes; Texores, Molitores; Fullones, hoc est, qui toto die pannis, telis, vestibus lavandis vacant; Coriarij, Lanarij, hoc est, qui lanas lavando, tergendo, discutiendo curant; Argentarij, vel Artifices, hoc est, qui utentes malleo, lima, similive instrumento laborioso, argentum, aurum, imò & quodlibet metallum versant; Iter agentes pedibus, Cursores, (Italicè *quelli che corrono la posta*) Remigantes, Nautæque tota die remos, vel alia navis exercitia præstantes? Typographi, non quidem qui littera ordinant, (leve enim id opus est) sed qui torculari operam navant, Mercenarij, hoc est, qui, ut merces vendant, iis onusti per urbem toto ferè die circumeunt; Ornantes templa, quando scilicet scalas transferentes, pérque eas salientes cum magno labore hinc inde agitantur. Hi, inquam, omnes, similésque, quia laboriosas ex se artes exercent, à jejuniis meritò liberantur. Ita DD. citati, & citandi, *sparsim.*

21. Nota autem duo, vel tria; Primò, hic sermonem nostrum esse de his artibus absolutè acceptis, secùs si diminutè sumantur, si enim quis, v. g. in die jejunij, duo, vel tria induvia lavet; parvo labore frumentum, bestiarum, vel aquarum vi, molat; leviuscula vittas texat, quod cum modico fit labore; Merces vendat, longas vias nequaquam terens; non vocabitur absolutè Fullo, Molitor, Textor, Mercenarius, licèt integrum si diem in his consumat, nec consequenter à jejunio immunis erit, quia ejusmodi exercitia sic diminutè accepta, non sunt per se laboriosa.

22. Præterea ejusmodi opera jam certò laboriosa, totum diem, vel majorem ejus partem, vel certè in laboriosis artibus, bonam diei, partem, occupare debere, ut per se valeat excusatio, si enim laboriosissimus Faber per unam, vel alteram horam ligna, vel lapides cædat, non propterea eo die absolutè, quantum est ex hoc uno labore, à jejunio liberabitur.

24. Denique Artifices, vel similes ex officio laborantes si fortè à suis laboriosis exercitationibus aliquo die vacent, an dicto die vacationis jejunare teneantur? Ajo probabile esse, si vacent uno, vel altero, non obligari regulariter ad jejunia: Ita Fag. *Eccl. pr.* 4. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 9. Sanch. *in cons. c.* 1. *d.* 7. *n.* 20. quia ne deficiant illis vires, legitimè possunt vel eas servare ad sequetia opera, vel easdem reficere pro operibus antecedentibus. At si multis vacent diebus, obligantur jejunio; quia excusatio neque à præcedenti, neque à præsenti, neque à consequenti labore peti tunc potest.

*Exercitia per se non laboriosa.*

25. Scriptores, Notarij, Pistores, Statuas fingentes, sed sine magno mallei strepitu, conatúque (secùs ad Lapidicidas modo dicto reducerentur) Filum ex Lana, vel

Lino

Lino nentes, famuli comitantes, Dominum per Vrbem moderate, etiam cum rheda obambulantem; Item lecticarij, navi, equo peragentes; Cantores, Sartores; qui vestes consuunt; Ancillæ levia servitia domus exhibentes, Medici, Chirurgi, Confessarij, Lectores cujuslibet scientiæ, etiam qui plus Lectiones more ordinario legunt & in universum ij, qui ea officia exercent, quæ ingenij vi perficiuntur, ut Advocati, Procuratores, Scolastici, & similes; omnes, inquam, hi mihi videntur, artes mihi per se laboriosas exercere, adeóque à jejunio per accidens excusari posse, Fac enim peregrinantiæ per accidens excusari posse, Fac enim peregrinantem famulum Domino per Civitatem totum diem equitanti famulatum præstare debere; Fac Cantorem ex inedia à voce consueta deseri; Fac Advocatum, Lectorem, confessarium, nisi alimento se recreent, suis clientibus, auditoribus, pœnitentibus facere satis non posse; Fac navi iter agenti, sive gravem pati nauseam, sive cibo sufficiente destitui, &c. nonne, sed verò per accidens, iis jejunij immunitatem concedes?

*Exercitia dubiè laboriosa.*

26. Dubium sit: Primò, An concionatores munus istum pro laborioso habere debeant? Respondeo, in his distinguendum videtur: Si per totam Quadragesimam quotidie, vel etiam ter, quatérve in hebdomada, ut consuetam horariam plus minus, concionem habeant ad populum: affirmativè est respondendum, etiamsi vòluntariè, & propter lucrum (est enim opus per se pium) concionentur; ac propterea à jejunio tunc erunt excusandi. Ita Fagund. *prac. Eccl. 4. lib. 1 cap. 8. num. 19.* Sanchez *in Decal. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 4.* Si semel, vel bis in hebdomada, negarvè. Ita Diana *ibid.* Ratio est, quia frequens illa dicendi exercitatio juncta cum necessario mentis labore, labor videtur non contemnendus, qualis certè in raris concionibus non apparet; hinc una vel altera concio in diem jejunij fortè incidens, jus ad solvendum jejunium nequaquam dabit, nisi per accidens. Si quando scilicet debilitas, vel quid simile id tibi insulgendum persuadeat, id quod extendo cum Sanch. *lib. 5. consc. cap. 1. dub. 13. n. 6.* etiam ad diem præcedentem concioni, si debilitas, judicio prudentis, idem requirere videatur.

27. Dubium est secundò de Coquis. De quibus sic sentio: Si sint coqui Magnatum vilioribus ministris solùm assistentes, vel sint Coqui Communes pauca fercula parantes, non excusantur à jejunio: at si sint Coqui toto fere die per se exercitia culinæ exercentes, sive sint unius Magnatis, sive numerosæ familiæ; tunc certè satis probabile est eximi per se à maceratione jejunij, quia tunc est opus vere ex se laboriosa, cùm in præcedenti casu non sit.

28. Dubium est tertiò: De Sartoribus, hoc est, de iis, qui calceos consuunt, quos quidem, quamvis ego censeam non excusari; horum enim artem, quæ sedendo exercetur, non apprehendo esse valde laboriosam; tamen quia invenio multos, hósque magni nominis Doctores. Less. *lib. 4. cap. 2. d. 6. num. 43.* Fagund. *pr. Eccl. 4. lib. 1. cap. 8. n. 15.* Laym *lib. 4 tr. 8. c. 3 n. 3.* Sanch. *in consil. 5. c. 1. dub. 7. n. 5.* Trull. *lib. 3 in dec. cap. 2. dub. 7. num. 7.* illis admodum favere, edendique libertatem per se concedere; ideo hanc est opinionē probabilem, ac tutam, negare non possum. Suffragatur & ratio: quia hæc ars solùm manibus, & brachiis; sed cruribus etiam, & pedibus, adeóque notabili conatu corporis exercetur. Excipe, nisi Sutor solùm findat corium levi labore, deinde à ministris suendum: vel tam molle sit corium, ut non calcei, sed pannus, vel vestis consui videatur; nunc enim hæc Sutoria assimilabitur arti Sartoriæ, quam à jejunio per se paulò antè non liberavimus. Dico denique propter authoritatem Doctorum esse probabile nullos artifices, atque adeò Sutores obligari ad jejunia; quia Eugenius, vel concessit (aiunt) iis privilegium non jejunandi; vel declaravit eos non comprehendi à lege jejunij. Ita Trull. *loc. c. n. 9.* citans Fag. & Sà, Azor. *p. 1. lib. 7. c. 17 q. 8.* Laym. *l. 4. tract. 8. cap. 3 n. 3.* Sanch *in consil. 5. c. 1. dub. 7. n. 7.* alique.

29. Dubium est quartò: De Barbitonsoribus? Et quidem hos per se non excuso: tum quia ipsa conditio talis artis non mihi apparet valdè ex se laboriosa; ut mihi non apparuit paulò antè Sartoria: tum quia regulariter satis successivè, & interpolatim, non autem continuò per integrum diem hæc solet ars exerceri. Fateor tamen facillimè iis excusationem accidentariam convenire posse, cùm pedibus stantes, non verò sedentes laborare cogantur: Dices, Eugenius IV. *supra* allatus, declaravit omnes artifices eximi à præcepto jejunij. Respondeo, negandum id esse, quia Pontifex tantùm loquitur de artificibus exercentibus artes laboriosas: quare semper remanet nobis facienda de artis labore discussio, nisi fortè authoritatem Doctorum *n. præcedente* dictam velis amplecti.

30. Inquires: Si quis artem, seu vivendi modum laboriosum non est ex sua conditione sortitus, potéstne ex sua voluntate laboriosum opus aliquo die assumere, & consequenter eo die abstinentiæ legem licitè non custodire?

Respondeo: Si id fiat ex aliqua notabili ex causa, posset Vt, si quis carens, v. g. Ornatore Templi, ipse cum diurno labore, ne festum relinquatur; exornet: idem erit, si pietatis gratiâ iter pedestre ad sacram Imaginē arripiat; si se flagellis usque ad sanguinem notabiliter cædat; si ad serviendum infirmis totum diem, etiam cum proprio lucro laborando consumat: ipsa enim pietas satis rationabilem dat causam. Ita D. Th. *in 4. d. 15. q. 3. art. 1. q. 2. c. non mediocriter, de consc. dist. 5.* Ioan. Sanch. *d. 64. n. 22.* Th. Sanch. *in consil. lib. 5. c. 1. dub. 11. & 12.* ex part. Idem judico, si quando aliquod grave commodum laborando acquiram, vel incommodum à me grave abducam: tantæ enim gravitati indulgere censetur Ecclesia. Ita Less. *lib. 4. de just. c. 2. num. 43.* Fill. *t. 3 27. p. 2. c. 6. num. 120.* Trull. *l. 3. in dec. cap. 2. d. 7. num. 13.* At si sine causa, ut si quis pedester ad venandum solùm ob voluptatem se conferat, vel pila ludat, vel hastiludio vacet; multò magis si cum peccato, ut si ad adulterandum, vel ad furandum dictum pedestre iter arripiat; distinguendum erit: nam si hæc fiant eodem die, quo urget jejunij præceptum, cùm id sit ponere directum impedimentum executioni præcepti, dum præceptum urget, illicitè contra præceptum de jejunando fient? Lege Less. *lib. 4. c. 2. n. 43.* Laym. *..4. tr. 8. cap. 3. n. 4.* Trull. *l. c. num. 13.* si verò fiant tempore remoto, nec multùm proximo ipsi diei, quo jejunium urget: non illicitè fieri *supr. §. de causis excusantib. ab auditione Sacri.* per occasionem diximus; quem ut recolas, omnino velim.

31. Olim non excusavi à jejunij lege adolescentem nobilem, qui magna animi propensione per integros quandoque dies, etiamsi cum jejunio dies concurrerent, per summam voluptatem, arti ferrariæ operam navaba t, & sclopetos, similiáque bellicæ artis acquisita instrumenta, artificis instar peritissimi fabre faciebat. Fabrum ex officio dixi, in eodem hoc opere lubens excuso; te verò excusare nequaquam debeo, quia illi quamvis diviti ars propria, qua neminem privare intendit Ecclesia, excusationem affert: te verò non officium tuum, non ars propria, non labor ex aliqua rationabili causa susceptus, nō aliud caput à jejunandi lege potest eximere.

Scio quosdam excusare eum, qui semel, aut iterum assumit pilæ ludum, v. g. vel venationem, licèt prævideat se sic non posse eodem die jejunare: quia præceptum (inquiunt) jejunij non obligat ad abstinendum ab iis honestis actionibus; Ita Trull. *l. c. n. 10.* cit. Medin. & Led. Scio, inquam; sed iis assentiri nequeo; siquidem, dum urget præceptum, vel est in proximo, obligor non apponere impedimenta ad illius executionem, ut dictum est satis *supr. d. §. 2.*

32. Illud tanquam certum libens admitto; si etiam cum peccato te ita defatigasti, ut non possis jejunium

pati : peccasti quidem, dum impedimentum jejunio exhibendo apposuisti : at poteris deinde sine novo peccato comedere, quia tunc verè incapax es maceratione jejunij.

*Paupertas.*

33. Duplici via paupertas jejunium tollit : Primò, si pauper, quia indiget, laboret die jejunij : unde propter defatigationem se cibis reficere opus habeat : Secundò, si careat cibis, quibus integram, eandémque sufficientem refectionem assumat : nam tunc, quia cogetur pauca identidem per diem comedere, jejunium dissolvet. Vtraque excusatio, ut ex se patet, legitima est. Ita S. Thom. 2.2.q.147.art.4.ad 4. Fag. *præce. Eccl.* 4.l.1.c.8.n.12. Sanch. *in consl. lib.5.cap.1.dub.15.n.1.* aliíque.

34. Sed adhuc dubitabis : Primò, de eo, cui solùm suppetit panis, & aqua, an is obligandus sit ad jejunium ? Quid, si præter panem, suppeteret & vinum, vel potus vino similis ? Quid denique, si præter panem, & vinum, non desit aliquod unum obsonium modici succi; ut, v.g. piscículi, vel olivæ, vel nuces, vel cæpe, vel allia, &c.

Respondeo, non obligarem habentem solum panem, nec habentem insuper & vini copiam ; quia nimis esset onerosum, & laboriosum cuiusmodi jejunium. At habentem aliquod unum ex dictis obsoniis obligarem, si rarò, verbi gratia, semel aut iterum id contingat ; non autem, si sæpè. Ratio est, quia si sæpè, maceraretur nimis, atque extra modum corpus : quæ certè nimia maceratio non habet locum, si id rarò contingat ; præsertim in homine rustico, firmæ sanitatis, & his vilioribus obsoniis assueto. Quòd si cui in promptu essent non pauca ex dictis obsoniis, tum olivæ scilicet, nuces, tum piscículi, & similia ; non audeo facultatem eidem non jejunandi concedere : (quidquid non nemo in contrarium sentiat) quia sufficiens haberi alimentum à multis cibis vilioribus potest, quod ab uno, vel altero pretiosiore potuisset.

35. Dubitabis secundò : Qui habet unde vivat, non verò unde restituat, vel alat familiam, potéstne primò laborare, & consequenter jejunium negligere, ut pretio laboris, quod debet, exsolvat, familiámve sustentet ? Potéstne secundo de victu sibi detrahere, & consequenter propter parvitatem victus non jejunare ; ut sic pecuniam cumulans, dictis suis debitoribus, familiæque satisfiat ? Respondeo. Posse utrumque puto, quia restitutio, quæ est debita ex justitia, & sustentatio familiæ, quæ est ex charitate, prævalent debito jejunii, quod non est inductum ab Ecclesia cum tanto rigore : Lege *cap. non mediocriter, de consecr. dist.5.* certè propter opera pietatis posse dissimulari jejunium, modo *num.1.* diximus. An sicuti potest, ita etiam debeat ? Colligetur ex mox dicendis *num. sequenti.*

36. Vrges : Sequeretur ex his, primò, pauperem, quando aliunde non habet, posse laborare die festivo, imò & omittere sacrum, solùm, ut reddere debitum, vel familiam alere valeat ; par enim videtur ratio de his, & de jejunio : Sequeretur secundò ; ad id etiam obligari ; potens enim adhibere media apta ad solvenda debita, à justitia obstringitur, ut ea adhibeat.

Respondeo ad primum, concedendum esse sequelam ; solùm adverto, Sacrum non esse tam facilè omittendum ; quia præceptum audiendi sacrum die festo suam gravitatem habet, quæ non videtur regulariter vinci à modico illo lucro, quod à labore tam modici temporis, quo Missa durat, acquiri ordinariè potest. Respondeo ad secundum cum distinctione : nego enim ad id obligari, ut quis restituat ; poterit enim debitor sibi persuadere creditorem nolle esse tam severum, ut obstringat ipsum ad conquirendam pecuniam medio tam extraordinario, quale est, laborare die festivo, in quo omnibus conceditur quies ad vacandum Deo. At verò concedo te obligari ad laborandum, quando tanta necessitas premit, ut sine illo festivo labore notabile damnum tua familia patiatur ; tunc enim urget, ut bene tu mones, ratio Charitatis.

*Conjugium.*

37. Conjux non rarò excusatione ducta ex ipsa conditione conjugii, liberatur à jejunio.

Liberatur autem : Primò, in eo casu, quo non possit alteri reddere debitum, si jejunet. Ita Thom. Sanch. *l.9.de matr.d.3.n.10.* Less. *lib.2. cap.2. n.44.* Jo. Sanch. *d.54.n.23.* aliíque. Ratio est, quia jus justitiæ prævalet præcepto Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore jejunium. Imò tunc peccaret conjux jejunándo. Ita Ledesma *2.p.4.q.17.art.2. ver. ex prædictis colligitur*; quia faceret contra jus alterius, dum ad reddendum illi debitum se notabiliter impotentem reddit. Tunc autem hic casus locum habet ; quando conjux notabilem debilitatem contraheret ex eo, quòd cum jejunio debitum redderet, Debitum, inquam, moderatè ab altero petitum : quæ moderatio attendenda est, spectata qualitate conjugum, juvenes enim, fortiorésque sæpius, senes, imbecillioréque rariùs matrimonio uti convenit. Cùm ergo quis non teneatur reddere nisi juxta qualitatem suæ complexionis, ad quod solum, & non ad amplius virtualiter consensit conjux, cùm matrimonium contraxit ; ideo solum tunc debitum conjugale conjugem à jejunio immunem reddit. Quod si precibus, aliove modo posset conjux removere alterum à petendo debitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque adeò posset non jejunare, & sic reddere. Ita Thom. Sanch. *l.c.* Ratiò est, quia personalis obligatio reddendi est ex justitia, quæ non obligat nisi ad reddendum personaliter debitum ; non verò ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat.

38. Negligi item jejunij præceptum non potest, ut potentior, seu etiam, ut potens quis sit ad petendum debitum à conjuge. Ita Thom. Sanch. *ibid.* quia solùm obligatio justitiæ reddendi debitum excusat à jejunio : at conjux non habet obligationem justitiæ petendi, sed solùm reddendi debitum.

39. Scio quendam concedere solutionem jejunij ei conjugi, qui nisi comedat, est ineptus ad petendum debitum moderatè, quia sicut Faber dives (inquit) ne suum officium, ad quod jus habet, deserat, potest laborare, & consequenter non jejunare : sic conjugatus, ut suum officium usus matrimonij, ad quem jus habet, non amittat, poterit non jejunare, non quidem ut fit valentior, & potentior ad extraordinarias copulas, sed ut sit potens ad petendas copulas moderatas, ad quas jus habet.

40. Verùm, nulla ratione placet hæc concessio : non solùm, quia omnes ferè conjugati sic liberarentur à jejunio, si quidem pro omnibus est illud : *Sine Cerere, & Bacchо friget Venus* ; idémque possent conjuges prætendere quoad copulam carnium, quod certè esset inauditum ; verùm etiam, quia cùm usus matrimonij, quoad petitionem, sit liber in conjugibus, prævalet lex jejunij, quæ eos obligans. Sicuti, quia Fideles omnes tenentur interesse sacro diebus Dominicis, non potest quis excusari ab illo, quia vult uti sua libertate, quâ se conferat iisdem Dominicis diebus ad venandum ; & sicut, quia Sacerdotes omnes tenentur recitare Horas Canonicas, non potest quis aliquem Sacerdotem excusare ab iis recitandis, quia is vult uti sua libertate, qua Breviarium suum in Mare projiciat : & ratio horum omnium est, quia idem præceptum, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media proxima, & necessaria ad illum, & ne tempore, quo præceptum urget, ponantur impedimenta voluntaria ad ejus executionem, ut alibi à nobis dictum est.

41. Neque obstat paritas ducta ab Artifice divite : quia lex jejunij absolutè non obligat Opifices laborantes ; unde non est mirum, quòd eosdem non obliget ; si divites sint ; per accidens enim est eos esse locupletes, at lex jejunij obligat per se etiam conjuges ; unde ij ob solam rationem conjugijs nisi alia addatur excusatio, dictam legem à se non possunt excutere.

Illud approbo, si advertat conjux periculum incontinentiæ in alio, posse petere, etiamsi, ut petat, opus sit jejunium frangere ; quia tunc illud periculum in altero

æquivalet,

æquivaler petitioni,& petitio hujus redditioni,ad quam urget justitiæ ratio. Idem puto ( non enim absimilis est ratio ) si nisi petas,ingeras malam suspicionem in altero, quod adulteraveris, vel aliam adamaveris.

42. Liberatur secundò, Vxor, si ex jejunio reddatur in extraordinariè pallida maciéque confecta, ut timori immodicè sit obnoxia, ne à Viro minùs notabiliter ametur:Ita Sanch.*in jejunium,n.*9. Thom.Sanch. *lib.*9. *de matr. d.*3.*n.*11. Bo. Sanch. *d.*54.*n.*24. præceptum enim jejunij quieto matrimonij statui, quem certè sine debito amore perfectari necesse est, obstare non debet.

43. Liberatur tertiò si eadem vxor ita prohibeatur à viro jejunare, ut si jejunet, rixæ exoriantur,& notabiliter discordia:ita Th.Sanch.*l.c.n.*13. alter Sanch.*l.c.n.*26. Fag.*n.*4.*Eccl.lib.*1.*c.*9.*n.*9. quamvis enim peccet vir, si ob hanc sufficienti causa faciat,uxor tamen si obediat,non delinquet,propter rationem *n.præced.* dictam.

44. Liberatur quartò, Vxor Catholica, si prohibeatur à viro hæretico jejunare, idque non in contemptum Ecclesiæ, vel præcepti jejunandi, sed ob alias causas, puta ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispendium eosdem emendi vel quid simile.Ita Azor. *p.*1.*l.*7.*c.*18.*q.*7. Fag.*l.c.n.*10. Trull. *lib.*3. *in dec.c.*2. *dub.*7. *n.*22.Ratio est eadem,vel ferè eadem, ac modò dicta.

45. Liberatur quintò, ut id hæc occasione dicam, puella nubere volens, si ex continuato jejunio Quadragesimæ (nam in jejunio uno vel altero, quod incidit intra annum,id vix locum habere potest) speciositatem fori notabiliter amitteret : Ita Th.Sanch.*l.c.n.*12. Ratio est,quia puellæ honestum Matrimonium abcupanti, nobile damnum infert speciei deperditio. Sed quod sit quam tantæ jacturæ ? Respondeo , quando ita colorem deperderet, maciémque contraheret,ut,ea visa,statim de facie macie extra suum morem non curretur.

*Opera Pietatis ; remissivè.*

*Difficultas invitandi.*

46. Licere ob pietatis opera jejunium de præcepto negligere,satis per occasionem tetigimus *cap.*3.§.4.*n.*6.

47. Quoad difficultatem. Certum est,molestiam aliquam in jejunio residere, atque hac nihilominus cognita præcipi jejunium Fidelibus ab Ecclesia : quare non est, cur ob quamlibet difficultatem à jejunio te eximi imprudenter putes. Agimus igitur hic de magna , ac valdè extraordinaria difficultate : de qua sic distingue : Si difficultas oriatur ex malo habitu tuo , tuáque gulositate, etiamsi sit magna obligaris tam vincere , ac jejunare. Ita Fill. *tract.*27.*p.*2.*c.*6.*q.*9. *n.*125. omnes enim tenemur malos habitus,quamvis inveterados, extirpare. At si difficultas oriatur ex prava corporis dispositione, quia, v.g. stomachi notabilem, atque extraordinariam debilitatem sentias ; insolitam lassitudinem , & similia ; excusaberis à jejunio, etiamsi ejusmodi debilitas provenerit ex malo habitu nimis comedendi.Sic intelligo Bonac. *t.*2.*d.ult.de p.Eccl.q.*1. *p. ult. n.*15. Ratio est, quia tunc ejusmodi incommoda reducuntur ad corporis infirmitatem , de qua *supra* satis, supérque disputatum.

*Transitus per Terras Hæreticorum.*

*Servitus Catholici apud Infideles.*

48. Quando nullum adest , timetúrve incommodum, & quando,si jejunetur, apparet Religionis contemptus, jejunium esse observandum , etiam inter infideles, nulla est dubitatio. At sit vitæ periculum , vel alterius mali gravis,sine dicto contemptu, poterit, vel peregrinus,vel servus inter Hæreticos,seu Infideles,& jejunium,& frangere,& carnes comedere die Fidelibus vetito, Azor.*p.*1. *l.*7.*c.*18.*q.*7.Trull *l.*3.*in dec.c.*2.*dub.*7.*n.*22. quia præcepta Ecclesiæ positiva non obligant , ut nimis sæpè diximus, cum tanto dispendio. Hinc,si Remiges Christiani in triremibus Infidelium , vel servi in eorundem domibus alium cibum præter carnes non haberent,vel si jejunando insodium notabile Domini Infidelis incideremt, à jejunij præcepto propter dictam rationem eximerentur.

*Bona fides : Ratio hospitij.*

49. De bona fide si habet Sà, v. Jejun.n.14. *Qui se putat justam causam habere non jejunandi, non peccat mortaliter,non jejunando :* sic ille,Imò nec peccare venialiter, si nulla prorsus fraude ita putat , certum sit. Nam si negligentiam adhibuerit in exquirenda causæ sufficientia, jam aliqua adest fraus , juxta cujus gravitatem , si adsit, vel levitatem, pensanda est culpa, ut universim explicuimus, *l.*1.*c.*....

50. Atque ex hac fide bona excusandes esse aliquos sanctos viros priscis imbutos moribus ; puto, qui Charitate urgente , ut hospites ex itinere , ut plurimum pedestri defatigatos ad cibum allicerent , jejunium etiam obligans se posse frangere existimabant : nisi eosdem excusari potiùs velis , quòd non jam jejunium de præcepto Ecclesiæ , sed de regula ad mortale non obligante violaverint.Nam cæterùm mihi non probatur solam hospitij rationem posse causam fractionis esse jejunij , sive ex præcepto,sive ex voto, sive ex pœnitentia debiti : Ita Azor.*p.*1.*lib.*7.*c.*18.& 19.*q.*1.& 2.Fag.*pr.Eccl.*4.*lib.*1.*c.*10. *n.*11. Ratio præcipua est , quia in hac potissimùm ætate nostra tam culta facilè hospes,nisi sit inhumanus,& barbarus , potest persuaderi jejunium à te , non ex aliquo capite Hospitis offensivo, sed solùm ex obligatione tibi injuncta,servari: ratóque admodum ne dicam,nunquam, timeri aliquod damnum videtur posse ex tua sola abstinentia,si humaniter cætera hospitij jura custodias.

*Ratio loci : Excusatio dubia , remissivè.*

51. De excusatione ratione loci,satis per occasionem dictum est in superioribus, *c.*1.§.2.*n.*10. cùm de excusatione ab assistentia Missæ tractaremus. De excusatione dubia,vide nonnulla *mox num.*6.*fine*, & ea quæ *supra* diximus *lib.*1.*c.*3.§.7.*v.Iejunium.*

*Dispensatio.*

52. Dispensationem de non jejunando concedi á Summo Pontifice posse, ex justa causa , licitè, & validè, sine causa autem,saltem validè, ex supradictis *cap.*3.§.2. *num.*3 2.satis constat.

53. Et quidem causa justa duplex est : Altera ex parte Summi Pontificis ; altera ex parte ejus, qui dispensationem postulat. Ex parte hujus causa debet esse excusans, seu aliquo tandem modo impeditiva , de qua *mox num.*6.Ex parte Pontificis non est improbabile satis esse quamcunque , etiamsi non sit impeditiva jejunij : quare sufficit,si Pontifex moveatur ab aliqua sibi bene visa ratione , ita ut solùm , quia vult se benignum alicui benemerito ostendere , sufficiat aliquando ad dispensandum, Lege Sanchez *l.*8.*de matr. d.*18.*n.*7. Pont. *l.*8.*de matr.cap.* 14.Castro Pal.*t.*1.*tr.*3.*de disp.d.*6.*p.*8.§.1 *n.*3.Dianam *p.*1. *tr.*10.*res.*35. Trull. *l.*3. *in dec.c.*2.*dub.*7.*n.*18. cujus rei ratio est,quia similes dispensationes concessæ pro personis particulari , non lædunt bonum commune , ne sunt in alicujus præjudicium, nec bonum ordinem Rempublicæ turbant:convenit enim ipsi Reipublicæ bono. Principé aliquando se benignum exhibere : ergo cùm hæ dispensationes sint circa leges humanas ab ipso Pontifice dependentes ; non est unde tunc committatur ne levis quidem culpa. Proportionali modo esse discurrendum de dispensationibus concedendis per Episcopos à jejuniis, solo jure Diœcesano,(non autem universali,de his enim *mox n.*55.) inductis,paritas rationis ostendit.

54. Atque ex his fit , peti posse dispensationem ex nulla causa à Summo Pontifice , & ab Episcopis in eorum proprio jure sine ulla culpa, Ita Sanch. *ib.*8.*de matr d.*18.*n.*9. tum quia integrum mihi est proponere desiderium,

rium meum ; cæterùm ad Superiorem pertinet inquirere causæ sufficientiam:tum quia supponere possum semper adesse dictam causam benignitatis ex parte Prælati proprio jure. Fit insuper, posse quempiam uti prædicta dispensatione;Ita Suar. *lib.9. de leg.c.*19. *n.*14. Pont. Dian. Barb. Navar. Val.aliique quos citat, sequiturque Trull. *l.c.* tum quia suppono semper adesse dictam causam ex parte Pontificis,vel Episcopi : tùm quia dispensatio sine causa concessa à legitimo Superiore, quales sunt in proprio iure Prælati , jam est valida , ut *supra* vidimus non igitur peccabit, qui dispensatione iam valida utitur,cùm per dispensationem validam, validè à lege exemptus sit; esto, Superior peccaverit.

Dixi (sincere) nam si falsum exprimas,vel verum taceas, longè alia est ratio, de qua re alibi.

55. Loquamur iam de Episcopis, Prælatis Regularium, Episcoporúmque Jurisdictione gaudentibus, (qui sint hi,vide in simili *sup.c.*3.§.2.*n.*32.) quoad universalia ieiunia indicta toti Ecclesiæ.

Primò:Dicti Prælati Papa inferiores, non solùm possunt dispensare in ieiuniis proprii iuris, ut modò dictum est ; sed etiam possunt cum suis subditis aliquando dispensare in ieiuniis lege universali institutis.Ita S.Thom. *in* 4. *dist.* 15.*q.*3.*art.*2.*q.*4. *ad* 5. Suar. *lib.*6. *de leg.c.*14. *fin.* Sanch.*lib.*5.*cons.c.*1.*dub.*5.*n.*16. Fag. *pr.Eccl.*4.*l.*1.*c.*9.*n.*2. Ratio est,quia potest Prælatus inferior dispensare in lege superiore,quando non est recursus ad Superiorem,casusque dispensandi est frequens,qualis certè est hic de ieiunio. Intellige semper,dummodo in huiusmodi universalibus legibus existat causa , se tenens ex parte subditi; quia dispensare in lege Superiore , hîc solùm concessum est, ut subditorum necessitatibus subveniatur.

56. Inter hos potentes dispensare dicto modo in ieiuniis universalibus, connumera Parochum, etiam præsente Episcopo. Ita plures, quos citat, & sequitur Joan. Sanch. *d.*54.*n.*36. Th.Sanch. *lib.*8.*de matr.disp.*9.*n.*27.Et ratio præter præscriptam consuetudinem est, quia secùs nimis gravarentur Fideles, imò & Episcopi , si hi essent pro ejusmodi minutis, & frequentibus dispensationibus semper adeundi.

57. Secundò , quilibet ex dictis , imò & à delegatis ab ipsis, eo modo, quo cum subditis suis dispensare potest , poterit etiam secum ipse immediatè , vel mediatè, committendo scilicet suo Confessario , ut dispenset ? id quod satis sit hîc innuisse.Lege Castr. *tr.*3.*disp.*6.*de disp. p.*7.§.1.*n.*2. Diana *p.*1.*t.*9.*res.*15.Laym. *l.*1.*tr.*4.*c.*22.*n.*3 2. Asc.Tamb.*t.*2.*de jure Abb.d.*12.*q.*8.*n.*1.*& 2.in nova edit.*

58. Tertiò ; quamvis Episcopi non possint abrogare jejunia universalia Ecclesiæ ; quia nihil potest,absolutè loquendo, Inferior in lege Superioris;tamen concurrente gravi causa,valet pro tota sua Diœcesi aliquando dispensare. Sic paucis ab hinc annis dispensatum fuisse ad edendas carnes tempore Quadragesimæ,grassante peste, Panormi ; fame premente,Messanæ, scimus omnes.

Multò magis poterunt ex causa transferre.Ita Sanch. *in cons.lib.*5.*c.*1.*d.*7.*n.*17. Vndè rectè factum est Panormi, ut in die Natalis Sanctæ Christianæ Civitatis Patronæ, quæ incidit in Vigiliam sancti Jacobi , non jejunetur, sed ob celebritatem Festi transferatur jejunium in diem præcedentem.

59. At poteritne Episcopus commutare , hoc est, sine ulla causa,concedere mihi , vel toti Diœcesi,ut loco jejunij aliquod opus spirituale,sive æquale jejunio, sive majus exhibeatur ? Respondeo, non posse in jejuniis indictis jure communi, vel jure Provinciali ; Posse in jejuniis à se, vel Prædecessoribus, vel Concilio Diœcesano inductis.Lege Suar. *lib.*6. *de leg. c.*16. *init.* Castr. *t.*1.*tr.*3. *d.*6.*de disp.p.*9.*n.*4. Indicat Sanch. *l.*3. *de matr. d.*10.*n.*11. & *c.licet,de fer.*Ratio prioris dicti est ; quia Episcopi solùm ex causa excusante subditos dispensare ex legibus Superioris valent (vide quæ dixi, cùm de dispensatione ad laborandum die festo:) si ergo nullam supponis causam , ex parte subditi , nullam supponis authoritatem. Ratio dicti posteriori est : quia leges à se dependentes abrogare potest ex quacunque causa , quamvis subditos non excusante , ut modò *n.*53. dictum est ; opus autem bonum, in quod commutari jejunium supponimus , jam aliqua causa est.

60. Quartò : quænam debet esse causa excusans, séque ex parte subditi tenens, in hac materia ? Respondeo: satis erit una ex illis causis excusantibus à jejunio, hactenus explicatis, licèt non totaliter , sed aliquo tandem modo insufficienter excusans.Ita Sanch.*in cons.lib.*3. *cap.*1.*dub.*6.*num.*2. Item satis erit , si dubium sit,an dicta causa sufficiat ad excusandum absolutè subditum à jejunio ; Ita *ibid.* vel ad sufficiat Superiori ad expediendam dispensationem.Ita idem *ibid. dub.*5. *n.*26. Trull. *lib.*3.*in dec.c.*2.*d.*7.*n.*19. Less. *v. Iejunium,n.*10. Ratio horum est, quia si causa est magna, & gravis , non indigemus dispensatione : si nulla , non potest ea licitè dari : ergo,ut aliquid operari possit potestas dispensandi , satis erit, si causa non sit adeò gravis,vel sit dubia.Quando superiores advertunt , causam minùs esse sufficientem ad absolutam dispensationem , misceant aliquam commutationem,puta Orationem, eleemosynam, &c.

61. Majorem causam requiri in dispensatione ad carnes , quàm ad frangendum jejunium , admonitione non indiget.Quid de lacticiniis , comparatione facta ad jejunium? Aio, majorem requiri causam ad dispensandum jejunium, quàm ad edenda lacticinia : quia cum lacticiniis stare jejunium potest;atque adeò minùs dispensatur in iis solùm edendis,quàm in violando jejunio.

62. Quintò dènique , Confessarius , ex Sanch. *cons. lib.*5. *c.*1. *dub.*... *n.*28. & *lib.*8.*de matr.d.*9.*c.*27. Fag. *pr. Eccl.*4.*lib.*1.*c.*9.*n.*3. Trull. *lib.*3.*in dec.c.*2.*dub.*7.*n.*18. Medicus, ex iisdem *ibid.* vel quilibet vir prudens , ex iisdem *ibi* : ut etiam Abbatissa,ex Joan.Sanch. *in sel. d.*54.*n.*37. *fin.*Lezana *v. Abbatissa, n.*14. dispensare in jejuniis non valent:solùm possunt, quatenus sunt periti,declare causam adesse sufficientem ad non jejunandum. Ratio est manifesta , quia ad dispensandum requiritur jurisdictio spiritualis , qua hi carent ; at ad declarandum, sufficit peritia.

63. Verùm, quid fiet in casibus , in quibus nec adest Superior , qui dispenset ; nec vir peritus , qui declaret ? Respondeo: sufficit ipse subditus bona fide putans sufficientem sibi adesse causam , ut colligimus ex Sà allato *n.*49. Sed jam , librum hunc quartum feliciter , si Deo placet, cum gratiarum actione claudamus.

FINIS LIBRI QUARTI.
Ac totius Operis primæ Patris.

*Laus Deo , Beatissimæ Virgini , ac Beato Aloysio.*

# DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

## SECUNDA PARS.

# LIBER QVINTVS

## IN DECALOGUM.

### *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.*

### CAPUT I.

*Præmittuntur quædam Charitate Proximo debita.*

AD Præceptum hoc quartum, immò & ad cætera quæ in secunda Tabula Decalogi continentur expeditiùs explicanda; necessaria est saltem compendiaria de dilectione proximi tractatio: id in hoc capite agam, quasi in frontispicio consequentium Librorum, Deo duce, & auspice, non detrectabo.

1. Sicuti autem certum est, nos obligari ad proximum diligendum, juxta illud Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; ità mihi certum videtur, non adesse obligationem eum diligendi per aliquem actum internum; expressè rendentem in ipsum proximum. Ita D. Thom. 2.2. *q.*26. *in corp.* Suar. *de Charit. d.*1. *sect.* 4. *n.*4. Coninch. *de Charitate, d.*24. *dub.*4. satis enim, supérque est, si ames Deum, ejúsque voluntatem velis exequi; in hoc enim jam involvitur amor proximi, qui est de Dei voluntate. Quare si te abstineas ab eliciendo actum odij contra ipsum proximum; & si erga eundem exequaris opera externa benevolentiæ (de quibus *mox*) facto ipso & sæpe etiam internè (cùm hæc opera fieri subindè soleant sine aliquo tandem interno benevolentiæ actu proximum sufficienter amabis.

2. Duo ergo hîc explicationem postulant; Primò, qua ratione abstinendum sit ab actu odij; & de hoc agam §. 3. cùm *de charitate erga inimicos* erit sermo: Secundò, quanam ratione opera in bonum proximi sint exhibenda? Quoniam verò duo sunt bona proximi, temporalia, & spiritualia; de eiisdem erit sigillatim hîc disputandum; an scilicet, quomodo bonis temporalibus, & spiritualibus propriis, in utrorumque concursu, sint aliena præferenda.

#### §. I. *Quando occurrunt bona temporalia proximi, & nostra?*

§. 1. SIæqualiter ego alter privatus (nam de Reipub. *mox*) realique indigeamus; mihi providere ea possum; neglecto proximo. Ratio est, quia ordo Charitatis prior est, cæteris paribus, ad se, quàm ad alium. Hinc mea, & proximi vita extremè periclitante, si utrique nequeo, mihi sine ulla culpa consulere, absque dubio, possum.

*In concursu vitæ privatorum.*

2. Difficultas est autem prima; Quando inæquales sunt necessitates, agitúrque de utriusque vita, ut si proximus privatus sit in extrema necessitate, tu in communi; vel in gravi, v. g. periculo mortis certo, tu probabili; quisnam erit tunc præferendus?

Respondeo, te nunc non teneri providere proximo, sed posse tibi, Ita D. Thom. 2.2. *q.*26. *art.*4. Coninch. *d.*25. *de Charit. d.*6. *n.*79. Suar. *de Charit. d.*9. *sect.* 3. Ratio est, quia Ius, quod habes ad tuam vitam, est tantum, ut quoties probabile est illam offendi, tueri contra quencunque eamdem possis. Certè nimis arduum, & fragilitati hominum impar onus exigeretur, si exigeretur aliud. Dico (posse) nam. An tunc liceat, te relicto, consulere proximo, tangam *infrà, lib.*6. *c.*1. §. 1. *n.*6.

3. Illud est certum, in bonis, quæ non teneris ex obligatione conservare, posse te proximo potiùs consulere quàm tibi; id enim munus est Charitatis: quare potes pro bono proximi, tuas divitias profundere, si eas pro alimentis, seu legitima filiorum, vel pro reddendo ære alieno, vel simili conservare non tenearis. Si ita inæquales necessitates, ut ad vitam proximi tuendam, non quidem tuâ vitâ, sed fortunæ bona tibi sint amittenda: an amittere tenearis, dicam *n.*12.

*In concursu vitæ Privati, & boni Reipublicæ.*

4. Difficultas est secunda: An extremè periclitante bono communi; seu Rep. seu Principe; necessariò ad commune bonum ego tenear hoc malũ etiam mea morte, avertere, si possum? Pro hac difficultate juvat duorum Recentiorum diversimodè sentientium doctrinam hîc exscribere.

Ioannes enim Sanchez *in sel. d.*43. *num.*41. sic habet: *Immò nec ob conservandum bonum commune, astringi quem propriam exponere vitam reor; est namque jus propriam tuendi vitam adeò strictum, quod a nullo jure conservandi alienus vici possit. Miles verò murum occupare cum periculo vitæ tenebitur ratione pacti, & pecuniæ acceptæ, ut diximus* disp.10. n. 9 *explicantes* D. Thomam, *quem usque modò credo non fuisse à Doctoribus perceptum. Ex quo sequitur non devinci, aliquem teneri Regem defendere cum dispendio propriæ vitæ, nisi ad id pactione se obstrinxisset.* Hæc Ioan. Sanchez.

5. Castro Palaus autem *t.*1. *tr.*6. *de Charit. d.*1. *p.* 8. *n.*1. cum communi sic contrà docet: *Certum est, te debere æquali tui, & Reip. necessitate, non solum bona fortunæ, sed etiam vitam expendere pro Reipub. conservatione. Sic* D. Thom. 2.2. q.26. art. 3. *ab omnibus receptus. Quia bo-*

*num commune præferendum est speciali, & pars exponenda est ob conservationem totius.* Et paulò pòst : *quod dictum est de Rep. dicendum est de Principe, seu alia persona Reip. necessaria, si verè necessaria est : quia id ipsum est Reip. providere. Sic Suarez Valentia, &c.* Hæc Castro Pal.

*In concursu honoris, & fortunarum Privati, & Boni Reipublicæ.*

6. Difficultas est tertia, Cùm certum sit, si concurrant, bonum notabile Reip. & bonum non notabile meum : illud debere præponi, non verò meum, quia hic maximè valet illud : *Totum est præferendum parti,* Difficultas, inquam, est, si ob bonum aliquod notabile Reip. sit necesse me non quidem vitam de hac enim dictum est *num. præcedenti* ) debere amittere; sed omnes meas fortunas, vel omnem meum honorem, An obliger hæc amittere, ut illi bono notabili succurram? bonum notabile dico ; nam quid ob conservationem absolutam totius Civitatis, seu Reipub. dicam *num sequenti.* Respondeo. Puto me non obligari. Ita colligo ex S. Thom. Coninch. Valent, Suar. aliisque allatis à Castro Pal. *t. 1. d. 1. charit. p. 9. n. 9. in simili.* Ius enim conservandi propriam vitam, & ea, quæ vitæ sunt maximè necessaria; est adeò naturale, ut me excuset à procurando ejusmodi bono quamvis notabili Reip.

7. Sed quid pro bono absoluto, seu conservatione totius Reipub. Respondeo : Vel possumus loqui, quando, cum amissione mei honoris illam conservaturus sim: Vel quando cum amissione meorum omnium fortunarum.

Quoad honorem, distinguendum censeo, Si enim modicum dedecus, nec multum excedens sustinendum mihi sit, teneor illud pro publici boni conservatione tolerare ; nam ad id minus pobat ratio ducta ex bono communi : At si agatur de magna honoris jactura apud ingenuos cùm plus ea timeatur, quàm mors ; videtur tunc habere locum doctrina Ioannis Sanchez modò allata; sicut enim per ipsum non obligor vitam, sic nec honorem vita apud me æstimabiliorem prodigere : sed contendet omnino Castro Palaus cum communi, suam doctrinam locum habere, ut modò *num.* 8. videmus.

8. Non dissimili distinctione uterer in casu, quo tuæ fortunæ essent necessariæ ad vitam, seu conservationem Reip. Si enim ita depauperandus esses, ut vitæ necessaria tibi esse defutura ; dicet Ioan. Sanchez, non obligari ; quia sic æquivalenter, & moraliter vitam profunderes. Sed obligari affirmabit cum communi sententia Castro Palaus *num. eodem* allatus. Quòd si non esses hoc modo depauperandus ; obligaberis ob dictam conservationem Reipub. ut omnes fatemur ; quia tunc id poscit bonum commune.

*In concursu propriarum fortunarum cum vita privati.*

9. Verùm ob conservationem vitæ alicujus privati, quoad expendenda bona temporalia, quid dicendum? Respondeo, esse non absimili distinctione utendum, cum Coninch. *d. 27. de charit. d. 8. à n. 134.* in extrema vitæ privati necessitate obligatis aliqua saltem superflua ; immò & aliqua convenientia tuo statui expendere, si sic occurrere possis, Ubi enim Charitas vitæ proximi urget ; si hic, agitur de bonis tibi non admodum necessariis, non urget ?

10. At ea expendere, quæ sunt tuo statui ita necessaria, ut iis amissis, ab eo notabiliter cadere debeas, ut si ex notabili Artificem, ex artifici mendicum te fieri oporteat, non obligaris, Ratio est, quia non teneris arctiùs vitam tuam conservare, quàm proximi ; sed tuam non obligaris sic conservare : non enim teneris, v. g. ad sanitatem recuperandam, omnes tuas fortunas expendere, ita ut omnino miser reddaris, quia id moraliter mortis æquiparatur; Ergo nec alienam. Addit. Castr. *t. 1. tr. 6. d. 2. part. 2. num. 6.* utilius Reip. esse, nobilem retinere suum statum, quàm privatum pauperem mortem appetere.

11. Dixi *n. 9.* ( aliqua saltem superflua) nam nec obligare possum vitam magnam summam expendere, v. g. trium aureorum millia ob vitam privati conservandam etiamsi iis expensis à suo statu cessurus non esset ; nec pro privato infirmo extraordinaria medicamenta, Medicosque magnis sumptibus advocare, ex Coninch. *ibid. n. 145.* solum enim ordinariis mediis non verò extraordinariis succurrere proximo charitas jubet ; esto, etiam id, ut quid perfectius, consulat.

Dum ergo Syracusis, Vrbe toto Orbe clara, humanioribus litteris luvenes olim imbuerem, incidit in manus famosi cujusdam Grassatoris, filius hominibus prædivitis, quem impius latro se omnino velle interficere per occultos Nuncios Patri minatus est, nisi sex aureorum millibus, condicto die, missis, filij mortem redimeret, & ille quidem paterno actus amore redemit : sed in Conscientia ad quid obligatus fuisset ejusmodi Pater, qui ex similibus ejusdem latronis commissis sceleribus, certò moraliter sciebat, eum minas fore factis comprobaturum ? Si de alio, quam parente ageretur, ad nihil obligarem, cum Castr. *l. c. n. 8.* quia ex dictis, neminem obligavimus, magnis sumptibus vitam proximi custodire : nunc verò, cum sermo sit de Patre ( & quid, si ipse Pater in simili vitæ discrimine versaretur, pecuniáque à divite filio expoposceretur ; ) difficilior est resolutio. Equidem hac uterer distinctione, Si ea summa demi potest ex superfluis, vel solùm statui convenientibus, obligarem Patrem, filiúmque ; Si debent demi ex necessariis, ita ut, vel omnino deperperandi, vel admodum notabiliter à suo statu dimovendi essent; neutrum obligarem.

Ratio prioris dicti est, quia aliquid plus invicem sibi debent pater, & filius, quàm alij. Quare licèt alios non obligaverimus *num. 12.* tamen hos tam conjunctos, ubi agitur de superfluis, obligare valdè est consentaneum. Ratio posterioris dicti est, illa, quam *hoc num. 11.* dixi, ea enim, ut consideranti patebit, etiam hunc casum probat. Et nihilominus priorem dicti patrem non tanquam omnino certam affirmo ; siquidem ratio, cur nemo sit cogendus multam summam expendere etiam de superfluis pro vita proximi (ut modò innui,) & fusiùs asserunt Castro Pal. *loc. cit. n. 7. &* 8. & Coninch. *d. n. 145.* videtur item probare de vita patris, vel filij, immò etiam de propria

12. Ex prædictis una mihi dubitatio nondum est mente sublata. Diximus, non obligari quempiam magnam pecuniæ summam expendere pro vita proximi, idque propter duas rationes *num. 10.* allatas ; unde, per appositam consequentiam, infert Castro Palaus *tom. 1. tr. 6. d. 2. p. 9. n. 7.* in extrema necessitate non posse hominem, pro sua vita conservanda, rem valde pretiosam à divite surripere; quia scilicet non tenetur tunc dives, ut dictum est, magnam summam dare. Diximus item ex firmo omnium consensu, in extrema necessitate omnia esse communia. Ex his ecce dubitatio: Si omnia tunc sunt communia ; ergo, & res pretiosæ ; ergo & duo, & tria, quatuor millia aureorum ? ergo, dummodo non coniiciatur dives in æqualem necessitatem, vel in valdè gravem, quia hæc æquivalet extremæ, id quod *n. 15.* advertimus ; poterit extremè indigens ea ab ipso sumere tanquam communia. Vide *infrà, §. 4. num. 40.* ubi afferetur idem Castro, Palaus qui concedit ex Molina Christianum, ob metum mortis, posse in classibus Turcarum diripere bona Christianorum omnia ; cur igitur hic negat ? Neque obstant duæ illæ rationes *n. 10.* allatæ : quarum prima est, quod sicuti non obligaris tuam vitam tot sumptibus, totque medicamentis extraordinariis custodire ; sic potes non servare alienam. Secunda est, quia utilius est Reip. Nobilem conservare suum statum, quàm privatum vitam finire. Non obstant, inquam : nam ad primam responderi potest modo mox dicendo *num. 15. fine,* nimirum hominem in hoc posse credere juri suo, non autem juri alterius. Ad secundam, negando propter tam parvam utilitatem Reipub. amitti

Ius

in vitæ suæ à privato ; & sanè hìc aptari potest dictum illud Ioannis Sanchez §. 2. *num.* 8. asserendum *Hos Doctos, quod ipsi non facerent, aliis nimis rigidè præcipere.* Nec mihi probabile faciunt, posse extremè indigentem furripere modo dicto pretiosa ; & consequenter, ex hujus opinionis vi debere ea divitem erogari. Sed quia contraria opinio, ut vidimus, probabilis est, ideo potest ex ea eam sequi, & illa non tradere. Nec datur bellum ius sum ex utraque parte absolutè, sed ex vi diversarum opinionum probabilium, quod non esse inconveniens, omnes docemus.

*Concursa propriarum fortunarum cum necessitate temporali Proximi: Vbi, De Eleemosyna.*

13. Denique difficultas est quarta ; An extra necessitatem extremam tua bona pro privato effundere aliquando, seu dare in eleemosynam teneatis: nam pro publica dixi *num.* 6.

Advertè primò, necessitatem in temporalibus aliam esse extremam, aliam gravem, aliam communem. Extrema necessitas est ea, qua proximus tuo auxilio indiget, ne brevi moriatur, vel malum morti simile incurrat, nec alius adiit adjuvare possit, vel velit. Cùm dicitur (ne brevi moriatur (intelligitur, ait Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 13. *art.* 3. ita ut in una hyeme, vel in uno vero moriturus sit: Vetum Sotus *lib.* 3. *de just. q.* 3. *art.* 4. ait licèt longè quis sit à morte, si sit certò moriturus, ni succurratur, adhuc esse in extrema necessitate. Dictum autem est (Morti simile) quia non solùm, qui moriturus sit, cum, sed qui certò incurrit sit morbum incurabilem, vel amissionem alicujus membri principalis, vel sensus corporis, esse in extrema necessitate, docent meritò Bannes, & Angelus apud Sanch. *l. c. cons. c.* 5. *d.* 2. *n.* 6.

Gravis est, quæ hominem constituit non in certo : sed in gravi periculo morbi incurabilis, vel morbi gravis, vel abbreviationis vitæ vel captivitatis injustæ ; vel cadendi notabiliter à suo statu denique vel cujuscunque mali gravis : Periculum non lucrandi magnam famam, vel magnam vim pecuniæ, vel non acquirendi nobilioris vitæ statum, non est gravis necessitas, quia hæc non est jactura, sed acquisitio majoris boni : Nota autem hanc gravem necessitatem habere plures gradus ; veluti majora, vel minora sunt, intra latitudinem gravitatis prædicta mala.

Communis est, quâ homines communiter, non decidendo notabiliter à suo statu laborant ; & cui cum aliqua morali sollicitudine, succurri ab eodem patiente potest. Unde vides pauperem, qui mendicare solet, non esse, nisi in communi necessitate, nam mendicando, non decidit à suo statu, immò in illo persistit. Non ità dici potest de eo qui alias est honestæ conditionis : huic enim, periculum incidendi in mendicitatem, grave enim vero malum est.

14. Adverte secundò, bona temporalia: Alia esse tibi necessaria ad vitæ propriæ, tuorúmque sustentationem: Alia ad statum tuum decenter conservandum: Alia, quæ nec vitæ, nec statui sunt necessaria, quæ superflua vocantur. Quoniam verò aliqui contendunt probabiliter, ea, quæ sunt necessaria ad acquirendum meliorem statum, non esse superflua : Sic Granadus 2. 2. *contr. t.* 11. *d.* 1. *sect.* 4. *n.* 18. lege Oration. de Lugo *in respons. lib.* 5. *d.* 11. (quamvis aliqui Lorca 2. 2. *sect.* 3. *d.* 39. *memb.* 1. *n.* 7. id negent) ideo raro quis, in hac sententia, dicetur habere bona superflua. His positis.

15. Respondeo ad quartam hanc difficultatem propositam : Aliquos docere præter externam, de qua in præcedentibus difficultatibus est disputatum, nunquam nec ad gravem ad communem necessitatem proximi avertendam, obligari Fidelem suum auxilium adhibere. Ita Bonac. *tom.* 2. *d.* 3. *cap.* 1. *Decal.* 1. *præcep. q.* 4. *p.* 6. *a n.* 6. aliique plures apud Vasq. Azor. Coninch. cit. à Castr. *tom.* 1. *tr.* 6. *d.* 2. *p.* 2. *n.* 10. consilium id esse ajunt, non præceptum ; quia sicut ipsemet Fidelis posset ob Dei amorem gravem necessitatem pati, sic potest alius idem permittere. Sed probabilius affero primo, obligari quempiam ex superfluis, & suo præsenti statui non admodum necessariis, gravi necessitati proximi succurrere. Ita Suar. *disp.* 7. *de charit. sect.* 3. Bellarm. §. 3. *de bonis oper. cap.* 7. Coninch. & 27. *d.* 8. 125. & 130. apud Castr. *l. c. num.* 12. id enim videtur innuere illud Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo Charitas Dei manet in illo ?* Ratio est, quia Virtus Charitatis jubet proximo incurrere, sine gravi succurrentis incommodo : at succurrere ex bonis superfluis, incommodum grave non affert ; ergo, &c. Nec mirum, posse quemlibet eam necessitatem pro Christo pati ; posset enim si vellet quia in rebus suis potest suo Iuri cedere : at non potest idem velle in aliis ? Hi enim suo Iuri, quod à virtute Charitatis habent de expectando aliorum auxilio, cedere non præsumuntur.

16. Affero secundò, ex notabiliter necessariis suo præsenti statui in dicto casu Fideles non obligari. Ita iidem, Ratio est, quia ordo Charitatis nequaquam dictat, ut dum gravi proximi necessitati succurro, in gravem ego, vel gravi similem incurram ; Nam propter eandem rationem, tu etiam extrema necessitate vitæ laborans, non potes furripere rem ab alio æquè illa indigente : quia tunc ipse non tenetur dare, immò propter possessionem est melioris conditionis.

17. Affero tertiò in communi necessitate satis esse ; si aliquando à te proximus adjuvetur, dando ei aliquam interdum ex bonis tuis eleemosynam. Ita Bonac. *l. c. n.* 8. aliique apud ipsum. (Crederem satis, si ex centum aureis annuis duos des, ex ducentis quatuor : sed non in eadem proportione, si multùm tuæ excedant divitiæ : Vide omnino *infrà, l.* 8. *tr.* 1. *c.* 2. §. 3. *num.* 14. *cùm de uxoris furtis.*) Ratio est, quia ex una parte id videtur satis pro ea necessitate non adeò urgenti ; & ex alia, si semper obligareris, gravem in gravem tu ipse incideres ; ad quod, ut dictum est, te Charitas non adstringit, sed solùm allicit invitátque. Ex his multa necessario repetenda erunt *infrà, lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 6.

18. Ad Complementum hujus tractationis de Eleemosyna, operæ pretium erit audire sententiam Layman. *lib.* 2. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 9. fin. *An Obligatio*, inquit, *dandi eleemosynam communibus pauperibus sit sub culpa mortali, an veniali ? Respondeo, Cum pauperem communis miseria, levis, ac tolerabilis esse soleat, auxilium aliquo denegare, si commodè afferri possit, & nulla negandi ratio adsit, videtur esse culpa tantum venialis. Porrò hæc ipsa rogantibus pauperibus eleemosynam justa negandi causa esse solet, si dives propositum habeat illi dandi loco, aut tempore commodiore, vel magis indigentibus, vel si superflua, quæ habet, ad alium pium usum conferre velit, ut Medina notavit* q. 3. de eleemosyna §. videtur secundò. *At verò, si abundans divitiis nulla rationabili excusatione motus omnes à se mendicos, & pauperes inhumaniter repellat ; is nimis inordinato divitiarum amore affectus, & Dei, ac proximi charitate exutus, ideoque in malo statu versari videtur, juxta verbum Christi Matt.* 6. Non potestis servire, & Mammonæ, *quamvis Confessarius absolutionem à peccatis diviti facilè negare non debeat, quod communes pauperum miserias per eleemosynam sublevare monitus recuset. Cum quia de obligatione hac, an, & qualis sit : Doctores non conveniunt, tum quia semper dives aliquam causam in specie præfert, cur recuset.* Hæc ille : lege Castro Palaum *tom.* 1. *tract.* 6. *de Charit. d.* 2. *p.* 2 *n.* 3. qui notat duo : Primò, te non esse obligatum inquirere egenum, ut illi subvenias, sufficit, si sis paratus illi subvenire, cùm ejus necessitatem certò moraliter scies. Secundò, hanc certitudinem necessitatis alterius non posse constare, nisi spectatis omnibus, prudentis arbitrio. Illud certum esse ; ait ex Bonacina, testimonium patientis indigentiam, non esse sufficiens, quia facilè in causa propria præsumi potest simulatio.

19. Quid amplius debeant Pastores, & Beneficiarij, vide *infr. lib.* 8. *t.* 1. *cap.* 2. §. *cùm de dominio.*

§. II. *Quando concurrunt Bona spiritualia Proximi cum nostris temporalibus, vel spiritualibus.*

1. POtest proximus tripliciter indigere tuo auxilio in spiritualibus. Primò extremè quòd est, solùm, quando ille damnatur, te non auxiliante: Vt si Infans certò moriturus esset sine Baptismo, quem tu solus conferre posses. Nam si alius sit, qui succurrere possit, ac velit, vel si adhuc te succurrente, non es certus moraliter proximum esse salvandum: non est is certè dicendus extremè tuo auxilio indigere.
Secundò graviter; Quod est, quando aliquod malum in spiritualibus grave proximus incurreret, à quo posset ex se, sed cum magno conatu effugere.
Tertiò leviter; Quod est; quando cum parvo labore se à dicto malo posset quis liberare.

*Necessitas salutis Proximi non extrema.*

2. His declaratis, Certum mihi, vel saltem satis probabile est, extra necessitatem proximi extremam (nam si existat, *mox* disputabimus) neminem, qui non sit Pastor, cum periculo propriæ vitæ, vel gravi jactura honoris, vel fortunarum, vel rerum spiritualium teneri gravi, multò minùs levi necessitati proximi privati succurrere in spiritualibus. Ita D. Thom. Sà, Bonacin. Suar. aliique, quos citat, sequiturque Castr. Pal. *tom. 1. tract. 6. de Char. p. 9. n. 9.* Ratio est, quia nimis aspesum, & contra Domini nostri suavitatem esset, urgere fidelem ad amittendam vitam, vel cætera notabilia prædicta bona, ob necessitatem, à qua se ipse proximus, licèt cum magno conatu, liberare posset. Nam propterea ad meretricem, vel peccatorem convertendum non teneris, quia ipsi per se converti cum suo conatu possunt, additâ Dei gratiâ, quæ presto est semper. Adde, te non esse certum de eorum conversione. Adde, regulariter esse alios, qui eas conversiones procurant: Nam propterea duæ postremæ rationes, & præsertim incertitudo boni eventus te excusant à professione ad Indos, vel Infideles convertendos.

3. Dixi autem primò (qui non sit Pastor.) Qui enim ex officio tenetur, is profectò non solùm extremæ, sed etiam gravi necessitati subditorum occurrere, etiam cum suo vitæ periculo, debet, si moraliter sperat necessitati occurrendum, nec alius sit, qui Pastoris subeat vices sufficienter; id enim, officium, & stipendium, pactumque implicitè saltem cum subditis initum, ex justitia requirit. Hinc tempore pestis Parochus non potest suos deserere, nec officio invitis subditis renuntiare, nisi adsit æquè idoneus, qui succedere velit; eumdem tamen sub pœna peccati absterreo, ne propter necessitatem unius, morti se exponat, si ejus vita tota Respublica indigeat: nam si tunc se morti exponeret, faceret contrà ordinem Charitatis, quæ unum, vel alterum toti communitati debere postponi, meritò dictat.

4. Dixi secundò (necessitati proximi privati:) nam in prædictis necessitatibus gravibus Reip. quemlibet teneri cum vitæ periculo eidem Reip. succurrere, docet Suarez *d. 9. de charit. sec. 2. num. 4.* idque ex ea ratione, quia probabile est in Rep. graviter laborante, adesse non paucos extremè, quoad salutem animæ periclitantes. Sed quia tunc tota ratio obligationis esset ducta ex obligatione, quam quis habet, cum propriæ vitæ jactura sublevare proximum, extremè in spiritualibus indigentem; de qua re *mox num. sequenti* dicam: ideo idem hic decerne, quod *mox* decernemus.

*Necessitas salutis Proximi extrema.*

5. Difficultas ergo jam est non exigua, An existente extrema proximi necessitate, si nimirum certò proximus damnaretur, ni tu succurras; teneatis cum tuo temporalis vitæ discrimine succurrere? (Temporalis, inquam, nâ si tu damnareris, nec debere, nec posse, nimis est manifestum; lege nihilominus Ioannem Sanch. *d. 10. n. 9.*) Respondeo ex communiore doctrina te teneri; juvat tamen, ut fecimus *§ præcedente, num. 7.* & 8. in simili, ficta præsentia eorundem duorum Doctorum placita hic adverbum exscribere.

6. Castro Palaus *loc. cit. n. 3.* sic habet: *In extrema proximi necessitate debes non solùm bona temporalia, sed etiam vitam expendere, stilli spes est fore profuturum. Sic cum D. Thoma 2. 2. d. 26. art. 5. tradunt omnes ejus Expositores, Cajetanus, Bannez, Arag. Aliique, Val. Torrez, Lorca, Azor. Tolet. Coninch. Suar. Bonacciario est quia præceptum expendendi vitam propriam pro salute proximi in aliquo casu obligat, alias supervacaneum esset: ergo ad minus obligare debet in casu extremæ necessitatis.* Hæc ille.
Quod autem in aliquo casu obliget, probaverat *n. 2.* tribus rationibus. Primo ex illo Ioan. 14. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* At Christus dilexit, nos, expendendo Vitam pro salute nostra, ergo, &c. Secundò ex illo Io. 1. cap. 13. *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quia ille animam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quod expendens S. Augustinus *l. de mandato c. 6.* dixit? *Temporalem vitam suam pro æterna proximi non dubitavit Christus amittere.* Tertiò, quia bona spiritualia, & maximè æterna, excellentiora, & Deo grátiora sunt quilibet temporali bono etiam proprio; ergo ex charitate huic bono illa præferri debent.

7. Ex dictis infert primò Castro Pal. si scias Petrum, v. g. dormientem esse in mortali: & esse nunc occidendum, unde ex damnandum; si potes eum defendere, omnino teneberis, etiam cum tuæ vitæ periculo: debes tamen moraliter esse certus, postea esse à peccato liberandum; secùs, non esset extrema necessitas, ut etiam nos diximus *num. 1.* Infert secundò te obligari, etiam sub vitæ periculo ad baptizandum Infantem filium Patris Christiani, si sit morti proximus, nec præter te sit alius, qui possit illum baptizare. Dico (Filium Christiani) nam si sit filius Patris infidelis, qui repugnet; ex alio capite (ait) non obligaris, nempe ex eo, quòd probabilis est sententia, quam sequi potes, Filium non posse baptizari parentibus repugnantibus. Infert tertiò, si te Confessarium advocet peccator morti proximus; te obligari, etiam cum viræ discrimine illum audire, & absolvere, quando es moraliter certus, ipsum non esse eliciturum actum Contritionis; quod evenire potest in rudibus: nam in bene cultis potes præsumere eos scire necessitatem contritionis; quare si non eliciant non esse in extrema necessitate. Sicuti potes occidere aggressorem, & nolle eius actum tibi in gratia existenti mortem afferentem excipere, etiamsi aggressor esset moriturus in mortali: quia cum possit ipse te non aggredi, & puniri sui peccati, in extrema necessitate, pari modo, non est. Hæc, & similia ex Castro Palao.

8. Iam verò Ioan. Sanchez *disp. 10. n. 9.* contrà sic habet: *Vnde credendum Soto, & Sa, censentibus neminem cum periculo vitæ teneri Infantem baptizare. Quod docet quoque Arevalo dicens, universos communiter sic sentire* (Nota, *universos*, dixit; & tamen Castro Pal. modò à nobis *num. 6.* adductus pro se dixit stare omnes Expositores:) *alias fœmina gravida constricta esset secationem pati, ut filius baptizaretur. Et hanc esse probabilem docet Lopez. Et ad secationem non teneri docet Sà, Zambranus, Antonius Raguciu* (licet id debeat fieri post ejus mortem) *D. Thomas. Suarez, Paludanus, Sotus, Armilla, D. Antoninus, Angelus, Gabriel, Manuale Hispalense; nec teneatur scissionem pati, etiamsi damnata esset ad mortem, ut notarum Gabriel, Armilla, Sotus.*
*Nec adversatur D. Thom. 2. 2. quæst. 26. num. 5. dicens obstrictos esse nos plus proximè animam amore prosequi, quam propriam corpus, id est, vitam, Non intelligi debet, quod quis amore suæ conservandæ vitæ, proximo non præstet consilium patrandi scelus, sive quod positive ad nec e spiritualem ipsius non concurrat; quia tunc amans vitam corporalem æternam perdit peccato depravati consilij intercedente; at*
quod

vitæ nostræ providere animæ proximi ob conservandam propriam vitam, non affirmat D. Thomas: nisi forte id esset, quo pactum intercessisset, de non omittenda cura animæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ, sicut distinctus esset ratione pecuniæ acceptæ prospicere temporali proximi, etiam cum periculo amittendi propriam qua ratione Parochos obnoxios reddi Sacramenta ministrare suis ovibus cum periculo vitæ, præcipuè pœnitentiæ; imò ob id decimas, & cætera percipiant emolumenta communia Doctores: unde tenemur ob propriam vitam conservandam damnum spirituale proximo non inferre non autem illud impedire, nisi intercedat conventio. Vnde Doctores inquit loquentes de obligatione diligendi vitam spiritualem proximi, posthabita propria corporali, aberrant sanè: & quod dicunt, posthabita propria corporali, quamvis illa nostræ saluti non sit extremè necessaria, poterat enim aliis viis hominem salvare. Cùm ergo nos nemo obliget in minùs necessariis: clarè patet illud (*sicuti*) non esse intelligendum secundùm omnem æquiparantiam.

Hæc Ioannes Sanchez. Ex quibus illationes modò *n.* 7. à Castro Palao allatæ, qua ratione corruant, jam vides.

9. Sed quomodo Ioan. Sanchez respondere possit tribus illis argumenti, quatenus contra semilitant, quibus usus est Castro Palaus *supra, num.* 6. ex scriptus? Putarem posse in hunc modum: Ad primum illud: *Sicuti dixi*, non indicare omnimodam similitudinem, sed aliam, juxta morem sacræ Scripturæ: *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est*, &c. Præterea Christus Dominus expendit vitam, quamvis illa nostræ salutis non fuisset extremè necessaria, poterat enim aliis viis hominem redimere. Cùm ergo nos nemo obliget in minùs necessariis: clarè patet illud (*sicuti*) non esse intelligendum secundùm omnem æquiparantiam.

10. Illud; *Sic debemus animas pro fratribus, ponere* notat convenientiam, & consilium, non verò præceptum ut expendentes verbum, *debet*, ex more sacræ Scripturæ probavimus *in Opusc. de Com. cap.* 1. §. 6. *n.* 52. Quòd si contendas notari præceptum, dic illud esse dumtaxat nè quis ad peccatum inducatur; non autem ut à peccato abducatur, quæ ea explicatio doctrinæ S. Thomæ modò à Ioan. Sanchez allata.

11. Ad tertium, negandæ est Consequentia absolutè, & quatenus facit contra præsentem doctrinam. Patet quia argumentum nihil probat, posset enim quis sic arguere: Bona spiritualia, & maximè æterna sunt Deo gratiora, quam quodlibet temporale, sed unus actus virtutis, sed secundus, & alij consequentes gradus Gratiæ sanctificantes, sed ipse primus, etiam quando peccator illum acquirere ex se, vel amicorum consilio facili negotio (adjuvante semper Deo) posset, est gratior Deo &c. ergo ex Charitate etiam in quocunque casu vitam postponere ego pro bono quolibet spirituali proximi debeo, quod tamen nemo dixit. Concedenda solùm igitur est Castro Palao Consequentia in casu inductionis ad peccatum, de quo jam constat adesse præceptum, non verò abductionis ab ipso, de quo non constat, imò nè Martem obliges ad patiendam prædictam secationem constat non adesse. Hæc in gratiam hujus posterioris sententiæ sint dicta satis, quam benigniorem & hominum fragilitati magi accommodam esse inficiabitur nemo.

12. Ex opinione Castro Palai sequitur, te omnes fortunas debere profundere ob extremam spiritualem necessitatem proximi, quia si per ipsum debes vitam, multo magis fortunas. Sed quid in sententia Ioānis Sanchez? Num sicuti per ipsum ob jus naturale vitam conservādi non obligor ad salutem spiritualem proximi, ita nec obliger ob jus naturale conservandi eas saltem fortunas quæ ad vitam sunt necessaria? Id diligenter expende.

## §. III. *De Charitate inimicis debita.*

1. OMnes scimus esse à nobis inimicos diligendos, sed in quo ea dilectio, quæ sub mortali præciptur, consistat, non scimus omnes. Consistit porrò in tribus, Ita Suarez *d.* 5. *de Charit. sect.* 5. *nu. præsertim.* 9. Conninch. *d.* 24. *de Charit. d.* 6. *n.* 82. Castro P. *t.* 1. *tr.* 6. *d.* 1. *de Charit. p.* 6. *à num.* 2. Aliique ab eodem citati & passim. Primò, nè inimico, vel etiam peccatori malum velimus, ut malum ipsi, seu incommodum, seu molestum est, id enim est merum odium, & ex genere suo mortale, atque à fidelium animis omnino repellendum. Ex eo autem (ut Ioan. Sanchez *d.* 20. 11. *fine* advertit) quod experiaris te trepidare coram eo, qui te offendit, imò & expallescere, & cupere eum non vidisse, vel ut longè discedat; non statim putes te peccare; si ad malè illi desiderandum non procedas: illi enim sunt motus naturales, necessarij ò sequentes, ex præsentia objecti apprehensi, ut sibi molesti non verò actus voluntarij de malo alterius.

Secundò, ut ex, corde offensam nobis ab inimico illatam remittamus. Sed quid est istud remittere? Ajo esse id ipsum, quod modò dixi; idest non debere nos moveri ab offensa per inimicum accepta, ad volendum ipsi malum, quatenus malum ipsi est.

Tertiò, ut hanc remissionem non in corde solùm, & animo confoveamus occultè, sed ut proximis, & ipsi præsertim inimico palàm faciamus: ex virtute enim Charitatis obligamur nulli esse scandalum; seu non esse occasionem proximo, quâ ipse peccet: at si inimico hunc remittendi animum non ostendamus, perdurabit ipse in inimicitia: cujus non potissima causa jam esse-mus.

2. Vt autem hæc, & alia dicenda, clariùs intelligantur; quinque actus sunt cum Lessio *l.* 2. *c.* 47. *dub* 4. *n.* 21. distinguendi circa malum, quod inimico velle ex quinque motivis possumus.

Primus est, quem modò dixi, quo malum eo fine, eaque intentione inimico velimus, vt ipsi malum absolutè sit, nihil aliud addendo.

3. Secundus ex intentione, ut inimicus emendètur; qua ratione, Pater filio vult verbera infligere, ut is corrigatur.

4. Tertius, ex intentione, ut malefactor, quique me læsit, à malefaciendo mihi, & proximis avertatur. Vides? Hic bonum aliorum, in præcedente bonum ipsius malefactoris intenditur.

5. Quartus quia bonum, & secundùm Iustitiam est, ut qui malè agit; tantundem habeat pœnæ, quantùm meretur ejus culpa; ideo actus, quo malum inimico desideratur, potest, hoc quarto modo, fieri intentione, ut malefactor ideo pœnam; & incommodum subeat, ut Iustitiæ æqualitas custodiatur. Hac intentione Deus puniens, seu justam, vindictam sumens de peccatoribus malum pœnæ illis infligit.

6. Quintus: *Vt fiat aliqua* (sunt verba Lessij *l. cit.*) *reparatio injuriæ, & satisfactio: dum enim ille punitur propter injuriam illatam, restituitur ex parte honor parti læsæ, eique aliqua satisfactio exhibetur. qui enim lædit, plus justo suo affectui indulget, sibique sumit, & alteri detrahit: dum autem punitur, illud ei quodammodo adimitur, cum contra voluntatem patiatur: & quia id agitur in gratiam læsi, censetur ei donari: Et sic fit non nulla compensatio, ut experientia probat, tunc enim animus læsi acquiescit, & sibi satisfactum putat. Est igitur in vindicatione moralis quædam restitutio honoris, & injuriæ reparatio, hic finis intimè conjunctus est cùm præcedente, & ex necessario resultat.*

7. His distinctis: Assero primum actum, nisi parvitas materiæ leniat, esse mortalem, & ut dixi, à Charitate omnino interdictum: Secundum, Tertium, Quartum, Quintum, non esse peccata: imò esse actus Virtutum, eo modo, quo *ibidem* fusè Lessius explicat. Fateor tamen in quinto inesse magnum periculum, nè, dum illum exerces, transilias ad primum.

8. Dices: In hoc quinto non solùm apparet dictum periculum, sed is prorsus videtur esse ipsissimus primus actus. In utroque enim desideratur alteri malum, ut illi sit malum, & incommodum: nam hoc incommodum, quod alter patitur, dum pœnam subit, reputatur à læso suum bonum, & grata satisfactio, quod certè videtur esse proprium odij.

Respondet bene Lessius, *ibid. num.* 25. esse magnum

discrimen inter primum, & quintum actum: in odio enim in quo consistit primus actus desideratur alteri malum, solùm ut ei sit malum; idque absque,modo,vel mensura; In vindicta verò (ita vocatur actus quintus, imò & cæteri præter primum) solùm secundùm mensuram delicti,in odio sistitur in malo proximi, in vindicta sistitur in recto ordine justitiæ; in odio non fit reparatio injuriæ eo modo, quo debet fieri, in vindicta verò fit debito modo, nempe medio Iudice, non autem immediatè per ipsum læsum,læsus enim, licet possit ex Io. Sanchez *d. 2. num.* 11. à Iudice, immò & à Deo petere prædictam vindictam justam, quantam scilicet meretur culpa lædentis: non potest tamen esse ipso infligente, juxta illud ad Rom. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Cùm ergo in primo actus læsus ex se desideret malum ut malum alteri: in Quinto autem non est, sed à Iudice, idque cum moderatione juxtà quantitatem delicti: clarè apparet, esse hos actus valdè diversos.

Verùm nondum animus quiescit, nisi ad peculiares nonnullos casus,de eodem hoc argumento explicandos, descendamus.

*Accusare inimicum, non remittere judicè, &c.*

9. Licetnè apud Iudices inimicum accusare,accusationem prosequi, nec ab illa velle desistere, nec velle remissionem per publicum instrumentum, seu Notarij scripturam exhibere?

Respondeo: Si hæc fiant intentione dicta in primo actu certum est esse mortalia: si aliis modis, non esse; etiamsi quamcunque aliam satisfactionem lædens afferat. Ita Lessius *ibid. n.* 24. Suar. Coninch. Lorca, aliique apud Castro Pal. *loco cit.n.*9.Ratio est, quia læsus in his, quod justum exposcit. Absit tamen scandalum: quod aberit, si tuam intentionem palam facias.

Videbitur alicui esse aliquis scrupulus, si hæc fiant, ex intentione *quinto loco* explicata. Verùm, fateor esse consulendum, ut juxta Christi Domini consilium, huic tuæ satisfactioni propter ejusdem amorem renunties: tamen in rigore peccatum non est,quia cùm Iudices sint à Republ. positi; ut reos puniant, & læsis satisfactio exhibeatur; idque sit bonum Iustitiæ ut modò vidimus; & secùs iniquè ejusmodi Iudices pro satisfactione offensorum ponerentur: consequenter dicendum, si læsi hoc ipsum petunt, Ius ex Iustitia debitum petere. Quòd si ipsi reo id sit provocativum odij, scandalum erit passivum: læsus enim dum rem justam petit, & dum à publico Iudice eam petis,nihil mali, & nihil speciem mali habens committit adeóque in scandalum peccaminosum non incurrit.

10. Si tua satisfactio, exemplum punitionis delinquentis, & hi similes bonis fines sint adeò leves, & cum ea facilitate animi negligi possint,ut longè superentur à damno,quod inops,verbi gratia familia rei puniédi passura esset;tunc alicui videbitur obligare Charitas ad publicè remittendum:nam ex probabiliore sententia dicta §.*i.n.*18.Charitas obligat proximi malo gravi succurrere, si cum parvo proprio incommodo possimus. Notanter dixi(alicui videbitur) nam hìc adest culpa,quæ semper meretur dignam pœnam;& hæc re ipsa à Iudice, ne imò punita remaneant delicta,infligitur,nullo respectu habito ad damna familiæ rei:quod non est in casibus,de quibus, sermo fuit *in dicto n.* 18. Cur ergo non licebit ad dictam pœnam concurrere ei,qui ex bonis finibus prædictis accusat? Nam fortassè propterea absolutè Lessius paulò antè *n.*7.dixit licere: nec hanc,vel similem exceptionem adhibuit. Id tamen expende,Lector,accuratiùs.

*Salutatio inimici.*

11. Frequens Confessariorum & Pœnitentium scopulus: Aio te non esse regulariter obligatum salutare inimicum: Ita Suar. *d. 5.de Charit.sect.5.n.*8. Con.*d.*24. *de Charit.d.*6.*n.*91. Bonac.*t.*1.*d.*5.*c.*1.*Decal.prac.q.*4.*p.*3. *n.*9. Diana *p.*2.*tr.*15.*resol.*62.Ratio, est, quia cùm non teneamur salutare quosque nobis obvios; salutationis omissio non est per se signum odij,nec ex excitas inimicum ad odio habendum non salutantem.

12. Dixi(regulariter:)nam si antea illum solitu es salutare,& nunc è salutatione abstineas; vel si ex circunstantiis colligatur, te nunc salutationem omittere, ex odio propter injuriam acceptam, vel si inimicis sit tuus superior; vel si occurrentibus pluribus: inter quos est inimicus;cæteros salutes,excepto inimico;vel siultra omissionem salutationis, oculis præter solitum torvis inimicum aspicias; insolitovè fastu pileum capiti comptimas: peccabis sanè, quia sic fomitem odij sine dubio præbebis. Iuvat afferre Hurtadi de Mendoza sententiam apud Dian. p.5.tr.13.rs.89. *Ab obligatione salutandi* (inquit) *solvo, Primò Parentem, Prælatum,Iudicem quādo ex circumstantiis colligitur in pœnam justam, eos non salutare inimicos. Secundò, eos, qui sine gravi incommodo honoris non possent salutare inimicum, hoc tamen est valde rarum. Tertiò,eum qui infamem accepit injuriam,cujus æstimatio petit austeriorem vultum ut vocetur fuisset Fur, judæus Sodomita:tunc enim prudenter censetur omissionem salutationis non esse ex odio, sed ex justo calore, & ingenii acumine, qui juste omittit urbanitatis signa:item esse multis argumentum,eum parvi æstimasse tam acerbam injuriam.*

13. Duo Religiosi,cujusdam rixæ causa,se intra septa domestica non salutant;peccántne mortaliter,si antea se invicem salutare consueverunt?Respondeo:ita profectò quia par est scandalum aliis Religiosis,ipsisque invicem, qui rixam habuere. Excusari à mortali tunc possent, ex Trullench.*mox citando,n.*7.quando comperta esset horum probata virtus:& rixa, ejúsque causa,quam alij sciant; fuisset levis,unde judicentur non ex odio gravi, sed ex levi quadam passione, vel in significationem accepti gravaminis, & injuriæ moveri ad omittendam salutationem. Idem usu venire posse video in timoratis sæcularibus,levi causa rixæ existente,si præsertim aliis cognita: ut item, inter maximè conjunctos,inter quos difficulter præsumitur intercepere ex hoc solo signo odium grave,ut inter patrem, & filium, &c.Ita Valerus apud eundem Trullench-*l. c.* vide etiam Diana. *p.*2. *tract.*5.*resolut.*62.

*Resalutatio ejusdem.*

14. Si inimicum modo dicto graviter tibi infensum te salutantem non resalutes, peccas mortaliter,Ita Suar. Coninch. Bonac.*ibid.* Ratio est, quia positâ inimicitia, omisso resalutationis non solùm imputatur inurbanitati,sed maximè odio. Excipe,nisi adeò inferior esset salutans, vel caveret circumstantiæ,ut ejusmodi odij judicium non fieret. Idem, puto esse, si ita animo distractum te simules, ut verè appareas ad salutationem non advertisse,

15. Quæsivit nuper quidam à me,An si certè moraliter prævideam mihi salutanti inimicum, ipsum cum debita resalutatione non responsurum,an inquam,obliger salutare, quamvis mihi tunc incumbat priorem esse in salutando? Certè non ausus sum obligare; quia sic subiret periculum graviter invehendi contra non resalutantem, fierentque peiora prioribus; quia tunc sibi imputare debebit inimicus, qui ita se gerit, ut certitudinem moralem de omissione suæ resalutationis alteri det. Vide quæ *mox n.*23. dicam de nolente acceptare sibi oblatam satisfactionem.

16. Quæsivit rursus nobilis Matrona, cui paris nobilitatis vir consanguineum occiderat,an obligaretur illum resalutare more patrio,quo Matronæ viros nobiles salutantes resalutant inclinato corpore,vel saltem capite Ego voluissem obligare: quia salutationem tunc denegare, est ostendere odium: verùm quidam doctus à me consultus,nequaquam sub mortali obligavit:in Muliere enim Matrona,cujus non est vindictam sumere de injuriis, illa denegatio salutationis non est odij signum,sed sensus justi doloris, vel muliebris fastus, vel quiescimile

*Exclusa*

*Exclusio à communibus beneficiis.*

17. Dixi *in opusc. de Sacrif. Miss. l. 2. cap. 2. §. 13.* fore peccati mortalis reum Sacerdotem, si à participatione sui sacrificij inimicum velit excludere: Idem in præsentiarum universim addo: si enim pro omnibus incolis huius vrbis ores, omnibus vicinis eleemosinam impartiaris, omnibus huius familiæ legata, quâvis voluntariæ distributionis, &c. non potes inimicum, qui fortè inter hos intruserit, excludere. Ita Suar. *ib. n. 2.* Coninch. *ib. à n. 85.* Vid. *2. 2. d. 3. q. 3. p. 2. c. fin. ver. Tertiò sequitur.* Ratio est, quia licet orare, stipem elargiri, legata distribuere non teneris, tamen: posito, quòd ea exhibes, perspicuum esset te tamen odij si nolles aliquem ex illis admittere. Quòd beneficium pro omnibus non sufficit; tunc profectò amicos proferes sine culpa: Ita S. Thom. *2. 2. q. 25. art. 9.* sic enim non est signum claræ inimicitiæ, sed ad summum non amicitiæ: at signa positivæ amicitiæ ostendere ex consilio quidem, non verò ex obligatione, teneris. Vnde etiam fit, vt positivè orare, ex præcepto, pro inimicis non obligeris: hoc enim solùm est de Consilio cùm ad vitandam mortale satis sit in communi oratione illum non excludere, nam sic virtualiter iam includis, ita Trull. *l. 1. in Decal. c. 5. dub. 5. dub. ... n. 4.*

*Veniæ Petitio.*

18. Veniam petenti nolle dare, nimis aperta odij demonstratio esset. Sic Coninch. *l. c. n. 95.* Suarez *l. c. n. 9.* Sà *verbo Iniuria, n. 9.* Ita si veniam per se, vel per alium petenti negares signa aliqua, quibus te inimicitiam deposuisse significes. Solus superior offensus potest subdito, ut is emendetur, vel iustè puniatur reconciliationem in hoc casu differre, quia id non odij signum, sed potius est amoris, vtpotè ad emendationem conducens. Verùm, multa prudentia opus est, nè plus æquo subditus exacerbetur.

19. Difficultas est; Quando lædens veniam quidem petit, sed debitam satisfactionem, vel dare non vult, vel certè non potest: lædens inquam, huic enim soli competit veniam postulare; non læso, cum huic satisfit, si se promptum præferat ad decentem reconciliationem; atque si à signo odij, vt dictum est *superius*, se se contineat. Pro hac difficultate.

20. Dico primo: Si non potest, si damnum factum sit irreparabile, quale fuisset homicidium, vel etiam non debet, vt si læsus exposcat ab offendente tantum satisfactionem, ut prudentum arbitrio excedat offendentis culpam: Si, inquam, non potest, vel non obligatur offensus cum signis depositionis inimicitiæ respondere, & veniam dare: secùs meritò iudicetur in odio gratis velle persistere, dum debito suo eius adversarijs non deest.

21. Illud tamen nota: quacumque satisfactione ab hoc petente veniam exhibita, adhuc læsum posse expostulare satisfactionem punitionis delicti à Iudice infligendæ. Ita S. Thom. Cætan Arag. Tolet aliique, quos citat, sequiturque Fagund. *l. 1. in præc. Decal. c. 12.* quia ut *supra* diximus, ad hanc ius Iustitiæ habet; licèt iterum moneam; rem esse periculo poscendi expositam.

22. Illud insuper nota: non esse coarctandum offensum, vt statim ac iniuria illata est, veniam dare teneatur, cùm ûe satis sit negativè se habere. Ita Azor. Fill. Villalobos, apud Trull. *l. cit. n. 11.* Sufficiens ergo tempus prudentis abitrio sit elapsum. Est enim supra humanam fragilitatem, recenti vulnere, necdum sedata animi perturbatione offensum cogere ad positivam reconciliationè concedendam; quare tunc dilatio non erit signum odij, sed potiùs indicium infirmitatis humanæ.

23. Dico secundò: Si lædens nolit satisfactionem debitam afferre, & tamen veniam sibi dari postulet; obligatis quidem ostendere te odium in animo nequaquam fovere; cæterum, potes modestè tuâ satisfactionem vrgere, atque illam ante reconciliationem expectare; rem enim tibi debitâ expectas; & odij fominem non tu ministras, sed adversarius, qui satisfactionem, quam potest, dare immeritò negat.

24. Inquires: Inimicus, qui læsit, obligaturnè semper à læso veniam submisso animo petere? Respondeo: Frequentissimè hanc obligationem nó cognosco: semel tamen, at iterum cognosco. Nam primò, eiusmodi obligatio non adest, quoties aliam æquivalentem satisfactionem læsus exhibet, verbi gratia, per pecuniam, per præventionem in honore, per amicitiæ signas officia, per amicorum intercessiones, &c. Secundò, quoties iniuriæ inter inimicos factæ, invicem se compensant. Tertiò, quoties læsus eam veniæ petitionem, vel non curare, vel ad sacundiam magis eâ incitare iudicabitur, vel quando apud aliquos, v. g. nobiles viros vsui illa non est. Quartò, quoties is, qui offendit, multò superior est, ut non conveniat à subdito veniam poscere: nisi fortè tanta fuerit iniuria superiorsis, vt ad eiusmodi petitionem ipsum prudenti iudicio vrgeat. Quintò: *Quoties* (inquit hic Castro Pal. *tom. 2. t. 6. disp. 1. p. 8. n. 10.* ex Bonacina *præsumis petità veniâ, & satisfactione pro tua parte exhibita alium non correspondurum; tunc enim titulo compensationis rationere quasi in depositum satisfactionẽ poteris, quousque videas alium paratum debitũ exhibere.* Sextò, quoties offensus est absens, nec facile per se, vel per alium conveniri potest. Ita Trullench, &c. citans Azorium. Septimò, quoties non est elapsum competens tempus, ut in simili dixi *n. 22.* Solùm igitur tunc erit necessaria, quando gravis fuit læsio, & aliud remedium ad reconciliationem adhiberi, vel non potest, vel omnibus à viro prudenti expensis, non debet. Sic filius respectu patris, subditus respectu religiosi Prælati, vxor respectu viri, servus respectu domini in gravibus iniuriis, sæpe veniam petere debebunt, à quo alij faciliùs ex prædictis; vel similibus capitibus excusabuntur.

*Alloqui inimicum.*

25. Inimicum non alloqui signum per se odij non est, cùm non sit omni proximo debita colloquendi familiaritas. Ita idem *ibid. n. 21.* tamen si ante conceptam inimicitiam cũ eo sermones miscebas, obligaris à colloquendo te non subtrahere: eo modo, iisque limitationibus quas dixi de salutatione. *n. 12.*

26. Quando allocutio debita non est, si prævideas ex tua allocutione fore, ut inimicus odium deponat, obligatis alloqui, si sine multa animi difficultate potes; nam si notabilem difficultatem patiaris, te nequaquam cogo. Ratio est, quia bonum speciale proximi, quale tunc est depositio odij, procurare ex Charitate tenemur cum aliquo incommodo, non autem cum magno.

27. Quando autem collocutio debita est, Dubitatur quisnam tunc, eam incipere debeat; Sanè debebit lædes: sanè inferior: sanè qui prior insuriam intulit? & rixæ fuit quasi primus excitator: sanè, qui notabiliùs offendit, etiamsi fuerit in offendendo posterior. Sed quid, si vel æquales moraliter fuerint iniuriæ: vel omnibus prudenter considerati, non sit maior ratio, quod potiùs incipiat vnus, quàm alter; Respõdeo. Tunc vtrique incumbat, capta occasione, locutionem aggredi. Quod si accidat occasio, in qua vni potiùs, quàm alteri secundùm morem regionis, seu propter aliquam circumstantiam, vni conveniat loqui, non alteri: ille sermonem incipere debet, non hic, quia tunc ita ratio dictat. Certè regulariter inter æquales ei incumbit priùs salutare, qui coram altero pertransit, quive de novo accedit; non verò illi, qui stat. simile igitur quid evenire potest in colloquendo. Parimodo, si ego indigeam tuo auxilio in re quapiam, mihi incumbit loqui priùs auxilium postulando, quàm tibi: & sic in simillibus.

28. In Monasterio quodam Monalium, duæ ex illis, post rixam, nescio quàm, profitebantur, omnibus advertentibus, per multos annos nunquam inuicem colloqui. Dubitavit earum Confessarius, an ex in peccato mortali versarentur: & obstinatè sic perseverantibus, an esset absolutio, & sacra communio iisdem impertienda?

Equidem si per aliquam hebdomadam post rixam, à colloquendo abstinuissent non condemnassem de mortali: quia præsumi tunc potuisset, expectari interim: vt ira deferveſceret, vtque caperetur loquendi prudentior occasio, vel quid simile: unde non statim cessatio locutionis iudicari potuisset odij signum. Eodem redisset, si per aliquod non valdè longum tempus rarissimè se obtulissent sermocinandi occasiones? nunc verò, cùm hæc non supponnas, puto esse distinguendum. Et siquidem causa rixæ fuit de re levi ipsaque rixa fuit levis; erit quantum est ex hoc capite odij, vel scandali, hæc omissio loquendi à mortali excusanda (esto, sit venialis, & ex alio capite, v.g. ex gravi comptemptu, vel simili possit esse peccatum grave.) Ratio est, quia tunc maximè in timoratis, vt in similli dixi *n.* 13. non præsumitur id oriri ex odio gravi. At si causa rixæ fuit gravis, vel gravis rixa certè cessatio loquendi de mortali erit condemnanda quia in his casibus cessatio loquendi per tot annos, meritò præsumitur ab odio non levi proficisci. Porrò Confessarij permaximè adhortentur omnes, præsertim eos, qui simul convivunt; vt in amicitiæ signis exhibendis prodigi sint, ut ita dicam, nec solùm liberales: id enim nos reddit amabiles hominibus, Angelis, Deo. Odi ego acriter eos, qui semper amaro sunt vultu, & austero, nec subditos, consodalésque solùm, sed multò magis superiorem: dum de S. Romualdo prudentissimo æquè, ac sanctissimo Abate; cuius hodie, cùm hæc scribo, memoriam, colimus, sic lego in festo S. Romualdi 7. Febr. l. 2. Breu. Rom. *Vultu adeo læto semper erat, ut intuentes exhilararet.* Nec immeritò statim additur, *magno apud Principes: & Reges in honore fuit.*

*Desiderare malum alteri Vbi;*

*De Invidia.*

29. Inquiras primò, An ſicuti Inimico licèt velle malum punitionis modo dicto; ita vniversum possit quis proximo malum ex aliquo motivo desiderare;

Respondeo Certè non statim ac illud licet, sequitur & hoc licere: nam inimico desideratur illa punitionis pœna, quam iustè meretur; at proximo nullam merenti pœnam malum, desiderare, iniquum per se est, id ergo diligentiùs discutere hac occasione, ne gravemur; & solent quidem afferri exempla: An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non vt malum patris, (hoc enim esset odium execrandum) sed vt ipse filius paterna hæreditate fruatur; An mater posset desiderare mortem filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur; An possit subditus mortem cupere sui Prælati; vt Prælaturæ ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur? & similia. Si solùm desideres, vel cum gaudio excipias eiusmodi effectus, hæreditatem, molestiæ carentiam, Prælaturam, &c. facilis est responsio: licitè enim hæc optas, vel amplecteris: quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono. Certè non potest quis licitè gaudere de fornicatione, de comestione carnis, ut facta die vetito, &c. nec, illa desiderare, ut tunc fiant, quia gauderet de peccato illoque desideraret; (lege Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 2. *dist.* 2. *p.* 10. §. 2. *num.* 11) tamen posito, quòd hæc cum peccato quis commisit, potest de habita prole sibi complacere, déque viribus refectis: quia non de peccato gaudet, sed de effectu secuto, qui bonus est; ita in casu nostro.

30. Rursus. Si desideres sub conditione, facilis item est responsio licitè posse. Si quis enim hunc actum eliciat: *Si meus Petar moreretur, ego hæreditate potiter: Si filia mea occumberet, ego molestia liberarer:* & gauderet tũc ille non patris, vel filiæ morte, sed hæreditate, déque carentia molestiæ; culpam odij non committeret, ut potè qui, simili modo de bono suo gaudeat, non autem de alieno malo.

31. Denique si absolutè desideres in hunc modum: *Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu, vt eius sanguinei bonè nimirum, quia ex illius morte ego eius hereditatem adibo?* vel sic; *Vtinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas sollicitudines excutiam, &c.* Si inquam, sic desideres, maior est resolvendi difficultas: quia tunc eligis velle malum illis, quamvis ut causam tuicosmodi, quod non videtur culpa vacare.

Et ita quidem putat Bonacina *tom.* 1. *d.* 4. *circa* 4. *Dec. præcep. q. vnica. p.* 3. *n.* 3. his verbis: *Secundò sequitur illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis parentibus exoptat: Exempli gratia, cupiendo illis mortem, ut quamprimum hæreditatem succedat; Ita Silu. Navarr. Graffius, Reginald. Tolet. Clavis Regiá, Molefius.* Hæc Bonacina.

32. Nihilominus Castro Palaus *tom.* 1. *tr.* 6. *d.* 2. *de Charit. p.* 1. *num.* 11. postquam firmavit, posse malum proximo desiderari propter bonum Iustitiæ, vel bonum publicum, vel ipsius proximi, unde liceret ex zelo Iustitiæ desiderare punitionem, condignam mortem malefactori gaudere de morte peccatoris scandalosi; qui non amplius erit causa ruinæ plurimorum; cupere effrænato filio mortem; nè longiore vita graviora peccata committat, gravióque condemnetur; optare patri seni, infirmóque, vel filiæ inopi mortem, ne in tormenti vanæ & similia; quia hæc desideria sunt finaliter de bono proximi, non de malo, postquam, inquam, hæc firmavit, sic addit: *Credo, si cum debita moderatione faciat te posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illámque inefficaci affectu peterę desiderare: non quidem ex displicētia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum inde secutum. Sic docere videtur Emanuel Sa, vbi absolute dicit te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Reipub. bonum & honestum, & hosti tibi alioqui valdè nocivo mortem, non odio, sed ad vitandum damnum suum item de morte ei eius gaudere ob bonum inde secutum. Azor, & Bonacina* 1-2. *disp.* 3. *circa* 1. *Decal. præcept* quæst 4. *p. vltim.* §. 7. *n.* 7. *affirmant licere matri mortem filiarum optare, eo, quòd ob deformitatem; vel inopiam non possit eas iuxta cum desiderium nuptui tradere: & idem esse dicunt, si ob illarum causam male tractaretur à marito: posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberetur Consentit eis Ioannes Sanchez, qui sic inquit: Licitum est optare tibi vel proximo mortem ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem amarito inflictam, & alia huius generis: dummodo desideres, ut à Deo infligenda, non ab homine iniustè vel à Dæmone. Ratio est quia huiusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono inde secuturo: ergo non habet malitiam: quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit cum tota specie actus in efficacit exprime desumatur.* Hæc Castro Palaus, qui etiam respondit ad quasdam rationes in contrarium. Rectè autem dictum est (morte naturali) nam si occasionem iniustam desiderares; te sine dubio peccaturum, paulò antè vidimus.

33. Vereor autem, ne Bonacina modò à nobis *num.* 31. *sine*, allatus sibi adversetur. In alio enim loco contrarium docuit, vt meritò eum pro se Castro Palaus citare potuerit. Ecce Bonacinæ verba *tom.* 2. *d.* 3. *circa primum Decalog præcept. q.* 4. *p. vltimo*, §. 1. *num.* 7. citato iam modò à Cast. Pal adversantia suismet verbis *dicto num.* 31. à nobis allatis: *Ex dictis sequitur eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui malum exoptat; ex displicentia personæ, & non ob bonum ipsius vel alterius.* Et paulò post: *Secus, si gaudeat de malo, vel tristetur de bono ex bono motivo; actus enim inefficax specificatur à motivo; ab eoque bonitatem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicuius tristatur, quia ex recta valetudine occasionē sumit peccādi:* & post pauca: *Idem dicendū videtur de Matre quæ mortē filiabus exoptat: quia occasione ipsarum malè secum agitur à marito, aut iniuriis afficiuntur*

non

*non enim propriè detestatur filias ex displicentia ipsarum, sed in detestationem proprij mali*. Hæc Bonacina. Ex quibus videsopinionem Castro Palai esse satis probabilem.

34. Inquires secundò: An sicut alius, ita sibi ipsi possit quis modo dicto malum optare, v.g. mortem ad ærumnas vitæ huius evitandas?

Respondeo, Ita propter easdem rationes, quia tunc bonum sibi optat, non malum. Ita Vasquez, Sà, Turrianus, Navarr, apud Bonac. *disp.3. q. 4. p. vlt.§.1.n.11.* Neque sequitur ad easdem molestias declinandas, posse aliquem necem sibi vel aliis inferre velle, vel re ipsa inferre: non sequitur, inquam, nam ibi actus desiderij est inefficax, hoc est, sistit solùm in ipso desiderio; qui autem inefficax sumit suam bonitatem, malitiámve à mo-dovsinefficax sumit suam bonitatem, malitiámve à motivo, seu fine. At hic est efficax, hoc est, tendi ad ipsum externum effectum; qui actus efficax speciem sumit suam non à motivo solùm, seu fine, verùm etiam ab ipso operi externo, quoad patrare quis intendit: Cùm ergo in hoc casu ipsum opus externum sit nex propria, quæ semper est illicita; etiam erit & illius volitio.

Sunt apud nos non pauci rudes, qui tanquam de mortali se accusant, sibi mortem optasse, quo incommoda vitæ huius effugiant. Eiusmodi Pœnitentes, cumque Confessarij sunt admovendi, illisque conscientia est ea liberentur: hi, ut sollicitiores sint in docendis Pœnitentibus. Nam profectò admirans sæpiùs adverti, aliquos solitos frequentissimè conteri, hac errònea conscientia laborasse. Deus immortalis! nunquàmne Confessarius ibi scrupulo vertit, se teneri ex charitate, ex Officio, Doctoris munus erga Pœnitentes exercere? Medicus est Confessarius, Iudex, & Magister.

*Invidia.*

35. Inquires tertiò. An sicuti potest quis modo hactenus explicato gaudere de malo alterius, quia sibi bonum, sic contra, licitè queat tristari de alterius bono vt sibi malum; Respondeo: Hic videtur esse actus invidiæ, quam sic communiter describunt Doctores ex S.Thom.2.2.*q.* 36.*art.* 2. & 3. Valent. Coninck. Suarez, Bonac. Aliique apud Castro Pal. tom.1.tr.6.d.4.p.2.n.3. *Est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono alterius, non quatenus est illius bonum, sed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam, seu proprium bonum.* Quare quando quis tristatur de bono alterius, quia vult ut illi malum, est actus odij: quando tristatur de eodem alterius bono, quatenus hoc bonum verè est malum eiusdem, vel est malum tuum, vel est malum Reipub. pertinet ad Charitatem, At quando tristatur de bono alterius, ut est diminutiuum seu ut apprehenditur diminuere propriam excellentiam, bonumque proprium, est (inquiunt) actus invidiæ.

36. Hæc communiter. Quæ tamen mihi difficilia semper visa sunt. Cùm enim ad eundem habitum pertineat amare rem & odio habere eius contrarium: per eandem enim virtutem amo, v.g. bonum mei Patris, & odio habeo malum meo Patri adversarium: sanè ad eundem habitum, quo naturaliter saltem, se quis amat, pertinebit gaudere de malo alterius, est bonum suum, modo *supra* concesso, & pertinebit tristari de bono eiusdem, vt eiusdem malum. Lege S.Thom. 3.*p.q* 85.*art.*2.*ad* 1.

37. Præterea, ex communi Doctrina, non peccat is, qui videns v.g. divitias in proximo, tristatur eas se non habere, si non tristetur eas à proximo possideri; quia sic non dolet de bono alterius, sed de propria carentia, quæ sibi mala est. Lege Bonac. *t.1.d.3.q.4.p.vult.§.1.n.1.* & passim. Iam arguo: Quando doleo de bono alterius: ut est diminutivum meæ excellentiæ, non doleo de bono alterius absolutè, sed formaliter de malo meo, seu de diminutione meæ excellentiæ, quæ mihi mala est: Ergo (nisi aliud addatur, quod *mox.* nos addemus) actum peccaminosum non elicio. Et ratio fundamentalis est, quia omnes modò docuimus, actum inefficacem sumere speciem suam à fine, vel motivo. Quoniam ergo in casu nostro finis tristitiæ est diminutio mei boni, de qua tristari licitè possum? actus eiusmodi, ex hoc capite, peccatum non erit.

Fatetur Castro Palaus *l.c.n.*3. imminutionem propriæ excellentiæ malum esse, & dignum, ut de illo quis tristetur: sed quia invidus non solùm de illo malo, sed etiã de bonò proximi per se, & non per accidens tristatur? quia bonum proximi per se, & immediatè hanc imminutionem causat ea de causa, inquit; hæc tristitia mala est.

Sed non satisfacit: nam falsum est: inuidum in hoc actu tristari de bono alterius per se, & non per accidens: tristatur enim de eo bono, ut causat diminutionem excellentiæ propriæ, atque adeò ratione alterius, & consequenter per accidens. Quòd autem immediatè causet diminutionem dictam, non obest, sed favet nostræ doctrinæ: tã tanto magis erit odio dignum. Sicut enim, si gauderem de malo alterius, v.g. de morte patris, ut causante immediate bonum meum, putà hæreditatis successionem; non esse peccatum, *supra* omnes vidimus: sic contrà, si doleam de bono alterius, ut causante immediatè malum meum, culpa non erit.

38. Virgo: At sic tolleretur de medio peccatum invidiæ, vnum ex septem capitalibus. Respondeo nequaquam tolli. Est autem menti revocandum, non inde illa septem capitalia appellari, quia semper sint mortalia; neque enim semper Superbia, Gula, Ira, &c. mortalem culpam attingunt: sed quia sunt veluti capita, & radices, vnde frequens mortalium numerus enascatur: & certè ex tristitia boni alterius, quatenus apprehenditur diminuere propriam excellentiam, sæpissimè progignuntur insidiæ contra proximum, odio; detractiones, infamiæ. &c. propter quæ rectè divit S.Paulus: *Inuidos tradi in reprobum sensum*; sicuti simile quid dicimus de superbis, iracundis ventri deditis, &.

39. Ipsum ergo peccatum invidiæ in se, & vt differt ab aliis (quod rectè Doctores dicunt oriri ab animo pusillo) consistere puto in ea voluntate, quâ admittitur illa apprehensio, per quam quis credit bonum alterius, ut bonum alterius est, esse causam proprij mali: v.g. quod honor sodalis mei sit dedecus meum. Dico (falsò) nam si verè ita esset invidiæ culpa non esset. Fac enim Antonium ignobilissimum duxisse matrimonio sororem Petri nobilissimi; cùm id bonum Antonij revera sit dedecus Petri, quis eundem Petrum de invidia damnabit, si tristetur de matrimonio, seu de hoc bono Antonij, non ut est Antonij bonum, sed ut est causa ignominiæ sui ipsius Petri; At si falsò simile quid apprehendam, vt si sanitatem, divitias scientiam mei proximi, ego sine vllo fundamento cedere in meum dedecus deliberatè apprehendam, déque illius proximi bonis trister; meritò invidiæ reus existimabor. Non autem dico invidiæ peccatum consistere in apprehensione, quæ est actus intellectus, sed dico consistere in ea velitione, qua admitto, seu non repello, nec corrigo eas pusillas apprehensiones, ex quibus ducor prædictam tristitiam. Atque id, quod diu mente revolvi, ad essentialem notionem invidiæ inveniendam, perdiligenter notetur: omnes enim alij modi, quibus invidiæ descriptio definitur, minùs sufficientes esse videtur.

40. Et Sanctus quidem Thomas, cæterique Doctores citati *litt.H.* quando tanquã certum supponunt invidiam esse tristiam, quâ quis dolet de bono alterius, vt est diminutivum propriæ excellentiæ; sunt inteliigendi descripisse invidiam ab effectu; ex voluntaria enim admissione illius pusillæ apprehensionis, in qua vera invidiæ culpa residet, nascitur tanquam effectus tristitia illa, pecaminosa quidem, si sit alicuius mali causa, ut esse solet facilè non tamen peccaminosa, si in ea dumtaxat sisteremus.

21. Quòd si constanter velit quis contendere inuidiam consistere in prædicta formali tristitia; ita id admittimus, ut culpabilis invidia non sit quælibet dicta tristitia; sed quæ est excedens, anxietatibus plena, uno verbo, inordinata: sicuti non quamlibet iram, vel gulã sed verò excedentem, & inordinatam culpabilem esse,

docemus

docemus omnes. Verùm, vides tunc non fisti in ipsa substantia tristitiæ, fit enim transitus ad dictas accidentarias deordinationes.

42. Ex his collige, à me libenter excipi sententiam Lorcæ 2.2.q.36.*in addit ad* 2. *art.* qui peccatum invidiæ ex se, & ex genere suo non esse mortale, sed veniale, docet (fateor tamen ad insidias graves, & damna contra proximum eligenda, facilè transire posse.) Ratio nostra est, quia tota eius malitia, vel consistit in eo quod quis apprehensiones illas pusillanimes admittit, vel in deordinationes modò dictas: at sive ea admissio, sive hæc inordinatio, dummodo sit modo *suprà*, explicato ineffica, nec transeat ad gravius quid; non videtur esse notabiliter contra bonum proximi, vel sui ipsius: ergo non videtur mortalis.

## §. IV. *De dilectione Proximi, quoad non concurrendum cum spirituali ruina.*

1. DE scandalo egimus universim, *in opusc. de exp. Confess. lib.* 2. *cap.* 1. §. 17. nunc de eodem nonnulla speciatim. Differendum enim est de obligatione, quam quisque ex virtute Charitatis habet, nè sit proximo causa peccati, & consequenter damnationis æternæ. Obligatio autem hæc triplex est: Prima: nè peccatum proximi quis permittat, si impedire potest: Secunda, nè ad illud invitet, consiliumve det: Tertia, nè cum ipso peccante cooperetur.

### *Permissio peccati.*

2. Si permittis in alio peccatum eo fine, ut ipse peccet, te peccare quis ambigit? Sed difficultas est; an aliquo bono fine illud permittere tibi liceat: tibi, inquam, potentia id peccatum impedire? Distinctione opus habemus. Ita Sanchez *de matr.* 10. *d.* 12. *num.* 52. Bonac. *d.* 2. *de pecc. q.* 4. *p.* 2. *vn. n.* 26. citans Navarr. & Turrian. Nam si permittas cum spe certa, vel valdè probabili, ut proximus in peccato deprehensus resipiscat, verbi gratiâ, ut filius deprehensus à patre in furto, non ampliùs furetur: vel ut quis se indemnem servet, v.g. ut maritus vxorem in adulterio, adhibitis testibus, comprehendat, quibus deinde testificantibus, divortium intentare possit; sine peccato permittit, quamvis impedire possit: semper tamen supponendo alium modum non adesse, quo illi boni fines haberi queant. Ratio doctrinæ datæ est, quia illa spes certa, & hæc necessitas se indemnem servandi, dant sufficientem causam ad eam permissionem.

3. At si permittas, ut solùm à peccante pœnam sumas v.g. si custos Gabellæ, vel horti se abscondat, quo mercis asportator, vel viator Civitatẽ, vel hortum ingrediatur, & sic pœnam solvat; peccas: quia pœna illa, cùm nondum sit contracta, non potest à te intendi, nisi intendatur & peccatum, ad quod illa consequitur, & pœna alio modo à te haberi non potest, nisi habeatur peccatum. Te tamen tunc ad restitutionem obligare non audeo. Ita Barthol. à S. Fausto *in Specul. d.* 11. *n.* 130. quia, esto peccaveris contra Charitatem, contra Iustitiam non peccasti; siquidem tuum officium non est consulere bonis delinquentium, eosque à pœnis præcavere.

Dixi autem te peccare, si permittas, ut solùm à peccante pœnam sumas: nam si tu Custos non intendas peccatum, ut nec damnum nec pœnam proximi: sed te abscondas, meliùs res tuæ curæ consignatæ custodiantur, ratiúsque delinquentes peccent, dum timent, nè fortè à latitantibus deprehendantur: te reum peccati non facio. Ita idem *ibid. q.* 131. citans Navarr. & Rebell. quia tunc ad summum non nisi præbes materiam, minoris mali, ut majus, vel certè frequentiùs eviteur.

4. Inquires: Quando ob bonum finem permittere licet peccatum modo dicto *n.* 2. licebitnè etiam positivé occasionem offerre ad illud: Licet, v.g. Patri relinquere clavem in arca, vbi sunt pecuniæ, quo filius furans deprehendatur ad correctionem? Secundò, licetnè marito dicere vxori, quod per æquivocationem conveniat cum Amasio, ut is veniat tali hora (non posse licitè dicere ut veniat ad peccandum: quia sic clara esset acceptatio, peccati certum sit) què isse deprehendi possit, & emendari; Tertiò, licetnè Domino convenire cum servo, ut afferat res ipsius Domini ad eum furem, qui ipsum servum ad furandum excitat, quò fur comprehendatur cum re furtiva, & sic non ampliùs eundem servum ad furtum sollicitet.: quia est casus; quem videtur permittere *l. si quis servus, ff. de furtis?*

5. Respondeo. Negant hæc, & similia licita esse Sanchez *l. c. n.* 53. & Bonac. *l. c. n.* 28. & 34. quia oblatio illa est tacita, imò expressa peccati volitio, seu acceptatio. Nec in tertio casu fauet lex: quia illa locum, propter aliquam præsumptionem, solùm habet in foro externo. Communiter tamen, licèt rarò (hoc est, ut ego interpretor, causa non levi existente) Petrus Navarra apud Castro Pal. mox citandum, inclinatque non parum Castro Pal. *t.* 1. *tr.* 6. *d.* 6. *p.* 5. *n.* 6. docentes, eam legem prodesse etiam in foro interno. Ratio concessionis potissima esse debet, quia causa illa non levis excusat à cooperatione cum alterius peccato, eo modo, quo de hac cooperatione docebimus *mox* universim: & ex altera parte, illa clavis oblivio, dictum illud æquivocum, illa adductio rei, non sunt actiones ex se peccaminosæ, sed indifferentes, nec vllo modo expressæ; vel tacitæ peccati acceptiones, ut rem accuratè considerasti patebit: *Prior sententia est absolutè probabilis, posterior aliquo modo probabilis videtur* (ait Castro Pal.) *sed eam Doctorum iudicio submitto.* Submitto igitur & ego.

### *Invitatio ad peccatum.*

6. Invitare ad peccatum, consiliúmve dare culpam este nullus dubitat, sed quæstio gravis est, an interdum possit licitè quis invitare ad peccatum minus, v.g. ad furtum, vel fornicationem; eum, qui omnino decrevit majus committere, v.g. homicidium, vel adulterium, quando alia via non apparet, quâ omnino à peccato illo averti possit, quod in hac tractatione semper supponendum.

7. Aliqui negant; ita Val. 2.2. *d.* 5. *q.* 21. *p.* 4. Sà *verb. Peccatum, n.* 8. Cajet. 2.2. *q.* 78. *art.* 4. *notab.* 3. *ad finem*, quia illud minus peccatum, peccatum est. Comparativum enim supponit positivum, ergo esset invitatio ad peccatum; quod nunquam licet. Præterea eligere minus peccatum, prætermittendo majus, culpa est, quamvis minor: ergo & illud consulere, seu ad illud invitare.

8. Aliqui concedunt, Ita Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 11. *n.* 15. multos citans, quibus adde Bonac. *d.* 1. *de restit. q.* 2. *p.* 7. *n.* 8. Basil. de Leon. *l.* 5. *de matr. cap.* 18. §. 5. *num.* 26. Vasq. *in opusc. de scandalo, d.* 1. aliósque: quia illud minus peccatum, quamvis in se sit, & supponatur peccatum; tamen relatum ad majus, hoc est, intentum ad eum finem, nè majus committatur, concipit quandam æstimabilem bonitatem, quæ est carentia majoris mali. Ad hanc igitur eligendam, si proximum in illis circumstantiis invites, ad bonum invitabis. Quare licèt ratione peccantis malum absolutè illud sit, quia per ipsum stat, nè malum illud etiam minus abijciatur: non tamen ratione consulentis, seu invitantis, qui prudenter agit, avertendo proximus ab illo majori malo; aversio enim illa, seu deviatio à malo bona est.

9. Aliqui distinguunt, cum Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 6. *d.* 6. *de Charit. p.* 6. *à num.* 8. Si proximus est determinatus ad peccandum duplici illo peccato, v.g. decrevit furtum facere, & homicidium patrare; tunc licet ad minus, v.g. ad furtum hortari: quia tunc non tu allicis ad hoc minus, jam enim ipse etiam hoc minus facere decreverat; sed avertis à majore. At si solùm erat determinatus majus peccatum committere; non potes ad minus allicere: quia alliceres ad culpam, quam ipse admittere non intendebat; quod propter rationes primæ sententiæ non licet.

10. Hæ tres sententiæ sunt satis probabiles, obrationes probabiles, & doctos Authores, quibus innitun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

furetur: In eo autem conuenimus omnes, licitè posse inferri rationes de minori malo. Explico, furari quis vult violentare quis appetit, occidere inimicum tentat. Possunt rationes, ac motiua afferre, quæ probent vsuram, fornicationem, verberationem, esse minora mala, quàm dicta: nam sic nos non allicimus proximum ad malum ad minus quidem, sed solùm dicimus illa minora esse, quod verum est: cæterùm ipse deindè eligeret malum, non verò nos ad electionem incitamus.

11. Dices. Ex secunda sententia sequeretur, posse te licitè persuadere volenti furari à paupere, vt furetur à diuite; volenti furari à Petro centum, vt furetur à Paulo quinquaginta volenti furari absolutè, vt potiùs furetur à paupere, & similia, quæ sunt dura & contra iustitiam: siquidem tunc fieret damnum tertio in illo minori furto. Confirmatur: quia etiam sequeretur posse te licitè persuadere volenti furari ab vno, vt furetur ab alio, quamvis æquali: quod etiam contra iustitiam est.

Respondeo: esse contra iustitiam videtur aliquibus: sic Sot. apud Vasq. *mox* citandum. Sed ego sequor doctissimum Vasq. *opusc. de scand. art. 1. n. 14.* qui has sequelas concedit: quæ liberat sic consulentem à peccato, & à restitutione. Ratio est (inquit Vasquez) quia hoc genus consilij eò tendit formaliter, nè committatur maius peccatum. Ex quo fit vt is, à quo latro furatur ad id, quod ratus est, non sit rationabiliter invitus de eo qui consilium præbuit; siquidem in causa fuit. nè maius peccatum committeretur. Non est igitur ratio ea, quam putat, & solvit Sanchez, quasi dicamus tertio non inferri damnum à consulente: concedimus enim, sed dicimus ipsum tertium non debere esse invitum contra hunc consulentem, utpotè suo consilio peccatum maius avertentem; cùm sit meritò invitus contra latronem, cui tota malitia imputanda est.

12. Ad confirmationem, neganda prorsus est sequela quia in malo æquali non apparet illa bonitas deviationis à maiori malo; unde nec in materia iustitiæ, nec in alia consuli illud vllo modo potest. Quando quis decreuit parare malum aliquod æquale: tic. *Volo occidere Petrum, vel Franciscum, violare Antoniam, vel Catharinam?* An possis consulere vnum, potius, quam aliud, dicam *mox num.* 64.

13. Veges: At ex eadem sententia secunda sequeretur, posse te licitè volenti occidere patrem, persuadere vt occidat non patrem, sed, v.g. seruum; volenti occidere Petrum, ut amputet brachium Paulo: multò magis volenti occidere quempiam, vt eundem tantùm vulneret, & similia. Respondeo: Has sequelas esse absurdas docet Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 11. n. 24.* aliique, propter eandem rationem modò insinuatam: quia inferretur directè malum tertio iniustè, etiam supponendo aliam non affulgere viam, quâ possit peccator ille auerti à decreto malo. At Vasquez *l. c. n. 13.* expresè concedit, licitè posse illud de abscissione membri; quæ est circa eandem personam, quæ intendebatur occidi. Verùm de alia persona, & de prædicta occasione serui, vel nõ Sacerdotis, & similibus vitæ nocumentis, loqo aliorum, qui offendit intendebantur, non loquitur, sed eius ratio idem videtur probare: semper enim is, dum tendit formaliter ad amouendam Dei offensam, licitè agit sine vlla obligatione restitutionis, & sine pœna irregularitatis ex delicto, vel excommunicationis, si fortè percussus sit Clericus, qui enim culpam non committit, pœna dignus nulla est. Verùm, quemadmodum Vasquez solùm respectu eiusdem personæ id resolvit, ita resolutum, & ego volo: respectu enim diuersarum; nimis durum est, idem sine meorum lectorum approbatione velle concedere.

Quæres: Volenti rapere bona mea possumne licitè persuadere, ad mea servanda, ut rapiat ab alio.

Respondeo Sanchez de hac quæstione docet duo: Primũ, id minimè licere, quia non licet alteri damnum inferre illùdque consulere, vt meis rebus consulam, adhuc enim consulerem peccatum. Secundum: licere tamen, & furi persuadere, nulla nominata persona: *Si furari vis, mè relinque, multi alij sunt, à quibus furari possis. Tunc enim nullius malum consulitur, sed proprium auertitur.* Hæc Sanch.

Equidem hoc posterius dictum, quod cum tanta generalitate approbatur, approbo, & ego; quia cũ dicis: *Multi alij sunt, a quibus potes furari*, non consulis, ut furetur.

Sed difficultas est in dicto priore, an scilicet liceat sic dicere, nullum tamen determinando: *Relinque me, & fureris ab alio* (non dicis, nunc *potes furari*, vt modò dicebas, *sed fureris*.) Quid si, aliquem determinando, sic? *Relinque me, sed fureris a Petro.*

Respondeo. Sanchez *l. c. n. præcedente*, videtur inclinare, quòd liceat, quando nulla persona determinatur. Sed ipse profectò id nè quaquam docet, solum enim ibi ait, licere, sic dicere: *Me inopem relinque, & fureris ab aliquo diuite.* Id quod nos etiam modò concessimus, quia sic minus malum consulitur.

Puto ergo ex dictis, licitum non esse æquale, vel maius persuadere, sive designato personam, sive in genere loquendo, quia tunc semper persuaderes peccatum, nec adesset excusatio derivationis à maiori delicto, licitùm esse persuadere minus, modo *suprà* explicato, quia sive personam determines, sive nequaquam, locum habet dicta excusatio. Quando autem dicimus) ab alio determinato; vel interdeterminato) semper intellige, vt si possis avertere latronem: solùm indeterminatè loquendo: certè non liceat determinatè signare personam, ut ex se constat.

14. Atque hæc me dero consilio, invitatione: persuasione: At si latro ita dicat: *Nisi tu me adjuvnes ad furandum minus à Petro, ego furabor maius ab eodem Petro*, poterisne illum adiuvare; si alia via non est furem avertendi à maiore summa? Respondeo posse: quia Dominus in re sua, & de qua potest disponere; censetur id velle; cum tu in hoc auxilio rem vilem pro illo geras. Ita Vasq *ibi* lege item Dian. *p. 5. tr. 7. resol. 10. fine.* Quòd si latro pari modo poscat auxilium ad furandum minus ab hoc: secùs, dicat se furaturum ab alio tertio maius: vel poscat auxilium ad vulnerandum Petrum, secùs occidet Paulum, esto, posses modo *suprà* dicto id consulere, non tamen potes adiuvare. Ita Vasq. *iqi, n. 14.* Ratio est, quia consilium per se tendit ad evitandam maiorem culpam: at auxilium, seu cooperatio per se tendit ad ipsum peccatum; quod licèt minus: peccatum tamen est, quòdque sicut committere tibi non conceditur soli, ita neque cum socio.

*Cooperatio cum peccante*

15. Non est quæstione dignum. An possis cooperari in actione ipsa peccaminosa proximi: v.g. in accipiendo aliena, invito Domino, in occidendo; percutiendo innocentem; manifestè enim tunc, vt *n. præcedenti*, dictum est, complex esses peccati: Sed quæstio, & quidem varia, ac frequentissimæ praxis est, An liceat cooperari cum actione proximi ex se indifferẽte, ex qua ipse sumit occasionem peccandi: An, v.g. liceat scalas fenestræ admovere; quæ actio est ex se non mala, si scias aliquem velle illa commoditate vti ad furandum, licèt furtum tu nequaquam intendas.

16. Sit regula vniversalis: Ex causa rationabili, iusta nimirum, & proportionata, non committit peccatum, nec consequenter onus restitutionis contrahitis, qui scienter participat, seu scienter cooperatur cum aliquo in actione, quæ non est intrinsecè mala, sed in se considerata indifferens est? si ipse illam actionem ordinet ad finem bonum, id est, vel ad suam necessitatem avertendam, vel ad suam vtilitatem consequendam, quamvis alius ea abutatur ad peccandum.

Hanc regulam quamvis plures impugnent, sequuntur tamen doctissimi plures; Mol. *tr. 2. d. 115.* 240. 340. Val. *d. 1. q. 10. p. 5.* Azor *tom. 1. l. 8. n. 22. q. 6.* & *cap. 24. q. 14.* Less. *l. 2. c. 9. n. 122.* & *c. 23. n. 30.* & *l. 4. c. 2. n. 24.* Rebell. *q. 14. n. 49.* Suarez *t. 3. in 3. p. d. 18. sect. 4.* Sanch *l. 1. in*

*dec*

*dec. c.7.* Castr. Pal. *t.1.tr.6.d.6.de Charit.à.p.7.* Diana *p. 5. tr.7.per totum*, citans Pontium, duos Hurtad. aliósque. Cuius ea ratio brevis est: quia, quando te vrget causa rationabilis, ut facias illud opus, moraliter censerisnon posse aliud facere; illa enim vrgens necessitas aufert à te potentiam moralem: ergo tunc non teneris ob eo opere te cohibere. Probatur consequentia: quia abstinere ab eo opere, quod ex se malum non est; ideo deberes, u impedires, seu, ut non permitteres peccatum proximi: at impedire tunc non potes; ergo, &c. Probo hanc minorem, tunc non potes; tollit enim à te, vt dictum est, potentiam moralem vrgens illa causa: ergo non debes, siquidem ad impossibile nemo tenetur: quare tunc non iudicaberis velle peccatum proximi; sed proprer necessitatem suam solùm censeris negativè permittere. Vides totam rationem huius doctrinæ fundari in duobus; Primò, in natura operis, seu actionis, quæ ex se sit non mala; Secundò, in casu rationabili excusante, quæ sit iusta, & proportionata cum opere faciendo; hoc est, quæ eius sit rationis, ut respectu operis, quo malè vtitur criminosus, censeatur pro te moraliter vrgens, & necessaria. Si alterum ex his absit, cooperantem peccare, non est dubium. Solùm dubitare quis posset quo peccati genere? & respondet Sanchez *l.c.n.*10. eo genere peccati quod committit ea actione abutens. Quid, si dicas esse solùm contra Charitatem; cum de Lugo *de pœnit, d.*10. *sect.*4.§.2. legatur, quæ dixi *in opusc de Confess. l.2.c.*1.§.17 *n.*101. de scandalo inde enim, an id possit dici, colliget studiosus Lector.

17. Verùm, enim verò vnde exploratum habeam causam esse sufficientem excusantem? Arbittio prudentis potiùs, quàm certâ regulâ id definiri, potest. Non enim semper eadem causa excusabit; sed maximè perpendi debet: Primò, remoténe, an proximè opus indifferens sit coniunctum cum peccato abutentis, nam si remotè, minor causa te excusat; si proximè, maior, & vrgentior causa opus erit ad excusandum. Secundò, an sit in materia iustitiæ, vbi intercedit damnum tertij; maiorque vrget obligatio, nè cum eius damnificatione coopereris, an in aliis materiis, in quibus minor solet vrgere obligatio: maiore enim in materia iustitiæ causa excusationis esse debet, minor in aliis. Tertiò, concludet item advertere, An: si tu eam cooperationem proximo neges, cessaturus is sit à peccato; si enim cessaturus esset, maior causa requiritur, quàm si nequaquam. Vides, quàm implexa, quàm confusa sit allata regula? Illi ergo acquiescere non possumus, nisi ad casus particulares, praxis gratiâ, descedamus: nam sic aliquando clarior evadet regula. & nonnihil accuratus Confessarius sublevabitur.

*Cooperatio famuli cum Domino, & similium.*

18. Ipsa communis famulatus, & obsequij ratio est proportionata causa, cur excuse tur famulus filius vno verbo, subditus, sequentia opera ex se indifferentia faciens; Ita Sanchez *l.c.n.*22. Primò, si iussu heri vsurarij pecuniam nnmeret: deferat recipiat, referat mere in libros: sed de his fusè *mox à n.*42. Secundò, si eiusdem iussu, quem scit ire ad adulterandum sternat equum, ipsum merè comitetur, merèque expectet ante fores (merè, inqnam, hoc est, non vt custodiat, animosiorémque ad peccandum reddat) sternat lectum, cibos condiat, ministrétque concubinæ, eandémque merè associet, ducendo ad locum, vbi Dominus peccaturus est, ianuámque aperiat eidem ingressuræ. Tertiò, si ornet suam heram meretricem, si deferat scripta, & internuntia solius vrbanitatis plena; deferat munuscula, & esculenta; præstétque alia officia, quæ alius famulus æquè præstaret.

Dixi) solius vrbanitatis) nam si contineant turpia, & amatoria, vel directè ad peccatum provocantia, ut item si contineant claram provocationem ad duellum; nulla erit excusatio, nam hæc sunt intrinsecè mala, ex San-chez *n.*26. quam vis Castro Pal. *t.tr.6. d.6.p.*11. *n.*7 licere in aliqua vrgentissima causa, dubitativè docet. Quòd si famulus ignorat, quid in eo scripto latet: fidem, est certus de turpitudine amoris Domini, vel pernæ, inter quas intercurrunt illa scripta, sunt valdè spectæ: nunquam licere deferre, sentit *ibid.* Sanchez, quia debet servus ex communiter contingentibus præsumere ea esse amatoria, & mala: benignius tamen etiam in hoc loquitur Castro Pal. *ibid.* citans Rebell. enim delationem ex aliqua vrgentissima causa, puta mortis, vel similis gravis mali avertendi, vterque concedit.

19. Præterea, subditus non ex sola famulatus ratione sed metu notabilis detrimenti (quale esset, si quis ret, ne Dominum hunc deserens, cogatur alium cum solestia, & damno quærere, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne è domo cum suo detrimento expellatur) subditus, inquam, excusabitur, si referat adulteræ, vel inimico, ut tali hora ad domum heri vel ad condictum locum accedat (sed ne dicat, ut accedat ad peccandum: vel ad pugnandum in duello; hæc enim sunt intrinsecè mala) si iussu heri insequatur puellam, visurus, vel requisiturus, vbi ea habitet, & nihil aliud; si iussu iusdem non aperiat modò ianuam, sed doceat, vbi herus sit; si Dominum adiuvet ad ascendendum per fenestram, quò ingrediatur in locum, vbi peccaturus sit. Hæc enim, & similia, cùm sint aliquantò propinquiora peccato abutentis, indigent causa aliquantò grauiore, quàm sit ratio famulatus; & ea, quæ dicta est, sufficiens satis, supérque censetur. Si famulus ad duellum associet Dominum, vel eundem fornicantem custodiat ante fores, ut in vtroque peccato animosior sit; clarè peccabit, ut modò innuimus; Ita Sanchez *n.*23. quia finis est pravus: at si materialiter associet, custodiáve, id est, ut Dominum suum non derelinquat, licèt videat eum vt hac associatione, ut animosior fiat ad peccandum, excusari quidem potest: sed non sufficit ratio sola famulatus nec aptabile illud nocumentum, quòd diximus *initio huius numeri*: sed maximum debet esse, quia custodia illa animosiorem Dominum reddens, valdè propinqua est peccato: multò magis id dico de associatione eadem materiali ad duellum adéque omni cooperatione, qua quis vtatur ad occidendum: quia majorem causam requiri *suprà* diximus, quando culpa abutentis est contra iustitiam.

20. Quæsitum semel fuit, An si amicus meus velit, ut ego feram munuscula, & similia, turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mitti at suam concubinam: possim, ego sine peccato deferre; Responsio fuit absolutè negativa, quia ex vna parte hæc actio, licèt aliàs indifferens, est coniuncta cum peccato amici, ejúsque concubinæ; & ex alia parte non adest causa excusans dicta ex famulatu, vel ex alio detrimento, ut supponimus: nec enim, si adest quidam modicus rubor, videtur esse regulariter tanti momenti, ut satis excuset. Fateor tamen, si tibi magni sit, ejusmodi amicitia, ac verè timeres eam amittere; excusari te posse: quia tunc notabilis nocumenti justus metus accedit. Simile quid erit, si à te amicus petat, ut cubiculum ei accommodes: in quo scis eum fornicaturum: nisi enim notabilis necessitas te excuset, peccabis, si illi morem geras. Ita Sanch. *l.c.n.*31. Et notabiliorem quidem posco, si in tuo cubiculo securiùs, & confidentiùs sit amicus peccaturus, ob rationem modò dictam in associatione, atque eodem modo philosophare in cæteris similibus, ubi ratio famulatus, & obsequij non invenitur.

21. Occasione famuli, illud de Dominis adverto, nam si Dominus non eiiciat servum habentem extra domum Domini concubinam, seu universum servum malum; vel si non subtrahat aliquid ex necessariis, quando probabiliter creditur servum ex tali ejectione, vel subtractione ad sanam mentem rediturum, peccaturum mortaliter: Quòd si verisimile esset domo expulsum deteriorem futurum, (ut certè facilè præsumi posset) liceret domi

retinere,

retinere; dummodo non sit familiæ perniciosus. Lego tur partibus inhonestis; concedunt Doctores, Bonac *de matr. q. 5. part. 10. n. 9.* Ian. Sanch. *d. 3. n. 7.* quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minùs abhorret, quàm ab ipso morbo.

26. Illam etiam causam sufficientem existimo, vt sine peccato possit puella habere amatorem, & sinere se ab illo videri; idémque parentes posse concedere, quando id fit ad finem nubendi. Vide omnino de hac re *infrà, lib. 7. cap. 3. § 3. n. 49.* Cautè tamen id fiat, nec in se permittat delectationes carnales de præsenti; quod facillimum & frequentissimum solere esse, prudenter notabat Pater Nicolaus Euldelli, meus in Theologicis amantissimus Præceptor.

Munera Amasij an acceptare liceat puellæ, dicam *in fra lib. 7. loco citato*, vt etiam an se ornare *infrà lib. 7 c. 8. § 8. per totum.*

27. Quid, si puella præscindendo à prædicto fine nubendi, sciat labi in peccatum adolescentem, quando eam conspicit, potéstne Primò, permittere se ab illo videri; Secundò se illi conspiciendam tradere? Vtrique petitioni sic respondet Sanch. *t. 2.* in Decal. *lib. 1. cap. 6. numer. 16. & 17. Ad primum communiter Doctores docent, eam peccare mortaliter, quando nulla necessitate ducitur; sed vt sua libertati satisfaciat, huc, atque illuc discurrendo: secùs, vt inviset vicinos, ne inurbana videatur, eat ad Ecclesiam, &c. Alij tamen docent non pecare mortaliter. Primò, quia ea occasio potius ex propria adamantis malitia: quàm à muliere data, quæ libertate sua iure vtitur. Secundò ne ille scrupulis subiaceat, dum vult expendere; quando est necessitas domo exeundi, &c. Tertiò, quia ex hac causa mulieres se superfluè ornantes, semper peccarent, quia sciunt se à pluribus turpiter fore amandas. Hæc igitur sententia verior est (quam sequitur etiam Diana cum aliis ab ipso citatis part. 6. tract. 15. resolutione 30.) Ad secundam sic habet: Si data opera (multò magis, si se ornatam offerat, conspiciendam) absque vlla necessitate se eius conspectui offerret, sed quadam vanitate ducta, nec turpis amoris alterius ignara, & si illum non intenderet; nescio eam à culpa mortali liberare: quia aliud est, sua se quocunque eundi libertate privare, quod commodè & absque anxietate, atque absque aditu ad scrupulos, præstare nequit: Aliud autem datà operâ se eius aspectui offerre, quoad facillimo negotio vitare potest; nec in oblatione illa aliquid vilitatis est.* Hæc Sanchez Quam distinctionem, quia Albertus Alberti *de ornatu mulierum, d. 1. c. 5. § 3.* nolunt admittere; nimis scrupulosè de priore casu locutus est: si enim omnes cum eodem Recentiores *ibid. num. 30.* concedunt ex iusta causa puellum excusari in dicto priore casu, necessitatem aliquam, vel vilitatem, quæ maior vilitas, vel necessitas huic rei proportionata desideranda sit, quàm ea, quæ ducitur ex scrupulis, ex libertate &c.

*Pictor, Histrio, Vector eiusdem Amasiæ.*

28. Non licet regulariter Pictori pingere Amasiæ imaginem pro eo, quem pictor certò vt in eam turpiter esse affectum: quia non apparet causa sufficiens ipsa sola amissio lucri, quod ex ea pictura conquirendum sit. Namidem puto sentiendum de pingentibus, valde turpia; imò de Histrionibus eadem repræsentantibus, ex quibus moraliter sciunt multos peccaturos. Dixi (regulariter) si enim tanta esse Pictoris, vel Histrionis necessitas, vt eo lucro indigeret ad victum: vel quid simile; non recusarem semel, aut iterum licere (sed sine periculo morali suæ impuræ delectationis, quod cavere maximè in Histrione turpium, proh quàm difficile est!) donec alia vivendi ratio diligenter conquirenti non aperitur, Ita Sanch. Pontius Castro Palaus contra Azorium, & Bonacin. apud Dian. *part. 5. tract. 8, resol.* Petr. Hurtad. apud eundem *resol. 6.*

29. Licet tamen famulo, sed non nisi addito timore notabilis dani explicati *n. 19.* emere pro Domino depictã iam imaginem concubinæ, sicut etiam modis dictis *ibid.*



22. Licet cuilibet Iudicis concubinæ munera tradere, atque ab ea dem petere; ut intercedat pro ipso apud Iudicem; quando eius intercessione sperat, ut iustam sententiam de re alicuius momenti Iudex pro ipso ferat; nec alia via se offert, quâ possit eiusmodi sententiam obtinere. Ita Castr. *l. c. p. 15.* Hurtad. apud Dian *p. 5. tr. 8. ref. 34.* contra Sanch. ab iisdem citatum. Ratio est, quia id potest puella obtinere sine exercitio, vel incremento turpis amoris, quare actio est ex se indifferens: & ex alia parte, expectatio sententiæ dat sufficientem causam.

24. Quid de puella adeunte Iudicem pro sua causa; vel de eadem vocante Medicum pro sua curatione; vel de homine indigéte assistentia fœminæ pro infirmitate: peccábúntne hi hæc facientes; quando sine gravi incommodo ea omittere non possunt; & nihil Dominus sciunt Iudicem, medicum fœminam his occasionibus turpiter labi? Respondeo; Præscindendo ab alio inconvenienti, puto posse; necessitate nimirum gravi, & proportionata eos excusante; id quod patet ex dictis.

25. Si puella (vt id semel hac occasione dicam) advertat se ab alio libidinosè tangi; quando tactus sunt impudici, seu libidinosi, (qui sint hi dicetur pluribus *infra lib. 7. §. 6.* (non potest licitè permittere se tangi: nam concurreret ad actum intrinsecè, & moraliter malum. Si verò sint pudici ex se, & honesti: quale esse solet osculum ex more patriæ, vel tactus manus in choreis, distinguendum est. Si enim fiant in publico licitè eos permittet puella: qua in re per se non mala adest excusatio sufficiens: ne scilicet in suspicionem malinæ, apud spectantes, veniat repulsus bonæ aliàs famæ. At si hæc suspicio vitari posset, vel illi tactus, quamvis impudici fierent secretò; debet puella omninò repellere si certò moraliter tangentis, osculantisve malitiam advertat: nam tenetur ad non concurrendum cum alieno peccato, vbi non adest excusatio permittendi. Certò, inquam advertit: nam si solùm sub dubio, ex alia capite non obligatur repellere, quia nimirum nemo præsumendus est malus. Ita Filiuc, *tr. 30. n. 197.* Sed certè eo in casu, quod secretò hi tactus fiant, suspecti sunt, & repellen... Licité vt id etiam obitet tangam) posse à puella repelli Medicum, & sic negligere curationem sui morbi, ne tanga-

& *n.* 18. ornare heram meretricem, commitari, &c. quæ tamen simplici amico non concedimus, vt colligitur *ex num.* 29. Ratio, quòd servus emere dictam imaginem faciliùs possit, quàm pictor pingere, est, quia minor cooperatio est in sola emptione: ipse enim Dominus facilè emere per se posset; at non potest per se pingere.

30. Qui ex officio lecticas humeris portant, vel rhedas agunt, possúntne licitè pretio conducti, puellam scienter ad lasciuum adolescentem reducere? Aio non posse: quia id, nec excusat ratio famulatus; hi enim famuli, seu subditi non sunt: nec amissio lucri; quia hoc est satis exiguum, iuxta modò dicta de pingentibus Amasiam, Habeo tamen vnum apud Navarrum, *l. 5. consil. in secunda edit. cons. 5. de pœnit. circa finem*, ex quo aliquid benignius colligi probabiliter potest: *Ex his* (inquit) *videtur colligi ratio defendendi multos à peccato saltem mortifero; modò, vt in casu proponitur, non placeat eis peccatum, & factum obsequia prædicta ob aliquem bonum finem; puta eo, quòd exhibeant illa, officij sui causâ, vel ob iustam mercedem: licèt enim hæc officia, & obsequia sint valde connexa peccato; non tamen sunt secundum se, & suapte natura peccata; & ideo seiungi possunt a peccato per finem diuersum & seiunctum.* Hæc ille. Nota illud (*officij, vel ob iustam mercedem.*) Hanc sententiam sequitur etiam Merolla *tom. 1. d. 2. cap. 4. dub. 10. coroll. uum.* 280. & Diana, *part. 3. tom. 6. res.* 11. excusantes eos, qui ex officio puellam in curru ad Amasium ducunt.

31. Disparitas autem est inter hos, & inter pingentes turpia: nam si ij vectores, seu baiuli adeò sint religiosi vt nolint se, suásque operas locare in eiusmodi vectationibus; facilè in suo lucro notabiliter læderentur: quod non est communiter in illis turpibus depingendis.

32. Et hîc item nota discrimen inter has artes: qui enim profitetur artem, verbi gratiâ, histrionicam turpia repræsentantem, semper est damnandus. Ita Petr. Hurtad. *2. 2. d. 76 sect. 6. §. 181.* (nisi fortè illum rarissimum casum dictum *n.* 28. excipias) quia proximè eiusmodi ars adnectitur ad turpia. At non ita sculptura, pictura, baiulatus, vel similes artes: hæ enim per se non sunt occasiones peccatorum in proximo, sed merè per accidens; ita vt peccata facilè, & vt plurimùm vitari possint.

### *Cooperatio Vendentium.*

33. Causa iusta, & proportionata censetur, vt quis sua vendat, iactura, quam pateretur, si res suas, venales habet: nequaquam venderet: dummodo venditio non sit contra iustitiam. Itaque potest quis vendere agnum infideli, quem scit vsuifore ad sacrificium Idoli; fucos mulieri, quos scit emi, vt ad turpem amorem illis perunctа invenes alliciat: aleas, & taxillos eis, qui in ludo illicito sunt illis abusuri. Caupones item possunt ministrare cibos in die ieiunij, tum quando debitant, an ad se diuertentes à ieiunio excusentur; tum quando putant eos non excusari.

34. Potest etiam quis vendere, vel etiam locare domum suam meretrici, vel vsurario publico, imò id possit fieri ex Sanch. *l. 1. in dec. c. 6. n.* 20. etiam nulla excusante causa: quia locus est valdè remotè cõiunctus cum peccato abutentis; & sic posset etiam abuti aere, cibis aliísque rebus innumeris: Nisi tamen locus esset ratione situs magis aptus ad alliciendos homines; vel vicinitas meretricis multùm noceret honestis fœminis in vicina commorantibus; nam tunc requiritur causa; qualis certà sufficiens essent, posse aliis honestioribus locari; & nisi esset lex, ne id fiat; vt certè excommunicatur in sacro Textu *c. 1. de vsuris in 6.* qui domum locat vsurario alienigenæ.

35. Qui venduńt esculenta soluturis jejunium, excusantur, si timent diminutionem emptorum, præcipuè cum ratò ex tua denegatione ij jejunio sint vacaturi: nullo enim negotio: quod tu denegas, alij porrigent.

Vnam vel alteram rem non magni pretij invenditam cibi supereſſe causa sufficiens certè non iudicetur; vt si pictura Amasiæ modò dictum est. At verò diminutio sed cessiua pretij exigui, in rebus notabile damnum cùm possit excrescere, satis sufficiens causa existimanda est.

36. Ad vendendum vinum scienter se inebriantibus causam maiorem aliquam, præter ipsum vini merum pretium, expostulat Castro Palaus, *l. c. p. 24.* adeo Sanchez *Ebrietatis loc. cit. n. 33.* nempe vel timorem, ne nolens vendere iniuria afficiatur à volente emere; vel timorem, ne multùm sic diminuatur emptores. Multitudo inquam; quia ebrietas videtur minus malum: quam sanctio ieiunij; & ideo maiorem causam requirit: quæ requirat ieiunij fractio. Simile quid hac occasione dicit de reddente gladium furioso, vel cum illo inimicum, decidere volenti: nam licèt ex iustitia gladium alienum reddere quis Domino teneatur: tamen in hac circonstantia furiosi, nisi à grauissima necessitate cogatur, reddere non debet; id quid sub onere restitutionis, si damnum fortè sequitur, vt dicetur *infer. l. 8. tr. 4. c.* [illegible] *§. 3. n. 6.*

37. Peccant cum onere restitutionis ij, qui tradunt vinum, frumentum, cæteráque aliis, ut hi cum iniustitia ea vendant: quia hi operantur nomine illorum. Et si eadem vendas aliis, quos scis per fraudem miscendo, v. g. aquam vino, vel demendo de mensura, &c. aliis esse revendituros; tunc licitè poteris, quando tu nisi iis venderes, difficulter, vel cum tuo damno, aliis venderetur cogereris: nam si aliis sine tuo damno æque posses, cur ex Charitate non debeas: Ita Sanch. *l. c. n. 27.* Castro Pal. *l. c. n. 3.* lege Dian. *p. 3. tr. 6. res. 44.* Merol. *tr. 1. d. dubit. 10. coroll. 6. n. 305.*

### *Cooperatio cum Idololatria.*

38. Idoli ciúsque templi fabricatio, ut item Idoli iam facti venditio, cùm sint ordinatæ ad Idololatriam non possunt ex se licitè præstari in gratiam eius, qui ad hunc finem scitur ea velle: quin sunt claræ, & valdè immediatæ occasiones Idololatriæ; qualis certè non est agni sacrificandi venditio, cùm agnus multis aliis rebus non peccaminosis vsui sit.

Vrgentissima tamen existente causa (vt esset, semel aut iterum, iuxta dicta *n.* 28. magna paupertas artificis) peccatum vitaretur. Ita Castr. *l. c. p. 12. n. 7.* Tennerus *t. 3. d. 1. q. 9. dub. 5. n.* 144. quia (quidquid aliqui dicant) non sũt actiones intrinsecè malæ sed ex se indifferentes, cùm Idolum possit appeti ad honestos fines, nempe, ad ornandam domum, vel ad memoriam Antiquitatis conseruandam: templum verò, ad vsus humanos licitos, &c.

De ingressu in templum Idoli, déque genuflexione ad illud, dixi per occasionem *lib. 2. c. 1. §. 3. a n.* 11.

### *Cooperatio cum ministrante indignè Sacramenta, &c.*

39. Si Sacerdos sit in mortali, idque tu certò cognoscas, (nam si abest certitudo moralis, semper erit bonus præsumendus) non peccas petendo, vt is conficiat Sacramentum, v. g. ut te absolvat, quando alius bonus præsto non est: iuxta tunc necessitas, seu spiritualis vtilitas te excusat à peccato, quod Sacerdos ille, posset media saltem contritione, vitare, Ita Azor. *p. 1. l. 12. c. 17. q. 7.* Sacerdos, inquam, sive Parochus sit tuus, sive nequaquam; eadem enim mihi videtur vtriusque ratio. An liceat ab eiusmodi Sacerdote Sacramenta petere, quando sunt alij probi, à quibus petere possum; an, inquam, liceat solùm ex eo capite, quod is est paratus? dicam *mox n. 63.*

40. Si Sacerdos esset excommunicatus, distinguendum diligenter est: si enim est vitandus, hoc est, publicus percussor Clerici vel nominatim denuntiatus; illicitè à te exposceretur, ut is Sacramẽta conficeret. Ita Suar. *de cens. d. 14. & 16.* quia tunc communicares in divinis cum excommunicato vitando; imò, quoad confessionem, invalidè, eam ab illo susciperes, siquidem ab vitando Ecclesia vel tolit, vel suspendit omnem iurisdictionem. At verò, si est non vitandus, hoc est, si habet

quamcun

quemcunque excommunicationem : modò non sit vel publicus percussor, vel nominatim denuntiatus; potest & licitè, & validè rogari ut confessiones quia Concilium Constantiense id, in gratiam Fidelium, concessit. Vide tunc eiusmodi excommunicatus, modò non se ipse ingerat, sed, ad Fidelium petitionem, Sacramenta ministret; & licitè, quantum est ex capite excommunicationis; validè operatur. Ita Sanch. *l.7. de Mat d.9. num.8.* Bon. Hurtad. *2.2.d.173. sect. 18.§.249.* contra Suarium *d. 88. sect.1.*

Dico (quantum est ex capite excommunicationis :) nam si per ipsum stet, quòd non abtineat absolutionem, esset in peccato mortali; & tunc recurreret Doctrina *num.* 37. *scilicet* ? iam enim tunc peteres Sacramenta ab existente in mortali.

*Cooperatio cum iniquè pugnantibus, vel aliorum bona diripientibus.*

41. Vrgentiorem causam ad excusandum requiri, quando opus est magis vicinum peccato abutentis, & quando est contra iustitiam, statuimus *suprà*. Cùm autem vrgentem hanc causam, esse metum mortis, vel simili valdè gravis detrimenti, patet ex dicti consequentis fit, vt excusentur Christiani remigantes in triremes Turcarum contra similes Christianos pugnantium; de præterea ij, qui arma portrigunt à Turcis petita, ad eosdem Christianos interimendos; asportantes item sarcinas ad Bellum iniustum necessarias; admonentes scalas, &c. Ita Less. Sanch. Val. aliique, Castr. *1.2.tr.d.6.p.11. num.10.* quia nisi Christiani captivi hæc faciant, incurrunt periculum vitæ. At non excusantur etiam metu mortis, si Christianos occidant, si percutiant, si contra eosdem immediatè pugnent, si applicent ignem, quo combarantur naves; & Christiani in ea existentes, si eundem ignem applicent Bombardis, ex quibus Christiani non terrendi solùm essent, (nam pro hoc sine dubio excusarentur) sed etiá occidendi : quia hæc sunt intrinsecè mala. Excusantur tamen, si inferant damnũ Christianis in rebus externis, eas capiendo, vel destruendo: quia tũc sunt in extremá necessitate illorum bonorum, ad vitam tuendam; nam propterea eodem mortis metu excusatur, is qui admovet scalas, vel humeris subsidet latronẽ, qui vult furari; imò, & qui eundem furem adiuuet ad furandum: quilibet enim ad hæc habet in extrema necessitate, Ita Castr. *l.c.n.12.* citans Molinam. Et vniversaliter loquendo præter extremã necessitatem, illa causa se excusabit; si concurras ad actiones indifferentes, quibus alter abutitur ad furandum; vel damnũ in bonis inferendum, quæ iudicetur proportionata ad quantitatem furti, vel damni, ut ex dictis colligi potest.

*De Cooperatione cum peieraturo, non ieiunaturo, maleficio maleficium dissoluturo. Remissivè.*

42. De primo ex his egi *lib.3.c.2.§.6.* De secundo, præter modò *n.33.* dicta & *a 3.40.* dicenda habuisti multa *lib.4. cap.5.§.6.* De tertio dictum est satis *lib.2.cum de maleficio.*

*Cooperatio cum Vsurario.*

Tres classes personarum hic se offerunt. Ipse mutuatarius, id est, ille, qui recipit ab vsurario pecuniam mutuam sub onere solvendi vsuras. Famuli tum mutuatarij, tum vsurarij. Cæteri alij non famuli, inter quos Notarius Testes, Princeps.

*Mutuatarius.*

43. Quoad mutuatarium, tria quæri possunt: Primò an ipsi liceat solvere vsuras ob mutuum iam acceptum? Respondeo licere. Ita Sanchez *lib.3. in decal. cap 8.n.20* & de Lugo *tom 2. de Iust. d.25. sect.11. §.1.* quia hæc non est occasio peccandi, quæ detur vsurario; cùm ipse facilè possit illas non recipere : sibi ergo imputet, si recipiat, nã mutuatarius excusatur solvere, quod promisit, ne habeatur infidelis, & ne claudat sibi hostium ad habendum iterum mutuum.

44. Secundò : An absolutè petere liceat ab usurario pecuniam mutuam? Respondeo licere, si eo mutuo quis indigeat Ita *ibid.* & communiter, Castr. Pont. Suar. aliique allati à Diana *p.5.tr.7. de Sandalo, res.8.* tunc enim, qui sic petit, nec consulit, nec intendit eam vsurarij injustitiam, quod certè esset iniquum; sed intendit vtilitatem propriam suppositâ malitiâ vsurarij: quam solùm permittit, non vult. At si mutuo non indigeat, sed eam pecuniam procuret; ut illicitè expendat (etiam licere, probabile esse dicemus paulo post *à n.65.* eo capite, quod petat ab vsurario parato.

45. Tertiò : An petere liceat mutuum ab vsurario, sic addendo : *Da mihi mutuum, nam tibi solvam tot vsuras?* Respondeo adhuc licere, quando scitur vsurarius non mutuaturus sine vsuris. Ita Mol. Val. aliique apud Dian. *l.c.* Ratio est, quia id non ex se inducere ad vsuras, atque adeo ad peccatum, sed sensus est conditionatus in hunc modum: *Da mutuum, nam, quia non vis mutuare gratis, solvam tibi lucrum.*

*Famuli.*

46. Quoad famulos mutuatarij dico, certum esse illos, imò & quoscunque alios eius ministros, amicòsque posse licitè efficere quod potest ipse mutuatarius : quia agunt personam Domini. Possunt ergo totum, quod dictum est *à num.43.* Quoad famulos verò vsurarij, multa sunt dicta *num.18.* sed & plura iam subdo, quæ sunt communia cum non famulis.

*Non famuli.*

47. Quoad omnes ergo alios placet mihi hanc formare regulam, ex Molin. *l.d. de tractibus, d.3.* Less. *l.2.c.1. dub.21.* & aliis, quos ipse *cit leg.* Si qui se tenent ex parte vsurarij: & cum eo cooperantur ad committendam vsuram, peccant, & obligantur ad restitutionem saltem secundo loco post vsurarium: dum tamen excipias eos casus : in quibus mutuatario ingrata non est cooperatio; nam tunc neque peccant contra mutuatarium, nec à restitutionis obligatione ligantur. Regula, & eius ratio clarior iamjam evadet.

48. Etenim radix peccati, & obligationis ad restituendas vsuras, est involuntarium mutuatarij, qui, absolutè loquendo, invitus vsuras solvit: quare, quando, quoad eos, qui cooperantur cum vsurario, mutuatarius, vel verè, & ex animo non est invitus; vel certè iis facilè illam cooperationis culpam (si qua est) remittit : tunc idem cooperatores (quantum est ex hoc capite iniustitiæ) nec peccabunt nec onus contrahent restituendi. Sed ecce difficultas: Ecquando enim invitum non esse mutuatarium censendum erit; Dic id sciri posse Regulæ sequentis auxilio, quam colligo ex Less. *ibid.* Molin. aliisque.

49. Quoties cooperatur quis cum vsurario in re, quæ grata est mutuatario, invitus hic non erit : Siquidem tunc cooperator ille nullam iniuriam irrogat; quòd si quam fortè irroget, facilè ea condonari à mutuatario præsumitur; quia in gratiam ipsius mutuatarij totum denique negotium refunditur: unde consequenter fit, ut ille cooperator non peccet contra mutuatarium; nec restitutioni sit obnoxius. Quoties verò cooperator in re ingrata cooperabitur, invirus erit mutuatarius, quia tunc adest clara iniuria, nec eius iniuriæ remissio præsumi rationabiliter potest, & sic aderit peccatũ, ac restitutionis obligatio. Exemplo res fiet clarior : Numeras pecuniam mutuam dandam ad vsuram: excusaris à peccato, & à restitutione; quia id gratum est mutuatario, cùm sine numeratione is non haberet mutuum, quod ipse cupit. Cõtrà: Consulis vsurario, vt non det mutuũ, nisi sub vsuris, peccas, & ad restitutionem obligaris : quia id ingratum est mutuatario.

50. Hinc sive famulus, sive quicunque, si ob finem bonum, ac mutuatario vtilem, consulat vsurario, vt det mutuum cum vsura, nempe vt is, qui solet mutuare cum vsuris, eas non deneget huic petenti: Si quis deponat, seu donet pecuniâ vsurario, non ut vsuras exerceat, sed ob alium honestum finem, sive ob amicitiam, sive ad custodiam: Si quis adiuuet vsurarium in numeranda, vel deferenda pecunia; vel in scribendis, seu notandis rationibus, & debitorum nominibus per meram scripturam, quæ non faciat fidem ad cogendum mutuatarium: Si quis in exigendis vsuris sine vlla coactione, amicè moneat debitorem de suo debito, imò & adhortetur solvere, ne appareat infidelis: Si quis deferat pignato pro securitate vsuræ: Si quis, cum sit superior, permittat, propter bonum fortè publicum, vsuras, si tamen non sit lex de ea non permittenda, quæ nunc certè adest, c. *Post milles. c. Quantò amplius, de vsuris, & alibi*, & idem servanda lege Less. *lib. 2. c. 20. num. 279.* & Salas, *de vsur. dub. 44. n. 6.*) Si quis mediator eat, redeátque, quæreus; vsurarium iam aliás paratum, qui alicui velit mutuare, imò; quærat mutuarios, qui fortè velint ab illo vsurario parato accipere mutuum: Si quis, cùm sit Dominus, locet suas domos, vel officinas vsurario (præscindendo à lege quæ nunc certè adest, ne vsurario alienigenæ domus locetur; *suprà* innui. *n. 34.* (Si quis, inquam, aliqua ex prædictis faciat, nec peccat contra mutuatarium: nec onus incurrit restitutionis, quia mutuatarius ad hæc vel non est invitus, vel facilè remittit. Et sicuti ipse, eiúsque amici prædicta sine ipsius iniuria faciunt, & quicunque alij, æque enim rem ipsi non integram exequuntur. Hæc *sparsim* ex Mol. Salas, de Lugo, Less. Dian. aliisque.

51. Contrà: Si Tutor, Curator, absolutus Procurator, negotiorum gestor dent mutuum sub vsura, vt tales sunt, quamvis nomine aliorum: Si famulus, vel quicunque cogat mutuatarium ad solvendas vsuras: Si quis scribat libros vsurarij, cui fidem faciant ad cogendum mutuatarium, ut vsuras solvat; vt item si subscribat Apodixas, simili modo fidē facientes ad cogendum: Si quis deponat pecuniam apud Vsurarium, vt is vsuras exerceat, & simul ipse deponens earum particeps sit: Si quis mediator volentem dare gratis mutuum, excitet ad dandum cum vsuris; vel cogat mutuatarium ad vsuras solvendas, vel falsis motivis alliciat, quò ipse mediator plus acquirat pro suo labore; Si quis, inquam, aliena peragat ex his, peccat cum restitutionis onere: quia iis nihil remittit mutuatarius; cùm eorum dictæ actiones sint ipsi iniuriosæ, perinde ac si essent ab ipso vsurario. Ita ex iisdem *sparsim*.

52. Dixi (absolutus Procurator) ut innuerem illud quod meritò docet Less. *lib. 2. c. 21. dub. 21. n. 181.* his verbis: *Si ipse contractus vsurarius per famulum (puta, ut per procuratorem) sit ineundus, non excusatur famulus; quia tunc videtur causa efficax damni: Si tamen non erat in potestate famuli absque eo contractu pecuniam dare, eó, quod Dominus esset præsens; non videtur famulus teneri ad restitutionem: quia mutuatarius non censet sibi iniuriam fieri à famulo, qui aliter pecuniam numerare non potest, sed à Domino.* Hæc Lessius.

53. Dixi (si subscribat Apodixas) nam si solum scribat illas, quæ non faciant fidem (esto deinde cum iniustitia subscripturus sit vsurarius) non videtur rem ingratam, seu certè graviter ingratam facere mutuatario. Favet Bon. *de irreg. d. 7. q. 24 p. 5 n. 1.*

54. Dixi (& simul ipse deponens particeps sit:) si enim solam deponat quis pecuniam, ut ijs vsura exerceatur; peccabit quidem eo malo affectu; at non obligabitur (quamvis obligari putet Sal. *dub. 44. n. 4. & 5.*) ad restitutionem: quia hæc non est iniuria contra mutuatarium; huic enim certè gratum est adesse pecuniam apud vsurarium, quam ipse recipere facilè possit.

55. Supersunt duæ difficultates; Altera sic clarè proponitur: Antonius vsurarius debet Petro ex iusto titulo centum aureos: Titius autem debet eidem vsurario alios centum propter iniustas vsuras. Si Antonius, vt Petro satisfaciat, dicat eidem: *Exige tibi illos centum, quos mihi debet Titius*; licitè potest Petrus, hos à Titio sibi exigere; Respondet de Lugo *tom. 2, de Iust. &c. 25. sect. 1. n. 22.* contra Less. *ibid.* citatum, cum duabus simul conditionibus posse, secùs, nequaquam. Prima conditio est, vt solùm exigat monendo de debito, non cogendo. Secunda, ut pecuniam illam non accipiat nomine proprio, quasi ius habens ipsi datum ab vsurario; ius enim nullum is habet, quare nec alteri dare potuit: sed accipiat nomine vsurarij, cui applicetur; nam deinde ipse Petrus ex eiusdem vsurarij tacita commissione sibi applicare potuit. Quibus conditionibus positis, constat, inquit responsio data: nam sic nec fiet res ingrata mutuatario, & Petrus ad satisfaciendum sibi non vtetur illo iniusto iure vsurarij, quo vti esset intrinsecè iniquum: *Quare si tota hac industria* (concludit de Lugo) *explicetur ipsi mutuatario, & ipse consentiat, non obligarem Petrum ad peccatum, nec ad restitutionem.*

## *Notarius.*

56. Altera difficultas est de Notario celebrante actum, seu contractum vsurarium. Adde, & de testibus ad eum contractum adhibitis: nam de mero scriba, seu copista, qui nullo modo fidem facit, patet ex dictis. Adde denique de Principe supremo, permittente vsuras in suis ditionibus. Quoad Notarium ergo duo sunt certa, vnum sub controversia.

57. Certum est primò, si Notarius celebret contractum expressâ vsurâ, vnde, ex vi illius (quia versatur apud iusta tribunalia) non possit cogi mutuarius ad solvendam vsuram; peccare quidem Notarium: quia, quantum est ex se concurrit cum iniusto vsurario, & facit contra iuramentum à se initio officij emissum de non faciendis eiusmodi iniustis actibus; at non obligatur ad restitutionem; quia reipsa nihil solvit supra sortem mutuatarius, ut supponimus. Quid si in aliquo loco, sive per iniustitiam Iudicis, sive per ignorantiam sive propter aliud caput mutuatarius vsuras solvat; Respondeo: tunc obligabitur Notarius ad restitutionem saltem tertio loco, in derectum scilicet vsurarij primò obligari, & Iudicis iniusti, qui obligatur secundó loco. Ita Silvest. *v. Vsur. 7* Less. *d. 20. d. 21. n. 180.* Malderus *tr. 5. c. 3. dub. 24.* contra Ioan. Med *cap. de Vsuris, q. 4. §. de cooperantibus.* Ratio est, quia, quod vsura solvatur immediatè ex iniustitia iudicis, vel ex ignorantia, non tollit, quin Notarius antecedenter iniustam causam huic coactioni dederit.

58. Certum est secundò: Si Notarius celebret contractum vsurarium, sed palliatè fingendo alium titulum; peccare, & obligari ad restitutionem; quia & operatur contra Iuramentum, & concurrit ad Iniustitiam.

59. Controversum ergo remanet, An vel palliatum hunc, vel clarè vsurarium illum contractum Notarius celebret, petente, & volente mutuatario, peccet, & ad restitutionem solutarum vsurarum teneatur? Respondeo, ex dictis eum pecare quidem, quia facit contra Iuramentum; sed non obligari ad restitutionem, Ratio est, quia, ut modò prosecuti sumus, volenti, & scienti non fit iniuria. Quod si in hoc casu aliqua fiat; facilè remittitur à mutuatio, cui res grata facta est.

60. Sed cur vsurarius obligatur ad restitntionem quamvis volenti, & scienti mutuatario rem gratâ fecerit, mutuando cum vsuris; non autem hic Notarius? Respondeo, quia Notarius hic, & illi omnes, quos *suprà* exclusi nihil recipiunt ex vsura, totum enim hoc lucrum vsuræ accipit vsurarius. Hinc fit, ut mutuatarius respectu vsurarij non sit volens, atque adeò sii invitus simpliciter, & absolutè: sed si solùm volens ex suppositione voluntatis vsurarij, aliter mutuare nolentis, ac respectu cooperatorum prædictorum est simpliciter, & absolutè volens: cùm ab ipsis recipiat beneficium, nec in ipsis adsit iniquitas actionis recipiendi iniustas vsuras.

Testes

*Testes.*

61. Quoad testes: Aio I, ea quæ hactenus dicta sunt de Notario, dicenda esse de testibus: hi enim vnum faciunt cum Notario, tum ad communicandam vim scripturæ publicæ, tum ad alia prædicta.

*Princeps remissivè.*

Quoad Principem permittentem vsuras. Aio posse id videri apud Dian. *p.9. tract.8. res.14.*

*Cooperatio cum transgressuro præceptum.*

62. Caius decrevit ieiunium violare; inimicum occidere, rem alienam surripere, etiamsi ego illi cibos, gladium, scalas non subministrem; sibi enim certò prodebit ab aliis, quare meritò hic dicetur præcepta transgressurus. Titius verò ita est dispositus, ut vbicunque inveniat cibos, eos etiam die vetito, comedat; sed nunc de illis actu comedendis nequaquam cogitat: vel quia est grassator viarum, ita est dispositus, vt vbi in rem alienam inciderit, eam surripiet: vel quia est vsurarius, vbicunque inveniet modum iniustum lucrandi, lucratum extorquebit, quare meritò dicetur paratus ad peccandum. Notas discrimen; Caius iam actu interno peccavit hoc singulari peccato, contra præceptum ieiunij, per determinatam illam voluntatem volendi omnino comedere. At Titius nondum actu hoc singulari peccato interiùs deliquit, sed propter illam pravam dispositionem habitualem, statim, oblata occasione, peccabit. Qui facilè peccaturus est; non eo ipso dicitur vel transgressurus, vel paratus; sic enim his plenus, heu nimis esset mundus: sed requiritur, ut quis versetur in statu malo, sive actuali, sive habituali; ut explicatum est. Iam de vtroque sigillatim.

63. Quoad transgressurum, negat Castro Pal. *tom.1. tr.6.d.6.p.9.num.4.* me licitè posse cooperari, alicui, præstando actionem ex se indifferentem, quia ipse abutatur; negat, inquam, me posse, solum propter hoc caput, quia iam aliquis peccare decrevit. Concedit Lessius, distinguit Sanch.

Primus sic habet, l. c. *Non sufficienter excusari eo solum quod proximus aliis actionibus vsurus esset, si tua non adsint, quia hæc conditionalis non tollit, quòminus tu causaris illius peccatum; quia si proximus, v. g. alibi non esset soluturus ieiunium, & tu, nulla causa intercedente, cœnam subministrares, peccares; quia aliquo modo concurreres peccatum alterius: At quod alibi proximus soluturus sit ieiunium, non immutat tuum concursum qui in suo ministratione cœnæ consistit, ergo similiter peccabis.*

Lessius sic, l.4. c.2. d.4. n.24. *Non potest (intelligo scilicet causa, &c.) apponi cœna soluturis ieiunium, quando alibi eam habere non possunt: si enim alio ituri, & ibi cœnaturi erant, non est necesse recusare: quia peccatum non potest impediri, iuxta ea quæ scribit Navarrus, & Cajetanus.*

Sanch. [2] *l.1. in dec. cap.7. num.16.* distinguit in hunc modum: *Si res in differens sit proximè ad peccatum ordinata suppeditans illam non excusatur à mortali: vt nemo excusaret admoventem scalam, vel humeris sustentantem, quando quis vult furari, aut hominem interficere, aut fornicari; quamvis non desit, qui hæc suppeditet: quia tales actiones ita proximæ peccato malæ merito dici queunt, nisi causa aliqua urgenti excusentur. Si verò res indifferens remotè se habeat ad peccatum, vt vendere agnum infideli, quem scio velle ad immolandum Idolo; fucos mulieri, quos scio velle ad alliciendum juvenem: tunc probabile censeo vendentem excusari à culpa saltem mortali: si certo sciat, ipsa non vendente, alterum venditurum: quamvis nulla alia causa excusans concurrat: Quia in tantum esset peccatum, in quantum suppeditans non evitat peccatum abusuri illis actionibus: vt non suppeditando, iam alterius peccatum non evitat: ergo &c.* Hæc Sanchez, cuius certè hæc posterior ratio, non posteriorem solùm partem probat; sed vniversim ut vniversim ea vtitur citatus Lessius. Sed profectò omnes tres sententiæ sunt probabiles. Tantorum scilicet Doctorum sententias, bonis rationibus innixas, improbabilitatis censurâ notare nullus audebit.

64. Petes: Potèstne quis licitè invitare ad transgredienda præcepta, illum; qui modo dicto, iam transgressurus est, dicendo, v. g. *Apud me comede, Petrum percute. Paulum occide*, &c. Respondeo, certum esse, sic absolutè nunquam posse; quia tunc invitaret ad peccandum exteriùs, seu ad exequendam malam voluntatem, quam mente transgressurus conceperat, quod semper est illicitum: quia actus exterior est peccati interioris complementum; & de hoc loquuntur Doctores, Vasquez *art.1. de scandalo. n.17.* Castro Pal. *l.c. p.10. n.2.* cùm eam invitati onem fieri posse negat. At sub hypothesi sic. Primò; *Si omnino velis, cœna apud me.* Secundò: *Si decreveris occidere Petrum, vel Ioannem, occide Petrum.* Tertiò: *Si violare vis Bertam, vel Catharinam, potius viola Bertam*, &c, putat Hurtadus *2.2. d.173. sec.12. §.162.* apud Dianam *p.5. tr.7. res.7.* citantem Ca. Bo. Azorium ex causa rationabili posse. Idem dic, si quartò sic consulas. *Si vis furari à Petro pecuniam, fureris potius frumentum tali pecuniæ æquivalens*; quia invitatio, seu consilium hoc, cùm sit conditionatum, videtur honestari posse à causa proportionata; qualis esset: in primo, ne inurbanus quis appareat: in secundo, ne occidatur Ioannes meus consanguineus: in tertio: ne violetur Catharina mea consobrina: in quarto, ut ego habeam faciliùs pecuniam, quam à Petro expecto. Lege de Lugo *tom.1. de iust. d.16. sect.2. §.2. à num.51.* Si criminosus non decreverat violare, occidere, &c. alterum ex duobus, sed tantum vnum, nil cogitans de altero, non posse me alium, de quo non cogitat, offerre, vel consulere; notant *ibid.* Hurtad. & nos *supra. n.12. & 13.* de hac re aliquid insinuavimus.

*Cooperatio cum parato ad peccandum.*

65. Certum sit, paratum ad peccandum non posse absolutè invitari ad actum in se peccaminosum; quamvis ex hypothesi possit, eo scilicet modo, & propter eamdem rationem, quam ex Hurtado dixi *n. præcedente*: At nunc difficultas est, an quis sine vlla necessitate licitè possit parato peccare, absolutè offerre peccati occasionem, quæ ex se sit res indifferens: v. g. parato comedere die ieiunij, liceat suppeditare cibos; An à parato vsurario liceat mutuum petere; à parato ministrare Sacramenta in mortali, liceat illa exposcere; idque præscindendo ab alia causa, sed ex eo solùm, quòd illi parati sint ea peccata cõmittere, Nam si parati non sint, alias causas requiri, modo paulò antè explicato, iam patet ex dictis.

66. Vt in superiore difficultate, ita & hîc triplex est sententia. Ledesma *tom.2 summæ, t.27.c.2. d.4.* & Manuel. *t.1 summæ. in 2. edit. c.23. n.8* (quibus adde de Lugo *t.2. de inst. d.25. sect.11. §.1. n.134.* loquentem de petente sine necessitate vsuras ab vsurario parato) censent posse: Sanch. *lib.1. in decal. c.7. n.15.* & Castro Pal. *t.1. res.6. d.6. p.1 c.n.5* negant Hurtadus, *2.2. d.173. sect.14. §.174.* & Diana *p.5. tr.7. res.8.* distinguunt. Ratio primæ sententiæ est: quia dum tu facis, quod tibi vtile est, & non est malum, estque tale, quo alius rectè vti potest; si non vtatur, sibi imputet.

67. Ratio secundæ est: quia ex una parte tu es causa, vt hic, & nunc hoc singulare peccatum committatur, & ex alia, charitas dictat, ut quoties commodè potes, non coopereris cum ruina spirituali proximi: At iam commodè potes, quia supponimus in te nullam, adesse causam: ergo, &c. Vides discrimen? In transgressuro, de quo *à n.62.* non potest à te impediri peccatum; quia is certè peccavit internè, licèt nondum exteriùs. At paratus, de quo hîc loquimur, nondũ peccavit actu, & ne internè quidem; sed est solùm habitu dispositus ad peccandum: propterea ergo hæc secunda sententia docet adesse-

obligationem non ponendi eas actiones, ne scilicet concurratur ad peculiare peccatum.

69. Ratio, & simul explicatio tertiæ sententiæ est: quia non obligamur continere nos actionibus ex se non malis, nec speciem mali habentibus, quando proximus ex pura malitia iis abutitur ad peccandum: est enim tunc scandalum passivum, quod vocant *Pharisaicum*. At quando Proximus peccat ex passione vehementi; id est, ex fragilitate seu infirmitate; ad quam reducitur etiam ignorantia culpabilis non affectata: tenemur sub pœna peccati scandali (quod vocant *scandalum passivum pusillorum*) nos continere à prædictis actionibus, saltem quando nulla causa adest, cur ea faciamus, vt fusè *in tractatu de scandalo*. Quare quando proximus (ait hæc tertia sententia) est paratus peccare ex malitia, possumus, vt dictum est, cum eo cooperari; quia esset scandalum Pharisaicum, quod non tenemur vitare: At verò quando est paratus peccare ex passione; non possumus? quia est scandalum pusillorum, quod tenemur vitare; & solum causa proportionata nos excusaret.

70. Atque hinc Hurtadus *ibid.* apud Dianam *loc. cit* colligit posse semper ab vsurariis sine vlla causa peti mutuum, etiam signatè ad vsuras. Ita Sanch. *lib. 3. in dec. c. 8. num.* 27. Val. Mol. Bann. apud Dian. *l. c.* Et ex Azorio *p. 2. lib. 12. c. 17. q. 7.* colligit diana, *p. 5. tr. 7. res* 4. à parato ministrare Sacramenta in mortali, v.g. à Sacerdote pravo, qui in templo confessiones excipit, posse peti, ut ea tibi ministret, quamvis commodè eadem ab alio habere valeas: quia cùm vsurarij, & eiusmodi Sacerdos sint parati, non ex passione, sed ex malitia peccant.

71. Et sub prædicta distinctione colligit Vasquez, *opusc. de scandalo*, *art. 8. dub. 2. num. 20. & num. 28.* mulierem ornatam iuxta consuetudinem Patriæ, posse domo exire causâ audiendi Missam, vel se recreandi, etiamsi sciat aliquem, vel aliquos ex malitia peccaturos: at si sciret aliquos ex infirmitate lapsuros. debere se aliquoties abstinere non autem semper; quia pro semper, adest causa excusans, nempe notabile mulieris incommodum. Idem tamen advertit: nunquam iudicandum esse peccatum ex infirmate, vel ignorantia, nisi cognoscatur qualitas, & conditio personæ, de qua timetur, Hæc ex illo: quid enim nos de prædicta muliere sentiamus, diximus cum Sanch. *supra. n. 17.*

72. Sed adversùs hanc tertiam sententiam duo meis Lectoribus propono. Primò, si nos hîc sermonem de parato ad peccandum facimus, semper locutio erit ad peccandum, convincitur ex malitia velle peccare: id enim ostendere videtur illud, *esse paratum*; neque enim qui ex fragilitate peccat, dicetur esse paratus ad peccandum: quare distinctio huius tertiæ sententiæ locum hîc non habebit, Secundò, illa distinctio scandali Pharisaïci, & pusillorum, saltem quantum facit ad nos, non videtur sibi constare: cùm enim etiam ille; qui peccat mortaliter ex fragilitate, ita supponatur peccare, ut sufficienti potiatur deliberatione, & suâ culpâ in peccatum trahatur, à quo absolutè posset se cum divina gratia, (quæ semper præsto est) liberare; secus enim mortaliter non peccaret: ideo omne mortale peccatum (dicet aliquis) est ex sufficienti malitia constituente scandalum quod vocas Pharisaïcum? & consequenter sine obligatione illud vitandi in hac tertia sententia.

Probabiliorem ergo puto secundam: primam tamen non improbabilem; tertia denique propter authoritatem docentium, ne à probabilitatis finibus excludatur.

## CAPUT II.

*Policrates*, seu *Filiorum Instructor*. Dialogo plura complectens:

### De Charitate Debita Parentibus, & Filiis.

Iam propiùs, his præmissis de Charitate in vniversa, ad Charitatem debitam Parentibus accedamus. Et quidem ad meum Lectorem à labore inter legendum suscepto sublevandum, multa ex his quæ huic titulo præfixi, Dialogorum more, ac poetica discursu, animus est. Sic nimirum fiet, vt vtilia miscendo dulcibus, altiùs & incúdiùs, in animos multiplicis huius quæstionis veritas instilletur.

### §. I. *Introductio Dialogi.*

1. PAnormi in Vrbe felicissima, plurimus vbi honestarum numerus incolit familiarum, degebat vir omni virtute præditus; vxori parihonestate, modestia, prudentia, supra mulieres claræ, à iuuentute coniunctus, Plutogenes nomine, commodo, diuitiis affluens, domóque ampla, ac villa non procul ab Vrbe sita, omnibus plena amœnitatibus, instructus. Is duobus gaudebat filiis, totidem filiabus? sed qui moribus quisque suis inter se mirum in modum diffiderent. Primogenitus Thermagoras, Patri obediens, domestici census amans; litteris vacans, geniori per omnia similem se præferebat. Minimus omnium Policrates inobediens parentibus, in eosdem iniuriosus, moribus pervicax, armorum tractationi apprimè deditus, rixas vndique ferebat, prodigáque effusione domesticum exhauriebat Patrimonium. Nec dissimiles fratribus erant duæ germanæ sorores. Harum enim ætate grandior, nomine Aloisia, vultu quidem non indecoro, sed maiori, quàm species exposceret, arrogantia. Veneris vel Iunonis pulchritudinem antecellere se posse, vanè putabat. Ad Mulierçularem pompas nimis propensa, videri sæpiùs, videréque cupiebat: & nihil amabat magis, quàm nuptiarum, similiumque celebritatum cœtibus interesse. Contrà. Metilne germana minor, pulchra facie, pulchrior moribus, id curæ & cordi habebat: adolescentes fugere, domi se continere, familiæ servire, Parentibus in omnibus præsto esse; matrem subinde templa, incognito, cóque vulgari vestitu frequentantem, pari modestia comitari.

2. Et iam filiorum ætas Patrem grandæuum admonebat, ut de illis collocandis cogitaret: sed ecce difficultatum acervus. Filia minor in Virginum Monasterium sese abdere, diviniis rebus vacatura, permaximè avebat, ne dicam, petebat. Id quod genitores iamjam ad senectutem vrgentes, supra quam credi potest, ægrè, molestéque ferebant. Aloysia anno vigesimo quinto maior adolescenti cuidam infimæ satis conditionis ex vicina, se nubere velle, claris verbis, ac perfricta fronte dicebat, eique favebat miris modis Amita, quæ neprem Aloysiam sibi moribus non absimilem singulari dilectione complectebatur. Nec minor solicitudo profratribus. Nec Primogenitus Thermagoras apud paternam domum commorari quidem non detrectabat; verùm, contra Patris voluntatem, ab vxore ducenda, vt sese litteris totum, ac præsertim vtriusque studio iuris deberet; abstinere velle, palam profitebatur. Denique Policrates ætatis annorum viginti professionem Hispanicam meditabatur, Aui paterni merita Regi illi propositurus, atque ab eodem stipendium in exercitu deinceps recepturus. Nam propterea à patre arma, & reliqua ad militiam necessaria, peculium nempe Castrense incredibili animi contentione, ac replicatis precibus exposcebat. Deus Immortalis! quantum homo differt ab homine! quantum est inter vtriusque cogitationes, morèsque dissidium!

3. Pater, ergo ut erat vir prudens, ac summi iudicis memor, quid sibi facto opus esset, quidque amplecti, fixæ animæ piaculo posset, diu, noctuque mente volvebat. Aderat per ea tempora Panormi vir omni scientia prudentissimus, ac præsertim casuum conscientiæ, hoc est Theologiæ moralis peritia insignis, Hierotheus, eidem Plutogeni perfamiliaris, universæque ejus familiæ, supra quàm dici potest, charus, quocumque fæpè colloqui, eundemque sæpè domi, ac ruri apud se habere sluogenes consueverat. Quare hunc semel enixè obtestantes, ut Policratem Hispanicam profectionem vrgentem, per sua in adolescentem authoritate, compesceret; eaque occasione ejus pravos mores, quibus præsertim parentes, usque ad insaniam lacessebat, aliqua ratione corriperet. Is mandatum non recusans, Policratem in secretiorem cubiculo fortè otiantem, sic solus aggreditur.

## §. II. *A filio quid Parentibus debeatur.*

1. Fili (nam te filium quem in Domino ab infantia parturivi, non gratis compellabo) ut quid tanta contra tuos amantissimos parentes pervicacia? Docebo te brevibus, quid filius debeat Patri: tria nimirū, Amorem, Reverentiam, & Obedientiam: ut quid denique à te nunc velim exposcere, manifestè concludam. Hæsit Policrates præ observantia, quam Hierotheo gerebat. Sed quia erat curiosus, acutoque ingenio, sic respondit: Attendebit mihi ista Theologiæ moralis prælectio, Pater: Verùm oppugnabo, si per te mihi licebit, quæ contra meam Hispanicam profectionem disputaveris, & expugnabo fortassis: huc enim tua oratio tendit, ut video, Age, quod proposuisti, aggreditor: ego expeditis auribus, ut ex reverenti officio tibi debeo; quæcunque attuleris, excipiam Tum Hierotheus:

### *Amor.*

2. Amet filius parentes. Primò, Dilectione interna, ita ut eos nunquam odio habeat, neque illis malum aliquod notabile animæ, vel corporis inferendum exoptet. Si secùs in re non modica faxit, peccabit mortaliter, tenebiturque hanc circumstantiam, utpotè constituentem peculiarem impietatis speciem, in Confessione, ut rectè monent Doctores, patefacere. Lege *nostrum opusc. de Conf. l. 2. §. 1.* & *in edit. Panormit., anni* 1649. & benigniùs *lib. cod. c. 7. n. 48. vers. dices.*

3. Præterea amet, & amore externo. Hoc est, Obstringitur filius signa benevolentiæ æterna parentibus ostendere.

4. Quapropter qui durè, vel asperè cum iis notabiliter ageret, cùm sperneret, vel ad non vulgarem tristitiam compelleret; lethaliter peccaret, ex Sylvestro, *v. Filij quæst. 22.* & Navarro, *c. 14. n. 12. in summa.* cui adde Bon. *circa 4. Decal. præc. d. 4. q. vnic. p. 3. n. 3.*

5. Tertiò. In spirituali necessitate illis opituletur. Si filius ergo negligat, ut in articulo mortis Pater, Matervè Exomologesis Sacramentum suscipiant; si prohibeat, nec ij necessarium condant testamentum; si eos abducat, ne quid rationi consonum pauperibus, vel operibus pijs pro salute animæ relinquant, in mortale crimen ex sententia ejusdem Navarri *ibidem* prolabitur. Si enim pleraque ex his saluti proximorum debemus, quid non debemus Patri?

6. Pari modo huc reduca obligationem filiorum in adimplendis quamprimum, quæ sunt in Testamentis à parentibus dispositа circa æs alienum, vel legata: imò hæc absque causa, notabili temporis interuallo differre, piaculum esse mortale, meritò docet idem Navarr. *ibid. num.* 15. citans Antoninum.

7. In eo est difficultas: an si Pater nulla bona relinquat filio, teneatur filius ex suis propriis bonis solvere debita: mutuam, v. g. pecuniam acceptam à Patre, & eam quidem potissimùm, quæ expensa fuit pro alimentis ejusdem filij; Lis hæc vertitur inter Inrisperitos: Et tamen nequaquam obligari, quia mutui repetendi obligatio est personalis, constanter affirmo. Ita Dec. *in l. si cum servum, n. 11. ff. si certum petatur,* & *ibi* Alc. *n. 27.* alia iura citans. Cùm enim filius nomine suo pecuniam illam nequaquam susceperit, nihil omnino debebit, & vlterior, quoad pecuniam susceptam pro filij alimentis, in quo major viget difficultas, est: quia Pater tenetur alere filios, atque hi jus habent edversùs Patrem exposcendi alimenta: nam propterea mutuum illud à genitore accepum, semper cadat contra genitorem; adversùs filios, nunquam.

Quemadmodum enim deficientibus viri bonis, vxor regulariter non tenetur ex suis dotalibus debita viri solvere. Ita Sanch. *lib. 9. de Matr. d. 4. à n. 29.* vbi *n. 30.* affertur quidam casus, in quo tenetur vxor: debita, inquam, etiam ad ipsammet vxorem, & ad familiam alendam contracta, quia vtramquam alere marito incumbit, non vxori: Ita profectò in casu proposito, si pari ratione bona paterna non supersint.

8. Neque opponas cum nonnullis; legem, in qua sancitur: *si quis rem alienam acceperit, & res illa in vtilitatem alterius fuerit conversa, teneri hunc tertium ad solutionem; si is qui accepit, sol vendo non fuerit.* Ita Iason *leg. his solis, ff. de cond. indebit. n. 2.* Rom. *in singul. 220.* Ne opponas, inquam: id enim esto veritatem habeat, si quando hic tertius accepit ex causa lucrativa; non verò, si onerosa: At filius alimenta ex causa onerosa conquisivit; quia ipsi omnino à Patre debebantur.

9. Sed quid, si Pater alia bona reliquit filio vincula (v. g. majoratum) quæ jam apud filium extent, debebitne filius ex his, vel horum fructibus solvere Patris debita? Respondeo: si debita sint contracta ab eo, qui instituit vinculum, & quidem antequam vinculum instituerit, certum est filium debere, non autem, si post vinculum jam factum irrevocabile: nec item, si debita sint contracta ab majoratus possessore, qui institutor non fuit. Horum rationes lege apud Sanch. *in const. tom. 2. l. 4. cap. 1. dub. 31.* Iurisconsultos ab eodem citatos: nam Bonacinam *tom. 2. circa 4. dec. præc. d. 6. quæst. vnica. part. 4. n. 10.* afferentem Azor. & Filliucium in quo ex dictis discrepantes nequaquam sequor.

10. Quartò denique, subveniant in necessitate corporali, quantum vires sufficiunt, Parentibus filij. Quare, si Pater infirmus est, si carcerem detrusus, si mente captus, si extrema, vel gravi necessitate pressus; debet filius quæ opus erunt, porrgere, curare ut liberetur, eidémque etiam ex proprio peculio providere. Ita Navarr. *in sum. c. 14. n. 12. &* 13.

11. Illud fateor ex Navarro, *ibid.* non obligari filium aliis carentem bonis, artem suo statui indecentem exercere, quò patrem alat: quia ejusmodi incommodum meritò filium excusabit: ut item assero, teneri filium Parentis necessitati subvenire, tametsi Parens esse sibi subsidio posset exercitatione alicuius artis, minùs suo statui condecentis: ad id enim esset nimis durum, obligare Patrem, dum prognato gaudet; qui aliâ via subleyare cadetem possit. Colligitur ex S. Thom. *2. 2. q. 101. art. 1. Ang. const. 85. n. 3.* & colligitur ex *l. sicut. ff. de oper. libert.*

### *Reverentia.*

12. Verùm, revertamur ad id, quod secundo loco proposuimus à filio deberi parentibus, nempe Reverentiam. Primò enim, si filius parentem percutiat, etiamsi percussio sit levis, ex Navarr. *in summa, cap. 14. num, 12.* imò secundùm aliquos, etiamsi solùm attollatur manus ad verberandum, piaculum mortale committit. Ita Bon. *t. 2. circa 4. decal. præc. d. 6 q. vnica, p. 2. n. 4.*

13. Secundò, si deliberatè maledicat parentibus, sive superstitibus, sive jam fato sublatis; vel eos contumeliis afficiat.

14. Tertiò, si eosdem parentes alicuius criminis, quamvis crimen verum sit accusare, non dubitet; mortaliter item delinquit: qua ratione tamen in hoc postre,

mo capite, excipiatur casus læsæ Majestatis divinæ per hæresim, vel humanæ per conspirationem adversùs Principem; cùm sint delicta minùs frequentia, supersedeamus nunc dicere, & scribentibus de hoc Argumento, libentes relinquamus. Lege Azor. *p.2. lib.2. cap.2. quæst.13.* & deinceps Navarr. *l.c.n 12.* aliósque.

15. Quid, si Princeps det liberam facultatem occidendi proscriptos à patria, liciténe filius patrem occidere poterit?

Respondeo: Nonnulli Iurisconsulti posse contendunt ita Bartol. *in l. si adulter. §. liberto ff. de adulter.* Covar. *in instit. de actionibus, §. Rursus, n.22.* apud Dicastill. *mox* citandum, tum quia filius debet alimenta negare Patri proscripto; ergo & poterit occidere: tum quia alicubi adsunt leges, vt qui proscriptos occiderit, certam mercedem consequatur: à cuius consecutione non excluduntur filij.

16. Sed profectò pro hac sententia nec ego, nec Covarr. *de Matt. c.7. § n.5.* Decius, *in cap.5. quæ. Eccl. num.4. de const.* aliique, suffragium dabimus: quia id graviter, atque adeò mortaliter repugnat cum charitate, & pietate, quâ filius debet patrem amplecti: lege Dianam *p.8. tr.7. res.42.* & Iulium Clarum apud Dicastillum *mox* citandum; leges verò illæ, quæ filium non excipiebant, meritò jam desinere, quia impiæ sunt; ut & impium esset, denegare alimenta patri proscripto. Lege Laymann, *l.5. sect.5. tr3. p.3. c.2. num.2.* & lege item quæ mox dicemus §. 6. qui hanc nostram sententiam extendit etiam ad parentes respectu filij, & ad vxorem respectu mariti, &c. Quòd si pater sumeret arma contra Patriam, vel Principem, vel sit, ut loquimur, captivans violatores, quem alicubi numerari audio inter rebelles primi capitis, utpotè admodum Reipub. ac Principi nocentem; prohibeo quidem filium, ne patri alimenta ministret, id. enim quid negativum est: At positivè interficere præcipere non audeo: quæratur alia via, quâ illud Communitatis publicum malum averti possit. Quid, si pater nullâ viâ possit ab armis contra patriam averti? occidatur, inquit Dicastillus, *l.2. de iust. tr.1. d.10. dub.1. num.13.* propter bonum universale Reip.

17. Quærò denique, contra reverentiam filialem peccaret filius, si recognoscere; ut notat Azor. *p.2. lib.2. c.2. q.10.* ex contemptu nollet patrem, ob ejus paupertatem: At si non ex contemptu, sed ad vitandum aliquod incommodum, aut erubescentiam; certè, quia non esset injuria directa in patrem, à mortali culpa (sic puto) esset excusandus.

*Obedientia.*

18. Superest obedientia, quæ parentibus debetur. Primò in jis, quæ spectant ad bonos mores. Quare præcipienti patri, ne filius scorretur; ne ludis prohibitis vacet, ne noxias familiaritates foveat; si is minùs obediat, mortale peccatum committet: ex Sancto Thoma *2.2.q.104. art.5.* speciatim in confessione declarandum. Ita Arag. *2. 2. quæst.62. art.3. d.1. ad 2.* Angelus *v. Filius, n.29.* Præcipienti, inquam: nam si solùm interposita fuerit, quamvis replicata admonitio: ipsa inobedientia mortalis non erit. Secundò, in ijs parere parentibus obstringitur filius, quæ ad domus gubernationem pertinent: sub culpa gravi in rebus gravibus, præsertim, si accedat contemptus, vel pertinax obstinatio; sub veniali, in levibus.

19. Ex quo complexionem contra te sic instituam, Polierates: Si in ijs, quæ ad familiæ gubernationem graviter pertinent, obligatur filius parentibus morem gerere: qua fronte tu deserere atque in exteras nationes, contra eorundem replicata imperia, te conferre, ingratus audebis?

20. Ad hæc Policrates, qui erat, ut modò innui, ingenio, ac varietate loquendi promptus; præmissa non vulgari officiosorum verborum insinuatione, sic interrogat: Inquiro, Pater sapientissime, An peccet filius ætate jam grandior, causis instructus vehementibus, præsertim ad solidam animæ suæ salutem pertinentibus, parentibus verò ac familiæ nullum inferens detrimentum, si à domestica consuetudine, postulatâ ut fas est, à patre venia, quamvis minùs impetratâ, an, inquam, peccet, si domo discedat? Non peccaturum, respondit Hierotheus: tunc enim filius, tam multa adiuncta congerat, quæ certa supponis, suum majus bonum (multoque magis, si de æterna agatur salute) exiguo patris sensui præponere legitimè valet. Teneo igitur te, (submisse adolescens) téque pronuntio meis consiliis assentiente. Tu non ignoras; ego invitus (altum hîc suspirium traxit Policrates) experior mores pervicaces meos: non certè erga alios, in quorum gratiam liberalem me, atque vrbanum ingenium habere animadvertisco, sed eo qua sanguinis disiunctione insolenti adversùs Parentem meum Plutogenem. Sæpissimè enim, data vel levissima occasione, in illum vehementer indignor, imò per meum gravissimum scelus) erubesco, sed ingenuè fateor) injuriis illum aggredi, atque obstinatè lacessere non dubito?. Qua turbatione familiæ, etiam inter edendum, etiam inter domesticos consanguineorum familiarumque conuictus; quóve malo exemplo tu, Pater, imò universi ex vicinia norunt. Remedium tantis meis malis cùm naviter exquirerem, dum cùm ipso in eadem domo versamur, invenire datum non est. Oppugnanti naturæ semel, vel bis, te cum victoria opponis; sæpe, vel semper id moliaris occumbes. Quid ergo? Heu fuge, non jam crudeles, sed natales terras; fuge littus amatum, an mihi etiam littus amarum? Domo exire juvat, reverentiam quam patri debeo, sic melius præstare me feram? nihil convitiando absens, quàm coram, semper in contumelias incidendo. Deinde, familiam nostram (quod Deo optimo acceptum referre grati debemus) ita patre, matre, germanóque fratre solertissimo ornata constat, ut nihil prorsus detrimenti ex mea absentia passura sit: Quamobrem ergo me crimine condemnas? præsertim cùm ex hac profectione, quamplura sperem exorare à Rege, ad splendorem familiæ nostræ ad amplificandas fortunas, ad sororum mearum nobiliora matrimonia conquirenda. Hæc, & alia similia, ita diserte, & concitate congessit adolescens, ut Hierotheus non modò illum ab omni prorsus peccato vindicaverit, sed se futurum intercessorem apud Plutogenem, pro ejusmodi discessu, receperit. Tum consueta verborum urbanitate ultrò, citróque habita, è cubiculo discessit ad patrem; qui exoratus tandem per Hierotheum, sed eundem ferè mensem, & quidem optimo eventu, ut deinde resciviimus, Policratem libens, volensque dimisit.

## §. III. *An invitis parentibus Matrimonium inire filius liceat.*

1. ET jam instabant Paschales Feriæ, atque ad aperienda peccata, sacrámque synaxim suscipiendam confluebant in templa frequentes de more Fideles, cùm Plutogenes Hierotheum convenit, precatúrque, ut sacro illorum dierum tempore Aloysiam filiam à proposito nuptiarum illarum deterreret. Spopondit is operam suam: nec multò pòst puella, amitâ, & consuetis pedissequis associata, animæ labes depositura, ad Hierotheum suum, familiæque à confessionibus, accessit; qui illam præveniens: Tecum inquit, antè breviter agam, quàm peccata præfacere aggrediaris; quid scilicet in assumendo statu tibi liceat, vel congruat expositurus. Vix his auditis, præsensit Aloysia, quò tenderent ejusmodi verba, Et, ô Pater, respondit, quàm gratè antevertis desiderium meum. quo jam idem à te scisciari non multò antea proposueram? Neque enim apud parentes meos ex firmo animo dixi, quod de illo juvene ad tuas aures fortè pervenit, sed potiùs, ut eos ocitantes ad me, digno, ac justo matrimonio collocandam, excitarem: me, inquam, annum jam vigesimum sextum agentem, nec à Deo impulsam (sic ipsi placet)

ad

ad celibem vitam conservandam. Cæterum in posteram, ni ipsi mihi consulant, consulet anima mea; nec ego amitæ dissentiam, modò mortalis peccati rea, (à quo, tanquam à facie colubri, semper exhorrui ego, &) filia, ob hanc causam nequaquam simus. Aures admove, respondit Hierotheus, ut sapientium dogmata excipias, filia: excipiat, quandoquidam, hîc adest, & amira.

2. Certum, exploratúmque est, si filij invitis parentibus ineant matrimonium cum dignis, & alioqui nullam sequatur incommodum, non peccare lethaliter; imò ne venialiter quidem, si priùs modestè à parentibus facultatem petierint, tametsi nequaquam exoraverit. Rationissima est, quia in electione status, & maximè matrimonij, filij nemini subdantur. Ita S. Thom. *in 4. d. 29. quæst. unica, art. 4.* ita Sanch. *l. 4, matrim. d. 21. num. 4.* ita cæteri.

3. Hinc regulariter non tenetur filius implere sponsalia, quæ absque ejus consensu pater promisit. sic enim teneretur ad matrimonium. Agit de hac re diluciùs Sanch. *ibid. d. 23. n. 3.*

4. Hinc etiam meritò Tridentinum, *sess. 24. c. 9. de reform. matr.* ipso facto excommunicat impedientes matrimonia, quæ excommunicatio, licèt solùm sit contra eos, qui, cùm habeant jurisdictionem fori externi in subditos, à matrimoniis injustè impediunt, ut clarè colligitur ex contextu Tridentini; quales sunt Episcopus, & Princeps sæcularis (excipitur Rex, & Imperator, quia hos oporteret exprimi; excipitur & Parochus, quia fori externi jurisdictionem is non habet in suos:) tamen tam rigida prohibitio ostendit sensum Ecclesiæ, nolentis ut matrimonia impediantur. Et meritò: nam independenter à lege positiva, ex se culpa mortalis est impedire in re gravi jus alterius: At verò, ut diximus, in status electione quilibet sui juris est; atque adeò, nec à suis, nec ab aliis, si peccatum mortale ij vitare velint; impediendus.

Dixi (injustè nam quando adest justa causa, ut quia matrimonium est indignum, vel quid simile; non peccat Princeps, vel amicus, modis suavibus absque vi, vel metu, impediens, ut est concors Doctorum sententia, ipso lumine rationis comprobata. Lege Sanch. *ibid. d. 22. num. 7.*

5. Difficultas igitur sola superest: An cum indignis possint filij licitè contrahere, patre, vel genitrice dissentientibus? Et quidem, licèt aliquibus videatur non posse, idque sub mortali, quod certè valdè probabile est: Ita Sotus, Corduba, Navarr. aliique, Sanch. *l. 4. de matr. d. 25. n. 9.* quibus adde Bellarm. *l. 1. de matr. cap. 19. prop. 3. & in fine*, fateor tamen probabile item esse, ac tutum, quod possint. Ratio præcipua est, modò dicta: filium scilicet omnino libetum esse, nec alicui subiici hac in re. Addit S. Thomas *2. 2. q. 104. art. 5. in corp.* in ijs, quæ ad proprij corporis sustentationem, prolisque generationem attinent, omnes homines esse pares; atque adeò ne filios quidem in his duobus subiacere parentibus. Et rectè docet Sanchez, adeò filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum, nubere valeat, etiam indigno, sine patris consensu; ne aliàs matrimonij libertas impediatur, detúrque puellis ansa occultà delinquendi.

6. Illud adverto: esse conveniens, ut saltem à Patre consilium petatur; si quidem in re tanti momenti congruit Patris consilium explorare, licèt sine obligatione loquenti. Et quamvis Sanch. *loc. cit.* arbitretur peccare mortaliter filios, si in matrimoniis eligendis à Parentibus ejusmodi consilium non exposcant; ego tamen, pace tanti viri, huic sententiæ non assentior. Ut quid enim tantum peccati mortalis onus, si eis tandem consilium Patris respuere concedatur? Adde primò, si non nisi causa consilij Patrem docere de meo matrimonio debeo; posse fortasse me à prudentiore viro illud petere, & sic non indigere paterno. Adde secundò, cùm nos, & ipsemet Sanch. agamus in præsentia de filiis volentibus contrahere cum indignis; si sub mortali obligaremus filios ad Patris consilium exposcendum, illo regulariter conijceremus in pericula rixarum. Certum enim erit, Patrem contradicturum, cùm agatur de suæ familiæ dedecore, multò magis, si constans supponitur filius in arrepto proposito contra Patris apertum consilium: quam constantiam licitè sartam tectam servare posse, meritò fatetur idem Sanch.

Sarius ergo fore videtur curare, ut ignoret Pater, quàm ut noscat, & coràm ejus authoritas despiciatur. Quare si statuit Eleutherius Papa, *c. Aliter, 30. q. 5.* ut pro nupta nequaquam habeatur puella quam pater ipse non desponsat: Si Leo Pontifex, *c. qualis 30. q. 5.* & S. Ambrosius *c. honorantur, 32. q. 2.* ajunt, non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum esse expectandum: Si in Sacris litteris parentibus tribus hoc munus cap. 7. *Da filiam tuam viro prudenti*: Si S. Paulus *1. Cor. 7* expressè docet à Parentibus tradendas esse filias nuptiis: Si multa Sacratum litterarum exempla, quæ affert Bellarminus *l. c. prop. 4. & in fin.* id manifestè demonstrant; Respondeo cum eodem Sanch. in simili, hæc, & similia probare quidem, esse valdè honestum ejusmodi consilium à Patre conquirere; dicam peccati mortalis necessitatem non probare.

Hæc dicta sunt, quando ex ejusmodi matrimonio non timetur fore, ut sequantur gravia mala, sive scandala, sive alia incommoda: tunc enim, ut notat Sanch. *l. c. num. 11.* contra charitatem, ex alio capite, quam ex solo Parentum involuntario, peccati labes posset emergere.

7. Filius ergo; sive hi excedant, sive non attingant vigesimum quintum ætatis annum, nuptias ineuntes, invito genitore, ab hæreditate expellere non potest pater; ijsdémque debet (ex Sanchez citato, aliisque *passim*) genitor dotem competentem, vel saltem alimenta, juxta sui status conditionem constituere, si bona vnde vivant hi filij non habent: At si habent licèt probabile sit, justam adhuc dotem ijs debere patrem conferre, si dignè contraxerunt; quia nihil peccarunt in libero matrimonio deligendo: tamen certum est, & legibus & jure statutum, nec dotem, nec alimenta ijsque debere, si contraxerunt indignè. Quorum ratio brevis ea est: quia, si dignè sese gesserunt non sunt fraudandi sua dote: si verò indignè, sed nihilominus sunt pauperes; æquitati, ac pater pietati consonum est, ut pater alimenta saltem necessaria, ne fame pereant, filiis indigentibus, nec contra jus patrium peccantibus, præbeat. At si qui indignas conceperunt nuptias, divites sint, cùm negari non possit indigna ea electione familiæ decus ab ipsis fuisse commaculatum; quandoquidem victu necessario non carent, meritò à parentibus sunt destituendi.

8. Ex quo postremo dicto clarè consequitur tibi, Aloysia, si fortè hujus adolescentis indignas nuptias appetas, posse Plutogenem negare dotem, & negabit quidem, ut millies palam professus est; siquidem habes, vnde vivas ex hæreditate, quam nuper amita tibi irrevocabili donatione concessit. Vnde perpende, filia, an velis quinquaginta aureorum millia contemptui habere: ad hanc enim summam pertingere dotem paternam tuam, & ampliùs multò, si soror Mæulda, quod constanter molitur, in Monialium claustra sese recipiet, probè nosti.

9. Quòd verò is Adolescens, quo de fama percrebuit, indignus tuis nuptiis censeatur; luce clarius est meridiana, si ea quæ afferunt Doctores ad hanc indignitatem metiendam, breviter cognoscas: *Is Conjux* (ait Thom. Sanch. *de matr. l. 4. d. 26. num. 23.*) *dicetur indignus, cui alter matrimonio copulari, absque dedecore, juxta Civitatis mores, nequit. Is dicitur indignus* (ait Baldus, *l. Nec filium, C. de nupt.*) *qui malis moribus imbutus sit. Is dicitur indignus* (ait Menochius, *de præsumpt. l. 4. præsumpt. 189. num. 85.*) *qui altero conjuge multò est pauperior*: Quod dictum rectè intelligimus, nisi aliunde nobilitate, v. g. litteris, militiæ meritis, vel simili non vulgari prærogativa,

gativa, excessus in divitiis compensetur. *Is in summa dicitur indignus* (ait Bartolus, *leg. cum ita, lib. 1. ff. de cond. & demonstrat.* aliique) *qui imparis est conditionis cum altero conjuge: qualis certè est ille* (inquiunt) *qui ignobilibus ortus parentibus, nec aliis ornamentis vitæ fulgidus, nobilissimam puellam eamdem divitissimam sibi connubio sociari contendit.* At enim verò, iuvenem illum tum magna ex parte esse ejusmodi notis affectum, non ego solus, non sola vicinia, sed vniversa Civitas nimis palam docet; & vtinam absque tuæ familiæ dedecore! nimis passim obloquitur.

10 Erubuit hîc, præsertim cùm audiit illud (iuvenem tuum) virginali pudore Aloysia; & ut Anacreontis vtar lepore, apparuerunt puellares genæ, perinde ac si in lactis candorem rosatum purpura fuerit immissa. Nec tamen sibi defuit; eandem enim excusationem, nempe se ex vero animo iuvenem illum nunquam dilexisse, justis Hierothei, & parentum expostulationibus cum iurejurando rursus opposuit. Mox culpas suas ritè confessa, obedientior parentibus, imò, & in fastu remissior facta est: nec multò pòst ab Hierotheo, aliisque perfamiliaribus excitus pater, filiam viro nobili, ac supra quàm credibile est prudenti, nuptui dedit, collætante familia.

## §. IV. *Pater non potest filium compellere nec ad Matrimonium, nec ad Religionem.*

1. ABsolutis ergo Aloysiæ nuptiis, per totam æstatem intra Civitatis mœnia se continuit Plutogenes, solitus cæterùm rusticari non semel cum universa familia. Apparente tamen autumno, ipse cum filiis, conjuge, ac Genero, invitato præterea Hierotheo, ab vrbana domo sese subduxit: in suis amœnissimis hortis vbi fontium scaturigines, arborumque opacarum condensa nemora, fructuum copia, atque in primis commodissima domus aderat, vindemiarum tempore commoraturus. Et ibi quidem, semel, dum à meridie omnes ferè à familia ad auras flantes captandas, æstumque illius diei temperandum, in porticus considèrent: Edisserè, amabò te, Hierothee, (dixit Plutogenes an ego Chermagoram filium hunc meum, à nuptiis adeò alienum, licitè valeam ad matrimonium contrahendum compellere. Tum Hierotheus conversus ad Adolescentem: Thermagora (inquit) qui tam diligenter me præceptore, litteris non minùs prophanis, quàm sacris hactenus vacasti, & toto animo vacas; id à te priùs audiat Pater: mox, si quid tuæ defensioni addendum, vel demendum erit, ego subjiciam.

2. Ad hoc Thermagoras: Parebo libens, sive ut tibi morem geram, sive ut à me invidiam cælibatus avertam; sive ut observantiam, quam parentibus amantissimis meis debeo, in hoc meo proposito, nunquam obscurasse, ipsis in primis persuadeam. Nec aliud præter ipsa Thomæ Sanchez, Theologiæ laboralis fulgentissimi luminis verba, *lib. 2. de matrimon. d. 22. num. 4.* quæ consultò nudiustertius in hunc vsum notavi, hîc in medium ea ipsis parentibus afferam: *Non possunt* (inquit) *parentes cogere ad matrimonium, vel ad tales nuptias; sed liberè contrahere filij debent, vel alium statum eligere, sic fatentur omnes cum Divo Thoma* (in 4. d. 20. quæst. vnica) *qui rationem hanc insuper reddit, quia in matrimonio est servitus quædam perpetua; & ideo, cum homo liberæ conditionis sit, nequit a patre ad servitutem hanc compelli. Quod si arguas* (l. 2. C. de patribus, qui filios suos) *posse filium a parente in necessitate constituto vendi, & ita sua libertate privari; dic disparem esse rationem: quia hæc servitus non exigit mutuum amorem, nec est perpetua, potest enim redimi, quæ secus se habent in matrimon.* Hæc Sanch.

3. Quæ eo confirmari possunt argumento: Nam est certa omnium, exploratáque sententia, nemini, atque adeò nec patri licere filios cogere ad Religionem capessendam, neque directè, neque indirectè; ut si pater malè agat cũ filiis in victu, vestitu, verbis, hoc animo, ut tædio affecti ad Religionem confugiant: quia gravis & contra justitiam ex onere iniuria est, aliquem ad id cogere, ad quod non tenetur, quodque Deus liberum esse voluit. Imò contra eos, qui fœminas ad Religionem cogunt (etiam metu reverentiali, ex mea sententia, quidquid dicat Portella, *in addit. v. Moniales, n. 11.* & Riccius, quem sequitur citatus Diana *loco mox citando*, quia æque per metum illum verè cogitur filius) rigidissima prohitio lata est à Tridentino, *sess. 25. c. 18. de regul.* excommunicatio (de qua fusè Suar. *de Rel. t. 3. lib. 1. cap. 9.* vide etiam Dianam *p. 5. tr. 15. res. 56.* vbi multa ad praxim pro hac re,) ut nimirum Religionis ingressus liber omnino sit, & voluntarius; Quantò ergo magis liberum voluisse matrimonium, quod periculosiorem vitæ statum affert, quàm Religio; eos Tridentini prudentissimos Patres credendum est? Sanè ad vitam Religiosam quæ valdè animæ fauet, quamvis allicere aliquem munusculis possis, cogere tamen non potes: cur igitur ad statum cogere matrimonij aliquem licitè possis; qui status permaximè est sexcentis sæculi perturbationibus, atque periculis obnoxius?

4. Nolo tamen ira rigidus audiri, ut aliquid parentibus non indulgeam: Cum Goffredo enim Soto, & Bellarmino; *I supra cũ* fateor licitè posse patrem, non quidem adigere absolutè, sed paternè filium ad nuptias invitare. Iusta siquidem causa familiam propagandi, nepotes progignendi, paupertatem accepta dote sublevandi vel quidsimili parentem excusare à peccato, non est improbabile. Sed inde pro meo instituto sic breviter conficio. Tu, amantissime genitor, longa progenie ex genero, filiaque, spero gaudebis; idèmque ex Policrate fratre meo, itidem spero, familiam verò nostram, quam diuitiis affluentem (Deo immortales sunt gratiæ) alienis bonis non indigere, norunt omnes, ego expeditius suebo sine propriæ vxoris, prognatorúmque cura, & omnia insuper præclariora, nobilioésque Præfecturas, ob diligentiorem operam, quam navabo litteris, facilioue negotio, Divis aspirantibus, assequar. Vt quid ergo me ad matrimonium, vel compellere potes, vel velit allicere? Verùm hæc pro mea defensione hactenus satis; orationem enim meam libenter supprimo, quamvis restent plura dicenda; quia (ut verbis vtar S. Ioannis Chrysostomi, *hom. 1. de pœnit. fin.* concionem Flaviani Episcopi lepidissimi oratoris, audire exoptantis) *Cupio tuam. Hierothee sapientissime, audire vocem personantem, meas sum partes confirmantem; siquidem nos pastoralis pueri subtili calamo sibilamus, veluti sub quercu quadam, aut fago ad umbram viridantium pratorum considentes: tu verò optimi instar, atque artificiosi Musici, autem citharam modulatus, dulcissimi sonitus consonantia, universum excitas cum admiratione Theatrum*: hæc Chrysostomus; hæc ego. His postremis verbis præ modestia, rubore suffusus est Hierotheus, at subinde pleraque in rem ex Sanctis Patribus admirando eloquentiæ pondere cum addidisset, reprobare ea convictus Pater, latum vnguem non potuit; unde factum est, ut in posterum molestiam filio nequaquam attulerit. Réque felici successu Deus Optimus promovit; nam aliquot post annis, Sacerdotio initiatus Thermagoras, promovente apud Hispaniæ Regem fratre Policrate, Archiepiscopus Panormitanus incredibili parentum adhuc viventium, vsque ad lacrimas lætitias, totiúsque Civitatis gratulatione, creatus est.

## §. V. *An pater possit retrahere filium à Religione.*

1. REdeo vnde discesseram. Aderat huic disputationi Matilda cum reliquis, ut dictum est de familia. Et, ô disertissime Pater, subiunxit, Quandoquidem mei germani fratris hactenus confirmasti partes, quæso te, ut partes etiam meas hic suscipias; atque exponas, an me è Religione (quam tam studiosè appeto) licitè retrahere possit Pater.

Hæc disputatio (respondit Hierotheus) universaliore methodo

methodo digerenda est. Vel enim sermo instituitur de impediente ingressum in Religionem, vel de consulente egressum ab illa. Rursus, vel de impediente, & consulente, vi, fraude, injuria, vel sine his, putà, precibus duntaxat, vel mero consilio. Denique potest esse locutio, vel de peccato; vel de obligatione restitutionis.

*Impediens vi, fraude, injuria, &c.*

2. Potrò certum sit, impedientem ingressum, vel consulentem egressum Religioso, imò & Novitio (ex Dicastill. *loco citato, num.* 26. sequente Rebellium, aliósque) vi, fraude, injuria, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri, si quod homini, vel Religioni damnum emergat. Ita Dicastill. *l.* 2. *de iust. tract.* 2. *d.* 7. *dub.* 1. *an.* 16. Ioannes de Lugo, *tom.* 1. *disp.* 9. *sect.* 3. *à n.* 28. authoréque ab eodem citati. Ratio est manifesta, quia omnis vis, & fraus contra justitiam est; ergo in re gravi, qualis est hæc, sine dubio parit obligationem restitutionis illam inferenti. Certè tum homo, cum Religio habent jus, ne alius per vim, & fraudem, impediat emolumenta, quæ ipsis ex tali habitus assumptione, vel conservatione obvenire possunt: ergo qui contra hoc jus operatur, contra justitiam agit.

3. Dixi (si damnum emergat:) nam evenire potest, ut ille homo infructuosus fuerit, vel futurus esset Religioni, vel alius loco illius fuerit admissus; vel, ut computentur emolumenta, quæ is per se afferebat, vel allatus erat cum expensis sui victus, & vestitus: tunc ergo cùm nullum damnum factum fuerit, nullum est restituendi natum onus. Notanter dictum est (per se:) nam quædam per accidens fortè eventura, an hic considerandæ sint, fusè habes apud Doctores. Lege Ioan. de Lugo, *loco citato, num.* 34. Pari modo, si ingrediendo in Religionem nihil ampliùs homo ibi habuisset, quàm si remansisset in sæculo, nihil ei restituendum est, cum nihil ex illa vi, dolóque deperderit. Imò quando sive Religioni, sive homini damnum est restituendum; semper aliquid judicio prudentis viri diminuendum est ex illo capite; quòd non omnino certum est damnum à vim inferente illatum; cùm potuerint, esse aliquæ causæ, cur homo ille, vel non ingrederetur in Religionem, vel egrederetur ab illa.

4. Damnum autem hoc, vel est spirituale, qualis est ipse non ingressus, & egressus; vel temporale. De hoc posteriore loquuti sumus; nam cùm prius ut malum irreparabile: rationi illius, tu, qui vis, dolúmve intulisti, vel parvum consilium dedisti, solùm obligaberis ad vim, dolúmque auferendum, consiliúmque malum retractandum: (si hæc adhuc persistant) Nam cæterùm, si postea homo ille perseveraret in abiicienda Religione, ipsi, suæque voluntati imputaretur; non tibi, qui vim, deceptionémque jam, pro virili, removisti.

Scio aliquos te pro damno temporali Religioni illato obligare, ut vel alium ad Religionem adducas vel ei illi mancipes: Ita Gabr. Scotus, aliique apud Dicastillum *loco citato, num.* 34. sed certè non assentior. Ita Scotus, Rebell. Less. Vasquez, aliique, quos *ibidem* citat, sequiturque Dicastillus, quia nemo obligatur libertatem dare, quæ est ordinis superioris; pro damno temporali, quod est ordinis inferioris.

*Impediens sine vi, fraude, injuria.*

5. Iam verò difficultas major est de impediente, vel consulente, sed sine injuria; an peccet, restitutionique sit obnoxius?

*Quoad peccatum,*

Quoad peccatum; sic habet Molina, tom. 5. tract. 4. disp. 52. §. secunda verò pars: *Qui absque rationabili, vel justa causa dissuadet alicui Religionis ingressum, aut ei suadet egressum, graviter peccat; quoniam retrahere à tanto bono grave est: tenebiturque, qui ita retraxit, charitatis lege suadere contrarium, si spes sit iri resarcitum, quod ita impedivit. Unde graviter peccant parentes, qui solo carnali affectu permoti, absque rationabili causa, nullum non movent lapidem, ut filios à Religione, quam ingressi sunt, extrahant lacrymis, & aliis conando, à tam sancto proposito illo avertere: solétque Deus illos, ac filios ita extractos, graviter, etiam in hoc sæculo punire. Videant etiam Senatores Regij se graviter peccare, concedendo mandata, ut absque rationabili causa prius sufficienter cognita, & examinata, extrahant, & collocentur in domo aliqua, ubi aciter eorum constantia teneatur.* Hæc Molina, qui videtur supponere hanc causam examinati à Senatoribus Regiis posse; in quo, tanto Doctori nulla ratione consensum præbeo: cum enim hæc causa sit spiritualis, ad Ecclesiasticum judicem pertinet, non ad sæcularem.

6. Dictum autem meritò est (sine rationabili causa:) hac enim existente, cùm prudenter agatur, ab eo, qui hac motus ingressum dissuadet, non est timenda culpa. Rationabilem causam putat *ibidem* Molina, Primò, si ingressus est futurus nocumento ingredi volenti. Secundò, si in ea Religione dissolutè vivatur. Tertio, si candidati complexio sit frugo Religionis inepta. Quartò si ejusdem mores sint adeò pervicaces, ut majora mala Religioni, vel etiam ipsi meritò timeantur. Quintò, si aliquo impedimento, quod Religiosam professionem impediat, v. g. ære alieno, matrimonij promissione, infirmitate corporis, vel simili laboret. Sexto, si parentes, sororésve graviter ejus auxilio indigeant. Hæc ex illo. Quanta autem debeat esse ejusmodi necessitas, & qua ratione necessitas extrema parentum impediat ingressum, imò & licitè extorqueat filium, & quoscunque alios professos à Religione; non verò necessitas gravis, quæ solùm per aliquos, impedit quemlibet ingressum filij, & aliquando fratris, sorore periclitante; non verò justificat egressum, quia obligatio tunc non est tanta, ut vincere possit professionem, quam habet Religio in personam Religiosi jam professi: hæc, inquam, fusè docent Sanchez, *l.* 4. *in decal. c.* 20. *à n.* 14. Suarez, *tom.* 3. *de Rel. l.* 5. *c.* 6. *num.* 5. Castr. Pal. *tom.* 3. *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 7. §. 5. *num. præsertim* 13. Valentia *t.* 3. *d.* 7. *q.* 1. *p.* 2. Bonacina, *t.* 2. *in* 4. *Dec. præcep. d.* 6. *qu. unica, p.* 4. *n.* 7. qui addit. *Quamvis non desint qui contrarium sentiant*, Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 3. *q.* 5. Trullench. *t.* 1. *in decal l. cap.* 23. & 24. & *l.* 4. *c.* 1. *d.* 9. & omnium horum primus S. Th. 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. & *quodlibet.* 2. *q.* 2. *art.* 19. & *quodlib.* 10. *q.* 5. *art.* 9.

7. Quoad peccatum, de quo agimus, video Suar. *t.* 3. *de rel. l.* 5. *c.* 9. *n.* 9. aliquid benignius indulgere parentibus, atque adeò aliis, filios, aliósque à Religionis ingressu, modestè, ac temperatè retrahentibus: sic enim habet: *Si quis absque injuria violentia, aut deceptionis alium avertat ab ingressu religiosis precibus, vel promissionibus, illud non esset ex genere suo peccatum mortale; quia ibi non intervenit injuria, neque inductio ad malum neque aversio sed abstractio à bono ad salutem non necessario. Cur ergo ibi erit gravis malitia? Nam licèt alter grave detrimentum patiatur, non tamen involuntarie, sicuti per vim, aut deceptionem, sed quia liberè consentit: ergo inde non redundat in alium malitia saltem gravis. Sed licèt verum sit, tunc non esse eum grave peccatum; est tamen sine dubio peccatum, multum repugnans ordini charitatis, & respectu Dei, à cuius majori obsequio homo separabitur.*

Et paulo pòst: *Si quis intendat, ut solùm ingressus differatur, minor erit culpa; & talis posse esse causa, ut esset nulla? sic enim excusari possunt parentes, qui aliquantulum filios detinent, ut eorum constantiam experiantur, vel eorum vocationem magis examinent.* Hæc Suarez. In cuius loci margine breviter, & perspicuè sic eius tota doctrina in compendium redigitur: *Qui avertit alium à Religionis ingressu solùm precibus, ac promissionibus, non peccat graviter, nisi preces sint importunæ, & sine ulla causa, contra eorum Spiritus sancti vocationem.* Hæc. *ibi.*

8. Facit insuper ad hoc argumentum prohibitio Tridentini

Tridentini, *sess.24. cap.18.de Regul.* de qua fusè Suar.*l.c.* quod vbi excommunicationem contorsit adversùs eos, qui per vim fœminas cogunt(non loquitur de Maribus) ad ingressum Religionis,tandem extēdit ad eos,qui illas impediunt, his verbis : *Simili quoque anathemati subijcit eos,qui sanctam Virginis, vel aliarum mulierum voluntatem velum accipiendi,vel voti emittendi, quoque modo, sine iusta causa, impediunt.* Hæc Concilium. Impediunt verò primò, ( ut *ibid.* habet Suarez *n.13.*) omnes illi, qui per vim directè,vel indirectè illatam fœminæ,directè impediunt ejus voluntatem, id est, per graves minas,vel similia,&c. Secundò,qui per similem vim Monasterio illatam,impediunt, ne ibi mulier admittatur. Tertiò, valdè probabiliter,etiam ij,qui decipiunt falsis rationibus fœminam, ut mutet voluntatem ingrediendi in Monasterium,vel in eo perseverandi:at eum,qui precibus,& promissionibus obtinet à fœmina , ne continentiam profiteatur , quamvis sic impediat,ne velum accipiat,aut votum emittat;non comprehendi ab hoc Concilij decreto docet *ibid.* Suarez: quia sic non propriè impedit voluntatem, sed procurat ; ut voluntas mutetur, seu non habeatur ; multò magis,quia modus hic per preces dissuadendi , nullam continet injustitiam; sicuti continet vis, fraus,& prædicta deceptio. Atque ex his animadversis, sive parentes , qui filium,sive alios,qui quamlibet puellam retrahunt precibus, & lacrymis à Religione;immunes esse ab excommunicatione lata per hoc Concilij decretum;sed solùm facere contra charitatem,*n. præcedente* declaratam.

*Quoad restitutionis obligationem.*

9. Veniamus jam ad aliud caput de restitutione. Assero precibus, similibúsque blandimentis , sine vi , vel fraude dissuadentem alicui ingressum , vel suadentem egressum, ad nullam restitutionem obligari. Ita Lessius Sanch. aliique apud de Lugo *de iustit. tit. 1. dict.9.sect.3.* Petr.Navar.Bannez.aliisque apud Dicastillum *l.2.de inst. tr.2.d.7.dub.2.n.42.* Non ipsi egresso , vel non ingresso: quia contra eum,cùm ipse voluntariè assentiatur , nulla injustitia committitur, quare nulla restitutionis obligatio enascetur,quæ ad solam injustitiam consequitur.Nam ipsi Religioni( quidquid alij in contrarium sentiant,cum Molina *t.5.de iust.tr.5,d.51.§.11.arbitror verò,*)quia neque contra ipsam hoc modo injustitia fit ; cùm enim peccatum huius consulentis , seu allicientis non sit aliud,nisi cooperari ad egressum Religiosi, vel ad non ingressum; cùm ejusmodi egressus, vel non ingressus non sint peccata contra justitiam , sed ad summum contra Divinam inspirationem;vel contra Votum ; nec erit contra justitiam; peccatum ad illas actiones permoventis. Pluribus hæc prosequuntur Doctores laudati: mihi autem hactenus disputasse,sufficiat:quò, amantissima filia , noscas vim nullam adversùs pium propositum tuum à quopiam afferri licitè posse.

10. Hæc aliáque similia Hierotheus. Quæ ita permoverunt Patrem Plutogenem , ut is Metildæ sacrum velum assumendi bonam veniam se concessurum spopondérit. Et certè statim ac in vrbem ab agro post messem regressus est,constituta ei pingui dote , promisso stetit. Tu verò his suspice , Lector, divina consilia.Tandiu vis tam produxit Plutogenes senex , ut hanc sanctissimem puellam jam grandiore ætate provectam, totius Monasterij, quod sub nomine,& tutela *Sancti Salvatoris*,nostro Panormitano Collegio non multis passibus distans,celebre est Panormi , viderit præfecturam agere hoc est, vulgari vocabulo, *Abbatissam* eo prorsus tempore , quo ejusdem filius Thermagoras Antistes,ut modò memini, admirabili prudentia,ac singulari morum probitate,Panormitanam Ecclesiam gubernabat.

11. Illud animadversione dignum porrò est. Vidisti enim , amice Lector, consilio,opera,authoritate doctissimi Theologi moralis, quo hæc prudentissima familia pro expiatione peccatorum vtebatur ; quam multa fortunatum exitum , vltra omnem expectationem, sortiantur. Tantum ergo præstat sapientibus viris,ac piis animas Fidelium commendatas , regendásque committere, nam propterea Theologos morales, qui huic operi insudant, atque in docendis ,instituendísque confessariis permaximo laborant, magni faciant( absit verbo invidia)velim omnes. Tu , qui mea hæc legis,si adolescens ac tyrociniúm tantæ scientiæ ponere jam decrevisti, eorum limina tere , eos sæpè interroga , illorum lectionibus assiduè,ac frequenter assiste;quò aptior ad tantum munus animas regendi , quo nullum est excellentius, efformeris.

12. Iam verò dum avidis auditorum auribus, quæ retulimus, aliáque plura propinaret Hierotheus,ex cujus ore magis,quam ex platone, melle , dulcior ob inditam à natura leporem, fluebat oratio : vergebat ad occasum Sol , atque à vicinis montibus, arboribúsque longiores se dimittebant umbræ. Quare Theologo dicenti quies, familiæque pro suo cujusque libitu, consuetæ ambulationes per amœna viridarij spatia concessæ sunt. Quorum exemplo,& mihi à Benigno Lectore,ne plus nimio in scribendo desudem , tantillum oro, quietis,absoluto jam Dialogo permittatur.

## Caput III.

*Quid Parentes Filiis , Quid Conjuges Conjugibus invicem debeant, &c.*

VT valdè obvia , & omnibus penè cognita prætermittam ; ea dumtaxat compendiosè disseram de Patre , ac Mattre, , nec aliqua subticebo de Marito , & Vxore,quæ nonnulla explicationis luce pro tyronibus indigere videbuntur.

§. I. *Pater quoad alimenta filij , ejusdémque exhæredationem, & Vota.*

*Pater filio legitimo.*

1. QUoad Patrem. Quæret quis : Primo , An Pater teneatur alimenta præstare filio legitimo? Respondeo teneri ,etiamsi filius authoritate Principis fuerit prosciptus,etiam si fuerit excommunicatus,etiamsi dissipaverit ea , quæ Pater fortè eidem assignaverat pro alimentis,etiamsi filius potuerit sibi suo labore , vel aliunde providere , re ipsa tamen non providit.Ita Azor.*p.1. lib.2. cap.4. quæst.7.* Ratio horum , similium est ; quia adhuc filius est ; & pars patris , de lure naturæ patri commendatus , excipe quæ dicam *num.8.* Quod si Pater bonis careat , polleat verò mater; hæc succedit in hac obligatione & utroque deficiente,Avi,vel alij progenitores paterni ; & his quoque deficientibus , Avi,progenitoresve materni, Addit Azor. *ibid. cap. 5. quæst.8.* & tandem consanguinei propinquiores,id quod,nisi fortè intelligas fratres sorores, ac patruos, durum mihi videtur. Lege Surd. *de alimentis , tit.1. quæst.* 28. Si filius habeat unde vivat; liberabitur pater , matérve, aliúque ab alimentis porrigendis;quia cessat tota causa,nempe filij necessitas.

2. Nomine autem alimentorum, hîc veniunt victus vestitus domus, lectus , medicinæ , impensæ funeris , imò & uxoris, filiique sustentatio : atque hæc omnia juxta cujuscunque conditiones ; ita , ut filio nobili debeantur , & famuli , & pædagogus, & libri,& impensæ necessariæ ad studendum , & juxta morem patriæ,etiam equus. Ita Sanchez *in const.tom.2.l.4.c.3.dub.34.& passim.* Hæc enim: & similia, cùm his indigeat filius,alimentorum nomine hîc comprehendúntur. Uno verbo,debentur alimenta secundùm statum , non verò solùm secundùm naturam.

3. De excommunicato addit Azor. *loc.cit. q.8.* limitationem,ut ei à patre non debeantur alimenta,sed solùm victus

vitas ne fame pereat, quando sponte sua filius in excommunicatione persistit. Id mihi difficile videtur. Esto enim, peccet tunc filius absolutionem negligens; tamen non videtur pietati Ecclesiæ conveniens, ut velit cogere parentem ad deferendum filium. Nec obstat Glossa, & Abbas apud Azor. *ibid.* adducti pro ea limitatione: ij enim non loquuntur de parentibus, quibus peculiaris cura filiorum insita est à natura, sed de aliis extraneis.

4. Adeo rigorosum est hoc onus filium alendi, ut peccent mortaliter parentes, si sinè gravi causa suos infantes in hospitali alendos exponant. Ita Sanch. *cons. t. 1. l. 1. cap. 5. d. 4.* vide etiam *d. 5. num. 74.* Azor. *lib. c. 5. q. 7.* facit Lugo, *t. 1. de iust.* Quòd si timor infamiæ, v. g. matris, vel similis necessitas ad talem expositionem filiorum patrem compellant (quo casu certè non peccabit: ) debebit ex probabili sententia Sanch. Azor. Lugo. id fieri, animo restituendi Hospitali impensas facultas in alendo exposito. Hospitali (inquam: ) nam non placet Bassæus *in floribus, v. Adulterium, n. 9.* dicens posse restitui aliis pauperibus; si enim extat Dominus, seu legitimus administrator earum impensarum, nempe Hospitale; qua ratione ad alios pauperes te vertere jure potes? Vide quæ dicam, *lib. 8. tr. 4. c. 1. §. 3. n. 17.*

5. Dixi (ex probabili sententia: ) nam mihi non est improbabile cum limitatione *mox* dicenda ex Layman, alia opinio Henriquez, apud Sanch. *l. c. num. 17. fin.* quam sequitur Dicastillus, *lib. 2. de iust. t. 2. d. 7. à n. 171.* docentis in eo timore, seu necessitate, non solùm non peccare parentes etiam divites exponendo filium in Hospitali; sed nec ad restitutionem teneri. Ratio est præsumpta voluntas Fundatorum, qui videntur ejusmodi Hospitalium erectione, cujuscunque generis necessitatibus voluisse consulere: & mihi placet distinctio Layman, *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 17. n. 4.* si Hospitale sit dives, posse id sine dubio præsumi; quòd non ita facilè potest, si dives non sit. Hospitale magnum Panormi (ut audio) ita hos filios expositos alit, ut si in eorum patrum, matrúmve notitiam veniat; statim illis eosdem reddat, repetitis expensis hactenus exhibitis. Certè sic profiterur eos tantum alere velle, qui sint omni ex parte destituti. Quare ejusmodi observatio, si adest, declarat hanc fuisse voluntatem Fundatorum atque adeò observandam.

### *Pater filio spurio, vel naturali.*

6. Quæres secundò, an ejusmodi alimenta debeat Pater etiam filiis spuriis, quales sunt ex damnato congressu geniti, putà incestu, adulterio, sacrilegio, quibus Pater prohibetur aliquid causâ mortis donare, vel relinquere? Quod certè, præter cætera, factum est, ne legitimis hæredibus decrescat hæreditas. Respondeo debere. Ita Molin. Azor. Sanch. *mox* citandi. nam licet leges civiles etiam alimenta videantur prohibere: tamen quoad hæc sunt correctæ à Iure Canonico; cùm sit de Iure naturæ ut pater alat filium, quacunque tandem ratione ab ipso sit genitus. Hinc sequitur ex Sanch. *in cons. tom. 2. l. 2. c. 3. dub. 35. & 36.* patrem posse, imò & debere relinquere filio spurio alimenta proportionata suo statui; & filiæ spuriæ similem dotem (hæc enim succedit loco alimentorum) constituere non solùm ex bonis patrimonialibus, sed etiam ex fructibus redituum Ecclesiæ à patre perceptis, ex Azor. *p. 2. l. 2. c. 12. q. 4.* dotem, inquam, alimentis respondentem; si enim excedat, non potest: nam propterea ejusmodi excessum tum filia spuria, tum ejusdem maritus, restituere, etiam ante Iudicis sententiam, legitimis hæredibus (nisi fortè ipsi liberè remittant) obligabitur. Vide hæc diligenter disputata apud Molinam, *de iust. tr. 2. disp. 168.* Sanch. *loc. cit. dub. 39.* & *lib. 4. de matri. d. 16. a num. 20.* & *disp. 88. n. 32.* Azor. *loc. cit.* & *c. 8.* Fagund. *lib. 4. in dec. l. 1. à n. 6.* vbi inveniens hanc doctrinam non esse contra Constitutiones Pij V. qui videtur spuriis prolibere etiam alimenta; nam intelligit, quando aliunde ali possunt.

Imò Doctores apud Bardi *l. 1. select. q. 21.* non ignobiles docent filium, etiam spurium, si nascatur post donationem bonorum à Patre factam, posse à donatario legitimè petere alimenta. Donatario, inquam, nam bona Patris ad alios pervenerint ex contractu oneroso, id non posse, ijdem notant.

7. De filiis naturalibus, qui illi sunt, qui generantur ex copula, nec approbata, nec reprobata jure civili hîc non meminimus: ijs enim certum est, non posse patrem alimenta denegare; imò posse, deficientibus filiis legitimis, omnia bona sua donare, vel relinquere, ut fusè Doctores. Cum autem dicimus Patrem non posse denegare alimenta filio, intellige si filius (quicunque ille sit, etiamsi is sit legitimus ex Bonacina) loco mox citando *p. 2. n. 2.* indiget: quando enim non indiget, non obligatur Pater. Id quod etiam docet Molina, & Sanch. *loc. cit.* quibus de Lugo *de iust. d. 24. à n. 121.*

Denique Spurius hæres constitutus à Patre sub conditione, si legitimetur à Principe, potest petere hæreditatem, & eam interim possidere, donec impetretur facultas, ut ex Sanch. notat. de Lugo *lib. 3. respons. moral. d. 35. n. 5.* Lege Sanch. *t. 2. consil. lib. 4. c. 7. dub. 16. 17. & 18.* aliósque ab ipso cit.

### *Causa negandi alimenta, & exhæredandi, &c.*

8. Quæres tertiò; Potéstne licitè aliquando Parens alimenta negare filio? Respondeo posse, quando scilicet adest aliqua ex causis, ex quibus jure pater filium exhæredare valet, etiam legitimam eidem negando: nam ex ijsdé valebit alimenta negare, filiæ que dotè non constituere. Quæ eædem causæ faciunt, ut filius patri alimenta negare licitè possit. Ita Bonac. *t. 2. d. 4., in decal. præc. q. vnic. p. 6. §. 3. n. 1.* Covar. Molin, Sanch. aliique *passim* apud eundem Bonac. Ratio horum tangetur mox *n. seq.* Hæ autem causæ quatuordecim ferè numerantur in legibus, Authent. *ut cùm de Appell. cognosc. §. causas autem*, hoc est. Si filius (intellige etiam & filiam, imò & nepotes respectu avorum) manus graviter in patrem injiciat. Si contumelia gravi afficiat. Si accuset, extra casum proditionis Patriæ, vel Principis. Si cum maleficis se intermisceat. Si insidietur vitæ patris. Si patris vxorem, hoc est, novercam violet. Si in iudicium deferat patrem cum ejusdem gravi detrimento. Si requisitus à patre incluso filius (non autem filia) illum non adiuvet. Si prohibeat patrem testari. Si Histrionicam, vel gladiatoriam artem exerceat, quando pater non est ejusdem artis. Si patre offerente dotem, & nuptias, filia minor viginti quinque annis luxuriosè vixerit. Si parentis fortè curam filius negligat. Si eundem captivum non redimat, cùm possit. Si fiat hæreticus, patre existente Catholico. Ita Bonac. *l. cit.* addit aliam causam, idest, si filius dilapidauerit bona patris, quam non posuit Axor. *l. c. c. 3. q. 6.* vide Authent. cit.

9. Sed insurgunt duæ difficultates: Prima, An quando Parentes exhæredare possunt filium: unde & licitè negare alimenta; id intelligatur de omnibus, hoc est, etiá de necessariis ad vitam sustentandam? Respondeo: ita intelligi docet Molina vterque apud Sanch. *l. 4. matrim. d. 26. n. 1.* aliique quia tunc filius ob suam ingratitudinē, non habetur ampliùs pro tali; solùm igitur perinde ac cæteri proximi, in extrema necessitate erit adiuvandus.

Non ita intelligi, sed pattem teneri hæc necessaria alimenta præstare, docet Covar. apud eundem Sanchez, quia esse phisicum filij nunquam amittitur atque semper in patre aliqua major obligatio residet, quàm in aliis. Vtraque sententia est probabilis. Hanc ut probabiliorem & certè magis piam libentiùs amplector.

10. Secunda difficultas: An possit exhæredari filius, atque à dictis alimentis expelli, si committat contra patrem aliquod peccatum simile, vel majus iis, quæ dicta sunt? Respondeo. Negant plerique, Mol. *t. 1. de iust. tr. 2. d. 176.* aliique apud eundem; nam in Authentica dicitur, ut præter causas numeratas, nulli liceat ex alia lege aliàs ingratitudinis causas opponere, Concedunt Clarus, Covart. Reginald. apud Bonac. *t. 1. circa 4. Decal. præcept. d. 4.*

quæst. relata a lib. 4. §. 3. n. 2. aliique apud Molin. tract. de Primog. lib. 1. c. 8. n. 4. Si enim pater collationem filio præstare necesse, propter minora ejusdem generis præstare potest proprio arbitrio, & multò magis propter majora: ergo etiam similia videtur posse, præsertim cum similis causa, aut gravior esse videatur, favorem Avoe, qui alias apud Deum, & homines, Deo hic merente, Virtutes sententia in conscientia probabilis esse, etsi apud Iudicem prius habeatur probabilior.

*Habens patrem, & filium, à quo alendus?*

10. Quæres quarto: Quid sentiendum de patre, quem Parentem appellant Latini, à quorum alendus: Pater Parentem est ille, qui filio præbet, nec ei patre. Hic igitur, si simul egent, utrum alendus à suo Patre, an à suo filio? Respondeo Patrem ajunt Sanchez. lib. 9. matr. aliique apud Diana p. 10. resol. 23. resp. 3. si agat qui filium genuit, eumdem educare, & instituere jure naturæ debet: At filius (ait) tenendum, & inclinat, sed non obligatur. Diana loc. cit. quia plus debet filius patri, à quo suum esse habuit, quam pater filius. Utrumque probabile, ut indicat Sanchez. lib. 2. cap. 5. n. 13. dum sententiam priorem probabiliorem vocat.

Dices: si utrique ex his seqvi velis opinionem probabilem sibi favorem, non melius pater parvulus suis alimentis. Respondeo: si utrique pertinax in sua opinione sequenda, erit dividendum onus in utroque. Prudentiæ id æquitas postulare videtur; esto, sit speculativè & probabile, id non exigi à rigore justitiæ. Vide lib. 1. c. 5. §. 4. n. 2. *Alterò filium dubium.*

*Pater quoad irritationem votorum filij impuberis spurij.*

12. Quæres quintò, Quid de votis? Filio spurio, ut nemo naturali non legitimo patri licitare voce in ipsa cunabula, in quibus posset legitimo divinus *supra lib. 3. c. 16. §. 3. per totum?* Ratio dubitandi est, quia radix, ex qua in patre procedit facultas irritandi vota, est Patria potestas in filium: At ex hac non habet pater potestatem patrium in spurium, nec in naturalem ergo, &c. Respondeo tamen posse perinde, ac legitimo. Ita Castro Pal. *t. 3. punct. 15. de voto, §. 2. p. 7. num. 5.* Ratio est, quia distinguere debemus injustum prædictæ rationis dubitandi; ex hac non habet pater eam summam potestatem, quam ipsa jura invexêre, concedo. Nam habet eam potestatem procedentem ex ipsa generatione, quæ patri competit ex ipso jure naturæ, quæque sufficit ad munus regendi illum impuberem; atque adeò ad irritandum ejus vota, nego injustum. Confirmatur: quia interdum, ut diximus *supra eadem lib. 3. c. 16. §. 3. numer. 21.* matri competit hæc potestas irritandi; & tamen certum est matri non esse concessam ex legibus, in filios patriam potestatem.

Castro Pal. *l. c.* & Sanchez, *lib. 4. in dec. c. 35. num. 82.* docent hanc potestatem competere patri in filium legitimum absolutè: & in filium legitimum, tunc solùm, quando is tutorem non habet; quando enim eum habet, gubernatio ejusmodi filij ad ipsum tutorem spectat, utpote ex legibus, *instit. de Patria potestate, in pr.* sub ejus potestate constitutus: idem ego docui *superiùs, cum de Voti irritatione.* Verùm nunc, re attentiùs considerata, difficilis mihi doctrina videtur. Si enim in patre residet potestas naturalis, quâ filij imbecillitati pater consulat ante constitutum Tutorem, ut omnes fatentur; & per adventum Tutoris hæc naturalis potestas non tollitur, diminuitur, nec impeditur; solùm enim Tutori conceditur gubernatio quoad cætera civilia, non verò quoad ea, quæ pertinent immediatè ad res spirituales animæ, quarum dispositio ad jus civile nulla ratione spectat, cur tolli debeat potestas irritandi vota? Ad summum possit irritare Tutor ex consequenti; quia nimirum ex potestate gubernandi, quam illi concedunt

tum, contingunt frustrà irritandi; & possit tutor gravi principaliter, quia per jura non nullum, filium generare, in quo plurimum confidunt irritandi cultui. Nec novum, aliud gravius posse videri tutori residere impedit potestatem; cùm sciamus omnes Religiosi parum posse invitanti à Superiore locali, Provinciali: Contingat hunc sapiens Lector, nova esse & singularia decernere, nisi hinc mihi valide munitis singularis nulla.

*Pater, quoad vota filij, vivente Avo.*

13. Quæres sextò: de Avo, vivente Patre, quoad eandem irritationem votorum. Id, quod ut commodiùs intelligi queat, confirmetur in exemplum illa juris, *Patrum Cœlum est, & his qui sibi, vel alienis iuris sunt. Quæ me, & meæ nascuntur, in potestate mea sunt. Item Qui ex filio meo, & nurore ejus (si est nepos, meus, & tuus) nascitur, apud me est in mea potestate, & pronepos, & proneptis & deinceps eadem. Illustrium Veterum; ex filio, de quo (ait ille) dubitandum per senium virilem, sive ipse meus sit, sive filiæ meæ. Nam descendentes ex filio nunquam in potestate patris erunt. Et quidem hanc potestatem habere Avum, non solùm ex legibus positivis, sed etiam ex vi naturæ; cùm ad primum generationem pertinet, quod descendentes, tanquam ad principium genitum, sine quo non esset, pertineri.*

14. Ex his ergo oritur difficultas: Cùm pater possit irritandi vota filij impuberis in potestate patris, hanc autem habeat Avus; consequenter; potestas etiam vovendi pro, neque impuberis vota irritare: & natus, ne puberis pater ante filij filio impuberi eadem voti irritare, vivente Avo; quæ nunc pater non est sui juris, ne consequenter videatur habere filium in sua potestate. Ingens difficultas: quia Doctores, quos sequimur Castr. Pal. *tom. 3. punct. 6. de voto, part. 7. n. 2. versus fin.* passim docent, si filius efficiatur servus, *suspendi* patriam potestatem in patre, ne scilicet filius teneatur pluribus obedire, nempe patri, & domino, eodémque modo si efficiatur servus ipse pater, ne scilicet simili ratione filius teneatur obedire duobus, nempe patri, & domino, a cujus dominio, seu potestate est pater, & consequenter omnia patris. Ergo pariter in casu nostro, si nepos est in potestate Avi, non erit in potestate patris, ne obedire duobus obligetur; & consequenter is, vivente Avo, filij vota irritare non poterit. Ex alia parte, cùm in patre semper resideat potestas veluti naturalis in filium, ratione generationis inseparabilè ejusdem; neque sit inconveniens potestatem irritandi vota esse in duobus discussi respectè. Religiosi est in rectore Conventus, & in Provinciali; videbitur alicui, etiam Avo convenire ejusmodi facultatem. Nihilominus video Sanchez, *in dec. lib. 4. cap. 35. numer. 81.* Suarium, *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto, cap. 6. numer. 22.* Castro Palaum, *tom. 3. tr. 15. de voto, disp. 2. part. 7. num. 7.* discrtè docentes, Avum nihil posse in vota nepotis, nisi mortuo patre quare privativè solùm patri viventi eam facultatem concederé manifestè videntur: & Ratio esse potest, quia facultas irritandi non est fundata solùm in quacunque patria potestate absolutè sumpta, sed maximè in ea potestate, quam quis habet in gubernatione domus, familiæ; & præsertim filiorum, quos genvit. hanc autem habet immediatè pater, eóque deficiente, Tutor, vel Curator, juxta doctrinam & limitationes *supra* datas *lib. 3. c. 16. §. 3. num. 29.* hisque deficientibus Avus ex parte patris; & demum etiam Avo deficiente, mater; quòd si hæc etiam deficiat, jam sub nullius potestate erit filius. Atque ex hac ratione respondere facilè poteris ad difficultates allatas *num. præcedente.*

§. II. *Quæ debeat mater filio, quoad eum lactandum; & alendum?*

QVæres primò: An mater filium nutrici det lactandum? Respondeo: Id certè nemini citè lactandum? Respondeo: Id certè nemini citè causa libens indulgeo; sed adhuc sine vlla, non nisi veniali condemno; libero autem ab omni culpa, nonnisi existente causa. Ita Navarr. *in summa cap.* 14. n. 17. Ratio est, quia dummodo infans commodè nutriatur, non videtur tam gravis defectus; ut præscindendo ab alio inconvenienti, excusari nequeat ab aliqua competenti causa, qualis esset, imbecillitas matris, mos patriæ, vel quid simile. Inconveniens autem grave, ac proptrea mortale, profuntio; si periculum apparet, à matre infante gravi morbo, vel grandiusculum effectum malis moribus, præsertim hæresi fore inficiendum.

2. Quæres secundò: Mater quædam alimenta filio debet? Respondeo: ea usque ad triennium exactum debet filium etiam spurium alere, lac præbendo. Cæterum quæque impensæ sunt à patre facienda.

Si lacte mater careat, vel lactare filium nequeat, quia incommode (ut loquitur Dicastillus *l.* 2. *de iustit. tr.* 2. *d.* 9. *dub.* 1. *num.* 172.) lactare non potest: tunc patris etiam onus est, lactis impensas solvere. Quod si pater solvendo non est, qua ratione in onere alendi plenè filium succedit mater dives, dictum est §. *præcedente num.* 1.

Apud Patrémne, an apud matrem proles educanda si altero ex his infideli, seu hæretico existente, ut item diuturni temporis; cùm casus non sint frequentes, leganter Doctores, Sanch. *l.* 10. *de matrim. d.* 10. *per tot.* Azor. *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 5. *q.* 9. Propter eandem rationem, vide apud Innocentium in authent. *Sacramentum*, *C. quando mulier tua vir. & in authent. & sine prohibitione*, § *propterea agitur*, hoc omittantur Theologi, Molina *t.* 1. *de iust. tr.* 2. *d.* 220. *vers. Quando impuberi.* Castro Pal. & Thom. Sanch. apud Diana *p.* 10. *tract.* 13. *resol.* 12. qua ratione mater, si transeat ad secundas nuptias, amittat curam, seu educationem filij, ejusve tutelam, & similia. Ego enim de his aliquid tenuam *d.* 7. *cap.* 1. §. 2. *n.* 5.

3. Quæres tertiò: Circa expensas à matre pro filiorum alimentis factas, in hunc modum: Antonia genitrix aluit filium usque ad decimum annum, vivente patre, sive præsente, sive peregrè agente: tum, mortuo eodem, filium aluit usque ad decimum octavum, quando scilicet Antonia filij bona administrabat. Expòscit nunc à filio omnes impensas ab ipsa factas, imò æstimationem sui laboris; legitimènè expòscit?

Respondeo tres hic difficultates vno spiritu congestas, tribus necessariò dictis distinguendas.

4. Dico primò: Si vivente patre, aliòqui divite, vel existente tutore, mater filium aluit, & protestate est se certe animo impensas repetendi, repetere quidem potest, *l. Nesennius*, *ff. de negotis gestis*. Si nihil est protestata, præsumitur, si non contemplatione patris, certè amore filij, liberaliter id fecisse. Simile quid esse in marito, quando vxorem alit, non soluta à socero dote, docet Sanchez, *l.* 9. *de matrim. d.* 5. *n.* 7. Pro foro interno sufficiens ratio repetendi nulla videtur, (*l. si quis à liberis*, *l. mater*, *ff. de liberis agnoscendis*, etiamsi mater non sit protestata) si concurrant hæc duo, ex Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 10. Primò, ut positivo animo repetendi aluerit; Secundò, ut omissio protestationis non fuerit causa damni in patre, vel tutore; quando enim pater, vel tutor si sciuissent, matrem ejusmodi animo repetendi alere, ipsi aluissent nullis, vel pauciotibus sumptibus; tunc profectò mater in conscientia non posset expensas repetere, quia ipsa fuisset in culpa, quod expensæ fuissent factæ; solùm igitur illas pauciores, quæ factæ verè fuissent, tunc iustè repetet.

5. Dico secundò: Si mortuo patre, nullóque tutore existente, animo positivo se compensandi mater bona filij administrans, filium aluit, potest alimenta repetere; secùs, reputatur amore filij id fecisse; idque maximè, si bona matris, & filij non erant divisa, Ita *ibid.* Quòd si bona divisa erant, & cuique sui rationum liberi respondebant: præsumitur in matre ejusmodi filij bona administrante affuisse animum repetendi; id enim ostendit illa rationum, & librorum distincta divisio.

6. Dico tertiò: Æstimationem sui laboris nequit mater exposcere; quia mater pro filio laborem suum gratis impendere iure præsumitur, immò fortasse jure cogitur.

§. III. *Vir quid Vxori debeat, quoad alimenta?*

1. NOn est nostrum omnia, quæ sibi invicem debent conjuges, hìc colligere, cùm id fusè Doctores, apud Trullench. *lib.* 4. *decal. cap.* 1. *d.* 4. prosequantur; illud enim tantummodo ex occasione, quod de alimentis filiorum egimus, disputamus: An conjuges sibi mutua alimenta præbere teneantur? Et obligari quidem virum vxori, luce clarius est. Ita Sanchez *de matr. lib.* 9: *d.* 4. *a num.* 10. *vbi citantur Iurisperiti*, quia id extorquet arcta conjugalis conjunctio, allataque dos ab vxore. Immò si vir vxorem inopem sine dote duxisset, illam adhuc alere oportebit; quia sibi vir imputare tunc debet, si indotatam duxit. Inopem, inquam, si enim divitem, tacitè jam ab vxore dos promissa censetur: siquidem vxor per Matrimonium se, & interpretativè sua bona, saltem quoad competentem dotem, marito tradit.

2. Eadem obligatione tenetur vir, si dos casu, & sine culpa vxoris pereat, etiamsi vxor propter suam culpam, non tendentem tamen directè ad separationem ab ipso viro, sit perpetuo carceri mancipata; etiamsi propter suam culpam in morbum contagiosum, v. g. lepram inciderit, vnde separatim à viro habitare cogatur: multò magis, sine culpa sua, ut?, si hæc separatio necessaria fuerit propter viri contagium. Ratio horum est, quia id requirit reciprocus conjugum amor. Et sicut vxor non inops maritum exulem, vel in Triremibus propter sua delicta detentum alere tenetur; ita invicem maritus vxorem. Quid si dos pereat, quia, propter vxoris hæresim, aliáve delicta, fuerit publicata, seu fisco addicta? Quæstio est, An vir, an potiùs pater vxoris ipsam teneatur alere? & distinguendum est, cum Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disput.* 5. *num.* 10. Si enim parentes vxore divites sint, ipsi tenebuntur, si inopes, tunc succedet ex obligatione maritus. Quod idem videtur dicendum, si vxor dotem sive validè, sive invalidè distraxit, vel consumpsit, marito non consentiente; quod est, dotem perire culpâ vxoris. Ratio vtriusque dicti est, quia quando dos culpâ vxoris perit, perinde est, ac si soluta dos ab ipsa non fuisset; in quo eventu non obligari virum vxori alimenta porrigere, *mox* dicemus. Id, quod certè dici non potest, si sine culpa, vel casu pereat. In duobus dumtaxat casibus ab hac obligatione certò liberatur vir. Primò, si vxor recedat à mariti cohabitatione, sine culpa viri, sed ex propria levitate: si enim ob viri sævitiam non levem, (levem enim vxor ferre patienter debet, neque potest propter levem culpam separationem, quæ est res gravis, intentare) vxor discedat; non liberabitur vir ab ea alenda; quia tunc culpa mariti est, non vxoris. Immò si temerè vxor recesserit, sed deinde pœnitentia ducta redire velit; tenetur eam alere vir, quamvis adhuc extra domum degat: Ratio est, quia pœnitentia, & emendatio culpam, atque adeò caput, vnde alimenta negare vir poterat, planè tollit. Hic non loquimur, quando affuit legitimum divortium; de quo pluribus Sanchez *lib.* 10. *matr. per totum.*

3. Secundò: Excusabitur vir ab alenda vxore, si dos promissa non afferatur. Ita Sanch. *ead. disp.* 5. *per totam*: quia dos datur ad sustinendum onus familiæ alendæ: ea igitur deficiente, deficit & onus. Quòd si partem dotis ac cepisti, pro rata vxorem ale: cùm valeat argumentum: si

integra dote fruereris, integrè aleres: ergo si parte, partialiter.

4. Qui si ij, qui dotem promiserunt verè solvendo non sint? Respondeo, si dotem promisit ipsa vxor, vel ejus pater; tenetur adhuc illam alere vir, nisi dolosè ij promiserint, scientes se solvere non posse. Ita idem *ibid. n.4.& 5.* At si promisit extraneus (quo nomine hîc venit quicunque js fuerit, sub cuius potestate non erat vxor) non tenebitur vir. Horum rationem lege apud Sanchez citatum, apud quem etiam invenies, non posse à viro expelli ab habitatione, vel à debito conjugali vxorem propter dotem non solutam, cùm hæc sint longè diversa, non alere, & non cohabitare; nec ex priore posse posterius inferri. Sed proh! quanti ponderis est habere in eodem tecto, & lecto vxorem, illámque non alere: Moraliter, & in praxi hæc admodum sunt difficilia; nam propterea cogitent sapientes, quid hac in re consulendum tandem sit; & legant Authores allatos à Sperelli, *tom.2.decis.238.num.10* qui contra Sanch. tenent, ob dotem nulla ex parte solutam, posse à cohabitione vxorem expelli.

Huc facit sequens dubitatio: Vxor, ex consensu viri, vitam agit extra ejus consortium, séque suis laboribus alit; accidit autem, ut vir aliquando ad illam accedat, copulámque exigat, quâ habitâ, denuo recedit, nec illam curat alere, an possit dicta vxor, debitum huic viro negare? Respondet Bauci *in Select.q.60.* doctiori iudicio se submittens, quia resolutionem hanc se non invenisse dicit alio auctore. Respondet, inquam, si vxor est pauper, & vir habet vnde se, & illam alat, posse negare, donec resipiscat vir alátque vxorem. Ratio est, quia sævitia est causa divortij: at quæ major sævitia, quàm vxorem non alere, cùm possit? Neque in hac denegatione requiritur, ait sententia Iudicis, nos enim loquimur in conscientiæ foro, pro quo sufficit authoritas propria, vbi factum est verum, & non sequitur scandalum, vt hic certè non sequitur, quia ex communi consensu facta est separatio.

Hæc ex Bauci, unde dici etiam posset non injustè ab vxore negari debitum viro, etiam simul cohabitanti, si eam indigentem vir non alat, cùm possit. Hæc enim par est sævitiæ, ne dicam major.

Insuper contra Sanchez modò citatum dici posset, plus esse, non alere, cùm possis, quàm non cohabitare. Non alere enim est sævitia, non verò, solum non cohabitare.

Denique posset etiam dici, vxorem posse dictum virum nolentem ipsam alere, domo ejicere sicuti potest, si ipsi valdè sævam se præbeat, (vitato ex aliquo prætextu scandalo, si quod est.) Non potest enim negari, & durissimum esse inopi vxori, & causam esse discordiarum, ipsam fame contabescere, & præsentem videre maritum potentem, sed nolentem ipsi alimenta præbere. Quæ omnia meritò sapientiori iudicio submittantur.

### §. IV. *Vxor quid viro debeat, quoad alimenta?*

1. QVoad vxorem quæri potest: An hæc aliquando maritum alere debeat? Respondeo cum Sanchez *loc.cit.d.4.num.27.* multis citatis, debere, quando scilicet presso ex inopia viro, ipsi suppetit, unde merito succurrere queat, sive ex bonis dotalibus, sive ex paraphernalibus, siue aliunde conquisitis: hoc enim exposcit mutuus conjugum nexus, etiamsi maritus culpâ suâ sit carceri astrictus, sit triremibus mancipatus, sit infirmus, non autem si culpâ suâ ab vxore recedat, nisi fortè redire velit; ut ex proximè dictis colligi manifestè potest. Quid, si maritus æs alienum contraxit, ut vxorem aleret; cogetúrne illud solvere vxor ex propriis bonis marito defuncto? Hac de re dixi breviter *c.2.§.2.n.5.*

2. De donationibus inter virum, & vxorem, multa Iurisperiti: tibi sufficiat legere Molinam, aliósque apud Dicastillum, *l.2.tr.9 d.1.dub.5. à num.71.* Castro Palaum *de iust.commut.d.2.p.25.per totam.*

### §. V. *In necessitate extrema quis magis adiuvandus, Pater, an Filius, an Vxor.*

1. SI quis Patrem suum suúmque filium, atque vxorem, fratrémque in extrema, vel gravi necessitate constitutos animaduertat: & vni dumtaxat ex his auxiliari posset: quærimus, cum Less. apud Castro Palaum *tom.1.tr.6.d.2.de Char.p.11.num.2.* cuinam auxilio esset ipsum oporteat; Duo, v. g. modici panis ipsi suppetant in extrema fame, vnum sibi, ut certè potest, reservando individui proprij conservationem; alterum, cuinam comedendum porriget, Patrine, Fratrine, an Vxori, an Filio?

2. Profectò ex communi calculo apud Lessium *loc.cit.* aliósque, Patri porrigendum: plura enim debet filius Patri, quàm Pater filio, vel quàm frater fratri, vel conjugi conjux: Siquidem filius à Patre, tanquam riuus à fonte, huius vsuram lucis percipiat. Habet item educationem, constitutionemque. Quid de laboribus pro Filio à Patre exantlatis? Quid de non interpolata, ac nunquam remissa sollicitudine? Quid de expensis; Sanè Aristoteles 9. Ethic. *Filius*, inquit, *honestius subuenit Parentibus, quam sibi ipsi.* Vides, quanti facienda sit Patris cura? Non quòd ex obligatione se ipse quis postponere obligetur; nam Charitatis ordo tanquam in primum locum, in vitam propriam collimat; sed, quòd possit cum laude, si velit.

3. Dictum signatè est (in extrema, vel gravi necessitate) nam extra illam teneri hominem potiùs filio succurrere, quàm genitoribus, ipsa praxis docet, illi traditioni innixa: quia Filius sub cura Parentis est, non autem Parens sub cura Filij. Genitoribus item plus debetur etiam in communi necessitate, quàm fratribus, ratione naturalis dictat. Ita Castro Pal. *t.1.tr.6.d.1.de Char.p.11. num.13.* De insigni amico, vel benefactore, vide Castro Palaum *l.c.n.10.& 11.& n.15.* Vxor verò potiùs, quàm Parens, vel Filius, est in communibus necessitatibus alenda, ac sublevanda: ita Sanch. *l.9.de matr.d.4.n.* utpote in communi commercio illa, tanquam inseparabilis socia. Marito data, juxta illud Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Vxori suæ* (vtique in communibus necessitatibus) id quod ita intelligendum, ne hoc dictum sit contra jus naturæ modo allatum, quo probauimus in extremis, potiùs esse subveniendum Parentibus, & Filiis, quàm conjugi.

4. Quare, his ita explicatis, cùm apud aliquos legis, absolutè potiùs subveniendum esse vxori, quàm Filio. Ita Henric. *l.10.cap.8.num.1.* Castro Pal. *l.c.num.13.* citans Suar. Bonac. Coninch. Val. (id quod certè sua probabilitate non caret) sic admitte in nostra sententia, quam probabiliorem putamus; ut sit potiùs subveniendum vxori in communibus necessitatibus, non verò in extremis.

5. Sed, amabo te, Lector, cui potiùs opitularis, si Pater, & Mater perinde indigerent: tu verò non vtique, sed alterutri opem ferre dumtaxat posses: Patri potiùs, respondes, quàm Matri succurrendum: Ita S. Thom. *2.2.q.26. art.10.* Val. *tom.3.d.3.q.4.p.5.* sicut enim ordine Charitatis tenemur magis amare Patrem; sic & succurrere. Tua digna pietate responsio: nec deest responsioni ratio, Parentis enim necessitati subveniendum, tanquam principio nostræ originis, est: At nobiliorem, altiorémque principij rationem habet Pater quàm Genitrix.

6. Illud hic denique noto: inter hos Consanguineos, adeò strictè conjunctos non esse mortale, dictam prælationem non observare: Ita Rodriq. *part.1. cap.14.concl.9.* Castr. *t.1.tr.6.d...p.10.n.14.* citans Suar. & Bonac. quia inter ejusmodi obligationes tantum discrimen non intercedit, ut sub pœna mortali altera alteram antecellat.

CRPVT

## CAPUT IV.

### *Miscellanea quædam de Filiis, Parentibus. Propinquis.*

NOnnulla, quæ aptum locum *in superioribus* sortita non sunt, hic ad quatuor capita reduco. Ad filios non sunt, hic ad quatuor capita reduco. Ad filios non sunt, hic ad quatuor capita reduco. Ad filios

repetere licitè valeat ; nam id in simili , cùm agitur de contractibus onerosis factis à minore, docet Molina *loco citato* , & nos tangemus mox *num.* 11. Non autem licere huic repetere, si iuravit se non repetiturum; colligitur de dictis ex iuramento.

6. Denique, si sit dubium , an perfecto vsufructionis potiatur : tunc ( ut diximus *suprà* , *lib.*1.*cap.*3.§. 7.*verb.* Ætas , ) , si supra septennium sit , præsumetur perfecto vsu potiri, atque adeò rem ab ipso acceptam retineri in conscientia poterit, donec repetatur : secùs, si infra, nam retineri tunc licitè non poterit: quia contra, interim vsufructionis gaudere non præsumitur.

*Ludus filijfamilias , vivente patre.*

7. Quæres secundò : Quæ potest ludo exponere licitè filiusfamilias , sine obligatione restitutionis faciendæ , sive ab ipso filio , siue à collusore; Respondeo, sola castrensia , vel quasi : cæterorum autem, sive sint profectitia , sive aduentitia , cùm saltem vsumfructum pater habeat; non potest, nisi iudicetur remittere pater: ut certè iudicatur in modica summa, quia sic est parvum damnum patris, & dedecus esset filij parvum illud restitui.

Filius in ludo illicito non est subditus patri , atque adeò lucrum ex illo habitum absque controversia ibi acquirere , notat Rebellius *loco mox cit.n.*6. unde infertur posse te vincere à filiofamilias ea , quæ à te ipse in illicito ludo vicit, ex ludo licito propter aliud caput potest , communiter loquendo , sibi filius retinere : nam nunquam solent (ut Rebellius advertit 2.*part.disput.*12. *quæst.* 4. *num.*1. ) ea lucra à filiis exigere partes , etiam scientes provenisse ex ludo. Vnde sequitur hæc ludo acquisita esse filij , non teneri ea adducere in divisione hæreditatis cum fratribus , posse eadem iustè acquiri à collusore in sequentibus ludis,&c.

8. Sed quid, quando filius de bonis adventitiis habet etiam vsumfructum; id quod non rarò evenit : ut verbi gratia quando ipsi filio à matre , vel ab alio ea lege aliquid donatur, ut nullum vsumfructum habeat pater: vel quando idem pater ipsum vsumfructum concedit filio: vel , quando aliquid filio donatur, contradicente patre; vel quando ipse vsusfructus alicuius rei filio relictus est; Respondeò filio posse ejusmodi bona, præscindendo ab alio inconvenienti , ludo exponere; & consequenter non debere restitui, si evincantur à collusore. Ratio est, quia illorum plenam habet administrationem, sicut ergo hæc alienare,& donare modo *suprà* dicto, potest; sic ludo expendere.

9. Hinc filius sive domi , sive peregrè agens ex pecunia, quam pater ei dat ad alimenta, vel ad liberè expendendum, potest aliquid ludo exponere: ut etiam in eleemosynis donationibus , ac honestis recreationibus. Ita Azor.*p.*2.*l.*2.*cap.*24.*q.*2.§. *quæres.* Posse autem quotannis quatuor, vel quinque aureos ex centum annuis, quos habet pro suis alimentis, docet Sotus apud Molinam *tom.*1. *de iustit.d.*242. cui adde Rebell.2.*p. lib.*12.*q.*4. *n.*3. Tunc enim censetur Pater dare liberam illius pecuniæ administrationem , nec esse Patrem invitum in concedendo lito ludo, juxta qualitatem sui status,&c.

10. Inquires : Si filius negotietur in bonis paternis, id quod sua industria acquirit , valetne liberè ludo exponere.

Respondeo , nequaquam: quia hoc lucrum est bonum profectitium , pertinens tum quoad vsum , tum quod dominium , ad Patrem. Instas , at industria est filij. Respondeo : Hanc industriam gratis censetur exhibere in Parentis commodum filius : Nam quoties negotiatio, & industria rationabiliter existimatur gratis exhibita ( ut in casu nostro: filius enim ex amore, quem Patri debet, iudicatur ipsi servire:) nemo potest pro illa pretium exigere , ut modò *cap.*3.§.2.*n.*3. cùm de alimentis filio datis à Matre , disputavimus : Nisi fortè protestetur se gratis nolle servire , vel saltem ut propter reverentiam Patris desierit protestari: tunc enim præscindendo à peculiari Iure alicuius provinciæ , (id additur propter Regni Castellæ , de quo legatur Molin. apud Dicastillum *mox cit.n.*287.) Potest deductis expensis, quas Pater facit in ipso alendo , tantundem exigere pro suo extraordinario labore,& industria, ( nam ordinarius debitus à Filio Patri ) quantum daretur extraneo, Ita Navar. Less. aliique apud Dicastil.*lib.*2.*de iustit.t.*2.*d.*9.*dub.*3. *n.*287. & tunc illud videtur bonum filij adventitium, de quo iam dixi *num.*7. Adverte debere moraliter constare Patrem non facturum per se, illa negotia, nec inventurum alium; qui gratis, vel minori pretio faceret: alioquin recurreret doctrina; quam de servo tradam in simili *lib.*8.*tract.*3.*cap.*7.§.9.

*Ludus filijfamilias habentis tutorem, Patre demorto*

11. Hæc quoad filios, vivente Patre. Quid de pupillo, & Minore vigintiquinque annis, habentibus tutorem, vel curatorem ; Respondeo: hæc quæstio pendet ex illa, An dictus pupillus, & minor obligentur in conscientia ad standum contractibus à se initis sine authoritate tutoris, vel curatoris ? quæ vocatur obligatio naturalis, nam scimus civiliter non obligari, hoc est, per leges irritam pronunciari eiusmodi obligationem.

Dico autem primò , satis esse probabile puberes, ut etiam impuberes, ac pupillos pubertati proximos, imò, ut colligo ex Molin. *t.d.*224.§. *ex. dictis infero* , & ex Angelo apud Sanchez *l.*2.*de Matrim.d.* 38.*num.*22. pubertati non proximos, dummodo sint perfecto vsu rationis præditi, seu, ut dicimus, doli capaces, in contractibus onerosis , initis cum quocunque ( præterquam cum tutore, nisi in quibusdam casibus, satis à Sanchez *loco citato n.*20. allatis) probabile esse ; inquam naturalem obligationem contrahere , quamvis non adfuit authoritas tutoris, vel curatoris ; & dummodo contractus non fuerit circa res immobiles , & quæ servando servari possunt. Ita Layman, Lessius, Rebel. Tannerus apud Dianam *p.*9. *tract.*5.*resol.*44. Ratio est , quia ad naturalem obligationem circa res suas, aliàs non impeditas subeundam, satis est liber consensus vtentis ratione: qui certè esse in dictis supponitur.

Dico secundo, cum ludus ) ut etiam emptio, venditio, & locatio;&c.) sit contractus onerosus , pupillum, & dictum minorum ex sententia probabili obligari naturaliter ad standum iustis legibus ipsius ludi, patet ex dictis. Nota ergo primò , si pupillus , & minor creditori, vel collusori aliquid solvant; posse hos illud, donec per Iudicem repetatur, retinere ; ut potè habitum ab iis qui in conscientia probabiliter obligati erant. Nota secundò , eosdem pupillum , & minorem posse non solvere quod promiserunt, dummodo non iuraverint: Cùm enim exceptione legis valeant se defendere, possunt non solvere vitando circulum; quo solvant: & deinde repetant. Nota tertiò ; cùm iidem , si quod propter illos contractu solverunt , valeant per Iudicem, ut dictum est, repetere ; posse eosdem sibi per legem iustæ compensationis reassumere , quando Iudex contra ipsos negligenter se gerit: quæ omnia ex hîc ,& alibi dictis constant, ostendúntque minorem atque pupillum, si nolit solvere, posse non solvere ; & creditorem , si nolit restituere quod illi solutum est, posse non restituere, donec per Iudicem cogatur.

*Filij Professio Religiosa nil nocet Iuri Paterno.*

12. Quæres tertiò; an per Professionem Religiosam amittatur à Patre vsusfructus , qui ipsi competebat ex filij bonis adventitiis ? Respondeo : sive Pater profiteatur, sive filius, nunquam Pater suum vsumfructum amittit; quia professio nulli Patris iuri præiudicare debet, Ita Azor. multa iura citans *part.*2. *lib.*2. *cap.* 22. *quæst.*4. & 5. Solùm est advertendum , si Pater fiat professus, vsumfructum prædictum competere Religioni , si hæc est succedendi capax ,donec Pater vivit in Religione; nam eo mortuo , cedit ei , qui de iure Patris hæres erit quòd

quòd si Religio sit incapax (quales sunt solùm tres Mendicantes de obseruantia, Capucini, Societas Iesvs) vsusfructus competet ipsi filio in sæculo remanenti, qui iam erat bonorum aduentitiorum proprietarius, Lege Sanchez *in Decal. lib. 7. a cap.* 27. Suarez *tom. 4. de rel. libr.* 4. cap. Castro Palaum *tom. 3. tract. 16. d. 3. p. 9.*

*De furto filiorum.*

13. Agetur de hoc *infrà lib. 8. tract. 2. cap.* 3.

§. II. *De donationibus inter Patrem, & Filium.*

1. Patrem filio, filiæve familiàs nihil donare posse, certum est in Iure. Lege *p. c. de impubert. & aliis substit.* lege Azor. *part. 2. lib. 2. c.* 24. & Molinam *tom. 1. d. disp.* 238. Castro Pal. *de iustit. commut. d. 2. p.* 26. Quod si donatam Pater filio tradiderit, adhuc ius est Patri eam sibi revocare. Si tamen non revocat, confirmatur patris morte donatio; ita vt filio res tradita absolutè detur. In aliquibus tamen casibus, potest Pater validè dotare: hoc est, ob dotem, ob alimenta, ob nuptias, ob militiam; & ob hanc quidem hoc est, vt filius ad militiam commodè instructus erat, potest dare res mobiles (non verò immobiles;) & statim donata fiunt bona Castrensia; quæ omnia ex *superiùs* dictis liquent.

2. Hoc reducuntur ex iisdem *ibid.* si quæ expendat Pater, vt à seruitute filium: filiamve redimat; vt à carcere, vel simili pœna eundem liberet; vt munus publicum vel dignitatem idem filius consequatur; puta Præturam Doctoratum, &c. Præterea; si Patrimonium idem assignet ad ordines Sacros suscipiendos: si pecuniam det, vt piam, vel necessariam peregrinationem suscipiat; si expensas necessarias, (non verò voluptuarias & ad splendorem) ad ingressum in Religionem faciat. Hæc enim omnia vel ad alimenta filiorum, vel ad Castrensia reducuntur. Tria notant *passim* Doctores ex lege *cum oportet*, §. *sin autem*, *C. de bonis, quæ lib.* Primò, posse patrem remittere vsumfructum, quem habet ipse pater in bonis aduentitiis filij: id enim non est donare de suo, sed nolle acquirere pro se; remittit enim duntaxat ius exigendi, fructus, quo gaudebat in filij bonis. Secundò, donationes Matris, & Aviæ, vel Maternorum nullo iure infirmari, quia nulla sunt iura in contrarium. Tertiò, donationes factas filio illegitimo, validas esse. Ratio est, quia iure solum infirmantur donationes factæ filiis, qui legitimè sùt sub potestate Patris constituti: at nothi & illegitimi physicè sunt sub patris potestate non moraliter, seu secundùm leges, & ita Caram. *lib. 2. Theolog. mor. n.* 641.

3. Quoniam autem quoad forum conscientiæ: data à patre filio retinere sine peccato possunt, donec repetantur à donante, modo quo supradictum est de donatione impuberis. Difficultas illa hic sese offert, An mortuo patre, filius, qui invenitur habuisse aliquid ab ipso, teneatur illud in conscientia conferre cum cæteris fratribus; hoc est, de legitima, vel hæreditate paterna tantò minus accipere, quantum invenitur accepisse ex donatione paterna?

Hoc autem quærimus, quando filius velit succedere Patri. Nam si contentus donatis, succedere hæres nolit, nihil conferre tenetur. Solùm tunc; si nimis habuit à Patre viuente, possent alij, hoc est ipsius fratres, agere contra eiusmodi donationem, vt pote inofficiosam, & ipse obligaretur iis legitimam saltem dare, de qua re agitur *in tr. de Donatione*. Interim lege de Lugo. *d.* 24. *de iustit.* 197. & bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 6. *p.* 7. §. *vnico.*

4. Sint hæ duæ breves, sed pro nostra instituto sufficienter Regulæ, in re satis prolixa, & involuta apud Iurisperitos. Prima Regula, ex Molina *ibid. disput.* 228. Quæ Pater in causa necessaria dedit filio (præter alimenta) filius in conscientia conferre tenetur; nisi tamen pater expressè volverit, ne filius conferret: & illa pater potuerit filio donare sine diminutione legitimæ aliorum filiorum.

Regula secunda ex eodem *ibid. disp.* 243. Quæ gratis eidem, & liberaliter pater donat, non tenetur filius conferre; nisi patiter expresserit pater, vt filius conferret; & nisi alter filius teneatur conferre ea quæ ipsi donata quamvis ex causa, à patre fuere; quod vltimum vide apud Mol. *loco citato* fusius. Ratio vtriusque regulæ est, quia quando pater dat ex causa, cùm det quod filio debet, videtur dare coactus; atque adeò nisi contrarium exprimat, videtur dare de portione, quæ filio negari non potest; quæ est, vel pars hæreditatis, vel legitima; vnde à parte, vel legitima erit ducenda. Quando autem dat liberaliter, cum sponte det, videtur dare de suo (cum suo enim quilibet quemlibet gratificari potest) vnde deducenda non erit: semper intellige, dum modo donatio non sit eiusmodi, vt præiudicet legitimæ filiorum aliorum; hæc enim semper filiis debetur; quare si legitimæ præiudicet, esset èiusmodi donatio: vt modò dixi, tanquam inofficiosa revocanda.

5. Dixi (præter alimenta:) hæc enim quamvis necessariò dentur, tamen videntur expensa ob bonum ipsius patris, cui incumbit suum filium alere, vtpotè partem suæ substantiæ hæc autem alimenta largiora potest vni potiùs, quàm alteri donare pater (sed sine fraude, quâ pater velit alios filios depauperare): quia dum in terminis alimentorum sistat, non est tam rigorosè agendum cum patre, suorum bonorum domino.

6. Ex his rectè deducunt Doctores, apud Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 24. q. 2.* citantem Iura, & Iurisperitos: & quoad ordines Marchinus *de ordine tract. 1. p. 6. cap.* 7. *differ.* 10 quæ dat pater filio ob dotem, ob ingressum in Religionem, ob nuptias, ob patrimonium ad ordines suscipiendos, esse, mortuo patre, conferenda cum fratribus. Contrà impensas pro solemni conviuio in nuptiis, vel prima Missa, vel primo ingressu in Religionem, non esse conferenda: illa exhibentur ex causa necessaria; hæc voluntariæ & gratis. Adde, hæc ad honorem ipsius patris spectare & omnibus fratribus esse communia. Scio aliquos data ob patrimonium ad ordines, computare inter alimenta, quare non esse conferenda: Ita Barbosa, aliique apud Dianam *p. 9. tract. 8. res. 24.* quæ certè opinio probabilissima est.

7. Quæ pater insumit, dum filium alia bona non habentem alit in studio litterarum, imò & in cuiuscunque artis mechanicæ professione; dum emit pro eodem libros, éque iam Doctori, vel proximè ad exercendas scientias aptos eosdem libros tradidit; dum eum misit ad militiam, armisque, & pecuniâ instruxit, quæ bona castrensia *suprà* sunt appellata; dum expensas fecit, vt filius officium publicum, dignitatemve non vendibilem, nec ad hæredem transferibilem consequeretur; aut vt promoveretur ad Magistri, Doctoratúsve gradum: non sunt, defuncto patre, conferenda. Ita Molina *tomo 1. de iustit. à disp.* 237. quia hæc omnia alimenta filiorum, vel reducuntur, vel per commune ius extenduntur; Nam cæterùm, quisque sua municipalia iura, si diversa habeat, legitimè custodiat.

8. Præterea, quæ filius à patre occultè accipit, insumitque in meretricibus, illicito ludo, vel simili turpi modo; nisi pater ea condonaverit, cùm vixit; vel nisi alterum tantùm alij fratres simili ratione consumpserint, tenetur adducere in collationem cum fratribus: quia hæc nec ad alimenta, nec ad rationabilem liberalitatem patris spectant. Addit rectè Molina *dispatat.* 242. regulariter posse præsumi patrem condonasse, quando consumptio est per intervalla, nec multùm, spectato cuiuslibet statu, exorbitans: quia quando non sunt insolita, nec simul possunt reduci ad alimenta ampliora tacitè filio concessa.

9. Denique quæ pater dat filio pro obsequiis, suáque, in paternis bonis colendis, industria, non ordinariis (ordinariis enim debentur patri à quocunque filio) sed extraordinariis, filius adducere non obligatur. Ita Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 24. quæst.* 2. Molina *d.* 244. quia illa tamquam pretium sui insoliti laboris filio debentur. Nam

propterea si, defuncto patre, nondum filio hæc soluta sunt; debent ei solvi, ex toto acervo hæreditatis, tanquam si esset æs alienum. Vide Molinam citatum.

### §. III. *De legitima filiis debita.*

1. Diximus *in superioribus* filium carentem descendentibus, debere legitimam ascendentibus, si fortè superstites sint. Lege Sperellum *tom.1. dec. 31.* & DD. *ibidem* citatos, ubi plura de legitima, &c. Iam nunc differendum, quando descendentibus fruitur. Sanè his, vel hæreditas tota patris debetur, dividenda per capita ex æquo inter filios; filiásque, hisque deficientibus, dividenda inter neptes: si adsint, sed per stipites, vel saltem integra legitima, nullo aggravata onere, danda iisdem eodem modo est ex bonis relictis à patre, vel matre. Deductis tamen ære alieno, & impensis pro funere; nisi si quis ex filiis propter aliquam causam ex *suprà* allatis ab hæreditate expresè depulsus fuerit. Legitima autem hodie ex Iure Cæsareo *l. Novissima* & *l. pat. de inoffic. testam.* auth. *ent. de triente, & semis.* §. *hæc nos col. 3. con. 5.* (nam si in diversis Regnis alia sint iura, sunt omnino servanda) est tertia pars bonorum distribuenda æqualiter inter filios, filiásque, si ij sint quatuor, vel pauciores: at si sint quinque, vel plures, est pars dimidia; iuxta vulgare carmen:

*Quatuor, aut infra dant natis iura trientem*: id est, tertiam partem.

*Semissem verò dant nati quinque, vel vltra*: id est, partem dimidiam.

2. Quoniam verò filio non competit legitima, nisi post parentis obitum; eo enim inter vivos agente, filius quoad legitimam ius dumtaxat habet ad rem, non in re: hinc duplex oritur difficultas: Prima, An quando Pater, dum vixerat, sua bona dissipavit, seu prodigas largitiones aliis distribuit cum præiudicio legitimæ filiorum; possit nihilominus filius integram petere, quantam fuisset consecutus, si dissipatio nequaquam processisset.

Respondeo: Si mala fide pater, putà ut filio legitima decresceret, sua bona diminuit, posse: non verò, si bona fide. Ita Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 27. quæst. 9.* Ratio est quia, mala existente fide, pater peccavit contra Ius debitum filiis, ergo iniuriam propellere semper poterit filius: At non peccavit, si bona fide, unde ius filius non habebit contra bona sine fraude diminuta patris.

3. Difficultas secunda: Si pater vivens exposcenti filio, filiæve suam legitimam integram tradidit iuxta facultates, quibus nunc fruebatur; potéstne deinde filius, vel filia, extincto patre petere aliquid ampliùs, si fortè amplificatum postea fuerit patrimonium patris?

Respondeo. Non posse docent aliqui apud Covarr. *in cap. quamvis, de pactis in 6 p. 3. §. 1. num. 2.* quia satis est eos assequi legitimam, habita ratione eius temporis, quo illam exegerunt. Posse tamen docet communior sententia. Ita Covarr. absque apud ipsum *ibid.* quia legitima debetur omnino ex bonis, quæ mortis tempore parentes relinquunt.

4. Sed quid, si filia renuntiaverit futuræ patris successioni? Certè id in filiabus vsu venire solet, quæ cùm nuptias contrahunt; pactum ineunt cum Parentibus, vt contentæ sint sua dote; & sic renuntiant cuicunque iuri, quod aliàs habent, vel habere poterunt in parentum bonis.

Respondeo: Si vi, metu, dolo inductæ; etiam cum iuramento renuntiaverint eiusmodi filiæ; an possint adhuc præmissa, vel non præmissa dispensatione regressum habere ad bona paterna, quando advertunt se fuisse notabiliter deceptas, constat ex dictis *sup. lib. 3. in dec. cap. 3. num. 6. 21. & 25.* rursus *cap. 7. §. 3. num. 16.* At si voluntariè sine vlla deceptione renuntiaverunt, sed absque iuramento, irritam esse eiusmodi renuntiationem, iura quæ affert Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 28. quæst. 1.* decernunt. Si verò prædictæ voluntariæ renuntiationi iuramentum adiunxerunt, ut nunc communiter adiungi solet, valet renuntiatio, & iurans tenetur servari debet: quia, ut dictum est, *lib. 3. in decalog. cap. 3. §. 3. n. 11.* iuramentum hominis præstitum semper observari debet, quoties sine peccato observari potest, vt certè potest in casu nostro; neque enim filia peccat, si sua dote contenta: velit reliqua parentibus cedere.

Puto nihilominus, primò, filiam posse à superiore petere relaxationem ab hoc iuramento, etiam voluntariè facto, vt dictum à nobis est *suprà, lib. 3. in decalog. cap. 3. §. 5. numer. 47.* Puto secundò, ex dictis *suprà, lib. 3. in decalog. cap. 7. §. 2.* & docet Azor. *ibidem quæst. 3.* Parentem posse remittere hoc iuramentum filiæ, quia factum fuit in commodum ipsius Patris; quare tunc filia, sine alia iuramenti dispensatione, consequi ex æquo poterit hæreditatem cum fratribus. Imò sit Pater in suo testamento ad aliquam hæreditatis partem filiam eamdem vocaverit; debebit omnino à fratribus admitti, non obstante eiusdem filiæ renuntiatione. Ita Covarruvias apud Azor. *loc. cit. quæst. 4.* Ratio est, quia illa vocatio, est tacita remissio iuramenti filiæ. Adverte, quod dictum est de filiabus, intelligendum esse cum Covar. *ibid.* etiam de filiis, si fortè hi, modo dicto, cùm iuramento renuntiaverint; par enim est ratio de vtrisque: quicquid aliqui contrà opinati sint.

5. Dictum autem est *num. 4.* (Pactum ineunt cum Parentibus) non quando pactum hoc initum est inter fratres, gratia Ipsorum, non verò Patris, etiamsi fuerit cum iuramento, irritum omnino est; quia turpitudinem continet, dum de Patris viventis hæreditate, absque eius consensu tractatur. Quòd si is Patris consensus pacto iurato additus fuerit, valebit pactum, obligationémque non regrediendi ad bona Patris inducet, iam enim non amplius dictam turpitudinem continet. Solum advertendum: idem pactum iuratum, etiam cum consensu patris, gratiâ fratrum initum, evanescere, si moriantur fratres superstite Patre; quia tunc cessante fine principali iuramenti, cessaret eius obligatio.

6. An Monasterium stare obligetur huiusmodi pacto. An idem pactum prænullo habeatur, transeunte Patre ad secundas nuptias? An eadem renuntiatio de bonis paternis extendatur ad hæreditatem Avunculi? & similia, vide fusè apud Doctores citatos ab Azor. *loco citato, cap. 22.*

### §. IV. *De fratrum & sororum mutua obligatione quoad alimenta.*

1. Quidam filio prodigo effusior, hæreditate demortui Patris, imò & viventis germani fratris ad assem exhausta luxu, atque deliciis, poscebat alimenta ab eodem suo fratre, qui expilatum à suo germano patrimonium, aliis bonis per extraordinarios labores acquisitis, fortunatè compensaverat: obligatúne frater ea fratri subministrare? Is enim, ut vita innocens est, & piùs à Theologis nostris id scisciatur; certus alioqui, nisi peccet, ea profusissimo fratri omnino velle denegare.

2. Diximus fratrem, etiam ex vna parte fratrem, sive ex matre tantùm, quo pacto vocatur *Vterinus*, sive ex patre tantùm, obligari fratribus suis, non solùm extremè, vel graviter indigentibus succurrere; id enim, vt *suprà capite 1.* diximus commune est omnibus proximis: sed etiam ordinaria paupertate laborantibus; atque adeò frater fratribus debere convenientia, iuxta cuiuscunque statum, alimenta præstare, quando aliunde ea frater habere non potest. Ita Azor. *loco citato cap. 40.* Trull. *lib. 4. in decalog. cap. 1. dub. 9.* citantes iure civilia. Quod etiam in simili necessitate extenditur ad filios ex fratre, vt innui *cap. 3. §. 1. n. 1.*

Ratio est, quia plus vrget pietas in tanta propinquitate, quàm in gradu remotiore: cùm igitur maior pietas

vrgeat

gent pro fratribus, ac dictis nepotibus; etiamsi malè ipsi averint facultates suas, aderit obligatio: vt in simili patre, & filio, non multò ante dictum est.

3. Quod affirmamus de fratre, affirmamus de sorore; quoad danda illi alimenta (alimenta, inquam, nam dotem, lege Molinam *tract. 2. de iustit. disp. 224. §. Causæ*

*primæ*; ) vt autem resipiscat tuus frater, soror à ma- lorque assuescat labori, & industriæ, posse ad tempus

ligna tessdummodo fame non pereant ) ab illis subtra-

tare, ne dubium sit.

4. Obicies: ergo sorori, quæ verbi gratiâ, in pro- babilis familiam infami nota, sine fratris culpa, detur- pet; si ea postea indigeat, fratrem coges ad suppe- dita alimenta; à recta hominum existimatione id ab- horrere omnino videtur: idem dici potest de fratre, qui post grave aliquod familiæ dedecus se depauperaverit. Respondeo in hoc, vel simili tam severo eventu, aliun- de fratrem probabiliter, saltem ad tempus non cogo: Memoria enim est revocandum, Patrem filio denegare posse alimenta, si filius committat aliquod scelus ex illis, quæ *suprà. cap. 3. §. 1. num. 9.* declaravimus. In casu igitur sororis huius eodem modo, quo ibi, philoso- phare; summique Dei legem non esse, nisi admodum rationi consonam intelliges, & denique sic distingue: si soror adhuc in patrando scelere persistit, deseratur. Hæc Medicina in sanam mentem redeat: si sanis sit emendata, non video, cur à fratre sit deserenda: saltem quoad vitæ necessaria, præsertim si sine gravi detrimento id possit frater, deme proportionaliter dic de cæteris propinquis, &c.

*Quoad Correctionem.*

5. Quandoquidem de obligationibus inter conjunctos locuti sumus: illud denique hîc obiter meminisse, non erit inutile. Assero enim, sive ob correctionem, id est, ne rursus delictum committatur: sive ob iustam vindictam; id est, vt solvatur debita pœna à committente delictum; posse moderatè (non licere enim immoderatè, certum est) verberari, multòque magis, verbis (sed non, quæ graviter infament) increpari à Patre, Viro, Fratre, Magistro, Domino, seniore, filium vxorem sororem, seu fratrem minorem, discipulos, servos, pueros, etiam clericos. Bonacina *de cens. disput. 2. quæst. 4. p. 4.* Reginald. *lib. 20. n. 51.* Trull *lib. 4. in decal dub. 6. num. 8* Mol. *om. 1. disp. 228.* Sanch, *lib. 10. de matr. d. 18. n. 16.* Ratio est, quia superiores omnes possunt uti mediis moderatis ad subditorum bonum. Filium Sacerdotem ob causam verè rationabilem, ut semper in prædictis supponimus, posse licitè, & sine timore excommunicationis à Patre moderatè verberari, docet Bonacina *ibid.* cit. Nauarr. aliique, negant Toletus *lib. 1. cap. 23.* Salon. *2. 2. quæst. 65. art. 2. concl. 1.* vtrumque probabile: quia vtrique sua non deest cognita facilis ratio.

FINIS LIBRI QVINTI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER SEXTVS.

## IN DECALOGVM.

### Non Occides.

Hoc ordine de Homicidio sermonem instituemus: De Homicidio iusto: De iniusto sui ipsius: De iniusto Proximi: De obligatione restitutionis ex illo.

### CAPUT I.

*De Homicidio iusto.*

HOMICIDIVM, & sine peccato est Homicidium, si (etiam authoritate propria) fiat ob defensionem vitæ, bonorum honoris: deinde, si fiat ad malefactores puniendos: denique, si fiat in Bello iusto.

§. I. *De Homicidio ob defensionem Vitæ.*

1. VT vitam meam defendam (non verò ut vindictam sumam) communis est doctrina posse à me occidi eum, qui me iniustè aggreditur, etiam intendendo eius mortem, ut medium meæ vitæ (licet is sit meus Pater, Filius, Frater, Dominus, Coniux, Sacerdos, Religiosus, &c. sine periculo excommunicationis; vel irregularitatis. Sic Hurtadus, Dicastillus, aliique contra alios apud Dianam *part. 8. tractatu 7. resol. 41.*) cum moderatione inculpatæ tutelæ, hoc est, quando alia via tutari meam vitam, vel mutilationem non possum. Sic Petrus Navarrus *lib. 2. c. 3. n. 326. & 345.* Sylvester. *v. Bellum 2. quæst præsertim 5. & 7.* Sayr. *lib. 3. Thesaur. cap. 27. n. 17.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub 8.* Bonacina *tom. 2. disp. 2. de restitut. in part. q. vlt. sect. 1. p. 8.* Ratio est, quia naturæ insitum habemus, velle vitam, & membra, quantum possumus custodire, iuxta illud *l. vt vim, ff. de iust. & iure*, & *alibi* toties decantatum: *Vim vi repellere licet.*

3. Obstas primò: At fortasse ille est amens, uel ebrius; & sic, non peccat me invadendo. Respondeo, at certè injustè materialiter mecum agit. Adde à nulla recta ratione posse innocentem constringi, ut se permittat occidi à quolibet, quacunque bona fide, procedente. Ita Mol. Bart. Gom. Less. apud Dicastill. mox citand. *num. 27.*

4. Obstas secundò, at fortasse invadens est in mortali. Respondeo: at fortasse ego inuasus non sum in gratia: Cur ergo teneat vitam amittere, & damnari? non enim teneor æternam salutem meam alterius saluti postponere. Adde, tunc ad summum me debere vitam meam temporalem vitæ æternæ proximi postponere, quando proximus ita est in extrema necessitate

vt

vt non sit alia via pro ipsius salute, nisi meæ vitæ amissio, sed in casu nostro; iam habet proximus aliam viam, nempe desistere ab invadendo. Ergo, &c. Dico ad summum (propter dicta *suprà. lib. 5. c. 1. §. à n...*

5. Iam verò si possum, obligórne sub mortali cum morte temporali alterius me defendere? Respondeo: me non obligari communior fert sententia. Ita Less. *l. c. 9. n. 55. & n. 92.* Molina, Toletus, Sà, aliique, quos citat, sequiturque Dicastill. *lib. 2. de iust. tr. 1. dub. 11. n. 34. d. 10.* quia cum laude est virtute charitatis præferre possum proximi vitam vitæ meæ. Confirmatur: quia nemo tenetur horrido illo modo, nimirum occisione alterius, vitam suam defendere: sicuti nemo tenetur difficili sui brachij abscissione eandem vitam conservare. Verùm; licèt hanc opinionem censeam probabilissimam, quia tunc non velle mortem propriam, sed actum illum honestum charitatis, quæ honestas melior est, quàm vita mea. Tamen puto esse distinguendum: si enim proximus sit Pater filius, Princeps meus, &c. possum præferre, ob pietatis officium. Et sic concedunt communiter Doctores, cum Io. Sanch. *disput. 10. num. 9. versus finem.* me ad salvandum Patrem à naufragio posse permittere, ut ipse accipiat tabulam, etiam à me occupatam, imò illam ipsi tradere, meâ vitâ neglectâ: id enim virtuti est pietatis. At si absolutè de communi proximo agamus, puto probabilius esse, non posse. Ratio est, quia ego sum dominus vitæ meæ, quam mihi veluti vsque ad vltimum spiritum conservandam commendavit Deus: ergo, nisi aliud maior virtutis actus permittat, (ut diximus in prædictis patre, filio, &c, & ut fuit in Sanctis Martyribus; qui noluerunt se defendere propter fidem) obligor omnia media; saltem non multum mihi difficilia ponere ad illam custodiendam, quale profectò esse suppono, me defendere, quamvis cum alterius morte; quæ, experientia teste, mihi horrida non est, si mihi eidem vitam parit. Ad rationem in contrarium modò dictam: aio, illud ipsum indigere probatione, an ab honestate charitatis communis evincatur obligatio, quâ vrgeor ad custodiendam vitam meam: cùm tamen contrarium probet illud ab omnibus admissum pronuntiatum: *Prima charitas incipit à seipso.* Dixi (absolutè:) nam, ut innui, ob aliquem excellentiorem virtutis actum possum permittere me occidi, sic enim, si mea mors damnum nullum infert Reip. infert mors alterius; finam me occidi cum laude ex motivo charitatis Patriæ. Sic etiam: quid ad morien-dum ex fame iustè damnatus est, potest cibum sibi fortè oblatum respuere, & mori: quia exercebit actum virtutis obedientiæ Præterea, si prudenter putem me esse in gratia invasorem verò in mortali: tunc profectò non teneor (esto, passim, sicuti innui, *num. 5.*) vt me defendam, illum occidere; quia tunc intercedit actus virtutis misericordiæ, Et de his, ac similibus, non verò absolutè (ut contendit Bonac. *t. 2. disp. 3. circa primum Dec. præc. q. 4. de Charit. p. 4. n. 5.*) intelligitur illud S. Ioan. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis.*

6. Adverte duo: Alterum, moderamen inculpatæ tutelæ requiritur; vt non plus agas, quàm opus sit ad defensionem; Putà, si tuam satis defendere vitam potes minis, ac verbis; ne verberes: si verberibus, ne mutiles: si mutilatione, ne occidas: Alterum, si aliâ viâ, v.g. fugiendo, re tutari possis; fugere teneris, si dedecori magno tibi fuga non vertitur: vt certé non verteretur, si esses Religiosus. Non ita, si vir sit nobilis, quamvis sit Clericus, cui dedecus esse, se in pedes dare. Ita Dicastill. & de Lugo apud Dian. *p. 9. tract. 7. resol. 46.* Pari modo fugere obligaris à Patre, filio, marito fratre, &, ex mea quidem sententia, sive minore, sive maiore: Imò ab ebrio quocunque, nam non dedecus sed vel pietas, vel prudentia, eiusmodi fuga censetur ab omnibus. Sic Mend. 2. 2. *disput. 170. sect. 16. §. 236.* Mald. 2. 2. *tract. 3. c. 1. dub. 12.* Quid si, cùm sine dedecore possit fugere, non fugias, sed occidas invasorem iniustum; teneriśne ad restitutionem ex homicidio? Respondeo: de hoc dicam *inferiùs, c. 4. §. 3. n. 16.*

*Adulter, & Proscriptus an se defendere queant.*

7. Sed adhuc inquires, Primò: An Adulter in adulterio deprehensus; & an proscriptus à Principe, id est qui ex statuto potest à quolibet occidi: possint defendere occidendo eos, qui ipsos occidere aggrediantur?

8. Respondeo, adulterum posse, quia in foro conscientiæ non iustè invaditur à marito vt *mox. §. 4. num.* dicetur. De proscripto, seu bannito maior est difficultas. Nellus, *in tr. de bannitis, p. 2. secundi temporis, q. 49.* probabiliter negat: quia, si is iustè occidi ab altero possit, iniustè contra illum pugnabitur; secùs esset bellum iustum ex vtraque parte. Concedit Carterius *in præl. criminali, de homicidio*, & Decius, *in l. ut vim, ff. de iust.* quia illud non potest præiudicare iuri, quod quilibet habet ad suam vitam defendendam.

9. Hinc, ex Soto, *lib. 1. q. 1. art. 7.* qui scit bellum, in quo militat; esse iniustum, licitè potest etiam in pugna (cum quadam cautione iamjam offerenda) militem alterius iusti exercitus occidere, ne ipse ab hoc occidatur. Ratio est, quia iniustitia belligerandi ex parte Principis, non tollit ius defendendi propriam vitam. Cautio autem est, vt dictus miles iniustus cesset ab occidendo, & admoneat militem iustum de sua hac cessatione: nam statim tunc non erit amplius miles iniusti belli, & si poterit se defendere; & ille alter iam non poterit amplius hunc iustè interficere. Hic tamen iustus miles iustè punietur à suo Rege, ut legitimo iudice, de delicto patrato, quo militavit iniustè. Ita S. Antonius, Abbas, Petrus Navarrus, Less. Covarru. Bonac. aliique, quos citat, sequiturque Dicast. *lic. 2. de Iust. tr. 1. d. 10. d. 8.*

*An, vt defendas vnum ex proximis, possis alium occidere?*

10. Inquires secundò: An liceat aggressorem proximi occidere, ut defendas ipsius proximi innocentis vitam; nam, ut defendas bona eiusdem temporalia, *mox §. 2. num. 8.* dicam. Respondeo: sicuti ad meam, sic ad innocentis vitam defendendam, cum dicto moderamine possum, quia si licitè occido invadentem iniustè mea bona, ut *mox* dicetur? multò magis, iniustè invadentem vitam mei proximi, quam, ut bonum meum, reputare debeo.

11. An tenear? Distinguendum est; nam si invasus est Pater, Mater, Filius, Vxor, Princeps, Subditus, imò solum Vassallus, vel simili modo mihi coniunctus; nec mihi ex defensione imminet grave periculum: obligor eos morte iniusti aggressoris defendere; id enim poscit charitas iis debita, & aliquando iustitia, si curam proximi geram; &c. Ita Lessius, Mol. apud eundem Dicastill. *loc. cit.*

Si verò est vnus ex communi proximo, non obligor. Ita Suarez *tom. 5, disp. 49. sect. 3. n. 2.* quidquid in contrarium videatur innuere Dicastill. *loc. cit. num. 84.* quia tunc quasi æqualiter, & non cum magno excessu, vrget me charitas: potest pro vita invasoris: Vnde alteruter favere: non est magna deordinatio. Quòd si invasor iniustus est tuus Pater, filius, vel similis; non te obligo ad eos occidendos, ut defendas invasum, quamvis innocentem: quia te excusat, imò prohibet tanta coniunctio: Sicut nec obligatio morte invasoris, eum defendere, qui licitè, vel ob martyrium, vel aliam causâ honestam, suam mortem permittit: Ita Dicastill. *loc. cit. n. 100.* eadem enim causa honestè, te à morte invasor ispoterit cohibere.

An

*An te non aggredientem aliquando occidere possis?*

12. Inquires tertiò ; An licèat aliquando ob tuam defensionem, interficere innocentem te non aggredientem, Solet afferri exemplum duplex. Primum. Si quis, v. g. aggrediatur ; obiciátque, quasi pro scuto, hominem innocentem, potésne occidere hunc innocentem, vt ob aggressore te defendas ; Secundum: Si tu, v. g. equo insidens, fugias inimicum te occidere volentem, potesne conculcare puerum, vel claudum in via fortè iacentem; aliter vitæ tuæ seruare non vales; Respondeo ; vtrumque posse, non intendendo mortem pueri, nec impedimento innocentem, sed aggressorem, quamvis inde interueniat persona innocens vulneretur, & cedat. Ratio est quia id non est directè occidere; sed tuam seruare vitam; quamvis inde per accidens, & indirectè alterius mors consequatur : Quemadmodum omnes concedunt ; posse in bello iusto contra Ciuitatem rebellem bombardas explodi, quorum ictibus morientur plures pueri prorsus innocentes ; si aliter victoria contra Ciuitatem haberi non possit.

13. Quid si ille puer in via iacens, non sit baptizatus; Respondeo. Lessius, *l. 2 c. 9. dub. 9. n. 59.* putat non licere hoc modo dicto conculcare, at an licere, colligatur ex dictis *supra lib. c. 1. §. 2. n. præsertim* 8. in sententia Ioan. Sanchez, tu perpende, nos enim, in casibus tam sæpè occurrentibus, diu immorari non debemus.

Hinc obiter aduertas velim, cur Resp. Tiranno volenti totam communitatè destruere, possis tradere innocentem, quem ipse occidet, communitate seruata ; non possit verò eadem ipsa Resp. eundem innocentem occidere, quamvis sic seruanda sit ciuitas? ita Petr. Navarr. *cap. 3. num. 110.* Lopez *p. 1. c. 60.* Lessius *l. 2. capit. 9. dub. 7. num. 38.* Ratio enim est, quia hoc esset directè innocentem necare, illud indirectè, & ratio vltior est, quia actio tradendi illum innocentem Tyranno, non est ex se intrinsecè mala, potest enim esse ad alium finem ; esto : Tyrannus abusurus ea sit ad iniustè occidendum : quare illum poterit exhibere Resp. propter suam necessitatem, ut etiam potest exponere periculo vitæ suos ad defendendam ciuitatem, imperando, ut maneant in sua statione, ut militent, hostes aggrediantur, & similia : At actio innocentem occidendi, cùm sit per se intrinsecè mala, nullam excusationem admittere potest.

14. Quòd si innocens renuat in priore casu tradi in manus Tyranni, tunc Resp. posset illum condemnare, ex Valentia, *tom. 3. disp. 5. q. 8.* Soto *l. de iust. q. 6. art. 5.* in pœnam inobedientiæ in re gravi : occidere : enim iam nocentem. Sed in sententia Ioan Sanchez *supra lib. 5. c. 1. §. 1. n. 4.* id an procedat, *ibidem*, vide. Quod si (stando in sententia Valentiæ) renueret, quia vellet potiùs è sua Republica morte benigna interfici, quàm à Tyranno morte fortasse crudeli, possétne licitè occidi à Republ. Id tu cogita ; est enim casus, si non metaphysicus, certè rarissimus.

*An per præventionem occidere possis inimicum?*

15. Inquires quartò ; An possim licitè prævenire occidendo eum, qui me parat occidere ? Respondeo. Duo hîc sunt distinguenda. Alterum videtur certum : incertum, & periculosum alterum. Certum videtur, posse à me cum moderamine toties dicto interfici eum, qui proximè, & in procinctu parat me iniustè aggredi. Ita Navarrus *in summa, cap. 15. num. 3.* Sylvester, *v. Homicidium 1. quæst. 2.* Bann. *2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4.* Less. *lib. 2. cap. 9. d. 8.* Ratio est, quia illa propinquitas periculi, est moraliter actualis agressio. Dari solent exempla : Si Maritus euaginet gladium, si sub cervicali abscondit pugionem, si sicarium domum adducit ad vxorem nocendi occidendam ; posset tunc, si moraliter certò id præ aduertat, Vxor, prævenire occidendo illum, vel sicarium, alia via non apparet salutis. Secundò, si quis eat ad solvendum canem, vel leonem, ut me fugere non valentem dilacerent ; possum eum antè necare, quàm bestias solvat. Tertiò, si famulus me interimere tentet, præsente, atque imperante Domino ; possum ipsum Dominum præveniendo è medio tollere, si aliter mortem vitare nequeam : Quartò, si venenum mihi parasti, nec ego possum illud vitare, nisi aliquo artificio illud tibi propinem ; propinare tibi utique possum : Hæc & similia, idcò licitè fiunt (sed non ex affectu odij ; at, vt me liberem) quia adest iam præsens, & moraliter actualis aggressio, &c.

Et fortasse, quando Molina, *de iust. t. 2. tract. 3. d. 7. n. 1.* videtur concedere, in propriam, vel aliorum defensionem, latronem, qui vias publicas tenet, posse à quocumque interfici ; tunc (puto) concedit, quando proximè is mortem parat, & damna Viatoribus. Rursus, quando Lessius, *l. 2. c. 9. n. 48* docet maleficam, quæ magicis artibus assiduè nocet per dæmonem, posse cogi verberibus ad desistendum : quando non adest alia via eam compescendi ; imò, quando Bonac. *t. 2. d. 2. rest. in part. quæst. vlt. sect. 1. p. 9. num. 4.* addit, posse occidi ; tunc est quando actu vitæ aliorum insidiatur per dæmones, quasi per famulos, &c.

16. Alterum incertum : An liceat interficere eum, vi veluti remotè parat me de medio tollere ; Varia afferuntur exempla. Inimicus meus quærit opportunitatem me occidendi ; an antequam illam inveniat, possim ego illum interficere ? Idem præcipit suis famulis, vt ij me circumveniant, occidántque ; an possim famulos ; vel Dominum, præveniendo occidere ; Meus aduersarius adit Iudicem ; nec desistere vult, tentátque falsis testibus mihi delictum imponere, vel omnino occultum propalare, ut sic ego iniusta morte puniar : possúmne, vel testes, aduersarium occidere ; vel etiam ipsum Iudicem, quando aliam evadendi viam non habeo, & mihi clarè constat ipsum iniustam scienter sententiam in me esse prolaturum ; idem quæritur, si ob hos testes falsos deberem ; amittere honorem, vel ampla bona temporalia : idémque si falsis, seu iniustis detractionibus famam graviter obscurare quis tentare. Idem, siquis iniquè impediret creditores meos, ne mihi in te notabili satisfaciant : nam ad honorem, bonáque mea tuenda possum, ut *mox* dicetur, iniustum actualem invasorem, cum moderamine prædicta interficere.

17. Dico. Quamvis aliqui id concedant, ut Bonnez, *l. c.* probabiléque putat Petr. Navar. *l. 2. c. 3. n. 391. & 375* Dicastill, *mox* citandus ; & quoad accusatorem. Sanchez, *in Decal. l. 2. c. 39. n. 7.* lege item Laym. *l. 3. sect. 5. tract. 3 p. 3. c. 3. n. 1.* Ego cum aliis sic pronuntio : licèt speculatiuè hæc fieri posse probabile appareat ; tamen in praxi nullo modo sunt expedienda. Ita Sotus *l. 5. quæst. 1. artic 8.* Less. *l. 2. cap. 9. dub. 8. n. 64.* Diana. *p. 3. tr. 5. reso. 97. & p. 5. tract. 4. res. 6. 7. & 10.* Bonac. *l. c. n. 7.*

Ratio est, tùm quia, quando aggressio est modo explicato remota, nunquam moraliter deerit alius modus defensionis, tum quia facilè sic perturbabitur Resp. dum aperitur ostium ad plura homicidia occultè committenda. Scio has, similésque nostra rationes non placere Dicastillo, *lib. 2. de iust. tractat. 1. disp. 10. dub. 9.* & apud Dian. *p. 9. tract. 7. res. 43.* vide etiam *res. 52.* sed immeritò.

*An ad recuperandum honorem liceat occidere? Remissivè.*

18. Inquires quintò : An finita aggressione, liceat iniustum aggressorem persequi, ad meum honorem reficiendum ? Respondeo id pertinere ad ea, quæ mox *§. 3. à num. 1.* sunt explicanda.

## §. II. *De Homicidio ob defensionem Bonorum.*

19. Licere occidere volentem mea bona alicuius momenti iniustè occupare, si aliter ea defendere nequeam, certum est, tùm iure naturæ, tùm ciuili. Ita Sotus:

Sotus, Less. *loc. cit.* aliíque, Sylvester, Cajet. Navarr. Valent. Sotus, Molin. Laym. aliíque apud Dicastillum, *lib. 2. de iust. tract. 1. d. 10. dub. 5.* quia secùs, improbis daretur occasio bonos, & innocentes spoliandi, *l. furem, ff. ad legem Corneliam, de sicariis,* & *l. 4. ad legem Aquiliam, cap. interfecisti, de homic.* Quo iure fruuntur etiam Clerici, Religiósique sine periculo irregularitatis, cum nulla ratio, nec vllum ius eos condemnet, dixi (iniustè): nam extremè indigens, verbi gratia, cùm habeat ius ad bona, quæ sibi opus sunt ad vitam; occidi, si ea occupet, non potest. Ita Molina *tom. 3. tract. 3. disp. 16. num. 8.*

4. Verùm, tres apparent nodi, qui sint explanandi. Primus: Eccuius momenti hæc bona esse oporteat? Respondeo. Certum est, pro re minima occidi forem non licere: non enim Christianæ Charitatis est, vni, vel alteri aureo vitam proximi posthabere. Docent ergo Sotus, *l. 5. quæst. 1. art. 8.* aliíque, debere esse bona magni momenti: Bonacina *tom. 2. disp. 2. de rest. in part. quæst. vlt. sect. 1. punct. 20. num. 1.* magni valoris: Mol. *t. 4. tract. 3: disput. 16. num. 6.* non satis esse valorem trium, quatuor, vel quinque ducatorum: Dicastillus, *lib. 2. de iust. tract. 2. d. 10. dub. 5. num. 50.* longissimè maiorem quantitatem requiri, quàm ea, quæ in furto est sufficiens ad mortale. Annotationes *ad Aretinum, de maleficiis*, apud Dianam, *part. 5. tract. 4. resolut. 10.* monent non debere esse minoris valoris, quàm duorum aureorum. Sed profectò censeo debere ex circunstantiis id expendi: vnus enim, vel alter aureus erit magni momenti pro eo inope, cuius integrum patrimonium in illo aureo residet. Contrà, decem, vel viginti erunt exigui ponderis, pro Rege, vel valdè divite. In summa, res; propter cuius defensionem est qui interficiendus, debet esse magni momenti, vel ex se, vel in sui æstimatione, vel ex aliquo damno consequente: &c.

Illud Molinæ *ibidem num. 7.* contra Baldum, aliosque, non reprobo, licèt res est vnius, vel minoris valoris, si illam quit resistente Domino, vel custode, velle auferre, seu eius possessionem occupare, posse interfici, si aliter repelli nequeat: quia non iniustus solùm, verùm etiam contumeliosus graviter est (ut supponi omnino debet) contra præsentem Dominum is, qui sic tentat alienum arripere. Addit Lessius, *lib. 2. c. 8. dub. 11. n. 69* ex Covarr. etiamsi deinde recuperare per Iudicem posset. Hinc decerne peccavisse Vineæ magnæ custodem nudiustertius; qui accedentem de die homunculum ex plebe, ad vuas non multas, vt fit, furandas, clamoribus primò, mox expulso in vacuum sclopo exterruit; denique nolentem desistere eiusdem sclopi vi, emisso plumbo, interfecit, & ratio, quòd peccaverit, est: quia res surripienda erat modica, & contumelia, quæ sic custodi inferebatur, ferè nulla.

5. Secundus nodus: Si re iam ablata, fur fugiat, licètne illum persequi, & occidere, nisi rem dimittat? Respondeo esse distinguendum: Ie enim, vel fit in continenti, hoc est, in ipso actu, vel sine fugæ quando nondum moraliter censetur res esse sublata, sed res auferri: & tunc furem occidere tibi conceditur. Ita Sylvest. *v. Bellum 2. num. 3. & num. 10.* Less. *ibid. num. 74.* Sanch. *l. 2 de Matr. d. 22. num. 17.* multò magis si illum clamando admonuisti, ut nisi rem dimitteret, sclopum, v. g. in ipsum exploderes. Vel id fit ex intervallo, postquam scilicet fur rem ablatam pacificè domi suæ habet: & tunc non putes furem occidere, quia esset mera vindicta.

6. Fateor tamen esse probabile, cum Vasq. *c. 5. de rest. §. 1. d. 4. n. 43.* aliísque apud Dian. *p. 8. tract. 7. resol. 47.* Less. & Reginald, apud Bonc. *l. c. num. 4.* non si est spes aliter recuperandi, vel esset timor recuperandi cum magna difficultate; posse te tentare rem tuam, sive immobilem sive mobilem (si extat in individuo, cur id ponatur, vide mox §. 3. *n. 4.* resumere. Quòd si fur contrà renitatur, indebitámque suam possessionem custodire contendat, posse occidi: quia tunc iniustè te fur impedit, & moraliter, seu æquivalenter te aggreditur; & consequenter infert vim, quam repellere fas erit tibi.

7. Tertius nodus: Nolente, seu repugnante invasore, possúmne licitè eius res defendere morte invadentis? Respondeo: si de via defendenda ageretur; possem, quia nemo est Dominus vitæ suæ: quare invasus non potest cedere iuri vitam suam defendendi: At deberémne? 8. Respondeo. Cùm repugnatia hæc invasi sit, ac si nulla esset, ideo idem hîc dicendum, quod dicimus §. 1. *n. 10.* ubi nulla mentio est repugnantiæ. Illud noto, si invasus iusta de causa suæ vitæ iuri cederet, ut ob virtutis actum modo dicto §. 1. *n. 6.* tunc quamvis licitè possem ipsum invasum defendere, tamen non tenerer: quia licet & mihi ex eodem virtutis actu defensionem omitterre

9. Verùm, cùm nunc agatur de defendendis bonis externis, honore, fama, &c. Dico non posse, quia invadens nullam vim tunc infert invaso, qui iam validè cedit tuo; & consequenter cessat ratio, cur ego occidere possim illum, qui eum aggreditur. Excipe eum Less. *l. 2. dub. 13. n. 88.* nisi res invasi ad me pertineant, ut si bona ablata essent mihi debita; tunc enim mihi invito vis inferretur. Sic etiã Maritus potest occidere iuvenem, vim inferentem vxori, quomodocunque consentienti, quando illum aliter avertere non potest, nam pudicitia vxoris pertinet ad honorem Mariti.

## §. III. *De Homicidio ob defensionem honoris, & pudicitiæ: vbi de Duello*

1. QVod modò statuimus de defensione bonorum temporalium, extendi ad defensionem honoris & pudicitiæ palam est; si quidem hæc æstimabiliora, quàm illa sunt bona, ta. Salon. *2. 2. q. 64. art. 7. Controv. 2. concl. 1.* Tolet. *l. 5. c. 6.* aliíque apud Dian. *p. 8. tr. 7. resol. ad fine*, quibus adde Val. Mor. Navarr. apud Dicastill. *l. 2. n. 64. & 66.*

Honestus ergo vir, ne alapa, v. g. pecutiatur, honestaque mulier, ex Cajet. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Sylvest. *V. Homicidium 1. quæst. 5.* & *passim*, ne impudicam maculam patiatur occidere etiam sine timore irregularitatis inuiti res possunt? quando aliter consulere sibi nequeunt. Ita Suarez Bonac. Coninch. & *passim* apud Dianam, *p. 2. tr. 15. resol. 16.* & patet ex Clement. *si furiosus, de Hom.* habit Bonacina, *t. 2. d. 2. de rest. in partic. qu. vlt. sect. 1. p. 10. n. 12.* posse invasum condonare vitam invasori patienti violationem sui quando non est periculum consensus: nam teste S. Luca, non coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Hæc ille. Sed quia difficile est non adesse in tanta occasione periculum consensus: nemini ego eiusmodi condonationem indulgerem. Vide mox *num. 7.*

2. Sed quid, si fueris iam alapa, v. g. percussus, potésne ad resarciendum contumeliam repercutere, quantum satis erit pro tuo honore; Respondeo statim & incontinenti, etiamsi, qui percussit, aufugiat & tu illum insequaris ad repercutiendum, non ut vindictam sumas, sed ut recuperes honorem, quem veluti secum actu fert aufugiens; speculativè probabile est posse: ex intervallo, nullo modo. Ita Nauarr. *in summa cap. 15. n. 4.* Victoria *de Iure belli, n. 5.* Petr. Navarr. *l. 2. c. 3. n. 383.* Henriquez, *l. 24. de irreg. c. 3. n. 10.* Ratio est, quia hic esset vindictam sumere; ibi, aggressionem moraliter adhuc existentem, vi repellere.

3. Dixi (speculativè): nam propter non absimiles rationes dictas §. 1. *num. 16.* in praxi id recipiendum non iudico; quamvis sciam ab Hurtado apud Diauam, *p. 8. tract. 7. resol. 48.* cum aliis, id etiam in praxi, & sine limitatione doceri, & Dianam quidem *p. 2. tr. 15. res. 15.* aiio idem pios, & doctissimos viros docuisse.

4. Obicies, possum ex §. 2. *n. 6.* cum Vasquez, rem meam resumere à domo furis, si ipse renitatur, etiam post dies: ergo & honorem. Respondeo: nego consequentiam. Nam ibi notantur dictum est (si res tua extet in

in individuo:)at tuus honor in casu,de quo disputamus, etiam ablatus jam fuerit;& veluti deperierit; conjungere-tur alium æquivalentem velle acquirere,media conmu-nia, vel percussione; quod non esset vim vi repellere. Non ita quando sibi statim; tunc enim quamvis statim ab alapa,v.g.tibi inflicta honor tuus deperierit physicè; non tamen moraliter,& in hominum existimatione:nam propterea id speculativè cócessimus. Licèt contrarius no-bis sit de Lugo *t.1.de just.tr.2.disp.10.sect.10.n.*188.& 190.

5. Objicies rursus, si quamvis speculativè;liceret sta-tim repercutere aggressorem; teneretur hic aggressor pati talem repercussionem imò etiam mortem:nam cùm possit repercutiatur, illam pati obligabitur,alioqui esset bellum justum ex vtraque parte, sed quis dicat, percus-sorem obligari ad patiendam repercussionem, vel mor-tem? ergo nec licebit repercutere.Respondeo, percus-sorem non teneri pati ejusmodi repercussionem; nam potest veniam petere, & dare percusso congruam satis-factionem.Ita Petrus Navarr.*lib.2.cap.3.num.*380.& 381. Quòd si faciat, tunc injustè percutietur, & poterit se defendere. At si nolit id facere, tunc amittit jus se de-fendendi, sicuti fur non tenetur permittere se occidi, vel percuti, renetur tamen reddere Domino rem sublа-tam: quâ redditâ, si Dominus vellet adhuc illum per-cutere,poterit fur jure defensionis uti.

6. Denique habe duo.Primò,si verbo contra te in-justè contortam injuriam repellas,dicendo (mentiris) te non peccare probabiliter,etiam practicè puto cum Soto *lib.5.q.9.art.3.in corp. fin.* Henriq.*lib.*14.*de Irregul.cap.*3. n.1.vide Dianam, *p.6.tract.6. resol.*16. quia tunc vindi-ctam non sumis; sed, cum non possis aliter modo, injus-tam injustè allatam avertis.At verò affirmentem te qui-buscunque atrocibus contumeliis occidere non potes. Ita Azor.& Lessius apud Dicastillum,*lib.2.de just.tract.*1. *d.*10.*dub.*6.*num.*78. quidquid alij dicant apud eundem *n.*76. quia alter honorem tuum defendere potes,quan-do solùm agitur de contumeliis.

7.Secundò:Puella,vel juvenis,quando sollicitatur,tan-gunt vel osculum jam accepit per vim aliquod, posset licitè imo cum laude,non solùm verbis asperioribus,ve-rùm etiam pugnis, alapa, imò & fuste illum non gra-viter repercutere.Ita de Lugo *t.1.de Just.d.*10.*sect.*10.*n.*196. id enim non esset vindictam sumere,sed puritatem ani-mi,& constantem dissensum ostendere,& quamvis ejus-modi repercussio sit post susceptum,v.g.osculum, tamen est etiam defensio pudicitiæ: nisi enim sic acriter homi-nem illum repellas,facilè redibit,nec facilè discedet:nec facilè quis credet,te consensum non præbuisse.

## *De Duello.*

8. Restat illa difficultas: Si occidere aliquem possum ad meum honorem defendendum; possúmne propter eundem honorem duellum acceptare; Antequam id de-cernam,nonnulla sunt de duello præmittenda.

Duellum est *singulare,& quidem grave atque ex privatis causis certamen inter duos,vel plures, ex condicto, designato tempore, & loco.* ita Sanchez *in sum.lib.2. cap.*39. Clavis Reg. Val. Fill.Bonac. aliique citati à Bassæo *v.Duellum* In qua descriptione illud (&) copulatiuè se habere mihi videtur. Ita Bonac. citatus, & exceptus à Diana; *p.3.tr.*3.*res.*59.ita ut si condicatur locus dumtaxat, vel dumtaxat tempus,non sit duellum,prout sumitur in pro-hibitione Pontificum *mox* afferenda, quæ cùm sit odio-sa,strictè est interpretanda pro rigoroso duello.Ita Hur-tadus,apud Dianam,*p.5.tr.*3.*res.*69.§.*Notandum est.*

9. Dixi primò (*grave*) pugna enim,quæ fit sine armis aptis ad interficiendum,vel vulnerandum,v.g.virga,levi baculo,pugnis,avulsione capillorum,&c.non est duellũ.

10. Dixi secundò (*ex privatis causis:*) in bello enim justo,contra communes hostes, cum ijsdem suscipere, & condicere duellum ad reddendum milites animosiores, vel ad hostes terrendos, vel ad finienda propter bonum publicum bella ex Principis authoritate, sine dubio,li-cet.Lege Reginal.*t.2.l.21.c.7.n.*75.& Bassæum, *l.c.n.*7.

11. Dixi tertiò (*ex condicto.*) Quare si dum duo rixantur, alter dicat: *Exere gladium,*si dum sunt in Ec-clesia,Navi,Aula Principis, domi; alter ob reverentiam vel periculum loci dicat: *Exeamus* eodèmque impetu exeunt, & pugnant, si in loco aliquo rixam incipiant, & eodem tempore,atque calore, in ipso impetu exeunt ad alium locum, ibidémque evaginatis gladiis pugnam prosequuntur, si duobus contendentibus pugno, vel verbis,alter,vel vterque domum petat, armáque capiens redeat, & pugnens; certum mihi videtur non esse hæc duella, de quibus loquimur: quia in his non adest con-ditio determinati loco,imò nec temporis.Lege Dianam aliòs referens,*p.2. tract.*16.*resol.*53.& *p.3. tract.*6. *resol.*1. Idem putat contra Bonacinam Mancinus apud Dianam, *part.* 5. *tract.* 15. *resol.* 59. si quis dicat: *Tecum pugnabo prima vice,qua per vrbem obvius tibi fuero.* Quia *tota vrbi* non est locus determinatus: &, *prima vice,*non est tem-pus certum.

12. At si dum sunt in Ecclesia, navi, aula, &c. non ob reverentiam, vel periculum, sed ut possint liberiùs pugnæ vacare,exeant; vel alter dicat ob eundem finem: *Exeamus*; Si duobus contendentibus, alter condicens locum dicat: *Hìc expecta,donec veniam,* suménsque do-mi arma redeat: vel dicat: *Hìc expecto, donec cum ar-mis tu huc redeas*: Si quis dicat,inimico manenti domi: *Exi, hic in via te expecto*: Si quis absolutè dicat, *Invito te ad pugnam, quocunque in loco mihi occurreris*;dubium videtur,an sint provocationes ad duellum, de quo agi-mus.Esse videtur nonnullis apud eundem *l.c.*quia, licèt sub aliqua indeterminatione, condicitur tamen locus & tempus. Verùm, cùm ex dictis prohibitio hæc sit odiosa, nonnulli apud eundem, *l. c.* censent,non esse: Tum quia in aliquibus ex his non indicitur tempus, vel locus determinatè: Tum quia videtur ex circumstantiis esse solùm in his invitatio ad pugnandum, & valde per accidens ad pugnandum in tali loco,seu tempore: Tum præcipuè, quia quando conventio,& pugna fiunt in il-lo calore, non sunt duæ, sed vna moraliter actio; lege eundem *part.* 6. *tract.*8. *resol.* 21. quare conventio tunc non est dicenda duellum,sed pugna exorta ex rixa,cùm in hujusmodi actionibus,principium potiùs attendatur quàm finis.

13. Hoc igitur duellum etiam privatum, est prohibi-tum sub pœna excommunicationis latæ Pontifici Sum-mo reservatæ(Per bullam Cruciatæ poterit semel in vi-ta, & semel in morte absolvi: ut item, quando deli-ctum est occultum, semper per Episcopum: quid ad per Privilegia Mendicantium, universaliter, vidimus. Sed semper ex prædictis Privilegiis, in foro conscientiæ tantùm *in Meth. Confess. lib.*3. *cap.*7. §.2. videatur Di-castillus *lib.2.de justitia tr.*1.*d.*10.*dub.*15.*num.*238.)& sub aliis pœnis præsertim sub pœna privationis Ecclesiasti-cæ sepulturæ.

Ordo hujus prohibitionis hic est: Pius IV. confir-mans constitutiones Julij II. Leonis X. Clementis VII. & Concil.Trid.*sess.*25.*cap.*19.*de reformat.* prohibet duel-la solemnia.Sequitur Greg.XIII. qui prohibet sub ex-communicatione reservata, aliisque pœnis duella etiam privata, eorúmque cooperationem. Denique Clemens VIII.prædicta confirmat,addítque aliqua magis explici-ta sub eadem excommunicatione,aliisque pœnis.

Si moriatur in ipso actuali conflictu, & (ut ego in-terpretor) si sine sacramentali Confessione: nam cum intercedat tempus à vulnere ad Confessionem, non di-cetur is mori in ipso conflictu. Nec obstat Rituale Pau-li V. dum sic habet in Rubrica præfixa ordinationi, de exequis: *Morientibus in duello deneganda est sepultura Ecclesiastica,etiamsi signa pœnitentiæ dederint.* Non obstat; inquam, quia minus est dare pœnitentiæ signa, quàm sacramentaliter confiteri, & cùm in articulo mortis qui-libet Sacerdos habeat potestatem absolvendi à qua-libet excommunicatione, modo aliàs explicato: prædictus sic absolutus non decedat cum excommuni-catione, &c. Ita *in nostra Methodo Confessionis, lib.* 2.

*c.10.3. n.57.* ij nihilominus, qui in dicto conflictu sine his signis morientem sepeliùt, graviter quidem peccant; sed non incurrunt excommunicationem ullam. Ita Hurtadus apud Dianam, *p.5. tr.3. res.99.* Bannius & Castro Pal. apud eundem *p.7.tr.11.resol.44.*

Nec solùm committentes duellum, incidunt in excommunicationem; verùm etiam instigantes, consilium, arma, favorémque dantes, Patrini, Domini loci, & similes clarè positi in citatis constitutionibus. Quandam exceptionem quoad dantes arma amico omnino volenti duellum committere, vide apud Hurtadum, apud eundem Dianam *p.5 tr.14. res.101.*

14. Ut contrà, quia solùm ratum habentes, sive ipsum duellum, sive provocationem ad illud, nomine suo factâ, non sunt in dicta Constitutione; ideo non incurrunt in excommunicationem Ita Floronus *de Duello, apud Summam Diana, ver. Duellum. n.10.* Dubium solum est de duobus: Primò, An spectatores? Respõdeo. In Bulla Gregorij incurrunt *Spectatores in compositio.* in Bulla Clementis: *Hujus delicti socij de industria spectatores.* Ex quibus verbis conicio, non incurrere eos, qui casu, & per transitum sistunt, ut videant. Imò nec qui eunt ad videndum curiositatis gratiâ, & nihil eorum præsentia movet duellantes: multò minùs, qui illuc se conferunt ob finem advocandi Confessarium, vel Medicum, &c. Sic Bonac apud Dianam, *p.5.tr.14. res.100.* sed solùm ij incurrunt, qui adsunt, animum, vel authoritatem dantes duellantibus, vel tanquam testes, vel judices, seu Arbitri, &c. idenim videntur significare illa verba *ex composito, & socij spectatores.*

15. Secundò: Dubium est de ipsis principalibus: si enim provocent, vel acceptent, sed deinde propter aliquâ rationem, altero, v.g. non comparente, pugna non committatur; dubitatur an dictam excommunicationem incurrât? Affirmant Filliucius, *tom.2.tract.29.c.8.n.170.* Escobar *tr.1.exam.7.nu.64.c.2.* Negat Mendoza. 2. *ad.170. sect.2. §.190.* etiam in terminis Bullæ Clementis apud Dianam dicentem *p.5 tract.14.res.102.* an hæc sententia Mendozæ sit probabilis, alij judicent. Filliucio favet stylus Curiæ, quæ eos pro excommunicatis habet. Mendozæ favent verba Gregorij quicum excommunicat principales, addit: *Si pugnam commiserint.* Sed Filliucij sententia tenenda est: non quidem propter stylum Curiæ qui plerumque est pro foro externo; sed quia, esto, per Gregorium ita res se habeat, tamen Clemens §.7. excommunicare videtur merè provocantes: dixerat enim §.6. *in fine*, de instigantibus: *Etiamsi pugna aliqua non secuta fuerit*; quæ clausula videtur etiam intelligenda, seu supplenda in *dicto* §.7. de provocantibus. Certè prohibitio tam exaggerata Clementis, & præsertim illa verba ejusdem *dicti* §.6. (*& his similia*) manifestè ostendunt solam provocationem, etiam non secutâ pugnâ, imò etiam non secuta acceptatione, sub excommunicatione reservata prohiberi. Hæc enim verba (*& similia*) non cadunt solùm in instigantes ad duellum, ut aliquis putat; sed in principales etiam: id enim videtur ostendere modus loquendi tam universalis Clementis. Et sanè mirum mihi esset, hominem merè instigantem ad duellum, vel provocationem scribentem, incurrere in excommunicationem reservatam, non secutâ pugnâ, ut patet ex ipsa Bulla Clementis; ipsum verò principalem provocantem non incurrere.

16. His jam prælibatis, ad difficultatem propositam revertamur. An viro Nobili duellum acceptare liceat, ne vilis habeatur: & consequenter, ne honorem suum amittere cogatur?

Respondeo nequaquam licere, nisi in casibus *inferius* ponendis *à num.17.* Ita Sanchez, Beccanus, Molina Lessius, Rodriguez, Bannez, Sotus, Laym. quos citat, sequiturque Dicastillus, *lib.2. de just.tract.d.10.dub.6.* & communiter. Esto Vidal. contrarium asserat *inquisit secunda de duello*, inclinétque in gravissimo casu Layman, apud Dicastillum *loc.cit.num.72.* Ratio est, quia ex una parte fieret contra gravissimas Constitutiones Pontificum; imò & contra ius naturale, per quod omnis pugna privata præsertim exposita periculo cædis proximi, est illicita nisi ipsum jus naturale permittat, in casibus, ut dico, *sequenti. 18 inferius.* Et ex alia parte, non desunt alia remedia conservandi honorem in similibus provocationibus: Ut si vir honestæ existimationis, hoc vel simili modo respondeat provocanti: *Equidem tua isthac conditione, non indigeo, ad me, meaque conservanda. Quocunque in loco, vel tempore paratus sum, gladio illa defendere.*

17. Nec tamen desunt casus, in quibus licitè acceptabis duellum. Lege Hurtad. de Mendoza apud Dian. *p.5.tr.13.res.27.* & *ibid.tr.14.res.99* Quidam inimicum certamen aggressus est, gladiòque stricto sic est interminatus: *Tecum pugnare volo in eo conducto loco; nisi accepto, hic te confodiam.* Sanè is licitè, sine periculo excommunicationis, duellum acceptavit. Alter non dissimili modo domum de nocte, cujusdam divitis ingressus sic locutus est: *Auferam à te hac pretiosa bona: nisi duellum acceptes.* Pari modo licitè hic duello consensit, si aliâ viâ suas res servare non valuit. Ratio utriusque est, quia ex una parte humana jura non urgent in tanto periculo; & ex alia hæc est ipsissima defensio vitæ, & bonorum contra injustum agressorem. Imò aliqui *ibidem*, quibus addit Dicastill. *lib.2. de tr.1. d.10. d.15. num.217.* & Thomam Hurtad *p.2. tr. ult. res.5.* meritò idem extendunt ad provocationem. Si quis enim alia caret via, quâ suam vitam servet, nisi provocet ad duellum (quem tamen esum fateor esse rarissimum): licitè provocabit: quia in hac suppositione, hæc non est provocatio, sed justa defensio.

Quia ratione excusari possunt acceptantes duellum, vel ad illud provocantes, quandò certò sciunt, pugnam non secuturam; vide apud Dianam *p.2. tr.16 res 53.* & *p.3. tr. 6. res.1.* Multò magis, si ex compacto, cum certa occulta promissione, quod impediendi omnino sint ab omni damno, (semper tamen præciso scandalo, legisque contemptu) etiamsi descenderint ad locum pugnæ, gladios strinxerint, levésque sine periculo, ictus aliquod contulerint. Ita Escobar, *tr.1.exam.7. cap.3. n.66.§. Quisque vocato*, Bassæus *v Duellum, n.9.*

## §. IV. *De Homicidio ad malefactores puniendos.*

Malefactores vel sunt in sua libertate, nondum potestate publica comprehensi; vel sunt sub manibus judicis, v.g. in Carcere.

*Malefactores videndum comprehensi.*

1. Quoad priores, habe quatuor: Primò à nullo privato hi possunt occidi, nisi fortè in casibus, quos infra *superius*, § 1. *num.15. fine*: quia ad privatos non pertinet aliena peccata punire, potissimùm tãto mortis supplicio.

2. Secundò: Potest publica potestate concedi privatis facultas eos occidendi; ut solet fieri contra bannitos, seu proscriptos, etiam proposito præmio: Ita Sylvester, Azor. Tolet. aliique apud Dicastill. *lib.2. de just. tract. 1. d. 10. dub.1. num. 7.* & apud Menoch. *de arbit. lib.1. q.90. num. 4.* etiam se ipsos invicem, idque prodítoriè, occidendo; etiamsi præter voluntatem tamen occidentis, Sacramentali Confessione careat occisus, ex Dicastill. *l.c.n.11.* contra Sotum apud eundem Dicastillum, *ibid.* tunc enim ipsi proscripto imputatur Confessionis carentia; & quia secùs nullus bannitus posset (cùm semper ferè ipsis confessio desit) interfici. Sed in his omnibus privati quicunque, ut Ministri publici occidunt. Excipe Parentes, Filios, Conjuges, &c. de quibus dictum est *superius*; *lib.5. cap.2. §.2. num.16.* Illud adverte, cùm hujus facultatis exercitium pertineat ad jurisdictionem contentiosam; posse quidem à te occidi proscriptum in proprio Principis proscribentis Territorio; non verò in alieno, nisi ex tacito, vel rationabiliter præsumpto legitimi Principis consensu. Quòd si in alieno occidas, non facies solùm injuriam Principi alie-

no

no; verùm etiam injustè occidens, utpotè qui occidat sine legitima facultate. Aliqui apud Dianam *part.5.n.4.* Bannitum ubicunque occidi posse docent. Ratio est, quia, saltem regulariter, adest prædictus tacitus consensus.

Si non sint legitimè proscripti, sed solum rei, grassatores, regulariter non possunt occidi; (ne à satellitibus quidem eos capere volentibus) solùm ex eo, quòd ipsis resistunt, nec possunt sine Iudices satellitibus facultatem concedere, ut occidant. Ratio est, quia nondum sunt convicti de crimine capitali. Dixi (regulariter): quia positis sex circumstantiis, posse docet Fatinaceus, apud Dian. *p.8.tract.7.resp.44.* quem, si libet, adi.

3. Tertio: Quando *l. Maritus ff. ad legem Iuliam, de adulteriis, & l. Gravis, eodem*, permittunt Marito deprehendenti Vxorem in adulterio (idem Patri respectu filiæ) illam occidere posse; si constaret tunc dari Marito, vel Patri auctoritatem publicam, nec peccaret Maritus, vel Pater eos occidendo, quia procederent ut Ministri publici: At quia ex communi Theologorum calculo, id ita non est; nam leges solùm propter illum vehementem dolorem, animique perturbationem non eximunt in foro externo eas occisiones; non verò eos excusant Ministros suos: ideo semper mortaliter peccabunt, *cap. Interfectores 23. q. 2.* quamvis illas deprehenderint in flagranti crimine. Nisi tamen dictus Maritus, vel Pater occidant per primos motus, qui in tanta passione probabiliter præsumi non rarò possunt. Si post sententiam latam à Iudice, adultera vxor traderetur occidenda ab ipso marito: tunc sanè ut minister Iustitiæ, posset illam is sine peccato interficere. Verùm id non est consulendum, cùm procliue sit; ut vir potius in vindictam occidat, & in odium, quàm in zelum justitiæ; & vxor odio detestetur tantam malitiam, quamvis permissam crudelitatem.

Qui Clericum cum vxore, matre, vel sorore, vel propria filia turpiter inventum occidit, peccat, sed non incidit in excommunicationem *Cap. si verò p.* quia justum dolorem compescere, difficillimum esse, ait Glossa ibid. *v. Turpiter.* Idque rectè notat. Layman *lib.1.tr.5.p.2.c.5. n.8.* & apud Dian. *p.9.tr.4.resp.2.*

4. Quartò. Clericis in majoribus ordinibus constitutis, sub mortali non licet occidere ejusmodi proscriptos. Imò idem sine Pontificis facultate, neminem tanquam Iudices condemnare possunt, vel tanquam Ministri Iustitiæ: quia illis graviter hoc prohibitum est, & quidem sub irregularitatis pœna, *cap. Clericis, c. sententia; & Clerici, vel Monachi & ibid.* Glossa, lege Dicast. *lib.2. de iust. tr.2.d.10. dub.1.n.13.* contra Ricc. Clericis in minoribus, solùm sub veniali hæc non licere docet Toletus, *lib.5.c.6.n.14.* ex Soto.

### *Malefactores jam comprehensi.*

5. Iam verò quoad posteriores. Certum est, auctoritate publica posse, & debere malefactores interfici, servato tamen juris ordine: nimirum, quod ij citentur, audiantur, ac factum probetur, &c. Debere, inquam: sed non debita, quin aliquando possit Princeps vitam condonare malefactori, jam per sententiam damnato: si quidem rarò id efficere, bono publico nequaquam nocet. Quod si noceat, manifestum est non posse,

6. Affui ego semel in loco, vbi quatuor, vel quinque de trabe, suspendendi erant, totâ, quamvis latissimâ platea plenâ spectantibus. Porrò vnus ex his in blasphemias homine, nedum Christiano indignas prorumpere cœpit, sub ipsis scalis. Et quamvis constricto ore cogeretur ad silentium; vi tamen, nisúque corporis ineredibili, humi provolutus, ad scalas patibuli ascendere renitebatur, imò, nec inde sublevari à circunstante satellite patiebatur. Ita factum est, ut Ministri post multas horas, quas benignè, sed omnino frustra concesserunt Sacerdotibus assistentibus, quò hominem ad pœnitentiam commoverent, laqueo ad ipsas imas scalas contorto, humi prostratum miserè suffocarint; si non ore, certè oculis, nutu, animo, & subinde detruncatis verbis blasphemantem. Horreor id me, & frequentissimos cæteros, cum summo horrore spectauisse. Inquiro jam, an potuerit Princeps (quem fuisse de tuto eventu intra illas horas admonitum, fembat fama) hunc ad mortem compellere? Rursùs, an potuerit saltem per aliquot dies vitam illi prorogare? Id cùm accidit, puer ego eram Caltanisettæ in Patria mea: & viros mea ætate grandiores (nunc certè memini) asserentes audivi, licuisse Principi illius mortem vrgere, eidem parcere, vel supplicium differre, non licuisse. Rationem addebant: quia in tanta spectantium frequentia bonum publicum exposcebat, ut criminosis spes hæc non daretur procurandæ condonationis tam detestandæ artis blasphemiarum; quam facilè alij æmulari velle, ab hoc vnico exemplo potuissent.

### *Iuris ordo in condemnandis malefactoribus.*

7. Supersunt tres graves quæstiones. Prima: Certum est, Iudicem ordinarium debere Iuris ordinem servare, ut dicetur *infrà, lib.9.c.2.§.1.* Quid de Principe, seu Iudice supremo? Respondeo. Hic, quia potest dispensare legibus juris ordinem præcipientibus; poterit in aliquibus casibus sine illis solemnitatibus (vrgente certè causa, ne temerè agat) condemnare. Ita Dicast. *lib.2.tr.1. d.4.d.5.q.2.num.* 109. afferens Less.. Arag. Covar. aliósque. Solent tres casus afferri.

Primò, quando delictum est notorium; nam tunc non tenetur citare.

Secundò, quando grave imminet periculum Reip. si statim non fiat punitio: ut si adsit timor Rebellionis, vel gravis turbationis in Civitate; licitè solemnitates illas omittet.

Tertiò. Quando apparet periculum fugæ ejus, qui de re gravi reus est, &c. Sed in his omnibus debet semper Princeps esse certus, crimen probari posse, rursus debet summarium formare processum, aptúmque defensorem constituere reo, etiamsi absens sit: & tunc posset condemnare, imò & occultè laqueo, vel veneno interficere post recepta Sacramenta, præsertim Confessionis.

Iam verò éstne in Principe nullum agnoscente Superiorem, legitima potestas aliquem occidendi, vel sententiam de alterius morte ferendi more belli (vbi dicitur) sine vllo prorsus, ne summario quidem processu, sed statim, & in continenti? Negat de Lugo, *t. 2. de iust. d.37. sect.5.n.92.* Concedit esse probabile in aliquo valdè vrgenti casu Lessius, *lib.2.cap.29.n.96.* cui favet Fagundez *præc.3.dec.cap.20.n.18.* & Dicastillus *lib.2. de iust.tract.1. d.4.d.5.quæst.2.* conceditque Bossius apud Dianam, *p. 10. tract.15. resol.34.* dat enim, posse Regem sine iudiciali strepitu occidere occultè adulterum, qui vim Regem inferret, solúsque Rex id sciret; quia sic Regi expedit ad Regiam infamiam evitandam.

### *Innocens probatis nocens, an possit condemnari?*

8. Secunda, quæstio: An possit unquam innocens morte damnari?

Respondeo. In tribus ist casibus quæri solet. Et quidem duo parum habent difficultatis: multùm habet tertius:

9. Nam Primò: qui actu est innocens, sed prudenter timetur, si superveniat, noxius Reipubl. esse futurus; nulla ratione potest occidi. Ita Salon. 2.2.64. *art.1. controvers.3.* & communiter. Nullus enim pro peccato futuro puniendus; cùm præsertim possit occurrit damno, quod fortè timetur, trudendo illum in carcerem, ejiciendo in exilium, &c.

10. Secundò, Filius innocens nunquam occidi potest pro peccato Patris: multò minùs, quilibet alius pro alieno peccato, lege Sanct. Thomam. 2.2.*q.*107. *art.4.*

Hæc plana sunt. Molesta autem est tertia difficultas, An scilicet iudex, vel Princeps licitè possit sententiam mortis in eum ferre, quam certò scit esse innocentem;

qui tamen, secundùm allegata, & probata, mortis reus apparet? Ipse Iudex, v. g. vel Princeps occultè Petrum interfecit; sed Paulus propter aliqua iudicia vehementia infamatus; convictus tandem secundum legitimas probationes, de ea occisione fuit: potestne licitè ipse Iudex, vel Princeps Petrum capite damnare?

Respondeo. Certum mihi est, ex DD. *mox* citandis, Principem non posse, sed tenetur eum liberare. Ratio est quia Princeps potest sibi dispensare in ea lege, qua iubetur, debere procedi in iudiciis secundùm allegata, & probata. Quòd si subesset periculum scandali, quòd rei non puniatur; tunc Princeps palam, etiam cum Iuramento (si hoc necessarium iudicabitur ad faciendam fidem) debebit pronunciare, sibi notam esse illius hominis innocentiam. Sed quandònam tantum scandalum contra summum supremi Principis imperium?

12. Punctus ergo difficultatis de inferiore Iudice est qui hac dispensandi sibi potestate non gaudet. Nonnulli censent cum pari modo non posse. Ita Less. *lib. 2. cap. 29. n. 84.* inclinat de Lugo, *t. 2. de iust. d. 37. sect. 4.* Rosella, Angelus, Petrus Navarr. Sot, apud Dicast. *lib. 2. de iust. tr. 1. d. 4. dub. 5. q. 1.* quia innocentem certò cognitum: directè occidere, intrinsecè malum est. Nonnulli docent posse. Ita. Thom. *2. 2. q. 67. art. 2.* Th. Sanch. *lib. 2. cons. cap. 1. d. 17.* aliique ab ipso, & à dicto de Lugo citati; quibus adde Cajet. Bann, Arag. Salon. Covarr. Azor. Val. aliòsque citatos, & exceptos à Dicastill. *l. c. à n. 79.* quia iura præcipiunt, vt Iudex puniat eum, qui secundùm allegata, & probata, mortis esse reus invenitur, obligabitur igitur hic omnem movere lapidem, quo impediat huius innocentis interfectionem, præveniendo, ne Testes contra illum deponant, vel diligentiùs eos examinando, aperiendo clam, si potest, ipsi carcerem, vt fugiat, monendo Principem de illius innocentia, imò & deponendo Iudicis officium, si ex depositione grave damnum non accipiat, &c. Verùm, si hæc non proficiant, instétque Princeps, vt condemnet: poterit (hi dicunt) condamnare.

13. Ex his sententiis prior menti meæ adeò certa se offert, ut hæc posterior non sit mihi intrinsecè probabilis: quia tamen eam doctissimi, & præsertim S. Thomas, amplectuntur; probabilis saltem propter auctoritatem extrinsecam censeatur. Ratio nostra est, quia sacratissima Iura cùm præcipiunt, vt Iudex puniat secundùm allegata, & probata semper intelligitur de Iudice regulariter, id est, de Iudice, cui regulariter constare non solet de delicto rei, nisi per allatas probationes: de Iudice autem innocentiam rei certò cognoscente, qui casus rarissimus est, & penè dixerim metaphysicus; nunquam agunt, Sanè etiam leges vniversaliter damnant eum, qui alienum rapuit; sed non propterea eum damnant, qui per iustam compensationem alienum accepit: licèt enim hoc non explicent, semper tamen ex iure naturæ esse id exceptum intelligitur: & sexcenta quidem similia in iure reperies.

14. Dices: At ita publicum bonum exposcit, ne scilicet Iuris ordo pervertatur: néve Iudicibus detur occasio, vt etiam nocentes liberent, prætextu, quòd eos innocentes esse cognoscant.

Facilis respondeo: Iuris ordinem non pervertit, qui contra iura non agit: at iam vidisti, nullum ius esse contra certò cognitum innocentem. Præterea maius malum est semel innocentem interfici, quam aliquoties nocentem liberari; illud enim malum irreparabile est, hoc à Principe, & à Rep. facilè reparari valet: ne multum serpat; nimirum vigilando, ne Iudices, nisi vero iustitiæ zelo præditi, eligantur. Denique magis favet publico bono populos scire, leges nemini vnquam aliquem offendendi causas esse, sed innocentem vndecunque repertum, semper incolumem servare; quàm scire, eas concedere, imò præcipere, ut vel semel occidatur directè homo ab eo, qui eum innocétem, ac sanctum novit. Directè, inquam: nam non video, quo modo aliqui comendant, id non esse occidere directè, sed indirectè: quia nimirum (aiunt) Iudicis intentio est servare iuris ordinem, non hominem occidere: sicuti potest per accidens occidi innocens ad victoriam consequendam, vel ad se salvandum, eo modo quod, etiam nos docuimus *sup. c. 1. §. 1. n. 12.* Id, inquam, video, cùm enim nullus reus, nec iuris ordo adsit contra clarè cognitum innocentem, vt modò dixi; id non potest intendi, quod enim non est, intendi non potest: quam clarè convincitur tunc directè re vera hominem occidi. Quòd secùs est in victoria, &c. vt ex *ibid.* dictis patet.

15. Cùm agitur de rebus civilibus, vel de pœna modici pondetis, acquiesco posse, & debere Iudicem inferiorem scientiâ publicâ damnare, quem scit scientiâ privatâ innocentem, quando illum vr getibus, nec (adhibitis remediis *num. 12.* dictis) via affulget non condemnandi. Ita Less. *l. c. 84.* Coninch. *t. 2. de sacr. d. 13. de censur. n. 106. & 110. & d. 34. de matr. n. 98.* Dicastill. *l. c. n. 19.* quia casus civiles, ut potè frequentiores, turbarent fatis Tribunalia. Adde, privatos videri in his cedere suo iuri propter dictum maius Reip. bonum; quæ certè cessio, cùm agitur de vita, vel mutilatione, nunquam præsumitur. Quando ergo *cap. Pastoralis. de officio Iudicis delegati*, pronuntiat personam publicam non teneri vt scientia priuata, de his civilibus, & levibus agit, ut patet ex casu Textus; non de vita.

16. Quid de Ministris? Satelles, v. g. potestne licitè exequi sententiam contra Petrum, si certò sciat eum esse nullius culpæ reum? nam si dubitet, debere sui Superioris sententiam exequi, diximus *l. 1. in Dec. cap. 3. §. 7. n. 2. Executor sententiæ.*

Respondeo in nostra sententia non posse in gravibus, posse in minoribus pœnis, propter easdem rationes iam dictas. Alij cum de Lugo, *t. 2. de iust. d. 37. sect. 5. n. 48.* & Dicast. *l. c. n. 9.* distinguunt (& quidem probabiliter probabilitate extrinseca, cui cóformare se sine peccato posset Minister), si innocentia sit soli satelliti nota, potest illam satellles exequi; quia tunc supponitur sententia valida, & iustè, bonáque fide à Iudice prolata, cui obedire potest Minister subditus. At si notorium sit, sententiam esse iniustam, vel intolerabilem errorem continere, vel, ut alij addunt, ex iniquitate Iudicis clarè proficisci: non potest, quia tunc esset contra bonum publicum, & contra iustitiam; siquidem sententia illa sive in levibus, sive in gravibus, non esset solùm iniusta, sed invalida.

17. Petet curiosus: Si Iudex Ecclesiasticus ex Confessione Sacramentali sciret, v. g. Petri innocentiam, probationes autem legitimæ essent contra ipsum potentes, & tenebitur illum condemnare?

Respondeo posse, & debere (supponimus autem potestatem in tali Iudice) &c. sive agetur de levioribus, sive de gravioribus delictis, vel causis, Ita idem de Lugo *ibid. n. 47.* Ratio est, quia Confessarius in Confessione tenetur credere pœnitenti, at extra ipsam potest, & debet idem habere potiùs pluribus Testibus, & probationibus, quam vni ipsi pœnitenti.

*Malefactor omnino occultus an possit condemnari?*

18. Tertia denique quæstio est. An vice versa, si Princeps novit privatâ scientiâ reum esse dignum morte, sed publicè probatur is esse innocens, an inquam, possit eum Princeps morte damnare; Princeps inquam: nam Iudicem inferiorem nullo modo posse certum ex dictis est.

Respondeo regulariter non posse. Ita Dicast. *l. 2. de iust. tr. 1. d. 4. dub. 5. n. 2.* cum Arag. Petr. Navarr. & aliis Si enim nemo, ut dicetur *suo loco* potest proximum diffamare de peccato occulto; quintò magis non poterit eundem occidere? Et ratio vlterior est: quia princeps iurisdictionem habet fori externi, ad quod non pertinent ea occulta, quæ probatione externa carent. Adde, esse de iure naturæ, ut reus audiatur in sui defensionem: vt probat Clau. Reg. *lib. 12. c. 8. n. 20.* ex Clementina *Patronalis, de sententia, & re iudicata, & c. qualiter 2. de accus.* id quod non potest fieri, nisi per probationes externas, quas ipse velit adducere.

Dixi

Dixi (regulariter,) ut significarem posse, quando infert magnum aliquod Reip. vel alterius damnum; sed tunc res reducitur ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, Relege modò dicta. *n.* 7.

Dices: Potest Princeps, imò quilibet Iudex cogere debitorem ad solvendum creditori, si certò constet de debito, quamvis non possit in judicio probari: ergo & potest similem certum malefactorem occidere.

Respondeo, negando consequentiam. Disparitas enim est manifestata: siquidem in solutione debiti certi Iudex operatur ad compensandum non ad puniendum. Ad compensationem autem faciendam, sicuti occultè potest amicus adiuvare creditorem; ita poterit & Iudex saltem ut amicus: at ad puniendum requiritur jurisdictio, quæ non habetur in occultis, ut dictum est.

### §. V. *De Homicidio ex Bello justo. Remissivè.*

De hoc, ne cramben delicato Lectori recoctam apponamus, sufficiant ea, quæ attulimus. *lib.* 1 *in Decal.* §. 4. *n.* 29. & *n.* 36. & rursus §. 7. *v. Bellum.*

## CAPUT II.

### *De Homicidio sui ipsius.*

### §. I. *Occisio sui directa.*

1. NEmini unquam licere (nisi ex peculiarissimo Dei instinctu; sed quando is?) se ipsum directè occidere, res est manifesta nimis. Lege S. Aug. *lib.* 1. *de Civ.* c. 17. quos *Circumcelliones*, seu *Circuitores* appellant; & D. Thom 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. *passim* Auctores. Qui autem se occidit, qua ratione sit ab Ecclesiastica sepultura arcendus, dixi *supr. lib.* 1. *c.* 3 §. 7. *v. Sepulti in loco Sacro.* Adde Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 8. Fagundez *in* 5. *Decal. præc. c.* 11. 3. Solùm ergo hic sunt tria argumenta solvenda, ex quibus quædam ad praxim conducentia utiliter explicabuntur.

1. Primum argumentum: Possum, ut *lib.* 5. *c.* 1. §. 3. *n.* 35. dictum est, licitè mihi desiderare mortem ob bonum finem, v. g. ut vitæ huius ærumnas effugiam: Cur ergo non possum eandem mihi ob finem bonum inferre? Respondeo: Quia si mors desideretur, ut debito modo sequatur, nihil mali continet: At si illam quis sibi infert, cùm debitum modum excedat, multum continet mali; siquidem tunc usurpat potestatem in vitam, quam nullus habet, præter Deum. Quare sicuti possum cupere, ut propter bonum Reip. malefactores morte plectantur; sed non possum ego authoritate publica carnifici illis conferre, ita in casu nostro. Sic etiam potest licitè desiderari pollutio; ut in somnis, v. g. eveniat ob bonum sanitatis finem; sed procurari licitè nunquam potest, ut dicetur *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 2.

2. Argumentum secundum: Licet jejuniis, & carnis afflictationibus me macerare, etiamsi mea vita citiùs sic mihi sit finienda: sed id est directè mortem mihi non solum velle, verùm, etiam inferre: ergo saltem aliquando licet directè se ipsum interficere. Respondeo: Nego licere te sic macerare ex intentione citiùs moriendi; quia id, ex certissima sententia, esset directe se sensim occidere. At se iis afflictationibus moderatè afficere, ex intentione placendi Deo; licebit profectò; quamvis deinde per accidens secutura sit velocior mors. Id enim non est nisi indirectè morti sibi causam esse, quod in multis casibus licere, *mox* ostendam. Hinc ex omnium suffragiis, non tenetur quis vti cibis nisi ordinariis per se ordinatis ad vitam conservandam, non verò extraordinariis & delicatis, Vt etiam nec obligatur sumere extraordinaria, & magnis impensis conquisita medicamenta cùm satis sit medicinis vti communibus. Imò colligo ex Doctoribus. *mox* citandis, nec me obligari ipsos eosdem ordinarios cibos assumere, si quando valdè laborem in iis assumendis; quia cum tanto labore, nequaquam propria charitas obstringit. Ita etiam, tametsi possit quis ad vitam servandam vesci carnibus hominis iam occisi, (quidquid refragentur Val. *t* 3. *d.* 9. *q.* 3 *p.* 1. Azori. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 33. *q.* 4.) quia non apparet unde in tanta necessitate id sit prohibitum; & reipsa, illis ad multa medicamenta utuntur Medici tamen non obligatur, quia non tenetur tam extraordinario cibo, & tam repugnanti ipsi naturæ vitam producere. Ita Tol. *lib. de septem pecc. mor:* c. 60. Cajet 2. 2. *q.* 118. *art.* 2. Nau. *in summ. c.* 23. *n.* 122.

4. Dis autem (moderatè) si quis enim contra regulas prudentiæ indiscretè supra suas vires sese cruciaret: unde notabiliter sibi vitam breviorem redderet; peccati homicidij reus esset, quia sicuti alium, verbi gratiâ, infantem non potes occidere; ob bonum finem citiùs cum mittendi ad gloriam; sic nec te ipsum.

Neque opponas Carthusianos; vel in ipso periculo mortis. laudabiliter sive ex voto; sive ex pia consuetudine à carnibus abstinentes. Ita Fag. *lib.* 5. *in dec. cap.* 11. *n.* 19. & 20. citans Sayrum, aliosque; Azor. *p* 2. *c.* 3. *q.* 13. & 14. ne hos inquam, opponas? Nam pari modo affirmo cum Thom. Sanch *in consil.* 5. *cap.* 1. *dub.* 34. eos debere in periculo mortis carnes comedere, si alius aptus cibus non adest; ut si essent in deserto, ubi non nisi carnes haberi ex venatione possint. Verùm, quia regulariter alij sunt cibi, vel ex vitellis ovorum recentium, vel ex delicatis piscibus, vel ex similibus confecti, qui carnibus æquipolleant; ideo regulariter cum laude, tum in vita, tum in mortis articulo, ob mortificationis amorem à mensa repellunt. Scio. Ioan. Sanch. *d.* 3. *n.* 7. Gers. *tr. de temper. Carthus.* probabiliter sentire, etiamsi nulli alij sint cibi, atque adeò in necessitate extrema, posse, imò & teneri suum Votum (si tamen Votum est, ut esse sentit Less *lib.* 4. *cap.* 3. *d.* 2. *n.* 10. nam si sit mera regula, ut putat Gerson, *loc. cit.* & Thom. Sanch. *loc. cit.* 2. certum esset non teneri) à carnibus abstinendo custodire: quia sæpè licitum est ob iustam causam, (ut esset hîc, ob conservandam religiosam disciplinam, publicùmque bonum, ac fervorem suæ Religionis (non conservare vitam quod non est occidere se aiunt) directè; sed indirectè, verùm prior sententia mihi magis placet.

5. Argumentum tertium: Iustè damnatus ad mortem, potest in se exequi sententiam potest, v. g. sumere venenum, se vulnerare, sibi venam aperire, inijcere se in ignem, &c. Ergo licet aliquando se directè interficere.

Respondeo, distinguendo antecedens. Damnatus ea potest facere, si ea ipsi legitimè præcipiantur: concedo antecedens; nam sic constituitur Minister publicus suæ necis: ad quod quamvis Iudex non possit reum cogere, (nimis enim crudele est hominem suiipsius esse carnificem:) tamen; accedente consensu ipsius damnati, non est unde non possit. Ita Victoria, Arag. Cord. quibus favet Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 20. apud de Lugo, *tom* 1. *de justit. d.* 10 *sect.* 1. *n.* 11. quidquid aliqui dicant, cum de Lugo *loc. cit. num.* 12. neque enim tunc damnatus punit se ipsum tanquam Iudex; quod certè non potest, quia punitio cùm sit actus Iustitiæ vindicativæ, debet esse ad alterum; sed punit se ut constitutus Minister Iudicis punientis, quod est longè diversum, quodque fieri sanè potest, & solet: ut cùm ad præceptum Iudicis, vel Confessarij se quis spoliat bonis, se verberat, se in exilium confert, quod propriè est exequi punitionem; non verò propriè punire. At si ea non præcipiantur, nego antecedens: non enim tunc licet damnato exequi se ipsum suæ sententiam mortis, faciendo quæ directè mortem afferunt; quia cum non sit institutus minister publicus, se occidendi potestatem non habet.

Hinc licitè ad hunc locum mortis se confert, scalásque patibuli ascendit; quia ad hæc præcipitur saltem implicitè à Ministris: at illicitè à scalis se deiicit; quia ad hoc non præcipitur, cùm regulariter à Carnifice deiici soleat.

Pari modo licitè venenum, propinante Ministro aperto ore sumit, deglutítque; cibos non assumit, quando

est damnatus, ut fame pereat; collum ad ictum securis extendit: quia ad hæc facienda saltem implicitè, ut dictum est, regulariter præcipitur. Contra venenum ex se, vel ante tempus, quo propinatur, assumere; sese propria manu vulnerare; venam sibi aperire regulariter nequit: quia regulariter hæc non præcipiuntur, & ex alia parte, sunt actiones per se mortem afferentes; Laqueum collo sibi circumligare ideo permitto, quia est actio satis remota ad mortem: idémque decernito de similibus.

### §. II. *Indirecta sui occisio.*

1. TVnc se quis indirectè dicitur occidere, cum aliquid ponit vel omittit, quo posito, vel omisso, mors aliundè consequitur, v. g. Tabulam in naufragio tradis amico, vel occupantem relinquis; quo fit, ut ab vndis ipse absorbearis, & pereas. Certum autem est, aliquando licere hanc indirectam mortem sibi causare: Sed difficile est decernere, quandónam id liceat, ciúsque rationem afferre.

2. Sit ergo hæc Regula: Quoties adest causa iusta certò gravis, aliquid agendi, vel omittendi, quamvis ex illo per accidens sequatur mors; si tamen ego eam mortem non intendam, sed intendam dumtaxat finem bonum: toties licitè me gero, esto, mors mihi, imò & alteri consequatur. Quoties verò eiusmodi iusta causa non adest, vel mors per se sequitur, toties me gero illicitè. Ratio Regulæ, atque adeò doctrinæ est quia non semper obligamur ad cavenda ea, quæ per accidens eveniunt; & ex alia parte; causa iusta nos vrgere potest ad aliquid faciendum, vel omittendum, quamvis ad illud per accidens malum aliquod consequatur.

3. Video Regulam, sed quæ mihi non omnino satisfaciat: adhuc enim inquiro, quandònam ita esse, vel non esse dijudicem? Cùm autem id non possit alio modo decerni, quàm per prudentem virum, omnibus circunspectis; præsertim gravitate causæ, & cõiunctione vicina, vel remota actionis, vel omissionis cum morte; ideo alia maior explicatio addi non potest, nisi aliquorum casuum peculiarium | mentio, in quibus Doctores hanc indirectam cooperationem ad propriam mortem agnoscunt, & tamen eam concedunt: nam ex illis difficile negotium non erit similia decernere, Lege Val. *tom.3.d.5.q.8.p.2. ad.* 4. Less, *lib.2.c. 9.dub. 6.* aliosque *mox* citandos.

4. Primò igitur, potest quis ad oppidum iustè evertendum iniicere ignem in pulverem tormentarium: potest stationem non deserere: potest scalas ad mœnia obpidi admotas primus ascendere &c. quamvis prævideat se sic esse interimendum: quo pacto Eleazarus sub Elephanto oppressus fuit cum laude, & Samson sub tecto Philistæorum. Ita Dicastill *l.mox cit.* Ratio est, quia iusta causa boni publici, id est, Victoriæ, has actiones, ex se non malas; meritò concedit.

5. Secundò, quandò quis à Tiranno iniustè morti damnatus; potest, & quidem probabiliter per aliquos (nam in nostra sententia legatur *c.primum* §. 1. *n.* 5.) se alius offerre interficiendum, vt vitam damnato amico servet. Dicunt (iniustè:) nam si iustè damnetur, non potest, quia sic Iudicem volentem nonnisi iustè reum occidere, induceres ad te occidendum iniustè.

6. Tertiò. Iustè capite plectendus, carcerique inclusus, potest ob honestatem Iustitiæ, vel obedientiæ non fugere quamvis ei via pareat ad fugiendum. Et iustè damnatus, ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere. Imò malefactoribus licet se Iudici offerre interficiendos. Quòd si prædicti iniustè fuerint damnati, nisi aliud motivum adsit (ut affuit in sanctis Martyribus motivum fidei, & Religionis) tenentur fugere, & comedere, &c. quia tunc iusta causa non adest vitam prodigendi. An sive iustè, sive iniustè carceri mancipatus, obligetur servare Iuramentum de redeundo in carcerem; diximus *lib.3.cap.3.§.4.num.29.*

6 Quarto, pro bono communi potest quis exponere propriam vitam An verò etiam aliquando teneatur, dixi *superius, lib.5.c.1.§.1.*

7. Quinto, potest quis invisere, & servire peste infectis, vel simili morbo laborantibus; quamvis timeat suam infectionem; adeòque & mortem Ita Sà *v. Homo* Dicast. *l. mox cit. num.537.* Sive enim eorum vitam temporalem intendas (quod non esse improbabile, diximus *cap.1.§.1.num.5.*) sive eorum vitam spiritualem; semper ex honestate charitatis operaberis. An tenearis, *ibidem* diximus. Multò magis vxor cum suo probabili vitæ periculo, assistit cum laude marito peste infecto: Imò laudabiliter excusatur vxor, & amicus, qui assistit suis infectis peste, solùm ad amorem demonstrandum, quamvis eorum opera non sit ægris illis profutura, quia adhuc id honestum, & pium est. Ita Ioan. Sanch. *d. 6.num.7.*

8. Sextò: quando quis non potest vitare mortem acerbiorem, nisi se in aliud periculum alterius mortis minùs acerbæ immittat, poterit in hoc sese immittere. Ita Less. *l.2.c.9.dub.6.n.35.* v.g. ad vitandum incendium vel ferocem Leonem, vel invadentem inimicum, potest se quis proiicere è fenestra, quamvis moriturus: tunc enim malum apprehensum ut minus, potest maiori anteponi, atque adeò eligi. Hinc Lessius, *ibid.n.32.* tenet, militares nauales licitè ignem iniicere in pulverem sulphureum, & coniiciendo in mare, ne navis in hostium manus integra deveniat; quando id faciunt, ne acerbiorem mortem apud eosdem hostes patiantur. Addit, posse etiam id fieri ob finem boni publici; ne scilicet potentiores fiant iniusti hostes ex tam pingui præda. Approbans Dicast. *l 2.de iustit.r.1.q.10.d.17.n.537.* idémque *num. 538* affirmat de fodientibus Turrim, vel Mœnia, in Bello iusto, etiamsi sciant fore se opprimendos simul cum Hostibus His adde Fag. *tom.1.lib.5.in Decal.c.11.n.14.* aliosque apud Dian *p.6.tr.1.res.48.* Addo & ego, ne fiant animosiores ex parta victoria.

9. Septimo: Licet corpus macerare ob mortificationem vt modò diximus §.1.*n.3.*

10. Octauò: Non obligatur quis mutare locum habitationis ad salutem recuperandam: nec vti extraordinariis cibis, vel medicinis, ut *ibid.* diximus: nec ducere vxorem propter eandem salutem: nec patiens magnam sitim, tenetur quis potus abstinere, licèt aliquod damnum suæ saluti inferri, prævideat. Ita Ioan. Sanch. *l. 3. Dicast. l.c.n.532.* citans Victoriam, & Arag Ratio horum est, quia non tenemur, vt, *ibid.* vidimus, cum tanto rigore salutem conservare. Lege Fag. *lib.5. in dec c. 11. num.* 18. & 19. qui te non obligat ad vtendum vino, vel carnibus etiamsi Medicus dicat, se vitam cum illis amplius decem annis, quàm si vtaris aqua, & piscibus. De puella repellente Medicum, ne contrectetur in partibus inhonestis, dixi *superius, lib.5.c.1.§.4.n.25.*

11. Nonò: Ad vitanda gravia tormenta potest quis confiteri verum crimen, imò cum æquivocatione falsum sibi imponere; saltem si in damnum aliorum id non redundet eo modo, quo pluribus dicemus *infrà. lib.5. c.3.§.6.num.6.*

12. Denique exercere artem Funambuli, vel venenum sumere, vel vulnerari se finere, ut ostendat efficaciam sui remedij, quod statim quis adhibeat; inde licita sunt, quia periculum vitæ excusatur per sufficiens remedium moraliter certum. Ita Dicastill. *l.cit.n.543.*

### §. III. *De Mutilatione sui, Vbi de Eunucho.*

1. SIcut occidere, sic mutilare se nemo licite potest: quia perinde ac vitæ, sic & membrorum corporis nos Domini non sumus. Vnde inferunt rectè DD. *mox cit.* & communiter, nequè ex fine, vt à peccato fugias, posse in membris te ipsum offendere; v.g. oculos eruere, vt fœminas tibi ruinæ causas non aspicias; quia nõ corporis membrum, sed animi malitia causa peccati est.

2. Iusta tamen esse causa potest, quâ se quis mutilet, euitatio maioris mali, sive hoc ab extrinseco impendeat, sive ab intrinseco. Ita Malderus & Mendosa apud Dian. *p.5.tr.4.res.32.* Qua ratione, si Tyrannus tibi præcipiat, vt

manum abscindas, secùs te interficiet; potès tibi manum secare. Et, propter eandem rationem, alligatus potest manum, vel pedem abscindere, si secùs non possit se gravius malum a se prohibere, &, si rationabiliter timeat quis mori, nisi membrum, v. g. brachium venenatum, vel tabe infectum detruncet; potest sine culpa illud abscindere, vel poterunt alij ex ipsius consensu.

3. Quod si inquiras, An in his, & similibus casibus teneatis? Respondeo: si sit magnus futurus dolor in abscissione, non teneris; quia cum tanto incommodo non vrget charitas in tuam ipsammet vitam. Nam propter eandem rationem modò diximus, non obligari nos ut medicamentis magno pretio cõquisitis, & extraordinariis utamur, annósque protrahere. Quod aliqui addunt, teneri, quamvis magnos dolores pati, si tua vita sit admodum Reip. necessaria; saltem practicè non vrget, quia regulariter potes prudenter existimare, tibi morienti alterum non minùs aptum successurum. Ita Sayr. *lib.7. d.9. num.*8. alique.

*Eunuchus.*

4. Illud item est huius loci, An propter magnum bonum amputare aliquod ex membris liceat? Solétque esse quæstio de iis pueris qui, ut sonoram vocem retineant, solertis Medici manu, absque morali periculo mortis, Eunuchi fiunt: eo enim periculo existente, nequaquam licere, patet ex dictis. Vt etiam certum est, non licere Patri id in filio sine ipsius pleno consensu, attentare, quia Pater non est Dominus membrorum filij.

De illis igitur aio, esse probabile, quod liceat. Ita Salon. 1.2. *q.*65. *art* 1. *contr.* 2. Pasqual *decis.* 408. fusè id probat Tannerus *mox* citandus, qui cum aliam veriorem sententiam vocat, hanc non esse improbabilem indicat, ipso Diana nobis contrario fatente *p.*3. *tract.*5 *res.*38. *fine*. Esto probabile etiam sit, quod non liceat. Ita Tannerus 2. *disp.*4. *q.*8. *dub.*5. *n.*101. Diana aliis citatis *p.*3. *tract.*5. *res.*38. & *p.*6. *tr* 8 *res.*36. & *eadem parte, tr.*6. *res.*35. Ratio nostra (nam contrariorum, colligetur ex *mox* dicendis) est, quia iusta videtur esse causa, non deficere in Repub. imò in Ecclesia hos sonoros Cantores ad divinas laudes modulandas. Adde, eam abscissionem non ita notabiliter nocere ipsi individuo, ut resarciri, seu compensari non possit cum emolumentis vocis, & cum lucro quod spectatur ex illa.

Finge artem adesse afferentem vtilitatem, imò solùm splendorem Reip. quæ ars exerceri non possit nisi ab eo, qui careat uno dente, vel summitate minimi digiti; condemnarésne de peccato eum, qui sine morsu periculo majoris mali, damnum adeò modicum sibi inferret, ut illi arti vacaret? Ego certè non condemnarem, sicut nec condemnat Fag. *lib.*5. *in dec.c.*13. *n.*4. Neque obstat, hominem non esse Dominum suorum membrorum, non obstat, inquam causis enim justis existentibus, posse quempiam aliquod membrum amputare, jam omnes *n.*2. concedimus; & meritò, quia debuit Deus homini absoluto administratori suæ vitæ in justis causis, nec solum in malis ab extrinseco provenientibus, avertendis, eam libertatem non denegare. Neque item obstat periculum, quod in his Eunuchis timetur incontinentiæ, non obstet, inquam: quia sic condemnares etiam Castitatem perpetuam voventes.

5. Quæret curiosus: An hic permittens testiculos sibi abscindi, sit irregularis? Respondeo: esse docent, Sayr. Mol. Suar. cit. à Diana *p* 10. *tract.*13. *res.*11. sed non esse, est etiam cum Castro Pal. *tom* 6. *d.*6. *p.* 12. *numer.*4. probabile. Rationem idem affert: quia, inquit, hic non fecit ex indignatione, aut iusto, vel injusto timore perdendæ castitatis, prout requiritur ad irregularitatem hanc à sacris Canonibus. Præterea nullus textus hanc pœnam indicens, loquitur de eo, qui sibi testiculos abscidit; sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diversum est.

§. IV. *De Abortu.*

1. ABortus pertinet ad damnum propriæ personæ; nam propterea de eo hìc breviter agemus. Duplici autem procurari modo ille potest. Ex Sanchez *de matr. d.* 10. *lib.*9. Graff. *part.*1. *lib.*2. *cap.*8. *n.*3. Castr. Pal. *d.*3. *de matrim. part.*4. §. 3. *num.*13. multa de abortu habet Dicastill. *lib.*2. *de iust. tr.*1. *d.*10. *d.*13. Primò indirectè, ut si prægnans sumat pharmacum tendens directè ad sanitatem, licet per accidens inferat mortem fœtui sive animato, sive inanimato; & hunc abortum in directum procurare ex proportionata causa, licitè potest tum ipsa prægnans, tum alij. Nam propterea tunc fœmina ægrotans potest sanguinem emittere, debita inedia vti, potiones medicatas, ad pravos humores expellendos ordinatas sumere, &c. Ratio est, quia sic, propter illam necessitatem, Abortus censetur solùm permissus, non verò intentus; cùm Mater suo jure vtatur sanitatem conquirendi. Quando medicamenta æquè tendunt in salutem Matris, & in mortem fœtus, posse ea applicari infirmæ prægnanti; si salus infirmæ est desperata; docet probabiliter Sanch. *l.c.n.*19. etiamsi dubium sit, an vitam matri allatura sint. Ratio est, quia secùs, periret certò Mater, & consequenter fœtus: At per illa medicamenta fortè vterque liberabitur à morte.

2. Secundò directè; ut si Medicus præciperet ebibendam potionem, directè habentem pro sua vi, fœtum interimere, vel conceptionem impedire. Et quia certum est ex Sanchez, Vasq. Pont. cum Castro Pal. *loc.c. n.*9. tunc esse mortale: illam absolutè sumere, vel propinare; quia sic vel occiditur per se innocens, si fœtus est animatus; vel si nondum est informatus animas, contra finem naturæ impeditur generatio: tamen adhuc dubitatur, an aliquando liceat, quando nimirum, ni ita fiat, periculum vitæ subit Mater.

*Fœtus animatus.*

3. Dico primò. Si constet fœtum esse animatum, vel dubitetur, an animatus sit; nunquam licet. Ita Doctores citati, & citandi. Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: malum autem intrinsecè est, occidere innocentem. Fœtum masculinum animari potest quadraginta dies, fœmininum post octoginta, & in dubio conferi, quoad nostrum casum fœmininum, ut quo minùs potest aggravetur delinquens, diximus *lib.*1. *cap.*3. §. 7. *v. irregularitas, n.*2.

*Fœtus inanimatus.*

4. Dico secundo; Si fœtus est sine anima, aliqui affirmant in tanta Matris necessitate, licere. Ita Sanchez Graff. *l.c.* Sà. *v. Homicidium*, Laym. *lib.*3 *sect.*5. *t.*3. *p.*3. *cap.*4. *num.* 4. aliique apud Dian. *part.*3. *tract.*5. *resol.*11. Aliqui negant. Ita Filliuc. *tr.*29. *c.*6. Less. *lib.*2. *c.*9. *num.*61. & 62. aliique apud eundem Dianam. Vtrumque probabile. Ratio posteriorum potissima, ducitur ab inconvenienti: nam si id liceret, licitum etiam esset, propter sanitatem directè procurare pollutionem; quod nemo dixit. Ratio priorum est, quia tunc fœtus est aggressor contra Matris vitam: & sicuti pravi humores possunt depelli, quia invadunt vitam; ita & ille fœtus, qui nunc instar humoris pravi est. Ad illud de pollutione, esse potest disparitas propter periculum apertissimum incontinentiæ, si ejusmodi licentia indulgeatur; & quia si ea pollutio permitteretur, impediretur vsus conjugalis, contentis jam hominibus illa voluptate pollutionis licitè percepta, quæ inconvenientia non inveniuntur in casu nostro.

*An licitus sit abortus, ne adultera occidatur?*

5. Ex dictis consurgit gravis difficultas: An quem admodum ad servandam Matris infirmæ vitam, pro

babiliter licere diximus dirigere medicamenta directè ad fœtum inanimatum propellendum tendentia ; ita idem liceat: Primò, ad servandam famam, seu honorem, & consequenter vitam puellæ, vel Monialis prægnantis ex adulterio, vel sacrilegio ? Secundò, ad evitandum periculum illius mortis, quod aliàs experta puella est in parturiendo ? Inanimatum dixi; nam ad animatum nunquam licere, *num.* 3. iam docuimus.

6. Dico iam tertiò : licet Torrebl. Bordonus. Lezana, Trull. Apud Dianam, *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 11. & *p.* 6. *tr.* 8. *res.* 37. eodémque teste quidam doctissimus ex Soc. Iesus, concedant, ut probabile: Communis tamen sententia DD. apud eundem meritò in vtroque casu negat; Imò audio (ait Diana, *d. p.* 6. *tr.* 8. *res.* 37.) affirmativam sententiam fuisse damnatam in Congregatione S. Officij. Ratio est, quia periculum est distans, aliisque modis vitari potest; & fœtus non est aggressor. Adde periculum evidentissimum aperiendi viam ad multa incommoda, cum gravi Reipubl. pernicie ; si hæc licentia concedatur.

*Pœna, & absolutio abortus.*

7. Quando fœtus est animatus, præter alias pœnas temporales incurritur irregularitas, & excommunicatio latæ sententiæ, à provocantibus abortum, hoc est, à tradentibus, vel consulentibus, vel cooperantibus, vel iuvantibus ad abortum. Ab ipsis accipientibus potionem, vt abortiant, negat Naldus apud Bordonum *mox* citandum, cui assentitur idem *num.* 3. *contr.* 41. *num.* 6. & Ioannes de Lugo *in Resp. lib.* 2. *d.* 4. validè propendet non valde incurri excommunicationem : quia de illis in Textu non est, quoad excommunicationem, expressa mentio: verùm incurri contendit Dicastillus, *lib.* 2. *de iust. tr.* 1. *d.* 10. *d.* 13. *n.* 179. cùm Bonacina, *de rest. d.* 2. *quæst. vlt. sect.* 1. *punct.* 7. *n.* 6. vtrumque probabile.

Quando autem fœtus non est animatus, nulla irregularitas, nulláque excommunicatio incurritur. Sic Bonac. *ibid.* Quod si anceps sis, fuerit nécne animatus; quamvis peccatum sit eius abortum procurare, ut notat signatè Sanchez *de matr. lib.* 9. *d.* 20. *n.* 7. tamen non incurri irregularitatem, nec excommunicationem dixi *suprà, lib.* 1. *c.* 3. §. 7. *v. Casus, & censura reserv. num.* 1. & *v. irregularitas num.* 2.

8. An autem excommunicatio hæc sit reservata, dubitat nonnemo. Sed certè per Sixtum V. erat reservata, nunc per Gregor. XIV. sic eiusmodi rigor est temperatus: *A peccato* ( inquit Gregorius XIV. Sedes Apostolica *n.* 2.) *Et ab excommunicatione quilibet Presbyter tam sæcularis, quam cuiuscvis Ordinis Regularis, ad Fidelium Confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam, in foro conscientiæ tamtùm absolvendi habeat facultatem.* Hæc Pontifex. Vbi nota, quamvis hodie non sit hæc excommunicatio Summo Pontifici reservata ; tamen neminem posse ab illa absolvere, nisi (Ita Sylvius, quem sequitur, citatque Bassæus, *in Flor. v. Abortus.*) specialiter ab Episcopo deputetur. Episcopo, inquam; nam propterea non est admittenda sententia asserens posse Confessarium Regularem, deputatum à suo Provinciali ad illam absolvendam; non est, inquam admittenda ? siquidem Pontifex non solùm disponit, hunc Confessarium deputandum esse ab Ordinario, sed ab Ordinario loci. Qualis certè nunquam est Provincialis.

Notat autem Bauci, *in sel. q.* 48. *Petes* 6. satis esse, si quis habeat ab Espicopo facultatem absolvendi ab omni casu, & censura tali Episcopo reservatis, nec esse necesse Episcopum dare facultatem ad abortum specialiter absolvendum, ut ego meminisse me notasse *lib.* 3. *meth. Confess. cap.* 7. *num.* 8.

9. Censeo tamen à Regularibus Mendicantibus, eorúmque Privilegium participantibus, ex duplici alio capite posse illam absolvi. Primò, si ij habeant privilegium vniversale absolvendi ab omni censura Episcopo reservata. Secundò, si habeant simile privilegium absolvendi ab omnibus casibus Pontificiis, quamvis solum extra Bullam Cœnæ. Ratio est, quia in vtroque casu iam essent sufficienter deputati. Lege Bonacin. *l.* 9. *de censuris, disp.* 2. *part.* 10. *num.* 16. apud eundem Bassæum *ibid. fin.* Ab irregularitate ex abortu occulto, non posse Episcopum dispensare, docet Sperellus, *part.* 2. *dec.* 112. *num.* 62. ex constitutione Sixti V. non moderata in hoc à Gregor. XIV. An autem hæc duo privilegia Religiosi habeant; *lib.* 3. *opusc. Methodi Confess. cap.* 7. §. 4. definivimus.

## CAPUT III.

### *De Homicidio iniusto Proximi.*

#### §. I. *De Homicicidio voluntario, & præsertim, de casuali.*

1. HOmicidium aliud esse voluntarium, hoc est, voluntum, seu intentum, sive in se, sive in causa; aliud esse casuale, præter intentionem agentis, notum est omnibus. Homicidium autem voluntarium innocentis est mortale, ac inducere irregularitatem ex delicto ; nimis item est omnibus exploratum. De casuali ergo solùm hîc remanent aliqua notatu digna. Pro quo.

2. Adverto secundò, effectum ex causa dupliciter sequi posse: Primò semper, aut plerumque; ut mors ex veneni potu, vel gravi vulnere in capite, vel simili mêbro periculoso: Secundò rarò, & in paucis, ut ex iactu bombardæ contractio ipsius, & circunstantium interimat, iam, quoties effectus est præter intentionem, sive sit primo modo, sive secundo, dicitur à Doctoribus casualis. Sic Tolet. *lib.* 1. *c.* 71. §. *alterum membrorum :* ita tamen, ut si rarò, dicatur casualis strictè: si plerumque, vel semper dicatur minùs strictè, & minùs propriè casualis ; sed tamen absolutè casualis, modò sit præter intentionem. Nam propterea S. Thomas 2. 2. *quæst. art.* 8. *ad.* 2. mortuum pueri ex eo, quòd mater prægnans percussa fuerit, sine intentione occisionis, casualem appellet : cùm tamen, vt idem *ibidem* affirmat, ut plurimùm ex percussione prægnantis sequatur infantis interitus. Ad statuendum ergo, quando homicidium directum, de quo hîc loquimur (nam de indirecto *mox.* §. 3.) sit voluntarium, quando casuale; cósideranda est agentis intentio, vt quando effectus est intêtus, vel prævisio in sua causa, licèt rarò sequi soleat, dicatur voluntarium; vt si quis pulsans campanam intendat, vel prævideat, vt malleus decidens occidat hominem, quamvis id rarissimum sit. Contrà verò, si quis aliquem percutiat gravi vulnere, sine intentione, ut mors sequatur, & nesciens ex ea percussione mortem secutura si ea sequatur erit homicidium casuale & quidem vtrobique mortale ; sed gravius, quando ex tali percussione frequentiùs sequitur mors, minùs grave, quandò rarò.

3. Dantur autem ad meliùs dignoscendum quatuor Regulæ ex Tolet. *lib.* 5. *cap.* 7. Prima, pro actione licita. Secunda, pro illicita. Tertia, & Quarta, pro omissione: quæ sunt etiam vniversales Regulæ pro quocunque alio damno dato, ad effectum obligandi, vel non obligandi damnificantem ad restitutionē damni illati: quod hîc noto, ne cùm de radice restitutionis ex damnificatione disputabo, eadem repetere cogar. Sed iam singulas breviter explicemus.

*Prima Regula.*

*Dans operam rei licitæ.*

4. Dante te operam rei licitæ, si mors alterius sequatur ex illa actione licita, præter intentionem tamen tuam, quando nulla affuit culpabilis negligentia in evitanda alterius morte, nullum est peccatum. Quando autem affuit negligentia levis, est peccatum veniale: quando

quando gravis, est mortale. Ex sufficiente ergo diligentia, vel non sufficienti, dependet peccatum homicidij, licita, vel non, actioni licitæ vacas. Exemplum esse solet de Fabro, qui lapides iacit de alto; vel de eo, qui sagittam emittit volens occidere feram: si enim sequatur mors hominis adhibita sufficienti diligentia, clamando, verbi gratia circumspiciendo, &c. vel inculpabiliter non advertendo, nullum est peccatum: si verò aliqua levis negligentia intercurrerit, erit veniale: si negligentia gravis, erit mortale. Simile quid debes asserere de accendente ignem prope segetes, &c. Tolet. *ibidem* affert exemplum Matris dormientis cum parvulo infante unde infans opprimatur. Verùm, cùm hæc actio prosit per frequens periculum suffocationis sit, illicita, potiùs ad sequentem secundam regulam pertinet, quàm ad præsentem.

*Secunda Regula.*

*Dans operam rei illicitæ.*

4. Dante te operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem sequitur homicidium, aut damnum; non solùm expendenda est negligentia, vel diligentia in evitanda morte, seu damno: verùm etiam, an actio ipsa in se sit periculosa. Nam si actio ex se periculosa est, etiamsi adhibeas diligentiam, ne mors, vel damnum sequatur; peccatum homicidij, vel injustitiæ non effugies, si de periculo saltem subdubites: tunc enim in illa actione periculosa, tacitè consentis ad damnum. Vt si, verbi gratia, pugnes cum altero, non quidem animo occidendi, sed tamen occidas. Adhibita enim diligentiâ, ut non occidas, adhuc peccas mortaliter peccato homicidij casuali, si pugna sit ex se gravis, & periculosa; venialiter autem, si pugna sit levis. Contrà, si quis se inebriet, quamvis illicitè agat contra Temperantiam, & quamvis, si sciverit se in ebrietate furere, & sufficienter sibi non providerit, sit homicidij, vel damni reus, si aliquem occidat; vel segetem comburat: tamen, si nesciebat se in furorem abiturum, vel si sciebat, adhibuit diligentiam ne moraliter damnum posset contingere, ut si domi clave inclusus manesset, reus non erit damni: quia ebrietas ex se periculosa non est ad causandum homicidium, vel damnum combustionis segetis: sicuti est actio pugnandi, vel ignem temerè accendendi. Simili modo adulter, qui diligentiam congruam adhibet, ne adultera occidatur, providendo, ut occultetur delictum, &c. non committit peccatum homicidij, si sequatur mors adulteræ: quia adulterij actio est illicita quidem contra temperantiam, non verò ex causa in genere homicidij; & ut supponimus, sufficiens diligentia adhibita fuit, ad illud evitandum.

6. Ex homicidio autem casuali nunquam incurritur irregularitas, nisi vel quando adest negligentia in evitanda morte, & ea negligentia gravis est, & mortale peccatum; vel quando quamvis adsit diligentia sufficiens, actio tamen est ex se periculosa, ex qua sequatur mors. Lege Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 50. num. 3. & 4.* (Adde omnino Coninch. *d. 18. de censuris 4. 9. num. 80.* & Dianam *part. 2. tract. 16. resol. 14.*) qui etiam docet, esse probabile, ut nemo se in conscientiæ foro censeat irregularem ex delicto, nisi delictum sit mortale.

7. Hæc irregularitas ex casuali homicidio contracta, cùm non sit perfectè voluntaria, hoc est, non sit ex intentione occidendi, seu ut loquitur Tridentinum *sess. 24. de ref. cap. 7.* ex proposito; potest, si occulta sit, absolvi, seu tolli ab Episcopo: dispensationem enim irregularitatis ex homicidio intento, quamvis hoc occultum fuerit, idem Tridentinum negat Episcopis.

*Tertia Regula.*

*Omittens, seu non prohibens quod quis debet ex justitia.*

8. Omittens aliquid, ad quod tenebatur quis ex justitia, si ex ea omissione sequatur mors, vel damnum alterius, tantum peccat, quanta est omissionis malitia. Quare, si Princeps, qui officio tenetur latrones coërcere, id negligat, unde viatores occidantur, vel spolientur: Si Iustitiæ Ministri non custodiant Civitatem, unde de nocte furta, & homicidia patrentur: Si dux exercitus, cùm possit, Milites non coërceat; unde iujustè aliqui occidantur: imputabitur illis ad mortale contra justitiam, vel veniale juxta gravitatem, levitatémque omissionis, seu negligentiæ. Ita Navarr. Mol. Avila apud Dicastillum. *lib. 4. tom. 1. de just. d. 10. d. 14. num. 200.* Ad quam gravitatem, vel levitatem cognoscendam, tria à prudenti viro sunt expendenda: Officium, quo quis fungitur: Pericula majora, vel minora, quæ moraliter vrgente: vel non vrgent: Potentia, quam quis habet, ut eviteutur homicidia, vel proximi damna.

Superiùs item *lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Depositum* per aliam occasionem advertimus, negligentiam ejusdem gradus, quæ in rebus non magni momenti est peccatum leve: esse culpam mortalem in rebus majoris ponderis.

9. Huc pertinet, si quis occidatur ex notabili culpa Domini nutrientis animalia periculosa, & ea non custodientis; de qua re pluribus non multò pòst *cap. 4. §. 2. à num. 9.* Huc, si quis innocens condemnetur ad mortem, ex gravi injuria Aduocati. Huc si quis infirmus moriatur ex notabili negligentia Medici. Huc ij omnes, in quibus adest obligatio ex justitia, vel quasi Iustitia. Nam propterea Layman. *l. c. cap. 4. num. 8.* cum Rodr. & Avila, idem putat esse sentiendum de liberis comparatione parentum, & contrà: cùm inter illos non solùm intercedat vinculum charitatis, sed quasi justitiæ obligatio naturalis: Quare si mulier manifestet fornicatio Patri propositum procurandi abortum, prole jam animata; & pater non impediat, si possit; irregularis fiet ex Layman citato: quia obligatur impedire ex quasi justitia, licet neget Lessius. *l. 2. capit. 9. num. 94.* quod vtrumque esse probabile, docet Dicastillus *loc. cit. num. 220.*

*Quarta Regula.*

*Omittens, seu non prohibens quod quis debet ex Charitate.*

10. Omittens aliquid agere, ad quod ex Charitate quis tenebatur, si ex hac omissione sequatur, seu sequi mors, vel damnum probabiliter poterat; peccat juxta gravitatem omissionis, modo dicto *num. 8.* Talis esset is qui cùm posset non succurreret extrema necessitate laboranti: unde si mors sequatur, erit homicida. Talis item si quis non revelet, cùm possit, insidias alteri paratas, unde sequatur ejus occisio, Talis (ex Layman *loco citato* licet refrágetur Suarez, *tom. 5. d. 45. sect. 4. num. 3.* adde Layman. *l. cap.*) qui hominis occisionem impedire volentem, maligna dissuasione, ab hoc opere Charitatis avertit.

11. Discrimen autem, quod intercedit inter omittentem actionem debitam ex Iustitia, de quo in Regula præcedenti; & omittentem actionem debitam solùm ex Charitate, de quo hîc agimus, est valde notabile. Licèt enim ex vtraque omissione, si sequatur occisio, homicidium tibi imputetur, tamen, quando teneris non omittere ex sola Charitate, non obligaris ad restitutionem damnorum, quæ ex illo homicidio, seu actione etiam mortaliter peccaminosa, proveniunt. Ita Gaspar. Hurtad. *d. 2. de irreg. diff. 6. num. 22.* Turr *de cens. lib. 9. d. 63. num. 4.* ex Vas. *part. 2. c. 100. num. 4.*

contra

contra Suarium, Avil. Dianam cit. à de Lug. mox citand. nec incurris ullam irregularitatem, si homicidium non intendisti; cùm utriusque sis reus, si per peccatum mortale omittas, quando teneris ex justitia (cur id addo vide mox *cap.* 4. §. 1. *num.* 6. & de Lugo *tom.* 1. *de Just. d.* 6. *sect.* 7. *num.* 94. Dicast. *l. c. num.* 194.) Ratio dictæ doctrinæ est, quia homicidium propriè peccatum est oppositum justitiæ; quare quando non est contra Iustitiam, non potest secum ducere pœnam, quæ debeatur ex justitia, qualis est pœna restitutionis; nec irregularitatem, quæ cùm sit odiosa, solùm intelligitur imposita propriè dicto injusto homicidio.

Et rectè Henriquez *de irreg. cap.* 3. *num.* ... *in gloss. lit. X.* dicit circa irregularitatem ex delicto Homicidij voluntarij, culpam debere esse contra justitiam; idemque censendum esse de irregularitate ex dicto delicto, ac de obligatione restitutionis debitæ ex delicto.

Quando autem hoc homicidium dicendum sit ex proposito, quando casuale; ut videatur, an Episcopus possit ejus irregularitatem dispensare, si sit occultum: potest colligi ex dictis *num.* 2. sed distinctiùs vide apud Castro Palaum *tom.* 6. *d.* 6. *p.* 15. *num.* 6. & apud Dian. *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 20.

## §. II. *Praxis, quâ explicari homicidium injustum oporteat in Confessione.*

1. PRæsidebat Illûstriss. D. Ioan. Torrisiglia Archiepiscopus Montis Regalis examini eorum, qui Sacris initiari postulabant; aderántque de more, Examinatores, inter quos ego minimus assidebam. Semel cum cæteris sese examini obtulit Diaconus, quidam non multæ ætatis, utpotè paucis ante diebus aptos ad Sacerdotium annos assecutus; qui, ut à me interrogatus fuit, Ecclesiæ facultati operam navaverit, respondit: Sacræ Theologiæ, ac præsertim casibus conscientiæ. Hæsi ad illam expressam, nominatámque casuum mentionem: atque ut quantum reipsa adolescens in ea disciplina profecerit, explorarem, dixi: Qua igitur ratione te gereres, si ad te inter Confessarios jam adscriptum pœnitens accederet: qui hominem se occidisse fateretur? Respondit. Certè laudare eos Confessarios non possum, qui unicam dumtaxat hujus præsertim criminis delationem in tanto tribunali sufficere, minùs prudenter putant. Quinque enim interrogationes sunt superaddendæ, nisi si quando ex circumstantiis, qualitate personæ, temporis, loci, vel similium aliqua ex illis quia res sit explorata Confessario: prætermittenda videatur.

2. Prima est de circumstantia personæ pœnitentis nimirum an sit Clericus, an Sacerdos; ut nimirum, qua ratione in irregularitatem inciderit, & an in irregularitate Sacrificium celebraverit, quod fuisset novum peccatum, innotescat,

3. Secunda, de circumstantia personæ, quæ interempta est. In qua sunt distinguenda quinque genera personarum, quæ speciatim sunt Sacerdoti aperienda. Primum est ratione conjunctionis, ut si Pater, Mater, Uxor, Filius, vel alij notabiliter conjuncti, occisi fuerint; nunc enim homicidium non solùm peccatum esset contra justitiam, sed etiam adversùs pietatem Parentibus debitam. Lege nostrum opusc. Met. Conf. *lib.* 2. *c.* 5. §. 1. & 2. & *in edit. Panormit. anno* 1649. *ibid.* §. 7. *num.* 48. Secundum, ratione status, ut sit Clericus, vel Monachus: est enim ejusmodi homicidium in specie sacrilegij contra Religionem; & incurritur excommunicatio, Pontifici Summo reservata in *c. Si quis suadente.* Tertium, ratione dignitatis, ut si sit Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha Cardinalis, Legatus Sedis Apostolicæ, vel Nuntius; est enim adjuncta excommunicatio reservata in Bulla Cœnæ. Quartum ratione peculiaris qualitatis quarundam personarum, quales sunt illæ, quæ adducunt victualia ad usum Romanæ Curiæ; quæ ad eandem Curiam accedunt, vel recedunt ab illa, vel in illa morantur: quæque ad eandem recurrunt ob lites & negotia: est enim illis excommunicatio reservata in Bulla Cœnæ contra omnes interficientes, mutilantes, percutientes, &c. cujusmodi personas. Quintum, ratione damni ex occisione forte secuti: quæ pacto occidens servum alterius id agnoscere nominatim debet; quia adest simul peccatum & obligatio damni, obnoxium restitutioni pecuniæ æquivalentis. Sic etiam occidens Patrem familias, tenetur saltem facere pro damno secuto familiæ ex morte Patris, & familia.

4. Tertia interrogatio est de loco, de quo in summa satis est innuere committi sacrilegium, & præsertim pollui Ecclesiam, si in illa cum ejus injuria aliquis occidatur; vel in notabili quantitate, vulnerati alicujus sanguis effundatur. Legi, etiam potest Vilant. *decis. num.* 38. qui probat hoc sacrilegium non subdi excommunicationi latæ, sed ferendæ, quæ ferri non debet, in homicida dignam peraget pœnitentiam. Non putamen Ecclesiam pollui, nec consequenter sacrilegium committi. Primò, si à puero non habente usum rationis, vel ab amente aliquis occidatur. Secundò si solùm vulneretur, sanguis autem nec effluat in aliqua quantitate, quando vulneratus est in Ecclesia; nec postea ex vulnere inflicto, quando exivit ab Ecclesia. Tertiò, si quis alterum occidat in Ecclesia ad sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Verùm hæc & similia, bene viter, & cordate Eminentissimus ( magisne in sapientia an in purpura? Ioannes de Lugo colligit *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *à n.* 52.

5. Quarta interrogatio est de auxiliis ad occasionem assumptis; sunt enim explicandi socij, cum quibus forte alium quis occidit, vel percussit: si enim alios ea vocavit, tot peccata commisit, quot invitavit personas quibus causa fuit & scandalum, ut & ipsi ad homicidium concurrerent, modo & numero, qui explicari solent *tract. de scandalo*

6. Quintò denique, interrogandum est de duratione temporis hoc enim explicari omnino oportet, ut dignoscatur numerus peccatorum, atque actuum multiplicatorum ex mala illa voluntate habituali occidendi. Si quis enim improviso hominem deliberatè necavit, unum numero peccatum commisit: at si mediatè, & per multum tempus inimicum occidere tentaverit; multiplicabitur numerus peccatorum. De multiplicatione, cujus explicatio perdifficilis non mihi solùm, sed Doctoribus semper visa fuit; agitur *in opusculo Methodi Confessionis, lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. *& deinceps*, & ita quidem perspicuè & expeditè, ut ad praxim nihil supra. Atque hæc de proposita dubitatione, pro mea tenuitate, hactenus satis.

7. Sic dum disputaret adolescens, mira voluptate mentes admovebamus omnes; præter scientiam enim veterani Theologi, non tyronis, erat habitu corporis venusto, modestiámque, & gratiam non vulgarem in loquendo præferebat. Quare se cohibere non potuit alioqui gravis, & sermone parcus Archiepiscopus, quin exclamaret: Macte litteris, & virtute, nunquam satis laudate Iuvenis: Utinam Diœcesis nostra tui non abilmiles nanciscì plurimos posset. Equidem illum ex animo spondeo, si quod pingue beneficium, vel etiam quælibet ex primariis Dignitatibus, quarum nominatio, vel collatio ad me pertinet, unquam vacet: nemi nem à me tibi esse præferendum. Erubuit ingenuo pudore candidus adolescens, gratias appositè egit, à nostro confessu cum plausu recessit, ac Sacerdotio omnium primus, ( sic jubente Archiepiscopo ) insignitus est postero die. Verùm ( ut miseranda est hominum conditio ) nequaquam parem fortunam postea sortitus est novellus Sacerdos: siquidem paucis interjectis mensibus ( heu ! ) Archiepiscopus extremo fato, collacrymantibus omnibus, sublatus est: meóque præsertim tanto doloris sensu, ut, cum ejus mortis memoria, mori & volo nunc orationem meam: nam propterea tantisper oro, Lector, sileamus.

§ III.

§. III. *Qua pœnitentia imponenda iniusto homicidæ in Sacramento confessionis.*

De hac Paulus Comitolus *in resp. Moral lib. 4. quæst. 11. num. 8.* in hanc sententiam scribit : *Homicidii pœnitentia salutaris, esset, veniam petere ab illis propinquis, iisdem omnia damna resarcire, pro animis eorum per annum tria præstare : singulis hebdomadis unam Missam curare celebrandam; Aliquam eleemosynam pauperibus erogare, Litanias, contra homicidia facultates pauperibus erogare, Litanias, Rosarium Virginis percurrere. Præterea per eundem annum semel in hebdomada confiteri, semel in mense communicare, & semper tota vita quotidie unum Patet, & Angelicus flexis pro eadem anima occisi recitare.* Hæc Comitolus, quæ satis sit Confessoribus proposuisse, ut in his in casibus particularibus minuant, augeántve eas, iuxta conditiones personæ pœnitentis, aliarúmque circumstantiarum, cum ea prudentia, quam breviter *in mea Methodo Confessionis, lib. 4. cap. 3. & 4.* expendo.

## Caput IV.

### *De Obligatione Restitutionis Homicidio.*

§. I. *De Obligatione Restitutionis ex Homicidio indirecto.*

1. Damnum alteri ex quacunque actione, atque adeò ex occisione provenire, vel directè positivè, vel indirectè, seu per accidens. Ne longum faciam, intellige id exemplo : Ioannes secerem Petri per culpam mortalem comburit. Sanè is damnum Petrò directè fecit; atque eum ad Restitutionem Petro teneri de toto damno, nullus ignorat. At si fortè Franciſco innocenti imputetur earum segetum combustio : unde Franciſcus intrudatur in carcerem, spolietur suis bonis, condemnetur ad Triremes, &c. hoc damnum dicitur indirectum, & per accidens respectu Ioannis, licet ergo in occisione. Si enim Ioannes iniustè occidat Petrum, damnum Petro directè facit, & ad restituenda omnia damna Petro obvenientia obligabitur; de qua obligatione agam *mox.* §. 2. Ioannes, ut dictum est, occidat Petrum, sed deinde Franciſcus est eiusmodi occisione infamatur, & solvat pœnas : hæc solutio pœnæ est in directa respectu Ioannis, & in §. *præsenti* quærimus, an Ioannes obligetur hoc indirectum damnum resarcire?

2. Et quidem certum mihi est, Ioannem debere compensare Franciſco, vel eius hæredibus ea, quæ ipse Franciſcus coactus fortè fuit à Iudice tradere Petro directè damnificato, ea inquam, quæ recompensabant damnum directum, ipsi Petro illatum. Ita de Lugo *tom. 1. de iust. d. 8. sect. 6 num. 84.* Rebellius *p. 1. lib. 3. cap. 11. num. 15.* citans Cordub. Sotum, aliósque. Ratio est manifesta, quia Ioannes damnificans tenetur seruare æqualitatem cum ipso Petro, cui directè damnum intulit. Ergo cùm Petrus à Franciſco habuerit sum, & Ioannes, vt certum est, per hoc non absolvatur ab obligatione resarciendi damnum; quod fecit consequens est, vt Franciſco vices Petri nunc subeunti reddat. Nisi fortè Petrus restituat Franciſco id, quod coactus à Iudice Franciſcus ipsi Petro tradidit; nam tunc Ioannem Petro debere reddere, nimis est clarum.

3. Redeo ad quæstionem propositam : Triplici modo se habere potest Ioannes indirectè damnificans se, occidens alium. Primò, ita ut non prævideat illud delictum esse alteri, v. g. Franciſco imputandum. Secundo, ut prævideat, sed non intendat. Tertiò, vt prævideat, & intendat.

Assero probabile, & tutum esse, regulariter loquendo, non teneri quempiam ad restituendum damnum eiusmodi secutum indirectè, quocunque ex his tribus modis res contingat; atque adeò dictum Ioannem ad nihil obligari. Ratio huius nostræ sententiæ; quam impugnat de Lugo, *l. c. sect. 6. num. 80.* sequens Molinam *tom. 4. tract. 3. d. 86. num. 4.* Rebel. *l. c.* sed sequitur Lessius *lib 2. cap. 9. disp. 16. num. 113.* est : quia damnificatio tunc solùm est radix obligationi restituendi : quando est causa externa physica, vel moralis damni consecuti, ut patet in aliis obligationibus. Sed in casibus dictis damnificatio, seu occisio non est causa physica, ut certum est? quia nullum concursum, seu influxũ physicum exercet occisio Petri, quem commisit Ioannes, in imputatione Franciſci : Nec moralis, quis enim dicat, quod ideo imputetur damnificatio ipsi Franciſco : quia illam fecit Ioannes; Ergo, &c. Iudex igitur solùm capit occasionem imputandi occisionem Franciſco ex occisione facta à Ioanne; non autem Ioannes dat causam. Quare etiamsi Ioannes damnum Franciſci prævideat, vel etiam intendat; vnde & peccet contra charitatem : tamen quia hæc prævisio, & intentio non facit ipsam actionem exernam iniustam nisi alias ex natura sua sit causa saltem moralis iniust damni; non potest inde colligi onus restituendi, quod solùm sequitur ad iniustam causam externam damni.

4. Dixi autem ( regulariter loquendo ) : quia interdum ex circumstantiis damnificatio est talis, ut influat moraliter ad imputationem; & tunc sanè erit obligatio restitutionis. Vt si comburens, v. g. segetes Petri, vel Petrum occidens vtatur famulis, vel gladio alterius tertij. v. g. Franciſci, ipso Franciſco invito; ex quo desumatur indicium, quod Franciſcus damnum, vel mortem intulerit. Tunc enim ea damnificatio est causa physica damni Petri; sed moralis damni Franciſci.

Ad dignoscendum autem, an adsit eiusmodi moralis influxus, illa est Regula, ut videatur : An ex tali damnificatione iuncta cum suis circumstantiis sequatur, ut plurimùm imputatio, vel damnum tertij, si enim ut plurimùm; signum erit moralis influxus. Lege Lessium citatum.

5. Ex dictis sequitur, eum; qui furatur Thesaurum avaro, unde avarus mœrore confectus moriatur : Eum, qui occultè aliquem occidit, unde talis occisio alteri, v.g. inimico occisi imputetur : Eum, qui alapam alteri impingit, vnde ob dedecoris apprehensionem moriatur? Eum, qui vendit Militi arma, vnde is, homicidia iniusta committat : Eum, qui solo suo exemplo extraneis est offendiculum ad malè agendum; & similes, non obligari ad restitutionem ex homicidio, etiamsi intentum id à dictis fuerit : quia tunc, licèt peccetur contra Charitatem; non tamen peccatur contra Iustitiam per actionem externam, quæ sit vera causa physica, vel moralis homicidij.

Qui alium occidit, & collocat cadaver ante ianuam alterius, unde is alter à Iudice condemnetur non iudico esse causam moralem eiusmodi condemnationis : Ita de Lugo *tom. 1. de Iust. d. 1. sect. 6. num. 84.* loquitur tamen, quando imputatio prævidetur, licèt non intendatur. Contra Sanchez ab eodem de Lugo citatum *ibid. p. 18. sect. 5. numero 116.* Multò minùs, qui invenit cadaver occisi ab alio ante suam ianuam, illud collocat ante ianuam alterius : lege de Lugo *loc. cit. d. sect. 5. à numero 114.* ( qui etiam, obiter id habe; à Restitutione excusat eum, qui infantem ante suam ianuam inventum, collocat, ut nutriatur ab aliis antè ianuam alterius : ) verùm, qui alium occidit in domo, vel agro alterius, unde pariter is alius condemnetur; iudico esse moralem causam. Ratio vtriusque dicti est, quia ex prioribus actionibus non sequitur ut plurimùm imputatio homicidij, siquidem casu tibi mori potuit alibi vulneratus : sequitur ex posteriore, nam præsumitur Domino domus, vel agri consentiente, homicidium fuisse commissum. In vtroque adesse causam moralem, & probabiliter supponit Sanchez *lib. 2. cons. 5. dub. 5.*

*dub. 5. num. 72.* sed proprer rationem dictam nostra opinio videtur probabilior.

Dixi *condemnationis* vtique ad mortem, nam alicuius damni, v. g. incarcerationis, vereor, ne tua actio ex dictis *num.* 4. si aliquando moralis causa: Ipsa enim collocatio cadaveris ante alterius domum est talis, vt ex illa, ut plurimùm sequatur incarceratio inhabitantis in domo, sic inducet obligationem restitutionis damnorum ex incarceratione sequentium.

6. Quando ex actione positiva tua (nam quando ex omissione, dictum est paulò ante *c. 3. §. 1. num. 10. & 11.*) imputatur homicidium alteri: vel aliud contingit, vnde mors tertio sequatur; non incurris irregularitatem, si solùm peccasti contra Charitatem, nec eam mortem intendisti, licet prævideris. Ita Lessius *lib. 2. cap. 2. cap. 9. n. 112.* dum dicit dictam imputationem etiam prævisam non facere peccatum contra iustitiam. Quia tunc tu non es vllo modo causa homicidij, vt dictum est. At si peccasti graviter, ut semper hic supponendum est, per actionem positivam, licèt solùm contra Charitatem, prævidisti tamen mortem, illámque intendisti, irregularis eris. Ita de Lugo *t. 1. de iust. d. 8. sect. 6. num. 78.* ex eo principio, quo putat tunc peccari contra iustitiam: lege etiam Dicast. *lib. 6. tr. 1. de iust. d. 10. dub. 14. n. 194.* Ratio mihi videtur esse, quia causa irregularitatis ex sacris Canonibus, est homicidium voluntarium, seu volitum. At homicidium, quod intenditur, si ve solùm nunc peccetur contra Charitatem, sive etiam contra Iustitiam, sive ponatur eius causa multùm periculosa, sive parum, dummodo aliqua, quamvis levis causa, vel etiam levis occasio scienter ponatur, atque homicidium, ut dictum est, intendatur; voluntarium èst, seu volitum: ergo per illud irregularitas incurretur. Non sic quoad obligationem restitutionis: Ad hanc enim inducendam non satis est quodcunque voluntarium, nec quæcunque prævisio, vel intentio; sed necesse est; & ponatur causa externa physicè, vel moraliter influens absolutè, & ex se sufficienter ad damnum modo iam explicato. Et huius rei ratio vlterior est, quia cùm de obligatione restitutionis nulla specialis legis dispositio positiva adsit (ut adest certè de irregularitate;) recurrendum pro illa est ad id, quod de iure est naturali, nimirum ad sufficientiam influxus dati damni. Vide quæ dicam *inferius, lib. 8. tr. 3. c. 2. n. 9. & 10.* vbi hæc doctrina magis clarescet, & confirmabitur magis.

## §. II. *De Damno dato Digressio.*

1. MOnui *superiùs*, me huc aliqua consultò adderé de indirecta damnificatione, etiam in temporalibus bonis: ne iterum, cùm de Restitutione agam, eadem repetere debeam.

### *Damnum indirectum à te illatum.*

Ex dictis ergo resolvatur sequens casus; Antonius facem manu præferens, ingressus est domum Petri, furaturus eius vestes. Accidit autem, vt omnino casu, & præter intentionem facula incenderet ornatus, seu aulæa domus eiusdem Petri, & etiam aulæa domus vicinæ Titij, quæ nullo modo furari Antonius intendebat. Deinde exiens idem Antonius è domo eiusdem Petri, relinquit ianuam apertam, vnde factum est, ut, eadem nocte accedentes alij fures, perque domum apertam ingressi furari sint duos equos eiusdem Petri. Quæritur iam, An Antonius obligetur ad restitutionem non solùm vestium quas est furatus, de quibus non est dubium: sed etiam aulæorum vtriusque, & equorum.

2. Respondeo: Non obligari ad restitutionem aulæorum, obligari tamen ad equorum restitutionem. Ita de Lugo *tom. 1. de iust. d. 18. sect. 4. n. 87.* citans Mol. lege etiam Dicastillum *lib. 2. tract. 2. de iust. d. 3. dub. 3. n. 72.* Ratio est ducenda ex dictis. Nam detectio aulæorum Petri, multò magis aulæorum Titij, omnino per accidens & indirecta ipsi Antonio; ex alia parte, actio præferendi faculam, cùm non ex se periculosa, & causans incendium; non potest dici fuisse causa per se destructionis, est enim omnino casuale (ut ex facula, quam quis fert, oriatur incendium. At quia commune est, & ex se periculosum, in apertam domum de nocte ingrediantur fures: Antonius, qui ianuam apertam relinquit, fuit causa iusta damni illati in futuro equorum: ac propterea eius damni restitutionem erit obligandus.

3. Dices, quod si fax casu incendisset ea vestes quas fur surripere intendebat? Respondeo cum eodem de Lugo *ibid. num. 88.* sub distinctione: Si enim vestes suffuratus esset, & apud se incensæ fuerunt; obligabitur ad illarum valorem restituendum: quia tum, atque ea; apud se retinet; contraxit obligationem restituendi ex iniusta acceptione quomodocumque apud se easdem perire contingat. At si antequam eas surripuisset, incensæ casu, & præter intentionem fuissent; non contraheret obligationem restituendi: quia tunc per accidens latroni fuisset incendium licèt per se futura fuisset acceptio, si incensæ vestes non fuissent.

### *Damnum illatum à tuis.*

4. Huc item spectat quodlibet damnum, atque adeo homicidium à tuo animali, mancipio, filio illatum. De quo dico primo, si gravi culpa, id est mortali sua, ris, vel iusseris damnum, occisionémve; vel negligens graviter fuisti in illis custodiendis, te moraliter posse care reumque esse integræ restitutionis, luce clarior est, quia sic iniusta causa damni es. De damno hoc præter citandos lege Dicastill. *lib. 2. de restit. tractat. 2. d. 1.* Verùm, si damnum ab iisdem irrogatum fuerit, te nesciente, vel te nulla gravi culpa negligente, ad nihil ante sententiam in conscientia teneris. Ita Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 115.* & passim Doctores *in l. si servus §. de Noxal. action. & §. si culpa 9. de iniur. & damn. dato.* Ratio est, quia non teneris ex re accepta: res enim supponitur periisse; nec iniusta acceptione, qua tu nullam gravem culpam; vt supponimus, commisisti. Post sententiam, est distinguendum. Nam aliud de animali, & mancipio; aliud de filio est sentiendum. De quibus:

5. Dico secundò: Si animal tuum, vel tuus servus damnum vèrè, quamvis sine tua culpa irrogavit; debet post sententiam, vel damnum resarcire, vel, si mavis animal, vel servum, qui noxam fecit, dare ei; qui passus est damnum. Ratio est, quia ita iura pro foro externo iustè sanxerunt; leges enim possunt ob publicum bonum decernere, ut aliquid, etiamsi tua culpa non præcesserit, à te solvatur post sententiam, ad quod ante illam nequaquam in conscientia tenebaris. Servus tamen, etiam post dictam sententiam, posset, ut non se daret damnificato, aliò fugere, & ad fugam ab amicis adiuuari; siquidem nimis esset durum hominem obligare, ad se pro noxa dandum. Quòd si is habeat peculium independens à Domino, debebit ipse, si velit fugere, restituere; quando in damno faciendo, mortaliter modo iam jam dicto deliquit. Immò puto obligari ipsum ad restitutionem de suo dicto peculio, si mortaliter peccavit; contraxit enim ipse obligationem restitutionis de iure naturæ (& quidem ante dominium, & ante omnem sententiam in conscientia) ex iniusta damnificatione.

Dixi (verè quamvis sine tua culpa irrogavit:) nam, si verum non fuit damnum à tuo animali, vel servo illatum; tu non obligaris in conscientia ad standum tali sententiæ, & posses occultè ibi compensare, si solvisses: & qui accepit, si ipsi id certo constaret, non posse iuste retinere. Ratio est, quia sententia semper supponit

damnum

damnum factum à tuo animali, vel servo: hoc igitur non posito, re sententia in conscientia non afficit, cùm tunc eiusmodi sententia contineat intolerabilem errorem, atque adeò sit re ipsa injusta. Quòd si res sit dubia, debes stare sententiæ, quia possessio stat ex parte Iudicis, donec appareat manifestè injustitiæ.

6. Dico tertiò: Si filius absque culpa parentis alium occidit, vel damno afficiat, ad nihil in conscientiæ foro tenetur Pater; quia, ubi culpa non est, nec adest pœna. *Instrut. de noxal. action. §. ultim.* vide Sylvestrum *v. Restitutio 4. versus fin.* Imò nec in foro externo leges præcipiunt, vt filius unquam dedatur à Patre pro noxa; quia id inhumanam saperet duritiem. Quando ergo damnum à filio infertur, sanctæ leges disponunt, ut ipse filius, qui filiber est: non verò Parens conveniatur.

### §. III. *De obligatione restitutionis ex iniusto homicidio directo, &c.*

EX homicidio directo, & propter paritatem rationis ex vulneratione, mutilatione, &c. tunc solùm debetur in conscientia restitutio, cùm adfuit culpa gravis Theologica, hoc est, peccatum mortale: Ita de Lugo *tom. 3. de iust. d. 8. sect. 5.* si enim nulla, vel etiam in sententia multorum, venialis dumtaxat, saltem communiter nó debetur; sicuti etiam excusatur homicida, si unde solvat non habeat, vel si ex solutione iudicatur in gravem necessitatem: Ita Sanch. *lib. 1. consc. 4. dub. 7.* quæ sunt *alibi* universaliter dicta.

2. Iam verò in re nostra. Certum sit primò, eum, qui occidit scientem, volentémque, peccare quidem, sed ad nullam restitutionem obligari ex vi occisionis Ratio est, sive, quia non peccat contra justitiam, sive, quia ille dum sponte occidi vult, remittere videtur; quam remissionem de suis damnis temporalibus facere dum vivus fuit, potuit; quidquid renuant deinde hæredes. Dixi (ex occisione) nam aliundè, vt si quis occideret servum, quamvis volentem occidi, sed invito Domino, debebit sine dubio pretium servi restituere. Hinc sponte convenientes in duellum, nisi occisus fuerit deceptus in aliquo, vel ad duellum coactus, non obligantur ad ullam restitutionem; quia invicem sibi remittere præsumuntur. Vide de Lugo *tom. 1. de iustit. disp. 11. sect. 3. a num. 71.*

3. Certum sit secundò, homicidam, seu eius hæredes, si sufficit hæreditas: teneri restituere tum omnes legitimas (non autem superfluas) expensas factas in curatione occisi, si non statim mortuus est, extractà eâ pecuniâ, quam alioqui eodem tempore ad sui sustentationem expendisset: tum omne damnum reale, sive in honore, sive in fama, sive in pecunia per se sequutum ex injusta occisione, seu mutilatione. Ita Less. *l. 2. c. 9. dub. 19. n. præterim. 127.* de Lugo *tom. 1. de iust. d. 11 sect. 2. n. 31.* Ratio est, quia horum damnorum iniusta causa fuit homicida. Dico autem (per se:) nam de damno per accidens, seu indirecto, paulò antè dictum est. Dico rursus (sequutum,) nam si nullum eiusmodi consequutum fuerit damnum; ut accidit, si occisus rei familiaris destructor erat, vel homo nobilis, qui lucro, per artem, vel negotiationem, non vacabat, &c. non est unde restitutio debeatur.

4. Verùm. Qua ratione dignosces huius posterioris damni, seu lucri cessantis, vel damni emergentis mensuram cùm divinare non possumus, quandiu vivus fuisset is, nisi fuisset occisus; quantum lucratus fuisset pro familia; quantum fuisset periculum fortè potius amittendi, quàm spes lucrandi, &c. Respondeo, quidquid aliqui apud Lessium 2. *cap. 9. dip.* 20. mensurare laborent, id tandem morali, prudentíque iudicio esse expendendum; attenta sanitate juventute, modo vivendi, ac negotiandi, quo vtebatur, vel uti probabiliter poterat occisus: dempto semper aliquod pro periculis, & incertitudine, & rursus pro vtilitate hæreditatis, quam citiùs assequuti sunt hæredes. Pro labore, quo artifex, v. g. occisus, vel mutilatus impendisset; nihil puto demendum in favorem homicidæ. Ita idem, *ibid. dub. 19. num. 125.* quia injustè ipse homicida à laborando artificem impedivit. Rursus, puto homicidam non debere expensas funeris occisi: quia hæ semper fieri debebant, quare earum causa is nequaquam censetur.

Denique, quia hæc Iudicia difficulter haberi exactè possunt; optimum, expeditumque consilium est, ut totum id compositione, & transactione inter eos, ad quos res pertinet, peragatur.

5. Certum sit tertiò, homicidam non obligari ad restitutionem eorum, quæ ipse occisus acquisiturus esset, si occisus non fuisset, quando nulli sunt legitimi hæredes. Ratio est, quia nunquam quis tenetur ad damnum resarciendum? nisi id proximo sequutum fuerit: At damnum, de quo loquimur; non sequutum est contra ipsum occisum; quia hic iam est extra viuos; atque adeò damnum temporale contra ipsum sequi non potest, neque sequutum est contra heredes, quia hos non esse pari modo supponimus. Quando autem sunt hæredes, ea debet, in quibus hæredem læsit; de re iam subdo.

### *Quibus debeatur restitutio pro homicidio?*

His enim tanquam certis, vel saltem probabilibus præmissis, dubitatur primò, quibusnam homicida restitutionem debeat?

6. Respondeo esse naviter distinguendum. Nam, vel de eo est loquutio, quod occisor debet occiso, antequam hic vitam finiat; quales sunt expensæ in eo curando, si statim mortuus non est, aliáque similia damna ante eius mortem fortè ipsi sequuta, quæ breviter enumerat expenditque Bossius *tom. 2. moralium, tit. 25. num. 6.* vel de eo, quod idem occiso debet pro damnis factis, postquam occisus vitam obiit, qualia sunt alimenta, quæ is daturus fuisset parentibus, vel filiis, si non fuisset occisus. Si loquamur de priore, debetur hæredi, quicunque ille sit, sive necessarius, sive extraneus. Ratio est, quia hæres succedit in omnia jura defuncti. Si de posteriore, non debetur nisi parentibus, filiis, vxori Defuncti, juxta ac eis damnum factum est. Ratio est (inquit rectè Lessius) non quia hæres succedit in jura defunctus; nam defunctus; nunquam habuit ius ad restitutionem horum damnorum, vt potè cuius obligatio post mortem eius orta sit; adde, & quia defunctus nullum damnum temporale sentit, dum defunctus est, quod resarciri velit. Sed ratio est, quia parens & filius, maritus & vxor censentur vna persona: atque adeò, qui vnum ex his occidit, alterum lædit: si ergo læsus est, debet ad æqualitatem per restitutionem reduci.

7. Hinc fit, ut si quis ex ipsis læsus nequaquam fuerit, non si aliquid ab occidente ex hoc capite ipsis restituendum; quia in eo casu in nulla re ipse damnum passus est: ergo in nullo reficiendus. Evenit autem eos aliquando non esse læsos, quando scilicet ipsi aliunde alantur; & propter aliquam causam iidem nequaquam futuri fuissent heredes occisi.

8. Ex distinctione allata *num. 6.* vides, fratribus, vel sororibus, etiamsi heredes sint occisi, & quibuscunque heredibus extraneis eiusdem, nihil esse restituendum ex posterioribus dictis damnis. Ita Mol. Salon. Less. Val. Fil. Bonac. aliique apud Bossium *tom. 1. Moral. tract. 25, num. 3.* quia hi non censentur vna persona cum occiso; Esse restituendum tamen ex prioribus? quia sunt legitimi hæredes, succedentes in omnia iura defuncti. Aliqua contra prædicta habet Thomas Hurtadus *part. 2. tract. 8. cap. 2. resolut. mor. 13.* Illud est favorabile, non obligari quempiam ad satisfactionem pro homicidio, nisi petatur, & nisi petatur intra tringinta annos; præscribi actionem, ita, ut non valeat

ampliùs peti. Excipe in vtroque, quando ideo non petitur; quia non potest, vel quia adest timor aliquis, & similia.

9. Quid, si nulli sint hæredes? Debebítne occisor restituere priora damna pauperibus: Posteriora enim non debere, iam patet ex dictis; quia nullis hæredibus existentibus, nulli facta est læsio. Respondeo: ita profectò: quia in similibus debitis ex delicto, censetur defunctus velle in vsus pios, ad animæ suæ favorem rem suam distribui: sed melior fortasse ratio est, quia sic videtur definitum esse ab Alexandro Pontifice, *cap. cum tamen, de Vsuris*, ut iterum *infra*, *lib. 7. cap. 1. §. nem. 20.* dicemus.

10. Quid si occisus, dum esset in vita remisit omne debitum homicidæ; Omne, inquam: nam rectè de Lugo *tom. 1. de iust. disp. 11 sect. 3. num. 61.* Sanchez *l. 1 consil. cap. 4. dub. 11.* citans Covar. Fel. Bart. aliósque advertunt, quando morti proximus occisori quis ignoscit, seu remissionem exhibet (quod certè occisor potest; sed non obligatur) intelligi de injuria, non de damnis temporalibus? nam hæc, nisi expressè remittantur, semper debebuntur; Respondeo occisum potuisse remittere omnia, dum erat inter vivos; atque adeò si plenè remittat: nihil nec Patri, nec Vxori, nec aliis quibuscunque hæredibus esse ab occisore restituendum. Ratio est, quia non fit his injuria, nisi ratione occisi; & contra occisi voluntatem; si ergo hic condonat, nihil contra occisi voluntatem retinebit occisor, quod restituere teneatur. Solùm ergo potuisset peccare pater remittendo, in aliquo raro casu; quo aliunde filij alimenta non haberent, &c.

11. Verùm contra hanc doctrinam, quæ est Lessij *2. lib. 2. cap. 9. dub. 26. num. 158.* & Thom. Sanchez *lib. 1. consc. cap. 4 dub. 12. num. 6.* insurgit de Lugo *loc. cit. num. 63.* asserens veram eam esse in prioribus damnis, quæ modò distinximus *num. 6.* de quibus poterat occisus disponere, dum vivebat: At non esse veram posterioribus, quia hæc damna in se patiuntur Pater, filius, vxor; non in alio id est, non in persona occisi: Ergo is remittere non potest. Non displicet distinctio: sed tamen Lessij, & Sanchez opinio probabilis item est; quia ij patiuntur quidem mala in sua persona, sed totum habere debuerant dependenter à Patris voluntate.

12. Denique hîc quæri solet, an homicida aliquid debeat: Primò, creditoribus occisi; Secundò, pauperibus, Tertiò, amicis, quibus occisus ex liberalitate, vel gratitudine multa donabat; Respondeo nulli ex his homicidam aliquid debere, quidquid nonnulli contra dicant. Ita Less. *loc. cit. dub. 26 per totum*, Dicastill. *lib. 2 de iust tract. 2. d. 7. num. 79.* Salon. Sotus, Bæcanus alique, quos citat, sequiturque Dian. *part. 5. tract. 4. resol. 57.* contra Layman, & Molinam, quoad creditores, &c. & *part. 3. tract. 4. resol. 54.* Ratio est; quia hi non sunt ita conjuncti moraliter cum occiso; vt damnum quod huic infertur, iudicetur, & filis inferri.

13. Illud certum puto, quod insinuat Lessius *loc. cit. num. 154. vers. Ratio maior vera est*, homicidam debere restitutionem predictis, quando is illum occidisset eo animo, ut ipsis in iis bonis noceret; siquidem tunc propter illam intentionem, peccabit occisor contra justitiam.

Hæc doctrina, quam Lessius, ut dixi insinuat, non videtur cohærere cum alia, quam affert *lib. 2. capite 9. num. 16.* & nos *superius* amplexi sumus: nimirum, occidentem non obligari ad restitutionem damni indirecti, etiamsi illud intenderit, verbi gratia, te non obligari ad damna secuta ex morte avari, qui mortuus est propter dolorem conceptum ex Thesauro à te illi surrepto. Cohæret tamen, nam ibi fur sive intendat, sive non intendat mortem, non est causa externa, nec physica, nec moralis mortis avari: at hic homicida est vera mortis causa, undeilli damnum patiuntur, & ex alio capite, illud damnum intenditur ab homicida; ergo meritò tunc peccat contra justitiam, & restitutionem debet: vide quæ dicam *lib. 8. tract. 3. cap. 4. §. 2. num. 3.*

*Hæres occisoris quid debeat?*

14. Dubitatur secundò: An heredes homicidæ obligentur resarcire damna occisi *num. 3.* dicta, quando ipse homicida fuit à judice pœna præsertim capitali condemnatus? Respondeo obligari. Ita Sanch, *loc. cit. c. 4. dub. 6.* Molin. *d. 84. n. 8.* Less. *l. c. d. 2. n. 137.* Vasq. *dub. 5. & passim* contra Rosellam, Sot. alióque cit. ab eodem Less *ibid.* illius enim pœnæ positio, sive ex officio proceserit Iudex sive ad læsæ partis, instantiam, est ex justitia vindicativa, & in bonum Reip. Cæterùm non apparet, unde per illam ad æqualitatem reducta sit inæqualitas rerum temporalium, facta parti læsæ. Nam pari modo fur, si capite plectatur; non propterea illi cessat obligatio restituendi, quæ rapuit. Illud concedo, quando hæredes occisi sunt divites, vel nobiles, qui eiusmodi damna temporalia petere sion consueverunt, facilè posse iudicari esse illis solo supplicio factum satis. At si pauperes sit ex vulgo, & præsertim quando damnum est grave; non video, nisi expressè remittat, qua ratione remisisse præsumenda sit.

*Excedens modum tuæ defensionis; vel invadens; vel provocans, an obligetur ad restitutionem ex homicidio &c.*

15. Dubitatur tertiò: De excedente modum justæ defensionis? Petrus, v. g. aggreditur. Paulum? is, cum se posset defendere, solùm vulnerando Petrum; tamen gladio transfodit & interemit: obligabitúrne ad restitutionem?

Respondeo: Hunc incurrere irregularitatem, certum sit: Ita Sayr. Avila, Reginaldus apud Dianam *part. 2. tract. 1. 16.* sed quoad restitutionem, de qua est sermo Lessius tria docet *ibid dub. 21.* Primò, si Petrus Paulum ad pugnam provocavit, Paulum ad nihil teneri: quia provocans videtur omnia damna remittere provocato, dum facit ei potestatem, ut contra se agat, quod potest. Quam doctrinam nos non multò ante *num. 2.* admisimus. Secundò, si Petrus aggreditur Paulum sine provocatione; teneri Paulum, si excedat in se defendendo, ad integram restitutionem: quia peccat tunc Paulus contra justitiam: excedendo modum. Tertiò, esse tamen probabile teneri solùm ad partem judicio prudenti æstimandam: quia multo minùs peccat, qui sic invasus occidit, quàm qui sponte, & excitus à nemine. Ego unum addo, Lector sapientior judicet. Siverum est primum dictum Lessij, sequitur Paulum invasum, qui extra modum occidit Petrum, ad nihil teneri. Ratio enim cur provocatus ad nihil teneatur, est, quia provocans judicatur remittere: sed invadens judicatur pari modo remittere: ergo, &c. Minor probatur, quia ipse iam scit invasum, omnia mala contra ipsum intentaturum; & tamen adhuc invadit: ergo præsumitur illis malis, seu damnis assentiri. Cùm ergo scienti & volenti non fiat injuria, in ipsum quoad bona temporalia non peccabitur contra iustitiam? atque adeò nullum restitutionis onus contrahetur, vide *num. 2. citatum.*

Favet huic doctrinæ Layman, *l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 6. n. 5* dicens posse Iudicem in tali casu condonare restitutionem in pœnam injuriæ agressoris, vel rixæ actoris: affertque Molinam docentem eum, qui ob acceptam injuriam justo dolore, aut ira affectus vulneravit, vel occidit, v. g. Maritus occidit vxorem deprehensam in adulterio, in conscientiæ foro posse denegare restitutionem damnorum, donec ad Iudicem causa delata cognoscatur, vtrùm in pœnam delicti, atque injuriæ compensationem, restitutio ipsa remittenda sit, necne.

Dices: hoc sive provocantes, sive solùm aggre-

dientes,

tientes, non posse remittere damnum factum alteri, id est, suis hæredibus; ergo non possumus recurrere ad hanc remissionem. Respondeo: hoc iam dictum est satis *à num.* 10.

16. Huc pertinent tres subdubitationes. Prima, an qui potest fugere, si invadatur, nec tamen fugit, sed occidit invadentem, ad restitutionem obligetur: Respondeo, qui censent solùm tunc delinqui contra Charitatem, ut potè quia sine magno incommodo per fugam poterat illud homicidium vitari; consequenter putant, nullum vsque ad onus restitutionis. Ita Less, *lib. 2. cap. 9. dub. 21. n. 136. & dub. 107.* Molin. *disp. 81. num. 2.* Qui verò censent etiam peccari contra justitiam, ut pote, quia unusquisque habet jus ne occidatur authoritate privata; restitutionis oneri tenentur. Ita de Lugo *tom. 1. de just. d. 10. sect. 8. n. 170. & d. 11. sect. 2 num. 55.* Nos expendendum iterum damus, quod *num.* 15. proposuimus? nempe invadentem posse præsumi damna eventura remittere. &c.

17. Secunda: Quid iuris in restitutione, quando, qui ritæ initium dedit, occidit, vel occiditur; Respondeo, si Petrus rixæ det causam solùm verbis Paulo, & Paulus occidit Petrum, sanè Paulus reus erit restitutionis. Ita Molin. *loc. cit. num. 3. & 4. lib. 2. cap. 9. d. 21. n. 137.* quia ob solam verborum contumeliam, injustè Petrum occidit. Si contrà, in eundem Petrum solis verbis rixantem insurgat gladio Paulus, Petrus autem, ne occidatur ipsum Paulum transuerberet; ad nihil tenetur Petrus quia quamvis prædictæ verbalis rixæ cum peccato auctor fuerit; tamen postquam gladio contra ipsum Paulus insurgit, potest se defendere, & cum moderamine occidere injustè insurgentem: sic ergo de similibus philosophatur.

18. Tertia: Si pugnantibus Petro cum Paulo, socij alterutrius occident aliquem obligabitúrne Petrus, & Paulus est restitutionem occisi; Respondeo: si excitauerint socios, obligati non est dubium; quia iam sunt concausæ homicidij: At si sponte hi socij se immiscuerint, ipsimet imputetur: neque enim sola mea pugna causa est (nisi multum per accidens) ut alij accurrant, pugnent, occidántque, vide tamen quæ dicam *mox.* § 5. *can. 6.*

19. Illa quidem difficultas est non vulgaris: Si ego socios excitavi ad pugnam, & deinde remanet aliquis occisus ex ipsis meis sociis; an ego huic occiso restitutionem debeam;

Respondeo: Duplex de more est sententia: Altera docet te debere restitutionem, imò & contrahere irregularitatem; quia per consilium, & suasionem causa fuisti mortis. Ita Suarez, Avila, Navar. Covinch. quos citat, sequitúrque Dian. *p. 4. tract. 2. de irreg. resol. 12.* Altera negat te restitutionem debere, negátque irregularitatem contrahere. Ita Vasquez, Turrian. Gaspar Hurtad. quos citat, sequitúrque de Lugo *disp. 12. sect. 3. num 58.* quia suadent, licèt peccet contra Charitatem; cùm tamen nec fraude, nec dolo suadet, non peccat contra justitiam; scienti enim, & volenti non fit injuria: ergo damna ex occisione orta non tribuuntur illi, vt Authori iniusto. Quare si tu contra justitiam non peccas; nec debes esse obnoxius restitutioni, nec irregularitati: quòd si socios, propter agressionem tuam injustam contra tuos inimicos; in necessitatem conjecisti pugnandi; quia inimicum adversarij, ut te offenderent contra, tuos socios insurrexerunt, atque aliquem ex his occiderunt: sane tunc obligaberis ad restitutionem, & fies irregularis: qui tunc injusta causa fuisti mortis tui socij: ut ex re constat.

*Pro bonis spiritualibus occisi, an aliquid debeatur?*

20. Dubitatur quartò: An pro bonis spiritualibus, quæ fecisset occisus, si vixisset, debeat aliquid injustus homicida?

Respondet Lessius *lib. 2. c. 9. d. 17.* nihil debere; Bona enim illa vel considerantur quoad meritum, vel quoad satisfactionem. Prius est irreparabile; quia meritum vnius non potest alteri dari; atque adeò meritum homicidæ non potest reparare meritum occisi, quoad satisfactionem autem, quamvis hæc possit alteri dari, tamen non constat in casu nostro, an occisus aliqua satisfactione sit privatus; neque vtrùm ea, quam homicida pro eo exhibebit, illi profutura sit. Adde, non posse certam mensuram constitui; quam sit obligatus homicida exhibere. Quam ergo dabit? certè in tanta indeterminatione nullam: hæc ex Lessio.

21. Verùm, habe sequentem casum: Condiderat Petrus testamentum, in quo disponebat, ut ex redditu, quem exacturus erat ex sua pensione vitalitia, centum Missæ pro se celebrarentur; interim occisus est à Paulo, unde ex defectu census; qui ipsius morte cessavit, Missæ non sunt celebratæ: ad quid obligatur Paulus;

Respondeo: Salonius. *in 1. 2. q. 62. art. 2. contr. 4. f. 368* apud de Lugo *tom. 2. de just. d. 11. sect. 1. n. 3.* & quidem meritò, ad eas Missas relarcierdas obligat Paulum; si enim opifici à te restituendum est, quod per operas materiales tuâ causâ minùs lucratur, non video, cur, à te non sit restituendum pro damno spirituali, quod quis tuâ causâ invitus incurrit. Nec obstat, quod modò diximus ex Lessio, nesciri, vtrùm satisfactio hæc occiso profutura sit; quia nec scit contrarium; ergo res manet dubia negativè: in hoc autem dubio, melior esse debet conditio disponentis. Quod si verè constet occisum decessisse in mortali (sed quando de Christiano tanta certitudo?) tunc non vrgeret prædicta obligatio; siquidem inutiliter pro illa anima eæ Missæ celebrarentur.

*Pro damno personali, an aliquid debeatur?*

22. Dubitatur quintò: An ipsa vita, mutilatione, percussione, vel cicatrice reddita; præscindendo à damnis aliis, de quibus iam hactenus dictum est, aliquid restituendum sit; Respondeo nihil nec spirituale, nec temporale esse ex obligatione restituendum. Ita Sanch. *l. c. cons. c. 4. dub. 1. num. 7.* Less. *l. 2. c. 9. dub. 23.* multíque recentiores contra Sot. Scot. aliósque dicentes debere compensare pecunia; quorum sententiam probabilem putat idem Less. *l. 2. c. 9. d. 23. & c. 9. dub. 23. n. 140.* lege Dicast. *l. 2. de just. tr. 2. disp. 7. dub. 4. num. 53.* nobiscum sentientem, citantémque Nauarr. Bannez, Petrum Nau. Vasq. Cou. aliósque. Ratio potissima est, quia probabilis est sententia docens non esse obligationem restituendi bona superioris ordinis, quando in eodem ordine restitui nequeunt; Et huius ratio est, quia virtus Iustitiæ commutativæ, quæ est illa quæ restitutionem præcipit, respicit, æqualitatem: ergo vbi æqualitas inter duo Iura esse non potest, illuc non se extendit Iustitia. Cùm ergo nulla hominis vita, nec pars, ut ita loquar, vitæ, vllâ pecuniâ, seu vllo bono inferiori æquari possit; sequitur justitiam non se extendere ad præcipiendum dari pecuniam, seu aliud bonum inferius pro vita, &c. Ordo autem bonorum est huiusmodi, ex Less. *l. 2. cap. 11. dub. 15.* Primum locum obtinet bonum salutis æternæ; sequitur bonum vitæ, membrorum, tum honor, & fama? denique facultates temporales. Prolixas rationes, obiectionúmque solutiones de hac re lege, si libet, apud citatos, & vide, quæ dicam *infrà*, cùm *de restitutione famæ* agam.

*Alium pro alio occidens.*

23. Dubitatur sextò. Quid iuris contra eum, qui volens occidere vnum, alium interfecit;

Respondeo, Vt id planiùs reddatur, & multa per hanc occasionem explicentur; tria certa breviter separemus, ab incertis quatuor.

24. Certum sit mihi primò, (quidquid sentiant Cou. Vgol. aliique apud Sanch. *l. 9. de mat d. 32. n. 26.*) eum; quia factâ diligentiâ putat hanc esse feram occiditque; sed deinde advertit esse Petrum, v. g suum inimicum, quem etiam occidisset, si cognovisset (quæ vocatur ignorantia comitans): peccare quidem ex interno affectu; sed non esse verum homicidam, nec contrahere pœnas: vnde non esse irregularem, non obligari ad restitutionem ex homicidio; &, si occisus fuerit fortè Clericus, non incurrere excommunicationem. Ita Sanc. *l. c. & n. 28.* Ratio est, quia illæ pœnæ oriuntur solùm ex ipsa actione externa injusta, quæ hîc non adest: solus enim pravus ille affectus est interior; nec ex illo processum est ad occisionem.

25. Quòd si quis hoc se animo gerat, ut velit occidere hunc quem nescit, vel dubitat, vel etiam suspicatur, an sit homo, an sit fera, an sit Clericus, an sit Laïcus; certè homicida erit, si ille homo fuerit: & erit excommunicatus, si ille fuerit Clericus. Ita Lop. quem citat, sequiturque Sanc. *ib.* quia tunc non affectus modò, verùm etiam opus externum injustum est; ut etiam est opus externum injustum, quoties debita diligentia non est advertenter apposita, vt ex se liquet.

26. Certum est mihi secundò: Si tu dum vis occidere Petrum Laïcum, casu, & omnino per accidens, ac præter intentionem occidisti Paulum, qui fortè, quia v. g. illac transibat, in se ictum suscepit, te non esse homicidam, nec obligari ad restitutionem, nec esse irregularem, nec esse excommunicatum, si fortè Paulus fuerit Clericus, Ita Sanch. *l. c. n. 27.* Fragosus *de Rep. Christiana p. 2. l. 1. d. 2. §. 1. n. 36.* citans Mol. & Coninch, Portellam, & apud Dianam *p. 9. tr. 4. res. 31.* Fagund. *in dec. l. 5. c. 1. n. 13.* Ratio est, quia tum nullum delictum commisisti contra Paulum: Supponimus enim inculpabiliter te gessisse, & omnino involuntariam tibi fuisse interfectionem Pauli; Ergo nulla pœna dignus es ex hac Pauli occisione adeò tibi involuntaria.

27. Certum est tertiò, Si occidas, seu percutias Laïcum, putans te occidere, seu percutere Clericum, te non incurrere in excommunicationem. Ita Sanch *ibid. n. 28.* Covarr. *in c. Alma mater p. 1. §. 10. 15, vers. vltimo, & passim.* Ratio est, quia excommunicatio est imposita non contra volentem, sed contra exequentem percussionem Clerici.

Remanent iam quatuor incerta; Primò, An si occidere volens Clericum Petrum, occidas per errorem inculpatum Paulum etiam Clericum incidas in excommunicationem, Secundò, An si occidere volens Petrum, vel quemlibet alium, per similem errorem occidas Paulum, debeas restitutionem ex Paulo occiso; Tertiò, Quid de irregularitate; illámne in vtroque casu contrales; Quartò, quid de violatione Ecclesiæ;

28. Quoad primum, Communis opinio docet, te incidere in excommunicationem. Ita Sanch. *l. c. n. 27.* citans Covarr. Cordubam, aliòsque, Bon. *loco mox citando*, afferens suarium, Molinam, aliosque, Rebellium *p. 1. l. 3. c. 12. n. 13.* Ratio est, tum quia & tu ipse, & animo Clericum tunc quis occidit; tum quia Ecclesia per se primò sub censuris intendit prohibere, ne homo, vel Clericus, quicumque ille sit occidatur, siue sit hic, siue sit ille.

29. Verùm probabile etiam censeo, non incurrere Ita Fragosus *de Rep. Christiana t. 2. lib. 1. d. 2. §. 1. num. 36* fusè probans, quem exscribit Diana *p. 9. tr. 4. n. 32.* Ratio est, quia actio illa exterior, ad quam solùm sequitur censura, non est à te voluntariè admissa, quia non est voluntas, ubi non præcedit cognitio? quare à te non fuit Paulus injuria affectus, nisi solùm materialiter: ergo non est caput, vnde procedere debeat pœna excommunicationis, quæ non est imposita, ut dictum est, nisi actioni exterioti formaliter injuriosæ, Confirmatur: quia propter eandem rationem simile quid dictum est, modò *num. 26.* ex Sanch. Id quod quamvis ibi admittat, non autem in hoc præsenti casu, contendátque disparitatem afferre, tamen eam nō videtur afferre sufficientem.

30. Quoad secundum de restitutione, est item duplex sententia, Priorem sequuntur ij, qui modo *n. 28.* Priorum ibi positam sceuti sunt; parenim videtur ratio: Ita quidem Bonacina *disp. 3. de restit. in partic. quæst. vnic. sect. 2. part. 3. num. 8.* sic hanc opinionem firmat: *Ratio est,* inquit, *quia primò, ita habetur* l. eum, qui nocentem § si injura, ff. de injurijs. *Tum quia secundò; hæc actio est injusta contra Paulum, sicet contra hunc hominem, licet falsò putetur Petrus. Tum quia tertiò, qui combussit Domum Caij, quam putabat esse Titij, tenetur ad restitutionem, ergo idem dicendum est in proposito casu. Tum quia quartò, qui percutit Caium Clericum quem putabat esse Titium Clericum; committit sacrilegium, peccat contra justitiam, & subiacet excommunicationi. Covar. Suarez, Sanchez, Iulius Clarus, aliique apud Rebellium, quamvis ipse putet homicidam in hoc casu non teneri ad omnimodam restitutionem.* Hæc Bonacina.

31. Non obligari tamen ad restitutionem probabile mihi apparet; quia ita sequitur ex ratione iam numero 29. dicta, à sentientibus non incurri excommunicationem. Et de Lugo quidem *tom. 1. de justit. disputat. 17. sect. 13. num. 75.* vide etiam *disp. 7 sect. 1 num. 25.* sic habet in hac re: *Dices si volendo occidere Petrum inimicum, per errorem occidis Paulum amicum, quem videns a longe non agnouisti & putasti esse Petrum, quem eo loco prudò ante, reliquerat; non committis homicidium voluntarium, nec fortasse homicidium, quia illud homicidium procedit ex ignorantia: quæ causat involuntarium: ergo similiter, si putas te furari rem Petri, & accipis rem Pauli; non committis furtum. Respondeti ad hoc potest: quidquid sit de antecedente, negando consequentiam, est enim differentia: nam in primo casu erras circa substantiam actionis: non enim vis occidere illum hominem, quem occidis? sed alium: quare illa actio videri potest involuntaria. At in secundo casu error non versatur circa substantiam actionis* (quando adest hîc error in furando, & restituendum, docebo *inferius, libro 8. tractatu 3. cap. 3. §. 6. num. 2. Vis enim accipere, & furari, (dicet iam damnificare) rem istam, circa quam non erras, sed circa dominum illius, quod non pertinet ad substantiam usurpationis huius rei; quare ista actio secundum se tota est voluntaria.* Hæc de Lugo. Notasti illud; (*non committis homicidium voluntarium, nec fortasse homicidium*) id quod dum non retiicit, videtur admittere. Si ergo non committis homicidium, non teneris ad restitutionem ex homicid o.

32. Confirmatur ex Fagundes *in dec. lib. 5. cap. 1. num. 14.* qui quærens, An homicidium prædicto modo ex errore commissum leges puniant pœna ordinaria mortis, an pœna arbitraria à Iudice imponenda, putat probabiliùs puniri arbitraria *Et ratio est,* inquit, *quia huiusmodi homicidium respectu illius, quem quis occidit, fuit merè casuale; & per accidens contigit: quare, licèt fuerit culposum, quatenus absolutè voluerit occidere; non tamen respectu occisi fuit voluntarium.* Hæc ille. Sergo non fuit verè coram Deo voluntarium respectu occisi; cur sic errans restitutionem illi debebit in conscientia?

33. Confirmatur secundò ex Molina *tom. 4. disputatione 30.* qui distinguit tria in casu huius erratæ interfectionis: Primò, delictum coram Deo; & hoc certum est esse mortale, ac si non fuisset sine errore, &c. Secundò, in ordine ad Rempubl. & hoc modo acceptum punitur ab eadem Republ. æquè, ac si fuisset sine errore (sic ipse putat; cùm probabiliùs modò contrarium iudicaverit Fagundez) & ratio est, inquit, quia æqualis læsio facta est Reip. cùm iam vnus homo ab ipsa ablatus injustè fuerit. Tertiò, in ordine ad ipsum Paulum per errorem occisum, & quoad hoc, sic loquitur: *Tertium verò est injuria Pauli interfecti, quæ in suos propinquos & hæredes suo modo redundat; & quam prosequi ad ipsos, etiam suo, ac defuncti nomine spectat. Et quod hoc, negandum non est, injuriam esse leviorem*

brorem, culpámque ac delictum levius esse; eo quod totum interfectionis delictum quodammodo sit divisum in injuriam, ac delictum adversus Petrum, quem interficere intendit, & injuriam, ac delictum in Paulum, quem contra suum intentum interfecit. Quia ergo id delictum; quoad Paulum, & quoad ipsius heredes est levius, minúsque indignum, ut condonari, facilius obtinebitur gratia, &c. Hæc Molina. Vbi videtur primò fundamentum, cur Rebellius modò n. 30. dixerit, ad partem restitutionis obligaverit sic interficientem, fortasse fuisse dictam à Molina injuriæ divisionem. Vides secundò sic nos posse confirmare, ne partem quidem deberi. Ideo Molina sentit levius tunc esse delictum, quia censet divisam esse injuriam partim contra Petrum, partim contra Paulum: sed iam n. 29. & n. 31. probatum est viderur, nullam esse voluntariam injuriam contra Paulum, ergo nulla ei debebitur restitutio.

34. Ex dictis respondetur ad rationes Bonacinæ allatas n. 30. nam ad Primam, lex illa nil aliud decernit, nisi dari actionem injuriarum: certè in foro externo, sive propter præsumptionem mali doli, sive ne detur ansa excusandi malefacta, sive ut puniatur ille malus animus occidendi ipsa factus externus per intentationem homicidij. Profertur Textus: *Si injuria*, inquit, *mihi fiat ab eo, cui sim ignotus; aut si quis putat me Titium esse, cum sim Sejus, prætulit quod principale est injuriam eum mihi facere velle, nam certus sum ego, licet ille putet me alium esse, quam sim, & idem injuriarum habeo actionem.* Hæc Textus, & nil præterea.

Ad secundam iam dictum est, negari ab hac secunda sententia, illam actionem est voluntariè injuriosam Paulo. Ad tertiam iam respondit modò *num.* 31. de Lugo. Ad quartam, iam quod in ea assumitur, negatum est à probabili sententia, quam diximus *n.* 29.

35. Quoad tertium, id est, quoad irregularitatem duplex est item sententia: Qui enim modò dixerunt illud homicidium parere excommunicationem, dicunt & parere irregularitatem ex delicto: iam enim voluit tunc homo occidere hominem. At, qui negarunt parere excommunicationem, negant parere irregularitatem: ita colligitur ex Fragoso citato, & ex iis, quos ipse citat, quia sicuti probabile est universim ex homicidio, quod omnino casu, & involuntariè, ac præter intentionem etiam ex opere illicito consequitur, non incurri irregularitatem; quando nulla illius suspicio, vel debitum inculpatè præcessit: ita in casu præsenti, in quo omnino involuntaria est, quoad substantiam ejusmodi occisio, ut iam vidimus. Ita Henriq. Conin. quos citat, videturque sequi Gasp. Hurt. *disp. 2. de irr. diff. 8. à n. 29.* Sane Fatinacius *in 4 1. declarat. f. 41. col. 1. in fin.* (affertur à Fragoso apud Dian. *p. 9. tract. 4. res. 31. fin.*) affert Declarationem Congregationis Cardinalium super Concilium Tridentinum, quod mandans occidere Petrum, si Mandatarius occidat Ioannem, non incurrit Mandans irregularitatem: At certè par videtur ratio in casu nostro. Vtraque ergo sententia probabilitatis fines videtur attingere.

36. Quoad quartum, idest, Ecclesiæ violationem, tria dico. Dico primò: sicuti si quis alium in Ecclesia occidat ob sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel occidat omnino casu; & præter intentionem sine vlla mortali culpa; non polluit Ecclesiam: ita de Lugo *disp. 20. de Euch sect. 2. num. 4.* quia illi sic non fit injuria. Ita, si dum vult se defendere, loco unius, alium omnino inculpatè, & involuntariè occidat; nec Ecclesiam violabit? quia id, pari modo, & sine peccato mortali occidentis, vnde & sine Ecclesiæ voluntaria injuria contingit.

37. Dico secundò: Si culpa, unde processit occisio, si allunde, & non in genere injuriæ vitæ, vel effusionis sanguinis: ut si repræsentando turpia, ibi mors alicujus omnino præter intentionem sequetur; Ecclesia non violatur; ideo multò magis, si id cum errore contingat, nec violabitur Ecclesia; quia pariter non supponitur ea injuria, cujus est Ecclesiam polluere. Ita de Lugo *ibid.*

38. Dico tertiò: Si quis cum Ecclesiæ irreverentia occidere volens vnum, casu, & præter intentionem alium involuntariè occidat: vel (quod in idem recidit) volens occidere Titium, occidat per errorem Caium; communis opinio relata *n.* 28. docet pollui Ecclesiã: quia iam adest peccatum mortale in hoc genere irreverentiæ, & injuriæ occisioni in Ecclesia. An verò ex secunda opinione allata *n.* 29. colligi possit Ecclesiam non violari, quia tunc nulla est voluntaria injuria, sed solum materialiter; me sapientior expendat, decernátque, &c.

### §. I. *Quatuor Casus ex sparsim dictis decidumtur.*

1. PRimus casus: Occidisti Petrum, nõ quidem animo, vt Paulo homicidium imputaretur; sed tamen quia prævidens fore illi imputandum, animosiùs occidisti spe impunitatis; immò idcirco occidisti (quia casus est fortior,) quia eam imputationem prævidisti, secus, nullo modo occisurus: ideo quæris, quod peccatum contra Paulum commiseris? Respondeo: in vtroque casu peccasti in Paulum contra Charitatem, non tamen contra Iustitiam; quia sic nulla ratione fuisti externa causa imputationis, vnde à restitutione immunis es, vnde & ab irregularitate. Ita Molin. *tom. 4. tr. 3. d. 86. num. 4.*

2. Secundus casus: Veneno infeci vinum bibendum à meo inimico; verùm casu advenit amicus, & bibit, me vidente, & me (ne meum crimen proderem) tacente: sùmme hujus amici occisor, & ideo irregularis? Respondeo nequaquam. Sic de Lug. *t. 1. de just. disp. 8. sect. 6. n. 86.* quia hujus mors præter meam intentionem evenit. Et ex alia parte, ego non fui injusta causa mortis; quia cum alia periculo meo non tenebar illum monere de veneno.

3. Tertius casus: A Scariis fuit Petrus metu mortis coactus ostendere Pauli domum; unde factum est, ut Paulus occisus fuerit, domúsque incensa: ad quid obligabis Petrum? Respondeo, Comitolus apud Dian. mox cit. damnat hunc homicidij, & restitutionis (vnde & irregularitatis) quia peccavit contra Charitatem, justitiámque: Neque enim metus mortis debuit illum excusare à tam gravi injustitia, cui ipse indicando ædes cooperatus est. Rodriq. quem sequitur, citátque e Diana *p. 5. tract. 4. res. 63.* propendet ad eum liberandum à restitutione: quia (aiunt) ipse non fuit causa moralis ejusmodi damni, sed tota causa fuerunt latrones? ex quo principiis paulò superiùs allatis sequitur nec esse irregularem.

4. Ad idem videtur propendere de Lugo, tom. 2. de iust. d. sect. 2. n. 21. 41. *Si scias*; inquit, *Petrum quærere inimicum ad occidendum eum, & aperias illi ubi sit, testificaris planè verum sciens tamen Petrum illa notitia abusurum ad homicidium ex sua malitia, non eris verè liber à peccato injustitiæ, sed particeps homicidij, saltem si nulla cogente necessitate cooperatus es.* Notas illud (*nulla cogente necessitate*) ergo ea cogente, ut certè est in casu proposito, liber ab injustitia esse videris.

5. Quartus casus: Petrus detexit quendam grassatorem latere in quodam antro, & Paulus videns latronem, clamavit; hic est latro; vterque, ut grassator, & latro comprehenderentur: súntne irregulares secuta eius mortè? Respondeo. Bonacina *de irreg. disp. 7. q. 4. p. 1. n. 18.* Avila, aliíque apud eundem, docent esse; Turrianus apud Dian. mox cit. & Diana *p. 3. tr. 5. res. 80.* negant, nisi quando sic manifestantes essent accusatores, vel testes necessarij ad cognitionẽ causæ, vel hoc facerent ut ministri Iustitiæ. Illos adi; hæc enim pertinent ad tractationem *de Censuris*, nec omittatur Layman *lib. 3. sect. 5. p. 3. cap. 7.* hæc, & similia breviter complectens.

### §. V. *Ex iisdem sparsim dictis colligitur, quid sentiendum sit de cooperantibus cum Homicida.*

1. HI sunt consulentes, auxiliantes, mandantes, ratum habentes, non prohibentes homici-

dium. De quibus hîc breviter aliquando enim fusiùs dicemus, cùm agemus de restitutione, *lib. 8. tract. 4. cap. 2. per totum* Lege Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 5.*

*Consulens, & Auxilians.*

2. Qui maligno consilio, vel auxilio, permovit hominem ad necem sibi, vel alteri inferendam; verè, ac propriè homicida est, si eventus sequatur. Quod si ille aliquod, sed non determinatum propositum antè conceperat, quod maligno consilio, vel auxilio tuo magis confirmasti; mitiùs quidem puniendus eris, sed irregularitatem non effugies. Ita idem *ibid.* vide id explicatius *infrà lib. 8. tract. 4. cap. 2. §. 2. num. 6.* Si sit dubium, an permoveris, *suprà, lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Damnum secutum, à num. 2.* diximus; si ille omnino determinatus erat occidere, vide *mox num. 5.* & omnino *infrà lib. 8 tract. 4 cap. 2. §. 2. num. 6.*

*Mandans, seu, quod idem est, iubens.*

3. Qui homicidium fieri mandavit, secuto effectu, propriè homicida est, ordinariis pœnis, censuríisque subjectus. Sunt autem duo discrimina inter consulentem, & mandantem.

Alterum: Qui mandatum occidendi ante eius executionem expressè, vel tacitè revocavit; ab irregularitate, ex Avila *part. 7. dis. 6. sect. 2. dub. 4.* securus est, dummodo revocatio ad notitiam mandatarij pervenerit. At verò, qui consilio prauo dato, quod, v. g. turpe sit vindictam non sumere; aliquem ad inferendam necem permovit, licèt postea revocarit; tamen irregularitatem ex eodem Avila *ibid.* incurrit, si persuasus conceptum semel propositum nihilominus executus fuit. Ratio vtriusque est, quia si semel Petrum persuasisti, seu illi consilium dedisti, ut occideret; & deinde illum dissuadere conaris, non tamen ille dissuadetur, sed occidat: in vim occidet tui consilij, quod firmiter animo insedit: ergo homicida eris, & irregularis. At si solùm mandasti, cùm tota ratio mandati consistat in authoritate mandatis, mandato revocato, nihil tui remanet in mandato: quare si is adhuc occidat, ex se occidet, non ex tua authoritate; & consequenter tu nec homicida eris, nec irregularis. Nam propterea, si fortè consilium prædictum non fuisset in alia ratione fundatum, nisi in authoritate consulentis; æquiparatur mandato: & eo revocato, si adhuc fieret occisio: tunc, qui sic movit ad necem, sed revocavit, non esset homicida, nec irregularis. Quid si quis erravit in exequendo mandato? De hoc vide *suprà. §. 3. n. 35.*

4. Hactenus ex Avila, cæterùm propositus *p. 3. q. 5. dub. 8. n. 63. & 64.* (& probabile putat Less. *lib. 2. cap. 12. d. 3. num. 18.* lege Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 83.* & *part. 4. tr. 2. res. 14.*) prædictum discrimen non agnoscit, docétque tum mandantem, tum consulentem, v. g. abortum animatum, vel motum inimici, non esse reos homicidij, nec irregularitatis, si ij revocaverunt mandatum, & consilium: quia pari modo, revocato consilio, ac revocato mandato; si sequatur homicidium, non imputabitur consulenti. Neutram ex his sententiis audeo appellare improbabilem.

5. Alterum: Si tu alicui mandas, ut is hominem occidat, ille mandatum excipiat, tuóque nomine exequatur; irregularis eris, licèt mandatarius iam antè concepto occidendi proposito, quamvis tu non mandasses, nihilominus homine occidisset. Si autem alicui suasisti homicidium, sed consilium tuum nihil ad effectum contulit, quia per seipsum ad occidendum planè determinatus, nihil omnino in proposito suo per se confirmatus fuerat: homicidium non commisisti, & sic ab irregularitate immunis eris. Ratio vtriusque est, quia mandatum sit in gratiam mandantis, consilium autem datur in gratiâ recipientis; ex quo sequitur, inquátu ut si studeat Petro, ut is occisionem faciat, qui Petrus tale propositum firmiter conceperat; sequitur; inquam, ut tu nihil efficiens. efficit enim ille ex suo firmo proposito: At verò si eidem mandes, isque mandatum exequatur, sequitur iam tuo nomine homicidium fiat, tibique ut causæ adscribatur.

6. Denique nota: si affirmanti tuâ gratiâ se hominem necaturum, credas id ab ipso futurum esse, neque contradicas, nec impedias, cùm possis; consentire, & mandare.

Eadémque ratio est, si te rixante, v. g. cum Ioanne, amici tui fortè supervenient; & à te non prohibiti, aut repulsi (addo, cùm possis) Ioannem in tuam gratiam occidunt; Quare in vtroque casu irregularis fies: recole quæ dixi *suprà. §. 13. n. 18.*

*Ratum habens.*

7. Qui suo nomine necem patratam, postea ratam habet, ad damnorum restitutionem minimè tenebitur. Ita. Mol. Less. Vasq. apud de Lug. *tom. 1. de Iust. dis. 15. sect. 2. §. 1. num. 32.* nec irregularis fit. Ita Vasquez; Turrianus, Hurtad. Tuar. Coninch. aliíque, quos citat. sequitúrque de Lugo *loc. cit. num. 34.* contra Molin. Sylu. Navarrum, aliósque. Ratio est, quia irregularitas infligitur ei, qui, aliquo tandem modo, est causa homicidij: & rursus, obligatio restitutionis consequitur tanquam effectus ad factum homicidium, seu ad damnum illatum: Sed quia, per ratificationem homicidij, vel damni antè à reo commissi, nemo efficitur vllo modo causa, cum ad præteritum non sit potentia: ergo, &c. Neque dicas ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari in *Regulâ Iuris in. 6.* & de facto excommunicationem contrahi ab eo, qui percussionem Clerici nomine suo factam ratificat: ergo etiam in casu nostro. Ne id dicas, inquam; nego enim consequentiam: & ratio negationis est, quia ratihabitionem retrotrahi est per fictionem Iuris, & eius dispositionem; ut de facto Ius *cap. cùm quis de sententia excom. in 6.* disposuit in dicta percussione Clerici, quæ certè dispositio non est in irregularitate, nec in obligatione restitutionis.

8. Porrò; si quis homicidium, vel damnum non suo nomine patratum postea approbet, non censentur ratificare, atque adeò nec censuram aliquam contrahere, multò minùs restitutionis obligationem; quia nemo ratificare potest; quod suo nomine gestum non est *cap. cum quis, de sententia excom. in 6.* de natura ratificationis vide multa rectè explicata à Bordono, viro certè docto, & erudito *tom. 3. contr. 32. num. 1. & deinceps*, vbi item multa de ratificatione professionis.

*Non prohibens.*

9. De hoc dictum est satis paulò antè *cap. 3. §. 1. à numero 10.* & multa dicentur *libro 9. cicato. tract. 4. cap. 2. §. 6.*

FINIS LIBRI SEXTI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

LIBER

# LIBER SEPTIMVS.

## IN DECALOGVM.

### Non Adulterabis.

IVXVRIA, quam hîc prohiberi, vt certum supponimus; est vitium oppositum Castitati per excessum, & versatur circa delectabilia tactus in rebus Venereis, id est, in rebus ad generationem seruientibus. Ejus species numerari solent: Fornicatio, Sacrilegium, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Peccatum contra naturam, quibus claritatis gratiâ; adde Impudicitiam, quæ consistit in tactibus, aspectibúsque impudicis.

De his ergo docui *in Methodo expeditæ Confessionis*, *lib. 2. cap. 7. per totum*, quæ certè hîc repetenda non essent. Verùm ne manca sit præsens tractatio, & ne ad alios libros, in re tam frequenti, & quotidiana, Lector ablegetur; hunc ordinem seruabo, vt *in quolibet capite* rescribam primò, quæ *in Methodo citata* docui; deinde cætera addam quæ absolutam reddant tractationem.

## CAPUT I.

### §. I. *De Fornicatione.*

1. IN *Methodo expeditæ Conf. lib. 1. c. 7. §. 4.* sin habes: Initium facimus à simplici fornicatione, quæ est prima luxuriæ species. Huc tamen multa aggerimus, quia hîc frequentiora; nam cæterùm, non rarò in aliis luxuriæ speciebus, quas *mox* subiiciemus, eadem eueniunt.

2. Qui committit per illicitam copulam fornicationem; non satis explicat dicendo; *peccasse contra Castitatem*, sed addere oportet, *se copulam habuisse*. Ita de Lug. *disp. de pœn. sect. 5. num. 238.* quia secus, non explicatur malitia propria copulæ fornicariæ, quæ est diversa à malitia quacunque contra Castitatem.

3. Qui committit tria, v. g. peccata cum tribus fœminis ejusdem rationis, non tenetur declarare fuisse tres fœminas, cùm satis sit dicere: *Ter fornicatus sum.* Ita Bonac. *de Sacram. disp. 5. q. 5. p. 2. sect. 2. §. 3. diff. 3. prop. 3. num. 14.* Ratio est, quia eadem est malitia, sive cum tribus, sive ter cum eadem nisi fortè aliquando id interrogat Confessarius, ut occasio proxima tollatur, quæ ex illa frequentia cùm eadem timeri potest: de qua dixi *in Methodo, cap. 1. §. 1. n. 5. & 6.*

4. Peccatum cum filia Confessoris, nec ex se est sacrilegium nec incestus; sed simplex fornicatio. Ita Filliuc. *tom. 2. tr. 30. cap. 5. n. 205.* aliique. Quare, qui id commisit, satis est fateri, *se fornicatum esse*. Præscindimus autem à sollicitatione Confessionis: Nam *sollicitatio* ejusmodi est specialiter confitenda, cum sit contra reverentiam Sacramento debitam. Præscindimus item, quando esse Confessarium, assumeretur ut medium ad peccandum, vel quid simile: tunc enim adesset nova malitia, vel contra reverentiam Sacramenti, vel contra similem Virtutem.

5. Virgo sive Vir ex Fill. *c. 1. tract. 30. cap. 3. n. 71.* sive Puella, ex Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 4. num. 5.* Coninch, *de Sacram. disput. 7. dub. 4. num. 19.* qui prima vice, voluntariè frangit Virginitatem; non peccat peccato diverso à simplici fornicatione, secundùm opinionem aliquorum: quare sufficiet fateri fornicationem, nec obligatur virginitatem manifestare. Idem dic, si se polluat, si morosè delectetur, si vir desideret virginem sine voluntate vim inferendi: in his enim non additur ex qualitate adiecta virginitatis, nova species malitia.

6. Fidelis peccans cum infideli: quantum est ex hoc capite, non peccat, nisi simplici fornicatione, ex opinione probabili. Ita Azor. *lib. 3. cap. 29. quæst. 3.* licet etiam esse contra Religionem, id est, contra reverentiam Sacramenti Baptismi, non negem esse probabile. Ita Sanchez *lib. 7. de matr. d. 5. num. 12.* de Lugo *disp. 16. de pœn. sect. 6. num. 36.*

7. Confirmo priorem probabiliorem: quia principalis ratio, cur dicendum foret, hoc esse peccatum speciale, est, quia Ecclesia, dum prohibet conjugium Fidelis cum infideli, prohibet etiam quamcunque conjunctionem; cùm sit idem motivum, id est, ut pro reverentia nostræ Religionis, vitetur illa conjunctio, quæ est damnosa tum ipsi Fideli, tum proli educandæ. Quæ est ratio Sanchez, *ibid.* allata, & approbata à de Lugo, *ibid.* Sed hæc ratio non multùm vigere videtur: ergo, &c. Minor probatur; nam primò vbi vnum prohibetur, non intelligitur & aliud, quantumvis simile; ut est notum in Iure. Multò plus, quia secundò, intervenit non parva disparitas: nam in Matrimonio est longè major conjunctio, quàm in copula furtiva. Tertiò, quia etiam sic intelligerentur specialiter prohibita civile commercium, colloquutio, familiaritas, imò & servitium infidelium, ex quibus oriri maius periculum sanè potest. Fateor esse peccatum, quando quis cum infidelibus (existente eversionis periculo, vel scandalo) familiariter degit: sed hoc non est illud de quo agimus; sed quid commune ad omnes actiones periculo peccandi expositas. Quartò, cùm totam hanc malitiam specialem ducant adversarij à prohibitione Ecclesiæ prohibentis Matrimonium Fidelis cum infideli, sequitur, saltem regulariter, non esse novum formaliter peccatum: quia communiter talis prohibitio inculpabiliter nescitur; imò probabiliter, ut patet ex dictis, iudicatur non adesse. Denique pœnæ grauissimæ; legibus contra hoc peccatum constitutæ, ostendunt quidem gtavitatem, sed non diversitatem specificam: sicuti pœnæ constitutæ in homicidium qualificatum, v. g. proditorium, non ostendunt differre specie à non qualificato. Sed hæc satis, contra nostram brevitatis sectandæ consuetudinem.

8. Quid de Sodomia cum infideli? Respondeo, idem videri dicendum; nempe abundè esse, si fateatur quis,

*commissam à se fuisse sodomiam*; si quidem, ut, ex dictis constat, non appareat, unde necessariò derivetur specifica diversitas.

9. Quando quis, cum sit *frigidus*, vel *Eunuchus* cum aliqua peccat, debet fateri, se esse talem. Ita Sanch. *lib. 9. de matrim. d. 19. num. 8.* Ratio est, quia tunc, non solùm adest malitia fornicationis, sed etiam malitia contra naturam: cùm adsit frustratio finis naturalis, idest, finis generationis; atque invtiliter tum suum, tum fœmineum semen à tali frigido provocetur.

10. Quando positivè invitas alios, sollicitásque, v.g. puellam cum qua deinde peccas; aliqui sentiunt, non debere te esse sollicitum explicare, te fuisse primum ad alliciendum. Ita Io. Sanch. *in select. d 1. n. 24. in fin.* de Lug. *de pœnit. d. 16. sect. 5. n. 142.* ex sententia Vasq. sed est contra Thomam Sanchez *in decal. l. 1. c. 6. num. 14.* & contra Bon. *de Sacram. disp. 5. q. 5. par. 2. §. 3. diff. 3. num. 19.* eadem enim malitia, licèt non tam gravis, est, quando non invitans, cum illa peccas; adhuc enim particeps ejus peccati. Idem diximus *in Methodo, c. 4. §. 1. num. 3.* de confabulantibus in Missa. Idèmque dic de turpi collocutione, & similibus: neque enim propter eandem rationem, te obligo ad explicandum, an primus fueris. Quòd si quis sollicitavit, sed deinde non processum est ad opus, vel certè multò pòst; debebit sanè Sacerdoti id subjicere, ut potè peccatum sollicitationis distinctum ab ipso opere pravo.

11. Quando quis in copula non servat debitum modum, sed vel à latere, vel sedendo, vel præposterè, vel viro succumbente; modò servetur vas naturale, nec sit periculum effundendi semen extra vas (id quod tamen rarò esse solet, quia matrix saltem partem majorem seminis attrahit:) non est circumstantia necessariò confitenda. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. disputat. 16. n. 3.* quia id accidentale est copulæ, & in conjugatis, vel est veniale, si ob voluptatem; vel peccatum nullum, si in necessitate.

12. Qui incipit, nec absolvit copulam, debet explicare: quia licèt tunc sit fornicatio ex actu; non tamen est re ipsa fornicatio, sed tactus impudicus. Ita Sanch. *ibid. disp. 19. num. 3.* Qui item eandem copulam incipit, & deinde resilit, seménque dispergit; debet id explicare: quia adest tunc duplex malitia, id est, fornicationis ex affectu; & mollitiei, quâ, re ipsa semen dispergitur, vt ex se constat.

13. Quando quis carnaliter, vel alio quocunque peccato peccat; non est necesse explicare, sese exposuisse periculo peccandi, ingrediendo domum, v.g puellæ, & deinde peccasse: Sic de Lugo *disp. 16. de pœn. sect. 12. n. 511.* quando enim hæc duo, id est se exponere periculo peccandi, & peccare simul concurrunt, nec inter ipsa tanta mora, vel contraria intentio intercedit, quanta necessaria est ad distinguendum vnum numero peccatum ab alio; vnum peccatum moraliter sunt. Id non est in *Method.* sed fuit nunc addendum, propter valdè rarum casum, quo quis se periculo exponeret, mox statim pœniteret, sed statim postea peccaret, &c. Nec potest objici, esse quidem vnum numero, sed includere duas species malitiæ; nec, inquam, hoc potest objici, quia se exponere toti periculo peccandi, & eodem peccato peccare, ejusdem sunt speciei. Quod si intercedit prædicta mora, non est mirum debere explicari, quia tunc sunt duo numero distincta peccata. Quia media ex se licita, vel ex se illicita adhibet, ut fornicetur, qua ratione fateri debeat, diximus *in Methodo, lib. 2. cap. 1. §. 10.*

14. De eo, qui ex consuetudine inveterata fornicatur, diximus *in Methodo, lib. 2. c. 3. §. 3.* De recidivo diximus *ibid. lib. 3. c. 3. §. 4.* Eum, qui cum magna contentione peccat, cum magna voluptate, cum tanta continua duratione, quia solùm addit circumstantiam aggravantem; explicare eas circumstantias non necessariò debere, diximus item *ibidem cap. 1. §. 18. de circumstantiis aggravantibus.*

## §. II. *Additio.*

1. Fornicationem esse peccatum mortale, & contrarium asserere esse hæreticorum, decretum est in Clem. *Ad nostram de hæreticis*: sed an sit solùm prohibita iure positivo, an etiam iure naturali, atque adeò se sit intrinsecè mala; quæritur à Doctoribus. Et Durandus quidem, *in 4. dist. 33. q. 2.* Martin. de Magistr. *q. 3. de luxuria*, Caram. *in Theol. mor. à num. 1603.* alijque putant esse solùm ex lure positivo; verùm communis omnium ferè Doctorum sententia docet esse ex lege naturali. Ita apud Val. *tom. 3. disp. 9. q. 3. p. 3.* & Sotum *lib. 5. de iust. q. 3.* contendentem esse errorem in fide contrarium lege S. Thom. *2. 2. q. 114. art. 4.*

Mihi duo sunt certa: Primò hanc communem esse veram sententiam: Secundò, data hac veritate, dicendum à nobis esse, dari rationem naturalem id certò probantem? sed ingenuè fateri nos debere, eam à priori nondum clarè esse compertam. Ita solemus respondere cùm de Cœli quibusdam occultis, cùm de Quadratura circuli, alijsque similibus, etiam in Philosophia disputatis: ea nimirum certa esse, certisque rationibus posse probari; verùm eas nondum adhuc fuisse manifestè ab vllo propositas. Dixi (à priori) nam à posteriore, satis manifestè probatur, præsertim ex eo, quòd si non esset iure naturali prohibita, in aliquo tandem vrgentissimo casu posset in ea dispensari, quod nullo modo dici potest. Lege Boss. *tom. 3. moral. titul. 24. numer. 8. & 9. de Pollutione & numer. 26. & 27. de ipsa fornicatione*, aliósque, quos idem citat. Sed hæc Scholasticis enucleanda relinquamus. Nos quoad praxim.

### *Concubinatus.*

2. Dubitamus primò: De concubinatus, qui quamvis possit esse inter Conjugatos, sacro Ordine initiatos, Religiosos, &c. & sic pertinere ad alias species; tamen, quia frequentiùs est inter solutos, huc merito illum reducimus.

Respondeo: Concubinatus non solùm est quando quis Concubinam domi retinet; sed etiam quando foris extra domum, modò ad illam per modum habitus, ut libet, accedat. Vtrum periculosum peccatum, propter continuationem peccandi, duásque pœnas habens? Vna est in foro interno, ut non possit Concubinarius absolvi, nisi domo ejiciat Concubinam; vel si ea habitet extra domum, nisi firmiter proponat ad illam non accedere, additâ experientiâ alicuius temporis, iuxta prudentiam Confessarij.

3. Quid, si ejici non possit? de hoc *in Method. conf. lib. 3. cap. 3.* (adde Bonac. *de matrim. q. 4 p. 14. numer. 12.*) non pauca dicta à nobis sunt, sicut etiam *ibid. lib. 2. c. 1. §. 7.* de modo, quo ejusmodi habitualia peccata sunt apud Sacerdotem deponenda.

Altera pœna est in foro externo. Tridentinum enim *sessione 14. cap. 8.* decrevit, ut Concubinarius ter ab Episcopo, admoneatur; qui nisi resipiscat, excommunicetur: quòd si per annum in excommunicatione perseveraverit, castigetur. Concubina item ter admoneatur; quæ nisi resipiscat, ejiciatur à Civitate, vel etiam ex Diœcesi. De pœnis Concubinarij lege Azor. *parte tertia, lib. 3. cap. 6.* Concubinarius si sit Clericus, suspensioni subiacet, ex Trident. *sessione 25. c. 14.* sed post sententiam, lege citatos Doctores, quibus adde Sayr. *tom. 1. Clau. Reg. lib. 8. cap. 2.* Graff. *lib. 2. cap. 76.* Tolet. *lib. 1. cap. 76.*

### *Copula cum Vidua.*

4. Dubitamus secundò: An copula cum vidua sit simplex fornicatio; Respondeo, Ita; quia vidua soluta est. Et licèt Navarrus *in manual. cap. 27. num. 97.* putet hanc

hanc si fornicetur, seu ut loquuntur jura, ni honestè viveat, amittere tutelam filiorum ante sententiam Iudicis, probabilius tamen est, non amittere, nisi post sententiam.

Instas pro Navarro; Vidua amittit tutelam per secundas nuptias, etiam ante sententiam; ergo & per vitam fornicariam. Respondeo: nego consequentiam, nam illud prius expresse sic decretum est in Iure: hoc posterius nequaquam.

5. Rursus: eadem Vidua, si fornicetur intra annum luctus, etiam per unicum actum, amittit omnia bona, legata sibi ex liberalitate à Marito relicta; sed post sententiam; quia hæc est pœna. Videatur omnino Sanch. *de matr. l.7.d.91.n.2.* At si post annum luctus fornicetur, nihil amittit ita Gloss. *in authent de restitut. §. fin. v.* Matrimonium. Covarr. *in 4. Decret. 2. c. 7. num. 12.* Ratio est, quia Iura loquuntur solùm de anno luctus; cur ergo ad alios extendamus? Annum luctus Iura civilia tanti faciunt, ac venerentur, ut si intra illam transeat Vidua ad secundas nuptias, velint *l.1.c.de secund.nuptiis*, eam amittere legata sibi à viro relicta: sed meritò hæc à legibus Canonicis, *l.2.de secundis nuptiis*, & *ibi* Innocent. *n.1.* Host. *num.2.*) est abrogata, quia cuilibet soluto, matrimonium liberum est.

6. Denique, si Maritus usum fructum, vel legatum reliquat uxori, si castè vivat; tunc certè, si castè non vivat, ante sententiam legatum amittit, etiam in conscientia: quia illa non est pœna, sed conditio à Marito requisita. Illud noto: hoc *castè vivere*, excludere omnem illicitam copulam (non ergo secundas nuptias, et Molina, Sanch. Vasq. Dicast. apud Dian. *p.10. tr.15. res.21.*) etiam unam, vel alteram, ex Rosell. Sylvest. apud Sanchez *l.7 de matr.d.91.n.32.* (sic mihi videtur, licèt sciam aliter aliquibus videri) imò etiam occultam. Ratio est, quia quamvis, v.g. mentiri semel, non faciat mendacem: At in materia Castitatis, præsertim respectu fœminæ semel cecidisse, est non castè vixisse. Conjice ex eo, quòd si sciretur, usque ad mortem, vir honesta reputaretur. Conjice rursus, quia si fortè concipiat, jam per novem menses, dum habet in utero, inhonesta meritò habetur: imò & semper deinceps, filio illegitimo existente teste luxuriæ Matris. Cùm ergo unus casus etiam occultus ex se feret conceptionem & totius vitæ dedecus, causabit in casu nostro exclusionem à legato debito castè viventi. Dixi (in casu nostro?) nam quando illud, *castè vivere*, exposcitur, non ut conditio, sed in pœnam delicti, id quod ex verbis testatoris colligi debet; probabile est ex Sanch. *ibid.n.4.* exposci crimen esse alias notum; quia debet probari in foro externo, & requirit sententiam Iudicis.

Est nihilominus probabilis contraria sententia, id est, legatum relictum Vxori, si castè vixerit, intelligendum esse non de turpitudine occulta, sed de ea, quæ aliis sit cognita; ita ut fœmina existimata tanquam honestè, & castè vivens, possit sibi in conscientia lucrari legatum. Ita Castro Pal. *t. 5. disp.4.p. 13. §. 7.* cui adhæret Diana *p.10.n.13.res.8.* alios citans, licèt contrariam dicat esse probabiliorem. Vide etiam *ibid.tract.15.res* 21. Ratio est, quia valdè præsumi potest, Virum respexisse ad honorem apud homines, non verò ad ipsam naturam turpitudinis. Idem propter eandem rationem esse in ea, quæ communiter reputatur virgo, si virgini relinquatur legatum, vel hæreditas, probabiliter docent non pauci. Ita Martinus de S. Ioseph, Trullench. Layman, aliique ab eod. Diana citati *d. res 8. vers. confirmatur hac opinio.* Nullò magis si non recipiendo legatum, deberet propria turpitudo palam fieri.

7. Potrò non puto illud (*si castè vivat*) excludere omne peccatum contra Castitatem. Vnde si polluatur, si impudicè tangat, &c. dummodo non sit copula, potest legatum consequi. Ita Sayr. *tom.1. Claud.l.8.c.2. num 8.* Leg. Sanch. *ibid. num. 39.* quia in locutione hominum communi, illud *castè vivere*, excludit illicitas copulas, non verò ejusmodi ex se occultos turpitudinis actus. Atque id in conscientia; nam in foro externo, si fortè ad illud deducantur ejusmodi impudici tactus, cùm sint vehementis Conjecturæ de copula, facilè fœminam à legato repellent. Ita Castr. *t.5.disp.4.p.13.§.7.n.20.*

*Copulam non perficiens. Remissivè.*

8. Dubitamus tertiò. An fornicans incepta copula possit, & obligetur illam inceptam non perficere, quamvis adsit periculum effusionis seminis extra vas? Sed de hac re dicam *infr.c.3.§.5.n.16.*

*Copula cum Sponsa alterius.*

9. Dubitamus quartò. An copula cum sponsa alterius de futuro, sit fornicatio? An adulterium! Respondeo esse fornicationem. Ita Sanch. *l.1.de matr.d.3;* Basil. Pont. *lib.1.de matr. cap.6.n.8.* aliique, quia per sponsalia nondum sponsus ius in sponsæ corpus consecutus est. Cùm, contrà, quia ius hoc consequitur ad matrimonium, sive consummatum, sive etiam tantummodo ratum; ideo tunc adulterium erit.

*Ignorantia in Fornicatione*

10. Dari posse ignorantiam invincibilem circa præceptum non fornicandi, saltem apud Barbaros & incultos, probabile est: Ita Azor. *p.2.l.3.cap.9. quæst.1.* Fag. *l.9. in dec. c.1. n.11.* quia non admodum manifestè illud deducitur ex primis principiis luminis naturalis, Lege citatos.

---

## Caput II.

### §. I. *De Sacrilegio.*

1. IN *Methodo exp.conf.l.2.c.7.§.1.* sic habes: Pergimus ad sacrilegium, quòd duplex in hac materia est. Alterum quod contrahitur ex persona sacra: Alterum, ex loco sacro.

*Sacrilegium ex persona sacra.*

2. Quoad primum, quod est, quando aliquis, qui Deo per votum castitatis se consecravit, adhuc turpia quæcunque, v.g. mollitiem, fornicationem, &c. non veretur admittere, certum est, ut *ex Methodo.cap.1.§.8. præsertim num.52.* constat, non oportere explicare, an semel, an pluries Castitatem voverit; quia id non addit differentium specialem.

3. Quæstio igitur superest, An qui violat votum solemne castitatis, id explicare teneatur; an sit satis, sic fateri *Violavi Votum Castitatis*: quod est quærere, an Votum simplex, & solemne, quod quidem solemni habent tum professi, tum Sacerdotes) differant specie?

Dico esse probabilissimum, cum Sanch. *lib.7. de matr. d.27.n.27.* & *lib.5.in dec.c.6 n.14.* tutúmque in praxi, non differre specie; atque adeò solemnitatem illam Voti non esse necessariò declarandam. Ratio est, quia utrumque votum eandem Religionis virtutem æquè respicit.

Hinc Sacerdos non obligatur in peccatis contra Castitatem explicare Sacerdotium; sed satis est, si dicat, *se voti reum Castitatem violasse.* Ita Sanch. *d. disp. 27. n.30.* Fag. *lib.4.pr.Eccl.2.c.3.n.5.*

Hinc Episcopus, & Generalis ordinis Religiosi, ex hoc capite (nam si adesset aliorum scandalum, iuxta supradicta de scandalo, aperiendum esset) in fornicatione, v.g. non obligatur manifestare *se esse Episcopum, si esse Generalem*, &c. satis erit si votum tantummodo manifestat. Ita Sanch, *d. disp. 27.n.34.* quidquid dicat Fag. *d. lib.4.c.3.n.8.* Hinc Religiosus non est obligatus explicare se vel Religiosum esse, vel Sacerdotem, sed satis est, si explicet

explicet *Votum*. Hinc fœmina soluta, v.g. peccans cum Sacerdote, Diacono, Subdiacono, vel professo, vel habente vota biennij Societatis Iesu, &c. sufficit si dicas, *se cum eo, qui Voto obnoxius erat, peccasse*. Ratio horum est eadem, quæ *præcedenti num.* dicta est.

5. Sed iam exoritur alia difficultas: An qui habens Votum Castitatis, est causa inducens alios ad turpiter peccandum; debeat suum tale Votum explicare? v.g. Petrus Sacerdos, vel Religiosus consilium dat, vel inducit Paulum, & Antoniam nullo voto obstrictos, ad illicitum congressum; debétne Sacerdos ille eam inductionem fatetur, explicare se esse Sacerdotem?

Respondeo non debere. Ita Sanch. *l. 5. in decal. cap. 6 n. 10. in simili.* Ratio est, quia Votum non videtur se extendere, nisi ad obligandum voventem, ne ipse in sua persona delectationes Venereas admittat; non verò, ne alios ad easdem inducat, propriam enim, quámque Castitatem promisit; non alienam.

6. Hic denique nota, Novitium qui nondum vlla vota emisit, non obligari patefacere *se esse Novitium* si forte peccet contra Castitatem: quia donec voveat, novam speciem peccati non committit.

De Peccato cum filia Confessoris, an sit Sacrilegium explicandum Confessario; dixi *superiùs*, §. 1. *n.* 4.

### *Sacrilegium ex loco sacro.*

7. Iam verò quoad alterum genus in hac materia, quod est, quando, in loco sacro, ejusmodi turpia perpetrantur; sciendum est, per voluntariam pollutionem, seu seminis effusionem, quando notoria est, pollui Ecclesiam, & reconciliatione indigere. Certum autem est copulam illicitam, & quamcunque illicitam seminis effusionem, in loco sacro habitam, si sit notoria, superaddere peccato rationem sacrilegij in Confessione patefaciendam.

8. Sed quid primò: quando copula est occulta? Respondeo; licèt communior, & probabilior sententia sit, etiam tunc esse sacrilegium. Ita Suar. *t. 1. de rel. lib. 3. c. 7. num* 4. Sanch. *lib. 9. de matr. disp. 15. num.* 11. Bon. *de matrim. q. 5 p. vlt. n. 7.* Tamen probabile etiam est, non esse, atque adeò in Confessione minimè explicandam. Ita Vasq. *t. 1 p. 2 disp. 98. cap. 3. n. 6.* Basil. Pont. *de matr. lib. 10. cap. 10 n. 15.* citans alios, & dicens esse sententiam communem Doctorum. Ratio est, quia in tantum est sacrilegium, in quantum polluitur Ecclesia: at non polluitur per occultam copulam: ergo &c. Quando autem fuit occulta copula, sed deinde post aliquot dies, v.g. facta est notoria; polluitur quidem Ecclesia in foro externo, indigétque reconciliatione: At copula præcedens non fuit in foro interno sacrilega, nec ab illa, quia occulta, fuit Ecclesia violata.

Idem docet Ascanius Tamburinus his verbis: Ecclesia, & cœmeteria occultè polluta, quando pollutio latet, non indigent reconciliatione; at quando incipit publicari violatio, necesse est, ut Ecclesia reconcilietur.

9. Quid secundò: Si copula sit licita, id est, conjugalis? Respondeo, si adsit necessitas, non esse sacrilegam: de qua vide Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 15. n. 12.* & nos dicemus paulò *infra c. 3 § 5. n. 40.*

10. Quid tertiò: De osculis, tactibus, & locutionibus turpibus sine effusione seminis in Ecclesia publicè factis? Respondeo non esse ex hoc capite sacrilega; unde nec specialiter in eorũ Confessione sacer locus aperiendus Ita *ibidem.* Ratio est, quia hoc sacrilegium committitur ex eo, quòd violatur Ecclesia (quæ quidem violatio per sacros Canones inducta fuit:) at per solos tactus quomodocunque impudicos, quamvis cum pollutionis periculo (modò pollutio non sequatur) non violatur Ecclesia: ergo, &c.

11. Notanter dixi (ex hoc capite:) non enim est negandum, si quis hæc vel similia exerceat in loco sacro cum magna Ecclesiæ irreverentia, ut si meretricem publicè ante Altare impudicè quis tangeret, si in sacro templo lasciuas Comœdias repræsentet, &c. non est quam negandum, ab hoc sacrilegij sceleris in sua propria specie committi, etiam secluſa omni humana prohibitione. Ita Bon. *circa 1. Decal. pr. q. 6. n. 14.* & alij *passim.* Ratio est, quia esset gravis irreverentia divini cultus, atque ac ipsius Summi Dei notabilis injuria.

12. Petes, quid intelligitur, ad hunc effectum, nomine loci sacri; Respondeo quamvis ad effectum refugij locus sacri nomen intelligatur, includátque nõ solùm Ecclesiam ipsam, Capellásque suas, sed etiam Sacristiam, Monasterium, &c. Ita Sanch. *lib 9. de matr. disp. 15. n.* 24. At ad effectum constituendi sacrilegium, tum homicidio, tum in furto, tum hîc, intelligitur sola Ecclesia, & solum Cœmeterium, hoc est, Ecclesia cum suis Capellis consecrata; aut saltem ab Episcopo benedicta, sacris officiis, aut sepulturæ fidelium deputata. Sanchez. *ibid. à d. num.* 23. non ergo oratoria sæcularium priuata, etiamsi ibi celebretur ex licentia Pontificis. Sanchez *ibid. n.* 39.

13. Denique adverte duo: Primò, non addere novam sacrilegij speciem, circunstantiam temporis sacri. Ita de Lugo. *disp. 16. de pœn. sect. 12. num.* 523. Sive igitur festivo, sive die veneris Sancto commissum fuit peccatum, non est necesse ejusmodi temporis in Confessione meminisse. Nisi forte ex alio capite Deo, ejúsque cultui irreverentia aliqua notabilis irroperetur. Ita ibi *n.* 524. ut si quis, v.g. ludos publicos, vel Comœdias, & ludicra spectacula exhibere in die Veneris Sancto, vellet; id enim esse contra Dei reverentiam, nemo dubitare debet.

14. Secundò: Nec ex se superadditus similis sacrilegij malitia, ex eo quod quis peccet gestando sacras Reliquias. Ita Fill. *t. 2. tr. 30. c. 7. num.* 129. apud Dian. *p. tract. resol.* 18. Ratio est, quia non videtur tam gravis irreverentia.

15. Quid, si Sacerdos, v. g. portans Sacram Eucharistiam, vel primò copulam carnalem haberet, vel secundò infamaret, seu furaretur, seu quid simile peccatum patraret? Respondeo: in primo casu magnam irreverentiam agnosco; unde & grave speciale sacrilegium contra Religionem commissum, atque adeò Sacerdos subijciendum. In secundo tam gravem irreverentiam non video. Nec novum est, non omnia peccata aequalem turpitudinem continere: nam propter eandem rationem eum, qui valde impudica ante Altare exercet, non dò *num.* 11. à sacrilegio non liberavimus; liberamus tamen alia peccata non ita turpia committentem. Ita Azor. *t. 3. cap. 17. quæst. 15.*

### §. II. *Additio.*

1. VNum hîc addendum superest: Contra eos, qui rapiunt vel sollicitant, vel corrumpunt Moniales, quod est committere sacrilegium ex parte fœminæ, fulminatur in iure Canonico, *c. si quis rapuerit 27. q. 1.* pœna capitis, & item sacrilegi bona Monasterio depentantur. Nota illud *vel*: significat enim eandem incurri pœnam, etiamsi raptus non adsit, non sollicitatio; & etiamsi adsit sollicitatio sine raptu, &c.

Duas esse numero malitias in Sacerdote, seu Professo peccante cum Professa, speciatim aperiendas in Confessione; dicam mox *capite sequenti*, §. 1. *n.* 2.

De Sacerdote Græco vxorato, an sacrilegium committat, si alias tangat; dixi in superioribus *l. 2. c. 6. §. 3. n.*

## CAPUT III.

### §. I. *De Adulterio.*

1. IN *Methodo conf. lib. 2. cap. 7. §. 6.* sic habes: Certum est conjugatum turpiter peccantem cum soluta, vel contrà, debere explicare se esse conjugatum: quia tunc adest nova species, nempe adulterium, sed quæstio

ne est, An quando conjugatus cum conjugata) & idem
ueritur, quando professus, seu Sacerdos cum professa)
ccat, explicandus sit status veri, sique: An satis sit dice-
Commisi adulterium sacrilegium, &c.

2. Dico non esse satis; sed adulterium, vel sacrile-
um parte utriusque esse perpetratum, fore neces-
ium explicandum. Ita de Lugo *disp.* 16. *de pœn. sect.* 5.
m.258. Ratio est, quia tunc duo sunt commissa pecca-
, alterum, quo quis peccat in sua persona; alterum,
quo cooperatur cum alia, ut illa in propria persona
peccet.

3. Sodomia cum conjuge etiam sua, est adulterium,
denique bestialitas, sodomia, & similia delicta vxorati,
eram cum solutis, sunt adulteria, ut item mollities: at-
que adeò explicanda. Idem dic de osculis, & tactibus im-
udicis, &c. Ita Sanch. *de matr. d.* 18. *num.* 4. Azor. *tom.* 3.
*l.* 3. *cap.* 23. Ratio est, quia in his semper injuria fit
conjugi.

De delectatione morosa conjugati, vide *infrà, l.* 10. *c.* 3.

4. Superest hic, tanquam in suo loco, quærere, An
qui sponsam habet de futuro, id explicare debeat, si con-
tra Castitatem peccet? Respondeo. De hac re dixi pau-
lo *superius, cap.* 1. §. 2. *nam.* 9.

## §. II. *Additio.*

### *Sodomia Conjugati.*

1. Dixi §. *præcedenti, n.* 3. sodomiam cum propria
Conjuge esse item adulterium; unde sequitur,
spectandum esse in confessione declarandam. Quidquid di-
cat contra Sanch. & alios, Machadus apud Dian. *p.* 5. *tr.* 12.
*resol.* 11. Iam ex hoc emergit difficultas: An satis sit ejus-
modi scelus sic parefacere: *Peccaui contra naturam cum
Conjugata*: Respondeo, non esse satis; addendum enim
necessariò est, eam conjugem fuisse propriam. Ita Sanch.
*lib.* 9. *de matr. disp.* 18. *num.* 4. & 5. Pontius apud Castr.
*disp.* 3. *de matr. p.* 4. §. 3. *num.* 17. Bossius *p.* 3. *moralium,
tit.* 21. *sect.* 11. *num.* 32. Ratio est, quia secùs explicetur
peccatum, quod non commisisti: per illa enim verba:
*Peccaui contra naturam cum Conjugata*, significatur, quòd
alter Vir injuriam passus per te sit. Dices: Addat pœni-
tens se cum Conjugata peccasse. Viro consentiente. Re-
spondeo: sic significabitur, injuriam factam esse contra
propriam pœnitentis vxorem; quasi verò pœnitens
adulter fuerit vxore alterius, nó vero vxore sua. Replicas:
Addat se cum Conjugata peccasse, propria ipsius pœni-
tentis Vxore consentiente. Respondeo; sic imputaretur
propriæ Vxori peccatum, quod non commisit; nempe
eam cooperatam esse cum peccato Vxoris alterius Viri;
quæ Vxor alterius, per hæc verba, significatur. Sodomiam
esse passam.

1. Obijcis. Dicendo: *Peccaui contra naturam cum mea
Conjuge*, notam infamiæ apud Cõfessarium in turo ejdem
Conjugi. Respondeo: de hac tota re dictum est universim
in *Moth. Conf. l.* 2. *c.* 9. §. 2.

## §. III. *Adulterij Pœna.*

1. NVlla pœna spiritualis, qualis est excommunica-
tio, irregularitas, &c. ex adulterio, saltem ipso fa-
cto, incurritur. Temporales autem sunt quinque. Prima,
ut dos, & donata propter nuptias amittantur. Secun-
da, ut amittatur ius petendi debitum conjugale. Tertia,
ut incurratur aliquando obligatio restitutionis. Quarta
mores à Iudice infligenda adulteræ, non autem adulte-
ro. Quinta, ut propter ipsum adulterium possit fieri,
divortium. De hac quinta, *in tractatu de Matrimonio*,
Quarta pertinet ad Iudices externos; De tertia & secun-
da, hic nostrum erit nonnulla delibare. Denique prima,
quamvis pertinere item ad eosdem Iudices; quæ tamen
de illa nobis videbuntur necessaria, non præternitte-
mus.

2. Primò ergo, licèt adultera Vxor amittat dotem
(non verò in jure in communi paraphernalia, ex Sylv. *v.
Adulterium*, *q.* 6. lege Sanch. *l.* 10. *de Matr. disp.* 8. *num.* 10.
qui notat aliud ex iure Regni Castellæ.) eámque Vir lu-
cretur post sententiam (nam ante sententiam solùm po-
test eam retinere, si fortè ejus habet possessionem; non
verò ab Vxore possidente eripere) ante tamen, si Vir;
adulterante Vxore, & ipse adulteretur, non amittit do-
tem Vxor. Sic Covar. *in* 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 7. §. 6. *num.* 2.
Menoch *lib.* 2. *de arb. casu* 287. afferentes Iura; quia, ut
habet textus, l. viro, ff. sol. matr. *Paria delicta mutua com-
pensatione dissoluuntur.*

3. Hinc fit, ut vir occultè adulter non possit in con-
scientia vxorem publicè adulteram accusare civiliter, &
dotem acquirere; quod si acquirat, tenetur in conscientia
restituere. Ratio est, quam tangit Sylvester. *v. Dos q.* 15.
quia leges disponunt applicare dotem Viro, non quidem
adultero, sed innocenti.

Quid, si post dotem ipsi applicatam à Iudice, vir
adulteretur? Respondeo, tunc non teneri eam Vxori resti-
tuere, saltem ante sententiam Iudicis; quia ex una parte
eam jam fecerat suam, & ex alia, hæc est pœna, &c.

Dixi (accusare civiliter:) nam criminaliter, hoc est, ad
damnandam adulteram, etiam morte, potest: Ita Sanch.
*l.* 10. *de matr. disp.* 8. *n.* 33. quidquid alij *ibidem* contra di-
cant, quia, quoad criminalia sunt impares vxor, & vir in
hoc delicto: vxori enim sub pœna mortis, non autem
Viro adulterium prohibetur. De pœnis adulterij, præter
citatos, vide Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 8.

5. Secundò, Adulter amittit per leges jus exigendi
debitum conjugale ab Vxore, unde sequi videtur peccare
adulterum, si suæ Conjugi conjungatur; quia sine Iure
conjungitur. Lege Nau. *in summa. c.* 22. *n.* 23. Dico tamen
cum Soto *in* 4. *dist.* 16. *q. vn. art.* 6. id non sequi; quia hæc
est pœna, ad quam incurrendã requiritur accusatio par-
tis, & sententia Iudicis, adde Conjugem innocentem,
quando fortè scit adulterium sui Conjugis, posse, remit-
tere injuriã sibi factam, & sic innocenti non jus offendi;
quia volenti, & consentienti nulla fit injuria. Lege
Sanchez, *l.* 10. *de matr. disp.* 13. *præsertim à n.* 10. qui opti-
mè declarat, quando esset scandalum retinere apud se
Conjugem adulteram; quid faciendum innocenti ne vi-
deatur cooperari cum adulterio.

6. Tertiò: Conjux innocens potest negare debitum
adultero, quia nimirum frangenti fidem, fides non debe-
tur: debet autem esse certus Conjux, saltem per vehe-
mentem suspicionem, de adulterio, si enim dubiæ, vel
etiam probabiles essent conjecturæ, negare debitum non
posset; quia nemo est spoliandus iure, quod possidet, pro-
pter dubium, vel probabilitatem, vt latè diximus, *l.* 1. *in
decal. c.* 3. *n.* 6.

Dixi (Conjux innocens:) nam si & ipse adulter sit;
negare debitum licitè nequit; quia jam injuriæ adulte-
rij compensatæ invicem sunt.

7. Quoniam verò conjux innocens potest, si velit, in-
juriam sibi factam remittere, & reddere debitum Con-
jugi adultero, ut modò dictum est; quæruntur duo: Pri-
mò; An sufficiat remittere mente, atque adeò nihil
sciente Conjuge adultero de tali remissione? Secundò,
an si semel innocens remisit, possit in posterum nega-
re debitum, ex vi adulterij, non quidem novi, tunc
enim posset sine controversia; sed ejus, quod remis-
sum est?

Respondeo ad primum, sufficere. Ita Sanch. *lib.* 10. *de
matr. c.* 14. *n.* 2. quia ejusmodi remissio non est donatio, vel
similis contractus, ad quorum valorem requiritur accep-
tatio; sed est veluti cessio quædam Iuris, ad quam sufficit
ipsa mera renuntiatio; hac enim posita, statim, sagittæ
instar, jus competit cessionario: sicuti renuntiata hære-
ditate, statim sine alia acceptatione competit substituto
hæreditas: sic ergo, facta remissione à Conjuge inno-
cente, statim adultero competit Ius petendi, quod erat
per illam injuriam adulterij impeditum.

Respondeo ad secundum, non posse deinde negare
debitum, nec accusare adulterum. Ita idem *ibid. n.* 1. Ratio
est,

est quia injuria semel remissa, reviviscere nequit, & jus negandi, &c.

8. Porrò hæc remissio duobus exhiberi potest modis: Primò verbis: Secundò factis, quod secundum fit, quando sponte & nulla necessitate exigente, innocens sciens adulterium alterius, copulam reddit, vel petit, vel ridet, confabulatur, & similia amoris indicia exhibet cum adultero. Spontè, inquam, si enim vi, vel levi etiam metu hæc præstat; non est æquum, ex Sanch. *l.* 10. *c.* 14. *n.* 15. innocentem privari suo acquisito jure, & sibi præjudicare: cùm nemo in necessariis præsumatur liberalis. *l. rem legatam. ff. de admittendo legato.*

9. Ex hoc autem alia enascitur controversia: Si enim Innocens det signa illa amoris, vel copulam reddat, petátve; statimne intelligetur verè remittere, atque adeò non posse ampliùs in conscientia negare debitum, vel accusare? Dico (in conscientiâ: scio enim cum Sanch. *l.* 10. *d.* 14. *à n.* 6. in foro externo ea signa haberi pro omnimoda remissione, & consequenter, illis exhibitis, repelli à Iudicibus accusationem.

10. Respondeo: triplici modo se gerere potest Innocens, dú ea signa sponte exhibet, & scienter: Primò, animo vero remittendi. Secundò, animo nullo modo remittendi. Tertiò, abstrahendi ab vtroque, hoc est, exhibet quidem illa, sed nec habendo animum expressum remittendi, nec animum non remittendi: Si primo modo, jam scientiâ negare debitum, vel accusare: quia jam remissio injuriæ satis, supérque facta est, quæ, ut modò diximus, nunquam reviviscit.

11. Si secundo modo: Cùm tunc verè innocens non remittat, remanebit in suo Iure, atque adeò negandi debitum, & accusandi. Ita Sanch. *l.* 10. *de matrim. d.* 14. *n.* 21. Dices at qui fictè promittit, obligatur ad damna secuta ex fictione; ergo & qui fictè remittit. Respondeo, ex hac ficta remissione nullum damnum adulter patietur; solùm enim reddere copulam debebit, & pati illa amoris signa, quæ in hominum existimatione damna non sunt.

12. Si denique tertio modo se gerat læsus Conjux, putat Sanchez, *ibid. circa fin.* cum non posse negare debitum, vel accusare; quia ea signa amoris tam voluntariè, susceptа, sunt vera remissio. Nec est eadem ratio (inquit) de professione Religiosa, quæ requirit actum positivum profitendi: quare si fiat animo simili negativo, seu præcisivo, non est valida: non est, inquit, eadem ratio. Primò, quia ad professionem requirit expressissima quædam voluntas profitendi, cùm sit susceptio novi status. Secundò, quia illa amoris signa majorem habent connexionem cum reconciliatione, quàm ipsum exercitium actvum professorum habeat cum ipsa vera professione. Hæc Sanchez; quæ tu sapiens Lector, expende; ergo expeditam disparitatem nondum introspicio.

## §. IV. *De restitutione damnorum ex adulterio.*

1. Cæsar locuples iuvenis suscepit filium ex Maria vxore Pompæij paribus fortunis ornati; quem ratus Pompæius suum esse primogenitum alvit per multos annos: & tandem contulit ejdem Majoratum, postabito vero primogenito, quem non multis post annis cum eadem Maria legitimè genuit. Ad quid ergo obligabimus Cæsarem, & Mariam adulteros, tanti damni causas? Si enim nullum damnum reale subsecutum fuisset ex adulterio, ad nullam pecuniæ restitutionem eos esse obligatos scimus omnes: priùs de adultero, mox de adultera seorsim. Nec deerit interim resolutio de filio ipso jam grandiusculo, si fortè sciat, se esse ex adulterio.

### *Adulteri obligatio.*

2. Hac in re certum sit: Primò, si Maritus fortè adulterium sciens, exigat satisfactionem pecuniæ pro ipso adulterio; Adulterium posse renvere: quia id prohibitum est *l. transigere, ff. de transactionibus.* Quòd si culpè adulter velit satisfacere in pecunia, potest Marítus in conscientia illam retinere: quia hæc est compensatio sine lenocinio, ut suppono, leges autem solùm foro externo satisfactionem illam vetant, ne detur lenociniis.

3. Certum sit secundò, adulterum nisi certus moraliter sit, illam esse suam prolem, ad nihil obligari. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. In casu autem hac in re certum moraliter censeri debet, quia prudenter creditur, ut opponitur nullo modo vincitur probabile. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 10. *d.* 6. *n.* 50. Sotus, Navarr. Dicast. eosdem cit. *lib.* 2. *tract.* 2. *de iust. d.* 7. *dub. num.* 160.

4. Certum sit tertiò, si adulter aliquo modo sciat adultera prolem susceptam supponeret Marito pro tenerí in solidum, & ex æquo cum ipsa adultera, tum alimentis, tum de hæreditate. Ratio est manifesta, quia tunc adulter est per se primò causa damni consecuti quando enim consilium est in consulentis, & executio commodum, vterque tenetur æquæ primo pro rata, & in defectu alterius singuli in solidum, hoc est, in totum. Lessius *ibid. d.* 41.

5. Certum sit quartò, si adulter sit certus de sua prolicèt non suaserit suppositionem, teneri per se ad alimenta (quæ hæc sint, *superiùs*, dixi *lib.* 5. *cap.* 3.) Ratio est, quia ipse est nunc verus Pater, & illi incumbit alere filium. Dico, per se: nam adesse suas interdum exceptiones, ex modo dicendis à *n.* 9. colligetur. Superest ignorare decernere de Majoratu, vel fideicommisso, vel etiam de parte hæreditatis, quam fortè aliquis similis spurius, aut legitimus esset filius, acquirit.

6. Dico esse probabile, adulterum certò noscentem suam prolem, ac non procurantem, ut ea supponatur pro legitima, non teneri ad restitutionem dictæ hæreditatis &c. probabile etiam esse, teneri. Ratio posteriori dicti est, quia probabiliter censent non pauci hunc adulterum esse causam directam, proximámque illius damni filiorum. Ita Sotus, Henriquez, Diana aliique recen. apud de Lugo *de iust. tom.* 1. *d.* 13. *sect.* 2. *num.* 10. Dicastill. *l. mox cit.*

Ratio prioris est, quia contrarium autumant alij contendentes, hunc esse causam per accidens, indirectam, & remotam. Addunt, solùm Matrem esse causam proximam illius damni; dum adulter, nec suadet, nec procurat. Ita Lessius, Vasquez, Molina; Turrian. Rebellius, aliique communiter apud eundem de Lugo, quos ipse sequitur ibid. Habe exemplum. Si Petrus v. g. furetur à te tuam supellectilem, tu verò ad eam compensandam, furaris pecuniam à Tertio. Petrus non tenetur ad restitutionem pecuniæ, sed solùm supellectilis per ipsum ablatæ: ita adulter est quidem reus adulterij, sed non furti, seu Majoratus, v. g. injustè collati filio spurio: hoc enim furtum sola adultera, occasione adulterij committere videtur. Vtraque opinio saltem propter bonos Authores, probabilis est: legatur & Dicastillus *lib.* 2. *de iustitia, tract.* 2. *d.* 2. *dub.* 2. *à num.* 165.

### *Obligatio Adulteræ.*

7. Dico eam per se obligatam ad restitutionem omnium damnorum, per se filiis legitimis provenientium. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 10. *d.* 7. Vasq. Molin. Turr. aliique apud de Lugo *d.* 13. *sect.* 3. Ratio est, quia ipsa est immediata causa, cur Maritus, & filij legitimi credant illum esse verum filium, atque adeò eo damna patiantur.

Tenetur ergo juxta regulas universales, vel ex suo peculio moderatè expendendo, vel filium ad Religionem inducendo, vel simili quopiam modo procurare, ut quantum potest, damnum caveatur, vel resarciatur.

8. Dixi autem (per se provenientium) nam debet restituere veris filiis ea omnia, quæ ipsis tanquam suis debentur, tale est fideicommissum, majoratus, hæreditas Auj, Avunculi, Consanguineorum, si forte hæc collata

collata fuerint filio spurio. Contrà, non opus est restituere, quæ filiis veris non debentur. Si quis enim putans illum spurium esse verum filium, aliquid ei donet liberaliter, quod fortè non dedisset, immò dedisset veris filiis, non obligabitur Mater, id veris ejusdem filiis restituere: quia id non est damnum per, sed multùm per accidens proveniens ipsis, qui jus in eam donationem liberalem non habebant.

9. Dixi iterum (per se esse obligatam:) nam excusari potest ex sex capitibus, quorum secundum solùm excusat à manifestatione sui adulterij, non verò à restitutione bonorum, si alia excusatio non superaddatur.

Primò igitur excusatur, si non sit certa de prole adultera, ut modò diximus de adultero, licèt enim fortè id Mater ignoret, potest tamen contingere, ut propter vicinitatem copulæ adulteri, & mariti, prorsus ignoret, vel ambigat saltem.

10. Secundò: Si non sit moraliter certa, se posse spurio persuadere illegitimitatem; cui certè non tenetur communiter fidem habere contra se filius cùm possit suspicari Matrem aliis filiis velle favere. Quando ergo filius non tenetur credere, & ex alia parte prævidet Mater nihil se profuturam; frustra esset manifestatio.

Signanter dixi (communiter non tenetur;) nam si filius convinci possit, ut quia est multa fide Mater digna, vel testibus, aliove modo eadem Mater probet toto tempore partus spurij absuisse Maritum; tunc sanè & tenetur filius credere, hæreditatémque respuere; & Mater tenetur, nisi aliunde adsit excusatio veritatem patefacere: quia ipsi tenetur ponere omnia media apta, ad resarcienda, & continuanda damna filiorum.

11. Tertiò: Si filij, vel Maritus remittant obligationem. Et sanè, nisi aliquid multùm grave obstet facile potest præsumere ejusmodi remissionem mater, & sic nihil manifestare. Nam maritus potiùs censetur velle nescire adulterium Vxoris, ne subeat tantùm dedecus, periculúmque invadendi adulterum, adulterámque; quàm amittere aliquid ex bonis fortunæ. Et filij præsertim ingenui præsumuntur potiùs nolle secum matrem à tanta obligatione vrgeri, quam aliquid fortunatum amittere.

12. Quædam sic se liberavit. Habebat ea filios tres, quorum vnus erat ex adulterio, & quia ab illis nihil sibi timebat, sic eosdem est allocuta: *Vnus vestrùm non est legitimè conceptus; si eum nominarim compellavero, ab hæreditate necessariò depelletur.* His auditis timuit quisque sibi, ne spurius declararetur; quare omnes exorarunt à matre silentium, spuriúmque quicunque is esset filii invicem iura cedentes, in partem hæreditatis admiserunt. Huic remedio obstat vnus, ait Covarruvias in *Reg. peccatum, p.* 1. nam filij legitimi metu coacti, adeóque minùs sponte consensere. Approbo dictum. Verùm, si omnes verè id, & ex animo; non autem ex metu fecissent, idque explicitè declarassent, se scilicet iura cedere propter amorem matris, vel ob reciprocam benevolentia inter se simul eadem in domo educatos; tunc admittatur remedium, quia sic ex omni parte est voluntatia remissio.

13. Quartò: Si mater suis bonis, vel alio modo posset, vellétque compensare sufficienter pro omnibus damnis per se provenientibus: quia hoc modo, jam habent filij æquivalenter, id quod accepit spurius.

14. Quintò: Si periculum vitæ, vel similis mali: hoc enim existente, nemo obligabit adulteram, ut se prodat; quia vita nullo pretio est æstimabilis, & quia in extrema necessitate, omnia sunt communia.

15. Sextò: Denique si sit periculum vitæ iuxta famiæ; quia fama est superioris ordinis, & meritò rebus temporalibus præferenda. Sanè hæc excusatio frequentissima est: deficit interdum nihilominus: quando scilicet Mater est prostitutæ famæ, vel etiam quando se deberet solùm prodere apud prudentem filium, vel apud paucos; Et ex alia parte damnum esset tam grave aliorum filiorum, vel Reipublicæ: ut illa parva infamia ex manifestatione proveniens, superaretur notabiliter à tanto damno.

16. Ex his vides, rarò in praxi occurrere casum, in quo adultera suum scelus prodere cogatur. Fauétque Pontifex, dum universaliter dicit *c. Offi. de pœn. & rem.* adulteram esse ad pœnitentiam admittendam, licèt nolit suum crimen marito revelare.

## §. V. *De Conjugatorum peccatis in materia luxuria.*

1. OCcasione adulterij vtile fore Lectoribus censeo, in vnum hic veluti fascem ea colligare, in quibus peccare solent conjuges in vsu Matrimonij. Quæ ut ordinatim proponantur, ad tria capita reducam, ad pollutionem, ad copulam, ad impudicos tactus; tactuique similia.

### *Pollutio conjugalis.*

2. Conjux impudicis tactibus se polluens, vel exercens ejusmodi tactus, intendens habere pollutionem: aut cum probabili periculo illam habendi, mortaliter peccat peccato contra naturam. Ita Navarrus *cap.* 16. *num.* 12. & passim. Ratio est, quia Matrimonium non dat conjugibus facultatem, nisi ad eam seminis effusionem, quæ generationi inservit: hæc autem maximè illi adversatur.

3. Propter eandem rationem eodem modo ijdem peccant, si sese mutuò ad pollutionem provocant. Immò hæc culpa, & præcedens, species est etiam adulterij, speciatim confitenda. Ita nos *in opusc. de Confess. lib.* 2. *cap.*7.§.6.*num*.... Ratio est, quia per hanc turpitudinem, præterquam quod semen prodigitur; dividitur eorum caro, contra datam in matrimonio fidem. An ipsis liceat provocare se tactibus in ordine ad copulam: & an ijsdem liceant aliqui tactus cum pollutionis periculo, dicam mox *n.* 43. *& deinceps.*

4. Vxor tamen, licitè petet, & reddet debitum marito, qui solet sine ipsius consensu in fine copulæ extra vas, consultò semen effundere. Ita Pont. *lib.*10.*cap.*11.*num.*3. contra aliquos, quia ipsa, dum petit, redditque, id facit quod ex se bene fieri potest, & propter malitiam viri, non debet suo iure mulier spoliari. Sed quid faciet in hoc casu Vxor, si ipsa, nondum seminavit; paulò post dicam *n.*17.*&* 18. Est item peccatum contra naturam, si conjuges, dum congrediuntur, voluntariè foras semen emittunt, ut ex se patet: voluntariè, inquam, nam si accidat, quando festinante natura semen foras emittit, quis congredi legitimè conatur; non est peccatum, quia non est voluntarium. Ita sæpissimè accidere in conjuge arcta, quando vir primis vicibus eam cognoscere tentat, notat meritò Sanch. *lib.*9.*dub.*17. *n.*19.*&* 20. Quod fœmina, quæ non sit sponsa de præsenti, vi cognita, statim, & incontinenti possit semen Viri à se receptum expellere, probabile docet idem Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*22. *num.*17. paritate ducta ab eo, qui potest furem incontinenti vbi furtum arripuit percurrere, & non postea. Nos hanc doctrinam non admittemus *mox num.*14.

### *Copula.*

5. Finis, ut omne peccatum etiam veniale vitetur, in Matrimonij vsu aliquis ex his quatuor esse debet, (lege Sanchez *lib.*9 *disp.*8.9.10.11.) Proles in Dei cultu procreanda; Carnis concupiscentia sedanda, Sanitas propria, Vxorisve conservanda, Propria obligatio satisfacienda; quæ duæ postremæ causæ non solùm sunt, meâ sententiâ, quando conjux reddit; verùm etiam, quando moderatè petit ab ea puella, quæ propter verecundiam petere non audet.

6. Neque tamen est necesse, ut ij recti fines, expressè actu signato, intendantur; satis est enim alios pravos fines non admittere, siquidem eo ipso, quod matrimonio vti conjuges volunt, nisi debitos fines expresse removeant,

removeant, illos virtute, & implicitè intendunt. Ita Sanchez *ibidem*, & *lib.2.disp.26.n.25.in simili.*

7. Expresse excludere finem multiplicandæ prolis: immò etiam cupere filios non procreare, veniale est; quia ex una parte jam implicitè remanent alij recti fines; & ex alia, nonnulla inordinatio est illud optare: Non est tamen mortale, quia tunc nihil Conjux ponit, ut supponimus: quod re ipsa obstet conceptioni prolis. Quòd si ob bonum finem, v. g. quia pauper est, nec potest alere filios, illud optaret, ne veniale quidem esset. Qui non reddit debitum, ne prolem multiplicet, an peccet; Vide *mox n.23.*

8. Dices Thomas Sanchez *lib. 9. disp. 9.* tunc solum putat, non esse venialem culpam usum Matrimonij ob finem sedandæ concupiscentiæ, vel sanitatis tuendæ: quando non habet conjux alia media, quibus carnem sedet, vel sanitatem tueatur. Respondè: At Emmanuël Sà *v. Debitum conjugale, n.5.* cum aliis apud Sanch. *loc. d.19. n.2.* putat absolutè hos duos fines semper liberare conjuges ad omni culpa. Confirmo, quia nolo obligare Fideles, qui humano modo solent operari, & non metaphysico, ad speculandum, quodnam medium sit aptius ad tentationes superandas; satis habeant, si eligant illud quod est aptum. Adde conjugi uxorato, convivente domi uxore (quare per fugam vincere non potest, quòd omnium optimum remedium est in hac materia) immò & ad filios procreandos intento, satis difficilia esse alia media ad sedandam concupiscentiam. Ita Layman *lib.6. tract.10. p.2.c.4.n. 2.* Simile quid de sanitate; cùm enim obvium habeat hoc remedium, nolo eum obligare ad alia conquirenda,

9. Denique eum, qui ex sola delectatione petit, vel reddit debitum, peccare solùm puto venialiter. Ita Pont. *lib.1. de matrim. cap.21.n.6.* Quare cùm apud aliquem legis, (Non peccat Conjux, qui alteri ob delectationem petenti reddit debitum) ita Cœlestinus Suessionensis *in comp. theol. moral. tr.2.c. 30.* sic interpretatur: Non peccat, qui alteri ob delectationem petenti, ipse reddit, ut suæ obligationi satisfaciat.

10. Dices: Cur non sequimur Io. Sanch. *disputat.23. n.25.* qui contendit finem solius delectationis in Conjugatis, nec peccatum quidem esse veniale, sicuti non est pulchrum prospectare Campum, fragrantem Rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodiæ liberas aures dare? Respondeo; Ideo illum in hoc non sequimur, quia saltem in praxi, ad quam tendit semper nostra Doctrina, in re tam lubrica, qualis, est luxuria, adest communiter, in volente solam delectationem, periculum labendi in excessum, nimis eo voluptatis fini adhærendo; qui excessus in re, quomodocunque concessa, semper culpa venialis est, veluti excessus cibi, potus, &c. ut explicat idem Ioan. Sanch. *ibid. ex quibus verbis.*

11. Atque hic obiter nota, propter eandem rationem dictam *num.9.* ibi (*ut suæ supplicationi satisfaciat*) fieri, ut quamvis peccet is, qui petit habens fortè Votum Castitatis, vel qui petit cum affinitate post matrimonium contracta ex incestu, altero conjuge non consentiente; tamen non propterea peccet is alter conjux, qui legitimè reddit, potest siquidem, licèt non teneatur, ita Castro Pal. *disp.3. de matr. p.4.§ 10.n.6.& 7.* pravus enim ille finis, & vinculum illius affinitatis se tenentis solùm ex parte petentis, & non ex parte actus, nequit commaculare ipsum actum reddentis debitum ex obligatione justitiæ. Nonnulli hìc addunt, debere conjugem non reddere, quando id non est illi incommodum, id quod dicunt, ne cooperetur conjux sine ulla causa cum peccato alterius, quòd facilè posset evitare. Sed certè in praxi vix invenies non adesse ejusmodi incommodum; semper enim adest timor, ne alter, qui iam copulam appetit (nam propterea petit) ægrè ferat se repelli, & ne enascantur discordiæ.

12. Dixi (legitimè reddit:) si enim post initum Matrimonium appareret aliquod impedimentum dirimens, per quod ij conjuges legitimi non sunt, reddere certè non posset, quia tunc esset fornicatio, non verò copula maritalis, & malitia se teneret ex parte actus, nec solùm ex parte petentis. Rursus, si, qui Votum Castitatis non habet, petat debitum ab eo, qui tale votum habet, vel ab eo, qui contraxit post matrimonium prædictam affinitatem ex incestu (quæ nunc, solùm contrahitur ex copula cum consanguineis in primo, vel secundo gradu sui conjugis) potest quidem, ut dictum est, petere, quia non privatur jure suo; & ille à quo petit, potest, & tenetur reddere, ne ipsum dicto jure privet; at non potest reddere in priori bimestri Matrimonij, nec existente altero conjuge adultero. Ratio est, quia tunc alter non obligatur reddere ex obligatione justitiæ; unde non habet caput, quo excusetur à cooperando cum peccato petentis.

13. *Intentio.* Conjuges habentes ex intentione copulam, ut haberent etiam si conjugati non essent, vel turpiter cogitando deliberatè de alia, vel optando turpiter aliam, vel suam esse aliam sibi non conjugatam; peccant mortaliter. Ita S. Thom. *in 4. d.3.q.2.ad 3.* apud Sanchez *de matr. l.9.d.11.n.3.* Nav. *cap.16.n.23.* Bon. *de matr.q.4.p.6. n. 6.* quia sic, per delectationem morosam tenderent in eam, quæ re ipsa non est sua: quam doctrinam sic limitat Sanch. *l.9. d. 17. n. 6. Si delectatio hæc conjugis in mala re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri, aut fœminæ alienæ, perinde ac posset in cogitatione arboris pulchræ delectari, vel sic, ad actum conjugalem excitetur: nullam adeò lethalem culpam cùm delectatio in nullum turpe objectum feratur, & ad honestum finem dirigatur. Non tamen est hoc alicui permittendum, sed valdè dissuadendum ratione periculi.* Hactenus Sanchez. Qua ratione delectati copula præterita, futura, vel conditionata, dicam suo loco *lib.10.c.4.& 5.*

14. *Effusio extra vas.* Peccat mortaliter mulier, quæ suscepto semine se erigit, vel mingit, & sic velit conceptionem impedire. Ita Sanchez *lib.9.disp.21.n.3.*

*Velit* dico; nam quia matrix semper retinet multum seminis propter vim retentivam, quam pollet, re ipsa non impedit, licèt multùm noceat: Ita Belloch. *de casibus reservatis, p.2. q.4.n.365.* peccat nihilominus ex illo pravo animo, quare si hic desit, séque ob alios bonos fines erigat, vel mingat, culpa saltem gravi vacabit. Huc facit quidam casus, quem afferam non multò pòst *c.7.§.1.n.9.* Fagundez *in dec.l.2. lib.6 cap.3. num. 50.* ait non peccare fœminam se invertentem post copulam, ut semen foras ejiciat, ne concipiat; quando aliqua causa rationabilis excusat, v. g. periculum mortis in partu, aut labor magnus, & magnum detrimentum in detinendo. Sed certè nulla ratione est audiendus: quia impedire generationem, est ex se intrinsecè malum.

Dices; Sanchez alios cit. *lib.2. de metr.d.22. num. 17.* docet sponsam per vim oppressam à sponso ante bimestre, posse semen in continenti statim expellere: & idem diceret de quacunque fœmina vi oppressa, quia (inquit) tunc reputatur mulier se defendere: sicut enim suam rem defendere reputatur dominus quando statim rem à fure subreptam sibi reassumit: Sic, si fœmina statim semen furtivum ejiciat, adeóque generationem impediat: Ergo impedire generationem non est intrinsecè malum, quia si hujus generis esset, Sanch. non potuisset dicere in prædicto casu licere.

Respondeo: Hanc Doctrinam Doctissimi Sanchez meritò non admittimus: tum à posteriori, quia sequeretur hoc ipsum, nempe licere generationem aliquando impedire: tum à priori, quia fœmina potest quidem se defendere omnibus aliis viis, non verò quando adest damnum tertij innocentis: ut in casu nostro adest damnum prolis. Sicuti nec dominus posset sibi rem suam statim à fure repetere cum directo damno innocentis alicujus tertij. Cætera vide apud Texedam *in Theol. mor. t.2. l.4.tr.1.n.124.*

15. Peccat item Maritus, qui copulâ inceptâ, desistit seminando, quando uxor jam seminavit. At si hæc non seminavit, poterit, ex Dian. *p.3.tr.4.res.202.& 221.*

Sanch

Sanch.l.9. *disp.*19. *n.*3. de ejus assensu se retrahere, modò non sit periculum pollutionis extra vas, id tamen magna diligent cautela ? quia irrita jam vtriusque naturâ, facilis est alterutrius seminatio extra copulam, quod bene probat Leander *de Sacram.t.*2. *tr.*9. *disp.*25. *q.*15.

16. Illud concedit Præpositus *in* 3. *quæst.*74. *art.*10. dub.1. apud Dian.*p.*6. *tract.*9. *resol.* 37. si vir ob morbum, aliámve causam copulam interrumpat, si deinde sequatur pollutio extra vas ab ipso nequaquam intenta, nec adsit periculum consentiendi, non esse saltem mortale : quia tunc ea sequitur contra voluntatem ex opere licito. Nam propter eandem rationem iudicant meritò non-nulli fornicantem posse, atque adeò debere extrahere à copula incepta, etiam post semen à confornicante emissum, nam recedendo ab illa recedit à peccato, quod semper est licitum, immò debitum, quate, si sequatur pollutio, sequetur ex opere licito, & præter intentionem, consensúmque. Lege Less*l.*4. *c.*3. *dub.*7. *n.*55. Sanch.*lib.*9. *d.*19. *num.*7. docentem esse probabile licere, immò teneri fornicantem ad prosequendam copulam, quando fœmina jam seminavit, vel inevitabiliter seminabit, contra quam agit Aversa citatus, & exceptus à Diana *p.* 9. *tr.*8. *res.*31. & *p.*6. *res.*37.

Quod dixi concedi à Præposito, est omnino distinguendum. Vel enim primò, Vir consultò commiscetur cum Vxore, volens propter morbum non seminare, prævidens tamen futuram pollutionem extra vas ; Et id nullo modo est approbandum, quod tamen videtur approbari à Diana *p.*6. *tr.*6. *res.* 37. Ratio mihi manifesta est, quia nunquam licet procurare pollutionem, seu dispositionem seminis. Sed quid est magis id procurare quàm commiscere cum muliere, animo se retrahendi, quando natura est irritata satis ad seminandum ? Sanè commixtio hæc magis est procurativa seminis, quam sit quælibet contractio genitalium, manibus, vel quolibet instrumento facta. Id tu dixeris, conjugem dare operam rei licitæ ? Verendorum tactus aliqui sunt probabiliter licite conjugatis extra periculum pollutionis ; non ergo tactus valdè impudici, ut est contractatio, & nutus eorundem : quia tunc id non est solùm tangere, sed ipsam met procurare pollutionem, ut dicetur *mox*, *n.* 55. & 56. Multò ergo minùs licebit hæc commistio, seu copulatio incohata.

Vel secundò, Vir commiscetur cum vxore animo legitimè seminandi intra vas, sed interim incidit repentina alicuius inexpectati morbi accessio subitus terræ motus, subita rixa, &c. & tunc se retrahat ( & id approbare solùm potuit Præpositus ) quamvis prævideatur futura seminis dispersio, sed non intendatur, tunc enim verè per accidens, & extra intentionem sequitur pollutio.

17. Duo supersunt hic explicandi : Primum sic propono : Vxor quædam satis frigida, minúsque venerea aliò cogitationem vertebat, dum vir eum ea congrediebatur ; unde fiebat ; ut ipsa non seminante, seminarer damnaxat Maritus : quo illam peccato damnabis ? Respondeo, nullo condemnat Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 6. *d.*44. *num.*35. lege Dianam *p.*4. *tract.*14. *res.*37. quia semen mulieris valdè probabiliter nec activè, nec necessariò ad generationem concurrit. Præterea, si illam condemnares, etiam reas efficeres vetulas, steriléve congredientes cum viris validis, & feracibus. Propter eandem rationem nonnulli rectè docent, mulierem non obligari expectare viri seminationem, & item, vbi vir seminavit, posse ipsam suam seminationem negligere. Ita Thom. Sanch.*lib.*9.*d.*17. *num.*6. Convertere denique animum ad alia, ne natura excitetur, licitè potest vxor. Ita Martin. des. Ioseph. apud Dian. *p.*10. *tract.*13. *res.*42. *fin.* suæ enim obligationi sufficienter satisfacit, si viro vsum sui corporis ipsa præstet.

16. Secundò quid contra ? Potéstne licitè vxor postquam seminavit vir, membrúmque retraxit ( nam illum obligare non possum, ex Sanchez *ibid.n.*9. ad expectandum, ut post seminationem suam, seminet mulier, licèt expectare possit, si velit) potéstne, inquam, se ad seminandum manibus adiuuare ? Respondeo, licèt aliqui negent, ut Rodriguez *in summa.p.*3. *c.*88. *n.*4. Castr. Pal. *d.*3. *de matr.p.*4. §.3. *num.*6. Texeda mox citandus, tamen cum Sanchez *lib.*9. *d.*17. *n.*12. licèt id *in Editione Lugdunensi*, *anno* 1621. sit expunctum ( inclinat Diana *p.*2. *tr.*17. *resol.*38. Lessius *lib.*4. *c.*3. *dub.*7. *n.*55. & *dub.* 14. *n.* 94. aliíque ab eodem Dian. *ibid.* citati ; quamvis idem Diana contrariam sententiam amplexus deinde fuerit, ex Texeda *p.*9. *tr.* 8. *res.*31. *p.* 10. *tr.*13. *res.*42. probabiliter puto licere modò sit continuò, & immediatè. Ratio est, tum quia est probabilis etiam illa sententia, quod semen mulieris multum conferat ad generationem ; tum quia nimis durum esset, irritam naturam velle compescere ? idque non rarò, quia mulieres sunt viris frigidiores, tum denique, quia illa mulieris seminatio, in eo casu complementum est præcedentis actus maritalis. Quibus rationibus conatur respondere Texeda adductus a Diana *d.resol.*51. sed illæ responsiones, vel mediocri Theologo proh ! quantum frigent.

Nec minùs friget ratio Castro Palai *loco citato*, quam contra sententiam Sanchez affert. *Coniugibus* ( ait ) *ea copula licita est*, *per quam efficiuntur una caro : at mulier per illam effusionem non videtur fieri vna caro cum viro*, *utpotè ab ea separato : ergo*, *&c.* Hæc ille. Sed meritò ( sapientissime vir ) dixisti ( *non videtur* : ) nam Maritus, & vxor non fiunt vna caro, per externum illum tactum corporum, qui videtur ; sed per commistionem seminum vtriusque, quæ non videtur. Vnde colligo principium Castro Palai, sententiæ Sanchez valde favere ; sic : Ea copula ( dicit meritò Castro Pal. ) licita est Coniugibus, per quam efficiuntur vna caro : subsúmere potest Sanchez : sed fiunt una caro per commistionem seminum ; ergo, &c.

Non nemo benignius aliquid doctrinæ à nobis hactenus traditæ concedit. Docet enim etiam ipsum Virum licitè posse tunc suis manibus pudenda vxoris contrectare, ut ipsa seminet ; quia id ( inquit ) non est nisi licitam copulam perficere : Ita Bancius, Leander, Martinus de S. Ioseph, quos citat, sed reprobat Dian. *part.* 10. *tract.*13. *resol.*42. quod tamen, an sit probabile, expendant alij.

19. Illud difficilè erit Vxori Diximus *n.* 4. eam posse reddere, & petere debitum à viro, qui in fine copulæ solet membrum extrahere, & extra vas seminare. Iam si ipsa Vxor in eo casu non seminavit, irritatáque satis est, poteritne se provocare ad seminandum ? Respondeo : Neutiquam id concedo : solùm si sequatur suo naturali fluxu sine consensu seminatio, ipsa non erit in culpa. At, si se provocet, qua ratione à culpa liberabitur ? Semine enim Viri in vtero non existente, suum semen non emitteretur ad generationem adiuvandam, sed ad libidinem explendam. Huic ego non mulieri author sum, ut nec petat, nec reddat, si id inconveniens immingere prævideat ; potest enim non reddere, & consequenter debet non reddere hoc periculo imminente ; ipsa enim ad hanc redditionem ea circumstantia infectam nunquam se obligavit.

20. *Debitùm copulæ* Coniugi non adulteto, quamvis excommunicato ex Castro Pal. *de matr. disp.*3. *q.*4. §.10. seriò petenti etiam semel negare, vel differe coniugale debitum, per se mortale est, ex triplici capite, ex eodem *ibid.* §.1. *num.*5. contra Pont. *lib.*10. *de matr. cap* 2. *num.*2. dicentem semel, aut iterum negare non esse mortale, idque etiam dote non soluta, ex Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 5. *num.* 1. Quia coniugi negatur, quod suum est, Quia ex negatione exoriuntur discordiæ, Quia ferè semper adest periculum incontinentiæ in coninge petente. Sunt tamen huius rigoris, ordinariæ exceptiones decem.

12. Prima : Quando precibus, & blanditiis vir petit vel ita remissè petit, ut facilè desistat. Ita Corneio, & Ochag, apud Dian. *p.*5. *tr.*5. *resol* 14. & *tract.*14. *res.*37. *fin.* tunc enim non videtur graviter offendi ex negatione

nam etiam quando solis precibus petit creditor debitum pecuniæ, cùm possit seriò, iudicatur non ferre graviter dilationem solutionis, semper intellige, si absit periculum incontinentiæ, & nisi ex verecundia quis non auderet aliter exigere.

22. Secunda: quando eodem semoto periculo, rarò Vxor deneget. Ita idem *ibid.* Quare si quinquies soleat Vir petere in mense vno, potest vxor semel non correspondere, ut etiam potest matutinæ petitioni serò ad vesperas debitum reddere. Ratio vtriusque dicti est, quia non existente incontinentiæ periculo in petente, levis vtraque dicta negatio iudicanda est. Quid si nimis crebrò vir petat? Respondeo: sanè negare licitè potest, si absit incontinentiæ periculum: quia mulier ad ordinarium, communémque modum se obligavit, non ad superfluum, quale tamen sit istud superfluum, difficile est dimetiri; nec alio modo, nisi iudicio prudentis, spectata ætate, viribus, sanitatis conjugum est expendendum.

23. Tertia: quando conjux negat ob multitudinem prolis, quam sustentare nequit: Ita Sotus contra Navarr. apud Laym. *lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. num. 16.* Contra Castro Pal. *l. c. §. 10. num. 9.* Sicut enim in aliis debitis magna incommoditas excusat à solutione, ita hic. Semper tamen, ut nimis sæpe dictum est, secluso periculo incontinentiæ. Quo item secluso, posse Conjuges convenire, ut non exerceant copulam, ne onerentur filiis; mihi dubium non est.

Hinc insurgit nova quæstio, An possit quis negare debitum propter fœtorem oris sui conjugis, hæc enim magna incommoditas est.

Respondeo, non posse, Primò, si fœtor non est magnus. Secundò, si aliquibus remediis, putà odore apud se vel coniugem assumpto, vel iterata ablutione vinci illa maleolentia possit. Tertio, si aliquo tempore malus odor, cessante fortasse infirmitate deferveat. Posse autem, si fœtor est notabiliter gravis, nec vllo modo, vel tempore vinci queat, immò tunc, etiam separationem toti fieri posse, docet Banci *in singul. casu*, de quo casu in terminis à nullo Doctore fuisse disputatum, *ibid.* affirmat.

Ratio allatæ doctrinæ esse potest, quia in prioribus tribus casibus difficultas non esse tanta supponitur, quæ possit vincere obligationem debiti, quam contrahunt conjuges in contractu matrimonij. At in vltimo casu, cùm supponatur magna difficultas, non præsumuntur conjuges vsum matrimonij cum tanta difficultate (quæ moralis impossibilitas vocatur à Theologis) promisisse.

Confirmatur, quia docet Sanchez *lib. 9. de matr. d. 24. num. 21. circa fin.* non teneri sanum conjugem reddere debitum conjugi, qui incidit in lepram, etiam secluso periculo contagij, quando accessus est satis difficilis, ac moraliter impossibilis ex nausea talis morbi, afferentque Cardinalem dicentem, non compelli conjugem ad debitum reddendum, quando ob lepram nimius horror insurgit. Sed eadem nausea militat in casu, de quo loquimur. Ergo. Quando fœtor fuit cognitus ante initum matrimonium, mox dicam.

Quid, si conjux malè olens patiatur morale periculum incontinentiæ? Respondeo, nec tunc in vltimo casu prædicto obligari conjugem alterum, ad reddendum. Ratio est, quia lex charitatis non obligat cum tanto incommodo proprio, saltem quando necessitas spiritualis proximi non est extrema, nec gravis, quemadmodum non est hæc, cùm conjux malè olens suis stimulis impuris, possit aliis remediis occurrere: lege *n. sequentem.*

24. Quarta: Quando negat propter rationabile periculum, suæ salutis, ut si ipse sit febri oppressus, vel conjux alter sit morbo contagioso affectus, vel post cibum, vel balneum assumptum, &c. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 24. per totam.* An verò tunc, quamvis non obligetur, possit nihilominus licitè reddere? Distinguendum est: Si est periculum vitæ, non potest, quia nemo est Dominus suæ vitæ. Si est solum periculum longi morbi; ut Gallici, lepræ, &c. licèt non obligetur, tamen potest: quia in his morbis, quamvis diuturni, sed non ad mortem tendentibus præponderat Matrimonij amor, atque evitatio periculi incontinentiæ in vtroque conjuge.

Vxor semper ænitens fœtus mortuos, an possit reddere, & petere, & posito quòd possit (ut certè potest) an teneatur reddere, diserte habes apud Sanch. *lib. 7. de matr. d. 102. n. 8.*

Sed quid, si sit periculum incontinentiæ, obligaris cum tuo sanitatis periculo conjugi copulam tunc concedere? Respondeo: non obligaris: Ita Conjnch. Lay. aliique apud Castro Pal. *disp. 3. de matri. p. 8. §. 10. n. 4.* Præpos. *3. p. qu. 4. de matr. dub. 5. num. 14.* quia aliâ via sibi consulere potest Conjux.

Quando lepra præcessit matrimonium, & à te sanè cognita fuit, tunc ex Sanch. *ibidem* debet reddere, quia ejusmodi periculo longi morbi consensum legitimè præbuisti, & commune est omnibus pactionibus, ut detegatur vitium rei, ita obliget contractus, sicuti si vitium abesset; Idem igitur erit in præcedenti casu de vitio fœtore, si illius conscius fuisti, nisi sit tantus, sive fetor sive horror ex lepra, ut physicè te inhabilem reddat ad copulam, ut *ibidem* notavit Sanchez.

25. Quinta: In primo bimestri, post initum Matrimonium verbis de præsenti, non obligantur Conjuges reddere debitum, quo consummetur Matrimonium, quod per sacros Canones *c. ex Publico, de consu. conjug.* in illis duobus mensibus, dum est Matrimonium Solùm ratum, & non consummatum, possunt deliberare de Religione assumenda, lege Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 22.* Quòd si certi sint, se nolle esse Religiosos, adhuc non obligantur reddere. Ita Præp. *in 3. p. q. 3. dub. 6. n. 47.* apud Diana *p. 4. tr. 4. res. 133.* favet Sanch. *loc. cit. num. 16.* contra Conjnch. *de Sacram. d. 26. dub. 4. concl. 2. num. 46.* quia ille animus non tollit jus, quod habent in toto eo bimestri; quod quidem jus datum fuit absolutè, licèt propter illum extrinsecum finem deliberandi. Post consummationem matrimonij quocunque tempore factam, semper debet de reddere oportebit; quia non est ampliùs Religionis locus.

26. Sexto Posse licitè Conjugem negare debitum petenti ante benedictiones Ecclesiæ, notant probabiliter aliqui. Ratio est, quia probabilis censetur opinio: docens copulam conjugalem ante dictas benedictiones, peccatum esse veniale: hoc ergo velle evitare, non se copulando, licebit conjugi.

Petenti verò ante denuntiationes, (si quando matrimonium ante illas contractum de præsenti ritè fuit) multò certiùs est, posse debitum denegari: quia consummare matrimonium rarum, non præmissis denuntiationibus, esse mortale ex Tridentino colligit probabiliter Sanch. *lib. 3. de matr. d. 11. n. 3.* aliique apud ipsum. Velle autem mortale peccatum evitare, non licèt solùm, sed debet. Non inficior interim alios putare non esse mortale, quando certi sunt conjugati nullum inter se adesse dirimens impedimentum: nam propterea ij sequentes hanc opinionem, possent sine peccato copulari. Ita Sot. Ledesma, Rod. aliique, quos cit. Diana *p. 9. tr. 8. res. 19.*

27. Septima. Ei, qui emisit Votum Castitatis, & ei, qui contraxit Affinitatem cum suo Conjuge ex incestu, posse alterum Conjugem negare debitum, innui *suprà, n. 11.* Sed adverte, si tu consensisti Voto, vel incestui, non solùm te non teneri reddere debitum, sed nec posse petere, quia per consensum datum ad vovendum renuntiasti iuri petendi. Ita Laym. *lib. 5. tr. 10. 3. p. c. 3. n. 12. & 15. fin.* & per consensum ad incestum, incurristi etiam tu ex Sanch. *lib. 9. de matr. d. 27. n. 3.* in pœnam non petendi debitum ut *ibid.* insinuavi.

28. Octava: Non peccare Vxorem nolentem reddere debitum, dum ipsa est in suis menstruis, probabiliter docet cum aliis Bonac. *de matrim. q. 4. p. 6. n. 10.* quia tunc esset peccatum veniale copula, ob difficultatem retentionis seminis, &c.

29. Nona: An amenti debeat sanus conjux debitum reddere? de tota hac re habet summatim hæc tria ex Sanchez *lib.9.matr.d.23.*

Primò, si vterque conjux sit omninò amens, vel rarò habens lucida rationis intervalla; sunt separandi propter damnum prolis fortè futuræ sine parentum educatione. Quod si sunt solum stolidi (*tonsi*,) non sunt separandi; quia vtcunque habebitur educatio.

Secundò si solus vir est amens, potest vxor sana cum eo copulari, quia non erit damnum prolis, cùm hæc habitura sit matrem educantem. Sed per se non obligatur reddere debitum; quia petitio amentis non est actus humanus, cui vxor debeat respondere. Per se, inquam: nam si adsit periculum incontinentiæ conjugis amentis, obligabitur (ait Sanch.) occurrere huic periculo debitum reddendo. Sed oro te, amice Lector, ut expendas, hoc periculum non fore nisi materiale; nam incontinentia amentis non est culpa. Faciliùs ergo dic obligari tunc vxorem propter periculum dispersionis seminis sui viri cum fructione generationis, cui ipsa vxor potest consulere, recipiendo in se materiale semen.

Tertiò, si sola vxor est amens, vir potest cum ea conjungi, quando amentia non est furiosa, unde non sit periculum abortus, quia proles jam habebit Patrem educantem. Quando autem adest ejusmodi periculum, non potest; quia cooperaretur ad faciendum abortum.

30. Decima: Dubius de suo matrimonio, vel de impedimentis, an possit petere, vel an debeat reddere, dixi satis supérque *lib.1.in dec.c.ap.3.§.7.v. Matrim.* & *v. Dispensab.*

31. Sed redeamus ad cætera, quæ pertinent ad debitum copulæ. Debitum, ni melius dicam, indebitum petere vel reddere intra vas præposterum, esse peccatum contra naturam, *superiùs* docuimus. Quid copulam incipere in præposteto, sed animo consummandi in natura, & re ipsa ibi consummando?

Respondeo, adhuc esse mortale: Ita Sanch. *lib.* 8. *matr.d.17.n.4.& 5.* & Bon. *de matr.l.c.p.11.num.13.* contra Navar. *de pæn.cons.4.* apud Dian. *p.2. tr.17. res.37.* Ratio mox dicetur *num.seq.*

32. Quid perfricare genitalia in superficie vasis præposteri? Respondeo adhuc esse mortale. Ita Pont. *libr.* 10. *matr.c.11.n.5.* & Castr. *de matr.d.3.p.4.§.2. num.6.* contra Sanchez *lib. 9. de matr.disp.17.n.5.* quæ sententia Sanch. *in aliquibus Codicibus Lugduni anno* 1621. *impressis* est deleta; illam tamen affert Tancredi *de matr.lib.* 8. *disput.17.§. quares 3.vers. Dacit & in hoc:* contra Tex. dam. Ratio huius, & præcedentis resolutionis est; quia in præcedente casu, est certò inchoatio peccati contra naturam in hoc, quia tactus tam vicinus vasi præpostero prohibito, videtur conjugibus etiam ipsis prohibitus; & certè quod praxim, cùm semper ille tactus fiat ex affectu ad locum præposterum, semper erit saltem ex affectu mortalis. Idem puto in casu, de quo nuper interrogatus fui; hoc est, de quodam viro, qui voluptatis gratia digitum intromittebat in vas vxoris præposterum. Est enim affectus ad præposteram libidinem.

33. Quid denique si genitalia intromittantur in os fœminæ, cum pari animo seminandi in vase naturali? Respondeo, adhuc esse mortale. Ita Fagundez *in dec. præc. lib.6.c.3. num.19.* apud Dian. *p.6. tr.7. res.7.§. Quæ-* eadem, contra Sanch. *loc.cit.* qui locus Sanchez etiam in dictis Codicibus deletus est: Sed pari modo affertur ab eodem Tancredi *ibidem.* Ratio posset esse, quia id videtur adeò esse contra rectam rationem, excedens alias deordinationes in materia luxuriæ, ut constituat novam luxuriæ speciem innominatam, seu ejus inchoationem: sed certè aliquid apud Dianam, *loc.c.irrumationem* appellant. Vide tamen quæ dicam *infrà.c.7.§.1.num.3.* vbi ex Filliucio videor sequi opinionem Sanchez.

*Copulæ modus.*

34. Situm variare in copula, sive scilicet à latere, sive à tergo, sive alio modo; dummodo Conjuges vniantur in vase naturali, est solum veniale; quia non est nisi parva deordinatio: quando autem adest causa, ut si Vir, v.g. propter pinguedinem non posset congredi, nisi retro accedat, vel quia vxor est gravida, &c. ne veniale quidem est; quia matrix sufficientem seminis partem naturâ suâ attrahit ad se, atque adeò non impeditur generatio: esto, certiùs secutura sit alio modo. Conjuges enim ad certam generationem quærendam tenentur, non ad certissimam. Ita Pont. *l.10.c.11.n.3.*

*Copulæ tempus.*

35. Accedere ad conjugem, dum est gravida, vel dum est in menstruis, non est saltem mortale, & probabiliter nec veniale. Ita Sanch. *lib.9.d.21.num.7.* quia regulariter in gravida non est periculum abortus, & in menstruata non apparet, unde adsit prohitio, cùm etiam tunc adsit saltem minùs principalis finis, qui est concupiscentiam sedare.

36. Nec in Adventu, nec in Quadragesima, nec diebus festis, &c. adest prohibitio congressus conjugalis. Aliud enim est nuptias celebrare, id est, benedictiones nuptiales in Ecclesia, & solemnem inducere traductionem sponsæ in domum sponsi, quæ duo sunt vetita in Adventu, & Quadragesima, &c. lege Sanch. *lib.7. de matr.disp.7.Syl. v.Matrim.7.q.2.* Aliud copulam exercere post legitimum consensum de præsenti; quod esse prohibitum, nullibi legitur.

Qua ratione tempore Eucharistiæ sumendæ, sit conveniens à copula abstinere, dictum est à nobis pluribus *in nostro opusc.de comm.c.2.§.1.*

27. Remanet aliquid dicere de tempore senectutis conjugum. Ij ergo, quamvis credant, non ampliùs filios generaturos, copula vti queunt; Quòd si ita sint senes, vt semen non emittant, adhuc ad copulam conari possunt, & tactus alio conjugum, de quibus *mox* exercere. Ratio est, quia eo ipso, quòd sunt, conjuges, ad hæc omnia jus habent, saltem propter alios minùs principales, fines, concupiscentiam sedandi, amorem mutuum fovendi, &c. Differunt igitur permaxime hæ duæ quæstiones: an senes conjuges omnino exhausti, conari possunt ad materialem copulam, & an senes omnino exhausti, ita ut iudicio Medicorum nulla antè adivuari possint ad copulam habendam, Matrimonium inire queant; Illud prius; ut certum concedimus cum Sanch. *lib.7.disp.102.n.9.* hoc posterius negari debere, docet cum multis idem Sanchez, *lib.7. de matrim.disp.92.numer.24.* quem vide.

38. Quòd si ejusmodi senex conjugatus non possit alio modo congredi, nisi semen effundendo extra vas; bene distinguit Castro Palaus, *disp.3.de matr.p.4.§. numer.7.* Si dubius est dictus senex, an semper ita sit congressurus, potest licitè, ex Bonacina, *de matrim. disp.4. part.6.n.17.* congredi; quia donec dubius est de effusione, vtitur iure suo maritali, & illa effusio est ipsi per accidens; & ab eo momento, quo moraliter fit certus, semper ita futurum, illicitè congredietur: quia tunc per se esset illa effusio extra vas, atque adeò peccatum contra naturam.

*Copulæ locus extrinsecus.*

39. Publicè conjuges copula, ut etiam se impudicè tangere, peccatum est mortale. Ita Tho. Sanchez, *lib.9. disp.14.num.1.* quia id ex se adversatur honestati, & quia est occasio proxima peccati; cùm certum moraliter sit, aliquem ex aspicientibus, saltem in turpem delectationem incursurum.

40. Idem, si in loco sacro, etiam privatim ea exerceatur (quinam sit locus sacer ad effectum hujus peccati, vide fusè apud Doctores Th. Sanch. *lib.9.d.15. à num.23.* Castr Pal. *tom.2.tr.11.d.1.num.2.* & nos innuimus *suprà c.2. §.1.n.12.* (Ratio est, quia ex se magna est irreverentia,

in locis Deo deputatis hæc turpia, quamvis aliàs licita perpetrari. Non inficior tamen, à iusta causa posse peccatum excusari. Sola autem hæc est, periculum incontinentiæ, quo fortè laborent Conjuges, si in loco Sacro sint concluſi per longum tempus, putà vnum mensem ex Sanchez, *lib. 9. matr. d. 15. num. 12.* quindecim dies ex Lessio *lib. 4. cap. 3. d. 12. num. 86.* decem dies ex Fagundez, *prec. Eccl. 2. lib. 4. cap. 4. num. 21.* quatuor vel quinque dies ex Suario, quem citant Fagundez *ibidem*, & Diana *part. 1. tract. 7. resol. 19.*

*Tactus, & his affinia inter Conjuges.*

41. Tactus partium honestarum, vel inhonestarum aspectus earundem, turpiloquia, morosæ cogitationes duplici modo exerceri inter Conjuges possunt. Altero, sine pollutionis periculo, de quo priùs agam; altero, cum ejusdem periculo, de quo posteriùs.

*Tactus, cum pollutionis periculo.*

42. Omnia *num. 41.* prædicta inter Conjuges licita sunt, si fiant vel ad se præparandos ad copulam, vel ad vitandam incontinentiam, vel ad ostendenda amoris legitima signa: At sunt venialia, si dumtaxat ob voluptatem, sive quæ nascitur ex ipsa finali copula, ad quam hæc tendunt, quámque imaginariò Conjux absens sibi præsentem facit; sive quæ nascitur ab ijsdem dictis actibus, abstrahendo à copula. Ita Thom. Sanch. *lib. 9. de matr. d. 14. per totum.* Ita Sanch. *d. 11. num. 26.* Fill. *tom. 2. tr. 30. cap. 9. num. 195.* lege Dian. *p. 3. tract. 4. resol. 225.* Ratio prioris dicti est, quia, sicuti Matrimonium licitam reddit copulam; ita ea omnia, quæ naturâ suâ sive implicitè, sive explicitè, ordinantur ad illam; ita ut Conjuges, si osculentur invicem pudenda, sine dicto periculo pollutionis; licèt acriter reprehendantur, non tamen damnentur de mortali à Filliucio. Si digito, vel si genitalibus tangat. Vir partes præposteras, vel os Vxoris; jam diximus *à num. 31.* Rationem posterioris dicti diximus *num. 10.*

43. Duæ sunt hîc difficultates, Prima an idem sit, quando Conjuges sunt impediti, nec copulam exercere possunt. Respondeo esse bene distinguendum. Si enim impedimentum est extrinsecum, ut, v. g. ob infirmitatem, vel absentiam, non datur illis Matrimonio vti; vel si alter, aut etiam vterque conjux affinitatem contraxerunt ex incestu post Matrimonium initum, quando Conjugi incestuoso interdicitur sola petitio copulæ; vel si sunt in loco publico, ubi solùm illicita sunt copula, & tactus, modo *superiùs* dicto; Si, inquam, extrinsecum est impedimentum, possunt ea omnia, ut modò diximus exercere, si absit pollutionis periculum. Ratio est, quia per illud impedimentum extrinsecum non tollitur jus Matrimonij, quod dat licentiam jis omnibus actibus. At si impedimentum est, ut ita dicam, intrinsecum hoc est tollens jus ad maritales actus, ut si superveniat scientia de invaliditate matrimonij, vel Conjuges voverint integram Castitatem; (nam si solùm partem, ut, verbi gratia, voverint non petere debitum, cætera non essent voto subiecta, quare exerceri licitè possent) tunc illa omnia essent prohita. Ratio est, quia ideo conceduntur, quia ordinem implicitum, vel explicitum habent ad copulam maritalem; sed nunc illa vel non habent ejusmodi ordinem, vel per votum promisisti non habere; ergo &c.

44. Sanchez *ibidem num. 24.* Castro Pal. *tom. 1 tra. 2. disput. 2. part. 10. §. 3. num. 14.* docent, dubium de matrimonij valore non posse exercere prædictos actus; quia tunc, nec potest actum Conjugalem. Sed quia Nos *supra lib. 1 in decalog. cap. 3. §. 7. v. Matrim. num. 3.* diximus dubium de validitate matrimonij non semper cadere de sua possessione; ideo hîc consequenter diximus tunc non esse illicitos eos actus, de quibus loquimur; esse tamen illicitos, quando cadit, quem locum, recole. Quòd si aliquando in dicto matrimonio dubio propter vxoris possit Conjux reddere? cùm non possit petere non potest tamen licitè eos actus, morosásque cogitationes admittere, quæ non consequuntur, nec recurruntur ad debiti redditionem; quia illa non sunt necessaria ad jus alterius.

45. Secunda difficultas. An Conjugatus licitè possit ipsum turpiter libidinosè tangere, vel aspicere, non rè propter voluptatem, sed sine periculo pollutionis? Respondeo non pauca docent, id solùm veniale, cum sit ejusdem morosa delectatio de copula cum Conjuge absente. Ita Thom. Sanch. *lib. 9. matrim. disp. 44. num. 11.* Præpos. & Hurtad. apud Dian. *p. 4. tract. 4. resol. 137.* Ratio est, inquiunt, quia nisi alius malus finis expresse intendatur quicunque tactus voluptuosus Coniugati, si referatur ad copulam, quæ ipsi jam licita est: ex nullo enim capite probatur, quod ij actus debeant esse cum Conjuge, satis est, ad vitandum mortale, si sint actus Conjugis, id est, actualiter conjugati. Alij nihilominus putant esse mortale; quia intrinsecè malum est, vti proprio corpore ad explendâ secum libidinem. Ita loquitur Sanch. *disp. 21. num. 26.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 37. p. 3. tract. 4. resol. 225.* & *p. 4. tract. 4. resol. 137.* Et denique *part. 5. tract. 8. resol. 31.* adducens Dicastillum trahentem ad se Vasquez, & iterum *ibidem resolut. 44.* Vtrumque probabile.

*Tactus, &c. cum pollutionis periculo.*

47. Præmittendum est primò, Pollutionem voluntariam ex se semper esse prohibitam, idque jure naturali. Ita Thom. Sanchez *lib. 9. d. 17. num. 15.* Lessius *lib. 4. cap. 4. dub. 14. & passim*: cuius veritatis ea ratio potissima solet afferri, quia si esset licita impediretur vsus conjugij tam necessarius in mundo: quandoquidem homines ea solâ voluptate essent contenti, nec Conjugiis vacarent. Addatur: Si fornicatio est jure naturæ, verita, multò magis pollutio, quâ prodigitur semen, impeditúrque generatio. Vide quæ dixi *cap. 3. §. 2. n. 3.*

46. Hinc directè velle, vel procurare pollutionem extra matrimonij vsum, esse mortale certum est, & explicatum; de qua *infrà, suo loco, c. 7.*

At indirectè, id est, velle causam, ex qua prævidetur futura pollutio, sed non intendatur, (si enim illam intenderes, jam directè velles, & certò peccare mortaliter) maximè est in quæstione, An & quod peccatum sit?

*De causis Pollutionis.*

48. Præmittendum ergo est secundò, causam pollutionis duplicis generis esse posse. Primò notabiliter, & per se influentem in ipsam. Talis est, verbi gratia, vehemens cogitatio, & diuturna de fœminæ concubitu, voluntariè à calido iuvene assumpta. Secundò per accidens, & leviter influventem, ex qua scilicet causa nec sumpta, nec frequenter sequitur pollutio: talis est cibus, & potus etiam superfluus. Cibus enim influit quidem per se in nutritionem, ac satis per accidens, & infrequenter pollutioni est causa. Ita Thomas Sanchez *lib. 9. disp. 41. per totam.*

49. Ex dictis communis jam nunc Doctorum resolutio universalis hæc est, pro solutis. Quoties das operam alicui causa, per se notabiliter influenti ad pollutionem, sive in vigilia, sive in somno contingentem, toties peccas mortaliter, si illam prævidisti, licèt expresè non intenderis. Ita ex Sanchez *ibid.* Vasquez, Salas, Henriquez, Lessius, Filliuc. aliique apud Dian. *part. 2. tract. 15. resol. 31.*

Excipe, nisi necessitas te cogat actionem exercere, ut verbi gratia, mederi partibus verendis. Quoties verò sine necessitate, vel rationabili vtilitate das operam causæ leviter, & per accidens influenti in pollutionem, etiamsi illam prævideris, toties solùm peccas venialiter. Ratio horum est, quia si causam leviter influentem ponis,

ponis, cùm per accidens sequatur pollutio, illâ tibi imputari ad mortale æquum non est.

Præsertim cùm valdè tenuis sit obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se proximè non ordinantur ad illam, ut fusè Sanchez; ita ut nec adsit obligatio sub veniali, si intercedat necessitas: quia ei, qui suo iure vtitur, non imputatur ad peccatū id, quod per accidens sequitur, cùm illud potiùs patiatur, quàm agat. Si verò ponat causam notabiliter influentem, & per se in pollutionem; excusaberis ob involuntarium, & indeliberatum, ut ex se patet.

Porrò iam habes, vbinam difficultatum cardines versentur. Equænam scilicet sint causæ influentes notabiliter, quænam leviter? Rursus, quænam sint illæ necessitates excusantes?

19. Cum Sanch. *lib. 9. d. 45. n. 15. iunct. num. 28.* Leff. *l. c. præsenti, à n. 100.* aliisque censeo, solùm illam esse causam notabiliter influentem, quæ est actio pecaminosa mortaliter in genere luxuriæ contra sextum præceptum (quidquid benignius dicat Io. Sanchez *d. 21. n. 15.*) cæteras omnes esse leviter influentes.

Hinc cogitationes, desideria, turpiloquia, aspectus, tactus, oscula, mortalia in genere luxuriæ, si ex illis prævidetur pollutio, quamvis non intendatur; sunt peccata mortalia; non solùm in se, sed ut causæ pollutionis: ita ut si calide adolescens concupiscti, verbi gratia, deliberato, continuóque affectu fœminam non tam, ex qua concupiscentia prævidisti, te casurum in pollutionem; dupliciter peccasti, peccato scilicet desiderij fornicationis, & peccato contra naturam, cui dedisti. Io. Sanchez *loco citato*, non approbat omnia prædicta esse causas; per se notabiliter influentes, in pollutionem, sed nos sequimur Thom. Sanchez, videsque, &c.

31. Contrà; Cogitationes, desideria, turpiloquia, lectio vana; seu curiosa turpium, eorundémque repræsentatio tactus, & similia, quæ venialia, sive ex indeliberatione, sive aliunde, ut est v. g. tactus levis manus ex vanitate, & ioco, sive etiam ex parvitate materiæ in genere luxuriæ, si ea daretur, quam tamen prorsus non dari dicemus *infrà*; si in illis prævideatur pollutio, dummodo non intendatur, sunt peccata solùm venialia, cessante semper periculo consensus: Hoc enim si existat, & prævideatur, seu per negligentiam gravem prævideri negligatur, peccatum esse mortale pollutionis in causa non est dubium; quia, *qui* deliberatè *amat periculum, perijt in illo* Præterea loqui verba amatoria (ait Diana, *p. 2. tr. 5. ref. 31.* citans Thomam Sanchez, Salas, alios que) v. g. cor meum, bonum meum, anima mea, ob solam vanitatem, & ad conciliandum vanum (sed non libidinosum) amorem, qui non excedit culpam venialem (intelligo declusō periculo proprio vel alieno, videlicet illius, ad quem ejusmodi verba diriguntur) ideo etiamsi prævideatur, sed citra periculum consensus non intendatur pollutio, mortale non fiet. Rursus comestio calidorum, potus vini, & similia, etiamsi excedant vsque ad culpam mortalem, sed non in genere luxuriæ; multò magis, quæ non sunt ex se peccata, ut temperatus cibus, & potus, equitatio, sommus, situs sedendi, vel cubandi; & similia, si in illis prævideatur secutura pollutio, nec intendatur, nec sit consensus periculum, non erunt nisi ad summum venialia. Ratio horum est, quia tum illæ actiones venialis in genere luxuriæ, tum, illæ mortales in alio genere, tum maximè hæ per se licitæ leviter influunt in pollutionem. Addit Sanchez, *ibidem, num. 20.* limitationem doctrinæ datæ *num. 49.* interdum enim mortale peccatum luxuriæ propter eius brevem durationem: vel quid simile, non est causa notabiliter influens in pollutionem; neque enim momentanea, v. g. cogitatio deliberata de habēda puella, vel tactus ex se levis manus cum eadem deliberatione, & consequenter mortalis, potest dici esse causa notabiliter influens in pollutionem, quamvis in vigilia occurrente, multò minùs in pollutionem contingentem nocte in somnis, quæ tam longè distat à prædicta cogitatione, vel tactu habitis die in vigilia: Rarissimè enim ex illo tam brevi pravo affectu, vel tactu sequitur, vel nocturna vel diurn'apollutio. Qui ergo ex iis prævideret pollutionem, sed non intenderet, non daret causam pollutioni, & consequenter non peccaret peccato contra naturam in causa.

32. Quoad causas excusantes; illæ sunt, quæ bona fide apparent necessariæ, vtiles, convenientes, imò & commodæ animæ, vel corpori. Ita Thom. Sanch *ibidem; num. præs. 4. & 5.* Quod satis sit merum commodum ad omnem etiam venialem culpam tollendam, in venies clarè apud Io. Sanch. *loc. cit. num. 5. fin iuncto n. 12.* & apud Dianam. *part. 1. tract. 15. ref. 31.* ibi: *Et hoc etiam verum est, vbi nec necessitas, nec causa vtilitas adest.* Fill. Sanch. Hæc Diana.

Hinc potus, cibúsque, etiam ad eos gustandos; studere, audire Confessiones, feminis cautè, vel etiam amicabiliter, sive praua intentione loqui, cubare tali situ in lecto ob suum commodum, equitare ad negotiandum, vel ad recreationem: amplexus, & oscula iuxta morem patriæ, ne inurbanus videaris, mederi verenda alicuius, & similia habentur causæ satis excusantes. Ita Nauarr. *in manuali, cap. 16. num. 8.* Addit Thom. Sanchez, *lib. 9. de matrim. dis. 45. num. 9. & disp. 17. num. 19.* Io. Sanchez *disput. 21. à num. 29.* verendorum pruritum, vel ex morbo, v. g. scabie, vel ex pulicibus, vel similibus ortum, manibus, sine intentione impuræ libidinis fortè consurgentis, fodare. Sed hoc de pruritu, inuenio deletum apud Thom. Sanchez *in editione Lugdunensi anni* 1621. quamvis non desit *in aliis editionibus.* Et Io. Sanchez, *loco citato, num. 36.* testatur fuisse à tota Vniversitate Complutensi decretum, ut hæc doctrina Thom. Sanchez, intacta servaretur. Denique excusat etiam Bonacina, *de matrim. disp. 3. part. 10. num. 8.* puellam sua pudenda lavantem, ad purgandum fœtorem. Quando ergo in aliqua actione ex dictis prævideatur pollutio, si adsit aliqua causa saltem ex tua commoditate proveniens, ac pollutio non intendatur (nec sit periculum consensus) vel nulla erit culpa iis actionibus vacare, vel in aliquibus, solùm ad summum venialis: ut dictum est sæpe.

33. Illud denique hîc præmitte: ea, quæ hactenus de causis leviter, vel notabiliter influentibus dicta sunt, intelligi etiam de causis, unde distillatio, vel commotio notabilis spirituum vitalium generationi inservientium consequi solent. Ita Thom. Sanchez, *ibid. num. 1. & n. 31.* hæc enim perinde ac pollutio sunt contra Castitatem, propter magnam similitudinem, ac propinquitatem cum eadem pollutione. Pollutio enim (ne inscius sis) est effusio seminis apti per se ad generationem, magnâque delectatione emitti solet. Distillatio autem est effusio cuiusdam humoris, qui minùs mordax est, & aquosior, quàm semen, paucioris quantitatis, imò non rarò stillatum instar, minorísque voluptatis, & aliquando nullius. Commotio spirituum, est præparatio ad vtramque ex dictis.

Iam verò hæc, quamvis propriè pertinentia ad solutos; sunt tamen fundamenta vniversalia, & perdiligenter in hoc argumento notanda. Nunc ad rem nostram propiùs accedamus: fermemúsque hanc regulam pro conjugatis; nam pro sponsis, *n. 61.* Pro solutis autem, sufficit quod hactenus dictum est *à num. 48.*

Addendum tamen nonnihil est de distillatione, ut clarior de illa constet vera doctrina. Distillatio, ut innuebam, duplici contingere modo potest. Primò, cum voluptate. Secundò, sine illa, ut experientiâ illorum constat, qui in distillationem solent incidere. De vtroque modo sic habet Gerson. p. 2 operum, tr. de poll. diurna, 1.

Notabili: *Immiscet se talis humor medius (sic vocat humorem fluentem ex distilatione; quia est medius inter verum semen seu sperma, & inter vrinam, atque hunc medium humorem ineptum esse ad generationem, & vocari posse salivalem seu sputalem, & habere diversum ortum, ac meatum ab eo, quem habet semen.) Hic, inquam medius humor se immiscet aliquando cum vrinatione aliquando per se defluit sine cogitatione, & sensu; quandoque verò fit cũ delectatione, & pruritu*: & paulò post: *Humor iste medius ex levioribus causis, ac maiori facilitate movetur ad exitum; quam seminalis, præsertim in Mulieribus: adeo quod ex levissimo motu corporis absque aliqua cogitatione, & absque sensu proveniat. Ex effectu autem percipitur per sordidationem quandam vitiosam in carne sua, vel in pannis.* Hæc Gerson. De hac igitur distillatione, vt omnia, quæ ad ipsam pertinent, distinctè colligam, habe pro solutis tres sequentes Conclusiones: nam, pro Coniugatis addetur vnum quid *num.* 60.

Conclusio prima: Sicut deliberatè procurare pollutionem, déque ea complacere, mortale est; ita procurare distillationem, quæ fit cum voluptate. Ita Sanch. *lib. 9. matr. d. 17 num.* 17. Ratio est manifesta, quia tunc procuratur, seu complacetur de voluptate libidinosa, quæ est distillationi coniuncta.

Conclusio secunda. Sicuti obligamur removere causas per se influentes ad pollutionem, causas, inquam, ingenere luxuriæ, non verò per accidens, modo iam explicato, ita obligamur easdem removere per se influentes, nõ verò per accidens ad distillationem. Ita idem *ibid.* Ratio est eadem, quia semper obligamur removere causas influentes per se ad voluptates illicitas; non verò causas per accidens, modo item explicato. Has autem causas, easdem esse quoad pollutionem, & quoad distillationem, easdémque excusationes esse pro vtraque, patere satis potest ex dictis.

Conclusio tertia: Quando distillatio contingit sine vlla prorsus delectatione libidinosa, seu sensuali, quamvis adsit erectio levis genitalium; ea non est peccatum; unde nulla adest obligatio tollendi eius causas. Ita Caiet. *tom. 1. opusc. 22. artic. 2. §. Aduerte tamen*; Sanch. *lib. 9. matr. d. 45. num. 2.* Laym. *lib. 3. sect. 4. num. 18.* Reginald. *lib. 22. cap. 3. num. 43.* Ratio est, quia vel est peccatum, quia dispergitur ille humor, vel quia est delectatio venerea; vel quia est proximum periculum ad veneream delectationem. Non primum: quia, ut vidimus, ille humor non est semen, nec eius effusio generationi prodest. Non secundum, quia nos loquimur de eo distillationis modo, in quo nulla adsit delectatio sensualis. Non tertium, quia si illius humoris effusio nullam affert delectationem; non est ratio, cur ipsa sola spectata afferat periculum proximum ad illicitam voluptatem insectandam.

Confirmatur primò: quia nihil potest esse peccatum in hoc genere, nisi sit contra Castitatem; hæc enim virtus est, quæ moderatur delectationes venereas: in casu autem nostro, nullus est venereus sensus.

Confirmatur secundò, ex sanct. Thoma, *opusc. 64. cap. de fluxu libidinis*, qui loquens de distillatione, sic habet: *Sciendum est, quod illius humoris effusio non est pollutio, quia ut dicunt Medici sine libidinosa delectatione, & carnis motione nullus potest pollui vigilando.* Hæc Sanctus Doctor. Si igitur ea nec est pollutio, nec delectationem afferens, vndenam peccati reatus orietur? Profectò non immeritò pronuntiant, Caiet. & Margar. apud Sanchez, *loc. cit.* aliique, de distillatione nihil esse perinde ac de sputo, vel sudore, laborandum, nisi ipsam carnis rebellio commitaretur. At iam nos loquimur de ea distillatione, quæ nullam delectationem, atque adeò, quæ nullam carnis afferat rebellionem: ergo, &c. Iam verò, quamvis hæc propriè pertineant ad solutos, sunt tamen fundamenta vniversalia, & perdiligenter in hoc argumento notanda. Nunc ad rem nostram propiùs accedamus, formemúsque hanc regulam pro coniugatis, nam pro Sponsis diximus, *n.* 16. pro Solutis autem sufficit, quod hactenus dictum est à. *n.* 48.

### *De tactibus, &c. inter Coninges cum pollutionis periculo.*

54. Eos actus impudicos, nempe cogitationes, delectia, aspectus etiam partium minùs honestarum, turpiloquia, & similia in ordine tamen ad suum Coniugem exercere possunt inter se Coniuges, etiam cum pollutionis periculo prævisо, sed non intento, & sine periculi consentiendi in delectationem pollutionis probabiliter sequendæ: eos, inquam, actus exercere possunt, qui exhibentur propter aliquam causam ex dictis excusantem: secùs erit peccatum mortale, si actio sit mortalis in genere luxuriæ? veniale, si venialis. Ratio ducitur ex dictis.

55. Hinc, quia tactus impudici partium verendarum ex se sunt peccata mortalia in genere luxuriæ; idem Coniux, qui eos petit ab altero, regulariter in peccatum incidit mortale, si prævidet in se, vel in altero pollutionem, quamvis non intendat. Excipe, nisi sit in loco, vbi gratia, in lecto, ubi adveniente periculo proximo effusionis, possit copula vti: tunc enim illi actus impudici essent præparatio ad legitimam copulam; quam præparationem non esse ex se peccatum, statuimus *supra*. Dixi autem (regulariter in peccatum mortale incidit:) quia regulariter pro his tactibus impudicis extra prædictum locum aptum ad copulam, non apparet adesse causam excusantem si tamen ea inveniretur, vt si Maritus esset Medicus, mederi vtique Vxori verendis posset, amoto semper periculo consensus, amotáque pollutionis prævisæ intentione, ut nimis sæpè dictum est.

56. At verò Coniux, qui eosdem reddit, quamvis pollutionem in se prævideat, si non est periculum dicti consensus, nec illam intendat, licitè poterit reddere, ex Sanchez *lib. 9. de matrim. d. 45. num.* 38. sed non potest ex Carmo Palao, *de matrim. d. 3. part. 4. §. 2. num. 1.* cui adde Præpositum *p. 3. q. 6. dub. 26. in.* 187. adductum à Dana *part. 9. tract.* 8. *resol.* 31. Ratio Sanchez est, quia tunc Coniux excusatur: siquidem reddens, dat operam rei licitæ, & debitæ ex Iustitia. Ratio Castro Palai est, quia falsum esse putat; tunc debere Conjugem reddere ex iustitia prædictos tactus: nam interveniente pollutionis periculo, Conjuges non habent ius petendi. Vtraque sententia est probabilis. Aduerte tamen eos tactus, quos concedit Sanchez, non debere esse adeò impudicos, vt sint initium, & inchoatio proximæ pollutionis extra vas. Tales essent, si vir peteret ab vxore, vt ipsa contrectaret, moverétque verenda ipsius viri, vel idem vir vellet immittere digitos in vas naturale mulieris, ibique persistere quasi copulam digitis exercendo: hi enim non solùm sunt actus impudici; sed ipsamet procuratio pollutionis; quæ procuratio nunquam licet, & solùm in Coniugatis non esset mortalis, quando in eo loco sunt, ut dictum est, ubi per legitimam copulam pollutioni possunt obstare.

57. Hinc secundò: Oscula, amplexus, aliique tactus manuum, frontis, pectoris, &c. ut item faciem aspicere, confabulari, & similia amoris signa, si fiant inter coniuges, quando non est nimia voluptas incitans ad pollutionem, non sunt damnanda de mortali; imò nec de veniali; si ex patriæ, vel amoris vsu fiant, quamvis prævideatur pollutio, sed non intendatur, nec sit periculum consensus in illam. Ita Sanchez *num.* 36. esto, esse mortale contra Sanchez putet Præp. aliique apud Dian. *part. 6. tract. 7. resol. 65.* Ratio est, quia causa moris, vel amoris sufficienter excusat coniugatos. Certè excusaret etiam fratrem, sororémque se more patrio amplexantes, & in aliquibus locis etiam extraneos, dum post absentiam redeunt in Patriam, ne inurbani videantur; multò ergo magis excusabit coniugatos.

58. Verùm

58. Verùm, delectationes morosæ, aspectus partium honestarum, turpiloquia, & similia, quæ *suprà* diximus non esse mortalia: si fiant à conjugatis sine periculo pollutionis; erunt mortalia pro iisdem conjugatis, si in illis prævideatur pollutio, licèt non intendatur. Ratio est, quia in his *num. præsenti* dictis, nulla apparet causa excusans; neque enim hæc sunt signa liciti amoris, perinde ac sunt ea, quæ *num. præced.* dicuntur. Quod si causa excusans adesset, dic non esse culpam; sicuti de tactibus partium in honestarum dictum est modò *num.* 55. *fin.* de Marito, Medico, &c.

59. Hinc tertiò, licet si impudicè se ipsum contingat, aspiciátque modo dicto *n.* 45. non sit ex probabili opinione reus peccati mortalis, quando non adest periculum pollutionis: tamen quando illud adest, atque illud prævidet, reus erit; quia nulla causa eum in eiusmodi proprio tactu, vel aspectu excusat.

60. Illud hìc denique nota cum Sanch. *loc. cit. n.* 41. Licèt paulò ante *num.* 53. dixerimus, & *infrà* iterum dicturi simus; solutos peccare mortaliter, si per tactus, aspectus, turpiloquia, motosque cogitationes de copula, dent causam distillationis, & commotionis spirituum generationis; quarum naturam *numero eodem* explicuimus: conjugati excusantur à mortali, quia eiusmodi distillatio, & commotio, non affert grave damnum generationi in conjugatis; & ex alio capite delectationi ex illis insurgenti assentiri, non est in iisdem mortale. Ejusmodi enim turpes delectationes, præter effusionem seminis extra, non sunt conjugibus cum tanto rigore prohibitæ, ne nimis onerosus sit status maritalis, si in tanta occasione præsentis vxoris, & prolis suscipiendæ desiderio, ab illis se abstinere sub mortali obligarentur. An conjugatis liceant delectationes ex cogitationibus motosis, dicam *lib.* 10. vberiùs

*Tactus, & his similia inter Sponsos.*

61. Sponsis de futuro valdè probabiliter sine peccato licent quædam amoris signa, qualia sunt oscula; tactus, aspectúsque pudici, ac locutiones amatoriæ, etiam propter delectationem in illis residentem, sed sine periculo pollutionis, vel consensus in illam, vel in copulam: At nullo modo impudici. Ita Thom. Sanchez *lib.* 9. *matr. d.* 46. *n.* 46. Fagundez, *in præcel. dec.* 9. *cap.* 5. *n.* 1. citans Caiet. Med. Val. aliósque. Ratio est, quia sponsi videntur ad illa pudica ius consecuti esse ex Sponsalitiis; quo cætera ad impudica, quia hæc ordinantur proximè ad copulam, quæ non est licita, nisi Sponsis de præsenti; hoc est copulatis Matrimonio saltem rato. Vnam excusationem invenio in Sponsos eas actiones pudicas exercentes cum pollutionis periculo prævíso, sed non intento, & sine periculo consensu in illam; nam si in occasione esset, ut inurbanus haberetur, si ab illis abstineret; posset eas vsurpare, quia iam adest rationabilis excusatio.

62. Inter eos, qui sibi vel sponsalia promiserunt, vel invalidè ea celebrarunt, vel sub conditione, si exorata, v. g. fuerit à Pontifice dispensatio impedimenti dirimentis, vel quid simile, nec prædicta quidem pudica amoris signa sunt licita. Ita Thom. Sanchez *lib.* 5. *matrim. d.* 5. *n.* 38. Fagundez, *loc. cit. num.* 6. citans eundem Sanchez, Sotum, & Guttierrez, aliósque plures nullo contradicente, apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 131. Ratio est manifesta, quia hæc conceduntur Sponsis; sed hi antequam impleatur conditio non sunt Sponsi, sed erunt: ergo, &c.

An Sponsis liceat delectatio in cogitationibus morosis; decernendum spondeo *lib.* 10. *capite* 4. Vbi etiam, an Viduis, &c.

*Tactus &, his similia inter solutos. Remissivè*

63. De iis *inferiùs* agetur commodiùs separatim *cap.* 8. §. 2.

## CAPUT IV.

### §. I. *De Incestu.*

1. *IN Methodo exp. Conf. lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. sic habes: Non est dubium incestum esse speciem luxuriæ explicandum in Confessione, quà cum consanguineis, vel Affinibus, contra Castitatem, sive per copulam, sive etiam per oscula, tactúsque impudicos, &c. peccatur: nam propterea ita communiter definitur: *Est peccatum luxuriæ, quod committitur cum persona coniuncta.*

Sed quæstio, an incestus cum Consanguineis differat ab incestu cum Affinibus? & rursus, An incestus cum aliquibus ex prædictis in uno gradu usque ad quartum (nam in aliis à quarto est simplex fornicatio) differat specie ab incestu in alio? v. g. peccata cum Matre, cum Filia, cum Sorore, cum Nepote, cum Consobrina, sive Consanguineis, sive Affinibus, differúntne inter se specie, itaut in Confessione talis gradus sit ex necessitate declarandus? An verò, si quis cum aliqua ex dictis peccavit, etiam fuisset Mater, satis se explicet, dicendo, *Incestum commisi*? Quid de peccante cum conjunctis spiritualiter ideft, ex Baptismo, vel Confirmatione, & de coniunctis legaliter, ideft, ex Adoptione?

Tribus dictis hæc, quæ satis confusa propter opinionum veritatem, apud Authores sunt; breviter, distinctéque ex meo instituto expedientur.

2. Dico probabile esse, nec Consanguinitatem, ab Affinitate. (Ita Sanch. Thom. 2. 2. *quæst.* 15. *art.* 9. & Caiet. *ibid.*) nec unum gradum ex his differre specie ab aliis: Ita Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 30. *cap.* 5. *num.* 97. dicens esse opinionem Sanct. Thom, Caiet. Soti, & fere Thomistarum; Griptius *in tract. de casib. reservat, cap.* 8. *num.* 5. Megala, *in* 1. *part. lib.* 5. *cap.* 12. *num* 9. vterque apud Dian. *part.* 1. *tract.* 7. *resolut.* 31. Vnde licèt sine dubio gravius sit contra vnum gradum delinquere, v. g. contra primum cum Matre, quàm contra alium; v. g. cum Consobrina; tamen, quia non mutatur species, puto non esse ea speciatim ex necessitate patefacienda. Ratio est, quia in omnibus his una specie deformitas est (licèt modò, levior, modò gravior) nempè contra reverentiam debitam coniunctis. Quòd autem id oriatur interdum ex ipsa natura, ut in primo consanguinitatis gradu, & per alios etiam secundo; interdum verò ex præcepto Ecclesiæ, ut in cæteris, & maximè in gradibus Affinitatis, nihil specie diversum ex hoc necessariò infertur: nam præceptum superioris, cùm aliquid præcipit, ponit materiam præceptam in ea specie virtutis, ratione cuius illud præcipit: nunc autem Ecclesia abstinentiam ab illis congressibus præcipit, propter eandem reverentiam coniunctis debitam. Quod deinde gradus ipsi non mutent speciem, inde probatur: quia hi nihil aliud inferunt, nisi maiorem, vel minorem coniunctionem: magis autem, & minùs non variant speciem, etiam in hac re nostra morali, nisi aliundè probetur esse contra particularem virtutem, vel particulariter contra diversum rectæ rationis dictamen. Id quod hìc, quamvis multi probabiliter invenire satagant; nihilominus alij probabiliter item non inveniri posse contendunt.

Dices. Asserimus hìc *numero* 2. ex probabilissima plurium sententia, turpem coniunctionem cum consanguineis non afferre diversitatem specificam necessariò in Confessione explicandam, ut diversam ab alia coniunctione strictioris consanguinei; quia licèt gravius sit contra vnum gradum, v. g. contra primum cum Matre, quàm contra alium, v. g. cum Consobrina delinquere: tamen magis, & minùs speciem incestus diversam non constituit. Ergo idem asserere debuimus *in Methodo Confess. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. & 2. in iuriis

iuriis illatis contra Consanguineos, vel affines : atque adeò dicendum fuit, iniuriam illatam Patri , vel Fratri non esse diversæ speciei ab iniuriis contortis contra cæteros minùs propinquos; quia pariter magis , & minùs in debito, quod consanguinei contrahunt noscite convitiandi , non affetunt diversitatem specificam.

Respondeo : certè vrget non improbabiliter paritas. Vnde probabiliter consequitur, tum in hac materia de incestu, tum in illa materia de injuria contra consanguineos, vel affines inflicta, non esse necessariò explicandam ejusmodi diversitatem , sed sufficere, si dicatur: *Ego mihi coniunctos contumeliis affeci.*

3. Dico secundò, incestum cum coniunctis coniunctione legali, id est, coniunctione orta ex adoptione alicuius in filium , (quæ est inter adoptantem , & adoptatum, ejusque descendentes, saltem qui in eius erant potestate , quando adoptatus fuit : inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis , qui in eius sunt potestate : inter Vxorem adoptati , & ipsum adoptantem : & denique inter Vxorem adoptantis , & adoptatum. ) Dico , inquam , hunc incestum non esse explicandum , ut distinctum ab aliis incestibus dictis *in num. præcedenti* , & nec necessariò explicandas diversitates illas dictas in proxima parenthesi. Ratio prioris partis huius dicti est ea , quam *num præcedenti* diximus : quia nimirum Ecclesia propter idem motivum reverentiæ coniunctis debitæ , probabet eiusmodi congressus. Ita de Lugo, *disputat. 16. de pœnitentia sect. 6. num.* 328. Ratio posterioris est similiter eadem quam *ibidem*, diximus : quia diversitas gradus solùm indicat magis, & minùs in eadem specie.

4. Dico tertiò, incestum cum coniunctis coniunctione spirituali , id est , orta ex Baptismo , & Confirmatione (quæ est inter baptizantem , & Baptizatum, inter Patrinum, vel Matrinam cum ipso Baptizato, inter Parentes Baptizati cum Baptizante , & Patrinum , vel Matrinam: quod idem est respectivè in Confirmatione.) Dico , inquam , incestum hunc esse explicandum , ut dictum ab vtroque incestu carnali, & legali prædicto *in num. 2. & 3.* Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. disputat. 5. numer. 9.* Sed non esse necessarium explicare , an ex Baptismo , an ex Confirmatione fuerit orta coniunctio: Item nec esse necesse explicare , an, v. g. Baptizans, vel Confirmans peccaverit cum Baptizata , an cum Matrina eiusdem Baptizatæ , an cum Matre eiusdem, &c. Ratio primæ partis huius dicti est , quia incestus spiritualis addit circunstantiam Sacramenti , ratione cuius reducitur ad genus quoddam sacrilegij. Ratio secundæ, & tertiæ patris est , quia semper in prædictis committitur peccatum cum eadem specie deformitate ( esto, graviore , vel leviore ) quia semper est contra eandem reverentiam debitam personis, ex intuitu Sacramenti connexis.

5. Huc commodè reducere possumus duo , quæ supersunt explicanda. Primum , circa impedimentum publicæ honestatis. Secundum, circa incestum sodomiticum. Quoad primum , sciendum est impedimentum publicæ honestatis esse illud, quod oritur ex sponsalibus de futuro, validè tamen initis ; nam his ita initis , oritur ex Sanch. *lib. 7. de. matr. d. 68. & seqq.* impedimentum dirimens Matrimonium inter Sponsæ Sponsum, consanguineos Sponsæ in primo gradu, & contra : id est, non potest validè contrahi matrimonium à Sponso , vel Sponsa cum dictis Consanguineis. Idem etiam impedimentum oritur ex Matrimonio rato non consummato : cum hoc addito , vt si dirimens ex Sanchez. *ibidem* ; etiam vsque ad quartum gradum ; & etiamsi Matrimonium fuerit irritum , ex quocunque capite, præterquam ex defectu consensus.

6. Iam si quis cognosceret sororem , v. g. vel matrem , filiámve suæ Sponsæ de futuro ; rursus , si cognosceret sororem , aliámve consanguineam suæ Conjugis per verba de præsenti , sed nondum consummato matrimonio ; deberétne in Confessione explicare non solùm ipsum peccatum, sed etiam eius qualitatem, nempe fuisse incestum cum Matre , cum Sorore , cum Consanguinea Sponsæ , &c. Respondeo , certum de tale peccatum habere malitiam incestus carnalis. Ita Lugo *disp. 16. de pœnit. sect. 6. num.* 331. quia est prohibita talis copula per Ecclesiam ponentem in ea impedimentum dirimens , propter reverentiam Coniunctis debitam : quare erit vt talis explicandus. Quoniam vero *superiùs* diximus , non esse ex probabili opinione in cæteris incestis necessariò explicandos gradus, ita hic, incestus oritur ex inchoato matrimonio , consequenter propter eandem inibi allatam rationem , dicendum erit.

7. Quoad secundum id est , quoad sodomiam, quærimus , an si quis sodomiticè cognosceret Consanguineam, vel consanguineam , vel affinem , coniunctione legali, vel spirituali, debeat explicare coniunctionem ; ita vt non satis sit dicere, *se sodomiam commisisse* sed necessariò addendum , *se sodomiticum incestum commisisse.*

Respondeo , necessariò sic addendum. Ita Filliuc. *tract. 30. cap. 5. num.* 106. Ratio est quia ob reverentiam naturalem propinquis debitam, eiusmodi peccatum vltra malitiam sodomiæ, habet & malitiam incestus. Quamvis enim per hunc incestum sodomiticum non impeditur Matrimonium, quia vt impediat , debet esse seminatio in vase naturali; neque per eundem incurrantur pœnæ contra incestum latæ , quia pœnæ fulminantur contra incestum propriè dictum, id est , enatum ex copula naturali: tamen , quia fit contra prædictam reverentiam, non potest propriam incestu malitiam non participare.

8. Maior difficultas est, vtrùm explicandi gradus, v. g. sic : *Commisi incestum sodomiticum cum Fratre, cum Patre , cum Consobrino :* An satis sit dicere : *Commisi incestum sodomiticum?* Respondeo in nostra sententia probabili , non esse necessariò explicandos. Ratio est, quia omnes tunt eiusdem speciei , & solùm secundùm magis , & minùs in eadem specie differunt ; id quod, vt diximus *num. 2.* notat quidem maiorem , minùs tamen gravitatem , sed nequaquam specie distinctum peccatum.

## §. IV. *Additio.*

DVo tantummodo hîc animadvertenda , mihi illicita video. Alterum est , qui coniux rem habet cum consanguinea (ex Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 15. num. 2. & lib. 9. disp. 27. num.* 14. ) suæ vxoris viventis ( non verò affini , ex eodem *ibid. disp. 27. num. 4.* in primo , & secundo gradu; & quæ coniux habet rem cum consanguineo mariti viventis ( nec vero affini ) in eodem primo , vel secundo gradu ; peccat sine dubio peccato incestus : sed insuper, propter hunc peculiarem incestum , commissum , vt dico , cum consanguineis sui conjugis (non autem , si commissum fuerit , ex eodem *d. d. 15. num.* 16. cum consanguineis suis propriis) dictus Coniux , vel dicta Coniux incurrit in duas pœnas; semper intelligendo, cum eodem *d. d 27. num. 1.* quando semen incidit intra vas, nam sic fiunt vna caro, qua ratione oritur affinitas.

2. Prima pœna est, ut etiam ante omnem sententiam, sub mortali non possit ampliùs petere debitum à Coniuge. Ita idem *libro nono disputat. 30. numer. 2.* cuius rationem dicit se nescire , sed solùm ex vsu. Quia contraxit cum illo affinitatem ex copula fornicaria , quæ, si est ante Matrimonium initum dirimit ex Tridentino , *sess. 24. de matr. cap. 4.* ineundum in dictis gradibus: At cùm in casu nostro Matrimonium iam sit initum , ( & satis est ex Sanch. *lib. 7. de matr. d. 15. num. 6.* si fuerit ratum , quamvis non consummatum ) solùm privatur coniux iure petendi. Potest tamen reddere in gratiam alterius Coniugis innocentis , imò & eidem significare , ne expectet suam petitionem ; non tamen

potest

potest provocare ; ut petat. Ita Sanh. *lib. 9. matrim. d.* .. &. *num.* 12. quidquid dicat Texeda apud Dian. *p. 9. tom.* 8. *resol.* 32. Innocentis, inquam; non si alter consensit ad eum incestum, vel vterque similem incestum commisit; vterque amisit ius. Ita Sanch. *lib. 9. matrim. d.* 31. *num.* 2. & *d.* 27. *num.* 3. *iuncta d.* 28. *num.* 2. 5. quare neuter potest petere, vel reddere. An possit enim petere, quando videt sibi imminere periculum incontinentiæ? concedit Quitanaduennas, *tract.* 9. *singul.* 12. saltem quando commodè dispensationem petere nequit, & periculum est in mora. Sed puto cum communi sententia, quam sequitur Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 34. non esse concedendum: quia sunt alia remedia vincendi tentationem.

3. Dispensat autem huic pœnæ Episcopus, ex Sanchez, *lib.* 8. *matrimon. d.* 12. *numer.* 10. & 11. Conf. Cruciatæ, *ibid. numer.* 16. Privilegiati Regulares, *ibid. disput.* 16. de qua re *in tractatu de Matrimonio* illud cum Castro Palao, *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 1. *de legib. part.* 17. *num. præsertim* 8. doceo, satis esse probabile, & tutum, non incurri. hanc pœnam ab eo Coniuge, qui nescivit eiusmodi accessum ad consanguineam sui Coniugis, esse specialiter ab Ecclesia prohibitum; vel quamvis id sciverit ignorabat esse huic incestui annexam prohibitionem petendi debitum. Ratio brevis est, quia hæc est pœna ex delicto, quam incurri ab eo, qui inculpabiliter eam ignorat, æquum non est.

4. Secunda pœna: Huic Coniugi incestuoso non licebat per Canones, mortuo altero Coniuge, cum vlla alia, seu vllo alio amplius matrimonium contrahere sine dispensatione, idque in pœnam sui delicti. Sed certe id non est in vsu, ex Navar. Sanch. *lib. 7. matr. d. 7. n.* 8. quare sine scrupulo poterit nunc ad secundas sine dispensatione transire.

Sed occurrit adhuc advertendum tertium, An scilicet, si sit incestus in aliquo loco casus reservatus, intelligatur eiusmodi esse ille, quod semenante viro, non seminet fœmina, vel hac seminante, ille nequaquam.

Respondeo. Communiter ab Auctoribus, Bauci *de cas. res. casu* 3. creditur, esse reservatus, quia iam copula videtur consummata. Sed Verricelli *tr.* 4. *quæst.* 27. *a num.* 78. putat, non esse censendum reservatum, quia reservatio (nisi expressè contrarium exprimatur) semper intelligitur de completo scelere, at dictum scelus est quidem completa seminatio ex parte illius, qui seminat, non verò completus incestus; quia non concurrit vtriusque seminis commixtio, unde oritur affinitas. Hæc ille. Sed certè non video à quomodo ille non sit completus incestus ex parte seminantis; qui irreverenter per suam completam seminationem se gessit cum consanguinea, vel affine; cur igitur non erit reservatus, si reservatus est incestus absolutè. Ille alter, qui non seminat, ideo non committit casum reservatum; quia, ex parte sua, non est completus incestus. Et licèt adsit in ipso cooperatio cum incestu completo alterius, supponimus tamen esse reservatum incestum, non verò cooperationem ad illum. Quid, si sit dubium, an ille alter seminaverit? Respondeo, multò magis erit reservatus, ut ex se patet. Imò idem Verricelli in hoc nobiscum sentit ex eo principio; quia præsumptio semper est, quod vterque seminaverit: fori autem externus, & internus non discrepant, nisi quando contraria veritas certa est, non verò quando est dubia, ex Menochio, *lib.* 4. *præs.* 83. *num.* 62. Molin. *tom.* 1. *d.* 197. *fol.* 3. Sanchez, *in summ. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 13.

## Caput V.

### §. I. *De Stupro.*

1. *In Methodo Conf. lib.* 2. *cap.* 7. §. 8. sic habes: Stuprum est Concubitus Viri cum virgine fœmina, eadem repugnante: Quare ea consentiente ex probabilissima sententia, est simplex fornicatio. Vnde sequitur statum *virginitatis* non esse necesse in Confessione explicare, virgine consentiente; quem, illa repugnante, explicare oportebit.

2. Pari ratione sodomitica copula cum eadem consentiente, est mera sodomia: Vnde nec ibi status virginitatis est declarandus.

3. Cum se *virgo* polluit, vel delectatur, &c. non facit nisi peccatum mollitiei, de quo dixi *cap.* 1. §. 1. *num.* 5. nam propterea suam virginitatem explicare non obligabitur.

4. Ad expediendam Confessionem facit, scire obligationem, quam contrahit stuprator. Dico ergo. Cum virgo defloratur, ipsa consentiente, nihil nec ei, nec parentibus debet defloratori. Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 1. At si vi, vel fraude, promissione virginem quis defloraverit; nanè tenetur, vel dotare, vel ducere, ac solvere quod promisit. Ita idem *ibid.*

### §. II. *Additio.*

*De Virgine occultè violata.*

1. Amittitur, sive à Mare, sive à Fœmina irreparabiliter virginitas per voluntariam seminis effusionem, seu decisionem, etiam sine exteriore procuratione; Vt probat Caiet. 2. 2. *quæstione* 152. *artic.* 1. contra Marr. de Magistr. apud Less. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 120. sed id est coram Deo: nam secundum statum, & quoad existimationem humanam in muliere amittitur virginitas per corruptionem, seu fractionem clausuræ virginalis. De vtraque amissione aliquid est hîc afferendum.

2. Quoad primum: Monialis, quæ ante professionem; vel consecrationem, se voluntariè polluit, quamvis amittat, vt dictum est, virginitatem secundùm virtutem; tamen cùm non amittat secundum statum, quia integro virginali clausuro gaudet, nulle indiget dispensatione ad profitendum, & ad velum suscipiendum, solùm virginibus concessum. Et propter eandem rationem, eadem potest sine scrupulo accipere legatum solis virginibus relictum, seque ut nubat, virginem pronuntiare, &c.

3. Quoad secundum: Virginem occultè in clausuro violatam, se non posse ingerere ad petendum consecrationis velum, etiamsi ex hoc infamiam consecutura, docet Azor. *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 12. Bonac. *de matr. q.* 4. *p.* 17. *n.* 4. alios afferens: at posse Officia propria virginis exercere, Imò se offerre ad illa, ne infametur; quia (inquit Azor. *ibid.*) institutæ Ecclesiastica non obligant cum tanto rigore. Verùm, pace Azorij doctissimi Viri, hæc ratio probat etiam posse, in simili periculo infamiæ, non solùm in prædicta Officia se ingerere, sed etiam petere consecrationis velum, ut tenet, citato Suar. Pell. *cap.* 3. *de monialib. num.* 78. quia pariter id ex instituto est Ecclesiastico.

4. A legatis tamen relictis solis virginibus excluditurà Sanchez, *lib.* 7. *de matr. disp.* 91. *num.* 4. in conscientia, hæc in clausuro violata; secùs enim servaretur Testatotis voluntas, nisi fortè, ni illud accepter, infamiæ gravis periculum subeat; sed tunc debet secreto reddere ei, cui illud competit, vel eius distributoribus, &c. Quòd si in aliquo casu, ad acquirendum aliquid, requiratur, ut Virgo sit; sed ut ea excludatur, necessaria sit sententia Iudicis: tunc poterit occultè

violata

violata illud ante sententiam acquirere, quia sententia petit Virginem esse publicè, vel certè non occultè violatam. Dixi (excluditur à Sanchez): nam esse etiam probabile reputatam communiter virginem, licèt occultè violatam, posse acquirere tale legatum palàm *superiùs* dictum est.

5. Quid de Matrimonio? puella signaculo Virginitatis occultè scisso, peccátne medicamentis, aliisque mediis naviter vtatur, quo defectum illum cælet, atque vt virgo Matrimonio collocetur? Respondeo, si probabiliter iudicet fore, vt futurus Maritus nunquam hoc vitium cognoscat, nec ipsam, nec Parentes ad occultationem cooperantes peccaturos. Ita Bonac. 8. *Dec. pr. d.* 10. *q.* 1. *num.* 8. Sanch. *lib.* 6. *de matr. d.* 27. *n.* 8. & 9. Nav. c. *inter verba, concl.* 1. *coroll.* 16. *n.* 60. Ratio est, quia nullum infertur viro damnum, nec puella propriè dicitur sic mentiri, dum enim illis mediis vtitur, non id agit animo alterum decipiendi; sed animo suum vitium quod manifestare non obligatur, occultandi. Verùm, si iudicet fore, ut delictum veniat in viri notitiam, qui illud ægerrimè ferat, peccabit graviter contra Charitatem; hoc enim modo præfert occasionem innumeris malis, & præsertim magnæ discordiæ toto ferè vitæ tempore inter ipsam, maritúmque. Nota illud (ægerrimè ferat.) Huc reduco, si quis sileat se morbo Gallico laborare, quo sit periculum inficiendi incautum vxorem, &c.

6. Non tamen puto violatam illam peccaturam contra Iustitiam; quia non tenentur Coniuges vitia, quæ habent manifestare, & sicuti Maritus sua occulta non manifestat, ita nec sua patefacere tenebitur Vxor. Adde esse nimis intolerabile, obligare puellam ad se infamandam, vel ad abstinendum à nuptiis, vel ad nubendum hominibus infimæ sortis. Nec est par ratio de contractu venditionis, in quo vitia occulta rei venditæ manifestare modo *infrà* dicendo necessarium est: non, inquam, est par ratio, quia in contractu Matrimonij consuetudo fert, ut sicuti Vir sine injustitia sua vitia occulta (abstraho ab illis, quæ Vxorem inficiunt) non propalat, ita non manifestet sua, quantum est ex vi Iustitiæ, Mulier: quæ consuetudo non est in venditionibus.

## §. III. *De obligatione Stupratoris.*

1. STylum nunc admoveamus ad explicandam obligationem restitutionis, à stupro derivantem. De qua satis, strictim dictum modo est §. 1. *num.* 4. Pro ea ergo, ut ordinatim procedamus, meminisse oportet, stuprátorem posse, Primò virginem volentem, & consentientem defloráre; Secundò vi, metu, similíque iniuria; Tertiò cum promissione Matrimonij. De singulis seorsim.

2. Pro certo autem suppono. Primò, si nullum damnum deflorata virgo passa est, ad nihil teneri defloratorem. Cùm enim huius tota obligatio, de qua tunc agimus, oriatur ex damno facto: hoc non existente exanescit obligatio. Ita Less. Vasq. Turrian. apud de Lug. *lib.* 1. *de iust. d.* 12. *num.* 16. Hinc si deflorata etiam per vim, bene deinde, & iuxta suum statum nupsit; ad nihil obligatur Defloror: Nam nec pro apertione clausstri aliquid debet, quia hoc malum est irreparabile, & alterius ordinis; nec ob dotem datam à Parentibus, hæc enim semper danda erat, &c. si tamen propter periculum non bene nubendi aliquid virgini dedit defloror, quamvis illa deinde optimè nupserit; poterit in conscientia virgo illud retinere, quia periculum non nubendi pretio fuit æstimabile.

3. Secundò, Si virgo liberè remittit, liber erit defloror: Neque enim requiritur consensus Patris; vel alterius; quia sui corporis, quoad hoc, domina est quæcunque Mulier.

4. Tertiò, In foro externo, etiamsi nullum damnum virgo passa sit, si tamen vi oppressa fuerit, Raptoris pœnas incurret Stuprator, de quibus vide Less. *lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 9 *num.* 66. & 68. & Azor. *p.* 3. *lib.* 2. *c.* 13. & *c.* 14. nos aliquid tangemus *cap.* 6. §. 2. *num.* 9. Quid, si violavit, sed nunc non habet, vnde resarciat, nec aliquo modo possis resarcire, nisi eam ducendo, obligabitne illam ducere? Respondeo, ad id obligari per se, docet de Lugo, *lib.* 6. *resp. dub.* 29. quem vide.

### *Defloror virginis, eadem consentiente, quid debeat?*

5. Iam vero his positis, communis est Recentiorum sententia, defloratorem puellæ ex eiusdem puellæ consensu, nihil in conscientia debere, nec puellæ, nec puellæ parentibus, propter rationem *num.* 3. dictam. Ipsa verò puellam peccare contra charitatem in Patrem, & in suam alioqui honestam familiam, si publicè peccet, ac Patris conturbatio notabilis prævideatur, communis est item doctrina. Ita DD. cit. & *passim.*

6. Illa explicatione indiget dicta Recentiorum sententia. Nam si puella occultè consensit; tu verò crimen propalacti, ad restitutionem damni teneris, quia fuit causa iniustæ infamationis, vnde aliquod damnum puellæ emersisse supponimus. Idem propter similem rationem puto, si iis modis sollicitares invitam, quibus facilè, ac vrbem credatur ea assensum præbuisse: ut de nocte per fenestras ad eius cubiculum penetrare tentares: At verò apud eiusdem puellæ templum cum euntem à longe comitari, aspicere, salutare, &c. non fiunt ex se eo modis, qui infamationem causant; siquidem hæc displicere honestæ puellæ facilè quilibet existimare valet; nisi fortè ita sæpe, & in his circumstantiis hæc fiant; vt meritò consensum suspicari invitæ puellæ alij possint.

7. Dixi autem *num.* 5. (nihil debere in conscientia:) nam in foro externo, qui defloravit virginem, eam valentem; cogitur à Iudice eam dotare; lege sic hactenus vt notavit Less. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 44. propter bonum commune.

### *Quæstio incidens: An virgo pro primo vsu sui corporis possit aliquid amplius pretij petere.*

*Vbi:*

### *An accepta ob turpem causam sint restituenda?*

8. Illud hîc per occasionem scisciabitur aliquis, An virgo licitè possit pro vsu primo sui corporis mercedem accipere? Quæritur an plus, quam accipere solet alias prostituta? Tertiò, quâ mensurâ eiusmodi pretium, ut sit iustum, eadem exposcere tutò valeat. Vt hæ quæstiones lucem habeant, altiùs res est repetenda; & examinandum, An pro quolibet turpi lucro accipi pretium licitè possit? nam deinde ad has difficultates de virgine, commodiùs descendemus.

9. Et quidem regulam universalem sic statuo, ex Azor. *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 21. Molin. *tract.* 2. *disp.* 82. Valent. *q.* 6. *de Iustitia part.* 5. §. 2. *quæstiuncula* 5. Salon. *contr.* 4. & 5. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. & *cap.* 18. *dub.* 3. Vasq. *de rest.* §. 1. *cap.* 7. Dian. *t.* 1. *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 38. alios citans, de Lugo *tom.* 1. *de iust. d.* 18. *sect.* 3. Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 2. *de iust. d.* 6. *dub.* 1. Quoties pretij traditio ex parte dantis, vel receptio ex parte recipientis, vel vtraque ex parte vtriusque, ex ratione sui turpis, & illicita contra Iustitiam; toties vltra peccatum, est obligatio restituendi. Quoties verò ipsa receptio est illicita, & peccaminosa contra alias virtutes, quamvis item peccatum antea fuerit contra easdem virtutes, imò & antea peccatum fuerit contra Iustitiam; tamen si ipsa receptio non est contra eandem Iustitiæ virtutem: tunc licitè post impletam conditionem potest recipi pretium, & retineri sine obligatione restituendi. Ratio fundamentalis regulæ est, quia obligatio restituendi non oritur nisi

ex

ex peccato contra justitiam, vt certum est apud Doctores & dicetur *suo loco*; cùm igitur in prima parte regulæ contra hanc fiat, non in secunda, ibi erit obligatio, hîc non item. Sed explicatiùs verba regulæ breviter expendamus.

10. Dixi primò: In priore parte regulæ (traditio ex parte dantis) Talis est, si rem tibi det ille, qui ejus non est dominus, & qualis esse in rebus non suis solet seruus filius familias, latro, &c.

11. Dixi secundò: (ex parte recipientis.) Talis est, si usurarius lucrum, vel latro pecuniam à te extorqueat; licèt enim tu sine peccato des, illi tamen injustè recipiunt.

12. Dixi tertiò: (ex parte utriusque.) Talis est, si simoniacè Episcopus, v.g. pecuniam ab ordinando recipiat, tunc enim tam Episcopus, dum recipit, quàm ordinandus, dum dat, illicitè non solùm contra Religionem, sed etiam contra Iustitiam agunt, ut fusè *in tractatu de simonia*.

13. Dixi quartò: (ratione sui) Si enim aliunde actio sit contra justitiam, at ipsa receptio ratione ipsius receptionis injusta non sit, non erit obligatio restituendi, v.g. si Custos nemoris, vel gabellæ accipiat pretium, vt sinat arbores scindi, vel gabellam defraudari, licèt peccet contra justitiam, vnde obligetur Domino nemoris, & gabellæ totum damnum resarcire; tamen quia receptio pretij, quod habet à scissoribus, vel defraudatoribus, non est ratione sui injusta, sed justa, cùm exhibeatur ob commoditatem ipsis à Custode, quamuis injustè datam, non obligabitur ad restitutionem dicti pretij. Simili modo pretium, quod Grassator accipit à Petro, verbi gratia pro homicidio in gratiam ejusdem Petri commisso, non obligatur restituere, nam quamuis Grassator contra justitiam peccaverit, homicidium patrando; tamen posita iam occisione, remanet quidem ipse obligatus ad compensanda damna, hæredibus occisi inde secuta, at justè nunc petit, & accipit mercedem sui laboris, periculi, &c. quicquid in contrarium consuluerit, nimis strictè Navarrus *in Manual. latino, capite 14. num. 41.* quia nunc nec datio, nec receptio pretij est ratione sui illicita, imò labori condigna. Talis est etiam receptio pecuniæ, quam habet Iudex propter sententiam injustè prolatam. Quamuis enim deliquerit contra justitiam, lædendo partem cui debebit omne damnum reficere: tamen, ob eandem rationem, non peccat nunc contra Iustitiam, recipiendo pretium pro opere, quamvis injustè à se in clientis gratiam, facto. Propter sententiam injustè prolatam, dico: nam propter justam nihil accipere à cliente, vel retinere Iudex, vel quis similis potest, idque propter eandem doctrinam, quam explicamus, quia tunc ipsa receptio est injusta ratione sui: Si enim sententia est justa, debetur ea Clienti; si debetur, ergo ei vendi per pretium à Iudice justè nequit. Pari denique modo nequit Vxor accipere iustè à Marito pretium, ne adulteret, quia ad non adulterandum tenetur Vxor ex justitia ipsi marito: ergo venderet Marito, id quod Mariti est.

14. Nonnulli putant tum dictos Iudicem, Vxorémque, tum similes, licet non possint justè accipere pro sententia justa & pro omissione adulterij quidpiam à Cliente, & Marito posse tamen ab alio tertio extraneo, nec agente in gratiam, seu nomine Clientis, vel Mariti. Ita de Lugo, *tomo primo de justitia d. 18. sectione tertia numero 64.* citans Vasquez; hanc eandem sententiam sequitur Sot & Ioan. de la Cruz, apud eundem de Lugo, *loco mox citato* Favent huic sententiæ ea, quæ dicam *num. 21.* Ratio est, aiunt, eadem, quàm inculcamus, quia tunc talis recepto potest esse justa, ratione sui, nam Iudex, & uxor nihil debent ex justitia ejusmodi extraneo: ergo possunt juste suam operam vendere, qua venditione posita subibunt novam obligationem ex justitia; antiquam enim habebant ut Iudex, & ut uxor respectu Clientis, Mariti; at nunc novam subeunt, ut habentes pretium ab extraneo in gratiam ipsius extranei. Hanc sententiam cum dicta limitatione approbat de Lugo *l. c.* sed deinde idem *l. 2. de just. d. 37. sect. 11. n. 126.* cum Molin. ab eodem cit. eam absolutè reprobat: Nihilominus sic limitata non videtur improbabilis: solùm in praxi semper timebo; ne in gratiam Clientis, & Vxoris detur pecunia. Neque dicas hinc sequi simili modo justo pretio posse vendi à Iudice, & Vxore hanc novam obligationem ipsius Clienti, & Marito: ne id dicas, inquam, quia hæc nova obligatio nihil addit emolumenti ipsis Clienti, & Marito, cùm ipsis satis: superque sufficiat ad suum ius consequendum antiqua obligatio: ergo nihil ipsis venderetur, ergo injustè reciperetur pretium, &c. At extraneo aliquid venditur, nempe obligatio ratione ipsius, quæ antea non aderat, &c.

15. Rursus in secunda parte regulæ: Dixi primò: (quoties receptio est illicita contra alias Virtutes.) Talis est, si quis quid recipiat, verbi gratia, contra Temperantiam, ut si recipiat pecuniam à te, ut se inebriet, Talis si pecunia, quam justè recipis à tuo Censuario; velis tu uti ad ludendum, fornicandum, &c. non enim obligaberis ad restitutionem acceptæ pecuniæ; licèt enim pecces contra alias virtutes, non tamen contra justitiam. Idem evenit in Histrionibus, & Parasitis, qui licèt actu peccent contra Castitatem, turpia, verbi gratia proferentes, non propterea injustè recipiunt mercedem sui quamuis peccaminosi famulatus.

16. Dixi secundò: (quamuis peccatum antea fuerit contra alias Virtutes (Talis est receptio pretij, quod habet Faber ob idolum, v. g. edolatum infideli: esto enim, peccaverit contra Religionem, vel Fidem, adhuc tamen potest pretium laboris accipere, & petere; quia hæc accepitio non est in se contra Iustitiam. Talis item est, quando meretrix accipit pretium pro usu sui corporis homini concesso; peccavit enim contra Castitatem, sed nunc pretium justè recipit, petitque sine peccato: Vendidit enim non quidem peccatum, quod, cùm sit nihil, invendibile est; sed commoditatem, sed famulatum sui corporis, sed honorem suum, sed periculum aliquando suæ vitæ quæ sanè pretio sunt æstimabilia. Illud in hoc exemplo nota, publicam meretricem posse, etiam in foro externo, petere pretium sui corporis: quod prohibetur fœminis honestis; hæ enim, licèt in conscientia possint petere, & retinere pretium pro actu turpi; tamen à foro externo puniuntur, & in pœnam delicti, privantur pretio, post sententiam.

17. Dixi tertiò: (quamuis peccatum fuerit contra Iustitiam, &c.) Talis est, quando Iudex pro sententia injusta. Talis, quando Grassator pro homicidio. Talis, quando uxor pro adulterio jam facto, &c. ut ex dictis liquet.

18. Dixi denique quartò: (post impletam conditionem) nam ante semper adest saltem consequenter obligatio restituendi. Det, verbi gratia, Petrus centum aureos Grassatori, ut aliquem occidat. Dico Grassatorem, antequam impleat conditionem, idest antequam hominem occidat, teneri ad restituendum illum censum. Ita de Lugo *tom. 1. de just. d. 18. sect. 3 num. 45. & 49.* Ratio est, quia tenetur ex Iustitia rescindere hunc contractum, & non stare promissis, posita autem rescissione jam non habet titulum ea centum retinendi, & consequenter habet obligationem restituendi. Idem dic, si pretium acceptum fuit à muliere ob futuram fornicationem, & à quocunque ob futurum quodlibet peccatum, nam semper adest obligatio peccandi, atque adeò rescindendi promissionem, & consequenter restituendi. Id quod non ita esse, si jam peccatum factum fuit, ex se patet; nam illud non fuisse, non est amplius in mea potestate: Cùm ergo ex alia parte in eo peccato jam patrato inveniatur mens labor, vel quid simile dignum

mercede; illa non sum modo dicto defraudandus.

19. Iam verò, si res turpis exhibita, sit pretium autem nondum sit traditum; sæpius dixi, peti illud sine injustitia posse: At an negari possit, nondum dixi. Id ergo explicatius proponamus, & illustremus. Promisisti Grassatori; meretrici, honestæ puellæ, Histrioni, Iudici injusto, &c. centum aureos ob turpes actiones ab his respectivè gerendas; ij eas plenè exhibuerunt: poterisne tu iis petentibus ea centum negare, & in conscientia non solvere? Respondeo: ex nostra, communioréque sententia non poteris. Ita Rebell. Less. Turr. Mald. Sylv. Azo, aliíque quos citat, sequiturque Diap. *mox.* citandus. Adde Dicastill. *lib.2.tract.2.de just.d.6.d.1. num.12.* si enim promisisti, & illi ex sua parte rem vendibilem posuerunt; non est, vnde tu ab obligatione restituendi liber evadas. Excipe semper, nisi leges irritaverint pactum, seu promissionem; vt certè fecerunt in promissionibus simoniacis. Addit de Lug. *t.1.de just.disp.18.sect.3. num.47. & num.59.* si negari licitè posset pretium pro re turpi, negare etiam iustè posset adolescens matrimonium puellæ, si ut eam defloraret, illud verè promisit: jam enim promisit pro re turpi, & tamen omnes ferè Doctores clamant negare non posse.

20. Dixi (ex nostra sententia: nam non ignobiles Doctores docent, neminem teneri ad solvendum alteri, quod pro re turpi illi promissum est, seclusojuramento quamuis promissarius conditionem plenè posuerit; Idque in omnibus casibus, tum scilicet in iis, qui per leges puniuntur, quales est fornicatio mulieris honestæ, homicidium, adulterium, &c. tum in quibuscunque aliis. Ratio est (inquiunt) quia promissio illa de re turpi patranda, fuit nulla, nec ullo modo obligans, vtpotè peccaminosa: quare nec erit ex obligatione servanda. Addit. Navarr. *in man. cap. 17. num.40.* dationem, & acceptationem, pro re turpi commissa, esse nouum peccatum, quia est approbatio peccati commissi. Sed certè hoc dictum Navarr. à veritate procul est, ut ex dictis colligi potest.

Hæc sententia, quæ probabilis censetur à non paucis, Less. *l.2.c.14.dub.8.n.60.* & *c.18.d.3.n.2* Dian. *p.2. tr. 16. reso'.38.* & *p.4 tr.4.res.27.* Nau. Val. Comito. apud Dian. *loco citato* & multis Canonistis apud Azor. *p.3.lib.4.cap. 21.quæst. 2.* mihi, & communiter Recentioribus non placet, ob rationem dictum *num.præced.* quia tamen tot viri docti eam nequaquam rejiciunt, nec ego rejicio, sed aliis meliùs expendendam relinquo.

21. Dictum est de acceptatione pretij pro opere turpi: quid pro omissione operis turpis, atque adeò pro opere bono? Si verbi gratia, Petrus sit deditus ludo, scortis, blasphemiis, & ego illi sine hæc committat, do pecuniam liciténe ille accipere, & retinere potest, posito, quòd ea non committat? Respondeo, licitè posse Ita de Lugo aliis cit. *tom.1.de just.d.18.sect.3.à num.66.* quia quamuis ille astringatur ea peccata ex aliis virtutibus non committere; non tamen ex Iustitia saltem mihi debita: quare si omittat in gratiam meam, & sub nova hac obligatione, justè præmium retinet. Si ea peccata non committere deberet mihi ex justitia, nihil à me posset accipere, propter hactenus dicta. A me, inquam; nam num possit ab altero, colligitur ex dictis, *num.14.* Nec in casu nostro adest simonia. Ita Vasquez, apud eundem de Lugo *ibidem, num.99.* quia hæc quæ donantur ad avertendos homines à malo, vel alliciendos ad bonum, gratis donantur, vel sub conditione, non verò in pretium, quo etiam pacto excusantur à simonia Fideles, quando munusculis alliciunt infideles ad Fidem, vel pueros ad Religionis ingressum.

22. Porrò ex dictis jam facilè respondebis primæ quæstioni *num.* 8. propositæ: Ante patratum enim stuprum, debet virgo rescindere promissionem, & reddere pretium; juxta dicta *num.18.* At eo patrato; potest licitè, & justè illud in conscientia petere, ac retinere, ut ex dictis *præsertim numero.* 19. patet.

Nonnulli (ut id hac occasione dicam) rejiciunt scrupulum conjugatæ, quæ accepit pecuniam pro adultero; aiunt enim pecuniam deberi ab ipsa (occultè, ne prodatur) tradi Marito, quia Maritus est Dominus corporis Vxoris. Ita Mol. Reg. Bannez, aliique apud Dian. *part. tract.17.resol.7.* Sed hos licet doctissimos, non audiunt, nec audiunt alij non ignobiles Doctores, Megala, Bonacina, Graffis, Diana eos citans, *d.resol.6.* Ratio mihi detur esse, quia Vir non sit ita Dominus corporis Vxoris, vt in illud perfectissimum habeat dominium; sed tùm ita, ut illo vti queat in debito conjugali omnibus aliis exclusis quod certè non tollit vxori facultatem acquirendi, licèt cum peccato, ex turpi sui corporis cessione. Vxor enim non est sicuti mancipium, quæ quia incapax est dominij, quidquid acquirit, Domino acquirit, &c.

*Quantum pro vsu corporis justè exiget Mulier?*

23. Ad posteriores autem quæstiones, quæ de pretij taxam inquirebant, communis responsio est: pro statis omnibus; id est, personæ nobilitate, pulchritudine, prosapiæ, honestate, &c. esse id decernendum; plus enim meretur honesta, & nemini pervia, quàm omnibus obvia, &c. Verùm, ad hanc responsionem animus qui explicatius aliquid, & magis determinatum desiderat, non enim acquiescit.

24. Distinguunt nonnulli; Vel enim sermo est de meretrice, vel de fœmina honesta. Meretrice, (ait Lugo, *tom.1.de justit.d.18.sect.3. num.47.*) non posse jure petere, vel accipere nisi quantum plus minusve lubet ipsa eadem à cæteris conquirere? Hæc enim emptio, & venditio inter illam, & amasium: hi dat pretium, illa vsum corporis; cùm igitur conditiones emptionis, & venditionis justè requirat, ut pretium illud, quo communiter res venditur; ita erit & hic. Quare si meretrix dolo fingens se esse honestam, etiam tamen talis in communi opinione non sit; vel fingens ab aliis multum accipere, plus notabiliter accipiet, obligabitur excessum restituere: nisi fortè ex circumstantiis colligat esse liberalem donationem amasij; quo ego tunc adesse præsumerem, quando is sponte & non exactus à meretrice tantam, vel tantam mercedem porrigeret. De promissione nimis prodiga, vide quæ dixi *cùm de juramento.*

25. At verò fœmina honesta potest petere, & sumere quantum ei placet. Ratio est, quia in his, & similibus rebus, quæ pretio statuto, vel vulgari carent; tanti res potest vendi, quanti eam æstimat, qui vendit. At puella honesta plurimi potest suam honestatem æstimare. Vnde video meretricem, de qua *num. præcedenti* fuit locutio, potuisse initio suæ prostitutionis plus accipere; at ubi tanto, vel tanto pretio honestatem suam æstimavit, huic æstimationi debet stare, secùs, venderet, supra æstimationem.

Hæc ex de Lugo. Fateor hanc distinctionem esse probabilem; sed quoniam non improbabilis est sententia (afferenda *infrà*, *lib.8.tract.3.cap. 7. §. 4. num.20.* ex Val. Tol. Sà, vbi respondebimus arg. allato à de Lugo) dicens in rebus, quæ non sunt victui, ac vestitui, & his similibus necessaria, quemlibet posse rem suam vendere, quanti sine fraude potest; sic enim concedimus Falconem, Canem venaticum, Gemmam tanti vendere, quanti quis potest; quia hæc sunt ad delicias, non ad necessitatem: cur etiam id non sit sentiendum de meretrice, quæ usum actualem sui corporis velit hunc viliùs, huic cariùs, vt ei libet, sine dolo vendere? Addidi (sine dolo,) nam si mendaciis vratur, & fallaciis, non illa solùm meretrix, verùm etiam quæcumque aliàs honesta, similibus utens, paris erit injustitiæ rea.

*Defloran-*

*Deflorator virginis, vi, metu, &c.*

26. Si Virgo vi, fraude metu injusto, aut reverentiali (addunt Turrianus, aliique apud Dian. *p. 1. tract. 8. resol. 48.* preces importunas; quas tamen ego pŏ addo Vasquez, Petro Navar, aliisque, quos cit. sequiturque Dian. *tr. 2. d. 7. d. 9. n. 127.* preces enim, vt & *lib. 2. de just. tr. 2. d. 7. d. 9. n. 127.* preces enim, vt & Sanct. *lib. 2. de just. tr. 2. d. 7. d. 9. n.* 127.

erat notum fœminæ, non propterea vir excusari à matrimonio potest; quia potuit tunc fœmina putare de illo voto (vt solet) fore, vt peteretur dispensatio. Scio à Diana *part.3.tract.14.resol.* 38. putari probabile hunc ventem, ante promissionem matrimonij factam defloratæ, debere votum servare; quia vrget prior promissio facta Deo. Verùm, an id sit probabile, penes ejus authoritatem sit.

36. De hoc autem Castitatis Voto omnino peti debet dicta dispensatio, non quidem, ex Less. *lib.2.cap. 40. dub.4. num.* 34. quasi sit necessaria dispensatio ad contrahendum, & ad reddendum debitum; jam enim diximus non esse obligationem servandi hæc vota in concurrentia dictæ promissionis, idque in favorem violatæ: sed vt vir possit petere debitum, & post mortem vxoris aliam ducere.

37. Dictum est *num.* 34. (nisi legitima accedat excusatio:) nam etiamsi fuerit jurata promissio, excusabitur, ex Sanch. *lib.1.de matr.d.10.num.*8. sed est contra Molin. *d.*106 *num.*4. Primò defloratus ad non ducendam defloratam, si superveniat aliquod impedimentum dirimens; de quo obtineri dispensatio non possit; nam ad impossibile nemo tenetur. Si tamen potest, certè impetrare omnino debet; quia debitor semper obligatur ponere media, saltem ordinaria ad solvendum creditori. Quis enim non obligabit Artificem ad laborandum secundùm suum statum, vt furto ablata restituat? Quid, si impedimentum hoc dirimens præcessit promissionem? Respondeo eodem modo. Ita de Lugo *loc. cit sect.*4 licèt contrarius sit Sanchez *lib. 5.de matrim.d. 5. numero* 26. quando promissio fuit absoluta, nulla facta mentione petitionis dispensationis, sed solùm data fide de matrimonio. Si enim impedimentum est dispensabile, debet à stupratore eius dispensatio obtineri; ad hoc enim se obligavit promittens matrimonium; vel certè si fictè promisit, resarciat damnum, dando dotem competentem: ad id enim saltem obligat deceptio. Solùm non obligabitur, quando fœmina seipsâ decepit, sciebat enim, verbi gratia impedimentum, & prudenter aduertere poterat fictum animum stupratoris qui non intendebat dispensationem petere, quam tamen sui deceptionem raro esse in mulierculis, notabo mox *numero* 49. in simili: Non obligabitur etiam, quando ipse stuprator inculpabiliter ad eam necessitatem petendi dispensationem non advertit; vel impedimentum ei incognitum erat, & ex alia parte ejus verba non significabant promissionem de dispensatione petenda. Tunc enim) vt etiam in præcedente casu) abest vis, vel fraus stupratoris. At si significabant, licèt ipse non adverterit, tamen cùm re ipsa dederit causam deceptioni, obligabitur saltem damna puellæ resarcire: si non matrimonio, quod non promisisset, si advertisset, certè subsidio dotis, quo resarciatur deceptio.

38. Excusabitur secundò defloratus, si mulier fornicetur postea cum alio, vel simile quid dignum divortio committat. Ita Dian. *part. 3. tract. 6. resol.* 53. si enim hæc, matrimonio jam contracto separationem concedunt; multò magis concedent non contrahere.

39. Excusabitur tertiò: Si ex tali matrimonio probabiliter timeatur oriturum magnum scandalum, vel fore malum ejus exitum per rixas, discordias, &c. Sicuti enim hæc dissolvunt sponsalia; ita & promissionem, de qua loquimur. Quare lege Sanchez, qui docet, quantum hoc scandalum, & similia esse debent, vt dissolvantur sponsalia; nam illa etiam hîc vsui erunt.

40. Excusabitur quartò: Si se virginem finxit mulier; tunc enim fiet compensatio, vt sicuti mulier virum decepit, fingendo se esse intactam, sic vir non observando promissionem matrimonij. Quòd si vir ex se credit illam virginem, & ideo verè promisit, certè non erit obligatus ducere, quia ipse virginem volebat, & sub hac conditione promisit: At obturne compensare damnum mulieri, ex ipsa illatum? Respondeo hoc (saltem occulta ex copula) vix vsum solet esse, solùm igitur remanet obligatio restituendi pretium pro ipsa copula, ad in gratiam viri consensit mulier; sed fortasse com ter hujusmodi semi- honestæ mulieres suum corpus lùm concedentes ob promissionem matrimonij expressè petant, quod rarum est, remittere videntur pulæ pretium.

41. Excusabitur quintò; Si vir puellam tetigit taxat, quamvis tactibus impudicis: cùm enim promiserit, vt supponimus, conjugium propter pulam, non debebit ex solis tactibus. Quòd si cogniti ab aliis fuerint tale esset osculum publicum & inde infamia nata sit contra virginem; erit guendum: Vel enim promisisti matrimonium & copulæ; copulam autem non obtinuisti, sive sive virginis, sive utriusque causâ; & tunc non garis ad nuptias. Ita Sanchez *lib.1.matrim.d.*10.*num.* quia non est posita principalis conditio; obligamen ad damnum, quod fortè ex tactibus ortum ex se patet. Vel promisisti matrimonium soli v. g. osculo: & tunc puto te obligari ad eam dam propter pactum jam initum. Sicut enim superioris dignitatis promisit virgini, vt illam duret, matrimonium; eam debet ducere, non obillo excessu, ex de Lugo, *l.c.sect.*2.*n.*32. quia tunc ne promissionis debitus est totus ille excessus: ita su nostro, &c.

42. Ex alio capite puto etiam esse probabile, tum hunc solùm tangentem puellam, & Matrmonium promittentem: vt item virum illum excetem dignitate, non obligari regulariter ad eam ducdam; sed solùm ad damnum compensandum. Quia enim (ait Lessius, *lib.2.c.*18.*d.*1.*n.*9.) aliquid promittatur, excedens valdè valorem rei, quæ petit non censetur velle se aliquis obligare, nisi quaten opus is valor exigit: quare, cùm in casibus nostris matrimonium valeat plus, quàm tactus ille, vel illa virginis infimæ copula, non censebuntur illi se id illud obligasse. Notanter dixi (regulariter:) si verè promiserunt animo se obligandi, non vide vnde possint hi à servanda promissione resilire, pertim, quia honesta Mulier potest suum corpus vendere, quantum ipsi placet, vt *superius,n.*3. §. diximus satis.

Quando defloratur, vult promissionem servare, & vinem ducere, illa verò, vel Parentes recusant, an obgetur aliâ viâ damnum reficere, dicam mox *n.* 48.

### *Promissio matrimonij ficta.*

43. Quamvis fictè, & sine animo se obligandi promiserit quis mulieri violatæ matrimonium; tamen obligabitur ad resarciendum totum damnum; quia ejus damni per illam fictionem ipse violator causa est. Ita DD. cit. & *passim.* Nec obstabit votum, sive subsequens, sive præcedens. Ita de Lugo *t. 1.de just.d.*12. *sect.*3. *num.* 47. & 48. vt ex dictis *num.*35. colligi potest. Idem puto, si fictè quis de præsenti Matrimonium cum aliqua contraxit, & sub eo prætextu violavit. Idem denique, etiamsi per promissionem fictam solùm extorserit oscula, & tactus: semper enim damnum latum resarciri propter dictam rationem debet, etiamsi ea virgo non fuerit, sed Mulier honesta, &c. Ita idem *ibid. num.* 48.

44. Difficultas ergo solùm est, An satis sit, si violator tunc resarciat alia via æquivalenti, non autem Matrimonio, quod fictè promissum est. Et communis sententia est, non esse satis, sed Matrimonium contrahere omnino debere. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.unic.art.*2.*ad* 4. aliique multi apud Sanch. *lib.1.de matr. d.*10.*n.*2. contra Præpositum allatum à Diana, *part 5. tract.* 14.

*sect. 14. resolut.* 32. Ratio est, quia personalis fuit, licet ficta promissio, de sua scilicet danda persona; ergo in hac personali obligatione jus obtinuit decepta; cum hæc possit servari, injustitia mulieri fieret; quæ remaneret in æquivalenti: sicuti tibi jus est in hunc numero equum; non fit justa satisfactio in pecunia, vel in æquivalenti.

45. Non desunt tamen hîc quæ excusationes; Prima, quandò supervenit impedimentum irreparabile, ut, quandò mulier fornicatur cum alio: Tertiò secundò, quando timetur scandalum, & malus matrimonij exitus: Quartò quando mulier se virginem finxit: Quintò, quando habentur soli tactus, de quibus vide *dict.* num. 41. & 42. hîc proportionaliter applicanda: Sextò excessus inter promittentem, & promissariam, ut facilè potuerit fœmina vilis, v. g. cognoscere fictionem nisi admodum digni. Ita S. Thom. *loc. cit.* Sanchez *loc. cit.* num. 19. Vasquez. *de restitut. cap.* 3. §. 1. *dub.* 3. *num.* 19. Hùc etiam pertinet, quando vir iis verbis ambiguis utitur in promittendo, ut facilè appareat ab ipso velle fœminam decipi.

46. Quoniam verò iidem Doctores fatentur, fœmina facilè decipi non culpâ suâ sed fragilitate sexus, ac judicij minùs perspicacis; unde, tunc non posse fictè promittentem recurrere ad hanc excusationem: ideo puto vix in praxi excusari ex hoc capite violatorem. Et Bossius *de contr. matrim. c.* 2. *n.* 63. quidem numquam sine excusationem esse legitimam pluribus probare contendit. Si tamen in raro casu deceptionis sibi sola causa est mulier; sibi imputet, nec violator ad Matrimonium obligabitur.

47. Quid, si mulier non cognoscebat illum Virum adeò excellere, obligabitúrne Vir ille fictè Matrimonium promittens, ad illam ducendam? Respondeo: si fictè promisit (nam si verè; dixi *suprà n.* 41. *fine*) non videtur obligandus, nisi ad resarciendum damnum per æquivalens. Ita Sanch. *ib. n.* 21. de Lugo, *l. c. sect.* 2. *n.* 32. Ratio est, quia ex una parte non obligatur ipse ex vi promissionis; facta enim illa fuit: & ex alia, si mulier excessum dignitatis non cognovit, non consensit Viro sub ratione tantæ dignitatis; ergo non potest matrimonium tam dignum exigere, semper enim haberet plus, quàm ei deberetur. Sufficiet ergo, si ei, alio modo recompensetur.

48. Petas hîc denique, An teneatur defloror resarcire damnum aliâ viâ, si is velit defloratam ducere; sed ipsa abnuat; vel ea volente, abnuant efficaciter ejus parentes?

Respondeo: si nolit ipsa, ad nihil defloratem obligo, sive ex animo, sive ficta tergiversatione sponderit. Ita de Lugo: *l. c. num.* 28. quia vir conjugium promisit, non aliud. In uno casu eum obligarem resarcire damna, quando vir finxit se milioris notabiliter conditionis quàm fuerit mulier; tunc enim hæc decepta fuit, & jure nunc tamquam indignum eum erepuit: Ergo illi stuprator debebit damnum; ratione deceptionis exortum, resarcire. Quòd si nolint parentes, tunc aliqui non improbabiliter obligant ad resarcienda damna aliâ viâ, quia non æquum est virginem suæ sua culpa irreparatam remanere. Ita Sylv. Nav. aliique, quos refert Sanch. *l.* 1. *matr. d.* 10. *num.* 15. Vasquez *l. c.* §. 1. *dub.* 3. *n.* 22. Sed certè probabile etiam est cum Sanch. *l. c.* de Lug. *l. c. n.* 29. nec tunc obligari ad aliquid stupratorem: quia ipse solùm obligatur ad id, quod fictè, vel verè promisit; solum autem Conjugium promisit. Illud ex supradictis *n.* 37. noto: si facile vir parentes inducere posset obligari ipsum ad illorum assensum obtinendum; quia, qui aliquid promittit, promittit etiam implicitè ordinaria media ponere, quæ faciunt ab adimplendam promissionem.

*Dubium incidens.*

*De Muliere fictè copulam promittente.*

49. Ex cujsmodi promissione nullam obligationem induci, ex se patet; tum quia promissio vera non est; tum quia etiamsi esse deberet, vt dixi *suprà, cap.* 1. §. 3. *num.* 18. rescindi, vtpotè de peccato committendo. Illud ergo hîc explicandum est, An si mulier accepit munera ab Amasio, obligetur restituere? Et restituere quidem obligabitur, si accepit ex pacto futuræ copulæ, pacto, inquam, sive explicito, sive vt sæpe in hac materia evenit, implicito: quia tunc pari modo obligatur rescindere pactum. Verùm, si sine pacto sed ex liberalitate Amasij accepit, qui eam iis muneribus allicere tentabat, spe concepta de copula; duæ sunt difficultates: Altera, an mulier ea sine peccato accipiat? Secunda, an accepta restituere teneatur?

50. Ad priorem: Puto in Praxi, & communiter non solùm mulierem indecorè ea recipere, sed etiamsi mulier verbis dicat, se recipere, sed nolle consentire; tamen re ipsa fovet amorem alterius, qui semper in praxi putabit, admissò à puella munere, facilius eam expugnari posse. Quod si in rarissimo casu id non esset, & donatio amasij ex parte sua jam completa sit vt si amasius eam rem dederit, seu consignaverit mediatori inter ipsum, & puellam: mera acceptio mulieris non esset ex hoc capite peccaminosa, non enim esset causa illicitæ donationis; quia hæc jam supponitur completa, & ex alia parte jam supponit nullam esse cooperationem cum alterius peccato.

51. Vnum nota: certam moraliter tibi debere esse pravam mittentis munera voluntatem; secùs, licitè recipis, quia non præsumendus est; nisi constet delictum velle committere.

52. De Lugo, *tom.* 1. *de just. d.* 18. *sect.* 3. *num.* 51. excusat etiam aliquando à peccato mulierem, quæ scit animum depravatum mittentis munera, sed munera ipsa id ex circumstantiis non significant: possent enim (inquit) ex titulo affinitatis, vel honestæ Amicitiæ mitti. Adde, & titulo futuri Matrimonij: qua ratione concedit in Aula Regis Puellas nobiles posse obsequia, & munera nobilium Iuvenum acceptare; solùm enim si significatur servitus illis nobilibus fœminis debita, vel desiderium nuptiarum; non verò turpe commercium. Illa igitur puella non censetur assentiri inhonestæ juvenis intentioni, sed indifferenti illi obsequio dumtaxat. Hactenus ex illo. De hac re lege novissimè Thomam Hurtard. debitò benigniùs loquentem, *part.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 5. *resol.* 10. Verùm, non acquiesco, quando de depravata voluntate, mittentis puella certa est. Fateor enim posse illa munera mitti ex illis honestis sed nunc de facto cognoscuntur mitti ex inhonestis, & ex intentione mala, quam fovere ea recipiendo, mulieri nullo pacto licet. Praxis igitur illa Aulica solùm in culpa incerta, & dubia admittatur, explodatur in peccato certo. Posset etiam puella non reiicere publicè illa munera, quando, si puella malam juvenis intentionem occultam, cum eusdem juvenis infamia propalaret. Sed quia prædictis nobilibus, qui solent de suis amoribus gloriari, ea mala intentio infamiæ non vertitur; ideo regulariter ejus munera poterunt, & debebunt in prædicto casu non admitti.

53. Ad posteriorem: Puto mulierem sic accipientem non obligari ad restitutionem. Ratio est, quia recipiendo non peccavit contra Iustitiam: jam enim liberaliter dedit amicus, sciens, vt supponimus, mulierem neque explicitè, neque implicitè ea acceptare cum pacto copulæ. Liberalitati autem, non ex Iustitia, sed ex gratitudine, sine obligatione restitutionis, datur retributio. Quare si sua spe frustratur amasius, sibi, suæque credulitati imputet: Sicuti quando quis inservit

inservit, vel munera gratis dat Principi, vel Episcopo, intentione conquirendi dignitatem, vel beneficium, quod deinde non confertur; Principem nullo modo ad ad restitutionem vrget, sed suam inanem spem meritò deplorat.

## CAPVT VI.

### §. 1. *De Raptu.*

1. IN *Methodo Conf. lib. 2. cap. 6. §. 9.* sic habes: In duobus differt raptus à stupro. Primò, quia stuprum semper est cum virgine, at Raptus est de quacunque muliere, imò etiam puero, qui sanè Raptus est omnium turpissimus.

2. Secundò, Stuprum solùm dicit violentiam, vel ad summum fraudem: at Raptus præter violentiam, addit abductionem. Ita Filliuc. *2. tr. 30. c. 6.* & me citato Diana, *p. 9. tr. 8. res. 2.* citatisque etiam Hurtado, Præposito, aliisque. Est enim Raptus peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia, ad turpem actum cum ea exercendum. Addit igitur malitiam contra justitiam atque adeò specialiter confitendam.

3. Abductio Sponsæ de futuro vt item Sponsæ de præsenti, id est, Coniugis per duos menses ante consummationem Matrimonij, ad quod consummandum prædictum tempus conceditur; Abductio, inquam ejusmodi sponsarum, si est ad finem ritè complendi Matrimonium, non est raptus. Ita Filliuc. *ibid.* quia, etiam repugnantibus Parentibus, non est abductio ad id, quod est prohibitum: sed si est ad illicitum finem, explendæ scilicet libidinis; erit Raptus speciatim in Confessione manifestandus.

### §. 1. *Additio.*

1. AD Raptum tria ex dictis requiruntur. (Lege fusè Sanchez *lib. 7. de matr. d. 12. & 13.* Less. *l. 4. c. 3. d. 9.* aliósque: Primò, vis allata: Secundò finis inhonestæ libidinis, in qua includitur finis Matrimonij contrahendi; nam eo modo, id est, violenter Matrimonium velle, inhonesta libido est. Tertiò, abductio. Nonnulla addamus de singulis.

#### *Vis illata.*

2. Quare, si vis inferatur renitenti mulieri cuicunque, etiam non virgini, quamvis Parentibus volentibus, vel tum muliere, tum Parentibus invitis, vel solis invitis Parentibus, ipsa Muliere consentiente, semper erit raptus explicandus in Confessione, quia semper in prædictis modis præter malitiam luxuriæ adest malitia violentiæ, quæ est contra Iustitiam. Nomine Parentum hic veniunt quicunque sub sua potestate mulierem fortè habent, Pater, Tutor, Curator, Maritus, Sponsus, Amici, Consanguinei, &c.

3. Petes hac occasione: Qua ratione se gerat mulier, ne peccet, quando vis illi infertur? Respondeo, ex Sà, v. Luxuria, n. 16. *Quæ ab aliquo opprimitur* (inquit) *non tenetur ad sui defensionem illum lædere. An verò teneatur clamare, & resistere, quantum possit sine periculo vitæ, & famæ non convenit inter Doctores. Ego iis accedo, qui resistendum putant.* Hactenus Sà. Ego verò non solùm iisdè accedo, verùm etiam puto tutum nullo modo esse non accedere. Ratio est, quia secùs Mulier cooperaretur cum alieno peccato, esto, certissima sit se propriè delectationi non consensuram.

4. Sed quid si resistere nequeat? Respondeo, ex Tol. lib. 5. cap. 11. n. 10. *Si fœmina* (inquit) *cogeretur ad turpem actum, dummodo ista interius non consentiret actui, quævis paterentur ab altero, & sentiret etiã delectationem, sed sine consensu in ipsam, non peccaret; nam agens absque consensu, non agit; cum consensu autem, est mortale.*

5. Quid denique? facilénè credam fœminæ, oppressam non consensisse? Respondeo, ex de Lugo tom. 1. de just. d. 18. sect. 10. n. 199. *In praxi* (inquit) *credendum est, violentiam oppressionem, & absque culpa parte fœminæ. Rarissimum enim est, quòd si velit, non sit aliquo modo resistere, & violationem impedire; sed metum, ob animi imbecillitatem, & aliquando etiam latentem lasciviæ affectum, quem manifestare amicum erubescunt, consentiunt fœminæ, saltem invitæ: quis tamen sensus, licèt ex parte involuntarius sit, sufficit ad peccatum grave, quem consensum sicut & congressum ipsum debent virili fortitudine impedire; & rarissimè contingit, rum delectationem turpem ab invita omnino & reluctante captare velle.* Hæc de Lugo. Cùm autem mulierem impedire potuisse; intellige, illam debere apponere non solùm negativam resistentiam, sed verò positivam, id est, motum, & agitationem corporis quantum potest. Si enim quieta ipsa remaneat, cooperatur peccato alterius? nihil enim ille alter fœmina quærit, nisi quietam congressui se præbere. Quòd si propter suum motum, semen viri extra emittatur; invadenti imputabitur, non ipsi jure reluctanti; & notat *ibidem* de Lugo, ipsam non posse seminare quamvis viro seminante: quia ad id nullum jus habet, quare quantum potest ei seminationi resistere esse.

#### *Finis inhonestæ libidinis.*

6. Si ergo est ad alium finem, vt si raperetur puella vt fieret serva; Plagium esset, & vocaretur, quæ species furti, non raptus.

#### *Abductio.*

7. Hinc, si per vim sine abductione de loco ad locum fœminæ quis copuletur, peccabit quidem peccato contra Iustitiam, specialiter confitendo, sed propriè raptum non committet. Ita *suprà §. 1. num.* idem dic, si per fraudem: Nam dolus, & fraus, & violentiæ æquipollent, *l. unica, §. & si quidem,* vel *pœnas autem, cap. de raptu virg.* cùm perinde fiat injuria contra Iustitiam. Parimodo si eandem cognatam vim ducendo de vno cubiculo ad aliud, vel de loco ad locum non valdè distantem in eadem domo seu prædio, non diceris propriè rapere, licèt, violentiam specialiter confiteri debeas; quia non est vera abductio illa, quæ mulierem in diversum moraliter locum non transfert.

8. Si Mulier rapiat, abducátque virum, etiam ad finem libidinis non esse propriè raptum, docent merito non pauci apud Sanch. citatum: Ita ipse Sanch. Gaet. Hurt. Præp. Pont. Reg. aliique apud Dian. *p. 10. tr. 11. res. 28.* contra Marant. Aversam, Martinum. Sed id intellige quoad pœnas *moæ* dicendas, quæ solùm feminantur in viros rapientes fœminas, non contra: mutuò cæterùm, si verè adfuit violentia, adfuit & malitia contra Iustitiam, quare cùm adsit etiam vera abductio, vt supponimus, non est, vnde negandum sit illum esse quoad culpam, raptum.

9. Hæc, quoad culpam. Quoad pœnas, sive quæ sunt in corpore Iuris Canonici *c. Raptor. 33. c. statuimus 27. q. 2.* sive in Tridentino *sess. 24. c. 6. de ref. matr.* hæc numerantur, (pœna enim capitis, aliæque, quæ infliguntur per Ius Civile, & quidem semper post sententiam, ad nos non pertinent; videatur Lessius *lib. 4. cap. 3. n. 68.* & Azor. *p. 3. lib. 3. cap. 15.*) Prima est, vt raptor alienæ sponsæ, publica pœnitentia puniatur. Secunda, vt idem non possit ampliùs cum vlla alia matrimonium contrahere. Putatur autem à Doctoribus, hoc esse impedimentum impediens, non dirimens, immò hodie jam esse vsu abrogatum. Tertia, vt tum raptor, tum ejus adjutores sint ipso facto excommunicati. Quarta vt

donec rapta est in potestate raptoris, inualidum sit matrimonium, vt etiam (ex Molina, Sanch. & aliis suis citat, sequitúsque Bon. *de matr. quæst.4.p.18.n.10.*) sponsalia, si forte, etiam consentiente rapta, Matrimonium, vel sponsalia celebrantur.

10. Iuvat autem hic afferre verba Trident. sess. 24. c. 6. *de ref. matr. Decernit Sancta Synodus inter Raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum consistere Matrimonium. Quod si rapta à raptore segregata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem prabentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, proinúmque dignitatum incapaces; Et, si Clerici sint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam in uxorem duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.*

11. Hactenus Concilium. Vbi noto: Primò, hoc Decretum non habere locum in quocunque raptu, sed illo duntaxat. Quare si quis rapiat mulierem causâ libidinis, & non ad contrahendum cum illa matrimonium incurrit prædictas Concilij pœnas. Ita Lessius *loco citato num.*70. Sanch. *lib.7.matrim. disp.*13. *nu.*4. Ratio est, quia Concilium hic nil intendit præterea, nisi liberam matrimonij providere. Scio Bonac. *de matrim. q.4.parte* 18. *num.*2. putare decretum habere locum, etiamsi sit ad solum finem libidinis; quod certè non est improbabile.

Item sis non habet locum in eo raptu, cui mulier consensit, licèt invitis parentibus. Ratio est eadem, quia scilicet matrimonij libertas quò Concilium continet in hoc decreto, non dependet à Parentibus, sed solum à muliere.

12. Noto secundò, ad pœnas incurrendas non esse necesse vt sequatur copula cum rapta. Ita Lessius *loco cit. num.*60. Sanch. *loc. c. num.* 9. malitia enim raptus saltem pro pœnis, satis completur per abductionem cum prædicto fine.

13. Noto tertiò, Præter excommunicationem latæ sententiæ, quæ non est reservata, ex Sanch. *ibidem. num.*1. & præter impedimentum dirimens matrimonium, quod & sponsalia, ex Sanch. *ibidem, numer.*17. quod non est pœna, sed dispositio legis, cæteras pœnas hujus decreti non incurri, nisi post sententiam Iudicis, vt ex dictis constat.

14. Noto quartò, licet abductio sponsæ, ipsa notabiliter sit quoad culpam, raptus; quia etiam sponsa debet libere matrimonio de præsenti consentire: tamen quoad pœnas probabile esse, ejusmodi raptum non includi in hoc decreto. Ita Less. *loc. c. n.*70. Henr. *lib.*10. *c.*12. *num.* 5. quia non est abductio strictè injuriosa eam sibi recipere, quæ sibi legitimè promissa est.

15. Ex his plani fient hi duo casus: Ignorantibus parentibus, quædam mulier consentiens abducta est. Item sis ignorante Cæsare adolescente abducta est ab eius amico quædam invita puella, ut eidem Cæsari illa puella in matrimonium traderetur, commissúm ne est in vtroque hoc casu peccatum raptus, prædictis Concilij pœnis obnoxium.

Respondeo ad primum esse commissum raptum quoad culpam, vt dictum est *num.*2. Quoad pœnas Concilij non esse, ex Sanch. *ibid. num.*9. quia, consentiente ipsa, salvatur libertas matrimonij.

16. Ad secundum, si neque per se, neque per alium Cæsar puellam rapuit, ipse raptor non est, atque adeò pœnas non incurrit, ex Sanchez *lib.7.disp.*13. *num.* 2. Amicus etiam, nec incurrit, quia non est raptor pro suo matrimonio, de quo loquitur Tridentini Decretum, quod cùm sit odiosum, non est extendendum vltra verba. Vnde vides in hoc casu tùm amicum hunc, tùm adolescentem illum, pro quo rapta est mulier, validè posse matrimonium inire cum eadem muliere, etiam non separata. Quando verò per alium quis scienter rapit, verus raptor est, incurritque omnes Decreti pœnas: ille tamen, qui ex raptoris iussu exequitur actionem rapiendi, tanquam fautor incurrit Excommunicationem, & cæteras pœnas, cùm interim validè possit inire matrimonium cum eadem muliere, quia invaliditas matrimonij solùm infertur contra rapientem pro se, non contra rapientem pro altero, vt dictum est.

*Copula cum dormiente, an sit raptus?*

17. Denique decernenda ea est quæstio. An copula cum fœmina dormiente, vel sensibus destituta, sit propriè raptus? Respondeo. Si cum fœmina, quæ ante somnum consensit, non esse raptum certum est. Ita Pelliz. *meth. Reg. to.1. tract.4.c.3. sect.4. num.*70. quia non est cum injuria, nec cum violentia contra Parentes. At; si cum fœmina, quæ non consensit, aio primo, præter fornicationis, vel alterius speciei malitiam, adesse peccatum contra justitiam. Aio secundò, non esse propriè raptum, & consequenter raptus pœnis subjectum. Inclinat, sed non vult decernere Diana *p.4.tract.8.resol.*2. Ratio prioris dicti est, quia tametsi ea copula non sit cum vi, certè est cum fraude, atque adeò cum malitia contra Iustitiam, vt §.1. *num.*2. innui; vnde speciatim in confessione aperienda, vt modò *num.*7. dictum est. Ratio posterioris dicti est, quia, vt alia taceam, ad raptum propriè dictum, requiritur abductio de loco ad locum, vt *ibidem* notavimus.

## CAPVT VII.

*De Peccato contra naturam.*

1. IN *Methodo Conf. lib.2.cap.*7. §.10. sic habes: Quatuor sunt species, & quidem distinctè aperiendæ, quia habent turpitudinem, si non physicè diversam, quia omnes prodigunt semen sine spe generationis; certè ex recta hominum æstimatione, diversam moraliter. Mollities, Sodomia perfecta, Sodomia imperfecta, Bestialitas, ad quam reducitur Congressus cum dæmone. Sic Fill. *tract.* 30. *cap.*8. *num.* 142. De singulis aliquid breviter delibabimus.

§. I. *Mollities.*

1. EST pollutio voluntaria sine conjunctione corporum, seu, vt definit S. Thom. 2.2. *quæst.*52. *art.*11. *ibid.* Caiet. est peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur extra concubitum, causâ explendæ delectationis venereæ.

Si quis tamen, dum se polluit, consentiat vel cogitet morosè in aliquam aliam speciem, v.g. adulterium, incestum, &c. contrahit eandem malitiam, quam cogitat, adeoque confitendam. Ita Fill. *tr.*30. *c.*8. *n.*154.

2. Inanimatum instrumentũ, quo quis se polluat, non facit mutationem speciei, vt *in Meth. l.* 2. *c.*1. §. 10. de mediis, quæ assumuntur ad peccandum, universaliter diximus. Dixi (inanimatum:) nam si animato, vt si manibus alterius, &c. fiat, jam nunc subdo.

3. Si quis se pollueret inter brachia, coxendices, os, &c. fœminæ, vel viri, cum id regulariter procedat exaffectu personæ, seu cõcubitus cum illa, est sine dubio specialiter explicandum: quia non est mera pollutio, sed copula inchoata. Non tamen credo necessariò esse explicãdas peculiares partes corporis (nisi sit affectus aliquis particularis, v.g. ad partes præposteras ob sodomiam, vnde & explicandum) materialiter enim se habent; & illa major delectatio, quæ in vna ex partibus quæritur, non trãscendit speciem malitiæ, quæ est in alia. Ita Fill. *ibid. num.*155. vide *sup. c.*3. §. 5. *num.*33.

4. Petes. Quando quis habet inchoatam prædictam copulam, necesse ne habet exprimere in Confessione, se seminasse extra, vel intra vas? Respondeo: ita, quia extra

dispergitur semen: At intra vas naturale fœminæ, non item. Quid in masculis, dicam *mox.* § 3. *num.*3. & addam §.4.*n.*4. vtilissimam praxim pro hac re.

5. Si qui se polluant manibus alterius viri, vel fœminæ, vel suis alium quis polluat; debet id explicare, propter cooperationem cum alterius peccato.

Imò, si tu tuis manibus polluas vxoratum, vel Sacerdotem, &c. debes id explicare: quia cooperaris ad adulterium, vel sacrilegium, juxta ea, quæ dixi *in Methodo l.2.c.1.§.17. de scandalo, n.* 100.

Quod si te suis manibus alius polluat; parum refert pro tuo peccato contra Castitatem, quod ille fuerit Vir, vel Fœmina, vel Sacerdos: ex eodem Fill. *ibidem*, tunc enim (si aliud non additur) se habent illæ manus, ut merum instrumentum: & solùm adest cooperatio cum alterius te polluentis peccato, vt dictum est *lib.1.met. conf.* §.10. *num.* 69.

Nota illud (Quod si te, &c. (Nam in Editionibus præcedentibus erat (At si; quæ fuit fortasse occasio, cur Diana *p.* 9. *tract.*9. *resol.* 65. putaverit, me hîc sequi sententiam Llamas, sentientis non opus esse explicare in Confessione, an manus te polluentis sint Sacerdotis, vel Laïci, quam latè defendit Caramuël *in Reg. S. Ben. à num.*987. cùm tamen re vera non sequar, vt patebit naviter consideranti, loca, ad quæ me refero *in hoc nu.* 5. & latiùs ego ostendi *in disput. de hac re*, quam Romam misi, vt eam Amici eidem Patri Dianæ de Theologia Morali profectò benemerentissimo, peramicè communicarent. Dixi (ad quæ me refero *in hoc num.*5.) Nam, an ex Doctrina Thom. Sanchez, quam tradidi *in Methodo, lib.2. cap.7.§.5.num.* 33. quámque nuper exscripsi *cap.2.§.1. num.*5. confirmari possit sententia Llamas, neque *in Methodo* censui, neque hîc censeo disputandum.

De mollitie sacrilega, dixi *c.*2.§.1.*num.*7.
De mollitie virginis, dixi *c.*5.§.1.*num.*3.
De mollitie vxorati, dixi *c.*3.§.1.*num.*3.
De comedente calida, vt polluatur in somno, dixi *in Methodo Confessionis, lib.*2 *c.*6.§ 2. *num.*7.
De incipiente copulam, & resiliente semenque dispergente, dixi *c.*1.§.1.*num.*10.

## §. II. *Additio.*

1. TRiplex solet distingui pollutio. Prima, quæ voluntariè fit, homine consentiente, quæque propriè vocatur Mollities. Secunda, Nocturna quæ accidit in somno. Tertia, Diurna, quæ accidit in vigilia sine consensu polluti. De singulis aliqua separatim.

### *Pollutio vigilantis voluntaria.*

2. De pollutione vigilantis voluntaria in se (nam in causa diximus *suprà, c.*3.§.5. *à n.*48. & aliquid mox *n.* 12. tangemus.) Nota primò, Contactum, motúmque impudicum virilium in pueris (idem in puellis, & qui non possunt per ætatem seminare, esse peccatum mortale; est enim ex se prauus affectus ad pollutionem. Non dubito autem, hanc differe specie à vera pollutione, per quam seminatur. Ita Graff. *lib.2.c.*88. *num.*3. *& seqq.* Hæc enim tandem reducitur ad tactum impudicum; illa est dispersio seminis contra generationem. Hinc ergo fit, ut in confessione debeat speciatim explicari, nisi obstet regula vniversalis mox afferenda §.4.*n.*4.

3. Nota secundò, An Confessarius debeat negare absolutionem juveni sæpius se polluenti? Respondeo, esse distinguendum: si enim ex occasione, v.g. aspectus, vel collocutionis fœminæ ejusmodi frequentia accidat, debet priùs Confessarius præcipere, ut adolescens tollat occasionem, modo satis à nobis dicto *in Meth. conf. lib.*3.*c.* 3 lege item Bon. *de matr.q.*2.*p.*14. *nnm.* 14. At si frequentia accidat ex nulla extrinseca ejusmodi occasione; tunc poterit majori facilitate absolvere, vel differe absolutionem, juxta consueta remedia contra reciduos, vt *ibidem* à nobis dictum est.

4. Nota tertiò, Quid dicendum, quando semen corruptum, ita vt venenosas affectiones pariat in pa[illegible] licebitne pollutio? hoc est, licebitne illud semen [illegible] lere per medicamenta directè tendentia ad illud [illegible] lendum, vel etiam in mulieribus per confricatio[illegible] partium verendarum, & per intromissionem digiti[illegible] vsque ad os vteri, illud provocare?

Respondeo. Si semen peccet in quantitate, non [illegible] certum est: quia tunc est verum semen, quod nullo m[illegible] potest consultò effundi; nec potest medicamentis, q[illegible] nullum alium effectum habeat, nisi semen expellere [illegible] effusio procurari. Ita Turr. apud Dian. *p.*4.*t.*4. *resol.* [illegible] At si peccet in qualitate certò ex Medicorum relati[illegible] vel saltem probabiliter (nam sequi quisque potest [illegible] quod probabile est) licere docet Sanchez *lib.*9. *de m[illegible] d.*17. *num.*19. *in Editione Veneta* Quæ doctrina adeò [illegible] sa est aliquibus improbabilis, vt fuerit deleta *in Ed[illegible] Lugdunensi anni* 1621. Illam tamen escribit, & exp[illegible] noviss imè Tancredi *lib.*9. *de matr. d.*17. *quæres* 3. [illegible] Texedam.

5. Et quidem multa multa congerunt; Verùm si Sa[illegible] chez doctrina fuisset ad ejus sensum intellecta, tor[illegible] & quæstiones de ejus veritate non fuissent subor[illegible] enim eum intelligas, quasi dicat licitè mulierem, vel [illegible] rum semen provocare posse, ne hodie, cras, perindè [illegible] sura fit illas venenosas affectiones ex semine retento [illegible] veniendas; malè illum intelligis, quia id nunquam [illegible] semper ejus oppositum docuit; cùm enim nunc [illegible] semen corruptum non supponatur, non est vnde [illegible] expelli, vel vnde possit dici de eo statuere Sanche[illegible] solùm statuit de corrupto. Si verò eum intelligas, q[illegible] dicat, dum actu semen illud est corruptum, & dum [illegible] generat symptomata furiosa, ita vt actu patiens sit [illegible] extra sensum; tunc licitè posse provocari medica[illegible] tis, & confricationibus ab experto Medico exhibi[illegible] vt venenosum illud corruptum semen expellatur: [illegible] eum intelligis, nam hunc solum casum concedit San[illegible] chez, non alium. Audi ejus verba: *Cur ergo non li[illegible] bit illam pravam qualitatem, in quam semen transit ex[illegible] lere, licet per accidens sequatur pollutio; eo vel maxim[illegible] quod in hoc casu procul abest quodvis consensus peccam[illegible] ac delectationis; quoniam fœmina symptoma illud patie[illegible] est tunc temporis sensus, ac mentis impos.* Hæc dicit Sanchez.

6. Notas, semper supponi debet, vt concessio sit [illegible] cita, patientem sensibus carere? Notas illud? (*pravam qualitatem, in quam semen transit?*) Notas illud? (*tunc temporis?*) Affero igitur distinctione omnino opus esse. Nam aliud est, si loquamur de medicamentis; aliud, si de tactibus, & confricationibus. Quamuis enim in patiente habitualiter ejusmodi morbum licitè possent [illegible] concedit *ibid.* Tancredi) adhiberi medicamenta diuti[illegible] provocantia prædictum semen, etiam ante illa actua[illegible] symptomata; quia medicamenta remotè semen provo[illegible] cant, & sine tanto periculo eliciendi ejusmodi delecta[illegible] tiones: tamen confricationibus, & tactibus partium v[illegible] rendarum nunquam potest. Ratio discriminis mox [illegible] afferetur: posse autem confricationibus in vno tamen [illegible] casu, docet Sanchez: quando mirum ita actu sympto[illegible] mata insurgunt, vt ea patiens sine sensu sit; quod cen[illegible] ratissimum erit, & cujus ratio *eodem num.* 8. clarior ap[illegible] parebit.

7. Vrges: Fac illud semen corruptum non fuisse ex[illegible] pulsum, & symptomata illa per aliquod tempus (vt ac[illegible] cidere solet) cessare, vel illud semen non efficere tan[illegible] tam turbationem in patiente, vt sensus, & mens abe[illegible] piatur; id quod etiam sæpe vsu venire solet: jam remane[illegible] bit illud semen corruptum, atque adeò illa lues in co[illegible] pore: ergo poterit provocari, etiam non posita aliena[illegible] tione mentis.

8. Respondeo: Id quod ego hactenus dixi, est, San[illegible] chez de solo illo casu, præsente alienatione sensuum [illegible] loquutum esse; cæterùm in hoc casu, quem nunc vrge[illegible] si

distinctè responderi, puto, posse: licere expellere me-
mentis, non verò confricationibus, & tactibus ve-
dorum. Ratio est, quia medicamenta, quæ per totum
pus permeant, per se expellere intendunt semen cor-
um, (si tamen semen sit appellandum, & non potiùs
, & venenum) esto, per accidens provocet & verum;
ctus verendorum, nempe instrumentorum, quæ ad
em provocandum à natura sint instituta, per se ten-
ad verum semen expellendum? (quod expellere
Matrimonium nunquam licet) esto, per accidens
corruptum.

Solùm autem, quando actu sunt illa symptomata, po-
per confricationes expelli, si tamen certò suppona-
semen illud non esse verum semen, sed tamen cor-
men, nam propterea actu causat illa symptomata;
supponatur esse in motu, atque adeò descendisse in
tes verendas; & sic non provocari à tactibus verum
, sed expelli pravum humorem. Notas, quot
conditiones requirantur? (Ratio est, quia tunc eo mo-
, quo expelli potest qualitas gignens pruritum, in
sententia ejusdem Sanchez, & ea ratione, quâ emunda-
possent sordes, quæ fortè sint lavandæ in iisdem par-
bus; esto, per accidens occurrat effusio veri seminis,
sine consensus periculo, ut semper supponimus, sic
esset in casu, de quo loquimur, quia semen corru-
um, ut sæpe diximus, non est ampliùs semen, sed
morbor pejor prurigine, & pejor sordibus verenda in-
fectibus.

9. Sed hæc satis; nam ultimam sententiam Lector
superior præferat: non occasione seminis corrupti
quodam casum de semine infecto proponamus.

Mulier copulam habens cum marito, morbo gallico
laboranti, prætextus seminis eadem morbida qualitate
affecti efficiebat illud immediatè post copulam, quæ fuit-
que, dein-, an sine culpa id efficere potuerit.

Respôdi non potuisse. Ita Sanch. *lib. 9. matr. c. 20. n. 3.* quidquid dicat Angel. *verb. Debitum.* Licèt enim matrix
ex naturali sympathia semen ad se attrahat, retineatque
non parum; generationi tamen nocet (ut experientia
videtur) directa illa seminis intromissi, quamvis partia-
lis effusio. Adde, sic procurari positivè impedimentum
conceptionis inceptæ, quod nunquam licèt. Hæc ergo
mulier deneget debitum marito, si denegare velit; quod
in eo casu posse, quamvis non obligari, diximus in su-
perioribus *c. 1. § 5. num. 24.* Verùm, posito, quòd reddat,
quo jure illud, quod verum est semen, & prolificum, pro-
digere potest?

10. Denique ad pollutionem voluntariam, de qua
agimus, pertinet novus casus, qui nudiustertius mihi
propositus fuit: Se quidam polluebat cogitatione fixa in
pulchram statuam marmoream affabrè sculptam, in
communi platea existentem, ac nescio quam Nympham
repræsentantem. An satis sit huic in Confessione dice-
re: *Me toties pollui cogitando de fœmina?* Sufficere ali-
quot ex nostris Theologis putarunt; quia si aliud non
adsit, totus denique affectus est ad personam mulieris
repræsentatæ.

Quid? Quod eam de nocte amplexando? proh homi-
nem infelicem conditionem! Jatque illicitam cum illa
statua copulam tentando, se polluebat? quæsitum ergo
rorum fuit, An satis sit huic in Confessione dicere: *Me-
pollui amplexando mulierem extra vas naturale, & cum
ffectu ad illam?*

Respondi non fuisse satis: quia sic pœnitens menda-
cium protulisset, & quidem, ut patet, in re graviter perti-
nente ad Confessionem. Si enim illud de statua tacuisset,
non explicasset peccatum, quod commisit: dicendo enim
se polluisse cum muliere ex affectu ad illam; significa-
ret se polluisse cum vera fœmina, quod certè non fuit.
Dicat igitur se id fecisse cum statua: vel tu Lector cogi-
tan sufficiat magis in communi, sic: *Cum instrumento
masturbato me pollui*; addendo semper *se cogitasse, se inten-
disse in fœminam.*

Instas: Copula cum fœmina mortua, vel cum statua,
est mera mollities: ergo nó est, cur debebeat addi cogita-
tio de fœmina. Respondeo, antecedens esse verum. Non
enim ea copula est fornicatio, ut putaræ aliquis posset,
quia fornicatio est cum fœmina: at quæ mortua est, fœ-
mina non est. Nec est bestialitas, ut dixit Pellizzarius
apud Dian. *quæ citatum*, quia hæc pari modo est cum
bruto, quod si mortuum est, non est brutum. Est ergo
pollutio, malitiam mollitiei continens, exhibita cum
inanimato instrumento, ut fusè probat, me citato, so-
lectissimus Diana *p. 9. tract. 9. res. 1.* Concedo igitur ante-
cedens: sed negando prorsus est consequentia: siquidem
*super. 1. num.* ..... dictum est eum, qui se polluit cum af-
fectu, seu cogitatione ad objectum aliquod, illud explica-
re debere.

*Pollutio Nocturna.*

11. Duo hîc vel nota; vel alibi insinuata recole. Primò
Dupliciter hæc nocturna pollutio esse potest: voluntaria
in vigilia, atque adeò peccatum: antecedenter, & conse-
quèter. Nam cæterùm, ut est in somno, peccaminosa non
est, sed actio, seu passio naturalis. Antecedenter etit pec-
caminosa tribus casibus: Primò, quando quis eam delibe-
ratè desiderat ob delectationem carnalem. Si enim desi-
deretur ob bonum aliquem finem, ut ad sedandas tenta-
tiones carnis, vel ad levandam naturam, non esset
peccatum: Ita Navar. *cap. 16 num. 7.* aliique apud Vas-
quez, quos ipse sequitur *part. 2. disp. 113. c. 3.* Toletus *l. 5.
cap. 13.* nisi quando tale desiderium esset tantùm, ut no-
tabiliter influeret in pollutionem; quod certè, ut pluri-
mùm non solet contingere.

12. Secundò. Quando quis illam procurat, aut come-
dendo res calidas in eum finem, aut tali modo cubando
in lecto, ut inde sequatur pollutio. Nam licèt possit pol-
lutio desiderari ob bonum finem, non tamen potest pro-
curari. Sicuti etiam potest desiderari hominis improbi
mors ob bonum finem, non tamen procurari. Unde
etiam colligitur, cur non liceat desiderare etiam ob bo-
num finem pollutionem, quando tale desiderium esset
causa influens notabiliter in illam, ut modò dictum est,
quia tunc non simpliciter desideraretur, sed etiam pro-
curaretur. Dixi (in eum finem, *&c.*) nam si comedat
quis res calidas, vel accumbat tali modo ob aliquam
aliam commoditatem, quamvis advertat consequuturam
inde pollutionem; dummodo eam directè non intendat,
nè sit periculum consensus, non peccat saltem morta-
liter. Ita Sot. *in 4. d. 12. quæst. 1. art. 7.* Tol. *lib. 5. cap. 13.
vers. adhuc non est satis*, quia, ut *superius, c. 3. §. 5. à num. 46*
vidimus, hæ non sunt causæ notabiliter influentes in
pollutionem.

13. Tertiò: si quis pari modo, cùm debeat, non re-
moveat causam futuræ pollutionis, peccat mortaliter, si
ea causa est notabiliter influens in illâ in genere luxu-
riæ, venialiter, si notabiliter non influit, quando in
utroque casu ea prævidetur, licèt non intendatur: præ-
videtur, inquam, probabiliter, nec solùm in dubio, ex
Tol. *l. c.* siquidem non tenemur adeò esse solliciti, ut
etiam dubium nos amoveat à causis involuntariæ pol-
lutionis.

14. Dixi (cùm debeat: quia si non tenetur hujus-
modi causam removere, vel quia causa est bona, ut stu-
dium frequens, seu cogitatio rerum turpium ad docen-
dum. Confessionis auditio, locutio honesta cum mulie-
re, &c. vel quia talis causa non est mala, & alioquin ejus
omissio non est commoda, v. g. omittere tales cibos,
talem accubitum in lecto, &c. tunc neque etiam pecca-
mus non auferendo hujusmodi causas. Ita Tol. *ibidem*
Navar. *ibid.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 7.* Joan. Sanch.
*d. 21. num. 12.* Cùm enim causa sit bona, vel non mala,
non tenemur ad illam auferendam propter hos effectus,
qui naturaliter sequuntur, ut nuper diximus *cap. 3. §. 5. à
num. 48.* quæ fuerunt hîc claritatis gratiâ breviter repe-
tenda.

15. Atque hæc antecedenter. Consequenter autem
peccaret

peccaret quis mortaliter, si post somnum, sub quo secuta est pollutio, deliberatè sibi in ea complacerat ob delectationem sensualem: nam si gauderet ob sedatam tentationem, vel ob naturam deoneratam; non esse peccatum colligitur ex modò dictis.

16. Quando autem motus carnis, seu spirituum inservientium generationi, & ipsa decisio seminis accidit in somno, sed emissio in vigilia, non est peccatum saltem mortale: tum quia non adest plenum voluntarium requisitum ad mortale; accidit enim emissi in illo confuso somni, & vigiliæ, quando imperfecta est deliberatio, tũ quia difficile est cohibere, ne decisum jam semen ex lumbis non emittatur foras: tum denique, quia pollutio magis secùndum principium, quàm secundùm finem judicanda est: principium autem fuit satis involuntarium, cùm fuerit in somno.

17. Quòd si partim emissio seminis sit in somno, partim in vigilia; multò minùs habebit rationem peccati, posita voluntate in illam non consentiente, vt semper supponimus.

Ex dictis colligit Sanch. *loc. mox cit.* ex Sà, in eo, qui è somno excutitur, non esse obligationem reprimendi emissionem seminis ejus pollutionis; quæ in somno cœpit; & idem propter paritatem rationis diceretur de simili seminis emissione, pollutionis, quæ involuntariè in vigilia accidit. Placet doctrina, nè scrupulis omnia pateant.

18. Sed unum a me nuper interrogavit quidam probatæ conscientiæ Sacerdos; cui, quamvis vtcumque respondi, mihi ipsi tamen (fateor) non satisfeci. Experiebatur is levissimi somni vir, statim se, concepta pollutione, evigilare perfectissimè, atque effusionis continuationem clarè percipere; quamvis autem illi delectationi nullo modo ipse consensum præberet, sciretque se non obligari ad reprimendum, ac posse fluctionem humoris permittere: tamen aliud illi contingebat, quod scrupuli causa erat molestissimi: Experiebatur, enim à motu quodam quasi interiore ipsorum genitalium sub finem pollutionis expelli à se activè non modicam seminis quantitatem; Perinde (narrabat) ac evenit ei, qui urinam emittit, solet enim is in fine mingendi motu expulsivo aliquas urinæ guttas, quæ remanent, expellere. Addebat, se voluisse cum alio Sacerdote id conferre, qui fassus est sibi idem non rarò evenisse: sed se à peccato excusasse, quia semi vigilans illum expulsionis motum exhibebat. Interrogabat ergo à me, an ipse, qui perfectè vigilantem se dignoscebat, posset motu prædicto effluxionem adjuvare ad abstergenda, vt ipse loquebatur, seu deonerenda virilia, præsertim nè decisum semen ibidem fortè remanens suæ sanitati noceret, & denique, quia valdè sibi difficile animadvertebat, illum motum non vsurpare.

19. Equidem priùs volui non parvos Authores revere, quam responderem: cùm autem nihil signatè ad rem invenissem, dixi me videre quidem, quanta difficultas sit in polluto perfectè vigilanti, pollutionem, effusionémque jam inceptam non perficere. Verùm, cùm in Doctoribus solùm legerim licentiam non reprimendi, non coërcendi, non prohibendi: licentiam verò activè adjuvandi, seu cooperandi disertis verbis eosdem negare, vt perspicuè facit Sanchez, me favere illi non posse. Sententia benignior, quam hac in re tum dictus Sanchez *de matrim. libr. 9. disput. 17. numer. 16.* tum alij amplectuntur, sic à Marchino *de ordine, tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 6.* refertur: *Dum sentitur*, ait, *humor seminalis effluere in membris genitalibus, non teneris coërcere, vel magna cum violentia prohibere, ne fluat: sic pluribus Gerson. Ratio est, quia, vel ille conatus, quem multi consulunt, nihil operatur; vel retento contra impetum naturæ semine, supra modum gravatur corpus, & multis subjicitur infirmitatibus. Ex alia parte, illa seminatio est actu exterior, & effectus naturalis ortus absque mea voluntate: At actus exterior sine interiore, nunquam est peccatum.* Hæc Notas illa verba (*non teneris coërcere, prohibere*, nunquam lego (*potes adjuvare, expellere*,) Te addidi, bene morate Sacerdos, oro, ut animadvert An saltem te excusare possis ex eo capite, quia tent communiter Doctores, delectationem luxuriæ mentem hominis miris modis obfuscare, lam in eo momento effusionis seminis, quasi beat milem reddere. Si ergo tu, partim ex somni relic parim ex delectatione: quam sentis, tui perfectè pos non es; peccati saltem mortiferi reus non Verùm, ille adhuc testabatur se perfectissimè lare, se non esse scrupulosum, se non esse aliàs ctum, vt vigiliam perfectam à semivigilia non cerneret; & ideò non ex aliis adjunctis, sed ex objecto & prædicta nimirum expulsione, casum cerni modestè postulare. Hæc cum illo Sacer habui. Cæterùm rem expende, ingeniose Lector, decerne.

### *Pollutio vigilantis involuntaria.*

20. Hæc, vt etiam distillatio, & commotio s tũum generationi in servientium, quoad solutos quoad conjugatos diximus *supra, c. 3. §. 5. à numer.* tunc solùm sunt in se mortales, quando adest delib complacentia in illis, ob corpoream voluptatem, verò ob aliquem bonum finem, vt in simili dictum *num. 15.* In causa verò, ut quandónam sint mortales gnoscas breviter repeto, quæ *superius ibid.* satis sunt explicata.

21 Pollutio, distillatio, commotio potest Pri in vigilante oriri ex causis non peccaminosis: quan nimirum oriuntur ex complexione particulari, vel quan do ex infirmitate, ut in iis, qui patiuntur fluxum se nis, & qui facillimè levi quacunque occasione distil tionem, seu carnis commotionem sentiunt, Vel quan do ex causis extrinsecis bonis, vel ex se non malis, o lectione, vel auditione turpium ad scientiam compa randam, equitatu, contactu, & cæteris hujusmodi, quando hæc sunt necessaria, vel utilia, vel commoda. his omnibus, si voluntas deliberatè non consentiat, non est culpa, quia hi sunt actus naturales, imò, si qui pe tienter hos ferat, materiam habet magni meriti prope humilitatem. Ita Tol. 7. c.

22. Potest secundò eadem pollutio, distillatio, commotio in vigilante oriri ex causa mortali in genere luxuriæ & cum eam causam ponere, affert novum peccatum mortale pollutionis, distillationis, &c.

23. Potest tertiò, ex causa veniali, & tunc affert novum veniale, &c. quæ satis abundè dicta sunt *supra cap. 3. §. 5. à num. 46.*

## §. III. *Sodomia perfecta.*

1. IN *Methodo Conf. lib. 2. cap. 7. §. 10. num. 67.* sic habes: Sodomia, & quidem perfecta, est concubitus ad sexum non debitum, ut vir cum viro, fœmina cum fœmina. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst. 52. art. 11.* Caiet. *ibid.* nam concubitus viri cum fœmina in vase præposteto, est sodomia imperfecta, de qua *mox.* Concubitus autem, est copula carnalis consummata; naturalis, si fit in vase debito: innaturalis si sit in loco, seu vase non debito.

2. Sed hîc est quæstio, quandónam mutua procuratio pollutionis inter Mares, vel inter fœminas, debeat dici mollities, quando Sodomia?

Respondeo, quando ex affectu ad personam adest Concubitus, si sit inter indebitum sexum, hoc est, inter virum & virum, fœminam & fœminam: tunc est Sodomia. Quando verò est mutua pollutio, & absque concubitu, sed solùm ad explendam libidinem, est Mollities. Ita Caiet. *ibid.*

3. Hinc si duo Mares commisceant corpora, & moveantur

præsentur ad procurandam pollutionem, vel quomodocunque se tangant impudicè ex affectu indebiti sexus aut effusio seminis vel sit intra vas præposterum, vel extra; puto esse sodomiam. Ita P. Antonius Marsilius Lector casuum in Collegio Romano, *in manuscr.* dict. tr. 11. c. 8. §. 3. Si sit intra vas, est certum: si verò sit extra, probatur, quia quamuis tunc non sit copula, tamen per illum concubitum est affectus venereus ad indebitum sexum, qui propriè constituit Sodomiam: nam ibi intra sexum, qui propriè constituit Sodomiam: nam ibi intra sexum, qui propriè constituit Sodomiam: nam ibi intra

3. Quoniam, ut modò innui, reservatio cum sit odiosa, restringi debet in casu nostro ad sodomiam vndequaque certam; Quæstio celebris est: An reservata in aliqua Diœcesi sodomia, absolutè intelligatur de agente solùm, & quidem, ut modò dictum est §. 3. *num.* 3. cum semination intra vas præposterum, hæc enim est vndequaque certa sodomia; vel etiam de patiente, qui certè sodomita etiam solet appellari? De utroque intelligi propter rationem dictam probabilius est: sed intelligi solùm (nisi aliud in reservatione addatur) de agente, non possum non putare probabile. Vt tenet Graphius *part. 1. casuum reserv. lib. 1. cap. 11. num. 7. 8. & 25.* Ratio est non multò antè dicta, quia certa, & propria sodomia, ad quam solam debet se extendere reservatio, quæ ex omnium consensu est odiosa, & restringenda solùm est illa, per quam seminatur in vase præpostero masculi, id quod certè non fit à patiente. Adde in iure magis puniri agentem, quàm patientem, & meritò; quia graviùs ille peccat, quàm hic, ex Divo Antonino *in sum. p. 3. titulo* 17. §. 4. ergo non est mirum, si nos censeamus reservationem cadere in illud peccatum; quod est gravius.

4. Dian. *p. 3. tr. 4. res.* 159. & *p. 6. tr. 6. res.* 36. qui in uno loco tenet, esse probabile sodomiam agentis, & patientis esse eandem specie, unde non esse speciatim in Confessione explicandam; deberet affirmare eam esse pari modo reservatam: & tamen propendet non esse, *p. 2. tr.* 17. *Miscellan. res.* 64. vide etiam *p. 7. tr.* 11. *res.* 13. vbi multa de reservatione hujus peccati. At verò ego, qui cum de Lugo constanter docui paulò antè §. 3. *num.* 7. esse diversas (Agens enim per se prodigit semen, quod non prodigit patiens) multò consequentiùs probabile judico, reservationem sodomiæ absolutè positam, solùm esse contra sodomiam certam, & principalem, qualis sola est sodomia agentis.

5. Sodomiam imperfectam non intelligi reservatam, vbi sodomia absolutè reservata est, jam dixi §. 3. *n.* 4. cum Graphio, & nunc confirmo cum Bonacina *de matr. quæst. 4. p. 11. num. 5.*

6. Reservatâ sodomiâ intelligi reservatam bestialitatem, aliqui affirmant: Sed verius negat idem Bonacina: quem, si est otium, lege.

---

## CAPVT VIII.

### § I. *De Impudicitia, hoc est, de Tactibus, Aspectibus, similibúsque actibus impudicis inter Solutos.*

*Vbi obiter de parvitate materiæ in re venerea.*

1. DE his pauca dixi *in Method. Conf. l. 2. cap. 7. §. 2.* ubi in Edition. Panormitana 1649. quæ est [illegible]nium amplissima, citantur alia loca, & potiùs ut aperirem, qua ratione sint in confessione deferenda, quàm ut eorum naturam explicarem: quare in præsentia id uberiùs erit agendum. Loquimur autem de actionibus externis inter solutos, & sine periculo pollutionis; nam inter Conjuges, vel Sponsos, vel quando subest periculum pollutionis, dictum est satis *sup. cap. 3. §. 5. à n.* 42. de internis verò desideriis, & cogitationibus morosis, dicam *lib.* 10.

2. Tanquam fundamentum perneccessarium eorum quæ hìc proferenda sunt, præmitto: in prædictis, v. g. in tactu manus Mulieris, tria genera delectationum juveniri: Primam, naturalem: Secundam, libidinosam, quam *Veneream* appellamus: Tertiam, non libidinosam.

3. Naturalem delectationem voco eam, quæ oritur ex naturalium qualitatum proportione. Sic delectatur manus tangere mollia, refugit aspera; eadémque manus quando excedit in calore, delectatur tangere manum frigidam, & è contra. Si quis ergo tangat manum mulieris, & sine alia ulteriore intentione delectetur de sola mollitie, de solo calore, de solo frigore, [illegible] nullius erit peccati reus: licèt enim difficile sit [illegible] riculosum sistere in his terminis, tamen aliquando [illegible] sistitur, ut quando manibus calidis suæ filiæ Pater [illegible] proprias calefacit, vel quando pueri ab omni [illegible] te alieni, se invicem jocando contrectant, vel [illegible] que, &c.

Huc reduco moralem (sic jvuat appellare) delect[illegible] nem, quæ interdum ex his captatur, quæque potiùs [illegible] captas mentis est, & gaudium, quàm affectio app[illegible] sensitivi. Talis est casta delectatio, quam quis sumit [illegible] osculo more Patriæ, vel honesto tactu manus, quando [illegible] hibetur causa castæ amicitiæ: tunc enim amicus, [illegible] amici pars superior sibi complacet de morali, honest[illegible] que amicitia, nihil de sensitiva delectatione.

4. Libidinosa, vel venerea est, quæ oritur ex co[illegible] la, pollutione, distillatione, vel ex cogitatione ipsar[illegible] item quæ oritur ex commotione partium corporis, [illegible] spirituum inservientium generationi, quam appet[illegible] sensitivus maximè percipit. Venerea autem appell[illegible] quia est ordinata ad generationem, cui Venerem [illegible] antiquitas præficiebat.

Si quis ergo in his extra Matrimonium delect[illegible] peccare mortaliter, est hominibus manifestum; nec [illegible] in his dari parvitatem, dicetur *mox num.* 8.

5. Non libidinosa est illa delectatio, quæ sumitur [illegible] aliquibus actionibus, quæ licèt ordinatæ sunt aliquan[illegible] ad generationem, aliquando tamen non sunt; & tam[illegible] ut non ordinatæ, suam pariunt propriam delectatio[illegible] qua ratione possent dici remotè, non verò proxi[illegible] ad generationem ordinari, v. g. tactum fœminæ mam[illegible] certũ est posse referri ad se præparandum ad copul[illegible] potest non referri, & nihilominus tunc ille tactus par[illegible] ex se in tãgente suam delectationem, non quidem [illegible] illam naturalem ex proportione qualitatum, de qua s[illegible] sed aliam propriam judividualem talis tactus ut ref[illegible] ad mulierem, sine vlla prorsus intentione libidinis. S[illegible] cut enim differt individualiter licita delectatio, quæ [illegible] visione, & odore purpureæ Rosæ sentis, ab ea, quæ [illegible] sentis ab albo lilio; sic differt delectatio pudica, quæ [illegible] capis à mera proportionata pulchritudine vultus mul[illegible] ris ab ea, quam cæteè item sumis à quacunque al[illegible] pulchritudine, v. g. floridi Campi, exquisitæ Archi[illegible] tecturæ, frondentis arboris, & cujuscunque alter[illegible] qualitatis, naturaliter tibi, tuísque oculis proportionat[illegible] Quare hæc non libidinosa delectatio, licèt inter natu[illegible] rales computari possit; tamen claritatis gratiâ est, [illegible] nimo distinguenda: nam de hoc maximè quæritur: An, & quod peccatum sit, eam voluntariè suscipere? Pro quo:

6. Statuamus hanc universalem regulam, tres ha[illegible] bentem partes: Omnes actus, v. g. aspectus, tactus, allo[illegible] cutio mulieris, si solùm delectationem naturalem affe[illegible] rant, & ex alia parte ob illam solam assumantur, ex nul[illegible] lo peccato assumuntur; imò interdum ex merito, quia [illegible] illa delectatio ordinatur ex se ad bonum finem, nec in [illegible] se inhonesta est. Rursus, iidem actus si pariant delectat[illegible] tionem veneream, vel assumantur propter illam; non [illegible] peccato mortali extra matrimonium assumuntur, quia [illegible] extra illud prohibiti sunt. Denique iidem si pariant illa [illegible] delectationem non libidinosam, cáque delectatio assumi[illegible] tur quidem, sed non ad ullam libidinem veneream; solùm [illegible] cum peccato veniali assumetur. Cujus ultimæ partis ra[illegible] tio (nam aliæ probatione non indigent) est, quia ex [illegible] una parte non habemus, unde, ut sic, sub mortali prohi[illegible] bita sit; si enim esset prohibita, inde esset, quia ad gene[illegible] rationem, quæ sit illicita, refertur; at probatum est ea [illegible] se non referri: ergo, &c. & ex alia parte deordina[illegible] tio nonnulla est, atque adeò venialis, iis uti actibus ad [illegible] meram delectationem, licèt levem; vnde vides, eum [illegible] tactus, v. g. honestæ partis ex se non sit mortalis, sic [illegible] verò tactus partis inhonestæ inter solutos. Ratio cujus [illegible] est, quia honestæ partis tactus delectationem ex se pa[illegible] rit, vel naturalem, vel non libidinosam, declaratas in

prima

ma, & tertia parte regulæ: at tactus inhonestus non
lum parere potest delectationem naturalem, & non li-
binosam, sed quando assumitur solùm ob ipsas has duas
delectationes, (nam si assumatur ob necessitatem, illas
antes, v.g. medendi, non sumus in casu) parit etiam inse-
arabiliter libidinosam; & Ratio hujus maximè notan-
da est: quia impossibile sit, ut delectatio quæcunque,
quæ naturalis, vel non libidinosa ejus partis, quæ tanti
opere naturalis, vel non libidinosa ejus partis, quæ tanti
oportunè inservit generationi, assumatur ob delectatio-
nem non libidinosam, quin comitanter non consurgat
delectatio libidinosa, quare dum aliquis tam proxi-
mum, & inseparabilem ex se causam ponit libidinosæ de-
lectationis, illam procurare convincetur, atque adeò
contra dicta *num.* 4. peccare mortaliter.

7. Sanchez, *l.9.matr.d.46.num.præsert.5. & num.6.* &
in *summa, l.5.c.6.num.13.* confundit delectationem natu-
ralem, & non libidinosam; sed deinde in discursu doctri-
nam re ipsa videtur distinguere: dum enim levem manus
tactum dicit esse venialem, propter parvitatem
delectationis, significat ideo esse venialem, quia non est
ex se delectatio libidinosa, quod dictum me juvat sic ex-
plicare, ut voluptatem non libidinosam, vocaverit volu-
ptatem modicam, seu parvam; quæ certè admodum ex-
pedita est præ illa, quæ est libidinosa. Et quamvis idem
Sanchez *in sum.l.c.n.12.* se retractaverit de prædicta par-
vitate concessa *in citato loco de Matrimonio*, unde videa-
tur fateri se intellexisse de libidinosa; tamen pro majori
claritate suæ sententiæ, non admittentis parvitatem in re
venerea, id feciſſe suspicor: nam cæterùm mea interpreta-
tio, ut potè constantiam Authoris defendens ipsi eidem
Authori (credo) si viveret non displiceret. Nonnemo
suspicatur eam retractationem non esse Authoris, sed sup-
positiam, vel certè illi involuntariam. Ita Beyerlinckius,
quem laudat, sequiturque Caram. *in Reg. S.Ben. p.*1053.
Ego huic suspicioni, si vera est, addo, satius fuisse Autho-
rem mentem declarare, ut ego conatus sum, quàm illum
pronunciare sua dicta retractantem.

*Parvitas materiæ non datur in re venerea.*

8. Hanc regulam sic à nobis distinctam, quam nisi
calleas, semper in hac materia cæcuties; confirmare
juvat doctrina, & authoritate Castro Palai, qui loquens
de Decreto R. P. Claudij Aquavivæ, quo prohibuit no-
stris, ne docerent dari in re venerea parvitatem, hæc ha-
bet formalia verba, *t.3.t.16.dis.5.quæst.9.num.8. Sed non*
*levem pluribus Doctoribus difficultatem intulit dictum præ-*
*ceptum tot pœnis affectum, tot verbis exaggeratum; præ-*
*sertim cùm videatur opponi communissimæ Doctorum sen-*
*tentiæ, admittenti in materia luxuriæ leve peccatum ex*
*parvitate materiæ. Neque enim credendum est voluisse Clau-*
*dium, virum alioqui doctissimum, & prudentissimum, So-*
*cietatisque Prælatum, condemnare tanquam doctrinam om-*
*nino exterminandam, quæ affirmaret, delectationem sum-*
*ptam ex visione mulieris pulchræ, ex illius manus contactu,*
*ex illius collocutione absque ullo desiderio, vel periculo*
*ulterioris lapsus, esse peccatum veniale. Verùm, si verba*
*præcepti attentè expendantur, facilè supradicta difficultas*
*dissolvitur. Neque enim Claudius negavit, aut negare*
*potuit, probabile esse supradictas delectationes leves esse:*
*sciam enim negavit in re venerea dari exiguam delecta-*
*tionem ex levitate materiæ. Et quidem meritò. Nam res*
*venerea propriè est coitus, vel pollutio; vel ad summum,*
*quæ ad illa proximè disponunt, ut est commotio spiri-*
*tuum generationi subservientium, sicuti tradit Galen.* lib.
14. de usu part. cap.9. & 10. *Delectatio igitur, quæ ex*
*imaginatione, vel ex contactu sumeretur ex coitu, pollu-*
*tione, commotionéve spirituum subservientium generatio-*
*ni, nequaquam ex levitate materiæ à mortali excusari po-*
*test: quia est delectatio in re venerea. At delectatio, quæ su-*
*mitur ex visione mulieris pulchræ & ex illius manus contac-*
*tu ob solam illam delectationem absque ullo alio periculo,*
*vel desiderio, non est delectatio in re venerea; ac proin-*
*de nec peccatum mortale, & ita sustinet Filliuc.* Tract.30.
in 6. præcep. Decalogi, cap.9. per totum, præcipuè
num.188. & 192.

9. Hæc Castro Palaus. In quibus vellem advertas illa
(*communissimæ sententiæ, admittendi in materia luxuriæ*
*leve peccatum*; Et *non dari in re venerea, &c.*) vides?
communissimam opinionem vocat dari parvitatem in
materia luxuriæ, negat eandem dari in re venerea; vide-
tur enim, nisi fallor, significare hæc duo (*in materia lu-*
*xuriæ*, & *in re venerea*) differre permaximè. Nam luxu-
ria latè patet ad omnem culpam, pertinentem maximè ad
sensum tactus; res verò venerea, quam propriè vocavimus
libidinosam, restringitur ad culpas pertinentes ad gene-
rationem: ibi parvitas adest, quia tactus levis ex joco, seu
ex delectatione non libidinosa, parva culpa est, licèt pos-
sit esse gravis, si assumatur ob finem libidinosum; At hîc
nimirum in re venerea, nulla parvitas datur; semper enim
eo ipso, quòd venerea est, inchoatio copulæ, seu pollutio-
nis est, atque adeò ipsius procuratio, quæ inter solutos
mortale peccatum semper attingit. Lege de hoc Rebell.
fusè *p.2.de just.l.3.q.19.sec.3.* Castr.Pal. *t.1.tr.2.d.2.p.10.*
§.1.*n.*4. citans Less.Salas, Basil.Vasq. quicquid dicant ali-
qui, quos citat, sequiturque Caramuël *in Reg.S.Ben.à nu.*
1052. Scio tum Sanch. *lib.9.matr. d.46.sparsim per totam*
& *in summa, l.5.c.6.num.12.* tum priscos Authores con-
fundere luxuriam, & rem veneream: Sed nos recentiores,
claritatis, & doctrinæ gratiâ, modo dicto distinguimus.
His jactis fundamentis, per ejusmodi actus sigillatim,
facilitatis ergo, discurramus.

## §. II. *Tactus, oscula, amplexus inter solutos.*

1. TAngere manum, faciem, brachia, pedes, & ex
Navarro, etiam mammillas mulieris, si fiant inter
solutos (de quibus hîc & in sequentibus agimus) ex joco;
curiositate, levitate, nihil habent mali, præter ipsum jo-
cum, &c. nam ut sic, non aliam, nisi naturalem pariunt de-
lectationem. De his, & proximè dicendis lege Sanch. *l.9.*
*d.46.à n.7.* Less. *l.4.c.3.dub.8.* Quòd si fiant ob solam de-
lectationem non libidinosam, erit, ut dictum est, cum pec-
cato veniali: At si fiant animo libidinoso, peccari mor-
taliter, patet ex dictis.

2. Hinc cautè sunt legendi, qui dicunt leviter tan-
gere manum mulieris, digitum intorquere, pedem pede
premere esse veniale. Ita Cajet. 2.2. *quæst.*154. *ad* 2. & *in*
*summa v.Chorea fin*, Navarr. *in man.c.16.num.*11. aliique:
cautè, inquam, quia semper, etiam in his, est prædicta di-
stinctio præ oculis habenda. Quis enim neget prementem
vel levissimè mulieris pedem, si fit ex libidinoso af-
fectu deliberato ad copulam, ad pollutionem, ad commo-
tionem dictam spirituum, peccare mortaliter? Deliberato
inquam: si enim consurgat delectatio libidinosa, tu verò
non consentias, seu reprimas; jam non remanebit contra
te liberè operantem, nisi illa delectatio ex se non libidi-
nosa, quam voluntariè admittis, & consequenter venialis
ut dictum est. Id quod universale esse in dictis, & dicen-
dis, *suprà* notavimus.

3. Jam verò oscula; & amplexus, & faciei seria, & affe-
ctata mulieris, vel grandiusculi pueri contrectatio, ejus-
dem conditionis essent cum tactibus prædictis levibus,
nisi necessaria indigeremus distinctione. Nam si fiat
more Patriæ, vel à Parentibus, vel à Superioribus, vel si-
milibus ad amicitiæ castæ signum; nulla quidem ex se la-
borant culpa: At si fiant ob meram delectationem, quæ
persistit in ipso osculo oris, & in ipso amplexu, atque af-
fectata contrectatione, est magnum periculum, ne inse-
parabiliter nascatur etiam libidinosa, & consequenter, ne
sint mortalia. Quoniam ergo, quando fiunt ob captan-
dam delectationem ipsam non libidinosam, præsertim
inter duos diversi sexus, naturaliter consequitur ipsa ter-
tia delectatio libidinosa; mortalia erunt. Lege Cast.Pal.
*t.1.tr.2.d.2.p.*10.§.2.*n.*4. vide etiam *inf.l.*10.*c.*5. quia tunc
ponitur causa proxima veræ libidinis; nisi fortè ætas in-
fantibus aliquid ampliùs permittat, ut permittit Sanch.
*lib.9.matr.d.46.num.*13.

4 Tangere partes inhonestas aliorum, sive ob delectationem, sive ob aliud, semper est mortale, propter iam dicta. Dixi primò (ob delectationem: semper enim excipimus necessitatem medendi, &c. vt *sup. cap. 3. §. 5. num. 49.* excipit etiam Sanch. *lib. 9. matr. d. 46. num. 12.* levitatem, & jocum; quod putavimus admitti posse (ait Silvius, *2.2. quæst. 154. art. 4. concl. 3.*) si leviter, & quasi per transeuntem hoc fieret; non autem si omnino deliberatè, quia deliberatus, est nimis turpis, & periculosus.

Dixi secundò (aliorum:) nam si quis suas ipse libidine, ad calefaciendas, v.g. manus tangeret, multò minùs ob necessitates occurrentes, non peccaret; quia tactus suarum partium non est tam excitativus ad libidinem, quàm tactus aliorum. Ita Sanch. *loc. c. c. 14.* Less. *l. 4. c. 3. dub. 8. n. 60.*

5. Denique tangere catulos, feles, imò pueros, puellàsque ob benevolentiam, &c. non est, ex se, nisi malus addatur finis, peccatum. Erat quidam certè malis moribus alioquin non imbutus, qui supra modum delectabatur canes, & similes bestias manibus contrectare (quod quidem seriò fieri ab amantibus, & profitentibus castitatem mihi semper displicuit.) Insuper eorundem pudenda tangebat, sibi complacens, ut aiebat, dare hanc delectationem catulo; imò & sæpe, ita eadem perfricabat, ut semen bestia emitteret. Hic ergo petiit à me, an sine peccato id efficere posset; Profectò ab hac impura tractatione hominem absterrui, ob periculum: ne in re delectatio, & commotio libidinosa consurgeret; Dixi præterea prodigere semen animalis non esse peccatum: sicut enim Domini ipsorum sumus, dum vivunt; ita impedire, ne eadem nascantur, possumus. Sed addidi, si id faciat ob meram curiositatem, levitatémque, experiatúrque se nulla commoveri carnis suæ voluptate; non posse de mortali damnari: Sed certè de veniali: nam quod nullo crimine damnamus coniungentes animalia, ad filios procreandos, id est, quia tunc satis rationabilis causa adest animalia propagandi. At si quis ob voluptatem etiam illam solam, quæ ibi persistit, faciat; me vereri, ne incidat in mortale: quia tanta centrectatio pudendorum, quamvis animalis, tam seriò facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis. Neque mihi contrarij sunt, qui docent non esse mortale, bestiarum genitalia confricare: Ita Dian. *part. 2. tract. 17. resol. 37.* citans Sanchez *l. 9. matr. d. 46. num. 15.* non sunt, inquam, contrarij: quia ipsi solum ibi loquuntur, quando id fit ex curiositate; nos hîc, & idem Sanchez *ibid. num. 30.* loquimur, quando fit ad captandam illam voluptatem.

An fœminæ licitè permittant se tangi, diximus, cùm de cooperatione amasiæ nonnulla *sup. l. 5. c. 1. §. 4. a. n. 25.* notauimus.

## §. III. *Aspectus.*

1. INter tactum, & aspectum, sine dubio non vulgare discrimen intercedit; Tangere enim propiùs ordinatur ad libidinem, magis veneream: idest, spiritus generationi subservientes commouet, magisque periculum ingerit fœdæ libidini consentiendi; quàm solùm aspicere: Quare non immeritò minùs peccato obnoxij sunt aspectus, quàm tactus.

2. Hinc primò, aspicere mulieris faciem, manus, crura, brachia, pectora, in summa partes eius honestas; non est ex se peccatum; quod si fiat ob delectationem in ipsa pura visione residente, quam non libidinosam appellauimus, non erit saltem mortale; at mortale erit, si ob libidinosam. Ita Sylvest. *v. Curiositas, quæst. 3. vers. 4.* Nau. *c. 26. num. 11.* Bonac. *de matr. q. 4. p. 10. num. 13.* Ratio est toties dicta. Aspicere autem partes inhonestas eiusdem, vel eandem nudam (idem dic, si mulier aspiciat easdem partes viri, vel nudum eundem) seriò, & sine necessitate (quæ tamen necessitas solet esse in Medico, & similibus, &c.) multò magis, si ob voluptatem ibi sistentem; propter coniunctionem certam cum delectatione libidinosa, vt item si propter periculum consentiendi, esset mortale.

3. Dixi (seriò): quia breui tempore, & obiter, & puto, ex loco remoto, vel interposita opaca veste, & non tenui velo) curiositatis gratiâ prædicta aspicere non est nisi veniale: quia vt sic, non adest prouocatio ad ulteriorem libidinem. Aspicere nudum eum, eam, quæ sit eiusdem sexus, cum aspiciente, & etiam diuersi sexus, si sit valde puer; puto item venialis, quia ex se non multùm excitat ad venerem: illud ergo his, & similibus præ oculis habet, An scilicet affectus sit ad libidinem, & an aspectus rei, vel actio sit eiusdi, vt in impuram libidinem vt plurimum influat. Si enim sic est, provocatio erit mortalis libidinis, secus non item.

4. Hinc secundò: Seriò aspicere duos turpiter commiscentes, à peccato mortali non libero; multo magis, si sit propter delectationem quamvis libidinosam persistentem. At in eadem commistione intueri bestias, vel earum genitalia conspicere, præsertim obiter, & sine affectu ad libidinem; non puto esse mortale. Ratio eadem toties dicta.

5. Qui respiciendo mulieres in eis turpiter delectatur, sine desiderio copulæ; an obligetur in Confessione conditionem mulieris explicare *dixi in Methodo Confessionis, lib. 2. cap. 7. §. 1. num. 4.* & *infrà* repetam *lib. 8. c. 3. num. 5.*

## §. IV. *Turpiloquium.*

1. TUrpia loqui, & turpia cantare, participant illas species delectationum naturalem, libidinosam, non libidinosam. Si ergo hæc facias ad bonum finem, causâ, v.g. studij, &c. nihil peccas; si ex delectationis non libidinosæ, vt accidit, quando hoc fiunt per iocum, vel per curiositatem narrationis, vel suauitatem poëtis, animo fallendi temporis, relevandique se à laboribus (semper secluso periculo veræ libidinis) non est saltem mortale. At si cum delectatione ad obiecta ipsa, hoc est, ad res ipsas narratas graviter pertinentes, vel cum periculo consensus in illam, est apertè mortale, quia tunc libidinosa est apertè voluptas. Aduertit autem meritò Salas, apud Castr. *tract. 1. disp. p. 10. §. 1. num. 5.* (item lege *infra, lib. 10. c. 1. num. 11. & 13.*) conuinci plurimos consentire in delectationem rerum, seu obiectorum turpium, sub prætextu artificij carminis, vel Musicæ, quando carmina elegantiora magis pie recusant, auidiores ad turpia; indicium sanè non leue prauæ affectionis: conuinci item latenter delectatione carnis ferri cum, qui frequentiùs, & libentiùs loquitur de occultis partibus corporis, vestibus, ægrotantibus ad eas partes pertinentibus, quàm de rebus aliis. Denique similis peccati argui, qui metaphoris rerum turpium gaudet, & qui facilè multa detorquet ad turpes sensus: quamvis enim hæc sæpe excusentur ab inadvertentia, vel quia obiectum, de quo agitur, non est adeò obscœnum; sæpe tamen quia deliberatè procedunt ex affectu ad res, seu ad obiecta turpia, à mortali non liberantur.

Si aliis loquentibus, tibi illud turpiloquium, vel impura cantilena displiceat, seu non placeat, nec tamen à loco discedas, nec eosdem reprehendas ob ruborem, imò etiam si (secluso scandalo, & animo te de illo peccato delectandi) rideas, vel quid simile facias: te non accuso peccati mortalis, quia ipsa erubescentia, non contemnenda ratio, pro tua excusatione est.

## §. V. *Turpia legere, scribere, repræsentare, &c.*

1. QUi libros legunt de rebus turpibus ex præscindendo, an hi libri sint prohibiti, de qua re diximus *sup. lib. 2. in decal. cap. 1. §. 7.*) parti mo-

do non peccant, si ob bonum finem: peccant venialiter, si ob curiositatem: mortaliter; si ob delectationem libidinosam. Idem sentio de spectantibus turpes Comœdias. Ita Sanch. *l. 9. de mart. d. 46. n. 40.* Diana *p. 2. tr. 17. res. 35.* citans Lorcam, Rodriquez, aliósque etiam quod Clericos, (abstrahendo à cooperatione, quâ spectantes reddant animosiores ipsos histriones pecuniâ, verbis magno plausu, &c. ad ejusmodi turpia repræsentanda) Lege Nicol. Baldelli *l. 3. disp. mor. d. 18. num. 10.* Bardi *sel. q. 2. lib. 9. q. 2. sec. 15.* Idem de seriò aspicientibus tabulas rebus turpibus depictas; semper intelligendo abest periculum consentiendi: sed heu in re tam practica, quam frequenter adest! lege Boss. *tr. 2. moralium in 20. num. præsert. 19.* At, qui eosdem libros valde turpes componunt, idem dicendum esset, quantum est ex motivis dictis; quia scilicet hæc possent scribi sine voluptate venerea, sed solùm ob delectationem proveniente ex curiositate, vel levitate: verùm ex alio capite excusationé minùs inveniunt; nimirum ex scândalo: sciunt enim hi, debéntque scire aliquot legentes eos turpes libros, in veram libidinem fore lapsuros, & ex alia parte nulla rationabilis causa eos excusat. Quæ enim necessitas, quæ utilitas ejusmodi scriptores cogit, ad ea turpia describenda? Cogit utilitas publica Medicum, Anatomicam, verenda describere; eadémque cogit Theologum moralem actiones fœdas minutatim explicare? At, ad Poëtam vel profanum Scriptorem, quæ causa, quæ vis compellit? Respondebis: necessitas sic pecuniam conquirendi. Sed quantum hæc excusatio se extendat, dixi-mus *sup. lib. 5. cap. 1. §. 4. num. 28.* Idem dic de repræsentantibus res valde impuras. Idem de eadem pingentibus. Dixi (valde turpes, valde impuras, &c.) nam secus, quia levis esset, & remota provocatio ad libidinem, atque adeò non inseparabiliter cum illa, leviter peccaretur.

2. Obligationem Gubernatorum ad repellendos turpia repræsentantes maximam esse, colligitur ex dictis; cùm enim ipsi facilè tot lapsus cavere possint ex charitate, imò ex officio debent: Audi Bossium ibid. num. 35. *Si neglexerint Principes*, inquit; *providere, ne impuræ repræsententur, sciant se graviter à Deo puniendos, utpote qui permiserint, & authoritate sua consenserint, in-ritamen, & publicam omnium scelerum schòlam haberi.* Et paulò post: *Remedium totius est, ut Principes Histriones non recipiant, sed ex Regnis expellant.*

### §. VI. *Munera acceptare & se jactare de re turpi. Remissiùs.*

1. DE priore ex his per occasionem dixi *superiùs*, cùm de Stupro, hoc est, *cap. 5. §. 3. à numer. 49.* De posteriore egi *in Methodo Confessionis, l. 2. c. 7. §. 3.*

### §. VII. *Choreæ.*

CHorearum tres facio Classes. Prima est absolutè pudica, seu pura. Secunda impura per accidens. Tertia per se impura. De his vide Summistas *v. Chorea* Azor. *3. p. c. 26.* Bon. *de matr. q. 4. p. 9. num. 24.* Fill. *t. 2. tr. 10. num. 223.* Trul. *in dec. lib. 6. c. 1. dub. 12.*

Puræ, (esto, sint aliquando aliquantulum vanæ) sunt Choreæ quæ inter ejusdem sexus personas, sine ullo turpitudinis gestu, vel ulteriori pravo fine non rarò fiunt. Ejusmodi sunt, quos ludos potiùs dixeris, quàm Choreas, sunt tamen Choreæ, quasques vocamus *Moriscas, Incrociatas, Luminarium saltationes*; in quibus ad numerum musicum certatur, saltatur, luminaria in manibus accensa artificiosè circumferuntur. Ejusmodi sunt Choreæ, quas Puellæ inter se nullis accitis hominibus, interdum domi soleut sincerè, ad recreationem, temperque fallendum exercere. Ejusmodi sunt eæ, quas rustici in suis magaliis, vespere post laborem ad levandum animum, sine vllo prorsus turpi fine, vel impudico signo exhibent, sonante fistula.

Has igitur, & similes Choreas, puras appella, nec vt peccaminosas reprobato. Has David *l. 2. Reg. cap. 6.* ante Arcam in Dei cultum assumpsit; Has Maria Aaronis soror, *Exod. 15.* agens Deo gratias ob submersum Pharaonem, cum cæteris mulieribus (non autem mistis maribus) gaudens exhibuit. Has in Cœlo ducent etiam corporaliter, vt putat Marinus Rhoa *lib. de statu Beat.* Sanctorum Chori. Has, (nec alias ut perperam citat Bossius, *t. 2. moral. tit. 19. num. 10.*) permittit Rusticis Caietanus *v. Chorea.* Has denique permittunt Superiores in Tragœdiis, & similibus repræsentationibus, ad juvenes exercendos, eorúmque animos sublevandos. Huc item reduci possunt eæ, quæ in diebus Bacchanalium ad merum jocum, vel vanitatem larvati soli viri, ad artificiosam pedum, corporísque dexteritatem ostendendam, exhibent populo.

2. Impuræ per se sunt, quæ mistis maribus, fœminísque, imò etiam separatis, suscipiuntur, obscœnis gestibus, tactibus parum pudicis, amasiarum, amicorumque interventu, & similibus. Ita S. Thom. *in cap. 3. Isaiæ & in 2. 2. quæst. 168. art. 1.* Azor. Fill. aliique modò citati. Has enim verò in vltimas terras esse ablegandas, nemo est, qui negat, earúmque professores versari in statu peccati mortalis, & denique per Principes Christianos esse ab Vrbibus, nec solùm à domibus expellendos.

3. Impuræ per accidens sunt Choreæ quæ per honestas fœminas virósque in conuiviis, in nuptiis, in diebus lætitiæ deditis fieri consueverunt. Hæ profectò per se impuræ & peccaminosæ non sunt; exerceri enim sine mortali peccato per se possunt. Ita Caiet. *l. c.* Trull. Bon. Fill. Azor. *l. c.* quibus adde Lop. *in 2. p. instruct. cap. 31. num. 6.* Idémque est, si personati homines sub laruis utriusque sexus, in Bacchanalibus Choreas agant. Homines, inquam, personati: nam si sint immistæ fœminæ, valde vereor, ne sub illo habitu ementito, res non degeneret in Choreas ex se impuras, de quibus *numero præcedenti.* Per se igitur, vt dico, hæ peccamonosæ non sunt: solent tamen sæpissimè per accidens: ratione nimirum periculi, vt in tanto lætitiæ calore, in tanta adolescentularum, juvenúmque specie, ornatu, concursu, in artificiosa illa corporis, grata oculis agitatione, in contactu manuum, qui sæpe adhibetur, non ij solùm, qui Choreas agunt, verùm etiam spectatores facilè in impudica labantur. De his igitur idem pronuntio, quod de Comœdiis paulò antè dictum est; has nimirum valdè periculosos, multò magis si frequenter, & ex consuetudine fiant. Nihilominus addo, si ex experientia cognovisti, tibi ejusmodi periculum non subesse, te hoc modo chorizantem, vel chorizantes aspicientem, nequaquam esse mortalis peccati reum. Patres familias potiùs moneo, ne eas permittant; quando prævident facilè aliquos ex hac occasione in peccata lapsuros.

4. Quoad locum, personas, tempus: ne fiant primò in Ecclesia, vel prope ipsam. Secundò, ne ab Ecclesiasticis, multò minùs à Religiosis, Monialibúsque. Tertiò, ne tempore pœnitentiæ, v. g. Quadragesimæ, nec festis diebus.

5. Per has tres prohibitiones, quas legimus in sacris Textibus, *c. Presbyteri, d. 34. c. non oportet 2. de cons. d. 5.* & *c. cum decorem 4. de Vit. & honest. Cler. c. Dec. de imm. Eccl. in 6. Clem. 1. de Celeb. Miss.* non prohiberi puto Choreas absolutè, sed immodestas, impudicásque. Ita Sylvest. *v. Chorea*, Mazzar. *disc. 108. super Sermone Domini in monte*, quibus adde Menoch. *de arbitr. cum addit. ad Casum 69. num. 59.* Id loco omnium ostendit ille Canon Clem. 1. *de Celebr. Missar.* his verbis: *Non verentur in ipsis Ecclesiis, earúmque Cœmeteriis Choreas facere dissolutas.* Illud (*dissolutas*) prohibitionem certè permaximé lenit. Quare juxta majorem, minorémque irreverentiam, à prudenti, secundùm omnes circumstantias, expendendam, quæ inferatur statui personarum, sacris locis, sacróque tempori, adde,

& considerato scandalo, quod fortè detur; gravitatem, levitatém culpæ dimetire. Qua in re strictè loquitur Bossius *l. c. num.* 8. dum absolutè dicit, Choreas agere in Ecclesia esse peccatum mortale, sicut nimis laxè loquuntur aliqui, apud Bossium *l. c.* dum aiunt absolutè, non esse mortale: Ita Sanch. *in consil. lib. 1. cap. 8. dub. 24. num.* 22. ex Lopez, nam secundùm mensuram irreverentiæ, & qualitatem Chorearum, definienda erit & culpa.

6. In Clementina *de statu Monachorum, cap.* 2. dum dicitur de Monialibus, *'Non Choreas, non festa sæcularium prosequuntur*; non videtur imponi præceptum, sed eæ monentur juxta sana consilia: neque enim Moniales inter se fortè ex aliqua occasione putas Choreas agentes; etiam ob recreationis gratiam, audeo dè peccato mortali condemnare quamvis profectò digna sit culpa, quæ severè à Superioribus castigetur.

## §. VIII. *Ornatus.*

1. HVc Ornatum mulieris reduci curiosus Lector vult; huc ergo reducamus.

Nomine ornatus intelligitur omnis cultus muliebris per pigmenta, & comam apposititiam, per intortos capillos, per pectoris nuditatem, per ornamenta aurea, & gemmata, per novas vestium formas, præsertim si quæ iis vtantur supra statum, vel præter receptam consuetudinem. Ita Less. *l. 4 c. 4. dub. 14. n.* 105.

2. In hoc ergo certum est: Primò, sine peccato posse quæri ornatum corporis ob bonum finem, non solùm scilicet ob necessarium corporis tegumentum, sed etiam ad sui status decorum, nimirum vt pro conditione sui status, honorificè quis prodat in forum; id enim est laudabile, & rectæ rationi consonum. Contrà, certum item est, cum evidenti peccato mortali eundem Ornatum quæri, si ob finem graviter malum, quicunque is sit, conquiratur: v.g. vt quis adulteret, vt turpiter concupiscatur, &c. id quod probatione non indiget. Ita *ibid. num.* 106.

3. Certum est secundò, si se ornet mulier matrimonio juncta, vel ad id aspirans, ut Viro placeat, vel ut Virum nanciscatur, nihil peccare: Ita *ibid. num.* 108. Ratio est, quia hic finis, cùm honestus sit, satis honestam illi ornamento causam præbet.

4. Certum sit tertiò, mulierem etiam illam, quæ nec nupta est, nec nuptias intendit, imò & adolescentes, & viros, si se ornent, non vt ab aliis turpiter concupiscantur, sed vt censeantur inter pulchros, & laudentur ut pulchri, non peccare mortaliter. Ita *ibidem num.* 109. ex S. Thom. Caiet. Bos. Ratio est, quia id non continet gravem deordinationem, sed ad summum vanam quandam gloriam coram hominibus.

5. Remanent ergo duæ difficultates: Prior, An excessus in hujusmodi ornatu sit ex se mortalis? Posterior, An saltem sit mortalis ob scandalum, quia nimirum Mulier sic ornata causa est, vel occasio ruinæ spiritualis multorum.

6. Quoad prius, assero cum D. Thom. 2.2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. & Caietano *ibid.* non esse nisi venialem excessum Ratio est, quia excessus in appetitu, & vsu rei per se non malæ, non est nisi veniale, vt patet in excessu cibi, potus, divitiarum, &c. qui non est ex se mortalis, nisi ratione gravis nocumenti, quod aliquando inferret. Sed in casu nostro non est nisi excessus in conquirendo nitore, pulchritudine, cultúque corporis, quæ non sunt ex se mala, sed indifferentia: ergo &c. Adde; Peccatum, vt sit mortale, debet esse graviter contra charitatem Dei, vel Proximi; vel sui ipsius: id quod non est invenire in casu nostro.

7. Quoad posterius, assero, de eo tam bene cordatè, ac sapienter scripsisse nunquam satis laudatum, Lessium, *ibid. num.* 112. & 113. vt judicem hîc sufficere, si illius doctrinam ad verbum exscribam: Scio Albertum Alberti, fusè de ornatu mulieris aliquantò scrupulosiùs disputare; sed me juvat Lessium sequi benigniorem. *Potest*, ait Lessius, *in excessu istius ornatus esse peccatum mortiferum per accidens, & ratione alicujus pravitatis connexæ.*

*Primò ratione mali finis, vt si sit animo petrandi ad libidinem.*

*Secundò ratione præcepti positivi; vt sit talis excessus, qui esset vetitus aliqua lege, sub pœna excommunicationis, quæ servaretur.*

*Quòd si lex non habeat annexam pœnam, vel saltem non gravem; non erit plusquam veniale: imò credibile est plerasque Leges Civiles, de hujusmodi, quæ passim non locis habentur, esse solùm pœnales, & obligare tantum ad mulctam.*

*Tertiò, ratione scandali, vt si quis vteretur, vel adeò tenui, vel ita conformata, vt per eam pudenda non contegerentur: id enim judicio morali, non tam esset pulchritudine ostentare, quàm homines directè ad libidinem allicere.*

*Secùs est, in nudando pectore, vt Caietanus, Fumus, Navarrus notant; præsertim, vbi est ea consuetudo: nam pars illa honesta censetur, nec natura, aut pudor humanus postulat illam absolutè tegi. Grave tamen peccatum esset hujusmodi morem introducere, vbi id non est consuetum: insolita enim magis movent; & res ipsa meritò ob periculum, etiam vbi recepta tanquam illicium libidini est abroganda vt Doctores monent.*

*Notandum tamen, non ex eo censeri ornatum scandalosum, quòd multi occasione illius putentur ad prava desideria provocandi; vt rectè prædicti Doctores tradunt: adeo quin etiam pulchritudo naturalis scandalosa esset: nam multò magis provocat, quàm artificiosa: cum natura longè superet artem. Itaque etiamsi fœmina putet aliquos peccaturos, non tamen idcirco sub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere: Sicut is qui à multis odio habetur, non tenetur à publico abstinere, vt inimicis non detur occasio odij. Ratio est, quia ornatus iste solùm remotè ad malum provocat: ergo non tenetur ab eo abstinere, ne alij peccent, alioquin perpetuò abstinere deberet (cùm illa occasio sit perpetua, & vniversalis) quod nimis grave esset humanæ conditioni. Sufficit igitur, vt ei peccatum proximi displiceat, & illius salutem non contemnat. Et Confirmatur quia quod illi peccent, ex eorum provenit malitia, non ex condito ornatus: sicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiæ pulchritudinis: atqui id quod ex aliorum malitia provenit, non tenemur cum tanto gravamine nostro impedire. Secùs, si aliquo casu ad breve solùm tempus (peculiare periculum alicujus abstinendum esset:) Hanc limitationem non ponit Diana p. 2. tract. 15. res. 36. etiamsi ornatus sit superfluus, & maximus, modò sit secundum morem Patriæ, & de se non sit quasi provocativus ad malum.) tunc enim Charitas postularet, vt pro eo tempore talem ornatum superfluum omittam; ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat.*

Hæc Lessius, qui etiam *num.* 114. notat ornatum sexui vsum vestis alieni sexus; non esse intrinsecè malum; vnde ob causam justam fieri posse, v.g. si alia desit, si opus sit se occultare ab hoste, si fiant repræsentationes, &c. Et levitate id facere, esse solùm veniale, jure fatetur.

Vide denique *superius, l. 5. c. 1. §. 4. n.* 27. vbi notavi rationem, cur non liceat Puellæ se ornatam in conspectum amasij consultò dare, ut conspiciatur.

---

## CAPVT IX.

### *Discutiuntur duo dicta Caramuëlis in materia Luxuriæ.*

*De tertio Dicto vid.* lib. 10. cap. 7.

1. PRimum dictum *en reg. S. Ben. num.* 1013. est hujusmodi: *Infero peccantem cum virgine sodomitice*

*Primo,*

Primo, non teneri dicere illam esse virginem, ita Diana circumstantiis aggravantibus, ref. 11. Secundò, immò ipse docet Diana ibid. ref. 2. & Bonac. de Matr. q. 4. p. 11. n. 2. Ratio est quia fodomia cum Muliere, aut cum Viro, eadem differunt in genere entis, non in genere moris: non enim, ut ibidem dixi, perfecta sodomia; quæ est cum Viro, procedit ex affectu ad indebitum sexum: quæ verò cum muliere, non est ad indebitum sexum; sed licèt ad indebitum, tamen ad partem innaturalem: quæ duo certè longè differre. Non sic furari aurum, vel argentum, frangere jejunium pane, vel piscibus, immò in bestialitate congredi cum mare, vel fœmina; quia hæc semper sunt ex se immoraliter affectu ad divitias, ad comestionem, ad bellum. Secundò, quia nimis est falsum, hanc opinionem doceri à Bonacina; immò fortasse etiam nec à Diana. Utrumque profero Bonacina num. 9. citat. à Caramuele, solum loquitur de primo, quod ego approbavi: At de secundo, non ibi loquitur, sed paulo antè, de mat. q. 4. p. 11. num. 7. in Edit Ven. 1639. ubi his verbis meam sententiam firmat, reprobat illam Caramuelis: Hinc colligi potest (inquit) explicandum esse in confessione personam cum qua perpetrata sit sodomia, videlicet, utrum habita sit à masculo cum fœmina, vel à masculo cum masculo. Quid clarius?

3. Diana l. c. sic habet Sufficit dicere, peccavi in sodomia, (sive cum mare fuerit, sive cum fœmina) toties: Interrogatus quater, &c. Et ita publicè docuit hîc Panormi, quidam Theologus Soc. Iesu; licèt Tannerus (quod mihi magis placet) contrarium doceat, quoad sodomiam cum ante illum Granadus. Hæc Diana. Notas illud? (quod mihi magis placet.) Quoad Theologum autem prædictum, me putat credere ipsum de bestialitate id docuisse, quod verum est; non de sodomia, quod est falsum.

4. Secundum dictum Caramuelis, in Reg. S. Bened. num. 1050. Quidam furabatur, ut mœcharetur: Veniens ad Confessionem, dixit, furatus sum toties: toties mœchatus, & subticuit ordinè furti ad mœchiam. Dubitas, utrùm sufficienter se explicuerit? Respondeo affirmativè: ita etiam Diana in tract. de circumst. aggr. ref 23. ubi citat, & sequitur alios Authores. Ratio est manifesta, quia licèt illud furtum habeat malitiam fornicationis, nō tamen habet malitiam fornicationis distinctā à malitia furti, in genere luxuriæ: & ideo pœnitens explicuit omnes circumstantias mutantes speciem: omisit unius circumstantiæ aggravantem tantùm speciem in eadem specie, quam non tenebatur explicare. Hæc ille.

5. Sanè fateor hunc explicuisse omnes circumstantias mutantes speciem. Sed alio plus nimio excessisse; addidit enim duas individuationes peccati, quas ipse non commisit, & ideo mendax fuit in confessione, saltem in re gravi ad Confessionem pertinente; quia numerus peccatorum, quando exactè scitur, debet exactè, ut omnes fatentur, ad confessionem deferri. Cùm enim audit Confessarius: Furatus semel sum, & deinde mœchatus semel sum, nónne duo numero peccata te commisisse, ex tuis verbis intelligit? Tu tamen unum numero peccatum patrasti, nempe furtum relatum ad mœchiam; hoc est, unum numero peccatum, duabus specie diversis malitiis infectum. Scio esse bonos Authores pro Caramuele; sed certè ubi apparuit evincens ratio, boni etiam Authores, bonâ eorumdem veniâ, fuerunt sine nota deserendi. Relege multa valde necessaria, quæ de hac difficultate dedi *in Meth. Confes. lib. 2. cap. 1. §. 11. num. 75.*

## CAPUT X.

### *Remedia adversùs luxuriam.*

1 Hic id breviter pertingere operæ pretium erit. Et quidem colligit decem remedia Barth. à S. Fausto *in Thes. Rel. lic. 3. q. 57* duodecim Peyrinus, *p. 1. q. 3. c. 2.* In promptu autem erant alia quinque, nescio, an cæterorum efficassima.

2 Primum remedium, humilitas, & oratio: nam nostra fragilitate cognita, ad Deum est confugiendum. Secundum, sobrietas. Tertium vestium asperitas, seu cilicia. Quartum, carnis mortificatio. Quintum, custodia sensuum. Sextum, vitatio occasionum, & præsertim fuga conversationis mulierum. Septimum, virilis resistentia. Octavum, Scripturarum sanctarum meditatio. Nonum, fervens Dei dilectio. Decimum, mortis, & æternarum pœnarum viva meditatio. Decimum, non occultas fovere in sinu tentationes, sed eas statim Patri spirituali patefacere. Duodecimum, fugere otium.

3. His ergo addatur remedium decimum tertium; subita cogitationis malæ fuga. Vt primùm tentatione titillaris, statim, repentè surge, recede, fuge à loco, à lecto, ubi moraris, & negotium aliquod, quamtumvis frivolum cum magna intentione gerendum suscipe.

4. Decimum quartum, Dei Summi Judicis viva præsentia: *in desideriis verò carnis*, ait S. Benedictus *in Reg. c. 7. nobis Deum credamus semper esse præsentem, cùm dicat Propheta: Domine ante te est omne desiderium meum* Psal. 37.

5. Decimum quintum, Frequens, & aliquando etiam quotidiana Confessio apud eundem confessarium prudentem, & pium, sed adverte illud (eundem:) quo remedio recidivi cujuscunque criminis fi utantur, fieri vix potest, ut non, facillimè curentur.

6. Decimum sextum, Frequens Communio; juxta illud: *Et vinum germinans virgines.* Lege Suarez, 4. *tom. de Rel. tr. 10. l. 4. c. 3. in fine*, qui tantam continentiam in tanta juventute nostrorum in Collegiis degentium, frequenti sacræ Eucharistiæ sumptioni, quæ apud nos de Sancto more usurpatur, acceptam meritò refert.

7. Addatur ultimum naturale, sed certè satis efficax medicamentum, Discessus à præsentia impuri objecti. Veneficio quidam ad puellam amandam urgeri vulgò dicebatur, præsentius amuletum non fuit, quàm discessus ab ea Urbe, ubi commorabatur mulier. Quem quidem discessum ab adolescente exoraverunt difficillimo conatu Consanguinei; sed eo exorato, in sanitatem non multò post illum rediisse læti cognovimus.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

*Laus Deo Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER OCTAVVS

## IN DECALOGVM.

Ne Furtum facias.

### DISPOSITIO HVJVS LIBRI.

QVAM multa, quàm varia, quàm implicita mihi obviam in hoc præcepto fiunt? ratione ergo in brevem summam illa meo more constringere, & insuper novo, ut soleo, superaddere valeam, nisi Tu, omnium lux animarum, Splendor æternæ Sapientiæ, meas tenebras divino igne depellas, foveásque torpentem animum, desperatione collabentem?

2. In quatuor Tractatus Librum hunc propter varietates rerum distinguere oportet. *Primus* erit de Dominio, quod est fundamentum, unde furtum prohibitum sit; nisi enim Dominus rei tuæ, sanè non vetarer ego, illam mihi surripere. *Secundus* de ipso Furto, seu acceptione iniusta. *Tertius* de Restitutionis obligatione, quæ ex furto, seu injusta acceptione, vel detentione consequitur. Vbi ad complementum tractationis, non erunt aliæ radices restitutionis omittendæ, nisi est, Ex re accepta; Ex damnificatione rerum temporalium, vel famæ vel honoris, Ex contractu. *Quartus* denique, de Circonstantiis quibusdam restitutionis. Faveant Cœlites, prosperè aspiret Deus.

## TRACTATVS PRIMVS.

### De Dominio.

### CAPUT PRIMUM.

Quid sit Dominium, & qua ratione differat à possessione, usufructu, &c.

*Vbi*,

An usus distinguatur à Dominio in re ipsa usu consumptibili?

1 DOMINIUM proprietatis, est jus, seu, facultas de re aliqua perfectè disponendi, nisi lex obsistat, vel conventio prohibeat. Hanc definitionem latè prosequuntur Iurisconsulti ex Bartolo. *l. 17. ff. de acquirenda possessione*, lege Dicast. *lib. 2. de Iust. & jur. tract. t. d. 1. dub. 4. num. 29.* Prohibet enim lex aliquando, ut quamvis aliquis dominium suæ rei habeat, disponere de ea re non valeat. Ita pupillus, licèt habeat dominium suarum rerum, prohibetur tamen à lege, ne disponat de rebus suis, donec in perfectam veniat ætatem. Ita debitor, licèt sit Dominus rei datæ in pignus creditori; illam, ex tacita saltem conventione non potest idem creditor alienare; dum est in pignus. Ita Religiosus Societatis Iesu, per vota biennij, Dominus est suorum bonorum; sed de iis disponere sine licentia Superioris non potest.

2. Dictum autem est (dominium proprietatis:) quia est aliud dominium, quod appellatur jurisdictionis, quæ est potestas gubernandi subditos, præcipiendo, prohibendo, permittendo, judicando, pœnis, vel præmiis afficiendo, protegendo, vindicando; éstque duplex, Ecclesiastica, & Sæcularis. De hoc nos dominio Iurisdictionis non agimus, nisi fortè aliqua sint obiter tagenda.

3. Cùm autem *eodem num. 1.* dictum est (jus) intellige jus in re, quod sit plenum, perfectissimum; non verò jus ad rem, de quibus *Passim* Doctores lege Dicast. *l. c. num. 32.*

4. Distinguitur autem dominium, à possessione, ab usufructu, & à mero usu: nam his non convenit esse testates liberas dispodinendi de re. Possessio enim nihil aliud, nisi facultas insistendi in re, quam quis possidet. Vsusfructus est potestas, seu jus utendi, & fruendi. Merus usus est jus tantum utendi.

Potest, v.g. quis uti hoc fundo, solùm ad residendum vel dormiendum in illo? Erit merus usuarius. Potest fundo, tum ad hoc, tum etiam ad colligendos ejus fructus, illósque usurpandos, sed non ad ipsum fundum alienandum? Erit usufructuarius. At dominium comprehendit jus possidendi, utendi, fruendi: & insuper ad jus alienandi, &c.

5. Illud hîc obiter nota, Usuarium esse duplicis generis ideſt, habentem usum facti, & usum Juris. Usum facti habet, qui solùm utitur re: Sic competit etiam bestiis quæ vescuntur herbis, & paleis. Usum Juris habet, qui utitur, & potest ad suum beneplacitum uti re; nam propterea dicitur habere jus utendi, in quod competit hominibus. Religiosis verò hoc jus utendi competere solet ex dependentia voluntatis Superioris docet vera sententia, de qua mox redibit sermo *c. seq. §. 5.*

6. His positis, celebris est quæstio: *An in iis, qui usu consumuntur, seu, ut loquuntur Jurisperiti, quæ finem recipiunt, separari possit usus à dominio?* Si, v. g. tibi usum hujus panis, hujus vini, statimne do tibi absolutum, & perfectum dominium illorum; Ita enim videtur, nam si do tibi vini usum, ergo potes illud bibere, ergo illud destruere, & consequenter de illo perfectè disponere, quod est perfectè de illo dominium habere, quidem consequentiæ fieri nequeunt in re usu non consumptibili; si enim tibi do usum, seu etiam usumfructum fundi, licèt possis uti fructibus, eisdémque frui; non potes tamen ipsum fundum destruere, déque illo abso-lutè disponere.

7. Respondeo. Hæc quæstio originem habuit abordine Minorum Sancti Francisci, qui approbante Nicolao IV. licèt reprobante deinde Joanne XXII. iterum approbantibus Martino V. & Paulo III. protestatur non solùm suos Religiosos particulares (in hoc enim conveniunt cum Religiosis particularibus aliarum Religionum,) sed etiam suam Communitatem, seu Magisteria nullum habere dominium rerum: quæ ipsis

natæ sunt, sive hæ res sint usu consumptibiles, sive non; sed illud solùm habere Summum Pontificem post Martinum V. nam ex Nicolao IV. harum rerum usu consumptibilium dominium habebant ipsi fideles Dantes, donec consumerentur. Neque te conturbet horum Pontificum dissentio: siquidem etiam ij in diversa placita posiùt citra res Fidei, Sic Bell. *lib.4. de Summo Pont. cap.3.* §. lege *c. à nob. 2. de excommunicatione*, ubi se ut hominem privatum errare posse fatetur: & citra res ad statum universalem Ecclesiæ pertinentes, quando hæc decernunt ut Pontifices. Puta *in Decretis morum in approbatione bene vivendi, in Canonizatione Sanctorum.* Ita Bell. *ibid. & lib. 1. de Beatitudine, & Canonizatione.* Roquinet *t. 1. q. Reg. 1. art. 4.*

8. Respondeo nunc directè ad quæstionem: posse separari. Ita Sot. *in 4. de just. quæst. 11. art. 1.* Valent. *quæst. 10. p. 1.* Mol. *tract. 2. d. 6.* Suarez, *t. 2. d. 28. sec. 2.* Less. *l. 2. c. 3. dub. 8.* Sanch. *lib. 7. summæ, cap. 18. n. 5* innumeros referens, contra Sylvest. *v. Dominium quæst. 2.* Arag. *q. 62.* de Domin. Caiet. *2. 2. quæst. 78. art. 1.* aliósque mox *littera D.* Ratio autem separationis consistit in eo, quòd, qui habet dominium rei, potest illam quomodocunque libere distrahere, vendere, destruere, alteri donare &c. At verò, qui eius usum dumtaxat habet, solùm potest illa re uti iuxta voluntatem Domini; sed dependenter à Domino; ita ut etiam dum panis, v. g. est in manu Religiosi Franciscani, illum ad os admoventis, posset Pontifex sine injustitia contra Religionem, vel Religiosam Franciscanum, ab eo illum tollere. Simile quid est in eo, qui invitatur ad convivium ab aliquo; Dominus enim convivij, semper est Dominus ciborum, eósque sine injustitia, esto, cum magna inurbanitate, posset ab invitato nondum acceptante auferre, donec consumantur: postea enim ex defectu materiæ jam destructæ, desinit dominium. Simile quid etiam est in aliis particularibus Religiosis aliarum Religionum: nam propter Votum Paupertatis non possunt uti rebus pretio æstimabilibus, quamvis ipso usu consumptibilibus nisi dependenter à voluntate sui Superioris. Religiosi ergo ab eo differunt à Franciscanis, quòd aliarum Religionum Communitates, seu Monasteria habent perfectum dominium suarum rerum, à Fidelibus donatarum, sive hæ sint usu consumptibiles, sive non; at Franciscana id non habet, quia suarum omnium rerum Pontifex dominium retinet, unde fit, ut Religiosi aliarum Religionum utantur prædictis rebus dependenter immediatè à suo Superiore, qui est legitimus administrator bonorum Religionis: at Franciscana, dependenter immediatè à Pontifice, qui est Dominus bonorum Religionis Franciscanæ.

9. Ex dictis fit primò, ut Religiosus particularis in rebus unico actu consumptibilibus, quorum usus ipsi à Superiore conceditur, non acquirat dominium, seu proprietatem: cùm enim usus à dominio separabilis sit, non sequitur dari utrumque, si usus detur. Scio multos Doctores contrarium docere. Ita Caram. *in Reg. S. Ben. num. 871.* citans Cenedum, Petrum de Arag. Turrecrematam. Sylu. D. Antonin. Sarmientum: lege item Bassæum *in floribus pag. 256.* nostram vocantem probabiliorem, licèt contrariam probabilem. Sed ego assentiri non possum, quia claram video separabilitatem, quam *numero præcedente* explicui.

*Corollarium pro Religiosis, circa acceptationem rerum.*

10. Ex iisdem dictis fit secundò, ut quando Religiosus particularis acceptat à sæculari aliquid ad meum usum, v. g. gallinam ad comedendum, minoris ea valeat, quàm si acceptet absolutè; vel quàm ex se valeat, si absolutè vendenda sit. Ratio est jam dicta, quia merus usus facti, cùm semper supponat in domino eramanere perfectum dominium; multùm diminuit de pretio, cùm possit à Domino semper repeti. Fac te vendere gallinam Petro, sic: *Vendo tibi hanc gallinam ea conditione, ut etiam quando erit à te occisa, quando jam cocta, quando ad mensam apposita, quando in manu tua illam ad os admovente, ego illam possim repetere;* nónne Petrus propter hanc conditionē volet pretium gallinæ diminui? Et licèt sciret, se nunquam repetiturum; tamen non est negandum, aliquid tandem diminui de pretio ex tanta potestate illam repetendi.

11. Hinc colligi posse videtur, quando aliquid ex rebus unico actu consumptibilibus datur Religioso, maiorem quantitatem rei requiri ad peccatum mortale, quàm si detur absolutè: quia res data ad solum usum, minùs valet, cùm possit à Domino statim repeti. Puto tamen, quando adest certitudo moralis, quòd res nunquam sit repetenda, præsertim in his rebus ipso usu consumptibilibus, de quibus postea nihil remanet, ad quod possit Dominus ius habere; puto inquam, tam exiguam esse pretij diminutionem, ut moraliter judicetur nihil diminuere: quando enim adest tanta certitudo, physica illa, ut ita loquar, potestas se habet, ac si non esset, atque adeò non potest in morali æstimatione aliquid de pretio deducere.

12. Illam considerationem puto probabiliorem ac tutiorem: Nam gallina, v. g. pluris valet viva, quàm mortua, pluris integra, quàm in partes consecta. Dulciare item integrum pluris æstimatur, quàm incisum in frustula, & sic de similibus. Poterit ergo Religiosus significare sæculari, ut is rem comestibilem dividat: nam sic ipse Religiosus recipiet minùs, quàm si reciperet integram, adeòque faciliùs poterit, si Superioris venia careat, gravitatem materiæ devitare. De qua vide *inferius, tract. 2. cap. 4.* vt etiam de religioso invitato ad convivium, vide, mox *cap. 2. §. 5. num. 9.*

## Caput II.

### *Quinam dominium rerum habeant,*

CErtè Deus, Angeli, Homines; De quibus vide Doctores, apud Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 1. & passim.* At inter homines (quod ad nos facit) dubitari solet. Primò, de servis. Secundò, de filiis. Tertiò, de uxoribus. Quartò, de Beneficiariis. Quintò, de Religiosis: quibus omnibus, vel impeditum est dominium rerum temporalium, vel retitum,

### §. 1. *Selecta de servis.*

1. VErè servi, propriè mancipia, nullo, ex legibus, §. 1. *instit de iis, qui juris, vel alieni sunt* Mol. *tract. 2. d. 38.* dominio gaudent, si de temporalibus bonis agamus; nam cæterùm vitæ, membrorum, honorisque dominium suum habent, ita ut Domini, si in his ipsos offendunt, sint puniendi, perinde ac si liberos offenderent: *leg. 1. ff. de iis, qui sui Iuris vel alieni sunt*, & *inst. eod tit.* Dicast. *l. c. num. 147.* quia tamen leges, quæ dominio temporalium servos privant, sunt usu ipso mitigatæ: ideo ad sunt septem circiter Tituli, seu Casus, quos jamjam à *num. sequenti* afferam, in quibus servi dominio rerum temporalium, etiam, in foro conscientiæ, ex Mol *l. c.* potiuntur, & ita potiuntur, ut si Dominus eas, invito servo, contrectet, possit servus occultè sibi compensare.

2. Primus Casus est: Si Dominus tacitè, vel expressè consentiat, servum habere peculium.

3. Secundus: Si quid servo ita donetur, legetúrve, ut id ad Dominum non proveniat; Huiusmodi etiam videtur, si detur ipsi aliquid, quo se possit redimere.

4. Tertius: Si quid servo relinquatur absolutè id est non intuitu Domini; ut, ob industriam, vel officium à servo alicui exhibitum. Ex quo colligo idem debere dici, si quid relinquatur servo ob ejus amorem: itémque, si ejus Consanguinei longè dissiti mittant ipsi aliqua dona.

5. Quartus; Si servo quid detur ob compensationem injuriæ, ipsi allatæ.

6. Quintus; Si quid servus pecuniâ sui peculij lucretur ludo, sorte, negotiatione; quia lucrum induit rationem capitalis.

7. Sextus: Si quid sibi subtrahat ex his, quæ sine Domini incommodo poterat libere consumere vel expendere.

8. Septimus; Si quid acquirat faciendo alia opera, præter illa, quæ Dominus præscripsit.

*Defenditur servorum mitigata conditio.*

9. Caremuël, *Theol. Mor, num.* 386. ex his septem titulis, Primum dumtaxat, id est, peculium à Domino concessum servo cũ eius lucro ex negotiatione fortè acquisito approbat, reprobat cæteros in hunc ferè modum: *Nullus casus dabitur*, ait, *in quo aut servus, aut Religiosus (quin illorum status alteretur, & mitigetur) possit alicuius rei permanentis dominium acquirere. Sed huic propositioni adversatur Sanchez*, (lib. 1. const. 1. d. 1. n. 7.) *quia licèt inter servum, & Dominum, vt sic, non sit propriè Iustitia nec contractus, est tamen inter Dominum, & servum, ut homo est. Nullum argumentum, quia sic liceret arguere: Aliquando Religiosus posset sibi proprietatem acquirere, vendere, emere, ducere vxorem, quia hæc illi non repugnant, ut homo est, licèt repugnent ut Religioso. Conjugata non potest nubere, vt Conjugata, sed ut Mulier; quod est ludere, vt ludit sensus compositus, & diuisus in prædeterminantibus. Adde, si jura decernunt omnia servi acquiri Domino, unde & fratres esse incapaces dominij: quomodo potest, ut homo, acquirere? Esto, possit Dominus concedere illi dominium: sed tunc erit partialiter liber, non servus.*

10. *Adversatur secundò, quia si ea conditione (ait idem Sanchez) expressa vel tacita, bona sint ita donata servo, ut is non acquirat Domino seruus sibi acquirit. Contra; quia non prodest talis conditio; voluntas enim dantis non potest facere incapacem servum, sicuti nec posset Religiosum: esto igitur, illa bona donata veluti vacent, & redeant ad Dominum.*

11. *Adversatur tertiò: quia si ab amasio (inquit idem Sanchez) dentur ancillæ aliqua bona propter usum corporis, cum in hoc usu non subsistet ancilla Domino, ancillæ erunt illa bona. Idem erit si propter injuriam acceptam fœtidet vulnerans pecuniam servo percusso, pecunia erit servi, siquidem membra serui sunt, non Domini. Sed contra tum quia idem esset in Religiosa: Cùm enim vsus corporis sit suus, & membra item sua sint; sibi acquireret, si quid propter similes causas acquireret.* Hactenus ex Caramuële.

12. Sed acutissimi viri contra doctissimum Sanchez argumenta deleri, meo quamvis plagui calamo, facilè posse video ex eodem Caramuëlis principio: *Nullus* inquit *dabitur casus, in quo seruus (nisi eius status alteretur, & mitigetur) possit alicuius rei permanentis dominium acquirere.* Huic principio sic adnecto minorem. Sed re ipsa servi status est illis septem casibus mitigatus, non autem status Religiosi: ergo non est mirum, si servus in iis casibus possit sibi acquirere, non verò Religiosus. Minor probatur ex Lessio, & Molina, qui viderunt certè servos ex jure esse omnino incapaces dominij, etiam in illis prædictis casibus; sed addunt tantum rigorem fuisse mitigatum. Proferatur Lessius lib. 1. cap. 4. num. 17. *Notandum est*, inquit, *multos Doctores concedere servis verum, & perfectum dominium in plerisque casibus supradictis; eisque fieri veram iniuriam, obligantem ad restitutionem, si Dominus resipsis concessas auferat. Iura autem, quæ tradunt, servos, quidquid acquirunt, Domino acquirere, intelligenda regulariter. ita Molina* d. 38. *Posset etiam addi: jura illa consuetudine esse mitigata & hoc malum in praxi. Itaque posset servus uti occulta compensatione, si Dominus ei res suas abstulisset.* Hæc Lessius. Si ergo militat in primo casu mitigatio servitutis ex expressa Domini voluntate, quod rectè concedit Caramuël, valebit in cæteris implicita ejusdem voluntate, quæ non potest nisi esse formis sanctis legibus, & legitimæ consuetudini. Ab enim servitutem mitigari, & res temporales aliis aptari posse, communis est & trita doctrina.

13. Non ergo valet sequela Caramuëlis: *Ergo Religiosus, ut homo acquirere proprietatem & posse Conjugata, ut Mulier, nubere*, &c. non valet, inquam, quia servitus potest à voluntate Domini mitigari, & legitima consuetudine tam mitigata est; non verò mitigatus status religiosæ paupertati, quoad proprietatem; nisi fortè in Scholasticis Societatis Iesu, habentibus vota biennij, qui veri sunt Religiosi, & tamen tenent, (licèt sine usu independente à Superiore) illorum bonorum proprietatem; quod nunc non facit nos. Russus nec status Conjugij mitigari potest. Da hi, qui possit à Conjugata, vivente viro, tollere, mitigare vinculum matrimonij; & dabo tibi illam nubere, &c. Quare non ludit Sanchez, dum dicit, inter Dominum, & servum, ut homo est, posse esse contractum justitiæ; illud enim (*ut homo est*) significat, ut non est servus, quales non servi sunt ex Natura omnes homines, seu ex qua parte non est servus; sed sicuti cæteri homines.

14. Nec item valet: Ancilla acquirit sibi quidquid lucratur ex vsu corporis, vel ex satisdatione propter injuriam acceptam: ergo posset ex eisdem causis acquirere sibi pretium Monialis. Non valet, inquam: quia Monialis astringitur Voto Paupertatis, quo constituitur incapax dominij: at ancilla, stante illa juris mitigatione, capax est. Da Monialem, cui Pontifex Summus votum Paupertatis, quoad propietatem diminuerit, ut diminuere posse, affirmat Sperellus *p. 1. dec. 1. num.* & ego concedam facilè, quod infers.

*Bona servi ab intestato defuncti cuiusnam sint?*

15. Porrò illud mihi singulare oblatum fuit nudiustertius. Mancipium cùm ex legitimo suo peculio (ut certò, & consentiente Domino constabat) collectum haberet in arca ducentos aureos, moritur ab intestato, nulla de his dispositione facta, nec ullis eius existentibus hæredibus. Quare non vulgaris controuersia coorta fuit inter Fiscum Regium & inter Dominum serui, cuinam illi ducenti aurei essent applicandi? Nec in foro externo tantùm, sed etiam in interiore quæsitum fuit, An Dominus occultare eos posset, ut sibi, citra lites, facilè negotio eosdem usurparet?

16. Et quidem Fiscus ita clamabat: Primò bona vacantia, id est, bona eorum, qui ex hac vita ab intestato discedunt, neque relinquunt hæredes, qui illis juxta Iura Civilis præscriptum ab intestato succedant; eo ipso ex dispositione Iuris *l. 1. §. vlt. ff. de Iure fisci, lib. 1. & l. vacantia, C. de bonis vacant.* lib. 10 *& alibi* (lege interim Molinam *t. 1. d. 53.* aliósque, & quod ego dicam *tr. 4. c. 18. à num. 12.* ad Regem devolvuntur. Sed pecunia, de qua agimus, est bonum vacans, ut iam supponitur: ergo ad Regem necessariò devolvitur.

17. Secundò: Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere possumus: At lex disponit omnia bona vacantia esse Regis: ergo nõ possumus nos distinguere, atque asserere legem loqui de liberorum bonis, non verò de bonis servorum.

18. Tertiò: Ejusmodi peculium totum pertinebat ad servum: ergo nullo jure ad Dominum. Qua igitur ratione ipse se intermiscere in hac pecunia velit? Potius detur pauperibus ex præsumpta Defuncti Christiani voluntate. Hæc, & similia Fiscus.

19. Dominus verò in hunc ferè modum suas partes vehementiùs tuebatur: Primò, servus etiam sui peculij non habet perfectum dominium, sed solùm imperfectum, vt scilicet illo possit uti, ac frui: At quoties is illo non vtitur, ad Dominum pertinet, quare injustitia fieret

Domino, si Fiscus illud sibi vellet addicere. Quod si servus suo peculio non utatur, id ad Dominum pertineat, clarè deciditur ex Lessij Doctrina, qui habet: *Monachi* (ait) *& servi conveniunt, quod neuter habeat dominium omnino perfectum: tamen Monachi habent dominium omnino in particulari habent, & sunt omnino in eum omnino in particulari habent, & sunt omnino in-quorum: Servi verò sunt capaces & propterea habent alie-num dominium, absque Domini consensu. Et quamvis po-test Domini, aliquo modo subjectus sit, & esset inhumani-tas Domini, aliquo modo subjectus sit, & esset inhumani-tas hanc posse fate Dominus uteretur, lege Navarrum, & hanc posse fate Dominus uteretur, lege Navarrum, & Navarram.* Hæc Lessius. In quibus vides servum habere sui peculij imperfectum dominium, & diminutum. Dominúmque posse absolutè uti potestate, usurpare peculium servi, unde infertur peculium servi, non absolutè servi, sed Domini, & solùm servis concedi uti, fruique posse; cæterùm, ni ipse fruatur, non posse justè ad alium pertinere, nisi disponatur Dominium.

10. Secundò; Leges absolutè omnia servi bona concedunt Domino: id quod originem habuit ex eo, quòd olim victo capti, qui occidi poterant, se liberabant, eligebant servitute, & ominibus suis bonis Domino addicebant; quæ forma servitutis deinde in omnia legitima successione à legibus inducta est, ut rectè notat Molina *tract. 2. disp. 2.* Solùm ergo, quoad peculium ex quadam æquitate, & ex usu, ut modò diximus, eædem leges mitigatæ sunt ad servorum conditionem mitigandam; quoad eum ergo, iis mortuis, hæc ratio non procedat; ad Dominum omnia bona servi, sine necessitate in pauperes distribuendi, vi Juris, redeant, necesse est.

11. Tertiò: Lex illa de Bonis vacantibus est admodum odiosa; applicat enim sibi Rex, quod suum non erat: ergo restringenda ad bona, quæ in nullius prorsus sint potestate, sed servi peculium est in radicali potestate Domini, ut dictum est, ergo, &c.

12. Quartò: Ex legibus, quas vide apud Mol. *At. d. 137.* testari servi absolutè non possunt: imò si tempore, quo servus Testamentum condit, ignoret, se fa-dum esse liberum à suo Domino, vel dubitet de suo statu, esto, re vera sit liber, testamentum est nullum. Tam sic. Ideo testari vetatur servus, quia supponitur is non habere bona, de quibus libere disponere post mortem possit, idque, quia omnia sua sunt Domini, qui non ut hæres, sed ut Dominus omnia servi bona sibi vendicat: cùm ergo Fiscus solùm prætendat bona vacantia (idest, bona illa, quæ nullius sunt, secùs enim bona vacantia non essent) ad bona hæc, de quibus loquimur, quæ vere sunt Domini, se intrudere nequaquam valet.

Confirmatur: quia bona vacantia sunt illa, de quibus, tum quis haberet jus testandi, testatus tamen non est: At servus, ut dictum est, non habet jus testandi de rebus suis, ergo, &c. Hactenus Domini defensio, ex cujus argumentis apparent Fisci argumenta satis, imò quæ dissoluta. Mihi ergo vim majorem facit Dominus, quàm Rex. Immò, etiamsi ejusmodi servus habeat legitimos hæredes, qui ab intestato possint in eo peculio succedere: non hi succederent ex mea sententia, sed integrum redire peculium ad Dominum debet. Ratio est jam insinuata: quia ex benigna legum interpretatione, disponere de eo potest servus; Si ergo de eo non disposuit, jam redit Domini Jus. Exciperem, nisi hic servus peculio gaudens, habeat filios indigentes alimentis; pro filiorum enim alimentis disposuisse legitimè semper censendus est, quasi pro suo usu, de suo peculio Pater; Et quidem nimis impium esset, indigentibus filiis necessaria alimenta, ex Patris peculio denegare.

## §. II. *De filiis remissivè.*

DE his multa dixi, & satis sint, *in 4. præcepto. lib. 5. cap. 4. §. 1.* De furto eorundem filiorum. vide *infra, tr. 2. c. 3.*

## §. III. *Selecta de Uxoribus, ex bonis Mariti aliquid usurpantibus.*

PEndent, quæ dicturi sumus ex cognitione modi, quo Matrimonium initum inter conjuges sit, De Jure communi ad sustinenda onera Matrimonij certum quid in dotem ab uxore datur Marito, cujus soli fructus, & administratio apud ipsum est, lege Mol. *t. 2. d. 274.* nam proprietas est uxoris; unde dissoluto matrimonio per mortem, vel ligitimo intercedente divortio, restituenda est tota dos eidem vxori, vel ipsius hæredi. Vir ergo tenetur uxorem alere, familiámque; Uxor verò tenetur familiam eandem gubernare juxta statum suum, atque adeò præstare industriam, & operas uxoris proprias ad domus congruam administrationem. Quòd si ipsa ulteriùs suâ industriâ, opere, labore, vel suo genio defraudans lucretur, suum erit, non Mariti; sicuti etiam sua erunt à se domum allata præter dotem: sua erunt sibi donata: sua sibi relicta, vel legata, sua inquam, tum quoad dominium proprietatis, tum quoad usumfructum, tum quoad administrationem, nisi fortè ipsa velit horum administrationem Marito tradere, quam tradidisse censetur *l. fin. C. de pactis conventis super dote*, quoties expressè uxor Maritum non excludit, lege Gratian. *disceptat. 514. n. 24.*

Administrationem dico, nam ad exactionem debitorum uxoris requiritur speciale mandatum ejusdem uxoris, *l. cùm maritum C. de solutionibus*; & advertit Castillo *decis. 36. n. 12.* & Antonius de Martinis *Quotid. resol. l. 2. c. 237. n. 13.* vel certè ejusdem ratificatio, secùs non erit debitor liber.

2. De Jure Lusitano, & Castellæ, qua ratione sive contractu medietatis bonorum, sive contractu Arrharum, & dotis matrimonia celebrentur, & qua ratione acquisita Matrimonio constante, sint utriusque Conjugis, lege apud Molin. *d. disput. 274.* Nobis juxta prædictum Jus Commune, quod est universalius quódque cultiores in Sicilia, ubi scribimus, ex pacto servant, (& *alla greca* ad differentiam *della latina*, dicunt se contrahere) res hæc pertractanda est.

3. Uxor ergo, si auferat ex fructibus dotis, vel etiam ex capitali, cujus ipsa est Domina, aliquid notabile, invito Marito, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis: Ita Mol. Clavis Reg. aliique passim apud Dicast. *l. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 8. n. 194.* Ratio est perspicua, quia fructus sunt omnino mariti, & capitale, licèt sit uxoris ejus tamen administrationem habet vir. In casu autem, quo ipsa peccasset, auferendo, sed constante Matrimonio, non haberet, unde restituere posset, excusaretur quidem ex impotentia, dum Matrimonium constat; at eo dissoluto, debebit, restituere ex ipso capitali, quo jam libero potietur: vel, si ea præmoriatur viro, ex bonis, quæ ipsa possit disponere.

4. Sunt tamen multa capita *ibidem* ubi citantur, & alij, ex quibus excusatur saltem à mortali uxor bona conjugis usurpans: Nam bonis propriis posse, ut ei libet, uti sine peccato, quia sua absolutè sunt, non est dubium.

Primò, Si materia notabilis non sit, spectato statu, opibus, familia, & signatè, dote allata, de qua re iterum *inf. tr. 2. c. 3. n. 2. cum de furtis domesticorum.*

5. Secundò: Si vir rogatus concederet.

6 Tertiò: Si Proximus, cui ipsa porrigit, extremam pateretur, aut gravem necessitatem.

7. Quartò: Si faceret donationes liberales, & eleemosynas secundùm consuetudinem aliarum suæ conditionis Mulierum, etiam viro invito, quia absque ratione tunc invitus esset.

8. Quintò: si quid alicui daret, ad evertendum damnum temporale Mariti, nam tunc præsumitur adesse ejus voluntas, Quid ad avertendum damnum ejusdem spirituale, ut si uxor daret eleemosynam, quà Deus Maritum converteret? Mol. *tr. 2. dis. 234. n. 12.* negat, concedit Less. *l. 2. c. 1. n. 85.* sequens Nav. alióque, utrumque probabile.

9 Sextò

9. Sextò. Si pro rebus familiæ : vel pro suo victu, cultúque, juxta suum statum, accipiat, &c.

10. Septimò. Si administret bona, quando Maritus absens est, vel dissipator, vel stolidus, &c.

11. Octavò. Si det quid Patri, Matriqve; immò & fratribus, sororibus, ac filiis ex alio Marito, quando hi omnes indigent alimentis. Atque in hoc octavo casu adverte, Uxorem, si habeat aliunde, non posse licitè hos sibi attinentes alere fructibus dotis : at si non habeat, poterit quidem, sed ex lege communi debebit soluto Matrimonio, ea, quæ dedit restituere ex sua dote hæredibus Mariti; Ratio est, quia quando quis habet vnde suos alat, non potest ab alio accipere; quod si accipiat quando suæ res sunt impeditæ, debet, quando eædem erunt expeditæ, restituere.

*Quantum possit sibi congregare Uxor ex Mariti bonis.*

12. Sed jam singulare aliquod in medium afferamus Ex eo, quod moderatas eleemosynas potest Uxor elargiri, colligit Molina, *ibid. num.* 8. eandem posse illas simul congregare, & totam summam uni simul, verbi gratia, Parenti pauperi tribuere. Nos igitur, pari modo, ex eo, quod eadem Uxor liberales juxta suum statum donationes facere potest, colligere possumus, easdem posse unire, & uni, eidémque simul liberaliter donare. Quidam tamen scopulus est cavendus. Cùm enim ad splendorem familiæ, adeóque ad honorem Mariti pertineat, donationes has, & eleemosynas facere, non potest licitè ita se gerere uxor vt semper uni tantùm congreget, quia sic meritò vir esset inuitus; ideò non semper, non sæpè, sed parcè, sed sine offensione splendotis uti hac arte poterit congregandi in utilitatem vnius.

13. Inquiret Curiosus : Licebitque Vxori hoc congregandi artificium exercere, vt sibi ipsi summam totam, quam congregat, suis usibus liberis applicet? Respondeo, quoad eleemosynas non licere, licere quod donationes. Ratio discriminis est, quia eleemosyna pauperibus, vel locis piis debet erogari, qualis ipsa certè non est. At libralis donatio, sicuti potest reservari pro aliis, cur non pro se ipsa? Verùm, tunc scopulus ille detrimenti splendoris familiæ multò magis, vt ex se patet, erit declinandus.

14. Unum difficile te doceri, ut video, cupis. Ecquænam sit quantitas, quam in hisce eleemosynis, & liberalibus donationibus possit Uxor, vel expendere vel congregare sine viri consensu? Respondeo, id non posse, nisi à prudentis Viri judicio decerni, expensis facultatibus Viri, dote allata, necessitate familiæ, immò & necessitate, & multitudine pauperum, consuetudine aliarum mulierum similis conditionis, &c. Certè simile quid docet Sanchez *lib. 7. in Decal. c.* 19. *n.* 42. cùm loquitur de quantitate, quam in eleemosynas potest Superior Religionis expendere. Quoniam verò dixi *sub. lib. 5. cap.* 1. §. 1. *num.* 17. quemlibet satisfacere præcepto de eleemosyna facienda pauperibus cõmunibus, si det duos aureos quotannis ex aureis centum, quos fortè habet: quatuor ex ducentis, &c. Idem hic dici de eleemosynis posset. Altera totidem pro liberalibus donationibus dici posse crederem, quia pro ejusmodi summa, vel non erit inuitus vir, vel certe inuitus erit immeritò. Duo tamen adverto. Primò, id dicimus in mediocri patrimonio, nam si divitiæ multum excrescerent, nimis excresceret Vxorum licentia, ut iterum mox *inf. tr. 2. c. 3. n. 2.* cùm de Uxoris furtis, dicam, & *ibidem* dixi, cùm de eleemosyna. Adverto secundò, excogitatis regulis quibuscumque, nisi tandem hac in re ad prudentis Viri prædictum judicium recurramus, nunquam animos nostros posse conquiescere.

15. Illustrabit, quæ hactenus docui, sequens Resolutio : Uxor prædivitis Viri, quæ paruam, aut nullam dotem adduxerat, advertens se filios non procreare, unde tẽpore suæ Viduitatis fore, ut indigeret, partim ex pecuniis clam sine Mariti, ne præsumpta quidem, tia, surreptis ex ejus bonis, partim ex eleemos largitionibus liberalibus, quas juxta suum statum hibere poterat aliis, quas sibi uni cumulabat, opera, & suo labore extra id, quod obligabatur, ex iis, quæ sibi, defraudando suo genio, reservabat tenta quotannis, v. g. vno, eodémque vulgari neo indumento, cum licitè potuisset petere duo tria, eáque holosterica, & ornata, collegit trecentorum aureorum intra decem annos matrimonij. Hos ergo per fidum seruum occulte tiationi applicuit, atque intra alios decem annos ci eventu, ad tria millia aureorum summa quâ redditum annum emit suæ viduitatis tempor servandum. Nec multò post, è vivis ablato Viro, sivit Vidua à quodam non satis perito Theologo, eam summam, censúmque hæredibus Viri reti teneretur; qui respondit, eam non teneri, sed suæ striæ id emolumentum acceptum referre licite posse.

16. Profectò non debuit ita absolutè decer Quare ad me cùm accessisset, eam resolutionem rens animo nondum sedata mulier, distinctionem tò necessariam hac in re tota adhibendam esse nuntiavi. Nam sex bonorum genera, ex quibus flata fuit illa summa, perpendenda diligenter sunt mò Pars pecuniæ clam surreptæ; & hæc tota est re tuenda, quia injustè accepta. Secundò, lucrũ ex hujus reptæ pecuniæ negotiatione acquisitum; & hoc tẽ tuendum non est, quia pecunia ex se est sterilis, & crum, quod parit, totum cedit industriæ negotiato Solùm si ex hac resurreptione cessavit viro aliquod crum, vel damnum emersit, debebit illud Vxor re tuere. Quia tamen ea affirmabat, id certò non eve se, jam, quantum ex hoc capite, liberata fuit. Ter Perpendenda est pecunia, quæ ex suo labore emer dinario comparata est ab uxore, & hæc tota est mari vt eam lucrum omne ex hujus negotiatione acquis tum. Quartò, Pecunia, quam, fraudando suo gen sibi, reservavit, & hæc, ejúsque lucrum, pari mo plenè cedit Uxori. Quintò, pecunia, quam ex Eleemo na pauperibus erogãda sibi uni applicuit; & hæc u est Viri hæredibus restituenda, vel certè juxta proba bilem defuncti Viri voluntatem pauperibus distribue da, quia ipsa sibi eam utpotè non pauper, applica nequaquam poterat : lucrum tamen ex illa, uxoris ea propter rationem modò in secundo capite dictam. Sex tò denique, Pecunia, quam ex liberalibus donatio bus quas potuisset facere, sibi sepositit: & hæc non to potest uxori cedere : nam sic passa est familia detrimen tum splendoris; quare ad illam partem, quæ hoc de trimentum cauisset, invitus meritò fuit Maritus; hanc ergo restituat Vxor, necesse est. Et quidem morali ju dicio spectatis personis, divitiis, occasionibus, con suetudine, similium fœminarum, &c. putavi medio tatem ejus pecuniæ, quam liberaliter dare potuisse sufficientem fuisse ad decus illud familiæ conservandæ quare mediam hanc partem omnino restituat, lucrum verò ex negotiatione utriusque medietatis vxori cedat quia, ut dictum est, fructus est industriæ ipsius, & a alia parte nullum lucrum cessavit ex hoc, nec damnum emersit Marito.

17. Ex dictis ergo bene distinctis apparet Videam hanc debere restituere. Primò, pecuniam surreptam, quam ipsa dixit fuisse aureos quinquaginta. Secundò pecuniam congregatam ex Eleemosynis faciendis, quam omnibus expensis (dabat enim præter eam, quæ sibi reponebat, aliquid subinde pauperibus) censui esse aureos decem. Tertiò, Medietatem pecuniæ ex negotiatione liberalium donationum, quam tempore viginti annorum poterat facere, quam medietatem, expensis omnibus, ad viginti aureorum summam circiter ascendere judicavi. Cætera sibi ad viduitatem, ut ipsa dicebat, sublevandam tutâ conscientia conservet.

§. IV. *De Beneficiariis.*

TOries hæc quæstio discussa à sapientibus est, ut me pigeat eandem iterum, iterùmque recudere. Meminetis ergo dumtaxat Beneficiorum, & Communium non esse Dominos quoad proprietatem, essentiam vel Dominos, vel liberos Administratores eorum, quare posse quidem Beneficiarios, sivè Sæculares, ex de Lugo late alios citante *t.1.de iust.d.4. per totum*, & Sanch.*t.1. consil.1.c.2.à d.36. & deinceps*, Castro *t.1.tr.de charit.d.2.p.3.* Bon.*propria disp.de. obl. Benef. q.1.in Edition.Lugdun.* sive regulares ex Sanch.*l.6.in Decal.cap.6. num.13.& 14.* hi sunt illi, qui ab Religione assumpti sunt ad Episcopatum, Archiepiscopatum, &c. validè, vt eisdem libet, in profanos usus fructus illorum consumere, sed peccare mortaliter, si superflua suo statui non expendant in usus pios, & quidem peccato mortali confitendo, quod tunc committitur, sive contra præceptum Ecclesiæ id præcipientis, sive contra præceptum naturale de non expendendo profanè id, quod Deo à Fidelibus donatas. Ita iidem, & communiter Trid. *sess.25. cap.1. de reform.* licèt non peccare mortaliter, docent Lorca, quem novissimè refellit Diana *p.10.11.12.resol.35.* Ex his ergo fit, vt accipientes patrimonialo profano non obligentur ad restitutionem, quia bonè accipiunt.

2. At verò, peccántne hi accipientes saltem ex eo capite, quia cooperantur cum peccato dantis? Respondeo, si inducant: vel excitent dantem, peccare. Ita de Lugo *l.c. sect.3.num.49.& 50.* quia sic sunt causa peccati dantis: si sine inductione solùm acceptent ea, quæ dantur, non peccare, quia nunc non sunt peccati causa, sed tota malitia est ex parte dantis.

§. V. *Selecta de Religiosorum Paupertate circa usum dependentem.*

1. HOs ex vi paupertatis non habere dominium rerum temporalium, sed solum usum dependentem à Superioribus insinuavimus modò; Dependentem autem à Superiore in hoc usu duplex distingui potest. Prima, veluti comitanter, id est, ita vtor, verbi gratia, hoc libro, ut semper quidem sim paratus eum relinquere, quoties Superior voluerit: at eo utor, sine ulla tamen prævia Superioris licentia. Secunda antecedenter: id est, ita, ut non utar hoc libro, nisi præhabitâ licentiâ, sive tacitâ, sive expressâ. Iam affero ad posteriorem hanc dependentiam Religiosos obligari à voto Paupertatis, nec tamen ad priorem. Ita Sanch. *libr. in Dec.cap.9.num.53.* Laur. *ibid.* citatus. Ratio est, quia si ad priorem dumtaxat, iam nulla, vel modica esset paupertatis obligatio, posset enim quis omnia habere, omnibus divitiis frui, parentes ea relinquere, quando Superiori libuerit, quo quid absurdius in Nomine Christi paupertatem sequentibus, non video. Accedit Votum obligare iuxta intentionem voventis: At intentio Religiosi, dum vouet Paupertatem, est, se conformem reddere pauperibus indigentibus, qui nec proprietatem rerum habent, nec usum earum independentem à facultate Dominorum. Rectè ergo de Lugo *de Iust.1. d.2 section.3. numero 54.* vide & ipse sic habet: *Per Paupertatis Votum intendimus abdicare à nobis omnem usum rerum temporalium, qui opponatur vitio proprietatis. Proprietatem autem intelligimus dominium rei non ex communitate, sed ex propriis, & quod non fit ex præscripto Prælati, quam abdicationem fuisse antea, ab initio statui Religioso, probat Suarez* lib. 8. de Statu Relig. cap.9.

2. Hinc non placent quatuor, quæ docet Caramuël in *Reg.S.Ben.n.88.& n.886. & num.965.* Primò, peccatum contra Paupertatem esse solùm Proprietatem, usum accipientem rei usum, & non proprietatem contra Superioris jussionem, peccare contra Obedientiam, non contra paupertatem. Secundò, non peccare Religiosum contra paupertatem, qui inscio Prælato libros accipit à sæculari, vel nummos, quibus libros emat, atque iis in cella expositis vtitur. Tertiò, Religiosum dantem alteri Religioso eiusdem monasterij quascumque res, etiam pretiosas, ut item eadem accipientem ad eiusdem Monasterij Religioso, non peccare contra eandem, quia nimirum non facit detrimentum rebus Monasterij, dum in eodem hæ res remanent. Quartò, Religiosum commutantem res suas, vestes, verbi gratia, libros, &c. cum aliis dissimilibus rebus suorum Correligiosorum, immò, & cum rebus sæcularium, seruato circumcirca eodem rerum valore non peccare contra paupertatem, quia semper in Monasterio remanet æquivalens valor, idèmque esse, si commodet, vel mutuet. Non placent, inquam, tum quia in his omnibus semper intercedit usus à Superiore independens, qui, ut dictum est, interdicitur à Voto paupertatis, tum quia in quarto, adest in contrarium alia ratio; nam in commutatione intercedit, vera rei alienatio, quam nemo facere potest, nisi qui perfectum rei dominium, & proprietatem habet; ut *suprà* vidimus: Et certè, (vt alia omittam) si satis esset æquivalens valor, ad tollendum peccatum contra paupertatem in commutante, etiam valere in vendente, & emente; ergo posset Religiosus vendere omnia bona Monasterij, quo nil absurdius.

3 Hæc igitur omnia per se contra paupertatem sunt: Solùm rigor est temperandus ex eo, quòd multa ex his fieri solent per tacitam, vel præsumptam Superioris voluntatem iuxta cuiuslibet religionis consuetudines. Lege citatos.

Aliqui item excusantur à mortali ob parvitatem materiæ. De parvitate hujus materiæ lege Sanchez *l. 7. in Dec.cap.20.n.3.& c.21.n.30.* benignius habes apud Fag. *l.8.in secundum Eccl.præc.cap.6.n.7.* dum ait, in Religiosis haberi rationem filiorum: quod docet etiam Reb. apud eundem Sanchez *d.cap.20.n.3.* lege. item Dian.*p.1. tract.6.de paup.relig.res.26* Nam propter hanc rationem dare mutuas etiam pecunias Correligioso vel sæculari sine licentia, non esse mortale, docet probabiliter Ledesma, *in addit.ad summ. tom.2. cap.4.dub.2.* aliique apud Dian.*p.1.t.6. resol.13.* Peyrinus *t.1.q.2. cap.2. §.5.* fauétque Suarez *tr.3.deRel.lib.8.cap.11.num.15.* aliique: quia quamvis per mutuum transferatur dominium, tamen ipsum dare mutuum, quando certò moraliter erit reddendum, est res levis: quia datur cum onere restituendi, id, quod Ledesma propter eandem rationem extendit ad permutationem, quod tamen improbat Sanchez *t.2. in Dec.l.7.cap.20.num.67.* Dixi autem non esse mortale; nam esse veniale, nisi tacita præsumatur licentia Prælati, dubium non est, quia contra Votum, etiam tum delinquitur, licèt in re levi.

*De dispositione pecuniæ à Religioso nomine alieno, vel nomine Testatoris facta.*

4. Liciténe potest Religiosus accipere pecuniam sine licentia sui Superioris, vt ipse liberè expendat in eleemosynam nomine eius, qui ad talem finem dedit?

Respondeo: Si Religiosus eas pecunias sine licentia acceptet, ut sibi donatas, non licere, nimis est certum: At, si non ita; quare totum dominium remaneat in Domino, licere absolutè docet Sanchez, *l.7.in dec. cap. 30. n.4.* aliique apud Dian. *p.2.tr. de paup. Rel. res.10.* quia tunc nec dominium usurpat Religiosus, ut supponimus, nec usum: cùm pro se illum non usurpet. Non licere docet Rodriquez, *in exerc. spir.1.part.3. tract.3. cap.15.* Laym.*l.4.tr.3. cap.7.n.26.* Tur.*2.2.d. 84.dub.8.* quia ipsa distributio, præsertim quando est in pauperes, vel pia opera liberè à Religioso eligenda; pretio est æstimabilis, ac propterea paupertati contraria. Distinguit denique de Lugo *t.1.d.2.sect.3.n.53.& 54.* Si enim distributio, ait, fiat in commoditatem ipsius Religiosi, ut scilicet is possit dare, vel donare aliis sicuti si haberet bona propria, non licere, quia tunc usum pecuniæ independenter à Superiore vsurpat. At si sincerè, & bona fide distributio

distributio acceptetur, fieri, vt cum fidelitate distribuatur pecunia, licere, quia tunc nihil sibi usurpat Religiosus.

5. Ego sic breviter ratiocinor: Paupertatis votum non me prohibet acceptare, vel pro alterò præstare ea omnia, quæ pretio sunt æstimabilia: patet, quia secùs peccaret in paupertatem Religiosus, associando amicum, illique Officia, & Beneficia impetrando, Honores pro se acceptando, pro aliis apud Principem intercedendo, & similia, quæ maximo sunt pretio æstimabilia. Illa igitur dumtaxat Paupertatis Votum prohibent, quæ ita sunt pretio æstimabilia, vt æquivaleant pecuniis, seu bonis temporalibus, & externis, qualia sunt, quæ solent in convictu hominum ex se pretio comparari, & simul pertinent ad ipsa temporalia bona, seu clariùs, quæ si excrescerent, constituerent hominem divitem, & non indigentem. Audi S. Bonaventuram *apud Faust.* mox citandum: *Paupertas est Virtus temporalium abdicativa bonorum, quâ quis nil proprium gerens, sustentatur de non suo*; Quem locum afferens Faustus *in Thes. relig. l.8. quæst.12.* (vide eum *quæst.18.*) definiendo Votum Paupertatis, sic concludit: *Vnde Paupertas* (religiosa) *nihil aliud significat, quàm parvam substantiam, sive pecuniam; exiguum patrimonium, penuriam rerum & modicas facultates.* Idem docuit modò ipse de Lugo *num.1.* allatus. Hoc supposito, clarè videtur consequi Sanchez sententiam esse absolutè veram: esto enim, illa distributio pretio sit æstimabilis, non est ejus generis, quod tendit ad hominem ditandum, nisi fortè fiat palliatè, vt verè hoc medio diteſcat Religiosus, quod vix in praxi contingit. Contingeret tamen, quando iis pecuniis Religiosus aleret, v. g. pauperem, quem pro suo servo habeat, vel quid simile. At illa sola commoditas imbibita in ipsa distributione (placet enim homini habere à se dependentes pauperes, vel Rectores Ecclesiarum, vel operum piorum Præfectos, &c. vt in occasionibus ab iis invicem Religiosus Beneficia recipiat) illa, inquam, commoditas non est contra paupertatem.

6. Si pecunia distribuenda, modo dicto, à Testatore relinquatur, cum debeat Religiosus tunc esse exequutor testamenti, *An sacris Canonibus prohibeatur.* Quæstio est aliena ab hoc loco. Dic tamen breviter non prohiberi ex licentia Superioris, sine licentia prohiberi; Et quamvis ex probabiliore opinione Sanchez, *l.6. in dec. c.11. n.2.* & Castr. Pal. *t.3. tr.16. d.4. p.3. §.1. n.8,* contra Molinam *t.1. d.* 247. validè Religiosus acceptet onus executoris testamenti, valideque ministret, tamen eum peccare mortaliter, si id faciat sine licentia, quia prohibitio hæc est de re gravi, docet Sanchez, *ibidem num.18.* de quo *mox num.8.* licentiam autem hanc posse concedi à quolibet Superiore locali, nec necessariò à Provinciali, vel Generali docent iidem: solùm excipiunt Societatem nostram, quia ejus Constitutiones hanc licentiam reservant Generali. Sed de Lugo *t.2. de just.14. de Test. sec.16. num.326.* satis probabiliter concedit, posse etiam in Societate validè concedi à Superioribus localibus: solúmque contra Regulam, & Constitutionem illam, quæ ad mortale non obligat, faceret Superior localis, si concederet. Cùm ergo nostri locales Superiores habeant potestatem dispensandi in omnibus regulis, pari modo poterunt & in hac, quando id discreta prudentia dictaret.

7. Onus nominandi, seu eligendi pauperes, vel loca pia, quibus hæres Testatoris, vel alij pecuniam deinde ex præscripto dicti Testatoris distribuant, posse suscipi sine licentia, probabilissimè docet Castro Palaus *l. c. num.12.* contra Sanchez, *l. c. num.34.* Ratio est, quia nominare, seu eligere non est exequi voluntatem testatoris, quod est Religiosis solum prohibitum: sed est quid antecedens ad executionem, quæ executio consistit in pecuniæ distributione. Confirmatur, quia dum Religiosus nominat ex sua libertate, suam facit voluntatem, non Testatoris, ergo per illam solam nominationem voluntatem Testatoris non exequitur.

8. Denique illud, quod sentit Sanchez, peccaliter à Religioso, si is acceptet, excreátque sine tia ejusmodi Officium, sic tempero: Ut esse licit possit executor testamenti universalis in eo testam seu quacunque ultima voluntate, in qua multa sunt protrahendæ, multa bona vendenda, multa gendâ, quæ non congruunt Religioso (id quod an sit mortale, quando negotia non sunt gravior gna Religioso, Religionémque infamantia, nôn cernere.) At verò, si gravis indignitas adsit, ac nec sint pauca, modicè scilicet avertentia Religiosi cultu divino, vt, v. g. si Missæ essent ad voluntatem statoris, vel pecuniæ ad opera pia distribuendæ, suadere mihi nequeo peccatum mortale committi. tio est, Primò, quia facilè Superioris tacitam licen in rebus his, præsertim piis, adesse censendum est pacto, ne venialis quidem culpa committetur. Se dò, quia tunc ejusmodi executio non valdè Religi abduceret ab applicatione ad Divina, id quod in dunt in prædicta prohibitione sacræ leges. Tertiò, video sine scrupulo Religiosos iis distributionibus vel parvæ occupationis intermisceri, unde appare his sacros illos textus non esse usu receptos, vel esse abrogatos. Quartò denique, quia hæc, cum odiosa prohibitio, non est extendenda, sed restring da ad executorem universalem, ac propriè, & abso dictum Executorem, non verò ad eum, qui unam, alteram Testatoris dispositionem executioni mand dam curat.

*De Religioso invitato ad convivium, & de acceptan comestibiles à sæculari.*

9. Ex eo capite, quòd paupertas negat Religio usum independentem rei temporalis, qui sit in ipsum R ligiosi commodum, colligit de Lugo *t.1. de just. d.2. sec à num.51.* invitatum ad convivium posse, præsente D mino, etiam pretiosa quæque comedere sine Superio licentia; quia tunc passivè potiùs se habet Religios quàm activè; nam tunc Dominus consumit res i comestibiles per os Religiosi. Quare sicuti, si gemma pretiosam in mare projiceret Religiosus, ita Domi volente, vel si aromata pretiosa combureret, pretios Domino ex ejus jussu; non peccaret contra paupert tem, quia nomine alieno projiceret, & combureret; ita ipse Religiosus odorem sentiat ex aromatibus combu vel delectationem ex gemma projecta suscipiat) in c casu convivij. Addit, non ita rem se habere; si res pr tiosas etiam comestibiles, sæcularis ad Religiosum mat, ipséque acceptet, consumátque; nam peccabit, acceptando, & consumendo: quia in suum commod consumit, activéque se habet, non passivè tantùm, nec commodum Domini.

10. Hæc doctrina, pace tanti viri, mihi animo quaquam sedet. Primò, quia Conviva non se passi solùm habet, & in commodum dumtaxat Domini, enim activè etiam habet, (dum consumit) & in com modum suum: Qua parte ergo in suum commodu agit, contra paupertatem peccabit. Secundò, quia Re ligiosus, qui sine licentia acceptat res comestibiles pr tio æstimabiles, peccat contra Votum, (ut pro cer omnes supponimus) at quidnam est acceptare res i comestibiles, si non est illud, quo quis eas re ipsa co medit? Id certè esse tacitam, immo per ipsum factum expressam acceptationem, quis negabit? Tertiò, discri men latum est inter gemmæ illius projectionem, nôn núnve aromatum combustionem, & inter casum no strum; nam illa fieri possunt sine ulla acceptatione gemmæ, vel aromatum: at frui esculentis, & poculen tis sine acceptatione, quâ convivio quis accumbens cibos sibi dividere, ad os applicare consentiat, humano more non potest. Adde Convivam non uti his speculationibus, sed more humano comedit cibos appositos

more humano tunc cibi acceptantur, & comedun-
tur verò ut instrumentum alterius destruuntur: vide
Sanch. cum de restitutione ex re accepta Tract. 3. ca. 3. §. 11.
n. 8. Quarto, idem de Lugo tom. 1. de just. d. 16. sect. 1.
n. 5. probans comedentem notabilem ciborum quan-
titatem rei alienæ, committere furtum propriè dictum,
licet damnificationem quamvis nos cibos destruat,
aliquid apud se illorum remaneat, assignat ratio-
nem: quia, inquit, *humano modo illa videtur esse vera
usurpatio rei alienæ, & applicatio ad proprium usum.* Sic
humano modo dicere possumus in casu nostro: Humano modo illa
refectio in convivio, videtur vera usurpatio rei, & ap-
plicatio ad proprium usum; Cur ergo non se habet
hic Religiosus, activè, nec passivè dumtaxat? Quintò,
si Religiosus, activè, nec passivè dumtaxat? Quintò,
si secularis mittat ad Religiosum eas res come-
stibiles, posset Religiosus nomine alieno consumere,
ut moris absente Domino; sicuti, eodem absente, pos-
sunt ejus gemmas projicere, sine peccato contra pauper-
tatem. Unde enim id repugnat? ergo non subsistit dis-
crimen de Domino præsente, vel absente in comestio-
ne ciborum.

11. Satius ergo erit in ejusmodi convivio recurrere
ad parvitatem materiæ, ut excusetur, quis à mortali, &
eodem hac facit consideratio à nobis allata n. 1. nu. 13.
Veruntamen ab omni culpa immunis fiat, currat Religio-
sus ad tacitam licentiam; quæ in his comestibilibus faci-
lius, quàm in cæteris præsumi potest, quia earum accep-
tio credit in commodum Monasterij, ut rectè notant
Doctores, & Sanchez, *lib. 7. in Dec. c. 21. n. 3.* Faustus *l. 8.
Tom. 1. q. 182.* Suarez *t. 3. de Rel. l. 8. c. 11. n. 41.* Vide, quæ
dicam *infra, tr. 2. c. 4.* de quantitate furti Religiosorum,
atque prædicta parvitate materiæ.

## CAPVT III.

### *Qua ratione acquiratur Dominium?*

1. DVo regulariter à legibus requiruntur ad acqui-
rendum dominium, Titulus *lib. 1. 2. 6. & 7. ff.
de cap. dominio,* & Traditio *l. traditionibus, C. de pactis. l.
naturaliter, de rei inventione.* Sic Molin. *t. 1. tr. 2. d. 4.* Dicast.
*lib. 2. de just. & jure, tract. 1. d. 1. d. 9.* Quid Traditio sit, pa-
tet ex ipsa declaratione vocis. At Titulus est principium,
fulcis, radix, & veluti causa moralis, ex qua nascitur
dominium, unde dicentem se esse Dominum alicujus
rei, statim inquirimus, quo Titulo? Duplex autem est
Titulus, verus, & præsumptus. Verus est, v. g. Em-
ptio, legitima Donatio, Hæreditas, Legatum, &c. ut
enim in rebus incorporeis, Electio, Collatio Officij,
&c. Præsumptus est, quando quis putans bona fide ven-
ditorem, v.g. vel donatorem esse verum Dominum rei
donatæ, vel venditæ, rem habet pro sibi donata, vel
vendita, &c.

2. Dixi primò, (regulariter duo requiruntur) ali-
quando enim sufficit solus titulus: nam hæres, v. g. &
Legatarius rei determinatæ, acquirunt dominium bo-
norū Defuncti sola acceptatione hæreditatis, vel legati;
item jus Ecclesiast. acquiritur sola electione acceptā.
Loca item pia, & Civitates acquirunt dominium rerū
donatarum; vel venditarum ante rei traditionem, seu
possessionem, & denique si Princeps det feudum expli-
cabilo se velle transferre dominium ante possessionem
feudatarij sanè transfert. Atque in his casibus debet con-
sequenter dicere, hos acquirere statim jus in re, nec so-
lum jus ad rem.

3. Dixi secundò, (à legibus) nam jure Naturæ non
est necessaria ipsa traditio: est tamen rationi congruum
ut tunc transferatur, seu acquiratur dominium rei, quā-
do res, quæ erat in manu, & possessione materiali vnius,
transit in manum alterius.

4. Adhuc inquires, quomodo acquiratur dominium,
seu huiusmodi Titulus, & legitima possessio? Respondeo,
fiere multis modis, variisque juxta rerum exigentiam,
Ita Molin. Dic. *l. c.* aliique Iurisperiti *passim.* Nam verbi
gratiâ, Dominium hominum acquiritur per captivita-
tem ex bello iusto, emptione, donatione, natiuitate ex
ancilla, quæ neque tempore conceptionis, neque tem-
pore partus fuit libera. Animantia mansueta, vt &
bona stabilia, vel nobilia, donatione, hæreditate,
emptione, præscriptione, prima occupatione, aliis-
que similibus titulis. Animantia fera, captione, aliis-
que modis passim videndis apud Doctores. Nos enim
ex his ea, quæ propraxi sunt necessaria, explicabimus
*inferius, cum de Furto, & de Restitutione,* hîc solum de
præscriptione tanquam in proprio loco nonnulla tan-
gemus.

## CAPVT IV.

### *De Præscriptione.*

#### §. *I. Communia de Præscriptione summatim afferuntur.*

1. PEr legitimam præscriptionem acquiri in utroque
foro rei dominium, res est iam nunc omnibus cer-
ta; quia potuit Princeps per legem ob bonum cōmune
rem unius alteri applicare, ut fusè Doctores mox citandi,
quibus adde Tolosanum, Abbatem maiorem, Facchina-
cum, aliósque apud Dicast. *mox* citandum, & Molinam
*disp. 61. à num. 6.* Quare si ad antiquum Dominum post
legitimos annos præscriptionis res casu reuertatur, illam
sine novo titulo is non posset sibi vsurpare, usurparet
enim alienum, quidquid in contrarium infirmo funda-
mento dixerit Valer. *in differentia utriusque for. v. Præs-
criptio diff. 6. fine.*

2. Præscriptio ergo est acquisitio dominii, vel alieni
iuris peremptio per continuationem temporis lege defi-
niti. Lege Mol. *tr. 2. d. 60.* Less. *l. 2. cap. 6.* Dic. *l. 2. de just.
tr. 1. d. 1. d. 12.* Castr. Pal. *de just. in gen. de vnica, a p. 12.* Ex
qua definitione colligis quatuor requiri ad legitimam
præscriptionem, possessionem, bonam fidem; (mala enim
ex jure Canonico, cui semper standum, nunquam præ-
scribit) titulum præsumptum, tempus, de quibus passim
Scribentes. Solùm quoad tempus aliquid est pro Tyro-
nibus explicatius addendum.

#### *Tempus pro rebus temporalibus.*

3. Ad res mobiles præscribendas sive privatorum
hominū *l. vn. C. de usur. transf.* & *just. de vsuc.* §. 1. sive Ec-
clesiæ etiam Romanæ ex Mol. *l. c. d. 68.* si adsit Titulus,
sufficit triennium; Si non adsit, nihil est in jure consti-
tutum, putamus tamen, cum Mol. *ibid.* Less. *l. c. num. 22.*
tum, contra privatum, tum contra Ecclesiam, triginta an-
nos requiri.

Cùm enim hoc in jure decretum non sit, erit id sta-
tuendum ad normam istæ præscriptionis immobilium,
ad quam deposcuntur, ut dicemus, triginta, vel quadra-
ginta anni.

4. Res autem immobiles, inter quæ numerantur
servitutes reales, ut aduersùs privatos cum titulo præs-
cribas, decem anni inter præsentes, satis; supérque sunt
duplicati, id est, viginti inter absentes *l. malæ fidei c. de
præscr. longi temp. decem, vel viginti annorum* (præsentes
dicuntur, qui in eodem Territorio, licèt non in eadem
Civitate: absentes, qui in diverso Territorio commoran-
tur, *l. sit. de usuc. §. 1. l. cum longi, C. de præsc. 10. vel 20.
annorum*) At verò, sine titulo, triginta omnino requi-
runtur, *c. de quarta, de præsc.* & communiter. Hinc, si quis
sit præsens septem annis, v.g. & postea egrediatur Ter-
ritorium, alibi habitaturus, opus sunt alij sex anni, &
non solùm tres, ut contra illum præscribatur, quia an-
ni qui deerant in præsentia, duplicari in absentia debent;
Quare cùm in casu posito desint tres anni præsentiæ, re-
quirentur in absentia sex.

5. Dixi (aduersùs priuatos (si quidem, vt eaſdem res immobiles aduersùs Romanam Eccleſiam præſcribas, annos centum effluxiſſe neceſſe eſt *c. ſi diligenti, cap. cum vobis, cap. ad audientiam, de Præſcriptionibus.*

6. Idem aduersùs Ciuitates, idem aduersùs Principem, in bonis Coronæ, qualia ſunt Oppida, Regna & ſimilia, facit *l. ut inter Diuinam, de Præſcript. C. de Sacroſanctis Eccleſ.* iuncto Molin. *loco citato, d. 74. §. Quarta concluſio*: nam in cæteris bonis perindè ſe habet Princeps, atque priuatus quilibet, *ibidem.* Contra alias Eccleſias, Monaſteria, loca pia ſufficit quadraginta annorum intervallum *c. illud, cap. quia, de præſcr.* niſi ex Privilegio conceſſum ſit, annos eſſe ſexaginta computandos, *in comp. Privil. Soc. Ieſu, v. Præſcriptio & alibi.*

7. Denique adverte primò contra Pupillum quandiu eſt in ætate pupillari, nunquam aliquid ſive mobile, ſive immobile præſcribi; *l. ſicut in rem, C. de præſcript. 30. annorum*, cõtra minores verò, id eſt, non attingentes quin, tum annum expletum ſemper requiri annos triginta *l. vltima, C. in quibus cauſ. in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt.* Secundo, ob libertatis fauorem, nollo eam tempore præſcribi, *l. fin. cap. de longi temp. præſcription. quæ pro libertate.* Tertiò, contra vacantem Eccleſiam, cum legitimus tunc deſit defenſor, præſcriptionem non concurrere, unde illud viduatæ ſedis tempus, erit de præſcriptionis ſpatio ſubducendum, *cap. de quarta, de præſcriptione* & Gloſſa *ibidem.*

*Tempus pro legibus, &c.*

8. Aduersùs legem, vel legitimam conſuetudinem requiritur præſcriptio decem annorum, ita ut ſi, per decem annos, illæ per deſuetudinem non ſeruatæ fuerint, in poſterum non obligent. Lege Caſtro Pal. *tom. 1. tractat. 3. diſp. 3. par. 2. §. 2.* Ratio eſt, quia leges, cùm ſint perpetuæ, æquiparantur bonis ſtabilibus. Modò notes quatuor, ex de Lugo *tom. 1. de iuſt. d. 7. ſect. 6. num. 49.*

9. Primò, id intelligi tum de legibus Civilibus, tum Eccleſiaſticis, quia cùm lex ſit lata in bonum ſubditorum, & non in bonum perſonæ particularis Principis, vel Pontificis, ea ſe haber, ut bonum peculiare, ad quod præſcribendum ſatis eſt decennium.

10. Secundò, Nunquam neceſſarium eſſe decurſum annorum viginti, vt pro rebus temporalibus requiritur in abſentes, quia & lex, & ſubditi ſemper ſunt præſentes.

11. Tertiò, ſive prædictæ leges non fuerint obſervatæ bona fide, ſive mala, eas ſemper præſcribi per dictum tempus. Ita Caſtro Palaus, & Suarez, contra Leſſium apud de Lugo *ibidem, numero 96.* Ratio eſt, quia ſecùs vix unquam lex præſcriberetur: nam cum mala fide nunquam currit præſcriptio, & ex alia parte ſæpiſſimè leges mala fide non obſervantur. Accedit, quòd cùm lex præſcriptionis ſit lata propter bonum ſubditorum, meritò ipſo uſu communiter receptum eſt, ut præſcriptio quidem rerum temporalium non currat ex mala fide, quia ſic ſubditi priuarentur re ſua c. malitia alterius: præſcriptio autem legis currat etiam cum mala, quia ſi per longum tempus non fuit lex obſervata, præſumendus eſt benignus legiſlator nolle laqueos injicere ſubditis, & eos cogere ad illam obſervandam.

12. Quartò, Nos hîc non loqui de lege nunquam obſervata, hæc enim ipſo initio non obligat, quia nondum eſt acceptata, quam acceptationem eſſe neceſſariam ad quancunque legem Civilem docetur communiter, & probabiliter multi docent ad Eccleſiaſticam. Rurſus nec loqui de lege, quæ non obſervatur cum tacita, vel expreſſa voluntate Principis. Ut, cùm ipſe ſcit, & urgere obſervationem non curat; tunc enim lex non obligat ex Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. diſput. 1. p. 13. numero 10.* quia Princeps tacitè cenſetur eam revocare: id quod intra paucos annos fit, immò mox vel dies, quando ſcilicet prudenter præſumitur de tacitus conſenſus Regis, vel eorum, ad quos pertinet verbi gratiâ, Proregis, Supremorum Officialium loquitur igitur de vera præſcriptione, quæ eſt ſine ſenſu eius legiſlatoris, contra quem currit.

13. De præſcriptione, quoad Beneficia tria ſpatio poſſeſſa, quoad Iuſpatronatus, quoad ea debita, & pleraque alia huc pertinentia, vide Doctores, Couarru. *Reg. poſſeſſor. p. 2. §. 10. num. 9. d. 70.* de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 7. ſect. 6.* Dicaſtil *de juſt. tract. 1. d. 1. d. 12. à num. 240.* Et de Lugo *ibid. num. 97.* diſputat item de tempore, quo præſcribantur delictæ ad effectum, ut delinquens non poſſit ampliùs accuſari, ſive quoad actionem Civilem, damnum paſſus recuperet ſuum, ſive quoad pœnam tutam a lege, ad quam quis damnari debeat; quæ cum ſatis ſit innuiſſe. Atque hæc, quæ ſunt omnibus via, compendio dixiſſe ſufficiat.

## §. II. *Selecta de Præſcriptione.*

*An Iure præſcriptionis in foro Conſcientiæ quis gaudeat in Regno Siciliæ.*

1. Tytius Panormi pingue latifundium poſſedit decim annos cum titulo, & bona fide, nunc ne ulla hæſitatione, pro certo noſcit eiuſmodi prædium ad Caium concivem pertinere. Quæritur. *An Titius prædium reſtituere ex ſe debeat Caio, quandoquidem hoc neſcius prædium illud, neque in judicio nec extra judicium repetit.*

2. Si eiuſmodi Quæſtio verteretur in locis, ſeruatur jus commune, quoad præſcriptionem, nisi eſſet exploratum Titio nullam eſſe reſtituendi obligationem imponendam, quia ut modò §. 1. *num. 4.* diximus inter præſentes ad præſcribenda ſtabilia, ſufficit, etiam in conſcientia, poſſeſſio bonæ fidei decem annorum. Verùm, quia in Regno Siciliæ jus hoc præſcriptionis non admittitur in Regia Curia, quare ſi prædictus Titius in judicium vocaretur à Caio, cogeretur per judices ipſi reddere prædium, ideo moleſta eſt difficultas etiam in foro, interno cogendus ſit, in præſenti caſu Titius ex ſe Caio prædium reſtituere?

3. Volui cum doctiſſimis huius Vrbis Theologis, & jurisperitis hanc difficultatem communicare, & conſulti quidem aſſueti à judiciis præſcriptionem expellere, condemnabant Titium: Theologi verò ſubtilitare videntur, & tandem me nonnulli exoratum, ut Quæſtionem hanc, à nemine adhuc excuſſam, ego aggrederer; nam juriſperiti Regni noſtri, qui paſsim variis Deciſiones de Præſcriptione Typis evulgarunt, ſolùm loquuntur in foro judiciali, quod ad ipſos pertinet, & noſtrates Theologi, quibus id decernere incubuit, nondum ad eam quæſtionem decidendam, animum adiecerunt.

4. Duplex hac in re ſententia eſſe poteſt: Prima obligans Titium, & ſimiles ad reſtitutionem. Ratio potiſſima hæc eſſe poſſet: Ideo rem ſuam in conſcientia facit ſine onere reſtitutionis is, qui legitimè præſcribit, quia iuſta lex præſcriptionis ei tale jus tribuit, ut *ſupra §. 1. num. 1.* vidimus. At in hoc Regno lex præſcriptionis eſt legitimè abrogata, ergo, &c.

5. Minor; in qua vis eſt argumenti, probari poteſt. Primò, quia Martinus Rex, qui in Sicilia regnavit ex proœmio præfixo ad Conſtitutiones Martini, ab anno 1386. vſque ad annum 1410. abrogauit *c. 57. de præſcript.* legem Præſcriptionis. Quapropter ſicuti in jure communi legitima eſt, etiam in foro conſcientiæ præſcriptionis lex, quia eam legitimè Imperator tollendi in jure municipali huius Regni: ideo legitima ea neque quam erit, etiam in conſcientia, quia legitimè à ſuo Rege fuit abrogata.

6. Secundò, quia in Pragmaticis huius einſdem Regni,

gni, *Pragm.* 18. *titulo de offic. Iud. M.R.C. in nouiss.* dicitur, *ut iudices iudicent solùm facti veritate* Ex qua Pragmatica fit, ut ij non debeant respere nisi factum causæ; non ergo habere possint nem præscriptionis, quæ fundatur in jure: sicut go iudicibus ad præscriptionis legem respicere in judicando non licet, ita nequel collitigantibus; Relato enim eadem est ratio; si autem hi præscriptionis nem non respiciant, qua ratione illa frui in conscientia possint?

7. Tertiò, quia, etiamsi nulla per prædictas munisles leges inducta esset abrogatio juris præscriptionis consuetudo tamen tam diuturna, per quam multis abhinc annis in Sicilia à Tribunalibus jus præscriptionis expulsum est, ita ut ridendus ille esset, qui in iudicijs pro Cliente vellet beneficium præscriptionis opponere, consuetudo, inquam, tam diuturna, quæ omnium sententia, legis vim habet, satis, superque in hoc Regno Ius præscriptionis abrogavit; lege nem, quæ sit abrogata nemo, ut ex se patet, uti potest in conscientia. De hac consuetudine sic testatur Ioann. Franciscus del Castillo huius Regni jurisconsultissimus *tom. 2. decis. 94. numero 71.* citans Vtfill. *ad Affict. decision. 13.* & Paris. *cons. 101. vol. 1. Hodie* (scripsit autem 1622.) *præscriptiones non admittuntur in Regno, & præcipuè in Magna Curia quæ vti Mater veritatis, & æquitatis semper odit præscriptiones, & adversus eam perpetuas seu longissimi temporis.* Sic item Antonius de Amato ex Siculis jurisperitis nemini secundus, *lib. 43. num. 21. Quamvis per lapsum triginta annorum* (id quod legitimum tempus præscribendi de jure est, jus aliud petendi usuras remissum esse, omnes firment; tamen in Regno difficillimè locũ obtinere posse existimo, nos enim adhuc habemus præscriptionem, nisi longissimi temporis, aut centenariam, vel immemorabilem, cum existimetur præscripsisse iniquissimum præsidium, maximè in Magna Regia Curia, quæ sola facti veritate inspecta procedit, eaque matrem æquitatis appellamus. Hæc Amatus, qui scripsit anno 1627. Id quod signatè adverto, quia Castillo, qui aute longissimi temporis præscriptiones non admitti modò asseruit, cùm Amatus asserat has admitti.

8. Secunda sententia docet, Titium non obligari in conscientia ad restituendum prædictum prædium, sed posse uti in foro interno beneficio præscriptionis. Fundamentum potissimum esse debet quia in foro conscientiæ, saltem ante judicis sententiam, adhuc viget in hoc Regno lex justa de præscriptione à Iure communi inducta, id quod probatur, discurrendo per illa tria capita, quibus prima sententia concedit in Sicilia abrogatam penitus esse præscriptionis legem. Cùm enim aliud capite assignari nequeat: si ab aliquo ex illis abrogata non est, adhuc illa in hoc Regno saltem ante septentiam, ut nunc declarabimus, immota persistet.

9. Primò igitur à Martino Rege Siciliæ abrogata non est lex præscriptionis. Ecce verba Martini Regis *Const. 57. de præscrip.* ex idiomate Siculo in Latinum fideliter conversa.

Continua, &c. *Quoniam subditi nostri Siculi litibus, persæpe etiam quæstionibus antiquis vexantur à quibusnõnulli se tueri ideo nequeunt, quia ob bellorum turbines priuilegia, documenta, scripturas, ac testes amiserunt, & c. ideo præsenti Constitutione præcipimus, ut omnis præscriptio tempore triginta annorum finiat & c. ita ut omne Ius, & omnis actio cujuscunque causæ, ob quæ, triginta annis insa, nulla fuerit lis contestata, vel legitima protestatio exhibita edicto præsentis Constitutionis prorsus submoueatur: at nulla ex prædictis causis triginta annos vltra, in vllo iudicio audiatur. Aliæ tamen Præscriptiones decem annorum, & annorum viginti in suo robore juxta dispositionem juris communis firmæ remaneant.* Hæc Martinus Rex.

10. Ex his oppositum colligo ab eo, quod prima sententia supponebat: Primò enim in his postremis verbis *Aliæ tamen præscriptiones decem annorum, & c. remaneãt*) clarè apparet nihil in hoc innovari de jure communi. Secundò per illa verba (*triginta annis ultra*) adjuncto illo proœmio (*litibus vexantur, & c.*) nihil aliud velle Martinum Regem video, nisi prohibere Siculis, ne exposcant à Concivibus titulos de rebus ab ipsis possessis ante annos triginta; non ergo per hoc tollitur præscriptio, imò ampliatur, ut, si quando per jus commune in aliquibus rebus requirebatur possessio quadraginta annorum, vel amplius, jam per hanc Martini legem sufficiant triginta, id quod in beneficium subditorum præcepit Rex, ne tunc ij urgerentur ostendere titulos propter bellorum tumultus fortè deperditos. Dico (tunc) nam hodie vix locum habet hoc beneficium, cùm nemo jam nunc cogatur ostẽdere titulum suæ possessionis habitæ tempore illo eorum tumultuum, pro quo tempore disponere dumtaxat videtur Martinus. Tertiò, perpendantur, imò solùm legantur ea verba, quibus veluti concluditur mens huius legislatoris) *nulla ex prædictis causis, triginta annis ultra, in ullo judicio audiatur*) quid clarius?

11. Secundò, Pragmatica Regni beneficium præscriptionis nequaquam ademit *Pragm. 17. in nouiss. t. 1. de Offic. Iud. M.R.C.* Ecce eius verba ex Hispano in Latinum fideliter translata:

*Considerantes enasci solere in nostro Siciliæ Regno non modicas differentias ac lites ob quendam modum, qui de Ritu Magnæ Curiæ servatur procedendi summariè, vel ordinariè in aliquibus causis, quæ ob id in longum extendũtur, ac penè reddantur immortales cùm maximis expensis, & partium damno; ac volentes earum indemnitati consulere, tenore præsentium præcipimus, ut in posterum in omnibus causis, tam civilibus, quam criminalibus procedatur summarie, & de plano, sine strepitu, & figura judicij, sed solùm veritate facti inspecta, & c.* & paulò post: *Declarantes nequaquam per hanc præsentem dispositionem aliquid derogari debere dispositioni juris circa probationes necessarias, vel circa appellationes.*

12. Deus immortalis! & est, qui ex hac dispositione colligat præscriptionum legitima jura esse sublata; Primò, lex hæc solùm intendit expeditionem causarum, non ergo derogationem juris tam certi, quale est ius præscriptionis. Secundò, solùm intendit prolixas, eásque inutiles lites, atque expensas resecare. At, qui utitur jure præscriptionis à sanctis legibus tam prudenter institutus, nullo modo lites inutiles, ac superfluas expensas intrudit. Tertiò, ei, qui putat sibi iniustitiam fieri, datur jus appellandi; signum, quòd neque alia iura eidem adimantur. Quartò, hæc Pragmatica tota est in statuendo modum procedendi summariè, ut vel cæcis pateat. At ius præscriptionis non obstat summario procedendi modo, & statim sine strepitu, & de plano ejusmodi jus proponi, & excipi potest: cur ergo ab hac Pragmatica illud abrogari dicendum erit? Quintò, signatè legislator advertit ex eo, quòd causæ summariè agitandæ sint, non fieri, ut ea jura, & modi procedendi, quæ necessariò imbibuntur in causis, & necessaria sunt ad probationes firmandas, prætermittantur; Quare solùm aliæ juris solemnitates, & terminorum protensiones veluti extrinsecæ, & quæ necessariæ ad jus partium indagandum non sunt, jubentur prætermitti. Non ergo jus præscriptionis, quod maximè pernecessarium est ad iura partium cognoscenda. Sextò, Quãdo dicitur in Pragmatica, *facti solùm veritate inspecta* non removetur præscriptio; sed potius aduocatur, nam, me possedisse rem tot annos factum est, non Jus: esto, deinde sit necessariò connexum huic facto illud jus præscriptionis, quod ad tale factum consequitur. Quapropter inspectio sola facti non excludit inspectionem juris, quod est necessarium ad decidendum de tali facto, secùs, temerè & sine ratione deberet Judex decidere, quod asserere esset nimis ridiculum, sed solùm excludit solemnitates illas, terminos prolixos, & longos: eásque non necessarias discussio-

nes, ut dictum est, Nec omisit id advertere prudens legislator, ibi: *Nequaquam aliquid derogari debere circa probationes necessarias.*

13. Tertiò. Contraria consuetudo legem Præscriptionis in Sicilia saltem ante sententiam Judicis non abrogavit. In præsenti dicto aliquando diutiùs est nobis immorandum, quia argumentum ductum à prædicta consuetudine videtur magis apparens contra Siculas Præscriptiones.

Et quidem duæ sunt consuetudines in re hac nostra perdiligenter distribuendæ. Altera est, quam fortè potuisset introducere Populus Siciliæ, per quam noluisset servare leges Præscriptionis à Jure communi statutas. Altera est, quam introducere potuissent Judices, & Tribunalia, per quam noluissent judicare secundùm prædictas leges præscriptionis, & ad id moveri potuissent ex eo, quòd præsumerent in Siculis non rarò possessionem incepisse mala fide, quo pacto nulla Præscriptio est legitima, vt §. 1. dictum est, potuerunt ergo repellere exceptionem præscriptionis ob hanc præsumtionem malæ fidei, sed deinde processu temporis fuit absolutè, & simpliciter introductus stylus omnem præscriptionem etiam bonæ fidei, repellendi. His positis:

14. Dico primò Probabile est, immò mihi certum: nunquam Populos Siculos introduxisse consuetudinem contra Præscriptionis beneficium sibi concessum à jure communi, ita ut illo uti nunc non possint ante sententiam: quare ante hanc licitè illa vti poterunt perinde ac cæteri Jure communi fruentes, & consequenter Titium *num.* 1. allatũ non obligari ad illius prædij restitutionem.

Probatur primò. Ad Consuetudinem introducendam contra aliquam legem, quâ contraria consuetudine, lex abrogetur, duo inter cætera concurrere debent. Primò, ut actus abrogativi legis sint voluntarij iis, qui introducere debent dictam abrogantem consuetudinem. Secundò, vt sint ex intentione introducendi nouam consuetudinem obligantem; jam expendamus utramque pro nostra proposita probatione.

15. De priore sic habet Castro Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 3. parte 2. 9. 3. num.* 11. (lege etiam multos DD. à Dian. *parte. 6. tr. 5. resolut. præc. 9.*) *Ad stabiliendam consuetudinem requiruntur actus voluntarij his, qui consuetudinẽ introducere debent, quia ex eorum consensu libero debet introduci, aliàs vim legis habere non potest, & ita omnes cum communi Suarez, Salas Bon.* Hæc Castro Pal. Addit Sanchez, lib. 7. de legib. 12. fin. & cap. 18. num. 8. *Si per vim, aut metum gravem obligetur Populus actionem aliquam præstare, & in eo longo tempore persistere, nunquam censendus est præstare consensum sufficientem consuetudini introducendæ, quia præsumi non potest velle stabilire jus actibus, ita sibi repugnantibus: Idem dic, si illi actus sint ex ignorantia, vel errore circa substantiam consuetudinis, nihil magis voluntati contrarium, quàm ignorantia, & error.* Hactenus ex Suario alios referente.

16. Jam subsumo, Siculi Populi, qui introducere debuerant consuetudinem contra beneficium Præscriptionis, nunquam exhibuere ante sententiam, de qua loquitur, actus contrarios eiusmodi beneficio; ergo, &c. Antecedens mihi fit admodum probabile, quia nunquam audivimus aliquem Siculum ante sententiam restituisse rem à se per legitimam præscriptionem juris communis traditam, sed semper post sententiam: quod autem Judices per longam consuetudinem judicare soleant contra præscriptionem, nihil obstat communitati; Judices enim concedere leges sine communitatis consensu non possunt. Audi Castro Pal. *ibidem, num* 7. (vide etiam Fagundez *tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap.* 10. *num* 9. loquentem de Stylo Curiæ Romanæ.) *Ex his constat Decisiones Rotæ, & Declarationes Cardinalium, & Sententias Cancellariæ, & Regij Senatus non esse necessariò habendas pro lege, quia non procedunt à Judicibus habentibus authoritatem legis constituendæ, & ita tradit Suar. Sanchez, Salas.*

17. Verùm, age, demus Siculos non fuisse obneficio præscriptionis. Certè vel propter metum cum, vel propter ignorantiam, qua putabant non posse, id evenisse præsumendum est; & conster non affuisse sufficientem consensum ad consuetnem firmandam. Quid enim facerent, dum videbant explodi è Tribunalibus illos, qui Jus præscriptionis ponerent; Fateor potuisse post sententiam voluntem acquiescere, ut mox explicabo clariùs. Sed ante sententiam, ut hîc loquimur, probabilissimum est nunquam acquievisse, quia nunquam, nisi invitus, juri sibi quisito renuntiare quis præsumitur.

18. De posteriore conditione sic habet idem C. *ibid. n.* 12.) lege item mult. apud Dian. *p. 6. tr. 5. res. Actus, quibus introducitur consuetudo, debẽt esse ex intentione introducendi consuetudinem, nam absque hac intentione authoritatem, & efficaciam habere consuetudo non potest,* & paulò post: *Consuetudo, quæ legem abrogare vel nouam statuere, necessariò procedere debet ex intentione statuendi norum, quæ aliâ viâ statui non possit, nisi procedat ex intentione se obligandi ad illius observationem, quia juxta intentionem populi talis est consuetudo: in his ferè omnes Doctores conueniunt, vt videre est in Salas, Bon. Vasq. Sa, Azor. & aliis.* Hæc Castro Pal.

19. Jam subsume: Nunquam probari potest communitatem huius Regni habuisse intentionem abrogandi legem præscriptionis, imò contrarium probatur potest, tum quia nemo unquam scitur res modo dictus præscripta restituisse ante sententiam, tum quia voluisse tantum beneficium præscriptionis à se remoue nisi luce clarius ostendatur, præsumi nullo modo vt modò dictum est, debet.

26. Nec desunt aliæ conjecturæ; Quæri enim solet *qua ratione dignosci queat, consuetudinem indullam ex intentione inducendi obligationem?* & respondet Suar. *lib. 5. de legibus, cap. 16. n. 13. fin.* id dignosci posse ex quatuor conjecturis.

Prima conjectura: *Si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & tamen communiter servetur à populo, quia solet populus in his actibus uniformiter convenire, nisi sentiat in conscientia obligatum.* Hæc Suar. At in nostro semper se Populus difformiter habuit, qui semper quantum potuit, restitit Judicibus, opponens suam præscriptionem, licèt deinde repelleretur, sin aliquando fuit admissus, ut ex testimonio, quod ponam *infrà, num.* 23. patebit.

Confirmatur ex Sylvestro *verb. Inventum, num.* 11. de Thesauro sic loquitur: *Secundùm Petrum de Palude hodie vbicumque inueniatur Thesaurus, de consuetudine Principis, sed ego dico hanc consuetudinem in conscientia non ligare, quia non est introducta per modum legis violentiæ, nec fuit unquam moribus utentium approbata, nisi violenter, est etiam contra jura Canonica, quæ vult bona incerta si restituenda sunt, esse pauperum, & si non sunt restituenda, id esse contra Jura Civilia, ut patet* Inst. de rer. divis. §. Thesauros, *ubi dicitur, quod Divus Adrianus naturalem æquitatem secutus, &c. contra quam æquitatem consuetudo non potest.* Hæc Sylvester, quæ facilitate quisque ad rem nostram applicabit.

Secunda conjectura: *Si Viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, vel communiter Populus scandalizetur.*

Hæc ex Suar. At quis unquam malè sensit, vel scandalum passus ex eo, quòd quis in Sicilia ante sententiam præscriptionis beneficium consequi voluerit? quod adeò verùm est, ut antequam aliqui doctiores scrupulum hunc dimittendi ante sententiam rem præscriptionem possessam, injecerint, ne in mentem quidem venerit alicui debere ante sententiam dimitti, quod ex eo colligi potest, quia nemo ex nostris scribentibus, sive Theologicis, sive Jurisperitis huius scrupuli, vel obligationis meminerint, solùm Jurisperiti Stylum externum Magnæ Regiæ Curiæ hac in re inculcarunt, & nil præterea.

Tertia

Tertia conjectura. *Si Prælati, & Superiores puniant contrà consuetudinem.* Ita Suarez; at quis unquam punitus ex eo, quòd fuerit usus præscriptione? Quarta conjectura: *Si Materia consuetudinis, & illa obligatio multum conferat Reipublicæ.* Hactenus Suarez, l. c. cap. 15. n. 13. Bonacinam, *disp. 1. de leg. q. 1....* At abrogatio præscriptionis non solùm non confert Siculis, sed officit: licèt enim conferat: ne quis possit opponere se possedisse bona fide, cùm possederit mala, §. 8. n. 21. in dubio semper præsumendum esse consuetudinem non ex obligatione introductam; tum quia quæ sunt facti, & non juris non præsumuntur, & non præsumitur, nisi probetur, tum quia nemo præsumitur sibi velle onus, & obligationem imponere, nisi manifestè constet? Quamvis ergo demus nos versari in dubio, semper habebimus, non adesse contra Siculos eiusmodi obligantem consuetudinem, &c.

22. Dixi iam secundò, non esse improbabile, fuisse introductam illam secundam consuetudinem *numer. 13.* explicatam, per quam scilicet in Sicilia post sententiam definitivam, non habeatur ampliùs recursus ad præscriptionem, & consequenter non peccare judices sic judicando, nec rem, quam per ejusmodi sententiam quis sibi vendicat, esse restituendam. Ratio est, quia non facilè damnandus est mos tam antiquus in Magna Regia Curia observatus à tot sapientibus viris & timoratis judicibus; unde quia Iudices, & Advocati, ut modò diximus, non possunt leges, nec consuetudines legi firmes contra communitatem facere, ideo judicavi probabiliter potest, ad hanc secundam consuetudinem consensisse populos Siculos: id quod confirmat præcedentem conclusionem; nam nunquam illam Princeps coëgit ante sententiam Populos Siculos ad diminenda legitimè præscripta, quare id nunquam ne implicitè quidem approbasse censendus est.

23. Quoniam verò fateor probabilitatem de hac secunda consuetudine esse valde tenuem, cùm mihi perlegendam stylum Tribunalium Magnæ Regiæ Curiæ fundari in præsumptione, quâ supponunt possidentem mala fide possessionem incepisse; ideo rogarem Iudices nostrates sapientissimos æquè, ac religiosissimos, ut ubi malam fidem inveniant, beneficium præscriptionis ne denegent litiganti. Et sicuti multis abhinc annis neque immemorabilis temporis, neque centenaria præscriptio in Siculis Tribunalibus admittebatur; & nihilominus deinde, ut colligitur ex dictis ab Amato allatis *num. 7.* re meliùs expensa in iisdem cœpit admitti: ita in posterum admittantur & aliæ, ut consequenter tota lex præscriptionis per Ius commune sanctè introducta à postliminio ad patriam tandem aliquando reverratur: Atque huic meo desiderio etiam nostros Iuspericos, & Regis Officiales video permaxin è favere, ut enim habet D. Marius Cutelli Iurisconsultus admodum celebris, muneribus magnæ hujus Regiæ Curiæ, ac libris editis toto Orbe clarus, *tom. 2. de donat. tract. 2. fund. 1. special. 39. num. 1. Præscriptionis materiam* (inquit) *non tantùm eliminatam, verùm abolitam primis mei Patricinij annis inueni, omnésque more vulgi solitos adducere lutrigiolum decis. 28. num. 19. affirmantè nullam de præscriptione rationem haberi in Tribunali Magnæ Regiæ Curiæ,* & paulò post: *Omnibus ergo viribus suscepi prouinciam Aduocati, Iudicisque munere dum fungerer, ne indistinctè omnes, sed illæ tantùm, quæ iure reprobarentur præscriptiones, rejici deberent, legitimis admissis. Et primo obtinui in immemorabilibus aduersùs census imposititios, idest, Bullares: postmodum ipsum tentaui, & obtinui in iurisdictionalibus, & non minori demum gaudio etiam in corporibus, & legitimis, vidi improbos judices admitti: præcipuè contrà D. Henricum Turturetti, cùmque negotiũ facesseret Capitulum, vel lex sub Martino Rege condita, quæ est 58. illam non obstare pluribus probaui, puto etiam non infeliciter, ut totis viribus præscriptioni in extremis laboranti opem ferret, juxta quæ sæpiùs ego decidi.*

24. Hæc D. Marius, cùm per P. Franciscum Bardi nostræ Societatis vtriusque Theologiæ peritissimum, ac eidem D. Mario perfamiliarem, hanc à me scriptam quæstionem misissem, simúlque petiissem, ubi ipse probauerit, ostenderet, remisit peramanter ad me sequentem responsionem, quam hîc honoris causâ interserendam duxi.

*Admodum Reuerende Domine, & meritò Magister.*

25. Vidi disceptationem de præscriptione suo iure disertissimam, eo publico huius Regni bono excogitatam, ne conscientiæ vacillent, & bona omnia quasi errantia sidera, aliquando subsistant; Quætis à me non tantùm quid sentiam, & probem; nam in scripta, quæ tuâ gratiâ laudas, incidisti: verùm etiam quo jure, quáve ratione illa scripserim, & quò sententiam ablegarim. Rogo, parcas; nam infirmus ex tempore respondeo.

26. Non est contendendum hoc in Regno, ubi Constitutio Principis nominata deficiat, jus commune Romanum esse servandum sub moderatione à Iure Canonico in rebus pertinentibus ad conscientiam allata, putà super Matrimoniis, Beneficiis Ecclesiasticis, vsuris, & fœnerandi, &c. Nam licet subdamur imperio, primò tamen legi Ecclesiasticæ parendum; hinc fit, ut præscriptio, quæ juris Ciuilis munimen dumtaxat habeat, à nobis conscientiæ religione repulsa sit, *ex cap. vigilanti, & cap. fin. de præscript.* quorum prior Constitutio fuit Alexandri III. posterior Innocentij III. In priori, quadragenalis ab Ephesina Synodo statuta: si mala fides adsit, expellitur: In posteriori, contra primum præscribentem statuitur, ne possit in aliqua temporis parte præscribere alienam, si rem esse cognoscat, Non hîc de centenaria, non de immemorabili sermo: nam prior, cùm secundæ cedat, reseruatur topicè *in cap. ad audientiam 13. eodem titulo,* & de immemorabili sunt plures Canones, & plura, quæ obtuli in *Controv. general. de Immunitate, lib. 2. quæst. 4. per totam, & num. 19.* ibique aliam eandem rem addidi tuâ censurâ digna.

27. Succedit inter hæc lex provincialis prioris Martini Regis, quæ apertissimè præscriptionem triginta annorum pro finali præjudicio inducit, quam ita recepere Patres nostri, ut solùm contra præsentem, & desidem, vim haberet; non in absentes à Regno, ut refert acceptum Carretius nostras in causa Cimminæ, quam luci reddidi *in 2. decis. lib. decis. 20. fol. 171. num. 39.* Ideo autem Martinus posuit turbinum causam, & titulos deperditos, ut ex hac occasione bonam fidem inducerer, ut Canonicæ legi non obsistere videretur, & sua Constitutio valeret. Neminem verò ex Senioribus, cùm aliquos legerim, vidi firmantem huic legi per consuetudinem fuisse derogatum; quinimo in dicta causa Cimminæ, Vicari, Verbum cauli, & aliis firmavi legem admittendam esse, licèt hucusque decisæ non fuerint.

28. Quod verò audeant pauci huius sæculi Authores ex suo arbitrio non solùm illam nostram explode-

re, verùm, & immemorabilem divino etiam firmatam eloquio *jud. cap.*11. & sanctorum Patrum unanimi cõsensu,cùm nec sententias, nec præjudicia proferant, ipsi videant,Perlege,si placet,tradita *dicta q.*4 *& segq.*Intelliges,quia in tam longinquo tempore præsumitur titulus, & bona fides;nam mala fides nunquam præscribit.

29. Non ignoro, Causidicos repulsam aliquando meritò tulisse, qui nudam præscriptionem veris titulis objecerunt, quasi temporis beneficium id juris tribuat, ut Actor expellatur; Martinus verò Rex, contrà, tempori amissionem Scripturarum, titulorum, & eorum, in quibus exceptio possidentis fundatur, adjungit, & hoc pacto exceptio fundãda in legitimo titulo deperdito,& amisso ex illo tempore in diem continuatæ possessionis pacificæ per 30. annos; sicut in immemorabili allegatus titulus penes nos sub nulla lege exhibẽdi manens;& ita satisfit præmissis citatis à Domino Doctore scribente,& Intrigliolo, ut diximus *decis.* 90.91. *usque ad fin. t.*1. & *decis.*8. *num.*35. *tom.*2. Verum *tom.*1. *decis.* 8. *n.* 37. *in fine*; ubi notavi quod Castillus in senectute ann. 1630. decidit pro præscriptione.

30. Quia accepta distinctione,decisum est sæpius cõtra proprietarios repetẽtes res censui reservativo subjectas,aç per immemorabile tempus possessas, non apparente etiam Paulina,vel illa vitiosa,non exhibita tamen per possessorem, ut pro Cardinali de Torres contra Archiepiscopum Panormitanum; pro Principe Cuto contra Archidiaconum Montis Regalis; pro Mastrillo, & Algaria contra Cantorem Regij Palatij.

31. Verius est ergo assumptum, ne in Sicilia rejectam præscriptionem dicamus: nam illa ratio Pragmaticæ summariè,& de plano,in promptu, ac bene rejicitur inscriptio Paternitatis vestræ: modum enim procedẽti respicit,& ideo præscriptionem generatim in exceptionibus oppositam rejicit,quando in vim dilatoriæ opponitur cum dilatoriis similibus:sed quando, ut aiunt Causidici,ad negotij totius peremptionem adducitur, & formatur inde obstaculum, quod articulum dicunt, tunc Pragmatica ad aliam ita oppositam non portigitur.

32. Non mirum,lege præcipiente, & bonam fidem, ac justam, indubitatámque conscientiam, atque undique quietam, & tutam inducente, possidens nec restituere sponte, nec impetitus teneatur: nam nullam habere potest alieni conscientiam, si lex principis justa,& sancta rem facit illius, quæ, & dominia, & possessiones mutare potest.

*D. Marius Cutell.*

# TRACTATVS II.

## *De Furto.*

## CAPVT I.

### *Quid sit Furtum.*

1. FUrtum Theologicum, est ex DD. *mox citandis* acceptio,seu contrectatio rei alienæ externæ sine vi, invito notabiliter Domino.

Dixi primò, (*acceptio rei alienæ*) qui enim rem suam ab alio injustè detentam accipit, non furatur: Qui item damnum facit alicui, nihil ab ipso sibi applicando, ut si ejus comburat segetes, quamuis contrahat obligationem restituendi, tamen non dicitur propriè furari,sed damnificare.Ita de Lugo *t.*1.*de just.d.*16.*sect.*1. *num.*5.In hac eadem particula comprehenditur retentio injusta ex Mol.*tom.*3.*d.*681.*à num.*16.quando enim supervenit mala fides post rem à te bona fide, ut tuam possessam, incipis rem injustè possidere, quæ possessio est continuata quædam ablatio, seu acceptio; nam propterea in definitione additum est illud (*vel Contrectatio*) hæc enim vox apertiùs significat ejusmodi injustam intentionem.Denique eadem particula (*rei alienæ*) includit usum injustum rei.Ita Bonac. *de rest. in partic.d.*2. *p.*3. *num.*1.Oppigneraſti Petro,v.g. vas argenteum, locasti domum, nisi potes illa, invito Petro usurpare, quia quoad usum, res aliena est,non tua.

2. Dixi secundò, (*Rei externæ*) Si quis enim furetur possessionem à te scientiam, vel furaretur artificium secretum de aliqua arte, vel medicamento, propriè furtum non committeret, quamvis si damnum sic tibi injustè inferret, damnificationem faceret cum obligatione restitutionis illati damni. Hinc etiam fit, vt si quis furripiat hominem liberum, hoc est, sibi illum pro servo applicaret non si diceretur illum propriè furari. Ita de Lugo *ibid. num.* 18.quia ejusmodi injustitia est contra bona corporis non contra bona externa. Non ita si furripiat mancipium ab ejus Domino; mancipia enim computantur inter Dominorum externa bona. Furari filium a Patre aliqui putant esse verum furtum,quia Pater jus paternum habet in filiis:ita Val.Turr.apud eundem:at probabilius puto cum Mol. *l.c.n.*14.Less.*cap.*12.*d.*2.*n.*5. damnificationem,quia ex una parte filius non computatur inter externa Patris bona,&ex alia cum propter eum caruerim privetur Pater servitiis, & commoditate, in similibus,damnum patitur absque dubitatione Patr.

3. Dixi tertiò, (*sine vi*) hac enim posita, constituitur alia species peccati,nempe rapina,quæ ultra furtum addit violentiam in personam Domini. Sic Mol.*d.* 683. Quòd si,sciente, vel vidente Domino aliquis ab illo sinè vi surripias,furtum committes,non rapinam, ut solet evenire,quãdo Dominus servo furtum permittit, ut illum in furto cõprehendat, puniátque.An id sit furtum,dixi *suprà,l.*5.§.4.*à num.*2. Vis autem hæc non tùm infertur manibus, sed etiam verbis,putà minis,incussione metus;unde Grassator in via incutiens mortem mortis,ni ei dones pecuniam, rapinam sine dubio committit:& Molina *ibid.num.*4. etiam addit malitiam rapinæ inueniri, quando subditi tributa iniqua solunt vel Principibus sua donãt,si coacti metu injusto solvendi ẽntque. Injusto, inquam; nam cùm vis rapinam constituens debeat afferre injuriam, injustus debet esse metus.

4. Dixi quartò, (*invito Domino*) nam non est furtum ex Bonac. *de rest.in part. d.*2. *quæst.*8. *part.* *num.*1. si probabilem rationem habes putandi Dominum consentire; Hoc modo frequentissimè excusantur peccato Amici, Filij, Conjuges,Servi aliquid non valde grave,spectatis cujuscunque facultatibus,aliisque circumstantiis,invicem accipientes.Dico(*probabilem rationem* nam si vel dubius sis, vel nescias,An Dominus sit invitus, invitum præsumere eum debes, cùm ex frequenter contingentibus sciamus, neminem sua velle dispergere. Ita Sà, Sylvest. Vasq. aliique apud Mol. *d* 686.*num.*12 *fin.*& apud Sanch.*in Dec.l.*7.*cap.*19.*n.*3. *fine.*

5. Dixi quintò, (*rationabiliter invito*) nam furtum non committit is, qui rem alienam aufert, ex Bonac. *ibid.* aliisque passim, ad suam justam compensationem, nec qui existit in extrema,& per aliquos etiam, in gravi necessitate: sic Nau.Less. Fill. quos refert, Bonac non sequatur Bonac.*ibid.q.*9.*p.*3.*num.*5.nec qui gladium verbi gratia,vel librum hæreticum à Domino auferre is hominem occidat, néve hæreses legat,sic Bonac.*ibid. d.*2.*q.*8.*p.*1.*num.*1.quia tunc irrationabiliter invitus est Dominus.Idem puto cum Bona. *ibid.* si uxor, vel filius auferant pecuniam,vel quid simile à Patre,ne scorta ludátque, &c.

6. Petes: *Cur furtum hactenus explicatum vocavimus* num. 1. *Theologicum*, Respondeo, quia hoc, in foro conscientiæ, Theologi pro vero furto habent:nam Iurisconsulti multa,quæ in conscientia vera sunt furta,ajunt habere pro furtis, & aliquando mitiori pœna

mum. Vide Doctores apud de Lugo, *tom. 1. de just. d. sect. 5. n. 3.*

7. Quæ illud hic notum sit, intelligi de furto Theologico, non de Civili, quoties fulminatur excommunicatio, vel reservatio contra furtum. Hinc omnes ij, qui furantur res immobiles, licèt fures apud jurisperitos non appellentur, volentes furtum semper esse de re mobili. Hinc ij, qui expilant hæreditatem defuncti, antequam hæres hæreditatem adeat. Hinc qui, cùm sit Conjugis hæres hæreditatem adeat. Hinc qui, cùm sit Conjugis, sive demortui, sive viventis, auferet bona sui Conjugis, sive demortui, sive viventis. Hinc, qui Tutores usurpant pupilli bona, omnes, inquam, hi, cum à Theologis reputentur pro veris furibus (licèt non ita reputentur à jurisperitis, *l. 2. & tot. tit. ff. de bon. expil. hared. l. aduersus, C. de crim. expil. hær. & ff. & C. expil. hared. l. 1. & 2 ff. de Tutela, & ratio. Cæt. rerum amotarum, l. 1. & 2 ff. de Tutela, & ratiobus distrahendis,*) in ex communicationem incidunt, & reservationem, si hæ contra furantes fortè sint impositæ. Ita de Lugo *t. 1. de just. d. 16. sect. 1. n. 4.* Non ita, qui damnificat, vel qui personam liberam, vel qui filium surripit, vel qui censum non solvit, &c. hi enim, etiam in foro conscientiæ, & apud Theologos, non sunt, vt modò vidimus, veri fures, quamuis contra justitiam peccent, &c.

8. Solùm de retentione injusta dubitari posset, de qua diligenter sic erit distinguendum: Si accepisti rem alienam bona fide, & deinde supervenit cognitio rem illam alienam esse, & tu tamen adhuc illam retines, nec dum illam consumpsisti, sicuti peccas, ut *supra* dixi, vero peccato furti, sic in excommunicationem, vel reservationem fulminatas contra furantes incides. At si res jam consumpta est, nec inveniris habere nisi ejus valorem, vel partem eius, in quibus ditior factus es, & tamen non restituis, cùm certè deberes, peccas quidem; At non propriè peccato furti, sed damnificatione, atque adeò non incurris dictas pœnas: Ratio est, quia quando accepisti, non fur fuisti, propter bonam fidem: nunc verò nec fur es, quia valor ille rei alienæ consumptæ, vel id, in quo locupletior factus es, tua sunt, & solum debes dominum ex illa consumptione rei suæ damnificatum servare indemnem, juxta valorem, qui in te invenitur.

## CAPVT IX.

### *De quantitate furti sufficientis ad mortale inter extraneos.*

1. Semper mihi insedit animo sententia docens, ejusmodi quantitatem desumendam esse respectivè ad personam Domini rei acceptæ. Ratio est, quia furti malitia fundatur in duobus, nempe in detrimento, quod proximo sit, & in ejusdem proximi rationabili involuntatio. At, quòd nocumentum sit notabile, quodque Dominus sit rationabiliter invitus; dependet essentialiter, ut ita loquar, ab ipsa conditione personæ, à qua res auferetur, vt ex se patet? nam propterea mox, ex communi sententia, dicemus, majorem requiri quantitatem ad mortale, quando furtum committitur per modica, perque interpolatas vices, quàm quando simul, quia nimirum minus est nocumentum, minúsque est invitus Dominus ibi, quàm hîc. Non potest ergo decreti quantitas sufficiens ad constituendum peccatum mortale furti, nisi ejusmodi conditio personæ diligenter inspiciatur.

2. Hoc posito, tres personarum conditiones statuo; pauperes, divites, & medios inter hos, quas personas communes vocamus: Si à pauperе auferas unum, vel duos Regales, seu Iulios (unum Regale continet Tarenum unum, & circiter grana quinque monetæ Siculæ) peccabis mortaliter; Si à valdè diuite furetis unum circiter aureum, seu scutum (quod tarenos duodecim continet nostræ monetæ Siculæ) peccabis item mortaliter; solùm fateor, propter rationem dictam *n. 7. præcedenti*, à ditissimo Principe nisi duos, vel tres aureos furetis, fortasse te non peccaturum mortaliter. Si denique clam accipias à communi persona quatuor, vel quinque Regales, seu Iulios, seu tarenos quinque, vel sex Siculæ monetæ, mortaliter peccabis. Quòd si à prædictis minus furetis, quàm quod dictum est, solùm peccabis venialiter. Neque te offendat illud (vel) quod semper apposuimus: nam cùm tota hæc furti malitia, ut dictum est, dependeat à qualitate personæ, semper illam præ oculis habere debes, vt prudenti moralique judicio, quod varium esse solet, decernas, quale peccatum committatur. Ratio ergo nostræ doctrinæ est, quia, qui illa furatus à prædictis, notabile nocumentum iisdem immediatè infert, unde ipsi rationabiliter sint inviti, secùs non item. Hanc doctrinam sequuntur Petr. Arrag. *1. 2. q. 66. art. 2.* Petr. Nau. *l. 1. de rest. cap. 1. n. 39.* Ioan. Med. *C. de restit. q. 10.* fauétque Sotus. *l. 1. de just. q. 3. art. 3.* apud Bartholomæum à S. Fausto mox citan. vide etiam Bonac. *de restit in partic. d. 2. quæst. 8. prær. 1. num. 7.* lege Lessium, *lib. 2. cap. 12. num. 29.* qui probare contendit, unum aureum, etiam in Rege ditissimo, afferre ex se grave nocumentum.

3. Dixi (*immediatè*) nam si aliud damnum ex tali acceptione consequitur illi, à quo rem surripuisti, ut si abstulisti acum ab eo, qui ob eius carentiam, blasphemavit, vel ab eo, cui cessavit grave lucrum, vel grave damnum emersit, peccasses quidem mortaliter: at non ob ipsum immediatum furtum acus, sed sivè ob scandalum, quia nulla excusante necessitate fuisti causa blasphemiæ, si illam prævidisti; sive ob consequens graue damnum, quod certè non est propriè furtum, sed, ut *supra* vidimus, damnificatio. Hinc, si fuisset imposita excommunicatio, vel reservatio contra furtum, illas non incurrisses, quia propriè furtum grave, dum solùm acum furatus es, non commisisti.

4. Aliqui, ut Navarrus quantitatem sufficientem ad mortale putant esse dimidium Regale, seu Iulium: Alij, ut Toletus, unum Iulium: Alij, ut idem Tolet. duos: Alij, ut Valentia, tres: Alij quatuor, ut idem Val. Alij à communibus personis quinque, ut Joan. Med. Alij à Rege ditissimo centum aureos, vt Bannes: Alij tantum pecuniæ valorem, quanta in unoquoque loco solet conduci opera fossoris unius dici, sic Molina: Alij quantum est valor unius gallinæ, ut Cordub. Hi omnes citantur à Barth. à sancto Fausto, *in Thes. Reg. lib. 8. quæst. 193.* & *in pec. Conf. d. 44. quæst. 51.* De parvitate hujus materiæ lege ité Dicastill. *lib. 2. de just. tract. 2. d. 6. dub. 2.* Sed certè tanta varietas sententiarum nonnisi in nostra doctrina fundari potuit, quia scilicet, si Doctores censuerunt (probabiliter, nécne, ipsi viderint) eam quantitatem afferre nocumentum grave, & involuntarium Domini, illâ minorem non afferre.

## CAPVT III.

### *De furtis modicis successivè continuatis.*

1. Triplici modo; quantum ad nos pertinet, modica furta usurpare contingit. Primò, Modica, per interruptas vices, ab vno, eodémque surripiendo, verum, ita ut per priora furta non perveniatur ad damnum notabile proximi; perveniatur, per posteriora. Secundò, modica furando à multis, modò his, modò illis, non pervenientia ad damnum grave ipsorum, verùm ita, ut hæc modica unita faciant notabilem quantitatem, & notabile lucrum afferant furi. Tertiò: si multi modicum quidem ab vno, eodémque auferant, singuli, sed cum notabili hujus damno: cùm interim ipsi singuli modicum quid dumtaxat acceperint.

### §. I. *Furans modica ab eodem.*

1. CErtum est eum, qui minutatim, repetitis vicibus, aliqua furatur, animo perveniendi ad summam notabilem, peccare mortaliter, etiam primâ vice, Ita Doctores *mox* citat. & *passim*. Ratio est, quia jam intentio refertur ad faciendum grave damum proximo. Obligatio autem restitutionis donec cum affectu ad notabile damnum perueniatur, erit sub leui culpa, sicut leve est damnum re ipsa illatum. Hinc emptores mobilium, Hinc venditores vini, vel panis, Hinc Caupones, Hinc quicunque per modica fraudant rerum mensuras, non possunt à mortali excusari, si parua furentur, animo continuandi.

2. Certum est secundò, qui pari modo exigua ab aliquo surripit: quamvis animo non perveniendi ad summam gravem, si, tamen, repetendo furtula, ad quantitatem notabilem de facto advertens, perveniat, peccare mortaliter, cum æquali obligatione restituēdi. Ita iidem. Ratio est, quia de facto tunc graue damnum infert proximo. Dixi (aduertens) nam si non aduertat ad præcedentia, quia scilicet præcedentium inculpabiliter non meminit, vel eadem non considerat, non imputatur ipsi ad peccatum mortale ultima prædicta exigua acceptio. Ratio est, quia ratione inadvertentiæ non unitur moraliter hæc cum præcedentibus, cū damnum notabile proxim. tunc nō sit huic voluntarium, atque adeò nec mortale. Quòd autem id sit (quando aduertet) restituendum, & per se pater, & *dicetur mox n. 7. & 8.*

3. Certum est tertiò, ejusmodi minutula furta, ut mortalem constituant culpam, debere fieri tempore continuato, & non magnis interpositis intervallis. Ita iidem. Ratio est, quia, si magnum intercedit tempus inter unum, & aliud furtulum, ea omnia furtula nequeunt conflare unum notabile damnum proximo; vnde nec proximus graviter invitus in his fuisse censebitur. Quòd autem temporis spatium reputetur hac in re magnum, cùm sint hominum ingenia diversa, variè à variis assignantur. Si inter furtulum unum, & aliud intercedant quatuor anni, intervallum magnum reputatur à Rebellio. *p. 1. l. 3. q 15. sect. 4. n. 37. versic. Dictum est.* Si vnus annus, à Sanchez *l. 7. in Dec. 21. num.* 10. Si sex menses, ab aliis; Si vnus mensis, ab aliis cum Fill. *t. 2. tract. 31. c. 10. n. 10.* Si quindecim dies, ab aliis apud eundē *ibid.* sed melior est regula prudentiæ, quam mox innuam *num. 6.*

4. Certum est quartò, Majorem quantitatem rei ablatæ requiri, ut acceptiunculæ sic repetitæ sint mortales, quàm si sint simul; sic iidem. Ratio est, quia quando simul, meritò Dominus est magis invitus, majúsque detrimentum sentit, quàm quando per partes.

5. Inquires, *quantò major quantitas requiritur ad mortale*; Respondeo, dimidio maiorem docere possent nonnulli, sed profectò tum in hoc casu, tum in præcedenti de temporis interposito intervallo, meliùs id à prudenti decernatur, spectato nimirum damno proximi, eiúsque involuntario, &c.

6. Remanet ergo sola Quæstio: *An qui repetitis vicibus modica sumpsit, peccet mortaliter in ea ultima acceptatione, quam advertit complere notabilem rei ablatæ quantitatem, an solùm in retentione.*

7. Præmitto, hujus resolutionem vix utilem esse pro praxi: omnes enim fatemur tunc peccari mortaliter cum obligatione restitutionis, saltem ratione retentionis; quia tunc retinet fur quantitatem rei alienæ conflatam ex hac & ex præcedentibus, quæ quantitas jam nunc esse incipit notabilis, idque etiam postquam latrunculus ea furtula præcedentia ritè fortasse cum cæteris peccatis fuit confessus, quia abhuc quantitatem notabilem alienæ rei apud se retinet.

8. Dissensio igitur Authorum solùm in eo vertitur, An ea ultima acceptiuncula faciat ita moraliter unum cum acceptiunculis præcedentibus, ut non solùm data retentio, sed etiam ipsa acceptio sit peccatum mortale.

Respondeo: probabilius mihi videri, etiam accessionem esse mortalem. Ita Sot. *l. 5. de Iust. q. 3. art. 1. Mol. d. 688.* Vasq. Rebell. Val. Arag. apud Bart. à S. Fausto *Thes. Rel. q. 189.* aliique contra Nau. *in man. c. 17. num.* Vega *l. 14. in Trid c. 11. fine.* Ratio est, tum quia illa summa acceptio, licèt, si sola fuisset, exiguum attulisset incumentum, at ut unita cum præcedentibus affert modicum: tum quia, si tunc per omnes, est moralis ipsum retinere, ergo & ipsum accipere, ut retineat; hæc duo moraliter idem sunt: tum denique, quia idem retentio est mortalis, quia unitur cum præcedentibus, ergo quia acceptio pari prorsus modo unitur cum precedentibus, erit mortalis.

9. Dices cum Sectatoribus prioris sententiæ: Ab ex multis venialibus conflaretur unum mortale, esset contra communem sententiam. Respondeo casu nostro illa ultima acceptio, ut nunc fit, cum relatione, ut supponimus, ad cætera præcedentia semper est mortalis: quare nihil nobis obstat sententia communius. Vide quæ dixi *lib. 1. in Decal. cap. 2. num. 13.* Acceptiunculæ autem illæ præcedentes per se in se sunt, & remanent veniales, solùm exiguæ sunt materia, & subiectum mortalis; sicuti numerus binarius, v.g. semper est ternarius, sed est subjectum materialiter se habens ad quaternarium, ad denarium, centenarium, &c.

10. Denique nota probabilissimum esse per vim prædictas surripientem non obligari sub mortali ad restitutionem totius quantitatis surreptæ, sed illius dimidiæ taxat, quod complevit quantitatem notabilem; Quia enim remanet, cùm sit exiguum, non remanebit eius proximum restitutioni sub mortali, sed solùm sub veniali. Rebell. *de Iust. p. 1. l. 3. q. 15. sec. 4* Petr. Nau. *l. 3. de rest. p. 1. d. 8. q. 67.* de Lug. *t. 1. de iust d. 16. sec. 3. n. 41.* Idem docimus cū Mol. *tom. 3. d. 688. n. 3.* de quocùnque, qui furatus est simul materiam grauem, v.g. centum, nam si retineat materiam parvam, duos, v.g. vel tres Julios, & reliquum reddat, non peccat, nisi leviter, sicut leve est quod retinet.

An ex multis acceptiunculis venialibus oriatur obligatio quando obligatio restituendi sub mortali, si Deo placebit, dicemus *in feriis, tr. 3. c. 2. §. 5. n. 6. & 7.*

### §. II. *Furans modica à multis.*

1. VEnditor vini à singulis ementibus parum furatus est, ita ut singulis ementibus parvum fecerit nocumentum, ipse verò notabilem quantitatem rei alienæ habeat, mortaliterne cum obligatione restitutionis peccavit is, similéve? Respondeo affirmativè; Ratio, præter alias, est, quia licèt detrimentum leve pecuniis ementibus fecerit, fecit tamen grave Communitati, & Reipublicæ. Explico, singuli hi Domini, à quibus leve quid surripitur, graviter, & rationabiliter invitus sunt, propter periculum, quod imminet, ne multi diuturi velint hoc modo furandi levia à singulis. Id quod grave esse malum Reipublicæ per se patet: Quæ autem quantitas in hoc modo furandi, & quantò major debeat esse, ut grauis censeatur, clarè colligitur ex dictis, *§. à num. 4.*

2. Quid, si ejusmodi detrimentum fecerit personis vagis? Respondeo, eadem personas vagas, damnificatas ab uno, eodemque, vniri moraliter censentur, & facere Communitatem damnificatam; Ni enim ira, vel simili modo dixeris, aditum pauperis ditescendi, sine scrupulo peccati mortalis, modica surripiendo de bonis emitorum, quod certè nimis est dissonum rationi, & nimis quicunque Communitati perniciosum. Restitutio autem in hoc casu illis peculiaribus personis, est facienda, si sciant, &c. non verò pauperibus, vel Ærario publico Ciuitatis: quia hi damnificati sunt in propriis bonis, non verò publicum ærarium.

1. Bonacina *de rest. in partic. d. 2. q. 8. p. 1. n. 1.* citans illum excusat à mortali pauperes, qui messis tempore clàm sibi quantitatem notabilem tritici, auferentes, dummodicum quid à singulis, nam Domini non censentes invitì, supposita illorum paupertate.

2. In publicis quibusdam granariis (*Cerrisaturi* à talis appellantur) aliqui Religiosi eleemosynam ita sunt ab afferentibus illuc tritigum, ut si ij recusent, vi modicam mensuram à singulis accipiant: peccantne hi mortaliter? Respondeo, cùm hi sic se gerant violenter, ex alio capite, cùm supponamus adesse animum prorogandi in ejumodi violenta exactione, peccare mortaliter non ambigo quia si Domini tam expressè repugnant, ad præsumptum, seu tacitum consensum recurrere non possumus.

At aliqui ex his Religiosis prætendunt obtinuisse à Principe privilegium id faciendi. Respondeo: At Principes privilegium esse, ut possint petere, non verò ut possint violenter exigere.

### §. III. *Multi furantes modica ab eodem.*

1. Coetus frequens amicorum, societas multorum militum, similésve ingrediuntur vineam, v. g. alicujus, & singuli racemum uvæ, exiguam scilicet materiam, furripiunt: Ita tamen ut tota vinea notabiliter expiletur, magno Domini nocumento; Mortaline, peccato sub gravi restitutionis onere omnes delinquunt?

2. Hac in re certum est, ex Dicastill. *lib. 1. de justit. tract. 2. d. 9. dub. 5. n. 71.* si mutuus illorum comitatus fuit causa illius notabilis detrimenti, vel si unus alterum excitavit omnes mortaliter peccasse sub onere restitutionis in solidum: sicuti contra certum item est, si seorsim singuli sine sententia furti alterius illud minimum subfurati sunt, neminem peccasse mortaliter, vel restitutionis obligationem mortalem contraxisse, sed solum veniale. Ratio doctrinæ est, quia in posteriore casu nullo modo adest conensus ad furtum alterius, nec consequenter ad damnum notabile Domini: in priore manifestè adest.

3. Remanet ergo decernendum: *Quando quilibet seorsim ex se modica furatur, sed advertit consodales modica quidèm furari, at simul unita esse Notabile Dñi nocumentum.*

Respondeo probabile esse peccari mortaliter cum gravi obligatione restituendi; & probabile item esse solum leviter, cum levi restitutionis obligatione. Ratio cognoscentium mortalem culpam est, quia quilibet eorum videtur esse causa damni notabilis, quod prævidit, & non cavit. Ita Henri. *l. 13. de excomm. c. 17. n. 4.* Salon. *2. q. 66. art. 6. controvers. 3.* Suar. *tom. 3. in 3. d. 20. sect. 1.* aliique. Ratio cognoscentium solùm culpam veniale, id, quod mihi magis arridet, est, quia unus nullo modo est causa furti alterius: ita Sotus *l. 4. de rest. q. 7. art. 2.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 21. n. 22.* Dicastillus *lib. 2. de just. tract. 2. d. 9. dub. 5. n. 79.* aliique. Quòd si quis fuit alius suo malo exemplo occasio, idque prævidit, recurrit regulæ de scandalo, de quibus dictum est *Methodo Confess. 2. c. 1. §. 17.*

4. Si ergo contra sic furantes in gratiam Domini notabile damnum patientis fulminaretur excommunicatio, vel reservatio in priore sententia contraheretur ea à singulis, quia in hac sententia peccarent singuli mortaliter: at in posteriore non item, quia nec excommunicatio, nec reservatio cadit in veniale peccatum. Majorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in hoc furti genere colliges ex dictis §. 2. *à num.* 4. ubi etiam habebis, quantonam majorem.

### §. IV. *De quantitate sufficienti ad mortale inter propinquos, & domesticos.*

1. Conveniunt Doctores citati, majorem quantitatem requiri, ut hi peccent, quàm alij exteri. Ratio est, quia minus est invitus Dominus respectu suorum, quàm exterorum. Quæ autem sufficiens, & necessaria sit ad mortale, difficile est, & molestum statuere, & tandem sapientiores concludunt, id à prudenti esse decernendum: Nam minùs invitus erit Dominus liberalis, divas amicus quam avarus, pauper, parum amans: Minùs, si domestici furentur ad proprios usus; quàm ad dandum aliis: Minùs, si panem, vinum, esculentorum reliquias, quàm pecuniam, vestes, pretiosa electuaria: minùs, si per modicam, & rarò; magis, si per notabilem quantitatem simul, & sæpè res auferantur: Minùs, si tu multùm frugi sis domi, quàm si negligens, & parvi emolumenti, &c. Notat idem de Lugo *tom. 1. de justit. d. 16. sect. 4. num. 76.* pietatem Patris (adde & conjugis) involuntarium diminuere: is enim non est facilè credendus, velle esse ita invitus, ut filiis illis furta non admodum gravia imputentur ad peccatum lethale, & consequenter ad damnationem æternam. His igitur, & similibus expensis decernendum erit, an hi domestici, quales sunt uxor, filij, servi mortaliter, nécne peccaverint, cum obligatione restitutionis mox explicandæ *num. 6.*

#### *Quoad uxorem.*

2. Nihilominus, quoad uxorem, explicatius docet Bannez *2. 2. q. 32. art. 8.* sequiturque Cenedo, Ldesma, Vega, aliique, quos citat, sequiturque Dian. *p. 2. r. 15. resol. 34.* posse dari ab uxore divitis singulis annis vigesimâ partem lucri annui. At non est id dictum propter parvitatem materiæ, sed propter largitiones, & eleemosynas, quas uxores facere possunt, insciis viris. Et tamen hoc ipsum nimis excedere videtur Ioãni de Lugo *ibid. n. 64.* & ita mihi etiam videtur, saltem quando divitiæ multum excrescerent: nam sic uxor Principis habentis ducenta millia aureorum annua, posset quotannis decem millia insscio marito usurpare, & expendere: quod certè vel ditissimorum consuetudo non probat; & nos *suprà, tr. 1. c. 2. §. 3. n. 14.* ad aliquantò minorem summam hanc licentiam restrinximus: licèt demum prudentiæ Confessarij rem totam commiserimus: id, quod hîc etiam melius est committendum. Iuvabunt tamen, & quod dictum est à Bannez, & quæ mox dicentur de furtis filiorum, ut ex omnibus dictis prudens vir colligat, quid ipse statuendum sit.

#### *Quoad filios.*

3. Quoad filios ergo, Fagundez *præc. Eccl. 2. lib. 8. cap. 6. num. 7.* citans Nav. & Rebellium, docet quatuor, vel quinque Regales, seu Argentos (unum Regale constituere Tarenum unum Siculum, & grana circiter quatuor, vel quinque monuimus alibi) si pro honestis recreationibus filius à Patre mediocriter pecunioso furetur, non peccare mortaliter. Hier. Cenedo *tract. de paup. Reg. dub. 20. n. 10.* absolutè docet, si filius furetur à Patre octo, vel novem Regales, sed non sæpius, quam bis in anno, mortaliter non delinquere: Bannez *ibid. quæd. 66. art. 6. §. secundum documentum*, asserit minùs, quàm quinquaginta aureos non sufficere ad furtum grave in filio parentis prædivitis, quam assertionem tolerat de Lugo *tom. 1. de justit. disp. 16. sect. 4. §. 1. num. 76.* in filio Principis non in aliis. Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 76.* Dicastill. *lib. 2. de just. tract. 2. quæst. 9. dub. 8. num. 183.* dicunt duos, vel tres aureos non sufficere ad mortale, si eos filius furetur à Patre divite; sufficere si à Patre artifice, vel angusti patrimonij. Salas apud de Lug. *loc. cit.* cùm de hoc interrogatus fuisset; respondit, filium unicum à parente habente aureos annuos mille, & quingentos, posse absque mortali furari aureos viginti, vel triginta in anno: id quo admittit de Lugo *ibid.* in filio non puero, sed adolescente, quando Pater non est renacioris naturæ, & expensio facienda esset, non ad turpes usus, sed saltem ad indifferentes.

4. Ex his placitis tam variis, quæ certè innituntur variis rerum circumstantiis, vides (quamvis ea juvent ad deliberandam rem adeò molestam) meliorem hujus expensionis trutinam non esse, quàm prudentiam Confessarij dictam *num.* 1.

An filij, ut etiam uxor possint occultare bona Patris, vel viri defuncti, ne veniant in manus Creditorum, dicam *inferiùs*, *Tract. 5. cap. 1. num. 9.*

*Quoad Famulos.*

5. Quoad famulos ego distinguo servos coadjectitios à servis perpetuis, sive Mancipiis Domino prorsus addictis. Si de his posterioribus loquamur, puto, si modica (juxta conditionem servi quoad victum, & vestitum sibi competentia) à Domino ea nolente dare, accipiat, vix posse perveniri ad mortale, & interdum ne ad veniale quidem. Ratio est, quia in his negandis irrationabiliter est Dominus invitus. Quo verò ad pecuniam, aliáque bona, vix assurget Mancipium hoc à conditione extraneorum, expendendus nihilominus est amor in ipsum Domini, utilitas, servitia, officiáque ab ipso exhibita, juxta *superiùs*, universim dicta *num.* 1.

In prioribus servis, quibus sua merces ex pacto datur, si hi aliquid ampliùs auferant, peccabunt: non tamen ad æquam mensuram extraneorum, quia etiam respectu horum, utpotè domesticorum præsertim in modicis, reliquiisque ciborum, minùs sunt inviti Domini. Adde eos tacitè consentire in furtulis famulorum, alioqui non valde gravibus, quandoquidem sciunt hæc solere ab ipsis committi, & tamen eos conducunt. Sed enimvero prudentia opus est, ne nimis laxas habenas servis relinquas, nec nimis angustas. An exigua mercede ob suam necessitatem conducti possint per furtum, usque ad justam mercedem sibi providere per occasionem diximus *in 3. opuscul. de Sacrif. Miss. libro tertio cap. 1. §. 3. num. 59.*

6. Prædicti omnes, si materiæ suæ parvitatem excesserè, obligabuntur sub mortali restituere: & uxor quidem restituere debebit, vel statim, si bona propria habeat, vel habere possit: vel debebit post mortem Mariti, Mariti hæredibus restituere ex dote, quam repetet. Filiis item ex proprio peculio statim, vel si proprium peculium non habent: debent post mortem Patris in divisionem cum fratribus adducere, vide quæ dixi *suprà lib. 5. dec. cap. 4. §. 2.* de Donationibus inter Patrem, & Filium. Excusabitur tamen à restitutione filius post mortem Patris, si fratres simile quid furari sint, vel si iidem condonent, vel si pater actu condonavit, vel putatus fuit condonaturus si fuisset à filio rogatus, qui ob verecundiam non petiit condonationem, & de summa agatur de qua disponere poterat Pater. Atque hanc excusationem ductam à condonatione expressa, vel præsumpta extendi ad uxorem modo, quo diximus in filio, dubium nequaquam sit. Denique pari modo obligabuntur statim, quando habent, unde restituant, nisi ex Domini benignitate, amore, &c. confidant parumper, vel diu posse differre, imò & omninò restitutionem negligere.

## CAPUT IV.

*De quantitate Furti Religiosorum sufficienti ad mortale.*

NOn est sermo de furtis, quæ fortè Religiosus admittit ex bonis omnino alienis, tunc enim si is habet, perinde ac cæteri fures, de quibus hactenus disputatum est, obligabitur, modo tamen *infr. tr. 4. cap. 1. §. 1. à num. 7.* explicatiùs afferendo, sed loquimur de furtis ex bonis sui conventus, in quo ipse alitur. Et quærimus primò, *quænam quantitas sufficit ad mortale*; & quoniam, ut *suprà* vidimus, Religiosus propter Votum Paupertatis non potest usurpare bona ulla externa, etiam lentibus Dominis, nisi de Superioris consensu: videndum secundò, *quænam quantitas requiratur ad hoc, ut contra ejusmodi votum mortaliter peccetur?* De quibus in censuram ab aliquo vocer, ita agam, ut Deo potiùs afferam verba, quàm mea.

2. Quoad priorem sic habet Suar. t. 3. de Rel. lib. 3. n. 40. 41. *Quando Religiosus propria authoritate (sine licentia explicita, vel tacita, vel præsumpta, de quibus nos sup. lib. 1. c. 3. §. 7. v. Religiosorum nota*, explicuimus) *eruniam, vel aliud ex communibus bonis usurpat sufficiens mortale, si materia attingat quatitatem saltem quarumgenteorum & interdum poterit minor sufficere juxta varias circumstantias*, (intelligo, si quando Monachus pauperi grave sic damnum inferretur, vel quid simile. *De aliis bonis Monasterij usu consumptibilibus, peculiaribus scilicet ad cibum, & potum, si tantum ad propriam usum actualem, ut sic dicam, & transitorium adhibeatur, sit aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnificatio Religionis esset ingens, & extraordinaria, & pretiosiore. Extra hujusmodi enim casus hujusmodi reputatur levioris conditionis* (excipit Sanchez, quando Religio pro paupertate, aut alia ratione quid determinatum solùm daret Religiosis: tunc enim perinde est invitus Superior quoad comestibilia sua quoad reliqua; intellige, excepto casu necessariæ alimentorum.) *Et quamvis Prælatis hoc displiceat, tamen ita sunt involuntarij, ut illam reputent materiam gravem in ordine ad paupertatem, sed solùm in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis. Accedit, quod Religiosi quoad usum hujusmodi rerum, tractantur ut filij. Inter parentem autem, & filium non censetur furtum actio gravis. Secùs verò esset, si hujusmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retenta paulatim consumerentur: nam illud esse posset grave peccatum, quamvis ad id discutiendum in particulari magna prudentia necessaria sit.* Et num. 43. sic addit: *In rebus autem usu consumuntur si accipiantur ab externis, ubi major gravitas, si res in magna quantitate accipiatur occultè retenta paulatim consumatur: nam accipere solum ad unum tantum actum utendi v. g. comedendi, aut bibendi regulariter nō æstimatur materia gravis in ordine ad paupertatem: quidquid id sit de obedientia aut de aliis observantia Religiosa. In acceptionem autem pecuniæ semper est major deformitas: idemque est in illa, accipere usum ac dominium.* Hæc Suarez.

3. Quoad posteriorem quæstionem sic habet Sanchez, tit. 2. in dec. lib. 7. cap. 20. numero 3. *Communis & verissima sententia est, eam quantitatem necessariam esse & sufficere, quæ necessaria est, & sufficit in hominibus secularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti.* Et paulò post: *Iam hodie*, inquit, *communior sententia est, exigi in Hispania furtum quadruplicis argentei (id est, quatuor Regalium, seu Juliorum) ad mortale, atque idem dicendum ad mortalem Religiosi paupertatem.* Rectè item advertit sic, num. 6. *Non semper quantitas in se notabilis absque licentia accepta, satis est ad mortale proprietatis peccatum, quia res magni valoris potest in solum brevissimi temporis usum, modici valoris usurpari reddendo statim, & ideo erit solùm culpa venialis.* Hæc Sanchez.

4. Peres. Possumúsne probabiter sentire tam ad peccatum contra paupertatem, quàm ad peccatum usurpandi bona Monasterij, requiri illam quantitatem, quæ requiritur ad hoc, ut filius peccet mortaliter furando à Patre, quando certum est requiri majorem, ut vidimus *supr. cap. 3. num. 3. & 4.*

Respondeo, negat id Sanchez *dict. num. 3.* & Jacobus Gordonius, *lib. 5. q. 3. cap. 4. fine*, sic habet. *Quòd recentiorum unus dixit in re usumodi furtis æquè parum videri lesivum Superiorem, ac est Parens erga filium, probabile non est, cum Instituti ratio vox ipsa superioris, ac demum omnia clarè prohibeant hujusmodi furta.*

5. Quòd

1. Quòd si quæras, quisnam sit hic recentior: Respondeo, non unum solùm, sed quinque obviam statim ire, horum sententiæ.

2. Primus est Rebellius apud Sanchez *l. c.* qui sic habet: *Rebellius censet quantitatem hanc pensandam esse quantitatem petitam ad furtum mortale filiorum, quia non sunt Prælati credendi magis inviti ad rem clam data à Religiosis, sed quoad secum modum quam parentes circa filios suos, cum non minùs sed magis subditi sui diligere debeant, & ita non debeant censeri invitus quoad rem acceptam ejusdem quantitatis in qua Pater ex modica honestæ conditionis invitus non censeretur. Item filii Religiosi jus habent, ut ex eis bonis alantur à Monasterio, sicuti filij ex parentum bonis.* Hæc ex Rebellio Sanchez, qui tamen hanc sententiam reprobat in aliis locis, sed admittit in comestibilibus.

3. Secundus est Ledesma, cuius sententia, dum tertium Doctorem jamjam proferam, simul in medium producetur.

4. Tertius est Hieronimus Conedo, qui hæc habet tract. de patrp. Rel. dub. 20. n. 10. *Sicuti filius familias quando à suo Patre de suis bonis majorem aliquam quantitatem, quæ in alio externo esset gravis, non esset furtum, ita Religiosus non esset proprietarius, nec fur furripiendo illam majorem quantitatem, quæ in alio externo facit peccatum mortale. Idémque dicendum est, si Religiosus illam recipere ab alio Religioso ejusdem Monasterij. Quare teneri Ledesma, quòd si Religiosus suffuraretur à Monasterio, vel ab aliquo dicto Religioso, octo, vel novem Regales, quia rerum illorum in rebus, quæ usu non consummantur, non esset peccatum mortale si id faciat sine facultate Prælati: quamvis id non sæpius fieret, quàm bis in anno.* Hæc Conedo, qui cum eodem Ledesma addit in rebus comestibilibus ab eodem Monasterio, vel Religioso dicto subditis requiri majorem quantitatem.

5. Quartus est Fagundez, pr. Eccl. 2. lib. 8. c. 6. n. 7. *Pergunt, quid possint Religiosi absque peccato mortali donare, vel recipere ab externis? Et quidem de Religiosis ad modum filiorum ratiocinandum est. Religiosi inter filios computantur juxta* cap. licèt de sepulturis. *Et ita docet Navarrus, & Rebellius, & non computantur cum servis, in quibus quidam Canonistæ dixerunt, eo fundamento ducti, quia servi quidquid acquirunt, Domino acquirunt. Sed est dissimilis comparatio, nam etiam Filiifamilias quidquid acquirant, non sibi, sed Patri acquirunt, unde cum Filiifamilias hominum mediocriter pecuniosorum non peccent mortaliter si eis inuitis, ad honestam recreationem, aut donationem furentur quinque argenteos, seu Regales, aut fortè quatuor, ita docet Petrus Navarrus, & Rebellius, ut licitè, & honestè gaudeant cum Amicis; pariter dicendum est de Religiosis.* Hactenus Fagundez.

6. Quintus est Caramuël *in Reg. S. Ben. num.* 952. & eorum *per tot. disp.* 43. quem satis sit, ne longum faciam, indicare. Possem fortassè addere Sotum, Rodriquez, Aragonium apud Dianam *p. 1. tr. 6. res.* 36. dum probabiliter putant, tunc Religiosum committere furtum, quando hoc ascendit ad summam duorum aureorum: quæ sententia tam lata non potest inniti nisi opinioni putanti ordinariò furtum esse decernendum ad mensuram furti Filiorum facti ex Patris pecuniosi bonis.

---

## CAPVT V.

### *De Compensatione occulta.*

§. I. *An sit fur, qui per occultam acceptionem compensat id, quod sibi debetur?*

1. NOn esse in conscientia furem, nec peccare, nec in excommunicationem incidere, quæ fortè sit contra furantes imposita, & posse jurare etiam coram Iudice se nihil accepisse: intelligendo, quod sibi non deberetur, certum jam hodie est apud omnes etiamsi res, quam usurpat, fuerit ipsi in depositum à debitore consignata: ide Molin. Less. de Lugo, aliósque mox citandos, quibus adde Dicastill. *lib. 2. tract. 2. de justit. d. 9. d. 6.* Ratio est, quia rem sibi debitam hic accipit, non alienam, Et quidem statim atque rem per compensationem sibi vendicat, facit omnino suam; unde, si fortè postea pereat, sibi perit, non debitori, quidquid in contrarium sentiat Medina *Cod. de restit. quæst.* 11. Adverte te non posse accipere rem tertij fortè datam in pignus, seu commodatam tuo debitori, quia tunc alienam raperes, ut ex se patet: imò neque rem tuam justo titulo locatam, vel commodatam, vel in pignus datam alteri, quia sic privares hunc jure suo, lege Molin. *tit. 3. d. 690.* 696. & de Lugo *de just. t. 1. d. 19. sect. 8. n. 182. Hoc tamen intellige* (addit Lessius *lib. 2. c. 12. dub. 10. num. 56.*) *si probabile erit, te rem tuam jure alterius finito commodè recuperaturum.*

2. Ut autem justè fiat compensatio, tres sunt conditiones observandæ. Prima, ut, sit de liquido ad liquidum, hoc est, certum sit te esse actu creditorem tantæ pecuniæ & alium esse actu debitorem. Dico (*actu*) nam est quæstio, *An creditori liceat prævenire?* hoc est, An si verbi gratia, hinc ad mensem tibi aliquis debiturus sit centum, possis ea per compensationem hodie tibi retinere, vel occultè suffurari. Ad quam respondeo, cum Dian. *p. 2. tract. 16. resol.* 46. licere, sed duobus positis. Primò, ut adsit periculum moraliter certum, quòd debitor suo tempore non sit soluturus. Ratio est, quia cuilibet licet, quando res sua est in periculo, illius assecurationem, vel pignus inquirere, ac velle. Secundò, ut, si interim per tuam illam anticipatam acceptionem, lucrum aliquod cessavit creditori, vel damnum emersit, debeas omnino recompensare, quia secùs subiret creditor pœnam, antequam peccatum moræ committeret.

3. Secunda conditio: ut non possis, vel facilè non possis per potestatem publicam tuũ recuperare. Verùm, hæc conditio solùm notat (sed sine obligatione mortali, ex Molin. *tom. 3. d. 690. n.* 1. & Diana *l. c.*) ordinem rationabiliter tenendum, at in praxi vix in nostra hac ætate locum habet: nam semper est difficile suum recuperare per authoritatem publicam.

4. Tertia ut removeatur periculum, ne tibi vel tuo hæredi iterum idem debitum soluatur: quod fiet fingendo condonationem, vel simili alio æquivocationis modo: *Quid si adsit ejusmodi periculum, sed non appareat modus illud cavendi?* Respondeo cum de Lugo *de just. t. 1. d. 16. sect. 5. n.* 87. cùm ad illud cavendum, non obligemur ex Justitia, sed solùm ex Charitate, ut *mox* probabo, ideo, si facilè possis cavere, obligaris: quòd si non caveas, peccabis quidem, sed sine onere restitutionis, quia id solum sequitur ad peccatum contra Justitiam. At si cum difficultate, seu cum tuo gravi incõmodo non posses, tunc nec peccares, nec obligationem restitutionis contraheres, si non caveres. Ratio est, quia tunc non peccares contra Charitatem, quæ ut *alibi* diximus, non obligat cum gravi incommodo: nec peccares contra Iustitiam: nam si contra hanc delinqueres, indè esset, quia inferres proximo damnum secundæ solutionis. At hujus tu solùm tunc es causa per accidens, & indirectè: illud enim nec intendis, nec tibi utenti tuo jure imputari debet.

Propter eandem, imò majorem rationem non te regulatiter obligo ad admonendũ debitorem, vel ad fingendam condonationem, ne is credens non soluisse, maneat in conscientia peccati mortalis. Ita idem *ibid.* Non inquam, te obligo: ad id enim cùm ex sola Charitate teneris, tunc solùm obligaberis, quando facilè potes. Quæ facilitas, cùm in hoc negotio compẽsationis, quæ occultè fit, vix locũ habere possit, ideo dixi, te regulariter à me non obligari. Teneris tamen restituere, quod secundò tibi fortè soluetur, idque ex re accepta, juxta universales regulas restitutionis.

5. Pari modo, si tu dum occultè tibi compensas debitum,

bitum, prævideas alicui tertio id, tanquam furtum ab ipso fuisset commissum, fore imputandum non obligaris id præcavere, nisi facilè possis, quia simili ratione solùm obligaris ex Charitate, non ex justitia Facilè tamen puto te posse præcavere, saltem relinquendo compensationem, si tuum debitum v.g. esset unius, vel alterius aurei, & probabile esset alteri imputandum furtum cum periculo, ut is damnaretur ad Triremes, vel graui infamia notaretur, vel graviter castigaretur, vel magnam summam expenderet, tunc enim si non præcaveres, licèt non peccares contra justitiam, unde non obligaris ad restitutionem, grauiter tamen peccares contra Charitatem. Maximè igitur in hac, & similibus rebus expendenda sunt periculum proximi, & tua vtilitas: Charitas enim dictat, ne, ob parvam tuam commoditatem grauissimum proximo damnum inferas. vide Molin. *tom.* 3, *disp.* 690. §. *tertia*, & de Lugo *tom.* 1. *de just. d.* 16. *sect.* 5. *n.* 88.

6. Idem dic, si debitor vivus (nam de defuncto *mox* §. 7.) propter tuam occultam compensationem non sit futurus aptus ad satisfaciẽdum aliis anterioribus, & magis privilegiatis creditoribus: quia id damnum anteriorum per accidens sequitur ad tuam compensationem, & illa res, quam accipis, non est creditorum tui debitoris: si enim esset illorum, certè quia alienum tunc acciperes tibi illam vindicare non posses. Lege eundem *ibid. sect.* 6. *num.* 111.

## §. II. *Compensatio in re diversa.*

1. AD explicationem doctrinæ, addantur sequentes Quæstiones, Prima: *An licitè possis tibi compensare accipiendo rem specie diuersam ab ea, quæ tibi debetur*; e. g. debet tibi quis triticum, vel pecuniam, *An possis occultè accipere vinum, vel vestem æquivalẽtis pretij*, supponimus enim quod si v.g. vestis plus valeat, quàm tuum debitum, reddatur statim excessus, &c.

Respondeo, te non posse, si ex acceptatione rei diversæ damnum graue sequitur debitori, vide Molin. Petrum Nauar. Reb. & alios allatos à Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 1. §. 1. *dub.* 9. *num.* 47. Ratio est, quia, si non sequitur, non est unde pecces, ut accidit, quando eam rem, quam accipis, facilè debitor pecuniâ, vel alio modo sibi cõparare potest. At si sequitur, sine ratione ipsum directè damnificas, quare & peccas, & restituere damnum teneris. Quod si alium modum non habes tibi compensandi, nisi accipiendo rem specie diversam, cujus carentia graviter debitorem aliunde damnificet, sanè licitè sumere poteris; debitori enim imputabitur tale damnum, dum is debita solvere non laborat. Idem tamen moneo, quod insinuaui §. *præced. n.* 5. Non enim licebit tibi propter modicum, quod tibi fortè debetur, gravissimum proximo damnum afferre.

## §. III. *Compensatio in debito dubio.*

1. SEcunda: *Quando dubium est, an debitor aliquid tibi debeat, potesne pro ratione dubij aliquid tibi occultè compensare*;

Respondeo, non posse, quia non est æquum pro debito incerto velle solutionem certam. Idem est in probabilitate, quam aliqui (sed perperam) dubium vocant positivum, id est, quãdo sunt probabiles rationes, quòd tibi aliquid debeatur, & probabiles, quod nõ debeatur. Idem inquam, est, quando probabilitas versatur circa factum, quia tunc melior est conditio possidentis, ut diximus *lib.* 1. *in decal. cap.* 3. §. 3. *à num.* 9. at quando probabilitas utriusque partis, id est, debitoris, & creditoris est circa jus, esto, alicui in aliquibus casibus concedant, posse fieri occultam compensationem contra debitorem: nos tamen uniuersaliter id negavimus *ibidem*, quem locum omnino relege.

## §. IV. *Compensatio in re, quæ mittitur ad debitorem vel ei debetur.*

1. TErtia: *An possis tibi compensare, sumẽdo rem, quam Tertius mittit ad tuum debitorem, vel in alium quemcumque finem*;

Respondeo cum necessaria distinctione: Vel illud seu pecunia iam est acceptata à tuo debitore, tunc potes, quia accipies rem debitoris, in quam tibi debes: vel non est acceptata, & tunc non potes, quia non acciperes rem tertij, in quam jus non habes. Lege quæ *l. c. dub.* 8. *n.* 45. & de Lugo, *tom.* 1. *de just. d.* 16. *num.* 110.

2. Quid de debitoribus tui debitoris; Antonius, qui debet Petro tuo debitori centum, potesne ab Antonio centum surripere, eo prætextu, quòd tibi à Petro centum debentur; Respondeo non posse, quia, ut proponitur, acciperes pecuniam, quæ nunc Antonij, in quam nullum jus tu habes.

3. Quid si Petrus, tuus nempè debitor, haberet in posito apud dictum Antonium vas argenteum, vel quid simile, quod totum tum quoad proprietatem tum quoad vsum, & administrationem esset Petri;

Respondeo tunc sanè posses quia dummodo res Petri tui debitoris, nec ad alium pertineat, parum refert ubi materialiter inveniatur. Cavendum tamen est, ne Antonius à Petro suo depositatio rem suam per judicem velit repetere: nam sic Petrus cogeretur gratis solvere.

Sed quid, si hoc periculum immineat, tu verò illud cavere non possis sine jactura tui debiti; Respondeo, tunc non possum cõdemnare, si tuum accipias, quia tua necessitas te excusat ab obligatione Charitatis, qua deberes illud damnum à te indirectè solùm causatum Petro avertere ut modò in simili §. 2. dictum est, sed etiam monitionem hìc applicandam apposuimus.

Huc facit vulgaris dubitatio de creditore Principis. An scilicet possit sibi compensare id, quod à Principe sibi certò debetur, fraudando ipsius Gabellas.

In qua recentum est. Primo, posse si Gabellæ non sint aliis locatæ, certumque est secundò, non posse, si sint locatæ. Ratio vtriusque est quia ibi creditor jam sumit de bonis sui creditoris; hic non item.

Sed quid si sint locatæ; Negant nonnulli propter eandem rationem, quia tunc Gabella non est in bonis Principis, qui supponitur esse debitor. Ita Ioan. de Gabellis apud Dian. *mox* cit. concedunt alij, quia conductores Gabellarum, dum sciunt fraudari communitates Gabellas, & tamen eas conducunt, videntur, seu præsumuntur non esse invitis in tolerandis iis fraudibus: & forte propter hanc causam multò minoris, quàm valeant, solent eas conducere, quæ præsumptio non est tam facta de eo, qui absolutè sibi Gabellam emit à Principe. Petr. Navar. Less. Bonac. Vasq. Mol. aliique, quos citat sequiturque Diana, *lib.* 2. *tract.* 16. *resol.* 14. Vtraque tamen sententia est probabilis.

## §. V. *Compensatio Famulorum.*

1. QVarta: *An famuli possint se compensare occulte à Dominis, qui iustum salarium negant?* Respondeo certum est si iustum negent, cum conditionibus modo §. 1. dictis posse. At Domini sæpissimè negant merito, quia vili mercede se conduxerunt famuli: sed de hoc dixi *in opusc. de Sacr. lib.* 3. *c.* 1. §. 3. *à n.* 59. & nonnulla addentur *inferius lib.* 8. *tract.* 3. §. 10. *n.* 7. & 8. legatur item Dicastill. *lib.* 2. *de iust. tract.* 2. *d.* 9. *dub.* 6.

## §. VI. *Compensatio fideiussoris.*

1. QVinta: *An si fideiussisti Titio debitori Caij, tuo gratia, in aureis centum: & Caius debeat centum Titio, vel tibi, qui tamen Caius per judicem te fideiussionem extorqueat, soluásque ipsi illa centum,*

*... inquam, possis occultè ab eodem Caio ea centum per ...tam compensationem auferre?*

Respondeo posse: Sic de Lugo, *d. sect. 6. num. 119.* quia in his circumstantiis injustè Caius Fidejussionem exigit: esto, Judex, qui nesciebat Caium esse debitorem tuum, vel Titij, secundùm allegata & probata in foro extremo, te condemnaverit? cui condemnationi in foro conscientiæ non est standum; quia innititur falsæ præsumptioni, vide in simili Mol. ac Med. cit. ...de Lugo, *d. sect. 6. num. 114.*

2. Quid de fidejussore in ordine ad eum, cui ipse fidejussit? Si, v.g. tu fidejussisti Titio debenti centum Caio, ...ctus à Iudice fuisti ea solvere Caio, potesne ...compulsus à Iudice fuisti ea solvere Caio, potesne ...centum occultè tibi accipere à Titio? Respondeo posse, ...nisi nec Titius, nec alius expressè promiserit non ...eventurum tibi damnum ob susceptam fidejussionem. ...Lege Less. *lib. 2. cap. 20. dub. 14. num. 119.* id tanquam ...certum supponentem. Ratio est, quia (nisi prorsus contrarium exprimatur) semper implicitè intelligitur fidejussor nolle quid amittere de suo, cùm donatio nunquam ...præsumatur, nisi expressè fiat.

## §. VII. *Compensatio ex bonis Defuncti.*

EXTRA: *An liceat possis retinere, tibique applicare per ...dictam compensationem bona tui debitoris defuncti* (...tam si hic vivat dixi §. 1. *n.* 6.) *quæ forte inveniretur esse ...post ejus mortem apud te.*

Respondeo posse: quia sicuti potuisses alibi depositata occultè accipere, ita potes depositata apud te ...ipsum.

2. Verum magna est difficultas, an idem possis, quando acceptio esset in præjudicium aliorum creditorum Defuncti, qui essent magis privilegiati seu anteriores, nec adsit facultas satisfaciendi omnibus. Si tibi, v.g. defuncta debebat centum ex debito currenti, sed debebat ...dum etiam centum ex dote susceptа, quæ est privilegiata, nec defunctus relinquat nisi centum, quæ sunt depositata apud te, poterisne cum præjudicio dotantium hæc ...centum occultè retinere?

Respondeo posse. Id, quod tamen tribus dictis opus ...est, ut explicem, ac probem. Et, ut vides, loquimur, ...quando res tui debitoris apud te invenitur: si enim apud te non esset, illam cum præjudicio magis privilegiatorum, surripere numquam posses, quia clarè tunc ...surriperes alienum, nullo modo tuum, ut mox clarius patebit.

3. Dico enim primò: Si res apud te est ejusdem rationis cum illa, quam tibi debebat defunctus, v.g. pecuniam ...debat, & tu inveniris habere apud te, post ejus mortem ...sed consignatam in ejus vita, æqualem pecuniam, potes illam tibi occultè retinere. Ita de Lugo, *tom. 1. de ...just. d. 16. sect. 6. n. 126.* Ratio est, quia, quando tu habuisti pecuniam tui debitoris, visus est debitor, quasi æqualem pecuniam debitam tibi solvisse, atque adeò ea pecunia jam tua est, & consequenter, eo mortuo, tu nihil habes defuncti, quod creditoribus anterioribus obligatum sit.

Neque dicas, quando tibi in vita is prædictam pecuniam consignavit, eum non potuisse illam tibi solvere cum præjudicio anteriorum: Ne id dicas, inquam, nam probabilem hîc suppono doctrinam Molinæ, *tom. 2. d. 336. n. 46.* apud Dian. mox citandum, docentis, quando debitor ex propriis solvit debitum posteriori creditori, cùm solvi deberet priori, non teneri hunc posteriorem creditorem ad restitutionem, de qua re suo loco interim: ergo, &c. lege Dianam, *p. 3. tract. 5. resol. 10. & p. 5. tract. 13. resol. 79.* Cui quidem solertissimo, & humanissimo Viro gratias ex corde ago, quòd me indignum laudet, & citet *...p. 9. & 10.*

Nam, quòd interdum meas sententias approbaret; interdum verò nequaquam, imò contra illas non semel insurgat; id omnes perinde facimus, pugnantes nimirum intellecta dumtaxat, non voluntate.

4. Dico secundò, si res aliæ, seu diversæ defuncti inveniantur apud te, verbi gratiâ, vestes, vasa argentea, &c. atque hæc habeas in pignus tui crediti, potes tibi ea per compensationem retinere, quamvis cum præjudicio magis privilegiatorum. Ita de Lugo *loc. cit. n. 127.* Ratio est, quia tunc rem tuam tenes, pignus enim succedit loco rei. Sensus enim dantis pignus, est: *Retine tibi hanc rem, si pecuniam tuam tibi non reddo, seu donec tuam pecuniam reddam.* Cùm ergo hæc conditio apposita non sit, res tua remanet, non aliena.

5. Dico tertiò, si eædem res alteri non hypothecatæ, seu subjectæ, quamvis non titulo pignoris, sed alio quocunque, verbi gratia, commodati, depositi, &c. apud te modo dicto remaneant, pari modo per compensationem retinere poteris. Ita Homobon. Fern. Tanner. & ex parte Comitol. quos citat, sequiturque Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 10. & p. 7. tr. 10. resol. 18.* Hoc dictum præ cæteris est controversum, negatúrque mordicus à de Lug. *d. disput. 16. sect. 6. num. 127.* Ratio, quæ mihi occurrit, quæque omnia contraria argumenta solvit, non est, quia difficilè satis apparet persuadere hominibus, ut debeant sinere labi ex suis manibus, quod sibi debetur, & aliis potiùs consulere, quàm sibi. Hanc rationem affert Fern. apud Dianam, *part. 3. tract. miscell. 5. resol. 10.* hæc enim ratio propter admirationem, nihil habet præterea. Sed quia, quando tu rem illam tui debitoris, ipso vivente, habuisti, cùm illam potuisses tibi applicare in compensationem tui crediti, remansit apud te, quasi in pignus: patet, quia rectè, statim atque illam habuisti, dicere poteras: *Iam sum de meo credito securus, Res mei debitoris jam apud me est. Certè si meum mihi non reddet, non ego suam hanc rem illi reddam.* Virtualiter ergo res illa pignus est tuum. Quoniam ergo *n. præcedente*, ex ipsa communi sententia, consentiente eodem de Lugo, actuale pignus tui debitoris retinere potuisti, sic & hoc veluti pignus virtuale, quod actuali æquivalet, poteris retinere.

Quodnam debitum ex multis solvatur per primam compensationem, dixi *sup. lib. 1. in dec. cap. 3. §. 7. v. Compensatio.* De compensatione in Missis, *lib. 3. de Sacr. Missæ, cap. 1. §. 3. à num. 102.* & de Iuramento nolendi uti compensatione, *sup. lib. 3. in dec. cap. 2. §. 5. à num. 34.* disputavimus, &c.

---

# CAPVT VI.

## *An extremè, vel graviter indigenti liceat furari.*

1. QVid sit extremè, qui graviter, quid communiter indigere, satis explicuimus in superioribus, *lib. 5. cap. 1. §. 1. num. 13.* quæ omninò sunt recolenda, ut etiam, quæ sunt bona necessaria ad vitam, quæ ad statum, quæ superflua.

Quibus habitis, tria pro certis teneri ab omnibus puto, tria esse controversa.

### §. I. *Tria certa.*

1. CErtum est primò, extremè indigentem posse quodlibet surripere, quod sit necessarium ad extremam indigentiam sublevandam. Ratio communis est, quia res temporales sunt à Deo datæ, ut vita omnium rerum temporalium nobilissima conservetur: quod vitæ conservandæ jus cùm nemo à se abdicare potuerit per rerum divisionem, jure Gentium introctam, fit, ut in ea necessitate, omnia sint communia: nec illorum Dominus possit sine peccato ejus speciei quam *mox §. 2. à num. 4.* decernam, impedire: imò si impediret, posset cum moderamine inculpatæ tutelæ ab indigenti occidi. Si tamen fit, qui probabiliter indigentem sublevet, vel ipse exercendo artem suam sibi succurrere possit, non peccabis,

impediendo, vel non dando, & ipse si à te sumeret, fur esset, & latro. Ita Castro Pal. *to.1. tract.6. d.2. de Char. p.2. n.4.* quia in his circumstantiis non est in necessitate.

2. Certum mihi est secundò, Idem esse dicendum in valdè gravi necessitate, quod in extrema. Ita idem *num.13.* & *part.9. num.5.* Less. *lib.2. c.12. num.71.* Vasq. aliique quos refert de Lugo, *loc. cit. sect.7. n.153.* contra Turr. Azor. Caiet. ab eodem relatos. Dicast. *lib.2. de just. tract.2. d.9. dub.9. num.256.* alios citans. Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem quæ facilè vergit ad extremam, à se quisque, quoquo modo potest, avertat.

5. Unum pro utrisque his certis adverto: à proximo extremè, vel graviter indigente te extremè item indigentem non posse illud surripere, quod indigentiam sublevet: nec te indigentem graviter ab graviter indigente. Ratio communis est, quia tunc sine controversia melior est conditio possidentis, atque adeò habet potiùs jus utendi rebus suis, ne pereat, vel ne cadat ex gravi ad extremam, quàm quilibet alius.

An posito, quòd surripueris, obligaris in pari necessitate restituere, alia est quæstio alibi, Deo dante, decidenda.

4. Certum est tertiò: Sicuti potest indigens in prædictis casibus pro se surripere; sic etiam alium pro ipso surripere in iisdem casibus posse, si is alius non habeat unde possit de suo indigentem sublevare. Ratio est, quia tunc is surripit nomine indigentis, & ut ejus instrumentum: sed si is habeat, unde possit de suo, non vulgaris est difficultas. Verùm, quia non est admodum frequens, & nimis prolixas exposcit distinctiones, satis est eam videre apud Bonac. *q 2. de rest. in partic. quæst.8. p.3. num.8.* Vasq. *c.2. de eleem. dub.1.2.3.* de Lugo, *de just. tom.1. d.16. sect.7. à n.173.*

## §. II. *Tria controversa.*

### *Extremè indigens an à graviter indigente licitè surripiat?*

1. PRimum, quod controvertitur, est: *An extremè indigens possit rem sibi necessariam surripere à graviter eadem indigente?*

Respondeo: Aliqui absolutè negant. Ita Rosella, S. Anton. aliique apud Sanchez, *mox* citandum. Aliqui absolutè concedunt. Ita Sanchez *in cons. lib.1. cap.9. dub.5. num.28.* verùm, neutri sine sequenti distinctione sunt recipiendi: Si enim graviter proximus hic indiget illa re ad conservanda ea bona, quæ ipsi sunt necessaria simpliciter, ad suum statum ita conservandum, ut sine illa in valdè gravia mala prolaberetur, non potest extremè indigens ea surripere, nec proximus prædictus obligatur dare. At si graviter indiget illa re ad conservanda sua ea bona, quæ non sunt simpliciter ita necessaria, ut sine illis in valdè gravia mala incurreret, potest extremè indigens ea surripere, & proximus prædictus dare obligabitur. Ita Coninch. *de char. d.27. dub.134.* Ratio est, quia posteriore casu verè ipsi non imminet grave malum, at in casu posteriore mala illa tam gravia moraliter ipsi morti æquiparantur: & aliquando sanè accidit, ut eligeret quis potiùs mori, quàm gravia illa sufferre: imò *sup. lib.5. c.1. §.1. à num.12.* attulimus Doctores docentes non solùm graviter indigentem, sed nec etiam divitem obligari magnis expensis, & extraordinariis mediis extremè periclitanti in vita succurrere: qui locus est omnino relegendus.

### *Indigens an surripere, vel consumere debeat animo reddendi?*

2. Secundò, an extremè, vel graviter indigentes, quando quid surripiunt (nam quando rem antea surreptam, postea consumunt, dicam *mox num.4.*) ad suas necessitates movendas, obligentur accipere eo animo ut si ad pinguiorem fortunam pervenerint, debeant restituere, quod est quærere, An accipere queant solutè, an sub ratione mutui. Et rursus, An dico quando hos indigentes sublevare obligatur, satis obligationi faciat, si det mutuum sub eadem ratione pinguioris fortunæ, an potiùs, debeat dare solutè.

Respondeo: Nonnulli docent, tum eos indigentes debere accipere sub ratione mutui, tum divitem posse sub eadem ratione dare. Ratio est, inquiunt, quia non adest obligatio, nisi eos pauperes sublevandi: at mutuum satis, supérque sublevantur. Ita Navarrus, Molet. Covarruvias, aliique apud Castro Pal. mox cit. *num.* & apud Sanchez, *in cons. lib.1. cap.5. dub.5. num.* apud Dicastill. *lib.2. de just. tract.2. d.9. à num 220.* Nulli verò docent contrarium, idest, posse absolutè peres rem subfurari, & divitem non posse restituto onus imponere. Ratio est, aiunt, quia in ea necessi omnia sunt communia: Ergo non est unde ad mu recurri debeat. Ita Castro Pal. *loc. cit. part. 4. num.* afferens Val. Coninch. Suar. aliósque; & apud Sanch *loc. cit. num.53.* & Dicast. *loc. cit. num. 224.* approba hanc sententiam, illámque vocantes probabilissim & magis piam, quam Val. *tom. 3. d.3. q.9. part.4. con* appellat de Fide. Vtraque sententia est probabilis. Q re potest quidem Dominus imponere illud onus, quando opinionem sibi faventem, sed poterit etiam digens illud non acceptare, excipiendo scilicet tam tem pro se sententiam.

Locuti autem sumus de his indigentibus, qui nec nec spe morali sunt habituri bona, & facultates. Nisi si spes adest, non videtur adesse ratio, cur, & indiget possit furari, & dominus debeat absolutè dare.

3 Hactenus dictum est, quando res surripitur tempore indigentiæ, eodémque consumitur. Sed quid primi si surripias tempore, quo non indiges, ut deinde incidas in necessitatem extremam, vel gravem, illam consumas Furatus es, v.g. decem aureos nudiustertius, utique cum peccato, verùm, hodie existens in gravi necessitate, pu in gravi morbo, sine ulla spe habendi pecuniam, illo u vitam conservandam expendis, obligaberisne ei ad m liorem fortunam rediens ad restitutionem? Quid ſcindò, si rem domini inveniaris habere ex justo contrac v.g. ex depositi?

Respondeo ad primum. Te obligat communior sententia. Ita Sylvest. *v. Furtum, quæst.5.* Ang. *v. Furt. q.* Vasquez *opusc. de eleemos. cap.1. dub.8. num.68.* quia fac pœ remanet obligatio ex radice delicti à te commis Solùm pro illo tempore, quo tu indiges, nec habes, u de reddas, suspenditur. Probatur, inquit Vasquez, q tempore necessitatis solum habet homo jus ad suam n cessitatem sublevandam. At ad hanc sublevandam sa est, si obligatio suspendatur, seu impediatur, non au tem quòd omnino tollatur. Nihilominus non est im probabilis sententia te tunc liberans ab omni restitu tione, Ita Petr. Navarr. *de rest. lib.4. cap.4. num.24.* C stro Pal. *tom.1. tract.6. disp.2. part.10. num.3.* Ratio est, quia sicuti illo tempore necessitatis, habes jus surripiendi, & consumendi, nec solum, ut dicebat Vasquez, sublevandi quomodocunque necessitatem: ita habes jus tunc rem aliàs surreptam consumendi, est enim ac si rem de novo surriperes, quod tibi licet. Ad dominum tunc teneri dare, ergo tu veluti de novo potes accipere: unde tunc consumens videris sufficienter implerè obligationem restituendi, contractam ex delicto, cùm rem consumas; perinde ac dominus teneretur velle consumi, si apud ipsum res inveniretur. Denique *infrà. tract.2. cap.2. §.8. num.2.* ut probabile docebimus, non obligari furem rem restituere, si res perit apud ipsum eo modo, quo peritura fuisset apud dominum; sed in casu nostro æque pecunia consumenda erat apud dominum, quia eam tenebatur huic indigenti dare, ergo, &c.

Respondeo ad secundum cum necessaria distinctione

iones ex Castro Pal. *l. c. num.* 1. cit. Bonac. Vasq. Azor. ubique. Si rem apud te habeas ex contractu transferente dominium, v. g. ex mutuo, debes restituere, quia nunc non consumis rem alienam in necessitate illa, sed eam, & obligatio ex contractu jam perseverat. Si ex contractu non transferente dominium, verbi gratia, ex depositio, non obligaris restituere, quia consumis rem tuam, at contractus depositi, vel similis non obligat ad restitutionem, quando sine ulla culpa res perit, ut nunc sine culpa indigentis perit, ergo, &c.

*Indigenti an res ipsi necessaria debeatur ex Iustitia?*

4. Tertiò. An extremè, vel graviter indigens habeat ius justitiæ ad res, quibus indiget, ita ut dives eas obligetur ex Iustitia porrigere nec solùm ex Charitate, vel misericordia. Id valdè præstat scire propter obligationem restitutionis damnorum ex negatione rerum, quam dare dives fortè recuset, quam restitutionis obligationem sola culpa contra Iustitiam, non verò contra alias virtutes, ut sæpè diximus, parit.

Respondeo, debere hîc separari quatuor quæstiones; quas, quia nonnulli clarè non separarunt, valdè confusè explicantur.

*Prima* quæstio est: Quodnam jus indigens habet petitum, qua indiget, Iustitiæne, an alterius virtutis? *Secunda*, qua obligatione dives indigenti succurrere obligatur, jus enim accipiendi in uno, & obligatio succurrendi in altero, non semper ex eadem virtute procedunt: nam ex Religione obligor propter Votum, verbi gratia, dare eleemosynam Ecclesiæ: at Ecclesia non habet jus nec Religionis, nec Iustitiæ clam eleemosynam surripiendi. *Tertia*, ea obligatio, quam habet dives succurrendi, estne etiam offerendi; an solùm non impediendi indigentem, quando rem vult accipere, & solùm non repetendi; quando jam pauper accepit? *Quarta*, si est obligatio ad utrumque, estne utraque ex justitia, an altera ex Iustitia; altera ex Misericordia? His quæstionibus exactè distinctis cum satisfuerimus, facilè erit ad controversiam propositam respondere.

1. Quoad *Primam* quæstionem, sic statuo: Ipse indigens habet Jus Justitiæ accipiendi rem sibi modis dictis necessariam: Ius, inquam, Justitiæ, hoc modo: non ut statim atque indiget, fiat dominus rei, sic enim cum plures in mundo indigeant, omnes essent domini, quod non est dicendum: sed ita, ut statim atque illam accipit, sibi id faciat suam. Ita de Lugo, *tom.* 1. *de just. disp.* 7. *num.* 143. Ratio est, quia id satis est ad succurendum necessitati.

2. Quoad *Secundam*: Dives non obligatur, succurrere, nisi ex Charitate, seu Misericordia. Ita Castro Pal. *l. c. part.* 3. *num.* 2. alios referens, Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 12. Ratio est, quia, cùm res sit sua, atque ipse, antequam eam pauper occupet, sit dominus absolutus, ut dictum est, non apparet, unde obligatio ex Iustitia nasci queat. Adde ipsum obligari ad succurrendum, ut sic subleret indigentem: at hic, titulus Misericordiæ est, non Iustitiæ.

3. Quoad *Tertiam*, obligatio divitis est, tum ut offerat, tum ut non impediat. Ratio est quia, secùs non observabitur præceptum de proximo in necessitatibus sublevando, præceptum, inquam, illud *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.*

4. Quoad *Quartam*: Dico primò, hanc obligationem, quam habet dives offerendi, non esse ex Justitia, sed ex Charitate, seu Misericordia. Ratio est, quia ipse non obligatur nisi succurrere, ergo non nisi ex motivo succurrendi: At motivum succurrendi est sublevatio indigentis, quæ est motivum Misericordiæ; ergo non obligabitur, nisi ex motivo Misericordiæ.

Dico secundò, eandem obligationem, quam habet dives non impediendi indigentem ab occupatione rei ipsi necessariæ, esse ex Iustitia. Ratio est, quia sicut indigens habet ex sua necessitate jus ad occupandas res, quæ sub nullo sunt dominio, & contra Iustitiam faceret, qui jus illud per vim impediret: sic habet idem ius ad occupandas eas res, quæ sunt sub dominio alicujus, quia in necessitate omnia sunt communia, & primi occupantis, perinde prosus, ac si ea essent sub nullo dominio.

Dico tertiò, obligationem, quam habet dives non repetendi, seu non resumendi res, quas indigens pro sua necessitate sublevanda occupavit, est ex Iustitia. Ratio est clara ex dictis, quia, ut vidimus *n.* 5. post occupationem indigens fit dominus rei occupatæ.

9. Ex dictis jam colligis divitem, si cibum, v. g. non offerat indigenti, non obligari ad resarcienda damna secuta, si fortè is fame moriatur, quia tunc dives contra Charitatem peccat, non contra Iustitiã: obligari autem, si vi impediat à sumendo, vel si cibum jam ab indigenti occupatum per eam vim repetat, quia tunc peccat contra Justitiam.

## CAPVT VII.

### *De Continuatione peccati furti in eo, qui non restituit. Remissivè.*

DE hac re, ea, quæ dixi *in Methodo Confess. l. 2. c.* 1. §. 7. loquendo universim de peccato habituali, satis, superque sunt pro praxi: ea igitur legere ne graveris.

## CAPVT VIII.

### *De emptione rei furtivæ.*

1. SErmo hîc est de emente mala fide, dicèt autem qui dubius est, rem esse furtivam, & sub hoc dubio emit, sit etiam sine controversia emptor malæ fidei; quia debuit priùs indagare veritatem, secùs culpabiliter rem illam contrectat: tamen non statim, ac habetur rumor, vel suspicio, quòd, qui vendit, soleat res furtivas vendere, judicandus est injustus venditor: sed debent rationes alicujus momenti id persuadere: quia nemo, præsumendus est delictum committere.

2. Iam verò duplici modo se habere is potest, qui rem ejusmodi furtivam emit. Primò, animo sibi retinendi. Secundò, animo reddendi illam domino, à quo pretium suum recipiat.

3. Si se habeat priore modo, præter peccatum furti debebit illam rem domino restituere, ut nimis est clarum, etiamsi multo pretio eam emisset, & etiamsi hoc pretium à suo vẽditore nequaquam esset recuperaturus. Ratio est, quia, qui dolosè agit, dignus est, ut amittat rem, & pretium.

4. Hinc fit, ut ipse fur, qui accepto pretio rem furtivam vendidit, & eandem consignavit ei, qui sciebat rem esse furtivam, si facti ipsum pœniteat, non debeat reddere pretium ipsi ementi, sed domino rei. Ita Molin. *tom.* 3. *d.* 330. *n.* 3. Ratio est, quia dum ipse mens sciebat rem illam furtivam esse, sponte, & culpâ sua se subjecit periculo amittendi pretium, & rem.

5. Sed emergunt duæ non passim obviæ difficultates. Prima est, an si dominus jam ab emente recuperavit rem suam, possit fur retinere sibi pretium habitum ab emente, quandoquidem diximus pretium reddi non debere ipsi ementi? Respondeo. Sanè tunc æquitas non vult, ut latro diteſcat alienâ pecuniâ: quare in eo casu reddere debere pretium emptori, & ita judicandum fore à judice etiam in foro externo, mihi dubium non est.

Quòd si fortè dominus habuit jam pretium suæ rei ab ipso fure, non est justum, ut idem dominus ha-

beat etiam rem ab emente, sed vel reddat pretium ei; cujus est, suam rem repetendo, vel rem relinquat ei, qui pretium solvit.

6. *Secunda.* Quisnam primo loco debet restitutionem facere domino, fur, qui vendidit, an emptor malæ fidei? Respondeo, si res in individuo extat apud emptorem, ipsum debere primo loco restituere, certum est quia res ubicumque invenitur, domini est, adeóque ipsi reddendam. At si emptor eam jam consumpserit, vel sine spe recuperandi alienaverit, major est dubitatio, quia utérque personaliter obligatur ad faciendam æqualitatem cum domino. Puto (ut iterum dicetur, cùm de ordine restitutionis) emptorem. Ratio est, quia, qui rem destruit, omnium maximè domino nocet.

7. Si posteriore modo se quis gerat, emat nimirum rem furtivam, animo eam reddendi domino, utatur hac universali regula ex Sanch. *lib. 2. de matrim. d. 41. num. 29.* Castro Pal. *1. tract. 1. 3. part. 3. num. 4.* Less. *lib. 2. cap. 14 d. 3. num. 19.* Mol. *tom. 3. d. 721. num. 2.* Toties licitè potest quis rem, sivè certò, sive dubiè furtivam à fure quocunque pretio emere, ut tradat domino, quoties sic emendo utiliter negotium domini geret. Et tũc dominus pretium illud, sive parvum, sive magnum obligabitur, si rem suam velit, dare emptori. Ratio regulæ est, quia ex omnibus legibus, licet cuique benefacere proximo, & ex alia parte, non est defraudandus suo is, qui negotium utile alterius gerit.

8. Hinc fit primò: Si rem furtivam modico pretio emas. Secundò, si justo, quando dominus propter affectum ad rem suam, vel ejus necessitatem, justum idem pretium ad eandem suam rem recuperandam contulisset. Tertiò, si etiam excessivo, quando pari modo alterum tantùm dominus solvisset pro re sua; fit, inquam, ut tu possis sic emere loco domini, & sic utpote qui ejus negotium utiliter gessisti, tuum pretium recuperabis.

9. Fit contra secundò, ut quando ejusmodi affectu circa rem suam dominus caret, non obligetur ad dandum tibi pretium neque justum, neque excessivum, si eo pretio emisti, sed solùm ad dandum modicum à prudenti viro secundùm varias circumstantias, in præmium diligentiæ, vel industriæ taxandum.

Ratio est, quia radix, unde dominus pretium dare debet, est, quia utiliter ejus negotium gessisti: at sic utiliter agitur pro domino, si is cogatur emere justo, vel excessivo pretio rem suam, qua fortasse libentius caret, quàm tanto pretio eandem redimat.

10. Vnum difficile hîc se offert: Si tu inculpatè judices dominum habere ejusmodi affectum, seu necessitatem, re vera tamen non habeat obligabitúrne dominus rem à te pluris emptam eodem excessivo pretio redimere? Obligari sentit Lessius *libro 2. capite 15. n. 10.* quia bona fide emptor se credidit utilem gestorem negotiorum domini. Non obligari tenet de Lugo *lib. 1. de just. d. 17. sect. 1. num. 4.* quia uelis gestor verè emptor non fuit. Fac enim putasse rem à domino æstimari, ut centum, cùm æstimetur ut duo, vertetúrne in damnum domini ignorantia, & error emptoris, ut idem dominus centum dare cogatur.

11. Equidem unum inquiro à de Lugo: Si parvo pretio rem domini recuperem, sed deinde dominus verè, & sine fraude (quod ex circunstantiis à prudenti viro erit colligendum) inveniatur rem illam ne parvo quidem eo pretio æstimare, privabitúrne suis modicis illis expensis emptor? Non puto privandum, quia licèt dominus sic per accidens sit affectus, prudenter per se egit, & utiliter negotium illius emptor. Non ergo est omnino Lessij doctrina à de Lugo repellenda: sed sit hujusmodi regula utrosque concilians: Tunc debet pretium, quamvis excedens dominus dare emptori quando emptor non temerè, sed prudentibus innixus fundamentis judicavit, se bene gerere negotium domini, illud excedens pretium latroni offerendo. In hoc casu intelligendus est Lessius: secùs vero debebit; quando scilicet imprudenter: in quo casu intelligendus est loqui de Lugo. Ratio regulæ est, hac distinctione posita, vere & per se dicetur utiliter gotiorum gestor.

12. Petes. Licitène emetur ejusmodi res furtivæ certi domini, eo, animo, ut si appareat dominus tradatur; si verò non appareat, retineatur ab emptore? Respondeo, licitè emi, & retineri, modò non negligatur moralis diligentia inveniendi dominum, cui dandum si is appareat omnino debes, recuperato tuo pretio, ita modò dicta.

Vnum valdè notandum: Nam si justo, vel etiam pretio rem illam, verbi gratiâ, vestem à fure, animo emisti, totam vestem, nullo apparente ejus domino, retinere licitè vales. At si emas modico pretio, debeas, quod deest usque ad justum expendere in pios: sicuti aliqui censent de omnibus rebus incertis domini, colligetur ex dicendis *inf. tract. 4. cap. 1. §. 3. præsertim* 31. Certè ad usus Ecclesiarum solent, ut ante applicare Christiani Calices, ac supellectilem sacram, quando ea, quamvis modico pretio, emunt à Pyratis, fidelibus: imo pacto suæ obligationi faciunt, sine controversia, satis.

Si res à te parvo pretio redempta cum animo reddi domino fuit dubiè furtiva, potest post adhibitam diligentiam (quam omnino adhibere teneris, quia scio, ut diximus *num. 1.* esse possessor malæ fidei,) potes, quam, si veritas nequeat cognosci, sine ullo onere retinere jam enim tunc incipis esse bonæ fidei possessor.

13. Quandos spes nulla apparet, quòd dominus tua suam recuperare possit, quia nimirum, si tu non emisses, emissent alij, qui nunquam domino reddidissent, puto te posse illum emere vilissimo quocunque pretio, & tibi retinere sine onere dandi quid pauperibus. Ratio est, quia tunc dominus pro derelicta debet tua suam habere. Lege Lessium, *lib. 2. cap. 21. dub. 11. n. 15.* cui adde Mol. *t. 1. d. 118.* qui ex hoc capite excusat eos, qui merces captas ab Hæreticis publico mercatui exponitas emit.

14. Quid, si deinde, fortuito casu, apparet certus dominus? Respondeo, recuperato à te pretio tuæ industriæ, ipsi rem esse reddendam, quia res ubicunque, & quomodocunque inveniatur, domini est. Sed fortasse non videbitur alicui improbabile, posse saltem aliquando retineri.

Nam si ejusmodi fuerunt circumstantiæ, ut dominus verè illam rem pro derelicta habuerit, jam dominium illius à se abdicavit, atque adeò ad illam jus amplius non habet. Lege *inf. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 4.* discernendum autem, quando rem suam dominus pro derelicta habeat, ita ut ejusmodi res sub nullius dominio sit, & consequenter sit primi occupantis, hanc regulam in simili habet de Lugo, de justit. tom. 1. disp. sect. 10. num. 100. & sect. 12. num. 140. *Quando, inquit, sive ratione temporis longinqui, sive aliarum causarum æquivalentium, putà loci distantia, potentia furis, vel utilitas, &c. res tam sit extra potestatem domini, ita ut ad illo non possit ullo modo recuperari, eo ipso censetur à domino carere.* Hæc in gratiam hujus probabilitatis tamen, quia regulariter non præsumitur dominus absolutè rem suam velle pro derelicta habere, sed sub conditione, donec sit modus eam recuperandi, cùm non præsumatur suas res propter quamlibet vulgarem difficultatem recuperandi, velle prorsus amittere, ideo apparenti domino res erit regulariter modo dicto restituenda. Vide quæ dicam *tract. 3. cap. 2. §. 8. num. 12.*

15. Illud concedo, posse nos sequi cum Lessio *l. c.* & Molina *loc. cit.* tibi jus competere petendi à domino illud pretium, quo rem emisti à dictis latronibus, si illam velit, qui si noli pretium illud dare, eam tibi pro teris retinere. Ratio est, quia cùm nulla fiat injuria domino,

dominio, immò ejus negotium bene geratur, censetur consentire in tuam emptionem, & voluisse, ut potiùs fieret tua cum onere, ut eam (reddito tibi illo pretio) sibi resumeret, quàm omnino irrecuperabiliter amitteret.

16. An qui rem bona, vel mala fide à fure emit, vel alio accepit, possit aliquando eandem reddere furi, dicetur *tract.3.c.3.§.2.&.3.*

## CAPVT IX.

### *De peculiaribus quibusdam Furtis in ludendo, venando, &c.*

DE his, non solùm, quæ ad furtum, restitutionémque pertinent, hîc subiiciam, sed etiam quæ ad eorum completam faciunt tractationem, ut scilicet uno contextu tota eorundem cognitio habeatur, & ne ad eadem cum molestia lectoris, meóque labore iterum revertere cogar.

#### §. I. *De Furtis, & obligationibus ludentium.*

LVdus est certamen quoddam susceptum ad competentem animi oblectationem, cui, ne frigeas, solent adjungi pactum, seu contractus quidam, ut victori res à utroque exposita approprietur.

2. Et quidem certum sit primò, ludum ex se non esse vitium, spectare ad virtutem Etrapeliæ, seu affabilitatis, ita S. Thom. 2.2. *quæst.* 168 *art.* 2. Ex se, inquam, non adsit periculum blasphemiæ, rixarum, furti, &c. esse illicitum, ignorat nemo. Nec item est illicitus ex eo præcisè, quòd fiat ex intentione lucrandi, siquidem affectus lucri moderatus, si intendatur media via justa, ut fit etiam in aliis contractibus, illicitus nequaquam est.

3. Certum sit secundò, aliquos ludos legibus esse prohibitos, nempe eos, in quibus magis fortuna, quàm ars dominatur, ut ludus alearum, & taxillorum esse solet. Lege Molin. *tract.* 2. d. 521. Rebell. 2 *part. lib.* 12. *quæst.* 1. Lessium *loc. cap.* 26. Val. *part.* 5. Quoad laicos tamen, secluso alio periculo, ire contra has leges, non est mortale; saltem ob præscriptam illarum legum desuetudinem. Quoad Clericos si sint Beneficiati, vel in sacris, vel Monachi, quando sunt Aleatores per modum habitus, putat Sanchez *tom.* 1. *conf. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 28. esse mortale. Dico (aleatores per modum habitus) nam contra hos videntur Canones loqui. Lege Rebell. Lessium *loc. cit.* Quare excusabitur à mortali, qui semel, aut bis, per luserit, aut si crebrò non tamen per longum tempus. Sylvester, & Caietanus apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 183. (legatur Mol. *d. d.* 521. *num.* 6. & idem Dian. *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 3.) excusant omnino hos Clericos, vel Monachos, quantum est ex vi juris positivi, quia, quòd, pro ipsis in desuetudinem abiit. Semper excipe, nisi in Diœcesi sit aliqua peculiaris constitutio ludum graviter prohibens.

4. Certum sit tertiò, antecedenter ad ludum debere abesse fraudem, ac dolum. Quare si positivè fingis te imperitum ludêdi obligaris ad restitutionem. Notat autem Rebellius *l. c. q.* 4. *n.* ... si tua peritia ignota ludendi tanta fuit, ut extra omne periculum semper lucraturus fis, teneris te ad restituendum totum; quod lucraris: Si verò in duplo, vel triplo minori periculo perdendi fis, non teneris nisi ad dimidiam, vel ad tertiam partem, &c. Sed certè probabile est sive noscatur sive non noscatur peritia, vel imperitia alterius, nec illicitè agi, nec inde oriri obligationé restitutionis, si sine positiva fictione, seu fraude procedatur. Ita Salon. aliique apud Dian. *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 29. & *resol.* 31. Ratio potissima mihi est, quia, ex more jam recepto, quilibet ex colluforibus cedit in hoc juri suo, dum suscipit sponte ludum.

5. Quando vi, minis, injuriis, vel similibus aliquem pertrahis, ut ludat: & is postea perdit, te debere restituere acquisita per hunc coactum ludum, communior fert opinio: lege Dian. *part.* 2. *tract.* 17. *res.* 37. & *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 169. At Bonacina *d.* 2. *de rest. in part.* 9. 2. *part.* 2. *n.* 9. Dic. Trull. Turt. citati à Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resolut.* 32. satis probabiliter, non obligant pertrahentem ad restitutionem, multò minùs pertractum. Ratio est, quia esto, injuriosè se gesserit pertrahens, unde huic injuriæ, si gravis fuit, satisfacere suo modo debeat: tamen contractus fuit justus: æquè enim colluſor uterque perdere, & acquirere potuit, & æquè sufficiens fuit consensus, quamvis meticulosus in altero. Addit Bonacina à Confessariis non solere ejusmodi pertrahentes obligari ad restitutionem.

6. Certum sit quartò, à ludo ipso debere omnem fraudem exulare: Quare si ea utatis contra ludi leges, teneris reddere tum id, quod lucratus es, tum quod victus à te certò (vel si probabiliter, pro rata probabilitatis) lucraturus fuisset, Fraus autè esset, si chartas suffureris; si eas signis notes; si ludas tertio quodam admonente de punctis adversariis, si decipias in numerandis calculis, vel pecunia, &c. Quando est dubium, an alter lucraturus fuisset, diximus *jup. lib.* 1. *c.* 3. §. 7. *v. Ludus.*

Illud certè est probabile, cum, qui vicit ludentem usurpantem fraudes, posse justè, quæ vincit retinere. Ita S. Thom. Sylvest. S. Ant. aliique excepti, ac citati à Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 169. contra Victoriam, Garz. Alcozer. & alios. Ratio est, quia ipse ex parte sua sincerè ludit, ergo non est propter culpam colludentis lucro suæ victoriæ defraudandus.

7. Dixi autem (contra legem ludi) quia aliquæ fraudes, seu astutiæ permittuntur, v. g. quando habes talem sortem, seu tale ludi initium, ut omnino victurus sis, duplices tamen spensionem, vel quando non habes, unde sis certò vincendus, pari modo duplices ad deterrendum adversarium, &c. sepè etiam alicubi usu receptum est, ut quando qui se decipit in numerandis calculis, sibi imputet.

His certis positis, ad peculiares quasdam explicationes descendamus.

#### *Ludere pecuniâ sive numeratâ, sive creditâ.*

8. Dicendum est primò, furtum non committere eum, qui acquirit aliquid per ludum etiam prohibitum, atque adeò nec obligari ad restitutionem, nisi post sententiam Judicis. Ita Molina *d.* 523. Lessius *loc. cit. num.* 17. Ratio est, quia leges (loquimur de locis, ubi viget jus commune) solùm concedunt ei, qui perdidit per ludum vetitum, repetitionem in judicio, & negant victori actionem, si fortè perditor nondum solvit, idque in pœnam: at pœnam nemo tenetur solvere, nisi post sententiam.

9. Hinc in lûdo vetito perditor, qui solvit numerato, non potest ante sententiam occultè per compensationem aliquid sumere à victore, quia hic nihil debet ante sententiam. Solùm ergo, qui dedit poterit comminari repetitionem, immò & pacisci cum victore de recipiendo aliquid in pretium, quod juri suo cedat non repetendo.

10. Quæres; Si perditor non habet animum repetendi à Judice, sed pacisci tur tamen id fingens, potéstne retinere, quod exigit, ne repetat? Respondeo, Molina hunc non esse tutum ait in conscientia, si retineat. Puto tamen esse tutum, quia verè habet jus repetendi, potéstque repetere: cui juri verè cedit, quod est pretio æstimabile.

11. Dicendum est secundò: Qui ludo prohibito lusit, creditâ pecuniâ, potest nō solvere. Ita Mol. *d.* 523. & 524. Lessius *loc. cit.* Sotus, Navarrus, Tolet. contra Medinam, & Salon. apud Barthol. à S. Fausto *loco mox citando*, q. 12. Ratio est, quia, quamvis præscribendo à Jure communi positivo, deberet solvere, unde, ubi non viget Jus commune, omnino debet: (in tota Gallia, Hispania, Anglia

Anglia, & ferè tota Italia, jus commune Cæsareum: non vigere, docet Bartol. à S. Fausto *in Speculo Confess. d. 32. q. 5. num. 5.*) tamen jure hoc posito, non tenetur siquidem, quod sit circulo illo, (ut nimirum priùs solvat, & deinde per Judicem repetat) potest per se facere, cùm moraliter idem sit; multò magis, si in judicio, ex defectu probationis, timeatur vel mora magna, vel negatio Justitiæ. Neque dicas, hæc est pœna; ergo debetur post sententiam: nam respondeo ita quidem esse: tamen, cùm retinere eam meam ante, vel accipere post sententiam, re ipsa æquivaleant, non est injustitia alterutrum modum eligere. Aliter respondent alij.

Quòd si quis fortè juravit se soluturum, tenetur solvere ob reverentiam juramenti: licèt possit deinde repetere. At si etiam juravit non repetere, nec repetere posse ante absolutionem juramenti, dictum est *suprà, lib. 3. in decalogum, cap. 2. §. 5. à n. 6.*

12. Carolus V. pro Regnis Hispaniæ tulit legem prohibentem ludere credito, etiam ludis alioqui permissis, & insuper irritas, & nullas effecit quascunque promissiones, & obligationes; ex quo fit, ut intra Hispaniam, etiam in ludis permissis non teneatur quis solvere, quod credito perdidit: cùm ex Jure communi solùm non teneatur in prohibitis.

Petes: Si uterque ludens renuntiet legi concedenti, cedátque Juri suo, poteritne alteruter non solvere, & solutum repetere? Respondeo, si non intercessit juramentum, potest, quia huic juri facto in favorem boni communis credere nullus valet; si intercessit juramentum, videndum est, An juramentum contra leges positivas obliget, de qua re nos fusè in superioribus *lib. 3. cap. 2. §. 5. à 39.* disputavimus.

13. Dicendum est tertiò: Si quis, cùm luserit credito, solvat id, quod amisit, posse victorem illud justè retinere. Ratio est, quia lex solùm concedit posse repeti, non verò non posse retineri; ita Molin. *loc. cit.* licet contrarium sentiat Rebell. *loc. cit. q. 8.* & saltem ita consuetudo optima legum interpres explicuit. Cosonat quod dixi *num. 9.*

*Ludere cum animo non solvendi, vel non solvendi nunc.*

14. Si quis sive credito, sive numeratâ pecuniâ animo non solvendi ludat, atque id alter ignorat, nō potest retinere quod lucratur. Ratio est, quia contractus fuit inæqualis alterum decipiendo: Suppono enim colluſorem similem animum non habuisse. Si quis ludat animo non solvendi nunc, colliges ex dicendis *mox num. 17.*

*Vincere plus, quàm amittere.*

15. Si ludatur pecuniâ numeratâ. Quæri potest, An alter vincere plus, quàm habeat, possit? v. g. habet quis solùm quatuor, potéstne sine injustitia vincere octo, vel plus. Respondeo uno jactu, & cum una persona non potest, quia contractus non esset æqualis, si solùm potest perdere quatuor, sed vult vincere octo. Lege Sot. *in 4. q. 5. art. 2.* Arag. *2. 2. q. 32. art. 7.* Alcozer. *tract. de Ludo, c. 16.* aliósque.

16. Dixi (cum una persona) siquidem quando sunt plures colludentes, v. g. sex, & singuli ponunt, v. g. quatuor, poterit victor uno jactu vincere viginti à quinque suis colluſoribas.

Dixi item (uno jactu) nam in toto ludo, distingui solet (id debent docere Sanchez, Lopez, Beia, Toler. aliique cit. à Diana *parte 1. tractatu 8. resolut. 67.* dum aiunt, posse vinci plus, quàm quis potest perdere.) Si enim tu fingas habere multum pecuniæ, decipiásque alium, qui putat te habere multos nummos, teneris restituere illud plus, quod lucratus es. At verò si nihil fingas, non teneris. Ratio est, quia in priore casu tu illum fallis, in posteriore ipse te decipit. Verùm, cur eadem distinctio adhibita non est, quando agitur de uno jactu?

17. Expediriùs igitur dic id, de quo disputamus praxi ratò contingere. Nam quamvis luſor non habeat nisi, v. g. quatuor, habet tamen potentiâ, cum possit regulariter ab alio sibi mutuare, atque adeò possit credito (sed absit fraus nolendi deinde solvere) enim pacto clarè esset injustus contractus, ut dictum *num. 15.*

Neque obstat pactum fuisse de ludendo numerata pecuniâ. Non obstat, inquam, nam fere vera sim de pecuniam ex mutuo; vel ex aliqua alia ratione habet rus, eámque colludenti sincerè solutus, non est unde judicet pactum graviter infringere. Quæ dicta, etiam videtur vera in ludente pecuniâ prorsus sua, sed cum animo, ut si perdat, sincerè solutu propediem sit.

*Ludere cum his, qui alienare nequeunt.*

18. Qui cum his ludit, & peccat, & restituere tenetur, quod lucratur. Rursus ij, qui nequeunt alienare pecuniam propriam non habent, quam colluſori vincenti solvere possint, tenentur eidem colluſori restituere, quod lucrati fuerint.

Ratio hujus dicti posterioris est, quia non initum contractum æqualem, dum vincere voluerunt, sed dere non potuerunt. Ratio prioris est, quia accepit rem alienam invito domino. Excipe, nisi colluſor illum alienare non posse, illum esse, verbi gratiâ, familiumfamilias carentem peculio: tunc enim restituens liusfamilias non tenetur, quod vincit, quia colluſor scienti, & volenti nulla facta est injuria. Ita Sanch. Henriquez, Azor. Bonacina apud Dianam *parte 1. tractatu 8. resol. 67.*

Jam percurramus singulos, qui alienare nequeunt. Filiusfamilias, quid possit in ludis expendere, dictum *superiùs* est, & unum tangam *mox num. 7.*

19. Vxor potest perdere: Primò bona paraphernalia. Secundò, ea, quorum habet liberam administrationem. Tertiò, quæ vir tacitè, vel expressè concessit: tacitè autem concedere censetur ea, quæ similes mulieres ejusdem conditionis solent ludo apponere, vel alios usus pro suo arbitrio consumere, ut *superiùs dictum cap. 2. §. 3.* diximus.

20. Maritus, inscia, nolentéque uxore, ea exponere ludo potest, quæ sunt liberè sua: Quare, quamvis non ratò peccet, etiam in his exponendis peccato contra liorum charitatem, & familiæ, si propter ludum iis gra viter necessaria desint: tamen colludentes si vincant non obligabuntur ad restitutionem, quia à potente alienare pecuniam accipiunt. Quæ verò ad uxoré pertinent ludo committere, eâ invitâ, maritum nō posse, nimis manifestum, de quibus bonis dictum est satis, *dicto cap. 2. §. 3.*

21. Servus potest ludo exponere, peculium, id est quæ sub suo pleno dominio sunt: quæ autem sunt modi, vide *superiùs, dicto cap. 2. §. 1.*

22. Quid de famulo qui luserit pecuniis, quas depositas apud se habet domini sui? Idem quære de depositario non famulo.

Respondeo, vel de peccato interrogas, vel de obligatione restitutionis.

23. Si de primo, peccat quando dominus esset graviter invitus, quia injuria est te re mea velle uti, re pugnante. Quoniam verò, quando nullum damnum evenit domino (ut si famulus promptus est in reddendo depósito, ubi primum dominus illud popoſcerit) non est gravis rationabiliter injuria, ideo tunc erit à peccato tem mortali depositarius excusandus. Idem certè si concedi famulo, si is pari promptitudine reddendi, sine ullo domini damno, negotietur pecuniam ejusdem apud se depositam applicando sibi lucrum. Ita Sot. aliique apud Rebell. 1. *part. q. 4. n. 22.*

24.

24. Si de restitutione loquaris, erit distinguendum, cum Rebel. c. si enim nomine suo famulus illam pecuniam ludo committat, debebit quidem eam reddere, non verò quod ex ludo lucratur.

Ratio est, quia sicuti damno suo ludit, sic lucro suo acquirit. At si nomine domini, utrumque debebit; forcem, quia est domini, lucrum quia domini nomine aquisitum est.

25. Religiosus vel ludit cum consensu Superioris vel tacito, sive expresso, vel sine consensu. Si sine consensu. Dico primò, certum esse ipsum contrahere obligationem restitutionis tum illius, quod ipse lucratur, quod certè debet restitui collusori, tum illius quod idem Religiosus perdit, quod à victore debet Monasterio restitui, & in victoris defectu ab ipsomet Religioso de proprio peculio, si illo fruitur, vel alio simili modo ut de Religioso furtum committente dicemus universim *infrà, tractat. 4. cap. 1. §. 1.* Ratio hujus dicti est, quia contractus est nullus, ut ex dictis patet.

26. Si cum consensu Superioris ludit Religiosus, Dico secundò, non esse obligationem restitutionis, quia contractus est validus, possétque esse utilis Monasterio.

Inquires, potéstne Religiosus consumere ludo, quod habet tacitè, vel expresse à Prælato in suam honestam recreationem? Id quòd etiam potest quæri de Religioso qui ad scientias, verbi gratiâ, discendas, vel ad alia negotia sustentatur extra Monasterium: debet enim & ille habere aliquid proportionatum in suam honestam recreationem.

Respondeo: Rebellius *loco citato quæst. 4. num. 6.* docet nunc nullam esse obligationem restituendi, quia Prælati, etiamsi prohibent ludum suo Religioso, solùm sunt invisi modo, non in substantia alienationis: jam enim concedunt eam summam alienari posse in recreationibus, quam summam esse quatuor, vel quinque aureos ex centum annuis, docet idem Rebell. Contrà, Rodriquez *t. 2. quæst. Reg. 48. art. 3.* ait semper adesse obligationem restitutionis, quia numquam præsumitur Prælatorum licentia ad expendendum in ludo. Sed est distinguendum: Si ludus sit prohibitus, & indecens statui Religioso, puto cum Rodriquez nunquam præsumi licentiam, ne ad substantiam quidem; quare tunc adesset præter peccatum, onus restitutionis. Si sit licitus, & honestus, cùm præsumitur licentia, saltem quoad substantiam alienationis, utrumque onus peccati, & restitutionis evitabitur.

27. Quod dico de Religioso, dictum intellige de filio sæculari ludente cum pecuniis paternis. Solùm advoim Patre sæculari præsertim nobili, ac divite facilius, & fortasse semper præsumi Patrem non esse invitum, quoad substantiam, licèt sit quoad modum; si filius amittat, etiam in ludo prohibito illam quantitatem consilium tacitè in recreationem; quia minùs sæculares Patres ad hanc prohibitionem attendere solent, quàm Prælati Religiosi.

*Fures ludentes.*

28. Fur, & usurarius, similésque vel ludo exponunt eandem rem numero, quam furati sunt, vel ejus pretium. Si primum, collusor, qui etiam bona fide lucratur, debet, ubi furtum cognovit, rem dominò, non ipsi furi, vel usurario (quidquid alij innominati apud Rebell. *2 p. quæst. 4. num. 15.* dicant) restituere; quia dominium rei ablatæ semper remanet apud dominum. Facta autem hac restitutione, fur tenebitur æstimationem rei ipsi collusori restituere: nam contractus hic fuit justus, & validus, unde justè ex Mol. *d. 518.* collusor illam æstimationem acquisivit. An, ut recuperet quod justè jam vicit, possit collusor rem reddere furi, colligi potest ex dicendis *Tractat. 3. capite tertio §. 2. & 3.*

29. Quòd si collusor sciebat rem fuisse furtivam, & nihilominus lusit, Mol. *d. 337. n. 6.* negat furem debere restituere collusori illam rei æstimationem, quia contractus ludi fuit nullus, ut potè de re scienter aliena.

30. Si secundum, ideſt, si à fure committatur ludo pretium rei ablatæ, tunc, si non habet fur alia bona, collusor, qui, etiam bona fide lucratur, tenetur re cognita, restituere dictum pretium, quia contractus ludi fuit nullus, cùm illud rei pretium omnino solui debuerit domino, & consequenter ludo exponi à fure non potuerit. At si fur alia bona habet, non tenetur collusor, quæ vicit, restituere. Ita Bonacina *d. 1. de rest. in particul. quæst. 2. part. 2. num. 18* quia fur potest per alia hæc bona facilè satisfacere, atque adeò exponendo illud pretium validum fecit ludi contractum. Hinc etiam fit, ut in hoc posteriore casu, si fur ipse vincat, non teneatur restituere collusori quod lucratur, tenetur in priore, quia in posteriore contractus fuit validus: at fuit in priore nullus. Faciunt huc quæ dicam. *Tract. 3. § 4. num. 26.*

Quòd si collusor sciebat pretium illud esse furtivum, nec furem habere alia bona, recurret doctrina modò data à Molina *num. 29.*

*Cooperatores ludi, ubi de loco, quem appellamus* Barattaria.

31. Qui domum, mensam, taxillos, Chartas, similiáque subministrant ad ludum, peccant mortaliter, si ludus sit mortalis, quia illi cooperantur; ut taceam interim hanc subministrationem multis in locis esse lege prohibitam. Tenentur etiam ad restitutionem rerum ibi perditarum, si perdantur fraudibus, aut ab iis, qui alienare non possunt. Lege Navarrum *in Man. cap. 20. num. 15.* Rebell. *loco citato, quæst. 5. sect. ult. num. 5.* Molina *disp. 5 1. num. 5.* & *d. 233. n. 3.* Tenentur autem secundo loco, ideſt, in defectum colludentium, ut ex *infra* dicendis colligetur. Cùm autem hæc subministratio sit ex se actio indifferens, posse ex rationabili causa excusari à cooperatione peccati: ita de Lugo *tom. 2. d. just. d. 19. sect. 2. §. 4. num. 76.* sed quia est in materia Justitiæ, causa debet esse major, ut diximus, *sup. lib. 5. cap. 1. §. 4. à numero decimo quinto*, quàm in cæteris; utique, omnibus expensis, proportionata actioni.

32. Appendix prædictorum est illa Quæstio, An Princeps licitè possit concedere, vel permittere licentiam liberam exponendi domum (*Barattaria*) ad ejusmodi ludos? Et absolutè negativè respondemus, cum Sanchez Trullench. aliisque apud Dian. *part. 7. tract. 9. resol. 39.* quia æquè cooperaretur ad ea damna, quæ non sunt à Principe permittenda.

Dices, permitti solent meretrices, ergo, & hujusmodi lusoriæ domus. Respondeo, adesse manifestas disparitates. Nam primò, majora mala timentur in Rep. ex peccatis contra Iustitiam, quàm, contra Castitatem. Secundò Princeps non debet esse tam sollicitus de peccatis ex se occultis. Tertiò, Faciliùs abstinetur à prædictis injustis ludis non data commoditate, quàm ab impudicitiis, quæ, ne pejores committantur, si meretricium prohibeatur, meritò timentur.

33. Excipit Diana *part. 2. tract. 15. resol. 65.* ludum (*Bonavoglia*) & ludum *Capo di Guardia*. Hos enim posse Principem permittere concedit propter rationabiles causas. Nam prior mundat Remp. hominibus perditæ vitæ: posterior tollit Militum otium. Sed in hoc posteriore adverte, illuc solos Milites, non verò alios debere confluere; secùs jam non esset ad levandum dumtaxat Militum otium, & rediret doctrina data *num. 32.*

34. Superioribus hisce diebus exagitatum fuit, An viro Nobili liceret in domum suam, non quidem populares quoscunque, sed similes sui Nobiles ad ludendum admittere, iisdémque aleas, & similia subministrare,

ministrare. Distinctum à me fuit: Si, omnibus expensis, ludus est licitus, nec timentur illa inconvenientia blasphemiarum, nec pecuniæ paternæ, vel uxoriæ, vel alienæ consumptio, &c. sed mera otij sublevatio, licere; sicuti licitus est ipse ludus. Si contra, nullo modo, quia jam redirent dicta *numeris præcedentibus*.

35. Inquires: Hi ministrantes mensam, chartas, imò & aquam, vinumve, frigida, & similia ludentibus, possuntne sine onere restitutionis retinere excessum pretij, quem communiter pro dictis rebus accipiũt ab iisdem? Respondeo, probabile est posse, præscindendo ab alio inconvenienti, Ita Diana *part. 5. t. 14. res.* 36. Ratio est, quia quando quis scit valorem rei, & tamen necessitate non compulsus, nec vi, metu, dolo actus, illam majori pretio emit, judicatur excessum velle liberaliter donare: Ita Navarr. Med. Reginald. Mol. *ibidem* citati. Multò magis si res agatur inter consanguineos, & amicos. Ita autem regulariter est in casu nostro. Idem confirma ex Sà, v. Venditio, num. 1. *Qui pro re empta* (inquit) *plus justo dat sine vi, fraude, ac errore, præsumitur donare.*

## §. II. *Venator, Piscator.*

1. ACcipe de his breves in legis morem Aphorismos: Animalia, quæ domino carent, qualia communiter sunt quæ consuetudinem non retinent redeundi ad dominum, sive in suo, sive in alieno fundo, vel mari capias, tametsi ibi prohibita sit Venatio, vel Piscatio, tua sunto, nec restitutioni subduntor. Ita Lessius *lib. 2. cap. 5. d. 39.* Azor. *part. 3. lib. 1. cap. 13. quæst. 2.* Rebell. *part. 1. lib. 1. quæst. 14.* Molina *d. 41. & 51.* Laymã. *lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 2.* Esto si justa sit lex prohibens (quæ etiam justa præscindendo à gravi aliarum rerum damno non obligat ad mortale, ex Lessio *loco citato, num. 40.* lege Castro Pal. *tom. 1. tract. 3. d. 1. p. 15. num. 6.* Dicastill. *loco mox citando, num. 303.*) Esto inquam, tenearis ad pœnam, si qua est: sed post sententiam Iudicis, & ante illam ad dicta damna vineis, segetibus, arboribus fortassis illata. Ita Layman. *loc. cit. num. 14.*

2. Pisces, Cervi, Cuniculi, uno verbo feræ venabiles in locis circumscriptis, nimirum claustris, vivariis, piscinis inclusi, ne communes credũntur. Qui temerè sine domini consensu iis molestiam ferat furti condignam mulctam; etiam in foro conscientiæ, sustinet: ita Layman. *loco citato, num. 12. & n. 18. vers. si autem.* Quòd tamen nonnemo cum Dicastill. *loco mox cit. num. 312.* & Ioseph. Ianuar. apud Dian. *p. 9. tract. 8. resol. 48.* docet idem solùm intelligi de locis circumseptis, ita parvis, ut dominus pro libitu feras ibi inclusas capere queat, non verò de locis ita vastis, etsi concludis, ut in iis feræ difficillimè capiantur, esto probabile.

3. Inter damna, quando justa est prohibitio, numeratur detrimentum, quod, qui prohibet, fortè patitur, si te animantia captante, ipse nulla, vel pauciora captaret, non verò si eodem illorum numero cum eadem facilitate frueretur.

4. Si sobolem ferarum notabiliter extinxisti, vel si aquas veneno infecisti, unde mortua sit magna piscium vis cum gravi Reipub. vel domini damno, obnoxius esto restitutioni tum spei lucri ablati, tum justæ oblectationis ereptæ, quam tamen oblectationis jactura vix compensari ab ingenuo viro velle meritò præsumito.

5. Si Princeps venationem, piscationémve prohibeat ex sequentibus causis. Primò, ne illæ fiant certo quodam tempore: ut quando feræ sunt gravidæ, vel quando nivali tempore, nimis multæ cum publico detrimento capi possunt. Secundò, ne fiant quibusdam instrumentis, aut retibus, quibus, minutissimi quique pisces cum damno sobolis multiplicandæ, concluduntur. Tertiò, ne Piscatores, Venatoresve, simul conveniunt, rixarum, ac jurgiorum grave periculum pariant. Quartò denique, ne Cives proprias utiliora Repub. munera negligant, nimirum Agriculturam, Militiam, similésque necessarias artes, legitimè esse prohibitionem existimato. Ita iidem Doctores *eo citato.*

6. Usum jam receptum, ut quilibet possit venari alieno agro, dum non sit septus, vel vitibus consitus, vel seminibus gravidus, tanquam legitimum approbo. Ita Azor. *loc. citato.*

7. Si quando ab altero vulneratur, ab altero capitur fera, si vulnus sufficiens sit, ut fera capienda insequente insuper vulnerante, ejus esto fera, secus pientis. Ita Lessius *dubio 10. & 11.* explicans a jura.

8. Si eandem Canes alterius insectentur, alterius ro capiunt, simili proportione certæ vel incertæ alterutrius Canum victoriæ, prædæ beneficium debitor.

9. Quando fera incidit in laqueum, vel rete à me ratum, si probabile fiat eam se extricaturam à la esto alterius capientis: si verò certum moraliter meas manus peruenturam, à me illam nullus auf quod enim per instrumentum apprehendo, per me prehensum fuisse censeto. Ita Mol. *d. 42.* Less. *& 50.* ubi solvuntur aliqua jura, Dicastill. *loco mox. dub. 12.*

10. Præcisis legibus municipalibus, columbæ sticæ cum ad dominum redire soleant, domini ita ut ab aliis aucupio capi nequaquam possint; nisi nullus cibus à dominis iis porrigatur, unde ab tibus fata, damnum inde emergens, sine injustitia aucupio compensetur.

Verùm, quia ejusmodi damnum rarum, & exiguum esse ex columbis consuevit, (nam propter licita columbaria reputantur. Ita Mol. Val. Reb. quos sequitur, citatque Dicastill. *lib. 2. de just. tract. disp. 9. dub. 11. num. 319.*) idcirco vix unquam ejusmodi damnum simplices columbæ alienis subiiciuntur. Non ita in apibus, & canibus nas vineas cum uvarum notabili detrimento centibus.

11. Easdem tamen columbas ad tuum columbar attrahere nisi bonis artibus, & sine fraude, exne *loc. cit. n. 28.* liceat. Meliùs autem alere, commodaque locum tuis aptare, fraudem ne vocato.

12. Quamuis Clerici, & Monachi, ne munera desint, & ob decentiam interdicta sit frequens venclamosa, hoc est, equorum, canum, accipitrumstrepitu fervens: tamen præcisis extrinsecis forte incommodis, cùm ex le gravis deordinatio nequaquasit, sub mortali ne facilè ejusmodi Clericos, & Monchos illi venationi deditos reprehendito. Ita Layma *loco citato, num. 4.* afferens Cajet. Molin. Abb. Reb. Quietam verò, quæque rarò ob honestam animi relationem ab iisdem assumitur, nulla lege ipsis interdicta esse, ne ignorato. Ita Molin. *disp. 44.* Lessius *num. 40.* Dcastill. Gaspar. Hurt. Diana eosdem citans, *part. 6. tract. 8. resol. 40.*

## §. III. *Lignantes, Pascentésque.*

1. DE his quoque breves proferantur, instar Legis Canones.

Si Pascua, silvæque ad Communitatem pertinent, omnes qui ex eadem sunt, iisdem utuntur, fruuntur. Ita Molina *disp. 58. & 59.* Sotus. *lib. 4. de just. quæst. art. 4.* Lessius *loco citato, disp. 14.* Reb. *part. 1. lib. quæst. 15.* Si tamen Magistratus ob bonum publicum prohibeat, subditi non parentes ad pœnam à Iudice condemnantur: non autem in conscientia peccare, nec ad restitutionem obligari ante sententiam credunt. Ita apud Castro Pal. *loco citato, num. 6.* & Dicast. *lib.*

*just. tract. 2. disp. 9. dub. 13. n. 343.* præterquam, si debita eorum portione notabiliter pro conceptibus diminuerave iisdem intulerint detrimentum.

2. In dubio, an Sylvæ, atque Pascua, ad Cives pertineant, an ad Principem, non ad hunc, sed ad illos ea spectare certum esto. Ita Laym. *l. c. n.* 18.

3. Alij, qui ex ea communitate non sunt, si ligna colligant, si pascua depascant, furti criminis rei sunto, & à mortali, & restitutione excusentur, ex Molina *l.* Laym consuetudine, tacitóque consensu, quo Cives vicinis oppidis, vicinum ad quotidianos usus hæc facultas sub illud solum periculum, ut deprehensi mulctam dent. Damnum tamen extraordinarium, ac magnum facientes ab hac consuetudine, vel à probabili illa opinione nequaquam excusantur.

4. Si nemora, vel pascua sub privato alicujus sint dominio, illis, præter dominum, uritur nemo, usum tamen habent juxta proportionem eorundem in Civitate asportandam, sed secundùm pretium in eodem, ubi fixa sunt, loco, & nondum sunt secta, aut fortè sunt arida, (quæ enim singula valdè diminuunt æstimationem prudenter dimittor. Ita Mol. *d. 58. vers. quinta conclusio.*

# TRACTATVS III.

## *De Restitutione.*

### CAPVT I.

### *Quid sit Restitutio, & quo præcepto jubeatur.*

REstituere ex S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 1. *Est iterato aliquem statuere in dominium, vel possessionem rei suæ.* Clarius; est *Redditio rei acceptæ, vel damni illati compensatio.*

1. Vertitur autem celebris Quæstio, An ea imperetur præcepto negativo, cujus natura est, ut obliget semper, & ad semper: an verò affirmativo, cujus est de determinato tempore obligare.

2. Præmitto breviter: Primò, præceptum affirmativum, seu, quod idem est, positivum esse de actu positivo, v. g. Assiste Sacro die festivo. Negativum esse de negatione, seu omissione actus, v. g. Ne blasphemes, Ne occidas.

3. Præmitto secundò in eo, qui ex Justitia aliquid debet, posse considerari obligationem, quam habet non retinendi rem alienam, quæ est omissio actus, & posse considerari obligationem, quam habet eandem reddendi, qui est actus positivus; verumque actum Justitia præcipit: Ne retineas alienum: & Redde domino, quod suum est. Hæc esse duo distincta, patet; nam tù debes, verbi gratiâ, reddere famam te retractando, si alium infamasti; & tamen propriè nihil aliud apud te retines. Ita positis:

4. Dico præceptum restitutionis principaliter, & per se atque adeò absolutè esse de actu positivo, adeóque esse præceptum affirmativum: esto minùs principaliter, & ratione alterius præcipiatur aliud negativum. Sic docetus Thomas *loco citato articulo 8. ad 1.* Nav. Molin. Reb. apud Layman, *lib. 3. tr. 2. cap. 2. num. 2.* contra Petr. Navarr. aliosque, est etiam contra Dicastill. *lib. 2. de justitia tractatu 2. disp. 1. dub. 5.* Ita post accuratam considerationem dicendum puto, nam alij modi loquendi, cum bene mihi perpendenti, & fortasse aliis nunquam satisfecerunt. Ratio nostra est, quia præceptum restitutionis principaliter, & per se eò tendit, ut fiat à te æqualitas Arithmetica cum domino rei ablatæ; quæ æqualitas est per omnes, ut probat idem Dicastill. *l. c. dub. 3.* contra Suarium, objectum adæquatum Justitiæ commutativæ, quæque non fit nisi per ipsam positivam redditionem; & quando idem præceptum Restitutionis imperat, ne retineatur res domini, ideo imperat, quia vult, ut à te rem non retinente eadem res reddatur domino; Nulla enim æqualitas resultaret, si rem tu non retineres, & tamen res domino non redderetur. Dixi (à te) nam si v. g. Equus ablatus fugiat ad dominum, tu per non retentionem equi, non observas præceptum restitutionis, sed solùm cessat tibi, ex defectu materiæ, restituendi obligatio.

6. Ex dictis approbare nequeo quod docet de Lugo, *tom. 1. de just. d. 8. sect. 2. num. 18.* dicens idem esse restituere, atque non retinere; Nam præter modò dicta de reddente famam, & alia, quæ dici possent, illud etiam ostendit hæc duo esse diversa saltem formaliter (quod ad nostrum intentum satis est) quia si ego intelligor quocunque tandem modo rem domini non retinere, si tamen positivè non intelligor reddere, nunquam intelligar æqualitatem Justitiæ commutativæ ponere, atque adeò non intelligar præceptum restitutionis observare: ergo &c.

7. Adde; si per de Lugo, *loco citato*, idem est non retinere, atque restituere: cur ipse ita argumentatur *ibidem*? Idem est dicere, restitue, atque dicere, non retineas: ergo restitutionis præceptum est negativū; Cur inquam, sic argumentatur? Nam profectò, si idem est sic etiam ego possem argumentari: Idem est dicere, non retineas, atque dicere, restitue, ergo restitutionis præceptum est affirmativum. Vera igitur ratio ducenda est ex fine, & intentione principali, & per se, ut dictum est &c. Et certè idem videre est in cæteris præceptis. Obligor, verbi gratia abducere equum à via, quæ est actio positiva, ne puer ibi jacens conculcetur, & ne occidatur. Obligor ad non manendum domi, quæ est actio negativa, ut audiam Sacrum die festo; & tamen nec illud præceptum de non occidendo, est affirmativum, neque hoc de audiendo, est negativum, quia nec ibi finis per se est affirmativus, neque hic est negativus.

8. Dices: Retinere alienum semper est peccatum; est enim, ut *suprà* vidimus, continua quædam ablatio rei alienæ: at manere domi, verbi gratia non est semper peccatum, sed solùm quando impedit auditionem Sacri. Ergo non currit paritas. Respondeo, nego non currere paritatem, utrumque enim, non ob aliam rationem obligat, nisi quia impedit actionem principaliter intentam; Retinere autem semper erit peccatum, quia retinere semper impedit redditionem, quid enim magis impedit redditionem, seu id, quo fiat æqualitas positiva, quàm retentio apud se rei quâ fierit debet æqualitas? Id quod non est invenire in illa mora facta domi, quæ non semper impedit auditionem Sacri, nisi in tali tempore determinato, nempe die festivo.

9. Quare ipsum retinere, non ideo semper est peccatum, quia præceptum restitutionis sit absolutè negativum; sed quia regulariter, ut dictum est, semper impedit hujus præcepti posivi de reddenda observationem: nam propterea, si non impediret, non esset peccatum, ut si retineres per aliquod tempus, quo invenire non posses dominum, &c Et rursus præceptum negativum (cujus proprium est ad semper obligare, cùm præceptum affirmativum obliget solùm pro aliquo determinato tempore) sed quia, qui non restituit, virtualiter continuat ipsam ablationem rei alienæ, siquidem non restituendo, continuatè, & veluti de novo aufert. Præceptum autem de non auferendo, id est, de furto non faciendo, negativum esse, & ad semper obligare nemo est, qui ambigat.

CAPUT

## CAPVT II.

*De prima radice, seu causa Restitutionis, quæ est injusta Acceptatio, seu Detentio.*

### §. I. *Præmittitur Regula generalis.*

1. QVamvis ad duas reducant varias restitutionis radices rectè Theologi, nos, tamen ad plures reduximus, claritatis gratiâ, *supra, init. hujus lib. 8. n. 2.* Incipimus ergo à prima, quæ est injusta acceptio.

2. Regula generalis colligitur ex Doctrina, ac DD. *mox* citandis: Qui per actionem externè injustam, ac per culpam Theologicam gravem, proximi rem accepit, statim illam totam seu totum ejus valorem restituere domino obligatur, etiamsi ea res non extet, sed quomodocunque perierit. Hoc ultimum (etiamsi non extet) maximè est advertendum in hac radice: nam in alia, quæ est ex re accepta si res non extet, sed bona fide consumpta inveniatur, non est aliquid restituendum nisi illud; in quo factus sit quis locupletior, ut mox suo loco explicabitur. Ratio autem, cur ex præsenti radice restitutio sit semper exhibenda, est quia injustitia, quâ quis alienum accepit, & ex qua oritur obligatio faciendi æqualitatem, semper remanet, donec re ipsa fiat restitutio; ergo, donec ipsa fiat, semper remanet facienda.

3. Porrò in hac Regula tot sunt, ut ita dicam, mysteria, quot verba: Primo dicitur, Per acceptionem injustam: Secundò, Externè injustam: Tertiò, Per culpam Theologicam: Quartò, Gravem: Quintò, Debere restitui statim: Sextò, Totam rem, seu valorem: Septimò: Etiamsi perierit. Sigillatim hæc si percurramus, nihil erit præterea, quod pro explicatione hujus radicis desiderandum sit.

### §. II. *Per actionem injustam.*

1. CErtum est apud omnes onus restitutionis oriri solùm ex culpa contra Justitiam. Ita Reg. *loc. cit. num. 65.* Val. 2. 2. *d. 5. quæst. 6. p. 3.* Azor. 3. *p. lib. 4. cap. 9. per totum*, Lugo *tom. 1. de just. 1. disp. 1. sect. 3. n. 51.* Bon. *disp. 5. de rest. quæst. 2. part. 3. §. unic. num. 2.* aliique *passim.* Ratio est, quia sola illa inducit inæqualitatem, in rebus temporalibus, ergo sola illa ad æqualitatem ponendam obligare debet. Quare, quando quis vovit, v. g. Calicem dare Ecclesiæ, illum dando satisfacere quidem voto dicetur, sed non propriè restituere, quia tunc non operatur homo ad ponendam æqualitatem, quam ipse per iniquam acceptionem abstulit. An, non solùm Justitia commutativa, verum etiam distributiva jubeat restitutionem, *infr. cap. 4. §. 3. número 8.* explicabitur.

2. Ex hoc principio oritur: primò, ut qui eleemosynam non offert extrême, vel graviter indigenti: Secundò, qui prædictum Calicem, vel aliud quid vovit, tamen non dat: Tertiò, qui segetem, v. g. ab alio incensam non extinguit, cùm possit; in casu tamen, quo non debeat, quia ejus Custos non est, nec suæ curæ leges commendata: Quartò, qui Iudex per allegata & approbata reum justè condemnat, se verbis, aliisque modis contra charitatem exhibitis; ad nullam restitutionem obligentur; quia non peccant contra Iustitiam, sed solùm contra alias Virtutes. Idem dic, si reus, etiam legitimè interrogatus, negat veritatem, unde damnum sequatur, vel Fisco, cui cederent bona rei, vel alteri, &c. Ita Sanchez, *l. 2. in decal. c. 22. num. 22.* Bon. *disp. 1. de rest. quæst. . . part. 1. num. 4.* citans Vasquez Azor. Clavem. Reg. contra Sot. & Mol. neque enim ex Justitia commutativa Reus obligatur dicere veritatem, vel curare utilitatem illorum, &c. Alia multa similia dicentur *inferius*: Et his decidituri celebris Quæstio, An acceptio pecuniæ vel similis rei ex turpi causa, semper pariat in accipiente obligationem restitutionis; Verùm, hanc quæstionem *lib. 7. cap. 5.* ex hoc eodem principio satis, superque solvimus.

### §. III. *Per actionem externè injustam.*

2. ONus restitutionis oritur solùm ex actione externè injusta. Ita Sanchez, *in consil. lib. 1. cap. 4. dub. num. 9.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 16.* vide etiam de Lugo *de just. disp. 10. sect. 10. sect. 7. num. 158.* id supponentem *disp. 8. sect. 6. num. 79.* Val. Navarr. Sylv. cit. à Bann. Faust. *in Speculo Confess. disp. 4. quæst. 10.* Ratio est, quia obligetur quis ad restitutionem, debet fecisse injustitiam in altero, at hæc non fit per meram internam actionem, sed per actionem externam materialem realem. Actus enim merè sistens in mente nihil operatur exteriùs.

2. Hinc, quando quis animo, & desiderio internò, ut alius depauperetur, sumit sine ulla culpa externa veras informationes contra illum de ejus homicidio. Quando quis internè gaudet sui inimici segregem incensas ab alio fuisse. Quando Iudex profert sententiam justam contra reum suum inimicum, gaudens eum in egestatem deiici, non obligantur ad restituendum, quia ex sola interna culpa illud onus nequam nasci potest. Imò, si idem Iudex proferret injustam sententiam contra aliquem, quam sententiam postea deprehendat esse justam, ad nihil restituendum tenetur, quia illa injusta sententia non fuit materialiter & realiter injusta, sed solum formaliter, & ex conscientia interna. Pari modo, si ego furor à te vestem, quam puto tuam, sed deinde adverto esse meam, quam auferendo peccaverim ex affectu peccati injustitiæ propter conscientiam internam; tamen propter prædictam rationem non obligor ad illam restituendam: Et, si occidi feram, putans esse meum inimicum, quem occidere intendebam, non teneor ad restitutionem ex homicidio, quia actio mea externa fuit circa feram, & nullo modo circa hominem, quem externè non occidi. Vide de hoc *sup. libro sexto, capite quarto, §. tertio, num. 23.*

### §. IV. *Per culpam Theologicam.*

1. CVlpa Theologica dicitur ea, quæ est contra Deo, in conscientia, quam scilicet Theologi spectare potissimùm solent: nam culpa, quam spectant Juristæ, vocatúrque Juridica, est ea, quam pro foro externo considerant, & juxta quam sententiam ferunt.

2. Theologica est duplex: Alia mortalis, venialis alia. Juridica triplex, lata, levis, levissima: lege Azor. *3. part. l. 6. c. 4. & passim.* Lata est omissio diligentiæ, quam solent in simili adhibere prudentes, diligentesque. Levis, quam solent diligentiores. Levissima, quam diligentissimi. Si quis v. g. exiens domo, relinquat ostium apertum, vel non clausum, unde fures domum expilent, dicitur commisisse culpam latam; Commisisse levem si clausum, sed ita, ut non difficulter posset aperiri; Commisisse levissimam, si claudere quidem putavit, sed non tentavit, an bene fuerit clausa, nec ejus custodiam commendavit vicinis. Porrò lata culpa subdividitur in latiorem, & latissimam; latissima, quæ etiam dicitur dolus apertus, est, cum quis omittit, vel aliquid agit animo, ut damnum, quod prævidet, alicui sequatur. Quòd si prævidet, sed non intendit, dicitur dolus presumptus, latior culpa, quæ confundi, sæpè cum lata solet, est, cùm non ponitur debita moralis diligentia, & damnum quod sequitur, sine advertentia, & prævisione sequitur. His præmissis:

3. Assero injustam acceptionem, ut pariat in foro conscientiæ onus restitutionis, debere esse Theologicè culpabilem, nec sufficere juridicè. Ita Mol. *tom. 3. d. 6[illegible] num. 2.*

Less.l.2.c.7.dub.6.n.27. Vasq. *de restit.c.2.§.2. dub.2.à n.* 1. & 2. alióque *passim*. Ratio est, quia tota obligatio restitutionis in hac radice oritur ex delicto quando cõstituitur in injusta rei alienæ usurpatione; ergo, ubi in conscientia tale delictum non committitur, nec obligatio restitutionis oritur.

4. Hinc primò; Si quis, tot cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendat, aliquod damnum alteri faciat, non obligatur ad restitutionem. Secundò, Si Miles, ex motione obedientiæ pugnavit in bello à se prudenter & justo non obligatur in conscientia, ex Mol. *t.* 1. *d.*2. restituere dãna in prælio allata, nisi fortè, ut *infrà* dicam, restituere dãna in prælio allata, nisi fortè, ut *infrà* dicetur, ratione rei acceptæ extantis, vel in quo fuerit locupletior factus ditior. Tertiò, Si quis credens bona fide rem alienam, illam accipiat, consumátque, nec in aliquo locupletior factus sit non tenetur ad restitutionem ullam. Ratio horum est prædicta, quia tunc in conscientia non peccatur. Quare, quando communiter Doctores docent veniam culpam inducere restituendi obligationem, ideo dicunt, quia communiter lata culpa difficulter invenitur sine culpa Theologica, si tamen hæc re vera absit, obligatio non inducetur. Lege Vasquez *de rest. cap.* 2. *n.*1. *d.*2. *num.*19.

### §. V. *Per culpam Theologicam gravem.*

1. Ad inducendam obligationem restitutionis, debet adesse culpa Theologica gravis, hoc est culpa in conscientia mortalis. Pro cujus explicatione, præmitto injustam acceptionem posse esse venialem ex duplici capite. Primò, ratione parvitatis materiæ, ut si quis oboli summ furetur: Secundò, ratione imperfectæ animadvertentiæ, seu imperfectæ deliberationis, ut si quis sine perfecta consideratione, quòd res sit aliena, illam accipiat, vel consumat.

2. Assero primò, Acceptionem injustam venialiter, & (propter paritatem rationis) damnificationem venialem ex sola parvitate materiæ, parere quidem onus restitutionis, sed sub veniali. Ita Sanch. *l.*2. *in Decal. c.*23. *n.*6. aliique, contra Vasq. *de restit. cap.*2. §.2. *n.*20. & 25. Ratio est, quia ni restitueres, detineres rem alienam, invito domino: sed quia solùm retineres rem levem, non nisi leviter peccares.

3. Assero secundò, Ex injusta rei, quantumcunque gravis acceptione, seu damnificatione veniali, ratione indeliberationis, non oriri obligationem restituendi sub mortali, imò satis probabiliter nec sub veniali. Ita Sot. *lib.*4. *de Just.q.*7. *ar.*2. Sà, *v. Restitutio*, Less. *l.*2. *cap.*7. *dub.*6. *num.*17. Sanch. Less. Henriq. apud Dicast. *l.c. dub.*2. *nu.*56. contra ipsum Dicast. alióque *num.*49. Ratio fundamentalis est, quia actus moralis imperfectus, qualis est indeliberata acceptio, non potest esse causa obligationis mortalis perfectæ, qualis est obligatio certa quæcunque, & præcipuè, qualis est mortalis obligatio restituendi materiam gravem: Ecquæ enim proportio esset, si per actum factum à semidormiente, cui assimilatur, qui minùs deliberatè agit, obligareris ad subeundam pœnam gravem, sub oneris certo peccati mortalis? Confirmo, quia ex Sanchez, *lib.*4. *in Dec. cap.* 1. *num.* 18. & Suarez *tom.*2. *de Relig.*1. *de essentia voti, cap.* 6. & *lib.* 2. *de juram. c.*7. neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, nec juramentum, nec præceptum Superioris, si procedant ex imperfecta deliberatione, induunt obligationem ullam, ne venialem quidem: ergo neque injusta acceptio, pari modo ex imperfecta deliberatione procedens.

4. Ex hac conclusione sequitur: Qui subita ira permotus per actionem malam tantum venialiter hominem occidit, non obligari ex Lessio, *l.*2. *c.*2. *num.* 28. ad ullam restitutionem: Qui per negligentiam venialem sinit segetem proximi comburi: Qui famulus per similem levem negligẽtiam relinquit fores domus Domini apertas, unde fures domum expilent: Qui custos nemorum, vineæ, vectigalis per levem culpam non rectè custodit, & similes, non obligari ad restitutionem, quia supponũtur solùm venialiter peccasse, unde tantum onus certæ obligationis sub mortali nequit progigni. Advertè tamẽ perdiligenter, negligentiam, quæ in uno genere actionis, est leviter culpabilis, esse gravem in alio, ut *superiùs lib.* 1. *cap.*3. §.7. *v. Depositum*, per aliam occasionem explicuimus. Qui alterius famam gravem tollit, per inadvertentem venialiter locutionem, ita etiam se habere, nonnulli apud. Less. *l.*2. *c.*11. *d.*22. *num.* 118. affirmant: nam solùm ad restituendam famam eum tunc solùm obligãt ex virtute Charitatis, cùm commodè potest. Verùm, an ex alio capite is obligetur ex Justitia, dicetur *l.* 9. *cap.*3. §.3. *num.*8.

5. Assero tertiò: Eum, qui post multa furtula tandem per ultimum attingit materiam notabilem, obligari sub mortali ad restitutionem. Ratio est, quia tunc detentio tot furtulorum simul unitorum, est detentio quantitatis notabilis, atque adeò mortalis, ut *suprà* vidimus; quare non est mirum, si stante assertione prima, & secunda, stet hæc tertia, in qua supponitur detentio perfectè deliberata rei notabilis: vide quæ dixi, cùm *de furto, c.*3. §.1.

6. Sed ecce hîc insurgit molesta objectio: Furetur quis modica, illáque consumat, quibus consumptis, non advertens ad præterita furtula furetur aliquid etiam modicum, quod item consumat, sed postea advertat illa furtula cum hoc ultimo conflasse quantitatem notabilem, ac ipsum notabiliter proximo nocuisse, certè hunc teneri ad restituendum sub mortali, quia notabiliter proximo nocuit, fatentur omnes, & tamen nulla præcessit culpa mortalis: ergo contra assertionem secundam, aliquando à peccato veniali mortalis obligatio oriri poterit.

7. Respondeo propter hoc argumentum concedunt nonnulli (ut concedebat P. Joseph à Costa amantissimus præceptor meus in Theologicis, *in suis manuscriptis de Just. & jur. hic*) ex veniali posse non rarò procedere obligationem restituendi sub mortali. Sed minùs apta concessio, si enim id semel concedas, principium illud satis commune jam destruitur, quòd ex actu veniali; seu levi propter improportionem, oriri nequeat gravis obligatio. Nonnulli dicunt, tunc oriri obligationem ex detentione mortali: sed nihil dicunt, quia possumus supponere illum statim, atque advertit, velle restituere; ergo tunc nulla aderit culpa retentionis. Nonnulli denique cum de Lugo *tomo primo, de justit. d.* 8. *sect.* 5. *num.*69. docent tunc obligationem sub mortali oriri ex contractu id est, ex consensu implicito, nam quando quis committit furtula, cõsentit velle subire pœnam necessariò, & essentialiter illi connexam, id est, pœnam restitutionis illius materiæ ablatæ: cùm igitur nunc advertat esse materiam notabilem, ex illo consensu obligatur omnia reddere; sicuti, qui promittit Julium unum per diversas vices alteri, debet omnes, si notabilem conflent quantitatem sub mortali tradere. Sed nec responsio sedet; nam, præter cætera, omnes Authores, *sup. hoc c.*2. §. 1. *n.*1. docent hanc radicem injustæ acceptionis fundare obligationem restitutionis formaliter, & immediatè ex ipsa culpa, nec recurrunt ad consensum implicitum, qui certè etiam adest in omni injusta acceptione cujuscunque gravis quantitatis, nec multò minùs recurrunt ad pœnam: obligatio enim restitutionis in fure non est propriè pœna, sed morale debitum inducendi æqualitatem, &c.

Facilior ergo solutio hujus difficultatis sit hujusmodi: Stet, etiam hunc non obligari ad restitutionem sub mortali ex vi præteritarum acceptionum, quæ omnes supponuntur veniales. Quid inde? Restituat statim, nec unquam mortaliter peccabit; si autem statim restituet, non dicetur obligationem mortalem restituendi à se contractam extinxisse, nunquam enim illam hactenus contraxit, ut dictum est; Sed dicetur præcavisse, ne incideret in mortalem obligationem, si retinuisset

nuisset quantitatem ex multis minutis collectam, atque adeò notabilem. Quòd si non restituet statim, consurget obligatio gravis sub mortali, non quidem ex acceptionibus, quæ omnes fuerunt veniales, sed ex retentione, quæ nunc juncta cum antecedentibus incipit esse retentio materiæ notabiliter nocivæ proximo; atque adeò mortalis, & inducens restitutionis obligationem sub mortali.

*An culpa levis externa, sed interne gravis, pariat obligationem restitutionis?*

8. Consequitur ad prædicta celebris illa Quæstio, An culpa levis cum intentione interna graviter nocendi inducat onus restitutionis? Verbi gratia, Diligentiam adhibuisti, nè, dum feram venaris, hominem occideres, diligentiam; inquam, sufficientem ad vitandum peccatum mortale, non verò illam, quam diligentiores ponere solent: nam propterea peccasti venialiter, an, si huic levi omissioni addas animum occidendi hominem; si ibi fortè adsit, & de facto occidatur, tenearis ad restitutionem ex homicidio?

9. Respondeo, Si ille animus nocendi graviter adjungatur actioni venialiter malæ, imò etiam malæ mortaliter, quæ actio ex se non sit contra Iustitiam; certum est, eam non inducere onus restitutionis, imò neque irregularitatis. Ratio est, quia, ex dictis, ejusmodi onus, ut & irregularitas, nonnisi ad actionem injustam consequitur. Hinc Iudex, licèt ex odio gravi damnet reum; & qui cum moderamine inculpatæ tutelæ (licèt ex animo, & intentione graviter nocendi) occidat aggressorem, non incurrunt onus restitutionis, nec irregularitatē; quia ejusmodi condemnatio, & defensio nullo modo sunt actiones contra Justitiam, ne leviter quidem. At si ille animus adjungatur actioni, quæ ex se sit, licèt leviter contra justitiam, ut est in exemplo allato *num.* 7. nunc profectò magna quæstio est, an tale onus inducat.

10. Et præter casum propositum afferri solent alia exempla: Ponis venenum in loco remotissimo à convictu hominum, ponis tamen eo animo, ut si illuc accedat Petrus tuus inimicus, illud sumat, & occidatur, præparatio veneni est actio externa cōtra Iustitiam, sed quia est in remotissimo loco, ad summam non erit ex se nisi venialis culpa, imò, sæpissimè nulla, quia certò moraliter in illum locū nullus hominum judicatur penetraturus. Alapam levis dedecoris impingis adolescentulo, eo tamen animo, ut ex concepto fortè dedecore adolescens moriatur. Quatuor abolos furaris ab avaro, ea tamen intentione, ut fortè ex mœrore amissæ pecuniæ, is conficiatur. Quæstio est, an ponens venenum, An alapam impingens, An obolos surripiens cum illa intetna voluntate graviter proximo nocendi, peccent ita contra justitiam, ut, si de facto sequatur mors, sint rei restitutionis & irregularitatis?

11. Esse restitutionis reos censent nonnulli; ita de Lugo *tom.* 1. *de just. d.* 8. *sect.* 6. *à num.* 74. aliique ab ipso cit, non esse censent alijsita Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 16. *numero* 113. Sanchez *lib.* 1. *cons. cap.* 4. *dubit.* 5. *numero* favétque *libro* 3. *cons. capite* 1. *dub.* 49. *num.* 6. *& prædicto libro* 9. *cap.* 3 *dub.* 1. *&* 2. ego certè aliud dicendum puto, de Irregularitate, aliud de Restitutione.

12. Assero enim primo, Prædictos incurrere Irregularitatem, uti insinuavi *suprà*, *cùm de Homicidio*, *libro* 6. *cap.* 4. §. 1. *num.* 6. Ratio est, quia, ut *ibidem* notavi, irregularitas est inducta à sacris Canonibus contra Homicidium voluntarium, seu volitum, ac aliquo tandem modo causatum, seu, ut ita loquar, occasionatum. At omnes prædicti si faciant ea, quæ leviter, & ex se insufficienter, imò rarò, vel rarissimè influant in homicidium, dicuntur voluntariè cōcurrere ad occasionem, licèt, ut dico, per actionem ex se sola homicidium non sufficientem: ergo non est, unde irregularitatem effugiat, si homicidium reipsa sequatur, vide omnino locum citatum.

13. Assero secundò, Eosdem non incurrere obligationem restitutionis ex homicidio, vel quocunque alio damno, licèt secuto. Ratio est, quia, quoad restitutionem, non adsit lex, nulla humana peculiaris, solùm est standum Jus ipsum naturale. At hoc non obligat ad restitutionem, nisi quando quis per suam actionem physicè vel moraliter est absoluta, & sufficiens causa horum, seu damni, ut *sup. l.* 6. *c.* 4. §. 1. *n.* 3. vidimus. Cùm autem quando ipsa actio externa levis ex se est, ac leviter, ut plurimùm, ex sua conditione influit in damnum, fit causa absolutè influens Physica, vel moralis, sed ad summum satis diminutè, & imperfectè, cum tota causæ non est æquum, ut gravis obligatio adsit: consequens est, ut etiamsi fiat animo graviter nocendi, non obliget ad restitutionem.

Quod autem ejusmodi actio non sit absoluta, & sufficiens causa, etiamsi adsit ille animus, probatur manifestè, quia ille internus animus nihil adjuvat ipsam actionem externam; ergo si ex se actio causativa sufficienter deficiens ni non est, nihil, quoad hoc, adjuvabitur ab animo, & consequenter semper remanebit non causans obligationem ex se homicidium, vel damnum: ac propterea remanebit libera ab onere restitutionis, sicuti erat ante animum.

14. Dixi (quod ad hoc) nam ab interna intentione graviter injusta in affectu, ultrò concedo illam evenire ex se levem actionem denominari graviter malam, injustam: sed quia onus restitutionis, non sequitur ad actionem injustam injustitiâ internâ, sed externâ, nihil cernos; Ex qua doctrina omnia argumenta contraria à docto Theologo facilè dissoluentur.

## §. VI. *Statim.*

*Restitutio ex delicto quomodo statim obliget?*

1. Assertio prima: Omnis Debitor ex injusta acceptione, & universim ex delicto, atque adeò damno dato, tenetur restituere, quam primum, sine non valdè notabili incommoditate, potest. Quæ hæc esse debeat, ut excuset à restitutione, dicemus *ferius*, *tract.* 4. *cap.* 1. §. 9. Quòd si possit, & nullam habens legitimam excusationem, de qua *infrà*, non restituat, non solùm peccat mortaliter, ut certum est, quia ob continuatā quadam obligatione, sed etiā tenetur in conscientia solvere omne lucrum, quod cessat, & damnum, quod emergit Domino ex ea mora, (quæ certè tunc est culpabilis (ita Molin. *t.* 3. *d.* 724. *& passim*, quia secùs non fieret æqualitas cum proximo: Cùm enim hic ex sua culpa non solùm fuerit privatus re principali, sed etiam sit passus illud interesse, utrumque meritò, erit restituendum.

2. Iam verò, pro iis, quæ *mox* dicenda sunt præverte, hoc interesse aliud esse ordinarium, aliud extraordinarium; Ordinarium oritur, quando res ipsa pluris, v. g. valet uno tempore, quàm alio, sive quia res intrinsecè crescat; Vt pluris valet equus, adultus, quàm pullus; sive quid ab extrinseco crescat ejus valor, ut frumentum pluris valet mense Maij, quàm Augusti. Si priveris ergo hoc lucro, diceris pati interesse, seu damnum ordinarium. Extraordinarium oritur, quando advenit lucrum ex extraordinaria creditoris opera, seu ex ejus negotiatione; centum, v. g. aurei, si eos negotiationi exponat, pariunt alios quinquaginta: quare si priveris hoc lucro, diceris pati interesse extraordinarium, seu, ut communiter loquimur, interesse ex damno emergente, vel lucro cessante.

3. His positis, Inquires: Vt debitor ex delicto obligetur in cōscientia ad restituendum interesse, opúsne est, ut præcedat monitio, qua creditor dicat debitori, se ipsum causâ ejusmodi damnum pati?

Respondeo, quod ad praxim rarò locum sortiens hæc quæstio in casu injustæ acceptionis, vel damni (quamvis sæpissimè locum habeat in restitutione ex contractu

tractu, de qua mox *n.6.*) nam tunc regulariter creditor nescit, quinam rem suam surripuerit; quòd si sciat, non habitur facilè locus monitionis; immò, si deesse, prudenter existimare poterit creditor suam monitionem non profuturam, unde semper debitor debebit quamvis non admoneatur debitor tamen totum damnum interesse solvere sive ordinarium, sive extraordinarium, quia totius causa injusta ipse est: verùm, si suppeditas in aliquo casu creditori cognitum esse furem posse facilè illum admonere, & adesse spem proficiendi, nonnulli asserunt adhuc debitorem obligari ad totum quodcumque interesse. Ita Petrus Navarr. *l.13. de rest. cap.2.* num.81. Mald. *2.2. tract.5. dub.12. dicto 3. q.2.* Dian. *p.1. tr. de contr. res.87.* Dic. *l.2. de just. tr.2. d.2. dub.5. n.113.* quamvis non admoneatur debitor tamen totum damnum interesse creditor subit ex culpa ipsius debitoris, qui injustè accepit. Nonnulli solùm obligari ad restituendam rem ipsam ablatam, ejúsque ordinarium interesse, non verò extraordinarium. Ita Azor. *t.3. l.5. c.4.* q.2. de Lugo *tr.1. de just. d.18. sect.2. n.32.* Ratio est, aiunt, quia si potest creditor monere, & non monet, ipse est causa sui interesse, nam debitor non tenetur ad omne damnum undecunque proveniens, sed ad damnum, quod necessariò sequitur ab ipso, nec facilè potest tolli: at in casu nostro facilè potuisset creditor admonere, si debitorem monuisset. Adde, si potuit admonere, & non admonuit, præsumitur remisisse hoc lucrum, quod est extraordinarium, &c. Vtraque sententia est probabilis.

4. In hac posteriore unum advertas: Si enim debitor ipse esset dispositionis, ut etiamsi præmonitus fuisset, non solvisset, obligaretur ad totum interesse, quia tunc ipse creditor non esset verè, & re ipsa sui interesse causa non monendo, cùm non potuisset impedire: sed ipse debitor sic malè dispositus: quòd si dubius esset an monitus solvisset, solvat (ait de Lugo. *ibid. num.33.*) partem pro ista dubij.

5. Assertio secunda: Omnis debitor ex delicto, licèt, quando excusatur ob paupertatem à restitutione, excusetur etiam à peccato, non restituendo, non tamen excusatur ex Leg. *l. mox citando*, à restituendo (quando potest) dictum interesse, ordinarium, & extraordinarium, quod ex hac mora, quamvis nunc inculpabili patitur creditor; Explico, sit, qui, v.g. furatus sit centum à te, qui postea incidat in summam paupertatem, hic certè, constàte paupertate, excusatur à solvendo ea centum: at refloreſcente fortuna, non solùm habebit centum restituere, sed omne etiam interesse, quod tu fortè passus es. Ratio est, quia, ex Leg. *l.b.2 cap. 16. num. 32.* totum istud damnum creditoris oritur ex delicto, & injuria præterita, quare, licet ipsa mora in se culpabilis tunc non sit, fuit tamen culpabilis in radice: quare omnia damna, quæ, vel immediatè, vel mediatè ex injuria præterita procedunt, obnoxia sunt restitutioni, ob injustitiam primò positam. Una tamen est observanda limitatio. Quando enim, post furtum, quis incidit in extremam, vel gravem necessitatem, & rem furto ablatam, adhuc in specie extantem in dicta necessitate consumpsit, (in qua necessitate potuisset illam rem licitè surripere, nec sufficeret, eam sibi mutuare cum obligatione eam, ejúsque interesse suo tempore reddendi, ut explicuimus, *suprà, tract.2. cap.6. §.2. num.2.*) tunc non obligatur nisi ad restituendam rem, & illud solùm interesse ordinarium, & extraordinarium correspondens tempori antecedenti dictam necessitatem, non verò interesse correspondens tempori talis necessitatis. Ita Cabero Palaus, *de justit. cummutativa, d. 1. part.17. §. 10.* contra Layman, & Molin. *ibidem* cit. Ratio est manifesta, quia tempore gravis necessitatis, veluti de novo accipit sine culpa, unde non potest obligari ad interesse correspondens huic tempori, quando in accipiendo non delinquit: Quòd si rem ipsam principalem debet cum interesse præcedentis temporis reddere, non est ex vi hujus acceptionis hujus temporis, sed ratione primæ, quæ fuit cum delicto, ut diximus, & semper manet, obligárque, donec fiat æqualitas, &c. Immò *suprà, ibidem, num.3.* diximus, non esse improbabile, rem ipsam totam surreptam antea, sed consumptam tempore extremæ, vel gravis necessitatis, non esse necessariò restituendam.

*Restitutio ex contractu quomodo obliget statim.*

6. Id locum exposceret suum paulò *inferiùs*, sed quia est præcedentibus affine, hìc tractandum meritò suscipio.

Regula universalis: Debitor ex contractu, verbi gratiâ, ex mutuo, emptione, venditione, emphyteusi, &c. statim, atque advenit terminus in contractu præfixus, tenetur (nisi adsit legitima excusatio, de qua *infra, tract.4. cap.1. § 9.*) solvere, quod alteri debet; etiamsi à creditore non admoneatur; nam dies solutionis interpellat pro ipso creditore; ni solvat, obligabitur in conscientia ad omne alterius interesse, *mox* §. 7. distinctiùs explicandum. Quòd si terminus nullus præfixus fuit, tempus solutionis erit, quando creditor non impeditus petet: nam si ex aliquo impedimento non potest petere, terminus erit, qui prudenter judicabitur esse de ejusmodi creditoris intentione rationabili. Ita Molina *tractatu 3. disp.724.* Ratio, quæ probat in dicto termino debere fieri solutionem rei principalis, est, quia sic est ex pacto explicito, vel implicito inter creditorem, & debitorem constitutum. Ratio verò, quòd secùs obligabitur debitor ad interesse, est, quia, id inducit mora culpabilis debitoris; æquum enim est, ut ex culpa ipsius, damnum non patiatur creditor. Id in omnibus contractibus verum habet. Nam, licèt in venditione, & emptione sit per leges positivas quædam exceptio, quâ emptores, vendentésque pro mora culpabili non teneantur ad totum damnum emergens, & totum lucrum cessans, quod uno vocabulo non appellamus *interesse*, sed solùm ad immediatum ex ipsa emptione, vel venditione proveniens; tamen, quia probabile est cum de Lugo *tom.1. de Justitia, disput.18. sect.2. num.28* non obligare has leges in foro conscientiæ, esto, obligare teneat Molina, Covar. apud eundem *num.27.* ideo nos de hac exceptione non laborandum duximus.

7. Porrò, quatuor sunt in prædicta communi Regula pernotanda: Nam primò, si nulla culpa adsit in debitore, vel certè solùm adsit culpa Theologicè venialis, non est is obligandus sub mortali ad restituendum, nec interesse ordinarium, nec extraordinarium. Ita de Lugo *disp.18. sect.2. num.35.36.& 37.* multos citans, & praxim, &c. nam propterea modò dictum est (quia id inducit mora culpabilis) quare, si emisti centum modios tritici mense Ianuarij, & sine culpa mortali distulisti restitutionem pretij usque ad mensem Maij, quando cétum modij pretio majori venduntur, non obligaris, nisi ad valorem mensis Januarij: idem, si ex pecunia, quam reddidisses creditor mense Maij, quodcunque lucrum acquisivisset. Ratio est, quia nulla culpa, vel sola venialis parere non potest, modo *suprà* explicato, obligationem mortalem. Excipe, nisi in contractu appositum fuerit pactum solvendi interesse etiam ex mora inculpabili: tunc enim debitor obligabitur ex dicto pacto, quod certè licitè apponi potest, si debitor verè liberè illud apponere, velit, vel si creditor hoc gravamen aliqua compensatione emat à debitore. Ita idem. *disp.21. sect.1. num.23.*

8. Secundò: Non assentior aliquibus excusantibus viros nobiles, quando præfixo tempore etiam cum culpa, non solvunt emptas merces mercatoribus, quibus propterea cesset lucrum, & damnum emergat non assentior, inquam, nam posito, quòd verè sunt in culpa, non solvendo, necessariò consequitur, ut ad omne illorum interesse resarciendum obligentur. Satius est igitur, tum hos nobiles, tum cæteros omnes excusare, vel ex implicito consensu mercatorum, de

quo *n. sequenti*, vel probabiliter ex eo, quòd ementes de dicto interesse à mercatoribus non sunt admoniti, de quo *n.*10. dicam.

9. Tertiò: Terminus in ejusmodi contractibus præfixus non debet sumi metaphysicè, sed more communi humano & moraliter. Hinc plerumque excusatur debitor, ex de Lugo *t.* 2. *de Just. t.* 18. *sect.* 2. *num.* 38. à restituendo interesse creditori, non solùm quia dilatio solutionis non fuit peccatum mortale contra Justitiam, sive ob impotentiam solvendi, sive ob inadvertentiam, vel oblivionem: sed etiam quia debitor, ob bonam fidem putavit non esse creditorem, graviter invitum pro modica illa, & morali dilatione, cùm in praxi non soleant urgeri ita debitores, ut ipso præfixo die solvant, sed cum aliqua benignitate: credere item plerumque potuerunt debitores, dum creditores scientes, & potentes exigere, tamen non exigunt, non esse graviter invitos ad præditam dilationem. Nota illud (potentes) & vid *infrà, tract.* 4. *c.* 1. §. 6.

10. Quartò: supponamus esse invitos creditores ad dandam dilationem solutionis, dubitari solet de damno extraordinario, hoc est, de cessatione lucri, & de damno emergente: An scilicet debitores ex contractu, ut obligentur in conscientia ad solvendum creditoribus hoc interesse, ex mora culpabili, debeant fuisse priùs admoniti à creditoribus dicentibus, verbi gratia, solve mihi centum aureos debitos nunc ex censu, secùs meas negotiationes exercere non potero, quantum lucrum tu debebis.

Respondeo, negant aliqui ejusmodi monitionem debere præcedere ad hoc, ut obligetur debitor ad prædictum extraordinarium interesse: sic Petr. Navarr. *lib.* 13. *de rest. cap.* 2. *num.* 181. Dian. *p.* 1. *tr. de contract. resol.* 87. Aliqui affirmant præcedere omnino debere. Sic Azor. *t.* 3. *l.* 5. *cap.* 4. *q.* 3. de Lugo *t.* 1. *de Just. d.* 18. *sect.* 2. *num.* 32. Utrumque probabile propter easdem rationes quæ in fortiori casu, qui supponit injustam acceptionem, dictæ sunt *sup. n.* 3. sed superaddatur hîc etiam id, quod *ibidem* adverti *num.* 4. & nos quidem affirmantem sententiam amplexabimur *infra jus. cap.* 8. §. 3. *n.* 9. excepta consuetudine mercatorum, &c.

*Restitutio ex re accepta, qua ratione obliget statim?*

12. Id etiam, ut tota hæc materia de mora solvendi absolvatur, hîc erit decernendum.

Regula universalis ex Doctoribus, *suprà in toto hoc* §. citatis: Si quis rem bona fide acceptam advertit esse alienam, statim atque advertit, debet domino sine mora tradere, vel rem, si extet, vel si consumpta est, illud in quo is, qui accepit, factus est ditior, ni tradat, erit in mora, & obligabitur ad restitutionem, etiam secuti interesse ordinarij, & extraordinarij. Hæc regula constat ex dictis hîc prudenter appliacandis. Quare videndum, utrùm mora sit culpabilis, an inculpabilis: utrùm creditor possit censeri rationabiliter invitus, an consentiens: utrùm dilatio sit modica, an magna; &, his perpensis, decernenda erit obligatio restituendi, sive quod extat, sive illius interesse juxta modò dicta.

12. Solùm perdiligenter adverte, moram non esse hîc mensurandam à tempore, quo accepta res est; illa enim acceptio, ut hic supponitur, non fuit peccaminosa; sed à tempore, quo quis incipit advertere non esse suam, vel quo incipit rationabiliter dubitare: nec adhibet diligentiam inquirendi veritatem, ut diximus *l.* 1. *in dec. cap.* 3. §. 7. *v. Restitutio*. Præterea non esse considerandum interesse, quod fortè provenit creditori ex re accepta absolutè, sed ex re accepta, quæ quando advertitur esse aliena, extet, vel extet aliquid, in quo debitor factus sit ditior. Nam si nec res extet, nec aliquid, in quo is factus sit locupletior, nihil debebit, ut mox *cap.* 3. explicabitur.

13. Si eveniret casus, quo dominus sciret rem suam, vel id, in quo ex re sua factus es ditior, apud te esse, & posset te de interesse, quod patitur admonere, nec monere curaret, An obligareris ad dictum interesse? idem dic, quod doctioribus *n.* 3. de injusta acceptione injustáque retentione, quia jam in casu, de quo loquimur, incipis esse injustus detentor.

14. Pari modo, si debitor fuisset priùs in mora restituendi, posteà verò in culpa, recurreret dicta data *n.* 5. quâ nimirum esset obligatus ad restitutionem interesse respondens tempori, in quo fuit in culpa, non verò respondens tempori inculpato.

## §. VII. *Totam rem, seu ejus valorem.*

2. SI quis quid injustè accipiat (idem dic, si damnum inferat) debet sine controversia illud reddere, hoc est, non solùm rem ablatam, verùm etiam totum interesse modo dicto *in* §. *præc.* & modo debito explicando. Ratio est, quia secùs, non inducitur æqualitas, &c.

2. Petes: Vltra restitutionem rei, debéne reddere aliquid pro injuria, quam quis facit furando? Respondeo; præscindendo à contumelia, vel alio capite, cùm ex ipsa injuria exhibita in usurpatione rei alienæ nihil debeat, saltem ex usu, rectè notat Dicastill. *l.* 2. *just. tr.* 2. *d.* 2. *d.* 6. *n.* 122. vide etiam *d. n.* 124. Si quid deberetur, esset petitio veniæ, quæ cerè, vel non solet exigi à nomino, vel facilè remittitur, modò tamen suam ipse recuperet.

3. Et quidem si res ablata extet, vel impermista, ut facilè discerni queat, non est dubium, eandem debere restitui, etiamsi ejus pretium quomodocunque creverit. Ratio est, quia quando res crescit, domino crescit, enim fur non sit dominus rei ablatæ, nec potest esse augmenti: seu ejus valoris. At si res non extet, tunc debebit fur reddere ejus valorem. Sed ecce difficultas. Quæ enim ratione is erit expendendus? Permolesta res est, & molestius redidere, magisque implicitum plures distinctiones atque subdistinctiones Theologorum. Lege Mol. *t.* 3. *d.* 725. Less. *l.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. Bon. *d.* 1. *de rest. q.* 3. *p.* 11. de Lugo *t.* 1. *de just. d.* 18. *sect.* Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *d.* 2. *d.* 3. Castro Pal. *disp. de just. in genere, p.* 24. §. 9. aliósque ab ipsis citatos.

4. Ego, ut distinctè procedam, præmitto, rem aliquam posse, vel intrinsecè, hoc est, in se, hoc pullus equinus adolescat, & deinde senescat. Vel extrinsecè, ut si triticum nunc valeat singulis modiis tres aureos, deinde ob multitudinem emptorum, sit contrà. Hoc posito, figura hunc casum: Petrus furatur Antonio mensuram tritici mense Augusti, cujus legitimum valor erat trium aureorum, verùm, paulò post ejusdem tritici valor, hyemis nimirum tempore, crescit ad sex aureos, mense denique sequenti Junij pretium decrescit, rediitque ad aureos tres, imò ad minus. Idem possem dicere de pullo equi, qui primo tempore valebat, v. g. decem aureis, secundò intrinsecè crescens, quia factus est equus, valuit viginti, triginta, &c. Denique quia senescit, iterum redit ad decem, imò ad octo, ad quinque, &c.

5. Vt ergo decernamus, quantum debeat Petrus Antonio, quando ablatum triticum, vel equum consumpsit, vel vendidit, diligentissimè considerandum est, quonam tempore consumpsit, primóne, secundo, an tertio ex dictis? Ni sic distinguamus, confusa nimis erit & intricata tractatio.

*Petrus rem ablatam consumit primo tempore.*

6. Petrus triticum prædictum consumpsit, vel vendidit, vel alienavit, primo illo tempore (nempe mense Augusti, quando valebat tribus aureis, est distinguendum, & videndum, An Antonius esset venditurus, vel consumpturus primo eodem tempore, an secundo, an tertio. Si primo non est difficultas, nam clarè Petrus non damnificavit Antonium, nisi in illo valore currenti, id est, in tribus aureis, tres igitur aureos debebit.

7. At

7. At si Antonius triticum illud erat venditurus tempore secundo, hoc est, hyeme; quando pluris valebat, quàm tritico per hyemem caruit, illud emit majori pretio, v.g. sex aureis, totum hunc valorem, hoc est, sex aureos debebit Petrus fur (deductis expensis) reddere. Ratio clara est, quia in toto hoc majore pretio damnum recipit, causâ furis, Antonius.

7. Quid, si esset dubium, An venditurus tunc esset? Respondeo pro ratione dubij (id quod, omnibus circumstantiis à prudenti expensis, erit decernendum) parcum reddat.

8. Quòd si non erat venditurus, nec loco illius aliud emturus, sed erat ipsemet Antonius consumpturus, vel certè amicis in liberale munus donaturus, quod, quia illo caruit, nec consumpsit, nec amicis donavit: puto adhuc Petrum debere reddere pretium illud maius, quod scilicet eo tempore hyemis tempore, quo Antonius consumpturus, vel donaturus erat. Ratio est, quia Petrus injusta causa fuit, ne Antonius re sua sive pro se, sive pro amicis uteretur: ergo debet reddere, quanti valebat tunc ille usus, valebat autem pluris, id est, sex aureis, ut supponimus. Quod dictum est de tritico, dic de pullo equino; si illum vendidit fur primo tempore, sed dominus erat vel venditurus, vel donaturus amico, tempore illo secundo, quo equus adolevit: par enim est ratio ac de tritico, & de cæteris.

Solùm adverte expensas necessarias, quia in alendo equo vel etiam in servando tritico, verè fecisset Antonius, posse à Petro, qui eas fecit subduci à restitutione, quia secùs, quandoquidem has Antonius non fecit, ut supponimus, plus haberet, quàm quod exigit damnum sibi illatum; excipe, nisi sint compensandæ cum usu, quam ex equo, verbi gratiâ, fur accepit, ut ex se patet.

10. Denique: Si Antonius erat venditurus, consumpturus, donaturus, &c. illud triticum, vel equum tertio tempore: nempe, quando minus res sua erat valitura Petro, qui rem consumpsit primo illo tempore minoris pretij, nihil aliud debebit, nisi pretium illius primi temporis, atque adeò tres aureos. Ratio est, quia, ex una parte dominus non est passus interesse ullum; nam servaturus erat rem, usque ad illud tempus minoris pretij: & ex alia parte, cùm fur obligetur reddere rem; vel rei pretium, quantum est eo tempore, quo ipse consumit: (tunc enim fur propter injustam consumptionem fit onus restituendi rei valorem) obligabitur ad pretium illud primi temporis, quando injustè consumpsit. Quòd verò intercurrens illud maius pretium medij, seu secundi temporis nihil urgeat contra furem in favorem Antonij, dicetur mox in simili *n.* 19. & 20.

11. Quoniam verò tum hîc, tum deinceps dicemus (sibi dominus esset servaturus, venditurus, &c.) Inquiro, An credere debeam domino dicenti, se fore servaturum; Respondeo, in rigore te non obligari, quia præsumere potes dolum. Erunt igitur considerandæ conjecturæ, quibus talem veritatem expiscari certò possis. Quod si certò non possis, sed adhuc vigeat dubitatio, recurrendum ad proportionem inventæ, vel non inventæ veritatis, seu ad ratam dubij, ut modò dixi *n.* 8.

*Petrus rem ablatam consumpsit secundo tempore.*

12. Quando Petrus fur consumpsit, vel alienavit rem secundo illo tempore, quo res creverat in pretio, verbi gratiâ, tritici mensura valebat sex aureis, equus viginti; sunt rursus distinguenda tria illa tempora, quibus Antonius rem suam vendidisset, vel consumpsisset, vel donasset, uno verbo, de re sua disposuisset.

13. Si ergo disposuisset primo illo tempore minoris pretij, dico probabilissimum, imò certum mihi videri, deberi à Petro totum valorem secundi temporis, atque adeò sex aureos pro mensura tritici, viginti pro illo equo, restituere. Ratio mihi manifesta est, quia illa res dum existit impermista in medio illo tempore, domini est, non furis: ergo si fur tunc consumpsit, vel vendidit, rem alterius consumpsit, vel vendidit, certè per injuriam factam domino: ergo, utpotè pretium alienæ mercis, sibi retinere licitè non potest, sed omnino restituere debebit. Et sicuti, si eo tempore majoris pretij Petrus vellet à peccato furti se liberare, & adhuc res aliena apud se extaret, domino reddere deberet totam eandem rem; quomodocunque, sive intrinsecè, sive extrinsecè auctam, quia res crevit pro domino, non pro Petro: ita posito, quòd eodem tempore iniquè consumit, vel distrahit, alterum tantùm in æquivalenti opus restituere,

14. Quòd si disposuisset Antonius de re sua secundo eodem tempore majoris pretij, pari, imò potiori jure Petrus debebit valorem hunc majorem reddere. Ratio est clara, quia, dum ipse tunc consumpsit, damnum husus valoris Antonio intulit.

15. Denique si Antonius disposuisset de sua prædicta re in tempore minoris pretij: adhuc majus ipsum pretium dictum *n.* 13. debebit Petrus. Ratio est, quia, dum fur injustè destruxit rem tempore, quo valuit majori pretio, contraxit ex debito obligationem reddendi illam, quantum tunc valebat, tota enim, ejusque totus valor erat domini, & ex alia parte rem fore à domino conservandam pro tempore consequenti, quando decrescit pretium, non tollit à fure eam obligationem, quam ex delicto contraxit. Adde nimis esse contra rectam rationem, quòd fur reportet lucrum, & ditescat ex duplici suo delicto; nempe ex furto, & ex injusta reconsumptione: sic autem esset, si ipse posset sibi retinere excessum illum pretij.

De expensis factis à fure in alendo, v.g. equo, nisi compensentur cum usu, quem ex equo fur habuit, idem dic, quod modò *n.* 9. *fine* dictum est.

*Petrus rem ablatam consumit tertio tempore.*

16. Quando Petrus consumit rem tempore illo tertio, quo rei pretium decrevit, sive rediens ad primum, sive etiam ad minus, ut si mensura dicta tritici descenderet ad pretium trium, vel duorum aureorum, & equus jam senex ad octo, vel quinque: pari modo videndum est, quandónam ex illis tribus temporibus Antonius rei dominus fuisset rem suam illam consumpturus, vel servaturus, &c.

17. Si ergo Antonius de re sua disposuisset primo tempore, debebit Petrus reddere quanti tunc valebat, atque adeò in exemplis positis tres aureos pro mensura tritici decem pro equo. Ratio est, quia ex una parte Petrus rem consumendo illo primo tempore, obligationem contraxit restituendo valorem illius temporis, quo consumpsit, ut in simili dictum est modò: & ex alia parte, pro tanto pretio damnum intulit Petrus Antonio, non verò pro majore; jam enim, ut supponimus, Antonius rem non erat ad meliora tempora servaturus. Dices: At si medio tempore crevit valor rei, pro domino crevit. Respondeo, ut jam tertio tempore decrevit, ergo pro Domino decrevit: solùm igitur Petrus debebit pro damno allato, quod solùm fuit caruisse Antonium pretio primi illius temporis.

18. Si verò Antonius de re sua secundo tempore, qui plus res valebat, dispositurus esset, totum hunc valorem, atque adeò pro mensura dicta tritici sex aureos, pro equo viginti, vel triginta debebit Petrus restituere: quia ut *sup.* in simili *n.* 7. & 9. dictum est, dum Petrus rem alienam sibi in eo medio tempore retinuit, unde factum est, ut dominus de re sua disponere eo tempore non potuerit, in toto illo valore damnum intulit: ergo totum est resarciendum, exceptis expensis fortè factis, & non compensatis, juxta dicta *eodem n.* 9. *fine.*

9. Denique: Si Antonius de re sua disposuisset in tertio illo tempore minoris valoris, hunc solum minorem valorè debebit reddere Petrus, atque adeò in exemplis positis tres, vel duos aureos pro tritico, decem, vel octo pro equo, quantum scilicet mensura tritici,

& equus de valore decreverunt. Ratio est quia pro tempore accedenti nullum fecit damnum Antonio Petrus, pro tempore præsenti jam reddit quanti res valet. Pretium enim illud medium maius, licèt, ut ita dicam, perierit, dum res fuit in manu furis, æquè tamen periisset in manu domini, quia illo valore, ut supponimus, Antonius usus non esset. At *infr.* §. 9. ex probabilissima sententia dicemus, quando res æque peritura erat in manu domini, sicuti periit in manu furis, nihil à fure deberi, quia in nihilo dominus damnificatus est.

20. Confirmatur: quia, si res extaret, neque satis esset, si suum triticum, suúmque equum domino Petrus redderet; ergo si consumpsit, non nisi valorem ejus temporis debebit, quia non consumpsit nisi rem tanti valoris.

21. Ex expensis, quas medio illo tempore fecit Petrus, eas tantùm sibi poterit Petrus compensare (retinendo scilicet aliquid de restitutione) quas necessariò fecisset dominus, in his enim domino non damnum intulit, ut in simili *suprà* dictum est *num.* 9. *fine.* Quid autem fiet, in dubio, an dominus servaturus esset, &c. Vide *num.* 7.

*De Restitutione fructuum rei injustè ablatæ.*

22. Fructus rei injustè ablatæ, vel injustè retentæ, vel etiam injustè destructæ, omnes domino debent restitui à fure: lege fusè apud Sanch. *lib.* 2. *in Dec. cap.* 23. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 17. Mol. *tom.* 3. *d.* 725. Dicast. *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *d.* 2. *dub.* 5. *num.* 81. Ratio est eadem, quæ dicetur *infrà. c.* 3. §. 5. *n.* 2. Fructus, inquam, tum rei, qui vocantur fructus naturales, ut est partus Ancillæ, pullus ex equa, herba ex campo sylvestri, glãs ex arbore non culta, &c. tum rei, qui appellantur fructus misti, idest, qui sunt partim ex ipsa natura partim ex industria, sive parva, sivè magna, ut, v. g. frumentum, vel fructus, qui colliguntur ex agris, caseus ex ove, &c. ubi partim adest industria colentis, partim ipsa natura soli, vel ovis.

Dixi (sine magna) nam quando maxima est industria, & modicissima vis naturæ, cùm parum pro nihilo reputetur, vocarem potiùs fructum illum meræ industriæ, quàm mistum: at in hoc solùm casu sequor Thomam Sanch. *loc. cit. num* 48. Dicast. *loc. cit. d.* 5. *dub.* 3. *n.* 30. docentes, in mistis, ubi pluris est industriæ, vocari fructus industriales, ubi pluris naturæ naturales. Sub fructuum mistorum etiam nomine veniunt fructus civiles, quale est pretium locationis domus, vel equi, ad hoc enim lucrum concurrit domus, vel equus simul cum industria locantis.

Fructus meræ industriæ, quale est lucrum, quod ex negotiatione pecuniæ alienæ acquisisti, non sunt restituendi, quia, quod ex sola industria tua est, tuum esse ipsum lumen naturæ docet, utpotè lucrum personæ, non rei. His jactis fundamentis, sit.

*Regula prima.*

23 Fructus rei injustè ablatæ tum naturales, tum misti, semper debentur domino, etiamsi apud dominum res non tantùm fructificavisset, fructificavit tamen apud possessorem; & etiamsi domum, v. g. dominus non locasset, possessor tamen locavit, & etiamsi fur fructus illos quomodocunque consumpserit, nec in ullo fuerit factus ditior; & etiamsi illi fructus fuerint percepti à re; per furis diligentiam, perque ejusdem expensas meliorata. Ita Sanch. *l. c. n.* 130. Less. *l. c. n.* 119. Mol. *l. c.* Dicast. *loc. cit. n.* 84. alios citantes. Quidquid enim alij dicant in oppositum, apud Sanch. *l. c. n.* 130. quod probabile iudicant Less. *l. c. n.* 119. & Dicast. *l. c. n.* 87. cit. Cou. & Sot. Ratio nostra est, quia res semper fructificat pro suo domino: Et ex alia parte, hæc obligatio oritur ex injusta acceptione; quæ semper manet donec fiat æqualitas, ut sæpè dictum est, solùm excusari fur poterit in eo casu quo, sine gravi ipsius culpa fructus sint omnino sumpti; quod evenire potuit, si, dum ipse vellet restituere, nec posset, destructi casu fuere, &c.

*Regula Secunda.*

24. Quamvis lucrum ex negotiatione pecuniæ non sit restituendum, tamen restituendum est damnum, quod fortè emerserit domino, & lucrum eidem cessavit, si eam pecuniam; quâ per te casu negotiationem ille tradidisset, ut ex facto patet. Lucrum illud, quod dominus non solùm communi, sed singulari diligentia de facto percepisset, debet restituere non tamen, quod percipere quomodocunque posset casu, vel fortunâ. Ita Dicast. *loco citato, num.* aliique. Ratio est, quia in illo damnum passus est minus ex tua culpa, non verò in hoc.

25. Ex dictis solves illam dubitationem: An possessor malæ fidei teneatur restituere fructus, quos fur non percepit ex re aliena, potuisset tamen percipere: solves, inquam, naviter distinguendo, cum Less. Mol. Vasquez, aliisque apud Dicast. *l. c. n.* 75. si dominus percepturus fuisset, tenebitur fur, quia ex secunda regula fur fuisset domino causa damni; vero dominus non fuisset percepturus, fur nequaquam tenebitur in foro conscientiæ (nam in foro externo cogitur fur restituere ea, *leg. si fundum, de rei vindicatione*, Sanch. *in decal. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 110.) quia non damnificavit dominum, & ex alia parte nihil accepit à re aliena, nec justè, nec injustè, cùm nullus fructus acceperit, ut supponimus.

26. Solves item illam aliam difficultatem: An teneatur restituere fructus, quos dominus percepisset ex turpi usu suæ rei. Solves, inquam, diligenter distinguendo: si enim percepisset ex re sua inhonesta ideóque, peccãdo, ita ut lucrum secutum fuisset ex ipso peccato, non tenebitur fur illud lucrum restituere, quia hujus generis lucrum non est fructus rei, sed humanæ malitiæ: at si percepisset, licèt peccando, non tamen ut lucrum secutum fuisset ex peccato: sed ex re ipsa, ex usu ipsius rei suæ, tenebitur, quia tunc lucrum fuisset fructus rei domini: sic scilet obligari fur ad restitutionem pretij locationis domus, quam dominus, etsi cum peccato locasset meretrici. Ita idem Dic. *ib. n.*

27. De ejusmodi fructibus multa dicentur *infrà, de restitutione ex re accepta*, quæ omnino sunt hic explicanda: ubi etiam propter materiæ connexionem agetur quænam expensas possit sibi deducere possessor malæ fidei.

§. VIII. *Etiamsi res perierit.*

1. SI equus, v. g. injustè acceptus, vel casu perit in manu furis, vel casu deterior evadat, non perimus, nec deteriorandus in manu domini, fatentur omnes, furem debere restituere totum illius valorem, vel quanti existimatur à prudenti viro damnum, quod per illam deteriorationem factum est domino: imo etiam damna inde secuta, & in dubio, quod damna consecuta essent, deberé pro rata dubij compensari. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *in corp.* Sot. Cov. Mol. Sylvest. Tol. Petr. Nav. Reb. Vas. aliique apud Dicast. *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 2. *dub.* 4. *n.* 49. Ratio est, quia fur omnium horum damnorum causa est.

2. Verùm, si equus (idem de cæteris rebus) ita perit, verbi gratiâ, ex incendio casuali, vel per justam hostium incursionem, apud furem, ut eodem prorsus modo periturus certò fuisset apud dominum: Aliqui obligationem restituendi in controversiam vocant. Lege Covar. *Reg. peccatum, p.* 2. §. 6. & alios, quos ipse refert. Sed controversia non difficulter solvitur. Assero enim ex sententia probabilissima, tunc furem nihil debere. Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 15. Mol. *tom.* 3. *d.* 725. Vasq. *de rest. cap.* 5. 6. *dub.* 11. *num.* 66. Dicast. *loc. cit. num.* 52. cit. Sylv. Armil. Cou. Reb. aliósque: quia tunc nihil damni re ipsa fur intulit,

intulit domino. Confirmatur, quia detrimentum illud erat in sua causa inevitabiliter præparatum, ac proinde secundùm moralem æstimationem perinde erat ac si jam illatum foret: ergo fur ille, vel destructor non censetur damnum intulisse moraliter loquendo, si quidem nihil propterea minus habet dominus, quàm habuisset. Hinc inferebat Præceptor meus, P. Ioseph. à Coll. Soc. Jesu *in manuscript. de just. & jur. p. 2. sect. 4 d.* 4. sid quod habuit ex Petr. Navar. *lib. 4. c. 1. dub. 3. n. 28.* & inde refert Dicast. *l. mox cit. n. 75.* seum, qui interficeret hominem paulò post certissimè moriturum, esse verum homicidam, atque irregularem: non tamen teneri de damno secuto familiæ, &c. quia non dedit detrimentum, quod moraliter censetur jam datum per certissimam illam mox futuram mortem.

3. Solùm ergo evenire potuit, ut antequam equus, vel pecus, eodem modo apud dominum periturus, illo perieret, codem modo apud dominum periturus, illo defuerit fur, vel equus lucrum aliquod peperierit, vel ex carentia ejus, domino ante idem tempus evenerit damnum, seu cessaverit lucrum; tunc profectò debet omnia antecedentia damna debere à fure domino hæc omnia antecedentia damna debere à fure domino reficiri, ex §. *præced.* satis est certum, quia hæc lucra non erant domino, ut supponimus, defutura, & ex sua parte, ut ad satietatem dictum est, res semper suo domino fructificat.

4. Adverte me dixisse. *num.* 2. (ex incendio casuali, vel per justam incursionem) si enim res peritura erat apud dominum per injustitiam alterius, non propterea (ex Dicast. *lib. 2. de just. tr. 2. d. 2. dub. 4. num. 75.* citante Less. Molin. Vasq. Petr. Navar.) excusabitur fur à restituendo, nam ille, qui per injustitiam abstulisset, obligatus fuisset restituere domino: ergo si tu præveneris, similiter teneberis, quia obligatio, quam alius subiisset, in te translata est ratione damni, quod alterum præveniens, præintulisti.

5. Adverte iterum, me *ibid.* dixisse (certò perituras apud dominum) si enim dubium esset, an res apud dominum peritura fuisset, tenebitur fur ad restitutionem ablatæ. Ita Sylvest. Reg. aliique apud Dicast. *l. c. n. 76.* quia in dubio melior debet esse conditio domini.

6. Iusta; At modo *n. 1.* dictum est in dubio de damnis consecuturis, debere restitui solùm pro rata dubij.

Respondeo, ita in damnis consecuturis domino ex privatione rei per furem ablatæ, sed in re ipse ablata de qua hic loquor, non ita. Ratio est eruenda ex illo principio explicato *superius, lib. 1. cap. 3. §. 6.* quod semper judicandum est in dubio pro possidente. Cùm ergo prius sit, rem domini vivere, seu existere, dubium autem emergat, an fuerit peritura, judicandum erit pro re vita, seu existentia, atque adeò pro domino ipsam possidente. At, cùm lucra consecutura extra, quæ dum existant, non possident, & ideo in dubio pro ipsis non poterit judicari, nec pro domino, quasi ipsa possederit. Sed quia ex alio capite supponimus ea separata certè fuisse à domino, æquum est, ut pro rata dubij, seu quantum spes illa existens æstimari à prudenti poterat restituatur.

7. Ille alius casus, occurrere posset difficilioris solutionis: Petrus tritici mensuram furatur, illámque hodie consumit, vel vendit: eras autem hostes justi irruunt, vel ingruit alluvies, seu incendium, quibus triticum sive fuisset inventum apud furem, sive apud dominum æquali modo periisset. Quæri jam potest, an tunc Petrus tritici valorem reddere teneatur: Vides in præcedenti casu non præfuisse Petri injustam consumptionem, sicuti in præsenti? Atque id etiam quæri potest de damnificante rem alienam. Segetem, verbi gratiâ, alienâ hodie combussisti; debésne restituere totum segetis valorem, si æquè comburenda sequenti die fuisset apud dominum?

8. Respondeo. Id in tribus evenire circumstantiis posse: Primò, si fur consumat, vendátque, vel destruat ante incendium prævisum: & tunc aio, furem liberè totum tritici, vel segetis valorem restituere. Lege Less. *l. c. n. 95.* Vasq. *l. c. n. 71* Mol. *t. 3. d. 726. nn. 2.* de Lugo, *t. 1. de just. d. 18. sect. 4. num. 77.* Petr. Nav. *lib. 4. c. 1. dub 5. fusè.* Ratio est, quia tunc res erat domini, & quia non prævidebatur periculum ullum, res valebat suo justo prætio: si ergo iniquè eam fur consumpsit, contraxit obligationem eam restituendi. quæ tolli non potest, nisi actu fiat restitutio, legatur Dicast. *lib. 2. de just. tr. 2. d. 2. dub. 4. à n. 74.* qui videtur benignius loqui.

9. Secundò, si aliquod periculum subodoratum fuit quo existente, fur iniquè consumpsit, vel vendidit; & tunc, Aio, remanere in fure obligationem restituendi quidem, sed minus; quantum scilicet judicabitur à viro experto, ex illo periculo rei pretium diminui; quòd si vendidit, debet pretium dare domino, cujus erat triticum, quia pretium succedit loco rei, & in hoc iam invenitur factus ditior ex re aliena fur. Dummodo advertas, minoris etiam debuisse, propter tale vitium periculi imminentis, rem vendi: quòd si vendita est antiquo pretio, debebit pars pretij excedens emptori reddi, non domino, quia in illo excessu emptor fuit deceptus, non verò dominus fuit à te injustè damnificatus.

10. Tertiò: Si periculum timebatur certum, & infallibile, quo pacto res nihil valebat: quis enim rem jam jam certò perituram nullòque usui sibi utilem emere pretio velle? Et tunc, Aio, nihil deberi à fure, quia nihil damni intulit, consumendo rem nullius valoris: adde dominum tacitè consentire huic consumptioni. Quis enim nō vellet à te panem, verbi gratia, consumi potius quàm absumi ab imminenti domus incendio?

11. Petes: Fur, si posset rem à se ablatam eripere à simili, verbi gratia, incēdio, obligaretúrne eripere? idque ex Iustitiáne, an ex charitate? Respondeo, obligari ex Iustitia, esto; negare videantur Less. & Vasq. *loc. cit.* obligationem Iustitiæ. Ratio est, quia fur, quamvis non sit absolutè custos rei ablatæ, quia tamen semper obligatur rem domino restituere, consequenter obligatur rem eandem conservare, saltem æquali diligentia, & labore, quo res suas conservaret, nè scilicet ponat voluntariū impedimentum ad restituendum: ergo contra Iustitiam peccat, ni conservet, cùm possit, quod idem est, ac dicere, si cùm possit, ab incendio non eripiat.

12. Quid, si quis rem furripiat ante incendium, quo certò res erat apud dominum peritura, obligatúrne illam restituere, an verò, ut suam possit consumere? Respondeo obligari restituere, nec ut suam posse consumere. Ratio clara mihi est, quia res quomodocunque salva fiat, domini semper est, nisi ex circunstantiis certò appareat, rem à domino jam fuisse verè, & ex animo, non verò solùm ex necessitate derelictam. Vide quæ dixi *tract. 2. cap. 8. num. 14.* Fortunæ igitur suæ dominus tribuat, si res in tuto posita fuit à fure. Deducere tamen pro se furem posse pretium sui laboris, & industriæ, si quæ fuit, ipsa recta ratio dictat, quantum autem erit hoc pretium, facilè colliges ex dictis *tract. 2. cap. 8. a. n. 7.* in simili.

Quando res perit in via, sub ejus manum, cum quo eam mitto ad dominum, quid faciam, dicam *infrà tract. 4. §. 1. num. 3.*

## §. IX. *Onus. Restitutionis quandònam adsit, si acceptio, vel detentio sint dubiè injustæ. Remissivè.*

1. DE hac cùm satis ego disputaverim *superiùs lib. 1. in Decal. cap. 3. § 7. verb. Restitutio*, illuc accedat, si velit, curiosus Lector.

---

## CAPVT III.

## §. *I. De secunda Radice, seu causa Restitutionis, quæ est Res accepta.*

1. DUm non constat rem, quam ego possideo esse alienam, dicor possessor bonæ fidei: cùm

constat, dicor, & sum malæ fidei possessor. Quòd si non constet rem esse meam, sed nec constet esse alienam, dicor possessor dubiæ fidei.

2. Sit jam Regula prima ex Less. *lib.* 2. *c.*14. *d.*1. Mol. *tom.*3. *d.*718. aliisque apud Sanch. *l.*2. *in dec. cap.*23. *n.*34. Dic. *lib.*2. *de just. tr.*2. *d.*5. *dub.*1. Si quis rem alienam bona fide, ut suam quocunque titulo accepit, statim, atque certò advertit esse alienam, debet illam eandem, si extat, reddere domino: imò dominus potest sibi eandem, ubicunque illam invenerit, vindicare. Ratio est, quia res quomodocumque accepta, ubicunque est, domini est. Quare, nisi, qui eam habet, statim reddat, incipit esse injustus detentor, & subintrat pro consequenti tempore radix restitutionis ex injusta acceptione, de qua *in præcedenti capite* dictum est, quia rei alienæ detentio est continuata ablatio.

3. Dixi (certò advertit) nam si sub dubio, vel sub probabilitate, quæ non faciat moralem certitudinem, non est obligatus reddere, ut fusè diximus *sup. lib.* 1. *in dec. cap.*3. *à* §.3. *& deinceps*, & mox innuam, *n.*15.

4. Dixi item (illam eandem) nam non potest unum pro alio, invito creditore, restitui *leg. Manifestè, C. de solut.* cùm creditor non solùm habeat ius Iustitiæ ad rem ejúsque valorem, sed etiam ad hanc rem. Ita Vasquez, Val. Mol. Rebel. Lop. Sotus, quos citat, sequiturque Dicast. *lib.*2. *de Iust. tract.*2. *disp.*2. *dub.* 2. *num.* 14 & 23. contra Petr. Navar. dicentem solùm esse contra Charitatem.

Duas tamen adhibeo limitationes: Alteram, In rebus usu consumptibilibus, seu functionem habentibus, facile posse reddi unum pro alio in eadem specie. v.g. debet quis mensuram frumenti æquè boni reddere: Ratio est, quia hæc sunt adeò æquivalentia, ut non sit judicandus invitus creditor. Alteram; In rebus, quæ functionem non recipiunt, tunc solùm potest unum pro altero æqualis pretij debitor restituere, verbi gratia, vestè pro equo, hunc equũ pro alio, imò pecuniam pro equo; &c. quando creditor non habet peculiarem affectum ad rem suam individuam. Ratio est eadem, quia tunc non erit graviter invitus creditor. Atque hæc doctrina cum prædictis duabus limitationibus propter paritatem rationis locum habet etiam in possessore malæ fidei, quando res est restituenda ex radice injustæ acceptionis.

5. Regula secunda ex iisdem, & *passim*: Si rem alienam bona fide acceptam, bona item fide in totum qui consumpsit, vel destruxit, nihil remanente, in quo factus sit ditior, sive fuerit res ex se consumptibilis, & ut Iurisperiti loquuntur, functionem recipiens, ut triticum, vinum, &c. sive non, ut equus, vestis, &c. ad nihil tenetur, quando deinde advertit se consumpsisse rem alienam. Ratio est, quia, cùm sine culpa contra Iustitiam fuerit destructa, non est caput, unde oriatur obligatio restitutionis. Dico contra Iustitiam, nam quamvis destruxerit lasciviendo, v.g. vel simili modo, cùm non fecerit contra Iustitiam, onus restitutionis non incurrit.

Petes primò: Quando res mistibilem alienam cum mea misceo, judicandúmque est, rem alienam extare, atque adeò me debere illam in individuo: an judicandum potiùs esse destructam, atque adeò me debere pretium, seu, id quo factus sum ditior? Respondeo, id colliges ex mox dicendis §. 4.

6. Petes, hac occasione secundò: Si mihi mercator tradat merces usu non consumptibiles, quas meæ dispositioni committat, dicendo, verbi gratiâ: Committo tibi has merces, ut de illis disponas, v.g. vendas, quomodo vis, dummodo correspondeas mihi, tradédo id, quod ex illarum distractione conquires: vel quod in idem recidit: si mihi mercator easdem tradat justo pretio æstimatas, ut illud pretium eidem mercatori post illarum distractionem sine fraude restituam: si, inquam, mihi sic consignentur merces, judicandúmne eris, rem alienam extare, atque adeò restituendum in individuo; an transisse in meum dominium, atque adeò solùm restituendum, Nam absolute, nulla alia voluntate accedente, merces sunt mercatoris: solùm enim committit (sic enim supponitur) ut eas more prudentis, seu utilis gestoris negotiorum ipsius diligentiâ moraliter dsligentiâ, vendas. At si accedat alius actus tuus, quo illas velis tibi emere, vel ipso actu cito de illis mercibus disponas, tanquam de tuis, ut de pignori des tuo creditori, vel tuo familiari, vel alio modo consumas, tunc merces erunt jam cum obligatione reddendi pretium mercatori, quia actualiter, vel virtualiter emisti, & consequenter creditor, vel amicus nihil debebunt mercatori: siquidem si rem tuam, non rem mercatoris acceperunt. Ita *decis.*503. Si tamen eas, extra necessitatem extremam, gravem, dones, vel pignori des tuo dicto creditori, videndo tibi non supperere, unde possis facere meo tori satis, peccas contra fidelitatem procuratoriam, quidem, si id fuerit in re notabili, peccas graviter, se patet, remanente séper in te obligatione restituendi pretij, si quando potens, solvendo fueris.

An verò creditor, vel amicus, dum has acceptant prævidentes suum pretium mercatori defuturum, pecunt, nécne, sivè te inducant ad dandum, sivè non cant; ex dicendis §.4. *num.*29. colligi poterit.

7. Regula tertia ex DD. cit. *litt. C.* Si res non est totum destructa, sed remanet in aliquo, quo redditest quis locupletior, hoc, quo factus est locupletior debebit is restituere, ut primùm advertit id sibi per proveniisse ex re aliena; Vt accidet, exempli gratiâ, quis rem alienam bona fide vendidisset, & pretium habuisset à venditore. Ratio est, quia hoc succedit loco rei. Quæ, sicuti rem, vel partem rei, si extaret, debuisem reddere, sic hoc, quod remanet. Adde non esse æquum, quempiam divitem fieri ex re aliena.

Dixi autem (per se provenisse) id enim solùm succedit loco rei alienæ, non verò id, quod ex occasione ipsius, seu per accidens acquiro. Si enim, v.g. pecuniam, quam bona fide meam puto, negotiationi fidedatn, totum lucrum meum erit, quia adest fructus industriæ meæ, nec per se provenit ab aliena pecunia, quæ ex se est sterilis. Pari modo, si occasione, quod ego vestitus veste alienæ pretiosa inviter à Principe, & aliquid lucrer; totum, quod acquiro, meum est, quia per accidens hoc lucrum sequitur à re aliena.

*Consumens rem bona fide acceptam.*

8. Ex dictis fit primò, Vt, si quis invitatus ab amico edat cum illo res fervas, nesciens esse ex furto, nullam restitutionem teneatur, si ipse in nullo factus sit ditior: At si non insumpsisset aliquid æquale in suo cibo, vel partem æquale, vel partem debet ex communi opinione restituere, quia in his factus est ditior. Ita iidem, quibus adde Vasquez, *capit.*9. *de restitut.*§.2. *num.*1. &

Dico (ex communi) nam de Lugo *tom.*1. *de just. d.*17. *sect.*1. *num.*15. ex alio capite hunc omnino liberat à restitutione: quia nimirum, dum comedit tanquam Minister, seu instrumentum invitantis, sine culpa & culenta destruit, veluti si gemmam alienam, quam bona fide putat Petri, v.g. projiceret jussu ejusdem Petri in puteum, ergo cùm ipse illa non acceptet, non contrahit obligationem restituendi ex re accepta. Verùm mihi non placuit *sup. tr.*1. *cap.*2. §.5. *n.*9. & 10. cum dicto religioso invitato sine Superiori licentia agerem: & mea in hoc casu multò minùs placet, saltem ex eo, quòd invitatus non utitur his speculationibus, nec intendit comedere, ut merum instrumentum invitantis; sed more humano cibum acceptat, & comedit: quare mortaliter rem tacitè accipit, & consequenter obligatur ex re accepta. Num sic quoad gemmam prædictam, vel quid simile: non enim acceptat gemmam, & ut sua projicit. Lege Bannez, & Salon. apud Dianam, *part.*1. *tractat.* 5. *resolution.* 43. qui ex alio capite nunc bona fide consumentem res unico actu consumptibiles liberant

berant à restitutione ; quamvis in aliquo factus sit dispar, sed non placent.

*Donans rem bona fide acceptam.*

9. Fit secundò, ex iisdem: Vt si ego rem furtivam mihi ignoranti donatam bona fide do alicui, vel eidem, qui mihi rem illam donavit, aliquid æquale ob gratitudinem retrodono, nihil restituere debeam, cum revera rem fuisse furtivam, quia in nihilo factus sum ditior. At si ego donaturus fuissem æquale, vel minùs bonum amico, quod mihi reservavi, quia rem furtivam reservavi, hoc æquale, vel minus restituere debeo dominus, qui nunc cognito, quia in hoc factus sum ditior, & hoc ipso succedit per se loco rei alienæ. Quid, si donaturus essem maius? v. g. centum aureos in tritico, sed quia reservavi quinquaginta in auro furtivo, totum triticum mihi alienum, solùm debeo quinquaginta reddere domino. Ratio est, quia excessus, quem mihi reservatum inveni, fuit reservatus per accidens ex occasione rei alienæ datæ, non verò per se, atque adeò meus est, non alterius.

*Vendens rem bona fide acceptam.*

10. Fit tertiò, Vt ex dictis decidi debeat, quid sit restituendum, & quantum, si res aliena bona fide vendatur? Dico esse distinguendum; vel enim primò, rem alienam bona fide emisti; vel secundò, dono seu sine pretio habuisti, & in utroque casu deinde, bona item fide, vendidisti. In priore casu, non obligaris quidpiam restituere domino rei. Ita ex iisdem, quibus adde Laym. *l. 3. tract. 4. c. 17. §. 3. num. 25.* lege Dian. *tom. 2. tract. 5. miscell. res. 41. & 42.* Caiet. utrumque Med. aliósque apud Dicast. *l. 2. de just. tract. 2. d. 5. dub. 8. num. 148.* quia apud te res aliena non extat, nec in aliquo ex illa es locupletior; pretium enim, quod nunc vendendo accipis, jam antea fovebas emendo. Dixi (domino rei) nam, an debeas aliquid ipsi emptori, cui tu vendidisti, dicam mox *n. 14.* In posteriore casu, debes dare totum pretium domino, quia in hoc factus es ditior. Nota, si dominus fortè rem suam recuperavit ab emptore hoc ultimo, ut certè potest, si extet, quia semper sua est; tunc te emptori huic pretium reddere debere, ne scilicet ex aliena te locupletis, certum esse.

Inquires: Quantum debet huic emptori, vel domino dari totúmne pretium, quo, res tibi dono data, vendidisti; an satis sit dari partem? Respondeo, si bona, ut dictum est, fide vendidisti, medio, vel infimo pretio; totum hoc debes, quia hoc succedit loco rei domino debitæ: At si vendis supremo pretio, vel etiam majore, id potest evenire ex duplici capite. Lege eosdem *q. 6.* adde Dicast. *lib. 2. de just. tract. 2. d. 5. dub. 7.*

11. Primò ex eo, quia res eadem, v. g. equus ex se, vel ex circumstantiis crevit in pretio, sive ob majorem ætatem equi, sive ex penuria equorum supervenientes, & in utroque casu debes totum, quantum fuit, pretium reddere. Ratio est, quia res est semper domini, & domino valet, quanti valet. Scio aliquos cum Molin. *tom. 4. disp. 721. num. 10.* docere, tunc satis tibi esse, si valorem medium reddas domino, & te posse excessum sibi reservare. Ratio est (inquiunt) quia sufficit, si domino reddas, quanti possit rem æqualem suæ sibi emere, vel comparare: at potest emere facilè, ut supponimus (secùs enim non haberet locum hæc doctrina) per illud pretium medium: ergo sufficit, si illud dumtaxat restituatur. Confirmant: Si dominus recuperasset suam rem ab eo, cui tu rem tibi donatam vendidisti, non tenereris domino dare, sed potiùs emptori, jam enim ipse dominus plenè est satisfactus per suæ rei recuperationem, ergo nec tenetis excessum illum eidem dare, jam enim ipse tantum habet per pretium medium, quantum sufficit ad similem sibi comparandam. Scio, inquam, hoc, & certè id esse probabile in praxi inficiari non possum, tutum id esse fatetur Dicastil. *loc. cit. num. 144.* licèt ipse contrariam sententiam sequatur.

12. Secundum caput, unde tu cariùs vendere potuisses rem alienam tibi dono datam, est, quia ejusmodi rem in alium locum transtulisti, vel similem non vulgarem diligentiam adhibuisti: & tunc, quia ille excessus est fructus solius tuæ industriæ, potes totum illum tibi attribuere. Ita Molin. & Layman. apud Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 41.* Verùm, quia ad pluris rem vendendam non solùm valet industria, sed etiam regulariter ipsa substantia rei, quæ venditur (quod non est ita in mera negotiatione pecuniæ quæ ex se sterilis est.) hæc notat Sanchez, *lib. 2. in Dec. cap. 23. numer. 28.* non totum hunc excessum posse à te retineri, sed solùm quantum arbitrio prudentis respondet tuo labori, & industriæ: & rectè de Lugo *tom. 1. de just. d. 17. sect. 1. n. 21.* ob hanc rationem docet, tunc numquam sufficere dare pretium infimum.

*Donans pretium rei alienæ bona fide venditæ.*

13. Sequitur quartò, ut etiam decidatur ex dictis Quisnam restituere teneatur in sequenti casu? Antonius equum Cæsaris bona fide ab amico dono accepit, mox eadem fide illum vendidit Francisco, atque ejus pretium idem Antonius dono dedit Petro; Quisnam reddere equum, vel ejus pretium debet Cæsari domino, quando constabit equum fuisse Cæsaris, Antoniúsne, an Franciscus, an Petrus?

Respondeo, ex dictis, (Lege item Sanchez, *lib. 2. in dec. c. 23. num. 18.*) Nihil Antonius debebit Cæsari, quia Antonius in nullo nunc invenitur factus ditior ex Cæsaris equo. Rursus nihil item debet Petrus, quia Petrus nunquam habuit alienum equum, & pecuniam quam dono habuit, accepit ab Antonio domino legitimo illius pecuniæ: qui, ut suppono ex mox dicendis, per immistionem pretij equi cum sua pecunia factus est dominus illius pretij. Quare, sicuti licitè quis data à latrone, vel fraudulento lusore potest retinere, quia hi fiunt facti domini illius pecuniæ per admistionem cum suis (ut supponimus) nam si facilè discerni potest, restituenda est, ut potè res domini, esto, personaliter remaneant obligati ad restitutionem: ita multò magis in casu nostro, in quo Antonius bona fide illud pretium acquisivit. Et sicuti in casu dicto latronis ex probabili sententia, quam *mox* §. 4. *num. 26. fine*, afferam mihi non imputatur, si quando per donationem illam pecuniæ mihi factam, fiat ipse latro impotens ad dictam restitutionem, quando ego eam impotentiam non prævideo, vel etiamsi prævideam, latronem tamen non induco ad donandum, sed solùm accepto: ita etiam in casu nostro, &c.

14. Remanet ergo Franciscus, qui quidem est obligandus ad equum reddendum suo domino, nempe Cæsari, etiam cum jactura istæ pecuniæ: suo enim infortunio debet ascribere quòd res aliena, ad quam semper jus habet proprius dominus, apud se extare inveniatur, sed cèrtè Antonius, quem nihil debere Cæsari diximus, debebit tamen Francisco totum pretium reddere in casu, quo idem Franciscus Cæsari equum suum reddiderit. Ita Sot. Petr. Navarr. Val. Rebell. Azor. Less. apud Dicastil. *l. c. dub. 8. à num. 150.* contra Navarr. qui putat satis esse, si Antonius cedat Francisco actionem, quam habet contra Cæsarem. Ratio non dicitur ex radice injustæ acceptionis, vel ex radice rei acceptæ, quæ hic, ut patet in Antonio non adsunt; sed ex contractu quo Antonius Francisco rem vendidit; In hoc enim contractu implicitè includitur, ut venditor indemnem reddere debeat emptorem, quoad rem venditam, ut scilicet hæc sit vendibilis, & ut ipse venditor possit transferre ejus dominium in emptorem, &c. Sanè eodem modo, si vendidisti bona fide vitrum pro gemma, cognito

gnito errore, restituere debes pretium, seu rescindere contractum, ut indemnem serves ementem. Atque hæc ratio valet, etiamsi Antonius equum prædictum emerit justo pretio, v. g. à Titio; licèt ipse Antonius possit à Titio venditore, propter dictam rationem indemnitatis, exigere suum pretium: tamen ipse Antonius obligatur ex vi suæ venditionis factæ Franciscum indemnem reddere, nec potest remittere Francisco ad Titium, cum quo Franciscus nullum iniit contractum, & per hoc resolvitur id, quod innui *suprà*, *num.* 10. lege de Lugo *t.* 1. *de Just. d.* 17. *sect.* 5. *à num.* 109. & Dicastillum *l.c.* ponentes aliquas utiles considerationes circa hunc, & similes casus.

15. Petes hîc denique: Ad quid obligetur quis, si sit dubius, an factus fuerit ditior ex re aliena bona fide accepta?

Respondeo ad nihil, quia in dubio melior est conditio possidetis. Idem dic si sis dubius, an res quam bona fide habes, sit aliena, & post moralem diligentiam dubium evincere non potes. Differentia autem magna intercedit inter dubium supervenien, postquā rem bona fide possides, & inter dubium, quod fortè sit, antequam rei possessio à te occupetur: nam hic tibi nō suffragabitur possessio, suffragabitur tibi in dubio superveniente, sed de his, ut etiam, quando res est probabilis, multa satis sunt disputata *sup. lib.* 1. *c.* 3. 6. *&* 7.

16. De emptione rei furtivæ multa dixi *Tract.* 2. *c.* 8. solùm in hunc locum sequentes duas quæstiones reservavi.

### §. II. *Prima Quæstio, An rem verbi gratiâ, equum bona fide tibi venditum, vel donatum, ubi noscis esse furtivum, tibi liceat furi reddere?*

1. QVoad venditum: Dico non licere, si sine gravi incommodo per Judicem, vel alio modo possis tu emptor tuum pretium habere, & dominus suum equū: licere autem si prudenter credas dominum facilè recuperaturum suum equum, & tu pretium; ut si furem furti pœnituisset, & tibi pretium, dominóque equum is redditurus esset: Imò in hoc ultimo casu puto, te debere eidem furi equum reddere, quando scilicet, secùs furi aliquod injustum damnum immineret, ut bis solvere pretium equi, vel quid simile. Rursus, dico non licere reddere furi, si per talem redditionem non speras te recuperaturum tuum pretium, nec aliquod grave malum à fure times, si illi non reddas. Ratio est clara, quia tunc non esset caput, unde possis rem in manu latronis cum domini damno reponere.

2. Hæc sunt facilia, illud difficile: An quando scio furem non redditurum equum domino; possim ego ipsi furi reddere equum, à quo bona fide emi, in eo casu, quo mihi aliter meum pretium recuperare non datur? Negat Molina *t.* 3. *d.* 722. quem sequitur Azor. aliique apud Dicastillum mox citandum, concedit Rebell. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 9. Vasquez *de restit. c.* 9. *&* 2. *dub.* 2. *n.* 12. *&* 13 idem sentit de Lugo *t.* 1. *de just. d.* 17. *sect.* 2. Dicastill. *lib.* 2. *tr.* 2. *d.* 5. *dub.* 4. *n.* 95. citans Tol. Arag. Bonac. à quo falsò citari Azorium pro hac sententia notat *ibi* Dicastill. cum quibus sentio. Ratio est, quia, cùm ego solùm tenear equum reddere ex re bona fide accepta, sufficiet, si illum reponam in eodem statu, in quo erat: non enim video cogendus illum cum meo damno domino restituere, quia sic æque obligarer, ac ipse fur, qui rem habuit mala fide; cùm ergo minor sit mea obligatio, solùm obligabor domino restituere, quando non patior æquale damnum, non verò in nostro casu, quo par detrimentum parerer, meum pretium amittendo. Unde vides idem dicendum esse si aliquod grave malum à fure rationabiliter timerem, si ipsi non redderem.

3. Dixi (posse me reddere furi, seu illi qui mihi rem vendidit) nam vendere alteri non possum, etiam ad recuperandum meum pretium. Ratio est, quia sic facerem injustum contractum, vendendo rem alienam; at restituere eidem furi non facere contractum, sed præstat rescindere, quæ rescissio ex se injusta non est quia non teneor stare ei contractui, cum meo illo damno amissionis pretij.

4. Objicies? Non potest debitor restituere rem, gladium domino, si sciat dominum illo abusurum, ad injustè occidēdum, ne scil. cooperetur cum illius peccato, ergo nec emptor, de quo loquimur, poterit restituere furi, quia scit furem abusurum, dum eam ipsi non reddet domino. Respondeo nego paritatem, debitor ille supponitur nullum pati damnum, si res casu non reddat, at in casu nostro patitur, nempe amittit suum pretium; nemo autem tenetur procurare bonum temporale alterius cum æquali suo damno, ut dictum. Adde in casu nostro (quidquid sit in illius gladij debitore, de quo *infrà*, *tr.* 4. *c.* 1. §. 3.) cooperationem ad peccatum alterius fore admodum remotam: at cooperatio remota ex multis capitibus excusatur à peccato, ut alibi diximus, hîc autem erit excusatio ab æquali damno, &c.

5. Objicies rursus: Si dominus equi emptorem adeat Judicem deferret, Judex illum cogeret reddere equum furi, sed ipsi domino: ergo ad idem ego obligor in conscientia.

Respondeo: Nego consequentiam, quia Judex supponit furem non inveniri, ut is cogatur ad restituendum pretium & sic Judex operatur ex præsumptione, quod ego pretium recuperare non possim, quando jam *n.* 1. fassi sumus, non posse rem reddi furi. Cum ergo in nostro casu emptor reddendo rem furi possit suum recuperare, non injustè aget, si se indemnem servet. At cur Judex ita supponit, & non potiùs quærit furem, quem cogat ad reddendum pretium? Respondeo, quia non tenetur Judex, nisi ad ea, quæ à partibus proponuntur, imò Judex prudenter præsumit, rem alienam mala fide fuisse emptam, & consequenter cogit absolutè emptorem ad restitutionē: secùs daret aditum fraudibus, & quilibet à fure etiam mala fide libenter emeret, quia semper esset securus suum pretium per Judices se recuperaturum. Alias objectiones vide apud citatos.

6. Quoad rem non mistibilem donatam, jam ex dictis colligis, rem tibi à fure donatam bona fide, magis mala fide, vel etiam apud te fortè ab eodem fure depositam, statim ac furtum advertit, te debere domino restituere. Ratio est eruenda ex iisdem dictis, quia in hoc casu nullam pretij jacturam facis. Excipe, nisi fortè à fure tibi grave aliquod proportionaliter dictum immineret tunc enim sufficeret restituere, ut etiam ex dictis colligi potest.

Dixi (quoad rem non mistibilem) nam si fuerit pecunia, vel ita mistibilis, ut immista cum rebus latronis discerni nequeat, jam innui §. 1. *n.* 2. & iterum explicato §. 4. *præsertim n.* 3.

### §. III. *Secunda Quæstio, Quoad idem, quando adest mala fides.*

1. SI rem furtivam à fure mihi venditam mala fide emi & meum pretium recipere aliâ viâ nō possim, Quæritur, an possim reddere furi, ut ipse meum pretium reddat. Non posse docent Less. Turrian. aliique apud Lugo *mox* citandum, Dicast. *l.c. n.* 113. afferens Mol. Reb. Bannez, Vasq. Posse meliùs alij, propter paritatem rationis cum emptis bona fide. Ita Diana, & de Lugo cū aliis ab ipsis citatis *tom.* 1. *de Just. d.* 17. *sect.* 2. *n.* 37. Tolet. Sylv. aliique apud Dicast. *l.c. n.* 112. Nam sicuti, qui debet restituere ex injusta acceptione, vel retentione satisfacit nolendo injustam acceptionem, & injustam retentionem; ita, qui debet restituere ex injusta emptione, satisfacit, quantum est ex hoc capite, si tollat injustam emptionis. Tollit autem emptor, si rescindat contractum cum venditore: Ex alia parte idem emptor non cooperatur fic cum malitia venditoris, quia suum damnum, ne scilicet suum pretium amittat, satis ipsum excusat à tali cooperatione.

2 Dixi

2. Dixi (quantum ex hoc capite) nam si diu emptor retinuit cum gravi damno domini rem, tunc debebit illatum damnum ob injustam retentionem.

3. Inquires: Quanto tempore hic emptor malæ, ut non ille bonæ fidei potest retinere rem furtivam emptã, neque tractet cum fure de retrahendo suo pretio? Respõdeo, secundùm moralem prudentiam, ex circumstantiis est decernendum, præ oculis habitâ illâ regulâ, ut ex hac detentione (quæ certè non valde longi temporis esse debet) non redundet in novum damnum domini. Vide de Lugo citatum *n.* 33.

4. Si rem furtivam mala fide mihi donatam mala fide accepi; omnino me illam debere domino restituere, non autem furi, jam dixi modò *num.* 22.

*De emente, ut item de acquirente rem alteri obligatam.*

INcidit hic dubium de re alteri hypothecatâ, seu obligata quam ego fortè emi, seu per hæreditatem acquisivi insciis ejusmodi obligationis: Domum, v. g. emi a Petro justo pretio centum aureorum; deinde apparet eam esse obligatam Francisco in aureis viginti, an debeam eos viginti Francisco solvere? Respondeo, Communis est doctrina, me debere, vel solvere, vel tradere illi domum: licèt postea regressum habeam contra priorem venditorem. Ratio est, quia tunc urget radix restitutionis ex re accepta; sicuti enim, si emissem eam domum a fure, nullum ego in eam dominiũ acquisivissem: ita nunc secundùm illam partem respondentem viginti aureis non acquiro dominium saltem plenum, & perfectum, quia secundùm illam obligata est creditori, & pretii ejus est ea pars. Si vendidisset tibi eam dominus is, qui erat in extrema necessitate, te non obligat, Valentes in *Differ. utriusque fori, v. Debitum, diff.* 11. Verùm, id vide apud de Lugo *dicta d.* 17. *sect.* 3. *à num.* 95. Res est casus rarissimi eventus.

2. Si acquisivisses hæreditatem paternam, verbi gratiã, quæ verè non sufficiat ad Patris debita; ad nihil teneris in conscientia, etiamsi non feceris inventarium. Quod si bona hæreditatis sufficiant, sint tamẽ vinculata, debes solùm ex fructibus solvere eadem patris debita, si hæc debita sint contracta post institutum vinculum. At si fuissent contracta ante vinculum institutum: vel si fuissent contracta ab institutente revocabiliter dictum vinculum, debes ex Capitali solvere; ut brevibus docet, aliis citatis, Bonacina *tom.* 2. *circa* 4. *Decalog. quæst. disputat.* 5. *part.* 4. *num.* 10. quia antecessoris bona semper transeunt cum onere quod habent restituendi cuique suum.

## §. IV. *Occasione prædictorum, explicamus quandonam per conjunctionem res aliena transit in meum dominium, ita ut non debeam rem ipsam in individuo.*

AD multa usui erit explicatio, quam paramus afferre; nam propterea universaliter est tractanda, ut ne miseris, si ad alia, quæ hujus loci non videntur, divertamus: Id enim facit, ut ea omnia, quæ de ejusmodi conjunctione ignorari non debent, hîc in unum collecta Lector addiscat.

2. Quatuor modis hæc conjunctio formari, & esse potest: Primò, per alluvionem: Secundò, per adjunctionem: Tertiò, per confusionem: Quartò, per admixtionem.

*Per Alluvionem.*

3. Alluvio in legibus, *Institution. de rerum divisione*, §. *propterea quod per alluvionem*, & deinceps alia est patens, alia latens. Latens est, quando per alluvionem alicui insensibiliter tuo fundo adjungitur. Patens quando per fluminis vi detrahitur aliqua pars fundi tui vicini, & transfertur in fundum tuum. His positis.

Dico augmentum fundi factum per latentem alluvionem esse tuum, per patentem esse prædicti tui vicini.

4. Rursus insula, quæ per alluvionem solet de novo nasci, nasci potest primò in alto mari, quod sub nullius dominio sit: Secundò in medio fluvio: Tertiò, in eodem fluvio, sed propè tuum agrum: Quartò in eodem fluvio, sed propè agrum vicini. His positis.

Dico in hanc sententiam: Si primum, Insula, est primi occupantis: Si secundum, dividatur inter te, & illum, qui est è regione positus: Si tertium erit tua, etiamsi deinde fluxim, & latenter extendatur usque ad vicinum: Si quartum erit vicini, ejusdemque erit similis latens extensio.

5. Denique sic aio: Si alveus fluvij divertat in aliam partem: novus alveus fiet publicus, vel ejus, cujus erat fluvius: Antiquus verò accrescet iis, qui agros utrimque habent. Quòd si fluvius ex tuo agro Insulam faciat, nemo dubitat Insulam esse tuam.

6. Hæc vel sancita sunt in variis legibus, quas affert Molina *loco citato* aliique passim, vel ex aliis deducuntur, quas vide passim apud Doctores, Molinam *tom.* 1. *disput.* 57. de Lugo *tom.* 1. *de justitia, disp.* 6. *section.* 13. *à num.* 157. apud quos etiam invenies, An hæc accrescant usufructuario, an domino proprietatis, an emphyteutæ, an feudatario, quæ sunt quæstiones pertinentes ad Jurisperitos.

*Per Adjunctionem.*

7. Quærimus; An quando aliquid alienum adnectitur tuæ rei, totum fiat tuum, v. g. partem vestis pretiosæ alterius consuis tuo vestimento, vel gemmam alienam tuo annulo inseris, An tota vestis, annulúsque fiant tua. Tua esse colligitur *ex* §. *Quod si partem Instit. de rerum divisione*, cum obligatione tamen, semper supponimus, reddendi domino æstimatione suæ rei.

8. Verùm, sic est distinguendum. Vel primò res aliena non potest separari, salua tota re, ut si non purpureæ vestis pars, sed lanæ, seu fila purpurea aliena fuerint intexta cum tuis aliis, vestémque composuerint: & tunc non dicetur purpura adjuncta tuo vestimẽto; sed vel admixta, cum tua, vel confusa in tua, quia pars tua separari nequit, salvo vestimento: imò non rarò, nec discerni poterit ut si ejusdem rationis, colorisque essent tua, & aliena fila; atque de hoc loquitur §. *citatus*, & nos *à num.* 11. loquemur: sicuti de admixto dicemus *à num.* 15.

9. Vel secundò, res aliena potest dicerni, ac separari à tua; & tunc verè dicitur adjuncta. ex de Lugo *tom.* 1. *de Iust. d.* 6. *sect.* 13. *num.* 160. & ejus tractatio pertinet ad hunc numerum; In quo casu omnis æquitas requirit, ut pars illa adjuncta remaneat sui domini. Ita Dicastill. *l.* 2. *de just. tract.* 2. *d.* 5. *d.* 9. *num.* 184. & 190. cùm enim partis illius dominium nunquam dominus amiserit, & ex alia parte discerni, & separari possit: cur non sit separanda, ac domino restituenda;

10. Sed quid dicendum de ædificiis, & plantis, quæ solo adjunguntur? Respondeo, ut ædificij dominus sias, debes in proprio solo illud construere, §. *cùm in tuo, Inst. de rerum divis.* nam si in alieno, ejus erit ædificium, cujus est solum, modò dominus soli tibi solvat expensas, si bona fide processisti: nam si mala, nihil tibi debebitur.

Idem dic in plantis, domino nimirum soli eas cedere §. *si Titio, Instit de rer. divis.* compensatis tibi expensis, si bona fide plantasti: nam si mala, nihil meritò habebis. Lege Castr. *de Iust. in genere, d. unica, pag.* 20.

*Per Confusionem.*

11. Tunc res tua, & mea dicuntur confundi, quando non potest ex ipsis jam confusis assignari ulla pars, quæ non sit mea, & non tua. Misces, v. g. vinum tuum cum vino meo, tuum lac, cum meo lacte, assignarine poteris hanc verbi gratiã, guttam esse tuam, hanc esse meam? Non ita. Pari modo si ex tuo vino, & meo lacte, assignarine poteris hanc verbi gratiã, guttam esse tuam, hanc esse meam? Non ita. Pari modo si ex tuo vino, & meo melle fiat mulsum; si ex tuo ære, & meo argento, vel auro fiat

æs Corinthium; ex tuis,& meis medicamentis fiat emplastrum; ex tuis,& meis lanis, ex tuo, & meo serico intexatur vestis. Tunc autem dicetur admisceri,quando potest assignari, quæ pars sit mea, quæ tua, licèt à me dignosci facilè nequeat, v. g. ex frumento tuo admixto cum meo, potes accipere hoc granum, v. g. de quo verum est dicere, hoc fuit, seu est ex tuo frumento, vel verè est ex meo, licèt à nobis propter admixtionem factam non dignoscatur: non potes autem accipere unam guttam, v. g. in mulso & sic dicere, hæc gutta est solùm mel, est solùm vinum, & consequenter, est solùm tuum, &c. De admixtione mox; hic enim de confusione loquendum est, de qua sic distingue:

Vel Confusio inducta fuit primò, utroque domino consentiente, vel secundò, casu vel tertiò, altero solùm sic volente, nesciente, vel nolente altero; si primò, ac secundo modo, totum conflatum erit utriusque, quia consensus reciprocus,vel casus ille, id videtur præstare, & ad Judicem pertinebit dividere pro rata partium. Ita Castro Pal. *de Iustitia in genere, disputatione unica, pag.* 21. *num.*5. Si tertio modo, ad illum pertinet dominium, qui operam, & majorem partem materiæ apposuit, quibus tertium illud corpus conflatum est, quare illud mulsum, æs, emplastrum, vestis, tui erit dominij, si tuâ operâ, tuáque majore parte materiæ illa sint facta, cum obligatione tamen reddendi æstimationem partis materiæ alienæ, *ibid.* Ratio est, quia accessorium sequitur principale: principalior autem in his est opera tua, & pars notabilis tuæ materiæ, quàm sola pars materiæ alienæ,ergo, &c.

12. Dixi (notabilis) nam si v. g. parvam mensuram mellis tui misceres cum magno dolio alicni vini, vel parum purpuræ tuæ cum multis alienis, cùm parum pro nihilo reputetur,nec vinum esset tuum, nec vestis; *Eo modo,* (inquit Azor. apud Dicast. *loc. cit. n.* 185) *quo nimis parva aqua benedicta non reddit benedictam magnâ aquæ quantitatem,* tunc enim, cùm tua pars sit accessoria, illa aliena principalior, alterius erit dolium, & vestis, cum obligatione reddendi tibi æstimationem exiguæ illius purpuræ, & mellis.

13. Non dissimili modo judicarem (ut judicat Castr. *de just in genere,disp.unica,p.*21.*n.*1.) de pretiosissima pictura, vel scriptura facta à te in vili tabula, vel tela aliena, tuum enim erit totum cum obligatione reddendi pretium tabulæ,vel telæ illius domino. Quòd si pictura esset vilior, quàm tabula, certè tunc cederet, accessionis Iure domino tabulæ, quo pacto consiliantur variæ opiniones apud Castr.*loc.cit.n.*3. de simili pictura in aliena tabula variè sentientes. Vide *infrà §. 5. n. 6.*

14. Quòd si ejus sit generis rerum confusio, ut non possimus recurrere ad principalem, vel magis nobilem partem,ut si,omnibus perpensis,æquales essent,vel quasi æquales partes: Usui erit Regula, quæ *mox* dicetur *n.*20

Ex his collige,quid dicendum in formatione speciei ut loquuntur Iuristæ. Nam si, v.g. ex uvis alienis exprimas mustum, sine dubio, ex Castr.*loc.cit. n.* 3. hoc erit domini uvarum; solùm sibi bona fide expressisti, dabuntur tibi expensæ: nam si mala, nihil; sicuti, in simili modò dictum est *num.*10.

*Per admixtionem.*

15. Si tuum frumentum,hordeum pecunniam,& universaliter,si quælibet alia mixtibilia tua, ut sunt pecora, gallinæ,boves, (quæ, quando signata propriis characteribus non sunt, facilè admiscentur, ita ut discerni nequeant) cum meis misceam,in cujus erunt dominio?

18. Dico esse distinguendum modo,quo paulò ante distinximus,vel enim admistio facta est: Primò,ex utriusque consensu,vel secundò casu, & fortuitò, vel tertiò, uno sic volente. Si primo, & secundo modo, utriusque erit cumulus dividendus pro rata à Judice, ea ratione, quâ diximus *n.*11. Si tertio modo,in quo maximè urget præsens difficultas,habet quatuor Regulas; quas ex Lessio *l.*2.*c.*14.*num.*22. & rusus *ibid.c.*20. *num.* Sylv.*v.Usura* 6.*q.*1.de Lugo *l.c.* aliique. Prima est, ties notabile quid alienum admices tuis rebus, ita bili item proportionaliter quantitate sumptis, ampliùs discerni,ac separari non possint (si enim sint,non transferri,dominium,certum sit, quia res tunc remaneat distincta, & separabilis, semper ni fuit est, ut dixi *num.*9. (sive sit frumentum, quod dicat Glossa apud de Lugo *l.c.num.*162,quæ solam doctrinam admittit in pecunia,non verò in cæteris stibilibus sive pecunia, sive quodcunque aliud, dum habeas expressum non acquirendi dominium cumuli non erit cumulus in tuo solo dominio sed que, & singulæ partes remanebunt in dominio gulorum: esto, quia non dignoscuntur,quæ partes tuæ, vel quæ alterius, indigeas Judice, vel Arbitr dandum singulis ex eo cumulo, quod singulis pro convenit. Ratio autem, quòd cumulus prædictus fiat totus tui dominij, est,quia dominium rei de non acquiris sine voluntate, & acceptione: At supponimus,te non habere voluntatem acquirendi go non acquiris.

17. Regula secunda: Si voluntatem acquirendi milium habeas,& ex alia parte ita notabiles partes miscens,ut discerni, ac separari ampliùs res singulæ non possint,dominium totius cumuli acquiris; *l. nummi ff.de solut.l.Idem.Pomponius.ff.d rei vendic* bi; & communiter DD.citati,præsertim Vasq. *de re* §.2.*dub.*5.*n.*27. Ratio est, quia ex una parte já habes luntatem acquirendi, & ex alia te perinde habes, frumentum consumpseris, vel pecuniam expenderis enim æquivalenter facit illa confusa admixtio) & sequenter in te dominium rei transfers, cùm obligne restituendi æquivalens, sicuti patem obligatus contrahis,quando consumis.

18. Regula tertia: Si voluntatem illam, nec excludis nec includis,& tamen ita eas notabiles partes miscens discerni, & separari non possint, adhuc dominium tius cumuli acquiris. Ratio est, quia quamvis non voluntatem expressè acquirendi non habeas, habes men implicitè, dum te geris, perinde ac si consentires,&c.

19. Semper autem dixi (notabiles partes sint unam parvam mensuram, v. g. frumenti tui, insuper plenóque horreo alterius, vel aureum unum tuum magnæ summæ alienæ pecuniæ admisceas,vel contra, te transfatio dominij,quia tunc moraliter non judicatur facta ulla admistio,cùm parum pro nihilo reputetur; manet ergo cumulus in dominio ejus, cujus antè fuerat,cum obligatione restituendi parvam illam partem,&c.

Quanta autem hæc pars esse debeat, ut notabilis, non exigua censeatur, certè nonnisi prudentis judicio, & in similibus fit,judicandum.

20. Regula quarta: Si dignosci quidem possit pars tua,sed non separari sine totius destructione,ut si filia purpurea sint admixta filis albis serici alterius,in contexta veste,tunc videndum est, quodnam sit principalius &c. modo dicto *num.*11.*fine.*

Quid si,omnibus expensis, partes sint æquales, nec aliis principaliores? Respondeo,si nec dignosci possint, nec separari, salua re,uterque dominium in solidum eo conjuncto habebit,modo quem in simili diximus. Quòd si dignosci quidem possint,sed non separari sine re,idem puto dicendum: fortior enim circumstantia non posse sine destructione rei partes separari,quàm solùm posse discerni semper enim favendum est rei, ne destruatur.

21. Ex dictis vides, Si Religiosus, partem v. g. frumenti, vel pecuniæ ab amico fortè illi datam ad commendiendum,misceat cum suis,etiamsi discerni nequeat, non transferre ejus cumuli dominium in se, quia non habet voluntatem faciendi suam illam amici partem,& consequenter

enter nec totius aggregati: Vnde clarè fit, ut is non ceat contra pauperatis Votum, illam admixtionem endo. Vides item in eodem casu, si peperit cumulus, que pro sua rata perire: nam contrà si habuisset ani- m transferendi in se dominium (quis animus in ligioso non præsumitur, nisi exprimatur) & peccas- contra Votum, sibi soli cumulus periret, &c. Il- d noto, si admiscuit cum voluntate domini, ex alio te Religiosum non peccasse, saltem graviter: licèt, m demus translationem dominij in Religiosum fa- m esse, tamen cum æqualiter ex illo cumulo ha- tum ipse Religiosus, tum ille dominus, non videtur sse deordinatio gravis in tali translatione materiali minij.

*Dividuntur frequentiores casus de rebus mistibilibus.*

22. His itaque universim explicatis, afferam hîc so- tiones illorum casuum circa res, quæ miscentur, de bus frequentior esse solet usus, & dubitatio.

23. Dico primò: si fureris quamcumque rem mixti- lem, v.g. frumentum, oleum, vinum, argentum, pe- niam, &c. teneris ad restitutionem quantitatis furre- m, cum hoc discrimine, ut si miscueris cum tua ita, i discerni nequeat, tenearis saltem ad pretium, vel ad dem rem: si non immiscueris, vel ita sit mixta, discerni, & separari possit, tenearis ad restituendam m in individuo. Ratio est, quia si cognoscibilis perse- ne, cùm ea sit domini, domino reddenda est: ne- que enim harum rerum, etiam unico usu consumptibi- lium, dominium transfertur statim atque habemur; si vero non cognoscibilis, tunc quia per illam mixtionem factus est fur dominus, satis erit, si æquivalens restituat. Ita Sanchez, *l. 2. in dec. cap. 23. n. 34.* Less. mox citandus, num. 138.

24. Si tamen extet cumulus (advertо cum Lessio *l. 2. cap. 20. d. n. 156.*) in quo est mea modica pecunia, frumen- tum, &c. immixtum cum illo furis, licèt per illam ad- mixtionem fur factus sit dominus, tamen mihi relin- quitur actio non solùm in furem, sed etiam in re, idest, in cumulo; Unde ego præferri debeo, & possum accipe- re ab eo cumulo, per compensationem, partem meam. Ratio est, quia id videtur consonum juri naturali, ut si certò sciam ibi esse meum, possim meam partem accipe- re, quantumcumque modicam.

25. Dico secundò: Si fur dat mihi bona fide reci- pienti aliquod mixtibile, verbi gratia pecuniam alie- nam, si deinde mihi constet esse alienam, nec fuisse per- mixtam cum pecuniis aliis, quas fortè habebat fur, tùc statim, atque id scio, debeo restituere domino, multò magis debeo restituere, si recepi mala fide) sive fur re- manserit potens per aliam pecuniam solvere, quod fura- tus est, sive non; dummodo de facto nolit solvere. Ita Petr. Navar. Sanchez cósque citans Dicastil. *lib. 2. tract. 2. disp. 5. dub. 9. num. 190.* Ratio est, quia illa aliena pecunia cum discerni possit, est domini, & ego debeo ex re ac- cepta; quando autem res ex re accepta debetur, nihil licet potentia, vel impotentia furis, quia res ipsa accepta ubicunque invenitur, domino est restituenda. Quòd si prædictam pecuniam immiscuerim cum mea, adhuc de- beo restituere, sed in æquivalenti: siquidem jam factus sum ditior in illa quantitate, quam miscui cum meis, unde cumulus factus est major. Quòd si denique bona fide id totum consumpsi; tunc ex alio capite nihil debeo, quia scilicet in nihilo factus sum ditior, ut nunc suppo- nimus.

26. Dico tertiò; Si fur immiscuit alienam pecu- niam cum sua, ut discerni nequeat, & deinde ex tota summa donaverit mihi bona, imò etiam mala fide re- cipiendi partem aliquam, imò etiam totam illam sum- mam, nihil debeo domino, si fur potens est per alia sua bona restituere, licèt nolit: At si fur non est potens, debeo ego totam pecuniam furtivam restituere. Ita San- chez, aliique apud Dicast. *loc. cit. num. 186.* contra Petr. Navarr. *ibidem.* citatum. Ratio prioris dicti est, quia per illam immistionem, quæ æquivalet consumptioni, fur factus est dominus totius; licèt semper remanserit obli- gatus ad restituendum æquivalens? Cùm igitur ego ac- ceperim à fure jam facto domino, non accepi invito domino, ergo restituere ex hoc capite non debeo. Do- minus autem ille, à quo ablata est pecunia, solùm actio- nem habet contra bona illa, quæ jam supponimus in hoc priore dicto haberi à fure, sto, probabile etiam sit, quod dixi *num. 24.* ex Lessio. Ratio posterioris dicti est, quia fur est impotens, mea causa impotens est: mihi enim, qui acceptavi pecuniam, quâ fur poterat solvere debitum, imputatur ex Sanchez, *loco citato*, illa impotentia, atque adeò mihi remanebit onus supplen- di defectum furis, sive immiscuerim, sive non, cum mea pecunia. Fateor tamen cum Molin. Lessio, Salas, apud Castro Pal. *mox* citandum, esse probabile nullum onus mihi remanere, si acceptavi solùm, & non induxi ad dandum. Quod sub quadam animadversione docet Mo- lina apud de Lugo *de justit. disp. 20. num. 13.* Vide etiam Castro Pal. *de justitia commutativa, disputatione prima, punctо decimoquarto.*

27. Dico quartò, aliquid esse diversum rebus hisce mixtibilibus, si hæ mihi à fure venditæ sunt. Nam si ego frumentum, verbi gratia in individuo furtivum à fure bona fide emo, & antequam immiscearn cum meo fru- mento, scio esse alienum, totum debeo ex re accepta, atque adeò statim restituendum erit, in individuo, sicut si emissem rem non mixtibilem, verbi gratiâ, equum vestem, &c. de qua re § 2. & 3. universaliter dictum est, nisi fortè ad recuperandum meum pretium, vellem red- dere ipsi furi modo *ibidem* dicto. At si immiscui cum meo non modico frumento, ita ut discerni nequeat, nihil debeo. Ratio est, quia ex una parte per illam ad- mixtionem ego factus sum dominus totius, & ex alia in nihilo sum factus ditior, quia justo pretio frumentum illud emi, non sic, si mihi donatum fuisset, quando jam ex donatione factus essem ditior, ut *numero* 5. dic- tum est.

Dixi autem (frumentum in individuo furtivum) nam si illud fur admiscuerit cum suo, & deinde mihi vendi- derit, jam vendidit ex suo, & consequenter, cum jux- ta doctrinam, datam *num. 26.* ego nihil furtivum eme- rim, recurret distinctio *ibid.* allata.

## §. V. *De obligatione Restitutionis fructuum ex re aliena bona fide perceptorum.*

1. REcole *supra ca. 2. §. 7. num. 22.* fructus rei, alios esse purè naturales, alios meræ industriæ, alios mixtos, ad quos reduximus civiles, v.g. locationem do- mus, equi, &c. Non loquimur pro foro externo, pro quo jurisconsulti nimis sunt sibi ipsi repugnantes, ut ha- bet de Lugo *tom. 1. de justitia disp. 17. sect. 3. n. 43.* sed pro foro conscientiæ tantùm.

2. Regula jam hujusmodi ex Lessio, Molina, Sanch. *mox* citand. & *passim*, figatur menti: Bonæ fidei possessor restituere debet solùm fructus extantes in se, vel in ali- quo, in quo factus est ditior; fructus, inquam, natura- les, & mixtos, non verò meræ industriales; A mixtis ta- men suas tum necessarias, tum utiles expensas, & æsti- mationem sui laboris posse deducere. Ratio Regulæ est, quia fructus sunt partus, & quasi partes rei, quæ tota domino debetur; nam propterea dicitur, quòd res, ubi- cunque est, domino fructificat, §. *si Titius ei duplici se- quente, Institution. de rerum divisio.* & ex alia parte æquũ est, ut expensæ, labor, & industriæ cedant in utilitatem ea præstantis.

3. Dictum est autem primò, (fructus extantes in se, &c.) quia cæteri bonâ fide, atque sine culpa con- sumpti, & ex quibus non est quis factus ditior, non sunt restituendi. Ita Angelus, Sylvest. Lessius, Molina. Gom. Salon. Vasquez, Rebell. Sanchez, aliique, quos sequitur citatus Dicastill. *lib. 2. de Justitia, tractat. 2. disp.*

*disp.5. dub.3. num.28.* Illud hic notandum censeo, cum enim fructus sint res mobiles, possunt à possessore bonæ fidei triennio præscribi: at res, à qua præcepti sunt, cùm sit stabilis v.g. prædium domus, &c. nō potest præscribi, nisi tempore longiore. Hinc ergo fit, ut persæpe teneatur reddere prædium, v.g. quia pro illo nondum est elapsum debitum tempus præscriptionis, non verò omnes fructus etiam extantes, seu in quibus factus es ditior, sed solùm illos, pro quibus triennium nondum elapsum est.

4. Dixi secundo, (fructus naturales', & mixtos) quod intellige, etiamsi dominus eos percepturus non fuisset ob suam negligentiam, vel aliud, ut si ager non fuisset ab ipso colendus, domus non locanda. Ratio est, quia semper sunt fructus rei domini, quæ domino fructificat. Quid de fructibus perceptis à re per possessorem bonæ fidei meliorata? Respondeo, etiam nos deberi domino eo modo, quo cæteri. Ita de Lugo *tom.1. de justit. disp.7. sect.3. n.52.* Molina *tom.3. disp.725. n.22.* Sà *lib.2. in Decalog. cap.23. n.105.* loquendo in simili de possessore malæ fidei, quia res meliorata adhuc est domini, ergo domino fructificat: Qua ratione tunc hic possessor possit expensas ad meliorandam illam rem factas sibi deducere, mox dicetur *num.12.*

5. Dixi tertio, (non verò mercè industriales) quare lucrum ex negotiatione pecuniæ negotiātis semper est: id, quod etiam *suprà* diximus de fure negotiante alterius pecuniam: Est tamen latum discrimen advertendum quòd bonæ fidei possessor non obligatur ad lucrum cessans, & damnum emergens quod fortè passus est ex pecuniæ carentia dominus; obligatur possessor malæ fidei, ut *ibid.* notavi.

6. Inquires hìc primò, qui sive bona, sive mala fide instrumento alterius aliquid facratur, alterius penicillo v.g. tabulam suam pingit, alterius serrâ arcam construit, &c. an picturam, & arcam faciat suas, utpotè effectus suæ artis, & industriæ, an alterius, nempe domini penicilli, vel serræ? Respondeo cum Dicastill. *l.2. de Justit. tract.2. disp.2. dub.5. num.107.* suas facit; solùm æstimationem usus penicilli, vel serræ debebit domino: nam pictura partus est artificij; atque adeò industriæ, non instrumenti. Quid, si proprio penicillo fiat in tabula alterius? Respondeo, tota pictura aliquibus videtur domini tabulæ, quia est veluti seges in solo alieno, solvantur dumtaxat Pictori bona fide pingenti suæ operæ, seu laboris pretium. Ego tamen probabilius judico id, quod de hoc dixi §.4. *num.13.* Pictori verò malæ fidei esse probabile videtur nihil dandum, quia pictura est melioramentum voluptuarium respectu tabulæ, ut colligitur ex *mox* dicendis de melioramentis prædij, vel domus, &c.

7. Inquires secundò majorem explicationem ejus, quo modò dictum est (seges in solo alieno.) Respondeo fit tuum frumentum in alieno agro', mala imò etiam bona fine, seminasti, tota seges est domini agri: ita idem *ibi disp.5. dub.2. num.26.* quia est fructus suæ rei, accipe tu igitur tuum frumentum, quod sevisti, & expensas, laborisque pretium, & nihil præterea. At si quis alienum frumentum in suo agro seminavit, debet ipsum frumentum suum reputum, & damnum, quod domino emersit ex frumenti carentia, reddere: at segetem sibi reservabit, quia fructus est sui agri.

8. Inquires tertiò: Quid de locatione rerum, quæ non solent locari? v. g. possessor bonæ, imò, & malæ fidei locat torquem aureum alienum; vel etiam aurum, & argentum ad ostentationem, quæ certè non solent locari, sicut domus, equi, &c. cuinam competet lucrum hujus locationis, dominone tanquam partus civiles suæ rei, an possessori tanquam partus suæ meræ industriæ? Respondeo consequenter ad dicta (quidquid Navar. *in manual. cap.17. num.25.* aliique apud Dicast. *loc.cit. n.102* asserant) hoc lucrum deberi domino, deducto semper pretio laboris, & industriæ locantis, si qua fuit. Ita Sanchez, *lib.1. in decal. cap.13. num.132.* Ratio est clara, quia illud lucrum non est lucrum industriæ locantis, sed tur pro usu ipsius rei, prorsus, sicuti, si quis locaret agri sterilis: quamvis enim ipse ager sterilis sit ut etiam est torques aurea, & ipsa pecunia, tamen do non dantur absolutè (sicuti certè datur abscunia, quando traditur in negotiationibus per nem, vel emptionem, &c.) sed pro solo usu, fructus civiliter, sicuti facit domus locata, &c. hoc casu liberarem locantem ejusmodi torquem, milia, à restitutione pretij locationis, quando tur dominus hoc pretium omninò nolle: *part.2. tractat. Miscel. ref.5.* (cui diligenti Scriptori multarū opinionum notitiam accepram tò referimus) liberavit ab obligatione restituēdi cum, qui mulum à ditissimo surreptum locavit per tos annos, quia nimirum nobilis ille ditissimus tatus fuit velle ejusmodi pretium: Verùm, adest hæc excusatio, universalis est pro omnibus nec solùm ejusmodi locatione.

9. Inquires quartò: An qui domum, verbi alienam, sive bona, sive mala fide locavit, sed accepit ratione alicujus portæ, à se affixæ, vel vel lapidis pretiosi, teneatur restituere hunc pretij ipsi domino domus? Respondeo cum Dicast. *de just. tom.2. disp.2. dub.5. n.91.* non teneri, quia lioratio, quæ est per meram adjunctionem, furis, atque adeò furi fructificat: Non sic, si melioratio per arbores plantatas in fundo alieno, tunc ut ex *suprà* dictis constat, fructus percepti arboribus essent fructus domini fundi, &c.

10. Inquires quintò: Ex eo, quod dictum est meræ industriæ (ut in negotiatione pecuniæ esse negotiantis, rectène colligit, qui affirmat licitè famulum, vel depositarium pecuniam inscio, negotiationi subdere, & lucrum sibi retinere? Respondeo cum Mol. Reg. Beia, aliisque apud Dicast. *tract. de contr. resol.32.* rectè si id faciat sine ullo dō ni præjudicio, seu damno: At si præjudicium ut si promptam non habiturus sit suam pecuniam minus, ad sua negotia, unde grave damnum sibi mat, licèt posset dictus famulus retinere lucrum, fructus suæ industriæ, tamen peccaret juxta gravia damni, & debebit restituere totum damnum, emersit, & lucrum quod cessavit domino ex carentia, ut ex dictis constat, vide quæ dixi *superius* famulo ludente pecuniis domini, *Tract. 2. cap.3. num.92.*

11. Dixi jam quartò, (A mistis expensas tum cessarias, tum utiles, & æstimationem laboris posse ducere?) Quare non satis consequenter aliqui negant æstimationem laboris, & operæ posse ab ejusmodi possessore deduci, cùm tamen concedant (quod certè negat) posse deduci expensas. Non satis, inquam consequenter; nam sicuti, si labor, & opera fuissent adhibita ab extraneo operario, debuisset dominus eorum pretium solvere, quia tunc jam sunt, ut vocantur expensæ eodem modo debebit, si exhibita, sint ab ipso possessore bonæ, imò, & malæ fidei, ex de Lugo, *tom.1. de Just. disp.17. sect.3. num.61.* quando vocantur industriæ, que enim propterea naturam mutant.

12. Adverte autem hactenus fuisse sermonem de expensis, & labore in percipiendis fructibus, v.g. in colligendis arboribus jam antea plantatis: si enim sermo sit de expensis, & labore factis, à possessore, quibus res alia fuit meliorata, quibus, v.g. fuerunt plantatæ novæ arbores, nova domus ædificata, novus puteus effossus, &c. quamvis eadem ferè sit ratio, ac de jam dictis expensis, tamen propter suas proprias difficultates de hoc erit hìc distinctè decernendum.

Mala

*Melioramenta.*

11. Dico ergo, has etiam expensas posse possessorem bonæ imò & malæ fidei sibi deducere, & dominum ad easdem solvendas, vel compensandas obligari; esse tamen quæstionem, num omnes, an aliquas dumtaxat. Lege Castro Pal. *de Iust. in genere, d. unic. p.* 24. Ubi autem id statuatur, distingui debent meliorationes in necessarias, utilia, voluntaria, seu voluptuaria. Necessaria sunt ea quæ, si adhibita non fuissent, nullos seu pejores fructus res produxisset. Secunda sunt ea, quæ faciunt, ut res sit utilior, ut si, v. g. cum necessariis meliramentis, seu, quod idem hic est expensis, res v.g. valebat centum, cum his utilibus reddat ducenta. Tertia sunt ad merum ornatū, sine accessu utilitatis reddita annui; Tales sunt fontes, picturæ, statuæ &c. quibus aeris sine dubio prædium pluris valeat, & magis æstimetur, tamen quia ex illis non reddit prædium fructus pares annos, annui non vocantur, nec sunt utilia, sed voluptuaria melioramenta.

12. Affero jam, Possessorem bonæ, imò, & malæ fidei, posse expensas factas ad melioramenta utilia, & necessaria à domino petere, & hunc debere solvere, vel compensare? non verò factas ad melioramenta voluptuaria. Potest tamen ejusmodi possessor bonæ, vel malæ fidei, hæc melioramenta voluptuaria, si separari queant, tollere, v.g. portas, statuas, &c. sibi sumere. Quòd si separari nequeant, vel per adjunctionem accesserunt rei, ut arbores, vel plantæ infructiferæ ad merum ornatum, nihil petat ex eorum pretio solvendum possessori malæ fidei; ut docet Sanchez *loco citato, num.* 139. imputet enim sibi quæ amittat, quæ circa rem alienam sine domini consensu, & sine ejus utilitate expendit. Adde, iniquum esse cogere dominum invitum emere illos ornatus, quibus ille libentiùs fortè careat, quàm careat pecunia, quæ est solvenda. Hæc secunda ratio probat, idem esse dicendum de melioramentis his voluptuosis à possessore bonæ fidei fortè factis. Scio de Lugo *loco citato num.* 65. velle saltem modicum quid pro his esse à domino solvendum ipsi possessori malæ fidei; quod certè est probabile, quia aliqua tandem domini utilitas est emere modico pretio dicta melioramenta voluptuaria; Quare semi cogitur emere justo pretio utilia propter utilitatē, ita & hæc voluptuaria modico pretio, quia sic utilia omnino sunt.

13. Pro possessore bonæ fidei idem videretur dicendum: nec enim dominus deberet cogi emere voluptuaria: tamen huic possessori propter bonam fidem concederitur liberas ea sibi separandi, si ea separari possunt: quod si non possunt, ipsi conceditur cogere dominum ad solvendum quantum ipse possessor expendit, ut ea faceret, addito pretio laboris, vel ad vendendam totam rem ipsi possessori justo pretio deductis meliorationibus.

14. Tria denique adverte: ut colligit ex *l. in fundo, ff. de rei vendicat. & alibi,* & explicat pluribus Sanchez *lib. 1. in dec. cap. 23. num.* 147. Primò, pro dictis meliorationibus etiam necessariis, & utilibus, dominum non debere solvere, quantum crevit valor rei suæ, sed quantum valuerunt expensæ, quibus ea melioramenta creverunt. Plantavit, verbi gratiâ, possessor arborem fructiferam, expendendo unum aureum, nunc verò arbor plantata valet decem aureos: unum aureum debebit dominus, non verò decem solvere. Ratio est, quia illud aureum est partus sui agri. Quòd si contrà expensæ fuerunt decē, verbi gratia aureorum, sed arbor nunc valet unum aureum: unum tantùm debebit dominus, non verò decem, quia pro uno aureo utilis est domino, arbor; Nec enim æquum est, ut cogatur emere rem pluris, quàm ipsi valeat. Imò si possessor bonæ, vel malæ fidei expendisset unum aureum, sed dominus, si illud melioramentum fecisset, expendisset minùs, verbi gratiâ, dimidium; dimidium deberet reddere dominus, non verò unum. Ita Sanchez *l. c. n.* 140. cum Lessio, & Mol. quia ipse solùm debet id, in quo emolumentum participat: quod nunc solùm est in dimidio.

16. Adverte secundò, Non solùm possessorem malæ, sed etiam bonæ fidei, ex fructibus quomodocunque consumptis, quamvis ditior redditus non fuerit, teneri eos cum meliorāmentis, sive necessariis, sive quomodocunque utilibus compensare. Ratio est, quia quò plures fructus percepit possessor quamvis eos consumpserit, eò minus censetur pro melioramentis expendisse.

17. Adverte tertiò: Si res cum melioramentis pervenit in domini manum, antequam dominus solvat possessori bonæ fidei expensas prædictas: posse semper in conscientia à dicto possessore peti eas, quas dominus debet, & dominum dare debere. At si sermo sit de possessore malæ fidei, dubitatur, an dominus in dicto casu, quo rem suam recipit, antequam expensas huic possessori malæ fidei solverit, obligatus sit nihilominus solvere? Negat obligari Sanch. *l. c. n.* 143. & 144. quia quoties lex justè negat actionem ad aliquam rem petendam, & simul concedit debitori repetitionem, si solverit, licebit etiam eidem debitori possidenti non solvere, ut fusè idem probat *ibid.* & *lib. 6. de. matr. d.* 38. *n.* 34. & *lib.* 18. *d.* 8. *num.* 15. sed malæ fidei possessori negat lex actionem petendi expensas melioramētorum, & dat domino repititionem, si solverit, ergo, &c. Navarr. quem citat, sequitúrque de Lugo *tom.* 2. *de Iust. d.* 17. *s.* 3. *num.* 66. aliique affirmant, cum obligari solvere ante sententiam: & ratio esse potest. quia lex in pœnam delicti negat talem actionem possessori malæ fidei, at pœna non obligat nisi post sententiam, quia ejus exequutio est actus, qui à publica potestate provenire debet. Utraque sententia est probabilis, & tuta. Quæ dicta sunt esse pro foro conscientiæ, iterum noto.

## §. VI. *Tres dubitationes circa variationem bonæ, & malæ fidei.*

1. PRima Dubitatio: An qui primò habuit bonam fidem, deinde malam, & fructus consumpsit, sit injustus acceptor, ita ut obligetur reddere eosdem fructus, etiam non extantes? Quid, si cōtra evenerit, ut priùs mala fide laboraverit, deinde acquisierit bonam?

Respondeo, in foro conscientiæ (si enim Jurisconsultos in foro externo consulas, nunquam rem expedies) solùm tunc obligaris ex injusta acceptione, quādo consumis fructus eo tempore, quo mala fides tecum est, quidquid fuerit antea, vel postea. Ita Molin. *tom.* 2. *d.* 569. & *to.* 3. *d.* 725. aliique, quos sequitur citatus Sanc. *loc. cit. n.* 152. Ratio mihi manifesta est, quia tunc injustè te geris contra dominum, & tunc peccas contra Justitiam. Ergo ex vi illius culpæ tunc contrahis obligationem restituendi. Quod si casus occurat, ut deinde superveniat certitudo, tuos esse, illos fructus, quos mala fide consumpsisti: ideo non obligaris restituere, quia illa consumptio verè non fuit materialiter injusta, sed ex conscientia erronea, quā cessante, jam ab omni onere liber eris.

2. Secunda Dubitatio: Quid erit, si respectu unius sit quis mala fide possessor, non verò respectu veri domini? Si possessor, verbi gratiâ, putans prædium esse Petri, consumat ejus fructus, utique mala fide, sed prædium verè est Pauli, eritne obligatio eos restituendi ex injusta acceptione? Ratio dubitandi est, quia tunc possessor ille re ipsa non est injurius, seu iniquus consumptor contra Petrum, quia verè illi fructus, sicut, & prædium, non sunt Petri: nec est injurius contra Paulum, quia dum illum, ut dominum non agnoscit injurius contra ipsum esse non potest. Unde nec potest obligari ex injusta acceptione; ergo solùm obligaretur ex re accepta: sed quia jam supponimus fructus fuisse consumptos, ex dictis ad nihil nunc obligabitur. Respondeo, hunc censendum esse consumptorem malæ fidei, atque adeò, cognita veritate, debere regulariter restituere eos fructus Paulo. Ratio est, quia,

dum is scit prædium non esse suum, atque adeò nec fructus, & tamen absolutè, & sine conditione consumit, injustè agit; & quidem, interpretativè, contra illum, cujus est re vera res.

Dixi (regulariter) nam si hoc animo explicito, vel implicito quis affectus esset: Quia hi fructus sunt Petri, verbi gratiâ; Principis, ideo eos accipio, & consumo, nam si essent Pauli, vel alterius privati, non acciperem, nec consumerem: tunc certè si fructus de facto sunt Pauli, non esset is injustus, nec respectu Pauli, nec respectu Petri Principis, propter argumentum factum ex de Lugo *tom. 1. de just. d. 17. sect. 3. num. 78. fine*, (lege item Sanch. *loc. cit. num. 157.* Molin. ab eodem citatum; & eundem de Lugo *d. 17. ibid sect. 3. num. 25. 26. & 27.* quem ego attuli *sup. lib. 6. cap. 4. §. 3. n...*) & consequenter non esset obligandus ad restitutionē ex injusta acceptione, ex probabili opinione, de qua in simili dixi *superiùs, lib. 6. c. 4. §. 3. à num. 30.*

3. Tertia Dubitatio: Quid, si meus Prædecessor mala fide laboravit, at ego bonam habui, nocebitne mihi fides hæc mala prædecessoris?

Respondeo; Communis est Doctrina, nocituram tibi, si es successor universalis, non verò si sis particularis; Universalis successor est, verbi gratiâ, hæres, qui in omnibus succedit Testatori defuncto. Particularis est verbi gratiâ, legatarius, & quilibet, qui ab aliquo habet, emit, dono accipit aliquam rem. Ita Sanchez *loco citato n. 155.* de Lugo *disp. 17. cit. num. 79.* aliique Jurisperiti ab iisdem citati. Ratio autem hujus. cōmunis doctrinæ esse debet, quia hæres, verbi gratiâ, universalis repræsentat personam Testatoris, possidétque omnia ejus bona eo modo, quo ipse Testator possidebat, nam propterea obligatur, saltem juxta vires hæreditatis, ad omnia Testatoris debita, sed Testator habebat sua bona obligata propter ejus malam fidem vero domino, illique debebat eos fructus, mala fide consumptos restituere, ergo & restituere debebit ejus successor: saltem, ut dictum est, juxta vires hæreditatis. Hæc autem repræsentatio cùm non adsit in successore particulari, si ipse bonæ fidei titulo, ut supponimus, vallatur, cur ab aliena fide mala premendus sit? Non ergo obligabitur ex injusta acceptione, sed solùm ex re accepta.

## CAPVT IV.

### *De tertia Radice Restitutionis, quæ est injusta Damnificatio, seu Læsio.*

1. QUi obligatus ad restitutionem ex præcedētibus radicibus fuit, aliquid sive bona, sive mala fide usurpavit: nam ideo possessor vocari potuit, nunc verò de eo loquimur, qui contra rem alienam sine ejusdem rei usurpatione, injurium se præfert. Id, quod fit vel positivè rem destruendo, ut si quis segetes alienas combuat, alienum argentum in mare proiiciat, simile quid faciat: vel positivè impediendo, ut si quis proximum injustè impediat, ne suas res temporales, sua legata, suas hæreditates consequatur.

#### §. I. *De positivo destructore rei alienæ.*

1. HIc locus esset explicandi, quænam culpa requiritur ad pariendam obligationem in eo, qui rei alienæ damnum infert; Theologicāne, an Juridica? Vide *sup. c. 2. §. 4* Rursus gravisne, an levis? Vide *supr. cap. 2. §. 5.* Deinde quodnam damnum, indirectúmne, an directum? Vide *supr. lib. 6. cap. 4. §. 1.* Denique à quónam illatum à se, an etiam à servo, à filio, ab animalibus suis? Vide *supr. ibid. §. 2.* sed quia de his per aliam occasionem plenè disputavimus, hìc satis sit ea, quæ supersunt, insinuare.

2. Quoad hanc ergo damnificationem, hæc notetur: Qui per culpam injustitiæ rem alienam deteriorem reddidit; non solùm debet restituere valorem rei, ejúsque fructus, sed etiam omne damnum quod emergit, ac omne lucrum, quod cessat ex ejusmodi læsione. Ratio regulæ est, quia alioquin non induceretur æqualitas quæ per suam injustitionem à damnificante inducta est.

3. Dictum est primò, (per culpam iustitiæ) gravem Theologicè, modo satis explicato, *sup. c. 2.*

4. Dictum est secundò (destruxit, vel deteriorem reddidit) utique directè, & ut causa per se: nam quid sit secundum, sit indirecta destructio, & per accidens, dictum *sup. lib. 6. c. 4. §. 1.*

5. Dictum est tertiò, (valorem rei) quanti ea valebat, sive in re, sive in spe, quando à te destructa: nam secundùm illum valorem domino damnum fecisti. Quòd si solùm rem deteriorem reddidisti, dumtaxat, quanti æstimatur deterioratio: sic enim inducetur æqualitas.

6. Dictum est quartò (ejúsque fructus) id, quod explicabitur *mox num. 9.*

7. Dictum est quintò (omne damnum &c.) hoc enim toties causa supponitur esse injusta damnificatio.

8. Dictum denique (ex læsione) intellige tantum ex causa per se, nec solùm, ut modò dixi, tanquam occasione per accidens: id, quod iterum notasse superfluum certè non est.

9. Vnum jam supereſt explicandum: Valor rei considerari in duplici statu, nimirum præsenti, vel futuro, potest: Occidisti; v. g. hodie pullum equi; Hic, juxta spe futuri eventus, deductis expensis, laboribus & æstimatione periculi, valet v. g. nunc decem aureos; estque valor præsentis temporis. Idem verò equus, si permansisset usque ad perfectam ætatem, quia grossescat stirpis, valiturus erat centum aureis; Hic valor est futuri temporis. Pari modo seges hæc, quam hodie mense Martij combussisti, cum tota spe futuri fructus valet propter expensas, pericula consueta, &c. judicio experti viri, decem aureis: at mense Augusti aucta, & collecta seges valebit centum. Quæritur jam, An possessor equi, vel destructor segetis restituere teneatur aureos decem, an centum? Respondeo, communem esse sententiam, teneri dumtaxat decem; sivè per malitiam, sivè per negligentiam moraliter culpabilem occideris, vel incenderis. Ita S. Thomas. 2. 2. *quæst. 62. art. 4.* Molin. *tom. 3. d. 726. num. 4.* Less. *cap. 12. dub. 19.* Diana, *part. 3. tract. 6. miscell. resol. 6.* Petrus Navarr. Less. apud Dicast. *lib. 2. de justit. tract. 2. d. 2. dub. 6. num. 116. & 117.* Contra Sotum, & Salonium putantes: si per malitiam, restituendum esse pretium, quod erit in re; si per dictam negligentiam, esse restituendum pretium, quod est in spe. Ratio communis est, quia justitia solùm exigit, ut restituatur, quantum ablatum est: sed tu, per illam occisionem equi, & per combustionem segetis, solùm abstulisti, quanti tunc valebant equus, & seges, nempe aureos decem, ergo hos dumtaxat restituere debes. Non negat tamen hæc communis opinio, ex alio capite, te aliquando plus debere restituere nempe, quando es causa damni emergentis, vel lucri cessantis domini. Si enim propter dictum incendium segetum, sterilis inducta esset frumenti, unde dominus, vel etiam alii coacti essent ad emendum cariùs annonam, id totum debes reddere, nam tunc hujus totius damni tu iniqua causa fuisti.

10. Obiiciet quis: At etiam tu iniqua causa fuisti cur dominus non habuerit suo tempore equum valentem centum aureis, atque adeò, ut cessaverit domino hoc lucrum: ergo etiam hoc centum ei reddere oportebit deducta æstimatione periculorum, deductis expensis, quas in alendo equo dominus fecisset. Confirmatur: nam etiam sic, si furatus fuisses pecuniam à domino, deberes eidem restituere tam pecuniam,

tiam rem lucrum quod per negotiationem ex illa pecunia acquisivisset, idem dominus.

Respondeo, urget mihi argumentum; unde fateor, fucillum debere restituere non decem tantum, quod di*n. praced.* communi sententia; sed centum deductis de*bendis*, quod probat hoc argumentum de Lugo, *t.* 1. *nit. d.* 18. *sect.* 4. *n.* 82. qui sequitur prædictam communem sententiam, & respondit huic argumento, negans fu- esse causâ talis damni emergentis, est enim, ait, causa dominus, quia potuit alium sibi pullum emere. Idem dominus, quia potuit alium sibi pullum emere. Idem sit ad confirmationem, negat enim deberi domino rum illud quia pari modo dominus poterat aliam pecuniam negotiationi subdere, solùm igitur tunc debet concludit ejusmodi lucra restitui, quando dominus aliam pecuniam haberet, quâ pullum equinum emere, vel negotiationi subdere posset: tunc enim tu, quia ea abstulisti, vera causa fuisses damni secuentis. Hæc ille, quibus ego libens subscribo.

### §. 11. *De impediente bonum, alteri, eiúsque restitutione quoad ea, quæ pertinent ad Justitiam commutativam.*

1. Si ex bono zelo, & sine vi, vel fraude impedis aliquem, v. g. Petrum, nè consequatur injustam hæreditatem, injustum legatum, nec peccas, nec restitutionis obligationem contrahis, ut ex se patet: Quòd si idem facias ex odio, vel cum vi, vel fraude similive peccato, peccabis quidem interno affectu contra Charitatem, vel alio peccato: sed quia non peccas quoad legatum contra Justitiam, justè enim illud impeditur, si sit injustum, ideo ad nullam restitutionem obligaris.

2. Verùm, si quem sivè vi vel fraude, sive sine illis quomodocunque impedias à consequutione boni, quod ipsi ex Justitia commutativa debetur, & peccas, & restitutionem debes. Mol. *tom.* 2. *d.* 727. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 8. Dicast. *lib.* 1 *de just. tr.* 2. *d.* 8. *dub.* 1. *n.* 2. quia tunc contra Justitiam delinquis. Dixi (ex Justitia commutativa) nam si solùm debeatur ex distributiva, mox dicam à *n.* 7.

3. Quid, si quem impedias à consequutione boni, quod liberaliter datur, v. g. legati, hæreditatis, eleemosynæ &c. Respó leo esse diligenter distinguendum. Nam si id fiat fraude, vi, vel simili, ut si suadeas falsis informationibus, vel cogas vi Testatoré, nè hæreditaté relinquat Petro, v. g. peccas, & restituere teneris, quanti æstimatur ab expertis damnum, quod Petro fecisti. Ita Tho. Sanch. *cap.* 22. *cons. cap.* 1. *d.* 49. Vasq. *p.* 2. *d.* 175. *c.* 2. *n.* 13. *& tr. de Bene. c.* 2. §. 2 *dub.* 20. Dian. *p.* 3. *r.* 6. *Miscell. res.* 23. Dicast. *loc. cit. n.* 4. Ratio est, quia ex unâ parte tu es causa moralis ejusmodi damni illati ipsi Petro: & ex alia, peccàs córa Justitiam, cùm quilibet habeat ius, ne per vim, & malis artibus arceatur à bonorum consequutione. Huc reducitur, quod dixi *suprà, lib.* 6. *c.* 4. §. 3. *n.* 13. te obligari ad restitutionem, si occidas eleemosynarium eo motivo, ut is eleemosynam ampliùs Antonio, v. g nó largiatur, id enim est vi, id est, ipsa morte impedire Antonium ab eleemosynæ consecutione. Huc etiam, si vim ipsi donatario, v. g. dicto Antonio inferas, ipsum in carcere injustè retinéndo ne ad eleemosynarium accedere valeat. Huc item ex de Lugo. *d.* 28. *sect.* 5. *n.* 91. si Notarios, vel Consiliarios ab moribundo eos vocante, avertas: ne scilicet is testamentum, vel legatum in alicujus favorem condat. Huc, et eod. *ibid. n.* 103. si testatorem volentem disponere in favorem alicuius, tu falsa spe sanitatis, vel longioris ad- huc vitæ, à condendo testamento distrahas. Ratio horũ est, quia hæc facere, est per fraudem, vel per vim, atque adeò contra Justitiam impedire proximum, ne bona liberaliter ab alio danda consequatur.

4. Quòd si id facias sine vi, vel fraude, sed precibus, consilio, &c. quamvis motus ab animo lædendi eum, in cujus favorem condendum fuisset, v. g. testamentum, ejus, peccas interiùs contra Charitatem, ut peccaret Judex, qui reum morte dignum ex odio condemnaret: nó tamen obligaris ad restitutionẽ, ut nec prædictus Iudex; quia actio ipsa externa non est contra Iustitiã. Ita iidẽ, quibus adde Bart. à S. Faust. *in spec. Confess. d.* 28. *q.* 2. dicentem, hanc communem sententiam Theologorum, & Canonistarum. Si verò ex bono zelo, seu prudenti consilio motus id facias, nec peccas, nec restitutioni es obnoxius: quia, ubi nulla est culpa, nulla est pœna mulctandum. Hinc non peccant nec restitutionem debent Religiosi, qui ex zelo salutis Testatoris, ipsi suadent, ut potiùs aliis, quàm Matrici Ecclesiæ relinquat: nam licèt videatur Clementina id prohibere Religiosis, non ita tamen est, ex Sanch. *in cons. cap.* 1. *dub.* 49. *n.* 28. cõtra Mol. *tom.* 3. *disp.* 727. *n.* 3. quia Sacer Canon prohibere bona, & prudentia consilia nunquam potuit. Adde, esto, quando imprudenter se gerunt, peccent in hoc fine dubio Religiosi: non tamen ad restitutionem tenentur, quia in Canone hæc pœna non apponitur.

5. Denique, si vera crimina alterius, sed occulta propales Testatori v, g. ne hæreditatem illi relinquat, nec peccati, nec restiturionis reum pronuntio: quia expedit Reip. ne bona relinquãtur ei, qui iis abusurus sit: si aliis à Testatore injustè propalasti, reddere quidem famam debes, sed non bona. Idem dici debere in materia Beneficiorum, mox videbimus.

Porrò, hîc ne prætermittatur casus sequens: Petrus apertuit litteras directas Paulo mercatori, quem amicus certiorem reddebat de supervẽtura frumentorum penuria, ex frumenti extractione, v. g. à Regno: unde factũ est, ut Petr. Paulum præveniens frumenti copiam vili pretio emerit, venditurus pretio magno, nimirum apparente mox penuria: quo pacto impedit Paulum à lucro, quod hic eadem arte comparasset. In præsenti ergo casu obligabitúrne Petrus ad restitutionem; Et idem quæri solet de prætendentibus Beneficium, quando alius simili ratione Beneficij vacationem cognovit, & præobtinuit.

Respond. Less. *lib.* 2. *de just. c.* 12. *à n.* 131. sic distinguit *Si Petrus tempestivè consignavit litteras Paulo, ipse quidẽ Petrus peccavit eas aperiendo, sed ad restitutionem non obligatur: quia cum tẽpore Paulus potuisset se negotiationi applicare, appertio litterarum remotè & indirectè se habet ad Pauli damnum. Si verò idem Petrus non consignavit litteras Paulo tempestivè & peccavit, & ad restitutionem obligatur, quia Paulo secutum est damnum directè ex mora injuriosa consignationis litterarum.* Ego hanc posteriorẽ partem approbo, de priore valdè incertus animi pendeo, ut in simili sentiã *inf. c.* 7. §. 12. *n.* 16. quia etiam in eo casu dãnum patitur Petrus ex radice injuriosæ tuæ apertionis. Tunc nihilominus probabilis esto sententia Lessij quam perfamiliaris meus P. Franc. Bardi *l.* 1. *sel.* 9. 15. novissimè defendit; quando ita se potuisset applicare Paul. ad negotiationem suam ut integrè illam intra morale tempus perfecisset, & suâ causâ non perfecit, non verò ob præventionem tuam.

6. Alij innumeri casus ex his colligi possunt: & præsertim, An qui mendaciis impedit Fiscum, ne confiscentur sua bona, obligetur ad restitutionẽ: An qui vel vi, vel fraude, vel sine illis impedit scolastic. ne aliam scholam frequentent: An pari modo, qui impedit, ne ad alium emptorem accedat: An qui impedit emptorem ne cognoscat vitium rei emptæ, vel emendæ, ut faciunt Tonsores pannorum, occultantes, vel secretò sarcientes eorundem pannorum scissuras, &c. Verùm, quia non pauca ex his suis in locis à me dicta sunt, atque dicentur, multa autem dilucidè ab authoribus tractantur, Sanch. partim *l.* 2. *in Dec. cap.* 22. *num.* 22. partim *l.* 1. *cons. cap.* 3. *dub.* 3. de Lugo *d. l.* 1. *de just. d.* 18. *sect.* 5. *num.* 108. idcò ad ea, quæ sunt difficiliora veniamus.

*Dubium incidens de impediente donationem peccaminosè alteri factam.*

7. Dubium hîc non vulgare sese offert explicandum. Si Anton.v.g. velit dare centum Petro, quæ donatio sit peccaminosa, liciténe ego,& sine onere restitutionis impediam,ne Anton.donet ? Respond. si impedis bono zelo,& sine odio,vel simili,certum est,te licitè impedire, justè enim tunc impedis crimé proximi. Difficultas est, si impedias non ex bono zelo , sed cum peccato, v.g.ex odio, quod geris contra Petrum,vel mediis iniquis,v.g. malè dicendo de Petro, &c.

8. Aio esse diligenter distinguendum,qua ratione dicta donatio,quæ impedienda est, sit peccaminosa. Vel enim primò,ita est peccaminosa,& injusta, ut Petr. re donatam suam facere non possit ; id quod accidere posset,si res, v.g.donanda esset aliena,vel furtiva; & in hoc casu certum est , posse impedire non solùm sine vi , & fraude, sed etiam cum fraude , & vi,nam impedis , ne Petr.aliena bona occuper. Quare si tu ex odio moveris, vel vim illicitam adhibes,peccabis quidem:sed quia non peccabis contra Justitiam debitam ipsi Petro, non contrahes obligationem restitutionis.

9 Vel secundò,ita est peccaminosa prædicta donatio, ut non sit injusta,ut si Antonius donare vellet ea , quæ suæ familiæ sunt omnino necessaria,vel vellet donare ex malo fine,v.g.ex vana gloria, ex fine adulterandi, &c.& tunc est nobis nova distinctione utendum ? Si enim donatio est peccaminosa ex parte utriusque, tum donantis Antonij,tũ donatarij Petri, (qualis est dicta donatio rei necessariæ familiæ,in ea enim peccat tum donans, quia tollit necessaria familiæ,tum donatarius , quia cooperatur,ut supponimus,peccato donantis,) potes etiam vi,& fraude impedire , modò viserit prudenter illata , nec sit tanta,ut ex aliquo alio capite modum excedat. Ratio est non absimilis,ac dicta,quia non est peccatum contra justitiam impedire,ne quis recipiat id, quod sine peccato recipere absolutè non potest.

10. At verò si donatio si peccaminosa solùm ex parte donantis , non verò ex parte donatarij , qualis est donatio facta ab Antonio ex fine vanæ gloriæ,vel adulterij,tunc potes quidem impedire sine vi,vel fraude,& potes etiam impedire indirectè persuadendo Antonio ut deponat illum malum finem, unde consequatur donationis omissio,quia sic , ex bono zelo impeditur peccatum alterius : at nullo modo potes impedire vi , vel fraude, &, si sic impedias , obligationem restitutionis subibis, Ratio est, quia tunc contra Justitiam impedires donatarium : cùm quilibet habeat Ius ne impediatur malis artibus à consecutione ejus,quod sine peccato ipse consequi potest.

11.Denique si , contra , donatio sit illicita solùm ex parte donatarij,non verò donantis , ut, si dictus Petrus vellet recipere donationẽ ex fine vanæ gloriæ,vel adulterij,quem finem , quia Antonius nescit non est particeps peccati,si tu id scias, licéne tibi impedire ejusmodi donationem ? Respondeo licere sine vi,vel fraude,& bonis artibus persuadendo ipsum donatarium , ut cesset ab illo fine malo : Verùm, si persuaderi non possit,non licere,vi,vel fraude impedire colligitur ex ratione modò dicta *n.*10. Quilibet enim videtur habere Ius donandi id, quod sine peccato dare potest,id tamen aliis considerandum relinquo.

## §. III. *De impediente bonum alteri,quoad ea,quæ pertinent ad Distributivam.*

### *Vbi aliqua de Beneficiis, & Officiis.*

1. ALiqua non rarò bona distribuuntur in Rep.inter Cives, quæ duplicis dispositionis esse solent. Prima , quæ danda sint certis , & determinatis personis , v. g. singulis danda est à Monte Pietatis mensura frumenti omnibus pauperibus talis Nationis vel omnibus iis pauperibus, qui eam voluerint, danda,quæ danda sic indeterminatis personis , sed ex libera voluntate distribuentis,v.g.dandæ sunt mensuræ iis pauperibus, quos libere elegerit Magistratis,vel danda est mesura frumenti alterutri ex his bus:quem nempe ipse distributor liberè ex duobus gerit.

2. Dico jam,cum Sylvest.2.2.*q.* 61. *art.* 1. *quæst. concl.*5.Qui sive vi, & fraude, sive sine illis quocunque impedierit,in priore jam dicta dispositione per peccat, & tenetur ad restitutionem. Ratio est manifesta,quia tunc illi singuli habent Ius ad eam eleemosynam,& illis ex voluntate disponentis ea datur. At in posteriori dispositione , si sine vi vel fraude impedias,non obligaris ad restitutionem, quia sicuti ille liberè eligere potest, sic tu illi persuadere;& hic habet eadem doctrina,quæ allata est *supra*,§.2.*num.*4. si impedias vi , vel fraude, ad restitutionem obligaris quanti æstimabitur à prudenti damnum impeditum. Ratio est,quia licèt illi non habeant Jus ad commutativæ ante electionem ad eleemosynam habent tamen Jus,ne impediantur fraudibus,&vi à secutione illius boni,recurrente huc doctrina alias *prà*,§.2.*num.*3.

### *Impedientes consecutionem Beneficij.*

3. Huc pertinent impedimenta contra volentes sequi beneficia, vel munia , quæ solent à Republica vel à Prælato benemeritis distribui ; de quibus breviter colligo ex Lessio *lib.* 2.*cap.*12.*dub.*17.cum Dicast.*lib.*2.*de justit.tract.* 2. *disput.* 8. *dub.* 2. qui citant.

Primo : Si quis erat Beneficio dignus , illúmque etiam vi, & fraude impedisti , ut conferretur digno ad nihil teneris. Ratio est , quia dignus non habet ullum jus respectu dignioris , quare illum indigno facit juxta voluntatem Reipublic. intendere beneficia , vel munera dignioribus. Quòd si impedisti,ut conferretur æquè digno, ad restitutionem teneris juxta spem , quam alias habebat. (Si enim talem spem habuisset, cùm nihil damni illi fecetis non debebis : ) Ratio est , quia ille alius dignus, reipsa æquè digni , gaudebat jure , ne malis artibus impeditetur.

4. Secundò : Si absque vi , vel fraude curasti curaretur indigno , nihil teneris restituere ipsis digno vel dignioribus ; sed Reipublicæ , vel Ecclesiæ tenes de damno secuto. Ratio est , quia solùm Reipublicæ non verò illis dignis , vel dignioribus injuriam fecisti. Nullus enim habet Ius justitiæ ad Beneficia : quidem primo loco tenetur dictæ Reipub.is, qui habet Officium,Secundò collator , Tertiò , tu qui fuisti fusor. Quòd si nullum damnum secutum est , adhuc fructuum perceptorum restitutio facienda est ipsi Reipub. vel Ecclesiæ, ad quam pertinet Beneficium , quia id quod est propria sustentatio Ministri idonei, datur contra voluntatem Ecclesiæ indigno. At si simili modo sine fraude procurasti , ut daretur digno , tibi dignioribus , ad nihil ulli teneris : Nam , non tenet dignioribus,hi enim non habent Jus Justitiæ commutativæ supra dignos ; non Reipublicæ , vel Ecclesiæ quia non est illis facta injuria , dum dignum habet ergo,&c.

5. Tertiò : Si prodas crimen occultum, unde ea datur aliquis à beneficio , siquidem prodas Collatorem etiam malo animo, non teneris ad restitutionem, etsi Collator,si tua non accessisset infamatio , illi beneficium collaturus fuisset. Ratio est, quia quando agitur de beneficiis, atque Officiis, cujuscunque est Jus tefaciendi ea , quæ minùs habilem hominem faciunt, unde etiam solent capi informationes,&c. Quid, si prodas aliis,unde diffametur is,de quo agitur ; Respon-

set, inclinat te non teneri ad restitutionem valoris (si Beneficij), (teneri enim ad restitutionem famæ certum est) si is excludatur ex vi commissi crimini: at si excludatur ex vi infamiæ per tuam occultam illius criminis publicationem enatæ, te teneri. Ratio esse potest, quia ibi is includatur à suo crimine, hic à tuo.

3. Quarto, Si impedias etiam vi, ne conferatur indigno, ad nihil tenetis: quia ad hujusmodi Beneficia, vel officia nullum prorsus habent Ius indigni.

4. Quintò, Si ut tu facilius impetres Beneficium, impedias Procuratorem prætendentis illud idem Beneficium, quod tu prætendis, eum orando, vel cogendo, per alium prætextum in aliis negotiis eundem detinendo; ut item, si impedias Tabellarios afferentes litteras ad tuum competitorem, vel easdem aperias, quò citiùs à Beneficio illum excludas, an obligeris ad restitutionem; & resolvi potest ex dictis, & habe dicitè communem Doctorum, de Lugo *tom.1.disp.18.sect.5. num.* 102. sequentem Bonacin. & Vasquez & *num.* 104. citantem Castro Pal. &c.

6. Denique ex iisdem dictis obiter intelligis ex violatione solius justitiæ distributivæ non oriri obligationem reddendi, nisi quatenus simul violatur ius aliquod pertinens ad Justitiam commutativam. Ita Rebell. Bonacin. Molina, Turr. aliique, quos citat, sequiturque Bonacin. *d.1.de restitut. quæstione prima, part. prima, numero nono.* Contra Vasq. Salonium, aliósque *ibid.* citatos, lege item Dicastill. *lib.2.de justit.tract.2. d.* 8. *dub. juncta d.* 1. *dub.* 3. Hactenus enim valuit, tunc in hujusmodi distributionibus adesse obligationem restituendi, quando quis violavit Ius, quod alius habebat, quæ repelleretur, ne impediretur, &c. hoc autem jus ad commutativam pertinet. Adde obligationem restituendi fundari in obligatione faciendæ æqualitatis Arithmeticæ, quam quis in rigore debet facere; at hæc ex Justitia commutativa facienda est. Nam propterea Princeps, si non distribuat, quæ distribuere Civibus pro eorum meritis debet, & hæres, si non eligat pauperes, quos eligere voluntas Testatoris jussit, ideo ad restitutionem obligantur, quia lædunt Justitiam commutativam, dum faciunt contra Ius, quod habent Cives illi, & illi pauperes ad distributionem, & electionem, &c. Et quando Princeps, vel alius Elector eligit indignum ad aliquod Officium, ideo obligatur ad damna, quæ indignus Officialis inferet Communitati, quia tunc Princeps, & elector sunt, contra Justitiam commutativam concausæ ad tale damnum, dum indignum ei Communitati præfecerunt.

## §. IV. *De Distributione Beneficiorum, & Officiorum.*

1. Dicamus hac occasione aliquid de huiusmodi argumento: atque quatuor dictis breviter expedimus ea, quæ nimis prolixè, & confusè aliqui pertractant.

2. Præmitto autem, Dignioremin pro his Beneficiis, Officiisque (ex S. Thom. *loco mox citando*, aliisque; lege item Sanchez *libro secundo, Consil.* 1. *dubitatione secunda*, & Caram. *in Reg. S. Bened. num.* 1504. Dicastill. *libro secundo, de Justit. tractat. secund. d.* 8. *dubitatione septima,*) non esse eum, qui absolutè doctior, sanctior, prudentior est, sed qui fore utilior pro bono communi in eo munere prævidetur: nam propterea aliquando minùs doctus, dignior in aliquibus circumstantiis erit pro hac Ecclesia contumaci, quia nobilior vel quia potentior est, quam, qui doctior, sanctior. Et dignior erit inter Hæreticos, qui doctior; quàm qui sanctior, & inter Catholicos, qui sanctior, quàm qui doctior, &c. Iam igitur tota difficultas in hoc argumento est, quænam obligatio sit eligendi ad ea munera illos, qui, omnibus expensis, sunt digniores, ac repellendi eos, qui vel indigni sunt, vel minùs digni.

3. Assero primò, esse ex suo genere mortale Beneficia, & Officia, imò quæliber bona distribuere indignis & immeritis: ex S. Thom. 2. 2. *q.* 63. & communiter; lege etiam *q.* 185. *art.* 3. Dicastill. *l. c. dub.* 5. Ratio communis est, quia esset acceptio personarum vitiosa in re gravi, ut supponimus, & damnum inferretur iis circa quos illa munera exerceri debent: undè sic distribuens contrahit obligationem restitutionis, ut modò §. *præcedente, num.*2. breviter insinuavimus.

4. Dixi autem (ex suo genere) posset enim excusatio aliqua te sic distribuentem à mortali liberare; ut, si electus, sit multùm leviter indignus; si res distribuenda esset judicio prudentum levis; si ratio quidem fuisset habita meritorum, sed merita unius, & alterius parum se invicem superarent; si leve, vel nullum damnum Reipubl. vel alteri inferretur, & similia. Ita Sot. Val. Rebell. aliique apud Dicastill. *loco cit. dub.* 5. *num.*84. & de Lugo mox citandus, *sect.* 3. *à num.* 21. contra Turrian.

5. Assero secundò, omnia Beneficia, sive majora, ut Cardinalatus, & episcopatus, sive minora, ut Canonicatus, & Capellanias, sive curam animarum habentia, ut Abbatia, & Parochia, sive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & Capellania, cæteráque Beneficia, quæ simplicia nominantur, abstrahendo ab iis, quæ dantur in concursu, (de quibus mox *num.*14.) assero, inquam, satis esse ad evitandum mortale, si conferantur dignis, & idoneis, esto præmittantur digniores, vel dignissimi. Ita plures apud de Lugo, *lib.2. de Just. d.35.sect.2. num.* 11. & apud Dian. *p.* 1. *tract.* 15. *resol.*40. Caram. *in Reg. S. Bened. num.* 1505. dum probat stàdo Iure naturæ in nulla dignitate debere digniorem necessariò præponi. Id, quod certè semper fit cum veniali; quia semper est aliqua deordinatio. Idem dic de resignante suum Beneficium in favorem alterius digni. Idem de dantibus suffragia pro dignis in electione Prælatorum Regularium, déque eligentibus, seu creantibus eosdem dignos, loquimur autem, præciso juramento, vel alia obligante constitutione in contrarium: quæ certè, si adsunt, erunt juxta receptam consuetudinem observanda. Hæc tam ampla assertio licèt communiter non admittatur, ut plures citati à Dicastill. *loc. cit.* tamen esse probabilem sic fatetur Filliuc. t. 3. tr. 41. in Append. cap. 4. num. 181. *Dico quinto* (ait) *sententiam, quæ censet satis esse dignos ad Beneficia, quæ non dantur in concursu, esse probabilem ex Trident.* sess. 7. capit. 3. de reformat. *dicente, ut conferantur dignis. Et universali æstimatione, in creatione Beneficiariorum, ut Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, &c. qui si inter dignos habeantur, laudatur elector, & electio, non laudaretur autem communiter, si mala esset, & peccatum mortale.* Hæc Filliucius.

6. Ratio autem hujus probabilitatis duplex est. Altera, quia non videtur graviter esse invita, nec læsa Ecclesia, si ea provideatur de dignis: commune enim est in more humano, sub quo instituta sunt Beneficia. & Ecclesiarum provisiones, ut ea judicetur recta provisio, quæ fiat per aptos, non verò necessariò, per aptissimos: siquidem ad moralem, & humanam diligentiam ponendam homines obligantur, quam certè dignus exhibere potest; non ad omnino, & ex omni parte perfectam, quia id onus esset non humanis viribus tolerandum, Confirmatur, quia, fac Episcopum esse dignissimum sed se gerat tanquam dignum Prælatum, non verò tanquam dignissimum, ea nimirum pro utilitate Diœcesis operando, quæ sufficiunt ad ejus diligentem gubernationem, non autem diligentissimam: certè hunc non condemnares de mortali qui non obligatur, nisi humano more, moralem diligentiam adhibere, ut alibi universaliter dictum est. Si igitur ego do Ecclesiæ Prælatum dignum, qui similia possit operari, cur ero condemnandus; ipse certè, si deficiat, condemnabitur, cùm possit non deficere: non ego, &c.

7. Altera

7. Altera Ratio, quia hoc ipsum videtur concessisse Tridentinum; quòd si contraria apparent alia jura exposcentia digniorem, videntur à Tridentino, vel à consuetudine abrogata. Tridentinum *sess. 7. cap. 3. de reformatione*, sic habet: *Inferiora beneficia Ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus conferantur*, & de majoribus, (*sess. 14. cap. 1. de reform.*) *Omnes*, inquit, *qui ad promotionem præficiendorum tus habent, monet S. Synodus, ut in primis meminerint Bonos pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri &c. Bonos* dixit, non *optimos, idoneos* addidit, non *maximè idoneos.*

8. Instas; At immediatè sic tradit Concilium: *Eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint.*

Respondeo primò, cum immediatè antea Concilium videatur esse consensum de dignis, vel primò videtur per hoc (*Digniores*) non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positio: vel secundò, locutione minùs propria ponit dignores, ut excludat indignos, non verò dignos, quos paulò ante admiserat: vel tandem tertio, loquitur, quando fit concursus, de quo *mox num.* 14. Alias duas responsiones affert Castr. Pal. quas impugnat de Lugo, *loco citato d. 31. sect. 4. num. 4.*

Nec verò quoad primam nostram responsionem, novum est apud Latinos (qualem esse eum, qui Tridentinum Concilium stylo reddidit, scimus omnes) comparativum pro positivo sumere: *Utimur vulgo*, (inquit; Laur. Valla, *lib. 1. de elegan. linguæ Lat. cap. 14.*) *comparativis pro absolutis, ut si quis infirmiorem appellat, non dixit pro minùs, quàm infirmus*; Et paulò post: *Junior, & senior pro positivo accipi solent (nempe pro juvene & pro sene (quemadmodam ocyus pro ocyter, & minus pro non semper ferè accipitur.*

9. Confirmatur primò hæc prima responsio, quia hoc vel alio simili modo debuit id intelligere Fillucius, dum nostram opinionem vocat probabilem, etiam in Episcopatu. Confirmatur secundò, quia ita etiam debent intelligere, Reginald. quem sequitur, citátque Dian. *p. 2. tract. 15. resol. 40.* Henriquez, Castro Pal. aliique citati à de Lugo, *loco citato, num. 37.* dum docent, eos qui Ius habent conferendi Beneficia per provisionem liberam, ut Summus Pontifex, & Reges, satisfacere suæ obligationi, si dignis conferant, quia aliud exigere in Papa, & Regibus esset valde onerosum. Amabo te, siste hîc lector, si onerosum Regibus, cur non aliis? Deinde: An quia Episcopus præsentetur à Rege, dignior, & utilior eo ipso evadit, non verò si ab aliis? Denique, jam ergo non ampliùs rationem habes majoris utilitatis Ecclesiæ.

10. Confirmatur tertiò, quia ita etiam debent intelligere, qui concedunt eos laicos, quibus de jure Patronatus incumbit præsentare ad Episcopatus, & similia, pro posse solùm dignos præsentare. Ita de Lugo, *loco citato, sect. 4. n. 39.* Dicast. *lib. 2. de Iust. tract. 2. d. 8. dub. 5. num. 100, & num. 101.* Et Ratio harum confirmationum ea est, quia, si Tridentinum loquitur de omnibus, ad quos pertinet cura præficiendorum, etiam nos omnes comprehenderet, & sub mortali obligaret ad digniores præficiendos: si ergo ipsi negant prædictos peccare mortaliter præficiendo dignos, nostram explicationem exeipere convincuntur.

11. Respondeo secundò, ad instantiam *num.* 8. factam me ingenuè fateri propter hunc Tridentini textũ esse multò probabilius Episcopatus, & similia majora Curata Beneficia, de quibus solùm loquitur Tridentinum, debere dignioribus conferri, nec in praxi aliter esse consulendum.

12. Obiicies primò, cum Vasquez, *in opusc. de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 8.* Beneficia sunt bona communia, ergo distribuenda pro meritis, ergo præferendi semper digniores. Respondeo, sanè probandum esset antecedens, non supponendum: solùm ergo bona cõmunia dicta sunt, quia aliquo tandem modo minus principaliter stituta sunt ad excitãdos homines ad studia, virtutes, ut iis, prædita Ecclesiis præficiantur; Sed additum excitandos, si noverint dignos esse præficiendos magis sic excitabuntur, nam si exposcerentur digniores, cùm multi desperarent ab assurgendo à munere dignitate, à sui cultura desisterent.

13. Obiicies secundò cum de Lugo *l. 2. de Iust. sect. 2. num. 18.* est de Iure naturæ, ut in quibuscumque munetibus prospiciatur bono communi. At in beneficiis patibus, & similibus gravioribus non prospicitur bono communi per dignos: quia Episcopi magna, & difficilia pro ovibus suis capessere debent: ergo, &c.

Respondeo, concessa ultrò majore, negatur minor. Si enim Episcopus non sit aptus ad prospiciendum negotiis currentibus juxta moralem, & humanam gationem, quam satis esse nemo negare potest, cum erit, ne dignus quidem, quare nihil contra nos.

Cætera argumenta ab aliis contra nostram sententiam allata, ipsemet de Lugo fusè dissolvit.

14. Assero tertiò: Quando Beneficia confertur per concursum competentium, tunc sine dubio ribus ex concurrentibus debent sub mortali Ita Fill. *loc. cit. num. 180.* citans Less. Ratio est, quia to, quod illi convenerint ad examen, pactum intum iis fuit, ut dignior palmam, veluti in stadio, sit taturus; quare magna injuria fieret vincenti, si missio bravio non potiretur. Adde in beneficiis tis sanctè ejusmodi concursum institutum esse: ut lesiæ de dignissimis, quoad fieri posset, provideretur quam institutionem tam serio, & exaggeratis Tridentino, *sess. 24. c. 14. de reform.* requisitam negligi grave, quid esse, non est dubitandum.

15. Assero quartò: Sive Princeps, sive is, cui incumbit absoluta officij cujuscunque sæcularis collatio, Electores, qui dant suffragia ad aliquem eligendum, obligantur sub mortali, nisi dignis conferre, vel saltem gari. Ita Vasq. *loc. cit. c. 2. §. 3. dub. 13.* Caiet. Molfes, de Lugo, *tom. 2. de Iust. d. 34. sect. 2. num. 13.* Dicastil. *citato, a num. 111.* vocans *num. 113.* hanc probabilem, cèt contrariam probabiliorem. Excipe semper jurtum, vel quid simile, ut excepisti *num. 5.* Ratio quarti dicti est eadem, quæ modo dicta est *num. 6.* enim video, cur his electoribus, & collatoribus cij sæcularis maius onus imponi debeat, cùm per dipore humano, satis Reipublicæ consulatur, licèt quàm optabilius esset per dignissimos!

16. Dixi (Electores qui dant suffragia.) Nam, ea colligunt secundum ea debent pronuntiare: peccarent mortaliter si digniorem, hoc est, habentem sine fraude plura suffragia, prætermitteret, siquidem tim, atque aliquis pluribus gaudet votis, acquirit quoddam electionis, quo privari irrationabiliter debet.

Hinc, quando pro pluribus, qui numerosiora suffragia æquè habuerunt, adhibetur sors (quam adhibere muniis sæcularibus non vetatur, vetatur in Ecclesiasticis) peccat cum onere restitutionis, juxta spem eventus, is qui fraudes molitur, vel imponenda nomina, vel aliqua subtrahendo, vel chartas signando, &c. Tunc enim lædit justitiam commutativam concurrentes: perinde facit in ludo is, qui in ipso justas fraudes usurpat.

CAPUT

## CAPVT V.

*De Quarta Radice Restitutionis, quæ radicaliter est ex contractu.*

Mineas cum aliquo contractum, deponis, v. g. apud Petrum aureos centum, hos quamvis justo tempore restituere tibi Petrus obligatus, suo tamen tempore restituere tibi Petrus obligabitur: quæ obligatio immediate est ex contractu: De qua re *in capite sequenti*, & deinceps. Quòd si culpâ ipsius pereat depositum, debebit alter totidem reddere, & damna inde secuta? Quæ obligatio immediatè est à culpa, sed mediatè, & radicaliter fundatur (ut ex se patet) in præcedenti contractu, de qua re *in præsenti capite* disserimus. Hujusmodi autem contractus solent esse depositum, commodati, precarij, locati, pignorati, qui sunt proprie contractus. Eiusdem item generis sunt ij, qui vocantur quasi contractus, qualia sunt officia, tutelæ, procuratoris munera, professiones, artes, &c. eo enim ipso, quòd quis officio fungitur, vel tutela, vel arte, &c. videtur tacitè inire pactum, cum altero, de inculpata administratione officij, &c.

### §. I. *De obligatione Restitutionis ortæ ex culpa.*

#### *In propriè dicto Contractu.*

1. PRæmitto in legibus (quas vide apud Less. *lib.* 2. *cap.* 7. *d.* 7. Vasquez, *de rest. c.* 2. §. 2 *à dub.* 4. & *C. Acost. 3. p. l.* 4. *cap.* 6. & *l.* 6. *c.* 4. Rebell. *part.* 2. *lib.* 1. *de contract. quæst.* 10. de Lugo, *t.* 1. *de just. d.* 8. *sect.* 8. Molin. *t.* 2. *disp.* 295. & *passim*, Fagund. *l.* 1. *cap.* 10. *de Contract.*) habere has tres dispositiones. Prima est hujusmodi: Quando contractus est in utilitatem tantùm accipientis, ut est commodatum, obligetur accipiens restituere, si ex suo dolo, vel lata culpa, vel levi, vel etiam levissima res acceptæ pereat, non verò si merè fortuitò, sine ulla prorsus culpa pereat. Horum terminorum cognitionem expicimus satis, supérque *sup. c.* 2. §. 4. *n.* 1. & 2. Excipitur pactum, quod est, quando aliquid tibi conceditur, cum onere, ut ad nutum concedentis restituatur: ad hoc tum restituendum, solùm si ex dolo, vel culpa lata tua pereat, obligaris, non autem, si pereat ex levi, vel levissima.

2. Secunda dispositio: Quando contractus est in utilitatem solius dantis, recipiens solùm tenetur per dictas leges ex dolo, vel lata culpa; Ut si quis apud te suam pecuniam, vel librum, sine tuo commodo deponat, si ea pereant sine dolo, vel lata culpa tua, quamvis adsit tua levis, vel levissima, non obligaris illa restituere.

3. Tertia dispositio: Quando contractus est in utilitatem utriusque, nempe tum dantis, tum recipientis, sicuti cum locatur domus, vel equus tanto pretio: imò & cum commodas in tuam & amici utilitatem, ut quando commodas equum ad invisendum communem amicum, recipiens tenetur ex dolo, vel ex lata, vel levi culpa, non verò levissima.

4. His ita per leges dispositis, illud in quæstionem venit: An hæ dispositiones sint servandæ ante sententiam ludicis: An verò, donec illa accedat, non obligemur in conscientia restituere prædicta, quando verè, & coràm Deo non adfuit culpa gravis mortalis, quam Theologicam *supra, in simili quæstione* appellavimus?

Servandas esse ante sententiam, aliqui contendunt. Ita Oñate, *t.* 1. *de contr. t.* 5. *n.* 15. *sect.* 3. *num.* 58. Less. *l. c.* Valq. *l. c. præsert. n.* 41. & 48. aliique, quos citat. sequitúrque Fagund. *l. c. num.* 10. dicens contrariam esse probabilem. Negant alij probabiliùs, Henriq. *c.* 15. *de irreg.* alios citans, Sa, *v. Commodatum*, de Lugo, aliique apud Fagūd. *loc. cit. num.* 11. cum quibus sentio. Atque assero, nisi ex culpa tua gravi, seu mortali coram Deo, pereat res, quam per contractum debes, te non obligari ad restitutionem ante sententiam, etiamsi peccaveris per venialē negligentiam, vel inadvertentiam. Ratio potissima est quam diximus *sup cap.* 2. §. 5. quia non est damnandus ad restitutionem rei gravis, qui graviter non delinquit, iniquum enim est, pœnæ gravitatem non proportionari secundùm gravitatem culpæ. Quare prædictæ leges, vel sunt pœnales, quæ non obligant ante sententiam: vel si, mavis non esse pœnales, dic non esse, usu, ante sententiam receptas, ut probabile putat Lessius, *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 8. Nemo enim est, qui pignori, vel rei conductæ, vel commodatæ, &c. putet se majorem custodiam debere ex Iustitia, quàm dominus ipse exhibere solet; solet autem cum ordinaria, & humana diligētia, nō cum exquisitissima. Esto, vir ingenuus meliùs custodiat res alienas, quàm suas, restituatque etiamsi apud ipsum pereat per levissimam culpam, id enim gratitudinis est, non obligationis, ut patet, quia vir idem honestus, etiamsi pereat res sibi commodata per casum omnino fortuitum, solet etiā illam restituere. Illud notavimus, *sup. lib.* 1. *cap.* 3. § 7. *v. Depositum*, & mox §. 2. *num.* 2. & rursus hìc notatum pervelim, non eandem diligentiam esse sufficientem ad vitandum peccatum mortale in rebus majoris momenti, quæ sufficit in rebus minoribus; Et naturalis ipsa ratio dictat, etiamsi in conscientia, in contractu commodati, quod est in solum tui commodum, majorem aliquam requiri diligentiam, quam in locato, quod est in commodum utriusque; vel depositum, quod sit in commodum solius deponentis: locum recole, ubi etiam decernitur, quid si dubium sit utrùm negligentia fuerit gravis, an levis, &c.

6. Obiicies cum Oñate *l. c. num.* 59. Positis supradictis legibus, Homines talibus legibus subjecti saltem virtualiter intelliguntur celebrare suos contractus juxta illas leges, ergo ex pacto tacito obligātur iuxta illas adhibere exactissimam custodiam: nam ideo hæc obligatio restitutionis appellatur ex contractu, non ex delicto, est enim ex dicto tacito pacto.

Respondeo, negando antecedens, quod certè gratis assumitur: solùm enim se obligant homines ad diligentiam humanam, & moralem: qualē scilicet in rebus suis ponerent, quod est nolle advertenter ponere dolum, vel culpam latam: Dicitur autem hæc radix ex cōtractu, non ex delicto, quia non est ex mero delicto, sed radicaliter, ut modò *n.* explicui, à contractu dependens.

7. Instas ex Vasquez, *loc. cit. num.* 42. Æquitas postulat, ut quando quidem tu re commodata frueris, hanc æqualitatem saltem intendas, ut velis subire onus restituendi, quando culpâ tuâ levissimâ rem perire contingat, secùs, quæ æqualitas esset, te frui commodato, & ejusmodi onus nolle subire; Hanc vim mihi videtur habere argumentum, quòd inducit Vasquez, *d. num.* 42. Respondeo recolendo prius, in commodato ex usu humano aliquid gratis dari; commodat enim quis rem suam amico nullo pretio, secùs non esset contractus commodati, sed venditionis: Hoc posito, ruit argumentum Vasquez: neque enim debet esse tanta æqualitas in commodato, quantam ipse requirit: aliquid enim plus habet amicus ex accepto commodato, quàm habet is, qui commodatum dat: sufficiet ergo, si recipiens subeat onus custodiendi rem amici, sicuti rem propriam.

8. Quid agendum, quando Iudex ex falsa præsumptione gravis negligentiæ te condemnat cùm tamen gravem non appoſueris? colligi potest ex dictis *supra*, in simili, cum de damno dato, *lib.* 6. *c.* 4. §, *secundo.*

9. Denique si res commodata, locata, deposita, &c. fortuitò sine ulla culpa pereat, certum est nō adesse in conscientia obligationem restitutionis, neque totius, neque partis. Ita Vasquez, *loco cit. dub.* 7. Molin. *loco cit.* aliique *passim*, Less. *lib.* 2. *c.* 7. *d.* 8. Fagundez, *loc. cit. num.* 17. quidquid dicat Dian. *part.* 3. *tract.* 6. *Miscel. resolut* 20. citans Valer. & Paludanum. Ratio est, quia ubi non est culpa, esse nequit pœna; & ubi non adest

partialis culpa gravis, nec pœnalis pœna gravis. Ita Mol. *loc. cit.* de Lugo *l. cit. sect. 9. n. 123.*

10. Excipe tres casus: Primò, si in pactum deductum sit, debere rem restitui, etiamsi res fortuitò pereat. Quod pactum potest fieri licitè in gratis commodato, & similibus: non verò, quando quid locatur, v. g. justo pretio; quia tunc ejusmodi onus esset supra pretium justum atque adeò illicitum.

11. Secundò excipe, si es in mora culpabili restituendi, tunc enim obligaberis ex dilecto injustæ detentionis, & recurrent ea, quæ *suprà, de injusta retentione in secunda radice restitutionis* dicta sunt.

12. Tertiò, Excipe, si commodatarius, v. g. ad alium usum præter voluntatem domini re culpabiliter utatur ut si equum commodatum ad unum iter, ducat ad aliud; vas argenteum commodatum pro sua domo, foras à domo efferat, unde equus, & vas perdantur: tunc enim ipse dat causam casui fortuito. Debet tamen ut innui tum in mora, tum in dicto usu, adesse culpa gravis, si enim bona fide putet ea non displicere domino; non est obligandus nec ad restitutionem rei, nec damnorum, quæ inde secuta fortè sunt, ut si dominus ad usum sit compulsus aliquid accipere.

Et universaliter damnum alteri inferens sine mortali ad restitutionem non teneri, notat Ianuarius *p. 1. resp. 10.*

13. Si rem commodatam, & universaliter quodcunque aliud debitum per nuntium domino quis remittat, & hic nuntius rem illam furetur, an absolvatur debitor ab iterata restitutione? Vide apud Doctores & de Lug. *t. 1. de just. d. 1. sect. 9. num. 127.* & nos dicemus *Tract. 4. c. 1. §. 5. num. 3.*

## §. II. *De obligatione restitutionis orta ex culpa in quasi Contractu.*

1. QUamvis major obligatio diligentiæ apponendæ exigi soleat in rebus habitis per verum contractum, v. g. per commodatum, depositum, &c. quia tunc adest pactum magis explicitum de custodienda re, quam quis recipit: quàm requiratur in officiis, tutelis, artibus, &c. quæ sunt, ut modò diximus, quasi contractus; in quibus solùm adest implicitum pactum de bene administrando officium: tamen cùm in conscientia utrobique sit, seu intelligatur non dissimile pactum, regula erit universalis: Ante sententiam Iudicis neminem obligari in conscientia ad restitutionem ex officio, tutela, professione, &c. sive hæc aliquis exerceat in gratiam dumtaxat aliorum, ut est Medicus, cui merces non datur, sive etiam sui, ut si eidem merces detur, sive ad officium à superiore exponatur, sive officium emerit, ex de Lugo *tom. 1. de just. disp. 8. sect. 7.* neminem, inquam, obligari in conscientia, nisi ex culpa Theologica mortaliter gravi. Ita Vasq. *de restit. cap. 2. §. 2. dub. 5.* Less. *lib. 2. cap. 7. dub. 7.* de Lugo, *loc. cit. sect. 7. num. 93.* cóträrius videtur esse Dicast. *lib. de rest. tract. 2. disp. 3. dub. 3. num. 86.* Ratio fundamentalis est similis, ac suprà dicta, quia nunquam homines (sive gratis, sive ex pretio serviant) in dictorum munerum susceptione, vel traditione (præscindendo à nova promissione) intendunt se vel alios obligare, nisi ad adhibendam in suo munere diligentiam moralem, & humanam, non verò exquisitissimam, sed illam, quam moraliter quis adhiberet, si solùm bono huic ipsius tota administratio cederet. Hanc autem moralem si advertenter non ponant, obligabuntur sanè ad restitutionem omnium damnorum ut ex dictis patet.

2. Illud tamen iterum, iterúmque moneo, *lib. 1. cap. 3. §. 1. v. Depositum, & hoc lib. 8. tractat. 3. cap. § 2. num. 4.* & nuper *§. 1. num. 5.* tum in rebus gravioribus, tum in acceptis ob solum proprium commodum, majorem diligentiam requiri ad culpam mortalem evitandam: at verò minorem in levioribus, vel in acceptis ob solam alterius utilitatem. Aliquæ illationes circa Advocatum, Medicum, Iudicem, & similes, ex dictis colligi possunt quæ tamen, ne erres, sunt videndæ in superioribus *cap. 3. §. 4.*

3. Dixi (præscindendo à nova promissione) duobus casibus obligabitur quis, etiam in contractu ad exquisitissimam diligentiam: Primò si accipiat officium cum promissione dictæ diligentiæ exquisitissimam; nam tunc tenetur ex pacto: maximè si ex hoc aucto sit illi stipendium: Secundò si tacitè ipsum promittat ut cùm quis se jactavit, meliorem alio, unde propterea hoc alios avertit à meliore, v. g. Medico, Architecto, &c. tunc enim damnum per se secutum ex dupli titulo resarcire tenebitur, & quia imperitus est, & per exquisitam diligentiam imperitiam suam compensare noluit.

## §. III. *An rem commodatam, depositum, &c. dominus quis in communi periculo præferre sua.*

1. INstat incendium, vel tempestas, liciténe, & onere restitutionis possum res meas servare, negligendo, vel proiiciendo potiùs res mihi commodatas, depositas, &c. quàm meas, &c.

Si in foro agas externo, iura præsumunt, te tuas diligentem, alicháisque negligentem, ex dolo malo, liberari atque adeò te cogût ad restitutionem, sive eas res in te sive in alterius utilitatem habueris. Quòd si res alienæ longè fuisset pretiosior, quàm tua, multò magis te excusemnant: Debuisse quippe rem pretiosam alienam postodire, nam ut bonus gestor negotiorum alterius, potuisses repetere pretium rei tuæ: Neque enim leges præsumunt adesse periculum, ne dominus contra fas noquam tibi soluturus sit pretium tuæ rei, nam leges quam præsumunt delictum.

2. At verò cùm hic agamus in foro conscientiæ, dmihi sint certa, alterum nonnisi ambiguum.

Certum sit primò: Si res propriæ sunt æquè pretiosæ, multò magis si sint pretiosiores, quàm alienæ, quomodocunque hæ apud te sive in tuum, sive in alterius commodum extent, posse te in conscientia tuas res alienis præferre. Ita de Lugo, *tom. 1. de just. d. 8. sect. 10. n. 1.* Bonac. *disp. 3. de contract. quæst. 1. p. 6. num. 23.* Ratio est, quia nullus tenetur ad res alienas conservádas, quousque tandem contractu apud se remaneant, faciendo extraordinarias expensas: sed solùm ad ordinarias, & communes: Neque enim commodatarius, v. g. obligatur ad alendum equum, vel servum in sui gratiam commodatum; non verò, si fortè infirmetur, obligabitur ad eundem medendum extraordinariis, & sumptuosis medicamentis: poterit certè mederi, & aliquando debet si certò speres, ut bonus gestor negotiorum domini pretium medelæ recuperare; at non, si non speres. Ita depositarius, & creditor habens pignus, ne ad ordinarias quidem expensas tenentur, nisi utilitatem, seu servitium expensis æquale à deposito, vel pignore habeant; quia cùm contractus depositi, vel pignoris sit solùm in gratiam illa apud te deponentium, non est æquum, ut ex illis damnum patiaris: ex his ergo fit, ut tu non teneatis ad servandam rem alienam cum detrimento rei tuæ æquè, vel magis pretiosæ, quando non speres certò rei tuæ pretium recuperare: quia id esset conservare rem alienam cum extraordinariis tuis expensis, quod nemo (nisi clarè promiserit) se obligare in ejusmodi contractibus intendit. Præterea si dominus verò dictum est, obligandus erit ad has extraordinarias expensas tibi solvendas, jam obligabitur tibi totidem dare, quot tu pro re ipsius expendisti: sed expendisti rem æquè, vel magis pretiosam, ergo tanti erit ipse domino, si rem ipsius prætulisti tuis, quantum, si non prætulisses. Ex qua secunda ratione fit, ut vix sit casus quo possis sperare te tuum pretium recuperaturum, quin te dominus repellet, tanquam imprudentem gestorem sui negotij.

3. Certum sit secundò: in casu metaphysico, quo sperares pretium tuæ rei recuperaturum, obligari te ad servandam

servandam rem pretiosiorem, imò & pretiosam alio-
rem. Ratio est, quia tunc nihil, vel amitteres, quare
non haberes caput, unde excusareris à conservanda re
proximi. Vide quæ dicam *mox numero* 6. Hæc duo sint
dicta.

5. Ambiguum autem est, & propter varias distin-
ctiones ab Authoribus huc indè allatas, valdè implici-
tum, quid sentiendum, quando res tua est vilior, quàm
illa res commodata, deposita, locata, &c. Lege Molin.
tom. 2. d. 296. Less. lib. 2. cap. 27. d. 6. Bonac. *de contract. d.*
3. q. 1. p. 5. Nihilominus id duobus dictis in hunc mo-
dum expedio.

Dico primò: Si quamvis res tua sit vilior, tamen
tibi notabile detrimentum facit eius jactura, te non te-
neri rem alienam pretiosiorem præferre tuæ, quando
non es moraliter certus, posse ejus pretium recuperare,
ut de Lugo *loco citato a num.* 140. Ratio est similis præ-
cedenti: Quia nemo se intendit in his contractibus obli-
gare: Quia nemo tenetur ad expensas faciendas pro re aliena, cum notabili
suo, ad expensas faciendas pro re aliena, cum notabili
damno, & gravi suo detrimento, vel cum ejus probabili pericu-
lo. Nec est verum, quod multi Doctores, cum Molin.
Bonac. *loc. cit.* aliisque inculcant, negligentem rem pre-
tiosiorem pro conservanda minùs pretiosa, semper co-
mittere culpam, cùm vir prudens id nunquàm esset fa-
cturus. Ratio est, inquam, verum; nam omnes prudenter
agentes licitè possunt suum quodlibet notabile detri-
mentum, neglecto alterius; etiam gravi proportionaliter
damno, nisi bonum publicum, vel altior aliqua ratio
contrarium exposcat, de quo hìc non agimus. Ut quid
enim? Prudentèrne faciet inops Paterfamilias, qui cen-
tum, verbi gratias, aureis sine spe uberioris fœnuæ,
vitam suam, & frequentem familiam, utcumque fu-
turam, si eos velit, sine spe recuperandi amittere, ut
servet gemmam decem mille aureorum Principis præ-
divitis, ex cujus jactura nullum Princeps notabiliter
damnum sentiet? Apage.

6. Dices, qua ratione erit expendendum ejusmodi
detrimentum, ut censeatur notabile? Respondeo, non
nisi considerando per virum prudentem, tuam, vel al-
terius paupertatem, tuæ, & rei alienæ valorem, damna,
vel pericula ex jactura alterutrius, fortè consecutura,
&c. Modo item advertas pro commodato, vel simili,
quod sit in tui solùm gratiam, majus aliquod damnum
te debere subire, quàm pro deposito, vel simili, quod
fit solùm in gratiam alterius, id enim ipsa recta ratio
tibi dictat.

7. Dico secundò: Si res tua vilior ita sit, ut per ejus
jacturam non sit notabile detrimentum incursurus, de-
bes rem alienam pretiosiorem præferre tuæ, sive res
aliena eodem modò fortè periisset; si inventa fuisset
tempore, verbi gratiâ, incendij in manu domini, sive
non periisset. Ita idem *ibidem*. Ratio est, quia semper
in prædictis contractibus more humano, & urbano fa-
cto, aliqua tandem obligatio imbibitur, rem alienam
custodiendi, quando potest: ergo non excludetur ratio-
nabiliter ejusmodi obligatio, nisi quando futurum est
tibi notabile, non verò exiguum detrimentum.

8. Porrò, si certò prævideas, dominum rei pretio-
siæ non soluturum tibi pretium tuæ rei vilis, licèt pec-
caturus sis contra Charitatem, nisi rem pretiosam illam
præ tua vili serves; Charitas enim dictat, ut subvenia-
mus gravi damo proximi, quando commodè, vel cum
modico detrimento possumus: non tamen peccabis con-
tra Justitiam, quia in contractu à te facto in utilitatem
alterius, ad patiendum detrimentum te non obligasti;
Nisi fortè adeò hoc detrimentum tibi esset exiguum, ut
judicio prudentis judicaretur ad illud te obligasse. Ne-
gari enim, ut modò dictum est, non potest in contra-
ctibus quibuslibet humanis, imbibi aliquam tandem
promissionem servandi rem alienam, quam obligatio-
nem extendi ad sufferendum modicissimum hoc dam-
num non recuperandi tuæ vilis rei pretium, admodum
est rationi consonum. Imò in commodato, quod est
solùm in utilitatem Commodatarij, aliquantò majo-
rem hanc obligationem esse, ita ut etiam is obligetur
alere equum, verbi gratiâ vel servum commodatum,
modò notavi. Undè fit, ut Commodatarius obligetur
ex Justitia præferre rem pretiosam sibi commodatam,
cum ea jactura rerum suarum, quæ æquivalet illis ali-
mentis; Atque eodem modò proportionaliter philoso-
phare in reliquis contractibus.

### §. IV. *Summa eruta ex dictis quoad obligationem restituendi ex culpa.*

1. OBligatio restituendi, ut ex hactenus sparsim
dictis liquet, quatuor ex capitibus emergit. Ex
delicto, ut ex furto, homicidio, adulterio, damnifica-
tione, &c. Ex quasi delicto, ut cùm servus tuus, vel
animal tuum, tuúsve filius alteri nocent. Ex contra-
ctu, ut in mutuo, deposito, empto, locato, &c. Ex
quasi contractu, id est, ex officio, quo quis fungi pro-
fitetur: qualis est Tutor, Curator, Iudex, Gubernator,
Medicus, publici Opifices, &c.

2. Dico in præcedentibus, esse statutum, homines
tunc solùm in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis
obligari in prædictis ad restitutionem, quando pecca-
verunt mortaliter.

De obligatione enim ex delicto; putà sive ex injusta
acceptione, sive ex iniqua damnificatione, sic statutum
est *hoc Tractat. tertio, capit. secundo*, §. 5.

De obligatione ex quasi delicto, sic decrevimus *l. 6.*
*cap. 4. §. 2. num. 4.*

De obligatione ex contractu, sic docuimus *hoc tr. 3.*
*cap. 5. §. 1. num. 5.*

De obligatione denique ex quasi contractu, sic dixi-
mus *ibidem*, §. 2. *num.* 1.

3. Modò notes, ut nec nimis sæpè notavimus, *l. 1.*
*cap. 3. §. 7. v. Depositum*, & paulo antè §. 2. *num.* 2. ne-
gligentiæ culpam in una re, verbi gratiâ, in re tem-
porali aliquando esse venialem, quæ mortalis erit in re
graviore, verbi gratiâ, pertinente ad vitam sic nimi-
rum poscente ipsius rei gravioris natura, multò magis si
præcesserit aliqua promissio, &c.

---

## CAPT VI.

### *De eadem quarta Radice restitutionis, quæ immediate est ex contractu in universum.*

### §. I. *Præmittitur definitio Contractus.*

1. COntractus, seu pactum strictè sumptum à Iuris-
peritis sic describitur: *Est ultrò, citròque obligatio ex consensu & voluntate partium consurgens*; Planius
autem sic definitur: *Est actus externus inter duos, vel*
*plures celebratus, pariens ex illorum consensu obligatio-*
*nem*. Nota, priorem descriptionem tradi per effectum
resultantem ex contractu, id est, per obligationem:
posteriorem verò tradi per ipsam causam, puta per ex-
ternum consensum, ex quo inseparabiliter consequatur
obligatio. De his lege Molin. de Lugo, Fagundez,
Oñate, *mox* citandos, Less. Reb. aliósque *passim* ab
iisdem citat.

1. Dixi (strictè sumptus) nam actus continens obli-
gationem unius tantùm, ut simplex promissio, voca-
tur minùs strictè contractus. Pari modo actus conti-
nentes pactum explicitum unius partis, & implici-
tum alterius (quale accidit in obligatis ex officio, ut
est conventio inter Tutorem, & Pupillum: inter Cura-
torem, & Minorem, vel furiosum: inter gestorem utilem
tui negotij, & te absentem: inter fungentes publica ad-
ministratione, & communitatem, &c.) vocatur quasi
contractus.

3. Cùm obligatio sit tam necessaria, & essentialis
contractui, multa notant de illa Doctores. Præcipua
sunt

sunc hæc quatuor: Primò, consensus debet esse verus, & non fictus, quare verbis dicens se contrahere animo nõ contrahendi, contractum verè non celebrat; licèt aliundè obligetur ad damna omnia, quia scilicet proximum per illam fictionem decepit, ut à nobis fusè dictum est *sup. lib. 3. c. 3. §. 2* qui est *de Iuramento promissorio doloso*. Non me latet Basilium Pont. *lib. 2. matrim. cap. 4. num. 3.* (cui adde Turrianum apud de Lugo *mox* citandum) contra Molinam, *d. 352. vers. ego probabilius* (cui adde de Lugo, *tom. 2. de iust. d. 22. sect. 4. n. 45.* dicentem esse omnium ferè Doctorum) aliósque putare, ad essentiam contractus sufficere verba externa significantia consensum, sine necessitate ipsius interni consensus. Sed nos Molinam sequimur, quia non potest à me oriri obligatio contractus sine voluntate me obligandi: at voluntas me obligandi ipsissimus est consensus.

4. Secundò: Si verum consensum non habuisti, sed postea, persistente alio in vero consensu, tu consensum verum præbeas, revalidatur, seu ratificatur contractus, de qua re multa Doctores passim. Lege Sanchez. *lib. 2. de matr. d. 32. & 35.*

5. Tertiò: Si voluisti contrahere, sed noluisti te obligare, certant utrimque Doctores, an verè contraxeris; de quo nos aliqua tetigimus, cùm *de Iuramento*. Illud est certum, obligari te ad omnia damna modo jam *n.* 3 dicto, ob deceptionem

6. Quartò: Si consensisti ex metu, si ex dolo, vel vi, si ex errore dantibus causam contractui, sive circa substantiam, sive circa qualitates, an subsistat contractus? Variæ sunt opiniones, quarum saltem necessarias nos, cùm egimus *de Voluntario, de Voto, de Iuramento*, satis tetigimus & multa dicemus *inferiùs cap. 7. §. 11. à n. 11.*

## §. II. *Divisio Contractuum.*

### *Prima Divisio in Contractum nominatum, & innominatum.*

1. NOminatus est ille, qui habet speciale suum nomen, ut emptio, venditio, locatio, & sexcenti alij. Innominatus nomine speciali caret, sed utitur generali. Estque quadruplex. Do, ut des, quando tibi do, verbi gratiâ, panem, ut des vestem: Do, ut facias, quando do panem, ut scribas. Facio, ut facias, quando ego scribo, ut tu me doceas. Facio, ut des, quando tibi servio, ut tu mihi panem tribuas. Legantur pro omnibus his divisionibus Castro Pal. *de justitia cõmutativa, d. 1. part. 2.* aliique, quos ipse citat. Licèt autem in contractu innominato, si neuter ex contrahentibus illum ceperit implere, non detur in jure externo actio unius cõtra alium, unde posset alter à contractu resilire: tamen in foro conscientiæ, dũ alter non recedit, debet uterque stare contractui, nisi circumstatiæ sint notabiliter mutatæ, modo alibi dicto in simili. Ratio est, quia verè, & in conscientia se obligavit; atque alter, cum onere se obligandi, acceptavit, ut supponimus.

### *Secunda Divisio in Contractum bonæ fidei, & stricti Iuris.*

2. Contractus bonæ fidei dicuntur illi, quibus Judex poterit, etiam in conscientia, multa ex æquo, & bono arbitrari, Tales sunt, quibus Imperator §. *Action. instit. de actionibus*, competere dicit actionem bonæ fidei, his verbis: *Actionum autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti Iuris. Bonæ fidei sunt hæ, ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio (id est, contractus Societatis) tutelæ, commodati, pignoratitiæ, familiæ herciscundæ (id est, Ius dividendæ facultatis inter hæredes) communi dividundo (id est distributio communium bonorum in eos, in quos dividi debent (præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur (id est, quando alicui datur res, ut ejus æstimationem, seu pretium reddat) & ea, quæ ex permutatione competit, & hæreditatis petitio.* Hactenus Imperator Iustinianus.

3. Contractus stricti Iuris, sunt cæteri contractus præter prædictos, ut emphyteusis, contractus societatis &c. sic enim habet Glossa summaria, & ordinaria apud Oñate, *tom. 1. contract. tract. 1. d. 2. sect. 2.* ibi: *Quæcunque actionem hic enumeratam non habent, stricti iuris iudicato.*

4. Ratio hujus divisionis, quæ rem totam, & obscuram, tibi planam facit, est, quia illi contractus quos vocamus bonæ fidei, solent esse frequentes inter Cives, unde contrahentes non solent ponere multas conditiones, quas alioqui ponere possent, cum eas omittant ad usum, consuetudines, & leges patriæ. Dictis communibus contractibus intelligi solitas. Secundùm has igitur bonus Iudex judicare debebit, quæ in eo contractu explicitè illæ conditiones intelligi debeant, licèt, non adsint. At alij contractus stricti Iuris, qui non solent esse tam frequentes, & quia contrahentes in iis consuevère omnes particulares conditiones apponere, ideo secundùm præscripta verba contractus, debebit Iudex in illis judicare debebit.

5. Differunt hi contractus præcipuè in eo, quod dolus dans causam contractui stricti Iuris (quia scilicet non fuisset contractum celebraturus, nisi dolus interveniisset) in multorum sententia non reddit ipsum contractum ipso jure nullum, sed solùm erit rescindibilis. Lege de Lugo, *tom. secund. de iustit. d. 22. sect. 3. num. 70.* ait dolus quicunque cadens in substantiam, sive in accidentia dans causam contractui bonæ fidei ipso jure nullus, ut distinctè explicabimus *infr. cap. 11. à num. 11.*

Lege Molinam, *l. 1. d. 259.* lege item de Lugo *de iust. d. 21. num. 10.* qui bene notat, has differentias parum ferre ad conscientiæ forum, in cujus explicatione non solùm desudat industria.

Operæ pretium est item hîc non ignorare speciem numerari à Sanchez, apud Fagundez, *de contractib. lib. cap. 1. num. 9.* inter contractum bonæ fidei: unde fieri tur esse nulla, nec per illa enasci impedimentum publicæ honestatis, si illis dolus causam dedit; sanè probabiliter, Matrimonium item supponitur à Molina, *secund. 352. §. illud est observandum*, esse contractum bonæ fidei; unde æqui deberet, esse item nullum, si dolus det causam contractui: tamen propter rationes propias Matrimonij, solùm si dolus cadat in personam, non in personæ libertatem, erit nullus, secùs erit valdiu, ut nos explicuimus, *lib. 3. §. 5. num. 27.* & docent communiter Doctores.

### *Tertia divisio in Contractum, seu Pactum nudum, & vestitum.*

6. Nudum est, in quo intervenit conventio partium, & ad nihil aliud est processum; vestitum, cùm est processum ad aliquid. Proceditur autem, seu vestitur pactum quinque modis. Primò re ipsa, ut si ex altera parte hoc piat adimpleri. Secundo verbis, ut si accedat forma stipulationis, quæ olim fieri consuevit per conceptam verborum formulam, verbi gratiâ: Spondes dare centum? alter respondeat, Spondeo. Tertiò, Scripturâ. Quartò, juramento. Quintò, si integrè, re ipsa, contractus perficiatur: quale esse solet mutuum, commodatum, pignus, depositum, quæ jam perfecta sunt, cùm res ipsa traditur. Atque ex dictis regulariter contractus innominatos solere esse pacta nuda, ut notat rectè de Lugo *d. 12. de iustis.* Si sit promissio ex una parte tantùm, eaque adeò non acceptata, non dicitur pactum, ne nudum quidem: quia pactum debet esse contractus, atque adeò saltem duorum.

7. Adverte primò, ex pacto nudo non oriri regulariter civilem obligationem, ac proinde ratione pacti nudi in foro externo non dari actionem contra alterum ex vestito oriri, & actionem dari. Dixi (regulariter) nam promissioni dotis, promissioni solutionis debiti alterius, donationi, etiam quando nudi sunt contractus.

tus, conceditur ex specialibus juribus actio. Lege Molin. *de contr. tract. lib. d. 255.* At in foro conscientiæ semper inest obligatio, quando hæc verò adest, juxta dicta §. 1. *num. 3.* quia sic jam adest sufficiens consensus utriusque partis, ut supponimus.

8. Adverte secundò: Aliquos esse contractus, qui sint validi, solo consensu exteriùs legitimè utrinque explicato, ut est Venditio, Emptio, Matrimonium, Consalia, &c. Aliquos verò indigere scriptura, ut Sophyteusis, & similes. Ex quo ultimo colligo simplicem promissionem gratuitam, & non onerosam (hos enim nos mox explicabo *numero sequenti*) etiam accepto, quam, verbi gratia, facit donandi, vel vendendi aliquid alicui, nisi accedat scriptura, stipulatio, vel instrumentum, ad nihil nunc obligare. Ratio est, quia jam ex communi hodie consuetudine per solam promissionem nullus se obligare intendit, vel putat, nisi major explicatio accedat. Unde Sà, *v. Promiss. num. 1.* sic habet: *Vix autem quis promittentem obligari intendit, nisi juret, aut faciat Instrumentum.*

*Quarta divisio in Contractum onerosum, & lucrativum.*

Onerosus, qui dicitur etiam non gratuitus, utrinque obligat; nam propterea est propriè contractus. Ejusmodi est permutatio, venditio, emptio, &c. interveniunt autem in his pretium, vel compensatio. Lucrativus, qui dicitur etiam gratuitus, vel gratiosus, non obligat, nisi ex una parte, ut promissio liberalis, donatio item liberalis, mutuum, depositum, &c. Si enim tibi rem aliquam donas, ego non obligor illam recipere, &c. Maximè verò notandum est ex de Lugo *tom. secund. de just. t. disput. 1. sectione 1. à numero 20.* discrimen illud inter ejusmodi contractus. Nam onerosus non perficitur, nisi acceptetur ex utraque parte, & utrique intimetur, seu sit nota reciproca acceptio rum in gratiosoribus sit, si solùm acceptetur ab utraque, non verò sit necesse, ut utrique mutua acceptio intimetur. Explico exemplis: Mittat Antonius Epistolam, imò, & Scripturam publicam ex Notario, per quam offerat, seu vendat Petro suum prædium, vel equum mille, verbi gratiâ, vel centum aureis, & Petrus acceptet etiam per Notarium. Dico hunc contractum, quia est onerosus, non esse perfectum, atque adeò posse utrumque, id est, Antonium, & Petrum ab eo resilire, donec ejusmodi Petri acceptatio intimetur Antonio, vel ejus legitimo procuratori, vel saltem donec ipse equus, verbi gratiâ, mittatur Petro, & ab ipso recipiatur: nam hic equus jam acceptatus ponitur in dominio Petri, & ea alia parte trahit secum onus, ut solvatur omnino ejus pretium, unde ampliùs resilire à contractu neuter potest. At verò mittat similem scripturam idem Antonius, per quam promittat, vel donet eidem Petro equũ, verbi gratiâ, & Petrus acceptet. Dico hanc promissionem, quando juxta dicta *numero* 8. jam obligat, ut etiam donationem liberalem, quia sunt contractus gratuiti, esse perfectos, atque adeò non superesse locum resilendi, quamvis nondum acceptatio Petri nota sit Antonio, vel ejus Procuratori, cujus discriminis ultetione Ratio est, quia in onoroso utrique est obligatio, & in utroque est jus exigendi, ergo utrique nota esse debet acceptatio. At in gratuito, cùm obligatio solùm sit ex parte donantis, seu promittentis, satis est si hæc nota sit ipsi donatario, seu promissario, qui solùm acquirit jus ad rem promissam, seu donatam exigendam. Lege hæc fusè apud citatos; apud quod vide etiam alias divisiones contractuum minùs necessarias.

§. III. *Regula generalis de restitutione ex prædictis contractibus in universum.*

1. IS, qui contractum, vel quasi contractum cum altero legitimè init, ea debet (nisi idonea accedat excusatio (restituere, seu ut magis propriè loquamur, ea tradere, ad quæ tradenda se obligavit. Videsne radicem hujus obligationis non esse aliam nisi pactũ, vel consensum, quibus voluit quis alteri se obligare? Et in onerosis quidem ad id Ius Iustitiæ urgere, eluceſcit, quia non fieret æqualitas inter contrahentes, nisi traderetur, quod utrumque conventum est; apparet nihilominus etiam in gratuitis, quia in his etiam (licèt voluntariè) te obligasti, ut suppono; quare posita obligatione, jam alter acceptans aliquod tandem, sive grave, sive leve jus iustitiæ contra te acquisivit.

2. Hæc regula adeò universalis insufficiens est pro praxi. Explorandum enim est, an simpliciter se quis obligaverit: An legitimè: An sub obligatione gravi, vel levi: An adsit executio, & sexcenta similia, quæ certè ex dictis, & ex dicendis in contractibus in particulari, saltem magna ex parte nobis plana fient.

## CAPVT VII.

### *De eadem quarta Radice Restitutionis ex Contractu pareicularis Venditionis, & Emptionis.*

1. NOn omnes contractus explicandi à nobis suscipiuntur: id enim nimis longum esset, & à nostro instituto alienum; seligo enim tantummodo usu frequentiores, & ex quorum cognitione lux aliqua pro cæteris sufficienter haberi possit. Erunt autem Emptio, Venditio, Mutuum, & Usura.

#### §. I. *Quid sit Emptio, & Venditio?*

1. EST contractus bonæ fidei, ultrò, citròque obligatorius, qui perficitur absoluto consensu, re, & certo pretio: & quidem voluntariè. Intellige autem, re, & pretio à te datis, vel certè dandis. Discurramus per singula verba.

*Requiritur consensus, & quidem absolutus.*

2. Dictum est primò, qui perficitur consensu (hic enim contractus perficitur per solum mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum, imò, & per litteras, & per procuratorem, seu nuntium; Perficitur, inquam, quoad substantiam; nam cæterùm, quoad integritatem completam, seu quoad complementum, requiritur solutio pretij ex una parte, & accepta possessio rei ex altera. Per venditionem enim non est necesse, ut actu transferatur dominium: satis enim est, ut talis venditio sit translativa dominii, & venditor ex vi venditionis factæ, remaneat obligatus ad transferendum. Ita Less. 2. *capit.* 21. *dub.* 1. *n.* 1. aliique. Ejusmodi autem possessio, seu dominium rei venditæ transfertur in emptorem, non quidem quando sit ipsa substantia contractus venditionis per mutuum consensum, sed quando ei traditur res à venditore, & solvitur ab emptore pretium, seu habetur pro soluto, seu loco ejus datur æquivalens, quale est pignus, vel fidejussor. Id notavi per illud, (datis, vel certè dandis.) Atque hinc fit, ut quamvis posita sit substantia venditioni, unde & debeatur gabella venditioni fortè imposita; (cui Gabellario, dicam inox *numero* 5.) Si tamen possessio rei nondum est emptori data, res si perit, pro venditore perit, ut pro eodem fructificat, quia adhuc est in ejus dominio. Ita Castro Pal. *de just. com. d. 5. q. 26.* aliique *ibid.* cit. Nam si possessio sit emptori data, quamvis nondum soluto pretio, ipsi emptori fructificat, ipsique perit, præscindendo semper à pacto aliquo iusto in contrarium, quo contrahentes nolint ante pretium solutum transferri dominium, sed haberi pro locata, verbi gratiâ

gratia, vel pro accepta pignus, &c.

3. Dictum est secundò, (absoluto consensu) si enim fuerit conditionalis, tunc perficitur contractus, quando fuerit adimpleta conditio. Atque adverte ex Molin. *tom. 2. d. 337.* Less. *loc. cit.* obligationem tunc retrotrahi usque ad tempus initi contractus, perinde ac venditio, & emptio ab initio fuissent absolutè celebratæ. Idem cum eadem retroactione dic, quando requiritur ratihabitio alterius: Est enim tunc venditio conditionata in hunc sensum: *Vendo tibi hoc prædium, si tuus Pater ratum habuerit.* Quando autem, & hoc casu, & cui debebitur gabella venditioni imposita, dicam *mox num. 5.*

*Requiritur pretium determinatum.*

4. Dictum est tertiò, (pretio certo) nisi enim certum, seu determinatum pretium constituatur, invalida erit venditio. Ita Molin. Less. *loc. cit.* lege Bald. *in leg. contractus, num. 8. C. de fide instrumentorum.* Quare si quis *dicat: Vendo tibi hanc vestem iusto pretio, vel quanti volueris, quanti judicaveris, quanti concordabimus, quanti judicaverit expertus:* invalida erit venditio, quia certum pretium non constituitur (hanc valere putat Angelus, *v. Emptio*) Contrà: si ita venditio, & emptio fiat: *Emo à te hanc vestem, quanti tu emisti, vel quanti emit ille, vel emo ea quantitate pecuniæ, quæ est in hac crumena,* valida erit venditio, quia jam adest certum, ac determinatum pretium. Propter eandem rationem valet venditio, si dicas: *Emo hanc rem eo pretio, quo communiter hæ res venduntur tali die, tali mense, talibus nundinis*; quod si in iis diebus fuit varietas pretij, illud erit eligendum, quod majore parte illius temporis viguerit.

Quid si æquè viguerit pretium, summum, medium, infimum? Respondeo, rationabile esse summi medium, sic enim neutra pars conqueri potest. Si quis ita dicat: *Vendo, vel uno, quanti tertius ille decernit,* designando illum tertium, verbi gratiâ Petrum; licèt partes retrocedere non possint sine mutuo consensu, tamen contractus non erit validus, nisi quando Petrus pretium constituet: in hoc autem casu obligatio non retrotrahitur, quia hæc non est venditio conditionata, cui conceditur retrotractio: sed solum est per alium, determinandum pretium.

*Quæstio incidens pro Gabellariis.*

5. Inquires obiter, cuinam debetur in his venditionibus gabella, si fortè ea sit venditioni imposita? Respondeo, in illis, in quibus adfuit indeterminatio pretij, non debetur Gabellario, qui est, quando fit venditio, sed Gabellario, qui est, quando determinatur pretium. Ratio est, quia gabella imponitur venditioni: At ut, modò diximus, tunc perficitur substantia venditionis, quando, cæteris jam positis, determinatur pretium. Contrà verò accidit, quando pretium est determinatum, sed venditio est conditionata: tunc enim (adveniente conditione) gabella debebitur Gabellario, qui fuit, quando facta est venditio, licèt propter conditionem fuerit imperfecta. Ratio est, quia ut, item dictum est modò, venditio conditionata retrotrahitur, &c. Lege Mol *tom. 2. d. 337.* qui excipit conditionem potestativam. Quando autem fit venditio, pretio jam statuto, sed res, aut pretium dantur postea; debebitur gabella Gabellario, qui erat, quando fuit celebrata venditio, quia tunc perfectus fuit, ut *numero 2.* diximus, contractus, quoad substantiam. Quando denique supervenit gabella, semper pari modo videndum est tempus, in quo perfecta fuit venditio sive in se, sive per retrotractionem, & Gabellario illius temporis erit gabella solvenda.

6. Gabellam impositam pro venditione, non intelligi impositam pro alio, quamvis simili contractu, *mox num. sequenti* dicam.

*In Venditione requiritur res, & pretium.*

7. Dictum est quartò (re, & pretio.) Nam si merx pro re, merx pro merce, erit permutatio, non venditio; si pretium, seu pecunia, pro pecunia, erit cambium. Id diligenter advertere oportet; nam, cùm ij sint essentialiter contractus diversos pariunt effectus; posita est Gabella vendentibus merces, non ergo debebitur permutantibus, nec cambientibus. Quòd si accidit non rarò) intercedat utrumque, ut si permutes cum prædio minoris valoris, & cæt. solvas in pecunia, si pecunia sit minor pars pretij permutatio, nec debebitur Gabella: si major, erit venditio; & Gabella debebitur, quia accessorium, sequitur principale. Quòd si æquales sint, vel quasi æquales, tunc, cùm partim sit venditio, partim permutatio, adsit ratio, cur una alteram in sui proprietatem pro rata venditionis, & non amplius, Gabellam sibi dam esse fert sententia probabilior apud Molin. *d. 336. num. 6.* Si denique fiant duæ Venditiones, ut mum vendas mihi pecuniâ creditâ, & deinde ego prædium vendam, compensando pecuniam, quam domo vendita debeo, duæ erunt Gabellæ solvendæ, & quidem altera Gabellario, qui fortè est tempore venditionis domus; altera ei, qui est tempore venditionis prædij, ut ex dictis constare poterit.

*Duorum Casuum huc incidentium Resolutio.*

*Primus Casus:*

*De Permutatione fructuum Hortuli domus Professæ Societatis Iesu.*

8. Ex prædicta essentiali differentia venditionis, permutationis, videamus, an solvi duæ quæstiones possint. Prima sic proponitur: Domus professa Societatis Iesu nullis reditibus, nullis possessionibus frui potest. Quòd si ei hortus aliquis, seu prædiolum conceditur, ita ei, etiam domo separatum, conceditur, ut non solum dantur ejus olera, vel fructus. Quidam ergo Hortulani Præfectus, cùm sciret sibi non licere sui agelli fructus vendere, id excogitavit, ut eo anno, quo uberrimè colligere fructus fertilitas dabat, illos traderet eximio domino opulentissimi prædij, ea lege, ut alios similes vel dissimiles fructus domui nostræ daret, quando ipsa indigeret. Quæsitum fuit, an contra Constitutionem, delinqueret.

9. Profectò, primo intuitu nequaquam delinquere existimavi, quia Constitutio nostra videtur, non agere de permutatione prohibere, quæ est contractus essentialiter, ut dictum est, diversus, sed venditionem. Verùm re accuratè perpensa, Hortulanum violatæ Constitutionis reum pronuntiavi; Ratio convincens fuit, quia Constitutio nostra, non solùm prohibet venditionem, verùm etiam quidquid redituũ loco, domui nostræ cedere possit. At ejusmodi permutatio iam loco reditus esset, seu reditus utilitatem jam afferret. Verba Constitutionis Societatis Iesu, *p. 6. cap. 2. n. 5. in fin.* hæc leguntur: *Et tunc huiusmodi ille locus sit, ut nec alij locetur, nec fructus, qui reddituũ loco esse possint habeat.* Declaratio eadem sic habet: *Hujusmodi essent, si Vini, vel Olei, vel Tritici proventum dictæ possessiones ferrent, vel si fructus, olera ex hortis venderentur, quorum nihil licebit: quavis fructibus, aut parte ipsorum ad commodum domus uti possint.* Ubi illud (*venderentur*) non apponitur, quasi solùm prohibeatur venditio propriè dicta, sed solum ponitur, explendi gratiâ, ut notat illud (*vel.*) Confirmatur primò, quia prohibetur omnis proventus. Confirmatur secundo, quia ejusmodi declarario patulo *ferius* concedens Hortulano fortè sæculari præ nostri hortuli, aliquid, ad suam utilitatem privatam ipsum posse ex eo Horto recipere, subdit: *Dummo*

…, nec ad particulares personas Societatis utilitas inte… …ulla perveniret. Nota illud (utilitas ulla) includit enim …venditionem, tum permutationem, tum quodcunque …d emolumentum præter usum quotidianum, quem …claratio iam concesserat, ibi (*ad commodum domus …ui possit.*)

…o. Si semel, aut iterum aliquo occurrente anno fer… …iusmodi permutatio fieret, posset alicui videri, …m esse saltem graviter contra Constitutiones, tum …t apparere posset parvitas materiæ; tum quia Consti… …iones annuum reditum, & veluti habitualem uti… …tem prohibent, non verò contingens emolumentum. …que id notare videntur ea verba (*redituum loco, & pro…entium*) idémque videntur significare illa verba tem… …peris imperfecti *ferrent*, *venderentur*, *pervenirent*.

De Lugo, *in resp. mor. lib. 4. dub. 10. num. 17.* negat etiam …o una vice eiusmodi permutationem. Probat primò, …alioquin possent aliquando ex uvis fortè copiosè ali… …quo anno collectis fieri vinum in usum domus professæ, …quod non licere, ne unum quidem dolium ostendit …R. P. Mutius Vitelleschi Generalis, qui dolium unicum …uæ ex superfluis huiusmodi uvis à Procuratore bona… …fide habitum iussit totum pauperibus distribui.

Secundò, quia, prohibita venditione, intelligitur & …prohibita permutatio; ut nos etiam ex Mol. *mox num. 12.* …dicemus in simili.

Tertiò, quia nobis permutatio manifestè videtur in …declaratione Constitutionum prohiberi, *part. 6. cap. 2. …loco citato*, ibi: *Dummodo tunc nec ad personas particu… …lares Societatis utilitas interim ulla perveniret.* At ex unica …permutatione iam aliqua perveniret utilitas.

Verùm, hæc tua solutione non carent. Nam ad pri… …mum responderi posset: Aliud esse loqui de rigore Con… …stitutionis, aliud de perfectione. Laudo zelum R. P. Mu… …tij, cuius exemplum imitari velim omnes: sed, amice …dic, si hortulus noster anno aliquo fertili produceret …plures ficus, nonne licitè possent à nobis exsiccatæ con… …servari ad vsum; Nonne uvæ pari modo superfluæ pos… …sunt, ut sit, domi reponi, & consequentibus mensibus …apponi ad mensam? Concedit hoc declaratio Constitu… …tionis *ibidem*, ibi: *Quamvis fructibus, aut parte ipsorum …ad commodum domus suæ uti possint.* Quid ergo non pos… …sit vinum ex his uvis expressum conservari? An quia est …expressum, ideo fructus hortuli non est; An ex illo mu… …sto sapa possit concoqui, ut certè videtur posse ad com… …modum domus, & non ex illo vinum fieri?

Neque dicas in declaratione *ibid.* sic haberi: *Huius… …modi sint, si vini, olei, vel tritici proventum dicta posses… …sores ferrent, vel si fructus, & olera ex hortis venderen… …tur, quorum nihil licebit.*

Ne id dicas, inquam, nam solùm prohibetur pro… …ventus vini, vel olei, ut paulo ante in Constitutione …prohibiti fuerunt fructus, qui redditum loco esse pos… …sunt, quæ nomina, ut dixi, & ut periti notant, non signi… …ficant unicam fortè occurrentem, eámque per accidens …utilitatem, sed continuatam, & quasi habitualem. Ne… …brissensis *in vocabular. Iuris, v. Reditus*, *Reditus* inquit, …*appellatione omnes proventus continentur. Reditus dicitur …a redeundo, quasi sint singulis annis redeuntes.* Calepinus, …*v. Provenio, Vnde proventus*, ait, *ideſt*, *Reditus* Et *v. Redeo* …*Reditus*, inquit, *significat proventum, quòd quotannis …redeat* (entrata.)

Ad secundum: Prohibita venditione, tunc intelligi …prohibitam permutationem, ut modò dixi, quando …eadem est finis, & quando aliud non exprimitur: At in …casu nostro non prohibetur, nisi id, quod proventum …& reditum affert, non aliud. Instas: At cur venditio …etiam semel est nobis illicita? Respondeo, quia expres… …sè, & absolutè interdicitur venditio: & meritò, quia …incertarum, & divitias maximè sapit: At alia utilitas …non prohibetur, nisi quando affert proventum. Relege …declarationem: *Si vini* (ait) *vel olei proventum ferret; …vel fructus venderentur, quorum nihil licebit*, Notas? De …venditione absolute negat: absoluta autem negatio, cùm …sit malignantis naturæ, omnem venditionem, etiam …unicam negat: De vino, oleóque non negat absolutè, …sed solùm sub nomine proventus.

Ad tertium: Cùm in hoc ultimo loco veluti per occa… …sionem dicat declaratio: *Nec utilitas ulla perveniat* debet …intelligi juxta ipsam Constitutionem, in qua per se lata …est lex: at constitutio clarè dixerat: *Nec fructus qui redi… …tuum loco esse possint*: & eiusdem Constitutionis declara… …tio dixerat, non licere proventum: ergo eodem modo in …hoc ultimo loco, sunt intelligenda verba declarationis …de utilitate veluti habituali, non verò de valde rara, & …semel per accidens contingente.

Hæc potiùs dubitando, quam affirmando dicta, sint …dixis. Nam cæterùm ultimum iudicium sit, ut eo tulatur …R. P. Noster Generalis.

### *Secundus Casus.*

### *De permutatione Mercis, cuius venditio sit prohibita.*

11. Secunda Quæstio sic habet: In Sicilia adest ri… …gorosa prohibitio Summi Pontificis Vrb. VIII. quæ …incipit: *Regnum Siciliæ ultra Pharum*, data 1633. *die* 28. …*Apr. præsenti, & executoriata Panormi die* 9. *Iulij* 1633. …in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommu… …nicationis latæ sententiæ, contra Ecclesiasticos mactan… …tes ea animantia, quæ ad colendam terram usui sunt, …boves, vaccas, vitulos, vitulásque. Atque super hac …tota re tres Delegati sunt constituti ab eodem Pontifi… …ce, Archiepiscopi Panormitanus, & Messanensis, atque …Episcopus Mazzarensis. Porrò, Procurator cuiusdam …Monasterij, obtinuit facultatem ea occidendi in eius… …dem Monasterij usum: ita tamen coarctavit Delegatus …facultatem, ut si quid forte carnium ipsis superfluum …esset, non venderetur Sæcularibus, sed Ecclesiasticis, …idque sub eadem excommunicatione latæ sententiæ, & …in virtute sanctæ obedientiæ. Is ergo Procurator, ne …ementes Ecclesiasticos quærere cogeretur, quod ipsi ex …mactatis carnibus supererat, dabat cuidam Macellario …sæculari, ut is scilicet, sequenti, v. g. hebdomada red… …deret alterum tantum carnium, quantum accepisset: …sic fiebat, ut Monasterio carnes non deficerent, & …Procurator contra formam concessionis eas nequaquam …venderet. Legitimene id factum est; Quid si carnes …commutasset pro aliis rebus, vino, frumento, vestibus, …&c.

12. Profectò (præscindendo ab aliis legibus in con… …trarium, vel inconvenientiis, quæ facilè hac in re esse …possent) legitimum utrumque pronuntio. Ratio est, quia …longè, ut diximus, diversæ sunt, venditio, & permutatio. …Cùm ergo ea prohibitio sit odiosa, atque adeò restrin… …genda, de propriè dicta venditione meritò eam interpre… …tamur. Meritò insuper, nam acceptâ pecuniâ carnes ven… …dere, est ipsissimam Macellariam artem exercere, quod …non est, modo dicto, commutare. Idem autem non di… …ximus *in præcedenti quæstione*, si quidem ibi adfuit ex… …pressa legislatoris dispositio in contrarium, quæ hic, ut …supposimus, non apparet. Neque item esset idem, si pro… …hiberentur vendinociva Reip. v. g. Pisces fœtidi, herbæ …venenosæ, frumentum corruptum: hæc enim neque ven… …dere, neque permutare tunc liceret, quia ex ipso fine …prohibitionis clarè apparet, ac præsumi debet eam com… …prehendere universaliter quamcunque onerosam transla… …tionem in alium: (vide in simili Lesi. *cap. 21. dub. 1. num. 4.* …& de Lug. *t. 2. d. 26. sect. 3. num. 21.*) & de hac præsum… …ptione loquitur Molina, *tom. 2. d. 396. n. 7.* dum ait, quo… …ties res aliqua vendi prohibetur, censeri etiam permutari …prohibitam.

### *Venditio voluntaria esse debet,*

13. Dictum est quintò: (& quidem voluntariè)

Non enim potest cogi vendere rem suam, quia quilibet voluntariè debet de re propria disponere, Lego Cov. *lib. 3. var. c. 14. n.*...

Excipe primò, tempore penuriæ, in hac enim potest quis à Superiore cogi, ut vendat frumentum, aliaque necessaria ad victum, vel vestitum: quando item Magistratus potest pretium iustum, spectatis omnibus circumstantiis, taxare, ac prohibere insuper, ne quis plus debito de rebus emat. Ita Doctores communiter, *in cap. 1. de empt.*

Quid, si ij, qui frumento, v.g. abundant sint Ecclesiastici, poterúntne à prophano Magistratu compelli?

Respondeo, nequaquam. Sed à suo Iudice Ecclesiastico tunc cogantur.

Quid, si hi requisiti negligant; Vel eodem requiri propter distantiam, non concedatur? Respondeo. Poterit nunc potestas sæcularis, quantum moderatè fieri potest, cogere. Ita plures apud Dian. *p. 1. tract. 2. resol. 8.* non quidem ex vi iurisdictionis, quia nulla pollent in Ecclesiasticos, sed ob summam, vel gravem necessitatem, sicuti vim vi repellendo potest summus Princeps coërcere eosdem Ecclesiasticos, quando eorum libertas nocet Reipublicæ, nec remedium ab Ecclesiastico superiore impetrari potest. Ita Molin. *t. 1. d. 31. vers. 6. concl.*... vide Dian. *ibid. resol. 7.*

14. Excipe secundò: Quando quis publicè res suas exponit venales, neque enim potest, mihi iustum pretium solventi negare.

15. Excipe tertiò: Ratione publicæ necessitatis, vel utilitatis. Hinc si domus, vel prædium necessarium est ad ædificandam Ecclesiam, Hospitale, Monasterium, Scholas publicas, Palarium regium, viam publicam, &c. cogi à Principe potest Dominus, ut vendat, iusto tamen soluto pretio.

16. Excipe denique, quando nimis severè tractat Dominus servum, vel ad illicita servam cogit. Item quando unus ex Dominis cõsentiat vendere servum communem duorum aliqui, qui servum in libertatem vendicare velit. Hæc, & similia vide apud Molinam *tom. 2. disput. 341.*

*Rem emens alienâ pecuniâ.*

17. Dictum est sexto, in definitione emptionis (à te datis) id, quod amplè intelligendum est: nam, etiam empta pecuniis alienis transferuntur in dominium emptoris: quamvis, ut ex se certum est, non absolvatur emptor ab onere restitutionis alienæ pecuniæ, & damnorum fortè sequentium. Non fiunt autem emptoris, quando pecuniæ sunt Ecclesiæ, Militis, Coniugis, denique Pupilli, & minoris respectu Tutoris, & Curatoris; quæ satis sit innuisse: vide Bonacinam *de contr. d. 3. q. 2. p. 3. n. 29.* alióſque ab eodem citatos.

*Arrham recipiens in venditione.*

18. Dictum est denique septimò: (datis, vel dandis) intellige sive integrè, sive tantummodo partim: non rarò enim datur pars pretij in venditione, sed non in arrham; id, quod pro diversis effectibus est diligenter advertendum. Explico clariùs, Quando duo de re vendenda conveniunt, duplici modo contingit, dari partem aliquam pecuniæ; Primò, ut sit pars pretij ob venditionem iam factam, & tunc debebitur quidem præfixo ab illis tempore complementum pretij: at, quia perfecta fuit venditio, neuter potest resilire à contractu, debebitúrque gabella venditioni fortè imposita, & quidem illi Gabellario, qui tunc gabellis præest. Ita de Lugo *tom. 3. de Iur. d. 26. sect. 1. n. 10.*

Secundo modo, ut ea pecunia sit in signum faciendi postea venditionem, ea lege, ut qui dedit illam pecuniæ partem, eam amittat, si contractum perficere renuat; renuere tamen possit: atque hæc propriè dicitur arrha, quæ datur in securitatem eius, qui dubitat de alterius constantia. Gabella autem in hoc casu, postea, quando fiet contractus, debebitur; & quidem Gabellario, qui exsistet, ut ex dictis patet.

19. Petes: Hæc arrha, quæ datur in securitatem, debétne deinde, superficietur venditio, computari in pretij, necne? Respondeo, Id dependet ex voluntate contrahentium. Certe in Regionibus nostris in pretium computari consuevit; si tamen alia sit cõtrahentium voluntas, servanda est, nodò ea pecuniæ pars non excedat summum pretium iustum rei venditæ.

## §. II. *Quæ persona vendere, & emere possint; Remissivè.*

1. QVa ratione Pupilli, Minores ex Molin. *t. 1. d. 224.* Mariti, Vxores ex Sanchez *lib. 2. mor. d. 3. per totam*, Religiosi, similésque vendere, emere cæterosque contractus inire valeant, (vide Lugo *tom. 2. disp. 26. sect. 3.* quoad exercendam negotiationem; quoad paupertatem lege eundem *tom. 1. d. 5. per totam*) An item se ipsum quis vendere, ex Fagund. *de præc. lib. 2. cap. 1.* vel Patér filium possit, vel Tutor, & Curator emere res Pupilli, & Minoris, *l. non licet.* & *l. si emptor. §. & ff. de contr. empt.* & passim agitantur apud Scriptores. Nos autem omnia non admodum frequentia, & principiè Iurisperitorum propria persequi non debere hæc tas monet.

## §. III. *De rebus, quæ vendi, vel emi possint.*

*Hominis venditio.*

1. QVi Æthiopes, & alios eiusmodi servos emerunt, quos in his nostris Regionibus vendicontinuò tuti sunt in conscientia. Ita Molin. *tom. 1. disput. 31.* Ratio est, quia quilibet venditor præsumitur bonus, & habere ius ad vendendum.

2. Dixi (in nostris Regionibus) quia Mercatores quando in Æthiopia, vel alibi emunt, aliquando non excusantur à peccato, & ab onere restitutionis, si non sunt moraliter certi, eos, quos emunt, esse vel primo Bello iusto captos; vel secundò, Nativitate servos, aut natos ab ancilla seva; vel tertiò, per iustam sententiam ob delictum condemnatos ad perpetuò serviendum, vel quartò, iusta emptione in servitutem redactos, quæ sunt quatuor capita inducentia legitimam servitutem. Fagund. *de contr. l. 2. à c. 2. fusè.*

*Venditio Officiorum.*

3. Non solùm Principes supremi, sed etiam quilibet Princeps Regi subditus, Dux, Marchio, &c. Immò, & Senatores, Civitatúmque Prætores possunt vendere Officia sæcularia; Officia, inquam, quæ absolutè ipsorum sunt, vel ipsis absolutè data. Ita S. Thom. *opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ*; Azor. *t. 3. l. 8. cap. 7. q. 3.* Vasquez *opusc. de benef. c. 2. § 3. dub. 14.* Less. *cap. 32. dub. 4.* Fagund. *ad præc. tract. lib. 5. c. 23.* de Lugo *tom. 2. de iust. d. 34. sect. 3.* Ratio est, quia quilibet potest vendere id, quod est pretio æstimabile, & suum est. Notanter, sæcularia, dixi, quæ enim sunt ea, quæ Episcopus, si fortè sit Marchio, ut talis, est, ut Marchio absolutè dare potest; De Ecclesiasticis enim Officiis hîc nihil agimus, pertinent enim ad materiam de Simonia.

4. Sed quâ ratione dignoscat Rex, vel alij, Officium esse absolutè sub suo dominio; Respondeo, diversis signis. Alterum; si absolutè de illis disponere solent, hoc est, absque obligatione reddendi rationem superiori, de eorum collatione. Alterum, quia immemorabiliter antecessores sine alterius dependentia, seu licentia soliti sunt illa vendere. Confirmatur nam, quando Rex hæc officia iis donat, quos scit se non esse obituros, ut fœminis, vel viris nobilibus aulæ, probabile est ex Azor. *loco citato* Regem tacitè cultatem concedere illa vendendi, seu cum pensione

alios transferendi, ergo eodem modo, quando Rex, vel Respublica absolutè concedit Senatoribus, vel Gubernatoribus ea Officia tradenda aliis, tacitè licentiam concedit illa vendendi. Videant tamen apud Dianam *p.6.tr.6.res.3.* Proreges, aliique, an ipsis expressè à Rege, vel supremo Principe sit vetitum: tunc enim nulla fabrit vel consuetudo, vel aliàs collata licentia.

7. Duo tamen scopuli sunt omnino cavendi: Prior ne immoderato pretio vendantur, sed prudenti consilio, tanta emolumentum Officij: secus, præter iniustitiam immoderati pretij, daretur etiam ansa Officiali electo exigendi à populis plus iusto: Posterior; Ne indignis conferatur officia. Si enim non idoneus Officialis à te emitur, damnum faciat, sive particularibus, sive Communitati per sententias iniustas, per latrocinia, &c. tu obligaberis ad restitutionem: & quidem non ego illum, qui immediatè damnum intulit, esse priùs obligandum, certè in eius defectum tu obligationem non effugies. Immò, quando ipse electus bona fide credidit se esse idoneum, & sine gravi culpa, utpotè ignoranter, iniustas sententias protulit, vel quid simile, tu elector omnino restituere debebis: sic de Lugo *tom.2.d.34.sect.4.n.46.* qui ipse non peccavit culpâ Theologicâ, peccasti tu, dum sciens, vel scire debens, indignum Officialem elegisti.

*Venditio electionis ad Officium, vel ad Legatum.*

6. Illam difficultatem pertinentem ad Iustitiam diverbivam huc reducamus: An scilicet Senatoribus, vel cuicunque, qui, cùm non sint Domini aliquorum Officiorum, vel legati, vel pecuniæ, frumenti, panis, &c. cuiam tamen habent ea distribuendi ad suam electionem, An, inquam, integrum iis sit, aliquid accipere ab illis, qui eligunt: eo prætextu, quòd, cùm Senator potuisset alium eligere, tamen hunc elegit: cùm enim hæc electio sit pretio æstimabilis; posse illam competenti pretio vendi aliquis existimabit?

Respondeo, esse diligenter distinguendum, vel enim certo est de pecunia, similibúsque rebus temporalibus quæ sint distribuendæ ex voluntate Testatorum, Fundatorū, Prædecessorum &c. Vel de Officiis, quæ à Repub. vel Senatoribus debent Civibus determinatæ conditionis conferri: & in utroque casu Distributor, ut dictum est, nullum ius habeat, nisi eligendi, non autem sit Dominus sive Officij, sive pecuniæ distribuendæ. De singulis separatim: nam quia Sanch. *l.2. consc.1.dub.56.* (de eriam *ibid.d.38.n. præsertim 17. & 18.*) ea non divisit animos legentium non sedat eius doctrina.

7. Assero primò: Quando distribuenda est à te pecunia, vel quid æquivalens non potes accipere quidpiam propter electionem unius, potiùs, quàm alterius; si accipias, peccas, & accepta restituere teneris. Ita de Lugo *ibid. dub.55.* Ratio convincens est, quia sic re ipsa, non dares totam summam distribuendam. Si enim Testator iussit, ut puellæ, v.g. nubili darentur à te centum aurei, tu verò velles decem exigere ab illa, quia eam elegisti, iam non centum dares, sed nonaginta. Neque dicas, eam libere dare, ne id dicas, inquam, nam satis involuntariè eam dare præsumendum est. Certè ita regulariter contingit, si pactum præcedat: ut fusè *alibi.* At verò si post accepros, numeratósque integros aureos, nullo præcedente pacto, sine ullo metu, aliquid ex grato animo, verè, & libere tibi dare illa vellet, non repugno, Sed quæso te, id quando erit?

8. Assero secundò: Quando distribuendum est officium, non potes licitè hunc potiùs eligere, quàm illum quia ab hoc accepisti pretium, verùm, si proportionatum pretium accipias, ad restitutionem non teneris. Ita de Lugo *t.2.de iust.d.34. sect. 3.n.37.* insinuat Less. *l.2.c.14. d.9.n.64.* Ratio est, quia quamvis tu obligeris dare Officium alicui, veluti in genere, non tamen obligaris dare huic homini particulari: cùm ergo hæc electio sit sub tuo dominio, & sit pretio æstimabilis, illam moderato pretio vendens, non facis contra Iustitiam, & ut suppono neque Reip. damnum infers, quia idoneum eligis.

9. Dices: Hæc ratio etiam probat, id non esse illicitum. Respondeo, saltem tunc esset mortaliter illicitum, quando adesset lex sub mortali obligans, ne electio fieret nisi gratis, vel quando data esset tibi electio ea lege, ut gratis, ac sine pretio exhiberes. Sed neque in hoc casu obligaretis ad restitutionem accepti (supponimus autem à lege non invalidari donationem, sed solùm prohiberi) quia non peccares contra Iustitiam commutativam, sed vel contra obedientiam, vel similem aliam virtutem. In eodem tamen casu, quo peccares mortaliter advertо, si facta à te electione, pecuniáque recepta, adhuc esset res integra, ut resiliri ab electione, & collatione Officij posset, te obligari sub mortali ad rescindendam electionem, pecuniámque reddendam, & ad gratis de novo eligendum, ne scilicet peccatum mortale continuares, nam si irrescindibilis est electio ad nullam restitutionem teneris, quia tunc ciusmodi restitutio, nec peccatum iam commissum, nec electionem irrevocabiliter iam factam impedire posset.

10. Vrges, Adsunt leges prohibentes, quas ponit per extensum Sanch. *l.1.consc.1. dub.56.* Cur ergo dictum est (quādo adesset lex;) Respondeo quia, (ut rectè monet de Lugo *tom.2.de iust.d.34.sect.3 n.35.* hæ leges solùm loquuntur de electione, quoad distribuendam pecuniam, vel quid æquivalens, non verò, quoad distribuenda prædicta officia.

11. Anno superiore delegati sunt à Prorege per hoc Regnum nonnulli Viri nobiles, qui censerent, seu describerent numerum animarum, seu capitum Regni, eorúmque divitias; concessáque iisdem est facultas asciscendi sibi aliquot Ministros, quibus solveretur stipendium sui laboris, nempe unus aureus, vel quid simile pro quolibet die. Quidam ex his nobilibus, quandoquidem ei concedebatur hunc ministrum potiùs eligere posse, quàm illum, quæsivit à me, an ipsi liceret exigere pecuniam ab eligendo, itaut dimidium aureum pro singulis diebus ipse sumeret, dimidium Minister?

12. Respondi, nequaquam licere, sub pœna restitutionis. Rationem duxi ex hactenus allata doctrina: nam ciusmodi electio ad Officium, seu Ministerium relatum ad illam determinatam pecuniam à Prorege taxatam, nō est concessa absolutè Viro illi nobili, sed sub ea conditione, ut Minister lucraretur integrum aureum: quare hæc electio reducitur ad priorem illam distributionem pecuniæ integrè dandam electis, dictam *num.7.* Atque adverte eodem peccato contra Iustitiam peccaturum eundem nobilem Virum, si ab initio acciperet aliquod pretium pro ciusmodi electione: nam tunc revera tota merces illi Ministro iustè à Prorege attributa nequaquam daretur; partem enim eius sibi Vir ille nobilis iam antiquatò seponeret.

*Venditio sententiæ probabilis.*

13. Occurrit hic non absimilis difficultas in Iudice: Supponimus probabile esse eam opinionem, de qua late dixi *l.1.c.3.* quam præter *ibi* citatos sequitur Dicast. *t.2.de iust tr.1.d.5.d.5.dub.7.à.n.280.* licere Iudici ex duabus opinionibus æquè probabilibus unā eligere, & iuxta illam proferre sententiam. Iam inquiro, liciténe, & iustè accipiet Iudex pecuniam, utpotiùs illam eligat, quæ mihi favet, quàm illam, quæ meo adversario?

Respondeo, cùm illam sententiam improbabilem ego iudicaverim, & pluribus reprobaverim *ibidem*, consequenter assero locum hic non habere quæstionem hanc, eam tamen legat, qui velit, apud Lessium *lib.2.c.14.d.9 num.64.* Valentiam *2.2.q.63.art.4.d.5.q.7.p.4.* Salon. *2.2. q.62.art.4.contr.2.* ac probabile iudicat Fag. *l.8. in 8.Dec. p.præcep. c.26.n.34.* licèt probabilius putet oppositum.

*Venditio omnium bonorum.*

14. Potest quispiam vendere omnia bona sua, tam præsentia quam futura. Ita Bart. *in l. stipulatio, ff. de verb. signif. num. 6.* & communiter. Qui tamen dicit se vendere omnia bona sua (nisi aliud ex verbis colligatur) censetur vendere solùm præsentia, & non futura. Ita Mol. *tom. 2. d.* 340. quia venditio est odiosa, adeòque restringenda. Idem dic de donatione omnium, si quando est valida, ex Mol. *ibid. & dub.* 280.

15. Dices: Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, non est valida, ex Covar. *in Rub. de testam.* aliique *passim.* (nisi fortè titulo oneroso, ut si donatio fiat filiæ ut matrimonium contrahat, quo etiam reducitur renuntiatio volentis profiteri vitam religiosam) ergo nec venditio; Respondeo, esse disparem rationem, per donationem enim adeò universalem homo fit intestabilis, à quo leges civiles abhorrent: at per venditionem non item, quia potest testari de pretio. Lege Less. *lib. 2. c. 18. dub. 13. num. 93.*

*Venditio Hæreditatis.*

16. Præterea potest hæres vendere totam hæreditatem, vel eius partem, mortuo tamen illo, cui in hæreditate succedit: At eo vivente, venditio est nulla, cùm sit contra bonos mores *l. 1. ff. de hæred.* timetur enim, ne emens illius mortem intentet. Addunt leges *l. 2. fin ff. de iis, quibus indignis*; si ad hunc ementem postea deferretur hæreditas, eam ab ipso esse tollendam, & applicandam fisco. Excipe primò, ex Molin *d. 340. citat.* quando consentit Dominus hæreditatis; nam consentienti non fit iniuria. Excipe secundò, quando quis vendit hæreditatem veluti in genere, quam, verbi gratiâ, habitutus est, non indicando, sive expressè sive tacitè personam, cui est succedendum: Siquidem ex hac venditione, non potest timeri mortis machinatio, colligitur ex eodem *ibidem*, & sic intelligitur *lex 3. §. cùm specialiter*, & *§. illo*, & *lex si societatem universalem, ff. de Socio.*

*Venditio Debitorum.*

17. Possunt insuper vendi debita, & actiones, *l. emptor, ff. de hæred.* (quo pretio,) dicam *inf. §. 8. à num. 1.* quæ quis habet contra alium (& etiam donare) & tunc emptor non solùm habebit actionem in rem debitam; verùm etiam in pignus, & in fideiussorem.

*Venditio rei litigiosæ.*

18. Præterea vendi non potest, ut nec donari, res actu litigiosa, id est, super qua cum adversario lis tibi quomodocunque, etiam per primam citationem, pendet. Lege Fagund. *de contract. lib. 5. cap. 24. & ibid.* citatos. Ratio est, quia sic posses vendere, vel donare potentiori, quam sit adversarius, in eius præiudicium. Adsunt tamen casus, in quibus potest, ut si donaretur in dotem, &c. quos vide apud Fagundez *ibidem.* Qui insuper notat duo. Primò, teneri eiusmodi emptorem, vel donatarium reddere rem litigiosam Domino, etiam in conscientia, & ante sententiam, quia venditio, vel donatio est nulla. Secundò, non esse nullam, sed validam, si fiat, vel ex causa iusta, vel authoritate Iudicis.

19. Dixi (actu litigiosa) nam ea, contra quam timetur, etiam de proximo lis, vendi potest, licèt minoris, ut dicetur *inferius.* Alias res, quæ vendi non possunt, vide apud de Lugo *tom. 2. de iustit. disp. 26. à num. 17.* legésque ab ipso citatas.

*Venditio eius, quod nondum est.*

10. Quamvis quod non existit, vendi non possit, quia nihil venderetur, tamen, si est in spe, potest ... vel maiori pretio iuxta maiorem, minorem ve... bilitatem futuræ existentiæ. Sic venduntur ... corum, ancillarumque, fructus arborum, ... tionis, vel venationis, &c. & tunc profectò ... qui vendit, diligentiam apponere moralem, ... stant, qualem in rebus adhiberet propriis: secus ... garetur ad restitutionem, quanti interest empt... gentia.

21. Vnum hîc distingue: Nam quando ven... fructus, & partus, si nihil nascatur, emptor non ... tur solvere conventum pretium: At verò, quando ... ditur iactus piscationis, vel venationis, tametsi ... capiatur, tenetur emptor illud solvere. Ratio dis... præter iura *l. nec emptio*, & *l. emptorem*, *§. ult.* & ... *ctum, ff. de action. empt. l. nec emptio, ff. de contrah...* est, quia in priore venditione (nisi aliud forte ex... conventum fuerit, quod rarò solet) subintelligi... cita conditio, si nascantur, in posteriore verò, non ... Siquidem in priore semper supponitur aliqui... enasciturum, non-verò idem supponitur in poste... Collige id ex iisdem verbis contractus: nam in ... contractu dicis, te emere fructus, & partus, id ... rem ipsam, at in posteriore dicis, te emere inchoa... id est, spem ipsam præsentem, atque adeò non effec... iactum.

22. Quæres? In Siciliæ Regno adest lex *tom. 1. P... gmat Regni Siciliæ, Tit. 61. pragm. 4.* ne quis emat fruc... nondum collectas, atque adeò, ne quis vendat fructum in spe. Debétne ergo limitari pro nostris Regnicolis, præcedens allata doctrina? Respondeo, neq... quia lex non loquitur de vendentibus segetes secundùm spem futuræ messis, sed de vendentibus, emendis sub determinato pretio ipsum frumentum, antequam colligatur, quod est longè diversum, ut patebit ex lege quam examinabimus, *infrà, §. 7. num. 10.* cùm de contractu Massarij, & Mercatoris.

## §. IV. *De Pretio iusto rerum.*

1. PRæmitto ex Less. *loc. c. cap. 21. disp. 2.* Molin. *loc. distinct. 347.* de Lugo *d. 26. sect. 4. & 5. & pass.* Pretium iustum duplex esse. Alterum dicitur legitimum, quod publica authoritate, vel lege constituitur, idque in indivisibili consistit, itaut non possit in minimo præteriri. Alterum est naturale, seu vulgare, seu arbitrium, quod constituitur communi hominum æstimatione, spectata naturali ratione, secundùm rerum naturas non in se, sed in ordine adusus humanos, iuxta cuiusque Regionis consuetos mores. Quod quidem triplex est: Primum, summum, quod etiam appellatur maximum, supremum, rigorosum. Secundum, medium, seu mediocre, seu moderatum. Tertium, infimum: Solet, verbi gratiâ, ulna panni ad summum valere triginta duobus Iulis, erit ergo hoc pretium supremum; Ad minus triginta, viginti novem, erit hoc infimum. Intermedium inter prædicta erit mediocre. Quantum debeat distare infimum vel medium à supremo, ut iustum sit, certa regula definiri non potest, sed prout in foro, & communibus negotiationibus sine fraude apparet.

2. Pari modo: ad iustè discernenda eiusmodi pretia, debet attendi hominum (etiam imprudentium) æstimatio *l. pretia rerum, ff. ad. l. falcid.* dummodo sit sine fraude, & communis; quanti scilicet res æstimatur, & venduntur communiter. Certè imprudentes sunt Iudi... qui argentum, & aurum vendunt, seu commutant vilibus tintinnabulis, & similibus crepundiis: & tamen quia tanti communiter illa ibi æstimantur, non iudicatur venditio, vel emptio iniusta.

Quinquo...

*Quinque capita, vnde crescant, vel decrescant rerum pretia.*

Vt autem id, sine errore, cognoscatur, subdam hîc quinque capita, unde res maioris, vel minoris æstimari consueverunt, quorum profectò notitia maximo erit usui tum subditis in mercibus vendendis, tum Magistratibus in taxandis eorundem pretiis. Quando enim hi non taxant intra latitudinem pretij vulgaris, nisi taxa ab illis designata esset, clarè (nam in dubio, pro Magistratu, ex Mol. *t.2.d.364.§. conveniunt etiam*) supra supremum pretium, vel infra infimum, etit (nisi in aliquibus raris casibus obstaret bonum publicum. Lege omnino de Lugo *t.2. de Iust.d.26 sect.5. à num.53.*) iniusta, & etiam in conscientia, non servanda. Ita Sanch. *l.1. cons. cap.7. dub.5.* late id probans. Hæc autem capita confusè satis, & sparsim ab Authoribus approbata, ad quinque ordinatim loco. Primum se tenet ex parte rei venditæ. Secundum pretij. Tertium ementium, & vendentium. Quartum ex parte seu ratione expensarum. Quintum ex parte modi vendendi.

*Ex parte rei venditæ.*

4. Primum ergo, quod se tenet ex parte rei venditæ, est abundantia, vel penuria mercium, hæc enim auget pretium, illa minuit. Huc reducitur novitas, & antiquitas rerum, quæ quia raritatem indicant, pretium augent; ut in fructibus novis, & in Imaginibus, & Statuis antiquis.

*Ex parte pretij.*

5. Secundum est ex parte pretij. Abundantia enim, vel inopia pecuniæ minuit, vel auget rei valorem, ut patet in Indis: vbi quia est multa argenti, aurique copia, numerosiore pecunia, atque adeò carius res distrahuntur.

*Ex arte emptorum, & venditorum; Vbi:*

*An exteris carius possit vendi.*

6. Tertium se tenet ex parte ementium, & vendentium: Quando enim emptores frequentes sunt, carius merces venduntur, quàm quando sunt rari: & meritò, accedentibus enim multis emptoribus inducitur rerum penuria, apparentibus paucis, persistit abundantia. Quando item multi sunt venditores, vilescunt merces, quia si sunt venditores multi, multa est & abundans merx. Hinc pluris res venduntur in Officinis, quàm cùm venditores per vicos, & domos quærunt emptores; & pluris, quando merces appetuntur, quàm quando offeruntur, juxta illud Proverbium, teste Caietano 2.2.*q.77. art.1.* & approbante Lessio *l.2.cap.21.d.4.num.33.* aliisque apud ipsum: *Merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte*, immò easdem ultroneas vilescere, usque ad medium, docent Barthol. à S. Faust. Rebell. Megala apud Dianam *p.1.tract.8. resol.23 53.* & 58. Adde Palatium mox referendum.

7. Hinc propter eandem rationem, qui emit in gratiam venditoris, verbi gratiâ, rogatus, potest emere minoris; & qui vendit in gratiam emptoris, potest vendere pluris. Sanè Palatius *v. Emptio*, dixit patrium, quod in Officinis valet quatuor aureis posse à te emi duobus, si rogatis, & de Lugo *t.2. de Iust. ad.26 sect.4.n.44.* Palarium refert, nec tamen refellit: Ioannes item de la Crux: *Potest* quis (ait) *emere censum iam impositum minori pretio taxæ, census quia rogatur*, subdit Diana, *l. c. Poterit igitur pro censu imposito ad rationem quinque pro centenario, dare tantum vncias octoginta, rogatus tamen eniæ.*

8. Hinc denique respondetur ad illam dubitationem. An exteris possit aliquando vendi carius; Vtique posse, colligitur ex dictis, quia per adventum multorum exterorum, verbi gratiâ, in appulsu tritemium regiarum crescit multitudo ementium, atque adeò augentur pretia rerum; Venditor ergo his exteris vendere poterit hoc iusto supremo pretio. Civibus autem ex liberalitate illud remittere, contentus modico, quod vigebat antea: lege Mol. *d.346.* Less. *l.c.dub.4. num.30.* Fag. *de contr. l.5.c.27. num.14.* Quid, si exteri sint infrequentes, ita ut non pariant augmentum pretij; Respondeo, tunc non posse exteris supra supremum vulgare res vendi. Ratio est, quia sisupponis pretium vulgare persistere, in iuria ipsis fieret, si illud pro ipsis non servaretur. Idem dic, quando advenientibus multis exteris, confluceret item multa copia mercium: nam tunc quod crescit ex vna parte, decrescit ex alia.

9. Non absimili modo sentiendum de Principe, seu Magistrata in taxando pretio pro iisdem exteris: solùm enim illi concedo, ut possit augere pretium pro omnibus etiam incolis, advenientibus multis propter rationem dictam, non autem advenientibus paucis. Et illud item non puto improbabile, posse Principem statuere, ut pro exteris res vendantur supremo, vulgari pretio, pro Civibus medio, aliquid enim concedendum videtur Civibus, qui oneribus propriæ Civitatis perpetuò subsunt; at ut iisdem exteris vendantur supra omne iustum pretium, nullo modo puto probabile, quia quod est supra pretium supremum, injustum clarè est. Ita colligitur ex Molina. Less. Fagundez citatis.

An iisdem extetis possit concedi, ut suas merces carius vendant, dicam *infrà*, §.5.*n.*1.

*Ex parte, seu ratione expensarum, &c.*

10. Quartum caput se tenet ex parte expensarum, &c. Pericula enim, & damna, & expensæ venditorum communiter occurrentia in quærendis, transportandis, conservandis mercibus, earum pretium augent: Contrà, facilitas, securitas, &c. minuunt.

11. Dixi (communiter occurrentia) nam ex eo, quòd peculiaris Mercator multum de suis mercibus perdidit, v.g. ob furtum, ob naufragium, ob quid simile à se passum, non augetur legitimè pro ipso pretium, quasi ob id, possit vendere cartus. Ratio est, quia res tanti valet, quanti per se æstimatur communiter, non autem, quanti tibi ob infortunium, vel imprudentiam valuit. Ita Salas *d.39.* Quòd si naufragium, v.g. vel fuit commune multis Mercatoribus, vel fuit tali, ut induceret penuriam mercium: tunc profectò crescet sine dubitatione pretium, sed non ob unius Mercatoris causam, ut ex se patet.

12. Huc spectat, quando res pluris venduntur apud vnum Artificem insignem, vel Mercatorem peritum, quàm non eius generis; Nobilitas enim venditoris aliquando nobilitat mercem, sicuti nobilitas Artificis artificium, quia supponitur, nobiliores Mercatores, atque Artifices magis laborasse in advehendis mercibus, & in artefactis efformandis.

13. Huc etiam reducitur licentia, quâ Mercatores possunt vendere aliquantò carius ex ipso officio mercandi: ita Less. *l.2.c.21.n.4.* Salas de *empt.d.29.n.1.* cùm enim hi assiduè laborent, expensásque faciant circa merces, unde negantur alias lucrandi occasiones relinquere, atque negotia alia posthabere, idque in commodum Reip. cuius interest habere Mercatores ex officio: congruum est, ut hæc licentia iis concedatur in pretio vulgari, nam si adest legitimum, non potest supra hoc Mercator vendere, quia in taxatione legitimi, iam haberi solet ratio officij Mercatoris. Puto autem, cum Less. *l.c.n.29.* eum, qui non est Mercator ex officio, posse aliquando ex consequenti vendere pretio, quo ex officio vendunt Mercatores: quia posito, quòd Mercatores ita vendunt, eiusmodi pretium iam fit vulgare in Civitate.

*Ex parte modi vendendi.*

14. Quintum caput se tenet ex parte modi vendendi. Vendere

Vendere enim, v.g. vt dicitur, ad minutum, cùm habeat plus difficultatis,& minus utilitatis,regulariter auget pretium; vendere autem ad magnam quantitatem, propter rationes contrarias diminuit. Vendere item per licitationem sub hasta, huc facit, de qua mox seperatim *num.* 25.

15. Dixi (regulariter)nam tum in censibus, præsertim novis, tum quando taxa est constituta in gratiam venditorum, quod rarò fit hoc non habere locum monet Lessius *lib.*2.*c.*21.4.*num.*34.

16. Vendere anticipatò, vendere cum pacto retrovendendi, & quædam alia huc pertinentia, quia particularibus scatent difficultatibus, sigillatim de illis *inferius* est tractandum.

*Necessitas, & vtilitas Mercis quomodo augeant pretium.*

17. Porrò ex dictis colligi potest, qua ratione intelligendum sit ex illis duabus causis,Necessitate,& Vtilitate augeri rerum pretia. Nam distinguendum est: Vel enim Necessitas,& Vtilitas mercium est communis, & tunc auget, vt dictum est,pretium,quia tunc erunt plures ementes,&c.Vel est solùm emptoris,& tunc non auget pretium. Ratio à posteriori est, quia sic posses existenti, & præ fame periclitanti vendere centum aureis unicum panem.Ratio verò à priori, quam tradit.S. Th. 2.2. *quæst.*27.*art.*1. quem Molin. Roderic. Sot. Navarr. Lessius,quos citat Barth.à S.Fausto *in Specul. Conf.d.*6. *q.*7. sequuntur, est; quia nullus potest vendere, quod suum non est: at utilitas mentis, non est ulla ratione venditoris. Vel denique necessitas,& utilitas est ex parte Venditoris, quia nimirum Venditori res vendenda necessaria est, utilis,commoda,& tamen illam vendit in gratiam emptoris: & tunc potest Venditor augere pretium; privatio enim huius commoditatis, immò & iustæ oblectationis est veluti lucrum cessans, & damnum emergens ipsi Venditori: Communis enim est doctrina, apud Less *l.c.à num.*26.Salas *dub.*30. *num.*2. Mol. *d.*351. *§. verùm autem, infrà* mox tradenda, quando aliquid vendis in gratiam emptoris, modò illi cum veritate significes,tibi ex ea venditione tantum lucri verè cessare, vel tantum damni consurgere,te posse eiusmodi lucrum, damnumque pretio compensare.

*Quo pretio res emendæ, vel vendendæ.*

18. His præmissis, Regula generalis est huiusmodi: Quando adest taxa Principis illa debet sub pœna restitutionis observari, quæ,cùm, ut dixi,consistat in indivisibili, non habet medium, summum, infimum. Quando verò ea taxa non adest,tunc servandum est pretium vulgare,quod quia habet tres illos gradus, licitum est cuilibet,quem velit, in vendendo,eligere. Atque in hoc non ratò innititur lucrum iustè negotiantium; emunt enim infimo pretio, vendunt supremo.

19. Circa hanc regulam habe tres siue exceptiones, siue declarationes: Primò enim, si post dictam taxam, rutentur circumstantiæ, ut si appareat abundantia,vel superveniat sterilitas, taxa statim evadit iniusta: quare non erit odinariè servanda. Ita Sanch. *l.*1. *conf. cap.* 7. *dub.*5. latè probans.

Dixi (ordinariè) propter quosdam raros casus, quando meta ponitur in gratiam venditorum, ut in censibus: vide Lessium,*l.c. dub.*2.*num.* 13. & Salas,*dub.* 6.Rursus, si Princeps sciat,& patiatur populum non vendere iuxta taxam, sed pretio vulgari: tunc tacitè videtur consentire: idque ex Fagund.*de contr. lib.* 5.*c.*37.*n.*6. etiamsi unum, vel alterum puniat, cæteris dissimulatis: nam unius castigatio videtur facta ad experiendum, an alij taxæ legem acceptent. Denique si res tua notabiliter (nam parum pro nihilo reputatur) sit melior, vel notabiliter sit pejor, quàm res, quæ communiter in foro venduntur: pluris potes, vel minoris debes vendere, quia taxa semper intelligitur de rebus ordinariæ bonitatis.Si pretium rerum in foro augeatur ex malitia aliquorum, vide *infrà* cum de Monopolio.

*Merces extraordinariæ quanti?*

20. Secundò,Res, quæ non habent communem usum ut Gemmæ, Canes, Falcones, Picturæ, Statuæ,Cantus, Saltatio,Vsus Mulieris; interesse Comœdiis, &c. licet probabile sit, & securius ut sentiunt Rebell.p.2.*l.*9.*q.* 2. *sect.*2. Less. *cap* 21. *dub.*3. Salas *dub.*5. aliique apud de Lugo.*l.c.d.*26.*sect.*4. *num.*46. Castr.*loco mox citando*) non posse vendi,quanti potes, quia pretia debent commensurari valori rationabili rerum;Tamen est etiam probabile posse. Ita Val. *d.*5.*q.*20.*p.*2.§.3 Sà *v. Empt̃o, & v. Venditio*, Tolet. *c.*48. aliique apud eundem de Lugo *loc.cit.* apud Castro Pal.*de Inst. comm.d.*5.*p.*3. Barthol. S Fausto *in speculo d* 6.*q.*12. *Quia res* (ait Toletus) *quæ non habent pretium constitutum, nec à Principe, nec ab vsu fori habent valorem ex mera voluntate ementis, & vendentis, nec ita illud: Vnusquisque in rebus suis est moderator, & arbiter.* Vel *quia, cum in his nulla necessitas* (ait Valentia, & Sà) *cogat emptorem iudicatur donare venditori liberaliter excessum supra pretium vulgare.* Ad illud quod opponit de Lugo *d.*26.*de Iust sect.*4. *n.*47. ex secunda hac sententia sequi Simiam, vel Catulum posse licitè vendi pro vnius Regni: facilè respondetur, vel concedendo loquelam, sicut enim is potest renuntiare,seu donare Regnum alteri liberaliter,si suum omnino est,ut supponimus, sic poterit dare pro Catulo, quod minus est, Vel respondetur,nos loqui de venditionibus communiter, & moraliter occurentibus, quæ nunquam tantam afferunt distantiam pretij à re.

*Merces nunc cariores, mox futura viles,& contrà, quanti?*

21. Tertiò: qui scit res intra paucos dies, etiam vnum, minoris valituras, potest sine injustitia hodie pretio currenti maiore, vendere. Et si scit pluris valituras, potest hodié, currente minore pretio, emere. Ita Mol.r.2.*d.*354.cians S.Thrali6.que;Fag. *l.*5.*de contr. c.*31.*n.*10. de Lugo *t.*2.*de Iust.d.*26.*sect.*8.§.2. qui *n.*140. idem putat de libro mox prohibendo;Castro Pal.*de Iust. comm.d.*5.15. Ratio est,quia tanti iustè res venditur, quanti emitur; quanti tunc valet, nec scientia debet scientem obesse. Excipe primò, nisi si quis sit ex Consiliariis,vel sit Princeps, qui taxam futuram præsciunt: hi enim ex officio tenentur dare operam, ut ex suis legibus,quantum fieri potest, vnus præ alio non gravetur, & nisi (addit Lessius *l.c.dub*5.5.) muneribus Consiliarium tu corrumpas, ut tibi futuram metam revelet. Sed certe, etiam Consiliarium, seu Principem posse suas merces præsenti pretio vendere, docet de Lugo,*t.*2. *de Iust. d.* 26. *sect* .8.§. 2. *à num.* 139. quando non differt ex industria promulgationem legis, ut ipse cariùs vendat. Excipè secundò, nisi fraudibus utaris, ut si sciens superventuram abundantiam, vel librum prohibendum,frugas per amicos fore penuriam, vel librum non fore prohibendum. Ratio huius exceptionis est, quia quilibet Ius habet, ne per fraudes decipiatur; nihil ergo dicas: & rogatus dic te nescire (cum æquivocatione) quia ex Less. *loc cit.* non teneris cum tuo damno veritatem hanc quæ pertinet ad bonitatem, vel vitium extrinsecum rei aperire.

22. Dixi (sine iniustitia) Addo nunc, ex Less. *ibid. n.*42. (& communiter sine peccato contra Charitatem) quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi inde damnum aliquod proximo obveniat. Tunc ergo solùm est contra Charitatem, quando multum est depauperandus proximus,atque à statu suo notabiliter dimouendus,quod est ratissimum.

In

*In subhastatione quanti ?*

23. Quartò In subhastatione (*all'Incato*) tanti potest vendi res, vel emi, quantum sine fraude potes exforquere: etiam infra, vel supra dimidium, quo res extra subhastationem valeret. Ita Gordon. Vill. Mal. Molin. Bannez, aliique, quos citat, sequiturq; Diana *p. 4. tr. 4. resol.* . Ratio est triplex: Vel quia merces ultroneæ vilescunt, Vel quia ejusmodi modus vendendi rem exponit periculo utriusque fortunæ, lucrandi, vel perpendi, vel quia excessus iudicatur liberaliter donari, cùm nulla necessitas cogat hunc vendendi, emendive modum, eligere. Adde quartò, quia solum pretium in eo modo vendendi ex praxi omnium etiam timoratorum ex Bonac. *de contr. d. 3. q. 1. p. 4. n. 21.* alios citante, est quanti minoris emere, vel quanti maioris vendere potes.

24. Dixi (sine fraude) si enim emptor avertat, per vim, vel fraudem; vel etiam per preces alios offerentes, Vel si venditor fictus offerentes supponat, vel tempus integrum ad proclamationem, quando scilicet rata est eorum frequentia, elegit, Vel quid simile, injustitia committitur, & pretium erit restituendum, juxta probabile damnum, quod Domino rei fit, ut ex se patet. Si quis togat amicos, ne supra certam summam offerant, ut ipse emere possit pretio infimo iusto (quanti scilicet res infimo pretio sine iniustitia valet) concedunt plerique apud Dianam *p. 1. tr. de contr. res. 76.* Immò Caram. *in Thesaur. num.* etiam pretio minore, quàm sit infimum. Quod tamen ego nullo modo approbo, quia sic iam tollitur substantia subhastationis, quæ sola dat licentiam vendendi, atque emendi, quanti potes sincerè, & sine fuco, & fallacia.

*§. V. Casus aliquot speciales circa verum pretia.*

1. PRimò dubitari potest, An exteris, in quibusdã locis cõcedi à Principe possit, ut ipsi pluris vendant, quàm vendant Incolæ; Vide de Lugo, *t. 2. de iust. d. 26. sect. 5. n. 62.* Præterea, an Incolæ, quod pluris sic emerunt ab exteris plutis etiam & ipsi vendere queant? Vide eundem *n. 71. & 72.* Denique si in una Civitate res sit earum, quàm in alia, possúmne ego in hanc adducere rem meam, v. g. frumentum, & ibi carius vendere? Vide eundem *n. 63.* Respondeo, Affirmativè.

2. Secundò; An, res v. g. frumentum possim justo pretio vendere, cogendo insuper emptorem, ut emat ipse aliquid, v. g. oleum à me? Vide eundem *n. 64.* Respondeo Negativè.

3. Tertiò; An merces longè præstantiores possint vendi aliquantò pluris ultra taxam legitimam? Vide eundem *n. 65.* Rursus: An possint separari, v. g. fructus longè meliores, & vendi pari modo ultra taxam, vẽdendo cæteros iuxta taxam: si cæteri remanent æquè boni, atque illi, qui venduntur communiter? Vide eundum *num. 66.* quod negat Diana *p. 1. tr. de contr. n. 35.* Respondeo, affirmativè.

Nota tamen illud (longè) & illud (remanent æquè boni). Nam hinc damnabis Macellarios, qui danti maius pretium meliores carnes partiuntur, ossa verò porrigunt alijs: debent enim æqualiter miscere carnes nõ proportionata parte ossis, vel quò deteriores dant, eò viliori pretio debent esse contenti.

4. Quartò; An immisceri aliquid possit rei extraordinariæ bonitatis, & conflatum sic redditum æquale cæteris taxato pretio vendere: ut frumentum electum mixtum hordeo, vinum generosum mixtum aqua? Respondeo, Concederem id aliquando frumento, vix unquam vino. Ita idem *à n. 67. & præsert. n 69.* lege Bon *d. 3. de contract. q. 2. p. 6. n. 17.* & Less *l. 2. c. 21. d. Mol. t. 2. d. 11. 355. n. 33.* Diana *p. 1. tr. 8. res 51. & res. 80.*

5. Quintò, Ecclesiastici tenenturne res suas vendere secundum taxam à Magistratu sæculari præscriptam? Respondeo, affirmativè cum de Lugo *n. 77.*

6. Sextò, Quandònam mortaliter peccatur excedendo legitimam taxam, si taxa in rarocasu iuxta supradicta est posita infra pretium infimum? Respondeo, quando notabiliter aggravantur Pauperes, vel Communitas.

Hæc quia breviter, & perspicuè tractantur à Doctoribus *locis citatis*, nec aliquid mihi se offert, quod addam de novo, sic innuisse sufficiat.

*Occasione prædictorum decernitur, cuinam restituendus excessus pretij, immediate damnificato, an damnificato mediatè?*

7. Septimò, si Titius frumentum Pistori, v. g. vendidit supra taxam, qui Pistor supra taxam idem Populo vendidit, cuinam excessus pretij restituendus est à Titio Pistorine, an Populo? Respondeo, Populo. Ita idem de Lugo *n. 76.* cum Sanch. & Turr. ab eodem cit. Posse Pistori in simili, immò debere, docet amicissimus Pater Franciscus Bardi *in select. mor. lib. 1. q. 16. §. 2.* qui quoddam argumentum in contrarium à me ipsi propositum ingeniosè solvere contendit, quod mox afferam *n. 14* Porrò hanc quæstionem si clariùs evolvam, curioso lectori (puto) non displicebit.

8. Pater ergo Bardi in ingenij altitudine, atque perspicacia cum ingeniosissimis viris nostri sæculi comparandus, docet, prædictum, Titium reddere debere excessum Pistori, non Populo. Fundamentum eius potissimum est, quia hîc adsunt duæ venditiones, ambæ completæ: Altera, quâ Titius vendit Pistori: Altera, quâ Pistor Populo vendit, & quidem utraque iniusta est, atque una independenter ab alia, ut supponimus; Quare non est Titius cogendus, nisi ad restitutionem damni illati ex vi suæ venditionis factæ Pistori, ipse enim non est causa venditionis secundæ factæ à Pistore ipsi Populo, est enim mera occasio quâ, ex mera sua malitia utitur Pistor ad faciendam iniustitiam contra Populum; ergo solùm illi Pistori debebit, &c.

9. Confirmatur, quia Titius nihil debet Populo, nec ex re accepta, nec ex iniusta acceptione, nec ex damnificatione: ipse enim à Pistore iniquè accepit illud pretium, cui damnum intulit, non à Populo: Vnde, cùm ex nulla radice Populo quid Titius debeat, nihil illi restituere obligabitur.

10. Verum, ego adhuc in mea sententia persisto: Fateor esse duplicem venditionem metaphysicè, immò realiter, & physicè completas: Fateor Titium non esse causam iniustitiæ Pistoris contra Populum: Fateor esse solùm occasionem: sed ait moraliter, & humano more reputati vnam venditionem, atque adeò practicè adesse in Titio obligationem reddendi Populo. Explico, & probo.

11. Duo enim debes recolere: Primò, vinci aliquando à morali vsu speculativum rigorem: sanè speculativè, immò & physicè, qui ira iracundiæ impetu multas blasphemias emisit, tot peccata, numero distincta committit, quot blasphemias profert, neque enim una dependet ab alia. Qui percutit Clericum decem, v. g. percussionibus modico interuallo continuatis, physicè decies verberat. Qui in peccato mortali decem pœnitentes absolvit, physicè decies indignè Sacramentum ministrat; & tamen in prædictis, & similibus practicè, & in ordine ad Confessionem, vel excommunicationem unum censetur quis committere peccatum, modo distinctiùs explicato *in opusc. Meth. Conf. lib. 2. cap. 1. §. 9.* ex de Lugo *de Pœnit. d. 16. sect. 3. à num. 153.* quia singuli illi actus physicè distincti, quoad blasphemantem, & verberantem uniuntur in uno calore iracundiæ, & quoad ministrantem indignè Sacramentum uniuntur in uno, eodèmque animo continuandi per illam vicem Confessionum auditionem, &c.

12. Secundò, recolere debet in iudiando, etiam in foro externo, aliquando non considerari rigorem Iustitiæ, sed æquitatem. Esto, v. g. tuum animal sine tua

rulpa, damnum aliqui faciat, tamen quia non est æquum, te gaudere animali, & proximum pati damnum, Iudex condemnabit, vel ad restitutionem damni, vel ad dandum animal pro noxa *l. si servus 2. §. de Noxalib. actionib. & c. si culpa 9. de iniur. & damno dato.* Nomine autem æquitatis intelligamus perfectam quandam rationem, quæ legum apices, strictúmque ius interpretatur, & emendat, ut rectè M. Tullius pro Cecinna dixit: A *verbis recedis, & æquitate uteris? &* ibidem: *Ex æquo, & bono, non ex callido, versutóque iure* (dicam ego fortasse castigatiùs) non ex speculativo iure, *rem iudicari oportere.*

13. His positis: Aio, esto, speculativè, immò & physicè illas venditiones esse duas essentialiter completas: At quia uniuntur in eadem una materia, quæ est idem frumentum venditum à Titio ipsi Pistori, & venditum à Pistore ipsi Populo: ideo moraliter, in ordine ad restitutionem faciendam, non censentur duæ, sed una venditio, unde ex æquitate illi reddendus sit pretij excessus, qui damnum denique sensit. Non ita res se haberet, si Titius vendidisset aliud numero frumentum, v.g. frumentum A ipsi Pistori: At Pistor vendidisset frumentum B ipsius Populo; nam tunc cùm hæ venditiones non haberent unam, eandèmque materiam: sicut physicè duæ essent, sic non essent vna moraliter: Quemadmodum, si illæ modò dictæ blasphemiæ proferrentur non in uno calore iracundiæ, distinctæ essent etiam moraliter, quia non unirentur in illo impetu, &c. Pater igitur Bardi sistendo in ipsa rei mera speculatione rectè discurrit: at quo ad praxim recte non asserimus æquitatem nolle, ut dum Titius possit nolit Populo resarcire damnum ipsi illatum: damnum inquam, quamvis ex sola occasione venditionis ipsius Titij; sed tamen, quod moraliter censeatur ab ipso factum, non quoad peccatum, sed propter æquitatem, quoad restitutionem faciendam illi Populo, qui damnum denique passus est.

14. Attuli ego sequentem paritatem ad eam sententiam olim confirmandam: Si Ioannes occidat, vel vulneret Antonium, (id pono, quia casus frequentior esse posset in vulnerando, quàm in occidendo: atque adeò non erit inutilis, ut innuit P. Bardi *ibid. n. 22.*) & imputetur dilectum Cæsari, qui Cæsar cogatur à Iudice expensas Medicorum solvere Antonio: Certè Ioannes debebit restituere Cæsari, non autem Antonio, quia is est plenè satisfactus: Ita ergo in casu nostro, &c. Respondet P. Bardi hîc adesse unum, idèmque homicidium, seu vulnerationem: quare non esse mirum, si restitutio Cæsari debeatur: at in casu nostro est duplex venditio, &c. Hæc ille. Verùm, quia probatum iam modò est, moraliter censeri unam venditionem in ordine ad restitutionem ex æquitate faciendam, utpote quæ utraque venditio habeat connexionem in uno, eodémque materiali frumento. Responsio hæc paritatem infringens, quoad praxim, nequaquam valet.

15. Illud denique contrariæ sententiæ omnino dandum. Nam si Titus fortè excessum illum reddidit Pistori, non est cogendus iterum reddere Populo, eadem enim æquitas postulat, ut quandoquidem ipse purgavit summ delictum reddendo excessum, nec aliquid alienum inveniatur habere; ut non debeat amplius molestiam pati. Tunc ergo reddat ipsi Populo Pistor, neque tunc solùm, verum etiam in casu, quo Titius nolit quidpiam ulli reddere: non enim propterea Pistor liberatur ab obligatione restitutionis contractæ ex suo dilecto contra Populum commisso.

## *De Venditione pecuniâ creditâ.*

1. QVando rem nunc vendens, nunc illam emenri consignas, accepturus ab eodem postea pretium, vendis credito? Quando verò contrà, nunc accipis pretium, consignaturus postea rem, anticipato rem vendis & de uroque contrahendi modo, esse debet separ cussio, de priore hîc, de posterioribus postea.

### *An pluris credito, quam numerato rem vendere fa*

2. Supra legitimum, vel supra summun pretium non est, ex eo solùm prætextu, quod creditores tur. Ita Mol. *t. 2. d. 355* Le*. l. 2. c. 21. dub. 6 &* passim, tio est manifesta, quia in hac dilatione solutionis reretur implicitum mutuum; perinde enim fieret, mutarentur, v.g. centum, ut ad certum tempus rentur centum, & decem, quæ est aperta usura, dicetur loco. Excludo etiam prætextum officii ris, & prætextum priuationis numeratæ pecuniæ quia esse mercatorem, nõ dat ius ad aliquid supra pretium, sed solùm intra, modo *sup. §. 4. n. 13.* exp Hæc, quia, an ea privatio aliquo sit digna pretio, disputandum *inf. c. 8. §. 5. & 6.*

3. Dixi autem (ex eo solùm prætextu) quia sum capita, unde fas sit aliquid excedens accipere.

Primum caput est ratione periculi: Quando mercator probabiliter timet (nõ ex sua pusillanim emptorem non soluturum, vel cum expensis, seu difficultate soluturum. Quanti ergo hoc periculum cio prudentis valet, tantum eis ultra commune pret accipere licebit. Ita Val. *t. 3. d. 5. q. 20. p. 2. conf. 4.* R quia hæc subire pericula, pretio æstimabile est. Sua iussor licitè potest aliquid accipere ratione periculi oneris, quod suscepit, solvendi in defectum princ Cur ergo non & in casu nostro? &c. Vide tamen ni ram *d. 356.* ac Lessium *l. c. n. 55.* qui rectè monet, torem sub onere restitutionis, debere emptori man stare se propter dictum periculum plus ex gere, quia tasse nollet sic emere.

4. Secundum caput lucri cessantis, & damni gentis. Lege Abbatem *cap. Naviganti, num. 13. de u ris,* & communiter Doctores. Ratio est, quia tunc vendis dilationem temporis, sed quod tuâ interest. C firmatur, quia in mutuo aliquid plus supra sortem potest ratione lucri, vel damni cum conditionibus *cap. 8. §. 3.* explicandis: idem ergo in hac venditione ut modò dixi, est implicitum Mutuum.

5. Notant autem Doctores, Molin. *d. 355.* Less *passim,* in casu nostro quatuor requiri conditiones. Prima est, ut verè tu esses numerata pecunia vendit Secunda, verè tu esses illam, & non aliam pecuniam negotiaturus. Tertia, ut minuatur totum illud, quod tione periculorum, & expensarum arbitrio boni vir ea negotiatione fuisses expensurus. Quarta, ut omn significetur id emptori, nisi aliunde sciat; secus ten onus restituendi, cum nollet fortè is rem emere cum onere.

6. Ex defectu primæ conditionis Mercatores pos delinquere, notat Lopez *l. 1 de contr. c. 16. conf. 5.* qui passim vendunt carius credito, etiam ubi pauci sunt, emissent numerato, quod iniustè fit. Cùm enim Mercator non vendidisset numerato, non habuisset pecuniam, cum qua negotiando potuisset aliquid lucri atque adeò nihil lucri tunc illi cessat.

7. Ad secundum hoc caput spectat, quando Mercator erat rem suam aliò translaturus, ubi pluris vendidisset hoc enim est lucrum cessans; admoneatur tamen emp expensæque, ac pericula deducantur, ut *superius* in fin diximus.

8. Ad idem spectat etiam, quando venditor fir rat rem vendere tempore, quo pluris ea fuisset valitur Ita Molin. *d. 355.* & patet ex *cap. in Civitate, & cap. ra viganti, de usuris*: Erit enim, & tunc lucrum cessa Illas tamen conditiones recole. Vt pretium verè, & c tò maius futurum fuisset, (nam si dubium, mox dicem *num. 11. & 12.*) Vt verè servaturus, & venditurus effe Vt expensæ, & pericula deducantur. Vt Emptor admoneatur.

Frumentum

*Frumentum venditum, & consignatum hyeme ad pretium Mensis Maij.*

9. Ex dictis, præsertim ex secundo capite damni emergentis, lucrique cessantis, solves illud commune Siculis frumentorum negotiatione, alii in aliarum Mercium genere. Mercator enim vendit, consignátque Colono centum, v. g. menturas frumenti nunc, mense Ianuarij, & id pretio quod curret mense Maij, quo tempore solet propter diutiam à præcedente messe maior esse frumenti penuria, adeòque maius pretium. Iusténe id fieri putandum est? Solves, inquam, asserendo omnino fieri iuste, si absolutè loquamur, quia rei pretium iustum est illud, quod curfit, quando rem venditam consignas, tunc enim transfertur dominium. Qua ergo ratione eligis alium mensem, & hunc Maij, quo pretium carius esse consuevit?

10. At verò, dic, iustè fieri posse, quando eas mentes vere Mercator servaturus esset, ac vere illo pretio venditurus, & nihilominus in gratiam Coloni vel cuiuscunque id totum scientis, vendat; Immò tunc, quia frumentum (ut solet) crevisset in horreo Mercatoris, hoc incrementum (deductis expensis) à Colono sibi solvi petere Mercator iustè poterit. Ratio est, quia tunc cessat Mercatori lucrum, &c Pretium autem sive tradatur mense Ianuarij, sive mense Maij, sive toto, sive ex parte, nihil hic interest, quia tota vis hujus lucri fundatur in valore rei, quæ vendenda, & conservanda pro illo tempore fuisset. Scio Caietanum docere, si solutio fiat mense Maij, licèt Mercator frumentum pro illo tempore non asservaturus, & pecuniam, (quamvis eam mense Ianuario habuisset) non esset negotiaturus: Scio, inquam docere aliquid plus tunc à Mercatore posse sumi, quia complementum Venditionis (ait Caietanus) fit mense Maij. Sed non est ullo modo audiendus, quia venditio quoad substantiam facta fuit mense Ianuarij, & illud complementum non est aliud, nisi solutio pretij dilata, quæ est implicitum mutuum: unde si, propter hanc solam dilationé aliquid plus acciperetur, ex mero mutuo acciperetur, atque adeò per usuram. Lege Molinam *disp.* 355. & Lessium *l.* 4. *dub.* 4. & 6.

11. Inquires Mense Maij varium, in variis diebus, esse pretium solet; licebitne ergo huic Mercatori ratione dicti lucri cessantis vendere mense Ianuarij pro supremo pretio vulgari currendo mense Maij? Respondeo, Nequaquam licere. Debebit enim vendere pretio, quod maiore parte mensis vigebit. Ratio est, quia mercator prohibiliter eo pretio erat venditurus, quod communiter, eo mense, erat futurum; hoc igitur pretium illi cedebit, atque adeò hoc solum exigere poterit. Advertat futurum esse pretium legitimum, hoc solum exigere posse, non vulgare, quia in eo casu, hoc solum illi cederet.

Quid, si tanta fuit eo anno mense Maij varietas pretij, ut non fuerit pretium ullum, quod dici posset, cucurrisse per maiorem partem Mensis? Respondeo, sumatur tunc pretium médium. Ratio est, quia supremum non est fas recipere, cùm non sit certus Mercator fore se illo pretio venditurum; nec congruit recipere solum infimum, quia potuisset fortasse vendere maiori pretio: sumat igitur medium, quod, & suam, & ementis rationem commodè satis habebit. Non inficior posse mense Ianuarij communi consensu determinari pretium, quod curret tali die Maij, immò, & tali hora, & quidem iuste, si verè tali die, & hora certo venditurus Mercator esset. Sed quando id?

Pactum illud non improbo: Posito enim, quod Mercator verè frumentum venditurus sit mense Maij cùm æstimatur quantum augendum tunc sit pretium, potest convenire venditor cum emente, de aliquo certo pretio, quod prudenti iudicio tunc fortè currendo nunc determinetur; nam sic, illud semper (sive deinde mense Maij crescat, sive decrescat pretium accipere Mercator poterit. Certe si sine fraude id fiat, cùm sit par vendentis ementisque periculum, non video, unde condemnare id ullus possit.

*Frumentum venditum* à pagare & consignare.

12. Hoc contractu utuntur sæpè Siculi, quem quia sufficienter explicat, probátque Diana *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 65. hic eius locum demonstrasse sufficiat.

*An venditor non soluto pretio ab emptore possit percipere fructus rei à se credito venditæ, quamvis dominium ementi traditæ.*

13. Caius vendit Titio fundum, vel domum aureis mille, quos Titius promittit solvere hinc ad sex, v. g. annos (interdum non designantur anni, sed donec emptor solvet pretium) interim verò tradit possessionem fundi ipsi Titio, ea lege, vt idem Titius reddat Caio venditori annuam pensionem, v. g. quinquaginta aureorum, nempè iuxta fructus, quos Caius percipere à fundo potuisset, Qui quinquaginta aurei non computantur in sortem: nam semper remanent illi mille aurei tempore designato solvendi: Idne iustè sit?

14. Si eiusmodi contractus per modum absolutæ venditionis non celebretur, sed per modum locationis, licitus sine dubio est. Modus autem locationis hic esset: *Vendo tibi fundum mille aureis à te olim solvendis, illúdque possidendum trado, nunc quidem, pro locato (unde mihi peribit, si peribit; quia ego sum dominus rei tibi locatæ (ac propterea pensionem iuxta fructus, quos, deductis expensis, percepissem, solvas: cùm autem solveris totum fundi pretium, habeas pro vendito (unde, postea tibi emptori peribit fundus, si peribit, quia postea illius eris tu Dominus.)* Hic, inquam, contractus licitus est, quia est ipsamet prædij locatio; pactum enim illud, ut omnino simul mille aurei solvantur, iniquum esse non videtur: nam sicut venditor dare promittit simul totum prædium, ita & emptor totum pretium. Quòd si pactum fuerit, de solvendo pretio prædij per partes, quod iustum etiam erit, propter similem rationem, tunc sanè si deinde solvatur aliqua pars pretij fundi, debebit, quantum est ex hoc capite, & pars pensionis cessare: quia tunc pro vendita habetur pars prædij; quo casu fundus pro indiviso erit utriusque, sicuti contingit in contractu societatis, vel in hæreditate relicta pluribus.

15. At verò, si eiusmodi contractus fiat per modum absolutæ venditionis in hunc modum: *Vendo tibi omnino fundum, dilata solutione, interim vero solvis pensionem, &c.* illicitè fieri, & iniustè, docent multi apud Ioan. Baptistam Antoniaccium Eugubinum, *in Catechesi. Neap lib.* 5. *à cap.* 21. ubi de hoc casu fusè: vide etiam Dian. *part.* 1. *tr.* 8. *res.* 86. quia tunc fundus fit absolutè emptoris, unde ei periret, si periret; ergo ad illum pertinent & fructus, quare convinceretur tunc pensio exgi propter dilationem solutionis pretij, quæ est mera usura. Aliqui sentiunt iustè fieri. Ratio est (inquit Molina *t.* 2. *disp.* 368. *§. in eodem Corollario*, cui assentitur Sanchez *l.* 1 *cons. c.* 7. *d.* 21. alique, quos sequitur, citátque Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *miscel. res.* 139. quibus adde Sperellum, *p.* 2. *disp.* 118.) quia cùm venditor fundum liberè tibi tradat, cùm tradere non obligetur, nisi quando tu solveris pretium, iustum est ut emptor hoc beneficium, quod valde est æstimabile, pretio recompenset, dando venditori fructus, quos ipse percepisset. Ratio est (inquit de Lugo *tom.* 2. *iust. d.* 25. *sect.* 8. *num.* 140. cui præcedens non arridet) quia venditor, utpotè cui nondum solvitur rei suæ pretium, potest nolle dare emptori totum, absolutúmque rei dominium: atque adeò potest nolle dare ius percipiendi fructus seu dominium utile, quamvis det rei proprietatem: si ergo fructus sibi reservat, eos prout multi, vel pauci producentur, tanquam suos iure suo accipiet, non verò tanquam rem emptoris, nec in compensationem beneficij

beneficij facti, vel pretij nondum soluti. Hos deinde fructus posset Dominus eidem emptori locare pro tanta pensione annua, quam solvet deinceps emptor, & quia aliquo anno uberiores solent esse fructus, aliquo steriliores, posset iudicio prudentis determinati medium quoddam pretium annuatim certò solvendum, quod pactum iustum erit, quia est par periculum pro venditori, & pro emptore; Annus enim sterilis favebit venditore, annus ferax emptori, &c. Confirmo, nam sicut per censum Bullarem, ut vidimus *sup.* §. 4. *à num.* 32. in Sicilia venditus fructus prædij alicuius, unde super illud prædium deinceps mihi pensio solvitur: sic nunc fructus mihi servo, non tibi vendo, &c. Probabilis est ergo hæc secunda sententia, sive ex ratione adducta à Molina, sive ex ea, quam de Lugo produxit.

*Contractus* (à godere.)

16. Non erit inutile per hanc occasionem, & illum similem contractum breviter excutere.

Antonius dat tibi aureos, v.g. mille, tu illi prædium, vel domum æqui valentia, fruitur quisque datis, donec alteruter reddat acceptum; nam tunc alter, quod accepit reddere obligabitur. Ratio, cur hic contractus (qui ideo appellatur *à godere*, quia alter re alterius gaudet, sine translatione dominij in accipientē, unde danti fundus periret, si periret.) Ratio, inquam, cur videatur iniustus, est, quia pecunia est infructifera, prædium ex se fructiferum: ergo qui gaudet prædio, fruitur insuper & fructibus, quibus non gaudet, qui solam habet pecuniam quæ ex se sterilis est: Si Antonius tibi daret fruendam domum locabilem, tu verò illi prædium æqualium fructuum, non esset dubium de Iustitia: fructus enim compensarentur fructibus: nunc verò, cùm, quod tu accipis, sit infructiferum, quod verò tradis, fructus afferat, clara videtur iniustitia.

17. Nihilominus inde puto, posse te excusari ab usuta, quia fructus illos accipis ratione lucri cessantis. Ita Azor. *p. 3. lib. 9. cap.* 20. lege etiam Bonac. *d. 3. de contract. quæst. 2. par. 7.* §. 1. *num.* 7. Filliuc. *t. 36. cap. 5. num.* 90. nam illos aureos mille tu poteras negotiis exponere, atque adeò illis aliquid modò magnum, modò parvum lucrari; Potes igitur in eius compensationem accipere fructus prædij, lucro illi incerto ad prudentis arbitrium æquales. Nisi ex hoc capite iustifices hunc contractum prædicto modo explicatum, fur eris, vel usurarius, non enim video, qua alia ratione (quicquid alij dicant) defendi ab iniustitia possis. Ita de Lugo *tom. 2. de iust. disp.* 25. *sect. 8. num.* 136.

18. Dixi (prædicto modo explicatum) nam si Antonius à te illâ pecuniâ prædium emat, cum pacto, ut retrovendere illud tibi teneatur, quando tu reddes pecuniam (quomodo ipsi accipienti prædium periret, si periret, non tibi) iustus, sed alius à prædicto erit, de quo, & de eius conditionibus etiam pluribus *infr.* §. 8. *à num.* 7.

## §. VII. *De emptione anticipata.*

1. VT certum præmitto minoris rem emere te non posse ex eo capite, quod anticipatò rem emis, nunc dans pretium, vel partem pretij, recepturus postea rem ipsam emptam. Ita Molin. *t. 2. d. 358.* Less. *l. 2. cap. 21. d. 7.* Ratio est, quia iustum pretium rerum est illud, quo res valent tempore traditionis, vt in simili dictum est *supra*, ubi *de venditione frumenti ad pretium Maij.* Et item hæc species tacitæ usuræ, si enim nunc das centum pro equo, tibi consignando hinc ad annum, quando valebit centum, & decem, est perinde, ac si nunc dares centum, recepturus post annum, centum, & decem; quæ est clara usura.

Dixi (per se) nam si interveniat lucrum cessans, damnum emergens: periculum non habendi rem emptam vel non habendi finceram, vel quid simile, servatis quæ in simili diximus *sup. n.* .. poterit aliquid propter hoc, ultra accipi.

2. Dubium ergo est, quo modo abstrahendo a damno cessante, damno emergente, & dictis periculis constituendum sit iustum pretium in mercibus, quæ anticipatò emuntur. Respondeo, tribus modis. Primo, ut nunc determinetur certum illud pretium, quod probabile erit fore tempore consignationis vel traditionis, & in hoc casu etiamsi consignationis tempore multò pluris valeat, vel multò minoris, in pretio non determinato standum est, quia par fortuna, & par periculum in conventione periculum. Ita Molin. *d. 358. num.* 3. Sylvest. Salas *dub.* 39. aliique, quibus adde Bonac. à S. Fausto *in speculo, d. 6. quæst.* 42. Quando autem modi probabilitas futuri pretij haberi nō potest, potest etiam constitui certum pretium prudentis arbitrio, non ad mentem vendentis voluntatem; nam simili modo erit par periculum, & veluti ludus fortunæ.

3. Secundò, potest reiici constitutio pretij ad tempus quo merx est consignanda: potest enim fieri convenire ut pretium illud detur, quod curret frequentiùs eo tempore, quo consignabitur, vel si ea frequentia cessaret, pretij tunc non fuerit, ut detur pretium medium, vel simili paulò *superius* dictum est, *num.* 12.

4. Tertiò, potest conuenire, ut illud pretium detur quo Magistratus, tempore consignationis, vel paulò post, taxabit, quando id solet à Magistratu in aliquibus locis, ut in Sicilia fieri *mox à num.* 9. diximus. Etsi nè hæc determinatio cùm fiat ab expertis, & ab iisdem bonis Reip. providere incumbit, iusta esse, tamen clarius contrarium constet, semper est præsumenda.

Iuxta prædicta debet intelligi, quod his verbis dicit Caramuël, lib. 2. theol. moral. d. 14. num. 745. *Contractus emptorius licitus est: Do tibi mille aureos, vendos messis tempore in tritico; vel, Primo, tali pretio, Secundo, pretio currenti tunc; vel, Tertiò pretio currenti modo.* Hæc ille. Sanè in primo debet servari, quod modò dixi *num.* 2. in secundo, quod dixi *num.* 3. & 4. in tertio debet adesse lucrum cessans, vel damnum emergens, secùs est vsura, si ex hoc capite anticipatæ emptionis minori pretio triticum emas, dixi *n.* 1.

5. Quid, si contractus non sit emptorius, sed mutuum, licitúsne erit? Id enim hac occasione non operæ pretium est. Mutuum autem foret, si his duobus modis iniretur contractus: *Do tibi mutuo certum summam dos tempore messis in pecunia, vel si mavis in tritico, tali aliquo pretio*, ex dictis n. 2. 3. & 4. Vel: *Do tibi certum mutuo solvendos tempore messis omnino in tritico, pretio aliquo iusto*, ex *ibid.* dictis.

Respondeo primò: priorem contractum absolutè esse licitum: Mutuatario enim fit duplex favor, & conceditur pecunia fruenda usque ad tempus messis, & in tempore statim inveniet emptorem sui frumenti ipsum Mutuantem. Respondeo, rursus posteriorem contractum esse etiam absolutè licitum: quia si mutuatarius habet gravamen dandi frumentum, omnino mutuans subit gravamen non valendi petere suam pecuniam usque ad messis tempus, quod esse pretio æstimabile dicetur *inferius*. Adde tum periculum, tum difficultatem exigendi, & similia dicta §. 6. *n.* 3. quæ sunt gravamina mutuantis.

Quidam vendidit suas merces dilata solutione, hoc inito pacto: *Do tibi has merces nunc hyeme, sed solvendas pretio currenti tempore æstatis, si tunc pluris valebunt, quàm nunc, nam si valebunt minoris, solvere debebis pretio nunc currenti.* Quis autem iniustitiam huius pacti non videt, cùm in illo venditoris, & emptoris non sit æqua conditio? Ita Sylvest. *v. Vsura* 2. *q.* 5.

*Lanæ, & similia anticipatò empta.*

6. Ex dictis solves quæstionem vulgarem de lanis in Hispania, de frumento, vino, casco, leguminibus, serico, frondibus arboris mori ad alendos Bombices necessariis

cessariis, & aliis similibus in Sicilia; & denique de mercibus in locis aliis. Alicubi enim est consuetudo, ut hæc anticipatò emantur multò minori pretio, quam valent tempore traditionis, v.g. frumenti mensis valet mense Augusti quatuor aureis, & tamen emitur aliquando, antea, v.g. mense eiusdem anni Ianuarij duobus, vel duobus aureis. Pari modo, quando post sex menses, v.g. in Hispaniam advenêt onerariæ lanis plenæ, valebunt cæ in Portu quatuor, nunc tamen emuntur tribus, vel duobus aureis, &c. Quæritur ergo, an hæc emptio ut iniusta, probanda, an approbanda sit iniusta. Statuamus de lanis, mox de cæteris.

Aliqui approbant, ut Molin. *tom.* 2 *d.* 360. Less. *loc. cit.* n. 61. Fagund. *lib.* 5 *de contr. c.* 33. Sanch. *mox.* citand. alique. Aliqui reprobant, ut Nau. Med. aliique apud eos citat. & alij apud Sanch. *lib.* 1. *cons. c.* 2. *disp.* 15. & 16. utique probabiliter. Reprobant enim hi, quia in emptionibus huius generis non agnoscunt titulum, quo lanæ, quæ erunt magni valoris hinc ad sex menses, tradantur, emi nunc possint minoris. Appendo consignabuntur, emi nunc possint minoris. Approbant illi, quia inveniunt iustum titulum.

Sed amabo te, quisnam hic tandem est? Respondent primò quia si non emerentur tunc anticipatò hæ lanæ, venditores non venderent easdem hinc ad sex menses plutis, quam nunc: si enim nihil, vel parum ex dictis mercibus antea fuit venditum, certè postea tempore tradditionis, tanta esset copia lanarum vendendarum, ut deficeret pretium. Si ergo tunc parvo pretio valituræ sint merces, iniquum tunc non erit, eodem parvo pretio emere. Hæc ratio mihi nequaquam sedet, quia res non valet, quanti æstimaretur, sed quanti de facto absolutè æstimatur; & certe omnes supponimus de facto posita rem pluris æstimandam, & pluris valituram, ut modò in propositione quæstionis dictum est.

Secundò ergo respondent, quia Venditores, nunc possim eas offerunt vendendas, ut sic habeant nunc pretium, vel partem eius ad sua debita solvenda, eaque ad emendas, parandásque res sibi necessarias.

7. Hæc ratio, si bene explicetur, mihi arridet non parum: etenim propter commoda, quæ ex his dilatis consignationibus Venditori proveniunt, libentiùs vendunt homines, quam cum consignatione necessariò præsenti, unde multiplicantur Venditores, & mercis valor consequenter diminuitur. Non ergo emit quis anticipatò merces viliori pretio, ob dilationem rei tradendæ, sic enim per se esset usura implicita, ut modò §. 7. *n.* 2. dictum est, nec ob commoditatem Venditoris, sed propter vilitatem mercis, quæ vilitas nascitur occasionaliter ex commoditate, quam affert præsens pecunia cum merces dilata consignatione, frequentes venditores afferendo. Ex hac eadem ratione, fit, ut Venditores rogent propter prædictas suas necessitates, emptores, ut emant anticipatò, at merces vltroneæ vilescunt. Adde difficultates, & pericula, quæ non rarò adsunt, & meritò timentur, nè suo tempore res consignetur, vel ne sincera; quæ omnia diminuere pretium nemo negat.

Illud advertes, ut non ad meram ementis voluntatem, sed, omnibus expensis, prudentis arbitrio, iuxta dicta *à n.* 1. pretium decernatur, secùs erit merum furtum.

Hæc, quoad lanas: Quoad cæteras, merces, idem dicendum est, quia eædem in illis rationes militant. Solùm nonnulli apud de Lug. *t.* 2 *de iust. d.* 26. *sect.* 8 *n.* 121. contendunt, easdem quidem rationes inveniri in aliis mercibus, sed in frumenti venditione non inveniri; quare putant iniustè minoris anticipatò illud vendi, sed immerito, nam etiam in venditione anticipata frumenti adsunt plures venditores, ultroneæ merces, pericula, & difficultates, &c. In Sicilia adesse quandam legem municipalem, quoad aliquas eiusmodi anticipatas venditiones, fatemur, sed de illa mox fusè *à n.* 16.

8. Advertes denique sive multum temporis, sive parum intercedat inter contractum dictæ emptionis, & inter consignationem faciendam, semper debere esse constans idem pretium prudentis arbitrio, ut dixmus, constitutum; nec potest, quando intercedit multum temporis, aliquid plus accipi. Ita idem *ibid. n.* 122. Ratio est, quia tunc clarè illud plus acciperetur ob solam dilationem temporis, quæ est ipsamet usura. Exemplo rem clarius intelliges: Antonius emit mense Ianuarij lanam, vel frumentum consignandum mense Augusti; at Cæsar emit mense Maij eiusdem anni eandem lanam, vel frumentum consignandum eodem mense Augusti. Dico idem debere esse pretium pro utraque emptione; Ratio est iam dicta, quia si Antonius acciperet plus, quam Cæsar, ob dilationem temporis acciperet, quod est usurarium, cùm alium titulum non adesse supponamus: & ex alia parte eadem merx eodem pretio valet eodem illo tempore Augusti.

*De contractu emptionis frumenti, celebrato inter Massarium, & Mercatorem, anticipato pretio, in Sicilia, & Apulia passim usurpato.*

9. Massarium appellamus, cum, qui à suis segetibus frumentum expectat, & ad huius similitudinem, etiam eos omnes, qui vinum, legumina, lina, sericum, & similes fructus collecturi sunt. Quoniam autem hi tempore hyemis pecunia ad colendos agros indigent, eas à Mercatoribus, vel aliis accipiunt, vendendo iisdem res prædictas suo tempore colligendas, eodemque tempore consignandas; & quidem ante multos annos ipsi contrahentes cõveniebant de pretio iuxta ea, quæ paulo ante *à num.* 2. dicta sunt: sed quoniam plures hinc exoriebantur fraudes, lata fuit lex, quæ cavit, ne arbitratu contrahentium eiusmodi pretium decerneretur, sed emptiones eiusmodi fierent eo pretio seu taxa (quam Metam appellamus) quæ post fructuum collectionem) à publico Magistratu statueretur; esto, possent ementes numerare Massariis anticipatò pecuniam in computum. Hæc meta solet statui aliquantò minor, quàm sit pretium currens tempore messis, vel certè statuitur iuxta pretium infimum, quod currit eo tempore. Id, quod fit in favorem eorum, qui anticipatò pecuniam, vel alias res dederunt in computum Massario: nam propterea, qui hac negotiatione utitur, dicitur acquirere lucrum metæ. Non nego in favorem aliquando Massariorum, ne ij propter multas eo anno expensas, in colligendis frumentis factas, vel propter quid simile, plus æquo aggraventur, Metam non adeò minorem, ut dictum est constitui, cum Mercatoribus tunc satis provisum iudicetur, si illo lucro potiantur, quod dicam mox *num.* 12. *fine*.

10. Pragmatica Regni Sicil. *tom.* 1. *titul.* 61. *pag.* 4. in Latinum translata, hoc vertè modò se habet: *Cùm plerique suæ conscientiæ rationem nequaquam habentes, emant certo pretio, vel pretio quod curret quibusdam mensibus, seu diebus inter ipsos emptores, venditoréque constitutis, frumentum, legumina, vinum caseum, sericum, &c. dantes ante tempus, hoc est, antequam dicti fructus ad maturitatem pervenerint, pecuniam Massariis, qui cum magno detrimento se obligant tot determinatas earum rerum mensuras suo tempore daturos, secùs promittunt, se soluturos pretium maius earundem rerum, quod illo anno exurget: Ideo præcipimus, ne quis vendere, & emere prædicta, sed quovis præxtextu præsumat anticipato pretio, nisi per contractum Massarij ad Mercatorem; hoc scilicet modo, ut constituatur à qualibet Communitate post fructuum collectionem meta, & iuxta hanc metam, & non alio modo emptiones, venditoréque expediant contractus de eiusmodi distractione fructuum celebratos, &c.* Prosequitur deinde Pragmatica modum statuendi prædictam metam, quam hic reseribere necesse non est. Recolenda item hic est Pragmatica 6. *loco citato*, quæ propter nonnulla incommoda, quæ sequebantur, excepit oleum ab hoc modo vendendi ad metam, iubétque pretio currenti debere illud omnino vendi, nullâ expectatâ futurâ taxâ, vel futurâ pretij determinatione.

11. Formula

11. Formula autem huius contractus Massarij ad Mercatorem, in hunc ferè modum vulgò celebrari solet in Sicilia: *Titius nunc mense, verbi gratiâ, Ianuario vendit Caio mensuras sexaginta frumenti, vel vini, hordei, &c. quas idem Titius se obligat consignaturum eidem Caio tali determinato die (pone exempli gratiâ, decimo quinto Augusti) Ni consignet, se obligat ad resarcienda omnia, & singula damna, expensásque ad maius pretium, hoc est, se obligat soluturum, quanti dicta frumenta valebunt à tempore moræ in antea in toto anno sequenti. Atque id pro pretio, quod erit, iuxta metam frumenti per Officiales solitos statuendam. Prædictus autem Titius fatetur, de prædicto pretio, se habuisse à Caio uncias nonaginta, hac communi conventione, ut promulgatâ metâ, consignatisque suo die frumentis, qui supplere debebit, suppleat alteri in frumento, vel in pecunia (intellige respectivè, hoc est, Massarius in frumento, emptor in pecunia:)* Hactenus Formula. Aliquando ponitur in Massarij favorem, ut ipse supplere, quod debet, possit, vel in frumento, vel in pecunia.

12. His explicatis, certum sit eiusmodi contractum absolutè, nisi aliqua inficiatur circumstantia extrinseca, licitum esse. Ita Diana *part. 1. tract. 8. resolut. 16.* Ratio est, tum quia non est præsumendum prædictam Pragmaticam maturo latam consilio esse iniustam tum quia hic cùm sit contractus venditionis, & emptionis sub legitimo pretio, déque rebus vulgò venalibus, non apparet, unde iniustus ex se censendus sit. Nam quamvis Mercator soleat aliquid per huiusmodi emptionem lucrari: lucratur tamen iustè, quia emit frumentum illo determinato pretio metæ, quod communiter est minus, quàm sit illud, quo Mercator in sequenti hyeme deinde revendet. Emere autem minoris, ut cariore pretio vendas, illicitum non est.

13. Illud hîc video inquiri posse, An adhuc liceat, Siculo more aliorum hunc contractum celebrare independenter à meta, hoc est, determinato pretio, quod erit communiter tempore consignationis, vel alio modo ex dictis §. 7. *à num.* 2. Cui quæsito respondeo, præcisis omnibus fraudibus, in conscientia licere: nam quamvis obstet prædicta lex, in qua vocantur etiam Rei, Notarij suam operam locantes contrahentibus aliter, quàm ex dicta Pragmatica; tamen quia lex tota fundatur in præsumptione fraudum, & usuratum: videtur illa ex Dian. *p. 3. tract. 5. res. 115.* solùm esse pro foro externo, id enim ostendunt ea verba Pragmaticæ *(sua conscientia rationem non habentes)* & illa *(nullo prætextu præsumant)* &c.

### *An Massarius possit cogi ad dandum frumentum?*

14 Iam verò multæ sunt circa prædicta practicæ difficultates enodandæ. Prima Difficultas: Si consignare frumentum (idem hîc, & in consequentibus difficultatibus intellige de cæteris fructibus) nollet suo die Massarius, sed pretium dare vellet, possétne Mercator hoc recusare, & illum cogere ad frumentum promissum consignandum? Respondeo posse, quia Massarius frumentum vendidit, imò tametsi in contractu illa fuisset scripta Clausula (*Massarius solvet in frumento, vel pecunia*) adhuc is obligatur primo loco ad frumentum, posito enim, quòd hic contractus sit mera frumenti vendito (secùs esset purum mutuum, unde illicitum lucrum meræ extorqueretur) sensus illius clausulæ est, ut solvatur pretium in eo casu, quo frumentum omnino desit.

15. Quando autem Massarius pretium frumenti dat (id, quod consentiente Mercatore fieri persæpè soleat, non verò cogente, quia Mercator non habet Ius, nisi ad rem sibi venditam, hoc est ad frumentum) quando, inquam, dabit pretium, dabítne illud, quod vulgariter currit tempore collectionis, quo tempore frumentum erat consignandum, an aliud, quod erit per metam? Respondeo, debere dari vulgariter currens in maiori parte temporis collectionis, quamvis aliquanto cariora soleat esse, quàm quod ponitur per metam. Ratio quia si Mercator habuisset frumentum sibi promissum illud tali pretio vulgari vendere potuisset: poterit ille à Massario exigere quantum sibi frumentum vendere eo tempore, quo culpa suâ Massarius non consignavit, hoc enim vocatur, & est lucrum præcipuum meræ, quod lucrari potissimùm intendunt Mercatores, cùm ergo sibi valuisset pretium currens tempore collectionis, hoc fine iniustitia exigere poterit.

### *An rescindi possit hic contractus?*

16. Secunda Difficultas: Inito prædicto contractu inter Massarium, & Mercatorem multò ante collectionem frumenti, verbi gratiâ, mense Ianuarij, data aliqua pretij parte, potéstne intermedio tempore ante dictam collectionem, verbi gratiâ, mense Maij Mercator recuperare suam pecuniam à Massario: & rescindere contractum, atque ob eius rescissionem aliquid lucri ab eodem Massario exigere? Respondeo, id debere resolvi inter alia aliorum contractuum rescissiones, ut nimirùm ille aliquis solvat, in cuius gratiam suo Iuri cedit alter: (contra immerito videtur esse in simili Azor. *p. 3. lib. 10. cap. 1. de cambiis, quæst. 3.*) Quare si in casu nostro rescindat, Mercatore petente, & in eius gratiam, nihil poterit Mercator exigere, imò debebit Massario aliquid prudentis arbitrio tradere, iuxta id, quod valet eius cessio. Quòd si fiat, petente Massario, & in eiusdem gratiam, poterit Mercator aliquid sumere, imò, & damnum, vel lucrum exigere, si quod illi, iuxta regulas generales traditas, emerigit, vel cessat: quia tanti valet ipsi sui iuris cessio. Si denique fiat in utriusque gratiam, nihil poterit lucri ab alterutro exigi, quia utrinque beneficium compensatur.

### *Augmentum frumenti cuius est?*

17. Tertia Difficultas: Augmetum, quod solet accere frumentum in horreo, cuius est, Massarij, an Mercatoris? Respondeo, eiusmodi augmentum à die collectionis eius, usque ad diem præfixum in contractu est massarij, postea erit mercatoris. Ratio est quia illo die præfixo, quod debet fieri, seu fit consignatio, frumentum transit in dominium mercatoris, (esto, meta & rationum computatio facienda sit postea) antea verò est in dominio Massarij. Cùm ergo res pro Domino crescat, ante illum diem frumentum crescet pro Massario; post illum pro mercatore. Quòd si mercator, quando rationabiliter timet, ne Massarius distrahat aliò frumentum, sibi illud etiam authoritate Iudicis, sumat (quod ei ad securitatem suam tunc licite conceditur) servare debebit pro Massario augmentum, quod, iudicio prudentis, deductis expensis, æstimatur esse à die, quo illud sumit, usque ad diem præfixum in contractu: quia hoc Massarij est, ut diximus, non mercatoris.

### *An possit statui certa quantitas frumenti?*

18. Quarta Difficultas: Liciténe celebratur hic contractus, determinando mensuras fructuum consignandas? Id enim videtur reprehendere lex allata *num.* 10. Respondeo, illicitè celebrari putant nonnulli propter prædictam legem; Adde, quia possent determinari, v. g. mille mensuræ, & solum anticipatò dari decem, vel viginti aurei, prætextu pacti, quo, qui deinde debet supplere, supplebit, quod profectò vertetur in Massarij damnum, qui non rarò cogetur, in anno præsertim sterili, frumentum quærere tempore præfixo, ut promissas mensuras adæquet. Verum, quamvis eas non determinare tutius sit, tamen si sine fraude determinentur tot mensuræ, quot prudenti iudicio videbuntur adæquare pretium Massario numeratum: non video, unde iniustitia committatur. Quod si Massarius numeratum

meretur pauca aliqua pecuniæ quantitas, solùm in tantum futuri pretij, quid erit iniustitiæ, si ipse cõsentiat pretij dilationem? esto, aliquando mercator peccet contra Charitatem, si inde valde Massarius depauperatus sit. Ad legem responderi posset, eam fundari in præsumptione fraudum: si igitur fiat sine fallacijs coram Deo, non peccabitur.

*An Mercatori liceat pignus accipere?*

19. Quinta Difficultas: Liceátne mercatori in suam securitatem pignus item præter contractum à Massariis exposcere? Respondeo licere: quilibet enim Ius habet negotiandi circa rem suam maiore cautionę, quâ potest. Lege Azor. 3. *lib.* 10. *de cambiis. c.* 11. *q.* 11.

*An qui Massarius non est, uti hoc contractu queat?*

20. Sexta Difficultas: Is, qui Massarius non est, potestne sine culpa similem contractum venditionis inire cum mercatore, vel etiam cum eo, qui mercator non est? Respondeo tribus dictis.

21. Dictum primum: Qui pecuniam accipit à mercatore, vel alio carens intentione vendendi frumentum, cùm segetes non habeat, nec aliâ viâ, v. g. emptione, frumentum habere sperat, celebrat contractum illicitum, & periurum. Ratio est, quia simulat vendere, cùm re ipsa nil vendat.

22. Inquires: Mercator in hoc casu accipiendo suo tempore lucrum metæ, peccabítne contra Iustitiam, an solùm contra Charitatem dumtaxat, atque adeò sine obligatione restitutionis? Respondeo, solùm peccaturum contra Charitatem senserunt (si vera sunt, quæ à Patribus me antiquioribus accepi) omnes ferè Siculi Theologi Societatis nostræ, de hoc interrogati, & consulti à P. Ludovico Masselli ea tempestate Provinciali: attulerunque rationem, quia, qui vendit frumentum, cogitans, & spetans illud non dare, licèt periurus sit, tamen ex vi eiusmodi venditionis habet libertatem, ut si frumentum dare velit, possit; non ergo, quando Massarius accipit pecuniam à mercatore, mutuò illam accipit, & consequenter mercator acquirens lucrum metæ, non acquirit ex puro mutuo.

23. Verùm, animus nulla ratione huic sententiæ acquiescit, siquidem esto, usura non adsit propter dictam libertatem, aderit furtum contra Iustitiam, quia sine titulo mercator metæ lucrum acquiret; Titulus enim non alius erat, ut hìc supponimus, nisi emptio frumenti: Cùm hìc ergo emptio nulla sit, nullus erit & titulus. Excusti mercator boves emens à rustico, qui eos non habet, & deinde eidem eosdem locans pro certo pretio, ideo ex Fagund. *lib.* 5. *de contr. c.* 34. *n.* 9. damnatur de furto, quia nulla ibi intervenit emptio, sed fingitur, ita in casu nostro.

24. Quid, si mercator intendat emere frumentum, venditor autem vendere non intendat? Respondeo, cùm venditio, & emptio communi consensu perficiatur, vetus cõtractus hic nõ aderit: Quare nisi mercator curet, ut alter mutet animum, velítque frumentum vendere, lucrum metæ habere non potest. Excipe, nisi Massarius fingendo venditionem mercatorem decipiat: tunc enim Massarius mercatori lucrum metæ compensare debebit: nam, ut diximus *sup. lib.* 3. *cap.* 3 §. 2. qui est *de iuramento dolosо*, qui in contractibus socium decipit, totum lucrum decepto resarcire debet, multò magis, si mercator pecuniam ficto illi traditam alteri non ficto tradidisset.

25. Quid contrà, si Massarius velit vendere frumentum, sed illud emere non intendat mercator? Respondeo, tunc lucrum metæ mercator exigere non poterit, quia nulla est tunc emptio, quæ sola, ut hìc supponimus, lucri acquirendi titulum afferebat.

26. Dictum secundum: Si is, qui Massarius non est, licèt segete careat, tamen, vel sperat, vel saltem potest per emptionem, verbi gratiâ, frumentum habere, unde contrahat cum vero animo illud vendendi, licitè, & iustè se gerit. Ita Diana, *part.* 3. *tract.* 8. *resol.* 16. Ratio est, quia cuiuslibet ius est vendendi id, quod certò sperat se habiturum: lege Molinam *tom.* 2. *d.* 359. *fin.* & Aragon. *quæst.* 77. *art.* 7.

27. Dictum tertium: Qui Massarius non est, quique non est mercator, si ita contrahant, ut ad nihil attendant, an scilicet possit, an non possit haberi frumentum suo termino consignandum, contrahunt nihilominus animo faciendi, quod alios communiter facere vident cum suo lucro, de iniustitia non sunt reprehendendi. Ita Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 16 citans aliquos Theol. Soc Iesu ab ipso consultos. Ratio est, quia hi bona fide, & tacitè, in eo animo, habent implicitam intentionem vendendi, & emendi frumentum, id enim est velle facere, quòd alij communiter faciunt.

*Quid debeat Massarius morosus?*

28. Septima difficultas: Si statuta die venditor frumentum consignare, vel pretium reddere negligat, ad quid ultra tenetur, præter ipsum frumentum, vel eius vulgare pretium? Videtur enim teneri ad solvendum mercatori pretium summum, quod fortè curret in toto anno sequenti, quia ita in contractu, ut vidimus *num.* 11. conventum est. Respondeo ad id non teneri, cùm solùm tenetur iuxta pretium tunc vulgariter currens, ut ex dictis *numero* 15. constat. Ratio est, quia ex nullo iusto titulo potest dictum pretium summum exposci. Discurre per quatuor titulos, qui solent assignari. Primus est ipse contractus venditionis, & emptionis. At hic perfectus fuit sub pretio, seu, ut loquimur, sub lucro metæ: quo modo ergo ratione illius contractus extorqueri potest pretium summum, quod fortè futurum erit? Secundus est ipsum mercatoris officium. At *suprà* vidimus, huius rationem iam habitam fuisse in imponendo pretio, seu meta. Tertius ratione damni emergentis, vel lucri cessantis: At licèt concedam, id deberi; posito, quòd mercator frumentum servasset, & verè summo pretio vendidisset iuxta conditiones supra dictas, & dicendas *inferiùs*, *cùm de usura*; tamen incertum est, cum summo pretio venditurum (quando adest hæc intertitudo, non posse certum pretium summum à mercatore exigi, docent, in simili Lessius; Azor. Molin. Salon. Bonacina, aliíque citati à Diana, *loc. cit. resol.* 17. esto, posse videatur concedi à Vasquez, apud eundem Dianam *ibid.*) Præterea, rarissimè sic vendet, & nos hìc loquimur universaliter, & ex vi contractus, an debeatur illud summum pretium: non verò ex extrinseco damno alicuius particularis mercatoris. Quartus denique titulus esse potest ipsum pactum, seu pœna conventionalis in contractu apposita, ut vidimus *num.* 11. atque hic est titulus, quem magis apparenter hìc adesse non nemo contendit. Adhuc tamen facilè respondeo: nam hæ pœnæ conventionales in hoc Regno prohibentur, exceptis quibusdam, quas vide apud Mutam, *in comment. secund. consuetud. Senatus Panormi*, *cap.* 13. Adde primò irrationabilem esse pœnam adeò indeterminatam (putà ad maius pretium, quod esse poterit) posset enim esse admodum improportionata ad delictum, ergo est omnino iniusta. Adde secundò, esse valdè probabile, ante Iudicis sententiam non teneri quempiam ad has pœnas conventionales solvendas, ut habet idem Muta, *ibid.* §. *ult.* Sanchez, *lib.* 1. *de matrim. disp.* 37. *num.* 4. Vasquez. *part.* 2. *tract.* 2. *disp.* 173. *cap.* 1. vide Dian. *tom.* 2. *tract.* 8. *res.* 29. nisi si quis soluturum ante sententiam expressis verbis se obligaverit, ut notavit Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 3. legatur Dicastill. *lid* 2. *de iustit. tr.* 10. *d.* 2. *dub.* 12. *n.* 275. ergo saltem ante sententiam Iudicis liberit Massarius.

29. Urges: Cur ergo permittuntur eæ pœnæ poni de pacto in hoc contractu? Respondeo, quia eiusmodi pactum,

pactum sensum habere potest bonum, ut scilicet intelligatur tunc deberi à Massario maiorem valorem, quando, quia Mercator servasset, atque vendidisset alio tempore, tantum damni (deductis expensis) ex dicti Massarij mora dictus Mercator passus esset.

30. Quòd si quæras, cur hæ pœnæ absolutè prohibentur in Sicilia; Respondeo, propter præsumptionem multarum fraudum, & ne per immoderatas pœnas vexentur plus nimio contrahentes. Nam cæterùm pœnæ conventionales, quando sub legitimis conditionibus fiunt ad securitatem mutui, vel rei emptæ, damnandæ ex se non sunt, ut nobiles Authores docent, Molin. d. 317. Less. l. 2 c. 20. d. 15. Med. quæst. 3. Dicastill. l. 2. tract. 10. d. 2. num. 258. Castro Pal. de iust. comm. disp. 4. p. 16. de pœna conventionali. Vide plura apud Sperel. p. 2. dec. 131. Conditiones autem sunt hæ. Prima, ut pœna non imponatur in fraudem vsuræ, sed ut creditor suum tutò habere queat: esto, desideret moram debitoris, ut per accidens ipse creditor lucrum inde ferat. Secunda, ut sit moderata, habita ratione rei restituendæ, & culpæ debitoris. Tertia, ut debitor fuerit in notabili mora culpabiliter; sine culpa enim nemo est in conscientia ad pœnam ullam condemnandus. Differre solutionem per 20. dies, communiter non esse notabilem moram, notant meritò nonnulli. Quarta, ut si partialiter sit satisfactum, remittatur & pœnæ pars. Quinta, ut nisi aliud exprimatur, non urgeat obligatio in conscientia, nisi post sententiam Iudicis, ut ex probabili sententia modò notavimus.

### *An renovari idem Contractus possit?*

31. Difficultas octava: Si Massarius, seu frumenti venditor tempore præfixo ad solutionem, neque frumentum habeat, neque pretium, quo Mercator valeat satisfacere, potestne iterum contrahere cum eodem Mercatore, & eidem vendere frumentum consignandum in sequentis anni recollectione, eundémque contractum toties renovare, quoties ipse Massarius solvendo non est; Rursus lucrum potèstne adiici sorti? hoc est potestne pro frumento; quod nunc insecundo contractu emo, assignare pro pretio totam illam pecuniam, quam mihi debet Massarius, ex vi prioris contractus, in quo includitur lucrum metæ; Respondeo vtrumque licitè posse. Ratio prioris est, quia si primus contractus fuit iustus, erit & secundus, & tertius, & cæteri. Ratio posterioris est, quia sicuti debitor debet mihi sortem, sic & debet lucrum metæ: ergo, sicuti cum sorte possum mihi emere frumentum, sic, & potero cum lucro metæ, lucrum metæ dico, non verò pecuniam debitam ex pœna, nec ex eiusdem pœnæ interesse, quia pœna non debetur, nisi accedente Iudicis sententia, ut dictum est. Lege Molfes. *in summa, tom. 2. tractat. 12. cap. 23. num. 37.*

## §. VII I. *De quibusdam modis contractus emptionis, & venditionis.*

### *An creditum, seu chirographum, possit minoris emi numerata, seu anticipata pecunia.*

1. SI eiusmodi creditum, sive maturum, sive immaturum sit difficile, periculosum, litigiosum, vel cum expensis exigendum, licitè posse minoris emi, certum est iuxta proportionem talium difficultatum; imò etiam iuxta temporis longitudinem, quia quò hæc productior est, eò plura pericula timentur, & eò magis rogaris. Ita Molin. d. 361. Less. lib. 2 cap. 21. dist. 8. Salas *de empt. & vend. d. 39. & tr. de vsuris, dub. 27.* legatur Dicast. l. 2. *de iust. tract. 10 d. 2. dub. 20.* Ratio ulterior est, quia prædicta minuunt secundùm communem æstimationem rerum pretia. Quare si Princeps, v.g. Petro det Leat mille, quæ Petrus difficulter posset exigere, tu verò, propter amicitiam, vel industriam facillimè possis licitè emis minoris, etiamsi ea recuperaturus sis in tuo commodo, quia verè emis, quanti cum tanta facultate creditum illud ex communi æstimatione valet, nec tua amicitia cum Rege tibi nocere debet, ut certè noceret, si alij possent, tu nequires tanto emere.

Quòd si tuum creditum est apud eum, qui solvere non est, vendere illud non potes. Ita Batthol. à S. Fausto *in speculo Conf. disp. 6. quæst. 34.* quia id moraliter est vendibile, cùm nullam habeat æstimabilitatem intrinsecè.

2. Quando nulla est difficultas, nec periculum, nec in exigendo, ut solet accidere in certis, tutisque chirographis, seu apodixis, licet tutius sit minoris non emere; Probabile tamen (contra Molin. *d. 361. cit. Less. cit. num. 21.* sed cum Fagund. *lib. 5. de contr. cap. 16. n. 2.* dicente, id esse probabile, Laym. *lib. 3. sect. 14. tract. 4.* aliisque, quibus addatur ipse Less. *num. 65.* qui ibidem fatetur, hanc esse probabilem, eamque docuisse Salarm. Lovanij, & Dicastill. *lib. 2. de iust. tract. 10. disp. 2. num. 414.* eandem probabilem exstimantem) est, licitè item posse. Ratio est, quia iura, seu credita communi æstimatione minùs æstimantur, quàm æstimetur ipsa pecunia numerata; & meritò: nam illa toto tempore quo non solvuntur, sunt intrinsecè inutilia. Adde, nonnunquam nummos ultroneas vtiescere saltem pro tertia parte: at communiter hommies rogantur emere eiusmodi creditum. Denique hîc est periculum usuræ ex virtuali mutuo, quod hæc est vera venditio, & emptio illius aliquantulum inutilis iuris. Potiùs est timendum, ne adsit periculum furti, quòd certè erit cavendum, ut si valde minoris pretio, sine titulo, emas. Si enim creditum mille aureorum, v. g. sit tam facile, & tutum, ut post vnum, vel alterum diem exigas, poteris tribus, vel quatuor Iuliis minus emere, & aliquando nihil minus poteris, ut ipsi post vnam, vel alteram horam facilè credimus exacturus sine difficultate sis. At si post vnum, quinque, decem annos, poteris multò minoris emere propter pericula, & difficultates, & expensas, quæ, licèt nunc in casu, de quo agimus, nullæ prorsus providentur, semper tamen maiora ex longioti temporis lapsu occurere posse, rationabiliter timetur. Vides, id, non esse lucrari ex mera dilatione temporis, quod est vsurarium: sed ex aliis iustis titulis, ut dictum est.

3. Hæc sunt facilia, illud magis controversum: An creditum immaturū certissimum, licèt sit exactu facillimum, emi possit minori pretio, non solùm à persona notabiliter, de qua hactenus dictum est, sed etiam possit minoris emi, seu extingui ab ipso debitore?

Equidem concedo cum Fagund. *l. c. n. 17.* esto, Molin. *l. c.* dicat, id esse omnino improbabile. Ratio est eadem, quæ in casu præcedente, quia minus valet Ius rei, quàm res; & præterea, quia si fiat sine fraude, & fuit proportionato pretio, non apparet, cur ipse debitor sit excludendus ab eo, quod potest tertius.

4. Nota tamen perdiligenter: Primò, in eo casu, quo eiusmodi venditio fieret principaliter propter difficultates exigendi: si ipse debitor earum difficultatum ejus causa, nulla ratione ipsi debitori licere minoris vendere, quia sic venderet id, ad quod removendum ipse tenetur, ipse enim tenetur difficultates solvendi removere, & suo impedimento solvere. Ideo etiam dictum est (immaturum) nam maturum debitum nequit minoris emi abeodem, qui illud debet, is enim pari modo ex Iustitia tenetur statim solvere.

5. Nota secundò, quod dico de eodem debitore, dici debere de eiusdem Ministro; Vnde illicitè & inquè Ministri Regij, quorum Officium sit pecunias Regias exigere, & easdem solvere creditoribus Regis, inquè, inquam, propter hoc caput ductum ex difficultate exigendi, minoris emunt ab iisdem Regiis creditoribus debita Regis; Nam Ministri hi personam Regis gerunt.

perunt, atque adeò omnes difficultates superare ex Iustitia debent, quo creditores integrè satisfiant.

6. Ex qua posteriore notatione evolve quæstionem sequentem: Petrus emit, vel conducit aliquid à Rege, eidem Regi debeat v. g. mille; Rex autem ex alia causa debet Hospitali, v. g. itidem mille. Quid ad hoc dicendum excogitat Petrus? Regem orat, ut mille, quæ ipse Petrus Regi debet, solvat idem Petrus hospitali, & sic liber sit Rex à debito, quod hospitali debet. Hac facilitate impetrata, seu cum spe eam impetrandi, emit Petrus multò minoris, v. g. aureis quinquaginta, credit illud hospitalis, & sic loco mille aureorum, quos ipse Regi debebat, solùm solvit hospitali quinquaginta, licitène hac industria utitur Petrus? Illicitè, docent Molin. & Salas apud de Lugo *mox* citandum: quia licèt Rex non poterat minori pretio extinguere illa mille, ita nec Petrus, qui à Rege illam commutationem impetravit. Licitè, putat de Lugo, *tom. 2. de iust. d. 26. sect. 7. §. 1. num. 103.* quia non est minister Regis, nec dum illam facultatem impetrat, se Regis Ministrum constituit, vel se obligat ad integrè solvendum.

7. Verùm, nisi hîc distinguas, errabis facilè: Nam si illam facultatem satisfaciendi hospitali, cum iis mille aureis debitis à Rege impetrasti, postquam minori pretio emisti ab hospitali creditum, licitè prædictam industriam excogitasti, neque iniquè illam usurpas. Ratio est, quia sic nullo modo es minister Regius, quoad solvendum hospitali, iam enim nihil Rex hospitali debet, sed tibi, qui hos hospitalis æquo pretio, ut supponimus, emisti; & ex alia parte quando illud emisti, tuum futurum artificium, amicitiæque Regis tibi nocere non debuit; At verò, si eam facultatem impetrasti antequam emeris creditum ab hospitali, illicitè, & iniquè te geris, si post impetratam facultatem minoris emas, seu extinguas eiusmodi hospitalis creditum. Ratio est, quia quando Rex tibi licentiam illam, seu communicationem concessit, transtulit in te onus solvendi hospitali aureos illos mille; onus autem hoc involvit etiam obligationem solvendi sine difficultate; cùm ergo tu debeas ex iustitia sine difficultate solvere, contra Iustitiam ageres, si ex hoc capite aliquid exigeres; quod onus contra te certè non est, in priore casu.

8. Nota denique tertiò: An debitor possit sic de debito immaturo convenire cum creditore; *Debeo tibi centum aureos post annum, do tibi nunc 50. & alia 50. dabo non post annum, sed post duos, vel tres.* Respondeo, duplici modo id fieri: Primò, per extinctionem prioris contractus, & celebrationem novi, sic, verbi gratiâ, dicente creditore: *Accipio 50. & rescindo contractum, quo tibi mutuaveram centum; & novum celebro, quo mutuum 50. per biennium.* Atque hunc modum esse licitum per se patet; Vel secundò, nihil immutando, sed relinquendo idem mutuum, quoad partem non redditam, cum extensione tamen ad biennium; &c. quamvis usuratium sic esse doceat Navarr. apud Caram. *mox* cit. videtur tamen non esse usuratius, sed licitus, ex Caram. *to. Theol. moral. d. 13. num. 748.* cuius verbà exscribit, & approbat Dian. *part. 9. tract. 6. res. 24.* quia debitor tulit gravamen solvendi ante tempus, nimirum nunc illa 50. & Creditor subit gravamen expectandi per biennium pro aliis 50. ergo sunt sub pari gravamine; Confirmo, quia hic non est contractus mutui, sed innominatus: Do gravamen meum, ut des gravamen tuum, &c.

*An liceat carius vendere credito, ut statim vilius numerato idem ematur, quod alicubi dicitur* Porro, *alicubi* Pillizza, *alicubi* Baratto.

9. Indigens Petrus præsenti pecunia emit à Mercatore, verbi gratiâ, pannum, credito, sub rigoroso pretio, verbi gratiâ, centum aureorum: mox Mercator idem emit eundem pannum ab eodem Petro, pretio infimo, numerato; verbi gratiâ, octoginta: & Petrus remanet debitor in rigoroso illo pretio aureorum centum, licitène id fit?

Respondeo, in conscientia, & ex se, fieri licitè. Ita Fag. *loc. cit. c. 34.* Less. *loc. cit. d. 16.* modò verè, prædicti vendant, emantque, nec palliare velint mutuum, & eius usurâ. Ratio est, tum quia & prior, & posterior venditio iusta est, quippè iusto pretio sine fraude expedita: tum quia tertius quilibet Mercator posset eum pannum infimo pretio emere, ut omnes concedunt, cur ergo non potest ille idem? Imo is liberat Petrum labore quærendi alium emptorem: tum denique, quia merces ultroneæ vilescunt; Mercator enim ut redimat prædictam mercem, sæpissimè rogari ab indigente illo solet. Immò in hoc casu, quo rogatur, non solùm infimo, sed adhuc viliori pretio redimere posset, ut vidimus, *sup. §. 4 n. 6.*

10. Atque hæc vera sunt, etiamsi Mercator nullo alio animo vendat credito, nisi ut mox vilius emat numerato, & etiamsi Petrus manifestet Mercatori se emere carius, ut eidem vendat vilius, modò enim hæc in pactum nec explicitum, nec implicitum deducantur, contra iustitiam non sunt

11. Dixi primò. (in conscientia) nam alicubi, ut Castellæ, id prohibetur pœna exilij in Africâ per biennium, & ut debitum non exigatur, & certè Covar. *l. 2. var. c. 3. num. 6.* hunc modum contrahendi vocat genus latrocinij maximè execrandum, & iustis pœnis vindicandum.

12. Dixi (ex se) nam ex adiunctis potest non rarò sublatère iniustitia, ut si ementem Mercator obliget ad sibi revendendum, tunc enim supra pretium rigorosum imponeret onus pretio æstimabile, hoc est, obligationem revendendi. Nonnemo ex timoratis mercatoribus solet mittere eiusmodi emptorem ad forum, ut si ibi inveniat, qui velit emere, vendat: si verò non inveniat, redeat, nam sic securiùs idem mercator infimo redimit pretio.

13. Quid contrà? Indigens pecunia Antonius vendit mercatori pretio infimo libram serici, inde post mensem, verbi gratiâ, immò post horam redit Antonius ad eundem mercatorem, emque illam eandem serici libram, pretio summo licitène, & iustè?

Respondeo, si non fiat ad palliandum mutuum, quia sic esset usura, sed vera sit emptio, & venditio, iustè fieri eodem modo, quo hactenus, *numeris præcedent.* dictum est, & eædem rationes persuadent. Addit. Molin. *d. 376.* de Lugo *t. 2. de iust. d. 26. sect. 13. §. 1. num. 195.* favet Caram *l. 2. theol. moral. num. 856.* id posse etiam fieri cum pacto retrovendendi, hoc enim nunc in favorem retrovenditoris cedit, quia iam retrovendet maiori pretio, quare nunc pactum retrovendendi non est onus, sed immò ipsius beneficium.

14. Et ita quidem, si id sine fraude fiat. Verùm, ego Messanæ semel de hoc interrogatus, usuræ reum mercatorem feci, & fraudem inspexi in eo verbo (eandem serici libram) nam Antonius, cuius illa serici libra non erat, sed accepta à Domino, ut eam in opus intexeret, quia nummis indigebat, mercatori vendidit, seu potiùs tradidit cum pacto, ut nullo modo alteri venderetur, sed sibi post mensem reversuto. Profectò, si serium vendentis non erat, si mercator dominium perfectum non acquisivit in re mobili, quæ non facit fructus, cùm non posset de illo serico disponere, qua ratione dicenda non sit hæc mera usura ex mutuo, sub illo ficto venditionis contractu palliata?

*An liceat vendere, vel emere cum pacto retrovenditionis.*

15. Vendo tibi, vel à te emo fundum, verbi gratiâ, ea lege, ut quando ego voluero, vel quando inter nos conventum fuerit, putà intra duos, quinque, decem annos, ego tuum tibi reddam, te mihi reddente meum. Quæro an licita sit, atque æqua conventio?

Et quidem hunc vendendi modum aliqui vocant dare in pignus: sed loquuntur impropriè, pignus

enim non transit in dominium eius, qui illud accipit: at in casu nostro fundus sit emptoris, undè si periit, ipsi perit, atque ipsius sunt fundi fructus, non verò venditoris; Supponimus enim esse veram, validámque emptionem? si enim ex aliquo capite invalida esset, certe fructus essent venditoris, res enim semper pro Domino fructificat. Lege Molin. *d.* 374. qui notat, quando eiusmodi pactum est pro tempore determinato, verbi gratâ, intra decem annos, iis annis exactis, remanere absolutam venditionem, & tunc emptorem posse deinde rem, utpotè absolutè suam, aliis distrahere, quod antea, propter pactum, facere non potuisset. Notat insuper quomodo venditor, vel eius hæres posset agere contra tertium possessorem in casu, quo contra pactum ante tempus rem emptor distraxerit.

16. Porrò adverte, pactum hoc retrovenditionis posse apponi tribus modis. Primò, ut sit in favorem venditoris. Secundò, in favorem emptoris. Tertiò, in favorem utriusque. Primum est, si quis tibi vendat fundum ea lege, ut eo volente restituere pretium, tu debeas reddere fundum. Secundum est, si quis vendat tibi prædium ea lege, ut volente te restituere prædium, ille debeat restituere pretium. Tertium est, ut volente eo reddere pretium, tu reddas prædium, & volente te reddere prædium, ille reddat pretium. His positis:

17. Assero, omnibus his tribus modis, pro tempore determinato, sive indeterminato, seu ad alterutrius libitum, licitam per se esse prædictam conventionem. Ita Molin. *d.* 374. Less. *l.* 2. *cap.* 21. *d.* 14. de Lugo *loco citato*, *c.* 1. *à num.* 185. Fagundez *de contract. l.* 5. *c.* 45. Ratio est, quia potest servari æqualitas in hoc contractu, cum nulla iniuria vendentis, ementísve. Et sicuti census ferè semper venduntur, seu constituuntur cum pacto explicito, vel saltem implicito retrovenditionis, ut approbarunt Summi Pontifices, & ipsa communis praxis: ita hîc.

18. Illud tamen præ oculis accuratè semper habendum est, ut, quia pactum hoc est onus quoddam pretio æstimabile, is qui illud subit, debeat id reducere de pretio, seu de valore rei; nam si res valet decem, v. g. quando venditur absolutè, certè minus valeat, necesse est, si non absolutè vendatur, sed cum onere illam relinquendi. Vt autem hæc, & alia huc pertinentia explicatiùs habeantur, sic distinctè procedamus.

*Pactum de retrovendendo in favorem venditoris.*

19. Res vendenda cum hoc pacto, quanti minoris valet? Respondeo, quando adest lex taxans) ut in aliquibus locis esse audio) illam esse servandam, non est dubitandi locus. Quando ergo lex deest, diminui docent aliqui innominati apud de Lugo, *l. c. n.* 189. pretium debere per tertiam partem, ut si res valebat absolutè triginta, cum eo pacto valeat viginti. Aliqui verò docent, diminui per quartam. Ita Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. qui testatur, ita esse praxim Mediol. Sed meliùs alij id statuunt, esse decernendum prudentis arbitrio, expensis, longitudine, & brevitate temporis, periculis recuperandi rem vel recuperandi fortè deteriorem. &c. Reginald. Mol. Menoch. aliique cit. à Bonac. *loc. cit.*

20. Res iam vendita cum pacto, quanti deinde debet redimi, pretióne, quo res fuit empta, an quo valet tempore redemptionis? Respondeo, si præcessit pactum in contractus, ut emptor teneatur eodem pretio revendere (quod pactum esse licitum, docet Less. *loco citato*, *n.* 115. cùm id sit pactum de rescindendo priore illo contractu, & non sit novus, qui requirit pretium currens tempore contractus: ut patet etiam in censibus, in quibus statutum est à Martino, Nicolao, Pio, Quintis, ut eodem pretio redimantur: supponere autem semper debet Lessius, rem non inveniri saltem notabiliter deterioratam) si præcessit, inquam, hoc pactum eodem pretio redimi oportet. Quòd si præcessit pactum de retrovendendo eo pretio, quo valebit tempore revenditionis (quod etiam esse licitum idem Lessius notat, quia tunc pretium fieri novus contractus) sub hoc pretio erit tractatio celebranda; novus enim contractus requirit pretium currens.

21. Difficilius est statuere, si nullum præcessit pactum, sed dictum dumtaxat fuit: *Vendo tibi hoc prædium cum pacto retrovenditionis.* In quo casu puto debere solvi pretium currens tempore, quo retrovenditur. Ratio est, quia tunc fit novus contractus vel retrovenditio, (nisi præcesserit pactum) obligatur solùm rescindere pactum præcedentem, novus autem contractus venditionis debet esse sub pretio, quod currit tempore, quo fit venditio, ut dictum est.

22. Denique: quid si fiat pactum, ut prædium revendatur pretio minori, quàm sit infimum, quo res valet? Dico pactum hoc esse iniquum, & non servandum, quia in hoc casu retrovenditor retrovendit sine onere, ut supponimus: undè ergo minoris, quàm valeat, redimi sine iniustitia potest?

23. Quod dictum est de re immobili, dictum esto sit de mobili; licitè enim potes vendere, verbi gratiâ, equum, bovem, vestem cum pacto, ut emptor teneatur revendere: diminuere tamen aliquid de pretio debito propter hoc onus superadditum, ut constat ex dictis.

24. Petes, rem stabilem, verbi gratiâ, fundum ecquid tibi venditum, possésne tu statim deinde locare, ut fructua iusta pensione à me solvenda? Respondeo, non solùm rem stabilem, sed etiam rem mobilem, verbi gratiâ, vestem, bovem, equum, &c. Ratio est, quia iam est tua; de illa disponere, ut libet, potes. Solum care à palliata usura, ut si non intendas verè vendere, sed locare, sed solum lucrum habere, &c. quæ certè palliatio facilior est in rebus mobilibus, quàm in stabilibus. Vide simile quid paulò *superius*, *n* 13.

*Pactum de retrovendendo in favorem emptoris.*

25. Emo, v. g. à te fundum hac lege, ut quoties voluero, possim à te recuperare pretium, restituto tibi fundo. In hac ergo venditione, quodnam erit pretium restituendum? Respondeo, erit aliquantò maius, ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia venditor suscipit in se obligationem onerosam, ut reddat pretium, resumátque rem venditam. At quando resumit rem venditam, non debet quantum accepit, sed quanti valet res eo tempore, quo rem resumit: nam si in manu emptoris res fuit deteriorata, æquum non est, ut redimatur eodem pretio, quo valuit sine illa deterioratione. Quòd si pactum aliquod contrarium præcesserit, dic illud proportionaliter, quomodo *n.* 23. attulimus.

*Pactum de retrovendendo in favorem utriusque.*

26. Si pactum sit, ut tum venditor, tum emptor possint rem redimere, vel revendere, eo tempore, quo ei libuerit, pretium debet esse, & aliquantò maius, quàm si venderetur solùm cum pacto in gratiam venditoris, & aliquantò minus, quàm si venderetur solùm cum pacto in gratiam emptoris. Quare ita calculat Lessius, *l. cit. n.* 120. si res valeret aureis centum, in hoc casu posset vendi, seu emi aureis 88. vel 90. ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia sicuti pactum est in utriusque gratiam, ita pro utroque in aliquo pretium diminui, congruum est. At quando revenditur, iustum pretium erit, quanti valet tempore, quo fit retrovenditio, modo, quo dictum est *num. præcedente.*

27. Petes: In prædictis tribus modis fructus interuturi ad quem pertinent, ad venditorémne, an ad emptorem? Respondeo, hæc, & similia, cùm non sint admodum frequentia, & multùm ad Iurisperitos pertinentia. Lege apud DD. de Lugo *tom.* 2. *de Iust. disput.* 26. *sect.* 2. & pro praxi Bonacin. *disput.* 3. *de controvers. quæstion. part.* 7.

§. IX.

### §. IX. De venditionibus, & emptionibus nomine alterius factis.

*Venditio alieno nomine.*

Si tibi famulo, vel mercede cõducto res tanti, vel gratiâ, decem aureis vendenda tradatur à Domino, multo magis, si dicat: *Vende iusto pretio*, tu autem vendas sexdecim, vel summo iusto pretio, nec illum ad eam, nec aliquid tibi potes attribuere quia res vendenda tua facta fit, ut ita dicam, fructifera Domino. Dices. At Dominus in priore casu determinavit pretium. Respondeo, censetur determinasse, ne minoris venderes, non quid tibi cessurit reliquum (ni exprimat saltem tacitè, ut dicam *mox*) nemo enim censetur prodigere rem suam. Ita Molina *disp.* 363. Lessius *d.* 18. Fagund. *l.* 5. *cap.* 16. Salas *d.* 45.

Dix (tu vendas summo iusto pretio) si enim vendidisti supra summum, nec tibi ille excessit, nec Domino rei cessit dedecus emptori, utpote à decepto reddidebat. Hæc faciunt quæ dicam *num.* 11.

2. Quando autem Dominus indeterminatè dixit, ut iusto pretio venderes: moralis diligentia, hoc est, ea, quam venditores rerum suarum communiter apponere consueverunt, est à te adhibenda, ad inveniendum etiam summum pretium pro Domino: quia posito, quod ex stipendo susceperis officium vendendi, eam diligentiam tacite promisisti.

3. In eo casu, quo Dominus determinavit pretium, illa ante uti potes, ut scilicet statim pro te rem emas, determinato pretio à Domino: nam deinde licitè vendere potes pluris, seu summo iusto pretio in tui utilitatem, quia vendis rem iam factam tuam.

4. Verum, erit naviter cavendum, ne velis fictè emere ad palliandum furtum. Accipe signum veri, vel ficti animi satis evidens. In casu, quo deinde forte minoris rem venderes, si tuo damno velis vendere, & rem tibi perire velis, si forte periret: enimvero sincerum animum habes emendi, secùs usuram palliare te voluisse convincens. Quid, si ad hunc animum nihil advertens pro te emisti, & deinde pluris vendidisti? Respondeo, Inspice diligenter, quid sensisses, si ea pericula advertisses, nam inde coniicies, quem animum habueris. Prof. ctò vix credo eiusmodi famulos animum habuisse subeundi illa pericula: volunt enim ipsi certò lucrari, quare ex communiter contingentibus valdè vereor, ne factus sit animus emendi.

5. Quando denique Dominus determinat pretium pro te, atque illud plus, quod vendi potest, remittit expressè famulo, iustè famulum illud accipere, adeò nimis est clarum. Dico, expressè, nam quando famulus, vel pretio conductus ad vendendum, servit mercede, non præsumitur Dominus aliam mercedem, hoc est, excessum illum, quos res pluris venditur, velle etiam concedere, ut dixi *num.* 1. id, quod facilius præsumitur, quando gratis, & sine pretio quis servit; cuius explicationem iam subdo.

6. De famulo enim hactenus dictum est, seu de eo, qui mercede conductus est: verum, si gratis rem alterius suscepisti vendendam, iustène vales aliquid tuo labori proportionatum corradere? Iustè, docet Fagundez *loco citato*, etiamsi expressè dixeris te gratis venditurum, quia sic mendax fuisses, non iniustus; nemo enim tenetur gratis servire. Molina *ibidem*, omnino id negat, quia, inquit, in Domino putante te gratis suscepisse vendendi laborem, remanet erga te gratitudinis obligatio. Verùm, Fagundez, *ibidem* respondet hanc fore obligationem animi grati, & incertam, quæ interdicere huic servientem non potest, ne certum suum laborem compenset.

Fagundez sententia mihi arrideret, nisi unum regulariter obstaret; si enim Dominus sciviſſet te gratis non servaturum, certè elegisset famulum ordinarium, vel amicum, qui sine pretio, laborem suscepisset, & quidem illum facile in tanta amicorum frequentia invenisset. Quoniam ergo tu Dominum, simulando gratis servire, decepisti, illum indemnem reddere debes nihil corradendo, ut *opusc. de Sacrif. Missæ, lib.* 3. *cap.* 1. § 3. *à num* 57. per aliam occasionem fusius dixi. Solum igitur aliquid labori impenso proportionatum sume e possessionibus, quando alius forte inveniendus non fuisset à Domino, qui gratis servivisset: vel quando Dominus facilè advertere potuit, te servientem non gratis servire, ut si esses multùm pauper, non vulgarem laborem suscepisses, vel hoc officio vendendi te sustentare solitas, tunc enim præsumitur Dominus mercedem servienti nolle denegare: & quidem quando pretium Dominus determinat, & nihil se explicans, dat tē vendendam mediatoribus, seu proxenetis ex officio, nec mercedem pro ipsorum labore solvit semper intelligitur excessum supra determinatum pretium ipsis pro sua mercede relinquere. Sed hi, similésque caveant, ne volendo carius vendere, damnum faciant Domino rei, plus debito venditionem differendo.

7. Ex his ultimo dictis colligi potest, quando famulus, se vili pretio addicit servitio alicuius, non posse regulariter petere amplius, adeoque nec se occultè compensare. Vt ex *ibid. n.* 59. à me dictis satis colligi potest: quibus adde; quæ docet Dicast. *lib.* 2. *de iustitia, tract.* 3. *disp.* 9. *dub.* 6. & 7.

*Emptio alieno nomine.*

8. Si te rogavi, ut aliquid mihi emeres, quod cum emere potuisses, verbi gratiâ, decē, emisti octo, non potes illa duo tibi seponere. Ratio est, quia eo ipso, quod annuisti emere, acceptasti utiliter per moralem diligentiam rem meam gerere, & quamvis minoris potes, ac si famulus esses vel mercede conductus. Non igitur à probo (ut videtur approbare de Lugo *tom.* 2. *de Iustitia, disp.* 26. *sect.* 9. *num.* 151.) industriam cuiusdam famuli, qui emit rem pro se vili pretio, & deinde facta morali, ut aiebat diligentia, & non invento amplius Venditore pro illo vili pretio, ipse famulus vendidit rem Domino pro maioti currente pretio; non inquam, approbo, quia erat obligatus primam eam emptionem pro Domino facere, hæc enim est diligentia moralis, ut non prætermittatur occasio emendi vili pretio pro Domino: ex industria volendi lucrari pro se. In eo tamen casu id non reprobarem, quo sine fraude famulus putavit eodem vili pretio facilè emptorum pro Domino: quia tunc per id (faciè, &c.) non omisit diligentiam moralem pro Domino, & nunc non est sine culpa obligandus ad distrahendam vili pretio rem iam factam suam.

9. Quòd si hîc non possis emere nisi decem, tu verò in aliam Civitatem, seu alium locum à solitis mercatibus extraordinariùm te transferas, ut minoris, verbi gratia, octo emas, potes illa duo tibi attribuere, etiamsi sis famulus (modo in servitiis debitis Domino, non desis, nec differes emere cum ipsius damno.) Ratio est, quia non teneris nisi ordinarias diligentias exhibere, hæc autem est extraordinaria; & ex alia parte, qui utitur ciusmodi industriis, non intendit Domino, sed sibi negotiari.

10. Quid pro ipso mero labore emendi? Si quis enim non est mercede conductus, potéstne in aliquo occultè suum laborem compensare? Respondeo, idem hîc dicendum; quod modò de labore vendendi dictum est *num.* 6.

*Venditio in loco distanti, An faveat vendenti alieno nomine?*

Vna supereſt molesta mihi dubitatio: An si potes in utilitatem tuam subtrahere id, quod lucraris, quando in aliam, verbi gratiâ, Civitatem per extraordinariam diligentiam peragendo rem pro Domino minoris emis, ut diximus *num.* 9. ita possis tibi seponere excessum

quando per parem diligentiam in aliam Civitatem pergendo, rem Domini maiori pretio vendis? Videris certè non posse, quia, ut dixi *num.* 1. res pro Domino venditur, & quocunque portetur, Domini est, Dominóque fructificat; Quare videris solùm posse tibi sumere expensas, laborisque portandi æstimationem, cætera verò debere Domino restituere. Ex alia parte Dominus, cùm rem tibi vendendam tradit, censetur solum à te velle pretium vulgare in sua Civitate per diligentiam moralem conquisitum, cætera tibi remittere, nec multum curare videtur. Quare, quando hic animus Domini probabiliter præsumitur, qui regulariter videtur posse presumi in rebus minutioribus: non apparet ratio convincens, cur tam diligens venditor eo extraordinario lucro sit defraudandus.

### §. X. *An Mercatoris remissio faveat ementi alieno nomine?*

1. EX dictis statue: Quid sentiendum, si famulo, vel cuilibet mediatori, verbi gratiâ, Sartori ementi pannum pro Domino, dicat Mercator, se remittere aliquid de pretio consueto, quod est, verbi gratiâ, decem aureorum, & se dare pro octo, idque sive propter amicitiam cum ipso mediatore, sive ut ipsum alliciat ad frequentandam suam officinam; Quid, inquam, sentiendum est, poteritne iustè mediator sibi eos duos aureos reservare? Statue, inquam, posse, quia hoc modo Mercator de suo duo illa mediatori remittit. Lege Molin. *disp.* 362. Cave autem, ne furtum pallies, quod certè cavebis, quando duo illi aurei vere sunt de pretio iusto rei, & verè Mercator sine fallacia, non nisi pretio hoc, id est, aureis decem, rem illam vendere est consuetus; secùs non de suo Mercator dabit, sed de alieno: & rursus cavebis, quando moralem diligentiam ad emendam rem ab hoc, vel alio Mercatore, quanti potes, minoris, non omittes: si enim hanc non apponas, dolum contra Dominum sine dubio committes.

### §. X. *De Deceptionibus occurrentibus in venditione, & emptione.*

1. CVm de deceptionibus eiusmodi, quando fiunt ex errore, & dolo, *superius* aliqua tetigerim. *lib. 3. cùm de iur cap.* 3 §. 4. *num.* 21. hîc in proprio loco ea, quæ nondum sunt explicita, breviter erunt proponenda.

#### *De deceptione in pretio.*

Quando quis recipit (præscindendo à liberali remissione, quæ, quando præsumitur intercedere, dixi per hanc occasionem *superius*, *tr. 2. cap. 9. §. 1. num. 5.* vide etiam *infr. cap. 8. §. 2 num.* 16.) pro sua re minus pretium, quam valeat, vel magis, quam valeat, emit, ipsi in foro externo non datur actio, si non sit defectus, vel excessus ultra, vel infra dimidium (quis hic sit lege *num.* 14. & habes apud Lessium *lib. 2. cap. 21. disp. 4. num.* 20. & Fagundez *lib. 5. de contract. cap. 40. num. 3.* quibus adde Castro Pal. *de iustit comm. disp. 5. part. 1. §. 1. num. 3.* & passim Iuristas,) quia leges civiles voluerunt resecare lites, unde & apud illas invenies, licere ementibus, & vendentibus se invicem decipere usque ad dimidiam partem iusti pretij: At omnes Theologi communiter docent, debere restitui totum id cum eius fructibus forte percepetis, quod in venditione accipitur ultra iustum pretium, seu ultra iustum rei valorem, vel quod in emptione de iusto non datur. Ratio est manifesta, quia nemini licet in conscientia proximum, ne in obolo quidem decipere.

Dixi (communiter) nam novissime Ioan. Escobar Corro *in tractatibus tribus selectissimis, tract. 1. de utroque foro, art. 5. in calce artic. num.* 36. sic habet: *Constanter asserimus, hanc propositionem probabilem esse, Leges civiles, & Pontificiæ, quæ sustinent contractus emptionis, & venditionis, locationis & conductionis, & similes (id est, similes emptioni, &c. non verò alibi gratiâ, Dotis, solutionis legati, census, &c. etiam pretio, mercedéque, intellige vulgari, non legitimo enim legitimus aut superius videmus ne in obolo quidem prateriri potest) etiamsi*, inquam, *intervenitat lesio vel supra iustum pretium, dummodo dimidium non dat, iustæ sunt & acceptæ, prout debent, nempe absente omni dolo, fraude, & falsa asseveratione, etiam cedunt in foro conscientiæ, & venditor pro minori iusti pretij, & emptor pro maiori iusti pretij, cum his conditutus manet in utroque foro, modò noscat commune pretium: id, quod dicitur pro pueris, mulieribus, vel cis, si forte vel ob levitatem, vel insciliam inuariè agant, &c.* Hæc ex illo., quia prædictam doctrinam fusissime probat duodecim argumentis, quæ præcipua sunt, tum quia leges, tum civiles, tum Pontificiæ ita positivè disponunt, nec solùm permittunt, tum quia Princeps potest transferre dominium rei in alterum, tum quia conventiones, & pacta sine fraude inita servari in conscientia debent, &c. Lege Lessium *lib. 2. cap. 2. dub. 4. numero* 21. de Lugo *tom. secundo, de Iustit. d. 26. sect. 6.* & Sanct. Thom. Navar. Molin. Salas al óque ab eisdem citat. quos adde Castro Pal. *de iustitia commutat. disp. 5. part. 1. §. 1. num. 3.*

Notarium tamen facientem scripturam de venditione cum læsione infra dimidium, excuso à peccato, si non fingit aliam venditionem, sed illam, prout est, publicè scribit, quia ipsum excusat Officium suũ in re permissa à publicis. Ita Sà, & Salas, quos citat, sequitúrque Castro Pal. *loco citato, num. 5.*

#### *De Venditione facta duobus.*

2. SI res nondum fuit tradita secundo emptori, tenetur venditor eam priori tradere: *Qui prior est tempore potior est in iure*; Si autem res tradita sit secundo emptori, hic antefertur priori, quia traditio dominium transfert, atque adeò secundus habebit Ius in re, quod est fortius, quàm Ius ad rem, quod solum habebat prior. In hoc tamen casu venditor punietur pœnâ falsi, erit perjurus, si iuramentum adhibuerit, tenebitúrque omnia damna solvere priori; Qui prior emptor contra venditorem habebit solum actionem personalem, non autem realem in ipsam rem venditam. Quæ dicta sunt, habent locum in locatione, & donatione, si quando duobus eadem res locetur, donetúrque.

3. Sũnt nihilominus aliquot casus, in quibus prærogandus est prior emens, licèt res sit posteriori tradita. Primò, quando prior iam solvit pretium. Secundò, quando est adhibitum pactum de non vendenda re alteri, vel ipsa res est data in pignus ipsi primo emptori. Tertiò, quando in prima emptione est apposita clausula *constituti*, hoc est, quando venditor constituit se nomine emptoris rem illam possidere. Quartò, quando prior emptor est Ecclesia, vel locus pius. Quintò, quando secundus emptor emit mala fide, hoc est, sciens esse alteri venditam; Quæ omnia vide apud Doctores latiùs, Molin. *disputatione* 532. *& disputatione* 569. Fagundez *loco citato, cap. trigesimosexto*, Lessium, *dubitatione decimanona*, & passim apud quos etiam habes, quisnam sit præferendus, quando quis aliquid alicui vendit, & deinde alteri donat, vel contrà.

Quando quis obligat operam suam singulis in solidum, & illa æquè commoda est singulis, verbi gratiâ, eunti Romam, ut huc tuas literas ferat, an præstet alterum tantum accipere à me, si eodem unico laborе meas ferat. Lege apud Less. *l. 2. cap. 24. dub. 4. num.* 28. affirmantem, quia, inquit, an meâ an tuâ alterius causâ eat, non minuit æstimationem operæ respectu singulorum. Sic si medicus uno, eodémque

sem, seu balneo tres infirmos curare posset, tria integra stipendia iustè perciperet. Pariquè modo equum, qui exercitare ac si pro te tantùm redeat; quæ sunt exempla eiusdem Lessij.

Dixi (in solidum) nam si obligatio fieret singulis pro sua parte, alia esset ratio. Nuntius, v.g. Ordinarius ferens litteras, non potest recipere integrum stipendium à singulis, quia in Nuntio Ordinario, contribuere quilibet ex sua parte, & non integrè intendit ad constituendum scilicet unum integrum salarium.

Parimodo, quia una Peregrinatio v.g. vel una Missa, vel unica oratio uni promissa, pro illo uno tantùm valet, non potes alteri eandem promittere. Vide eundem Lessium.

An idem sit dicendum de Commissariis, aliisque Ministris, qui uno die expediunt negotia multorum, multorumque ipsorum stipendia accipiunt; Vide apud eundem Lessium, *ibid.* qui concedit, quando aliud Magistratus, seu Princeps non taxaverit: & æqua utilitas habetur à negotiationibus, Lessium sequitur Bauni *in sing. cas.* 73. & *cas.* 264. *ubi de salario Commissar.*

*Prætextu minoris pretij rem venditam diminuere.*

4. Iniustitiæ reus est, qui rem vendit infimo pretio, & partem mercedis tradit. Si ulna, verbi gratia panni rigosè valeat quinque, infimè quatuor; non potest Mercator vendere ulnam pro quatuor, & non tradere integram panni ulnam, eo colore, ut sibi eiusmodi partem reservet, pro eo, quod deest ad pretium rigorosum. Ita Molina *disput.* 351. Ratio est, quia sic Mercator non stat contractui, & pacto inito cum emptore de vendenda illi integra panni ulna, & sic illum deciperet, ut interim taceam incommodum non rarò sequens; nam emptori non sufficiet, verbi gratiâ, pannus ad vestem sibi comparandam, &c. nec sufficiet huic [illegible], cui necessaria est uncia electuarij, si tu occultè semi-unciam tradas.

5. Neminem puto refragaturum allatæ doctrinæ. Aliud etiam est quod probabiliter docent Tolet. Val. Sotus, Rebell. aliique, quos citat, sequiturque Salas. *dubio* 35. *n.* 4. defraudantem in pondere, vel mensura non teneri ad restitutionem, quando ita defraudat, ut si quid iustè compensat: Aliud est, quod nos hactenus docuimus. Nam si lex de pretio alicuius rei esset iniusta, vel ementes ex malitia convenirent solvere minus, quàm verè res valeat: posset tunc ad se indemnem servandum, Mercator, quando propter coactionem non potest se à vendendo retrahere, aliquid diminuere de pondere, vel mensura.

Vina, verbi gratiâ, panni valet iustè quinque aureos, verum, sive ob legem iniustam, sive ob potentiam, sive ob malitiam emptorum, ipsi solvunt quatuor; iustè Mercator dabit minus de ulna panni, quantum scilicet satis est ad suum iustum pretium supplendum; & Ratio est, quia pretium, quod solvitur, supponitur esse minus infimo, atque adeò iniustum; quare Mercator sic diminuendo de merce, inducit æqualitatem, & ex alia parte emptori iniusto imputabitur damnum, quod ipsi eidem fortè sequitur (nisi, in aliquo casu magni damni, aliud dictet charitas, &c.) At in casu *numeri præcedentis*, non ita, quia ibi pretium, quod emens solvit, licèt infimum, iustum tamen est. Et nihilominus puto, si Mercator omnino pretio summo volebat vendere, ad quod certè Ius habet, & emens compelleret iniustè ad vendendum infimo: posse tunc Mercatorem sibi pretium summum, diminuendo de mensura compensare, quia tunc redit ratio suæ indemnitatis, & damnum emptori fortè obveniens, ipsimet meritò imputabitur, ut dictum est.

Huc pertinet, quando prætextu, quòd vili pretio vendis, remde industria deteriorem reddis, misces, verbi gratiâ, aquam vno, & vendis eo vili pretio, quo re vera illud vinum eâ dilutum aquâ valet. In quo casu duæ expendi debent difficultates: Altera, an tunc peccet contra ementes? Et huius dissoluto colligetur ex mox dicendis *à num.* 11. & præsertim *num.* 27. Altera, an peccet contra alios Mercatores, ad quos non accedent emptores, quia allecti à vili pretio, quo tu vendis, ad te confluent? Atque ad hanc breviter respondeo, te peccare cum obligatione restituendi Mercatoribus, quanti ex morali iudicio eorum interest hoc tuum stratagema. Ratio est, quia quilibet habet ius iustitiæ, ne vi, vel fraude à suo lucro deturbetur: tu verò in hoc casu per tuam fraudem divellis Mercatores ab ipsorum iustè sperato lucro. Quod certè peccatum, restitutionisque onus tu non contraheres, si solùm decresceres in pretio tui puri vini: nam tunc sine fraude, & quidem bonis artibus ad te emptores alliceres, & per accidens ab aliis Mercatoribus averteres. Lege Bardi *lib.* 1. *Sel. quæstion.* 2 *sect.* 1. *num.* 14. id fusè prosequentem, de Lugo *tom.* 2. *de iustitia, disput.* 26. *n.* 135. & Dian. *part.* 1. *tr.* 8. *resp.* 80.

*Venditio rei vilioris mixta cum pretiosiore.*

6. Ab Argentariis, & similibus icitè venditur argentum, & aurum mixtum cum eo metalli genere, quod dicitur *Lega*; à Ferrariis ferrum mistum aliquibus granis arenæ; à Fabricaldariis æs mixtum cum modico ferro; à Vinitoribus mustum, ad quod decoquendum, necessaria addenda est modica aqua, &c. modo serventur tria. Primò, ut misceatur solum id, quod est necessarium ex arte. Secundò, quod consuetum. Tertiò, in parva quantitate. Ita Azor. *p.* 3. *lib.* 8. *de empto & vendito. cap.* 23. *quæst.* 3. ex. Cordub. *in sum. quæst.* 8. Ratio est, quia hæc ita communiter æstimantur, & venduntur in foro.

An vino misceri aqua, ac frumento misceri secale, vel quid simile, liceat, innui *supra ius*, §. 3. *n.* 4.

*Vendere quid, pro quo.*

7. Vitium id Pharmacopolarum est familiare, qui aquas ex herbis extractas, ipsas herbas, radicésve, & varia electuaria ab emptoribus expetita, cùm in promptu aliquando non habeant, alia non absimilis virtutis tradunt, ne in ipsorum Officinis deesse illa emptores conquerantur, minúsque propterea illam frequentent.

8. Profectò, si certum evidenter esset, eas supposititias res iisdem prorsus pollere virtutibus, nullius culpæ hunc vendentem condemnarem: cæterùm dum unum pro alio tradis: Primò, ementem decipis, dando aliam substantiam ab expetita. Secundò, accipis certum pretium, pro incerto medicamento. Tertiò, infirmi saluti non consulis; & utinam illam aliquando non offendas, dum, Medico mandante quoddam electuarij genus, tu aliud, quod tibi videtur non dissimile, cùm dissimile fortè sit, invito porrigis.

9. Solùm ergo te à gravi culpa excuso, quando, ut dixi, certus es de æqualitate virtutis, seu, ut universalius loquar, quando certus es fore æquè, vel quasi æquè utilem rem ementi; tunc enim is non erit probabiliter invitus graviter in ea re emenda. Rursus si certò prævideas damnum fore admodum leve, culpa reduceretur ad levitatem, ratione parvitatis materiæ. Quid enim damni gravis est, verbi gratiâ, si ad usum comedendi iusto pretio tradas unum genus piscium, pro alio parum diverso, Vinum Chium pro Cretico, &c. Ita Toletus, Valent. Ledesma, Sotus, Salon. aliique, quos citat, sequiturque Salas *de emptione, dub.* 35. *cit. num.* 1.

10. Quoad restitutionem: Certum est, te debere restituere excessum pretij, si fortè à te acceptus est supra iustum pretium rei, quam tradidisti, (etiamsi eiusdem fuerit utilitatis) vel supra pretium, quo em-

ptor rem eandem alibi fuisset empturus. Certum præterea, re integra, hoc est, existente adhuc re tradita, te in re gravi obligari ad rescindendum contractum, & ad reddendum totum pretium. Certum denique est, te debere resarcire omnia damna fortè ex tua deceptione consecuta. Quæ omnia patent ex Regulis generalibus de restitutione.

### *De fraude, & dolo interveniente in ipsa venditione.*

11. Celebris est hæc difficultas, ac millies agitata, nam propterea eam omittere decreviſſem, nisi illi eo-rum iudicassem, aliò amandare lectorem meum in re valde necessaria, & frequentissima, & quod caput est ita implexa, ut testetur de Lugo *tom. 2. de iustitia disput 22. sect. 6 num. 87. sine*, etiam Sanchez clarissimum aliàs Doctorem hac in re variè, & obscurè locutum esse.

12. Advertendum ergo est primò: Cùm aliquis rem vendit pluris, vel emit minoris, quàm ea valeat, duobus id modis facere potest. Primò, ignorans iustum rei pretium; & tunc dicitur deceptio in re ipsa intervenire. & non à proposito. Secundò, sciens, & deceptio tunc dicitur à proposito. Rursus hæc, quæ est à proposito, interdum fit cum dolo; ut cùm quis aliquid fingit, vel mentitur, unde alter decipiatur; interdum sine dolo, ut cùm quis absolutè rem vendit eo pretio, quod sit supra rigorosum, nihil tamen fingat: quo pacto ementem decipit quidem, seu damnificat à proposito, sed sine dolo.

Advertendum secundò: Eiusmodi dolus, vel etiam error potest accidere, vel circa substantiam rei venditæ, veluti si putes te emere aurum, & emis aurichalcum: vel circa accidentia, veluti si putans emere vinum vetus, vel equum sanum, emas vinum novum, vel equum claudum. Quid intelligatur hîc nomine substantiæ, & nomine qualitatis, explicabitur *mox num. 17.* clariùs.

13. Advertendum tertiò: Ipse dolus, seu error substantiæ, vel accidentium dupliciter potest intervenire in contractu. Primò, ita ut dolus, vel error det causam contractus, id est, si error, vel dolus non adesset, nulla ratione iniretur contractus. Secundò, ita ut incidat in contractum, id est, patiens illum dolum, vel habens illum errorem, contraheret quidem, sed non tanto pretio, verbi gratiâ, emisset quidem illum equum, etiamsi sciviſſet esse claudum, sed viliore pretio? Id, quòd ex conscientia, & verbis, seu scriptura patientis dolum, est coniiciendum. Subadverte, dolum posse provenire, Vel ab aliquo ex contrahentibus. Vel ab aliquo tertio. sciente & consentiente ipso contrahente. Vel denique ab aliquo tertio, nihil scientibus ipsis contrahentibus: Quando tertius est Procurator; Tutor, negotiorum gestor alterius, non dicitur vèrè tertius, sed cùm faciat unum cum ipso, dicetur unus ex contrahentibus.

14. Advertendum quartò: Quando venditor non recipit dimidium iustæ æstimationis, ut si res infimo pretio valeat viginti, ipse autem vendat novem, dicitur decipi infra dimidium? At verò, quando emptor solvit plusquam dimidiam partem iusti pretij; ut si res valeat rigorosè decem, ipse emat sexdecim, dicitur esse deceptus infra dimidiam, ut per occasionem *num. 1.* item innuimus. His præmissis, sint hæ tres regulæ.

### *Regula prima: Quando dolus contrahentis dat causam contractus.*

15. Si dolus sive gravis, sive levis (lege de Lugo *tom. 2. de iustit. disput. 22. sect. 7. num. 142.*) vel error, sive in substantia, sive in qualitate, seu accidentibus det verè causam venditioni, vel cuicunque contractui bonæ fidei, & dolus proveniat ab altero ex contrahentibus, vel à quocunque tertio cum contrahentis consensu (Molin. *disput. 259. & 352.* Fagundez *de contract lib. 3.* & alios citatos.) Prim. 8. Contractus est invalidus utroque foro: (lege Lessium *lib. 2. cap. 17. disput. 3.* num. 10. quamvis horum aliqui dicant esse rescindendum hunc contractum, aliqui, esse ex iure naturæ, dum ex una parte.) Excipe semper Matrimonium, quod validum est, quando non est error circa substantiam, de *num. 24.* Secundò: Datur deceptio (non decipiendi) sed contractum relinquendi, vel eidem tamen cum compensatione eius, in quo ipse innocens damnificatus fuit. Tertiò: Idque etiamsi deceptio sit ultra, aut infra dimidium. Ratio primi est, quia ubi deficit consensus, deficit contractus: at hîc omnino deficit consensus, nemo enim est dolum dare causam contractui, ut dictum est *num. 13.* Ratio secundi est favor, qui debetur innocenti. Ratio tertij est, quia sic meretur (etiam in foro cœli no) qui dolosè agit. Immò authoritate propria, etiam ante Iudicis sententiam ipsum resilire à contractu poterit, si velit, mihi dubium non est: quia ubi nullus fuit consensus, ibi repellere contractum proprio iure potest.

Dixi autem (contractui bonæ fidei) contractus enim stricti iuris in casu hoc, quando dolus dat causam contractui, validos esse, sed rescindendos, multorum fert opinio *id*, quod lege apud citatos Doctores, & ego innui *supra*, *c. 6. §. 2. n. 5.*

16. Quid, si error sit in substantia, vel qualitate dantibus causam contractus, sed nec aliquo ex contrahentibus, nec alio tertio dolum machinante? Respondeo, si sit error in substantia, nullus est contractus, quia nullus est consensus, ut patet ex dictis de contractibus in genere; si sit in qualitate, dicam mox *in media prima.*

17. Prima: Quid hîc intelligatur nomine substantiæ, & nomine qualitatis? Respondeo, id per maxime refert cognoscere, ne in multos errores prolabatur. Certum est ergo non intelligi hæc physicè: Si emtu velles emere equum ad iter multorum dierum, vel ad prolem gignendam; & loco equi iuvenis daretur tibi equus annosus: certè non esset deceptio in substantia physica, & tamen esset error in substantia in re nostra.

Et quamvis in matrimonio deceptio illud irritans sit ea, quæ affert errorem in persona, & substantia physica, vel etiam in qualitatibus, quando hæ redundant in errorem personæ; (de hoc vide Basilium Pont. *lib. 4. de matrimon. cap. 22. & ibid* citatum Themam Sanchez, & Ægidium,) at in aliis contractibus magis latè patet deceptio in substantia: ita nimirum, ut nomine substantiæ intelligatur illud obiectum, quod principaliter, & ferè adæquatè movet hominem ad contrahendum: nomine qualitatis, illud, quod minùs principaliter. Quare si notabiliter res differat ab obiecto à te intento, & cogitato, dicetur adesse error in substantia: si differat leviter, dicetur adesse in qualitate. Affert Sanchez *lib. 4. summ cap. 2. num. 11.* in simili duo exempla, & alia nos attulimus *sup. lib. 3. cap. 13. cùm de voto*, quem locum relege. Si quis enim voveret Religionem, putans in ea cannes solere comedi, si inveniat in ea perpetuam illarum abstinentiam, error erit in substantia Voti, quia notabiliter Religio inventa variat à Religione à se cogitata, & intenta, atque adeò irritum erit votum: Secùs, si inveniret semel, verbi gratiâ, in hebdomada jeiunanti, quia non notabiliter variat, &c. Pari modo, si quis decipiens dicat Romam parum distare, & ideo eius peregrinationem voveas, deceperis in substantia, si multùm distet; at deceperis in qualitate, si non multùm distet ab eo, quod dictum tibi est. Advertit tamen idem Sanchez illud (parum, & multùm) debere sumi respectivè, non absolutè, siquidem respectu nobilis puellæ, multum quid erit distantia pedestris decem milliarium

milliarium, quæ non erit respectu rustici; & in magno numero parva deceptio erit illa, quæ magna reputabitur in parvo. Si enim, v.g. cognites locum distare per duodecim milliaria, cùm distet per triginta, magnus erit error, & substantialis: At si putes distare per trecenta, & triginta, parvus erit, & in qualitate. Ex his igitur in casu nostro ille error, vel dolus erit in substantia, qui te decipit notabiliter, quoad rem cogitatam in ordine ad contractum quemcumque celebras: qui leviter decipit, erit error in qualitate.

*Regula secunda: Quando dolus contrahentis incidit in contractum.*

18. Si error, vel dolus non det causam contractui, sed in contractum incidat, quamvis alter cõtrahentium in illo communicaverit, illúmque sciverit, contractus est validus in utroque foro. Tenetur tamen decipiens rescindere contractum ad æqualitatem, atque omnia damna decepto resarcire. Ita Molin. 352. §. *quarta conclus.*, Less. *lib. 2. cap. 7. d. 15. num. 28.* Fagund. *l. c.* lege *c. delicti, de emptione.* Ratio est, quia hîc adest consensus ad rem, seu ad substantiam, & solùm deest ad accidentia; hoc enim est dolum incidere in contractum, ut *num. 11.* explicuimus: ergo non est cur non sit validus contractus. Debet tamen, ut dictum est, reduci ad æqualitatem, supplendo pretio, quod deest: unde fit, vt si sit deceptio ultra dimidium, adhuc sit validus contractus: sed supplementum afferre etiam per forum externum compelletur decipiens, nam si deceptio non fuerit ultra dimidium, solùm compelletur per forum internum, ut *num. 1.* vidimus.

*Regula tertia: Quando dolus tertij dat, vel non dat causam contractus.*

19. Si error est in qualitate (nam si est error in substantia, ut si habeas vitrum pro gemma, iam ex regula generali dicta *num. 15.* semper contractus est nullus, quia nullus est consensus) si inquam, error est in qualitate, estque is inductus à tertio, nihil scientibus contrahentibus sive error, vel dolus non dederit, sive dederit causam contractui, Contractus est in utroque foro validus. Ita Less. Fagund. Molin. citati. Secundò, datur actio decepto, ut possit agere contra tertium decipientem, tum de damno, tum de dolo. Tertiò non datur facultas decepto relinquendi contractum, sed solùm petendi supplementum pretij, si quod fuit. Ratio primi dicti est, quia, quando in contractibus onerosis dolus est inductus à tertio, immò etiam, quando ipsemet contrahens sua falsa opinione se decipit, adest sufficiens consensus ad contrahendum: omnes enim ex Fagund. *lib. 1. de contract. cap. 42. num. 16.* implicitè se intendunt obligare, quoties ipsi contrahentes non participant de dolo, nisi enim sic intendatur, nullus unquam contraheret, essétque continua discordiarum seminatio, cùm possent semper homines dicere se deceptos esse, se, si scivissent, non contracturos fuisse, &c. nam propter eandem rationem, quando bona fide duo contraxerunt, nullo dolum machinante, si deceptio sit in pretio, erit validus contractus, sed solum agetur de supplemento, &c. Ratio secundi est indemnitas decepti; Et adverte inter cætera damna esse etiam excessum, quo patiens dolum emit rem, quam similem minoris emisset alibi, ut manifestum ex se est. Ratio tertij est, quia si in hoc contractu est sufficiens, licet implicitus consensus, ut diximus, constabit contractus; quare non erit ratio, cur rescindatur.

20. Scio Lessium *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 33.* loquendo, quando res est integra, quod certe non est improbabile; putare esse rationem, cur rescindatur, atque adeo hunc deceptum posse in conscientia, antequam à Iudice cogatur, non stare contractui, quia vere non consensit absolutè, *iuxta l. 77. ff. de contrahenda emptione* Non consensit enim, nisi posito dolo illius tertij. Verùm, hæc lex non obstat nostro dicto, neque hæc ratio. Non ratio, quia hæc solùm militat quando in dolo communicavit alter ex contrahentibus, & militat etiam in donationibus, & promissionibus merè gratuitis, ut in legatis, institutione hæredis, & similibus, quæ irrita sunt, si error contingat circa causam, & motivum principale donandi, undecunque proverit error; non vero militat in emptionibus, & venditionibus propter rationem modò à nobis insinuatam *num. 19.* in ratione primi dicti: adde Fagundez *l. c.* item Molin. *tract. 1. de iust. d. 209.* & Sanch. *in Decal. lib. 4. c. 2.* & de Lug. *tom. 2. de iust. d. 22. sect. 2. n. 69. & 89.*

*Notationes quatuor circa prædicta.*

21. Notatio prima: Si emens dicat expressè in hunc modum: *Si vinum non est vetus, nolo illud à te emere* (idem puto, quia æquivalens est si dicat: *Vende mihi vinum vetus, vel illius loci*) contractus nullus erit in casu, quo deprehendatur vinum non esse vetus, nec illius loci, etiam nullo præcedente dolo venditoris, vel alterius, quamvis sit error in sola qualitate. Ita Dicastill. *lib. 2. de iust tr. 3. d. 1. dub. 6. & tract. 8. d. 4. dub. 1. num. 5. fine.* Ratio est, quia in hoc casu consensus fuit conditionatus; quare, conditione non posita, nullus fuit consensus; nisi forte adsit aliquando consensus implicitus; id quod evenit, quando dicta res accepta est eiusdem substantiæ, eiusdemque bonitatis, utilitatisque cum illa, quæ à te expetita fuit: at si vinum novum sit æquè bonum, ac vetus; Dixi (eiusdem substantiæ) nam si esset diversæ, ut si esset oleum pro Vino, nullus est contractus, quamvis tu, si scivisses esse oleum etiam emisses: quia tunc tuus consensus nunquam fuit circa substantiam olei.

Si verò eiusmodi venditionis contractus cum errore circa qualitatem, nequaquam sub prædicta, vel simili conditione fuit celebratus, nullo dolo præcedente, validus erit contractus; ut si emens dicat: *Vende mihi vinum*, intendens emere vetus, cùm tamen postea deprehendat esse novum. Ratio est clara ex dictis, quia hîc adest consensus ad substantiam, error enim solùm est in qualitate, de qua hîc loquemur nec emptio facta est sub conditione, quia voluntas ementis mente retenta nihil operatur nec ex alia parte præcessit ullus dolus; ergo ex nullo capite infirmabitur emptio, quantumcunque dicat nunc emptor, si scivissem, non emissem; atque, si iusto pretio emptum est vinum, nihil est præterea supplendum.

22. Notatio secunda: Quando dolus dedit causam contractus, & universaliter, quando decipiens ementem decepit: obligatúrne semper idem decipiens monere deceptum de dolo, ut si velit rescindere contractum, rescindat, vel supplementum pretij accipiat? De dolo positivo agimus: nam de dolo negativo, id est, quando vendens nihil dicit, non tamen revelat vitium occultum rei, quam vendit: dicemus *mox à num. 32.*

Respondeo, si res non est integra, verbi gratia emptor iam bibit vinum, non est venditor obligatus monere. Ita Molin. 352. *circa finem*, quia superfluum id esset, solum igitur suppleat pretium: quòd si pretium fuit æquale, ad nihil obligatur, sed solum ad pœnitendum de peccato doli secundum eius gravitatem. Si res est integra, erit distinguendum, nam si res æque illi emptori utilis est, non obligabitur venditor monere, quia, licèt emptor involuntariè emerit, nunc verò rem habendo æque utilem, potest præsumi ipsum assentiri, vel certè non valdè esse invitum ad eam retinendam. Sed in pretio debet semper fieri æqualitas, ut certum est. Quod si non est æquè utilis, vel saltem ferè æquè, aderit certè obligatio monendi, & rescindendi contractum: quia si est in re gravi, sicuti graviter decepisti emptorem, sic graviter cõtinuares in

deceptione

deceptione. Dico ( in re gravi ) nam Molina *loc. cit.* excusat à mortali vendentes, dum clamant vinum suum esse vetus, esse pretiosum, esse talis loci, cùm non sit: si enim æqualis est bonitatis, & pretij, non graviter (ait) sic lædunt emptores. Verum, ergo inde etiam hos regulariter excuso, quia iam omnibus est exploratum, eos exaggerare, & ut alliciant ementes, sic proclamare.

23. Notatio tertia: Quòd contractus quibus dolus causam dedit, non obligent, nec sint validi, &c. verum habet, etiamsi firmati iuramento fuerint: quia iuramentum promissorium adhærens contractui semper intelligitur conditionatum, id est si contractus est validus; id quod clarè docuimus *lib. 3. cum de Iuramento* & docet Fagundez, *loco citato, cap. 42. num. 11.* aliique.

24. Notatio quarta: Hactenus allata non omnia procedunt in contractu Matrimonij, de quo à nobis dictum est *sup. lib. 3. §. 5. num. 26.* & poterit legi Sanchez, *lib. 7. de matrim. d. 18. & deinceps* nec in sponsalibus, ex eodem *lib. 1. de matrim. d. num 3.* quæ, cùm tendant ad insolubile vinculum Matrimonij, requirunt omnino dam libertatem, immò nec in professione religiosa, nec item in Votis biennij Societatis I E S V, quibus videri poterit de Lugo, *l. c. n. 88.*

*De vendente rem cuius vitium non cognoscitur ab emente.*

25. De vitio intrinseco rei agimus, quod est quando res ipsa, quæ venditur, non habet solitam bonitatem intentam ab ementibus. Nam vitia, ut sic loquar, extrinseca, non esse necesse aperire, colligitur ex dictis *sup. §. 4.* extrinsecum autem vitium illud appellamus, quod rei pretium diminuit ratione alicuius extrinseci, ut ob abundantiam brevi superventuram, ob raritatem futuram emptorum, &c. de qua re *ibid.* dictum est satis.

26. Iam verò certum in nostra hac quæstione est ex Molin. *d. 353.* Salas *dub. 34. num. 4.* Valentia, *tom. 3. d. 5. quæst. 10. part. 3. & 4.* ex S. Thom. *2. 2. quæst. 77. artic. 3.* Primò, Vendentem sive interrogatum, sive non interrogatum, qui tacet vitium intrinsecum notabile rei quam vendit, quo cognito, emptor non emisset; irritum, sive certe irritandum facere venditionis contractum, peccare, & ad restitutionem obligari. Ratio est, quia tunc, cùm dolus det causam contractui, decipitur in re gravi emptor: unde debet ipsi restitui etiam in foro conscientiæ pretium: immò ad illud rehabendum datur in foro externo actio, quæ vocatur Redhibitoria.

27. Certum est secundò ex Dicastill. *lib. 2. de iust. tr. 9. d. 4. dub. 4. n. 35.* in eodem casu, si cognito vitio, adhuc emptor emisset, validum esse contractum propter consensum implicitum (nam supponimus rem esse eiusdem substantiæ) nec peccari à vendente, quia si diminuitur de pretio, & adhuc emptor emisset, illi damnum non infertur: verùm, tum in foro externo (nam in hoc casu datur emptori actio, *Quanti minoris*) tum in foro conscientiæ, semper reddi debebit excessus, si fortè is excessit fuit: & præterea post emptionem monendus erit emptor de eo vitio, ne scilicet is rem eandem maiori pretio alteri vendat, putà, ut non vitiatam, cùm tamen vitiata sit, vel ne damnum faciat alicui res vendita, ut si esset equus calcitrosus, &c.

Ex dictis excusarem vendentem, proportionato iuxta vitium pretio vinum, quod venditor scit brevi corrumpendum, si ipse probabiliter putet ab emptore brevi, & in usum communem esse consumendum: quia tunc nullum damnum infert ementi; secùs si probabiliter putet ab emptore esse servandum, quia tunc illud vitium occultatum in ipsius mentis damnum cederet, ut etiam cederet, si vinum illud esset adhibendum ad medicamenta, &c. Lege Medinam non excusantem, *cap. de rest. quæst. 34 & 35.* & Salonium excusantem 2. 2. *tion. 77. artic. 3.* sed sunt conciliandi modo, qui hic ponitur.

At unde sciam emptorem fuisse, vel non fuisse pturum? Respondeo ex circumstantiis, ex eius fi eius iuramentum, &c. ut modo innui *num. 13.* in Quandonam obligatur venditor monere emptor relcindat contractum réque reddat, pretiumque sumat, satis item, innui modò *in notatione num. 22.*

28. Certum est secundò: Quando vitium, quod cetur, non e abile respectu finis, vel volu mentis, val item esse contractum, & insuper propter illud vitium aliquid diminutum est de pr nihil esse restituendum. Ita Less. *2. cap. 21. num.* Molin. *l. c.* Quòd si non sit diminutum, restituat cessus, immò & admonendus erit emptor, ne eu dem vitio plúris alteri cum iniustitia vendat, vel num alteri faciat modo iamiam dicto *num. 27.* Cùm tem hîc supponamus emptori voluntariam esse em nem quoad substantiam, vitium verò esse leve, erit saltem id peccatum mortale, quando pretium iustum.

Dixi (respectu finis) si enim est æquè utilis *superius, n. 22.*

Dixi (respectu voluntatis) nam si voluntas ementis plicita, vel tacita, fuit conditionata, sic: *Si res tal si vitio caret, &c. emo, secùs non emo* invalidus erit tractus ex defectu conditioni non purificatæ, ut item *sup. num. 21.*

Ex dictis *num 16.* colligitur: Is, qui semina pta vendit pro recentibus: Qui Medicinam effi pro efficaci: Qui ovem morbidam pro sana: Q ervum furacem pro probo: Qui pannum, vel gal notabiliter adustum, vel carioſum pro firmo: Qui v num, vel frumentum, quæ diu servari nequeunt, videt emptorem velle diu notabiliter hæc servare: Q rem litigiosam pro secura: Qui rem amissionis pericolo subiectam (ut sunt, verbi gratia, bona hæreticorum quæ à die commissæ hæresis confiscationi subiacent) pro non subiecta, &c. colligitur, inquam, hunc peccare contra iustitiam, obligarique ad restitutionem tum excessus pretij, tum damnorum, quæ fortè inde sequentur, qualia essent, si cæteræ oves morbidæ rent, mors contingeret sumenti medicinam illam, &c. Ratio autem est quia venditor rem venalem exponit, onerosum contractum per venditionem celebrare intendens, debet sicut bonam monetam accepta, & tradere rem utilem. Nam propter eandem tionem tenetur de evictione, id est tenetur iactura rei resarcire, si ab alio contra ementem res evincatur, &c.

29. Adverte, si sine fraude, vel culpa ignoretur tium ab utroque contrahente, solum erit supplendum pretium, si iustum non fuit: quòd si fuit error in substantia, poterit emptor, si velit, ratificare emptionem, sed & poterit renuntiare: at si fuit sincere celebratus contractus sub protestatione cuiuscumque vitij apparendi, cùm tunc adsit hæc conventio, ne pretij quidem supplementum erit conferendum, quamiuxta periculum apparendi vitij taxatum est pretium, id enim operatur non iniusta illa conventio. Alicubi esse legem, seu consuetudinem, ut res, sertim animalia semper vendantur sub eiusmodi conventione, quam certè approbo, ad tollendas lites. mò non improbabiliter putarem, id etiam tacitè in occultissimis quibusdam vitiis, quæ non solent dere in communem cognitionem; Quidquid dicat contrarium Barthol. à S. Fausto, *in specul. confess. quæst. 14.* secùs vendenti servum, vel equum, qui unum, vel alium diem moritur apud emptorem, set ipse emptor litem movere, dicens, morbum sam mortis fuisse ante emptionem in servo, & non postea, atque adeò velle sibi reddi pretium,

rè maiorem eius partem: opponent interim venditi morbum fuisse repentinum, atque ex præsenti. se morbum fuisse repentinum, atque ex præsenti. sis. Ni sic sibi emptor persuadeat, advocet Anatomas, qui viscera ex arte naviter exploraturos. Quis dicas, qui his nugis vacuas aures daret? &, ratio esse, ulteriex his nugis vacuas aures daret? &, ratio esse, ulteri- ri potest, quia tanti res apud communem æstimatio- nem valet, quanta eius bonitas bona fide expertibus putaret, qui nullum respectum habere ad occultissima vitia, consueverunt. Vide, quæ non multò post di- cemus num. 34.

Porrò quatuor supersunt quæstiones, faciles duæ; duæ aliquantulò molestiores.

*Res vendita solùm vitiosa ex parte.*

30. Quæstio prima facilis: Quando plura simul ven- duntur, quarum aliqua sunt notabiliter vitiosa, aliqua non item, item, critne validus, an invalidus contractus.

Respondeo, cum Bonac. *contract. d. 3. q. 2. p. 6. num. 3.* Iudicis citatis, vel res habent inter se connexionem, spectatis finem ementis, & invalidus erit quoad omnia, frustrato enim suo fine emptor; Vel non habent, & tunc validus erit, quoad partem non vitiosam, quia tunc ma- net militat illud Iuris: *Vile per inutile non vitiatur*. Exemplum: Vendis duos equos ad equitandum; constat unum, quod alterum equitatui aptum, si alter ineptus inveniatur. Vendis eosdem duos equos ad hedam tra- hendam; nulla est venditio, si alter ex equis inveniatur ineptus.

*Fructus rei vitiosæ vendita cuius?*

31. Quæstio secunda facilis: Quando propter præce- dentem dolum resumit venditor rem quam vendidit, cuius erunt ij fructus, quos fortè produxit res sic empta- Respondeo, cum res fructificet pro Domino, eidemque pereat: quando contractus fuit invalidus, fructus erunt venditoris (ut etiam ipsi res periisset si periisset) deductis tamen expensis ab emptore fortè factis, & compensato damno, si quid ab eodem ex vitiosa illa venditione ac- ceptum fuit. At verò quando fuit validus, erunt empto- ris, quia tunc emptor factus fuit Dominus rei. Ita idem *ibid. n. 18.* alios citans.

*Vitium patens an manifestandum?*

32. Quæstio tertia molesta est: An vitium patens no- tabile rei, v. g. equum esse monoculum, debeat ex iustitia manifestari emptori, qui illud non advertit?

Respondeo, hac in quæstione maximè advertendum est, aliud esse tacere, séque habere negativè, aliud, verbis, aut facto, positivè abscondere vitium. Hoc posterius nunquam licet: Vnde damnamus passim eos, qui de nocte, vel sub tenebris, vel admixtas cum bonis datâ opera merces vendunt, ut earum vitia non advertantur, & eos, qui infundunt guttam argenti vivi in equum debetem, quo generosus appareat, & eos, qui sub ver- bis his tegere satagunt suæ rei, verbi gratia, qui vitium. Vendo hunc equum quasi æcum, quasi claudum, quasi saccum (sic loquuntur Siculi) plenum ossibus &c. Ra- tio est, quia quidnam est decipere, si hoc non sit? Te- gere volunt: (dixi) nam si sic dicatur sincerè, ne te- neantur ad damna forte futura, vel forte occulta, tunc profectò non est positivè decipere, sed prudenter agere, eo modò *num.* 29. dictum est. Illud prius, hoc est, ta- cere manifestum vitium, non est improbabile carere iniustitia, si res vendatur iusto pretio, & sine pericu- lo damni alterius. Ita Turr. *d. 58. dub.* 2. aliique apud Trianam *part.* 1. *tract. de contract. resol.* 39 Bonac. *loc. cit. num.* 13. alios citans. Dicastill. *lib. 2. de iustit. tract. 9. disp. 4. dub. 3. num.* 10. cit. D. Thom. Molin. Azor. Navar. alios- que, quia venditor non obligatur facere partes em- ptoris, ostendendo ea, quæ ex se parent, & videre fa- cile potest emptor. Si tamen ex inculpabili inadverten- tia, vel hebeti sensu, vitium manifestum emptor non videat, obligabitur venditor illud ostendere, quia ven- ditor obligatur tradere rem, non vitiosam, & ex alia non habet hic excusationem ductam ab emptoris prudentia cui se committere possit?

*Interrogatus de vitio, quid respondebis?*

33. Quæstio quarta præcedente molestior: An ven- ditor interrogatus de mercis bonitate, vel malitia obli- getur, semper, & quandocunque vitium notabile pa- tefacere? Respondeo obligari, non solùm, quando ex- pressè, sed etiam quando tacitè emptor interrogat, ut si emptor ostendat se vinum, verbi gratiâ, emere, quia illud diu servare vult, id enim est tacitè interrogare de bonitate vini. Ratio est, quia secùs dolus daret causam contractui, & consequenter invalida esset venditio. Excipè primò, nisi venditor sincere, & sine fraude aperte emptori fateatur se nolle rem suam vendere, nisi prout est, iuxta modò dicta *num.* 29. Excipe secundo, quando vitium est parvi momenti, quo etiam cogni- to, iudicatur ex circumstantis emptor empturus fuisse: tunc enim dolus non dat causam contractui, so- lùm restituendus erit excessus pretij, si carius, quàm valeat, res vendita sit. Verùm, si vitium sit dicti parvi ponderis, & nihilominus ex circumstantiis cognoscatur, eo vitio cognito, emptor empturus nequaquam fuisse, invalida est venditio, quia ea tunc æquipara- tur venditioni conditionatæ, sic: *Nolo emere, si adsit hoc vitium.* Cùm igitur adsit vitium, deerit consensus, ut *supra* dictum est *in Notatione secunda*, & conse- quenter obligabitur Venditor pretium totum reddere, remque sibi resumere, nisi aliter voluerit em- ptor.

*De vendente rem incogniti valoris.*

34. Iam verò occasione vitij non cogniti in re, de quo hactenus disputavimus, dicamus aliquid: Primò, de valore rei non cognito: Secundò, de ipsa re non cognita: Tertiò, de vitiosa solutione per monetam falsam. Quoad primum, id explicabitur discutiendo venditionem quandam, quam olim Messanæ contigisse, memini.

Nobilis quidam Vir vendidit cuidam, exiguo pre- tio, vas antiquum prægrande in Conchæ formam ex- pansum, rude aspectu, & ut putabatur ex vulgari me- tallo fusum; Voluit ergo emptor ex vase illo centum circiter librarum ponderis, aliud elegantioris formæ, & magis ad usum accommodatum conflare: sed inter fundendum adverterunt periti Artifices, illud consta- re ex ære Corinthio pretiosissimo, quare separa erunt auri purissimi quasi libras triginta, totidem circiter ar- genti, reliquum æris, ac stanni. Vt rem venditor inaudiit (statim enim fama, quasi de invento thesau- ro per Urbem increbruit) ad Iudices rem detulit, recu- peraturus, si potuisset, pretium, ut ipse clamabat, iu- stum rei à se per errorem venditæ. Quid Iudices illi de- creverint, ego gravissimis tunc distentus negotiis non adverti: nunc verò, cùm hæc scribo, eiusmodi casus in mentem venit, & quid decernendum in conscientia fuisset subscribo.

35. Profectò casus novus non est, solet enim de eo disputari ab Authoribus, Salon. Less. Bannez, Molin. Re- ginald. aliisque apud Dicastill. *lib. 2. de iust. tract. 9. disp. 4. dub. 9. n.* 133 sub exemplis de gemma, herba pretiosa, rudi auro, & similibus ab ementibus, vel vendentibus minùs cognitis, de quibus, antequam resolutionem de incognito illo vase afferam, sic statuo.

36. Si quis emit vitrum, quod communiter tale existimabatur, & pro vitro illud alteri vendidit, sed deinde in manu tertij cognita est gemma, ad nihil te- netur hic posterior emptor, sicuti nec ille prior, si il- lam post emptionem, ut gemmam cognovisset. Idem

solet

solet dici, ut mox *n.* 42. dicetur, herba pretiosa, quæ casu in fasce lignorum invenitur ab emente bona fide eiusdem lignorum fascem. Ratio est, quia tanti valet res, quanti æstimatur communiter: Communiter autem, ut vitrum, ut herba vulgaris illa æstimabantur, sicuti nunc supponimus, ergo non pluris vendi debuerunt.

37. Dixi primò, (communiter tale existimabatur) nam si fuisset merus error, vel deceptio vendentis, ut si puer à Matre gemmam suffuratus, eámque putans vitrum, ut tale vendidisset, vel Artifex à rustico vili pretio gemmam emisset, sine dubio talis venditio, vel rescindi deberet, vel reduci ad æqualitatem iuxta voluntatem decepti, quia esset error in substantia eius rei, quæ communiter maiori pretio digna iudicatur. Ita de Lugo, *t.* 1. *d.* 6. *sect.* 11. *n.* 127. *vers. secundò difficilis est.* Sicuti etiam, si qui rem emit, dátque monetam falsam, seu adulterinam, ut comperit errorem, compensare debet, quia venditores, & emptores tenentur ex ipso contractu se reddere indemnes in re, & in pretio secundùm communem existimationem. In casu autem *n.* 36. cùm communiter ea res vilis æstimaretur, meritiò dictum est, ementem ad nihil teneri.

38. Dixi secundò, (si post emptionem cognovisset) nam si cognovisti antea, ut accidere solet, si Rusticus tibi vendat aliquid simile in campis repertum, est maior difficultas; & ego sic distinguerem: Vel cognovisti viribus ingenij tui, & tuæ extraordinariæ scientiæ, ut si in fasce lignorum venalium introspiceres herbam pretiosam: & tunc posses emere pretio communi, quia communiter pro re vili illa herba æstimatur, & tuæ arti illa felix fortuna debetur: Vel cognovisti ex vi artis ordinariæ, ut certè cognoscerent cæteri eiusdem artis communiter, ut si rusticus tibi aurifici venderet frustum aurei rudis, vel si tibi Mercatori Venditor offerret merces communes, vel monetas, quas ipse venditor viles putat? & tunc non potes emere, vel accipere pro ære, vel simili re vili, quia tunc iam adest pretium naturale, quod est illud, quo æstimari solet ab expertis quibus incumbit pretia rerum æstimare. Debes igitur, pretium hoc commune dare, imò si interrogaris de valore rei, ut dixi *num.* 33. totam bonitatem rei manifestare teneris, ut scilicet Venditor eligat, quod pretium velit, summum, medium, an infimum: lege Mol. *d.* 352. Salas, alios citant. *tract. de empt. & vend. dub.* 6. *n.* 3 Aliqui putant, si non interrogetis de valore rei, posse te dare infimum pretium nihil manifestando de ipsius rei valore. Insinuat de Lugo, *tom.* 2. *de iust. disp.* 26. *sect.* 8. *num.* 126. Sed id mihi difficile est, quia semper remanet scrupulus idem, qui est, quando interrogaris: semper enim Venditor debet eligere pretium ad libitum suum ex illis tribus, quod velit, non tu, dando infimum.

39. Lege Molin. *d.* 353. Caiet. Salas, alios cit. *tract. de empt. dub.* 3. 6. *num.* 3. qui etiam damnat illum emptorem, qui dicit rustico: Vendas hoc tanti, & reliquum pretij condona mihi: nam licèt ille condonet, non est tutus emptor, quia ille non condonat libere, sed ex pacto, sine quo emptor non emeret; nisi recurrat doctrina de ultroneâ merce, vel quid simile, ut suo loco vidimus.

40. Quòd si tu, & rusticus æquè nesciretis, sed subdubitaretis de valore rei, & nihilominus ex communi consensu scienter de certo pretio conveniretis, si postea pretiositas, vel vilitas appareret, ad nihil alteruter teneremini. Patet Ratio, quia fuit æquale periculum. Si spes maior concepta fuerit de valore, à tali emente, aliquantò maius debet pretium afferri, ut emptio reducatur ad æqualitatem, ut ex se patet.

41. Iam redeamus ad Corinthium Vas: Quoniam communiter per tot annos, illud satis vile æstimabatur, puto ementem ad nihil teneri, quia tanti emit, quanti valebat, non pluris autem valebat, quia communi iudicio, etiam peritorum, pro communi metallo reputabatur. Neque dicas in hac emptione vasis, per quam emitur aurum pro ære, adesse errorem in substantia, invalidat omnem contractum: ne id dicas, inquam, nego enim adesse errorem substantiæ: cùm enim datur, & ematur hoc vas, quod tibi est in prospectu, quódque manibus contrectas, tota hæc vasis substantia venditur, & emitur, quasi implicito pacto, quæcumque tandem illius materia sit: quod implicitum pactum est in volente emere gemmam, quam deinde invenit vitrum, vel contrà.

*Venditio rei in se non cognitæ.*

42. Modò res erat cognita, v. g. gemma, sed eius color, seu qualitas non cognoscebatur: nunc ne quidem, quoad substantiam cognoscitur, seu vitrum. Vt si in fasce lignorum adsit confusa herba pretiosa, non videatur, & ut si in Sacco lupulis pleno, fortè hostibus erepto, inveniatur deinde gemma, vel res non prævisum. Quæritur iam cuiusnam erit hoc aurum, si à milite tibi venditus fuit eiusmodi Saccus? Less. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 62. cum Castro Pal. *de iust. in prop. disp. unica, part.* 13. *num.* 13. absolutè respondeo. Dic. *tom.* 1. *de iust. d.* 6. *sect.* 11. *num.* 129. distinguit Lessius sic habet: *Miles, qui excussit hosti Saccos lupulo refertos, in quibus erant laminæ aureæ reconditæ, non fuit Dominus illarum, cùm illos vendiderit antequam sciret quod latêret.* Hæc Lessius.

A quo si petas, cur Miles non est factus Dominus? Respondeo, quia dominium sine possessione non acquiritur: Possessio autem sine scientia esse nequit: nec enim esse apprehensio voluntaria rei, &c. Atque ex hac Lessij doctrina sequitur, tuum esse illud aurum, quia tu illud inveniisti, & primus occupasti.

Verùm, de Lugo sic meritò distinguit *Si Miles cum eripuit volens, prout fieri solet, illum occupare, quod id esset, factus fuit Dominus auri: Sat enim voluntaria sic fuit auri apprehensio. Si autem inteniendo applicavit ad lupulum, quia nihil aliud continere credidit, non acquisivit dominium auri, sed remanet aurum in dominio eius, cuius erat saccus.* Hæc de Lugo, ex qua distinctione.

Dico, si tibi is saccus fuit venditus à Milite Domino, illi deberi aurum, si à milite non domino, deberi aurum illis, à quibus ereptum est. Quòd si à hostes, aurum erit illorum, qui ius habent eos spoliandi, quales sunt Principes, & Respublica, à quibus minoris pretio emere poteris, quasi in præmium manifestatoris. Quòd si denique factâ diligentiâ, Dominus nosci non possit, inter incerta bona computandum erit ex Castro Pal. *l.c.* atque adeò ex nostra sententia erit primi occupantis, ut dicetur *infr. tr.* 4. *cap.* 3. *n. præsert.* 15.

Ex qua doctrina confirmari potest decisio *n.* 14. de Vase illo Corinthio: cùm enim incognitum fuerit aurum, nemo eius dominium habuit, nisi is, qui primus illud novit, atque occupavit.

*Solutio per monetam falsam.*

43. Hìc huiusmodi dolus locum habeat oppositum, cuius sufficiens notitia dabitur, si error rectioris scriptoris, hac occasione, ipsius pace, corrigatur.

Is ergo sic habet, in Repert. morali, v. Possessor, num. 3. *Possessor bonæ fidei monetæ falsæ, quam ponit inter alias monetas potest illam expendere pro bona moneta, etiam sciens illam esse falsam, ex Navarro*, Manual. cap. 17. num. 167. Hæc absolute Leo Zambellus, perinde falsam doctrinam afferens, sicuti de falsa moneta loquitur; ergòne, si inter centum gemmas à me bona de emptas, inveniam decem falsas, easdem, terras veris etiam has decem vendere potero? Quis id unquam permittat? Nam si ego à te sive dolo malo sive culpatè decipiare, non propterea possim alium rem decipere

decipere ; nec, si tu à me quid furaris, potero ergo alterum tantum furari à tertio. Non igitur hæc est doctrina Navarri quam Zambellus ei ascribit. Navarr enim *loco citato* recte, licet non admodum clarè, distinctionem veram tradit. Explico ; Monetâ vel primò falsa est ex mistione metalli vilioris, vel secundò ex defectu ponderis, vel tertio ex signo regio, quod à falso monetario privata anthoritate monetæ iusti ponderis, iustique metalli imprimitur, cùm deberet illud imprimi auctoritate Regis.

44. Dico primò cum Navarro, & Molina *t.3.d.* 704. *n.*12. si expendatur moneta falsa primo, & secundo modo, peccari contra Iustitiam, cum obligatione restituendo, peccari contra Iustitiam, cum obligatione restitutionis. Addo ergo (ad explicationem maiorem) cum eo discrimine, ut si cognoscens falsitatem id facias, pecces cum obligatione restitutionis, si eam inculpatè non cognoscens, non pecces, sed statim, ac cognoscis obligaris ad reficiendum pretium ei, qui damnum sentit: obligaris autem non ex iniusta actione, sed ex obligatione, quam habes solvendi iustum pretium pro re empta.

45. Quòd si nullus damnum sensit ex tua hac expensione bona fide facta, & ex illa tu locupletior nequaquam es redditus, ad nihil te obigat meritò de Lugo *d.*18.*de iust. num.* 6.

46. Dico secundò, cum eodem Navarro, si expendatur moneta falsa tertio modo, non peccari contra Iustitiam ; esto nim, peccaverit is, qui signum regium emendatius est, non peccas tu, qui expendis, quia per eiusmodi expensionem nullum alteri tertio damnum infers, iam enim tertius habebit monetam : quæ æquè in foro æstimabitur, ac quæcunque alia legitima.

## §. XII. *De fraudibus ex Monopoliis.*

MOnopolium Græcè, Latinè unius venditio, multis patratur, & multis excusatur modis, quos distinctè iam subiicio.

### *Monopolium ex privilegio.*

1. Quando aliquis vel aliqui pauci obtinent à principe Privilegium, ut ipsi soli vendant, distinguendum est. Nam sine rationabili causa est id illicitum cum onere restitutionis, quod primo loco subeunt ipsi Privilegiati, secundo loco ipse concedens. Ratio est, quia sic fit iniusta aliis volentibus similiter vendere suas merces. Si verò sit ex causa rationabili, licitum est, excusante nimirum eadem rationabili causa, dummodo pretium, pensatis omnibus, iustè constituatur, non vero consideratâ huc restitutione apud unum venditorem, quæ per accidens est: Si conciliantur Sotus, Med. Sylv. aliique apud Salas, *dub.*38.*n.*2. qui negant, cum aliis apud eundum, & Bonac. *de contract. d.*3.*q.*2.*p.*5. cui concedunt.

3. At, quænam rationabilis est eiusmodi causa? Respondeo, bonum publicum, quod ferè accidit in tribus casibus dumtaxat. Primò, quando Princeps eget pecuniâ ad bellum necessariâ, vel opera Regno necessaria : tunc enim servata is conditionibus servari solitis in vectigalibus imponendis, vendere poteris hoc privilegium, & pecuniam ei operi applicare. Secundò, quando, nisi daretur hoc privilegium, ut unus, vel pauci vendant, nemo, vel pauci merces importarent in Civitatem, saltem continuatè, & certò, ob sumptus, quos sine eo privilegio recuperare vendentes non possent. Id ferè accidit alibi in imprimendis libris, hîc in Sicilia in importanda nive æstatis tempore : nisi enim haberent illi Impressores privilegium, ut ipsi soli ad decennium, v.g. eum librum imprimant, & illi soli nivem importent, iis facile carebit Respublica. Tertiò, quando ob benemerita alicuius artificis aliquam novam artem invenientis conceditur, ut ipse solus eam exerceat: conducit enim ad publicum bonum, sic allicere homines ad novas artes.

4. Petes : Quando vendit Princeps hoc privilegium potéstne sibi applicare pretium ? Respondeo, nequaquam. Ratio mihi est manifesta, quia, cum ipse illud possit concedere, solùm propter bonum publicum, obligabitur, quando hoc intervenit, illud concedere : at nemo pretium accipere iustè valet ob rem quam obligatur ex iustitia facere : ut certè obligatur ex suo munere & pacto implicito cum Republica, Princeps bono publico prospicere. Dices, accipiet quasi gabellam ad onera Reipublicæ sustinenda. Respondeo, assentior : sed tunc iam erit ob Reip. bonum, & nihilominus debebit solemnitates, & conditiones iustæ gabellæ, ut modò innuì, servare.

5. Petes iterum : Princeps poteritne taxam pretij eiusmodi mercium relinquere arbitrio huius privilegiati ? Respondeo, Lessius *lib.*2.*c.*21.*num* 149. sic meritò distinguit : Si merces sint pertinentes ad victum, & cultum, vel quid simile ad vitam necessarium, debere Principem taxare pretium, si ad ornatum, deliciásve, posse non taxare. Ratio est, quia in necessariis facile populus gravari continget ab uno venditore, quod incommodum vitare tenetur Princeps : At in non necessariis, cùm non ex necessitate ea emantur, non est tam facile eiusmodi populi gravamen.

### *Monopolium ex compacto.*

6. Si venditores conspirent in pretium, ita ut vendant supra legitimum, aut supra rigorosum, peccant cum onere restitutionis excessus, & damni inde sequuti, idem, si emptores conspirent, ut emant infra infimum. Ratio est, quia iustum pretium non debet pendere ab arbitrio unius, vel paucorum, sed ex communi æstimatione, bona fide, & sine dolo. Atque adverte, iustum pretium non esse hîc illud quod fortè post conspirationem enascitur, hoc enim, cùm ex iniusta conventione consurgat, iniustum etiam erit : sed illud, quod ante iniustam conspirationem sine fuco, & fallacia cursebat, vel currere poterat, quidquid dicat Caram. 2.*th. mor.n.*850.

7. Illud non damno : Posse eiusmodi Monopolium monopolio trudi, hoc est, ut donec vendentes vendunt pretio plus, quàm rigoroso, emptores emant ex compacto minus, quàm infimo, donec, inquam ; nam cessantibus illis sive partim, sive ex toto, cessare & hi simili modo debent.

8. Quòd si aliqui venditores conspirent in pretium, ita ut vendant, vel emant intra latitudinem pretij iusti; ut nimirum omnes vendant pretio rigoroso, & nemo infimo, vel emant infimo, nemo supra, non peccant contra iustitiam, secluso vi vel fraude, quia iam servant pretium iustum : sicut enim sine iniustitia, vendere rigorosè ego particularis possum, sic & sine iniustitia, possumus simul.

9. Sed permaximè animadvertendum est, quódnam tunc sit pretium iustum, id quod dicam *n.*21. & innui *n.*6.

10. Peccari, in hoc casu, contra charitatem docent non ignobiles Doctores, quos sequitur de Lugo *tom.*2.*de iust.d.*46. *sect.*12. *n.*175. Lege Caram. *lib.*2.*th.mor.n.*845. & Molin. *d.*345. & ratio præter leges graviter id inhibentes esse potest eadem, quam in simili mox dicam *n.*15.

### *Monopolium ex emptione omnino mercium.*

11. Si unus mercator, seu revenditor ; aut pauci sibi sine vi vel fraude coëmant omnes merces certi generis, omne, v.g. frumentum, ut ipsi soli vendant etiam expectando tempus penuriæ, & inopiæ, quo vendant carius ; siquidem pretio iusto vendant, spectatis omnibus circumstantiis, ut *mox num.*21. dicam, non peccant contra iustitiam commutativam, unde ad nullam restitutionem obligantur. Ita Molin. *d.*345. *fin.* Less. *lib.*2.*c.*22. *num.*151. aliique apud Bon. *disp.*3.*de contract.q.*2.*p.*5.*n.*4. contra Navar. Azor. aliósque, putantes peccare contra iustitiam. Ratio est, quia iusto pretio emunt, iustóque ut supponimus, vendunt.

12. An peccent contra Charitatem, est omnino distinguendum: Vel enim loqui possumus de illo uno qui sine conventione cum aliis, sibi dictas omnes merces emit; & hunc ne peccare quidem contra Charitatem, docent Mol. *ibid concl.* 2. de Lugo *ibid.n.*178. præscindendo semper à lege prohibente, vel à damno valde notabili Reip. Ratio esse potest, quia sibi providere quilibet in suis negotiationibus per suam diligentiã potest.

13. Vel possumus loqui de multis, qui simul conspirantes, simul emunt, ut carius vendant; & hi difficulter à peccato contra Charitatem excusantur, tum quia sic faciliùs induceretur penuria in Civitate contra bonum publicum, tum quia regulariter deinde (inductâ iam penuriâ) carius, quam fuisset pretium etiam infimum, cæteti vendent.

14. Ad coëmptionem omnium mercium facit casus quem narrat Sylvester, *v. Empt.q.*17. accidisse Venetiis. Mercator acceptas litteras ab Oriente de superventura penuria aromatum, laceravit, & abiecit: has deinde collegit alius Mercator, partes coniunxit, legitque. Tum magnam mercium copiam emendo, illum prævenit, lucrúmque præripuit. Quæsitum fuit, an secundus Mercator iniuriam primo fecerit?

15. Affirmat Rebell. *p.2.l.9.q.7.n.*9. Negat ipse Sylv. cum quo sentit Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4. *cum enim* (ait Laym.) *Mercator ille litteras laceratas in publicum abiecit, & veluti pro derelictis habuit, hoc ipso omnibus fragmentorum illorum potestatem, ac vsum fecisse censetur, ut proinde quisque in suum commodum iis vti potuerit, itaque rectè sic resolvit Sylvester: Si quis litteras in publicum locum abiectas legit, solum, ut sciat, curiositas est, si ut sibi provideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est.* Hæc Sylvester, & hactenus Layman, apud quos sit huius doctrinæ auctoritas.

16. Ego enim non excusarem à dolo, & consequenter ab iniustitia illum, qui legeret litteras alterius, quas in iis circumstantiis invenit, ut certò moraliter iudicet non esse consultò derelictas, sed casu amissas, vel non bene conscissas. Ratio est, quia tunc non militat ratio excusationis: tunc enim Dominus non censetur illarum litterarum usum liberum aliis dedisse. Si tu invenias chartam, in qua sint alicuius scripta peccata ad confessionem, auctoremque noscas, illámne legere audebis?

17. Notat præterea *ibid.* Layman. Si iis litteris abiectis, aliquid occultum legat, eum peccare contra charitatem, imò, &, contra iustitiam, si illud alteri manifestet: unde damnum iniustum alicui contingat, sicuti peccaret, qui ostenderet locum, ubi aliquis est, ei, qui ipsum velit occidere.

*Monopolium ex remotione aliorum vendentium.*

18. Si quis vi, vel fraude impediat importantes merces in Civitatem, frumentum, v.g. ut ipse solus vendat maiori scilicet pretio, quod tamen descendisset, si illi non fuissent impediti, peccat contra Iustitiam, & contrahit onus restitutionis, ut ex se patet.

19. Si verò quis impediat solùm precibus, & suasione, non peccat contra Iustitiam, modo vendat iusto pretio. Ita Bon. *loc.cit.num.*4. quia non facit iniuriam, sicuti nec facit iniuriam ex communi sententia, qui sine vi, vel fraude suadet Testatori, ne alicui legatum, vel hæreditatem relinquat. Quòd autem hîc sit censendum iustum pretium, dicam *mox anum.* 21. præterea, an hic peccet saltem contra charitatem, ex dictis colligi potest.

*Monopolium ex inducente penuriam.*

20. Eadem ratione ex Bon. *ibid. n.* 6. excusari possunt ab iniustitia transferentes triticũ, v.g. extra territorium, præscindendo à legibus id prohibentibus (quas non obligare sub mortali nisi quãdo valdè notabile damnum Territorio paritur, vel nisi quando alia prava circumstantia esset, inclinat Reginaldus *l.*13.*n.*41. nec videtur dissentire Bon. *de rest.d.*1.*q.*1.*p.*1.*num.*7.& 8. sicut possent domi illud occultare sic transferre, hoc est habere dominium seu rei, idest de illa disponere sine Iniustitia posse, ut ei libet. Verum, hic etiam mox est perpendendum, quodnam sit iustum pretium, & quo modo peccetur contra charitatem: modo insinuato & 15. illud video eiusmodi Monopolia esse semper populosa, & ad iniustitiam valde vergentia: nam propterea regulariter cavenda.

*Pretium in Monopolio.*

21. Dixi *n.*6. illud pretium esse iniustum, quod omnes habet ab iniusta conventione: Semper igitur advertendum est, an pretium ideo crescat, quia vel ab uno vel à multis coëmptæ sunt, cum iniusta conventione, merces: tunc enim semper erit iniustum. Præterea quod pretium postea carius determinabitur ad arbitrium solius venditoris, vel perinde ac si ab initio merces illùm fuissent apud vnum, clare iniustum est pretium. Ratio est, quia pretium debet taxari, vel frequentia emptorum, ex abundantia, vel penuria rerum, ex necessitate earundem, & eo quæ cùm nunc post illam tuam coëmptionem eadem sint, idem debet esse & pretium, non verò carius.

22. Non est tamen cum privato quolibet, qui non consensit Monopolio, nec ex fraude, vel malo consilio dedit causam augmento pretij, scrupulosè agendum quia non possit vendere res suas pretio per malitiam alterius aucto; cùm pretium auctum per iniustitiam iustum non sit. Ita Reginald. aliíque cit. à Bon. *de contract.d.*3.*q.*1.*p.*1. *num.* 11. contra Filliuc. & Rebell. Non inquam, ita quamvis auctum sit per aliorum fraudes, est tamen tutum (ut supponimus) pretium commune, per fraudes, inquam, non meas, ad quas, cum ego non conspirassem, illas, vel earum effectum pretij aucti tollere non obligor, ut eum obligantur, qui iniuste illas posuerunt: Et sanè, si per latrocinia frumentum, v.g. fuisset distractum, vnde & cum pretium auctum fuisset, quis condemnaret vendentem hoc aucto pretio? Vt item, si nescirem illam iniustam conspirationem, & bona fide pretio illo iam communi venderem, quisnã ad restitutionem me obligaret? nec equidem sciam, cùm scientia ad iustitiam, vel iniustitiam pretij nihil addat omninò.

## Caput VIII.

### *De eadem quarta Radice Restitutionis ex Contractu particulari Mutui.*

#### §. I. *Quid sit Mutuum.*

1. Mutuum sic dictum, quia de meo tuũ fit, est traditio rei consistentis in pondere, numero, vel mẽsura, spe recuperãdi statuto tẽpore tantũdem in genere suo. Ita Mol Less. Bon. mox citandi, aliíque *passim.*

2. Dicitur primo, (*Traditio*) quia Mutuum non perficitur mero consensu, ut venditio; sed requiritur ipsa traditio, per quam transfertur rei mutuatæ dominium in mutuatarium, quod non facit commodatũ, neque ex natura sua depositũ, nam propterea, si, quod mutuatum est, fructificet, vel pereat, mutuatario fructificat, perit.

3. Dicitur secundò (*rei consistentis in pondere, &c.*) explicentur tres species mutui. In pondere, ut cùm mutuatur massa argenti. In numero, ut pecunia. In mensura, ut vinum triticum, lac, & similia, quæ in Iure *l.*2 *ff. tum petatur*, dicuntur recipere functionem, id est, ut una fungatur officio, vel vice alterius; ut unum vinum pro alio, &c. Vide Angel. *v. Vsura, n.*36. Navar. *in Man. cap* 13.*n.*21.

4. Dicitur tertiò (*cum spe, &c.*) ad differentiam donationis, venditionis, &c.

9. Dicitur quartò (*statuto tempore*) non enim tu-

do reddere antè. Nihilominus potes antea reddere : nam nonnullus terminus præfigitur in gratiam debitoris, non creditoris creditor vetare, ne debitor si velit, solvat antea. Quid, si nullus fuit constitutus terminus ? Respondeo certum est non posse mutuantem statim repetere ? sic enim nullum fuisset mutuum. Erit ergo ex Menoch. *de arbitr. lib.2.casu 22.* tempus per Iudicem decernendum à fine, & à circumstantiis mutui. Si enim mutuasti Agricolæ, v.g. frumentum hyeme, apparet te mutuasse vsque ad messem, &c. Vide omnino quæ dicam *infrà*, § *5.n.11.*

Quando nullus est constitutus terminus non peccat saltem contra Iustitiam, qui mutuum, v.g. frumentum non repetit nisi tempore, quo illud maiori pretio venditur? quia sibi imputet mutuarius, si non reddit tempore sibi commodiore. Ita Salon. *2.2.q.78.art.2.* Sotus, *lib 6.q.2.art.2.* Navar. *in man.c.17.n.225.* Peccaret tamen contra Iustitiam mutuans, si nollet tempore vilioris pretij acceptare frumentū, quod illi offerret mutuatarius, quia sic privaret ipsum suo Iure valendi solure, quando vult.

6. Dicitur quintò (*in genere suo*) non enim reddendum est idem in individo, ut sit in commodato, sed idem in genere, ut loquuntur Iurisconsulti, seu idem in specie, ut aptiùs loquuntur Theologi; licèt semper in æquivalenti bonitate, vel supplendo defectum, ut ipsa iustitia postulat Vinum, v.g. bonum, pro vino bono, &c. quod certè involvitur in sequenti particula.

7. Dicitur enim sextò (*tantundem*) id enim solum requiritur, & satis est. Nam qui mutuat pecuniam, v.g. aureum, ei iustè redditur argentea, vel ærea, si tantundem in valore reddatur, quia sic iam redditur æquivalens. Excipe, nisi præcesserit pactum in contrarium, quod mox posse esse iustum, dicam in simili. Atque ex hac particula maximè discernitur, quando in mutuo sublateat vsura: Si enim plus exigas, sive in pecunia, sive in aliquo gravamine, quàm sit ipse mutui valor, vsurarius eris, si ex vi mutui exigas, ut fusè § *sequenti* explicabitur, quæ exigis pluquam tantundem. Ex hac eadem particula fit, ut qui contrà, mutuat pecuniam minutam, æream, v.g. non possit exigere, ut reddatur argentea vel aurea, quia sic imponeret debitori onus vltra sortem, seu debitum. Pluris enim valent nummi hi quàm illi aurei, adeóque non tantundem, sed plus requireret.

8. Pari modo si mutuasti aureum valentem nunc decem iulios, non potes exigere tempore præfixo, aureum valentem tunc fortè (ob incremētum monetæ) vendecim iulios, sed solùm decem. Contrà, si mutuasti aureum valentem nunc decem, si decrescat moneta, itavt aureus tempore præfixo valeat novem, non eris iustè satisfactus si recipias solum aureum, seu superaddi debet iulius. Ratio vtriusque est, quia tu tantundem ex mutuo debes nunc recipere, quantum eo tempore, quo mutuasti, valeres, & non supra, nec infra, semper præscindendo à pacto, ut dictum est, de quo *mox*.

9. Idem est in similibus rebus functionem habentibus: Si enim mutuasti mensuram tritici, contigat autem mensuram augeri, vel decrescere, semper potes exigere tantā mensuram, quam mutuasti, habes enim Ius ad tantundem. Quid, si crevit pretium, v.g. tritici? Mutuavi tibi, v.g. quatuor tritici mensuras, quæ tunc valebant quatuor aureis, nunc verò tempore, quo reddo, valent octo? Respondeo, si nullum præcessit pactum, sive creverit, sive decreverit pretium, semper mutuatarius debebit solvere quatuor mensuras, nempe totidem, quot recepit. Ita Bonac. *de contract. d.3.p.4.num.2.* Molin. *d.312.n.7.* id enim vsu, & consuetudine, & quasi virtuali pacto inter celebrantes mutuum, receptum est, ut si nullum præcedat pactum, res debeat solvi in pari bonitate, & mensura & nihil supra, nec nihil infra. Ita Less *l.2.c.20.dub.17.n.150.* Caram. *l.2.Theol.mor.num.729.* pro hac sententia affert Azor. Sot. Navar. aliósque; sed Less. *l.c.n.149* ponit in sententia contraria, quam sequitur Scotus, *in.4.dist. 15.q.2.* aliique docentes, posse peti valorem qui erat tempore mutui celebrati.

10. Dixi (si nullum præcedat pactum) nam posset pactum tripliciter præcedere: Primò, ut sive crescat pretium frumenti, sive non, totidem mensuræ reddantur. Secundò, si frumenti valor decrescat, reddatur tantum, quantum æquivalet valori frumenti, qui est tempore, quo mutuans illud mutuat. Tertiò, ut reddatur, quantum æquivaleat valori frumenti, qui erit tempore, quo mutuarius reddet. Et quidem in primis duobus modis iustum est pactum, quia Dominus frumenti habet ius ad suas præsentes mensuras, & ad præsens pretium sui frumenti. At in tertio, nisi adsit alius titulus damni emergentis, vel lucri cessantis, vel iustæ emptionis ad metam, &c. iniustum est pactum. Ratio, est quia Dominus mutuare non potest secundùm valorem, vel pretium futurum non existens, sed secundùm præsens, cuius tantummodo dominium habet.

11. Denique vide differentiam: Si quis mutuet vinum vetus, non satisfit ei, si reddatur novum, quia non reciperet tantundem, quia vinum vetus semper supponitur melius, quàm novum. At si quis mutuet frumentum vetus, satisfit ei, si reddatur vetus nec potest pacisci, ut detur novum. Ita Ang *l.c.n.74.* Navar. *l.c.n.22.* lege Medin. Salon. nostrum, Sylvestrum, aliósque, quos citat Barth. à S. Fausto, *in speculo, d.16.q.57.* quia esse grauamen quærere novum cùm novum sit semper melioris conditionis. Excipe, nisi alicui, v.g. Agricolæ æquè facile, imò facilius esset reddere novum messis tempore, tunc enim non esset gravamen: nam iustificari potest negotiatio in Sicilia vsurpari solita dandi frumētum ad renovandum: dant enim Mercatores hyeme vnam frumenti mensuram bonæ qualitatis (nisi enim esset bonæ qualitatis, iniustiam sine dubio communiterēt) ut recipiant æqualem tempore messis. Adde hyemis tempore frumentū præcedentis proxime recollectionis nō posse vocari vetus, sequidem per paucos menses à messe, eósque non æstivos frumentum regulariter deteriorationem nequaquam patitur, ergo iustè ei satisfit per novum sequentis recollectionis. Denique communiter plus valet mensura frumenti hyeme, quam messis tempore, & frumentum novæ messis magis crescit quam frumentum habitum hyeme, ergo iustè compensatur pretium cum incremento, &c.

## §. II. *Quid sit Vsura.*

EST lucrum quæsitum ex mutuo vi mutui Ita Innoc. *de usur.c.3.& passim.*

2. Dicitur primò (lucrum) Usura enim est, quando quid pretio æstimabile accipitus supra sortem, id est, supra id, quod mutuo datum est, sive id sit pecunia, sive allud, quo gravetur mutuatarium.

3. Dicitur secundò (quæsitum) sive mente, vocatúrque usura mentalis, sive ex pacto expresso vsurario, appellatúrque vsura realis.

4. Dicitur tertiò, (ex mutuo) sive expresso, sive tacito, seu palliato, si enim fingendo venditionem, v.g. exposcis lucrum supra sortem, mutuum erit palliatum.

5. Dicitur quartò (vi mutui) & in hoc consistit vltima essentialis differentia vsuræ. Si quid enim ex mutuo lucreris, non ex vi ipsius, id est, non tanquam ex Iustitia debitum ex mutuo, sed ex alio capite, v. g. ex damno emergente, ex gratitudine, ex benevolentia, usura non est, ne mentalis quidem, quantumvis nisi hoc lucrum gratitudinis, v.g. expectares, non mutuares, quia non expectas ex vi mutui, nec tanquam debitum ex Iustitia. Ita Caiet. *v.Vsura, c.4.& 2.2.q.68.art.1.* Rursus (ex vi mutui) sive principaliter, sive minùs principaliter. Si enim principaliter intendas amicitiam, & minùs principaliter lucrum ex vi mutui, Vsurarius erit Ita Val. *t.3.d.5.q.71.p.1.* Ratio est, quia, quando obiectum est ea se malum, semper est peccatum, illud etiam minùs principaliter velle. Vt si Iudex principaliter damnaret reum ob iustitiam, minùs principaliter ob inimicitiam, utique peccaret, quia damnare reum ob inimicitiam semper est obiectum malum. Ita in casu nostro, &c.

*Gratitudo ex mutuo.*

6. Ex dictis collige primò, licitum per se, & speculativè esse mutuantem, etiam antequam mutuet, rogare, vel excitare mutuatarium, imò, & cum illo pacisci, ut aliquid supra sortem impertiatur ex mera liberalitate, & verè voluntariè: quia sic, nihil expectatur ex vi mutui. Ita Mol. *d.* 205.

7. Dixi tamen (verè voluntariè) nam si mutuans est nimis importunus, vel exprobrans ingratitudinem, vel quid simile, tunc mutuatarius non daret gratis, sed ad redimendam vexationem, & ex timore, ne denuo mutuum obtineat, vel obtineat difficulter. Signa voluntariæ traditionis vide *infrà*, §. 7. *n.* 4.

8. Dixi iterum (ex mera liberalitate) nam proh quàm periculosum est, ne, si hæc petitio, vel pactum sit ante mutuum, degeneret in obligationem! Nam propterea dictum modò est (per se, & speculativè) in praxi enim omnino explodendum est eiusmodi pactum, vel præcedens petitio, quamvis signis, & imperfectis verbis insinuata; quia hæc in praxi notant obligationem, &c. Quòd si ineas pactum obligans mutuatarium, ut omnino det aliquid ex gratitudine, clara est usura, ex Laym. *lib.* 4 *tr.* 10. *de Simonia, cap. ultimo*, §. 2. *num.* 8. & 9. quia clarè superaddis obligationem, & meritò Valentia, *t.* 3. *d.* 3. *q.* 21. *p.* 2. docet esse illicitum, in mutuo petere, quasi ex Iustitia, amorem, & benevolentiam, quia ex mutuo non debetur amor, nisi ex debito morali, & libero, non ex obligatione; multò igitur magis erit usura mutuare cum pactò, ut mutuatarius frequentet suum molendinum, ut emat à tali officina merces, &c. quia hæc essent gravamina supra sortem.

*Mutuare cum pacto, ut fiat, quod debetur ex Charitate.*

9. Colligo secundò: An liceat pacisci, ut mutuatarius solvat, seu faciat, quod debet, ex Charitate. Medicus, verbi gratiâ, ex Charitate debet mederi pauperi infirmo, si non sit alius, qui medeatur; Medico igitur huic liciténe possumus dare mutuum ea lege, ut ultra sortem ei pauperi opem ferat? Respondeo, licitè ex Molina, *d.* 309. Carampel, *lib.* 2. *Theolog. moral. n.* 736. illicitè, & iniustè ex Navarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 353. Ratio huius est, quia sic adderemus onus ex iustitia, cùm antea solùm fuerit ex Charitate. Ratio Molinæ est, quia, cùm Medicus absolutè mederi debeat, non iudicatur moraliter superadditum ipsi esse onus novum. Vtrumque probabile.

*Mutuare cum pacto, ut fiat quod debetur ex Iustitia, Vbi:*

*An liceat Christiano dare Turcis ad usuram.*

10. Sed quid, si pactum sit, ut fiat id, quod ex Iustitia quis debet? Debet, v. g. Petrus tibi 50. potésne illi mutuare alia 50. cum pacto, ut solvat centum? Respondeo posse. Ita Molin. *lib. Dicastill. l.* 2. *de iust. tr.* 10. *d.* 2. *dub.* 3. *num.* 82. quia tunc non petis illa 50. ex vi mutui, sed ex vi Iustitiæ ante mutuum; Hinc addit Navarr. *lib. num.* 146. te posse mutuare cum usura ei, cum quo bellum iustum geris, sicut enim vi, & bello illum spoliare potes ita, & usuris.

11. Quædam Matrona subministrabat hîc Panormi, pecuniâ cum usura Turcæ cuidam, prætextu, quòd in Turcas nos iustum bellum habemus, ut illi nescio quis Confessarius posse insinuaverat. Profectò si Confessarius indoctus fuit, erravisse mirum non est: si doctus, Navarræ dictum debuit expendere: qui de hostibus loquitur, quos mutuatarius spoliare potest, non verò de his Turcis inter Christianos sub captivitate degentibus, in quos nullum bellum iustum habemus, cùm pertineant, dum sunt captivi, ad Communitatem nostram, non verò ad Communitatem Turcarum. Potest quidem ex Filliuc. Caiet. Azor. apud Dian. *p.* 7. *tr.* 7. *resol.* 11. captivus Christianus Turca suo Domino aliquid furtim accipere in compensationem sui famulatus, ad impræque libertatis: & probabiliter, ex Molin. Less. Machad. quos citat, sequitur *ib.* Diana, & alij *p.* 5. *tr.* 13. *n.* 6 aliquid solum, sed quid potuerit, idque ob præsumptam Principis voluntatem, cuius est hostes hos communes debellare, & spoliare, qui mavult ea Turcarum bona, ad quæ dictus subditus ius habet, esse apud Christianum, quam apud Turcam inimicum: quare ex hoc titulo quilibet Christianus etiam non servus, poterit ibi apud Turcas existens (prescindendo ab alio inconvenienti) usuris eos spoliare: verò quoad Turcas apud nos convenientes, sicut ex causâ libertatis, nec causâ præsumptæ Principis voluntatis ab iis aliquid surripere potes, unde te Princeps furem puniret, si quid illis auferres: ita nec poteris eis, vel quibscunque fictis contractibus rei familiari detrimentum iisdem afferre.

*Mutuare cum pacto aliquid faciendi, &c.*

12. Colligo tertiò: An hic contractus sit licitus, Do tibi mutuum sub-onere, quod iusto pretio colas agros. Scotus enim, & alij apud Dicast. *l.* 2. *tr.* 10. *d.* 2. *n.* 120. approbant hunc contractum, probantque communem praxi, quâ Domini dant mutuas pecunias Rusticis hyp cum pacto, ut agros ipsorum Dominorum colant, profectò nō video, qua ratione liberari id possit (si non addas) ab usurariam enim aliud gravamē præter tem adiicis: liberari igitur debet ex Caram *l.* 2. *Theol. num* 743. solùm ex compensatione gravaminum. Dominus enim privat se sua pecunia, & subit gravamina Primò, ut non repetat pecuniam ante tempus, quo solent coli, etiam si indigeat. Secundò, ut non admittat alios, rusticos, quos posset ad agros colendos. Adde & tium, quæ se obligat Dominus ad dandum reliquum cuniæ. & ad illam pecuniam inveniendam, si forte ei rent, nè scilicet defraudet Rusticum promissore. Si Dominus hæc gravamina subit, non erit iniustitia illud onus colendi agros rusticum obligare.

*De intentione lucri supra sortem ex parte unius tantum ex contrahentibus.*

13. Si tum mutuans, tum mutuatarius intendant & recipere dictum lucrum ex vi Iustitiæ, utrosque re, si verò ex alio titulo, neutrum delinquere, iam ex dictis. At insurgunt adhuc duæ difficultates.

Altera: Si mutuatarius det tanquam ex Iustitia, mutuans tamen verè, & sine dolo ignorans talem dantis animum accipiat, tanquam traditum ex liberalitate; vel contra mutuatarius det ex liberalitate, sed mutuans illius animum nescius, accipiat tanquam ex Iustitia, quid in conscientia sentiendum?

1. Respondeo ad prius: Mutuans ex illa ignorantia nequaquam peccavit, nec eadem durante, lucrum acceptum restituere debet: At si sciat, statim debet restituere. Ratio est, quia cessante ignorantia, cessat bona fides, consequenter cùm non adsit titulus iustus, succedit obligatio restituendi. Quòd si inveniatur illud expendisse, restituere ex Molin. *d.* 306. Less. 2. *c.* 20. *n.* 4-id, in quo factus est ditior, nam si in nullo factus est ditior, ad nihil tenetur, quia totum bona fide consumpsit. Respondeo ad posterius: Mutuans, licèt ad nihil tenetur ex re acceptata, verè adest iustus titulus retinendi, qui est donatio libera lis: at quia illum ignorat, peccat conscientiâ erronea, dèmque persistente, obligabitur ex eadem ad restituendum; Verùm si veritatem cognoscat, & restituere possit & repetere, si dedit; Quòd si expenderit, bene fuisse pensum, poterit item reputare. Sicuti si furatus fuerit brum, quem deinde cognoscis esse tuum, tuus creditor ptio enim illa fuit solùm formaliter iniusta, non materialiter, quod requiritur ad pariendam veram obligationem restituendi.

15. Alter

15. Altera Difficultas; Si mutator dubitet negativè, An mutuatarius lucrum dederit supra sortem liberaliter, an ex vi mutui, tenebitúrne ad restitutionem? Respondeo, tenebitur. Ita Med. *de usur. q.3.c.3.* quia in dubio præsumitur ius innocentis, & Domini rem suam, certò possidentis, nam tametsi supponamus, lucrum iam esse in manu mutuantis, tamen hæc possessio est materialis, seu, ut vocamus, naturalis, si quidem possessio civilis, & vera est apud mutuatarium, donec constet de vero titulo translationis dominij.

16. Signa autem, quòd liberaliter, & verè gratis aliquid donetur, vel donatum fuerit, sunt. Si mutuans reddat lucrum acceptum, & mutuatarius nihilominus sponte iterum donet: si idem mutuatarius sit dives, liberalis, & magnificus: si in dando lucrum, non præferat difficultatem, vel molestiam, præsertim quando idem mutuatarius non sperat iterum ab eodem mutuante simile mutuum. Contrà si mutuatarius sit pauper, si parcus, si avarus, si molestiam præferat, si conqueratur cum amicis de inducta dati lucri, si sint coniecturæ ipsum moveri ad dandum lucrum, ne iterum petendo mutuum repellatur, & cetera non vulgaria in dicia involuntarij. Lege Dicast. *lib.2.tract.10.d.2.dub.13.* facit huc, quod dixi *supra, tract.2.q.9.§.2.n.35.*

## §. III. *An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis liceat quid accipere supra sortem?*

1. QVandoquidem licere iam supponimus ferè omnes. Molin.*d.315.* Less.*l.2.cap.20* Bon. *de contr. d.4.q.4.* & innumeri Doctores citati à Dicast. *d.2. tr.10. d.2.dub.4.n.159.* conditiones solùm requisitas afferamus

*Tres conditiones quoad damnum emergens:*

2. Prima, ut certò sit damnum tibi eventurum, vel eventurum rationabiliter timeatur, nec impediri possit. Ita Caiet.*2.2.quæst.18.art.2.* Navarr. *in man.c.17.n.n.211.* Dicast. *l.c. dub.7.n.187.* si enim habeas aliam pecuniam vel amicum, qui illud damnum possit impedire, cur tribuis mutuo?

3. Secunda, ut id mutuatario manifesto dicatur; fortasse enim nollet cum hoc onere mutuum accipere; si ergo taceas, iudicaris condonare, sufficere autem puto, si fiat pactum de lucro supra sortem, nec enim est necesse, ut explicetur explicitè hoc lucrum esse propter damnū. Dicast. *l.c.n.188.* Castro Pal. *de iust. comm d.4.p.15.* Ratio est, quia iam sufficienter mutuatarius consentit ad illud onus: erit tamen bonum consilium explicare, ne ut usuarius condemneris. Sufficere item puto, si te quis, v.g. Rex cogat ad contrahendum: sic Salon. & alij citati à Salas, *dub.18. n.5.* Coactio enim illa est implicitus consensus ad omnia damna, quæ alter contrahens patitur. Idemque dic in lucro cessante.

4. Tertia, ut iuxta, damnum, seu damni periculum æquale pretium detur. Cùm autem incerta plerunque sit quantitas damni, quod ex mutuo alteri dato eventurum tibi sit, perpendat, omnibus cõsideratis, vir expertus iuxta mox dicenda *n.14.* hîc proportionaliter applicanda, quænam quantitas pretij sit statuenda.

5. Ex his collige sequentis dubij solutionem: Ego tibi mutuavi centum, ea lege, ut propter damnum mihi verè emergens, reddas centum, & decem, potésne tu mutuare hæc eadem centum, vel eorum partem alteri tertio ut ab illo recuperes illa decem, vel partem eorum, quam mihi debes?

6. Respondeo; Dic mihi, si ego tibi vendidi equum, v.g. iniustè centum, potésne tu equum alteri tertio iniuste vendere, ut excessum pretij, à me tibi ablatum, recuperes? Respondebis, distinguendo: Si equus in mea manu, quia illius curam gessi, melior effectus est, unde tum centum valeat, possum; secùs nequaquam, quia, si iniustè ego à te tractor, iniustè me alium tractare fas non est. Rectè respondisti, nam simili quadam ratione ego propositæ dubitationi respondebo, cum Salas *dub.8.n.6.* aliísque ab eodem cit. si supponas primo propter mutuum, quod tu das tertio, emergere tibi aliquod damnum ab hoc tertio: ut si ideo accipias ab alio mutuum, quia huic mutuum das, potes illud damnum, quod tibi emergit, & ad quod hic consensit, ut supponimus, exigere. Verùm, si supponas secundò nullum tibi emergere damnum ab hoc tertio mutuatario, non potes eo solo prætextu, quòd vis resarcire damnum, quod ab alio, seu à me passus es, vel patieris. Ratio utriusque dicti est, quia, quando quis patitur damnum à mutuo, quod alteri concedit, iustum est, ut illud hic alter resarciat, quia illius damni est causa, iniustum verò, si non est causa; At in prima suppositione mutuatarius ille tertius est causa illius novi damni, ergo solvet iustè. In secunda verò non est causa illius tui damni, cur ergo solvet?

*De damno emergente ex mora.*

7. Illud addere operæ pretium hîc est, quoniam mutuatarius non solùm debet solvere damnum emergens toto tempore mutui, ut diximus in secunda conditione, sed æquum pariter est, ut si ipse in termino præfixo non reddat, & post illum terminum mutuanti aliquod damnum necessariò sequatur (si enim voluntariè, ipsi mutuanti imputetur) æquum, inquam, est ut illi resarciatur. Dubitabis, an adveniente termino hoc præfixo, opus sit monere debitorem de damno hoc, quod tibi creditori incipit deinceps insurgere? & idem de lucro cessante. Memini me de hac re universim *superiùs* nonnulla dixisse, *cap.2.§.6.n.3. & n.10.*

8. Respondeo, negant esse necessarium, Navarr. *c... n.51.* Petrus Navarr. *l.3.de rest. c.2.n.278.* Dicast. *lib.2 de Iust.tr.10.2.d.7.n.188.* quia ex iure *l. magna, C. de contr. stipul. Dies interpellat pro homine.* Affirmant Angel. *v.V sura 1.num.20.* Caiet. *2.2.q.78.ar.2.* Azor. *p.3.lib.5.c.4.q.3.* quem citat, sed non sequitur Diana *p.1.tr.8.res.87* faciunt quæ dixi, ex de Lugo *suprà, c.2.§.6.n.3. & 10.* ut scilicet sic debitor ponatur in mora, nam fortasse, si de novo hoc onere admoneatur, omnibus viis illud extinguere satagebit. Nec obstat prædictum Ius, quod solùm loquitur (aiunt) de sorte, & de lucro convento, non verò de quocunque possibili, & consequenti.

9. Dico, probabilius esse, debere omnino debitorem admoneri (excipe consuetudinem Mercatorum, de qua mox *num sequenti.*) Ratio est iam dicta ab affirmantibus. Et insuper, quia si debitor non admoneatur, meritò creditor iudicabitur velle condonare illud subsequens damnum, de quo mentio nondum facta est, nisi fortè in genere, & solùm tacitè ex universali quadam ratione, quòd quilibet velit suis rebus lucrari, si potest: quæ consideratio tam universalis, & indefinita non videtur sufficere, ad ponendam obligationem tam certam in Debitore.

10. Sà, *v. Mora', n.2. fine*, de hac re sic breviter habet: *Obligatus ex delicto semper est in mora. Qui autem sine delicto, non potest, aut difficulter potest, aut alioqui causâ iustâ excusatur, putant quidem* (cum his sentit Mol. *d.315.* quam citat, sed non sequitur Castro Pal *de iust. comm.d.4.p.15. n.12.*) *non esse in mora, adeóque non teneri ad interesse ratione moræ, nisi ex pacto, vel appositione pœnæ conventionalis si tali tempore non restitueret, aut impotentia culpâ eius accidisset.* Hæc ille, lege item Dianam *part.1. tr.de Con. res.43.* Posse autem poni in contractu mutui, vel etiam aliis contractibus pactum, seu pœnam hanc conventionalem de solvendo aliquid, solùm ratione moræ, quamvis non adsit titulus ullus damni emergentis, vel lucri cessantis, videtur hîc supponere Sà de quo tamen *superiùs, c.7. §.7.n.29. & 30.* nos diximus, ubi addidimus ad solvendam eiusmodi pœnam, requiri sententiam Iudicis, & nunquã obligare, si mora fuit sine culpa.

Dixi *n.9.* (excipe consuetudinem Mercatorum) propter illud quod Sà, sic *ibidem* addit: *Alij putant qui non solvit tempore debito etiam sine culpa, in mora esse: quæ mihi opinio videtur Mercatorum usu recepta.* Hæc ille. Quæ consuetudo

consuetudo ubi introducta est, servetur, quia est rationabiliter introducta, siquidem Mercatores solent negotiari & lucrari continuò: sed quoad praxim puto facilius introductam fuisse hanc consuetudinem, quando Mercatores dant mutuum, quàm in cæteris contractibus, quia Mercatores regulariter intelliguntur pacisci cum recipientibus ipsorum actualem pecuniam mutuam de quocunque damno, etiam post terminum solutionis eventuro; quod non est in aliis contractibus.

Illud rectè notat Pasqualigus, creditorem acceptantem solutionem partis debiti censeri liberare debitorem à mora, sibi enim, eam partem acceptando, præiudicat; nam, dum partem acceptat, videtur implicitè pœnam moræ, & quodcunque interesse ratione moræ habitum remittere.

*Tres Conditiones, quoad lucrum cessans.*

11. Prima conditio ex Dicast. ill. *lib. 2. de iust. tract. 10. d. 2. dub. 5. num. 167.* ut aliquid accipias ex eo capite, quod ratione mutui tibi lucrum cesset, est, ut eâ pecuniâ esses negotiaturus, & re vera aliquid lucraturus. Nota illud (eâ pecuniâ) si enim aliâ, cur huic mutuatæ imputas? Quid, si hanc destinast ì negotiationi, & aliam otiosam habes Domi? Respondeo, Tunc potes exigere lucrum cessans, sic Arrag. 2. 2. *quæst. 18. art. 2.* Val. *tom. 3. d. 5. q. 20. p. 2.* quia de facto hæc fructificatura erat, non alia. Quid si ita dispositurus sis? *Vellem (& utique, possem) meam pecuniam negotiari, nisi essent, qui mutuum peterent*: seu quod in idem recidit: *Nolo applicare, quamvis utique possem, hanc pecuniam ad negotiationem, quia volo mutuare illam fortè petituris.* Respondeo, quamvis per hanc conditionatam voluntatem non videatur pecunia negotiis destinata, sed destinanda: unde videatur tunc non posse accipi lucrum supra sortem; Tamen adhuc posse doceo cum Lessio, *lib. 6. c. 20. d. 7. num. 90. & 95.* & Maldero, apud de Lugo *tom. 2. de iust. d. 25. sect. 6. §. 1. num. 44.* quando lucrum fuisset de proximo, & non solùm remotè habendum: id addo, quia remota lucra non ponuntur in consideratione; vide Bossium *tom. 2. mor. tit. 25. à n. 212.* licèt non negem esse periculum palliandi usuram. Ratio autem, quòd tunc possit, est, quia verè tibi cessat lucrum ratione mutui.

12. Secunda conditio, ex Dicast. *l. c. num. 170.* ut id ominò mutuatario explicetur: nam fortasse mutuum is nollet sub hoc onere. Excipe, nisi cogaris ut modò dixi *n. 3. fine.*

13. Tertia, ex eodem *ibid. num. 172.* ut servetur æqualitas; ne scilicet plus accipiatur, quàm sit lucrum cessans. Hinc primò, deducendæ sunt expensæ, quas fecisses in negotiatione illa. Hinc secundò, quando lucrum est dubium, vel sub periculo, vel quando tu non eras in voluntate firma negotiandi, cùm nescires occasiones superventuras, valde minus accipere potes, idque iudicio experti. Hinc tertiò, longitudo, vel brevitas temporis, sub qua fortè præfigitur redditio mutui, multùm prodest, vel obest ad decernendum lucrum: nam brevioris tempore producta negotiatio minus fructificat, quàm longiore.

14. Ob hanc ergo lucri incertitudinem, tribus modis pacisci cum mutuatario poteris. Primò, determinando nunc lucrum tuæ negotiationis tantum esse. Id, quod expertus poterit decernere, iuxta naturam negotij, opportunitates sese offerentes, pauciores expensas, & similes circumstantias: sed deinde, quodcunque evenerit, erit in hoc taxato lucro standum; quia par fuit periculum. Secundò, si fiat pactum, ut tantum detur, quantum alij Mercatores, in simili negotiatione, lucrati fuerint. Tertiò, si fiat pactum indeterminatè, ut tantum detur, quantum ipsi mutuanti cessabit de lucro: & in his duobus modis similis erit determinatio, nam dabitur, quantum Mercatores in simili negotio lucrati sunt.

Si ex mora solvendi cesset lucrum mutuanti, idem dic, quod modò diximus *n. 8. & n. 10.*

*Laboris æstimatio.*

15 Tres supersunt Difficultates. Prima: An æstimatio laboris, quem perferre aliquando deberes, ut lucrum ex tua negotiatione forte laboriosa conquireres, deducì? Varij varia. Illud mihi certum est, & nunc dicere sufficit, regulariter non esse deducendam, nisi parvam aliquam partem iudicio prudentis. Ita Less. *l. c. dub. num. 98.* lege item Salas *dub. 20 num. 12.* Sotum *de iust. q. 1. art. 5.* Rebell. Reginald. quos citat, sequitúrque Dicast. *l. c. n. 178.* Ratio probans, & explicans hanc nostram sententiam est, quia homo comuniter vult potius laborare lucrando, quã otiari etiã sine lucro; ergo cùm labor involuntariè illi cesset, non est is privandus lucro quod reportaret ab eo labore relicto propter tuam necessam. Sic pauper artifex vulneratus ab inimico, otiatur quidem, dum jacet in lecto, sed mallet laborare, & lucrari: nam propterea inimicus lucrum cessans debet reddere ei, quamvis otianti. Ex alia parte, quia nullus homo est communiter qui cessationem notabilis laboris non emeret aliquo parvo pretio, ideo hoc parvum pretium erit deducendum.

*Lucrum cessans anticipato sumptum.*

16. Secunda Difficultas: An Mutuatori liceat lucrum quod ipsi cessabit, sumere nunc ab ipso initio mutui? g. mutuat nunc quis centum, speratque decem acquirere ex lucro sibi cessante: potéstne licite nunc sibi sumere ea decem? Respondeo, nequaquam: Ita Medina *de usuris, quæst. 3. §. Septima conclusio.* Dicast. *l. c. à n. 174. & deinceps seq.* Ratio est, quia sic non mutuaret centum, sed nonaginta, & sic non potest lucrum accipere ex integro mutuo centum aureorum.

17. Caramuël *lib. 2. theolog. mor. n. 755.* tollit hanc difficultatem: *Fiant duo contractus; alter mutuationis, alter venditionis, & sic poterit mutuans sumere nunc decem, seu septem octo, vel sex.* Explico: Mutuans nunc mutuat centum aureos cum spe, ut recipiat hinc ad annum ex lecto octo, præter sortem, alia decem. Vendat nunc anticipatè hanc spẽ denarij lucri ipsi mutuatario, quæ spes valeat v. g. omnibus ab experto viro expensis, sex velocto reis, nam statim nunc poterit sine labe usuræ hos sex octo aureos, sumere non quidem ex vi mutui, sed ex venditionis sperati à se lucri, & venditi mutuatario.

18. Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 11. n. 100.* ab eadem difficultate sic se liberat: *Mutuet quis tibi centum, ita ut mutuum cum interesse solvas 91. at 9. sint interesse, nam mox hæc reddere mutuanti potes sine ulla ipsius iniustitia pro interesse debito illis 91. tunc enim tu mutuatarius non solvis lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, sed ex alia, quæ pacto plus æquo non gravaberis.* Dices, gravabor ex eo, quòd anticipato solvo quod nondum debeo. Responderem ego pro Lessio: At certò debebis, & ex alia parte molestia dandi nunc, quod debebis postea, compensari sufficienter videtur ex eo, quòd mutuans gratis mutuat tibi, & sine interesse illa novem.

19. Azor. *p. 3. lib. 5. c. 5. q. 3.* eandem difficultatem tentat eludere: *Mutuet Titius centum Caio cum pacto, ut Caius reddat quinque pro interesse: mox Caius det Titio aliquid aliud, quod æstimetur quinque, v. g. certam portionem olei, vini, frumenti, &c. Nam tunc non committeretur iniustitia, quia hæc committeretur, si illa quinque detraherentur à centum mutuatis: at nunc illa olei, vinive portio non est pars pecuniæ mutuatæ.*

20. Ex his tribus modis primus, & secundus approbentur, nam si sincerè exhibeantur, nihil continent iniquitatis: Tertius verò omnino reprobetur, quia illa olei, vel vini portio, licèt physicè non sit pecuniæ mutuatæ, tamen æquivalenter, unde meritò tunc non dicemus mutuari centum, quandoquidem, propter illa centum, solvitur æstimatio aureorum quinque, quamvis in alia materia.

Lucrum

*Lucrum cessans ex contractu explicitè iniusto, sed iusto implicitè.*

21. Tertia Difficultas est: An qui bona fide contractum usurarium, seu aliàs iniustum celebravit, ignorans esse talem, possit lucrum exigere: quatenus si iniustitiam advertisset, alio modo non iniusto cum eodem, vel cum altero contraxisset. Contraxisset, v. g. vel per contractum societatis, cum assecuratione sortis, & lucri, cuius contractus iustitiam, hìc supponimus, & videri potest apud Doctores, Bonac. *de contr. d. 3. q. 3. p. 11. num. 2.* alios cit. Mol. *d.* 417. Dicast. *d. 2. tr. 10. d. 2. n. 4. &* 38. Val. Navarr. aliosque; Dian. *p. 1. tra. 8. res.* 30. contra Azor. Fill. Sot. Dicast. *lib. 2. de rest. tract. 10. disp. 2. dub. 21.* vel per contractum emptionis frumentorum, seu similium iuxta metam tandam, de quo *superiùs* fusè disputavimus, vel per contractum iusti Cambij, vel Constitutionis census annui, vel per similes.

Respondeo, id quamvis in praxi non sit facilè confugendum, tamen Lessius *lib. 2. c. 20. n. 205.* probabile putat iustè posse; quando mutuans expressit se velle contrahere omni meliori modo, quo potest. Imò Sà *v. Vsura, n. 8.* quem sequitur Tannerus *2. 2. q. 4. d. 3. n. 99.* Dian. *p. 1 de contr. res 47.* de Lugo. *t. 2 de iust. d. 25 sect. 9.* id est, si mutuans scit, non verò si ignorat contractum illum iustum, benignius loquuntur, & absolutè posse concedunt; Profectò Sà sic habet: *Qui fecit contractum usurarium bona fide credens iustum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisisset aliquis per contractum licitum.* Ratio potissima (nam alias vide apud citatos) posset esse, quia, mutuans dum bona fide procedit, & non est dispositus ad exercendas usuras (quam certè dispositionem nemo mediocris conscientiæ habere præsumitur) implicitè contrahit cum voluntate non committendi usuras, & cum voluntate habendi lucrum; ergo contrahit cum voluntate contrahendi iusto modo possibili, hoc enim totum involvitur ab illa bona fide, &c. Cùm igitur ex alia parte iam mutuarius consentiat ad id totum, quod petit mutuans, aderit ex utraque parte sufficiens, & iustus contractus, atque actualis consensus, nec solum conditionalis, sic: Alio modo iusto contraxisset, si hunc iniustum cognovisset; quam conditionalem certè non sufficere ad iustificandum lucrum omnes fatemur: quia conditio nihil ponit in esse: si ergo adest sufficiens utriusque voluntas, aderit, quod necessarium erit ad iustè lucrandum.

22. Nec obstat primò. Quòd damnum hoc resarciendum debuit antea debitori manifestari: non obstat, inquam, satis enim illi fuisse notificatum censetur, cùm ab illo mutuans lucrum illud supra sortem petiit.

23. Nec obstat secundò, Quòd posset idem fieri ab eo, qui malâ fide contrahit per contractum cognitum usurarium, non obstat, inquam, quia neganda est sequela. Qui enim bona fide eo modo contraxit, implicitè vult bono modo contrahere: At qui mala, iam voluit contrahere pravo, non autem recto modo.

Dices: At si sciviset bonum modum, hoc bono modo contraxisset; Ergo virtualem & implicitum consensum habuit ad hunc bonum modum. Respondeo, nego consequentiam; Cùm enim conditionalia nihil ponant in esse; & ex alia parte is expressè malo modo contrahere voluit, non est attendendus ille conditionalis conclusus, sed hic absolutus, qui verè affuit. Quarè non placet Vtericlli *tr. 4 q. mor 2. num. 3.* qui contrarium docet. Nam etiam dato, sed non concesso, quod speculativè id posset defendi: tamen à praxi est omnino repellendum: cùm enim nullus sit contractus usurarius, qui non possit vel cum hoc, vel cum alio contrahente celebrari aliquo tandem recto modo, iam in praxi omne iniustum lucrum ex usurario contractu conquisitum, è medio tolleretur.

24. Nec obstat tertiò. Quòd in venditione, locatione, & censibus fieri simile quid non potest: neque enim potes à Petro, v. g. petere plus, quàm decem, si pro decem, pretio nimirum infimo rem eidem iustè vendidisti, vel iustè locasti, quamvis, si pretio summo vendidisses, etiam iustè vendidisses, non obstat, inquam, quia in casu hujus objectionis emptor, seu conducens contrahit cum hac persona, quæ non consentit nisi ad pretium conventum, & non ad aliud: At in casu nostro mutuatarius jam consentit dare tantùm lucri, & solùm per conscientiam erroneam, hoc apparet iniquum: cùm ergo deposita erit conscientia erronea, poterit mutuans, quasi per compensationem sibi retinere lucrum, quod alias justè accepisset.

25. Immò ex venditione, vel locatione confirmari potest doctrina, de qua disputamus. Sit, qui vendat, seu locet bona fide rem pluris, vel minoris justo: valeat decem, v. g. sed vendat, locétve duodecim, vel octo, statim, atque apparet hunc contractum esse injustum, poterit, abstrahendo à liberali donatione, immò debebit reduci ad justum. Cur igitur idem non sit in casu nostro ut sicut ibi veluti reformatus contractus, quia implicitè semper intelligitur venditio, vel locatio facta sub pretio justo, ita in nostro casu recudatur contractus, quia propter bonam fidem intelligitur factus alio modo, hoc est, justo: hæc quoad sententiam Emman. Sà dubitasse sufficiat; & de qua Lessius *lib. 2. cap 20. nnm. 110.* ait, non esse permittendum, ut quis sic contrahat absque expresso titulo, ob quem lucrum petat, vel nisi expresserit, se velle contrahere meliori modo, quo potest. Sanum certè consilium.

26. Inquires: Sicuti post initium prædictum mutui contractum cum prædicta virtuali intentione, licere videtur lucrum accipere, licebítne ab initio his duobus modis contrahere: Primò: *Do tibi centum, ut omni meliori modo, quo iustè possum ultra sortem lucrum à te reportem:* Secundò: *Do tibi centum, ut ultra sortem lucrum à te reportem.*

27. Respondeo ad primum: Non esse hunc contractum improbandum: immò hanc esse sententiam Lessij, iam dixi *n. 21. & n. 25.* nisi tamen ex eo capite infirmetur, quod *n. 29 & 30.* mox explicabo. Ratio est, quia sub illa clausula (omni meliori modo, &c.) iam implicitè fit contractus justus, & excluditur injustus.

Respondeo ad secundum; id triplici modo fieri posset. Primò, si advertas ad bonos titulos damni emergentis, v. g. vel lucri cessantis, &c. ex quibus lucrum supra sortem acquirere justè posses. Secundò, si advertas nullum titulum bonum adesse. Tertiò, si adest quidem bonus titulus, sed tu præscindas: nihil scilicet cogitans de justo, vel injusto titulo.

Dico: Primum modum esse licitum: Secundum illicitum, & usurarium, quæ duo patent ex dictis: At tertius modus, quia nemo est censendus delictum committere, nisi expressè constet, iudicandus erit etiam licitus, saltem regulariter: qui enim hoc tertio modo contrahit, implicitè bonum titulum involvere præsumitur: quare nisi ex mala conscientia, & prava consuetudine mutuantis sub usura, aliud colligatur, voca hunc contractum bone fida factum, pro quo recurrat Doctrina jam hactenus à Sà tradita: *Duo Mulierculorum contractus mutui discutiuntur, &c.*

28. Quæ *à n.* 18. diximus, nisi in uno explicentur, ansam possent afferre labendi, ut his superioribus diebus accidit cuidam aliàs doctissimo Theologo; Is cùm absolutè nobili Viduæ concessisset, posse decem pro centum in anno recipere ex dato mutuo, re deinde bene perpensa, necessum fuit eandem admonere, ut lucrum receptum restitueret; an ex quodam capite aliquam partem dicti lucri potuerit retinere, intelliges ex *infrà* dicendis §. *præsertim 5. n. 19.*

29. Explicatio est hæc: Diximus tunc posse lucrum jusmodi sumi, quando mutuans, si non fecisset hunc contractum injustum, fecisset utique iustum, vel societatis, vel metæ, vel cambij vel census, vel similis. At verò si mutuans nullum contractum ex iustis fecisset, lucrum reportare posse, nunquam diximus, reportaret enim

ex nullo justo titulo. Iam inspiciamus, an illa Vidua nobilis iniisset aliquem ex contractibus justis; Ipsa (ut ex se fatebatur) à cambiis abstinere se dicebat, quia fido carebat correspondente. Contractum metæ omnino respuebat, quia nimis molestum sibi erat dependere ab iis, qui metam imposituri erant, & cum tanta præsertim incertitudine lucri, usque ad vertentem ferè annum, metæ impositionem expectare; Societatem verò, vel securum censum, vel alium similem contractum inire poterat cum nemine, quia multoties cùm quæsivisset, non invenit. Dic ergo, amice Theologe, cur statim, re indiscussa, concessisti potuisse illam ex mutuo lucrum reportare? Si enim ipsa meliorem, seu justum modum non habebat lucrandi, contrahendo cum aliis, nec contrahendo cum ea, cui mutuum dedit, quæ mulier etiam erat, nec ullo modo aliis contractibus apta, satis convincitur iniquè contraxisse, cùm justè non potuerit.

Quod igitur dictum est de hoc inito contractu, dici debet de ineundo, quando alius contrahendi justus modus non affulget, est enim clarè usura palliata, etiam expresse dicere, te velle omni meliori modo contrahere; quando hic modus, vel non est, vel recusatur.

30. Hinc damnabis novam quandam mulierecularum nostræ ætatis negotiationem: Dant unum, vel alterum aureum petenti cuipiam, hac lege, ut singulis hebdomadis duos repetant tarenos, seu Iulios, donec aureum integrum solvant, & insuper alios tres quatuórve Iulios pro lucro. Profectò si ipsius lucrum cesset, si damnum emergat, si periculo se exponant, uno verbo, si iustus intercedat titulus, aliquid proportionatum eas reperere posse, non est dubium: at si nullus, unde poterunt; Neque hîc valet prætextus, *si non mutuassem*, &c. non valet, inquam: quia nullus est in his circumstantiis possibilis iustus contractus, non Cambij, non Census, non Societatis, nam, ut alia taceam, quis hos celebret in tam modica pecuniâ? Non metæ, quia debuisset mutuans expectare metæ impositionem, nec potuisset post hebdomadas lucrum, & sortem sibi repetere; non denique similis iustus aliquis contractus, quia is non appatet: Remanet ego esse negotiationem usuratiam, & prorsus improbandam, vide §. 5. n. 19.

## §. IV. *Difficultas, vel periculum recuperandi sortem, an det lucrum;*

1. QVando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expensæ in recuperando mutuo, atque hæc oriuntur ratione personæ mutuatarij, potest aliquid proportionatum exigi supra sortem Ita Dicast. *lib. 2. de iust. t. 10. d. 2. dub. 10.* Less. *l. cit. dub 13.* Val *l. c. p. 2.* Sylvest. *v. Vsura 1. q. 35.* aliique. Ratio est, quiæ subire etiam sponte hæc pericula in lucro æquè, ac in sorte, in gratiam alterius, est pretio æstimabile, quidquid dicat Salas, *dub. 20. n. 8.* alios cit. qui negat pro periculo sortis aliquid esse deducendum. Proportionatum (dixi) in quo anguntur timorati Fideles, & tandem nulla alia regula certior, quàm iudicium experti, afferri potest, iuxta periculorum qualitatem, numerum, gravitatem. Illud erit ædiumento, ut videas, quantò pretio Mercatores communes similem negotiationem assecurarent, seu fideiuberent in foro, & exinde, quid possis tu ex similibus periculis exposcere, perpendas. Dixi rursus (rationabiliter timetur) nam si pericula timeantur ex sola pusillanimitate, negant plerique cum Mol. Sal. apud de Lugo *mox cit.* posse quid ultra sortem accipi, quia tunc illorum periculorum non est causa mutuum, sed mutuantis vitiata dispositio. Verùm, de Lugo innuit posse, licèt denique aliorum iudicio relinquat. Ratio est, (inquit) quia præter Matrimonium, pro quo aliud potuit in iure statui, in aliis contractib[illegible] causa hæc immediata, cur possit quid exigi, est angor, & molestia, quæ mutuans passurus est, toto, v. g. anno, propter timorem amittendi sortem, quæque subire ipse non obligatur sine pretio. At hæc iam in eo pusillo adsunt: ergo, &c.

2, Solet autem contingere, ut mutuatarius ad [illegible] curandũ mutuantem de sua mutuata pecunia, [illegible] aliquem fideiussorem, cui aliquid, verbi gratiâ, [illegible] trésve aureos pro quolibet aureorum centenario [illegible] tuatarius dat: (& iustè quidem, nam hic fideiussor [illegible] bit solvere totum mutuum, si mutuatarius non [illegible] id, quod licitè fit, etiam quando non est peric[illegible] nè solvat mutuatarius, ut docet Molina *d. 319.* [illegible] contra Covarr. *lib. 3. Var. c. 2. n. 6.* quia adhuc est omn[illegible] tiõ aliquo, licèt minori, æstimabile.

3. Iam inquiro, an hîc quod facit hic tertius, [illegible] facere ipse mutuans, simile pretium sumens à mu[illegible] rio: cuius sit fidejussor pro se ipso?

4. Respondeo: Si mutuans obliget mutuatarium, [illegible] non eligat alium assecuratorem, nisi ipsum mutuum usutarius erit. Non autem talis erit, sed iustus negot[illegible] tor, si illum non obliget, esto, se offerat, imò & rog[illegible] sed sine periculo obligandi mutuatarium. Ratio prim[illegible] est, quia illud esset imponere mutuatario onus nov[illegible] supra sortem datam, & hunc casum dumtaxat d[illegible] sacet Canon *cap. Naviganti, de usuris.* Ratio poste[illegible] est, quia, suscipere in se tale onus assecurationis, est pr[illegible] tio æstimabile, ut modo dictum est: quare sicuti [illegible] tertius pro hoc onere aliquid exigere valet, cur non [illegible] leat ipse idem mutuans, qui certè non fit deteriorat[illegible] conditionis ex eo, quòd mutuet?

## §. V. *An liceat aliquid plus accipere, ob promissionem quam alteri quis facit non repetendi pecuniam mutuatam intra certum tempus?*

1. COmmunior sententia habet, nequaquam licere. Immò non nemo addit, contratiam esse nouam, inauditam, periculosam in fide, & aperientem viam illicitis. Ita Molin. *d. 308. n. 10.* Less. *dub. 14.* Salas *tr. de vsur. dub. 9. n. 1.* Aragon. *2. 2. quæst. 38. art. 1.* de Lugo *t. 2. de iust. d. 25. sect. 3. num. 17.* contrariam falsissimam vocans. Diastill. *lib. 2. de iust. tr. 10. d. 2.* Rationes huius sententiæ [illegible] variæ, à variis Doctoribus excogitatæ, quas, nè [illegible] petam, mox cum earundem solutionibus subdam.

2. Alia non ignobilium Authorum sententia (quam Lessius, licèt contrarius, ait, posse alicui videri non [illegible] probabilem, sed tamen Mercatoribus tam laxas [illegible] nas non esse dandas) docet utique licere. Ita Lod[illegible] *p. 2. tr. 8. c. 35. concl. 4.* dicens, idem doceri à discipul[illegible] Th. apud Dian. *p. 5 tr. 13. res. 50.* & *p. 1. tr. 8. res. 48.* Ioan[illegible] na apud Less. *l. c.* Castellin. apud de Lugo *l. c.* Ioan. Mo[illegible] apud Less. *l. c.* quibus addo Trull. qui hanc vocat [illegible] bilem, licèt ipse contrariam sequatur *t. 2. in Decal. l. c. 19 dub. 12.* apud Dian. *p. 8. tr. 7. res. 43.* & *p. 3. tr. 5. res. 42.* citant. Tamnerum. Ratio potissima (nam alias vide [illegible] Lessium) est, quia non potest negari promissionem [illegible] repetendi, per annum, v. g. esse novum onus, nov[illegible] que obligationem pretio æstimabilem, ut *mox* clarius [illegible] tebit *n. 11.* quare, quod pro ea accipitur, non accip[illegible] ex vi mutui, sed vi talis novi oneris.

3. Confirmari primò potest, quia omnes cum Mo[illegible] na concedunt, te posse quid exigere pro promissione [illegible] quâ te obliges intra annum mutuare quid, vel vend[illegible] quandocunque quis voluerit, quia id verè est onus pr[illegible] tio æstimabile. Sed idem est promittere non repetere [illegible] tra annum, quod mutuatum est, simile enim est utrum[illegible] que onus: ergo &c.

4. Confirmavi secundò potest: Quia debitum mut[illegible] tãdum post annum posse nunc extingui, dato aliquo pr[illegible] tio creditori à debitore, *superius*, cum Fag. Reb. alliis [illegible] doctis Authoribus concessimus *cap. 7. §. 8. num. 2.* [illegible] que etiamsi alius titulus non appareat, nisi quia præsens [illegible] pecunia plus valet, quàm futura, non quidem in se (nec enim in se valet aureus hodie, quanti post annum) sed ratione annexorum, quia in anno timeri semper rationabiliter possunt pericula, esto, nunc prorsus nulla pra[illegible] videantur, ut *ibidem* explicuimus. Iam infero: ergo pecunia mea præsens, quam tibi mutuam do, plus valet [illegible]

propter

propter similia connexa, quàm tua, quæ futuro tempore à te solvetur.

3. Caramuel, *lib. 2. Theolog. mor. d. 14. num.* 802. de etiam *num.* 765. plerumque benignus, & interdum debito magis, hîc scrupulum iniicit, ita enim cum, qui verò scit fore, ut nullo modo pecunia, quam alteri mutuavit, indigeat, nihil justè posse supra sortem exigere, quia tunc nullum sibi gravamen imponit, at qui nullum patitur damnum, non habet, cur utilitatem aliquam sequatur. Hæc, inquam, ait. Verùm, si probabilis est hæc secunda sententia, quando prævidetur indigentia, quam ipsemet Caram. *ibid. num.* 766. amplectitur, dicendum consequenter erat, aliquid, licèt minus semper accipi posse, quia nunquam in praxi verum est, ut ipsemet fatetur *dicto num.* 802. nullum sic gravamen imponi: semper enim timentur indigentiæ casuales, & pericula inopinata: immò ipsa promissio non repetendi, verbi gratiâ, per annum, est novum gravamen pretio æstimabile, sicuti promissio tibi quid vendendi, quando voluerîs, ut iam dictum est.

4. Confirmari potest tertiò: Quærunt aliqui, An possim licitè mutuare, verbi gratiâ, centum Petro ea lege, ut si ego vivam usque ad annos decem, ipse mihi anno decimo reddat ducenta, id est, sortem, & alia centum, quasi decem pro singulis annis; si verò decimum annum non pertingam, nihil prorsus, nè sortem quidem reddat? Et, licèt neget Sylvest. *v. Usur.* 1. *quæst.* 36. & 37. quia id esset lucrum ex mutuo, concedunt tamen recentiores apud Dianam, *par. 7. tract. 9. res.* 71. & *alios*: Barthol à S. Fausto, *in spec. Conf. d.* 12. *quæst.* 55. Est enim lucrum ex contractu innominato: *Do ut des*, & veluti ludus paris periculi. Non est igitur novum, transire mutuum in alium contractum ratione alicuius superadditi pretio æstimabilis. Quare, si ego subeo periculum, ne inopinatus adsit casus, quo ea pecunia egoindigeam, vel indigeat Amicus meus, cum interim mutuatarius certò sciat, se in omni supervenienti casu, sine formidine per annum uti posse pecunia mea, quam non petere promisi: cur esse id pretio æstimabile non sit iudicandum?

7. Equidem video hanc sententiam usuræ periculo subesse, & insuper esse difficile statuere, quantum possis pro hac promissione requirere, quod iam *mox num.* 17. quæremus, tamen, an sit probabilis tum propter eius Authores, tum propter rationes iam allatas, & solutiones in contrarium mox afferendas, ultima sit apud sapientem lectorem æqua sententia.

8. Superest ergo, ut pro curiosis videamus, quo modo ad rationes contrarias, hoc est, ad rationes primæ sententiæ responderi possit. Prima ratio est, quia sic ex omni mutuo posset exigi lucrum, prætextu, quòd non ex vi mutui, sed ex vi promissionis exigatur.

Responderi potest, negando sequelam, ut *mox num.* 12. clariùs explicabo.

9. Secunda Ratio, quia sic pro longiore tempore posset plus exigi; si enim propter promissionem non repetendi mutuum, pro uno anno, accipis duo, verbi gratiâ, pro duobus annis, poteris quatuor, at omnes fatentur tempus vendere, usurarium esse.

Responderi potest, negando sequi, plus posse exigi pro longiore tempore absolutè, concedendo esse quid moderatum plus, vel minus ex alio capite, quod aliquando consequitur ad longius, breviúsque tempus. Recolendum est id, quod *suprà* per aliam occasionem dictum est, in diuturniore tempore maiora sublatêre pericula, & onerosiorem esse meam promissionem repetendi, quàm in breviore.

10. Tertia Ratio cæteris fortior, est, quia obligatio non repetendi mutuum pro aliquo certo tempore, est inibita in ipsa natura mutui: qui enim mutuat, pro aliquo tempore mutuat, atque adeò si cuti datio mutui est donatio liberalis, ita necesse est, ut sit id, quod est de essentia, seu naturæ mutui, hoc est, ut sit liberalis etiam obligatio dicta non repetendi pro certo tempore

11. Responderi potest, sic distinguendo: Obligatio non repetendi mutuum pro aliquo commodo tempore est imbibita in natura mutui, concedo antecedens. Obligatio non repetendi pro toto, & quocunque tempore, quo mutuum potrahi potest, est imbibita in natura mutui, nego antecedens. Colligo ex Dicastill. *lib. 2. de iust. tract. 10. disputat. 12. num. 31. & 32. & alibi.* Tempus igitur aliquod est imbibitum in mutuo, at non determinatum, sed determinandum ex variis rerum, personarum, temporis circumstantiis. Tempore, verbi gratiâ, penuriæ, si tu pauper mutuas modium farinæ, tempus imbibitum huic mutuo, intelligitur una, vel altera hebdomada, & fortasse minus: at tempore abundantiæ, etiam mensis; quod si sis dives, & mutuatarius sit rusticus inops, erit etiam annus, seu donec triticum ex sua tenui segete is recolligat. Quare, si mutuas per tempus aliud, seu longius à prædictis, erit quid extrinsecum mutuo, & illud subire novum onus, & vendibile.

12. Quarta Ratio: Quia sic mutuum non differet à Precario. Precarium enim est, quando rem commodas ea lege, ut possis repetere, quandocunque volueris. Commodatum verò est, quando rem commodas ea lege, ut repetere non possis pro eo tempore commodari, v. g. pro anno, quo commodas. Cùm ergo mutuum assimiletur commodato, debet participare de ea conditione, ut repeti nequeat pro toto tempore, quo ipsum mutuum durat, quo pacto differet à precario, secùs non differret.

13. Responderi primò posset, negãdo secùs non differre. Differt enim ex eo, quod Precarium est de re ex se usu non consumptibili, verbi gratiâ, de Veste, Statua, &c. cùm mutuum sit de re ex se usu consumptibili, verbi gratiâ, de vino, oleo, pecunia, &c. quo pacto satis different sine necessitate aliud discrimen excogitandi. Responderi tamen secundò posset, distinguendo illud (*mutuum assimilatur commodato*) mutuum propriè, & strictè dictum, ut scilicet in illo est intrinsecè coniuncta, & imbibita obligatio non repetendi pro aliquo commodo tempore *num. præcedent.* explicato, assimilatur commodato, concedo. Mutuum largè, & impropriè dictum, ut scilicet annexum cum obligatione longioris temporis, nego: hoc enim transit alium contractum innominatum: *Do ut des*, vel potiùs in Venditionem, per quam vendit quis justo, ac proportionato pretio pericula, & libertatem repetendi rem suam pro tempore illo extrinseco.

14. Quinta Ratio est Ioannis de Lugo: *Quia* inquit, *per restitutionem sortis iam æquatur totum, quod mutuatarius debet, ergo si plus requirat mutuans, iniustè requiret. Antecedens probatur, quia tanti valet pecunia post annum reddita, quantum ante annum mutuo concessa. Confirmatur, quia tanti valet, v. g. hæc statua nunc, quanti si venderem post annum, sic de domo, de prædiis, &c. Immò tanti æstimatur à Deo Gloria, seu Beatitudo data nunc, quàm data post annum: patet: quia æqualibus meritis iustè nunc defuncto confertur eadem Gloria, quæ iisdem meritis conferetur morituro hinc ad annum, vel annos.* Hæc ille.

15. Responderi primò sic potest: Hæc ratio nimis probat, ergo nihil. Nam probat nihil mihi deberi ex locato, tanti enim valet statua nunc, quando tibi initio anni loco, quanti valebit post annum, quando reddes, Et sicut omnes respondent tunc non accipi pretium pro re locata, sed pro alio, id est, pro usu rei locatæ. Ita ego respondebo, non accipi pretium pro pecunia concessa, sed pro alio: id est, pro libera promissione eam diuturno tempore non repetendi.

16. Responderi posset secundò directè, negando antecedens. Ad probationem distinguo assumptum: Tanti valet pecunia concessa, quanti reddita; ratione sui concedo, ratione annexæ promissionis, seu alterius connexi, nego, ut patet ex dictis. Ad confirmationem idem dic: Sanè Gloria tanti valet ratione sui nunc; si nunc mihi illam Deus conferret, quanti si conferret post decem annos. Sed dic, Amice, si tibi illam Deus nunc

conferret

conferret, & non hinc ad decem annos, quanti faceres eam præsentem collationem? Ego, imò, & tu, & sanæ mentis quisque pluris faceret, quàm inferiora quæque bona, ac vitam ipsam: aliud igitur est æstimatio rei in se, aliud, quoad aliquam circunstantiam extrinsecam ipsi rei connexam.

*Quanti valeat promissis non repetendi mutuum, &c.*

17. Illud denique ante omnia interest hîc scire: Ecquodnam pretium exigere esse congruum ex hoc titulo? Iudicio experti, omnibus expensis, respondebis, sed adhuc urgeo, ecquòdnam est hoc prudentis arbitrium? Bursæ, ait Less. *l. 2. c. 20 n 125.* determinatur à mercatoribus ejusmodi pretium singulis annis, aliquando sex; aliquando septem, usque ad duodecim, non verò ultra *ex Caroli V. Constitutione*: addítque hanc eandem lucri taxam posse quemlibet non Mercatorem exigere ex suo mutuo, quia posito constituto, sit taxa communis pro omnibus. Audio; sed idem Lessius hoc non approbat paulò post *num.* 127. aitque, præscindendo à lucro cessante, vel lucro emergente, id injustè statui, multò magis, quia nos quærimus universaliter pro locis, ubi hæc taxa non statuitur. Aliquid ergo nos firmius statuamus, & loquamur de mutuo in pecunia, exempli gratiâ, per annum, nam pro mutuo olei, frumenti, &c. potest evenire, ut annus non reputetur longum tempus: ut dixi *num.* 11. cum contra regulariter pro mutuo in pecunia longum reputetur tempus unius anni, multò magis duorum, trium, &c.

18. Dixi iam posse pro hoc titulo promissionis non repetendi pecuniam mutuam pro quolibet anno, licitè in nostra hac ætate pecuniosa exigi quinque pro centenario. Ita Caram. *l. 2. Theol. moral. num.* 799. Ratio est, quia ejusmodi promissio regulariter tanti videtur æstimati posse à prudentibus; Et huius ratio est, quia pretia rerum ex communi æstimatione hominum pendent: commune autem hominum iudicium nunc videtur esse, ut qui vendit suam libertatem de resumenda sua pecunia per annum, quinque exigat pro centum, cujus rei signum est, quia si cuilibet prudenti dicatur: Vel elige nunc habere centum numeratos aureos, vel centum & quinque post annum, eligeret potiùs centum præsentis, quam centum, & quinque futuros, qui ex multis eventibus impediri possunt ne habeantur. Confirmatur, quia assecuratores in mercium periculis, nec valdè excedentibus, nec admodum levibus, si quinque pro centenario sumant, non imprudenter, nec injustè segerunt: ergo pari modo in casu nostro; cum illa promissio non repetendi trahat semper non vulgarium periculorum, difficultatúmque timorum.

19. Ex his collige primò: Viduæ illi allatæ. §. 3. *n.* 28. posse concedi, si vera esset doctrina numeri secundi hactenus expensa, quinque pro centum, nempè, quia propter bonam fidem iudicare possumus, eam celebraturam fuisse contractum hunc promissionis non repetendi, &c. Collige secundò, cur mulierculis illis allatis *eodem* §. *num.* 30. negandum sit quidpiam lucri percipere; Nimirum, quia unus aureus ad rationem quinque pro centum ferè nihil, vnum scilicet, vel alterum obolum in anno potuisset ex hoc titulo promissionis parere: & tamen illæ repetebant aliquos Iulios, nec post annum sed post hebdomadas. Hæc quoad totam hanc huius §. 6. difficultatem expendenda sapientiorum stateris obtulisse sufficiat.

### §. VI. *An liceat quid supra sortem reportare ob molestiam privationis suæ præsentis pecuniæ.*

1. Addunt nonnulli aliud caput accipiendi supra sortem, nempè, ratione molestiæ, quam ex sua absenti pecunia quis percipit, seu ratione carentiæ consolationis, qua quis frui solet, dum domi, & in arca suam pecuniam præsentem habet, quem animi sensum comprobat fortasse avarus ille, dum apud ratium sic sibi blanditur:

*At mihi plaudo domi dum nummos contemplor in* Et quidem in Caram *l. 2. Theol. moral. d. 14. num. 361.* quitùrque Med. apud Dicast. *l. 2. de inst. tr. 6. d. 2. dub.* sic habet: *Distinguo molestiam à periculo, vel emergente & a lucro cessante. Est verè aliqua recreatio videndis rebus pretiosis, cur non & in possidendis? Pro diendæ comœdiæ, vel videndæ bestiæ, daur pretium, & mo cotradicit, cur non pro videndis, vel possidendis auri partibus? Ratione ergo huius molestiæ à carentia pecuniæ suborta, præciso omni alio periculo posse qui pra sortem accipi, affirmat Medina. Et D. Thomas in pretes qu. 78. art. 1. indicant speculatiuè probabile. Dicastillus contradicit, & inquit: Mihi hæc sententia speculatiuè improbabilis, & moraliter in praxi omnino detur perniciosa. Videte Censorium Catonem severe so cilio doctrinam condemnantem? audite tamen n. 251. deinde esse contrarium*, & c Hæc Caram.

2. Equidem cùm ad praxim animus meus sit sem intentus, aio, hanc molestiam in praxi esse adeo ucm, ut in communibus commerciis parva, atque nihil reputetur, ac propterea vix, & ne vix quidem pretio compensanda. Dicast. absolutè hanc sententiam docet *loco citato num.* 251.

### §. VII. *De Cooperatoribus cum vsurario, & de earum pœnis. Remissvè.*

1. De Cooperantibus cum vsurario dictum est sufficienter *lib. 5. cap. §. 4. à num.* 42.

2. Quas autem pœnas, obligationésque contrahunt usurarij: Qua ratione eorum bona remaneant obligata restitutioni: An dominum acquirant eorum, quæ pro vsuras acquirunt, quantum eorum hæredes debeant, & quo modo restituere; sunt res obviæ. & facilè habentur ex Doctoribus possunt apud de Lugo, *d. 25 sect. 1. n.* & 3. Apud Less. *lib. 2. c. 20. dub. 20. &* 22 Dicastill. *tract. tota ferè disp. 3.* Barth. à S. Faust. *in spec. d. 169. 10*

# TRACTATVS IV.

## *De Circumstantiis Restitutionis, & Concaussis, &c.*

## CARVT I.

### *De Novem Circumstantiis Restitutionis.*

1. His versibus eæ continentur:

*Quis, Quid restituit, Cui, Quantum, Quomodo, Quando Ordine, quoque loco, quæ Causa excuset iniquum,*

### §. I. *Quis.*

1. Profectò, is restituere tenebitur, qui ad id adstringitur a Iustitia, de qua re in tota hac materia de restitutione disputatum est. Ita sanè. Verùm, quæ alio locum commodum non habuerunt, hîc subiicienda sunt, idèmque faciendum in singulis propositis circumstantiis. In hac ergo prima circumstantia docebimus, an restituere teneatur pauper fictus, & an Religiosus ex alieno, vel furto gravatus.

*Pauper fictus.*

2 Qui simulata paupertate accipit Eleemosynam, peccat, tenetúrque ad restitutionem, ex Castro Pal. *tom. 3. tract. 6. d. 2. punct. 14. num. 5.* Ratio est quia accipit

sine titulo ; cùm enim interponant fraudem, facit, ut deficiat finis, quo Dominus movetur ad dandum, qui finis erat paupertas.

Cui autem sint restituenda, aliisne pauperibus veris, quàm ipsi Domino, quia illam est elargitus? Vide latè apud Marcell. *tr. 1. d. 1. c. 1. à num. 856.* Et Sotus quidem, quem sequitur Dian. *p. 6 tract. 8. resol. 109.* putat, Domino, qui decet; Medina, & Navarrus, pauperibus.

Si haus tamen caderet in modum, non verò in substantiam, posset Eleemosyna iustè retineri, quia, quoad substantiam, adesset sufficiens voluntarium, ut si quis habitantiam, adesset sufficiens voluntarium, ut si quis Eleemosynam quidem tibi porrigeret, sed nisi fingeres paupertatem, non adeò promptè, ac liberaliter. Atque ex hoc capite frequenter excuso veros pauperes, sed ultra modum suas necessitates exaggerantes. De hac re tota fere agunt authores *mox* citandos fusè agit Dicast. *lib. 2. tr. 2. d. 6. dub. 5.*

3. Obicis: Qui fingens Sapientiam, virtutésque, accipit ab Episcopo beneficium, validè accipit, nec obligatur illud resignare, & qui ordinatur, verbi gratiâ, Sacerdos sine patrimonio, vel cum Excommunicatione, validè initiatur, & tamen Episcopus, si sciviſſet veritatem, non contulisset beneficium, nec ordinasset: ergo pari ratione semper validè donabitur Eleemosyna in casu nostro, &c. Respondeo, nego paritatem; nam Episcopus quando actu confert beneficium, vel ordines, absolutè intendit hæc conferre huic determinatæ personæ, sic exposcente recepta consuetudine, & bono Ecclesiastico: ne Ordines, & Beneficia, sub infinitis fidelium sempulis, incerta essent; id quod non est in casu ementitæ paupertatis. De Mendicantibus ostiatim modicas Eleemosynas benigniùs loquitur Granado *2. 2. contr. 3. tract. 11. disp. 7. num. 7.* in his enim (ait) non tam habetur ratio paupertatis, quàm charitatis, unde Dominus non censetur dare sub conditione paupertatis, sed absolutè: quod sanè non ita se habet in Eleemosyna notabilis quantitatis.

In hoc denique puncto Pasqual. *cent. 4. quæst. 59. num. 1.* ait, hunc accipientem eleemosynam, prætextu paupertatis, nec in magnis, nec in parvis eleemosynis teneri ad restitutionem (peccare, ubi est gravitas materiæ, non credo, negari posse, nec à Pasqualigo, nec ab aliis) Ratio est, inquit, quia finis principalis semper adest, nempe amor pietatis, & Dei. Multò, magis, quia Iurisconsulti, quos apud eundum authorem videre poteris, docent, facta per errorem non retractari, quando subest causa pietatis. Sed certè nostra sententia saltem tutior est & consulenda.

4. Quid de paupere, qui pigritiæ, vel etiam cupiditatis causa Eleemosynam petit, Respondeo, si verè est pauper, nec mortaliter peccat, nec ad restitutionem tenetur. Ita Bartol. apud Dian. *part. 5. tract. 8. resol. 21. §. nota etiam.* Non prius, quia otiositas illa, vel cupiditas, nisi aliud adiatur, non pertingit ad gravem deordinationem. Non posterius, quia constante paupertate constat finis eleemosynæ.

Quid, de Eremita, seu serviente alicui Ecclesiæ; Respondeo, licere huic vivere iuxta suum statum ex Eleemosynis Ecclesiæ, illi tamen æqualiter providendo; quia, qui altari servit, de altari & vivat. Quod ex suo competenti victu, Ecclesiæque cultu superest, posse cum dare, sive suis cognatis, sive extraneis, modò sint pauperes, & modò ex circunstantiis non appareat Donaria Fidelium Ecclesiæ ornatui applicari, colligitur ex dictis.

5. At verò, cuinam iniustè sic fortè accepta sunt restituenda, Dominòne, an pauperibus, an locis piis? Respondeo, utrumque esse probabile, docet Vasq. *opusc. de Eleemosyna, c. 5. §. 4. d. 1.* quem sequitur Castro Pal. *t. 1. tr. 5. d. 2. p. 14. n. 7.* & Diana, *l. c. resol. 22.* Domino, quia is non dedit, nisi huic, ergo non alteri. Pauperibus; quia qui dedit, non respexit, nisi rationem veluti genericam Paupertatis, & Christi Domini amorem; unde saltem regulariter non astrinxit intentionem ad hunc numero pauperem: ergo iam habetur voluntas eius interpretativa dandi cuicunque alteri pauperi, vel Ecclesiæ nomine Christi. Illud adverto, si quis ficta nobilitate dicendo, v. g. se esse filium alicuius Principis accipiat aliquid, ut si hospitio magnifico exciperetur, obligari ad restitutionem Domino, nec posse pauperibus, quia tunc motivum, ne in genere quidem, attingit paupertatem. Simile quid decerne in similibus.

6. Ex dictis potui primò cuiusdam pauperculæ interrogationi responsum dare: Asserebat illa se Eleemosynis quotidianis summam conflasse vigintiquinque aureorum, eamque servare pro necessitatibus fortasse inopinatò superventuris: sciscitabatur ergo, an deinceps Eleemosynas sibi à fidelibus erogari solitas, posset accentare, imò, an exposcere ipsi liceret, quibus viveret in dies, & quod ex iisdem supereſſet (supererat frequentissimè) summæ illi à se sepositæ superaddere; Respondi, modicam videri illam acquisiti cumuli quantitatem; quare non videri eam iam excessisse fines paupertatis, ut non posset deinceps mendicare: per speratam autem pecuniam consequenti tempore acquirendam, tunc demum illam vetandam esse ab acceptatione, quando prudenti iudicio, secundùm eius infimam status conditionem, non indigere amplius comprehendetur: expendendo tamen necessitates moraliter proximas, non verò quascunque remotas; has enim quicunque divites timere possunt, nec tamen valent titulo paupertatis Eleemosynam exposcere; concedit nihilominus Diana *part. 2. tract. 1. miscel. resol. 8.* Eleemosynam posse petere eum, qui filias habet nubiles, quas commodè dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, & filiarum utcumque sustentandam.

Secundò, ex dictis approbavi cum Sanchez *lib. 7. in Dec. c. 24 num. 14* communem praxim, quâ divites colligere alicubi solent stipem pro carcere conclusis, pro Xenodochiis, pro pauperibus. Nam etiam tum finaliter verè egentes sublevantur.

Vnum observavi: Si quis dives obligetur aliquem pauperem alere, non posse pro ipso Eleemosynam petere: Pater, verbi gratiâ, vel frater non potest Eleemosynam colligere pro filio, vel sorore pauperibus. Ratio est, quia ex eo, quòd filius, & soror gaudent Patre, fratréve divite, habent ius, quo ali ab ipsis debeant: ergo iam pauperes non sunt, pro quibus possit ab iis, quibus incumbit eos sustentare, eleemosyna colligi, &c. Ita Sanchez *lib. 1. in Dec. cap. 14. num. 6.*

*Religiosus ære alieno, vel furto gravatus.*

7. Potuit hæc debita Religiosus contraxisse ante professionem: potuit postea.

*Ante Professionem.*

Quoad prius, Præmitte, per se ære alieno undecunque gravatum, non habentem unde reddat, posse religiosam vitam suscipere. Ita S. Thom. *loco mox. cit.* aliique quos citat Sanch. *l. 4. in Dec. c. 19. num. 7.* contra Mol. *t. 3. d. 758.* aliósque. Ratio S. Thomæ, *2. 2. quæst. ult. art. 6. ad 3.* est, quia hic putatur cedere bonis, quod facere posse cuilibet liberum est: nec enim obligatio, quamvis iuramento firmata, ad reddendam pecuniam, tanti est, ut fidelem privare possit bono tam superioris ordinis, quale est Deo omnium Domino vitam addicere.

8. Dixi primò, (per se) nam hodie adest Sixti V. prohibitio: *Ne quis ingenti ære gravatus, vel reddendis rationibus obligatus, &c. ad professionem admittatur,* illam lege cum moderatione Clementis apud de Lugo *t. 1. de iust. d. 21. sect. 6. à n. 76.* & Castr. Pal. *tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 7. §. 2. num. 10.* & Dicastill. *loco mox citando,* sed interim nota illud (*ingenti*)

9. Dixi secundò, (non habentem unde) nam si habet, quod debet, relinquere debitoribus opus erit, perinde enim facit, ac qui bonis cedit. Addunt Sanch. *loc. cit. n. 8.* aliique

alisque apud de Lugo *l. c. n.65.* quibus adde Dicastill. *lib.2. de iust. tract. 2. disp.10. dub.8. num. 129.* si intra breve tempus, putà unum, vel alterum annum, posset manendo in sæculo creditoribus satisfacere, obligari non statim ingredi. Congrua doctrina; sed nequaquam, obligans. Ratio est duplex: Altera ducitur ex expressa authoritate S. Thom. *loco citato*, quæ ad faciendam nostram sententiam probabilem sufficiens est: Altera ducitur ex ipsa natura Religionis, quæ non habet solam bonitatem cæterorum consiliorum, ob quæ fateor, non posse negligi satisfactionem debitorum, maximè ex delicto, neque enim posset quis, ut orationi vacare, ut Xenodochio serviret, relinquere satisfactionem ex iustitia, quæ fortior est: Sed habet etiam status Religiosus bonitatem longè superiorem, nempe se in servum Dei perpetuò mancipare: ut semper existimata sit professio cuiuscunque Religionis maximum, ac summum, quod possit homo ex se Deo tradere: nam vitam, cùm eius homo dominus non sit, tradere ex se non valet. Hinc ergo fit, ut irrationabile sit, tantum bonum velle à quocunque debito retardari. Dico (quocunque) nam si violasti virginem, v. g. sub spe coniugij, meritò ab ingressu Religionis retardaberis, quia in violatione non agitur de debito rei pecuniariæ, sed de debito circa assumptionem status, quem sine nota non potest suscipere virgo illa, nisi mediante statu matrimonij à te suscepti: cùm igitur hîc concurrat susceptio status tui, quem prætendis in Religione, & status matrimonij, quem virgo prætendit (nisi volens remittat) non est mirum, quòd prævaleat status matrimonij, putà in favorem virginis affectæ à te illâ iniuriâ. At in debitis pecuniariis cùm concurrat solutio alienæ pecuniæ, & status Religiosi susceptio, hæc, utpotè bonum adeò excellens, prævalere debebit. Nihilominus, consultò ad finem non solvendi debita, & non propter alium superiorem salutis propriæ bonum, velle Religionem ingredi, nullo modo sine peccato iniustitiæ concederem.

10. His præmissis, Dico primò, gravatum in sæculo prædictis debitis sive ex contractu, sive ex delicto (nam si non ingentia sint, licitè admittetur ut vidimus, ad professionem) eundémque nulla bona habentem, quæ secum ferre queat ad Religionem, ad nihil ipsum obligari. Ratio ducitur ex dictis, quia, ob tantum bonum Religionis, potuit cedere bonis: An in Religione adhuc teneatur laborare, ut solvat ea debita, si possit, *mox* subiiciam. An etiam licitè, quando, quamvis ingentia sint debita, sunt tamen incertorum dominorum: vel quando sunt contracta sine culpa, vel quando ex sola liberali promissione: Vide apud Dicast. *l. c. à n.145.*

11. Dico secundò: Si is aliqua bona habeat, quæ ad Religionem ferat, obligari tunc Religionem solvere prædicta debita, iuxta vires bonorum allatorum. Ratio est clara, quia bonorum successor adstringitur debitis eius cui succedit.

12. Verùm, hîc duæ subdubitationes emergunt. Prima: Quid si huic iam professo in Religione deferatur aliqua hæreditas, legatum, donatio?

Respondeo: Sanchez *lib. 7. in Dec. cap 31. num.4.* cui adde Felin. Azor. Molin. aliósque apud Castro Pal. *tom.3. tract.16 d.3.p.16.n.3* docet ex his Religionem obligari satisfacere pro dictis eiusdem Religiosi debitis, quia nũquam per ingressum Religionis factum à debitore derogatum fuit Ius creditorum in ea omnia, quæ obvenire possunt Religioni ratione personæ ipsis obligatæ. Confirmari potest, quia sic, qui cessit bonis, si quid præter necessaria alimenta fortè acquisiverit, debebit id creditoribus dare, ut omnes fatentur.

Verùm (rogatâ à tanto Viro veniâ) hoc ipsum erat probandum, an tale ius retineant creditores in Religiosum. Ad confirmationem enim clara patet disparitas: nam sæcularis cedens bonis nec fit alterius, nec fit incapax dominij, ut fit Religiosus. Præterea mihi videtur posse contra Sanchez ex ipsius doctrina probari oppositum sententia, ipse enim, plures referens *l.7. in Dec. n.* & Castro Pal. *t.3.tr.16.d.2.p.5.n.3* & communiquæ opinio docet, legata, hæreditates, donationes subsequenter pretium laboris Religiosi non acquirunt quasi primo ipsi Religioso, & deinde Religioni, mediatè, ipsi Religioni, quia ipse Religiosus incapax nino est acquirendi dominij. Iam ex hoc principio sequitur, creditores nullum ius habere in bona illa professionem, deberent enim habere Ius in Religione quod nunquam habent.

13. De hac nostra sententia sic habet Castro Pal. *t.3.tr.16.d.3. Ergo Monasterium ex bonis, occasione giosi, post professionem, acquisitis, satisfacere creditoribus tenetur. Tum quia debita sunt extincta: Tum quia illa Religioso non acquiruntur, ut exinde onus creditoribus tisfaciendi accipiant: & sub eo onere in Monasterium transferatur: sed immediatè acquiruntur Monasterio non ex persona Religiosi, sed ex bonis ab illo accepti sub eo onere obligationem satisfaciendi creditoribus Hæc disputationis gratiâ dicta sunt, qua aliis debemus committimus.* Hactenus Castro Palaus: cuius verba in me pariunt oppositos effectus. Alterum; solam pensionem tanti Authoris, additis non vulgaribus dictis rationibus, videri sufficere ad id probabile tandum. Alterum; Quòd tantus Author soluerit decernere, me urgere, ut nec ego decernam.

Fateor tamen conveniens esse, tunc Religiosum prædictis supervenientibus bonis solvere prædicta: & quidem potest, quia probabilissima est sententia Sanchez: Quare tunc non dicetur Prælatus dispensare Religionis, sed solvere debita, ad quæ solvenda est probabili, immò communi sententia constringitur.

14. Secunda subdubitatio: An hic Religiosus obligetur laborare, quò pretium laboris impendat ad solutionem prædictorum debitorum? Respondeo non obligari. Nam cùm ipse nullius dominij capax sit, & totum quod acquirit, immediatè cedat Religioni, de eo pretio decernere non potest: solutio autem debiti ex propriis debet fieri, non ex alienis.

De Lugo *de iust. d.21. sec.6. num.79.* duo docet: Alterum, obligari Monasterium solvere prædicta Monasterii debita ex pretio eiusdem acquisito eo Concionibus Lectionibus, &c. Alterum *ibid, num.82 vers. ultima dem pars*, non obligari Prælatum ad dandam licentiam Monacho, ut laborando acquirat aliquid, quo prædictis debitis satisfaciat, quia Prælatus ius habet impediendium subditum in aliis actionibus, prout Prælato ipsi libuerit. Dico tamen, hæc duo dicta sibi minùs cohærere: enim potest Prælatus prohibere, ne subditus ad hunc finem laboret: cur non poterit impedire, ne pretium laboris ex labore detur debitoribus illis: Vtroque enim iure æquè potitur Prælatus, & in personam Religiosi, & in pretium ab eodem acquisitum. Meliùs igitur se habet Castro Palaus, tom.3.tr.16.p.7.§.4.n.8. *Sed verius est, mo, neque Prælatum obligatum esse hanc licentiam (laborandi) concedere, neque te illa uti; Quia non creditorum sed Religionis es, & professione facta cum cessione bonorum, debita extinxisti.* Notas? Id de hæreditate, vel legato delatis post professionem nolui decernere Castro Palaus modò *num.13.* sed hoc de labore absolutè, & sine hæsitatione, decernit.

15. Illud apud neminem inveni, & tamen constanter dico, tum pro prædicta difficultate, tum pro promptè sequentibus, hæc non procedere de Religionibus Militaribus, v. g Hierosolimitana, S. Iacobi, &c. quantumvis sequamur illam opinionem, quòd sint in quocunque rigore Religiosi. Ratio est, quia hi, cùm tam amplam habeant suorum bonorum administrationem, non censentur cedere bonis, cùm eas Religiones prætentur, &c.

*Ære alieno gravatus post professionem.*

16. Quoad posterius, quando scilicet Religiosus con-

raxit debita, dum est Religiosus; Distinguendum est de debitis ex delicto, & debitis ex contractu, de quibus sectionibus sic statuo:

19. Assertio prima: Si intra Religionem debitum gravi delicto Religiosus contraxit, v. g. furando, damnificando, supra pretium justum vendendo sæculares, & certum est, debere restituere sive ipsum Religiosum, sive Religionem, si res ipsa extet, vel aliquid, quo facti sint ditiores. Si verò nihil extet, non debet Religio, quia delictum Religiosi etiam Prælati, si non consensum modo capitulari ab ipsa Communitate, non debet vergere in damnum Monasterij. Vide, quæ dicam mox *num.* 34. Debet autem restituere Religiosus ex fructur peculio, vel si potest ex iis, quæ sibi à Religione conceduntur, detrahere de non necessariis commoditatibus. Ita Sanchez *lib.* 7. *in Dec. cap.* 19. *n.* 112. Molin. *tom.* 1. *d.* 140. *vers. potiùs distinguerem.* Ratio est, quia Religiosus furans ab extraneo, injustitiam committit, ergo tenetur facere æqualitatem eo modo, quo potest.

18. Neque dicas, Religiosus modò non tenebatur solvere debita contracta in sæculo ex delicto, ergo nec nunc debita similia contracta in Religione. Ne id dicas, inquam, nam ibi purgavit debita ista per cessionem bonorum, non verò in casu præsenti, & ex alia parte quilibet conari quantum potest, debet, ut æquatatem, quam læsit, resarciat.

19. Potest tamen Prælatus impedire, ne hic Religiosus ex subtractione peculij, vel suarum commoditatum, solvat sæculari prædicta debita ex delicto, etiam in Religione, contracta. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 113. contra Navarr. licèt *eodem lib.* 7. *in Dec. cap.* 31. *num.* 39. *fin.* sui dicti immemor sequatur contrarium. Ratio est, quia fructus peculij, & totum, quod sibi Religiosus subtrahit de sua commoditate, est in dominio Religionis: potest ergo Prælatus illud nolle ab se abdicare, & sic restitutionem justè impedire.

20. Fateor ergo, ex illo delicto Religiosi, necessariò, & immediatè oriri obligationem restituendi, oritur enim ex ipsa natura injustæ damnificationis; & hoc solum potuit velle de Lugo, *to.* 1. *de iust. d.* 3. *sect.* 10. *n.* 23. qui nobis videtur contrarius: sed dico posse deinde impediri ipsam restitutionem à Prælato, ex eo, quòd Religiosus non habeat, unde reddat, Prælatq contradicente; qui justè contradicere potest, quia solus ipse potest disponere, & non Religiosus de rebus quomodocunque pertinentibus ad Religionem. Atque ex huius doctrinæ inadvertentia defecisse in hac doctrina videntur non pauci.

21. Dixi autem (sæculari) nam si Religiosus damnum per gravem culpam Theologicam fecerit Monasterio, verbi gratiâ, in officio Procuratoris, Cellerarij, Sacristæ, &c. Prælatus non potest impedire restitutionem. Prælatus enim, nisi causa proportionata obstet, obligatur Monasterij sui indemnitatem procurare.

22 Assertio secunda: Si Religiosus, dum est intra Religionem, contractum aliquem sive onerosum, sive gratuitum cum aliquo iniit, unde oriatur obligatio restituendi, erit distinguendum: Vel enim iniit legitimè nomine Religionis; & tunc tenetur ipsa Religio, ut ex se patet, & probat fusè Sanchez *lib.* 1 *in Dec. cap.* 31. *à n.* 9. Vel nec nomine Religionis, nec cum licentia Prælati: & tunc sine dubio ad nihil Religio tenetur. Vel denique iniit non quidem dicto legitimo nomine Religionis, at cum licentia Prælati, sive etiam sine dicta licentia, & tunc si ex ejusmodi contractu damnum contraheti successit, quia tunc adest damnificatio externi, quæ comparatur injustæ receptioni, recurret contra Religiosum doctrina allata *n.* 17. Religio autem tùc nihil debet, quia ex delicto Religiosi, ut modò diximus, non debet Monasterium damnum pati: & illa licentia quando affuit, non data est ad contrahendum nomine Monasterij: sed fuit mera permissio, ne Religiosus illicitè contraheret.

23. Dices: Si servus, vel animal damnum infert Tertio, Dominus eorum tenetur vel resarcire damnum, vel servum, seu animal pro noxa dare *leg.* 2. *de Noxal. Action.* & nos diximus *supra lib.* 6. *cap.* 4. §. 2 ergo in casu nostro si Religiosus damnum infert tertio, violando, v. g. tertij depositum, si non tradetur Religiosus, saltem resarciatur damnum à Religione. Respondeo, neganda est consequentia, quia Religiosus non est servus: lege Sanchez, id multis probantem *lib.* 7. *in Dec. cap.* 21. *n.* 40. & Castro Palaum, *tom.* 3. *tract.* 6. *disp.* 13. *p.* 5 *num* 3. qui docent, commune esse apud Doctores, Religiosum, tum servo, tum filio familias comparari, prout Monasterio utilius fuerit? Sed in re nostra utilius est Monasterio illum comparari filio familias, cujus delicto non tenetur Pater, ut diximus *sup. lib.* 6. *c.* 4. §. *n.* 6. ergo, &c.

24. Quòd si ex ejusmodi contractu à Religioso nomine suo inito cum licentia, vel sine licentia Prælati, nullum damnum tertio successit, sed solùm agatur, an Religiosus debeat stare contractui, Aio, probabilius esse in foro Conscientiæ debere stare. Ratio est, quia est probabilius, tunc oriri obligationem naturalem in Religioso, dum Superior contractum illum non irritat: & huius ratio est, quia sicuti Votum Religiosi Deo promissum est validum, donec Superior irritet: ita & id, quod homini promittitur.

25. Neque dicas Religiosum non habere, nec velle, nec nolle; ne id dicas, inquam, nam non habet, quia non est tam efficax, ut non possit à Superiore revocari, non verò ut non possit se obligare.

46. Quoniam verò, ut innuimus, potest hunc contractum irritare Superior, atque adeò nullum reddere, esto, possit illi stare, si velit, ut fatentur omnes, sicut potest, sed non tenetur pupillus, vel minor, quando contrahit sine authoritate tutoris, vel curatoris? Inquiro, id sempérne est, etiam quando ipsemet Superior dedit licentiam? Et quid de successore eius, qui eam licentiam concessit: Respondeo, quando ab ipso, vel à quocunque successore data est licentia, non posse nec ab ipso, nec à quocunquealio Superiore irritari ejusmodi Contractum. Ita Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. d.* 49. *n.* 14. & *lib.* 7. *in Dec. n.* 31. *n.* 41. contra Less. *l.* 2. *c.* 40 *d.* 10. *num.* 14. dicentem validè posse, sed non licitè, sine justa causa. Ratio est, quia licentia facit, ut contractus sit omni ex parte validus, unde acquiritur Ius tertio? hoc autem semel acquisitum, injustitia fieret, si posset invalidum reddi. Sanchez *ibidem* addit: *Si tunc Superior nihilominus revocet licentiam, nolitque, ut subditus stet eiusmodi contractui, non peccare subditum, si ei non stet.* Verùm, hoc intelligere non possum: si enim ipse nobiscum concedit, tunc acquisitum esse Ius tertio: qua ratione subditus in re tam clarè injusta, atque adeo peccaminosa posset Superiori obedire? Tunc igitur solùm poterit irritare talem contractum Superior, & consequenter subditus illum non sequitur, quando sine ulla licentia initus fuit.

27. Disparitas denique, cur possit idem Superior, qui dedit licentiam subdito, ut voveat, vel eius successor irritare Religiosi vota, non verò possit promissiones homini factas, est, quia ex voti approbatione non acquiritur ius tertio, sed Deo, cuius vices cùm Superior gerat ad gubernandum, potest saltem ex justa causa idem remittere Ius Deo acquisitum: contrà, cùm non gerat hominis vices, Ius homini acquisitum remittere non valet. Lege Sanch. *lib.* 9. *de Matr. d.* 40 *n.* 14.

## §. II. *Quid.*

1 QVomodo idem, quod debetur, vel eius æstimatio restituenda sit, patet ex dictis. Solum id superest notandum, an ut me occultum furem non patefaciam, possim rem extantem retinere, ejúsque valorem restituere? Respondeo, id non posse passim contingere: quia tunc potero, ex Dicastill. *lib.* 2. *de rest. t.* 2. *d.* 11. *dub.* 10 *numero* 121. mediâ aliâ personâ, quæ de

me taceat, restituere. Quando tamen, licèt ratissimè, eveniret, ut meam famam tertiæ personæ credere meritò non audeam aio, tunc licere valorem reddere, etiamsi putem dominum nolle valorem, sed velle omnino rem. Ratio est, quia pluris facienda est mea fama. Adverte de notabili fama esse sermonem; ac notabiliter excedente æstimationem, quam assequeretur dominus de re sua, ut ex *suprius* dictis colligi potest, Immò casus, licèt etiam rarus esse posset ut propter meam eandem famam, nec rem ipsam, nec valorem restituere tenear, sed expectare mihi liceat, donec nanciscar personam aptam, quâ mediâ restituam, &c. Vel si nunquam inveniam, nunquam restituam. Ratio est eadem, quia mea notabilis fama exiguo proportionaliter damno alterius pecuniario prævalere semper debet.

## §. III. *Cui.*

SAnè Domino; sed adhuc duæ obviam se mihi faciunt quæstiones; aliàs faciliores vide apud alios. Prima, an domino restituendum id, quod eidem allaturum sit damnum? Secunda, cui restituendum quando Dominus non appareat? Singulas breviter percurramus.

### *An restituenda Domino res ipsi nocitura.*

2. Habeo apud me Petri gladium, & vestes; an possim primò, debeamque eidem restituere gladium, quo ipse sit certò occisurus contra Justitiam suum inimicum, vel etiam fortè se ipsum. Secundò, an vestes, quibus certò usurus creditur ad fornicandum. Dixi (certò,) nec enim sufficit dubium; cùm nemo sit præsumendus in dubio acturus malè, imò neque probabilitas moralem certitudinem non pariens: quia si sit probabile, dominum hoc gladio peccaturum, erit etiam probabile oppositum: at in pari probabilitate melior est conditio domini, qui rem suam apud te possidet, ut dictum est fusè *lib. 1. cap. 3. à §. 3. & deinceps.* Excuperem furiosum, huic enim non redderem gladium, & si solùm probabiliter, imò, & si sola suspicione timeam aliquod proximo malum. Ratio est, quia sic favebo fortè innocenti, & ex alia partè furioso, dum talis est, nullam injuriam facere censeor.

3. Iam verò, quoad prius: Assero regulariter, me non teneri, imò me peccare contra Charitatem, si restituam rem ei, qua usurus sit ad peccandum contra Iustitiam. Ita S. Th. *hic ad Primum* Ratio est, tum quia hîc non agitur, de neganda restitutione, sed differenda; at, quæ maior ratio differendi, quàm velle expectare bonum, & utilitatem ipsius domini? Tum quia, si quando possum, debeo auferre gladium ab eo, qui vult occidere innocentem, quantò magis gladium denegare?

4. Addidimus illud (regulariter) nam aliquando denagare non teneor. Primò, quando non possum sine magno meo incommodo, v. g. cum periculo meæ vitæ, vel fortunarum, nisi fortè bonum commune exposcat, ut ne tunc quidem reddam, nam juxta dicta *sup. lib. 6. c. 1. §. 2. num. præsertim* 4. tunc bonum commune præferendum esset meo.

Secundò: si ex mea denegatione secutura essent maiora, vel æqualia mala; Cùm enim tunc spes non esset obviandi malis, cessaret ratio rem alienam retinendi, vide mox *n.* 10.

5. Addidimus item (peccare contra Charitatem) quod certum est. Quid verò, peccabóne etiam contra Iustitiam, ita ut obliger ad restitutionem, si dominus damnum injustè alicui inferet cum eo, verbi gratiâ, gladio, quem ego culpabiliter reddidi? Molina *tom. tertio, disp.* 755. docet me peccare solùm contra Charitatem, Less. verò *lib. 2. cap. 16. dub. 4.* contendit etiam contra Justitiam, idémque multis probat Salon. *hîc contr. 2.*

6. Profectò, Lessii sententia probabilior est, tunc valdè proximè cooperarer ad injustam illationem occisionis, reddendo gladium, quem negassem. Dices, neque contra Charitatem, neque contra Justitiam peccò, reddens pecuniam debitam ei, qui domum, vel navim empturus est, in quibus certas usuras, fraudes, & illicita mercimonia à domo exercenda, ergo neque in casu nostro. Respondeo, negando consequentiam; nam illa delicta valdè sunt mota à mea redditione pecuniæ, quòd si quæ cooperatio cum peccato alterius appareat, satis excusabitur, quod ego habeo reddendi domino pecuniam. At prædicti gladij, & similium redditio, de qua maquimur, proxima est ipsi actioni injustæ, quæ fiet, est. Quare, si non est aliqua major, & urgentior reddendi, qualis esset metus mortis, vel similis malì, non excusabor à peccato, non solùm contra ritatem, quod omnes concedunt, sed nec à peccato tra Justitiam, quod cum Lessio contendimus, quia cooperatio tam propinqua ad actionem injustam etiam injustum constituit, quasi socium, & comejusdem delicti contra Iustitiam.

7. Instas, Nemo tenetur ex Justitia (etiamsi possit) defendere innocentem, nisi id ex officio illi incumtenetur enim solùm ex Charitate, si sine suo incommodo possit: ergo neque ego teneor ex Iustidenegare gladium volenti occidere eundem innotem, sed solùm tenebor ex Charitate. Respondeo, negconsequentiam: Aliud enim est defendere innocentem, ad quod non teneor, nisi ex Charitate, aliud non orari ad occisionem Innocentis, ad quod tenetur ex Justitia, & huius ratio est, quia cooperari, eti positivè esse veluti socium, complicem delicti, quod est, non defendere, respectu ejus, cui non incumex officio. Et hinc etiam fit, ut si dominus occisum inmicum, sumeret ex se gladium suum à mea domo, ego non impedirem, cùm possem, fit inquam, ut tunc solùm contra Charitatem delinquerem, quia non cooperarer quasi consocius, sed solùm negarem habere.

8. Instas iterum: Ergo etiam ego peccarem contra Iustitiam, si redderem pecuniam promissam usuram, quâ scio ipsum usurum ad injustas usuras, quia dat illi materiam tam proximam usuris; iam cooperatur illo veluti socius ad injustum lucrum. Respondeo, esse per se, & nisi ex aliquo capite accideret excusatio certè semper accidit. Primò, ne rixæ sint cum usura Secundò, ne ego habeat infidelis. Tertiò, ne quaiterum mutuo indiguero, idem usurarius, vel alius tuum mihi denegaret. Adde denique maximè me excuçx eo capite, quòd usurarius semper sit paratus ad justum lucrum extorquendum, de qua re dictum est *sup. lib. 5. c. 1. §. 4. à n. 5. præsertim* 42.

9. Quoad posterius: Assero, me non teneri restitre, imò contra Charitatem me peccare, si restituam quo certè scio dominum peccaturum contra alias virtutes à Justitia, nisi accedat excusatio. Ita Less. *lib. 2. dub.* 4. Molin. *d.* 755. Val. *hîc. quæst. 6. p. 7.* ex S. Thom. *quæst. ult. art. 6.* Ratio est, quia ex lege Charitatis tenemur succurrere proximo indigenti, quando sine magno commodo possumus, ut hîc nos posse supponimus. Quamvis ergo creditor absolutè habeat ex vi Iustiæ jus petendi suum, non tamen hîc, & nunc, quando ejus peccatum facilè per denegationem illam removere potest: Justitia enim non est contraria Charitati, sed potius illi maximè subordinata.

10. Urges: Si Dominus vellet uti sua pecunia ad peccandum, tu non posses illam pecuniam auferre, ut peccatum impedires, satis enim est, si utaris (quando ipsius est emendæ) correctione fraterna, ergo neque potes ejusdem domini pecuniam denegare. Respondeo negando consequentiam: Nemo enim tenetur impedire alienum peccatum, vi detinendo, res ejusdem auferendo: hoc enim esset magnum onus, & ex se valdè difficile

incommodum: At tenetur impedire non concurrendo, nec præbendo positivè materiam, & instrumenta ad peccandum, quia id non est ex se valdè oneroſum, & incommodum.

Signanter dico *ex se*, & *numero præcedente* dixi (*niſi excederet excuſatio*) nam ſæpiſſimè excuſantur Fideles, à reſtituendo. Primò, quia negare non poſſunt ſuum Domino ſine periculo notabilis mali: ſi enim ipſi non reſtituent, poteſt Dominus agere coram Iudice? & illos compellere, qui cùm non poſſint probare pravam Domini intentionem, patientur litis expenſas: infidelitatiſque notam, idque ſine fructu, nam Dominus ſuum recuperando per Iudicem, intentionem malam, ut liberit, exequetur. Secundò, quia, ſi res agatur inter æquales, facilè ſuborientur inimicitiæ, unde peiora mala conſequerétur. Ex quibus colligo, Dominum ſeriò petentum ſuum, valde rarò poſſe repelli, quantumvis eius malus finis cognoſcatur; quia valde rarò ex denegatione incommodum notabile debitori ceſſabit.

*Cui reſtituendum, non apparente, ſeu ignoto Domino?*

11. Niſi hic diſtinguas, facilè, ut certè non rarò etiam doctis accidit, prolaberis. Quatuor hîc ſunt diverſi caſus. Primò, quando Dominus eſt valde diſtans. Secundò, quando eſt defunctus. Tertiò, quando eſt ignotus, ſeu incertus. Quartò, quando rei, de qua agitur, Dominus nullus eſt. De primo dicetur mox in Circumſtantia *Quo loco*, de cæteris hic.

*Defuncto Domino rei, Cui ſit illa reſtituenda.*

12. In hoc caſu reſtitutio facienda eſt legitimo hæredi; legitimus autem eſt, vel per teſtamentum, vel per Iudicis ſententiam, vel per legum diſpoſitiones, cùm ab inteſtato remanet hæres, qui eſt ſtrictior in gradu. Ratio dicti eſt, quia hæres ſuccedit in omnia iura realia defuncti: id enim eſt, eſſe hæredem.

13. Quid, ſi defunctus nullum habeat hæredem, nec de rebus ſuis diſpoſuerit, quando bona ab ipſo relicta vocantur bona vacantia? Reſpondeo, ex ſe hæc de iure naturæ ſunt primi occupantis, habentur enim pro derelictis, nulliúſque Domini ſunt. Si quidem mortuus amittit omnia bona temporalia, nec eorum ampliùs in alia vita Dominus eſt. Cùm ergo ante mortem nihil diſpoſuerit, nunc verò poſt mortem diſponere non poſſit, remanent ea bona ſub nullius dominio.

Dices, diſpoſuit tacitè, & interpretativè, ut illa diſtribuerentur inter pauperes, vel loca pia pro ipſius anima. Reſpondeo. Quid, ſi hic erat Gentilis? Quid, ſi eſt in Inferno? Quid, ſi aliis voluiſſet relinquere, & quia loqui non potuit, non diſpoſuit? Ita Sotus. Perr. Nav. Vaſq. Leſſ. apud Dicaſt. *loco mox citando*, *n.* 373. Valdè igitur incerta eſt hæc tacita voluntas, atque adeò viventes nunc obligare non poterit.

14. Dixi autem (ex ſe, & de iure naturæ) nam in aliquibus Regnis applicantur Fiſco, An ante ſententiam, vel poſt illam, conſidera, ubi videris Petrum à Navarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 2. *n.* 8. *L, ſi vacantia, de bonis vacantibus, lib.* 10. vel ſive per leges, ſive per conſuetudinem introductam timoratorum ejuſmodi bona diſtribui ſolent, & debent pauperibus, vel locis piis, ex Dicaſtill. *lib.* 2. *de iuſt. tract.* 2. *d.* 9. *dub.* 14. *n.* 380. citante Anor. & Reginaldum; ſed quid, ſi debeant ſolum ex conſuetudine congruenti, non verò obligante? Vnde, & his favet Bulla compoſitionis, ut pluribus ingeniosè docet, me citato, amiciſſimus P. Franciſcus Baldi. *lib.* 2. *ſect. Mor. q.* 16. Mobilia Peregrinorum, ſi hi decedant inteſtati, & ſine hæredibus diſtribuantur in pias cauſas per manus Epiſcopi illius loci, ut habent iura Auth. *omnes Peregr. C. communia, de ſucceſſionibus* De quibus videantur Mol. *tom.* 1. *de iuſt. d.* 53. Dicaſtill. *loc. cit.* aliíque *paſſim.*

*Ignoto vel incerto Domino, cui reſtituendum?*

19. Diſtinguendus eſt Dominus incertus ab ignoto: Si debes rem huic, vel illi, nec ſcis determinatè, Cui, erit Dominus incertus: Si verò debes rem alicui, determinatè, nec illum illo modo (facta morali diligentia, quæ ſemper pro qualitate rei facienda eſt) cognoſcere detur, ut ſi furatus ſis à viatore tibi ignoto, certus erit Dominus, licèt ignotus.

16. Quoad prius, tria breviter ſunt notanda: Primum, quando ſitur, nempe pertinere ad unum ex duobus, vel tribus, ſed ignoratur, ad quem determinatè pertineat, debet inter illos dividi juxta ipſorum voluntatem, immò & pro rata maioris, vel minoris probabilitatis, vel dubij, ut *lib.* 1. *c.* 3. §. 3. *& §.* 7. *v Reſtitutio*, dictum eſt à nobis in ſimili. Ita Leſſ. *l.* 2 *c.* 15. *dub.* 1. *n.* 2. lege Ludov. à Cruce *in Bullam Cruciatæ, d.* 3. *dub.* 6. *n.* 4. *fine.*

17. Secundum: Quando quis Communitatem aliquam, redditus. v. g. vel feudum alicuius civitatis læſit, reſtitutio facienda eſt ipſi Communitati, non autem particularibus Civibus, quia Communitas ipſa læſa fuit. Ita Vaſquez, *de reſtit. c.* 5. §. 4. *dub.* 6. *n.* 1. Rebell. 1. *p. l.* 2. *q.* 12. & *l.* 1. *q.* 15. Molin, *t.* 2. *d.* 544. Leſſ. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 6. & 7. & *c.* 5. *dub.* 1. Azor. 3. *p. l.* 4. *c.* 26. Dicaſt. *l.* 2. *de iuſt. tr.* 2. *d.* 9. *dub.* 14. *n.* 365.

18. Quidam Senator prædivitis Civitatis, dum eam gubernaret, ſepoſuit ſibi ex publicis redditibus aureos mille, néque interrogabat, an poſſet ea diſtribuere in pauperes ejuſdem Vrbis, & ſic ab onere reſtitutionis liberari? Reſpondi, nequaquam, quia in aureos illos, non magis Jus habebant inopes, quàm locupletes. Debent ergo reſtitui ipſi ærario publico. Quando enim defraudantur ea loca, quæ faciunt unum corpus ex multis, ut Montes Pietatis, Seminaria, Hoſpitalia, &c. non verò defraudantur ipſi peculiares alumni, convictores, infirmi, &c. non ſatisfit reſtituendo his, ſed omninò reſtitutio facienda eſt ipſis locis fraudatis, ad quorum deinde Superiores pertinebit ea bona reſtituta ſimul cum cæteris adminiſtrare.

19. Tertium: Quando quis læſit non Communitatem ipſam, ut dictum eſt, ſed multos ex ipſis particularibus, qui cognoſci nequeunt, quando in bello injuſto Civitas depræ datur, reſtitutio fiat, vel Magiſtratui, vel Epiſcopo, vel Viro probo qui dividant in ſingulos Cives pro damno accepto, quantum fieri poteſt. Ita de Lugo *tom.* 1. *de Iuſtit diſp.* 6 *ſectione* 12. *n.* 148. in ſimili, *verſ. Hinc infertur primo.* Quòd ſi hoc idem non poteſt, ut accidit, quando quis defrudat in pretio, vel menſura eos, qui emunt minutiores cibos, non enim poteſt ſcire quos in particulari læſit, ſcit tamen læſiſſe hanc vicinam, hanc Civitatem, hunc Populum; tunc iudicio prudentis viri, aliquod bonum his defraudatis commune facist. quo quantum fieri poteſt damnum compenſetur. Vide citatos. Atque hunc juvari poſſe per Bullam Compoſitionis, ubi ea conceditur, monet rectè Ludovicus à Cruce *in Bull. Cruc. d.* 3. *dub.* 14. *n.* 3.

20. Quoad poſterius, A eſt, quando certò conſtat, adeſſe rei Dominum, qui ſit omninò ignotus, duo caſus ſunt diſtinguendi: Primus caſus eſt, quando res venit reſtituenda ex radice iniuſtæ acceptionis, vel ſimilis injuſtitiæ. Et tunc ſi factâ deligentiâ inveniri Dominus non poſſit, eſt omnino ex definitione Alexandri Pontificis pauperibus, vel locis piis diſtribuenda, *cap. cùm tu de uſuris*, ubi Alexander III. uſuras iubet tradi pauperibus; quod Doctores extendunt ad alia ex quocunque del cto, Dicaſt. *lib.* 2. *de iuſt. tr.* 2 *d.* 9. *dub.* 14. *n.* 368. in hac enim, & ſimili materia ſub pauperum nomine ſemper intelliguntur etiam loca pia. Poſſe tamen etam in hoc caſu uſui eſſe Bullam compoſitionis, meritò notant Doctores, Navarr. *ibidi man. cap.* 17 *n.* 43. & communiter apud Dicaſt. *l. c. num.* 38. Molin. *d.* 748. Lud. à Cruce *l. c.* aliíque. Vt etiam ſi is eſt verè pauper, poſſe ſibi applicare, iidem notant; Molin, *d.* 747. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 41. Et denique addunt iidem, etiam poſſe dari, &

debere ex de Lugo *t.1.de iust.d.20.sect.8.§.1.n.191.fin.*& latiùs *ibid.d.6.sect.12.* si sint hæredes, Consanguinei Domini rei ablatæ, Patri, verbi gratiâ, filio, &c. præsertim, si ij sint pauperes, & ita prudenter iudicetur velle Dominus.

21. Secundus casus est: Quando res restituenda veni ex contractu iusto, vel ex re, quocunque modo bona fide accepta, & communis difficultas solet hîc esse de rebus casu inventis: (nam de habitis ex dicto contractu *mox* dicam *n.51.*) v.g. de marsupio nummis pleno, annulo aureo, libro, &c. fortè inventis in via, in templo, in platea, quæ præsumuntur habere sine dubio dominum. Factâ enim diligentiâ, nec domino invento, cuinam hæc erunt restituenda?

22. Duplex, ut solet, est sententia; Altera communis, debere pauperibus distribui. Ita Mol. *t.3.disp.*746. Ratio est, quia cùm bona habeant actualem Dominum, non sunt censenda bona derelicta, quæ sint primioccupantis, sed sunt applicanda iuxta præsumptam Domini voluntatem, quæ certè saltem inter fideles est, ut pauperibus, vel in cultum Dei locis piis.

23. Altera minùs communis, sed mihi, vel probabilior, vel æquè probabilis (certè P. Franciscus Turrisi nostræ Societatis doctissimus Theologus, & in Philosophicis amantissimus Præceptor meus, hanc meliorem appellabat) docet, posse quempiam rem eiusmodi sibi retinere, animo tamen, ut si compareat Dominus, ei illam reddat (si tamen nondum eam consumpserit) vel id, in quo factus sit ex illa ditior. Ita Sotus *lib.5.de iustit.q.3. art.*3. Arag. 2.2. *quæst.66.art.5.*& Molin. fatetur hanc sententiam doceri à multis recentioribus; Vasquez, Malderus, Castro Pal. *p.19.de iust.in gen.d.un.puncto* 4. aliique apud de Lugo *tom.1.de iust.c.6 sect.12.num.*138.& apud Dicastill. *l.cit.n.*422. quam ipse probabilem etiam vocat *n.*481. Ratio huius sententiæ est, quia quamvis verè, & ut ita dicam, physicè, hæc inventa non sint bona derelicta, sunt tamen moraliter quasi derelicta: Cùm enim Dominus non habeat spem rem suam recuperandi, iam non amplius, secundùm humanam æstimationem, iudicatur ampliùs de illa velle disponere: cedunt ergo primo occupanti. Non autem esse hæc bona vacantia, nimis est clarum, ex Molin. *tom.1.tract.2.d.*53. quia vacantia ea solùm sunt, quæ reliquuntur à Defuncto, modo insinuato *num.*14 qualia certè non sunt, nec præsumuntur esse eiusmodi inventa. Adde ipsam praxim, quia videntur omnes cessisse suo Iuri rebus omninò deperditis, cùm, sæpissimè, ne timorati quidem ea pauperibus distribuant, sed suæ sorti attribuant ea invenisse. Adde iterum, Dominum magis præsumi velle rem suam servari apud inventorem, ut si forte antequam res consumatur ipse Dominus compareat, ipsi reddatur, quàm distribui pauperibus, qui statim rem consumant, nec spem ullam relinquunt reddendi.

24. Ex his vides, me non fundare, ut alij faciunt, hanc doctrinam, quasi dicam, hæc inventa verè non esse sub physico dominio sui Domini: Vide de Lugo *loco citato sect.*10. solùm enim dico, statim, atque factâ diligentiâ Dominus non apparet, moraliter iudicari, esse sub dominio nullius, propter voluntatem præsumptam Domini nolentis ampliùs de illa disponere.

25. Obiicies cum Molina *loco citato*, qui sic contra Sotum, atque adeò contra nos argumentatur: Si hæc inventa bona post exhibitam diligentiam essent derelicta, & ab inventore retineri possent, possent etiam retineri acquisita ex delicto, verbi gratiâ, ex furto vel usura, quando horum ignoratur Dominus, quia pari modo essent existimanda derelicta, quod tamen negavimus *num.*20.

26. Respondeo, magnam adesse disparitatem, & totam ducendam ex voluntate interpretativa Domini, qui iam supponitur adesse, licèt incognitus. Hic enim rationabiliter præsumitur velle ut inventor, & universim omnes bonæ fidei possessores, ea inventa servent, immò iisdem fruantur, quandoquidem bonæ fide, & sine iniuria ipsius Domini occupavêre: at nullo modo præsumitur velle ut ille, qui iniurius fuit, ea bona per iniuriam arripiendo, eadem sibi servet, vel iis fruatur. Iudex ergo Dominus tua bona aliquando quasi deserere, tamen pro fure tibi iniurio, sed pro viro nulla iniuria culpa laborante.

27. Dixi (quasi) nam Molina reprehendit Sotum perinde ac si diceret hæc esse secundùm omnem rationem derelicta, id, quod certè ita non est, quia omnia derelicta non sunt, si Dominum actu, licèt incognitum habeant. Nos igitur dicimus esse quasi derelicta, quoad hunc effectum, quod ex præsumpta Domini voluntate possit ea sibi, donec fortè Dominus compareat, retinere.

28. Quid, si comparente fortè Domino, res inventa sit consumpta omnino? Respondeo, si res sit bona non consumpta, nec inventor sit ex illare factus in aliquo ditior, puto; ut modò innuimus, non deberi Domino æquivalens, quia bona fides liberat eiusmodi inventorem ab onere restitutionis. Idem dicendum esse in casibus suprædictis, quando quis sibi, ut vero pauperi, res applicuit, meritò docet Lessius *lib 2. cap.14.dub. num.*43. aliique apud Dicastill. *lib.2.de iustit. tr.2. dub.14.num.*391. *& deinceps.* Quòd si res extet, vel id quid, in quo factus sit inventor ditior, sanè debet Domino comparenti reddere; nemo enim debet aliorum rebus ditescere. Id quod ita verum est, ut etiam ex probabiliore sententia Molin. & Lessij contra Petrum Navarr. & Rodrig. apud Barth. à S. Faust. *in spec. Conf. d.4.quæst.*178. si ea inveniantur, iam pauperi distributa, debeat pauper Domino comparenti reddere, si illa pauper in individuo habeat, vel factus in iis fuerit ditior. Si inveniantur appropriata per Bullam Compositionis, idem esse tenendum, & consulendum, sed probabilitate non carere, quod possint retineri, saltem deo accedat Iudicis sententia, docet Castro Palaus *de Bulla Cr. p ult.§.1.n.7.* aliud benignius dicam *in Tractatu de Bulla Cruciatæ, cap.*18. *à n.9.*

29. Denique tria adverte: Primum, si rem alicuius invenisti, & acquisivisti, cum magno periculo, vel labore, ubi gratiâ si ex incendio rem illam liberasti; Domini tua: tu verò potes æstimationem tui periculi, vel laboris exigere, ut etiam expensas, damnumque emergens, lucrumque tibi fortè cessans, &c. Ita Lessius *lib. cap.5.dub.18.num.*67 vide quæ dixi *t.3.cap.2.§.8.num.*3. Pro ipsa tamen sola inventione nihil ex Iustitia potes requirere, sed solùm ex gratitudine. Ita Covarr. *in Peccatum, part.2.§.3.num.*3. aliis citatis. Ratio huius est, quia tota res inventa Domini est, tota igitur reddenda: at si tu aliquid necessariò exigas, iam non tam redderes. Ratio autem quòd pretium tuæ diligentiæ potes exigere, est, quia utilis gestor negotij Domini fuisti: ergo potes aliquid moderatum accipere; moderatum, inquam quia secùs non esses utilis gestor negotij, ut dictum est *sup. tract.2.cap.*8. *à n.*7.

Quod dixi de re incendio erepta, dictum repta de erepta ex naufragio. Solùm hîc additur excommunicatio Bullæ Cœnæ contra occupantes bona naufragantium: ubi semper intelligo, si adsit, ac nosci possit Dominus: secus, de illis deceme, sicuti de rebus derelictis non fiat restitutio incognito Domino.

Præterea, rectè docent Suar. *tom.4. de censuris in positione Bull. Cœnæ, disp.*21. *sect.*2. allatus à de Lugo *tom.1.de justitia, disputat.6. sect.*10. *num.*99. Castro Pal. *tract.6.disput.3.punct.5.num.*2. Diana *p.9. tract.8. resp. vers. notandum tertiò*; non incurri excommunicationem ab eo, qui illa bona capit, animo eadem restituendi veris Dominis, licet interimis utatur: modò impotens non fiat restituendi Domino fortè comparenti.

Si quis furetur, vel dono accipiat hæc bona naufragantium ab eo, qui primò occupavit, contrahere hanc excommunicationem: Contrahere docet Suar. *de cens. disp.*21. *sect.*1. *n.*33. quia, quamvis mediatè, accipit naufragantium bona. Negant. Sayr. & Sonn.

lati à Diana *p. 6. tract. 8. resp. 36.* probabilius, quia Bulla quitur solùm de primo occupante.

Ligna denique ex inundatione fluminis asportata Dominus quidem sùt, sed ex ipsorum qualitate, distanti Domini, labore in eripiendo, collige, an Dominus pro derelicto habuerit: nam tunc primi occupantis erunt. Ita Molina, *part. 19. n. 6.*

30. Adverte secundò adesse aliquas leges applicantes hanc invèta quibusdam Locis, vel operibus piis, quas puto non esse usu receptas, saltem quoad forum Conscientiæ, & ante Iudicis sententiam, Lege Doctores, Petrum Navarrum *lib. 4. de restit. c. 2. n.* 8. 2. Ludovicum à Cruce *in Bullam Cruc. disp. 3. dub. 15.* Molinam *tom. 1. tract. 2. disp. 33. & tom. 3. disp. 750.*

31. Adverte denique tertiò, mihi non esse improbabile, quod docet Pertus Navarrus, *lege unica, C. de Thesaur. Lib.* & *§. Thesauros, Instit. de rerum divis.* Lessius *lib. 2. c. 5. dub. 12. n. 58.* nimirum debita ex cõtractu posse, tanquam derelicta, post factam diligentiam, Domino non apparente, retineri, quia hæc comparari meritò possunt cum inventis, quandoquidem ignotum habent Dominum, ut supponimus: & per hoc responsũ est ad illud, quod *n. 24.* Promisimus, fore hìc resolvendum.

Quòd si teneas, hæc deberi pauperibus, sicuti debentur (quando nescitur Dominus) habita ex delicto, iam potes confugere ad Bullæ compositionem, ut colligitur ex dictis *n. 24.*

### *Nullo existente Domino, cui res restituenda? Vbi de Thesauris.*

32. Sub nullius dominio sunt ea, quæ sive à Domino sunt omnino derelicta, ut quæ Dominus ipse à se proiicit sive Dominum nunquã habuerunt, ut gemmæ rudes ad litus inventæ. Huc spectat Thesaurus qui definitur esse Vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat. Addit Lessius citatus à de Lugo *mox* citando, id verum esse, quamvis sciatur, quotam maiores Thesaurum condiderint: nam quod tanto tempore desiit possideri, desiit esse in dominio, tum retinentis, tum eius hæredum. Ita Lessius, à quo dissentit de Lugo *tom. 2. de iust. disp. 6. sect. 11. n. 111.* quia tempus quantumcunque diturnum non tollit dominium rei à suo Domino, si is cognoscatur. Equidem adhærco Lessio, quia ex diturno tempore clarè colligitur, Dominum voluisse derelinquere; seu à se illam pecuniam proiicere, &c.

Quid autem de illo casu, quem in alium finem enarravimus *supra, l. 2. cap. 6. §. de superstitione, n. 12.* De nocte quidam avarus senex terræ infundit Thesaurum, ego id casu præsensi, possúmne hodie iudicare illud aurum esse derelictum, & iuxta *mox* dicenda mihi illud effodere? Respondeo, si sum certus eum non infodisse ad custodiam, sed animo, ut ille Thesarus in posterum latêret, & pateret nemini: possem, puto, mihi auferre; at si advertam infodisse ad meram custodiam, certè nõ possem. Ratio utriusque dicti est, quia, si ad custodiam, non desiit auri dominium esse apud senem: At si, ut latêret in posterum, iam præsumitur senex abdicasse à se suisque hæredibus illius Thesauri dominium, instar Cratis Philosophi, qui suas omnes divitias in mare proiecit, ut liberius Philosophiæ vacaret.

### *Thesaurus inventus*

33. Sed iam propius ad rem nostram veniamus. Dico primò, adesse quasdam leges in iure communi circa Thesauros. Primam, si in loco proprio inveniatur Thesaurus, totus esto inventoris. Secundam, si ubilibet inveniatur per artes magicas, vel malas, fisco regio applicetur. Tertiam, si in loco alieno, de industria absque Domini consensu, totus Domino loci cedat. Quartam, si in eodem loco alieno sed casu, æquale sit inventoris, dimidium Domini loci. Quintam, si in loco publico, dividatur inter Fiscum, vel Civitatem, & inter inventorem; Si verò in Ecclesia, seu loco Sacro, quod non sit in ullius bonis, pari modo inter Ecclesiam, seu Prælatum, & inter inventorem dividatur. Quid fiat, quando est duplex Dominus, alius quoad proprietatem alius quoad usufructum, vel quid simile? Præter Iurisperitos *in leg. modo citatus, & passim*, legatur etiam apud Theologos, Molinam *disp. 56.* Lessium *loco cit.* de Lugo *loco cit.* Caramuel *lib. 2. Theol. moral. à n. 298. & passim.*

34. Dico secundò: De Iure naturali, immò, & Gentium, Thesaurus est inventoris. Ita de Lugo *loco citato, num. 112.* Molin. *disputat. 56.* Sotus *lib. 5. de iustitia, quæst. 3. artic. 3.* Med. *lib. 1. de iustitia, cap. 4.* & communiter. Ratio est, quia in nullius est dominio, ut ex Thesauri definitione modò allata manifestè apparet. Si aliquod damnum feceris, ut Thesaurum arriperes, verbi gratiâ, vineam extirpasti, vel murum destruxisti, &c. hoc totum debere Domino restitui dubium esse non potest.

35. Potrò, Quoad forum externum videant Iurisconsulti, quò se extendant illæ leges, aliæque fortè propriæ municipales. Quoad forum internum, & in conscientia sic habet Sylvester, *v. Inventum, num. 13.* favent Sotus, & Medina *loco citato*, quatenus negant Principem posse statuere, Thesauros totos esse suos: lege Franciscus Bardi *in select. mor. lib. 2. q. 16. num 6. Secundum Petrum de Palude hodie ubicunque inveniatur Thesaurus, de consuetudine est Principis. Sed ego dico, istam consuetudinem in conscientia non ligare: quia non est introducta per modum legis, sed violentiæ, nec fuit unquam moribus utentium approbata, nisi violenter. Est etiam contra iura Canonica, quæ volunt, bona incerta si restituenda sunt esse pauperum: & si non sunt restituenda, esse contra Iura Civilia & contra naturalem æquitatem: vt patet* in dict. §. Thesauros, *Vbi dicitur, quod D. Andr. naturalem æquitatem secutus, &c. voluit Thesaurum inventum in proprio fundo, esse totum inventoris, contra quam æquitatem, consuetudo non potest.* Hæc Sylvester, qui quamvis loquatur de consuetudine applicante totum Thesaurum Regi, tamen multùm favet asserenti, Iusmodi omnes leges Civiles esse pari modo violentas, quod nolo decernere. Lege Caramuel, *libro 1. Theolog. Moral. num. 289.* favent ex parte Bannez aliique apud Dicastill. *lib. 2. de iustitia tractat. 2. disput. 6. dub. 15. à numero 410.* & propendet Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 17. num. 66.* citans Sylvest. & Sotum, quibus adde Trull. *in explic. Cruciatæ, lib. 33. casu 14. num. 10.* Lopez, qui dicit, inventorem non obligari quid dare Principi, antequam exigatur.

36. Ex eo capite, quòd Thesaurus de Iure naturali est Inventoris, sequitur, posse te emere ab alio fundum, in quo scis (etiam certò) adesse Thesaurum. Cùm enim ea una parte Thesaurus infossus nullum habeat Dominum, & consequenter Dominus fundi non sit Dominus Thesauri; atque ex altera parte tu fundum iusto pretio emas, ut suponimus: non est, unde ulla culpa committatur. Ita S. Thom. Bannez, Nav. Molina, Valent aliique apud Tutrian. *disput. 43. dub. 1. num 1.* adde Vasquez, aliósque apud de Lugo *loco citato, num. 126.* Quidquid Angelus, Thabiena, Armill. apud Turrianum *ibidem*, nimis scrupulosè dixerint.

37. Dices: At fundus, in quo adest Thesaurus, maiori pretio est dignus: Respondeo, non ita: Dignus enim est solo pretio secundum communem hominum existimationem, quæ est regula constituens pretia rerum, ut suo loco dictum est, at, donec latet Thesaurus, communis æstimatio est perinde ac si nullus omnino sublatêret. Dari solet exemplum de Pharmacopola peritissimo, emente vili pretio fascem lignorum, in quibus cognovit adesse pretiosissimam herbam communiter ignotam.

38. Denique audi resolutionem Caramuelis *loco cit. num. 288.* circa casum, qui frequenter accidere solet:

*Petrus conduxit operarium, ut puteum effoderet in domo sua, nempe diurni floreni pretio, & hic ollam auro plenam invenit, cuinam invenit, sibi, aut conductori? Respondeo, sibi, Ratio est, quia illud est inventoris. Stando enim in iure naturæ, omnes Thesauri, cùm ex se nullius sint, fiunt inventoris, qui nihil tenebitur dare Regi, nihil Reipublicæ, nihil Domino agri, in quo reperit. Sed nunc Petrus est inventor, ergo, &c. Obiicis: at vinator Mercatoris gemmas in mari quærit: Respondeo ita, quia conductus est ad gemmas quærendas, & operarius conductus fuit ad aquam quærendam, non thesaurum & sicut dictus vinator si forte in mari inveniret ensem, sibi illum acquireret, sic thesaurum fossor, &c.* Addit sic: *Si lapidis lapsu vulneretur, aut occidatur casu operarius, sanè Petrus non tenetur operario ratione istius damni non prævisi; ergo neque operarius, ratione Thesauri casu inventi. Taceat ergo operarius, & gratias agens Deo custodiat beatior sine teste.* Hæc ille, abstrahens à legibus positivis, de quibus postea loquitur, & de quibus paulò antè nos egimus, déque iisdem videatur Francisc. Castill. *tom. 3. decis. 240.*

## §. IV. *Quantum.*

1 TAntum debet restitui, quantum est ablatum, ablati autem nomine intelligi damnum, lucrũ, fructus, &c. iam satis in superioribus est explicatum.

## §. V. *Quomodo.*

1. NIsi sit alicui obviandum scandalo, satis erit si restitutio fiat sive occultè, sive publicè; sive per se, sive per alium: Ita Dicast. *lib. 2. de Iust. tract. 2. disp. 11. dub. 10. n. 121.* vide *supr.* §. 3. non enim est deneganda restituenti, suæ famæ conservatio. Porrò, aliquot mihi fuerunt propositæ difficultates, quæ ad huius circumstantiæ dilucidationem facere possunt, & sunt eiusmodi.

### *Restitutio facta Domino illam non advertenti.*

2. Prima: An satisfaciam, si ita occultè restituam, ut ne ipse quidem læsus advertat. Debeo, verbi gratia, tibi centum ex iniusto, sed occulto latrocinio, & quia sum tuus perfamiliaris, timeóque, si secùs quocunque alio modo restituam, ne fur deprehendar; fingo tempore tuarum nuptiarum dono tibi gemmam auro insertam eiusdem valoris, ac furtum, revera tamen redditurus, liberabórne sic ab onere restitutionis, quo gravabar; Ratio dubitationis est, quia certò moraliter, vel saltem probabiliter scio, te utpotè gratissimum Virum, mihi alterum tantum in aliqua simili occasione redonaturum, non redonaturum, nisi ego antea donassem. Respondeo, cùm hæc redonatio sit ex mera liberalitate, ad quam ego amicum, nec induxi, nec obligavi, non dicor nisi indirecta causa illius, seu non sum absolutè illius causa, sed solùm occasio; quare, cùm periculum meæ famæ sit causa proportionata, me excusans à cooperatione huius novi detrimenti, quod ex occasione mei ficti muneris patiatur amicus, non peccabo, nec ad restitutionem consequenter obligabor. Confirmatur, quia ad vitandam infamiam notabilem, licèt differe restitutionem, immò & non restituere, cùm fama sit bonum superioris ordinis, ut diximus *suprà, cum de adulterio*: cur ergo idem non procedat in casu huius occultæ restitutionis, quæ magis favet creditori? Ex quo vides, idem (si absit proportionata causa) si ri licitè non posse.

An satisfaciam debito iustitiæ per donum gratuitum immemor dicti debiti? Vide apud Trullench. affirmantem *in Dicalog tom. 2. lib. 7 cap. 4. disput. 5. num. 10.* contra Rodriquez ab ipso citat. legatur omnino P. Bald. sentiens cum Trullench. apud Dianam *part. 5. tract. 13. resolut. 44.*

### *Restitutio facta per intermediam personam.*

3. Secunda: Rem, quam Domino debebam, eidem misi per hominem, quem credebam fidelem, sed ipse, neri suo non satisfaciens, aufugit; obligábórne restituere?

4. Respondeo. In aliquibus conveniunt hîc Doctores. Lege Navar. Lessi. Rebell. Molin. aliósque mox citandos, quibus adde Castro Pal. *de Iustitia commutativa, punctо* 17. §. 9. Discrepant in uno.

Conveniunt primò; si debitum est ex re accepta, res est illi individuo aliena, verbi gratia, vestis, equus, argenteum, hæc numero mensura tritici, quoties sine culpa gravi Theologica, ad Dominum non affertur, nihil te obligari. Ratio est, quia res Domino peritura, nisi adhuc in aliquo factus sis ditior, hoc enim adhuc te deberi non est controversum.

5. Conveniunt secundò, si debitum est ex contractu quo aliquid à te alicui debetur, pari modo in individuo verbi gratiâ, Vestis commodata, equus locatus, hæc numero pecunia per modum massæ deposita, probabile saltem esse, te non obligari, quoties sine tua culpa gravi Theologica ad Dominum non affertur. Ratio est eadem, & quia ex contractu non obligatur quis, nisi ad diligentiam moralem proportionatam illi rei, de qua agitur, in eodem contractu, ut *suprà* universum dictum est: cum ergo tú tradendo huic homini, quem bonum & fidelem credidisti, non peccaveris saltem mortaliter, erit probabile, te ad iterum compensandum non urgeri.

6. Conveniunt tertiò; Si debitum sit ex eodem contractu, ut si debeatur pretium rei emptæ, vel item à debeas ex re accepta. Verùm, ita, ut debeas aliquid tantum individuo alienum, sed debeas pecuniam solvere, quæ æquivalens, te non liberari ab iterata restitutione ratio est, quia cùm res quando perit, suo domino perit, illa pecunia in manu mediatoris tibi periit, quia tu deminus, quare creditor adhuc erit satisfaciendus. Excepti nisi illam miseris per hominem designatum ab ipso creditore. Ita Doctores communiter apud Dicastill. *de restitut. tract. 2. disput. 3. num. 107.* tunc enim creditor in suo homine designato, suam fecit pecuniam, adeóque ipsi perit. Et tamen Tancredi *part. 2. quæst. moral. tract. quæst. 16. num. 3.* probabile iudicat, (Et quidem meum sive furem, sive quemcunque alium, non teneri ad aliud si rem restituendam, vel pecuniam misit per fidelem hominem, quia sic prudenter se gessit, præterea cùm nemo sit obligatus per se immediatè rem Domino afferre, sed sufficit per personam prudenter iniustam idoneam.

7. Dissentiunt autem Doctores. Si debitum sit ex delicto: Furatus es equum, mittisque per hominem fidelem, verbi gratiâ, per Confessarium, sive eundem equum, sive eius pretium? in hoc enim casu idem est sive res debita sit in individuo, sive in specie.) Ita Confessarius ea non reddit Domino, sed prætextu expectationem sibi usurpat, adhuc obligeris ad iterum restituendum? Te liberat à restitutione prima sententia. (Ita Cenedo *de paupertate Relig. disputatione 6. n. 8.* Diana. *parte secunda, tractatu 3. sectione 17. Miscellan. resol. 2.* dicens hanc esse sententiam tutam in praxi; Lessius *lib. 2. cap. 16. dub. 6. num. 67.* dicit non esse omnino improbabilem; Fillicuius *tom. 1. tractatu 32. cap. 1. num. 155.* Rodriquez, Petr. Navarr. citati à Ducastill. non citando, *num. 114.* Diana *parte secunda. tractatu 17. resol.* quia tu feci sti, quantum potuisti, & quia tunc creditor iudicatur consentire huic transmissioni per hominem fidelem, perinde ac si ipsemet designasset, siquidem ita prudenter te gessisti. Te nequaquam secunda sententia liberat. (Ita Lessius *loco citato, num. 65.* Rebell. *de restitut. quæst. 15. sect. 3, num. 11.* Molin. *tom 3. disput. 74. num. 2. §. quando per Confessarium*, Toletus, Navarrus aliique apud Dianam *loco citato*, quibus adde De Lugo *tom. 1. de iustitia, disputatione 21. sect. 5. à num. 59.* Dicastillus *loco citato, num. 111. iuncto num. 113.*) quia in te semper remanet radix obligans ad restitutionem, nempe iniusta acceptatio, & Dominus nisi rem ipse cum effectu habeat

habeat, non præsumitur consensisse ad illam transmissionem, quamvis per fidelissimum, nisi sub conditione, quòd de facto ad ipsum res sibi debita perferretur: Hæc posterior sententia est certior, illam priorem non audeo propter Authores eam sequentes, improbabilitatis condemnare.

*Restitutio cum errore facti ex consilio Confessarij.*

8. Ex dictis, quid statues de sequenti difficultate, quæ tertio mihi loco proposita est; Confessarius bona fide tibi indicit, ut vestes, vel pecuniam, verbi gratiâ quæ à Petro surripuisti, des pauperibus: tu promptè exequeris, illásque pauperibus ad assem distribuisti mox, sive idem Confessarius, re melius perpensa, sive alius doctor te advertit, incautum fuisse consilium, quia, cùm sciretur Dominus, Domino res sua debebatur; obligaberisne ad iterum vero Domino restituendum? Respondeo, te obligari, sequitur ex dictis in posteriore sententia relata *numero præcedenti*; Sed tamen etiamsi in cæteris casibus sequaris posteriorem dictam sententiam, te hîc non audeo iterum obligare. Ratio mihi videtur esse, quia Dominus non debuit in tanta tua pietate esse invitus, ut non consenserit illi eleemosynæ. Confirmo, si iterum restituis, semper plus restituis, quàm debes, ad quod Ius Iustitiæ nunquam obligat, ut diximus *suprà*, *lib. 6. cap 4. §. 3. n. 22.* Probatur consecutio, quia dares nunc pecuniam illam oblatam, & insuper dedisti bonum illud spirituale eleemosynæ quod iam cessit pro lucro spirituali Domini, ergo semper excederes restituendo: id, quod pari modo esset, si solam partem pretij iterum restitueres: nam semper hæc pars erit supra id, quod debes: cùm bonum illud spirituale eleemosynæ iam adæquaverit totum debitum.

*Mediator rem restituendam amittens.*

9. Denique duæ mihi hîc addendæ occurrunt non dissimiles difficultates: Prior, quid nimirum in voto, & iuramento; Vovi cum iuramento calicem, vel pecuniam Domui Lauretanæ; misi ea per hominem, quem fidelem iudicabam, sed ipse illa sibi clanculum usurpavit; obligórne ego, cùm id rescivero, iterum mittere?

Respondeo, scio aliquos apud Dianam *p. 10. tract. 16. resol. 37.* te obligare; Verùm, hoc bona fide procedenti, nimis durum. Satis enim in re morali ex Dei benignitate à te Votum, seu iuramentum fuisse adimpletum per illam mediatam traditionem, existimandum est. Ita Dian. *ibid.* citans P. Tancredi. Mediator autem ille semper obligabitur muneri suo satisfaciat: ni satisfaciat, peccabit, non contra Votum, ipse enim nihil vovet, sed contra Iustitiam, & quidem puto, cum sacrilegio, cum Fagund. *Eccl. prac. 2. lib. 4. cap 4. à n 8.* & aliis cum Bonac. *tom. 1 præcept. d. 3. q. 5. à num. 23.* quia usurpat res Divino cultui addictas.

10. Inquiret curiosus; Si sine culpa mediator illas amittat, obligabitúrne ad aliquid? Respondeo, si amittat calicem, vel quid simile in individuo acceptum; ad nihil obligor: quia ipse non obligatur ex Voto, vel iuramento, hoc enim parit solùm personalem obligationem in vovente, vel iurante: Non ex re acceptâ, quia eam amisit? Non ex iusta acceptione, quia nullam commisit, vel certè non gravem culpam, ut supponimus. Ita Tancredi mox citandus, ducto Argumento *ex cap. Licèt, de Voto.* Excipe, nisi fortè se per contractum obligasset, quod rarissimum est. At verò si amittat pecuniam, vel simile quid functionem reciens, distinguendum est: Si enim amisit eandem pecuniam, v. g. vel totum cumulum pecuniarum, in quo erat & ipsius, & voventis pecunia, ad nihil obligabitur propter rationem modò dictam, & de hoc casu solùm meminit doctus, & eruditus P. Tancredi *de Religione tract. 4 lib. 2. d. 13. q 4. num. 32.* allatus à Diana *part. 10. tr. 10. resol 97.* dum mediatorem amittentem casu pecuniam, ab omni onere liberat: Quòd si amittat aliam pecuniam, quia nimirum illam voventis, in proprios usus, verbi gratiâ, expendit, vel fortè domi repositam habet, tunc (cum amittat suam pecuniam) obligabitur vel repositam, vel illi æquivalentem ad Lauretanam Ecclesiam deferre: Ratio est, quia amissionis infortunium nullo modo nunc debet cedere in damnum Ecclesiæ, quia non amittitur res, quæ sit sub Ecclesiæ dominio. Id quod negaturum non puto amicissimum P. Tancredi, nec alium.

*Restitutio doni, mortuo Donatore.*

11. Posterior difficultas per hanc occasionem explicanda, huiusmodi est: Titius famulo, vel alteri dedit vas argenteum, verbi gratiâ, ut ipsius Titij nomine dono traderet Caio. At famulus vel non tradidit, vel tandiu dare culpabiliter distulit, donec Titius diem suum obierit, ita ut Caius doni ignarus, illud ne acceptare quidem potuerit. Quæritur, ad quid famulus sit urgendus? Respondeo, Molina *tom. 2. d. 263. n. 7.* cui adde sanè Lessium, Bonac. & ex parte Layman. docet à famulo duplicatam deberi restitutionem: Caio enim Donatario debet vasis æstimationem, propter damnum, quod illi intulit, dum donum ei non tradidit, nec saltem significavit, quo potuisset Caius illud acceptare. Hæredibus verò debet vas: quia cùm mandatum Titij non habuerit effectum, & ex alia parte omne mandatum exspiret morte mandantis, iam nunc vas non pertinebit ad donatarium, sed ad hæredes Titij donantis. Nisi fortè donatio fuerit ad piam causam: tunc enim in favorem animæ præsumitur mandatum persistere. Hæc ex Mol. Verùm, duplicata hæc redditio dura nimis erit famulo. Puto ergo esse probabile, sufficere, si is reddat vas donatario tantùm. Ita Sà *v. Donatio, num. 25.* Less. putans hanc probabilem, Ductor casuum Conscientiæ Bononiæ *casu. 2.* apud Dian. *part. 6. tract. 7. resol. 4.* Ratio est, quia satis est probabile, mandatum illud, cùm sit favorabile, & gratia facta, non expirare morte mandantis, sicuti non expirant cæteræ gratiæ factæ. Ita Sanch. *l. 8. mor. d. 28. n. præsertim 64.*

## §. VI. *Quando.*

1. PRofectò statim. De quo, déque moroso debitore multa à me dicta invenies *sup. tract. 3. c. 2. §. 6. & c. 7. §. 7. à n. 28.* & *c. 8. §. 3. à n. 7.* quibus hoc vel breviter adde, vel breviter recole.

Primò statim intelligo moraliter, non physicè. Vnum enim, vel alterum, vel tertium diem differre restitutionem, si Domino damnum grave non emergit, non est gravis dilatio. Legè Dicast. *loc. mox citando* Aliquid ampliùs, concedi, quando solutio est facienda ob contractum, verbi gratiâ, ob census, mox dicam. Contrà, magnam summam, nolente Creditore, per partes singulis mensibus, vel annuatim solvere, gravis est dilatio. Ita Sotus, Medina, Mol. apud Dicastill. *lib. 2. tr. 2 d. 10. d. 1. 6.* id enim non est statim solvere. Multò gravior erit, si cùm scias te verè debere, tamen vis cogi à Iudice, tunc enim præter peccatum dilationis; debebis, restituere expensas tuo debitori, ut per se patet.

2. Secundò; Qui, cùm possit, non restituit, peccare continuò, & id vocari, ac esse peccatum habituale, specialique modo esse confessori aperiendum, *lib. 2. exp. Conf. cap. 1. §. præsertim. 2.* docuimus. Sed & alia valde necessaria ad praxim Confess. dicemus *inferius cap. 4.*

3. Tertiò, qui ab articulo mortis urgetur, nec per se ipsum restituere vult, cùm possit, sed vult relinquere onus restituendi hæredibus; quique, cùm dubius sit an res sua sit, diligentiam ipse, cùm item possit, facere detrectat volens, ut eam faciant hæredes, non sunt

absolvendi: Ita Sylvester, Navarri aliiq. quos sequitur uterque Dicast. *lib.2.de iust. tract.2.d.10.d.1.n.15* quia, ut cætera taceam, culpa gravis est, obligationem propriam transferre velle in alios, qui regulariter erunt ipso Testatore negligentiores. Lege Doctores, Mol. *d.753.* Less. *lib.2.c.12.n.11.* Rebell. *q.17.num.6.* Vasq. *p.2.d.75.cap.3. num.14.& 3.cap.q 91. art. 1. dub. 5.* hac de re valde rigidè differentes.

4. Quartò, quando solutio faciendæ est ex contractu quamvis aliqui teneant peccari mortaliter, nisi fiat die in contractu præscripta, saltem quando intercessit iuramentum: Molina meritò docet, non semper mortaliter peccari: quia iuramentum intelligitur morali modo, undè, quando dilatio nullum detrimentum affert creditori, certáque futura sit solutio, dilatio non erit censenda mortalis. Pari modo notant aliqui, non esse reum culpæ mortalis eum, qui cùm debeat, v.g. singulis Calendis Sept. centum annuos, eos non solvit, nisi à Domino requiratur? hic enim est modus ordinarius humanus eiusmodi census solvendi: Verùm, id limitandum, seu declarandum omnino est. Quando enim creditor iudicatur rationabiliter esse invitus in acceptanda dilatione, non poterit excusari debitor, qui est solvendo. Vt v. g. propter nobilitatem, seu potentiam debitoris, non audeat creditor inops exigere, quis excusabit debitorem?

5. Quando terminus solvendi conditus fuit in favorem debitoris, ut in commodato, & mutuo, potest debitor terminum prævenire, & solvere. Ita Sylvest. *v. Locatio q.6.* Med. *D. de restit. q.3. causa 6.* lege Marian. *p.8. tr.7. resol.17.* Quòd si creditor acceptare nolit, & fortè postea res pereat, interitus creditori imputabitur, non debitori, Quando verò terminus fuit in favorem creditoris, ut in locato, tunc debitor prævenire terminum non valet? esset enim in damnum creditoris.

Creditori autem ipsi nunquam conceditur posse petere rem sibi reddi ante terminum conventum, *c vnic. de plus petit.* nisi in tribus casibus. Primò, si debitor pergat ad inopiam. Secundò, si cæpam paret. Tertiò, si incipiat esse suspectus de non solvendo, nam tunc cogetur, vel reddere, vel cautionem præstare.

## §. VII. *Quo ordine.*

1. QVando debes pluribus, nec es solvendo omnibus, certè creditori habenti potius ius reddere oportebit: quòd si omnes æquali iuri polleant, pro rata erit, quod habes, singulis dividendum. Sed ecce varius, multiplex, ac difficilis nodus extricandus: Quo enim filo manuductus intricatum hunc labyrinthum de prælatione creditorum evadam? Puto strictim, ac summatim id à me explicari sine periculo obscuritatis non posse: nam propterea satiùs iudico, te in re præsertim non admodum frequenti, ad Theologos, ac Iurisconsultos de ea fusè disputantes ablegare. Molin. *d.760.* Less. *l.c.cap.15.* Val. *d.5.quæst.6.part.10.* de Lugo *tom.1.de iust.d.2. per totam*, Vasq. *cap.11. de rest.* Dicast. *lib.2.de iust tom.2. d.11.* Castro Pal. *part.7.d.1. de iust.commut.p.18.a §.15.* De his omnibus vide Sotum *lib.5.de iust.quæst.1. art.1.ad.3.* Rebell. *part.1. lib.2.q.13.sect.2.& 3.* Azor. *3.p.lib.4.cap.32 & 33.* Less. *lib.2.c.15. dub.8.* Vasq. *de restit. §. 10. dub.1. & 2.* Mol. *d.751.* de Lugo *tom.1.de iust.d.20.sect.8.§.3.* Bonac. *disp.1. de rest.q.5.*

## §. VIII. *Quo loco.*

1. DIstinguendum est, vel enim agimus primò de restitutione debita ex iniusta acceptione, seu ex quocumque delicto, vel secundò, ex re accepta, vel tertiò, ex contractu.

*Ex delicto.*

2. Si restitutio facienda est ex radice delicti, regulariter est exhibenda, vbi degit Dominus rei; præsertim quando absentia creditoris est ex culpa vel voluntate debitoris, v.g. sufripúisti equum Petri Panormi, & transtuliisti Syracusas, Panormi debes restituere. Si modo, si furatus es pecuniam hîc à Titio, & Titius contulit ob sua negotia Catanam, quò erat secum sua hanc pecuniam translaturus, Catanæ debes restituere. Ratio est, quia creditor per restitutionem debet ad æqualitatem reduci, & nullum debet ex iniusta tua receptione pati damnum. Quare, si quis furetur pecuniam ipse Dominus aliò, etiam in disiunctissimam Provinciam, mittebat, rationabiliter petet, ut ibi reddas. Dico (rationabiliter) non enim potest temerè velle Dominus, pro arbitrio suo in quocunque loco fieri restitutionem, sed solùm, vbi culpa furis sese extendit.

3. Verùm, cuius expensis? Ducendus est, v.g. ablatus ipsi locum debitum, quis tribuet expensas, Ripondeo, tribuet debitor, subtractis iis, quas fortè dedisset qui Dominus fuisset facturus, si ab illo equus non fuisset ablatus. Ita Sot. Val. Nav. Azor. Mol. Less. & communiter apud Dicast. *loc. cit.n.98.* Ratio est, quia sua creditor, qui nunc est Dominus pateretur damnum ex alterius iniustitia. Idémque est, si restitutio fiat cum ista retentione, quia tunc iam est ex delicto. Commodo vi tibi, verbi gratiâ, equum per vnum mensem, tu fuisti in mora iniustè reddendi, unde ego Catanam petii omnibus rebus meis: debes tuis expensis transmittere ad me equum, subtractis iis, quas ego fecissem, & similis subtractis, si fecissem nullas: sic enim ad æqualitatem reducetur iniustitia, cuius mihi ex iniusti mora causa fuisti.

4. Inquires: Si expensæ futuræ essent maiores, vel æquales rei restituendæ, obligórne, cum tanto damno eas pati? Surripui, verbi gratiâ, equum valoris centum aureorum: expensæ autem, ad equum transferendum, ascendunt ad centum, ducentos, trecentos aureos; obligóne?

Respondeo, te absolutè loquendo obligari, quia tu intristi, tu comede; hoc est, quia tu causa fuisti, tantum debeat expendi, tu expende: neque enim Dominus ex tua iniustitia pati carentiam suæ rei debet. Dixi (absolutè) nam, si tu exhibendo tantas illas expensas paris non quidem damnum æquale, vel aliquantò maius, quàm patitur Dominus ex suæ rei carentia, tunc eras sine dubio teneris: sed si patereris longè maius, quàm patitur Dominus ex absentia rei suæ, & tunc fas esset differri solutio, aut aliquo modo conveniri per litteras cum Domino. Ita Vas. Caiet. Nav. & alij apud Val. *c.10. dub.1.n.17.* Ratio est, quia Iustitia non advertens Charitati, quæ est finis omnium virtutum, neque prudentiæ, & rectæ rationi, quæ per omnes virtutes imperat, currit. At Charitas, & recta ratio dictat, non decere Dominum velle rem suam cum tanto rigore sibi tribui, ut damnum adeò intolerabile debitori inferatur. At æquali autem, seu aliquantò maiori, ideò obligatur debitorem, quia in damno non adeò excedenti malitia ratio debet haberi innocentis Domini.

5. Quòd si differri non posset solutio; vel propter absentiam in loco remotissimo, ac diuturnam Domini, non sit spes futuri temporis, quo res transmitti ad illum cum moderatis expensis detur, nec per litteras, seu internuntios, Domini voluntatem explorandi, aut propterea, debitor potest rem ablatam sibi retinere, sed vel disponendum de illa est, in favorem pauperum, vel componendum vi beneficij *Bullæ Compositionis*, sicuti *sup.cap.1.§.3.n.20.* diximus, fieri debere in casu, quo incertus Dominus est, quia in hoc casu moraliter iudicatur Dominus, ac si esset incertus. Idem porro in alio casu, quando debitor, propter inopiam nullo modo potest expensas, ne mediocres quidem facere, ad transmittendam rem, vel ad Dominum admonendum, tunc enim pari modo, vel pauperibus rem elargitor, vel Beneficio Compositionis utitor. Ita Lud. à Cruce *de Bull. Cruc.d.6.n.3.* aliique ab ipso citati. In vtroque autem casu

...ria, si præsumatur voluntas Domini, ut res restituenda ...ur suis consanguineis, Patri, Matri, Filiis, &c. multò ...gis, si ij pauperes sint, ipsis dandam rem esse, nemo ...ubitet, *ibid.* diximus.

*Quo loco, ex re accepta.*

6. Si restitutio facienda est solùm ex re accepta bona ...o, v.g. quia habui equum, gemmam, vestes, quæ deinde ...eri esse alterius; si bos alterius ad meum præsepe con- ...git, &c. Profectò sufficiet, si ea restitutio fiat in loco, ...i est debitor, & admoneatur Dominus: Quòd si res ...Dominum sit transmittenda, Domini expensis transmittenda erit, Ita Navarr. Mol. Rebell. Less. Regin. Vas- ...ez, aliique citati à Dicast. *lib. 2. de iust. tract. 2. disp. 11. dub. 6. num* 105. Ratio est, quia secùs ego paterer damnum ...ne mea culpa, tunc enim Dominus ius habet in rem ...am, non verò in me.

7. Advertè hîc tria; Primò, mihi esse compensandas ...estis expensas, alioqui ex re ipsa extrahendas, si quæ à ...e factæ sunt, ad sustentandum, verbi g. equum; idque ex tacito contractu, qui dicitur ex negotiis bene gestis. Secundò, multùm expedire, si Dominus admoneatur, & res interim alicubi custodiatur: nam si supervfluas expen- ...as sine rationabili voluntate Domini facias, illas amitte- ...es, ut si equum, v.g. transmitteres cum majoribus ...expensis, quam equus valeat, si sine morali custodia, &c. Immò tunc si ob negligentem custodiam cum culpa ...ejus periret equus, teneteris ad damni restitutionem, & iniusta damnificatione, Tertiò, si res transmitti ad Dominum non potest, nec admoneri, nec expectari, &c. detur pauperibus, vel usui sit Bulla compositionis ...anno modum iamiam *num.* 5. dictum. Nec tamen videtur inptobabile, posse retineri apud se, quia tunc res ...competatur rei habenti Dominum ignotum, iuxta dicta a. ...num. 31.

*Quo loco, ex contractu.*

8. Si restitutio facienda ex contractu, & ex iusta acceptione, distinctione opus habemus. Legatur Dicast. ...d. n. 108. Less. Vasq. Reginald. ab eodem citati. Vel enim restitutio est eadem numero, seu, ut loquuntur Iurisconsulti, eadem res in specie, v.g. equus locatus, commodatus, depositus, vel restituendum est aliquid æquivalens, v.g. emisti equum, debes pretium, vendidisti accepto pretio frumentum, debes frumentum pretio recepto æquivalens, accepisti prædium, debes censum, &c. de utroque separatim.

9. Quod prius: Assero debere restitui in eo loco, quo conventum est, vel in eo loco, quem natura initi contractus requirit. Verbi gratiâ, si in contractu locationis equi appositum sit, ut hîc equum restituas, hîc debes, si ut restitutus Catanæ, quò pergis, illic debes, &c. At verò si nulla conventio facta est, tunc debet respici natura contractus, hoc est; an primò contractus, quem facis, sit solùm in utilitatem alterius contrahentis? Secundò, an solùm in tuam; Tertiò, in utriusque.

10. Si enim accidat primum, si, v. g. habes depositum librum in utilitatem solius Domini, ibi bona fide, ideſt, sine fraude, & dolo debes restituere, ubi tu existis. Quòd si aliò res transmittenda sit, fiat expensis, & periculo Domini, modò non pereat ex tua gravi culpa. Ratio est, quia secùs tu paterēris damnum, sine ullo Domini iure contra te.

11. Si habes depositum solùm in utilitatem tuam, teneris tuis expensis restituere in eo loco, ubi bona fide habuisset Dominus, si tibi non commodasset, modò per te steterit, ne Dominus, secum rem suam transtulerit, deductis tamen expensis, quas feciſſet Dominus. Ratio est, quia Dominus non debet pati damnum ex gratuito commodato, & ex alia parte non debet, nec ille lucrari, nec tu perdere sine tua culpa, ex mero commodato, quod est ...le gratuitum.

12 Denique, si rem habes in utilitatem utriusque, ut in locatione equi, in qua & tu equi usum, & locans pretium habet: tunc in casu, de quo loquimur, quando nulla facta est conventio, videris primò aspectu, teneri tuis expensis, ne Dominus sine culpa lædatur: puto tamen, expensis utriusque; quia retorqueo argumentum, si enim tuis expensis, tu lædereris sine tua culpa. Dividantur ergo æqualiter expensæ, sicut æquale est commodum. Immò addo, non rarò debere solis expensis Domini, quando scilicet Domini negligentia non fuit admonitus conductor de loco, ubi restitutio facienda esset, ipse enim, suo communiter usurpato iure, utens, ibi restituet, ubi rem locatam recepit. Excipe, nisi sit recepta consuetudo, ut alibi restituatur: ita in aliquibus locis equi locati ad iter faciendum, restitui solent in locis, ad quos equitando pervenitur, &c.

13. Quoad posterius, quando ex contractu debet restitui res æquivalens juxta divisionem factam *n.* 8. Dico debere pari modo restitui secundùm conventionem contrahentium, sive expressè, sive tacitè in contractu positam; At si nulla sit apposita conditio, regulariter fieri debet restitutio, seu solutio, ubi tradita res fuit, & recepta, v.g. hîc vendidisti, hîc locasti equum, hîc solve pretium, id enim videtur postulare æquitas: idque æqualitas inducenda inter contrahentes. Quòd si hîc Panormi sub conditione numeratæ pecuniæ loces Domum Catanæ existentem, hîc debebis, quia illud (numeratâ pecuniâ) id tacitè, ne dicam expressè, importat, &c.

14. Ex quo vides, tum pro hac postrema doctrina, tum pro præcedenti, maximè ex circunstantiis decerni debere in tota hac materia locum, ubi sit restituendum id, quod nos nunc innuimus sub nomine tacitæ, vel expressæ conventionis, & paulò *superiùs* sub nomine naturæ contractus, in quo nimirum tacitè imbibitur aliquando vel expressè loci determinatio.

15. Hinc primò: Si in via tibi do mutuos decem aureos; certò non in via, sed ubi tunc ego proxime, immò etiam longè habito, reddere debebis. Ita Bonacina *loco citato, num.* 9. quod tandem concedit de Lugo *loco citato n.* 104. quia ex natura mutui, quod est in utilitatem solam mutuatarij, colligimus, Dominum rem suam habere debere sine expensis: quia nisi expressè quid in contrarium sit conventum, non est æquum, ut ego ex beneficio tibi collato damnum patiar.

Quid, si mas, vel vendas in via, dilato pretio, vel re? Quid, si vendas rem existentem in loco distanti, v. gratiâ, dolium vini existens in tuo prædio? Respondeo, in his casibus semper solere constitui in praxi locum solutionis: quòd si per incuriam non constituatur, ad tacitas, consuetásque in ea regione conventiones, modo paulò antè dicto, erit recurrendum.

16. Hinc secundò: Si tibi promittam dare liberaliter post annum equum, & ego ante annum domicilium mutare cogar, certè sufficienter tibi satisfaciam, si equum ibidem dem, ubi bona fide invenior. Ita Dicastill. *lib. 2. tract. 2. d. 11. d. 9. num.* 118. quia ex circumstantiis his peculiaribus, quòd hæc sit donatio merè liberalis, quòdque ego non consulto, ut effugiam ab equo donando, sed bona fide peregrè abierim, colligitur, non aliter me promisisse.

17 Hinc tertiò: Census reales, super rebus stabilibus debitis, verbi gratiâ, super prædio, domo, feudo: &c. (nisi expressè conventum aliter fuerit) solvi debent in loco, ubi sunt res hypothecatæ: est enim census; quasi pars fructuum rei. Idem de pensione Beneficij, ibi enim debet solvi, ubi est beneficium licèt sciam sæpissimè conveniri expressè, ut solutio exhibeatur, ubi degit Pensionarius. Idem de legatis: debent enim dari, ubi hæres hæreditatem adiit, nisi aliter ex intentione Testatoris colligatur, si quidem legata sunt pari modo partes extractæ ab hæreditate.

In omnibus prædictis, quando res ad Dominum longè distantem transferenda est, cui pereat, si pereat in via, diximus §. 5. *num.* 3.

§. IX. *Qua*

## §. IX. *Qua causa excuset iniquum.*

1. QVindecim causas affert Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 6 part. 7.* excusantes à restitutione; & multa de his excusantibus lege apud Castro Pal. *de iustitia comm. disp. 1. part. 17. per totam.* Præcipuæ sunt, Impotentia debitoris, Infamia Vitæ, Membrorum periculum, Condonatio creditoris, Cessio bonorum, Res restituenda creditori nocitura, Præscriptio, Beneficium Bullæ compositionis, Solutio facta creditori sui creditoris, Iudicis authoritas. Quoniam verò ex his multa sparsim *in toto hoc libro* dicta sunt, cùm de periculo infam. &c. cùm de adulterio, de re nocitura creditori *sup. §. 3. num. 2.* de ingressu Rel. *sup. §. 1. num. 7.* de præscr. *sup. tr. 1. cap. 4.* de cessione bonorum *mox n. 7.* dicetur, multa autem sunt facilia, & passim obvia, nec desunt aliqua minùs frequentia. Ideo prima hîc, quæ frequentissima est, brevi explicationi subiicienda dumtaxat supereſt: si priùs adnotes, certum esse, excommunicationem creditoris, multò minùs debitoris non excusare à restitutione. Ita Sylv. Suar. Less. alique apud Castro Pal. *lib. 1. §. 5.* At lucrum magnum à debitore acquirendum, tunc solùm dabit causam ad differendam aliquantulùm restitutionem, quando speratur sic debitor posse satisfacere omnibus creditoribus. Ita Layman, Lessius, aliique apud Castro Pal. *loco citato, §. 4. num. 4.*

### *Inopia excusans à restitutione.*

2. Impotentia ergo, seu inopia, causa est legitima, cur omitti, vel quod est minus differri, possit restitutio, quia vulgare est pronuntiatum: *Ad impossibile nemo tenetur*; vide quæ dixi *Tract. 2. cap. 6.* Cùm autem fortior sit omissio (utique perpetua) quàm dilatio, fortior ad illam impotentia, quàm ad hanc sine dubitatione requiritur. Hinc lego apud Doctores Scotum, Navarr. Valent. aliósque apud Bonacin. *disput. 1. de restit. quæst. ultim. part. 2.* contra Molin. *disput. 754.* posse licitè aliquando ex detrimento, quod debitori sequitur, etiamsi non coniiciatur in necessitatem decidendi à suo statu; posse, inquam, licitè differri restitutionem ad tempus, quo sine tanto detrimento fieri queat restitutio. Lego apud Lessium *lib. 2. cap. 16. num. 22. & 25.* eum, qui debet centum aureos, posse differre solutionem, si non potest nunc restituere, nisi prædium multò minoris vendat, quàm valet. Lego apud Bonacinam, *loco cit. num. 22. & 23.* posse differri solutionem, quando ad restituendam statim, rem valentem ducenta, oporteret vendere centum; quod duplex dictum Lessij; & Bonacinæ explicant, quantum debet esse detrimentum, quod hanc licentiam differendi concedit. Lege apud Ioannem Medinam *Codic. de restitut. quæstion. 2. ad 2.* Lessium, Navarr. apud Castro Pal. *mox* citandum; si periculùm sit, ne filiæ se prostituant, & ne filij fiant latrònes, vel ne debitor ipse pater ob summam indigentiam in desperationem incidat, posse differri solutionem. Addit meritò Castro Palaus *de iustitia commutat. disput. 1. part. 18. §. 3.* dummodo creditori inde grave damnum non obveniat. Hæc quam, absolutè lego: At propter has causas posse restitutionem absolutè omitti, non *passim* lego. Nam si deinde accedat maior causa, quale est periculum vitæ, membrorum, iacturæ notabilis, & diuturnæ propriæ sanitatis, gravis infamiæ, notabilis casus à suo statu, ita ut illi filij, verbi gratiâ, patérque, non habeant unde alantur, &c. non differri solùm, sed omitti omninò poterit restitutio.

Qua ratione, qui differt solutionem ob causas prædictas, obligetur ad interesse, quod ex dilatione fortè paritur creditor, lege apud Doctores, de Lugo *de iustitia disput. 21. sect. 1. à num. 16.* Molin, Lessium, Rebelbum, aliósque apud ipsum.

3. Sed quid, si detrimentum illud, & periculum latrocinandi in filiis, & desperationis in patre, de facto semper perseverent; Respondeo: Tunc non est [illegible] babile cum Rebell. *p. 1. lib. 2. quæst. 17 sect. 1. n. 39.* [illegible] dens omitti posse restitutionem, si tamen præmissa diligenter remédia, nec illa mala perseverent, & manet tuatur illa pars; quæ sine magno detrimento possit grave indè damnum creditori non obveniat. Ratio esset quia secùs debitor hîc, & tunc daret creditori biliter plusquam ipsi deberetur, daret enim illud ipsi debitori in illis periculis, & detrimentis tam gibus, quæ superari moraliter non possunt, ut suppo minò debet, valet multò plus, quem illud quod debet quod Iustitia obligare non potest, quæ æqualitatem se respicit. Vnde §. *præced. num. 4.* Dixi *notabiliter*, quia bitor ad non notabilem iacturam, maximè quando bitum est ex delicto, ex omni recta ratione obligabitur nam ideò obligavimus etiam ad partem, quando potest, &c.

4. Illa ergo inopia, seu impotentia, omnino à restitutione liberat, quâ primò debitor verè non habet, solvat. Secundò, quâ, si solvat, fit extremè indigens; tiò, quâ, si solvat, fit graviter indigens; quod alias *supra* in simili diximus, quâ quis notabiliter cadit statu. Adverte illud (notabiliter) quod quia non ab aliquibus. Proh, quam sæpe palliatur obligatio tutionis; ut aliquando appareat esse moraliter impossibilis, quæ certè eius generis non est!

Vt è contra, si creditori constet de impotentia modo debitoris, illi molestiam efferre non possit, Iudice petere, ut in carcerem debitorem coniiciat, Bardi *lib. 1. sel. q. 10 num. 6.* quia ius Creditoris proximum impotentem, vel suspenditur, vel extingui Video tamen sæpissimè excusari Creditores urgentes, sæpe adest spes, ut Debitor ita vexatus aliquam ineat solvendi. An adesse possit alia excusatio, prudens ctor inquirat.

5. Adverte item si quis in statum honorificum cendisset propter rem alienam mala fide acceptam, faciendam esse restitutionem, etiam cum diminuti sui talis status, quia hoc non esset cadere, sed redire suum: multò magis si in pari necessitate esset, rem surripuisti, tunc enim debet esse melior conditio innocentis domini. Illic subadverte, si filius, verbi gratiâ, usurarij mala fide cœpit possidere, teneri eum, cum diminutione status relicti à patre, ad restitutionem quia eiusmodi possessio cum mala fide nihil ipsi attulit gatur: si verò cœpit possidere bona fide, non tenetur ea à suo statu bona fide possesso decidere, ut restituat si cognoscat ea esse bona aliena, quia quilibet ius habet ad conservandum statum bona fide acquisitum. Vide Dianam *part. 5. tract. 14 res. 57.* & ex Cœlestino, & de Lugo *d. 21. de iust. n. 12.*

### *Impotentia Testis, & Notarij an à restitutione excuset?*

6. In concursu extremæ, vel gravis necessitatis debitoris, & creditoris, quid faciendum, per aliam occasionem disputabimus. Verùm, casus ille frequens est, & Notario, hîc non est prætermittendus; Illi enim cùm non rarò falsis testimoniis, vel scripturis injecerint innocentem in amissionem bonorum, immò aliquando in periculum vitæ, se excusant à restitutione, & à revocatione dicti, vel scripturæ, ob æquale periculum, quod subirent. Sed communiter Doctores clamant adversùs hos, doctrinámque à nobis modò traditam inculcant. Instar omnium sit Bonacina, cap. 8. præcipue disput. 10. quæst. 3. p. 3. numero 16 *Quares* (ait) *num ille ob cuius falsum dictum, inferenda est alteri mors, vel mutilatio, teneatur ad retractandum suum dictum cum periculo similis pœnæ incurrendæ?* Respondeo affirmative (cum Valent. Bannez, Azor. Molin. Filliuc. citat. ibi à Bonac.) *modo credat se profuturum per retractationem, & modo in ferendo testimonio peccaverit. Ratio est, quia æquali damno, habenda est potior ratio innocentis. Tenetur*

*niam eos admonere, quos ad falsum testimonium ferendum induxit, ut falsum retractent, & iis recusantibus retractare, teneatur Iudici fraudem aperire, & innocenti eripiatur, quamvis sibi vitæ periculum immineat, melius enim est conditio innocentis. Si Reus fuit per alios testes convictus, falsus testis nihil fecit; non est mirum, tunc ad nihil obligari, quia nihil damni intulit, vt supponit.* (Lege Dianam *part. 3. tract. 5. resolution. 105.*)

*Dixi modo credat se profuturum, quia credens se nihil profuturum, non tenetur retractare, cùm nullus ad opus inutile obligetur. Tenetur tamen restitutionem damnorum facere, cùm illorum causa iniusta censeatur* (huic dicto adde ego, semper iuvare, saltem per hominem gravem admonere Iudicem de falsitate prædicta ex Dicastill. *lib. 2. tract. 1. de iustitia, disp. 5. dub. 5. num. 55.* nam certè tunc Iudex maiorem diligentiam adhibebit exquirendi veritatem pro reo.)

*Dixi modo in proferendo testimonio peccaverit morabiliter; nam qui bona fide perniciosam aliquam falsitatem dixit in Iudicio, non tenetur cum tanto suo incommodo, cognita veritate, dictum retractare, cùm ex nulla radice consistet ad hoc teneri: ita Sot. Navarr. & alij* (Tol. Nav. Clau. Reg. Sylv. apud Bon. *ibid.* quibus adde De Lugo *tom. 2. de iustitia, disputat. 30 sect. 3. num. 24.*) Hæc ex Bonacina.

Quid, si verum crimen per testimonium provocasti, sed injustè, utpotè, quod erat occultum? Respondeo cum Castro Pal. *de iustit. comm. d. 1. p. 17. §. 3. n. 6.* cit. Less. Sanch. Petr. Navar. te tunc non esse obligatum vitam exponere, ut derelinquentem liberes, sed solum, quando falsum crimen imposuisti. Ratio est (inquit) quia iam sententia erit justa, si crimen verum fuit: ergo tu, licèt peccaveris, non fuisti causa mortis iniustæ, &c. Vide ipsum latiùs. Hæc duo proximè dicta sic approbat Sa, v. Restitutio 2. *Qui falso testimonio scienter coniicit alium in periculum, tenetur etiam cum suæ vitæ periculo, eum liberare, quod si sine culpa fecit, debet retractare, si possit sine magno suo periculo.*

### *Cessio Bonorum.*

7. Ad impotentiam reducitur cessio bonorum, de qua summatim duo afferre sufficiat, alterum omnibus pervium, alterum singulare.

8. Primò: Cessio bonorum excusat quidem à restitutione in foro externo, non verò in conscientia, nisi verè impotens sit, qui cedit; ejusmodi enim cessio ideo debitori suffragatur in foro externo, quia Princeps supponit miserum hominem non esse solvendo, unde si sit solvendo, nunquam Princeps intendit tollere ius creditorum, quod intendere iniquum sanè esset. Alimenta tamen, quibus secundùm tuum statum parcè vivas, te in foro conscientiæ posse retinere, immò, & occultare probabile est (sive ea accipias ex bonis quibus gaudebas ante cessionem, sive ex acquisitis postea) si quidem ad propria alimenta quilibet ius habet; cùm is, qui iis caret, sit in gravi necessitate constitutus, in qua etiam alienis posse furripi, nedum propria occultare, communis iam nunc est sententia.

9. Ex hac eadem doctrina illud obiter dicam: Nam uxores & filij, quorum viri, parentésque ad magnam sunt penuriam redacti sive culpatè, sive etiam sine culpa, si post eorum mortem inveniatur non esse solvendo debitis à Patre viróque cóntractis, possunt ex bonis relictis tantam subtrahere, atque occultare, quantum satis indicetur ad vitam, suúmque statum honestè conservandum. Ita Cœlest. citans Scot. Azor. aliósque apud Dian. *p. 4. tract. 14. res. 57.* Et in iudicio requisiti possent, cum æquivocatione congrua, iurare se nihil occultare, putà nihil non ipsis debitum: & propter eadem rationem non incurrerent excommunicationem fortè latam contra ea bona occultantes.

10. Secundò: Proposita mihi nova quæstiuncula fuit nudiustertius: An Artifex, qui cessit bonis, possit in posterum contra suum statum otiari, an verò obligetur artem suam, ut antea exercere, quò aliquid præter victum (ut certe potest) acquirendo, creditoribus suis, saltem ex parte, satisfaciat.

Respondeo, Nonnulli apud Dian. *tom. 3. tract. 5. Miscel. res. 78.* omnino hunc liberare ab operando fortasse contendent, ex eo principio, quòd cessio, quando exhibita est cum ignominia, subit vicem perfectæ solutionis. Et hanc sententiam mordicus tuetur, & probare contendit Thomas Hurtad. *part. 2. mor. tract. 8. cap. 4. res. 35. num. 433.* Verùm, quia communis, & solida sententia negat, tunc extingui obligationem, solùm suspendi, quia tota ratio privilegij cessionis bonorum ducta est ab impotentia debitoris, & illa ignominiæ signa solùm adduntur, ne passim huiusmodi cessiones cum damno Reip. intententur. Ita Covarr. Less. Molin. Turr. Fill. Bon. apud de Lugo *tom. 2. de iust. disp. 21. sect. 2.* quibus adde Castr. Pal. *de iust. comm. disp. 1. part. 17. §. 11. num. 6.* cit. Med. Nav. Sanch. & alios. Ideò Artificem hunc omninò obligo ad laborandum iuxta suam conditionem, quò restituat, quando potest, tum quæ ex contractu, tum multò magis, quæ debet ex delicto. Et ratio à priori est, quia quilibet obligatur apponere media saltem ordinaria, quæ conducunt ad finem, ad quem quis obligatur, cùm certum sit, eum, qui obligatur ad finem, obligari etiam ad ordinaria media ad illum. Sanè quis non obliget ex virtute Religionis fidelem ad ambulandum à Domo sua ad Ecclesiam competenter distantem quo, die Dominico, Missæ inter sit? Sacerdotem ex eadem; ad emendum Breviarum, quo horas Canonicas solvat; Patremfamilias ex virtute Charitatis, ad conquirendum consuetis hominum laboribus victum, quo familiam alat, & sexcenta alia? Pari ergo, immò maiori ratione, Iustitia, quæ fortiùs urgere solet, quàm aliæ Virtutes, obligabit debitorem hunc artificem (à quo ex cessione bonorum non cessit, ut dictum est, obligatio restituendi) ad laborandum secundum suum statum, qui labor medium est respectu ipsius satis ordinarium, quo finem obtineat faciendi æqualitatem, quam potest cum creditore. Nam, propter eandem rationem, hunc, & quemlibet alium debitorem non posse repudiare hæreditatem, vel quid simile, docet Sanch. Less. apud Castro Pal. *loco cit. num. 4.* qua hæreditate possit creditoribus satisfacere, quia hoc est medium ordinarium, & facile.

Paritas, quæ potest obiici contra hanc doctrinam, ducta à Religioso, qui in nostra sententia nō obligatur laborare ad solvenda debita contracta in sæculo, iam satis, superque dissoluta est *suprà, §. 2. num præsertim 12.*

## CAPUT II.

### *De Concausis, seu Cooperantibus ad actionem iniustam, ex quibus oritur obligatio restitutionis.*

1. ANtequam ad singulas causas accedam, duo pro omnibus adverte: Primò, has Concausas nunquam teneri ad restitutionem, nisi re ipsa damnum secutum sit. Secundò, nec teneri, nisi adsit certitudo moralis, quod id sit secutum, quódque sit secutum ex eiusmodi causa. Nam quando de alterutro ex his ambigitur diximus disertè *sup. lib. 1. in Dec. cap. 3. §. 7. v. Damnum secundo.* Concausæ autem hæ, de quibus locuturi sumus, novem omninò sunt, his carminibus comprehensæ:

*Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,*
*Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.*

De his Concausis lege Azor. 3. *p. l. 4. c. 10.* Less. *l. 2. c. 13.* Reb. *p. 1. lib. 2 q. 14.* Vasq. *de rest. c. 9. §. 1.* Molin. *t. 3 d. 719.*

Reg.

Reg Bon. Laym *cùm. de rest.* Sanchez, *in consl. lib. 2. cap. 1. dub. 49.* & de Lugo, *tom. 1. de iustit. disp. 19 sect. 2.* Dicast. *42. tract. 2. d. 4.*

### §. I. *Iussio, seu, quod idem est, Mandatum.*

1. DE mandante, seu iubente, aliqua diximus agentes de homicidio l. 6. a. 4. §. 5. item de ratum habente quod certè hunc reducitur, quæ sunt omnino recolenda, & hîc proportionaliter applicanda.

2. Supersunt autem aliquæ difficultates: Prima est, si mandatarius excedit limites mandati, an ad restitutionem debitam ex excessu teneatur mandans?

Distinguunt communiter DD. si talis excessus damni est ex communiter contingentibus, poteráque facilè, ac debebat prævideri à mandante, tunc teneatur mandans; Ut si Petrus iussit me furari à Paulo centum, & ego ab eodem furor centum, & quinque; si iussit occidere Caium, & per errorem occido Titium Caio similem, quam similitudinem cognoscebat Petrus, (id addo, quia secùs excusabitur mandans, adeóque non erit irregularis, ut decrevit Sacra Congr. apud Dianam, *part. 9. tractat. 4. resol. 31. fine*, & ego dixi *sup. lib. 6. cap. 4. §. 3. num. 35.*) si iussit graviter vulnerare, & ego occido, &c. Ratio est, quia, cùm hæc sint tam proximè conjuncta iis, quæ mihi à Petro mandata sunt, meritò imputantur ipsi mandanti Petro.

At verò, si excessus non est talis, unde soli arbitrio mandatum excedentis attribuitur, ut si ego iussi leviter verberare, & tu occidisti; tunc meritò mandans de eo excessu non tenetur. Lege Azor. *loco citato*, cui adde plures apud Dian. *p. 8. tract. 7. res. 35.* excusantes ejusmodi mandantem à pœna ordinaria homicidij. Dixi modò (quam similitudinem cognoscebat Petrus) nam secùs, excusabitur mandans, adeóque non erit irregularis, ut decrevit Sacra Congregatio apud Dianam, *part. 9 tr. 4. res. 31.* & ego dixi *sup. lib. 6. c. 4. §. 3. n. 35.*

3. Secunda difficultas est: An ad damna, quæ mandatarius fortè patitur propter executionem mandati, teneatur mandans? Verbi gratiâ, si ego, ob furtum ex tua iussione commissum, ad Triremes damnor, an tu debeas mihi resarcire damna, quæ ex ejusmodi condemnatione consurgunt? Respondeo, esse item distinguendum, sicuti distinguendum audivi à P. Ioseppho S. Augustino celeberrimo nostræ ætatis in Panormitano hoc Collegio studiorum Præfecto, ac Theologicæ, tum speculativæ, tum moralis exculsissimo. Nam, vel ego me sponte obtuli, atque idem est, si liberè acceptavi mandatum, multò magis si accepi pretium; & tunc tu mandans ad nihil teneris, ego enim ultrò me periculis obieci; unde cùm à te mandante injuriam nullam receperim, nõ sum in aliquo resarciendus. Vel ego sum à te deceptus, seu coactus; & tunc ex Dicastill. *lib. 2. de iustitia, tract. 4. disp. 4. dub. 4. num. 86.* teneris utique, quia sic damnum meum sequitur ex injuria à te mihi per deceptionem, seu coactionem illata. Sed advertte, hoc damnum debere esse ejus generis, quod communiter contingere solet ex actione mandata: secùs non esset voluntarium, nec indirectè quidem mandanti, nec propterea eidem sub pœna restitutionis imputandum, ut ex modò dictis constat.

4. Litigabant (habe id obiter occasione mandati) duo anno superiore de quinquaginta mille, & amplius fortasse aureis: Alter ergo, cùm premeretur à diligentia Procuratoris collitigantis, eum aggressus de die est, inflictísque duobus, vel tribus lethalibus vulneribus, aufugit; Quid deinde consecutum sit, ad nostrum institutum non pertinet, illud quæsitum est: An Procuratori huic vulnerato debentur expensæ vulnerum à dicto collitigante? Ratio dubitandi erat, quia Procurator aiebat, se ex mandato collitigantis ea negotia gerere, quare damna inde secuta, ipsi collitiganti imputanda, atque adeò ab ipso resarcienda. Nec defecêre, qui Procuratori faverent; ita ut valde notabilem summam extorserit à nimis benigno collitigante. Demum res ad Tribunal delata est, & ego minimus interpretus, mecúmque aliquot doctissimi Theologi: Dixi non deberi (quamvis, si aliquid illi ex liberalitate largiretur, congruum satis esse non negaverimus:) Primò quia Procurator illud negotium acceptavit: Secundò quia pretio serviebat satis iusto: Tertiò, quia damnum non erat ex communiter contingentibus, sed omninò per accidens, ad officium Procuratoris: Quarto inductione, neque enim damna, quæ sequuntur ex bromurario, si casu, v. g. decidit è recto, debent referri à Domino, qui illum pretio conduxit; nec navigantibus debentur à Domino navis, damna naufragii ejusdem navis ab ipsis conductæ; & sexcenta similia. Quòd si Procurator excedebat in verbis, vel in aliquo quod injustè offenderet alios, id ipsi imputetur, non verò ei, qui bona fide eum conduxit, & nullo modo aliorum offensiones interdixit. Taceo cætera, ut ad rem revertar.

5. Tertia difficultas proponitur in sequentem modum: Ego, promissis centum aureis, tibi præcepi, ut inimicum meum occideres: mox pœnitentiâ ductus misi ad te litteras; quibus differè significo, ut omnino à homicidio cessès: tu verò, ut promisso præmio potiaris, fingis non recepisse litteras, meúmque inimicum interficis. Inquiro: An ego pœnas incurram mandatario, quæ adeò sim irregularis, ac restitutionis reus? Respondeo negativè, cum de Lugo, *t. 1. de iust. d. 19. sect. 1. num. 24.* Ratio est, quia sic tu non potuisti occidere ex mandato meo, quod iam revocatum sciviśti, sed ex arbitrio tuo. Illa duo etiam certa sunt: Primò, te non posse justè acquirere illam mercedem: Secundò, me quidem ex ignorantia mihi persuadeo incurrisse irregularitatem, comperta veritate, nulla indigere dispensatione, esto, antea propter conscientiam erroneam indigerim. Addo, & tertium: te obligari ad resarciendum quidquid damni ex tali homicidio, fortè mihi imputato obvenerit, ut ex se patet.

6. Quarta difficultas: Quid sentiendum, si ego mandans revocem mandatum, verùm, tu mandatarius puras me non loqui seriò; unde fiat, ut tu fureris, vel occidas nomine meo: Eróne pœnis mandantis ego subjectus?

Respondeo, puto te esse. Ita idem *l. c. num. 25.* Ratio est, quia adhuc, licèt per errorem, tu in vim mei mandati operaris, ac meum mandatum est principalis causa illorum damnorum. Idem puto, si tu scivèris quidem revocationem meam, sed deinde inculpabiliter obliteratæ revocationis meæ, damnum inferas ex vi meæ iussionis præteritæ: jam enim causa principalis damni est iussio mea. Sicuti est, quando, licèt ego per Nuntium tempestivè revocaverim mandatum, revocatio tamen casu non petvenit ad aures tuas: tunc enim omnes docemus me mandantem subiacere pœnis mandantis, & tuum mandatum meum ob revocationem iam factam, non amplius existebat, sicuti certè non existit in casu præsenti.

7. Quinta difficultas: An si ego mandavi, ut damnum inferatur Petro, & iam non valeam amplius mandatum revocare, possum tamen Petrum admonere, ut sibi consulat, an, inquam illum admonere teneat, si ita sit, ne damnum effugiendi: Respondeo, sine dubio obligor, quia tenetur facere quantum possum, ne damnum meâ iniuste causâ proximo inferatur.

Quæstio quidem potest agitari, an semper teneat cum meo magno incommodo, & periculo, quod subeam, si Petrum præmonerem? Et tunc respondeo, fatear confusè ab aliquibus id resolvi: Distinguendum ego perdiligenter est. Vel enim primò, si præmoneam, incidam in damnum æquale, vel quasi æquale, ac Petrus, & tunc obligabor omnino: multò magis, si incidam in damnum levius; lege Dianam *part. 4. tract. 2. de irreg. res. 14.* Ratio est, quia mea actio injusti mandati, etsi obligat ad amovendum damnum ab innocente,

ego eſſem injuſta cauſa. Quare ſi vita Petri periclitatur, tuâ vitâ eſt redimenda, ſi fama, tuâ famâ; ſi bona, tuis bonis ſunt reparanda. Communis eſt hæc doctrina Doctorum, & Fallo teſte, ut nuper §. 9 *n.* 6. *cap.* 2. vidimus, qui obligatur ſe retractatare, quamvis cum ſuo æquali periculo, quando retractatio eſt profutura. Vel ſecundò; ſi præmoneam, timeo malum in ſuperiore ordine, ſeu certè longè maius, quàm eſt illud, quod eſt ex mandato meo inferendum, & tunc excuſabor à præmonendo. Ita de Lugo *loc. cit. ſect.* 2. §. 1. *num.* 31. quia tunc cenſetur moraliter non eſſe in potestate mea præmonere, cùm, quæ multum difficilia ſunt, iudicentur moraliter impoſſibilia. Vnde fit, ut ſi vita mea, vel fama periclitetur ex dicta admonitione; ad illam non obligeor, quando præfato Petro inferendum tantummodo eſſet damnum in bonis temporalibus.

Illud advertо, me debere ſemper reſtituere illa bona, in quibus fortè prædictus Petrus inde lædetur, quia ſemper illa læſio eſt ex vi mandati mei: & ex alia parte poſſum ſine periculo meæ famæ, vel vitæ reſtituere medio amico occulto, vel prudenti Confeſſario.

Qui conſilium dedit alteri (obiter hîc id notare iuvat) ut malum faceret, unde, qui conſilium accepit, damna paſſus eſt, non obligatur conſulens aliquid reſtituere de his damnis. Ita Clavis Regia, Leſſius, Azor. Sà apud Dicaſtill. *lib.* 1. *de Iuſt. tract.* 2. *d.* 4. *num.* 85. quia licitum fuit conſulto tale conſilium acceptare: ſcienti autem, & volenti non fit injuria. Simile quid de mandatario liberè mandatum ſuſcipiente, dix *num.* 3.

8. Si Mandatarius acceptâ à me revocatione, adhuc ex ſua voluntate velit damnum inferre Petro, tunc ego non ero ampliùs Petro iniurius: ſolùm ergo obligabor ex Charitate ipſum præmonere, ſi ſpes ſit averſionis damni: Sed quia Charitas non obligat cum magno diſpendio, ut alibi dictum eſt, ideo in caſu hoc revocatiam ſufficienter mandati, non obligabor præmonere, ſi inde notabile damnũ mihi imminere prævideam.

## §. II. *Conſilium.*

1. NOn ſolùm, qui conſilium dat ſuum hîc locum habet; verùm etiam qui hortatur, dirigit, inſtruit, ſuadet, terret, minatur ad injuſtam patrandam actionem, par enim eſt de hiſce omnibus ratio.

Certum autem eſt conſulentem teneri ad reſtitutionem damni illati, quia conſulens damnum, verè cauſa eſt illius, ut meritò Ariſtoteles 2. *phyſic. t.* 29. revocet conſultorem ad cauſam efficientem. Immò adverto non tantùm conſultorem (id quod etiam dic de mandante, & ſimilibus) teneri ad reſtitutionem, non verò eum, qui exquirit: quando nimirum exequens bona fide, & invincibiliter ſe gerit, dum interim conſultor, ſeu mandans conſcius injuſtitiæ eſt.

2. Iam verò tria hîc difficultatem habere ſolent? Primò, quid, ſi revocetur conſilium; De quo tamen dixi *ſup. lib.* 6. *c.* 4. §. 5. cùm *de homicidio.* Secundò, quid, ſi conſultatur minus malum? de quo etiam dixi *ſup. lib.* 5. *cap.* 1. §. 4. cùm *de invitante ad peccat.* & cùm *de tranſgreſſ.* Adde. Dicaſtill. *loc. cit. num.* 74. Tertiò, quid, ſi injuſta actio aliàs fieret, etiam alterius conſilio non acedente? de hoc iam hîc ſubdo.

3. Si actionem quis iniuſtam peregiſſet, etiam ſi meum conſilium non acceſſiſſet, acceſſit tamen dumtaxat meum, non verò alterius, ex quo meo conſilio motus ille egit injuſtè, ego teneor ad reſtitutionem: Ita Sotus, Caiet. Covarr. vel Rebel. quos citat, ſequitur-que Dicaſtill. *lib.* 2. *de Iuſt. tract.* 2. *d.* 4. *d. num.* 8. Si autem ille erat, ſive ex ſe, ſive ex aliorum conſilio determinatus ad injuſtè agendum, acceſſit tamen etiam meum conſilium, ex quo ille nihil motus eſt, ego non teneor ad reſtitutionem. Ita Mol. Leſſ. Vaſq & communiter apud eundem *loc. cit. n.* 11. Si denique ille erat determinatus ad injuſtam actionem, ſed meum conſilium, quod ſupervenit, ſolùm illum movit ad citiùs, crudeliùs, ſeveriùs agendum, licèt probabile ſit, me obligari ad reſtitutionem. Ita Dicaſtill. *l. c. d. num.* 14. citans Rebel. Molin. Pet. Navarr. Caiet. Sotum, aliósque. Eſt tamen etiam probabile, me non obligari, niſi fortè ad exceſſum. Ita Navarr. S. Tho. aliíque apud eundem *n.* 15. & ipſe Dicaſtill. probabile putat. Explico ſingula ſingulis exemplis.

4. Exemplum primi dicti: Antonius, cùm non ſit determinatus ad injuſtam læſionem, intendit decem ad ſe vocare conſultores, non tamen deinde advocat, vel ſi advocat, me primum conſulit, qui conſilium illi do de inimico occidendo, quo unico conſilio ille contentus, & motus, illum interficit. Aſſero, me teneri ad reſtitutionem, quia de facto damnum à conſilio meo conſecutum eſt: ſicuti ſi ab alieno, & non à me conſecutum fuiſſet, alij, & non ego, ad reſtitutionem eſſent obligati.

5. Exemplum ſecundi: Caius cùm ſimili modo ad iniuſtam actionem determinatus non ſit, decem conſultores advocat, & auditis novem, animo item firmo decernit inimicum, occidere: ſed poſtea ſupervenit meum conſilium, à quo ipſe Caius nihil movetur, ſed ab illis novem motus inimicum interimit. Dico, me non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia, quamvis ego peccaverim contra Iuſtitiam, inefficax fuit meum conſilium ad actionem iniuſtam, cùm tota efficacia fuerit ab præauditis conſultoribus. Si dubium ſit, an meum conſilium moverit, nécne, Caium, quid ſentiendum dixi *ſuperiùs*, *lib.* 1. *cap.* 3. §. 2. *verbo*, *Suffragium.*

6. Exemplum tertij: Titius determinatus iam omnino inimicum occidere, ex meo conſilio ſolum illud, habet, quòd quia volebat occidere eras, occidit citiùs nempe hodie, & propter meum conſilium occidit animoſiùs, immò & crudeliùs. Aio, eſſe probabile me teneri ad reſtitutionem, quia de facto damnum infero: at eſſe etiam probabile non teneri, quia verum non eſt, à me damnum, quoad ſubſtantiam, fuiſſe illatum, fuit enim à præcedente deliberatione, & ſolùm ego cauſa fui in qualitate, ſeu modo. Confirmabat hanc doctrinam nuper laudatus P. Ioſeph de S. Auguſtin. à quo illam habui, hoc exemplo. Nam ſi ſegetes, verbi gratiâ, inimici mei conflagrarent, ſine ulla ipſe auxilij, & ego ex odio flammas adderem, licèt peccem, tamen, quia novum damnum non facio, non obligor ad reſtitutionem: ita ergo in caſu noſtro, &c. Loquimur autem ſolùm de reſtitutione: nam cæterùm, quando citiùs ex meo conſilio mors alicui infertur, cùm ſim cauſa accelerationis injuſtæ mortis, in irregularitatem incurro. Scio Gaſp. Hurt. *de irreg. diſput. different. 6. num.* 20. *in edit. Antuerp.* 1633. ſi habere: *Non incurritur irregularitas, quando abſque mandato, aut conſilio, aut incitatione, aut animatione aliàs erat faciendum homicidium, quoad ſubſtantiam, quamvis aliquo ex his quatuor modis animus delinquentis fuerit ductus ad id faciendum, aut inductus ad id faciendum citiùs, vel crudeliùs: quia tunc dicto modo cooperans, quamvis ſit cauſa diſtincti numero actus non influit in homicidium quoad ſubſtantiam ſed tantùm, quoad modum.* Hæc ille: Quem videtur ſequi Bannez apud Dianam *part.* 8 *tract.* 7. *reſol.* 92. qui quoad illud (*citiùs*) placere non poteſt, cùm verè qui ad mortem citiùs dando influit ad ſubſtantiam homicidij, nec ſolùm ad modum concurrat.

7. Conſultò autem in hoc tertio dicto notavi illud (niſi fortè, quoad exceſſum,) nam ſi quis erat determinatus ad furandum decem, tu verò excitas ad furandum viginti, te obligari ad reſtitutionem exceſſus ſupra decem, dubium eſſe non poteſt.

Quando Confeſſarius non dat conſilium de Reſtitutione pœnitenti, quam is debet, & ſimilia, diximus *in Methodo Conf. lib.* 3. *cap.* 8. 3. De iis, qui conſilium præbent, cùm ſint ignorantes, nec apti ad conſilium præbendum, legatur omnino Vaſquez *de reſtit. c.* 2. §. 2. *d.* 5.

### §. III. *Consensus, Palpo.*

1. QVi sive per suffragium secretum, sive alio modo consentit, ut fiat actio iniusta, obligatur ad restitutionem, id quod ex dictis de consulente, cui valde affinis est consensus, satis liquet. Adde tamen omnino ea, quæ dixi *lib.1.cap.3.§.7.ver. Suffragium*: & videatur insuper Dicastill. *lib.2.de Justitia, tract. 2.d.4.dub.5. à num.93.*

2. Sicut autem iniustus est, qui per suum suffragium actioni iniquæ consentit, ita non rarò erit iniustus, qui non consentit, ubi assentiri per iustitiam deberet, seu quod idem est, ubi suffragium negat, quando in favorem alicuius, vel in bonum Reip. illud ferre oportebat. Id certè colligitur ex dictis, & videri poterit latiùs apud Doctores, Molin. *disput.732.* Dianam *p.3.tract.2.de dub. Reg.resol.6.* de Lugo *tom.1.de iustitia, disput.19.sect.2. §.3.à num.60.*

3. Palpo, seu Palpator, ideſt, qui laudando, & adulando alium, vel contrà, irridendo, arguendóve alterius ignaviam, est causa actionis iniustæ, tenetur utique ad restitutionem; Idque, etiamsi non laudaverit animo, ut fieret actio iniusta. Satis enim est, si præviderit damnum ex sua laude secuturum: nam si esset cum indavertentia inculpabili, ex generalibus regulis involuntarij excusandum fore scimus omnes. De hac eiusmodi adulatione iterum memini me dixisse *in Methodo confess. lib.2.c.7.§.3.* nec inutiliter recoleres locum illum.

### §. IV. *Recursus.*

1. II, qui malefactorem receptant, qui protegant, qui securitatem præbent, ad iniustè agendum, vel ad non restituendum, quique prædam servant, quos omnes sub nomine Recursus comprehendimus, peccant, & ad restitutionem tenentur: quia, ut sic sunt causæ actionis iniustæ. Vt sic, dico; Non enim semper, si latro ad te divertat, statim teneris ad restitutionem, sed si ita divertat, ut ante delictum, tu vel tacitè, vel expressè promiseris illum receptare, unde ipse hac fretus receptatione, furatus sit. At post commissum iam furtum, vel homicidium, si illum casu recipias, ne is à lictoribus, verbi gratiâ, comprehendatur, vel ob aliam causam, cùm latronis, ut sic, receptator non sis, restitutionis reus nec etis. Nam propterea Molina *disp.733.* Dicastill. alios citans *lib.2. de restit. tract.2.disp.4.dub.7.* meritò excusant Aduocatos, & Procuratores, qui defendunt in Iudicio fures, vel excusant in iis, in quibus ipsimet fures possunt se Iure defendere; (Defendere autem, & excusare se possunt, quando culpa est occulta, immò quando non est semiprobata, quando iniustè vexantur, non servato Iuris ordine, &c.) Eos enim defendunt, non ut fures, sed ut Ius habentes in prædictis. Neque obstat hos, qui defenduntur, & eos, qui ut amici receptantur, probabiliter rerum redituros ad latrocinia, nec iam ablata redditurос: id enim ipsis imputabitur, non verò iustè defendentibus, vel casu receptantibus. Casu, inquam, si enim datâ operâ, & ferè semper, vereor, ne latro hoc receptaculo fisus, malè agat, & tu formalis sis latronis receptator.

2. Hinc fit, ut peccent, & restitutionis obligationem contrahant Pater, Dominus, Princeps, &c. si videntes filium, famulos, vassallos iniustè agere, confisos in potentia ipsorum, eos, si possint, non compescant: quia dum sic animati, & in Domibus, ac Civitatibus turò recepti delicta committunt, suam culpam in Patrem Dominósque sine dubitatione transmittunt. De Patre, Dominóque recipientibus domi amasiam filij, vel famuli, vide *superius, l.5.c.1.§.4. num.22. & 23.*

3. Non deest tamen interdum excusatio in recipiente: Cùm enim actio mera receptandi sit ex se indifferens, potest admittere causam excusantem, qualis est metus mortis, vel notabilis mali proportionati, ut ex dictis *suprà, lib.5.cap.1. §.2. per totum* facilè colligitur, immò meritò Rebellius *p.1. lib.2. quæst.6. num.40.* excusationem affert propriis, qui latronem in diversorium suum recipiunt, si nimirum sint alij, à quibus æquè reciperentur, tunc enim, cùm damnum certò fure inferendum sit, non iudicabitur moraliter mutua receptio esse illius damni causa.

### §. V. *Participans.*

PArticipes criminis appellantur non eos, qui proximè, & simul cum fure, verbi gratiâ, furtum prædámque patiuntur; hi enim propriè non participant, sed causæ principales vocantur, & sunt; sed eos, qui furem, verbi gratiâ, vel homicidam comitantur, & astant, qui explorant fenestras, subministrant scalaria ad damnum ingrediendum, &c. quique causæ sunt minùs principales damni. Quoniam verò esse hic participem criminis coincidit non rarò cum aliis causis præcedentibus, hactenus explicatis, vel certè est aliquid commune ad illas, ideò nihil separatim de huiusmodi participatione dicendum occurrit; Nam utrum, & particeps furti esto obligetur ad restitutionem totius, quòd hîc explicandum esset, paulò post §.7.& 8. commodiùs expediemus.

### §. VI. *Mutus, Non obstans, Non manifestans.*

HActenus causas explicuimus damni positivi. Sequitur brevis institutio de negativis: Mutus dicitur, qui loquendo, reprehendendo, clamando, consulendo potest impedire damnum proximi, & non tacet. Non obstans, qui potest facto suo, id est, auxilium, suamve operam præbendo, impedire damnum, nec tamen præbet. Non manifestans, qui potest manifestare damnum inferendum, vel illatum, quo facto non inferretur, vel resarciretur, nec revelat tamen.

1. Porrò regula certa sit huiusmodi, ex Dicastill. *lib.2. de iustitia, tract.2. disp.4.dub.8.* Qui non loquitur, non auxiliatur, non revelat, uno verbo, qui se negativè gerit, si possit, & debeat ex Iustitia (Quæ debeantur ex Iustitia, quæ ex Charitate, diximus nos *passim*) colligit Dicastill. *loco citato num.138.*) damnum inferre, peccat, tenetúrque ad damni restitutionem. Si verò sine notabili incommodo possit quidem, sed non ex Iustitia debeat, sed solùm ex Charitate; etsi peccet, non tenetur ad restitutionem. Veritas regulæ patet ex dictis: ut etiam ex dictis liquet, propter aliquod grave nocumenti, qualis certè est jactura gravis familiaris, honoris, vitæ, proportionata ad damnum proximi, excusari sæpe eiusmodi non impedientes, non obligatos ex Iustitia, vel quasi Iustitia (lege Petrum Navarr. *lib.3. cap.4. num.123.* Mol. *disp.735.* Dicastill. *loc. cit.*) quia non cum tanto onere ordinaria hæc officia assumuntur: nisi quid ampliùs expostcat pactum, ut de Milite, & Parocho, &c. diximus *lib.6.cap.1.§.1. n.4.*

3. Quid, si quis, cùm teneatur ex charitate, consilium tamen se negativè habet ex odio, ut damnum alterius sequatur? Respondeo, adhuc non teneri hunc ad restitutionem. Ita Dicast. *loco citato, num.131.* multos citans, Vasquez de quæ nos *suprà* docuimus *lib.6.cap.4.§.1.* Quia licet quamvis peccet, ex malo affectu, ex nulla tamen parte est causa externi damni. Affectus enim internus externi damni causa esse nequit, & silentium ipsum, seu omissio auxilij, cùm sint negativæ, positivi damni causa esse non possunt.

4. Sed quid, si mihi obligatio ex sola Charitate, vel etiam nullo modo obligato, volenti tamen impedire furtum, verbi gratiâ, contra Petrum, Antonius insideat, ut non impediam: peccábitne Antonius contra Iustitiam cum onere restitutionis?

Respondeo negativè, si sine vi, vel fraude suadeas, si cum his, affirmativè, Ita Molin. *d.disp.735.* Lessius *cap.13. dub.10. num 66.* apud de Lugo *tom.1.disp.*

sect.3.num.101. Ratio utriusque est, quia si Petro nihil debetur ex iustitia, nihil contra iustitiam ab ipso tollit Antonius sua mera suasione; at si vi, vel mendacijs, tollit aliquid Petro, quia is habet ius, ne vi, & fallacijs impediatur à bono consequendo: sicuti propter eandem rationem solemus dicere, si impediat quis Petrum vi, & fraude, ne alicui relinquat legatum, obligatoriem ad restitutionem, non verò si mera suasione; ita in casu præsenti. Si fortè ab odio moveatur Antonius ad dissuadendum, cum ex interno affectu peccare, nihil est manifestum.

3. Quid, si mihi volenti impedire furem, ne is furetur ab eodem Petro, ipse fur det mihi pecuniam, ne ipsum impediam à furando obligórne primò ad restitutionem damni illati ipsi Petro à fure. Secundò, obligorne ad reddendam eiusmodi pecuniam domino, id est, ipsi fari.

4. Respondeo ad primum: Si teneris ex iustitia impedire, & propter datam pecuniam non impedis, quis ambigat, te teneri ad restitutionem damni; Lege Dian. *par.3.tract.6.resol.58* alios citantem. At si solùm teneris ex Charitate, puto, te non obligari ad prædicti damni restitutionem, ex hoc capite, quod mediâ pecuniâ non impedis, quia acceptio pretij tibi dati à fure non te magis obligat ad impediendum, quàm antea obligabaris; Ergo antea non obligabaris ex Iustitia, nec obligaberis postea. Neque obstat, quod securior, & animosior fiat latro ex certitudine, quòd tu non impedies: Non obstat, inquam, quia hanc securitatem eodem modo poterat ipse habere, si tu sine pretio ipsi promissis non impedire. Ratio autem ulterior, cui neque pretium, neque promissio non impediendi augeant tuam obligationem, est, quia tunc redditur fur animosior non ex positiva tua actione, sed ex negativa omissione, quæ omissio non reddit ex se animosiorem latronem, sed ipse latro ex se utitur hac omissione ad maiorem suam securitatem. Quòd si aliquid addas, per quod furem animosiorem positivè reddas, obligari ad aliquid proportionatum restituendum, paulò antè iam diximus.

5. Respondeo ad secundum, Te non teneri restituere pretium acceptum: Semper intellige, si fur de suis bonis pretium dedit. Lege, Sotum, Navarr. apud de Lugo *loc.cit.n.*103. contra Molin. Ratio est, quia, tunc illi vendis operam tuam, idest, omissionem impediendi, quam omissionem poteras ponere, & non ponere, ut universaliter dictum est *suprà*, *lib.7.cap.5.§.3 à num.*8. Vide etiam debes recolere, si post acceptum pretium res est integra, id est, adhuc potes impedire damnum, vel potes facere, ut illud resarciatur, te (ne perseveres in peccato) debere rescindere contractum initum cum fure, & restituere pecuniam, atque adeò impedire damnum, ut *ibid.* explicatum est.

6. Ex dictis infero: Primò, ex Molin. *disp.*735. Less. *num.*13. *dub.*10.*n.*75. Laym *lib.*3. *sect.*5. *tract.*2. *cap.*5 *n.*7. & communiter, famulum, cui cura alicuius rei commissa est, si non impediat (cùm possit) furem sive extraneum, sive ex conservis & domesticis, obligari ad restitutionem; Famulum verò, cui res commissa non est, obligari ad restitutionem solùm, si non impediat fures extraneos, non autem, si non impediat conservum, seu domesticum. Quoad domesticos enim, si, quando potest, sine suo notabili incommodo, eos impedire, tamen non impedit, peccabit solùm contra Charitatem. Ratio horum est, quia omnes famuli sunt Custodes domui respectu exterorum, at respectu domesticorum alius ille censetur Custos, cui cura rei commissa est. Si tamen servus videat conservum congregare res Domini, ut noctu cum illis fugiat, obligari quemlibet servum ex Iustitia docet de Lugo *tom.*1. *de iustitia*, *disp.*19. *sect.*3. *num.*106. *fine*, quia tunc ille, qui fugam patitur, censetur, ut extraneus. Nomine autem famuli, cui cura rei commissa est, intelligitur etiam, quicumque ille, cui datur clavis loci, vbi res servatur, & ille, cui committur cura loci, verbi gratiâ, penus, horreis &c. & ille, qui præficitur, tanquam moderator totius familiæ, vel loci, & ille, qui dominum comitatur, quoad res, quas secum Dominus fert, &c. quia per hæc officia videtur his rei cura à Domino commendata.

9. Inquires: Si sint multi famuli, quibus incumbat cura Domus, & nemo impedit furantem, cùm tamen impedire potuissent; verbi gratiâ, clamando, &c. obligantúrne singuli in solidum, non restituentibus consamulis, an solum pro rata? Respondeo, obligari in solidum, ita Lessius *loco citato*, *dub.*11. *num.*29. Vasq. *c.*9. *de rest.*§.3. *dub.ult.* Ratio est, quia vel singuli separatim sumpti poterant impedire totum damnum; & tunc iam directè obligantur. Vel singuli non poterant, poterant tamen adiuti à conservis, & tunc pari modo obligabuntur, nam quilibet erat ex Iustitia obligatus advocare cæteros, seu se promptum exhibere ad impediendum, ut cæteri invicem animati ad repellendum furem, accurrerent. Quid, si quilibet prævideat conservos non accursuros? Respondeo, adhuc omnes obligabuntur in solidum, quia cùm singuli non clamaverint, fuerunt causa iniusta, unde invicem conservi putarent, se non posse solos impedire damnum: & sic de facto damnum non impeditum fuit ex culpa singulorum, qui dum non clamaverunt, séque promptos non exhibuêre, fuerunt in causa, ut quilibet putaret consetvos non accursuros.

10. Infero secundò: Custodes Vineæ contrahere onus restitutionis, in clamet, furémque impediat, at, qui non est Custos, quamvis peccet, non prohibendo: si sine incommodo posset: tamen quia solùm peccat contra Charitatem, onus restitutionis non contrahere. De his custodibus vide plura apud Fangund. *lib.*8. *in Dec. cap.*5. *num* 6. & 7.

11. Infero tertiò: Excusari testem (esto, per Tolet. *lib.*5. *cap.*31. Rebell. *loc.cit.num.*63. Reg. *loc.cit.num.*100. non excusetur) à restitutione damni secuti, si iuridicè interrogatus veritatem non manifesteret. Ita Molin & Sylvest. quos citat, sequiturque Less. *lib.* 2. *c.* 30. *dub.*8 *num* 59. quibus addit Tanner. Dian. *p.*3. *tract.*5 *resol.*54. Ratio est, quia quamvis testis tunc obligetur ex iustitia legali, vel ex Charitate, veritatem aperire, non tamen constat, obligari ex Iustitia commutativa, cùm non obligetur, neque ex contractu, neque ex quasi contractu, id est ex officio.

12. Infero quartò: Custodes portarum, seu Gabellarum, Nemorum, & similes ex officio, nisi manifestent fures, teneri ipsos ad restitutionē damni illati. Ita Mol. *d.*739. de Lugo *t.*2. *de iust. d.*37. *sect.*9. *fusè*, Val. *d.*5. *quæst.*11 *p.*4. Sot *lib.*5. *q.*4. *art.*4. Patet, quia tenentur ex iustitia. Quid de pœna, quam reus actori, vel fisco solveret, si revelatus esset, atque adeò condemnatus? Respondeo, ciusmodi Custodes, multò minùs testes, & alios privatos ad hanc resarciendam non obligo, ex probabilissima sententia. Ita Dian. *par.*3. *tract.*5. *res.*64. Dicast. *lib.*2. *de iust. tract.*1. *d.*4. *dub.*8. *num.*165. ex Vasq. aliisque? ubi *n.*293. agit: *An cum reo iam incurso in pœnam possis paciscì de danda pecunia.* Ratio est, quia hæc pœna non debetur, nisi post sententiam, sententia ergo quomodo cunque impedita, cùm Ius nondum acquisierint actor, vel fiscus, nihil debebunt non manifestantes.

Idem quoad pœnas, dicendum erit (ut notant Tannerus. Less. Sanch. Vasq. aliique apud Dian. *3. tr.6 res.*35. *de* Lugo *t.*2 *de Iust d.*37 *sect.*8. *n.*97.) de iudicibus, qui non condemnant (esto, cum peccato) Reum ad solvendum aliquid actori, vel fisco, vel alteri, quod ex pœna, etiam conventionali, debeat reus? immò idem dic de facientibus, etiam positivè, fugere eos, qui essent condemnandi ad pœnam pecuniariam, &c. Ita apud eundem Dian. & de Lug. *l.c.* Ratio est, quia pari modo hanc pœnam reus debebat post sententiam. Solùm ergo tunc debebit iudex restituere, quando iniquam profert sententiam, vel vexat litigantes, &c. quia Reus ad iustam sententiam, & ad suam indemnitatem Iusiustitiæ semper habet.

De Custodibus se abscondentibus, quò facilius delinquentes deprehendant, dixi *lib. 5. c. 1. §. 4. n. 2. & 3.*

### §. VIII. *Quo ordine hæ Concausæ restituere debent?*

1. PRæcipua difficultas ea hîc est, ut videatur, cuinam ex his concausis incumbat restituere primo loco; in cuius defectum deinde concausa alia succedat. Id ita breviter statuo.

Si plures fuerint causæ eiusdem rationis, & ita ut æque teneantur restituere, restituere debent pro rata. Verbi gratiâ, si sunt duo exequutores, qui intulerunt proximo damnum decem aureorum, debet quisque quinque restituere. Quòd si unus nolit, vel non possit: certe quia uterque tenetur in solidum, succedit secundus ad obligationem restituendi totum, id est, in dicto exemplo decem; Cui tamen secundo debet alius refarcire suam partem, seu ratam, quam debebat.

2. Tunc autem plures æquè tenentur, quando æqualem influxum habuerunt in totum damnum, id, quod tamen §. *sequenti* clariùs explicabitur. Nam si unus sine communicatione cum aliis fuisset causa solùm partis damni, ad partem tantùm suam restituendam obligati, nimis est clatum.

Si verò non omnes fuerunt causa ejusdem rationis, unus enim fuit, verbi gratiâ, exequutor, alter palpans, unus jubens, alter rei ablatæ custos: erit maximè distinguendum; id, quod tribus dictis explicabo.

3. Aio primò, si res aliena, vel ejus pretium, vel pars extat apud aliquem, rursus, ab aliquo res mala fide consumpta est, ij debent primo: cæteri in horum defectu, qui cæteri ab eo, apud quem res extat, vel à quo mala fide consumpta est, refarciri debent. Ita Vasq. *de restit. cap. 9. §. 1. dub. 3. n. 44. & 53.* Mol. *d. 737. n. 2.* Excipe, nisi de mandato alterius damnum aliquis dederit, & in præmium rem alienam acceperit; nam tunc mandans etiam ante hunc tenetur restituere, quia tunc ipse est causa principalis damni, qui semper est prior obligatus ut mox *num. sequenti* subdam. Restituente autem eo, qui primo loco debet, id est, principali, cæteræ minùs principales causæ, liberæ manent à restitutione; sed restituentibus minùs principalibus, debet principalis compensare his totum, quia hi successerunt loco ipsius.

4. Aio enim secundò, si accessit iussio, seu mandatum, seu coactio ad injustam actionem, jubens debet priùs, exequutores verò in defectum jubentis, qui jubens debebit semper, ut modò dixi, exequutoribus refarcire totum. Ita Vasq. *loco cit. n. 54. & 56.* Excipe, nisi exequutores in damno inferendo moti fuissent ex se, vel quocunque modo fuissent etiam & ipsi principales, id est, qui augebant negotium suum. Ratio dicti est, quia tunc jubens, mandans, cogens, licèt non sit causa moralis damni exequens, est tamen principalis, ut ex se patet. Ratio exceptionis est, quia tunc exequutores sunt ipsi certè principales.

5. Aio tertiò, si nullus fuit jubens, tunc exequutor debet prius; cæteræ concausæ, ut palpans, consentiens, motus, & aliæ tenentur solùm in defectum exequentis: nisi in his cæteris extaret aliquid ex furto, tunc enim ex *n. 3.* tenerentur sine dubio illæ concausæ. Et quidem hæ cæteræ concausæ, quæ secundo loco debent, non debere unam priorem altera, docet Vasq. *loc. cit.* sed omnes pro rata juxta maiorem, minorémve influxum ad damnum datum, ad arbitrium prudentis, quem influxum, obligationémque ex influxu exurgentem, *mox §. sequenti* clariùs me declaraturum modò promisi, de Lugo autem *de Iust. & in cap. 1. d. 19 3. n. 131.* distinguit aliquos casus, quando ex his concausis prior debeat, quàm alia; quem, si est otium, lege.

6. Illud hic præterire nolo: Si fortè læsus remittit uni ex concausis, non statim censendum esse, ipsum cæteris remisisse; sed esse distinguendum: Nam si remittit principali, sanè intelligitur remittere cæteris: at si remittit alicui ex causis secundariis, tunc principalis tenetur ad restituendum totum, id est, ad maiorem [illegible] restituendam ipsi læso, & suam partem ipsi [illegible] Causæ verò cæteræ secundariæ, quibus non est [illegible] sum casu quo in defectum principalis debeant [illegible] stituere; non obligabuntur ad totum, quia debet [illegible] illa pars, de qua una ex concausis obtinuit remissi[illegible] Lege Dicast. *l. 2. de restit. tr. 2. d. 4. dub. 1. & 11.* cert[illegible] lina *disp. 7 38.* docet, principalem tunc totum debe[illegible] stituere; sed non explicat cui, domino scilicet, an [illegible] suam compartem remisso. Sed, ut dixi, mihi videtur [illegible] pars non esse deneganda remisso, quia remissio à [illegible] mino facta est in favorem remissi, ergo ab illo hæ[illegible] litas demenda non est.

De hactenus *in hoc §.* dictis, lege Molin. & Dicast[illegible] tatos, ibi enim multa minutiora omninò videnda [illegible] Sed illud non est inter minutiora connumeran[illegible] Dixi enim paulò antè tunc plures causas æquè te[illegible] quando æqualem influxum habuerunt in totum [illegible] num. Id enim verò (ut cognoscamus quantum unu[illegible] que damni causa restituere debet) diligentiorem [illegible] *sequenti* explicationem exposcit.

### §. VIII. *Quantum singulæ damni Concausæ restituere teneantur.*

1. POtest primò aliquis esse causa damni, partiale [illegible] te effectus; Potest secundò, esse causa dam[illegible] totalitate causæ; Potest tertiò, esse causa damni, p[illegible] tialitate causæ.

2. Esse causam damni partialitate effectus, est [illegible] partem damni facere independenter à quacunque [illegible] causa. Ingrederis, v. g. vineam, collecturus uvam, [illegible] alij sine tuo consensu, vel adhortatione eandem ingr[illegible] diuntur, & spoliant: Tunc tu causa es damni [illegible] partialitate effectus; tuam enim partem solùm fur[illegible] & ut modò dixi, certum est ex Mol. *disp. 734.* [illegible] tunc solum ad eam partem restituendam obligari.

3. Esse causam damni totalitate causæ est, fac[illegible] totum damnum, id, quod duplici modo evenire [illegible] Primò, si à te sine alterius auxilio totum damnum [illegible] tor Vinea, verbi gratiâ, spolietur, & tunc totum à te [illegible] bere restitui, vel pueri non ignorant. Secundò, si [illegible] num fiat cum auxilio alterius, sed ita, ut etiam [illegible] auxilio fieret à singulis? ut si duo lethaliter homi[illegible] feriant, singuli vulnus lethale infligentes; vel si [illegible] consulant furtum, ita ut singulorum consilium [illegible] cienter ad illud furtum moveat: & in hoc etiam [illegible] certum est ex Dicast. *l. 2. de rest. tract. 2. disp. 4. dub.* [illegible] gulos debere totum damnum, si fortè alter partem [illegible] lit, vel nequeat restituere, quia verè sunt causa [illegible] prorsus damni.

4. Esse causam damni partialitate causæ est, fac[illegible] totum damnum, sed cum auxilio aliorum, ita, ut qu[illegible] singuli non facerent, faciant omnes. Exemplo res [illegible] clarior: Si duo, verbi gratiâ, pondus grave surripiant, [illegible] neque ferre, neque consequenter surripere unus pot[illegible] tunc singuli, causæ partiales damni totius sunt, [illegible] autem sunt causæ adæquatæ, &, in hoc modo causa[illegible] di damnum, difficultas est non vulgaris (quam vi[illegible] & confusè tractatam invenies à Doctoribus) an [illegible] li debeant restituere totum damnum, atque adeo in [illegible] lidum, casu, quo alter partem suam nequit, vel [illegible] reddere; an verò satis, si partem suam restituat [illegible] suum influxum ad damnum datum, maiorem, vel [illegible] norem iudicio prudentis æstimandum.

5. Vt autem id meliùs decernatur, sint hæ duæ regulæ, saltem pro praxi probabiles, quas colligo ex [illegible] quibus Doctoribus apud Dian. quos citat, sequitur [illegible] de Lugo *t. 1. de iust. disp. 19. sect. 2. à n. 80.* item ex V[illegible] *de rest. cap. 9. §. 1. n. 34.* & Dicast. *lib. 2. de rest. tr. 1. d[illegible] dec. 2. à num 29* lege etiam *dub. 9.* Prior: Quando [illegible] per causam damni ita ad damnum concurrit, ut [illegible] ipso, nulla alia causa superveniente, adhuc [illegible] totum damnum, non obligabitur, nisi partem [illegible] restitue-

stituere, mensurandam à Viro prudenti, iuxta mensuram influxus ad damnum datum.

Posterior: Quando sine illo non fieret totum dictum damnum, obligatur ad totum in solidum, ita ut non relicto alio partem suam, totum ipse debeat.

6. Ratio prioris Regulæ est: quia obligatio restituendi oritur ex damno, quod quis sua actione proximo infert: sed qui influit in damnum partialitate caussæ, regula, quod est influere in damnum partialitate caussæ, diminuere infert: ergo diminutè orietur obligatio, ergo non est rationabile, ut ex diminuta obligatione teneatur ad restituendum.

7. Ratio posterioris est, quia tunc caussa illa æquivalet caussæ totali: licèt enim illa caussa partialis sola non potuerit totum damnum ponere, poterat tamen totum impedire sui concursus subtractione: si enim illa non accessisset, nihil damni ab altera concausa factum fuisset: si ergo non se subtraxit, & non impediit totum, quod certe poterat, ipsi imputabitur totum damnum.

8. Ex priori Regula infero militem gregarium satis probabiliter nó obligari ad restitutionem totius damni, quod fit ab exercitu: Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *n.* 37. Mol. *disp.* 34. aliique. Illud enim etiam sine ipso fieret. Etquamvis ipse concurreret ad totum damnum: omnes enim milites animantur ex consortio commilitonum; tamen est valde exigua animatio concepta ex præsentia ejusmodi unius militis: immò non ratò ejus erit tanta vilitas, ut modicissimè animet, unde ex modicissimè debeat: præter illud damnum, quod fortè ex se immediate infulit.

Pari modo idem dicimus in consulentibus damnum, immò & in adhortantibus ad illud, quando omnes consultores vel hortatores ita sunt caussa totius damni, ut adhuc sine consilio, & adhortatione consultus, & excitus sufficienter erat totum damnum illaturus; solùm enim debebunt, quantum damni prudenter judicabitur commensurari ad tale consilium, vel adhortationem. Idem puto, si factum fuisset totum damnum, sed mea horratio fuit caussa, ut fieret aliquantolò citiùs, nec per dilationem impeditum nullo modo fuisset damnum: idem, inquam, puto, (licèt contrarius sit Vasquez, sed nobiscum est de Lugo *locis citatis*) quia anticipatio illa, quæ à me provenit, parum, immò aliquando nihil damni videtur addere, si hujusmodi damnum ab altero paulò post erat omninò infecturum.

9. Ex Regula posteriori infero, illos duos ferentes, & sustinentes ambo pondus, quod neuter potuisset (quod fuit exemplum allatum *n.* 4.) obligari in solidum ad totum dánum, quia singuli poterant impedire damnum ipsum totum. Infero præterea, singulos suffragantes, & consultores tunc teneri ad restitutionem totius, quando unum suffragium, seu consilium nihil faceret sine altero. Requirebantur, verbi gratiâ, decem suffragia ad concludendum decretum de damno inferendo, quia novem non sufficiebant. Dico omnes decem suffragantes obligari in solidum, quia quilibet, si se subtraxisset totam damnum impedire potuisset. Quòd si concluso tam decreto, accedat alius, iam nullius damni caussa hic erit. Quare, licèt peccet, non obligari tamen ad restitutionem, diximus, *lib.* 1. *decal. c.* 3. § 7. *verb. Suffrag.* Infero item, si duo ingrediantur domum ad furandum verbi gratiâ, centum aureos, ita ut altero sine altero non ingrederetur, in solidum obligari, atque adeò ad totum altero nolente, seu non valente suam partem restituere. Lege Sanchez *lib.* 7. *Dec. c.* 2. *n.* 19. Idem dic, si duo se invicem animent, ita ut sine hac mutua animatione non sequeretur damnum. Idem in similibus, quia in his casibus singuli impedire poterant totum damnum.

10. Obiicis: Ex priori regula sequitur, illum gregarium milítem, sicuti sive paruam, sive nullam incurrit obligationem restitutionis, ita nullam incurrere irregularitatem, quia iam sine ipso fierent iniustæ illæ occisiones, & ipse immediatè nullam fecit; idemque in similibus privatis homicidiis: at id videtur esse contra Sacros Canones, irregularitatem fulminantes contra quoscumque quocumque modo concurrentes ad homicidium.

11. Respondeo, nego sequi illum non fore irregularem. Ita Hurt. & DD. communiter apud de Lugo *loco cit. num.* 94. Ratio est, quia onus restitutionis enascitur ex ipsa natura damnificationis, iuxta illam igitur debet eiusmodi onus mensurari. At non æquum est, ut quando ego debilissima caussa sum alicuius damni, totum illud restituere debeam. Irregularitas verò, cum sit pœna iustè ab Ecclesia propter bonas rationes fulminata, iuxta eius legem mensurari debet; lex autem canonica (*c. sicut dignum, § ult. de homicid. c. quod in dubiis, de pœnis*, iuxta Glossam, docet cum communi Sylvest. *v. Bellum* 3. *quæst.* 3. Navar. & Covarr. apud Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 1.) eam imponit cuicumque, qui quomodocumque sive partialis, sive totalis causa sit iniusti homicidij. Erit ergo ille miles irregularis, quia occisiones fiunt ab exercitu toto, cuius ipse pars est, quamvis debilissimè in eas influens; fiunt enim illæ cædes tanquam ab una causa. Certè si decem homines inimico decem levia vulnera infligant, quæ singula non sufficerent ad eum occidendum, sufficerent omnia simul, omnes irregularitatem contraherent, quia verum est dicere; omnes concurrisse ad homicidium, tanquam unam caussam: ergo etiam in casu militis, de quo agimus, levitas illa influxus non excusabit ab irregularitate.

De milite autem in bello iusto, quoad irregularitatem ex defectu levitatis, alia est ratio, de qua vide Laymam *loco citato*; Vide etiam *sup.* § 2. *n.* 3. vbi irregularitatis etiam damnavimus enim, qui solùm celerioris mortis, quamvis aliàs omninò sequendæ causa est.

Quando est æquale dubium, an concurreris ad iniustam actionem, sive tanquam causa principalis sive minùs principalis, an tenearis restituere, iam *supra* monui me dixisse *lib* 1. *cap.* 3. § 7. *v. Damnum*; & poterit etiam videri Dicastillus, *l.* 2. *tract.* 2. *de rest. disp.* 4. *dub.* 2. *num.* 39. citans Sylv. Lessium, Avilam, Rebellium, Medinam, Sanchez, aliósque.

## CHAPUT III.

### *Quatuor Casus à Caramuële adducti in materia Restitutionis expenduntur.*

*Primus, De servo infirmo*

PRimus Casus. Caram. l. 2. Theolog. Mor. num. 480 *Ambrosius servus gravi morbo periclitatur, & deseritur à Medicis. Petrus autè, qui non profitetur artem Medicam, scit pharmacū, quo illū omnino sanet: petitur primò, An obligetur illud ipsi præbere? Secundò, An possit ipsum vili pretio emere, & postea curare, sibique curatum retinere?*

2. *Ad primum, cùm multi doceant, neminem teneri ad medicinis, sed posse se committere Deo, ut multi sanctissimi viri fecerunt, & ex alio capite nemo tenetur strictius vitam suam servare, quam alienam; Ambrosius non tenebitur uti pharmacis, nec tenebitur Petrus eidem pharmacum præbere.*

3. *Ad secundum posse emere vili pretio, quia tanti tunc valet homo, cuius vita desperatur; idque verum est, etiam si Petrus teneretur dare illud pharmacum, nam non teneretur ex Iustitia, sed ex Charitate.* Hæc Caramuël.

4. Verum, mihi nulla ratione probantur: Primò enim displicet, quod tanquam certum supponit in responsione ad primum; neminem teneri uti medicinis: quod falsum est de medicinis ordinariis; aliisque mediis saltem, non multùm difficilibus ad vitam conservandam, ut diximus nos *superius*, *lib.* 5. *cap.* 2. § 1. Exemplum autem

Sanctorum solùm probat, id ad summum licitè posse vel ex peculiari Sancti Spiritus instinctu, vel quoad extraordinaria media. Secundò, est lata disparitas inter vitam meam, & alienam: nam esto, quoad vitam meam, possim cedere iuri meo, ut aliqui, licet falsò, putarunt; at quoad vitam alterius, longè alia est ratio: alle enim alter in extrema necessitate non cedit juri suo nolendo à me medicamentum, sed verò maximè requirere præsumitur.

5. In responsione ad secundum, falsum est vili pretio valere hominem, cuius vita desperatur, si noscatur adesse in promptu medicamentum certum, multò magis si est debitum, quamvis ex solo titulo charitatis; si enim medicamentum est in promptu, ac certum, certe absolutè vita desperata non est. Secundò, sive ipsi debeatur ex Iustitia, sive ex charitate, satis est, ut ipsi debeatur: tanti enim valet cumulus hæreditatis, si ei debeantur mille ex justitia, quanti si certò debeantur quocunque alio titulo, v. g. ex Charitate; immò aliquando magis, propter maiorem certitudinem. Fac tibi deberi centum ex justitia à creditore, qui difficillimè solvit, & centum à S. Ioanne Eleemosynario ex mera charitate; quid tanquam æstimabilius tu eligeres? Vides quæ dixit Molina *sup. tr. 3. cap. 8. §. 2. num. 9.* eodem consentiente Caramuële: Medico debenti mederi pauperem ex obligatione Charitatis, si superveniat alia obligatio iustitiæ, non videri moraliter ei superaddi novum onus. Ita ergo, quamvis Petrus solùm ex charitate debeat mederi servo, tantundem moraliter etit pro vita servi, quantum si debeat ex iustitia. Non interim nego posse suæ tantæ artis meritam mercedem peti à Medico, vel à Petro: verùm, hæc alia est consideratio. Quòd si obstinatus est Petrus in negando medicamento, fateor vitam servi esse desperatam, & ab alio tertio posse vili pretio redimi, sed an ab ipso Petro, qui hanc obstinationem suam deponere ex charitate obligatur, ex universaliter dictis *sup. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 21.* cùm *de acceptis ex turpi caussa*, colligi potest.

### *Secundus Casus.*

### *De rebus immistis.*

6. *Acquiris* (ait Caramuël 2. *Theol. mor. num. 250.*) *dominium mistione, cùm paucæ res alienæ ita tuis immiscentur, ut distingui non possint: tunc enim teneris recompensare proximo damnum ex hac mistione illatum, juste tamen res tuis immistas retines; Ita omnes. Consultò dixi debere ita esse immistas, ut distingui non possint: nam si alienæ sint multæ, numquam tuis poterunt ita immisceri, ut non possint distingui:* Hæc ille.

7. Ex his unum placet, alterum displicet. Placet acquiri dominium per eam mistionem, quâ paucæ res alienæ ita tuis immisceantur, ut distingui non possint id quod nos etiam docuimus *sup. tract. 3. c. 3. §. 4. num. 15.* Displicet vero illud (*si alienæ sint multæ: nunquam tuis poterunt ita commisceri, ut non possint distingui*) displicet, inquam. Primò, ad hominem, quia si paucæ res alienæ, ut rectè supponis, docte Caramuël, tuis immistæ discerni non possunt, ergo nec discerni possunt alienæ multæ paucis tui immistæ: si enim discerni possent alienæ multæ inter paucas tuas, etiam discerni possent tuæ paucæ inter alienas multas; discretis enim alienis multis, iam necessariò quæ remanent erunt tuæ. Displicet secundò, quia clarè probatur, falsum esse, tuas res paucas immistas alienis multis semper posse distingui: vel contrà, alienas multas immistas paucis tuis, distingui semper posse. Quis enim est tam oculatus, & lynceus, ut unciam vini sui immistam cum vini amphora alieni, vel contrà, sciat discernere, quæ sit sua uncia, quæ sit aliena amphora, vel contrà? Sic in frumento, sic in pecunia eiusdem generis, sic etiam in aliis rebus, in ovis, in lanis, vel serico eiusdem coloris. &c. Hæc satis, nam quid de acquisitione dominij per mistionem sentiendum sit, nos disputavimus *sup. §. 4. à num. 15.*

### *Tertius Casus.*

### *De promissione in diem.*

8. *Qui in contractu* (ait Caram. l. 2. *Theol. mor. num. 609.*) *se daturum promittit Petro mille die Paschatis, dicit statuto non solvit, peccat contra fidelitatem, debet post terminum elapsum solvere, nec liber erit ab obligatione quousque solvat de facto. Ratio est, quia sic contrahentis est; Dabo tali die, vel saltem sequenti: enim illud (saltem) non subintelligatur, nemo contraheret. Verùm, qui liberè promittit se daturum Petro mille dem die Paschatis, idque corroborat iuramento, si non die statuto, peieravit quidem, sed non obligatur postea vere amplius. Et ratio disparitatis est, quia in contractu illum diem statutum Paschæ, mille illi aurei iam pertinent ad Petrum. Vnde qui promisit, iniustè non dat, & consequenter retinet alienum: sed qui liberè promisit, post illum diem statutum Paschæ, illi aurei mille ad ipsummet tempus tentem pertinent, quia sunt: ergo alienum non retinet, ergo unde aderit obligatio;* Hæc ille.

9. Displicet resolutio: Nam licèt disparitas data sit, obstat tamen illamet ratio ab ipso allata, per illa *saltem*, nam sic arguo: Quid contrahit ad diem statutum, ideo obligatur post illum, quia subintellexit, *saltem*, sed qui iurat clare liberaliter ad eundem diem, regulariter subintellexit *saltem*, ergo, &c. minor probatur, quia regulariter nemo addicit promissionem alicui dici; si enim addiceret, certè sine alia disparitate explorata esset, non obligari deinceps. Vt votum de iejunando tali die fixo, vel præceptum de audiendo Sacro die Dominico, non obligant pro die sequenti, quia dies sequens, nec sub voto, nec sub præcepto comprehenditur est: idem ergo esset in iuramento, si fic iuratum pro die fixo esset. At regulariter, ut dico, non solet in communi usu humano aliquid temporale homini liberaliter promitti sub hac conditione temporis statuti. Promittit Princeps, amico sic: *Cras in tui gratiam liberabo à tecere tuum fratrem, tuum servum; Cras dabo tibi mille aureos.* Nunquid intelligit ita, ut affigat dici crastino promissionem? nequaquam. Et pauperi quidem si dicas *Cras dabo tibi vestem, quâ cooperiaris*; Nunquid, si pauper post duos veniat dies? dices: *Abi, frater, promissa mea fuit addicta diei hesterno.* Dixi tamen (regulariter) quia ex circumstantiis aliquando colligitur promissio esse addicta dici, vel tempori, sicuti aliquando diximus in Voto. Si enim cras ego instituo publicum convivium, & tibi promitto etiam cum iuramento cras datorum cibos tibi, & tuæ familiæ; clarè apparet, te in eo die non accedas ad eos accipiendos, me sequenti die ad nihil obligari, quia ex circumstantiis perspicuum est promissionem hanc addictam fuisse ad diem communem convivij.

### *Quartus Casus.*

### *De Mutuo cum quadam obligatione.*

10. An Petrus, si illi Antonius probabiliter, aut debitè deberet centum aureos, daret eidem Antonio mille mutuos, sub onere, quod mille, & centum restituerentur nimirum hos mille, & alios centum, esset ne usurarius? Respondet Caramuël, l. 2. Theol. mor. n. 737. *Si debeat probabiliter, usurarium non esse: esse, si dubiè. Ratio est, si dubiè, imprudens erit existimando sibi deberi illam pecuniam de qua dubitat: Est enim Antonij, quandiu non constat esse Petri; quare Vsurarius erit quia vellet, supra sortem esse Petri; quare Vsurarius erit quia vellet, supra sortem, etiam illam pecuniam. At si probabiliter, prudenter operabitur: existimando illam pecuniam pertinere ad se, cùm quilibet possit operari sine peccato in probabilitate; quare nihil præter sibi debitum recipiet.* Hæc ille.

11. Sed certè sicut illud de dubio absolutè placet, sic illud de probabili displicet ex principiis intrinsecis. Ratio est, quia universaliter docuimus *lib. 1. cap. 3. §. 3. à num. 9.* in qualibet rei probabilitate semper esse consistendum, ex quánam parte stet possessio: cùm igitur in casu nostro Antonius sit in possessione, non poterit per illam privatam auctoritatem à sua possessione perturbari: adi *locum citatum*, ubi de hac re fusè, & ubi videbis, an adsit pro Caramuële extrinseca aliquorum auctoritas.

## CAPUT. IV

### *Quomodo se gerat Confessarius; & quando pœnitens, cùm possit, non restituit, nec debita solvit.*

1. TOrquet id sæpissimè Confessarios; Qui propterea non rarò à Fidelibus reprehenduntur, quòd faciles sint ad absolvendos eos, qui, cùm satis locupletes habeantur, aere alieno fruuntur, nec restituunt. Virosque sobrii doctrina, quam, ex Dicastill. *in fine huius tractationis de restitutione*, pro ptaxi Confessariorum afferre opetæ pretium judicavi.

2. Quærgo in hanc rem docet *lib. 2. de rest. tract. 2. dub. 1. à num. 6.* (lege etiam Molin. *tom. 3. disp. 756.* & de Lugo *disp. 20 tom. 1. de iust. d. 20 sect. 9.*) ego claritati gratiâ in tria distinguo? Primò; De eo, qui potens restituere, non restituit: Secundò, De eo, qui, jussus à Confessario, ut restituat, nondum paruit. Tertiò; De eo, qui cum non possit restituere in foro interno, præsumitur potens in externo.

#### *Potens restituere, non restituit.*

3. Quoad primum Debitor qui sine aliqua causa rationabili potest commodè totum debitum restituere, & non vult restituere totum, sed tantum per partes, non potest licitè à Confessario absolvi. Ita Sot. Major, Molina, aliique ab ipso Dicast. citati. Navarrus tamen, Hostien. Ang. Gabr. apud eundem, docent posse licitè, quando idem Confessarius duo videt ex pœnitentis dispositione. Primò quòd data ei hac dilatione, restituet, & non aliter. Secundò, quòd creditor ex hac dilatione non incurret damnum aliquod: quia tunc, inquiunt, cùm Confessarius utiliter gerat negotium creditoris, videtur creditor consentire. Hæc illi, sed certè videtur consentire coactus ob avaritiam, & obstinationem debitoris; quare ipse debitor à peccato sic non excusabitur, unde absolvi nec poterit.

4. Nihilominus probabilis erit hæc Navarri sententia, sit præter illas duas conditiones, addatur tertia: scilicet, quòd debitor habeat ignorantiam probabilem, ex qua sit in bona fide, putans se modò satisfacere suæ obligationi neque teneri ad amplius: quia tunc Confessarius, si prævidet nihil profuturum, monendo de ipsius maiori obligatione, potest cum absolvere, ne abeat desperatus: in quo non solùm creditoris, sed etiam pœnitentis negotium agit, imò & Dei, cujus minister est, ita Sylvester, Armilla, & Petr. Navarr. Et hic quidem probat hanc ignorantiam communiter excusare debitores, quia alias maior pars Reipublicæ in statu damnationis existeret; quis enim, inquit, est, qui vel testamenti implectionem, vel debiti solutionem non hoc prætextu differat.

5. Hinc autem ex eodem *ibidem*, *num.* 9 videbitur sequi, Confessarium teneri ad non monendum, sed absolvendum huiusmodi pœnitentem: Et quidem meritò, supposita ea opinione, quia si pœnitens non haberet impedimentum, ut absolvatur hic, & nunc, & ex monitione Confessarij non speraretur aliquid melius, sed potius, ut desperatus abeat pœnitens, imò ut committat novum peccatum? peccabit Confessarius, monendo.

6. Non tamen puto cum Dicastill. *num.* 10 Ita malè facturum Confessarium, qui timens de probabilitate ignorantiæ talis hominis diceret: Ego non audeo te absolvere, quære alios Confessarios, non tamen bene facit, aperiendo illi omnem veritatem, quam timet ei non profuturam, sed potiùs ob suam culpam nocituram.

7. Quòd si ipse debitor petat doceri, non videtur posse illi negari vera doctrina, nec occultari veritas, cùm iam dubitet, & conscientia læsa sit: sic Dicastill. *num.* 11 Ego verò removeo illud (non videtur) & aio, absolutè non posse negari veritatem, ut distincte dixi *lib. 3. meth. Conf. cap. 4. num. 8. & 9.* Sed redeo ad Dicastilli doctrinam.

8. Notant autem Auctores, præsertim Maior, Navarrus, Corduba, Navarra, hæc eodem modo locum habere, sive debitum sit ex delicto, sive ex contractu. Dicastill. *num.* 12.

Quod verum est; sed ignorantia probabilis frequentiùs contingit in debitis ex contractu, rarò in debitis ex delicto.

9. Eodem autem modo (Dicastill. *num.* 13.) videtur philosophandum, sive debitor velit partem debiti statim restituere, & partem differre (in quo tantùm casu loquuntur auctores) sive totum velit differre? quia ignorantia eodem modo potest contingere circa totum, & circa partem.

#### *Iussus à Confessario, nondum restituit.*

10. Pœnitenti, qui prima vice fatetur se culpabiliter non restituisse alienum, nunc tamen habere firmum propositum statim restituendi, non est neganda absolutio, Dicastill. *num.* 17. ex Petro Navarra, Navarro, Corduba, Henr. Suar. aliisque ab ipso Dicastill. citatis. Si tamen bis, aut ter, aut sæpius fuerat jussus in aliis Confessionibus restituere, & tamen, cùm posset, non fecit; regulariter non est absolvendus, quousque fecerit re ipsa restitutionem. Ratio prioris partis est, quia: sicut in omnibus aliis Confessarius credere potest, & debet pœnitenti, ita in hoc. Ratio posterioris est, quia talis homo est in periculo proximo, experientiâ ipsa comperto, iterum differendi restitutionem. Ideò non rectè putant Angelz, & Ledesm. apud eumdem Dicastill. esse probabile, absolvi tunc illum posse: nam idem posset de concubinario, qui sæpius jussus, non ejecit domo concubinam.

11. Dixi autem (regulariter non esse absolvendum) nam talis esse posset pœnitens, talésque circumstantiæ possent occurrere, ut Confessarius debeat esse contentus solo proposito restituendi, etiamsi antea sæpè jussus omiserit restitutionem, Dicastill. *num.* 18. ex Navarro, Valentia, Molina, Azorio.

Et Molina quidem *tom. 3. d. 756.* exemplum adhibet, ut si Confessarius nonleviter credat, pœnitentem re ipsa restituturum statim, sine mora, quia non eâ acrimoniâ fuerat illi jussa restitutio, in aliis Confessionibus: vel si aliæ adsint circumstantiæ ad id credendum, præsertim si injungat illi, ut non priùs accedat ad Eucharistiam, quàm restituat.

#### *Non potens restituere in foro interno, &c.*

12. Quoties pœnitens accidit cum impotentia restituendi, est absolvendus, si dicat se habere firmum propositum restituendi, esto, sæpius ante restituere culpabiliter omiserit: idque, etiamsi restitutio facienda sit ex decimis, Dicastill. *num.* 19. ex Molina. Ratio est, quia Concilium Tridentinum, dum præcipit Confessariis, ne absolvant debitores decimarum, quousque eas solvetint, intelligendum est loqui de debitoribus potentibus restituere, & qui non restituendo

peccant: vnde impotentes bene possunt absolvi, etiamsi in exteriori foro habeantur excommunicati, si in conscientia excommunicationem non incurrerunt, quia iam erat impotentes, quando lata fuit excommunicatio. Verùm, ut dicetur *in materia de Excommunicatione*, hi monendi sunt, ut in foro externo se gerant pro excommunicatis. Dicast. *ibid.*

13. Quòd si erant potentes, quando excommunicatio lata fuit, eámque re vera incurrerunt, non possunt absolvi à peccatis extra articulum mortis, nisi absolvantur ab Excommunicatione per eum, qui per Bullam verò Crucis tam possunt absolvi, si prius cautionem, de quo latè *alibi*.

Hæc ex Dicastillo. Nos verò quando quidem implicitis quæstionum dumetis (utinam inoffenso de) iam tandem emersimus, finem imponamus libro; atque bonâ lectorum venià tantisper quiescamus.

FINIS LIBRI OCTAVI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER NONVS.

## IN DECALOGVM.

### Non falsum testimonium dices.

FALSVM testimonium affers contra proximum. Primò, intra te ipsum, si temerè de illo iudices. Secundò, coram Iudice, si falsò eundem proximum denunties, accuses, infames, &c. Tertiò, coram non Iudice, si de eodem perperam obloquaris, de quibus omnibus hic erit breviter disputandi locus.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Falso, seu temerario Iudicio.*

*Discrimen inter Dubitationem, Suspicionem, Opinionem, & Iudicium.*

1. HÆ quatuor voces, Dubitatio, Suspicio, Opinio, & Iudicium, in hac re nostra, sic differunt: Si intellectui proponatur aliquod obiectum, circa quod debeat iudicare aliquid, de quo sufficientia indicia minùs apparent, unde is hæreat, nesciátque, an affirmare potiùs debeat, an negare; dicetur esse dubius. Et, si quidem intellectus tunc veluti suspensus, & perplexus nullum actum eliciat, dicetur dubitare negativè. Si verò eliciat actum, quo se dicit dubitare, dubitabit adhuc negativè; sed quia additus iam est eiusmodi actus quasi reflexus, dicetur ab aliquibus dubitare positivè.

2. Quòd si Intellectus, ex insufficientibus indiciis, incipiat adhærere uni parti, licèt imperfectè, & cum magna formidine oppositi, dicetur eiusmodi actus suspicio propriè dicta. Si verò ex iisdem insufficiétibus indiciis adhærent uni parti determinatè, licèt cum aliqua formidine oppositi, dicetur opinio. Vnde advertis, suspicionem propriè dictam esse veluti inchoatam, & imperfectam opinionem, ab eáque distingui secundùm magis, & minùs.

3. Si denique firmiter intellectus uni parti adhæreat ita, ut saltem moraliter de re non dubitet, dicetur iudicium certum elicere. Dixi (saltem moraliter) id enim satis, supérque est ad iudicium certum practicè: nam ad iudicium certum speculativè, debet addi evidentia, per quam iudicet intellectus, aliter rem se habere metaphysicè non posse.

*Conditiones requisitæ, ut Iudicium sit mortale.*

4. Iam verò certum est primò, Iudicium temerarium ex se esse peccatum mortale, quia sic gravis contra proximum iniuria fit proximo. Neque valet dicere: Probabiliter docent nonnulli modo mox explicando, *cap. 3. §. 1. num. 7.* non esse mortale, etiam sine causa, crimen occultum uni, vel duobus prudentibus rem non evulgaturis manifestare, quia id non est infamare, nec eo saltem notabiliter fama alterius læditur, ergo non erit mortalè, apud se solùm rem non evulgaturum certò iudicare perperam de altero, Non valet, inquam: is enim, non dicit nisi verum; At in casu nostro certò iudicat malum grave ex insufficientibus indiciis, quæ ex vi illorum falsum est. Et sanè graviter quis proximo iniurius esset, si crimen falsum de eo, etiam uni probaret.

5. Quatuor autem conditiones requiruntur ad constituendum hoc mortale. Prima conditio, ut Iudicium sit plenè deliberatum. Hinc, si cui, dum videt hominem egredientem ex aliena domo, repræsentetur, eum ibi furem, is non verè iudicat: sed potiùs ei proponitur obiectum, de quo est iudicandum: propositum autem vel ex suggestione dæmonis, vel ex quadam naturali sagacitate Naturæ. Cùm igitur tunc ne Iudicium quidem adhuc sit, sed repræsentatio eius, quod iudicari debet, iudicium temerarium esse non potest. Rursus usu venire non rarò solet, ut intellectus ex se, sine voluntatis motu deliberato, iudicet aliquid sinistrum, & tunc, cùm potiùs sit actus primò primus, quam voluntarius, vereè Iudicium temerarium (quod, ut ut sit mortale, debet plenè voluntariè procedere) nequaquam erit.

6. Secunda conditio, ut si in re gravi, quia secus levis erit iniuria. Colligitur autem hæc gravitas ex qualitate, & professione personarum, de quibus fit iudicium. Vnde grave non erit, temerè certò iudicare

mulier, quòd hostem quærat ad vindictam de juvene honesto, quòd ex pravo fine, per aliquem locum transeat, quia ipsi de ejusmodi criminibus gloriantur, quare non judicantur honoris læsionem pati. Contra, si temerè certò judices de probo Episcopo, vel Religioso esse mendacem, &c. Propter eandem rationem certè temerè judicare aliquem esse illegitimum, ex ignobilium, vel Hæreticorum, vel Hebræorum familia, videtur afferre injuriam gravem proximo. Ita Dicastill. *lib. 2. de justit. tractat. 2. d. 12. part. 4. n. num. 41.* quia inter homines probos, hæc multùm æstimantur, ne à publicis honoribus, & Officiis arceantur. Verùm, vide quæ dicam *infr. cap. 3. § 2. num. 4.* ex Lessio.

7. Tertia conditio, ut judicium sit certum mortaliter. Secùs, ut modò dixi, non esset Judicium, sed suspicio, de qua mox.

8. Quarta conditio, ut sit ex levibus conjecturis, ex insufficientibus indiciis: nam si ex sufficientibus, non erit temerarium, sed prudenter elicitum judicium.

9. Sed ecce non exiguam difficultatem: Quomodo enim dignoscam, indicia esse, vel non esse sufficientia? Dico, id tandem prudenti arbitrio esse diiudicandum. Regulam tamen hanc dari posse: Quoties indicia non sunt proportionata ad tale judicium, idest, quoties indicia ex se, aut ex communi hominum usu sunt indifferentia, aut raro conjuncta cum tali effectu, dicuntur impropportionata, atque adeò insufficientia.

Si verò solent esse ut plurimum coniuncta, proportionata erunt, & sufficientia. De nocte, quis, verbi gratia, fenestram alienæ domus, scalarum adminiculo, occultè aperire tentat: hoc indicium est sufficiens ad iudicandum illum esse furem. De die quis bonæ famæ transit per viam, ubi Mulier inhonesta degit, hoc indicium sufficiens nequaquam est, ut credas illum esse adulterum. Fateor non esse unum indicium tantummodo expendendum, sed complexionem omnium; contingit enim sæpè, ut unum alterum adjuvet, vel minuat, vel omnino tollat. Fac enim, te videre, aliquem de die, coram vicinia, fenestram per scalas aperire velle: potiùs, si prudens es, putabis ipsum clavem propriæ domus amisisse, quàm moliri furtum. Lege Dicastill. *lib. 2. de justit. tom. 2. disp. 12. part. 1. dub. 2.* qui per aliqua indicia, quoad hanc praxim, rectè discurrit.

*De Ignoto quidpiam judicare, mortale non est.*

10. Certum sit secundò, temerè judicare in re gravi de aliquo tibi prorsus ignoto, nō esse mortale: quia moraliter petinde est, ac si de nullo judicares. Videat quis, v.g. hominem de nocte caput habens pallio coopertum, vel transeat per loca sibi ignota, incidátque in homines sibi nullo modo cognitos: hic si temerè judicet de illo, & de his, non peccat mortaliter, quia nemini facit injuriam. Quòd si fortè deinde veniat in eorum notitiam, se gerere prudenter debebit, nec nisi juxta conjecturas judicare.

*Solum suspicari de re gravi, nunquam est mortale.*

11. Remanet ergo incertum, An suspicio deliberata in re gravi, & sine sufficientibus indiciis, atque adeò temeraria, sit culpa mortalis. Sub nomine autem supicionis includimus sive dubium, sive suspicionem improptiè dictam, sive opinionem. Salas, Bonacz, Arag. apud *mox* citandos, dicunt esse mortalem: non esse contendunt Caiet. Petr. Navarr. aliique, apud Dicastill. *loc. cit. dub. 4. num. 46.* quibus adde Less. *lib. 2. cap. 19. dub. 3.* Molin. *tract. 4. de iust. d. 16. concl. 3.* Azor. *part. 3. lib. 13. cap. 11. dub. 3.* Portò, prævides mihi hanc benigniorem placituram. Fateor te rectè prævidisse. Et ratio, quæ me movet, ea est, quam affert S. Thom. *Quodlib. 12. art. 34.* quia suspicio in genere judicii est actus imperfectus, atque adeò non est plenè temerarius, neque necessariò conjunctus cū contemptu saltem gravi proximi: ergo sicuti cætera peccata contra justitiam, non sunt nisi venialia ex parvitate materiæ, ita in casu suspicionis. Antecedens patet, quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas, nec est læsio gravis, quando ille, qui sic suspicatur, habet actualiter, vel saltem virtualiter formidinem oppositi, & quasi facilè est paratus eiusmodi suspicionem deponere. Id, quod totum quasi essentialiter imbibitur in ipso actu suspicionis, & reliquis illis, de quibus est sermo.

12. Per accidens tamen suspicio esse mortalis potest. Primò, si procedat ex odio gravi, idest, si quis licèt videat rem posse non esse, tamenipse propter odium inimici delectetur de malo gravi ipsius: ut si quis suspicetur esse mortuum suum inimicum, déque ea morte sibi complaceat: quod tamen peccatum non contra Iustitiam credo foret, sed contra Charitatem, quia non delectatur nisi de malo inimici, quod est contra Charitatis virtutem: nisi fortè delectetur de ipsa injustitia malæ suspicionis, quòd certè rarissimum erit.

13. Secundo: Si suspicans adderet interiùs aliquod aliud malum, ut si quis, ex illa levi suspicione, graviter contemneret proximum, ac si re vera illud peccatum is commisisset.

14. Tertiò: Si sic suspicans procederet ex illa suspicione ad damnum notabile inferendum exteriùs proximo: ut si Iudex ex levibus indiciis reum condemnaret, vel Superior Religionis subditum puniret, &c.

15. Quartò: Si suspicionem quis aliis manifestet, nam ex manifestatione rei gravis, quamvis dubiæ, regulariter fama, imò non rarò bona proximi exponuntur gravi periculo: Experientiâ enim constat, cum de aliquo homines dubitant, facilè illum contemnere, eidémque detrahere, atque officia, honoréscque denegare. Quòd si quis uni, vel alteri timoratæ conscientiæ suam patefaciat suspicionem, unde prudenter censeatur non adesse ejusmodi, vel simile periculum: sanè excusaretur saltem à mortali. Manifestare autem iis, quibus potest, aut ex alio capite debet, nullum esse peccatum, dubium non est.

16. Addunt denique plures, fore mortale peccatum suspicionis, deliberatè suspicari de persona honesta, & proba aliquid enormis: uthæresim, vel incestum, vel sodomiam de probo Episcopo, &c. Ratio est, aiunt, quia huic dignissimæ personæ per ipsam suspicionem, quamvis levem, fit gravis iniuria. Verùm, ab hac sententia semper discessi, ut discessit, Layn. *l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. c. 2. n. 7.* Si enim est suspicio, semper erit ex genere suo levis.

17. Obiicies: Homo potiùs eligeret amittere decem aureos, v.g. quàm bonum suum nomen, etiam per levissimam suspicionem apud unum, vel alterum: ergo si amittere decem aureos, res est gravis, erit & id, de quo loquimur. Confirmo primò, quia verè maius est bonum, & nobilius, ordinisque altioris fama, quàm pecunia: ergo etiam levissima famæ iactura gravior etit quàm notabilis iactura pecuniæ. Confirmo secundò, quia si amicus sciret meam suspicionem contra ipsū, averteretur à mea amicitia: ergo signum est huius generis suspicionem graviter amicum lædere.

18. Respondeo: Quando suspicio est in genere suspicionis, atque adeò ex se leve malum, nullumque effectum graviter malum post se trahens, neque ex odio procedens, nullus homo prudenter eligeret, potius amittere decem aureos quàm illam pati. Ratio est, quia suspicio illa, cùm fiat ex nostra humana fragilitate adversùs quoscunque, vel Sanctissimos Viros juxta illud S. Augustini, citati à Th. 2. 2. quæst. 60. art. 3. *Suspiciones vitare non possumus*, non debet judicari prudenter læsionem afferre notabilem. Ad Confirmationem: Respondeo esse quidem famam ex se altioris ordinis, tamen in suo ordine aliquando posse esse levem, ac propterea ejus ablationem non esse mortalem. In his autem rebus

moralibus non valet argumentatio ab uno ordine ad alium: secùs lædere modacissimè in honore per levissimam injuriam mortale esset, quia honor ex se nobilioris ordinis, quàm sint omnia bona temporalia. Ad secundum, pronuntio irrationabiliter illum amicum fore avertendum ab amicitia ab levem suspicionem coamici cùm omnes parati esse, in hac valle nostræ fragilitatis debeamus, ad tolerandas hujus generis suspiciones, quæ non insurgunt ex odio, nec malum pariunt effectum, quæque non rarò ex amore procedunt; de charissimis enim amicis mala subinde suspicamur, quia mala in illis adesse nóllemus.

19. Atque ex dictis denique collige, rarò lethaliter peccari per temerarium judicium. Ita Molin. *tr.4.disp.13 n.4.* Dicast. *lib.4.tr.2.d.12 p.1.dub.3.n.35.* loquentes de viris timoratis: Quis enim nisi ex gravi illo odio, vel ex magna stultitia, certò judicat indiciis non certis; imò etiam hic stultus culpam mortalem sapientissimè vitat; quia regulariter potiùs errat errore intellectus invincibili, putant illud indicium esse certum, atque sufficiens, quàm ex prava voluntate.

## CAPUT II.

### *De Falsitate in Judiciis publicis.*

SOlent hîc Authores de falsitate solùm agere intercurrente in Judiciis verùm etiam de cæteris culpis Judicia spectãtibus, atque adeò ad Iudicem, Reum, Accusatorem, Testem, Notarium. Iisdem ego vestigiis insistam, modo te lector, admoneam, ea dumtaxat à me breviter esse tractanda, quæ frequentiora sunt, cætera legantur à curioso apud Doctores, quos iamiam laudabo.

### §. I. *Iudex.*

DE Iudice nonulla delibavi *in Libris præcedentibus.* Primò, An reum secundùm allegata condemnare valeat, quem privatâ scientiâ Judex novit innocentem? *sub. lib.6.cap.1.§.4.à n.8.* Secundò, An sententiam ferre queat juxta minùs probabilem sententiã? *sup.lib.1. cap.3.§.4. & lib.8.tract.3.cap.7.§.1.n.13.* Tertiò, An ex levibus indiciis condemnare valeat reum? *paulò ante, cap. 1. num. 14.* Quartò, An pretium accipere possit Judex pro sententia justa, vel iniusta? *sup. lib.7. cap.5. num.13. & 14.* Quintò, quo modo se gerere debeat in malefactoribus puniendis? *sup. lib.6. cap.1. §.4. præsertim à n.5.* Nunc tria, quæ præ cæteris scitu sunt necessaria, de eodem Iudice proponam. Primum erit de modo procedendi ejusdem; Secundum de muneribus ab ipso non accipiendis; Tertium, de muneribus ipsi non dandis.

#### *Modus procedendi.*

2. Quidnam requiritur, ut Iudex juridicè procedat? Respondeo, duplici modo eos posse procedere. Vel per viam Inquisitionis. Vel ad instantiam partis per viam accusationis. Lege Sanch. Less. de Lug. *mox.* citandos, & Dicastill. *lib.2. de just.tract. 1.d. 5. dub. 3.*

3. Si procedat hoc secundo modo, requiritur semiplena probatio; ut Iudex possit reum interrogare, & torturæ subiicere. Secùs tenetur de damno, & confessio à reo facta non esset valida. Semiplena autem probatio est, cùm adest unus Testis omni exceptione maior, deponens se vidisse: Vel si adsunt vehementia quædam judicia, &c.

4. Si procedat primo modo Inquisitio, vel est generalis, vel specialis, vel mixta. Generalis est, quando inquiritur in genere, an subditi servent leges, &c. Specialis, quando inquiritur in particulari, An Paulus verbi gratiâ, homicidium commiserit. Mixta, quando inquiritur de persona determinata verbi gratiâ, de Paulo, non tamen de determinato delicto, vel contra quando de delicto determinato, v.g. homicidio, tè patrato, sed non de persona determinata.

Dico igitur primò, ad generalem inquisitionem Iudice instituendam non requiri, ut præcedat infamia, sed tunc interrogati non debent patefacere occulta crimina perpetrarunt, etiamsi sub Juramento vel excommunicatione illis præcipiatur, ut quod proferant, possunt enim, ac debent per æquivocationem dicere se nescire.

Dico secundò, ad specialem requiri, ut præcedat infamia Authoris, vel ut rumor de eo sparsus in maiorem partem viciniæ, vel aliud æquivalens. Item est ad inquirendum, nam deinde ad interrogandum reum, vel subiiciendum torturæ requiritur semiplena probatio, ut dictum est.

Dico tertiò, quoad mixtam legendum esse Less. *cap.29.num.109.* sicuti etiam esse legendos Sanch. *consc.2.* de Lugo *t. 2. de just.d.37.à sect.6.* aliosque citatos, quoad alia huc pertinentia: nobis enim hæc pingui calamo innuisse, ad dandam Tyronibus cognitionem terminorum.

#### *Munera à Iudice non acceptanda.*

5. Non est termo de iusto stipendio ipsis constituto sive ex lege, sive ex consuetudine, sive ubi illa non adsunt, ex pacto; Neque de pretio, quod is fortè accipit pro eo, ad quod ex justitia non tenebatur: Vel si non ad longum tempus vigilaverit, quò causam expediret. Si longum iter susceperit, &c. Nec de muneribus datis ab aliis à litigantibus, vel datis à consanguineis amicisque ex aliis titulis: hæc enim sive stipendia, sive dona ex nullo capite iniusta supponuntur. Lege Dicastil. *lib.2.de just.tract.2.disp.6.dub.4. num.* 64 Nec de illa quæstione; An pro liberandis reis liceat supremo Iudici pecuniam accipere, ea enim huc non pertinet, & de illa poterit legi Diana, *part.7.tract.6.resol.* de illa alia, an Iudex possit pecuniam accipere pro eligenda sententia probabili, de hac enim breviter, & sufficienter dixi *lib.8.tract 3.c.7.§.3.n.13.*

Sermo igitur est de iis muneribus, quæ ad movendum Iudicem solent à partibus dari. Et quidem Pet. Navarr. *lib-3.cap.3. num.22.* atque aliqui ex Socinistis apud Dicast. *mox.* citandum putant, posse Iudicem accipere munera á partibus, ut ab amicis, vel petitum dignis donata, sed non ad movendum animum. Id quod tamen non placet Dicast. *lib.2.de just.tract.2.d.6. dub. num.80.* quia sic sternitur, iniquit, via ad omnia munera accipienda. Nam propterea nos absolutè hîc quærimus an ejusmodi munera sint illicita, & restituenda. Esse communiter à Rep. profliganda certum est, quia ex Eccles. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Iudicum,* nihilominus ad trutinam Theologicam, si id expendamus, ita distinguendum est.

6. Præscindendo à Juramento, quod alicubi emittitur de non admittendis muneribus, quòd omnino observandum, & præscindendo à legibus positivis, à quibus postea; Vel munera ita accipiuntur à Iudice, ut ab illis nec moveatur ab injustitiam, nec periculum grave, & proximum sit, ut ad eandem afficiatur, & non iure naturæ, nec illicita, nec restitutioni sunt obnoxia. Hujus generis regulariter sunt munuscula ex escalentis, vel ex rebus parvi momenti. Ratio est, quia nec non adest caput, nec ullius culpæ, nec ullius pœnæ. Vel ita accipiuntur quocunque fine à parte dentur, ut Iudex ad injustiam afficiatur, vel ut proximum supra periculum ad illam, & tunc Dico primò, illicitè accipi. Dico secundò, esse obligationem restitutionis eadem causam expeditam. Dico tertiò, non esse restituendi obligationem finitâ causâ. Lege Molin. *t.1.tr.2. disp.* Less. *lib.2,cap.14.dub.9.* Vasq. *tom.2.in part. 2. d.164.* Dicast. *lib.18.de donat.q.vlt.* de Lugo *mox* citandũ *sect. 11.n.134.* ubi solvuntur aliqui textus in contrarium. Ratio primi dicti est quia, qui amat periculum tam proximum, perit

scribit in illo. Ratio secundi dicti est, quia, ut *alibi* uniuersaliter diximus, Iudex obligatur ad removendum illud periculum suæ subversionis, si nunc munera retentat: ut excusat in aliquo casu de Lugo, *tom. 2. de Iust. d. 37. sect. 11. n. 130.* Non, inquam, excuso, tùm quia ea remissione potiùs honorem ex effectu ad Iustitiam, quàm dedecus ex inurbanitate, sibi apud omnes conciliaret: tum maximè quia, si supponis eum per illam retentionem muneris esse in periculo proximo peccandi, qua ratione sola mera urbanitas, nisi accedat alia notabilis necessitas, eundem excusare ob eo periculo cavendo possit? Commodius igitur huic Iudici remedium erit per Pœnitentiam, Confessionem, & alia opera devotionis se constanter munire, ne injustitiam faciat, nam si probabiliter prævidet constantem se futurum in bono proposito, iam non erit in proximo periculo peccandi, quod si id probabiliter habere non possit, restitutionem omninò expediat necesse est. Lege *noster Mich. Conf. lib. 3. c.* Caram. *in Reg. S. Benedict. n. 1056.* Ratio tertij dicti est, quia si litigans verè dedit gratis illa munera, transtulit dominium in Iudicem, & finitâ causâ iam non est amplius locus illius periculi.

7. Venio ad leges humanas Iuris Communis. Et pro Iudice sæculari duo dico. Primò, probabile mihi esse, ex Diana III. *loc. cit. num. 82* si à Iudice munera, etiam contra leges has acceptata fuerint, non esse obligationem restitutionis ante sententiam. Ratio est, quia in his legibus non adsunt verba clarè impedientia translationem dominij in Iudicem: & ex alia parte restitutio ab iisdem legibus videtur imposita, in pœnam, atque adeò non urgere ante sententiam. Post sententiam obligatio urgebit, quia iustæ sententiæ semper est standum, ut omnes docent. Lege de Lugo *t. 2. de iust. d. 37 sect. 5. à n. 185.* ubi, quid, quando, vel est iniusta sententia, vel præsumptioni falsæ innixa.

Dixi (venio ad leges Iuris Communis) nam proprias quisque suas consideret, ut Hispanas, consideravit plurimus Sanch. *in Consil. lib 3. c. 1. d. 1.*

Et quoad Ius Hispanicum, ut etiam, quoad multa, quæ in toto hoc §. sunt à nobis disputata, vide Th. Hurtad. *part 2. mor. tract. 8. cap. 2. à n. 264.* nec omittatur Castro Pal. *de iustit. com. d. 2. §. 21. num. 2.* qui confirmat, quod ego modò dixi, nullam scilicet esse legem, quæ irritet translationem dominij munerum Iudici donatorum, additque, irritationem actus, & translationem dominij, nunquam esse inducendam, nisi legibus fuerit manifestissimè expressa.

Dico secundò, (præscindendo ab eo, quod modò dictum est esse de iure naturæ) Iudices sæculares non peccare saltem mortaliter ex solo capite, quòd adversùs has leges sæculares operentur. Ratio est quia probabiliter censent. Nav. Covar. Valent. aliique apud Castr. *d. 1. de lege, part. 15. num. 6.* sæculares leges saltem de facto ad mortale nequaquam obstringere, nisi id expressè declarent.

8. Iam verò supereſt dicere de Ecclesiasticis Iudicibus sive Ordinariis, sive Delegatis: de quibus item affero duo.

Affero primò, præscindendo similiter à iure positivo, etiamsi illicitè Iudex Ecclesiasticus agat acceptando munera, non obligari ante sententiam ad restitutionem. Ratio est eadem, quæ modò *n. 7.* dicta est de Iudice sæculari. Excipe, nisi sint accepta pro ferenda sententia iniqua, de qua re diximus *sup. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. præsert. 13.* Excipe item nisi accepta fuerint ratione visitationis: sed id est de iure positivo, ut paulò post *n. 10* dicam. Excipe demum, nisi intercurrat simonia, ut ex se patet.

9. Affero secundò, quoad culpam, considerando solum ius positivum, (nam quid prohibeatur de iure naturæ, dictum est *superius* universim *n. 6.*) me non invenire verba in sacris Canonibus clarè denotantia obligationem sub mortali, quamvis enim id graviter prohibeatur, tamen rigidior vox, quam invenio, est, *Mandamus*, quæ obligationem ad mortalem culpam ex aliquorum sententia non ostendit. Ita Azor. *p. 1. l. 5. c. 6 q.* Sà, *v. Lex, n. 6.* & universim Caiet. *in summa, v. Clericorũ peccata, versus finem.* Quòd si iubeatur *c. statutum, §. si quid autem, de Rescriptis in 6.* Acceptum restitui, id intelliget quis post sententiam, sicuti modò dictum est de Iudice sæculari. Proferantur Canones. Non quòd pro certò asseram non adesse prohibitionem sub mortali, lego enim Doctores rigidissimè invehere contra eiusmodi munera: sed ut rem considerandam sapientoribus offeram.

10. *Sanè*) inquit Pontifex, *c. cum ab omni, de vita, & honest. Cleric.*) *ad audientiam Apostolatus nostri pervenit quòd cum ex Delegatione nostra causas suscipis pertractandas, more sæculariũ super decima litis, vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, cum litigantibus, receptis pignoribus, pro Salario conveniris. Nos attendentes, quòd ad hoc vobis, & aliis Clericis sint Ecclesiatici redditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeatis:* & Infra: *Ideòque mandamus, quatenus ab huiusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem iudiciarium gratis studeatis litigantibus impertiri.*

Et cap. statutum, §. insuper, de rescript. in *6. Insuper, ut gratis, & cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus vel quidquid aliud (nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, &c.) recipere à partibus, qualitercunque perquiram.*

Et in Decreto, c. non licet 11. quæst. 3. *Non licet Iudici vendere iustum iudicium: & si liceat Advocato vendere iustum patrocinium, & Iurisconsulto rectum consilium.*

Ibidem, c. non sanè §. Ille tamen 14. q. 5. *Ille tamen solet tanquam male sibi allatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quoniam venale esse non debuit.*

11. Hactenus sacri Canones; neque hac de re alios invenio: invenio quidem alios multò serveriores, hósque à Sacro Concilio Trident. *sess. 24. cap. de reformat.* renovatos. Sed loquuntur de Visitatoribus, qui sanè, si munera accipiant à visitatis, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, immò, dum de casu Visitationis tam rigidè Canones loquuntur, non verò sic de aliis casibus, eos in solo rigore iuris naturalis relinquere videntur. Tantum rigorem in Visitatoribus si libet cognoscere, ecce texus, *cap. Romana, §. procurationes, de censibus, & exact. in 6.* & confirmatur cap. exegit, eodem: *Caveat,* inquit, *ne ipse* (Visitator) *vel quisquam suorum, aliquod munus quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, præsumat recipere: ut non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ Iesu Christi. Quòd si fecerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam (nisi duplum restituat) liberetur. Volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.* Hæc ibi. Adverte tamen legitimas procurationes pro moderato victu esse concessas, &c. Lege Trid. *loc. cit.* Adverte item Inquisitoribus prohibitum esse dona percipere etiam ab Officialibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Lege Sanch. *lib. 1. consil. cap unico, d. 2. num. 6.*

12. Puto autem, in illo verbo (*præsumat*) temperari id, quod rigidè notat. Gloss. *in d. cap. Romana, §. procurationes de censibus, & exact. v. Aliquod munus,* dum innuit, Visitatorem, ne esculenta quidem, & modicæ considerationis munera posse recipere, quamvis, per *cap. Statutum citatum*, possit eadem recipere Iudex Ecclesiasticus extra Visitationes. Puto, inquam temperari. Cùm enim illud (*præsumat*) temeritatem ostendat, crèdere meritò possumus tantum rigorem ad modica esculenta, vel ad exigua similia nequaquam extendi. Et Tridentinum *loco citato*, hunc Canonem confirmans, licet non utatur eodem verbo (*præsumat*) dum tamen aliud non explicuit, videtur solùm idem, quod Canon, voluisse.

*Munera*

*Munera Iudici an donanda.*

13. Quando Iudex licitè potest accipere munera uxta dicta, licitè & alij donant. Sed quid, quando licitè Iudex petit, vel accipit? Respondeo, Si ea quis dat, ad redimendam suam vexationem injustam; non peccat. Ita Mol. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 88. Sanchez *lib.* 3. *Consil. cap. unico, dub.* 3. communiter. Rebell. aliique apud Dicastill. *loco citato, num.* 86. Ne sit tamen litigans facilis ad credendum vexationem injustam intercedere, quia omnes ferè litigantes putant, se injustè vexari, cum tamen non ita sit, intercedit tamen, quando imminet periculum claræ injustitiæ, vel injustæ inæqualitatis, in expediendis negotiis, iis priùs expeditis, ob quæ munera Iudex accipit.

14. Hac occasione nota, Iudicum famulos, qui aliquibus propter munera accepta aditum præbent ad Iudicem, aliis iniustè exclusis, omnino peccare; sed tamen iisdem propter eandem rationem, dare licebit munera ad redimendam vexationem. Dixi (injustè) nam si, sine alterius præiudicio, extraordinarium favorem famulus, procuret litiganti, licitè, quamvis indecorè, propter hanc causam, aliquid accipiet.

15. Nota ea, quæ Iudex, aliive recipiunt ad redimendam vexationem, debere (præter peccatum) omnino restitui, quia, invitis absolutè Dominis, accipiuntur.

Denique Iudicis anxiæ quando ad sollicitandam causam munera offerre liceat, diximus *lib.* 5. *cap.* 1. §. 4 *n.* 23.

## §. II. *Reus an licitè aperiat occulta, vel falsa crimina Testium.*

1. QVæres primò, potèstne reus ad onerandam falsorum Testium authoritatem, eorum occulta crimina revelare? Respondeo, si alia via non datur, quâ commodè testimonium infirmet, sanè potest, sive sponte, sive compulsi à Iudice, testes illi testati fuerint. Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 1. Quilibet enim jus se tuendi habet, cum iusto moderamine, præsertim eodem genere armorum, quo oppugantur. Quòd si alia via datur, ut item si per manifestationem unius peccati minoris sibi consulere satis posset, manifestaret autem maius, eum peccaturum etiam contra Iustitiam puto; sicuti eodem modo peccare supposuimus illum *sup. lib.* 6. *cap.* 4. §. 3. *n.* 16. qui, se corporaliter defendendo, excedit limites necessariæ defensionis.

2. Hinc sequitur primò, eum, qui accusatur de crimine, quod iuridicè ab accusatore probari nequit, non solùm posse negare crimen, sed etiam dicere accusatorem calumniari, & mentiri. Ita Petr. Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 348. lege etiam S. Thom. 2. 2. q. 69. *art.* 1. qui enim accusat de crimine, quod probari non potest, calumniator est, & mentiri præsumitur,

3. Sequitur secundò: Idem esse extra Iudicium, quare si quid aperuisti amico tuo ea lege, ut nihil diceret, ipse autem manifestavit alteri cum gravi offensione tua, vel alterius; potes tu negare te id aperuisse. Quilibet enim habet ius tegendi, quantum potest, sua dicta, & facta, unde nascatur offensio. Quòd si amicus patefecit in casu, quo licitè poterat; tu illum sine iniuria non posses ut mendacem pronuntiare.

4. Hæc *passim* in ore sunt omnium; illud singulare est, & difficile: An si alio modo ab injusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina illi possis obiicere, quanta sufficiunt ad tuam iustam defensionem: Duo affero, unum mihi satis probabile, alterum satis incertum.

5. Probabile mihi est te, si id facias, non peccare contra Iustitiam, unde nec obligari ad restitutionem Ita Bannez, Ledesma, Ioan. de la Crux, alltati à de Lugo, *tom.* 2. *de iust. disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 26. Dicastill. latè contra quendam innominatum *lib.* 1. *de iust. tract.* 3. *disp* 11 *part.* 4. *dub.* 2. *dum.* 404. apud Dianam. *part.* 9. *tract.* 8. *res.* 43. Ratio est, quia, sicuti si ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendaciis, & stratagemate curares, ut ille in foveam, v. g. caderet, mendax idem esses, sed non injustus; cùm (quoad Iustitiam) ius te defendendi omnibus viis: ita in casu nostro. Et Ratio à priori est, quia defensio vitæ contra aggredientem, aufert à quacunque tua actione fensionem necessaria, omnem rationem injustitiæ.

6. Incertum mihi est, An id possit fieri licitè sine culpa? Et quidem de Lugo *ib. sect.* 2. *n.* 25 sic habet: *tum est non licere, quitu ad minus erit mendacium, quod quam licet.* Et post quatuor interiectas lineas. *Hoc* est, *crimen testis, erit probandum per testes alios, qui debeant iurare, committent peccatum mortale, & per sequens eos ad hoc hortari, erit mortale.* Hæc ille, quicat Ioan. de la Crux, Bannez, Orell. Led. apud Dicitandum, suos in contrarium citat. Dian. *p.* 3. *tr.* 1. aitque, eos docere, non esse mortale ex parte injusti non verò non esse mortale saltem ex parte periti

7. Video doctrinam hanc: Sed quoniam tota refunditur in mendacium, & periurium, sequitur Qstio: Si solùm esset mendacium sine iuramento, non mortale, quia, quamvis hoc mendacium sit de malo gravi contra proximum, tamen cùm iusto hoc damnum inferatur, non esset mihi impune ad grave; Atque hanc sequelam expressè concedunt tad. & Bannez, apud Dian. *p.* 9. *tr.* 8. *res.* 43.

Secundò, etiam accedente iuramento, posset æquivocatio tum à me, tum ab iis, quibus est cum innocentia, & sic vitari periurium, seu mendacium solo posito, negant communiter Doctores, ipse de Lugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non stat doctrina contrarij. Iuramento autem æquivoco, in Iudicio, si id illegitimum sit, me licitè posse micet Castro Palaus cum aliis *t.* 3. *d.* 1. *de iuram. p.* 7. *num.* enim? si sodomitam oporteret probari esse illum si excommunicatum, si hæreticum? Sibi testis falsa imputet, respondebit aliquis. Audio: sed adhuc Quid enim, si sit necesse publicas scripturas teneri, possétne Notarius publicus ad hoc induci, si Notarius constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis, non est infidelem esse Reip. sed maximè fidelem, eiusdem Reip. innocentes sic defenduntur. Verùm, aperiatur huiusmodi ostium, quo modo stabunt publica Iudicia? Inveniantur, Respondebis, testes veri, sancta requirunt Tribunalia. Dum enim falsi testes quocunque arte repelluntur, publica iudicia firmantur potiùs, non infirmantur. Sed ego iterum audio, quia tamen adhuc durum audio, libenter modum huncin alio tempus evolvendum reservo.

An reo liceat crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam *inferius, cap.* 3. §. 6.

*Reus an debeat stare sententiæ?*

8. Quæres secundò, Tenetúrne reus condemnatus stare sententiæ Iudicis? Respondeo, si est iusta, tenetur, quia sententia est veluti quædam lex privato imposita, unde condemnatus ad solvenda centum, v. g. debet revere etiam in conscientia. Si est iniusta, non tenetur, quia non expedit bono publico, ut qui per calumniam, vel falsos testes convictus est obligetur in conscientia, &c. Sed de hac re vide distinctè apud de Lugo, *t.* 2. *iust. d.* 37. *sect.* 15. *à n.* 185. & de injusta sententia in materia Beneficiorum vide. Dic. *lib.* 2. *de iust. tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 2. Nos unum notatu dignum diximus *l.* 6. *c.* 4. §. 2. *n.*

*An Reus etiam Religiosus fugere queat è Carcere?*

9. Quæres tertiò: Reus licitène fugit è Carcere? Resp cum eodem *lib. dub.* 4. non solùm ante, sed etiam pe iustam sententiam licitè fugit, si sit periculum detionis ad pœnam mortis, vel mutilationis, vel gravis mali, quia non potest poni præceptum, ut

manet

quantur cum tanto suo damno. Probabile item est, posse vincula effringere, & rumpere carcerem; saltem cum damno restituendi fractionis dampnum: quod tamen non restitui non esse in usu putat Less. *lib. 2. c. 31. n. 37. fine.* Ratio est, quia, qui potest velle finem, potest ponere media, neque id est inferre vim publicæ auctoritati; per hanc enim, prohibetur, ne fiat vis contra Iudices, & Ministros, quando it ste agunt, non vero contra vincula, & carcerem. Idem puto, si quis sit in solum carcere (& propter paritatem rationis in Tribunibus) ob pœnam delicti: in carcere, inquam, atroci, vel perpetuo, vel pro longo tempore, nam pro brevi, & ordinario habet ius Iudex. Lege Dian. *part. 2. tract. resol. 39.* Less. Malderum, Ledesmam, & alios.

10. Quid de Religioso, potéstne fugere è carcere, idem, ut se suo Superiori mitiori sistat? De hoc lege Sanch. *lib. 6. in Dec. c. 8. n. 12.* strictiùs loquentem: sed lege Caltro Pal. *de Voto Relig. Obed. d. 4. p. 14.* &. Suarez *tom. 4 de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 10. n. 10. &. 11.* loquentes militis, & Granad. *tom. 2. tract. 3. d. 13. n. 28.* sequentem Bonacz. *2. 2. quæst. 69. art 4. post 5. concl.* mitissimè quoad Turcimes, modò fugiat, non ut vagetur, sed ut ad Superiorem, vel Pontificem pro remissione confugiat.

11. Denique potéstne quis licitè adiuvare dictum Reum, ad fugiendum, & ad carcerem effringendum? Resp. Certum est Ministros, & Officiales Iustitiæ non posse, quia ex Officio tenentur custodire. Certum est secundò; Alios posse consulere Reo, ut fugiat, quia ipse licitè potest fugere, poterit & consilium consulere. Certum est tertiò vel saltem probabile ex dd. Lugo, *loco citato n. 40. Fill. 4 num. 55* licitè dari ipsi instrumenta, verbi gratiâ, securim, ut ipse Reus effodiat parietem, vel effringat carcerem fugiatque, quia ut modò dixi qui licitè ponit finem, licitè ponit & media.

12. Solùm ergo dubitatur, An alij possint adiuvare Reum ad dictam carceris fractionem, ad quod sic respondet *ibid.* de Lugo: *Omnes negant, posse alios iuvare Reum effodiendo parietes, effringendo portas, vel alia similia faciendo. Si enim non licet effringere portas, vel effodere parietes domus privatæ, minùs licebit domus publicæ, per quod publica potestas pateretur vim, & offenderetur; licite ergo Reo ipsi propter naturale ius conservandi se ipsum, licet id facere, non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem.* Et paulò post obijcienti sibi, cur mittere quis possit Reo secum ad effringendum carcerem; non verò servum, qui adiuvet; Respondet, securim esse instrumentum inanimatum, servum verò animatum: *Servus itaque* (ait) *effodiendo carcerem, peccaret, quia contrectaret ipse rem alienam, invito Domino, ut diximus, atque ideo, & Domino peccaret, mittens, & præcipiens servo, quod servus sine peccato facere non potest: securis autem scindendo non peccat: ideo, nec qui illam mittit, cùm nec sit causa peccandi, nec ipse cooperetur immediate effractioni carceris,* Hæc ille, cui nequeo subscribere.

Primò, quia universaliter qui potest ponere finem, potest, ut dictum est, adhibere media. At medium est, Reum in effringendo carcerem, habere meum, vel tuum servum adiuvantem.

Secundò, quia diximus *sup. lib. 8. tract. 2. cap. 6. n. 3.* nec potuit negare de Lugo citatus *ibid.* me furari posse, si alium de non habeo, pro extremo indigente; quod enim ipse licitè potest, possum & ego eius proximus, tunc enim per me tanquam per instrumentum surripit quod suum est, extremè indigens; siquidem: *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*

Tertiò, quia falsò supponitur esse peccatum, adiuvare Reum in effringendo carcere: si enim non est peccatum pro ipso Reo, nec erit pro adiuvante, publica autem potestas tunc non patitur injustè vim, vel offenditur; quia in eo casu iustè ille, & consequenter socij effringunt; nam ut modò vidimus, potestas publica solùm ius habet cogendi malefactores ad carceres, non verò dare potest præceptum, seu tollere ius quod quisque habet se defendendi à duris tormentis, &c. Vnde colligis, falsum esse, servum illum peccare adiuvando, non enim peccat, ut patet ex dictis, & consequenter quoad hoc eadem erit ratio de socio illa, & de servo.

Quartò: Si Reus ex se potest effringere carcerem ob sui conservationem, id certè est propter amorem, quem quisque debet sibi ipsi: ergo poterunt eius Pater, & Mater, qui una persona censentur cum filio, quique sæpè magis amant filios, quam seipsos. Et certè quis ferreus negabit Matri posse adiuvare filium (quem moriturum timet) ad carceres effringendos, illúmque servandum? Si Matri id concedis, ergo Patri, ergo fratri, sorori, amico, ergo cuicunque proximo, qui ex charitate movetur ad adiuvandum. Semper autem suppono fugam huius in damnum Reipubl. vel vitæ alterius vergere injustè non debere, ut ex se patet.

## §. III. *Advocatus, & Procurator.*

1 QVas causas possit Advocatus patrocinari, dixi *sup. lib. 1. c. 3. §. 7.* Rursus ex superioribus *l. 8. tr. 4. cap. 2. §. 6. n 12.* colligi potest, An teneatur restituere pœnam pecuniariam, quam Cliens, injustè defensus solvisset: ut item, An teneatur patrocinari extremè indigenti? *sup lib. 5. c. 1. per totum*, nunc ergo dumtaxat addendum aliquid est de stipendio ipsi debito.

2. Et primò, quidem prohibetur in iure *leg. sumptus, ff. de pactis, & alibi*, posse Advocatum cum Cliente loco stipendij pacisci de quota parte litis, hoc est, de dimidia, vel tertia, vel quarta parte ipsi danda, si lis vincatur. Ratio prohibitionis fuit, ne per fas, vel nefas Advocatus sententiam promoveret. Rursus prohibetur ne idem de pretio conveniat cum Cliente post inchoatam litem, sed vel ante illam inceptam, vel post finitam, colligitur ex *cap infames 3. q. 7.* Ratio fuit, ne Cliens postquam ostendit Advocato sua arma, cogeretur stare pretio, quod Advocato libuerit. Cæterùm, si nulla intercedat fraus, vel fraudis periculum, non existimo cum Dian. *p. 2. tract. 16. resol. 47.* has leges obligare in conscientia, quia fundantur in præsumptione fraudum. Sicuti autem posse Advocatum post victoriam accipere quæ gratis dantur, certum est, ita magnum periculum erit, ne non gratis dentur, quando ab Advocato nimia sollicitudine requiruntur: dabit enim Cliens ex timore, ne aliàs ab Advocato injustè vexetur.

3. Præterea potest Advocatus accipere integrum stipendium pro lite promissum, quando promittitur quid determinatum pro tota lite ad finem usque, etiamsi Cliens eam non prosequatur. Lege Fag. *pr. 8. c. 38.* Ratio est; quia sicuti, qui locat operam suam pro anno, non debet suo pretio defraudari, si per ipsum non stat illam ponere, ita in casu nostro. Quando tamen Advocatus propter infirmitatem, v. g. non servit, solum meretur stipendium pro tempore servitij. Quando item Advocatus, cum non agit huius Clientis causam, suscipit aliam, quam non suscepisset, si priorem fuisset prosequutus, compensare debet lucrum, nec, potest gaudere priore stipendio. Quando denique Advocatus potius elegisset amittere stipendium, & non laborare, quàm contrà, non valet saltem integrum exposcere stipendium, quia iam non laboravit. Vide tamen quoad hoc postremum ea, quæ notavi *lib. 8. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 15.*

4. Pari modo iustè stipendium accipiet, quod solet quolibet anno dari, tametsi eo anno nullam causam Clientis agat, nam (secluso pacto, cui esset standum, ipse est paratus advocare, onúsque subit respuendi adversæ partis patrocinium. Si in decursu litis Cliens transigat cum adversario, finiaturque lis per transactionem, licitè item Advocatus accipiet determinatum stipendium promissum pro tota lite; nam non stat per Advocatum, ut lis per suos terminos non currat. At si non fuerit determinatum pretium pro tota lite, sed Advocatus serviat ad ratam anni, hanc solam accipiet. Illud de subtractione ex negatione sui laboris, quod modò dixi, & de susceptiore

aliarum causarum, semper est proportionaliter in similibus applicandum.

5. Denique, si Advocatus agit propriam causam, litémque vincit, pars autem adversa cõdemnetur, ut solvat expensas, poterit ipse accipere expensas, quæ debentur Advocato, & quas solvisset, si Advocato usus esset. Ratio est, quia labor, quem ipse suscipit, in sua causa defendenda, meretur illud stipendium, neque debet cedere in utilitatem adversarij. Quæ diximus de Advocato, propter paritatem rationis etiam de Procuratore dicta censeantur.

## §. IV. *Accusator, & Denuntiator.*

1. QVando crimen proximi Superiori aperitur solùm propter bonum, & emendationem fratris, dicitur denuntiatio paterna, quando, ut delinquens puniatur, dicitur denuntiatio judicialis: quando ut Superior pro suo munere faciat, quod judicabit expediens, dicitur propriè denuntiatio canonica: nam latè appellatur etiam judicialis, quia fit Superiori, ut Judici. Denuntiatio autem judicialis etiam propriè sumpta differt ab accusatione, nam qui accusat, suscipit in se onus probandi, debet se subscribere accusationi, si non probat, patietur ex Iure pœnam talionis, quæ non subit denuntiator.

2. De his autem plura sunt, & varia, quæ clarè afferuntur à Doctorib. illos adi. Ego enim illud hîc dumtaxat proferam, quod timoratum, & probum virum totus nudus tertius, néque de suo timore amicè consuluit. Dum is, nomine Caius, rure domum reverteretur sub primam noctem, aggressus ex improviso à Titio vulneratur gravi vulnere, nullis præsentibus, & ut ipse fatetur, nullis non solùm vehementibus, sed ne probabilibus quidem existentibus coniecturis, quibus probare possit à Titio (quem certissimè cognovit) fuisse vulnus inflictum. Quærit ergo, an peccet, si Titium bonæ famæ virum ad Judicem deferat? Ratio timoris, & dubitationis fuit, quia, occulto existente delicto, infamaretur proximus, qui jus habet, ne famam amittat ex occulto crimine. Id simile contigit non multo hinc tempore, nam improbus quidam Religiosus tentavit puerum indecoè osculari, nescio quo occultissimo in loco, dubitatúmque fuit, An Puer rem deferre ad Superiorem palam potuerit, quamvis ejusdem Religiosi alias optimi nominis infamia foret consecutura?

3. Antequam responderem, volui aliquot Doctores evolvere, ex quibus afferam hîc instar omnium duos, Fagundez, & de Lugo. Prior loquens, an accusatio fieri possit non præmissa correctione, sic ait, lib 8. in Decal. cap. 47. num. 16. *Vidi sæpe dubitari, an ante accusationem præmittenda semper sit fraterna monitio? & sic Respondeo. Prima Conclusio, si accusator potest probare in Iudicio accusationem, quam proponit, non tenetur præmittere fraternam admonitionem, sive in ea vindictam propriæ injuriæ intendat, sive publicum bonum Reipublicæ, quæ vult, ut publica delicta puniantur, ac scelerati timore supplicij cohibeantur. Et paulò post addit tres hujus rei rationes. Primam, quia nimis esset difficile obligare atroci affectum injuria ad faciendam injuriami correctionem fraternam, existente injuria publica, quæque probari potest. Secundam, quia delinquens sic publicè Ius unicuique dedit, ut accusare ipsum posset. Tertiam, quia in accusatione directè, & immediatè intenditur bonum Reipublicæ, non verò delinquentis peculiare bonum, ad quod immediatè tendit correctio, &c. Secunda Conclusio, quando crimen occultum, & in Iudicio probari non potest, tunc tenetur accusator ante accusationem præmittere admonitionem, & peccat mortaliter contra Charitatem nisi illam præmittat, si ex illa emendatio peccatoris speratur, præsertim si ipse sit persona honesta, bonæ famæ. Excipienda tamen sunt crimina ex se contra bonum publicum, qualia sunt hæresis, falsificatio nummorum, proditio in Principem, & similia.* Hæc ex Fagundez. Vides occultum crimen non posse in Iudicium ferri, si qui illud commisit, sit *Persona bonæ famæ*, &c.

4. De Lugo autem, *tom. 2. de inst. d. 37 sect. 7.* loquens non de accusatione solùm, sed universe quacunque denuntiatione judiciali, sic habet: *Dubium potest; An ut denuntiatio licitè fiat, requiratur probabiliter infamiam. Supponimus autem, neminem posse licitè denuntiare, nisi quod bona fide putat posse legitimè probari (loquitur, puto, prater hæresim infectivam, &c) aliquin sine ullo fructu infamaremus. Hoc supposito, prima sententia (n. 77.) docet non posse iuridicè denuntiare peccatum secretum, si possit illius crimen probare, nisi crimen sit tale quod det in Reipublica, vel innocentis grave damnum. Quæ tamen sententia (n. 78.) videtur verior, quam alij sapponere, ut communem. Suarez, Filliucius, Molina est, quia sicut propter bonum commune unusquisque facultatem accusandi, quæ probare potest, sic habet facultatem denuntiandi absque malitia detractionis; præsertim enim bonum commune, contra quod esset, si starent homines, se posse impunè peccare, absque metu parat diu eorum delicta non essent divulgata.* Hæc ille. Nos illud, (*quæ probare potest, & quod bona fide putat* judicio probare) Cùm ergo Caius, & ille puer non tent bona fide posse vulnus, & osculum probari, tur, nec posse illud denuntiari.

5. Eqvidem affero in rigore theorico sic esse nò sentiendum, & id probari à prædicta doctrina Lugorum. Cæterùm in praxi putarem cum de Lugo, *simili lib. 4. resp moral. dub. 46. num. 3.* nunquam etiamsi occultissima Iudici deferantur ab eo, qui riam passus est vel ab iis, ad quos iuxta Doctorum pertinet, ut Pater, Frater, &c. Vide apud Fagund. *cap. 48. num. 10.* & Sanchez, *lib. 6. cons. p. 1. dub. 10.* per autem suppone abesse debere odium, & dubitat injustæ vindictæ. Ratio doctrinæ datæ posset esse, nunquam desunt rationes propalandi, & favet communis praxis. Quis enim est ille, qui hodie ad Superiorem vel Iudicem non defert saltem per viam querelæ, rias sibi illatas quocunque in loco, & quacunque ne illas acceperit? Et meritò. Primò, quia Iudex, Prælatus, quibus multa sunt cognita, quique ut scitur, valdè longas habent, aliquas forsitan jecturas expiscabuntur, per quas possint ad inquirendum procedere: & re ipsa millies evenit, ut occultissima linquentes comprehensi ab industriis Ministris, non rò fuerint. Facit huc praxis, quam approbat Leff *cap. 29. num. 131* apud de Lug. *loco citat. sect. 6. num.* contra Navarrum, per quam Iudices sæculares ante præcedente infamia ex simplici delatione alicuius cendunt ad specialem inquisitionem contra aliquem sonam.

6. Secundò, quia nimis esset onerosum injuriam antequam deferat, ipsi sit speculandum, an testes habeat an probi ij sint, an adsint conjecturæ vehementes, probabiles, &c. id fieri debere in proprie dicta accusatione mitum non est, quia per accusationem hoc sibi accusator imponit, at denuntiator Iudicis Officium taxat implorat, cætera ipsius prudentiæ remittit.

7. Tertiò, quia summum malum Reipublicæ scelerati hac impunitate occulti criminis ansam vexandi proximum; nam, quando sciunt se, quotcunque occultè peccaverint, esse apud Iudicem procedos, avertentur faciliùs à malis.

8. Quartò, præstat Superiorem scire delicta subdi non solùm in foro paterno, sed in judiciali: nam quando probari non possunt propter defectum Testium procedere nequeat ad pœnam, tamen illa cognitio serviet saltem, ut fortè incidentem eundem in simila peccata, possit postea Iudex securiùs castigare, & forsan si hic sit secundus Casus, possit confirmare alium ante ab eodem Superiore cognitum. Favet lex *eum qui nocentem, §. 1. ff. de injuriis*, quamvis valdè à Christianis moratis limitanda, dum edicit, expedire crimina omnia propalari.

*Eum*, inquit, *qui nocentem infamavit, non esse bonum, si*

*æquum*

...nam ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium ... esse & oportere, & expedire. Nota illud? (infamatus) occultum ergo supponitur fuisse crimen.

3. Quintò, noto illud allatum à de Lugo n. 4. (quia ex fructu infamaretur proximus) at in praxi semper adest aliquis tandem fructus, ut dictum est. Nam propterea quòd excipio cum eodem, occultum aliquod crimen dominis gravissimi; hoc enim non puto posse licitè denegari ad Iudicem, non solùm quando uni soli est cognitum, sed etiam quando per paucos Testes probari possit. Non puto, inquam, licere, quia si crimen hoc proderetur, esset scandalum in Republica, & nullus haberetur fructus, & nullum præcavendum esset malum, &c. ut supponimus, unde infamaretur proximus sine causa.

4. Sextò, noto verba Molinæ t. 5. de iust. tr. 4. d. 32. ad quem modò citavit de Lugo: qui quamvis loquatur expressè de crimine, quod probari potest, sic tamen habet: Est licitum præiudicare famæ eius, qui delinquit, non solum sententia Iudicis, postquam delictum fuerit probatum, in pœnamque eius delicti: sed etiam ut de eo delicto accusatur à legitimo accusatore, inquiratur à Iudice ex Officio, detegatur, ac denuntietur, testibusque comprobetur, quantum in bonum commune iure Civili aut Canonico, in Ecclesiastico, vel in sæculari foro fuerit pro qualitate delictorum, præscriptum, aut permissum: neque in ea læsione famæ delinquentis, quæ ea via iuxta ordinem, ac permissio iuris, fit, ulla est culpa in foro conscientiæ, neque contra Iustitiam, neque contra charitatem delinquentis, modo sinistra alia intentio non admisceatur, neque transgressio fiat. quod id, quod ea correctione Iudiciali, Canonico, aut Civili iure in Ecclesiastico, aut in Sæculari foro est permissum. Hæc Molina. Noto autem illa verba (Permissum, permissionem iuris, Est permissum) sed iam videtur passim permitti, ut quilibet sine tot cautelis, de suis injuriis apud Iudicem querelam exhibeat, ergo, &c.

11. Atque hæc mihi in mentem venerunt, quibus virum illum, puerumque eximerem timore peccandi: Si aliis placeant, mihi de excogitata veritate placebo: si displiceant, invertet stylo, quæ scripta sunt sponte delebo, &c.

## §. V. *Testis, Notarius seu Tabellio.*

1. QVæ de his agitari communiter solent, habes apud Doctores perspicuè. Bonac. 8. *Decal. pr. d.* 10. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 16. de teste, & *ib. p. vlt.* de Notario. Fagund. *in* 3. *Dec. pr. l.* 8. *c.* 39. de teste, & de Notario *ibid. c.* 94. de Lugo *de iust. t.* 2. *d.* 39. de teste, & de Notario *ibid.* 41. de taxa à Notario, & similibus ministris accipienda. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 8. De Notario quoad cooperationem cum contrahentibus iniquè, distinctè loquitur Barthol. à S. Fausto *in speculo Confess. d.* 16. *q.* 116. De eodem ostendente scripturas in damnum alterius, lege Fagund. *l.* 8. *in Decal. c.* 5. *n.* 6. & 7. Nonnulla etiam, vel controversa, vel necessaria nos in præcedentibus satis, superque tetigimus: quare hic, amice Lector, non es distinendus diutius, sed solùm de locis admonendus.

An testis possit æquivocare; dixi universim *l.* 3. *c.* 2. §. 2.

An Notarius possit cooperari, scribendo contractum usurarium, dixi *lib.* 5. *cap* 1. §. 4. *à n.* 42.

An scribendo instrumentum emptionis, vel venditionis cum læsione infra dimidium, dixi *lib.* 8. *tract.* 3. *c.* 7. §. 11. *n.* 1.

An utrique, id est, Testis, & Notarius obligentur revocare dictum, vel scripturam falsam, dixi l. 8. *tr.* 4. *c.* 1. §. 9. *n.* 6. & rursus dicam *mox* cùm *de restitutione famæ, c.* 3. §. 3. *n.* 41.

---

CAPVT III.

*De ladente Famam alterius, ejúsque Restitutione.*

Pars I.

## §. I. *Quid sit Fama, & quomodo ladatur.*

FAma, quæ consistit in aliorum bona opinione, quam de aliquo ij habent, læditur, quando in eorum animos ingeritur de eodem, etiamsi fuerit defunctus, prava opinio. Et quidem si lædatur, falsum crimen imponendo, dicitur communiter infamatio; si verum, sed occultum propalando, dicitur detractio. Vtrumque peccatum ejusdem speciei sine dubio mortale contra Iustitiam, unde & restitutionis onus inducens. Ita *in nostra Methodo Conf. l.* 2. *c.* 13. Mortale, inquam, nisi materiæ parvitas excuset, vel aliud, de quo mox. Ratio est, quia non minùs homo ius ad sui bona temporalia habet quàm ad bonum famæ publicæ apud homines acquisitæ.

2. Læditur autem dupliciter, ex S. Th. 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. Primò veluti ex injusta acceptione, ut cùm quis injustè, sive formaliter, id est, intendendo alterius famam denigrare, illam denigrat; sive materialiter, quando, non ex hac intentione, sed ex quadam loquacitate denigrat re ipsa. Secundò, veluti ex re accepta: ut cùm quis per inculpabilem inadvertentiam aliquem infamat, ut *mox* §. 3 *n.* 7. clariùs explicabitur.

3. Ad inducatur diversa detractionis species, vel ratione materiæ, vel personæ infamatæ, vel audientium; ut item quomodo differat detractor à susurrone, & multa ad detractionem, quoad confessionem pertinentia, sunt à nobis disputata *in Opusc. Exped. Conf. l.* 2. *c.* 9. §. 1.

4. Modi ex Molina *tr.* 4. *d.* 27. Val. *tr.* 3. *d.* 5. *q.* 17. *p.* 1. Fill. *tr.* 4. *c.* 4. *q.* 1. *n.* 88. & communiter; quibus alicuius famam, quis commaculat, his versibus comprehenduntur.

*Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens:*
*Qui negat, aut Minuit, Tacuit, Laudátque remisè.*

Quibus octo modis sex aliis addit Reginaldus, *lib.* 24 *n.* 68. sed qui ad prædictos tandem reducuntur.

5. Si delictum occultum publicetur scripturâ, vel signo, quo pacto dicitur proximum infamari per libellum famosum, præter peccatum grave conficientis, vel divulgantis (non dicitur autem nec conficere, nec divulgare, qui solùm ob curiositatem sine periculo divulgandi, legit) contrahitur obligatio, ut publicè fama restituatur, vel per Præconem, vel per Concionatorem, vel per aliam publicam scripturam, per quæ, iudicio prudentis, fama, quantum potest, proximi resarciatur. Contrahitur item Excommunicatio, sed ferenda, si libellus sit contra cæteros: (lege Bon. *de rest. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *à n.* 9. qui Mediolani hanc Excomm. esse ex iure proprio latam etiam contra cæteros, monet, Dicast. *l.* 2. *de iust. tr.* 2. *d.* 12. *p.* 2. *d.* 4. *n.* 109. à lata, si sit contra Religiosos. Ita Fagund. *l.* 8. *in Decal. c.* 3. *n.* 14. Adverto denique ex Fag. *ibid. n.* 13. non esse divulgare si uni tantùm perlegas, id verò intellige, si prudenter, putes illum forte taciturum. Libellum denique, iam fortè publicatum, aliis referre, erítne divulgare? Respondeo, huius dubitationis expressam mentionem non invenio apud Authores: sed ex ipsa praxi fidelium, & quia iam amissum est ius famæ, puto non esse mortale iuxta ea, quæ mox dicam §. 2. *n.* 9. præscindendo ab aliis damnis, quæ infamato evenire possent.

## §. II. *Excusationes, saltem à mortali, Infamantis.*

DE excusatione à restitutione *mox*, nunc solùm agimus de excusatione à peccato.

*Ignorantia, & parvitas materiæ.*

2. Prima excusatio est ratione ignorantiæ, vel inadvertentiæ inculpabilis.

3. Secundò; ratione parvitatis materiæ, quæ est attendenda ex circumstantiis iuxta sequentem regulam, ex Salon Less. Bon. aliisque *mox* citandis; quæ semper est præ oculis habenda: Quoties notabiliter fama alterius lædatur; sive id, quod narratur sit peccatum mortale,

sive veniale, sive defectus naturalis, toties peccatur mortaliter; at verò quoties læditur leviter, peccatur venialiter? quoties nihil læditur, nihil peccatur, verbi gratiâ, si dicas de Viro probo, vel Religioso, esse amatorem puellæ, commisisse duellum, esse deditum amoribus, &c. quia lædis eius famam notabiliter, ideo mortaliter peccas: At si idem dicas de adolescente nobili, vel milite; quia leviter, vel nihil eius famam lædis, leviter, vel nihil peccas. Idem est ex Sotlon. *quæst.* 62. *art.* 2. *contr.* 1. si dicas crimen de homine incognito, sine periculo eum, vel eius familiam, &c. cognoscendi, quia tunc nullius fama læditur.

4. Hinc infert primò Lessius *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 13. Dicast. *lib.* 2. *de iust. tr.* 2. *d.* 12. *p.* 2. *dub.* 4. *n.* 111. Azor. *p.* 3. *l.* 13. *c.* 7. *dub.* 4. cum aliis, quos vide *infrà*, *cap.* 3. §. 5. *n.* 6. veniale esse, narrare defectus veniales, nisi fortè etiam ex Bonac. *d.* 2. *de rest. quæst.* 4 *p.* 2. *n.* 7. citante Nav. Regin. Arag. & aliis; ex his cadat quis notabiliter à sua fama, ut si de Viro probo, & Religioso diceretur esse mendax (Nota; mendax, inquit, non verò semel, aut iterum mendacia levia protulisse) & nisi tam multas leves detractiones, ex de Lugo *de iust. c.* 1. *d.* 10 *sect.* 3. *n.* 46. & §. 1. *n.* 52. & §. 2. *n.* 52. apud Dian. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 17. quamvis interpolatis sermonibus, aggeras, ut sensim notabiliter de bona fama hominem dejicias. Infert secundò, non esse ordinariè mortalem revelationem defectuum naturalium, ut esse gibbosum, cæcum, Clerici filium, Iudæum, parvi iudicij, ingenique, ignobilem, &c. At esse mortale tenet Dicast. *l.* 2. *de iustit. tr.* 2. *d.* 12. *p.* 1. *dub.* 3. *n.* 41. Infert tertiò, idem ordinariè esse, si reveletur defectus, veluti in genere, ut esse aliquem avarum, superbum, iracundum. Ratio harum illationum est, vel quia hæc communiter sciuntur, vel facilè sciri contingit, vel parum per illa læditur proximus, cùm sint defectus vel leves, vel involuntarij, propter quos non censetur esse quis infamis. Dictum tamen utrobique est (ordinariè) nam ex Batth. à S. Fausto *in spec. Conf. d.* 21. *q.* 46. si ex horum manifestatione esset notabiliter quis contemnendus, vel aliquod damnum injustè passurus, vel ratione gravitatis personæ graviter denigrandus, vel quia, dum naturales defectus ore exprimuntur, ex modo loquendi ipsa peccata gravia significentur, mortaliter peccabitur. Adverte insuper, si hæc in faciem honesti hominis iaciantur, fore aliud peccatum, & aliquando iuxta gravitatem iniuriæ mortale, tunc enim erit contumelia, de qua latiùs *infr. c.* 3. §. 8. lege item Bon. *de restit. d.* 2. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 1. & *p.* 3. *n.* 11. & *fusè q.* 5.

Quæres, An mortaliter peccem, si dicam te morbo Gallico laborare; Respondeo negativè, cum Bon. *l. c. p.* 3. *n.* 9. si tibi dedecus non est fuisse mœchatum, ut de milite, vel nobili adolescente modò dicimus: quia tunc famam tuam non denigro: At si dedecus tibi illud sit, affirmativè respondeo cum eod. *ib.* contra Navarr. aliosque, absolutè negantes esse peccatum, quia regulariter hic morbus inde procedit. Excipe, nisi statim subdam illius morbi causam fuisse extraordinarium, nempe te fuisse infectum ex loco frigido, vel ex hospitij infecta supellectili, vel ut accidit infanti cuiusdam mei perfamiliaris, ex lacte nutricis infectæ.

### *Circumstantiæ, in quibus non adhibetur fides.*

5. Tertia: Si cum iis circumstantiis, & ab iis, personis tam vilibus, & nullius authoritatis narretur crimen, ut audientes non sint credituri, mortale peccatum evitatur. Quòd si tu, eo quidem modo narres, ut prudenter non sit tibi fides adhibenda, sed tamen vides audientes, vel ex sua levitate, vel ex malitia fore credituros, peccabis quidem ex Less. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 5. contra Charitatem, quia, cùm facilè possis, tacendo, impedire malum grave proximi, non impedis: sed non peccabis contra Iustitiam, quia causa infamiæ non est, ut supponimus, tua loquacitas sed levitas credentium.

6. Quid si quis dicat, se illud crimen proximi audiisse ab aliis, maximè si nominet dicti infidum Authorem, ad cuius fidem veritatem remittat? Respondeo cum Bonacast. *loc. cit. p.* 2. *dub.* 4. *n.* 174. pari modo peccare, & contra Iustitiam. Nunquam enim mihi placuit, omnino excusari, ut excusat Reginaldus *lib.* 14. *n.* aliique apud Dian. *p.* 3. *tr. Miscell.* 5. *cap.* 28. & Vidal. *in Arca Vit. Inquis. de seq. à num.* 45. huic referenti communiter fidem non dari; video contingere oppositum; fidem scilicet adhiberi communiter, si non certissimam, eius tamen generis, quæ ipsa læditur fama proximi, vel saltem, quâ ejusdem certa ponitur in dubio. Ita Bon. *l. c. p.* 5. Sotus *lib. iust. q.* 6. *art.* 3. Molina *tract.* 4. *d.* 30. Layman, alique Dian. *l. c.* quibus adde de Lugo *de iust. t.* 1. *d.* 16. *n.* 5. Tum igitur tunc à mortali excusabitur, quando tem dica, omnibus expensis, ex ejusmodi relatione raretur suspicio, ut revocaretur ad materiæ parvit Illud notat Clavis Regia, *lib.* 12. *c.* 6. *n.* 5. eandem ctionem, si fiat apud Viros graves, graviorem fore si apud populares. Verùm, recole, contrarium non contingere: nam detrahere apud unum, vel alt Virum gravem, qui iudicetur non locuturus, vidimus non esse peccatum: esse, apud populares cile oblocuturos.

### *Referre uni, vel alteri probo.*

7. Quarta: Is, qui proximi crimen uni, vel duo refert, qui prudenter creduntur non esse aliis relaturi, excusatur saltem à mortali; modò nullum aliud num proximo secuturum timeatur. Ita Regin. *l.* Less. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 70. Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *q.* 2. Nos *in opus. meth. Conf. lib.* 2. *cap.* 9. §. 2. aliique apud de *tom.* 1. *de iust. d.* 14. *n.* 51. nobis contrarium & Dian. *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 33. & Bon. *d.* 2. *de rest. q.* 4. nobis faventes: sequitur nostram opinionem citans Dicast. *lib.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 12 *p.* 2. *dub.* Ratio, est, quia sic moraliter perinde est, ac si taceretur. Excipio cum Lessio casum, quo iudicatur quis nolle rationabiliter, ut sua fama lum unum denigretur: ut esset in Religioso, qui suum crimen sciri à Excentis, quàm à suo Prælato, multum dependet.

8. Hinc excusant nonnulli à mortali; Primò, Vir uxoréque, qui inter se de occultis alterius peccatis fabulantur, modò nō sit verosimile alterutrum ca gatutum; Secundò, eos, qui in Confessione enar suam solam consolationem complicem revelant? Cui eos, qui consilium exposcunt à Viro prudenti: Nec enim tenetur leve periculum alterius famæ quale est cati cognitio apud unum, vel alterum non oblocutu præferre commodo meo, etiam levi; Quartò, ex de go *l. c. n.* 54. eos, qui ad solatium referunt amico in riam, sibi ab altero factam, etiamsi, quandò nom clatura iuvat ad solatium, nominetur injurians.

### *Crimen esse publicum.*

9. Quinta: Excusatur is, qui crimen publicum manifestat; sive publicum factum fuerit iustè, sive injuriam. Ita Less. *l. c. n.* 77. contra Molinam, aliosque tatos à Bonac. *d.* 2. *de rest. q.* 4. *p.* 6. *n.* 3. putante sententiam nostram esse etiam probabilem. Ratio est, quia per blicitatem undecunque ortam, amittitur Ius ad Publicum autem est crimen iure, vel facto: Iure est, illo lata sit sententia à Iudice: Facto est, si crimen cto sciatur à Communitate; sive crimen commissum rit in publico quod dici solet notorium: sive divulgatum apud multos, quod appellari consuevit fama

10. Verùm hîc emergit molesta difficultas: qua rum ratione publicum esse crimen, vel occultum esse scemus; Præferant nobis lucem duo Illustres Auctores Sanchez, & Molina. Prior, quem plurimi sectantur quens de occulto, prout sumitur in dispensatione

in absolutione ab hæresi per Episcopum (nam certè videtur eadem esse ratio in detractione) hanc regulam tradit Sanchez, *lib. Decal. lib. 2. cap. 11. num. 10.* & *de matr. d. 24. num. 55.* aliique (vide Dianam, *p. 5. tract. 2. resol. 15* Bonac. *de censur. in comm. d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 1.*). *Tunc crimen publicum est, quando in maiori parte Vicinia, Collegium vel Monasterij, vel Parochia cognoscitur, dummodo saltem vel Monasterij, vel Parochiæ cognoscitur, dummodo saltem decem personæ inveniantur in ea Vicinia, Parochia, Collegio, vel Monasterio.* Hæc Sanchez. Molina autem *tom. 4. d. 31. n. 4.* volens rem enucleatiùs afferre, docet, ut sit publica in Collegio constante ex octo personis sufficere, si quatuor sciant; Quando constat ex viginti, sufficere si septem, aut octo; Quando ex centum, si quindecim, aut viginti; Quando constat ex mille, sufficere viginti, plus minus, qui tamen non ex una, vel duplici domo sint, sed ex diversis Ruisus ut res sit publica in Vicinia constante ex quadraginta hab tantibus in quatuor, vel quinque domibus, sufficere, si sciant decem, vel octo ex diversis domibus. Præterea, ut res sit publica in Civitate vel Oppido constante ex quadraginta domibus, sufficere si sciant viginti de eo populo. Quando constat ex quinque millibus, sufficere si sciant triginta sparsim de illa Civitate. Denique ut res sit publica in Regno, sufficere si infamatus sit in Curia, vel in alio illustri loco, ex quo facilè in totum Regnum fama spargitur. Hæc sunt matim ex Molina. Nihilominus neuter animum quietat. Non Sanchez: quia ex eius regula videtur si qui rem divulgatam apud quinquaginta in Collegio constante ex centum, vel divulgatam apud quinquaginta millia in Civitate constante ex centum millibus, fore occultum in Collegio, vel Civitate, quod nemo prudenter credet. Non Molina, quia tam multa, variáque proponit, ut difficile sit omnium in praxi meminisse. Nec tamen hæc dico, quasi melior à me regula dari queat: sed ut advertam, bas valere quidem aliquando, sed illam esse meliorem: Tunc enim dici publicum in re, de qua agimus, quando prudenter, & ex circumstantiis iudicatur illud facilè fore communiter evulgandum.

*Publica in alio loco.*

11. Quid, si sit publicum in una Communitate, seu Civitate, potestne divulgari in alia?

Respondeo: Quando quis damnatus est per sententiam Iudicis, concedimus cum Less. *lib. 2. c. 11 à n. 73.* Dicastil. *lib. 2. de iust. tract. 2. d. 12. p. 3. dub. 14.* posse sine peccato divulgari, nec peccari contra Iustitiam, nec contra Charitatem: quia ideò damnatur, ut sit exemplo aliis, quamvis remotissimè degentibus.

Hinc sequitur, non esse peccatum loqui de causa, ob quam in carcerem quis conjectus fuit, vel de pœna triremis, detruncationis nasi, &c. delinquenti inflicta. Ita Clavis Regia *lib. 11. cap. 6.* aliique apud Bonac *d. 2. de rest. q. 4. p. 6. n. 8.* & 9. quia sicuti detentio in carcere publica est, ita & causa, ita & pœna. Quando autem crimen est publicè notorium, vel famosum, amitti famam etiam pro remotissimis locis, multò magis pro locis vicinis, quòd facilè & brevi perventura est criminis fama, sentit meritò Lessius *ibid. num. 75.* atque adeo non peccari contra Iustitiam. Ratio est, quia, si ipse peccavit in publico, cessit iam suæ famæ quare sibi imputet eius diffamationem: si verò res aliunde est manifestata, tribuat suo infortunio, nam cæterum eo ipso, quod res undecunque sit manifestè publica, ius ipse amittit suæ famæ: *Et certè expedit* (ait hîc de Lugo) *ad bonum publicum, quod unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publicè est, nec alij in eius convictu, & honore, aut rationibus humanis decipiantur.* Hoc his verbis comprobat Lessius loco citato: *Idem confirmatur ex consuetudinario Orbis: nunquam enim homines putant se iniuriam facere, si publica crimina* (adverte; non occulta) *alijs referant, vel litteris præscribant, historiis commendata legant, vel referant.* Hæc Lessius.

12. Dixi (non peccari contra Iustitiam, nam peccari contra charitatem, idem Author *ibidem* docet. Verùm neutiò modo peccari asserit Fagund. *in pr. Eccles. 2. lib. 5. cap. 3. num. 7.* citans Navarr. Maiorem, Cajet. Lege item Dian. *p. 3. tr. 5. resol. 17* & eundem Fagund. *lib. 8. in Decal. c. 4. n. 11.* & de Lugo *l. c. 87. fin.* quia eædem rationes, quæ probant non esse contra Iustitiam, probant nec esse contra charitatem. Sanè Lessius confirmavit modò non esse contra Iustitiam, quia nemo iudicat se esse injurium alteri, si scribat, vel in Historiis evulget peccata alterius loci: Subsumere potest quoad Historias Fagundez; At nemo iudicat se ullum peccatum saltem grave committere, si has Historias scribat de non occultis criminibus.

13. Et quidem, quoad Historiographos, nimis durum esset eos damnare de mortali, quamvis, quia non peccant contra Iustitiam, illos excuses à restitutione; *Alij hoc verum existimant* (habet hic Bonacina *d. 2. de rest. q. 4. p. 6. n. 3.*) *non solum de criminibus infamatoriis in aliquo loco publicis, verùm etiam de infamatoriis non omnino secretis, etiamsi non sint publica. Ratio est, quia cum Historici scribant vitas Principum, atque aliorum, aliquid ipsis tribuendum est, quod aliis non conceditur, sicuti Iudici ex officio inquirenti, competit ius inquirendi de criminibus non omnino secretis* Hæc Bonacina: Cuius rationis ulterior ratio esse potest: quia bonum commune, ad quod tendit Historia, quæ ex Tullio est *Magistra vitæ*, est præponendum aliquali infamiæ peculiarium personarum: sicuti propter eandem rationem idem conceditur prædicto Iudici. Omnino autem occulta publicari cùm non sit necessarium ad bonum publicum (ad hoc enim satis, supérque sufficit scribere publica, & non omnino occulta) ideò illa tacenda omnino à scribentibus sunt.

14. Adverte tamen: Primò, si ex mera loquacitate publica obloquaris, non effugi à te veniale, quia aliquo tandem modo violatur charitas; nam si ex bono zelo propter aliquem bonum finem fiat, ne veniale quidem esse constat; etiamsi damnum illi sequeretur, sed non à te intentum, tunc enim id erit per accidens.

Secundò: Ex odio gravi, esse certè mortale, propter malum effectum, patet ex se.

15. Tertiò: Te peccare contra charitatem, si ex eo, quòd crimen alibi notum, alibi manifestas, damnum grave aliquod, præter ipsam infamiam, infamato contingat, at si propterea ei denegentur debiti honores, vel idem privetur bonis, in carcerem coniiciatur, vel puella non nubat, &c. Ratio est manifesta, quia charitas dictat, ut quando sine magno incommodo possum, impediam malum grave proximi. Non peccas autem contra Iustitiam, unde nec obligaris restitutionem damni: sicuti, supposito crimine publico, non es injurius infamato, ut dictum est.

16. Dices: Si crimen, quod publicum est in uno loco, potest in alio referri; ergo si quis est notatus publicè in una vicinia, poterit in alia notari: ergo si quis in Collegio, vel in Monasterio, est gravi crimine diffamatus, poterit etiam in civitate diffamari, quod certè non videtur admittendum. Respondeo; nego secundam consequentiam; Vnde non admitto, posse crimen Religiosi, imò & familiæ alicuius particularis publicari apud exteros. Ratio est ducenda ex illo principio, quia Collegium, Familia, Monasterium reputantur velut una persona, & malum unius habitantis redundat in malum alterius, propter conjunctionem moralem, quam habent, quæ moralis conjunctio tam arcta non est in civitate, vel vicinia: hinc enim fit, ut si publicum crimen unius ibi habitantis pandatur apud sæculares, vel exteros, oriatur aliqua injuria, si non contra ipsum peculiarem, & præcisum Religiosum, certè contra communitatem illam, offenderetur enim Monasterium, vel familia, quæ habent ius retinendi res suas secretas, & occultas (quod ius non habet civitas, vel vicinia) atque adeò peccaretur contra Iustitiam.

Hinc tamen ne inferas, de aliquo Collegio, vel familia

numerosa dicere indeterminatè ibi aliquem inveniri improbum, semper esse mortale. Ita Molina, Azor. Clav. Reg. apud Bonac. *d. 2. de rest. q. 4 p. 2. num.* 10. nam etiam in Collegio Apostolorum adfuit Judas, nisi fortè inde oriatur notabile dedecus, ut si dicas in hac familia adesse unam filiam defloratam, vel quid simile.

*Publica in alio tempore.*

17. Ex dictis solvi debet alia quæstio, An si sit aliquis, qui in sua Civitate laboravit infamiâ publicâ, sed jam acquisivit bonum nomen in eadem, vel in alia Civitate, An, inquam, peccet is, qui illius crimen antiquū, vel antiquam infamiam propalet, quod idem est, ac si quæramus, An quæ fuerunt publica uno tempore, & postea obsoleta, possint publica iterum fieri.

18. Dico cum Fagundez; *pr. Eccles. 2. lib. 5. c. 3. num. 16.* citante Sot. & Lessium. Sed contrarius est de Lugo *t. 1. de just. d. 14. sect. 6. à n.* 85. Imò, idem Fagund. *in Dec. l. 8. c. 4. num. 4.* videtur mutasse sententiam, ubi dicit in hoc casu peccari, tum contra charitatem, tum contra Justitiam. Dico, inquam, non peccari contra Justitiam, nisi fortè propalatio peccati præteriti det rationabilem causam affirmandi, nunc illum esse malum, vel nisi aliud proximo sequatur damnum. Ratio exceptionis est, quia præsentem famam nondum proximus amisit, & damnum illud de novo consurgit, ergo illam tollere, & huius damni causam dare sine injustitia non possumus. Ratio dicti est, quia famam præteriti temporis iam amisit infamatus, ergo contra Justitiam non agimus, si contra eam obloquamur. Agere autem tunc nos contra Charitatem alicui videbitur, quia hoc infamiæ malum, quod ex reficatione peccati præteriti proximo insurgit, tu facilè, ideſt, solùm tacendo, avertere ab illo potes, ergo Charitatem offendis, si non avertas. Video posse dici, proximum iam amisisse omninò famam pro tempore præterito, unde nec esse contra Charitatem pro solo tempore eam tollere. Et video posse hîc applicari aliqua ex dictis paulò antè *n.* 11. & 12. sed hæc alij expendant.

19. Inquires; Excusatúrne à peccato: Primò is, qui crimen alterius verum, sed injustè propalatum aliis manifestat? Secundò, is, qui crimen quomodocumque alteri publicè, sed falsò impositum aliis propalat? Respondeo cum Less. *l. c. 11. n. 77.* excusari priorem (ut *n.* 8. dixi: excipe semper, nisi sit ex revelatione sigilli Confessionis) non excusari posteriorem. Ratio utriusque est, quia in posteriore casu adest injusta cooperatio ad damnum famæ alterius, qui semper habet ius intrinsecum fundatum in sua probitate, ne falsum de se narretur, vel confirmetur. At in casu priore injusta cooperatio non adest, nam illi hîc, & nunc, nullum ius remanet ad suam famam: non enim remanet illi ius illud intrinsecum ex eo, quòd peccatum non commiserit, iam enim supponimus commisisse, neque ex eo, quòd occultum sit, quia iam est publicum, ergo, &c.

*Affinitas in criminibus.*

20. Sextò, ex Navarr. Less. Azor aliisque apud Bon. *l. c. p. 7.* excusatur, qui prodit unum peccatum, licèt occultum, sed quod sit valde affine, vel connexum cum alio publico eiusdem, sic enim non censetur nova infamia. Quòd si affine non sit, nequaquam excusaberis, non enim valet: hic est infamis, in materia luxuriæ, ergo in materia hæresis. Sylvest. *v. Detractio, quæst.* 1. *ad. fin.* asserit, non esse mortale infamatum in graviori crimine, infamare in leviore. Vt si de homicida, vel fure dicas eos fuisse fornicatos. Sed non assentior: semper enim censetur infamia nova. Illud quidem admitto, aliquando hominem esse ita prostitutæ famæ, ut parum ipsi accrescat infamiæ, si aliud crimen etiam non affine de ipso dicatur, & tunc non peccabitur, nisi venialiter propter parvitatem materiæ.

*Ob malum avertendum, &c.*

21. Septimò ex Sot. Navarr. Mol. Less. apud de Lu *t. 1. de just. d. 14. sect. 7 à n. 95.* lege item Fagund. *in De c. 6.* D. cast *lib. 1. de just. tr. 2. d. 1. p. 2. d. 3.* Excusatur is, detegit alterius occultum crimen verum, quomodo que à se, sive justè, sive injustè cognitum, sive cum missione servandi, etiam in mortis periculo, secretu quia promissione videatur de Lugo *ibid. n.* 115. excus inquam, qui id detegit, in iis casibus, in quibus conce posse detegi. Conceditur autem ad vitandam mor etiamsi propalatus incidat ipse in periculum vitæ: ad tanda gravia tormenta, ad consilium capiendum, ad diendum damnum grave, quod imminet alicui p multò magis Reip. quatenus tamen ad tale damnum tendum sit necessarium, & non sit alia via, quâ dam averti queat, ut esset non rarò correctio fraterna.

22. Damnum grave, dixi, quia non est necesse gravius, quàm illud, quod subibit ille criminosus me manifestatur. Hinc eum, quem novi furem, propalare iis, quibuscum habitat; quem noviim Medicum, Advocatum, Confessarium, Artificem, manifestare iis quibus damnum fieri ex illorum impo potest, quem novi homicidam, vel habere impedim dirimens, possim aperire Iudici, vel Parocho, ut inno rem liberem, & ne, matrimonium celebretur, imò aliqua do in his debeo ex Charitate, quando scilicet magnum malum obveniret, nocenti modicum, quo dubio inclinandum est pro innocente: semper supponendo, spem adesse malum avertendi.

23. Ratio huius septimæ excusationis est, tum quia nemo obligatur, nec communiter intendit se obligare servandum secretum in concursu propriæ vitæ, vel magni mali; tum quia nemo habet ius ad famam immeritò a quisitam cum alterius innocentis periculo.

24. Si in nullius damnum vergat fama fictis artibus acquisita, illam denigrare, etiam verum crimen detegendo, non potes; quia tunc nullam rationabilem causam beres auferendi præsentem famam alterius. Hinc ex *lib. 8. in Dec. c. 3 n. 3.* si simulatio nemini noceat, ut quia pauper fingit pietatem, & mulierculæ in foro sanctimo fingunt, ut eleemosynas accipiant: licèt occultis vitiis laborent, non sunt manifestandi, si pernicioſi Reip. quaquam sint, sunt enim capaces eleemosynarum, quæ sunt pauperes, & occultis suis peccatis sibi solum obsunt nocumentum.

Aliqua huc spectantia, & an Accusator, vel Reus possint Iudici aliena crimina occulta propalare, *superiùs* ximus §. 4. *n.* 2 & 4.

Quod si quæras: Cur ad tuendam vitam, imo & ad vitanda tormenta gravia, possim alterius crimen occultum aperire, non verò falsum imponere, cùm utrumque sit infamare? Respondeo, cum Navarr. Reg. Lu Soto, aliisque apud Bonacin. *d. 2. de rest. q. 4 p. 10. n.* quod ipso lumine naturæ apparet, minus esse infamare, asserendo verum, quàm imponendo falsum. Cùm igitur ego habeam Ius ad vitam servandam ex una parte, & alia aliquod tandem Ius habeam propalandi ea, quæ a Mundo extiterunt, mihique sunt nota; idcirco co Ius uti potero in mea necessitate; esto, per accidens seq tur malum alterius: At ad dicendum falsum, cùm id nu quam extiterit, nullum prorsus ius habeo. Adde, me non posse innocenti damnum inferre, ideò non possum falsum impingere: At si verè quis commisit crimen, si nocens non est, unde sequitur, ne per æquivocationem quidem, posse me alicui falsum imponere, etiam ad meam vitam conservandam; quia eiusmodi æquivocatio, si amovcat formale mendacium, non tamen amovet dam num innocentis. An adme defendendum à falso teste, *cap. 2. §. 2. num. 5.*

26. Illud probabile putat Lessius *loco cit. d.* 8. vi mentorum, vel ex simili capite, posse quempiam sine mo tali falsum crimen de aliquo confiteri, modò is animus habeat

habeat, post tormenta resarciendi famam (adderem ego) modò sit certus moraliter de facto resarciturum) & modò non sequatur infamato aliud damnum, nisi mera illa famæ duratura infamia. Ratio esse potest, quia infamia tam brevis durationis, tam parvi ponderis est, ut non invitus censendus, sit eam infamatus pati. Video tamen hanc doctrinam sine alio damno, nisi meræ infamiæ, ad breve tempus, in praxim deduci non posse, ac propterea vix præcisè sequendam.

*Iusta Querela.*

27. Octavò denique, excusantur à Ioanne de la Cruz *in Direct. Conf. p. 8. q. 2. art. 2. d. 3. conclus. 1.* apud Dian *p. 3. tract. 5. resol. 32.* ij qui iniustè conqueruntur: *Si persona, inquit, secretò graviter iniuriata, non valens se dolore cohibere, in querimonias prorumpit publicas, non illico de peccato mortali damnatur, si iniurians infametur, durum enim videtur, sic afflictum animam cohibere, ne in querimoniam prorumpat, cùm hoc naturalissimum sit.* Hæc ille, penes quem sit authoritas; ego enim potiùs hunc excusarem ex primis motibus, & ex involuntario, &c.

§. III. *Excusationes restituendi famam.*

1. NEminem præterit, adesse obligationem restitutionis famæ, & damnorum realium, quæ ex se ab infamatione consequuntur proximo.

2. Et famæ quidem est restitutio personalis: at damnorum est realis. Ita Bonacina *d. 2. de restit. quæst. 4. p. 16. num. 15.* aliique. Vnde fit, ut hæredes infamati restitutionem damnorum temporalium petere possint; cùm obligatio, realis afficiat bona defuncti: non verò possint petere restitutionem famæ, nisi etiam, & in ipsos infamia redundaverit.

3. Non desunt tamen suæ causæ excusantes à prædicta famæ restitutione, quas iam aggredior.

*Non peccasse contra Iustitiam.*

4. Excusatur primò à restituenda fama is, qui non peccavit contra Iustitiam. Quare quoties *in superioribus*, & *in consequentibus* invenies, infamantem per suam actionem externam solùm peccasse contra Charitatem, vel aliam virtutem, & non contra Iustitiam, toties eum non obligari ad restitutionem, pronuntiato. Ratio satis est dicta *superius, cùm de restitutione.*

*Non graviter læsisse.*

5. Secundò excusatur is à restitutione famæ sub mortali, qui modicè, seu in parva materia detraxit; hæc autem, quænam sit, non multò antè vidimus §. 2. *n.* 3.

6. Excusat item à restitutione Filliucius, *tr.* 32. *c.* 9. *n.* 219. (cui adde Azor. qui idem expresè docet *p. 3. l.* 13. *c.* 7. *dub.* 4.) eos omnes, qui infamant non de peccato mortali: notat enim, nec rejicit, Sylvestrum, *v. Detr. quæst.* 1. & Navarrum *in summ. c.* 18. *n.* 24. universaliter asserere, detractionem ut obliget ad restitutionem, debere esse de peccatis mortalibus. Perpendat id doctus Lector, sequetur enim, nunquam famam denigrari, nisi per peccati mortalis manifestationem, quam sequelam expresè concedit Azor. *loc. cit.* Quia, inquit, per detractionem venialis culpæ non læditur notabiliter fama, cuius tamen contrarium colligitur ex dictis *supra præsertim* §. 2. *num.* 2. & 4.

*Sine culpa læsisse.*

7. Tertiò, qui omnino inculpatè, ut, si credens peccatum esse publicum, illud aliis aperuit, certum est excusari ex capite iniustæ informationis, quia iam supponimus, hunc non peccasse mortaliter. Idem est, si per imperfectam deliberationem, (esto, venialiter peccavit) alium graviter infamavit, ut colligi potest ex dictis *superiùs*, ubi ad obligationem gravem restituendi, gravem culpam Theologicam requisivimus. At verò, an uterque ex aliquo alio capite obligetur, non vulgaris est difficultas.

8. Aliqui dicunt obligari ex quasi re recepta. Verùm, ne immoretur in loquendi modis; Dico obligari, & quidem ex Iustitia, & non solùm ex charitate (ut aliqui sentiunt) quando plenè deinde advertet ex suo dicto injustè proximum fuisse infamatum. Ita Molina *tom. 5. d. 40.* Ratio est, quia Iustitia non solùm præcipit, ut ne quis det causam damni, sed etiam, ut eandem tollat, si fortè posita ab eodem sit: Ad eandem enim virtutem pertinet, malum sibi oppositum non ponere, & tollere, si illud ab eodem subiecto in quo est virtus positum est. Si parasti laqueum ad suffocandum hominem, si dediti venenum, si incendisti segetem, omnia inculpatè; sed adhuc laqueus, venenum, & incendium vigent, quis te non obligabit ad ea removenda si potes, etiam cum aliquo tuo non magno incommodo, (licèt putem cum Rebell. Less. apud Bart. de S. Faust *d. 22. q. 42. num.* 1. non cum tanto incommodo, quando si culpam gravem cum plena deliberatione adhibuisses, quia illa prima bona fides aliquid debet demere de obligatione, vide omnino *mox n.* 24) Quamvis enim, si tertius quilibet possit, non obligetur nisi ex charitate; tu tamen, qui re ipsa, licèt sine culpa causam damni dedisti, maiorem obligationem contrahis, quæ maior obligatio vix explicabitur, nisi dicamus hanc esse ex Iustitia, vel quasi. Vide in simili de Lugo *tom. 1. de iust. d. 8. sect. 7. n. 95.* & *t. 2 d. 39. sect. 3. n. 27.* Ita igitur in casu nostro: quandoquidem tu causam, licèt inculpatè, iniustæ infamiæ posuisti, illam tollere, si potes, modo dicto debes. Quòd si non tollas, obligaberis ad omnia damna etiam realia, quæ ex tali infamia sequentur, postquam tu advertis, iniustè fuisse proximum à te infamatum, non verò ad ea, quæ fortè ante hanc advertentiam secuta fuerint. Ratio est, quia pro his in nulla culpa fuisti: at pro illis, dum advertisti, & potuisti, ut supponimus, sed noluisti damna impedire, gravem commisisti culpam, & in nostra sententia contra Iustitiam.

*Consensus infamati, vel eiusdem remissio.*

9. Quartò: Excusatur à restitutione famæ, quando quis infamat volentem.

10. Quintò: Quando pravâ famâ notatus, suæ famæ restitutionem remittit, modò tamen in utroque hoc casu infamia non sit conjuncta cum alterius de qua is disponere nequeat. Vide Fagundez *lib 8. in Dec. pr. c. 3. n. 15.* docentem sufficere remissionem solius Religiosi, si is fuerit infamatus in crimine non redundante in Religionem: secùs fore necessariam remissionem Superioris de consensu Religiosorum, in quos macula redundavit.

*Iusta, vel non nocens detractio.*

11. Sextò; Quandò de aliquo iustè detraxisti. Vide S. Th. 2. 2. *quæst. 62. art. 2. ad* 2. Detraxisti autem iustè in casibus supradictis §. 2. *num.* 21.

12. Septimò; Quandò quis est ita infamis in ea re, ut prudenter non iudicetur pati novam infamiam ex nova detractione. Hinc colligo, si detractori non adhibeatur fides, quia iudicatur esse mendax, aut loco, aut ex ira dixisse, cum excusari à restitutione; quia infamatus non est passus damnum. Quid, si infamatus putet se damnum fecisse, cùm tamen non fecerit? Respondeo, tunc obligabitur restituere ex conscientia erronea, sed si resciat damnum non fecisse, liberabitur à restitutione.

13. Octavò; Quando infamiâ commaculatus, iam aliunde recuperavit suam famam.

14. Nonò? Quando infamia data est oblivioni. Id quod usu venire solet in absentibus, & defunctis. Vt autem crimen alteri narratum prudenter existimetur moraliter certò oblivioni mandatum, 20. annos requiri putant Cordub. Navarr. Val. apud Barth. de S. Fausto *in*

*spcul. d 21. quæst 68.* sed melius id prudenti iudicio relinquendum. Dixi ( moraliter certò ) nam si sit dubium, restituenda est fama, & quidem modo, quo mox dicam §. 4. *n.* 3. quia tunc certa est infamia, & dubia excusatio.

15. Decimò, Quando post infamiam à te alicui oblatam, cœpit is laborare publica infamia in eodem, vel simili crimine, de quo illum notasti, juxta supradicta §. 4. *n.* 20.

*Infamatio reciproca.*

16. Vndecimò: Quando duo se invicem infamarunt Probabile enim est, ex Less. *l. c. d.* 25. Sylv. Malder. apud Dian. *p.* 3. *tr.* 3 *res.* 30. Bon. *d.* 2. *de rest. q.* 4 *p. ult. n.* 1. *&* 2. tunc neutrum ex Iustitia teneri ad famæ restitutionem: quia, quando iura sunt æqualia, censetur utraque pars satisfacta, & tacitè invicem se compensasse. Altero autem restituente, teneri alterum restituere, palam est. Vt etiam, si infamiæ fuerunt notabiliter inæquales, excessum ab altero debere, eo meliori modo, quo potest, restitui, ne sit debitum.

17. Advertе hîc duo. Primò, me non asserere, licere tibi alium infamare, solùm, quia tibi infamiam intulit; hoc enim esset vindictam sumere, quod ex Less. *l. c. n.* 13. non licet privato, solùm enim aio ex suppositione æqualis infamiæ ex utraque parte factæ ( utique illicitè ) neutrum ad restitutionem obligari. Advertе secundò, si propter infamiam secutum est alteri damnum reale, hoc esse restituendum: nisi fortè ex utraque parte fuerit æquale damnum illatum; tunc enim fieri poterit compensatio; vel si fuerit inæquale, facienda solùm erit restitutio excessus.

*Frustranea Restitutio.*

38. Duodecimò: Excusatur à restituenda fama is, qui prudenter novit, audientes nullo modo fidem habituros ei, qui se à detractione facta retractat. Ratio est, quia tunc retractatio esset superflua. Certè is saltem laudare conetur infamatum, ut sic aliquo modo resarciat infamiam. Si dubium sit, an retractatio sit profutura, omnino exhiberi debet, quia in dubio melior est conditio eius, qui injustè à bona fama deturbatus est.

*Damnum proprium.*

19. Decimotertiò: Excusatur is, qui magnum damnum incurreret, si restitueret. Id quod, ne erretur, quatuor dictis explico: modò recolas quatuor item esse bonorum ordines, videlicet, supremi ordinis esse bonum animæ; tum corporis, id est, vitæ, vel membrorum; deinde famæ, adde & honoris; denique pecuniæ.

20. Dico primò, infamantem teneri ex iustitia restituere famam cum æquali suæ famæ, seu alterius æqualis damni periculo, vel paulò maiore.

21. Dico secundò, non teneri cum notabiliter maiore, quòd scilicet arbitrio prudentium appareat longè maius, quàm damnum alterius famæ. Ita Mol. *tr.* 4. *d.* 47. Less. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 15. Azor. *t.* 3. *l.* 5. *c.* 9. *q.* 12. Val. *t.* 3. *d.* 5. *q.* 6. *p.* 7. Salon. Navarr. aliique apud Bonacin. *de rest. d.* 2. *q.* 4 *p. ult. n.* 12. Ratio huius, & præcedentis dicti est, quia Iustitia commutativa, quando agitur de æquali, vel parum maiore damno, exigit, ut potiùs illud patiatur, qui damnum injustè intulit, quàm innocens: At, quando damnum est longè maius, daretur ultra æqualitatem, quam exigit Iustitia commutativa, ad quod nemo rationabiliter obligari potest; obligaretur enim ad damnum longè supra ac debet. Hinc meritò colligens te non teneri ad restitutionem famæ cum propriæ vitæ periculo, vel magnæ infamiæ, infamato nihil, vel parum in eadem vita, vel fama periclitante: tunc enim solùm teneris resarcire damna realia, si quæ per infamiam tuam proximus per se est passus. At si ex infamia, quam falsò imponendo alteri intulisti, vitæ, seu notabilis famæ periculum is, vel alius subeat; vel notabile mal. Reip. impendat: tunc profectò teneris restituere f. etiam cum tuo æquali vitæ discrimine, quando pr. ter putas tuam retractationem profuturam in. Ratio est, quia Iustitia, ut dictum est, requirit, periculo æquali, potiùs subeat illud damnum no. quàm innocens, Væ testibus falsis! de quibus vide *Tr.* 4. *cap.* 5. §. 9. *n.* 6.

22. Dico tertiò, non teneri quemlibet restituere nam cum iactura boni superioris ordinis, v. g. & vitæ, seu membrorum. Ita Turrian. Malder. apud Dian. *part.* 3. *tr.* 5. *res.* 30. Ratio huius dicti fun. in ratione præcedentis conclusionis, quia scilicet ra superioris boni est longè major, quàm iactura rioris; Cùm ergo salus propriæ animæ, & vitæ gè, immò incomparabiliter maior, quàm fama huius restitutio non est saluti illorum præferenda. quæ dixi, *cum de restitutione ex homicidio.*

23. Dico quartò, probabile esse, si non potes tuere famam injustè ablatam, te non teneri com re pecuniâ, etiamsi infamiâ notatus pecuniâ sibi fieri petat. Ita Lugo. Filliuc. Turrian. Navarr. Sa. aliique apud Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 30. Ratio est, quia restituere tenetur, nisi quod ablatum est, & quidem eodem genere: Iustitia enim solùm exigit, ut fiat æqu. litas in eo, in quo damnum alter recipit, ergo in eodem genere non alio. Adde, fieri non posse æqualitatem Iustitia intentam, nisi detur æquivalens, at pecunia æquivalet famæ. Lege Lessium, *l. c. d.* 16. qui addit in solum casu teneri in pecuniâ, quando qui posset in eo genere restituere, sed nollet, & quando accederet sententia Iudicis infamantem cogens ad restituendum, satisfaciendum in pecunia.

24. Inquires: Dictum est, infamantem teneri ad restitutionem famæ cum suo pari, vel parum maiore damno, esse id universaliter verum? Respondeo, infamante cum culpa gravi. At eum, qui vel sine gr. culpa, vel omnino inculpatè infamator fuit, de quo maximus *n.* 7. *&* 8. solùm obligarem, quando non inc. ret damnum notabile. Colligo ex Lessio *l. c. d.* 11. *n.* 118. & ex Molina, ac Rebell. cit. *supra n.* 8. *litt.* K. Iustitia est, quia ipsum lumen rationis dictat, minùs cu. agendum cum infamante sine culpa, quàm cum gravi. Certè qui ex officio, v. g. Medici Hospitalis detur vulnerato, renetur ex Iustitia, & tamen non tur cum tanto rigore, quanto tenetur is, qui injuste ve. neravit: Medicus enim ex Less. *ibi, & c.* 13. *n.* 70. non netur cum æquali suo damno, quia non obligatur medendum ex culpa, sed ex contractu; & ex alia homines suscipientes eiusmodi ordinaria officia, non censentur, cum tanto rigore se velle obligare. Vulnerator autem tenetur cum æquali, immò cum paulò maire, quia obligatur ex injusta actione. Cùm ego in nostro infamator supponatur non commisisse culpa gravem, quamvis teneatur ex iustitia, ut *dicto numero* dictum est, non tamen cum tanto rigore tenebitur, &c.

## §. IV. *Qua ratione fama sit restituenda.*

1. VEl imposuisti falsum, vel verum crimen proprio lasti: Si prius, debes coram iisdem affirmare te falsum dixisse, etiamsi in tuum æquale, vel parum maius dedecus id vertatur. Dico ( æquale, vel parum maius ) propter modò dicta *à n.* 19. Nam propter eadem rationem Villalobos *in summ. t.* 2. *tr.* 11. *diff.* 3. *n.* 2. ait, virum gravem, Prælatum, v. g. non obligari dicere se mentitum esse: id enim multo ipsi esset dedecori. Sufficiet ergo inquit, si is reddat famam eo modo, quo reddere obligatur ille, qui infamavit, verum crimen propalando; quod iam subdo.

2. Si enim posterius, hoc est, crimen verum occultum evulgasti, uti poteris æquivocatione, ut si dicas, eum hominem crimen illud nequaquam patrasse, intelligens (pudet

publicè vel quid simile ) Non ratò sufficiet laudare eodem genere, quo vituperasti : ut si dixisti, me multas eleemosynas distribuisse avarum, dicas, me multas eleemosynas distribuisse. Ita Sotus, Cajet. Villal. aliique apud eruditissimum Dian. *p. 3. tract. 5. res.* 30. Denique illud mente retineas detractorem debere famam ablatam cum affectu, quantum in se est, resarcire, hoc est, facere, ut infamatus suum eos recuperet. Cæterùm, ex circumstantiis intelligendum, quæ verba, quæ laus, qui modus loquendi requantur, & satis sit.

Si alia via non dátur resarciendi alterius famam, nisi jurando iuramentum, & testes, & sumptus, nec sufficiat fortè se retractare ; etiam ad id obligari communiter docent Sotus, Cajet. Villal. aliique cum Diana *ibid. res.* 29. licèt Faber. Navar. Mol

Doctores, de Lug. *loco cit. num.* 183. Less. *l. c. n.* 40. aliique ab his citati.

### §. VII. *De audiente detractorem.*

1. QVi primò audit, ut inducat, vel excitet ad detrahendum (id, quod etiam solùm interrogando fieri contingit) & secundò, qui audiendo, lætatur solùm de detractione, ut infamia est proximi, licèt non inducat, peccare mortaliter, nimis clarum est. Ita Navarr. Sot. Azor. aliique apud Bonac. *de rest. d. 3. q. 4. p. 11. a n. 1.* illum quidem contra Iustitiam, unde obligetur ad famæ restitutionem, hunc verò contra Charitatem, atque adeò sine eiusmodi obligatione. Peccat etiam contra Charitatem, qui facilè potens impedire gravem detractionem non impedit: Charitas enim vult, ut damnum proximi avertamus, si facilè possumus. Contrà, qui, suppositâ detractione, sine ullo ipsius desiderio, lætatur non de ipsa infamia, sed de sola curiosa, vel nova cognitione factorum proximi, vel de eloquentia detractoris, valde probabile est, ex hoc præcisè, non peccare mortaliter. Ita iidem, & Dicast. *l. 2. de iust. t. 2. d. 12. p. 4. dub. 20. num.* 345. Ratio est, quia tunc is non inducit, non desiderat, non infert aliquod damnum infamato, & ex illa parte solùm lætatur de re, vel indifferenti, vel certè non prava, moraliter. Semper intellige, modò excusetur ab impediendâ detractione, de qua excusatione *mox à n. 5.* quia secùs censeretur ad illam detractionem inducere.

2. Dices: Si mera curiosa cognitio factorum proximi non est mortalis: ergo non peccarem ego mortaliter, si animo rem nullatenus aperiendi, velim crimen occultum v. g. adulterium Clerici, observare, ut de illo conscius sim: quæ tamen consequentia non videtur concedenda, quia quilibet habet Ius, ne sua occulta crimina ab illis sciantur, & ne ipse apud alios infamaretur.

Respondeo cum Fagundez, *in* 8. *Decal. præc. lib.* 8. *c.* 3. *num.* 6. concedendo, me tunc non peccare saltem mortaliter; modò dicta observatio non sit ex odio, vel alio pravo moraliter fine. Id autem concedo ex eo capite, quia paulò antè diximus propalare crimen proximi uni, vel alteri, qui prudenter iudicatur non esse revelaturus aliis, probabiliter non esse mortale: quare nec erit mortale eiusmodi Clerici adulterium fieri novum mihi, aliis illud non manifestaturo.

3. Quoniam autem dictum est, peccari saltem contra Charitatem ab eo, qui audiendo detractionem, eam non impedit, si potest, difficultas emergit & quidem timoratis conscientiis valdè molesta: Quandónam iudicandum sit impedire eum posse, atque adeò peccare, si non impedit? Solet enim perfæpe contingere, ut aliquis inveniatur in convictu aliquorum, qui graviter de aliis detrahunt, sed quia, præ verecundia, vel simili causâ, illos non impedit, semper dubitat, an facilè possit impedire, & consequenter an peccet?

4. Si solus unus, vel alter æquè taciturni, essent præsentes, inde is non peccaret, quia nec peccaret detrahens ex modò dictis. At casus noster est: quando coram pluribus exhibetur detractio.

Respondeo, in hoc casu communiter te non peccare, nisi ad summum venialiter, rarò mortaliter. Mortaliter peccabis (& quidem solùm contra Charitatem, nisi sis Superior, vel alius, cui incumbat ex iustitia famam detracti defendere) in eo tantùm casu, quo nulla adest excusatio, ex *mox* dicendis. Venialiter dumtaxat peccabis, immò nec peccabis quidem interdum, quâdo aliqua adest ex his excusationibus, quam iam subdo ex Soto, Navarr. Molin. Lessio, aliisque citatis à Bonac. *de rest. in par. d. 2. q. 4. p. vltim.* & à Diana *p. 2. tr. 17. resol. 24.*

5. Prima est, quando detractio est levis.

6. Secunda, quando, licèt sit gravis, sit tamen coram uno, vel altero prudenti, iuxta *superiùs* dicta.

7. Tertia, quando rationabiliter putas auditores fidem non habituros.

8. Quarta, quando advertis tuam resistentiam, seu monitionem non profuturam.

9. Quinta, quando non es moraliter certus obloquentem injustè, & de gravi crimine occultò obloqui.

10. Sexta, quando iudicatur detrahens habere causam detrahendi, putà, ut consilium petat, vel utiliter moneat, vel ut dolorem suum leniat, iuxta *superiùs*.

11. Septima, quando times verbera, vel contumeliam, vel graviter tuâ interest, te nec reputari defendentem famam.

12. Octava, quando ex rationabili verecundia, pusillanimitate, non audes resistere, & ex alia parte infamia proximi non est ita gravis, ut prudenti iudicio metur sub mortali impediendi cum tanta tua difficultate. Hæ sunt causæ excusantes.

13. Cùm ergo potes resistere, vel dictis, vel infamantem, vel factis: ostendendo signa tristitiæ, recedendo à loco, sermonem aliò transferendo, &c. tuum garis hæc præstare, quando ab his præstandis multis prædictis excusationibus favere tibi potest. Ex colligis, ratissimè, quando est tibi superior, qui quitur, rarò, quando est æqualis, adesse obligationem hæc faciendi, quia rarò aliqua ex his excusationibus intercurrit.

14. Porrò, Quarta excusatio, quando, nimirum tis, tuam monitionem minùs profuturam, sic magis illustratur: est enim operæ pretium aliquando potiùs taceas, quàm obsistas detrahenti: ideo maius bonum infamati, non raro enim meliùs sules permittendo detractionem usque ad finem quam illam abrumpendo: si non abrumperes, auditores cum illa cognitione confusa narrati criminis, quod fortasse non erat tantæ gravitatis, tam parùm cognitio illa incompleta, & fortasse cumstantia sub finem narranda alleviabit crimen. rea sæpe usu venire solet, ut quia tu resistis, maiori tentione detractor à tua reprehensione offensus crimen inculcet. Denique id, quod detrahens facilius aliquando reparari postea poterit, absoluta tractione, incommodiùs enim audiens poterit nis falsitatem insinuare.

15. Quinta verò excusatio, quæ omnium est & maximè communis ad excusandum privatas audientes detractionem, sic illustratur à Bonacina. *Ex dictis colligitur, privatas personas sæpius mortali non obstando detractioni: tum quia sæpe fructus, tum quia audiens non debet in dubio quentem malum, nisi habeat sufficientes coniecturas trarium, & cùm ipse nescias, an delictum, quod ratur, sit publicum, vel occultum: & vtrùm iusto non peccat non obsistendo narrationi; fieri enim iuste narretur, & consequenter faciat iniurium obstando, ac si corriperet de peccato, quod nescit tum.* Hæc Bonacina. Sed quid, si dubitet de rationis? Respondeo, neque posse corripere, quia bio quilibet est præsumendus bonus, ut dixi *Decal. cap. 3. §. 7. verb. Detractio*, quem locum recole, multum enim facit ad hoc argumentum.

16. Octava denique excusatio, maximè pro timoratis, & scrupulosis, sic explicatiùs proponitur à de Iust. t. 1. d. 14. sect. 8. n. 129. *Quandónam proximi num tale sit, ac tantum, vt debeas propriam comemnere, pendet ex variis circumstantiis, gravitate damni, gravitate tui roboris, &c. Quod in pulosis latiùs multo interpretandum communiter ipsi ex hac obligatione impediendi detractiones vius detrimentum subeunt, quam alij. Tum scrupulos nesciunt in praxi discernere casus, in obligationem impediendi ab iis, in quibus non que adeo imponunt sibi grauissimum onus, nempe di impedire, quoties conscientia scrupulosa vrget diendum. Tum quia, etiam quando re vera gatio pro aliis, ipsi tamen, cùm scrupulosi existimentur tantur id facere ex scrupulo, & facilius desistentur*

*gentur majorem aliis ruborem & molestiam subire. Quare rarissimè tenentur sub mortali, ad consulendum famæ proximi cum tanto suo incommodo, & molestia.* Hæc ille prudenter.

§ VIII. *De ladente honorem alterius, ejusque restitutione.*

1. OBligatio restitutionis honoris adeò est affinis prædictæ restitutioni famæ, ut hic meritò fuerit subsecuta. Honor, qui ex S. Thomæ 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. *ad* 2. est testificatio quædam excellentiæ alterius, quæ tribus modis & quidem ex genere suo, (nisi excusetur ex parvitate materiæ, vel indeliberatio) mortaliter. Primò, per contumeliam verbis, vel signis illatam, sive absenti, quod vocant improperio, sive præsenti, quod vocant impropere convitium, sive præsenti, quod vocant impropere convitium. Utrumque enim honorem alterius imminuit, licet gravius, ut per se patet, improperium. Et quidem si ex intentione lædendi honorem, erit contumelia formalis, si non ex hac intentione, sed fiat tamen id, quod honorem ipsius lædat, erit contumelia materialis, irrisio, illusio, subsannatio, maledictio, quando lædunt honorem, parum inter se differunt, & huc pertinent. Secundò læditur honor per injuriam corporalem, ut percutiendo baculo, impingendo alapam, abscindendo aures, &c. tunc enim præter lesionem corporis, læditur & honor, cum per illa tractetur quis ut latro, ut infamis, &c. Tertiò læditur item honor mulierum fraude vel inducendo illas ad stuprum, adulterium, vel simile crimen.

2. Porrò de stupro, adulterio, & similibus diximus sufficienter in præcepto sexto *sup. l.* 7. De injuria corporali, qua tenus ladit corpus, diximus in præcepto quinto *sup. l.* 6. De lesione per contumeliam sive verbis, sive factis plura dixi *in Opusc. de Confessione. lib.* 2. *c.* 9. §. 1. & locis *ibid.* cit. qua ratione scilicet contumeliæ unico contextu, vel in multos jactæ, sint unum peccatum, & quo modo differant, si jaciantur contra parentes, consanguineos, &c. & alia non dissimilia. Unum igitur, aut alterum, quod ibi præterimus, hîc subdamus.

3. Omnes injuriæ contra famam, sunt ejusdem speciei moralis, unde non differunt, quantum ex hoc capite, injuriæ contra honorem.

4. Dixi (quantum ex hoc capite) nam aliunde potest adjungi alia species culpæ: Si enim prævides magnam commotionem ad vindictam in eo, quem illudis, addes peccatum scandali: si irrideas aliquem; quia actum Christianæ virtutis exercuit, peccas etiam contra Religionem: si illudas Patri, vel Deo, eris etiam impius, & blasphemus: si contumeliam facis occidendo, mutilando, virginem defiorando, consanguineam prostituendo, erit ultra contumeliam, peccatum homicidii, stupri, incestus, &c.

5. Quoniam verò certum est, deberi omninò restitutionem honoris ablati, seu (ne fiat calumnia in modo loquendi) deberi satisfactionem illi, cujus honor per injuriam læsus est: inquiri solet, qua ratione is restituendus sit, præscindendo à damnis temporalibus, quæ fortè ex contumelia directè, & per se subsecuta sunt, Hæc enim in bonis similibus temporalibus, esse restituenda, nullus dubitat.

Respondeo, cùm hæc restitutio non sit nisi satisfactio quædam, quam debet recipere læsus, illa satis erit, & requiretur ex Less. Bon. *loco mox cit. & passim*, quæ secundùm gravitatem injuriæ, dignitatem personæ satisfacientis, consuetudinem Patriæ, & alias circumstantias occurrentes judicatur à prudenti sufficere. Aliquando (ut in contumeliis non magni momenti, & in contortis à Superiore) sufficiet amica salutatio, vel loci honorifici concessio: aliquando necessaria erit invitatio ad mensam, aliquando laudatio apud eos, coram quibus læsus fuit honor, &c.

6. Potissima, & sufficiens, saltem ante sententiam Iudicis, etiam pro gravissimis offensis, humilis petitio veniæ, privata, vel publica juxta conditiones privatæ, vel publicæ culpæ, nec necessariò addenda est genuflexio, quia hæc nimis excedens satisfactio est.

7. Mera familiaritas, seu familiaris consuetudo cum eo, cum quo familiariter agere solebas, nisi addantur alia arctioris familiaritatis signa, non sufficit ad satisfaciendum honori læso: quia communis illa, & consueta familiaritas exhibetur à læso, ob virandum scandalum, ob declinandas majores inimicitias, ob consuetum modum vivendi, non verò ad injuriam resarciendam.

8. Denique Superiorem, & Virum nobilem non obligo ad petendam dictam veniam ab inferiore vel plebeio, quia poterit alia æqualis satisfactio, per alia signa æquivalentia his dari: quam æqualem satisfactionem non semper possunt pares in se, vel inferior respectu Superioris; nam propterea pro his veniæ petitio interdum meritò superaddenda est. Aliqua alia minutiora lege apud Less. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 37. Bonac. *de rest. in part. d.* 2. *q.* 5. & alios.

FINIS LIBRI NONI.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.*

# LIBER DECIMUS.

## IN DECALOGVM.

### Non concupisces Vxorem Proximi tui.

### & Non concupisces Rem Proximi tui.

#### CAPUT PRIMUM.

*Præmittuntur quædam scitu necessaria de cogitationibus, & imaginationibus objecti mali.*

1. QUÆRE pretium hoc initio est, rudem cognitionem afferre operationum intellectus, voluntatis, (quæ etiam appellatur appetitus rationalis) Potentiæ imaginativæ, (quæ item vocatur phantasia,) & appetitus sensitivi. Has duas posteriores potentias communes habemus cum brutis: illæ priores propriæ sunt hominis, ut animal rationale est.

Jam verò circa copulam turpem (ut hoc frequentiori exemplo utar) quatuor hominis prædictæ potentiæ versari possunt hoc modo.

2. Primò,

2. Primò Intellectus, qui cogitet, discurratque de ipsa copula.

3 Secundò, Voluntas, quæ velit, seu concupiscat copulam, vel quæ velit, ut intellectus cogitet de eadem copula, idque propter finem aliquem sive bonum sive malum. Cùm ergo, quando voluntas vult illicitam copulam certum sit, committi peccatum, de hac volitione non est necesse hic multa superadderemus quando vult, ut intellectus cogitet de prædicta copula, cùm in hac cogitatione sit ipsemet actus cograndi, qui est actus intellectus, & sit etiam ipsum objectum talis actus, nempe culpa, poterit ipsa voluntas velle, ut intellectus cogitet de copula, ob delectationem, quæ est in sola cogitatione, vel poterit velle ut intellectus cogitet de copula ob delectationem quæ est in ipsa copula. Quòd si voluntas velit, ut intellectus cogitet de copula propter delectationem, quæ est in cogitatione ipsa, ut relata ad cōpulam: perinde erit, ac si velit, propter delectationem, quæ est in copula, quia tunc ea delectatio, ut sic, specificatur ab ipsa copula, quæ inter solutos illicita est.

4. Tertiò, Imaginatio, quæ est potentia sensitiva, versabitur circa prædictam copulam, si eandem intra se obvolvet, ideſt si per species copulæ sensitivas, sibi veluti præsentem eam faciet.

5. Quartò denique, Appetitus sensitivus immediatè ab ejusmodi imaginatione motus, sentit delectationem in carne, &c.

Hi sunt actus satis in re distincti: Sed tamen difficillimum est distinguere delectationem appetitus sensitivi à delectatione voluntatis. Et ratio hujus difficultatis est, quia hæ potentiæ in nobis sunt maximè inter se connexæ, ita ut cùm operatur voluntas, operetur & imaginatio, & cùm consurgit in voluntate delectatio de aliquo objecto materiali, insurgat & in appetitu sensitivo; quia propter sympathiam naturalem delectatio voluntatis excitat delectationem appetitus sensitivi, & è contrà, ut experientiâ constat. Videamus nunc, An prædicti quatuor actus, quando sunt de objecto illicito, semper sint peccaminosi.

6. Dico primò, Cogitationem intellectus de re mala, verbi gratiâ, de copula illicita, ex se non esse malam. Patet, quia ea cum laude est in Theologo Casus Conscienciæ speculante, & se de illa scientia delectante: imò etiam est in Angelis, & Deo, qui ejusmodi turpia cognoscunt. Quando etiam est involuntaria, non esse peccatum, jam omnibus est exploratum.

7. Dico secundò, Actum voluntatis, quo ipsa vult, ut intellectus cogitet de re mala, ob finem bonum, malum non esse; ob finem malum, esse malum. Hinc si id velit propter delectationem, quæ est in ipsa mera, & speculativa cogitatione, quantum est ex hoc capite non peccat; si autem velit id propter delectationem, quæ est in ipsa re mala, v.g. in copula, vel in ipsa cogitatione ut relata ad copulam, sanè peccat. Ratio est manifesta, quia talis est delectatio, seu voluptas, qualis res, seu objectum, unde ea desumitur: voluptas enim ex Aristotele *lib. 20. Ethic. cap. 4.* Less. *lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 108.* & *passim*, est perfectio operis, seu ipsius pars, & complementum. Cùm igitur cogitatio speculativa, non sit mala, mala autem sit ipsa res cogitata, verbi gratiâ, copula illicita, ut item mala ipsa cogitatio, ut ad rem malam relata: eandem bonitatem, vel malitiam participabunt prædictæ delectationes, quas voluntas tanquam fines intendet. Quid, si voluntas velit cogitare res malas, neque propter finem malum, ideſt copulæ, neque propter finem bonum, v.g. studendi, sed propter levitatem, vel vanitatem, vel otiositatem, quæ ex se sunt fines venialiter peccaminosi? Respondeo, id mox *in fine n. sequentis*, dicetur.

8. Dico tertiò, Imaginationem de re mala, si sit involuntaria, non esse peccatum, sicuti diximus de cogitatione intellectus, ut est doctrina nimis trita; quia non est peccatū, ubi non est voluntas: At si sit voluntaria, ideſt, peccatum cum pleno consensu voluntatis, sed ob bonum finem, v. g. studendi, non esse ex se peccatum, sæpe; sicuti si ob finem malum, vel ob finem, ut tus sensitivus turpiter commoveatur, peccatum est quam dubitavimus. At Difficultas est: si sit in rebus scœnis solum ob delectationem, quæ ipsa imagina sentitur, ibique perisitat, an sit peccatum mortale, asserò esse semper mortale. Rationem hujus ali ducunt, quæ semper mihi difficilis est visa. Ratio & quidem pro praxi notanda, ac sæpius à nobis tenda est: quia voluntariè, & deliberatè, esse turpia sine bono, vel certè commodo aliquo (is enim bonus finis aliò mentem, atque adeo turpibus divertit) multò magis ob delectationem existentem, falsum est in ipsa imaginatione peri nam, quamvis in se sit actus inefficax, nec assumas, ut procedas ad ulteriores turpes actus, ipse ex se propter sympathiam, & connexionem rum potentiarum, earumque actuum, ad se advoc sam commotionem spirituum genitalium, & mo inordinatorum appetitus carnalis. Quid enim magi minem commovet ad turpia, quàm illa eadem seriò propter meram delectationem, etiam spec vam imaginari, ut experientia certissimè constat; bene dixit Sanctus Thomas *de verit. quæst. 15. a.* raro abesse à tali delectatione consensum in opus Cùm ergo eam commotionem nunquam procurare ceat, nec licebit ea turpia velle positivè imagi Positivè dixi, nam eam imaginationem solùm pos tere, an quis licitè possit, mox dicetur *cap. 2.* Q dictum est de imaginatione, dic de cogitatione, eodem modo convinceretur quis vellet procurare illas commotiones: siquidem propter mo dictam sympathiam, quam habent ij actus, & po tiæ inter se; illæ commotiones, quasi necessariò sequuntur. Idem videtur dicendum de quodam valde delectabat odor (an fœtor;) spermatis, vis, ut dicebat, ad aliud pravum objectum nullat animum intenderet. Idem, inquam, videtur. Illa delectatio de re tam proximè objecto periculoso junctа, si seriò à non uxorato susciparur vel sig est affectus pravi, vel certè grave periculum affect pem affectum incidendi. Hæc autem dicta sunt in bus obscœnis, de quarum delectatione iterum *cap. 5. §. 2.* redibit sermo, nam quid in aliis materiis afferam §. 1.

9. Dico quartò, ipsum actum voluptuosum appetit sensitivi, si est sequens ad rem deliberatè imagina seu volitam, graviter malam, peccatum mortale e quia, ut dictum est, talis est delectatio, qualis res, de consequitur. Quòd si sit sequens ad imaginationem vel cogitationem rei leviter malæ, ut ad tactum pu sum manus, ad ulteriora non transcendentem, veniale. Id quod constat ex sparsim supradictis *de præcepto*. Si denique sequatur nobis nolentibus, seu cō tè sine consensu deliberato, quod accidit in pri motibus, quando sine advertentia pravum objectum imaginatur, vel quando nullo etiam præimaginato pravo objecto fervet in nobis abundantia spirituum generationi servientium: nullum esse peccatum, p lam est, quia supponimus nullum adesse consensum voluntatis, de qua tamen re *mox* explicatiùs plura de buntur.

10. Afferamus nunc modum, quo quis cognoscet, si non delectari de objecto malo, v.g. de copula, nec de cogitatione, ut relata ad rem malam, nec de cogitatione quæ ex *num. 1.* est etiam in Angelis, & consequenter ex se peccatum non est.

11. Ad id dignoscendum dantur tres Regulæ: Prima est, quæ jam dicta est de fine: Si enim ob finem bonum studendi, medendi partes, verbi gratia, inhonestas, sciendi artificium, & strategmata, quæ sunt in bello, quamvis injusto, & similia, cogitationem illam de rebus hujusmodi ob finem bonum, non esse malam & illiciram: Si autem sit ex fine peccaminoso

vano, periculum est, ne sit ex affectu ad ipsam rem mala: & in rebus turpibus esse peculiarem rationem id dedemandi, iam modò dixi *num.* 8.

12. Secunda Regula est: Vt videas, an tu reflectas super ipsam cogitationem, ipsam volendo: nisi saltem ad illam saltem implicitè, & in actu exercito reflectas, iam signum est te velle potiùs obiectum, quàm cogitationem de ipso.

13. Tertia: Vt advertas, an cogitando aliarum rerum, non malarum eventus, causas, artificia, &c. æquè delectaberis, atque cogitando similia in rebus malis, injustis, foedis, &c. Si plus delecteris, in his, signum est affectus pravi; si æquè, signum est non mali affectus. Vide, quæ dixi, cùm de Turpiloquio, *lib. 7. cap. 8. §. 4.*

## CAPVT II.

### *An ad peccatum evitandum, opus sit positivè resistere cogitationibus, & motibus pravis?*

STatus quæstionis est, an quando intellectus incidit sine deliberatione in cogitationem illicitam, verbi gratiâ de turpi copula, possit, extra matrimonium, licitè voluntas permittere ipsam cogitationem, non quidem positivè ei consentiendo, id enim clara esset culpa; sed non resistendo, & negativè se habendo? Idem quæritur, propter paritatem rationis de motibus, & delectationibus illicitis, quæ interdum, ut modò diximus, etiam nobis nolentibus, insurgunt in appetitu sensitivo, hoc est in carne, an liceat eas simili modò permittere, non quidem illis consentiendo, seu illas positivè admittendo, id enim clara esset turpitudo, sed solùm non reprimendo?

2. De hac re, non ego loquar, sed Castro Palaus, *tom. 1. tr. 2. d. p. 10. §. 5. num. 3.* (legatur Ioan. Sanchez, qui fusè idem probat *disput. 21.*) qui sic habet: *Et si supradicta sententia affirmans esse peccatum, quando voluntas non reprimit, neque coërcet, cùm possit, valdè probabilis sit; tamen probabilior mihi videtur, non peccare mortaliter voluntatem, quæ non reprimit hos turpes motus, sed morè negativè se circa illos habet, dummodo absit periculum pollutionis, aut ulterioris gravis consensus. Tenet hanc sententiam Caietanus, Navarrus, Toletus, Pallarchus, & alij plures, quos refert Salas. Et licèt ipse noluerit suam mentem declarare, satis insinuavit esse pro hac sententia, ut legenti patebit.*

*Probabilissimam esse affirmat Thomas Sanchez, qui hanc reputat probabiliorem in rigore metaphysico, practicè tamen aliam dicit esse veram. Præcipua ratio, quæ me movet, est quia huiusmodi motus à natura provenient, ita ut omnes coërcere sit impossibile, aliquos difficillimum. Non est igitur credendum de divina bonitate, salutem æternam hominum his periculis exposuisse, esset enim salus æterna cuiusvis hominis non levi periculo exposita, si, cùm à natura sit in malum proclivis, arctatus sit, non solùm non admittere hos motus, sed etiam illos reprimere; & coërcere. Item si obligatus esset homo hos motus reprimere, cum possit, obligaretur saltem media apponere non difficilia ad reprimendum. Ergo si videat hos motus consurgere eo, quòd in loco tali, vel tali modo decumbit, tenebitur à tali cubitu abstinere, imò surgere, & se aliqualiter verberare, quod certè est durissimum, & pauci admittunt. Deinde peccabit mortaliter, si non evitat causas, ex quibus cognoscit huiusmodi motus pravos insurgere; nam si postquam excitati sunt, tenetur illos reprimere, à fortiori tenebitur reprimere, ne excitentur: tenebitur ergo sub mortali fœminam non alloqui, nec videre, aliáque similia omittere quæ in omnium sententia vel bona sunt, vel solùm venialia. Denique argumenta contraria sententia non urgent, &c.*

3. Hæc Castro Palaus, qui respondet ad quinque argumenta, quibus fundatur prior sententia, quæ, si libet, lege. Illud fatetur cum communi, esse veniale (lege Ioan. Sanchez *loco citato*, qui *num.* 3. nec esse venia-



le contendit) si, cùm possis, non reprimas, neque excusationem habeas, cur non reprimas; quia negari non potest, illos motus esse decordinatos, & ad copulam incitare. Excusatio autem sufficiens esset ea, quæ est necessaria, vel utilis tibi, vel alteri, ut audire Confessiones, legere, studere urbanè loqui cum fœmina, equitare; & multò magis excusabit timor, ne, dum attendis ad volendum positivè reprimere, crescat tentatio: tunc enim, imò & semper in eiusmodi tentationibus consultissimum remedium est statim avertere cogitationem ad alia obiecta non illicita, præsertim quæ te maximè afficiunt: id enim nunc non solùm est negativè se habere, sed certè resistere. Quæ omnia, & etiamsi prævideatur pollutio, sed non intendatur, nec sit periculum consensus; dicta à nobis sunt satis *suprà*, *lib. 7. de 6. præc.*

4. Obiicis: Dictum persæpè *suprà* est, cogitare turpia, vel assumere ea, quæ notabiliter influunt ad pollutionem, commotionémque carnis, esse mortale; quia tunc esset illas procurare, quod nunquam licet: ergo etiam non reprimere, nam id, maximè in naturis calidioribus, est, virtualiter velle, seu acceptare causam notabiliter influentem.

Respondeo, negando consequentiam: neque enim non reprimere, seu solùm permittere, est acceptare causam notabiliter influentem: tum quia solùm permittens, nec verè vult, nec consentit, nec acceptat, ut supponimus. Esto, non reprimat: tum quia nemo negabit, plus commovere carnem, & incitare ad turpes commotiones vel positivè illos motus, illáque turpes cogitationes fovere, quàm circa eadem se habere negativè. Illud igitur notabiliter ex se influit, non hoc.

## ACPVT III.

### *De Delectatione morosa*

CVm delectatio morosa sit, & experiatur in ipsis cogitationibus internis, hinc maximè eius explicatio pertinet, de qua sic *in methodo Confessionis. l. 2. c. 7. §. 1.* ego disserui.

2 In hoc differt desiderium, & consensus in copulam, verbi gratiâ, illicitam; (idem dicendum in aliis materiis) à delectatione ipsa, quam quis habet de eadem copula; quod desiderium est actus ex se efficax, & consummari inteditur in ipso opere externo fornicationis: Delectatio verò est actus ex se inefficax, & consummatur interiùs: non enim transit ad volendum exequi id, de quo quis delectatur: nam propterea dicitur etiam delectatio morosa: quia peccans, dum moratur in ipsa delectatione, nec ad opus consummatum procedere intendit, in eadem veluti conquiescit. Cùm autem certum sit in desiderio, & consensu, imò, in gaudio de re illicita, iam habita, debere coram Confessario aperiri conditionem personæ desideratæ, hoc modo: *Desideravi monialem, nuptam, &c.* & in homicidio: *Desideravi occidere Patrem, vel Fratrem, &c.* seu: *Gavisus sum occidisse Patrem, Fratrem, &c.* quia tales voluntatis actus supponuntur esse contra diversas virtutes, undè & sine dubio sumunt suam specificationem à talibus obiectis specie mortali diversis: cùm, inquam, certum id omnino sit, celebris controvertitur quæstio de delectatione morosa: An scilicet si quis solùm delectetur (sed non desideret) de copula, quam cogitat, cùm nupta verbi gratiâ, vel cum moniali; debeat id explicare? An potiùs sufficiat dicere: *Toties venerè de copula illicita delectatus sum illam cogitando?*

3. Et, ut pro nostra consuetudine scholasticas quæstiones prætermittamus: Dico probabilem esse sententiam docentem sufficere, sine obligatione declarandi personas, circa quas eiusmodi morosa delectatio versata est. Ita Vasquez, *part. III. &. 112.* Castro Pal. *tom. 1. tractat. 2. d. 2. p. 20. §. 4.* aliique non pauci.

Ratio, est quia delectationes eiusmodi non variantur specie ex varietate conditionum illarum personarum. Non variantur autem, quia satis, supérque, & ad æquatè sumunt contrahúntque suam omnes turpitudinem ex oppositione cum virtute temperantiæ, quæ nunc sola violatur: neque enim ille animus, sic sistens in sola ea voluptate, procedit ad violandum, seu ad desiderium violandi ius speciale conjugatæ, solutæ, sacræ. &c. ergo satis explicatur per solam oppositionem ad virtutem castitatis.

4. Non sic, si quis delectaretur de concubitu coniugatæ, formaliter, uti conjugata est, seu ut nupta est, seu ut sacra est (id, quod certè rarissimum erit) tunc enim esset necesse id explicare, ut ex se patet: nam propterea, si quis se morosè delectaret de concubitu sodomitico, non satis esset si diceret: *Delectatus sum de copula illicita*; sed debet hanc specialitatem explicare, quia tunc formaliter delectatio versatur in talem copulam, ut diversam à naturali congressu.

4. Quod diximus de delectatione morosa, videtur etiam secundùm hanc sententiam, dicendam de aspectibus, quando quis respicit mulieres affectu venereo, sine progressu ad eas concupiscendas: quia tunc videtur similiter, interiùs delectatio tota consummari. At si easdem venereo mortali affectu tangeres, quia exteriùs actio consummatur, esset personæ conditio declaranda.

6. An verò sicuti certùm e, quòd, qui vovit castitatem, si morosè delectetur de obiecto turpi, verbi gratiâ, de fornicatione, debet explicare suum Votum, quia sic adversùs Castitatem, & adversùs Religionem delinquit, ita coniugatus, si similiter morosè delectetur, obstringatur in Confessione explicare, se esse conjugatum: Affirmat Vasquez, *part. 2. tract. 2. disp 112. cap. 2. num. 10.* quia fides Matrimonij obligat, non solùm corpus, sed etiam mentem in aliud obiectum turpe non collocare. Negat Hurtadus *de subiecto pecc. d. 4. diff. 10.* his verbis: *Docet Vasquez conjugatum, qui venereè delectatur de fornicatione cum non sua, non tantùm, peccare peccato luxuriæ contra castitatem, sed etiam peccato adulterij contra fidem Matrimonij. Id tamen difficile est, & absque sufficienti fundamento probatum, quia difficile est, & absque sufficienti fundamento, in Matrimonio præstari fidem conjugi non collocandi mentem in aliena.* Hæc Hurtadus sanè probabiliter.

Iam esse in tactibus ex se honestis, v. g. osculo more patriæ, sed inhonesto tantùm ex pravo affectu, colligitur ex dictis.

De locutione turpi sistente in sola lucutionis delectatione, dixi in superioribus *libro septimo, cap. 8. præsertim §. 4.*

De unico actu desiderij versantis circa multa obiecta, dixi *c. 1. §. 8 & 9.*

7. Hæc *in Methodo Confessionis* pro ea occasione in medium attuli ubi supposui, delectationem internam de objectis graviter illicitis, voluntariè sumptam esse peccatum: quod, licèt certum si, siquidem non multò antè diximus, talem esse delectationem, quæ est obiectum, unde illa conquiritur: tamen adhuc tanquam in proprio loco idem hîc distinctiùs est explicandum, & illustrandum magis, quod iam *in cap. sequent.* faciam.

8. Sed nolo illud hîc non addere. Emmanuël Sà, *v. Confessio, num. 16.* sic habet: *Qui delectatus est de peccatis præteritis aliàs confessis, id solum opertet confiteatur, non autem exprimere, qua illa fuerint peccata.* Verùm id, fuit *in editione Romana* deletum. Et quidem meritò, nam delectatio in peccata diversa, quamvis iam confessa, non tendit in unam rationem communem, sed in ipsas malitias homicidij, verbi gratiâ furti, ornicationis. &c. lege Sanchez, *lib. 1. in Decal. cap. 2. n. 11.* dicentem se latère fundamentum huius doctrinæ Emmanuëlis à.

## CAPVT IV.

### *In quo vitæ statu liceant cogitationes quæ morosæ in materia luxuriæ.*

1. Sémo esse potest, primò, quoad omnino solutos. Secundò, quoad conjugatos. Tertiò, quoad viduos. Quartò quoad olim conjugatos, nunc solutos, quoad viduos.

2. Quoad omninò *Solutos.* Sicuti his sub mortali licet copula, pollutio distillatio, commotio spirituum, generationi inservientium, ita nec delectatio, nec cogitatio morosa de illis: Sicuti autem hi, solùm sub veniali, concent multos actus non libidinosos, & sub nullo peccato actus naturales, ut fusè explicuimus *lib. 7. cap. 3.* sub veniali, vel sub nullo corum delectationem morosam & cogitationem usurpant. Quæ omnia patent ex Aristotelis fundamento, quòd *talis sit delectatio, qualis illud, unde desumitur.*

3. Una supereſt, pro omninò solutis hîc explicanda difficultas. An ij licitè queant delectari morosè in cogitate, vel in appetitu sensitivo, cogitando, vel imaginando copulam, quam sperant habere cum aliqua mina, quando illam uxorem ducent? Et respondeo non licere. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. d. 47. num. 4.* citat. quibus adde Vasquez *part. 2. tract. 1. d. 114.* vis enim eam sperare, imò, & desiderare licite, id tamen solùm intra terminos, & cancellos esse debet quibus non transiliant ad delectationem libidinosam præsentem, hoc est, cui in eo statu, quo soluti sunt, luntariè adhæreant. Ratio est, quia illa delectatio futura copula, apprehensa ut præsenti, vel etiam prehensa ut futura, sed nunc præsentem delectationem motúsque sensuales pasiente, prohibita est solutis, go illis illicita. Prohibita autem est, quia ex se libidinem, & est eius inchoatio, ut vidimus *sup. num. 9.*

Quo autem modo, data causa excusante, possit in operationibus, licèt ex illis prævideatur pollutio, stillatio, &c. dixi fusè *sup. lib. 7. c. 3. §. 5.*

Quoad *Coniugatos*, dixi plenè *sup. ibidem*, capitio, § 5.

4. Quoad *Sponsos, Sponsásque.* Sicuti *supra* simus, his licere quosdam pudicos tactus, amoris signæ, quando exhibentur sine periculo pollutionis consensus in illam, modo *ibidem* explicato; sic in sensi concedimus, posse eos morosè in illis pudicis actibus, amorisque signis delectari, eáque cogitare, vel imaginari, sine prædicto, vel simili periculo. Sanchez *ibid. num. 6.* Vasquez, *ibidem, num 2.* Less. *cap 3. dub. 15. num. 120* lege Bonac. *mox* citandum. Et id ex illo principio toties dicto: *Cui licet operatio, voluptas inde derivata.* Contrà, sicuti *ibidem* docuimus his nequaquam licere tactus impudicos, & multò minùs copulam, ita hîc propter idem principium affirmamus, nec cogitationem morosam de illis, nec delectationem, ulla ratione licere. Illi ergo licitè poterunt desiderare copulam modo dicto *num. 3.* de solutis, sed non eis licebit de illa delectari, nam in hoc sunt omnino solutis pares.

Vnde mihi displicet Fagundez, *præcept. 9. in Decal. cap. 4 numero 3.* docens probabile esse, id licere: non enim est probabile, etiam propter rationes, quas ipse met prosequitur. Et quæso te, Fagundez si dum respondes ad primum argumentum contrariæ sententiæ sic habes: *Ad primum dico, delectationem appetitus sensitivi talem esse, quale est obiectum, unde, cum sumatur ex sua natura in obiectum præsens, hoc est, in matrimonium præsens, & tale matrimonium non detur, sequitur non detur esse copulam mortalem.* Si, inquam, sic docens, quòd non detur esse copulam mortalem. Si, inquam, sic docens, quòd tione, in eodem loco ante sex circiter lineas, docuisti con-

trarium esse probabile? Certe scimus omnes, non esse probabile id, cuius contrarium est evidens.

3. Quoad *Viduos*, Dico, hos posse pari modo gaudere de copula habita, & desiderare futuram pro tempore, quo forte transibunt ad secundas nuptias: sed nullo modo, in præsenti delectari. Ita Sanchez *ibid. n.* 7. Vasq. *p.* 2. *tract.* 1 *disp.* 114. *num.* 3. Castro Pal. *tom.* 1 *tr.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 7. Bonac *de matrim q.* 4. *p.* 14. *p.* 8 *num.* 14. Patet id ex modò dictis. Gaudere enim est, copulam præteritam licitam demtaxat approbare, & desiderare, est futuram eandem licitam velle, quæ non sunt prohibita. At delectari extra fœtum actualem Matrimonij de illa, sive ut præsenti, sive ut præterita, vel futura, sed ut præsentem delectationem patiente, illicitum est, ut modò diximus de omnino, solutis. Qua ratione in prædictis gaudio, & desiderio possit subrepere mortalis culpa, dicam *mox cap. sequenti*, §. 3. *num. vltimo.*

## CAPVT V.

### *An, & quando à cogitationibus malis censeatur separari malitia, ut illæ, earúmque delectatio, licitè admitti possint.*

1. Id duobus modis usu venire potest: Primò, per præcisionem, ut si quis cum delectatione cogitaret de esu carnium, imò, & eas desideraret; præscindendo, an sit prohibitus, nécne, an verbi gratiâ fiat die vetito Veneris, an die Dominico. Secundò, per appositam conditionem, ut si quis delectaretur de aliquo malo objecto sub conditione, si malum non esset: verbi gratiâ, sic: *Delector, imò & cuperem hodie comedere carnes, si dies vetitus non esset.* Vterque modus suas proprias difficultates habet in materia luxuriæ, quas non habet in cæteris materiis, nam propterea separatim de singulis erit disputandum.

§. I. *Per præcisionem in aliis materiis à luxuria.*

Regula universalis hæc est, ex Lessio *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. Vasquez 2. 2 *disput.* 190. *cap.* 2. Sanchez, Castro Palao *mox* citandis. Quoties ab objecto graviter illicito potest separari malitia, per præcisionem intellectus totius, non erit mortale delectari. Verbi gratiâ, quia à comestione carnis vetita die Sabbati, potest intellectus separare, seu præscindere comestionem carnis à circumstantia Sabbati, unde tunc comestio remanet non mala cùm tota eius malitia ex sola prohibitione pro die Sabbati dependeat: ideò tunc cuilibet fideli licebit de illa comestione mentè, & cogitatione delectari, imò & eadem desiderare. Ratio est manifesta, quia objectum sic mentì repræsentatum nullam involvit malitiam, ergo non est, unde in illo immorari sit illicitum. Contrà verò, quoties separari eo modo non potest, delectari de eo, vel illud velle nequaquam licebit, verbi gratiâ, quia ab actu odij Dei non est separabilis, ne ab intellectu quidem, malitia, ideo nec de eo delectari, nec illum cupere licet.

2. Hinc subdenda est alia secunda Regula ex iisdem: Quandoquidem in omnibus objectis solùm illicitis ex præcepto quocunque positivo, semper est separabilis per intellectum malitia, ideo eâ, malitiâ per intellectum præcisâ, seu non intellectâ, poterit fidelis in iisdem delectari, eademque desiderare. Atque ex hac regula fit, ut possim oblectari de negligentia auditionis Missæ Dominicæ, de esu prædicto carnis die Quadragesimæ, de ingressu prohibito in Monasterium Monialium, dummodo ab his abstraham per intellectum, seu non intelligam circumstantiam diei Dominicæ, Quadragesimæ prohibitionis. Nam si delectarer de iisdem, ut prohibitis, seu ut illis circumstantiis subiacent, illicitè me delectandum, nimis est exploratum. Gaudebat quidam Sacerdos, se per inculpabilem oblivionem Matutinum dici hesterni non recitasse; & reprehendebatur ab alio nimis religioso Sacerdote. Hîc dixi, potuisse illum gaudere carentia illa laboris, quæ nunc nullo modo peccaminosa fuit, atque adeò tale gaudij objectum erat ab omni malitia separatum, per medium separabile. Delectabatur alius se occidisse inimicum, & quia id fuit in Ecclesia, dubitabit, an committeret mentale sacrilegium, sic se delectandò; Respondi, licèt commiserit sacrilegium, quando occidit, quia opus externum homicidij non fuit separatum ab Ecclesia; tamen si ipse nunc non delectetur, nisi de occisione, abstrahendo à loco, sacrilegium non committit, quia nunc eiusmodi delectatio peccaminosa, quæ solùm est interior, cadit in solam occisionem, & non in locum sacrum.

3. Subdo, & ego, & Castro Palaus *tom.* 1. *tractatu* 2. *disputatione* 2. *parte* 10. §. 2. *numero* 22. *vers. dico quarto* (non tamen Thomas Sanchez, *loco mox citando*) aliam tertiam Regulam: In aliquibus objectis iure naturæ illicitis potest ab intellectu separari malitia: in aliquibus non potest: licitè igitur in illis delectabitur, illicitè delectabitur in his. Ratio est eadem iam dicta. Dico, *delectabitur*, non verò hîc addo *desiderabit*: id quod *mox numero quarto*, facilè intelliges. Quoniam ergo ab odio Dei, ab idololatria, à mendacio, ab infidelitate, à desperatione, iuramento falso, ea præcisio fieri ab intellectu non potest, quacunque enim facta abstractione semper remanent mala; ideò nec licebit de illis unquam oblectari. At quia eiusmodi separatio fieri potest in homicidio, duello, furto, detractione de vero crimine, & similibus, ideò licebit ex iis sic abstractis delectationem cogitando capessere. Quod autem fieri separatio possit (, id, quod negat Sanchez, *lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. *numero* 10. nam propterea tertiam hanc regulam minùs approbat) inde probatur, quia homicidium authoritate publica, & in bello justo commissum, furtum urgente necessitate, detractio de vero crimine in defensionem iustam facta, mala non sunt; ergo separari ab illis malitia potest, ergo iuxta primam regulam delectari de illis sic à malitia purgatis homo licitè valet. Confirmatur: nam non ob alitam rationem potuit Azor. *parte prima, libro quarto, capite sexto, quæstione prima, fine*, culpæ nequaquam damnare Militem, si is fingens se ducem in bello injusto, solùm delectaretur, quòd fortiter, ac strenuè pugnaverit, quod se defenderit, quòd similia fecerit. Nec ob aliam ipse idem Sanchez, *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *numero trigesimo quinto*, vide etiam *num* 16. peccati non damnat laicum, qui delectaretur cogitare se audire Confessiones, abstrahendo, an habeat iurisdictionem, Sacerdotiúmque, nécne: & tamen est iure naturæ prohibitum pugnare in bello injusto, & audire Confessiones sine iurisdictione, &c.

4. Obiicis primò: prædicta omnia ex natura sua illicita non potest licitè voluntas velle, seu desiderare, ergo nec in iis absolutè delectari. Ita *sup. libro quinto* §. 3. Respondeo, negando consequentiam. Nam desiderium, & voluntas efficax, seu absoluta tendunt ad ponendum ipsum opus externum, quod semper, si est ex se illicitum, est illis circumstantiis vestitum, atque adeò semper malum; id, quod non est in mera delectatione, quæ cùm sit actus inefficax, & consummetur interiùs, poterit sequi ab objecto repræsentato, ut non malo, sine ulteriore progressu ad ipsum opus externum, ut supponimus. Atque ex his vides, cur modò, *numero tertio*, dictum est (*licite quis delectabitur*, non verò *desiderabit*) quod satis sit innuisse.

5. Obiicis iterum: Imaginarium non potest imaginari hæc objecta ex se mala; nisi ut ipsa in re sunt, atque

que adeò malitiam separare non potest ab obiectis ex se, malis, ergo pariter nec intellectus. Respondeo, quidquid sit de antecedente, quod Philosophis decernendum relinquo (lege Castro Pal. *tom. 1. tract. 2. disp. 2. part. 10 §. 1. num. 5.*) nego consequentiam. Nam imaginativa, quæ est potentia sensitiva, esto, non apprehendat res, nisi perinde ac sunt externæ, & sensibiles: At intellectus habet vim abstrahendi unam rationem ab alia, ut ex iisdem Philosophis tanquam certum meritò supponimus.

### §. II. *Per præcisionem in materia luxuriæ.*

1. Licèt in materia luxuriæ possit quis aliquando separare omnem malitiam ab obiecto turpi, potest enim copula fornicaria considerare ipsam copulam, præscindendo ab eo, quòd sit cum non sua, ut item potest osculum apprehendere sine macula impuræ libidinis, ut etiam impudicos tactus partium inhonestarum simili modo valet à turpitudine luxuriæ separare, sicuti facit Medicus, quando eas considerat, ut illas medeatur: Tamen voluntariè, & seriò sine ulla necessitate, vel saltem commoditate, in prædictis, sive in voluntate, sive in appetitu sensitivo, eadem voluntate consentiente, delectari, etiam malitiâ per intellectum abstractâ, esse extra Matrimonij statum mortale, indubitatum mihi est. Ita Vasquez, *part. 2. d. 109. cap. 3. tractatu 3. disp. 6. sectione 4.* Basil. Pont. *lib. 10. de matrimon. cap. 16 §. 2. num. 8.* Ratio ducitur ex illo fundamento aliàs allato, quódque sæpius in hac materia esse repetendum prædixi: quia nimirum propter mirabilem sympathiam harum potentiarum, & actuum, voluntariè in iis delectari, est (ex Castro Pal. *tom. 1. tractatu 2. disp 2. punct. 10 §. 2. num. 6.* contra Sanchez *lib. 9. de matrimon. d. 47. num. 1.* & *lib. 1. in decal. cap. 2. à num. 31.*) velle habere in se aliquid, quod notabiliter influat in pollutionem, distillationem, commotionem, quod nunquam licet: influat, inquam, si non per veram causationem (volo enim abstrahere à speculativis disputationibus) certè per dictam potentiarum, & actuum connexionem, ut ipsa experientia nimis clarè testatur. Quæ ratio, quia non militat in materiis à luxuria diversis, ideò in illis potuimus voluntatis delectationem concedere, quod hîc nulla ratione possumus.

2. Hinc non licebit delectari de pollutione habita in somnis, vel tibi soluto de copula maritali inter Conjuges habita. Ita Sal. *tract. 13. disp. 6 sect. 32. num. 219.* Basilius Pont. *loco citato, num. 13* Castro Pal. *loco cit. n. 10.* quia licèt hæc sine peccato fiant, & à malitia separentur, tamen illa delectatio præsens seriò suscepta, est ex se excitativa impuræ commotionis. Fateor tamen posse te gaudere de prædicta pollutione, & illam desiderare ob finem bonum de oneratæ naturæ, atque etiam gaudere, vel desiderare, ut legitimi Conjuges debitum sibi reddant. Ita idem *ibidem*, & innumeri apud Dianam. *part. 2. tract. 5 resol. 87.* & apud Caramuël *in Reg. Sanct. Benedict. num. 105.* nam illud prius non est delectari de pollutione, sed de pollutionis effectu, qui bonus est: & hoc posterius non est de copula delectationem sumere, sed copulam legitimam approbare, quod certè nihil continet impuritatis.

3. Vnum adverto, si gaudium, vel desiderium sit tantum, ut degeneret in delectationem libidinosam, cum tuo consensu in illam: ne gaudium quidem, vel desiderium fore licitum, idque propter excitam impuram delectationem, modo iamiam dicto.

### §. III. *Per appositam conditionem, in aliis materiis à luxuria.*

1. Regula generalis sit huiusmodi, ex Vasque *parte secunda, disputatione 116. cap. 2.* Sayro, *in clavi libro 8. capite 7. numero 28. & 29.* Salas, *loco citato, sectione 37. numero 108.* Sà, *v. Peccatum, numero secundo.* Bonacina, *de matrimonio, quæstione 4 puncto 8. numero vigesimo primo.* Sive res sit primò prohibita iure positivo secundò, iure naturæ, à qua re separari, per actionem intellectus, possit malitiâ, ut modò dictum est; sive tertiò res sit eodem iure naturæ prohibita, à qua separari malitia non possit: nunquam est malum illud desiderare, & in eo delectari, si apponatur conditio. Exemplum primi est: *Cuperem, vel cum delectatione cupio hoc die Sabbati comedere carnes si veniale non esset, vel si concessus dies esset vel si liceret, vel non esset peccatum:* Hæc ex Caietano *in summa, v. Fornicationis peccata*, reducitur quando res est prohibita eo modo, ut si quis ita sentiat: *Si non fuissem ingressus in religionem, non ingrederer, si non vovissem ieiunium, comederem.* Exemplum secundi: *Cuperem, vel cupio esse latronem, si essem Iudex; furarer, si non esset peccatum, infamarem aliquam, si iustiam haberem infamandi causam, vel si liceret.* Exemplum tertij: *Mendacium profectum, Idolum adorarem, odio Deum haberem, seu cuperem facere, si non esset Dei offensa, si liceret;* &c. Ratio autem horum est, quia hæc est voluntas inefficax, quæ nihil ponit in esse, & cum illa bene stat efficax, & absoluta voluntas, quæ ab illa agenda nequaquam procedit. Sensus enim est: *Ego nolo efficaciter, & absolutè comedere carnes die vetito, volo manere in Religione, nolo furari, nolo prorsus Deum odio habere: quamvis si omnia peccata non forent, hoc est, Dei, & Domini mei esset, facilè mea infirma voluntas in illa propenderet.* Hinc ex hac tertia parte regulæ, vides latiùs patere ad amorem dum peccatum, apponere conditionem, quam sola per intellectum abstrahere: siquidem abstractio non potest haberi in rebus in se intrinsecè malis ut §. præcedenti *numero tertio* vidimus; potest, ut iam dictum est, apponi conditio.

2. Adverte duo, Primò in duabus partibus huius regulæ consentire ferè Doctores: at in parte tertia differre vehementer: Nam Sanchez, alios referens *lib. 9. de matrimonio, in Decal. capite secundo, numero vigesimo primo*, Basilius Pontius, *lib 10 de matrimon. cap. 16. numero vigesimo*, (Ecquales Doctores!) contendunt esse mortale. Vasquez, *part. 2. d. 116. cap. 2.* & Castro Paulus, aliter referens, *tom. 1. tractatu. 1. disputat. 2. punct. 10. §. 1. num.* (Ecqualia item Doctorum lumina!) docent mortale esse desiderare, apposita prædicta conditione, ea, quæ in se inseparabilia sunt à malitia, quorum posteriores nos sequimur, ratio est, quia argumentum, quod urget in prima, & secunda parte regulæ, militat & in tertia. Lege Castro Palaum, qui adversariorum rationes optimè diluit.

3. Adverte secundò ex aliquo capite evenire quando, ut in his *velleitatibus* (sic vulgò appellant) voluntates hæ inefficaces) peccetur mortaliter, ex primum actuali aliquo affectu, quo imperentur. Nam quis enim sic ex animo dicat: *Cupio vindicari de inimico, si mihi liceret: Odio haberem Deum, si non esset peccatum*, &c. aufert quidem malitiam per appositionem conditionis: sed si hi actus imperentur à veto odio inimici, & Dei, iam ex hoc capite peccata erunt mortalia. Nam propterea, quia hic actus: *Destruerem Deum, Destruerem inimicum, si non esset peccatum*, procedit ab odio actuali Dei, vel inimici: ideo, ut idem Castro Palaus *ibid num. 5.* notat, semper erit peccatum, non ex se, sed ex principio, id est, ex odio actuali, unde procedit.

### §. IV. *Per appositam conditionem, in materia luxuriæ.*

1. Regula *præcedenti* allata *paragrapho* valet in hac materia. Ita Castro Pal. Quare si sic quis cuperet: *Fornicarer cum illa, nisi Dei offensa; Vxorem ducerem, nisi essem Sacerdos; Bertam me coniungerem, si mea esset vxor*, &c.

peccaret, quia per illam conditionem iam auferetur ab iis actionibus malitia. Quamvis enim eam conditionem cognoscam nunquam ponendam, vel etiam fac impossibile esse, ut ponatur: tamen sufficit ad vitandum peccatum, si ego illas actiones, absolutè, & efficaciter nolim, ut modò *sup.* §. 3. de aliis materiis dictum est.

2. Duos tamen hîc scopulos cave, quàm occultos, & periculosæ plenos aleæ. Alterum, facile hos actus indeliberatum procedere ab alia actuali voluntate absoluta peccaminosa, & tunc ea desideria esse mortalia ex hoc capite, ita affirmamus, sicuti modò diximus de aliis materiis. Hac ratione peccat mortaliter adolescens, qui ex turpi amore in puellam dicat *hanc vellem tangere, si mea esset uxor*: non enim peccat præcisè ex hoc conditionato actu, quia iam per appositam conditionem eam omni labe purgavit: sed peccat de illo actuali turpi amore, qui hunc actum imperavit, ut in simili §. *præced.* dictum est.

3. Alterum, non debere quempiam in his actibus, quamvis inefficacibus, longo tempore immorari, nec in illis seriò delectari; tunc enim eiusmodi actus influerent notabiliter in pollutionem, vel commotionem obscenam, & sic recurreret doctrina totiès inculcata de sympathia potentiarum, & actuum, quòd scilicet impura libido voluntariè procuraretur.

### §. V. *Expendantur aliquæ aliæ similes conditiones.*

1. SI quis ita animo sentiat, dicátque: *Nolo peccare, quia est Infernus*, seu *ne ad Infernum condemner*, non peccat, immò meretur: quia tunc efficaciter à se peccatum removet, propter motivum honestum: nam Deus consultò gehennam minatur, ne scilicet homines peccent.

2. At verò si optativè sic dicat: *Si non esset Infernus, peccarem*, seu, *vellem peccare*, peccat sine controversia. Ita Bonacin. *de matrimon. quæstione quarta, puncto octavo, num.* 29. Suar. *lib.* 2. *de leg. cap.* 13. *num.* 10. quia tunc sensus est, ipsum velle absolutè peccare, & optare non adesse pœnam Inferni, quod clara culpa est. Dico (optativè) nam si solùm enuntiativè, non peccat, sicut nim hic sensus: *Sum ego talis imbecillitatis, ut me cognoscam facilè peccaturum, nisi me Deus compesceret timore Inferni.*

3. Ex ea distinctione resolve illud, An sit peccatum sic effari: *Nisi essem Religiosus fornicarer, te occiderem vindicarer.* Si enim solùm enuntias imbecillitatem tuam, quâ, sine fræno Religionis facilè lapsus fuisses; nihil peccas. At si dicas optativè, seu etiam animo deliberato illud faciendi, si Religiosus non esses: manifestè peccas, quia sensus est, te absolutè velle peccare, idémque est, ac si diceres optativè, *vellem occidere, vellem fornicari*. Hoc tamen desiderium fornicationis sine præsenti appetitu delectatione, non esset ex Sanchez, *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 28. in specie Sacrilegij, quia per illam conditionem (*si Religiosus non essem*) tollitur circumstantia Voti.

4. Ex eadem distinctione; si quis ita obloquatur: *Si non haberem rationem mei status*, seu *nisi meum statum inficerem*, seu *si essem secularis*, seu *si mihi floreret adolescentia, fornicarer, occiderem, vindicarer*, clarè peccat, si optativè se habeat; vel determinatè ea vellet: quia absolutè affectum haberet ad ea peccata, & solùm propter conditionem sui status ab iis sese cohiberet. Sicut ergo peccaret, qui diceret: *Si nemo me nunc aspiceret, fornicarer*, ita in prædictis. At si eadem enuntiativè proferret, non peccaret, quia sensus esset: *Ego infirmitatem meam agnoscens, enuntio me, nisi ab hoc sancto statu, reprimerer, sine dubio peccaturum*, sicut etiam nec peccat qui enuntiativè sic dicit: *Nisi ab alio inspicerer, peccarem*, quia tunc pari modo solum ostenditur animi propensio, non verò absoluta determinatio peccandi. Ex his colligè similia.

5. Illud superest dubium. An peccet, si quis ita sentiat, dicátve: *Si non esset timor Dei, nollem ieiunare, nollem abstinere à fornicatione.* Quando enim sensus est: *Ex infirmitate seu propensione mea nollem ieiunare, vellem fornicari, sed quia mihi in corde sedet timor Dei, nolo absolutè.* Simile est hoc dictum illi alteri: *Nolo absolutè peccare, quia est infernus*, quod non esse peccatum sic *numero primo*, dictum est, non ergo est peccatum sic sentire, vel dicere. Bonacina, *de matrimon. quæstione quarta, puncto decimo, numero trigesimo*, absolutè docet, esse mortale, si ille intendat velle desistere à peccato ob pœnas, quas timet à Deo infligendas. Sed est distinguendum: si enim prædicta verba dicantur ex sensu, prædictò, non est Bonacinæ assentiendum; idque, tum propter dictam rationem, tum propter communem doctrinam, quâ docetur attritionem partem Sacramenti Pœnitentiæ in hoc Dei timore fundari, ut *fusè alibi*: Et recte Castro Palus, *loco citato* §. *tertio, numero quinto, fine*, sic habet: *Nunquam est peccatum, velle relinquere peccatum, ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris, ob quemcunque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est.* At si eadem verba dicantur in sensu, quo quis velit absolutè peccare, unde & optet infernum non esse, nemo ambigit esse peccatum, ut in simili diximus *num.* 2.

## CAPVT IV.

### *Qua ratione dignoscatur voluntas consensisse moraliter in peccatum, Remissivè.*

1. DE hac satis dilucidè dictum est *libro primo capite primo*, §. *tertio à numero vigesimoseptimo*, quod relege.

## CAPVT VII.

### *Expenditur Decisio Caramuëlis de delectatione speculativa.*

1. CAramuël, *in Reg. Sanct. Benedict. num.* 1039. sic habet: *Ioannes speculativè proponebat sibi varia obiecta, ut maiorem delectationem haberet in mollitie, quo modo peccavit? Reperio tria consideratione digna: Finem, entitatem medij, & ordinationem medij ad finem. Finis est delectabiliter pollutio: non mutat speciem maior, aut minor delectatio; & ideo non est opus in Confessione hanc circumstantiam aperire; entitas medij erat licita, quia est actus speculativus, quæ nullo modo interdicitur, ordinatio medij ad finem non est mala, sed malitia finis, quia sicut materia existit existentia formæ in sententia probabili, ita etiam in eadem medium, seu alias indifferens, inficitur non propria, sed malitia finis Ideo in Confessione dicat, commisi mollitiem, & sufficit.* Hactenus ille.

2. Sed non est audiendus; debet enim is fateri, se contemplatum esse iuvenem, vel fœminam, vel bestiam; &c. Ratio est, quia relictis his tribus à Caramuële desideratis, cùm ipsemet loquatur hîc de actu practico, qua nimirum ratione Ioannes peccaverit, & confiteri sacramentaliter debeat, videndum est, quid fuerit in ipsa praxi. In ipsa autem praxi Ioannes peccavit peculiari illo peccato cogitato; Id, quod probatur, quia ut vidimus *suprà, cap.* 1. *num.* 8. ea speculativa contemplatio seriò & sine ullo fine, seu licita commoditate suscepta, & propter meram ipsam speculativam delectationem assumpta, per sympathiam evocat commotiones spirituum, imò & consensum voluntatis in illud idem obiectum, quod speculativè prætendit contemplari: Si ergo Ioannes

consensit, quod facillimè fecit, iam peccavit voluntate in aliud peccatum, propter ipsam mollitiem: si non consensit, se certè posuit in aperto, & proximo periculo taliter peccandi, imò illud periculum consultò amplexus est, quod esse peccatum eiusdem speciei cum eo, ad quod vergit ipsum periculum, scimus omnes. Ergo necessariò id tanquam novum peccatum aperiendum est. Quare, etiamsi tanquam m dexterrimus sagittarius in ipsam solam speculativm contemplationem de pulchro, verbi gratiâ, juvene collimaverit, quandoquidem seriò propter meram delectationem speculativam id fecit; multò magis, quia ideo sic contemplatus est, ut maiorem delectationem in mollitie sentiret, non potest effugere quin evidens, proximúmque periculum subierit consentiendi in ipsum iuvenem. Relege quæ modò *cap. 1. num. 13.* dixi, maximum signum esse affectus pravi, magis velle in pravis obiectis speculari in aliis.

Coniugem cogitare alias pulchras fœminas, ad actum coniugalem excitet, concessit solùm Sanchez, *lib. 9 de matrim. d. 18. numero sexto*, nos attulimus *sup. libro septimo, capite tertio, § quinto numero decimotertio*: nam pro praxi deinde addidit, valdè dissuadendum, & tamen in hoc casu finis bonus, nempe actus coniugalis, & cogitatio illa non mitur ut magis, quamvis in actu coniugali delect Certè finis bonus, imò & commodus, ut *supra* sicuti etiam delectatio casta de propria coniuge, hit voluntatem à consensu illicito in alias perso gitatas in casu, de quo loquitur Caramuel, omn dicant periculum evidentissimum in pravum consen obiecti cogitati.

*Finis Libri Decimi, ac totius Operis in Decalogum.*

LAUS DEO, BEATISSIMÆ VIRGINI, AC BEATO ALOYSIO.



INDEX

# INDEX

## Rum, & Verborum, quæ in utraquè parte Explicationis Præceptorum Decalogi Libris decem comprehensa, & in duas partes divisa continentur.


A

*Abbatissa.*

Abbatissa an possit irritare, dispensare, commutare Vota. lib.3.c.16.§.4.n.9
Quid de jejuniis Ecclesiæ. lib.4.c.5.§.7.n.61

*Abortus.*

Abortus. lib.6.c.2.§.4

*Absentia.*

Absentia à loco festi qua ratione excusat à laborando. lib.4.c.3.§.2.n.20

*Absolvere.*

Absolvere quis possit hæreticos. lib. 2.c.1. §.8.per tot.
Absolvere quis possit Maleficos, Divinatores, Sortilegos, &c. lib.1.c.5.§.2.n.15
Quis Blasphemos. ibid.§. 4. n. 27.

*Absolutio.*

Absolutio an conferenda differenti solutionem debiti. lib.8.tr.4.c.4
Quid de nolente restituere, cùm possit. ibid n.3
Quid de iusso à Confessario restituere, & nondum restituit. n.10
Quid de non potente restituere in foro externo. num.12
Quid de non ejiciente Concubinam. lib:7. cap .1.§.2 n.2.& 3
Absolutio an neganda se sæpiùs polluenti. lib.7. cap 7. §.2 n.3
Absolutio Abortus. lib.6.c.2.§.4.n.7
Absolutio Duelli. lib 6.c.1.§.3.n.13

*Accepta, Acceptata, Acceptatio*

Accepta ob turpem causam an restituenda. lib. 7. cap. 5 §.2.n.8
Regula ad dignoscendum, quando ob turpem causam accipere quid possis.
Acceptata iuramenta ab homine quam obligationem pariant. lib.3.c.3.§.3.n.13
Acceptatio Iuramenti. Vide *Iuramenti acceptatio.*
Acceptatio Voti. Vide *Voti acceptatio.*

*Accessorium.*

Accessorium sequitur principale in Votis. lib. 3. cap.15. §.3.n.4

*Actio, Actus.*

Actiones, & credita an possint vendi. Vide *Credita an possint vendi.*
Actiones quædam prohibitæ die festivo, lib.4.c.4
Mercatus. n.1
Placitum, n.4
Iuramentum. n.8
Actus Invidiæ quinam sit. Vide *Invidia.*

*Accusare, Accusator.*

Accusare inimicum. Vide *Inimicus.*
Accusator. lib.9.c.2.§.4

*Adiunctio.*

Adiunctio quomodo transferat dominium, lib.8.tract.3 c.3.§.4.n.7

*Adiurare, Adiuratio.*

Adiuratio quid sit. l.3.c.8.§.1
Adiurari quis possit. ibid.
Adiurationis Comites, Veritas, Iustitia, Iudicium ibid.
Adiuratio dæmonum. ibid.§ 2. Vide *Exorcista*

*Admixtio.*

Admixtio quomodo transferat dominium. lib.8. tract.3 c.3.§.4.n.15.& lib.8.tr.4.c.3.n.9

*Adoratio.*

Adoratio quid, & quotuplex sit. lib.2.c.4.§.1
Latria, Hyperdulia, Dulia. ibid.n.2

*Advena.*

Advena Sacerdos, vel Beneficiarius quod officium recitare teneatur. lib.2.c.5.§.2.n.36

*Advocatus.*

Advocatus in probabilibus quid faciet. lib.1.cap.3.§.4.à num.14
Advocatus an possit pacisci cum Cliente de quota litis lib.9.c.2.§.3.n.2
Quid quoad suum stipendium. n.3

*Adulter, Adulterium.*

Adulterium. lib.7.c.3.
Quomodo explicandum in confessione, quando adest ex utraque parte. n.2
Sodomia cum propria coniuge est Adulterium. n.3 & § 2.n.1.
Pollutio in iisdem est adulterium. lib.7.c.3.§.5.n.3
Adulterium an sit fornicatio habens sponsam de futuro lib.7.c.3.n.4
Adulterij pœnæ. lib.7.c.3.§.3
Adulter Adulteram uxorem suam an accusare valeat ibid.n.3
Adulter, qua ratione amittit jus exigendi Debitum. num.5
Adulterio semel à coniuge remisso an possit negari debitum. n.10.& deinceps.
Adulterium, quanam obligatione restitutionem pariat. Vide *Restitutio ex Adulterio.*
Adulterari volenti an possis consulere; ut fornicetur. lib.5.c.1.§.4.à n.10
Adulter an se defendere queat ab volente illum occidere. lib.6.c.1.§. 1.n.8
Adulter an occidi sine peccato queat. lib.6.c.1.§.4.n.3

*Æquivocare.*

Æquivocare in contractibus. lib.3.c.4.§.1
In Iudiciis, aliis à reo. ibid.§.2
Ab ipso reo. ibid.§.3

*Ætas.*

Ætas quæ excusat à Ieiunio. Vide *Causa excusantes à Ieiunio.*

*Alimenta.*

Alimenta Filij, Patris, Matris, &c. Vide *Filius, Pater, Mater, Frater, Soror.*
Alimentorum nomine quid veniat. lib.5.c.3.§.1.n.2

*Alloqui.*

Alloqui inimicum, quando teneamur. lib.5.c.1.§.3. n.25

*Alluvio*

Alluvione quomodo transferatur dominium. lib. 8.tr.3 c.3.§.4.n.2.

*Amens.*

Amenti an reddere debeat alter coniux debitum. lib. 7 c.3.§.5.n.29.
Amenti an possis laborem præcipere die festo. lib. 4.c.3 §.1.n.17.

*Amor.*

Amor inimici : Vide *Charitas.*
Amor proximi : Vide *Præceptum de diligendo.*
Amor proximi, an iubeat pro eius salute vitam propriam negligere. lib.5.c.1.§.2.à n.5
Amoris signa inter coniuges. lib.7.c.3.§.5.n.57

*Amplexus.*

Amplexus. Vide *Tactus.*

*Animal.*

Animalia quæ prohibentur comedi die iejunij. lib.4.c.5 §.1.à n.10

*Anticipatò, Anticipare.*

Anticipatò an possit sumi lucrum cessans ex mutuo. l.8 tr.3.c.8.§.2.n 16
Anticipare an liceat horam cœnæ in die iejunij ; Vide *Hora comedendi.*

*Antiphona.*

Antiphonas dumtaxat audiendo an satisfiat obligationi. lib.2.c.5.§.3.n.10

*Apostasia.*

Apostasia. lib.2.c.1.§.9

*Appetitus.*

Appetitus rationalis, & sensitivus quis. lib.1.c.2 §.1.n.4

*Aqua.*

Aquam miscere vino &, sic vendere an liceat. lib.8. tr.3 c.7.n. 5.§.5.& §.11.n.6
Aquammiscere vino,& sic vendere an liceat. lib.8. tr.3 c.7.§.5.n.3.& §.11.n.6
Aqua Saccaro condita an violet ieiunium. lib.4. cap.5 §.2.n.5

*Arrha*

Arrha recepta in venditione an sit computanda in pretium. l.8.tr.3.c.7.n.18

*Aspectus*

Aspectus turpes, ut causæ Pollutionis lib.7.c.3.§.5.n.50 & 51.
Aspectus turpes inter coniugatos, lib.7.c.3.§ 5.a n.41
Aspectus turpes inter solutos. lib.7. cap.8.§.1.à n. 6.& §.3.per totum.

*Astrologia.*

Astrologia. lib.2.c.6.§.1.n.4

*Attentio.*

Attentio quæ in orando. lib.2.c.§.4.2. n. 8
Quid in Horis Canonicis privatim. ibid.c.5.§.3.n.2.
Quid in Choro. §.4.n.9
Attentio quæ necessaria in auditione Missæ. lib.4.cap.2. §.1.n.19 lib.c.5.§.3.n.2

*Auriga.*

Auriga Amasiam ducens an peccet. lib.8.c.1.§.4.n.30

*Aurum.*

Aurum inventum in sacculo lupulorum tibi vendito cuius est. lib.8.tr.3.c.7.§.11.n.42.

*Auus.*

Avus quid possit circa vota nepotis, cuius pater vivit lib.5.c.3.§.1.n.13

B

*Bacchanalia.*

Bacchanalium nocte ultima quâ horâ possunt carnes comedi. l.4.c.5.§.5.n.9

*Barbitonsor.*

Barbitonsoribus an liceat die festo tondere, lib.4. cap.3 §.2.n.13

*Barrataria.*

Barrataria, id est, Domus exposita ludo. lib 8. tract.2. c.9.§.1.n.32

*Bellum.*

Bellum gerere an liceat Regi ob rationes probabiles, lib.1.c.3.§.4.n.29.
Quid de militibus. n.36
Belli iniusti Miles an se defendere possit ab volentibus ipsum occidere. lib.6.c.1.§.1.n.19

*Beneficiarius, Beneficium.*

Beneficia communia negare inimico non licet. lib.5.c.1. §.3.n.17
Beneficiatij an ita sint Domini redditum Ecclesiastico-rum, ut possint profanè expendere. lib.1.tr.2.c.
Beneficia quibus conferenda. lib.1.tr.2.c.
Nequaquam indignis.
An semper dignioribus.
Beneficiarius qui sit Sacerdos quot peccata omittens Officium. lib.2.c.5.§.
Beneficiarij qua ratione teneantur ad Horas Can. ibid. à n.19
Beneficiarius advena quod officium recitare ibid.n.36
Beneficiorum præsentatione, collationéve nonvetitæ die festivo. lib.4.c.
Beneficium tenue habens an obligetur ad lib.2.c.5.§.1.n.24

*Bestialitas.*

Bestialitas, quæ peccati species. lib.7.c.
An differat à concubitu cum dæmone. n.
An censeatur reservatum sub reservatione §.6.n.6

*Blasphemans, Blasphemia, Blasphemus.*

Blasphemia. lib.2.c.
Hæreticalis,
Simplex.
Demendo, vel addendo.
Verba certò blasphema.
Verba certò non blasphema.
Verba dubiè blasphema.
Blasphemiane est, quæ profertur sub conditione num.22.
Quid de iuramento per vitam Dei.
Quid nominando membra Christi Domini, vel Sanctorum.
Blasphemiæ quæ denuntiandæ.
Quomodo confitendæ.
Blasphemus qua ratione corrigendus.
Blasphemiæ, & Maledictionis discrimen.
Blasphemantium pœna.
Blasphemantium Absolutio.
Ad Blasphemiam inducens amentem peccat. lib.c. 6.n.7
Blaphemiis vitam prolongare intendens damnandus mortem, an adhuc occidendus. lib.6.c.1.§.

*Bona*

Bona Castrensia, vel quasi, adventitia, profectitia
*Peculium filiorum.*
Bona Ecclesiastica lædere an sit sacrilegium, lib. §.3.n.9
Bona vacantia quæ. lib.8.tr.4.c.1.§.
Bona vacantia non sunt, quæ ab intestato relinquuntur lib.8.tr.1.c.2.§.1.n.*præterim*
Bona quæ tenetur filius conferre cum fratribus cum Patre. l.5.c.4.§.1.n.3.& *seqq.*
Bona servi ab intestato defuncti cuiusnam sint. lib. tr.1.c.2.§.1.n.15
Bonis proximi temporalibus, & nostris concurrentibus quæ præferenda. lib.5.c.1. ibidem
Bonis vitæ.
Bonis Honoris, & Fortunarum.
Bonis proximi spiritualibus, & nostris, sive spiritualibus, sive temporalibus concurrentibus, quæ præferenda. lib.5.c.1.§.2.*per totum*
Bonorum cessio facta ab eo, qui non est solvendo operatur. lib.8.tr.4.c.2.§.
Bonorum omnium venditio. lib.8.tr.3.c.7.§.1.n.
*Bona fides.*
Bonæ fidei, quando supervenit mala, & contra quid ab eo, qui rem alienam consumpsit. lib.8.tr.3.cap. §.6.lege etiam tr.2.c.1.n.8
Quid si id eveniat mihi respectu mei prædecessoris ibid.n.3
Bonæ fidei, & stricti iuris contractus, quinam sint Vide *Contractus.*
Bona fides excusat à iejunio. l.4.c.5.n.9
*Breviarium.*
Breviarij novi usus an sub obligatione. lib.2.c.5.§.2.n.

Quæ licentia requiritur ad hæc imprimenda ibidem. n.4.
Brevitas quæ temporis excusat laborem diei festivi. l.4. c.3.§.2.n.1

*Bulla*

Bulla Cruciatæ quam potestatem dat ad vota commutanda. l.3. c. 16.§.5.n.11
Bullam eandem habens an obligetur tempore interdicti adesse Sacro in die festo. l.4.c.2.§.2.n.2
Bulla eadem an Sacerdotibus, & Religiosis concedat usum lacticiniorum in Dominicis Quadragesimæ. l.4.c.5.§.1.n.17
Bullæ Pontificum circa pacta in creandis censibus. l.8 t.3.c.7.§.8.à n.20

*Butyrum.*

Butyro an vesci liceat iis, quibus licent lacticinia. l.4 c.4§1.n.19
An in ientaculo ieiunij. ibid.§.3.n.4

C

*Cæcus.*

Cæcus, vel luscus qua ratione obligetur ad officium recitandum. l.2.c.5.§.3.n.10.11.&14

*Cantare.*

Cantare profana in Ecclesia quod peccatum. lib.2.c.8. §.1.n.3.

*Capellanus, Capellania.*

Capellano Monialium an liceat recitare Officium, de quo recitant Moniales. lib.2.c.5.§.2.n.32
Capellania fruentes an teneantur ad Horas Canonicas ibid. .1.n.20.

*Caput*

Capita animalium non comedere an apta materia voti. ibid3 c.15.§.2n.9.

*Capitulum.*

Capitulum, Sede vacante, quid possit in iuramentis lib.3.c.7.§.3.n.7.& c.16.§.4.n.4
Quid in Votis. c. 17.§.4.n.4
Quid in operibus servilibus die festo. lib.4.cap.3.§.2 num. 56.
Quid in ieiuniis. l.4.c.5.§.7.c.55
Capitulum, Sede vacante, an possit absolvere ab hæresi. lib.2.c.1.§.8.n.12

*Caramuël.*

Caramuël non approbatur primò in duobus dictis in materia luxuriæ. lib.7.c.9.
Secundò in peculio servi. l.8.tr.1.c.2.§.1.à n.4
Tertiò in quatuor dictis circa paupertatem Religiosam. lib.8.tr.1.c.2.§.5.n.2
Quartò in quatuor casibus in materia restitutionis, lib.8.tr.4.c.3
Quintò in delectatione speculativa. lib.10.c.7

*Carnes.*

Carnes comedere an quis possit in probabilitate mediæ noctis. lib.1.c.3.§.7.Vide *ieiunium.*
Vide etiam. § 1.n.6
An possit, ne comprehendatur ut Catholicus. lib.2. c.1.§.3.n.8
Carnes non comedere est de essentia iniunij, lib.4.capite 5.§.1
Carnes ex dispensatione comedens an teneatur ad ieiunium. Vide *Dispensatus ad carnes.*
Carnes pluries comedens die ieiunij, an pluries peccet lib.4.c.5.§.1.n.17
Carnes quas respuit ieiunium. Vide *Ieiunium Ecclesiasticum quid sit.*

*Caseus.*

Caseo an liceat uti iis, quibus licent lacticinia. Vide *Butyrum.*
Caseum adhibere in ientaculo, &c. l.4.c.5.§.3.n.4

*Catechumenus.*

Catechumenus negans articulum fidei an propriè sit hæreticus. lib.2.c.1.§.4.n.2

*Causa.*

Causa, quæ requiritur ad differendam Voti executionem. l.3.c.12.§.3.à n.8.
Causæ excusantes à recitando Officio divino, quæ.l.2 cap.5.§.8
Impotencia. n.2
Quid, si impotentia sit solùm ad partem. n.3.
Infirmitas. n.13.
Nocumentum dubium. n.15
Gravis occupatio. n.16.
Paupertas.. n.18.
Causæ ad dispensandum in iuramentis. lib.3.cap.7.§.8 num. 14.
Quid, existente causa dubia. ibid n.17
Ad commutandum in iisdem. l.3.c.7.§.4.n.11
Ad dispensandum in votis. l.3.c.16.§.4.n. 10
Ad commutandum in iisdem. ibid.§.5.n.7.8.&18
Ad concedendum laborem die festivo. lib.4.cap.3.§.à n.38 & 39
Causæ excusantes, à laborando in diebus festis. Vide *Festo die.*
Causæ Ciuiles, & Criminales quæ prohibitæ die festo lib.4.cap.4.n.4.
Causæ excusantes à iejunio. lib.4 c.5.§7
Ætas sive sevilis, sive iuvenilis à n.1
Quid in fœminis quinquagenariis. n. 5
Quid de Religioso quoad ieiunia Regulæ.àn. 9.ibid.
Quid de eodem Sexagenario quoad eadem. n.8.
Quid de iisdem quoad Votum ieiunandi.
Quid quoad ieiunium subrogatum votis à Pontifice à num. 10
Infirmitas, quæ & quanta. à n. 14
Ars laboriosa. n. 18
Exercitia per se laboriosa quæ. n.21
Per se non laboriosa, quæ. n.25
Dubiè laboriosa, quæ. à n.26
Quid de Coquis. n. 27
De sutoribus. n. 28
De Barbitonsoribus. n.29
De assumentibus artem laboriosam ex sua voluntate. num.30
Paupertas quæ. n.33
Qui de volente laborare, ut sic restituat, potéstne negligere ieiunium. n. 35
Coniugium in quibus casibus. n. 37
Opera pietatis, & difficultas ieiunandi. n.46.& 47
Transitus per loca infidelium. n 48
Bona fides. n.49
Ratio hospitij. n.50
Ratio loci: excusatio dubia. n.51
Dispensatio, num.52. Vide *Dispensare quis potest in ieiunio.*
Causa quæ non excusat à cooperando cum peccato alterius. l.5.c.1.§.4.à n. 15
Causæ negandi alimenta filio, ipsumque exhæredandi. lib.5.c.3.§.1.n.8
Causæ excusantes, & non excusantes à pollutione. l.7. c.3 §.5.n.48
Causæ excusantes à restitutione bonorum temporalium Vide *Excusantes causæ.*
Causæ excusantes à restitutione famæ: Vide *Famæ restitutio.* *Censuræ.*
Censuræ an incurrantur cum ignorantia, & qua. lib.1 c.2.§.10.n.21.lege item lib.2.c.1.§.7. à n.21

*Charitas.*

Charitas inimici debita quò se extendat. lib.5.cap.1.§.3 *per totum.*
Charitas proximis debita in temporalibus. lib.5.cap.2 §.1. *per totum.*
Charitas debita proximis in spiritualibus. lib.3. cap.1. §.12
Charitas parentibus debita. lib 5.c.2. *per totum.*
Charitas erga Deum quid sit. lib.2.c 3.§.1


Quando

Quando obligat. §.2
Charitas an excuſet ab auditione Sacri. lib.4. cap.2§.1 num 5
Quid in iejuniis; Vide *Hoſpitij Ratio.*

*Chirographum.*

Chirographa; Vide *Credita an poſſint vendi.*

*Choreæ.*

Choreæ an prohibitæ. lib.7.c.8.§.7.
Chorearum tres Claſſes. n.1
Prima pudica, ſeu pura. ibid.
Secunda impura per ſe. n.3
Tertia impura per accidens. ibid.
Choreæ an ſint, vel ratione loci, vel perſonarum prohibitæ. lib.7.c.8.§.7.n.5

*Chorus.*

Choro non aſſiſtens, ſed nec diſtributiones ſumens an peccet. l.2.c.5.§.4.n.1
Chori aſſiſtentia an ſuppleat attentioni. ibid.n.10

*Chriſtianus.*

Chriſtiano an liceat remigare in Claſſibus Turcarum. l.5.c.1.§.4.n.4.
Chriſtiano an liceat uſuris, & furtis Turcas expilare lib.8.tr.3.c.8.§.2.n.11

*Clericus.*

Clerici Beneficiarij. Vide *Beneficiarij.*
Clerici quando prohibentur iurare in manibus laici. lib.3.c.5

*Circumſtantiæ.*

Circumſtantiæ Reſtitutionis. l.8.tr.4.c.1
Quis. §.1
Pauper fictus. n.2
Religioſus ære alieno, vel furto gravatus. §.7
Cui. §.3
An reſtituenda res Domino nocitura.n.2. Vide etiam t.2.c.1.n.5. in fine.
Cui reſtituendum, defuncto Domino ſine hæredibus num.11.
Cui, quando incertus eſt Dominus. n.15
Cui, quando nullus exiſtit Dominus. n.32
*Vbi* de Theſauris.
Quantum. §.4
Quomodo. §.5
Reſtitutio facta Domino, illo non advertente. n.2
Reſtitutio facta per intermediam perſonam. n.3
Quid ſi mediator rem reſtituendam amittat. n.9
Dare damnum an teneatur hæres, mortuo donatore. num.11
Quando. §.6
Ordine quo. §.7
Quo loco. §.8
Quando ex delicto. n.2.
Quando ex re accepta. n.6.
Quando ex contractu. n.8.

*Coactum.*

Coactum quid ſit. lib.1.c.2.§.3.

*Cocholata*

Cocholata an frangat iejunium. lib.4.c.5.§.2.n.7

*Cogi.*

Cogi quis an poſſit rem ſuam vendere. lib.8.tr.3.cap.7. §.1.n.13
Cogi quis an poſſit rem alienam emere. lib.8.tr.3.cap.7. §.5.n.2

*Cogitationes.*

Cogitationes turpes, ut cauſæ pollutionis. l.7.c.3.§.5 n.50 & 51
Cogitationes moroſæ. lib.10.c.3. Vide etiam *Delectatio ſpeculativa.*
Cogitationes quædam moroſæ, in quo vitæ ſtatu liceant. lib.10 n.4
Quoad omnino ſolutos. n.2
Quoad coniugatos. n.3
Quoad ſponſos. n.4
Quoad viduos. n.5
A Cogitationibus malis, quando cenſeatur ſ... malitia. lib.
Per præciſionem in aliis materiis à luxuria.
Per præciſionem in materia luxuriæ.
Per appoſitam conditionem in aliis materiis à ... ria.
Per appoſitam conditionem in materia luxuriæ.
Perpenduntur quædam aliæ conditiones.
Cogitationes, & imaginationes obiecti mali, quando ... peccata. lib.

*Comeſtio.*

Comeſtio calidorum, ut cauſa pollutionis. lib.7.c. §.5.n.51

*Commodata res.*

Commodatam rem an quis debeat in communi ... culo præferre ſuæ. lib.8.tr.3.c.

*Commoditas.*

Commoditas voventis an det cauſam diſpenſ... Voti. lib.3.c.16.§.

*Commutatio.*

Commutatio iuramenti quæ, à quo, proper quas. lib.3.c.7.§.4. per
Commutatio voti in maius, inæquale, in minus l... c.16 § 5. p... totum.
Commutationes aliquæ votorum practicæ. lib.3.cap.... §.6.num.1
de Commutatione quadam Voti, & iuramenti ... ſilium.

*Compenſatio.*

Compenſatio. lib.8.tr.4.c.
An ſit fur, qui ſibi compenſat, quod ipſi debetur. §.
Compenſatio cum, rediverſa à ſua. §.
Compenſatio in debito dubio. §.
Compenſatio in re, quæ mittitur ad debitorem, vel ... debetur. §.
Compenſatio famulorum. §.
Compenſatio fideiuſſoris. §.
Compenſatio ex bonis defuncti. §.
Compenſatio contra iuramentum quandonam eſt ... lib.3.c.5.à n.34

*Concauſa.*

Concauſæ, ſeu cooperatores ad actionem injuſtam ... reſtitutionem. lib.8.tr.4.c.
Iuſſio, ſeu mandatum. §.
Conſilium. §.
Conſenſus, Palpo. §.
Recurſus. §.
Participans. §.
Mutus Non obſtans. Non manifeſtans. §.
Quo ordine hæ concauſæ teneantur ad reſtitu... nem. §.
Quantum quælibet reſtituere debet. §.

*Concubina, Concubinatus.*

Concubinam aſſociare an liceat famulo. lib.5.cap.1.§.1 num.18.
Concubinatus quid ſit. lib.7.c.1.§.1.n.1
An abſolvendus qui concubinam non ejicit. ibidem num.3
Pœnæ concubinatus. n.
Concubina, quoad cooperationem cum ipſius peccato. Vide *Cooperatio cum Amaſia.*

*Concubitus*

Concubitus cum dæmone: Vide *Beſtialitas.*

*Concupiſcentia, Concupiſcere.*

Concupiſcentia an minuat voluntarium, lib.1.c.2.§.
Concupiſcere fœminam ignotam an ſit ſtuprum, adul... terium, & ſacrilegium. lib.1.c.1.§.4.n.
Concupiſcentiæ ſedatio ſola an ſit rectus finis in ma... trimonio. lib.7.c.3.§.1.n.

*Concurrere.*

Concurrente vita propria, vel honore, cum bonis proximi, vel Reip. quid præferendum. lib.8.cap.1.to 5.1.

*Conditio, Conditionatus.*

Conditio in votis, conditionalibus quomodo implenda, l.3.c.12.§.6.n.4

An possit impediri, vel à vovente, vel ab alio. ibid. à num.5

Conditionta vota, an reservata. lib.3.c.16.§.4.n.32

Conditiontæ blasphemiæ quæ. l.2.c.6.§.4.n.22

Conditiones requisitæ ad iustam interesse ex damno emergente, vel lucro cessante. lib.8.tr.3.c.8.§.3.n.2. & num.11

Conditiones appositæ, quando auferunt malitiam à cogitationibus. lib.10.cap.5.§.3. & §.4.& 5. vide etiam verb. à Cogitationibus malis.

*Confabulans.*

Confabulans in choro an satisfaciat. lib.2.c.5.§.4.n.22

*Confessarius, Confessio.*

Confessarij instructio pro scrupulosis. lib.1. cap.3. §.8. a num.13

Confessarius an possit dispensare in iejuniis Ecclesiæ. lib.4.c.5.§.7.n.61

Confessio fidei quando necessariò est exhibenda, Vide *Credere.*

Confessarius, quomodo se gerat cum volente differre restitutionem, vel nolente restituere. lib.8.tr.4.c.4.per totum.

Confessarius, quàm prudenter se habere debeat in examinandis peccatis luxuriæ. lib.7.c.7.§.4.n.4.

Confessarius, quam pœnitentiam iniungat homicidæ lib.6.c.3.§.3

Confessarius quomodo se gerat circa inimicos nolentes se alloqui. lib.5.c.1.§.3.n.18

*Confessio.*

Confessio frequens cum eodem Confessario magnum remedium contra luxuriam. lib.7.c.10.n.5

*Confusio.*

Confusio rerum, quomodo transferat dominium, lib.8 tr.3.c.3.§.4.n.11

*Coniugium.*

Coniugium quando dat causam excusantem à iejuniis, lib.4.c.5.§.7.n.27

*Coniugatus, Coniux.*

Conjugatis an liceant cogitationes morosæ lib.10. c.4. n.3. fine, remissivè ad lib.7.c.3.§.5

Conjuges quid sibi invicem debeant. lib.5.c.3

Conjugatorum peccata in materia luxuriæ. lib. 7. capite 3.§.5

Coniugis pollutio. n.2

Coniux an peccet, si reddat debitum alteri semen extra vas effundenti. n.4

Coniux an seipsum libidinosè tangere absente altero, possit. lib.7.c.3.§.5.n.45

Coniux, quomodo se habere debet, quando alter est adulter. lib.7.c.3.§.3.à n.6

*Conscientia.*

Conscientia probabilis, seu opinio, quid, & quotuplex l.1.c.1.§.3

An illam pariat authoritas unius. à n.4

An probabilitas probabilis. à n.7

An æqualis probabilitas. à n.9

Conscientia, quid & quotuplex. ibid.§.1

Vera falsa, erronea, probabilis, dubia. à n.2

Conscientiam errantem an sequi debeas. ibid.§.2

Quomodo eam deponere. à n.9

Conscientia dubia quale peccatum parit. ibid. §.6. à num.2

Conscientia scrupulosa quæ, unde oriatur, & quid remedij. lib.1.c.3.§.8. per totum

Pœnitentis scrupulosi instructio. n.4

Confessarij pro eodem instructio. à n.13

*Consensus.*

Consensus, una ex concausis injustæ actionis, quam pariat obligationem restitutionis. lib.8.tr.4.c.2.§.3

*Consilium.*

Consilium, una ex concausis actionis. ibid.§.2

Consilium dare ad peccatum minus, ut vitetur maius. Vide *invitare peccatum.*

Consilium petere à Patre pro matrimonio, an debeat filius. lib.5.c.2.§.3.n.5

*Consuetudo.*

Consuetudo iurandi. l.3.c.1.§.6.

Consuetudo malè iurandi an sit in se peccatum. ibid. num.1

Consuetudo an excuset ab auditione Sacri die festivo. lib.4.c.2.§.2.n.9

An à laborando. lib.4.c.3.§.2.n.21.

Consuetudo quibus signis cognoscitur fuisse introducta cum obligatione. lib.8.tract.1.cap.4.§.2.num.15. & deinceps.

*Contemptus.*

Contemptus in rebus Sacris an aliquando venialis. l.1 c.1.§.3.n.6

Contemptus præcepti quando mortalis. ibid §.4.n.6

*Continuare.*

Continuatum peccatum nolentis restituere. ibi.8.tr.2. cap.7.

*Contractus.*

Contractus ex metu gravi injusto. l.1.c.2.§.5.à n.11

Ex levi. §.6.

Ex dolo. §.4.n.20

Contractus an confirmentur iuramento. l.3.c.3.§.6

in Contractibus an æquivocare, vel fictè iurare liceat, l.3.c.4.§.1

Contractus, quid sit. l.8.tr.3.c.6.§.1.

Eius divisio in nominatum, innominatum, bonæ fidei, stricti iuris, nudum, vestitum, onerosum, lucrativum. ibid.

Contractus Emptionis frumentorum à Massario formula, & iustitia. l.8.tr.3.c.7.§.7.n.11

Contractus cum dolo, vi, &c. Vide, *Deceptiones occurrentes.*

Contractus emptionis, & venditionis: Vide, *Emptio, & Venditio.*

Contractus à gaudere. l.8.tr.3.c.7.§.6.n.16

*Contumelia.*

Contumeliæ. l.9.c.3.§.8

*Cooperari Cooperatio, Cooperator.*

Cooperatio cum aliis in fractione iejunij. l.4.c.5.§.6

Pater, & Dominus respectu familiæ. n.2

Caupones, & qui cibos vendunt. n.6

Amici, seu Hospites. à n.8

Cooperati in die festo cum infidelibus in opere servili: Vide: *Opera Servilia.*

Cooperati ad peccatum, quando peccatum. l.5.c.1.§.4. num.15

Cooperatio famuli cum peccato Domini, quando excusatur. l.5.c.1.§.4.n.18

Cooperatio cum amasia. ibid.à.n.23

Cooperatio vendentium cum malè ementibus, à n. 33

Cum soluturis iejunium. n.35

Cum idololatra. n.38

Cum ministrante indignè sacramenta. n.39

Cum inique pugnantibus, & aliena bona diripientibus. n.40

Cum vsurariis. n.41

Cum transgressuro præceptum. n.62

Cum parato ad peccandam. n.65

Cooperatores cum ludentibus: Vide, *Barataria.*

Cooperatores cum injustis actibus, quoad obligationem Restitutionis: Vide, *Concausæ.*

Cooperatores cum homicida quid debeant: Vide, *Homicidij cooperator.* *Copula.*

Copulæ finis, quinam esse debet. l.7.c.3.§.5.5.n.5

Sola sedatio concupiscentiæ, vel sanitas an sit bonus finis. n.8

Quid

Quid sola delectatio. n.9
An habens intentionem ad aliam peccet. n.13
An effundendo semen extra vas. n.14
An seminante altero ex conjuge, alterum omnis seminare. n.17
An Coniux semper reddere debitum obligetur sub mortali. n.20
Afferuntur nihilominus decem excusationes. à n.21
Petere debitum intra vas præposterum, semper est peccatum. n.31
Quid de tactibus circa illud vas, vel intra os? n.32.& 33
Modus, seu situs diversus in copula quod peccatum. num.34
Tempus menstrui, vel gravidationis, an arceat Coniuges à copula. n.35
An Tempus Adventus, vel Quadragesimæ. n.36
An Tempus senectutis. n.37
An locus publicus, vel sacer. n.39.& 40
Tactus, oscula, aspectus, verba turpia, quando in Conjugatis sunt peccata: Vide eadem Voces.
Copula cum dormiente, vel sensibus destituta, an sit raptus l.7.c.6.§.1.n.17
Quid cum statua Marmorea. l.7.c.7.§.2.n.10
Copula Matrimonialis an interrumpi queat. l.7.c.3.§.5. num.16
Quid de fornicaria. c.1 [illegible]
Copula cum Vidua an sit simplex fornicatio. lib.7.c.1 §.2.num.4
Copula cum sponsa alterius an sit adulterium. numero.9
Copulæ finis, Modus &c. Vide, *Coniugatorum peccata in materia luxuriæ.*

*Coquus.*

Coqui an excusentur à Iejunio? l.4.c.5.§.7.n.27

*Credere.*

Credere quid debemus ex necessitate mei? lib.2.cap.1. §.1.n.2
Quid de necessitate præcepti. n.5
Quando. à n.8

*Creditum.*

Credita an possint vendi, & quanti. l.8.tr.3.c.7.§.3.n.7 &§.8.per totum.
Creditâ pecuniâ vendere: Vide *Vendere pecuniâ creditâ*

*Credulitas.*

Credulitas infallibilis ex astris an peccaminosa. lib.2.c.6. §.1.n.10

*Crux.*

Crux CHRISTI DOMINI, qua adoratione colenda, Vide, *Reliquiæ CHRISTI & Sanctorum.*

*Cubiculum.*

Cubiculum amico commodare an possis ad fornicandum. l.5.c.1.§...n.10

*Cui.*

Cui, una ex circumstantiis restitutionis. lib.8.tract.4. c.1.§.3

*Culpa.*

Culpa iuridica, lata, levis, levissima, Theologica, venialis vel mortalis. l.8.tr.3.c.2.§.4.n.1.&2
Culpa in propriè dicto contractu. lib.8.tr.3.c.5.§.1
Culpa in quasi contractu. ibid.§.2
Culpa levis in una materia, gravis subinde est in alia. lib.8.tr.3.c.5.n.1.& 2.& §.4.n.3.
Culpam non committens, non est dignus pœna. l.5.c.1 §.5.n.22

*Cultus*

Cultus Divinus, an det causam laborandi die festivo. lib.4.c.3.§.2.n.3

*Curator.*

Curator quæ Minoris vota irritare valeat. lib.3.cap.16 §.3.à n.17

*Custos.*

Custodes ex officio tenentur ad restitutionem ablatorum, nisi fures manifestent. lib.8.tr.3.c.2.§.6.n.12
Quid de restitutione pœnæ, quæ non solvere
Custodes, & similes an abscondere possint, qui rescomprehendant lib.5.c.1.§.4.n.2

D

*Domnificatio, Damnum*

Damnum, quod dat causam dispensandi vot c.16.§.4.n.15
Damnum secutum, debitor morosus decimæ, detentio, depositum, detractio, dispensatio, donatio bis horum quid fiet.
Damnum datum, quam obligationem restitu riat.
Damnum datum à tuo animali, vel servo. num.4
Damnum datum à tuo filio.
Damnum emergens ex Mutuo, lib.8.tr.3.c.8.§.
Damnificatio: Vide, *Restitutionis radix tertia.*

*Damon.*

Dæmonum adiuratio quæ, & qualis, &c.
Collocutio.
Petitio.
Præceptio.
Cætera vide *v. Adiurari, Exorcista.*

*Debitum.*

Debita Patris an solvere teneatur filius num.7
Quid quando Filius possidet bona vinculata num.7

*Debitum conjugale.*

Debiti conjugalis petitio, vel redditio, quando alter iux est adulter. lib.5.c.13.
Quid de redditione, quando alter cum peccato lib.7.c.3..5.n.11
Debitum Matrimonij, lib.7.c.3.§.5.à n.20. Vide Conjugatorum peccata in materia luxuriæ.
A Debito matrimoniali reddendo, decem causæ sant. d.5.q.

*Deceptio, Decipiens.*

Deceptiones occurrentes in emptione, & vendit lib.8.tr.3.cap.7.§.13
In pretio.
In venditione facta duobus.
In diminutione rei venditæ.
Miscendo rem vilem cum pretiosa.
Vendendo qui pro quo.
Fraus, & dolus, vel error in ipsa venditione.
Quando dolus dat causam contractus.
Quando dolus incidit in contractus.
Quando dolus tertij dat, vel non dat causam tractus.
Quando non servatur expressa conditio.
Decipiens pœnitens an monere debeat deceptum. num.22
Ex Deceptione initi contractus cum iuramento q ibid.
Decipiens occultando, vel non manifestando vitia mercis. l.8.tr.3.c.7.§.11.
Quid si vitium sit in parte mercis.
Vitium patens an manifestandum à vendente.
Interrogatus vendens de vitio, quid respondebit
Vendens rem incogniti valoris, an iudicetur decep à n.34
Quid de vendente rem in se ignotam.
Deceptio in solutione per monetam falsam. num.43
Deceptio in Monopoliis: Vide, *Monopolium.*

*Decimæ.*

Decimas non solvere an Sacrilegium. lib.2.cap.4. num.11

*Dedecus.*

Dedecus subire, an obligemur propter bonum

l.5.c.1.§.1.à n.6

*Desloratio.*

mi.

Desloratior Virginis. Vide, *Stuprator.*

*Defunctus.*

Defunctorum Officium die secundo Novembris, an sub obligatione recitandum. l.2.c.5.§.2.n.13

An possit recitari pridie Vesperi. ib.§.5.n.7

*Degradatus.*

Degradatus an ad Officium teneatur. lib.2.c.5.§.1 num.5

*Delectatio.*

Delectatio sola an sit inculpatus finis in Matrimonio lib.7.c.3.§.5.à n.9.

Delectatio tactus naturalis, libidinosa, non libidinosa. lib.7.c.8.§ 1.à n. 2. & n.7

Delectatio morosa. lib.10.c.3

Delectationibus insurgentibus, quomodo resistendum: Vide, *Motibus pravis, & Cogitationes.*

Delectatio speculativa, quomodo peccatum. l.1.c.7

*Deliberatio.*

Deliberatio imperfecta dat causam dispensandi votum. lib.3.c.16.§.4.n.13

*Denuntiare, Denuntiator.*

Denuntiator criminis. l.9.c.1.§.4

Denuntiari occultum crimen an valeat. ibid.n.3

Denuntiandæ Blasphemiæ Hæreticales. l.2.c.6.§.4 num.6

*Deputati.*

Deputati ad Chorum: Vide, *Horæ Canonicæ, & Religiosi deputati.*

*Desperatio.*

Desperatio quid sit. lib.2.c.1.§.1.n.4

*Desiderare, Desiderium.*

Desideria turpia, ut causæ Pollutionis. l.7.c.3.§.3.n.50 & 51

Desiderare malum alteri quando peccatum. l.5.c.1.§.3 à n.29

Desiderare bonum effectum ex mala causa quando peccatum. ibid.

Desiderare malum sub conditione. ibid n.30

Desiderare malum alteri ut bonum tuum, vel ut patiens bonum Reipublic. an liceat. ibid.n.31

Desiderare malum sibi, an quis possit, ut apprehensum bonum. lib.5.c.1.§.3.n.34

*Destructio, Destructor.*

Destruere rei alienæ quid debeat. lib.8.tr.3.c.3.§.1

Destructio. Vide, *Restitutionis radix tertia.*

*Determinare.*

Determinatum pretium requiritur in emptione, & venditione. l.8.t.3.c.7.§.1.n.4

*Detractor.*

Detractor: Vide, *Fama.*

Detractorem audiens quando peccat. l.9.c.3.§.7

*Detrimentum.*

Detrimento tuo notabili an debeas tuam rem vilem in communi periculo alienæ pretiosæ præferre. l.8.tr.3. c.3.§.3.n.4

*Devotio.*

Devotio specialis dat conjecturam interpretandi votum. l.3.c.16.§.2.n.5.& 6

*Dialogus.*

Dialogus de charitate parentibus debita. l.5.c.2

*Difficultas.*

Difficultas exigendi sortem an det lucrum in Mutuo. l.8.tr.3.c.8.§.4.

Difficultas, quæ dat causam dispensandi votum. lib.3. c.16.§.4.n.18

Difficultas quæ à jejunio excusat. l.4.c.5.§.7.n.47

*Dilatio*

Dilatio, quæ est peccaminosa in exequendis votis. l.3. c.12.§.3. à n.7

*Dignus.*

Digni, vel digniores, qui sint quoad Collationes Beneficiorum, & Officium. l.8.tr.3.c.4.§.4.n.1

*Dilectio.*

Dilectio proximi: Vide, *Præceptum de diligendo, & Vide: Charitas*

*Diminuere.*

Diminuere de merce, prætextu vilioris pretij. l.8.tr.3.c.7 §.11.n.4

*Dispensare.*

Dispensat quis à pœna incursa ob incestum. l.7.c.4 §.2.n.3.

*Dispensatio, Dispensatus.*

Dispensatio Iuramenti: *Relaxatio iuramenti.*

Dispensatio; Vide, *Voti dispensatio.*

Dispensatio quæ, & cuius requiritur ad laborandum in die festo. l.4 c.3.§.2.à n.31

Dispensatus ad Carnes, an teneatur ad Jejunium Ecclesiæ. l.4.c.5.§.1 à n.2

Dispensatus ad Carnes, an intelligatur dispensatus ad lacticinia. ibid.n.5

An ad omnia genera carnium. n.8

Dispensare quis potest à jejunio. l.4.c.5.§.7.à n.52

Summus Pontifex, sed, ut licitè, cum causa. ibid

Quid de Episcopis. n.54

Quid de Prælatis Religionum. n.55

Quid de Confessario, Medico, Abbatissa, Viro docto, n.61

Dispensatio probabiliter data an faveat dispensato. l.1.c.3.§.3.n.19

*Disputatio.*

Disputatio de rebus fidei qua ratione prohibita. l.2.c.1.§.11

*Dispositio.*

Dispositiones factæ contra prius iuramentum an sint validæ. l.3.c.3.§.5.n.7

*Dissolutio*

Dissolutio Maleficij: Vide, *Maleficij dissolutio.*

*Distantia.*

Distantia quæ tollit præsentiam necessariam in auditione Missæ. l.4.c.2.§.1.n.12

*Distillatio.*

Distillatio, quomodo differat à Pollutione. l.7.c.3 §.5.n.53

*Distributio.*

Distributio officiorum an vendi possit. l.8.tr.3.c.7 §.5.à n.6

De Distributione pecuniæ legatæ quid. ibid.

*Divinatio.*

Divinatio quid, & quotuplex. l.2.c.6.§.1.n.9

Eius pœna, & absolutio. ibid.§.2.n.14.& 15

*Doctor.*

Doctor quid docere debeat in probabilibus. l.1.c.3.§.4. à n.15

*Dolus.*

Dolus, & fraus in contractibus? Vide, *Deceptiones occurrentes.*

Dolus, & fraus in ludo: Vide, *Ludus.*

*Dominium.*

Dominium quid sit. l.8.tr.1.c.1.n.1

Dominium proprietatis differt à Dominio iurisdictionis. n.2

Item à possessione, usufructu, & mero usu. n.4

Dominium rerum quisnam habet. ibid.c.2

Dominium acquiritur titulo, & possessione. ibid.c.3

Dominum quomodo acquiratur per Alluvionem. l.8. tr.3.c.3.§.4

Per Adiunctionem. n.7

Per Confusionem. n.11.

Per Admixtionem. n.15

Per Præscriptionem: Vide, *Præscriptio.*

*Dominus*

Dominus an eiicere servum debeat habentem Concubinam. l.5.c.1.§.4.n.11

Domino ignoto, vel defuncto, vel incerto, vel nullo, cui restituendum. l.8.tr.4.c.1.§.3.n.11

Domino non advertenti facta restitutio an valeat. ibid. §.5.n.2
Domini potestas circa vota servi. l.3.c.16.§.3.n.45.& 52
Dominorum Iuramenta contra servos. l.3.c.3.§.3 n.6

*Domus.*

Domus professa Soc. Iesu, an possit permutare fructus sui Hortuli, quos non licet vendere. l.8.tr.3.c.7.§.1.n.8

*Donatio.*

Donationes inter Patrem, & filium. l.5.c.4.§.2
Donationem alteri peccaminosè factam impediens ad quid obligetur. l.8.tr.3.c.4.§.2.n.9
Donatio nimis prodiga iurata ad quid obligat. l.3.c.3.§.5 num.17

*Dormitans.*

Dormitans in Choro an satisfaciat. l.2.c.5.§.4.n.19

*Dubitare & Dubitatio.*

Dubitatio quomodo differat à Iudicio, Suspicione, Opinione. l.9.c.1.n.1
Dubitare de peccato alterius an sit peccatum. ibid. num.11

*Dubius.*

Dubia excusatio an det causam non ieiunandi. l.4.c.§.7.n.51
Dubium dat causam dispensandi votum. l.5.c.16.§.4 num.24
Dubia Conscientia: Vide *Conscientia dubia.*
Dubia permulta percurruntur, & decernuntur. l.1. c.3.§.7. per totum.
Dubium, an res præcepta graviter conducat ad fidem, qua ratione interpretandum. lib.1.c.1.§.3 n.24
Dubium vincere qui non potest, quid faciat. l.1.c.3. §.4.n.3
In Dubiis melior est conditio possidentis. l.1.c.3.§.6 num.5
In materia Iustitiæ. ibid.
In aliis materiis. n.10
Dubiis in quibus favet possessio. l.1.c.3.§.7. per totum
Dubitans, an omiserit aliquid in recitatione officij, ad quid tenetur. l.2.c.5.§.3.n.9
Dubius in fide, an Hæreticus. l.2.c.1.§.4.n.3
Dubium si sit, an effectus procedat à natura, an à dæmone, quid iudicandum. l.1.c.7.§.1.à n.61
Quid, si sit dubium, an procedat à Deo, an à dæmone. ibid.n.68

*Duellum.*

Duellum quid sit. l.6.c.1.§.3.n.8
Etiam privatum est prohibitum sub excommunicatione Pontificia. n.9
Quis ab ea absolvit. ibid.
Etiam instigantes, favorémque dantes. ibid.
Quid de provocantibus, non tamen actu pugnantibus. n.15
Duellum acceptare, an aliquando liceat, n.16
Quid, si certò sciatur non secutura pugnæ n.18

E

*Effusio.*

Effusio seminis extra vas in Coniugatis, aliisque. lib.7.c.3.§.3.5.n.14

*Electio.*

Electio ad officium, vel legatum an vendi iustè possit. lib.8.tract.3.c.7.§.n.6

*Eleemosyna.*

Eleemosyna, Epicheia, Eucharistiæ susceptio, Excommunicatio, Executor sententiæ. In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§.7.
Eleemosynæ votum quo modo commutatur. l.3.c.16 §.6.n.23
Eleemosyna per votum promissa Pauperi, ut is exerceat. l.3.c.15.§.
Quid, si promittatur ob vanam gloriam
Quid, si promittatur sub disiunctione, eleem. vel iejunium. ibid.§.
Eleemosynam erogare quando tenemur. l.5.c.1.§.1.
Quibus elargienda?
An teneamur Pauperes inquirere.
Eleemosynam an oporteat reddi à ficto paupere, vel vacante. l.8.tr.4.c.

*Emere.*

Emens, vel acquirens rem alteri obligatam, quid. l.8.tr.3.c.3.§.3.n.5
Emens rem alienâ pecuniâ quid. l.8.tr.3.c.7.§.

*Emptio.*

Emptio omnium mercium ad inducendum Monopolium. l.8.tr.3.c.7.§.
Emptio rei furtivæ. l.8.
Emptio alieno nomine. l.8.tr.3.c.7.§.
Emptio, & venditio est Contractus bonæ fidei. l.5. c.7.§.1.n.1
Requirit primò consensum, & quidem absolu. num.2
Secundò, pretium, & quidem determinatum.
Tertiò, rem, & pretium.
Emptio, quoad multa: Vide *Venditio, Vendere, Pretium, Valor, Deceptiones occurrentes.*
Emptio an sit eadem, ac permutatio. n.8. &
Emi, & vendi, quæ possunt: Vide: *Vendi, & quæ possunt.*
Emptionis pretium multiplex. Vide, *Pretium.*
Emptio anticipata. l.8.tr.3.c.
Emptio frumentorum, & similium facta inter Monitorem & Massarium anticipato pretio. l.8.tr.3.c. à num.9
Massarius an possit cogi ad reddendum frumentum. num.14
Augmentum frumenti cuius est.
An possit statui certa quantitas consignanda frumenti.
An Mercatori liceat pignus à Massario accipere.
An qui Massarius non est, uti hoc Contractu quo num.20
Quid debeat Massarius morosus.
An revocari idem Contractus possit.

*Episcopus.*

Episcopi cautè imponant excommunicationis poenas lib.1.c.1.§.3.n.25.
Episcopi an possint dare licentiam legendi libros prohibitos. l.1.c.1.§.
An possint ipsi legere. ibid.num.
An possint absolvere ab Hæresi. ibid.§.n.
An possint cogere Clericos ad recitandum officium alicuius Sancti. l.2.c.5.n.
Quid si Sanctus sit Patronus, vel habeatur eius insignis Reliquia.
An possint concedere licentiam recitandi in alieno ritu.
An dispensare in Horis Canonicis. lib.2.c.5.§. num.24
Episcopus quæ iuramenta dispensat. lib.3.c.7.§.3. item c.6.§.4.n.4
Quæ vota dispensat. c.16.§.4.n.
An sua propria.
An ad id alios delegare possit.
Episcopus quoad instituendos festos dies: Vide, *Festi dies.*
Quoad dispensandum in operibus servilibus. l.4.c. §.2.n.53
Quoad dispensandum in iejuniis. lib.4.cap.5.n. num.54

*Equos Melitenses.*

Equites Melitenses an teneantur recitare Horas. lib.2. c.5.§.1.n.6.

*Equites*

*Equitatio.*

Equitatio, ut causa pollutionis. l.7.c.3.§.5.n.51

*Error.*

Error in contractibus : Vide, *verb. Deceptiones occurrentes.*

Error recitandi officium quid operetur. lib.2.cap.5.§.2. num.29.

Error in juramento quando pariat obligationem. l.3.c.3. num.21.

Error in vovendo quid operetur. l.3.c.13. per tot.

In substantia. n.2

In qualitate. n.4

In fine. n. 9.

*Eucharistia.*

Eucharistiæ frequentia, optimum remedium contra peccata luxuriæ. l.7.c.10.n.6

*Eunuchus.*

Eunuchum se fieri an quis permittere possit. l. 6.c.2.§.3. num.4

Eunuchus peccans cum muliere, an debeat explicare se esse talem. l.7.c.1.§.1.n.9

*Excommunicatio.*

Excommunicatio ignorata : Vide, *Censuræ.*

Excommunicationem an incurrat Exorcista percutiens clericum arreptum à dæmone. l. 3.c.8.§.2

Excommunicatio an excuset ab audienda Missa. l.4.c.2 §.2.n.1.

Excommunicatio lata in furantes, an incurratur à furantibus modica. l. 8.tr.2.c.2.§.3.n.4

*Excusare, Excusatio.*

Excusatus à trangressione Voti, excusatur à pœna, l.3 c.11.§.7.n.4.

Excusatio dubia, an liberet à jejunio : Vide *Dubia excusatio.*

Excusantes causæ à restitutione. l. 8.tr.5.c.1.§.9

Excusationes à restitutione famæ : Vide, *Fama.*

*Executor.*

Executor testamenti, an, & quando esse possit Religiosus. l. 8. tr.1.c.2.§.5. n.6

*Exhæredare.*

Exhæredare filium an possit Pater ob indignum à Filio contractum Matrimonium. l.5.c.2.§.3.n.7

Exhæredandi filium quæ sint legitimæ causæ. l. 5.c.3. §.1.n.8

*Expensæ.*

Expensæ in precipiendis fructibus alienæ rei quando compensandæ. l.8.tr.3.c.3.§.5.n.11. & 12

*Exponere.*

Exponi an possit filius ad Hospitale à Patre divite l.4. c.5.§.1 n.4.& 5.

*Exteri.*

Exteri an carius possint vendi. l.8.tr 3.c.7.§.4. num.8

Exteris an possit concedi, ut ipsi carius vendant. l.8 t.3 c.7.§.5.n.1

*Extremus.*

Extrema proximi necessitas : Vide, *Necessitas.*

Extrema necessitas Parentum, vel sororum an obliget ad egressum à Religione, vel impediat ingressum in illam. l. 5.c.2.§ 5.n.6.

*Exigere.*

Exigere juramentum à peieraturo, an peccatum. l.3.c.1. §.6

Quid per falsos Deos ? ibid.

*Exorcista.*

Exorcista quo modo se gerere debeat in exorcizando. l.3.c.8.§.2.per totum. Cætera Vide, *Adiurare.*

F

*Falsa miracula.*

Falsa miracula, vel falsas reliquias exhibere, quod peccatum. l.2.c.6.§.1.n.4

*Falsum Testimonium.*

Falsum Testimonium : Vide, *Testis.*

*Fama.*

Fama alterius, quomodo lædatur. l.9.c.3

Quid sit fama. l.1.n.1

Læditur diversimodè. n.4.

Excusatur tamen à mortali illam lædens ex variis capitibus. §.2

Ex ignorantia. n.3

Ex parvitate materiæ. ibid.

Item, si non adhibeatur fides detrahenti n.5

Si crimen referatur solùm uni, vel alteri probo. n.7.

Si crimen sit publicum. n.9

Quid, si sit publicum alibi, hîc verò occultum. n.11

Quid, si quis acquisivit bonum nomen. n.17

Excusatur item, qui infamatum infamat in re simili num.20

Quid ob justam querelam. n.27

Famæ restitutio, l.9.c.3.§.1.n.1

Causæ excusantes ab illa. ibid.§. 3.

Non peccasse contra Justitiam. n.4

Non graviter læsisse. n.5

Quid, si quis sine culpa detraxit. n. 7

Consensus infamati, vel ejusdem remissio. n.9

Justa, & non nocens detractio. n. 12

Infamatio reciproca. n.16

Frustranea restitutio. n.18

Damnum proprium proportionaliter notabile. n.19

Fama qua ratione restituenda. l.9.c.3.§.4.

Fama an restituenda non solùm apud Auditores tuos, sed etiam apud illos, qui à tuis Auditoribus crimen proximi noverunt. ibid.§.3.

Famam propriam prodigere an quis possit : Vide, *Infamare seipsum.*

*Famulus.*

Famuli quando excusantur ab auditione Missæ. l.4.c.2 §.2.n.5. & 6.

Quando poterunt ministrare cibos vetitos Dominis. l.4.c 5.§.6.n.4.

Quando laborare die festivo. l.4.c.3.§.2.n.7.fin.

Quando non jejunare, ut Dominum associent. l.4.c.5 §.7. n. 25

Famuli cooperantes cum peccatis Domini, an aliquando excusentur. l.5.c.4.§.1.n.18

Famuli, & non famuli cooperantes usurariis. ibid. à num. 46.

*Festus dies.*

Festi dies à quo instituuntur. l. 4. c.1.§.1

Qui sunt. §.2. n.1.

Quando incipiunt, finiúntque. n.2

Festo die quæ, & quando liceant opera servilia : Vide. *Opera Servilia.*

Festo die laborare, quæ causa excuset. lib.4.c.3.§.2.per totum.

An brevitas temporis. n.1.

Divinus cultus. n.3

Necessitas. n.6

Panem, cibósque confingere, fructúsque colligere, n. 9.

Barbitonsoris, sutorisque officium. n.13

Pauperum sublevatio. n.14

Absentia à loco festi. n.20

Consuetudo. n.21

Dispensatio. n.31

*Fideiubere.*

Fidejubere an possit qui juravit non fidejussurum. lib.3 c.3 §.5.n.66.

*Fides.*

Fides divina quid, quæque sunt eius præcepta. l.2.c.1. Vide *verb. Credere,*

Fides exteriùs confitenda. lb.§.2

Fides exteriùs non neganda. ibid. 3

Fides interiùs non neganda. ibid. 4.

Vide *verb. Hæresis*, & *verb. Hæreticus.*

*Filius, Filia.*

Filij vota, quæ Pater irritare valet. l. 3. c.16.§.3. n.9

Filius Hæretici apud matrem fidelem educandus l.2.c. 1. §.5.n.15
Filiorum peculium : Vide, *Peculium filiorum.*
Filia renuntians bonis paternis, an adhuc possit ea petere. l.5.c.4.§.3.n.4
Filij quid debeant Parentibus. l.5.c.2. per totum, p. 20
Primò amorem. §. 2.n.2
Alimenta. n.5
An teneantur solvere debita Patris. ibid.
Quid, si habeant à Patre bona vinculata. n.9
Concurrente necessitate tui Patris, & tui filij, cui succurrendum. c.3.§.5
Secundò, debent reverentiam. c.2.§.2.n.12
Filio non licet percutere, accusare, occidere Patrem proscriptum. n.15
Quid, si arma capiat contra Remp. n.16.
An filius peccet, si nolit recognoscere Patrem. n.17
Tertiò, debet obedientiam. n.18
Filiis an liceat inire matrimonium invitis petentibus. l.5.c.2.§.3
An cum dignis. n.2
An cum indignis. n.5.
Filius an possit de suo peculio disponere. l.5.c.4.§.1
An testari. n.2
An donare. n.4
Si sit Infantiæ, vel Pubertati proximus, an sero foro externo, vel interno obligare possit. à n.5
Filius, quoad ludum. l.5.c.4.§.1.n.7.ibid.& l.8.tr.2.c.9. §.1. n.27.
Filius, quoad legitimam : Vide, *Legitima.*
Filius an possit à Patre exponi in hospitali. l.4.c.3.§.1. n.4.& 5.

*Filum.*

Filo, quod virgo neverit, mortuum mederi, an sit superstitio. l.2.c.6.§.1.n.38.& n.67
Filo horas diei explorare, an superstitiosum. l.2.c.6.§.1 n.36.& 67

*Finis.*

Fine voti deficiente, an, & quando votum deficiat. l.3. c.13.à n.9.
Quid in duobus finibus altero deficiente. ibid.n.13
Finis adjurantis dæmonem quis esse debet. l.3.c.8. §. 2. num.2
Finis malus qua ratione invalidat juramentum. l.3. c. §.5.n.17
Finis malus adjunctus materiæ bonæ an invalidet votum l.3.c.15.§.2.n.3.
Quid, si bonus finis adjungatur materiæ indifferenti. ibid.n.7
Finis quis in actu matrimoniali. l.7.c.3.§.5.n.5.

*Fiscus.*

Fisci regij, & domini cujusdam servi contentio pro bonis ejusdem servi ab intestato defuncti. l. 8.tr.1. c.2. §.1.n.15.
Fisco, an addicenda bona vacantia. l.8.tr.4.c.1.§.3.n.14
Fisco an debeantur pœnæ ante sententiam, ita ut easim pediens obligetur restituere. l.8.tr.4.c.2.§.6.n.12.tr.3. c.4.§.2.n.6. vide etiam ibid.c.2.§.2.n.2

*Fornicari, Fornicatio.*

Fornicatio, quid sit. l.7.c.1.§.1
Quomodo explicanda in Confessione. n.2.
Varietas mulierum, cum quibus fornicatur, an explicanda. n.3
Quid, si fuerit cum filia Confessoris. n.4
Quid, cum Puella prima vice. n.5
Quid, cum Infideli. n.6
Quid, si sis Eunuchus, vel frigidus. n.9
Quid, quando prior es in excitanda puella. n.10.
Quid, si non servas modum accumbendi. n.11.
Quid, si non absolvas copulam. n.12
Fornicatio est peccatum mortale iure naturali. lib.7. cap.1.§.2.n.2
Fornicati ex habitu : Vide, *Concubinatus.*
Fornicari cum Vidua an sit simplex Fornicatio. l. §.2.n.4.

*Frater.*

Fratres, quoad conferenda bona mortuo Patre. l. §.2.n.3
Fratres quid debeant fratribus, & sororibus. l.

*Fraus.*

Fraus in Contractibus : Vide, *Deceptiones occurr*
Fraus in Monopoliis : Vide, *Monopolium.*
Fraus in ludo : Vide, *Ludus.*

*Fructus.*

Fructus rei vitiosæ venditæ cujus. l.8.tr.3.c. num.31.
Fructus nondum nati, an, & quomodo vendi p l.8tr.3.c.7.§.3.n.20
Fructus, alij naturales, alij industriales, alij mist c.3.§.5.n.1.
Fructuum restitutio, quando debetur ex injusta ptione, l.8.tr.3.c.
Quando debetur ex re aliena bona fide accepta tr.3.c.3.§.5
Fructus colligere die festo an liceat. lib.4.c. num.9.

*Frumentum.*

Frumento electo an immiscere aliquæ sordes possint tr.3.c.7.§.5.n.4. Vide etiam §.11.n.6.
Frumentum venditum, & consignatum hyeme tium mensis Maij. l.8.tr.3.c.7.§.2.

*Fur, Furari, Furtum.*

Furans, ut mœchetur, quomodo se explicare debeat Confessione. l.7.c.9.n.
Furari an liceat extremè, vel graviter indigenti cap.6.
Fures ludo exponere quid possint. lib.8.tr.2.c. num.28
Furtivæ rei emptio. l.8.tr.
Furtum quid sit, & qua ratione differat à damnificatio l.8.tr.2.c.1
Furti quantitas requisita ad mortale inter extraneos ibid.c.2
Furta modica successivè continuata. ibid.
Furans modica ab eodem. ibid.
Furans modica à multis. ibid.
Furantes multi modica ab eodem. ibid.
Furti quantitas requisita ad mortale inter Domesticos l.8.tr.2.c.3
Quoad uxorem. ibid.
Quoad filios. ibid.
Quod Famulos. ibid.
Quoad Religiosos. ibid.
Fur an sit, qui occultè sibi compensat, quod sibi debetur Vide, *Compensatio.*
Furtum ex parvitate materiæ quando est veniale. l.4.c. §.3.n.15.

G

*Gabella, Gabellarius.*

Gabella, Gemelli. In dubiis horum quid fiet. lib. c.3.§.7.
Gabellam probabiliter iustam, vel probabiliter injustam, an exigere, vel solvere liceat. lib.1.cap. §.4.n.25.
Gabella imposita venditioni, quando debetur. l.8.tr. c.7.§.1.n.2.
Gabellario cui.

*Gaudere.*

Gaudere de effectu bono ex peccaminosa actione semper peccatum. Gladius

*Gladius.*

Gladium mederi, ut sanetur illo vulneratus, an superstitiosum. l.3.c.6.§.1.n.37.& 77

*Græcus.*

Græcâ linguâ officium dicere, an liceat Clerico Latino l.2.c.5.2.n 16

Quid de Pœnitentia Sacramentali, vel voto ibid num. 18

Græcus Sacerdos uxoratus an committat sacrilegium tangendo alias ab uxore. l.2.c.6.§.3.n.9

*Gratus.*

Grata Deo sit res indifferens evadat, est apta materia voto. l.3.c.1.§.2.n.7.

Gratius est Deo, quod est melius, non sic homini. l.3.c.16 §.5.n.3

*Gubernator.*

Gubernatores obligantur eiicere à Civitatibus Histriones turpia repræsentantes. l.7.c.8.§.5.n.2

H

*Hæres.*

Hæredi debes juramentum, quod præstitisti prædecessori. lib.3 c.3.§.7.n.6

Hæres an teneatur juramento dato à prædecessore. l.3.c.3. §.7

*Hebræus.*

Hebræi, in quo vitandi. l.2.c.2.§ 20.à n.6

*Hereditas.*

Hæreditatis Venditio. l.8.tr.3.c.6.3.n.16

*Hæresis, Hæreticus.*

Hæresis, Hæreticus, Horæ Canonicæ, In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§.7

Hæresis quid sit. l.2.c.1.§.4 n.2

Alia interior, alia exterior. à n.5

Hæreticorum pœnæ, ibid.§.5

Excommunicatio. n.1

Irregularitas. n.1

Infamia. n.7

Privatio Beneficiorum, & inhabilitas ad ea. n.8

Non posse esse patrinum. n.13

Non posse contrahere matrimonium cum Catholica num.14

Confiscatio bonorum. n.16

Incapacitas testandi, succedendi, &c. n.23

Exemptio filiorum, amissio servorum, & iurium, pœnæque quædam corporales. n.24

Hæreticalis Blasphemia: Vide; *Blasphemia.*

Hæreticus relapsus quis sit. n.25

Hæreticorum cooperatores, seu fautores. §.6

Eorundem pœnæ. ibid.

Hæreticorum libri: Vide, *Libri.*

Hæretici absolutio: Vide, *Absolutio.*

*Herba.*

Herba pretiosa inventa in fasce lignorum an reddenda. l.8.tr.3.c.7.§.11.à.n.36.

*Histrio.*

Histrio turpia repræsentans, quomodo peccet. l.5. c.1. §.4.n.28.& l.7.c.8.§.5.

An pecuniam iuste accipiat. l.7.c.5.§.3.n.19

*Homo.*

Hominis venditio. l.8.tr.2.c.7.§.3.n.1

*Homicida, Homicidium.*

Homicida quam restitutionem debeat: Vide, *Restitutio ex Homicidio.*

Homicidium. 16 per totum.

Homicidium ob defensionem vitæ. l.6.c.1.§.1

An ad illud quis obligetur. n.6

Vt defendas vnum, an alterum valeas occidere. n.10

An debeas. n.11

An te non agredientem occidere aliquando possis. num.15

An iniustum accusatorem, calumniatoremque. ibid.

An finita aggressione. l.6.c.1.§.3.à n.2.

An in duello: Vide, *Duellum*

Homicidium ob defensionem tuorum bonorum, lib.6 cap.1.§.2.

Homicidium ob defensionem bonorum proximi. ibid n.3.& deinceps.

Homicidium ob defensionem honoris, & pudicitiæ ibid.§.3.

Homicidium ad malefactores puniendos. ibid.§.4

Malefactores nondum comprehensi an occidi queant. num.1

Malefactores iam comprehensi. n.5.

Homicidium unius loco alterius. lib.6.cap.4.§.4 num.2.

Homicidij cooperatores, quid debeant. lib.6.cap.4. §.5.

Consulentes, & auxiliantes. n.2

Mandantes. n.3

Ratum habentes. n.7

Non prohibentes. n.9

Homicidium quomodo explicandum in confessione. l.6 c.3..2.

Homicidæ quæ pœnitentia imponenda à Confessario. ibid.§.3.

Homicidium suiipsius. l.6.c.2

Occisio sui directa. §.1.

Occidere se jejuniis, & macerationibus carnis. n.3

Occisio sui indirecta. .2

Occisio sui ad oppidum hostium evertendum. n.4

Ad salvandum alium. n.5

Non fugiendo à Carcere, cùm possit vitâ servare. ib.

Pro bono communi. n.6

Peste infectis serviendo. n.7

An ut acerbiorem mortem evadat. n.8

An ob mortificationis amorem. n.9

An non mutando locum insalubrem habitationis. n.10

An ad evitanda tormenta. n.11.

An exercendo artem periculosam. n.12

Homicidium quando casuale, quando voluntarium. l.6.c.3.§.1

Ut id dignoscatur, prima regula de dante operam rei licitæ. n.4.

Secunda de dante operam rei illicitæ. n.5

Tertia de omittente, quod quis debet ex justitia num.8

Quarta de omitente, quod quis debet ex Charitate. num.10

*Honor.*

Honorem alterius lædens. l.9.c.3.§.8

Ejus restitutio, n.5

Honore proprio concurente cum bonis alterius; quid præferendum. l.5.c.1.§.1.à.n.6

*Horæ Canonicæ*

Horæ Canonicæ. l.3.c.5

Quinam ad illas teneatur. §.n.1

Constituti in Sacris. n.3

Deputati ad Chorum. n.6

Beneficiarij. n.19

An vicarij, vel Coadjutores beneficiarii. ibid.

An Capellani. n.20.

An intrusi. n.21

An pensionarij. n.22

An qui habet solum titulum Beneficii, num. 23. & à num.29.

An qui habet solas distributiones ibid.

An qui habet beneficium tenue. n.24

An qui per aliquot menses non gaudet fructibus. num.28.

Horæ Canonicæ an linguâ alienâ possint recitari. l.2. c.5.§.1.n.15.

Horæ quomodo recitandæ. l.2.c.5.§.3

Qua intentione. n.2

Qua attentione, ibid

Sine omissione. n.4.
Sine mutilatione verborum. ibid.
Sine interruptione. n.11.
Sine ordinis inversione. n.12
Quo loco, & situ. §.6.
Horis in choro an satisfaciat mentè dictractus lib.2.c.5 §.4.n.8.
Submissè cantans. n.15
Nihil dicens. n.17
Dormitans. n.19
Confabulans. n.22
Tertiatim recitans. n.23
Horæ quo tempore recitandæ. ibid.§.5
Horas persolvere an teneatur, qui difficulter legit. lib.2. cap.5.§.1.n.18.
Horas quas tenentur Clerici in sacris persolvere. ibid. §.2
Demere, vel addere an aliquid liceat. n.7
An alienâ linguâ recitare. n.15,
Horas quas tenentur recitare Religiosi: Vide, *Religiosi.*
Horas alias à præscriptis recitare an aliquando liceat: Vide *Mutatio Officij.*
Horas non recitandi quæ sufficiens excusatio: Vide *Causæ excusantes ab Officio.*
Horas diei ex filo cognoscere an sit superstitio. l.2.c.9. §.1.n.39.& 79
Horas comedendi in die ieiunij. l.4.c.5.§.4
Horas recitandi in die ieiunij. ibid.§.3.n.10
Horas multas si continuetur comestio an rumpatur jejunium. l.4.c.5.§.2.n.15
Quid, si per horas interrumpatur. ibid.n.16

*Horologium.*

Horologium Rotale, & Solare differunt. lib.2.c.5.§.5 num.4

*Hospes, Hospitium.*

Hospitij ratio an excuset à ieiunio. l.4.c.5.§.7.n.50
Hospitibus an possit offerri duplex cœna in die jeiunij. ibi.§.6, à n. 8.

*Hortulanus.*

Hortulanis an olera irrigare liceat diebus festis. l.4.c.3. §.2.n.27

*Hospitale.*

Hospitale an etiam sit pro expositis à Parentibus divitibus. l.5.c.7.§.1.nr.

I

*Idololatria.*

Idololatria. lib.2.c.6.§.1.n.6

*Iejunare, Iejunium.*

Jejunandi votum. l.3.c.15.§.4.n.3.& §5.n.11
Jeiunandi in pane, & aqua. dicto §.6.n.15.& 16
Jeiunare ex voto non valens hodie, an teneatur postea l.3.c.16.§.2.n.8.10.12
Jeiunij in pane, & aqua commutatio. L.3.c.16.§.6.n.22
Jeiunium Ecclesiasticum, quid sit. l.4.c.5
Quos cibos respuit. ibid.§.1
Quas carnes. n.
Quæ lacticinia admittit. n.19
Jeiunium unicam comestionem poscit. ibid.§.2
Jeiunium an frangat arundines mellitas sugere. ibid. num.14.
Quæ continuatio comedendi obstat. n.15
Quæ interruptio. n.16
Ex quibus causis conceditur. n.17
Jeiunij ientaculum: Vide, *Refectiuncula.*
Jeiunium semel frangere, mortale, l.4.c.5.§.5.n.1
Jeiuinij excusationes: Vide, *Causæ excusantes à ieiunio.*
Jeiunium, iuramentum, immunitas, impedimentum matrimonij, irregularitas, judex, iurisdictio, iurisdictionis exemptio, Iudicium temerarium, In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§.7.

*Ientaculum.*

Jentaculum: Vide *Refectiuncula.*

*Ignorantia.*

Ignorantia, quæ & quotuplex excusat à culpa, pœna. l.1.c.2.§.10.&l.2.c.1§.

*Imago.*

Imagines Crucis, & Sanctorum qua ratione adorentur l.2.c.4.§.1.n.6
Imagines, & cogitationes obiecti mali, quando peccatum l.2.

*Impedimentum, Impedire.*

Impeditus recitare horas, an teneatur prævenire cap.5.§.7.n.20.
Impedimentum Voti qua ratione præveniendum. c.12.§.3.n.2
Impedimentum audiendi Missam, sub qua obligatione tollendum. l.4.c.1.§.
Quæ obligatione non ponendum. ibid.§.
Impediri an possit conditio apposita in voto. lib.3. §.6.n.5.
Impediens aliquem ab ingressu Religionis, quo peccat. l.5.c.
Impediens vi, fraude, iniuria.
Sine vi, vel fraude.
Quoad peccatum.
Quoad oblationem Restitutionis.
Impediens bonum alteri, pertinens ad Justitiam commutativam an contrahat obligationem restituendi l.8.tr.3.c.4.§.2
Pertinens ad distributivam. ibid.§.
Impediens donationem peccaminosam alteri bonum quid obligetur. l.8.tr.3.c.4.§.
*Impotentia.*
Impotentia, & inopia excusant à restitutione. l.8.tr.3. c.2.§.9.à n.2
Impotentia excusat ab assistentia sacri. lib.4.cap.2. num.2

*Impudicitia*

Impudicitia, hoc est, tactus aspectus, similésque inter solutos. l.7.
*Incestus.*
Incestus. l.7.c.
Quomodo explicandus in Confessione.
An explicandi gradus
Quid in Incestu in conjunctis conjunctione spirituali num 4
Quid in impeditis impedimento publicæ honestatis num.5
Quid in Incestu sodomitico. num.
Pœnæ Incestus. ibid.
A quo dispensatur.

*Indignus.*

Indigni, qui censeantur in ordine ad nuptias. l.3.c.3.§. num.9
Quinam in ordine ad beneficia. lib.8.tr.3.c.4.§.
*Inducere, Inductio.*
Inducens ad malè iurandum, quando peccat. lib.2.c. §.6.
Inducens ad iurandum falsum, quos iurans credit verum, an peccet. l.2.c.1.§.
Inductio ad blasphemandum semper est peccatum. num.7.
Quid si inducas servum ad laborandum die festo. ibidem.

*Infamare.*

Infamare proximum: Vide, *Fama.*
Infamare se ipsum an liceat. l.9.c.
Propalando suum verum crimen.
Impingendo sibi falsum.
Infamantem audiens ad quid obligatur. ibid.
*Infidelis.*
Infideles qui. l.1.c.
*Infirmitas.*
Infirmitas quæ excusat ab officio. l.2.c.
num.13.

Infirmitas

Infirmitas quæ excusat à Ieiunio. l.4.c.5.§.7.n.14
Quæ ab auditione Sacri. ibid.c.2.§.2.n.3

*Inimicus.*

l.5.c.1.§.3.n. præsertim2
Inimicum odisse. n.9
Eundem accusare. n.11.
Non salutare. n.14
Non resalutare. n.17.
Excludere à communibus beneficiis. n.18
Veniam petenti non dare. num.21
Offerenti satisfactionem, iniuriam non remittere
Eundem non alloqui. n.25

*Innocens.*

Innocens probatus nocens an possit condemnari, lib.6 c.1.§.4.n.8

*Inquisitores.*

Inquisitorum potestas legendi libros prohibitos, vel dandi aliis licentiam. l2.c.1.§ 7.n.17
Eorumdem potestas absolvendi hæreticos.lib.2.cap.1. §.8.n.11

*Insomnium.*

Insomnia. l.2.c.6.§.1. n.11

*Instrumentum.*

Instrumento alterius acquisita an reddendo Domino instrumenti. l.8.tr.3.c.3.§ 5.n.6
Instrumenta an dare possis volenti infringere carceres. l.9.c.2.§.2.n. 11. & 12

*Intellectus.*

Intellectus, dum versatur circa obiectum malum, quando peccat. l.10.c.1

*Intendere, Intentio.*

Intentio quæ in orando. l.1.c.4.§.2.n.7
Intendens non iurare an iuret. l. 3.c.1.§.1.n.7
Intentio quæ in actu matrimoniali. lib.7. cap.3. §.5 num.12

*Interdictum.*

Interdictum an excuset ab auditione Sacri. lib.4. c.2 §.n.2

*Interrogatus.*

Interrogatus de vitio rei, quam quis vendit, quid respondere tenetur est. l.8.tr.3.c.7.§.11.n.33.

*Intrusus.*

Intrusi in Beneficium an teneantur ad officium. l.2.c.5. §.1.num.21

*Inventum.*

Inventa cui restituenda. l.8.tr.4.c.1.§.3.à n.21

*Invidia.*

Invidia quid sit. l.5.c.1.§.3.à n.35
Oritur ex animo pusillo. ibid.n.41
An sit ex se mortalis. n.42

*Invitare.*

Invitare ad peccatum, an aliquando non peccatum l.5 c.1.§.4.n.6
Invitare ad minus peccatum, ut evitetur maius an liceat. ibid.
Quid ad æquale. ibid.n.12
Quid ad transgrediendum præceptum, quod quis transgressurus erat. n.64
Quid de parato ad peccandum. n.65

*Involuntarium.*

Involuntarium ex ignorantia. l.1.c.2.§.10

*Ira.*

Ira an tollat voluntarium. lib.1.c.2.§.4

*Irregularitas.*

Irregularitas ignorata an afficiat ignorantem : Vide *Censura.*
Irregularitas an contrahatur à consulente mutilationē, ut evitetur occisio. l.5.c.1.§.4.n 13
An ob defensionem suæ pudicitiæ. l. 6.c.1.§.3.n.1
An ob permissionem propriæ castrationis. lib .9. cap .2. §.n.3
An ob actionem externam non contra iustitiam, sed cum voluntate interna contra ipsam. lib.8. tract .3. c.2.§.n.11
An à consulente, ut citius occidat. lib.8. tract .4.c.2 §.2. num.6
An à milite gregario. l.8.tr.4.c.2.§.8.n.10.&12

*Iter, Itinerantes.*

Iter facere an liceat die festivo : Vide *Opera servilia.*
Itinerantes quando excusantur à Missæ auditione. lib .4. cap.2.§.2.n.3

*Iudæus.*

Iudæi ; Vide, *Hebræi.*

*Iudex.*

Iudex quid faciet in probabilibus, lib 1. cap. 3. §.4 num. 1
Idem an possit sequi opinionem Collegæ. ibid .n.13
An possit cogere reum ad pœnam ipsi reo ignoratam, lib.1.c.2.§.10 n.20
Iudex non potest cogere reum ad veritatem dicendam in causa non semiplena. l.3.c.4 §.3.àn.1
Quid in semiplena, vel plena. ibid. à n.5
Iudex. l.9.c.2.§1
Iudex, an acceptare munera possit. n.5. & n.12
Iudex non potest reum cogere ad se occidendum. lib.6. c.2.§.1.n.5
Iudex an pro sententia iniusta vali lè acceptet pecuniam. l.7 c.5.§. 3. n. præsertim 14
An pro iudicando secundùm sententiam probabilem aliorum faventem. l.8.tr.3.c.7.§.3.n.13
Iudex laicus non potest cogere Clericos ad vendendas res suas. ibid.

*Iudicium.*

Iudicium tertius comes iuramenti l.3.c.1.§ 4.n.7
Idem est comes adiurationis. l.3.c.8.§.1.n.9
In Iudiciis an æquivocare liceat. l.3.c.4.§.2.n.3
Iudicium speculativum, vel practicum quodnam. lib.1 cap.3.§.1.n.1
Iudicia publica quomodo instituenda. l.9.c.2.
Iudicium temeratum. l.9.c.1
Differt ab opinione, suspicione, dubitatione. n.1
Conditiones quatuor necessariæ, ut Iudicium sit mortale. n.4
Prima, ut sit deliberatum. n.5
Secunda, ut sit in re gravi. n.6
Tertia, ut si certum. n.7
Quarta, ut sit ex insufficientibus coniecturis. n.8
Solùm suspicari non est mortale. n.11
Nisi fortè per accidens. n.12

*Iurisdictio.*

Iurisdictio probabilis in ministro Sacramentorum, quid operetur. l.1.c.3.§.4.n.21

*Iuramentum, Iurare.*

Iuramentum ex metu. lib.3. cap.3.§.6. numero præsertim.6.& 12
Iuramentum per vitam Dei, vel Sanctorum an blasphemum. l.2.c.6.§.4.n.23
Iurare quis possit. l.3 c.5.§.1
Iuramentum quid sit, l.3.c.1.§.1
Quæ Dei invocatio requiritur ad illud. ibid.n.3
Iuramentorum divisio. ibid.§.2
Inassertorium, promissorium, contestativum, comminativum, iudiciale, extraiudiciale, absolutum purum, conditionatum, explicitum, tacitum, blasphemum. ibid.
Iuramenta omnia, an sint eiusdem speciei. ibid.n.8.
Iuramenta cognoscendi norma. ibid.§.3.
Iuramentum assertorium quid. l.3.c.2
Veritas in eo requisita. §.1
Qua certitudine. ibid.n.2
Iuramentum promissorium, eiúsque veritas. lib.3 cap.3.§.1
Eiusdem materia in communi. ibid.§.3.à n.2
Quid, quando est in honorem Dei, n.7
Quid, si sit in utilitatem hominis. n.11
Iuramenti acceptatio quid operetur.l.3.cap.3.§.3.n.13 & l.3.c.17.§.2. per totum.

Iuramentum pro voto æquivalet, dicto cap. 17.§.2.n.1. & 2
Iuramentum quomodo interpretandum. lib.3.c.3.§ 4.
Prima regula. n.1
Secunda. n.4
Tertia. n.7
Iuramenta aliqua promissoria expenduntur. l.3.c.3.§.5.
Iuramentum sine consensu. n.1.
De actu irritato per legem. n.
Illicitum ex parte actus. n.4
Illicitum ex parte illud extorquentis per metum, &c num.6
Contra aliud Iuramentum. n.7
In matrimonio, & sponsalibus contractæ ex metu num.12
De non accusando, vel de accusando. n.15
Malum ex fine malo. n.17
Nimis prodigum. ibid
Ex errore, vel dolo exortum. n.21
De rebus indifferentibus. n.28
De redeundo in carcerem. n.29
Volenti compensatione uti. n.34
Contra leges. n.39
Non vendendi minoris, n.49
Medicorum Rectorum, Alumnorum. 50
Non ludendi. n.57
De non docenda arte. n.65
Non dandi mutuum, non fideiubendi. n.66
Iuramentum quomodo confirmet contractum. lib.3 cap.3.§.6
Iuramentum an obliget successorem. ibid.§.7
Iuramentum iudiciale. l.3.c.4
Iuramenti irritatio, remissio, dispensatio, seu relaxatio, commutatio. Vide *hæc verba*
Iuramenta Deo facta de rebus reservatis, an reservata. l.3.c.7.§.3.n.6
Iuramentum Deo præstitum, an sibi possit aliquando commutare ipse iurans. l.3.c.7.§.4.n.5
Quid de iuramento in suam propriam utilitatem præstito. ibid.§.2.à n.4
Iuramentum qua ratione vetitum die festo. lib.4. cap.4. num.8

*Ius.*

Iuris ordo in condemnandis malefactoribus, lib.6.c.1. §.4 num.7
An possit omitti à supremo Principe. ibid.

*Iussio.*

Iussio, seu mandatum una ex concausis ad iniustam actionem, quam obligationem pariat. lib.8.tract. 4. cap.2 §.1

*Iustitia.*

Iustitia secundus comes Iuramenti l.3.c.1.§.4.n.5
Eadem secundus comes adiurationis. l.3.c.8.§.n.5

L

*Labor, Laborare, Laboriosus.*

Laborantes ex mera voluntate an excusentur à ieiunio. l.4.c.5.§.7.n.30
Laboriosa ars quæ excusat à ieiunio. ibid.n.18
Quæ sint hæ artes. Vide *Opera servilia.*
Laboris æstimatio, an deducenda in lucro cessante. l.8 tr.3.c.6.§.3.n.15.
Quid in materia homicidij, quoad laborem quem potuisset occisus. l.6.c.4.§.3.n.4

*Lac, Lacticinia.*

Lacte an liceat uti in diebus ieiunij. l.4.c.5.§ 2.n.19
Lacticiniis vesci an liceat in iisdem. ibid.
Quid in vigiliis, & in quatuor temporibus. n. 20
Quid in ieiunio Quadragesimæ. n. 23
Quid in Dominicis eiusdem. n.26
Lactis potus an frangat ieiunium: Vide *Potus.*

*Lædere, Læsio.*

Lædens famam alterius: Vide *Fama.*
Lædens honorem alterius. l.9.c.3.§.8
Læsio supra, vel infra dimidium in venditione, & emptione. l.8.tract.3. cap.7.§.4. in Appendice. & l.8.tr.3.c.7.§.11.n.1
Læsio seu damnificatio. Vide *Restitutionis*
*Laicus.*
Laicus an adiurare dæmoniacos possit. lib.3.cap. num.23
Laicis an liceat disputare de rebus fidei.
*Lana*
Lanæ, & similes merces anticipatò venditæ l.8. §.7.n.6.
*Lectio.*
Lectio turpium.
Lectio turpium, ut causa pollutionis. lib.7.c.2. & 51
Lectioner audire an satis sit, quando recitatur l.2.c.5.§.3.n.10
*Lega.*
Lega an miscenda argento, & similibus lib.8. §.11.n.6
*Legatum.*
Legata pia non solvere an sacrilegium. lib.1. num.10
Legatum an debeatur uxori fornicanti, si ipsi fuit sub conditione, si castè vixerit. l.6.c.
*Legere.*
Legere nesciens illicitè emittit professionem rum. l.2.
Quid si suscipiat beneficium, vel Ordines ibid.n.17
*Legitima.*
Legitima filiis debita. l.
*Lex.*
Legis ignoratæ transgressio. l.
Leges latæ pro bono publico, vel privato c.3.§.5.n.40
Leges prohibentes, vel solùm permittentes rant. ibid.n.42
Lex an obliget, cessante fine in uno particulari. §.7. à n.36
*Licitatio.*
Licitatio: Vide *Subhastatio.*
*Libertas, Liberum.*
Libertas requisita in voto. l.
Libertatis imperfectio dat causam dispensandi Vide *Deliberatio imperfecta.*
Liberum quid sit. l.
*Libri.*
Libri hæreticorum prohibiti. l.2.c.
Libri alij prohibiti.
Brevis scriptura an prohibita.
Quid de manuscripto notabili.
Quis habeat facultatem dandi licentiam eos à num. 17
Eos ex ingnorantia legendo quando peccat.
Quid de solùm audiente.
Retinentes.
Imprimentes.
Defendentes.
Libri qui, & quando ostendendi Inquisitoribus. num.57
*Lignum.*
Ligna colligere die festo.
*Litania*
Litaniæ in die S. Marci, & Rogationum an sub gatione. l.2.c.
An possint recitari pridie Vesperi.
*Litigiosa res*
Litigiosa res, an vendi possit. l.8.tr.3.c.7.
*Locare, Locatio.*
Locatam rem an debeat quis in communi pericule ferre suæ. l.8.tr.
Locatæ rei fructus, quæ non solet locari, cuius tr.3.c.3.§.5.n.8. vide etiam n.9
Locare domum Meretrici. l.
Locatum

Locationes an licitæ die festo. l.4.c.4.n.2

*Locus.*

an Locis immundis recitare officium an liceat. lib.2.c.5 §.6.n.2

Locorum diversitas quomodo diversitatem Officij affe- rat. l.2.c.5.§.2.à n.25-

Locus publicus reddit copulam maritalem illicitam.l.7 c.3.§.5.à n.39

Locus item facer, idem operatur. ibid.n.40

de Loco in quo faciendo est restitutio: Vide, *Circumstan- tia Restitutionis.*

*Locutio, Loqui.*

Locutio cum muliere, quando peccatum. lib.7.c.8.§.1. à num.5

Loqui turpia Vide, *Turpiloquium.*

Locutio quæ vsurpanda cum dæmone. l.3.c.8.§.2.n.4

*Lucrum.*

Lucrum cessans an excuset ab auditione Sacri.lib.4.c.2. §.2.n.7

Lucrativus contractus. l.8.tr.3.c.6.§.2.n.9

Lucrum cessans ex mutuo. l.8.tr.3.c.8.§.3.n.11

Conditiones quænam requiruntur. ibid.

Lucrum cessans ex contractu explicitè iniusto, sed iu- sto implicitè. ibid.n.21

Lucrum cessans anticipatò an sumi possit. ibid.n.16

Lucrum an sumi possit ob periculum recuperandi for- tem. ibid.§.4.

Quid ob promissionem non repetendi intra certum tempus. ibid.§.5

Quid ob molestiam carentiæ pecuniæ. ibid.§.6

*Ludus.*

Ludus filijfamilias vivente Patre. lib.5.c.4.§.1.n.7

Eiusdem habentis tutorem. n.11

Ludus. l.8.tr.2.c.9.§.1

Non est ex se peccatum, n.1

Qualis ludus est iure prohibitus. n.2

Debent abesse fraus, dolus, minæ, à n.3

Ludere pecuniâ creditâ. n.9

Animo non solvendi statim. n.14

Vincere plusquam potes perdere. n.15

Ludus cum iis, qui alienare nequeunt. ibid.n.8

Cum filiofamilias: Vide, *Ludus Filij.*

Cum vxore alterius. n.19

Cum alterius marito. n.20

Cum servo. n.21

Cum Religioso. n.25

Cum furibus, & vsurariis. n.28

Ludi cooperatores. n.31

Exponentes domum, mensàmque, & similia luden- tibus an peccent. n.30

An pecuniam, quam inde accipiunt, restituere te- neantur. n.35

Ludi illiciti inspectores. n.36

Ludi abstinentiam qui iuravit, ad quid teneatur. lib.3. c.3.§.n.57

An possit ludere nomine alieno. n.63

*Luscus.*

Luscus qua ratione obligetur ad recitandum officium Vide *Cæcus.*

*Luxuria.*

Luxuria an habeat parvitatem materiæ.l.7.c.8.§.1.n.8

Luxuriæ species: Vide, *Fornicatio, Sacrilegium. Adul- terium, Stuprum, Incestus, Sodomia, Pollutio, Molli- ties, Bestialitas*: Vide *etiam Coniugatorum peccata in materia luxuria.*

Luxuriæ peccata, quomodo eximinanda à prudenti Confessario. l.7.c.7.§.5.n.4

Luxuria quoad motus pravos: Vide, *Delectatio*, & Vide *Cogitationes.*

M

*Macherones.*

Macherones: Vide, *Pastilli esculenti.*

*Magia.*

Magia. l.2.c.6.§.1.n.7

*Mala fides.*

Malæ fidei quando supervenit bona, & è contra quid operetur in eo, qui rem alienam consumpsit. lib. 8 tr.3.c.3.§.6.lege etiam tr.2.c.1.n.8

Quid, si id eveniat mihi repectu mei prædecessoris. num.3

*Maledicere.*

Maledicere parentibus, quod peccatum.lib.5. cap. 2. §.2.num.13

Maledicere animantibus & similibus, quod peccatum ibid.13

*Maledictio.*

Maledictionis, & blasphemiæ discrimen. lib. 2. cap.6. §.4.num.9

*Malefactor.*

Malefactor an occidi queat: Vide *Homicidium ad male- factores puniendos.*

Malefactor certus, sed occultus an possit condemnari. l.6.c.1.§.4.n.18

*Malefica.*

Malefica actu malefaciens an possit occidi.lib. 6.cap.1. §.1.n.15.fine

*Maleficium, Maleficus.*

Maleficium, mensis, mors coniugis, nomen, novitius. In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§7.

Maleficium, eiusque dissolutio. l.2.c.6.§.2

An eam petere à malefico liceat. n.3.

Maleficos consulere quando peccatum. l.2.c.6.§.2.n.11

Malefici quâ pœnâ afficiantur. l.2.c.6.§.2.n.14

*Malitia.*

Malitia præscindens à levi, & gravi, an gravis.lib.1.c.1 §.3.num.31

*Malum.*

Malum inimico velle, vel optare. lib.5. cap.1.§ 3. nu- mero præsertim 7.

*Mancipium.*

Mancipium: Vide, *Servus.*

*Mandatum.*

Mandatum, quoad homicidium. l.6.c.4.§.4.n.3

Universim, quoad iniustas actiones. l.8.tr.4 c.2.§.1

*Marius Cutelli.*

Marij Cutelli laus, eiusdémque testimonium de Sicula Præscriptione. l.8.tr.1.c.4.§.2.à n.24

*Maritus.*

Maritus,quid exponere ludo potest.l.8.tr.2.c.9.§.1.n.20

*Massarius.*

Massarij, & Mercatoris contractus anticipatus: Vide, *Emptio frumentorum.*

*Mater.*

Mater quæ vota filij irritare potest. l.3.c.16.§.3.n.21

Mater, in necessitate an præferenda Patri.l.5.cap.3.§.5. num.5

Mater quid debeat filio,quoad eum lactandum,vel alen- dum. l.5.c.3.§.2

Mater an expensas factas in alimentis filij possit repe- tere. l.5.c.3.§.2.n.3

*Materia.*

Materiæ parvitas an detur in luxuria, l.7.c.8.§.1.8

Materiæ parvitas an adsit in iuramento non ludendi. lib.3.cap.3.§.5.n.60

Materia subrogata iuramento, an sub iuramento ser- vanda. l.3.c.7.§.5

Materia subrogata voto reservato an reservata.l.3.c.16. §.4.n.35

Materia voti quæ: Vide, *Voti Materia.*

*Matrimonium.*

Matrimonium ex metu iuratum, an valeat. lib.3.cap.3 §.5.n.12

Matrimonium ex errore personæ, vel qualitatis contra- ctum, an validum. l.3.c.3.§.5.n.27

Matrimonim ex metu: Vide, *Metus.*

Matrimonium contrahens ex timore cum impedimento, vel sine, an peccet. l.1.c.2.§.9.n.8.& 9

Matrimonia impedientes quinam excommunicantur à Tridentino

Tridentino. l.5.c.2.§.3.n.4
Matrimonium filij parentibus invitis: Vide, *Filiis an liceat.*

*Media nox.*

Media nox quomodo computanda in jejuniis. l.4. c.5. §.5.à n.6
Mediæ noctis probabilis multa incommoda agitantur. l.1.c.3.§.5

*Medicina.*

Medicina effœta non potest pro recenti vendi. l.8.tr.3. c.7.§.11.n.28.

*Medicus, Medicamenta.*

Medicus quid faciat in probabilibus. l.1.c.3.§.4.n.17.
Medicamenta naturalia contra dæmonem an liceant. lib.3.c.8.§.2.n.26
Medicorum juramenta sub qua obligatione servanda. Melib.3.c.3.§.5.n. 50
dicus an possit dispensare in jejuniis Ecclesiæ. lib.4. c.5.§.7.n.62

*Melioramenta.*

Melioramenta. l.8. tr.3.c.3. §.5.n.13.& deinceps

*Membrum.*

Membra Christi, & Sanctorum nominare an blasphemia: Vide *Nominare Christi, &c.*

*Mendicantes.*

Mendicantes quoad juramenta, vel vota: Vide *Religiosi.*

*Mentiri.*

Mentiris, si quis dicat proximo, an semper peccet. l.5. c.1.§.1.n.6

*Mercator, Mercatus, Merces.*

Mercatoris remissio: Vide *Remissio mercatoris.*
Mercatus qua ratione interdicitur die festivo. lib.4.c.4. num.1
Merces brevi corrumpendæ: an currenti pretio vendi queant. l.8.tr. 3.c.7.§.11.n.26
Merces extraordinariæ quanti. l.8.tr.3.c.7.§.4.n.20
Merces nunc cariores, mox futuræ viles, vel contra, quanti n.21
Merces ultroneæ quanti vilescunt. l.8.tr.3.c.7.§.4.n.7

*Meretrix.*

Meretrix an retinere, vel petere in judicio possit turpe lucrum. l.7.c.5.§.3.n. 16
Quantum possit accipere. à n. 23

*Metus.*

Metus dat causam dispensandi juramenta. l.3.c. 7.§.3. num.16
Metus an tollat voluntarium. l.1.c.2.§.5.
Metus levis, gravis, cadens in constantem virum, &c. ibid.à n.3.
Reverentialis. n.8
Metus gravis injustus in contractibus. n.11
In matrimonio. n.22.
In aliis actibus. n.23
Metus levis injustus in contractibus. §.6.
In matrimonio. n.22
In aliis actibus. n.23
Metus justus in contractibus. §.7
In matrimonio. n.3
In aliis actibus. n.6
Metus in votis. l.1.c.2.§.8
Metus in juramento. l. 3.c. 3.§.3. n.præsert.6. 12
Metus in transgressione præceptorum. l. 1.c.2.§.9

*Miles.*

Miles belli injusti an defendere se possit ab hostibus lib.6.c.1.§.1.n.9.
Miles Gregarius ad quam restitutionem tenetur. lib. 8. t.4.c.2.§.8.n.8.

*Militari.*

Militari quando possit in bello. l.1. c.3.§.4.n.36

*Minister.*

Minister Sacramentorum quid faciet in probabilibus. l.1 c.3.§.4.n.20.
Ministri justitiæ an possint exequi sententiam injustam. l.6.c.1.§.4.n.16

*Missa.*

Missam audiendi obligatio.
Quæ Missa audienda. l.4.
Quanta.
Ubi.
Quo situ.
A quo.
An duæ mediæ sint satis.
Quæ præsentia requiritur.
Quæ Intentio.
Quæ Attentio.
Missam non audire die festo an excusetur excommunicatio. l.5.c.
An Interdictum.
An Impotentia.
Periculum mali.
Amissio lucri.
Caritas.
Consuetudo.
Peregrinum esse.

*Modus.*

Modus procedendi in judiciis publicis. l.9.c.
Modus copulæ maritalis. l.7.c.3.

*Molere.*

Molere an liceat die festivo: Vide, *Opera servilia.*

*Molestia.*

Molestia privationis pecuniæ, an det lucrum in mutuo. l.8.tr.3.c.8.§.6.

*Mollities.*

Mollities, quid sit. l.7.c. 7.§.1. Vide, Pollutio
Mollities sacrilega. l.7.c.
Mollities virginis. l.7.c.
Mollities uxorati. l.7.c.

*Monialis.*

Monialium Capellanus an possit recitare Officium quod recitant. l.2.c.
Moniales an teneantur ad Officium privatim. ibid. num.13.
Monialibus prohibitæ sunt Choreæ. l.7.c.8.
Monialem sollicitans; vel corrumpens, quam incurrit. l.7.c.

*Monitio.*

Monitio an requiratur, ut quis ex delicto obligetur restituere interesse rei ablatæ. l.8.tr.3.c.
Quid in debitis ex contractu.
Quid in reddendis debitis ex mutuo, vel aliorum tractu. l.8.tr.3.c.8.

*Monopolium.*

Monopolium. l.8.tr.3.c.7.
Monopolium ex privilegio, ex compacto, ex emptione omnium mercium, ex remotione aliorum vendentium ex inducente penuriam.
Pretium in Monopolio.

*Mora.*

Mora in delictis ex delicto. l. 8. tr.3.c.2.
In debitis ex contractu.
In debitis ex re accepta.
Mora Massarij in consignando frumento ipsi mercatori quid operetur. l.8. tr.3.c.7.
Mora in reddendo mutuo. l. 8. tr.3.c.8.

*Moralis.*

Moralis certitudo ex parte rei iuratæ. l.3.cap.2.
à num. 2
Ex parte jurantis.

*Morbus.*

Morbo caduco mederi quibusdam verbis an superstitiosum. l.2.c.6.

*Mortale Peccatum.*

Mortale ex genere suo. l. 1.c.
Ejus signa. ibid.
Mortale per accidens. l.c.
Mortale ratione finis. ibid.
Ratione contemptus
Ratione periculi.

*Mors.*
Mors mariti certa debet esse, ut uxor alteri nubat. l. 1 c.3.§.3.n.16.
Mortem ut effugias potes æquivocare etiam in judiciis l.3.c.4.§.3.n.5.
*Motus.*
Motus primò primus, & secundò primus quis. l.1.cap.1. §.3.n.27.
Signa, an hi transeant in perfectè voluntarios. ibid. à n.28.
Motibus pravis insurgentibus resistendúmne positivè, an sufficiat negativè se habere. lib.10.c.2. Vide etiam *Cogitationes.*
*Mulier, Muliercula.*
Mulieres nobiles quando excusantur ab auditione Sacri deficienti condecente vestitu. l.4.c.2.§.2.n.5.
Quid pro tempore à partu, vel simili. ibid.
Mulier alias honesta, quantum possit exigerè pro usu sui corporis. l.7.c.5.§.3.n.24.& 25
Mulier fictè copulam promittens, ad quid obligatur. l.7.c.5.§.3.n.49
An possit tunc frui pecunia, non servato promisso. num.50
An Amasij munera acceptare possit. n.52
Mulier, cui vis infertur, quid faciet, ne pecc et. l.7.c.6. §.2.n.3
Mulier, per vim oppressa, an possit eiicere semen viri iam receptum. l.7.c.3.§.5.n.15
Mulierc larum duo contractus mutui exponuntur. l.8. tr.3.c.8.§.3.n.28
*Munera.*
Munera à ludice non acceptanda. l.9.c.2.§.1.n.5
Munera ludici donanda. ibid.n.13
Munera acceptare ab Amasio mulier honesta an possit l.7.c.5.§.3.n.52
*Mutatio.*
Mutatio officij stando in eodem ritu an liceat. lib.2.c.5. §.2.n.20
Quid transeundo in alienum. n.33
*Mutilare.*
Mutilare se an aliquando liceat. l.6.c.2.§.3.n.3
Quid de castrando. n.4.
*Mutuum.*
Mutuum dare an possit, qui iuravit non daturum. l.3 c.3. §.5.n.66
Mutuum, una ex concausis ad iniustam actionem. l.8. tr.4.c.2.§.6
Mutuum dare pro tritico consignando tempore messis l.8.tr.3.c.7.§.7.n.3
Mutuum quid sit. l.8.tr.3.c.8.§.1.
Mutuum: Vide *Vsura.*
Pacta in mutuo, quænam sint iusta. ibid.n.10.& §.2. sparsim per totum.
Mutuum tibi dare cum obligatione, ut reddas, quod sub dubio debes, an liceat. l.8.tr.4.c.3.n.10.
Mutuum dare cum pacto, ut nihil accipias, si solùm vivam decem annos, v.g. sed deinde accipias simul decem pro centenario, pro illis decem annis, an liceat. l.8.tr.3.c.8.§.5.n.6.

N

*Navigare.*
Navigantes quando excusantur ab auditione Sacri. l.4.c.2.§.2.n.3
*Necessitas.*
Necessitas, quæ excusat à laborando diebus festis. lib.4. c.3.§.2.n.6
Necessitas extrema temporalis proximi quando te obligat ad eam sublvendam. lib.5.c.2.§.1.à n.9. Vide etiam n.12.
Quid de gravi. à n.15
Quid de communi. ibid.
Necessitas proximi spiritualis quando. l.5.c.1.§.2
Non extrema. à n.2
Extrema. à n.3
An cogat te profundere omnes fortunas, vitámque. ibid.
Necessitas extrema, vel gravis an concedat posse furari. l.8.tr.2.c.6
An tunc debeat adesse animus reddendi, cùm otueris. ibid.§.p2.n.2
Necessitas, & utilitas mercium quomodo augeat rerum pretia. l.8.tr.3.c.7.§.4.n.17
*Negare.*
Negare debitum potest coniux ex decem causis. l.7.c.3 §.5.à n.20.
Prima causa, quando vir remissivè petit. n.21.
Secunda, quando rarò alter negat. n.22
Tertia, ob multitudinem prolis, quam sustinere non valet. n.23
Quarta, ob periculum gravis morbi. n.24
Quinta, in primo bimestri contracti matrimonij de præsenti. n.25
Sexta, ante benedictiones Ecclesiæ? vel denuntiationes. n.26
Septima, ob votum, vel incestum, sed vide huius explicationem. n.27
Octava, an amenti coniugi. n.29
Nona, dubitanti de validitate matrimonij. n.30
*Negligentia.*
Negligentia exirpandi consuetudinem quando est peccatum. l.3.c.1.§.5.n.6
*Nesciens.*
Nescien squid sit iurare, an iuret. l.3.c.1.§.1.n.7
*Nomen.*
Nomen diaboli scribere, & comburere an liceat. lib.3 c.8.§.2.n.25
*Nonobstans.*
Nonobstans, non manifestans concausæ ad iniustam actionem, quam obligationem restitutionis pariant l.8.tr.4.c.2.§.6
*Notarius.*
Notarij cooperatio cum peccato usurarij. lib.5.c.1.§.4 num.56
Notarius, quoad suum munus. l.9.c.2.§.5
*Novitius.*
Novitius peccando contra castitatem an committat sacrilegium. l.7.c.2.§.1.n.6
*Nox media.*
Nox media qua ratione computanda in jejuniis: Vide *Media nox.*
*Nutrix.*
Nutrices an excusentur ab assistentia Sacri. l.4.c.2.§.3 num.5
Quid à ieiunio. l.4.c.5.§.7.n.17

O

*Obedientia, Obedire.*
Obediendúm ne persecutoribus Fidei. lib.2.c.1.§.2. num.5
Obedientiæ votum, Officium divinum, Oleum Sanctum, Ordo. In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§.7
*Obligatio.*
Obligatio mutua fratum, & sororum: Vide *Fratres.*
Obligatio Patris, Matris, Filiorum: Vide *Pater, Mater, Parentes, Filius.*
Obligatio horum quoad correctionem. lib.5.c.4.§.4.n.4
Obligatio legendi horas Canonicas, quæ, & qualis l.2.c.5.§.1
Cætera: Vide *Horæ Canonica*
Obligatio, quæ nascatur ex iuramento doloso. l.3.c.3 §.2.n.7
Quæ ex voto ficto. l.3.c.12.§.1
Quæ ex promissione absoluta, vel conditionata in votis. ibid.§.2
Obligatio audiendi Sacrum: Vide, *Missam audiendi obligatio.*
*Observantia.*
Observantia vana: Vide *Vana observantia.*

# Index Rerum


*Occasio.*

Occasio peccandi differt à peccati consuetudine. l.3.c.1. §.5.n.3

Occasio peccati, an peccatum. ibid.à n.1

Occasionem peccandi offerre: Vide *Offerre materiam.*

*Occidere.*

Occidere volenti, an possit dari consilium, solùm vulneret. l.5.c.1.§.4 à n.6

Occidere volenti unum, an dari possit consilium, ut alium interficiat. ibid à n.13

Occidere: Vide *Homicidium.*

Occidere se ipsum: Vide *Homicidium suipsius.*

*Occultus.*

Occultus omnino malefactor an possit condemnari. l.6 c.1.§.4.n.18

Occultum quidnam sit in ordine ad detractionem lib.9 c.3.§.2.n.10.

*Occupatio.*

Occuptio gravis quando excusat ab officio: Vide, *Causæ excusantes ab Officio.*

*Offerre.*

Offerre materiam, seu occasionem peccandi, quando peccatum. l.5.c.1.§.4.n.4.Vide n.67

*Officium.*

Officium pro Officio: Vde *Mutatio Officij.*

Officium divinum: Vide, *Horæ canonicæ.*

Omittere officium uno, vel altero die est mortale l.2 c.5.§.1.n.32

Officio Divino addere an aliquid liceat. l.2.c.5.§.2.n.3

Officiorum venditio. l.8.tr.3.c.7.§.3.n.3

Officiorum distributio, sive Ecclesiasticorum, sive Sæcularium. l.8.tr.3.c.4.§.4.n. 5.& n.15

ex Officio qui tenentur procurare salutem proximi, quatenus obligantur. l.5.c.1.§.2.n.3

*Omissio, Omittere.*

pro Omissione peccati an possit quid pecuniæ accipi. l.7.c.5.§.3.n.21

Omittens quod debet ex Iustitia, quandónam censetur causa homicidij. l.6.c.3.§.1.n.8.& n.10

Quid, solùm ex Charitate. ibid.

*Onerosus.*

Onerosus, & lucrarivus contractus. l.8.tr.3.c.6.§.2 num.9

*Opera*

Opera Malefici uti ad dissolvendum maleficium an liceat. l.2.c.6.§.2.n.3

Opera servilia diebus festis prohibita, quænam sint l.4. c.3.§.1

An transcribere n.6

An pingere, venari, sculpere. à n.8

Quid de piscatione in flumine, vel in mari, retibus vel arundine. ibid.§.2.n.23

An iter facere. ibid.c.3.§.1.n.11

An infidelibus præcipere opera servilia. n.16

An emundare tricum. n.8

An distillare. ibid.

Operam dans rei licitæ, vel illicitæ, quando censetur causa homicidij. l.6.c.3.§.1.n.4.& n.5

*Opinari, Opinio.*

Opinio, qua ratione differat à Iudicio, Dubitatione, Suspicione. l.9.c.1.n.1

Opinari de malo alterius an mortale. n.11

Opinio, Vide, *Conscientia probabilis.*

*Oratio*

Oratio quid sit, & quando eius præceptum urget. l.2. c.4.§.2

*Ordinarius.*

Ordinarij nomine quid veniat. l.4.c.3.§.2.à n.33

*Ordo.*

Ordo non est de substantia Officij. l.2.c.5 §.3.n.12

Ordine quo debent multæ concaussæ restitutionem expedire. l.8.tr.4.c.2.§.9.

Ordo Iuris: Vidè, *Iuris Ordo.*

Ordo Minorum, seu Franciscani nullum habent dominium, sed res, quibus utuntur sunt Summi Pontificis. l.8.tr.

*Ornatus.*

Ornatus Mulierum. 5.c.1.§.4.n.71. & lib. 7. cap. per totum.

An ob horum finem liceat. dict.§.8. n.12.&

Excessus an ex se mortalis.

Quid ob aliorum scandalum.

*Oscula*

Oscula inter Coniuges: Vide *Tactus inter Co*

Oscula inter solutos: Vide *Tactus inter solutos.*

Oscula inter sponsos: Vide *Tactus inter Sponsi.*

Osculum vi illatum fœminæ honestæ ad quid osculantem. l.7.c.5.§.3.n.16.

*Ova.*

Ovis an liceat vesci iis, quibus conceduntur lac l.4.c.5.§.1.n.19

Ovis an liceat uti in ientaculo. ibid.

P

*Pactum*

Pactum nudum, & vestitum: Vide *Contractus.*

Pacta in mutuo quæ. lib.8.tr.3.cap.8.1.n.10. sparsim.

Pacta retrovenditionis tria l.8 tr.3.c.7.§.

In favorem venditoris.

In favorem emptoris.

In favorem utriusque.

*Paganus.*

Pangani an possint cogi ad fidem. l.2.c.15.n.

*Palpo.*

Palpo concausa ad iniustam actionem, quam obligationem restitutionis pariat. l.8.tr.

*Panis.*

Panem conficere die festo an liceat. l.4.c.3.§.

Panis coctus in aqua, an, & quantus liceat in ieiunio. l.4.c.5.§.

*Parentes.*

Parentes quid debeant filiis. l.

Quoad alimenta filio legitimo.

Filio excommunicato.

Filio spurio, vel naturali.

*Parochus.*

Parochi quid possint in dispensandis votis. lib.3.§.4.n.4

Quid in operibus servilibus die festo. l.4.c.3.§.

Quid in iejuniis. l.4.c.5.§.

Parochus quando obligatur succurrere saluti suorum. c.1.§.2.n.3

*Participans.*

Participans concausa ad iniustam actionem, quam obligationem restitutionis pariat. l.8.tr.4.c.

*Parvitas materiæ.*

Parvitas materiæ, ubinam reperitur. l.1.c.

An reperiatur in contemptu rerum sacrarum. num.6

An in parjurio.

An in magia, superstitione, simonia, in re venerea in Sacrandentis, in homicidio.

In votis, & iuramentis. n.17.&

In peccatis contra spem l.2.c.2.§.

Rursus in superstitione. l.2.c.6.§.

Parvitas materiæ undenam desumatur. l.1.c.1.§.3.n.

Parvitas materiæ an inveniatur in luxuriæ peccatis. c.8.§.1.n.8.

Pavitas materiæ in paupertate religiosa: Vide, *Paupertas Religiosa.*

Parvitas materiæ in furto: Vide *Furti quantitas.*

*Pars.*

Pars notabilis Officij quæ. l.2.c.5.§.2.n.

*Pascere.*

Pascentes aliorum prata. l.8.tr.2.c.6.§.

*Pastilli.*

Pastilli esculenti, seu macherones an violent ieiunium in pane, & aqua. l.3.c.15.§.6.n.

Pars.

*Pater.*

Pater patratus, ideſt habens filium, & patrem, à quo alendus. l.5.c.3.§.1.n.11
Pater an concubinam filij poſſit domi retinere. l.5.c.1.§.4.n.22.
Pater nó poteſt compellere filium nec ad matrimonium, nec ad Religionem. l.5.c.2.§.4
An poſſit invitare ad matrimonium. n.4
An tentahere à Religione. ibid.§.5
Pater an licitè filium exponat Hoſpitali. l.5.c.3.§.1.n.4. & 5
Pater an poſſit exhæredare filium, & ob quas cauſas. ibid.n.8.
Pater quoad vota filij. n.12
Quid vivente Avo. n.13.
Quod donationes inter patrem, & filium; Vide *Donationes.*
Patri quid debeat filius: Vide, *Filius.*
Pater quæ Filij vota irritare valet: Vide *Filii vota.*

*Pauper.*

Pauper fictus quid debet reſtituere. l.8.tr.4.c.1.§.1.n.1
Quid pauper piger, & otio vacans, ut mendicet. ibid. num.4.
Pauperes: Vide *Eleemoſyna.*
Pauperum ſublevatio an det cauſam laborandi die feſtivo. l.4.c.3.§.2.n.14.

*Paupertas.*

Paupertas quæ excuſat à jejunio. l.4.c.3.§.7.n.33.
Paupertas quando excuſat à recitatione Officii. l.2.c.5.§.8.n.8
Paupertas Religioſa prohibet dominium, & uſum independentem. l.8.tr.1.c.2.§.5.n.1.
Patvitas in hac materia quæ. l.8.tr.2.c.4
Maior quantitas requiritur ad mortale, in rebus uſu conſumptibilibus, quam in aliis. l.8.tr.1.c.1.n.19
Maior item ſi res, v. g. gallina in fruſta ſecetur à Domino. n.13
Paupertatem Religioſorum, quoad proprietatem mitigare Pontifex poteſt. l.8.tr.1.c.2.§.1.n.14
Paupertatis Religioſæ aliqua ſelecta. ibid.§.5
Paupertatem Religioſam violárne, qui nomine alieno, v.g. Teſtatoris diſponit de pecunia. ibidem.n.4
Paupertas quandónam excuſat à teſtitutione. lib.8.tr.4.c.1.§.6.n.2
Paupertas quando dat licentiam furandi. l.8.t.2.c.6

*Pharmacopolæ.*

Pharmacopolæ vendentes quid pro quo: Vide *Vendere quid pro quo.*

*Peccatum.*

Peccatum quid ſit. l.1.c.1.§.1.n.1.
Peccati mortalis, & venialis diſcrimen. ibid.
Peccatum mortale, & veniale ex genere ſuo, vel per accidens. ibid.n.3.& toto §.2.& 3
Cætera: Vide *verb. Mortale, & verb. Veniale.*
Peccatum in gnenere an ſit mortale. l.1.c.1.§.3.n.30
Peccatum contra naturam; Vide *Mollities, Pollitio, Sodomia, Beſtialitas.*
Peccati permiſſio, Vide, *Permiſſio peccati.*
Peccatum proximi ex infirmitate, vel ex malitia, an differant in ordine ad ſcandalum. l.5.c.3.§.4.à n.69

*Peculium.*

Peculium ſuum an filius alienare queat. l.5.c.4.§.1
Quid quoad teſtari. ibid.
Peculium filiorum. l.1.c.3.§.7

*Penſio.*

Penſione gaudentes an teneantur ad Officium. l.2.c.5.§.1.n.22.

*Peregrinus.*

Peregrinus Sacerdos, vel Beneficiarius quod officium tenetur perſolvere. l.2.c.5.§.2.n.36
Peregrinum eſſe quando excuſat ab auditione Sac. l.4.c.1.§.2.n.19.

*Periculum.*

Periculi quod excuſat ab audienda Miſſa l.4.c.2.§.2.n.5
Periculum recuperandi ſortem an det lucrum in mutuo l.8.tr.3.c.8.§.4.

*Periurium.*

Periurij pœnæ. l.3.c.6

*Perplexitas.*

Perplexitas non admittitur. l.1.c.3.§.2.n.4

*Permiſſio.*

Permiſſio peccati quando peccatum. l.5.c.1.§.4.n.2

*Permutare.*

Permutare an poſſint carnes ij, qui non poſſunt vendere l.8.tr.3.c.7.§.1.n.7.8.& 11.
Permutare an poſſit Domus profeſſa Societ. Iesu fructus hôrtuli, quos non poteſt vendere. ibid.n.8

*Perſona.*

Perſonæ quæ vendere, & emere poſſunt. l.8.tr.3.c.7.§.2.

*Pictor.*

Pictor an Amaſiam licitè pingat. l.5.c.1.§.4.n.28.& 31
Pingere an liceat die feſto: Vide, *Opera ſervilia.*

*Piſcator.*

Piſcatores quæ piſcari poſſunt. l.8.tr.2.c.9..2
Piſcari an liceat eodem die: Vide *Opera ſervilia.*

*Pinguedo.*

Pinguedo an comedi poſſit die jejunii. l.4.c.5.§.1.n.14

*Pœnæ.*

Pœnæ Hæreticorum, Vide *Hæreticorum pœnæ.*
Pœnæ non recitantium officium. l.2.c.5.§.7
Pœnæ malefici, Divinatoris, Sortilegi, &c. l.2.c.6.§.2 num 14.
Pœnæ Blaſphemantium. l.2.c.6.§.4.n.26
Pœna poſitiva non incurritur, niſi ſciatur. l.1.c.1.§.10 à num.11.
Quid de pœna non petendi debitum cõjugale. ib.n.22
Pœnæ immemor in voto pœnali, an illã incurrat tranſgrediendo votum. ibid.n.25.
Pœnæ perjurii: Vide *Perjurii pœnæ.*
Pœnale votum quomodo obliget. l.3.c.12.§.7
Pœna uſurarii. l.8.tr.3.c.8.§.7. remiſſivè
Pœnæ Duelli. l.6.c.1.§.3.n.13.
Pœnæ Adulterii. l.7.c.3.§.3
Pœnæ Inceſtus. l.7.c.4.§.1.n.2
Pœnæ Concubinatus. l.7.c.1.§.2.n.3.
Pœnæ Monialé ſollicitantis, vel violantis. l.7 c.2.§.2.n.1
Pœnæ Raptus. l.7.c.6.§.2.à n.9
Pœnæ Sodomiæ. l.7.c.7.§.6.n.1

*Pœnitentia.*

Pœnitentiæ Sacramentali quoad orationes ſatisfieri aliena lingua an poſſit. l.2.c.5.§.2.n.18
Pœnitentis ſcrupuloſi inſtructio. l.1.c.3.§.8.à n.4

*Pollutio.*

Pollutio Eccleſiæ quando contingit ex ſacrilegio. l.7.c.2.§.1.n.7.& deinceps.
An ex occulto. n.8
An ex copula coniugali. n.9.
Quid ex tactibus turpibus. n.10
Pollutio Conjugis quod peccatum. l.7.c.3.§.5.n.2.& 3
Pollutio voluntaria ſemper eſt Jure naturæ prohibita. l.7.c.3.§.5.n.46.
Pollutionis cauſa altera per ſe influens, altera per accidens, & leviter. l.7.c.3.§.5.n.48
Quando eſt peccatum pollutio in cauſa. n.49.
Pollutio quomodo differat à diſtillatione. l.7.c.3.§.5.n.63
Pollutio voluntaria non diverſificatur à diverſitate inſtrumenti inanimati. l.7.c.7.§.1.n.2.
Quid ſi intra brachia, vel os fœminæ. n.3
Quid ſi manibus alterius. n.5
Pollutio vigilantis voluntaria. l.7.c.7.§.2.n.2
Polutio puerorum nondum emittentium ſemen, an ſit diverſa ab emittentibus. ibid.& ſeqq
Pollutio nocturna ſeu dormientis. l.7.c.7.§.2.n.11.
Alia voluntaria ſive antecedenter in cauſa, ſive conſequenter

sequenter ex delectatione ipsius. ibid.
Pollutio in somnis cœpta, quæ in vigilia perficiatur. ibid.n.18.
An ad dictam perfectionem activè quis concurrere motu corporis possit. ibid.
Pollutio vigilantis involuntaria. ibid.n.20

*Pontifex.*

Pontifex Summus dispensare potest in recitatione officii. l.2.c.5.§.8.n.25
Pontifex Summus potest relaxare juramenta Deo præstita. l.3.c.7.§.3.n.5
Commutare. ibid.§.4.n.2
Dies festos indicere. l.4.c.1.§.1
Dispensare in servilibus die festo. ibid.c.3.§.2.n.3
Dispensare in jejuniis Ecclesiasticis ibid.c.3.§.7.n.52

*Possessio.*

Possessio quid operetur in probabilibus. l.1.c.3.§.3.n.9
Circa ius. n.9.& 14
Circa factum. n.10.& 13
Exempla de possessione in probabilitate Iuris n.27
Exempla de eadem probabilitate facti. n.27
Possessio quid operetur in Dubiis: Vide, *Verbo Dubiis.*
Possessio religiosa filii non nocet Juri paterno in bonis temporalibus. l.5.c.4.§.2.n.12

*Possessor.*

Possessor malæ fidei: Vide *Restitutionis Radix prima totam.*
Possessor bonæ fidei: Vide *Restitutionis radix secunda.*
Possessio quomodo acquiratur. l.6.c.3.tr.1.§.3

*Potestas.*

Potestatem habens dispensandi vel commutandi in votis, an habeat in Iuramentis. l.3.c.7.§.3.n.8
Potestas Civilis an habeat potestatem relaxandi juramenta. l.3.c.7.§.3.n.13

*Potus.*

Potus an frangat jejunium Ecclesiasticum. l.4.c.5.§.2.n.2
Quid de potu vini, musti, juris, lactis, cervisiæ. n.4
Quid de aquis conditis. n.5
Quid de succo ore expresso ab uva, malis, cæterisque fructibus. n.7
Quid de Cocholate. n.8
Quid de Arundinibus mellicis. n.14
Potus vini, ut causa pollutionis. l.7.c.3.§.5.n.51

*Præceptum.*

Præceptum Charitatis erga Deum quando urget. lib.2.c.3.§.2.
Præceptum Superioris quando judicandum grave. lib.1.c.1.§.2.n.18.
Præcepti transgressio ex metu. l.1.c.2.§.9
Præcipere infidelibus die festo opera servilia an liceat. l.4.c.3.§.1.n.13
Præceptum restitutionis affirmativum ne, an negativum. l.6.tr.3.c.1.§.5.
Præceptum de diligendo proximum quale. l.5.c.1.n.1
Præceptum de non fornicando potest invincibiliter ignorari. l.7.c.1.§.3.n.16

*Prædicere.*

Prædicere futura ex Astris, an liceat. l.2.c.6.§.1. à n.14
ex insomniis. ibid.à n.24

*Prælatus.*

Prælati vel eorum Vicarij quam potestatem habeant in juramentis relaxandis. l.3.c.7.§.3.n.6
Quid in commutandis. ibid.§.4.n.2
Quid in votis. l.3.c.16.§.4.n.4
Quid in operibus servilibus die festivo lib.4.c.3.§.2. à n.33.
Quid in jejuniis. l.4.c.5.§.7.n.55
Prælatus Religionis quæ vota subditi irritare potest. l.3.c.16.§.3.n.28
Quæ dispensare. ibid.§.4.à n.4
Quid in operibus servilibus die festo l.4.c.3.§.2.n.34
Quid in jejuniis Eccl.sticis,& Regulæ. ib.c.5.§.7.n.55
Prælati Religiosorum, an possint dispensare in recitatione Officij. l.2.c.5.§.8.

*Præscriptio*

Præscriptio quid sit,& quomodo currat. l.8.tr.1.c.
Tempus ad præscribendum res temporales.
Ad præscribendum contra leges.
Præscriptionis jure an gaudeant in conscientia, ubi ea in foro externo non admittitur. ibid.

*Pragmatica.*

Pragmatica de venditione frumentorum in Sicilia. l.tr.3.c.7.§.7.n.9

*Praxis.*

Praxis, qua explicari debet homicidium in Confessione. l.6.
Praxis servanda in commutatione votorum. l.3.c.

*Preces.*

Preces importunæ an cadant in constantem virum. c.2.§.5.n.9.

*Pretium.*

Pretium rei: Vide, *Valor.*
Pretium determinatum acquiritur in emptione: & traditione. l.8.tr.3.c.7.§.
Pretium justum rei quod. l.8.tr.3.c.7.§.4. per
Legitimum aliud, aliud naturale, seu vulgare.
Pretium medium, summum, infimum in vulgari
Communis æstimatio determinat justum pretium.
Pretium crescit, vel decrescit quinque ex capitibus.
Primò ex parte rei venditæ.
Secundò ex parte pretij.
Tertiò ex parte emptorum, & venditorum.
Quartò ex parte expensarum.
Quintò ex parte modi vendendi.
Pretium quomodo augeatur à necessitate, vel utilitate mercis. ibid.
Pretio quo res emendæ, vel vendendæ. ibid.
Quanti res extraordinariæ.
Quanti res, quæ sciuntur mox fore cariores, vel viliores.
Quanti in subhastatione.
Pretij. Vide. *Deceptiones occurrentes, ubi mha de pretio.*
Pretium in Monopoliis. l.8.tr.3.c.7.§.11.n.

*Princeps.*

Principes Christiani an possint tolerare Paganos, ut eos cogere ad fidem. l.1.c.15.n.

*Privatio.*

Privatio pecuniæ an det lucrum in Mutuo. l.8.tr.3.c.

*Privilegiorum.*

Privilegium monopolij an, & quando concedi possit a principe. l.8.tr.3.c.7.§.12.n.

*Probabilitas.*

Probabilitas. Vide, *Conscientia probabilis, & Opinio.*
Probabilem sententiam modò unam, modò aliam quid, an liceat. l.1.c.3.§.5. per
*Professio.*
Professio fidei à quibus emittenda. l.1.c.1.§.
à Beneficiariis.
à Professoribus artium liberalium.
Sub qua pœna. n.4.&
Professi ad chorum: Vide. *Horæ Canonicæ, & Religiosi deputati ad Chorum.*
Professio Religiosa ex metu. l.1.c.2.§.
*Promissio.*
Promissorum juramentum, eiusque veritas. l.3.c.3.§.
Quid de promissorio doloso. ibid.
Promissorii iuramenti in communi. ibid.§.
In honorem Dei. n.
In utilitatem hominis. l.
Promissio requisita in voto. l.c.
Promissio ficta quænam obstat voto. ibid.
Promissio absoluta, & conditionata. ibid.§.
Promittere cum juramento rem illicitam, quod peccatum. l.3.c.3.§.3.n.
Promissio pecuniæ ob rem turpem, an re habita obliget. l.8.c.5.§.4.n.

Promis-

Promissio non repetendi mutuum intra certum tempus, an det lucrum. l.8.t.3.c.8.§.5
Promissio in diem, & quando obligat transacto termino l.8.tr.4.c.3.n.8

*Propinquitas.*

Propinquitas quanta requiritur, ne impedimentum poni possit executioni præcepti. l.4.c.2.§.3.à.n.8

*Propositum.*

Propositum requisitum in voto. l.3.c.11

*Protestatio.*

Protestatio sola non sufficit ad emendandam superstitionem. l.2.c.6.§.1.n.29

*Proximus.*

Proximi necessitas obstat, ne opinionem probabilem sequamur. l.1.c.3.n.22. & 23

*Puella.*

Puella honesta quid faciat, si advertit se ab alio libidinosè tangi. l.5.c.1.§ 4.n.25
An obligetur sinere se contrectati à Medico in partibus honestis. ibid.
An liceat illi habere amatores. n.26
An se conspiciendam offerre Amatori. ibidem. Vide etiam. n.71
An munera acceptare. l.8.c.5.§.3.àn.49
An se ornare. l.7.c.5.§...per tor.

*Puer.*

Puerorum motus quando mortales. l.1.c.1.§.3-n.33

Q

*Quadragesimæ.*

QVadragesimæ tempore an liceat recitare Vesperas ante refectionem. l.4,c.5.§.4.n 4

*Quando.*

Quando circumstantia restitutionis. l.8.tr.4.c.1.§.6
Quandónam accedere ad coniugem sit prohibitum. l.7 c.3.§.5
An tempore menstrui, vel gravidationis. n.35
An tempore Adventus, vel Quadragesimæ. n.63.
An tempore sumptæ, vel assumendæ Eucharistiæ ibid. remissivè.
An tempore senectutis. n.37
Quando iejunandum. l.4,c.5.§.3.n.4
Quando votum obligat. l.3.c.12.§. 3

*Quantum, Quantitas.*

Quantitas furti requisita ad mortale: Vide, *Furti Quantitas.*
Quantum, circunstantia restitutionis. l.8.tr.4.c.1.§.4
Quantum singulæ damni concausæ restituere teneantur. l.8.tr.4.c.2.§.8
Quanta refectiuncula sumi potest die iejunij lib.4.c.5. §.3.n.1.
Qualis. n.3
Quo tempore. n.10

*Quinquagenarius.*

Quinquagenaria mulier an excusetur à iejunio. l.4.c.5 §.7.n.5.

*Quis, Quid, Quomodo, Quo loco, Quo ordine, Quod.*

Quis, circumstantia restitutionis. l.8.tr.4.c.1. §.1
Quid, circumstantia restitutionis. ibid.§ 2
Quomodo, circumstantia restitutionis. ibid.§.5.
Quo loco, circumstantia restitutionis. ibid §.8
Quo ordine multæ concausæ debent restitutionem expedire. l.8.tr.4.c.2.§.7
Quod nondum est, an vendi possit. l.8.tr.3.c.7.§.n.20
Quod est illud officium, ad quod tenentur obligati ad illud. l.2.c.5.§.2

R

*Radix.*

RAdices restitutionis: Vide, *Restitutionis radices.*

*Raptus.*

Raptus. l.7.c.6
Quid sit. § 1.n.1
Ad Raptum requiruntur tria. §.1.n.1.&seqq.
Raptus pœnæ. §.1.n.9
Raptus, quandónam dirimit matrimonium. ibid.& n.10
Raptus an sit Copula cum fœmina dormiente. n.17.ibid.

*Ratificatio.*

Ratificatio in votis quid operetur. l.3.c.19.§.3.n.57

*Recursus.*

Recursus ex concausis ad iniustam actionem, quam obligationem restitutionis. l.8.tr.4.c.2.§.4

*Redire.*

Redire an liceat ad prius votum post commutationem vel dispensationem. l.2.c.16.§.7
Redire an obligeris, si ad tempus fuit commutatio. ibid. n.2

*Refectiuncula.*

Refectiuncula in die iejunij conceditur. l.5.c.5.§.3
Quanta. n.1
Qualis. n.3
Quo tempore. n.10

*Regula.*

Regula decernendi voluntatum liberum. lib.1. c.2.§.1 n.5. juncto §.3.n.2
Cognoscendi divinationem superstitiosam. lib. 2.c.6 §.1-n.12.
Cognoscendi invocationem tacitam dæmonis. ibid. n.24.& 25.
Cognoscendi, an vis sit naturalis, an superstitiosa. n.62.& 65.

*Relaxatio.*

Relaxatio iuramenti, à quo, de quibus, ob quas causas. l.3.c.7.§.3.

*Religio, Religiosus.*

Religionis votum, Religiosorum vota, rescriptum, restitutio, reus, & testis. In dubiis horum quid fiet. l.1.c.3.§.7.
Religiosi deputati ad Chorum qua ratione obligantur ad illum. l.2.c.5.à n.6
Quid si sint numero pauci. n.12
Quid si non sunt in Sacris, obligabuntúrne privatim num.13.
Cætera: Vide, *Horæ Canonicæ.*
Religiosi an possint transire ad statum laicalem in eadem Religione. ibid.n.15
Religiosi an possint recitare Officium, quod recitant diœcesani. ibid.§.2.n.5
Religiosorum Prælati. Vide, *Prælati.*
Religiosi incolæ an teneantur Voto Civitatum. l.3.c.12 §.2.n.6.juncto n.13.
Religiosi mendicantes quam habeant potestatem relaxandi iuramenta. l.3.c.7.§.3.n.9
Eandem commutandi. ibic.§.4.n.2
Vota dispensandi; vel commutandi. ibid.c.16.§.4.n.8. & n.46.
Dispensandi in laboribus die festo. l.4.c.3.§.1.à n.34
Religiosorum vota sine superiorum scientia, vel consensu, &c. l.3.c.12.§.5 à n.5
Religiosus, qui malè se de industria gessit; ut admitteretur, ad quid obligatur. l.3.c.12.§.6.n.8
Religiosus ære alieno, vel furto gravatus ad quid obligatur. l.8.tr.4.c.1.§.1.à n.7.
Ante professionem. ibid.
Post professionem. n.16
Religiosus quid ludo exponere potest. l.8.tr.2.cap.9.§.1. num.25.
Religiosus an possit esse executor testamenti. lib.8. tr.1 c.2.§.5.n.6.
Religiosus an debeat egredi à Religione, vel in illam non ingredi propter necessitatem parentum, vel sororum. l.5.c.2 § 5.n.6
Religiosus, quoad votum Paupertatis: Vide, *Paupertas religiosa.*
Religiosus Sacerdos dum confitetur peccatum luxuriæ, an debeat explicare sacerdotium, & professionem. l.7.c.2.§.1.n.4.
Religiosus invitatus ad convivium, an sine licentia sui Superioris comedere appposita possit. l.8.t.1.c.2.§ 5.n.9.

# Index Rerum


*Reliquiæ*

Reliquiæ CHRISTI Domini, putà Spinæ, Sudarium Crux, qua adoratione colendæ. l.2.c.4.§.1.n.4
Reliquiæ Sanctorum, quomodo adorandæ. ibid. n.5

*Remedium*

Remedia adversùs luxuriam. l.7.c.10

*Remissio*

Remissio iuramenti quæ, & à quo. l.3.c.7.§.2
Remittere an sibi quis possit iuramentum in sui utilitatem emissum. l.3.c.7.§.2.n.4

*Remittere.*

Remissio Mercatoris an, & quando faveat ementialicno nomine. l.8.tr.3.c.7.§.10
Remittere offensam inimico. l.5.c.1.§.3

*Repræsentatio*

Repræsentatio turpium. l.5.c.1.§.4.n.28.& l.7.c.7. §.4
Repræsentatio turpium, ut causa Pollutionis. l.7. cap. 3. §.5.n.50.&51

*Reservata.*

Reservata Vota an aliquando ab inferioribus Papa dispesentur. l.3.c.16.§.4.n.36
An ad id det causam necessitas. n.37
An imperfectio voluntarij. n.41
An privilegium. n.46
Reservatáne intelligatur sodomia inperfecta, quando reservatur sodomia absolutè. l.7.c.7.§.3.n.4
Reservata sodomia, an intelligatur tum de agente, tum de patiente. l.7.c.7.§.6.n.3
Reservatâ sodomiâ, an reservata censeatur bestialitas. ibid.n.6

*Resistere.*

Resistere positivè an quis debeat in motibus pravis l.10 c.2

*Restituere, Restitutio.*

Restitutionis obligatio an det causam non iejunandi l.4. c.5.§.7.n.35
Restitutio Honoris. l.9.c.3.§.8.n.5
Restitutio Famæ. Vide, *Fama.*
Restitutio ex damno dato: Vide, *Damnum datum.*
Restitutio ex homicido. l.6.c.4
Ex homicidio directo. ibid.§.3
Ex homicidio indirecto. ibid.§.1. Vide etiam l.8.tr.3. c.2.§.5.àn.12
An obligeris ad restitutionem si volentem occidas. l.6.c.4.§.3.n.2
Quid in Duello.
Quid si occidas provocantem. n.15
An aliquid restituendum pro damnis spiritualibus occiso factis. n.20
Quid pro damno personali. n.22
Restituere an teneatur excedens modum suæ defensionis. §.3.n.5
Restitutio ex homicidio, quibus hæredibus debetur dict. §.3.n.6
Restituere an quid debeant hæredes occisoris. ibid.n.14
Restitutio ex adulterio. l.7.c.3.§.4
Adulteri obligatio propter prolem non legitimam succedentem. n.2
Adulteræ obligatio propter eandem rationem. n.7
Quas excusationes hæc habet. à.n.9
Adulter certus de sua prole tenetur eam alere. n.5
Restutio bonorum temporalium. l.8.tr.3.c.1
Quo præcepto iubeatur. ibid
Restitutionis radices. l.8.tr.3.c.2.§.1
Restitutionis radix prima ex injusta acceptione. ibid. c.2. per totum.
Restituere tenetur ex hac radice is, qui alienum sumit §.2
Per actionem injustam. ibid.
Per actionem externè injustam. §.3
Per injustam ex culpa Theologica. §.4
Ex culpa Theologica gravi. §.5
Quid ex levi externè, sed internè gravi. ibid.n.7
Restitutio ex delicto, quomodo statim obliget. §.6
Restitutionis radix secunda, ex re accepta l.8.tr.3.c.3
An furi possim restituere rem ab ipso mihi bona venditam.
Quid si assuit mala fides.
Quid si res sic vendita sit alteri obligata. ibid.
Restitutio ex re accepta quomodo statim obliget. l.8. tr.3.c.2.§.6.n.11.& c.3.§.1.n.2
Restitutio quomodo expedienda, quando res aliena cum propria admista, confusa, immista. lib.8.tr.3. c.3.§.4 à n.22
Restitutionis radix tertia ex damnificatione, sed lege. l.8.tr.3.c.4
Restitutionem an debeat, qui impedit bonum alterius vi, fraude, &c. vel cum his. ibid.c.4.
Quoad ea, quæ pertinent ad iustitiam commutativam. ibid.
Quoad ea, quæ ad distributivam. ibid.
Quoad impedientem, ne quis acquirat beneficium. ibid.n.3
Restitutionis radix quarta ex contractu. l.8.tr.3.
Ex culpa in propriè dicto contractu. ibid.
Ex culpa in quasi contractu. ibid.
Restitutio ex contractu quomodo statim obliget. ibid. tr.3.c.2.§.6.n.6
Restitutionis eadem quarta radix immediatè, ex contractu in universum. ibidem.
Regula generalis. ibid.
Restitutionis eadem quarta radix ex contractu proprie emptionis, & venditionis: Vide *Emptio*, & Vide *Venditio.*
Restitutionis eadem quarta radix ex contractu proprie mutui. l.8.tr.3.c.8. per totum.
Restitutionis circumstantiæ: Vide *Circumstantiæ Restitutionis.*
Restituendane est res domino nocitura. lib.8. tract.4. c.3.§.3.n.1
Restitutio an iteranda, si pereat in manu interuntii. l.8.tr.4.c.1.§.5.à n.3.
Quid si per errorem fiat alteri à donino. ibid.
Quid si Mediator rem restituendam casu amittat. ibid.n.4
Restitutio doni mortuo donatore. ibid.n.5
Restitutionem volentem differre, vel nolentem facere an absolvendus? Vide *Absolutio an conferenda.*

*Reus.*

An licitè aperiat occulta crimina testium. ibid.
An falsa. ibid.
An debeat stare sententiæ. ibid.
An fugere queat à carcere. ibid.
Quid de reo Religioso? ibid.
Reo an possis dare instrumentum ad effringendos carceres. ibid.n.11. Eidem an possis auxilium ferre ad fugiendum. ibid.
Reus malefactor, Vide *Malefactor*, & Vide, *Homicidium ad Malefactores.*
Reus non potest cogi ad se interficiendum. lib.6.cap. §.1.n.5

*Rex.*

Rex quoad Bellum gerendum: Vide, *Bellum.*

*Ritus.*

Ritum Socij an sequi possis in recitando officio. l.1.c.4. §.2.n.27

*Rubrica.*

Rubricarum contemptus quale peccatum. l. 2. c.5. §.1. num.19

S

*Saccarum.*

Saccaro condita aqua, an violet iejunium. lib.4.c.1. §.2.n.5. ibid.

*Sacerdos, Sacerdotium.*

Sacerdos an debeat explicare se Sacerdotem esse, dum confitetur peccata luxuriæ. l.7.c.2.§.1.n.4
Quid, si sit simul Religiosus. ibid.
Sacerdotium susceptum ex metu. l.1.c.2.§.8.n.4

Sacerdotes, & constituti in Sacris: Vide, *Horæ Canonicæ*
Sacerdos Græcus: Vide, *Græcus Sacerdos.*
*Sacramentum.*
Sacramenta petere ab indigno, vel excommunicato. l.5.c.1.§.4.n.39.
*Sacrilegium.*
Sacrilegium quid, & quotuplex. l.2.c.6.§.3
Circa personas Sacras, n.2.
Circa loca Sacra. n.6
Circa res Sacras, n.7
Quid si retineantur legata. n.10
Quid si decimæ. n.11
Quid si peccatum fiat tempore Sacro. n.12
Quid si peccatum quid contra votum. n.13
Sacrilegium in materia luxuriæ. l.7.c.2.§.1
Sacrilegium ex persona sacra. ibid.n.2
Esse sacram per votum solemne, vel simplex, an mutet speciem. n.3
Sacrilegium ex loco sacro. ibid.n.7
Sacrilegium notorium violat Ecclesiam. ibid.
Sacrilegium committens cum Moniali quam pœnam incurrit. l.7.c.2.§.2.n.1
*Sacrum tempus*
Sacrum Tempus an constituat hoc sacrilegium. n.13
Quid Reliquiarum sacrarum gestatio. n.14 & 15
Sacri loci pollutio: Vide, *Pollutio Ecclesiæ.*
Sacro interesse: Vide, *Missa.*
*Sagimen.*
Sagimen comedere an liceat die Ieiunij lib.4.cap.5. §.1.n.16.
*Salutare, salutator.*
Salutare inimicum an obligeris: Vide, *Inimicum.*
Salutatores an superstitiosi. l.2.c.6.§.1.n.30
*Sancti.*
Sancti qui, & qua ratione adorandi. l.2.c.4.§.1.n.8
Sanctis an nuncupari Vota possint. l.3.c.14
*Sanitas.*
Sanitas sola an rectus finis in matrimonio. l.7.c.3.§.5.n.8
*Satisfactio*
Satisfactionem offerenti iniuriam remittere an obligemur. l.5.c.1.§.3.n.27
*Scandalum.*
Scandalum. l.5.c.2.§.4. Vide, *Cooperatio.*
Scandalum pusillorum. ibid. n.64
Scandalum an sit dare peccandi occasionem ex fragilitate peccanti. ibid.n.72
*Scientia.*
Scientia habita à dæmone uti, an peccatum. l.2.c.6.§.1. n.21. & §.2.n.11
*Schisma.*
Schisma. l.2.c.1.§.9
*Scholasticus*
Scholasticus quomodo possit continuationem studij probare. l.3.c.2.§.1.n.8
*Scribere.*
Scribere turpia. l.7.c.8.§.5
*Scrupulus.*
Scrupulus unde oriatur, quid remedij, &c. l.1.c.3.§.8
*Seges.*
Seges nondum collecta an vendi, & quanti possit. l.8 tr.3.c.7.§.3.n.22
Seges in alieno solo cuius est. l.8.tr.3.c.3.§.5.n.7
*Semen.*
Semen generationis corruptum an liceat consultò expellere. l.7.c.7.§.2.à n.4
Semen susceptum effundere an liceat fœminæ. l.7.c.7. §.2.n.9. & l eodem, c.3.§.5.n.14. & n.16
Semè animalium emungere an peccatum. l.7.c.8.§.2.n.5
*Seminare.*
Seminare an obligetur uxor, viro seminante. lib.7.cap.3 §.5.n.16
Seminare an possit uxor, finitâ viri copulâ. ibid.n.18
An se manibus ad id adjuvare. ibid.
An adidem suis manibus possit vir adiuvare. ibid. fine.
*Sepultura.*
Sepultura quandónam privantur morientes in duello. l.6.c.1.§.3.n.13
*Servus, servilia Opera.*
Servus an dominus sit suæ vitæ, membrorum, honoris, perinde ac liberi. l.8.tr.2.c.3.§.1.n.1
Quid de aliis bonis. à n.2
Servorum mitigata conditio, quoad ipsorum peculium defenditur. à n.9
Servorum defunctorum ab intestato bona cuius sunt. l.8. tr.1.c.1.§.1.n.5.1
An testari possit servus. ibid.n.22
Servus quid ludo potest exponere. l.8.tr.2.c.9.§.1.à 1.
Servus infirmus an possit minoris vendi, existente remedio efficaci sanitatis. l.8.tr.4.c.3.n.1
Servilia opera: Vide, *Opera Servilia.*
Servi vota an dominus irritare possit. lib.3. cap.16.§.3 n.45 & 52
*Sexagenarius.*
Sexagenarius an excusetur à Ieiunio Ecclesiæ. lib.4.c.5 §.7.n.1
Quid in Ieiuniis Regulæ. n.8
Quid in Votis. n.9
Quid quoad subrogata pro voto Castitatis. à n.10
*Signa.*
Signa ostendentia vim non esse naturalem, sed superstitiosam. l.2.c.6.§.1.à n.64
Signa amoris inter Coniuges. l.7.c.3.§.5.n.57
*Situs.*
Situs sedendi, vel cubandi ut causa pollutionis. l.7.c.3. §.5.n.51.
*Socer.*
Socer an possit generi vota irritare. l.3.c.16.§.3.n.27
*Socius.*
Socij privilegio in recitatione officij an frui possis. l.2 c.5.§.2.n.27
*Sodomia.*
Sodomia perfecta quæ. l.7.c.7.§.3
Duo mares se commiscentes, sed non in vase præpostero, an Sodomia n.3
Quid si non effundatur semen in dicto vase. n.4
Sodomiæ pœnæ. ibid.n.5.& 6
Sodomia cum Affini. l.7.c.4.§.1.n.7
Cum Infideli. l.7.c.1.§.1.n.8
Cum virgine. l.7.c.5.§.1.n.2
Quid de Sodomia uxorati. l.7.c.3.§.1.n.3 & §.2.n.1
Sodomia imperfecta an reservata censeatur, existente reservata Sodomia absolutè. l.7.c.7.§.6.n.3.
Sodomia agentis an differat à Sodomia patientis. ibid. §.3.n.7. Vide etiam §.6.à n.3
Sodomia cum viro an differat à Sodomia cum muliere. l.7.c.9.n.1.2.& 3
*Somnus.*
Somnus ut causa pollutionis. l.7.c.3.§.5.n.51
*Spes.*
Spes Theologica. l.2.c.2.§.1
*Spina.*
Spinæ Christi Domini qua ratione colendæ: Vide, *Reliquiæ Christi Domini.*
*Sponsalia.*
Sponsalia iurata ex metu an valeant. l.3.c.3.§.5.n.12
*Sponsus.*
Sponsorum oscula, & tactus: Vide, *Tactus inter Sponsos.*
Sponsis an liceant cogitationes morosæ. l.10.c.4.n.4.
*Strepitus.*
Strepitus Iudicialis, quomodo vetitus die festivo: Vide, *Placitum.*
*Stuprator, Stuprum.*
Stuprum. l.7.c.5
Virgo se polluens an committat stuprum. §.1.n.3
Stupratoris obligatio. l.7.c.3.§.1.n.4.& §.3.
Si nullum damnum, nulla obligatio. d.§.3.n.2
Idem si deflorata remittat. n.3.
Idem si eadem consentiat. n.5

Explica, nisi tu rem occultam propalaveris. n.6.
Stuprator virginis vi, metu &c. ad quid obligatur. ibid. num.26
Quid si solum intercessit osculum. ibid
Quid si stuprator pecunia careat. n.27.&28
Quid si dubium sit, an fuerit virgo. n.31
Stuprator virginis cum promissione matrimonij ad quid. ibid.n.39
Cum promissione vera. n.34
Excusationes quinque, quæ stupratorem deobligant à dicta promissione. á n.37
Stuprator ad quid obligatur, si eius matrimonium respuat defloratæ. ibid.n.48
Stuprator virginis sub spe matrimonij ingredi Religionem, illâ invitâ, non potest. l.8.tr.4.c.1.§.1.n.9

*Suadere.*

Suadere ad peccatum. Vide, *Invitare.*

*Subhastatio.*

Subhastatio. l.8.tr.3.c.7.§.4.n. 23

*Superfluum.*

Superflua quâdo indigenti donanda. l.4.c.1.§.1.n.10.& 11

*Suspicari, suspicio.*

Suspicio quomodo differat à Iudicio, Opinione, Dubitatione. l.9.c.1.n.1
Suspicari de malo gravi alterius an sit mortale. n.1

*Successor.*

Successor an teneatur iuramento prædecessoris. lib.3. cap.3.§.7
An Votis, l.3.c.12.§4.n.2. *Succus.*
Succum ore sugere ex uvis, cæterisque fructibus, an frangat iejunium. l.4.c.5.§.2.à.n.7
Quid ab Arundinibus mellitis. n.14

*Sudarium.*

Sudarium Christi Domini qua ratione adorandum: Vide, *Reliquiæ Christi Domini.*

*Superior.*

Superior Religionis quæ subditi vota irritat: Vide, *Prælatus Religionis.*

*Superstitio.*

Superstitio an habeat parvitatem materiæ. lib.2.cap.6 §.2.n.49
Cætera de Superstitione: Vide, *Vana observantia.*

*Suspensio.*

Suspensio ignorata? Vide, *Censura.*

*Sutor.*

Sutores an excusentur à iejunio. l.4.c.5.§.7.n.28

T

*Tabellio.*

TAbellio: Vide, *Notarius.*

*Tactus.*

Tactus inter Sponsos, quando liceat. l.7.c.3.§.5.n.61
Quid de Sponsis sub conditione. n.62
Tactus inter solutos. l.7.c.8.§.1.à n.6.& §.1.per tot.
Tactus inter Coniuges. l.7.c.3.§.5.à n.41
Quando abest periculum pollutionis. n.42
An quando adest dubiũ de validitate Matrimonij. n.44
An se ipsum tangere turpiter coniux possit. n.45
Quid quando adest pollutionis periculum. n.46

*Tangere.*

Tangere catulos, feles, pueros, an sit illicitum. l.7.c.8.§.2 n.5.

*Templum.*

Templa Infidelium adire an liceat. l.2.c.1.§.4.n.11

*Temporale.*

Temporalia bona tua an bonis temporalibus proximi postponenda. l.5.c.1.§.1.à n.6

*Tempus.*

Tempus copulæ: Vide *Quandonam accedere ad copulam.*
Tempus, quod requiritur ad præscribendũ. l.8.tr.1.c.4.§.1
Pro rebus temporalibus. n.3
Pro abrogatione legum. n.8
Tempore, quo recitandum officium. l.2.c.5.§.5
Tẽpus diligendi Deũ sub obligatione quando. l.2.c.3.§.2
Tempus qua ratione expendendum in executione voti l.4.c.12.§.3

*Tentatio.*

Tentatio quid sit.
Explicita, implicita.

*Terminus.*

Terminus prorogatus in iuramento qua ratione dus. l.3.c.

*Testificari.*

Testificari æquivocè an liceat in Iudiciis.
Testificari an liceat de visu quæ scis ex audi §.1.n.10
Si sic testificeris, an obligeris ad restitutio num.22

*Testis.*

Testis.
Testis quando iudicatur cooperari cum pecc rarij.
Testis falsus quando se retractare tenetur. §.9 n.6
Testis unicus an constituat causam semiplenam §.3.n.25

*Theologus.*

Theologorum moralium laus, & eorum utilit §.5.n.11

*Thesaurus.*

Thesauri cuius. l.8.tr.4.c.1.§.

*Titulus.*

Titulum Beneficij dumtaxat habens an teneatur ad ras. l.2.c.3.§.1.n.

*Transcribere.*

Transcribere an liceat die festivo.

*Transiens, Transitus.*

Transeuntes per loca, ubi celebratur festum, an tur interesse sacro. l.4.c.1.

Transitus per loca infidelium an excuset à iejun c.5.§.7.n.48.

*Tredecim.*

Tredecim simul mensæ accumbere an superstitio c.6.§.1.n.3.6.& 76

*Triticum.*

Triticum emundãre ad molendum an liceat die tis: Vide, *Opera Servilia.*

*Tutor.*

Tutor an, & quæ votá pupilli irritare valeat. §.3.à.n.17

*Turpia, Turpiloquium.*

Turpia loqui, vel cantare.
Turpia scribere: Vide, *Scribere turpia.*
Turpiloquia, ut sunt actus pollutionis. lib.7. cap n.50.&51
Turpiloquium inter coniuges: Vide, *Verba turpia.*
Turpium lectio: Vide, *Lectio turpium.*
Turpium repræsentatio: Vide *Repræsentatio turpium.*

V

VAcantia bona: Vide, *Bona Vacantia.*

*Vagus.*

Vagi quandónam teneantur interesse sacro. l.4.c. num.14

*Valor.*

Valor rei: Vide, *Pretium.*
Valoris incogniti res quanti. l.8.tr.3.c.7.§.11.n.
Valore rei crescente, vel decrescente, qualem debe rem alienam consumpsit. l.8.tr.3.c.2.§.7. per
Valorem rei debet, qui rem alienam damnificavit. tr.3.c.2.§.1.n.9

*Vana observantia.*

Vana observantia. l.2.c.6.§.1.à
Regulæ, an hîc adsit pactum cum dæmone. n.14.
Enumerantur aliquæ actiones superstitiosæ.
Observare quædam festa, vel tempora quando stitiosum.

*Venari Venator.*

Venari an liceat die festivo: Vide, *Opera Servilia.*
Venatum ut eas, an Missam omittere die festivo l.4.c.3.§.1.à n.8. Venatores. l.8.tr.1.c.3.

Ven

*Vendere.*

Vendere rem incertam pretio certo non licet. l.1.c.3.§.3 num.20
Venditio quæ licita diebus festis, Vide, *Mercatus.*
Vendens rem supra taxam uni, qui Tertio eodem modo vendidit, an teddere debeat huic Tertio. l.8.tr.3. c.7. §.5.n.6
Vendentium cooperatio cum peccato mentium. l.5. c.1.§.4.n.33. & deinceps.
Venditio. l.8.tr.3.c.7.per totum
Venditio differt à permutatione. ibid.§.1.n.8.& 8
Venditio voluntaria esse debet. ibid.n.13
Sunt tamen casus in quibus vendere quis cogitur. ibid.
Vendi, & emi, quæ possunt. l8.tr.3.c.7.§.3
Venditio Hominis. n.1
Officiorum. n.3
Electionis ad Officium. c.6
Sententia probabilis. n.13
Omnium bonorum. n.14
Hæreditatis. p.16
Debitorum.n.17. Vide etiam §.8.à n.1
Rei litigiosæ. dicto §.3.n.18
Eius quod nondum est n.20
Vendere pecuniâ creditâ. l,8.tr.3.c.7.§.6
Vendere plus credito, quàm numerato ibid.n.2
Venditionis pretium : Vide, *Pretium.*
Venditor an pretio ab emptore non soluto possit percipere fructus rei. l.8.c.3.§.6.n.13
Venditéne liceat carius credito, ut statim vilius idem numerato ematur. ibid.§.8
Vendere, vel emere cum pacto retrovenditionis. ibid. num.15
Cum pacto in favorem venditoris, vel emptoris, vel utriusque. à n.19.
Venditio frumentorum; Vide *Emptio frumentorum.*
Venditio alieno nomine. l.8.tr.3.c.7.§.9.n.1
Venditio lanarum, similium anticiputio. l.8.tr.3.c.7.§.7. n.4
Venditio in loco distanti an faveat vendenti alieno nomine. l8.tr.3.c.7.§.9.n.11
Venditio facta duobus. ibid.§. 11.n.2
Venditio rei vilioris immistæ cum pretiosiore. ibid.n.6
Vendere quid pro quo. n.7

*Venia.*

Veniam petenti offensam remittere quando debet offensus. l.5.c.5.§.3.n.18

*Veniale.*

Veniale per accidens quodnam sit. l.1.c.1.§.3
Veniale ex parvitate materiæ. ibid.n.2
Veniale ex imperfectione actus. ibid.n.16
Venialia omnia velle committere an mortale.ib.§.4.n.11

*Verba*

Verba blasphema. l.2.c.6.§.4.n.15. Non blasphema.16
Dubie blasphema. 18
Verba à recitante officium qua ratione proferenda. l.2. c.5.§.4 à n.8
Verba quæ contineant iuramentum. l.3.c.1.§.3
Verba turpia inter Coniuges. l.7.c.3.§.5.n.54

*Veritas.*

Veritas primus comes iuramenti, l.3.c.1.§.4.à n.1
Eadem comes Admirationis. l.3 c.8.§.1.n.4

*Vicarius.*

Vicarij Episcoporum quid possint in iuramentis, votis, operibus servilibus, iejuniis: Vide, *Sub nomine Prælati.*
Vicarius Beneficiarij, an teneatur ad Officium. l.2.c.5. §.1.n.19

*Vidua.*

Vidua per secundas nuptias amittit tutelam filij. l.7.c.1 §.2.n.4
Quid si fornicetur. ibid.
Quid de legatis à Marito ipsi relictis. n.5
Quid si Maritus addidit (si castè vixerit.) n.6
Viduis an liceant cogitationes morosæ. l.10.c.4

*Vinculum.*

Vinculum ex vi Religionis est diversum à vinculo ex vi infidelitatis. l.3.c.3.§.2.à.n.3.

*Vinum.*

Vinum an frangat jejunium. l.4.c.5.§.2.n.4
Vinum quomodo violet jejunium in pane, & aqua l.3. c.15.§.6 à n.17
Vini potus, ut causa pollutionis. l.7.c.3.§.5.n.51
Vinum mistum aqua vendere : Vide, *Aquam miscere vino.*
Vinitores, quando aquam musto miscere possunt.l.8.tr.3 c.7.§.11.n.6

*Vir,*

Vir quid uxori debeat quoad alimenta. l.5.c.3.§.3.n.1
Quid pereunte casu dote. n.1
Quid promissa dote non soluta. n.3
Vir quid uxori debeat, quoad copulam : Vide *Conjugatorum peccata in materia luxuriæ.*

*Virginitas.*

Virginitas quando irreparabiliter amittitur.lib.7. cap.5 §.2.n.1

*Virgo.*

Virgo pro primo usu sui corporis an possit plus exigere. l.7.c.5.§.3.n.8.& n.22
Virgo in dubio an præsumatur talis. ib.7.cap.5.§.3 n.30.& 31
Virgo externa, sed internè corrupta quæ possit.lib.7.c.5. §.2.à n.3
Virginis stuprator quid debeat Vide : *Stuprator, & Stupratoris obligatio.*
Virgo nubilis an excusetur ab auditione Sacri. lib.4 c.21 §.2 n.9
Virgo Sanctissima qua adoratione colenda. lib.2 cap.4. §.1.n.7

*Vita.*

Vitæ discrimen dat causam equivocandi etiam in Iudiciis l.3.c.4.§.3.n.5.
Vivere qui in hoc mundo semper vellet, an peccet. l.2. c.2.§.1 n.3
Vita propria concurrente cum proximi bonis quid præferendum. l.3.c.1.§.1

*Violentum.*

Violentum qui sit. l.1.c.2.§.3

*Vitium.*

Vitia Mercium occulta, quando manifestanda. lib.8.tr.3 c.7.§.11.à n.25

*Vitrum.*

Vitri pro gema venditio. l.8.tr.3.c.7.§.11.n.36

*Voluntas.*

Voluntas quomodo se habet circa obiecta mala. lib 10. cap.1
Voluntarium quid sit. l.1.c.2.§.1

*Votum.*

Vota an nuncupari possint Sanctis non Canonizatis.l.2 c.4.§.1. n.1
Votum de orationibus persolvi aliena lingua an possit. l.2.c.5.§.2.n.18
Votum rei indeterminatæ. l.3.c.15.§.7
Voti cessatio. l.3.c.16
Ex natura rei. .1
Ratione temporis. §.2
Vota reservata : Vide, *Reservata vota.*
Voti irritatio. l.3.c.16.§.3
Quid, & quotuplex. ibid.n.1.&2
An irritentur Vota sæculi per vota Biennij Societatis IESV. à n.4
An Filij vota irritari possint à Patre. n.9
An à Tutore, vel Curatore. n.17
An à Matre. n.21
An à Socero n.27
An à Superiore Religionis. n.25
An à Domino. n.45.& 52
An à Conjuge. n.48

Quid

Quid de votis ratificatis. n.57.
Voti dispensatio. l. 3. c. 16. §. 4
Bona fide data an valeat. ib. n. 3
A quo ea potest expediri. n. 4
Voti commutatio. l. 3. c. 16. §. 5
Voti acceptatio quid operetur, quoad commutationem. l. 3. c. 17. §. 2.
Voti materia quæ. l. 3. c. 15
Possibilis esse debet. n. 2
Honesta, non indifferens. ibid. §. 2
Non impeditiva majoris boni. §. 1. & §. 3
Quid de partim voto apta, partim non apta. §. 5
Vota quædam peculiaria expenduntur. l. 3. c. 15. §. 4
Non nubendi. n. 2
Non ludendi. n. 3
Contrahendi Prælaturas: vel Sacerdotium. n. 5
Inserviendi in perpetuum. n. 6
Præstandi hoc, & aliud. n. 7
Non petendi dispensationem. n. 8
Votum revocare: Vide *Revocare votum.*
Votum disiunctivum. l. 3. c. 15. §. 5 n. 9
Votum qua ratione interpretandum. l. 3. c. 15. §. 6. ibid.
Votorum aliquorum interpretatio. à n. 2
Votum quid sit, & quotuplex. l. 3. c. 9
Quam libertatem requirat. c. 10. §. 1
Quod propositum. c. 11
Quam promissionem. c. 12
suum quando obligat, & an differri queat. ibid. §. 3
Votum an obliget alios à vovente, idest, hæredes, vel successores. l. 3. c. 12. §. 4
Votum an obliget eos, qui sunt sub alicuius potestate, Pouta impuberes, Religiosos, servos, coniuges. l. 3. c. 12. §. 5. per totum.
Votum conditionale, quomodo obligat. ibid. §. 6
Votum in cuius honorem emittendum. l. 3. c. 14.
Vovere sine perfecta deliberatione quodnam peccatum. l. 3 c. 10. §. 1. n. 3.
Votum castitatis habens, an peccet contra votum inducens alios ad turpia. l. 7. c. 2. §. 1. n. 6
Votum de non comedendis carnibus etiam in necessitate an valeat. l. 6. c. 2. §.
Votum defloratoris an impediat promissionem ... monij defloratæ. l. 7. c. 5. §.

*Vsurarius, Vsura.*

Usurarius exponere quid ludo valeat. l. 8. tract. 2. c. num. 28.
Usura quid sit. l. 8. tr. 1. c.
Usura an sit, si requiratur gratitudo ex mutuo n. 6.
Quid si adsit pactum, ut fiat, quod debetur ex C... ritate.
Ut fiat, quod debetur ex Justitia.
Ut fiat aliquid absolutè.
Usura an sit, quando intentio prava est solùm ex p... unius.
Usura an sit aliquid exigere pro damno emergente, lucro cessante. l. 8. tr. 1. c.
Usuránesit aliquid accipere pro periculo ex diffi... recuparandi sortem.
Quid ob promissionem non repetendi sortem ... certum tempus.
Quid ob molestiam carendi pecunia.
Usuram exigere Christianus an à Turca possit. l. 8. ... c. 8. §. 2. n. 11.
Usurarij pœnæ §. 7. remissivè.
Usurarij cooperatores. l. 5. c. 1. §. 4.

*Vsus.*

Usus, qua ratione differt à dominio. l. 8. tr. 1. c. 1. n. 4. §.

*Vtilitas.*

Utilitas, & necessitas Mercium quomodo augeant pretium. l. 8. tr. 3. §. 4.

*Vxor.*

Uxor præferendáne est filiis in necessitate. l. 5. c. 3. n.
Uxoris vota an vir irritare possit. l. 3. c. 16. §. 3.
Uxor quid viro debeat quoad alimenta. l. 5. c. 1.
Uxor cum periculo infectionis cum laude assistit ... peste infecto. l. 6. c. 2. §.
Quid debeat viro, quoad copulam: Vide *Coniugium peccata.*
Uxor ex bonis Mariti quantum usurpare possit. l. 1. c. 2. §. 3.

FINIS.

R. P. THOMÆ

# TAMBURINI

E SOCIETATE IESU,

## OPVSCVLA TRIA;

De Confessione.
De Communione.
De Sacrificio Missæ.

*Carolus Sangrius, Societatis* JESV, *vicarius Generalis.*

CUm Opusculum, cui titulus, *Methodus expedita Confessionis*, in quatuor libros digestum, P. *Thomæ Tamburini* nostræ Societatis tres eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigillóque munitas dedimus. Romæ 16. Decembris 1645.

CAROLVS SANGRIVS.

---

*Ignatius Garganus, Provincialis Societatis* JESV, *in Sicilia.*

CUm *Appendicem ad Methodum Confessionis*, à P. *Thoma Tamburino* nostræ Societatis, *de Sigillo Confessionis*, compositam ejusdem Societatis Theologi tres, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis à R. P. Vincentio Carrafa Præposito Generali communicata; concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostro sigillo munitas dedimus. Messanæ, die 28. Martij, Anno 1649.

IGANTIVS GARGANVS.

---

*Vincentius Carrafa, Societatis* JESV, *Præpositus Generalis.*

CUm *Methodum expeditæ Communionis*, à P. *Thoma Tamburino* nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigillóque nostro munitas damus. Romæ 28. Decembris 1647.

VINCENTIVS CARRAFA.

---

*Vincentius Carrafa, Societatis* JESV, *Præpositus Generalis.*

CUm Opusculum tertium P. *Thomæ Tamburini* nostræ Societatis Sacerdotis, *de Sacrificio Missæ expediè celebrando*, aliquot ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus. Romæ 21. Iunij, 1648.

VINCENTIVS CARRAFA.

---

*Iudicium R. P. Augustini Caëtani, Theologi, Societatis* JESV.

REverendissime Domine. Vidi tria Opuscula P. *Thomæ Tamburini* Societatis nostræ, *de Confessione cum eius Appendice*, *de Communione*, *de Sacrificio Missæ*: & quidem primum & secundum iam luce donata, nec vulgari plausu excepta, etiam extra Siciliam ex præcipuis Italiæ Vrbibus, facem præluxere tertio, quod nunc primum prodit sub auspiciis Dominationis vestræ. Atque equidem non ambigo de communi approbatione, cum huic tertio non desint aliorum dotes, perspicua brevitas, & exacta rerum tractatio, iuxta solida & inconcussa principia: quo fit ut inoffenso pede excurrant universa, & nihil in iis deprehendatur, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus adversetur Panormi, Kalendis Novembris, 1648.

AVGVSTINVS CAETANVS, Societ. IESV.

---

*Iudicium R. P. Melchioris Balducci, Theologiæ Lectoris, & in Siculo Sanctæ Inquisitionis Tribunali Qualificatoris, & Consultoris.*

EX commissione Reverendissimi D. Francisci Salerno, Prioris Ecclesiæ Sanctorum Laurentij, & Philippi, Canonici Panormitanæ Cathedralis Ecclesiæ, & Vicarij Generalis Capitularis Sede vacante, recognovi tria Opuscula, quorum primum est *de Confessione, cum Appendice*; secundum *de Communione*; tertium verò, *de Sacrificio Missæ*, Authore, R. P. *Thomæ Tamburino*, è nostra Societate; & in iis non modo nihil reperi, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus non esset consonum; verum etiam animadverti omnia docte, sapientérque dicta, diluciдè evoluta, atque ad praxim diligenter deducta, ac digna, quæ non Opusculi, sed magni Operis nomine decorentur; unde existimo ad maximam legentium utilitatem esse quàm primum prælo submittenda. Panormi, die 15. Novembris 1648.

MELCHIOR BALDVCCI, è Societate IESV.

---

*Approbatio Reverendissimi Vicarij Generalis Sede vacante.*

TRia Opuscula R. P. *Thomæ Tamburini*, è Societate IESV, non solum ob revelationem, atque eximiam commendationem prædictorum patrum, sed meo etiam iudicio dignissima censeo, quæ typis publicis evulgentur. In iis Author, vir verè doctus, nitida methodo, stylo eleganti ac facili, solida doctrina, ac firma, universa ferè quæ ad praxim pertinent, *de Confessione*, *de Communione*, ac *de Sacrificio Missæ*, cordate, breviter, eruditè, nihil obscurè pertractat. Imprimatur ergo, & per omnium manus feliciter excurrat. Panormi, die 2. Decemb. 1648.

D. FRANCISCVS SALERNO V. G. S. V.

# INDEX
## Capitum, & Paragraphorum
## METHODI CONFESSIONIS.

### LIBER I.

*De dolore cordis.*

#### CAPVT I.

*De dolore quoad substantiam, præsertim circa mortalia.*


§.1. QVID sit Contritio, & Attritio. *pag.* 1
2. An sit necessaria singulorum peccatorum memoria, vel eorum, quibus est Deus præponendus. 2
3. De proposito non peccandi. *ibid.*
4. An timor mali temporalis possit esse motivum Attritionis. *ibid.*
5. An actus amoris Dei sit sufficiens dispositio pro Sacramento Pœnitentiæ. *ibid.*
6. Formulæ Contritionis, & Attritionis. *ibid.*


#### CAPVT II.

*De eodem dolore, quoad quasdam circumstantias.*


§.1. DE dolore quod non doleas.
2. De intentione, & qualitate doloris. *ibid.*
3. An dolor procedere debeat ex intentione confessionis. *ibid.*
4. Quando dolor exhibendus est. *ibid.*
5. De novo dolore in nova peccatorum absolutorum confessione. *ibid.*


#### CAPVT III.

*De dolore venialium.*


§.1. DE venialium dolore virtuali. 4
2. De dolore unius peccati venialis, & non alterius. *ibid.*
3. De dolore venialium quoad frequentiam. *ibid.*
4. De revocatione doloris venialium. 5
5. De proposito vitandi venialis. *ibid.*


### LIBER II.

De oris Confessione.

#### CAPVT I

*Quædam de peccatorum confessione in universum.*


AN sit explicandum in confessione, peccatum esse, vel non esse confessum. 5
2. In confessione generali an omnia mortalia alias confessa aperire teneamur.
3. An peccata dubia sint necessariò clavibus aperienda.
4. De peccatis confessis ut dubiis.
5. De actibus internis interruptis.
6. De actibus externis interruptis.
7. De peccatore habituali. Vide de Meretrice.
8. De unitate morali unius peccati.
Vbi, de unitate Blasphemiarum.
Percussionum,
Iuramentorum, & Votorum,
Contumeliarum,
Detractionum.
Administrationis Sacramenti Pœnitentiæ in gravi mortali.
Fornicationum.
9. De pluralitate individuali malitiæ in eodem actu.
Vbi, de pluralitate occisionis multorum.
Desiderij occisionis multorum.
Detractionis multorum.
Furti à multis.
10. De mediis quæ assumuntur ad peccatum.
11. De fine peccaminoso, vel non peccaminoso.
12. An peccatum continens multas specie malitias divisibiliter in confessione possit.
13. An peccatum complectens plures numero malitias dividi in confessione possit.
14. De peccatis ex ignorantia.
15. De peccatis ex conscientia erronea.
16. De peccato contra præceptum superioris.
17. De scandalo.
18. De circumstantiis aggravantibus.


#### CAPVT II.

*De confessione peccatorum circa primum Decalogi præceptum.*


§.1. DE peccatis contra fidem.
2. De ignorantia rerum fidei.
3. De peccante cum spe veniæ, & resistendo inspirationibus.
4. De omitente horas Canonicas.
5. De superstitione, & similibus.


#### CAPVT III.

*Circa secundum Decalogi præceptum.*


§.1. DE blasphemia.
2. De Voto, & Iuramento.
3. De consuetudine in Iureiurando, & aliis peccatis




CAPVT

# Index Capitum, Paragr. & Titulor.


## CAPVT IV.

*Circa Tertium Decalogi præceptum.*

§.1. De auditione Missæ. *ibid.*
De jejunio. *ibid.*

## CAPVT V.

*Circa Quartum Decalogi præceptum.*

§.1. De iniuria inflicta P ntibus, Filiis, Vxori. 20
De iniuria illata Fratri, Sorori, aliis *ibid.*

## CAPVT VI.

*Circa Quintum Decalogi præceptum.*

§.1. De quibusdam speciebus homicidii. 210
2. De occasione in causa. *ibid.*
3. De malis alicui volitis. *ibid.*

## CAPVT VII.

*Circa Sextum, & Nonum Decalogi, præceptum.*

§.1. De delectatione turpi solum interna, seu ut vocant, morosa. *ibid.*
2. De locutione turpium. 22
3. De jactantia, & de consilio. *ibid.*
4. De prima luxuriæ specie, id est de simplici fornicatione. 23
5. De Sacrilegio. 24
6. De Adulterio. 25
7. De incestu. *ibid.*
8. De stupro. 27
9. De Raptu. *ibid.*
10. De peccato contra naturam. *ibid.*
*Vti*, de mollitie. *ibid.*
Sodomia. *ibid.*
Sodomia imperfecta. 28
Bestialitate. *ibid.*

## CAPVT VIII.

*Circa septimum, & decimum Decalogi præceptum.*

§.1. De furto communi, rapina, damno lato. *ibid.*
De furto sacrilego. 29

## CAPVT IX.

*Circa Octavum Decalogi præceptum.*

§.1. De contumelia, Detractione, Judicio temerario. *ibid.*
2. An in confessione manifestari socius peccati possit *ibid.*

## CAPVT X.

*De veritate qua cum Confessario agendum est.*

§.1. Tacere licitè aliquod peccatum in confessione interdum potest. 30
Quando scilicet adest, vel impotentia physica, ad quam reducimus necessitatem Moribundi. 31
Vel impotentia moralis. 32
Vel error invincibilis. 33
2. De mendacio in confessione. *ibid.*
3. Quandonam est obligatio repetendi confessionem, vel generalem instituendi. *ibid.*

# LIBER III.

*De Absolutione.*

## CAPVT I.

*De forma Absolutionis.*

§.1. Forma ordinaria absolutionis. 35
Forma absolutionis in necessitate, & in brevibus confessionibus. *ibid.*

## CAPVT II.

*Qua ratione Confessor peccatorum meminisse debet, quando ea absolvit.*

## CAPVT III.

*De dilatione absolutionis.*

§.1. Quid sit occasio remota, quid proxima. 36
2. De Occasione Remota. *ibid.*
3. De proxima. *ibid.*
4. De Recidivo. 37
5. De publico Peccatore. *ibid.*
6. De dilatione Absolutionis propter utile pœnitentis. *ib*

## CAPVT V

*De Officio Confessoris quoad instruendum pœnitentem, antequam absolvat.*

## CAPVT V.

*Quam dispositionem Confessor aduertere debet in pœnitente, antequam absolvat.*

§.1. De actu fidei necessario, antequam quis absolvatur. 38
2. De dispositione Pœnitentis quoad dolorem, antequam absolvatur. 39
3. Quænam depositio requiratur in Confessore, dum absolutionem impendit. *ibid.*

## CAPVT VI.

*De iuramentis, aliisque obligationibus exposcendis ab eo, qui absolvitur in casu necessitatis.*

## CAPVT VII.

*De Iurisdictione Sacerdotis ad absolvendum necessaria.*

§.1. De Sacerdote non approbato. 41
2. De Confessore approbato. 42
3. De Confessario electo per Bullam, vel per Jubilæum *ibid.*
4. De Confessore privilegiato. 43
Bullæ Cœnæ summa. *ibid.*

Sex casus Pontifici reservati. ibid.

## CAPVT VIII.

*Quid faciet Confessor, si erraverit in absolvendo.*

§. 1 PRoponitur quæstio. 44
2. De errore citra tertij damnum. ibid.
3. De Errore cum damno tertij. ibid.
4. De Errore cum invaliditate Sacramenti. ibid.

## CAPVT IX.

*Aliqua pertinentia ad Confessarium, antequam absolvat.*

§. 1. EX qua opinione Confessarius pœnitentem absolvet. 45
2. An Confessarius sciens pœnitentem non fateri peccatum, quod commisit possit illum absolvere ibid.
3. Qua ratione Confessor antequam absolvat pœnitentem, interrogare debeat. ibid.
4. An aliquando à Confessario sit subeundum onus pœnitentis, quem absolvit. 46

# LIBER IV.

*De satisfactione.*

## CAPVT I.

*De pœnitentia injungenda à Confessario.*

§.1. AN Confessor possit nullam injungere. 47
De auctoritate Confessoris, in injungenda pœnitentia sub præcepto. ibid.
3. Quanta imponi pœnitentia debeat. ibid.
4. Cujus generis pœnitentiam debeat Confessor injungere. 48
5. Quando pœnitentia imponi debet, vel potest. ibid.

## CAPVT II.

*De pœnitentia solvenda à pœnitente.*

§. 1. AN pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam acceptatamque solvere. ibid.
2. Quando debet pœnitentiam adimplere pœnitens. 49
3. An possit impleri pœnitentia per alium. ibid.
4. Ad quid obligetur pœnitens, si pœnitentiæ obliviscatur. ibid.
5. Qua ratione obligetur pœnitens ad circumstantias operis impositi à Confessario. ibid.

## CAPVT III.

*De commutatione pœnitentiæ.*

§ 1. AN pœnitens sibi commutare possit pœnitentiam à Confessario injunctam. ibid.
2. An alius Confessarius possit commutare pœnitentiam, audita Confessione. 50
An non audita Confessione. ibid.
4. Quando commutari pœnitentia debeat. ibid.

# APPENDIX.

*De Sigillo confessionis.*

## CAPVT I.

*Quid sit & ex qua Confessione oriatur Sigillum.*

## CAPVT II.

*Quanta sit obligatio Sigilli.*

## CAPVT III.

*Quænam cadant sub Sigillum.*

An Peccata, laus, Confessio, pœnitentia impositi
Peccata in genere ut audita; & quid, ut audita in loco.
Peccata publica.
Complices, objecta peccati, &c.
Peccatum committendum.
Quæ per errorem ut necessaria quis fatetur.
Defectus naturales.
Dicere eum non absolvi.
Testimonium de Confessione.
Defectus qui videtur in ipsa confessione.
Peccatum dubiè notum

## CAPVT IV.

*Quinam teneantur ad Sigillum.*

CONfessor, Pœnitens, Interpres, alique audientes
Is à quo petitur licentia de reservato.
Is à quo petitur consilium.
Ipse Confessarius à Pœnitente ante confessionem consultus.
Laicus confessionem fortè excipiens.
Scripta peccata legens.

## CAPVT V.

*De Sigillo Confessionis respectu ejusdem pœnitentis.*

## CAPVT VI.

*An Confessor possit uti cognitione habita in Confessione.*

§. 1 AN id possit si vel alij, vel complices peccati advertant.
2. An uti Confessarius dicta cognitione possit, quæ solus pœnitens advertit.
3. Expenduntur quædam circa usum prædictæ notitiæ.
An possit quis simulatum Confessorem respuere.
De pœnitente impœnitenti.
De sciente in Confessione Ecclesiam esse pollutam.

## CAPVT VII.

*Cujusnam suspitionis periculum contra pœnitentem ex vi Sigilli prohibetur.*

## CAPVT VIII.

*De culpa & pœna frangentis Sigillum.*

# INDEX

## Capitum & Paragraphorum.

### LIBER DE COMMUNIONE EXPEDITE PERAGENDA.

*Prior numerus paginam; & alter numerum marginalem notat.*


Intentio Operis & dispositio. 60

CAPVT I.

*De dispositione spirituali necessaria ad sumptionem Sacratissimæ Eucharistiæ.*

§.1 DE statu gratiæ requisito. *ibid.*
2. An sit gravius peccatum accedere ad Eucharistiam cum gravioribus peccatis, quàm cùm minus gravibus. 61
3. An addat novum peccatum, qui communicat cum peccato mortali, quando prohibetur à communione ex præcepto humano. *ibid.*
4. De accedēte ad Communionē cum peccato veniali. *ib.*
5. De actuali devotione in sumente S. Eucharistiam. *ibid.*
6. De confessione præmittenda Communioni, *ubi* explicantur Tridentini verba: *Modo non desit copia Confessoris: urgente necessitate: quamprimum confiteatur.* 62
*Modo non desit copia Confessoris.* ibid. 18
*Urgente necessitate.* 63. 29
*Quamprimum confiteatur.* 65. 45
7. Quando debet elici actus contritionis ab eo sive Laico, sive Sacerdote, qui urgente necessitate, sine confessione ad Eucharistiam accedit. 66
8. De eo qui ante Communionem recordatur peccati indirectè absoluti. 67
9. An peccata negativè dubia, sint ante Communionem Sacerdoti aperienda. *ibid.*
10. An sit casus in quo communicare quis sine confessione, & item sine contritione, atque adeo in peccato mortali possit. 68.
11. An liceat laico quotidiana Communio. *ibid.*

CAPVT II.

*De dispositione corporali requisita ante Sacratissimam Communionem.*

§.1 DE munditie à pollutione vel copula. *ibid.*
2. De munditie corporis externa. 69
3. De superfluo mulierum ornatu. *ibid.*
4. De vestibus externis: *ubi.*, an Sacerdos sine stola, & eques cum gladio decenter communicent. *ibid.*
5. An corporis sanitas requiratur ab accedente ad Communionem. *ibid.*
6. De jejunio naturali requisito ante Communionem. 70
Quæ pertinent ad cibum. *ibid.* 17
Quæ ad potum. *ibid.* 22
Quæ ad naturam comestionis, vel potationis. *ibid.* 23
An somnia, vel cibus digestus requiratur ante Communionem. 71. 27
De tempore quo violatur jejunium naturale. *ibid.* 28
7. De dubitante an solverit jejunium naturale *Vbi* De diversitate horologiorum. *ibid.*
8. Quando non jejuno licet communicare. *ibid.*
9. De Communione in azymo, & fermentato. 73
An Sacerdos celebrare debeat in azymo, vel fermentato. *ibid.* 2
An laicus Græcus in azymo, & Latinus in fermentato, licitè communicare aliquando possit. 74. 10

CAPVT III.

*De iis, quæ ad Communionem pertinent postquam peracta est.*

§.1 AN statim à communione comedere liceat. 75
2. An statim ab accepta Communione expuere liceat. *ibid.*
3. An aromata ruminare ad evocandum phlegma liceat statim à communione. *ibid.*
4. Quandonam liceat infirmo post peractam Communionem evomere. *ibid.*
5. An sit novum, vel majus peccatum illud, quod ipsa die Communionis committitur. 76
6 An post peractam Communionem liceat eodem die ad uxorem accedere. *ibid.*

CAPVT IV.

*De præcepto Communionis Paschalis.*

§.1 EXplicatur prima clausula Canonis, *Omnis utriusque sexus Fidelis: ubi.* Quid de non baptizatis energumenis, stolidis, & similibus. *ibid.*
De energumenis. *ibid.* 3
De Fatuis, Stolidis: Surdis, Mutis. *ibid.* 4
2. Explicatur secunda clausula ejusdem Canonis: *Postquam ad annos discretionis pervenerit: ubi*, An impuberes subdantur legibus & pœnis latis ab homine. *ibi.*
An pueri subiaceāt legibus humanis quoad culpā. *ibi.* 7
An subiaceant iisque quoad pœnas. *ibid.* 11
5. Explicatur tertia clausula: *Semel in anno confiteantur:* ubi obiter, De præcepto annuæ Confessionis. 78
Quos obliget hoc præceptum. *ibid.* 19.
De tempore huius obligationis. 79. 21
Causæ excusantes ab annua confessione. 80. 25
4. Explicatur quarta clausula: *Suscipiens reverenter ad minus in Paschā Eucharistiæ Sacramentum. Vbi*, De obligatione præveniendi, & tollendi impedimenta, de loco Communionis de tempore, déque ministris, præsertim Religiosis *ibid.*
De prævidente impedimentum. *ibid.* 37
De obligatione tollendi impedimentum. *ibid.* 40
Vbi communicandum in Paschate. 87. 42
5. Explicatur quinta clausula: *Nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Vbi, quis hanc, & alibi quam, in Parochia, communicandi licentiam concedere valeat? An Episcopus, Archipresbyter; Vicarius Generalis, Parochi Montis Regalensis? 82
6. Explicatur sexta clausula: *Alioquì, & vivens ab*

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.

*Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* 83

## CAPVT V.

*De præcepto communionis instante mortis periculo.*

§.1. ANhoc præceptum omnes in eo periculo obliget. 83
2. An obliget eos, qui plurante periculum communicarunt. 84
3. An obliget eum, qui communicavit in Paschate. *ibid.*
4. An præceptum obliget petere Eucharistiam ab Hæretico, excommunicato, & similibus, si alius Sacerdos non adsit. *ibid.*
5. An in eadem instantis mortis necessitate, possit quilibet Sacerdos, etiam Religiosus, ministrare Eucharistiam. *ibid.*
6. An qui, mane ex devotione communicavit, & deinde incidit in periculum mortis, possit eadem die pro viatico communicare. 85
7. De sumente Viaticum in mortali, déque mortaliter peccante post illud. *ibid.*
8. An pueri communicandi sint pro Viatico. *ibid.*
9. An amenti temporaneo, ac phrænetico dandum sit sacrum Viaticum. *ibid.*
10. Quando licet dare infirmo non jejuno cõmunionem. 86.
11. An qui semel Viatico refectus fuit, possit intra eandem ritudinem sæpius non jejunus communicare. *ibid.*
12. An, eadem die, qua quis occidendus est, possit communicare? & quid de infideli, qui eodem, quo [illegible] zatur die [illegible]est suspendendus.

## CAPVT VI.

*De Ministro Communionis.*

§.1. QVo habitu, qua hora, quibus circumstantiis ministranda Eucharistia.
2. An ministrari Eucharistia possit indigno.
Prima Regula.
Secunda Regula.
Tertia Regula.
Quarta Regula.
De peccatore cognito in confessione.
Quotupliciter peccat, qui communicat indigne. *ibid.* 21
De ministrante hostiam non consecratam.
3. Quam debeat pœnitentiam exhibere sive publicus sive occultus peccator, ut ad Communionem admitti possit.
4. An laicus, aut inferior Diacono ministrare [illegible] possit Eucharistiam.
5. An extra sacrificium possit se ipsum Sacerdos communicare.
6. An Sacerdos possit communicaturo ministrare partem suæ Hostiæ.
7. An tempore Interdicti generalis ministrari Communio possit.

# INDEX

## Librorum, Capitum, & Paragraphorum

## *OPVSCVLI DE SACRIFICIO MISSÆ*

# LIBER PRIMVS.

*De ijs quæad Sacerdotem pertinent, antequam Missam celebret.*

*Proœmium* 91

## CAPVT I.

*De vasis sacris.*

§.1. DE Calice, Patena. *ibid.*
2. De consecratione calicis, & Patenæ. *ibid.*
Privilegium Primum consecrandi Calices. 93.3
Privilegium alterum consecrandi Calices. *ibid.*5
Privilegium Tertium consecrandi Calices. *ibid.*9
3. De pœna celebrantis in Calice non consecrato. *ibid.*
4. An Calix, adde & vestes, aliaque similia remaneant consecrata seu benedicta, si in illis non sacris fortè quis sacrificet. 94
Calix & Patena. *ibid.*1
Corporale, Pixis, *&c.* *ibid.*3
Vestes Sacerdotales, aliáque ornamenta. *ibid.*4
Ecclesia violata. *ibid.*9
Ecclesia, & Altare non consecrata, seu non benedicta. *ibid.*8
5. Quando Calix, & Patena amittant consecrationem. *ib.*
6. De aliis vasis in sacro Ministerio adhiberi solitis.

## CAPVT II.

*Quis cultus sacris his vasis, & similibus debeatur.*

§.1. COntactus sacrorum.
2. Lotio sacrorum.
3. Vsus sacrorum ad profana.
Quæstio incidens de Candelis, & ramis palmarum benedictis.
4. Vsus prophanorum ad sacra.

## CAPVT III.

*De vestibus Sacerdotalibus.*

§.1. QVibus & quot vestibus indiget Sacerdos ad sacrificandum.
2. De benedictione vestium Sacerdotalium.
De facultate Episcoporum benedicendi sacras vestes. 101.4
Duo privilegia Mendicantium, Sacras vestes benedicendi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cendi. *ibd.* 5
3. Quandonam vestes sacræ amittant benedictionem. *ib*
3. Quædam propria de cingulo. *ibid.* 2
Quædam propria de stola, vel casula. *ibid.* 5
Quid iuris, quando una vestis mutatur in aliam. 102.7

## CAPVT IV.

*De loco sacrificij.*

§. 1. QVisnam ille sit. *ibid.*
De Episcopi potestate circa locũ sacrificij. *ibid.*
2. An Episcopus possit concedere facultatem celebrandi, per modum actus in loco profano, sed decente, extra domum suam, ipso absente. *ibid.* 6
An id possit in quocumque loco domus suæ, vel in domo profana aliorum, coram se. 103.8
An possit deputare Oratorium in domo sua, ut ibi indifferenter, per modum habitus, celebretur. *ibid.* 12
3. De Religiosorum Privilegiis circa locũ sacrificij. *ibid.*
Primum Privilegium, quando versantur in missionibus. *ibid.* 3
Secundum Privilegium, in quocunque loco. 104.7
Tertium Privilegium, deputandi Oratorium. *ibid.* 14
4. De Otatoriis in domibus, de licentia Summi Pontificis. 105
*Tibi Diœcesis Panormiana.* ibid. 2
*Qui ut asseris.* ibid. 3
*Vt in privato.* ibid. 6
*Ad hoc decenter.* ibid. 8
*Per Ordinarium loci.* ibid. 11
*Ac de ipsius Ordinarij.* 106. 14
*Vnam Missam.* ibid. 19
*Dummodo in eadem.* ibid. 20
*Per quemcunque Sacerdotem, &c.* 107. 23
*Sint tamen quorumcunque, &c.* ibid. 24
*Paschatis, Resurrectionis, &c.* ibid. 27
*In tua, & familia, &c.* ibid. 28
*Nec non in Hospitum, &c.* 108. 32
*Volumus autem quod familiares.* ibid. 34
De privilegio Cruciatæ circa prædicta. *ibid.* 37
5. De violatione Ecclesiæ seu loci sacrificij, ejusque reconciliatione. Remissivè. 109

## CAPVT V

*De Altari, ejusque ornatu.*

§. 1. DE Altari. *ibid.*
Ara ex duobus lapidibus. *ibid.* 6
Ara sine reliquiis. *ibid.* 9
Ara, quando amittit consecrationem. 110.12
2. De Mappis. *ibid.*
3. De Corporali, Palla, Purificatorio. *ibid.*
4. De lumine. 111
5. De Missali. *ibid*
6. De Cruce, aliisque requisitis circa Altare. *ibd.*

## CAPVT VI.

*De Tempore sacrificij.*

§. 1. QVo die celebrari possit. *ibid.*
*Vbi* de triduo hebdomadæ Sanctæ. ibid. 3
2. An obligetur Sacerdos aliquando celebrare. 112
Parochorum celebrandi. *ibid.* 2
Capellani, & Beneficiati obligatio celebrandi. *ibid.* 3
Obligatio celebrandi quoad Ecclesias collegiatas. *ib.* 4
Obligatio celebrandi Missam de feria privilegiata. 115. 6
3. Quando licet plures Missas eodem die celebrare. *ibid.*
4. Qua hora celebrari possit. 114
Quoad Autoram. *ibid.* 2
Privilegia mendicantium celebrandi ante Aurorã *ib.* 8
Quoad meridiem. 115. 19
Privigium Mendicantium postponendi Missam. *ibd.* 24

## CAPVT VII.

*Expediuntur quædam faciliora, pertinentia ad Sacerdotem, antequam celebret.*

§. 1. PRECES ante Missam. 116
2. Recitatio Matutini. *ibid.*
3. Calcei. *ibid.*
4. Pileolus. 117
5. Minister. *ibid.*
6. Sanitas corporis. 118
7. Mundities corporis, & lotio manuum. *ibid*

---

# LIBER II.

*De iis quæ ad Sacerdotem pertinent, dum actu celebrat.*

## CAPVT I.

*De intentione Sacerdotis in celebrando.*

§. 1. DE fine, quem potest, vel debet intendere Sacerdos in faciendo sacro. 118
2. De intentione, quam Sacerdos habere debet consecrandi, ante vel dum operatur. 119
Intentio Actualis & Virtualis approbatur in casu nostro non verò Habitualis, & interpretativa. 120. 9
Praxis prædictæ intentionis consecrandi. *ibid.* 8
3. Super quam materiam cadat intentio consecrandi. 121
Primus casus, de particula non cognita Sacerdoti. *ibid.*
Secundus casus, de Hostiis numeratis, quæ non omnes consecrari intendantur. *ibid.* 6
Tertius casus, de Hostiis non consecratis, fortè confusis cum consecratis. *ibid.* 10
Quartus casus, de Hostiis super Altare, non verò super eam consecratam positis. *ibid.* 11
Quintus casus, de guttis vini in Calice discontinuis. 122. 13
*Vbi*, defenditur Coninch contra Layman. *ibid.*
An guttæ in calice separatæ debeant abstergi ante consecrationem. 123. 29
Quid post consecrationem. *ibid.* 30

## CAPVT II.

*De Applicatione Missæ.*

§. 1. PRæmittuntur quædam necessaria de offerentibus Missam ejusque valore. 124
2. An applicari possit Missa pro infideli. *ibid.*
3. An pro Cathecumenis. 125
4. An pro excommunicatis. *ibid.*
De Sacerdote ut privata persona, pro Toleratis, & non Toleratis. *ibid.* 3
De eodem ut publica quoad non Toleratos. *ibid.* 5
De eodem ut publica quoad Toleratos. 116. 8
5. An Missa applicari possit pro Iustis. *ibid.*
6. An pro peccatoribus. 127
7. An pro vivis applicari possit Missa pro defunctis. *ibid.*
8. De applicatione Missæ anticipata quoad satisfactionem. *ibid.*
An sit aliquando licita, saltem in Capellano, dicta anticipatio. 128, 9
De applicatione Missæ anticipata quoad interpretationem. *ibid.* 10
9. De applicatione Missæ contra voluntatem Superioris. *ib.*

An

An peccet Sacerdos non applicans sacrum iuxta Prælati voluntatem. *ibid.* 2
Cui prosit Missa applicata contra voluntatem Prælati, vel contra iustitiam. 129. 14
10. De tempore, quo intentio applicandi alicui fructum Missæ elicienda est. 130
11. Cui prosit fructus Missæ, quando Sacerdos cum Sacrum applicasset uni, deinde applicat alteri. *ibid.*
12. De Sacerdote non applicante fructum Missæ suæ. 131
13. De Sacerdote aliquem excludente à fructu suæ Missæ. *ibid.*
14. Cui magis prodest Missa, ei, qui illam audit, an ei cui Sacerdos eam applicat. 132
Rursus, quid melius, Missæ simul dictæ, an successivè *ibid.* 3.
Denique Missæ ante, an post mortem celebratæ. *ibid.* 4
15. Quid valeat magis pro defunctis, Missa applicata. *ibid.*
An Bulla Cruciatæ. *ibid.*
16. An Parochus teneatur aliquam Missam applicare pro suis Ovibus. *ibid.*

CAPVT III.

De Attentione Sacerdotis dum celebrat.

CAPVT IV.

De Materia, & forma consecrationis.

§. 1. Quanta aqua sit Calici immiscenda. 134
2. An aqua, & vinum infundenda in Calicem, possint nive præinfrigidari. *ibid.*

CAPVT V.

Quid peccet qui aliquid omittit in Missa

§ 1. Præmittitur obligatio, quam inducunt Rubricæ Missalis. 135.
2. Ne quid omittatur in Missa. 136
De omissione aliquorum, quæ recitanda sunt in Missa. *ibid.*
De omissione obligationis, & obiter de particulis consecrandis, quæ post obligationem apponuntur. *ibid.* 7
De omissione signorum super particulas consecratas. *ibid.* 12.
De omissione ritus proprij. 137. 14
Omissa an, & qua ratione suppleri debeant. *ibid.* 23
An propter impotentiam omitti aliquid possit in Missa. 138. 27
3. Ne quid addatur in Missa. *ibid.*
Nihil addendum in orationibus. *ibid.* 2
Nihil addendum in instrumentis sacris, *vbi* de duplicata palla. 139. 16

CAPVT VI.

Quales Missæ à Capellano, vel Sacerdote sint recitandæ.

§ 1. Quales ex devotione recitare liceat, *ibid.*
Quid peccet, qui votivam vel aliam à currente sine causa celebrat. *ibid.* 6
Quæ sit causa iusta dicendi Missas alias à currente. 140. 8
2. Quales Missæ ex recepto stipendio celebrandæ. *ibid.*
3. De Missis, cum iuramento homini promissis. 141
4. De Missis, soli Deo per votum, vel iuramentum promissis. *ibid.*
5. De Missis, ex præcepto à Superiore iniunctis. *ibid.*
Ex Pœnitentia. 142. 2
In Ordinatione.
6. De Missis Defunctorum, promissis in Altaris gradu. *ibid.*
7. De Missis Sancti Gregorij promissis.
8. De Missis Sancti Beatificati nondum Canonizati promissis.
Vbi an alij à privilegiatis possint eas Missas celebrare.

CAPVT VII.

An interrumpi Missa aliquando possit.

§. 1. Præmittuntur aliqua certa de interruptione Missæ.
2. Prima causa interrumpendi Missam metus mortis gravis mali.
3. Secunda causa superveniens memoria impotentiæ ex cibo assumpto, ex peccato, ex censura, ex tempore indebito.
4. Tertia causa superveniens excommunicatus tolerari. *ibid.*
5. Quarta causa superveniens violatio Ecclesiæ, vel Altaris.
6. Quinta causa. Superveniens corporalis necessitas.
7. Sexta causa. Superveniens proximi necessitas spiritualis.
8. Septima causa. Adventus Principis Prælati Papæ.
9. Octaua causa. Concio, Ordinatio, Communio populi. Publicatio edictorum.

CAPVT VIII.

Qua ratione occurrendū defectibus Missæ.

§. 1. Quid fiet, quando Sacerdos deficit dum sacrificat. *ibi.*
Asi perfici sequenti die prædictum sacrificium possit. 148. 6
*Vbi* vindicatur Emanuel Sà. *ibi.*
An perfici prædictum sacrificium ab excommunicato, suspenso, vel irregulari possit. *ibi.*
*Vbi*, non approbatur Emanuel Sà. *ibi.*
2. Quando Sacerdos meminit in Missa se esse in mortali non jejunum, excommunicatum. *ibi.*
3. Quando Calix, vel Hostia veneno vel simili infecta. *ibid.*
4. Quando quis advertit aquam se Calici non imposuisse. 149
5. Quando quis advertit aquam, vel acetum consecrata. *ibid.*
Quid si dubitetur de aceto, vel non inveniatur vinum. *ibid.*
6. Quid fiet, si quid inadvertenter omittat celebrans. *ibi.*
quid si hostia frangi non possit.
7. Quid si Sanctissimus Sanguis effundatur, vel Hostia dispareat. *ibi.*
8. De nonnullis defectibus occurrentibus in Missa. 140.
Quando Sacra Hostia vel ejus fragmenta decidunt. *ibid.* 1.
Quid si Sacramentum evomi contingat.
Quando Hostia est confracta, & quando ejusdem particula remanet in fundo Calicis. *ibi.*
Quando Sanguis, vel vinum congelatur. *ibi.*
Quid fiet, si sacrificaturo desit Hostia grandior, sed petunt tamen particulæ. *ibid.* 2
An celebrans possit assumere parvam formulam, & grandiorem reservare. 151.
An celebrans possit elevare Hostiam à se non consecratam. *ibid.* 2.
Quando disparet Hostia consecrata, nec alia consecranda haberi possit, quid melius, abire sine Com-

# Index Capitum, Paragraph. & Titulor.


Communione corporis, anassumere præconsecratam. *ibid.* 14

CAPVT IX.

*De externa recitatione Missæ.*

DE dicendis elata voce. 153
De secretis voce submissa dicendis. *ibid*
Privilegium Religiosorum circa prædicta. *ibid.*


## LIBER III.

*De iis quæ ad Sacerdotem pertinent post Missam.*

CAPVT I.

*De Stipendio Missæ.*


1. PRæmittuntur quædam de stipendio déque fructu Missæ. 154
Decreta Sacræ Congregationis de celebratione Missarum. *ibid.* 7
Declarationes ejusdem. 155. 15
2. Super illud (*Districtè prohibet, &c.*) *Vbi*, vetatur Episcopis ne reducant onera Missarum. 156
Quæ onera Missarum reduci prohibentur, & an etiam præterita. 157. 3
De oneribus Missarum ante Tridentinum. 158. 7
De oneribus Missarum nondum acceptatis. *ibid.* 9
De justis causis reducendi. *ibid.* 1
3. Super illud (*Deinde, &c.*) *Vbi*, præcipitur, ut tot Missæ celebrentur, quot requirit quantitas eleemosynæ. *ibid.*
Vnica Missa an pluribus obligationibus ex iustitia satisfiat. *ibid.* 6
Vnica Missa an pluribus obligationibus, quarum una sit ex iustitia, altera nequaquam, vel quarum utraque sit non iustitiæ, satisfiat. *ibid.* 9
Propter paupertatem an excedi valeat commune stipendium Missæ: & obiter, an stipendiū Missæ possit remitti. *ibid.* 13
Pro officiatura, & intentione, an duplex stipendium accipi possit. 165. 14
Vnde coniiciatur, quod petens Missam alteram ex his, an utramque velit. *ibid.* 15
Dubium incidens de hebdomadariis Ecclesiæ Cathedralis Neapolitanæ. 166. 6
Aliquot quæstiones circa voluntates fundantium Missas. *ibid.* 28
An ratione diei festi aliquid plus recipi possit pro Missa. 162. 35
An aliquid ultra solitum stipendium accipi possit pro fructu ex opere operantis. *ibid.* 39
An pro impetratione unum pro satisfactione alterum stipendium accipi valeat. 163. 43
An major devotio in celebrando, vel orationes aliæ extra Missam, jus ad majus Missæ stipendium conferant. *ibid.* 49
An pro una Missa à pluribus exigua stipendia usque ad iustam mercedem accipi possint. 164. 50
Examinatur doctrina Suarij, de promittente minori stipendio Missas. *ibid* 57
An fructum Missæ specialissimum possit Sacerdos, habita mercede, alteri concedere. 165. 67
Quando contra Hæredes agi possit pro stipendio Missarum, de quibus Testator disposuit. 166. 72
An hæres pro Missis legatis debeat stipendium, quod currit tempore dispositionis, an tempore executionis. 167. 83
Quid fiet de decursis non solutis antea pro Missis sed nunc redditis. *ibid.* 86
Quid fiet, si census relictus pro Missis pereat. *ibid* 89
Quid si non pereat sed minuatur census & non possit adiri Pontifex. *ibid.* 90
Quid fiet si augeatur taxa stipendij Missæ. 168. 95
Quid si taxa stipendij crescat: *vbi.* An Religiosus stare debeat taxæ factæ ab Episcopo. *ibid.* 97
An Capellanus teneatur, pecuniam expendere ad ornatum Altaris. 169. 20
An compensare stipendium Missæ sibi non solutum alicuius possit. *ibid.* 102
4. Super illud (*Id verò ut deinceps, &c.*) *Vbi*, revocantur privilegia Religiosorum. *ibid.*
Quænam privilegia revocentur. *ibid.* 2
An prædicta privilegia legitimè concesserit Summus Pontifex. 170
Duo Privilegia concessa post hæc decreta de celebratione Missarum. *ibid.* 14
5. Super illud (*Ac similiter, &c*) *Vbi.* prohibetur ne Sacerdos retenta parte eleemosynæ, Missam alteri celebrandam committat. 171
An alij præter Rectores Ecclesiæ possint retinere expensas pro vino, cera &c. *ibid.* 7
An Capellanus vel Legatarius pinguis possit retinere partem stipendij, *ibid.* 10
An quilibet alius possit alteri committere Missam, retenta parte stipendij. *ibid* 12
6. Super illud, *præterea in Ecclesijs, &c. vbi*, præcipitur, ut mobilia relicta pro Missis perpetuis, quamprimum investiantur in bonis immobilibus fructiferis. 172
An decretum hoc loquatur de non acceptatis. *ibid.* 1
Quodnam mobile investiendum est. *ibid.* 2
Quandonam urget onus celebrandi Missas in hoc casu. *ibid.* 4
In quonam bono Immobili debet ejusmodi mobile investiri. *ibid.* 5
Quantum extendatur illud (*quamprimum investi endi*) 173. 15
Quantum extendatur illud (*statim pecunia deponatur*) & quid significet illud (*Ædem sacram.*) *n. eod.*
Quid intelligatur per illud (*pro Missis perpetuis*) 174. 16
7. Super illud *Ad hæc Sacra Congregatio, &c.*) *Vbi* præcipitur, non suscipiantur onera perpetua sine licentia. *ibid.*
Ad quosnam dirigatur prohibitio suscipiendi onera perpetua sine licentia. *ibid.* 3
An pœnæ hic latè requirant sententiam declaratoriam *ibid.* 5
Quis possit absolvere à prædictis. *ibid.* 9
An licentia hæc valida sit sine scriptura. *ibid.* 10
An sit valida si non sit gratis concessa. 175. 11
An validè suscipiāt onus perpetuum Missandi, qui sine licentia suscipit. *ibid.* 13
An peccetur mortaliter ab eo, qui sine licentia tale onus admittit. *ibid.* 17
8. Occasione prædictæ clausulæ quærimus, Quando lex Ecclesiastica imponit pœnam, an obliget etiam ad culpam. *ibid.*
Pœna spiritualis. *ibid.* 2
Pœna temporalis. 176. 19
Ex dictis deducitur, An peccet mortaliter Sacerdos, acceptās sine licētia onus perpetuum Missæ 177. 18
9. Super illud, (*Eleemosynas verò manuales*) *Vbi* præcipitur, ne Sacerdotes eleemosynas pro Missis recipiant nisi pro antea promissis satisfecerint. *ibid.*
Quantum importet illud (*modicum tempus.* *ibid.* 4
An Missa celebranda pro excommunicato vitando, differri possit. *ibid.* 5.
De pœnis Missas intra modicum tempus non satisfacientium. *ibid.* 6


Quandonam

Quandonam obligatur quis Missas celebrare, si differtur solutio stipendij. 178. 12
De obligatione promittentia accepto stipendio, Missas, & non satisfacientis. 179. 15
De obligatione promittentis Missam sine stipendio, si non stet promisso. ibid. 8
10. Super illud (*Capsulas auferant, &c.*) *Vbi* Præcipitur ut ab Ecclesiis auferantur Capsulæ cum inscriptione, *Eleemosyna pro Missis.* 180
11. Super illud (*Episcopis vero, &c.*) *Vbi* cavetur ne Superiores prædictam licentiam concedant, nisi ipsis constet, onera suscepta, & suscipienda correspondere. 182 ibid.
Quid peccet qui prædicta decreta non observat. ibid.
Ad quid teneatur successor, quando præcessor fuit negligens, &c. ibid. 9

CAPVT II.

*De obligationibus Capellani, vel Sacerdotis in celebrandis Missis.*

1. DE loco ubi celebrare is tenetur. ibid.
Quoad peccatum. ibid. 1
Quoad restitutionem. ibid. 5
Non approbatur Diana, nec Bonacina. ibid. 8
Comparatio Altaris privilegiati, & calculi benedicti. 197. 11
2. De dispensatione alibi celebrandi. ibid.

CAPVT III.

*De tempore obligationis celebrandi.*

§. 1 1. AN obligatus celebrare quotidie possit quandoque vacare. 197
Vacare quoad Applicationem, num possit Capellanus in die communionis defunctorum. 183. 9
2. De die quo conceditur Capellano vacatio: & obiter de vacatione diei Iovis Sancti, & Sabbathi sequentis ibid.
3. An celebrans aliis, quam designatis diebus satisfaciat. 184
4. De hora qua Capellanus celebrare teneatur. ibid.
*Vbi*, de Canonico celebrante hora Officij. ibid. 3
5. Pro quo sit prius celebrandum, quando pro multis simul quis debet. ibid.
6. De dispensatione quoad tempus. ibid.

CAPVT IV.

*De Capellano celebrante per alium.*

1. QVando quis potest celebrare per alium. 185
2. Quando Capellania possit non Sacerdoti conferri. ibid.
Quandonam Fundator præsumitur velle, ut Sacerdoti actuali conferatur.
Obligatus per seipsum per aliud celebrans & an obligetur ad restitutionem.
De Sacerdote, qui committit alteri Missas non celebret.

CAPVT V.

*De obligatione Capellani, quando adsint impedimenta celebrandi, quæ ipse removere non potest.*

§. 1. DE impedimentis ex parte Sacerdotis.
2. De impedimento ex parte loci.
3. De impedimento ex parte temporis, & aliis circumstantiarum.

CAPVT VI.

*De obligatione Capellani, ad removenda, vel apponenda impedimenta, quando ea apponere, vel removere potest*

§. 1. PRæmittuntur aliqua necessaria pro resolutione quæstionis.
2. Resolvitur quandonam Capellanus obligetur &c.
3. An Capellanus impedimentum violationis Ecclesiæ tollere teneatur? ubi nonnulla de violatione loci, ejusdemque Reconciliatione.

CAPVT VI.

*De legitima præscriptione quoad Missas.*

§. 1. QVandonam Sacerdos vel Ecclesia contra Missarum præscribat.
2. Quandonam onus Missæ præscribatur contra Sacerdotem vel Ecclesiam.

CAPVT VIII.

*An statim peracta Missa, comedere, &c. sit, & an novum, vel maius peccatum illud, quod committitur in die, quo quis libravit? & denique, de precibus, & lotione manuum ante, & post sacrificium missivè.*

CAPVT IIX

*De vino assumendo à Sacerdote post assumptum Sanctissimum Sanguinem.*

METH

# METHODI EXPEDITÆ CONFESSIONIS, LIBRI QUATUOR.

## *INTENTIO, ET DIVISIO OPERIS.*

CONFESSIONIS Sacramentalis præceptum arduum sanè est, atque difficultatibus per se obsitum: verùm additis tot Recentiorum DD. animadversionibus, molestiarum, ac perplexitatum accessio tanta facta est, ut nonnullos terreat magis, quam us par est, inviret, alliciátque. At enim vero nequaquam sub tantis, talibusque spinarum aculeis, quot qualesque acutiora Theologorum ingenia; vel extra discretionis mensuram timoratorum conscientiæ reperere, tam necessarium, quotidianum, utile, naturæque humanæ fragilitati, ut fas erat, accommodatum: Dominus noster ac benignissimus Ecclesiæ Parens constituisse credendus est. In gratiam ergo Confessariorum, ac Pœnitentium, operæ me pretium facturum puto, si ex infinitis propemodum, ac de re tota, opinionibus, eas diligenter seligam, quæ viam faciliorem, (saltem ex probabili sententia, quam tutò sequi valeamus) ad excipiendas, exhibendasque Confessiones expediam. Id quod breviter, Methodóque ad praxim, ut mea est mens, non verò ad Theologicas speculationes, idonea, tunc profectò prosperè consequar, cùm aspirabit faciliùs Deus, cui omnia mea ex animo dicata esse profiteor.

1. Quemadmodum autem quatuor integrè constat partibus Pœnitentiæ Sacramentum (*Conc. Trid sess.* 14 c 3) Dolore cordis, Oris Confessione, atque satisfactione, tanquam partibus materialibus, ac Absolutione tanquam forma, ita & quatuor hæc institutio partes complectetur: Addito libro quinto de sigillo Confessionis (quem sub titulo Appendicis ad librum quartum olim evulgavimus,) in singulis enim facilitas est investiganda, ut sacratum Confessionum Arbitris tanti Sacramenti administratio non difficilis; ejusdemque susceptio Pœnitentibus plana, & optanda potius, quam timenda proponatur.

# LIBER PRIMUS.

## *De Dolore Cordis.*

### CAPUT PRIMUM.

### De Dolore quoad substantiam, præsertim circa mortalia.

#### §. 1. *Quid sit Contritio, & Attritio.*

1. DOLOR ad pœnitentiæ Sacramentum requisitus, vel esse Contritio potest, vel Attritio, ex-



Conc. Trid *sess.* 14. *c.* 14. etiam ut talis cognita. Sic Suar. *disp.* 20. *de pœn. sect.* 1. *m.* 0. & Præpositivus quidem *de pœn. dub.* 5. *n.* 36. dicit id esse moraliter certum, & contrariam opinionem nullam habere probabilitatem.

2. Contritio autem est detestatio peccati propter Deum summe dilectum cum proposito non peccandi de cetero, ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap* 4. Attritio est detestatio ejusdem peccati saltem propter aliquod ex his tribus motivis, id est, vel propter timorem gehennæ, vel propter amorem gloriæ, vel propter turpitudinem ipsam peccati animum commaculantis, *ibid.*

3. Dixi saltem ( nam de quodam quarto motivo dicetur infra mox §.4. Hæc est doloris natura. Cæterum pro nostro expediendæ Confessionis instituto notentur sequentia.

### §. II. *An sit necessaria singulorum peccatorum memoria, vel eorum quibus est Deus præponendus.*

4. NOn esse necessariam singulorum recordationem peccatorum, est communis doctrina Ita Laym. *l. 5. tr. c. 4. n.4* Satis est igitur, ut ea in universum detesteris: nam singulorum expressio in oris Confessione requiritur, non in cordis dolore.

5. Vnde quando advertis pœnitentem tuum valde alicui crimini addictum; ne inculces doloris actum circa illud peculiare peccatum: periculum enim suberit, ne illud ex animo detestetur, dum ejus specialis memoria refricatur, quod in universum, & simul cum aliis detestandi difficultatem, vel nullam sentiet, vel exiguam.

6. Propter eandem ferè rationem non est necesse imò in infirmioribus conscientiis esset periculo satis obnoxium ad particularia, singulaque descendere, quæ Dei sunt amori postponenda: v.g. non oportet sic dicere: *Super divitias, super vitam super honorem Deum Diligo:* satis enim est dicere: *Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execror.*

### §. III. *De proposito non peccandi.*

7. PRoposítum explicitum de cætero non peccandi, licet laudabiliter, & in sententia multorum necessariò lege Bellarm. *tract. 3. lib. 1. de pœnit. cap. 6. & 7.* contra Vegam; at in probabili aliorum opinione satis est implicitum, hoc est illud quod involvitur in ipso actu detestationis, seu displicentiæ. Vega *in Trid. lib. 14. c. 21.* eandem sent. Reginal. *tom 2. lib. 1. de contrit.* ait esse probabilem, & idem Bonac. *de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. n. 8.* Nam qui ex corde dicit: *Mihi peccatum displicet,* implicitè involvit se nolle amplius illud committere. Nemo enim vult committere, quod ipsi displicet.

8. Adverte, quando dolor est Attritio ex motivo turpitudinis peculiaris alicuius peccati, v.g. Luxuriæ, non satis esse propositum implicitum in ejusmodi dolore concepto ex tali peculiari motivo, sed debere tunc addi propositum explicitum de cetero non peccandi. Sic Delugo *de pœnit. d. 14. sect. 5. n. 52.* Ratio est quia in Confessione requiritur propositum nullum peccatum committendi: at in dolore concepto ex motivo particulari non involvitur, ne implicitè quidem propositum nō committendi alia peccata, in quibus tale motivum particulare non reperitur: ergo meritò tum debet vel superaddi explicitum, vel eliciatur alius actus doloris ex motivo universali, quale est timor géhennæ, amor gloriæ, &c.

9. Rursus adverte posse contingere, ut quis absolutè proponat se de cetero non peccaturum: timeat verò, imò certò sibi persuadeat se propter fragilitatem iterum lapsurum, & tamen hic sufficienti proposito ad Sacramentum accedit. Nam ut Sylvester *V. confessio 1. p. quæst. 21.* rectè notavit, *Velle, ac proponere est actus voluntatis; existimare autem se relapsurum, est actus intellectus.*

10. Denique adverte non esse satis propositum solum sine explicito dolore, sicuti diximus sufficere solum dolorē sine explicito proposito. Differentiæ ratio est qua in proposito de futuro non includitur odium præteriti: posset enim quis sic sentire: *Nolo in futurum occidere, complacet tamen semel occidisse:* id quod non est in vero dolore Ita idem Delugo *ibid. 56.*

### §. IV. *An timor mali temporalis possit esse motivum Attritionis.*

11. INter motiva Attritionis, de quibus *n.4.* diximus licet aliqui non admittant aliud quartum, id est timorem mali temporalis, atque adeo quo peccata execraretur propter timorem infamiæ carceris, ægritudinis, & similium, quæ propter peccata incurri solent? legirimum dolorem pro Sacramento Confessionis, pro Doctores non afferret, quia hujusmodi dolor non est (aiunt) non autem, supernaturalis, & prout ordinatus ad gratiam supernaturalem obtinendam; tamen probabilissima etiam hoc motivum est sufficiens si huiusmodi mala temporalia timentur ut à Deo inflicta, seu infligenda: sic Reginald. *tom. 1. lib. 5. de contrit.* ut sic enim supernaturalem dolorem patere possit concipi autem hujusmodi timor in hunc fere modum potest, *Detestor peccata quorum causa me Deus morbi, carcere, malisque similibus temporaneis affligeret.* Notanter enim Concil. Trid. *sess. 15. cap. 4.* timore concipi posse Attritionem docuit, non dixit sè ex timore solum gehennæ, vel alterius pœnæ specialis, seu æternæ, sed addit in universum ex timore pœnarum, sic enim habet: *Attritio quæ vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, &c.*

### §. V. *An actus amoris Dei sit sufficiens dispositio ad Sacramento Pœnitentiæ.*

12. ACrus amoris Dei solus, sine formali dolore peccatorum licet in probabili sententia sit sufficiens ad justificandum peccatorem extra Sacramentum: communissima Theologorum sententia non est sufficiens dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ: quia licet Conc. Trid. requiritur ut sit actus pœnitentiæ, seu dolor & detestatio: quæ simpliciter prolata intelligitur de actu formali, non de æquivalenti, qualis est actus amoris. Ita Suarez *de pœn. disp. 20 sect. 4. n. 1* Coninch. *disp. 5. n. 39.* Bonac. *disp. 5. de Sacram. q. 3. p. 2. n. 6.* Tamen si quis in suis confessionibus ejusmodi actum solius dilectionis exhibuerit, ne scrupulosè sit de Confessionis nullitate sollicitus. Cum enim fieri moraliter non possit ut is, qui suorum est memor peccatorum, dum amat Deum super omnia, non avertatur per detestationem peccatis, jam satis habuisse necessarium dolorem practicè judicandum. Ita Coninch. *disp. 2. n. 31. & 32.* Vide quæ infra dicentur de virtuali dolore *cap. 3. §. 1.*

### §. VI. *Formulæ Contritionis, & Attritionis.*

13. ACtus Contritionis hic est ex Fagund. *præcept. Eccl. 2. lib. 2. cap. 3. n. 15. De peccato, quia est offensio & injuria super omne id quod me pœnitere debet: pœnitet: & propono cum divina gratia me amplius non peccaturum.*

#### Brevius, & facilius.

14. *Pœnitet me intimè de meis peccatis propter Deum quem summè diligo, emendationem quæ propono in futurum.*

#### Brevissimè cum proposito implicito.

15. *Displicet mihi peccasse, quia feci contra te, Deus meus bone, quem ego toto corde amo.* Ex Delugo. *de pœn. disp. 5. sect. 1.* & aliis.

16. Actus Attritionis est hujusmodi ex Fagund. *præcept. Eccles. 2. lib. 2. cap. 2. n. 15. Pœnitet me de meis peccatis quia per illa Deus me beatitudine privare potest, vel multis malis temporalibus, vel æternis affligere: vel quia per illa Anima mea coram Dei oculis deturpatur: & propono emendationem in futurum.*

#### Brevius cum proposito implicito.

17. *Mihi displicet peccasse propter mala, quæ Deus mihi immittere, vel bona quibus me privare potest ex doctrina data à num. 7.*

CAPVT

## CAPVT II.

## De eodem dolore quoad quasdam circumstantias.

### §. I. *De dolore quòd non doleas.*

ESt ne sufficiens dispositio ad hoc Sacramentum dolor quem quis habet, quod non doleat de peccatis. Concedunt Silvester, Navarr. Sà; citati à Laym. mox citando, Sed Theologi communiter cum Layman. *lib. 5. tract. 6. c. 4. n. 5.* & Præposito *de pœnit. dub. 3. n. 40.* meritò negant, quia dolor debet esse de peccatis non de negatione doloris. Addo tamen, pro praxi, in timoratis conscientiis, quæque nullum actualem affectum ad peccatum habent, opare se dolere, vel, dolre quod non doleant, satis esse, quia ejusmodi affectus est signum veri doloris. Ita idem Layman.

### §. II. *De intentione, & qualitate doloris.*

2. INquolibet gradu etiam remississimo satis est dolor: nec requiritur quædam teneritudo cordis, vel lachrymæ: ita Laym. *lib. 5. tr. 6. c. 4. n. 1.* Suarez *de pœnit. disp. 4 sect. 4. n. 9.* Sufficit enim solus appretiativus, hoc est, ut ita sit homo affectus, ut secundum rectam rationem ipse detestetur, seu recedat à peccato, modo supradicto. Sic iidem, & Coninch. *de pœn. disp. 2. dub. 6. conc. 2*

### §. III. *An dolor procedere debeat ex intentione Confessionis.*

3. QVamuis bene eliciatur dolor ex intentione ad Confessionem, id tamen necessarium nequaquam erit: v. g. sic, *Quia volo confiteri, doleo*, seu, quod idem est: *Quandoquidem ad Confessionis Sacramentum accedo, actum doloris elicere volo, & de facto elicio*: id inquam, necessarium non est, ex Delugo *de pœn. disp. 14. sect. 4.* cum satis abundè sit, si quis doleat, etiam sine memoria Confessionis: nam postea poterit ritè illo uti dolore ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum, v. g. sic: *Quandoquidem doleo, & me peccatorum pœnitet? volo confiteri*: seu, *Quia hoc mane*, v. g. *dolui de peccatis, nec hunc dolorem retractavi: nunc volo confiteri*: & sanè tunc de facto confiteri potest sine necessitate dolorem renovandi.

### §. IV. *Quando dolor exhibendus est.*

4. PRæterea non est necesse quod dolor antecedat Confessionem, satis est si antecedat Absolutionem. Ita Suarez, & Vasq. Bonac. aliique, quos citat & sequitur Delugo *de pœnit. disp. 14 sect. 2.*

5. Quoniam verò communiter solet præcedere confessionem, quanto tempore præcedere potest? Dico, quanto moraliter potest censeri unum actum imperari ab alio, & facere unum moraliter cum illo. Hæc est doctrina Theologorum communis: sed quoad praxim difficultas est, quantum sit illud tempus; quo id moraliter censeatur in re nostra? Respondeo qui mane dolet, & actu non revocato, post tres, vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium quod bene satisfaciat. Ita Præpositus *quæst. 2. de confess. dub. 1. n. 30.* Rursus, si quis vesperi examinans conscientiam elicit actum doloris, proponens sequenti die confiteri, abunde est. Ita idem *ibid.* Idem puto si non solum præcedenti vesperi, sed etiam præcedente die id fecerit; actu semper, ut dixi, non revocato. Colligitur ex Delug. *disp. 14. de pœnit. sect. 4. in fine n. 36. & initio num. 37.* Longiorem temporis extensionem nondum inveni apud Theologos. Si quis inveniat, vel longiorem satis esse autumet, hic oro, subscribat. Illud ad solamen timoratorum tacere non debeo: Si in hoc Sacramento unum quid moraliter facit Confessio nunc v. g. exhibita, cum Satisfactione, quæ forte hinc ad plures dies, & aliquando Menses exhibetur: imò si esset certus Confessor, quòd Pœnitens, quem ab hinc quatuor diebus v. g. audivit, bene esset dispositus; illum nunc liceret absolvere, & sic illa Confessio cum præsenti absolutione unum moraliter facere posset: & meritò, quia similis propinquitas satis superque est ad judicia profana constituenda, ad quorum normam hoc Ecclesiæ judicium à Christo Domino est institutum: si hæc, inquam, ita se habent, cur etiam non poterit dolor ab hinc quatuor, vel quinque diebus animo conceptus, nec revocatus, unum quid moraliter cum præsenti Confessione constituere?

Et quidem post hæc scripta, immo, & in prioribus editionibus impressa, inveni Leandrum Theologum *de Sacram. tom. 1. tr. 3. d. 7. q. 6.* sane perdoctum, qui citans Hurtadum, & Candidum, absolvete docet, sufficere ad validam efficiendam Confessionem, cum etiam dolorem qui per quodcumque temporis longi spatium præcedit Confessionem: modo ubi sentiel est habitus, nec expressè, nec implicitè retractatus fuerit.

6. Actus autem doloris revocatur, vel per actum contrarium, idest, per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale. Vide quæ infra dicam *c. seq. §. 4.*

### §. V. *De novo dolore in nova peccatorum absolutorum. Confessione.*

7. QVi iterum confitebitur peccata aliàs absoluta, indigetne novo doloris actu, an vero sufficiet ille dolor antiquus, utique non retractatus, qui conjungitur nunc cum hac nova Confessione? Respondeo. Quamvis Io. la Crux, & Ledesma apud Dianam *tom. 2. tr. 4. res. 116.* absolutè satis illum esse dolorem non retractatum concedant, tamen ut probabilis hæc sententia fiat, addenda est hæc limitatio, ex Delugo *de pœnit. disp. 14. sect. 3. n. 35.* ut antiquus ille dolor non sit ita tempore desunctus ab hac Confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censeatur.

Lege Ianuarium *parte prima resolut. 30.* qui docet, cum qui peccata alias ritè confessa, & absoluta confitetur, non teneri iterum elicere actum doloris si prior habitualiter, vel virtualiter perseveret; nec teneri elicere actum doloris eum, qui confitetur peccatum oblitum in prima Confessione, si de illo cum aliis sub motivo generali dolorem habuit, (semper intellige, si ejusmodi dolor modo dicto perseveret) quæ doctrina confirmat; quæ mox dicentur *num. 9.* & quæ modo dicta sunt *n. 4.*

8. Ex quo duo colliguntur, Primò, quia supra diximus dolorem antecedentis diei non retractatum facere unum quid posse cum Confessione diei sequentis, ideo consequenter probabile erit dolorem Confessionis antecedenti dse habitum posse extendi ad Confessionem eorundem peccatorum absolutorum, quæ fiat in sequenti die. Sicuti enim ibi ad moralem unitatem, sufficit, ita & hic erit ad eandem satis.

9. Secundò, si post collatam ritè absolutionem pœnitens recordetur, afferatque aliquid, quod confiteri oblitus fuerit, vel etiam aliquid de quo dubites, quod sit certa materia absolutionis, unde illum jubeas aliquid certum repetere ex peccatis jamjam exhibitis, non est necesse ut iterum doleat. Ita Henriq. *lib. 4. de pœnit. c. 16. §. 7.* Ratio est quia si nova hæc absolutio cadat in peccata jam absoluta: proderit, juxta modò dicta, dolor præcedentis Confessionis, qui certè non longè distat. Si verò cadat etiam in peccatum de novo allatum; proderit ille idem præcedentis Confessionis dolor: quia nimirum is extendebatur ex motivo, ut suppono, universali quo fuit elicitus pro omnibus peccatis à pœnitente commissis, inter quæ est hoc peccatum nunc directè absolvendum quod de novo clavibus subditur.

10. Atque hæc doctrina est notanda pro hic frequentibus eventibus, quando pœnitens post collatam absolu

absolutionem alia peccata manifestat, quæ memoria exciderant: post collatam, inquam, sive immediatè ut dictum est, sive etiam post aliquas horas, sive etiam post diem modo dicto §. *præcedenti.*

## CAPVT III.

### De dolore venialium.

§. I. *De venialium dolore virtuali.*

1. Licet ad peccatorum venialium remissionem extra Sacramentum Confessionis non requiratur formalis detestatio, sed sufficiat virtualis; tamen si ea subijcias Confessioni, communis sententia Theologorum docet detestationem formalem esse adhibendam: id est, non satis esse dolorem implicitum, seu inclusum in aliquo alio actu, sed necessarium esse actum explicitum doloris: quia ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3. tunc dolor est pars essentialis Sacramenti, quod æquè suis essentialibus constare debet partibus, sive exhibeantur venialia, sive mortalia. Ita Vasquez *de pœn. q.* 91. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 2. Suarez *de pœnit. disp.* 1. *sect.* 3. & *disp.* 20 *sect.* 7. Bonac. *disp.* 5. *de pœn. q.* 5. *sect.* 1. *p.* 3. Nihilominus probabile est etiam sufficere dolorem virtualem in Confessione venialium; in Confessione enim mortalium, de qua solum agere videtur Concil. *ibid.* & *c.* 1. *sequenti* quando requirit dolorem formalem, necessarius omnino est formalis. Quare si quis accedat ad confitenda venialia sine actuali complacentia peccati venialis, cum desiderio recipiendi Sacramentum, ejusque effectum, cum in hoc desiderio sufficienter detestationem virtualem habeat, bene erit depositus. Nam propterea Concilium *sess.* 14. *cap.* 4. *in fine*, dicit ad Sacramentum hoc requiri tanquam partem proprium motum pœnitentis: tunc enim videtur loqui de Confessione in universum, id quod verificatur in Confessione venialium; nam certè voluntas suscipiendi Sacramentum, motus est proprius pœnitentis.

2. Hanc sententiam Præpositus *disp.* 2. *de contr. dub.* 7. *n.* 7. 3. vocat non improbabilem, citátque pro ea Suarium *de pœnit. disp.* 12. *sect.* 1. *n.* 9. quamvis *alibi* sibi contrarium: additque idem Præpositus, quòd hanc sententiam alij sequuntur: *juxta quam si quis se dirigat, non peccabit, forte & consequetur Sacramenti effectum.* Hanc eamdem sententiam sequitur Rosella, *v. Confessio* 2. §. 1. & Sylvester *V. Confess. p. quæst.* 21. qui citat Scot. sed immeritò, ait Delugo *de pœnit. disp.* 14. *sect.* 1. *n.* 3. & veram esse mihi dixit P. Franciscus Chiros nostræ Societati Jesus in Theologia morali non parùm versatus; Favet Ledesma, Vega, Almainus, & Bernardus de Ganaco citati ab eodem Delugo, quatenus dicunt, dolorem quidem esse partem, sed integralem, non essentialem Sacramenti, atque adeo sine qua tota essentia Sacramenti constitat: quos tamen licet cum opinione communi Theologorum apud eundem Delugo reiiciamus, nihilominus prædictæ sententiæ favere inficiari non possumus.

3. Petes: in Confessione mortalium possumusne sequi opinionem affirmantem satis esse similem detestationem virtualem inclusam in voluntate suscipiendi hoc Sacramentum, & ejus effectum, sine actuali displicentia peccati? Respondeo Ita docent Petrus à Soto, Sylvester Gabriel, Rosella, aliique citati partim à Suarez *de pœnit. disp.* 20. *sect.* 1. partim à Vasq. *de pœn. q.* 91. *art.* 1. *dub.* 1. reiectique. Sed Vasq. *loco citato* sententiam hanc non requirentem in Confessione formalem dolorem, post Trid. appellat erroneam, Suarez *loc. cit.* temerariam: quæ censuræ solum intelligi debent de Confessione mortalium. Quis igitur velit eam sententiam, cui tanti viri tam rem notam inurunt, prudenter sequi?

Denique quod non sit mortale, sed veniale confiteri venialia sine dolore, nec formali, nec virtuali: quia solum esset frustare Sacramentum in re levi, quæ fuit opinio cuiusdam Theologi recentioris, quod [illegible] *de pœnit. disp.* 54. *sect.* 9. videtur omnino falsum esse, videtur leve irritam reddere absolutionem. Ita [illegible]

§. II. *De dolore vnius peccati venialis, & non de*

5. Satis est ad Confessionem venialium, si confiteris unum v. g. vel alterum peccatum veniale, que eo habeas debitam displicentiam, taceas autem venialia de quibus nec dolorem habes, nec propositum ea declinandi. Ita Layman. *l.* 5. *tr.* 6. *de pœnit. cap.* [illegible] Suarez *de pœnit. disp.* 20. *sect.* 6. Fagund. *l.* 2. *Eccl. p.* [illegible] *c.* 1. *n.* 13.

6. Idem dic si hæc venialia, de quibus nec dolor proponis, non taceas, sed dicas in eadem confessione in qua illud unum, vel alterum cum vero dolore; cæteris. Sic idem *ibid* Ratio utriusque est, quia malitia peccati venialis cum non consistat in aversione à Deo, divisibilis, unum veniale remitti sine alio potest consequenter dispositio ad unius deletionem potest se sine dispositione ad deletionem alterius.

7. Propter eamdem rationem, cum quis multa peccata venialia fatetur, de quibus nihil, ne virtualiter quidem, dolere supponeremus: subdit tamen simul peccatum aliquod mortale, sive alias absolutum, sive nunquam Confessoi manifestatum, de quo ritè dolet, valet & licita est Sacramenti susceptio. Sic idem *ibid.* quia absolutio cadit in mortalis remissionem quæ est diversa à remissione venialium. Non sic, si multa fateatur mortali, de quorum aliquibus doleas, & de uno tantum quam. Nam tunc Confessio, nec licita est, nec valida, quia non potest unum mortale, quod est absolutum à Deo, remitti sine remissione ominum aliorum quæ sunt similiter aversio.

8. Eodem pacto, si fortè quis fateretur venialia, mortalia, doleret autem de venialibus, & non de mortalibus; invalidè, & illicitè se gereret: quia venialia dimittitur ei, qui est propter mortale Deiinimicus, ab eodem aversus.

6. Quod dictum est *n.* 5. & 6. intellige etiam si omnino fit de venialibus ejusdem speciei: v. g. potest quis habere sufficientem pro Confessione dolorem & commendacio absque dolore de aliis mendaciis, & [illegible] propositio vitandi omne mendacium. Ita Delugo *de disp.* 14. *sect.* 8. §. 3. Ratio est: quia potest inveniri inæqualitas in ipsis individualibus peccatis venialibus ratione cuius moveatur quis ad dolorem potius unius quam alterius? v. g. potius dolebit quis de mendacio deliberato per perfectam advertentiam, vel ptolomæi causa, seu fine ulla utilitate, vel cum damno majoris, ximi, utræ latitudinem venialis, &c. quàm de mendacio his circumstantiis nequaquam affecto. Sicuti etiam detestabitur quis furtum leve unius Julij, non vero tum aliud levius unius oboli, &c. Hoc igitur potest offerre pro materia delenda à Sacramento Confessionis

§. III. *De dolore venialium quoad frequentiam.*

10. Sufficit etiam ad Confessionem Sacramentum venialium dolor de multitudine, & frequentia eorum, propositúmque illam frequentiam, multitudinémque vitandi. Ita Delugo *de pœn. disp.* 14. *sect.* 9. n. 1. Potest enim dari pro materia Sacramenti aliqua pars malitia, qualis est multitudo ipsa, frequentia, seu, clarius loquar, peccata venialia ut frequentia sunt, non autem ut scorsim sumpta: v. g. si homo soleat multoties excedere comedendo intemperanter intra terminos venialis, satis esset si doleret de illo excessu, illumque confiteretur, etiam si ei deficeret voluntas, & propositum observandi perfectè regulas temperantiæ: ita esset si fateretur: doleréque de frequentia mendaciorum, quamvis careret dolore de vitandis aliquibus, sed de illam corrigere vellet vitam suam vitando frequentiam illam. Ratio autem est eadem, quam supra attulimus, quia scilicet hoc jam est habere voluntatem diminuendi peccatum veniale, quæ est sufficiens dispositio.

§. IV.

§. IV. *De revocatione doloris venialium.*

11. CErtum est dolorem de mortali revocari, vel per actum contrarium, vel per novum lapsum in quodcumque mortale: quia sic iam homo avertitur à Deo. Vnde eum, qui doluit de mortalibus, & ante absolutionem iterum peccat mortaliter, non esse per illum dolorem sufficienter dispositum ad Sacramentum, diximus *cap. 2. §. 4.* & docet Delugo *disp. 14. de pœnit. sect. 9. n. 147.* Quæstio igitur solum est, quando etiam venialia fatemur. Si pœnitens v. g. qui velit fateri peccatum mortale: & item veniale cum dolore concepto ex motivo universali cadente super utrumque, quia scilicet sunt offensa Dei: sed deinde ante absolutionem incidat in aliquod veniale vanæ gloriæ, mendacii, vel ejusmodi generis, eritne hic sine novo doloris actu sufficienter dispositus: Videtur speculativè dispositus nequaquam fore: siquidem per peccatum novum veniale dolor ille ex universali motivo videtur etiam quoad mortalia revocatus; unde operæ pretium erit, aiunt aliqui, ut doleat quis ex motivo proptio mortalium, ne scilicet per commissionem venialis, postea revocati queat.

12. Nihilominus practicè puto validum esse tale Sacramentum, & licitum, nec ejusmodi scrupulum, etiam illa cautela nequaquam adhibita, esse conscientiis iniiciendum. Ita idem *ib. id. n. 145.*

13. Ita etiam in illo alio eventu, quando quis cadens mortalibus, fateri intendat multa diversi generis venialia cum simili universali detestatione, incidatque postea ante absolutionem in unum veniale? aio validè licitèque hunc absolutionem suscipere. Ratio hujus, præcedentisque decisionis est, quia dolor, & propositum feruntur quidem in omnia peccata, sed inæqualiter pro eorum gravitate, vel levitate: non igitur statim atque in unum ex ipsis venialibus quis labitur, evocat alia diversæ speciei, vel alia graviora, vel omnia.

§. V. *De proposito vitandi venialia.*

14. VItandi venialia propositum non est necesse, ut sit ita strictum, & efficax, sicuti vitandi mortalia. Ita Layman. *tract. 6. de pœnit. cap. 4. n. 29.* Coninch. *de pœn. disp. 2. dub. 14.* Explico differendo duas differentias inter propositum mortalium, & propositum venialium: Primò enim ad vitanda mortalia ejusmodi propositum concipere debeo, ut eo concepto, moveat ad declinandas omnes mortaliter peccandi proximas saltem occasiones: de qua re infra *l. 3. c. 3.* disseremus. At ad vitanda venialia non oportet me ad declinandas universas occasiones etiam proximas urgeri: cùm enim occasiones proximæ ad venialium lapsum sint frequentissimæ, si ab illis omnibus esset nobis declinandum, *ex hoc mundo*, ut ait Apostolus, *exire deberemus.* Atque hinc consequitur facilius absolvi eum, qui frequentius cadit in eadem venialia, quam in mortalia: nam offendere in venialibus non est tam rationabile signum, quod caruerit quis vero proposito (sicuti est in mortalibus;) sed est indicium fuisse frequentissimas occasiones, à quibus non est tanta obligatio se separandi. Ita iidem.

15. Secundò propositum vitandi mortalia se extendere ad omnia omninò debet collectivè. At vitandi venialia, satis est disiunctivè ad aliqua. Sic iidem. Ratio est, quia ex una parte omnia prorsus vitare non possumus, & ex alia unum sine alio remitti potest. Alia discrimina, vel non faciunt ad nostrum institutum, vel ad duo prædicta facilè reducuntur.

# LIBER SECVNDVS.

## *De Oris Confessione.*

### CAPVT I.

### Quædam de peccatorum Confessione in universum.

§. 1. *An sit explicandum in Confessione peccatum esse, vel non esse aliàs Confessum?*

NOn oportet id explicare: ita Suar. *de pœnit. disp. 22. sect. 9. num. 2. in fine.* Sanchez *in Dec. lib. 1. cap. 10. num. 71.* Coninch. *de pœn. disp. 17. dub. 8. numero 69.* quia peccatum est idem sive confessum, sive non confessum, temporisque quo crimen patratum est, circumstantia nonse habet ex parte peccati, sed merè ex parte Pœnitentis.

2. Vnde qui generaliter confitetur, potest sine alia explicatione admiscere nova cum antiquis: etiam si id de industria ad tegendum tempus, quo peccatum commisit, ne Confessarius id innotescat, faciat: quia utitur jure suo, &c. Ita Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 22. §. 2. in Glossa lit. D.*

3. Advertotamen aliquando esse necesse ex aliqua peculiari ratione id explicare: idque in duobus eventibus, ex Delugo *de pœn. disp. 16. sect. 2. §. 1. n. 47.* Primo, quando peccatum est reservatum, v. g. peccatum commissum à Religioso tempore religionis forsasse erit reservatum, quod commissum in sæculo non erat: debet igitur id explicari, ut videatur an Confessarius, cui nunc is Religiosus confitetur, jurisdictionem habeat absolvendi. Secundò, quando pœnitens est in proxima occasione peccandi: tunc enim debet explicari tempus præsens, ut scilicet Confessarius, vel illum obliget ad eam removendam, vel si renuat, à beneficio absolutionis excludat. Aliqui tertiò addunt si pœnitens laboret consuetudine præsenti peccandi, debere illam explicare, sed probabilius est non obligari ad dicendam ex se peccandi consuetudinem, nisi à Confessario interrogetur, ut dicetur infra *hoc eodem lib. c. 3. §. 3.*

4. Petes quoad primum casum. Quid si ille Religiosus confiteatur cum habente potestatem? v. g. cum Prælato? Respondeo tunc cum illud peccatum reservatum respectu talis Confessarii nequaquam sit; tacere tempus pœnitens profectò potest. Ita Delugo *ibid.*

5. Petes iterum quoad secundum casum: Quid si quid habeat occasionem proximam, sed vel non teneatur eam tollere, modo infra explicando, vel si teneatur, ipsemet eam tollat, seu efficaciter tollere proponat? Respondeo tunc nec obligari ad aperiendum tempus. Ita *ibid.* Siquidem ratio quamobrem obligatur, jam deficit.

6. Illud approbare non valeo, quod aliqui affirmant, posse scilicet sine peccato gravi pœnitentem, sive ex se, sive interrogatum à Confessario positivè dicere illud peccatum, quod de facto nunc commisit, esse peccatum antiquum: quia nimirum (aiunt) id est mendacium de re levi, cum non sit de re necessaria ad Confessionem: id, inquam, non approbo, non solum ex eo capite, quia tenemur interdum verum respondere quando à Confessario de aliquibus interrogamur, quæ quamvis non essent à nobis necessario dicenda, conducunt tamen ad nostram utilitatem, medicinámque: quale esset ad nostram utilitatem, medicinámque: quale esset

aliquando peccatum esse recidivum, esse ex consuetudine, &c. de quibus interrogati vera dicere omnino teneamur, ex Delugo *disp.14. de pœnit. sect.* 10. ut etiam nos dicemus *hoc eodem c.*10.§.2.*n.*38. sed præcipue illud non approbo ex alio capite, quia nimirum quando negativè se quis gerit, & nihil dicit de tempore commissi delicti, (id quod fieri posse concedimus) certè commissum suum præsens delictum confitetur, quia in ipsa Confessione illud involvit: quare esto Confessarius apprehendat illud esse peccatum alio tempore factum, non tamen id dicit pœnitens: sed Confessarius ipse per se sic apprehendit: Ex alia parte, quia Confessarius, quando absolvit, habet intentionem absolvendi illud peccatum, quod potest, & à pœnitente dictum est, non est periculum frustrandi Sacramentum. At verò quando positivè quis dicit esse peccatum antiquum, cum sit recens: non explicat, ne implicitè quidem, suum præsens delictum, sed aliud antiquum, quod non fecit: id quod esset non fateri omnia sua peccata,quod est sacrilegium.

### §. II. *In confessione generali, an omnia mortalia alias confessa aperire teneamur.*

7. NOn terrmur: atque adeo possumus omittere aliqua peccata etiam mortalia,sed aliàs ritè manifestata, quæ est communis, & certa Theologorum opinio.Ita Henriquez *lib.2.de pœnit.cap.*12.§.*in Glossa litt. D.*& alij *passim.* Quod si Confessarius decipiatur putans hunc pœnitentem ea sola habere peccata, quæ dicit,ipse tamen pœnitens non mentitur, cum solum proponat aliqua, aliqua non item, in quo nullum est mendacium. Quid si pœnitens dixerit se velle generaliter confiteri,& deinde non omnia proponat? Respondeo, nec tunc mentiri, quia communis sensus est ipsis Confessariis maximè notus, quod in Confessione generali non omnia aliàs ritè confessa aperiantur: imò etiam si mentiretur peccaret solum venialiter; esset enim in re levi, & minimè ad confessionem necessaria.

Alia huc pertinentia vide infra, *cum de Mendacio in Confessione, libro hoc 2.cap.*10.§.2.

### §. III. *An peccata dubia sint necessariò clavibus subdenda.*

8. DUbium aliud est positivum, aliud negativum. Positivum est quando quis aliquas habet rationes, vel motiva probabilia ad credendum,v.g.se peccatum aliquod commisisse, & habet alias rationes, seu motiva probabilia ad credendum se illud non commisisse. Hoc quod vocavimus dubium positivum; impropriè vocatur dubium: verè enim appellatur, & est iudicium probabile. Negativum est, quando quis non habet rationes, vel motiva, saltem probabilia,ad credendum se peccasse; sed nec rationes similes habet, ad credendum se non peccasse: sicuti non habet,quia rationes probabiles ad iudicandum arenæ maris grana paria nec ad iudicandum esse imparia. Hoc enim vero propriè vocatur dubium. His positis.

9. Certum in hac re nostra est primò eum, qui dubius est positivè de suo peccato: hoc est, habet rationes probabiles, quòd non peccaverit mortaliter, & similes, imò probabiliores rationes, quòd peccaverit; non teneri ad illud confitendum. Ita Suarez *de pœnit. disp.*22.*sect.*9. *n.*6.aliique. Ratio est, quia se conformat iudicio probabili, quod satis est, ut in rebus moralibus,juxta rectam rationem, quis prudenter agat, etiam relicto probabiliori iudicio: Ita Sanchez *in Decal.lib* 1.*c.*9.*n.*33. Sylvius *in addit.*3 *p.q.*6.*art.*4.§.*quæritur* 3. contra Fagundez *præcepto Eccl* 3.*lib.*3.*c.*4.*n.*7.

10. Certum est secundò: Qui probabiliter, imò certo scit se mortaliter deliquisse, habet tamen rationes probabiles, imò & probabiliores se illud non esse confessum, & probabiles, item habet se confessum esse;nec teneri ad illud confitendum. Ita idem, aliique: quiquid in contrarium dicat Coninch.*de pœn. disp.*7.*dub.*4. apud Dianam *p.*3.*tract.*4.*res.*1.Ratio est evidens, huc sequitur iudicium probabile.

11. Certum est tertiò. Qui rationes probabiles se non peccasse: vel scit quidem se peccasse: sed probabilitatem iam se esse confessum, si nullas rationes credendi contrarium non teneri ad Co- nem. Ratio est eadem dicta, imò, ut patet, maius

In præcedentibus notant aliqui recte,in mortalo debere de prædictis haberi actum contritionis tem præcessisse confessionem sacramentalem. R quia si coram Deo tunc Fidelis sit in mortali charitas erga se ipsum,ut ponatur in gratia, vel cte per Confessionē,vel directe per actum Cont

12. Certum est quartò. Si contra, habeas probabiles judicandi te peccasse, sed nullam probabilem habeas judicandi te esse confessum, est dubitare negativè de Confessione) teneri te fessionem. Ita Delugo *de pœnit.disp.* 16. *sect.*2.n.9 est, quia tunc possessio præcepti Confessionis te, constat enim de peccato,deque obligatione di: de Confessione verò facta, non constat.

Si certus sis, te peccasse, sed dubius, an illud tum fueris confessus, dicetur mox §. sequenti,

13. Difficultas igitur solum superest de dubio gativo, & quidem circa culpam mortalem. An qui negativè dubitat se peccatum commisisse, vel commisit fuisse mortale, teneatur ejusmodi dubium confiteri. Dubito v.g. sed nullam habeo nem probabilem me excusantem, an occidi nem, vel posito quod occiderim,dubito an cum advertentia occiderim, obstringorne tale homicidium in Confessione declarare?

14. Prior sententia negare posset, cui favet Henquez *lib.* 8. *de Euch. cap.* 45.*num.* 3. *in Glossa* Palud. Anton. Tabienam; & quidem validis ratio Præcipua illa est, quia in hoc casu, melior possessio prò pœnitente: neque enim debet quis certo condemnari, aut cogi pati sententiam certam Confessionis tumque onus subire, quantum est naturæ hominum gili ipsa Confessio, pro delicto dubio.

Hanc sententiam novissimè amplectitur Lamet *res.* 20. meritò addens,solum in articulo mortis ex charitate sibi debita, in casu, quo post illud dubium vel non elicuit contritionem, vel non sumpsit sacramentum. Intelligo (Sacramentum Confessionis) quo certiores sumus absolvi indirectè peccata obliti bona fide confessa.

15. Posterior tamen sententia est communis Theologos, qui obligant Fideles ad Confessionem lium peccatorum in prædicto dubio. Ita Suar. *de disp.*22.*sect.*9.*n.*1. Sanchez *lib.* 1.*in Dec.cap.*10.*n.*64. latè referentes. Ratio hujus sententiæ potius est exseca, quàm intrinseca: nam Layman.*lib.*1.*tract.*1.*cap.* §. 4.*n.*37.postquam priorem sententiam,ut sibi probabilem proposuisset; in fine addit *se nihil hac de re statuere* Ioan. Præpositus *q.* 5. *de integritate Confess. dub.* 3.*n.*107.similiter docet priorem eamdem sententiam esse speculativè probabilem, *licet non sit in praxi posteriore recedendum.* Diana *p.*3.*tr.*4. *res.*60. vide etiam *tract.*3.*res.*5. postquam attulit ex citato Layman rationes pro sententia priori, concludit: *ideo tu cogita, nam absolutè affirmativam* (hoc est, posteriorem à nobis adductam) *sententiam teneo,* Delugo *de pœnit. disp. sect.*2.*n.*67. ubi eruditè solvit omnes rationes, quæ ciunt pro posteriore, quam, ut dictum est, Theologi communiter sequuntur, tandem *ab eadem communi esse recedendum statuit*, nixus eo fundamento: quia mirum talis est usus,& praxis communis totius Ecclesiæ cuius praxis cum initium non agnoscatur, *affirmat testi* (ait) *ita Christum Dominum instituisse ut sententiam peccata dubia Fideles confiteri teneantur.*

16. In hac gravi difficultate,Dico primo prioremtentiam interdum ratione subiecti non solum practi-

probabi-

probabilem, sed certissimam esse; nempe pro conscientiis timoratis scrupulosis. Ita Sà, Suarez, Granadus, Becanus, aliique relati à Io. Sanchez *in selectis disp.* 4. *n.* 18. Castrop *T.* 2 *disp.* 4. *de Consc. scrupulosa, p.* 2. *n.* 4. Ratio quia in dubio debent præsumi non peccasse mortaliter; quare in eo dubio, in quo alij essent obligandi; isti sunt omninò eximendi.

17. Dico secundo absolutè, ex ratione obiecti, posteriorem sententiam in praxi recipiendam esse. Ceterum prior practicè excipi possit, ut certò decernere tanti Doctores ausi non sunt, ita nec ausim ego.

Sed iam post hæc à me in prædictum modum scripta, nimò in prioribus impressionibus edita, invenio à doctis & prudentibus Theologis hanc posteriorem sententiam fuisse probabilitatis munere donatam. Nam eam ovissimè amplectitur Hier. Fer. *de scand. & corr. frat. l.* 4. 77. *n.* 49. & insuper inter ceteras probationes adducit Iudicium, quod Doctissimi Patres tres Collegij Romani Soc. Jesu pro hac sententia, re maturè perpensa, protulerunt. Dum enim (inquit) ex Provincia Austria Propositiones aliquæ missæ essent Romam, ad nostrum admodum R. P. Generalem, ipsius jussu examinandas à Patribus Revisoribus, quorum munus est, libros diligenter expendere, antequam imprimantur, tale Iudicium quod mox subiiciam, tulerunt unanimes circa nonam propositionem factam. Nona petitio hæc erat: *Peccata dubia sive positivè, sive negativè tantum dubia sint, confiteri non tenemur.*

*Responderunt ita, De peccatis dubiis positivè non est dubium permitti posse, cum sit opinio Communis Doctorum. De peccatis dubiis negativè, circa quod est major difficultas, judicavimus olim non debere permitti secundum nostras regulas cum vix reperiatur unus Scriptor, qui illam aperte tueatur.*

*Nunc verò cum iam aperte, & ex professo in suis scriptis tueantur præter Ægidium Coninc. de Sacr. pœn. d.* 7. *dub.* 8. *Petrus Marchant in trib. Sacr. tr.* 4. *tit.* 6. *Caramuel in Theol. Mor. lib.* 3. *d.* 4 *n.* 1478. *Iosephus de Ianuario, Resol. mor. Tom.* 1 *resol.* 20. *per totam P. Io. Martinon. tom.* 5. *d. sect.* 8. *n.* 91. *& alij multi Scriptores illam judicent probabilem consemus posse jam in scholis Societatis permitti.* Hactenus Ferrantinus. Vide Dianam *p.* 3. *res.* 2. qui exscribit verba aliquorum ex his Scriptoribus, & alibi *to. tr.* 16 *res.* 79. ubi citat Bossium. Me tamen juvat à mea sententia non recedere pro qua initio huius *num.* 17. dixi.

18. Denique Doctores apud Suar. *disp.* 81. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 11. hic advertunt, si quis in Confessione aperat sola peccata dubia, debere moneri, ut addat aliquod peccatum certum ex aliàs confessis, ne scilicet periculum subsit frustrandi Sacramentum, si fortè illud verum peccatum non sit, atque adeò non sit materia Sacramenti pœnitentiæ. Quòd si hoc certum haberi non possit; tunc prudentis arbitrio juxta materiæ necessitatem dubiique probabilitatem, & denique salutis proximi periculum, absolvi poterit pœnitens, sub conditione saltem mente concepta: id quod in pueris quando sunt in confinio acquirendi rationis usum usuvenire solet, qui ex Villalobos apud Dianam *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 53. sub dicta conditione absolvi debent. Imo audi Merollam *T.* 1. *d.* 3. *c.* 3. *dub.* 1. *n.* 359. universaliter loquentem *Quamvis optimum consilium sit, ut confitens materiam dubiam adjungat aliquod certum aliàs confessum, tamen consilium id est, nec videtur præceptum, quia præcepta non sunt facile multiplicanda sine cogente fundamento, nullibi enim tale præceptum invenitur impositum. Non quidem positivum ut clarè patet, neque naturale, nulla enim iniuria sit Sacramento, imponendo tunc absolutionem. sub conditione, quia non verè exponitur periculo irritationis, non enim forma Absolutionis absolutè cadit supra materiam sufficientem, sed tantum conditionaliter, si adest materia: conditio autem nihil ponit in esse. Adde quod teneretur omni pluries idem peccatum confiteri, quod nullo jure probatur.* Hæc Merolla.

Illud huc facit, an Confessarius teneatur de omnibus peccatis quæ audit in Confessione judicare, an sint mortalia, an venialia? Respondet huic quæstioni sic Sylvest. *v. sacer. §.* non tenetur Sacerdos de singulis auditis determinare, utrum sint venialia, an mortalia, quando non sunt clara, secundum Archid. ut de his de quibus sunt opiniones, vel pœnitens nescit exprimere mentem suam circa assensum, vel moram peccati; tenetur autem determinare, de claris, Hæc Sylvester, qui ibidem etiam illud notat ne Sacerdos (ubi pœnitens est dubius de aliquo, ne, inquam, asserat illud esse mortale si non est certus. Sed circa hoc oportet omnino videre, quod dicam *l.* 3. *cap.* 4.

## §. IV. *De peccatis Confessis ut dubiis.*

19. SI pœnitens bona fide confessus est peccatum dubium, ut certum, v.g. se furatum esse aureos centum, vel consensum præbuisse turpi cogitationi, sed deinde incipit dubitare de tali furto, vel de dato consensu, non obligatur iterum illa confiteri ut dubia. Ita Delugo *de pœnit. disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 77. Ratio est, quia si quis obtinet sententiam, absolvitúrque à delicto certo; censetur multo magis ab incerto absolutus fuisse: quique Confessori fatetur peccatum ut certum; satis moraliter censetur fassus esse idem ut dubium. Idem videretur esse dicendum de numero: ut quis dixit se certò peierasse quinquies, & deinde dubitat se plus, vel dubitat se peierasse minùs. Et quidem quando dubium supervenit quod minus; res est certa id est; non obligari: quia in majori numero absolutus est minor: at quando supervenit dubium quòd plus; res non videtur eodem modo decidenda, sed esse procedendum sicuti diximus §. 3. de confitendo peccato dubio. Verum ex altera parte posset quis dicere, in hoc casu, jam moraliter fuisse absolutum numerum dubium in absolutione numeri certi præabsoluti: sed certè id non satisfacit: quod aliis discutiendum relinquo.

20. Quod si non incipiat solùm dubitare, sed certò comperit se vel non peierasse, v.g. vel numerum esse minorem quam dixerit: exempli causa cum fuerit fassus se peierasse quinquies, certo comperit se semel, vel bis peierasse; nec obligabitur iterum confiteri, quod certum comperit. Ita idem Delugo *ibid.* 3. *c.* 3. *dub.* 2. *n.* 359. Ratio est, tum quia in numero majori includitur minor: tum quia si nullum comperit fuisse suum peccatum, quid confitebitur?

21. Difficultas igitur hic solum est. Primò, quoad substantiam actus: An si quis fassus est bona fide peccatum ut dubium, & deinde advertit esse certum; an, inquam, obligetur iterum tanquam certum confiteri. Secundò, quoad numerum: An scilicet si bona fide quis aperuit Confessori se peccasse decies, plus minus, sed deinde bene recordatur se certò decies, vel duodecies, vel novies peccasse, an, inquam obligetur hunc numerum certum post datam absolutionem inventum, iterum aperire. Nam si ante recordatus fuisses determinati numeri, illum explicare debuisses (ut certum est ex Delugo *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 77. *in fine*,) nec potuisses dicere decies plus minus: quia peccata debent aperiri Confessori, prout sunt in conscientia pœnitentis. Iam sigillatim de utraque difficultate disserendum: initiúmque summo à posteriore.

22. Quoad numerum ego dico, quando non est magnus excessus, non obligari pœnitentem iterum aperire. Ita Vasq. Suar. Coninch. Sà aliique apud Delugo *disp.* 16. *de pœn. sect.* 2. § 4. *n.* 78. Ratio est, & fidelium communis praxis, & ea quam mox *n.* 24. dicam quod si fuit magnus excessus; debet pœnitens illum aperire in sequenti Confessione. Est communis doctrina: quidquid dicat Vivaldus apud Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 94. & ratio, quæ mox tangetur, persuadet.

23. Petes, quantum, & ad quod se extendunt illa verba (plus minusve) ne sit magnus excessus? Respondeo non posse id per certam regulam definiri, sed prudentis judi-

cio est decernendum. Ita Fagundez *l. 3. de. præcepto confess. c. 4. n. 9.* Solum adverte quo major est numerus, qui affertur: majorem etiam fore numerum, qui sub illis verbis (plus minusve) subintelligitur: v.g. si dicas, *peccavi decies plus minúsve*, verificabitur si peccasti octo, vel duodecim vicibus. Quod si dicas, *peccavi centies, plus minúsve*: verificabitur si peccasti nonaginta quinque, non autem verificabitur si peccasti octoginta vicibus, vel vicibus centum, & viginti; quare non est considerandum, nisi id, quod humano, & morali loquendi modo important illa verba, plus minusve: quod, ut dixi, judicio prudentis est decernendum. Semper attendendo ut numerus peccatorum moraliter verus Confessori patefiat.

Illud (plus, minusve) importare dimidium supra quantitatem expressam, v. g. centum plus, minus, importare, centum & quinquaginta, putat Vericelli *tr. 1. q. moral. 5.* sed non est audiendus.

24. Quoad substantiam actus, in quo est major controversia, adhuc dico probabilissimum etiam esse pœnitentem non obligari ad iteratam Confessionem. Ita Delugo *disp. 16. sect. 2. à n. 81.* Quamobrem si quis sub dubio bona fide dixit, se pejerasse, v. g. & deinde comperit se pejerasse, ecctò, non tenebitur iterum illud periurium tanquam certum confiteri. Ratio est, quia tale peccatum jam fuit directè absolutũ in prima Confessione: ergo nova absolutione non indiget. Antecedens probatur: quia ideo tu illud fassus es, & ideo Confessor profert circa illud suam sententiam, ut nimirum illud absolvat: ergo non nisi directè licet sub conditione implicita, si fuit peccatum coram Deo. Sanè si Judex sæcularis reum de crimine non plene probato, seu dubio, per sententiam definitivam absolveret; non posset iterum ad crimen juxe in judicium deduci: sic Covarr. *l. Variar. c. 1. n. 8.* citatus à Sanchez *l. 8. de matr. disp. 34. n. 57.* ergo este signum quod directè fuit absolutum. Non ita profectò quando quis absolvitur ab instantia, seu observatione judicij, id quod fit per sententiam interlocutoriam: nam tunc ex novis indiciis, noviſque probationibus potest iterum in judicium deduci? at in casu nostro sententia Confessarij est definitiva, ut ex se constat: ergo directè illud peccatum absolvit.

25. Confirmatur, si quis dubius de excommunicatione, suspensione, irregularitate ex Delugo *de pœnit. disp. 16 sect. 2. n. 83.* voto etiam reservato, ex Sanch. *l. 4. in Dec. c. 44. n. 10.* petat ad cautelam absolutionem, vel dispensationem, & post eam obtentam comperiat vincula illa fuisse certa; non propterea indiget nova absolutione seu dispensatione: certè non propter aliam rationem, nisi quia absolutio fuit absolute data sub conditione, quod vincula illa adessent, sed jam aderant: ergo fuerunt perfectissimè dissoluta: ita in casu nostro, &c. Hanc sententiam explicatam à n. 24. probat Th. Hurt. *tr. 2. mor. c. 1. dub. 8.* & nimis excedit in ejus tensura. Verùm, si optas hanc nostram sententiam pluribus confirmatam lege. P. Hieronymum Fer. *de Scandalo & corr. d. 1. q. 78. n. 15.* nostræ Soc. qui in opere nuper impresso affert inter cetera Responsionem Patrum Romani Collegij datam Provinciæ Austriæ, in prædictæ sententiæ confirmationem: ea autem pro curiosis, hæc est.

*Quod ad Secundam partem quod scilicet peccata quæ aliquando sub dubio confessi sumus, postmodum vero certa nobis fiunt, confiteri non tenemur, Censemus, posse permitti cum non careat solidis fundamentis, & illam in suis libris defendant Leander de Sacram. l 1. tr. 5. d. 5. q. 27. Marcus Vidalintrac de pœnit. q. 7. à. n. 2. Martinus de Iosch. t. 1. lib. 1. t 8. de pœnit. n. 9. Caramuël lib. 2. d. 4. & Martinus Bresserus de Confc. lib. 4. c. 18. cum aliis judicent illam probabilem.*

Hactenus Patres ex Ferrantino, cui gratias ex animo ago, quod hoc loco citans meum primum Opusculum Methodi Confessionis, Aureum illud appellaverit. Tam Alchimica (fas ita loqui) fuit ejus urbanitas, ut meum plumbum potuerit in aurum artificiosa humanitate convertere. Dignus interim ipse, ut potiore jure ferro, sed pretiosum sibi ducat nomen ab [illegible]

26. Triabic denique adverte. Primo, qui integrè confitetur peccatum, quod tam ipse Confessarius, vel alteruter dubitant, an sit veniale: si post absolutionem agnoscant eum attingere culpam, non fore opus nova Confessione Sanchez *lib. 1. in Dec. c. 10. n. 69.* Ratio est, quia parte integrè apertum fuit peccatum eo modo commissum: & ex altera ad valorem Sacramenti est necesse quod pœnitenti, vel Confessario illud esse mortale, quod absolvitur.

27. Secundò idem dicendum cum Sà *v. Confessio vat. n. 6.* Hurt. *disp. 11. diff. 5. de pœn.* Portell. in *v. casus reservati, n. 7.* cum quis confitetur peccatum reservatum sive jure, sive de facto dubium. Dico ut si dubitaretur an peccatum, v. g. abortus, sit tum: de facto esset, ut cum constaret peccatum esse reservatum, dubitaretur tamen an fertus fuit matus, atque adeo an pœnitens abortum [illegible]

17. Ratio ergo hujus secundi dicti est, quia reservatio sit odiosa, est restringenda, nec extenditur peccata certa. Sic etiam dubia Hæresis non subjacent servationi ex Merolla, & Thoma Delbene apud dem Vericelli Tr. 8. quæst. mor. 24. Sic dubium Castitatis perpetuæ non subjacet reservationi ex & Pontio apud eumdem Verr. Sic dubia Cruc obligat ad vitandum Fideles, ex Diana apud Sic filius expositus, quia est dubium, an filius legitimus tamen reputatur, ex eodem Ver[illegible] citante, & necessariam limitationem ponen[illegible]

29. Tertiò, rustici, mulierculæ, puerique, fide suas Confessiones coram Parocho, etiam grossiore modo exhibuerunt, licet peritiores diores effecti videant in multis se defecisse, ta dubia pro certis, & contra; unumque alio se dixisse animadvertant; non sunt cogendi Confessiones. Sic Fagund *2 præcep. Eccl. lib. 3. c.* Delugo *de pœnit. disp. 16 sect. 14. à n. 58.* Ratio saris superque, saltem in confuso, Confessio peccata percepit, & directè absolvit: & ex al praxis fidelium est hasce Confessiones non repe quod si fideles obligarentur, omnia scrupu obnoxia. His ita disputatis, Inquiret quis, An commisisse mortale, dubius vero, num illud fe fessus, an, inquam obligetur ad illud iterum Co dum, Respondeo tribus dictis. Dico primo, scrup non obligari. Dico Secundo non scrupulosum n obligari, si diuturnum tempus interesset inter Confessionem, quam bona fide, morali præcedente mine, solebat exhibere, & inter dubitationem nunc illi suboritur. Dico 3. Hunc non scrupu obligari ad illud Confitendum si parvum tempus cessit.

Ratio primi dicti est eadem quam dixi Cap. pœ dente *n. 16.*

Ratio Secundi est, quia Moraliter (sunt verba Ia posit) Io. Præ. *de integr. conf. q. 5 sub 3. n. 115.* ap rantinum supra citatum *n. 666.* Impossibile est pœ turnum tempus positivè recordari omnium, qua confessus est, ac proinde onus intolerabile esset obligaretur confiteri ea de quibus dubitat, num quando confessus.

Ratio tertij dicti est, quia ex una parte præcipu to obligans ad confitenda peccata, certum est, possessione obligandi, & ex alia, non adest ex ducta ex scrupolis, vel ex temporis elapsi diuturn vel ex alio capite, quod hic certè non apparet. At aliquis posset contrarium concludere ex eo, quo dubio melior sit conditio libertatis, quæ non est genda ab obligatione dubia confitendi, quæ super Respondeo. Certe fatemur, primo fuisse libertatem peditam, sed deinde à certo peccato commisso ejusmodi libertas certo ligata ad obligationem

frendi; superveniens ergo dubitatio, an peccatum omni confessum, non invenit libertatem expeditam, quam debeat relinquere in suo statu, sed invenit jam veram ab obligatione confitendi, ergo ligatam relinquere debebit. Vim hujus rationis clarius intelliges, si legeris, quæ nos diximus cum de Consciencia dubia agimus, in Decal. *cap.* 3. præsertim toto §. 6. & 7.

### §. V. *De actibus interius interruptis.*

EXemplum. Aliquis odio habet graviter inimicum suum mala ei graviora desiderando, vel inferre cupiendo, atque per aliquod tempus in his interioribus actibus versatur, nempe per aliquot horas, vel menses, vel annos. Aliquis turpiter concupiscit puellam per multos menses, &c. Quærimus qua ratione hic confessionem suam expediat, posito quòd multoties illos actus negotiis, somno, aliisve bonis cogitationibus interrupit.

31. Certum est si intetrupit contraria voluntate, & deinde renovavit; debere ejusmodi renovationes quantum recordatur juxta ac cetera nova numero peccata, quæ confiteri tenemur, explicari. Ratio est quia per illam pœnitentiam evadunt illi actus, & in genere physico, & in genere morali numero disiuncti, disiunctione facta per intermedium illum actum contrarium: numerum autem oportere explicari quando innotescit: & est doctrina Concil. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. & *c.* 7. & ipsa fidelium praxis probat.

32. Difficultas igitur, & quidem gravis est, abstrahendo ab interruptione per contrarium actum. Dico ergo, quamvis sit speculativè probabilior sententia asserens per quamlibet interruptionem multiplicari numero prædictos actus, unde & debere, si memoria teneantur, confiteri, tamen contraria opinio, quæ docet minimè debere, etiam probabilis. Ita Canus *in relect. de pœn. p.* 4. & Delacruz, Petrus Fay, Homobon. Diana, & ex parte Salas, quos citat & sequitur Delugo *disp.* 16. *sect.* 14. *n.* 566. Ratio est quia in genere motis omnes illi actus videntur unum peccatum, etiamsi materialiter, & physice multiplicentur. Satis est igitur si explicetur tempus, quando est notabile (si enim sit breve, de quo dicam infra §. 8. *n.* 47. & 48. nec tempus esset necesse declarare) sic satis est, si dicatur, *Ego* v.g. *per unum diem odio graviter habens Petrum, illi mala gravia imprecatus sum*: *per unum mensem turpiter concupivi puellam*, &c. intelligatur enim more humano, deesse tales actus per varias intermissas actiones fuisse interruptos.

33. Quid si quis rarò interrupit turpem illam cogitationem, vel alius sæpissimè, propter urgentia sua negotia? Sanè Coninch. *disp.* 7. *de pœn. dub.* 7. ipsique favet Salas *p.* 2. *tom.* 2. *Tr.* 13. *disp.* 5. *sect.* 18. *n.* 84. Delugo *de pœn. disp.* 16 *sect.* 145. & 567. *fin.* ait hanc extraordinariam variatem, vel frequentiam esse explicandam (intellige confuso, dicendo se frequentissimè vel rarissimè cogitasse, quod certè facere est optimum consilium: quia excedit modum humanum communem, atque adeo prudenter commutatur judicium Confessarij. Canus, Delacruz, Fay, Homobon. Diana citati *n.* 32. indistincte loquuntur: & dum indistinctè docent omnes illos actus esse unum in genere moris: non videntur niti eo fundamento, quasi ex illo ordinario modo agendi humano (nisi excedatur) possit plus minúsve è Confessario percipi actuum numerus: sed fundantur in persistentia, seu permanentia habituali malæ cogitationis, à qua sententia desumunt unitatem omnes illi interni actus sive multi, sive pauci: & ratione cuius animus illius peccatoris semper est affectus, & promptus ad cogitationes illas malas. Quare, ne scrupulis locus detur, puto cum Coninch obligationem non esse ex necessitate fidelibus imponendam, cum præsertim teneamus non esse, quod iudicium Confessarij immutare possit, esse confessario apertiendum, ue ex iis, quæ de circumstantiis gravantibus dicemus §. 18, cognosci poterit.

34. Excipe, si quando tanta est interruptio, ut non judicetur adesse dicta persistentia: v. g. vult quis occidere inimicum; ita ut per mensem continuet hanc voluntatem modo dicto: postea vel per annum infirmetur, vel discedat ab urbe, vel ipso lapsu temporis, rerumque mutationibus frigescat, immo evanescat veluti natura sua illa prava voluntas: si deinde post annum sanus effectus vel rediens in urbem, &c. voluntatem occidendi resumat, sanè hæc voluntas cum illa priori facere unum non videtur: quia morali modò non censetur illa tam dista svoluntas ita habitualiter permanere, ut cum ad hoc conflandum unum peccatum, conjungatur. Et per hoc fortasse duæ prædictæ sententiæ conciliabuntur.

### §. VI. *De actibus externis interruptis.*

35. ACtum externum is exhibet, qui præter internam pravam cogitationem, addit aliquam exteriorem demonstrationem. Id quod duplici contingere potest modo. Primo in ordine ad unum numero actum seu finem: ut si quis, ne mortem effugiat suus inimicus per unum annum v. g. paret illi, insidias, præparet gladium, equum conscendat, &c. Ita etiam si quis amans puellam per duos annos v. g. semper quærat modum quo illa potiatur: in his exemplis, unum est homicidium numero, una fornicatio, ad quæ ordinantur respectivè illi actus externi. Secundo in ordine ad diversos actus, ut cum quis exerceat habitualiter officium ex se multis numero vel specie peccatis implicitum. Talis est meretrix, usurarius, grassator viarum. Hic de priore, in sequenti §. de posteriore agemus.

36. Quoad prius ergo dicendum est idem, quod *in præcedenti* §. dictum est, ex Delugo *disp.* 16. *sect.* 14. *num.* 567. propter paritatem rationis: omnes enim hi actus externi sumunt unitatem ab illo actu finali, ad quem ordinantur. Adscribe tamen exceptionem positam *num.* 4. Quare probabile est satis esse ad Sacramentum pœnitentiæ si dicat quis, *per tot dies procuravi homicidium mei inimici, ejusdem puellæ congressum*, &c.

37. Illud nota, si mediante alia persona finem intentum acquirere curasti, vel puellam tentasti renitentem; debere id explicari: quia est inductio proximi ad peccatum, atque adeo novam speciem peccati scandali commissi. Dixi (renitentem) nam de consentiente dicetur infra *c.* 7. §. 8.

38. Petes, si quis finem obtinuit suæ pravæ cogitationis; satis ne fateri dictum finem dumtaxat, se v. g. puellam cognovisse: se occidisse inimicum? Respondeo. Delugo *n.* 566. ait, quia hoc est peccatum consummatum; non esse necesse ut is dicat quoties habuit decretum procurandi: cum sufficiat confiteri illud tanquam unum peccatum consummatum. Sed profectò debere explicare saltem se per tantum tempus procurasse, modo jam explicato §. *præcedenti*, mihi non est dubium: ut scilicet innotescat, an & quæ persistentia peccati habitualia præcesserit.

### §. VII. *De peccatore habituali, ubi de Meretrice.*

39. QVoad secundum, quod modo promisimus *in hoc* §. declarandum; sic statuo: licet illa opinio Doctorum apud Fag. & Dian. mox citand. quòd similes peccatores habituales debeant speciatim numerum, speciemque peccatorum explicare, sit nimis severa; illa tamen Navarri *in summa*, *c.* 6. *n.* 15. quæ docet sufficere si solum dicatur tempus peccati, est nimis laxa: media ergo via est procedendum cum Fagundez *præcep.* 2. *Eccl. l.* 3. *c.* 4. *n.* 11. *fine* aliisque apud Dianam *part.* 4 *tract* 4 *resp.* 89. Quare à Meretrice v. g. non tolum debet explicari tempus mali status; sed etiam principales species peccatorum, quas memoria retinet: an scilicet ipsa peccaverit cum Sacerdotibus, cum propinquis, cum coniugatis &c. saltem in confuso multitudo numerica: v. g. toties plus minus per menses, vel per hebdomadas, &c. Si enim aliqua recordatur se in frequenti civitate, sæpissimè

simè etiam in die peccasse; alia tamen in parva ruſticorum villa, vix semel in hebdomada; qua ratione id explicandum non esse censeamus?

40. Addit rectè Vasquez *de pœnit. tq. 91. art. 1. dub. 5. num. 3.* (quod & ea quæ §. 5. & 6. diximus confirmat) circa numerum actuum internorum non esse hos habituales peccatores cogendos ad explicandum frequentiam & numerum per hebdomadas aut dies: sicuti dicimus cogi debere circa frequentiam ipsorum actuum externorum, v. g. fornicationum: ut scilicet dicant, si recordentur, quoties plus minus peccaverint per dies, per hebdomadas &c. Ratio est, quia in his actibus internis videtur impossibile eos ad aliquem numerum sine magni erroris periculo, sive per excessum, sive per defectum reducere: quod periculum communiter non est in externis.

41. Quod dictum est exempli gratia hactenus de Meretrice: dic cum Vasq. *ib. n. 41.* de fure habituali, de usurario, de similibus: satis enim est explicare confuso modo frequentiam furti gravis, seu injusti lucri: v. g. *si fur*, vel *usurarius per decem annos, quatuor, vel quinquies plus minus furando in mense, vel hebdomada materiam gravem.*

42. Idem dic cum Vasq. *ib.* de eo qui passim concupiscit fœminas sibi obvias, dicat enim: *per duos annos obvias concupivi*; addatque species principales, an frequenter cognatas, an sacras, an conjugatas, &c. De delectationibus morosis dicam infra *c. 7. §. 1.*

43. Idem dico cum Henriquez *l. 5. c. 5. n. 9.* & Fagundez *2. præcep. Eccles. l. 3. c. 4. n. 11.* de habente domi Concubinam: satis est enim si dicat, *puellam ut uxorem habui per tres annos*, addatque, *semel in die plus minus illam cognovi.* Quid enim si cognovisset solum semel in mense? debet igitur saltè in confuso frequentia declarari.

44. Idem denique: cum Delugo *d. p. 16 de pœn. sect. 24. n. 575.* in colloquentibus frequenter de rebus turpibus cum peccato mortali? quando enim adest difficultas explicandi numerum, ut certè sæpè accidit male moratis adolescentibus; sufficit explicare consuetudinem, tempus, & species principales quas inter loquendum concupiere, proportionaliter sicut dictum est de Meretrice.

45. Illud denique hic adverto cum Vasq. *q. 91. de pœnit. art. 1. dub. 5. n. 3.* quam sequitur Delugo citatus *de pœnit. dis. 16. sect. 14. num. 582.* quoòd ille qui propter inveteratum consuetudinem non potest numerum peccatorum distinctè explicare, & ideo dicit tempus, ut de Mererice & prædictis dictum est, non tenetur postea iterum confiteri peccata particularia, quæ sibi in memoriam occurrunt, licet possit ea magis distinctè aperire. Ratio est, inquit, quia jam in illa confusa narratione comprehensa, & directè absoluta fuere: juxta ea quæ diximus supra *n. 14.*

## §. VIII. *De vnitate vnius peccati.*

64. VNum in hoc & præcedentibus paragtaphis, superest explicandum. Diximus, quando actus tendunt in unum finem, atque adeo unus dependet ab alio facere unum in genere moris; Jam, quando unus actus ab alio non dependet, sed sunt disparati: v. g. concupivit nunc quis puellam: & hinc ad horam concupiscit eamdem, sed independenter à primo actu, ut usu solet evenire sæpissimè; quid requiritur ad hoc ut sit unus, & ut unum, non autem ut duo peccata sint aperienda?

47. Respondeo. Regula universalis est huiusmodi. Si intermediet multum temporis inter actus: & ex alia parte actus posterior concupiscentiæ v. g. non habeatur ex vi prioris, judicatur distinctus actus, distinctumque numero peccatum. At si breve tempus interiiciatur censebitur facere unum cum priore: sicuti qui percutit proximum una percussione, & deinde in eodem calore iterum percutit; unum in genere moris actum, unumque peccatum commisisse reputatur.

48. At difficultas subnascitur ecquodnam est hoc modicum tempus? Respondeo cum Delugo *dict. nit. 36. sect. 16. n. 569.* decernendum id esse prudenti judicio, ut videatur an veluti eodem impetu concupiscentiæ v. g. redeat quis post interruptionem, an tius calore agitatus concupiscat: si prius, unum catum moraliter: si posterius, duo: numeruseque vione aut alia causa excusetur; explicandus

49. Atque hæc eadem regula usui erit ad illud dubium enodandum. An scilicet debeas explicare uno actu concupiscentiæ puellæ v. g. vel defectu ter lædendi inimicum, duraſſe per tot vel tot Dico ergo: cum in aliquo ex his actibus uno calore cupiscentiæ, unoque impetu in eadem cogitatione persistis, semel moraliter peccas, atque adeo tempus explicandum. Quoniam vero quando hujusmodi actus diu, v. g. per sex, vel per decem horas durant, impossibile moraliter est, ut id uno eodem modo fiat; ideo necessarium tunc, & sufficiens erit dicere *sex horas*, vel *per decem concupivi*, &c. Sic cum explicabuntur interruptiones, quæ humano more solent intercedere, ut dictum est superius: vel saltem retur peccatum veluti habituale unum perdurasse illas horas.

50. Ex his multa inferuntur, quæ maximè ad hanc dendam confessionem conferre poterunt.

### *Blasphemiæ.*

Primò, qui uno Blasphemiæ impetu blasphemat, eodem calore, licet post aliquam interruptionem blasphemiam iterat bis, ter, pluries; satis est ex Molinam *de justit. tract. 3. disp. 41.* dicere, *blasphemavi*, quia moraliter peccatum commisit. An omnes blasphemiæ ejusdem sint speciei, dicetur infra *c. 3. §. 1.*

### *Percussiones.*

51. Secundò, si quis aliquem uno iræ impetu quater, vel pluries percutit, vel vulnerat, unum tantum peccatum committit: & Clericus si sit, qui potest in unam tantum excommunicationem sic peccatum incidit: satisque erit sic fateri: *hominem* vel *Clericum percussi*, vel *vulneravi*. Ita Azor. *T. 1. lib. 4. c. quæst. 3.*

### *Iuramenta, & vota.*

52. Qui simili vnico impetu de eadem re pejeramento assertorio, atque iterum iterumque, eodem lore, jureiurando confirmat; semel peccat, sæpius dicat, *juravi falsò*. Ita Delugo. mox cit. *d. 16. sect.* Pari modo qui eamdem rem Deo vel homini eam confirmans iterato, vel juramento pluerio & deinde semel non observat; semel peccat, lugo *de pœn. disp. 16. sect. 4. n. 146.* cum reperejusdem voti & juramenti non mutet speciem, tiplicet peccata. An omnia juramenta sint ejustionis dicam infra c. 3. §. 2.

### *Detractiones.*

51. Qui unico veluti contextu continuat de altero detrahere, licet occasione data aliquam detractionem interrumpat, & licet alias diversa dem detractionis materias tangat; unum moraliter catum committit, satisque erit si sic fateatur, *ter de quodam detraxi.* Ita idem *ib. sec. 16. n. 559.* beat explicare vel numerum circumstantium, vel rum eorum, de quibus detrahit, dicetur infra c. 3.

### *Contumelia.*

54. Qui pari modo injurias, contumelias superadditque unico iræ fervore, licet interponat alia verba ad injuras minimè pertinentia semel proximum affeciſſe censebitur. Quare sufficit si *Injuriavi proximum.* Ita Delugo *ibid. n. 561.*

### *Ministrare Sacramentum Pœnitentiæ in peccato*

55. Qui Sacerdos successivè audit in peccato tali plures Confessiones unam post aliam, in

probabili non committit plura numero distincta peccata. Idem dic si Confessarius idem modicè deflexerit ad alios sermones minimè facientes ad huiusmodi ministerium: unde satis erit si dicat, *audivi una vice plures Confessiones absolutionem in statu peccati mortalis ministrando*. Ita idem *ibid. n.* 558. & *sect.* 3. *num.* 135.

*Fornicationis.*

46. Contra; qui una, eademque nocte v. g. plures copulas habet cum eadem, multo magis qui plures copulas cum pluribus eadem nocte init, sicuti etiam qui plures successivè occidit; debet numerum explicare copularum & occisionum. Ita idem *ibi n.* 557. & *n.* 558. Ratio est, quia hic sunt diversi omninò actus consummati, nec unus faciens moralem unitatem cum alio: in præcedentibus verò illi actus, v. g. detractionum ex se faciunt unitatem moralem, sic enim modo humano æstimari solet.

47. Hæc exempli gratia tetigisse sufficit: certa, quæ hoc facere possent, suis quæque in materiis explicabuntur. Solùm animadverte contingere interdum posse, ut (licet sine interruptione) transeat tamen quis ad aliam speciem peccati, tunc eam explicandam omninò esse nequaquam est ambigendum: v. g. cæpisti perestere, & deinde voluisti occidere, ac occidisti: cæpisti clam detrahere, & deinde inter detrahendum supervenit detractus, te minimè à detractione desistente. Dico tum occisionem, tum etiam detractionem coram detracto exhibitam, hoc est contumeliam, præter verbera & detractionem ipsam esse Confessori aperiendam, ut de se patet. Ita Delugo *ibid. 59. fine.*

Petes, si quis in prædictis sic se accusaret, *Blasphemavi Paternoi, Audivi Confessiones in mortali decies*: obligatne Confessarius interrogare, an id fuerit uno impetu atque adeo ex prædicta doctrina, semel moraliter; an verò fuerit in diversis. v. g. diebus, atque adeo verè & physicè decies? Iuvat enim id scire ad expediendam Confessionem, & ne obligetur Confessor ad talem interrogationem. Idem quæri potest in occisione simul multorum, in desideriis ejusdem rei eodem calore repetitis, in detractione moraliter una de eodem continuata, juxta mox dicenda §. 19. *à n.* 61. Idem in actibus turpibus de quibus mox §. 20. *n.* 71.

Respondeo non obligari. Ratio est, quia est etiam probabile illas blasphemias, juramenta, & similia esse multiplicia numero per multiplices actus, quamvis uno calore, seu una continuata successione factos: quare tunc Confessarius poterit huic se opinioni conformare. Explico, Probabile est, blasphemantem uno ictu spiritus decies committere decem numero mortalia: probabile item est committere unum. Iam si pœnitens qui uno impetu decies blasphemavit, fateatur se emisisse decem blasphemias, verum dicit juxta priorem opinionem: illam ergo sequendo Confessarius prudenter se geret. Quod si alius pœnitens in simili uno impetu decem blasphemiarum fateatur se semel blasphemasse, quia opinio posterior est etiam probabilis, veum irem dicet, & juxta illam absolvendo, prudenter etiam se geret Confessarius, qui (perinde ac quilibet alius) potest sequi modo unam probabilem opinionem, modo aliam, quando non est præjudicium tertij, ut est ferè communis Doctorum sententia, à nobis (ne erretur) explicata *l.* 1. *in Dec. c.* 1. §. 5. Lege Delugo *de Euch. d.* 15. *sect.* 2. *à n.* 45. Castrop. *t.* 1. *d.* 2. *de conse. p.* 2. alios citantem.

Dices: Fac illum, qui fatetur se decies blasphemasse, verè decem in diverso calore, seu diversis diebus, blasphemias emisisse: certè Confessarius æque hunc absolvet, atque illum, qui uno impetu decies blasphemavit dicitque se blasphemasse confessus est, & tamen ille magis, seu plures verè peccavit quam hic. Respondeo negando in illa sententia probabili illum magis, seu plures peccasse, æqualiter enim in illa opinione utrobique numerante ipsos physicos actus, deliquerunt.

### §. IX. *De pluralitate individuali malitiæ in eodem actu.*

58. Egimus qua ratione multi physicè actus unum conflare possint peccatum, nunc quo modo unus actus seu peccatum multas continere possit malitias, erit consequenter declarandum. Est gravis controversia: An sicuti (ut certum est) potest esse in eodem actu multiplex malitia specie, ut est in actu turpi, v. g. contra votum Castitatis, in quo duplex sedet specie malitia, altera contra Castitatem, altera contra Religionem utraque necessariò Confessori aperienda; ita etiam in eodem uno numero actu possit residere multiplex malitia numero. Exempli gratia. An actus unus, quo qui unico ictu occidit decem homines, habeat decem numero malitias, & consequentet omnes necessariò in Confessione declarendas? Habere decem docet Vasquez *de pœnit. q.* 91. *art.* 1 *dub.* 4 non habere contendit esse probabilius Suar. *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 5 *à n.* 34. sed me juvat ab hac speculativa quæstione prorsus abstinere; & ex alio principio, decernere an has malitias collocatas in uno eodem que actu sive numero distinctas, cum Vasq. sive nequaquam cum Suar. aperire Sacerdoti compellamur.

59. Dico cum Delugo *de pœn. disp.* 16. *sect.* 3. *à n.* 133. nequaquam fideles ad id esse compellendos. Ratio abstrahens ab illa quæstione speculativa ducenda est ex Tridentino. Nam ex illo solum habemus præceptum confitendi singulas species, & singula numero peccata: nunquam vero apparet præceptum explicandi singulas numero malitias, quæ forte sint in singulis peccatis. Asserimus ergo à pœnitentibus solùm explicandas species multiplicatas in eodem actu, & item omnia individua peccatorum: & quidem meritò, ut nimirum sic omnia peccata clavibus subdantur. At omnes numero malitias forte inclusas in uno eodemque peccato necessariò explicare, quia scrupulis id perplexitatibus satis erat obnoxium, cum non judicaverit benignus Dominus præcipere sub præcepto (ut ex verbis Concilij Tridentini colligitur) nos ad id obstringere fideles nequaquam possumus. Lege Leandrum apud Dianam *p.* 9. *tr.* 9. *res.* 55. qui idem docet, de eo, qui unico actu voluntatis vult ad decem v. g. mulieres ejusdem conditionis accedere, aut ad eamdem vult accedere pluries: satis est enim, si dicat. Volui accedere pluries ad solutam seu solutas, seu ad Conjugatas, sine necessitate exprimendi numerum obiectorum talis unicæ volitionis. Quandam necessariam explicationem habes mox *n.* 61.

60. Ex hac doctrina aliqua colligemus, quæ illam & clariorem reddant, & ad praxim deducant: ex quibus alia similia inferre quilibet non difficulter poterit, & nos *infra*, cum de singulis Decalogi præceptis agemus, alia fortasse superaddemus.

*Occisio multorum.*

61. Si simul, unica v. g. expulsione bombardæ occidis decem, viginti, plures homines, satis est ex Delug. *n.* 141. si dicas, *uno ictu occidi multos.* Non sufficit autem dicere, *uno ictu occidi hominem*, seu *feci homicidium*, quia sic Confessarius intelligeret te unum tantum occidisse, atque adeo non fateris tuum peccatum, quo occidisti plures: at dicendo cum illa generalitate (*occidi multos*) intelligit, quantum satis est, peccatum, quod de facto commisisti. Propter eamdem rationem modò *n.* 59. allatam, dicit Leander illum, de quo ibi est sermo, debere dicere. *Volui pluries accedere*: nam si diceret. *Volui accedere*, non explicaret suum peccatum, &c.

*Desiderium occisionis multorum & copula cum multis.*

62. Qui unico actu desiderat occidere decem, viginti, plures, ex Delugo *ibid. n.* 135. *fine* sequique unico item voluntatis actu concupiscit copulam cum tribus, cum

cum decem, cum pluribus fœminis ejusd: mrationis; satis propter eandem rationem est, si in Confessione dicat, *Semel desideravi occidere plures, & semel plures faminas liberas concupivi.* Ita *ibid. n.* 141. *fine*

*Detractio multorum.*

63. Qui unico actu detractionis multos simul læsit propter eamdem rationem non est necesse ut numerum personarum læsarum aperiat. Ita idem *ibid.* n. 135. v. g. si quis detrahat familiæ, vel domui, vel religioni; sive numerosa sit, sive modica, satis abundeque est si dicat, *Detraxi cuidam familiæ*, &c. An explicanda vel materia, vel conditio personæ in fama, vel numerus personarum coram quibus exhibetur detractio; infra dicetur suo loco *c.* 9. §. 1.

*Scandalum pluribus datum.*

64. Qui suo unico actu peccaminoso scandalum est aliquibus, seu occasio peccandi, ne sit sollicitus explicare numerum astantium: satis enim habebit ex Delugo *num.* 135. si dicat, *Fui semel multis occasio peccandi meo malo exemplo.* Ratio est eadem. Cetera de scandalo afferam infra §. 17.

*Furtum à multis.*

65. Qui unico actu bona multorum lædit, v. g. furatur bona communitatis, vel hæreditatis plurium; satis est, si dicat *Furatus sum à communitate, vel ab hæredibus*, nec esse sollicitus debet explicare, quoinam personæ in illa communitate numerantur. Imò hac in re praxis communis est ex eodem *ibid. n.* 136. solum dicere, *Furatus sum rem alienam*, nihil aliud addendo: & meritò, quia ille respectus ad personas in hac materia, videtur se magis materialiter habere; quam in aliis materiis: potius enim hic consideratur quid injustè contrectasti, quàm à quo abstulisti. Contra sententiam à *num.* 59. allatam obiicit in hunc fere modum Diana *p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 55. Ex hoc principio videtur inferri, Religioso habenti rem cum Religiosa, sufficere, sic in Confessione se accusare. Commisi fornicationem sacrilegam, sine necessitate explicandi votum esse, tum ex parte viri, tum ex parte fœminæ: & tamen sicuti omnes docemus à viro uxorato peccante cum fœmina alteri nupta debere explicari matrimonium utriusque, nec satis esse dicere, Adulterium commisi, ita in casu Religiosi peccantis cum Religiosa, pari modo omnes docemus, debere utriusque votum explicari. Quod autem ex Doctrina data sequeretur, non adesse necessitatem utriusque votum, & utriusque matrimonium explicandi patet, quia ejusmodi peccata sunt unus numero actus, eo modo quo est unus actus, velle per unam volitionem occidere plures, vel uno ictu reipsa multos occidere, &c.

Respondeo negando, esse eodem modo. Affirmo enim imò doceo, in dictis adulterio, & Sacrilegio debere utriusque Matrimonium, & Votum declarari, sed nego in casibus, de quibus hactenus hebitus est sermo. Intercurrit enim certa disparitas. Nam ejusmodi Adulter duo facit (præter peccatum contra Castitatem) & injurius est suæ uxori, & cooperatur cum stuprata illa ad hoc, ut ipsa sit injuria suo Conjugi. Nec dissimili modo se habet ille Religiosus: nam & violat suum votum & item cooperatur cum religiosa suum votum pariter frangente, & licet sit per unicum actum illas malitias complectentem, unde ex hoc capite non videatur necessaria major explicatio, tamen non ita est, quia ex se violare, & cooperari ad Violationem faciendam ab alio, non sunt malitiæ diversæ specie morali, certe divertissimæ sunt, quoad conceptionem hominum, hoc est, ut Cognita una non statim cognscatur; seu intelligatur alia. Nam inde fit, ut nisi Pœnitens se magis explicet, dicatque utriusque Matrimonium, & votum, non fateatur suum peccatum, sed aliud: ut in simili diximus numero 61. Confessarius enim, dum solum audit, Adulterium commissi, Votum fregi, ex vi horum verborum adulterium tuum, & fractionem voti tui intelligit vero cooperationem ad adulterium, vel fractionem terius. Non sic in casu nostræ doctrinæ: dicendo v. g. volui unico actu occidere, vel occidi multos dem generis. v. g. Seculares, ex vi horum verborum plico satis superque meum peccatum ejusque spec malitiam, quam ego commisi.

§. X. *De mediis quæ assumuntur ad peccatum.*

66. Triplicis generis esse possunt media. Primi differentia, ut ambulare, conscendere &c. ad occidendum. Secundò mala sed diversæ à peccato, quod ultimo intenditur, ut furari ad occidendi. Magos consulere ad adulterandum. Tertia mala, sed ejusdem speciei: ut turpiter colloqui, oscula tangere ad fornicandum.

67. Quoad media primi generis non est necesse plicare, quænam media fuerint assumpta ad peccat Unde in prædicto exemplo satis est dicere Con sum inimicum occidere. Præparavi media ad illum cidendum. Ita Coninch. *de pœnit. d.* 7. *dub.* 7.

68. Quoad illa, secundi sunt generis, necesse est nino ex Coninch. *ibid.* ejusmodi media declarare dem habent malitiam diversam specie, novumque cie peccatum committitur. Qua ratione hæc media ratimne, an coniunctim cum fine sint necessario canda, dicam infra § *seq.*

69. Huc reduco si fortè quis medium adhibet quem inducendo ut ab ipso adiuvetur ad peccatum v. g. ad occidendum: certè, tunc, id esse explicandum tanquam directam inductionem proximi ad peccatum non est dubium, ex eodem *ibid.* juxta ea quæ infra centur §. 7. *de scandalo.*

70. Quid, si multorum opera usus es? debeine plicare horum numerum, vel conditionem Respondeo cum Delugo *disp.* 19. *de pœn. sect.* 11. *num.* 476. latis si dicatur in confuso, *Usus sum opera multorum ad le peccatum v. g. ad occidendum meum inimicum* sine cessitate numerandi personas, vel explicandi personarum conditiones. Excipe unum casum in conditione, & terum in numero.

71. In conditione quando ratione actionis talis sonæ inductæ, peccatum, ad quod inducis diffuse cies; v. g. usus es opera filij ad occidendum Patrem inimicum, duo specie peccata commisisti, utraque fitenda, alterum est homicidium, alterum est parricidium, ad quod directè induxisti filium. In numero quando ratione distantiæ temporis, juxta superius §. 5. *num.* 4. multiplicara numero fuerunt tua peccata v. g. si induxisti nunc Petrum initio anni, & Paulum fine ejusdem anni ad occidendum, tunc sunt duo alia peccaminosi numero distincti distinctim aperiendi, si induxisti simul in eodem actu plures vel separatim sed unum dependenter ab alio, ita ut juxta superius §. 5, & 6. non inducentur plures numero actus in genere moris; tunc, cùm sit unum moralitet peccatum, hic est, ut dixi, dicere, *Plures induxi unico actu*, &c.

72. Iam quoad media tertij generis, est distinguendum: si enim principalis actus, vel non est subiectum vel intentio fuit sistere in illis: sunt specialim explicandi: v. g. Aliquis turpiter colloquitur, vel oscularur animo fornicandi, vel si cum animo, certè non subquuta est fornicatio, debet illa colloquia, illaque oscula cum eo animo exhibita fateri. Ratio est quia sunt ea peccata, nec nisi ea in particulari apetiendo, explicari possunt. S verò principalis actus intendatur, sequaque: satis est ipsum actum fateri, v. g. si quis quamprimum turpiter tangat, osculeturque ante ipsum actum copulæ, imò & post copulam prosequatur oscula tactus, & fine ordine ad aliam secundam coupelam. Dico satis ex probabili sententia, si dicat, *Semel fornicatus sum*. Navarrus aliique citati à Delugo *disp.* 16. *sect.* 16. *a num.* 555. & Merulla *t.* 1. *d.* 2. *c.* 9. *dub.* 3. *n.* 52. Ratio est, quia

principali actu satis explicantur ea præcedentia; vel sequentia, quæ actum comitari consueverunt, quæ actum ipsum non extrahunt ad aliam speciem: nam nec ad summum aggravant intra eamdem, quæ non necessariò explicanda, ut paulò post dicetur §. 1. *de circumstantiis aggravantibus*. Dixi, sine ordine ad aliam circumstantiam copulam: tunc enim certò essent explicanda: nam jam committit aliud numero peccatum.

### §. XI. *De fine peccaminoso, vel non peccaminoso.*

73. Diximus de mediis, dicamus nunc de fine, exemplumque charitatis gratia sit ejusmodi. Sit, qui omittat Missam die festo ad finem furandi, vel studendi, debetne manifestari talis finis in Confessione? idem sæpe quæri in quocumque actu commissionis, ut si quis furetur propter adulterium, vel propter studium; debetne studium & adulterium explicare?

74. Dico, si finis sit ex se pravus; debet explicare; si verò non sit ex se pravus, nequaquam debet. Ita Suar. *de pœn. disp. 22. sect. 4. num. 8.* aliique *passim*. Ratio est quia in priore casu duplex adest specie malitia, in posteriore dumtaxat una. Quare in casibus propositis, si Missam reliquas, vel fureris ut studeas, satis est si dicas, te hactenus non interfuisse vel esse furatum: si vero ut adulterium patrares; tum furtum, vel Missa, tum adulterium tibi est omnino explicandum.

75. At quando utrumque est aperiendum, potestne id separatim fieri, in hunc modum, *Furatus sum* & insuper *Habui animum adulterandi*? Respondeo in duobus eventibus procedere hoc dubium posset. Primo in casu, quo prima vice unum ex his fassus es, oblitus inculpabiliter alterius; velis postea, illud, quod oblitus fuisti, confiteri.

76. In priore casu, Dico non posse separatim aperiri. Ita Delugo *de pœn. disp. 19. n. 652.* contra Suarez *de pœnit. disp. 22. sect. 2. n. 9.* Ratio est quia non explicares peccatum quod fecisti, sed significares te duo peccata patrasse, quod non est verum; Sacerdos enim dum audit te furatum esse, & deinde te voluisse adulterium; ex tuo modo loquendi duo numero peccata concipit te commisisse, cum tamen tu unum numero, cum duplici illa malitia commiseris.

77. In casu posteriore Dico aperiri posse separatim; & sic quia in prima Confessione jam dixi me v. g. furatum esse: satis habuero si in secunda Confessione dicam *Habui animum adulterandi*. Ita Sanchez *l. 4. in Dec. c. 11. n. 14. aliique plures* apud Bonacina *disp. 5. de Sacr. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diff. 1. n. 9.* Ratio est quia jam subdidi clavibus primam malitiam: satis igitur erit si postea explicem secundam. Est autem adhibenda limitatio quædam, quam mox afferam *num.* 81.

78. Dices. At sic significabo me duo peccata commisisse, sicuti modo significabam in prima Confessione Respondeo non ita esse: nam quando illa separatio fit in eadem Confessione; ego ex modo loquendi significo me duo peccata commisisse: at quando id facio in secunda Confessione: non significo me commisisse duo peccata, sed præscindo: possum enim secunda vice confiteri idem peccatum, quod aliàs sum confessus, atque adeo dum dico me adulterium voluisse: non significo me adulterium solum voluisse, ut ex modo loquendi significabam in prima Confessione.

### §. XII. *An peccatum continens multas specie malitias dividi in Confessione possit.*

79. Ex proximè dictis solvitur celebris illa & universalis dubitatio, an malitiæ, seu circumstantiæ, quæ necessario in Confessione sunt explicandæ apertint queant separatim: v. g. qui habet votum castitatis, peccatque contra ipsum, utrum possit, dividendo peccatum sic se accusare: *Peccavi contra castitatem*, & insuper *peccavi contra votum a me emissum*: an verò obligetur sic unum loqui, *voti castitatis à me emissi reus, contra ipsum deliqui*.

80. Dico simili ratione qua §. *præcedenti* diximus, posse nos hic dubitare, Primò in casu primæ Confessionis. Secundò in casu secundæ Confessionis, quando forte in prima alicuius necessariæ circumstantiæ fueris inculpabiliter oblitus. Et simili quidem responsione Dico in priore casu non posse, posse verò in posteriore. Rationes sunt eædem, *eodem superiore* §. à nobis allatæ.

81. Supponimus tamen tum ibi, tum hic malitiam non explicatam in prima, posse solam explicari sufficienter in secunda: v. g. in casu voti prædicto, potest; quia dicendo in secunda Confessione, *peccavi contra votum*? ita malitia in prima Confessione omissa declaratur. At in peccato v. g. violentiæ; non potest: Si enim quis, exempli causa, violenter puellam cognovit, & prima Confessione dixit, *se cognovisse puellam*: si in secunda dicat, *se violentum in quandam personam fuisse*; non sufficienter explicat peccatum in ultima specie à se commissum: violentum enim esse contra aliquem, est quid genericum ad violentum in re, in persona, in honore.

### §. XIII. *An peccatum complectens plures numero malitias dividi in Confessione possit.*

82. Sed jam suboritur alia dubitatio. Diximus de separatione malitiarum specie distinctarum: quid de divisione numerica? Aliquis v. g. unico ictu duos homines interemit: potestne se accusare in hunc modum? *Occidi unum hominem*, & deinde, *Occidi alium hominem*. Sic etiam si fortè ereptierit quis centum aureos, licetne sic fateri? *Furatus sum quinquaginta, & deinde, furatus sum alia quinquaginta*.

83. Dico in prima, eademque Confessione non licere. Ita Vasquez *q. 91. de pœn. art. 1. dub. 3.* quia juxta supra dicta non explicatur peccatum commissum, sed duo peccata, quæ commissa non sunt. Superest ergo solum decernere de secunda Confessione, quando forte quis in prima inculpatè & sine dolo fassus est suum peccatum sub una malitia, sed deinde recordatus vult aliam confiteri: potestne hanc solam manifestare? Dico itidem, cum Delugo *de pœn. 16. disp. 16. sect. 1660* juxta superius dicta, posse, sed sub limitatione allata *n. 81.* id est quando in secunda Confessione explicari potest malitia omissa, sine mentione, seu sine consortio alterius jam manifestatæ Ratio est eadem ac *ibidem dicta*.

84. Hinc collige, quia in homicidio duorum uno ictu perpetrato, violatum est duplex ius duorum hominum; licebit tibi in secunda Confessione dicere tantum, *Occidi hominem*: quia satis explicabis malitiam nondum clavibus subditam. Ita etiam in unico furto, quod graviter læsit duos; propter eamdem rationem. At in furto centum aureorum v. g. quo læsisti ius fortunarum unius tantùm hominis; si in prima Confessione dixisti *te furatum esse quinquaginta*, & deinde in secunda, *te alia quinquaginta esse furatum*; non satis explicares peccatum tuum: quia explicares à te violatum esse ius fortunarum in quinquaginta, quod nunquam fuit: necesse igitur tunc erit aperire iterum peccatum tuum, id est *furatum te esse centum aureos*: Expeditius te gessisses, si in prima Confessione dixisses *te furatum esse materiam gravem*: nam ad aliud deinde non obligareris. Sed de hac re dicetur infra *cap. 8. §. 1.*

### §. XIV. *De peccatis ex ignorantia.*

85. Qui ex ignorantia vincibili & moraliter culpabili delinquit, eiusdem specie peccatum committit, atque is qui scienter. Ita Sanchez *l. 1. in decal. c. 17. num. 2.* Suarez *de pœnit. disp. 22. sect. 4. num. 14.* Vasquez *1. 2. disp. 11.* qui limitat in infidelitate. Ratio est quia finaliter malitia in utroque casu ex eodem obiecto sumitur: exemplis rem clariùs proponamus. Dicimus ejusdem speciei homicidium fecisse eum qui occidit quem

sciebat esse hominem, & qui occidit quem ex negligentia moraliter culpabili non cognovit esse hominem, sed putavit v.g. esse feram. Eodem modo qui Sacro interesse die festivo negligit, sive id ex consilio faciat; sive faciat ignoranter, cum tamen advertat grave debitum inquirendi, nec velit, cum possit inquirere; in idem specie peccatum incidit. Quare in utroque, & simili quocunque casu sufficit hoc modo se reum in confessione facere: *Homicidium commisi, Missa non interfui die festo*, &c.

86. Adverte tamen in duobus casibus esse ignorantiam explicandam. Primò quando ignorantia excusat ab incurrenda censura, quæ subinde imponitur violanti scienter & temerè aliquod præceptum, ex Sanc. *ibid.* Secundò ex eodem *ibid.* quando ob ignorantiam aliqui exponitur periculo in alia specie delinquendi, v. si ignoret statum fœminæ, quam quis cognoscit: tunc enim se exponit periculo adulterij, vel sacrilegij, si nupta, vel Deo sacra sit.

87. Petes ignorantia affectata, qua quis consultò vult laborare, ut liberiùs, peccet, v.g. vult ignorare hunc esse diem festum, ut sine remorsu negligat sacrum, vel opera servilia exerceat: estne ejusmodi affectus in Confessione aperiendus? Respondeo non ita: quia id nec mutat speciem, immo nec notabiliter aggravat. Ita Delugo *de pœn. disp. 16. sect. 4. §. 6. num. 183.* contra Sanchez.

## §. XV. *De peccatis ex Conscientia erronea.*

88. QVi item peccat ex conscientia erronea regulariter non obligatur id explicare: Ita Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 11. n. 5.* v.g. putat quis hodie esse diem festum, & tamen non interest Sacro: satis est Sacerdori si dicat *se non interfuisse Sacro die festivo.* Si proiecit in flumen plumbum, credens esse aurum alienum, satis est si fateatur *se proiecisse alienum aurum*, intelligens corde aurum putativum, &c. si sibi persuadens hodie esse jejunium ex præcepto, cum tamen non jejunet; sufficit dicere, *violavi jejunij præceptum*, & sic de similibus. Ratio horum est quia hæc in objecto habet eamdem speciem malitiam.

89. Dixi (regulariter) quia interdum illa conscientia erronea est explicanda, ex Delugo *disp. 16. de pœn. sect. 4. n. 504.* propter censuram, vel propter reservationem peccato fortè connexam. Nam nec censura, nec consequenter reservatio peccati incurritur ex peccato contra conscientiam erroneam perpetrato v. g. percutit quis Petrum credens esse Clericum, cum tamen Clericus non sit; verè non incurrit excommunicationem Canonis, *Si quis suadente.* Item peccat quis peccato v.g. perjurij putans periurium in sua diœcesi esse reservatum, cum tamen de facto non sit, verè non committit peccatum reservatum. Idem esse, si quis, putans furari illum obolum esse peccatum mortale, & reservatum, (quia fortè in illa diœcesi furtum mortale est casus reservatus) obolum furetur; idem, inquam, esse: nam licet ex conscientia erronea, hic mortaliter peccaret: tamen non incurret in peccatum reservatum: quia reservatio est odiosa, unde cadere solum debet supra furtum, ex se & ex objecto mortale: Adde ex hac ratione furi saltem dubium an tale peccatum sit reservatum: ergo jure reservatum non erit, quia non nisi peccata certa de facto reservantur. Ita Suarez *de Cens. disp. 40. sect. 6. n. 5. & to 2. de Relig. lib. 4. c. 5. n. 15.* Hurtad. *de pœn. dis. 11. dub. 9.* Sa *V. casus reservati, num 5.* Sanchez *lib. 1. in decal. c. 10. n. 74.* apud Delugo *de pœn. disp. 20. sect. 2. num. 18.*

90. Rursus conscientia erronea est interdum explicanda ad cognoscendum ipsum peccatum. Ita Delugo *de pœnit. disp. 16. sect. 12. num. 504.* Si enim puer v.g. fateretur se non jejunasse die Vigiliæ, & nihil aliud addat; Confessor judicabit hunc non peccasse: dicat ergo puer *se credidisse fuisse obligatum.*

91. Denique expedit hanc circumstantiam sæpissimè explicari à pœnitente, ut nimirum instruatur de veritate à Confessario.

92. Petes: si quis ea laboret conscientia ut nesciat an id quod committit, sit peccatum an veniale; obligaturne huiusmodi conscientiam facere Sacerdoti? Respondeo id dependere à quæstione, qua universaliter quæritur, an quando aliquid facit contra conscientiam dictantem aliquod peccatum confusè, non determinando an sit mortale veniale: peccet mortaliter, an solùm venialiter. Quo ergo Valentia *tom 2. disp. 2. q. 14. p. 4.* Navarrus *in præludio 9. num. 9.* probabiliter docent tunc solùm peccari venialiter, quia tunc solum peccatur sub communem malitiæ rationem peccato veniali à tali: quæ cum abstrahat ab utroque, imperfecto genere moris, & consequenter non mortalis, non erit obligatio id confitendi.

93. Scio Vasquez *in 1.2. disp. 59. c. 3. n. 10.* Sa *in decal. V. 1 cap. 11. n. 7.* aliosque tenere tunc peccari mortaliter. Primò quia cum sine alio examine tunc se exponit se periculo peccandi mortaliter. Secundò quia virtualiter vult illud agere, qualecunque fuerit, mortale. Sed licet hoc sit probabiliter dictum; his rationibus responderi posset. Ad primam, eum peccaturum quidem mortaliter, si tamen periculum adverteret, vel adverteret se posse, ac subire mortalis peccati se debere melius examen adhibere: rum ita non esse mus in casu, in quo solum quæritur quod in praxi communiter solet contingere, scilicet conscientiæ operanti non offertur nisi communis peccati, sine accessu alterius obligationis. secundam nego virtualiter eum velle qualecunque mortale: Sed aio potius velle à mortali abstrahendo solum vult id, quod abstrahit ab utroque, atque adeo pam imperfectam in genere culpæ, quæ non potest nisi imperfectè gravis, atque adeo non gravis. Illa pla hic non nemo ponit, Verri, *Tr. 2. q. mor. 7.* qua barentur à doctis, Fidelibus valde faverent. Rusticus sciat esse peccatum, jurare falsum in iocosa, sed nunquam dubitavit, mortaléne an veniale si quis ita generice dicat; potius volo peccare, mori. 3. si quis ita cupiat, volo furari illum librum, cogitat, quanti ille liber valeat. Hi enim tres peccant venialiter, quia non apprehendunt esse grave.

## §. XVI. *De peccante contra præceptum Superioris.*

94. NOn est specie diversum, atque adeo non cialiter explicandum peccatum, quo quis lat præceptum unius Superioris, ab eo peccato, quis violat præceptum alterius: v. g. si Rex Pontifex vel Episcopus, seu, si lex humana, vel divina idem cipiant. Ita Sanchez *l. 9. de Matrimonio disp. 13. n. 2. to. in. 1. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 2.* Vasq. *1. tom. 1. disp. 9. c. 1.* Ratio est, quia si ex eodem motivo præcipiunt, materialiter se habet diversitas Superiorum. Si ex diverso motivo; jam aderit diversitas specifica, modò dicam, non quidem sumpta à diversitate Superiorum, quæ diversitas etiam hic habebit se materialiter, sed à motivorum diversitate.

95. Quid igitur, si diversi superiores, vel etiam unus & idem diversis virtutum motivis aliquid præcipiat? Respondeo tum fore diversas species, adeoque Confessori patefaciendas. Ita iidem v.g. idem vel diversi Superiores præcipiant Missam audiri ob virtutem religionis, at jejunium præcipiant ob virtutem temperantiæ, violatio præcepti de Missa, & violatio præcepti de jejunio, specie morali differunt.

96. Verùm unde colligam superiores sub diverso motivo, vel sub eodem motivo præcipere? Respondeo duobus capitibus, quæ si rectè perpendantur ad idem reducuntur. Primò ex ipso actu qui præcipitur: Superiores etiam quando præcipiunt aliquem actum virtutis, ex semper intendunt honestatem talis virtutis, ex Delugo *disp. 16. de pœn. sect. 5. §. 2. n. 157.* Pontifex Summus jubet audiri Missam tali die. Quia audire Missam

tus virtutis Religionis ; censendus est intendere hoc ipsum eiusdem virtutis Religionis ; & ex motivo huiusmodi talem actum præcipere. Pari modo si præcipiat jejunium in Quadragesima, vel vigilias quia actus jejunandi est actus virtutis Temperantiæ ; censendus est ex eodem motivo Temperantiæ principaliter præcipere; imo etiam ex alio fine minus principaliter. v. g. ad colendum Christi passionem, vel ad Sancti alicuius reverentiam, id quod ad virtutem Religionis spectat, moveatur. Quia tamen finis minus principalis, qui ad illud de quo agimus, nisi expresse intenditur, in considerationem non venit ; ideo speciem [illegible]ti non attribuit. Ita idem *ibid.*

97. Secundo ex ipsa materia, in qua superioris præceptum versatur: Ut in [illegible]m exemplis, quia auditio Missæ, est in materia pertinente ad Religionem, jejunium in materia pertinente ad Temperantiam ; Missa ex motivo Religionis, jejunium ex motivo Temperantiæ præcipitur. Sic idem Delugo *ibid. & n.* 255.

98. Ex dictis collige, cur quando idem Superior eandem rem pluries, seu per plura numero præcepta præcipit, si non pareatur, unum peccatum committitur non plura: ratio enim est ex Sanc. *cit. l. 9. de matr. disp.* 5. *n.* 6. quia ex uno eodemque motivo procedit. Hinc si quis non audiat Sacrum die Dominico in quem fortè incidit festum S. Apostoli, unum peccatum committit. Si quis non jejunet die vigiliæ, in qua concurrit dies quatuor temporum semel item delinquit. Ratio est supradicta, quia tunc superior ex uno tantum motivo, Missam, & ex uno, jejunium præcepisse censendus est.

99. Illud hic diligenter nota cum Delugo citato *de pœn. disp.* 26. *sect.* 5. *n.* 155. maximum esse discrimen inter violationem præceptorum prædictam & violationem voti: Nam materia præcepta in transgrediente præceptum debet in Confessione explicari, quia ex materia cognoscitur, ut modò dictum est, in qua specie sit actus præceptus: v. g. non satis est dicere : *Non obtemperavi Ecclesiæ præcepto* : dicendum enim est : *Non obtemperavi Ecclesiæ præcipienti Missam, vel jejunium* : nam prius est peccatum contra Religionem, contra Temperantiam posterius. At verò cum omnia vota solum concipiantur & obligent propter motivum colendi Deum, atque adeo Religionis ; satis est dicere : *Non servavi votum in re gravi* ; sine necessitate materiam explicandi ; nisi aliud fortè peccatum in voti fractione includatur, ut si ille qui vovit audire Missam die Dominico, non audiisset: tunc enim & votum & præceptum Ecclesiæ violans duo peccata committit, contra duas ultimas species Religionis nempe contra obligationem ex voto, & obligationem ex præcepto, ut omnes fatentur, & nos dicemus infra *c.* 3. *§.* 2. *n.* 20.

*De Multiplicatione Censurarum ratione plurium, præceptorum.*

Petes : Quid de multiplicatione Censurarum ex diversitate præcipientium sub censura ? Prohibent V. G. Summus Pontifex, & Episcopus eundem actum. V. G. Incestum sub excommunicatione latæ sententiæ, duplicemne excommunicationem utramque confitendam incurrit, qui committit incestum?

Respondeo sub necessaria distinctione. ex Suar. Coninc. aliisque, quos sequitur citatque Bonac. *de Cens. in Comm. d. p. q. p. d.* 5 *a. n.* 11. Una incurritur excommunicatio (idem dic in aliis censuris pœnisque) si superiores sunt inæqualis potestatis, Summus Pontifex V. G. & Episcopus, qui non intendant concedere novum jus, sed alterius confirmare. Una item, si idem Superior ; V. G. Summus Pontifex eandem excõmunicationem bis, ter, pluries repeteret. Una item si sint Superiores eiusdem seu æqualis in eadem communitate potestatis. V G. Episcopus præcessor, & Episcopus successor, etiam si novum jus constituere proferentur. Ratio horum est, quia in his casibus, eademque censura firmatur, seu repetitur.

At verò si Superiores sint inæqualis potestatis, V. G. Summus Pontifex, & Episcopus censuráque alicui actui adnectant & novum ius concedere, ex verbis legis, colligatur, plures censuræ incurruntur, utique omnes. Confessori propalandæ, etiam si illi superiores moverentur uno eodémque motivo. Ratio est, quia tunc subditus delinquens contumax est contra plures potestates, illis non obediendo, cuius inobedientiæ sua quælibet excommunicatio adnexa

*De multiplicatione Reservationum eiusdem Peccati.*

Quid si plures Superiores reservent idem peccatum? Id enim hac occasione scire operæ pretium erit, ut possit nimirum cognosci cuiusnam Superioris licentia requiratur ad illud absolvendum : Respondeo non absimili distinctione. Si enim Superiores inæqualis potestatis novum ius non condant, vel si idem Superior pluries repetat reservationem illam, vel si Superiorum æqualis potestatis quilibet, hoc est Successor, & Prædecessor reservat idem peccatum, etiam condendo novum Ius, una est reservatio, qua restringitur jurisdictio Confessarij, nec est caput, unde reservatio duplex appareat : unde, sequitur, quod quolibet ex his Superioribus reservationem auferente, iam casus non remanet reservatus.

At si Superiores sint inæqualis potestatis volentes cõdere suam quisque, atque adeo novam reservationem, id quod pari modo ex verbis legis colligi debet, ut quando unus independenter ab alio reservat id peccatum plures erunt reservationes. Ratio est quia tunc jurisdictio confessarij restringitur, & veluti ligatur à duabus potestatibus legitimis, ut supponimus quæ scilicet restringere legitime possunt: nam propterea utique ex his Superioribus suam restrictionem auferre debebit, secus, altero non auferente, altera reservatio, seu ligamen insolutum remaneat, necesse est.

Illud item hic consequenter de prædictis diversis reservationibus universaliter scire oportet. Nam si inferior, Episcopus V. G. concederet, te posse absolvere à suis reservatis, tolleretur restrictio facta ab Episcopo, sed adhuc remaneret illa facta ab Summo Pontifice, ut ex se constat. Sed quid, si contra, si summus nimirum Pontifex idem concederet? Resp. tunc esse diligenter distinguendum. Si enim Summus Pontifex tibi v. g. tibi Sacerdoti concedat. Do facultatem absolvendi omnes casus quos ego absolvere possum, tollitur quæcumque reservatio Episcopi, quia Summus Pontifex omnes casus potest absolvere.

Si verò, secundo, sic concedat. Do tibi facultatem absolvendi casus reservatos Pontifici Summo. hoc est casus quos hic tibi reservavit. Puto, esse subdistinguendum. Nam, si est idem casus V. G. Incestum eundem reservavit sibi Summus Pontifex, & eundem Incestum reservavit Episcopus novum ius condendo tollitur omnis reservatio, & à te poterit absolvi. Ratio est, quia, si Summus Pontifex tibi concedit talem incestum te posse absovere, nequit Episcopus qui est inferior, restringere eam iurisdictionem, quam tibi Summus Pontifex amplè concedit. At si sint diversi casus; V, G. Summus Pontifex reservat sibi incestum, at Episcopus reservat adulterium, tunc censeo te non posse absolvere ab adulterio, sine Episcopi facultate. Ratio est in promptu. In hoc enim secundo modo concessionis, Summus Pontifex tibi non concedit nisi casus quos ipse Summus Pontifex sibi reservavit : at hoc adulterium non est Pontifici reservetum, ergo illud nequaquam tibi concedit.

Quod si Papa concedat sequenti tertio modo. Concedo tibi, ut possis absolvere omnes casus Pontificios: dubium erit, an concessio sit primo, an secundo modo ex dictis: Quid ergo erit statuendum?

Respondeo salva meliore sententia, statuendum esse, concessionem esse ampliam, & instar primi modi, atque adeo tolli omnem reservationem. Ratio est quia hoc est privilegium, quod in nullius præjudicium vergit, atque animabus favorabile & est de concessione potestatis quare amplè erit interpretandum.

Ex hac doctrina sequitur, quod, quando per Bullam concessit Pontifex Mendicantibus, ut absoverent ab

omnibus casibus Pontificiis, concessit etiam ut possent ab iis, quos sibi forte Episcopi reservant. Nam ejusmodi ampla concessio facit sensum primo modo dictum, nisi tamen fuerint à Clemente, VIII. & ab Vrbano item VIII. restricti, de qua re non est hic disputandi locus.

### §. XVII. *De Scandalo.*

100. QVando quis directè intendit peccatum proximi, sive ex desiderio ruinæ spiritualis ipsius proximi, quod rarum est in hominibs, in diabolis commune: sive ob suam commoditatem aliúmve finem, quod frequentissimum est apud homines; dicitur Scandalum directum. Et sine dubio per omnes Doctores apud Delugo *de pœnit. disp. 16. sect. 4. §. 2. à n. 157.* id peccatum est specie diversum ab aliis, & debet specialiter in Confessione palam fieri, debetque species peccati, ad quod indicitur proximus, explicari. Ita idem *ib. num. 157.* Si quis ergo loquatur v. g. turpia ut socius incidat in eas turpitudines; oportet explicare ad quæ turpia inducere tentabat, adulterium ne, an ad stuprum, &c. Ratio est, quia tunc non solum peccatum talis scandali, est contra Charitatem debitam proximo; sed etiam contra virtutem oppositam: eadem enim Castitatis virtus, quæ obligat me directè ad Castitatem in mea persona custodiendam, obligat indirectè ne ex industria procurem proximum à Castitatis virtute deijcere.

101. Quando autem quis nec intendit ruinam proximi spiritualem nec ejus lapsum, nec eo fine aliquod malum, seu speciem mali habens patrat, quamvis prævideat, fore ut ex suo facto alij decidant, dicitur Scandalum indirectum, & non directè volitum. Dixi (malum seu speciem mali habens:) nam si bonum, seu non malum, nec speciem mali ex se habens facias, ex quo alij causam peccandi sumant, quamvis tamen id prævideas, non peccas, cum ipsis tunc ipsorumque malitiæ imputetur, si peccent. Iam ergo de hoc indirecto Scandalo in controversiam cadunt duo. Primò an sit peccatum specie distinctum ab aliis, aperiendúmque in confessione. Secundò quomodo & quibus circumstantiis sit aperiendum.

102. Quoad Primum fatemur omnes, cum Delugo *ibid. n. 159.* esse peccatum specie distinctum. Ratio est, quia per hoc Scandalum, quamvis indirectum, jam ex causa injusta damni, seu peccati proximi, à qua ex obligatione virtutis Charitatis, ne scilicet labatur proximus, debes abstinere.

103. Solùm duo adverte. Primò quod merito nonnulli cum Salas *tom. 2. in p. 2. tract. 3. disp. 5. sect. 15. n. 132. & 133.* docent, tunc solum contrahi à nobus malitiam talis Scandali, quando nostro facto, aut verbo proximum coniicimus in gravem difficultatem & tentationem, cui difficillimè possit is resistere: id quod profecto, frequenter usuvenire, difficile est. Secundò, quod jure aliqui item cum Sanchez *l. 1. in Decal. c. 6. n. 7.* docent, multos excusari à prædicto peccato Scandali, atque adeo à tali circumstantia fatenda: quia vel ipsi tam pravi sunt, ut eorum malum exemplum parum noceat, vel qui inducuntur, tam faciles sunt, proclivesque ad peccandum; ut qui suo exemplo occasionem illis obtulit, non censeatur eos moraliter inducere.

104. Quo ad Secundum, id est posito quòd quis verè talem malitiam indirecti Scandali contraxerit, qua ratione se gerere in Confessione debeat; tria sunt decernenda. Primò an sint tunc explicandæ species peccatorum, ad quas proximus inducitur. Secundò an numerus personarum inductarum ex eodem facto. Tertiò an conditio personarum: ut si inductio sit ad turpia, an explicandum sit inductum fuisse Sacerdotem, conjugatum, solutum, &c.

105. Primò igitur quærimus an in Scandalo, quando non intenditur, licet prævideatur peccatum proximi, sit necessario patefacienda species peccati, ad quam proximus inducitur? Respondent aliqui non esse. Ita Delugo *disp. 26. de pœnit. sect. 4. §. 2. à n. 159.* cum chez, Vasquez & Conjnchium. Si igitur loquatur, sive de adulterio, sive de homicidio, ex qua [illegible] moveatur socius per hoc Scandalum indirectum, candum, satis erit (quantum est ex hoc capite) *se fuisse per Scandalum, causam peccati alterius*, est quia tunc ejusmodi Scandalum solum est contra ritatem debitam proximo, qua non debet quis occasio peccati: non autem contra alias virtutes, clares, quæ nos non obligant salem gravites, contraria in aliis impediamus, sed solùm, ut illis vè ejusmodi vitia non suadeamus, vel mandemus.

Dixi (quantum est ex hoc capite, id est Scandalo quia certum est explicandas esse species sui peccati quando quis, dum de suo adulterio, vel stupro, vel micidio, vel similibus sermonem miscet, illa, vel aliqua concupiscit, ut infra suo loco *c. 7. §. 2.*

106. Secundò quærimus, an quando eodem vel iisdem verbis es causa ruinæ multorum per tum scandalum, debeas numerum ipsorum exp Respondeo non debere. Ita idem *ibid. sect. 3. num.* quidem satis erit sic te accusare? *Fui causa, mea locutione* v. g. *ut multi ruerent in peccatum.* Hanc nam, ejusdemque rationem dedimus supra *§. 9. de* litate individuali malitiæ in eodem actu dispar Non autem recte diceres *te fuisse causam, ut quidam ret.* si multos induxisti: non rectè, inquam, qui non fatereris peccatum quod commisisti, ut *ibidem num. 16.* in simili explicuimus.

107. Tertiò denique quærimus an in eodem ducto Scandalo oporteat explicari conditionem p v. g. inductum ad turpia fuisse solutum, conjugatum, sacrum, &c. Respondent etiam ad hoc aliqui non re tere. Ita Delugo *disp. 16. sect. 4. num. 167.* contra Sanc Bonacinam, Fil. aliosque, satis enim superque erit re: *Scandalo fui multis*, &c. Ratio est quia peccat quod tunc committitur à tali inducente, solum est tra Charitatem, ut modo *num. 105.* diximus; quare ditio personæ inductæ nihil addit respectu inducen

De inducente, seu sollicitante fœminam v. g. cum peccavit, an debeat explicare, si fuit primus ad cendum, quod huc spectare videtur: dicemus in simplici fornicatione *c. 7. §. 4. n. 24.*

### §. XVIII. *De Circumstantiis aggravantibus.*

108. ADduntur interdum humanis actionibus quæ circumstantiæ, quæ dictas actiones in moralis, specie ab ea, quam ex se habent, constituu Aliquando tamen ita adduntur, ut illas aggravent dem secundum hominum prudentem existimationem vel diminuant, sed non extrahant ad aliam speciem Castropalaus, Coninch. Delugo mox citandi, aliq *passim.* Exempla prioris sunt. Habet rem quis cum pu la: est simplex fornicatio contra Castitatem; at vir addatur, talem non esse liberam, sed coniugatam, ter speciem simplicis fornicationis, habebit talis copu sus alteram speciem, id est Adulterij contra justitiam Quod si addatur, esse consanguineam, vel virginem invitam, vel professam; erit insuper incestus, vel sa prum, vel sacrilegium. Simili modo furari rem alienam est peccatum iniustitiæ: quod si res sit sacra erit sacrilegij & peccatum Sacrilegij.

109. Exempla posterioris sunt. Furetur quis decem aureos, committit peccatum contra justitiam: at si addatur major quantitas, quæ auferatur, v. g. si furetur viginti; aggravabitur quidem prædictum furtum, sed in specie furti non extraheretur. Sicuti etiam si quis furetur quinque aureos; diminuetur peccatum, sed intra eandem furti speciem. Eodem pariter modo occidere cum intenso odio, pluribus vel paucioribus vulneribus, in die festo vel feriato, continent quidem circumstantias aggravantes, vel minuentes, sed intra unam, eandemque speciem.

110. Ac-

110. Regulam autem ad discernendum, quænam circumstantiæ mutent speciem, quæ verò solùm aggravent, minuántve; difficile est ex Coninch. *disp.7. dub.* 5. (cum simus in speciebus moralibus) exactè dare: variqué Doctores variè philosophantur. Illa videtur brevis & expedita, quantum nunc pro nostro instituto sufficit, quam P. Ioseph Augustinus *in Brevi notitia, n.* 33. *de Sacramento pœnit.* ponit, qui circumstantiam mutantem speciem ex eo cognoscit, quod pertineat ad aliam virtutem, vel vitium non mutantem verò speciem ex eo quòd non transferat illam materiam ad aliam virtutem. Quæ vero in particulari transferant, colligendum est ex ipsis materiis, ideest ex tractationibus materiarum virtutum, & vitiorum. Adde item praxim & usum, ex quo plura sensim doceberis.

Iam verò his tactis, quæstio celebris est, an tales circumstantiæ non solum mutantes speciem, quod certum est, sed etiam non mutantes, saltem notabiliter aggravantes diminuentesque, aperiri Sacerdoti, ex præcepti necessitate debeant.

111. Dico quamvis probabilissimum sit cum Thoma Sanchez, Suarez, Fagundez aliisque apud Delugo mox citandum; quibus adde Coninchium *dicta disp.7. dub.3.* circumstantias notabiliter aggravantes, quia mutant notabiliter iudicium Confessarij contra pœnitentem, esse in Confessione aperiendas; tamen probabile etiam esse cum D. Thoma, Valentia, Vasquez, aliisque quos citat, & sequitur Delugo *de pœn disp.16 sect.3.* Fidelibus hanc necessitatem minimè imponendam: Ratio est, quia non est imponendum onus tam grave, nisi constet de lege illud imponente: at non constat esse aperiendas nisi species, & numerum peccatorum, ex Concil. Trid. *sess. 14. cap.5.* non verò omnia, quæ quocunque modo Confessarij iudicium commutare queant. Alias rationes vide apud Doctores modò citatos.

111. Ex hac doctrina, ut item ex hactenus dictis plura & valde utilia inferuntur ad Confessiones expendas. Quare & ea in sequentibus sigillatim sunt proponenda, & ut facilior methodus evadat, per singula Decalogi præcepta, pro iis, quæ ad nostrum institutum faciunt, discurrendum.

## CAPVT II.

## De Confessione peccatorum circa primum Decalogi præceptum.

### §. I. *De peccatis contra Fidem.*

1. SVppono, tanquam indignum controversia, debere in Confessione explicari: An peccatum contra fidem fuerit solum externum, an etiam internum cum errore intellectus: v.g. qui adorat Idolum absq; errore quo credat ibi adesse divinitatem, est Idololatra externus tantum cum ejusmodi errore, est item hæreticus. Ita Sanchez *in Decal. lib.2.c.47. à n.21.* Cum igitur per illum errorem addatur peccatum specie diversum; sine dubio pœnitentiæ tribunali erit subiiciendum.

2. Iam verò loquendo de ipso hæresis crimine Triplici modo posset quis in errores contra fidem incidere. Primò negando, vel deliberatè dubitando de articulis fidei. Atque hic sufficienter confitetur si dicat *se prolapsum in hæresim*, nec opus habet explicare qualitates errorum, seu articulos, in quibus contra fidem sensit. Sic Reg. *l.6.c.4. n.113.* Ratio est quia quoad hanc præcisam negationem sunt ejusdem speciei, cum omnia opponantur obligationi credendi obiecta per fidem sufficienter proposita.

3. Secundò, posset quis errare contra fidem non solum negando, sed etiam addendo aliquid, quod aliam speciem peccati adiungat supra hæresim, hoc est Blasphemiam contra Dei honorem. Vt si quis neget à Pilato condemnatum fuisse Christum Dominum; est solum hæreticus: at si neget Deum esse bonum, vel circa illud ipsum de Pilato dicat iustè ab eo Christum Dominum fuisse condemnatum; non solum est hæreticus, sed blasphemus. Id igitur esse expresse Confessori aperiendum, non est ambigendum. Ita Castropalaus *t.1. tract.4. d 2.p.1. n.6.*

4. Tertiò posset quis errare, eandem fidem non solum negando & blasphemando, sed insuper volendo acceptare aliquam sectam fidei oppositam, v. g. Iudaismum, Paganismum, &c. & tunc id debere explicari, saltem pro ipsa praxi certum iudico. Ita idem *ibid.* Ratio est quia singulæ hæ sectæ communiter superaddunt hæresi, seu negationi fidei aliqua alia peccata specie diversa ab ipsa hæresi. Qui v.g. amplecti vult Iudaismum, eligit circumcidi, quæ est species superstitionis. Qui Paganismum; vult Idola colere, quæ est species, seu peccatum Idololatriæ, &c.

5. Porrò unum superest decernendum. An teneatur Apostata à fide, Apostasiam in Confessione declarare. Explico. Qui susceptit Baptismum, si fortè cadat in hæresim, debetne dicere se in hæresim esse prolapsum post susceptum Baptismum, an satis erit dicere dumtaxat se in hæresim incidisse: quod est quærere, An infidelitas anté Baptismum & post Baptismum concepta specie differant?

6. Dico cum Delugo *de pœn. disp.19.sect.5.* à *n.*294. contra Suarez, Sanchez, aliósque ab eodem citatos probabile esse non differre, quare satis esse fateri *se in hæresim fuisse prolapsum.* Ratio est, quia non apparet unde specifica differentia sumi rationabiliter possit. Vel enim sumitur ex eo quòd se quis subtrahit ab obedientia fidei; vel quod committat specialem irreverentiam contra eamdem fidem, semel in Baptismo susceptam. Prius non affert novam speciem, quia probabilius est ex Suarez *l.4. in Decal c.1. num. ultimo*, in Baptismo nullum fieri votum, aut promissionem de obedientia fidei: & ex altera parte illa negatio universalis subiectionis ad Deum, quam continet infidelitas, satis explicatur, cum quis fatetur *se noluisse fidem.* Nec posterius, quia illa irreverentia eodem modo explicatur, dum dicitur ipse lapsus in hæresim. Adde cum quis subiicit clavibus peccatum hæresis, statim Confessor intelligit ejusmodi peccatum commissum post Baptismum, quia commissum, ante Baptismum non est materia Sacramenti Pœnitentiæ, ergo jam intelligo omnem malitiam quæ ab ipso absolvenda est.

### §. II. *De Ignorantia rerum Fidei.*

7. NOn sunt plura specie peccata sed unicum, ignorare culpabiliter articulos fidei diversos; quos ignorare quis debet v.g. Trinitatem, Incarnationem, &c. ita Suar. *d.15. de fide sect.1. n.7.* Ratio est, quia, licet obiecta materialiter specie differant; semper tamen eadem est obligatio omnes eas veritates cognoscendi.

8. Quid si quis neget articulum fidei, quia illum ex culpa moraliter gravi, scire noluit: peccatne eodem specie peccato, quo peccat quis cum deliberatè negat articulum quem probè scit? Respondeo, puto cum Sanchez *l.4. in Decal.c.7. n.24.* contra Vasquez *1.2.* ab eodem citatum, peccare eodem specie peccato; Quare abundè is confitebitur si asserat *se negasse fidei articulum* Ratio est, quia talis malitia demum resolvitur in illud, quòd parvipendatur auctoritas divina: hanc enim æquè in ordine ad Confessionem (quidquid sit in ordine ad aliud, de quo Delugo *disp. de pœnit. 16. sect.4. à num.* 193.) parvipendit qui scienter negat, atque qui, cum debeat scire, negligit, unde & negat.

Quid nosse debeat de fidei articulis ille, qui absoluendus est, dicam infra *l.3. c.5. n.6.*

### §. III. *De Peccante cum spe venia, & resistendo inspirationibus.*

9. SIquis dum delinquit spem concipit quod à Deo Optimo tale peccatum ipsi ritè confitendum remittetur, vel (quod in idem recidit) proponit illud peccatum quod actu committit, se Sacerdoti ritè manifestaturum, cum non committat peccatum specie diversum ab eo qui idem patrat; sine tali animo, non obligabitur talem spem, seu talem animum confiteri. Immo ejusmodi animum potius addere circumstantiam diminuentem peccati gravitatem, quam aggravantem, docent Doctores. Lege Paulum Comitolum *in resp. moral. l. 4. qu. 52.*

10. Idem dic de peccante contra vehementissimam inspirationem, ne peccet: id enim esto aggravet, nihilominùs cùm non mutet speciem, satis erit in Confessione explicare, *se peccasse*, sine necessitate addendi id peccatum fuisse patratum, interna insperatione vehementer contradicente. Ita Delugo *d. 16. sect. 12. n. 514.*

11. Idem dic propter paritatem rationis, de peccante contra propositum vehementissimum non peccandi, sed citra votum, vel juramentum; quia tunc adderetur nova species, ut ex se patet.

### §. IV. *De omittente horas Canonicas.*

12. QVi, cum sit obligatus, de facto omittit Officium divinum totum unius dei probabiliter unum peccatum committit. Sic Navarr. & alij apud Delugo *de pœn. 16. sec. 14. n. 547.* unde sufficit, si pœnitens dicat *se omisisse Officium divinum semel*, seu *graviter deliquisse in recitando Officio divino.* At qui de facto omittit toto anno v. g. plura peccata committit, quot nimirum sunt dies anni, & omnia confiteri debet. Sic idem *ibid.* Ratio est, quia sicuti una unius diei recitatio non ordinatur ad aliam; ita una omissio recitationis, quo ad unum diem, non ordinatur ad aliam, atque adeo omissiones multorum dierum non faciunt unum moraliter peccatum; At in Officio unius diei una hora ordinatur ad aliam, conflantque omnes unum divinum Officium diurnum.

13. Sed quid de volente omittere? Respondeo qui vult per unicum actum omittere Officium unius diei, unum numero peccatum committit: & iterùm qui vult per unicum similem actum omittere Officium v. g. unius anni, unum item numero peccatum facit, satisque fatebitur si dicat, *Volui omittere Officium unius anni*, non autem satis est dicere, *Volui omittere Officium*, quia sic Sacerdos intelligeret Officium unius diei, ut supra in simili dictum est *c. 1. §. 9.*

### §. V. *De Superstitone, & similibus.*

14. SVperstitio, quantum facit ad nos duplex est, ex Sanchez *lib. 2 in Decal. c. 58. num. 12.* alia in qua est pactum expressum cum Dæmone, alia in qua, tacitum: Atque utriusque variæ sunt species, quas hic transcribere esset profecto superfluum. Illud enim nobis non ignorare sufficit, omnes eas species, quamvis materia in qua exercentur specie differant, tamen non eo ipsò differre in ratione morali, & in ordine ad Confessionem. Ita Sanchez *ibid. n. 14.*

15. Puto igitur solum esse aperiendum in Confessione. *An fuerit pactum explicitum, an implicitum dumtaxat.* ita *ibid.* vide & Suarium *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione, cap. 9. & 10.* quale implicitum solet esse in Astrologia judiciaria de eventibus liberis, in Chiromantia, & in Auguriis, quando juxta suas regulas ad mortale pertingunt. Vide Martinum Delrio *lib. 4. disquis. Mag. cap. 3. quæst. 2.* Valentiam *tom. 3. disp. 6. q. 12. p. 3.* Tol. *lib. 4. cap. 15.* Ratio est quia cætera materialiter se habent, adesse verò pactum expressum, tacitumve, licet tantum afferat discrimen expliciti ab implicito, incompleti à completo; unde ex hoc non videtur mo aspectu proprie differentiam specificam infer tenet Suarez *ibid.* tamen quia pactum explicitum promissionem factam dæmoni, & commercium cum illo; id quod non invenitur in implicito; ide infertur differentia essentialis, atque adeo qua Confessione patefacienda. Cæterum an superstitio divinatio, vel quid simile sit per somnia, per imagines, per aves, per aquam, per stellas; necessario Sacerdoti declarandu: quia, ut dictum hæc se habent materialiter.

16. Eodem modo si eadem superstitio, vel cium, vel simile addat aliud peccatum, quod vel declaratione materiæ, vel ex alia circumstantia plicari possit; erit utique necessariò talis materia, circumstantia exprimenda. Vt si miscuisti Sacra nis; erit etiam peccatum contra cultum debitum sacris: si per maleficium intendisti mortem, vel alicuius, erit homicidium, vel furtum: si præter mercium adorasti dæmonem, erit Idololatria: & similibus, ut ex se patet. Lege in simili Sanchez *Decal. c. 3. 8. à. n. 66.*

## CAPVT III.

## Circa secundum Decalogi præcep

### §. I. *De Blasphemia.*

17. QVamvis probabilius sit cum Suarez *Relig. tr. 3. lib. 1. cap. 6. n. 18. 19.* Sanchez *cal. lib. 2. ca. 31. n. 39.* Blasphemias contra Deum, Beatissimam Virginem, & contra Sanctos differe cie: tamen cum probabile sit ex Azor apud Diz *tr. de circumstantiis aggravantibus, res. 50.* non di satis erit si in Confessione aperiatur numerus Bla miarum, nec explicare opus erit fuisse contra Deu Beatissimam Virginem, vel contra Sanctos. Ratio quod non differant est, quia cum omnes comm honorent Sanctos non ob præcisam propriamque rum excellentiam, sed quia ad Deum ipsi Sancti runtur; ideo nec injuria eos per Blasphemiam affi nisi quatenus ad Deum referuntur: ab uno ergo, que Deo omnes Blasphemiæ specificantur.

18. At si quando fortè Blasphemia sit hæreti tunc propter superadditam speciem hæresis, id est plicandum ex supradictis constat. Vide Delugo *sect. 5. n. 276*

Qua ratione qui uno impetu plures blasphemias fert, semel peccet, dixi supra *c. 1. §. 8. n. 50.*

### §. II. *De voto, & Iuramento.*

19. IDem, & multo probabilius, dic in voto & mento: in quacumque enim materia ex Sanc *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 23.* sive voveas Sanctis, Beatissimæ Virgini, sive imediatè Deo: Vel, sive per aliquem ex his sive per quodcunque aliud, in veri juramenti ratio apparet; eodem specie voto eodemque specie iuramento juras, ita Suarez *Relig. lib. 1. de juramento, cap. 25. n. 10.* Lessius *dub. 1. n. 6.* Fagundez *de præcepto Eccl. 2. lib. 3. cap.* Ratio est quia communiter intentio jurantis est Deum; qui in Sanctis rebusque illis relucet, addu testem; & in votis, ipsum eundem Deum colere satis est in Confessione sic proferre, *Votum servavi, falsò juravi*, &c. sine sollicitudine explic cui voveris, vel quid juraveris.

20. Sed quid si quis votum confirmarit juram Respondeo cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 17.* utrumque, id est, votum & juramentum fore exp dum. Ratio est clara, quia tunc emergit duplex malitia si contra illa deliquas: altera contra Religi

seu fidem datam per votum, altera contra obligationem non adducendi Deum in testem in re falsa. Eodem modo si res supra quam cadit votum ac juramentum, esset ex præcepto: etiam hoc explicari deberet, ut si quis novisset, jurassetque Missam audire in die festo. Nec mirum: quia nova specie malitia adesset, qua scilicet quis Ecclesiæ præcepto non satisfacit. Qua ratione & quando vota vel juramenta repetita unum vel plura peccata constituant, diximus supra *cap.* 1. §. 8. *præsertim num.* 52.

### §. III. *De Consuetudine in jurando & in aliis peccatis.*

21. QVi ex inveterata cõsuetudine advertenter jurat falsò, satis ne sic est dicere, *semel juravi falsò*, an potius necesse erit etiam addere id fuisse ex mala consuetudine? Respondeo non esse necesse. Ita Suarez Vasquez, Reginaldus, Bonacina apud Dianam 1. *part. tract. de circumstantiis, Res.* 15. & 55. Ratio est quia peccata præterita non addunt præsenti peccato circumstantiam novam, multo minus specie diversam.

22. Idem dic, ut id semel hac occasione dicam, de inveterata consuetudine fornicandi, blasphemandi & ceterorum similium: par enim est ratio.

23. Qui vere ex inveterata consuetudine inadvertenter jurat falsum, licet videatur obligari ad consuetudinem confitendam: tamen communiter excusatur. Quod videatur obligari ratio est ex Sanchez *l.* 3. *in Dec. cap.* 5. *n.* 13. & 14. quia tunc inadvertenter jurare falsum, licet non sit in se peccatum formaliter, est tamen peccatum materialiter, quia est adhuc periurium quamvis inadvertenter commissum: ergo illa consuetudo, quæ est causa talis mali materialis, si non curatur amoveri, est formaliter peccatum, utpote causa mali: quare debebit ipsa in confessione aperiri, si ut dictum est, illam extirpare procuratum non sit. Idem dicendum videtur in cæteris peccatis blasphemandi, occidendi; vulnarendi, &c. si forte quis ex inveterata consuetudine hæc inadvertenter committeret.

24 Iam quòd communiter excusetur ratio est, quia communiter nemo advertit ad obligationem quam habet illam consuetudinem propter eam rationem extirpandi, ne scilicet sua consuetudo sit causa proxima prædicti materialis mali: & consequenter cum excusetur à peccato, excusabitur à Confessione. Facit in simili Delugo *disp.* 16. *de pæn. sect.* 4. §. 7. *n.* 103.

25. Vnum nota, aliquando actus hujusmodi inadvertenter factos non retinere ne malitiam quidem materialem, seu quam vocant, obiectivam: & tunc nec ipse actus, nec consuetudo est peccatum, adeoque nec Confessioni subdendum. Talis communiter reputatur contumelia in ebrietate alicui facta ab ebrio: sic idem *ibidem n.* 207. & 212. cum enim contumelia ab ebrio, hoc est ab expertetationis facta, non, sit ne materialiter quidem contumelia, (debet enim contumelia essentialiter esse per verba utentis ratione, non autem sicut à psittaco) in se non erit peccatum, & neque in causa: quia nunquam talis causa, ideſt ebrietas, causabit verba utentis ratione: unde ne materialiter quidem contumeliam causabit. Eodem modo dicendum esse docent aliqui cum Sanchez *in selectis, fuse disp.* 10. *à num.* 5. de Blasphemia, hæresi, & supradicto juramento, quod scilicet essentialiter requirant esse ab utente ratione, & consequenter ea inadvertenter facta neque in se, neque in causa esse peccata, adeoque nec necessario confitenda. Sed hoc fusius prosequi, ad nos nequaquam spectat cum satis nobis sit à peccato & Confessione regulariter ea excusare propter illud caput modo dictum *numero præcedenti.*

## CAPVT IV.

## Circa tertium Decalogi præceptum.

### §. I. *De auditione Missæ.*

1. QVando causa omissionis Missæ die festivo non est ex se mala; non necessariò esse in Confessione explicandam, diximus *cap.* 2. §. 11.

2. Rursus quando quis Missæ ex duplici præcepto interesse tenetur, nec tamen paret; qua ratione unum peccatum admittat, diximus *eodem capite* 1. §. 16. *numero* 98.

3. Superest igitur hìc solum quærere, an quando quis in Missa de præcepto ita colloquitur, & confabulatur cum aliis, ut eos præveniat, ac provocet, duo peccata committat; alterum Missam rite non audiendo, alterum alios ad idem peccatum inducendo? Respondeo committere solum unum peccatum: quare satis est Confessario dicere *se in Missa prolixas confabulationes habuisse.* Ratio est quia illa malitia, licet non tam gravis, adest etiam quando alios non prævenit, sed solum ad eorum prævention em colloquitur; adhuc enim participat cum aliis in peccato, causáque est cooperans ad illorum spiritualem ruinam: quare quando aliquis alium jam paratum invitat (non tamen compellit) solùm videtur gravius, sed contra eandem speciem peccare. Idem dicendum esse in aliis materiis similibus, docebimus infra suo loco *cap.* 7. §. 4. *n.* 25.

### §. II. *De Ieiunio.*

4. QVando jejunandum est ex duplici præcepto, qua ratione unum peccatum committur, diximus *cap.* 2. §. 16.

5. Præterea, quando est jejunandum ex voto, & ex præcepto, si non jejunetur, duplex committi specie peccatum, immo si ex juramento, triplex, colligi potest ex dictis *c.* 3. §. 2. *num.* 10. & *cap.* 1. *num.* 99.

6. Nunc ergo suo jam loco quærimus, An si quis carnes die jejunij comedat, explicare in Confessione, quoties comedit, debeat? Respondeo benè esse distinguendum. Vel enim primò loquimur de jejunio ex præcepto Ecclesiæ, vel secundò de jejunio ex voto, seu ex pœnitentia Sacramentali. Si de primo, est explicandum toties quoties: Si de secundo; regulariter non est explicandum, sed solùm prima vice. Ita Sanchez *l.* 4. *in Dec. c.* 11. *num.* 42. Ratio doctrinæ & dispatitatis est, quia in priore casu, toties peccatur, quoties comeditur caro: in posteriore, solum prima vice peccatur. Et huius ratio ulterior est, quia in præcepto Ecclesiæ de jejunio includuntur duo distincta præcepta, alterum ne comedantur carnes, alterum, ut semel comedantur: quorum præceptorum distinctio patet; nam adolescens infra vigesimum primum unum, comedendo carnes in die jejunij contra primum præceptum facit: non contra secundum, &c. Cùm igitur qui pluries comedit carnes in die jejunij de præcepto, pluries illud prius præceptum non observat; pluries & consequenter, toties quoties peccabit: At in posteriore casu regulariter qui vovet, vel cui imponitur jejunium; solum directè uni præcepto subiacet quia illi solum imponitur obligatio jejunandi, accessoriè imponitur abstinentia à carnibus sine qua jejunij Ecclesiastici essentia constare non potest: quare, semel fracto jejunio, non remanet obligatio ad talem abstinentiam.

7. Vnde obiter vides posse contingere, ut in die jejunij ex voto, comedas etiam prima vice carnes sine peccato: quand scilicet pluries in prædicto die commedisti legalia; atque adeo fregisti cum peccato essentiam jejunij: nam si postea carnes manducaveris, non peccabis ut ex dictis patet.

8. Præterea qui in unica comestione comedit in

vigilia v.g. carnes, non committit aliud peccatum, si iterum & iterum comedat cibos legales, & consequenter, nec clavibus subiiciendum. Colligitur ex eodem Sanchez *ibid.* Ratio est, quia contra nullum præceptum operatur: Non contra essentiam jejunij, hæc enim jam fracta est ex vi prioris peccati, quo carnes comedit. Non contra præceptum illud de non commedendo carnes, jam enim loquimur de confessione legali: ergo, &c.

9. Contra, si quis in meridie comederet lacticinia (etiam supponendo quòd sit mortale his vesci in quocunque die jejunij) sed iterum in die, legalia comederet præter serotinum jentaculum, peccaret comedendo prædicta legalia, idque in Confessione deberet patefacere. Sic Sanchez *in Consiliis l. 5. cap. 1. dub. 18. n. 8.* Ratio est quia in prima illa comestione lacticiniorum peccavit, ut supponimus, contra præceptum abstinendi à prohibitis, sed non fregit essentiam jejunij Ecclesiastici, hoc enim cum lacticiniis consistere potest: quare cum secunda vice comedit licita, tunc fregit jejunium, peccavitque cum onere illud peccatum confitendi, non verò tertia vice, vel quarta simili: quia hæc jejunium jam fractum, & quasi demortuum inveniunt.

## CAPVT V.

## Circa quartum Decalogi præceptum.

### §. I. *De iniuria inflicta parentibus, filiis, uxori.*

1. Regula hujusmodi esse poterit. Omnis injuria gravis facta Parentibus (quo nomine venit etiam Avus & Proavus) quæ adversatur amori, & pietati illis debitæ, est diversæ speciei ab iniuriis cuicunque alteri proximo illatis: quare erit apud Sacerdotem asserenda, Vide Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 2. q. 2.* Bonac. *de pœn. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. part. 2. §. 3. diff. 3. num. 15.*

2. Hinc percussio, occisio, contumeliæ, detractio gravis, gravis infamatio factæ Parentibus, sunt in Confessione specialiter explicandæ. Contra verò, furtum factum eisdem, non semper est explicandum, nisi quando tantum filius furaretur, ut Pater depauperaretur. Ratio est quia quodlibet furtum est quidem contra justitiam, sed non contra pietatem, nisi casu dicto, vel simili.

3. Quod dictum est de occisione, percussione, &c. dic in peccatis odij, quo scilicet eiusmodi, vel similia mala Parenti contra pietatem optas, quia adhuc tale desiderium debito amori erga parentes opponitur. Ita Molina *tom. 1. de iustitia, decis. 7. circa finem.*

4. Eadem regula servanda in filiis erga parentes, servari etiam debet ex Delugo *de pœn. disp. 19. sect. 6. à num. 303.* in Parentibus Avisque erga Filios Nepotesque, atque in Conjuge erga alium Coniugem: nam & ij debent sibi invicem peculiarem, specieque morali diversum amorem. Illud tamen observandum, facilius filium peccare contra Patrem, quàm hunc contra filium. Siquidem percussio v. g. vel contumelia, quæ facta à Patre in filium propter auctoritatem paternam est levis, gravis erit illata à Filio contra Patrem.

5. His dictis, consurgit difficultas: An hæc omnia peccata contra pietatem eiusdem sint speciei atque adeo an satis sit dicere: *Ergo graviter percussi eum cui reverentiam ex pietate debebam:* an potius dicendum, *Percussi patrem*, vel *filium*, vel *uxoram*: nam videtur prius satis esse, omnia enim sunt contra debitam sanguinis conjunctionem.

6. Nihilominus ego puto ea moraliter in specie ultima differre: apprehendo enim multum interesse inter percussionem, qua Pater quamvis injustè, sed tamen pollens auctoritate paterna, filium percutit: tunc enim solum delinquit contra sanguinis conjunctionem: quàm qua filius Patrem: nam tunc filius non solum peccat contra prædictam conjunctionem, sed etiam maximè contra reverentiam Patri debitam: Patris ergo, avique, proavique injuriæ contra filium, nepotémve con- unam speciem, at iniuria hotum contra illos, alter- sus iniuria prædictorum est diversæ specie ab uxoris contra virum: quia in diversa, ut ex se radice fundatur debitus inter hos amor: At injur- dictam viro ab uxore, vel uxori à viro non puto differre: esto injuria uxoris contra virum, utpote majorem, sit aliquanto gravior, quàm injuria viri uxorem: Ratio est, quia non adest illa differentia dò tradita *num. præcedente*, nec alia specificationem ducens. Ex quibus collige v.g. uxoricidium, & viricidium non differre specie, quare nec necessariò in Confessione declaranda, sicuti contra, patricidium, filicidium uxoricidium differre specie, atque adeo specialiter explicanda.

Hæc probabiliter sint dicta: nam cæterum vide dicam infra *hoc eodem 2. libro, cap. 7. §. 7. in fine n. 4.*

### §. II. *De injuria illata fratri, sorori, aliis.*

8. Iniuriam illatam fratri, vel sorori judico moraliter differre ab injuria facta parentibus, liis. Ratio est quia satis diversa deformitas appare la quàm in hac. Vnde *in l. unica, C. de his qui vel liberos occiderunt*, & *in §. 8. Alia deinde lex publicis iudiciis.* Leges, quæ parricidij pœna mulcan lium, qui occidit avum, vel proavum, vel quæ ascendentem eandem pœnam Parricidij extend contra Patrem, qui occidit filium, vel nepotem, quemlibet descendentem: & rursus extendenda *ff. ad legem Pomp. de parricid.* eandem Parricidij pœ contra occidentem propriam uxorem vel propin rum: non tamen extendisse ad occidentem fratr sororem unquam invenio. Lege Molinam. *T. 4. tia, tr. 3. d. 26. n. 5.*

9. Sed dubitant Doctores an injuria inflicta vel sorori, sicuti differt ab injuria inflicta parent ita differat ab injuria contra externis? Dico atque adeo necessariò explicandam in Confessione iniuriam fuisse facta fratri, vel sorori. Sic Delugo *de pœnit. sect. 6. n. 307.* Ratio est quia hæc diversitio residet in fratre respectu fratris, quàm respectu rum, ut ex se patet. Vnde vides fratricidium differre specie (semper intellige, specie morali) tum ab dio, tum à parricidio, tum ab uxoricidio: ab vero non puto differre, sicuti nec injuria seu facta à fratre contra sororem, differt à percussione ris contra fratrem, propter æqualem inter eos dil tionem, sed vide *cap 7. § 7. in fine num. 48. mihi.*

10. In injuriis contra alios propinquiores g præter dictos, non habetur nova species, quæ n les remotiores gradus in Confessione aperiendi. Sic nacina *dicta, disp. 5. quæst. 5 sect. 2. p. § 1. diff.* Idemque dic cum Delugo *dicta disp. 6. sect. 16. n.* contra Bonacinam, in peccatis (abstrahendo à pre ne, &c.) factis contra Sacerdotem. Ratio utriusque quia licet aliquando grandiores sint ejusmodi iniu non tamen videntur in communi prudentum æ tione ad diversitatem specificam pertingere. Dixi (abstrahendo, &c.) nam quando Clericus, vel Religio percuteretur, vel necaretur, tunc esset id expri propter Canonem, *Si quis suadente*, annexamque communicationem, &c.

12. Injuriæ factæ Principi, seu Superiori non per conferunt novam speciem, ex Delugo *ibid. n.* sed solum quando est talis injuria, ut graviter observantiæ virtutem fiat: ad quod certè requiritur quæcumque gravis culpa, sed illa, quæ fit contra S tiorem, ut Superior est, vel quæ redundat in detri tum eorum, quæ Superiori competunt: ut si ille deretur, vel ut Superior contemneretur, &c.

13. Denique injuriæ contra insignem tum bo factorem, vel non differunt specie à cæteris, vel si runt, cum solum sint contra gratitudinem, quæ

es se sola non affert communiter obligationem nisi libertam, non apparet unde hæc sola afferre debeat diversitatem specificam, quæ fit ex obligatione gravi subdenda Confessariis. Sic puto contra Delugo *ibidem numero* 311.

## CAPVT VI.

## Circa Quintum Decalogi Præceptum.

### §. I. *De quibusdam speciebus Homicidij.*

1. DE unica actione seu ictu, quo quis simul plures occidit, diximus supra *cap* 1. §. 9. vbi etiam actum est de unica voluntate, qua quis vult occidere simul plures. Egimus etiam *cap. præcedente* de differentia Parricidij, & similium à simplici homicidio, &c.

2. Solùm hîc antequam ad ulteriores progrediamur, advertè, si quis aliquem occidit, & postea discerpat cadaveris membra, extrahatve iecur, cor vel similia: committere malitiam specie diversam à malitia communis homicidij. Ita Delugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 12. n. 367. neque enim solùm tunc separat animam à corpore, sed membrum à membro: quæ in hominum æstimatione videtur specialis turpitudo, proprio appellata nomine, Feritas: Multo magis si id in vivo attentetur.

Iam de Homicidio, illud nunc superest explicandum: An locus Sacer, vbi forte sit homicidium, debeat explicari, tanquam inducens distinctam specie malitiam?

3. Dico esse explicandum tum in homicidio, tum in percussione gravi cum effusione sanguinis. Ita Fag. *lib.* 4. *præcept. Eccl.* 2. *cap.* 4. *num.* 24. aliique *passim*. Ratio est quia tunc violatur Ecclesia, vnde contrahitur malitia specialis.

4. Dubitatur de percussione gravi, sine effusione sanguinis: Vt si quis acriter verberaret suum inimicum in Ecclesia, nec vulnus faceret, contraheretne prædictæ egregiæ malitiam in confessione explicandam? Et non contrahere probabilius existimo cum Delugo *de pœnit. disp.* 16 *sect.* 20 *n.* 408. contra prædictum Fagund. *loc. citat.* quia Ecclesiæ prohibitio solùm meminit de homicidio, & de percussione cum effusione sanguinis: ergo ad percussionem, sine sanguinis effusione, extendenda non est.

Quid autem hùc intelligitur nomine loci sacri dictum *cap* 7. §. 5. *num.* 40.

### §. II. *De occisione in causa.*

5. VVlneravit quis v. g. vel venenum, consiliúmve dedit tendens ad mortem alicuius; satis ne est in Confessione causam mortis dumtaxat proponere, hoc est vulnus, venenum, consilium; an insuper erit necesse addere ipsum effectum sequutum, id est mortem ex illis causis derivatam?

6. Profecto certatur utrinque probabiliter: sed verò probabilissimum est non esse in rigore obligationem effectum secutum confitendi. Ita Vasquez, Granadus, aliique quos citat & sequitur Bonacina *de peccatis disput.* 2. 9. 4 *p.* 4. *num.* 7. & 10 Sanchez *in selectis disp.* 20. n. 5. Ratio est quia ille effectus, qui consequitur, non est peccatum: unde euenire subinde potest, ut quando potatur mors ex veneno v. g propinato, inveniatur iustus per contritionem ille, qui venenum dedit. Cum igitur teneamur confiteri sola peccata (quæ tantum sunt illa quæ S. Augustinus comprehendit sub iis verbis, *Factum, Dictum, Concupitum contra legem æternam*) non autem teneamur fateri effectus ab iis consecutos; effectum illum mortis fateri minimè tenebimur. Satis erit igitur dicere: *Vulneravi lethaliter propinavi lethale venenum, Consilium dedi efficax de morte*, &c.

7. Idem dic (ut semel hic obiter id non prætermittam) in sexto præcepto de comedente v.g. calida ut æquatur pollutio nocturna, & in similibus casibus, in quibus apponitur causa, ut aliquis effectus tandem eueniat, &c. Ita iidem.

8. Dixi (in rigore) nam rectè advertunt nonnulli cum Vasquez *part.* 2. *tom.* 2. *disp* 94. *cap.* 3. regulariter expedite explicare ejusmodi effectus consequutos, cum ita melius malitia actus præcedentis explicetur, meliúsque intelligatur peccatoris status, & insuper an aliquam contraxerit obligationem restituendi, vel in censuram casúmve aliquem reservatum inciderit.

### §. III. *De Malis alicui volitis.*

9. CErtum est quando vis, seu desideras inferre malum proximo, debere te palam Sacerdoti facere, ecquodnam genus (non verò individuationem) mali inferre concupiveris, an scilicet mortem, an infamiam, an rei familiaris detrimentum. Ratio est, quia sicut ipsa obiecta volita sunt specie diversa diversúmque ius in proximo pariunt; ita ipsi actus voluntatis desiderantis illa inferre, cum diversa iura violent, diversam, specie ultima malitiam contrahant necesse est.

10. Dixi (non verò individuationem) quia non est necesse dicere v. g. *Volui furari pecuniam, equum, vestem*, &c. Ratio est; quia hæc individualitas non affert novum ordinem ad rectam rationem, &c.

11. Difficultas igitur solùm remanet quando odium sistit in mero desiderio, sine voluntate inferendi tale malum, v. g. quando ex odio desiderat quis ut suus proximus occidatur, vel paupertate afflictetur, vel infamia, an sufficiat sic proponere: *Desideravi proximo malum grave*, Respondeo sufficere. Ratio est, quia illa omnia, quando sistitur in ea voluntate inefficaci, sunt contra charitatem, veluti in genere, qua non debemus velle malum proximo; non verò læditur, nec lædi desideratur Ius particulare.

12. Idem propter eandem rationem sentiendum de gaudio: si quis enim v. g. gauderet de morte, de inopia, de dedecore sui adversarij, satis esset si diceret, *esse se toties de gravi proximi malo delectatum.*

Petes, si quis delectetur de malo proximi, v. g. de ejus gravi infamia, & deinde eidem displiceat bonum grave ejusdem, v. g. honor, fama bona, &c. duóne peccata specie diversa committit, utraque specialiter palam facienda Confessario: an satis erit dicere, *bis per malam voluntatem circa bona vel mala ejusdem proximi. Charitatem læsi.*

Respondeo, credo satis esse, quia illa duo non afferunt speciem moraliter diversam cum æquè peccetur contra eandem Charitatis virtutem, & quia vnum ex his imbibitur in alio: dum enim gaudeo de malo, nolo illi bonum, seu displicet mihi illius bonum; & dum displicet mihi de illius bono, utique placet contrarium, &c.

## CAPVT VII.

## Circa Sextum, & Nonum Decalogi præceptum.

### §. I. *Delectatione turpi solùm interna, seu, ut dicitur*, morosa.

1. IN hoc differt desiderium & consensus in copulam v. g. illicitam (idem dicendum in aliis materiis) à delectatione ipsa quam quis habet de eadem copula, desiderium est actus ex se efficax, & consummatur, seu consummari intenditur in ipso opere externo fornicationis: delectatio verò est actus ex se inefficax & consummatur interius: non enim transit ad volendum exequi id, de quo quis delectatur: nam propterea dicitur etiam delectatio morosa: quia peccans, dum moratur in ipsa delectatione, nec ad opus consummandum procedere intendit, in eadem veluti conquiescit. Cum autem certum

certum sit in desiderio & consensu, immo & in gaudio de re illicita jam habita debere coram Confessario aperiri conditionem personæ desideratæ, hoc modo: *Desideravi monialem, nuptam*, &c. in homicidio, *desideravi occidere Patrem*, vel *fratrem*, &c. seu *gavisus sum commisisse peccatum cum moniali*, vel *nepta*, &c. *gavisus sum occidere Patrem, Fratrem*, &c. quia tales voluntatis actus supponuntur esse contra diversas virtutes, unde & sine dubio sumunt suam specificationem à talibus objectis specie morali diversis: cùm inquam, certum id omnino sit; celebris controvertitur quæstio de delectatione morosa: An scilicet si quis solum delectetur (sed non desideret) de copula quam cogitat, cum nupta v.g. vel cum moniali debeat id explicare: An potius sufficiat dicere, *Toties venereè de copula illicita delectatus sum illam cogitando?*

2. Et ut pro nostra consuetudine scholasticas quæstiones prætermittamus: Dico probabilem esse sententiam docentem sufficere, sine obligatione declarandi personas, circa quas ejusmodi morosa delectatio versata est. Ita Vasquez *p.2. disp. 111. & 112.* Castrop *tom.1. tract. 52. disp. 2 p 10. § 4.* aliique non paucis. Ratio est quia delectationes ejusmodi non variantur specie ex varietate conditionum illarum personarum. Non variantur autem, quia satis superque & adæquatè sumunt, contrahuntque suam omnes turpitudinem ex oppositione cum virtute Temperantiæ quæ nunc sola violatur: neque enim ille animus sit sistens in sola ea voluptate procedit ad violandum, seu ad desiderium violandi Ius speciale conjugatæ; solutæ, &c. ergo satis explicatur per solam oppositionem ad virtutem Castitatis.

3. Non sic si quis delectaretur de concubitu coniugatæ formaliter ut coniugata est, seu ut nupta est, seu ut sacra est, (id quod certè ratissimum erit (tunc enim esset necesse id explicare, ut ex se patet: nam propterea si quis se morosè delectaret de concubitu sodomitico, non satis esset si diceret; *Delectatus sum de copulâ illicitâ*, sed debet hanc specialitatem explicare, quia tunc formaliter delectatio versatur in talem copulam, ut diversam à naturali congressu.

4. Quod diximus de delectatione morosa, videtur etiam, secundum hanc sententiam, dicendum de aspectibus, quando quis respicit mulieres affectu venereo, sine progressu ad eas concupiscendas: quia tunc videretur similiter, interius delectatio tota consummari; At si easdem venereo mortali affectu tangeres; quia exteriùs actio consummatur, esset personæ conditio declaranda.

An verò sicuti certum est, quod qui vovit Castitatem si morosè delectetur de objecto turpi, v.g. de Fornicatione, debet explicare suum votum, quia sic adversus Castitatem, & adversus Religionem delinquit: ita conjugatus si similiter morosè delectetur, obstringatur in Confessione explicare se esse conjugatum? Affirmat Vasq. 2. *p. tom.1. disp.111. cap.2. num* 10. quia fides Matrimonij obligat non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe non collocare: negat Hurtadus *de subiect. pecc. disp.4. diff.* 10. his verbis *Docet Vasquez coniugatum, qui venereè delectatur de Fornicatione cum non sua, non tantum peccare peccato luxuriæ, contra Castitatem, sed etiam peccato Adulterij contra fidem Matrimonij: id tamen difficile est, & nullo fundamento probatum, quia difficile est & absque sufficienti fundamento, in Matrimonio, præstari fidem coniugi non collocandi mentem in aliena.* Hæc Hurtadus, sanè probabiliter.

Cum quo sentiunt alij, & notat non nemo, *tr.4. q. ve al. 6. n. 2.* idem esse in tactibus ex se honestis, verbi gratia, osculo more patrio, sed inhonesto tantum ex malo affectu.

De locutione turpi sistente in sola locutionis delectatione, dicam mox §. *sequenti.*

De unico actu desiderij versantis circa multa objecta, dixi *cap.1.§. 8. & 9.*

### §. II. *De locutione turpium: ubi remissivè de osculis & tactibus impudicis.*

5. TRia hic incidunt expendenda. Primò, an turpia cum peccato mortali collocutus est, debeat explicare materiam confabulationis, nempe se monem miscuisse de adulterio, stupro, sodomia, &c. cundò an numerum personarum, coram quibus sunt colloquia. Tertiò an conditiones earumdem narum, utrum scilicet sint Sacerdotes, nupti? D duobus postremis satis disputavimus supra *capit. de scandalo.* Superest ergo hic agere dumtaxat de

6. Circa quod, si dum de turpibus confabula dem concupiscas; certum est materiam, seu obj omnino declarandum, ut ex *præcedente.* §. constat test. At hic propria difficultas est: An si loquaris de dictis solùm delectando te in his loquutionibus, sine desiderio, idem dicendum sit?

7. Respondeo, si solùm de ipsa narratione delecteris, probabe est satis tibi esse dicere, *Tu loquutus sum delectando me de ipsa turpium narra* Sed quid si delecteris de ipsis rebus, seu obiect præsentatis per locutionem, sine desiderio tamen actum est? Respondeo esse item probabile, non n sariò explicanda ipsa objecta, an scilicet fuerint ad ria, stupra, sacrilegia, &c. nisi fortè delecteris de tales sunt. Ratio est eruenda ex dictis §. *præcedente*, enim ferè eadem.

Quatenus locutio est scandalum sociis colloqui bus, dicam infrà. §. 4. *n.* 25.

De osculis & tactibus impudicis, satis sint quæ nuimus *cap.1.§.10. num.* 72. & §. *præced. num.* 4. & dicemus §. 5. *num.37. &.38. &.§.6. num.* 45. & §. *num.* 57.

### §. III. *De iactantia & Consilio.*

8. HIc de his differendum putavimus, quia frequentissima sunt eiusmodi peccata in materia præcepti, sunt nihilominus ad alias materias extendenda Quærimus ergo primò, an qui se iactat, seu laudat taliter de peccato: (nam si se iactet gloriaturve de teritate, fortitudine, vel simili, quæ fuit in actione caminosa, sine periculo pecaminosæ complacentiæ scandali; non est mortale ex Sanchez *lib.1 in.Dec n.12.*) qui, inquam, se de peccato v. g. contra castitu iactat, debetne in medium Confessionis afferre ciem peccati luxuriæ, Adulterium videlicet, stupum, crilegium, de quo se iactavit? ita etiam, si se iactans homicidio, furto, blasphemia, obligabitúrne, an homi dium fuerit Sacerdotis an furtum fuerit rei sacræ, declarare?

9. Suppono autem semper solum adesse pecca iactantiæ, non verò intermisceri desiderium, vel gium, vel delectationem: si enim hæc accedant, ea da erit doctrina allata suprà §. 1.

10. Dico non solum prædictas species non nec riò esse declarandas, sed probabile esse cum Castrop *tom. 1. tract.2. disp.2.p.21.n.6.* sufficere, si dicas, *tantùm vi me de peccato mortali*: seu *de objecto mortaliter pecca minoso.* Ratio est quia tota malitia quanta quanta est iactantiæ consistit in eo, quòd offensa Dei eligatur ut dium ad captandam gloriam apud homines, quæ ung est Dei irreverentia, id quod æquè in omnibus mor bus invenitur: vel si quid aggravat peccatum, non detur ejusmodi malitiam in aliam speciem transfer

11. Adverte hic tria. Primò si te iactes coram tis, tuum Patrem v. g. à te fuisse verberatum, vel in pulam habuisse cum fœmina bonæ famæ, quod P eidem tuo, & illi fœminæ esset notabile dedecus: d id explicare, non ratione meræ iactantiæ, sed quia tali iactantia intermiscetur tui Patris, vel illius fœm infamatio. Ad eundem modum in similibus.

12. Secun

12. Secundo sive peccata, de quibus perperam glo-riatis, commiseris, sive non commiseris, non est expli-candum, ex Sanchez *lib.1. in Decal. c.3. n.5.* quia æquè scandalum utrobique offensam Dei pro medio gloriæ.

13. Tertiò quid dicendum, si non te ipsum, sed alium de peccato laudes: Respondeo. Si id fiat in ejus absentia nec est intermixtum aliquod peccatum, ut modò *num.11.* dixi, nec adest complacentia, nec adstan-tium scandalum, qui fortè illa laude ad peccandum ex-citentur, &c. probabile est non esse novam speciem pec-catorum in Confessione declarandam: idque propter pa-ritatem rationis dictæ *num.10.* At si id in præsentia ejus qui peccavit, eveniat; declarari in Confessione oportet novam speciem peccati; de quo laus præcessit: Ratio est quia tunc illum excitas ad complacendum, & gaudendum de peccato facinore, immo etiam fortasse ad iterum ejusmo-di peccatum committendum.

14. Sed jam quærimus de Consilio. Dico, idem de ipso sentiendum esse: si enim das alicui consilium de ali-quo peccato; debes explicare ejusdem speciem. Ratio est quia tunc non solum peccas contra charitatem pro-ximi cui consilium de ruina spirituali præbes, sed etiam contra virtutem, cui tale peccatum opponitur: singulæ enim virtutes nos obligant, tum ne contrà illas agamus, tum, ne directè procuremus quod alij illas violent, ut diximus *c.1 §.17. de scandalo.* Nam propterea si Petro consilium dedisti de furto, Petro non restituente, tu re-stituere tenetis. Sic idem Sanchez *ibid. n.9.*

### §. IV. *De prima luxuriæ specie, id est de simplici Fornicatione.*

15. PErcurramus universas luxuriæ species, ut quid in singulis explicandum necessariò sit cognoscа-mus, initium sumentes à simplici fornicatione, quæ est prima luxuriæ species. Hinc tamen multa aggeremus, quia hæc frequentiora: nam ceterum non rarò in aliis luxuriæ speciebus, quas mox subiiciemes, eadem eveniunt.

16. Qui committit per illicitam copulam, fornica-tionem, non satis explicat dicendo *se peccasse contra Ca-stitatem*, sed addere oportet: *se copulam habuisse.* Ita Delugo *disp.16. de pœnit. sect.5.n.238.* quia secus non ex-plicatur malitia propria copulæ fornicatiæ, quæ est di-versa à malitia quacunque contra Castitatem.

17. Qui committit tria v. g. peccata cum tribus fœ-minis ejusdem rationis, non tenetur declarare *fuisse tres feminas*, cum satis sit dicere, *ter fornicatus sum.* Sic Bo-nacina *de Sacramentis disp. 5. q. 5. p.2. sect. 2. §. 3. diff.3. pag.3.n.14.* Ratio est, quia eadem est malitia sive cum tribus, sive ter cum eadem, nisi fortè aliquando id interro-get Confessarius, ut occasio proxima tollatur, quæ ex illa frequentia cum eadem timeri potest: de qua re dixi supra *c.1.§.1. num 5. & 6.*

18. Peccatum cum filia Confessoris nec ex se est sacrilegium, nec incestus, sed simplex fornicatio. Sic Filliuc. *tom.1. tract.30. cap.5. num.105.* aliique. Quare qui id commisit satis est fateri, *se fornicatum esse.* Præscin-dimus autem à solicitatione Confessionis. Nam solici-tatio ejusmodi est specialiter confitenda, cùm sit con-tra reverentiam Sacramento debitam. Præscindimus item quando, esse Confessarium, assumeretur ut medium ad peccandum, vel quid simile; tunc enim adesset nova malitia vel contra reverentiam Sacramenti, vel contra similem virtutem.

19. Virgo sive vir, ex Filliuc. *tom.1. tract. 30. cap 3. num.71.* sive puella ex Sanchez *de Matrim. lib.7.disp.3. num.5.* Coninch. *de Sacram. disp.7. dub.4. num.29.* qui prima vice, voluntariè frangit virginitatem, non peccat peccato diverso à simplici fornicatione, secundum opi-nionem aliquorum: quare sufficiet fateri *fornicationem*, nec obligatur *virginitatem* manifestare. Idem dic, si se polluat, si morosè delectetur, si vir desideret virginem sine voluntate vim inferendi: in his enim non additur ex qualitate adiecta virginitatis, nova species malitiæ.

20. Fidelis peccans cum infideli, quantum est ex hoc capite, non peccat, nisi simplici fornicatione, ex opi-nione probabili, Azor *p.3. lib.3. quæst. 29. quæst.3.* licet etiam esse contra Religionem, id est contra reverentiam Sacramenti Baptismi, non negem esse probabile cum Sanchez *lib.7. de Matrim. d.5. num.12.* Delugo *disp.16. de pœn. sect.6.n.236.*

21. Confirmo priorem probabilitatem: quia prin-cipalis ratio cur dicendum foret hoc esse peccatum spe-ciale, est, quia Ecclesia dum prohibet coniugium fidelis cum infideli, prohiberet etiam quamcumque conjunc-tionem, cum sit idem motivum, id est, ut pro reverentia nostræ Religionis, vitetur illa conjunctio, quæ est dam-nosa tum ipsi fideli, tum proli educandæ. Quæ est ratio Sanchez *ibid.* allata, & approbata à Delugo *ibid.* Sed hæc ratio non multum urgere videtur: ergo, &c. Minor probatur: nam primò ubi unum prohibetur, non intel-ligitur prohibitum & aliud, quantumvis simile, ut est notum in iure, multo plus quia secundò intervenit non parva disparitas, nam in Matrimonio est longe maior conjunctio, quàm in copula furtiva. Tertiò quia etiam sic intelligerentur specialiter prohibita civile commer-cium, collocutio, familiaritas, immò & servitium infide-lium, ex quibus oriri maius periculum sanè potest. Fa-teor esse peccatum, quando quis cum iis infidelibus (exi-stente eversionis periculo, vel scandalo) familiariter degit: sed hoc non est illud, de quo agimus, sed quid commune ad omnes actiones periculo peccandi exposi-tas. Quartò cum totam hanc malitiam specialem ducant adversarij à prohibitione Ecclesiæ prohibentis Matrimo-nium fidelis cum infideli: sequitur saltem regulariter, non esse novum formaliter peccatum: quia communiter talis prohibitio inculpabiliter nescitur, immo probabi-liter, ut patet ex dictis, iudicatur non adesse. Denique pœnæ gravissimæ legibus contra hoc peccatum consti-tutæ, ostendunt quidem gravitatem, sed non diversita-tem specificam: sicuti pœnæ constitutæ in homicidium qualificatum v. g. proditorium, non ostendunt differre specie à non qualificato. Sed hæc satis contra nostram brevitatis sectandæ consuetudinem.

22. Quid de Sodomia cum infideli? Respondeo idem videri dicendum, nempe abundè esse si fatcatur quis *commissam à se fuisse Sodomiam*, si quidem, ut ex dictis constat, non apparet, unde necessariò derivetur specifica diversitas.

23. Quando quis, cum sit frigidus, vel Eunuchus cum alia peccat, debet fateri *se esse talem.* Ita Sanchez *lib.9. de Matrim d.19.num.6.* Ratio est quia tunc, non solum adest malitia fornicationis, sed etiam malitia con-tra naturam: cum adsit frustratio finis naturalis, id est, finis generationis, atque inutiliter tum suum, tum fœ-mineum semen à tali frigido provocetur.

24. Quando positivè invitas alios, solicitasque v.g. puellam; cum qua deinde peccas, aliqui sentiunt debe-re te esse solicitum explicare *te fuisse primum ad allicien-dum*: Sic Io. Sanchez *in selectis d.1. num.24. in fine*, Delugo *de pœnit. disp.16 sec.4.n.242.* ex sententia Vas-quez. Sed est contra Thomam Sanchez *in Dec. lib.1. c. 6. num.14.* & contra Banacinam *de Sacramentis disp. 5. q.5.p.2.§.2. diff. num.19.* eadem enim malitia, licet non tam gravis, est quando, non invitans, cum illa peccas, adhuc enim particeps es ejus peccati. Idem diximus su-pra *cap.3.§.1. num 3.* de confabulantibus in Missa. Idem-que dic de turpi collocutione, & similibus, neque enim, propter eandem rationem te obligo ad explicandum *an primus fueris.* Quod si quis solicitavit, sed vel deinde non processum est ad opus, vel certè, multo post; debe-bit sanè Sacerdoti id subiicere, utpote peccatum soli-citationis distinctum ab ipso opere pravo.

25. Quando quis in copula non servat debitum mo-dum, sed vel à latere, vel sedendo, vel præposterè, vel vim succumbente, modò servetur vas naturale; nec sit periculum effundendi semen extra vas (id quod tamen raro esse solet, quia matrix saltem partem maiorem, seminis

seminis attrahit); non est circumstantia necessariò confitenda: sic Sanchez *de Matr. lib.9. disput. 16. num.3.* quia id accidentale est copulæ, & in conjugatis, vel est veniale, si ob voluptatem, vel peccatum nullum, si in necessitate.

26. Qui incipit, nec absolvit copulam, debet explicare: quia, licet, tunc sit fornicatio ex affectu, non tamen in re ipsa fornicatio, sed tactus impudicus. Sic Sanchez *ibid.disp.19. num.3.* Qui item eamdem copulam incipit, & deinde resilit, semenque dispergit, debet id explicare: quia adest tunc dupl[ex] malitia, idest fornicationis ex affectu, & p[ec]c[atum] e ipsa semen dispergitur, ut ex se co

27. Quando [si] similiter, vel alio quocumque pe[c]cato peccat, non est necesse explicare, *se exposuisse periculo peccandi, ingrediendo domum* v. g. *puellæ & deinde peccasse.* Sic Delugo *disput. 16. de pœn. sect.12. num. 511.* quando enim hæc duo, idest, se exponere periculo peccandi, & peccare simul concurrunt, nec inter ipsa tanta mora intercedit, quanta necessaria est ad distinguendum unum numero peccatum ab alio, unum peccatum moraliter sunt. Nec potest obiici esse quidem unum numero, sed includere duas specie malitias, nec inquam, hoc potest obiici, quia se exponere tali periculo peccandi, & eodem peccato peccare, ejusdem sunt speciei: quod si intercedit prædicta mora, non est mirum debere explicari, quia tunc sunt duo numero distincta peccata. Qui media ex se licita vel ex se illicita adhibet, ut fornicetur qua ratione fater, debeat, diximus supra *cap. 1. §. 10.*

28. De eo, qui ex consuetudine inveterata fornicatur, diximus item suprà *cap.3 §.3.* De recidivo dicemus *lib.3. §.4.* Eum, qui cum magna contentione peccat, cum magna voluptate, cum tanta continua duratione, quia solùm addit circumstantiam aggravantem, explicare eas circumstantias non necessariò debere diximus *cap.1.§.18. de circumstantiis aggravantibus.*

## §. V. *De Sacrilegio.*

29. PErgimus ad sacrilegium, quod duplex in hac materia est (nam de homicidio & furto sacrilegis *(no loco)* alterum, quod contrahitur ex persona sacra alterum, ex loco sacro.

Quo ad primum, quod est, quando aliquis, qui Deo per votum Castitatis se consecravit, adhuc turpia quæcumque, v. g. mollitiem, fornicationem, &c. non vereretur admittere, certum est, ut ex supradictis *cap. 1. & præsertim num 52.* constat, non oportere explicare an semel, an pluries Castitatem voverit, quia id non addit differentiam specialem.

30. Quæstio igitur superest, an qui violat votum solemne Castitatis id explicare teneatur, an sit satis sic fateri: *Violavi votum Castitatis*: quod est quærere an votum simplex & solemne, quod quidem solemne habent tum professi, tum Sacerdotes, differant specie?

31. Dico esse probabilissimum, tutumque in præxi, non differre specie, atque adeo solemnitatem illam voti non esse necessario declarandam. Ita Suarez *lib.7. de Matrim.d.27.n. 27. & lib. 5. in Decal. cap.6. num.14.* Ratio est quia utrumque votum eamdem Religionis virtutem æquè respicit.

Hinc Sacerdos non obligatur in peccatis contra Castitatem explicare Sacerdotium, sed satis est si dicat *se voti reum Castitatem violasse.* Sic Sanchez *dicta disp.27. num.30.* Fagund *lib.4. præcept. Eccl.2. cap. 3. n.5.* Hinc Episcopus, & Generalis Ordinis Religiosi, ex hoc capite, (nam si adesset aliorum scandalum, iuxta supra dicta *de scandalo* aperiendum esset) in fornicatione v. g. non obligatur manifestare *se esse Episcopum, se esse Generalem*, &c. satis erit si *votum* tantummodo manifestet. Sic Sanchez *dicta disp.27. n.33.* quidquid dicat Fagundez *lib.dicto 4. cap.3. num.9* Hinc Religiosus non est obligatus explicare, se vel Religiosum esse professum, vel Sacerdotem, sed satis est si explicet *votum.* Hinc fœmina soluta v. g. peccans cum Sacerdote [vel] Subdiacono, vel professo, vel habente vota bi[nu]cietatis Iesv, &c. sufficit si dicat *se cum eo, qui [sa]cerdos erat, peccasse.* Ratio horum est eadem, quæ *ro præcedent.* dicta est.

32. Sed jam exoritur alia difficultas. An, qui votum Castitatis, est causa inducens alios ad peccandum, debeat suum tale votum explicare. Petrus Sacerdos vel Religiosus consilium dat, [ut] cit Paulum, & Antoniam nullo voto obstrictos [ad] citum congressum, debet ne Sacerdos ille, cum [in]ductionem fatetur, explicare se esse Sacerdotem.

Respondeo cum Sanchez *lib.5. in Dec. cap.6. n.* *simili*, non debere Ratio est quia votum non v[ult] extendere, nisi ad obligandum voventem: re[spi]cit sua persona, delectationes Venereas admittat; [non] ne alios ad easdem inducat, propriam enim, [non] Castitatem promisit, non alienam.

33. Hic denique nota Novitium, qui non[dum] vota emisit, non obligari patefacere *se esse No[vi]tium*, forte peccet contra Castitatem: quia, donec [vo]novam speciem peccati non committit.

De peccato cum filia Confessoris an sit [fa]explicandum. Confessario, dixi supra § *pra[ec]simplici.*

34. [I]quoad alterum genus in hac [ma]ando in loco sacro, ejusmodi [im]pe[ra]sciendum est per voluntariam pollu[ti]effusionem, quando notoria est, pollu[ta] siam, & conciliatione indigere. Certum autem [est] pula illicita, & quamcumque illicitam seminis [ef]in loco sacro habitam, si sit notoria, superatione cato rationem sacrilegij in Confessione patefa[ci]

35. Sed quid primò quando copula est occulta? pondeo. Licet communior, & probabilior sententia cum Suarez *t.1. de Relig lib.3.cap.7 num.4.* Sanchez *9. de Matr.disput.15. num.11.* Bonacina *de Matr. punct.ultimo, n.7.* etiam tunc esse sacrilegium; tamen probabile etiam est cum Vasquez *tom.1. p.2. disp.[2]. num.6.* Basil. Pont. *de Mat. lib. 10. cap. 10. num.* non esse, atque adeo in Confessione minimè [ex]dum. Ratio est, quia in tantum est sacrilegium, in tum polluitur Ecclesia: at non polluitur per [oc]copulam: ergo, &c. Quando autem fuit occulta, sed deinde post aliquot dies v. g. facta est [ma] polluitur quidem Ecclesia in foro externo, [in] reconciliatione: at copula præcedens non fuit in interno sacrilega, nec ab illa, quia occulta, fuit [ex] violata. Idem universaliter docet Ascanius Tamb[ur] *re Abb.t.15. q.11.n.8.* his verbis. Ecclesia, & [al] occulte polluta, quamdiu pollutio latet, non [in] reconciliatione: at quando incipit publicari, & [in]stari violatio, tunc est necesse, ut Ecclesia reco[n]tur. Vt Abbas, Navarr. alij.

36. Quid Secundò, si copula sit licita: idest [co]lis? Respondeo: si adsit necessitas, non se sacrilegus de qua vide Sanchez *lib.9. de Matr. d.15. n.21.*

37. Quid Tertiò de osculis, tactibus & locu[tio]turpibus sine effusione seminis in Ecclesia publicè? Respondeo non esse ex hoc capite sacrilega, [nis] specialiter in eorum Confessione Sacer locus [ap]dus. Sic *ibid.* Ratio est quia hoc sacrilegium [con]tur ex eo quòd violatur Ecclesia, (quæ quidem [vi]latio per sacros Canones inducta fuit) at per [so]ctus quomodocunque impudicos, quamvis cum [pe]tionis periculo (modo pollutio non saquatur) non [vi]latur Ecclesia: ergo, &c.

38. Notanter dixi (ex hoc capite) non enim [ob]gandum cum Delugo *disp. 16. sect.10.num. 46.* [ha]hæc vel similia exerceat in loco sacro, cum magna [ec]clesiæ irreverentia, ut si meretricem publicè ante [al]impudicè quis tangeret, si in sacro templo [ha]comœdias repræsenter, &c. non est, inquam, [ne]ab hoc Sacrilegij scelus in sua propria specie [co]

etiam seclusa omni humana prohibitione. Sic Bonac. *circa primum Decalogi præceptum quæst. 6. num. 14.* & alij *passim.* Ratio est, quia esset gravis irreverentia divini cultus, atque adeo ipsius summi Dei notabilis injuria.

Turpiter concupiscere mulierem dum quis recitat officium, non esse mortalem irreverentiam, unde nec necessario speciatim confessario aperiendam, judicat, contra Silvium, Diana *p. 6. tr. 7. rect. 36.* quem lege, nam inde ex modo à me dictis poterit statuere quid si illam concupiscas dum Sacrum facis? Quid dum confecras & consummas sacrificium. Quid dum fers sacram hostiam ad infirmos? Quid dum ministras alteri eamdem Eucharistiam, quid, dum quilibet actu communicat, vel immediate post, hoc est dum sacras species in se habet, & similia? nam in his casibus in quibus adverteret gravem & quidem peculiarem irreverentiam Summi Dei, erit mortale sacrilegium in propria specie, secus non item.

39. Petes quid intelligitur, ad hunc effectum, nomine loci sacri? Respondeo, quamvis ad effectum refugij latius sacri nomen intelligatur, includatque ex Sanchez *libro 9. de Matrim. d. 15. numero 23. & 42.* non solum Ecclesiam ipsam, Capellasque suas, sed etiam Sacristiam, Monasterium, &c. at ad effectum constituendi sacrilegium tum in homicidio, tum in furto, tum hic, intelligitur ex Sanchez *ibidem à dicto numero vigesimo tertio*, sola Ecclesia, & solum Cœmeterium hoc est Ecclesia cum suis capellis consecrata, aut talem ab Episcopo benedicta, sacris officiis aut sepulturæ fidelium deputata.

40. Denique, adverte duo. Primo ex Delugo *disp. 16. de pœnit. sect. 12. n. 523.* non addere novam sacrilegij speciem circumstantiam temporis sacri; sive igitur die festivo, sive die Veneris Sancti commissum fuerit peccatum, non est necesse eiusmodi temporis in Confessione meminisse. Nisi fortè ex alio capite Deo eiusque cultui irreverentia aliqua notabilis irrogaretur: sic *ibid. num 524.* ut si quis v. g. ludos publicos, vel comœdias, & lubrica spectacula exhibere in die Veneris Sancti v. g. vellet, id esse contra Dei reverentiam, nemo dubitare debet.

41. Secundò ex Filliuc. *tom. secundo, tract. trigesimo, cap. septimo, num. 129.* apud Dianam *parte 1. tract. septimo, resolutione decima octava*, nec ex se superadditur similis sacrilegij malitia, ex eo quod quis peccet gestando sacras Reliquias. Ratio est quia non videtur tam gravis irreverentia,

42. Quid si Sacerdos v. g. portans sacram Eucharistiam, vel Primò copulam carnalem haberet, vel Secundò infamaret, seu furaretur, seu quid simile peccatum patraret? Respondeo in primo casu magnam irreverentiam agnosco, unde & grave speciale sacrilegium, contra Religionem commissum, atque adeo Sacerdoti subiiciendum. In secundo tam gravem irreverentiam non video. Nec novum est non omnia peccata æqualem turpitudinem continere: nam propter eandem rationem, eum, qui valde impudica ante Altare exerceret, modò *numero undecimo*, à sacrilegio non liberamus: liberamus tamen cum Azor *tomo tertio, capite vigesimo septimo, quæstione decima quinta*, alia peccata non ita turpia committentem.

## §. VI.

### *De adulterio.*

43. CErtum est coniugatum turpiter peccantem cum soluta, vel contra debere explicare *se esse coniugatum*: quia tunc adest nova species, nempe Adulterium. Sed quæstio est, An quando coniugatus cum coniugata (& idem quæritur quando professus cum professa) peccat explicandus sit status utrique, an satis sit dicere *commisi adulterium, sacrilegium*, &c.

44. Dico non esse satis, sed adulterium, vel sacrilegium ex parte utriusque esse perpetratum fore necessariò explicandum. Ratio est ex Delugo *disput. 16. de pœnit. section. 5. num. 258.* quia tunc duo sunt commissa peccata, alterum quo quis peccat in sua persona, alterum quo cooperatur cum alia, ut illa in propria persona peccet.

45. Sodomia cum conjuge etiam sua, est adulterium: & denique bestialitas, Sodomia; & similia delicta uxorati, etiam cum solutis, sunt adulteria, ut item mollities; atque adeo explicanda: idem die, de osculis & tactibus impudicis, &c. Ratio ex Sanchez *l. 9. Matr. d. 18. num. 4.* Azor. *tom. 3. lib. 3. cap. 23.* quia in his semper injuria fit coniugi.

De delectatione morosa coniugati, vide supra, *cap. 7. §. 1. num. 4. fine.*

46. Superest hic, tanquam in suo loco, quærere an qui sponsam habet de futuro, id explicare debeat, si contra Castitatem peccet? Respondeo probabilissimum esse non debere. Sic Basilius Pontius *de matr. l. 11. n. 8.* aliique. Ratio est quia per sponsalia nondum traditur jus in corpus, quare non peccatur contra justitiam. Et sicut qui vovit Religionem si fornicetur, non obligatur explicare tale votum, quando fornicationem fatetur, quia per promissionem Religionis nondum contraxit obligationem voti Castitatis; ita ille per promissionem Matrimonij, nondum contraxit obligationem iustitiæ.

## §. VII.

### *De Incestu.*

47. NOn est dubium Incestum esse speciem luxuriæ explicandam in Confessione, qua consanguineis, vel affinibus, contra Castitatem sive per copulâ, sive etiam per oscula, tactusve impudicos peccas, &c. nam propterea ita communiter definitur: *Est peccatum luxuriæ, quod committitur cum persona coniuncta.* Sed quæstio est an incestus cum consanguineis differat ab incestu cum affinibus: & rursus; an incestus cum alterutris ex prædictis in uno gradu usque ad quartum (nam in aliis à quarto est simplex fornicatio cum) differat specie ab incestu in alio: v.g. peccato cum matre, cum filia, cum sorore, cum nepote, cum consobrina, sive consanguineis, sive affinibus, differunt ne inter se specie, ita ut in Confessione talis gradus sit ex necessitate declarandus? an verò si quis, cum aliqua ex dictis peccavit, etiam si fuisset mater, satis se explicet dicendo *incestum commisi?* Quid de peccante cum coniunctis spiritualiter, id est baptismo, vel Confirmatione, & de coniunctis legaliter id est ex Adoptione?

Tribus dictis hæc, quæ satis confusa propter opinionum varietatem apud authores sunt, breviter distinctéque, ex meo instituto, expedientur.

48. Dico probabile esse nec consanguinitatem ab affinitate, ex S. Thom. 2. 2. q. 15. art. 9. Cæt. *ib. d.* nec unum gradum ex his differre specie ab aliis. Sic Filliuc. *tom. 2. tract. 30. c. 5. n. 97.* dicens esse opinionem S. Thomæ Cæt. Soti, & ferè Thomistarum: Griptius *in tr. de casibus reservat. c. 8. n. 5* Megala *in 1. p. lib. 5. c. 12. num. 9.* uterque apud Dianam *p. 1. tract. 7. res. 31.* Vnde licet sine dubio gravius sit contra unum gradum delinquere, v.g contra primum cum matre, quam contra alium, v.g. cum consobrina; tamen quia non mutatur species, puto non esse ea speciatim ex necessitate patefacienda. Ratio est, quia in omnibus his una specie deformitas est (licet modo levior, modo gravior) nempe contra reverentiam debitam conjunctis. Quòd autem id oriatur interdum ex ipsa natura, ut in primo consanguinitatis gradu, & per alios etiam in secundo, interdum verò ex præ-

cepto Ecclesiæ, ut in cæteris, & maximè in gradibus affinitatis; nihil specie diversum ex hoc necessariò infertur: nam præceptum superioris, cum aliquid præcipit, ponit materiam præceptam in ea specie virtutis, ratione cuius illud præcipit: nunc autem Ecclesia abstineri ab illis congressibus præcipit, propter eandem reverentiam coniunctis debitam. Quod deinde gradus ipsi non mutent speciem inde probatur, quia hi nihil aliud inferunt, nisi majorem vel minorem coniunctionem: magis autem & minus non variant speciem, etiam in hac re nostra morali: nisi aliunde probetur esse cõtra particulare virtutem, vel particulariter contra diversum rectæ rationis dictamen. Id quod hîc, quamvis multi probabiliter invenire satagant: nihilominus alij probabiliter item, non inveniri posse contendunt.

Dices. Asserimus hic num. 48 ex probabilissima plurium sententia turpem conjunctionem cum consanguineis non afferre diversitatem specificam necessariò in Confessione explicandam aut diversam ab alia coniunctione strictioris cõsanguinei; quia licet gravius sit contra unum gradum v. g. contra primum cum matre, quam contra alium V. G. cum consobrina, delinquere tamen magis, & minus speciem incestus diversam non constituit. Ergo idem asserere debuimus supra lib. hoc 2. c. 5. 5. 1. & 2. in injuriis illatis contra consanguineos vel affines, atque adeo dicendum fuit, injuriam illatam Patri vel Fratri non esse diversæ speciei ab injuriis contortis contra ceteros minus propinquos, quia pariter magis, & minus in debito, quod consanguinei contrahunt, non se conviciandi, non afferunt diversitatem specificam.

Respondeo: Certè urget non improbabiliter paritas. Unde probabiliter consequitur, tum in hac materia de incestu, tum in illa materia de injuria contra consanguineos, vel affines inflicta, non esse necessariò explicandam ejusmodi diversitatem, sed sufficere si dicatur: *Ego mihi coniunctos contumelijs affeci.*

49. Dico secundò, Incestum cum conjunctis coniunctione legali, id est coniunctione orta ex adoptione alicujus in filium (quæ est inter adoptantem & adoptatum: inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis, qui in ejus sunt potestate: inter uxorem adoptari, & ipsum adoptatum: & denique inter uxorem adoptantis, & adoptatum.) Dico inquam hunc incestum non esse explicandum, ut distinctum ab aliis incestibus dictis *in n. præced.* & nec necessariò explicandas diversitates illas dictas in proxima parenthesi. Ratio prioris partis hujus dicti est ea, quam *num. præced.* diximus: quia nimirum Ecclesia propter idem motivum reverentiæ coniunctis debitæ, prohibet ejusmodi congressus. Sic Delugo *disp. 16. de pœnit. sect. 6. num.* 328. Ratio posterioris est similiter eadem, quam *ibidem* diximus: quia diversitas gradus solùm indicat magis & minus in eadem specie.

50. Dico Tertiò, Incestum cum coniunctis coiunctione spirituali, id est orta ex Baptismo, & Confirmatione (quæ est inter baptizantem & baptizatum, inter patrinum vel matrinam cum ipso baptizato, inter parentes baptizati cum baptizante, & denique inter eosdem parentes baptizati, & patrinum, vel matrinam: quod idem est respectivè in Confirmatione.) Dico inquam cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 5. num. 9.* incestum hunc esse explicandum ut distinctum ab utroque incestu carnali & legali, prædicto *in num.* 48. & 49. sed non esse necessarium explicare an ex Baptismo, an ex Confirmatione fuerit orta coniunctio: item nec esse necesse explicare an v. g. baptizans vel confirmans peccaverit cum baptizata, an cum matre ejusdem, &c. Ratio primæ partis huius dicti est, quia incestus spiritualis addit circumstantiam Sacramenti ratione cuius reducitur ad genus quoddam sacrilegij. Ratio secundæ, & tertiæ partis est, quia semper in prædictis committitur peccatum cum eadem specie, deformitate; esto graviore vel leviore: quia semper est contra eandem reverentiam debitam personis, ex intuitu Sacramenti nexis.

51. Huc commodè reducere possumus duo, quæ persunt explicanda. Primum circa impedimentum blicæ honestatis. Secundum circa incestum cum. Quoad primum, sciendum est impedimentum blicæ honestatis esse illud, quod oritur ex sponsa de futuro, validè tamen initis; nam his ita in tur, ex Sanchez *lib. 7. de. Matrim. d. 68. & seq.* mentum dirimens Matrimonium inter sponsum sanguineos sponsæ in primo gradu, & contra: id potest validè contrahi Mattimonium à sponso vel sa cum dictis consanguineis. Idem etiam impedi oritur ex Matrimonio rato non consummato, addito ex Sanchez *ibid.* ut sit dirimens etiam quartum gradum, & etiamsi Matrimonium fuit tum, ex quocumque capite, præterquam ex consensus.

52. Jam si quis cognosceret sororem v. g. trem, filiamve suæ sponsæ de futuro; rursus, si ceret sororem, aliamve consanguineam suæ con verba de præsenti, sed nondum consummato M nio; debetne in Confessione explicari non so sum peccatum, sed etiam ejus qualitatem, nempe incestum cum matre, cum sorore, cum consa sponsæ, &c. Respondeo cum Delugo *disp. 16. de sect. 6. n.* 131 certum esse tale peccatum habere incestus carnalis: quia est prohibita talis copula clesiam, ponentem in ea impedimentum dirimen pter reverentiam coniunctis debitam: quare etiam explicandus. Quoniam verò suprà diximus non e probabili opinione, in cæteris incestis necessariò candos gradus: ita hîc ubi incestus oritur ex Matrimonio, consequenter propter eamdem inhi tam rationem, dicendum erit.

53. Quoad secundum, id ex quo ad Sodomiam rimus an si quis sodomiticè cognosceret consa neum: vel consanguineam, vel affinem, vel coniun coniunctione legali, vel spirituali; debeat explicare junctionem, ita ut non satis sit dicere *se Sodomiam misisse*, sed necessariò addendum, *se Sodomiticum stum commisisse?*

Respondeo cum Filliuc. *tom. 2. tract. 30. cap. 5.* necessariò sic addendum. Ratio quia est ob reve naturalem propinquis debitam, ejusmodi peccatum tra malitiam Sodomiæ, habet & malitiam inc Quamvis enim per hunc incestum Sodomiticum impediatur Matrimonium; quia ut impediat, debet seminatio in vase naturali; neque per eundem incestum pœnæ contra incestum latæ, pœnæ fulmi tur contra incestum propriè dictum, id est enorm copula naturali: tamen quia fit contra prædictam rentiam, non potest propriam incestus malitiam participare.

54. Major difficultas est, utrum explicandi g v. g. sic: *Commisi incestum Sodomiticum cum fratre, patre, cum consobrino:* An satis sit dicere: *commisi estum Sodomiticum:* Respondeo in nostra sententia babili non esse necessariò explicandos. Ratio est, omnes sunt ejusdem speciei, & solum secundum & minus in eadem specie differunt: id quod, ut dixi *num.* 48. notat quidem majorem minoremve gravi sed nequaquam specie distinctam.

§. VII.

## §. VIII. *De Stupro.*

55. STuprum est concubitus viri cum virgine fœmina eadem repugnante : Quare, ea consentiente, ex probabilissima sententia, est simplex fornicatio. Vnde sequitur *statum virginitatis* non esse necesse in Confessione explicare, virgine consentiente : quem, illa repugnante explicare oportebit.

56. Pari ratione Sodomitica copula cum eadem consentiente est mera Sodomia ; unde nec ibi *status virginitatis* est declarandus.

57. Cum se virgo polluit, vel delectatur, &c. non facit nisi peccatum mollitiei, de quo diximus *suprà* §. 4 *num.* 19. nam propterea *suam virginitatem* explicare non obligabitur.

58. Ad expediendam Confessionem facit, scire obligationem, quam contrahit stuprator. Dico ergo. Cum virgo defloratur, ipsa consentiente, nihil nec ei, nec parentibus debet defloratur. Ita Lessius *lib.* 1. 10. *dub.* 1. At si vi, vel fraudè, vel promissione virginem quis deflorarit, sanè tenetur vel dotare, vel ducere, ac solvere quod promisit. Sic *ibidem.*

## §. IX. *De Raptu.*

59. IN duobus differt Raptus à stupro : Primò, quia stuprum semper est cum virgine, at Raptus est de quacumque muliere, immo etiam, puero qui sane Raptus est omnium turpissimus.

60. Secundò, stuprum solùm dicit violentiam, vel ad summum fraudem : at Raptus, præter violentiam, addit abductionem. Ita Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 36. *cap.* 6. est enim Raptus peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum. Additur igitur malitiam contra justitiam ; atque adeo specialiter confitendam.

61. Abductio sponsæ de futuro ; ut item sponsæ de præsenti, id est coniugis per duos menses ante consummationem Matrimonij, ad quod consummandum prædictum tempus conceditur : abductio, inquam, ejusmodi sponsarum, si est ad finem ritè complendi Matrimonium ; non est Raptus : quia, etiam repugnantibus Parentibus, non est ex Filliuc. *ibid.* abductio ad id, quod est prohibitum : sed si est ad illicitum finem, explendæ scilicet libidinis ; erit raptus, speciatim in Confessione manifestandus.

## §. X. *De Peccato contra naturam.*

62. QVatuor sunt species, & quidem distinctæ, aperiendæ ex Filliuc. *tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 142 quia habent turpitudinem, si non physicè diversam, quia omnes prodigunt semen sine spe generationis ; certè, ex recta hominum æstimatione, diversam moraliter. Mollities, Sodomia perfecta, Sodomia imperfecta, Bestialitas ad quam reducitur congressus cum Dæmone. De singulis aliquid breviter delibamus.

### *Mollities.*

Est pollutio voluntaria sine coniunctione corporum ; seu, ut definit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 52. *artic.* 11. & *ibid.* Cæt. est peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur, extra concubitum, causa explendæ delectationis venereæ. Si quis tamen dum se polluit consentiat, vel cogitet morosè in aliquam aliâ speciem, v.g. in adulterium, incestum, &c. contrahit eandem malitiam quam cogitat, adeóque confitendam. Ita Filliuc. *tract.* 30 c. 8 *n.* 54.

63. Inanimatum instrumentum, quo quis se polluat, non facit mutationem speciei, ut *supra. c.* 1. §. 10. de medijs quæ assumuntur ad peccandum, universaliter dixi. Dixi (inanimato) nam si animato ; ut si manibus alterius, &c. fiat, iam nunc subdo.

64. Si quis se pollueret inter brachia, coxendices, os, &c. fœminæ, vel viri, cum id regulariter procedat ex affectu personæ, seu concubitus cum illa, est sine dubio specialiter explicandum : quia non est mera pollutio, sed copula inchoata. Non tamen credo necessariò esse explicandas peculiares partes corporis (nisi sit affectus aliquis particularis, v. g. ad partes præposteras, ob Sodomiam, unde & explicandum) materialiter enim se habent, ex Filliuc *ibid. n.* 156. & illa major delectatio quæ in una ex partibus quæritur, non transcendit speciem malitiæ quæ est in alia.

65. Petes : quando quis habet inchoatam prædictam copulam, necessitate habet exprimere in Confessione se seminasse extra, vel intra vas. Respondeo. Ita : quia extra dispergitur semen : At intra vas naturale fœminæ, non item. Quid in masculis, dicam mox à *n.* 77. & addam utilissimam praxim pro hac re.

66. Si quis se polluat manibus alterius viri, vel fœminæ, vel suis alium quis polluat debet id explicare, propter cooperationem cum alterius peccato. Immo si tu tuis manibus polluas uxoratum, vel Sacerdotem, &c. debes id explicare : quia cooperaris ad Adulterium, vel sacrilegium ; juxta ea quæ dixi *cap.* 1. §. 27. *de scandalo. n.* 100 At si te suis manibus alius polluat ; parum refert, ex eodem Filliuc. *ibid*, pro tuo peccato contra Castitatem, quòd ille fuerit vir, vel fœmina, vel Sacerdos : tunc enim (si aliud non addit) se habent illæ manus ut merum instrumentum, & solum adest cooperatio cum alterius te polluentis peccato ; ut dictum est *c.* 1. §. 20. *n.* 69. De hoc vide vinidicationem meam *l.* 1 *in Dec. c.* 7. §. 1. *à n.* 5. vel in calce operis.

De incipiente copulam, & resiliente, seménque dispergente, dixi §. 3. *n.* 26.

De Mollitie virginis, dixi §. 8. *n.* 57.

De Mollitie uxorati §. 7. *n.* 45.

De Mollitie sacrilega §. 5. *n.* 34.

De comedente calida, ut polluatur in somno, dixi *cap.* 6. §. 2. *n.* 7.

De se sæpius polluente an sit statim absolvendus, dicetur universim inferiùs, cùm de Recidivo *lib.* 3. *c.* 3. §. 4

### *Sodomia.*

67. Sodomia, & quidem perfecta, est concubitus ad sexum non debitum, ut vir cum viro, fœmina cum fœmina : Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 52. *artic.* 11. & *ibi* Cæt. nam concubitus viri cum fœmina in vase præposterò, est Sodomia imperfecta, de qua mox. Concubitus autem est copula carnalis consummata : naturalis, si sit in vase debito : innaturalis si sit in loco, seu vase non debito.

68. Sed hîc est quæstio, quandonam mutua procuratio pollutionis inter mares, vel inter fœminas debeat dici mollities, quando Sodomia?

Respondeo cum Cæt. an. *ibid.* quando ex affectu ad personam adest concubitus, si sit inter indebitum sexum, hoc est inter virum & virum, fœminam & fœminam ; tunc est Sodomia. Quando verò est mutua pollutio absque concubitu, sed solum ad explendam libidinem, est Mollities.

69. Hinc si duo Mares commisceant corpora, & moveantur ad procurandam pollutionem, vel quomodocumque se tangant impudicè, ex affectu indebiti sexus, ita ut effusio seminis vel sit intra vas præposterum, vel etiam extra ; puto esse Sodomiam : Ita Pater Antonius Marsilius Lector Casuum in Collegio Romano *in manuscriptis in Decal. tract.* 11. *cap.* 8. §. 3. Si sit intra vas, est certum : si vero sit extra, probatur : quia quamvis tunc non sit copula, tamen per illum concubitum est affectus venereus ad indebitum sexum, qui propriè constituit sodomiam : nam cæterum sive semen effundatur intra, sive extra ; semper æquè in loco non suo dispergitur locus enim præposterus videtur materialiter se habere in Sodomia ; sed formaliter ejus essentia sumitur ex motivo, scilicet ex concubitu cum affectu ad indebitum sexum.

Confirmo, quia fœmina cum fœmina non alio modo commiscetur, nisi per dictum concubitum cum effusione seminis, & non intra vas præposterum. Inter illas enim non potest esse copula propriè; sed si ipsæ fœminæ commisceant corpora ex affectu solam se polluendi, id est explendæ libidinis; est mollities: si ex affectu ad indebitum sexum; est Sodomia.

70. Scio Graphium *cap. 90. n. 11.* ex Navar. *cap. 23. n. 249.* sentire, ad copulam sodomiticam requiri effusionem seminis intra vas naturale. Sed mihi hæc sententia non placet. Primo quia, ut dicebam, sic inter fœminam & fœminam non esse Sodomia. Secundò quia talis concubitus ex affectu indebiti sexus, cum effusione seminis extra vas, non est Mollities: quia hæc est pollutio ex affectu explendæ libidinis, ut supra diximus: ergo est Sodomia.

71. Solum igitur sententia Graphij est vera, quoad pœnas, & reservationem, si quando Sodomia est peccatum reservatum: pœnæ enim, & reservatio, cum sint odiosa; restringuntur ad Sodomiam principalem, & maximè notam, & undequaque certam.

72. Ex his ergo collige, cùm vir cum viro, vel fœmina cum fœmina peccant per dictum concubitum; satis esse in Confessione dicere *se exercuisse Sodomiam*: sine necessitate dicendi an semen intra, an extra vas emiserint. Quid dicendum quando vir præposterè fœminam cognoscit, & semen extra vas dispergit, dicam *mox*, cum de Sodomia imperfecta.

73. Vnum denique hic adverte, in Sodomia non satis esse dicere, *Sodomiam commisi*; sed explicandum insuper, *an, quis fuerit Agens, an Patiens.* Ita Delugo *disp. 16. sect. 4. n. 243.* Ratio est, quia. Agens committit pollutionem: quam patiens non eo ipso, quod patiens est, committit.

De Sodomia cum affine, vide §. 7. 54.
De Sodomia uxorati, vide §. 6 *n.* 45.
De Sodomia cum infideli vide § 4. *n.* 22.
De Sodomia cum Virgine: vide §. 8. *n* 56.

*Sodomia imperfecta.*

74. Sodomia imperfecta, quam alij vocant innaturalem concumbendi modum, est peccatum contra naturam, per quod vir cum fœmina concumbit extra vas naturale. Est species distincta à Sodomia perfecta; adeoque speciatim in Confessione exprimenda: perfecta enim procedit ex affectu ad indebitum sexum: hæc verò procedit, non ex affectu ad indebitum sexum, sed licet ad debitum, tamen ad partem innaturalem.

76. Sed quid dicendum, si quis se polluat inter cæteras partes fœminæ, coxendices, brachia, &c. Respondeo, de hac re dictum supra *n.* 64. Illud hìc sive regole, sive adde. Si primò, sit concubitus ex affectu ad personam ipsam, sexumque fœmineum; est copula fornicaria sive adulterina, sive incestuosa juxta conditionem personæ, atque adeo est aperiendus. Si secundò, sit concubitus ex affectu ad præposteras partes, est Sodomia imperfecta, de qua agimus, ac similiter aperiendus. Si tertiò denique, sit sine concubitu, sed merè ad explendam libidinem; est Mollities, ex se explicanda.

76. Si quis tamen fateatur absolutè concubuisse cum fœmina; regulariter intelligitur fuisse ex affectu ad personam primo modo, non verò secundo, vel tertio, nisi aliud expressè fateatur. Ratio est quia intelligitur illum concubitum factum esse more ordinatio: mos autem ordinarius est, ut vir cum fœmina commisceantur ex affectu ad sexũ fœmineum. Vnde vides multum differre hunc concubitum viri cum fœmina, ab eo concubitu viri cum viro, vel fœminæ cum fœmina: ille enim est Sodomiticus quia non potest esse ex affectu ad copulam naturalem: hic non est Sodomiticus; quia quando vir cum fœmina miscetur; semper regulariter est ad copulam naturalem.

77. Hìc universaliter pro omnibus peccatis luxuriæ velim diligenter pernotes: Hæc à nobis dicta esse ad dandum veram harum rerum essentiam: Cæterum praxi Confessario expediet tot minutias nequaquam terrogare. Audi Filliucium, *in Instruct. brevi pro Cap. 1. circa initium.* Prudens, inquit, esse Confessarius debet in exquirendis cautè circumstantiis sexui præparatoriis ad actum consummatum, modis minùs necessariis, ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tationem Audi Coninch. *disp. 7. de Sacram. dub. 7.* Præstat aliquando Sacerdotem minùs perfectè pœnitentis intelligere, quàm vel illi vel sibi aliquod dalum creare, & esse nimium. Audi Angelum *V.* gationes, *num. 1. Confitetur*, inquit, *mulier quod* nita extra vas debitum: non quærat postea Confes in quo loco, vel quomodo & huiusmodi, sicuti faciunt ãam, qui potius sunt contaminatores quam Confes Vide Fagund. *præcep. Eccl. 2. lib. 4. cap. 2. num 8.* bonum *in exam. Eccles. 2. lib. 4. capit. 12. quæst. 11.* go *disputat. 16. de pœnitent. sect. 14. num. 595.*

*Bestialitas.*

78. Bestialitas est Concubitus cum re animata, ejusdem speciei cum homine. Hùc reducitur concubitus cum Dæmone; quia adhuc ille non est ejusdem homine speciei, etiamsi assumat formam hominis. Thom. 2. 2. q. 52. *art. 11.* In hoc crimine non est necessarium explicandum genus animalis, sive sit equus, sive equa, sive ovis, sive gallina: semper est enim eadem specie moralis deformitas. Ita Filliuc. *tract. 30. c. 8. n.* Ac si sit concubitus cum Dæmone, debet id explicari sic idem *ibid. num. 161.* quia superadditur peccatum contra religionem, ideſt commercium cum Deo, inimicque omnium nequissimo inimico.

Nota insuper exprimi in confessione oportere, Dæmon fuerit sub forma fœminæ, vel viri, vel sub forma talis conjugati, vel talis monialis, professa, &c. *ibid.* Ratio est, quia tunc, præter Bestialitatem, affectus ad talem.

## CAPVT VIII.

## Circa Septimum, & Decimum Decalogi præceptum.

§. I. *De Furto communi, Rapina, & Damno.*

1. SEctando probabilem opinionem, docentem circumstantias in eadem specie aggravantes non cessariò exprimendas: Dico cum Delugo *disp. 16. dubnit. sect. 3. num. 121.* satis esse si furtum fateri debeat, dicere: *Furtum in materia gravi commisi*: at non dicere te furatum v. g. decem, cum furtis furatus, octo, vel quindecim: quia sic non explicates quod commisisti; sed aliud, quod non commisisti. Si te de præcisa quantitate interroget Confessarius, videndum forte ad quid tenearis; quoad restitutionem, vel quo ad aliam obligationem; illam teneris exprimere: Sic *ibid. num 123.* quia is habet Ius ad interrogandum pœnitentem de omnibus, quæ ad suæ salutem animæ conducere possunt ut diximus *cap. 1. §. 1. n. 6.* & dimus *cap. 10. §. 2. num. 38.*

2. Si quis publicum Magistratum gerens fuerit, v. g. Iudex, Gubernator, &c. debetne explicare se talem quando furtum illud affert Confessario? Respondeo cum Delugo *disp. de pœnit. 16. sect. 4.* peccabiliter non debere: quia munus, quo fungitur, tam cuius impedire tenetur furta in Civitate, non videre hac novam speciem superadere. Nam sic etiam Sacerdos v. g. aliquem percutiat; non obligatur explicare se, cum esset Sacerdos, hominem percussisse: enim indecens magis sit à te, cum sis Sacerdos aliquem percuti, tamen nova species non non additur.

3. Rapina specie à furto differt: Ita idem

*sect.* 22. *num.* 495. quare & in Confessione promenda; specie, inquam, mortali. Rapina enim est quidem rei alienæ ejus, inquam, mortali. Rapina enim est quidem rei alienæ contrectatio, sicuti furtum: sed addit violentiam, atque adeo additur vis & contumelia contra Dominum.

4. Damnum datum sive hoc, vel illo modo, sive hoc, sive illo instrumento, semper est ejusdem speciei: nisi aliud debeat in Confessione explicari, vel propter censuram fortè annexam, vel propter reservationem, vel simile quid. Idem cum eadem limitatione dic in furto, sive fiat per dolosum contractum, sive per usuram, sive alio modo.

De furto facto pluribus, vide *cap.* 1. § 9. *n.* 65.

### §. II. *De furto Sacrilego.*

FUrtum commune à sacrilego, specie differt; adeoque speciatim apud Confessarium deponendum: quoties nimirum aliquis per furtum violat res sacras. Id quod tribus tantum modis evenire potest ex Fagund. *Exhortat. præcep.* 2. *lib.* 4. *cap* 4. *num.* 8. Vide etiam Bonac. *circa primum præceptum disp.* 3. *q.* 6. *n.* 13. & Delugo *de pœnit. disp.* 16 *sect.* 10. *à num.* 469. Primò, si quis à loco sacro id est ab Ecclesia furetur rem Ecclesiæ, sive sacratam, ut Calicem: sive Ecclesiæ propriam, ut ejus pecuniam. Vel vestem etiam existentem extra Ecclesiam, quia satis est, ut sit Ecclesiæ propria, nam sic dicitur auferri à Dominio Ecclesiæ, atque adeo à loco sacro. Ita Colligitur ab Autoribus in margine citatis.

Secundò, si quis furetur rem, profanam quidem, sed quæ ita custodiæ tradita sit Ecclesiæ, vel eidem Ecclesiæ accommodata, ut ipsa Ecclesia de illa re teneatur.

Tertiò, si quis rem sacram v. g. prædictum Calicem consecratum, à quocunque loco etiam non sacro, furetur. Ratio horum est, quia in his tantùm casibus, loco sacro teique sacræ injuria particularis irrogatur.

Præter hos igitur casus non inveniatur ratio furti sacrilegi. Quare si quis furetur crumenam divitis in Ecclesia, vel sellam ejusdem in Ecclesia positam, ad ejusdem divitis commoditatem, vel tapetia profana existentia sive extra, sive intra Ecclesiam: vel gladium v. g. Parochi, quem Parochus, nomine suo, non verò nomine Ecclesiæ possidet: non committit sacrilegium, & consequenter non debet illud, nisi ut vulgare furtum, confiteri. Ita Bonac. *ibid.*

## CAPUT IX.

## Circa Octavum Decalogi præceptum

### §. I *De Contumelia, Detractione, Iudicio temerario.*

1. FAlsò testari contra aliquem, non solum quis solet in iudicio, sed etiam extra: ac propterea huc reducimus peccata conviciandi, infamandi, detrahendi, &c.

Sed jam per occasionem nonnulla tetigimus de contumeliis, deque detractionibus *cap.* 1 § 7. *num.* 53. & 54. Qua ratione scilicet qui unico contextu contumelias varias, variasque detractiones contra eundem committit, unico peccato peccet: & § 9. *n.* 63. qua ratione qui unica detractione multos simul læsit, unico item peccet peccato? & *cap.* 5. § 1. & 2. qua ratione injuriæ, contumeliæque jactæ contra parentes, consanguineos aliosque inter se differant. Cætera igitur, quæ pro nostro instituto supersunt in præsentia suo in loco sic habe.

2. Quam vis detractio in una materia graviori infectat minus nocumentum, quam in alia minus gravi: qui exactus explicari in Confessione non possit, nisi explicando materiam detractionis, & conditionem personæ, cui detrahitur: v. g. Proximus infamatus fuit, ut hæreticus, an ut fur, an ut Sodomita: & rursus an infamatus fuit Rex, an Episcopus, an Sacerdos: immo nisi explicetur etiam & numerus eorum, coram quibus detrahitur; actius enim offenditur proximus, si coram decem, quam si coram duobus de illo detrahas, tamen cum hæc, & similia culpam aggravent quidem, sed intra eamdem speciem: non sunt necessariò in Confessione declaranda, nec à Confessario interroganda. Ita Delugo *de pœn. disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 112. Molin. *tom* 5. *de justitia, tract.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. Azor. *tom.* 3. *lib.* 13. *cap.* 5. *dub.* 1. aliisque, satisque erit si dicatur in hunc modum: *graviter infamavi, detraxi convicia contuli, ter*, vel *quater* &c. sine necessitate explicandi an injuria, in convitio, in detractione, dixerim proximum esse hæreticum, seu homicidam, seu furem: vel explicandi, affuisse præsentes duos, vel decem: vel denique significandi eum contra quem egi, fuisse Regem, vel Sacerdotem: excipe, nisi fuisset Parens, vel alius ex dictis *dicto cap.* 5. § 1. & 2.

3. De Iudicio temerario, idem propter eamdem rationem sentiendum erit: nam quia bona existimatio, quæ per iudicium temerarium maculatur, semper est eadem in genere moris; satis erit dicere, *toties in re gravi temere iudicavi.* &c.

4. Diximus supra *cap.* 1 § 8. *num.* 53. eum qui unica continuatione locutionis, multas detractiones de eodem exhibet, unicè peccare. Iam quid, si unica simili continuatione locutionis, detrahat quis multis, v. g. tribus personis Petro, Paulo Antonio?

Respondeo, cum Delugo *ibid. num.* 135. si unica locutione, hoc est, unicum recensendo factum tres illos offendat; satis est dicere: *De pluribus semel detraxi*: sive illi plures fuerint tres, sive quatuor sive decem. At si in eadem confabulatione, nunc Petro detrahis, mox ad infamandum Paulum sermonem convertas, &c. diversa mala de singulis proferens; credo debere exprimi tres detractiones sigillatim; licet enim continuatio fiat confabulationis; nihilominus numero differunt ejusmodi detractiones, sicuti differre numero diximus tres copulas cum eadem, vel diversa fœmina, continuatim, eadem nocte habitas.

5. Petes, differtne specie, falsum defectum proximo imponere: & verum, sed occultum propalare? Respondeo cum Molina *tom.* 5. *disp.* 26. *num* 8. probabile esse non differre, atque adeò non necessariò in Confessione declarandum: quia utrumque unam, eamdemque bonam lædit existimationem.

6. Adverte hic denique duo. Primo, posse detractionem per accidens esse contra alias virtutes; & tunc sine dubio id esse Confessoribus aperiendum: v. g. si prævidens ex tua detractione proximum incursurum damnum in vita, honore, bonis; tunc detractio, cum non solum sit proximi famam cummaculans, sed tale detrimentum insuper afferens; illam novam malitiæ speciem inducat necesse est.

Quid si prævideas quòd dum detrahis de Petro, coram Paulo; Paulus gaudebit de illius gravi malo? Respondeo tunc etiam te peccare contra charitatem, cui scandalum speciale præbes? eoque modo explicandum, quod diximus cum de scandalo egimus *cap.* 1. § 17.

7. Secundò. Adverte differre Detractorem à Susurrone: susurro enim est qui detrahendo, pacem & concordiam interturbat; cum detractor ab hoc abstrahat. Susurro ergo cum accumulet supra læsionem famæ, discordiarum seminationem; addit aliam speciem culpæ, contra charitatem, quæ subiici omnino clavibus debeat. Ita Delugo *de just. & jure tom.* 1. *disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 40.

Quo ad restitutionem famæ lætæ; non est nostrum hic disputare; sicuti nec disputavimus de restitutione bonorum in furto; nec de aliis quæ nequaquam proximè faciunt ad expediendam Confessionem, quæque ab Authoribus sunt in suis locis exposcenda.

### §. II. *An in Confessione manifestari secuis peccati possit?*

3. HOc quidem nostrum est munus, breviter excutere, ex quo tum Pœnitentes, tum Confessarij aliquam trahent facilitatem expeditæ Confessionis.

Primò ergo dubitatur. An debeat quis aperire Confessario complicem sui peccati, cum infamia eiusdem complicis? v.g. peccavit cum matre, an debeat explicare incestum atque consanguintatem Confessario, qui novit pœnitentem aliam consanguineam, vel affinem non habere, nisi matrem? respondeo: si commodè quis potest adire, vel expectare Confessarium, qui matrem prædictam non agnoscat; ad id obligabitur, ni faxit, peccabit cum onere restitutionis famæ apud Confessarium: quia nemo licite potest infamari sine ulla necessitate. Ita Suarez *de pœn. d. 34. sect. 2.* Vasquez *de pœnit. quæst. 91.* Coninch. *de pœn. d. 7. dub. 9.* pluresque alij ab ipsis citati. At si commodè non potest; puto obligari ad declarandum complicem, quamvis sequatur eiusdem complicis infamia apud Confessarium. Ratio est ducenda ex institutione à Christo hujus Sacramenti, quam ego sic explico.

9. Majus ego ius habeo ad meam famam tuendam, quàm alter habet ad hoc, ut ego conservem eius famam: sed ius, quod ego habeo ad famam meam, non me excusat, ne aperiam Confessori scelera mea, licet cum meæ famæ diminutione: ergo neque alterius ius me excusabit, ne aperiam eiusdem scelera, licet cum diminutione eius famæ. Minor est certa: Major, præterquam quod admittitur communiter ab omnibus, Probatur, nam propterea possum ad meam famam tuendam, alium infamare vera eius occulta crimina manifestando: Vnde. Reus licitè infirmat testimonia aliorum contra se, revelando eorum occulta scelera, ut Lessius *cap. 31. dub. 1.* docet & alij: Fatendum ergo ita Christum Dominum voluisse instituere hoc pœnitentiæ Sacramentum, ut non haberetur ratio nec famæ propriæ nec (quando id necesse fuerit) famæ alienæ.

10. At de jure naturæ est, non infamare proximum. Respondeo ita sanè, quando infamare non est necessarium: nam quando est necessarium, & ex alia parte adest veritas delicti, quod est exprimendum: nego esse de jure naturæ non infamare. Cum igitur occultum peccatum proximi aperire sit aliquando necessarium, ut omni meliori modo quo potest reo illi, ejusque vitæ corporali consulatur: & in nostro casu, de quo agimus, sit necessarium ut pœnitenti, eiusque spirituali commodo prospiciatur? mirum non erit si in talibus casibus proximi fama post haberi possit.

11. Petes: quantum temporis obligabitur quis expectare Confessarium, qui complicem non cognoscat in casu dicto *num.* 8. Respondeo: communiter non plus quam unum, vel duos dies: Sic Delugo *de pœnit. disput. 16. sect. 7. n. 416.* quia magnum esset incommodum, eum, qui animam peccato infectam habet, diutiùs expectare debere remedium divinæ reconciliationis; quod aliàs per contritionem obtinere difficile.

12. Petes secundò: si quis propter solam consolationem, quam sentit ab amico, vel docto Confessrio, nollet alium expectare, vel quærere, possentne, circa aliam causam, complicem eidem Confessario declarare.

13. Respondeo, probabile esse posse. Ratio est. Primo, quia non desunt Auctores, qui defectum proximi uni, vel duobus vitis prudentibus manifestare, docent non esse saltem mortale. Sic Reginaldus referens Caëtanum & Navarrum *lib. 24. num. 75.* Inclinat Less. *lib. 2. c. 11. num 79.* Nec reprobat Azor. *Tom 3. lib. 5. cap. 9. q. 2.* ait enim contrariam sententiam sibi magis placere, ergo & hæc placet: & probabilem docet esse Tannerus 2. 2. *disp. 4. q. 8. dub. 7. num. 138.* multo magis ergo, si manifestes propter consolationem spiritualem uni Confessario. Secundò, quia video passim fideles, etiam timoratos, non esse solicitos de complicibus tacendis Confessario: Vnde putandum est omnes fideles in id consentire, suæque famæ (quando vel est necessarium, vel pœnitenti aliqua tandem ratione commodum) cedere voluisse. Ego profectò eum, qui bona fide, etiam cum commodè potest alium Confessarium adire, tamen non adit: si aliud damnum non consequitur, nisi denigati o famæ proximi, condemnare de peccato possem, nec dem ad restituendam famam apud Confessarium garem. Sic Fagund. 2. *Eccl. præcept. lib. 5. c. 13. n.* solum esse consilium hac in re quærere alium Co rium ignorum. Tertiò, quia si maritum cum uxore denti, quæ prudenter creditur non oblocutura, rius occulto gravi defectu confabulantem à mortal cusat; cur non filiam cum Patre spirituali, ob fa solationem confitentem? Sic Reginald. modò Quartò, quia complex, quando peccat, videtur iuri suo: scit enim dum cum socio peccat, tale à socio in Confessione forte aperiendum. Quinto qui Sacerdoti confitetur; non homini, sed Deo cognoscenti, defectus proximi enarrat. Video his argumentis vel non esse valida; vel nimis probant enim fieri etiam sine ulla prorsus necessitate commoditate posse: hoc inquam video; sed tamen illis omnibus doctrinam nostram probabilem fieri video. Non inficior tamen contrariam sententiam multis D D. in praxi tuiorem iudicari.

14. Dubitatur secundo de obiecto peccati pro tis: v g. filius dat venenum matri gravidæ ex rio. An filius possit fateri eiusmodi peccatum circumstantiis Confessoti, qui matrem novit, ex tali Confessione de ejusdem adulterio habebit: quo casu, ut vides, mater non est peccati filij, sed solum materia, seu obiectum. deo cum Coninch. *disput. 7. dubit. 9. n. 92.* sub illis tationibus posse de quibus dictum est modo de ce. Ratio est eadem, quæ *ibidem* dicta.

15. Dubitatur Tertiò, de peccato veniali (& pter eamdem rationem) de mortali confesso. An si quis confiteri velit peccatum suum veniale, vel tale aliàs rite absolutum, unde graviter sit infa complex, possit id facere apud Confessarium cem cognoscentem, v.g. sororem quam solam fessario quis habet, fratrem solicitat: an frater venialem negligentiam in resistendo adhibuit: po rorem prodere, ut suum tale veniale fateatur? deo, cum non sit præceptum venialia confitendi si non apparet aliqua peculiaris ratio consolation ritualis vel consilij, &c. charitas dictat non esse dum Confessarium cognoscentem complicem: si apparet, eligi poterit, ut ex supra dictis constat. Delugo *de pœnit. disput. 16. sect. 7. num. 411.*

## CAPVT X.

*De veritate, de qua coram Confessario agendum est.*

1. ABsolutis prædictis, supersunt quædam, quæ facilem reddendam oris Confessionem, in præsentia percurrenda. Quoniam vero aliqua quæ taceri possunt: aliqua sunt, quæ omnino veritatem deponi debent, ideo nonnulla ad nos pertinentia de singulis excerpemus.

### §. I. *Quando taceri licitè aliquod peccatum in Confessione possit.*

2. PRopter tria capita aliquem excusari posse, si tum aliquod mortale (nam veniale taceri posse lus ignorat) taceat, fatentur omnes: propter impotentiam physicam, propter impotentiam moralem, propter vinicibilem errorem. De quibus jam sigillatim.

3. Prænotandum est tamen, tum hic, tum in quentibus, ab omnibus semper tamquam certum ni, transacta excusatione, debere peccata mortalia dum manifestata, manifestari Confessario, & ab eo absolvi: Confessario, inquam sed certè, non ex tate, eidem qui prius te, quando adfuit excusatio, vit; potes enim & alterum eligere, dummodo sive sive idē si trite approbatus. Ita Suar. Sà, aliique apud man. *lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 9.* Ratio hujus est, quia est præce

subdendi clavibus, atque adeo Confessori cuique legitimo omnia mortalia, ut ab ipso directè absolvantur.

Lege Dicastillum, *de pœn. d.6. s.17. à. num.3.* 8. qui quamvis doceat, quando peccata in necessitate prædicta absolvuntur, absolvi directè, tamen notat debere semper speciatim deinde clavibus subdi.

*Impotentia physica: ubi de Confessione, & absolutione moribundi.*

4 IAm primum caput excusations est physica impotentia. Primo ergo quando quis ob vicinam mortem physicè loqui non valet dato signo, quo moriens petat Confessionem, vel aliquo, si potest dicto peccato, saltem in genere, potest absolvi brevi absolutione infra ponenda *lib.3. cap.1. §. 2.* idque etiam sine injunctione pœnitentiæ: quia hæc in necessitate omitti potest, cum sit solum pars integralis.

5. Secundò idem dic, si ob vicinum naufragium seu prælium, vel quid simile, non est tempus omnia peccata deponendi. Immo quando imminens periculum, aliud non permitteret, possent multi simul dolorem ostendere, & aliqua peccata confiteri, & sic simul absolvi. Sic Coninch. *de Sacramentis disp. 7. n. 76.* Delugo *de pœn. disp.7. à sect.1.*

6. Tertio, si quis sit surdus, vel, mutus: dicat enim quantum moraliter potest, &c. Sic. Layman *ibidem 5. Tr. 6. c.8. n.9.*

7. Sed circa primum casum de moribundo, sunt aliqua non parum necessaria nobis addenda. In hoc enim casu sit, Primo, dato signo à pœnitente, ipso Sacerdote præsente, posse illum ab eodem absolvi.

Addit Baucius *in sing. cas.535.* ex. Ioan. Sanchez *in sel. d.44. n.35.* quamvis eveniat pluries infirmum confessum fuisse peccata sua, nihilominus, sanum fore consilium, iterum atque iterum illum absolvere præstitis solis doloris signis.

8. Rursus certum sit dato signo, non præsente Sacerdote, sed præsente alio, qui alius coram infirmo testificetur ipsi sacerdoti jam facto præsenti, de voluntate moribundi; posse, immo & debere absolvi, ut doctè probat Coninch. *de Sacram. disp.7 dub.10.* Id quod intelligo, etiam nulla in absolvendo adhibita conditione. Ratio est ex Delugo *de pœnit. disp.17. sect.3. §.4. n. 90.* quia, licet quando quis operatur ex assensu dubio; ut si Sacerdos dubitet, an signa ab infirmo exhibita, fuerint ex vero dolore? vel an quando dixit infirmus se velle confiteri, fuerit sui compos, licet inquam tunc sit apponenda saltem mente concepta conditio (idest, *si es rectè dispositus*, seu, *si es capax, te absolvo*, &c.) tamen quando operamur ex assensu probabili, ut in casu, de quo loquitur operari possumus absolutè, & sine conditione: quia assensus præcedens absolutus est, quamvis sit probabilis.

9. Apud eundem Coninch. invenies hanc doctrinam non esse contra illud decretum Clementis VIII. quo damnavit hanc propositionem. *Licet per litereas aut interruntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Et recte: nam noster casus est longè diversus ut patebit prædicta Decreti verba considerantì: & extat ex eodem Coninc. testimonium ejusdem Clementis datum Bellarmino, se non intelligere damnate doctrinâ modò traditâ.

10. Restant igitur duo quærenda. Primò, quando nullum prorsus signum dat moribundus. Secundò, quando dat signum, sed absente Sacerdote: & testis certiorem quidem facit de dato signo Sacerdotem; at procul ab infirmo: an Confessarius possit nihilominus, absente teste, quasi absente interprete, absolvere.

Quo ad primum, dico in rigore Theologico talem moribundum, qui ne nutum quidem dedit petitionis Confessionis nequaquam absolvi posse. Ratio est, quia nulla tunc adest materia proxima nempe Confessio pœnitentis exterior, & sensibilis; nec generaliter nec confusè quidem. Lege Coninch. *disp.5 de Sacr. n.28.* & Delugo *de pœnit. disp. 17. sect.5.*

Quod si citentur aliqui Canones, statuentes absolvi moribundum posse qui nullum dedit signum; sunt ij intelligendi, si nullum dedit signum præsenti Sacerdoti, dedit tamen adstantibus.

11. Dixi (in rigore Theologico) nam quia nonnulli Doctores, Homobonus, Molfesius, Lotterius, Delitteratis, aliique apud Dian *p.3. tr.3. res.8.* putant ejusmodi moribundum satis superque petere Confessionem per mores Christianos tota vita sensibiliter peractos: atque adeo putant absolvi posse, saltem sub conditione *si est capax absolutionis*? idcirco in praxi censeo posse, saltem sub conditione dicta: Immo propter tam urgentem instatis mortis necessitatem, etiam debere. Ratio est, quia per conditionem cavetur injuria Sacramenti: & ex alia parte consulitur, quantum fieri potest, saluti moribundi, quia in tali artriculo præsumi saltem attritus potest.

12. Quid, si fortè ita actualiter peccando, subitò destituatur sensibus, ut non possit humanitus loquendo atteri. Respondeo tunc non esse præsumendum attritum, atque adeo nec absolvendum docent communiter: Vide Coninc. *in simili disp.19. de extrema unctione, dub.5.* citantem Suarium *disp.42. De Sacram. sect. 1. n. 10.* sed ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem: non quia velim absolvere non dispositum; sed quia rarissimè evenit ut tam citò sensibus quis, dum actu peccat, destituatur: ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.

13. Quoad secundum. An scilicet, dato signo absente sacerdote, & absente eo, qui de signo in sua præsentia dato testificatus est, absolvi moribundus possit; Dicunt aliqui non posse. Ratio potissima eorum est quia putant id prohiberi à prædicto Decreto Clementis VIII. at dico etiam in rigore posse, & debere: etiamsi testis sit unicus qui de signo coram se dato testificatus est, & non sit præsens: ex Coninch. *de Sacram. disp. 70. dub.10.* Præpos. *in 3.p. de qualit. Confessionis dub.3. num.78.* vide etiam Delugo *de pœnit. disp. 17. tota. sect.4. & 5.* idque non solum sub conditione (si capax est) sed etiam absolute ex Delugo *ibid sect.3. §.4.* Ratio est quia moribundi necessitas urget nos, ut quantum possumus, ei consulamus: & ex alia parte, nihil est quod impediat. Confirmo: quia ita docetur à Concil. Arausicano, à Carthaginensi, à S. Leone, à Rituali Romano Pauli V. qui fuit post Clementem VIII. fusè citatis à Coninchio, & Præposito ejus collega; cum enim hi non distinguant, an astantes debeant ferre testimonium præsente, vel non præsente infirmo; nec nos distinguere debemus. Quod autem huic doctrinæ nec illud Decretum, nec aliæ rationes obstent, fusè apud eosdem lege si lubet.

14. Sed hic est scrupulus aliquibus Confessariis amovendus. Dictum est prædictum infirmum, dato signo esse absolvendum. Iam quodnam esse hoc signum debet? Dico ergo ejusmodi signum triplicis generis esse posse. Primo, potest esse signum ordinatum ex natura sua ad Confessionem: ut si Confessario ipsi, vel astantibus infirmus dicat se dolere de peccatis, se petere veniam peccatorum, se velle confiteri: & tunc non est dubium sufficiens esse signum ut is absolvatur. Ita Suarez. Vasquez Bonac. aliique apud Delugo *disp. de pœnit. 17. sect.2. n.26.*

15. Possent secundò exhiberi huiusmodi signa sine ulla mentione, vel clara ordinatione ad Confessionem, ut si infirmus tundat pectus, dicat *miserere mei Deus*, & similia: & tunc etiam sufficiens esse signum putandum est: quia in tali casu extremæ necessitatis, sufficit tacita petitio Confessionis? qualis hæc præsumenda à Christiano est.

16. Possunt tertiò haberi hæc signa sub dubio, an oriantur ex pœnitentia, & dolore de peccatis, an ex mœrore, metu, vel angustia morbi, vel mortis: ut si petenti signum an velit confiteri, respondeat infirmus solum suspirando, vel lachrimando, vel manum Confessario stringat: potest enim id esse à vi morbi manus nervos contrahentis, vel ex alio capite. Et tunc dicunt aliqui *ibid*

etiam absolvendum, sed sub conditione, saltem animo retenta (*si est recte dispositus:*) quia in illo periculo nihil nocet sic absolvere, & multùm non absolvere noceret.

17. Petes adhuc: qui prius per aliquod ex tribus prædictis signis, vel etiam expresè petiit Confessionem; & deinde incidit in phrænesim, potestne absolvi? Respondeo: si talia signa edidit morti proximus, potest ex Layman apud Delugo *ibid. n.* 30. modo prædicto: quia præsumitur perseverantia dispositionis debitæ: At si hæc signa edidit, quando erat sanus, longe à periculo mortis, non poterit ex hoc capite: quia non præsumitur actu dispositus, seu in illa dispositione, ut oportet, perseverasse. Dico ex hoc capite: nam ex alio capite, quod nimirum posset præsumi in ea vicinitate mortis moribundum habere lucis intervallum, & se atterere, posse sub conditione absolvi.

Petes iterum hac occasione; an non solum in casu necessitatis sed extra illam, atque adeo per se loquendo, confessio peccati venialis in genere, idem videtur dicendum de peccatis mortalibus, aliàs rite absolutionis, possit esse materia sufficiens, valide, & licite Sacramenti pœnitentiæ, sic nimirum. Confiteor omnia mea peccata venialia; nihil addendo præterea, quamvis, qui sic confitetur, possit certa venialia confiteri.

Respondeo Suar. *de pœnit. d.* 13. *sect.* 1. *n.* 10. ait, speculative fortasse posse. Sed in praxi non ita propter incertitudinem materiæ. Verum Dicastill. *tr. de pœn. d.* 6. *dub.* 9. *n.* 761. *vide etiam dub.* 17. *à. n.* 397. ait, probabile esse, posse, etiam si recordetur quis certorum venialium. Ratio est, inquit quia eo ipso, quod probabile sit, eam esse materiam sufficientem: & ex alio capite, non esse materiam necessariam, non video cur non possit quis licite eam adhibere tantum. In Sacramentis enim quæ nullo modo sunt de necessitate salutis (quale est de solis venialibus) in tali casu non videtur ita necessarium adhibere materiam omnino certam, ut obligetur quis sub culpa maximè mortali: Non ad hoc ut quis prudenter operetur, satis est, quod adhibeat materiam probabilem. Hæc autem est valde probabilis. Adde, quod si hoc speculative probabile est, etiam erit practice. Tunc enim tantum in re morali dicitur aliquid speculative quidem verum, sed non practice, quando id, quod in speculatione consideratur, non potest exhiberi in praxi quin aliqua contingat variatio, quando vero omnino invariatum potest reduci ad praxim ea ratione, qua consideratur in speculatione, si speculative verum est practice quoque verum censeri debet. Qua propter cum confessio venialis in genere possit in praxi exhiberi eo modo, quo speculative censetur sufficiens, erit etiam practice censenda talis. Hæc Dicastillus.

Petes denique hac eadem occasione Tertiò. An Primò absolvendus sit ille, qui solum fatetur in genere, se post ultimam confessionem peccasse mortaliter, sed non recordari, qua specie peccati? Secundò quid si sit spes, ut post adhibitam iteratam diligentiam illius recordetur? Respondeo ad primum, esse absolvendum: supponimus autem adhibitum fuisse sufficiens moraliter examen quod quale sit dicam *lib.* 3. *cap.* 9, §. 3. secus certum esset, debere expectari, ut illud præmittatur. Ratio responsionis est, quia tunc confessio est integra formaliter. Neque vero pœnitens, si alio peccato forte non aggravetur cogendus est afferre aliud speciale peccatum alias ab ipso commissum & per confessionem remissum: quia sic illum obligares ad bis confitenda peccata, ad quod nemo tenetur. Absolvatur ergo, quia jam affert materiam sufficientem, quale est peccatum in genere, quare valida erit absolutio, & ex alia parte erit licita, quia, ut dixi, confessio tunc formaliter integra est.

Ad secundum Respondeo ex Bonac. *ib.* supposito, sufficienti examine non obligari Pœnitentem ad iteratum examen ex necessitate (esto ex consilio, si non sit scrupulosus) Ratio responsionis est, quia homo non tenetur, ut inferius loc. cit. dicemus, nisi ad examen morale, quod ab hoc pœnitente adhibitum jam fuisse, supponimus.

*Impotentia Moralis: ubi de absolutione reservatorum diminuta.*

18. Secundum excusationis caput, ut taceri absque peccatum mortale possit, est moralis impotentia, quæ est quoties pœnitens ex Confessione alicui notabiliter aut sibi, aut proximo aliquod notabile detrimentum timet. Multos autem casus certos, nonnullos verò dubios complectitur hoc caput. Primò igitur certum est ex Coninch. *disp.* 5. *cit.* excusari quando pœnitens moraliter timet suum, quem alium non habet, Confessarium revelaturum aliquid Confessionis.

19. Secundò, quando confiteri non potest; nisi à Confessore, v. g. interpres, auditurus sit. Excipio casum articuli mortis. Nam tunc ex præcepto charitatis, quilibet de remedio salutis providere debet, ex Coninch. *disp. cit.* 5. *n.* 77. in tali enim articulo tenetur quilibet fateri aliqua venialia, & generatim omnia mortalia dicendo, se fateri omnia, quæ fortè committit: ita tutiorem suam salutem reddit, ex alia parte, nullum sequitur absurdum.

20. Tertiò quando puella v. g. rationabiliter timet ne turpia confitens, à Confessario, quem alium non habet, solicitetur.

21. Quartò quando pœnitens, propter fragilitatem sibi notam, timet ne diu immorando in similium peccatorum examine, in eadem prolabatur: poterit enim tantum se examinare: nisi leviter: quamvis sint ex defectu examinis nonnulla tacenda. Immo simile quid debent observare Confessarium in interrogationibus de quibusdam rebus turpibus, diximus suprà *c.* 7. §. 10. *n.* 77.

22. Quintò, quando pœnitens est nimis scrupulosus, ex Castrop. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 4. *punct.* 1. *n.* 4. enim cum adsit tum periculum faciendi odiosum Confessionem, tum periculum damni ipsius pœnitentis, summa difficultas, quæ est moralis impossibilitas: potius stat aliqua potius omitti, quàm notabilia hæc detrimenta subire.

23. Sextò, quando Confessarius ipse, non habet alium Confessarium, peccatum suum Sacerdoti confiteri non posset, nisi frangat sigillum Confessionis: tunc enim fateri poterit peccatum in genere, idque cum magna cautela, ne sigillum frangat.

24. Septimò, quando Confessario imminet periculum notabile. Vt si pœnitens sit cum morbo contagioso, nec Confessarius possit à longè audire: tunc enim paucis peccatis auditis, absolvat.

25. Hæc sunt certa: modo advertas duo. Primum ut prædicta incommoda sint gravia, extrinsecaque Confessioni: non enim satis est timor, quòd Confessarium teneat pro peccatore, vel quid simile: hoc enim est extrinsecum Confessioni, quo non obstante, illam Christus Dominus instituit. Secundum, quod semper intelligitur nisi alterius Confessarij copia suppetat, etiam si hic esset aliquo parvo tempore expectandus, ad longum enim nequaquam obligaris.

Supersunt duo, vel tria, quæ vertuntur in dubium.

26. Dubitatur enim primò, an qui habet casus reservatos, posset hos solos fateri Superiori potestatem habenti illos absolvendi, & ab ipso absolvi, ac pro casibus remittit ad inferiorem: vel contra, fateri solos non reservatos inferiori, qui absolvat, remittatque, pro casibus reservatis ad Superiorem, in his enim casibus jam adimpleta in Confessione priori conticerentur.

27. Dico id absolute fieri non posse. Ratio est quia esset dimidiare Confessionem, sine necessitate. Quamvis hisce eventibus vel Superior audiat omnia, & absolvat, vel audiens reservata extra Confessionem, tollat reservationem, seu mittat ad Inferiorem, cui conferat potestatem absolvendi à reservatis. Si verò sit Inferior nec absolvat, sed mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat, impetretque potestatem; & tum demum rite absolvat; ita Doctores Coninch. *disp.* 7. *n.* 7. Præpositus *de Confess. q.* 4. *dub.* 9. & alij *passim*, quidquid dicat Castro

mus *in summa V. Confessio*, *concl.*10. qui ait *contrariam* [illegible] *Romana Curia consuetudinem : in qua discutienda* ( inquit ) *non oportet omnium sapere* : quidquid inquam dicat : nam consuetudo illa solùm est quoad tollendas censuras, & reservationem ; non verò quòad absolvendum Sacramentaliter.

28. Dixi autem ( absolutè ) nam si aliqua necessitas urgere posset : si v.g. pœnitens non valeret adire Superiorem, sed solùm Superiorem ; qui tamen Superior propter aliquod grave impedimentum, v. g. articulum mortis, non posset omnino peccata audire, &c.

29. Dubitatur secundo, an possit taceri complex, quando illi sequeretur infamia apud Confessorem, v. g. si filius cum matre peccet, quæ nota est Confessario, an filius, qui nullam aliam habet conjunctam in primo gradu, possit fateri diminutè, id est se solum fornicatum esse, & tacere incestum ?

30. Dico, quia non supra *cap.*9. §.2. secuti etiam sumus sententiam, quæ docet posse, immo debere quemquam in similibus casibus complicem propalare ; ideo consequenter, hîc dicendum, non posse propter hanc rationem diminutè fateri : Ita Coninch. *cit. n.*89. Suar. *disp.*34.*de pœn. sect.*2.*n.*11. Fagund. *mox* citandus. Quoniam vero Navarrus & alij, quorum sententiam valdè probabilem vocat Fagundez *præc. Eccl.*2. *lib.*5.*cap.*1.*n.*8. & Suarez citatus ab eodem *num.*1.*fine* sequuntur sententiam nostræ contrariam ; ideo illam diminutionem admittunt, & quidem satis probabiliter.

31. Dubitatur tertiò de obiecto seu materia peccati, ut explicuimus *dicto* §.2.*num.*14. Sed de hoc idem dicendum, quod de complice jam diximus, ut ex paritate rationis constat.

*Error vel ignorantia.*

32. Tertium Caput est error, vel ignorantia, in quo certum est primò, excusari eum, qui invincibiliter ignorat, seu inculpabiliter tacet suum peccatum.

33. Certum est Secundò, quando ignorantia est solùm venialiter culpabilis, nec valorem, nec fructum Sacramentalis à ritè suscepti impediens ; excusari pœnitentem à mortali.

34. Certum est Tertiò, quando est culpabilis mortaliter, non excusari : atque adeo tunc & fructum, & valorem Sacramenti impediti : tunc enim, cum desit Confessio dolorosa, non ponitur materia apta Sacramento ; quomodo enim Confessio erit dolorosa, si actu ratione illius culpabilis mortaliter ignorantiæ, peccatur.

35. Certum denique sit Quartò, quamuis sit laudabile, ne ex errore, & inadvertentia taceatur aliquod peccatum, scribere peccata ; neminem tamen, etiamsi sit debilis memoriæ, ut notat Dicastill. *lib.*5. *de pœn. d.*6. *dub.*14.*n.*244. obligari, immo nec esse laudabile si quis sit paulò scrupulosior. Neque te conturbet communis doctrina, docens omnia peccata esse Confessori subiicienda : nam satis dilucidè notavit Concilium Tridentinum, solum Fideles obligari ad omnia, quæ, facta motali diligentia, menti occurrunt : non autem ad omnia quæ quomodocunque fuere commissa. De examine, quod præcedere debet Confessionem, ne quid taceatur, dicam infra *l.*5.*c.*9.§.3.

§. II. *De Mendacio in Confessione.*

36. POenitens multis posset modis in Confessione mentiri, dum confitetur : id quod breviter explicare, ad nostrum pertinet institutum : quo pœnitens, si forte tunc mentiatur, cognoscat gravitèrne, an leviter peccaverit : atque adeo benene, an perperam sit cetera confessus.

37. Primò igitur, certum est, peccatum esse grave mentiri in Confessione circa peccata mortalia, non aliàs ritè confessa, & absoluta : nam si esset mortale, illud tacere ; multo magis, illud negare. Ita Delugo *disp.*16 *de pœn. sect.*2.*num.*100. Intellige, modò non habeat causam sufficientem illud tacendi : nam tunc etiam posset negare : sed, ne venialiter peccet, utatur æquivocatione, secundùm communes æquivocationis leges.

38. Certum est secundò, mentiti circa mortalia aliàs ritè absoluta, quando Confessarius de illis sive ut Medicus, sive ut iudex interrogat, tamquam quid necessarium ad præsentem Confessionem ; esse item mortale. Sic idem Delugo *disp. de pœn.*14.*sect.*10.*num* 272. contra Ioan. Sanchez ab eodem citatum, quem contrarium docere affirmat idem Delugo. Ratio, quia tunc habet ius Confessarius ad bene hanc Confessionem expediendam : & ex alia parte, cum agatur de mortali, res est gravis.

39. Certum sit tertiò, fateri aliquod mortale, quod non fecisti, esse mortale : nisi forte ignorantia, vel bona fides te excuset : ut certè sæpè rusticos, & mulierculas excusat. Sic Vasqu. *disp.*91. *artic.*1. *dub.*7. Ratio est quia variatur iudicium Confessarij in re graviter pertinente ad confessionem.

40. Certum sit quartò esse mortale, mentiri circa veniale, quando tale mendacium datur pro materia totali Confessionis : Sic Suatez *de pœn. disp.*22. *sect.*10.*n.*6. & *passim* alij, præter Philippum Fabrum apud Dianam, *p.*3 *tract.*4. *resol.*6. v. g. aliquis fatetur se obolum esse furatum, quod revera furatus non est, nec aliam pro Confessione materiam affert ; peccat mortaliter : quia tunc pœnitens est causa irriti Sacramenti.

41. Præter hos quatuor casus, alius non occurrit in quo sis de peccato mortali sollicitus, si fortè mentiaris in Confessione, mendacio alias in se minimè gravi. Quare,

42. Certum sit quintò, quodcunque mendacium prolatum in aliis materiis, quæ ad Confessionem non pertinent, gravitarem non contrahere ex eo quòd in Confessione afferatur. Ita Suar. & Vasquez citati à Delugo *de pœn. disp.*16. *sect.*2.

43. Certum sit sextò, accusare se de peccato veniali, quod quis non commisit, dummodo alia subdatur materia ; non esse mortale : quia iam Absolutio sufficienter habet quod deleat.

44. Certum sit septimò, negare mortale ritè absolutum, nec faciens ad præsentem Confessionem non esse mortale, ut ex dictis *n.*38. colligitur.

45. Quæritur ergo hic solum, an sit mortale, unum numero peccatum mortale fateri pro alio : v. g. si quis occidit Petrum, dicat tamen mala fide, volens celare hominem occisum, se occidisse Paulum. Respondeo peccatum esse mortale. Sic Vasquez *quæst.*61. *dub.* 3. & Delugo *de pœn. disp.*26. *sect.*3.*num.*132. ex eo capite, quia non ritè confiteretur : nam non confiteretur peccatum, quod fecit, sed peccatum, quod non fecit : licet enim non teneatur quis ex se explicare distinctè individuationem sui peccati, unde posset in dicto casu dicere se occidisse hominem, tenetur tamen non supponere unum pro alio : quia sic confiteretur peccatum, quod non commisit, pro eo quod commisit.

§. III. *Quandonam est obligatio repetendi Confessionem, vel generalem instituendi ?*

46. MAximè propter mendacium grave in Confessione prolatum, repetenda est Confessio & aliquando generalis plurium annorum Confessio erit instituenda. Ideo de hac re nonnulla hic subnectemus.

Primo igitur, ex necessitate repetenda est, quando in ipsa Confessione actu fit aliquod mortale peccatum : quia tunc confessio irrita est, & consequenter reiteranda. Ita Delugo *de pœn. disp.* 16. *sect.*15. *à n.* 597. Hinc quando deest dolor debitus : quando Confessio fit ex fine mortaliter malo : quando culpabiliter tacetur aliquod mortale ; debet repeti omnino Confessio. Ubi advertunt rectè aliqui *ibid.* quòd si quis, ante decem annos v. g. tacuerit, ex culpa gravi, peccatum mortale in alia Confessione, & postea in aliis Confessionibus consequentibus huius culpæ non est recordatus, quando deinde comperit vitium antiquæ illius Confessionis, non

non debet obligari ad repetendas omnes confessiones consequentes, seu fortè intermedias bona fide institutas; sed solam illam, vel illas perperam factas: quando scilicet mala fide processit. Ratio hujus est, quia Confessiones bona fide exhibitæ, idest dum Confessionis sacrilegæ non adfuit recordatio, validæ fuerunt & fructuosæ.

47. Secundò repetenda est ex necessitate Confessio, quando deest debitus ritus Sacramenti Pœnitentiæ, Sic idem *ibid.* Hinc quando defuit absolutio: quando defuit vel debita intentio absolvendi in Confessario, vel intentio recipiendi absolutionem in pœnitente: quando defuit iurisdictio in eodem Confessario; vel propter excommunicationem est impedita? Confessio erit à Fidelibus repetenda.

48. Verùm hîc quatuor adverte. Primò, si defuit quidem absolutio, sed pœnitens accedit ad eumdem Confessarium; non debere repeti à pœnitente Confessionem. Ita idem *ibid.* cum sufficiat quod in confuso cognitionem eorum habeat Confessor, pœnitensque dicat, *Fateor omnia peccata, quæ heri confessus sum*, iuxta ea quæ infra *l.3.c.2.* dicentur. At si accedat ad alium; tunc sanè oportebit totam Confessionem novo Confessario ritè deponere, ut *ibidem.* dicetur.

49. Secundò. Quando Sacerdos habet impedimentum necessarium, ita ut non possit audire omnia peccata pœnitentis, sed aliqua: ut in naufragio, vel articulo mortis ipsius Confessarij; sanè Confessio non rit repetenda quoad omnia, sed solum quoad non explicitè confessa: ut nimirum ab iis directè pœnitens absolvatur.

50. Tertiò. Si Confessor est excommunicatus; tunc solum debet repeti Confessio ipsi facta, quando est excommunicatus per nominatam denunciationem, vel propter Clerici publicam percussionem: propter cetera, valida est absolutio: immo licitè petitur tunc à pœnitente: & cum petitur, licite etiam impenditur à Confessario existente in gratia, puta per actum contritionis cum id concedatur à Concilio Constantiensi, Extr. Martini *ad evitanda scandala.*

51. Quartò, quid, quando Confessio facta fuit Confessario omninò indocto, vel semidormienti? Respondeo, si indocto quacunque ignorantia, etiam nescienti discernere peccatum mortale à veniali: ut si v. g. homicidium putet esse veniale; dummodo sciat aliquo tandem modo, etiam in communi, peccatum aliquod, seu offensam Dei esse in pœnitente; ne sis sollicitus Confessionem repetere, si bona fide illum adeas, & non culpa qua Confessario velis uti qui tibi mederi non possit: si mala, solicitus esse debes repetendi totam Confessionem. Ita Suar. *de pœnit. disp.* 28, *sect.* 2. *num.* 12. Ratio est: quia sub bona fide, tu es una parte omnia peccata subiecisti clavibus: ex alia, ad validitatem satis est illa peccati cognitio in communi: ut patet in moribundo, qui ritè absolvitur si solem dixerit se peccasse: at sub mala fide, non es ritè dispositus: quia actu peccas dum confiteris.

52. Quòd si semidormienti confitearis mala fide, certè peccas: unde invalida erit tua Confessio, & integrè repetenda. Ita Delugo *de pœnit. disput.* 16. *sect.* 5. *à numero* 606. Denique si bona fide confitearis, & post absolutionem advertas te semidormienti fassum esse; puto non esse repetendam tunc Confessionem, quoad omnia peccata, sed solum quoad illa, quæ audita minimè fuere propter somnum, quia jam illa non sunt subdita clavibus.

53. Sed quid si pœnitens (ut in praxi occurrit frequentissimè post absolutionem) cognoscit Confessarium aliqua quidem non percepisse, sive propter somnum, sive, quod idem erit, per distractionem mentis, sed quæ illa fuerint non cognoscit? Respondeo: in brevibus Confessionibus iterum omnia peccata repetere oportet, qui potest prudenter dubitari de singulis, an ritè fuerint audita: peccatum enim, de quo est dubium an fuerit in Confessione detectum, debet certò detegi: enim possessio necessitatis confitendi: cum certe peccasse, dubium autem sit an de exeris. In Confessionibus, in quibus, non potes pudere tare de singulis, non obligaris. Sic idem *ibid.* erit te in communi fateri ejusmodi dubium, dubitare, an aliquod peccatum ex tuis Confessarit. Ratio est, quia tunc non habes dubium que adeo non teneris, nisi ad Confessionem communi illius dubij, quod tibi dumtaxat est: sicuti obligareris fateri te mortaliter non recordaris quo genere peccati, in eo aliquod patrasses peccatum, illiusque in memineris.

54. Repetenda est tertiò Confessio municationis non ablatæ à pœnitente. Explico. fessor pœnitentem excommunicatum absolvere catis, non præmissa absolutione à censuris, communicatione, validáne est absolutio à peccatis consequenter non repetenda Confessio? Respondeo pœnitens bona fide procedit; valida est, nec Ita Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. de Censuris*, *disp.* *numero* 10. Ratio est, quia nimis onerosum oblitum invincibiliter aperire se esse excommunicatum si absolvatur à peccatis, invalidam fecisse Confessionem: nec enim habemus unde colligere eclesiam voluisse irritare illam absolutionem, præmissa absolutione à censuris, exhibita, nulla fuit: par autem ratio est in casu, de quo disputamus. At verò si mala fide exorta est absolutio à peccatis præmissa absolutione ab excommunicatione, irrita erit Confessio ex defectu debitæ dispositionis, que adeo repetenda, cum tunc fiat contra grave Ecclesiæ, absolutionem à peccatis ante nem excommunicationis impendere prohibentis. *ibid.*

55. Petes hac occasione, An quando præmittit absolutionem à censuris per illa, verba, *Absolvo te ab omni excommunicatione, possum & indiges*, subiungitque absolutionem an, inquam, per prædictam absolutionem communicatio, qua pœnitens erat irretitus, immemor Confessarius nequaquam aperuit? Respondeo posito quod confessarius habuerit potestatem, dictionem ad ejusmodi excommunicationem dam, deleti. Vnde postea pœnitens illius nova absolutione non indigebit. Ita Coninch. *excomm. dub.* 16. *n.* 217. & *de pœn. disp.* 12. *dub.* 12. Ratio est, quia Confessor semper habet, habetque bet intentionem simpliciter absolutam absolvendi tum licitè potest; servandique partes omnes quas non servaret, si absolvere intenderet à peccatis non à censuris. Id quod propter eandem rationem rum, non solum in Confessario ordinatio, sed delegato: Sic idem *dicto dub.* 12. *n.* 92. nec censuris non reservatis; verum etiam in reservatis, in absolvente adest circa reservata potestas absolvendi. Idem etiam evenit in peccatis reservatis, ex Suarez *pœnit. disput.* 31 *sect.* 4. *num.* 13. apud Sanch. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 39. si quis enim immemor bona se habere, absolvatur modo dicto à Superiore, legiato, vel ex facultate Iubilæi, Cruciatæ, &c. manet à reservatis absolutus: quia absolvens absolvere, quantum licitè potest, solùm in te remanebit obligatio subdendi directè clavibus, quidem necessariò coram Superiore, vel to; sed coram Confessario, potente tamen à mortalibus (illud peccatum reservatum, se reservatum pœnitens animadvertit. Dixi primò fide: nam qui mala fide tacet censuram vel nem, non absolvetur: quia non est dispositus tionem, qui rem tam gravem mala fide aperit.

56. Dixi secundò, (quantum licitè potest,)

si in privilegio, seu Iubilæo esset forma, ne posset licè impetrari absolvi, nisi aliqua conditione adimpleta, v.g. nisi pœnis absolvi, nisi aliqua conditione adimpleta, v.g. nisi pœnis satisfacta parte, non censetur Confessor per illud, *absolvo te ab omni excommunicatione*, absolvere, si parti mihi sit satisfactum. Sic Delugo *disp. 26. sect. 25. n. 625.* Ratio est, quia, ut dictum est, solùm habet, habereque præsumitur intentionem absolvendi quos, & quantum valide & licitè potest.

17. Petes iterum: si Confessor absolvere potens absolvat à peccatis, dicendo, *Absolvo te à peccatis tuis*, nullapræmissa formula absolutionis à censura: ut usu venire solet in brevibus Confessionibus, & in articulo mortis, remanebitne ignarus suæ censuræ, immo & conscius, si tamen propter imminentem mortem loqui non potest remanebitne inquam, absolutus ab illa? Respondeo remansurum absolutum. *Sic* Suarez *de Censuris disputat. 10. sect. 2. §. in quo cessat.* Ratio est, quia in illo, *absolvo te à peccatis*, involvitur absolutio à quocumque vinculo nato ex peccatis, atque à censuris: cum igitur ejusmodi Confessor supponatur velle licitè fungi suo munere; supponetur etiam ab eo censuræ vinculo absolvere: multóque magis id erit in illo articulo mortis, si tunc expresè absolvens intendat per illa verba sola, *Absolvo te à peccatis*, absolvere etiam à censuris. Ad majorem autem certitudinem sic absolvat: *Absolvo te ab omnibus censuris & peccatis*: quia certum est illud. *ego te absolvo*, sufficere ad absolutionem peccatorum: quod non est ita certum, licet sit probabilissimum, sufficere etiam ad absolutionem censurarum.

# LIBER TERTIVS.

## *DE ABSOLVTIONE.*

### CAPVT PRIMVM.

### De forma absolutionis.

#### §. I. *Forma ordinaria absolutionis.*



Manuel Sà *V. Absolutio n. 1.* sic rectè habet. *Absolutionis verba necessaria sunt Absolvo te: dicendum tamen, ut est in usu Ego te absolvo à peccatis tuis. Quin etiam imitandus sapientium mos, qui ita absolvunt post auditam Confessionem, & impositam pœnitentiam: Misereatur tui Omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis perducat te in vitam æternam: Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo: Primum à sententia excommunicationis, in quantum possum & indiges: Deinde te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris; sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen*: hæc ille.

2. Nonnulli cum Joseph de Augustino *in brevi notitia, in fine libri* in hunc modum & quidem ritè proferunt. *Ex ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges*, & quæ sequuntur. Notant autem, quod si pœnitens non fuerit Clericus; omittitur illud verbum *suspensionis.*

3. Quem effectum habeat prædicta forma verborum, colligere facile poteris ex supradictis *lib. 2. c. 10. à n. 55.*

#### §. II. *Forma Absolutionis in necessitate, & brevibus Confessionibus.*

4. Vrgente periculo mortis, vel necessitatis, sic Absolves ex Sà *loc. cit. Ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* vel ex Joseph de August. citato: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

5. In brevibus item Confessionibus ut illorum qui sæpè confitentur, immo & in longioribus frequentis populi qui aures Confessoris petit; præstat formam prædictam verba necessaria continentem, proferre dumtaxat. Sic Sà *ibid.*

### CAPVT II.

### Qua ratione Confessor peccatorum meminisse debeat, quando ea absolvit.

6. Potest frequenter contingere, ut sive propter Confessionem valde longam, sive quia necesse fuit absolutionem per aliquot differre dies, ut quando impendenda sit absolutio, Confessor oblitus fuerit peccatorum pœnitentis. Quæritur ergo quid in hoc casu erit agendum?

7. Communis doctrina habet duo. Primò, quòd non oportet ante absolutionem nunc v. g. dandam repetere confessionem alio tempore factam, si idem Confessor (nam si aliter, debere repeti certum est. Quidquid dicant nonnulli quos affert, sed non sequitur Ferrantinus *d. 1. de scand. q. 79. à. n. 14.*) recordetur vel peccatorum vel status pœnitentis, vel pœnitentiæ impositæ: sed sufficit, si uno verbo se pœnitens accuset de omnibus quæ prius dixerat, addendo alia si forte de novo occurrant addenda. Ita Suarez *de pœn. disp. 22. sect. 6. in fine* Coninch. *disp. 7. dub. 11.* Ratio est, quia hæc sufficiunt ad legitimum judicium ferendum.

8. Immo si Confessor pœnitentiam jam imposuerat pœnitenti: nec est necesse quod meminerit peccatorum, ut dictum est, nec ipsius pœnitentiæ impositæ: cum satis sit ex Suar. *ibid.* recordari illum fuisse confessum, dignúmque judicatum, qui absolveretur: pœnitentiam, quæcumque fuerit, jam fuisse datam: nec ipsum aliquod novum commisisse peccatum: vel si commiserit, ritè nunc aperuisse: tunc enim poterit, nullo alio requisito, absolutionem tutò conferre. Ratio est, quia status ille recolendus fuerat ad formandum iudicium, taxandámque pœnitentiam, quæ tum ritè facta supponitur.

9. Secundò, in prædictis omnibus si contingeret majorem confessionem fuisse factam Confessori non iudici, id est qui non habuisset jurisdictionem, ut si quis per priorem prædictam confessionem aperuisset peccata sua non Sacerdoti, vel Sacerdoti non approbato (accidit autem id sæpe in casibus reservatis; pro quibus inferior Confessor non est legitimus iudex: qui tamen solet audire, & deinde facultatem à superiore recipit, ut absolvere in alia sequenti confessione possit) si inquam id contingeret, debet deinde Confessor constitutus jam legitimus judex iterum audire peccata pœnitentis: Sic Delugo *disp. 16. de pœnit. sect. 15. §. 3.* quia illa

illa prior confessio non fuit sacramentalis, cum non fuerit iudici exhibita, ut supponimus.

Et quidem hoc certum apud omnes. Solum est quæstio: an etiam in hoc casu sufficiat pœnitentem dicere in confuso: *Me accuso de peccatis iam in alia minus legitima Confessione narratis?*

In quo rursus certum sit, si Confessor illorum peccatorum notitiam habet in particulari, satis superque sufficere. Sic idem *ibid.* sicuti sufficit, si Confessario, qui meum peccatum abundè scit ut; si illud vidisset, vel illud ego extra Confessionem, consilij causa illi narrassem, dicam: *Me accuso de peccato quod vidisti*, vel, *de quo consilium dedisti.*

Quare quæstio est dumtaxat: An si tunc Confessor recordationem tam distinctam non haberet, sufficeret tamen notitia aliqua in confuso? Respondeo, varia hic aliquantulo minutiora tradi à nonnullis *ibid.* pro praxi satis sit in hoc eventu, quando confessio prior peracta est coram non iudice (nam pro aliis, quando prior confessio fuit facta sine dolore, vel non integre, si supponatur legitimo iudici exposita, locum non habet hæc quæstio, & consequenter non est tunc necessario in particulari repetenda confessio, cum satis sit prædicta confusa notitia) regulariter sufficere si dicat pœnitens *accuso me de peccatis in priore illa confessione recensitis.* Ita *ibid.* & Gaspard. Hurt *disp.* 8. *de pœnit. diff.* 8. Ratio breviter est, quia jam Confessor hoc modo resumere poterit distinctam cognitionem status pœnitentis, & ex vi huius distinctæ cognitionis jam factæ sacramentalis, absolvere. Quod si non resumeret (ut certe frequenter occurrit) tunc satis erit si resumat confusam: vel si neque hanc resumeret, postulet à pœnitente Confessor notitiam aliquam mediam, seu confusam prædictam peccatorum, quæ sufficiat ad judicium formandum, pœnitentiamque taxandam: nec pœnitentem cogat distinctam, novamque peccatorum confessionem afferre. Ratio est, quia tunc regulariter excitabitur memoria Confessoris, ut non procedat ad dandam pœnitentiam ex illa priore cognitione sola, quæ non fuit sacramentalis, & non sufficeret, quia peccata distinctè debent judici legitimo exhiberi, sed ex utraque, id est ex hac præsenti confusa ut relata ad illam priorem distinctam: id quod in re morali nostra satis superque est. Ex dictis vides, quando secunda Confessio fit coram eodem Confessario (de hoc enim casu semper hic locuti sumus, nam si coram alio, jam dictum n. 7.) sive Confessio fuerit perperam exhibita ex defectu doloris, sive ex defectu examinis, sive quia facta est coram non Judice, sive quia aliquod peccatum sacrilegè tacitum est, semper debere, ita saltem in genere eam repeti, ut aliqua cognitio in confuso peccatorum redeat in memoriam Confessarij.

An autem Granadi 3. *p. de Sac. contr.* 7. *tr.* 9. *d.* 12. *n.* 3. Dianæ *p.* 5. *tr.* 14. *q.* 51. Ferrantini, *de q. scand. d. p. q.* 79, & ex parte Merceti solum quoad valditatem 3. *p. de sacra. q.* 9. *art.* 1. *apud. Dianam p.* 4. *tr.* 4. *res.* 203. opinio dicentium, quando Confessio invalida reiteranda est cum eodem Sacerdote, tunc sufficere pœnitentem se accusare generatim de peccatis ipsi Sacerdoti Confessis, & sacrilegio admisso in illa invalida Confessione, deque aliis forte commissis postea, nam tunc Sacerdos (*aiunt, hi*) valide, & licitè absolvet, quamvis neque in confuso peccatorum neque pœnitentiæ impositæ nullatenus recordetur, sed recordetur solum, illum sibi fuisse confessum. An inquam, hæc opinio saltem ex tantorum Doctorum authoritate sit probabilis, nobis otium non est persequi, cum præsertim, pro praxi eam, quæ hactenus explicata sententia est suscipiendam esse, omnino velimus.

## CAPVT III.

## De Dilatione Absolutionis.

Differtur aliquando absolutio propter occasiones proximas non amotas: nonnunquam propter pœnitentem relapsum; tertiò propter aliquod peccatum emolumentum. De singulis agere hîc locus est.

### §. I. *Quid sit Occasio remota, quid proxima.*

1. Proxima occasio est quando talis est ex sua re; ut frequenter homines similis conditionis peccatum mortale inducat: vel experientia constat hoc homine, talem affectum habere. Remota vero talis non est.

2. Alij sic definiunt cum Delugo *disp.* 14. *de pœn. cap.* 10. *num.* 149. Occasio proxima est, qua aliquis vel ferè nunquam utitur homo, consideratis circumstantiis, absque novo peccato. Vt qui detinet concubinam domi, rarò vel nunquam desinet facto, verbo, vel cogitatione peccare. Remota, quæ non est proxima.

### §. II. *De Occasione remota.*

3. Regula communis, & certa est: eum, qui in occasione remota versatur, absolvi legitimè posse. Ita idem *ibid. à num.* 150. Ratio est, quia aliquos sanctum Paulum. 1. ad Corinth. cap. 6. *Debuerunt pœnitentiam nes exire de mundo*: Et sanè nec satis esset in Ecclesia, sed in Cœlum abire.

4. Hinc inferunt Doctores cum eodem *ibid.* posse ter absolvi adolescentes, qui versantur laborando, conversando cum fœminis quæ aliam domum non habent: licet sæpè ex tali occasione, consensu, tactu, copula moraliter peccarent: si quidem non fere ex illa occasione solent homines peccare.

### §. III. *De Occasione proxima.*

4. Regula item certa est & communis: ut qui in occasione proxima est, absolvendus non sit. Idem *ibid.* Ratio est, quia non habet propositum peccandi, qui peccati periculum (quale, sine dubio occasio proxima) voluntariè subit: juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

6. Hæc tamen regula aliquot modis limitatur eodem *ibidem*; Primò, ut possit absolvi pœnitens, qui dolo habet extraordinarium dolorem, & propositum: hæc enim faciunt jam illam non esse occasionem proximam: quia homo sic armatus est fortis, adeoque ut possumus sperare victoriam.

Multa ad rem Caramuel in Reg. S. Benedict. à n. 100. Io. Sanchez *in sel. d.* 21. *n.* 9. & *d.* 10. *n.* 8.

7. Secundò, quando proponeret alia media adhibere; ut si occasio esset ex fœmina domestica; proponeret autem proponeret nunquam solum cum sola, caute aut inveniri, ejus aspectum pro viribus declinare, &c.

8. Tertiò, quando occasio relinqui non potest, nisi que scandalo, gravi infamia, vel detrimento magno spirituali, vel temporali: tunc enim moraliter non dicatur quis occasionem voluntariè eligere, sed involuntariè pati. Sic Summus Pontifex *Consultatione, frigidis & malef.* concessit frigidis, ac maleficiatis ut domi permanere ut sorores: idque profectò propter scandalum separationis à matrimonio contracto: quamtamen esset periculum tactuum, &c. Pari ergo modo poterit filius familias v. g. absolvi, quamvis domi serva adsit, cum qua peccare consuevit: quam tamen ipse expellere non potest, & nec facilè, aut decenter ret. Sic etiam à fortiori, si cum fratre, vel sorore occasionem peccandi, à quorum convictu sejungi que gravi detrimento, nequit: debet nihilominus remedia faciliora quæ potest, adhibere, ut ex se

Sim

milles casus vide apud Doctores, & Navar. *in Summa*, 27. & *in additionibus* latè.

Confirmat hæc Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 9.* his verbis: *Proximas occasiones evitare obligamur: exceptis tamen iis proxima occasio peccandi mortaliter, sine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non potest: tunc enim consilium est, sed non præceptum. Quare excusandi sunt qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum imminet, discedere nolunt, quia sine magna difficultate non possunt parati adhibere remedia peccatorum, præsertim quæ affert Confessarius. Ratio est, quia occasio peccandi in se non est peccatum: quare permitti potest ex gravi necessitate, quæ impossibilitatem affert morali: nam tunc non tam est se committere in periculum quam pati.* Hæc Layman. Vide omnino §. 5. sequentem.

## §. IV. *De Recidivo.*

12. DVbium est, an qui sæpius absolutus, tamen sive propter occasionem proximam, quam tollere non potest, sive propter aliud, iterum iterumque relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur; cogendus sit subire illud detrimentum, & relinquere occasionem? Suarez, Reginald. Graph. apud Delugo *mox* citandum, affirmant cogendum esse, illud detrimentum subire: sed bene probabile etiam est non esse cogendum, & posse absolvi. Sic Vivaldus, Joan. Sanch. apud Delugo, ipseque Delugo *disp. 14. de pœn. sect. 10. à n. 156.* Ratio est quia si potuit prima vice absolvi, poterit & secunda: patet consequentia, si quidem jam adest dolor, & propositum sufficiens, ut supponimus, etiam in secunda.

11. Quoad recidivos, abstrahendo ab occasione proxima, & scandalo. Qualis certe est, qui se ipsum sæpius potuit sine occasione extrinsecus assumpta, ut notat Joan. Sanc. *in sel. d. 10. num. 9.* placet quod docet Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 10. & 11.* nimirum *qui est recidivus, si affert aliquod signum emendationis, esse semper absolvendum. Signa autem sunt vel varius peccare vel aliquis major dolor ex vero animo conceptus, vel ipsum se confiteri, in iis qui non urgentur à Præceptore, Patre, Pædagogo consuetudine Congregatorum ad confitendum, &c. tunc enim habetur signum emendationis: secus, non item.* An Pœnitens vel ex se, vel interrogatus teneatur fateri se esse recidivum, diximus *l. 2. cap. 10. §. 2. n. 38.*

An Recidivo Novitio nolenti à Religione egredi, possit Confessarius negare absolutionem, vide apud Delugo *lib. 2. Resp. mor. d. 28.*

## §. V. *De publico peccatore.*

12. PVblicus peccator, ut concubinarius, debet propter scandalum prius eicere concubinam antequam absolvatur: sicuti occultus, propter occasionem proximam. Sed ex Layman. *ibid.* in occulto potest prudens Confessarius aliquando, in quibusdam circumstantiis connivere, v. g. Quando aliquis in gravi infirmitate, vel mortis periculo alium facile habere non potest, qui illi necessaria ministret, nisi concubinam occultam, ad quam tunc penitus affectum non gerat, unde non sit periculum labendi, promittitque illam amandare ut primum convaluerit poterit à prudenti Confessario absolvi. Aliqui hanc necessitatem etiam ad publicum peccatorem in prædictis circumstantiis trahunt, quando publicus verè proponit emendationem: quia tunc aliàs, esset scandalum passivum: sed væ illi pœnitenti; qui ad has angustias redigitur. Diximus de Concubinario: quid de Meretrice habitante in lupanari?

Respondet Bauci, *in sing. casu 163.* quatuor concurrentibus, posse absolvi; quæ quatuor afferuntur à Navarro *in Manual. c. 3. num. 14. sub. litt.* eloquente de eo: qui est in occasione proxima. Primo, ut adsit justa causa permanendi in illo loco, puta, quia hic, & non alium locum ubi habitet, non habet: Verum debet omni conatu quærere modum abeundi ex illo loco. Secundò, ut adsit vera pœnitudo peccatorum. Tertio propositum de cætero illa non committendi. Quarto, peculiare verumque propositum, quo Deo adiuvante, firmiter statuat, non peccaturam in illa occasione. Notat tamen ibidem Navarrus, non esse opus; credere numquam in posterum se peccaturam. Id quod nos universim notavimus *lib. 1. cap. 1. §. 3. num. 9.* Notat insuper ibidem Bauci hanc mulierem debere deponere habitum meretricium, & non sumere Eucharistiam, ubi est cognita, ut Meretrix, & ejus emendatio est secreta, sed in alia Ecclesia longe à domo sua, ne præbeat scandalum, &c. Adderem ego, vel aliquod prudenti modo publicetur à Parocho, vel ab alio, Meretricis emmendatio, &c.

## §. VI. *De Dilatione absolutionis propter utile Pœnitentis.*

13. DVbium est an possit Confessarius absolutionem aliquando differre pœnitenti, qui cognoscitur verè pœnitens.

14. In quo certum est ex Delugo modo citato. Primò posse ex ejusdem pœnitentis consensu. Secundò posse quando dilatio necessaria est ad experiendum propositum. Tertio non posse quando pœnitens est sufficienter dispositus, & ex dilatione, timetur potius damnum spirituale, ut quod tædio affectus non revertetur, vel in desperationem facile abibit. Quartò non debere differri sine prudentia, quæ dictet rationabiliter esse differendam. Quintò denique certum sit posse, quando Confessor indiget consilio, vel studio ad absolvendum; &c.

15. Difficultas est igitur an causa rationabilis esse censenda sit major utilitas, & confirmatio in bono proposito pœnitentis; licet aliunde probabiliter credatur esse tunc benè dispositus. Dico eam esse censendam rationabilem causam: Sic idem, quia Iudex non tenetur statim lecto processu proferre sententiam: unde Confessor poterit præmittere exhortationem, injungere ut redeat die sequenti, ut melius exhortationem auscultet, &c. immò, quia est Medicus, poterit per talem dilationem melius curare: nam propterea, quando meritò timet pœnitentem nunc absolutum facilè relapsurum, nisi ipsa dilatione territus, melius agnoscat gravitatem peccati, necessitatemque emendationis, poterit differre. Non est igitur contra ius pœnitentis ejusmodi dilatio; siquidem Confessor habet ius Iudicis, & Medici, quod illam exposcere potest.

---

# CAPVT IV.

## De officio Confessoris quoad instruendum pœnitentem, antequam absolvat.

1. INstruat Confessor pœnitentem, utpote ejus Magister, antequam impertiat absolutionem. Cum autem supponamus pœnitentem in cæteris necessariis esse satis instructum: si enim non esset, esset certè adiuvandus à Confessore. Vide *cap. sequenti* §. 1. Ideo solum hic illud quærere occurrit: An si pœnitens in aliqua ignorantia versatur, eam Confessor amovere debeat.

2. Dico. Quoties ignorantia est graviter culpabilis, certum est debere eam amoveri per Confessarium: Sic Delugo *de pœn. disput. 22. sect. 2. §. 1.* quia secus non est recte pœnitens dispositus ad Sacramentum suscipiendum. Dubium igitur est, si sit ignorantia inculpabilis. Tunc autem tres regulæ generales sunt animadvertendæ.

3. Prima regula ex Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 38. num. 5.* Si talis ignorantia est contra pœnitentem: v. g.

si ipse crederet esse mortale, quod huiusmodi non est, debet ea amoveri à Confessario: quia secus maximum pœnitenti damnum enasceretur. Excipe, nisi prævideas majora peccata ipsum Pœnitentem ex tali notitia commissurum. Lege Vinc. Tancred. *p. 2. q. mor. tract. 3. qu. 28. à num* 2. Secunda regula. Si ignorantia inculpabilis quæcumque, sive facti, sive juris, & sive juris Divini, sive humani non est contra pœnitentem (id est quando pœnitens non putat esse mortale, quod tale est) & nihil pœnitens interrogat de hoc Confessarium, distinguendum est: si enim Confessarius prævidet pœnitentem ignorantia ablata, non difficulter relicturum id, quod re ipsa peccatum est; tenetur ex Sanchez *disp. citata, n.* 6. veritatem aperire, propter bonum pœnitentis, & ne pœnitens peccet contra legem Dei, etiam materialiter. At, si prævidet non relicturum, potius taceat, ne in majus damnum illud coniiciat. Idem esse dicendum, quando quis est in occasione proxima, & non speratur emendatio, docet Pellizzarius, *Tr. de Monial. cap.* 10 *sect.* 3. *n.* 192.

4. Hinc ex Delugo, & Sanchez *locis citatis*, non solum in matrimonio contracto, sed etiam in contrahendo si judicat Confessor pœnitentem adhuc remansurum in matrimonio, vel illud fore contracturum, etiamsi illi impedimentum aperiatur; ne illi aperiat, si non interrogetur. Immo, loquendo de contracto, si pœnitens in prædictis circumstantiis solum sciat, seu sciverit esse peccatum contraxisse matrimonium, non autem sciat ejus invalidiatatem; absolvat de peccato, non verò invaliditatem ostendat.

5. Hinc, item, si prævideat Confessor pœnitentem non restitutum, si illi detegatur nullitas tituli, quem pro se adesse pœnitens putat; non erit ex Sanchez *ibid. n.* 17. talis nullitas illi à Confessario non interrogato patefacienda: quamvis sit in præjudicium tertij, qui suo carebit: tertij, inquam, particularis: nam si esset in damnum publicum; cum tunc præponderare debet bonum publicum bono privato pœnitentis; videtur aperienda. Sed contra hoc ultimum, quæso te, si prævides Pœnitentem non restituturum, quamvis item advertas, id esse in damnum publicum, cur tu sis obligandus ad admonendum, quanpoquidem prævides, adhuc, tua accedente monitione, illum non fore restituturum, atque adeo non fore amovendum damnum publicum? Certe frustra erit talis monitio, imo nocens ipsi admonito, bono autem publico nequaquam favens.

6 Atque hæc omnia ex Delugo *citat. n.* 30. etiam procedunt quando Confessarius speraret pœnitentem suscepturum quidem monitionem, sed tamen advertit remedium esse difficillimum: ut si scandalum, vel infamia notabilis sequatur, qualia possent sequi, ex separatione v. g. matrimonij. Ita idem Delugo *numero* 27. citans Suarium, & Sanchez. In hoc enim, vel simili casu satius est tacere: quia majus est tale damnum, quam illa materialis violatio legis divinæ, sine peccato violatæ.

7. Unde etiam infertur *ibidem*, idem esse dicendum, quando pœnitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile: ut non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vice melius suscepturus esse judicetur: poterit enim tunc prudens Confessor relinquere illum in sua bona fide, quæ à peccato excusat; & monitionem in tempus opportunius differre: ne scilicet territus pœnitens à Confessione se abstineat, majusque detrimentum patiatur. Hoc notetur permaxime pro Confessariis Mercatorum, & Principum.

8. Tertia regula. Si pœnitens, sive quia prudenter dubitat, sive quia scrupulo angitur, interroget Confessorem de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, nec ne; tunc Confessor veritatem aperire omnino debet. Ita Sanchez & alij *loc cit.* Ratio est, quia si taceret; illud silentium esset erroris approbatio, id quod nunquam licet.

9. Petes: Quid faciet Confessor, quando nescit, vel dubitat an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura? Respondeo: tunc comparentur utilitas, quæ sub dubio speratur, & damnum quod sub dubio timetur: atque illud sine scrupulo fiat, in quo magis præponderare in Domino iudicabitur.

## CAPVT V.

### Quam dispositionem Confessor advertat in pœnitente, & in se debet, antequam absolvat.

QUantum hic facit ad nostrum institutum; tria dispositio consideranda est: Prima completa actum fidei pernecessarium in pœnitente. Secunda dolorem debitum de peccatis, Tertia, statum gratiæ Confessario.

#### §. I. *De actu fidei necessario antequam quis absolvatur.*

1. IN persæpè angit Confessarios rusticorum, præsumpte peccata excipientes. Pro praxi tamen hac tate adnotandum est aliud esse quod necessario requiratur, antequam conferatur, ad justificationem acquisitam absolutio: & hoc est, pœnitentem credere [illegible] sunt de necessitate salutis: aliud esse quod requiratur alio capite: siempe ratione præcepti, quo quilibet Christianus obligatur scire, quæ ad religionem, quam profitetur, pertinent. De utroque agemus: quamvis propriè de priore agere, ad nos dumtaxat spectet.

2. Quoad primum igitur caput, solùm videtur nobis est, quidnam credere sit de necessitate salutis; enim solum sit necessarium exposcere ante absolutionem à pœnitente. De quo tamen sic diluciè habet Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 3. num. 2. in fine. In rigore non tenetur Confessarius Pœnitentem instituere, procurando, tunc addiscat quæ credenda sunt: sed satisfacit præcipiendo illi, & explicando duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis, ut ea explicitè credat: & inducendo ad negligentiam dolorem & emendæ propositum (si quæ in hoc fuit) [illegible]*

3. Tria hic insuper adverto. Primò, in bene moratis, vel confiteri solitis, supponi posse semel hæc mysteria credidisse, semel inquam: nam ex necessitate non semel sufficit. Vide Sanch. *ibid. in fine, num.* 23. *num.* 24. lege item Arag. apud eumdem Sanchez *cap.* 1. Secundò rectè paulò ante dictum esse (si negligentia fuit) nam communiter puto vix, præsertim mortaliter gravem, adfuisse. Nam vel sunt pœnitentes ex urbanis, & cultis? & supponuntur scire vel ex rudibus, seu pueris; & supponuntur inculpabiliter non advertere ad tale onus. Ita Azor. & Vasquez apud eumdem Sanch. *ibid. n.* 20.

4. Tertiò, ab aliquibus hanc necessitatem [illegible] multò benignius explicari. Sic Turrianus *de Fide disp. dub.* 4. citans Vasquez. Sà *mox* citandus, Coninch. *de disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 163. Vide etiam Dianam *part. tract.* 5. *res.* 46. & 48. Instar omnium sit Emmanuel Sà *Fides*, qui sic habet: *Necesse esse explicitè credere [illegible] mysteria quæ publicè in Ecclesia celebrantur; [illegible] multi cum D. Thoma: alij excusari multos ignorantia, [illegible] sertim cum deest, qui doceat, &c.*

5. Quoad alterum caput, communior sententia quemlibet Christianum teneri scire, & credere, [illegible] quoad substantiam, omnes articulos Symboli Apostolici (excipe *Communionem Sanctorum*, quæ intellectu difficilis est, etiam pro doctis) Additur etiam eodem modo Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Itémque Decalogum. Ratio est, quia quilibet tenetur scire, quæ pertinent ad suum statum & officium. Ita Turrian. *disp.* 22. *dub.* 1. & Valentiam *quæst.* 2. *p.* 4. *[illegible] ne* 2. & Sanch. *loco supra citato.*

6. Dixi, quoad substantiam, ut significarem necesse non esse, ex Sanch. *n.* 16. memoriter ea callere : si quidem satis est ea, quo ad res ipsas scire : præsertim rusticis, & rudibus, qui sine dubio, propter impotentiam, excusandi sunt. Sic *ibidem n.* 20.

## §. II. *De dispositione Pœnitentis quoad dolorem antequam absolvatur.*

7. DE dispositione dolotis, & propositi ante absolutionem in Pœnitente requisita, multa diximus *toto fere libro primo* : quare satis pauca supersunt addenda.

8. Primò, præsumitur dolor, & propositum, quando in Confessione ipsa signa doloris apparent. Ita Delugo *de pœn. disp.* 22. *sect.* 2. §. 3. Immo ipsa accusatio peccatorum serio facta, præsertim in benè moratis, est sufficiens signum doloris : multo magis, si pœnitens dicat se dolere. Sic Filliuc. *de Sacram. Pœnit. in instructione brevi c.* 2. *art.* 3.

9. Secundò, rudiores excitandi sunt ad dolorem : quia non satis advertere ad ejus necessitatem solent.

10. De Confessionibus præteritis factis à Pœnitente, nisi clarè contrarium constet ; supponendum regulariter adfuisse dolorem, Confessariumque rectè suum munus obiviss. Ita Delugo citatus *ibid.*

## §. III. *Quanam dispositio requiratur in Confessore, dum absolutionem impendit.*

11. HIcubi de dispositione pœnitentis, antequã absolvendus est, disputavimus, commodum locũ habet & dispositio requisita in Confessario, antequam absolutionem conferat. Eum autem debere esse in statu gratiæ, quando administrat Sacramentum Pœnitentiæ testata res est. Suar. Layman. Henriq. Delugo aliique *mox c. & apud. Dianam p.* 6. *tract.* 6. *res.* 53. quia reverentia tanto ministerio debita requirit, ut illud (secuti & cætera Sacramenta, saltem à Ministro qui sit ad ea conferenda ex officio institutus) ministrari in peccato mortali sine mortali non possit. Quare peccati sibi conscius Confessarius ante, vel se conterat, vel attritus confiteatur, quam ad hoc Sacramentum ministrandum accedat. Dixi sub distinctione (vel) quia solùm ante susceptionem Eucharistiæ adest præceptum positivum præmittendi Confessionem, nam ad cætera Sacramenta suscipienda, vel ministranda sufficit, quocumque modo, atque adeo per solam cõtritionem, in amicitiam pristinam Dominj redire.

12. Potest tamen contingere ut in peccato mortali, sine novo peccato administretur hoc Sacramentum à Confessario inadvertenter, & aliquando etiam cum advertentia. Prius contingit ex Laym. de Sacr. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 11. cum quis bona fide putans, se contritionis actum elicuisse ; sed verè coram Deo non elicuit. Posterius, quando gravis aliqua necessitas boni spiritualis proximi id requirit : nam si Confessarius luce gratiæ destitutus vocetur ad audiendam Confessionem mox morituri (idem, si vocetur ad baptizandum) nec possit, Præposit. 3. *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *num.* 34. Delug. de Sacr. *disp.* 8 *sect.* 9. *num.* 151. abillis temporum angustiis pressus sine magna difficultate, se recolligere, ad eliciendum actum contritionis, quo gratiæ nitorem recuperet, poterit illi ministrare sine peccato Sacramentum. Ratio est, quia defectus contritionis in eo casu non imputatur malitiæ Confessarij, sed tribuitur necessitati proximi, & sic, ea necessitate constante, à peccatis quæ opprimunt Confessarium, nulla injuria irrogabitur Sacramento, præsertim Sacramento est, quod ad delenda eiusdem generis peccata à Christo Domino institutum est.

13. At enim verò quandonam urget ejusmodi obligatio status gratiæ in Confessario, dum audit ne pœnitentis peccata, dum pœnitentiam ei tanquam iudex taxat, an solum eo temporis momento, quo absolutio conferenda est ?

Respondeo. Licet nonulli apud Dian. *p.* 7. *t. de circumstant aggr. res.* 47. Bonac. *de pœn. d.* 5. *quæst.* 5. *sec.* 2. *p.* 2. §. 2. *disp.* 1. *n.* 8. censeant, & dum audit, & dum pœnam taxat & dum pœnam absolvit, probabilissimum tamen est, solum dum absolvit, ex Henriq. *l.* 5. *c.* 8. *n.* .. *in Glossa lit. V.* Delug. *de Sacram. disp.* 8. *sect.* 9. *num.* 58. Ratio est, quia audiens Confessionem, & pœnitentiam imponens, licet incipiat conficere Sacramentum, non tamen illud simpliciter, & absolutè conficere censetur ; donec formam absolutionis adhibeat, ut patet si audita Confessione, & injuncta pœnitentia, à beneficio impendendæ absolutionis abstineat. Ergo donec absolvat, non potest dici, quod simpliciter, & absolute irreverenter tractet Sacramentum, quia donec absolvat, Sacramentum non conficit.

Dices. Hinc sequeretur eum, qui incipit ministrare per Absolutionem, Sacramentum Baptismi, vel per Vnctiones Sacramentum Extremæ Vnctionis non peccaturum si antequam proferat formam se conterat. Respondeo : Fac, ultro hunc peccaturum, id enim quærendi nunc otium non est, assero, adesse in casu nostro disparitatem. Nam cum materia & forma Baptismi, & extremæ Vnctionis instituta sint simul exhibenda ; iudicatur moraliter quis male tractare Sacramentum, dum ponis materiam cui ex sui institutione tam proxime adhibenda est forma, cum per positionem materiæ tam vicinæ ipsi formæ, censeatur confici absolute Sacramentum. At in Sacramento Pœnitentiæ, quod est institutum per modum Iudicij, in quo frequentissime, etiam per dies plures distat positio materiæ, & impositio pœnitentiæ, à forma, quæ est sententia absolutionis moraliter non censetur per positionem illarum (quæ ex sui institutione remote ab absolutione se habere possunt) confici Sacramentum Pœnitentiæ, atquè adeo nec ab illo Confessario peccatores irreverenter tractari. Hæc disparitas solvit difficultatem, quam urget Delugo *loc. cit.* contra rationem numero præcedente allatam, quam sine hac nostra explicatione satis jejunè dictam à Doctoribus apud Dian. *loc. cit.* fuisse, non possum non animadvertere.

14. Petes, quid si idem Sacerdos audiens Confessionem & taxans pœnitentiam, cum proposito se conterendi antequam absolvat (hoc enim proposito, firmare se debet, si advertat ad indignum animæ suæ statum,) non valens deinde vincere difficultates : quæ sese menti offerunt, contritionem tam brevi tempore quo sæpissimè pœnitens absolutionem expectat, concipere nequeat, condemnandus ne erit, de culpa mortali, si sic affectus absolvat ? Respondeo sub distinctione. Nam vel hic Sacerdos bona fide, & certus fortasse aliàs facilitatem se conterendi, differt actum contritionis ad illas temporis angustias, vel mala fide, temerè & imprudenter : si hoc posterius certè peccavit mortaliter, saltem quando periculo absolvendi in mortali sese exposuit, quia tunc ipsi pravitatique suæ tribuitur contritionis defectus. Si illud prius, est iterum distinguendum. Si enim sine ullo tamen moleſtiæ pœnitentis, aliquid forte simulans Confessarius, potest differre absolutionem, id facere obligabitur, secus sine hæsitatione absolvere potest. Ratio prioris partis distinctionis est, quia posita nulla pœnitentis repugnantia, sic requirit reverentia Sacramenti. Ratio posterioris est, tum quia pœnitens habet ius ad Absolutionem, quare si Confessarius eum absolvere refugiat gravem injuriam irrogabit, cogendo illum ad dilationem sufferendam : tum quia odiosa absque dubitatione redderetur Confessio, si pœnitens adverteret, sese nullla sua causa sine absolutione dimitti, absolvatur ergo, &c. Sicuti enim necessitas ægroti graviter periclitantis excusavit similem Confessarium modo *n.* 12. ita ab hac necessitate iuris pœnitentis, & à necessitate, qua omnes urgemur procurandi, ne molesta evadat Confessio, quod est

publicum Religionis bonum, excusari eumdem probabile est.

15. Immo simile quid in priore casu, quando Sacerdos mala fide contritionem ad tempus immediatè ante absolutionem remisit, dicendum in aliquo casu esse paritas rationis ostendit: Nam, etiamsi forte, immediate ante conferendam absolutionem à temeritate resipiscat ejusmodi Sacerdos, velitque, non tamen possit, in illa brevi morula, se conterere, non peccabit, dum absolvit existens in mortali, excusante nimirum prædicta necessitate iuris pœnitentis, prædictoque onere Confessarij non reddendi odiosam Confessionem, licet sine dubio peccaverit, quando fide prava, ad absolvendum in peccato, sese perperam exposuit. Nisi sic doceamus, peccaret tunc Sacerdos, tum absolvendo, quia absolveret in mortali, tum non absolvendo, quia negaret ius pœnitentis, id quod esset pati perplexitatem, quam omnes Doctores nunquam concedendam esse, fatentur.

## Caput VI.

### De Iuramentis aliisque obligationibus poscendis ab eo, qui absolvitur in casu necessitatis.

1. Iuramentum, quantum facit ad præsentem difficultatem, triplicis est generis: Aliud est de stando mandatis Ecclesiæ, id est quod iterum talia Pœnitens non sit commissurus: Aliud est, de satisfacienda parte: Aliud de comparendo, id est quod pœnitens, propter necessitatem, ab excommunicatione reservata absolutus; recurrere, seu comparere debeat coram superiore sub pœna reincidentiæ, hoc est, quod in eandem excommunicationem à qua fuerat absolutus reincidet.

2. Iam vero, vel possumus sermonem facere de casibus reservatis, vel de reservatis excommunicationibus.

Quoad primum, in articulo necessitatis, id est mortis: & valde probabiliter in gravi periculo ejusdem: Lege Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 13. num. 1.* immo, & probabiliter, ex Castro *tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. num. 3.* in quolibet impedimento perpetuo, propter quod quis ad Superiorem ex se confugere non valet, quilibet Sacerdos potest ex Trid. *sess. 14. c. 7.* de quibuscumque reservatis absolvere, cum præter id tempus non possit. At verò nullum tunc est exposcendum Iurammentum: quia pro casibus, quibus non est annexa excommunicatio, nullum adest ius; quod obliget ad tale iuramentum. Excipe Incendiarium, *c. Pessimam 13. quæst. 8.* huic enim, quamvis non sit excommunicationi subiectus; erit iuramentum injungendum, iuramentum inquam de stando mandatis Ecclesiæ: nisi quis dicat, legem id exposcentem ex desuetudine jam non obligare.

Periculum & articulum sic explicat Dicastillus *de sacrif. d. 10. num. 409.* Pro eodem reputatur Periculum & Articulus, quando mortis periculum est propinquum & verum in fieri, non verò quando ferè certum est, mortem diutius esse differendam, quo tempore potest occurrere opportunitas habentis facultatem legitimè absolvendi. *Et paulo post n. 411.* tunc approbat, posse absolvi damnatos in Triremibus, ut in articulo mortis, quando debent periculosum mare transire; aut non est sacerdos, aut haberi à tali damnato de facili non potest. Concludit denique in hunc modum. Plura sunt alia pericula, quæ arbitrio prudentis potius, quam certa regula designari poterunt. Vt cum quis in morbum periculosum incidet qui majore ex parte mortem solet afferre, aut iter incipit expositum prædonibus occidere solentibus, vel aggreditur curationem alicuius morbi quæ periculosa esse soleat. Hæc ille. Vnde non iudico in articulo seu periculo hoc eum esse, qui tertiana simplici laborat, quia hæc non solet majori ex parte mortem afferre. Aliqui Sanc. *d. 12. n. 5.* & Dian. *p. 3. tr. 4. res. 17. & p. 5. tr. 3. fol. 2.* morbum periculosum judicant dolorem lateris. Medicis melius decernendum relinquo.

3. Quoad Secundum. In eodem extremo, seu periculo, vel impedimento perpetuo, quilibet Sacerdos ex Trid. *sess. 14. cap. 7.* potest quidem à qualibet excommunicatione, sive jure, sive ab homine lata, etiam propter hæresim contracta, & quocumque modo reservata, tanquam legitimus Minister absolvere: sed in prædicto Clericorum *cap. ex tenore, de sententia excom.* in omnibus casibus Bullæ Cœnæ *clausula 20.* impœnitenti debet iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Quod Pellizzarius *mox citat.* & Diana *p. 5. tr. 3. resol. 23.* iudicant, non esse ex necessitate sub mortali quando absolutio datur in foro occulto conscientiæ. In iisdem casibus Bullæ Cœnæ *Cautione præstita* taxat, aliud iuramentum debet injungere, nempe de facienda parte, si quæ læsa fuit, nec dum remissa reat. Dixi (dumtaxat) quia in aliis tequitur satisfactio partis, sed non sub præstito juramento gendus est Pellizzarius, *tom. 1. tract. 7. c. 1. num. 5. p. 2. tract. 16. res. 42.* qui docet, quando Absolutio foro conscientiæ; & pœnitens non potest non esse imponendum tale Juramentum de satisdo, sed sufficit animum propositum, ut in cæteris gationibus. Lege Sanchez *lib 1. in Dec. cap. 13.* Denique ab eo qui, à quacunque excommunicatione servata, propter talem necessitatem, absolvit onus erit exposcendum: nempe ut transacto recurrat ad Superiorem, vel ejus delegatum certè esse solet Confessarius electus virtute Bullæ ciatæ, vel Jubilei.) Quod si deinde non recurrent eandem excommunicationem relabatur, *c. ea quæ tentia excommun. in. 6.*

Dixi autem (onus, non iuramentum) siquidem mentum hoc de comparendo, probabilius est cussione solum Clericorum (cum in aliis nullo veatur imponendum esse, Bordonus *tract. 3. com.* putat obligationem adesse solum, quando quis tur ab excommunicatione deducta ad forum sum Ita Avila 2. *p. cap. 7. disp 3. dub. 4.* Esto sentiat Castrop. cum aliis *tom. 1. tract. 4. disp. num. 17.*

Nota duo. Primò, ab Impubere ejusmodi non esse exposcenda: quia non præsumuntur rationis usu, ut juramentum pro dignitate Sic Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 26* Bonac. *censur. quæst. 3. p. 3. num. 11.* Secundò. Quando juramenta vel onera implori non posse, ut quia pœnitens statim est certo morituras, vel impotum fore perpetuum; illa non esse imponenda, stra imponerentur. Sic Castrop. *tom 1. tract. 4. §. 5. 18.*

## Caput VII.

### De Iurisdictione Sacerdotis, ad absolvendum necessaria.

Ad facilem pœnitentiæ administrationem redam multum prodest, certum esse de sua iurisdine Confessarium: quapropter hæc breviter adnota.

#### §. I. *De Sacerdote non approbato.*

1. Sacerdos simplex non approbatus solùm absolvere à venialibus, & à mortalibus aliis absolutis & denique in casu necessitatis ab omnibus sibus, & excommunicationibus, sine ulla restric-

ita Præpositus *de pœnit. q. 7. dub. 5. num. 4.* aliique *Passim* ex Trident. *sess. 14. cap. 7*, modo tamen supra dicto *in capite præcedente*: & quidem probabiliter etiam præsente Confessario approbato. Sic Castropal. *tom. 1. tract. 4. de Confessario approbato. Sic Castropal. tom. 1. tract. 4. disput. 4. p. 3. §. 5. num. 8. & 9.* Delugo *de pœnit. disput. 18. sect. 2. num. 23.* vocantes probabilem nostram opinionem, quamvis contrariam probabiliorem & tutiorem. Quam probabilitatem sic ego breviter probo. Non potest negati hanc sententiam esse probabilem, ut fatentur ipsi Castropal. Delugo, & sexdecim Doctores à Delugo citati, aliique; sed in iurisdictione probabili, sententia est communis, quod Ecclesia dat iurisdictionem certam: ergo prædicta iurisdictio non erit amplius probabilis, sed certa: Minorem huius argumenti probat ipse Castropalaus *eodem tom. 1. disp. 2. de conscientia opinante p. 5. num. 9.* afferens Suarium, Lessium, Thomam, Sanchez, Basilium de Leon. Ægidium, Coninch. Bonac. aliosque, qui omnes affirmant operanti ex opinione probabili, qua scilicet quis probabiliter iudicat se habere iurisdictionem, statim de facto ab ipsa Ecclesia iurisdictionem certam conferri ergo, &c.

### §. I I *De Confessore approbato.*

2. SAcerdos ritè vel à suo Ordinario, seu Prælato, vel à Summo Pontifice approbatus; eos respectu quorum est approbatus: potest absolvere, tum ab omnibus casibus, tum ab omnibus excommunicationibus aliis nulli Superiori reservatis.

Ad hæc clarius explicanda, quatuor adverto.

Primò: Episcopis seu Prælatis Summo Pontifice inferiores nulli sunt casus neque excommunicationes reservatæ in iure: Ita Suarez *de pœnit. disput. 29 sect. 3. num. 6.* Filliuc. *tract. 15. à num. 237.* solùm igitur solent ipsi aliqua sibi reservare: quare quilibet Confessarius consulat suæ Diœcesis constitutiones, & iura, vel legitimas consuetudine. Vnum subadverte, casus hosce, quos sibi hi reservant, vim solùm habere in sua Diœcesi non in aliena. Nam propterea Diœcesanus, qui forte peccatum in sua Diœcesi reservatum confiteatur Confessario in altera Diœcesi, ubi non est reservatum, poterit absolvi à dicto Confessario: Sic Filliuc. *tract. 7. à num. 285.* quia supponimus isti nullam factam esse restrictionem) ut esse factam restrictionem quandam prò Religiosis Societatis Iesu, peccatum reservatum fortè confitentibus dum iter agunt, scimus. De quo Delugo *de pœnit. disput. 15. sect. 6. §. 3.* Quod si dictus Diœcesanus mutet domicilium, seque in alienam Diœcesim transferat, multò magis in prædicto casu poterit absolvi, ut de se constat.

3. Secundò; Regulariter nullus est casus reservatus in iure Summo Pontifici, cui non sit annexa excommunicatio. Sic Filliuc. *in Instruct. brevi cap. 2. artic. 5.* Vnde colligunt rectè Doctores, quòd si quis non incurrerit excommunicationem propter aliquam causam, v. g. propter ignorantiam, etiam si esset hæresis externa (nam propter interna quæcunque delicta, cum Ecclesia nolit indicare de internis, nulla incurritur excommunicatio) nunc illud peccatum, seu, casus non esset reservatus; sed posset à quocumque legitimo Confessario absolvi. Sic Suarez *lib. 8. de matrim disput. 9. num. 20. circa medium*, Castrop. *tom. 1. tract. 4 disp. 4 punct. 3. initio.*

4. Tertiò: Episcopis conceditur à Tridentino, *sess. 24. cap. 6. de reformat.* ut possint in foro conscientiæ absolvere suos subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis: idque in hæresis crimine, eisdem, non verò eorum Vicariis permittitur: id quod intellige cum Fagundez *2. Eccl. præc. cap. 8. lib. 8. num. 33.* lege etiam Castrop. *tom. 1. tract. 4. p. 3. §. 1. n. 18.* etiam post Bullam Cœnæ Domini: & quando dicitur (non eorum Vicariis) intellige de Vicariis ex officio, nam posse hæresis occultæ absolutionem, vel Vicario, vel cuicumque Sacerdoti specialiter, quando casus occurrit, committere, non est mihi dubium. Sic Fagundez *ibid.* Castrop. *ibid. num. 19, &c.* Per occultum autem intelligitur, quando peccator non laborat publica infamia, quoad illum casum, etiam si aliquibus sit notus. Sic Filliuc. *tract. 7. n. 186.*

5 Atque ex hac tertia animadversione efficitur, ut Confessarius in his occultis non cogatur mittere Pœnitentem, seu confugere ad Summum Pontificem, satis enim superque erit, ad Episcopum. Est aliud remedium; id est Bulla, & privilegia Religiosorum, de quibus iam aliquid subdo.

6. Denique advetro, Catalogum Censurarum reservatarum haberi apud Filliucium *tractat. 15. & 16. in fine.*

### §. III. *De Confessario electo per Bullam Cruciatæ vel Iubilæum.*

7. PEt Bullam Cruciatæ conceditur accipienti, illum (nam ex Ioseph. August. *in notitia brevi de Bulla Cruciatæ, n. 12.* non satis est propositum accipiendi, cum contra, satis sit accipere, quamvis dilata solutione) in Regnis Hispaniæ, posse absolvi, in illo anno, quo Bullam accipit, à quolibet Confessario ritè approbato, ab omnibus casibus, & excommunicationibus Episcopo quomodocumque reservatis (præmissa debita satisfactione, ubi opus fuerit, toties quoties ab omnibus Pontificiis publicis, semel in vita, & semel in morte in illo anno: & per aliam Bullam iterum semel in vita, & semel in morte in eodem anno, sed non tertio per tertiam. Probabiliter autem satis est, ex Henriqu. Coninch. Filliuc. Regin. aliisque apud Dian. *p. p. tract. 11. Res. 7.* & post hos Valerus *in Diff. vtriusque fori, v. Absolut. Diff. 1.* si is electus per Bullam fuerit approbatus semel à quocumque ordinario, sive originis, sive domicilij, sive beneficij, nec iniiciendus est scrupulus P. Fagundez *2. Eccl. p. lib. 1. c. 2. num. 22.* dicentis, opinionem non requitentem novam approbationem si eiusmodi electus Domicilium mutet, non esse tutam; esse enim tutam pluribus probat idem Valerus, & signatè notat *num. 18.* versu *& observa*, sed omnino est legenda quædam seu declaratio seu limitatio, quam ego affero *in Tract. de Bulla Cruciatæ c. 12. num. 3. seq.* Ita Joseph. Aug *in Notitia brevi de Bulla Cruciatæ, à num. 5.* Idque propter rationem quam affert Sanchez *l. 4. in Decal. c. 54. num. 27.* (esto sint cum Filliucio *tr. 73. n. 287.* alij contrarij) quamque approbat Bauc. *in selec. q. 48.* citans Bonacinam *tr. 3. De Censur. d. 2. q. 1. p. 10. num. 16.* & Alfonsum de Leone *To. de cens. recoi. 7. n. 40.* Ratio autem est quia est verum hos occultos esse casus Papales, & solum ex Delegatione concessos Episcopis, & in rigore non esse casus, quos sibi Episcopi reservant, seu non esse casus Episcopo reservatos, ut recte notat Suarez, *de pœn. d. 29. c. 3. num. 6.* tamen sive ex vsu, sive ex lata interpretatione, statim ac illi conceduntur Episcopis in perpetuum, conceduntur illi tamquam ordinariis, atque toties, quoties absolvibiles per Bullam; quæ est ratio allata à prædicto Sanchez l. c. Hinc ibidem paucis sic consequenter concludit. *Qui habet ab Episcopo facultatem Generalem absolvendi à Casibus & Censuris ipsi reservatis, intelligitur etiam ipsi concessus casus Abortus animati, & propter paritatem rationis, percussio levis Clerica, & ita esse vsu receptum.* Hæc ille: & quidem propter eamdem rationem, quia nimirum hi casus concessi sunt in perpetuum Episcopis.

7. Dixi (à Pontificiis publicis) nam ab occultis (excipe semper hæresim) potest toties quoties tam lata est potestas absolvendi per Bullam omnes excommunicationes, satisfacta, si opus fuerit, parte, ut etiam possint absolvi, in foro tamen interno, excommunicati, sive generaliter pro peccatis, quæ sint commissa post Bullam acceptam, vel etiam antea, sive nominatim denunciati. Ita Ludovicus à Cruce *in expositione Bullæ Cruciatæ*

*ta disput. 1. cap. 4. dub. 1.* Esse autem absolutum quempiam ab excommunicatione in foro interno, hunc effectum habet: ut si excommunicatio sit occulta, licet pro culpa, pro qua fuit excommunicatus, & pro ipsa excommunicatione, si manifestetur, possit apud Iudicem externum puniri: ipse tamen privatim potest se gerere, ut non excommunicatum: quia de facto absolutus est auctoritate Summi Pontificis. Ita idem *ibid. dub 3. n. 9.* At si casus, seu excommunicatio non sit occulta, & absolutio sit super Bullam in foro conscientiæ data: potest se in occulto gerere, ut non excommunicatum: at publicè se debet, ut excommunicatum gerere, quia secus faceret præiudicium foro exteriori. Sic idem *ibid. n. 12.*

9. Absolutio à Censuris virtute Bullæ potest fieri etiam extra Sacramentum Poenitentiæ, ex Ioseph. Augustin. *ibid. num. 16.* & etiam per formulam ordinariam absolutionis à Censuris *ibid. num. 7.* Nec est necesse, ut Pœnitens Bullam habeat secum: cum satis sit, ut habeat domi: ita idem *ibid. n. 8.* & Ludovicus à Cruce *in expositione Bull. Cruc. disp. 1. c. 1. dub. 2.* Immo etiamsi illam amiserit, ex eodem Ludouico à Cruce *ibid.* dum tamen sponte non proiecerit; ex Ioseph. Augustin. *n. 8.*

16. Quoad Iubilæum in quo solet concedi latissima potestas absolvendi à peccatis, & excommunicationibus, secundùm eius tenorem erit procedendum.

## §. IV. *De Confessore Privilegiato.*

11 HI solent esse Mendicantes, & qui in eorum privilegiis communicant. Hi enim extra Italiam, & qui in Vrbe Romæ commorantur, possunt absolvere à Pontificiis omnibus toties quoties (satisfacta semper parte universaliter pro omnibus Mendicantibus Rodrig. *in Compend. resp. 3. v. Absolutio quo ad seculares, à num. 4.* Comp. Priv. Soc. *V. Absolutio* §. 1. præter casus Bullæ Cœnæ, à quibus ex Sanch. *lib. 4. in Dec. c. 54 n. 24.* non possunt.

12. Excipe item excommunicatos nominatim per sententiam prolatam ab homine; quos non potest absolvere nisi ille, qui tulit, vel ejus successor, vel superior qualis est censendus delegatus a dicto superiore) ut occurrit quando quis absolvitur virtute Bullæ Cruciatæ. Sic Filliuc. *tract. 11. n. 297.* & alterius *tom. 1. lib. 4. disp. 2. c. 2. & 3. & c. 5. §. Quod tamen Privilegium.* Excommunicatos autem generaliter ab homine, Confessarij Societ. Iesu non debent absolvere; sine speciali licentia suorum Superiorum: prout explicatur *in Compend. Privilegiorum ejusd. Soc. § 1. V. solutio.* Alij tamen Mendicantes possunt hos excommunicatos generalirer ab homine, & quidem in foro interno, ut hic semper sensus est, Sic Ioan. la Cruz *in Compend. Privil. lib. 1. cap. 7. dub. 1.* Et Ratio diversitatis est, quia Confessarii Societ. id limitatur à suo Patre Generali, quod limitare utique ex suis privilegiis potest: Ita *in præfatione ejusdem Compendij Privil. Soc. Iesu*: qua limitatione carent cæteri, ut supponimus. Vtrum autem pro excommunicatis nominatim sint hi per sua privilegia Delegati à Pontifice, sicuti Electus per Bullam Cruciatæ, non est hic quærendi locus: nam propterea, modò initio huius numeri, excommunicatos nominatim excepi.

13. Hæc pro Confessariis Mendicantibus, eorúmque privilegia participantibus extra Italiam, & intra Vrbem. De iisdem nunc breviter dicendum, intra Italiam, & extra Vrbem. Certum est ex decreto Clement. VIII. posito à Ludovico la Cruce *de exposi. Bullæ Cruc. disp. 1. cap. 3. dub. 5.* hos posse absolvere à cæteris, præter sequentes, hoc est Primò, præter casus Bullæ Cœnæ, Secundo, præter casus sex Pontificios positos apud eundem *ibid.* in moderatione einsdem Decreti Clemen. VII. Denique tertiò, præter casus, quos sibi Ordinarij locorum reservant. De hoc tertio nihil occurrit addendum. De primo, & secundo, solum hic exponendum erit in gratiam legentium, quinam illi sint.

### *Bullæ Cœnæ Summa.*

HÆreses, libroſque Hæreticorum legentes, Pyratæ in mari Romano, eorumque fautores.

Imponentes nova pedagia, gabellas, &c.

Falsificantes literas Apostolicas.

Arma, ferrum, &c. equos, &c. deferentes ad inimicos hominis Christiani, vel ad Hæreticos, illisque auxilium, consiliumque dantes, &c.

Impedientes eos, qui victualia Romam deferunt.

Qui euntes Romam, vel ab ea recedentes spolia mutilant, capiunt: & sine iurisdictione vexant in via Romana commorantes.

Vindicantes sibi iurisdictionem Apostolicam.

Vulnerantes, vel capientes Episcopos, Cardinales, &c.

Qui per se, vel per alias personas, quæ Romam ex suis causis recurrunt, vel inibi propter easdem commorantur: vel Iudices, Officialesque dictarum causarum ob causione earumdem, &c. occidunt, percutiunt, spoliant.

Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, ad potestatem sæcularem.

Impedientes earumdem litterarum Apostolicarum & causarum spiritualium executionem.

Iudices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia; quique Ecclesiasticam libertatem violant, aut in aliquo perturbant.

Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione utantur, quique illorum delegatorum iudicia eludentes, transeunt ad curiam sæcularem, aut contra illos aliquid decernunt.

Vsurpantes Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus.

Imponentes onera Ecclesiasticis.

Iudices sæculares, qui interponunt in criminibus contra Ecclesiasticos.

Occupantes bona Ecclesiæ Romanæ, illiusque iurisdictionem usurpantes.

Præsumentes absolvere prædictos.

### *Sex Casus Pontificij, de quibus non possum absolvere Mendicantes intra Italiam extra Vrbem.*

Apud Ludovic à Cruce citatum.

14. VIolantes immunitatem Ecclesiasticam in terminis Greg. XIV. *Cum alias nonnulli.*

Violantes clausulam Monialium ad malum finem.

Provocantes, & pugnantes in Duello, iuxta Trid. & Constit. Greg. XIII. *Ad tollendum.*

Injicientes violentas manus in Clericos, iuxta Canonem, *Si quis suadente.*

Simoniam realem scienter contrahentes.

Confidentiam beneficialem, quæ est ea, ex Bulla Pij IV. *Romanum*, & Pij V. *intolerabilis*, quam committunt personæ resignantes aliquod beneficium, vel illud acceptantes, vel collatores, vel electores, vel præsentatores, quando resignant, acceptant, conferunt, eligunt, præsentant cum intentione, seu certa confidentia quod beneficium, seu ejus pars aliquo tempore revertatur sit in favorem, sive ipsius resignantis, sive alterius cuiuscunque.

15. Hæc, ut dixi, in gratiam legentium Confessarium posita sunt: Cum enim Confessarius, ut recte munere fungatur munere, teneatur ex Filliuc. *in instr. brevi, part. 5. §. Quarto, scienda sunt*, scire casus, sive excommunicationes, saltem ordinarias, quas ipse non potest absolvere: nam de illis, quas potest, satis est si habeat cognitionem confusam, intendatque eas absolvere, si quas

facerit, ideo Confessarius ex Mendicantibus extra Italiam, & in Vrbe, satis est si sciat excommunicationes Bullæ Cœnæ, quam iam modo compendiosè deliberavimus. Confessarius autem ex iisdem Mendicantibus intra Italiam, & extra Vrbem, sufficit si sciat easdem excommunicationes Bullæ Cœnæ: & insuper ex modò dictos casus Pontificios: & denique casus ab ordinario Diœcesis, ubi degit, reservatos. Demum Confessarius non participans privilegia Mendicantium, non solum præ-dicta scire debet; sed etiam illas alias excommunicationes reservatas in iure, & in Extravagantibus, quorum Catalogus, ut supra dixi, est apud Filliucium *tractatu* 15. & 16. *in fine*, qui quia longus est; hic transcribere operæ pretium non fuit: est tamen apud eundem *in instructione brevi artic.* 5. brevior Catalogus ordinariarum excommunicationum reservatarum, quo si mavis uti ad faciliratem, potes.

## CAPVT VIII.

## Quid faciet Confessor si erraverit in absolvendo.

### §. I. *Proponitur Quæstio.*

1. TRipliciter id evenire potest. Primò si erraverit quoad valorem Sacramenti, absolvendo v.g. sine potestate: ut si absolvisset à reservatis, vel sine intentione, vel sine debita pœnitentis dispositione. Secundò si erraverit, quoad aliquid, quod erat in damnum Tertij, v.g. non obligavit ad restitutionem debitam: & idem est si obligavit ad indebitam. Tertiò si erraverit in aliquo, quod nec bonum tertij, nec validitatem Sacramenti læderet; sed solum v.g non interrogavit de numero; vel de requisitis circumstantiis peccatorum, vel reliquit pœnitentem in occasione proxima. Iam de singulis hisce eventibus, nostro more, breviter.

Sed prius advertendum est, eiusmodi errores, vel à Confessario posse committi ex culpa mortaliter gravi, quam *malam fidem* vocabo: vel ex nulla, aut saltem venialiter levi, quam appellabo *bonam fidem*: nam hac distinctione posita, clariora evadent, quæ subdenda sunt. Inirium autem facimus à tertio.

### §. II. *De errore circa Tertij damnum.*

2. QVando ergo Confessarius erraverit tertio modo: si bona fide processit, ad nihil illum obligo, sed Deo omnia commendet. Ita Filliuc. *in instruct. brevi. cap.* 4. § *dico* 2. Delugo *disp.* 22. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 75. si mala fide, debet diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admoneat; Sic idem Delugo *num.* 74. de cuius admonitionis modo, mox aliquid attingam *num.* 6. Ratio est, quia in posteriore hoc eventu Confessor esset causa ne pœnitens obligatus v.g. confiteri integrè omnia peccata, tali obligationi, saltem materialiter, non satisfaceret. At in casu priore non censeretur causa moralis. Huius autem ratio ulterior est, quia bona fides facit, ne nunc Confessor sit, seu censeatur ejusmodi, causa moralis: nullam enim culpam adhibuit; & ut suppono; non dixit pœnitentem non esse obligatum, sed solum tacendo non interrogavit, vel non obligavit. Sanè si quis ex Fidelibus, die festivo, quem ipse credebat, feriarum, laboraret; ego non obligaret docere eum de diei festivitate, si ejusmodi monitionem facere non possem sine meo gravi incommodo: & ratio est; quia non teneor ex iustitia: quòd si teneor ex charitate; certè illud incommodum me excusat: ut est communis doctrina in omnibus obligationibus provenientibus ex debito Charitatis. Ita est in casu nostro: nam ex vna parte graue censetur incommodum, cum meo rubore, & ostendendo me erasse, monere pœnitentem: & ex alia nullum damnum obvenit pœnitenti bona fide procedenti (ut supponimus) & solum materialiter, legem de integritate Confessionis non observanti.

3. Petes; quid si bona fide positivè deobligavit: vel: quod in idem recidit, pœnitens motus ex silentio Confessarij putavit, se non obligari ad prædicta? Respondeo: regulariter ad nihil illum obligari docet Filliucius *loco cit.* Ratiò obligari docet Delugo *n.* 74. *cit.* Rectè uterque: tunc enim esset obligatio; cum omnibus perpensis non esset grave incommodum Confessarij admonere: quia verò raro non adest ille ruborin retractando, potest rectè dici regulariter non obligari.

### §. III. *De errore cum damno Tertij.*

4. QVando erravit secundo modo, nempe cum Tertij damno: distinguendum est. Quando enim tacuisti, hoc est, nec illum positivè obligasti, nec deobligasti positivè: si quidem bona fide processisti; ad nihil ite teneri putant graves Auctores, propter rationem modo dictam § *præcedenti.* Filliuc. *in instruct. brevi, cap* 14. § *dico* 2. strictius loquitur Delug. *de pœnit disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 65. si autem mala, teneris admonere pœnitentem de patrato errore, ne scilicet patiatur damnum innocens causa tua, Sic Delug. *ibid.* Si tamen non admoneas, licet pecces, non teneris ad restitutionem: quia Confessor non tenetur ex iustitia quærere bonum temporale aliorum. Quod si illum positivè obligasti, vel deobligasti: si mala fide id à te factum est, certè obligaris vel monere cum affectu, quo ipse restituat: vel si nolit, seu iam; tunc non possit, cùm potuisset ante tuam deobligationem, tu teneris restituere: fuisti enim causa positiva damni, unde obligaris ex iustitia. Sic *ibid.* Si verò bona fide processisti? etiam obligaris (sic urgente damno Tertij) cum aliquo tuo incommodo: non tamen cum tanto, quanto si mala fide processisses: quia nunc teneris ex Charitate, non verò ex Iustitia, ut dictum est. Ita *ibid.* Aliqui cum Delugo citato *ibi. num.* 61. putant in hoc casu adesse obligationem aliquo modo ex Iustitia: si quis enim sine culpa incenderet domum alienam: ut primum id aduertit; tenetur (aiunt) ex Iustitia, si potest, non cum tanto incommodo extinguere: licet alius, qui non incendit, non ex Iustitia, sed ex sola Charitate teneatur. Ita in casu nostro, &c.

### §. IV. *De errore cum invaliditate Sacramenti.*

QVando Confessarius erravit primo modo, hoc est, ita ut Sacramentum Pœnitentiæ, quod administravit, invalidum fuerit: si fide mala processit, debet omnino, cum suo etiam gravi incommodo, pœnitentem admonere, sic exposcente damno scienter illato à Confessario. Ita Filliuc. *in instr. brevi, cap.* 4. *Dico igitur primo*, & Delugo *dicta disp.* 22. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 58. Si verò bona fide tunc solùm debet (semper supponimus quod possit illum convenire) admonere, etiam cum proprio aliquo dedecore, & incommodo, quando est periculum ne pœnitens amplius confiteretur: ut si esset v. g. graviter infirmus. Ita Delugo *ibid.* Ratio est, quia tunc est periculum mortis æternæ pœnitentis: atque adeo pœnitens tunc versareturin extrema necessitate. At si tale periculum non est: quia spes est ut iterum validè Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat; non esset in necessitate extrema; nam in sequenti Confessione bona fide facienda jam indirectè absoluetur ab omnibus peccatis aliàs non legitimè absolutis: Illud autem inconueniens, quod non servabitur materialiter lex Dei de sebdendis omnibus peccatis directè clavibus; resarcitur ab excusatione ducta ex rubore Confessarij, eo modo quo dictum est §. 2.

6. Petes; quando admonendus est ejusmodi pœnitens, quo modo fiet sine fractione sigilli; Respon-

deo : Confessor, ne sigillum frangat, debet petere veniam à pœnitente loquendi cum ipso de re ipsi pœnitenti necessaria ad salutem, atque ad ejusdem Sacramentalem Confessionem præteritam pertinentem : Si pœnitens concedat ; jam tutò Confessor admonebit: si negat, ad nihil aliud tenetur: quia jam functus est suo munere, quantùm potuit. Si pœnitens redeat ad Confessionem, te in hac debere illum monere de defectu prioris, puto, quia non adest ille rubor: & ita ob aliam rationem minus universalem notat Delugo *l. c. n.* 77. ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 6. *num.* 3. contra Suarium *disp.* 33. *de pœn. sect.* 5. dicentem posse adhuc & debere admonitionem prosequi; quia talis locutio est pars Confessionis præteritæ.

## CAPVT IX.

### Aliqua pertinentia ad Confessarium antequam absolvat.

In unum redigimus quædam, quæ supersunt, quæque superiùs meliorem locum, quàm hunc obtinere non potuisse visa sunt.

#### §. I. *Ex qua opinione Confessarius Pœnitentem absolvat.*

1. Potest, immo debet Confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis, contra propriam sententiam sive probabilem, sive probabiliorem. Ita Suarez *de pœn. disp.* 32. *sect.* 5. Sanchez *lib.* 1. *in Dec. cap.* 9. *n.* 28. & 29. aliique ; Castrop. *tom.* 1. *disp.* 2. *de conscient. opin. p.* 5. *n.* 3. Ratio est, quia tunc pœnitens est rectè dispositus: dum enim sequi paratus est opinionem probabilem; jam vult ab omni peccato discedere : & quamvis in rebus humanis, sive Iudex, sive Medicus deberet opinionem probabiliorem sequi, de qua re nobis nunc agendum non est; tamen Confessario, qui non alio modo est judex, & Medicus, nisi ut anima pœnitentis justificetur ; satis erit si pœnitens rectè ad prædictam justificationem dispositus appareat : id quod satis habetur sequendo opinionem probabilem.

2. Petes: Debétne id sub mortali ? Respondeo, Ita cum Delugo *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 48. Et quidem Confessarius proprius, id est Parochus, debet toties quoties ad se recurrerit pœnitens, eum absolvere, séque pœnitentis opinioni probabili conformare : delegatus vero, id est non proprius, licet audita Confessione, pro ea vice idem debeat ; tamen potest eum monere, ne iterum redeat, nisi eam opinionem deponat. Ratio diversitatis est ducenda ex obligatione, quam habet Parochus pro suis ovibus audiendis, à qua non urgetur delegatus. Obligamus autem delegatum pro ea vice : quia quando Confessarius quicumque audit Confessionem ; ex suppositione, quod audit, obligatur sub mortali conformare se opinioni probabili, quia tunc pœnitens, cum sit rectè dispositus; habet jus absolutionis : ne iterum cogatur sua scelera alteri manifestare.

3. Non est tamen negandum, excusari nonnunquam propter levitatem materiæ, ejusmodi Confessarium : ut si Confessio fuisset de peccatis venialibus, aut ita brevis, aut de tali materia ; ut eius repetitio apud alium Confessarium grave onus minimè censeatur. Sic Suar. *cit. num.* 2. Sanchez *cit. num.* 29. Imò Montesinus & aliqui apud Delugo *disp.* 22. *cit. sect.* 2. *num* 48. ( nec reprobat ipse Delugo : siquidem contrarium solum vocat verius ) in hoc Confessario delegato nunquam talem obligationem mortalé agnoscunt: quia talis Confessarius volendo audire pœnitentis peccata, non vult cedere juri suo, quo liber est, ut possit suâ operando opinionem sequi.

4. Petes iterum : quando Confessarius potest, vel debet conformare se opinioni pœnitentis probabi- bétne esse in se probabilis opinio, an satis est, nitenti appareat probabilis, quamvis in se talis quam sit ? Respondeo : debet esse talis in se; sive per rationes intrinsecas, sive per auctoritatem cam Auctorum, juxta ea, quæ dicuntur à Do de hac materia. Si ergo opinio pœnitentis his probabilitatem habeat, sed solùm ipsi pœnitens pareat probabilis : v. g. appareat probabile tale tractum non esse usurarium ; diligens sit Confes in examine talis sententiæ, an forte sit probabilis tem extrinsecè propter auctoritatem alicujus & si invenerit esse talem ; *illi* se conformet. Sic D. *loco cit. à num.* 45. secus illa opinio pœnitentis erit nisi falsa & erronea : unde cum ejusmodi se geret, sicuti se gereret cum culpabiliter, vel biliter ignorante : de quo nos satis diximus *lib. cap.* 4. hactenus declaratæ doctrinæ, quandam rationem adhibet Delugo *lib.* 1. *Resp. mor. dub.* rito enim ait, non obligari Confessarium sequi nem pœnitentis, quando opinio se tenet ex parte fessarij, ut si sit probabile, ipsum, posse, & non negare Absolutionem: id quod ego iterum notavi Sanc. *d.* 44. *n.* 10. quando egi *de pœnit. libro* 5. *cap.* 5. *num.* 39.

#### §. II. *An Confessarius sciens Pœnitentem non fateri tum, quod commisit, possit illum absolvere?*

5. Quid faciet Confessor, quando advertit pœnitentem aliquod peccatum commisisse, neque ex se, neque interrogatus confitetur: Dico evidenter, quod commiserit, & item evidenter non alteri confessus non sit, absolvere non potest: quia ipsi tunc constat ejusmodi pœnitentem non esse positum. Sic Suarez *de pœn. disp.* 32. *sect.* 3. *n.* 9. *lib.* 6. *de* 2. *præcept. Eccl. cap.* 4. *n.* 38.

6. Dixi ( si scit evidenter : ) si enim dubitat, vel bitat an pœnitens licitè neget ; potest absolvere quiliber debet præsumi bonus, atque adeo rectè situs nisi contrarium clarè constet. Quoniam igitur evidentia rarissima est, sæpè item contingere potest pœnitens habeat tacendi causam rationabilem, alibi dicta, ad evitandum, verbi gratia suum, vel rius damnum : vel habeat aliquam probabilem nem pro se, suaque actione; ideo, regulariter videndus.

7. Quid, si Confessarius ex aliorum Confessione vit, v. g. Petrum tale crimen commisisse, nec esse sum: ipse autem interrogatus negat; habendáne aliis, an Petro? Respondeo: Petro potiùs, quàm in hoc judicio pœnitens est reus, testis, & accusa- gisque est credendum in hoc foro pœnitenti in sua quàm aliis in aliena.

8. Sed quid si Confessor advertit pœnitentem peccatum, quod clarè commisit; obligatúrne interro- Respondeo : obligatur, si advertit tale silentium malo examine : quia debet pœnitentem indispositum rectam dispositionem adjuvare : imò etiamsi inculpa- liter pœnitens omitteret: quia Confessario etiam bit cognoscere plenè statum Rei, illúmque rectè dirigere antequam absolvat. Quomodo autem, & qua prudentia interrogare debeat pœnitentem de peccatis ab commissis, jam subdo.

#### §. III. *Quare tione Confessor, antequam absolvat Pœnitentem interrogare debeat.*

9. Hæc animadversio *supra*, cum de integra Confessionis actum est, suum germanum locum poterat : Verùm nec ab hoc loco, ut ita ci locum poterat : Verùm nec ab hoc loco, ut ita deranti patebit, aliena prorsus est. Quare de illa ex Delugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 14. *num.* 89. qui

dilucidè illam exagitat, breviter de nostro more, quantum ad expediendam Confessionem pertinet; aggrediemur.

10. Confessarius non obligatur ad examinandum pœnitentem exquisita industria, & exactissimo examine, sed suavi & humano. Ad cognoscendum autem gradum hujus diligentiæ, quam adhibere debet Confessarius, nota posse errari vel per defectum, vel per excessum. Per defectum errant rudes, ignarique Confessarij, nihil interrogando, vel solum crassissima quædam, vel universalia: Per excessum fallunt doctiores: quia his occurrunt plures, & plures interrogationes, quibus melius species, vel numerus peccatorum explicarentur. Circa quod advertendum: Confessarium non obligari plus ad interrogandum, quàm ipse pœnitens ad se examinandum: imò pœnitens obligatur primo loco, & deinde juxta capacitatem pœnitentis, Confessarius: pœnitens autem non obligatur ad exactissimum examen, sed ad humanum, hoc est tale, quo Sacramentum hoc non redatur minus grave, & onerosum: nec est bona consequentia, *Si plus hic se examinaret plus inveniret: ergo ad hoc obligatur*: non est, inquam, bona consequentia. Ratio est, quia non est attendendum solum ad exactam, & integram Confessionem peccatorum; sed etiam permaximè, ne Sacramentum, ex hoc capite reddatur nimis onerosum, & grave. Idem ego dicendum est de interrogationibus à Confessario exhibendis, non enim aliis, aliisque minutissimis interrogationibus torquere debet pœnitentem; sed humano, prudentique modo; quamvis omittenda sit aliqua differentia, vel numerus, alias apetendus.

11. Sed inquiret aliquis aliquam regulam circa hujusmodi examen, humanasque interrogationes. At profectò non potest dari una, & eadem regula pro omnibus: pendet enim ex capacitate, & dispositione corporali, ex attentione, aliisque circumstantis. Quare pauciores, & crassiores interrogationes debent fieri homini inculto, & barbaro, quales sunt Indi Occidentales quam alicui Europæo: levius item examinandus est rusticus noster, quàm homo civilis: levius qui ægrotat, & difficulter potest ad subtiliora attendere, propter capitis debilitatem; quam homo sanus & robustus. Denique (quod notandum est etiam) levius, & minus exactè interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis: quia cùm solum requiratur diligentia, & examen humanum; hoc autem sit illud, quod non generat ex se fastidium, & tædium hujus Sacramenti: consequens est, ut minùs distincta notitia requiratur ab eo, qui vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob causam difficiliùs posset exactam notitiam reddere. Nam illi, qui confiteri debet peccata totius vitæ, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum esset, & aptum ex se ad reddendam illi Confessionem odiosam, & gravem nimis, examen illud quod alteri facienti Confessionē menstruam, non esset difficile, sed facile. Et hæc est ratio, cur à meretrice, & concubinario & similibus, minus exactè & distinctè petamus numerum peccatorum, quàm si per mensem, vel per hebdomadam solam, v. g. in eo peccato fuisset: quia nimirum diligentia, quæ pro peccatis unius hebdomadæ distinctè confitendis sufficeret: eam, si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem ingereret, & molestiam talem, ad quam præceptum Confessionis integræ non obligat: quia tolleret præceptum ipsum, & Confessionem nimis molestam, & gravem. Debet ergo Confessarius accommodare se pœnitenti, & notitiam peccatorum à singulis petere, juxta capacitatem singulorum: subtiliorem à subtilioribus, crassiorem à crassioribus, breviorem ab infirmioribus, &c. Hæc ex illo.

Subdit Confessarij speculativi conscientiam Doctrina Th. Sanchez, *lib. 9. de matr. d. 16 num. 5. fine* ex qua colligitur (& quidem ex eodem, puto principio, quod examen debet esse morale & humanum, non verò metaphysicum) ex qua, inquam, colligitur non obligari Confessarium ad interrogandos pœnitentes de extraordinariis quibusdam eventibus, qui in eorum peccatis aliàs mutarent speciem, & si ipsi pœnitentes adverterent, explicare sine dubio deberent. Verba Sanchez sunt ejusmodi; *Ex his infero, constitutem situm extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessario interrogandum de effusione seminis, ad extra vas evenerit, necne, vel experiùne sit illius periculum, quia hæc non frequenter, sed rarissime accidunt.* Hæc Sanchez.

## §. IV. *An aliquando à Confessario sit subeundum onus Pœnitentis, quem absolvit.*

12 OBligatur v. g. pœnitens, omnibus expensis, vel primo ad correctionem fraternam proximi, vel secundo ad restitutionem sive rei, sive famæ: vel tertio ad confugiendum ad Superiorem, ob casus reservati absolutionem: vel quarto ad denunciandum aliquem sive Sanctæ inquisitioni, sive alteri Tribunali. Quæritur ergo an Confessarius ejusmodi onera in se suscipere licitè possit, vel debeat?

13. Quoad licitè posse: Quamvis consilium optimum sit, ut Confessarius ab hujusmodi pœnitentium oneribus subeundis omninò abstineat: tamen concurrentibus tribus, licitè potest: ex Suarez *de pœnit. disp. 35 sect. 4. à. num. 17.* imò interdum, ob charitatem, docet. Primò ut sit moralis aliqua necessitas ex parte obiecti: id est, ex parte rei faciendæ. Secundò ut eam rem facere pœnitens non possit, vel non sit aptus, vel rationabiliter refugiat. Tertiò ut ipse Confessarius speret utiliter se illud munus, sine suo dispendio, executurum.

14. Quoad debitum: In eo tantum casu debebit quando non potest omninò pœnitens, ipse autem Confessarius potest: & ex altera parte obligat Charitas sub peccato, ut illud fiat, ad quod tenetur pœnitens. Sic idem *ibid.* Sed discurrendo per singulos casus *n.* 12. propositos; doctrina hæc evadat evidentior.

15. In primo enim casu: si proximi necessitas sit tam gravis, ut pœnitens obligetur ad corrigendum illum, sive per se, sive per alium; tunc si potest ipse pœnitens, sive per se, sive per alium diversum à Confessario corrigere, non obligatur Confessarius: quia tunc non extremè indiget proximus. At si eandem gravem necessitatem succurrere: neque per se, neque per alium pœnitens possit; sed solùm per Confessarium (qui casus certè rarissimus est:) tunc, si sine magno incommodo, juxta leges communes charitatis, possit Confessor, sanè debebit: Sic *ibid. n.* 20. multò magis si is Confessus sit superior, cui incumbit bonum subditorum. Ratio est quia tunc extremè indiget proximus.

16. In secundo casu Confessarius non tenetur subire onus restitutionis sive suâ, sive pœnitentis, sive alterius pecuniâ. Idem de restitutione famæ. Sic colligo ex Suario *loco. cit.* & ex Sanchez & Castr. *mox.* citandis. Ratio est, quia hoc est onus pœnitentis; quod si ex aliqua causa ipse pœnitens subire non potest, nec alium inveniat, qui voluntariè vices suas suppleat: jam à tali onere liberatur. Excipe tamen casum extremæ necessitatis, si enim Confessor advertat illâ pecuniâ extremè indigentem sublevandum, nec aliam adesse sublevandi viam sanè, juxta leges charitatis, ut modò diximus, obligabitur.

17. In tertio casu nunquam obligabitur Confessor Superiorem convenire propter peccatum reservatum pœnitentis: Sic Sanchez *lib. 2 in Decal. c. 13. n. 14.* Castrop. *tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5. §. 2. n. 4 5. & 7.* nam vel pœnitens potest adire prædictum Superiorem: & tunc non extremè indiget, vel non potest, quia v. g. est infirmus in gravi periculo, vel habet impedimentum perpetuum adeundi

di Superiorem : & tunc casus hic non est reservatus : & consequenter Confessor, juxta regulas generales absolvendi in articulo seu periculo mortis : poterit illum absolvere : neque enim pœnitens obligatur mittere alium sive procuratorem, sive litteras, sive amicum : cum illud se præsentandi sit onus personale pœnitentis, à quo cum non possit, excusabitur.

18. In quarto casu nec obligabitur ipse Confessor subire onus denunciandi illis Tribunalibus; idque propter rationem modo *num. præcedenti* dictam. Excipe nisi graviter periclitetur bonum publicum deficientibus aliis, Confessor remedium adhibere tunc enim, secundùm prædictas charitatis leges debebit: quia extremè, in eo eventu, Respublica eget auxilio Confessoris.

Ex dictis similia, quæ contingere fortasse possunt facile, decidentur



# LIBER QVARTVS

## DE SATISFACTIONE.

### CAPVT PRIMVM.

### De Pœnitentia injungenda à Confessario.

*§. I. An Confessor possit nullam iniungere pœnitentiam.*

CERTVM est apud omnes Confessarium teneri communiter, sub aliqua obligatione, imponere pœnitentiam, atque adeo supponi in ipso auctoritatem ad eam iniungendam: tam in punitionem peccatorum, quia est Iudex quàm in medelam, quia Medicus. Ita Trid. *sess. 14. cap. 8.* & *cap. omnis utriusque, de pœn. & remiss.* Delugo *de pœn. disp. 25. sect. 4. n. 46.* Vbi sub aliqua obligatione:) nam si omitteret, sine contemptu, levem pœnitentiam imponere, pro venialibus, vel pro sæpè confessis, non puto mortaliter peccaturum, propter levitatem materiæ, aliasque rationes à citato Delugo *ibid.* deductas. Dixi item (communiter:) quia primò, quando, in articulo mortis pœnitens nullam præsumitur posse pœnitentiam exhibere, ut si impos esset rationis, vel admodum debilis; nulla iniungenda esset. Sic Fagund. 2. *Eccl. præc lib. 9 c. 3. n. 9.* quia vel physicè, vel moraliter huius incapax est.

2. Secundò, idem est, si cui reuelaretur suum pœnitentem perfectè pro suis peccatis satisfeciſſe, nec indigere in futurum remedio. Sic Coninch *de pœn. d. 10. n. 63.* quia ubi nullum est debitum pœnæ, nulla est debita pœnitentia ex Suar. *disp. 38. sect. 3. n. 4.* & ubi nullum est periculum infirmandi, nulla est medicina adhibenda.

3. Tertiò potest Confessor absolvere, nulla vel moderata imposita satisfactione: quando ex ipsa Confessione, & ex materia, & signis eius intelligit pœnitentem integrè vel ex parte satisfeciſſe pro peccatis suis: quia æquitas iustitiæ postulat, ut solum imponatur ea pœna, quæ est debita & talis qualis debetur. Sanè per ipsam Contritionem, Confessionémque homo satisfecit: unde si interdum illa satisfactio æqualis censeatur: aliam superaddere non oportebit. Sic idem *ibid.* Consultum tamen est, in quibusdi casibus, facile aliquid imponere pro pœnitentia, ut mentem ad Deum semel elevare, semel proferre nomen IESV, &c. Ita *ibid.*

4. Quartò, quando Confessor prævidet fore, ut pœnitens non executurus sit pœnitentiam, satius est satis modicam imperare. Ita Fagundez 2. *Eccl. præcept. lib. 9. cap. 3. num. 10.* Sed in hoc casu addenda erit monitio, quæ paulò infrà afferetur § 3. *n. 11.*

5. Quintò, quando scrupulosus sæpius intra horam redit ad Confessarium cum novis culpis, ut sæpè absolvatur, potest relinqui pœnitentiæ impositio. Sic *ibid n. 9.* quia supponitur satis imposita in præcedentibus.

6. Sextò, quando quis lucratus est indulgentiam plenariam; poterit dimitti sine impositione pœnitentiæ. Ratio est eadem, quæ dicta est superiùs: quia nimirum per illam satisfactū est debito pœnæ. Sanè Bonifacius VIII. ut refert Glossa. *Extrav. Antiquorum, de pœnit. & remiss.* apud Delugo *disp. 27. de pœnit. sect. 1. n. 23.* nolebat Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Iubilæum Anni Sancti lucrabantur: quia nimirum satisfactione alia non indigebant. Et S. Thom. *in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 1.* dicit esse de consilio pœnitentiam implere quando quis indulgentiam lucratur.

7. Dices: at quis scit verè lucratum esse indulgentiam? Respondeo, licet raro, vel nunquam possit constare, integrè aliquem satisfeciſſe pro peccatis, vel Indulgentiam fuisse lucratum: dico tamen ad nostram rem sufficere, quod probabiliter quis videatur satisfeciſſe: cum probabilitas sufficiat, ut quis prudenter operetur. Ita Petrus de Soto *sect. ult. de satisfactione*; adductus à Delugo *de pœnit. disp. 25. sect. n. 48.*

*§. II. De Auctoritate Confessoris in injungenda pœnitentia sub præcepto.*

8. ALiqui ita explicant auctoritatem Confessarij in injungenda Pœnitenti pœnitentia: ut dicant ipsum posse injungere sub præcepto. Alij ut possit solùm per modum consilij conditionatè in hunc v. g. modum *Si vis acquirere relaxationem pœnæ, ex opere operato hoc, vel aliud opus exhibeas.* Alij posse utroque modo, id quod probabilius est. Ita Suar. *de pœnit disp. 38. sect. 5. c 1. & sect. 7. n. 2.* Fagund. *lib. 9. de 2. præc. Eccl. c. 3. n. 11.* contra Vasquez, Coninch. & Turr. quos sequitur Delugo *de pœn. disp. 25. sect. 4. n. 54.*

Addunt tamen communiter DD. censeri regulariter Confessorem dare præceptum, dum pœnitentiam absolutè imponit: & solum, cum suam intentionem explicaverit in contrarium, esse sub prædicto conditionato consilio.

*§. III. Quanta imponi pœnitentia debet.*

9. ITa id relinquitur arbitrio Confessoris, ut spectatis omnibus possit quamcumque injungere: modo, omnibus perpensis rem, observet quæ vult Trident. *sess. 14. cap. 8.* dicens, *eos fieri peccatorum participes, qui sine ipsa causa pro gravibus peccatis leves pœnitentias iniungunt.*

10. Nota tamen in hoc, præcipuè esse spectandam utilitatem, necessitatémque spiritualem pœnitentis: adeóque persæpè moderandam esse pœnitentiam; leviorémque, quàm Pœnitens meretur, imponendam; ut si v. g. timeatur pusillanimitas, vel horror Confessionis in pœnitente. Audi Nazianzenum *orat. 26. de moderat. in observanda sub finem. Hanc*, inquit, *rationem tene; ut partim cum corrigas, idque leniter, & humanè, non ut hostis, neque ut durus & rigidus Medicus.* Ex qua doctrina sic habet Præpositus *in p. 2. de pœn. dub. 7. Non debet eadem pœnitentia injungi debili & forti, pauperi & diviti. Debet ergò Sacerdos considerare fragilitatem pœnitentis, ejus contritionem, proclivitatem ad peccandum, &c. Præstat autem interdum prudenter dissimulare, minores pœnitentias iniungendo: quàm austeritate nimia homines ab hoc Sacramento avocare: iuxta illud Auctoris Operis imperfecti in Matth. Et si erramus, modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius est propter misericordiam, rationem reddere; quàm propter crudelitatem? Vnde cum prudenter timetur; quod pœnitens non exequetur majorem pœnitentiam, quam meretur, minor potest injungi, reliquum Deo commendando.* Hæc Præpositus.

11. Addit sic Polancus *in direct. Confess. c. 2. §. Quod attinet. Confessor quædam etiam pœnitentis relinquat arbitrio: ut si dicat, Hoc facias, vel si malueris, illud. Demum potius unum* Pater & Ave *imponat, quam recedere sinat afflictum, vel desperatum pœnitentem (adde vel horrore Confessionis affectum) ob pœnitentiæ gravitatem. Quando autem exigua injungitur pœnitentia: indicari posset quam majorem*

*majorem meretur : siquidem septennis pro quovis mortali ex usu erat: si tamen timeretur nimia delectio , vel difficultas non expedit hoc dicere.* Hæc Polanus.

12. Denique sic Delugo *de pœn. disp.25. sect.5.n 60 Pœnitentia debet esse salutaris , & conveniens: hoc est primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem pœnitentis , ne scilicet laquei ei iniiciantur ut vano peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxis , qua leves pœnitentiæ imponuntur pro gravissimis peccatis , id enim sæpè fit propter spiritualem infirmitatem pœnitentium , quia gravioribus pœnitentiis scandalizarentur , & vel Confessionem fugient , vel certè Confessarios ineptos adibunt , qui eos curare nesciunt. Denique in dubio inclinandum est in partem benigniorem in qua minus est periculi. Monendi tamen sunt pœnitentes de insufficientia satisfactionis iniunctæ , & consulendus est ipsis usus Indulgentiarum , & aliquando imponendus , ut sic suppleatur defectus propriæ satisfactionis.* Hæc prudenter Delugo.

Denique sic etiam docet Ascanius Tamburinus (quem singulariter diligo propter ejus eruditionem, & eximiam doctrinam , nec solum propter commune cognomen , & fortasse etiam propter eandem à Maioribus longè ductam familiam. Is enim sic habet. *Cum quantitas,* inquit , *& qualitas Pœnitentiæ prudentis Confessarij arbitrio relinquatur,* c. Mensuram, c. Deus. De pœnit. & Remiss. & c. Tempora 26 quæst. 7. *in huiusmodi quantitate & qualitate Pœnitentiæ iniungendæ inspicere Confessor debet gravitatem , & levitatem peccatorum , & qualitatem personæ pœnitentis. An videlicet sit robustus vel debilis , invenis , vel senis : an fortè sit magnam recusaturus , vel , licet acceptet eam non impleturus , & alia eiusmodi. Inspicienda est potissimum magnitudo contritionis : tanta esse posset , ut ea sola pœnitentiam remitteret , iuxta Glossam , &c.*

### §. IV. *Cuius generis pœnitentiam debeat Confessor iniungere.*

3. De tribus esse solet difficultas. Primò de opere interno. Secundò, de aliàs debito. Tertio , de opere pro defunctis. Quoad primum quamvis communiter expediat, ut externam pœnitentiam Confessor iniungat; tamen potest merè internam. Sic Suar. *disp.48. de pœn. sect 6.n.4.* & alij. apud Bonac. *de pœn. disp.5.q.5 sect.3. p.2.n.10* Ratio est, quia ex una parte satis sensibilis fit ex externa iniunctione Confessoris : & ex altera , ex se est opus aptum ad satisfaciendum , & sæpissimè est multum utile pœnitenti, ut recordetur quis v.g. pœnarum Gehennæ , ut elevet mentem ad Deum, ut se aspicere Christum cruci affixum imaginetur , &c.

14. Quoad secundum. Potest etiam pro pœnitentia iniungi opus , ad quod aliàs tenetur pœnitens , ut Sacro interesse tali die festivo , recitari horas à Sacerdote, &c. Sic idem *ibid.* Ratio est , quia etiam per hæc opera satisfaciemus pro peccatis , & expedit aliquando ita alicui iniungere , ut majorem diligentiam huiusmodi operibus adhibeat. Tunc autem duo peccata specie diversa, atque adeò , specialiter Confessori patefacienda committeret pœnitens, si tale opus non exhiberet: alterum contra obligationem ortam ex Ecclesiæ præcepto : alterum contra obligationem ortam ex hoc Sacramento. Sic Vasquez aliique apud Delugo *disp. de pœn. 25. sect.5.n.67.*

15. Nota tamen communiter expedire , ut iniungatur illud opus, ad quod aliàs pœnitens non tenetur. Immo si nihil addat explicando mentem suam Confessarius intelligitur de opere aliàs non debito. Vt si dicat : *Adesto uni Sacro*, intelligitur præter illud, ad quod quis tenetur in die Festo. Quod si diceret : *In hac die Dominica audi duo Sacra*; puto cum Coninch. *hic n.69.* ex his verbis colligi, quod præter Sacrum debitum ex Festo aliud unum debeat quis audire, non vero duo: ex tali enim modo injungendi talis esse videtur injungentis intentio. Si dicat: *elargire eleemosynam pauperi* ? puto te satisfacturum , si elargiris extremè indigenti : quia licet aliàs debuisses ; tamen ex modo iniungendi, non videtur Confessarius te obligare ad non extremè indigentem. Atque et teris non absimilia coniectari.

16. Quoad tertium , potest pro pœnitentia opus v.g. eleemosyna, vel jejunium, vel oratio, vel libet opus pium, cuius satisfactio, nec solum imp applicetur à pœnitente pro defunctis. Ita D *pœn. disp.25. sect.5.n.62.* contra Ioan. Sanchez *disp. 16.n.1.* Ratio principaliter est, quia tum illa tas applicandi opus dictum pro defunctis ; est fa ria, & jam remanet pro pœnitente: tum maxim licet à pœnitente tunc applicetur satisfactio ta ris , ex opere operantis, illis sanctis Animabus p rij , tamen satisfactio ejusdem operis elevati ja cramentum, ex opere operato, semper pro pœni manebit: & sic nunquam frustrabitur sua parte quæ est satisfactio , tale susceptum Sacramentum.

### §. V. *Quando Pœnitentia imponi possit.*

17. Debet Pœnitentia imponi à Confessario audita peccata , sed vel ante, vel post abs nem , dummodo moraliter cum ipsa coniungatur. C sultius tamen videtur, ut iuxta consuetudinem mu miter intro ducta, imponatur ante absolutionem post exposita peccata.

## CAPVT II.

## De Pœnitentia solvenda à Pœnitente.

### §. I. *An Pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam acceptatamque solvere.*

1. Pœnitentiam sive medicinalem , de qua non dubium apud Doctores ; sive in satisf. tenetur acceptare pœnitens. Ita Suarius Coninch. alij, *supra* citati. Ratio est, quia Confessor potest præ re: ergo pœnitens debet acceptare. Antecedens colligo ex Concilio Trid. *sect.14. cap.8.* quod docet *in Sacramentis esse potestatem ligandi , non solum ad infirmitatem vindicamentum , sed etiam ad peccati commissi vindictam.* Consequentia patet, quia hæc sunt correlativa, potestas præcipiendi , & obligatio obediendi .

2. Hinc sequitur debere impleri talem pœnitentiam ( si non detur sub conditione, de quo supra dixi cap. *precedenti*, §.1. ) à pœnitente, ex se quidem sub obligatione mortali , sed ex parvitate materiæ sub venialibus est materia parvitas materiæ , quoties pœnitentia est levis, imm propter peccata venialia , vel propter mortalia alias absoluta. Sic iidem Doctores citat.

3. Sed triplex est difficultas, Prima : quid si sit gra sed imposita propter prædicta venialia , vel propter absoluta mortalia; Id quod posset aliquando etiam nabiliter evenire , quando scilicet ob multitudinem continuationem venialium ita expediret: quamvis cum Coninch. n. 81. nunquam pro his, Sacerdotem gari gravem pœnam iniungere.

4. Respondeo. Quamvis sit probabilius cum Ve quez *cit.* tunc obligari sub mortali, quia Sacerdos talem potestatem , & aliunde materia jam est gravis men est etiam probabile non obligari nisi sub ven Sic idem *in fine.* Vide Dianam *p.3 tract.4.resol.136* saltem propter multos Auctores ita sentientes. Ita rez , Coninch. aliique citati.

5. Secunda difficultas. Quid si sit levis ; sed data peccatis gravibus aliis non absolutis ? Respondeo Suar. *citato*, non obligari sub mortali: quia licet gravis , tamen materia ipsa præcepti non est ad obligationem sufficiens.

6. Tertia difficultas. Potestne Confessarius impon pœnitentiam gravem pro peccatis gravibus , sed gando solùm sub veniali pœnitentem? Respondeo Ita Suar. *cit.* licet neget Vasq. *cit.* à Præposito *in 3.*

hic. Ratio est, quia tota obligatio pœnitentis fundatur in voluntate Confessoris quasi legislatoris, qui potest istum præceptum, ut libet, moderari. Hinc obiter colligitur hujus gravis obligationis per nos non oriri ex ratione Sacramenti, quasi requirentis satisfactionem pro sua parte necessario ponendam: ex hoc enim capite esset etiam obligatio sub mortali ad exequendam pœnitentiam levem pro levibus injunctam; sed oriri ex ratione præcepti Confessarij, ad id potestatem habentis, &c. Lege Suarium *cit. sec.* 7. *n.* 5.

7. Quæres, An opinio illa, quæ docet pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, sit probabilis? Respondeo: post Tridentinum multis non videtur probabilis. Et Victoria quidem apud Delugo *dis. de pœnit. sec.* 5. *n.* 88. & Vasquez aiunt, post Tridentinum, esse de Fide quod Sacerdos possit obligare ad aliquam pœnitentiam: & Suarez dicit contrariam opinionem esse temerariam. Aliis vero videtur etiam post Trident. esse probabilis: quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem, quam Doctissimi viri sequebantur. Sic Scotus, Medina, Armilla, Silvester cit. Suario hic. Adde Gabrielem, Tabienam, Navarrum, Hottiens. & Panormitanum cit. à P. Antonio Sanctarell. *in manuscrip. de Sacramentis hic.* Vide etiam Dianam 2. *par. tr.* 1. *Miscell. Res.* 52. & *par.* 3. *Tr.* 4. *res.* 51. Ex qua opinione sequitur quod si esset pœnitens aliquis, qui nollet acceptare, paratus in Purgatorio solvere; non esset ex hoc præcise censendus indispositus (nisi forte recusaret pœnitentiam etiam parvam esset signum non veri doloris) nec propter hoc solum esset sine absolutione dimittendus, quia sequitur opinionem quam tanti viri sequuntur. Cæterum citatus à Delugo *disp.* 25. *de pœn. sect.* 5. *n.* 68. addit non solum non esse obligationem sub mortali, acceptandi; sed nec implendi acceptatam: quod sanè, est nimis ample dictum.

### §. II. *Quando debet Pœnitentiam adimplere Pœnitens?*

8. POtest esse difficultas Primò, quantum temporis post absolutionem (nam sicuti certum est, posse solvi ante absolutionem; sic certum est, id non esse necessarium) Secundò, An in tempore, quo forte pœnitens sit in statu peccati mortalis. Tertio, an in tempore, quo exercet aliud opus de præcepto: v. g. an possit recitare coronam injunctam ex pœnitentia, dum audit Sacrum De præcepto Ecclesiæ?

9. Quoad Primum: per se debet adimpleri pœnitentia quando Confessor designat: licet facilè excusari possit à mortali, dilatio talis temporis designati; quia communiter Confessarij præceptum cadit potius in rem exhibendam, quand in tempus. Quòd si non designat, ut communiter fieri consuevit; per se loquendo, debet impleri quam primum commodè moraliter potest, sicuti obligat votum, aliaque similia: Ita Suarez cit. *hic* videtur tamen probabile cum Delugo *d.* 25. *sect.* 5. *de pœn. num.* 92. quod dilatio, nisi sit nimia, & ad longum tempus, & nisi ipsa dilatio minuat rem inflictam, non sit mortalis: Sicuti idem dicitur à Delugo *ibidem*, de voto absque temporis determinatione emisso, quando dilatio rem promissam non minuit, ut minueret tardus ingressus in Religionem. Aliqui ut Antonius Fernandez *in Instruct. Conf.* 1. *p. docum.* 7. §. 2. *n.* 2. simpliciter, & absolute exendunt ita ejusmodi obligationem; ut censeant ad unum annum posse differri: sicuti ad unum annum differri potest obligatio confitendi: quod tamen videtur nimis largè prolatum.

10. Quoad Secundum, Dico posse adimpleri à pœnitente dum est in statu peccati mortalis: Sic Delugo *de pœn. disp.* 25. *sect.* 3. & communiter: quia quamvis tunc non sit in statu meriti; tamen est in statu, quo potest præcepto Confessarij satisfacere.

Quoad Tertium, Potest Pœnitens solvere pœnitentiam quando exercet aliud opus de præcepto; si pœnitentia, & dictum opus non se invicem excludant: Sic Castrop. *Tom.* 1. *Tr. de legibus disp.* 1. *p.* 20. *n.* 1. quare dum audit Missam de præcepte; potest recitare v. g. Coronam Beatæ Virginis impositam in pœnitentiam: non enim hæc se excludunt, &c.

### §. III. *An possit impleri pœnitentia per alium?*

11. CVm satisfactio sit personalis; communiter per se ipsum illam pœnitens exhibere debet: nisi forte sit Eleemosyna, quæ talem rigorem non requirit. Vide Delugo *dis.* 25. *sec.* 5. *de pœn. num.* 79. Si tamen judicaverit Confessor, ex justa & rationabili causa, expedire imponere satisfactionem implendam per alium, posse, non est improbabile. Ita Suar. *disp. cit.* 38. *de pœn. sec.* 9.

12. Hinc infertur illum, qui redditus est impotens ad pœnitentiam sibi impositam implendam, non teneri ad illam implendam per alium, etiam si commodè id facere possit. Sic Delugo *disp.* 25. *de pœn. sec.* 5. *num.* 87. Ratio est, quia præceptum non fuit de procurando alieno jejunio v. g. sed de jejunio proprio: quod cum poni non possit, cessat obligatio.

### §. IV. *Ad quid obligetur Pœnitens si pœnitentia oblivisceatur?*

13. EOdem modo, qui oblitus est pœnitentiæ sibi impositæ, manet liber ab obligatione præcepti Confessarij quandiu non recordatur, & memorem Confessarium consulere non potest. Ita idem *ibid.* Nec tenetur Confessionem repetere, ut iterum pœnitentiam recipiat. Quæ quidem vera sunt, etiamsi culpabiliter, oblitus sit pœnitentiæ: tunc enim satis erit confiteri peccatum illius oblivionis culpabilis. Ita Vasq. *cit. q.* 94. *art.* 2. *dub.* 4. Ratio horum est, quia non ptus tale præceptum saltem sub mortali obligat, quam cæteræ leges, ac præcepta, ut supra dictum est, quæ dum ignorantur, obligare nequaquam possunt.

### §. V. *Qua ratione obligetur Pœnitens ad circumstantias operis impositi à Confessario?*

14. SI impositum sit v. g. recitare aliquot Coronas ante talem imaginem, vel flexis genibus; an satisfaciat pœnitens ante aliam imaginem, vel stando, &c. Distinguendum est cum Delugo *cit. n.* 93. sicuti solet, distingui de voto cum Sanchez *l.* 4. *in Decal. c.* 12. *num* 8. Quando enim res promissa est gravis & circumstantia levi, ut communiter est: in dicto casu, de recitatione coronarum ante talem imaginem; obligabitur pœnitens ad illam circumstantiam, solùm sub veniali; at quando circumstantia est gravis, ut si in tali imagini esset particulare obsequium, propter concursum, vel alliud simile, ut etiam alicui videtur esse in recitatione coronatum flexis genibus: tunc obligabitur etiam ad illam circumstantiam sub mortali. Atque hinc etiam colliges, An liberetur pœnitens ab obligatione ponendi pœnitentiam, quando non potest ponere circumstantiam iniunctam à Confessario. Regula enim desumenda est ex simile paritate voti. Sic *ibid.* Sanchez. Et breviter totum negotium colligendum est ex intentione Confessarij imponentis pœnitentiam: Ita Delugo *paulo ante cit. n.* 94. Si enim ex conjecturis colliges ejus intentionem solum fuisse ad substantiam operis etiam cessante circumstantia; dum hanc non potes, illam exibere debes; secus, non item.

---

## CAPVT III.

## De commutatione Pœnitentiæ.

### §. I. *An pœnitens sibi commutare possit pœnitentiam à Confessario iniunctam.*

15 DIco non posse ita Sanchez, Regin. Coninch. aliique quos citat, sequiturque Delugo *disp.* 25.

*de pœnit. sect. 6. n. 76.* quidquid dicat Portella & Diana citati ibidem ab eodem *num. 95.* Ratio est, tum quia nemo potest commutare præceptum Superioris, etiam in melius: v. g. non potest fidelis commutare auditionem Missæ die Festivo in opus quodlibet illa auditione excellentius; quia non est Superior: tum quia in casu nostro illud opus, quod à Confessario imponitur, elevatur virtute clavium, ad hoc, ut sit opus Sacramenti; non verò illud à te susceptum.

16 Dices. At est sententia probabilis, quod quilibet possit sibi commutare votum in opus æquale, vel saltem in melius. Respondeo. In voto ipse vovens est loco Superioris sibi legem voti imponens: & opus ex voto non debet elevari virtute clavium: quæ aliter se habent in casu pœnitentiæ, ut dictum est.

### §. II. *An alius Confessarius possit commutare pœnitentiam, audita Confessione.*

17. POtest esse difficultas, vel Primò de Confessore æquali, hoc est Confessore, qui valet absolvere eadem peccata, quæ potuit prior. Secundò de Confessore inferiori, hoc est, qui non valet absolvere eadem peccata, quia scilicet sunt reservata, quæ tamen potuit prior, quia erat vel Superior vel delegatus ad reservata.

18. Quoad Primum, Confessor secundus æqualis, si audiat eamdem Confessionem; quam audiit prior; potest commutare. vel minuere pœnitentiam. Ita Suar. *disp. 28. sect. 20. num. 4.* & communiter Recentiores. Ratio est, quia secundus Confessor succedit loco prioris; quare sicut prior poterat minuere Pœnitentiam à se datam sic poterit hic posterior.

19. Quoad secundum, licet probabilius sit cum Delugo *disp. 25 de pœnit. sect. 6. n. 105.* non posse, quia inferior non potest, propter limitationem absolvendi, quam habet, succedere loco Superioris: tamen, quia ablata reservatione per primam absolutionem, jam illa peccata non sunt ulterius reservata: potest dici quod jam inferior, respectu istius pœnitentis, habet sufficientem iurisdictionem, & consequenter, ex Vasquez, Henr. Navar. citatis à Delugo *ibid. n. 104.* poterit, audita Confessione, etiam & hic commutare vel minuere pœnitentiam.

### §. III. *An possit alius Confessarius commutare pœnitentiam, non audita Confessione?*

20. CErtum est ex Delugo *ibid. n. 100.* posse secundum Confessarium declarare primam pœnitentiam non obligare, quando erat irrationabilis, vel, quando postea, casu aliquo, est irrationabilis reddita. Immò id poterit quilibet vir doctus deliberare: quia non est actus Iurisdictionis.

21. Difficultas igitur est, an quando alius Confessarius, sive Superior, sive iuxta paulo ante dicta, inferior, velit commutare, vel minuere pœnitentiam, id debeat semper facere, audita iterum Confessione peccatorum, pro quibus fuit imposita.

22. Dico: licet probabilius sit cum Vasq. Suar. Filliuc. Delugo, Fagundez, Coninch. Reginal. citatis ab eodem Delugo *loc. cit. n. 108.* debere id facere, audita iterum Confessione; tamen est etiam probabile posse, non audita. Sic Navarrus, Toletus, Sà, Rodriquez Valetus, aliique; quos citat sequiturque Diana *parte 1. tr. 15 res. 53.* Ratio est, quia secundus Confessarius, cum sit Medicus, & Iudex pœnitentis; potest de tota simul causa, iuxta præsentem pœnitentis dispositionem, iudicare, prout magis videbitur expedire. De tota autem simul iudicat quando, nulla repetita Confessione, iudicat nunc non expedire talem pœnitentiam.

23. Ex quo sequitur, quod iustam ob causam, cum scilicet pœnitens secundo Confessario dicit se vel non posse, vel difficulter posse pœnitentiam explere; immo cum ipse Sacerdos advertit pœnitentem non impleviſſe, timétque non impleturum; posse prout magis ex mino expedire ipsi videbitur, si non ob aliam ratio certè ad facilitandum usum tanti Sacramenti, com re pœnitentiam.

24. Idque non solum intelligo de pœnitentia Vindicativa, hoc est satisfactiva pro pœna à peccato debita; sed de Medicinali, & præservativa: dando in aliam Medicinalem, prout prudentis arbitrio pediens videbitur, commutatio fiat. Ita Bonacina *pœnit. disp. 3 q. 4. sect. 3. p. 3. n. 5.*

Unum hic addit Io. Valerius *in diff. vtr. for. v. diff. 13.* hoc est, posse eundem Confessorem commutare pœnitentiam, etiam sine causa: quia sicuti fuit in arbitrio (intellige rationabili) illam ponere; ita iam commutare; cum unaquæque res per eas sas per quas nascitur, per easdem dissolvatur. petitur commutatio ab alio Confessario, requisi modo iam dicto.

### §. IV. *Quando commutari pœnitentia debeat.*

25. SUpereſt jam quærere quando fieri debeat commutatio: in ipsane secunda Confessione, possit extra confessionem?

In quo certum sit, eumdem Confessarium pœnitentia st longissimum tempus: Ita Salas, quæ sequiturque; Delugo *de pœn. disp. 25. sec. 6 n. 111.* Ratio est, quia talis commutatio, cum pertineat ad iudicium ejusdem Confessoris; semper faciet unum præterita Confessione; atque adeo censebitur ad idem Sacramentum, & fieri intra illud: ut satisfactione - quæ exhibita post longum tempus unum cum præcedente Confessione.

26. De alio, seu secundo Confessario certum posse extra Confessionem commutare pœnitentiam alio iniunctam. Sic Delugo *de pœn. disp. 24 sect. 6. n.* Ratio est, quia Sacerdos non est Iudex, nec illam bet potestatem, nisi dum est in hoc tribunali; sed modo censetur esse talis, nisi dum administrat mentum, ergo, &c.

27. Dices. At votum commutari potest, tio à Censuris fieri item potest, extra Sacramentum Respondeo: posse quidem quia id dependet, ex *ibid.* solum à potestate, quam habet summus quamque aliquando communicat aliis: at commu pœnitentiæ procedit ex potestate Sacramentali, ut actum est.

## APPENDIX AD METHODVM EXPEDIT. Confessionis P. Thomæ Tamburini, Societatis Iesu.

### DE SIGILLO EIVSDEM.

APpendicem de Sigillo Confessionis Sacramentali instituo, quam præcedenti Confessionis methodo convenire, mihi peramice significavit R. P. *Thomas* Assistens apud R. P. N. Gener. Societ. Iesu, meaeque lucubrationum benemerentissimus Mæcenas. Eiusmodi nutus pro iussionibus habeo.

### CAPVT I.

### Quid sit, & ex qua Confessione oriatur Sigillum.

1. SIgillum, de quo hîc agimus, est obligatio, qua quis obstringitur rem in Confessione Sacramentali auditam alto silentio prorsus obvoluere, & quæ Sigillo

Sigillo munitam habere. Ita Vasq. Henriquez, Coninch. *mox* citandi. Differt à secreto naturali præsertim in eo, quod in hoc nonnulli se offerunt casus, in quibus ipsum negligi potest, immo & debet, at in Sigillo Confessionis nullus omnino huiusmodi casus agnosci potest.

2. Dixi (in confessione sacramentali) in ea enim & sola inducitur hæc obligatio, idque ex jure positivo Christi, qui meritò in eo Tribunali allata arctissimo silentio premenda voluit, ne odiosa redderetur Confessio, neve Fideles ab illa transversum, ut aiunt, unguem retardarentur. Ita Vasq. *de pœnit. 93. art. 4. dub. 1. n. 10.* Henriq. *lib. 6. c. 19. n. 3.* Coninch. *de pœn. d. 9. dub. 2. n. 34.*

3. Fiet autem odiosa, etiam quando, veluti indeterminatè, ea Pœnitentem offenderet: offenderet autem, si in aliquo tandem casu possent audita in Confessione profferri; licet enim hic casus ad pœnitentem tunc forte non spectaret; tamen timet, quod aliquando ad ipsum pertineret, meritò eundem à Confessione revocaret.

4. Ex dictis habes; si quis alicui extra Confessionem, & sine ordine ad illam sua peccata narret, suâve occulta negotia sub Sigilli Confessionis pacto communicet: tametsi ex utraque parte admittatur conventio habet, inquam, non teneri ad Sigillum, sed ad secretum naturale dumtaxat. Idem erit si Confessionem institutas coram Sacerdote, à quo scis te absolvi non posse, sive quia jurisdictione careat, sive quia tibi voluntas deest suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ; sed vel loquendi vel convitiandi Confessarium, vel eundem excitandi ad aliquod crimen, vel agendi quid simile. Ratio horum est illa, quia in hisce casibus res in Confessione Sacramentali excepta nequaquam est.

5. Contra, adest obligatio Sigilli quotiescumque confitetur quis sub spe dolorem, pro ut oportet, concipiendi, licet Confessionis initio fortasse co fuerit animo destitutus: & in universum, quoties quis, sive validè, sive invalide, clavibus Ecclesiæ se subiicit, animo Sacramentum suscipiendi. Ratio est, quia ex ea voluntate, qua aliquo tandem modo intenditur absolutio Sacramentalis, fit, ut cognitio ratione illius conquisita, non nisi ex vi Sacramenti conquisita censeatur.

## CAPUT II.

### Quanta sit obligatio Sigilli.

1. TAnta est; ut in nullo prorsus casu, etiam ob suam Confessoris iustam defensionem, etiam ob quodcumque pœnitenis bonum, nisi ex ejusdem pœnitentis (utpote in cujus favorem inducta est) expresso, liberoque consensu violari possit. Ita Delugo *de pœnit. d. 23 sect. 5. n. 115.*

2. Violatur autem absque dubio, si de auditis in Confessione Confessor sermonem misceat cum altero à pœnitente: nam si de iisdem, cum eodem pœnitente colloquatur: dicam *c. 5.* Consensus insuper expressus esse debet, sive verbo detur, sive facto. Sic Fagundez *in 2. Eccl. præcep. lib. 6. c. 1. n. 14.* aliique *mox* citandi, facto inquam, cum Bonacin. *de. pœn. d. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 10.* quod confessioni actuali æquipolleat: quale esset si pœnitens extra Confessionem inciperet loqui de re allata in Confessione, posses enim & tu prosequi, cum ipsum incipere sit expressa confessio: Quare non sufficit tibi persuadere auditorum notionem minus ingratam fore pœnitenti, id enim retardaret à Confessione, cum possit semper inesse timor, ne confessarius arbitretur id esse mihi gratum quod ingratissimum est. Libet item consensus esto. Sic idem, & Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 23. num. 1. fine.* non ergo dolo, non minis, non metu reverentiali extortus; nam secus perinde esset in ordine ad mores, ac si nullus assensus præcessisset. Quemadmodum autem libertum est pœnitenti licentiam concedere revelandi; sic & concessam, cum libuerit revocare, liberum eidem esse non est ambigendum. Sic Sà genuinus *v. Confessor. n. 32.* expurg. *n. 30.* Fag. *l. c. n. 18.* Laym. *lib. 5. Tr. 6. c. 14. n. 15.*

3. Si cujuspiam, immo regni extremum urgeat discrimen, patefacere non licet criminosum pœnitentem: Solum, instante gravi alicuius periculo, potes: & juxta charitatis regulas astringeris generatim admonere eum, ad quem pertinet; modò non subsit periculum quidpiam contra pœnitentem suspicandi. Quod autem arcendus sit pœnitens ab absolutione, nisi, si possit, obviet vel per se vel per alium similibus periculis, pro certo est. Prudens dico (pœnitens:) nam utrum Confessario incumbat in se, ex licentia pœnitentis, suscipere ejusmodi onus obviandi, disputabimus supra *in Metho. do Confess. lib. 3. c. 9. §. 4.*

5. Præterea si de peccato noto in Confessione, vel à supremo ipso iudice, interrogeris, illud negare etiam cum juramento, intellecta aliqua mentis restrictione potes & debes; quamvis, sine ulla omnino restrictione interna, loqui jubiat, qui interrogat. Ita Doctores citate & *passim.*

5. Denique, si Confessor fortè peccavit dum alicuius Confessionem excepit, nec possit ejusmodi suum errorem confiteri, nisi suo pœnitente detecto, potest, obligaturque non integre confiteri: enarret cætera peccata, sleat de hoc, donec detur copia Confessoris, qui pœnitentem non cognoscat; arctiorem enim obligationem, inducit Sigillum, quod bonum universale spectat, quam integritas materialis Confessionis.

## CAPUT III.

### Quænam cedant sub Sigillum.

*Peccata, laus, Confessio, pœnitentia imposita.*

1. CErtum est Primo, omnia mortalia etiam in universum, & omnia venialia sigillatim, si significetur pœnitens, cadere sub Sigillum; non vero venialia generatim. Ita Doctores citati, & *passim.* Ratio illius est, quia sic redditur Confessio odiosa, cum ea de pœnitente sciri, in ipsius injuriam redundare, vel soleat vel possit. Ratio huius est, quia nulla in hoc apparet iniuria: cum per se notum sit, ut qui confitetur; saltem aliqua venialia confiteatur. Id tamen persæpe periculo expositum esse fateor, ut si in concursu v. g. duorum, dum siles de uno, sic prædices de altero, *Hic non est confessus nisi venialia*, idemque evenit non rarò si unum tantummodo laudes; tacendo enim de altero videris de eodem aliquid gravis momenti cognovisse. In concursu (inquam:) nam seorsim non facile apparet tale periculum, si quis in hanc formam proferat. *Hic mihi confessus est multa, vel gravia venialia.* Sigillum frangit; quia id cedit in vituperium tandem aliquod pœnitentis. Ita Hurtad. *de pœn. d. 12. diff. 4.* aliique. Immo si quis rectum confessus sit secreto, & tu palam dicas, *Hinc mihi est confessus*; vereor cum Reginal. *T. 1. lib. 3. c. 4. num. 54.* ne al Sigilli fractionem accedas cum id ingratum supponatur pœnitenti; & forte ejus consuetus Confessor, vel alij, quid grave de ipso suspicabuntur, ex eo judicio quod alium à suo clanculum adierit. Huc reducitur, si Confessor revelet pœnitentiam pœnitenti impositam, vel publice peragendam imponat, seu gravem, idest quæ consvevit injungi pro mortali, qualis nunc esse, (ait Diana *Tr. 11. resol. 31.*) corona Beatissimæ Virginis, non vero unicum *Miserere*: quia hoc loquendi modo præbetur, ut dictum est, occasio grave quidpiam adversus pœnitentem suspicandi.

*Peccata in genere, ut audita, & quid ut audita in tali loco?*

2. NOn erit autem contra Sigillum peccata audita etiam signatè ut in Confessione audita, absque ullo

ullo periculo quid coniiciendi adversus pœnitentem; narrare: id tamen propter periculum quod fortasse latet, rudiumque scandalum, reprehenderem cautus: Atque hoc quidem scandalum communiter adesse, quando dicitur, *Hoc audivi in Confessione*, docet Fagund. 2. *Eccl. præcep. lib. 6. c. 5. num. 11. fine.* Verùm est temperandus, quia in nostra ætate tam culta, pauci admodum sunt quos vera de hac re solidaque doctrina prætereat.

4. Quid si detegatur locus vel familia, ut si Confessarius sic enunciet, *Eo in loco solet hoc peccatum committi* Dico, si id evulgetur de loco magno, non esse contr. Sigillum, esse, si parvo. Sic Delugo *l. c. sect. 3. num. 63.* aliique, quidquid dicant alij apud Dianam *p. 2. Tr. Misc. 1. alias 15. res. 13.* Ratio est, quia nulla sit injuria, si de numerosa civitate affirmetur ibi perpetrari peccata; fit, si de raro populo, vel familia, quæ certè ex illo dicto infamia notaretur. Immo iniuste item notaretur, tamen si id dicendi concessisset licentiam pœnitens; quia ipse utpote unus, cedere nequit juri totius familiæ. Merito ergo Torrianus *de pœn. q. 11. art. 1. d. 33. d. 1.* apud Dianam *p. 2. Tr. 11. res. 15.* reprehendit Superiorem localem, qui Provinciali forte dicat *In hac domo* seu *Collegio sæpè postulatur licentia absolvendi à reservatis*, quia nimirum id redundat in ignominiam, & non raro in damnum domus: Vide infra *cap. 4. n. 2.* ubi fatebimur non fieri improbabile, id non esse contra Sigillum, si dictæ licentiæ postulatæ extra Confessionem fuerint.

*Peccata publica.*

5 CErtum sit Secundò, peccata pœnitentis etiam publica tacenda esse. Sic Sotus *in. 5. dist. 18. q. 4. art. 5.* Immo si scivisti aliunde, quamvis non pecces, quantum est ex vi Sigilli; si ea aliis palam facias; tamen id tibi cautè præstandum est, ne oriatur scandalum, néve limites notitiæ extra Confessionem habitæ transcendantur. Duobus item qui pœnitentem de iisdem peccatis se accusantem audiverunt, non licet de illis inivicem colloqui; quia uterque Sigillo obstrictus æqualiter est. Delugo *dicta disp. 13. sect. 5. n. 28.*

*Complices, obiecta peccati, &c.*

6. CErtum est tertiò, omnes circumstantias peccatorum, & omnes complices cadere sub Sigillum. Idem de obiectis peccatorum. Ita Doctores citati, & *passim.* Dicit v. g. pœnitens se oblocutum esse contra Bertæ adulterium, observanda est Sigillo tum oblocutio, tũ adulterium, quod est oblocutionis obiectum seu materia. Nisi id ita esset, evaderet satis odiosa Confessio. Vide paulò post *num. 14.*

7. Quid si pœnitens expressam concedat veniam Confessori complicem revelandi, (idem erit de obiecto) si illum revelat Confessor, frangetne Sigillum? Frangere docet Vasquez *de pœn. q. 91. art. 4. dub. 5. in. 5.* quia sacrum Sigillum urget in favorem complicis, nec solius pœnitentis; ut sic universa causa, quæ agitatur in Confessionis Tribunali, sit strictissimo silentio obvolvenda. Non frangere docet Suarez *de pœn. d. 44. sect. 3. n. 7.* (esto peccetur, si quid prodatur unde complicis honor detur pro tur) quia Sigillum obligat in favorem dumtaxat pœnitentis; si ergo cedit juri suo, non est cur complicis factum Sigillo gaudeat. Vtraque sententia probabilis: illa Vasquez probabilior, quia magis Sigillo favens.

8. Vnum hîc adverto, posse quidem Confessarium, habita facultate à pœnitente, complicem monere, reprehendere, &c. nisi quando illa notitia esset injusta & contra Religionem; sed duos scrupulos esse vitandos ex Suar. *l. c. sect. 4. num. 4. &. 5.* quidquid dicat Tanner. *de pœn. d 6. q. 9. dub. 6. n. 146.* alterum, ne Confessarius facile ad hoc se ingerat, de qua re diximus supra *in Method. Confess. lib. 3. c. 9. §. 4.* alterum, ne nimio zelo ductus eam licentiam facile à iunioribus exposcat: in his enim non raro extortæ concessionis periculum latet.

*Peccatum committendum.*

9. CErtum sit quintò ex Fag. Coninch. apud Dianam *p. 6. Tr. 11. res. 25.* peccatum committendum, v. g. conceptam voluntatem interficiendi inimicum, si fatebitur Confessario à pœnitente, idem animo peccatum eluendi, sed illud v. g. &c ex dictis *cap. 1. num. 4.* non occludi Sigillo, aperiatur animo utrumque confitendi, sive inchoatum spe concipiendi dolorem, sive alio modo non mali, esse Sigillo reprimendum. Ratio est, quia in re casu nulla adest confessio Sacramentalis, nisi cumque in posteriore.

*Quæ per errorem ut necessaria quis fatetur.*

10 CErtum sit Sextò, ea quæ peccata non sunt ut talia Confessori afferuntur: & tamen quæ necessaria vel utilia sive sunt, sive existimat Malder. *Tr. de Sigillo cap. 15.* ab errante pœnitente lia, ad explicandum suum peccatum, judicantur Sigilli materiam: quia jam ex vi confessionis sacramentalis audiuntur.

11. Dices, ergo si pœnitens ad suum crimen tegendum, dicat se esse Sacerdotio initiatum, Religiosum, coniugatum, Militem, &c. Confessarius referret hæc divulgare, quod certè nimis est scrupulosum.

12. Respondeo, hac in re discretione opus esse, enim dicuntur ut necessaria vel utilia ad explicandum peccati, duplicis generis esse possunt. Nonnulla sine modi, ut ægrè ferat pœnitens si illa sciantur, nunc vero ut si noscantur, nihil laboret pœnitens illa vulgati possunt, hæc non item, ex Delugo *de pœn. sect. 3. num. 57.* quia ex horum, non vero illorum tione sit odiosa confessio. Quare si scire esse v. g. gatum, nihil obsit pœnitenti, prout libet, id evulgat si obsit, ut quia v. g. ejus Dominus cælibem non uxoratum expetit, edicere tibi nequaquam

*Defectus naturales.*

13. HInc solvitur ea celebris difficultas, An Confessori tutum sit patentes facere defectus pœnitentis, ex sola Confessione cognitos, v. g. spurium, ignobilem, ex genere Judæorum, &c.

Dico enim si ii ita à pœnitente referantur, ut junctis colligaur eos esse communiter notos, posse fieri: secus, non posse. Ita idem *ibid.* Ratio est, quando sunt noti, præsumimus à pœnitente non confessioni, nisi ut cogniti; atque adeo parum curarit, si manifesto sciantur, si ipse expresse non jubet: At quando noti non sunt, id non præsumimus, sic decernamus: magnum damnum à confessione mus: cum quis non raro mallet sciri se esse adulterum quam spurium, vel Judæum, & beneficium petenti plus nocebit, sciri eum esse illegitimum adulterum. Scio quosdam cum Vasq. *dub 2. n. 2.* minatim concedere ejusmodi promulgationem; sed sunt audiendi, quia clarè id vergit in odium Sacram

14. Rursus, ex his collige limitationem citra *num. 6.* de obiectis peccatorum. Si enim Joannes teatur se gavisum esse de occisione facta ex fixa in foro publico, & alter se gavisum esse de adulterio Bertæ: puto integrum esse Confessario facere homicidium, rixamque Petri: non vero rium Bertæ. Ratio ducenda est ex dictis, quia micidium pœnitens supponit esse omnibus notum tamen per accidens latebat Confessarium, adeoque videtur Sigillo committere: non sic adulterium, occultum per se est.

*Dicere.* Eum non absolvi.

15. CErtum sit septimò, esse contra Sigillum (quid neget Caëtanus *verb. Confessio necessaria.*) dicere, *Hic mihi confessus est, sed a me non*

tur. Licet enim illud non absolvi, ex variis causis oriri potuerit: potuit tamen facile evenire, ut frequentissimè soleat, propter ejus gravem indispositionem, ad quam aliquo modo concurrere non licet Confessario. Immo etiamsi is pronunciet, *Nondum absolvi, quia Confessio non mansit*; frangeret Sigillum, quia communiter longa confessio, vel notat multa peccata, vel certe aliquem defectum pœnitentis. Sic Granado *de Sac. contr.* 7. *tr.* 11. *d.* 6. *num.* 2. contra Suarium citatum à Diana *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 42. Excipio, quando confessio esset generalis totius vitæ, vel alterius longi temporis, idque omnibus esset notum; vel pœnitens non ægrè ferret, quod sciatur à pluribus.

*Testimonium de Confessione.*

16. Hinc colligit Coninch. *de pœn. d.* 9 *d.* 2. *n.* 14. Fag. *præcep. Eccl.* 1. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 4. quando famuli vel Scholares debent Superioribus testimonium suæ confessionis afferre, debere Confessarios illud dare (intellige bonis, qui confessionem saltem inchoarunt) licet propter ea, quæ confessionem saltem inchoarunt) licet propter aliquid absolutionis beneficio caruerint. Ratio est, quia si non darent, proderent indispositionem eorum quam ex inchoata confessione congnoverunt; nec dando, mentirentur, quia jam illi initium fecerunt confessionis. Quod si nullo modo, ne inchoatè quidem, iidem confessi sint, petant autem dictum testimonium, etiam genibus flexis, facta cruce, & recitato Confiteor, &c. non video cum Bonac. *de pœn. d.* 1. *q.* 4. 6 *sect.* 9. *p* 4. *n.* 7 cur debeat Confessor dare (nisi fortè prudentia dictet, utile esse consilium semel vel iterum juveni sic accedenti monere, æquivocando, gerere; ut illum Confessarius, hac indigenti humanitate lucretur:) nec video cur quantumlibet ex vi Sigilli, (nam cæterum; caveatur ne pœnitentis fama apud quos non pertinet deturpetur) cur inquam nequeat dicere, *Hic non est confessus?* hanc enim negativam non scit ex vi illius confessionis.

*Defectus qui videntur in ipsa confessione.*

17. Illa igitur sola superest hic difficultas: An liceat retegere defectus, quos Confessor animadvertit in ipsa confessione, sic v. g. proferendo, *Hic est scrupulosus, impertinentiis & naniis tempus conterit, est morosus indoctus &c.* Negant Granad. *l. c. tract.* 11. *d.* 3. Coninch. *l. c. n.* 11. Hartad. *de pœn. disp.* 12. *diff.* 4. Brum. *tract.* 4. *de pœn. quæst.* 5. *de Sigillo Conf. fine* Castrop. *de pœn. punc.* 19. §. *num.* 9 quia saltem id esset indirectè contra Sigillum. Concedit Delugo, *de pœn. d.* 23. *sect.* 3. *n.* 60. cum Navar. *c.* 8. *n.* 52. cujus hæc fere sunt verba *Verius credo hæc non contineri sub Sigillo, quia defectus alij manifestantur à pœnitente ad declarandam suam conscientiam & peccata, & hi continentur sub Sigillo: alij fiunt ibi ab ipso pœnitente, quos Confessarius non audit, ex relatione pœnitentis, sed ipse eos videt & percipit: & hi sicuti non dicuntur secreto, sic non sunt sub Sigillo. Nam si pœnitens sit blæsus, seu rudis, si bebetis ingenij, similiter si se ostendat naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum; pari modo si dum confitetur committat aliquam Blasphemiam, contumeliam in Confessarium, & similia: non erunt hæc sub Sigillo, quia in confessione fiunt non audiuntur.*

18. Sed certe huic doctrinæ, quamvis communem immeritò vocet Diana *p.* 5. *tract.* 11. *res.* 50 (ut quid enim vocetur communis, cui tot Authores *litt. C.* citati refragantur:) huic inquam doctrinæ ne ut probabili quidem acquiesco, ex illo principio superius ab omnibus jam admisso, quod, *Quidquid injuriam facit pœnitenti, seu quidquid ægre is fert ut enulgetur, cadit, ne odiosa sit Confessio sub Sigillum:* at ejusmodi sunt ea, de quibus disputamus. Et sane (ut in simili docet idem Delugo, supra à nobis *n.* 13. allatus) nonnunquam pœnitens mallet sciri se peccasse mortaliter, quam esse scrupulosum vel morosum. Quid si ageretur de promovendo tuo pœnitente in Prælatum, & tu patefaceres eum esse irrefoluæ naturæ; molesténe id ipse ferret necne. At hi defectus videntur à Confessario, non audiantur. Claudicans effugium, quando enim Doctores omnes supra pronunciarunt illud, *Omne quod reddit onerosam confessionem, esse tacendum*, indifferenter pronunciarunt, nec distinxerunt de auditione, vel de visione, & quidem merito: perinde enim unum retardat à confessione, atque alterum; & diminuit Christus DOMINUS huic malo occurrisset, nisi pariter prohibuisset utrumque, quando ex vi confessionis ab ipso institutæ, similes defectus deprehenduntur.

19. Aio igitur sic esse distinguendum. Vel hi defectus pœnitentis passim sunt noti, ut esse blæsum, calvum &c. & tunc non cadunt sub Sigillum, propter rationem in simili dictam *num.* 3. Vel sunt ignoti, & tunc cadunt, ut nimirum ab omni odio immunis sit confessio. Quare si esse rudem, scrupulosum, &c. sit omnibus notum, palam pronunciari poterit; non vero, si ignotum. Blasphemiæ autem illæ vel similia commissa in ipsa confessione, ideo poterunt manifesta fieri, quia illa vera confessio non est, juxta dicta *cap.* 2. *n.* 4.

*Peccatum dubiè notum.*

20. Petes: Si Confessarius animi pendet, an peccatum aliquod sit sibi ex confessione notum, ob. stringiturne Sigilli vinculo? Respondeo, obstringi. Ita Bonac. *de pœn. d.* 1. *quæst.* 6 *sect.* 5. *p.* 2. *n.* 4. Ratio est quia ne molesta sit confessio, præsumendum est pro Sigillo. Quare hic locum non habet libertas loquendi; qua potitur Confessarius, quæque cum sit certa, deberet vincere obligationem Sigilli dubiam: locum, inquam non habet: siquidem contra talem libertatem prævalet ex Christi institutione; periculum certum avocandi Fideles à Sacramento Pœnitentiæ.

## CAPVT VI.

## Quinam teneantur ad Sigillum?

*Confessor, pœnitens, interpres, aliique audientes.*

1. Certum est teneri, ipsum Confessarium, & non teneri pœnitentem. Ita Suar. *de pœnit. d.* 33 *sect.* 4. *num.* 2. *& passim.* hinc enim non nisi ad secretum naturale servandum, ne scilicet in aliqueo Confessarij famam lædat, obligatur. Certum item sit, teneri interpretem, quando ut necessarius ad Confessionem cuiuspiam adhibetur. Ita idem *ibidem.* Delugo *de pœnit. d.* 13. *sect.* 2. *num.* 2. aliique contra Caët. *v. Confess. eond.* 11. apud Coninch. *de pœn. d.* 9. *d.* 3 *n.* 50. Item eum, qui vel casu vel malitia inaudit peccata actu confitentis, Sic iidem contra Sotum ex parte, ab iisdem citatum. Item eum, cui Confessarius peccata pœnitentis sive consulto atque adeo sacrilege; sive inculpate recensuerit; Sic iidem. Item eum qui se Sacerdotem simulans, confessionibus pœnitentium aures præbuit. Sic Suar. *cit. sect.* 2. *n.* 35. Delugo. *cit. n.* 10. Vasq. *de pœn. q.* 93, *art.* 4. *n.* 3. Ratio horum illa una satis efficax est; quia in his, ne odiosior evadat confessio, ratio Sigilli pro certo resident.

*Is, à quo petitur licentia de reservato.*

2. Prælatus à quo vel ipse pœnitens, vel ejus nuntius petit extra confessionem licentiam de absolutione à reservatis, ex aliquorum placito, obligatur ad Sigillum. Ita Suar. Delugo l. *c. n.* 4. aliique sed ex sententia aliorum, solum ad secretum naturale. Ita Coninch. Henriq. Vasq. quos citat, sequiturque Castrop. *de pœn. q.* 19. §. 4. *n.* 10. Utrumque probabile est: Prius, quia ea petitio videtur inchoata confessio. Posterius, quia præsumitur pœnitens evocare velle ab obligatione Sacramenti, ea negotia, quæ volens & prudens extra Sacramentum tractat.

*Is, à quo petitur Consilium.*

3. Sed adhuc dubitatur. Primò de eo, cui Confessarius, de licentia pœnitentis narrat ejus peccata

seu à quo de iisdem peccatis deque ejusdem pœnitentis licentia consilium exquirit.

Antequam respondeam, præmitto in hac Sigilli materia triplex secretum à nonnullis apud *mox* citandos distingui. Primum est secretum naturale, ad quod vel ex fide data, vel ex fama proximi tenemur. Secundum est Sigillum Confessionis, quo tantummodo obstringitur ipse Confessor, & de quo hactenus multa, & deinceps non pauca disseremus. Tertium est secretum medium inter utrumque, strictius primo, benignius secundo; quo obstringuntur alij à Confessario, qui aliquo tandem modo peccatum pœnitentis ratione Confessionis norunt. Et quamvis aliquibus cum Delugo *loco cit. num.21. & 22.* non videatur differre hoc secretum medium à secreto Sigilli: utrumque enim perinde strictissimum est ac Religionem fovet, reverentiamque Sacramenti: tamen negari non potest, quantum ad aliquem effectum differre: fractor enim Sigilli punitur ab Ecclesia pœna ordinaria: at fractor secreti medij pœna extraordinaria seu arbitraria: Ita Suar. Hurt. Præp. Onuph. aliique apud Dianam *p. 5. tract. 11. resp 51.* idemque Delugo *loco cit. sect. 5. num.* 147. & merito, magis enim reus est Confessor si revelat ea, quæ suæ fidei immediatè commissa sunt, quam alij, quibus veluti mediatè, & indirectè.

4. His positis; triplex est in proposita dubitatione sententia. Medin. *cod. de Confess q. de his quæ fin.* Vasq. *d. dub 2. n.20.* Diana *p.2. tom.1. alias 15. tom. 14.* Castrop. *de pœn. p. 19. §.4. nm.8.* inclinat Coninch. *lib.6. num.40. & 50.* docent teneri secreto solum naturali. Alij cum Henriq *lib.6.cap.20 num.3.* medio. Alij secreto Sigilli. Sic Suar. *loc. cit. sect.4. num.6.* Delugo *loc. cit. sect.2. num.25.* aliique apud Dianam citatum. Omnes probabiliter, sequere quam mavis. Primam: quia pœnitens concedens veniam colloquendi cum tertio de suo peccato, præsumitur extra limites Sacramenti illud extrahere. Secundam: quia ejusmodi notitia oritur tanquam à radice Confessionis: sed, ut modo diximus, afferens obligationem mitioris pœnæ. Tertiam: quia eadem notitia, quam alteri porrigit Confessarius (quamvis ex licentia pœnitentis) est eadem; quam ipse Confessarius habet: ipse autem habet affectam onere Sigilli, ergo, &c. Negari insuper potest, pœnitentem per eam licentiam velle sua peccata à Sigilli favore repellere: immo nolle est præsumendus, quia nemo detrimentum suum velle putandus est.

*Ipse Confessarius, à pœnitente ante Confessionem consultus.*

5. Iam vero ex occasione dictorum, illa emergit difficultas: An si pœnitens sive paulo, sive multo ante Confessionem aliqua de suis peccatis communicet Confessori, ut rationem v. g. addiscat mox exhibendæ Confessionis; an, inquam, ea sub Sigillo sint contegenda? Videntur contegenda non esse: quia pœnitens jam consulto extra Confessionem, perinde ac si cum amico unico ageret, loquitur. Adde hanc notionem, quæ sic Confessori affertur, non procedere ex Confessione peracta: quo pacto probabile est, ut modo dixi, secum ferre onus Sigilli, sub quo peracta est: sed ex facienda, quæ quia fortasse non fiet, non potest communicare onus Sigilli quod portet. Ita opinantur Suar. *d. disp. 33 sect.4. num.6.* Henriq. *lib.6.cap.21.num.4.*

6. Verùm Fagund. *præcep. Eccl. 2. lib.6.cap.6. num 23.* Medina allatus à Dian. *p.5. tract.11. resp.44.* tum Confessorem, tum laicum, cui ea communicatio fiat, Sigilli reos constituunt: siquidem ad dandam talem notitiam pœnitens movetur à vi Confessionis, idque noscit is, qui eam accipit: ex quo infert Medina *ibid.* hunc, sive Confessorem sive laicum, cui ad finem Confessionis peragendæ communicatum est peccatum enorme, aliàs Prælato denunciandum sub pœna excommunicationis: nec debere nec posse denunciare, qui contra Sigillum: quod fortius urget, peccaret.

7. Utraque opinio est probabilis, Ergo hanc posteriorem sequor libentius, tum quia magis Sacramentum, tum quia nollem obligare prædictos ad denunciandum, quo scilicet tutior aditus miseris pateat ad consilium; id quod maius est bonum, quam quod aliud, quod hac in re effingi animo secum

*Laicus Confessionem forte excipiens.*

8. Dubitatur Secundo, de eo qui consulitur laico, quem per errorem forte putat urgente necessitate. Sacramentaliter absolvere: id fiat devotionis vel humilitatis gratia, Sigillum nequaquam parere, palam est.

Respondeo. Hurtad. *de pœn d.12. diff.3. Præp. pœn q.11.d.2. num.22.* affirmant tunc exurgere Sigilli, quia hic pœnitens jam movetur cum errore, à Confessione instituta à Christo. *cit. sect.2. num 2.* Vasq. *loc. cit. dub. 2. num.3. loc.cit sect.2.num.41.* negant, quia Christus Dominus nisi Confessioni Sacramentali, cuius ipse fuit lentium imposuit: ea, quam quis per cum errore bet, ficta est, & neutiquam à Christo authore

9. Utraque sententia probabilitatis metam Illud miror, quod Doctores negantes concedo qui se Sacerdotem simulans, vacat Confessioni ri ad Sigillum: sed certè, hæc confessio allata dotem fictum non est vera confessio instituta sto; cur igitur per ipsos parit Sigillum, non confessio facta laico, quæ pari modo à Christo non est? Respondent iidem *loc. cit.* quia accedens cerdotem simulatum movetur à confessione Christi apprehensa. Rectè: nam etiam accedens ad laicum mente necessitate, movetur à confessione Christi prehensa.

10. Instat Delugo *loc. cit.* Si quis confiteretur Crucifixo, putans veram facere Confessionem: auditet, non teneretur Sigillo; quia confessio Crucifixo non est à Christo instituta. Ergo idem dum est in eo eventu, quo quis confitetur coram to laico. Respondeo: ergo idem sentiendum dicam) in eo eventu, quo quis confitetur coram Sacerdote, siquidem ne hæc quidem confessio sto instituta. Adde, hanc instantiam non urgere sententiam, quæ utrobique, hoc est, tum in Confessione facta laico, tum facta simulato Sacerdoti, vim Sigilli: non urgere; inquam, quia audiens sionem factam coram Crucifixo, non tenetur putat nitentem moveri ad sua peccata sic prodenda, devotionem: at in casu, de quo loquimur, ex circumstantiis clarè cognosci, confitentem coram laico, vel ficto Sacerdote moveri, esto, per errorem confessione, quam Christus Dominus instituit. Hæc sputandi gratia sint hactenus dicta: nam ego longe bentius priorem sententiam affirmantem, quia favet magis.

11. Si quando quis pandit sua peccata coram Confessario, sed, multis ex necessitate præsentibus, accidit in tempestatibus, subitis invasionibus, &c. quibus quidem eventibus ob temporis angustiam multis simul licet fateri peccata quæ in illa turbatione possunt, & unicam illam formam absolvi, *Ego absolvo &c.* per m Confessor, tum omnes præsentes arctantur o tu tione Sigilli, ut ex Fagund. *præcep. 2. lib.6.cap* bliga *m.1.* de auditis nec cum aliis, nec cem secum *5. nu* olloqui possint, id, quod ex habetur datis, quil ipsis eli negotio colliget.

ibet faci

*Scripta peccata legens.*

12. Dubitatur Tertiò: An is, qui inveniens scripta pyrum, in qua sint alicuius peccata delicta quæ appareant esse notata propter Confessionem exhibitam, sive exhibendam, ea (licet, ut certum Coninch. *d. disp.9. de pœn. dub.3. n.50 fine.* Castrop. nit. *p.19.§.4.n.11.* cum peccato) legit: An ingeam vi Sacramenti teneatur ad silendum?

Re

Respondeo. Aliqui ut Fagund. *loc. cit.* allatus à Diana *p. 2. tr. 4. resol. 112.* teneri affirmant, aliqui de more negant, Suar. Coninch. Laym. apud de Lugo *loc. cit. num. 47.* Sanch. *tract. 4. de pœn. quæst. 10. fine*, Navar. Bonac. aliique apud Castrop. *loc. cit.* Ratio affirmantium est, quia illa Scriptura est internuncia peccatorum, estque sive instituta Confessio sive Confessionem factam gerens: nam propter eandem rationem, is qui excipit scripturæ Confessionem amici nescientis scribere, eo modo se ad Confessionem præparantis, tenetur pariter (ut docet Præpositus *de pœnitent. q. 11. dub. 4. num. 34.*) ad Sigillum. Ratio negantium (qui consequenter nec cognoscunt obligationem Sigilli in hoc Præpositi casu) est, quia hujusmodi scriptio, ne inchoata quidem Confessio est, sed solum materia præparata ad Confessionem, nec est ipsa confessionem, sed gerens materiam; quæ erat præparata ad eandem: non ergo inducit majorem obligationem, quam naturalis secreti: sicuti enim si quis auribus peccata alicuius qui se alta voce ad ea confitenda præpararet, vel alicuius, qui pari modo gratias Deo referret de peccatis confessis, non teneretur ad Sigillum, quia hujusmodi notitia non habetur ex vi Sacramenti, sed vel præparationis ad illam, vel gratiarum actionis de eadem; & sicuti qui addit matrem instituentem filiam ad septennem ad faciendam confessionem, interrogantem de jam facta, non obligaretur propter dictam. rationem ad silentium Sigilli: ita in casu nostro, &c. Utique sententia est probabilis.

## CAPUT V.

### De Sigillo confessionis repectu ejusdem pœnitentis.

Contingit frequenter, ut Confessarius velit de exceptis in Confessione cum suo pœnitente tractare: quæritur, quatenus id eidem liceat. Quamvis autem supponeremus certum, non esse hac ratione Sigillum frangi & profecto plures cum Sanchez *lib. 3. de matrim. d. 16.* frangi negant; esto affirment admodum pauci quod eundem, quia fractio Sigilli est fractio secreti, secretum verò non frangit qui cum eodem, qui secretum commisit, loquitur sed qui cum aliis) quamvis inquam id non esse certum supponeremus: tamen conveniunt fere omnes, ejusmodi locutionem cum eodem, quia certum in odium Confessionis, semper esse prohibitam. Dixi (*fere omnes*) nam Vasquez *d. q. 93. art. 4. dub. 10. num. 1.* quem sequitur Mararius *tract de pœn. d. 32. sect. 3. num. 6.* habet: *Tertio sequitur, non esse contra Sigillum loqui cum pœnitente de peccatis in Confessione auditis, non petita aliunde licentia, sed solum intentione inquirendi ea, quæ melius curare possint ipsum. Immo optimè docet Medina, non esse contra Confessionis Sigillum pœnitentem reprehendere, aut exprobrare illi peccata: esse tamen contra reverentiam debitam Sacramento, quia redditur onerosum nimis. Quod non sit contra Sigillum, constat quia non manifestatur alicui secretum Confessionis.* Hæc Vasquez, cui favet Sa *v. Confessor, num. 2. in edit. genuina in expurgat. num. 21.* dicens, *Occulte corripere postea pœnitentem de auditis ab eo in confessione et si est illicitum, sed non contra Sigillum: quamquam licere interdum indicat c. Sacerdos, de Officio ordinarij.*

2. Porro tria tempora in dubium vocare possumus an Confessor liceat de auditis agere cum suo pœnitente.

1. Dico primò, statim ab Absolutione licere. Sic Præpositus *loc. cit. d. 5.* Henriquez *de pœnit. lib. 6. cap. 20. num. 7.* quidquid dicat Fagundez *loc. cit num. 33.* Ratio est, quia moraliter judicatur durare eadem Confessio: sicut enim tunc potest injungi pœnitentia, ex alibi dictis, cur non & cætera expediri, quæ ad bonum pœnitentis conducere judicabuntur?

4. Dico secundò, in aliis Confessionibus etiam licere. Sic Præpositus *loc. cit.* Henriq. *loc cit. sect. 5. n. 127.* Granad. *de Sacramentis, controvers. 7. tract. 11. d. 5.* contra Fagund. *loc. cit. num. 36.* quamvis enim sæpè non expediat, quando nulla vel modica sit necessitas, timeaturque de pœnitentis molestia: tamen quia ejusmodi locutio est intra forum Sacramentale, non est interdicta. Audi Malderum *tract. de Sigillo, cap. 22.* apud Dianam *p. 5. tr. 11. resol. 20. Sicuti quando extra Confessionem pœnitens de peccato quod confessus est consulit Confessarium iam satis eidat licentiam de eo loquendi, imò hoc ipsum requirit ab eo: similiter, quando statum animæ suæ, & de eo iudicari & tractari vult in secunda Confessione: satis censetur de necessariis ad bonam Confessionem directionem Confessario tractandi secum potestatem facere: quod magis locum habet, quando peccata prioris Confessionis sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda Confessione expressorum.* Hæc appositè Malderus. Quæ confirmantur à Præposito *loc. cit. n. 4.* ex praxi communi etiam timoratorum Confessariorum, qui rationabili ex casu mentionem faciunt in præsenti Confessione eorum, quæ audierunt in priore; imò aliquando negant absolutionem pœnitenti, propter frequentem lapsum cognitum in alia Confessione: & denique; *Quid adhortamur Fideles,* inquit *ut utantur semper eodem Confessario, si hic se debeat gerere, ac si nesciret Confessiones priores?*

5. Dico tertio. Aliis temporibus à prædictis, hoc est, extra omnem rationem Confessionis, nunquam licet sine venia pœnitentis cum eodem loqui de auditis in Confessione. Ratio est toties repetita, quia secus redderetur molestissima Confessio.

6. Quando Confessarius extra Confessionem petit à pœnitente colloquendi de rebus auditis potestatem, ut illum admoneat de re ipsi necessaria ad salutem; Pœnitens autem (utique peccando) negetur an possit nihilominus Confessarius locutionem producere & admonere? Satis dictum est *in Methodo Confess. lib. 3. c. 8. §. 4.*

## CAPUT VI.

### An Confessor possit uti cognitione habita in Confessione?

#### §. I. *An id possit, si vel alij, vel complices peccati id advertant?*

1. Licere Confessario uti cognitione habita in Confessione, quando ex eiusmodi usu nihil fit ingratum pœnitenti, & nulla prorsus alicui causa datur aliquid suspicandi, rem in Confessione auditam fuisse; pro certo esse debet, cum nunc nulla sit vel peccati promulgatio, vel Sacramenti injuria sive directa, sive indirecta: Ita Doctores citati *passim.* Hinc enim ex ibi auditis doctior fieri possum, cautior in inquitendo, diligentior in examinando, prudentior in dirigendo, sive in bonum meum, sive aliorum: & si Prælatus sim, audiamque in Confessione querelas contra me v. g. propter nimium meum rigorem, vel avaritiam, possum me in meliorem frugem reducere. Ita Delugo *de pœn. disp. 23. 101.*

2. Contra, certum item sit; ex Coninch. *d. disp. 9. dub. 4. num 54. & 55.* nequaquam licere, etiam ad mortem evitandam, quando alij, qui alias pœnitentis peccatum ignorabant grave quidpiam ex tali usu adversus ipsum suspicarentur; quia id esset ipso facto Confessionem ostendere. Imò si Confessor duorum ex Confessione unius cognovit alterum non confiteri integrè; licet & juxta prudentiam debeat generatim interrogare nunquid aliud peccatum habeat, vel simile quid, non potest tamen ex Suar. *loc. cit. d. 33. sect. 5. n. 5.* ullum indicium suæ notitiæ præbere; sed tutò absolvat, Deoque omnia committat, ne scilicet pœnitens aliquid de Confessione alterius advertat.

3. Difficultas ergo solum, & quidem gravis hic

supereſt, quando id ſuſpicarentur ij, qui aliàs ſciebant, ſocij v.g. peccati; ut ſi ſacerdos ſciat ex Confeſſione unius complicis, vinum Miſſæ veneno eſſe infectum, vel ipſum eſſe occidendum, ſeu dilapidandum dum domo exit: poteritne ſacris non operari, & domi ſe cohibere, ſi hinc advertant complices conjurationem ad aures Sacerdotis allatam ex Confeſſione unius ex ipſis fuiſſe?

4. Suarez aliique quos citat, ſequiturque Fagundez *loc. cit. cap. 2. num 5.* ait non poſſe Sacrum omittere, nec ſe includere domi; imò ſi ſit in mortali; adhuc non poſſe: tunc enim ſe provideat de contritione.

5. At Coninch. *loc. cit. dub. 4. num. 55. & 56.* Bonacin. *de pœnit d. 5. q. 6. ſect. 5. p. 4 num. 27.* citans Reginaldum Onuphr. Henriq. Scotum *diſt. 21. quæſt. 2. art. 2. ad. 3.* generaliter loquentem, adóque etiam de non ſociis: Caſtr. *de pœnit. p. 19 §. 3. num. 18.* Layman. *lib 5. tract. 6. cap. 14. num. 21.* probabilius eſſe aiunt, poſſe, prout ſuæ vitæ expedierit: idque etiam ſi pœnitenti ab aliis ſociis mors, vel gravis mali periculum immineret. Illa prior ſententia eſt nimis ſevera, quamvis magis Sigillo favens hæc posterior eſt humanis rebus accommodatior, atque adeo magis excipienda. Ratio autem eſſe poteſt, quia aliud eſt facto ipſo patefacere peccatum: aliud eſt, ſimulato aliquo prætextu, facere ſeu omittere aliquid, ex quo alij aliunde ſcientes ſumant occaſionem ſuſpicandi peccatum eſſe confeſſum. Prius eſt omninò illicitum, posterius licitum eſt aliquando: imò non rarò debitum, cum non ſit ulla detectio nec verbo nec facto exhibita Non placet autem Delugo *de pœnit. diſp. 23. ſect. 5. num. 113.* dum aſſerit idem eſſe in his circumſtantis fugere Sacerdotem, dicere, *Mihi paratæ ſunt inſidiæ*: non placet inquam, hoc enim dictum per ſe ſignificat inſidias: at fuga, cum poſſit procedere ex variis capitibus, ſolum per accidens, ratione ſcilicet cognitionis aliunde à ſociis habitæ, ſignificat idem peccatum inſidiarum. Quædam, quæ ad hoc argumentum facere videntur, quippe ſpeculantium commentationes, legito ſi eſt otium apud laudatos. Legito item Th. Hurradum, à quo in multis, ut patet ex dictis diſſentio.

### §. II. *An uti Confeſſarius dicta cognitione poſſit, quando ſolus pœnitens advertit?*

1. HÆc eſt graviſſima, & inter cæteras moleſtiſſima quæſtio; ad quam ſolvendam præmitto, triplici generis eſſe actus pœnitenti ingratos, quos Confeſſarius ex vi cognitionis habitæ in Confeſſione poſſet exercere. Primi, qui verſantur circa perſonam pœnitentis, & quidem ſpectantes ad juſtitiam punitivam, vel commutativam. Vt pœnitentem caſtigare, tollere jus ipſi acquiſitum, ſtruere inſidias, ut pœnitens in delicto audito deprehendatur, negare debitum peccuniæ, &c. Secundi, qui verſantur circa ejuſdem perſonam, ſed ſpectantes ad juſtitiam diſtributivam, vel miſericordiam, aliámve virtutem. Vt negare ſuffragium liberum ei, cui non negares, ſi ejus indignitas, vel peccata in confeſſione explorata tibi nequaquam fuiſſent; tollere ab eo officium ex ſe amovibile, quando ab ipſo retineatur cum animæ ſuæ detrimento; ablegare pœnitentem in alium locum, ubi degeret abſque peccato: ſe, illi oſtendere ſeveriorem, minuſque gratè cum eodem loqui, ejuſdem inopiæ data ſtipe non opitulari: famulum cognitum ex confeſſione furem, domo expellere: Sacramenta non miniſtrare, non porrigere Euchariſtiam: non aſſiſtere matrimonio, quod pœnitens nulliter contraheret: non colloqui cum excommunicato vitando, & cætera ſimilia, quæ exercentur circa perſonas ſingulares & certas. Tertij generis ſunt actus omnes, qui non exercentur merè circa perſonam pœnitentis, licet contra ipſam aliquando recurrant: Vt vigilantius Confeſſarium cuſtodire res ſuas: ſervo furaci pecuniam, vel arcæ claves non committere: Superiorem claudere fores, unde idem novit, ex confeſſione aliquem de nocte furtim exire: Sacerdotem ſe domi continere, vel Miſſam non celebrare quia in confeſſione ſcivit inſidias; & ſimilia, quæ muniter conſueverunt eſſe poſitiones alicujus menti, quo poſito pœnitens abſque ſuo aliquo co incommodo impeditur, quo minus in pecc

2. Conſulto autem dixi (actus pœnitenti Confeſſarius enim propter fiduciam, v. g. qua pœnitens ſe geſſit, omnia ſui animi interiora, que peccata detegendo; poterit ex Deluga *diſp. 23. ſect. 5. n. 102.* eidem oſtendere ſigna ni igne excipere, beneficia conferre, &c. quamv pœnitens advertat hæc fieri propter expoſita in feſſione. Ratio eſt, quia ex una parte, ut ſupra lum commiſit; & ex alia, illæ actiones non ſunt gratæ, unde confeſsio fieri odioſa timeatur, ſed g mæ, unde Fideles ad confeſsionem potius allic cum fructu ſperentur.

3. His poſitis certum eſto primi generis actus quam licere ſine licentia pœnitentis. Ita Doctor citandi: quia ſatis odioſa redderetur confeſſio, ſi tur propter illam contra ſubditos procedi poſſ propterea ſi quis ex Judicibus contra ſubditum in gavit teſtes, proceſſum inſtituit, vel quid ſimile ſus eſt: atque apparet hos actus initium habuiſ titia quantumvis tenui habita in confeſsione, ejuſmodi actus, utpote invalidi, reſcindi ab eod à quocumque alio judice qui id reſciret omninò d Sic Henriq. *l. 6. de pœnit. c. 20. n. 2.* Sà *V. Confeſſ.*

4. Iam vero de actibus ſecundi, & tertij generis mul ſumptis, eſt duplex ſententia. Prima mul apud Sanch. *mox.* citandum, concedentium Confeſſ utriuſque generis actus; quando unus ipſe pœnitens gnoſcit eum ad hos actus peragendos movere in confeſsione. Ratio eſt, inquiunt, quia ex una non eſt frangere Sigillum colloqui cum eo uno, quem communicavit, & ex alia, pœnitens cum beat jus abſolutum ad eas actiones, illi nulla fit ſi tæ negentur. Bipartitos deinde hos Doctores Plures enim apud eundem, ſentiunt, quandoq Confeſſarius poſſet, debere interdum exercere eas nes: atque adeo amovere indignum ab officio, re ſuffragium, non miniſtrare Sacramenta, &c. licet cooperetur, cum poſsit non cooperari, cum cato pœnitentis. Multo autem plures apud ejuſmodi obligationi refragantur: quia nimirum hominum cogi debet, ut utatur remedio tam diffi periculoſo fractionis Sigilli.

5. Secunda ſententia eſt aliquorum negantium, eſt toties allata, nempe, ne ſic in odium Fidelium dat confeſsio. Ex qua ſententia ſequitur, Confeſſ ſe debere gerere protſus ac ſi nihil audiſſet, nec ſubditum ab Officio amovere: negare ſuffragium, moſynam, Sacramenta, claudere feneſtram: ſe d continere ad inſidias vitandas &c.

6 Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 16. nu* (Vide etiam Fagund. *Eccleſ. præcep. lib. 6. cap 3. n.* ubi has duas ſententias retulit ſic addit. *Quid dicen in re iam dubia? Pro priori enim ſententia militat a ritas tot, tantorumque virorum (numeraverat enim ad ginta quinque, S. Thomam, Scotum, Sotum, Suarez, & fortiſſimæ rationes: quare negari non poteſt, eſſe pro liſſimam. Verum multo mihi magis ſemper placuit & placet poſterior ſententia, quæ non pœnitendis nimium damentis, &c.* Hæc Sanchez.

7. Ego cum Coninch. *d. d. 9. dub. 5. num. 67. &* Caſtr. *de pœnit. p. 19. §. 3. num.* 18. & Sanch. *loc. cit.* tente legatur puto diſtinguendum eſſe de prædictis bus, atque aſſerendum; non poſſe exerceri actus ſec generis, actus tertij generis poſſe. Ratio eſt eadem totieſque propoſita: ſed quia Doctores utriuſque ſen tiæ, actus ſecundi, & tertij generis minus diſtinc minus rectè hactenus, niſi ſi quid me fallit, induxi Induci autem in hunc modum poteſt.

Si concedantur actus ſecundi generis, redditur

minè odiosa confessio ; non verò, si concedantur tertij generis actiones : ergo has licebit exercere, non illas. Antecedens probatur. Facile retraherentur Fideles à Sacramento pœnitentiæ, si scirent posse quemlibet propter audita in illo foro amoveri ab officio, carere suffragio quamvis libero, repelli ab Eucharistia, privari communicatione cum aliis, & similia ingrata, quæ sunt actiones secundi generis. De hoc vide supra *in Methodo Confess. lib. 2. cap. 6. § 2. num. 20.* At nemo ab eadem retraheretur ; seu certè retrahi præsumeretur ea de causa, quod scilicet, quis melius custodiat res suas, claudat fenestras ad impediendâ peccata, mortem effugiat, & similia, quæ sunt actiones tertij generis, cùm ad hæc is idem pœnitens, qui verè surgere à peccato per pœnitentiam intendit, cooperari pro suo modo teneatur ; unde huiusmodi actus non quidem ingrati ritè pœnitenti, sed vero gratissimi esse censendi sunt. Erubescentia autem nulla sibi oritur prudenter : quia cum hæ tertij generis actiones non exerceantur circa ejus personam singularem, ut diximus ; potius is, ( occasione, non inficior, data à Confessario utente tamen iure suo) ad se advocat pudorē maiorem, quàm Confessor eodem pudore pœnitentem afficit.

8. Instabis : at Clemens VIII. Decreto *ann. 1594. 26. Maij.* generaliter interdixit ejusmodi usum. *Tam Superiores* (inquit) *pro tempore existentes, quam Confessarij qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti caveant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt*, AD EXTERIOREM GVBERNATIONEM *utantur.* Nec absimile est Decretum R. P. Claudij Aquavivæ Generalis Societatis Iesv, pro suis apud Castrop. *loc. cit. n. 20. Tametsi* (ait) *non desint Doctores qui notitia per Confessionem habita, salvo Sigillo Confessarij, uti nonnunquam licere sentiant, nostros tamen eam Doctrinam sequi non expedire iudicamus. Quare caveant diligenter* SVPERIORES, *ne vel ipsi vel nostrorum aliqui eam usuram introducant, privatimve aut publicè doceant, nec ea, nisi forte de pœnitentis licentia ullo modo utantur, sed ita se gerant in omnibus casibus Confessarij ac si in confessione nihil penitus audiissent.*

9. Respondeo : Hoc Decretum Clementis, quod ex Bonac. *de pœn. d. 12. diff. 9. Præp. de pœn. q. 11. d. 7. fine*, inclinat Suar. *de pœn. d. 33. cit. sect. 7. n. 9.* non ad omnes Confessarios, sed ad eos, qui Superiores sunt, vel deinceps erunt, dirigitur ; solum prohibet, id quod alias iure divino prohibitum erat, id est actiones primi, & secundi generis, non verò tertii ; ex Laym. *lib. 5. tract. 14 c. 14. 23. fine*, ut etiam colligi potest ex Coninch. Castrop. & Sanchez *locis citatis*, qui scripserunt post dictum Decretum, & tamen nostram opinionem à probabilitate non dejiciunt. Ratio autem est, quia hæ tertij generis actiones nullo modo pertinent ad EXTERIOREM GVBERNATIONEM personarum ; cum per has circa personas singulares, nihil decernatur.

Decretum insuper R. P. Generalis Societatis Iesv, quod ad Superiores ut invigilent, non verò ad subditos dirigitur, eodem modo illas vetat, non has tertij generis : quia cum hæ neminem sigillatim tangant, sintque communiter peccatorum impedimenta, easque non prohibuerit Clemens VIII. cui se conformem ipse reddere voluit ; non erat ratio, quamobrem has prohiberet.

Inquires, Potestne Prælatus ex notia habita in Confessione motus, magis advertere, ut notitatis aliis extra Confessionem sese offerentibus signis sufficienter instructus, aliquam ex dictis actionibus præstet ?

Respondeo. Quidquid videatur concedere Th. Hurtadus, est ex dictis diligenter distinguendum. Nam si hæ actiones à Prælato præstandæ tangerent ipsum specialem pœnitentem, V. G. ei Prælatus suffragium denegabit, &c. nullo modo potest, quia sic odiosa fieret Confessio ; nam Prælatus hac novam advertentiam inciperet adhibere ex vi Confessionis : quod nullatenus licet. At si actiones hæ non tangerent pœnitentem modo jam explicato, poterit sanè, quia tunc agetur de actionibus tertij generis, quas licere, concessimus. Quare si fortè Prælatus ex vi Confessionis Pœnitentis, addita sua naturali sagacitate, noter aliquod signum, non poterit cognitis ex huius signi vi uti contra Pœnitentem : solum tunc poterit, quando signum est ejusmodi, ut etiam sine prædicta relatione ad Confessionem Pœnitentis, ex se solo, sufficit & movet ad inquirendum.

### §. III. *Expediuntur quædam circa usum prædictæ notitiæ.*

#### *An possit quis simulatum Confessorem respuere ?*

10. AD ea, quæ hactenus docuimus, expedienda ; adhuc dubitatur Primò : Quid faciam ego Confessarius si is, cui peccata mea aperire tanquam Confessario consuevi, nunc confiteatur ipse mihi, detegátque se non esse Sacerdotem ; posúmne ad illius pedes amplius non accedere, ipso advertente, me ad hoc moveri ex vi confessionis ejus ? Respondeo. Possum ex Sanchez *d. 16. n. 5.* quia hæc omissio reducitur ad actiones tertij generis, per illam enim nihil in pœnitentis personam exerceo, sed negativè me habeo.

11. Quid si ex hac omissione alij suspicentur malum de Sacerdote ? Respondeo. Tunc poteris, & ex Delugo *l. c. sect. 5. n. 105.* debebis, alteri serio confiteri, hunc autem ne illum prodas, confitearis solum exterius. At Fagundez *præc. Eccl. 1. lib. 6. c. 3. n. 1.* docet & posse, & non debere, quia hæc omissio ostensiva delicti ex se non est. Verum si alij alias sciebant illum non esse Sacerdotem ; placet mihi sententia hæc posterior Fagundez, propter rationem à nobis expositam *suprà §. 1. n. 5.* At si ignorabant, placet sententia prior Delugo ; quia tunc verè ejusmodi omissio videtur esse per se manifestativa delicti, iuxta ea quæ diximus, *cit §. 1 n. 2.*

#### *An possit respui pœnitens sollicitans ?*

13. DVbitatur Secundò, si vocer ad audiendum pœnitentem, à quo timeo, ne in peccatum inducar, idque solum ex ejus præcedenti confessione noscam ; possumne ad illum non adire, si vel ipse rem advertat, vel alij contra ipsum aliquid suspicentur ? Respondeo : possum immo obligor non adire ; quia si pœnitens ad peccatum in confessione sollicitat, jam illa nec est confessio, nec Sigillo subjacet. Quod si alios casus effingas, vide eos apud Doctores citatos ; sunt enim ferè metaphysici.

#### *De pœnitente impœnitenti.*

14. DVbitatur Tertiò : Si voceris à pœnitente, qui bis, ter, pluries noluit tollere occasionem v. g. proximam, potesne effugere, si ipse id advertat, vel alij de ipso aliquid mali coniiciant ?

Respondeo, si tibi confessus est, ut confessionem simularet, & in bona existimatione apud alios haberetur ; potes effugere, quia illa non fuit confessio, sed simulatio. Verùm si fuit vera confessio animo se adiuvandi, non potes non ire si alij malum de pœnitēte suspicentur ; fuit enim ista Sacramentalis, licet inchoata confessio, Sigillum secum trahens.

15. Quod si non alij, sed ipse solum id advertat ; non video in te obligationem eundi, quia ex una parte non est rem revelare, si eandem ei committas, à quo recepisti, ut toties dictum est ; & ex alia, propter similes negationes non retrahentur à Confessione Fideles, immo magis ad eam cum debita dispositione faciendam excitabuntur. Favet insuper alia ratio : quia tu merito negas, ut pœnitens à sua contumacia resipiscat, sicuti merito, propter eandem rationem, eundem aliquando non absolvis

#### *De sciente in Confessione Ecclesiam esse pollutam.*

16. DVbitatur Quartò : An si sciat ex Confessione Sacerdos, Ecclesiam esse pollutam, possit in illa celebrare, advertente id pœnitente vel aliis ? &c.

Respondeo. Si ex omissione sacrificij aliqua notitia peccati quoad alios, vel aliquod pœnitenti damnum timeatur, poterit, & consequenter, juxta superius dicta,

dicta, debebit celebrare: quia fortius est vinculum Sigilli, quam violatæ Ecclesiæ. At si nullius detrimenti, vel notitiæ periculum sit, non poterit celebrare, ex Delugo *l. c. n. 124.* quia urget præceptum de non celebrando in loco violato: & non urget præceptum Sigilli, cùm nullum periculum damni nec evulgationis adesse supponamus. At poterit celebrare, ex Bonacina, *de pœn. d. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 23.* quia Ecclesia non præsumitur velle obligare Sacerdotem, ad non celebrandum, quando ex sola confessione novit locum esse pollutum, si quidem Ecclesia semper velle favere Sigillo credenda est. Utrumque probabile.

17. Quid si solus pœnitens id advertat? Non posse celebrare, probabiliter decernit Delugo *l. c.* quia ejusmodi omissio respectu ejusdem pœnitentis non est revelatio, ut sæpè diximus; & ex alia parte, non est actio circa peculiarem pœnitentis personam, nec rationaliter ipsi ingrata, immo Confessario onus erit (inquit) si judicet se profuturum, nec sit suum grave incommodum, monere etiam alios, ut nec ipsi celebrent. Verum ex ratione modo dicta à Bonacina, addita ea, quæ dicta est §. 2 *n. 4 fine*, consequitur posse celebrare, nec ad prædictam monitionem obligari; id quod certè ut probabiliter deductum amplecti sine dubio possumus.

## CAPUT VII.

### Cujusnam suspicionis periculum contra pœnitentem, ex vi Sigilli prohibetur?

1. Dictum est sæpè in præcedentibus, cavendum esse ne detur ulla suspicandi occasio contra pœnitentem. Occurrit scrupulus, an id de omni quamvis levi suspicione intelligendum sit?

Hac de re sic prudenter disserit Delugo *d. 23. sect. 5. num. 106. Intelligitur de suspicione probabili, non vero de conjecturis etiam levibus, quas malitiosi & nasuti facilè faciunt. Ita Palatius, S. Th. Scotus, Medina, aliique: quod videtur etiam in praxi observari: esset enim ferè impossibile omnem suspicandi occasionem indirectam omnibus auferre. Facilius autem excusantur occasiones negativæ, quam positivæ: v. g. si uni pœnitenti propter ejus puritatem Confessarius maiora benevolentiæ signa ostendat, quam alii, enim sua, ut supponimus, est exigua, ejusmodi non sufficiunt. Adverte etiam in aliqua materia propter ejus qualitatem & gravitatem, non reputari levem suspicionem, quæ fortasse levis esset v. g. quacunque occasio daretur, etiam levis suspicandi adulterium uxoris suæ, quod visissimè contra Sigillum, quia nimis difficilis redderetur tali periculo.* Hæc ille.

## CAPUT VIII.

### De culpa & pœna frangentis Sigillum.

1. Quantum ad culpam. In fractione Sigilli multa committi possunt. Primò, contra Religionem, seu reverentiam debitam Sacramento. Secundò, contra Justitiam, seu Charitatem, si quid retegatur, quo quis notetur infamia. Tertiò, contra fidem datam, & secretum naturale, si res erat occulta.

Primum semper est mortale. Secundum, & tertium tunc sunt venialia, quando infamia vel infidelitas est levi, secus, sunt mortalia cum obligatione restituendi famæ, damnique secuti. Præpos. *de pœn. q. 11 d. 4. & d. 4. n. 39.* Castr. *de pœn. p. 19. §. 1. n. 2.* Bonac. *loc. cit. n. 1. & 4.*

2. Dixi (primum semper est mortale) materiam Sigilli parvitatem non habet ex omnium fere sententia apud Dianam *p. 5. tr. 5. res. 8.* Solum invenio Sa *V. Confess. n. 24. in impr. genuina*: cui ex parte favet Ledesma apud Diana *ibid.* & Sotus apud eundem, sic dicentes: *licet velari aliquid leve confessionis, modo sit peccatum, quod non putant esse mortale; quod mihi durum videtur.*

3. Quantum ad pœnam. Nulla non pœna confitenem patefacienti est in jure lata. Sic Coninch. *d. 9. dub. pœn. dub. 47.* Diana. *p. 5. tr. 11. resol. 51.* aliique sæpe. *c. utriusque sexus, de pœnit.* dicitur revelans debere poni à Sacerdotio, & in arctum Monasterium detrudi; quæ cum sit pœna ferenda, ei quis non nisi post judicis sententiam subiacebit: atque hæc quidem pœna, si re delinquat; cæteris erit extraordinaria, à judice pro qualitate criminis taxanda, ut in superioribus *c. 4. §. 3.* innuavimus. Deus te, Lector, amet, & valeas.

*FINIS.*

Laus Deo, Batissimæ Virgini, ac B. Aloysio Patrono meo.

METHO

# METHODI EXPEDITÆ COMMUNIONIS LIBER UNICUS.

Illustrissimo atque Amplissimo D. D.

## VITALI VALGVARNERÆ DEL CARETTO, Arenellæ Duci.

*THOMAS TAMBVRINVS S. I. sempit. Felic.*

QUIDEM, Dux Amplissime, tam humili munusculo tuæ benignitatis ædem non aditem, nisi illius veteris paremiæ memor essem, AD ARAM GRATIARVM ANIMVS, NON HOSTIA CENSETVR. Video debilitatem ingenij mei, video Opusculi, quod tibi consecrandum offero, tenuitatem. Verùm & animum meum tibi addictissimum, & animi tui augustam aram gratiis undique redundantem etiam video. Munera vel levissima si à magno Principe, hilari vultu, admittantur, grave momentum accipiunt. Accedit quod nobilitati generis nescio quid inditum solet esse non vulgaris humanitatis. Quid ergo non sperem à tua dulcissima morum facilitate, cùm Nobilium majorum tuorum præclaro sanguine quasi per purissimos canales, in te generosè transfusa? quorum certè seriem si numerem, numerem pariter Oceani guttas, littorum arenas, Cœli stellas. Tui generis nobilitas ex Castello Valguarneræ in Comitatu Ampurias, sive hodie Ampuradan, parum à Pæralada Metropoli distante, originem, octingentis ab hinc fermè annis feliciter duxit. (Stephanus Berela *in Centuria Barcelonæ, cap.* 78.) Secundus est non longo intervallo Simeon Valguarnera, unus ex præclarissimis Ducibus, qui, regnante Barcinonæ Comite Ramon Berenguer, huius nominis tertio, è Maurorum ditione Maioricam vindicarunt. Inde ortus filius Bernardus Guillem, inde nepotes Goffredus, Franciscus., Ioannes, Gibertus, inde propè innumeri generosi, pares avis suo ordine Pronepotes. Petrus Thomai *cap.* 31.) Simeonem, & Vitalem amantissimos fratres, quibus primo Oppidum, & Baroniam Assori concessit Martinus Rex, tanquam eminentissimos Sæculi sui æquales illorum temporum sunt admirati. (Fazellus) *de rebus Siculis dec.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. (Ex Vitali Vitalis. Secundus, ex hoc Ioannes quem Alphonsus Rex sui Camerarij titulo condecoravit, innumeris insuper beneficiis cumulatum. Semel is Messanæ Stratigotus, semel totius Regni Siciliæ Præses, sæpius Equestrium Pedestriumque Copiarum Ductor. (Franciscus Baro *de Maiestate Panormitana lib.* 3. *c.* 11.) Sileo de cæteris, Franciscus enim Princeps pater tuus Panormi olim Prætor, eiusdémque ad Ducem Alburquerch Siciliæ Proregem legatus: Atque Amplissimus Ioseph frater Germanus tuus, qui nunc in omnium oculis vivit Princeps Valguarneræ, atque Illustris Dominus D. Pontius tunc patruus in S. Philip. Nerij Panormitana Congregatione Sacerdotio nobilis, ac singulari virtute, dulcissimisque moribus, vitam cœlestem ducens, satis superque sunt ad tuam Familiam illustrandam: quam tu novo Ducis Arenellæ titulo dum exornas, fortunam Primogeniti fratris æquasti, & naturæ munera virtutis beneficio suppleviſti. Verùm ut ad nostra redeam, feliciter quidem cecidit in rem meam vel ipsum nomen tuum, Vitalis, Dux Amplissime, à quo scilicet, fortunato omine VITA transfusa lucubrationes nostras animabit. Iuvat, iuvat sperare libellum hunc parem iturum cum meritis tuis, eadémque æternitate, qua illa perfruentur, perennaturum. Spem tantam firmaveris, si qualecumque hoc meæ observantiæ pignus in tuam clientelam receperis. Vale.

In

In Opusculum de Communione

# R. P. THOMÆ TAMBURIN

SOCIETATIS JESU,

# EPIGRAMMA

## D. DON RODERICI VARON

Academici oplosophi.



*EXIGVO, Thoma, pestringis grandia gyro,*
*Dum brevibus tractas mystica sacra modis:*
*Has artes illo doctum reor esse magistro,*
*Qui pravo immensum clausit in orbe Deum.*
*Conspicua hæc reddis, sed tu mysteria, Numen*
*Velat in angusto parva placenta sinu:*
*In te de nebula lumen dat luminis author:*
*An per te maius, per se agit ille minus?*

Imprimatur si ita videbitur iis, ad quos pertinet.
Vincentius Carrafa Præp. Gener. S. I.
Impr. Salerno V. G. S. V. Imp. de Denti Præs.

## *INTENTIO OPERIS, ET DISPOSITIO.*

NON sanè, frustra amicos hortatus sum ipso præcedentis *de Confessione* opusculi in *prima editione* ut ad me quid referrent, de eodem, si quid opus esset, locupletando. Nam perfamiliaris quidam meus omni virtutum genere æquè, ac singulari eruditione præditus, me amicè monuit, ut quæ ad Sacratissimam Synaxim facilè exhibendam pertinent, hîc adnecterem: *Ipsi* enim *methodo Confessionis.* quæ ad Sacramentum Eucharistiæ digne suscipiendum maximè dirigitur) non vulgare sic adderem complementum. Placuit ita mihi ea monitio, ut morem statim amico libenter gesserim; & iam *de Sacratissima Communione expedite peragenda*, ad Summi Dei maiorem gloriam, quam ob oculos, præ omnibus, habere submisso animo profiteor, brevem tractationem in manus fidelium do.

*Digeretur autem in aliquot capita.*

1. De dispositione spirituali necessaria ante Cõmunionem. 2. De dispositione corporali ante eam.
3. De iis quæ pertinent ad eandem peractam 4. De præcepto Communionis Paschalis.
5. De eodem, instante morte. 6. De ministro Communionis.

### CAPVT PRIMVM.

### De dispositione spirituali necessaria ad sũptionem Sacratissimæ Communionis.

#### §. I. *De Statu gratiæ requisito.*

PRÆTER Baptismum, & Pœnitentiam, cætera quinque Sacramenta requirunt per se, in recipiente, statum gratiæ Ita Suarez *de Sacram.* id est, *tom. 3. in 3. p. disp. 28. sect. 2.* Coninch *de Sacram. q. 62. art. 1. d. 2.* Bonac. *de Sacram. disp. 1. q. 4. p. 2. n. 2.* Et sanè ad Baptismum, & Pœnitentiam licet apta dispositio sit perfectus contritio; est item apta, attritio. Ex Suar *ib. disp. sect. 2.* At ad cætera Sacramenta, & multo magis, propter maiorem Domino Sacramentorum debitam reverentiam ad Sacramentum Eucharistiæ suscipiendum requiritur status gratiæ: secus committitur peccatum sacrilegij: scilicet, ut sancta sanctè tractentur. Nam propterea illa duo vocantur Sacramenta mortuorum, cætera verò quinque vocantur Sacramenta vivorum, nempe vivorum per gratiam, quæ est vita animæ. Coninch differentiæ ratio est ex Suar. Bonac. Baptismus, & Pœnitentia sunt instituta ad primam gratiam conferendam: ergo illam supponere non opor-

cæte

certera verò cum sint instituta ad eandem augendam, illam per se supponere debent.

2. Dixi (per se) nam, per accidens, primam aliquando gratiam, licet illam in animo nequaquam invenient, valent producere. Idque, universaliter, in omnibus, in illo unico eventu usu venit: quando quis bona fide, & sine fraude se existimans esse in statu gratiæ, suscipit aliquod ex illis vivorum Sacramentis: tunc enim cum sola attritione supernaturali quæ semper requiritur, ut tollatur obex gratiæ, ex vi talium Sacramentorum primæ gratiæ animam sanctificantis ornamentum acquirit. Ita Suarez *de Sacr. disp. 7. sect. 2. & de Euch. disp. 63. sect. 1. §. Dico tertio*, id quod tamen Hurt. *disp. 8. de Euchar. diff. 8. &* Vasq. *tom. 3. in. 3. part.* id est *de Euch. disp. 205. cap. 4. & 5.* negant. Huius probabilis doctrinæ ratio, pro modo, sit illa, quia cum gratiæ augmentum haberi non possit, nisi prima gratia supponatur (ad augmentum enim necessario supponi debet qualitas, quæ augenda est) certè nisi ipsa prima gratia haberetur, nihil haberetur gratiæ, contra finem, ad quem sunt instituta Sacramenta.

An sint casus, in quibus cum peccato mortali sibi cognito communicare non sit sacrilegium, dicemus infra §. 10.

### §. II. *An sit gravius peccatum accedere indignè ad Eucharistiam cum gravioribus peccatis, quam cum minus gravibus.*

3. GRavius esse mihi non est dubium, ex Delugo *de Euch. disp. 14 sect. 1. n. 6.* quia sumens magis irreverenter se habet, minoremque, quantum est ex parte sui, reddit ejusmodi Sacramenti significationem, quæ est, animam divinæ gratiæ refectionibus enutrire.

4. Non puto tamen esse necesse majorem hanc gravitatem explicare in Confessione, quemadmodum, nec quale peccati genus, sive luxuriæ, sive alterius: nec quo numero, sive plura, sive pauciora Satis enim est Laico dicere, *Communicavi indignè mortaliter*: & Sacerdoti *Celebravi indignè*, &c. Sanè pari modo sufficit in Confessione dicere, *Sumpsi Eucharistiam non ieiunus*: ne opus est explicare, id ne post convivium fuerit, an post parvum assumptum cibum. Quamvis enim concedamus cum Baldell. *de vitiis & pecc. lib. 2 disp. 26. n. 11.* majorem irreverentiam committi, si ad Eucharistiam accedatur post lautas epulas, quàm post modicum aquæ potum; tamen, quia sistitur in eadem irreverentiæ specie, ex supra dicta opinione *lib. Method. Confess. cap. 1. § 18.* de circumstantiis aggravantibus, non contrahitur obligatio ejusmodi graviorem irreverentiam in Confessione distinguendi. Ita se res habet in casu nostro.

### §. III. *An addat novum peccatum qui communicat cum peccato mortali, quando prohibetur à communione, ex præcepto humano.*

5. EXemplo quæstionis statum facilè percipies: sit v. g. quis excommunicatus, vel sit non jejunus, peccabitne dupliciter, si communicet: uno quidem peccato, contra divinum, & naturale præceptum, quo cavetur, ne sancta indignè tractentur: & altero item contra humanum Ecclesiæ, quo prohibetur ne excommunicatus vel non jejunus ad Eucharistiam assumendam accedat?

6. Suarez *disp. 66. de Euch. sect. 1. §. Dices ergo*, docet esse duo peccata, quia sunt duæ deformitates. Hurtadus *disp. 9. de Euch. diff. 1.* docet esse unum dumtaxat, quia quoties præcepta ex eodem motivo multiplicantur, peccatum contra ipsa commissum nequaquam multiplicatur: Atqui idem est motivum illorum plurium præceptorum, nempe Religio, seu cultus, ex reverentia Christo Domino debitus: ergo &c.

7. Profectò cum hæc posterior sententia probabilitate magna firmetur, excipi sine scrupulo potest: & consequenter satis, abundéque erit, si te accusare, etiam si excommunicatus ad Communionem accessisti: *Communicavi indignè graviter*, vel: *Ego Excommunicatus ad Eucharistiam accessi*. Iam enim hoc pacto, non indoctus Confessarius intelliget te indigne graviter accessisse.

8. Quid, si, quamvis excommunicatus, fuisses tamen in statu gratiæ, id, quod tunc evenire poterit, quando non valuisti absolutionem excommunicationis obtinere, nec per te, non obtinere steteris, si, inquam, tum accessisses ad Communionem excommunicatus, probè ne in Confessione tuum peccatum explicares, si diceres, *Excommunicatus accessi?* Probè: ex Delugo *de Euch. disp. 14. sect. 1. n. 21.* quia, iam existens propter ipsum accessum in peccato mortali, Eucharistiæ particeps fuisti: si quidem indignè graviter ad Communionem, eo ipso accedere ausus es, quod excommunicatione commaculatus animum ad illam, non urgente necessitate accedendi habuisti: id enim graviter prohibet Ecclesia. Dixi (non urgente necessitate) nam, ut ex *infra* dicendis §. 6. *n. 26.* colligetur, illa urgente, nec tua culpa, non absolutus, non peccasti, communicando, atque adeo Confessione non indiges.

### §. IV. *De accedente ad Communionem cum peccato veniali.*

9. ESt ne peccatum accedere ad Sacratissimam Eucharistiam cum peccato veniali?

Vatquez *de Euch. disp. 207. n. 18.* quem sequitur Ioan. Sanchez *in select. disp. 22. n. 9.* citans Filliuc. Hurtad. Ledesmam, & alios: docet non esse, ne veniale quidem, sive quis comitanter accedat, cum affectu actuali ad veniale, sive cum venialibus habitualiter, sine aliqua displicentia de illis. Dicit comitanter; nam si quis accederet ad Eucharistiam, ob finem venialiter malum, v. g. ob vanam gloriam: quia finis specificat actum; esse veniale non est dubium. Ratio principalis huius sententiæ illa est, quia veniale peccatum hujus Sacramenti effectum præcipuum non impedit, ut est communis Theologorum assensus apud Suarez *de Euch. disp. 63. sect. 3.* peccatum enim veniale nequaquam opponitur gratiæ: & ex alia parte, non obligantur fideles ad procurandum omnem effectum, quem causare potest Eucharistia, nec ad omnem excogitabilem reverentiam, quam religiosa pietas potest exhibere: si enim ad hoc obligantur, peccatet venialiter Fidelis, nisi cum omnibus actibus, quos moraliter potest, se disponeret, quod tamen nemo dicit: non igitur obligatur se disponere, omne veniale removendo.

10. Suarez *d. 66. sect. 1. § Dicendum in primis*: quem sequitur Delugo *de Euch. disp. 14. sect. 2. n. 31.* putat esse veniale, nisi quando in peccatis actualibus excuseretur quis quod non posset se facilè recolligere, venialéque detestari. Ratio præcipua, quam hic inculcat Delugo, est, quia irreverentia censenda est: cum ejusmodi malis, quamvis levibus, quasi cum veste nuptiali aliquantulum sordida, tanto convivio interesse.

11. Verum enim verò cum certum sit fideles nequaquam obligari ad omnem excogitabilem reverentiam, ut dictum est: deberet probare Delugo ad hanc specialem reverentiam nullas veniales maculas habendi, obligari Fideles: quod Vasquez, spectata hominum fragilitate, venialiumque peccatorum tenuitate, negabit. Utraque igitur sententia probabilitate non caret: quare complectere tutò, quam mavis.

### §. V. *De actuali devotione in sumente Sacram Eucharistiam.*

12. QVamvis per actualem devotionem aptiùs anima disponatur, adeóque majorem gratiam, uberioremque participet, illáque semper sit optanda, & pro virili parte procuranda, tamen, sine actuali devotione, dummodò sit quis in statu gratiæ, ejusdem augmento ex opere operato non frustrabitur. Ita S. Thom. *3. p. q. 79 in corpore*, & *ad primum* quem sequitur Suar. Vasq. alij. Vide Hurtad. *de Euch. disp 8. diff. 3.* unde sequitur minimè peccare, ne venialiter quidem, eum, qui illa actuali devotione carens ritè communicat.

13. Non quod concedimus de industria distractum, ad profana negotia communicantem, immunem fieri à peccato veniali: siquidem ab eo illum liberare non possumus, idque ob defectum reverentiæ debitæ: Christum enim Dominum hospitem recipi anima omnia alia de industria, præter ipsum, vel ad ipsum spectantia cogitante irreverentia est. Sed dicimus actuali illa devotione: saltem involuntariè carentem non frustrari augmento gratiæ ex vi Sacramenti, nec ex hoc capite, venialiter delinquere.

14. Dices Paulò ante, tanquam probabile, concessimus non esse peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum actuali peccato veniali comitanter: ergo multo magis erit probabile, non esse veniale accedere cum voluntaria distractione, quæ frequentissime de materia solet esse indifferenti. Respondeo. Supta diximus non esse veniale cum affectu ad veniale communicare, ad quem affectum habendum non est necesse, ut dum quis communicat, actu ad obiectum illius peccati venialis cogitationem dirigat, ut per se patet. Insuper ibi diximus, quòd communicaturus, non necessariò, sub pœna venialis, veniale excludere obligatur: quia veniale non opponitur gratiæ: & quia, stante humana fragilitate, non probatur ab adversariis hanc peculiarem reverentiam excludendi affectum ad venialia omnino requiri à communicaturo: at nunc docemus omnem distractionem voluntariam esse sub pœna venialis excludendam: & inde id probamus, quia irreverentiam clare olet, recipi Christum Dominum, tanquam hospitem, ab anima voluntariè alia tractante: quare hæc distractio voluntaria videtur immediatè attingere Christi personam, ut ad te venientem, ille autem affectus ad veniale non item.

## §. VI. *De Confessione præmittenda Communioni.*

15. Sive præceptum humanum Ecclesiasticum, ut tenet Ioan. Medina *Codice de Confess. q.17.* Navart *in initio de Pœnit. dist.5. in 3. p. Glossæ, n. 31. & 32.* sive Divinum, ut Suarez, Vasquez aliique apud Delugo *disp.14. de Euch. sect.4 n.69.* communiter meritò tenent; certum est ex Tridentino *sess.13 c.7. cap. 11.* debere, sub mortali obligatione, ante sumptionem Eucharistiæ fieri Confessionem omnium peccatorum, etiam ab eo qui putat se esse perfectè contritum: sic enim habent Tridentini Concilij verba: *Nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere audeat.*

16. Sed quoniam idem Concilium sic paulò post, *dicto cap. 7.* addit. *Modo non desit copia Confessoris: quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit; quamprimum confiteatur.* Ideo dantur casus, in quibus fideles excusantur ab huiusmodi Confessione præmittenda, modo præmittant actum perfectæ contritionis, saltem existimatæ, si conscientia peccati mortalis graventur: ut nimirum sic statum gratiæ Eucharistiam recipienti omninò necessarium, ut supra §.1. diximus, quantum possunt, acquirere conentur.

17. Vt autem hi casus ante oculos ponantur, tres illæ Tridentini clausulæ sunt nobis explicandæ sigillatim. Primò illa. *modò non desit copia Confessoris.* Secundò, *urgente necessitate.* Tertiò, *quamprimum confiteatur.* Hæc enim tria simul concurrentia sunt omnino necessaria, ut cum sola contritione communices, Defectus Confessarij, Vrgens necessitas, & Voluntas quamprimum confitendi. Initium faciamus à primo.

*Modò non desit copia Confessoris.*

18. Si adsit Sacerdos mutus, vel carens iurisdictione, vel nolens audire, vel aliter impeditus; dicitur deesse copia Confessoris. Huc reducitur quando Religiosus habet casum reservatum, & Superior semel, & iterum requisitus negat pio Confessario licentiam, ut illum ab eo absolvat: sive quia Superior vult, ut pœnitens sibi præsententur: sive quia vult, ut petat per alium, cui ipse Superior magis confidit. Docet enim Fagund. *Eccl. præcept. lib.3. cap.9 n.17. & 22. in editione dunensi 1626.* citans D. Thom. Henriq. Rodriq. Silvestrum, aliosque; quod in tali casu dicitur huiusmodi religioso deesse copia confessoris. Ratio esse potest, quod eam licentiam petit per pium Confessarium, est rationabilis causa non confitendi illi quem Superior assignat, facit quantum moraliter obligatur, etc. si non obtinet: perinde est, ac si abesset Confessarius, etc. absolvere. De hoc iterum redibit sermo num. Item si times grave malum, vel revelationem Sigilli hoc, & alius absit, dicitur abesse Confessarius: etc. hoc eventu debes alia mortalia, si ea habes, confiteri iis omissis, propter quæ malum illud times. Sic Delugo *disp.24. de Euchar. sect.5. num.82.* Sola devotio fitendi alteri absenti, vel si tibi adsit privilegiatus, absit tuus parochus, non sufficit ut dicatur deesse fessor. Sic Delugo *ibid. num.16. & ibid.* Suarez Vasquez Mora differendi Confessionem an sufficiat, vide mox

19. Præterea si distet Confessarius tribus à nobis iliaribus; Canus sentit, quod desit: Alij sentiunt etiam tunc, si non singulis diebus, saltem alios esset adeundus. Melius Suarez & Vasquez apud D. *num.83.* docent hoc esse relinquendum arbitrio prudentis, cum dependeat à circumstantiis personæ, temporis difficultatis itineris, &c.

20. Denique illud hic difficile est, & controversum: Quomodo scilicet, qui habet casum reservatum si solum adsit confessarius potens absolvere à non reservatis, urgente necessitate, se gerere debeat. Tres sententiæ. Prima Suar. *disp.66. de Euch. sect.4 casus*, docentis esse probabilius te debere confiteri mortalia reservata, tum non reservata infinita: directè lucraberis absolutionem non reservatorum, reservatorum verò indirectè. Dicit (mortalia) tum præter mortalia reservata, solis venialibus gravatum certum est apud omnes, te nunc ad confessionem obligari: quia pro reservatis non adest Confessarius gitimus, pro venialibus Confessione non indigemus tamen ex Coninch. *de Euch. disp.80. n.10. & 11. disp.8. de pœn. n.107.* si velis, idque, etiam simplici cerdoti nullam habenti approbationem, confiteri scilicet, dum absolveris directè à venialibus (hæc absolvere quilibet Sacerdos potest) indirectè à reservatis absolvaris. Id non esse contra Trid. probat D. *de Euch disp.14 sect.5. n.97.* Quæ sanè doctrina etiam universaliter illos, qui quibuscunque mortalibus gravati, valde difficilem experiuntur contritionem actum; poterunt enim, imò tenentur ex Coninch. *Euch. q.8. n.16. & disp.8. de pœn. n.106.* quando ex timus Confessor deest, & communicare ex necessitate urgente volunt ritè, de venialibus, & mortalibus similli simplici Sacerdoti ea confiteri. Dixi ritè de venialibus, & mortalibus attritio; si enim occurreret; aliquis attritus quidem de mortalibus, & nullo modo de venialibus, sic confitetur; invalidè confiteretur, sacrilegè: nam non accederet dispositus ad Sacramentum: si enim nullam haberet de venialibus sufficientem attritionem; de illis valide non absolvetur unde, nec indirectè de mortalibus, lege quæ mox *in fine num.22.*

21. Secunda sententia ex Vasquez *de Euch. disp. c.2. n.7. & 14. q.91. art.3. dub.9.* Favet. Ioan. Sanch. *lect. disp. 32. n.10.* & Præpositus *3. p. q.80. de Euch.* Hurtad. *de pœn. disp.11. diff.14.* prædictæ Suarij sententiæ admodum contratia. Docet enim illum posse communicare cum sola contritione: non tamen confiteri inferiori, quamvis habeat peccata non reservata. Ratio est, inquit, quia inferior non potest absolvere lide à non reservatis illum, qui simul reservata contitur: siquidem nec absolutio, nec Confessio divina potest. Adde, quod, sequeretur posse confiteri sola reservata, subticendo reservata, quod negabat. Sunt autem hoc sequeretur patet: quorsum enim hic per-

sione reservata illi, qui eorum iudex nec est, nec esse legitimè potest?

22. Tertia sententia est Ioannis Delugo. *de Euch. disp. 14. sect. 5. ibid. n.* 98. qui probabilius putat, te teneri confiteri mortalia non reservata, inferiori, non verò confiteri mortalia reservata. Ratio prioris dicti est, quia tenemur præmittere Confessionem peccatorum integram, quantum possumus: at nunc illa non reservata confiteri possumus. Nec tamen dimidiamus Confessionem formaliter, sicuti non dimidiat Confessionem is qui tacet peccatum Confessario, propter grave nocumentum quod sibi timet, cætera autem rite confitetur. Ratio posterioris est illa eadem, quæ modo dicebatur, contra Sotarium: Ad quid enim peccata reservata huic aperis, qui nullam in illa exercere Iurisdictionem potest? Atque ex hoc sequitur, *ibid. num* 98. quòd potes in prædicta necessitate (nam extra hanc, quia non valet dimidiari Confessio, non potes) simplici Sacerdoti fateri venialia, tacendo mortalia reservata & (ob parem rationem) etiam non reservata, à quibus absolvere talis Sacerdos directè non potest: nam sic indirectè à mortalibus absolveris. Quod est quid commodius quàm illud, quod diximus *in fin. n.* 20. Ibi simplici Sacerdoti omnia mortalia erant aperienda.

23. Quod si obiicias; Qui habet peccata reservata, & non reservata, non potest, ex communissima opinione, confiteri, non reservata Inferioti, & reservata servare pro Superiore: de qua re nos etiam diximus *in Methodo Confessionis lib. 2. c. 10. §. 1 num.* 27. quia non potest dimidiari Confessio: ergo nec poterit in casu nostro. Respondet, doctrinam antecedentis veram esse in habente copiam Superioris: quia certum est non posse dimidiari Confessionem sine necessitate: at in casu nostro necessitas urget, de quo casu necessitatis tota hæc præsens disputatio tractat.

24. Confitmari id potest, quia non ignobiles auctores Suar. *tom. 4. disp. de pæn. disp. 23. sec. 2. n.* 7. Granado *2. p. contr. 7. tract. 9 disp. 5. sect. 3. num* 22. apud summam Diana *V. celebrare Missam, n.* 4. sentiunt, quod Sacerdos vel alius copiam Superioris non habens, potest inferiori confiteri subticendo reservata, ob id solum, ne multum differat Confessionem, vel Communionem: siquidem longa mora (inquiunt) est gravissima necessitas: tum quia est periculum moriendi in peccato: tum quia diu privari Dei amicitia est inæstimabile detrimentum. Advertunt tamen non sufficere, si solùm per unum, vel alterum diem differri oporteat, licet sufficere inclinet Mendoza, 2. 2. *disp. 84. sect. 7. §.* 190. quia una etiam nocte est periculum moriendi: sed non placet: quia etiam in una hora est tale periculum. Si hoc igitur non est dimidiare Confessionem formaliter; nec erit in casu nostro.

25. Hæ tres sententiæ omnes sunt probabiles: quæ tibi commodior cadet, eam amplectitor: semper, ut certum est, cum onere subdendi peccata nondum directè absoluta Confessario potenti ea directè absolvere, quando illius aderit tibi copia. Verùm ad complementum hujus difficultatis aliquid de habente excommunicationem adiungamus.

26. Qui habet excommunicationem sive reservatam, sive non reservatam, nec habet copiam potentis illam absolvere, urgente necessitate, (qualem sine dubio reputat excommunicati dicemus *num.* 44. esse, si instet periculum gravis infamiæ) semel aut bis celebrare, atque adeò communicare posse, cum contritione, & tremore, concedit Henriquz *lib. 8. de Euch. cap.* 47. Alij tamen communiter docent, semper, urgente necessitate, excommunicatum cum contritione communicare posse: atque etiam si sit Sacerdos, sine metu incidendi in suspensionem, vel irregularitatem, posse celebrare. Sic Suarez *de pæn. disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 6. Coninch *disp.* 8. *n.* 107 alios referentes. Ratio est: quia præceptum Ecclesiæ, quæ censuram imponit, non obligat cum tanto detrimento, ut sunt omnia præcepta humana.

27. Sed hic suboritur quæstio, An hic excommunicatus, sicuti potest contritus communicare, sic possit confiteri non reservata, ut ab illis directè absolvatur, & indirectè à reservatis: cum tamen semper ut certum est: remaneat excommunicatus, quia supponimus, non adesse Confessarium potentem liberare pœnitentem à prædicta censura. Negat Vasquez *de pæn. q.* 109 *art.* 3. *dub.* 9. *num* 8. quia excommunicatus, non præmissa absolutione à censura, non potest validè ab ullo peccato absolvi: Concedunt Suarez, *de pæn. disp.* 31. *sect.* 3. *n.* & Sanch *lib.* 2. *in Decal. c.* 8. *n.* 5. quia putant contrarium, hoc est, posse valide absolvi. Utrumque probabile.

Id, quod diximus de habente excommunicationem; dicendum etiam est de suspenso, vel irregulari, urgente enim simili necessitate; possunt celebrare propter eandem rationem. Sic Hurtadus *de Euch. disp.* 9. *diff.* 7. Avila 2. *p. cap.* 8. alios; citans Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3 *p.* 3. *c.* 12 *n.* 6. quia nimirum hæc similiter sunt impedimenta inducta à legibus ecclesiasticis, quæ in eo casu necessitatis non obligant.

28. Petes denique, ille Religiosus, de quo *num.* 18. meminimus, si, modo ibi dicto, non obtinet à Superiore per pium illum Confessarium licentiam; ut absolvatur a casu, vel excommunicatione reservata, potest ne (si instet infamia, ut communiter) confiteri, & absolvi directè à prædicto pio Confessario, vel alio inferiori? Respondeo: posse inclinat Fagund. 3. *Eccl præc. l.* 3. *c.* 9. *n.* 17. *in prædict. impr. Lugd.* ex præsumpta licentia Generalis, vel Papæ. Mihi id difficile videtur, quia rationes, quas affert, quasque latè discentere non est nostri instituti, non sunt tanti ponderis, ut vincant illam efficacissimam, nempè quod talis Inferior, actu caret iurisdictione in illa reservata. Et dum Generalis, vel Papa ratam semper habent talem reservationem; non videtur præsumi eam velle tollere independenter à Superiore, cui reservarunt: & propterea fortasse *in seq. editione*, deleta fuit illa doctrina Fagundez, immo ipsemet se de hoc retractavit *tom.* 1. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 20. *fine.* Ille igitur Religiosus in eo casu, vel se conferat, & communicet: vel, juxta sententias suprà allatas, confiteatur ita, ut directè absolvatur à non reservatis, & indirectè à reservatis, semper cum onere subdendi clavibus nondum directè absoluta, ut dixi *n.* 25.

### *Urgente necessitate.*

29. IN tripleci casu Doctores communiter conveniunt in hac re, adesse urgentem necessitatem. Lege Delugo *de Euch. disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 107. Primò quando instat alicui mors: hic enim, si non potest absolutionem Sacramentalem obtinere; præmissa contritione, potest communicare.

30. Secundò potest item Sacerdos carens copia Confessarij cùm contritione celebrare, atque adeo communicare, ad dandum viaticum alteri, qui existit in periculo mortis, si fortè, aliunde non suppetant particulæ consecratæ.

31. Tertiò potest eadem facultate uti is, qui incurreret infamiam, aut detrimentum nisi communicaret. Ratio horum est, quia, quæ necessitates sunt, si hæ non sunt?

Ium verò quo ad primum; nihil est, quod addere præterea oporteat.

32. Quo ad secundum, advertat curiosus solutionem cuiusdam obiectionis. Cur enim possit omitti confessio à Sacerdote ad dandum viaticum: non possit autem ab eodem; ex receptissima opinione, propter eandem causam dandi viatici, celebrari sine vestibus sacris; vel sine utraque specie; vel, ut multi tenent (de qua re infra *cap.* 2. §. 8. *n.* 32. à non jejuno? & tamen hæc sunt præcepta ecclesiastica: illud, de præmittenda Confessione ante Communionem, participat de Divino. Respondeo negando adesse præceptum vel divinum, vel humanum, vel alio modo, urgente necessitate, ut patet ex citato Tridentino bene perpenso. At, cætera illa præcepta ecclesiastica cum tanto rigore sunt imposita, non autem cum eodem illud de præmittenda Confessione ante

Communionem ; quia in Communione compensatur satis superque reverentia Christo debita per contritionem, per quam anima statum gratiæ recuperat : at in aliis casibus Ecclesia ita iudicante, non est unde reverentia compensetur. Hæc responsio videtur expeditior quam cæ, quas aliqui hic conantur afferre. Lege Delugo *disp. de Euch. 14. sect. 5. à n. 108.*

33. Quo ad tertium casum, in quo sunt duo capita, infamia, & detrimentum, ut magis explicetur, hæc habe.

Primo ex Henriq. *lib. 8. c. 46. n. 3.* potest Sacerdos, præmissa contritione, sine confessione, si absit Confessor, celebrare, quando Missæ sacrificium omittere, sine infamiæ nota, non potest. Quod idem est de Laico vel religioso, quibus, iuxta supradicta, deest copia confessoris, si pari modo non possent absque nota à Communione cessare. Hinc si quis ad altare ante linteum communicaturus mortalis peccati commissi post legitimam confessionem recordetur (quando ex eodem Henriquez non debet à Sacerdote communicante audiri) si recedendo timet notam infamiæ, quam, si coram aliis communicet, moraliter semper timere merito potest, ut docet Villalobos *in Manuali c. 2. n. 24. circa med.* se conterere poterit atque communicare. Quod si ejusmodi peccatum, cuius tunc recordatur, sit ex commissis ante legitimam confessionem, atque adeo indirectè absolutum, dicam infra n. 38.

34. Secundò ; cum Delugo ex Vasq. *de Euch. disp. 14. sect. 5. n. 113.* idem de Sacerdote, qui recordetur se esse in peccato mortali, vel dum vestitur sacris vestibus, vel dum celebrat sive ante consecrationem, sive post : semper enim pari modo, si divertere, minus potest, ut certè ex Henriq. *lib. 8. c. 46. num. 3.* si incepit Missam, numquam saltem propter reverentiam Sacrificij, potest divertere ad quærendum Confessorem ; se conterat, Sacrificium incipiat, vel prosequatur. At si posset (ut in Missa Solemni dum fit concio, vel cantatur *Gloria*) breviter cum suo Diacono v. g. qui esset Sacerdos Confessarius confiteri deberet utique, ex Laym. *lib 5 tr. 4. c. 6. num. 5.* quia tunc cessat excusatio ducta, vel ab infamia, vel ab irreverentia.

35. Quòd si in prædictis casibus recordetur Sacerdos se esse excommunicatum, suspensum, interdictum irregularem ; idem dicendum est sive recordetur post consecrationem, quod communiter admittitur, sive ante, quod multi probabilissimè, concedunt : & rectè Sanctus Bonaventura apud Bonac. *De Euch. disp. 4. q. 6. p. 1. n. 15. & 16.* & apud Coninch. *de Euch. q. 8. art. 5. dub. 2. num. 16.* observat inchoatam Missam semper esse perficiendam, quia ferè nunquam omitti solet sine scandalo, hoc est sine nota ; adde, & sine irreverentia.

39. Alium casum ponit Zambranus, *de Sacr. pœn. c. 4. dub. 6. num. 6. & 7.* in quo utimur hac doctrina, propter notam, vel infamiam. Etenim, si vocetur Sacerdos ad communicandum infirmum, qui dicat se velle reconciliari, inveniaturque pluries Sacramentum Pœnitentiæ invalidè suscepisse, vel quid simile, unde Confessarius, brevi illum expedire, atque absolvere non valeat, quid agendum ? Enim verò, si ægritudo eò periculi pervenerit ut mors iure timeatur ; præmittenda est confessio breviuscula, cumque accusatione generali absolvatur, communicetúrque infirmus hac lege, ut promittat se vocaturum Confessarium cum quo confessionem perficiat. Quod si morbus non id periculi afferat, nec per illam brevem moram confessio absolvi queat, non est præmittenda confessio, sed cum contritione, parique dicta promissione accersendi Confessarium, communicetur. Ratio prioris dicti est, quia si evitantur incommoda, dum infirmo non negatur communio, cessat infamiæ nota ; præmittiturque confessio, tunc, moraliter possibilis. Ratio posterioris est, quia ex una parte non est necessitas præproperæ seu dimidiatæ confessionis, & ex alia scandalum seu infamia vitatur. Hæc probabiliter ex Zambrano.

37. Quod dictum est de infirmo, extendit Granado *in 3. p. contr. 7. disp. 5. sect. 3. num 20.* ad quemlibet communicare, atque adeo celebrare volentem. Si enim non potest omitti Communio, sine scandalo, & alia cessitas confessionis adeo longæ, ut tunc peccet sit, posset præviteps communicare præmissa con Immo probabile iudicat, si contritio, propter cultates timeretur non elicienda ; posse attrito sionem dimidiatam præmittere, cum onere post postea confessionem, & absolvi, ac communicar propter paritatem rationis, erit etiam probabile firmo modo dicto *in fine numeri præcedentis* nati poterit ex dictis *n. 20 & 23.*

38. Hæc pertinent ad caput infamiæ. Sequu quæ pertinent ad detrimentum, sive spiritu temporale.

Tertiò igitur, ut in die Festo alij Missam audi parochum : sive non parochus potest cum contri desit Confessor, celebrare : idemque erit, ut ipse cerdos satisfaciat præcepto de audiendo sacro. quia Ecclesia mater, & Dominus misericors Pate non iudicantur velle eos privare bono Sacrifici eo die, quo ipsa sub obligatione præcipitur. Nu vis opinio contraria sit probabilior : quia non atte relinquente tunc Missam notabile damnum : & præceptum de audienda Missa non obligat, nil modo, hæc tamen saltem propter authoritatem eam Doctorum eam approbantium, cum Delugo *de Euch sect. 5. n. 114.* Fag *præcep. 3. lib. 3. c. 9. n. 3.* lis est. Non obligatur autem in tali Casu Sacer celebrare : quia potest tenere prædictam opinio quando non possit : sicuti in simili dicemus n.

39 Quid de illis qui celebrant ex onere capel vel ex indigentia eleemosynæ ad sui necessitatem stentationem. Aliqui cum Bonacina *disp. 4. de Eu q. 6. p. 1. n. 23.* ad hos etiam extendunt hanc facu celebrandi sine confessione, cum contritione, si Confessor, etiam cessante notæ periculo, quia adesse sufficiens necessitas, Advertit tamen dicen cina *id esse cum grano salis intelligendum : nec tenu tia facile concedenda : tum quia onera Capellaniæ guntur data sub debita decentia, & poterit illis mo stea, vel per se, in statu gratiæ, vel per aliam tum quia poterit aliunde ille Sacerdos sibi de providere.* Hæc ille. Ego sanè in habente onera M sufficientem necessitatem non agnosco : in Sac inope, tùm demum agnoscerem ; cum agretur trema vel certè multum gravi necessitate.

40. Vt observet quis præceptum Communion châlis, uti potest prædicta facultate. Ita Henr. *l. 8. c. 26. n. 4.* Coninch. *disp. 80. de Euch. n. 17.* quia fest necessitas iudicanda est, saltem semel in anno, Div cibo nutriri, ac refici, & sine controversia mai Missæ interesse die festivo.

41. Sed age iam, si potest, debetne ? Exhi Doctorum sequitur debere : in tantum enim ex tur ab observando præcepto Communionis ; qui non posset : Sed iam potest : ergo non excusatur. V simili Ludov. à Cruce *in exposit. Bull. Cruc. disp. à n. 5.* Ex alio capite, sic, obligaremus illum ad dam contritionem, quæ satis difficilis est : nec nenda nova onera Fidelibus, sine evincentibus bus, sunt. Propterea iudico non esse improbabil posse quidem, sed nequaquam obligari.

42. Adde, quod Suarez apud Delugo. *disp. Euch. sect. 3. n. 11.* tenet probabilius esse, quod non sit, pedum, quod non debeat : quia lex, inquit, ad Communionem, nisi quando hæc debito modo haberi potest. Quæ quidem opinio cum viri, & tam bona ratione firmata, probabilis est quilibet, & multo magis ille, cui difficilis est conterere ; sequi poterit hanc Suarij opinionem Communione se continere : sicuti in simili *num. 38.*

43. Denique, quid dicendum ut observat rum, aut præceptum merè humanum ?

Dico cum Delugo *ibid. num. 117.* non posse ex

capite Ratio est, quia vota, vel præcepta merè humana non nisi de rebus intelliguntur, quæ modo debitò, legitimòque possunt impleri. Adde in his non adesse necessitatem illam, quam spectavit Ecclesia in communione Paschatis: spectavit enim necessitatem cibi, alimentique spiritualis, non cuiuscumque; sed ejus, de quo Christus Dominus cum tanto rigore dixit? *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Nam propterea nos modo notanter addidimus illam vocem (merè humana) & similiter præceptum de audienda Missa, ex probabiliore sententia, non afferre tantam necessitatem iudicavimus supra *num.* 38.

44. Petes, hæ necessitates sunt ne etiam respectu excommunicationis. Respondeo, Coninchius sentit maiorem necessitatem requiri ad communicandum in excommunicato, quam in mero peccatore: quia Ecclesia expressè excommunicatum arcet à communione. At verò Vasquez *de Euch. disp.* 208. *c.* 3. *n.* 13. quem sequitur Delugo *de Euch. disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 104. dicit se non invenire differentiam: immò, si qua esset, maius impedimentum afferre peccatum, quod inducit impedimentum de iure divino, quam afferat excommunicato, quæ de iure Ecclesiastico.

Dico in hac sententiam, Ecclesia prohibet excommunicato ne communicet, nec celebret. Quando ergo talis prohibitio non obligat, poterit communicare, vel celebrare: quando obligat, non poterit. Quoniam igitur quando instat grave nocumentum non obligat (quale fine dubio in omnium sententia est instans mortis, gravis infamia, & Missa inchoata) poterit celebrare, vel communicare deficiente Confessario, cum Contritione. At quia in aliis casibus, præter hos tres dictos, non apparet regulariter grave damnum, tale, quod excommunicatum eximat à prohibitione communicandi, vel celebrandi, ideo nequaquam poterit.

### *Quamprimum confiteatur.*

45. QVi, urgente necessitate elicito contritionis actu, sine confessione communicavit; exploratum certumque est suo tempore, hoc est regulariter, vel ante aliam Communionem, vel quando urgebit necessitas implendi præceptum de annua confessione, habita copia Confessoris, debere sua peccata mortalia subdere clavibus. At quia loquens Concilium de communicante sine confessione, urgente necessitate; addit Confessionem Sacramentalem quamprimum postea esse faciendam: ideo id nunc explicandum erit.

46. Et primò quidem, hoc sive præceptum, sive consilium, non extendi ad laicos, immo nec ad Sacerdotes extra Missam communicantes, certum sit. Ita Suarez *de Euch. disp.* 66. *sect.* 7. Vasq. *de Euch. disp.* 208. *c.* 3. *n.* 23. Ioan. Sanchez *in Sel. disp.* 32 *num.* 12. Ratio est quia Concilium cum universaliter in præcedentibus, pro omnibus fidelibus, locutum fuerit; deinde subdit in hanc sententiam: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Nota illud *Sacerdos*, & illud *celebraverit*. Ratio etiam existit congrua: siquidem maius periculum indignè accedendi subest in Sacerdotibus, qui quotidie celebrare solent, quàm in cæteris.

47. Deinde estne id præceptum latum à Tridentino an consilium dumtaxat? si prius, Sacerdos quamprimum non confitendo, peccabit: si posterius, non item.

Theologi communiter (præter duos, vel tres mox adducendos *num.* 48.) Suarez, Vasquez, Reginaldus Coninch. Filliucius, Hurtadus, Bonacina, quos Ioan. Sanctus *in Select. disp.* 32. *num.* 12. sequitur, citatque: quibus adde Castropalaum, *de legib. disp.* 1. *p.* 9 *n.* 3. *fine*, ac Delugo *de Euch. disp.* 14. *sect.* 7. *init.* asserunt esse præceptum sub mortali. Et Delugo quidem id confirmat duabus rationibus. Primò quia in hoc sensu præcepti videntur hæc Concilij verba explicari in regulis Missalis Romani: in quo, pro illis verbis, *quamprimum confiteatur*, ponuntur hæc *quamprimum debet confiteri*. illud autem *debet*, clarius (inquit Delugo) exprimit obligationem, Secundò quia si ea Concilij verba præceptum non continent; idem esset dicendum de plerisque præceptis, quæ ab eodem Trident. in decretis de reformatione, per similia verba, ponuntur. Immo non aliis verbis impositum fuit præceptum annuæ Confessionis, Cap. *omnis utriusque sexus, de pœn. & remiss.* Hæc ille.

48. Nihilominus aliqui non agnoscunt in his verbis præceptum obligans, sed solum consilium pium, piamque adhortationem; & ad summum, si est præceptum esse solum putant sub veniali. Ita tenet Petrus Ledesma *in Summa de Euch. p.* 1. *c.* 11. *ante* 9 *conclusionem* & Henricus Villalobos *in Summa p.* 1. *tr.* 7. *diff.* 37. *n.* 7. & *in Man. c.* 4. *n.* 24. *circa finem.* quibus possem libenter addere Stephanum Fagundez *præcep. Eccl.* 3. *tr.* 3. *l.* 3 *c.* 8. *num.* 9. qui, quamvis in his Concilij verbis obligationem noscat, tamen illam particulam *quamprimum* ita intelligit, ut dicat, Sacerdotem postea posse confiteri, quando voluerit iterum celebrare, etiam si id fuerit post duos, vel tres menses: paremque in hoc facit Sacerdotem cum Laicis: utrique enim ante novam Communionem præmittere confessionem debent. Meritò ergo connumetare hunc authorem possem inter eos, qui ejusmodi præceptum non agnoscunt: cum obligationem, quam ait se agnoscere, ita explicet, ut in praxi vix agnoscere videatur. Scio à Ioan. Sancio *disp.* 2. *cit. n.* 12. absolutè citari Stephanum Fagundez pro sententia Ledesmæ, & Villalobos: sed, si attente Stephanum legas; adverres ab ipso supponi quidem præceptum, sed dicto modo explicari.

49. Equidem non possum priorem sententiam agnoscentem in illis verbis præceptum sub mortali, non fateri probabilem esse, eio tamen, & hanc non agnoscentem esse probabilem.

Primò, quia illud imperativum *confiteatur quamprimum*, solum esse videtur exhortatio: cum enim potuerit Concilium uti graviotibus verbis imperium explicantibus, ut v. g. iubemus, præcipimus &c. tamen ab hujusmodi præcipiendi rigore se temperavit. Signum ergo est verè non imposuisse præceptum. Adde, quod Doctores quærunt universaliter, an verba imperativi modi, & in actu exercito præceptum indicantia, absolutè prolata, præceptum contineant, qualia sunt: Facite, solvite, abstineant omnes, nemo audeat, & his æquipollentia. Et primò sunt aliqui qui putant probabiliter, hæc nequaquam continere præceptum, sed consilium. Sic Caët. Castro, & Carbo citati à Castrop. *de legib. disp.* 2. *p.* 9. *num.* 3. Alij Secundò prubabiliter censent quidem præceptum continere, sed solum sub veniali, non autem sub mortali. Sic Navarrus; Sayr, citati *ibid.* ab eodem. Alij denique Tertiò probabiliter item dicunt prædicta imperativa verba, tunc solum præceptum indicare sub mortali, quando sunt in materia gravi. Sic Th. Sanchez, quem citat, & sequitur idem Castrop. *ibid.* nec alias opiniones probabiles invenies de hac re. Iam, si sequamur primam opinionem; sanè in re nostra hoc est, in illo *confiteatur quamprimum*, non inveniemus nisi consilium. Si sequamur secundam; non erit nisi obligatio sub veniali. Si sequamur tertiam, non erit mortale: quia ut probavimus mox *num.* 54. materia in casu nostro, non est gravis.

50. Secundò. In casu dubio, an verba aliqua legis præceptum obligans importent, an consilium; tanquam regulam certam ponunt Doctores reputanda esse consilia, & non præcepta. Et ratio est, quia cum lex sit gravis, & onerosa, semper in benigniorem subditorum partem est intelligenda. Adde, quod in dubio melior est conditio possidentis; ergo in dubio, lexne sit obligans, an non obligans; melior erit conditio humanæ libertatis, quæ à tali obligatione immunis est: ergo obligans non erit. Ita Sanchez, *lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. *num.* 66. Castrop. *disp.* 1. *de leg. p.* 9. *num.* 1. aliique. Et generaliter quoties verba legis intelligi possunt de obligatione veniali, non debent ad mortale extendi: quia semper in

dubio, & in pœnis benignior interpretatio facienda est *l. interpretatione, & l. si Præses ff. de pœnis. c. in pœnis de reg. iur. in 6.* traditque Sayrus *lib. 3. clavis, c. 7. num. 29.* & Sanchez *ibid. n. 66.* His ex doctrina eorundem, qui in nostro casu nobiscum non sunt, positis, sic subsumo: Illa verga Concilij, *quamprimum confiteatur*, dubia sunt, an importent præceptum, an consilium, ergo consilium. Rursus eadem verba possunt commodissimè intelligi de obligatione veniali: ergo non de mortali.

51. Tertiò, quia optabile est, ut enixè optat Navarrus *in Summa c. 23. n. 62. in fine*, à legislatoribus neminem obligari ad peccatum: & iuxta tot humanas leges sub præcepto obligantes diminuere, ne tanta præceptorum multitudine Hebræis peiores efficiamur, quare hoc, de quo agimus præceptum, etiam diminuere operæ pretium est. Nec Navarri solum est ejusmodi desiderium, sed S. Augustini, sed S. Thomæ: equos autem Doctores, quæ sapientiæ lumina nomino, cum hoc appello? Audi Sanctum Thomam *p. 2. q. 107. art. 4. in corp. In quibus quidem legibus humanis, etiam Augustinus q. 119. c. 9. ait esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur.* Hæc S. Thomas Et *paulo post* tolerabiliorem vocat Iudæorum conditionem quam illius Ecclesiæ, in qua legum moderatio non adest.

52. Nec obstant rationes in oppositum *n. 47.* adductæ. Non prima: quia scilicet Missale Romanum loco illius *quamprimum confiteatur*, habet *quamprimum debet confiteri*: non obstat inquam. Primò, quia ipsemet Delugo *in eodem tomo de Eucharistia, disp. 20. sect. 4. n. 104.* ait Missalis Romani rubricas, regulas, seu dispositiones non obligare ad mortale, nisi aliquod contineant, quod vel ratione materiæ, vel aliunde grave sit. Secundò, quia quamvis Vasquez & Sanchez adducti à Castrop. *disp. 1. de leg. p. 9. num. 2.* doceant per illud verbum *debet*, importari in legibus necessitatem præcepti mortalis, tamen aliqui quos tacito nomine citat idem *ibidem*, negant, & solum per illud concedunt importari debitum convenientiæ, & honestatis. Secundum hos igitur Doctores, verbum illud *debet confiteri* in Missali positum, obligationem mortalem minimè denotabit. Sane, quod hoc verbum *debet* non indicet grave saltem præceptum, inde mihi persuadeo: quia invenire solidum discrimen ignoro, cur verbum *oportet*, non ostendat obligationem gravem, ut docent ipsimet Vasquez, Sanchez, quos citat sequiturque Castr. *de leg. disp. 1. p. 9. n. 2.* ostendat verò illud verbum *debet*? Nonne perinde est dicere *oportet quamprimum confiteri*, ac *debet quamprimum confiteri*; Rationabilius ergo, licet minus verè; aliqui apud Sà *v. lex. n. 6.* & apud Sanchez, *lib. 6 in dec. c. 4. n. 37.* tum illud *debet*, tum illud *oportet* gravem obligationem æquè importare existimarunt.

53. At, inquies, cum adversariis, quos citat sequiturque Bon. *disp. 1. q. 1. p. 7. §. 4. n. 9* de levitate verbi *oportet* colligimus ex sacris litteris; & Canonibus. Instar omnium sit illud Danielis 3 *non oportet nos de hac re respondere tibi*: & illud *distinct. 4. canon. Non liceat* ubi dicitur, *non oportere Clericos, vel Religiosos prandere ante tertiam*, Egregiè, nam ego etiam de levitate verbi *debet* colligo ne longius abeam, ex *sequenti dist. 5. can. ad ebur.* in quo dicitur: *Mulier nisi purgationis dies transeant, viro suo admiscri non debet*: ubi non nisi consilium, seu debitum ejusdem convenientiæ, & honestatis, & non præcepti significatur, ut ipsemet Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 22. n. 11.* cum aliis meritò docet. Rursus ex *dist. 1. cap. vestimenta*: ubi Pontifex de vestibus Ecclesiasticis sic dicit: *quæ neque ab aliis debent contingi aut fieri nisi à sacris hominibus* Quem textum expendens Suarez *de Euch. disp. 81. sect. 8. §. Tertium exemplum*, sic habet *Quæ verba, aut præceptum non continent, quia illud verbum* (non debent) *non videtur in rigore significare obligationem sed decentiam quamdam* (*aut non intelliguntur, &c.* Et in sacris quidem litteris per idem verbum *debet* convenientiam, decentiamque notari, solemne est: Matth *c. 3. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*, Ioannis *13. & vos debetis alter alterius lavare pedes*, Tobiæ *Te non debuimus dimittere ire à nobis*: & similia.

54. Neque urget secunda ratio, quatenus docet, si illa verba *quamprimum confiteatur*, non tinent præceptum idem fore dicendum de aliis præceptis, quæ sub hac forma indicuntur & de illo annuæ confessionis, *semel in anno confi* Non urget, inquam, nam cætera præcepta prolata hac forma, si gravitatem mortalem continent est ex verbi, sed vel ex materiæ gravitate, vel ex cta pœna, ex aliis capitibus: de quibus quæ sint signa prohibitionis mortalis, disputatur in *de legibus*, & nos aliqua afferemus *in 3. Opusc. de ficie. Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 8.* Id, quod etiam patet in codem exemplo allato à Delugo de annua confessi quæ & ex se est res multum gravis, & habet al gravem pœnam. *Alioquin* (sunt verba citati Co *Omnis utriusque sexus*) *& vivens ab Ecclesia in arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* In autem nostro, nec ulla prorsus additur pœna, ejus materia admodum gravis benè perpendenti ret. Quid enim magni ponderis habet, ut qui jam Contritione communicavit, atque adeo pie prudenq̃ censetur esse in statu gratiæ, tam citò ad Confi rium confugiat, solum ut subdat clavibus illa pœnæ quæ, iam sive ex Contritione, sive ex Sacramento fide susceptò esse remissa supponuntur. Præstabit id ne ullo inconvenienti, suo tempore: solum autem filio bono, sanctoque statim in reverentiam Sacr peracti. Id quod indicare duntaxat rectè voluit Trid tinum. Verùm contra nostrum institutum hæc quantulum spatiatos esse, sit satis.

55. Demum igitur superesset hîc discutiendum, hoc Tridentini dictum intelligatur de Sacerdote bente copiam Confessoris, sed ex mera malitia, fessione, celebrante. Item, an de Sacerdote qui ceptam Missam recordatur se esse in peccato Præterea an de Sacerdote peccante intra ipsam & de aliis similibus casibus. Vt etiam ad quod se extendat illud *quamprimum*, ad duos, ad ares, résne dies quæ omnia fusè apud Doctores in quo nem adducuntur apud Delugo *de Euch. disp 14. s* Sed quoniam nos probabile duximus, hoc non esse consilium; illa quærere superfluum existimamus: enim verbo quæstiones omnes amputavimus: Ad ex obligatione teneris.

## §. VII. *Quando debet elici actus Contritionis de re Laico, sive Sacerdote, qui urgente necessitate, sine confessione ad Eucharistiam accedit.*

56. DE Laico non difficultas; satis enim est si ciat immediatè ante ipsam sumptionem, & sumptio, seu manducatio substantialiter sit cum deglutimus, seu traiicimus, non autem dum ille est ore quando solum initiativè est sumptio: ideo probabilissimum puto, satis esse, si actus contritionis fiat in ore habetur Sacratissima Hostia. ita Delugo *de Euch. disp. 12. sect. 2. n. 29.* Hurtadus *de Euch. disp. 8. dis* aliique. Certum tamen est peccare eum, qui sine determinatione eliciendi actum Contritionis, accedit: deinde mutatus se iustificet. Imò addo eum, qui intentione se per contritionem iustificandi intra morulam, qua Sacratissima Hostia est in ore, commeat, difficulter non peccaturum: quia in magnum periculum actum contritionis eo brevi tempore non eliciendi, se volens coniicit. Vsui tamen erit doctrina data in aliquo raro casu, quo receptus in ore Christus Dominus forte ipso divino tactu peccatricem illam animam illuminare, atque convertere non dedignabitur.

57. De Sacerdote videtur maior aliqua difficultas, si post inceptam Missam, se esse macula mortali sordidum recordatur. Respondeo tamen facilè ex Delugo *disput. 14. de Euchar. sect. 6. numero 134.* debere actum contritionis

contritionis elicere ante consecrationem, & aptissimum tempus judico dum est in *Memento* si peccati recordetur ante illam, si vero post consecrationem peccatum in mentem veniat; satis erit, si sese conterat immediatè ante consumptionem. Ratio utriusque est, quia præceptum existendi in gratia urget quando conficitur, & quando suscipitur Sacramentum.

58. Dices. At Sacerdos post consecrationem, ante consumptionem, necesse habet tangere Sacratissimum Christi corpus. Respondeo, quamvis aliqui in peccato mortali illud attingere, mortale propter irreverentiam esse autument: probabilius tamen est cum Hurt. *de Euchar. disp. 9. diff.* alii sque, non esse, nisi ad summum veniale. Ratio est, quia non est censenda tanta irreverentia, ut ad mortale pertingat.

59. Confirmatur, quia quamvis nonnulli cum Layman. *lib. 15. cap. 5. num. 8.* asserant Sacerdotem mortali crimine deturpatum mortaliter delinquere, si Eucharistiam Fidelibus portigat; tamen aliqui meritò id negant ut Vasq. quem citat & sequitur Delugo *disp. 18. de Sacrament. in com. sect. 9.* quia tunc Sacerdos non conficit Sacramentum, sed solum dispensat consecratum, ad quod tanta dignitas nequaquam requiritur. Idemque est de Diacono, quando ex speciali Sacerdotis commissione, Sacram Eucharistiam aliis porrigit: siquidem tunc non conficit, sed solum dispensat. Si ergò probabile id est, quanto magis probabile fiet mortalem culpam non esse, solum attingere?

### §. VIII. *De eo qui ante Communionem recordatur peccati indirectè absoluti.*

60. COnfitetur, exempli gratia, quis ritè peccata, cui tamen à confessione in mentem redit aliquod grave à se commissum, quod, ex inculpata oblivione, confessori non aperuit; hinc obligabitur sub mortali, ante Communionem præmittere actum Contritionis, si ei desit copia Confessarij. Rursus obligabiturne, si Confessorem in promptu habeat, talis peccati obliti confessionem ante eandem Comunionem præmittere: Vel si non habeat, solúmne urgente necessitate, an verò etiam, illa non urgente, communicare poterit.

61. Ad primum: ex Delugo *disp. 14. de Euch. §. sect. 6. n. 111.* si dolor, sub quo facta fuit hujusmodi confessio, non fuit universalis de omnibus peccatis, vel ex motivo universali, quod se extenderet ad hoc etiam peccatum, certum videtur, quod debeat elicere actum contritionis involventis hoc peccatum: siquidem hoc nondum tractatū, non potuit, nè indirectè quidem remitti, neque adeo remanet in pœnitente necessitas se justificandi. At si fuit universalis, vel ex motivo universali, non obligabitur ad novum contririonis actum: quia jam statum gratiæ per remissionem indirectam prædicti peccati obliti, & directam aliorum, quæ fuerunt Confessori manifestata, recuperavit.

62. Ad secundum: propter eandem rationem, primo aspectu, videtur nec obligari ejusmodi pœnitentem ad præmittendam confessionem, nec indigere necessitate urgenti, ad hoc, ut sine confessione communicare possit: præmittitur enim confessio, ut dignitatem gratiæ communicatutus acquirat: hic autem per confessionem prædictam gratiæ ornatum obtinuit: & ex alia parte præceptum de præmittenda confessione ante Communionem, jam observavit. Hoc ergo peccatum, quod menti de novo fuit oblatum, suo tempore, post peractam Communionem, subdi clavibus ab ipso potest. Sanè, ita primò, ut dixi, aspectu, ex vi argumenti, dicendum esset. Et ita probabile esse docet novissime Hier. Fer. *d. p. de scand. tota. q. 80.* adducto etiam pro se P. Corneio: poterat item adducere Reginaldum & Præpositum, quos eos reprobans, adducit Diana loco mox citando: nisi obstaret praxis Fidelium, ex qua colligimus cum Delugo *ibid. 3. num. 116.* præceptum de præmittenda ante Communionem confessione, non esse solùm de præmittenda confessione integra formaliter, sed etiam, uti advertimus, materialiter. Adde eam opinionem fuisse expunctam ut refert Diana *p. 9. tract. 3. resol. 4.* in Indice Expurgatorio Hispanico à Corneio. Imò per edictum particulare reprobatam, ut refert Carpensis apud Dianam *ibid.* Quis igitur contra hanc censuram ire securus velit.

63. Solum eos liberandos à præmittenda confessione talis peccati obliti censeo, qui vel actu celebrant, vel ante altare ad linteum communicaturi expectant: hos enim, etiamsi nullam notam infamiæ incurrant; non obligo ad recedendum, quamvis brevi reversuros. Sic Henriq. & Victoria apud Fagund. *3. Eccl. præcep. lib. 3. cap. 9. num. 14.* Ratio est, quia ex una parte irreverenter se gererent inchoatam quasi actionem, sine clara necessitate, relinquendo: sicuti non bene moratè se gereret, qui invitatus à Rege, ubi sedit ad mensam, vellet, vel ad breve tempus, recedere: & ex alia parte, non apparet clara necessitas: quia hic jam est justus, benéque dispositus propter absolutionem indirectam talis peccati. Et adverte quod idem non tenebitur actum contritionis tunc elicere: quia jam, ut diximus, justus est: solum igitur habeat voluntatem illud oblitum suo tempore clavibus subdendi.

### §. IX. *An peccata negativè dubia sint ante Communionem, necessariò Sacerdoti aperienda.*

64. QUale sit hoc dubium negativum, dixi *in Methodo Confessionis, lib. 2. cap. 1. §. 3.* Et quidem esse huiusmodi peccata mortalia dubia necessariò clavibus subiicienda *ibid. num. 84.* resolvimus: ubi solum scrupulosos, & timoratos excusavimus, quia pro his peccata dubia pro nullis habenda sunt. Quoniam igitur ante Communionem sunt manifestanda Sacerdoti omnia ea peccata, quæ necessario clavibus subdenda sunt, cum talia sint peccata dubia, erunt etiam & ipsa ante Communionem, aperienda: esto pariter à tali onere eximi debeant prædicti scrupulosi. Dixi (*ex posteriore sententia*) nam in priore docente, dubia peccata non esse sub obligatione confitenda, hæc præsens quæstio locum non habet, si enim ea non essent absolute confitenda, nec essent confitenda ante Communionem.

65. Verum negari non potest omnes Auctores sentire in aliquo casu ad id non teneri habentes aliquod peccatum dubium. Nimirum, cum deponitur dubium: vel ex probabilibus rationibus, aut etiam ex aliqua ignorantia invincibili.

66. Sed obiicies contra hanc limitationem: Nam si in aliquo casu non tenemur ante sumptionem Eucharistiæ peccata dubia fateri, sequitur, quod neque absolute obligamur eâdem clavibus subiicere: quod tamen falsum censetur, tum ex universali praxi Fidelium, tum ex efficacibus rationibus aliàs in Methodo Confessionis à nobis allatis. Respondetur tamen sequelam esse falsam, eo quod in eo casu, in quo deponitur dubium, accedimus ad Eucharistiam sine ullo dubio.

67. Obiicies iterum, quia si quis dubius aliquius peccati mortalis reciperet Eucharistiam, etiamsi deponat dubium, exponit se periculo peccandi mortaliter, si fortè re ipsa illud peccatum ipsi dubium, sit coram Deo certum: quia irreverenter se geret. Sed responderi potest hanc non fore irreverentiam mortalem, quia non est contra, dispositionem requisitam à S. Paulo dum dicit. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. &c.* quam dispositionem Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* explicat de peccatis, quorum quis sibi conscius est qualia non sunt dubia practicè, deposito dubio. Quod autem major reverentia sit, ea dubia ante Communionem confiteri, sanè fatemur, sed non obligari nos totam, possibilem reverentiam ad hoc Sacramentum afferre. *supra §. 4. n 9.*

68. Addimus deinde, hoc esse verum; non solum

cum quis sibi persuadet se non esse in peccato mortali, deponendo practicè dubium, sed etiam, si quis putat ex ignorantia aliqua invincibili licere sibi sine mortali peccato cum illo dubio recipere hoc Sacramentum: id enim non erit irreverenter formaliter, sese gerere in recipienda Eucharistia, & evitabitur peccatum. Quod si illud peccatum dubium, sit certum coram Deo, esto quod fortasse non recuperabitur gratia, satis tamen hic nobis est, quod non committatur novum peccatum, ut in simili dicemus *infra* §. 10. *n.* 17.

69. Denique id ipsum affirmamus si hic dubius de suo peccato dubium præcticè deponendo, eliciat actum contritionis, & postea communicet: jam enim ex una parte non se gerit irreverenter, quia putat se esse in statu gratiæ, & ex altera parte non obligatur ante Communionem fateri peccatum dubium, cujus (in casu posito) non est ullo pacto conscius.

70. Quare hominem habentem dubium alicujus peccati mortalis, sine ullo periculo peccandi existimo accedere posse ad Eucharistiam, etiam non præmissa confessione in casibus explicatis: puta cum deponitur practicè dubium vel per ignorantiam invincibilem creditur id esse licitum.

### §. X. *An sit casus, in quo communicare quis, sine confessione, & etiam, sine contritione, atque adeo in peccato mortali possit.*

71. HVc facere videntur ea, quæ *num.* 36. & 37. diximus de non potente elicere actum Contritionis: cui nihilominus dimidiatam confessionem exhibere concessum sit: sed tamen fortior nunc est casus: agimus enim de eo, qui nec contritionem eliciendi virtutem habet, nec confessione ulla, etiam dimidiat, agaudere potest.

Tam benigna sunt viscera Misericordiæ Domini, ut non dedignetur excusare aliquando pervicaciam nostram. Invenio enim unum, vel alterum casum in quo quis purissimam Communionem, & peccato sumere, sine peccato possit.

72. Etenim, ex supractis constat, Sacerdotem qui, incepta bona fide Missa, recordatur se mortalis culpæ reum, debere elicere actum saltem à se existimatæ Contritionis. Sed jam si non possit, seu experiatur actum illum sibi valde esse difficilem, quid agat? Confiteri non potest, conteri nequaquam valet, Sacrificium inchoatum relinquere, ob infamiam inde sibi resultantem, difficillimum est. Quid ergo ab anima sic affecta superest extorquendum? Probabile esse ex aliquorum sententia judico, hunc non peccaturum moraliter si cum huiusmodi conscientia peccati mortalis, & cum eo dolore, quem tunc potest elicere, Missam prosequatur, consecret, communicetque. Ita Vasq. *de Euch. disp.* 207. *cap.* 1. *n.* 34. Hurtad. *disp.* 9. *de Euchar. diff.* 1. Delugo *de Sacr. d.* 9. *sect.* 1. *num.* 8. Ratio est, quia præceptum dignè communicandi non videtur tam arctè Fideles astringere, ut cogat Sacerdotem, cum tanto suo dedecore, ab incepto sacrificio discedere. Tunc autem huiusmodi Sacerdos non acquireret gratiam, sed tamen non peccabit.

73. Idemque erit de Laico, qui jamjam recepturus sacram sinaxim ante linteum, nec sub aliquo prætextu sese removere valens, peccati mortalis recordetur, nec conteri possit. Ita *ibid.* Par enim est ratio. Notent hanc doctrinam scrupulosi, animoque semper timidi: Vt notat pro scrupulosis S. Bonavent. apud Bonacin. *disp.* 4. *de Euch quæst.* 6. *p.* 1. *num.* 19.) qui, quamvis verè eliciant Contritionis actum; nunquam tamen se elicuisse sibi persuadent.

74. Quid si Sacerdos, de quo loquimur, posset unoex sequentibus modis ab incepto sacrificio desistere? Nam si esset v. g. in Sacello privato, Missæ ministro puero solum assistente, à quo notam pari non esset valdè laborandum, cum sine gravi infamia ab Altari sese subducere facilè posset, obligantur ne se subducere? Deinde si posset deliquium simulare, vel quid simile, illum similem fictionem obstringemus.

57. Respondeo ad ejusmodi deliquij prætextare illum non posse: quia est remedium minus ordinarium, ac pluribus inconvenientiis obnoxium, quod non tenemur: illud de puero sic tempero, ut posset Sacerdos de illo sic quocunque alio ministrare, speuque haberet, intra tempus competens colligendi, atque adeo se conterendi, existimet Sacerdotem vel non curare Missam aliquantulum dere, vel aliò, si facilè posset, ministrum, intra competens tempus, reditum, remittere: relinquere Sacrum nullo modo approbo. Ratio est, quia in modo salvatur infamiæ nota, in posteriore non nam ministrat, quamvis unicus, & licet puer, posset obloqui contra Sacerdotem sacrificium impentem. Multo magis id non esset faciendum, sacratione, ne sacrificium imperfectum relinquere

76. Jam vero alium casum afferunt Doctores, *disp.* 14. *de Euch. sect.* 1. *num.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* *sine*, in quo excusatur à sacrilegio peccator, si nicet. Nam si v. g. irruente Paganorum, vel Hetum multitudine in Ecclesiam, timeretur Sacrilegium Eucharistiæ contemptus, tunc Fidelis quicumque stens in mortali, nec illa subita irruptione potens facilè conterere, posset, imò addo libens, quod ad vitandam injuriam, quæ timetur tanto Sacrilegium illud assumere: sicut etiam posset, deberetque non nus. Imò ex Vasq. apud Delugo *de Euch. d.* 5. *num.* 87. & Laico Sacratissimum Christi Corpus idemque instar Mariæ Scoticæ Reginæ, (de qua Delugo *disp.* 58. *sect. n.* 15.) suis se manibus comre, sine ulla hæsitatione, in similibus casibus liet

### §. XI. *An liceat Laico quotidiana Communio.*

77. HVc reducimus difficultatem hanc, quia al munionem adeo frequentem magna certe tualis dispositio requiritur.

Jam, licere Communionem quotidianam Laico, uxorato, imò eam vetare illi nec Confessarium, periorem posse: quia eam Christus Dominus, qui peccati mortalis sibi conscij non sunt, sine magno, sive cum parvo devotionis affectu, liberaconcessit, docet cum paucis Joannes Sanchez *disp.* 23. Negat cum aliis multis, Joannes Delugo *de Euch. sect.* 2. solumque concedit maximo fervore spiritu accensis, Sanctæque Catharinæ similibus. eos, & hanc quæstionem latè discussam videre in est. Nos breviter negantem sententiam amplectimur putamus id cedere majori reverentiæ debitæ Christo Domino, ac Regi nostro. Affirmans opinio illud Confessariis obtineat, ut Fidelibus Sacrum Communion appetentibus, sive etiam solum petentibus, sese in posterum exhibeant.

## CAPVT II.

## De dispositione corporali requisita ad Sacratissimam Communionem.

### §. I. *De Munditia à pollutione, vel copula.*

1. PRæmittimus tanquam certum, non esse mortale post peractam ritè pœnitentiam de peccato, quidem, etiam, quo patratum est, die, communicare; enim, sic, non indignè graviter ad Sacram Eucharistiam acceditur. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 13. quæ dicat Navarr. *in Manual. cap.* 21. *n.* 51. putans esse mortale etiam post confessionem debitam, qui tamen in 2. *edit.* mutavit sententiam.

2. Porrò, quo ad decentiam: Pollutio involuntaria neminem ex iis, qui bene affecti sunt circa spiritualia

tandare unquam debet à Communionis accessu. Sic Delugo *disp. 15. sect. 1. à n. 9.* Sanch. *ibid.* alios citantes. si maximè ab huiusmodi pollutione, in imaginativa tur esset ob reverentiam consulendus differre in eum diem. Sic iidem, quidquid dicat Ioan. Sanchez *in disp. 33. num. 2.* nisi id sæpius accideret, periculúmque spiritualem profectum aliqua ratione impediendi; nisi aliqua ex rationibus, sequenti numero dicendis, Communionem concederet.

3. Pollutio voluntaria, vel copula illicita, etiam post longam pœnitentiam, melius propter eandem reverentiam, impediret communionem illius diei: Sic iidem fieri nota, vel infamia Jubilæum, vel Festum omne, vel quid simile, concedendam suadeat. Fateor tertium, majorem rationem requiri post illicitam copulam, quam post simplicem, ultro volitam, pollutionem; licet enim hæc gravior culpa sit; illa nihilominus, cum sit magis externa, ac magis voluntaria, magis scandalizabit.

4. Copula licita melius, & regulariter impediet. Sic iidem, quidquid dicat idem Ioan. Sanchez *ibid.* nisi Feria, nota, vel simile quid, ut modo diximus, obstent.

5. Adverte denique cum Delugo *ibid. num.* 14. minorem causam requiri ad concedendam Communionem, ex ejusmodi copula oritur ex amore prolis, quam si ex turpitate voluptatis, & multo satis minorem; si est non petita, sed reddita: ita ut in hoc casu merum communicandi desiderium sufficiens causa videatur: siquidem tunc prætextu Communionis non erat coniux redimendus: & nunc ob actum redditæ justitiæ, minus est excusatus à Communionis refectione removendus. Addo hic illud, quod modò dictum est *capite præced. §. 11. fine.*

Denique estne peccatum veniale accedere ad Eucharistiam postquam eadem die coniux delectationis causa debitum exegit? Esse docet Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 15. n. 7.* & Marchin. *de ord. tr. 3. p. 3. cap. 3. num. 16.* Ratio est (inquit Marchin.) *quia apparet aliqua irreverentia accedendo.* Audio. At etiam, qui causa voluptatis vespere ante Communionem comedisset, peccaret venialiter, mane accedendo ad Eucharistiam: & sic de similibus, quod non admittimus. Puto igitur ex suppositione, quod in tali copula, vel cibo quis venialiter peccaverit; esse judicandum; sicuti *supra c. 1. §. 4.* iudicavimus esse, vel non esse veniale accedere ad Eucharistiam cum veniali. Illud addendo, in materia luxuriæ facilius mentem à sacris mysteriis avocari, quam in aliis materiis: ac propterea facilius incidi posse, modo supradicto *c. 1. §. 5. à n. 13.* in veniale, accedendo ad Eucharistiam cum hoc speciali peccato veniali. Ad quod certè respexit Sanchez *loc. cit.* dum castigatè loquens, dixit, debitum exigentem ex voluptate, regulariter, peccare venialiter accedendo eodem die ad Communionem, nisi aliqua causa excuset: *quia* (inquit) *oritur magna distractio mentisque hebetudo.* Nota illud *regulariter.*

## §. II. *De Munditia Corporis externa.*

6. NUllæ sordes corporeæ, unde nec menstrua, secundùm se, Communioni impedimento sunt. Ita Delugo *disp. 15. de Euch. sect. 1. p. 15.* Præstat tamen propter decentiam, eas, quantum modestè fieri potest, amovere. Si tales sint, ut horrorem aspicientibus pariant à Communione publicè exhibenda, decens est abstinere, nam sic intelligendus est Canon, *Tua nos, de Clerico ægrotante,* qui propter lepram à Communione prohibetur: intelligendus, inquam, in publico. Nec tamen, si id in publico fiat sine scandalo (quod tamen, vix, hac nostra ætate, quando res suo pondere jam expensæ, vel ipsi populo notæ sunt, posse esse puto) peccaretur: talis enim Canon in usu non est.

## §. III. *De superfluo Mulierum ornatu.*

7. QUid de mulebri pur purissa, cerussa, & ornamentis? Respondeo si fucus ille, & cætera ornamenta vanitate afficiantur mortaliter peccaminosa, fore culpam sacrilegè mortalem, certum exploratúmque est. Si venialiter, dic illud, quod *supra cap. 1. §. 4.* diximus de accedente ad Communionem, cum affectu ad peccatum veniale. Si nullam peccaminosam redolent, ut subinde accidit fœminis timoratis, bono fine, propter sui oculos, juxta ritum patriæ sese ornantibus; nulla erit culpa: quia, nisi aliud addatur; non est unde ea contrahi possit. Fateor, regulariter, vix à veniali excusari eas, quæ tam anxiè faciem dealbant (utinam eodem modo conscientiam) si non ex alio capite certè ex eo, quòd illud tempus, quod expenderunt ad se comendas (de quo scitè Poëta, *Dum comuntur, dum pectuntur annus est*) ad animam piis virtutum actibus exornandam, vel certè ad utiliora negotia expedienda, consumere debuissent.

## §. IV. *De vestibus externis: ubi, an Sacerdos sine stola & Eques cum gladio decenter communicent.*

8. MIssos Religiosos facio, qui certo vestimentorum genere induti, obstringuntur, saltem in publico, ad Communionem accedere. Regulas quisque consulat suas.

9. Porrò, cum certum sit vestes non esse hic valdè attendendas: non enim corporis ornatum, sed animæ pulchritudinem exposcit hoc Sacramentum; tamen modestè quisque honestóque ornatu, propter reverentiam, uti, quantum potest, congruum est.

10. Sed hic in proprio loco quæritur Primò. An cum Sacerdos, extra sacrificium communicat, Stolam circa collum tenere, sub obligatione oporteat. Respondeo, Id congrum quidem est: *in cap. enim Ecclesiastica. dist. 23.* Ita præcipitur. Quia tamen & res non est (extra Sacrificium) ex se gravis & decretum illud, quo ad hoc, usu jam est abrogatum, obligatio peccati non adest. Ita Azor. *1. p. lib. 10. c. 28. q. 12.* Gavant. *in Comment. ad Rub. Missalis, tom. 1. p. 4. tit. 8. n. 7.*

11. Quæritur Secundò an decenter Fidelis accedat ad Sacram Eucharistiam, armatus, ense, & pugione: ut si sit Eques Religiosus S. Jacobi, Alcantaræ, & similium? Respondeo, decenter. Sic Ioan. Sanch. *in select disp. 45. n. 3.* quia hæc sunt ipsorum insignia; & quidem ad propugnandum pro fide. Cæteris laicis, idem conceditur, quia non est unde appareat irreverentia.

12. Addunt tamen aliqui cum Diana *p. 13. tr. 2. res. 30. fine* 3. id fieri debere, cessante scandalo: quod tamen ratò cessare putant. Equidem licet sim omnibus author ut propter modestam humilitatem illa instrumenta deponant, tamen, si secus fiat, non puto facilè affuturum scandalum, saltem grave, nisi fortè aliquam rudis homuncionis levem admirationem, de qua non est valdè laborandum. Consuetudo autem, quæ alicubi viget ea deponendi nil aliud ostendit, nisi prædictam modestiam, à qua ortum eam consuetudinem habuisse, & non nisi decentiæ obligationem afferre, jam omnes ferè norunt.

## §. V. *An Corporis sanitas requiratur ab accedente ad Eucharistiam.*

13. NVlla ex se requiritur, Solùm ergo à Communione arcendi sunt infirmi illi, in quibus, ratione vomitus, vel frequentis tussis, aliqua irreverentia Sacræ Hostiæ rationabiliter timetur. De leproso vide *supra §. 2.*

14. Verùm, quoad ejusmodi infirmos, quænam sunt diligentiæ exhibendæ sanè ex Ioan. Sanch. *in select. disp. 38. num. 2.* si infirmus, post sumptum cibum, etiam modicum statim eum sursum, vel deorsum, expellat, ne communicetur. Si verò modicum cibum, vel particulam non consecratam, cum qua fieri experientia potest, retineat, concedendum est ei sactum Viaticum

Quod

Quod si non ex assumpto cibo, sed ex ipsa ægritudinis vi vomitum patiatur; communicandus non est, nisi, per sex circiter horas, vomitus cessaverit, & Medicus, vel si hic absit, astantes judicaverint saltem per horam ab assumpta Eucharistia, infirmum non vomiturum, nam tunc communicari poterit. Quod si deinde, per accidens redeat vomitus, & Sacra Hostia expellatur; reponatur in loco aliquo sacro, ac species sibi corruptæ fuerint, in sacrarium recondantur. Cætera, quæ ad infirmi Communionem pertinent, dicemus *infra suo loco c.* 5. vide item *c.* 3. §. 4.

### §. VI. *De jejunio naturali requisito ante Communionem.*

15. DVo mox dicenda requiruntur ex Delugo *disp.* 15. *de Euch. sect.* 2. ad hoc ut violetur jejunium naturale, dictum naturale ad differentiam Jejunij Ecclesiastici, quod Ecclesia præcipit observari in diebus Jejuniorum. Eo violato, ad Sacram Communionem, extra casum necessitatis, de quo dicemus mox §. 8. accedere, sacrilegium mortale esse (& quidem per nos unum) ut supra diximus *c.* 1. §. 3. ignorat nemo.

16. Primò igitur requiritur, quòd quicunque cibus, vel potus sumatur: cibus autem, & potus est ille, qui in stomacho alteratur, seu digeritur, vel ad digestionem pertinet. Secundò quòd id fiat per actionem: quæ sit comestio, vel potatio: quæ talis non est, nisi quid ex prædictis cibo, & potu assumatur, & in stomachum traiiciatur. Iam distinctè de singulis.

*Quæ pertinent ad cibum.*

17. Dixi (quicumque cibus) si quidem etiam modicissimus cibus, ut modicum granum aniſi, ex proposito deglutitum, violat jejunium hoc. Sic Delugo *ibid. num.* 22. & 27. Hurtad. *de Euch. disp.* 9. *diff.* 15. nam, ex Concilio Toletano, cibus, vel potus, quamlibet minimus ante Communionem prohibetur.

18. Dixi iterum (cibus) officulum enim sive fructuum sive alterius generis, frustum ligni solidi, moneta aurea, globulus plumbeus: frustum unguis, filum ex ferro, vel serico, vel lana, & similia, non violant, etiam in magna quantitate: non enim sunt cibus. Ita Delugo citatus, *n.* 32. Et non mediocre signum, quod in stomacho non alterentur, est quia eadem integra, ut deglutiuntur, à quolibet, etiam valido stomacho, egeruntur in excrementis: Contra, violat Tabacum per os assumptum, si deglutiatur, pillulæ ad medicamenta, & similia, ex Præp. *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 9. *dub.* 1. 39. quia sunt cibi, quamvis medicinales: quibus semper est immixta aliqua tenuis particula apta ad digestionem, nutritionémque.

19. His violantibus addo libens cum Delugo *ibid. dicto n.* 32. papyrum, seu chartam, & filum ex lino, ducunt enim originem ex herbis, & sunt in substantia herbæ, quæ digeruntur: ut etiam est musca, culex, & vermiculi, digeruntur enim & ipsi: nec valet cum aliquibus dicere, papyrum, & filum ex lino non esse cibum humanum, non, inquam, id valet dicere: nam nec fœnum, & palea v. g. sunt cibus humanus, & tamen, quia digeruntur, violant: Huc item reduco terram, seu cretam quam fœminæ, ob delectationem, vel ad diminuendum colorem, comedunt: cum enim non sit purum elementum, puto alterari in stomacho, & consequenter violari jejunium. Et sanè quis neget pulverem ex lapide Bezzuar, vel ex terra Cypria etiam si solus, sine iusculo deglutiatur, cum sumatur per modum cibi medicinalis, solvere jejunium? Par autem videtur ratio in terra, seu creta.

Dices cum aliquibus. Terra, & similia in magna quantitate non vitiant jejunium Ecclesiasticum: ergo in minima non violant naturale: Sic Sum. na Dian. *V. Communionis dispositio num.* 33. Respondeo nego consequentiam: nam terra, & similia non violant jejunium Ecclesiasticum, quia modicissimum est illud quod in ipsis, etiam acceptis in magna quantitate, id est nutritivi, seu digestibilis: sicuti evenire in cibis medicinalibus modo dixi *n.* 18. At hoc modicissimum, quod ibi inest, violandum jejunium naturale, ad quod sufficit quodlibet modicum, ut vidimus *n.* 17.

20. A cera, non violari jejunium nec naturale Ecclesiasticum etiam in magna quantitate affirmat cum Summa Dianæ *ibid.* citatque pro se Ioannem *disp.* 15. *de Eucharist. a, sect.* 12. *n.* 29. Sed ibi Delugo *n.* 25 meminit cretæ, non ceræ in meo codice diversa sunt: magis tamen acquiesco, quod ejunium, sicuti dixi de ipsa creta, & terra; immobilius, quia magis alterabilis & partibus aliquibus immista semper est.

21. Si quis deglutiat avellanam, vel pinearum cum cortice integram, frangere jejunium docet Sanchez *in select. disp.* 42. *n.* 13. *in fine*, quia est comestibilis, & per accidens non alteratur. Degna ego dubito: quia ut traiicitur, nec est alterabilis, digestibilis.

*Quæ pertinent ad Potum.*

22. Dixi deinde de requisitis ad violandum (Potus) quia gutta aquæ de industria sumpta, violat jejunium, sicuti violari à modico aniſi granoque diximus: ille enim est cibus modicus, hic modicus. Violat etiam potio medicinalis, aurum item potabile, ut etiam sanguis, quem fugeret quis ex suo, v. g. vulnerato: Ita Delugo *ibid. n.* 32. quia hæc per modum potus assumuntur. Si à te hauriatur aqua (immo & quilibet aliud) & statim à stomacho ejiciatur; jubilatus non jejunus, saltem ex eo capite: quia semper remanet aliquid in stomacho.

*Quæ pertinent ad naturam Comestionis vel Potationis.*

23. Dixi denique (quæ sit comestio, vel potatio) Primò gutta aquæ ex Delugo *ibid. n.* 38. quæ commixtur salivæ, dum os abluis, vel gutta iusculi *ibid.* quæ illuſi gustas, an sit benè præparatum, immistum salivæ traiicis, vel sanguis, *ibid.* qui ex capite fluit, & immistus item salivæ deglutitur, non violant. Secundò eodem modo culex, vel musca, vel pulvis, qui in os volitant, & casu traiiciuntur. Sic idem *n.* 32. Hurtad. *de Euch. disp.* 9. *diff.* 14. Tertiò sanguis vel humor descendens, etiam in magna quantitate ex capite, gingivis, etiam non salivæ immistus, si deglutiatur. Delugo *ibid. n.* 23. Quartò sumptio Tabacchi per nares, sive in folio, sive in puluere, sive in fumo, ex Granado *in* 3. *p. contr.* 6. *tract.* 10. *disp.* 8. *n.* 4. immo & aliquorum aquæ attractæ per nares, non solvunt jejunium. Colligitur ex Suar. *de Euch. disp.* 68. *sect.* 4. 5. *Quarto sus*, quia hæc omnia non sunt comestio, vel potatio: prima est traiectio salivæ, secunda est respiratio, tertia est fluxus, quarta est attractio, seu afflatio narium. Iste que odor quilibet non violat jejunium. Sic Granado, quia præter quam quod non est cibus vel potus, non admitur per comestionem, potationémve, sed per præfatum narium afflationem.

24. Contra, musca, vel culex si ea de industria medas, vel etiam potens ea expuere, nihilominus cis; violant jejunium: Ita colligitur ex Delugo *n.* quia ex una parte hæc digeruntur, sùntque ut maximus, cibus, & ex alia hæc proptia comestio enim involuntariè ab extrinseco veperint, non nam etiamsi involuntariè ægrotus per vim ciberum decidens in flumen, aquam invitus bibat, non ea erit jejunus. Adde quod tu jam voluntarie unde hæc non erit respiratio, sicuti esse modo quando casu, ex vi ipsius respirationis, prædicta traiicitur.

25. Præterea non violant jejunium frustula dentibus remanent ex reliquiis cœnæ, si non deglutiuntur: siquidem sic non fit comestio: cum saliva, vel ex respiratione traiiciuntur. Sic

*ibid. n* 36. Vasq. *de Euch. disp.* 211. *c* 3. *num* 30. Hurtad. *de Euch. disp.* 9. *diff.* 15. Violant tamen si deglutiuntur ex industria. Sic idem, quia sic æquivalent commestioni, & parum facit, quod non hoc die: sed hesterno assumptæ fuerint, dummodo comedantur: quo pacto, proter eandem rationem, etiam violatur jejunium à saccato, seu tabellis, ad naucedinem avertendam, positis in ore vesperi ante cubitum, sed quæ post mediam noctem liquefiant, & traiiciantur in stomachum. Ita Delugo *n.* 26. & 27. Aliqui docent per prædictas cibi reliquias nunquam violati jejunium: quod sanè, saltem proper authoritatem extrinsecam non ignobilium Doctorum non est improbabile. Sic Tabiena, Henriq. Ioan. à Cruce, Diana, Suarez. Rodriq. Coninch. aliique. Id quod, ne ad prædictas tabellas extendas velim: quia in his, cùm voluntariè assumptæ fuerint, magis clarè apparet ratio comestionis.

26. Denique, Aromata in ore tenere, immo; & conterere, ut frequenter fit in Mastice, & in Tabacco ad confortandum caput, vel ad phlegmaticum humorem evacuandum, si non deglutiantur, non nocent jejunio. Sic Bonac. *in Sacram disp.* 4. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 9. quia ejusmodi actio comestio nullatenus est. Quod si aliquid ex his descendat cum saliva, ut semper evenire oportet cum cohiberi non possit, quin descendat saliva illius aromatibus affecta, non affert impedimentum jejunio. Ita Tannerus, *tom.* 4. *disp.* 5 *q.* 8. *art.* 8. *not.* 1. siquidem, non est per modum cibi, vel potus, sed per modum salivæ seu commistum cum saliva. Illud, quod aliquis addit, quod videlicet si dum prædicta aromata in ore quis volvit, granum aliquod casu in stomachum descendat, non solvatur jejunium, mihi difficile est: quia hoc est vera, licet non voluntaria, comestio. Neque eadem est ratio de musca in os volitante & casu deglutita: hæc enim actio nullo modo est comestio, sed respiratio: cum granum illud in ore contritum voluntatum, & in stomachum, quamvis contra voluntatem traiectum, comestio sit, & non sola respiratio, ut de decidente in flumen, & aquam involuntariè deglutiente diximus *n.* 24.

### *An somnus, vel cibus digestus requirantur ante Communionem.*

27. Duo denique adverte. Primò minimè requiri, quod post cibum, ante mediam noctem assumptum, homo dormierit, vel cibum digesserit: hæc enim non sunt in præcepto. Sic Delugo *ibid. n.* 39. Ex quo olim consului cuidam, qui cæterum non infirmus, maximam tamen famem facilè patiebatur, nec sese cohibere per quatuor horas sine cibo poterat: consului, inquam, ut immediatè ante mediam noctem se cibo reficeret, & antequam illæ horæ elaberentur, quamvis nondum digesto cibo, ritè communicaret.

### *De Tempore, quo violatur jejunium naturale.*

28. Adverte Secundò, tempus, quo jejunium, de quo agimus, violatur esse quando quid comeditur, vel bibitur post mediam noctem, quæ per horologium mediam noctem notans significatur per primum pulsum campanæ. Ita Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 40. Delugo *disp.* 13. *de Euch. sect.* 2. *n.* 27. & 40. & (si tale horologium quadrantes ante horarum pulsum notat) per primum pulsum primi quadrantis: tunc enim notatur incipere dies sequens. Unde, si fortè tunc es in actu bibendi, & prosequaris post dictum primum pulsum; iam naturale jejunium violasti. Nec enim sequor unum, aut alterum dicentes, initium sequentis diei incipere post ultimum prædictæ campanæ pulsum. Consultò dixi *per Horologium mediam noctem signans.*) Nam communia apud nos Italiæ horologia, ejusmodi nequaquam sunt, solent enim per sonitum notare diei, noctisque tempus ferè similhora post exactum Solis evolantis cursum. Unde fit, ut hæc à nobis in re nostra, & in notatione meridiei sit detrahenda. Si V. G. in nocte vel die Æquinoctij Horologium Italicum det signum sex horarum, media nox; vel meridies: vere in nostris Regionibus erit hora Italica quinta cum dimidia: Vnde ea nocte non poterit amplius frangi jejunium à communicaturo die sequenti: id ipsum sive noverit, sive observari mandavit Missale Romanum editum ab Innocentio X. anno 1647. In Institutione pro hac re, & similibus posita initio eiusdem Missalis, ut meritò sic adverterit Gavantius *in Rubr. Missal. p.* 5. *in fine Tabul. meridiei, & mediæ noctis* [Monet idem Theodosius, quod Horologia Italæ sonant Horas tardius quam indicent Horologia Solaria, quandoque per quadrantem Horæ, quandoque per dimidiam horam, & ideo detrahenda erit illa quantitas horæ.] Aliqua huc pertinentia colliges ex dictis à nobis lib. in Decal. *c.* 5. §. 5. ubi de Iejunio Ecclesiastico.

## §. VII. *De dubitante an solverit Iejunium naturale. Vbi de diversitate Herologiorum.*

19. SI dubitas, an sis jejunus, ex eo quia nescis comederisne, an non: communicare tibi conceditur. Ita Laym. *lib.* 1 *tr.* 1. *c.* 5 §. 4. *num.* 36. Delugo *disp.* 15. *de Euch. sect.* 2. *n.* 42. & 43. Io. Sanchez *in disp.* 41. *num.* 9. At si certus quod comederis, dubitas num comestio fuerit ante mediam noctem, an post illam: non conceditur. Ita Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *n.* 40. Delugo citans Fag. *in præc. Eccl.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 18. Ratio est, quia hic est possessio pro præcepto: ibi pro tua libertate.

Scio aliquos in utroque casu concedere Communionem, quia in utroque putant stari debere pro libertate communicandi: & sane propter authoritatem horum Doctorum, probabile id existimandum est. Sic Laym *l. c.* Baun. Actor casuum Bonon. quibus adde Diana *p.* 3 *tr.* 4. *res.* 29. Io. Sanch. *in sel. disp.* 42. *cit.* Adde, posse defendi, libertatem esse priorem præcepto, atque adeo debere prævalere.

30. Dixi (si dubitas) nam si sunt plura horologia, si constet esse falsa, potes quodlibet sequi: Ita Delugo *cit. num.* 45. quamvis id neget Merolla, & Salas apud Dianam *p.* 4. *tract.* 3. *res.* 19. tunc enim non dubitas, sed habes probabilitatem (quam illud tale horologium tibi facit) non fuisse mediam noctem quando comedisti, quia non fuerat datum signum ultimi horologij. Licere autem cuique facere id quod probabile est, communis est sententia Doctorum. Lege Castr. *tom.* 1. *disp.* 2. *de conf. part.* 2.

## §. VIII. *Quando non jejuno licet communicare.*

31. IN aliquibus casibus id licet. Primo instante morte pro Viatico: id quod satis sit hic innuisse: nam cætera, quæ ad id spectant, dicemus infra *proprio in loco c.* 5. *præsertim* §. 10.

32. Secundò Sacerdoti, etiam ad dandum Viaticum aliqui moribundo licere non jejuno celebrare, si non adsint aliæ particulæ consecratæ, docent plures, plurimi vero negant, utique probabiliter, apud Delugo *disp.* 15. *de Euch sect.* 3. *num.* 67. illi, quia, judicant præceptum de jejunio, ante Communionem, non esse ita rigidè latum ab Ecclesia, ut velit moriturum relinquere sine Viatico: hi, quia putant satis esse, si concedatur ipsi infirmo tale privilegium, non verò aliis, propter ipsum.

33. Tertiò, propter scandalum, vel infamiam. Sic aliqui apud Præp *in* 2. *p. q.* 80. *art.* 8. *dub.* 2. *n.* 49. Unde qui stat ad altare ante linteum, recordaturque se non esse jejunum, si discedere sine infamiæ nota non potest, commu-

communicare poterit. Ratio est, quia præcepta humana cum tanto rigore obligare non solent: nam propter eandem rationem, si Sacerdos in Altari ante consecrationem se similiter non esse jejunum recordatur; si sine nota non potest (quam tamen effugere valet, ut diximus *c. præcedenti, §. 6. n. 35.*) prosequi Sacrificium poterit. Sic Suarez *de Euch. disp. 18. sect. 6. fin.* Vasq. *de Euch. disp. 211. num. 28.* Dico ante consecrationem: nam si postea nullo modo, etiam non instante infamia, potest discedere, cum sacrificium inchoatum perficere oporteat.

34. Quartò Sacerdos, si in Calice, pro vino posuit aquam, vel acetum, idque post ejus sumptionem cognovit: potest, immo debet, ad sacrificium perficiendum, iterum consecrare, vel vinum tantum, ut *in Miss. sali Pij V. de defectib. in Missa occur.* ex D. Th. 3 *p. q. 83. art. 6. ad quartum*, vel aliam item Hostiam, & vinum ut *in Missal. Clementis VIII. ibid.* ex Scot *in q. 4. dist. 8. q. 3.* ac sumere: Si talem defectum cognoscit, dum habet in ore illam aquam, seu acetum illud; non obligo ea ab ore projicere: Sic Delugo *disp. 15. sect. 4. n. 75.* quia esset irreverentia, & fortè periculum projiciendi aliquod fragmentum assumptæ Hostiæ. Deglutiat igitur, & postea, posito iterum vino, consecret, ut dictum est.

Quid in dubio, an sit acetum? Respondeo, si in tali dubium incidas post sumptionem Calicis, teneas fuisse vinum: quia possidet substantia vini, & pro ipso est præsumendum. Idem puto si dubium advertas post consecrationem, ne sine bono fundamento turbetur Sacrificium ejusque ordo, & ex alia parte jam possidet substantia vini. At si dubites ante consecrationem vel deponere debes dubium vel mutare vinum: ne exponas te periculo non consecrandi. Quod si non invenitur aliud vinum, vel non nisi difficillimè, si non est inceptus Canon, desistas: si est inceptus; præsumas esse vinum, & progreditor: nam tunc, cum prope censeatur incepta substantia Sacrificij; melius est deposito dubio illud perfici, quam incompletum sine dubio & certò pati. Acetum autem illud (si fortè aliquod superfuerit) vel sumas post sumptionem corporis, & sanguinis, vel alicubi reverenter serves, stupa, seu linteolo imbibitum, donec siccetur, quando erit comburendum, & in sacratium projiciendum. Immo si fuerit certò acetum, poterit alij sumendum tradi. Ita *in rub. Missalis de defectu panis, n. 5.*

35. Quintò, idem Sacerdos si post assumptam ablutionem, advertit in patena fragmentum sui Sacrificij, sive parvum, sive magnum adesse, illud, quamvis non sit jejunus, sumat: quia pertinet ad idem Sacrificium. Ita Sylvester *V. Euch. 3. §. 8.* Idem dic si advertat, finita Missa, immo, & postquam alios, licet multos, communicaverit, sed in eodem altari. Sic Delugo *dict. disp. 15. n. 82.* Quid autem si advertat in Sacristia? Non potest sumere: Sic idem *ibid.* quia jam penitus est absolutum Sacrificium. Nec tamen est improbabile ex Granad. *in 3. p. cont. 6. tr. 10. disp. 8. n. 21.* quod possit, si nondum vestibus sacris est spoliatus: quia adhuc iudicatur non absolvisse totaliter Sacrificium. Dixi fragmentum sui sacrificij, nam si sit fragmentum ex alio sacrificio; nunquam potest sumere, post ablutionem: quia cessat prædicta ratio. Quid igitur de illo fit, ut etiam de illo invento, post spoliatas sacras vestes in Sacristia.

36. Respondeo cum distinctone ex Fag *præc. Eccl. 3. lib. 3. c. 5. n. 30.* Si in illa Ecclesia servatur Sanctissimum Sacramentum, vel si post Missam à te celebratam, sit alius Sacerdos celebraturus; illud fragumentum detur consumendum huic Sacedoti, vel servetur in pixide; seu in Calice superposita Patena. Si aliquid ex his sine irreverentia haberi non potest: assumat ipsemet Sacerdos etiam si non jejunius sit. Ratio est, quia sic nunc dictat reverentia, ut potius sumatur à non jejuno, quam irreverenter quocumque in loco servetur. Laico, qui jam communicavit nullo modo est danda, saltem cum intervalo, quia sic bis communicaret: item tutò poterit communicaturo simul cum alio particula: quia tunc est una moraliter comm... *ibid. 31.*

37. Quod dictum est, si adest sacratium debeo... eodem servari, vel si adest Sacerdos sacrificatu... bere eidem dari fragmentum inventum alterius... cij, intelligit meritò Fagundez 1. *Eccl. præcp.* ... *c. 18. n. 2.* si prædictum fragmentum sit vel integra... ticula, vel notabile, & grandiusculum: nam si ... vum: probabilissimum est, posse à non jejuno... dote, post ablutionem, dum adhuc est in Altari... mi. Ratio est, quia talia parva fragmenta facile ... duntur & major reverentia erit, si assumantur à non ... juno Sacerdote, quam si cum tali periculo in ... conserventur, vel, cum eodem periculo dentur ... doti sacrificaturo, Ita Fag. *n. 3.* citans Hernig. Va... fert, quod potest Sacerdos sine ullo scrupulo ... purificare, & sumere reliquias illius, dum est in ... post ablutionem, si ante ex inadvertentia non ... vit, reputatur enim id totum una sacrificij moralis ... sumptio.

38. Siste autem hic paulisper (amice lector) jum... *n. 15* de fragmento proprij sacrificij dicta sunt ex ... Henriq. Fag. Bonac. citati à March. *mox* citando alios... que doctrina probabiliore dicta sunt. Cæterum, Mar... nus *de ord. tr. 3 p. c. 3. n. 19.* contendit etiã reliquias ... rius sacrificij sive minimas, sive grandiusculas, ... Sacerdotem sumere, si eas advertat in altari, finita ... sa, etiam post multos communicatos. Ratio, quam mihi videtur probabilis & tuta hæc opinio, ... vis Marchinus huius rationis vix meminerit) est, ... diversitas ministri, & sacrificij non videtur obstare ... omnes sint Christi ministri, unumque sit velut ... ficium. Et sicuti jejunus Sacerdos potest sumere ... stiam à se consecratam, & simul aliam præconsecra... ab alio Sacerdote, atque adeo non sui sacrificij, ut ... nes concedimus, idque ob illam rationem, quia est ... Christi minister, eadem Eucharistia; ita, ob eam ... rationem poterit sumere reliquias quascunque post ... sam. Nam eo ipso, quod sunt consecratæ à mini... Christi, habent relationem ad quemcumque Sacer... tem qui pariter est minister Christi, & possunt dici ... quiæ sacrificij cuiuscunque Sacerdotis; cum sint reliqu... continentes eundem Christum. Non potest autem ... Sacerdos Hostiam grandem, seu Particulam integr... consecratam advertenter relictam sumere post ... tionem: quia quamvis sit sui sacrificij, eundem ... Christum continens: non est tamen materialiter ... quia seu fragmentum: ad solas enim reliquias sive ... gnas, sive parvas, ex usu Ecclesiæ, & omnium Sacer... tum praxi extenditur illa facultas ea sumendi post ablutionem.

39. Confirmat Marchinus eamdem suam sententi... Primò quia sic audivit practicari in multis Religio... eximiæ doctrinæ, & sanctitatis. Secundò, quia ... cile est rectè scire, an illæ reliquiæ inventæ post ablu... nem sint ex præconsecratis ab alio, vel à se ipso: ... sæpissimè in Patena, vel Calice reperiantur etiam ... ticulæ consecratæ ab alio. Tertiò in die Parasceves, ... sumptionem ablutionis, Sacerdos consumit reliqu... præconsecratas die præcedenti, si quæ in Patena, ... Calice remaneant: ergo idem licebit omni tempo... Hæc ille.

40. Hinc collige eam necessitatem asservandi ... culum fragmentum in Sacrario, dictam *n. 36.* solum ... bere intelligi de tali fragmento sive sui, sive alieni S... crificij, invento post spoliatas sacras vestes. Nam fra... mentum ejusmodi inventum in Altari sive sui, sive ... Sacrificij, potest, ut dictum est, ex hac Marchini pro... bili sententia, assumi à Sacerdote in prædicto Altari, ... post finitam Missam, multosque communicatos. At ... fragmentum sive sui, sive alieni Sacrificij inventum ... Sacristia ante spoliatas sacras vestes, idem March...

gat posse à Sacerdote sumi: quia postquam ab Altari cessit, judicatur (ait) completum Sacrificium. Verum ex eo, quod supra *n.* 25. ex Granado attulimus, aliud potius probabiliter dici possit, tu considera.

*Quæ n.* 35. hactenus dicta sunt, sic in compendium redigo.

Vel sermo est de fragmento tui Sacrificij, sive magno, sive parvo, à te invento post assumptam ablutionem, & hoc sumere licitè potes. Primo statim. Secundo etiam finita Missa (licet multis Sacras particulas porrexeris) dum es in altari. Tertiò, etiam probabiliter in Sacristia, antequam vestibus spolieris.

Vel sermo est de eodem fragmento ex alieno sacrificio, & hoc potes ex probabili opinione. Primo, eodem modo statim. Secundo eodem modo finita Missa, etiam post multos communicatos dum es in Altari. At Tertio, non potes in Sacristia quamvis nondum spoliatus sacris vestibus fueris. An verò possis etiam tunc hæc fragmenta ex alieno sacrificio sumere, considerandum relinquo.

Semper autem loquimur de fragmento, sive parvo, sive magno, nunquam enim potest à non jejuno sumi, nec hostia grandis, nec particula integra (addo nec integræ mortaliter æquivalens) quia dicta licentia solum conceditur pro reliquis Sacrificij, &c.

41. Potest sexto à non jejuno sacra Eucharistia sumi, quoties id debita Christo reverentia requirit. Hinc si timeretur ab Hæreticis conculcanda, ut suprà dixi *c.* 1. *n.* 76. vel ab animali bruto comedenda, vel aliquo modo comburenda vel quid simile; satiùs erit à non jejuno Fideli sumi, quam talia permitti.

42. Septimo huc reduci potest quando Sacerdos advertit particulam Hostiæ infusam in Calice ipsi Calici hæsisse, nec cum vino consecrato simul ebibisse: tunc enim vel potest digito ad labrum Calicis adducere, vel melius propter majorem decentiam, potest semel, bis, ter, & quoties opus fuerit infundere vinum purificationis, ex Fag. 3. *Ecc. prac. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 4. & simul cum illo absumere, quamvis timeatur, vel occurrat prius descendere in stomachum vinum illud quam Sacram Hostiam. Vide Delugo *de Euch. disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 79.

43. Simile quid licet in laicis infirmis, quibus, post sumptam particulam, simul cum ablutione, vel paulo post, licebit reliquias Sacramenti inventas in Calice, vel paride tradere, ut de praxi timoratorum testatur Martinus *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 3. 18 Ratio esse potest, quia cum admodum parva mora illa sit, censetur eadem moraliter occasione infirmorum, sic expeditius cum decentia consumuntur illæ sacræ reliquiæ.

44. Octavò, huc item reduci potest quando Sacerdos post consecrationem unius vel utriusque speciei repentinè moritur, vel Sacrificium prosequi non potest: Tunc enim, si non adsit alius Sacerdos jejunus, debet à non jejuno perfici Sacrificium. Ita rubric. Missal. *de defectib. occurrentibus. n.* 3. Fag. 3. *Eccl. prac. lib.* 3. *c.* 5 *n.* 17. & *passim* Doctores. Nam id exposcit reverentia tanto Sacrificio debita, ut nimirum imperfectum non relinquatur.

45. Si Sacerdoti iniiceretur mortis metus cadens in constantem virum, si non jejunus celebret, idque non in contemptum Religionis, sed v. g. ut alij audirent Missam, potest is Sacerdos sic celebrare. Sic Ochagavia *de Sacr. tr.* 2. *q.* 1. 2. *n.* 15. Ratio est, quia ex una parte non cum tanto dispendio obligant præcepta humana: & ex alia huius, de quo loquimur, violatio non videtur, ne implicitè quidem, involvere talem irreverentiam, ut timeatur de aliquo virtuali contemptu. Sic Delugo *de Euch. disp.* 15 *sect.* 2. *n.* 55. Nam si esset in contemptum, nullo pacto profectò liceret: quia tunc esset intrinsecè malum, & ex nullo timore vel mali, vel mortis admittendum.

46. Denique si petas, quisnam dispensare possit in hujusmodi præcepto jejunij naturalis ante Communionem: Respondeo, solum Summum Pontificem, ex communi Doctorum sententia: qui tam in de facto, ut advertit Delugo *ibid.* nec ipse dispensare solet. Rectè autem dictum est (solet) siquidem dispensasse aliquando, nempè Imperatori Carolo V. tradit Famianus Strada *de Bello Belgico lib.* 1. *dec.* 1.

### §. IX. *De communione in azymo, & in fermentato.*

1. CVm certum sit, & fusè à Theologis probatum, azymum, tum fermentatum panem esse materiam consecrabilem, quoad validitatem Sacramenti: Græcam verò Ecclesiam in fermentato Latinam in azymo ritè consecrare; atque adeo Fideles utriusque Ecclesiæ suo quemque ritu sacram Eucharistiam sumere consveviſse; Ita S. Th. 3. *p. q.* 74. *art.* 4. & *ibid. Euch.* Theologi Suar. *de disp.* 43. *sect.* 3 Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 4. aliique aliqua quæ possunt in praxi occurrere, operæ pretium est explicare præsertim nobis in Sicilia scribentibus, ubi multi (etiam integra Oppida) sub Græco ritu catholicè vivunt. Id, quod tamen, ut distinctius explicetur altius est repetenda disputatio, nimirum ab ipso ritu consecrandi in azymo, vel fermentato, ut facilius ad Communionem in iisdem explicandam, quæ ad nos pertinet, accedamus.

*An Sacerdos celebrare debeat in azymo, vel fermentato.*

1. CErtum est primò, ex necessitate præcepti à quolibet Sacerdote, juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem, hoc est, à Græco in Græca Ecclesia fermentatum; à Latino in Latina Ecclesia azymum assumi debere ad consecrandum: si secus fiat, peccari mortaliter. Sic S. Th. Suar. Layman. citati, aliique *mox* citandi. Ratio est sensus Ecclesiæ semper consuetudinem hanc gravissimam in utroque respectivè ritu judicantis. Adde Concilij Florentini *in litteris unionis*, authoritatem. Adde & Pij V. constitutionem 12. ibi: *ne Græci Latino more, & Latini Græco ritu Missas, & alia divina officia celebrent.*

3. Hinc infert Suarez *de Euch. disp.* 44. *sect.* 3. *in fine.* & Layman. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 4. neque in casu necessitatis dandi ægroto Viaticum, quando deest materia proprij ritus, & suppetit alia, licitum esse Græco in azymo, Latino in fermentato consecrare; Ratio est quia ad Ecclesiæ majestatem, tantique mysterij reverentiam spectat ut non nisi servatis Ecclesiarum antiquis ritibus, qui gravissimi, & strictissimi juris semper judicati sunt (qualis est hic sine controversia) conficiatur. Neque enim propter necessitates privatas debent publicæ, & universales gravesque consuetudines negligi. Bonum igitur Religionis publicum debet præferri bono spirituali particulari moribundi: multo magis, quia Eucharistiæ sumptio non est ita absolutè necessaria ad salutem, sicuti Pœnitentia & Baptismus.

4. Quid si aliud Sacramentum talis infirmus, v. g. Pœnitentiam habere non potuerit, ita ut credatur posse ex probabili sententia *q.* 1. §. 1. *n.* 2. judicari ponendum in gratia per receptionem Eucharistiæ? Respondeo, neque esse puto permittendum; quia non est aperienda via ad tam gravem consuetudinem deserendam: nam sic etiam aperietur via ad faciendum sacrum in simili necessitate, sine ullis vestibus, sub vesperas, in una tantum specie, imo & consecrare sine Missa, &c. Imputet igitur sibi infirmus, si nolit (cum Dei gratia semper præsto sit) sese conterere, & sic justificari. In tanta necessitate inclinarem ad id, ad quod etiam, pro ordinario Viatico, videtur inclinare Suarez *dicta sect.* 3. *fine*, ut nimirum possit Græcus in Ecclesia Græca celebrare in azymo, non vero Latinus in fermentato. Ratio est quia minus est recedere à consuetudine patris, quàm à consuetudine capitis: Quoniam ergo Græcus recederet à more Ecclesiæ Græcæ, quæ est membrum, seu pars: Latinus verò more Ecclesiæ Latinæ, quæ est caput; videtur Græcus posse excusari in tanta necessitate ad consecrandum in azymo, non verò Latinus in fermentato.

5. Certum

5. Certum est, secundò cum soleant in Ecclesia Latina esse aliqua templa, ubi Græcis Græco ritu: & in Ecclesia Græca: ubi Latinis Latino more celebrare conceditur, certum inquam est quemlibet in dictis respectivè templis etiamsi solum per transitum ibidem inveniatur, debere suum ritum servare. Sic Suarez *ibid.* §. *illud verò*. Ratio est, quia ii tunc perinde se habent, ac si in propria Ecclesia versarentur: propterea enim hoc privilegium habendi ibi sua templa concessum censetur, ut quilibet suum illæsum custodiat ritum. Quamobrem quia Panormi v. g. existit templum S. Sophiæ, & Messanæ templum S. Catharinæ, ubi Græci Græco ritu celebrant; non poterit Græcus in iis Civitatibus, nisi more Græco sacrificare.

6. Quod si contingat, quod Latinus celebrare velit in dictis eisdem templis Græcorum, non poterit nisi more Latino sacrificare, & similiter si contingat quòd Græcus ibidem habitans celebrare velit in templis Latinorum more Græco celebrare oportebit. Ita Suarez *ibid.* Coninch. *de Euch. q. 74. art. 4. dub. 3. num. 119.* Ratio est quia cum ibi habeant sua templa indicantur esse in sua Ecclesia, & per accidens est, quod nunc sacrificent in templo alieno. Atque id quod dicimus quando in nostris Regionibus existunt Græca templa, dicendum erit de regionibus Orientalibus, quando ibi adsunt templa Latina. Et quidem ita observari vidi in Oppido La Piana in Diœcesi Montis Regalis, ubi sunt sua templa Græcis, & sua pro Latinis. Nàm quando accidit ut Latinus Missam celebret in templo Græcorum, & Græcus in templo Latinorum, suum ritum quisque custodit.

7. Difficultas igitur superest, quid dicendum quando Græcus Sacerdos invenitur in partibus Occidentalibus Latinus verò in Orientalibus, ubi sui ritus templa non adsunt?

Dico esse distinguendum: nam vel hic Græcus, Latinusve mutavit omnino domicilium, animo scilicet ibi perpetuo manendi, vel non mutavit domicilium, sed est ibi per transitum, seu etiam per habitationem alicuius temporis: Si primum debet in ritu Ecclesiæ, ubi sedem fixit, celebrare, nec potest in suo, sine Pontificis privilegio. Sic Suarez *ibid. dicto* §. *Illud verò*, *in fine*. Ratio est, quia jam est membrum Ecclesiæ, in qua firmam posuit sedem sui domicilij: ergo ejusdem Ecclesiæ mores excipere tenetur. Ita Suarez, & Coninch. loquentes de Sacerdote Græco, eademque est ratio de Latino. Si secundum, licet possit conformem se reddere cum ritu loci in quo est, & consequenter Græcus in azymo, & Latinus in fermentato consecrare, non tamen obligatur, cum possit in suo ritu persistere, si libeat. Sic Suar. *d.* §. *Illud verò*, Coninch. *de Euchar. q. 74. art. dub. 3. n. 117.* Ratio est, quia est probabilissima opinio Coninch. *disp. 74. ar. 4. dub. 3.* Castropal. *tr. 1. de leg. disp. 1. p. 14. §. 3. n. 11.* Mercoll. *disp. 4. de leg. c. 3. sect. 4. n. 536.* quemlibet transeuntem per aliquem locum posse, sed non teneri se accommodare cum consuetudinibus loci per quem transit.

8. Adverto Primò melius, & expeditius esse, si in suo ritu quis celebret. Ratio est quia hæ non sunt consuetudines propriæ locorum, sed universales utriusque Ecclesiæ, quas præstat observari à quolibet, quandiu est ejusdem Ecclesiæ membrum & pars: at talis supponitur in casu nostro, cum nondum mutaverit absolutè domicilium. Adde consuetudinem, quæ sic jam videtur esse introducta fundaturque in eo, quod difficile esset Græco transeunti etiam cum aliqua mora per regiones latinas, ritus, & ordinem, ceremoniasque Latinas edisscere: & similiter Latino per regiones Græcas. Suas ergo quisque Missas & expeditius recitabit, & melius in suo itu consecrabit. Quod certè videtur insinuari à Leone X. *in Epist. ad Michaël. Constit. 29.* ibi: *Vt quisque iuxta ritum Ecclesiæ ritum celebrare sinatur etiamsi in alieno solo versetur.*

9. Adverto Secundò cum Sanc. Lessio, Suar. aliisque apud Mercollam *cit. sect. 3. num. 533.* licet in aliis casibus peregrinas teneatur legibus loci se accommodare, quando non est in tali loco per brevem transitum, aliquod notabile tempus, puta per majorem anni dantque exemplum DD. de studiosis extraneis, dicuntur habitare in ea urbe ubi student, non habere domicilium: licet, inquam, ita sit in aliis, tamen in hac nostra materia nisi Græcus, Latinam sedem, modo suprædicto posuerit, quamvis quod tempus notabile ibidem fuerit; non tamen possit, loci celebrandi ritum excipere. Id quod eam clarè docuerit Suarez *dicto* §. *illud verò*, cit. cet Coninch. *d. dub. 3. num. 118.* & meritò modo *n. præced.* allatæ, id etiam probant.

*An laicus Græcus in azymo, & Latinus in fermentato licite communicare aliquando possit.*

10. Fagundez *Eccl. præc. l. 2. c. 2. num. 5. & 6.* docet cum communicando in azymo, & Latinum fermentato peccare mortaliter, citatque S. Thom. *q. 74. art. 4.* Cajet. *ibid.* Suarium *d.* §. *Illud verò* libr. tit paulò post, etiamsi communicare velint ex devotione: & præter dictos citat Tolet. *lib. 2. c. 25. n. 6.* de *Euch. l. 8. c. 10.* & Bellarminum *lib. 3. de Euch.* omnes à me diligenter visi in citatis à Fagundez non dicunt: loquuntur enim de Sacerdotibus celebrantibus, nec mentionem faciunt de laico communicante: & licet à consecratione potuerit trahi consuetudo ad Communionem, illam tamen ii Doctores non duxerunt, nec certè absolutè erat deducenda, ut ostendis patebit.

11. Dico Primò, laicus Græcus in partibus Orientalibus; Latinus in Occidentalibus peccatum mortale graviter committit, ni communicet in suo ritu. Ratio est prædicta Ecclesiarum consuetudo, quæ sine dubio propter connexionem, quæ est inter consecrandum & communicandum, huc se debet extendere quando adest in contrarium non adest.

12. Dixi (regulariter, & quando quid non est contrarium) siquidem hic potest esse casus: qui quamvis rarissimè contingat; ostendit tamen diversitatem obligationis, quam contrahimus in communicando, ea quam contrahimus in consecrando. Fac enim in Orientali Ecclesia adesse Græcum moribundum, qui in hoc casu erit in Occidentali dè Latino, qui indiget Viatico, nec adsit ibi, nisi Sacerdos Latinus paratus qui Sacrum confecerit in azymo: poteritne hic Græcus infirmus communicari pro viatico in azymo? Posse puto. Ratio est primò: quia consuetudo gravissima servandi hos universales ritus de azymo, vel fermentato, pro consecratione à Doctoribus citatis asseritur: pro laica Communione, nequaquam. Et ipse V. *cæsar.* 12. suprà allatus dum sic inhibet: *Ne Græci ducant uxores, cipiùe uxorati, Latino more: & Latini Græco ritu, & in alia divina officia celebrent, vel celebrari faciant*, clarè de consecratione loquitur, non de laica Communione. Secundò, quia favet dispatitas non modica: continet enim longè quid minus de ritu Ecclesiæ laica Communio, quàm Sacrificium: hoc enim est actus publicum, illa privata: hoc involvit sexcentas cæremonias, illa satis pauca: in hoc conficitur Sanctissimum Christi Corpus, adeoque conficitur Sacramentum: non illo, solum quod confectum est, distribuitur, &c. Tertiò, quia casus propositus tam rarus est, ut non possit tam sæpè evenisse, ut consuetudinem induxerit. Quæ non possum mihi persuadere piam matrem Ecclesiam invitam censeri in communicando ægroto, per alienum ritum catholicum, unde nullum scandalum, nulla irreverentia, nullus novus ritus inducendus timeatur, & denique propter raritatem eventus, nulla ansa tribuatur sumatur universales consuetudines non servandi, vel omnia timeri facilius poterant in consecrando pro alieno ritum, ut suprà *n. 3.* dictum est.

13. Dico secundò, Græcum in Latina Ecclesia templa sunt Græcorum, & Latinum in Ecclesia Græca ubi templa sunt Latinorum, ex antiquiore consuetudine

debuisse in suo ritu communicare : sed ex consuetudine recentiore saltem in nostris his Siciliæ partibus, eos aliter observare, non immeritò posse. Ratio prioris partis est, quia, ut supra *n.* 5. diximus, ad hoc concessa est, ut illa templa alieni ritus, ut quisque suum servet: intellige cum exceptione dicta *num. præcedente.*

24. Ratio posterioris partis est ea, quam proponendo casum, de quo olim Messanæ interrogatus fui, jam subdo. In nostro Domus Professæ templo singulis mensibus, celebratur solemnis Fidelium Communio, ex privilegio Summi Pontificis concesso, in eam formam, ut qui ibidem Sacram Eucharistiam suscipit, Indulgentiam plenissimam lucretur. Græci ergo nonnulli Græco more Messanæ viventes, solitique in fermentato apud templum S. Catharinæ, vbi Græcus ritus servatur, communicare, interrogaverunt nostros, an possent apud nostrum Societatis templum Eucharistiam in azimo recipere, indulgentiámque lucrari; Ex Fagund. *num.* 10. allato, videbatur multis negativè esse respondendum: Nihilominus putavi non esse illos tanto bono defraudandos, atque adeo posse. Motus fui primò, quia Pontifex dum eum Indulgentiam omnibus Fidelibus concedit, non videtur velle excludere Græcos ibidem commorantes: quare cum ex alia parte determinet locum communionis, ubi non nisi in azimo Eucharistia distribuitur; videtur implicitè concedere facultatem in illa communicandi. Secundò, quia non solum in hoc casu, sed etiam nulla interveniente causa, Panormi, ubi nihilominus exstitit templum Sanctæ Sophiæ, in quo servatur pro Orientalibus orientalis ritus, Auditores nostratum scolarum Græci Græco ritu viventes, passim, in nostris Congregationibus, templisque communicant, perinde ac ceteri Latini, in azymo : id quod, cum ego observassem, atque à P. Francisco Scorso nostræ Societatis viro docto, & erudito, qui uni ex iis Congregationibus Philosophorum præerat, inquisissem: atque à mea interrogatione motus, ab ipsis Græcis esset rem scisciatus, responderunt se sine scrupulo semper ita fecisse, nec esse à sua consuetudine repellendos: quare nec nos repulimus. Tertiò, quia cum ego minimus Theologi munere immerito fungerer apud Illustrissimum Archiepiscopum Montis Regalis Dominum D. Ioannem de Torresigia in visitatione Oppidi La Piana ejus Diœcesis (adveri Græcos non infrequenter in Ecclesia Latina (quæ ibi cum suo Archipresbitero, seu Parocho Latino pro Latinis residet) in azymis sine ullo scrupulo communicare : non verò è contra Latinos in templis Græcorum in fermento. Quare rationem diversitatis inquirere voli: respondérúntque ij Sacerdotes id fieri, quia cum sit universalior ritus Romanus, quàm Græcus, licet Græco Romanum, utpotè universaliorem, sequi : non verò Romano Græcum. Hæc illi. Sed licet ratio hæc nimis probet, probat enim Græcos etiam in Ecclesia Græca existentes, ad libitum, Latinos ritus sequi posse; tamen, & tangit rationem quam ex Suario supra *n.* 4. divimus : satis mihi est, usurpationem illam Græcorum communicandi aliquando in azymo, non statim, ut omnino illegitimam, esse damnandam. Nam propterea, me auctore, à tali consuetudine Illustrissimus Præsul oppidanos illos nequaquam dimovit.

Hactenus resolutione Messanæ data : ex qua, quod probare intendebamus, iam probatum manet.

25. Dico tertiò, de Græco versante inter Latinos, ubi nullum exstitit templum Græcum, & de Latino versante inter Græcos, ubi nullum adest Latinum templum, esse distinguendum. Si enim Fidelis mutavit domicilium, debet regulariter communicare ritu domicilij. Ratio est eadem, ac dicta supra *num.* 7. quia scilicet factus est pars illius Ecclesiæ, in qua sedem fixit. Dictum autem est (regulariter) propter illa, quæ dicta sunt *num* 12. Si verò domicilium non mutavit, sed est iter agens, vel incola per aliquod tempus, poterit communicare, ut licet, vel in azymo, vel in fermentato. Ratio est eadem, quæ dicta est *eodem num.* 7. quia scilicet probabile est Peregrino dari facultatem; sed non obligationem sequendi ritus loci. Ex defectu tamen proprij ritus oriri solet, ut is astrictus sit communicare semper in alieno, quando suus non adest. Ita Montis Regalis, vbi nullum est templum Græci ritus, Græci adolescentes ex dicto Oppido La Piana, alias Græco ritui addictissimi, in azymo semper, more Latinorum, cum fermentato careant, communicant.

## CAPVT III.

## De iis, quæ ad communionem pertinent postquàm peracta est.

### §. I. *An statim à Communione comedere liceat.*

1. Licet maxime consulendum sit à peracta Communione non statim ad comedendum evolare; tamen id in præcepto non est. Ita Valentia aliique quos citat, & sequitur Layman. *lib. 5 tract. 4. c. 6. n. 24. in fin.* & Marchin. *de ord. tract 3 p. 3. in fine.* Nec obstat capitulum, *Tribus gradibus, de Consecr. distinct. 2.* vbi ei, qui mane sumpsit Eucharistiam, præcipitur jejunium usque ad sextam : & ei, qui sumpsit tertia, vel quarta hora, idem præcipitur usque ad vesperam : non obstat, inquam, quia, is Canon jam est usu abrogatus. Facit ad hoc id quod dicam mox §. 4. *n.* 2. *in fine.*

### §. II. *An statim ab accepta Communione expuere liceat.*

2. Certè congruum est expectare aliquantisper : diu enim necesse non est; cum species Sacramentales, natura sua, in stomacho cito corrumpantur; de quâ re vide §. 4. *n.* 4. nihilominus, statim postquam non est periculum, quod aliquod fragmentum in ore remanserit, expuere, non est illicitum. Ita Marchin. *ibid.* quia nullum hac de re præceptum extat.

### §. III. *An aromata ruminare, ad evocandum phlegma liceat statim à communione.*

3. Licere, sicut licet expuere, secluso metu fragmenti in ore relicti, quia nullum præceptum est in oppositum, colligi potest ex modo dictis §. *præcedenti.* Et confirmatur, nam sputum, seu saliva ex capite defluit in os : ut habet, præter Medicos, S. Gregorius *Homil. 10 lib. 10. in Ezechiel. ante medium.* Non est igitur cur timeatur irreverentia sacris speciebus, quæ dum indigestæ sunt, in stomacho resident. Illud autem phlegma, quod Mastice, Pipere, Tabacco, vel simili evocatur, sputum est, & saliva. Nam si quando adhibeatur aliquid ejusmodi, ut vomitus à stomacho excitetur, longe alia ratio est, de quo jam subdo.

### §. IV. *Quando liceat infirmo, post peractam Communionem evomere.*

4. Accidit nonnunquam, ut supra Communione, indigeat quis vomitum provocare. Quandonam id licebit?

Puto licere post horam : quia tunc sacræ species digestæ regulariter sunt. Ita Ioan. Sanchez *in select. disp. 38. num.* 2. Dixi (regulariter) nam certum in valido stomacho, vel in minori quantitate, citiùs : infirmiore, vel in maiori quantitate, tardiùs digestio, illatum fieri poterit. Novi ego infirmum, qui integrum sacrum orbem, post mediam horam, aliquanto plus, superveniente singultu, evomuit. Si quando ergo tibi post horam provocanti, etiam occurrat; per accidens erit : & illud de illis sacris speciebus fiat, quod diximus suprà *cap.* 1 §. 5. *num.* 14.

Delugo *de Eucharist. disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 34. ex Medicorum placito probat formulam communem, quæ Lucis ad Communionem distribui consuevit, corrumpi in

stomacho mediocri, spatio minuti unius horæ, hoc est, in sexagesima parte unius horæ, & majorem hostiam cum vini speciebus quæ solent sumi à Sacerdotibus, corrumpi spatio semiquadrantis horæ, vel certè quadrantis. Hæc ex Delugo. Ex qua doctrina colligere aliquis duo posset. Alterum id quod dixi ægroto post mediam horam sacrum orbem evomente, fuisse valde per accidens: alterum provocari vomitum etiam ante transactam horam, sine irreverentia posse. Sed certè hæc non sunt facile colligenda, tum quia non est certum, Hostiam laicalem vel majorem digeri eo temporis spatio quo dictum est: tum quia, vis concoctrix cum à stomachi calore, & robore pendeat, idque in variis personis pro circumstantiarum varietate sit varium, non videntur resolutiones ei principio nixæ adeo securæ, ut sine peritiore disquisitione vel excipi, vel in praxim deduci debeant.

5. Dixi iterum (regulariter) quia in casu veneni licet evomere etiam statim à Communione. Quando enim moveretur quis, quod species à se sumptæ venenatæ fuerint, poterit statim. Et quidem tunc de iis adaptari poterit illud, quod in simili dixit S. Thomas *in 3. part. quæst. 83. artic. 6. ad 3. Calix vitæ verti in mortem non debet.* Idem propter paritatem rationis esset, si venenum fuerit immistum in ablutione, vel quocumque cibo, quem quis post Communionem sumpserit.

6. Sed quid, si Fidelis jam proximè Eucharistia refectus incidat in febrim, vel similem morbum, propter repletionem v.g. diei externi, ac Medicus vomitum consulat: vel ipsemet experientia novit vomitu sibi sedari malum consuevisse? Dico, si grave sit malum, ita ut ni statim à Communione evomat, iure timeatur mors, vel gravissima infirmitas; eamdem esse rationem, ac de veneno: jam enim vicem veneni gerunt ij pravi humores in stomacho: casum tamen rarò evenire in facto posse censeo. Regulariter ergo erit tamdiu expectandum, quamdiu iudicabitur sacras species in stomacho fuisse corruptas, ut modo dictum est *n. 4.*

### §. V. *An sit novum, vel majus peccatum illud, quod ipsa die Communionis committitur.*

7. EO die, quo communicas, diligentius in virtutum actibus te exercere, decentius esse, quis ambigit; At nec esse novum peccatum, nec mortaliter saltem aggravari illud, quod eo die patratur, quo communicasti; mihi, & omnibus certum esse debet: citra enim contemptum (cum quo semper esset novum mortale) unde addi possit tam rigorosa gravitas non apparet.

### §. VI. *An post peractam Communionem liceat eodem die ad uxorem accedere.*

8. EX bono fine, ut ex amore prolis, vel ad evitandum incontinentiæ periculum, vel ad reddendum debitum, licere non est dubium. Quæstio igitur solum est? an sit veniale debitum petere causa solius voluptatis. Esse veniale docet Sylvester, Angelus, Beja apud Marchinum *de ord. tract. 3. p 3. cap. 2. num. 16.* Nullum esse peccatum tenet Sanchez *de matrimon. lib. 9. disput. 13. num. 17.* & meritò: quia, quamvis sanum sit consilium eo die abstinere; tamen non est unde prohibeatur: dummodo non fiat statim à Communione: tunc enim magna videretur irreverentia.

9. Dices, idem Sanchez *ibid. num. 8.* ut nos supra *cap. 2. §. 1. num. 5. in fin.* citavimus, docet esse regulariter veniale accedere ad Eucharistiam post copulam exactam ob delectationem; ergo per ipsum debet esse etiam veniale accedere ex voluptate ad uxorem post accessum ad Eucharistiam: par enim irreverentia apparet utrobique, vel certè utrobique nulla. Respondeo negando adesse parem rationem: nam copula habita ex delectatione solet afferre, ut *ibidem* diximus ex eodem Sanchez, mentis hebetudinem, magnámque distractionem, quæ voluntaria distractio in bona sententia superiùs allata *cap. 1. §. 5. n. 13.* ab eo qui communicat, reverentiam fugienda est: at peracta jam Communione ad alia negotia sponte differre non prohibemur.

## CAPVT V.

## De Præcepto Communionis Paschalis.

1. AD Sacram Eucharistiam percipiendam sive præcepto humano, sive divino, obligantur Fideles Paschate: *cap. Omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* id est, instante morte. Sic Delugo *disp. 26. de Euch. sect. 1.* Quoniam ergò de singulis est sigillatim agendum, primùm facimus à præcepto Communionis Paschalis. Refertur *in cap Omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* habetur. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno, confitens fideliter omnia peccata sua, suscipiens reverenter, ad minus in Paschate, Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: aliàquin, & vivens ab ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Hæc Canon Innocentij III. in Concilio Lateranensi. Si singulas ejus clausulas breviter percurramus, multa, quæ huc pertinent, bono ordine explicabuntur.

### §. I. *Omnis utriusque sexus Fidelis.*

#### *Ubi, quid de non Baptizatis, Energumenis, Fatuis, & similibus.*

2. RECTè (Fidelis) nam Ecclesiæ præcepta nec Infideles, nec Catechumenos, utpote nondum introductos afficiunt. Sed etiam per Baptismum introductos afficiunt. Sed quos cum Delugo *de Euch. disp. 16. sect. 2. n. 17.* probabiliter opinari, non baptizatos, teneri sub mortali, ad baptismum reddere aptos ad Communionem: nisi peccare dupliciter. Primò, quia respuunt Baptismum. Secundò, quia capaces se Eucharistiæ reddere negligunt. Verùm, alios ejusmodi secundum præceptum non etiam scio. Sic Sotus apud eundem, & meritò: debet præceptum; quod Christus indeterminatè dedit, determinandum pro tali, vel tali tempore ab Ecclesia. Cum igitur Ecclesia non determinet pro non baptizatis, qui ad ipsam non pertinent, remanet pro his illa determinatio, atque adeo nulla obligatio: siquidem ex determinatum obligari potest nemo.

3. Iam verò ut sciamus, quinam ex Fidelibus obligentur in Paschate communicare; videndum est quinam ex iisdem, communicare posse concedatur: non omnes comprehendit illud. *omnis utriusque sexus.*

#### *De Energumenis.*

Dubitatur ergo primò, an Energumenis denegetur communio; & consequenter, an sint in Paschate ad illud obligandi. Sanè Energumenis olim, propter decentiam negabatur communio: postea tamen concessa est, ut patet ex Concilio Arausicano primo *can. 14.* apud Vasq. *in 3. part. char. disp. 212. c. 4.* semper intellige, dummodo cætera requisita non absint, ut nimirum Energumenus: devotus sit, non sit periculum irreverentiæ, &c.

#### *De Fatuis, Stolidis, Surdis, Mutis, &c.*

4. Dubitatur secundò, an liceat semifatuis (qui omninò, & perpetuò amentibus nunquam, licet rarò sani) Communionem, ut etiam stolidis: quales sunt multi Africani, similésque debilem usum rationis habentes. Ego his non esse denegandam, si non sit periculum irreverentiæ. Ita S. Thom. *3. part. quæst. 80. artic. 9.* communiter. Idem censeo de amentibus, quando habent aliquod lucis rationis intervallum. Sic Ioan. Sanchez

*fleet. disp.* 38. Idem de mutis & surdis, etiam à nativitate. Sic Diana *p. 6. tr. 6 re s. 7.* tum quia hi solent esse perspicacioris ingenij : tum quia satis est, si mediocri rationis usu potiantur ; ex Sanch. *de matr. lib. 2. disput. 8. num. 12.* Neque obstat prædictos omnes aliquando debiliore ratione usu pollere, quam polleant pueri decennes, v. g. quibus nonnulli, ut infra dicemus, communionem interdicunt : non obstat, inquam, nam pro his est spes perfectioris iudicij, quo habito ab Eucharistia non excluduntur: at illis, cum non sperentur meliorandi, semper deneganda esset, quod non patitur pia mater Ecclesia. Semifatuis, aliquando, non semper, ne ex frequentia concipiant irreverentiam, ut notat Ianuarius, *p. 1. Resp. 17.* His qui usum rationis habuerunt, quem deinde amiserunt, nec constat amisisse in peccato mortali, non esse denegandam Eucharistiam in articulo mortis, immo & aliquoties extra illum piè, & probabiliter, docet Villalobos *in manual. c. 4. n. 17.* præsertim si retinent reverentiam huic Sacramento debitam, luceque aliqua rationis, ut modo dixi, fruantur aliquando : quales plerumque sunt Religiosi, qui quamvis in amentiam inciderint retinent feres semper bonos habitus.

Bauci *in sing. casu. 174.* ait amentibus ab infantia non esse dandam Eucharistiam, quia iudicandi sunt perinde atque infantes. Rectè. Ita enim docetur communiter. Verùm ibid. addit apud Layman. *de Euch. c. 4. num. 4.* iis qui post usum rationis in amentiam inciderunt. Eucharistiam dandam esse dumtaxat in mortis articulo ; citatque Conc. Arausican. & Carthag. quod refertur *causa. 26. q. 6. c. 7.* Sed in hoc textu, in quo est quidem sermo de sumpt. Euchar. solum habetur de re nostra. *Amentibus etiam quacumque pietatis sunt conferenda sunt* : quare illud ( dumtaxat in articulo mortis ) vel de suo addidit Bauci, vel sumpsit ex Glossa ibidem marginali, id quod, ut vidisti, non approbat valdè piè Villalobos.

Hi omnes de quibus in hoc § locuti sumus, ita demum obligantur communicare in Paschate, sicuti pro iudicio, quod participant, sunt obligationis capaces.

Dubitatur tertiò de phreneticis, seu de iis, qui habuerunt usum rationis, instante tamen morte, amentes fiunt. Sed de his proprius locus est paulò post *c. 5. §. 9.*

Dubitatur quartò de pueris, de quibus iam subdo.

### §. II. *Postquam ad annos discretionis pervenerit.*

## Vbi, an Impuberes subdantur legibus, & pœnis latis ab homine.

1. INfantibus nostra hac ætate, non esse dandam Communionem, saltem ex tacito Ecclesiæ præcepto certum est.

Dubium ergo superest, de pueris usum rationis jam attingentibus. De quibus duplex est sententia: Prima dicentium majoris discretionis usum requiri, ut puer Communicet quam ut Sacramentaliter confiteatur. Ita Suares, aliique cit. à Ioan. Sanchez *mox* citando. Ratio est, quia in dicto cap. *Omnis utriusque*, præceptum confessionis fertur absolutè, *semel in anno confiteatur*. Unde satis est communiter ætas inter septimum, & octavum annum quando incipit discretionis usus : at præceptum communionis fertur cum restrictione reverentiæ, *suscipiens reverenter Eucharistiæ Sacramentum*. Quare requiritur ( inquit hæc sententia ) ætas inter decimum, & decimumquartum, quando scilicet, secundum iudicium Confessariorum, & multo maius parentum, qui melius filios norunt, æstimantur sufficienter discernere inter cibum, & cibum, &c.

6. Secunda sententia est dicentium eandem ætatem ad Communionem sufficere, quæ ad Confessionem : nempè aliquanto plus, quam septennium. Ita Ioan. Sanchez *in sel. disp. 16.* Castrop. *de legib. disput. 1. p. 24. §. 2. num. 7.* non enim minus debet puer pro confessione discernere, quia, qualisve debeat esse dolor peccatorum, quanta sit offensa Dei, quo animo petenda venia, &c. quam pro Communione, quid sit cibus ille, quæ quantaque devotio requiratur, & similia. Cum ergo ad illa cognoscenda satis sit ætas intra septem, & octo annos ; eadem sufficiet ad hæc.

Vtraque sententia est probabilis : unde sequitur à te posse obligari puerum post septennium ad Communionem Paschalem, cum posteriore sententia : posse eximi, usque ad decennium, & aliquando plus, cum priore.

### *An pueri subiaceant legibus humanis, quoad culpam.*

7. SEd jam hic solemne illud resolvendum est dubium, an pueri qui ob perfectum rationis usum in utraque sententia possunt ; debeant tamen sub reatu peccati mortalis, & sub pœnis ab Ecclesia inflictis ante pubertatem communicare. Hæc difficultas petit universales illas duas. Quæst. Primò, an ante pubertatem pueri subiaceant legibus humanis, quoad culpam. Secundò, an iisdem subiaceant, quoad pœnam : quas breviter discutere abs re non erit.

8. Quòd ad primam : fuerunt quidam, qui affirmarunt pueros, usque ad decimum quartum annum, & puellas, usque ad duodecimum completos ( tunc enim est terminus, in quo incipit pubertas, ante semper dicuntur impuberes ) non teneri legibus humanis, etiam Ecclesiasticis, ne quoad culpam quidem : unde contra agendo, non peccare.

Nam propterea fortè Emmanuel Sà *in genuina antiqua impressione V. Confessio num. 3. in meo Codice impresso Venetiis 1602. apud Ioan. Baptist. Ciottum sub signo Auroræ*, sic habet. *Etsi, quidam putant teneri ad confessionem, qui habet usum rationis, scilicet cum pudet malefacti, tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem.*

In hoc tamen Emanuelis dicto advertendum est, in emendatis novis impressionibus, addita fuisse aliqua verba satis restrictiva, in hunc modum: *Tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem, quoad pœnas non confitentibus impositas* Id quod est longe diversum à germano Emmanuelis dicto.

9. Præterea Henriquez *lib. 8. de Euch. c. 42. 2. 4.* putat Ecclesiæ præceptis non obligari pueros statim, ac usum rationis habent : & *lib. 3. de excom. c. 49. n. 2. lit. N.* assetit dari his laticinia, in die jejunij, licet habeant usum rationis. Quantum autem, ut obligentur expectandum sit, nequaquam decernit. Denique Sotus *in 4. dist. 12. q. 2. à 11.* favetque ex parte S. Antoninus *2. p. tit. 9. c. 8. §. 6* affirmat usque ad duodecimum annum non teneri pueros ullis Ecclesiæ præceptis ; & consequenter, nec confessionis.

10. Vera tamen sententia docet pueros statim ac usum habent rationis ; humanis, atque adeo Ecclesiæ legibus astringi, nisi fortè expressè eximantur : ut certè à præcepto jejunij, usque ad vigesimum primum completum, eximuntur. Ratio convincens est, quia puer eo ipso quòd usum rationis participat est capax obligationis legis humanæ, sicuti est capax legis naturalis, & divinæ : ergo non est unde eximantur quando lex fertur pro omnibus nec ipsi excipiuntur. Ita communiter D D. Salas, Suar. Azor. alij, &c. quos, citat & sequuntur Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. p. 6. n. 8.* Sanch. *lib. 1. in decal. c. 12. n. 6.* qui expressè loquuntur de præcepto auditionis Missæ, de abstinentia à carnibus, de præcepto Confessionis annuæ. Et quidem de hac confessione videtur minus esse dubitandum : siquidem Canon, *Omnis utriusque sexus*, videtur hos comprehendere, cum præcipiat, *ut omnes Fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, semel in anno confiteantur si sibi sint conscij peccati mortalis* : at hi pueri ad annos discretionis pervenerunt, ut supponimus.

### *An pueri subiaceant legibus humanis quoad pœnas.*

11. QVoad secundam, quæ est difficilior disputatio, & controversa magis, triplex est sententia.

Prima docet pueros usum rationis ante pubertatem habentes non astringi censuris, & pœnis ab homine latis, astringi tamen à latis in jure communi. Ita Azor. Sotus, Vasquez, Thom. & Ioan. Sanchez ab eodem Ioanne citati *in sel. disput. 51. num. 31.* Ratio est (inquiunt) quia in jure *cap. 1. & 2. de delictis puerorum*, eximuntur pueri à pœnis latis (ut ipsi explicant) à judice: non verò à latis à jure. Addunt rationem convenientiæ, cur ipsi ita explicent, esse quia ad incurrendas pœnas latas ab homine requiritur ordo judiciarius, v. g. citatio, defensio, &c. ad quæ apti minimè sunt pueri: at verò ad incurrendas pœnas latas à jure, cum hæc non requirantur, apti erunt pueri, a proinde illas legitimè incurrere poterunt.

12. Secunda sententia opposita est dicentium, nullam prorsus pœnam vel censuram sive ab homine, sive à jure latam incurri à pueris ante pubertatem. Ita Sà *V. Censurarum 2.* & Fagund. *præc. Eccl. 2. lib. 1. cap. 3. n. 14.* Ratio est, quia adest decisio clara *cap. 1. & 2. de delictis puerorum*, ubi pueri infra decimumquartum annum à pœnis simpliciter eximuntur: quæ cum universaliter loquatur, & ex alia parte, odia restringi debeant, non est asserendum decisionem loqui dumtaxat de pœnis latis ab homine: ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: multo minus si distinguentes extendamus leges odiosas.

13. Ex qua secunda sententia sequitur hos pueros clericos rixantes, seque invicem percutientes non incurrere excommunicationem. *Si quis suadente, &c.* Ita Molin. allatus à Fagund. *ibid.*

Sequitur secundò: eosdem omittentes confessionem annuam, vel Communionem Paschalem non incurrere excommunicationem, fortè in aliqua Diœcesi contra non confitentes, vel non communicantes latam. Sic Ioan. Sanchez *in select. disp. 26. n. 18.*

Sequitur Tertiò: eosdem aliquem occidentes non incurrere irregularitatem. Sic Avila, Henriq. citati à Ioan. Sanch. *ibid* contra Thom. Sanchez, & Granadum ab eodem citatos.

Sequitur. Quartò, eosdem committentes crimen in Bulla Cœnæ non incurrere excommunicationem Pontifici reservatam, & similia quæ multum dilatare poterunt conscientiam Confessariorum. Notatur etiam à Suario *disput. 5. de censuris, sect. 1. num. 19.* in interdicto loci, tales impuberes si illi contraveniant, peccare quidem contra præceptum in Interdicto latum, non verò incurrere pœnam impositam. Ratio autem prædictorum illa est, quia licet ejusmodi pueri, cum sint rationis capaces, culpæ subiaceant; non subiacent tamen pœnis.

14. Tertia sententia docet prorsus omnia, quæ docet secunda sententia: addit tamen limitationem. Existimat enim solam excomunicationem latam ob percussionem clerici in cap. *Si quis suadente*, contrahi à prædictis pueris, cæteras omnes non contrahi. Ratio est, inquiunt, quia in cap *Super eo, cap. pueri, cap. Quamvis, de sententia excommunicationis* pueri doli capaces mittuntur ad Episcopum, ut absolvantur à percussione Clericorum: quamvis non ad summum Pontificem, cui aliàs talis excommunicatio est reservata. Si igitur mittuntur ad Episcopum, ut absolvantur; jam supponuntur excommunicati.

Tres viri insignes, ut alios taceam, tenent hanc tertiam sententiam: scilicet Thomas Sanchez *in decal. lib. 1. cap. 12.* Ioannes Sanchez *in sel. disp. 26. n. n. 18.* & Castropalaus *de leg. disp. 1. p. 24. §. 2. n. 9.*

15. Quoniam verò hi textus, quibus ipsi innituntur, diligenter perpensi, rem apertè non decidunt; ideo judico secundam sententiam esse satis probabilem, nec tamen sua probabilitate carere primam, & tertiam.

Sed amabo te expendamus prædictos textus: inveniemus enim germanam textus interpretationem, vel à doctissimis ipsis viris, quando cursim loca leguntur, interdum effugere.

16. In cap. *super eo, primo de sententia excommunicationis*; sic habetur: *Quod si clerici infra pubertatem ad invicem, aut unus alterum percusserint; non Apostolicam Sedem mittendi: quia eos ætas excusat.* Advertis: non dicit esse mittendos necessariò ad Episcopum, nec dicit eos incurrisse in pœnam excommunicationis, sed solum eos eximi à recursu ad Pontificem. Et dicto colligi bene potest, eos non incurrere excommunicationem Pontifici reservatam: at verò, quod minus incurrant excommunicationem ab Episcopo solvendam, colligi non potest; absurda enim est consequentia, Non incurrunt excommunicationem Pontifice absolvendam, ergo incurrunt excommunicationem absolvendam ab Episcopo. Vel, Non incurrunt excommunicationem Papæ reservatam: ergo incurrunt excommunicationem. Ego enim contendo, illos à Pontifice absolvendos, lem non incurrunt, nullam incurrere: quia nulla nisi Papalis hæc in re fulminata est.

17. In cap. *Quamvis eodem* sic legitur. *Inviolabilem Canonem, non nisi ab Apostolica Sede est absolvendum, imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut opia puerili, vel simili ætate, fragilitate sexus, alia potentia sive quolibet impedimento canonico* Et paulo post: *Cæterum qui temporali impedimento boranti (exceptis pueris) sub juramento, ut cessato pedimento, ad Apostolicam Sedem accedat, sua* vendi. Hæc ibi: vides excipi pueros à recursu Pontificem: certè, dicam ego, quia supponuntur incurrisse in excommunicationem Papalem, unde nullam, quia nullius alterius meminit sacer textus.

Neque obstat, quod pueri cum cæteris, qui Pontificiam excommunicationem incurrunt, numerantur *puerili vel simili ætate, &c.* Non obstat, inquam: enim factum est, non quia ipsi incurrunt in excommunicationem Canonis, *Si quis suadente*, sed quia ejus ipsi verò contra dictum Canonem, quoad culpam, non agendum est de pueris, de quibus loquimur

18. In cap. *Pueri eodem*, sic habes: *Pueri, qui in nonem inciderunt sententiæ promulgatæ* non dicit in communicationem seu censuram, sed in Canone, in quo sententia excommunicationis, pro adultis promulgata est) *sive ante, sive post pubertatem possint solvi potest diœcesanus Episcopus absolutioni beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis in qua fuit excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.* Habes Canon. Notas? Dicitur ab Episcopo ejusmodi pueri absolvi posse: at posse etiam ab aliis legitimis Confessariis, qui Episcoporum sunt adiutores, non negant. Meritò igitur colligi potest, eos ab excommunicatione licet non à culpa, liberos esse.

## §. III. *Semel in anno confiteantur.*

### Vbi obiter de præcepto annuæ Cnofessionis.

19. QUamvis, id præsentis instituti non sit nihilominus, ne pars aliqua omittatur Canonis; quem susceptimus enucleandum, etiam hoc de annua confessione præceptum, per hanc occasionem explicare, non erit inutile.

*Quos obliget hoc præceptum.*

Hoc ergo præceptum omnes Fideles, etiam pueros sufficienter usum rationis post septennium habentes comprehendere, jam patet ex dictis, præsertim *num. 11.* Dico post septennium: nam si ante sint doli capaces, non comprehendi, docet Io. Sanch. *in sel. disp. 51. n. 12.* cum id per accidens sit, ad quod Ecclesia non respexit.

Quid si post septennium dubium sit, an sufficiente rationis usu polleant? Respondeo nec obligari: quia præceptum Ecclesiæ est de Confessione absolutè facienda: at hi cum non possint ferre materiam certam, id est peccatum mortale certum, non possunt illo absolu-

nisi sub conditione, ut dixi *in Methodo Confessionis*, *l.2. cap.1.§.3. n.18.* Quare in illos cadere non potest dicta absoluta obligatio. Quod si ferant certum peccatum veniale, ad quod committendum minor usus rationis requiritur, ex alio capite non obligantur, nempe quia ad venialia confitenda hoc præceptum non obligat, ut jam subdo. Adde quod dicam *c.5.§.8.n.14.in fin.*

20. Petes, an hoc præceptum obliget eos, qui solis peccatis venialibus aggravantur? Respondeo. Non obligare. Ita Suarez *de pœnit. disp.36. sect.2.* aliique. Sicut enim Christus Dominus (licet indeterminatè quoad tempus) non tulit præceptum, nisi de confitendis mortalibus; hæc enim sola divinam ab anima gratiam expellunt; ita Ecclesia, non nisi de iisdem præceptum ad tale tempus determinavit. Quod si in Iubilæis; quando requiritur confessio, intelligitur etiam cum Sanchez *de matrim. lib.8. disp.15. num.19.* ex opinione probabili, de venialibus; ideo est, quia tunc confessio, in eadem opinione, requiritur, ut unum ex bonis operibus assignatis sicuti eleemosyna, oratio, &c, quod non est in casu nostro. Dixi (ex opinione probabili quia nimirum id etiam probabiliter negant Suar. *de pœnit. disp.52. sect.3. n.5.* Fagundez *præc. Eccl.2 lib.2.c.2.n.11.*

*De tempore huius obligationis.*

21. Iam verò quando obligat hoc præceptum? Respondeo. Cum Canon, quoad Confessionem dicat *semel in anno*, quoad Communionem, *in Paschate*, patet latius tempus in Confessione, quam in Communione notari, nempe totius anni latitudinem.

Nec obstat praxis Fidelium confitentium in Paschate: id enim factum est, non animo introducendi consuetudinem obligatoriam, sed propter Communionem, quæ tunc peragenda est. Quare si quis mortalia confessus est intra annum, non obligabitur confiteri in Paschate alia mortalia de novo eodem anno fortè commissa, nisi per accidens, id est, ob Communionem: & sic, si proter infirmitatem, vel aliud impedimentum, communicare tunc non poterit, confiteri non obligabitur. Sic Layman *l.5. tr.6. c.5.n.10.* Coninch. *de pœn. disp.5. n.33.* quidquid dicat Nunnus *t.2.in 3.p.q.6. art.5. diff.1. concl.4.* pari modo, etiam si periculum sit obliviscendi peccata, quæ deinde committit; non obligabitur confiteri ante sequentem annum: solum enim ad unam confessionem de mortalibus faciendam in anno ex præcepto compellimur.

22. Præterea, qui validè confitetur, sed sive per oblivionem, sive ex aliqua causa sine culpa, aliquod peccatum mortale omisit; non obligatur ex vi præcepti huius anni, eodem modo confiteri, quia jam implevit præceptum. Ita Hurtad. *disp.7. de pœn. diff.11.* obligatur ergo solum illud fateri in anno consequenti, vel certè (ut impleat præceptum subdendi clavibus omnia mortalia, in periculo mortis, vel denique ante Communionem iuxta dicta *c.1.§.8.*

23. Qui verò, quia solis venialibus peccatis erat obnoxius, illa sola in prioribus v. g. sex mensibus anni confessus est, si deinde incidat in mortale, obligatúrne in eodem anno illud confiteri? Respondeo obligari docent Vasquez *de pœnit. quæst. 90. art. 3. dub.1. num 16.* Hurtad. *de pœnitent. disput.7. diff.11.* quia per hoc præceptum (inquit) determinatur præceptum Christi, quod fuit solùm de mortalibus, ut supra dictum est *num.20.* Ergo illi non satisfit nisi per confessionem mortalium, quæ fuit præcepta, non verò per confessionem venialium: Ergo cum prædictus illam mortalium non fecerit in prioribus mensibus, in posterioribus facere obligabitur.

24. Ex qua doctrina sequitur eum, qui confessiones exhibuit, vel frequentissimas de venialibus in undecim mensibus, & viginti novem diebus anni, si in vltimo die mortaliter peccet; obligari eodem die, ni aliquo legitimo impedimento excusetur, (ut certè facilè in tali angustia temporis inveniri poterit) antequam exspiret annus, illud confiteri: quia per illas præcedentes venialium confessiones præcepto annuæ confessionis non satisfacit. Hoc autem durum alicui videri posset. Scio Ochagaviam *de Sacram. tract.2.q.9.* putare per confessionem venialium satisfieri præcepto Ecclesiæ: in qua opinione, si vera esset, non urgeret hæc difficultas: sicuti etiam non urgeret si annus in hac materia computaretur secundo modo ex dicendis mox *n.25.*

25. Quatuor enim modis ejusmodi annus computari seu incipere, ac terminari potest.

Primò à confessione mortalium, quam tu quandocumque feceris, ad aliam confessionem, quam facturus es: ne scilicet intra unam, & aliam intercedat plusquam annus. Ita Sotus *in 4. dist.18 art.4* Valent. *in 3.p.quæst.9. punct.4.*

Secundò à tempore, quo peccatum mortale commisisti, usque ad confessionem, quam facturus es: Ita Ioseph de August. *in brevi notitia præcept. Eccles.3.n.1.* scilicet intra peccatum commissum, & confessionem prius, quam annus prætereat

Tertiò à Pascha, ad aliud Pascha, seu in aliquibus Diœcesibus à Quadragesima usque ad aliam Quadragesimam: qui videtur esse pro hac re annus Ecclesiasticus, Ita Suarez *de pœn. disp.36. sect.3.* Coninch *de pœn. disp.5. n.54.* Pascha autem, seu Quadragesima hic accipitur pro illis diebus, intra quos præcepta est Communio: ita ut omnis confessio quæ fit ante Dominicam *in Albis* inclusivè, censeatur spectare ad annum præcedentem: quæ verò post, ad sequentem.

Quartò à primo Ianuarij ad finem Decembris, qui est annus communis & civilis. Ita Vasquez *de pœn. q. 90. art.3. dub.1.n.15.*

26. Ex his annum computandi modis, primi duo præ-dicto Suario non placent, & meritò: quia illa verba (*semel in anno*) quibus latum est hoc præceptum, videntur significare certos terminos, & determinatos pro omnibus, non verò singulos pro libertate, seu determinatione singulorum: ut cum dicitur, *Semel jejunes in mense, semel jejunes in hebdomada*, non intelligitur nisi à determinato intio mensis, vel hebdomadæ ad determinatum finem, &c. Dicendum igitur est, duos posteriores modos esse utrosque probabiles. Ratio est, quia verba illa legis, *semel in anno*, utrumque sensum facere possunt: annus enim, & probabiliter, potest sumi Ecclesiasticus, & probabiliter civilis.

27. Dices, at sequitur posse quempiam confiteri in principio anni unius, & in fine alterius, & sic differre quasi per biennium confessionem.

Respondeo. Etiam Sacerdos potest recitare, sine mortali, officium hodiernum, initio hujus diei, & crastinum in fine ejusdem diei crastini, & sic quasi per biduum differre recitationem. Nec igitur id in casu nostro inconveniens est, posita tali forma præcepti.

28. Porro; qui ne semel quidem, confitetur in anno, obligabitúrne confiteri statim incepto anno sequenti? Respondeo. Quamvis multi cum Coninch. *de pœnitent. disp.3. num.61.* Ioseph. de Augu. *in brevi notitia præcept. Eccles 3. num.4.* probabiliter contendant obligari: unde ni statim confiteatur; novo inquiunt & continuato peccato peccat; Tamen probabile etiam est, non obligari. Sic Valentia *tractat. 4. disputat.7. quæst.8. part.3. §. Tertio notandum*, Filliuc. *tom.1. tract.7. cap.3. num.45.* Ratio hujus est, quia hoc præceptum non est ut putant adversarij, primariò de confessione, & secundariò de tempore, ut cum quis vovet, vel ei à confessario pro satisfactione, imponitur jejunium, v. g. qui si non potest uno die, debet alio jejunare; sed est præceptum, Confessionem, & tempus æquè respicicus: est enim præceptum addictum tempori, videlicet anno, seu duodecim mensibus, ut patet ex vi illius (*semel in anno confiteatur.*) Illo igitur transacto? peccavit quidem Fidelis, sed non amplius præceptum prætériti anni illum urget, urget solum præceptum præsentis anni. Sic Sacerdos habet obligationem pro toto uno die, hoc est, viginti-

quatuor horis recitandi divinum officium: at illis transactis, non remanet obligatio præteriti diei, sed supervenit obligatio diei præsentis. Atque ex hac probabili sententia, sequitur eum, qui ob aliquod legitimum impedimentum, toto uno anno, v. g. propter inopiam Confessarij, non est confessus, non obligari in anno sequenti nisi ad unam cõfessionẽ intra ipsius anni latitudinẽ peragendam.

*Causæ excusantes ab annua Confessione.*

29. Illud nunc supereſt brevitè adderer, an aliquando ab ejusmodi annua confessione Fideles excusentur.

Dico cum Coninch. *de pœnit. disp. 5 n. 73.* excusari: & primò quidem eos, qui physicè non possunt: ut qui carent Confessario, &c. Secundò eos, qui prudenter timent revelationem sigilli, aut ne ipse confitens incurrat in grave odium ipsius Confessarij. Tertiò eos, qui confiteri non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, &c. Nam ut *toties* dictum est, præcepta positiva non obligant cum tanto rigore. Incommoda, quæ oriuntur præcisè ex ipsa confessione, ut magna erubescentia, vel timor quòd teneatur quis à Confessario pro peccatore, non excusat: quia secus magni peccatores non tenerentur confiteri. Magnam erubescentiam excusare subditum ad confitendum reservata apud Superiorem docent Navarrus, & Sylvester apud Ludovicum à Cruce *de Bulla Cruc. disp. 1. cap. 3. dub. 3. n. 11.* adde Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 19. num. 9.* sed non placent: quia sic enervaretur vis reservationis. Quod si subditus per pium Confessarium petiit à Superiore, & non obtinuit licentiam alteri confitendi: diximus *cap. 1. n. 18. iuncto n. 28.* quid habeat remedij.

30 Hinc sequitur, si non possum adire, vel vocare Confessarium, nisi conficiendo longum, ac laboriosum iter me excusari. Quale autem tale sit, ex diversis circumstantis temporis, personarum, & similium, iudicio prudentis, est expendendum. Vnde quæ dixi *supra c. 1. §. 6. num. 19.*

31. Quod diximus de confessione, ut semel hic dicam, de Communione Paschali dictum esto: par enim est ratio.

32. Illud benè advertit Coninch *de pœnit. disp. 5. n. 74.* facilius Fideles excusari ab hac annua confessione, quæ tandem est ex Ecclesiastico præcepto, quam à confessione facienda, urgente mortis periculo, quæ est ex præcepto divino: tunc enim urgentior excusationis causa, ut per se patet, exposcitur.

33. Qui autem fecit confessionem invalidam, sive ex defectu doloris, sive ex defectu integritatis confessionis, sive ex defectu absolutionis, &c. non excusatur: sed debet denuo, antequam annus evolet, validè confiteri. Sic Suarez *de pœnit. disp. 36. sect. 7. n. 3.* Coninch,. *de Sacram. disp. 5. dub. 9.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num 11.* & alij communiter. Ratio est, quia non fecit quod præceptum fuit: fuit autem præcepta confessio Sacramentalis, quæ si est invalida, confessio non est. Ni denuò confiteatur, subiacebit pœnis non confitentibus impositis. Sic Fagundez *præcept. Eccles. 2. lib. 1. cap. 4. n. 12.* contra Henriq. *lib. 5. cap. 4. §. 1.*

34. Neque obstat quod ex communi doctrina, qui vel cum peccato mortali, vel etiam excommunicatus, ex Fagund. *præc. Eccl. lib. 1. cap. 6. num. 5.* communicat in Pascha te, satisfacit præcepto, nec subiacet pœnis contra non communicantes inflictis: non obstat, inquam, quia hic verè suscipitur Sacramentum, licet illicitè, atque adeo fit quod præceptum est: ibi non item.

35. Verum opposita opinio, quod nimirum satisfiat præcepto per invalidam confessionem, esse probabilem meritò putant nonnulli. Ita Fagund. *præc. Eccl. 2. lib. 1. cap 4.* citans Gabrielem, Sylvestrum, Victoriam, Alensem, Sà, Canum, Ledesmam, Paludanum. Ratio est, quia Ecclesia solum externum confessionis actum præcipere potest, seu certè præcipit, & remissio peccatorum est finis præcepti, non tamen cadit sub præcepto.

Denique quando quis ad aliquod breve tem[pus] satur, dicam *n. 55. fine*: ut item an sit obligat[us] niendi, dicam *n. 37. & 38.* denique quando est tollendi impedimenta, ut possit quis confiteri, *num. 40.*

§. IV. *Suscipiens reverenter, ad minus in Eucharistiæ Sacramentum.*

## Vbi de obligatione præveniendi, & impedimen[to].

*De loco Communionis, de tempore, deque [ma]ximè præsertim Religiosis.*

36. IN Pascha, hoc est, ut jam consuetudo explicuit, à die Dominica Palmarum, & in bus Diœcesibus, à Dominica prima Quadrage[si]que ad diem Dominicam in Albis. Cum autem ceptum sit addictum tempori Paschali; qui communicauit, peccauit quidem graviter, sed obligationem statim communicandi, nisi in Paschate: sicuti qui Missæ non interfuit die Do non obligatur audire statim die Lunæ. Ita Tol. apud Delugo *de Euch. disp. 16. sect. 14. n. 63.* Aliqui habiliter contrarium sentite non ignoramus, ut Vasquez, Fagund. apud eundem. Quod per Co[mmu]nem peccaminosam satisfiat præcepto, dixi mod[o].

*De prævidente impedimentum.*

37. Atqui prævidet se non posse communi[ca]cto Paschali tempore, obligatúrne prævenire? docet Suarez, *ibid.* apud eundem Delugo. Negat *ib.* apud eundem: quia præceptum non urget nisi hate. Idem dic de eo, qui prævidet se, anno confiteri non posse: non enim obligatur hoc an obligatione sequentis anni confiteri.

38. Ex hac probabili sententia sequitur si qu[is] municavit ante Pascha, & contingat forte toll[i] impedimentum, adhuc teneri in Paschate: qu[ia] non satisfecit præcepto. At non teneti si in [eo] Communionem anticipavit ex intentione præc[epti] quitur ex opinione Suatij (quæ certè probabil[is] quia sic jam implevit præceptum.

39. Sed quid, si quis dum est in prima hebd[o]prævidet se non posse in secunda communicare ne in prima hebdomada communionem peragere? pondeo teneri, quia jam urget præceptum: ut qui[a] stivo potest interesse Sacro mane diluculo, si p[ra]non posse circa meridiem, manè tenetur: quia ex pite potest, ex alio præcepti obligatio adest. Idem paritatem rationis dic de prævidente, se non pos fiteri in fine anni: obligatur enim si potest ipso initio.

*De obligatione tollendi impedimenta.*

40. Diximus de prævidente impedimentum: mus consequenter de eo, qui impedimentum [to]se, ad communicandum in Paschate, ut etiam ad tendum intra annum, obligatur. An excommu[ni]v. g. an carcere detentus, an infirmus, & similes [im]obligentur sub mortali propter præceptum Commu[ni]nis Paschalis, & annuæ confessionis, quærere [so]nem ab excomunicatione, excarceratione, [sa]ut scilicet in Paschate communicare, & intra [an]confiteri, licitè & expeditè possint. Respondeo communicatus obligatur, carcere detentus, & [in]mus non obligantur. Sic Suarez, Avila, Fagapud [Mo]lam *disput. 4. de leg. cap. 3. dub. 37. num. 433.* Delugo *Euch. dis. 26. sect. 2. num. 17.* contra Hering. *lib 11. cap. num. 1.* Ratio prioris dicti est, quia præceptum [co]munionis, & confessionis est magni momenti: [ea]confessio, & communio maximè conferant ad animæ [sa]lutem, & ideo rigidè obligat, & consequenter obligat [ad]

removenda ea præsertim mala spiritualia, quæ possunt obstare ipsius præcepti adimpletioni. At, cum carcer, & infirmitas spiritualia mala non sint, non tam rigide ad illa removenda præcepta confessionis, & communionis obligabit: ut ipsi etiam timorati conscientiæ ostendunt, qui non multum solicti sunt de tollendo carcere, vel ægritudine, ad hunc finem, ut possint confiteri, vel communicare. Enim verò naturalis, ad hæc mala corporalia avertenda, solicitudo satis, superque est. Dixi autem *initio hujus numer.* 40. (similes impediti) ideò involuntariè impediti: nam voluntaria impedimenta, & ablatu non graviter difficilia, tolli, ut quis confiteri, & communicari possit, non controversia dignum.

41. Illam etiam disparitatem hic assignant Doctores, Suarez, Sayr. Henriquez, Coninch. apud Merollam *loc. cit.* Cur enim non obligetur excommunicatus (ex vi præcepti de audiendo Sacro diebus festivis) ad tollendam excommunicationem, ut ipsi liceat audire Sacrum, obligatur verò modo dicto, ut confiteatur, & communicet; Disparitas autem est, quia confessio, & communio sunt majoris momenti ad salutem, quam auditio Sacri: & ideo illorum præceptum rigidè, hujus autem, non tam rigidè obligat Fideles ad tollenda obstantia impedimenta

*Ubi communicandum in Paschate.*

42. Quibus autem, & in quo loco accipienda sit sacra Eucharistia, Paschatis tempore, nunc est dicendum Id quod, ut melius intelligatur, advertendum est cum Delugo *disput. de Eucharist.* 28. *sect.* 2. *num.* 36. ad licitè ministrandum hoc Sacramentum requiri jurisdictionem: pascere enim oves pertinet ad pastorem proprium vel certè ad ejus delegatum: quales, saltem extra Pascha, nunc in suis Ecclesiis sunt Religiosi mendicantes, ex privilegiis: Dico (nunc ex privilegiis) nam cæterum in Clement. I. *de privileg.* excommunicantur Religiosi ministrantes Eucharistiam sine Parochi licentia. Præterea dico (saltem extra Pascha, & in suis Ecclesiis) nam, pro Paschate, dicam *n.* 48. item *n.* 51. & an extra suas Ecclesias, dicam *dicto n.* 51.

43. Sufficit tamen, ejusdem pastoris, seu Parochi consensus interpretativus seu præsumptus. Quis autem veniat nomine pastoris, seu Parochi, explicabitur §. *sequenti num.* 51. Neque dicas si requiritur jurisdictio, ergo requiritur consensus expressus, ut accidit in Sacramento Pœnitentiæ. Ne id dicas, inquam: nam absolutio in Sacramento Pœnitentiæ, est actio Iudicis, quæ requirit validitatem sententiæ potentis condonare, quam potentiam, seu authoritatem non habet inferior, nisi illi actu à superiore communicetur. Ad administrandam Eucharistiam, id non requiritur: quia semper validè Eucharistia ministrabitur.

44. Per Bullam Cruciatæ dari facultatem, ut extra Pascha à quocunque Sacerdote possit sumi Eucharistia, docet Vasquez *de Euch. disp.* 219. *cap.* 5. *n.* 37. Negat Suarez *de Euch. disput.* 72. *sect.* 2. utrumque probabile.

45. Hoc posito hic propria est difficultas pro tempore Paschali: nam pro hoc tempore videntur esse magis inviti Parochi ad dandam hanc facultatem, ut extra suam Parochiam Fideles communicent: quia tunc volunt recognoscere suas oves, unde non facile tunc præsumetur eorum voluntas, sicuti præsumitur intra annum quando satis est, si prudenter iudicetur, quod si sciret, ratum Parochus haberet. Quo ad hoc igitur,

46. Certum est primo Vagos, & Peregrinos adveras posse ubilibet huic præcepto satisfacere. Colligitur ex Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *num.* 17. ibi *Secundò probatur.* Ratio est, quia saltem adest tacita sui Parochi, vel Papæ licentia. Idem dic cum Peyr. *tit.* 1. *Const.* 1. *Iulij* 2. *num.* 91. apud Pellizz. *in Man Reg. T.* 1. *tract.* 8. *cap.* 3. *sect.* 3. *quæst.* 3. favetque Fagund. *præc. Eccl.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 21. de legitimè impeditis, qui scilicet vel iusta laborandi causa, qua ad Parochiam se conferre nequeant, vel Parochus eiusve substitutus absens est, quia in ejusmodi eventibus præsumitur à Parocho facta concessio. Idem censeo si Parochus vel exequi per negligentiam suum recusat munus, vel licentiam alibi communicandi per malitiam, denegat, præsumitur enim tunc alibi communicandi facultatem à summo Pontifice fuisse concessam.

47. Certum est secundò in Cathedrali posse omnes etiam de Diœcesi: *officium*, *de Officio Archipresbyt.* Bonac *de Euch.* 7. *disp. p.* 1. *num.* 11. quia in Cathedrali adest Episcopus totius Diœcesis Pastor.

48. Certum sit tertiò prædictos Religiosos, etiam in ipso die Resurrectionis posse ministrare in suis Ecclesiis Eucharistiam iis, qui vel antea satisfecerunt, vel postea satisfacient in Parochia. Sic Suarez *dicta disp.* 72. *sect.* 12. Delugo *disput. de Euch.* 18. *sect.* 2. *num.* 50. Ratio est, quia illa exceptio, (*extra Diem Paschæ*) probabiliter intelligi potest formaliter, pro communione facienda ex præcepto, tempore Paschali. Illud etiam certum videtur cum Portella *in dub. Reg. V. Sacram. administratio*, Pellizzario *tit.* 1. *Man. Reg. tract.* 8. *cap.* 8. *sect.* 3. *quæst.* 3. Regulares ex suis privilegiis posse etiam ob satisfactionem præcepti, Eucharistiam suis famulis sæcularibus in Monasterio degentibus ministrare. Id quod Portella *ibidem* ad famulos coniugatos dormientes noctu extra Monasterium extendit. Ratio est, quia Leo X. apud eosdem, concessit Minimos, atque ideo participantes in privilegiis, *posse in suis domibus, & Ecclesiis communicare famulos suos in habitu sæculari servientes, etiam Paschatis tempore, etiam in mortis articulo, immo & dare iisdem Sacramentum extremæ Unctionis.*

Adverte illud, *etiam Paschatis tempore*, coniunctum cum illo *etiam in mortis articulo*, mihi iudicium facere non de vulgari Communione quacumque, sed de ea, quæ ex obligatione exhibenda est, Summum Pontificem indulsisse privilegium.

Advertte insuper Patribus Societatis Jesu huiusmodi indultum in hunc modum restringi *in Compend. Privileg. Societ. Iesu V. Familiares*, §. 2. *Hæc facultas conceditur Superioribus, & quibus ipsi communicaverint.*

49. Certum sit quartò etiam pro hoc tempore, seu pro hac vice satisfaciendi præcepto; satis esse præsumptum consensum Parochi. Solum advertendum erit, ut modò diximus, hic difficiliùs, alio tempore faciliùs esse præsumendum.

50. Unum igitur, aut alterum remanet incertum: an semper peccet mortaliter, qui, sine rationabili causa, sed sine contemptu, vel scandalo, solum propter suam commoditatem, velit in Paschate communicare alibi, quam in Parochia: & an peccet Sacerdos, si tunc scienter ministret huic Eucharistiam.

Puto quod Fidelis, qui paratus est suum Parochum recognoscere, & fortè, in anno pluries recognovit communicando in sua Parochia, non irrogat injuriam gravem Parocho, semel, aut iterum, in sua vita, se subtrahendo in hoc ab ejus iurisdictione: atque adeo non peccat mortaliter, si semel, aut iterum in vita modo dicto, in aliena Ecclesia, communicat in Paschate.

Idem puto, si sacerdos sæcularis (nam de Religiosis mox à *num.* 51.) unum aut alterum, seu paucos tales communicet. Dico, paucos, si enim multos communicaret irrogaret gravem Parocho injuriam, perturbaretque graviter ordinem parochiatum. Ratio hujus doctrinæ est, quia rectæ rationi non apparet hæc gravis materia. Pascitur enim ovis, sed una, vel altera vice quasi in alieno campo ab alieno pastore. Non igitur delinquetur contra substantiam præcepti, sed contra accidentia, & id tam rarò: ut multum invitus rationabiliter, non debeat esse pastor. Scio quod Suarez *de Eucharist. disp.* 72. *sect.* 2. §. *hinc sequitur*, docet: esse mortalè ministrare hoc Sacramentum sine debita iurisdictione, & hanc obligationem esse mutuam ministrantis, & sumentis: sed ipse notanter addit, esse mortale, ex genere suo. Sicut igitur furari v. g. alienam rem est mortale, ex genere suo, tamen datur levitas materiæ

teriæ in furto; sic se veluti surripere, seu subtrahere à iurisdictione sui pastoris, erit in genere suo mortale: non tamen tollitur, posse dari materiæ parvitatem, ut videtur esse in nostro casu.

51. De Mendicantibus, Mendicantiúmque privilegia participantibus, dico duo. Primò, licet aliqui negent; aliqui tamen cum Bauny *in Theologia moral. par. 1. tr. 5. num. 19.* concedunt apud alios, propter eorumdem privilegia, posse Fideles satisfacere præcepto communionis Paschalis, in cæteris quidem diebus à Dominica *Palmarum* ad Dominicam *in Albis*: at non in ipso die Dominico Resurrectionis: voluit enim Pontifex, ad quandam solemnitatem, in favorem Ecclesiæ Parochialis, excipere pro satisfactione præcepti ipsum solum diem Dominicum Resurrectionis. Ratio huius sententiæ ducitur ex iis duabus propositionibus. Prima quod satis probabile est cum Beja *par. 4. casu 4.* in privilegiis dictis, cum excipitur dies Paschæ, solum excipi materialiter ipsum diem Dominicum Resurrectionis, idque ad satisfaciendum præcepto. Esto sit etiam probabile, excipi formaliter, ut supra *num. 48.* diximus. Secunda quod in cæteris diebus immo, & toto anno, præter prædictum diem unicum Resurrectionis Dominicæ, prædicti Religiosi sunt in suis Ecclesiis, immo & extra suas Ecclesias atque adeo in alienis delegati Parochorum, sic à Summo Pontifice instituti, ut patet ex eorum privilegiis. Ita Porrell. *in resp. Reg. p. 3. casu 39.* adducitque Ioannem la Crux, Rodriq. Villalobos. Lege Compendium privileg. Soc. Iesu *V. Eucharistia §. 2. fine.* ubi Pater noster Generalis restringit nostros, ut in alienis Ecclesiis hoc privilegio sine licentia eorum, ad quos pertinet, non utantur. In suis verò exicipit ipsum unum diem Resurrectionis: intellige peo satisfactione præcepti.

52. Dico secundò aliquos putare universaliter, etiam pro ipso Paschatis die, posse satisfieri apud eosdem. Ita idem Baupy *ibid.* lege Fagund. *præc. Ecc. 3. lib. 1. cap. 5. num. 13.* & Delugo *de Euch. disput. 18. sect. 2. num. 49.* Ratio est, quia absolutè sine restrictione Paschæ id concessit Nicolaus Quintus, & Paulus Tertius Religiosis Beatæ Mariæ de Gaudalupa, & consequenter per communicationem cæteris Mendicantibus. Addunt alij alias concessiones Pij IV. & V. lege Pellizzarium *in Man. Reg. tom. 1. tract. 8. n. 8.*

At, dices, hoc privilegium fuisse vivæ vocis oraculo concessum, adeoque sublatum ab Vrbano VIII. qui omnia eiusmodi abrogavit. Respondent, aliquos dicere fuisse per Bullam.

53. Has duas opiniones relatas *num. 51. & 52.* non possum non vocare saltem speculativè probabiles: siquidem probabilibus rationibus nituntur, bonosque habent authores. Et quidem prior videtur expeditior: ità tamen, ut neutram in usum deducendam censeam, ne detur occasio, vel admirationis in populo, vel querelarum in Prælatis.

54. Dices: extat novissima declaratio Sacræ Congregationis, qua præcepit Archiepiscopo Neapolitano, ut id sub censuris prohibeat Patribus Theatinis, & Societatis Iesu, quam adduxit, & timuit Diana *p. 6. tract. 7. resol. 5. fine.*

Respondeo. De hac declaratione, Primò non constat authenticè. Secundò non est directa illis religiosis, sed Archiepiscopo. Tertiò est epistola particularis, pro Diœcesi Neapolitana, ubi fortè aliquod peculiare suboriebatur inconveniens. Quartò & principaliter declaratio sic habet: *Conquesti sunt Parochi de Patribus Theatinis, & Societatis, quod asserere audent, personas laicas assumentes in eorum Oratoriis, seu Congregationibus Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis, Ecclesiæ præcepto satisfacere: cumque id minime permissum sit, &c.* Vides? loquitur de Congregationibus, seu Oratoriis utique privatis, in quibus iudicatum fuit inconveniens satisfieri præcepto: at nos loquimur in Ecclesiis publicis. Secundò loquitur de die Paschatis, idest juxta probabilem superiorem interpretationem de ipso die Dominico Resurrectionis: ergo saltem priori sententiæ relatæ hæc prohibitio non obstat.

Confirmo. Docet, & quidem meritò, Vasquez *Euchar. disp. 211. cap. 5. num. 45.* quando verba sunt obscura sunt, locum esse opinionibus, & posse probabiliter verba legis interpretari, atque ita investigare mentem legislatoris. Iam subsumo: in hac materia tione, ut etiam in privilegiis prædictis non constat quid importet illud (dies Paschatis) atque obscurum est: ergo poterit quilibet illud probabiliter significet interpretari, & consequenter nos modo dicto, interpretati potuimus.

*§. V. Nisi forte, de proprij Sacerdotis conscientia quam rationabilem causam, ad tempus ab ... perceptione duxerit abstinendum.*

## Vbi, quis hanc, & alibi, qua in Parochia ... municandi licentiam concedere valeat ... Episcopus, Archipresbyter, Vicarius ... ralis Parochi Montis Regalensis?

55. Nomine proprij Sacerdotis intelligi ... est constans omnium sententia. Sic Gl. *Clemen. 1. de privil. verb. Presbyteri*, adhuc tamen ... enucleanda supersunt.

Dubitare enim quis posset, an Parochus ... concedere alicui Fidelium valeat, ut non ... in tempore Paschatis? Dico non posse, id enim ... cedit Canon: sed solùm quòd pœnitens, propter ... nabilem causam, cum consilio tamen Parochi, ... tempus Communionem Paschalem differre. Vide ... habet *verb. Eucharist. num. 8. Qui post octo dies, ... post Pascha, communicat, præcepto satisfacit: & ... ge post, ex consilio Confessoris, ex decreto Eugenij ... Navarrum.* Vbi obiter nota illud (*longe post.*) Nam ... cior causam posse esse aliquando tam gravem, ut ... vel ex se pœnitens, vel ex consilio prudentis ad ... differre. Lege Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 12.* ... docet etiam de confessione. *Si quis* (inquit) *... numquam confessus fuisse, & Communionem ad ... pus, ex causa, putat usque ad Pentecosten differre ... probabile est graviter non peccaturum: & si etiam ... sionem differret, si putaret postea eam commodius ... esse, verum si talis post Pentecosten mortaliter pecc ... gatus erit eo anno iterum confiteri: siquidem prædicta ... fessio fuit ob obligationem præcedentis anni, ... Coninch.* Hactenus Layman.

Quænam sint hæ causæ ad differendam, ... omittendam Communionem, ex superadictis à n. ... facile colligendum.

56. Sed quis licentiam alibi, quàm in Paro ... communicandi, dare poterit? Solusne Parochus, ... etiam alij? Sanè solus Parochus, quique venit nomine Parochi, seu Pastoris. Quo nomine venit quicumque qui curatum beneficium habet, respectu suorum Parochianorum sive Curatus vocetur, sive Archipresbyter, sive Vicarius ad curam, sive alio nomine: hi enim omnes, vel similes respectu suarum ovium sunt proprij Sacerdotes.

57. Dubitavit autem Glossa in Clemen. Prima V. Presbyteri, an Episcopus, & Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ possint licentiam concedere, ut Religiosi possint tale Sacramentum ministrare: & resolvit, posse factum posse approbari concessionem datam à prædictis: ita ante factum melius esse, ut ab his non concedatur.

58. Nihilominus non video, cur Episcopo id denegari possit, ut item concedere diœcesanis licentiam communicandi alibi, quàm in Parochia: cum enim ipse sit Parochus, & Pastor suæ Diœcesis, ut omnibus constat, & eadem mente Glossa ibidem fatetur, immerito illi denegati poterit.

59. Archipresbyterum Cathedralis, respectu ...

rius Diœcesis; ultrò concedo nequaquam posse : posse verùm solum respectu suorum Parochianorum, quibus ipse Parochus est : nam licet in iure major sit ejus potestas; tamen jam in multis, ex antiqua consuetudine, ejus restricta, notant Doctores apud Barbosam *de iure universo, lib... cap. 6. n. 25.*

60. De Vicario Generali ( jam Vicarius Foraneus, cum ad ipsum cura spiritualis animarum non spectet, nullo modo potest) quorum facit unum cum Episcopo, & est Pastor ex officio, dicendum est cum Suarez *de Eucharist. disp. 72. §. sed inquires, circa finem* ? posse (etiam sine mandato speciali) ex sola Vicariatus generalitate. Cum enim, etiam sine speciali mandato, ex probabiliore sententia Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 29. num. 15.* Barbosa *de potest. Episc. part. 3. all. 54. num. 19.* concedere possit licentiam Sacerdotibus ad excipiendas confessiones; cur hoc non poterit, quod est minus ?

61. Illud à me, dum hæc scriberem, Parochi Civitatis Montis Regalensis in Sicilia quæsiverunt, quod, quia facit ad institutum nostrum, hic afferre abs re non erit.

In dictæ Civitatis Cathedrali, & Matrice Ecclesia sex sunt Parochi, curam animarum totius Civitatis gerentes, æquales in potestate, singulique, prout casus occurrit, officium Parochi exercentes : solum enim ad laborem mi-nuendum per hebdomadas, Sacramentorum administrationi assistunt : & solum, ad honorem, antiquior ex illis Archipresbyter appellatur. Iam, simulne omnes, an quilibet ex illis, prout liburerit, sine dependentia à sociis, poterunt hanc licentiam impertiri ?

61. Respondi, quemlibet posse : siquidem quilibet est toto iure Parochus, nec unquam tale ius amittere potuit, cum talis potestas sit imbibita in ipso iure Parochi. Facit ad hoc illud quod docet Sanchez *lib. 3. de matrim. d. 24. num. 6.* Dum Parochi ( ait ) duo in solidum alicui Parochiæ præsunt, potest uter illorum altero invito ministrare Sacramenta & interesse matrimonio, aliique assistendi licentiam dare. Quia par in parem non habet imperium *c. innotuit, de electione*, & *l. Ille à quo*, § *intempestivum, ff. ad Trebell.* Sanè hanc Ecclesiam puto esse eius generis, quo cura Animarum, Ecclesiæ, vel Episcopo incumbit, & per plures administratur : de quo Ecclesiæ genere meminit Tridentinum *sess. 24. de refor. c. 18. initio.*

63. Dices, si hæc Ecclesia est ejusmodi, sequitur, quod ipsi prædicti sex, non sint verè ordinarij Parochi, sed delegati, merique coadiutores Episcopi : atque adeo possumus dubitare, an ipsis sit delegatum posse dare prædictam licentiam.

Respondeo, cum ipsis detur potestas, & authoritas ad universitatem causarum pertinentium ad Parochi officium, hæc etiam potestas eisdem concessa erit, sive sint ordinarij, sive delegati : quod hic decernere non est laborandum : & sanè si illis conceditur officium ministrandi omnia Sacramenta, curámque animarum habendi, quod est majus ; num potestatem concedendi eam licentiam, quæ potestas longè minoris momenti est, denegatam fuisse censebimus ?

Audi Emmanuelem Sà *V. Sacramentum, num. 6. Cui generaliter* ( inquit ) *committuntur omnia exercenda in Parochia, potest dare alteri Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta.* Hæc Sà.

Adde quod instrumento institutionis ipsorum eos absolutè Parochos nominat Archiepiscopus, seu Vicarius instituens : & in ritu, modóque accipiendi professionem servantur in iisdem solemnitates servari solitæ in cæteris ordinariis Parochis. Quare non video, quo ad rem nostram, dubitationis esse locum.

Actus institutionis unius ex ipsis, quem authenticè exscriptum ego videre volui, sic habet : *Dom. Hieronymus Rosado Coronel Vicarius Generalis, Sede vacante huius Civitatis, &c. dedit & dat Reverendo D. Ioseph. Gentili possessionem, & Canonicam institutionem dicti canonicatus Parochi, & Curati dicta maioris Ecclesiæ per impositionem bireti, stolæ, & annuli : ac etiam dictus Dominus Vicarius accepit à dicto de Gentili inramentum, & professionem fidei in forma, &c.*

64. Et in actu, seu instrumento immissæ, seu traditæ possessionis, sic habetur : *Dictus de Gentili Canonicus, Parochus, & Curatus electus, & fuit per me impositus, atque immissus in realem, actualem & corporalem possessionem dicti Canonicatus, Parochi, & Curati intus dictam maiorem Ecclesiam per apertionem & clausuram Custodiæ Sanctissimi Sacramenti, osculationem Altaris ejusdem, & fontis Baptismatis : per apertionem, & clausionem arcæ in qua reponuntur libri Baptismatis, Sponsalitiorum, &c. & per alia signa denotantia ipsam possessionem.*

Lege Barbosam *de pot. Part. 1. p. in fine, cap. 2. form. 9. & 12.* qui non aliis, nisi his, vel similibus clausulis, & solemnitatibus, ut certè fieri solet, Parochos instituit, iisque possessionem Parochiæ tradit, ita ut ambigere nullus rationabiliter jam possit omnibus, & singulis Montis Regalis Parochis iura Parochorum universa competere.

### §. V I. *Alioqui & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.*

85. Poena non confitentibus semel in anno, & non communicantibus in Paschate, est, ut arceantur ab Ecclesiæ ingressu, & ne sepeliantur in loco sacro : quia tamen est pœna, & quidem ferenda, non incurritur ipso facto, sed post sententiam. In iure igitur non est pœna excommunicationis nec latæ nec ferendæ. Solum audio in aliquibus diœcesibus adesse excommunicationem ferendam : quæ, si est timeatur.

66. Si quis Fidelis moriatur, nec constet an communicaverit, saltem in Paschate, estne sepeliendus in loco sacro ? Respondeo, nisi constet non communicasse, iudicandus est observasse præceptum, atque adeo ritè sepeliendum. Adde neminem huic pœnæ cum sit ferenda subiici, nisi post latam sententiam. Cum igitur nunc vix in usu sit, ut contra aliquem similis sententia fulminetur; nunquam ex hoc capite erit Fidelis à sacra Sepultura depellendus.

---

## CAPVT V.

## De Præcepto Communionis instante mortis periculo.

### §. I *An hoc præceptum omnes in eo periculo obliget ?*

1. Non modo nonnulli, ut S Bonav. Sylvest. Armilla, apud Suarium. *de Euch. disp. 69. sect. 3. initio*, docent communionis præceptum, ut à Christo latum, obligare solum semel in vita : atque adeo, qui in vita semel communicavit non obligari, sub mortali, instante morte, iterum communicare. ( Sà *V. Euch. num. 1.* facet non parum ) Verum etiam alij sunt, qui putant nullam absolutè esse obligationem sub mortali eo ingruentis periculi tempore communicandi. Sic Caët. Ledesma, Vict. Palud. allat. *ibid.* ab eodem Suatio. Sed tenendum est, adesse obligationem sub mortali : Ita Suarez *ibid.* Vasq. *de Euch. disp. 214. c. 2. n. 3.* & *passim* Recentiores. Ratio potissima ducitur ex Fidelium, & Ecclesiæ sensu, sic iudicantium.

2. Idque verum est sive mors instans sit ex infirmitate sive ex violentia, par enim est ratio. Immo & quoties imminet periculum mortis ; ut in prælio, longa, & periculosa navigatione, & similibus, eandem adesse obligationem, docent communiter Doctores *ibid.* Judex ergo nisi teneat opinionem contrariam cum Fag. *3. Eccl. præc. l. 2. c. 4. n. 4.* ( quam non esse tenendam consulo ) obligatur Reo tempus ad Communionem concedere. Excipe, nisi

fuga

fuga ejusdem Rei, ex qua damnum publicum, vel mors ipsi iudici posset oriri, rationabiliter timeretur: nam tunc licebit contra vim vi se defendere.

3. Non tamen præceptum ejusmodi adeo rigidè suscipiendum est, ut infirmo, qui nullo remedio (de quo infra §. 9. n. 21.) valet Sacram hostiam deglutire, possit propinari Sanctissimus Sanguis: quia hoc præceptum non obligat, nisi debito modo. Sic Fagundez, Suarez aliique apud Dianam. *p. tr. 3. res. 34.* ctto posse docent Ochagav. *ibidem.*

### §. II. *An obliget eos, qui paulò ante periculum communicarunt.*

4. QVi v. g. duos vel tres, immo & octo, vel decem dies, antequam in periculum incidit, communicavit; obligatúrne iterum communicare eo superveniente periculo? Obligari docent aliqui, cum Vasquez *de Euch. disp. 214. c. 2. n. 1.* quidem Communio antecedens, cum non fuerit exhibita; quando urgebat præceptum, præcepto non satisfecit. Ad eum modum, quo, qui Missæ interfuit die Sabbati, non satisfecit præcepto de Missa die Dominico audienda.

5. At non obligari melius docent alij cum Suarez *de Euch. disp. 69. sect. 2. §. Rogabis*, Delugo *disp. de Euch. 16. sect. 2.* Ratio præcipua est, quia hoc præceptum non obligat nisi circum circa periculum vitæ, sive à me ignoratum, sive scitum: obligat enim, ut propè mortem inveniar Sacra Eucharistia refectus. Confirmatur, quia plura inveniunt huius generis præcepta, quibus satisfit, si paulo ante quam urgeat præceptum, adimpleatur. Sic si Novitius, vel Clericus recitet officium mane antequam professionem emittat, vel ordinetur in sacris non illum obligabis eodem die, post emissam professionem, vel ordines susceptos, iterum recitare: sic, Sacerdos, qui celebravit mane in loco, ubi non erat festum de præcepto, si postea, eadem die, se conferat in locum, ubi festum celebratur, non obligabitur ad audiendum iterum sacrum; idem de laico, qui mane sacro interfuit in prædicto loco non festivo, & postea ad festi locum accessit. Eodem ergo modo in casu nostro, &c.

6. Missa igitur, Dominica die ideo audienda est ex præcepto ab eo, qui audierat Sabbato; quia in honorem diei Dominici latum est præceptum de Sacro tunc audiendo, qui honor tali diei addictus, non exhibetur die Sabbati. At in nostro, habetur finis præcepti, qui est refici spiritualiter circa mortis periculum: ut etiam habetur finis præcepti in prædictis casibus, qui est, illos obligatos orare quotidie, & Fideles, colere per Missam diem festum: Licet enim finis non cadat sub præcepto, ostendit tamen præceptum hoc modo esse, & non alio intelligendum.

### §. III. *An obliget eum qui communicavit in Paschate.*

7. SI communicavit quis in Paschate, & post aliquod notabile tempus, puta; post mensem, incidit in periculum vitæ, obligatur iterum communicare. ita Suar. Vasq. Valet, aliique quos sequitur, & citat Hurtad. *de Euch. disp. 10. diff. 2.* Ratio est, quia ex una parte hæc sunt duo præcepta, alterum communicandi in Paschate Ecclesiasticum. Sic idem *ibid.* alterum, communicandi in periculo mortis, ex communi sententia Divinum simul, & Ecclesiasticum: Sic idem *ibid.* & ex alia parte per unam sumptionem utrique, in casu dicto, satisfieri non potest: cum propter illam, finis refectionis necessariæ, instante morte, non habeatur per sumptionem tanto tempore ante factam. Quod si, qui in Paschate communicavit incidat in prædictum vitæ periculum post paucos dies, puta post octo, vel decem non obligabitur denuo communicare. Satis est, quia cum finis refectionis necessariæ tunc habeatur, potuit per unam sumptionem utrique obligationi satisfacere: ut ex dictis §. præcedenti clarè consequitur.

### §. IV. *An hoc præceptum obliget petere Eucharistiam ab hæretico excommunicato, & similibus, si alius Sacerdos non adsit?*

8. QVamvis Durandus, Palud. aliique apud Sua. *de Euch. disp. 72. sect. 4. fin.* concedant a Sacerdote excommunicato, etiam denunciato, ab haeretico, schismatico, publico peccatore, licere in mortis articulo petere, ac suscipere, quando alius Confessarius non adest, Sacramentum Pœnitentiæ; non tamen concedunt Eucharistiæ Sacramentum: *quia necessitas* (inquiunt (*pœnitentiæ major est, quam necessitas Eucharistiæ.* Verum probabilius est cum Sanchez *ibid.* posse, ministro deficiente, etiam Eucharistiam, idque infirmus aliud Sacramentum v. g. extremam Unctionem vel Confessionem ab idoneo ministro susceperit. Ratio est, quia mater Ecclesia, pro illo articulo, credimus nem à ministrando tantam infirmo refectionem repellere: & ex alio capite, necessitas excusat à tione, quæ videtur esse cum peccato ministri, sua malitia aptum ad Sacramenta ministranda reddit. Suppono autem non fore scandalum, tholicæ Religionis contemptum, ut certè esset, pere v. g. communionem esset signum participum illius erroribus, quod nunquam licet.

At si licet, obligatúrne infirmus? Respondetur: quia excusationem non habet. Si tamen posset priorem sententiam sequi asserentem non & consequenter non adesse obligationem, quæ certè probabilis est, præsertim si alia Sacramenta susceperit, vel se esse in statu gratiæ judicaverit. Chelisson apud Dianam *p. 5. tr. 3. res. 45.*

### §. V. *An in eadem instantis mortis necessitate, præ quilibet Sacerdos, etiam Religiosus, ministrare Eucharistiam.*

NEc Religiosi, immo nec quilibet Sacerdos, proprius, id est Parochus, potest de jure ministrare sacrum Viaticum moribundis: Ita Suarez *de Euch. 72. sect. 2. §. sed. quæres*, quia nullo meliori tempore sumitur velle Pastorem recognoscere ovem suam in tanta necessitate: tamen si Parochus absit, nec ab illo peti licentia: quilibet poterit. Ita *ibid.* Ratio tum quia præsumitur Parochi voluntas, tum quia extremæ necessitatis semper intelligitur exceptus, dem mortis articulo, qua ratione licet Regularibus famulis ministrare Eucharistiam diximus per occasionem in superioribus *c. 4. §. 4. num 48.* Addimus in præsentia licere, & Hospitibus sæcularibus in eorundem Religiosorum domibus forte decumbentibus, ut etiam tremam Unctionem libere conferre ex privilegio expendit Peyrinus *T. 1. const. 1. Iulij 1. Innoc 92.* Societatis Patribus id nondum communicavit R. Generalis, quamobrem secundum nostra iura in *Comp. Privil. Soc. l. c.* ab eo erit, donec illud communicet abstinendum: in seminariis tamen id omnino condendum inibi conviventibus, saltem ex usu receptum Pellizzarius *T. 2. Man. Reg. tract. 8. c. 3. sect. 3. fine.*

Emergit ex dictis difficultas, an Religiosus, immo quilibet Sacerdos non parochus, si absente Parocho vel nolente, potest ministrare viaticum graviter infirmanti, ut dictum est, obligetur etiam sub peccato Parochus (non Parochus) siquidem ipsum Parochum obligat, quia ad hoc & similia ministeria stipendium recipit, fatemur omnes.

Respondeo nequaquam esse obligandum si absque notabili suo incommodo ministrare non valet. Ita idem *Man. Reg. tr. 5. c. 9. sect. 1. q. 6.* Ratio est, quia ex una parte actualis communio, non est regulariter necessaria spirituali ægrotantis saluti; cum ad hanc satis superque sit confessio, & ex alia Sacerdos, qui non est Parochus solum ad id urgeretur à charitate: hæc autem, quando necessitas

necessitas minus imminet, dictúmque urget notabile detrimentum, non obligat. Ita Castr. *tom.* 1. *disp. ae charit. p.* 9. Bonac. *de charit. disp.* 3. *p.* 4 aliique.

Peste infectis qua ratione sive Parocho sive non Parocho incumbat onus Eucharistiam porrigendi, præter id quod ex dictis colligi potest, vide apud Pellizzarium *tom.* 1. *Man. Reg. tr.* 6. *c.* 9. *sect.* 2. *n.* 6. Cal. Malder. Reginal. aliosque apud Castrop. Bonac. Pelliz. citatos.

### §. VI. *An, qui, mane ex devotione communicavit, deinde in periculum mortis incidit, possit eadem die, pro Viatico communicare;*

10. NOn solum posse, sed debere; docent nonnulli cum Hurtad. de *Euch. disp.* 11. *diff.* 2. eo nixi fundamento, cuius modo meminimus §. 2. quia nimirum, quando hic mane communicavit, non urgebat præceptum. Communicet igitur adveniente periculo, quando præceptum urget, ut illi satisfaciat. Nonnulli vero apud Delugo *de Euch. disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 54. solum dicunt posse, non autem sub obligatione: siquidem prohibita est duplicata eodem die communio.

Communis, & vera sententia est, nec debere, nec posse. Sic Suar. *de Euch. disp.* 69 *sect.* 3. §. *Rogabis, in fine.* Fag. Granado, Præpos. Laym. Delugo eos citans *dicta sect.* 3. Ratio primi est, quia iam est præcepto satisfactum mane ut constat ex *dicto* §. 2. Ratio secundi est, quia prohibemur bis eodem die communicare.

Post hæc scripta, & impressa legi præter Hurtadum iam citatum, sententiam Pellizzarij, Quintanaduenas, Diastilli, Martin. de S. Ioseph Leandr. Lud. à S. Ioan. Bap. Diane *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 40. aliorúmque, quæ docet posse, ac debere. Verum omnibus accuratè perpensis distinguendum esse, ne locum erroti demus, sic censeo. Vel mane quis communicavit bene valens, & deinde incidit in morbum periculosum: Ita ut creditur, non porrecturus vitam ad diem sequentem, & hunc iterum posse eodem die, imo debere communicare probabile erit ex auctoritate tot Doctorum; nec aliud ipsos velle, si eorum verba, & rationes perpendantur, existimo, vel mane quis dum laboraret periculoso morbo, pro quo, si illud periculum advertebatur, poterat ei dari viaticum, ipse tamen communicavit ex devotione, & hunc non posse iterum eodem die communicare; si recrudescat tunc morbus, ob quem iudicetur eodem die moriturus, constanter affirmo, & de hoc casu ego sum loquutus in hoc *n.* 10. loquutus enim sum de eo ægroto, qui communicavit mane, & deinde apparuit periculum. Ratio utriusque partis distinctionis est, quia in priore casu ex probabili sententia non est satisfactum præcepto communicandi in periculo mortis; ille enim vix periculo non erat quando communicavit. At in posteriore casu satisfactum est, quia iam erat in periculo, quamvis non putaretur esse, vel quamuis cum ea intentione non communicaverit, sicuti si mane diei festi audis Sacrum, licet nescias illum esse diem festivum, satisfacis præcepto, quia tunc rem præceptam iam implevisti, neque Missam aliam teneris audire post scientiam festi, ut alibi docuimus. Ecclesia enim præcipit audit. nem Missæ simpliciter, non intentionem. Satisfaciendi præcepto.

Ex dictis colligo: me facilius concedere iteratam in eodem die communionem illi, qui ex infecto vulnere, quam illi, qui ex febri, V. G in periculum vitæ incidit: nam vulneratus, si communicavit ante accessum vulneris, non communicavit tempore periculi; sed febricitans cum habeat in se luem febris ex communiter contingentibus præsumere debeo, communicasse tempore quo adest periculum, quamvis nobis ignotum, & solum valde peritus Medicus posset testificari, verè novum morbum accessisse, qui periculum illud adduxerit, certè casus rarissimus erit.

### §. VII. *De sumente Viaticum, in mortali, déque mortaliter peccante post illud.*

11. SI quis Sacrum viaticum, existens in peccato mortali sacrilegè sumpsit, licet aliàs peccaverit, huic tamen præcepto iam satisfecit, prout constat ex dictis *c.* 4. §. 3. *num.* 54.

12. Quod si ritè, & purè Viatico refectus est, sed post ipsam refectionem incidit in mortale; aliqui cum Sot. *in* 4. *d.* 12. *q.* 4. *art.* 11. putant astringi iterum, in eodem mortis periculo communicare, ut non moriatur sine auxilio Eucharistiæ. Verum consilium id quidem bonum est, non obligatio: Sic Hurtad. *de Eucharist. disput.* 10. *diff.* 3. Delugo *de Eucharist. disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 46. quia iam, per priorem sumptionem præcepto factum est satis. Ad confessionem autem talis peccati obligatur, etiam si contritus sibi videatur: quia debet observare præceptum subdendi clavibus omnia peccata mortalia.

### §. VIII. *An pueri communicandi sint pro Viatico.*

13. PRo pueris, usum perfectum rationis habentibus, non est dubium adesse præceptum, & non adesse pro rationis expertibus, ut patet ex dictis *supra cap.* 2. §. 2. Solum ergo est difficultas de pueris intra latitudinem decimi, quartidecimi anni existentibus: qui habent quidem aptitudinem ad confessionem, non verò, ex aliquorum sententia, ad reverenter suscipiendam Eucharistiam.

14. Dico, his posse, immo debere dari Viaticum, sicuti iisdem dari solet Extrema unctio: Ita Suar. *de Euchar. disp.* 70. *sect.* 1. & *passim* id enim suadet præceptum divinum, in tanta instantis necessitate: esto, non esse dandum contendant probabiliter, Vasquez *de Euchar. disp.* 214. *c.* 4. *n.* 41. Hurtad. *de Euch. dis.* 10. *diffic.* 4. aliique. Immo Delugo *de Euch. disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 4. meritò, propter eandem rationem, contendit, etiam pueto de quo sit dubium, an doli capacitatem habeat posse (licet non debere) dari Viaticum, sicuti datur confessio, & Extrema unctio, licet hæc, propter periculum irritandi Sacramentum, sub conditione.

Dices, cur pueris benè discurrentibus, potest & debet, his verò sub dubio discurrentibus solum potest? Respondeo, quia illi subduntur legibus, atque adeo huic præcepto: hi verò, cum sit dubium, an discurrant, dubium etiam est, an subdantur legibus, & consequenter, ex doctrina Doctorum apud Castrop. *de conscient. disp.* 3. *num* 2. in materia de legibus, ad observandam legem non obligantur, quia in tali dubio est possessio pro libertate.

### §. IX. *An amenti temporaneo, ac Phrenetico dandum sit Sacrum Viaticum.*

15. DIximus *c.* 4 §. 1. perpetuò amentibus, non esse dandam Eucharistiam: nunc consequenter dicendum, nec esse dandum sacrum Viaticum: semifatuis verò, ut etiam stolidis, & mutis, surdis, sicuti Eucharistiam in vita esse concedendam, dummodo absit periculum irreverentiæ *ibidem* diximus, sit & in morte Viaticum esse dandum, nunc consequenter asserimus.

At verò illis, qui prius usu rationis potiti sunt esse porrigendam Eucharistiam in articulo mortis, si prius voluntatem habuerint eam recipiendi, docet cum communi opinione S. Thom. 2. *part. quæst.* 80. *artic* 9. idque universaliter, sive paulò, sive multò ante mortis periculum (cum eadem sit ratio) usum rationis amiserint. Addo non solum posse porrigi, sed debere, quando non est periculum irreverentiæ, sicuti iisdem dari etiam solet Extrema unctio. Colligitur ex Suario *de Eucharist. disputat.* 66. *sect.* 1. Vide quæ dixi *ibidem num.* 4. *circa finem.*

16. Petes qualis voluntas requiritur, ut præcedat ante amentiam. Respondeo alij exigunt, ut petierit: alij mesus cum Delugo *de Euch. disp.* 13. *sect.* 3. *n.* 15. satis esse docent, quod piam, ac religiosam voluntatem præ se quis tulerit: atque ita, si non constet de peccato mortali commisso, & non absoluto, præsumendum in bono statu, & communicandum. Nec est par ratio de confessione: nam præterquam quod, aliqui apud Dianam *p.* 3. *tract.* 3. *res.* 8. concedunt etiam non petenti moribundo, sed tamen, qui christianè vixerit posse, immò debere dari absolutionem, saltem sub conditione: est disparratio: quia actus pœnitentis sunt materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, quod non est in communione. Lege Delugo de *pœnit. disp.* 17. *sect.* 3. Ad hoc facit illa probabilis doctrina Navarri *in Man. cap.* 16. *n.* 27. dicentis infirmo alienato à ratione, etiamsi non petiisset Sacramentum, sed tamen dederit aliqua signa contritionis, tollendo manus, percutiendo pectus, dicendo *Miserere*, dandam esse Eucharistiam etiamsi obstinatus multo tempore in peccato mortali vixisset, nec per multos annos confessus fuisset: poterit enim absolvi, saltem sub conditione, & communicari, &c. Lege Ioan. Sanchez *in sel. disp.* 44. *n.* 33. Vide quæ dicam *c.* 6. §. 3.

## §. X. *Quando licet dare infirmo non iejuno Communionem.*

17. PRivilegio sumendi Eucharistiam non jejunum tunc demum quis, instante morte, uti valet, cum necessitas exposcit. Vidi ego timoratos quosdam non ieiuno dedisse Viaticum, cum facillimè potuissent iejuno: Sanè non ritè, eosque modestè monui privilegium eiusmodi non esse Viatico absolutè concessum, sed sub conditione necessitatis illud non iejunè sumendi. Ita Suar. *de Euch. disp.* 69. *sect.* 3. §. *Rogabis, initio.* Quoniam verò articulus mortis est, quando brevi inevitabiliter moriturus est ægrotus: periculum verò quando probabiliter dubitatur, non post multum tempus de eiusdem morte, quæ frequenter in tali casu accidere soleat; hoc privilegium habet Fidelis, tum in articulo, tum in periculo: sicut etiam habet posse absolvi à reservatis à quocumque Sacerdote. Sic Delugo *de Euchar. disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 74. Quale autem, & quantum debeat esse periculum, potius ex Medici prudentia, & astantium arbitrio cognoscendum erit, quam aliunde. Illud certum est, minus periculum hîc requiri, quàm requirat Extrema unctio: ut ex praxi communi constat, illi rationi innixa, quod morti non valdè proximus majori cum devotione sacram refectionem susciperе poterit.

18. Non est tamen scrupulosè prædicta necessitas expendenda. Vnde, si commodè non possit expectari, quando is communicandus sit iejunus, sive sit infirmus, sive sit iustè, vel injustè occidendus, communicetur, non iejunus. Immo iudex non tenetur expectare executionem mortis in reo, ut is communicet non iejunus. Ita idem Delugo *disp cit.* 15. *sect.* 3. 72.

19. Simili ratione *ibid. n.* 74. incommoditas, quæ esset in iis, qui communicare infirmum debent excusat à iejunio. Hinc excusantur, qui ne statim post mediam noctem surgant, ad dandum infirmo iejuno Communionem; dant Vesperi non iejuno.

20. Parochus item excusatur *ibid.* qui impeditus manè in Ecclesia, expeditiùs sero accedit ad ægrotum non iejunum communicandum. Invenio etiam excusari Parochum ex eo capite, quod Vesperi, cum maiori decentia, comitantibus laicis Sacramentum deferret, quàm manè. Ratio autem prædictorum est, quia non tam rigorosè accipiendum esse eiusmodi præceptum, in occasione Viatici, ipsa piorum praxis docet. Nam propterea idem privilegium, extendi probab liter ad Sacerdotem, ut, possit non iejunus celebrare, si non adsint aliæ particulæ consecratæ, ad dandum alteri Viaticum diximus *supra cap.* 2. §. 8. *n.* 31.

21. Illud denique huc reduci potest, quod si infirmus res siccas, atque adeo Sacratissimam Hostiam glutire non possit; etiam sumpto post illam vino, aliquo liquore; aptum remedium fore putant aliqui stiam Sacram intinctam vino à Sacerdotis manu firmo porrigi: porrigi enim per cochlear, vel aliud instrumentum argenteum, vel aureum vino plenum. difficile aliquibus sit, quia etiam pestе infectis non ceditur per similia instrumenta Sacram Hostiam gere; cum consuetudo Ecclesiæ Latinæ sit à ministris ministri esse Eucharistiam immediatè suscipiendi. Sic Bonac *disp.* 4. *de Euch. q.* 5. 2. *p. n.* 6. Lege Suar. *disp.* 44. *sect.* 3. *n.* 17. Quamvis non improbabiliter, scandalo & periculo lapsus Eucharistiæ in terram posse censeat Possevinus apud eundem Bonac.

Alia quædam pertinentia ad Parochum de Viaticum, habes *infra c.* 6 §. 1. sicuti etiam quid infirmo patiente vomitum, habuisti *c.* 2. §. 5. & 6.

## §. XI. *An qui semel Viatico refectus fuit, possit eandem ægritudinem, sæpius non iejunus communicare.*

22. TRibus dictis, quæ ad propositam difficultatem pertinent, meo more, hoc est breviter, ea diam. Dico primo si morbus statum mutet, ut si ægro in vitæ periculo versabatur, & deinde convaluit, & postea simile periculum rediit, potest in posterum periculo, non iejunus communicare (licet in prom liter non iejunus communicaverit) Idque toties simile quid evenerit. Ita Delugo *disp. de Euch.* 15. *n.* 62. & communiter.

23. Dico secundò, quando idem periculum rat: si heri v. g. communicavit (etiam sub titulo iejunus; paterit hodie non iejunus *ibid. num* 63. Vasq *de Euch. disp.* 211. *c.* 4. *n.* 38. Et è contra si heri municavit non iejunus, poterit hodie iejunus. Colligo ex eodem.

24. Dico tertiò in eodem casu quando idem lum perseverat, heri non iejuno pro Viatico municavit. Laym *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 20. Hurtad. *de Sacr. disp.* 9. *diff.* 1. concedunt etiam hodie, id est sequenti non iejunum iterum pro Viatico communicare alij verò apud citatos, negant. Sanè utrumque probabiliter dictum est: licet non ignorem negantium sententiam esse communiorem. Quorum negantium aliqui cum var. apud Delugo citati docent posse post multum pus: alij cum Villal. apud eundem, post triginta dies: alij cum Suarez & Nunnio *ibid.* citatis, post cem, vel octo dies: alij cum Sylv. *ibid.* post sequentem cum Armilla, Filliuc. *ibid.* post sex: alij cum Ludov. S. Ioan. *ibid.* post tres. Ratio harum opinionum est, cum moribundum, non iejunum communicare sit ex Ecclesiæ vel concessione, ex Vasq. *de Euch. disp.* 211. *n.* 35. vel consuetudine ex Delugo *cit. n.* 59. *fine*, ductum; alij mitius, alij rigidius, ejusmodi concessionem usumve interpretantur.

## §. XII. *An eadem die, qua quis occidendus est possit communicare. Et quid de Infideli qui eodem, quo baptizatur die, est suspendendus.*

25. PAnormi in Sicilia, & in Regno Castellæ eadem die puniendos, non solent Ministri pridie communicare. Ego tamen non videò sufficientem talis consuetudinis rationem: tum quia eodem die ficiendum communicare nullo modo cedit in irrevertiam Christi Domini: tum quia interficiendus ad mortem vicinam disponitur: tum quia Romæ die ejusmodi interficiendos communicant. Ita Cajetanus apud Dianam *p.* 3. *tract.* 4. *ref* 59. & *p.* 5. *n.* 3. Immo aliqui cum Ioan. Sanchez *in sel. disp.* 40. *num.* ejusmodi damnatis, etiam si pridie communicaverint, concedunt iterum die sequenti, quo morituri sumpsere municare posse. Idque Sà *V. Eueh. num.* 2. aliique

Ioan. Sanchez citat. dicunt fieri posse, una hora ante pa-
tibulum: siquidem una hora regulariter sufficit ad spe-
cies digerendas, ut supra *c.3.§.4.n 4.* vidimus.

26. Quod si puniendus sit infidelis eodem die bap-
tizatus, bene, prout tempus permittit, instruendus
post baptismum de hoc Sacramento est, & communi-
candus: Ita Ioan. Sanch. *ibid. num.* 3. quia iam est ca-
pax illius, nec ulla ratio dictat eum esse tanto Bono pri-
vandum.

## CAPVT VI.

## De ministro Communionis.

1. DE Communionis ministro qui est solus Sacer-
dos, & ex commissione ipsius, urgente aliqua
causa, & semper quando instat mors alicuius, deficien-
te tamen Sacerdote, Diaconus. Ita Suar. *de Eucharist.*
*disp.72. sect.1.* Delugo *de Euch. disp. 18. s.ct. num. 27*
aliqua tetigimus in præcedenti cap. Verum nunc in pro-
prio loco nonulla sunt, ad complementum tractatio-
nis, addenda.

### §. I. *Quo habitu, quo die, qua hora, quibus circum-stantiis est ministranda Eucharistia.*

2. DE statu gratiæ an requiratur in ministrante tan-
tum Sacramentum, diximus per occasionem,
supra *cap.1.§.7. num.* 59. Nunc ergo cætera quædam,
& exteriorem pertinentia, sic breviter percurrimus.

3. Primò, non opus est, ut Sacerdos hoc Sacramen-
tum ministrans, sit je junus: siquidem id nullo jure præ-
cipitur. Ita Bonacina *de Euchar. disp.4.q.5 p.n. 6.*

4. Secundò, omni anni tempore ministrari potest.
Dubitatur tamen an possit die Parasceves, hoc est Ve-
neris Sancti, quando certum est non licere Sacerdoti
celebrare, sed solum, ex præconsecratis die antecedenti
communicare. Sic Delugo *de Euch. disp.20.sect. 1.n. 14.*
Dico posse: at extra periculum mortis non esse passim
in usu. Sic Hurtad. *de Sacrific. disp.4.diff.2.* citans Suar.
Vasq. Layman. (in illo enim periculo posse, immo de-
bere non est dubium.) Hic tamen non usus nequa quam
induxit obligationem peccati eo die communicanti,
sed decentiæ dumtaxat, propter mœrorem passionis
Domini nostri: & sicubi usus est communicandi, iam
ea decentiæ ratio, ipso usu sic interpretante, cessat.

5. Tertiò, mane ministrari solet: sed Vesperi, vel
intempesta nocte, posset je junis ministrari, etiam extra
mortis necessitatem: Sic Sà *V.Euch.n.19.* Suar. *de Euch.*
*disp. 69 sec. 4.* quod tamen est facile concedendum
propter populi admirationem, Sic Coninch. Bonac.
*de Sacr. disput.4.qua.7 puncto 1.n.14.*

6. Quartò, ex Bonacina *ibid. quæst.5. p.2. à num .8*
Parocho non licet Eucharistiam ad infirmum deferre,
sine stola, & superpelliceo, & non præcedente lumine,
nec idem tenetur, si timeat præproperam infirmi mor-
tem, valdè festinatò currere: quia videntur hæc reve-
rentiæ debitæ repugnare: quamvis possit ex Bonac. *ibid.*
extremam unctionem sine tanta solemnitate deferre: quia
Sacrum Oleum materia est Sacramenti, non verò Sa-
cramentum, At ad baptizandum, vel absolvendum in-
firmum, qui secus creditur in mortali moriturus, non
solum posset, sed etiam currere minister deberet: Sic
idem *ib.* quia id non cedit in ullius Sacramenti irreve-
rentiam: & ex alia parte maxime proximi charitas urget.

### §. II. *An ministrari Eucharistia possit indigno.*

7. IN hac quæstione, qua quæritur: An ei, qui cogno-
scitur esse in statu peccati mortalis porrigi a Sa-
cerdote, sine peccato, communio possit. Certum est
Primò, Ministrum per se loquendo, quando saltem
commodè, & sine ullo inconvenienti valet, non posse
ei quem mortaliter indignum positivè certò congosci
(nam in dubio quilibet præsumendus est bonus, &
communicandus) saltem ob regulam generalem, qua
obligamur vitare, & impedire proximorum peccata,
quando commodè possumus. Ita Suar. *de Euch. disp.67.*
*sect.1.* Rursus certum est *ibid.* nec posse invitare, aut
alicui indigno suadere, ut recipiat Sacramentum, saltem
quando non adest necessitas. Sic idem *disp. 8. sect. 2.§.*
*sed quæres* Bonac. *disp.1 de Sacr. q.5. p. 4. n. 6.* Ratio est
quia id esset movere directè ad peccandum.

8. Certum est secundò, Publico peccatori petenti si-
ve publicè, sive secretò Sacramentum, non posse sine
peccato ministrari. Ita Suar. *ib.* & *passim.* Recentiorem
Ratio est, quia obstat illud Matth.7. *Nolite Sanctum dare*
*canibus*: obstat reverentia Christo Domino debita, ob-
stat cooperatio cum alieno peccato.

9. Iuvabit tamen hic exscribere quæ affert pro praxi
circa publicum peccatorem Caramuel *lib.3. Th.mor.num.*
1393. *Vsurarij* (inquit) *publici, communes peccatores ali-*
*quando tanguntur à Deo & respiscunt, &c. unde me con-*
*sule, magno consilio, & examine utaris antequam publice*
*petenti Eucharistium neges publicè; & quia in Altari nec*
*tempus examinandi suppetit, nec dantur quos consulere*
*possis, ubicumque prævia resolutione antequam eo veneris*
*sanctè & coram Deo non statueris negare Eucharistiam*
*tali personæ, si petet, concedito, nam negare est res gra-*
*vissima, quæ non debet fieri impetu extemporaneo. Ego*
*quidem prima vice nemini mortali negarem, quem non*
*scirem certò esse in omnium opinione non baptizatum, de-*
*lirum, aut arbitrij impotem. Si certò scirem meretricem*
*habitare in lupanari. Vsurarium in telonio, & ex Altari*
*ad has domos iterum peccaturos, & populum scandaliza-*
*turos reverti (sed quando similia monstra actionum data!)*
*audacter Communionem negarem.*

10. Certum est tertiò, Peccatori occulto publicè
pœnitenti Eucharistiam sive à simplici Sacerdote, sive
à Parocho, cum par sit ratio, denegandam non esse:
Sic Suar. aliique quos citat & sequitur Delugo *de Sacr.*
*disp. 8. sect.* 10. quia omnes habent obligationem non
lædendi famam proximi, & ex alio capite, sibi impu-
tet peccator, quod indignè sumit, cum Minister to-
tum, quod ex se facit, sit tale, ut possit esse bonum, &
sine peccato. Sic idem Delugo *ibid sect.11.n.181.*

11. Certum est quartò, Peccatori occulto, secretè
petenti denegandum esse: Ita Doctores citati: quia
tunc nulla sequitur peccatori infamia, & consequenter
Sacerdos non habet excusationem unde concedere co-
gatur. Illud igitur hic maximè est, pro praxi, considerandum, ecquisnam dicatur in hac materia publicus, quis
occultus peccator. Placet modus id explicandi traditus
à Suario *de Euch. disput.67. a sect. 5.* vide etiam Fagund.
*præcept Eccles.3. lib.c.10.* quem ut faciliorem reddam, &
breviorem, his sequentibus regulis distinguo.

### *Regula Prima.*

12. Si peccatum petentis Sacramentum sciatur ab
aliis, coram quibus petitur, dicetur publicum, sanè res-
pectivè ad hoc: quare illi denegandum erit Sacramen-
tum, semper præ oculis habendo ea, quæ *n 9.* insinua-
vimus. Ratio est, quia iam non sequitur ia famia ex de-
negatione. Certò autem tunc, licet occultè, dicetur his
constare petentis peccatum: quando vel ipse extra con-
fessionem Sacramentalem illud fassus est (nam si intra
illam, dicam mox *n. 20.*) vel ipsi astantes viderunt, vel
à fide dignis audierunt, certoque sciunt petentem non-
dum fuisse illud Sacramentaliter confessum: id enim
est certò constare illum esse graviter indignum.

### *Secunda Regula.*

13. Si peccatum petentis Sacramentum sit evidens,
evidentia iuris, vel evidentia facti, tunc licet aliquibus
præsentibus sit ignotū, dicetur petens publicus peccator

atque adeo denegandum erit illi Sacramentum, dum tamen dictorum *num.* 9. immemor non sis. Ratio est eadem, quia iam non sequitur simpliciter nova infamia, cum per eam publicitatem amiserit ille omne ius ad suam famam.

14. At quænam est evidentia iuris, quæ facti? Respondeo, iuris est, quando iuridicè quis convictus est de crimine per propriam confessionem, vel per sententiam declarationémve Iudicis, sive id sciatur à multis, sive à paucis: Facti est, quando notitia facti peccaminosi tam publica est, ut iuridicæ manifestationi æquivaleat: quod contingit, quando tam publicum est delictum, ut nulla tergiversatione celari possit. At hoc ipsum quæro: & quando est tale, ut nulla tergiversatione celari queat? Dico, id non posse universaliter colligi ex numero personarum: ut aliqui censent, sed prudentia opus esse: ut pensata qualitate loci, delicti, & personarum, quibus est peccatum notum, iudicetur, an sit tale, ut mortaliter nulla ratione possit in occulto retineri.

15. Vnum hic dubitari potest, an quando peccatum est publicè notum in uno loco, dicatur etiam, pro hac nostra materia, notum in alio: ita ut peccator per sententiam, vel per evidentiam facti Romæ, v. g. publicus si petat hic Parmæ, ubi eius peccatum divulgatum non est, repelli debeat à Sacramento: videtur enim cum Lessio *lib. 2. c. 11. dub.* 13. aliisque non esse repellendum ex illa communiore sententia, qua tenetur esse illicitum, si non propter iustitiam certè propter charitatem, crimen alicuius in aliquo loco publicum, in alio, ubi nescitur, manifestare. Dico (communiore sententia) nam est alia sententia Fagund. *præc. Eccl. 2. lib. 5. cap. 3. n. 14. & 16.* sanè probabilis, quæ docet non esse illicitum mortaliter, neque contra iustitiam, neque contra charitatem, saltem quando nondum recuperavit benè vivendo bonam famam: quia per publicitatem amisit ille omne prorsus ius ad famam suam.

16. Respondeo tamen ad dubitationem. Primò difficulter in praxi occurrere posse fortasse casum iuxta ea quæ *num* 9. attulimus: tum quia non facilè credendum est rumoribus populi: tum quia potest rationabiliter à Christiano præsumi talem peccatorem iam fuisse emendatum, atque adeo concedendum illi Sacramentum. Respondeo secundò. Si fortè occurrat aliquando casus dico debere repelli à sacramento: quia in hoc casu etiam iuxta communiorem prædictam sententiam cessat, ius charitatis pro illo. Ratio est, quia charitas dictat quidem, non debere propalari illius crimen, sine causa rationabili: at hic adest causa rationabilis manifestandi, cum iniquè talis se gerat, & sacrilegè, petendo indigne Sacramentum. Scio Fagundez 3. *Eccl. præc lib. 3. cap. 10. n. 7. & 8.* contendere hunc non debere repelli: quia si repellatur (iniquit,) certò infamabitur. At iam vidimus illum non illicitè infamari, seu, ut loquar, non simpliciter infamari, cum supponatur iam amisisse famam, & nunc cessare etiam ius charitatis. Scio etiam Henriquez ab eodem Fagundez citatum, dare optionem ministro, ut possit admittere, & possit repellere, cum pro utraque parte sint rationes probabiles: scio, inquam, hæc sed tamen nostra sententia videtur probabilior.

*Tertia regula.*

17. Si peccatum petentis Sacramentum alioqui non sit publicum, sit tamen notum aliquibus præsentibus, ubi sit petitio, aliquibus autem notum non sit (etiam si uni tantum ex præsentibus non sit notum, quia par est ratio) non potest denegari Sacramentum. Ratio regulæ est: quia solum per publicitatem, id est, per evidentiam iuris, vel facti amittit quis ius famæ. Ergo in aliis casibus, licet facillimæ probationis, servanda est proximi fama. Dices: at, qui norunt ex astantibus scandalizabuntur, quod detur à te Sacramentum, illi, quem ipsi indignum cognoscunt. Respondeo hoc fore scandalum passivum, quia scire debent hunc non amisisse ius petendi, cum nondum sit publicus peccator: a judicare debent inter ipsos aliquem adesse, qui petentis nesciat.

*Quarta regula.*

18. Propter suspicionem probabilem, multo si suspicio sit temeraria, hoc est, sine fundamento potest denegari Sacramentum. At verò propter suspicionem violentam, debet Sacramentum administrari, denegari: hoc est, si suspicio violenta fundata, debet negari tum publicè, tum privatim occulta, occultè & e contra ratio est, quia temeraria probabilis suspicio illi peccatori ius famæ non tollit: verò suspicio, cumæquivaleat evidentiæ, ius famæ

19. At quænam est violenta suspicio? Est illa innititur talibus signis, & indiciis, ut, ex nulla bili ratione, id, quod ex illis enasci videtur, obscurari valeat: sive, quæ tales habet conjuncta nihil appareat, quod contrarium suadere probabile possit. Tale est commune exemplum, nudum cum da invenire, ad suspicandum turpem congressum

*De peccatore cognito ex Confessione.*

20. Petes primò, qui ex confessione Sacramentali novit petentem existere in statu peccati mortalis, ne illum repellere? Respondeo. Quamvis aliqui cum Suar. *de Euchar. disp* 67. *sect.* 3. §. *Sed dubium* posse, imò debere repellere. Verius puto cum Sa *Eccl. præcept.* 3. *lib.* 2. *cap.* 11 *n.* 23. non posse: imò tere ei vel occultissimè petenti, Communionem cedere. Ratio est quia sigillum confessionis, ita obligat; ut nihil externè fieri possit, per quod pœnitentis peccatum exprobrari, etiam si solus pœnitens advertat. Hinc inferunt aliqui: Si Parochus ægrotum non absolvit, quia non erat benè dispo & deinde vel ægrotus ipse, vel consanguinei ipso, ut Eucharistiam deferat ad infirmum: posse & debere) deferre nulla prorsus habita ratione in confessione habitæ. Ita Ioan. Bapt. Novarus *in moral. lib. 2. cap. 4. quæst.* 17. Recole quæ *in Appendice cedentis Opusculi* dixi de Sigillo Confessionis *cap. 6 § 2.*

*Quotupliciter peccat qui communicat indigne.*

21. Petes secundò. Qui peccatori publico Eucharistiam, vnicúmne, an duo peccata committerum cooperando cum alterius peccato, alterum deliter suum officium exhibendo. Respondeo. Pon Præpos. *de Euchar. quæst.* 80. *num.* 23 unicum, quo cet confert Sacramentum indigno: vtraque malitia unum constat saltem in ordine ad confessionem mortale peccatum.

*De ministrante Hostiam non consecratam.*

22. Petes tertiò. Licetne peccatori occulto ministrare Hostiam non consecratam, quò exterius illum communicari: ut videtur sic eius infamia. Respondeo. Quidquid dicant aliqui, censeo non licere, ostendendo astantibus consecratam, & dando peccatori non consecratam, sive quocunque alio modo. Ratio est, quia semper adest periculum idololatriæ, materialis. Lege Delugo *de Sacram. disp.* 8 *sect.* 11. n.

Hactenus egimus de ministrante indigne petenti nam quid dicendum de petente ab indignis minist colligi potest ex dictis supra *cap.* 5. §. 4.

## §. III. *Quam debeat pœnitentiam exhibere sive publicus sive occultus peccator, ut ad Communionem admitti possit.*

23. Si peccator sanus, occultè petat; sufficit egisse occultè pœnitentiam, seu confessum Sacramentaliter esse: idque Sacerdoti alisque, qui forte adsint verantque peccatum, constet. Ita Suarez *de Euch. disp. sect.* 2. §. *Inquiri autem.* Si verò publicè petat, tunc

pari modo, ut publicè constet pœnitentia, sive confessio, pro ratione status peccati, ita ut bona ipsius dispositio manifesta sit. Ita idem *ibid.* Ratio utriusque dicti est, quia sic Sacramentum dignè coram Deo, & hominibus tractabitur. Dixi, constet: nam si dubitetur de pœnitentia, non sufficit: quia possidet certitudo peccati: cum contra, si dubites de peccato; potes; ac debes illum communicare: quia possidet bona fama pœtentis, atque adeo petens præsumitur bonus, ut supra innui *n.* 7. 24. At si peccator, quamtumvis publicus, (qualis est v. g. meretrix publica) in mortis articulo sit constitutus; satis erit, ex eodem *ibid.* si pro temporis opportunitate, & angustia, vel ritè confiteatur, vel si hoc nequeat, signa contritionis exhibeat, juxta ea quæ diximus *cap.* 5. §. 8. *num* 16. & ad evitandum scandalum publicetur, quantum fieri potest, dicta confessio: de cuius publici peccatoris confessione vide quæ dixi *in Methodo Confessionis lib.* 1 *cap* 3. §. 5. Ratio est, quia tunc, propter periculum, urgentemque necessitatem non est maior diligentia extorquenda, quam alia quæ commodè exiberi potest, & ex alia parte de quolibet Fideli præsumitur, eo in articulo facere pro sua salute quantum potest. Addunt aliqui ad meretricem graviter decumbentem in lupanari, seu loco publico peccati, etiam si confessa rité fuerit, non esse deferendam Sacram Eucharistiam: esse, si in domo privata iaceat, propter reverentiam Sacramenti. Ita Ioan. Bapt. Novatus *in decis. morat. lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 13. Vtuo tamen, ubi hæc loca publica sunt esse servandam consuetudinem eius Ecclesiæ quæ potuit declarare, quid melius expediret, forte ad terrorem aliarum. Nam cæterum Christus Dominus ad peccatores, præsertim contritos, libenter diverit.

### §. IV. *An laicus, vel inferior Diacono ministrare unquam possit Eucharistiam*

25. DOcent aliqui cum Delugo *de Euch. disput.* 18. *sect.* 1. nonqeam, ne ex commissione quidem Sacerdotis, nec urgente ulla mortis necessitate, hos posse, vel sibi, vel aliis ministare hoc Sacramentum. Ratio est saltem antiquissima, & constans consuetudo Ecclesiæ in contrarium. Aliqui, in extrema necessitate, etiam aliis, & multo magis sibi concedunt, quando nullus esset Sacerdos, vel Diaconus, & infirmus sine Viatico, moreretur, ita Suarez *de Euch.* 7. *disp.* 7. 2. *sect.* 1. §. *ultimo dicendum, & sect.* 2. *in fine.* Valent. *tom* 4. *disp* 6. *quæst.* 19 *p.* 1. §. *mihi vero.* Ratio est, quia non videtur id prohibitum, nec iure humano, nec divino: cum semper excepta intelligatur extrema necessitas.

26. Aliqui denique concedunt inferioribus Diacono, ut etiam laicis, ad se ipsos, instante morte, communicandos, non verò ad alios. Favet Layman, Suarez, aliique cit. à Delugo *dicta sect.* 1. qui item fatetur id esse probabile. Ratio est, quia sic interpretantur hi consuetudinem in contrarium. Præfictæ sententiæ, cùm habeant bonos authores, nec spernendas rationes, sunt omnes, saltem propter authoritatem extrinsecam, probabiles.

27. At, quot peccata committit, qui se ipsum in mortali communicat? Respondeo. Suarez *de Euchar. disp.* 67. *sect.* 1. §. *sed quæret aliquis*, docet in hoc peccato adesse duas malitias alteram sacrilegæ receptionis, alteram infidelis administrationis Illud certum dico (quod nobis satis est) ex his constari unicum peccatum adeoque satis esse in confessione sic manifestare: *Communicavi me ipsum graviter indignè.* Sicuti qui celebrat in peccato mortali, satis se explicat, dicendo: *Celebravi indignè graviter.*

### §. V. *An extra sacrificium possit se ipsum Sacerdos communicare.*

28. LIcet probabiliter aliqui cum Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. negent, probabiliter etiam & alij cum Suarez *de Euchar. disp.* 72. *sect.* 3. concedunt, posse Sacerdotem, non solum in extrema mortis necessitate; sed etiam devotionis causa se ipsum, extra sacrificium, communicare, si non adsit alius Sacerdos, qui ipsum communicare possit. Ratio est quia cum non adsit, pro hoc Sacramento, præceptum distinctionis personæ eius, qui recipit, & eius qui dat Sacramentum; sufficiens; & rationabilis causa iudicanda est; absente alio Sacerdote Sacerdotem reficì velle sacra Eucharistia. Amid possit Sacerdos facere non solum mane; sed etiam post meridiem, vide suprà §. 1. *n.* 5.

29. Quid si adsit Diaconus? Debere à manibus Diaconi accipere docent aliqui cum Fagund. *præcept. Eccl.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. sed & alij posse docent, suis manibus; Sic Suar. *d. disp.* 72. *sect.* 3. vide Delugo *de Euch. disp.* 18. *sect.* 1. utrique probabiliter. Ratio prioris sententiæ est, quia nulla rationabilis causa est sibi ministrandi. Ratio posterioris est, quia ex præsentia Diaconi, cui solum competit, ex commissione Sacerdotis, ministrare hoc Sacramemtum, non impeditur ius Sacerdotis sibi ministrandi: nam potest uti iure suo, & non committere; & sic aderit carentia legitimi ministri. Id quod non potest dici, quando adest alius Sacerdos: hic enim de iure ordinario ministrat, atque adeo, præsente ipso, qui potest, ille prior Sacerdos, cum non careat legitimo ministro, non judicabitur habere rationabilem causam non observandi consuetudinem accipiendi Communionem extra sacrificium, à manibus legitimè porrigentis.

### §. VI. *An Sacerdos possit communicaturo ministrare partem suæ Hostiæ.*

30. PVto aliquando fieri convenientissimè posse; Ita Sà *V. Euch. num.* 15. Ioan. Sanchez *in select. disp.* 22. *num.* 21. Henriquez, Sylvester, Granadus cit. à Diana *p.* 5 *tract. ref.* 14. Ratio optima ducenda est cum Delugo *de Euchar. disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 69. ex ipso Christi instituentis exemplo, qui fregit panem, & dedit. Cum igitur nihil in hoc Ecclesia expresse prohibuerit: si adsit causa rationabils, non est cur à nobis damnetur. Non nego, si adsint aliæ particulæ consecratæ, decentius particulam porrigi, cum ita ferat consuetudo? illud non esse incoveniens, ex ipsa Christi primaria institutione docco.

Neque obstat consuetudo in contrarium: tum quia ego cum essem iunior, vidi Sacerdotes id facientes, sine umbra ut tunc mihi videbatur, scrupuli: tum quia, etiamsi alicubi sit, non constat an habeat vim prohibitionis, cum non constet, an eiusmodi consuetudo observetur, ut necessaria, & obligans (id quod ex Hurtad. *de Euch. disp.* 2. *diff.* 9. loquente de consuetudine conseerandi in Missa, constare debet ad hoc ut consuetudo habeat vim legis) an verò tantum ut quid decentius, seu, ut castigatiùs loquar, ut quid expeditius: fatemur enim quod per formulas minores, quæ sint in promptu facilius expediantur fidelium laicorum communiones, quam per partem Hostiæ Sacerdotis.

31. Obiicies. At *in Missali Romano de defectibus Missæ* iubetur, quod si Sacerdos, post consecratam Hostiam incidat in morbum, debat alio Sacerdote finiri Missa, & comunicari infirmus Sacerdos, parte ipsius Hostiæ consecratæ, quamvis, sit alia formula consecrata, hæc potius infirmo porrigenda sit: Hæc *ibid.* Ecce requiritur summa necessitas: nam solum concedirur, infirmo Sacerdoti, deficientibus aliis formulis? Respondeo hanc Rubricam esse benè intelligendam nam tota intentio Ecclesiæ, in hoc eventu est, ut infirmus Sacerdos participet de Sacrificio à se inchoato. Unde Gavantus *in Rubric. Missalis p.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *litt. A*, ibid. (*Dividat Hostiam*) sic habet. *Ita convenit, quia partem habuit ille prior in consecratione. Ergo etiam in sumptione.* Hæc Gavantus. Et sanè videtur statuum *in c. Reatum* 11. *de Consecrat. dist.* 2. ibi. *Nam. quare erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscatur.* Hoc

posito, sic te debes ritè hac in re gerere. Si adsint in Altari particulæ consecratæ, simul cum Hostia grandiore, consecratæ, inquam, ab ipso Sacerdote infirmo (de quo casu solum loquitur Missale) potest dari ipsi, vel pars Hostiæ grandioris, vel melius (hoc est, expeditius) una ex dictis particulis. At si non adsint particulæ consecratæ ab ipso infirmo Sacerdote, sed fortè ab alio servatæ in sacrario; certè non danda est una ex illis particulis, sed pars Hostiæ grandioris: ut nimirum sic Sacerdos infirmus participet de suo sacrificio. Et de hoc casu non expresè hic loquitur Missale, cum satis ipsi fuerit invenire intentionem Ecclesiæ esse: ut Sacerdos, quantum fieri potest, de suo Sacrificio, ut dictum est, participet.

32. Atque ex his patet responsio ad obiectum: non enim absolutè prohibetur, sed solum ut quid decentius notatur, quando absunt aliæ formulæ ab infirmo consecratæ, illas & non partem grandioris Hostiæ Sacerdoti, multo etiam magis laico communicaturo distribui: id quod contra traditam à nobis doctrinam, non est.

### §. VII. *An tempore Interdicti generalis ministrari communio possit?*

33. Potest solum pro viatico sive infirmis, sive morte puniendis. Ita Suarez *de Confess. disp.* 33. *sect.* 1. *n.* 22. aliique *passim:* quia casus necessitatis exceptus est: ut etiam excipitur confessio. Imo confessio, propter maiorem eius necessitatem, semper, nec solum instante morte, excipitur. Ita idem: Modo, si quis dederit causam Interdicto, etiam & ille, qui esset specialiter interdictus, satisfaciat, vel det sufficientem cautionem pignoratitiam, fideiussoriam, vel si talem non possit, iuratoriam, ante absolutionem. Sic Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 1. Quod si non satisfecit, propter inadvertentiam, vel aliud ante absolutionem; puto satisfaciendum esse ante Viatici sumptionem.

34. Parochus ergo, & hoc impedito, aliquis ex Sacerdotibus, Eucharistiam, cum solito comitatu, & luminariis, propter Christi reverentiam, ad infirmos, etiam tali tempore, deferre tutò poterit. Solum adverte cum Bonac. *de Interdict.* 5 *p.* 3. §. 2. *n.* 1. & *passim*, eos Sacerdotes, qui causam dederunt Interdicto, quia ab Eucharistia ministranda, peculiari iure prohibentur, pote inerdicti; ideo, secluso necessitatis casu, esse nò à tali ministeriò excludendos. Ita Laym. *ibid.*

35. An Religiosis, vel Monialibus, qui non dederunt. Interdicto, concedatur, eodem tempore ministrare, vel recipere Eucharistiam quisque sua sulat privilegia. Ita Bonac. *ibid. num.* 9. Vide Sua & Sà apud Layman, *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *num.* 2. tes Religiosis & Monialibus concedi tunc Comm nem, quia hi communiter habent ad hoc speciale vilegium.

36. In die Paschatis denique an liceat etiam communicare? Dic secundum communem opinionem licere: Ita Sayrus, Avila, Alterius, apud Bo *ibid.* §. 2. *num.* 32. licere autem secundum probabilem Suarez, Coninch. apud eundem Bonac. *ibid.* Pon men Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 41. in p servandam esse loci consuetudinem. Quid si nulla reat introducta consuetudo? Iam alterutram ex opinionibus sequi potes.

37. Quod dictum est de die Paschatis, dic de Natalis Domini, Pentecoste, Assumptione Virg totaque octava Venerabilis Sacramenti, non pos licet tunc à Fidelibus communicari ex probabili tia multorum citat. à Coninch. *disp.* 17. *de interdict. n.* 36. Sed est etiam probabilis sententia aliquorum Coninch. *loco. cit.* citante Suarium *de Censuris* num. quod possit. Ratio utriusque sententiæ est, quia dic cap. *Alma Mater*, addita Martini V. extensione, ne ceditur pro dictis festivitatibus solemniter divina offi celebrari, multi inter divina officia non comprehen Communionem: aliqui comprehendunt: certè mag ut dictum est, probabiliter.

Pari modo ex communiore sententia cum Suar *Censur. disp.* 34. *sect.* 1. *n.* 39. hæc festa, in quibus licet vina officia celebrare, solum comprehendunt unum sum primum dictum diem festi, quia ille solus in rig est festum Paschatis, Nativitatis, &c. At Soto, & aliique apud Coninch. *loco. citat. n.* 37. etiam probabil Paschæ, & Pentecostes nomen extendunt in mate interdicti ad duos sequentes: Natalis verò ad sequ tres, quia omnes dies hi verè sunt festivi (maximè ad vorabilibus) pertinentes ad eadem solemnitatem.

FINIS.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac B. Aloysio Patrono meo.

# DE SACRIFICIO MISSÆ EXPEDITE CELEBRANDO, LIBRI TRES

Admodum Reverendissimo in Christo P. N.

## P. VINCENTIO CARRAFÆ,

Societ. Jesu Præposito Generali.

*Thomas Tamburinus. S.*

INTER gaudia plaususque, quibus paterno tui regiminis in sinu collocatâ Societas exultat universa, silere certè non debeo, quamvis tuos minimus inter filios; & dum alij sapientissimis ab ingeniis nobiles partus edunt in lucem, quos tuo nomini dicent, tuóque deponant in patrocinio: me non decet otiari, & mente quasi effœta torpescere. Diogenes Philosophus ille quidem insignis, sed ad militiam nullo modo factus, doliolum suum, quod pro domo, hoc est, pro firmissima sibi quiete stabiliverat, volutare per vias aliquando cœpit, ne inter laborantes ex improviso belli timore Cives suos unus ipse, in otio nunquam otiosus, feriari præ cæteris videretur. Intelligebat nimirum cordatissimus vir, ubi opportunum aliquid moliuntur socij, eorum vestigia studiáque consectari, haud semper abs re esse, neque semper importunum. Belle igitur mihi accidit inter alias præstantiorum Scriptorum lucidiores elucubrationes, mei hujus Opusculi infantilem umbram, pallentem veluti violam, in emicantium rosarum, liliorúmque fasciculo tibi propopendam interserere, ut monumentum tibi sit obsequij in te mei, mihíque ac cæteris præstantiæ tuæ. Vale, & te diu fruatur Societas, ferat in oculis, & in corde.

---

*De Præcedentibus duobus opusculis de Confessione, & Communione, Romæ primùm impressis, plausúque exceptis:*

## ANAGRAMMA R. P. F. RICHARDI A PANORMO

ex Ordine Capucinorum Concionatoris eximij.

PATER THOMAS TAMBURINUS SOCIETATIS JESU.

Peto Numina: Roma tibi satis est Thesaurus.

*EIA agite, ô Divi, faciles mea carmina vestris*
*Associate animis: NUMINA sacra PETO:*
*Non alios equidem, Thoma, tibi plaudere fas est,*
*Sit DEUS ipse polo, Roma vel ipsa solo.*
*ROMA TIBI SATIS EST THESAURUS, ditior auro,*
*Ut tua per terras fama perennis eat.*

## *INTENTIO, ET DIVISIO OPERIS.*

PRÆCEDENTIBUS *de Confessione, & de Communione* duobus Opusculis ideo connecto tertium *de Sacrificio Missæ celebrando*: quia inter hæc tria mutuo intercedit quasi innata connexio. In quo quidem tertio, Opusculo *primum* instituo de iis, quæ ad Sacerdotem pertinent, antequam Sacrum faciat. *Secundum* de iis, quæ ad eundem spectant, dum actu celebrat. *Tertium* de iis, quæ postea. Prosperum omnium bonorum Author, & donator Deus.

# LIBER DECIMUS.

## *De iis quæ ad Sacerdotem pertinent, antequam Missam celebret.*

### PROOEMIUM.

PRÆTER ordinem Sacerdotij nulla censura impeditum, de qua re agere instituti non est) tria video ad quæ reduci possunt ea quæ Sacerdoti proximè sunt necessaria ad tantum Sacrificium celebrandum. Primum; status gratiæ. Secundum, confessio Sacramentalis, in eo qui mortalis peccati nondum confessi, si est conscius, licèt quantumcumque contritus sibi videatur. Tertium quædam extrinseca à sacris Canonibus potissimum instituta ad sacrificium ritè, & reverenter peragendum. Tale est ieiunium, sacra vasa, sacræ vestes, ornamenta Altaris, locus, tempus, & huiusmodi similia; nam de virtutum actibus agere, quibus se Sacerdotem præparare ante Missam congruum est, ad nos, qui conscientiæ casus explicare intendimus nequaquam spectat.

2. Quoniam verò de primo, & secundo satis abundè *in præcedenti Opusculo de Communione expeditè peragenda, cap. præsertim primo* disseruimus, inde habere potes, quæ de iis scitu sunt necessaria, quæque hic exscribere supervacaneum esse. De tertio item, quoad ieiunium naturale, & quædam alia omnibus fidelibus Eucharistiam suscepturis communia *ibidem* cap. *præsertim secundo* sufficienter egimus. Superest igitur de cæteris, quæ Sacerdotum magis sunt propria, explicationem instituere: Sunt autem vasa, vestes, tempus, & huiusmodi cætera, quæ quamvis requirantur in ipso Sacrificio atque adeo eorum tractatio reduci etiam possit ad secundum huius Opusculi librum, ubi, ut modo diximus, agemus de iis, quæ ad Sacerdotem pertinent, dum actu celebrat, tamen hic magis actus, propriúsque locus esse videtur prærequiruntur enim ea, seu eorum electio, antequam Missa celebretur.

### CAPUT PRIMUM.

### De Vasis Sacris?

#### §. I. *De Calice & Patena.*

1. EX Rubricis Missalis *Rubr. de præpar. Sacerdotis in Missali reformato*, apud Hurtad. *disp.* 4. *de sacrificio Missali diff* 10. Calix & Patena debent esse ex auro, vel argento, si non totaliter, saltem, quoad cuppam. Posse esse ex stanno, concedit ob paupertatem Canon, cap. *Vt Calix, de consecr. dist.* 1. negátque posse esse ex ære, vel aurichalco. Nam propterea tenent communiter Theologi ex alio inferiori materia non posse: Attamen Delugo *de Euch. disp.* 10 *sect.* 4. *n.* 90. Romæ plerosque Calices totos ex ære, seu cupro, Italicè, Hispanicè, *Cobre*, mirúmque esse eos Theologos, qui in illis consecrarunt, id non advertisse.

2. Verum de novo, vel ex dicto ære, vel ex stanno fieri cuppam, non concedo. Ratio est prima, consuetudo iam in re gravi nunc usurpata, & ab omnibus Ecclesiis ut gravis recepta, quæ simul cum prædicta rubrica Missalis videtur concessionem illam Canonis revocasse.

3. At potestne esse ex gemma pretiosa? Respondeo. Si sit æquè atque aurum vel argentum pretiosa, non repugno. Rubrica enim, Canonésque concedunt aureum vel argenteum Calicem, concedunt implicitè gemmeum pretiosum, id est gemmeum, modò tamen gemma talis modi, ut non sit periculum, quod effringatur, vel quod imbibat sacras vini species, ut ex Hentiq. bene notat Fagundez *præcept. Eccl.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 13. Concinit traditio Ecclesiæ Valentinæ, ubi magna veneratione adhuc traditur pretiosus Calix ex lapide agatha, seu smaragdo, quem traduńt usum fuisse Christum Dominum in ultima Cœna. Sic Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 2. *tom* 1. *tit.* 8. *n.* 2. Cathagena *de Euch. hom.* 26. Fagundez *n.* 13. *cit* aliique. Quos negem Bedam *cap.* 2. *de locis sacris* affirmasse fuisse argenteo.

Illud etiam ex Granado *tract.* 14. *de Euchar. disp.* 1. *num.* 3. libens concedo, quamvis in Rubrica Missalis non formati præscribatur, ut Cuppa Calicis & superior pars tenæ pars sit deaurata, id tamen non obligare gravem; sufficit enim ad vitandum mortale, quod sint ex argento in o & ad vitandum veniale, quia ita usus obtinuit.

4. Atque ex hoc ultimo dicto conscientiam cuiusdam Sacerdotis olim sedavi, qui incidit in Calicem, & Patenam ex agento, & inaurato quidem, sed semicorrosa auro, ita ut partim aurea, partim argentea apparerent. An potuisse ritè in illis celebrari, quia ad huiusmodi immutationem, modo subsit argentum, non adest, ut dictum est saltem obligatio.

5. Dices. Si aurum maiori ex parte defuisset, ex illa parte emergere scrupulus potuit, nempe quod nullus consecrationem. Respondeo neque hunc scrupulum esse iniiciendum, dicam mox §. 5. *n.* 3.

#### §. II. *De consecratione Calicis & Patena.*

1. CAlix, & Patena in quibus licitè, ac ritè celebrari valet, esse debet consecrata *cum ordine de sacra unctione, & vtr.*

2. Confe-

2. Consecrantur autem vel de iure ab Episcopo, vel ex Privilegio Romani Pontificis (qui ratissimè illud concedit) sub alio inferiori. Ita Delugo *de Euch. disp.* 30. *sect.* 4. n. 91. Debet tamen esse diversum privilegium, ab eo de benedicendis vestibus, de quo nos infrà agemus nam in Patena, & Calice adhibetur unctio sacri Chrismatis, quæ non adhibetur in illis.

*Privilegium primum consecrandi Calices.*

AT inveniturne tale privilegium alicui ordini religioso, vel eius Prælato concessum? Respondeo. Triplex tale privilegium invenio. Primum est, ex Rodriq. *in comp. resol.* 1. *n.* 7 pro Abbatibus concessum ab Innocentio VIII. per quod possunt soli Abbates Corporalia, aliáque ornamenta benedicere Calicésque (intelligo etiam & Patenas) ut etiam aras consecrare Chrismate sacro, prius, ab aliquo Catholico Episcopo recepto, idque etiam pro usu exterorum.

4. Notat tamen duo Rodriquez *ibidem*. Primo hoc Privilegio ipsis non licere uti extra Monasteria Ordinis, vel Ecclesias illis annexas, nisi de licentia Diœcesani, iuxta Concilium Trident. *sess.* 6. *de refor. cap.* 5 est enim id exercere Pontificalia. Secundo, alios Religiosos, quamvis communicantes in aliis privilegiis, tamen non in hoc Innocentij VIII. quantum ad consecrationem eorum, in quibus Chrisma intervenit non communicare, id enim non datur nisi veris Abbatibus, & quidem ex vi huius privilegij, benedictis licet ex vi aliorum, etiam non benedictis, ex Rodriq. *in com. cas.* 1. *n.* 3.

*Privilegium alterum consecrandi Calices.*

5. SEcundum privilegium, quod hac re invenio, est illud concessum Patribus Societatis IESV à Paulo III. *licet debitum*) non iam à Gregorio XIII. ut habet per errorem Portella *in dubiis Reg. V. benedicere*, *in addit. n.* 3.) per quod possunt prædicti Patres in locis remotissimis, puta Infidelium, vestes sacerdotales, Palas Corporalia, Calices (intellige paritèr & Patenas) Altaria, cæmeteria) si Episcopus Catholicus, qui ea faciat, ibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare.

6. Vbi notat primo idem Portella *ibid*, hoc privilegio cum prædictis limitationibus, cum non restringatur ad Abbates, ut præcedens, posse uti communicantes in privilegiis; quales sunt Fratres Minores: & idem dicerem de aliis Mendicantibus, qui iam communicant, quod certè est probabile. Licet Fagund. *præcept. Eccl.* 1. *3. c.* 21. *num.* 1. id neget ex eo, quia hoc privilegium solis Sacerdotibus Societatis IESV concessum fuisse contendat.

7. Notat secundo illud (*si Episcopus ibi Catholicus non adsit*) quoad Prælatos Mendicantium intelligi solum pro consecratione Calicis (adde, & Patenæ, & Altaris) nam Corporalia, aliáque ornamenta, in quibus non intervenit Chrisma, potest benedicere Prælatus Mendicantium saltem ex alio privilegio, de quo infrà *suo loco*; At Sacerdos non Prælatus ex iisdem Mendicantibus solum poterit uti hoc privilegio cum prædictis limitationibus, tum quoad Calices consecrandos, tum ad alia ornamenta benedicenda; cum enim, qui non est Prælatus non habeat ex se, seu sibi concessum aliud privilegium benedicendi Corporalia, habeat autem hoc præsens, sed modo dicto, limitatum, solo hoc, in remotissimis locis illis, uti poterit. Cæterum, an ex aliqua tandem concessione, Sacerdotes non Prælati ex Mendicantibus possint nihilominus benedicere Corporalia, & similia, dicemus *suo loco infra c.* 3 §. 2 *n.* 9.

8. Noto insuper tertio, neminem ex Societate hoc privilegio Calices consecrandi uti posse etiam cum prædictis circumstantiis, nisi specialiter alicui ipsorum concessum sit à R. P. N. Generali, à quo privilegia omnia Societatis dependent. Ita Ascanius Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 17. *quæsito* 1. *n.* 40. Confirmatur quia ex una parte, in compendio, nostrorum privilegiorum hoc excipitur non invenitur: & ex alia ipse P. N. Generalis præscribit in præfatione dicti compendij, ne quis utatur privilegiis quomodocumque Societati concessis, quæ in dicto compendio, non sunt, nisi specialiter impetrentur ab ipso Generali.

*Privilegium Tertium consecrandi Calices.*

9. DEnique idem Rodriq. *comp. res.* 13 *n.* 13. ait Provinciales Indiarum ex Minoribus (Adde tu, & alios cum eorum privilegiis communicantes) posse benedicere, hoc est consecrare calices, Episcopis in Provincia non existentibus, per Bullam Leonis X. & Adriani VI. eandémque facultatem posse committere, & communicare suis Fratribus. Quod privilegium diversum sanè est ab eo, quod modo retulimus *n.* 5. sed cum fere in idem coincidat, nulla indiget explicatione.

§. III. *De pœna celebrantis in Calice non consecrato.*

1. PEccatum mortale committi à celebrante in calice, vel patena non consecratis, quia sit contra præceptum in re gravi, certum est, quare hic solum quærimus an in iure incurratur aliqua pœna. Bonacina *de Euchar. disp.* 4. *quæst ult. p.* 9. *n.* 17. sic habet: *Contra eum, qui utitur calice ligneo, aut calice non consecrato constituta est pœna depositionis ab officio & beneficio, cap. ult. de celebrat. Missarum.* Hæc Bonacina; quod fortassè sumpsit à Suario *de Sacrament. disput.* 81. *sect.* 7. §. *Alia autem forma*, qui sic ait (*Et ideo in cap. ultimo, de celebratione Missarum deponitur Sacerdos, qui sine sacro calice consecraverit.*)

2. Sed amabo te adeamus prædictum *cap. ultimum*, & videamus quid Episcopo Brixiensi scribat in illo Honorius III. *Litteras tuas* (inquit) *recepimus continentes quod cum super excessibus presbyteri Ecclesiæ S. Brigidæ inquireres, confessus est quod cum quadam die hostiam, & calicem non haberet in pane fermentato, & scipho ligneo, Missarum solemnia celebrare præsumpsit*, & infra. *Intellecto iterum quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter ladebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius Confessione inveneris, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, beneficio perpetuo ipsum prives* Hæc Honorius.

3. Vbi vides, Primò, hanc non esse pœnam universalem, sed illi peculiari presbytero inflictam. Secundo, esto eiusmodi pœnam velis extendere ad omnes certè ad omnes similiter delinquentes: At, si benè notas ut notavit *ibidem* Glossa, Sacerdos ille quatuor peccata commisit. Primò celebravit in pane fermentato, quod non licet in Ecclesia Occidentali. Secundò, in Scypho ligneo. Tertiò, sine igne, hoc est sine candelis accensis. Quartò, sine aqua, quæ vino consecrando commiscenda erat; & contra hos omnes excessus, illa pœna privationis officij, & beneficij fulminatur à Pontifice. Quomodo ergo ad celebrantem, in calice non consecrato tantum, extendere velis; Tertiò, licet, qui in scypho ligneo celebravit, supponatur in vase non consecrato celebrasse, & licet item supponamus, in hoc Sacerdotem illum dumtaxat, & non in aliis deliquisse, certè, quis non videt minus esse in calice aureo, vel argenteo non consecrato celebrare, de quo casu nos loquimur, quàm celebrare in ligneo scypho non consecrato? cum igitur maria peccata non sint, cur pari pœnâ puniantur?

4. Stet igitur, non esse ullam pœnam inflictam contra celebrantes in calice, patenáque non consecratis.

§. IV. *An*

§. IV. *An Calix, adde & vestes, aliaque similia remaneant consecrata seu benedicta, si in illis non sacris fortè quis sacrificet.*

## Calix, & Patena.

1. QVamvis probabilius sit cum Navar. Azor. Layman, Fagundez quos citat, & sequitur Delugo *de Euch. d.20. sect.4. num.89. & 92.* hæc non remanere tunc consecrata, quia aliud est calicem sacrari, veluti ex naturali quadam consequentia, id quod fit per contactum sanctissimi sanguinis: aliud est, calicem deputari ad sacrificium, quod fit per benedictionem factam ab habente potestatem, quodque Sacri Canones semper requirere videntur. Tamen, est etiam probabile remanere consecrata. Ita Coninch. *de Bapt. q.66. art.2. dub. unico, n.15. fine*, Niger Trimare. de Peyrinis Cœlestin. apud Dian. *part.5. tract.13. resol.60.* Ratio est, quia æquivalenter, immo eminenter talis deputatio habetur per illum sacratissimum contactum. Favetque sanctus Augustinus allatus à Suario *de Euch. d.81. sect.7. §. dico 2. circa medium*, dum ait: *Sed & nos pleraque instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ, ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.*

2. Idque puto, tum si bona fide, tum si mala quis in calice & patena non consecratis celebret. Sà *V. Ecclesia, num.19.* Ratio est, quia quoad nostram rem, eadem est paritas, semper enim adest prædictus contactus. Scio aliquos agentes de sacrificio in Ecclesia violata peracto, ponere discrimen inter peractum mala, & peractum bona fide: sed profecto difficulter, quo ad id, de quo loquimur, aptum discrimen invenire poterunt. Sic Delugo *disp. de Euch. 20. sect.2. num.62.* Laym. *lib.5. tract.3. c.5. n.13.*

### *Corporale, Pixis, &c.*

3. DIco de Corporali, de pixide, de custodia, seu sphæra immediatè tangentibus sacras species esse probabile quod acquirant sufficientem consecrationem, seu benedictionem, eo ipso, quod in illis sacra ministeria exhibentur. Ratio est, quia iam contingantur, suo modo, à Sanctissimo Christi corpore, unde omnis benedictio promanat.

### *Vestes Sacerdotales aliaque ornamenta.*

4. DE vestibus Sacerdotum, & Altaris ornamentis dico, non statim, ac in ipsis celebrat Sacerdos, benedici. Ratio est, quia non habemus contactum Christi Domini, sicuti in prædictis. Sed quia, tum in vestibus, tum in ornamentis non requiritur tanta consecratio non est improbabile sufficere eam, quæ ex ipso sacro ministerio in illa redundat. Ita Dian. *p.2. tr.14. resol.69.* Gavant. *in Rubric. Missalis, p.4. tit.19. n.21.*

### *Ecclesia Violata.*

1. DE Ecclesia violata idem dico: esse nimirum probabilius ex sacrificio ibidem peracto Ecclesiam violatam non reconciliari. Ratio est, quia non adest sacer ille contactus, reconciliati, tamen, dico esse etiam probabile, idque propter parem rationem modo dictam de vestibus Sacerdotis non indigentibus tanta consecratione; cum enim purgare materiam iam semel consecratam opus facile sit, poterit haberi ex ipso ministerio, in ipsa Ecclesia violata, peracto. Adde & authoritatem extrinsecam multorum Doctorum id asserentium. Ita Diana *ibid.* citans Castrum, Avilamque; item Sà *V. Eccl. num.19.* & Henriq. *lib.9 de Missa c.27. n.6.*

6. Obiicit Delugo *de Euch. 1. d.20. sect.2 n.62.* contra hos DD. Si sacrificij dignitas Ecclesiam pollutam reconciliat, sequitur Ecclesiam reconciliari, etiam in sequentibus casibus. Primò, quando mala fide celebratur. Secundò, quando ibidem celebratur in necessitate ex dilatione Episcopi. Tertiò, quando Sacerdos inchoato Canone, postea polluta Ecclesia, prosequitur ad finem, sic enim facere debet, nam si non inceperit, nequit, relinquere obligatur Missam & discedere. Atqui in his, inquam casibus reconciliata remaneret Ecclesia, quia semper eadem est Sacrificij dignitas. Alia obiectio tolvetur *n.9.*

7. Hæc diluere pertinet ad prædictos Doctores, tamen ego probabilem dixi eorum sententiam, etiam subij respondendi.

Ad primam ergo sequelam, libens illam admitto propter rationem dictam *n.1.*

Ad secundam, quid si etiam illam concedamus, tamen Episcopus limiter pro illa sola vice, tum non ex vi violationis, sed ex vi talis prohibitionis poterit extra illam necessitatem ibidem celebrare, qui celebraret, non incurreret in pœnas forte in Ecclesi latas contra celebrantes in Ecclesia violata, tia celebrantes in loco interdicto ab Episcopo.

Ad tertiam dicerem, per illam Missam inchoatam ante pollutionem, sed continuatam postea non reconciliari Ecclesiam, quia Canones per quandam fictionem reverentiam sacrificij incepti, disposuerunt illam inchoatam apte violationem incepto que Canone, ac si tota absoluta fuisset, & veluti pertinere ad tempus ante dictam violationem. Vnde cum modo non iudicetur esse postea, non poterit à DD. dici per illam Ecclesiæ violatio tollatur. Neque enim bus positivis est spectanda priotitas, vel posteritas physica, sed sufficit plerumque moralis, seu canonica sacris Canonibus disponentibus. Certè sic dies vesterna heiterna moraliter reputatur à Iure hodierna, ad recitandum matutinum huius diei: non verò ad dine ad non laborandum die festivo. Sic etiam Missa mediam noctem Natalis Domini, quæ coram Summo Pontifice celebrari solet iudicatur ex quadam fictione seu dispositione Pontificis facto ipso sic volente post mediam noctem, seu pertinere ad diem sequentem nam propterea, qui illi interfuerit, satisfacit præcepto audiendi Missam in die Natalis. Sic Delugo *de Euch. disp.15. sect.2. n.57.* Similiter igitur modo Missa inchoata ante violationem, & absoluta post, disponitur à Iure esset absoluta antea: & ideo tandem violationem nequaquam potest.

### *Ecclesia & Altare non consecrata, seu non benedicta.*

8. Iam verò de Ecclesia non consecrata, sive non benedicta, & altari non consecrato, si quis forte in his celebret. Dico certum esse mihi, & illis non remanere consecrata, nec benedicta, nec deputata ad sacrificium Missi quia non contingunter à sacratissimo Christi corpore, & sanguine. Alias, tum propter eandem rationem tum ex absurdo, quia si ipso facto ministerio statim fierent, omnia Oratoria, & Altaria, etiam in Castris tum etiam sub dio, essent consecrata & deputata ad sacrificium, postquam in eis ex quacumque causa, celebratum fuerit, quod, ut clarum inconveniens, à nemine admittitur.

9. Quod si his obiicias: cur Ecclesia violata ex probabili sententia modo dicta *n.5.* reconciliatur si ibi sacrificium peragatur, non autem consecratur, seu benedicitur si in illa consecrata celebretur? Respondere possem, quia ut ibidem dictum est, plus requiritur ad inducendam consecrationem, seu benedictionem in materiam profanam quam ad purgandam materiam iam semel consecratam seu benedictam.

§. V. *Quando Calix, & Patena amittant consecrationem.*

1. AMittitur consecratio per fractionem, vel per aliquam diminutionem, quæ illa inutilia reddat, ad inepta ad usum sacrificij. Ita Delugo *d.10. de Euch. n.93.* Quare de quodam Calice, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppæ, quod tamen pro

rifex ita artificiose concinnare, ut vix præteritus defectu apparere posset; idque sine ulla calicis immutatione, dixi cum consecrationem amisisse; quia propter illud foramen, unde sanctissimæ species exudabant, aptum nequaquam remanserat ad sacrificium.

4. Hinc inferunt Doctores *ibid. & passim*: si in calice non tornatili, separetur per fractionem cuppa a pede cum fiat Calix ineptus ad sacrificium, perdi consecrationem: non perdi autem in tornatili: quia licet, sit partes separentur, non sit aptus ad sacrificium, cum consecratio fuerit in utraque parte per modum unius exhibita, tamen cum rursus partes conjunguntur, est aptus: & ex alia parte est idem moraliter Calix, qui erat prius, quare erit sicuti prius consecratus: hæc enim arte facta, ut v.g. horologium, si dissolvantur eius partes, & iterum uniantur, eædem sunt, ac erant antea; non sic si fragantur, & iterum artificis ministerio compagimentur.

5. Quid si Calix (idem de Patena) argenteus in interiore cuppa inauratus perdat sensim omnem inaurationem? Dico cum Hurtad, *de Sacrif. d. 4. diff.* 10 non amittere consecrationem, sicut etiam nec amitteret, si non esset inauratus, & attritione paulatim nova superficies appareret. Ratio utriusque est, quia semper remanet idem Calix.

6. Dixi (Argenteus) nam si forte sit de antiquioribus (quales adhuc persistunt Romæ) ex stanno, vel ære inauratis, aurumque totum, vel ex maiori parte abrasum esset; propter aliud caput amovendus esset à sacrificio, nempe, quia non esset ex apta materia, ut supra vidimus. Dices: At tunc erat apta materia, & ex alia parte nunc, quamvis ablato auro, idem Calix perseverat, & consequenter per nos perseverat consecratio, ergo cur erit amovendus? Respondeo. Vrget hæc ratio, nam propterea illud prius, quod nos diximus, esset consulendum, hoc posterius, quod tu urges, non condemnandum.

7. Iam Calix eiusmodi, ex cuius concavo abrasum est paulatim totum aurum, si de novo ab Artifice inauretur, amittitne consecrationem, ita ut nova consecratione indigeat?

Plures amittere putant Palud. Armil. Ang. Tabien. Azor. Suar. Vasq. Regin. Bonac. Hurtad. *de Sacrif. d. 5 diff.* 10. & Dian. 2. *p. tr.* 15. *res.* 3. Ratio præcipua est quia ponitur nova superficies auri, quam superficiem mox tacturus est sanctissimus Sanguis, quæ cum tota nova sit, consecrata non est. Neque dicas superficiem esse accessoriam, & minus principalem, atque adeo debere sequi partem principalem, quæ est totus Calix, qui est ex dictis *n.* 3. consecratus; ne id dicas (inquiunt) nam superficies, quamvis quoad quantitatem sit minor pars tamen quia ipsa tangit immediatè sacras species, pars magis principalis dicenda est.

8. Alij probabilius putant remanere consecratum. Sic Delugo *de Euch. disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 95. Dian. *p.* 2 *tr.* 15. *res.* 3. Laym. Coninch. ab eodem citati. Ratio præcipua est, quia est idem Calix, sicuti eadem est Ecclesia consecrata, si de novo dealbetur, neque enim oportet eam iterum consecrare. Nec inauratio, ut dicunt prædicti, est pars principalis, est enim accessoria, sicuti quando pars modica Corporalis reficitur, etiam si refectio cadat in partem, quæ occupetur ab integra particula, non erit, nisi pars minus principalis, & accessoria.

9. Dices cum Suatio, si una cuppa subtilissima auri poneretur intra cuppam talis Calicis, indigeret consecratione; sed ita se habet illa superficies auri novi, ergo &c. Respondeo, negando minorem, quia in nostro casu, est unum & idem vas, in casu Suarij, est duplex.

10. Dices iterum. At ad novam eiusmodi inaurationem, igne opus est, atque adeo Calix videtur mutari, & non remanere idem. Respondeo, certum est, si Calix aliquo tandem modo efficeretur alius, vel frangeretur non esse in casu proposito, at si ut aurum superaddatur Calix solum excanduerit, non erit mutatus, ac propterea, cum diminutionem non passus fuerit, nequaquam alius affectus est. Neque enim, si ferrum v. g. igne ad fornacem excandescat, diversum fit ab eo, quod erat.

Instas dum est ita ignitus Calix, fit ineptus ad sacrificium, ergo iam amittit consecrationem. Respondeo etiam quando Calix immundus smegmate, seu sapone, ut abstergatur, obvolvitur, est ineptus ad Sacrificium & tamen non amittit consecrationem: neganda est igitur consequentia, quia non fit ineptus veluti quoad substantiam, sed solum quoad circumstantiam accidentalem, quæ facile, & sine vasis mutatione tollitur.

6. Illa per hanc occasionem est aliquorum sententia corrigenda, non enim est verum, quod aliqui, universaliter, affirmant; per ictum mallei Calicem, vel Patenam amittere consecrationem. Ita Azor. aliique quos citat & sequitur Tambur. *de Iur. Abb. tom.* 1. *d. d.* 23. *quæst.* 3. *n.* 6. Sane si per ictum frangatur, vel ineptus, quoad substantiam pro sacrificio fiat, amittere non est dubium: At si ineptus non fiat cur dici possit amittere? ex Bonac. *de Euch. d.* 4. *quæst. ult. p.* 9. *n.* 19. amitteret, etiamsi in terram, super lapidem Calix sine ulla prorsus mutatione concideret, quod nemo dixit. Imò licet aliquantulum tunc contorqueretur, ita ut mallei vi, cum dexteritate concinnari possit, non amitteret; quia semper remanet idem consecratus Calix, ut ex dictis patet.

## §. VI. *De aliis Vasis in Sacro Ministerio adhiberi solitis.*

1. Pixis, seu Ciborium, sphæra seu lunula, & quodcumque aliud vas, in quo servatur immediatè sacratissima Eucharistia, ut item fistula aurea, per quam Sanctissimum Sanguinem, in Missa solemni Summus Pontifex attrahit, consecratione non indigent, nec benedictione. Ita Suar. *de Sacr. d.* 1. *sect.* 7. §. 2. *obiter* Delugo *de Euch. d.* 20. *sect.* 4. Hurtad. *de Sacrif. d.* 4. *diff.* 10 aliique. Quia tamen, in Rituali Romano ponitur propria Pixidis benedictio, benedicenda erit ex congruitate: quam, doctrinam extendit Layman *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 22. ad vasculum, ubi servatur sacrum Chrisma.

2. Neque dicas: Calix est consecrandus, ergo, & Pixis: Ne id dicas, inquam, quia in requisitis à iure, non est aptum argumentum, à paritate. Adde & adesse congruentiam disparitatis; siquidem, in Calice, per se & semper, si sanctissimi Sanguinis consecratio, per quam primo fit præsens Christus Dominus; in pixide verò, ut etiam supra Corporale, non nisi per accidens, si quando adsunt multæ particulæ consecrandæ, per se enim sacratissimum Corpus, in manibus Sacerdotum consecratur. Quod hactenus dictum à me est impugnat Diana. Is enim cum retulisset mea iam dicta verba, incipiendo ab illo (adde, & adesse) sic habet. Hanc distinctionem in ordine ad reverentiam debitam Eucharistiæ, nullus est, qui non videat esse metaphysicam; sicque ex illa sequerentur, neque Patenam, neque Corporale esse consecrandum, vel benedicendum; quia in ipsis per accidens Corpus Christi consecratur. Nam, ut vult Tamburinus, Corpus Christi per se consecratur in manibus Sacerdotis. Sed hoc dicere est absurdum. Ergo, &c. Hæc Diana quæ in tribus placere non potest.

Primo, quia omittit argumentum, cui ego verè innitor, nempe ductum à non requisitis à iure.

Secundo, quia quam ego Congruitatem appello; ipse ita versat, ac si velim, illam esse convincentem rationem.

Tertio, quia hanc eamdem Congruentiam inde impugnat, quod sequeretur Patenam, & Corporale non esse consecranda, vel benedicenda.

Sed quæso te, dividatur dictum, ne detur ansa labendi. Aliud enim est, loqui de Patena, aliud de Corporali: & aliud, de Consecratione, aliud de Benedictione. Nam primò quidem noster hic sermo est de Consecratione, non de Benedictione: sic enim proposui initio huius *n.* 2. [neque dicas Calix est consecrandus, ergo & Pyxis] Cur ergo à Consecratione, amice Lector, transit ad Benedictionē: Deinde, aliud est decernere de Patena, aliud de

de Corporali. Aio enim, Corporale esse benedicendum ut dixi hoc eodem *lib.* 1. *cap.* 5. § 3. & item Pixidem esse ex congruitate benedicendam, ut dixi modo *num.* 1. quam solam benedictionem ipsis sufficere iura censuerunt.

Aio item, Patenam non indigere consecratione ex eo capite, quod in illa per se Christi Corpus consecretur: sed ex alio capite seu congruentia, quæ sufficiens visa est Ecclesiæ, eamque explicuit in oratione, quam Episcopus recitat in consecratione Patenæ. In Pontif. Rom. *d. Consecr: Patenæ, & Calicis* [Oremus, inquit, Fratres Charissimi, ut divinæ gratiæ benedictio consecret, & Sanctificet hanc Patenam, ad confringendum in ea Corpus Domini nostri Iesu Christi, qui Crucis passionem sustinuit pro nostrum omnium salute.] Hactenus oratio. Quoniam igitur in Corporali, & Pixide, neque consecratur, neque per se confringitur Corpus Christi; Ideo iudicavit Ecclesia, satis ipsi esse benedictionem, eamque ex congruitate ducto ex contactu ejusdem Christi Domini nostri. At voluit in Patena, & Calice consecrationem adhibere quia in ipsis, confingitur Christi Corpus, & conficitur Christi sanguis. Ego autem in hoc *n.* 2. solum memini de Consecratione sanguinis, quia solum propositum fuit argumentum de Calice, non de Patena. Denique illud etiam hic observa, quod si Ecclesiâ non iudicat, esse quid Metaphysicum, requirere consecrationem in Patena, quia in ipsa confringendum est Corpus Christi, nec iudicandum, quid Metaphysicum esse, requirere Consecrationem Calicis, quia in ipso Christi Sacratissimus Sanguis est conficiendus.

3. Nec item in iure determinata est materia, ex qua conflanda sint Pixis, Sphæræ, & prædicta similia. Sic Suar. *dict. sect.* 7. Hurtad. *d. diff.* 10. Marchin. *de ord. tract.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *num.* 6. consulendum tamen, fieri ex auro, vel argento: Quare si ex meliore materia fierent, ut ex solida gemma pretiosa, facilius acquiescerem, quam acquievi supra *c.* 1. *§.* 1. *n.* 3. in Calice, quia hic non est illud periculum imbibendi sanguinem.

4. Si propter paupertatem Pixis, vel Sphæra fieret ex alia materia inferiore, v. g. ex stanno vel ære non fore mortale docet Suar. *ibid. §. Tertio obiter, sub finem*: multo ergo minus si ex ære inaurato.

5. Nota autem hic tria. Primò, hæc Vasa posse ab eo benedici, qui habet authoritatem benedicendi omnia ornamenta, præter ea in quibus adhibetur sacra unctio: in his enim iam illa non adhibetur. Sic Delugo *de Euch. d.* 20. *sect.* 4. *n.* 96.

Secundò, *ibid.* intra dictam Pixidem non esse necesse ponere aliud vas lineum benedictum benedictione Corporalium; ut putavit Vasquez, ductus ex consuetudine cuiusdam Ecclesiæ; quia id, nec in iure fundatur, & obstat communissima aliarum Ecclesiarum consuetudo. Tertiò (ut id obiter dicam) non valere illam paritatem. Calix, imò eadem Pixis plena particulis, quando fit consecratio, debet esse supra aram lapideam, ut infrà *c.* 5. *§.* 1. *n.* 4. dicetur, ergo Pixis quando servatur cum Eucharistia in tabernaculo, debet item servari super aram. Non, inquam valere, siquidem satis est, si servetur supra Corporale, ut contra Vasq. citatum, & non approbatum à Delugo *d.* 20. *de Euch. sect.* 4. *num.* 97. docet ipsa praxis, & suadet congruentia, quia nimirum in Pixide tunc non fit consecratio, sed quod consecratum est, custoditur.

6. Cætera Vasa, nempe Tabernaculum, seu Custodia, intra quam observata Pixis custoditur; Phialæ seu Ampullæ, ubi servatur vinum & aqua; Pelvis &, Vas. quibus manus Sacerdotis in Missa abluuntur, & similia, utpote aliquantulo remotiora à sacro Ministerio, benedictione multo minus egent: Ex Suario *dict. d.* 81. *de sacr. sect.* 7 *§. ult.* Munda tamen sint, quantum fieri potest, ob reverentiam Sacramento debitam.

## CAPVT II.

## Quis cultus Sacris his Vasis, & similibus debeatur.

1. PLura quæ sparsim hac de re suis in locis essent recenda, ideo huc reducimus, quia hic simul colligere expeditius existimavimus.

Circa tria autem eiusmodi cultus versari potest, imò, circa contactum eorum. Secundò, circa locum. Tertiò, circa usum profanum; sive scilicet, quis sacris his instrumentis ad vsum communem, sive communibus utatur, seu ea convertat ad usum sacrum. Iam de singulis.

### §. I.

2. CErtum est primò, Calices, & Patenas, quando cua à sacris Eucharistiæ speciebus sunt, & omnia, quæ in ipsorum consecratione, Chrismate distributa, ut Ara, Anique cerei non debere ex [illegible] tate, nuda manu, immediatè, propter reverentiam [illegible] & fœminis attingi: Attingere autem citra [illegible] non esse mortale, certum sit; imò si subsit causa [illegible] niale; quia non videtur res ex se gravis, ac [illegible] iustæ causæ excusationem facile admittens. Ita Suar. *sacr. disp.* 81. *sect.* 8. An sine causa sit veniale, mox disputabimus.

3. Dixi (vacua) nam quando continent sacram charistiam, sicut etiam Pixides, Ciboria, & similia, do eadem continent, contingi sine mortali non [illegible] sunt, nisi à Sacerdotibus, & in aliquo casu, de quo mus *in opusc. de expedienda Commun. cap.* 6. *init.* nis, id requirente summa Christo Domino debita rentia Eucharistiam ipsam, Chrisma & Oleum [illegible] tangere, grave etiam quid est, unde à laicis; imò clericis non Sacerdotibus tangi hodie non licet. Bonac. *in* 1. *decal. præc d.* 3. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 13. Azor. *tom.* 1. *c* 9. *q.* 9. esto aliud tulerint prisca tempora quando Eucharistia in manus fidelium ab ipsis assumenda gebatur Azor. *ibid. q.* 12.

4. Certum est secundò, alias vestes benedictæ, nec sacram Eucharistiam immediatè contingunt Chrismate unguntur, ut sunt Mappæ, vestes Sacerdotales &c. esse concessum omnibus ea contingere. Sic Suar. *disp.* 81. *de sacram. sect.* 8. *§. Tertium exemplum.* Layman. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 20. Idem puto de Sacris Sanctorum liquiis, idemque, quoad eas gestandas, sentio, licitè eas thecis inclusas, gestare & transfere, imò & in cessionibus publicis portare laicus potest. Ratio est, quia hæc cum debita reverentia exhibere non [illegible] se malum, & nulla in contrarium extat prohibitio, *de Adoratione, p.* 6 *n.* 15. Sanch *lib.* 2. *in decal c.* 43. aliique satis superque diluunt.

5. Certum est tertio Pixides, Ciboria, Sphæras, lunulas, etiam si benedicta sint, posse ab omnibus tingi sine ulla culpa, quando nondum sacram Eucharistiam continuerunt. Ita Laym. *l.* 5 *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 22. Ratio quia ex una parte sacro Chrismate non sunt uncta Calices, & Patenæ: & ex altera, reverentiam illam tactui sacrarum Eucharistiæ specierum debitam nondum traxerunt.

6. Idem sentio de Corporalibus, Pallis, & Purificatoriis, non solum quando ad sacrum usum nondum runt adhibita, sed etiam quando post sacrum usum lota fuerunt. Ratio est quia licet tunc ex Bonac. *de* [illegible] *l.* 4. *q. ult. p.* 9 *n.* 24. aliisque, non sint iterum benedicenda, cum per solam lotionem benedictio ab iis non feratur, atque adeo simpliciter nova non sint, tamen lota, moraliter censentur perinde ac si essent nova.

7. Sed quid postquam hæc, dicta *num* 3. con[illegible]

sacras species, idque ante lotionem? Puto probabilissimum cum Laym. *loc. cit.* adhuc licere ea sine veniali ab omnibus contingi. Ratio est, quia ex una parte hæc unctione sacra non afficiuntur; & ex alia non censentur sacrarum specierum solo contactu, tantam dignitatem contrahere, quantam ex unctione sacra contrahit res consecrata.

8. Dices, posset evenire ut purificatorium v.g. imbiberit aliquid Sanctissimi Sanguinis ex usu sacro, quare nefas esset laico illud contingere. Respondeo id esse per accidens, & de raro, atque adeo non impedire libertatem illud contingendi. Sanè eadem Purificatoria post sacrum usum reponuntur sine delectu in Arcis: & Cistis profanis, cum tamen potuerit esse, ut ubi imbibitum adhuc remanserit aliquid sanguinis nondum exsiccati; sed ideo hujus non habetur ratio, quia per accidens est: & tunc Angelorum erit officium præsentiam inibi Christi Domini, humiliter venerari.

9. Certum sit quartò, seu saltem multum probabile, Accolithos, imò & aliquos ex minoribus ordinibus vel etiam prima tonsura insignitos, posse sacra vasa vacua, aliaque dicta *n.* 2. extra Sacrum Ministerium contingere. Ita Suar. *d.* 81. *de Sacr. sect.* 8. 5. *Tertium exemplum*, aliique. Ratio est, quia jam sunt clerici, quorum officium est, ejusmodi instrumenta, aliqua tandem majori ratione tractare. Dixi (extra ministerium) dum enim celebratur Missa, solum constitutis in sacris, & Accolithis concedit Suarez *ibid. ex cap. non liceat* 2. *dist.* 23. & *cap. nullus* 1. *d.* 14.

10. Dices, abstinendum esse etiam extra Sacrum Ministerium Accolithis à contactu sacrorum Vasorum ob tres rationes, quas adducit Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 19. Primò, propter communem Doctorum sententiam. Secundò, propter Ecclesiarum praxim. Tertiò, propter stylum Curiæ Romanæ, quæ concedit tonsuratis, vel in minoribus constitutis, posse sacra vasa contingere.

11. Respondeo ad primam. Etiam si alius Doctor nobis non suppeteret, sufficeret Suarez pro mille, pro ut loquitur Joan. Sanchez *in select. d.* 44. *n.* 51. Suarium commendans. Ad secundam, negat Suarez esse ejusmodi praxim: *Extra Sacrum Ministerium* (inquit) *quilibet minister Sacer, id est, quocunque minori gradu ordinatus non peccabit contingendo hæc vasa, ut colligitur ex cap. non oportet, dist.* 23. *& ex usu qui videtur hoc etiam extendere ad ordinatos tantum prima tonsura.* Hæc Suarez. Vides? Layman pro se modo *n.* 10. dixit (*propter Ecclesiarum Praxim*) Suarez pro se dicit (*ex Usu*) cui fides adhibenda? Sed certè, etiamsi esset usus abstinendi à tali contactu, is nobis nihil obstaret, quia non constat esse introductum sub obligatione, ut in simili sæpè cum Doctoribus argumentari solemus, *supr. lib. c.* 2. *c.* 4 § 2 *n.* 1. Ad tertiam, licentiæ à Sancta Sede frequentissimè concesserunt ad tollendos conscientiæ scrupulos, vel pro amplectentibus opinionem contrariam, ut docent communiter Doctores, Suar. *de Euch. d.* 81. *sect.* 8. § 4. *addendum*, Castrop. *tom.* 2 *tr.* 7. *d.* 2. *p.* 4. *n.* 6.

12. Unum ergo superest hic decernendum. An scilicet (cita necessitatem, & contemptum) sit saltem veniale laico vel fœminæ, nuda manu, extra ministerium sactum tangere Calices, & similia dicta *n.* 2.

Saltem esse veniale, docent probabiliter Suar. Coninc. *mox* citandi, aliique: Ego libenter assentior opinioni Soti in 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. §. *Sed circa hoc quæritur*, Barthol. ab Angelo *de Miss. Dial.* 5. §. 321. aliorumque dicentium nec esse veniale. Cui sententiæ multum favet. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. c.* 43. *n.* 27. *in fin.* Castrop. *tom.* 2 *tr.* 8. *de Adorat. d.* 1. *p.* 5. *n.* 24. & Sà *V. Sacra, n.* 3. & hic quidem sic habet: *Sacra tangi à laicis sine contemptu, aut nullum peccatum est, aut levissimum.* Hæc in impressione gemina: nam scio in expurgata, *ibid.* sic legi: *Sacra tangi à laicis sine contemptu non est peccatum mortale* Scio, inquam hoc; sed ego cum voco Emmanuelem Sà, ipsum vocari, & legi, non alium volo.

Suarez *disp.* 81. *de sacr. sect.* 8. 5. *Tertium exemplum*; Coninch *de sacr. quæst.* 83. *art.* 3. *d.* 3. *n.* 149. aliique, qui in tali contactu peccatum veniale cognoscunt, octo textus pro se, ad id probandum afferunt quos ad verbum hic exscribere, & explicare juvat, ut nimirum veluti manu palpemus, ibi, de hac re, nec mortalem, nec venialem obligationem imponi. Neque sic brevitati nostræ injuriam facimus, licet enim viatori etiam festinanti, si spes lucri reluceat, ad aliquantulo longiorem viam, non nihil aliquando divertere.

Primus Textus *ex distinct.* 23. *C. Sacratas.*

13. *Sacratas Deo fœminas, vel Monachas, sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa Altare deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem: qua omnia reprehensione plena esse, & vituperatione nulli rectè sapientum dubium est. Quamobrem hujus Sanctæ Sedis authoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus: & ne pestis hæc latius divulgetur, per omnes Provincias, abstergi, citissimè, mandamus.*

14. Ubi vides primò locutionem esse solum de fœminis monachis, cur ergo prohibitionem ad omnes extendis? Secundò, mihi probabilissimum fieri, non loqui, hic, Pontificem, de mero sacrorum vasorum contactu sed de illo, qui adhibebatur, dum fœminæ ministrabant sacro, quod meritò semper Canones prohibuerunt, & tamen alicubi Monachæ, prætextu quod essent Deo dicatæ, Sacro ministrare non dubitabant. Quando igitur dicitur in textu (*Monachas penes vos sacra contingere, & incensum circa Altare deferre perlatum est*) illud (*circa Altaria*) cadit supra (*contingere*) & supra (*deferre*) ita ut, uno verbo, perlatum fuerit, Monachas circa Altare Missæ inservire. Conjectura optima est, quia id appellat Pontifex pestem, & quidem citissimè abstergendam; at quæ pestis tanta est, merus contactus Calicis, qui per eosdem nostros adversarios judicatur res omnino venialis & levis; Non ita fœminas ministrare circa altaria, ipse enim mulieris aspectus facilè inficit ad malum propensos hominum mores: nam propterea nomine pestis meritò vocanda fuit, tantoque rigore vitanda est, ut potius in necessitate concedatur, Sacerdotem sine ministro celebrare, ut infra dicemus, *lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. quam ministrante circa Altare, muliere.

Textus Secundus *ex eadem dist.* 24. *C. non oportet* 1.

15. *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in Sacrarium, sive in Secretarium (id est Altare, habet hic Glossa) quod Græci hypodiaconum appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica.*

16. Vides Primò, id tantum prohiberi per verbum (*non oportet*) quod non notat præceptum, sed convenientiam ex communi sententia. Ita Suarez, *lib.* 3. *de leg. cap.* 5. *n.* 10. Sanchez, *lib.* 6. *in decal. cap.* 4. *n.* 37. Castr. *tom.* 1. *tract.* 3. *de leg. d.* 4. *p.* 9. *num.* 2. Secundò, sermonem esse de ministrando circa Altare, ait enim textus (*ingredi in altare, & contingere vasa.*) Tertiò hunc Canonem vel usu, vel ex aliis ordinationibus jam abrogatum esse. Quis enim nunc negabit Subdiacono circa Altare assistere, & sacra vasa tractare? Subdiacono, inquam, cui propter hoc ipsum, datur in sua ordinatione Calix attingendus.

Textus Tertius *ex eadem dist.* 13. *C. non oportet* 2.

17. *Non oportet in sacratos ministros licentiam habere in Sacrarium, quod Græci hypodiaconum appellant, ingredi & contingere vasa Dominica.*

18. Vides, hunc textum esse ferè eundem cum præcedente: solum enim, ibi, loquitur de Subdiaconis, hic de insacratis, hoc est, ut habet Glossa, de personis non sacris, atque adeo laicis: nam etiam prima tonsura insigniti, sacri appellantur apud Canones; utpote,

jam clerici, de sorte Domini. Ita Castrop. *tom. 2. tract. 8. disp. 1.* Azor. *p. 6. n. 24.* citans Suarium, & Canones. Sensus igitur est ministros laicos non convenienter inservire sacro, quod tamen, saltem, quoad Missas privatas, consuetudine, jam abrogatum est; quia ubique locorum, laicos ministrare, æquo animo, & sine ulla indecentiæ specie, immo, quando qui ministrant, sunt viri nobiles cum laude passim videmus.

Textus Quartus *ex eadem dist. 23. C. non liceat 1.*

19. *NOn liceat cuilibet ex lectoribus, sacra Altaris vasa portare, nec aliis, nisi iis, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.*

20. Nota illud (*portare*) quod Glossa, hic, Hugo, & Archidiaconus explicant portare in processionibus publicis, & dicunt, ea vocari vasa sacra, in quibus continentur sacræ Sanctorum Reliquiæ. Sed quoad hoc esse ipsa consuetudine revocatum hunc textum, docet Sanchez *lib. 2 in Decal. c. 43. num. 26.* Quare licebit hodie tum lectoribus, tam laicis ea portare; prorsus sicuti iisdem laicis, sine scrupulo, portare in processionibus Cruces licet. Quod si Sacrorum vasorum nomine intelligas Calices, Patenas, &c. sicut intelligit idem Sanchez *ibidem*, adhuc nota textum dicere (*portare*, non *contingere*:) ex quo coniicimus non esse sermonem, de simplici contactu, sed de illo, qui addit gestationem, quæ solet fieri intra ministerium sacrificij. At jam diximus *n. 9.* id intra Ministerium sacrum, competere ex officio solis constitutis in sacris, & ad summum, Acolithis: nos autem, hic loquimur de contactu, extra Ministerium sacrum.

Textus Quintus *ex eadem dist. 23. C. non liceat 2.*

21. *NOn liceat cuilibet Ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolitho in Secretario vasa dominica.*

22. In Secretario, inquit Glossa, hoc est in loco, ubi sacra vasa ponuntur, ne sit contra id, quod supra negatum fuerat Subdiaconis, dum, ut vidimus *n. 15.* dictum fuit *in cap. non oportet. 1.* non oportere Subdiaconos licentiam habere in Secretarium ingrediendi, ubi eadem Glossa voluit, nomine Secretarij, significari Altare. Sed melior est explicatio eorum, qui fatentur in uno Canone ex his idem concedi, quod negatur in alio; id tamen fuisse diversis temporibus, pro ut res, & circumstantiæ tunc exigebant. Ita Suarez, *de Euch. d. 81. sect. 8. §. 3. exemplum.* Verum, quantum facit ad nos, vides, hic, non agi de simplici contactu, sed contactu in Secretario, hoc est, de eo, qui adhibetur, dum ministratur sacro, qui solum constitutis in sacris & Accolithis competere ex hoc eodem *cap. non liceat 2.* docuit Suarez à nobis allatus *n. 9.*

Textus Sextus *ex dist. 1. de Consecr. C. In Sancta.*

23. *IN sancta ac Apostolica sede statutum, ut sacra vasa, non ab aliis, quàm à sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quæcumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis, quam à Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris? ne, pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagas imponat populo suo, & hi etiam qui non peccaverint, mala patiantur, aut pereant, quia perit Justus sapissimè, pro Impio.*

24. Nota illud (*contrectentur*) idem enim est, ac illud, quod paulo post dicit (*tractentur*:) sensus ergo erit, vasa hæc sacra, non debere tractari, seu inservire in profanis usibus; id, quod longè diversum est ab eo, de quo hic disputamus. Confirmatur ex illis verbis [*humanis usibus serviant,*] & ex illis [*ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus &c.*] quod certè significat aliquid multo gravius, quam sit simplex, cujusque contactus: significat enim gravem illum contemptum, quo sacris vel usum profanum, quis uti præsumit.

Textus Septimus *ex eadem distinct. de Consec. C. Vestimenta.*

25. *VEstimenta Ecclesiastica, quibus Dominus tractatur & sacrata debent esse & honesta, quæ in usibus non debent frui quam in Ecclesiasticis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Baltassar Regem super hæc transgredientes, & talia præsumentes, corruere eos faciat ad ima.*

26. Hic Textus, qui non loquitur de vasis sed etiam magis explicitè, de vestimentis, quorum ne explicatur ab ipso Suario, *de Euch. d. 18. sect. exemplum*, satis pro nobis erit, ejus hic explanatio proferre. *In c. vestimenta* (inquit) *loquitur Stephanus generaliter de vestimentis Ecclesiasticis, quæ non aliis debent contingi, aut ferri nisi à sacris hominibus, verba aut præceptum non continent, quia illud verbum debent) non videtur in rigore significare obligationem decentiam quandam: aut non intelligentur de quolibet, sed de illo, qui ordinatur ad profanum, & communem usum, ut ex antecedentibus verbis potest non obscurè colligi, vel certè si admittamus ibi præceptum, dicendum est consuetudinem abiisse, quo ad hanc partem.* Hæc ille. Suarez.

Textus Octavus *ex eadem distinct. 1. de Consecr. c. Ad nuptiarum.*

27. *AD nuptiarum ornatum divina mysteria non celebrentur; ne dum improborum contactu, pompa sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri mysterij coniuncta indigna.*

Hic, sermonem esse de contactu in ordine ad usum profanum, ex ipso litteræ aspectu, satis patet.

Atque hi sunt à Suarez aliisque hac de re contra citati textus, quibus accuratè inspectis, meritò possumus clare potuimus, probabilem esse sententiam, nullum prædicto contactu venjale peccatum agnoscentem.

## §. II. *Lotio Sacrorum.*

1. CErtum est Corporalia, Purificatoria, & similia lavari, saltem ex convenientia debere à Diacono in vase ad hoc præparato, lotionémque mittendam esse in Piscinam Sacram, seu Sacrarium, quod, hic intelligendum aliud est, nisi locus in pariete, seu sub terram defossus, ab aliis profanis usibus separatus, in quem hæc lotio & similia projici ob reverentiam solent. Ita Suar. Conink. Reg. aliique *passim* apud Bonac. *de Euch. d. 4. quæst. 1. part. 10. n. 22.*

2. Notant autem communiter Doctores iidem, intelligendum esse de prima lotione, nam hæc potest eorum habitas possunt laici sine scrupulo, & fœminæ præsertim sacræ Virgines, ea meliùs lavare, tergere, reficere.

3. Dubium ergo supereſt. An si laicus, sine necessitate ea in prima lotione lavet, peccet. Et non præcise quidem mortaliter certum sit, quia non est materia gravis; Peccari autem venialiter multi supponunt, eo quia, si ea tangere, ex ipsorum sententia, sis non licet sub culpa veniali, multo magis, non licebit lavare. Sic Suarez, *disputatione de sacr. 81. sect. 8. §. 4. addendum* aliique.

4. Verum probabile est, nec esse veniale, licet optimum consilium ut à Diacono, vel Subdiacono, vel habentibus ad id privilegium, in prima lotione, lavetur. Ratio est, tum quia Doctores, supra probabiliter docentes non esse veniale tangere, videntur etiam probabiliter docere nec esse, lavare: in lotione enim aliud tandem intervenit, ut idem Suar. *ibid.* fatetur, quam

quidam contractus; tum quia, ut ibi, ita hic non constat impositam esse obligationem sub ullo præcepto, ut iam ex sequenti textu, quem adversarij communiter afferunt apparebit: est autem huiusmodi cap. *nemo.* 2. *de consecr. dist.* 1.

9. *Nemo per ignorantiam.* Et infrà: *Pallas verò, & vela Sanctuarij, si fordidata fuerint ministerio Diaconi cum humilibus Ministris intra Sanctuarium lavent non ejicientes foras à Sacrario; & velamina Dominicæ mensæ ablanæ, ne forte pulvis Dominici Corporis, decidat.*

6. Vbi nota Primo huic Canoni quoad vela, fateri iam usu ipso derogatum esse; id quòd disertè docet Glossa *v. & vela*, quæ sic habet: *Et vela, id est, ornamenta, vel vela, id est cortinæ. Huic hodie derogatum est consuetudine generali.* Hæc Glossa.

7. Nota Secundo, illud (*Palla*) intelligi de Corporalibus, ut habet Glossa c. *Altaris pallæ, d.* 1. *de consecr.* sed à Doctoribus, propter identitatem rationis merito extendi ad Purificatoria, Calices, Patenasque.

8. Nota Tertiò hunc textum concedere prædictam lotionem Diaconis cum humilibus ministris, cur igitur plures Doctores id coarctent ad unum Diaconum? Si licet igitur meo intellectu, hunc Canonem explicare, sensus erit ut Diaconi tanquam iis quibus cura Sacrorum incumbit assistant, minores ministri lavent; tunc enim rectè dicetur Diaconus cum ministris lavare, sicut Domina, cum Ancillis, dicitur domus servitia exhibere, illa scilicet dirigente, his exquentibus.

9. Nota Quartò loquendo de iis, qui ministri Ecclesiæ non sunt, atque adeo de laicis, puto, iis nequaquam in hoc textu prohiberi, ne sub veniali quidem, primam prædictorum lotionem. Ratio est, quia, ut patet ex littera; nullum verbum est ostendens obligationem eiusmodi: solum enim dicitur (*Diaconi, cum ministris lavent*) hoc autem imperaticum, nec ex se significat prohibitionem sub peccato in opinione probabilissima; & multo magis hic ex Pontificis mente qui explicare dumtaxat in hoc textu intendit, id esse officium Diaconorum & ministrorum, cæterum an ab aliis fieri idem possit, nec abnuit. Ita Caët. Cast Carth. apud Castro. *T.* 1. *d.* 1. *de leg. p.* 9. *n.* 3. aliique. Sanè si quis ita dicat: *Ostiarij iamnu Ecclesiæ aperiant*; ostenderet quidem officium Ostiarij, non tamen prohiberet, quò minus ab aliis, quamvis non ex officio, aperiri Ecclesiæ ianua possit.

10 Dices Suar. *disp. de sacr.* 82. *sect.* 8. §. 5. *addendum*, postquam retulit hunc eundem textum, ita subdit: *Quæ omnia servanda sunt saltem in prima lotione, hoc enim nulla consuetudine abrogatum est, neque rationabiliter abrogari potest, ut notat Sylvester.* Hæc Suar. Respondeo nos hactenus non asseruisse, hunc textum esse abrogatum consuetudine, sed in illo non ferri legem, sub peccato prohibentem.

11. Sed quæso te, expende, an verum sit quod hic textus non sit abrogatus. In illo quatuor à Pontifice ordinantur. Primo, ut Pallæ, id est Corporalia fordidata lavêntur. Secundò, ut laventur à Diaconis cum humilibus ministris. Tertiò, ut laventur intra Sacrarium. Quartò, ut non proiiciatur lotio foras à Sacrario. Ex quibus illud secundum, quod laventur in prima lotione à Diaconis, ubinam locorum servatur; lavantur enim à Subdiacono & à dictis supr. *n.* 5. Et illud tertium, quod in eadem prima lotione, laventur intra Sacrarium, quotus quisque est, qui hodie observat? lavantur enim passim à ministris ubi libuerit in pelvi, quamvis observent illud quartum quod non proiiciunt lotionem foras à Sacrario. Si ergo de facto aliqua ex dictis sunt, etiam per timoratos abrogata, non debuit universaliter dici à Suario ea quæ in prædicto capitulo ordinantur abrogari rationabiliter non posse.

## §. III. *Vsus Sacrorum ad profana.*

1. CErtum est, mortale ex se esse Sacris vasis & vestibus, eadem forma, atque adeo eadem benedictione vel consecratione manente, uti ad usum profanum Exempla ponit Suar. *disp. de Sacram.* 81. *sect.* 8. *parag. Quarto addendum, iuncto parag. Vltimo pertinet, ut si quis v.g. uteretur Calice in communi mensa, vel Palla benedicta ut communi linteolo, aut Sacra veste ad profanam repræsentationem, vel ludum: id enim præsefert contemptum quendam, & vix potest à mortali excusari.* Hæc ille; sane præscindendo à parvitate materiæ; nam cæterum, quis dicet, semel sudorem abstergere mappa benedicta, vel quid simile, esse mortale? insuper locutio est de rebus quæ solent consecrari, vel saltem benedici, nam ut v.g. ad nuptias, vel communem usum, tapeto, candelabris, pelvi, immo, & manutergio, & similibus in Missa adhiberi solitis, cum satis mediatè inserviant ministerio sacro, non est peccatum: sicuti enim sine scrupulo, utimur v.g. candelabris profanis ad ornandum Altare, ita, & è contra licebit (si fiat sine contemptu uti candelabris Ecclesiæ ad ornandas ædes profanas, non quidem semper, & indifferenter) id enim præseferret implicitum contemptum, sed in aliqua solemnitate non sacra forte occurrenti. Nam dum in cap. *ad nuptiar. de consecrat. dist.* 1. vetatur *non ad nuptiarum ornatum divina ministeria præstentur*, locutio non est, nisi de consecratis, vel ad summum de benedictis, id quod clarè insinuat illud appositum (*Divina*)

2. Dictum est autem (*non mutata forma,*) nam ea mutata, atque adeo deperdita consecratione, seu benedictione, licet conveniens sit, prædictas vestes, & vasa nunquam applicare profanis usibus, tunc enim vel serventur ad aliud sacrum usum forte apta, vel si ad nullum sint utilia comburantur, cineresque in Sacrarium, iuxta directionem Sacrorum Canonum, cap. *ligna*, cap. *Altaris de consecr. dist.* 1. proiiciantur, tamen probabile est, non esse nec mortale nec veniale, si sic mutata forma, ad profanos usus applicentur. Calix ergo confractus Casula, vel Alba dissuta, frustula inveterati Corporalis, vel purificatorij, ligna, & lapides diruti templi, &c. poterunt, quantum est ex hoc capite, vendi, usibus communibus applicari, & ut profana nobis usui esse. Ita Castrop. *T.* 2. *tr.* 8. *d.* 1. *p.* 6. *n.* 25. Ratio præcipua est, quia, ex una parte, non adest clara prohibitio, & ex alia, res, dum mutat formam, amittit consecrationem, ergo non est Sacra, ergo profana, ergo, si tunc applicabitur profano usui, res profana applicabitur, non sacra. Alias rationes et & explicationem aliquorum textuum, quia rectè prosequitur Castrop. *loc. cit.* apud ipsum lege. Sicuti etiam apud Suar. *de Sacr. d.* 71. *sect.* 8. §. 4. *addendum* leges consuetudinem, mortuos Sacerdotes sepeliendi indutos vestibus Sacris, non esse usum profanum, nec contra Canones, ut ipse rectè expendit.

### *Quæstio incidens de Candelis, & Ramis Palmarum Benedictis.*

3. Dum hæc scriberem incidit dies Purificationis Beatissimæ Virginis, & inter colloquendum cum amicis exorta est quæstio, an candelis eo die benedictis possimus (citra contemptum) uti ad communes usus, sine peccato etiam veniali? Posse uti diximus, quia hæc benedictio non est introducta cum tanto rigore ab Ecclesia ad solum usum Sacrum.

4. Confirmabam Primò, quia in prima oratione qua candelæ dicto die benedicuntur, sic habetur: *Te humiliter deprecamur, ut has candelas ad* Vsus hominum, *& sanitatem* Corporum? *& animarum sive in terra, sive in aquis, &c.*

5. Confirmabam secundò, quia etiam benedicuntur die Paschatis, agni, ova, &c. ad usum communem.

6. Confirmabam tertiò, quia nemo scrupulum sibi iniicit, quod panem benedictum die S. Blasij vel S. Antonij, ut moris est apud aliquas Ecclesias, vel truncos Palmarum benedictos, vel benedictos Carbones die Sabbati Sancti, assumat ad communem usum: si enim supersunt in quantitate, quis est, qui illum panem non comedit, & illa ligna Carbonesque communi usui non assignat? immo reliquias panis, vel decidentes palmarum

ciusmodi, vel olivarum frondes, quis est qui pedibus in terra proteri, cum scrupulo culpæ, putat? Similiter igitur putandum est de Candelis, & propter paritatem rationis, de Aqua, Incensoque benedictis, & similibus. Atque ratio horum omnium est, iam dicta, quia non cum tanto rigore, in his modicis benedictionibus agitur, vel agi intenditur ab Ecclesia.

### §. IV. *Vsus prophanorum ad Sacra.*

1. EContra prophanas vestes, vasaque, licitè applicare usibus Sacris, & Sacrificio; Dico licere, sive mutata forma, sive eadem forma remanente, si sic aptа sint ad usum Sacrum. Ita Suarez *ibidem*, § *sed quæres*, & Castrop. *Tom. 3. tr. 8. d. 2. p. 6. n. 25.* Licet v.g. ex veste serica muliebri, formare planetam Sacerdotis, & linteolum vulgare convertere in Corporale, vel Purificatorium semper intelligendo, ut, ubi requiritur benedictio, vel consecratio, ea adhibeatur. Ratio huius doctrinæ est, quia in huiusmodi applicatione non apparet specialis indecentia, & ex alia parte, nulla adest (ut expendit ibidem Suarez) prohibitio. Immo non vulgares modo domus, sed etiam Idolorum templa in Sarcas Basilicas fuisse conversas, atque adeo hoc fieri exemplum pro cæteris rebus, passim testantur historiæ.

2. Ad argumentum in contrarium quod hic solet adduci, ex privilegiis quæ ad hoc conceduntur à sancta Sede, respondetur, sicuti in simili respōsum est. §. 1. *n.* 11. *fine.*

De Mappa profana, an assumi possit ad Sacrum; & deinde reddi ad usum pristinum, vide infra *c. 5. §. 2. n. 3.*

---

## CAPVT III.

## De Vestibus Sacerdotalibus.

### §. I. *Quibus, & quot vestibus indiget Sacerdos ad Sacrificandum.*

1. PRæter habitum, quem sacerdos honestum, & quidem usque ad talos ex decentia, habere oportet, sex Sacris vestibus eget, ut ritè Sacrificet: Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola, Casula, seu Planeta. Præter Amictum, & Albam, quæ ex lino vel cannabe contexta esse debent ex Azor. *p. 1. l. 10. cap. 28. quæst. 8.* (an possit ex Gossipio dicam infra, *cap. 5. §. 3. num. 3.*) cæteræ quatuor sint ex quacumque decenti materia quò pretiosior est eò melior. Sic Suarez, *de Sacram. d. 81. sect. 2. §. 2. est observandum.* Colorum diversitas in diversis Missis non est de Præcepto, sed de convenientia. Cave autem ne prædictæ Vestes sint valde attritæ, sicut, ne reliqua sacra suppellex sit valde immunda, peccaretur enim mortaliter, ex Suarez *de Sacram. d. 81. sect. 6. § ultima pars*, si enormiter esset talis: id quod reverentia Christo Domino debita persuadet. Nota tamen illud (enormiter) difficulter enim ex Suar. *ibidem* ex hoc capite nisi vere desipiens sis in mortalem culpam incidere tibi continget. Audi insuper Layman. *lib. 5. tr. 5. c. 6. num. 15.* te aliquando excusantem. *Interdum*, inquit, *Sacerdos subditus, si superiorem, ut vasa mundari, vel munda servari curet, admonuerit, nihilque effecerit, excusatur, propter Sacrificandi necessitatem.*

2. Posse usui esse Stolam pro Cingulo, Manipulum longum pro Stola, Stolam pro Manipulo, quia hæc perinde se habent, docent aliqui probabiliter cum Sà *V. Missa n. 9.*

3. Sed quid, si quis, aliqua ex his vestibus carens sacrificet; Respondeo. Ex genere suo peccat mortaliter, quia contra præceptum grave, & ita ab Ecclesia receptum, delinquit. Ita Fagund. *Eccles. præcep. lib. 3. c. 23. n. 15.* Dico [ex genere suo] nam propter parvitatem materiæ excusaretur à mortali, ut v. g. si Cingulum non adhiberet. Quidquid neget Filliuc. *tom. 1. tr. 5. num. 150.* cur enim hic, ut fere in aliis materiis, hæc parvitas noscenda non sit? Imò in hac de qua agimus, parvitatis materiæ, excusari etiam à veniali ob casum nullus, probabile est; quia necessitas videtur sufficiens excusandum eum, qui omittit rem ex se levem.

4. Gradus verò necessitatis non est hic valde accipiendus. Quare necessitas audiendi, & celebrandi Sacrum, die festivo, fervor devotionis, & tentationem superandi, Sacerdoti non diviti opportunitas eleemosynæ, imperque in prædicta parvitate, etiam à veniali excusabit. Ita Diana *p. 2. tract. 14. res. 68.*

5. Hinc fit, ut quamvis deficiente aliqua ex minoribus, v. g. Alba, Casula, &c. deobligamur audiendo, vel audiendo Sacro, in die præceptique ceptum non obligat, nisi quando Missa habetur, modo potest; non deobligamur tamen, deficiente ex minoribus, quia tunc, ut dictum est, potest dici Quamvis si deobligari etiam tunc velis, possis, tibi sequi opinionem contrariam, quod scilicet ( deficiente aliqua ex minoribus ) liceat Missa

6. Sed quid in maiori gradu necessitatis, licite quis sine aliqua ex his maioribus vestibus sine omnibus sacrificare, ut mortem v.g. vel grave dum evitet?

Respondeo. Si metus incutitur in contemptum gionis, certum est, quamlibet, etiam levissimæ tere, esse mortale. At, si sit in aliumindifferentem v.g. ad hoc, ut alij intersint Sacro: tunc regula rali, quod præcepta humana non obligant cum dispendio, non esse peccatum, etiam gravioris stes omittere, probabiliter nonnulli docent cum varr. *in man. cap. 15. num. 84.* Hurtad. *de Sacrif. disp. diff. 21.* esto nonnulli negent cum Suarez *de Sacr. d. 72. sect. 21. §. Secundo dicendum*, quia non potest cedere in Sacrificij irreverentiam. Sed alij probabiliter distinguunt, asseruntque sine aliqua ex grav dicto metu incusso ob finem indifferentem, pulque peccato celebrari; sine omnibus, nequaquam gund. *prac. Eccl. 1. lib. 4. cap. 23.* Favetque Suar item Marchin. *tr. 3. p. 5. cap. 14. n. 5.* Ratio est, quia nibus non evitabis scandalum, & irreverentiam sine aliqua dumtaxat, evitari posse probabilmum est.

### §. II. *De Benedictione Vestium Sacerdotalium.*

1. IDem est, uti Vestibus non benedictis, ac nulla Ita Fagund. 1. *Eccles. præcep. lib. 3. c. 23. n.* Suario. Vnde, quæ modò dicta sunt de parvitate riæ, & in casu necessitatis, hic pari modo sunt genda.

2. Vnam limitationem addo dictis *num. 6.* enim gravioris mali metum requiri, ut quis Sacrum sine vestibus Sacerdotalibus, modo ibidem cto, quam cum illis, nondum benedictis. Ratio maioris scandali, maiorisque irreverentiæ est illo, quam, hoc modo: quis enim non magis dalizetur, si videat Sacerdotem in vestibus bus celebrantem, quam si videat eundem, in vestibus Sacerdotalibus, licet sciat nondum nedictas? Idem dic de irreverentia.

3. Illud denique adverte, non debere esse tum in inquirendo, an vestes, aliaque Sacrificij menta sint benedicta, nisi aliqua particularis ctet, Quare rectè Soto apud Azor. *p. 1. lib. 10. c.* notat, quando hæc rei divinæ inservierunt quando offeruntur à parocho, nihil esse inquirendum.

Debent ergo hæ vestes esse benedictæ ministrum primo ab Episcopo, vel secundo, ab habente gium ea benedicendi; vel tertio in probabili ab ipsomet Sacrificio.

De hoc tertio dixi supra *cap. 1. §. 4. n. 4.* De & secundo, est hic aliquid explicandum.

*De facultate Episcoporum benedicendi Sacras Vestes.*

4. In hac Episcoporum potestate non est valde immorandum: solum id adverte: adesse, merito, Sacræ Congregationis declarationem, Episcopum non posse hanc potestatem Sacras vestes, aliaque similia benedicendi delegare simplici Sacerdoti. Sic Possevinus *de offic. curati cap.* 2. *de Sacrif. num.* 37. & alij apud Gavantum *in Rubr. Miss. p.* 4. *tit.* 16. *n.* 23. Ratio est, quia hæc potestas non pertinet ad jurisdictionem, sed potius reducitur ad potestatem ordinis, quæ solum residet in persona Episcopi, qui est consecratus. Atque hinc fit, quod neque potest eam delegare suo Vicario, quia is potius, quod non sit Prælatus, in hoc venit nomine Sacerdotis simplicis.

*Duo Privilegia Mendicantium Sacras Vestes benedicendi.*

5. Primum Privilegium concessum est ab Innocentio VIII. *vivæ vocis oraculo*, Congregationi Sanctæ Justinæ de Padua, & consequenter Mendicantibus & participantibus cum illis, quo Abbates, & Priores principale regimen habentes, unde, & Præpositi, & Rectores, & Guardiani, similesque Superiores, possunt benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiæ, & ad cultum divinum pertinentia, & tam Ecclesiæ Eccl siæ, quam etiam undecumque delata. Ita *in Compend. privileg.* Soc. Jesu. *V. Benedicere*, §. 3.

Hoc privilegium, quamvis vivæ vocis oraculo concessum sit ab Innocentio VIII concessum est etiam per Bullam à Leone X. Fratribus Minoribus: (& consequenter participantibus) quamvis pro suo usu tantum. Apud Bullar. Rodriq. *Bulla 6. Leonis X.*

6. Secundum, de hac re, privilegium est Sixti IV. qui concessit, quod omnes Fratres Minorum (& consequenter participantes cum illis) possunt benedicere paramenta Altaris, Missalia, & indumenta exceptis Corporalibus dumtaxat Portell. *in dub. Reg. V. Benedicere, in addit. n.* 3.

Nota, hoc privilegium esse pro religiosis Sacerdotibus, etiam non Superioribus, illud dictum, *n.* 5. solum pro Superioribus.

Nota insuper cum Portella *ibidem*, ipsis Minoribus esse hoc ipsum restrictum in dicto capitulo Meclinensi, ut soli Provinciales, Custodes, & Guardiani possint. Addit tamen idem hanc concessionem, ut jacet, esse in usu apud Patres Dominicanos.

7. Petes, Suntne hodie universaliter restricta hæc duo privilegia à Sacra Rituum Congregatione, ut solum Regulares pro suis usibus, non verò, pro usu externorum, possint illa benedicere? Respondeo. Aliqui cum Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 4 *tract.* 19. *n.* 22. Lezana *v. Altare, num.* 3. docent esse restricta; negant alij cum March. *de ord. 3 p. q.* 11. *num.* 3. Tambur. *de jur. Abbat. tract.* 1. *d.* 93. 94 cum quibus sentio. Ratio est, quia constat de privilegio, non verò de ejus revocatione. Quare, præter Superiores Societatis, quibus restrictum est privilegium, solum pro proprio usu, ut habetur in *Comp. Privileg. Soc. Jesu v. Benedicere*, §. 3. & præter Minores, quibus etiam restrictum est pro suo usu in prædicto c. *Meclinensi*, alij poterunt, undecumque illa afferantur, si ipsis limitatum id à suis Generalibus non fuerit.

De his vide nonnulla peculiaria pro nostris ex Societate, præsertim pro Rectoribus Seminariorum apud Delugo. *lib.* 1. *resp. m d.* 39.

## § III. *Quandonam vestes Sacræ amittant benedictionem?*

1 AMittunt, quando fiunt ineptæ ad usum Sacrificij; ineptæ autem fiunt, statim atque perdunt figuram, ob quam benedictæ fuerunt. Ita Hurtad. *de sacrific. d.* 4. *diff.* 11 aliique. Unde si Manica Albæ separetur ab ipsa Alba, recedet benedictio, quia sic inepta evasit ad Sacrificij usum. Quod si Alba sit ejusmodi, ut ejus manicæ globulis, vel funiculis ipsi adnectantur, ut etiam Planeta, si ejus pars anterior resticulis cum interiori connectatur; certe per disjunctionem, quando iterum ad usum unietur, non amittet benedictionem. Sic Delugo *disp. de Euchar. d.* 20. *sect.* 4. *num.* 93. & 99 Ratio est, quia, ut supra *cap.* 1. §. 5. *num.* 2. de Calice tornatili diximus, remanet eadem vestis.

*Quædam propria de Cingulo.*

2. Si cingulum rumpatur in duas, v. g. partes amittitne benedictionem? Respondeo cum Delugo *ibidem*. Si remanet utraque pars apta ad cingendum non amittet, ut constat ex dictis *num* 1. & ex dicendis infra *cap.* 5. §. 1. *num.* 2. de Ara consecrata. Si solum una pars apta remanet, hæc sola propter eandem rationem, benedicta remanebit: poterit tamen pars non apta huic annecti, nam tunc accessorium sequetur principale, & sic totum erit benedictum, sicut contingit, quando, vestibus attritis, pars aliqua ad eas reficiendas assumitur. Si denique neutra pars remanet apta ad cingendum, neutra benedictionem servabit, cum utraque inepta sit ad usum Sacrificij. Sic Delug. *ibidem*, & Hurtad. *de sacrif. d.* 4. *diff.* 1. aliique.

3. Dices Sicut Alba, & Planeta resticulis conjungibiles, ad instar Calicis tornatilis, non amittunt benedictionem, ita nec dictæ cinguli partes, quæ, facto nodo, facile conjungi possunt, amittent.

Respondeo, in Alba, Planeta, & Calice dictis, benedictio data est, sub illo modo partium separabilium, & iterum conjungibilium, unde, partibus separatis, veluti suspenditur usus benedictionis, non amittitur benedictio: at in cingulo quod non fuit, sub illo modo benedictum, dicere idem, nequaquam possumus.

4. Scio, quod aliqui apud Dianam *p.* 2. *tract.* 14. *resol* 57. & *p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 93. propter magnam facilitatem, qua facto nodo, conjungi hæ cinguli partes possunt, tenent non indigere nova benedictione, quæ certè opinio, saltem propter authoritatem extrinsecam Doctorum, non est improbabilis. Nota autem, Dianam *d. p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 57. inter hos numerare Ægidium Coninch. qui tamen pro hac opinione non stat, eam enim, non tanquam suam, Ægidius, sed tanquam Emmanuelis Sà, profert. Immò contra Ægidium puto, quod neque id Emmanuel dicit. Audi breviter utrumque. *Si cingulum* (ait Coninch. *de Sacram. quæst* 83. *art.* 3 *d.* 3. *num.* 251.) *ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, amittit benedictionem. Secus si longior pars sufficeret ad cingendum. Aliqui tamen putant, etiam in prima fractione, licere partibus simul nexis uti. ita Emmanuel. Sà v. Missa num* 22. Hæc Coninch. Audi Emmanuelem Sà. *v. Missa num.* 22. *Cingulum*, ait, *fractum potest necti si pars altera non sufficit.* Hæc Sà. Vides? Si pars altera non sufficit, air, (quæ est doctrina à nobis allata *num.* 1.) non vero, si neutra pars sufficit, de quo hic est quæstio.

*Quædam propria de Stola vel Casula.*

5. Si Stola, vel Casula duplicata, fiant, facili separatione, duæ, quarum utraque sit apta ad Sacrificium, amittúntne benedictionem? Dico, non amittere, quia illæ vestes sunt totaliter benedictæ, & separatæ, remanent aptæ ad Sacrificium sub eadem forma, sub qua fuerunt benedictæ. Confirmatur ex cingulo, cujus, fractæ duæ partes, aptæ ad cingendum, ambæ retinent benedictionem.

6. Illud certè approbare non possum, quod aliqui Planetam non benedictam assumunt Planetæ benedictæ, & sic celebrant; unanimiter, prætextu, quod illa non benedicta, jam ipso Sacrificio, juxta supradicta *cap.* 1. §. 5. *num.* 2. benedicatur, possint iterum dissuere, & Planeta assuta tanquam benedicta frui. Hoc, inquam non approbo cum Possevino *de offic. curati cap.* 1. *de sacrificio, n.* 38. & Gavanto *in Rub. Miss. p.* 4. *tom.* 9. *num.* 21.

qui nullam rationem assignant, posset tamen hæc afferri? Nam vel illa assuta uteris ex intentione sacrificandi in ipsa: & sic mortaliter peccas adhibendo planetam non benedictam: vel illa uteris non ex intentione Sacrificandi in ipsa, & tunc non benedicetur, quia benedicitur vestis ex ipso Sacrificio, in probabili illa sententia, quando vestis inservit Sacrificio: at non inservit Sacrificio illa, quam ex tua intentione, licet materialiter tecũ habeas, sicuti habes cæteras usuales vestes, & nullo modo refers ad Sacrificium. Confirmatur: nam si Episcopus benedictionem proferret præsentibus duabus Planetis, (cum intentione benedicendi hanc, & non illam, certè hæc sola benediceretur, non autem illa: pari ergo modo (cum, quod in te nostra facit benedictio suppleat Sacrificium) si ad illam vestem Sacrificij benedictionem non refers, benedicta remanere non poterit.

*Quid furis, quando una vestis sacra mutatur in aliam.*

7. Si ex multis, v.g. Amictis immutatis fiat una Alba, & ex multis Stolis itidem immutatis una planeta: talis Alba, & Planeta indigerétne benedictione? Dico (immutatis) nam si mutaretur forma sub qua benedicta erant, jam amitterent, ex dictis, benedictionem, atque adeo certa nova benedictione indigerent. Respondeo quod indigerent quia ex una parte tales amicti, & Stolæ nunquam habuerunt benedictionem Albæ, & Planetæ, & ex alia per illam unionem, nullam benedictionem acquisierunt.

8. Quid si tales Amicti, & Stolæ iterum dissuerentur, & redirent ad pristinam formam, novánè benedictione indigerent? Respondeo nequaquam indigere; quia, cum supponamus, non amisisse suam formam, non desierunt esse iidem Amicti, & Stolæ, quæ erant prius

9. Quod si ex Stola fiat Manipulus, & ex Manipulo Stola, juxta dicta §. 2. *num* 2. non est necesse ut ad hunc novum usum, sicut nec deinde, quando forte redirent ad suum pristinum, nova benedictione benedicantur; quia Stola, & Manipulus non sunt diversæ vestes; solum enim una est brevior, alia longior; atque adeo una non indiget diversa benedictione ab altera. Sic Fagund. 1. *Eccl. præcept. lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 15.

## CAPVT VI.

### De Loco Sacrificij.

#### §. I. *Quisnam ille sit.*

1. SAcratissimum Missæ Sacrificium, Primò, in Ecclesia consecrata offerri potest, & quidem olim solum in hac offerri poterat. Secundò in Ecclesia seu publico Oratorio benedictis. Tertiò, in Oratorio privato non benedicto, quod tamen ad Sacrificij usum, veluti permanenter, deputatum sit. Quartò in loco decenti, licet profano, ab habente ad hoc potestatem, designato, qui ad Sacrificium celebrandum, veluti actualiter, semel, aut iterum, seu quoties expediens fuerit, deputetur.

2. Extra hæc loca celebrare, quidquid dicant Sotus, & Sà apud Layman. *mox.* cavendum, mortale erit. Sic Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 8. Coninch. *de Sacr. q.* 83. *art.* 3. *d.* 1. *numero* 224. aliique apud Bonac. *de Euchar. disp. quæst. ult. p.* 9. *num.* 10. quia res est ex se gravis, & ita judicatur & omnium Fidelium sensu. Nulla autem incurritur pœna saltem ipso facto, ut ex ipsis Sacris Textibus, quos iidem citati, aliique apud ipsos, in contrarium afferunt, constare poterit.

3. Excipitur tamen communiter casus necessitatis, in quo potest extra dicta loca Sacrificari. Judicatur autem à Doctoribus cum Delugo *de Euchar. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 48. Fagundez 1. *Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Pasqualig. *à decis.* 66. Matchin. *de ord. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *d.* 3. casu necessitatis. Primò, quando, alioqui peccaret, diu puta per mensem, Missa caruisset, imò, & in solemnioribus festis, eadem carere cogantur. Secundò, quando est magnus populi concursus ad Imaginem, raculis conscassitem, vel quando multi conveniunt solemnitatem, & non capit eos Ecclesia. Tertiò, ter in Castris, pro militibus, & in littore pro navibus. Potest enim in his similibusque occasionibus juxta Ecclesiam, vel intra ipsam, etiam dimissis sub dio, sacrum fieri. Quod si adsit Ordinarius, cum ejus licentia, si non adsit, non est de ea solidum, cum ipsa necessitas illam sufficienter tribuat, per autem exigitur Altare, in quo superponatur ara, cum cæteris necessariis ornamentis, ut his consequentibus, supponimus.

4. Posse in navibus, præsertim grandioribus, dum navigant, ex licentia Pontificis, docet Delugo *sect.* 3. At verò sufficere solam Episcopi licentiam ninch. *de Sacram. q* 83. *art.* 3. *disput.* 1. *n.* 226. negat mat Granado 3. *part. controvers.* 6. *tract.* 14. *d.* 13. *c.* natque idem Delugo. Omnes probabiliter.

#### §. II. *De Episcopi potestate circa locum Sacrificij.*

5. NOn est difficultas, quod ad Episcopũ, vel rem Prælatũ pertineat consecrare, & benedire Ecclesias, vel Oratoria publica (Oratorium puto etiam illud, in quo sit janua privata affixa alicujus sæcularis, si adsit alia janua exposita bus) sed solum difficultas est de duobus posterioribus Sacrificij locis insinuatis *n.* 1. id est, de Oratoriis tis, & de loco profano. In quibus tamen, clarius tia sunt quæstiones distinguendæ. Primò, an Episcopus possit concedere facultatem celebrandi, per modum actus in quocumque loco decenti domoque privata profana aliorum, ipso Episcopo absente. Secundò, saltem idem possit in quocumque loco domus sua, in domo profana aliorum, sed coram se seu ipso præsente. Tertiò, an possit deputare Oratorium in eadem domo, ut ibi indifferenter ab omnibus per modum habitus celebretur. Quartò, an in domibus privatis profanis aliorum idem possit: de singulis seperatim cebo tamen de quarta justis de causis libens.

*An Episcopus possit concedere facultatem celebrandi per modum actus in loco profano, sed decenti extra domum suam ipso absente.*

6. Olim id potuit Episcopus, nunc verò non potest. Ita Delugo *de Euch. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 49. Ratio prædicti est ampla concessio ipsis à sactis Canonibus *n.* 12. afferendis, attributa. Ratio posteriorís est prohibitio Concilij Tridentini *sess.* 22. *in decr. de observ. in Missæ. Ne patiantur* (inquit Tridentinum) *Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium sacularibus, aut regularibus peragi.*

7. Illud nota cum Suarez *de Sacr. disp.* 81. *sect.* 3. *Observandum circa finem.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 3. aliisque, quod licet Tridentinum restringat Episcorum potestatem, non videtur tamen iis ablata potestas occurrente necessitatis casu, dispensandi, ut fere saepius, (quatenus rationabilis causa suaserit) in loco nesto, quamvis profanis usibus destinato, super altare crato, & ornato, Missam celebrare liceat. Ratio est, cum ejusmodi casus frequenter accidere soleat, ter necessaria est Episcopis talis dispensandi potestas maximè in Regionibus ab urbe remotioribus.

*An id possit in quocunque loco domus suæ, vel in domo profana aliorum coram se.*

8. Potest Episcopus, in quolibet loco decenti, licet profano, ob suam etiam commoditatem, tum in sua Diœcesi, tum extra (etiam Romæ, ex Navarr. *cons.* 1. *de privileg.* quia de decisione in contrarium allata ab Ugolino apud Gavant. *in praxi Episc. V. Episcopus, n.* 9. approbatque Diana *loc. cit.* non constat authenticè) sive in domo, seu palatio suo, sive alieno, sive Domi, sive Ruri cum Altari portatili celebrare; immo, & potest cum eadem amplitudine concedere alteri Sacerdoti licentiam ibidem celebrandi coram se, non verò, ipso non præsente; ita Delug. *disput.* 20. *de Euch. sec.* 2 *n.* 29. Portella *in Resp. p.* 3. *casu* 20. *n.* 7. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 15. aliique apud ipsos. Ratio ducitur ex *c. ultimo de Privil in* 6. ubi sic legimus. *Quoniam Episcopi, eorumque Superiores se habent absentes ex causis, à suis Ecclesiis, & Diœcesibus absentare frequenter; nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet, absque causa rationabili, ullum diem: præsenti Constitutione indulgemus eisdem, ut Altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrare, ubicunque.* Hæc Pontifex, quæ non esse revocata à Tridentino per Portellam *mox* citandum, indè, ut cætera taceam, constat, quia Trident. loquitur de domibus privatis; at locus, ubi Episcopus etiam obiter residet, non est privatus, sed publicus.

9. Vides autem, quod esto causa concessionis fuerit sola absentia Episcopi à sua Ecclesia, concessio tamen est absoluta, & universalis sine limitatione itineris, vel distantiæ.

10. Sed dictum est (coram se) quia hoc privilegium est personale, ut nimirum ipse Episcopus celebret, vel celebrationi intersit; nam propterea ex Portella *in Resp. p.* 3. *casu* 20. *n.* 4. non poterunt alij Sacerdotes, Episcopo non præsente, tali privilegio gaudere. Adverte tamen, non esse confundendas quæstiones, hic enim agitur de quocunque loco, etiam profano, etiam camera vel aula ejusdem Episopi: nam *mox* agetur de loco deputato ad Sacrificium, v. g. Oratorio, ubi certè poterunt omnes Sacerdotes celebrare, ut mox à *n.* 12. videbimus.

11. Petes: quando Episcopus, vel alius coram ipso celebrat, Fideles, etiam si non sint de familia ejusdem, satisfaciúntne præcepto, si tali Sacro intersint die festivo. Rursus, Episcopo præsente, unusne solum, an alij & alij, eodem die, possunt ibidem celebrare?

Respondeo ad primum, satisfacere. Cujus ratio dicetur §. 3. *num.* 6. Ad secundum, licet videatur alicui posse solum unum, quia solum conceditur Missa, quam audiat Episcopus, ne transeat dies in qua ipse non audiat, ad quod inconveniens vitandum, una satis Missa est: puto tamen posse plures, quia privilegia, quæ non sunt in ullius præjudicium, sunt amplianda; & quia id favet devotioni Episcopi, plures Missas audire volentis, quam à Canone foveri credendum est.

*An possit Episcopus deputare Oratorium in domo sua, ut ibi indifferenter, per modum habitus celebretur.*

12. Episcopus potest, domi suæ, sive urbanæ, sive rusticanæ, sive intra Diœcesim, sive extra etiam sine licentia Episcopi in cujus Diœcesi moratur (id enim non pertinet ad jurisdictionem contentiosam, sed est quid voluntarium, quod ex Suar *l.* 2. *de mat. d.* 19. *à n.* 7. ipse libere valet exercere extra Diœcesim) potest inquam Episcopus, etiam solum Titularis, deputare Oratorium privatum, ubi celebretur Missa indifferenter ab omnibus. Ita Delugo *de Euch. d.* 20 *sec.* 2. *num.* 50. Portell. *in Resp p.* 3. *casu* 20. *n.* 3. Hæc doctrina, si alio argumento non firmaretur, sane illud sufficiens esset, nempe id passim sine ullo scrupulo ab Episcopis in usum deduci. Ratio autem fundamentalis est, quia ex una parte hanc facultatem amplissime obtinet Episcopus in jure *c. Missarum, de consec. dist.* 1. ibi. *Missarum solemnia ubi ipse (Episcopus) permiserit, celebranda esse censemus.* Idem dicitur *c. concedimus eodem:* alia loca vide apud Azor. *p.* 1. *q.* 10. *c.* 26. *q.* 3. & ex alia nec Tridentinum, nec aliud Pontificis, decretum id illis prohibet: Tridentinum enim, & si quid aliud decretum prohibens est, loquitur de Oratoriis in domibus privatorum; Domus autem Episcopi privata Domus non est. Ita Portella *num.* 3. & 4. *citat.* citans Suarium, Navar. & alios.

13. Atque ex tam lata facultate Collige primo, posse plures, & plures Missas in tali Oratorio, eadem die celebrari, sive ab Episcopi familiaribus, sive ab exteris.

Secundò, id fieri posse, absente Episcopo, imo etiam ipso in remotis agente, quia privilegium hoc personale est, simul & locale, id est, concessum tali domui respectu Episcopi, cujus est. E contra autem, si desinat talis domus esse Episcopi, amittitur tale privilegium, quia tunc nullus est respectus ad Episcopum. Puto item si locetur aliis, vel etiam si concedatur aliis ejus usus, amitti, seu non vigere privilegium, siquidem jam desinit respectus prædictus, qui non fundatur in domino sed in usu, quem vel ipse, vel saltem sui obtinent talis domus.

Tertiò, Fideles, si ibidem intersint Sacro satisfacere præcepto, ut Sacra Congregatio apud Dianam *part.* 6. *tract* 8. *res.* 40 *fine* declaravit, & nos universaliter dicemus *infra* §. 3. *n.* 6.

## §. III. *De Religiosorum Privilegiis circa locum Sacrificij.*

1. UT explicentur privilegia in re hac Mendicantium, & eorum, qui cum ipsis in privilegiis communicant quales hodie ferè sunt omnes Religiosi, ex Portella *in dub. Re. V. communicatio, n.* 2. Tambur. *T.* 2. *de jure Abbatum d.* 17. *quæsito* 1. tria privilegia sunt distinguenda, quæ jam sigillatim proponam.

Omitto autem disputare an iidem possint pro suo usu benedicere (non quidem consecrare) suas Ecclesias, & consequenter ibi divina celebrare: quia hoc posse, certum est, & sine controversia, ut habetur in compendio privilegiorum Soc. Jesu *V. Oratoria, in fine limitationis* pro qua tamen Societate adest limitatio sui Generalis, *ne id fiat publice, nec nisi Ordinarij absint, vel id gravate faciant.*

2. Ex quo ultimo obiter nota cum Henriquez *l.* 9. *c.* 27. *n.* 1. posse Episcopos benedicere Ecclesias Religiosorum; & eorundem Oratoria privata in domibus, vel villis deputare ad Sacrificium, non obstante exemptione dictorum Religiosorum: Ratio est, quia id cum sit in commodum ipsorum, exemptioni non contradicit, & ex alia parte Oratoria etiam privata Religiosorum non dicuntur esse in domibus privatis, contra quas agit Tridentinum. *sess* 22. *decreto de observat, &c.* sed in domibus communitatis, ex Lezana *V. Altare n.* 13. Sed ad rem propositam revertamur.

*Primum Privilegium Mendicantium, quo possunt celebrare per modum actus, in quolibet loco decenti quando versantur in Missionibus.*

3. Concessum est Privilegium Societati Jesu à Gregorio XIII. post Concilium Tridentinum cum ejus sufficienti derogatione, & consequenter communicantibus in privilegiis, *ut possint Patres in Missionibus, quæ à Superiore fiunt, Sacrificium Missæ super Altari viatico, ubique gentium, cum debita reverentia, & honore celebrare, etiam in Castris Militum, modo loca, & si communia, & profana tuta, & honesta sint, & Propositus Generalis, aut per eum Provincialis, eo utendum fore judicaverunt, & posse ibidem Sacram Eucharistiam Fidelibus ministrare. In comp. Privil. Soc. Iesu V. Altare.* Peyr. *tom.* 1. *in constit. Pyrrh. num.* 28.

4. Ubi nota primò, id posse etiam in Cameris sæcularium, id enim notat illud *(ubique gentium.)*

5. Nota secundò, è contra, non posse hoc privilegio

gaudere Presbiteros non Religiosos, qui forte socij sunt in missionibus talium Religiosorum: quia Privilegium est personale, id est, concessum solis Religiosis.

6. Petes: quilibetne fidelis poterit interesse ejusmodi Sacro & satisfacere præcepto de eo audiendo in diebus festivis? Respondeo, quemlibet posse. Ita Azor. Suarez, Tol. Barb. apud Dianam *p. 6. tract. 8. res. ultim. §. Quod autem possimus.* Ratio est, quia præceptum hoc non arctat Fideles, ut in tali, vel tali loco audiant, sed ut audiant Missam. Quod si textus *c. 1. de Parochis* contrarium dicat, jam is est usu, & consuetudine abrogatus. Confirmatur, quia quando Pontifices volunt, ne in aliquo loco fideles, audiendo Missam, possint præcepto satisfacere, id diserte declarant, ut passim, nunc observatur in Brevibus, per quæ Oratoria privata conceduntur de quibus infra §. 4.

*Secundum Privilegium concessum Mendicantibus celebrandi in quocunque loco, etiam extra Missionem.*

7. In Corpore juris *c. in his de privilegiis*, amplum privilegium conceditur Fratribus Prædicatoribus, & consequenter communicantibus in privilegiis. *Mirari compellimur* (ait Honorius Pontifex) *quod cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duxerimus indulgendum, ut ubique fuerint, sine Parochialis juris præjudicio, cum Altari valeant viatico celebrare, quidam nimis stricte interpretando indulgentiam nostram, nituntur asserere, quod per eam prædicti Fratres, præter Prælatorum assensum, facere hoc non possint: propterea quod eos celebrare, juxta indulgentiam Apostolicam, non permittunt. Cum autem nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua, id Prælatis annuentibus, liceret eisdem; Fraternitati tuæ mandamus quatenus interpretatione hujusmodi reprobata, dum tamen ab aliis, quæ jure Parochiali proveniunt prorsus abstineant, datam eis licentiam celebrandi, authoritate nostra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquando ex indulgentia nostra videant, in hoc gratiam consecuti.*

8. Hæc Honorius, quæ deinde confirmavit Innocentius Quartus, Sixtus Quartus, aliique Pontifices, apud Rodr. *in comp. res. 9. n. 4 & 8.* & apud Pasqualig. *decis. 174. & 176.* & Paulus III. *in Bulla, Licet debitum*, sic ample concessit. *Liceat Præpositis & de eorum etiam facultate universis Fratribus, & Sociis Societatis in locis, in quibus degunt, & eos, pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis ac quocunque alio honesto, & congruenti loco in Altari portatili, cum debita reverentia & honore celebrare.*

9. Vbi nota, his privilegiis non gaudere Sacerdotem exterum, forte socium Religiosi, ex dictis *n. 5.* & è contra, ibi satisfieri præcepto audiendi Sacrum à quocunque Fideli, per ea quæ diximus *n. 6.*

10. Circa quæ adhuc dubitabis primò, an Honorij dictum privilegium sit revocatum per Concilium Tridentinum, *sess. 22. decreto de observand. in cel. Miss.* & idem quæri potest de dicto privilegio Pauli III. allato *n. 8.*

Respondeo, esse revocatum docent plures, Navarr. Azor. Suar. Fag. Barb. Coninch. aliique citati à Pasqual. *dec. 54.* sed immerito, nam propterea, Uterque Rodr. Portella March. Delugo, aliique apud Dianam *p. 9. tract. 8. res. 39.* & Pasqual. *d. decis. 54.* probabilius negant. Ratio facilior horum debet esse, quia Tridentinum solum decernit, ne Episcopi patiantur, privatis in domibus, à sæcularibus, vel Religiosis Missam celebrari. Donec igitur Episcopi prohibent, seu contradicunt, non est revocatum privilegium celebrandi, etiam in Cameris sæcularium, etiam in cameris propriis Religiosorum, hoc enim significat illud (ubicunque fuerint) quidquid dicat Rodriq. *in compend. res. 9. n. 9.* aliique apud ipsum, modo sit locus decens, & aptus, ut semper supponitur.

11. Quod dicimus de privilegio Honorij, idem propter paritatem rationis dici posset de privilegio Paul. III. allato *dict. n. 8.*

Dices: Gregorius XIII. concedens Patribus Soc. simile privilegium, sed restrictum ad solos Mi[ssionarios] tes, ut retulimus *n. 3.* asserit hoc privilegium [Pauli] allatum *dicto n. 8.* revocatum fuisse à Trid[entino] pondeo primo, Gregorium id supposuisse ex [opinione] plurium modò dicta. Respondeo secundò, id [non] magis æstimati privilegium Honorij in corpore [juris] insertum, quam hoc Pauli III.

12. Dubitabis secundo, quid importet illud [verbum] (*sine prejudicio Ecclesiæ Parochialis.*) Respondeo [de] certare, ut id fiat à Religiosis non exigendo, [quæ] cimas, secundo primitias, uno verbo oblationes [quæ] debentur Parocho de jure, ex eo quod Sacramenta [ad]ministret. Ita declaravit Sixtus V. apud Rodr. *in comp. n. 6.* Tambur. *de jur. Abbat t. 1. d. 28. quæsito 6. n. 8.*

13. Dubitabis tertio. An eodem Honorij, vel [Pauli] privilegio fruantur Patres Societ. Jesu. Respondeo [non] frui, non est dubium, quia ipsi Mendicantes [non] sunt (posse) nam de facto non fruuntur. Ratio est, [quia] supra *c. 1. §. 2. num. 8.* dictum est, ex una parte [Societas] vilegia, quæ Societas vel ex se, vel per communi[cationem] nem cum aliis habet, à suo Generali communi[cantibus] tribus debent, ut ad usum ea referre possint: & [Generalis] idem P. Generalis declaravit nemini ex Patribus [licere] cere uti privilegio aliquo, quod non sit in compen[dio] privilegiorum Societatis exscriptum: Cum igitur [privilegium] Honorij, & Pauli III. inibi, nequaquam exscriptum [sit] veniatur, communicatum ipsis nequaquam est. Possunt tamen Patres à R. P. Generali illud sibi communicari impetrare; & tunc, illo ritè uti, non vetabuntur.

Lege Io. Delugo, *lib. 1. resp. m. dub. 3.* qui negat Provinciali Societatis posse dare facultatem celebrandi in nostra Aula V. G. ubi fieret Præsepe Domini, nobili cri ejusdem Natalis, nisi Aula pro semper deputetur Sacra; hanc enim deputationem requirit Privilegium Provinciali concessum.

*Tertium Privilegium concessum Mendicantibus de[ficiens] Oratoria privata in suis domibus, ubi per modum habitus indifferenter ab omnibus celebretur.*

14. Extat de hac re privilegium Patribus Societ. & consequenter cæteris communicantibus concessum Greg. XIII. post Trident. cum clausulis illud [restringen]ter derogantibus, in quo datur facultas, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ Provinciales Societatis, per ipsos, domibus, Collegiis, & al is locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, Missas, & alia divina Officia celebrari possint, nullius alterius ad id requisita licentia. *In compend. Privileg. Societ. V. Oratoria.*

Ex illo (*per se ipsos*) enascitur difficultas. Quid [ergo] ergo non per alium? Respondeo de hac difficultate [non] serte agit Delugo *citat. dub. 14.* concluditque non [posse] Provincialem committere Rectori V. G. ut ipse Rector approbet deputetque, posse tamen Rectori committere, ut ipse judicet de decentia loci, quo judicio à Provinciali accepto, etiam eo remote agente, poterit idem Provincialis absens per litteras approbare.

15. Differt autem hoc privilegium à præcedentibus. Illa enim dant facultatem celebrandi in quocunque loco decenti, sed per modum actus, à solis Religiosis illo. hoc vero in oratoriis ad ipsum Sacrificium deputatis, per modum habitus, ac veluti permanentes, & quidem indifferenter ab omnibus ibidem posse Fideles satisfacere præcepto de audiendo Sacro, non est dubium, ut *supra n. 6.* in simili diximus.

16. Illud nota, Patribus Soc. adesse hanc restrictionem. *Non utantur Provinciales* (sunt limitationis verba *ibid.*) *hac facultate, nisi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarij existunt, ut ibi probabiliter timetur quod cum opus fuerit difficiles se exhibebunt ad hujusmodi Oratoria deputanda.*

17. Vides restrictionem? qua, quia non tenentur alij Religiosi communicantes (cum supponamus à suis Generalibus non fuisse restrictos) libere Privilegio fruentur

poterunt. Patres autem Societatis in casu occurrente limitatis restrictionis, vel recurrant ad suum R.P. Generalem, ut in simili notavimus *n.* 13. vel ad Episcopum, ut dictum est.

### §. I V. *De Oratoriis in domibus privatis de licentia Summi Pontificis.*

2. BReve Pontificium concedens Oratorium privatum, huius temporis esse hodie solet.

Innocentius Papa X. Tibi, *Diœcesis Panormitanæ, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis ut in privato domus tuæ solitæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo ab omnibus Domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando & approbando, ac de ipsius Ordinarij licentia, eius arbitrio duratura vnam Missam pro vnoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia, Regularem, sine tamen quorumcumque iurium Parochialium præiudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis D N. Iesu Christi, necnon aliis solemnibus anni festi diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, necnon hospitum tuorum nobilium præsentia, celebrari facere liberè, & licitè possis, & valeas, indulgemus. Non obstantibus, &c. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur Dat. Rom &c.*

Iam per singulas clausulas singulæ sunt difficultates pro nostro more brevitèr explicandæ.

### *Tibi Diœcesis Panormitanæ.*

2. SI talis privilegiatus transferat domicilium in aliam Diœcesim, ex Panormitana v.g. eat ad Messanensem, non amittit Privilegium, sed ibi poterit illo vti *cap. Privilegium, de reg. Iuris, in 6. l. Privilegia quædam, l. in omnibus ff. de reg. Iuris.* Diana *p. 4. tract. 4. res. 208.* Novario, & Megal. faverque Salas *de leg. d. 20. sect. 19. n. 123.* & Sanctar. *Var. resol. p. 1. q. 63.* Ratio est quia hoc privilegium est personale, quod personam sequitur, nec est affixum loco: & illud *Diœcesis talis*, non apponitur restrictivè, seu taxativè, sed solum demonstrativè in hunc sensum: *Tibi qui nunc es Diœcesis talis.* Vide tamen id, quod paulo post monebimus *n.* 7.

### *Qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis.*

3. Tribus dictis hæc clausula declarabitur. Dico primò, sufficere esse nobilem ex parte Patris, nec sufficere talem esse solum ex parte Matris. Ratio est, quia vera, & absoluta Nobilitas, quæ hic requiritur, ut mox *n.* 5. dicemus ex Patre, non vero ex sola Matre deducitur. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matr. d.* 19. *n.* 6.

4. Dico secundò, illum hic conseri nobilem, qui per aliquot generationes artem mechanicem non exercuit. Quare ij qui ex Privilegio Principis, vel Senatorum assumuntur ad gradum nobilium, quique homines novi seu nobiles appellari possunt, hic excluduntur, quia concessio prædicta Oratorij non fit ei, qui est nobilis, sed ei, qui ex nobili genere procreatus existit.

5. Dico tertiò, non verificata hac clausula, corruere hoc Oratorij Privilegium. Ratio est ducenda ex communi doctrina *ibi. d. 21. num.* 17. dicente in ejusmodi Indultis, non verificata ea conditione, qua non existente, Privilegium omnino non concederetur, Indultum esse subreptitium, quia tunc illa conditio requiritur principaliter, estque veluti essentialis: at scimus omnes, ex stylo Curiæ, hoc Oratorij Privilegium nunquam à Pontifice concedi nisi Primatibus & Proceribus Civitatum.

### *Vt in privato domus tuæ solitæ habitationis Oratorio.*

6. Quid si transferas domum, poterisne in domo nova, sive empta, sive locata Oratorium erigere.

Respondeo, posse quia iam hæc est domus tuæ solitæ habitationis, vbi enim quis habitat in maiore parte anni, domicilium habere, & consequenter absolutè habitare dicitur Ita idem *l. 5. de matrim. d. 23. n. 12.* Propter eandem immò maiorem rationem posses Oratorium semel ab Episcopo approbatum mutare in alium locum eiusdem domus.

7. Moneo tamen in vtroque casu, & in casu dicto *n.* 2. necesse esse, ut accedat Episcopus, seu eius Vicarius locum novum approbaturus, ut ex tenore privilegij constat.

### *An hoc decenter muro extructo, ornato, ab omnibus domesticis usibus libero.*

8. Debet ergo locus ita esse constructus, ut discernatur esse diversus ab aliis eiusdem domus locis ad usus profanos designatis, & ita ornatus pia aliqua imagine, ornamentisque Altaris instructus, ut sacer appareat. Non puto tamen necessarios esse quatuor muros cu ianua; cum satis videatur esse si sint tres muri Oratorium separatim efformantes, licet patente ad prospectum quarto, vice ianuæ. Ratio est, quia observavi in aliquibus eiusmodi Oratoriis etiam timoratorum hunc quartum parietem non adesse, sed ita in capite aulæ, vel magni cubiculi extructa, ut non claudantur ligneis foribus, quæ certè iis claudi esset decentius, sed integra tela amovibili ab uno ad alterum Oratorij latus extensa, & quidem non indecorè.

9. Per ea verba *ab vsibus domesticis libero*, non tolli censeo casum necessitatis. Quare sicuti necessitate occurrente permittitur ex Sà *v. Eccl. n.* 3. in Ecclesia, quæ est consecrata, vel benedicta, dormire, comedere, negotiari, ita & in dicto Oratorio, quod solum est ad tempus ad sacrum usum deputatum. Sanè Sanch. *l. 9. de matr. d.* 15. *n.* 12. concedit etiam copulam petere, & reddere uxoratis occurrente necessitate, ibidem ab ipso explicata, cur igitur non erit par ratio in Oratorio?

Illud à me quæsitum nuper fuit. An possit quis super Oratorij fornicem, seu tectum apponere lectum, & ibi per noctes dormire. Respondi, licet reverentiæ magis congrueret, si id non fieret, maximè ab uxoratis, tamen me non invenire id esse in iure positivo prohibitum, imò nec ob dictam reverentiam prohibitum iure naturali, quia verè qui dormit supra fornicem, extra Ecclesiam dormit. Sic Sanchez *lib.* 1. *n.* 26. ex Glosia *c. unic. de consec. Eccl. in* 6. laudavi tamen aliquorum Religiosorum solertiam, qui licet dormirent in cubiculo extructo super Oratorium, lectulum nihilominus non apponebant directè correspondentem Altari, sed quanto distantius poterant ad latus.

10. Petes, An dictum Oratorium quamvis nunc ab usibus profanis liberum possit ad nutum domini nolentis Privilegio uti, ad eosdem redire.

Respondeo cum Sanch. *ibid. n.* 39. *cap. Si de terra, de Privilegiis* posse, quia ex una parte Privilegiis utimur, quando volumus: & ea alia hæc privata Oratoria ex se sunt loca prophana, licet ex licentia in iis celebretur, inde, nec gaudent immunitate Ecclesiastica: Sic idem Sanch. *ibid.* nec violantur per sanguinis, seminisve effusionnem, ut indigeant benedictone *ibid.* nec copula vel homicidium ibi habita sant sacrilegia, *ibid.*

Quod si latè Oratorium profanatum velit dominus iterum ad usum sacrum celebrandi remittere, nova approbatione, & deputatione Ordinarij indigebit, ut ex *n.* 7. colligi potest, & notat in simili Castrop. *de Bulla Cruciatæ, p. 6. n.* 3.

### *Per Ordinarium loci prius visitando & approbando.*

11. Nonnisi semel tantum erit dictum Oratorium & quidem gratis visitandum ut nimirum videatur an locus decens sit. Rursus eo visitato approbatóque non potest consequenter amplius visitari. Tertiò unde nec procuratio exigi. Quartò, nec impediri, ne ibi iuxta tenorem

privilegij

privilegij celebretur Ratio primi dicti est, quia illud *prius visitando*, unam tantum visitationem notat. Ratio secundi,& tertij est, quia ita colligitur ex *c. ult.de censibus*, docetque Sanchez *lib. 9. de matr. d. 15. n.39.* Ratio quarti est, quia Episcopus non habet potestatem, qua limitet concessiones sui Superioris, id est,Summi Pontificis Barbosa in Conc. Trid.*sess.22.decr.de observ.n.19.* refert id esse decisum.

12. Nomine autem Ordinarij hic intelligi Ordinarium loci,hoc est,eum sub cuius iurisdictione comprehenditur locus,ubi constituendum est Oratorium,patet ex illo *loc.* Cum igitur nomine Ordinarij veniat Vicarius Generalis, tum Episcopi viventis,ex Sanchez *lib. 5. de matrim. d. 29.n.* 3.tum Capituli Sede vacante,*ibid.n.5.* etiam huic competet prædicta approbatio.

13. Rursus, quia Ordinarius potest ea, quæ sunt suæ iuridisdictionis Ordinariæ ( qualis est hæc ex eodem *ibid. d. 7. n.*20.quia ipsi committitur sub nomine Dignitatis, & non sub nomine proprio)alteri delegare,poterit & hanc. Ita idem *ibid.* 31. *n.*1.

*An de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura*

14. HAnc clausulam non omnibus huiusmodi concessionibus invenio : ubi autem ponitur, Nota illud *ipsius.* Significat enim debere esse licentiam Ordinarij paulo ante memorati, hoc est loci, non verò alterius cuiuscumque.

Est autem ita necessaria hæc licentia,ut sine illa invalida sit Oratorij constitutio,quia Concessio hæc Summi Pontificis nihil operabitur, nisi accedente Ordinarij licentia, quam intervenire omnino Pontifex vult: si ergo non adest, non suffragabitur Papæ concessio.

15. Quod si, idoneo existente,& bene ornato Oratorio, Ordinarius nolit malitiosè licentiam concedere,poterit cogi, ut concedat : Ita Castrop. *in Bull. Cruc.6. in simili.* Si autem non sit,qui eum cogere possit, probabile esse docent aliqui cum Bud.à Cruce *in Bull. Cruc.d.1.c.5. d.1.n* 4.*&* 5. Diana *p.5.tr.*20 *res.*17. quod possit ibi celebrari,quia licentia justè petita & injustè negata quando nihil obstat in contrarium,(ut certè nihil obstare videtur in hoc casu,in quo adest tam expressa Concessio Pontificis)præsumitur in ipso iure ab eodem Pontifice concessa

16. Sed quid importat illud, *Eius arbitrio*

Respondeo.Sanchez *in Consi. T. lib.7. c. 1. dub.55.n.7.* docet, quod hæc verba,Si *arbitratus fuerit*,important arbitrium boni viri. Abitrium autem boni viri in eo differt *ibid.n 5* à libera voluntate, quod dum aliquid relinquitur liberæ voluntati alicuius, ille ad nil tenetur, nec indiget causa, & stabitur declarationi suæ, sive iustæ, sive injustæ, sive dignæ, sive indignæ, quando vero fit commissio per verba importãtia arbitrium boni viri,exigitur arbitrium regulatione commensuratum, & sic exigitur causa:quia id dicitur arbitrium boni viri,quod bonus vir arbitraretur, *l.vir bonus ff. iudic. solvi.* Hæc ex Sanch. ex quibus fit, quod Ordinarius non possit merè ad suum velle,sed solùm iusta & rationabili causa exposcente, datam hanc licentiam revocare. Hæc autem causa existente, poterit non solum ex vi dictæ clausulæ *eius arbitrio duratura*, sed etiam universaliter ex eo quod potest Episcopus suspendere, vel inhibere etiam Religiosos exemptos,ne in dictis Oratoriis celebrent quando fortè sciret sine debito decore ibidem celebrari. Et ratio est, quia providere quæcumque in sua Diœcesi ad divinum cultum spectant,pertinet ex Trident.*sess.21.c.8.de reform. & sess.22.c.9.in Decreto de observ. in celeb. Miss. & c. 8. de reform.* ad Episcopum.

17. Mortuo eo, cui concessum est hoc Privilegium Oratorij, perit concessio, quia privilegium est, ut supra dixi, personale personam sequens, quod, quia si attente perpẽdatur,non habet ullam clausulam quæ significet perpetuitatem, post dicti privilegiatij mortem omnino desinere,seu finiri necesse est.Ita fusè post hæc scripta Diana *part.9.tr.1. resol.17. contra Pellizzar.* Mortuo autem Summo Pontifice, vel Ordinario, Oratorium semel approbavit, non perit Oratorij concessio, gratia facta, quæ ex Sanchez *lib.8. de matr. d.* non amittitur mortuo, vel amoto ab officio concessit.

18. Dices:licentiæ concessæ ad beneplacitum mortuo concedente, quia post mortem nullum placitum, nec beneplacitum, unde, quia cessat sub qua fuit gratia facta, cessabit & gratia. Si *eius arbitrio* significat, ut *num.*16.diximus,beneplacitum Episcopi,eo pereunte, cessabit eius placitum,& consequenter licentia.

Respondeo,quod gratia facta sub illa forma. *placitum meum*, spiret morte concedentis, quidem est propter rationem dictam:at est etiam bile cum Castrop. *tom.1.tr.3.disp.4.p.16.§.4.n.4.* rare, sed prorogari post mortem, quousque successore. Ratio est quia dum non est revocata, censetur perseverare eadem voluntas,& idem placitum,qui concessit. Quare non improbabiliter esse,ait Castro. *ibid. n.5.* concedi gratiam sub his *donec revocavero*, ac concedi sub his *ad beneplacitum meum :* & sicuti omnes concedunt gratiam *donec vero*,non spirare morte contradicentis, nisi à revocetur, ita concedere omnes debere, nec spirare tiam ad *beneplacitum meum* ; atque adeo non solùm certotem approbatum ad audiendas confessiones, Episcopus revocaverit, posse audire confessiones Episcopi mortem,nondum à successore revocatam, sed etiam approbatum ad eiusdem Episcopi beneplacitum. Pari igitur modo erit in casu nostro: Multo magis quia in nostro casu ex contextu Brevis,ex fine concessionis,ex ipso usu,& praxi apparet unam tantum licentiam semel requiri, nec etiam timoratos unquam, mortuo Episcopo, iterum licentiam à novo Ordinario esse cendam iudicavisse.

*Vnam Missam pro vnoquoque die.*

19. Si quis alterum in dicto Oratorio celebrare celebrare faceret, mortaliter delinqueret. Ratio est, id esset sacrum celebrare in loco inepto, quod esse mortale *supra cap.4.§.1.num.*2.diximus.Neque obstat limitata concessa pro una Missa, quia pro altera concessio est, ac proinde pro hac, & sequentibus petenda est, nulla præcesserit concessio:siquidem causa limitata, nunc est voluntas Pontificis,non nisi effectum limitare, producere potest.

Quid amplius quo ad hoc concedatur per Bull. Cruciatæ, dicam mox *à n.* 37.

*Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, qua duret alteri concessa non fuerit.*

20. Si sint in domo ampla duæ familiæ, quarum uterque Dominus obtinuisset privilegium Oratorij, qui posterius impetrasset,impetrasset,nulliter,ex vi Clausulæ.

21. Sed quid, si quilibet ex his duobus Dominis haberet proprium Oratorium in sua habitatione separatum, Italicè *appartado*,ejusdem domus? Respondeo nulliter impetrasse, quia Clausula non vetat solum, sit in eodem Oratorio duplex licentia, sed ne sit in eodem domo : at prædicta domus, quamvis ampla, domus est.

22. Vnam exceptionem, seu declarationem hic necterem remittens me aliorum saniori consilio. Si domus esset tam ampla, ut familiæ ita in situ habitarent, ut eiusmodi situs moraliter iudicarentur diversæ domus, ( quales essent, si singulæ habitationes haberent suas ianuas, suaque atria, & similia,quarum utraque non veniret in unam amplam ianuam quæ exitum,vel in unum commune atrium) putarem dictam Clausulam non obstare posteriori nunc impetranti quo nunc secunda concessio non est pro eadem moralitate domo. Certè si duæ familiæ habitarent Romæ in

Palatio Vaticano, altera ab altera distinctis in locis, non nihil viderentur esse judicandæ habitare in eadem domo: quod igitur ibi evenit propter amplitudinem Palatij, alibi etiam potest evenire, ubi ea esset amplitudo, ut difficere ad distinguendas duas domos prudens vir sine loco, & fallacia judicaret.

*Per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sacularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem.*

23. Quidam putavit ex vi hujus Clausulæ tum Sæcularem Sacerdotem, tum Regularem à suis respectivè Superioribus licentiam, seu approbationem particularem debere obtinere, ut in prædicto Oratorio celebrare posset. Sed nihil minus profectò, quia passim etiam timorati sine ulla nova facultate, solum ex universali approbatione celebrandi, quam habent, celebrant in diversis oratoriis. Ratio, præter praxim, quæ est fida legum interpres, potest esse, quia lex obligatoria debet semper interpretari in mitiorem partem, ne gravet Fideles plus quam par est: cum igitur verba hujus Clausulæ commodè declarari possint de approbatione generali, non sunt ad specialem restringenda. Recte item Cespedes *in tract. de except. Reg. c.* 16. *d.* 105. *n.* 1. notat nec requiri licentiam Parochi, nullibi enim id cautum est: solum Parocho sua jura illibata servanda sunt, de quibus mox *n. sequenti.*

Si positivè à superiore legitimè quis inhibeatur, tunc debet obedire ne sit dubium, multo magis in casu supradicto. *n.* 17. *fine.*

*Sine tamen quorumcumque Iurium Parochialium præjudicio.*

24. Dixi supra *cap.* 4. §. 3. *num.* 12. illud *sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis*: in concessione data Mendicantibus celebrandi in quocumque decenti loco, declaratum fuisse à Sixto V. ut prædicti non exigerent Decimas, primitias, seu Oblationes, quæ de jure debentur Parocho ex eo, quod Sacramenta ministret. Idem ergo ob paritatem rationis, eadem hic appositа clausula significabit.

25. Addunt aliqui cum Pellizz. *in man Reg. t.* 2. *tr.* 8. *cap.* 1. *sec.* 2. *subsect.* 2. *quæst.* 147. propter illud in nostra hac clausula additum (quorumcumque) non posse exerceri in Oratorio privato ullum munus Parochiale, v. g. non posse ministrari Sacramenta, dari pacem, denuntiari festa, jejunia, matrimonia, & similia ad Parochum pertinentia. Placet hæc doctrina. Solum adverto ex facilima ipsius Parochi præsumpta facultate, non condemnandum Sacerdotem, qui congregatis in Oratorio privato denuntiaret festa vel jejunia forte in hebdomada occurrentia. Similiter video non adesse scrupulum etiam timoratis Sacerdotibus ministrare in eodem Oratorio toti familiæ Sacramentum Pœnitentiæ, ubi particularis contra hoc constitutio legitima non urget. De ministranda Eucharistia quoad Religiosos ex suis privilegiis, dixi universaliter per occasionem *in secundo Opusculo de exped. comm. c.* 4 §. 4. *n.* 51. ut item quo ad Sacerdotes sæculares ex Parochi licentia, quia facile extra Pascha præsumi potest. *ibid n.* 44 dixi.

26. Unum considerandum tibi offero, benigne lector; nam præscindendo à dictis privilegiis, præsumpeaque licentia cui eo ipso quod Pontifex in Brevi de Oratorio concedit familiæ audire ibidem Missam, præcipoque diei festivi satisfacere, cur inquam non possimus dicere, quod concedat etiam eidem familiæ sumere ibidem Eucharistiam? Cum enim Communio coetum, qui Missæ intersunt, pertineat ad idem Sacrificium, unde olim semper communicabant qui Missæ intererant; videtur, quod concessa Missa, concedatur iisdem & Communio.

Quid possit fieri quo ad dictam Eucharistiæ receptionem in privato Oratorio per Bullam Cruciatæ, dicam *mox n.* 4.

*Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis.*

27. Quinam dies festi excipiantur, dum excipiuntur solemniores, explicuit Decretum Sacræ Rituum Congregationis *Nov.* 1607. apud Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 10. §. *Sciendum quoque*: quo declaravit magis Decretum Concilij Agathensis *cap.* 21. *de consec. dist.* 1. *Si quis*, excipi nimirum diem Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis & Assumptionis Beatissimæ Virginis, Festum SS. Petri & Pauli, & Festum omnium Sanctorum. P. Franciscus Bardi nostræ Societatis utriusque Theologiæ Moralis, & Scholasticæ peritissimus ait *in explicat. Bullæ Cruc. p.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *sect* 2. *num.* 17. quod solent addi festa Patronorum principalium locorum, qui nisi agat de re forte solita ob devotionem, non video unde possit dici esse rem solitam ex obligatione: nam ideo Gavantus solum dixit Ordinarios optare, ut talia festa Patronorum addantur, non verò dixit esse addita.

Adverte insuper ex eodem Gavant. *ibid.* nomine Paschatis, & Pentecostes diem primam dumtaxat intelligi, non vero duas ferias sequentes, nec diem infra Octavam, quia solemnitas, ob quam excluduntur prædicta festa, solum est in primo die.

*In tua, & familiæ tuæ præsentia celebrari facere.*

28. Nomine Familiæ hîc venire docet Diana *part.* 4. *tr.* 4. *res.* 108. Maritum, & uxorem, filios, & filias, ac etiam Nurum (adde propter paritatem rationis, & Generum) habitantes in eadem domo, & commensales, sicut & omnes servos, & servas commensales qui in ministerio ejusdem familiæ sunt. Id quidem merito docet, hi enim omnes de familia dicuntur Domini.

Hinc bene infert Pellizzarius *l. cit q.* 22. Hortulanum colentem hortum domini, & habitantem in eadem domo viventemque ex salario ejusdem domini, unum esse ex familia.

29. Sed quid de factore, qui vivit quidem de salario domini, sed dormit, seu habitat in sua propria domo? Adhuc esse de familia idem docet, probatque ex doctrina Suarij *tom.* 4. *de Rel. tr.* 10 *l.* 9. *c.* 4 *n.* 15. docentis nomine Familiaritatis petiæ ad usum privilegiorum competentium Familiaribus Regularium, venire etiam Familiaritatem œconomicam, quæ non requirit commensalitatem, nec habitationem sub eodem tecto, solum vivere ex salario ipsorum. Idem ergo erit in casu nostro.

30. Quod si urgeas, sic etiam Capellanus domini, qui in propria domo vivit, & non in domo dicti domini, sed solum habet salarium ad celebrandas pro ipso Missas, esset de Familia ejusdem; Respondet *ibid.* ita esse. Sed certe est distinguendum; nam si talis Sacerdos sit domino ita addictus, ut semper, vel frequenter in celebranda, sive domi, sive præsente eodem domino alibi, Missa, illi inserviat, puto posse dici de Familia: At si sit Capellanus quidem domini, à quo pro Missis salarium habeat, sed cum libertate celebrandi, sive in Ecclesia determinata, sive ubi libuerit non puto posse dici de familia, quia hoc modo non est Capellanus familiaris, sed externus; & ut talis, posset habitare in alia Civitate ab ea pro domino dictas Missas ex ipsius salario celebrare, quando cum appellare familiarem domini nimis durum esset.

Quid de filiis, & eorum uxoribus, filiabus, & eorum viris, si forte habitent in domo moraliter eadem, sed quilibet cum suis servis & sub sua mensa, idest, domestici ejusdem patris familias sed non commensales, dicentur ne de familia? Respondeo, idem Pellizzarius *ibidem* docet dici posse de familia saltem large, atque adeo eos cum iisdem servis posse uti hoc indulto Oratorij concesso Patri. Ratio est quia hoc privilegium est Principis sine ullius præjudicio, atque adeo ampliandū, etiam ad familiam large sumptam. Dixi (si habitent in

eadem

eadem domo) si enim habitent in alia, nec proprie, nec improprie sunt de familia.

An sicuti concedimus omnes, dominum solum sine familia posse sibi celebrari facere, ita concedendum sit posse quemlibet ex familiaribus, sine præsentia domini, dicam *n.* 40.

*Nec non in Hospitum tuorum Nobilium præsentia.*

32. Hanc clausulam in omnibus ejusmodi Brevibus non lego, Vbi igitur adest, conceditur privilegium audiendi Missam, & satisfaciendi præcepto diei festivi, tum ipsi hospiti, tum ejus famulis ipsum forte comitantibus, idque ob regulam connexorum, & ob extensionem privilegij favorabilis: non enim esset amplus favor, si dominus ob audiendam Missam à famulis esse deserendus. Nobilis, inquam, nec necessariò, ex genere nobili procreatus, ut ex supradictis *n.* 5. colligi potest.

33. Extendit idem privilegium Pellizzarius, *ibid. q.* 13. ad hospitem unius dici, hoc est, ad nobilem, qui ad prandium invitaretur pro uno solo die, quia adhuc hospes est censendus in materia hac favorabili. Immo id affirmat etiam si de industria talis vir nobilis invitaretur ad prandium ad finem ut frui tali Privilegio posset, quia hæc non esset fraus, sed solum reddere habilem illum hospitem ad fruendum indulto, sicuti habilis redditur ad comedendas carnes is, qui exiens à loco, ubi est jejunium de præcepto, se confert ad locum, ubi tale præceptum non adest.

*Volumus autem, quod familiares servitiis tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festivis de præcepto minime liberi censeantur.*

43. Alij ergo non satisfaciunt, quia clare excluduntur à Pontifice. Quare non est excipiendus Homobonus *de exam. Ec. quæsit.* 14. *tr.* 8. *c.* 5. *p.* 2. contrarium sentiens, ductus ea ratione, quod jam est consuetudo audiendi Missam extra Parochiam, unde nec ab Episcopo possint Fideles nunc cogi ad illam audiendam in Parochia: non est, inquam, excipiendus, quia nunquam introducta est consuetudo audiendi Missam in loco à Summo Pontifice prohibito.

35. Scio etiam Pellizzarium *tom.* 2. *Man. Reg. tr.* 8. *c.* 2. *sec.* 2. *subsec.* 2. *q.* 14 contra me sentire, & afferre authoritatem Castropalai *tr.* 12. *de Euchar. Sacrificio, d. unica pag.* 16. *num* 13. in simili, & insuper docere prohibitionem hujus Brevis ibi positam. *Volumus ut ab obligatione, audiendi Missam minime liberi censeantur*, ponit ex stylo curiæ, quia fortasse alicubi non est abrogatus ritus antiquus, quo Missa in propria Parochia audienda erat: at in nostris Regionibus ubi jam ille ritus est abrogatus, hanc clausulam perinde se habere, ac si non fuisset apposita.

36. Sed certe in ejus sententiam pedibus ire non possum, quia magnam mihi vim facit dicta prohibitio tam expressa, & absoluta Pontificis; Quare puto quod ipse dum dicit *Volumus &c.* satis clarè præcipiat, ut qui non est ex privilegiatis, satisfacere obligetur in Ecclesia, & non alibi. Usus ergo audiendi Missam in Parochia quomodocumque abrogatus induci hic minime potest pro sententia nobis contraria, quia excludens Pontifex Oratorium privatum à loco apto ad satisfaciendum præcepto, consequenter inducit præceptum audiendi Missam non quidem in Parochia, cum id sit abrogatum, sed inducit præceptum audiendi in loco publico, qui non sit Oratorium illud, quod Pontifex excluſum omnino vult. Fac esse usum jejunare die Dominico, incidente eo die vigilia de præcepto; velle tamen nunc Summum Pontificem eum usum de medio tollere & præcipere, ut in eo casu jejunetur in Sabbato. Si sic præciperet. *Volumus ut per jejunium die Dominico factum non satisfaciat præcepto jejunij, sed sit obligatio jejunandi in Sabbato*: inquiro, qui jejunaret die Dominico satisfaceretne præcepto? enim vero non satisfaceret, quia eo ipso quod Pontifex excludit illum diem, reddit illum ineptum ad satisfactionem præcepti, addicit enim præceptum ad alterum diem: Pari igitur modo dum adit Oratorium, reddit illum ineptum pro satisfactione præcepti de audienda Missa, addicit enim illud ad alterum locum, & consequenter remanet in Fideli obligatio audiendi.

*De Privilegio* Bullæ Cruciatæ *circa privata Oratoria privata.*

37. DUbitabit hîc merito aliquis cum in tenuissima cessionis Oratorij privati caveatur ne plures una Missa ibidem celebretur in feriis; in Festis solemnioribus ne una quidem, possúntne ab his Bullam Cruciatæ sine talibus restrictionibus plures celebrari? Respondeo posse tum in proprio in alieno quantumcumque privato Oratorio, Bardi *in explicat. Bullæ Cruc. p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 6. *fol.* & 23. Fayent. Rodriq. *in addit. ad* §. 5. *num.* 4. Lede *in expos. Bullæ d. p. cap.* 5. *d.* 1. *num.* 3. Ægid. *in exp. Bull. lib.* 1. §. 3. *num.* 4. Ratio est, quia in Bulla Cruciatæ concedit absolute, & nulla exceptione, ut in privato Oratorio rite approbato tur etiam tempore interdicti. Ex qua forma ducuntur duo argumenta. Primum notando quæ particula, si perpendantur ea quæ de ejus docet Barbosa *dist.* 95. *in Impr. Romana* (lege *tract. de Bulla Cruc. disp. unic. p.* 6. *à num.* 1. noch. Zabarellam, Decium facit hunc sensum solum conceditur ut possit celebrari in oratorio indifferenter, atque adeo in feriis, & festis quibus quod est minus, sed etiam in tempore Interdicti est majus. Secundum, quia si Pontifex per Bullam concedit absolute, & sine ulla temporis, vel, non ferentia, non possumus nos, posita Oratorij approbatione, id restringere: nam licet in dicti Oratorij approbatione restrictio apponatur, tollitur tamen per tem absolutam, nec ulla limitatione restringitur sam in Bulla. Exemplum est de Parocho, ex Ta *ibidem*; is enim quamvis ex vi suæ approbationis possit suas oves absolvere, at supposita hac sua approbatione, si ab habente Bullam eligatur alienas, non ex vi suæ approbationis, sed hac ex vi concessionis per Bullam. Ita in oratorio approbato, ex vi talis limitatæ approbationis, est nisi limitate celebrari? at, hac posita, Pontifex Bullam illimitate concedit.

38. Concedit ergo Bulla posse in dicto, quamlibet mitato Oratorio. Primò celebrari, in dictis solemnibus festis. Secundò, posse plures & plures Missas in festis celebrari, & in quibuscumque diebus. Tertiò cipi posse ibidem Eucharistiam omnibus diebus diem Paschæ, hoc est, præter unam communem tempore Paschali in parochia exhibendam: Quæ ibidem satisfieri posse præcepto de audiendo Sacro hæc omnia posse & eum, qui habet Bullam, & familiares, ac domesticos, & consanguineos habentis Bullam quæ omnia patent ex tenore Bullæ, & spatium comprehendunt doctores citati.

39. Et in hoc ultimo notes pervelim illud, *familiares domesticos consanguineos*, cum in Brevi Oratorio habeatur, *in Tua & familia tua, & hospitis nobilis* sentia. Consanguineos ergo, & Domesticos si comprehendit præter Familiares: Bulla ecquosnam comprehendit? Nomine consanguineorum comprehendi cognationem habentis Bullam, id est, tam descendentes & ascendentes quam collaterales usque ad quartum dum, quia omnes dicuntur consanguinei; meritò Castrop. *de Bull. Cruc. p.* 6. *num.* 8. Lezana *tom.* 3. *cruciatæ, n* 14. Rodriq. *in exp. Bull.* § 5. *n.* 5. Lud. à Cruce *in exp. Bullæ, d.* 1. *cap.* 5. *d.* 8. Nomine autem Domesticorum comprehendi puto omnes de quibus dixi *num.* 31. quorum quidem alicui ibi large, seu reductivè venunt nomine Familiarium, hic clarè; & expresse sunt, & cantur domestici, hoc est in eadem domo viventes; nique familiares iidem sunt qui nomine Familiæ runt supra *à n.* 28.

Ex quibus collige Maritum respectu uxoris, & uxorem respectu viri, ut etiam privignum respectu vitrici, & hunc respectu illius, licet comprehendantur sub nomine familiarium, & Domesticorum, sunt enim hi maximè de Familia Domini, non venire tamen ex Castr. *lib.* 2. sub nomine Consanguineorum, quia tales non sunt, sed affines: cæteros ergo remotiores affines, nisi fortè de familia inveniantur, excludimus ab hoc privilegio.

40. Quod si contingat casus, ut Dominus habens Bullam non interfit Sacro, poterúntne prædicti de Familia interesse, & satisfacere, imo etiam sibi celebrare facere in dicto Oratorio? Posse negant Rodriquez *ibid.* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. quia soli Domino, aliis autem nonnisi ratione Domini concessum est privilegiū. Concedit Ludov. à Cruce *loc. cit. n.* 5. cum quibusdam junioribus tacito nomine, quia sicuti Dominus potest sibi celebrare facere sine familia non obstante illud, *Et*, ibi, *in tua, & familiæ tuæ præsentia*: ita poterit familia sine Domino. Cujus ulterior ratio esse potest, quia cum bulla nō præscribat præsentiam Domini esse necessariam nec nos debemus præscribere, sed affirmare Pontificem voluisse concedere Familiaribus hoc indultum ratione Domini habentis bullam licet absentis. Utraque sententia est probabilis, & concedentem excipit etiam Castrop. *de Bulla Cruc. p.* 6. *n.* 9. citans Joannem Salas.

41. Advertē denique, quoties quis uti dicto Oratorio privato ad præmissa quæ sunt ex privilegio, voluerit; debere aliquas preces (sufficit etiam unum *Ave*) Deo porrigere, pro conservatione unionis Principum, eorumque victoria. Ratio est, quia sub hoc onere conceditur talis gratia à Pontifice, ut patet ex tenore Bullæ. Omissio autem erit venialis ex Bardi *in expos. Bull. p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *sect.* 5. §. 1. & 2. quia res est ex se levis, nec invalidat concessionem, quia tale onus imponitur sub illa particula, *dummodo*, quæ regulariter, modum, notat, non conditionem ex Barbosa *dict.* 80. *in edit. Rom.* & Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 33. *num.* 2. cujus quidem modi omissio, quando is modus adjicitur actui perfecto, (ut sit in casu nostro, prius enim à Pontifice conceditur perfectè privilegium prædictum, & deinde adjicitur. *Dummodo orent. &c.*) non vitiat, hoc est, non invalidat actum, seu concessionem.

### §. V. *De violatione Ecclesiæ, seu loci Sacrificij, ejusque Reconciliatione, remissivè.*

De tota hac re agam per occasionem *infra lib.* 3. *c.* 6. *n.* 3. ubi sermonem faciam de impedimento loci quoad faciendum Sacrum.

---

## CAPVT V.

## De Altari, ejusque ornatu.

Altare, quasi particularis locus est Sacrificij. De ipso igitur, ejusque ornamentis, hic congruè, disputandum breviter est.

### §. I *De Altari.*

Altare, sine quo sacrificare, peccatum est, sine duobo, mortale, duplex esse potest: Fixum, & Portatile, seu viaticum.

In Fixo, ut celebrari sine mortali liceat, saltem Tabula superior esse debet lapidea. Ita Coninch. *de Sacr. q.* 83. *art.* 3. *d.* 2. *n.* 238. Fagund. *præcept. Eccl. lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 1. & *passim*. Consecratur autem (ut & Portatile) vel ab Episcopo proprio, & Sede vacante, à viciniore, vel ab habente potestatem à Pontifice: Sic Gavant. *in Man. Epis. V. Altare, in addit. num.* 4. citans Rodriq. quæ tamen quamvis raro concedatur Sacerdoti Episcopo inferiori, concessam nihilominus vidisti, obiter, *supra cap.* 1. §. 2. *n.* 5.

2. Nota autem in Ecclesiis non consecratis quemlibet Presbyterum erigere, & destruere posse Altare non consecratum: Sic Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 27. *q.* 6. ex Sacr. Canon. Lezana *V. Altare, n.* 12. ex consuet. at in consecratis, nullum stabile (ut notat Barb. *l. mox citando, n.* 3. posse erigi, vel destrui Altare sine Episcopi consensu. Notat item Barbos. *de jure univers. lib.* 2. *c.* 7. *num.* 12. in Ecclesia non consecrata, non esse Altare) sanè fixum consecrandum, sine Summi Pontificis licentia.

3. Portatile, ex lapide unico consecrato, constare oportet. Sic idem citati, & *passim*: esto ligno undique circundari, ad facilorem conservationem, vel ad ornatum, possit: modo tamen lapis inclusus sit tantus, ut majorem partem Calicis, & Patenæ capiat, hoc est: ut super illum Calix, & Patena sustentari queant: quo casu supra lapidem, & non supra lignum curari debet, ut Calix, & Patena ex majori ipsorum parte collocetur: licet id non esse scrupulosè curandum, modo non sit periculum lapsus, rectè moneat Suarez *de Sacram. disp.* 81. *sect.* 5. §. *Dicendum ergo, sine.*

4. Usus talis aræ consecratæ, est, ut Calix, & Patena, sicuti dictum est, & etiam particulæ, si quæ sunt consecrandæ, non solùm sint super ipsam, tempore consecrationis, verum etiam, ut ibid. sint, usque ad Communionem Sacerdotis: cum enim, etiam & particulæ prædictæ pertineant ad Sacrificium, quod tunc peragitur, & super Aram, & usque ad perfectionem Sacrificij, coram Sacerdote, perstare, ritè debent, de qua re vide quæ dicam *infra lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 12.

5. Nota denique, quod in eo Altari, quo proprius Episcopus celebravit (*cantavit*, habet textus *cap. in Altari, de Consecr. dist.* 2.) eodem die, non licet celebrari ab alio inferiore Sacerdote sine licentia, saltem tacita, ejusdem: Ita Gavant. *in Man. Epis. V. Altare, n.* 28. videtur tamen hic Canon in desuetudinem abiisse, nam propterea standum esse consuetudini cujusque loci, rectè notat Lezana *C. Altare, num.* 13.

### *An ara ex duobus Lapidibus unitis construi, vel refici possit.*

6. Fabricavit quidam ex duobus Lapidibus insectis in duabus ligneis tabellis Aram, ita invicem colligatis, ut instar libri, clauderentur, & aperirentur. Dixi, nequaquam eo uti ad Sacrificium licuisse. Ita Vasq. *de Sacram. disp.* 23. *c.* 2. *n.* 16. Fagund. 1. *Eccl. præcept. lib.* 3. *c.* 122. *n.* 9. Ratio fuit, quia non fuisset unus Lapis, unam Christi personam significans. Adde quod fuisset contra omnium Ecclesiarum consuetudinem.

7. Quid, si pars lapidis non consecrati addatur seu inferatur parti Aræ consecratæ: Dico cum Delugo *de Sacr. disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 68. partem additam non fieri consecratam, quia pars addita non facit unum physicè continuum cum consecrata: Ara enim, ut modo dixi, debet constare ex uno & simplici Lapide, unam Christi personam significante. Quare, nisi pars consecrata tanta sit, ut sustentare Calicem, & Patenam possit, uti ea non licebit, prætextu quod modo dicto, fuerit refecta.

8. Scio, quod si assuatur frustum serici non benedicti, planetæ, v. g. benedictæ, tota planeta erit benedicta, idemque, si parum aquæ, vel olei infundatur immaquæ benedictam, vel oleum consecratum; at in casu nostro, quia requiritur dicta unitas physica, idem dicere non possumus.

### *An in Ara debeant condi Reliquiæ Sanctorum.*

9. In consecratione altaris solent recondi in ejus sigillo, sacræ Reliquiæ. Sigillum, seu, ut etiam vocant, Sepulchrum, hac in re est parvulus ille loculus in ipsa mensa, vel basi Altaris, seu Aræ, in qua includuntur Reliquiæ; nam propterea Sacerdos, in ipso Missæ introitu osculans Altare, dicit. *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt.* &c. Dubitatur ergo, an hoc quod fieri solet, ita soleat, ut deficientibus reliquiis, legitima non sit Altaris consecratio?

10. Dico

10. Dico, non requiri cum tanto rigore reliquias, Ita Vasq. *de Sacr. disp.* 233. *c.* 2. *n.* 17. Suar. *de Sacrif. disp.* 81. *sect.* 5. §. 3. *additur, fine.* Coninch. *de Sacr. q.* 83. *art.* 4. *d.* 2. *n.* 241. Ratio est, quia, ut expendit Coninch. *ibid.* non habemus clarum textum tantam necessitatem requirentem. Adde consuetudinem in contrarium rationabiliter eo fundatam, quod, non semper in promptu, pro tanta Altarium multitudine adsint sacræ reliquiæ, Sacerdos ergo cum dicit *Quorum reliquiæ hic sunt*, ideo dicit quia, de more, solent ibi adesse reliquiæ: sicuti dicit *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres*, etiam, solo uno præsente: quia scilicet de more multi solent adesse.

11. In defectu reliquiarum non posse includi particulam Sacræ Eucharistiæ, certum est ex Vasq. *l. c. n.* 18. quid quid dicat Ioan. Andreas, & Durandus apud Vasq. *ibid.*

*Quando amittat consecrationem Altare, ita ut, illo uti ad Sacrificium amplius non possimus.*

12. Si sit fixum, hoc est, consecratum, ut totum, & ut integrum Altare stabile, amittit consecrationem, vel per enormem fractionem, vel per solam amotionem à basi, cui est lapidea tabula affixa *cap. quod in dubiis*, & *cap. ligneis, de consecr. Eccles.* si sit portatile, seu mobile, hoc est consecratum, ut tabula lapidea separata à reliquo materiali Altari, tunc consecrationem amittit, quando ita frangitur, ut illi non valeat superponi Calix, & patena, saltem ex majori parte ipsorum. Ita Coninch. *loc. cit.* Delugo *de Euch. disp.* 2 *sect.* 2. *n.* 67. Ratio utriusque dicti est, quia in priore casu amittit formam, sub qua Altare consecratum fuit, (fuit enim consecratum ut stabile) in posteriore fit ineptum ad Sacrificium juxta supradicta *c.* 1. §. 5. *n.* 1. & *c.* 3. §. 3. *n.* 1. *in simili.*

13. Probabilissimum item puto cum Sà *V. Altare.* Suar. *de Sacram d.* 81. *sect.* 5. *parag. Tertio additur*, Aram non amittere consecrationem, si ea integra remanente, dissolvatur à ligno, cui forte inserta erat, quia lignum non apponitur lapidi, nisi vel ad ornamentum, vel frequentius, ad custodiam.

14. Nec item violabitur, si Aræ cornua, quæ sacro Chrismate in ejus consecratione inunguntur, etiam omnia frangantur, modo pars restans sufficiat ad sustentandum Calicem, & Patenam. Ita Delugo *d.* 20. *de Sacr. sec.* 2. *n* 75. Ratio est; quia per illam unctionem non cornua solum consecrantur, sed tota Ara; quare, si pars ad Sacrificium remanet, consecrata remanet.

15. Quid si frangatur Sigillum, & Reliquiæ amoveantur? Puto, non violari, apto interim remanente lapide ad Sacrificium. Ita Delug. *loc. cit.* Coninch *q.* 83. *de Sacr. art.* 3. *d.* 2. *n.* 240. Sà *V. Altare*, Castrop. *de Sacr. disp. unica p.* 9. *n.* 6. Cum enim nos modo *n.* 10. dixerimus, ejusmodi Sigillum, seu Reliquias non esse de necessaria forma, consequenter hîc dicimus, per talem amotionem, nequaquam violari. Hæc scripsi in prioribus Editionibus, sed invenio nunc contrarium fuisse declaratum à Sacra Congr. Rituum apud Barbos. *in sum. Decis. Apost. V. Celebrans n.* 2. quæ vult Aram subreptis Reliquiis, etiam si fracta non fuerit, debere iterum consecrari.

16. Sunt in domo nostra Professa Panormitana, & alibi, aliquæ Aræ portatiles, tam latæ, ut Altari octo vel novem palmorum superimpositæ, totam superiorem ejusmodi Altaris superficiem adæquent. Cum ergo hæ separatim ab Altari fixo consecratæ fuerint, ut omnes, qui tunc affuimus, vidimus, etiam si à dicto Altari removeantur, retinent consecrationem, quia vere Aræ portatiles sunt, licet non sine magno duorum, vel quatuor virorum conatu portari queant. Insuper, si frangantur, etiam in tres, quatuor, plures partes, dummodo hæ capiant patenam & Calicem, non amittent consecrationem, & consequenter poterimus iis in pluribus Ecclesiis uti ad celebrandum, sicuti in simili de cingulo diximus, *c.* 3. §. 3. *n.* 2.

§. II. *De Mappis.*

1. ALtare debet esse, ex rubricis Missalis, Mappis, seu Tobaliis, præter Corporale, superiori tabula coopertum. Vasquez *de Euch. d.* 220. *n.* 21. & Suarez *de Sacr. d.* 81. *sect.* 6. *parag. Dico* censent sufficere præter Corporale, duas: Præpositus *part. quæst.* 83. *dub.* 4. *n.* 668. iidemque notant posse unam duplicatam.

Imo idem Præpositus *ibid. fine*, citans eumdem Suarium, & Azor, ait, non esse improbabilem sentiendicentem, non peccari mortaliter ab eo, qui consecrat Mappa, præter ipsum corporale, Sacrum in mensa facit. Necessitas autem hæc erit propter parvitatem tionis mensuranda, sicuti in simili mensuravimus *c.* 3. §. 1. *n.* 4.

Ex qua materia eas fieri oportet, dicam mox §. 2. Ejusmodi Mappæ non necessario debent benedictæ, ex Suario *de Sacr. loc. cit.* & Layman. *lib. c.* 6. *n.* 11. *fine*, cujus tamen contrarium docet *disp.* 20. *de Euch. sec.* 2. *n.* 76. sed puto id ab ipso ri ex congruitate, nam cæterum *ibid. n.* 79. ipse docet, & nos *infra* dicimus, certum esse in sum non omnia quæ in Rubricis Missalis exigunferre obligationem gravem, nisi aliunde constet clesiæ præcepto; at non habemus unde cum gore ejusmodi benedictio Mapparum exigatur.

3. Immo, satis benigne, Layman. *dicto l.* n. 11. *fine* citans Azorium & Sà, affirmat, pos pam mundam profanam non benedictam adornandum altare, pro celebranda Missa, ubi benedicta, & finito Sacro, reddi ad usum priorem fanum. Ratio est, (inquit) quia de harum Mappenedictione nihil in jure sancitum est.

§. III. *De Corporali, Palla, Purificatorio.*

1. COrporale, ut & Palla, quæ est pars Corporis (olim enim, ut nunc etiam fit apud Orientales, cum parte Corporalis cooperiebant & in qua, si esset capax, posset consecrari; bene esse omnino debent. Ita Delugo *d.* 20. *de Euch. sect.* aliique. Nec serica sunt, vel alterius materiæ, sed tea (sic *idem* & *passim*) & quidem alba, nisi quod porale in extimis partibus, & Palla in parte superqua Calicem non tangit, ex quacunque pretiosa materia vel colore ornari potest. Sic Layman. *l.* 5. *Tr.* 3. *c.*

2. Purificatorium item, quo Calix tergitur, albe & ex lino esse oportet, non tamen necessario benctum ex Suario, *de Sacr. d.* 81. *sect.* 8. *parag. Quarto dum*, & Gavanto, *in Rubr. Miss. pag.* 2. *Tract.* 3. *n.* 3. *tera*, I. licet benedictum esse oportère doceat Layman *loc. cit. n.* 12. *parag. sexto.*

3. Quæsitum fuit, an Corporalia, Pallæ, Purificatoria (& eadem quæstio esse potest de amictu, Alba, & Mappis, quæ linea esse debent) legitime fieri, ex Cannabe, vel ex Gossipio, possint.

Posse ex Cannabe certum mihi est, cum Azor. *lib.* 10. *c.* 28. *q.* 8. citante Tabienam, & Armilli. Inquiunt telæ ex Cannabe censentur, in humana acceptione usu, lineæ; iis enim, ad sternendas mensas, & ad riores tunicas communiter utimur, ad quarum similidinem Mappas, Albas, & prædicta assumpsit Ecclesia.

4. Maius dubium est de Gossipio de quo tamen habet Azor. *loco citato, Plinius* (*lib.* 19. *cap.* 1.) *reffert Gossipio fieri lina xylina: quod si ex eo fiunt, linea vocit. hoc sufficit.* Ita Azor, & quidem probabiliter, loquendo Corporali, id quod propter paritatem rationis de aprædictis dici recte potest.

Confirmo proferendo verba Plinij *Superior pars Ægypti* (ait) *in Arabiam vergens gignit fruticem, ex quo Gossipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde fallaces lina. Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla fere ex candore, mollitieve præferenda.* Hæc Plinius, ubi nota

(*linea inde facta*) lina ergo ex gossipio contexta sufficiunt, cùm enim linum, Cannabe, & Gossipium specie physica inter se differant, non differunt in hominum acceptione usuque vestium.

Nota item obiter, ætate Plinij, in eâ tantum regione crevisse xylon, nunc passim in Sicilia, & Italia colitur, & vulgare est, vocaturque *Cottone*, *vel bambace*.

### §. IV. *De Lumine.*

1. LVmen requiritur. Ita Azor. Tol. Coninch. apud Bonac. *de Euch d.4.q.ult. p.9.n.31.* saltem unum, sed ex congruenti consuetudine curandum est esse saltem duo, vel saltem unum si duo haberi non possint, imò si extinguatur ante consecrationem sine spe reaccendendi, dicere, vel prosequi Missam, etiam si necessaria ad dandum Infirmo viaticum, nemini licet. Ita Fagund. 1. *Eccl. præcept. l.3. c.22.n.19.*

2. An verò necessario eiusmodi lumen ardere debeat, in candela cerea, dubitant Doctores, sed probabiliter tandem Vasq. *de Sacr. disp.233. c.4.n.25.* aliique apud Dian. *p.2.tr.14.resol.45.&67.* Delugo *disp.20 de Euch. sect.2. n.77.* consentiunt, citra scandalum, & in casu necessitatis posse in adipe, vel sævo, seu etiam in lucerna olei.

Gradum necessitatis distinctè non explicant cùm Layman. *lib.5.tr.5. c.6.n.7.fine*, sed præcipuo scandalo, cui facilè iri obviam potest, (si instruat Sacerdos astantes) potò satis superque esse illam, quam de carentia Sacerdotalium vestium minoris momenti sufficere, docuimus *supra c.3.§.1.c.4.*

3. Tertius cereus accendendus in consecratione non requiritur, cum tanto rigore. Ita Delugo *loc.n.79. fine*, quamvis enim Rubricæ Missalis illum exigant, non tamen omnia, ut modo § 2.*n.*2. innuimus, quæ in Rubricis ponuntur, nisi aliunde grave præceptum colligatur, obligant sub peccato.

### §. V. *De Missali.*

1. REquiritur & Missale. Sed qui memoriter scit ea, quæ dicenda sunt in Missa, idque sine notabili periculo errandi, non peccat, si sine illo celebret. Ita Delugo *ibid. num.*38 quidquid aliqui dicant; sicuti nec peccaret luscus, qui cæteras actiones exhibendas in Missa videt, nec tamen videt legere si vel memoriter legenda sciat, vel à Sacerdote adiuvetur. Ita idem *ibid.* Favet Suarez *de Sacr. disp.*8 *sect.6.§.4. requirunt*; *fine* qui sic habet. *Ac vero, ubi liber deest, & Sacerdos esset ita instructus, ut moraliter non dubitaret, se posse omnia integrè dicere sine libro; an inquam, esset tunc peccatum id facere, aliorum judicio relinquo: nam ego propter multorum authoritatem, licentiam dare non audeo, & aliunde sufficienter rationem peccati non invenio.* Hæc Suarez. Sed iam Delugo *loc. cit.* licentiam concedit, dum absolutè docet in eo casu non peccari.

2. Ad id, quod docemus, facit, de quo, multis ab hinc annis, Caltanisettæ in Patria mea; Patres aliqui ex nostra Societate disputarunt. Nemus est nomine, Miniarum, octo milliariis Italis à dicta Civitate distans, amœnissimis pratis undique circumseptum, & propter multitudinem incredibilem Damarum ibi impune pascentium, tota Sicilia clarum. Adsunt ibidem magnificæ ædes, ad habitandum, nec deest Sacra ædes ad celebrandum. Ad hæc igitur visenda convenerunt semel tres, vel quatuor Sacerdotes ex Collegio nostro, cui ego indignus, tunc præeram; & invenerunt ibi quidem totum instrumentum Sacrum, verum per iucuriam, nescio cuius, deerat Missale. Quid ergo, uni ex illis magis celebrandi cupido, faciendum? Audi remedium. Is, convocatis, sociis singulisque aliqua suggerentibus, scripsit integrè totum Canonem, & totam Missam de S. Maria in Sabbato illamque votivam (erat autem dies feriæ) sine periculo lapsus memoriæ, ex scripto, celebravit. Noluerunt cæteri scrupulosiores eo uti remedio, imò prolixam toto die disputationem cum ipso ne dicam contra ipsum, protenderunt, & cum domum redissent rem mihi, quasi illum Sacerdotem notantes, detulerunt. Sed certè eum vindicavi à calumnia, & ipsos potuisse sine scrupulo, eiusdem exemplum sequi; discrè propter dicta *in præced.* aliasque rationes, pronunciavi.

### §. VI. *De Cruce aliisque requisitis circa Altare.*

2. APponitur & Crux, sed non cum tanto rigore præcepti; imò ab aliquibus docetur, Crucem non esse in Altari statuendam, ubi servatur clausum in Tabernaculo Sanctissimum Christi Corpus: in quo enim loco adest, quamvis veluti sub cortina, ipse Dominus personaliter, alio signo ipsum repræsentante opus non est. Ita Suarez *de Sacr. disp.*8.1 *sect.*6.§.4. *addere*, aliique, contrarium sentit, & quidem probabiliter Gavantus, quia Rubrica Missalis in omni Missa requirit adhibendam esse Crucem. Sed profectò, quando est exposita super Altare Sacratissima Eucharistia, sit certum, necessaria nequaquam esse Crucem, quia ipse Dominus Crucifixus palam est.

2. Olim inter Curiosos Rubricarum contentio fuit, an observetur Rubrica, quæ Crucem in Altare, dum fit Sacrum, expostulat si adsit Crucis, vel Crucifixis effigies depicta in Tabula, vel pariete? Satis observari Rubricam affirmabant aliqui, quia iam adest Crux. Negabant alij, quia, præter illam Iconem depictam ad parietem, requirebant, juxta Rubricæ apicem, aliam Crucem, super Altare inter candelabra, & ob oculos Sacerdotis, tum ad orandum, tum ad incensandum.

Dico, utrosque sensisse probabiliter, sed à me contra Gavantum *in Rubric Miss. p.1 tract.*20. *lit. D.* audiri libentius affirmantes. Neque enim eiusmodi requisita adhiberi debent, sub ritu metaphysico, & penè dicam pharisaico; sed morali, & humano. Quis autem moraliter amplius Crucem requirat, si Crucem habeat in prospectu (licet non inter candelabra) ad quam, & orare & incensare, & quælibet circa illam officia, exhiberi possit?

3. Venio ad cætera requisita. Pallium; quo in anteriore fronte ornatur Altare, Pulvillus ad sustentandum Missale, Candelabra, Bursæ, intra quas servantur corporalia, Velum, quo operitur Calix, manutergium, & quæ alia sunt eiusmodi, aliquautulum remota à sacris actionibus benedictione ut sacro usui deserviant, nequaquam indigent: id quod, propter eandem rationem, de quibusdam vasis dicimus *c.1.§.6.n.6.*

Insuper, ex pari, imò maiori ratione quam Layman supra notavimus § 2.*n.*3. quando aliquod ex his prædictis præstò in Ecclesia non est, id ex profanis, sed congruenter mundis, mutuo accipi ad sacrum Missæ Ministerium poterit, & deinde usu priori fine scrupulo reddi.

Denique Sylvester merito docet, non esse simpliciter necessarium, quod ante Altare sit ornatum pannis, seu pallio, nam aliqui, inquit, non utuntur hoc pallio vel propter præstantiam lapidis, vel propter paupertatem. Adderem ego, ne tamen sit irreverenter deforme. Pari modo non esse sub mortali necessarium pulvinar, id est Cussiuum, Cereum, campanulam pro tempore quo elevatur Hostia, secluso contemptu, (& quando hæc haberi commodè nequeunt, ne sub veniali quidem) advertit Perficus *l.1. de offic. Sacerd. c.8. dub.8. n.77.*

## CAPVT VI.

### De tempore Sacrificij.

### §. I. *Quo die celebrari possit, ubi de Triduo hebdomadæ Sanctæ.*

1. QVocumque die Sacrificium Missæ offerri licitè posse, præter feriam sextam hebdomadæ Sanctæ

est Doctrina communis. Quamvis igitur consueta sit praxis, Sabbato Sancto, & die Iovis Sancti, abstinere Sacerdotes à Missa in signum mœroris ex Christi Domini passione concepti, tamen posset suas quisque celebrare Missas privatas etiam summo mane, etiam in templis publicis, nec solum in Oratoriis privatis. Ita Suar. Fagund. Delug. qui eos citat, sequiturque *d.20. de Euch. sec.1.n.18.* Ratio est, quia pro die Iovis nulla adest prohibitio, & pro Sabbato Sancto, si quæ fuit, iam abrogata usu etiam timoratorum fuit. Scio à Persicco *de off Sacerd. l.1.d.6.n.40.* afferri decretum sacræ Congregationis disponentis in Cœna Domini unam tantum esse Missam celebrandam: sed vel dispositio est de Missa solenni, vel certè de ea nondum constat authenticè.

2. Incipit autem talis Missa privata Sabbati Sancti, à *Kyrie eleison.* exclusis Prophetiis, & Litaniis, quæ solum in Missa solenni recitantur: & iis exclusis, obligabuntur fideles audire, si possunt, quando fortè dies Sabbati Sancti sit festivus ex præcepto. Sic Delugo *de Eucar.d.20. sect.1.n.21.* In quo casu tam Sabbato, quam die Iovis plures Missæ possent, non obstante mœrore Passionis Domini, in Ecclesiis offerri, quot scilicet ad satisfaciendum populo, moraliter necessariæ judicabuntur. Ita March. *de ord. tom.3.p.3. cap.8. fin.* Feria autem sexta, id nequaquam potest, quia Ecclesia prohibet eo die Missam celebrari: nec enim illa, quæ tunc celebratur, cum desit consecratio. Missa essentialiter est; unde, nec eadem Ecclesia obligat fideles ad audiendam Missam, si fortè in dictum diem incidat festum alias de præcepto, ut iam sacra Congregatio declaravit, apud Gavant *in Rub. Miss 4.t.9 n.24.*

3. Illud hic notandum, in die Iovis, & Sabbati Sancti, non posse fieri sacrum solemne in Ecclesiis seu Oratoriis Confraternitatum, nec fieri Sepulchrum cum asservatione Sanctissimæ Eucharistiæ, nisi de licentia Episcopi. Ratio huius rei ducitur apud March. *de ord. t.3.p.4.cap.8.num.6.* ex prohibitione sacræ rituum Congregationis. Hic Panormi videtur esse tacita aliqua licentia, vel consuetudo, passim enim die Iovis Sancti, eiusmodi sæcularium Societates in suis Oratoriis hæc peragunt.

## §. II. *An obligetur aliquando Sacerdos Missam celebrare.*

1. HVc, ubi agimus de tempore Sacrificij, dubitatio hæc reduci convenienter potest. Et obligari quidem sub mortali simplicem Sacerdotem (nam de beneficiatis, aliisque similibus, *mox*) saltem ter in anno, docent nonnulli, apud Dianam *p.2.tr.14.res.19.* & præcipuè in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste. Satis esse si, præciso scandalo, semel, hoc est, in Paschate, quod est obligatio communicandi, arbitrantur cum Sancto Bonaventura *in 4 d.12.art.3. quæst.21.* Nihilominus, cum aliis censeo, Sacerdotem, qui nunquam toto vitæ suæ tempore, sacrificat, dummodo in Paschate communicet, saltem mortaliter non peccaturum, ex eo præcise, quod non sacrificet. Sic Gabr. Sotus, Caëtan. Victoria aliique apud Fagund. *1. Eccl. præcept. lib.3. c.15.n.1.* Adde Delugo *de Eccl. disp.20. sect.1. num.2.* vide etiam Suar. *de Sacr. disput. 80. sect.1. paragraph. Hæc res.* & Marchin. *ordin.t.3. pag.2.cap.36.* Ratio est, quia non apparet præceptum cum tanto rigore obligans, ut latè habent citati Doctores.

### *Parochorum obligatio celebrandi.*

2. Quoad Parochum, certum est obligari vel per se vel per alium curare, ut quando ejus parochiani obligantur audire sacrum, celebretur Missa, quia ad hoc recipiunt stipendium, & tale munus acceptant. Ita Coninc. *de Sacr. q.83. art.2.d.1.num.202.* Conc. Trid. *sess.22. cap.12.* Extra id tempus, ablata legitimè consuetudine vel lege, vel pacto, non sunt obligandi Parochi ad sacrificandum, quia tale præceptum, in iure non adest. Ita Marchin. *de ordin tract.3.p.2.cap.30.num.1.* In Nomini, sicuti uni Missæ obligantur interesse Fideles, unam celebrare quantum est ex hoc capite, tenebitur rochus. Ita Fagund. *Eccl.præcept c.16.n.1.*

Denique, an idem teneatur applicare aliquam Missam pro suis ovibus, vide infra *l.2.c.1.§.16.*

### *Capellani, & Beneficiati obligatio celebrandi, tem*

3. Iam Capellaniam, vel Beneficium habens tum est obligari ad eas Missas eo tempore celebrandas quas iuxta Fundationem vel pactum debent: Sed materia, sparsim multa, *l.3.* differemus.

### *Obligatio celebrandi quoad Ecclesias Collegiatas.*

4. In Ecclesiis Collegiatis, Cathedralibus, Conventualibus, ubi competens est Sacerdotum numerus Primo quotidie, saltem, una Missa privata celebratur. Solet Secundo altera cantari, quæ dicitur Conventualis seu solennis.

Dico, Quamvis aliqui in Rectoribus ciusmodi Ecclesiarum, mortale peccatum agnoscant, si aliqui ex hoc deficiant. Ita March. *de ord tr.3 p.2.c.30 n.5.* Suar. & Fag. Coninch. *de Euch.q.83.art.2.d.1.num.* Laym. *l.5.t.5 c.4 n.5.* Tamen prob. bile est cum Vi. *in Summa, de Euch. n.94.* (præscindendo ab aliqua peculiari tali Ecclesiæ obligatione) Missam sive privatam sive solennem semel, vel bis omittere in hebdomada non esse saltem mortale. Ratio est quia nullus adstringendus sub culpa lethali, nisi manifeste constet de præcepto obligante: at non apparet tale præceptum, quod tantum onus susceptum fuerit à Collegiatis, quod collegiatæ sint. Ita March. *ibid.n.1.* Suar. *d.80. 7.c.15.* Mesatius apud Dianam *p.4 tr.3.res.58.*

5. Dices cum adversariis, omittere talem Missam. Primò scandalum, Secundò contra consuetudinem Ecclesiarum. Tertiò contra Cap. *cum creatura, de celebratione Missarum.*

Respondeo ad primum, non fore ad summum scandalum populi admirationem. Ad secundum, hanc non dari consuetudinem acceptatam sub mortali, quis de hac constat. Ad tertium, negò colligi præceptum grave, ex dicto capitulo 5 quod, hic exscriptum, iam profero.

*Cum creatura non habeat quid pro meritis referat Creatori &c.* & infra: *Mandamus, quatenus nullum torporem negligentia obrepere permittatis, quo minus & anniversariis defunctorum, & pro festo, vel feria, seu temporum congruentiam Missarum solemnia, convenienter, celebretis.* Hæc Canon. Vbi nota. Primo illud *damus*, quod ex aliquibus bonis Doctoribus non sit præceptum sub mortali. Ita Azor. *p.1.lib.5.c.6.q.5.* Sylvanus *V. lex, n.6.* expurgatus, *n.5.* Nota secundo illud *cundum temporum congruentiam*, & illud *Torporem*, quod solum notant moneri Prælatum, ut sine torpore, pigritia officij, & Missæ, iuxta Rubricas, non omittantur: non igitur novum præceptum.

Nota Tertio, aliquos Canonistas cum Abb. in *c. cum creatura, parag. Item nota*, immerito ex hoc textu colligere, semper in dictis Ecclesiis, etiam in festis, decendas necessario esse duas Missas, alteram *de festo* alteram *de festo* vel *feria occurenti*, ni dicantur, peccare mortaliter à Prælato? Immerito, inquam cum Filliuc. *t.1.tr.5.cap.4.num.104. fine.* Coninch. *de Euch. quæst. art 2.dub.1.num.204.* siquidem Canon solum contendit ut Anniversaria non omittantur, iuxta cuiuscunque Ecclesiæ obligationem, & in tali die Anniversarij, prout textu Missæ celebratæ *pro defunctis*, non negligatur. Missa *de festo*, vel *feria* juxta temporum congruentiam celebranda? Cæterum nequaquam præcipit, ut singulis diebus celebretur Missa defunctorum, incongruens enim esset, in Paschate v.g. defunctorum Missas celebrari.

Obligo

*Obligatio celebrandi Missam de feria privilegiata.*

6. Missam solemnem de feria privilegiata (quales duntaxat sunt omnes feriæ Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum) in prædictis Ecclesiis Collegiatis omitti non posse, sed occurrente etiam alio festo, canendam esse Nonam declaravit Sacra Congregatio apud Tambur. *de jur. Abb. dec. 5 quæsito* 10. *n.* 37. & March. *de ord. tr.* 3. *p.* 2. *c.* 30. *num.* 7. Quæritur ergo Primo, An si id non fiat, mortaliter peccetur a Rectoribus Ecclesiarum. Secundò, An ad id teneantur, Ecclesiæ Regularium choro addictorum.

Ad Primam quæstionem, Dico, non peccari mortaliter. Ratio est modo *n.* 4. dicta quia non manifestè constat de tam rigoroso præcepto.

Contra docet Verricelli, *tr.* 8. *q. mor.* 30. sed mihi ejus rationes efficaces nequaquam videntur.

7. At timenda est Primo dicta declaratio Sacræ Congregationis. Secundo Rubrica Missalis id disponens. Respondeo ad Primum. De tali declaratione non constat authentice. Ad Secundum. Rubrica has duas Missas, nempe *currentis Festi, & feriæ privilegiatæ*, injungens præceptum (ut alia interim taceam) non denotat, ait enim, *Canantur*, seu *dicuntur duæ Missæ*; Quæ, Non sunt verba imperativa. Immo etiam si diceret, *Cantentur*, non statim probaretur præceptum sub mortali, nam verba imperativa ex Castro. *tom.* 1. *de leg. de.* 1. *p.* 9. non semper præceptum grave important.

8. Ad Secundam quæstionem, negant aliqui cum Rod. *t.* 1. *q. Reg* 43. *art.* 12. Peyrin. *t.* 3. *in Add. c.* 1. *à n.* 19. Ecclesias Regularium dictas teneri, etiam si tenerentur aliæ Collegiatæ, quia putant horum Ecclesias non esse Collegiatas. Affirmant aliqui, cum Portel. *in Dub. Reg. V. Missa n.* 7. quia è contra censent verè Collegiatas esse. Utrumque probabile.

9. Ex eo autem, quod probabiliter ejusmodi Ecclesiæ Regularium non sint Collegiatæ sequitur nec teneri ad celebrandum quotidie, saltem, unam Missam privatam, quantum est ex hoc capite, neque ad Missam Conventualem. Ita Victoria *in Summa de Euch. n.* 49. Adde, & ea, quæ de Collegiatis in universum dicta sunt *n.* 3.

§. II. *Quando licet plures Missas eodem die, celebrare.*

1. APud antiquiores invenio casus omnino novem in quibus pluries, eodem die, celebrare fas est, lege Coninch. *d.* 83. *de Euch. art.* 1. *d.* 3. *n.* 213.

Primo in Natali Domini, & quidem ter, Valentiæ, die secundo Novembris, bis celebrant, ex indulto Pontificis. Ita Delugo *de Euch. d.* 20. *sec.* 1. *n.* 43. *fine.*

Secundo quando quis præest duabus Ecclesiis, & ni bis, in die sacrificet, sacro careret alterutra. Idem esset ex Fagund. 1. *Eccl. præcept. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 5. ubi rari sunt admodum Sacerdotes, ut in Anglia, Hibernia, & nonnullis partibus Germaniæ, & in Indiis adde, & Tunensi, & in tota Africa, & in regionibus quibuscunque infidelium, in simili necessitate Christianorum ibi fortè degentium) quilibet enim Sacerdos, quamvis non sit Parochus, poterit ibi requirente necessitate, pluries celebrare in die, etiam nulla petita licentia ab Episcopo, forte ibi, præsente vel vicino; quia ubi jus commune *d. c. consuluisti, de celebr. Miss.* facultatem concedit, ab alio expectanda nequaquam est.

Atque id intelligi etiam in diebus non festivis, si adsint, qui sacro velint interesse, rectè probat contra Nunnum Delugo *resp. mor. d.* 12.

Tertio, quando aliàs infirmus decederet sine viatico.

Quarto, quando facto sacro, supervenit Episcopus vel princeps volens etiam die non festivo, interesse sacro, nec sit alius, qui celebrare possit.

Quinto, si die festivo superveniat multitudo Peregrinorum celebrato jam sacro. Huc reducitur ille casus, quando in dedicatione Ecclesiæ, propter multitudinem populi, magna ejus pars, nisi quis, iterum celebraret, sine sacro remaneret.

Sexto, quando celebrata jam Missa, superveniret defunctus sepeliendus, in eo loco, ubi defuncti sine Missa sepeliri non solent.

Septimo; quando, eodem die, occurrunt duæ Missæ celebrandæ altera de festo, v. g. altera de feria privilegiata, & unus tantum adest Sacerdos.

Octavo, quando Missa esset necessaria, ad benedicendas nuptias.

Nono, quando aliqua alia necessitas judicio prudentis iteratam ejusdem Sacerdotis Missam exposceret.

2. Hi novem casus, ut dicebam, assignantur ab antiquis, qui tamen universi à Recentioribus, Coninch. *loc. cit.* Fagund. *loc. cit cap.* 16. Suar. *de Sacr. d.* 80 *sec.* 3. aliique Vasq. *de Sacr. d.* 232. *c.* 5. *n.* 50. merito, non admittuntur. Dico igitur solum tres primos casus esse approbandos. Ratio præcipua est, quia in aliis casibus nulla sufficiens necessitas apparet: Ille enim Episcopus, vel multitudo, vel sponsus, vel duplex Missa currens non afferunt obligationem ad Missam, quando hæc haberi non potest, vel debito modo celebrari non valet. Adde jam ipsam Ecclesiarum omnium consuetudinem, nunc ostendere, non nisi tres casus priores necessitatem, seu facultatem sufficientem ad plures Missas, afferre. Imo Vasquez *loc. cit.* solus duos primos casus approbans, non admittit tertium, quia non putat esse tantum necessitatem infirmo dare Viaticum, ut vincat præceptum de celebrando semel in die, sed, certe probabile etiam judico, quod vincat.

3. Porrò, duo sunt notanda. Primo hæc intelligenda esse, dummodo Sacerdos iterum celebraturus sit jejunus: Ita iidem, *& passim.* Doctores: quare debuit is non sumpsisse purificationem, & ablutionem, si iterum in prædictis casibus sacrificare velit.

Ex quo colligunt nonnulli, casum illum tertium de Infirmo aliàs sine viatico morituro, nisi quis iterum, eodem die, sacrificet esse casum metaphysicum. Nam si Sacerdos novit mortem imminentem infirmi, poterit, immo debebit reservare de sua Hostia, qua infirmum communicet, si aliunde alia hostia non suppetat: Ita *in nostro opusc. de Communione expedienda, c.* 6. §. 6. si verò non novit, jam sumet ablutionem solitam, & sic non erit jejunus, ut possit iterum celebrare. Solum igitur casus habebit locum, si fortè Sacerdos sciat infirmi necessitatem in illo temporis momento, accepto Calice, ante ablutionem; qui certè, ut dictum est, erit casus metaphysicus, & rarissimus.

Dico tamen, non ita esse, sunt enim duæ sententiæ, de quibus diximus *ibid. c.* 2. §. 8. *n.* 32. quarum altera docet, non licere non jejunum celebrare, ad dandum viaticum, & in hac sententia fateor casum esse metaphysicum. Altera docet licere, & tunc poterit Casus facilè contingere: cognita enim moribundi necessitate etiam post ablutionem assumptam poterit Sacerdos, secundum hanc opinionem, quæ certè probabilis est, iterum celebrare.

4. Secundo notandum est sicuti bis celebrare in prædictis necessitatibus id indulgetur, ita pluries; si sufficiens, ad plures Missas, necessitas adsit. Ita Coninch. *de Eucharist. q.* 83. *artic.* 2. *dub.* 3. *num.* 214. *fine.* Ratio est, quia si necessitas dat facultatem ad secundam, cur non tertiam, & sic deinceps?

5. Fagundez, 1. *Ecc. præcep. lib.* 3. *c.* 16. *num.* 5. contra hanc Doctrinam sic habet: *Sacerdos bis, requirente necessitate, celebrare in die poterit non pluries, quia Ius in cap. Consuluisti, de Celebratione Missarum solum bis in die concedit, in necessitate celebrare jejunis.* Hæc Fagundez qui, certè nescio, unde pro se potuit talem textum afferre. Ecce integrum Capitulum, quod est Innocentij III. *c. Consuluisti*, & infra. *Respondemus, quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Hæc, & nihil præterea textus.

6. Petes. In nocte Natalis, potestne Sacerdos, semel communicare extra Missam, & deinde celebrare alias

duas, vel contra? Respondeo, non posse. Ita Delugo *de Euchar. d.20. sect.1.num.43.* quia privilegium est solum de ter celebrando, non verò de communicando. Hinc infert Delugo *ibid.* Cardinalem Diaconum Sacerdotem, qui ut moris est, communicat prædicta nocte in Missa Pontificia, non posse, deinde, appetente die celebrare

## §. IV. *Qua hora celebrari possit.*

1. HOra celebrandi est ab Aurora ad meridiem. Ita Pius V. *in Rubr. Miss.* Porro, cum uterque hic terminus suas proprias difficultates habeat, de eis sigillatim disseremus.

### *Quoad Auroram.*

2. Communis doctrina est nomine Auroræ hic, ubi ex Sacra Congr. apud Gavant. *in rubr. Miss. p.1. tract.15. n.1. litt.Y.* non physice, sed moraliter res perpendenda est, intelligi horam cum dimidia ante ortum Solis in nostro Hemisphærio: hoc est, horam cum dimidia, antequam ipsum Corpus solare nostris oculis appareat.

Et quia, ex probabili opinione, satis est, si Missa absolvatur in Aurora, ideo probabile fit quod possit incipere duabus, plus minus, horis, ante prædictum Solis ortum, nam sic eius finis cadet circa initium Auroræ. Sic Suar. aliique apud Delugo *d.20. de Euch. sect. 1.n.52.* ubi reiicitur Vasq. contrarium sentiens.

3. Excipe diem Natalis Domini quando, immediatè post mediam noctem possunt, non solum una, sed ex probabilissima opinione, omnes tres solitæ Missæ à Sacerdotibus celebrari. Ita Suar. Vasq. quos citat & contra Fagundez, & Nugnum sequitur Delugo *loc. cit.*

4. Excipe item casum necessitatis dandi viaticum Infirmo, si non adsit parata Sacra Eucharistia, tunc enim poterit, etiam, non petita licentia ab Ordinario, Missa celebrari, statim, post mediam noctem. Sic Layman. *tr.5. c.4.n.5.* aliique apud Dian. *p.2.tr.14.res.33.* Excipe rursus, quando alicubi sit legitima consuetudo anticipandi Auroram: nam propterea Layman. *ibi.* & Coninch. Fag. Navarr. apud Marchin. *de ord. tract.3. p.3.c.7.n.2.* approbant praxim Belgij, & quorundam locorum Galliæ, & Germaniæ, ubi, tribus, vel quatuor horis, ante Solis ortum celebratur, quæ consuetudo, merito introducta est, ut scilicet operarij audiant Missam, antequam eant ad opera, cum enim ibi Sol sero oriatur, multo ante eius ortum ad negotia iri solet.

5. Excipe denique Mendicantes, eorúmque privilegia participantes: ij enim saltem ob privilegium concessum à Greg. XIII. *in Privileg. Soc. Iesu. Quanta in vinea Domini*, possunt incipere Missam tribus horis ante ortum Solis; pro duabus enim horis utuntur iure communi pro tertia utuntur privilegio, quo ipsis, dum à suis Generalibus non prohibentur, unam horam anticipare ex rationabili causa, & in Societate Iesu, ex licentia Superioris, posse conceditur. Ita Suarez aliique cum Delugo *de Euch.d.20. sect.1. n.31.* Rodriq. *in comp. res.25. num.1.*

6. Iisdem tribus horis, Episcopos Missam anticipare posse, itineris, vel simili causa, admittunt passim Doctores, *in Comp. privil. Soc. Iesu v. Missa §. 3.* cum Delugo *l.c.n 27.* Immo ipsos, ut etiam Provinciales, & Superiores locales suis subditis eandem licentiam, ex causa concedere, vi suæ ordinariæ potestatis, quam habent dispensandi cum suis, etiam posse, non ambigo. Ita Suar. *tom.4.de Relig.tr.8.lib.2.c.12.n.18. iuncto c. 13.* Rodriq. *in comp.res.25.n.3.*

7. Notat vero Suarez, *de Sacram. d. 80. sect. 4. 8. sed quares primo*, Episcopos. (*adde & Prælatos Regulares*) posse solum in particulari casu & ut dictum est, ex causa in hac re dispensare, at non concedendo privilegium generale. Ratio est, quia concedere privilegia generalia proprium est summi Pontificis, non verò aliorum.

Quanta debeat esse causa, vide infrà in simili *num.25.*

*Tria Privilegia Mendicantium celebrandi ante Auroram.*

8. Adsunt & aliæ privilegia ampliora prædictum est apud Portell. *in dub Reg v. Missa num.* Gregorij XIII. qui concessit Congregationi & consequenter Mendicantibus, & participantibus ipsis, ut eius Religiosi, dum sunt in itinere, possint celebrare inter Auroram, & mediam noctem.

9. Hoc privilegium ex eo, quod sit vivæ vocis oraculum an sit revocatum sicut & alia vivæ vocis oracula Vrbano VIII. nobis non est otium disputare. Peyrinum, *t.3. in const. Vrban VIII. c 12.n.1.* fov. Vivianum Lezanam, & Sanctorium Malphi apud Dian. *p.8. tract. miscel. resol.58.* & novissimè Pellizarium negantem revocata, *in Manual. Regul. tom.2. in præfat. Typographus lectorem.*

9. Notat autem Portella *l.c.ibid.* eo die, quo debent arripere iter, non posse illo frui, siquidem non sunt in itinere, utantur ergo tunc aliis privilegiis quibus *mox.* At profecto, qui est in procinctu itinerandi, posset, mea sententia, dici esse in itinere.

10. Secundum privilegium apud Rodriq. *in resol.15.n.1.* & Delug. *de Euchar. d.20 sect.1. num.* Alexand. VI. qui propter multitudinem confluentium concessit per Italiam Monachis sancti Benedicti, ut possent celebrare Missas in Ecclesia sui Monasterij, (*Monasterio* habet Rodriq. *in comp. ibid.* sed verius habet *in Ecclesia sui Monasterij*) duabus horis immediatè post mediam noctem.

11. Notat autem Delugo *dict.num.27.* dictum privilegium communicari aliis religiosis participantibus, quamvis pro iis non sit dicta causa multitudini confluentis. Ratio brevis est quia Pius IV. concessit S. Hieronymi, atque adeo cæteris ferè Religiosis communicari in privilegiis, ut privilegia extendantur ex uno Conventu ad alium, quamvis non exhibendem, sed alia causa: at talis est causa itineris, infirmi & similis.

12. Addit idem Delugo non posse quempiam concessione, nisi in Ecclesia, ut habet privilegium verò, ut habet Rodriq in Monasterio. Sed non dicit Rodriquez defensio; nam nomine Ecclesiæ veniunt etiam Religiosorum claustra, ut ex sacris textibus habet *S. Hac autem dist.54 c. Alma Mater, de sent. excom.in 6.* & Glossa, *d.c. Alma Mater, v. Monasterium* notat Laurentius de Peyrinis *tom.1. in const. Pyrrh.* Vtrumque igitur est probabile.

13. Tertium privilegium apud Portell. *in dub Miss. n.4. & in Add. ibid.n.6.* & Rodr. *in Compend. n.2.* est concessum à Leone X. vivæ vocis oraculo, ut absolutè, conceditur posse delicentia Superiorum (*horum conscientiæ ait se remittere Pontifex*) Fratres horis, & consequenter participantes cum ipsis, celebrare illico, post Matutinum, præsertim quando audiendam Missa, de præcepto, & Fratres veniunt de via.

14. Notat autem uterque, Rodriq. *in Comp. res.25.* Alter. *in quæst. Reg. tom.1.q.43.art.3.* id intelligi ita ut sint ij celebrare, post mediam noctem, ante finitum Matutinum, immò etiam non recitato ab ipsis Matutino, quia iam probabilis est sententia Soti non obligare ad Matutinalem recitationem, ante Missam.

15. Notat insuper Portella *loc. cit. in add.n.6.* quæ la particula (*præsertim*) non excludit alios casus; hæc cum sit particula implicativa, implicat, seu notat esse in aliis casibus, licet in illo, in quem ipsa particula cadit, militet maior ratio, ut cum multis probat Sanchez *de matr. disp.39. n.6.* Sensus igitur est, posse Religiosos illos in cæteris casibus statim post mediam noctem celebrare, sed multo magis ratione præcepti itineris.

16. At revocatáne sunt hæc tria privilegia, Primum Concil. Tridentino *sess.22. decreto de observand. &c.* cundò à quadam declaratione Sacræ Congregatio-

apud Lezanam, *p.1. c. 21. n.2.* Dico primo contra Fagundez ab eodem citatum, & Peyrinum *Tom.1. in const. Pyrrhi n. 19.* non esse revocata à Tridentino. Ratio est, quia Tridentinum imponit solum Episcopis ut remedia adhibeant, si quæ sunt necessaria in celebrandis Missis. Cæterum ubi Episcopi non repugnant, non est, cur Religiosi à suis privilegiis dimoveantur. Scio Peyrinum citatum afferre rationes contra nos, sed eæ, si rectè expendantur, facilè à quolibet mediocriter docto dissolvi possunt. Nobiscum sentit Delugo *de Euch. d.20 sect.1. num.19.* citans Ioannem Salas. Rodriq. multosque Theologos Salmanticenses, loquens de secundo privilegio allato *n.10.*

17. Dico rursus nec revocata esse à Declaratione præfecta. Ratio pro modò illa sufficiat, quia de hac, nondum constat authenticè.

18. Denique moneo his tribus privilegiis uti non posse Patres Societatis, quia nondum P. Generalis ea ipsis communicavit; quo tamen impedimento alios Religiosos laborare nequaquam solere insinuavimus *alibi.*

*Quoad meridiem.*

19. Terminus ultra quem celebrare Missam non licet, est Meridies moraliter acceptus. Ita Pius V. *in Rubr. Miss.* Satis est tamen, ad evitandam omnem culpam, si Missa inchoetur ante meridiem, vel in ipso meridie licet ab absolvatur postea. Ita Vasquez *de Eucha. 232. 4. num 7.*

Quod si absque ulla causa inchoetur, vel post tertiam partem horæ à meridie, ex Azor. *p.1. lib. 10. cap. 25. quæst. 6.* vel post mediam horam ex Layman. *l.5. tr. 5. cap.4. num.4.* vel post tres quadrantes ex Bonacina. *de Euch. d. 4. q. ult. p. 9. num.6.* seu post non integram horam plus minusve ex eodem *ibidem*; & Sirv. apud Dianam *p.2. Tom. 4. res.14.* peccabitur, sed non nisi venialiter, propter parvitatem materiæ, cum causa nil peccabitur, quia causa vincit defectum illum, aliàs venialem. Colligo ex Delugo *d. 20. de Eucharist. sect. 1. num. 41.* Scio Navarrum *in Manual. cap. 25. num. 8.* docere etiam hodie, licitè celebrari posse, usque ad horam tertiam post meridiem, ut olim licebat, quia nullibi est ablata, (inquit) talis facultas, cui sententiæ favet Sa *v. Missa num. 2. in impress. genuina*, quatenus, ob iter faciendum, idem concedit. Sed contradicit communis Theologorum sententia cum Delugo *l. c.* Layman *loc. cit.* consuetudo à Sum. Pontifice Pio V. *in Rubr. Missalis* approbata & censura Prælatorum, qui id facientes punirent; Concinitque Tridentinum dum præcipit, ne Sacerdotes aliis quam debitis (id est, ut explicat Layman *loco cit. in Ecclesia communiter consuetis*) horis celebrent.

20. Illud cum Vasquez *de Eucharist. d. 232. cap. 4. num.37.* & aliis, planè concedimus in magna festivitate, absoluta tardius concione, in Ecclesia manè exhibita, vel funere Principis, vel solemni ordinatione, vel simili, posse Missas privatas, etiam tardius, hoc est, usque ad horam tertiam post meridiem, celebrari, ne Missa populus defraudetur.

21. Sacerdotem quemlibet ad dandum viaticum, immo, atque Espicopum, itineris, vel simili causa, posse, una integra hora, postponere, à meridie, ut etiam eundem Episcopum posse ex causa similem facultatem suis subditis impertire, omnes apud Delugo *de Euchar. d.20. sect. 1. num.42.* concedunt, juxta ea, quæ in simili diximus supra *num.6. & 7.* idem posse Provincialem, & Superiorum localem *etiam Provinciali præsente, quia adhuc Superior localis in sua ordinaria potestate persistit*) respectu suorum subditorum, ut ibidem diximus, certum esto. Colligo ex Suarez, *3. Tom. de Religart. 8. lib.2. cap.12. num.18. juncto cap. 23. a. num.12.* Ad dandum viaticum posse celebrari usque ad tertiam horam post meridiem, sequendo tunc opinionem Navarri *num. 19.* dictum, concedit Vasquez *2. de Eucharist. d. 235. c.4. num. 41. fine.*

22. Illud item amplectimur, Mendicantes, participantesque cum illis, quia habent privilegium *in Comp. Privil. Soc. Iesu V. Miss. §.3.* postponendi ex causa Missam per horam à meridie; posse incipere post horam integram, quia pro his privilegium debet esse utile; Si ergo alij possunt, ex dictis *num. 9.* post non integram horam, Missam incipere, ex causa ipsi poterunt, ex eadem causa, aliquanto plus, atque adeo post integram horam. Nota tamen in Societate Jesu debere esse cum licentia Superioris, saltem localis juxta restrictionem illis factam *ibid.* à R. P. Generali.

23. Immo quemlibet Sacerdotem ex justa, v. g. itineris, vel simili causa posse in die festo Missam incipere post integram horam à meridie, docent plerique Henriq. Suar. Mirand. Rodriq. quos citat, sequiturque Layman. *lib.4. tract.5. c.4. n.4.* itaque ex consuetudine, observari testantur. In qua opinione dicendum erit, privilegium modo dictum Medicantibus concessum, non ad diem festum dumtaxat (id enim, cum causa, habent omnes) sed ad alios dies non festivos se extendere.

*De Privilegio Mendicantium postponendi Missam usu ad tertiam horam à meridie.*

24. Concessit Eugenius IV. apud Bullar. Rodriquez *Bulla 11.* per Bullam Congregationi sanctæ Justinæ, & consequenter aliis participantibus, ut licitè possint celebrare in itinere, vel ex causa justa, usque ad Nonam inclusivè: *hujusmodi Congregationis* (ait Pontifex) *Sacerdotes in itinere constituti, aut alia ad hoc causa subsistente, ante diem, & usque ad Nonam inclusivè, ut celebrare valeant tenore præsentium duximus concedendum.*

Hoc privilegium non esse revocatum à Tridentino, constat ex iis, quæ diximus *num.16.* nec eo tamen uti posse Patres Societatis Jesu, nisi eis P. Generalis illud communicet, nimis sæpè, per occasionem, diximus item in superioribus.

25. Justam autem causam judico quodlibet impedimentum quo quis propter rationem alicujus momenti non potest ante Missam incipere. Dico (alicujus momenti) siquidem non sufficit, solum ut commodius, celebres, nec ex eo, quod tardius è lecto per segnitiem exurrexeris, nec ut stipem, cum ea non indigeas, lucrari valeas, &c. è contra sufficiat (præter iter faciendum) infirma valetudo quo tardius cogaris è lecto, vel è tecto exire: studium necessarium ad concionem, vel simile, si post Missam illi studio vacare non possis: negotium alicujus momenti, quod differri non potest, multitudo confessionum, si post Missam illis satisfacere non valeas: imo & confessio incepta quam ægrè differre pœnitens ferat, & eleemosina, qua ad victum indigeas, & his non absimilia potius morali judicio, quam certa regula definienda. Semper ergo præ oculis habendum erit debere incidere aliquam necessitatem, nec quidem maximam, dum simus in privilegiis, quæ in nullius sunt præjudicio: nec vero modicam, cum simus in re non levi.

26. Denique decernamus quotanam hora intelligatur nomine Nonæ. Francolinus apud Delugo *disput. de Euch. 20. sect.1. n.42.* rem exactè perpendens, docet esse variam, secundum varia anni tempora, nec esse semper tribus horis post meridiem, ut aliqui universaliter affirmant. Docet ergo in Æquinoctio, hoc est die 24. Septembris, die 21. Martij Nonam esse quidem tribus horis post meridiem, at in Solstitio hyemali hoc est 22. Decembris Nonam esse duabus horis cum quadrante post meridiem: in Solstito autem æstivo, hoc est 21. Junij, esse tribus horis cum tribus quadrantibus. Ratio hujus varietatis ducitur ex eo, quia hæc distinctio

dici per Primam, Tertiam, Sextam, Nonam fit juxta brevitatem, vel longitudinem diei, qui longior est ætate, quam hyeme, & consequenter Prima, v. g. longius protrahitur ætate quam hieme, & sic de cæteris. Durat autem hora nona (quæ facit ad nos) dimidiam partem temporis, quod fluit à puncto meridiei, usque ad verum occasum Solis: quare si meridies, v.g. sit hodie decima octava hora diei, durabit Nona per tres horas, hoc est usque ad horam vigesimam primam eiusdem dici.

27. Sed quæ est, singulis diebus anni ad nostrum Horologium Italicum talis hora?

Subscribam hic horam eiusmodi Nonam, pro dictis diebus dictorum quatuor Mensium, iuxta Meridiem Panormitanum, in Sicilia, ad gradus altitudinis poli 38. ex quibus cæteri, plus, minusve, distantes, facile colligi à quoquam poterunt.

28. In Æquinoctio verno, hoc est 12. Martij, Meridies Panormi est hora 18. Nona ergo ex dictis *n.* 26. durat usque ad horam 21.

29. In Solstitio æstivo, hoc est 22. Iunij, Meridies, ibid. est hora 16. m. 41. Nona ergo, ex dictis *n.* 26. durat, usque ad horam 20. m. 26.

30. In Æquinoctio autumnali, hoc est 16. Septembris, meridies, eodem, est hora 18. Nona ergo, ex dictis *n.* 26. durat usque ad horam 11.

In Solstitio hyemali hoc est 22. Decembris, meridies ibid. est hora 19. m. 19. Nona ergo, ex dictis *n.* 26. durat usque ad horam 21. m. 34.

Dices fore scandalum tam sero Missam celebrare. Respondeo, posse huic occurri, si explicetur quando opus fuerit, astantibus privilegium: quod si explicatione non obstante, perseverabit quis in scandalo, scandalum erit passivum, quod vitare nequaquam obligamur.

## CAPVT VII.

### Expediuntur quædam faciliora pertinentia ad Sacerdotem antequam celebret.

#### §. I. *Preces ante Missam.*

1. Licet sanum consilium sit ante Missam (idem, ut hac occasione dicam est, post Missam) preces Deo offerre, & præsertim illos Psalmos recitare, & Orationes, quæ præponuntur in Missali; tamen id in præcepto nequaquam est; nam ideo, notanter *ibi* dicitur. *Præparatio ad Missam, pro opportunitate Sacerdotis facienda.* Ita Castrop. *tom. 2. tract. 7. d. 2. p. 4. n. 6.*

2. Major difficultas est de precibus quæ recitantur dum Sacerdos induit sacras vestes. Sed contra Navarrum, apud Bonac. *mox* citandum & Azor. apud eundem, nec has esse sub gravi præcepto, inde constat cum Bonac. *de Euchar. d. 4. q. ult. p. 8. num.* 32. quia non apparet, unde id, vel iure, vel consuetudine cum tanto rigore præcipiantur. Quod de veniali; Ægrè illud admitterem, quamvis admittat Castropalaus, *de Sacram. tract. 22. disput. unica p. 10. num. 8.* alios citans: & Ratio nostra est, quia ubi nullum præceptum invenio, cur præceptum veniale velim admittere? ex consuetudine nec idem veniale possum colligere, ut in simili dicam mox §. 1. à *n.* 3.

#### §. II. *Recitatio Matutini.*

1. Facere Sacrum, non recitatis privatim precibus Matutinis, esse mortale docent communiter Antiquiores, apud Marchin. *de ord. tract. 1. p. 3. c. 5.* & nonnulli ex Recentioribus. Azo, Bellarm. Regin. aliique apud eundem Marchinum, quia est, inquiunt, iam verus consuetudo, & quia Pius V. *in Bulla in prin. Missalis*, districtè id præcipit. Negant vero communiter alij probabilius. Ita Sylvester, Sotus, Medina, Val. Suar. Vasq. Lessius, Henriq. Sà, Scortia, Fag. Laym. eodem Marchino. Ratio est, quia non apparet consuetudinem, nec Pij V. mandatum esse tam Non consuetudinem, quia non constat, vel timam, vel esse sub mortali acceptam: non tum, quia id quantum refertur ad recitationem di, non reducitur nisi ad consilium, ut mox mus *n.* 5 & 7.

2. Sed quid de peccato veniali? Communiq que, qui liberant celebraturum à mortali, rant à veniali, si sine causa, Missam Matutino cujus doctrinæ fundamentum sic profert Cast *T. 2. tract. 7. d. 2. p. 4. n. 6. fine. Veniale sine dubio tingit, quando absque rationabili causa, Miss non præmissa Matutini recitatione: quia ita est recepta, & quia matutinum hora consueta, & præscripta, non est dictum.* Hæc ille.

3. Verum optassem primò, quod Castropalaus basset hanc consuetudinem sub obligatione fuisse receptam, & non ob devotionem seu & errorem, quo judicabant adesse præceptum, quæ facto non erat: cum igitur id non probaverit, quiescere non possum.

4. Optassem secundò, quod in secunda ratione (*quia Matutinum hora consueta non est dictum*) fudisset quæstiones. Nos enim hic non quærimus veniale, hora, non consueta, dicere Matutinum, fit veniale, præponere Matutino Missam, quæ stiones diversæ, nec una aliam inferens, ut ex se

5. At saltem, non observabitur Rubrica, quæ Missam esse postponendam, ergo peccabitur ver Respondeo negando consequentiam, quia Rubrica infra *lib. 2. cap. 5. §. 1.* dicemus, aliquando solum consilio.

6. Audi ipsum Castropalaum *T. 2. tract. 7. disp. num. 6.* idem dicentem, dum probat id non esse le *Dicere Missam* (inquit) *Matutinis precibus non tis, non est mortale. Ratio præcipua est, quia nullum tat de hac re præceptum. Dices esse præceptum latum V. in principio Missalis, ubi in virtute sanctæ præcepit Missam dicere juxta ritum Missalis absque additione, vel diminutione, aliâve mutatione, remoniæ ibi præscriptæ. Sed una ex cæremoniis est go, &c. Respondeo, Pium V. tuliisse præceptum rum dicendi Missam, nec novum inducendi: sub men generali præcepto non comprehendit Matutinationem, quia recitatio Matutini non est ritus Missæ, sed ad Missam præsupponitur, aliàs vacare aliquantulum sub præcepto esset, cum in iis Rubricis tur. Aliqua tamen in Rubricis præscribuntur, non cepta, sed ut consilia. Neque obstat inter Missa contingentes computari omissionem Matutini precum, quia solum, est defectus levis; vel dicendum procedere ex sententia antiquorum Canonistarum. item obstat, dari aliquando privilegium ad dicendam Missam non recitato Matutino, quia hoc dari potest, lendos scrupulos.* Hæc ille. Vides autem hanc tocum trinam favere etiam non admittenti peccatum

7. Confirmo ex eodem Castropalao *ibid. n. 7.* vata (ait) *recitatione officij sedere, cum standum est re, cum est flectendum, ex Rubrica præscripto, non esse peccatum si absque contemptu fiat, quia non videtur cipi, sed consuli, & ordinari majoris devotionis sic Bonacina d. prima de horis canon. q. 3. p. 6. &c.* Hinnus Castropalaus. Cur igitur pari modo non affectum tutini recitationem ante Sacrum non præcipi, sed sili, & ordinari maioris devotionis gratia?

#### §. III. *Calcei.*

1. De habendis calceis à celebraturo, nullum præceptum, atque adeo, nudis pedibus celebre, nullum peccatum est. Ita Tolet. Soctia, Sà Laym. *lib. 5. T. p. 7. n. 14. fine.* quia tamen honestas, & centia id requirit, merito calceatum Rubricæ Missi illum volunt. At est consuetudo recepta. Audio. h

recepta ex honestate. Ita Bonac. alios referens *de Euch. d.4.q.vlt.p.9.n.28. in fine.*

2. Quid; non solum id peccatum non esse olim existimatum fuit, verum etiam à Patribus in Ægyptiorum Monasteriis degentibus, statutum erat, ut nudis pedibus Monachi, ad sacra celebranda, immo & suscipienda, procederent. *Calceamenta* (inquit Cassianus *lib. de habitu Monach. cap. 10.*) *veluti interdicta Evangelico præcepto Monachi recusantes tantummodo caligis* (hoc est græcè Sandaliis, *in Annotationibus eiusdem Cassin. V. Caligæ*) *suos muniunt pedes*, & paulò post. *Quibus tamen caligis, quamquam liciè utantur, utpote Domini mandato concessis, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cum accedunt ad celebranda seu percipienda Sacrosancta mysteria, illud æstimantes, etiam secundum litteram, custodiri debere, quod dicitur ad Moysen, vel ad Iesum filium Nave: Solve corrigiam calceamenti tui, locus enim, in quo stas, terra sancta est:* Hactenus Cassianus.

## §. IV. *Pileolus.*

1. CApite operto incedere usque ad præsentiam Altaris debet Sacerdos, ibi tamen aperto capite, ad Missam procedere ex c. *Nullus Episcopus, de consecr. dist.1.* Sed dubium est, an ita pileolo uti quis possit, ut eo non amoto, celebrare sacrum valeat. Negandum id est, citra facultatem ritè concessam, vel citra necessitatem, hac enim necessitate existente, posse Sacerdotem, capite pileolo cooperto, celebrare, si non est opportunitas petendi facultatem, docet Delugo *de Euch. d.20.sect.4.num 102.* gradumque necessitatis sic explicat Marchinus *de ord.tract.3.p.3.c.4.n.9. Non crederem esse mortale* (*quidquid dicat Gavantus*) *absque dispensatione, sed cum iusta causa, puta ob nimiam regionis frigiditatem, capitis debilitatem, vel senectutem, vel ob calvitium, celebrare cum pileolo usque ad Canonem, si dissimile esset petere dispensationem, & usus pileoli de raro contingeret. Duor. quia decreta Sacræ Congregationis, de hac re, sunt directiva, non præceptiva, &c.* & infrà: *Quod si alicubi est pœna excommunicationis, est comminatoria, quæ ex Suario Sanch. Caiet. non semper est signum mortalis culpæ.* Hæc Marchin. & quoad illud quidem (*usque ad Canonem*) aliqui cum Bonac. *d.4.de Euch.q.vlt.p.9 n 29.* extendunt usque ad Consecrationem, aliqui cum Delugo *modo citato* loquuntur absolutè.

2. Olim autem Episcopus immo & Prælati Religionum pro suis dispensabant in hac re. Sic Henriq. Stortia, Laym apud Dian. *p.2.t.14. res.58.* nunc id reservatur Pontifici in Missali novo Vrbani VIII. his verbis: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ non obstante quacunque contraria consuetudine.*

3. At verò sicuti ex Sanchez *l.2. de matr. d.40.n 6.7.* in multis potest Prælatus dispensare in casu necessitatis, quando non datur recursus ad Pontificem; ita poterit in hoc de pileolo: solum adverte, non requiri magnum necessitatis gradum, quia res de qua agimus, non est tam gravis; quare necessitates modo numero primo dictæ erunt sufficientes ad hoc, ut Episcopus, vel Prælatus possit dispensare, si non sit recursus, vel sit difficilis ad Pontificem, sicuti si difficile sit ad Prælatum recurrere, sufficientes ibidem erant ad hoc, ut id fieret etiam sine dispensatione. Id quod insinuat prædictum decretum n.2. allatum, dum dicit (*Nemo audeat*) non enim est præsumere, quando necessitas urget, & non est petendi dispensationem opportunitas.

4. Sed quod peccatum est, cum causa quidem, sed sine dispensatione, quæ posset facilè obtineri, celebrare cum pileolo? Dico citra scandalum, & contemptum, non esse mortale. Ratio est, tum quia non videtur ex se gravis irreverentia, tum propter authores magni nominis nobiscum sentientes. Sic Sylvester, Ang. Tabien. Rodriq. Henriq. Graffius, Bart. ab Ang. Mirand. Scortia, Fag. Ledesma, quos sequuntur, citantque Marchinus *de ord.t.3 p.3.c.4.n.11.* Diana *p.2.tract.14.res.58.* Sanè Vasquez allatus, approbatusque à Castrop. *de sacrif.tract.12.d.unic. p.10. num.10.* asserit, omnes Sacerdotes in Polonia, hyeme, velato capite, usque ad consecrationem Altari adesse, probatque posita causa posse id fieri, etiam sine licentia, quia dictum *c. Nullus*, præsumptionem requirit.

5. In China licitum est celebrare totam Missam operto capite quia ibi signum reverentiæ non est aperire, sed regere caput, licet ad omnem scrupulum amovendum Pauli V. licentia ad id accesserit. Ita Præpos. *de Sacr. q.83.art.3.d.6.*

## §. V. *Minister.*

DEbet, ex Bonac. *de Sacr. d.4.q. vlt p.9. num.34.* sub obligatione mortali, esto non debere sub mortali dicant Nvarr. & Zerola apud Fagund, *præcept. Eccles. 1. lib 3.c.21. num.5.*) adesse qui ministret Sacerdoti sacrificans. In necessitate tamen, & citra scandalum, illum abesse, non esset culpa. Ita Suar. Layman. Fagund. Dian. apud Delugo *d.20. de Euch. sect.4 num 103.* Semel cum quidam Sacerdos rusticaretur, convenissetque multitudo Agricolarum, die festo ad audiendum Sacrum, nec adesset, qui sciret Sacro ministrare, unum ex illis rusticis summariè idem Sacerdos instruxit, qui ad ipsius Sacerdotis nutum missale transferret, vinum, & aquam porrigeret, tintinabulóque, cum sacra Hostia eleuatur, signum daret; Cæterum in reliquis, sibi respondit Sacerdos, ita factum est, ut vix Ministri defectus apparuerit. Rectè factum, & in simili necessitate non reprobandum.

2. Fœminam ministrare Sacro, prohibitum est omnino, quare tum ipsam, tum Sacerdotem eam admittentem peccare mortaliter docet Marchinus *de ord. tract.3. p.3.c.15.n.2.*

3. Et in casu quidem necessitatis, potius conceditur à Doctoribus, celebrare sine ministro, quam illa circa Altare ministrante. Dico (circa altare) nam ministrante circa Altare viro, qui nescit respondere, & respondentibus ex choro Monialibus v.g. non esse prohibitum, nec inconveniens, docet contra Vasquez, Delugo, *ibid.* cui sententiæ favet praxis: nam inde Moniales cantare *Gloria Credo*, & similia, in aliquibus Missis etiam solennibus, videmus passim.

Scio Nunnum, & Silvium apud Dian. *p.2.tr.14 res.43.* Adde Sylvest. apud March. *loc. cit. n.3.* concedere fœminis utrumque in necessitate, id est, assistere Altari, & respondere: sed iis non assentior, cum casui necessitatis melius, & minus periculosè provideatur per Sacerdotem sibi ipsi ministrantem.

4. At qualis est gradus necessitatis, ut possit quis sine ministro celebrare: Certè, ut detur infirmo viaticum, est sufficiens necessitas. Ita Silvius, Villalob. aliique apud Dian. *loc. cit.* quidquid alij dicant cum Hurtad. *d.4.de Sacrif. diff.12. versus fin.* Item, ut Sacerdos aliquo die festivo satisfaciat præcepto audiendi Sacrum, multo magis, ut multitudo Rusticorum idem præceptum adimpleat. Scio Villal. Silv. aliique apud Dianam *loc cit.* Ratio horum est, quia cum ex Delug. *d.20. de Euch. sect.4. n.103.* Ministrum assistere Sacerdoti celebranti sit potius introductum consuetudine, quam iure non est tanti rigoris, ut maior necessitas requiratur. Atque ex his poteris de aliis similibus necessitatibus statuere.

5. Quod si carens ministro nolis, die festivo, facere Sacrum potes sine peccato; quia potes sequi opinionem probabilem negantium, illum esse necessitatem sufficientem, cum possit dici, præceptum audiendi Sacrum, non obligare, nisi, quando Sacrum haberi potest, debito modo. Ita Bonac. *de Euchar. d.4.q. vlt.p.9 n.34.* aliique.

6. Dixi *num.4.* (aliquo die festivo) nam si Sacerdos v.g. Eremita vellet continuare omnibus diebus festis,

festis, id facere, non concederem; siquidem, ut habet Suarez *de Euch. d.88 sect.1.circa finem.* aliique apud Bonac. *loco citato*, hæc esset voluntas, non necessitas, esset-que novus vivendi modus, qui dispensatione indigeret. Non propterea noluissem, quod Marchinus *de ord. tr. 3. p 3.c.15. n. 1.* id etiam continuare in Eremita concedens, adderet decipi in hoc Suar. nec enim tanto viro talis censura erat contorquenda, multo minus, quia nullam sui dicti Marchinus, si rectè perpendatur rationem affert; & insuper, rationi à Suario allatæ non respondet.

At quis eiusmodi Eremitæ dispensabit? id non explicat Suarez. Sed ego author essem Episcopo; ut regulariter rem remitteret ad Summum Pontificem, ad quem pertinet approbare modos bene, vel malè vivendi. Lege Bellarm. *de Monachis, cap.4.* Rodriq. *tom. 1. quæst. Reg. 1.artic.4. circa medium*: Peyr. *tract.2.in Const. Pyrrhi, a num.2.*

Duo denique hic adverte. Alterum: celebrantem posse Missam inceptam prosequi sine Ministro, si Minister fortè abiit, & aliquantulum expectatus non veniat. Ita Henriq. quem sequitur Hurtad. *d.4.de sacrif. diffi. 12. circa finem*, quia quamvis, necessitate urgente à Missa incepta desistere quis possit, de qua re *infra lib.2. cap.7. §.1.* defectus tamen Ministri non est necessitas tanti momenti, quantum ad desistendum requiritur.

Alterum est, Ministrum, nisi desit in necessariis (ut v.g. materiam ineptam sua culpa Sacerdoti tradat) & citra scandalum, & contemptum in suo ministerio, vix posse graviter peccare. Ita Bonac. *de Euch. disp. 4. quæst. ultim. pag.9. num.30.* nam si relinquat respondere, vel inservire in quo debet, non videtur, in re gravi delinquere. Adde nec obligari esse in gratia; quare si cum conscientia peccati mortalis inservit, non propterea novum mortale committit: immo puto, si cum debita reverentia accedit, ne venialiter quidem peccare, sicuti nec venialiter peccaret, si aliàs spirituales exercitationes exhiberet.

### §. VI. *Sanitas Corporis.*

1. NOn loquimur, quænam sanitas requiratur, ad hoc, ut ordinati quis ritè valeat in Sacerdotem id enim pertinet ad *tract. de Irregularitate*; sed, posito quod sit Sacerdos quænam necessaria sit, ut licitè celebrari ab ipso possit.

2. Illa requiritur quæ non obstat integritati, & reverentiæ sacrificij. Hinc à sacris Canonibus *mox* citandis excluduntur à munere sacrificandi patientes morbum caducum, dæmoniaci, capite læsi, cæci, digitis carentes, vomitu laborantes, & similes; magna enim esset irreverentia, vel relinqui propter hæc sacrificium effectum, vel indecenter tractari.

3. Illos ergo, qui morbo caduco, vel simili, ...cilè revertitur, vexantur, ita convalescere ... per experientiam alicuius temporis recuperati probent.

Pro Dæmoniacis, aliqui iuxta *cap. Commu... stinct.33.* experientiam anni de recuperata ... posceunt, pro aliis mobis, iuxta *cap. Nuper*, ... experientiam triginta dietum. Sed textibus ... pensis merito Suar. Sayr. Reginald. alique apud ... *de Irregul.d.7. quæst.1.p.2. num.22.* concludunt ... scopum pertinere iudicium, an aliquis libe... morbo, pensatis morbi, & personæ conditio... gatur omnino Suarez, *de Cens. d.51. sect.1.n.56.* pro iis, qui iam Ordinem suscepturi, de qu... quimur, ait, requiri quidem iudicium Episcop... non esse dispensationem, sed declarationem ... declarationem intelligi authenticam, scilic... periore dimanantem; nam propterea ego ... non sufficere, si fiat à Doctore privato. Pos... fieri à Provinciali pro suis subditis Regulari... dius tertius pro quodam Patre Capuccino ... tis putavi, quia satis illa pro subditis est authen... claratio.

4. Iidem insuper *ibid.* notant laborantem ... duco, si raro, puta semel in mense cadere in ... let, idque absque clamore, vel spumarum emis... horribili corporis agitatione posse celebrare, ... socio Sacerdote jejuno, qui possit, si fuerit opus, ... Sacrificium.

5. Denique, qui lepra vel simili exteriori ... morbo laborat, in quo temen non sit præsen... culum, sed solum quidam horror astantium, ... cluditur omninò ab Altari, sed prohibetur ne ... in publico. Ita Suarez *de Sacram. disp. 82. initio.*

6 De Lusco dixi *cap.5.§.5. num.2.*

### §. VII *Mundities Corporis, & lotio manuum.*

1. DE his sufficit afferre, quæ breviter notat ... *de Sacram disp. 81. in proœmio, fine.* Deum, ... quit, *munditia corporalis à Sacerdote sacrificium ... beatur, quantum recta ratio dictat, & ideo, iuxta ... regulas, Sacerdos celebraturus, se corporaliter lavet ... id etiam fiat, in significationem spiritualis mundi... men sit propter ipsam munditiem corporalem & ... cilè non debet; quamvis non videatur illa sub ... via rigorosi præcepti.* Hæc ille.

2. Idem propter similem rationem erit de lotione ... nuum post spoliatas sacras vestes; id, quod per ... casionem his adnotasse sufficiat.

# LIBER SECUNDUS.

## *De iis quæ ad Sacerdotem pertinent, dum actu celebrat.*

### CAPUT PRIMUM.

### De intentione Sacerdotis in celebrando.

#### §. I *De fine, quem potest, vel debet intendere Sacerdos, in faciendo Sacro.*

1. SACRIFICIUM, inter omnes actiones Virtutis Religionis, est excellentissima actio, quâ scilicet, veneramur Deum Optimum Maximum dignum esse, in cuius honorem, vel nostra ipsa vita ... struatus; id, quod significare profitemur, non ... dem verbis, sed ipsa actione Sacrificij; in quo ... per esse debet destructio rei oblatæ. Offertur ... in Missa ipse Christus Dominus eiusdemque ... destructio intervenit, quatenus, per consecra... nem Corporis & Sanguinis, ponitur idem ... stus in proximo statu, seu via destructionis; quæ ... mirum ex vi consecrationis Christus reproduc... sub speciebus panis, & vini, & ut sic reproduc... ponitur in tali statu, ut mox, corruptis specieb... destruatur, seu desinat esse; non quidem destruc... ablatio

absolutè, sed ex vi amissionis talis esse reproducti: Siquidem, si per impossibile, non esset in sua reali existentia in Cœlo; sed solum in esse Sacramentali sub his speciebus; certe, ex vi corruptionis talium specierum, destrueretur omninò, & non amplius existeret. Vides veram destructionem victimæ? Quare, sicuti non, quando physicè moriebatur, sed quando jugulabatur, seu graviter percutiebatur à Sacerdote ovis v. g. dicebatur mactari, seu sacrificari: & liquida, ut vinum, & oleum, non quando physicè destruebantur, sed quando in tertiam, v.g. vel ex toto, vel ex parte effundebantur, dicebantur sacrificari, seu libari: sic quando in Consecratione accipit Christus hunc statum, quo proximè ponitur in via ad dictam destructionem, rectè sacrificari verè, & realiter dicitur: Nam quemadmodum per gravem percussionem ovis moritura inde ad quantam, v. g. & vinum, oleúmve per effusionem defruenda inde ad aliquod tempus, quia ponuntur in proximo statu destructionis, in omni loquendi proprietate dicuntur sacrificari; ita Christus Dominus, quia ponitur sub speciebus, inde ad modicum tempus, iis corruptis, destruendus, dicitur in omni proprietate sacrificari.

Hic mihi diu de hac re cogitanti apparuit bonus modus explicandi, qua ratione, in Missa, reperiatur victimæ destructio tam essentialis in omni propriè dicto Sacrificio. Nam per alios modos, quibus utuntur Doctores apud Ioannem Delugo *de Euch. disp. 19. sect. 4. & 5.* & per ipsum modum, quo idem confutatis cæteris, utitur, numquam habetur vera, realis, & non metaphorica destructio, quæ realis, & vera certè habetur per nostram prædictam explicationem. Sed hæc fusè explicuimus *in tract. Theologico de Sacr.*

2. Cum igitur ut dicebam, Sacrificium sit prædictus excellentissimus Religionis actus, certum est ultimum Sacerdotis sacrificantis finem debere esse, Deum modo prædicto venerari, qui certè finis semper saltem implicitè aderit, quoties Sacerdos intenderit juxta Ritum sanctæ Ecclesiæ celebrare, nec talem ritum, quoad substantialia, & graviter necessaria, velit, propter quemcumque alium finem, relinquere. Secus fore mortale peccatum nemo dubitat, quia tunc Sacerdos præponeret substantialibus, & graviter Missæ necessariis illum alium finem, quod esset negligere Dei præceptum, in re gravi. Lege S. Thom. 2. 2. *quæst. 132. art. 3.*

3. Nunquámne igitur sine mortali peccato potest sacrificium celebrari à Sacerdote propter alium finem? Et, Æquène peccabitur, si Sacerdos celebret ob vanam gloriam, vel ob lucrum, vel quid simile?

4. Dico, si propter finem mortaliter peccaminosum, celebret Sacerdos, certum esse, peccare mortaliter, ut si quis v.g. celebraret ob finem aliquod notabile furandi: Peccaret item mortaliter, si propter alium quemcumque finem vellet relinquere, seu relinqueret ritum prædictum in necessariis: Ratio utriusque est, quia in hoc secundo casu Dei præceptum, ut modo dixi, negligitur, & in prima intenditur finis mortaliter peccaminosus, à quo actio specificationem sumit.

5. An autem, in primo dicto casu essent duæ malitiæ, specie diversæ, altera propter intentionem furti, contra justitiam, altera contra Religionem, propter irreverentiam, quæ irrogatur Sacrificio, dum assumitur, tanquam medium, ad malum finem? posset esse quæstio, quam tamen breviter expedio, affirmando esse duas, furti, ut certum est, & sacrilegij propter dictam gravem irreverentiam, quæ certè in tali intentione reperitur, dum vis uti actione tam sancta, ad finem tam perversum.

6. At vero si propter finem venialiter peccaminosum quis principaliter celebraret, v. g. ob vanam gloriam, vel lucrum venialiter malum, solum venialiter peccaret. Sic Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 3. num. 1.* Ratio est, quia universaliter tunc est mortale ordinare operationes virtutum; v. g. ministrare Sacramenta, audire Sacrum, opera Misericordiæ exercere, & alia hujusmodi, atque adeo ipsum facere Sacrum; tunc inquam, est mortale ordinare hæc ad alium finem, quando in eo fine ita sistitur, ut interveniat voluntas omittendi ob illum finem, aliquod Dei præceptum grave. Ita Sylvest. Navarr. Henriq. apud Sanch. citati. At in casu nostro non omittitur tale quid, ut supponimus, ergo mortale non erit, solum erit veniale, sicuti venialis est finis. Quamvis enim adsit aliqua ordinis perversio, cum deberet celebrari Sacrum, propter Dei gloriam dumtaxat, & non propter vanam gloriam, tamen hæc perversio non est gravis; patet, quia jam remanet finis ultimus ipsius gloriæ in eo animo, quo servantur substantialia, & necessaria Missæ; solum additur hic alius finis, qui cum ut diximus; sit venialiter peccaminosus, illum finem ultimum non excludit, sed solum leviter, ut ita dicam, commaculat.

7. Denique si propter finem indifferentem, quis principaliter celebraret, v. g. ut amico complaceat, aliàs non sacrificaturus, idem dicendum erit, scilicet non peccaturum mortaliter. Ratio est, quia, ut modo dictum est, non intercedit voluntas omittendi aliquod grave præceptum. Puto tamen venialiter peccaturum, quia ordinare res sacras, & spirituales ad hæc temporalia, nonnulla perversio est, licet minor, quam si ordinentur ad finem venialiter malum, de quo *in præcedenti numero.*

8. Sed audi, quod Deus te amet, Lector, id quod, quæ dicimus, illustrabit. Erat quidam Concionator cæterum pius, ac religiosus, qui tamen nolebat concionari in diebus Quadragesimæ, nisi stipendium à prædicationis ministerio ipsi promitteretur. Rursus erat alius, qui invitatus ad faciendum in quadam villa Sacrum, ibat perlibenter, quia ibi oppipare à Domino villæ excipiebatur; Sacrum tamen bona devotione operati, seque ad illud, pro virili parte, disponere solebat; ita ut facetè usurparet, se agere gratias consuevisse illi Domino pro epulo temporali, non minus, quàm pro spirituali. Hi duo Concionator, & Sacerdos, cum ego Messanæ, olim in Collegio nostro, versarer, simul convenerunt ad interrogandos nostros, an peccarent; Dixi, peccare dumtaxat venialiter, nam ordinabant Concionem, & Sacrum ad fines illos temporales, cum interim ultimate consisterent in Deo, propter quem Conciones utiliter, & Sacrum religiosè peragebant. Addidi tamen facile eos potuisse etiam à veniali se liberare, si solum, minus principaliter, intenderent, alter honestam refocillationem, alter honestum lucrum.

## §. II. *De Intentione, quam Sacerdos habere debet consecrandi ante, vel dum operatur Sacrum.*

### *Præmittitur divisio, & explicatio Intentionis.*

1. INtentio consecrandi absoluta (nam de conditionata agere pertinet ad Scholasticos) quam Sacerdos habere potest, dum Sacrificium celebrat (id quod est commune in conficiendis omnibus Sacramentis) quadruplex est. Actualis, Habitualis, Virtualis, Interpretativa.

2. Intentio Actualis est, qua quis actu intendit aliquid facere. Estque duplicis generis. Prima, qua, quis advertens quid faciat, volens, illud agit. Secunda, qua quis reflectens ad ipsam voluntatem, qua vult aliquid agere, illam vult. Hanc intentionem in actu signato, illam in actu exercito, apellat Cajet. apud *Suar. de Sacr. in fine Comment. ad quæst. 64. S. Thom. de Sac. art. 8.*

3. Habitualis est intentio mere præterita, nondum retractata, v.g. intentio, quam heri habui eundi Romam, si eam non revocavi, nec aliud addidi, dicetur hodie habitualis. Alio modo etiam sumitur intentio habitualis, pro habitu scilicet ex frequentatis actibus acquisito

acquisitio aliquid intendendi. Ut si quis v.g. sæpè digitos volens moveat, etiam dormiens, etiam amens ad illos movendos, sine advertentia se applicabit.

4. Virtualis est eadem prædicta intentio præterita nondum retractata, sed addit unum, quod remaneat in homine, & influat in opus, quod de præsenti homo facit, v. g. heri intendi ire Romam: hodie nihil expressè de Roma cogitans, assumo media, id est, surgo è lecto, exeo domo, navim conscendo, &c. dicor in his mediis assumendis habere intentionem virtualem adeundi Romam. Addit ergo Virtualis supra Habitualem unum aliquid, per quod moveor ad illa media peragenda, quæ ad finem heri propositum, & nunc non cogitatum, conducunt. Quid autem sit hoc aliquid, quod in me remanet post intentionem heri habitam, quodque me nunc movet ad illa media suscipienda, gravis est inter Doctores disputatio. Et alij quidem cum Suar. *de Sacr. disp. 13. sect. 3. §. Quocirca* docent, esse applicationem potentiarum externarum hominis, quæ ex vi intentionis præteritæ, remanent applicatæ ad ea media. Alij cum Vasque *de Sacram. disp. 138. cap. 6. n. 78.* putant, esse connexionem quandam, quæ remanet inter primam intentionem, & subinde inter actiones subsequentes. Alij cum Coninch. *de Sacram. quæst. 74. art. 8. dub. 2.* dicunt, esse quandam entitatem necessario à prædicta prima intentione relictam in Imaginatione, & Appetitu sensitivo, seu etiam, saltem aliquando, ex Delugo *disp. 8. de Sacr. sec. 5. num. 84.* in intellectu, & voluntate, quæ entitas (quamvis modo vix perceptibilis) movet potentias ad illos consequentes actus. Quæ tamen omnia, & similia in Scholis agitanda relinquere nostrum est.

5. Denique intentio Interpretativa, quam indirectam etiam appellamus, est ea, qua quis aliquid vult, tantum in causa; ut si quis, sciens, se solitum in ebrietate occidere homines, velit ebrietatem, Indirectè, & Interpretativè dicetur velle, seu intendere homicidium. His positis, duobus dictis rem, quæ ad nos facit, expediam.

*Intentio Actualis, & Virtualis approbatur in casu nostro, non verò Habitualis, & Interpretativa.*

6. Dicò primò, intentionem Actualem consecrandi, ut etiam Virtualem sufficientem esse in Sacerdote, ad hoc ut validè, & sine culpa sacrificium celebret. Ita iidem, aliique *passim.* De Actuali non indigemus probatione. De virtuali ratio est, quia Deus non requirit aliam intentionem in administrandis, & conficiendis Sacramentis, nisi illam, qua homo rationabili, & humano modo operatur, qualis est intentio virtualis, cum qua communiter homines operantur: nam perpetuam actualem intentionem ad rem, quam intendunt, nec habent, nec moraliter habere mortales possunt cum pateat experientia, tunc minus nos, actu, attendere cum maximè attendere conamur. Adde quod, cum tam facile sit humanæ menti aliò divertere, si actualem intentionem omnino requisisset Christus Dominus in Sacramentis conficiendis, ea continuæ nullitati exposuisset.

7. Dico secundò, intentionem habitualem, vel interpretativâ sufficientem non esse. Ita iidem. Ratio est, quia consecratio, ut etiam quælibet alia Sacramenti confectio est instituta à Christo ut exerceatur, sicuti modo dictum est more rationabili, & humano, non verò veluti à Pythaco, quod fuisset indecentissimum, cum ministerium, quod fit nomine Christi, peragendum esset more brutali: At actio per intentionem habitualem, vel interpretativam facti, non est in se, & formaliter libera, ut patet, quia ut, sic, potest fieri ab amente, vel ebrio, vel dormiente.

*Praxis prædictæ Intentionis consecrandi.*

8 Ex his infero primo, quòd Sacerdos, quamvis propter devotionem, & reverentiam debeat procurare Actualem intentionem, in ea tamen procuranda non adeò anxius esse non debet. *Ait bene Caietanus* (sunt verba *in fine Comment. q. 64. S. Thom. de Sacr. art. 9.*) *hanc actualem intentionem non esse intelligendam in actu signato, nec necessarium est, nec expedit ut Sacerdos, v. g. dum secrat, hunc actum interius repetat, Ego intendo &c. sed melius est, ut de ipso ministerio à se conficiendo, quam vocat Caietanus Actualem intentionem in abscito, & est potius attentio quædam ad res sacras peragendum qua est conjuncta voluntas perficiendi eadem &c. ria. Quamvis necesse non sit hanc semper actu exercere, neque nimiam diligentiam ad hoc exhiberi.* Hæc Suarez ideo advertit hanc; quæ est intentio Actualis, non necesse semper actu exerceri, quia succedere potest virtualis.

9. Infero secundo duos casus, & quorum resolutione latare poterit conscientiam Sacerdotis. Sic, primus Sacerdos, qui post Ordinationem habeat semel hanc intentionem. *Ego, quoties in tota mea vita Sacras Vestes, accedam ad Altare, & Sacrum agam volo consecrare:* si nunquam ejusmodi intentionem vocet; sed nec unquam renovet, validè conficit & licitè, in tota sua vita; Dico consecratum & licitè. Validè, quia in assumendo advertens, supposito, illas sacras vestes, in accedendo ad &c. adest virtualis intentio. Licitè, quia non est dos obligatus nisi habere intentionem conficiendi eramentum more humano, ut supra dictum est, quam satis superque hic jam habet.

10. Sit secundò, Sacerdos, qui ritè initiatur dotio, nec unquam aliam intentionem consecrandi beat, sed nec habeat contrariam non consecrandi, sic celebret per totam suam vitam, validè, & consecrabit? Dico validè & licitè consecratum in cæteris non desit. Ratio est, quia, ex una assumptione Sacerdotij adest sufficiens intentio crandi, hoc enim quis vult, dum vult fieri Sacerdos illudque munus exercere: & ex alia sufficiens adest virtualiter in ipsa actione, qua Missam intendit, & ad eam se disponit, vel se aliis actibus & præcibus præcedentibus consecrationem.

11. Sed placet verba Henriquez, *lib. 1. c. 10. n. 2.* in hanc rem ne cui scrupuloso videatur nova hactenus tradita. *Intentio virtualis*, inquit, *dicitur quamvis non videatur fluxisse ex efficaci vi, & memoria intentionis, aut quia licet nunquam habuit intentionem sibi explicitam; volo facere, quod Romana Ecclesia dit, id est, quod Christus instituit, habuit tamen ut si quis Ordines sacros suscipit, ut fiat Sacerdos, & ster Ecclesiæ, absque alia formali intentione (si habuit contrarium) consuevit celebrare, & ministrare menta etiam cum distractione mentis, hic enim charistiam & alia Sacramenta.* Hæc Henriq. Et paulo ter Reginald. *tom. 2. lib. 26. c. 3. n. 38.*

12. Quando igitur aliqui docent intentionem quis suscipit ordines hoc animo, ut fiat Sacerdos, sufficere ad conficienda Sacramenta; rectè docent hæc tantum est intentio habitualis: at addito quòd cerdos vestes sacras induat, Missæ orationes dicere piat, &c. jam non sistit in mera intentione Habituali sed addit Virtualem, atque adeo hanc sufficere docuit dictus Henriquez, aliique relati à Bonacina *Sacr. disp. 1. q. 3. part. 2. §. 1. n. 15.*

13. Addo quod in nostro casu vix moraliter fieri potest, ut non adsit aliquando ipsa Actualis intentio secrandi, quando enim Sacerdos exiens, v. g. domo, tuit Missam celebrare, & quando in ipsa Missa dicit *Fiat Sacrificium nostrum ut placeat tibi.* Item *Sacrificium.* Item *ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi Filij tui.* Imò, & quando actu confectat, profert verba Consecrationis, actionésque sacras exhibet, quid aliud facit, nisi saltem in actu exercito, ut ita loquebatur, ex Caietano, Suarez, Consecrationem intendere?

§ III.

§. III. *Supra quam materiam eadat intentio consecrandi.*

QVamvis cum de materia Consecrationis agendum erit, hæc quæstio tractanda esset, hîc tamen cum de intentione agimus, commodum etiam habet locum, quam, per aliquot casus magis practicos, discurrendo, expediemus.

## PRIMVS CASVS.

### *De Particula ignota Sacerdoti.*

### Vbi

*Defenditur Nunnus contra Dianam.*

1. MInister posuit supra Corporale, in Altari, particulam consecrandam, nec id, ante seu scivit, seu advertit Sacerdos; advertit autem post Consecrationem: dubitavit, an remanserit consecrata; quod est, dubitasse, an intentio consecrandi se extendat ad materiam Sacerdoti præsentem, quamvis ipsi incognitam.

2. Docet Diana *p.2.tract.17.resp.19* Nunnum *3.q.74. an.2.diff.vlt.* asserere, remansisse consecratam, quia intento Sacerdotis, nisi contrarium voluerit, cum præsumatur religiosa, præsumitur ferri ad omnem materiam consecrabilem præsentem.

3. Sed vera sententia, meritò negat. Ita Coninch. *de Sacr.q.72. art.4. dub.3. num.39.* aliique apud eundem Dianam: quia voluntas non fertur ad omninò incognitum, quare voluntas Sacerdotis, quantumcumque religiosa, non extenditur ad consecrandam formulam sibi prorsus ignotam.

4. Dixi (docet Diana) nam ut observat Dehugo *de Sacr. disp.8.sect.7.num.218.* Nunnus nequaquam dicit, loquitur enim in alio diverso casu, scilicet quando Sacerdos aliquam Hostiam præparavit, postea verò à Sacristâ, v.g. vel ab alio, vice illius Hostiæ, ponitur alia, inscio Sacerdote, vel invoniuntur esse duæ Hostiæ, loco vnius; in quibus casibus Nunnus dicit illas manere consecratas, quia non alligavit Sacerdos intentionem suam ad consecrationem illius Hostiæ, quam suis manibus præparavit, ut excluderet aliam, quam postea in Altari acciperet consecrandam: semper enim intendit consecrare id quod in Altari ad hoc idem ipse invenit & accipit cõsecrandum; quæ doctrina vera est propter rationẽ *mox.n.9.* dicendam; illa autem, quã ei authori tribuit Diana esset omninò falsa & improbabilis propter rationem *n. præcedenti* dictam.

## SECVNDVS CASVS.

### *De Hostiis numeratis, quæ non omnes consecrari intendantur.*

6. OFfert Minister Sacerdoti decem Hostias (ut ipse putat) consecrandas, quibus nec plures, nec pauciores intendit consecrare Sacerdos, sed inventæ post consecrationem fuere undecim, vel novem sũtne consecratæ, omnes, nullæ, an decem dumtaxat.

7. Dico Sacerdotem male fecisse astringendo intentionem ad solas decem, debebat enim, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, velle consecrare omnes præsentes inibi consecrabiles. Sed quando quidem in hunc errorem incidit, sciat cum communi opinione, nullam à se factam esse consecratam. Sic Suarez *de Sacramen. disp.43. sect.6. §..* & ibi Coninch *de Euchar.q.74.art.2.dub.3.a n.31.* Layman *lib.5.tr.4.c.2.à n.12.* Vasq. *de Sacr.d.171.cap.1.n.1.* aliique. Ratio est, quia intentio Ministri debet respondere, & quadrare verbis, quibus consecrat, & verba intentioni, secus per verba non significaretur quod intenditur. Cum ergo verba sint demonstrativa per pronomen, *hoc*; determinata esse debet materia, & quæ signati, demonstratique possit per dictum pronomen. At in casu, de quo loquimur, falsò demonctrantur à Sacerdote decem, quandoquidem tot non sint, & sic per verba non significatur, quod intenditur, adeoque nec consecratur.

8. Simile quid dicunt Doctores iidem *ibid.* in eo casu, quo (licet cum sacrilegio) vellet quis unam partem proportionalem Hostiæ, vel mediam non designatam consecrare, quia in nihil determinate ferretur intentio, cum tamen mediam v.g. ex parte sibi dextera vellet (licet item cum sacrilegio) consecrare, valide fieret consecratio, quia iam est pars determinata.

Quid, si quis ita intendat? *Volo consecrare eas partículas, ex his præsentibus, seu eam partem huius Hostiæ, quam vult Antonius*, vel *quam Deus vult*? Dico in irritum iri consecrationem. Ratio est iam dicta, quia, nisi ipsi Sacerdoti antea manifesta sit ea hominis, vel Dei voluntas, non posset per illud pronomen *hoc*, significare determinatè materiam illam. An tamen possit offerri Sacrificium pro eo, quem vult Deus, dicam *c.1. § 9.n.17.*

9. Denique adverte, quod si quis, cum sint Hostiæ undecim, v.g. appositæ, ut consecrentur, ipse tamen, vel nesciat numerum, vel etiam existimet esse decem, vel tredecim, seu plures, vel pauciores, intendat autem (ut intendere semper debeo) omnes præsentes consecrare, omnes consecratæ remanebunt. Ratio est, quia error ille vel ignorantia, in intellectu nihil obstat intentioni practicæ volentis omnes præsentes, & sibi in confuso cognitas consecrare.

## TERTIVS CASVS.

### *De Hostiis non consecratis fortè confusis cum consecratis.*

10. SI accidat per alicuius incuriam misceri particulas consecratas cum non consecratis, consecretur totus cumulus cum intentione consecrandi eas, quæ consecratæ non fuerint. Ita iidem citati: nam sic, quia iam intentio est ad determinatam materiam, licet soli Deo, vel Angelis notam, eæ, quæ consecratione indigent consecrabuntur. Neque enim necesse est, ut omnes partes materiæ consecrandæ à Sacerdote cognoscantur; cum ad hoc, ut intentio determinatè feratur in materiam, non requiratur distincta eiusdem materiæ cognitio, sed satis sit confusa; secus, quando in magna Pixide multæ formulæ sunt consecrandæ, cum non omnes distinctè noscantur, in irritum abiret earum consecratio, contra sensum, & praxim omnium Fidelium, & Ecclesiarum.

## QVARTVS CASVS.

### *De Hostiis super Altare, non verò super Aram consecratam positis.*

11. SAcerdos celebraturus habet in Sacristia intentionem consecrandi formulas: accidit autem, ut illæ inclusæ in consecrata Pixide collocatæ super Altare fuerint à Ministro, non autem super Aram consecratam, seu supra Corporale, processit in Sacrificio Sacerdos, consecravitque Hostiam maiorem, sine ulla prorsus prædictarum formularum memoria: Remanserunt hæ formulæ consecratæ, necne?

12. Tannerus aliique apud Dian. *p.3. tract.6. resp.103.* & *p.5.tract.14.resp.19.* probabile putant remansuras consecratas. Ratio est, (inquiunt) quia Sacerdos habuit intentionem actualem illas consecrandi, nec unquam revocavit: & ex alia parte processit ad faciendum Sacrum, & ad consecrandas eas omnes à se animo destinatas, quæ sibi præsentes essent: ut certè hæ fuerunt. quamvis, si advertisset illas carere debito situ, revocasset intentionem non tamen in facto revocavit.

Afferunt exemplum, nam si Sacerdos advertisset se forte esse in peccato mortali, abstineret à consecrando: si tamen non advertit, non propterea non valide consecrat: non enim est considerandum id quod fecisset, sed quod actu intendit, & fecit.

13. Suarez *de Sacr. d. 43. sect.6. §. Sed obiicies*, Cavart. in

*in Rubr. Miss. p.3.tit.7.num.4.* aliique verosimilius docent non remansuras consecratas. Ratio est, quia contra consuetudinem Ecclesiæ est, & peccatum extra Aram, & Corporale, velle consecrare. Ergo cum omnis Sacerdos præsumendus sit habere intentionem conficiendi Eucharistiam ritè, & sine peccato, præsumitur noluisse consecrare in prædicto situ.

14. Sed claritatis, & doctrinæ gratia, tres nobis sunt hic casus distinguendi.

Primus est, si Pixis continens particulas consecrandas, posita fuit super Aram consecratam, itidemque supra Corporale.

Secundus est, si posita fuit super Altare v.g. in cornu seu versus cornu Epistolæ, & non super Aram consecratam, sed nec super Corporale.

Tertius est, si fuit posita super Corporale quidem, sed non supra dictam Aram, accidit enim sæpe, ut Corporale latius extendatur quàm Ara. Vel contra, si super Aram, & non super Corparale, id quod evenire posset in casu, quo angustius esset Corporale, quam Ara.

15. Dico primo, in primo casu eas particulas remanere consecratas. Ita Suar. Reg. Coninch. aliique apud Bonac. *de Sacris disp.4.quæst.2.part.6.n.4.* Ratio est, quia ex una parte iam ritè, & sine peccato fit eiusmodi consecratio: & ex alia adfuit sufficiens intentio in Sacristia, ex qua processit ad consecrandas omnes Hostias animo destinatas.

Atque hîc nota id verum esse, hoc est, remanere consecratas, etiamsi Sacerdos non aperiat Pyxidem forte clausam quando profert verba consecrationis. Ratio est, quia non est necesse, ut videatur à Sacerdote materia consecranda, cum sufficiat, si sit præsens, & demonstrabilis per pronomen, Hoc, qualis certè est ea materia quæ est clausa in Pyxide, & qualis non est si clausa foret in tabernaculo, vel post parietem, ut *passim* Theologi *ibid* docent.

16. Dico secundò, in secundo casu, eas particulas non remanere consecratas. Ratio est illa, quam diximus ex Suario. *n.13.*

17. Ad rationem contrariæ sententiæ Tanneri, relatæ *n.12.* Respondeo, negando Sacerdotem habuisse intentionem illas particulas, in indebito sitû positas consecrandi: immo dicimus habuisse implicitè intentionem non consecrandi, ut probat ratio Suarij

18. Exemplum allatum contra nos de Sacerdote non advertente se esse in peccato mortali, videtur urgere: & urgerent fortasse magis alia exempla, quæ potuissent adduci. Nam si V. G. Sacrista Hostias confecisset cum fermento, certè, si illas nesciens Sacerdos Latinus consecraret, valide consecraret, licet si sciret, nunquam consecrasset. Eodem pacto, si mente distractus Sacerdos Hostiam non obtulisset, sanè si adverteret, illam non oblatam nunquam consecraret, & tamen si consecrat, valide consecrat, & alia plura sunt non absimilia.

Quibus tamen responderi non difficulter potest. Nam in casu dictorum exemplorum, debuisset Sacerdos, vel nihil, vel unam tantum speciem, id est vinum consecrare, si sacrificare voluisset, & illos defectus noluisset: id, quod nullo modo præsumendum est velle ipsum, quia id repugnaret cum voluntate, quam supponitur habere integrè sacrificandi. At in casu nostro nolens illas particulas non ritè collocatas consecrare, bene stat cum voluntate celebrandi integrum Missæ Sacrificium, legitimam Hostiam maiorem solum consecrando: quare, in hac voluntate integrè celebrandi non involvitur voluntas consecrandi particulas existentes in situ indebito, cum contra in eadem voluntate integrè celebrandi, involvatur voluntas consecrandi in mortali non cognito, in fermentato, in non oblato.

19. Dico Tertiò, in tertio casu apparere aliquam difficultatem; eius tamen resolutionem dependere ab ea quæstione, an sit peccatum consecrare hostias positas supra Corporale, sed extra Aram consecratam, vel supra Aram, sed extra Corporale: si enim est peccatum, intentio Sacerdotis, ut diximus cum Suario religiosa, non se extendet ad Hostias extra Aram, extra Corporale collocatas: si non est peccatum. Cum ergo communis doctrina sit esse ... ex supradictis *l. 1. cap. 5. §. 1. à num.1. &* ... patet, sequitur, verosimilius esse non remanere consecratas.

20. Quoniam verò res in secundo, & tertio ... omnes, & Doctores citati, fatentur, valde dubi... non profanè agendum cum his particulis, ... conditione in alia Missa sunt consecrandæ ... idem Sacerdos post assumptum Calicem.

Quid si quis consuevit consecrare particulas extra aram, & extra Corporale, sed [illegible] sibi præsentes, putans, ex invincibili ignorantia, ... fieri,

Respondeo, tunc eas futuras consecratas, ... advertisset, consecrasset, ut supponis, & quidem ... consecrasset, quia sunt sufficienter præsentes ... Sacerdos per accidens ratione suæ ignorantiæ, ... tudinis, nec habet, nec præsumitur habere ... tatem non consecrandi in illo situ, qui verè ... tus, iam enim ipse putat, esse debitum, atque ... te se, ac sine peccato consecrare, quare ... obstat præsumptio à Suario, & à nobis dicta ... & 16.

21. Vnum denique advertit Layman *lib. 5. ... n.15 fine*, quod si Sacerdos ita secum statuerit ... me tempore oblationis, non recordari formam ... sitarum pro communione populi, vel si contingat ... pore consecrationis, me non recordari oblatæ, ... nolo eas consecrare: advertit, inquam Layman, ... fiet quidem sicut intendit, sed videtur peccare, ... intentio talis conformis non sit communi intentioni ... praxi Ecclesiæ. Hæc ille.

22. In qua doctrina unum placet, alterum ... quæm. Placet quod fiet sicuti Sacerdos intendit, ... verum ex communi doctrina, est. At quod peccet ... liter apud se statuat, non placet. Peccaret quidem ... id intenderet de sua Hostia, nam sic supponit ... næ memoriæ fragilitate, subiiceret periculo ... sui Sacrificij: si tamen intenderet de formulis, ... bus Layman agit non video unde contrahatur ... tum, tunc enim Sacerdos si oblivisceretur, jam ... tus, se illas non consecrasse: & ex alia parte, ... periculo exponeret. Quod autem eiusmodi ... sit contra praxim Ecclesiæ, verum est, quoad ... necessariam Sacrificij, propter dictum periculum ... sacrificandi validè; sed quoad particulas sacrificandi ... necessarias, fuisset eiusmodi praxis probanda, ... ponenda.

## QVINTVS CASVS.

### *De Guttis vini in calice discontinuis.*

### Vbi

*Defenditur Coninch. contra Layman.*

25. QVod in hoc titulo proponimus, sic ... Ægidius Coninch *de Euch.q.74. artic.4. n. 42. Nota legitimam intentionem consecrationis ... secundum communem, & primam praxim fieri ... omnem humorem comsecrabilem, qui in calice per ... continui continetur: ut comprehendat etiam aquam ... permistam (quæ etsi in vinum non convertatur, ... crari potest) & guttas vini, quæ proximè continuæ ... Calici intrinsecus adhærent ita, ut parva Calicis ... ne, reliquo vino misceantur. Tales enim guttas ... prius abstergi vel cum reliquo vino consecrari ... dit ne materia non consecrata misceatur consecratæ. ... nisi consecrans aliud expresse intendat, censetur ...

*hanc totam materiam, & nullam aliam consecrare, & consequenter, nec guttas remotiores, circa extremum laterum Calici adhærentes. Quamvis magis expediat prius omnes guttas, præsertim remotas, abstergere, & tunc similiter omnem materiam consecrabilem quæ est in Calice consecrare. De gutis autem extremis Calici adhærentibus, nihil laborandum est, quia nemo nisi id expresè intendat, nihil laborandum est, quia nemo nisi id expresè intendat, (quod cum injuria Sacramenti fieret) censetur eas velle consecrare.* Hæc Coninch.

24. Layman verò *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 15.* cum de hac re ferè, eadem excripsecrit, sic addit. *Quod porrò Coninch. ait, eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra Calicem reliquo liquori proximè adhærent, ut levi Calicis commotione admisceantur, difficultatem habere videtur: eamdoquidem determinari non potest, quanta omnino esse debeat talium guttarum propinquitas: fatetur enim ipsemet remotiores non consecrari. Neque verò potest consecratio (sicuti neque alterius Sacramenti confectio) pendere à fortuito eventu contingente, ut nimirum eæ solum guttæ consecrentur, quas postea contingeret Calicis agitatione reliquo liquori commisceri.* Hactenus Layman.

25. Verum enim verò videor me posse Ægidij partes agere: & ut clarius procedat defensio, Inquiro, si contingat (ut sæpe, ne dicam semper, profectò contingit) te immediate ante consecrationem commovere, seu ad latus flectere Calicem: quo motu, totum vinum ad latus cuppæ adlabitur, deferens vino conspersum aliud latus; Inquiro, inquam, si proferas supra hujusmodi Calicem sic inclinatum consecrationis formam, illud vinum, quo latus conspersum est, consecratur, nécne? Sanè consecratur, quia continuum est cum reliquo: secus reposito in suo recto situ Calice, aliquid non consecratum remaneret in Calice admistum materiæ consecratæ, quod nemo admittet: quamvis enim id sit tam modicum, ut peccatum fuisset (cum non sit potabile, immo vix sit sensibile) illud separatim consecrare; tamen, quando est unitum, & continuum cum cætero, est apta materia consecrationis. Fac item aliquam guttulam ita adhærere interiori Calici, ut tangat vinum, sed propter ejus exiguum pondus non misceatur tota cum vino, solúmque remaneat unita vino: seu, quod frequentius accidere potest, fac ullam similem guttam immediatè ante consecrationem ex superiore parte Calicis cadere in vinum; & cum ipso commisceri, remanente, ut oportet, illa parte superficiei Calicis, in qua erat gutta, & per quam transiit, dum cecidit, remanente, inquam, reperta, seu intincta vino; inquiro, illa guttula veluti supernatans, ut ita dicam, & hæ partes moviciissimæ vini, quibus pars dicta superficiei Calicis respersa remanet, consecrantúrne, dicta statim, antequam atefcant, consecratione? Certè consecrantur in omnium sententia, quia jam sunt continua cum reliquo liquore.

26. Dico igitur Ægidium de his guttulis loquutum fuisse, quæ adhærent superficiei interiori Calicis, & sunt aliquo tandem modo physicè continuæ cum cætero vino, non verò de iis, quæ sunt separatæ (ut credidit Layman) licet quacumque ratione vino sint vicinissimæ.

Patet id ex ipsius Ægidij verbis, & multo magis ex iisdem verbis, ut à Layman referuntur. Hæc sunt verba Ægidij. *Ut comprehendat guttas vini, quæ proximè continuo liquori Calici intrinsecus adhærent.* Non dicit propè, sed *proximè*, quod non potest intelligi, nisi de gutta, quæ attingat vinum continuum, secus non esset proximè, quod est superlativum, ideſt, ita, ut magis propè esse non possit. Adde quod ipse sic paulo ante dicit: *Nisi legitimam intentionem consecrandi ferri solum circa omnem humorem consecrabilem, qui in Calice per modum continui, aut quasi continui continetur, ut comprehendat etiam aquam vino permistam, & guttas vini quæ proximè continuo liquori Calici intrinsecus adhærent, &c.* Jam, gutta separata, licet vicina vino, nec est continua, nec quasi continua vino. Ergo illam excludit, non includit Coninch à materia consecrabili. Includit verò guttas aquæ immistas vino, quia licet contiguæ sint iis rigore philosophico, vino; dicuntur tamen propter illam admistionem, non immerito, quasi continuæ: includit pariter guttas illas à nobis dictas *num. 25* quæ non sunt quasi, sed verè constinuæ cum reliquo liquore, ut ibidem explicuimus. Quod autem addit Coninch, ita ut levi commotione admisceantur, ideo addit, quia guttæ ejusmodi, de quibus nos sermonem esse contendimus, facillimè per dictam commotionem admiscentur cum reliquo vino.

27. Sed videamus quomodo referat Layman Ægidij verba, sanè in hunc modum. *Quod porrò Coninch. addit eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra Calicem reliquo liquori proximè adhærent, ita ut levi Calicis commotione admisceantur, difficultatem habet &c.* Profectò, si tales guttæ *reliquo liquori proximè adhærent*, ergo cum illo continuantur, ergo si de his loquitur Coninch, (ipso favente Layman) de continuis loquitur, non de separatis, quomodocumque vino vicinis. Prima consequentia, in qua est vis argumenti, est certa; quia non potest intelligi guttam liquoris adhærere liquori ejusdem speciei, nisi cum illo, mediantibus particulis, quibus adhæret continuetur.

28. Ex his ergo habemus, quod licet Bonatina *de Euch. disp. 4. q. 2. p 5. num. 7.* immerito Ægidium citans, sentiat guttas existentes intra calicem, quamvis à vino separatas, consecrari, quia legitima Sacerdotis intentio fertur (inquit) in totam materiam existentem in Calice demonstrabilem per pronomen, *hoc*; probabilius tamen est cum Layman *loco cit.* Coninch. *loc. cit.* Reginald. *tom. 2. lib. 29. cap. 2. n. 19.* Suar. *de Sacr. disp. 43. sect. 6.* non consecrari: cum intentio legitima Sacerdotis feratur quidem in materiam existentem in Calice demonstrabilem per illud pronomen, sed certè continuam, non separatam.

### *An guttæ separatæ in Calice debeant abstergi ante consecrationem.*

29. PEccátne Sacerdos si advertens antè consecrationem adesse guttulas separatas intra Calicem, eas non abstergit, nec cum cætero vino, commotione Calicis admiscet?

Puto non peccaturum, habeat tamen animum consecrandi juxta intentionem Ecclesiæ. Ratio est, quia non obligamur, nisi humano modo, in his ministeriis nos gerere; non ergo ad curandam metaphysicam liquoris continuationem, sed solum continentiam ejusdem in eodem vase, Deo cætera relinquentes.

Nam propterea Coninch. dixit expedire, Laymar, optimè Sacerdotem facere, si abstergat. Immo addo, aliquando nec expedire, si enim advertas adesse ejusmodi separatas guttas, quando, discooperto Calice, incipis, *simili modo &c.* (ut mihi non semel accidit) puto non esse tunc scrupulosè accipiendum purificatorium, & cum admiratione aliqua astantium, qui elevationem expectant abstergendum, vel commovendum Calicem. Habe ergo prædictam intentionem; & prosequere.

### *An guttæ separatæ in Calice debeant abstergi post Consecrationem.*

30. Post consecrationem verò, nunquam abstergendæ sunt illæ guttæ, quæ forte adesse intra Calicem nunc adverturtur. Ratio est, quia cum non sit certum eas non esse consecratas, esset periculum abstergendi sanctissimum Sanguinem. Assumantur igitur admistæ cum reliquo. Et quamvis nefas sit, materiam non consecratam consecratæ temerè admiscere; in hoc tamen casu, dubium, quod gutta illa sit consecrata, rationabilem reddit admistionem. Nec obstat periculum frangendi jejunium naturale, quod timeri posset, si prius deglutiretur gutta illa fortè, non consecrata: non obstat, inquam, propterea, quæ docet in simili Delugo *de Euch. disput. 15. sect. 4. num. 79.* Adde quod reverentia,

quæ illi guttæ, propter illud dubium debetur, ejusmodi timorem facilè superat.

## CAPVT II.

## De Applicatione Missæ.

### §. I. *Præmittuntur quædam necessaria de offerentibus Missam ejusque valore.*

1. VT facilius ea, quæ dicenda sunt de Applicatione Missæ, percipiantur; Præmittendum est cum Delugo *de Euchar. d. 19 sect. 9. n. 122. & sect. 12. à n. 239.* in hoc Sacrificio, intervenire eos, qui offerunt, & eos, pro quibus offertur.

Qui offerunt sunt, Christus Dominus, qui est principalis Sacerdos, Celebrans, qui est Christi minister, Ecclesia, seu cœtus fidelium, qui designat talem Ministrum, qui ipsius Ecclesiæ nomine offerat, Circumstantes qui faciunt unum suo modo cum celebrante; Denique dantes eleemosynam pro dicenda Missa.

Ij, pro quibus offertur, sunt ipsi iidem Fideles defuncti vel vivi peccatores, vel justi, &c. pro quibus intendit actualiter, vel virtualiter Sacerdos offerre.

2. Jam circa hos omnes, possunt considerari tres effectus Sacrificij. Ita idem, & *passim.* Theolog. Primò meritum, quo scilicet offerentes, vel ij, pro quibus Missa offertur, seu quod idem est, applicatur, merentur, sive gratiæ augmentum, sive auxilia Dei ad actus virtutum. Secundò, Impetratio, quia iidem per Missam impetrant à Deo bona spiritalia, & temporalia. Tertiò, satisfactio, qua iidem satisfaciunt pro pœna temporali in hac, seu in alia vita, peccatis ipsorum debita.

3. Et quidem hæc tria (quæ uno vocabulo vocantur fructus, seu emolumentum Missæ) considerari possunt, vel ex opere operato id est quatenus habentur, ex vi ejus, qui est principalis in hoc Sacrificio, nempè Christus Dominus, vel ex opere operantis, id est, quatenus habentur ex vi operationis, seu actionis ipsius Sacerdotis, vel circumstantium, vel dantium stipem. An autem Meritum, quod habetur ex hoc Sacrificio, sit solum ex opere operantis, an verò etiam ex opere operato, & an is fructus, qui in Missa habetur ex parte Ecclesiæ, sit dicendus haberi ex opere operato, an operantis, & similia pertinent ad Theologos Scholasticos. V. Delugo *disput. cit. 19. de Euch. sect. 9. n. 122. juncto n. 136. & 150. & sec. 9 n. 125.*

4. Illud certè, quamvis Scholasticum, pertinet nonnihil ad nos; An valor, seu fructus satisfactionis, qui haberi à Missa potest ex opere operato Christi, sit infinitus, an finitus? Breviter respondeo, certum esse, infinitum esse in actu primo, est enim ipse Christus, seu ejus infinita merita. Verum, an Christus voluerit ut infinitus esset in actu secundo, ita ut una Missa actu satisfaceret, ex opere operato, pro pœnis debitis finitis in infinitum, id certè est quod hic quæritur.

5. Triplex autem potest esse sensus quæstionis. Primus, An fructus Missæ sit infinitus respectu omnium personarum (quæ esset infinitas veluti extensiva) & sic una Missa applicata omnibus, & singulis Fidelibus, sufficiat perfectè pro illis. Et in hoc sensu, fatemur omnes, non esse fructum Missæ actu infinitum, quia frustra multiplicarentur Missæ. & quia, ut dicemus, quantitas, ut ita dicam, talis fructus, limitatur à dispositione cujuscumque fidelis, cui applicatur. Ita idem *ibid. sect. 10. n. 200.* cum Suar. Vasq. aliis.

6. Secundus. An sit infinitus respectu unius personæ, & sic una Missa applicata, uni personæ, v.g defunctæ, tollat ab illa omnem pœnam ab ipsa debitam, etiam si hæc pœna major, & major in infinitum esse supponatur. Et in hoc sensu omnes similiter fatemur, non esse fructum Missæ actu infinitum. Ita Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. c. 12. num. 12. & 13.* aliique citati, & citandi quia quamvis hic fructus augeatur pro meliore dispositione subjecti pro quo Missa applicetur, unde dici in Missa esse valorem infinitum syncathegorè, cum dependeat tamen à prædicta dispositione semper finita erit, finitus erit & fructus. Quantum, Deus solus novit. Nam propterea, ritè cum plures, & plures Missæ, pro uno, eodemque applicata Delugo *de Euch. d. disp. 19. sect. 12. n. 243.*

7. Tertius sensus est. An fructus Missæ sit respectu multarum personarum, & sic una Missa applicata pro multis tantum singulis prosit, quantinibus, ita ut si Missa applicetur, v.g. pro decem dividatur emolumentum Missæ in decem partes singuli, secundum suam dispositionem, hoc tum fructum, ac si, pro uno solo, applicata fuisset Missa.

7. Et in hoc sensu magna quæstio est inter Thogos: duæque sunt sententiæ. Affirmat Vasq. *Euch. 231. c. 2.* Castropalaus *de sacrif. disput. unica num. 11.* aliique. Negat cum communi Suarez *disput. 79. sect. 12. §. Dico secundo*, aliique; & mitio potissima est, quia, si una Missa tantum uno, quantum, si applicetur pro multis, vanus apud Fideles ab Ecclesia tot annis approbatus plicetur Missa pro uno defuncto particulari particulari satisfactione: cur enim non applicanes Missæ pro omnibus defunctis? & cur tus est fidelis, ut pro se particulari Missa Sanè non propter aliud, nisi quia fructus faltorius diminuitur ex consortio alterius, ita Deo t., ut sic tantum Sacrificium, frequentius celeNon ita se habet auditio Missæ: nam, etsi multi eandem Missam, non tamen, ex consortio alicuminuitur pro singulis, fructus respondens Missæ singulorum: At in applicatione, diminudiximus; & maximum argumentum hujus veritahoc ipsum quod dicimus, quod, scilicet, Fideles, antiquo Ecclesiæ more comprobato, non sunt solut soli audiat Missam, sunt vero multum solliti pro solis, idem Sacrum applicetur.

His delibatis, ad ea, quæ magis pro casibus cotiæ faciunt, accedamus.

### §. II. *An applicari possit Missa pro infideli.*

1. QUidam infidelis, v. g. Turca audiens à Christianis quanti valeat Sacrificium Missæ offrpem Sacerdoti, ut pro ipso faciat Sacrum. Postprimo id acceptare eleemosinam. Secundo, pro ipso celebrare? Respondeo utrumque posse, tamen publicè non nominando, ne detur occasionis, vel scandali in populo. Ita Suar. *de Sacrdisput. 78. sect. 2. §. Dico tertio* aliique apud Marchinum negantem *tract. 3. de ord p. 2. cap. 7. num. 1.* Ratio est, Infideli (quamvis solum in uno) prodest Missa. enim illi non prosit, quoad meritum; siquidem infidelis, qui propter privationem gratiæ, est Dei inimicus non est in statu meriti, neque prosit quoad satisfactionem, quia satisfacere pœnæ quis non potest, dum in peccato mortali, neque enim pœna illa remittitur, cui actu debetur pœna æterna; prodest tamen quoad Impetrationem (etiam ex opere operato, ut dicam §. 3 *numero 4.*) quatenus ei impetrari possunt, mediante Sacrificio, aliqua bona temporalia, immo & spitualia, ut sunt aliquæ bonæ inspirationes, & ut Deus aliquantulum placatus, cum infidelem adfidem.

2. Dices; ergo Sacerdoti non licebit integrum pem accipere, siquidem nec integrum Missæ fructum attribuere potest. Respondeo, neque actu peccatori test celebrans applicare totum fructum, ut mox *num.* 1. dicemus, & tamen nunquam hunc scrupulum jecisti Sacerdoti, quasi non posset tibi cognito peccre integram stipem accipere. Dico igitur, ex una

fructum impetrationis tanti esse, ut superet omnem æstimabilitatem pecuniæ: & ex alia, infidelem, vel peccatorem offerentem eleemosynam, velle interpretative, illud quod velle rationabiliter potest. Cum igitur possit solum participare de fructu Impetrationis; hanc solam, & nihil præterea, velle præsumendus est.

### §. III. *An, & quatenus Missa offerri potest pro Cathecumeno.*

1. VAldè differt, à præcedenti, præsens quæstio: nam hic supponimus Cathecumenum esse ex vi contritionis in gratia, & solum ei deesse Baptismum, per quem tanquam per ianuam visibilis Ecclesiæ in illam ingrediuntur Fideles: at infideles semper supponuntur sine gratia, & Dei inimici. Quærimus ergo, an Sacerdos possit stipem accipere à Cathecumeno, illique Missæ fructum applicare?

2. Dicimus posse utrumque, si enim potest pro Infideli, multo magis pro Cathecumeno; cui saltem prodesse Missa quoad Impetrationem, sicuti prodesse Infideli, modò dictum est. Doctrinæ tamen, & curiositatis gratia, tum de dictæ Impetrationis, tum de satisfactionis fructu, ex opere operato addo sequentia.

3. Quoad satisfactionem. Quamvis non desint qui concedant Cathecumeno existenti in gratia prodesse effectum satisfactionis, ex opere operato, si pro ipso offeratur Missa, unde si sit in Purgatorio iuvari per Missam possit, sicuti cæteri baptizati? ita Leman. *v. Missa, n.* 7. aliique apud Lud. à Cruce *in exp. Bull. Cruc. disp.* 2. *c.* 8. *n.* 18. vide etiam Fagund. *lib.* 3. *de primo præcept. Eccl. c.* 12. *num* 29. & 30. Communior tamen opinio negat. Ita Suar. *de Sacram. disp.* 79. *sect.* 10. §. *Primò igitur.* March. *de ord. tract.* 3. *p.* 2. *c.* 7. *num.* 3. aliique ab ipsis citati. Ratio negationis illa affertur, quia Ecclesia per suos Ministros non potest applicare fructum satisfactionis Missæ, nisi iis, qui sunt de membris suis, hoc est, de Ecclesia visibili, in quam fit ingressus per Baptismum, quales nondum sunt Cathecumeni. Probabiliter quidem, sed ego libens sequor opinionem affirmantem, & huic rationi respondeo, Cathecumenos non esse omnino extra Ecclesiam visibilem, sed aliquo tandem modo ad illam pertinere, siquidem propter fidem, quam iam animo conceperunt, & iam externè professi sunt; inchoativè sunt de visibili Ecclesia. Exemplum dare soleo de Novitiis alicuius Religionis: ij enim vere Religiosi, pequam sunt, pertinent tamen ad Religionem, suntque initiativè eius Religionis, cuius habitum susceperunt? Vnde, sicuti iidem participant de Religionis susceptæ privilegiis, ita putandum est, Christum Dominum noluisse excludere de suæ Passionis satisfactione, fructuque Sacrificij eos, qui aspirant ad Baptismum, atque externa etiam petitione deposcunt.

4. Quoad Impetrationem. Facilius certè conceditur, quoad ipsam ex opere operato, prodesse Catechumeno, tum propter rationem insinuatam, quod Catechumenus initiativè pertinet ad Ecclesiam visibilem; tum universaliter, comprehendendo etiam Infideles: quia hoc Sacrificium, ut est impetrativum, utrique ex opere operato, potest Deo offerri ex Trident. *sess.* 22. *can.* 3. pro quacumque re obtinenda, etiam temporali, ut pro pluvia pecoribus, aliisque necessitatibus, *Mirum autem esse* (ait hic Delugo *de Euchar. disput.* 227. *c.* 2. *&.* 3. negantem, sed cum Suario *de Sacram. d.* 78. *sect.* 2. §. *Dico verò*, & *d.* 79. *sect.* 10. §. *Primò igitur*: concedente) *quod Missa posset offerri ad impetrandam sanitatem bovi, non autem ad salutem amico Infideli.* Nec deest ratio, qua sinul dissolvuntur argumenta contraria, nam impetratio non respicit immediatè personam, cui confertur beneficium, sed personam, quæ postulat, unde qui petit sanitatem bovis non dicitur offerre pro bove, sed pro se, ut impetret sibi immediatè illud beneficium sanitatis bovis; Ita ergo etiam dato, Missa immediatè pro non baptizato offerri nequeat; poterit, pro se ipso Sacerdote offerri, qui tanquam proprium beneficium, impetret salutem non baptizato.

5. Sed hæc Scholastici tractent; illud collige, posse sine scrupulo à Sacerdote applicari Cathecumeno Missam, quæ iam proderit, quoad fructum impetratio, nis certò, probabiliter verò, quoad fructum satisfactionis.

### §. IV. *An Offerri Missa possit pro Excommunicatis.*

1. EXcommunicati alij sunt tolerati, seu quod idem est non vitandi, alij non tolerati, seu, quod idem est, vitandi. Et quidem publicè denunciati nominatim, & publici percussores Clericorum sunt vitandi: cæteri omnes non vitandi.

2. Præterea, Sacerdos (ut rectè distinguit, cum aliis Coninch. *disp.* 14. *de excom. dub.* 6. *n.* 36.) triplicem personam repræsentat. Primò immediatè ipsius Christi, cuius tanquam principalis offerentis, sacrificium, eiusque fructum ex opere operato, alicui applicat. Secundò, ipsius Ecclesiæ, tanquam cuius legatus, sacra efficia, & sacrificia celebrat: & in his duobus agit Sacerdos personam publicam. Tertiò repræsentat suammet personam, & sic agit personam omninò privatam: sicut enim possunt hoc Sacrificium offerre Deo circunstantes, vel dantes stipem; ut privatæ personæ, sic poterit & ipse Sacerdos. His positis.

#### *De Sacerdote ut privata persona pro Toleratis, & non Toleratis*

3. Dico primò. Sacerdos, ut privata persona, potest applicare, seu offerre Missam, pro Excommunicatis, sive Toletatis: Ita Coninch. *ibid. num.* 37. quidquid dicat Faber, & Latomus apud Dianam *part.* 5. *tract.* 9. *res.* 77. Ratio est, quia Ecclesia excommunicatos privat solum communibus, hoc est, publicis suffragiis, atque adeo solum Sacrificio, ut offertur in persona Christi, vel Ecclesiæ.

4. Hinc infero etiam posse Sacerdotem in Sacrificio orare pro dictis; dummodo id faciat privatim, seu solamente, & non per orationes, quæ nomine Ecclesiæ dicuntur. Ita Coninch. *ibid.* & Delugo *disp. de Euchar.* 19. *sect.* 10. *num.* 184. Vt item posse in *Memento*, orare pro iisdem. Ita idem, & Gordonus, & Cornejo apud Dianam *part.* 5. *tom.* 9. *res.* 77. quia, ut dictum est, hoc modo Sacerdos agere potest nomine privato, non vero Christi, & Ecclesiæ. Immò propter easdam rationes, dum dicit orationes publicas, v.g. orationem pro infirmis; potest animo suo privato intelligere infirmum excommunicatum, etiam non toleratum.

#### *De Sacerdote, ut persona publica, quoad non toleratos.*

5. Dico secundò. Non posse Sacerdotem, ut publicam personam, hoc est, nomine Christi, vel Ecclesiæ applicare Sacrificium pro excommunicatis vitandis, vel ut sic pro illis orare. Ita Coninch *ibid.* Ratio est, quia Ecclesia id directè prohibet, dum per excommunicationem illos privat communibus suffragiis, nec unquam id temperavit, sicuti temperasse, *mox* dicemus, pro toleratis.

6. Sed, quid, si quis non toleratus sit contritus; perque ipsum non stet ut absolvatur, censendúmne est, eum, qui est Dei amicus, & per Christatem ipsi Ecclesiæ unitus, tam graviter puniri? Non ita propter hanc rationem, putant Navarrus, Covarruvias, aliique quos sequuntur, & citant Fagundez 1. *Eccl. præcept. lib.* 3. *c.* 12. *a n.* 6. & Marchinus *de ord. tract.* 3 *p. cap.* 10. *num.* 6. Sed contrarium docent Sotus, Coninch. & Hurtadus *d.* 3. *de excom. diff.* 5. qui citat eosdem, quia adhuc est excommunicatus; eumque sic, ad terrorem aliorum,

punire quasi invita constringitur pia Mater Ecclesia. Vtrumque probabile, hoc posterius probabilius.

7. Hinc infero peccare mortaliter Sacerdotem si secus faxit, sique eleemosynam, pro hoc recipiat: quia in re gravi, & contra tam gravem prohibitionem operaretur communicando in sacris cum excommunicato non tolerato. Insuper teneretur ad restitutionem stipis acceptæ, quia nullum spiritualem fructum ex opere operato, id est, provenientem ex parte Christi, & Ecclesiæ (qui est fructus, quem maximè, fideles per stipem requiriunt) illis conferre potest. Vide infra *lib. 3. cap. 1. §. 9. num. 5.*

*De Sacerdote, ut persona publica quoad Toleratos.*

8. Dico tertiò, pro Toleratis an possit Sacerdos ut persona publica orare, ipsisque Missam applicare, esse vulgarem quæstionem. Negat Suarez, Vasquez, aliique quos citat, sequiturque Bonacina *de excomm. disput. 2. quæst. 2. p. 1 §. 1. num. 1.* & Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 8. à. num. 18.* Concedit Coninch Henriq. Sà, Navarr. aliique apud eundem Bonac. quibus adde Hurtad. *de excomm. disp. 3. diff. 4.* & Delugo *disp. 19. de Euch. sect. 10. num. 187.* Hi concedunt, quia Concilium Constantiense *in Extrav. Ad vitanda*, universaliter permittit in quibusqcumque divinis, vel extra, cum excommunicatis toleratis communicari posse. Illi negant quia concedunt per hæc Concilij Constantiensis verba alias cæteras communicationes, etiam in sacris permitti, non vero hanc applicationem Sactificij, quia cum hæc fiat sola mente, & longe distante ipso excommunicato, communicatio propriè non est: Vtrique probabiliter, sed hi qui benignius loquuntur, sunt hilariùs excipiendi, suffragaturque ratio, quia hæc concessio data à Constantiensi ad dilatandas conscientias fidelium, restringenda non est, sed extendenda ad communicationem, licet non tam propriè dictam. Ita Sanchez *in decal. lib. 2. c. 9. num 4.* Et quamvis id faveat ipsis excommunicatis, quia tamen id illi redundat ex concessione facta fidelibus liberè orandi non erit nisi favor indirectus, qui non negatur Toleratis. Ita Layman. *lib. 1 tract. 5. c. 4. n. 5* Sotus & Sanchez apud eundem.

9. Adde neminem vocare in dubium, quòd Toleratus possit admitti cum aliis fidelibus ad audiendam Missam, & tunc, iam Sacerdos publicè orat pro ipso, dum dicit (*pro omnibus circumstantibus:*) Ita Delugo *disp. de Euch. 19. sect. 10. n. 189.* Item cum eodem Tolerato possumus recitare officium, vel etiam cantare in Choro, tunc autem oramus publicè pro illo, dum dicimus (*misereatur tui omnipotens.*) Ita idem *ibid.* Item, ipsi si sit alias dispositus, communionem porrigere possumus, proque illo publicè orare dicendo (*Corpus Domini nostri custodiat animam tuam*) Ita idem *ibid.* Item possumus admittere Diaconum Toleratum ad cantandum Evangelium pro quo orat Sacerdos quando dicit (*Dominus sit in corde tuo*) Ita idem *ibid.* Quæ omnia quamvis facta, ut à personis publicis, sunt permissa cum Toleratis à Constantiensi, ergo similiter est permissa quæcunque communicatio in sacris, atque adeo in Sacrificio.

10. Dices cum Marchin. *de ord. tr. 3. p. 2. c. 8. n. 3. & 10.* implicat esse excommunicatum, &, pro ipso, posse suffragia publica applicari; quia quidditas excommunicationis est privatio communium suffragiorum, sicuti cæcitatis quidditas est privatio lucis. Respond. o Quid ditas excommunicationis solum est privatio talium suffragiorum, ut directè illis faventium, hoc verò ut indirectè; At in casu nostro ex modo dictis *n. 8. in fin.* hoc posterius affirmamus, non illud prius.

11. Ex his infero primò, quod feria sexta Hebdomadæ Sanctæ dum Ecclesia orat publicè pro Hæreticis, & Schismaticis, licet dici possit, vel tunc ipsam sibi dispensare, vel orare directè pro dilatatione ipsiusmet Ecclesiæ Catholicæ; unde solum indirectè orare censeatur pro Hæreticis: tamen post Concilium Constantiense, facilior dicendi modus est, asserere, ipsos re directè pro Hæreticis Toleratis; non Toleratem, qui sane paucissimi sunt, vel non comprehenditur, ut sic territi resipiscant, vel si comprehenditur, his utitur prædicta dispensatione, vel prædicta indirecta.

12. Infero secundò, Sacerdotem posse sine peccato recipere stipem à Tolerato, ut pro ipso Sacrum, publica persona, celebret; iam enim pro illo celebrabit. Ita Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 4. n. 8. Sayrus lib. 2. c. 4. n. 6.*

Id autem dupliciter evenire potest. Primò, si Toleratus, ex se accedat ad Sacerdotem, petatque pro se Sacrum. Secundò, si Sacerdos accedat ad Toleratum, ferendo suam missam pro ipso, petatque eleemosynam. Hoc secundo modo, esset licitum Sacerdoti, imo licitum ipsi Tolerato, dare eleemosynam tali Sacerdoti, imo est probabilissimum, ex Layman. *loc. cit. n. 5.* Hinc quia tunc non se ingerit Toleratus, sed Sacerdos, ex Concilio Constantiensi, potest cum Toleratus communicare, tum in humanis, tum in divinis, & confiteri Toleratus invitatus non prohibetur respondere. primus modus videtur difficilior, quia tunc se ingerit Toleratus, quod non potest, & Sacerdos accipiendo stipem videtur cooperari cum illius peccato. Dico tamen Sacerdotem posse acceptare, quia Concilium Constantiense eum ab omni prohibitione liberum facit, imo magis, ubi intervenit Sacerdotis commodum, quod spectat ex oblata eleemosyna. Quare sicuti ex Layman *ibid. §. Quintum notandum* universaliter se ingerit Toleratus ad communicandum tecum, ipse peccato mox dicendo *n. sequenti*, non tu, qui ex privilegio Concilij: ita in hoc casu, ubi adest licita communicatio.

13. Infero tertiò, quonam peccato peccet excommunicatus, dum se ingerendo petit Missam pro se celebrandam.

Dico primò; non Toleratus petens Missam, ut publicum Sacrificium peccat mortaliter, quia in re gravi facit contra prohibitionem Ecclesiæ, immiscendo se divinis, volendo id à quo graviter arcetur; Adde, & contando Sacerdotem, ut pro ipso applicet Sacrificium, quod *ex. n. 5.* sine mortali non potest.

14. Dico secundò. Toleratus si Missam ut publicum opus petat solum peccat venialiter. Sic Hurtad. *disp. de excom. diff. 4. num. 13.* Ratio est quia licet petat quod Sacerdos facere potest, tamen cum ipse se ingerit in tali petitione, quæ cum sit simplex petitio, non nisi communicatio in humanis prohibita sub venialiter peccabit.

15. Dico tertiò. Vterque sive Toleratus, sive non Toleratus, si petat Sacrificium, ut est opus privati Sacerdotis, peccabit solum venialiter, nimirum propter præfatam communicationem locutionis in humanis, cui se ingerit, nam cæterum Sacerdos licitè ut *n. 3.* diximus tale opus privatum offerre, pro illis, potest.

Si ipse Sacerdos sit excommunicatus, & tamen Missam celebret offerátque pro non excommunicato, an valide offerat, dicam *lib. 3. c. 1. §. 3. n. 42. fine.*

## §. V. *An Missa applicari possit pro Iustis.*

1. PRo iustis, sive in hac vita, sive in Purgatorio existentibus offerri posse Missam, probatione non indiget. Pro iustis verò existentibus in Patria, hoc est pro Beatis, nonnisi impropriè offertur: nimirum, vel in gratiarum actionem pro beneficiis in Sanctos collatis, vel ad implorandam gloriam, & venerationem aliorum Sancti, in Ecclesia Militante. Ita Delugo *de Euch. disp. 19. sect. 10. n. 192.*

2. Memini Patrem Ioannem Lorinum Societatis nostræ, propter Commentaria in sacram Scripturam toto Christiano orbe clarum, cum Romæ à Catholico Rege per suos Legatos promoverentur apud Paulum V. Confite-

Constitutiones, iam postea editæ, in favorem Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, ut erat homo urbanus, & facetus, solitum dicere amicis: *Orate orate pro Beatissima Virgine*: sensus erat pro impetranda gloria purissimæ Conceptionis, in hac vita. Poterat ergo similiter amicos rogare, ut pro eadem Missæ Sacrificium celebrarent.

*An Missa applicari possit pro peccatoribus.*

1. Secuti communis, & certa doctrina cum Suarez *disput. de Sacr. 7. sect. 10. §. Secundo requiritur*, est absolutè Missam offerri non posse pro peccatoribus damnatis, quia hi sunt in termino, sic posse pro viatoribus, iis enim Missa, quoad aliquem fructum, prodest, hoc est, solum quoad impetrationem, ut nimirum Deus eorum misereatur, eosque convertat. Ita Delugo *de Euch. d. 19. sect. 10. num. 194.* Quoad satisfactionem enim, ut etiam quoad Meritum, eosdem iuvare nequaquam valet, siquidem durante statu peccati mortalis, nec ulla pœna remittitur, nec meritum ullum haberi potest.

2. Verum an Satisfactionis fructus, qui impeditur ex peccati statu, conferatur postea, quando tollitur peccatum, dubitari solet: nihilominus contra Navarrum *cap. 19. de orat. n. 79.* & Marchinum *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 11. num. 9.* conferri, communior Tgeologorum sententia resolvit. Ita Suarez, Vasquez aliique apud Delugo *de Sacram. disp. 19. de Euch. sect. 10. n. 195.* Hurtad. *de Sacr. d. 4. diff. 11. sub finem*, id quod fusè persequi ad nos non spectat.

## §. VIII. *An pro vivis applicari possit Missa de Defunctis.*

1. In aliquibus locis usus increbuit, ut fideles, ne defraudentur Missis post mortem, curent, dum vivunt, ut eæ pro ipsis dicantur, & quidem ritu dici solito, pro Defunctis. Mos profecto nullo modo (quidquid dicant Barbos. *in Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. num. 8.* aliique apud Dianam *par. 5. tract. 13. res. 2.* Peyrinus *tom. 3. in addit. cap. 1. n. 22.* Lezana *v. Missa, n. 54.*) approbandus. Ratio inter cæteras est: quia, sic non servatur ritus Missalis, dum Missa, quæ defunctis à Rubricis assignatur, recitatur pro vivis. Ritène faceret, qui pro Missa Natalis Domini v. g. recitaret Missam Resurrectionis, Certè (nisi excusaretur à bona fide, vel ignorantia) res gravis videretur, saltem si ageretur frequenter, quia saperet implicitum contemptum Rubricarum. Vide *infra cap. 5. §. 1. n. 6.* Pari igitur ratione concedere idem non possumus in casu nostro.

2. Dicunt primò in nostro casu nullum esse inconvenies, siquidem Sacerdos repræsentat vivum coram Deo, ac si esset defunctus: sicuti in Missa de Animabus Purgatorij repræsentantur eæ, perinde ac si tunc, quando dicitur Missa, moriantur, dum dicitur: *Ne absorbeat eas Tartarus ne cadant in obscurum.* Et in Missa de Adventu, quando dicitur *Veni Domine, & noli tardare*, repræsentatur ac si Christus Dominus nondum venerit.

Respondeo, non negari eiusmodi repræsentationem fieri posse, nam fatemur in Scriptura Sacra esse usitatissimam: sed dicimus ab Ecclesia, in casu nostro, non fuisse quid simile usurpatum. Certè si id usurparetur, possem, dum ego sum sanus curare, ut dicatur Missa de infirmis pro me repræsentato infirmo; & dum sum in pace, Missa de tempore belli; & dum sum solutus, Missa pro sponso, & sponsa: quæ cum sint inconvenientia, & contra Rubricarum ritus, ostendunt inconvenientiam prædictæ sententiæ, ut meritò Layman *l. 5. tr. 5. c. 2. n. 15.* eiusmodi consuetudinem extirpandam omnino esse monuerit, quidquit Marchinus *d. ord. t. 3. p. 2. c. 43. n. 7.* contradicat.

3. Adde plus tibi viventi prodesse Missas dici solitas pro vivis, quam prædictas *de Requiem.* Ratio est: quia, quoad fructum ex opere operato Christi, iam omnes Missæ sunt æqualis valoris: quoad orationes autem, & preces, eas Deus non acceptat, nisi iuxta institutionem Ecclesiæ, quæ cum easdem, in Missis Defunctorum, non instituerit pro vivis, pro vivis Deus non acceptabit. Quod si Sacerdos privatus validè contra talem intentionem Ecclesiæ aliquid posset, de qua re infra agendum erit, certè non est tanti hic fructus, quanti est ille, quem lucraberis, ex obedientia servandi Rubricas, & respuendi talem privatum fructum, qui tibi provenire, contra institutionem Ecclesiæ, posset.

4. Dicunt secundo, ita gessisse insignes pietate, & doctrina viros, Albertum Magnum, Henricum Comitem, & Episcopum, alioque. Sic Lezana *v. Missa, n. 54.* March. *loc. cit.* Respondeo, Id illos bona fide gessisse, mirum non est ea ætate, quando Missalis ritus, eiusque regulæ non erant tam latè diffusæ per Provincias, nec fortasse tam stricti iuris, quam post Pium V. Nunc vero post cognitam veritatem, & in ætate hac nostra tam bene culta quando res suo pondere accuratissimè sunt perpensæ, illud nec agere, nec consulere tutò possumus.

*De applitatione Missæ anticipata, quoad Satisfactionem.*

1. Sacerdos celebrat hodie Missam, eiusque satisfactionem applicat pro eo, qui primus illam, oblata stipe, petiturus est, sive pro eo, qui primus omnium de sua, v. g. familia erit moriturus, atque ita usurpare consuevit, quoties non suppetunt præsentes, qui petant. Ritène id facit, stipémque postea oblatam acceptaréne sine injustitia potest?

2. Ritè, & sine injustitia posse, tenent Henriq. *l. 9. de sacrif. cap. 21. §. 2.* aliique citati à Marchino *de ord. tract. 3. p. 1. c. 11. num. 9.* & *cap. 31. n. 7.* & Peyrino *t. 3. in Add. c. 1.* Ratio est (iuquiunt) duplex. Primò quia iam Deus novit illum, qui erit primò petiturus, vel moriturus, atque ideo illi applicare, ex nunc, antequam scilicet, fiat petitio, poterit: & sic Satisfactionis fructus non stabit in suspenso. Nota id, Lector, id enim, ideo hoc modo explicant; quia omnes fatemur, quod privatus Sacerdos non potest tenere in suspenso, seu conservare in privato thesauro, suæ Missæ Satisfactionem, ut postea liberè distribuat, solum enim Pontifex summus, ut bene *ibidem* docet Henriquez, & qui ab eo clavem habent indulgentiæ, distribuere possunt Satisfactionem in Thesauro Ecclesiæ à Christo repositam. Propter hoc ergo ipsi dicunt, quod in casu, de quo loquimur, non suspenditur fructus Missæ quasi dandus non sit petituro, quando petet, v. g. cras, sed datur tunc, quando Sacerdos celebrat, datur, inquam, illi quem Deus videt cras petiturum.

3. Secunda ratio est, quia id, nihil est aliud, nisi Sacerdotem solvere anticipato debitum faciendi, Sacrum. Confirmatur, quia nemo negabit, quòd si quis Cappellanus debeat, v. g. singulis hebdomadis celebrare unam Missam pro Defunctis, possit prævenire celebrando in hebdomada præcedenti, quia sic anticipato solvit, mentemque fundatoris satis adimplet, dando opportunius auxilium defunctis; ergo in casu nostro.

4. Nihilominus non posse id ritè, & sine injustitia fieri, meritò docent Suarez *de Euch. disp. 79. section. 9. §. Tertio inquiri potest, in medio, & sect. 20. §. Quarto requiritur.* Delugo *de Euchar. d. 19. sect. 10. num. 109.* Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. cap 31. num. 9.* aliique. Ratio præcipua est; quia, in eo, pro quo offerenda est Satisfactio Missæ, requititur, indigentia actualis. Nam sicuti Indulgentiæ non acquiruntur ad satisfactionem criminum futurorum, nec satisfactio sacramentalis tollit reatum pœnæ pro peccatis postea committendis: sic nec hoc Sacrificium debuit solvere pro pœna nondum debita, hoc enim esset dare quandam impunitatem ad peccandum, cum posset quis veluti securus committere

peccatum v. g. mendacij, quia, iam, pro pœna ipsi debita satisfecit. Adde quod solutio ex natura sua supponit debitum, cum non possit intelligi aliquid solvi, nisi prius intelligatur aliquid deberi. His positis, sic urgetur ratio. Cum possit evenire in casu nostro, quod ille, qui eras oblaturus est stipem, vel est eras moriturus, illa Satisfactione non indigeat, non potest quid pro illo nunc solvi. Præterea, si nunc non indigeat, contingat verò, quod indigeat, quando petet Missam, vel quando morietur, sanè tunc frustrabitur solutione, quæ cum in potestate Sacerdotis non remanserit, ut omnes docuerunt *num.* 2. non poterit à Sacerdote tunc illi applicari.

5. Lege Marchinum *loc. cit.* apud quem invenies Decretum Sacræ Congregationis talem anticipationem graviter prohibentis, tanquam novam in Ecclesia Dei, periculosam, & scandalosam, quem loquendi modum fortasse sumpsit Sacra Congregatio à Suario *de Sacram. d.* 79. *sect.* 9. §. *Tertio inquiri potest*, qui dixit id esse inauditum in Ecclesia, & valdè absurdum. Et quamvis nonnulli respondeant de hoc Decreto non constare autenticè, tamen, aliquando tandem modo confirmari ab illo nostram sententiam nemo negat.

6. Ad rationes allatas *num.* 2. & 3. Respondeo. Et ad Primam quidem fateor, Deo notum esse, qui petiturus est, sed dico Deum nolle acceptare illam Satisfactionem anticipato, ne dare videatur impunitatem peccandi. Immò addo, fortasse, nec aliquando posse, quia aliquando, pro illo signo, nondum supponitur debitum pœnæ.

7. Ad secundam, nego in casu nostro, saltem semper, esse solutionem anticipatam. Cùm enim aliquando non sit assentialiter solutio, quæ ex se supponit debitum, nec solutio, nec anticipata solutio esse potest, quod si aliquando esse possit, iam dictum est, non acceptari à Deo.

8. Ad Confirmationem, esto Antecedens, de quo tamen mox *n.* 9. nego consequentiam, quia Capellanus, & verè solvit pro debito actu existente Animarum Purgatorij, & verè solvit pro debito celebrandi, quod contraxit ex contractu, quem acceptavit Cappellaniæ, quorum neutrum est in casu nostro.

### *An aliquando sit licita, saltem in Capellano, dicta Missarum Anticipatio.*

9. Dictum est *num.* 1. *in Antecedente Confirmationis*, Capellanum posse anticipato solvere Missas à se dicendas. Sanè, in hoc dicto advertendum est, non semper ejusmodi anticipationem esse licitam. Si enim in fundatione Capellaniæ implicitè, vel explicitè caveatur, ut nulla hebdomada transeat sine aliqua Missa, prævenire nequaquam licebit: tunc enim mens fundatoris est servanda, qui fortasse voluit, ut tale Altare, seu Ecclesia singulis hebdomadis honore Sacrificij decoraretur, vel voluit non succurrere Defunctis quibuscumque, sed Defunctis, qui successivè de sua familia v.g. vel Civitate decedunt. Nam propter hanc rationem, quæ facilè præsumi in his fundationibus debet; cum Delugo *de Euch. d.* 21. *sect. n.* 44. non facilè consentirem prædicto Capellano ejusmodi Missarum prævention; solum igitur in eo casu anticipatio Capellani licita erit quando talia, vel similia incommoda non concurrunt.

### *De applicatione Missæ anticipato quoad Impetrationem.*

10. Illud denique, hac super re notat Delugo *ibid. disput.* 19. *sect.* 10. *num.* 209. id quod hactenus negavimus, non intelligi de fructu Impetrationis: nam licet non possit hodie v. g. satisfacere pro peccato admisso, possum tamen orare, atque adeo Sacrificium offerre pro impetrando auxilio, quo indigebo in futurum. Sic enim oramus. *Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ.* Et, *Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.*

11. Dices: ergo licebit Sacerdoti ho die Missam pro oblaturo stipem, quia iam hic saltem fructum impetrationis. Sicuti enim dos, acceptata stipe, celebrare pro peccatore tali, qui Missam petat, stipémque offerat, quamsit capax Satisfactionis, sed solius Impetrationis diximus, ita in casu hoc præsenti.

12. Respondeo, negando consequentiam: enim peccator, quia satisfactionem lucrari non ad solum Impetrationis fructum habere consensum, ut ibidem diximus, præsumitur, quantum consensum, in casu, de quo loquimur, non pomus, cum Fideles semper præsumantur velle Sacerdotis, nullum impedimentum ponatur, quo satisfactio ipsis conferatur.

### §. IX. *De applicatione Missæ contra voluntatem Superioris.*

1. PRælatus præcipit Sacerdoti subdito sub peccati mortalis, vel excommunicationis, ut quam hoc mane celebraturus est, applicet Petro cto, Quæritur primò, An Sacerdos sub mortali obedire. Secundò, an si non obediat, Missamque v.g. pro Antonio, valeat tamen Missa pro Petro gulis sigillatim.

### *An peccet Sacerdos non applicans Sacrum iuxta Prælati voluntatem.*

2. Quoad primum, dico hanc quæstionem deab illa alia, An Superior possit subditis ita præactus internos (talis enim Missæ applicatio in intentione consistit) ut præcipiente Prælato statim subditi obligationem applicandi Missam, præcipit.

Non agimus autem quando obligatio applicandi sam est radicata in obligatione iustitiæ, vel in aliquo particulari: tunc enim sicuti Sacerdos quilibet accestipem pro applicanda Missa pro Petro, v.g. ex vi codem applicare tenetur, & sicuti, qui vovit dicere Missam pro tali re, utique pro tali re dicere obligatur, perior, obligata ex iustitia eleemosynarum, vel fundnis Religione, ad applicandas tales Missas, potest pere subditis suis, ut tales Missas applicent, & non dubio sui tenentur, quia Superior, & subditi facunum corpus Religionis, quæ, ut supponimus, se ad Missas obligavit, & ex alio capite Religiosi statim professi sunt per vota, in tali Religione, implicite huiusmodi onera iustitiæ se obligarunt: non agimur de his obligationibus, sed de obligatione, quam perior potest imponere subditis, sive ex vi iuris quam habet in suos, ut habet Episcopus in Diœcesi, sive vi voti religiosæ obedientiæ, quam habet Prælatus Religionis in subditos.

3. Lege Fagundez *præcept. Eccl.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* qui tamen ut etiam & aliqui recentiores, quia non distinguunt hæc quatuor, nimirum applicationem debitam, primò ex iustitia, Secundò ex voto peculi, Tertiò, ex Iurisdictione, Quartò ex voto Religiosædientiæ, non satis completè hanc materiam explicant. Cum igitur hic non agamus de Applicatione duobus prioribus modis, sed solum de duobus posteribus, de quibus scilicet procedere debet quæstio, non hi cum illis immiscendi.

4. Porrò præmittendum est, esse communem peccrum doctrinam, à Prælato sive ex vi Iurisdictionis, ex vi voti obedientiæ religiosæ, ut solet scilicet communiter emitti in Religionibus, non posse subditis præactus merè internos, (quia sicuti Ecclesia visibilis non iudicat de interiori, sic nec de interiori præcipit, vero solum externos, vel saltem solum eos internos qui per se conjunguntur cum externis, sive in esse

physico, sive in esse morali, non autem eos internos, qui solum per accidens cum externis conjunguntur. Ita Doctores *mox, n. 6.* citandi.

5. Dixi (ex vi voti obedientiæ, ut solet communiter emitti) nam si quis, vel absolutè voveret actum internum, vel sub conditione, si Prælatus ei actum internum imperaret: sanè tunc non esset obligatio ex vi horum duorum modorum de quibus agimus, sed ex vi illorum de quibus, ut modo diximus, quia res est certa, non agimus.

6. Quoniam igitur hæc, quam *n. 4.* diximus est communis doctrina Suar. *de leg. lib. 3. c. 20. & lib. 4. c. 13. & de censuris disp. 4. sect. 2.* Castrop. *t. 1. tr. 3. disp. 1. p. 6.* Merolli. *t. 2. disp. 4. d. 4. dub. 16. diff. 2. n. 224.* quamque ut certam, seu saltem, ut probabilissimam suppono, statim apparet difficultas, an Applicatio Missæ sit per se conjuncta cum ipsa externa actione Sacrificij; conjuncta inquam in esse morali, ut ens morale conflatum ex multis actionibus est Missa. An solum per accidens. Si prius, poterit à Prælato præcipi; si posterius, non item.

7. Et quidem esse conjunctam per se, & non per accidens, adeóque præcipi à Prælato posse, subditúmque peccare, nisi obediat, docet prima sententia multorum. Ita Rodriq. Alcan. Tamburinus, Miranda quos sequitur Metoll. *tom. 2. disp. 4. de leg. cap. 3. dub. 30. n. 331.* quibus adde Sanchez *lib. 6. in dec. cap. 2. num. 6.* Rodriq. *in comp. resol. 102. n. 2.* Ratio est (inquit Suarez *de leg. lib. 3. cap. 29. n. 10.*) quia licet intentio applicandi Missam pro aliquo non sit de necessitate sacrificij, est tamen necessaria ad completam oblationem Sacrificij, & ad conferendum alteri fructum ejus.

8. Non esse conjunctum per se, sed solum per accidens, atque adeo non posse à Prælato præcipi, & propter eo, non peccare Sardotem, seu Religiosum, si in hoc non obediat, docet secunda sententia aliquorum. Ita Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 13.* Castrop. *tom. 1. tract. 3. disp. 1. p. 6. n. 4.* Ratio præcipua, & quæ difficulter solvi potest, ea est, quia nihil potest prælatus in actus merè internos, ut esse communem sententiam fatebamur omnes *n. 4. & 6.* At talis applicatio est merè actus internus, quique adesse, & abesse facilè à Sacrificio potest, unde valde per accidens, & extrinsecè est cum Sacrificio conjunctus, ergo, &c.

9. Ad rationem contrariam dictam *n. 7.* negari debet, intentionem applicandi Missam pro aliquo, esse necessariam ad complementum ejusdem: certè solum id verum esset de Applicatione Missæ, sive implicita, sive explicita pro Vivis, & Defunctis in universum: at quod ad complementum sacrificij, & ad fructum ejus sit necessaria applicatio, pro hoc determinato, (de quo nos loquimur) nunquam admittet ipsemet Suarez, quia secus, si Sacerdos faceret Sacrum pro Vivis, & Defunctis, & non determinaret pro hoc, vel illo specialiter, relinqueret aliquod complementum necessarium Sacrificij, atque adeo peccaret, quod nemo dixit. Adde quod oratio, jejunia, eleemosynæ ordinata sunt à Deo, ut ipsa offerantur pro Vivis, & Defunctis, & præter meritum ea facientis applicantur ad satisfaciendum, & impetrandum, & tamen nemo dicit, quod ad complementum eorum pertinear determinata applicatio pro hoc vel illo particulari. Ita ergo in casu nostro.

10. Juvat verba Castropalai *loc. cit.* pro hac sententia hic exscribere. *Ex quo fit,* (inquit) *nunquam Ecclesiam præcipere fidelibus ut in oratione fundenda hanc, vel illam intentionem habeant, quia hoc esset præcipere directè actum internum; solum enim præcipit in necessitatibus, orationes fundere, jejunia sustinere, eleemosynas erogare; sed nihil de intentione speciali & fine.*

11. Juvat iterum verba Layman. *loc. cit.* afferre. *Non poterit tamen* (ait) *facilè Legislator, aut Prælatus sub peccato obligare subditos ad habendam intentionem aliámve internam dispositionem accidentalem, seu non pertinentem ad substantiam moralem operis præcepti v. g. ut jejunia, & orationes fiant in statu gratiæ; vel ut orationes, & Sacrificia Deo offerantur ad particularem aliquam intentionem sicuti notavit Suar. l. 4. de leg. c. 13. c. 16.* (*addo & n. 14.*) *& disp. 6. de cens. sect. 3. n. 20.* Videtur error Typographi potius *disp. 4. de cens. sect. 2. n. 20.* Adde *& l. 3. de leg. c. 29. n. 9.*) Hæc Laym. Ubi notat ipsum putasse Suar. esse pro sua, hoc est, pro secunda sententia, sed certè Suarez expressè contra illam est in loco à nobis allato *sup. n. 7.* ex ejus tamen doctrina allata in locis his citatis à Laym. verè colligitur prædicta secunda sententia.

Dices Layman. *loc. cit.* sic addit *Prælatis tamen facularibus paulo major potestas competit, ratione voti obedientiæ, &c.* Respondeo. In his verbis solum Layman docet quod votum possit esse de actu interno, & quod Prælati actum intersum imperare possunt, quoties vovens ex suo voto obedientiæ implicitè, vel explicitè id intendit; quod est idem, quod nos supra notavimus *num. 5.* ut ex ipsius verbis, si accuratè legantur, videri potest, nihil igitur docet contra prædicta.

12. Ex his duabus sententiis prior magis communiter recipitur, posterior tamen est probabilis, & tuta, ut patet ex ejus solidis rationibus.

13. Illa tamen pro secunda hæc sententia est calumnia diluenda. Si enim (aiunt March. *de ord. tr. 3. c. 33 n. 4.* Gav. *in Rubr. Miss. p. 3. tit. 13. n. 28. ibique.* Fraxinellus) Prælatus religionis nequit suis præcipere applicationem Sacrificij, onera, quæ habent monasteria de persolvendis Missis subjacerent dubitationi, an persolvantur, quia subditi ad persolvendum, obligari à Prælatis non poterunt: sed facilè diluitur, nam ad onera habitualia, cum ea sint fundata in obligatione justitiæ ipsi subditi obligantur. illáque exigere possunt Prælati, ut *n. 3.* diximus; onera verò quotidiana, seu manualia, si Prælatus potest acceptare nomine Monasterij, acceptárque, subditi propter eandem rationem justitiæ obligabuntur; secus non est mirum ad ea non obligare subditos posse: quia tunc Prælatus solus contrahit nomine proprio.

Quænam sint illa habitualia, consulat quisque suæ Religionis leges, & qui est ex Societate Jesu, legat Suarium *4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 8. cap. 2. n. 5. & cap. 3. n. 3.* qui nostros ab hujusmodi obligationibus sub peccato liberat solúmque in uno casu obligat, quando scilicet alicubi fortè aliqua Sacrificiorum obligatio suscepta sit, ut annexa alicui Ecclesiæ, quam Summus Pontifex alicui Collegio Societatis (id quod rarissimum est) univisset.

### *Cui prosit Missa applicata contra voluntatem Prælati, vel contra justitiam?*

14. Quoad secundum quod *n. 1.* proposuimus. Dico certum mihi esse, quidquid dicant Marchinus *de ord. tr. 3. p. 2. c. 33. num. 3.* Gavant. *in Rubr. Miss. p. 3. tom. 12. num. 28.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 7.* Deum non respicere ad debitum Sacerdotis, sed ad voluntatem ipsius, quare Missa contra voluntatem Prælati eam jubentis applicari v. g. pro Petro, applicata sive licitè, sive illicitè pro Antonio, Antonio proderit, & non Petro. Et Missa, quam propter stipem acceptam debebat ex justitia Sacerdos Titio, applicata sive per malitiam sive per inadvertentiam ab eodem Sacerdote alteri, v. g. Caio, Caio proderit, non vero Titio. Ita Rodriq. *in compens. resol. 102.* Portella *in dub. Reg. v. obedientia n. 1.* Delugo *de Euchar. d. 19. sect. 10. à n. 210.* Hurtad. *de Sacrif. disp. 3. diff. 16.* Ratio præcipua est, quia Minister offerens Missam, non est Prælatus, sed sacerdos, cui dictum in Ordinatione est, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis.* Ergo ad ejus applicationem respiciet Deus, & non ad applicationem cujuscumque alterius. Unde nihil valebit applicatio Prælati, nec quæcumque irritatio voluntatis sui subditi, quam velles Prælatus intentare, quia in hoc à Christo omnium Domino, & Superiore liberam facultatem habet Sacerdos, & consequenter à nulla humana potestate restringibilem:

lem: & sicuti licentia concessa mihi à Generali omnium Superiore non potest restringi ab alio Superiore inferiore; ita hic.

15. Ex his infero Primò, Si Sacerdos contra voluntatem prælati, applicat Antonio v.g. Missam, posse quantum est ex vi justitiæ, accipere stipendium ab eodem, jam enim fructum Missæ, ipse Antonius lucratur, & Prælatus sciens contra suam voluntatem jam esse Missam Antonio applicatam, ad nihil tenetur, quia Anton. totum illud, quod per stipem postulabat, acquisivit.

16. Infero secundò. Si è contra alteri applices Missam, non verò illi à quo stipem recepisti, semper restare tenetis, quia Deus respiciens non ad debitam, sed ad habitam à te voluntatem, Sacrificij emolumentum illi non attribuit.

17. Infero tertiò. Si quis applicet sic Missam, *Applico pro ea anima quam vult Deus*; tunc Sacrificium, nulli prodesse, sed remanere ejus fructum in Thesauro Ecclesiæ. Ita Vasq. *de Sacris d.* 231. *cap.* 1 *num.* 7. contra aliquos contrarium sentientes. Ratio est jam dicta, quia, ex ipso Christi instituto, Sacerdotis, non vero Dei est applicare fructum Missæ Determinet igitur in hunc, vel similem modum Sacerdos: *Offero pro ea anima, quam Deus videt magis indigere, vel minus indigere, &c.* nam sic, quia determinata est Sacerdotis intentio, utique juxta illam acceptabit Deus. Pari modo Ecclesiæ quando ex stipendio annuo debent multas Missas pro variis defunctis, satis erit si celebrantes applicent pro iis, quibus eo die v g illæ Missæ debentur, eas enim Deus videt quibus debeantur, quamvis sit melius eorum distinctè meminisse, ut ex se patet. Ita Fraxinellus *de oblig. suæ sect.* 7. §. 7. *num.* 7.

## §. X. *De tempore, quo intentio applicandi alicui fructum Missæ, elicienda est.*

1. EGo hodie Sacrum à me cras operandum applico pro anima Petri, vel (eadem enim est ratio) Sacra omnia per totum annum à me celebranda applico pro anima ejusdem, nec talem intentionem unquam revoco, efficaxne est ita, ut satis sit ad hoc, ut fructus Missarum Petro attribuatur.

2. Dico, quamvis non esse satis contendat Vasq. *de Sacram. disp.* 38. *c.* 6. aliique apud Delugo *d.* 8. *de Sacr. sect.* 6. *num.* 92. tamen cum communi sententia, immo, & praxi timoratorum satis esse. Ita Suard. *de Euch. d.* 13. *sect.* 3. §. *Dico secundo* Bonac. Molf Diana apud eundem Delugo *n.* 93. Ratio est, quia hoc Sacrificium institutum est, ut administraretur humano modo, & more; quare, sicuti homines solent disponere, de rebus quæ erunt in sua potestate, etiam antequam sint, sed pro tempore, quo erunt, nunc scilicet, pro tunc, dispositione tamen non retractata, sic disponere poterit Sacerdos, cujus arbitrio Deus commisit fructum Missæ applicandum.

3. Sed quid, si quis nondum Sacerdos applicet Missas, quas post ordinationem celebraturus est, nec postea hujusmodi applicationem, vel retractat, vel renovat?

Dico id etiam satis esse; cum ratio, modo dicta, in hoc etiam casu, valeat. Licet enim nunc nondum sit Minister Christi, erit tamen postea. Sicuti si quis sciens, cras v.g. fore in Prælatum eligendum, det nunc aliquam licentiam, pro die crastina, valebit utique licentia, quia consensus ille non retractatus judicatur humano more, durare, pro tempore acceptatæ potestatis. Sic Delugo *ibid. n.* 97.

4. Intentio ergo applicandi potest elici ante, immo multo ante quam Missa celebretur, posse autem in ipsa Missa ante Consecrationem, & aptum esse tempus, in primo *Momento*, non est dubium.

5. Observat autem Hurtadus *disp.* 3. *de Sacr. diff.* 10. quando unus Sacerdos tantum consecrat Corpus, & postea alter, defectum prioris supplens, consecrat Sanguinem, ad hunc posteriorem pertinere applicare Sacrificium? quia iste solus, utpote perficiens essentialiter Sacrificium, dicitur sacrificare, & ideo non tenetur priori se conformare. Ob eandem rationem Sacedotem, qui facta Consecratione Corporis, dum applicuit, posse applicare ante Consecrationem Calicis, & qui applicuit uni posse ante consecrationem alteri applicare, hujusque fore fructum Missæ partim ris. Ratio est eadem, quia nimirum, consecratione cis, perficitur Sacrificium, & consequenter tunc eos dicitur sacrificare, atque adeo ante illam sumpterit applicare.

6. Remanet tamen difficultas, an possit retinere in secundo *Memento* Defunctorum, & in toto re ante Comsumptionem specierum.

Dico in nostra sententia, quæ colligi potest *c.* 1. §. 1. *n.* 1. per quam tenuimus in consecratione se sufficientem destructionem victimæ, adeoque consistere Sacrificij essentiam, non posse. Ita Hurt. *cit.* Ratio est, quia applicare Sacrificium mote cui suos Ministros conformes se velle reddere Christus Dominus, ut modo monuimus, nihil nisi offerre actionem sacrificandi in obsequium non solet inter homines, & fortasse non potest quium alicujus offerri actio jam facta, v.g. gratia facta, sed facienda, quia, si jam sit facta in unum nullum finem; non potest deinde intelligi fieri in prædicti v.g. obsequij: Adde quod Sacerdos, ut *num.* 2. diximus, non potest conservare fructum sui cij, & deinde conferre, &c.

7. Dixi autem (in nostra sententia) nam quia Bellar. aliorúmque apud Hurtad. *disp.* 1. *de Sacr.* cens Sacrificij essentiam consistere in consecratione mul, & in consumptione, est satis probabilis, etiam erit, posse applicari fructum Missæ, toto ante prædictam consumptionem; quia jam in hac tentia, offertur actio facienda, non jam facta.

## §. XI. *Cui prosit fructus Missæ, quando Sacerdos Sacrum applicasset uni, deinde applicat alteri.*

1. SAcerdos hodie Missam à se crastina die celebradam applicat pro Petro, à quo v.g. stipem cras deinde applicat pro Antonio, cujusnam erit Missæ fructus si Petri, ad nihil aliud, pro ipso tenebitur Antonij, utique tenebitur Petro refarcire.

2. Sunt in hac dubitatione distinguendi quatuor sus. Primus casus. Si memor applicationis quam cisti pro Petro, illam applicationem respuas, applicat hodie eandem totam Missam pro Antonio; Antonius derit Missa. Quæ est certa, & communis doctrina, posterior voluntas; clarè priorem revocat.

3. Secundus casus. Si pariter memor applicationis sternæ, qua applicasti Missam pro Petro, æque totam applices hodie pro Antonio, nullo modo cando priorem applicationem externam, neutri Missa. Ratio est, quia cum hæ duæ voluntates sint cem contrariæ, per quarum unam vis idem, quod alteram, non vis: intendis impossibile, atque adeo intendis; & Deus perinde se habebit in hoc casu, in illo, in quo Sacerdos faciens Sacrum, nulli illum plicaret, de quo mox §. 12.

4. Dixi autem (totam Missam) nam si partem uni, partem alteri velis applicare, utique partialiter deris utrique, sed cum obligatione resarciendi, id ulteriùs alterutri debes, ut ex se constant.

5. Tertio casus. Si immemor applicationis tro hesterna die factæ applices hodie pro Antonio, plici modo te gerere potuisti. Primo extraordinario quodam modo, si scilicet heri ita Sacrum voluisti tro applicare, ut talis applicatio præ-retror omni applicationi à te etiam per oblivionem faciendæ, sa expresse heri intendisti. Et in hoc quidem eventu Missa proderit Petro, cui primo sub tali universali voluisti te applicasti. Ratio est: quia illa tam universalis applicatio omnibus aliis futuris applicationibus est præferenda,

cum non censeatur revocari à posteriore, immo potius implicitè posteriorem revocare.

6. Adhibet huius doctrinæ duo exempla Ioannes Delugo *de Sacram. disp. 8. sec. 8. num. 121.* Primum est ex *l. si quis, in principio ff. de legatis 3.* ubi si quis, in priori testamento, adhibeat clausulam revocatoriam cuiuscumque posterioris, statuitur testamentum posterius non fore validum, nisi in eo revocetur expresse illa clausula prioris testamenti, ut cum communi Doctorum observat Molina *tom. 1. de iust. disput. 153. §. quod dictum est*, quia nimirum voluntas prior habuit maiorem universalitatem ex parte obiecti, quam posterior.

Secundum est in materia voti. Nam si quis facit votum non vovendi, nisi consulto Confessario, & nunc vult non vovere validè, nisi ea conditione posita: postea, si immemor huius voluntatis, voveat, votum non valebit nisi eo esset affectu, ut etiamsi recordaretur vellet valere, ut notat Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. n 75.* Ex quibus constat, concurrente duplici voluntate contraria, illam prævalere, quæ cum sit universalior, explicitè vel implicitè continet revocationem alterius, sive hæc sit prior, sive posterior, sive etiam simul ex ignorantia habeatur: & ratio ulterior est, quia illa universaliot, vel formaliter, vel virtualiter reflectit super aliam, adeoque revocat.

7. Iam secundo modo, quo te in hoc gerere potuisti, quique accidit magis communiter in praxi, (eritque Quartus casus) est, si heri non cum universalitate prædicta, sed absolutè, & simpliciter applicasti Missam pro Petro, deinde illius immemor, hodie applicas simpliciter pro Antonio.

In tali casu docet Delugo *dicta disp. 8. de Sacr. sec. 8. num. 121.* quod fructus Missæ proderit Antonio, qui est posterior. Ratio est (inquit) quia sic persuadet paritas ducta ex testamentis, nam sicut posterius testamentum prævalet priori, etiam si quando sit posterius, non recordetur prioris à se facti: sic si heri applicasti Sactum hodiernum pro Petro, & hodie immemor illius voluntatis, applices pro Antonio, per voluntatem æquè absolutam, & efficacem, videtur præferenda hæc posterior: non enim apparet differentia inter testamentum posterius, & hanc posteriorem voluntatem.

8. Nihilominus probabilius putarem præferendam esse priorem, atque adeo Missam profuturam Petro. Ratio est duplex. Primò, quia potest afferri disparitas, cur testamentum posterius prævalet priori, non verò Applicatio Missæ. Cum enim testamentum firmitatem omnem suam accipiat à morte Testatoris, omnes habent implicitè hanc intentionem, ut illud testamentum firmum velint, quod morte ipsorum confirmatum est, & non aliud, unde sequitur quod prævalere omnino debeat posterius Testamentum, cum per prædictam intentionem revocentur omnes intentiones, morte nequaquam firmatæ. At, in casu nostro, similis implicita intentio non adest, unde ergo prior intentio ab omnino æquali intentione posteriori revocari poterit? Secunda ratio est, quia communiter homines habent, seu præsumuntur habere hanc voluntatem implicitam ut velint cuique tribuere ius suum. Cum igitur certum sit *cap. Qui prior, de Reg. iur. in 6. l. in operis, ff. locati* (lege Mol. *de contr. d. 369.* & Covarr. *lib. 2. var. c. 19. num. 8.*) quod *Qui prior est tempore potior est iure*, si nihil obest contra eum, qui prior est, ut obstare solet in contractibus possessio rei apud posteriorem, vel solutio pretij, vel quid simile (de quo latè Iuristæ *in l. Quoties, C. de rei vendi.* & Molin. Covarruvias, Salas, aliique apud Delugo *tom. 2. de iust. d. 21 sect. 11.*) dicendum erit, quod in casu nostro, ille Petrus, cui heri applicatus, & veluti datus fuit fructus Missæ, est potior in iure, quam sit Antonius, cui hodie, hoc est posterius datus est dictus idem Missæ fructus, nihil enim obstat contra Petrum anteriorem, cum supponamus, in omnibus, eos esse æquales, præterquam in tempore. Quare cum Sacerdos habet illam universalem intentionem dandi suum unicuique, atque adeo fructum Missæ ei, qui potior est in iure, non censendus est revocasse priorem intentionem, sed potius Petro anteriori velle dare fructum Missæ, non verò Antonio posteriori.

9. Quoniam verò res hæc dubia profectò est, consulerem Sacerdoti, ut advertens deinde ad obligationem sive hesterno, sive hodierno die, contractam, certo resarciat; offerendo aliam Missam sub hac, vel simili intentione: *Applico Missam pro Petro, cuius oblitus sum, si is fructus Missæ à me illi debitus non est lucratus, secus applico pro Antonio, vel contra*: nam Deus, cui explorata sunt omnia, illi, cui fructus defuit, applicabit.

## §. XII. *De Sacerdote non applicante fructum suæ Missæ*

1. SI Sacerdos, sive per oblivionem, sive per incuriam, sive data opera, nulli applicet fructum suæ Missæ, talis fructus cuius erit?

Suarez *de Sacram. d. 79. sect. 9. §. Tertio inquiri potest* & Vasquez *disp. de Euch. 231. cap. 3. num. 10.* nemini dandum esse docent, sed reponi, seu remanere in Ecclesiæ thesauro. Ratio est (inquiunt) quia Sacrificium, quod est essentialiter oblatio, alicui non prodest, nisi pro illo offeratur. Delugo *de Euch. d. 19. sect. 8. 226.* putat prodesse Sacerdoti, nam licet Sacrificium nulli alteri prosit, nisi pro illo offeratur, prodest tamen ipsi offerenti, etiam si pro se non offerat. Sicuti je junium v.g meum non prodest alteri, nisi pro eo applicem, at prodest mihi, quamvis mihi non applicem.

2. Sed quidquid sit de his, omnes fateri debemus facto & regulariter prodesse ipsi Sacerdoti, cæterisque Fidelibus. Ratio est: quia omnes Sacerdotes saltem implicitè semper intendunt sibi, & fidelibus applicare, quando alteri non applicant: id quod satis innuunt illa Missæ, verba, *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis, &c.* & illa, *Pro omnibus Fidelibus Christianis, vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem.*

## §. XIII. *De Sacerdote aliquem excludente à fructu suæ Missæ.*

1. SVpponimus, ut dictum est, intentionem Ecclesiæ esse, ut Missa offeratur pro omnibus Vivis, & Defunctis, utique capacibus, illisque prosit, pro sua portione; saltem, quoad impetrationem.

Porrò fuit quidam Sacerdos (quæ est hominum nequitia!) qui voluit à fructu suæ Missæ excludere suum quendam adversarium, Petrum v.g. Quæsitum fuit, quo peccato peccaverit, & rursus, an cum effectu Petrum excluserit à prædicto fructu? quod est quærere, an id licitè & validè intenderit.

2. Ad primum, fuisse peccatum grave contra Charitatem, & item peccatum aliquod contra obedientiam, certum est. Ita Suar. *de Sacram. disp. 78. sect. 2. §. Sed quæri rursus potest.* Ratio est, quia adfuit odium, ex quo saltem virtualiter inductus Sacerdos fuit ad ejusmodi exclusionem. Præterea, licet non teneamur orare pro singulis, tenemur tamen eos non excludere à communibus Ecclesiæ suffragiis. Ita S. Thom. & Nav. citati ab eod. Suar. *ibid.* Peccatum insuper fuit, contra obedientiam dum non servata fuit intentio, & institutio Ecclesiæ, cuius Minister est Sacerdos.

3. Quoad secundum, incerta res est. Quidam putant excludi ab omni fructu; Quidam excludi quidem à fructu proveniente ex opere operato Christi, & ex privata intercessione Sacerdotis, quia horum fructuum ipse est independens distributor ex institutione ejusdem Christi; non verò à fructu proveniente ex parte, seu nomine Ecclesiæ, quæ cum includat omnes Fideles, non habet Sacerdos potestatem excludendi. Res est ad Scolasticos pertinens, deque ea agit Suarez *ibidem.*

§. XIV.

§. XIV. *Cui magis prodest Missa, ei, qui illam audit, an ei, cui Sacerdos eandem applicat?*

*Rursus quid melius, Missa simul dictæ, an successivè?*

*Denique Missæ ante, an post mortem celebrandæ?*

1. QVæsivit olim, paupercula Vidua quid consultius faceret pro suo viro defuncto, curare aliquas Missas pro eo offerri, an ipsam pro eodem aliquas Missas audire. Dixi huic interrogationi responderi posse ex Delugo *disp.19. de Euch. sect.12 num.234. Si quæratur (ait) unum plus emolumenti afferat, & quod sit utilius homini audire Missam, an petere, ut pro se absente offeratur, existimo, habere, se sicut excedens, & excessum: Nam, quod attinet ad effectus remissionis pœnæ, plus proderit Missa absenti specialiter applicata; quoad impetrandum vero auxilia, præservandum à periculis & alia similia, consulerem regulariter magis quod audiretur Missa, quam quod in absentia pro ipso offerretur. Cum enim impetratio hæc non sit semper infallibilis, ut supra (d.disp.19.sect.9.n.131.) vidimus, crederem cæteris paribus, facilius exaudire Deum pro eo qui reverenter, & devotè adest Sacrificio: sic enim videtur fuisse congruum ad conciliandam reverentiam, & devotionem erga Sacrificium istud, & hoc ipsum non rarò miraculis, & signis extraordinariis videtur Deus ipse comprobasse.* Hæc ille.

2. Cum igitur ea vidua, maximè interderit Satisfactionem pro anima viri in Purgatorio, forte existenti, melius facturam existimavi, si Missas curaret vito applicandas, quia Missa applicata, ut dictum est, magis prodest ad satisfactionem pœnæ, quam solum audire.

3. Ad eius tamen solamen addidi; Missam auditam multum prodesse, etiam per modum impetrationis ad pœnæ remissionem. Sicuti enim duplici via potest quis obtinere remissionem pœnæ ob furtum v. g. à se commissum, contractæ. Primò, si compenset dando alterum tantum: Secundò, si roget Dominum ut liberaliter remittat. Sic proprtionaliter Missa applicata satisfacit pro pœna debita, veluti dando compensationem ex thesauro meritorum Christi: at Missa eadem audita impetrat, per modum orationis, remissionem liberalem ejusdem pœnæ, illa igitur paupercula, multis Missis auditis, fortasse impetrabit remissionem pœnæ sui viri ad quam remissionem una, vel altera Missa applicata, forte non sufficeret.

3. Dixi eidem, melius facturam, pro concupita satisfactione viri, si eas Missas, eodem die simul celebrandas curaret quam successivè. Sic S. Antoninus *in Summa p.1. tom.10.c.2.§.5.* Homob. *de exam. tract.4. cap.14.q.12. fin.* Ratio consilij fuit, quia quamvis magis mereatur ille, qui centum v.g. Missas successivis diebus celebrandas curet, quam qui simul, eodem die, quia nimirum, sic divinus cultus, per eum magis extenditur, & quamvis quoad fructum Satisfactionis adsit æqualitas ut æquales supponuntur in numero Missæ: tamen, qui eodem die curat dicenda, citius exhibet Deo Satisfactionem, atque adeo citius animam à Purgatorio liberat.

4. Denique eidem interroganti, quid pro se melius faceret, curare, ut sibi applicentur Missæ, dum viveret, an post mortem? Dixi, melius, dum viveret. Ita March. *de ord. tr.3.p.2.c.34.à n.1.* alique. Ratio potissima fuit, quia post mortem lucrabitur Satisfactionem, dum vivit tum Satisfactionem, tum meritum.

§. XV. *Quid valeat magis pro Defunctis, Missa applicata, an Bulla Cruciatæ.*

1. INstabit aliquis (ne id hac occasione taceam) quæretque, Quid huic Viduæ modicam pecuniam habenti consulerem magis? Vt curaret duas Missas offerri pro anima sui viri, an potius, ut Bullam Cruciatæ, quæ pro Defunctis distribui solet acciperet?

2. Respondi, mihi videri, cæteris paribus melius Anima viri facturam, si Bullam sumeret, in qua concessa sive per modum suffragij, sive alio modo Indulgentia Plenaria pro Defunctis. Ratio responsionis dicti duabus illis propositionibus: altera est; vim sacrificii iam in Missa in actu secundo, seu quoad effectum finitam, & limitatiam, ut *supra cap.2.§.1.n.4.* quare potest frequenter accidere, ut una vel altera mò triginta, centum plures Missæ non sufficiant ad remissionem pœnæ quam quis debet. Altera est, Indulgentiam plenariam satisfieri plenè pro quibuscumque debitis, sic enim ea definitur ex Laym. *lib.5.tr.7. num.1. & passim. Indulgentia plenaria est, qua conceditur, ut omnem pœnam in purgatorio, pro quo fit, luendam remittat.*

Ex his ita conficitur ratio. Missa applicata non per sufficit ad remissionem totius pœnæ, Indulgentia plenaria sufficit. Ego quoad hoc, quod videbatur fructuosior Indulgentia, seu Bulla Indulgentiæ conferens.

3. Dixi (cæteris paribus) ut interim abstrahamus quæstionibus, quæ possent fieri de certitudine Indulgentiæ, & de aliis emolumentis Meriti, vel Impetrationis provenientibus in Missa, de quibus fusè Theologi *de Indulgentiis, & de Missa.* Semper autem non leve ponimus certam esse Indulgentiam, qualis profectò hæc ex Bulla Cruciatæ. Lege Ludovic. à Cruce *in Bull.Cruciat.d.1.dub.1.& 2.*

§. XVI. *An Parochus teneatur aliquam Missam applicare pro suis ovibus.*

1. EX Tridentino *sess.23. de refor.c.1. initio*, quod habet. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere pro his Sacrificium offerre, &c.* colligunt nonnulli hoc præceptum divinum, ut Parochus, & propter eandem rationis, Pontifex, Episcopus, Superiorque singulus quicunque, aliquoties saltem in anno Missam applicare pro suis subditis. Et Sotus quidem *in 4.dist.13.q.1.a.2.& 2.& de Iust.lib.9.q.3 art.1. circa medium*, sempet Missam pro iis offerre Parochum debere existimat. Navarr. *de Sacr.d.4.q. vlt.p.7.* saltem, diebus Dominicis aut festis in hebdomada, Marchinus *de ord. tract.3.p.2.c.30.* saltem diebus solemnibus.

2. Non pauci id confirmant ex eo, quia Parochi tenentur celebrare quoties populus tenetur audire Missam, ut *supra lib. 1. c.6.§ 2.n.1.* diximus, ergo tenentur hanc applicare pro Populo.

3. Non est autem quæstio, quando forte Parochus alio titulo, v.g. fundationis, vel eleemosyna obligatus, neque quando, ex legitima consuetudine, vel fundatione esse in nonnullis Hispaniæ locis notat Navarr. Nego enim quis dubitat teneri?

4. In nostra igitur quæstione dico non adesse obligationem in Parocho, vel Superiore. Ita Valentia *cram.d. 234.c.4.n.27.* alios citans. Ratio est, quia *c.6 n.4.* diximus, non est apponenda gravis obligatio, illa non constet, ut certè hic non constare ex dictis contrariæ rationis iam patebit.

5. Ad Tridentinum enim respondeo, *ibi* dici adesse præceptum divinum, *ut oves suas Parochus agnoscat & sacrificium pro iis offerat.* sed non dici, quod Sacrificium pro iis particulariter applicet, satis igitur est universaliter pro iis oret in Sacrificio.

Adde, esse Theologorum doctrinam, quod quamvis præceptum quodpiam ferat indeterminatè, ad quod obligat, donec à Superiore determinetur, quia cum non possit ut indeterminatum in executionem exire, censetur præceptum practicè tunc esse completum. Ita, quia adest præceptum divinum indeterminatum, sufficienties in vita communicandi, ibi, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.* quod non explicat de tempore, quoties, & quando, ideo ad nihil saltem extra mortem

tum mortis obligantur, quantum exh oc capite Fideles, donec Ecclesia determinaverit tempus Paschale. Ita Delugo *de Euch. disp. 16. sect. 2. n. 28.* & *de pœnit. d. 15. sect. 3. num. 29.* Idem contingit in præcepto Confessionis. Video etiam idem esse in materia Sacrificij: est enim præceptum divinum aliquoties celebrandi in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; sed quia nondum Ecclesia determinavit; ad nihil ex vi hujus præcepti Sacerdotes tenentur. Sic idem *de Euch. d. 20. sect. 1. num. 9.* & 10. Pari igitur modo, etiamsi vel Tridentinum, vel præceptum divinum injungeret particularem applicationem; tamen quia non determinat quando, & quoties (quod certè Ecclesia determinare posset) ad nihil tenebitur Parochus.

6. Ad confirmationem negatur consequentia, non enim valet illatio: obligor tibi dare opportunitatem audiendi Sacrum, ergo obligor illud pro te applicare. Nam propterea rectè Marchinus *de orat. tom. 3. p. 2. cap. 30. num. 4.* defendit Parochum quendam, quem Episcopus cogebat, ut ter, in hebdomada, pro suis ovibus applicaret Sacrum, ex eo, quia extabat ibi statutum, ut Parochus ter in hebdomada Sacrum faceret: rectè, inquam, defendit, siquidem non bene infertur, ut dicebam: obligatur quis sacrificare, ergo obligatur applicare, cum non rectè ex una obligatione inferatur alia. Ita Papianus *ff. de Minorib.* Et sæpè quis dicat, quod quando Parochus obligatur celebrare ad benedicendos sponsos, vel ut est mos alicubi, ad defunctos sepeliendos, vel ad consecrandas particulas pro communione sui populi, obligetur etiam pro iisdem Sacrificium applicare?

7. Ex dictis infertur, posse Parochum recipere stipem à quopiam, ut offerat Sacrum pro ipso, etiam in diebus festis, quia licet tunc obligetur facere Sacrum, sui tamen juris est in applicando. Nec obstat Constitutio Urbani VIII. *de Celebratione Missarum*, de qua latè *infra lib. 3.* hæc enim solum prohibet ne oblitus Sacerdos applicare pro uno, applicet etiam pro alio, id quod non est contra hactenus dicta.

## CAPVT III.

*De Attentione Sacerdotis dum celebrat.*

1. Attentio duplex est, interna, & externa. Hæc consistit in negatione distractionis externæ: id est, negotij, vel occupationis exterioris, quæ ex se distrahere mentem debeat ab Orationibus, & actionibus Missæ. Ut si quis vellet, dum Missam celebrat, depingere v. g. confabulari, legere Historias, & similia facere; externam attentionem non haberet. Interna consistit in applicatione interna mentis ad Missam: & triplex esse potest. Ad verba integrè proferenda, materialésque actiones suo ordine peragendas. Ad sensum verborum, significationésque Cæremoniarum. Ad Deum, résque divinas contemplandas. Hæc tertia est omnium optima, modo Missæ operationem non impediat, sequitur secunda, infimo loco se habet prima.

2. Licet autem enitendum semper sit habere attentionem internam tertij generis, idque in cæteris orationibus extra Missam sit absolutè consulendum, nihilominus in Missa, perspæpè Sacerdotibus potissimum recenter ordinatis, nec bene instructis consulenda est attentio interna primi generis, ut scilicet ad verba, & actiones, quæ plurimæ sunt, & facilè omitti, atque cum scandalo confundi possent diligenter attendant.

3. Sed jam quid peccabit Sacerdos, si negligens (sed sine contemptu) internam attentionem, solam externam adhiberet? quod est quærere, quonam peccato peccat, si dum Missam celebrat, aliò mentem voluntariè divertat, cogitétque sua negotia, vel philosophicam quampiam quæstionem speculetur, probabiliter securus, quod propter habitum Missandi, non omittet debitas saltem graviter cæremonias.

Legi (passim enim occurrunt) Authores tractantes de attentione debita in auditione Missæ, in horis Canonicis, in orationibus cæteris; verum qui tangeret hoc speciatim de celebratione Missæ, non legi.

4. Et videbitur alicui parem esse rationem de his; ac de Missæ celebratione, utrobique enim intercedit oratio, seu locutio cum Deo. Ita quidem in multis, sed in uno non ita, ut mox *n. 9.* videbimus.

5. Sed enim verò, propter dictam paritatem, recolenda est celebris illa quæstio. An ad observandum præceptum auditionis Missæ, vel recitationis Horarum requiratur attentio interna, aliqua tandem ex triplici dicta *n. 1.* an sufficiat externa duntaxat.

6. Equidem locum hic haberem id fusè pertractandi, nisi eam quæstionem Joan. Delugo *de Sacr. disp. 22. sect. 2. n. 25.* & Ægid. Coninch. *de Sacr. q. 83. art. 6. dub. unico. à num. 289.* lege etiam Dian. *p. 1. tr. de horis Canon. Ref. 2.* tam eruditè pertractassent, ut addere aliquid velle superfluum, ne dicam operosum, mihi esse videatur: illos ergo lege, apud quos invenies esse duas sententias, utramque probabilem; Alteram, Quam sequuntur Suar. Vasq. Sotus. Nav. Mald. Cæt. Sanch. Turr. aliique innumeri citati à Delug. & Dian. *ibid.* requirentem attentionem internam; Alteram, (Quam sequuntur Sylvest. Durand. S. Ant. Palud. Rosel. Coninch. Hurt. & probabilem dicit Less. Henriq. Victorell. Laym. citati ab iisdem, quam approbant dicti Delugo, & Coninch. solidéque confirmant) solum requirentem externam. Itaque, qui, dum Missam ex præcepto audit, vel officium divinum persolvit quæstionem philosophicam secum mente voluntariè obvolveret, vel sua negotia cogitaret, modo externam attentionem haberet, quia scilicet non poneret distractiones externas ejus generis, quas *num. 1.* diximus ex probabili dicta opinione, præceptum satis adimpleret.

Omnes tamen consentiunt hunc peccare venialiter, aliqua enim semper irreverentia intercedit, si Deum quis alloquatur exterius, mentem aliò voluntariè distractus. His positis, tribus dictis, ea quæ ad nos pertinent, decernemus.

7. Dico Primò. Sacerdos mente voluntariè distractus Missam celebrans, non effugit peccatum veniale, sive celebret Missam de præcepto, sive ex libertate. Ratio est modo dicta, quia semper intervenit irreverentia.

8. Dico Secundò. Distractus voluntariè in iis Missæ partibus, quæ ad Canonem non pertinent, si eas ritè operetur (etiam cum celebrat ex præcepto) non audeo dicere eum peccare mortaliter. Ratio est, quia eæ Missæ partes non excedunt rationem orationis ad Deum. Cum igitur probabile sit, ut modo vidimus, recitare orationes de præcepto, cum voluntaria distractione, non esse mortale, probabile etiam erit in casu nostro.

9. Dico Tertiò. Si Sacerdos, per notabile tempus, voluntariè distractus, eas Missæ partes, quæ canonem continent, recitet seu peragat, peccabit mortaliter, sive Missa celebretur de præcepto, sive ex libertate. Ratio, quæ me ad id movet; est discrimen, quod intercedit inter Missæ Sacrificium, & cæteras orationes. Hæ enim sunt meræ allocutiones ad Deum, at Missa, est insuper Sacrificium, hoc est, actus religionis excellentissimus, quo profitemur Deum summè venerari; ut supra suo loco notavimus. Videtur autem mihi gravis esse irreverentia, quod, quis, dum profitetur Deum summè per suam actionem venerari, cum illo irreverenter, per voluntariâ distractionem, se gerat: & in tanto Ministerio, de quo tremunt Angelorum ordines, omnia alia cogitare velit, quam mente attendere ad quod operatur. Adde, & morale periculum aliquid grave omittendi, vel non ritè operandi, &c.

10. Dixi autem (quæ Canonem continent) ibi enim continetur ratio Sacrificij: nam licet hujus essentia per non in sola Consecratione consistat *c. 1. §. 1. num. 1.* & *c. 2. §. 16. n. 6.* proximè tamen antecedentia, & proximè consequentia, qualia sunt, quæ toto Canone continentur;

maximè ad Sacrificium, prout Ecclesia ordinavit, pertinere, nemini est dubium.

11. Petes, quid venit præcisè, nomine Canonis? id enim, propter dicta, non ignorare, oppidò necessarium est. Respondeo. Gavantus *in Miss. p.2.t.7. cap.8. num.1. litt. L. & p.3.t.10 num.2.* ait venire illam Missæ partem, quæ incipit à *Te igitur* (aliqui incipere dicunt à *qui pridie, quàm pateretur,*) sed minus rectè, ut probat Fagund.1. *Eccl. præcept. l.3. c.18. n.5.* usque ad *libera nos* inclusivè. Licet idem Gavant. *in Rubr. Miss. p.2. tit.17. n.34.* videatur excludere à Canone prædictum *libera nos* imò & orationem Dominicalem: ibi enim postquam declaravit illud *per ipsum, cum ipso, & in ipso*, quod legitur ante prædictam Dominicalem Orationem, sic addit *& hic finis Canonis.*

Suar. verò *de Sacr.d.83. sect 2. initio*, docet vocari Canonem Missæ, totum id, quod legitur à *Te igitur*, usque ad consumptionem Sacramenti, additque voce Canonis usum esse S. Gregorium in his verbis, *Mox post Canonem Orationem Dominicam dici statuistis.* Vides. Suarium, & S. Gregorium à Suar. allatum dissentire: ille usque ad consumptionem Sacramenti, hic ante Orationem Dominicam claudi Canonem statuit.

Quidquid sit; certè in re nostra, usque ad Orationem Dominicalem Canonem definito, ut nimirum, quia, æqua ferè distantia est à *Te igitur*, usque ad Consecrationem Dominicalem, istud sit, quod majori devotione, attentioneque Sacerdotis indigeat. Aliquid tamen paris devotionis esse dandum consumptioni Eucharistiæ inficiari non possumus.

## CAPUT IV.

### *De Materia, & Forma Consecrationis, remissivè.*

1. CUm certum sit in Pane, & Vino, ac per verba à Christo Domino instituta, *Hoc est Corpus meum.* Et *Hic est Calix*, &c. esse à Sacerdote consecrandum; cumque de his satis multa disputent Theologi, nostrum non erit, nisi aliqua tangere, quæ ad casus Conscientiæ, & quidem practicè spectant. Imò, quia multa etiam quæ ex his, ad nos pertinent, *in hoc toto Opusculo sparsim* disputata sunt, & disputabuntur; de azymo autem, & fermentato quatenus sunt materia Consecrationis, egimus *in Opusculo de expedienda communione, c.2. §.9.* ideo unum, aut alterum, quod alibi locum non obtinuit, hic dumtaxat erit à nobis breviter explicandum.

### §. I. *Quanta sit aqua Calici immiscenda.*

2. ILlud persæpè torquet Sacerdotes, ecquantanam aqua (quæ certè naturalis, seu elementaris esse debet) infundenda sit Calici.

Ut omittam Concil. Tributiense, quod fuit Provinciale, nec approbatum, concedens duas partes vini, & tertiam aquæ, certè Conc. Florentin. *in decr. Eug. IV. & Tertium autem Sacramentum*, quod fuit universale, monet esse infundendam aquam modicissimam.

In Sacris Canonibus id determinatum non legimus: solum in c. *Perniciosus, de celebr. Miss.* reprehenduntur, qui plus de aqua ponunt in Calice, quam de vino.

Sanctus Thomas *3.p. quæst.74. art.8. in cor.* semper tutius esse ait, parum de aqua apponere, ne solvatur species vini.

Suarez *de Sacram. disp. 45. sect. 3.* cum dixisset, non posse certiorem regulam præscribi, quàm, ut aqua sit in modicissima quantitate, quia qualibet gutta sensibilis sufficit, & talis non poterit corrumpere vinum, concludit cum Durando, esse id arbitrio Sacerdotis relinquendum.

Coninch. *de Euch. q.74. art.8. num.140.* & Layman. *lib.5. tract.4.c.2.num.9.* communem præxim esse octies, vel decies plus vini ponatur, quàm aqua; tamen scrupulosè agendum, quia modicus in aliquam partem excessus, non est curandus.

Delugo *de Euch. d.4. sect.2.num.38* ait, quod si vel sexta pars aquæ ponatur, non videtur habere populus, quia non est credibile, vinum esse adeo, ut tam modica aqua corrumpatur.

3. Ex his sapienter dictis, puto conveniens tam tradi posse, si reflectamus ad rationem unde sit, quod modica aqua immisceri debeat, est, quam aliqui ex prædictis Doctoribus amplectuntur, quia nimirum non debet tanta vis aquæ apponi, num corrumpi possit, seu (ut abstrahamus à nibus philosophicis) ut non possis absolutè dicere *quod est in Calice, est vinum.* Quando enim aquæ quantitas in vino, non erit vinum, quod modo absolutè vinum appellatur, & quod, ut hujus Sacramenti Christus Dominus assumpsit.

4. Ex hac igitur ratione hæc regula est, Tantam aquam infundi posse, quanta ad corrumpendum, seu ad distrahendum esse physico, vel certè ab esse morali (ut sic ni, ita scilicet, ut possit dici, *Hoc quod est Vinum, absolutè est.* Hactenus regula. Quoniam modica aqua infundatur, nullum periculum distractionis, ideo illa communiter consuluntur cum difficilè sit, etiam incauto Sacerdoti (terminis modicæ aquæ sistere velit) tantam ut ab ea possit, vel corrumpi substantia vini, strahi absoluta vini denominatio, jam vides, cile pusillanimes Sacerdotes, ex hac regula possis.

### *An aqua, & vinum infundenda in Calicem, præfrigidari.*

1. NOn multis ab hinc annis in aliquibus ribus festis, quando æstivis in mensibus in Sicilia, vis caloris fervet, solent Ministri vinum aquam in Sacrificio exhibendo, nive citata, intra apta ad hunc usum vascula, infrigidem nonnulli majoris nominis Prælati quotidictis calidioribus mensibus usurpatur, imò et Prælatorum exemplo, morem ad illos alios nonnulli affirmant. Quæritur an id in more positum poterit.

2. Suarez *de Sacram. disp.45. sect.3.* postquam eum qui cum naturali aqua apponenda in Calicem ceam in parva quantitate immisceret (puta ad illam ratam reddendam) non peccaturum contra affirmatum præceptum de aqua Calici apponenda, quia jam apponit, sed peccaturum graviter (graviter pro terminos peccati venialis, sic enim parvitas materiæ suadet Suarium interpretari) contra negativum præceptum non miscendi aliquid in Materiis Sacramentum præter Christi institutionem, & consuetudinem Ecclesiæ: postquam inquam, hæc dixit, sic addit. *Excludendum est de qualitate accidentali aqua, ut sit calida, aut frigida, pura, &c. in his enim servanda est reverentia Sacramenti, & ordinaria consuetudo Ecclesiæ, nullus novus ritus introducendus.* Hæc Suarez. Fagund. præterea 3. *Eccles. præcept. l.2.c.4.n.14.* sic habet. *Inter etiam peccatum lethale committeret, qui Calici infrigidando aquam calidam, etiam veram, & naturalem miscuerit, quia contra consuetudinem Ecclesiæ facit; tamen Sacramentum conficiet.*

3. Ab ejusmodi prædictorum doctrina, fortasse moti nonnulli cum primum cum morem aquam numque infrigidandi ad Sacrificium animadverterunt, lum graviter reprehenderunt, & contra usurpantes locuti peracriter sunt.

4. Puto nihilominus, id peccatum mortale non

se, imò nec veniale ex se, nisi fortè aliquando per accidens. Singula probo, ac explico.

5. Dico enim Primò, non esse mortale (excipe semper citra scandalum grave, quod tamen difficulter hic occurrere potest, & citra animum inducendi novum ritum, quæ duo semper excepta intelliguntur,) Ratio est Primò, quia hoc nihil aliud tandem est, nisi addere, vel mutare aliquid accidentale in Missa. At infra *cap.5.* §. 1. dicemus id aliquando non esse mortale propter parvitatem materiæ: cum igitur in casu nostro, aquam, vinumque esse minus, vel magis frigida, vel calida, accidentale, & satis modicum sit, ad mortale nequaquam perveniet. Prædicta rei parvitas fortasse movit Innocentium IV. *in Bulla de Græcis, ab ipso edita ann.* 1254. *in tom.1. Bullarij*, ut Græcorum morem non reprobaret, calidam aquam Calici infundentium *Aquam* (inquit) *sive calida, sive frigida adhibeatur in Sacrificio Altaris.*

6. Secundò, quia quo magis aqua naturali utor, eo longius à peccato recedo, quia me conformem reddo consuetudini Ecclesiæ naturalem aquam exposcentis. At cum frigus sit aquæ connaturale, eam infrigidando, magis, ut ita dicam, naturalem eandem reddo, recedo igitur magis à peccato. Atque ex hac ratione sit, ut si calidam aquam apponere esset peccatum, non tamen esset aquam apponere frigidam, quia ibi adducerem aquam ab esse accidentali ipsi connaturali, hic ad esse connaturale reducerem, sed nec ibi peccatum, saltem mortale esse, ex aliis rationibus constat.

7. Tertiò, quia dum in partibus Borealibus frigidissima, ut solet ibi esse, aqua, vel vinum apponitur in Calice, non peccatur, quia apponitur id, quod ibi communiter est in usu hominum: sed per nivem in nostris regionibus aqua, vel vinum non nisi similem frigiditatem concipit, & ex alia parte iam nunc in omnium etiam mediocrium hominum mensis usui est. Ergo nec similiter peccatur. Dices, At ibi nullo artificio, hic aliquo utimur. Respondeo. Non video, si arte quacunque posita, remanet aqua naturalis, & pura, & vinum simili arte, remanet merum item & naturale, ut supponimus, cur ars nobis obstare debeat? Sane si vinum posset aliquo artificio, sine mistione alterius substantiæ generosius reddi, talisne ars impediret, quominus posset cum laude adhiberi in Sacrificio? nihil igitur officit ars.

8. Quartò, quia non constat consuetudinem Ecclesiæ apponendi aquam ut casu invenitur in amphora, vel in fonte, & vinum, ut iuvenitur in dolio, esse obligantem sub mortali, ergo non est tenendum sub mortali obligare. Hoc modo argumentandi, & nos *l.1 c.6.§.2. num.3. & n.5. & alibi*, usi frequenter sumus, & *passim* Doctores, Hurtad. *de Euch.disp.2.diff.3.circa initium* aliique, Suar. *de Sacr.disp.8 sect.1.§. Hæc res*, in similibus utuntur.

9. Ad authoritatem Suarij dico contrarium ab ipso non doceri, si attente legatur. Fagundez vero ideo (puto) docet esse mortale calidam aquam apponere, quia supponit, id fieri, ad inducendum novum ritum Ecclesiæ Græcæ calidam apponentis.

10. Dico Secundò, nec peccari venialiter ex obiecto, ex obiecto, inquam, propter ea, quæ *mox num.seq.* dicam. Ratio est, quia nihil fit contra reverentiam Sacramenti nec contra consuetudinem, quæ constet obligare etiam sub veniali.

Confirmo, quia id potest non rarò fieri cum merito; Die quæso qui in festis solemnioribus (ut certè passim facere consuevimus) vinum Appium, Creticum, Chium, breviter, vinum generosissimum, panémque primarium præparat Sacerdotibus ad Consecrationem: sicuti, & ille, qui cætera omnia, & meliora, & præstantiora ad festi pompam diligenter promit, laudandúsne erit, an vituperandus; Certè magnoperè commendandus, qui magnificentius, quàm potest, res conditoris nostri tractet. Cum igitur præstantius sit in Sacrificio, sicuti & in Convivio, vinum & aquam gelidam apponere, cur nolenti meliora quæque pro Domino profundere, merito non adscribetur? Quod si quis iis uteretur ad deliceas, ipsi imputetur: sicuti eidem imputaretur, si vinum generosum, si odoramenta per Templum sparsa, si vestes aureas, & similia in festis adhiberi consueta, ad vanitatem verteret, minus sapienter, vellet.

11. Dico Tertiò. Si quis, data opera, ad meram gustus delectationem, iis gelidis liquoribus, in Missa, uti vellet, peccare venialiter mihi dubium non est, sicuti, si ad similem finem, vinum generosum adhiberet. Ratio est, quia nonnulla inconvenientia, & irreverentia est, in eo loco, & ministerio, corporalem delectationem velle captare: aio tamen id per accidens esse, ratione talis personæ, perperam operantis; nec excedere fines peccati venialis, quia culpa est in materia ex genere suo, levi; neque ex se, redundanti in gravem injuriam Sacramenti.

## CAPVT V.

### *Quid peccet, qui aliquid omittit, vel addit in Missa.*

#### §. I. *Præmittitur obligatio, quam inducunt Rubricæ Missalis.*

1. RVbricatum, aliæ sunt Præceptivæ, Directivæ aliæ. Illæ obligant ad mortale ex genere suo: nisi excusset parvitas materiæ, vel inadvertentia: hæ, cum sint de consilio, non obligant, saltem, sub mortali. Ita Delugo *de Euch.disp.20. sect.4, num.* 104. March. *de ob. tract.3.p.3.cap.6.* Gavant. *in Rubr. Miss p.3. tit.11.* Difficultas autem est in tradenda regula, qua dignoscatur, has esse præceptivas, illas non item.

2. Ex multis dictis à Gavanto *ibid.* in hanc rem, colligi posset hæc regula. Illæ Rubricæ, in quibus dicitur graviter, vel gravissimè peccari à transgressore, & illæ, in quibus agitur de integritate Sacrificij vel Sacramenti, & illæ, in quibus Doctores communiter cognoscunt gravitatem, sunt præceptiæ, atque adeo eas non observans, peccat mortaliter: cæteræ sunt, vel propè præceptivæ, vel dubiæ, vel merè directivæ, atque adeo non peccat transgressor.

5. Vides hanc regulam non esse admodum expeditam; Expeditior ergo est illa, quam affert Marchinus *ibid.* Delugo *ibid.* aliique. Omnes rubricæ sunt, ut tales, directivæ: & solum illæ censendæ sunt præceptivæ quæ continent, seu notant aliquid, quod alias ex iure, vel exlegitima consuetudine graviter iubentur, vel ipsæ Rubricæ expressè sub mortali præcipiunt. Ratio huius regulæ est, quia ex una parte, Rubrica nihil aliud ex se est, nisi mera quædam manuductio circa ea, quæ dicenda, faciendaque sunt, rubro colore solita scribi; & ex alia, si aliunde etiam à conditore ipsarum Rubricarum, qui tandem est Summus Pontifex, habeatur, quod id, quod notatur, sit de præcepto, non potest tale non esse.

4. Hinc Rubricæ de servando jejunio ante celebrationem Missæ, De integritate Sacrificij, De loco celebrandi, De præmittenda Confessione, De Ara consecrata, De vestimentis, instrumentisque Sacris, De materia Sacramenti, id est, pane triticeo. Vinóque de vite, De pane azymo in Ecclesia Latina, De reverentia tanto Sacrificio debita, & si quæ alia sunt similia, meritò sunt præceptivæ, quia vel à iure naturæ, vel Divino Christi Domini, vel Ecclesiastico præcipiuntur.

5. Contra, Rubricæ de orando ante, vel post Missam: De numero Orationum, de servando officio duplici primæ classis, vel secundæ, & similibus, cum non præcipiantur ab ullo iure, solum erunt directivæ sine onere peccati mortalis.

6. Excipe Primo, ne negligantur hæ cum scandalo vel ex contemptu, ad quem contemptum reducit

Gavantus *in Rubr. Miss. p. 3. t. 11. n. 13.* illam intolerabilem negligentiam, qua quis non curat eas perpetuo seu, ut plurimum, non servare, hic enim implicitè videtur contemnere.

7. Excipe secundo, si negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia, hoc enim, per se grave est, graviterque prohibitum à Pio V. *initio Missalis*, *Quo primum tempore*, & Concilio Tridentino *sess. 22. in Decreto de observand. &c.* Adverte has etiam exceptiones fundari in secunda parte regulæ datæ.

8. Porrò ex hac regula, & habendo semper præ oculis parvitatem, vel gravitatem materiæ, quod est universale in omnibus præceptis, facilè colligemus quid in singulis Rubricis sentiendum sit. Quoniam verò id in toto hoc opere sparsim à nobis factum est, solum aliqua hujus loci, propositique tituli propria breviter addemus.

## §. II. *Ne quid omittatur in Missa.*

1. Nihil omittendum in Missa: qui secus faxit, per se mortaliter peccat. Ratio est, tum antiquus Ecclesiæ sensus, & praxis: Tum authoritas Tridentini, & Pij V. Tum rei ipsius nota gravitas.

2. Dico (per se) nam, ut modo innuimus, semper aliquid excusabit levitas materiæ, sicuti etiam leviter culpabilis inadvertentia, vel ignorantia, quæ perfectè item excusabit, si perfectè, & omnino fuerit inculpabilis. Discurramus per aliqua, unde & alia similia decerni possint.

### *De omissione aliquorum quæ recitanda sunt in Missa.*

3. Omittere illud (*enim*) in verbis Consecrationis Calicis, putant aliqui apud Suar. *de Sacram. d. 59 sect. 1. §. Sed quæres*, mortalem esse culpam; mihi, & aliis multis apud eundem, præciso contemptu, non videtur mortalis, quia in omissione unius particulæ, quæ non est de substantia Consecrationis, non apparet gravitas. Imò si ex contemptu omittatur, non esse certum, an sit mortale, docet Sotus *in 4. d. 1. quæst. 1. art. 8. §. Si autem*, siquidem etiam contemptus potest esse veniale ex parvitate materiæ. Audi eundem *ibid.* disputantem de levibus vocum corruptionibus. *Si fieret* (inquit) *ex negligentia quantumvis crassa, & supina corruptio hæc, atque aliæ eiusmodi parvæ, non esset nisi veniale. Imò quamvis non adhibeatur diligentia proferendi, m, finale in meum, vel si fortè non proferatur, t, in verbo, est, nullam profectò reor culpam incurri. Deus enim non est tam istarum minutiarum observator.* Hæc Sotus.

4. Omittere unum verbum in Canone esse mortale, aliqui affirmant: Sed certè, licet minor omissio sufficiat ad constituendum mortale tam in Canone propter ejus reverentiam, quam in aliis Missæ partibus, tamen omittere unum, aut alterum verbum, non excedere lineam levitatis, meritò communiter censent Doctores cum Suar. *de Sacram. d. 83 sect. 3. §. Dico primo, circa finem.* Unde rectè Suarez *ibid.* omittere tempore, v.g. Paschali, quæ interponenda sunt in oratione, *Communicantes*, vel in oratione, *Hanc igitur*, docet non esse mortale, idemque de omittente aliquem Sanctum ex iis, qui in Canone ponuntur, docet Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.*

5. Omittere Symbolum Apostolicum, quando est dicendum, vel *Gloria*, vel unam alteramve orationem, vel propter paritatem rationis, Evangelium ultimum, non est mortale ex levitate materiæ. Ita Delugo, *de Euch. d. 20 sect. 4. n. 104.*

6. Idem erit, si Sacerdos solemniter celebrans omitteret legere Evangelium, vel Epistolam, dum Diaconus, vel Subdiaconus ea cantat: quamvis enim Rubricæ, sive præceptivæ, ut aliqui dicunt, sive directivæ, ut alij putant, ordinent apud Dian. *p. 5. tract. 13. resp. 95.* ejusmodi submissam lectionem: talis tamen prætectionis omissio res exigua videtur. Ita *idem ibid.*

Imò Sanch. *lib. 7. consc. 2. dub. 13. num 5.* ex Navaris aliis citatis à Dian. *p. 2. tract. 14. resp. 42. & p. 5. resp. 95.* contra Sà citatum ab eodem, probabiliter docet, Sacerdotem celebrantem cum Diacono, & diacono melius factusum, si dum hi cantant Epistolam, & Evangelium, ipse attentè audiat, nec legat, nec recitet. Ratio esse potest, quia ex una parte Rubricæ non nisi debere recitare, est solum directiva, & cum Epistola, & Evangelium in Missa solemni sint Ministrorum, non Sacerdotis celebrantis; licet ex Sanch. *ibid.* Suar. *tr. 2. de Rel. lib. 4. de ora. cap.* Officium in choro recitantes satisfaciunt solum, si attentè audiendo lectiones, Capitula, Orationes, &c. alij juxta chori alternationem, soli dicunt, non benefacerent si recitarent, quia obmurmurando essent fortè molesti, ita in casu nostro devotus audiet.

Quod dixi, extendo libens ad *Gloria, Credo*, Prophetias Sabbathi sancti, aut Passionem Dominicam; quæ in maiori hebdomada, & in Missa solemni aliis quàm Celebrante cantari solent, par enim ratio his ac de illis esse videtur.

### *De omissione Oblationis, & obiter de Particulis consecrandis, quæ post oblationem apponuntur.*

7. Omittere oblationem Hostiæ, vel Calicis sine gravi quid est, ut etiam omittere infusionem modicæ aquæ in Calicem, pertinent enim hæc magis proximè ad Sacrificium, & ad mysterium. Ita Doctores citandi, & *passim.*

8. Sed quid faciet Sacerdos, si post Offertorium, id est, facta oblatione Hostiæ grandioris, supervenit Christa, vel alius, qui afferat alias Particulas consecradas ad communicandum populum?

Bonacina *de Sacram. d. 4. q. ult. punct. 2. num. 6.* tenet, dictas particulas tunc non posse consecrari, Sylvinus *de off. curati cap. 2. num. 2.* posse, idque, eas offerendo de novo, vel etiam non offerendo; Gavantus *in Rub. Miss. p. 3. tr. 10. n. 29.* posse quidem consecrari, sed satis esse, si mente offerantur. Addimen id non debere fieri, si afferantur remote oblatione Hostiæ grandioris, puta, post Pater nem.

9. Dico breviter duo. Primò posse consecrari, & quidem cum Gavanto expeditius esse, & tutius, si eæ rum offerantur, oblationi mente concepta: tunc enim & iam ponitur substantia oblationis, & ordo Missæ quaquam turbatur.

10. Dico Secundò, me non approbare, quod aliqui Gavantus, nam si id potest fieri proximè ad oblationem, non apparet ratio convincens, cur non possit remotè.

11. Dicet fortasse Gavantus, si afferantur remotè oblatione, multæ cerimoniæ, & Orationes, quæ recuntur super Oblata, non erunt dictæ super has particulas tardè allatas

Respondeo, sufficere, quod ejusmodi orationes actionesque exhibitæ fuerint super Hostia grandiori, quam allatæ hæ particulæ sunt accessoriæ. Id quod culpa gravi excusabit, ut in simili mox dicam n. 13. veniali verò, si qua esset, excusare poterit popularis communicaturi commoditas, vel ne palam reprehendatur Christa, qui tardè particulas attulit, vel quid simile.

*De Omissione Signorum super Particulas consecrandas.*

12. Sacerdos quidam statim, atque Particulas Hostiamque grandiorem consecravit, Pixidem Particulas dictas continentem intra Sacrarium, seu Tabernaculum incluſit. Imò aliquando statim eas debit alteri Sacerdoti, quas populo communicaturo in alio Altari distri-

distribueret, & sic omissa sunt super eas consueta signa, & orationes. Factúmne id ritè est? Non esse ritè factum, docet Dehgo, *de Eucharist. disp. 20. sect. 2. num. 69.* & merito, debuerunt enim rejusmodi particulæ remanere super Aram consecratam totam Sacerdote, saltem usque ad Communionem inclusivè. Ratio est, quia cum hæ faciant unum Sacrificium cum Hostia grandiore, non debent ante Sacerdotis Communionem, quando Sacrificium completur, distrahi à Sacrificio.

13. Non puto tamen illum Sacerdotem peccasse saltem mortaliter: nam quamvis egerit contra Rubricas disponentes, quod tunc illæ particulæ ponantur super Corporale, ante Calicem, aut in aliquo vase retro post Calicem; nihilominus cum remaneat Hostia grandior veluti cæteras repræsentans, quas consummari perfectè potest Sacrificium, non videtur res gravis, abesse parvas. Quod si adfuit necessitas expediendi Communionem populi, prædictum Sacerdotem excusatum omnino fuisse, nullus dubitat.

*De Omissione ritus proprij.*

14. Ritus Missalis Romani à Pio V. editi observandos esse in Ecclesia Latina ab omnibus, jussit idem Pius *in princip. Missalis. Quo primum tempore*; confirmavitque Clemens *ibid. Cum Sanctissimum*, & Vrbanus, *ibid. Si quid est*, uterque Octavus; excipit tamen eos, quibus in aliqua particulari Ecclesia fortè contingat, alios Missæ ritus observare, idque sive ex prima institutione per Summum Pontificem facta inde à ducentis annis, sive ex antiqua consuetudine per similes ducentos annos usurpata, quos quidem, quamvis, ut dico, excipiat, permittit nihilominus iisdem, ut cum licentia Episcopi, vel Prælati, totiusque Capituli possint dictos Missalis Romani Ritus amplecti.

15. Jam, ex hac concessione oritur dubium, Ecquid faciet Sacerdos Romani (ut claritatis gratia sic loquar) Ritus, si inveniatur in loco ubi servatur Missale non Romanum: in Eccl sia, v.g. Ordinis Carmelitani, vel in Templo Ambrosiano Mediolani, & contra. Quid faciet Sacerdos Carmelita, vel Ambrosianus, in Ecclesia, ubi servatur Missale Romanum.

16. Non loquimur autem hîc; ut vides, de Ritu universali Ecclesiæ Latinæ, vel Græcæ, quoad Azimum, vel fermentatum, & similia, de hoc enim satis supérque egimus *in Opusculo de expedienda Communione, cap. 2. §. 6.* sed de his Ritibus satis accidentalibus in Ecclesia eadem Latina diversis, quoad quasdam Orationes, Cæremonias, Rubricas, &c. Quatuor dictis rem expedio.

17. Dico primo. Sacerdos, qui est membrum alicujus Ecclesiæ, sive Romani, sive Ambrosiani Ritus, v. g. sine controversia tenetur servare Ritum etiam accidentalem inibi receptum. Ratio est, quia, ut *ibid.* diximus, quilibet tenetur Ritum in sua Ecclesia receptum custodire.

18. Hinc etiam fit, ut qui ex una Ecclesia transeat in aliam, & domicilium ibi figat, animo ibidem perpetuo manendi, vel etiam manendi per majorem anni partem, teneatur ejusdem Ecclesiæ Ritus servare, quia jam ejus est membrum, & pars. Ita Coninch. *de Euch. q. 74. art. 4. d. 4. n. 115.* Quare Sacerdos Romanus si fiat, v.g. Carmelita, vel Mediolanensis Ecclesiæ, vel contra, Ritum susceptæ Ecclesiæ amplecti debet.

19. Dico Secundò. Si Sacerdos proprij Ritus, v. g. Ambrosiani per transitum inveniatur in territorio, ubi servatur Missale Romanum, vel Sacerdos communis Romani Ritus, si transeat per territorium, ubi servatur Missale non Romanum, potest, vel Ecclesiæ suæ Ritum, vel Ritum loci, per quem transit, in Missa, & Officio, ut libet, observare. Ita Coninch. *de Euch. q. 83. art. 5. num. 268.* & *quæst. 74. art. 4. d. 4. num. 115.* Præp. *3p quæst 83. art. 4. d. 5. num. 190.* Ratio est eadem, quam diximus *Opusc. de exped. com. loc. cit.* quia est probabilissima sententia petegrinum posse se accommodare legibus, & consuetudinibus loci, per quem transit, si velit non tamen teneri, siquidem potest sui loci consuetudines sequi.

Dixi (Sacerdos communis) propter ea, quæ mox addã.

20. Dico enim Tertiò, quod si Religioso Romano transeunti per dictum territorium diversi Ritus, contingat Sacrum facere in Ecclesia sui Ordinis ibidem existente, in qua servatur Ritus Romanus, quales multæ solent esse in ejusmodi Diœcesibus, ut contingit in Mediolanensi, tunc talis Religiosus debet servare Ritum Romanum, quamvis in tota civitate alius Ritus observetur. Ratio est, quia cum in Ecclesia talis Ordinis, servetur Missale Romanum, ipse vero sit membrum talis Ordinis, illi se debet conformare.

21. Dico Quarto. Si Sacerdoti Romano transeunti per Diœcesim, ubi servatur Ritus Romanus, contingat Sacrum facere in Ecclesia, ubi servatur Ritus diversus, tenetur ibi Romanum Ritum servare, non verò potest diversum, v. g. Carmelitarum. Ratio ducitur ex dictis *num. 1.* quia illud privilegium de sequendo diverso Ritu Romano, solum est pro Carmelitis, non verò pro aliis.

22. Sed quid faciet Sacerdos Romanus, si inveniatur in Ecclesia, v. g. Carmelitana, velitque Sacrum facere, nec suppetat copia Missalis Romani? Respondeo. Author huic essem, ut, si non adsit causa, abstineret à celebrando, quia hi ritus, licet accidentales, judicantur tamen alicujus momenti, atque adeo à suis custodiendi. Si adsit causa, pensetur gravitas causæ, diversitasque Ritus susciendi, & juxta dicenda *num. 30.* fiat quod expedite judicabitur.

Illud certè mihi accidit, cum essem junior, quod invitatus ad celebrandum in die festo in Ecclesia Carmelitana cum progressus essem ultra in Sacro, adverti Missale, quo utebar, esse Ordinis illius, nec posse sine aliqua astantium admiratione Romanum petere: unde judicavi, ex tali causa, illo tunc, & non Romano uti, mihi licuisse.

*Omissa an & qua ratione suppleri debeant.*

23. Si quis paululum in Missa procedens advertat se aliquid omisisse, obligatúrne id repetere?

Et quidem cum essem Novitius, & in Sacristia fortè adessem; vidi Sacerdotem quendam satis scrupulosum, qui, quia per inadvertentiam omisit legere Evangelium, quod eo die legendum erat in fine Missæ, loco initij sancti Joannis, voluit illud, spoliatis Sacris vestibus, in Sacristia legendo supplere: imò, & Ministrum admonuit, ut sibi legenti præsto esset, quia erat dies festus, de præcepto. Sed jam, ex tunc, adverti superfluam religionem, nec Evangelium privatim recitatum potuisse esse partem publici Sacrificij.

24. Dico cum Suar. *de Sacr. disp. 81. sect. 2. §. 2. in genere*, non esse regulariter repetendum, quia id non potest commodè fieri, & turbaretur Missæ ordo.

25. Dixi (regulariter) si enim de substantia sit id, quod omissum est, ut aliquid, v.g. pertineas ad consecrationem, debere repeti, certum est. Monet tamen Coninch. *de Euch. q. 83. art. 6. n. 281.* quando Sacerdos est in progressu Sacri, ne facilè sibi persuadeat aliquid omisisse: in iis enim, quæ sæpè recitamus, difficulter propter cohærentiam verborum, vel parum quod omittitur sine advertentia. Rectè: nam experimur non rarò difficilius nos recitare posse Orationem, v.g. Dominicalem omittendo duo, vel tria verba in ejus medio, quam integrè proferendo.

26. Dixi iterum (regulariter) nam si quis dum secretè orat, certò, post pauca verba, advertat, se aliquid notabile, quamvis accidentale omisisse, puto cum Suario, *de Sacrament. disp. 85. sect. 2. §. 2. in genere*, non esse inconveniens, imò necessarium, tunc repetere, quia

id, & commodè fieri potest, nec in tali casu notabiliter turbaretur Missæ ordo. Quid enim turbationis est, si certo advertens me non dixisse v.g. Orationem *Communicantes* dicendam in die Paschatis, paululum progressus regrediar ad eam recitandam? Nota illud (*paululum*) & illud (*certo*) & illud (*dum secretè orat*) nam in Orationibus publicis valdè modicus deberet esse progressus, ut regredi ad supplendum obligaretur Sacerdos, quia in publicis facillimum est turbationis, & populi admirationis periculum.

*An propter Impotentiam omitti aliquid possit in Missa.*

27. Vel ante inchoatam Missam prævidetur impotentia, vel ipsa inchoata. Deficit, v. g. aqua, quæ misceri debet cum vino. Id potes prævidere, antequam Missam incipias, vel ipsa incœpta, quando, v.g. urget tempus miscendi.

28. Si ante prævidetur, regulariter, debet Missa omitti. Ita Suar. *de Sacram. disp. 85 sect. 2. citata.* Dico regulariter, nam si res sit parvi momenti, ut si prævidetur desse Campanulam, vel tertium cereum in elevatione accendendum, tunc non esset Missa facilè omittenda, maximè pensato incommodo, quod oriri tunc fortè posset ex Missæ omissione.

29. Si non prævidetur ante est pariter distinguendum: si enim, quod defecit, est de substantialibus, idque prævideatur, incœpta Missa, sed ante consecrationem, potius est Missa omittenda, quàm prosequenda, quia melius est non celebrare, quam celebrare indebitè. Ita idem *ibid. sect. 1. initio.* Si verò advertatur defectus post consecrationem, prosequi omnino Missam debes, cum non sit Sacrificium incompletè relinquendum Sic *ibid.*

30. Quod si quod deficit non sit de substantialibus, tunc servanda est illa regula *ibid. sect. 2. § 1. igitur*, ut pensata gravitate, vel levitate rei, quæ deficit, incommodo, quod sequitur, scandalo, quod oriri possit, &c. id facias, quod melius tibi videbitur; Nec scrupulosè te geras, nam quodcunque bona fide, in illa turbatione facias, coram Deo factum bene censebitur. Imò hæc est universalis doctrina, in similibus perturbationibus, etiam in rebus gravissimis, atque adeò etiam in Missæ substantialibus, quam tradit ex Navarr. & Silvio, Diana *p.2. tract. 14. resol 70. fine*, & ratio esse potest, quia ea, quæ bona fide fiunt in illa perturbatione, non præsumuntur ita deliberatè facta, ut saltem ad mortale pertingant. Cætera huc pertinentia, partim dicta sunt sparsim *in toto hoc opere*, partim *in loco proprio* dicentur cum *de Defectibus in Missa occurrentibus* agemus infra *toto Capite octavo.*

*Ne quid addatur in Missa.*

1. Dico pari, imo majori ratione, nihil esse addendum in Missa. Ita Suar. *de Sacram. d. 83. sect. 2. §. Dico Tertio.* Majori, inquam, Tum quia ex genere suo gravior est culpa commissionis, quam omissionis; Tum quia hic est majus periculum superstitionis; cum facilius, imò, & gravius superstitio fiat addendo, quam omittendo: Tum quia expressius id cavetur à Tridentino, & Pio V. supra §. 1. *n.* 7. citatis. Non tamen deest hic excusatio ducta ex parvitate materiæ, & inadvertentia, ut similiter dictum est in præcedentibus.

*Nihil addendum in orationibus.*

2. Hinc infero primò. Sacerdotem, si non ad mutandum Ritum Missæ (sic enim, ut ex dictis constat, graviter sine controversia peccaret) sed ut privata persona, etiam dum secretè orat, adderet in Missa aliquam Orationem, v. g. *Pater*, & *Ave*, Psalm. David. vel quid simile propter suam peculiarem devotionem, peccaturum, quia addit aliquid, quod non est in Missa, licet propter levitatem materiæ, non mortaliter.

3. At S. Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus, ex Vita ejusdem apud Lucenam, *lib. 5. cap.* Communionem, addebat orationem à se Latinè compositam pro conversione Indorum, quæ pro ea hæc est.

*Æterne Deus, omnium rerum Creator, memento animas te solum creasse, quas ad imaginem, & similitudinem tuam fecisti. Ecce Domine in opprobrium eis ipsis implentur Inferni. Memento Domine Jesu Christe filij tui, qui sanguinem suum tam liberaliter effudit, illis passus est. Ne permittas, Domine, eundem Filium tuum Dominum nostrum à Paganis amplius contemni propter Sanctorum electorum tuorum, & Ecclesiæ Beatissimam Filij tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ, & oblitus Idolatriæ, & Infidelitatis eorum, fac ut illi quæ agnoscant, quem misisti Jesum Christum filium Dominum nostrum, qui est Salus, Vita, & Resurrectio, per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Respondeo. Fortasse id obtinuit à Sancta Sede ipse, utpote Summi Pontificis in iis Regionibus Legatus, sibi id indulsit? Quid si Sanctus vir, divina inspiratione, id fecerit?

4. Audivi quemdam propugnantem pro S. Xaverio dicentem eum ante Tridentinum, & Pium V. annos fuisse; Nam Concilium Trid. concluserit sub Pio IV. Anno Domini 1563. ex Bellarm. *in Chron.* & Pij V. supradicta Constitutio prodiit anno 1566. Sanctus autem Xaverius ad Indias appulit anno Domini 1542. ibique vita gloriosè defunctus est anno 1552. Lucena *in vita Xaverij lib. 1. cap. 12.*

Sed est minus sufficiens excusatio. Primò, quia ille non debuit Sanctissimus Vir recedere in re tam gravi ab ordine Missæ tot annos ab Ecclesia recepto: secundò ante multos annos id cautum à Sacris Conciliis etiam fuerat in Concilio Cartaginensi tertio, celebrato anno 397. (quod licet fuerit Provinciale, tamen confirmatum tamen fuit in sexta Synodo Generali Trullana habetur *can 23. Nemo precibus aliunde descriptis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus consulerit.* Item Milevit. *c. 12.* quod fuit sub Innocent. I. habitum, atque demùm confirmatum anno 408. cavetur *hujusmodi preces debere esse à Prudentibus tractatas, & in Concilio Synodo approbatas.* Vide Mauritium de Gregor. in Margarita. *Conc. Trid. seu coll. Conciliorum.*

5. Infero secundo, in Orationibus, seu Collectis nominasti Regem, Reginam, filiósve, non mihi excusantur tamen à mortali ex levitate materiæ, & cubi ex antiqua consuetudine jam præscripta.

*Nihil addendum in Canone.*

6. Infero Tertiò, in Canone à Regularibus non nominandum suum Generalem, sed Episcopum (loci inquam, non Sacerdotis, quod notetur propter grinantibus) Ita Gavant. *in Rubr. Miss. p. 2. Tit. litt. N* Si tamen illum aliquando nominent, non peccaturos (leve enim id ex se est) nisi venialiter.

7. At Sacra Congregatio apud eundem, & Diana *p. 2. tract. 14. res. 40.* declaravit esse mortale, Reliquos tunc ita fore, cum fierent, vel ad mutandum ritum, vel ex contemptu Episcopi, vel quid simile: cæterum ita puto id, quod ex se leve est sacram Congregationem voluisse sub mortali præcipere. Rodriquez *in Summ. tom. 4. cap. 51. n. 13.* apud cit. Dian. docet non peccare mortaliter ab eo, qui ignorat hanc declarationem esse authenticam. Rectè. Cum igitur hactenus non constet esse authenticam etiam ex hoc capite confirmatur nostra sententia.

8. In eodem Canone Pium V. concessisse nominare Regem in Hispaniis, notat Gavant. *ibidem.*

9. Infero Quartò, similiter non licere addere in Canone nomina Sanctorum, etiam Patroni loci.

Patet à fortiori, cum nec fieri debeat in Litaniis, quod intelligendum de publicis coram populo. Ita Sacra Rituum Congreg. 22. *Mart.* 93. apud Gavant. *in Man. Epis. o. Litaniæ. n. 5.*

Hinc hac occasione adverte, nec per se idem licere in Confessione Generali, quæ dicitur initio Missæ; per se (inquam) nam cæterum satis levis materia est, & usurpari à Regularibus nominando suum sanctum Patriarcham sine scrupulo non ratò video.

*Nihil addendum in instrumentis Sacris. Vbi de Duplici Palla.*

10. Infero Quintò. Quid dicendum de eo, qui addet aliquid præter consueta in Sacro Ministerio? Et quæstio esse solet, de iis, qui adhibent Pallam, alteram quidem pro cooperiendo Calice, ut moris est, alteram vero ad recipiendum Sacram Hostiam supra Corporale, ipso uno Corporali non contenti.

De hac re non nisi verba Gavanti *in Rubr. Miss. p. 2. tit. 1. n. 1. lit. M. fin.* hic iuvat exscribere. *Qui duplicem adhibent Pallam* (inquit) *alteram pro Calice, alteram pro Hostia, approbante, ut aiunt, Summo Pontifice, non sunt reprehendendi, non tamen imitandi sunt ab aliis sine Pontificia facultate: esset enim additio Ritus, quæ est à Pio V. prohibita.* Hæc Gavantus. Et rectè, si enim id Pontifex concessit, locus non est quæstioni.

## CAPVT VI.

### *Quales Missæ à Capellano, vel Sacerdote sint recitandæ.*

1. Missæ vel celebrandæ sunt ex devotione, vel ex stipendio accepto, vel ex promissione, vel ex iusta quapiam obligatione; & de singulis quæri potest, quales Missæ sint recitandæ. De singulis ergo separatim.

### *§. 1. Quales Missæ ex devotione liceat recitare.*

2. Illas licet, quæ à Rubricis Missalis præscribuntur. Præscribuntur autem regulariter eæ, quæ concordant cum Officio illius diei: nam etiam in festis simplicibus iuxta Rubricas fiet, si non sæpè, sed rarò, & ex causa fiat mutatio. Licet enim *in Rubrica Miss. de Missis votivis, num.* 3. dicatur, votivas posse dici pro arbitrio Sacerdotis, quocumque die Officium non est duplex, tamen *in Rubrica quæ ponitur ante ipsas Missas votivas de Sanctiss. Trinit. & sequentib.* sic habetur. *Sequentes Miss. votivæ licet pro Sacerdotis devotione quacunque die dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrit, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa fieri non debet, sed quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat, & in Rubric. quæ ponitur ante Missas votivas Beatissimæ Virginis. Quæ Missæ votivæ diei dici possunt, quocunque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium duplex.* Vbi rectè notat Gavantus *in Rubric. Miss. p. 1. tit. 4. lit. O.* idem propter paritatem rationis, esse in omnibus votivis, ut nimirum passim non dicantur in Dominica, vel Officio duplici.

3. Ex his ergo Rubricis simul unitis colligimus primò, arbitrium Sacerdotis, vel eiusdem devotionem non esse hic amplè, sed aliquantulum strictè intelligenda; nempe pro arbitrio, seu voluntate rationabili, & ex causa.

4. Secundò, iuxta Rubricas, regulariter non licere Missas votivas vel pro Defunctis (quæ ad votivas reducuntur) celebrare, in die Dominico, in festo duplici. Et in iis omnibus diebus, in quibus prohibetur fieri de festo, duplici. Argumento nimirum sumpto à fortiori atque adeò non posse celebrari votivas infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Feria quarta Cinerum, in Hebdomada majori, in Vigiliis Natalis Domini, & Pentecostes. In cæteris verò licere. Illos dies, non permissos, seu prohibitos; hos vero, permissos vocabimus, in posterum. Dixi (regulariter) quia excipiuntur causæ graves, quando etiam in festis, sed non maioribus conceditur à Rubricis cantari duas Missas. Alteram Votivam solemnem cum *Gloria, & Credo*, in paramentis convenientibus, v. g. de Eucharistia, quando solemniter est exponenda, altera de die currente. Dixi iterum (regulariter) propter quasdam concessiones, de quibus *mox num.* 8. 13. 14. & quidem quando favent similes concessiones, vocabimus deinceps, claritatis gratia, dies concessos. Petet quis ad majorem instructionem, quænam existimandæ sunt graves causæ.

Respondeo, quæ faciunt ad bonum Reipublicæ, & Principis, vel Prælati, qui Reipubl. caput est. Hinc necessitas pluviæ, ingruentis belli, grassantis pestis, vel mali cuiuscunque universalis, sicut dat causam processionis generalis, sic & Missæ prædictæ; salus item ex infirmitate periclitantis Summi Pontificis, Episcopi, magni Principis: Comitia item Generalia, vel Provincialia Regularium, & expositio Eucharistiæ tum in diebus ultimis Bacchanalium, tum in cæteris diebus pro illis locis, ubi per gyrum toto anno Oratio quadraginta horarum celebratur: quia pertinent ad bonum commune; sicut etiam solemnes gratiarum actiones pro impetrata communi gratia, huc reducuntur.

Nota autem Gavantus *part. 2. in Rubric. Miss. tit. 14. num. 2. & 3.* in dicta solemni expositione Eucharistiæ, debere cantari Missam votivam de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festivam Corporis Christi (nisi casus accidat infra ejusdem Octavam) & tempore Paschali addendum esse *Alleluia*, sicut in cæteris votivis: dici item debere unam tantum Orationem cum *Gloria*, & *Credo* (unde videtur colligi, non oportere in fine Missæ recitare Evangelium diei) & Præfatione de nativitate, quia solet esse publica causa, non autem hæc convenire in Missis privatis.

Advertit denique Lazana *tom. 1. c. 21. n. 27.* quando in dictis occasionibus adhibenda sunt ex Rubricis paramenta violacea, consequenter in Missa solemni omitti debere *Gloria, & Credo.*

5. Iam verò duo hic restant inquirenda. Primò, quo peccato peccant, qui dicta non observant. Secundò, quæ sunt causæ rationabiles non observandi.

### *Quid peccet, qui Votivam, vel aliam à currente, etiamsi currens sit duplex, sine causa celebrat.*

6. Dico, consulendum quidem esse, ut id non fiat, tamen si fiat, non puto esse (secluso contemptu, & animo introducendi novum Ritum) mortale, saltem in Missis privatis. Ita Bonac. citans Azor. Riginald. Sotum, Medinam, aliosque, *de Sacrament. d. 1. quæst. ult. part. 7. §. 3. num. 2.* Ratio est, quia non apparet de hoc latum esse grave præceptum, cum solæ Rubricæ id non ostendant, quæ ut *supra cap. 5. §. 1.* diximus, interdum solum consilium inducunt. Esse veniale ego non dubito, quia Rubricæ de hac re, cum contineant magnam convenientiam: sitque in contrario aliqua boni Ordinis turbatio, videntur in praxi esse receptæ sub veniali, nisi excuset causa aliqua, de qua *mox.* Quamvis non negem probabiliter Suarium *de Sacrament. disp. 83. sect. 3. §. Dico primo*, sequiturque Portella *dub. reg. V. Missa, num. 7.* in Missis privatis (nam in solemnioribus maior est rigor observandus, ex Bonac. *de Sacram. d. 4. quæst. ultim. §. 7. num. 3.*) nullam culpam agnoscere, cum non sit ullum de hac re, ut diximus, præceptum

& timorati sine scrupulo faciant.

7. Neque obstat, esse mortale notabiliter addere vel demere Orationes Missæ: non obstat, inquam, quia addere vel damere nisi parvitas materiæ excusset, sapit mutationem Ritus, quod non est in casu quo una Missa ritè approbata dicitur pro alia similiter modo approbata.

Non nego ex aliquibus circumstantiis, etiam in casu nostro, posse esse quid grave, nam si quis v. g. die Dominicæ Resurrectionis vellet in paramentis nigris celebrare missam defunctorum, cum sic videatur irrogari iniuria tantæ solemnitati, non esset facilè, nisi excusset ignorantia, culpa gravi excusandus. Idem, si temerè, & semper mutatio fieret, saperet enim contemptum, ut universaliter dixi *cap.* 5. §. 1. *num.* 6.

*Quæ sit causa iusta dicendi Missam votivam, seu aliam à currente.*

8. Prima causa est, quando corpus insepultum præsens est in Ecclesia, tunc enim posse in Dominicis, & festis celebrari Missam solemnem Defunctorum concessit Sacra Rituum Congregatio apud Gavant. *in man. Episc. V. Missa, num.* 27. & *in Rubric. Missal. p.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. *lit. X.* ubi usus obtinuit, ne quis sepeliatur sine Missa, Sed non in die Resurrectionis Domini, vel simili multum solenni: tunc enim debet Officium Sepulturæ in sequentem non impeditam diem transferri. Sabbato Sancto post Missam diei solemnem poterit in diei obitus celebrari Missa, *de Requiem*, cum iam ex usu, solemnitas festi Paschatis sit die sequenti, & ad summum solum tempore Missæ prædicti Sabbati. In die Depositionis Defuncti, & in Anniversariis, qua ratione in festo duplici, & semiduplici possit cantari una Missa Defunctorum, & quomodo, si incidant eiusmodi Anniversaria in festo de præcepto, debeant transferri, vide apud Gavantum *in Rubric. Miss. per.* 1. *tit.* 5. *num* 2. *lit. X.*

9. Secunda. Qui careret Missali novo, posset, ne omitteret eo die Sacrificium, recitare Missam votivam cum alio Missali, in quo esset votiva, non autem currens.

10. Tertia. Qui navigationem periculosam incipit, qui nuptias benedicit, qui pluviam, vel serenitatem necessariam petit, qui necessitatibus premitur, vel aliquod notabile damnum timet, potest in feria, in simplici festo, & in semiduplici Missas votivas pro illis necessitatibus conducentes celebrare. Pro re tamen gravi publica, posse unam solemnem cantari, etiam in festis non majoribus, *num.* 4.

11. Quarta. Ei, qui ducitur aliqua non modica devotione ad dicendam aliquam Missam, eam libens in dictis diebus permissis concederem, quia video timoratos conscientiæ id sine hæsitatione in praxim passim deducere; saltem sequuntur hi probabilem Suarij sententiam quam *n.* 6. retuli.

12. Hinc interrogatus ab Illustrissimo Archiepiscopo Montis Regalis D. Ioanne de Turrisiglia. An propter suam infirmam valetudinem, qua stare diù pedibus tunc non posset, posset Die Dominico Palmarum, & duobus, seu tribus sequentibus licitè, in suo Oratorio privato, recitare votivam de Passione Domini, quæ brevior est, quam illæ currentes, in quibus legitur Passio Domini: putavi eius devotionem rationabilem præbere causam, ut in dicto Altari privato sic celebraret. Multo magis, quia votiva Passionis Domini congruebat tempori.

13. Quinta, Vt impleatur voluntas Testatorum, vel Fundantium Capellanias, amplior facultas conceditur, de qua mox §. *seq. num.* 1.

14. Sexta, Qui Officium aliud reiterans, deinde celebrat in Ecclesia, ubi agitur dies aliquis festus loci illius proprius, non solum potest, sed ex magna congruitate debet Missam loco conformem recitare, quia secus esset aliqua populi offensio, ut notavi *in Rubric. Miss. part.* 3. *tit.* 19. *num.* 16. §. Hinc reducitur, quod dicam infra de Capellanium §. *seu. num* 7.

§. II *Quales Missæ, ex recepto stipendio debeat vel possint.*

1. SAcra Rituum Congregatio apud Gavant. *in Rubric. Miss p.* 1. *tit* 5. §. *Sacra tamen*: censuit posse Missas, *de Requiem*, in festo duplici, quod est de præcepto, ut Testatorum voluntates adimpleantur. Non ait (habet *ibid.* Gavantus) ad arbitrium vorum, quod bene nota, sed pro impenda legatorum.

Hinc facilè colligis, maiorem facultatem Sacerdotibus ob Fundatorum voluntates, & quæ ceperunt statum stipendium, quam ob aliam causam de quando Panormitanus *cap. Quidam Laicorum Missarum celebr.* dixit, turpe esse Sacerdotibus corum petitiones relinquere Missas cum Officio cordantes propter peculiares ex devotione, et gendus de petitionibus ordinariis vivorum, non dispositionibus mortuorum: (adderem libens paritatem rationis) non verò de stabilibus fundibus, quamquam vivorum, quibus merito magis Sacra Congregatio, sive propter gratitudinem legati, sive ad alliciendos animos ad similes dines. Sed iam distinctius id, quod in titulo proposuimus decernamus. Recolatur autem iuxta dicta *n.* 4. quinam sint dies non permissi, seu prohibiti, permissi, qui concessi.

2. Dico primò. Sacerdos, accepto stipendio, si vis promiserit sine iuramento (nam cum illo §. 3.) Votivam, vel de Defunctis non solum potest etiam debet currentem Missam celebrare, in prohibitis. Ita Marchin. *de ord. tom.* 2. *part.* 2. Ratio est constans Rubricarum, hoc est, legis sticæ dispositio, quæ admodum rationabilis, ex una parte propter Missas votivas, & peculiares votiones non est populus à publicis festis avocandus, ex alia parte; cum sacrificium sit eiusdem valoris cunque tandem recitetur, non defraudatur fructu is, qui Missam, dato stipendio, lavit.

3. Dico secundò. Idem (licet cum aliquamdiu norę ratione) dicendum est in dictis permissis, in his permissis à lege, exquiritur causa; & parte non inducatur causa sufficiens, quælibet petitio. Adde quod ille affectus conformitatis, dientiæ ad sacras leges, si Sacerdote, applicanti petente Missam, compensare ad superabundantem test fructum, quem per preces proprias Votivæ vel Funebris lucrari forte poterat petens. Recte Sylvester apud Marchin. *ibid. n.* 7. ait nullam esse Defunctis salubriorem (addo, & Sanctis gratificari per votivas intendis, gratiorem proprtiam dici currentis.

4. Duo in his duobus dictis adverte. Primò, fiant sine scandalo: quod tamen facilè reverò struendo de rei veritate astantes, si forte adiret scandalizentur, quasi non servares promissum. se secundò, te posse conformari cum Suarij sanè probabili relata §. *præcedente num.* 6. dicens lum esse peccatum eas votivas recitare, & sic votivas sine scrupulo celebrare, non impedite quod multò magis facere potes, & forsasse debes ad celebrandam talem Missam notabiliter maiorem pendium acceptasti, tunc enim huic opinioni te inhæsurum implicitè promisisti.

5. Obiicies contra nostram sententiam. Si quis Votivam, v. g. de Beatissima Virgine vel *quiem*, infideliter aget celebrando de currente, non licebit. Respondeo, non infideliter agere,

ordinationes Ecclesiasticas custodit: cum omnis promissio intelligatur observanda, sine legum præjudicio. Quare si promisisti Missas, quas secundum Rubricas tibi celebrare non licebat, male promisisti, & non teneris stare promissis. In posterum ergo ne promittas, vel saltem mente intelligas te promittere Votivam æquivalenter, nam sic per currentem promissioni omninò satisfacies, si quando autem stipendium solito maius tibi offeratur, ut celebres Missam contra Rubricarum prohibitionem, illud nequaquam acceptes.

6. Dico tertiò. Quando Ecclesia per dictas Rubricas mutationem Missarum positivè vult, quod uno verbo dicimus in diebus concessis, debet Sacerdos Votivam promissam omninò celebrare. Ratio est, quia tunc non militat excusatio petita à lege Rubricarum, & ex alia parte obligatur quispiam stare promissis, nulla excusatione intercedente. Hinc si Votivam solemnem pro bono publico etiam in Dominica die promisisti, cantare illam debes. Idem si in die obitus præsente corpore, vel ad voluntates Defunctorum implendas, vel ad similia, iuxta supradicta Missas promisisti, quia tunc non adest ulla excusatio in contrarium.

7. Rogas, quando Sacra Congregatio apud Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. §. *Intellige* decrevit quòd Cappellani Monialium Breviario utentium non Romano, celebrare possint Missam (cum suo Missali Romano tamen) de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium dicunt; quando inquam, ita decrevit, permisitne solum, an positivè concessit? Id enim scire oportet, ut videamus, an si Capellanus promisit ex stipendio illam Missam de tali Sancto, debeat ad litteram observare promissum.

Respondeo: Mihi videri concessisse, atque adeo Capellanum debere: nam licet Sacra Congregatio utatur verbo (*possint*) quod permissionem sonet, tamen ex fine colligimus esse concessionem: respexit enim Sacra Congregatio ad conformitatem Missæ cum Officio dicto à Monialibus, quarum est Ecclesia, siquidem indecens videbatur, ut ubi principales uno modo Officia celebrant, alio celebraret accessorius Sacerdos.

### §. III. *De Missis cum juramento hominì promissis.*

1. IVramentum in promittendis Missis ratò interponitur in eleemosynis manualibus, sed frequenter in Capellanis & similibus, quando Sacerdos astipulans contractui iurat se Missas dispositas à Fundatore dictum, dispositæ autem non ratò inveniuntur Missæ aliæ à currentibus.

2. Et quidem regulariter, qui etiam cum iuramento promittunt Missas, semper intelligunt, seu (nisi contrarium expressum fuerit) intelligere præsumendi sunt, salvo Ritu, & Rubricis Ecclesiæ; & sub hac limitatione saltem mente retenta, debere Sacerdotes, etiam accepta cum iuramento stipe promittere Missas votivas, monent prudenter Doctores. Lege Fraxinellum *in Resolut. quam posuit Gavantus in Rubr. Miss. in fine*: sed adhuc restat difficultas in eo casu, quo quis expressè iurans promisit votivas, vel *de Requiem*, vel alias à currentibus, an possit eas mutare in ipsas currentes?

3. Dico primò, si jurans quis dictas Missas homini promisit, incidatque dies festus, seu Officium, in quo iuxta Rubricas non licet eas recitare, quos dies prohibitos supra nominavimus: non obligatur, etiamsi ipse animum habuisset ad illas se astringendi, sed debet currentes recitare. Ratio est, quia promissio homini etiam cum juramento facta de re interdicta per legem, quando talis lex obliget ad culpam, etiam venialem, nulla est, unde nec indiget relaxatione. Ita Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap* 9. *num.* 19. & 20. Idem dic in diebus permissis juxtam nostram sententiam allatam §. 1. *num.* 6. quia adhuc (si abest causa) esset cum peccato veniali, iuxta sententiam, Suarij mox dicam *n. sequenti.*

4. Dico secundò. Si Missas non currentes cum jurejurando homini quis promisit, incidatque feria, vel festum, in quibus licet easdem non currentes expositiva concessione celebrare, eas non currentes obligatur recitare, nec in currentes transfere licitè valet. Ratio est, quia promissio cum iuramento de re, quæ non est, nec peccatum mortale, nec veniale, obligat: at iam ex concessione, quam supponimus, non est peccatum eas tunc recitare, ergo, &c. Ita idem *loc. cit.* Idem dic in diebus permissis iuxta sententiam Suarij (quam certè, quia probabilis est, potes tu sequi, ut diximus *dicto* §. 1. *num.* 6. *finem*,) quia tunc nullum est, in eius sententia, item, quotiescumque nulla culpa est ejusmodi Missarum mutationem facere, ut eadem ratio probat.

5. An semel, vel bis non servare iuramentum de Missa celebranda, sit mortale, dicemus, *lib.* 3. *cap.* 1. § 9. *n.* 19. *juncto n.* 22.

### §. IV. *De Missis soli Deo per Votum, vel per Iuramentum promissis.*

1. SI voveas, vel iures soli Deo, te dicturum aliquas Missas non currentes quid facies in prædictis diebus, vel prohibitis, vel permissis, vel concessis.

Dico primò in prohibitis, & permissis te non obligari. Ratio est, quia est latum discrimen inter promissionem factam homini, & factam Deo, promissio enim facta soli Deo, sive per votum, sive per juramentum nunquam obligat, ex Sanch. *ibid. num.* 11. quando impeditur melius bonum: at promissio homini cum juramento facta semper obligat, quando rem promissam servare non est peccatum mortale, nec veniale, esto impediat melius bonum. Cum igitur in casu nostro impediatur illud majus bonum, id est conformitas Officij cum Missa requisita à Rubricis, talis promissio Deo facta non obligabit.

2. Dico secundò. In diebus, seu in occasionibus positivè concessis, obligatur eas Missas Sacerdos dicere, quas voto, vel jurejurando Deo soli promisit. Ratio est, clara, quia tunc conformitas Officij cum Missa nequaquam à Rubrica requiritur.

3. Rogabit quis. An si Sacerdos cum juramento immediatè promittat animæ forte purganti in Purgatorio aliquas Missas funebres, censeatur promittere homini an soli Deo. Quid si promisit immediatè per votum, seu juramentum alicui Sancto Missam votivam? Præstat enim hæc scire, cum diversum jus, ut ex dictis patet inde oriatur.

4. Respondeo. Si promittat Sancto, regulariter Deo promittit, quia ipsis promittitur, in quantum Deus in illis honoratur, & sic promissio tendit in Deum. Ita Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 41. Dixi (regulariter) quia si quis Sancto promitteret expresso animo non se obligandi Deo, sed Sancto, ut excellenti Creaturæ, non est promissio facta Deo, sed homini. Sic idem *ibid. num.* 3. Si verò promittat animæ purganti, homini regulariter promittit, quatenus eius potiorem partem, hoc est animam intendit velle ab igne liberare. Regulariter, inquam, nam si quis id promitteret, expresso animo, ut in illa exultante, & beata honoraretur Deus, tunc, cum in Deum tenderet, Deo factam esse promissionem, convinceretur.

### §. V. *De Missis ex præcepto à Superiore injunctis.*

1. HIc distinguendum est. Vel enim tibi Missa alias à currentibus sub culpa injungit is, qui Superior non est in legibus Ecclesiasticis, vel qui est Superior, nempe Pontifex Summus. Si prius, non obligaberis ad illas relinquendo currentes, quas Rubricæ præcipiunt, imò neque relinquendo illas ad

quas

quas permissivè se habent: si posterius, obligaberis. Ratio est, quia in priore casu negligerentur leges Ecclesiasticæ sine legitima facultate, atque adeo in nostra sententia peccaretur. In posteriore adesset dispensatio legitimi Superioris data implicitè in præcepto de talibus Missis recitandis, atque adeo nihil fieret contra leges: unde nec peccatur, & consequenter vim suam haberet præceptum. Dixi (in nostra sententia) ut notarem, te, si sequaris Suarij sententiam, etiam in priori casu obligari ut ex dictis §. 3. *n.* 4. constare potest.

*De Missis injunctis ex Pœnitentia.*

2. Hinc infero primò, minus rectè se gerere eos Confessarios, qui (nisi sequantur prædictam Suarij sententiam) Missam votivam, vel funebrem iniungunt pro Pœnitentia Sacramentali Sacerdotibus celebrandam in diebus illis, sive prohibitis, sive solum permissis: quia Confessarius non potest contra Rubricas quemlibet obligare, nec impedire melius bonum conformandi Officium cum Missa: quare in hoc casu Pœnitens, melius currentem, quam injunctam recitet, ex mea sententia.

*De Missis iniunctis ab Episcopo in Ordinatione Sacerdotum.*

3. Infero secundò, quid dicendum sit ad illam difficultatem, An quando in Pontificali Romano in Ordinatione Sacerdotum ipsis ab Episcopo ordinante præscribitur, ut post primam Missam celebrent unam de Spiritu sancto; alteram de Beatissima Virgine; tertiam de Defunctis: an inquam, debeant novelli Presbyteri eas celebrare in diebus prohibitis, an potius in permissis, vel in concessis? Aio non debere in diebus vetitis, debere in diebus permissis, & in concessis. Ratio prioris dicti est, quia id præceptum (ut notat Gavantus *p.* 1. *tit.* 4. *litt. O. § Neque præs.*) intelligitur, salvis Rubricis Missalis: Rubricis, inquam prohibentibus, alioquin absonum esset, celebrata prima Missa in Natali Domini, v.g. recitare prædictas votivas, & *de Requiem*, in tribus sequentibus festis. Ratio posterioris est, quia cum hæc præscriptio ortum habuerit à Summo Pontifice, cuius jussu ordinatum fuit Pontificale, potuit Pontifex pro hoc casu abrogare illas rubricas permissivas de constanti conformatione Officij cum Missa. Et potuisset etiam abrogare illas Rubricas prohibentes, sed nos ex inconvenienti, quod inde sequeretur, quod nimirum deberent aliquando dici Missæ votivæ, & funebres in diebus solemnibus, colligimus prohibentes non fuisse abrogatas, fuisse autem permissivas, quia tunc sine inconvenienti, Missæ ab Episcopo injunctæ recitari possunt.

## §. VI *De Missis Defunctorum promissis in Altari privilegiato.*

1. Solet Pontifex Maximus alicui Altari concedere ut si ibi die Lunæ cujuslibet mensis celebretur Missa pro Defunctis, liberetur anima ab igne Purgatorij. Iam si tali die incidat festum de præcepto, seu festum duplex, poteritne ibi celebrari, vel ex devotione vel ex promissione Missa Defunctorum, sine qua non liberabitur anima?

2. Præmittendum est ejusmodi Altaris privilegium duobus modis concedi solere. Primò, sic: *Qui in tali Altari celebraverit die Lunæ pro Anima Defuncti, seu pro Defunctis, Animam extrahet à Purgatorio.* Secundò sic: *Qui in tali Altari celebraverit Missam de Defunctis, seu Defunctorum, seu de Requiem, Animam à Purgatorio liberabit.*

Si primo modo concessum fuit privilegium, non est necesse, ut dicatur Missa *de Requiem*, sed satis erit si dicatur currens, applicetur tamen pro Defunctis, hoc enim solum notat illud (*pro Anima, seu pro Defunctis*). Quod si contrarium habeatur in quadam declaratione Sacræ Congregationis allata à Gavanto Barbosa, Lezzana apud Lezzanam *V. Missa, n.* 48. satis sit respondere ea non constare authentice. Atque in hoc casu non est locum propositæ difficultas, ut ex se patet.

Si verò concessum fuit privilegium secundo modo, necesse erit celebrare Missam *de Requiem* id enim solum notat (*Missam Defunctorum, seu de Defunctis quemcumque*,) & in hoc casu procedit dubitatio.

3. Dico, si in die Lunæ incidat festum de præcepto vel duplex, atque adeo sit dies impedita, non posse celebrari Missam funebrem, atque adeo eo die inniti privilegium. Ita Sacra Congreg. apud Gavant. in *Miss. part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. *litt.* 2. §. *Sacra tamen*. Ratio, quia Privilegium semper intelligitur, salvo iure aliarum. In diebus, quos *supra* §. 2. *num.* 4. permissos pellavimus, ideo puto in Altari privilegiato posse celebrari Missam *de Requiem*, quia passim video id fieri omnibus etiam timoratis: & ratio potest esse, quia à Summo Pontifice indulgere putandum est, secundis rarò ejusdem Altare privilegiatum suo privilegio frueretur.

4. Dices. Posset dici per tale Privilegium Pontifex cum dispensare etiam pro diebus prohibitis, sicut dicimus §. 5. *n.* 1. & 3. dispensare, quando præcipit, Rubricas deo: nego id in casu nostro dici rationabiliter posse, non enim unum ex his bene infertur ex alio: Pontifex dedit Privilegium de una re, ergo dispensat de alia: saltem non constat in re nostra de dispensatione, constat verò de lege Rubricarum: cum ergo lex præceptiva deat, illi standum. Non ita se habet, quando præcipit, nisi enim tunc dispensaret, nullam vim haberet præceptum: cum contra in casu nostro iam Privilegium habet vim in aliis diebus Lunæ non prohibitis.

5. Vna tantum exceptio hic habet locum, posse nimirum die Lunæ impedita dici in dicto Altari Missam *de Defunctis*, quando corpus est præsens inspulturæ juxta *dicta* §. 1. *num.* 8. & quando implendæ sunt voluntates Testantium, ut diximus §. 2. *num.* 1. in his enim casibus posse celebrari Missam *de Requiem* in diebus eadem dictis quamvis prohibitis, concedere videtur Sacra Congregatio.

6. Rogas. Si quis non valdè sollicitus de cujusmodi, quam ut diximus §. 1. *num.* 6. ex nostra sententia contraheret, celebraret nihilominus funebrem Missam in Altari privilegiato die Lunæ fortè prohibito, liberétne animam? Respondeo liberaturum, quia licet aliter peccaret; ponit tamen totum id, quod summus Pontifex ad ejusmodi liberationem requirit. Imo magis in verum habet in sententia Suarij illud, per quam solum fieret contra Rubricam, non verò peccaretur.

Qui promisit Missas celebrare in Altari Privilegiato an possit alibi satisfacere cum calculo benedicto, *dict. l.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 11.

## §. VII. *De Missis Sancti Gregorij promissis.*

1. Sanctus Gregorius Papa *l.* 4. *dial. c.* 55. præcepit Abbati Pretioso, ut pro Monacho quodam Defuncto triginta Missæ celebrarentur, his verbis. *Vade ad hodiernum diem, diebus triginta continuis, offerre pro eo Sacrificium, & studè, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo, pro absolutione illius, Hostia Salutaris non offeratur.*

2. Ex quo Sancti Gregorij præcepto ortum habuit, ut Fidelium pia devotio similes Missas, similique numero, pro suis Defunctis, celebrandas, sæpè curarent, nec tamen Sacra Congregatio apud Gavant. in *Rubr. Miss. p.* 1. *n.* 3. *litt. D.* §. *Dubitatum*, Beiam *p.* 1. *resp. cas. consc. casu* 13. unquam prohibuit, licet prohibuerit quasdam alias pro *Vivis, & Defunctis*, quæ ut S. Gregorij falsò circumferebantur.

§. Non

1. Nota autem in verbis S. Gregorij Primo, illud (*offerre pro eo Sacrificium*) ubi cùm dicatur Sacrificium, non verò Sacrificium de Defunctis, apertè constat, non esse necesse, ut recitetur Missa *de Requiem*, sed solùm ut applicetur Missa pro Defuncto.

4. Nota Secundò illud (*offerre stude*) hinc enim sequitur non oportere unum, eundemque Sacerdotem omnes triginta Missas celebrare, cum non dicat Sanctus Doctor, *offer*, seu *offer per te*, sed *offerre stude*.

5. Nota Tertiò, illud (*continuis*, &. *Nullus omnino prætermittatur dies*,) nam in his verbis geminatis satis liquet, si hunc S. Gregorij Ritum servare intendas, non debere discontinuari, ne unum quidem diem Missas.

Tria tamen in hoc Tertio Notando sunt subadvertenda. Primò ob triduum majoris hebdomadæ, in quo non celebratur, non discontinuari prædictas Missas, non enim est credibile, Deum eas non acceptare ut continuas, dum servatur ejus sponsæ Ecclesiæ tam pia consuetudo.

Secundò, in hac tum continuatione, tum numero evitandam esse superstitionem, quam universaliter Concilium Tridentinum *sess. 22. decr. de observ. in celebr. Miss.* meritò damnat. Hæc autem in eo, quoad rem nostram, potissimum consisteret, quod putaret aliquis in ipsa Physica continuatione, aut numero inesse aliquam vim ad effectum intentum. Non quidem numerus, vel quid simile, sed Christi immolati virtus vim habet satisfactoriam, conducitque non parum in Dei memoriam veluti revocare merita S. Gregorij, qui piè credendus est, eas triginta Missas ad honorem ejusdem Christi Domini in domo privata Sanctissimæ Matris per totidem annos commorantis, & famulantis instituisse.

Tertiò, si quis triginta Missas in diebus discontinuis dicendas curaret, valere ad satisfactionem pœnarum defuncti; & quidem, si simul, una die, dicerentur, valere citius; sed ejusmodi Missas sic celebratas non esse rigorosè eas, quas S. Gregorius instituit, siquidem ipse continuatas, ut ex ejus verbi modo positis *num.* 1. patet, ordinavit, quod rectè notavit Gavantus *Rubr. in Miss. p. 1. tit. 5 n. 3. litt. D.* immo rejectus à Diana *part. 2. tr. 14. resp. 32.*

His positis: quærebatur, An, incidente die duplici, vel simili privilegiato, ne interrumperentur dictæ Missæ, posset recitari Missa Funebris. Respondi, hoc dubium locum hic habere nullum, siquidem ex dictis *num.* 3. satis erit, si Missa currens pro Defunctis applicetur.

Cæterum ex hoc, atque ex dictis *à §. 2. usque ad sextum* facilè colligere poteris, qua ratione te gerere debeas, si quando prædictas S. Gregorij Missas promisisti.

## §. VIII. *De Missis Sancti Beatificati, nondum Canonizati promissis.*

Ubi,

### *An alij à Privilegiatis possint eas Missas celebrare.*

1. Incidit hic nova dubitatio. Promisit sæcularis Sacerdos, accepto stipendio, celebrare quasdam Missas de Beato Francisco Borgia Societ. Jesu primo Octobris, & quasdam de Beato Aloysio Gonzaga 21. Junij, qui sunt dies festi eorum natalium; (& potuisset promittere de Sanctis tribus Martyribus Paulo Michi, Joanne de Goto, & Didaco Quizai 5. Februarij, vel aliorum similium Beatificorum, qui nondum solemni Canonizatione in Sanctorum numerum sunt relati) putans sibi sine hæsitatione licere eas Missas recitare, sed cum cognovisset, Summos Pontifices tunc non concessisse facultatem celebrandi, nisi Religiosis Societ. Jesu, quæsivit, An posset stare promissis.

2. Dixi (tunc) nam postea Sancta Sedes extendit prædictas concessiones ad omnes Sacerdotes confluentes in Ecclesias Soc. Greg. XV. *in Sede Principis* 1621. pro B. Aloysio Urb. VIII. *Alias* 1625. pro B. Borgia. Idem *Salvatoris* 1627. *juncto decr. Sac. Cong.* 20. *Sept.* 1629. pro tribus Martyribus.

3. Et quidem resolutio pendet ab illa quæstione, An posito quod Pontifex concedit aliquibus determinatis personis, & sub determinato aliquo ritu, venerari Sanctum Beatificatum, possint licitè omnes alij uti tali concessione? Possuntne v.g. Sacerdotes omnes sæculares prædictos, vel similes Beatos venerari per Processionem, & Missam in honorem eorum oblatam, pérque alios cultus, Sanctis dari solitos, sive in sua Ecclesia, sive in aliena, sive ipso die Natalis, sive alio? Nam profectò si possunt; poterit & hic Sacerdos illas Missas, quas promisit celebrare, secus, non poterit, sed celebret currentes iis diebus juxta superius *dicta §. 2.*

4. Pugnant utrinque Doctores, & Turrianus quidem *2. 2. t. 1. cap. 13. d. 8.* cum Granado, *22. Contr. 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. n. 2.* aliique negant. Concedit Castropalaus *tum. 1. tr. 4. d. 1. p. 5. §. 5. n. 4.* aliique ab ipso citati, & consulti.

5. At, amabo te, siste hic parumper amice Lector. Diana *p. 2. tr. 15. resp. 55.* affirmat per Theologos Salmanticenses fuisse id determinatum pro negantibus, quod ipse se cognovisse dicit ex relatione M. Dominici de los Reys Ordinis Prædicatorum: Castropalaus *ibid. num. 8.* asserit per eosdem Doctores Salmanticenses fuisse determinatum pro concedentibus. Cui ex his duobus fides habenda sit? Certè majoris momenti videtur Castropalai testimonium, quippe qui testatur se, & fuisse præsentem, & unum ex Doctoribus, qui rem disputatam pro concedentibus decreverunt. *Quapropter concludo*, (verba sunt Castropalai) *posse Ecclesias Cathedrales, & Episcopos cum suis Clericis supradictos Beatificos, honorare Missa Pontificia, & Officio votivo (hoc est ex devotione, non obligatione) processionéque solemni. Cui opinioni subscripserunt Salmantica anno Domini 1625. cum hic casus consultus fuit Doctor Balboa, &c.* Et numeratis circiter viginti Doctoribus, seu Magistris, qui subscripserunt, addit. *Et ego minimus; aderam enim tunc Salmanticæ.*

6. Dicet fortasse quis. Distingue tempora, & concordabis. Respondeo. At difficile mihi videtur tantam sententiarum mutationem factam fuisse inter tempus à Castropalao notatum, & tempus, quod colligitur ex Diana. Castropalai determinatio fuit anno 1625. quam idem Lugduni impressit anno 1631. Dianæ vero relatio typis evulgata est anno 1632. quando scilicet idem Diana edidit Panormi primum, & secundum Tomum suarum resolutionum. Cum ergo tempus impressionis ferè consentiat, consentire & tempus determinationis probabile est. Melius fortasse suspicari quis posset, Patres Ordinis Prædicatorum non consensisse cum cæteris Salmanticensibus Magistris, atque adeo M. Dominicum de los Reys ejusdem Ordinis, potius significasse Dianæ Prædicatorum placitum, quam Salmanticensium Doctorum resolutionem. Suspicionis meæ conjectura est, quia inter Theologos, ac Salmanticenses à Castropalao citatos adsunt ex familia Sancti Augustini, S. Bernardi, Sancti Benedicti, beatissimæ Virginis *de la Merced*, nostræ Societatis: at magnum silentium de Familia Prædicatorum: fortasse quia contrariam opinionem amplexi sunt. Sed propius ad quæstionem accedamus.

7. Ratio negantium est, quia *in c. 1. de Relig. & Ven. Sanctorum*, nemini licere dicitur absque authoritate Sedis Apostolicæ aliquem honore publico venerari? Cum ergo tales Beatos venerari sit privilegium, seu gratia, privilegij autem natura sit, ut non extendatur de persona ad personam, & gratiæ item natura sit ut solùm intelligitur concessa juxta verba supplicationis, sequitur id concedi tantum determinatis personis, &

& quidem solum illis, pro quibus talis gratia fuit expostulata, non verò aliis.

8. Adde Primò responsionem Sacræ Congregationis, & Cardinalis Bellarmini negantium, apud Dianam & Turr. citatos.

9. Adde Secundò, non fore differentiam inter Sanctos Canonizatos præsertim non positos in Calendario Romano, & inter Beatificatos, si de his indifferenter Missa offerri, & cæteræ solemnitates fieri, pro iisdem, possent.

10. Ratio concedentium, cum quibus sentio est, quia cum una Missa ejusdem sit valoris, & dignitatis, ac aliæ quælibet; statim atque Pontifex declarant talem Beatum dignum esse una Missa, quæ dicatur ab una determinata persona, declarat illum esse dignum omnibus cæteris Missis à quocunque, & quomodocunque celebrandis. Si igitur Beatus remanet sic dignus declaratus, non est unde quilibet Sacerdos impediatur illum per suas Missas venerari, nec venerabitur sine Sedis Apostolicæ authoritate, hæc enim jam intercedit per illam declarationem, qua dignus Missa declaratus est Beatus.

11. Hinc infert merito Castropalaus, posse quemlibet ejus imaginem adorare, adorandam in Altari constituere, publicis processionibus circumferre (adde, & ejus collectam, seu commemorationem facere in Missa, infra annum, quod immerito, sed consequenter ad suam sententiam, negavit Granado.) Ratio est, quia hi cultus longe inferiores sunt Missa, quare si hanc Pontifex concedit, concedit & illos.

12. Ad rationem negantium Respodemus per illam concessionem determinatis personis factam, auferri prohibitionem latam *in dec.* 1. Non est igitur recurrendum ad naturam Privilegij, seu gratiæ; quamvis enim habitus fuerit aliquis respectus ad dictas Religiones, in tollenda tali prohibitione, illa tamen ablata omnes Sacerdotes sine nova gratia remanent liberi ad venerandum beatum Missa, & Officio, ab ipsis ex voluntaria devotione celebrandis.

13. Ad id, quod Primo additur; satis sit, nunc dicere, de illis responsionibus non constare authenticè.

14. Ad id, quod additur secundò, respondeo, esse ut cætera taceam, differentiam, quia de Beatificatis permittitur dici Missa, ex vi nimirum ablationis prohibitionis latæ in *d. cap.* 1. At de Canonizatis etiam nondum ascriptis in Calendario Romano positivè idem conceditur ex vi Canonizationis publicæ omnibus intimatæ. Quare Sacerdos sæcularis, qui negligeret Canonizatis Missam celebrare, quando eis etiam non ascriptis in Calendario illa competit (ut in propria Ecclesia, quando de iis fit festum, tunc enim non ascriptis convenit Missa, &c.) faceret contra Rubricas: at sæcularis, qui negligeret similem Missam celebrare in festo & propria Ecclesia Beatificati, non ageret contra Rubricas, quia ejusmodi Beatis Missa sæcularium non debetur, sed solum permissivè iisdem sæcularibus indulgetur.

15. Confirmo sententiam hanc, quam merito probabiliorem ac magis piam vocat Castropalaus *ibid. n.* 7. confirmo, inquam, in hunc modum. Vel Sacerdos sæcularis non potest celebrare Missam de beato Borgia v. g. quia Beatus nondum judicatur dignus honore Missæ, & hoc non, ut modo *n.* 10. vidimus: vel quia ipse Sacerdos est impeditus, & hoc non, quia nemo impeditur venerari Beatum honore, quo dignus reputatus ab Ecclesia: est ergo, cum aliud caput excogitari nequeat; cur non possit? Fac hunc Sacerdotem esse irregularem, tunc certè procederet argumentum contra ipsum, hoc modo. Vel hic non potest celebrare Missam de Beato, quia Beatus nondum est reputatus dignus Missa, & hoc non, ut dictum est: vel quia ipse Sacerdos est impeditus, & hoc quidem sic, quia ob censuram est à sacrificando exclusus. Cum igitur in casu nostro Sacerdos nullo ejusmodi impedimento [illegible] ret, sane poterit.

16. Granado *ibid. n.* 16. concedit si in Dispensatione Pontificio fiat potestas Religiosis celebrandi in [illegible] rem Beati, & non addatur particula *tantum*, [illegible] babile esse, posse alios quoscumque Sacerdotes [illegible] brare, dummodo id fiat petentibus illis Religiosis, [illegible] bus facta est concessio. Ratio est, (inquit) quia [illegible] la Juris, *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat ipsum*: Et quia Capellanus potest sacrificare [illegible] cet ipsa concessio, nostris enim Beatificatis favet, siquidem in Brevibus de ipsis, non adest [illegible] la taxativa. Displicet vero ratio, illa enim Regula 68. *de Reg. Iur. in* 6. habet sexcentas limitationes, [illegible] rectè Glossa *in Reg.* 72. *de Reg. Iur. in* 6. sic habet: *facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum, [illegible] do ille actus potest* (utique de jure) *expedire per* [illegible] Quare debuit Granado probare hunc actum [illegible] concessum Religiosis posse per alium de jure [illegible] ergo nihil probavit afferendo solum illam Regulam, [illegible] multo minus afferendo exemplum Capellani, [illegible] constat non obligari personaliter. Adde si advertant aiunt hanc concessionem esse privilegium solum [illegible] nis Religiosis concessum & in hoc ponunt totam [illegible] suæ probationis, ut vidimus *n.* 7. qua ratione [illegible] valebunt aliis competere posse ejusmodi actum [illegible] brandi de Beatis per alium expediri?

18. Dices, quid ergo, per nos, operatur, seu significat particula *tantum*, si quando in dictis concessionibus [illegible] veniatur? Respondeo. Significat, & quidem explicat tale privilegium concedi positivè solis illis Religiosis, qui propterea contra Rubricas operarentur, si Beato celebrent, quando ipsis competit Missa, sed non propterea tollitur, quod & aliis indulgeatur permissivè, ut ex dictis patet.

19. Ex his quilibet facilè concludet eum Sacerdotem *n.* 1. allatum stare promissis, sequendo nostram [illegible] tentiam potuisse, potuisse tamen non stare, si [illegible] fuisset aliam, quæ certè probabilis est.

## CAPUT VII.

### *An interrumpi Missa aliquando possit.*

§. 1. *Præmittuntur aliqua certa de Interruptione Missæ.*

1. CErtum est Primo, nunquam, quoad partes [illegible] tiales, interrumpi Missam, sine gravi peccato posse, v. g. non potest consecrato pane, ita interrumpi, ut omittatur consecratio Calicis, nec consecrato pane, & Calice, potest omitti consumptio, hæc enim, [illegible] per aliquos non sit de essentia Sacrificij, est certe [illegible] fectione integrali.

2. Certum est, contra, Secundò, interrumpi, omitti que omnino debere, quando incœpta etiam consecratione, recordetur certo quis se non esse Sacerdotem, quia hic non interrumpit Sacrificium, cum ab [illegible] nulliter offeratur, sed ab eo, quod debet, abstinet. [illegible] (certo) nam in loco, & re tam gravi, nec scrupulosam dubium te commovere debet; quare ni certus [illegible] sis, depone dubium. hoc est, tibi persuade (quamdiu dem non es certus) pergere posse, & pergito. Ita Reg. *Eccl. præc. l. 3. c. 10. n. 19.*

3. Certum sit Tertiò. Si Hostes, Hæretici v. g. [illegible] gruant ad occidendum sacrificantem in Altari (multo magis si ad injuriam inferendam Sacramento) [illegible] Sacerdotem Hostiam consecratam statim sumere, [illegible] secum auferre, si ad consecrandum Calicem, sine [illegible] denti mortis periculo progredi non possit. Ita Layman *lib. 5. tr. 5. de Euch. c. 7. n. 1. & 2.* Et quidem eadem [illegible] ratio, si ex terræmotu, vel incendio simile periculum instaret.

4. Dixi

4. Dices, Si quis incutiat metum mortis, Sacerdoti nisi solum panem consecret, non potest Sacerdos Missam incipere cum animo sic interrumpendi, quamvis is metus non incutiatur in contemptum, sed in allum finem v. g. ad infirmum communicandum, cuius rei ratio est, quia non potest fieri Sacrificium mutilum contra præceptum latum à Christo de integritate Sacrificij. Ergo pariter, nec ille Sacerdos idem poterit, ex hostes fugiat, iam enim relinqueret mutilum Sacrificium.

5. Respondeo, in casu Antecedentis directè intenditur Sacrificium imperfectum, quod quia est contra Christi præceptum, nunquam licet: at in casu nostro Sacerdos non intendit mutilare Sacrificium directè, & ex proposito, sed permittit ejus imperfectionem, seu omittit illud perficere in eo casu, in quo Christi affirmativum præceptum, de integrando Sacrificio, non obligat. Debet igitur Sacerdos semper habere propositum perficiendi, etsi per accidens, vigente gravissimo periculo, non perficiat.

6. Certum est Quartò etiam quoad partes accidentales, & Ritum iam approbatum recitandi Missam, non posse licitè eam interrumpi sine gravi causa. Patet id ex sensu communi Fidelium, rei gravitate, & reverentia tanto Sacrificio debita, notatque *Nihil 7.q.1.* ibi *Nullas absque patentis proventu molestia minister, vel Sacerdas, cum cæperit imperfecta officia præsumat, omnino relinquere: si quis hæc temerarie præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Vbi notat hanc esse excommunicationem ferendam, cum imponatur ex Bonacin. *de cens. disp.1.q.1.n.6.* & *passim*, per verbum futuri temporis, & requirere præsumptionem, ut patet per illud *temerarie præsumpserit.*

7. Quoniam verò dictum est (sine gravi causa) ideò per aliquas erit, hic nobis, ut de similibus deinceps iudicare possimus, breviter discurrendum.

## §. II.

## PRIMA CAVSA interrumpendi Missam.

*Metus mortis, vel gravis mali.*

1. SI ob malum *num.3.* dictum potest Sacerdos interrumpere partes Missæ essentiales, multo magis poterit partes accidentales, quæ sunt de præcepto Ecclesiastico quod, ut cætera humana præcepta, non obligat in tanto periculo. Immo propter hanc eandem rationem licebit in tali casu eandem interruptionem ex proposito, & directè etiam intendere.

Memini me tamen supra *lib.1.c.3.§.1.n.6.* docuisse, si Sacerdoti metus mortis incutiatur, ni sine omnibus vetitis sacris celebret, non licere sic celebrare; licere autem, si sine aliquibus. Et ratio erat, quia sine omnibus, non potest non cedere in contemptum Sacrificij, qui contemptus sine aliquibus, facilius vitatur: Pari igitur modo hic erit considerandum, quæ, & qualis interruptio intendatur, vel facienda sit, An initio Missæ, An facta oblatione, An incœpto Canone, &c. si enim appareat periculum gravis contemptus, non licebit propter talem metum interrumpere, vel id intendere, licebit, si non appareat.

2. Si ingruant hostes, incendium, terræmotus, vel simile quid, idem similiter est dicendum, semper præciso scandalo, periculoque contemptus: habendum etiam præ oculis, quod, quo partes sunt remotiores, viciniores Consecrationi, vel Communioni, eo periculum vel malum instans debere esse, vel maius, vel minus ad dandam, vel non dandam legitimam causam intetruptionis. Quoniam verò in ingruentibus hisce malis oritur persæpe turbatio mentis, illud intrepidè facias, quod tuæ bonæ fidei facere te posse iudicas, nam coram Deo id sufficiet, ut *c.5.* diximus *§.2.n.30.*

## §. III.

## SECVNDA CAVSA.

*Superveniens memoria impedimenti ex assumpto cibo, ex peccato, ex censura, ex tempore indebito.*

1. SI quis, dum celebrat, recordetur se habere aliquod impedimentum, se videlicet, non esse jejunum, vel non esse in gratia, vel esse excommunicatum suspensum, interdictum, irregularem, quid faciet?

Respondeo, me de hoc aliqua dixisse *in Opusculo de Expedienda Communione, c.1 §.6. num.34 & 35. iuncto c.2. §.8 n.23.* vide nihilominus quæ dicam infrà *c.8.§.2.*

2. Quid, si superveniat advertentia temporis indebiti; hoc est, te cœpisse Missam longe post meridiem, vel multo ante Auroram?

Si est cœptus Canon, est omnino perficienda, si non est cœptus, mensurandum est scandalum, seu turbatio, quæ oriri potest in astantibus, hora multum, vel non multum à meridie, vel ab aurora distans, multus vel parvus progressus in ipsa Missa, &c. quodque ponderare plus videbitur, hæc nimirum, an interruptio facienda, illud eligatur; juxta dicta *c.5. §.2.n.30.*

## §. IV.

## TERTIA CAVSA.

*Superveniens excommunicatus non toleratus.*

1. DVm Missam celebrans, advertis adesse, vel supervenisse excommunicatum non toleratum cum quo communicare in divinis non possumus, quid tibi faciendum;

2. Communis doctrina, quam paucis comprehendit Layman, hæc est. *Si excommunicatus, non toleratus*) qualis solum est nominatim denunciatus, & percussor Clerici publicus,) *interesse præsumat Missæ, monendus ut discedat, sicuti colligitur ex Clementina, Gravis, De sent. excommunic. ubi nova etiam excommunicatio Papa reservata decernitur, si exire iussus non paruerit, tunc vero, si id commodè fieri possit, expellendus est opera laicorum, tametsi Regularis vel Sacerdos sit, qui eiicitur; si laici non adsint neque vocari possint, etiam Clerici eum expellere debent arg. c. veniens, de sent. excom. Quod si expelli non possit, Sacerdotem ab Altari recedere oportet, nisi Canonem Missæ caperit secundum Sylvestrum (v. excom 5. n.3.) secundum alios vero* (apud Avilam *p.2 c.6.§.9.dub.8.* & Suar. *disput.12. sect.1. num.11.*) *tametsi Canon cœptus sit, sed nondum Consecratio peracta: Sed existimo, si verba illa proxime antecedentia consecrationem, Qui pridie quam pateretur, dici cœpta sint, non posse discedere Sacerdotem: At vero alij omnes præter Altaris Ministrum recedere coguntur, quia cum excommunicato non tolerato communicare in Sacris Officiis non licet. Sacerdos autem Sacrificium perficere debet usque ad Calicis sumptionem; tum, iterum monito excommunicato, ut recedat, si nolit, ipse quoque abire debet, & quæ reliqua sunt Missæ in Sacristia peragere, vel si talis locus non sit, omnino intermittere: debent tamen hæc intelligi de Sacrificio Missæ comparatione ejus dumtaxat Altaris, cui excommunicatus assistere præsumit; nam interim nihil obstat, quominus in aliis Altaribus Missa peragatur, præsentibus etiam fidelibus, sicuti notavit Suarez* (*disput. 12. de cens. sect.2 fine*) Hactenus Layman.

3. Dum hæc scriberem, accidit casus hic. Declaravit Præsul nominatim excommunicatum unum ex Senatoribus Civitatis, ob quamdam contumaciam in exigendis Vectigalibus ab Ecclesiasticis. Paucis autem post diebus die solemni Natalis Domini, cum de mora in Ecclesia Cathedrali coram Prorege, Senatoribus, populoque universo, Missam cantaret idem Antistes, advertit, ipso Missæ initio, adesse cum cæteris collegis Senatorem illum excommunicatum non toleratum. Substitit: eundemque per nuntium admonuit, ut è Templo

recederet, qui cum renuisset, atque ultro, citroque idem Nuntius responsiones pertulisset, delata etiam ad præsentem Proregem turbationis causa, res cum terminum habuit, ut Episcopus, nulla alia adhibita vi, perrexerit in Sacro; illique de more finem imposuerit. Magna exinde obortа est quæstio, inter Canonistas: An legitimè Episcopus in Sacro pergendo persistere potuerit? An Senator ille in excommunicationem Pontificiam incideriit? An denique astantes, qui exire è Templo de buissent, peccaverint? Profecto sic primo aspectu merito dubitabatur. Verum ego minimus, aliique me doctiores, inde prædictos defendimus, quia Senator ille, statim atque suæ denunciatæ excommunicationis notitiam habuit, ritè appellaverat ad superius Tribunal; quare appellatione pendente, vitandus non erat. Audi eumdem Layman. *lib.1 tr 5.p.2.c.4.num.2.* id breviter deferentem. *Secundo colligitur cum Navarro, & Glossa, licet appellatio ipsam excommunicationis sententiam absolutè latam suspendere non possit cum ea executionem secum trahat, c. Pastoralis, § De Appell. nihilominus suspendit effectum denuntiationis, ut appellans, pendente appellatione, vitandus non sit. Qua simili ratione, tametsi aliquis in facto notorio appellare non possit, c. Cum sit Romana, eodem titulo, tamen sententia Iudicis declarantis factum notorium esse, appellare potest, cum is injuste iudicare potuerit, sicuti notavit Abbas. Denique licet à pœna iuris non appelletur, c. Quia nos de Appell. appellari tamen potest à sententia Iudicis declarantis aliquem incidisse in pœnam iuris.* Hæc ille: Vide etiam Bonac. *de exc. disp. 2. dub. 2. p.1.n.2.* aliósque.

## §. V.
## QVARTA CAVSA.
### *Superveniens violatio Ecclesiæ, vel Altaris.*

1. SI violatio, ) de qua supra *lib.1.c.4.§.5.* breviter locuti sumus ) contingat post Canonem inceptum, ( cum tunc censeatur quoad hunc effectum incœpisse Sacrificij substantia ex Suar. *de Sacram disp.81.sect.4. §. Secundò quæres,* Fagun. *d.1. Eccl. præcept. lib.3.c.14.num.7.*) pergat Sacerdos, Missamque absolvat, ac si nulla violatio supervenerit. Sic Delugo *de Euch.d.20 sect.2.num.61. & passim.* Si verò Canonem non incœperit, recedat, Missamque relinquat. Illud recole, si Ecclesia solum benedicta, & non consecrata fuerit, posse ipsum Sacerdotem eiusmodi violatam Ecclesiam, seu Altare reconciliare per formulam positam in Cæremoniali, quæ satis est brevis, factaque reconciliatione, statim redire ad Missam, & prosequi. Ita nos suprà *lib.1.c.4.§.5.n.2.*

2. Dico (posse) nam si commodè haberi nequeat Cæremoniale, Sacerdos non obligabitur, sed solum relinquat Missam. Obligabitur tamen sub veniali, si commodè posset habere Cæremoniale, & nollet reconciliare: quia est nonnulla irreverentia nolle Missam cœptam quamvis nondum incœpto Canone, absolvere, cum possit. Sub mortali autem non obligo, quia potest se conformare cum decreto Ecclesiæ prohibente Sacrum fieri in loco violato, & ex alia parte Sacerdoti privato reconciliationem illam Ecclesia non præcipit.

Post hæc scripta volui recolere modum reconciliandi, Ecclesiam violatam, quando nondum est consecrata, quem præscribit Rituale Rom. Pauli V. nec illum inveni adeo brevem, ut modo dictum est ex Delugo; quare puto, ante Canonem inceptum absolutè posse Missam omitti, cum prolixitas talis reconciliationis sufficientem causam det omittendi sicuti dat Ecclesiæ consecratæ propter non valdè dissimilem prolixitatem.

3. Sed quid fiet de Hostia, Vinóque oblatis, si relinquenda sit Missa post oblationem?

Hostia, vel reverenter sumatur à quopiam, vel servetur inter cæteras, quæ postea consecrandæ erunt: nec officit debere iterum offerri, quia oblationem repetere culpa nulla est. Vinum etiam, vel reverenter absumatur, vel servetur ad alias Missas, vel deponatur in Piscinam Sacram, seu sacrarium. Atque ex congruentia cæterum si eiusmodi Hostia, & Vinum servetur contemptu, in usum non sacrum, culpa non carebit supradictis *lib.1.c.2.§.3.à n.3.* in simili, colligo

## §. VI.
## QVINTA CAVSA.
### *Superveniens corporalis necessitas.*

1. SI morbus, vel alia gravis corporis necessitas Sacerdotem Missam interrumpere, immunem ut ex se constat, à culpa. Ita Layman. *lib.5.tract.* Quo casu si facta est cõsecratio, & ipse redire ad dum Sacrum nequeat, quid faciendum sit, dicem *§.1.n.1.*

## §. VII.
## SEXTA CAVSA.
### *Superveniens proximi necessitas Spiritu*

1. DIfficulter aliusn casum circa hoc inveni eum, in quo alicui morti proximo Sacra sit ministrandum.

Primò igitur, si sit ministrandum Sacramen credatur morituros ponendus esse in gratia, (qua cramentum Pœnitentiæ) vel si hoc suscipere ob sim non possit, Sacramentum Eucharistiæ, vel Unctionis, quibus in eo casu competit ex probab nione primam gratiam conferre) si id, inquam, strandum, nec præsto sit alius, nisi is, qui actu est( inquit meritò Zambranus *c.4. dub.6.n.* *Missam inchoatam etiam post consecrationem* servante interim aliquo Sacrã Eucharistiam in qua *ctus Sacerdos secum deferat aliquã hostiam* consecra *extremã unctionem ad infirmum, anditaque ejus* & data Eucharistia, atque extrema Unctione( *Psalmis Pœnitentialibus ad Ecclesiã post Missam* tur ad perficiendum Sacrum: Atque hæc si infirmus *omnia Sacramenta susciпere, secus,* cõferat illud, quæ

2. Secundò. Si sit ministrandum Sacramentum charistiæ non ut conferat illi gratiam primam, Viatico ei, qui paulò ante fit confessus, nec ad Sacerdos, si facta quidem sit oblatio, seu certè ptius Canon, non licet exuere sacras vestes, & ire rigendum Viaticum. Si vero oblatio facta non fuit cere non est improbabile. Ita Laym. *lib.5.tr.5.c.7.* tio est, quia ex una parte necessitas, seu utilitas firmi non iudicatur modica, & ex altera, ante obla vel Canonem (non vero post) relinquere Missam, dicatur continere tantam irreverentiam, quæ non debeat ab illa necessitate.

Dixi (licere) nam non cognosco obligationem, fit Sacerdos iuxta alteram opinionem putare non tantam necessitatem, ut interrumpere Missam

4. Dixi item ( non licere exuere Sacras vestes in ipsa Ecclesia, in qua quis Sacrum celebret, forte repentino malo correptus, indigeat simili Viatico, Sacerdos, etiam post consecrationem, divertere lum ab Altari, illi Eucharistiam porrigere, ac verti. Sic Gloss. *c nullus, dist.1.d.cons.* Layman. *lib. c.7.c.2.* Henriq. *lib.8.c.30 n.4.*

5. Tertiò denique. Si sit ministranda extrema moribundo aliàs confesso, vel Sacra Eucharistia fecto, quamvis aliqui cum Layman. *ibid.* asserant relinqui Sacrum, si nondum facta est oblatio, si qui sacram unctionem petit, is sit, cui facile non possit: Ego tamen puto non posse. Ratio est, non video tantam necessitatem in casu extremæ ctionis, sicuti contra modo vidi in casu Viatici, hac necessitate possit vinci irreverentia interrumpi Missæ. Adde infirmam esse rationem illam ( si ab eo, cui negari non potest ) sic enim, iam non cedis interruptionem ob spiritualem necessitatem,

pat est in omnibus, sed propter respectum humanum, certè ratio in his Sacris Ministeriis habenda nequaquam, est.

6. Petes, unde incipiet Sacerdos, cum in prædictis casibus revertitur ad Sacrificium perficiendum?

Respondeo. Si revertitur in casu factæ consecrationis ritè incipiet inde ubi desierat: at in casu cõsecrationis nõ factæ, est distinguendum. Nam si magna mora intercessit, puta plusquam una hora, poterit à principio Sacerdos rediens, Missam orditi; si parva, puta non plus quam una, circiter, hora, poterit incipere inde, ubi desierat. Lege Suar. *de Sacram. d.* 85. *sectione* 1. Ratio est, quia in parva mora moraliter reputatur continuari eadem Missa: at in longa cum censeatur moraliter pars jam dicta desisse, non reputatur continuari eadem Missa; quare cum nulla aliunde inconvenientia appareat, ab initio erit incipienda. Immò in hoc casu, si Sacerdos nullam obligationem habeat Missam eo die celebrandi poterit illam omnino relinquere; quia si illa pars desiit, non est obligatio addendi compartem.

## §. VIII.

## SEPTIMA CAVSA.

*Adventus Principis, Prælati, Populi.*

1. Concedunt aliqui, si superveniat Princeps, vel Prælatus, vel processio Populi, vel similes, auditusque sint Sacrum, posse Sacerdotem interrumpere Missam & iterum incipere; si alius Sacerdos non sit, & celebrans solum progressus fuerit usque ad oblationem exclusivè, non vero si ultra. Ita Navarr. Henriq Sà, Sotta, quos citat, sequiturque Layman. *lib* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. *fine.* Immo id in praxi observatum esse testatur Navarrus *ibid.* & Hentiquez *ibid.*

2. Mihi quidem hæc concessio non placet, sicuti nec placuit supra *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 1. quod propter similem adventum posset ab eodem bis eodem die celebrari. Ratio est, quia ejusmodi adventus non affert tantam necessitatem, quæ superare possit irreverentiam interruptionis Missæ, quandoquidem illi cum non suppetat alia Missa ad integram audiendam non obligentur: Maximè ergo laudandum est Decretum Mediolanense, apud Gavant. *in man. Episc. v. Missa ritus num.* 15. in quo absolutè cavetur, ne quis Missam semel inchoatam repetat: Id quod praxim à Navarro allatam, nec solido fundamento nixam, merito corrigit.

## §. IX.

## OCTAVA CAVSA.

*Concio, Ordinatio, Communio Populi, Publicatio Edictorum.*

1. Hæc exerceri posse juxta Rubricas, & consuetudines, dum Missæ Sacrificium peragitur, atque adeo per illa interrumpi ritè posse Sacrum, explicatione non indiget.

---

## CAPVT VIII.

*Qua ratione occurrendum defectibus in Missa occurrentibus.*

1. Adeo latè à Doctoribus, immò, & à Rubricis Missalis, de hoc argumento, disseritur, ut actum agere non debeam: ad memoriam ergo solum refricandam, & ne in quibusdam necessariis Lectorem meum aliò abire compellam, doctrinam de hac re S. Thom. 3. *p. q.* 18. *ar.* 6. ab Ægidio Coninch. *de Euch. q.* 83. *art.* 6. compendiosè allatam cum nonnullis nihilominus notis, seu additionibus nostris, ubi opus fuerit immixtis, sive annexis, hic subscribam.

### § I. *Quid fiet, quando Sacerdos deficit, dum Sacrificat.*

1. Docet primò S. Thomas, Quando inter celebrandum Sacerdos subito deficit, ita ut non possit ullo modo Sacrificium perficere, si hoc contingat ante Consecrationem panis, Sacrificium relinquendum esse imperfectum: quia cum nondum substantialiter inchoatum sit, nullum in hoc est notabile incommodum; si autem contingat post Consecrationem etiam vinius materiæ, tunc perficiendum esse per alium Sacerdotem, si quis adsit, etiamsi jejunus non sit; etiamsi sit in peccato mortali, aut excommunicatus. Hic tamen necessariò debet prius conteri. Ita communiter Doctores ex Conc. Toletano 7. *cap.* 1. Ratio est, quia minus incommodum est, Sacerdotem non jejunum, aut post commissum peccatum mortale ante confessionem, contritum communicare, quam Sacrificium relinqui imperfectum.

2. Nota primò cum Soto *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 2. §. *Perplexior autem*, conscium sibi peccati mortalis nullo modo posse hoc Sacrificium perficere, nisi prius, ut dictum est, conteratur, aut saltem probabiliter putet se contritum, aliàs peccaret mortaliter communicando in statu peccati mortalis. Disputat autem *ibidem* idem Sotus. Utrum talis Sacerdos, si difficulter potest conteri posset nolle perficere Sacrificium? Respondet affirmativè, quia Concilium tantum dicit liberum esse Sacerdoti inchoatum à deficiente Sacrificium perficere: sed melius Suarez *de Sacram. d.* 8. 5. *sec.* 1. *sub finem*, docet, talem teneri conteri, ut Sacrificium possit perficere, quia gravissimum est incommodum contra institutionem Christi, & reverentiam tanti Sacrificij, atque etiam ipsius Sacramenti (præsertim quando Calix est iam consecratus, qui sine irreverentia, & periculo alicujus incommodi sæpe in aliud tempus conservari non potest) si Sacrificium relinquatur hoc modo imperfectum. Quare omnes qui sine gravissimo incommodo hoc possunt impedire, ad hoc tenentur. Peccator autem nullum incommodum, sed potius maximum commodum accipit dum compellitur conteri.

3. Nota secundò, non Sacerdotem, in similibus casibus nullo modo posse Sacrificium perficere, quia non habet potestatem sacrificandi. Quare si nullus Sacerdos adsit Sacrificium necessariò imperfectum relinquendum est, & Sacramentum honestè conservandum, donec possit legitimè sumi, si id sine periculo fieri possit: Quod si hoc sine periculo fieri non possit, ut si esset periculum, ne Sacramentum veniret in manus infidelium, aut ne Species ante adventum alicujus Sacerdotis planè corrumperentur, tunc Sacramentum etiam à laico sumi deberet; quia hoc ipsius reverentia exigit, Sotus tamen *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 2. *art.* 6. §. *Circa hos* putat potius permittendũ esse ut species Calicis omnino adscant, seu corrumpantur, quam ut sumantur à laico. Sed melius Suarez *disput.* 17. *de Sacram. section.* 3. *in fine*, docet laicum tunc debere Sanguinem reverenter sumere, quia quæ in reverentiam hujus Sacramenti sunt instituta, non debent cum ipsius tanta irreverentia servari.

4. Nota tertiò, si Sacerdos deficiens non obierit, sed solum infirmus fuerit adeo tamen, ut communionem sumere possit, Sacerdotem, qui Missam supplet, dividere Hostiam debere, & unam partem sibi sumere, aliam in firmo præbere: de qua re nos egimus *in Opusc. de ex ped. comm. cap.* 6. §. 6. *n.* 31.

5. Nota quartò secundum Sacerdotem debere incipere inde, ubi primus desierat, si id sciri potest: quod si non possit, vide apud Suarium *disp.* 85. *de Sacram. sect.* 1. §. 5. *denique*, cum enim rarò possit evenire in praxi, ut saltem ex Ministri relatione id non sciatur, non est necesse hac in re pluribus immorari.

*An perfici sequenti die prædictum Sacrificium possit.*

Vbi,

*Vindicatur Emanuël Sà*

6. Sed quæramus, quid fiet si nullus adsit, qui Missam perficere eodem die possit, adsit tamen, qui à loco distanti vocatus die sequenti possit? Emanuël Sà *in genuina impressione v. Missa n.*38. sic de hac re disserit, *Quod si desit, qui Missam perficiat, sequenti die perficiatur aut sumatur ab alio Sacerdote, in alia Missa, Sacramentum.* Non placuit hoc dictum ei, qui illum expurgavit, quare sic reposuit *Quod si desit, qui perficiat, sequenti die sumatur ab alio in alia Missa Sacramentum,* Citatque Suarium, D. Thomam, Azorium, Sotum, & Toletum. Hinc ergo oritur quæstio, An opinio genuina authoris dicentis posse perfici die sequenti prædictam imperfectam Missam, sit probabilis, ac propterea immerito expuncta?

7. Certè non video, cur possit eodem die perfici, ut omnes concedimus, immo injungimus, etiam post sex, vel septem horas, ut contingeret, si defectus occurreret summo mane, & Sacerdos suppleturus inveniretur circa meridiem; non posset autem die immediatè sequenti, illa enim mora in tali defectu non debet judicari longa, ita ut continuari eadem Missa non possit die sequenti. Sicut enim die Veneris Sancti consumptio tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis, nam propterea dicitur complementum Sacrificij præteriti: ita in casu nostro, &c.

Dixi (possit) nam cum ex alia parte negandum non sit, eam esse aliquam notabilem moram, ideo rectè concedimus posse etiam sumi illud Sacramentum eodem die juxta dicta *n.* 3. vel alio die Missa, ut hic notamus, & sapienter docuit Sà, dum sub disiunctione dexit, *sequenti die perficiatur, vel sumatur.*

8. Neque obstant illi Doctores in expurgato citati, ij enim præter Sotum, cum non disputent, an die sequenti perfici possit dicta Missa, sed solum absolute doceant assumi posse, deficiente Sacerdote, Sacramentum: non sunt contra nos, sed solum sunt dicendi de nostra sententia mentionem non fecisse. Sotus vero *in 4. dist.* 13. *q.* 2 *art.* 6. §. *Circa hoc fine*, si rectè intelligatur, pro nobis est.

*An perfici prædictum Sacrum ab excommunicato, Suspenso, vel Irregulari possit?*

Vbi,

*Non Approbatur Emanuël Sà.*

1. QVæramus secundò, An si non adsit alius Sacerdos nisi Excommunicatus, vel Supensus, vel Irregularis, possit hic, & juxta dicta debeat supplere prædictum Sacrificium.

De excommunicato S. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad secundum*, jam posse pronunciavit modo *n.* 2. De Suspenso & irregulari, non meminit; cum tamen id excommunicato concesserit, illis etiam propter paritatem rationis concessisse certum videtur. Sà verò tum *in genuina*, tum *in expurgata editione*, *v. Missa n.* 83. sic habet. *Tale Sacrificium imperfectum perficere potest, & secundum quosdam debet alius, etiam non jejunus, si desit jejunus, non autem excommunicatus, aut suspensus, aut Irregularis.* Victorellus ad eundem Sà expurgatum illud addit *Immo si solus adsit Sacerdos excommunicatus, aut irregularis, & ex Sacra omissione secuturum sit grave aliorum scandalum, perficere potest: alias non Azor ex Soto.* Hæc ille.

10. Dico absolutè, etiam nullo instante scandalo, Excommunicatum, Suspensum, Irregularem, si alius aptus Sacerdos non adsit cum debita cordis contritione, posse. Ratio est, quia Sacrificium relinqui imperfectum essentialia, fuit semper æstimata res gravissima, omnibus modis sit succurendum, talsitque [illegible] datur in eo, quod præceptum de integritate [illegible] putant esse, divinum à Christo Domino latum [illegible] sa Ecclesia per censuras non videtur derogare [illegible] immo potuisse. Ita S. Thom. 3. *q.* 83. *artic.* 6. *ad* [illegible] aliique *passim.*

11. Confirmatur primò, quia omnes cum S. [illegible] *Gidem* concedunt Sacerdotem, si post consecrationem recordetur se esse excommunicatum suspensum, irregularem, debere Missam absolvere, ut mox [illegible] cemus, idque propter perfectionem Sacrificij, [illegible] præscindendo ab omni alia causa: at idem [illegible] casu nostro.

12. Confirmatur secundò, quia non est [illegible] Ecclesia, ut Sacerdos per prædictas censuras [illegible] sterio Sacramentorum excluso, ad illud in [illegible] bus admittatur. Sic Sacerdos excommunicatus [illegible] dus, immò Irregularis, immò Degradatus, [illegible] privetur ab Ecclesia jurisdictione, tamen potest [illegible] re Sacramentum Pœnitentiæ existenti in articulo [illegible] quando alius idoneus Confessor non adest. In [illegible] Sayr. Alterius, Suar. aliique apud Bonac. *de excom* [illegible] *put.* 2. *q.* 2. *p.* 2. §. 4. *n.* 3. & *disp.* 1. *de cens. q.* 3. *p.* [illegible] Sic in simili necessitate potest baptismum confer [illegible] Suar. Laym. apud Bonac. *loco. cit de excommun. q.* [illegible] in simili Eucharistiam infirmo porrigere. In [illegible] *ibid. num.* 8. Si ergo ab his non excluditur excommunicatus, quia non est credibile Ecclesiam velle in [illegible] delium necessitate prohibere Sacerdotem, ita nec [illegible] detur in tanta necessitate cultus in casu impe [illegible] Sacrificij.

§. II. *Quando Sacerdos meminit in Missa se esse in mo[illegible] li, non jejunum, excommunicatum, &c.*

1. DOcet secundò S. Thomas, Quando Sacer[illegible] post consecrationem recordatur se non es[illegible] junum, aut esse in peccato mortali, aut excommu[illegible] tum, &c. debere, concepta contritione, Sacrificium [illegible] ficere. Quando verò horum recordatur ante con[illegible] tionem, ait S. Thomas, tutius esse, Coninch vo[illegible] esse necessarium si nondum inchoarit Canonem, [illegible] stere à Sacrificio, si id possit fieri sine scandalo, aut [illegible] diffamatione. Quod si Canon esset inceptus, quia [illegible] satis indecens est relinquere Sacrificium, videtur tu[illegible] su posse ipsum, concepta contritione, perficere, qu[illegible] in hoc saltem casu est vera sententia S. Thomæ, [illegible] tantum sit tutius desistere: quo satis insinuatur non [illegible] præceptum, Sotus autem *in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *Secundo arguitur*, docet celebrantem, qui etiam in [illegible] tio Missæ recordetur se esse in peccato mortali, si [illegible] jejunus, & nulla censura prohibitus, posse, [illegible] contritione, pergere, etiamsi sine scandalo possit [illegible] stere, quod videtur etiam innuere S. Thomas qua[illegible] esse tutius desistere, maximè in casu, quo quis est [illegible] communicatus, aut non jejunus. Coninch tamen [illegible] cet benefacturum eum, qui in dicto casu, Missam [illegible] linqueret, quando aliud non sequeretur incommodum. Utrique probabiliter, quorum fundamenta, ut [illegible] huc pertinentia vide *in nostro Opusculo de Expedita Communione c.* 1. §. 6. *n.* 34. *&* 35. *juncto c.* 2. §. 8. *n.* 33.

§. III. *Quando Calix, vel Hostia venenum, vel [illegible] inficitur.*

F. DOcet tertiò quando aliquod animal, vel res [illegible] qua, quæ Calicem inficere aliqua ratione [illegible] sit, ante consecrationem in eum inciderit, Vinum [illegible] tendum esse in Piscinam, & abluto calice, aliud Vinum cum aqua esse imponendum, ac saltem mente dicendum, consecrandum, sacrificiumque perficiendum.

2. Quod si simile quid contigerit post consecra[illegible]

nem, tum animal, quod incidit, esse diligenter abluendum, & comburendum, & ablutionem una cum cineribus projiciendam in Sacrarium sive Piscinam, (quod intellige nisi ablutio possit à Sacerdote post sumptum Sanguinem commodè sumi, hoc enim esset multo decentius, præsertim cum valde probabile sit aliquam partem Sanguinis, quæ animali adhærebat ei inesse) Sanguinem verò debere sumi, si fieri possit sine periculo salutis corporis, vel vomitus, quod si horum notabile subsit periculum (ut si venenum insit Calici) nullo modo debet sumi, sed vel honestè debet conservari, donec species omninò corrumpantur, & tunc mittendus est in Piscinam, vel ut alij volunt, Species stupa, aut simili materia debent imbibi, & permitti omnino exsiccari, & tunc stupa exsiccata comburenda erit, & cineres mittendi in Piscinam, Sacerdos autem debet in tali casu ablato Calici imponere novum vinum cum aqua, illudque consecrare.

3. Idem proportionaliter dicendum est de Hostia consecrata, si enim ea ab aliquo venenato contacta fuerit, alteram Sacerdos consecret, sumatque, illa vero servetur in Tabernaculo separatim, donec species corrumpantur, & sic in Sacrarium deponatur.

Notat hic Gavantus *Rubr. Miss p. 3. t. 10. num. 71.* Genuens. *in prax. Neap. c. 149* ea, quæ sunt fulmine tacta, venenata censeri. Quare cùm accidisset *anno Domini* 1601. ut Calix à fulmine tangeretur post consecrationem, fuit dictum à Doctoribus non debere sumi, sed modo prædicto servari.

### §. IV. *Quando quis advertit Aquam se Calici non imposuisse.*

1. DOcet quartò, quando id advertit ante Calicis consecrationem, debere eam statim imponere. At quando recordatur post consecrationem Sanguinis, quia indecens est aquam Calici consecrato misceri, nihil immorandum, sed potro esse in Sacro progrediendum. De Græcis aquam calidam post consecrationem miscentibus, vide Hentiq. *de Euch. lib. 8. c. 12. n. 4. litt. S.*

### §. IV. *Quando quis advertit se Aquam, vel acetum consecrasse.*

1. DOcet *ibidem* sive ante, sive post consecrationem id advertatur, debere Sacerdotem ea mittere in Piscinam, seu Sacrarium, & imponere vinum cum aqua, illudque consecrare.

Et Divus Thomas quidem docet, quando Sacerdos advertit post ejusdem Calicis consumptionem puram aquam (idem de aceto) fuisse consecratam, eum debere consecrare etiam novam Hostiam unà cum Calice, & eodem modo Sacrum perficere, ac si nullam antea materiam consecrasset, vel sumpsisset, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie quam paterentur*, aut saltem à forma consecrationis corporis.

2. Scotus vero *in 4. dist. 8 q. 3.* & Navarrus *c. 25. n. 91.* docent etiam in hoc casu sufficere consecrare Calicem mistum aqua, & vino, & statim sumere, reliquis omnibus omissis, quæ ante sumptionem fieri solent, quod ita fieri potest, ut nemo circumstantium advertat. Ut si celebrans quasi accepturus ablutionem accedat ad cornu Altaris, & Calici imponat vinum, & parum aquæ, & dissimulanter consecret, ac statim sumat, & postea sumat ablutionem.

3. Utraque sententia est probabilis, & in praxi excipi utraque tuto potest: nam propterea Rubricæ Missalis Pij V. *de defectu vini, n. 3.* priorem sequuntur; Missalis Clementis VIII. *de defectu vini, n. 5.* addunt & posteriorem, quæ certè præsertim in præsentia populi, expeditior est, & consulenda.

4. Illud adverte. Primò, Sacerdotem si talem defectum agnovit, dum habet in ore illam aquam, seu acetum, non debet ea projicere, quia esset irreverentia, & forte periculum ejiciendi aliquod fragmentum assumptæ Hostiæ. Deglutiat igitur, & posito vino consecret, ut dictum est, sumatque nihil curans, quod per illam aquam jejunium naturale fregerit, quia sic Sacramenti reverentia tunc exposcit.

5. Secundò. Si quis, vel propter ignorantiam, vel propter animi turbationem, quæ in his casibus etiam solertissimo accidere solet, rite non suppleviset talem defectum, nullo modo debet iterum consecrare post absolutum Sacrum, quia tunc in re tam gravi non judicaretur esse idem, sed distinctum Sacrificium.

### *Quid si dubitetur de Aceto, vel non inveniatur Vinum?*

6. Si advertat, sed sub dubio Sacerdos id, quod posuit in Calice, fuisse acetum, idque post sumptionem Calicis, sibi persuadeat fuisse vinum, quia possidet substantia Vini, & pro ipso in dubio est præsumendum. Idem puto, si in dubium incidat post Consecrationem: nè sine certo fundamento turbetur Sacrificium, ejusque ordo, & ex alia parte pariter tunc possidet substantia vini. At si dubites ante Consecrationem, vel deponere debes dubium, vel mutare vinum ne exponas te periculo non consecrandi; quæ omnia diximus *in Opusculo expedita Communionis c. 2. §. 8. n. 34.*

7. Quod si non possit inveniri, vel certè difficillimè, vel cum notabili populi offensione vinum: si non est incæptus Canon, & tutius, si non est incœpta Consecratio, desistas; si est incæpta, & præsumas esse vinum, progreditor. Acetum autem illud, vel sumat Sacerdos post sumptionem Corporis, & Sanguinis, vel alicubi reverenter servet, donec siccetur modo supradicto §. 3. *n. 2.* in simili. Immo si est certo acetum, poterit alteri cuicumque sumendum tradi, ut in simili diximus supra *c. 7. §. 5. n. 3.*

### *Quid fiet, si quid inadvertenter omittat celebrans. Et quid si Hostia frangi non possit.*

1. DE priore, quod in hoc titulo proponimus, docet Quintò S. Thomas ea quæ per occasionem jam dicta a nobis sunt supra *c. 5. §. 2. n. 23.*

2. De posteriore ergo docet Sextò, quod quando Hostia, quia prius forte cecidit in Calicem, non potest propter humiditatem, quam tota forte imbiberit, frangi, (qui casus certe nunc, cum parum vini solet apponi, quod propter reverentiam semper mihi placuit) nihil erit reiterandum, sed relicta fractione, omnia dicat Sacerdos, omittendo tamen signa consueta super solam Hostiam, & progrediatur in Sacro; nihil enim substantiale in Sacrificio deerit. Cum vero communicare voluerit, signans se Calice dicat, *Corpus, & Sanguis Domini nostri, &c.* Quando vero non est tota madefacta, fiant omnia consueta cum residua parte non madefacta.

### *Quid si Sanctissimus Sanguis effundatur, vel Hostia dispareat?*

1. DOcet Septimò, quando aliquid ex Sanguine cadit in tabulam, hanc debere prius à Sacerdote lambi, & deinde radi, sicuti etiam terram debere radi; quando in ea Sanguis decidit, & quod abraditur, debere comburi, & cineres in Piscinam condi. Quando vero stillavit Sanguis super lapidem Altaris, Sanguis debet sorberi à celebrante, bene lavari lapis, & ablutio in Sacrarium effundi. Si super aliquod linteum, etiam si sit Corporale; debet ter lavati super Calicem, & ablutio (nisi vellet quis eam sumere) debet projici in Piscinam: Idem fiet, si super pannum, vel tapetem pedibus subtratum, vel simile. Addunt aliqui partem illam lintei debere abscindi, comburi, ejusque cineres projici in Piscinam; quod licet admodum decens sit,

quando illud linteum non est Corporale, aut Purificatorium, non est tamen ulla obligatio (præsertim quando est pretiosum, & solum rebus Sacris inservit) quia honori Sacramenti, per ipsius ablutionem, satis consulitur. Quis debeat lavare, dicam infra §. 8. *n.* 2.

2. Nota primò, pœnas, olim apud S. Thom. 3. *p. q.* 73. *art.* 6. injungendas ei, cujus culpa Sanguis fuisset effusus, non esse in usu; quare talis, judicio Superioris, pro ratione culpæ, puniendus est. Ante sententiam tamen nullam pœnam tenetur subire, nisi quatenus, vel ipse, vel Confessarius judicat necessarium, ut satisfiat Deo pro peccato.

3. Nota secundò, quando Sanguis ita effunditur, ut nihil maneat in Calice, tunc novum vinum cum aqua Calici infundendum, offerendum, oblatione saltem mente concepta, & consecrandum, ac sumendum eo modo, quo supra diximus in simili §. 5. *n.* 1. & 2.

4. Idem propter paritatem rationis dic de Hostia: Nam si ea jam consecrata, per miraculum dispareat, vel à vento, seu animali forte subtrahatur, debet tunc alia Hostia, modo dicto, consecrari, quæ possit ad integrandum Sacrificium consumi.

5. Si quæratur autem quid agendum sit, si alia Hostia haberi non possit, vel difficillimè, vel cum populi offensione (idem dic de vino.) Respondendum est cum Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 33. *quæst.* 6. finiri sic debere Sacrum una solum specie, ita tamen, ut juxta Rubricas Miss. *de defectu vini, num.* 8. prætermittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Ratio est, quia, quod est multum difficile, reputatur moraliter impossibile, & insuper strictius est jus naturale, quam jus, quod est solum divinum. Azor. *ibidem.* Vetare autem notabilem offensionem plebis, est de jure naturæ, integritas Sacrificij, solum, de divino.

## §. VIII. *De nonnullis aliis defectibus occurrentibus in Missa.*

1. NOn meminit hic S. Thomas, nec consequenter Coninch, de nonnullis aliis defectibus, qui & occurrere possunt, & habentur in Rubricis Missalis, quos tamen ad complementum tractationis, nostrum erit *in hoc.* §. breviter colligere.

### *Quando Sacra Hostia, vel ejus fragmenta decidunt.*

Et primò quidem, quid agendum, si Hostia, vel ejus fragmentum in terram, in lignum, vel quid simile solidum cadat? Reverenter accipiatur, locus mundetur, aliquantulum abradatur, pulvisque, seu abrasio in Sacrarium mittatur. Quod si ceciderit extra Corporale, in Mappam, seu quodcunque linteum, pannum, lanam, sericum, &c. diligenter lavetur, ac lotio in Sacrarium effundatur, ut in simili de effuso sanguine diximus supra §. 7. *num.* 1.

2. Sed quis lavabit? Certè Sacerdos: verum puto in rigore, Clericum, vel Sacristam posse, (cum par sit ratio) qui potuit supra *lib.* 1. *cap.* 2. §. 2. *à num.* 1. lavare Corporalia, & Purificatoria. Addo tamen id intelligi, quando est lavandum aliquid ex tactu Sacræ Hostiæ: nam illud, supra quod effusus est Sanguis, omnino à Sacerdote, vel saltem, (si Sacerdos forte non possit) à Diacono est lavandum. Ratio est, quia per se, & semper in hoc casu est contingendus Sanctissimus Sanguis in panno imbibitus: quod non est ibi, nec in lotione Purificatorij, in quo esse imbibitum aliquid Sanguinis est raro, & per accidens, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 8.

3. Torsit olim Sacerdotem fragmentum Sacræ Hostiæ, quod per collum cecidit in partes interioris tunicæ cujusdam Mulieris. Rursus, quod alia vice, cecidit in barbam viri, dum communicarent. Profectò in his casibus honestatis, & decentiæ ratio maximè est habenda, quod si per accidens fragmentum deperdatur, Deo & Angelis commendetur. Potuit ergo mulier ... se videre, an fragmentum inveniri, & ab extra ... parumper vestibus & foras modestè exportetur ... cerdote accipi possit: secus, ipsa Mulier accipiat ... in Pixidem, digitóque lavet, projecta in Sacra... tione. Neutrum ni possit, relinquatur. Imò, si ... solus vidit parvi fragmenti casum, & probabi... vertit fore notabilem Mulieris turbationem, vel ... tium offensionem (id quod certè regulariter ... æ mulier advertatur, nihil dicat Sacerdos, sed ... remittens Deo, progrediatur in suo Ministerio. ... enim nunc requirit ipsa reverentia, & cultus Sa... mile quid de illius viri barba dicendum est, si ... cerdos modestè potest, & sine viri offensione, ... secus, Deo commendet: Quod si potuit accipe... deinde sit sollicitus, tentare, vel præcipere p... barbæ lotionem, melius enim est vitare turba... Fidelium, quam Rubricarum apicem, ejusmodi ... las præcipientem observare. Diana refert... *resol.* 10. quæ hactenus in hoc ultimo casu, in ... editione scripsi, sic habet. (Hæc opinio mihi ... cet, nec enim Ecclesiæ Rubricæ præcipiunt ... nem Fidelium, sed reverentiam, quam ipse debe... viniissimo Sacramento. Ideo puto, in tali casu ... barbam esse purgandam, & aquam reponendam ... cinam.) Hactenus Diana. Sed lector, vel medi... advertens judicet, an idem sit dicere, *quod Eccle... cipiat turbationem Fidelium* quod à me dici... Diana, & dicere, *Melius est vitare turbationem ... lium, quam Rubricarum apicem ejusmodi caute... cipientem observare*, quod ego hoc in loco dico. ... autem apicem dico, satis ostendo per epichiam ... per rationabilem interpretationem, casum, in qu... Fidelium turbatio, esse à Rubricis exceptum. Il... Diana loco cit. approbo. Nam si cadat fortè ... Christi sanguis in ipsius Sacerdotis barbam, licet ... denda non sit (quidquid non nemo doceat) tamen ... perita, Barthol. ab Angel. apud Dian. *loc. cit.* ... ne esse lavandam, lotionemque in Sacrarium ... tendam puto. Immo si in barbam ejusdem celebr... cadat fragmentum, vel Hostia consecrata, put... judico barbam esse lavandam, ac lotionem in ... piscinam projiciendam.

Dices. At cur non lavasti barbam illius viri com... nicaturi, hic autem lavas barbam celebrantis?

Respondeo Merito id facio, quia in illo timebam ... tionabiliter turbatio, at hic in Sacerdote qui facu... steria probe novit & sæpe tractat, non timetur. Ut... idem facerem, si sæcularis ille esset tam probatæ ... vel esset in privato sacello, &c. quia tunc credibile ... nullam, vel satis modicam turbationem fore.

Quid si Sanctissimum Christi Corpus cadat in manu Sacerdotis, Monialis, Sæcularis? Respondeo. Lucius Lizzarius, *tr. de mon. c.* 10 *sect.* 3. *subsec.* 1. *n.* 241. apud Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *resol.* 49. loquens de manibus Monialis, ... tunc necessitatem lavandi, quia hoc, inquit, esset ... onerosum: tamen aio, à prædictis lavandas sibi ipsis ... nus esse, & lotionem in sacrarium effundendam. Ratio ... est, quia nullum, vel satis modicum id onus exist... dum erit: nec enim manuum lotio turbationem af... sicuti afferre barbæ lotionem, modo putavimus. Doctrina ... nam autem Suarij, *disp.* 85. *de Euch. sect.* 1. quam ... Pellizzarius affert ibidem, dicentis ea, quæ in Mi... proponuntur sub titulo de defectibus solum esse instr... ctiones quasdam doctrinales, non vero speciales con... tutiones inducentes novam obligationem, & instituc... nes quidem datas juxta doctrinam probabiliter, non ... men magis obligare, quam res ipsas, aut doctrinam ... qua eæ fundantur. Doctrinam, inquam, hanc Suarij ... probo, & laudo, sed affirmo, in casu nostro de manibus ... reverentiam ipsam sic exposcere, cum ex alia parte ... batio nulla, nec aliud inconveniens, ut dictum est, in... meantur. Hæc satis: nam ex his similia, quæ facile ... currere in dies solent, ea, tu ipse decernere poteris.

Qui

*Quid si Sacramentum evomi contingat.*

4. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, Species autem integrè appareant, reverenter assumantur, nisi nausea fiat, secus seperantur, & in loco Sacro reponantur, donec siccentur, seu corrumpantur; tunc enim comburendæ sunt, & cineris in Sacrarium projiciendi. Sic in Rubric. *Miss. de defect. occur. n.*14. Si species non apparent, & corruptæ jam judicentur, totus vomitus sedulò comburatur, cineréque in Sacrarium immittantur. Ex quo apparet non esse audiendos Paludanum apud Gavant. *in Rubr. Miss. part.*3. *tit.* 10. *n.*6. & Sylvestrum apud eundem, *ibid.* putantes esse Sacrilegium Species comburi: solum enim id verum habet, si sub illis est Christus Dominus, non vero iis exsiccatis, quando Dominus ibi esse desiit.

5. Adverte tamen tunc solum esse licitum ejusmodi vomitum provocare, quando cognoscit Sacerdos, quod Species à se sumptæ veneno, seu simili tabe fuerint infectæ de qua tota re diximus *in Opusculo de Expedienda Communione, cap.*3. §.4.

*Quando Hostia est confracta, & quando ejusdem particula remanet in fundo Calicis.*

6. Si Hostia appareat fracta ante consecrationem post oblationem (idem dic de quacumque simili macula accidentali) non est inconveniens eam consecrare, nisi fortè populo scandalum sit: tunc enim alia accipienda esset, & oblatione mente concepta, offerenda: de illa autem quæ fuit oblata, fiat illud, quod diximus *supra cap.*7. §.5. *num.*3. Si appareat fracta ante oblationem, accipiatur altera integra, si citra scandalum, vel longam moram fieri poterit, secus, eadem sine scrupulo utaris.

7. Si assumendo sanguinem, particula remanserit in Calice, digito eam ad labium Calicis adducito, & sumito, vel quod decentius est, vinum infundito, & sume: imò si sit necesse bis, ter, vel amplius vinum infundere, & sumere; id facere poteris sine timore fractionis jejunij naturalis, ut dictum est *in Opusc. de exp. Com. cap.*2. §.8. *num.*38.

*Quando Sanguis, vel vinum congelatur.*

8. Disponit Rubrica, quod si Sanguis hieme congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis, si id non proficiat, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem aqua non intret, donec liquefiat.

9. Sed quid fiet si Sanguis congelatus etiam adhibito igne liquefieri nequeat? vel quid si ne ignis quidem haberi possit, vel quæ disponit Rubrica, cum notabili offensione populi, fieri deberent?

Suar. *de Sacr. disp.*83. *sect.*1. §. *Tertio accidere*; rectè simili in casu monet, ut digito reverenter comminuatur: nam sic in particulas redactus assumi poterit: Si pars Sanguinis validè congelata, pars verò liquefacta sit, sufficiet hanc liquefactam partem assumere, illam verò, ut potest deglutiri.

10. De congelato vino aliqua sunt declaranda. Primo, si vinum congeletur, licebitne illud consecrare? Dico nequaquam (saltem ex congruentia) licere, quia est contra consuetudinem. An sit peccatum dicam *mox num.*14. Adde nonnullos dubitare, ut *mox* dicemus, an vinum sic affectum sit apta consecrationis materia. Apponatur igitur aliud, cum non expediat illud vi caloris solvere, & consecrare, quia aliqui putant per congelationem vinum substantialiter fuisse corruptum, id quod licet falsum ex meliorum sententia sit, ut *mox* videbimus, tamen ob reverentiam Sacramenti, si aliud vinum commodè potest haberi, non est cur hoc illi non præferatur.

11. Secundò. Si dum actu congelatum existit, consecraretur, validéne consecraretur; quod est quærere an num actu congelatum sit materia consecrationis?

Validè consecrari, meritò docent Vasquez, Suarez, Coninch. Laym. aliique apud Hurtadum *de Euch. disp.*2. *diff.*9. Invalidè tenent Henriquez, Ledesma, Alanus, apud citatum Hurtad. & alij. Ratio horum est, quia putant vinum per congelationem, semper vel feré semper, substantialiter corrumpi. Ratio illorum est, quia falsum est per congelationem ordinariam substantialiter corrumpi vinum, sicuti non corrumpitur aqua, aliique humores. Cujus rei clarum signum est, quod deinde liquefactum adhuc, quamvis aliquantulum remissè, easdem habet qualitates, qua prius, saporem, virtutem, imò, & frequentissimè, colorem.

12. Objiciunt primò, vinum congelatum non est actu potabile. Secundò, aqua congelata non est apta materia Baptismi: ergo nec vinum congelatum est apta materia Eucharistiæ. Tertiò, uva, quia non est proximè potabilis, non est materia consecrationis: at vinum congelatum non est proximè potabile, ergo, &c.

Respondemus ad primum. Satis est si vinum congelatum, sit ex natura sua potabile. Ad secundum, Aqua congelata non potest facere lotionem, quæ est proxima Baptismi materia, &c. Ad tertium, uva non est vinum, ideo nec materia. Vide fusius apud citatos.

13. Tertiò. Si vinum congeletur ante consecrationem, nec aliud liquefactum haberi commodè potest, relinquendáne est Missa? Dico si processum solum fuit usque ad Canonem exclusivè satius esse relinquere, monito, si opus sit, populo de defectu, ad ejus offensionem avertendam: at si incœptus fuit Canon, progrediendum porro est, quia Canone incœpto, censetur incœptū substantialiter Sacrum, unde cum probabilissima sit opinio tale vinum esse aptam materiam consecrationis, non apparet ratio, cur Sacrificium relinquendum sit imperfectum, at verò ante Canonem, cum sit incœpta substantia Sacrificij, consultius erit Sacrificium omittere, quam inconsueta illa materia uti. Vide tamen, quæ mox dicam *num.*15. De vino illo congelato si oblatum fuerit, fiat illud, quod supra diximus in simili *cap.*7. §.5. *num.*3.

14. At quo peccato delinqueret, qui sine prædicta necessitate, secus tamen sine contemptu vinum congelatum consecraret? Coninch *de Euch. quæst.*74. *art.*5. *n.*127. docet peccare mortaliter, his verbis, *Graviter tamen peccaret, qui vinum congelatum consecraret, ut omnes fatentur.* Sed profectò non omnes fatentur. Satisque sit, ad destruendam hanc universalem; quod non fateatur Vasquez *de Sacram. disp.*175. *cap.*2. *n.*18. Is allatus approbatúsque ab Hurtado *de Euch. disp.*2. *diff.*9. *fine*, docet non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamvis sit contra consuetudinem Ecclesiæ. *Et ratio est* (inquit Hurtadus) *quia nec est contra prohibitionem aliquam latam, nec contra consuetudinem, quæ servetur ut necessaria, & obligans.*

15. Atque ex hac fortassè sententia motus Layman. *de Eucharist. lib.*5. *tract.*4. *cap.*2. *num.*6. docuit si vinum post oblationem advertatur modicè congelatum, ut facilè resolvi possit, nullâque appareat accidentium mutatio, consultius fore, si illud consecretur, quam si mutetur: id quod ampliat quod modo diximus *n.*13. quia communiter in tam parva mora non solet in Calice tam fortiter & presè vinum congelari, ut in materiam ineptam abire possit.

*Quid fiet, si Sacrificaturo desit Hostia grandior, suppetant tamen Particulæ.*

16. Rusticabar enim cum collega meo P. Stephano Turtureti, in nostro prædio Messanensi, ad lectiones Theologicas in vacationibus Autumnalibus, de more, peragendas prævidendas. Semel ergo cum dictus P. ad Missam faciendam, omnium Sacerdotum ibidem commorantium, postremus accederet, Hostiámque grandiorem

diorem nullam inveniret, ac de ea, ob distantiam Civitatis, providere sibi posset, ne eo die, tametsi feriæ Sacrificio privaretur, parvam formulam, quæ in promptu fuit, sine ulla hæsitatione, ad Sacrificium adhibuit. Affuerunt statim ad me juniores quidam; qui, & ipsi tunc ruti aderant, interrogantes, an id à Patre, nulla præsertim existente, præter ejus devotionem causa, factum ritè fuerit. Respondi, ipsos, rite gestum id esse, ex eo solum sibi persuadere debuisse, quod Pater ejusmodi, tantæ scilicet doctrinæ, tantæque virtutis id effecerit. Ita supponit ex Marchantio, Diana *part. 5. tract. 14. res. 96. §. Sed non deferam.* Ratio, dicebam inter cæteras, est, quia nec ullam præceptum adest, nec ullam constat esse consuetudinem, ut obligantem de consecranda Hostia majore, vel minore; utrobique enim Sacrificium æquè perficitur. Quod si gravis offensio aliqua imperitorum aliquando timeatur, facilè de rei veritate instrui poterunt: & in casu nostro, sine ulla expressa instructione, una ipsa Patris authoritas id facientis, ad offensionem illorum, qui viderant, quaque universi hominis doctrinam, integritatémque probè noverant, avertendam, satis superque fuerat.

*An celebrans possit assumere parvam formulam, & grandiorem reservare?*

17. Sed ecce tibi aliam quæstionem. Si id licet, licétne Sacerdoti assumere Particulam parvam, & grandiorem conservare in Pixide, ad illam v. g. exponendam in Oratione quadraginta horarum, si fortè alia grandior haberi, ad hunc finem, non possit?

18. Dico esse distinguendum. Vel enim hic Sacerdos consecravit in ea Missa, tum partieulas parvas, tum Hostiam grandiorem, vel solum consecravit ipsam majorem, inveniuntur tamen parvæ præconsecratæ in alia præcedenti Missa. Si prius, licet Sacerdoti parvam sibi sumere, & majorem reservare: si posterius, non licet. Ratio est, quia Sacerdos debet communicare de suo Sacrificio. Nam, ut habet Textus, *cap. relatum 11. de consecr. dist 2.* (vide quæ diximus in 2. *Opusc. de exp. Com. cap. 6. §. 6. num. 31.*) *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscatur?* quod facit in casu priore: non vero in posteriore.

19. Hinc aliqui Parochi, dum renovant Eucharistiam, si consumunt Hostiam ab alio præconsecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, reponunt in Sacrario, ritè nequaquam faciunt, suntque ab Episcopis, & à Doctoribus corrigendi. Objicis. At Henriq. & Fagund. apud Delugo *mox* citandi asserunt fieri id licitè posse. Respondeo. At Delugo *apud eundem de Euch. disp. 19. sect. 4. n. 76.* alii que apud ipsum; qui quæstionem hanc solidè tractat, horum Theologicè, & contra omnes Doctores de hac re esse loquutos, merito probat. Lege etiam Dianam *part. 5. tract. 13. res. 95.*

Dices. At jam participat de suo Sacrificio, dum participat de eodem Christo, quæ est Hostia eadem in omnibus: nam propterea si occurrat mori celebranti, jam facta consecratione, potest, imo debet alter Sacerdos Missam absolvere, & præconsecratam ab alio Hostiam consumere: Die item Paraseeve alius Sacerdos potest consumere Hostiam ab alio die præcedenti consecratam.

Respondeo in priori ex dictis casibus, quos urges, adest summa necessitas perfectionis Sacrificij, in posteriore adest dispensatio Ecclesiæ. Nos autem non asseruimus illud esse contra omnimodam Sacrificij integritatem, sed esse contra morem, & ordinationes Ecclesiæ volentis juxta ipsius Sacrificij requisita, ut Sacerdos participet de Sacramento à se confecto: ipsa vero in hoc solum dispensavit, urgente illa necessitate, & stante illo Passionis Dominicæ mysterio exhibendo, non autem stantibus aliis levioribus occasionibus, quales certè sunt dicti casus expositionis, & renovationis Eucharistiæ, quorum primo facilè occurri potest, exponendo in Pixide, seu Sphæra parvam Hostiam existentem in Sacrario; secundo autem, consecrando aliquot Particulas cum Hostia majore. hæc enim assumpta, & assumptæ veteribus formulis reservari in Sacrario recenter consecratæ ritè potuerunt.

*An celebrans possit elevare Hostiam non à se consecratam.*

20. Suboritur item alia quæstio. Quidam in sua Missa ob prædictum grandioris Hostiæ defectum, consecravit parvas particulas; timens autem populi offensionem in elevatione Sacramenti consueta, elevavit ob suam cautelam, Hostiam grandiorem præconsecratam, quæ fortè in Sacrario pro Oratione 40. horarum, servabatur. Quæritur an id ritè factum fuerit?

21. Marchantius, negat id esse ritè gestum. Constítque Diana *ibid.* citans March. Cum enim (ait) in Missa debeat exhiberi populo adoranda eadem Hostia quæ in ea Missa consecratur, & offertur, talis cautela prudenti Sacerdotis approbanda non est: *Melius tamen meo judicio feciſſet* (addit Marchantius) *si majori ipsi Hostiæ parvam parvam per illud Sacrificium consecratam simul adjunxisset, quod facilè poterat, exhibendo utramque adorandam.* Hæc ille.

22. Profectò ut sunt hominum ingenia diversa, minus approbandam hanc posteriorem Marchantij cautelam, quam priorem illius Sacerdotis *n. 20.* dictum. Quiro enim quodnam præceptum urget, vel obligans consuetudo ostendendi eandem Hostiam adorandam, quæ in eadem Missa consecrata fuit? Fateor ita esse observandum, cum Rubricæ semper supponant eadem quam consecravit, debere Sacerdotem populo venerandam elevare: at intercedente causa, qualis in casu nostro satis rationabilis apparet, ne cogatur Sacerdos populum instruere, qui fortasse de ostensione minoris Hostiæ offensus fuisset, vel quid simile, non video cur talis Rubrica solum directiva negligi sine culpa non possit, ut annuit in omnibus similibus directivis, quando adest rationabilis negligendi causa, ut ex supradictis *cap. 5. §. 1.* colligi potest. Quod si potest, jam superfluum erit posteriori illud remedium conjungendi parvam cum Hostia grandiore. Adde hoc posterius esse saltem implicitè contra, vel extra Rubricas, per quas nunquam ostenditur, nisi una grandior Hostia, quare tu, conjungendo duas, non facies juxta Rubricas, ego ostendendo præconsecratam nec facio juxta easdem, ergo pares sumus, ergo saltem non erit unum altero consultius.

23. Illud esse probandum nullo pacto est, quod quidam Parochus, dum ei Hostia grandior consecrata non supperetet, ad eam exponendam in oratione quadraginta horarum, imprudenter egit. Parvam enim consecratam Hostiam affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parva formula in sphærula appareret populo, qui Sacerdotem de negligentia præparandi majorem reprehendisset. Hoc quam non est probandum, quia esset periculum idolatriæ, quamvis materialis, (cum fideles adorent totum illud quod expositum est per modum unius) quod multo modo licet, ut in simili de Parocho ostendente Particulam consecratam, & deinde ministrante peccatori occulo Particulam non consecratam, dictum est *in Opusc. in exp. Cumm. cap. 2 §. 2. n. 22* & videri potest apud Delugo *de Sacr. disp. 8. sect. 11. n. 188.*

*Quando disparet Hostia consecrata, nec alia consecranda haberi possit; Quid melius, abire sine communione Corporis, an assumere præconsecratam?*

24. Denique decernamus, si quando disparet per miraculum, vel ab animali, seu vento auferatur Hostia consecrata, cum dicitur missa, nec haberi possit alia, sive parva, sive magna (quæ certè si posset haberi, consecranda ad integrandum Sacrificium omninò esset, ut supra

supra vidimus) si, inquam, id occurrat, & sint in Sacrario repositæ particulæ præconsecratæ, quid fiet melius, unam particulam ex his præconsecratis assumere, an Missæ finem imponere cum sola Sanguinis consumptione?

Puto melius esse, si Sacrificans assumat unam ex præconsecratis. Ratio est, quia, cùm omnes Sacerdotes sint Ministri repræsentantes unum Christum Dominum Sacerdotem principalem, & omnes Hostiæ consecratæ contineant unum eundem Christum, ipsæmet Hostiæ consecratæ ab alio Sacerdote, habent aliquam tandem rationem, & habitudinem ad hunc Sacerdotem, atque ad hoc Sacrificium: quare, in hac necessitate, convenienter faciet Sacerdos si assumat præconsecratam, quæ, quia, aliquo modo, propter dictam habitudinem, ad præsens Sacrificium pertinet, eiusdem complementum esse potest.

25. Dixi (in hac necessitate) nam quamvis dicta convenientia videatur probare, id etiam fieri posse, sine necessitate; si enim præconsecrata ad me nunc Sacrificium pertinet, possem consumere indifferenter illam, relinquendo eam, quam ego consecro, cujus contrarium, hactenus docuimus: tamen, omnibus consideratis, id non probat: siquidem tum propter usum Ecclesiæ, certè gravem: tum propter Sacros Canones *cap. Relatum. 12. de consecrat. dist. 2.* & *passim Rubr. Miss.* dis ponentes, ut quilibet Sacrificium suum consumat: tum ex natura ipsa Sacrificij, cujus est offerre simul, & consumere oblatum, non possumus amplè, sed strictè, in sola nimirum necessitate, ad dictam convenientiam recurrere.

## CAPVT IX.

### *De externa recitatione Missæ.*

#### §. I. *De dicendis elata voce.*

1. QVæ, voce alta præscribuntur dicenda in Missa, ita recitanda sunt, ut astantes commodè audire possint. Si quis tamen ita voce depressa recitet, ut ij difficulter audiant, licet non ritè faciat, tamen non est condemnandus de mortali, etiam die festivo de præcepto, quidquid sentiat Navarrus apud Sà, *v. Missa num. 50.* Ratio est, quia ex una parte non constat de præcepto, nec de consuetudine obligante, immo video etiam à timoratis passim voce omnino depressa Missam sine scrupulo recitari, & ex alia astantes non obligantur audire, si solum interesse devotè Sacro. Ita Delugo *de Euchar. disp. 22. sec. n 1.*

#### §. II. *De secretis voce submissa dicendis.*

1. DOcent, Valentia, Medina, Azor. aliique quos citat, & sequitur Castrop. *t. 2. d. 2. de orat. p. 3. n. 6.* proformanda esse verba à Sacerdote, dum secretè orat, in Missa, ut saltem à seipso audiri possint. Verum si id affirmes tanquam omnino necessarium, non est legitimè dictum: si enim ita formentur verba ut sonus vocis extra labia prodeat, quamvis non sit aptus ad vellicandas aures, nemo dicet non satisfieri obligationi, quia jam exhibetur oratio vocalis. At si id affirmes, quasi significans, si ita proferantur verba, ut ad proprias aures pertingere possint, securum esse Sacerdotem de legitima pronuntiatione: rectè dictum est, si enim quis ita vocem formet, ut ipsemet eam audire possit, sine ulla dubitatione vocaliter orat.

2. Regula igitur melior, & benignior ea mihi arridet, quam affert ex Navarro *in Comm. in 2. p. Decret. cap. 3. de orat. num. 88.* possumus prædicta scilicet Missæ secreta, ut etiam Hotas Canonicas, posse recitari sine expressione verborum, quæ ab alio, vel à seipso audiri possint, sed sufficere formare verba inter labia, & dentes. Ratio regulæ est, quia sic formata verba, voces essentialiter sunt, atque adeo sufficiunt ad orationem vocalem injunctam in cap. *Dolentes, de celebr. Missar.* non enim assentior aliquibus cum Castropal. n. 6. *ibid.* qui dicunt eiusmodi voces esse potius inchoationes verborum quam verba; sunt enim, ut dictum est, verba vocalia, quantum scilicet ad præceptum observandum sunt necessaria.

#### §. III. *Privilegium Religiosorum circa prædicta.*

1. COncessit Leo Decimus vivæ vocis oraculo *orat. 12.* apud Bullarium Rodriq. Minoribus sequens privilegium. Quod nihilominus aliqui affirmant, *in Resp. l. 3. dub. 17.* non fuisse merum oraculum, sed illi accessisse signaturam Pontificis *Et similiter placeat Sanctitati vestræ, ut ne fratres mutuo se impediant in Officio divino, aut aliis sint fastidiosi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio, tam in Horis Canonicis, quam etiam Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia alij devotius sic dicunt & absque impedimento, & fastidio aliorum, & eodem modo possit facere, qui dicit Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab aliis intelligatur.* Et infra *n. 23. Omnia prænuè, ut fuerunt petita, à præfato Sanctissimo Domino nostro fuerunt concessa.*

2. Nota autem primò, minus rectè Scortiam *in Constit. Theor. 322.* docere Leonem Decimum concessisse solum ut submisse dicerent, alias posset consecrari mentaliter. Non rectè, inquam; nam expresse concedit *Mentaliter*, Consecratio autem semper intelligitur exclusa ex eo, quod sit confectio Sacramenti, quod constare debet ex rebus, & verbis.

3. Nota secundò, privilegium esse pro omnibus, etiam non scrupulosis, etiam de toto Officio, quod privatim recitari solet, etiam de ipsis partibus Missæ Cantatæ, quas Sacerdos, submissa voce, legere per Rubricas debet. Patent hæc ex verbis jamjam allatis Privilegij; quidquid alij contradicent.

Nec obstat illud, *quæ in Ordinario iubentur dici secretè* quasi verò non omnia secreta Missæ, & totum Officium. Non obstat, inquam, quia, quæso te, quid aliud est illa Missæ, quod *iubetur secretè dici in Ordinario*, hoc est *in Rubricis Ordinariis*, nisi secreta ipsius Missæ omnia? De Officio autem, licet fatear aliqua iuberi secretè dici, non omnia: tamen ex verbis illis, *& ne aliis sint fastidiosi*, & ex illis universalibus, *Qui dicit Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipuè ut ab aliis intelligatur*, & ex toto contextu Privilegij, finemque cur fuerit impetratum, satis clarè colligitur, sermonem esse de toto Officio.

Non tertio, quamvis hoc privilegium participet Nostra Societas, id tamen in usum deducere non potest quia nondum illud ei communicavit noster R. P. Generalis, ut alias in similibus supra *lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 8.* monui: possunt verò alij Mendicantes, participantésque in eorum privilegiis, quia suppono illis nihil esse in hoc restrictum à suis Generalibus, nec revocatum.

Lege *Delugo lib. 3. resp. dub. 17.* qui satis strictè hoc Privilegium interpretatur, & Dian. *p. 10. tr. 11. Res. 1.* qui fere omnino reiicit. Quo autem rationum pondere, saltem loquendo de officio, pro quo adsunt illa universalia verba. *Qui dicit officium per se solus*, expendant meliores. Certè mihi favet Baldellus *tom. 2. lib. 3. de adorat. ad 55. num. 16.* olim Romæ Præceptor in Theologicis meus, qui intelligit hoc Privilegium de toto officio; & solum admittere illud tenuit ex eo capite, quod putet esse ex vivæ vocis oraculo, quod tamen, fuisse cum signatura Pontificis ex aliquorum sententia jam vidimus *n. 11.* Nostram prædictam opinionem sequitur, & pluribus probat Sanctorus apud eumdem *Dian. p. 8. tr. 7. Res. 58.* & novissime late nostram sententiam probat Tho. Hurt. *p. resolut. tr. 3. à n. 40.*

LIBER.

# LIBER TERTIUS.

## *De iis quæ ad Sacerdotem pertinent post Missam.*

### CAPVT PRIMVM.

### *De altari, eiusque ornatu.*

INTER cætera, quæ ad Sacerdotem pertinent post Missam, non infimum locum habent ea quæ de stipendio pro Missa celebrata, dari solita, scitu sunt necessaria; propterea, de his fusè agendum hîc erit, & si Deo placuerit, cum legentium utilitate non contemnenda.

#### §. I. *Præmittuntur quædam de stipendio, déque fructu Missæ.*

1. PRæmitto posse, sive iure, sive injuria, pro Missa accipi stipendium.

Primò, ut pretium ipsius fructus spiritualis Missæ. Secundò, ut pretium laboris, qui suscipitur in celebranda Missa quique intrinsecè in ea reperitur, qualis est v.g. labor vestiendi sacras vestes, dicendi Missæ orationes; agendique cætera, sine quibus Missa ritè non constat. Labor, qui suscipitur, in recitanda Missa novem Epistolarum, vel in Missa, in qua legitur Passio Domini nostri, intrinsecus etiam censendus est, cum sine illo talis Missa ritè non constet.

Tertiò, ut pretium laboris, qui suscipitur propter circumstantias aliquas extrinsecas, qualis est v. g. labor, seu obligatio celebrandi in tali distanti loco, in tali tempore, & simili. Huc pertinet labor Missæ solemnis, seu cantatæ, qui sine dubio extrinsecus est, & maior, quam labor privatæ.

iuxta illud: *Qui Altari servit, de Altari vivat.*

Quintò, ut pretium pro obligatione, quam recipit Sacerdos applicandi fructum pro tali persona cum possit pro alia.

Sextò, ut eleemosyna, seu ut donum ex mera liberalitate.

2. Certum ergo est, si pecunia recipiatur ob primum titulum ex dictis, esse veram simoniam. Ita Doctores *passim in tr. de Simonia* Idem puto, si ex secundo titulo: siquidem labor intrinsecus Missæ, cum sit in ipsa necessario imbibitus, vendi non potest, quia convinceretur & ipsa Missa tunc vendi. Ita idem *ibid.* Ex aliis quatuor titulis posse stipendium accipi, fatemur; Sic Suar. Vasq. aliique apud Marchin. *de ord. tr. 3. p. 2. c. 15. num. 3.* id quod agitur *in tractatu de Simonia.* Sicuti etiam omnes fatentur stipendium pro applicatione Missæ esse illud, quod vel lege Ecclesiastica taxatum, vel communi consuetudine in singulis Regionibus consuetum fuerit. Et quidem communiter in Italia unus Iulius, seu Argenteus esse solet pro feriatis Missis; ex Marchin. *de ord. tr. 3. p. 2. c. 15 n. 19.* Pro festivis vero alibi duos, alibi unum cum dimidio, minúsve ex Bonac. *de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 8 n. 13.* Vide *infra* § 3. *n.* 35.

3. Supponimus autem, fructum Missæ triplicem esse. Generalem, Specialem, seu medium, & Specialissimum. Ita Scotus, & alij apud eundem Manch. *ibid. c. 13. n. 5.* & *passim.* Generalis est ille fructus, qui cedit Summo Pontifici, Imperatori, Episcopo, & omnibus fidelibus, ex eo quod Ecclesia vult, ut omnis Sacerdos, in quolibet Sacrificio, pro his offerat. Et hic fructus oblatus pro tot personis non diminuitur singulis ex consortio aliorum, dependet enim ex Christi, & Ecclesiæ instituto, nec Sacerdos potest illum suspendere, nec alteri dare, de pro illo stipendium accipere.

4. Specialis; seu Medius est ille fructus, qui cedit fideli particulari, pro quo applicatur, à Sacerdote habet atque hunc esse finitum diximus *lib. 2. cap 2. § 1. num.* xatum à Christo Domino ad tot gradus, & non ita ut applicata Missa pro uno fideli, afferat illi mentum v.g. ut decem, applicata pro decem fideli afferat singulis emolumentum v.g ut unum. Quotiescumque Sacerdos sive ratione stipendij, sive ex liberi Missam alicui applicat, hunc fructum specialem ap

5. Specialissimus est ille fructus qui cedit ipsi Sacerdoti celebranti, dicitúrque etiam Personalis, & hunc possit à se Sacerdos abdicare, & dare alteri, accepto stipendium dicemus *infra* §. 3. *n.* 61.

6. Supponimus tertiò, quod quamvis olim circa pendium Missæ multa verterentur in dubium loco essent, an non; hodie tamen post Decreta Urbani VIII. *de Celebratione Missarum*, ea ita sunt declarata, ut perfluum sit casus conscientiæ explicantibus quæ quid absolutè, & circa hanc constitutionem proba fuerit. Quare nostra major industria in eo hic debebit, ut doceamus, quid supposítis dictis Decretis, sit probandum; nec tamen omittemus, si quando opus ad praxim, illud quod absolutè fieri poterat innuere.

Decreta autem hæc obligare per totum orbem, non per Italiam solum, mihi certum est; quia universaliter quuntur, & quando in obligatione computandi inter cujuscumque Conventus, eosque Romam mittendi Congregatio, solam Italiam comprehendere, expe restrinxit, dicens hanc computationem faciendam existentibus *intra fines Italiæ, & Insularum adiacen* Ostendit ergo in aliis Decretis non adesse talem tionem. Decreta autem sunt hujusmodi.

*Decreta Sacræ Congregationis Concilij Vrbani VIII. Celebratione Missarum Edita 21. Iunij 1625.*

7. *Cum sæpè contingat, &c.* Et infra. *Ac primo illè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi, in Dioc Synodo aut Generali in Capitulis Generalibus, aut quomodocunque, reducant onera Missarum celebrandar aut post idem Concilium imposita, aut in limine fu nis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, qua diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domi pedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, moderation commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibi formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes*

8. *Deinde, ubi pro pluribus Missis etiam ejusdem litatis celebrandis, plura stipendia quantumcumque grua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis ta fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, cleſiis Capitulis; Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, nasteriis Conventibus, Congregationibus, Domibus, cis piis quibusque, tam sæcularibus, quam Regula Sacra Congregatio sub ostentatione divini Iudicij ma ac præcipit, ut absolutè tot Missa celebrentur, quo rationem attributæ eleemosynæ præscripta fuerint, alioquin ij, ad quos pertinent suæ obligationi non satisfe quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

9. *Id vero, ut deinceps observetur exactius, S. Congre tio eadem authoritate, revocat Privilegia, & Indulta quibuscvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularib*

quam regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

10. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

11. Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis, eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi, cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta: statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Hospitalibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam sæcularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinent, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, fructus deponi debeant penes eadem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit eorumdem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejus oneris repetitione, atque annexione, converti debeat.

12. Ad hæc Sacra Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarij: Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor exiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis vero, pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat.

13. Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera susscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa Eleemosyna pro Missis vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hoc ratione frustrentur.

14. Episcopus vero, seu ejus Vicarius aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus, diligenter inquirant, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse: præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur omnino respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligunturque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros, &c.

Postremo Superiores existentes intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, computent in primo congregando Capitulo redditus Conventuum eorumque summam ad Sacram Congregationem mittant, ut &c.

## Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. authoritate editæ, supra Decretis ejusdem Congregationis, de Celebratione Missarum.

15. *Super primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesano Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias, quoquomodo reducant onera nulla Missarum celebrandarum, aut post idem Con. Trid. imposita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum sive ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?*

16. *Secundò, super secundo ejusdem Congreg. Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Quæritur an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

17. *Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minùs congruum, teneantur Missam ab offerente præscriptam celebrare?*

18. *Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellaniæ, legati, aut salarij, possint etiam Manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?*

19. *Quinto, posito quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit Hæredibus, an eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

21. *Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, intelligenda sint de suscipiendis post Privilegium?*

21. *Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Quæritur, An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ Altarium, Inservientium, Paramentorum vini, luminum, Hostiæ, & similium?*

22. *Octavò An hoc Decretum habeat locum in Beneficiis quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditumm Beneficij;*

1. *Nonò. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebranda Missa, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt.*

24. *Decimò Super Quinto ejusdem Congreg. Decreto, quo inter cætera statuitur, in hæc verba. Eleemosynas, & oblationes manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis, ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & Capsulas auferant: Quæritur, An hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant novas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt, & quid, si longævo tempore possint omnibus satisfacere?*

45. *Vndecimò Quid offerentes eleemosynas, audito impedimento, consentiant, ut Sacerdos Missas celebret, cum primum poterit?*

46. *Duodecimò. An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decr. afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt*

Capsulas

*Capsulas ab Ecclesiis ut ibidem præscribitur.*

27. *Decimotertiò, An in hoc Decreto comprehendantur illæ Capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Defunctorum, & vulgò dicuntur* Casse de Morti?

28. *Decimoquartò, An Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possit eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut aiunt minuatur?*

29. *Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam sæcularium quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tantum comprehendi videntur sub clausula Generali, (& alios ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.*

30. *Sacra Congreg. Cardinalium Concilij Trident. interpretum, authoritate sibi à Sanctiss. D. N. attributa: ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit.*

*Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro dicta reductione oneris, ut supra impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam quæ absque ulla impensa id statuet, quo magis in Domino ea re esse iudicaverit. Verumtamen, si in ipsa beneficij erectione, expressè cautum fuerit ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt esse validam, & observandam.*

31. *Ad Secundum, esse intelligendum de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Civitatis, seu Provinciæ.*

22. *Ad Tertium teneri.*

13. *Ad Quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficij, seu Capellaniæ, legati, seu salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

34. *Ad Quintum censuit ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.*

35. *Ad Sextum, ita esse intelligendum.*

36. *Ad Septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, vel loca pia, aut illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum quas habent in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habeant redditus quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint, ac tunc quam portionem retinebunt nullatenus valere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet Missarum Sacrificio necessario sunt subeundæ; ac nihilominus, eo etiam casu curandum esse ut ex pecuniis, quæ supersunt expensis ut supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam.*

37. *Ad Octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam, congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficij aliud cautum fuerit.*

38 *Ad Nonum debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

39. *Ad Decimũ respondit, non prohibere absolutè ne propterea, oneribus jam susceptis, non satisfecerint, posse tamen denuo etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, modo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

40. *Ad Undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & conscientiæ ut illæ tunc celebrentur cum suscepta satisfactum fuerit: decretum non prohibere quo minus casu eleemosyna suscipiatur pro iisdem Missis, juxta factoris consensum celebrandis.*

41. *Ad Duodecimum, has pœnas non habere locum suscipiendo onera perpetua Missarum celebrandarum licentia Episcopi, vel ejus Generalis, aut Provincialis.*

42. *Ad Decimumtertium, comprehendi.*

43. *Ad Decimumquartum, non posse nisi de eorum, qui eleemosynas tribuant, ut supra in resp. ad undecimum.*

44. *Ad Decimumquintum, comprehendi etiam pro Sacerdotes.*

§. II. *Super illud §. Primi n.* 7. Distinctè prohibe...

*Ubi vetatur Episcopis, & Generalibus, ne ... Onera Missarum.*

1. CAsus est hujusmodi. In Ecclesia v. g. Sanctæ Petri adest obligatio singulis diebus celebrandi unam, vel plures Missas, sed deficientibus proventibus casus redditibus ad hunc finem assignatis, juxta computo, nunc non sufficit pecunia, nisi ad duas Missas in hebdomada. Quæritur, An Episcopi, & Generales Religionum, respectivè pro suis, hodie (nam olim non tenebantur ex Trident. *sess.* 25. *de refor. cap.* 4.) possint ... ut omissis cæteris, duæ prædictæ Missæ dumtaxat celebrentur?

2. Sacra Congregatio respondit *supra n.* 7. Non ... sed esse ad Pontificem recurrendum.

Et quia quæsitum fuit, an quando ita tenue ... evasit legatum, seu redditus, ut non inveniatur ... dos, qui velit tantum onus cum tam parva elemo... subire: & si recurratur ad Pontificem, totum vel ... pars redituum in necessariis expensis consumenda ... inquam, tunc possit Episcopus? Respondit eadem Congregatio *supra* §. 1. *num.* 20. adhuc esse recurrendum ... Pontificem: & tunc solum posse Episcopum, quia ipsa Beneficij erectione fuit fortè expressè concessum ut id Episcopus posset.

Quando ex voluntate fundatorum, vel dantium ... mosynam pro Missis ea eleemosyna data est ad ... Ecclesiæ, vel Dei, nunquam posse Episcopum reduc... quia iam de illis non potest amplius disponere ... putat Virricelli *tract.* 3. *quæst. mor.* 55. contra Leonem ... Castrum. Verum ego hos sequor non Virricellum, ... quando in limine fundationis ipse fundator voluit, ... id posset Episcopus Ecclesia judicatur acceptasse ... eam fundatoris dispositionem. Non igitur nunc ... nit donans, qui supponitur mortuus, sed tunc quando testatus est, & cujus voluntatem acceptavit Ecclesia, &c.

Responsionem S. Congregationis *numero præced.* ... latam absolutè, & sine ulla interpretatione ampliativa ... Diana, aliis, méque etiam citato. Lege Iamunam, ... qui docet Gubernatores Ecclesiæ non posse reducere ... Missas, ex eo, quod hæreditas facta sit difficilis exactionis, & ferè decocta.

Non illud (ferè) nam si sit omnino decocta & ... culpa Ecclesiæ perierit, ad nihil Ecclesiam obligati, ... mus *infra* §. 4. *n.* 89.

Dices Sicuti se habet totum ad totum, sic pars ... partem, sed Sacerdos, seu Ecclesia potest totum onus ... Missarum negligere, si totus census sine sua culpa ... riit, ut inferius dicemus §. 3. *num.* 89. citato. Ergo ... Sacerdos, vel Ecclesia poterit partem oneris negligere, ... si pars census sui perpetui oneris sine sua culpa ... Ita discurrunt contra nos Bordonus, & Aversa apud ... Dian *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 65. citati, sed non exceptis ... Diana, qui addit, idem probabile putari à Francisco Lugo. Confirmant: quia quilibet potest ad justitiam reducere contractum; si igitur census deficit ex parte, quilibet poterit onus censui addictum juxta partem quam

quam percipit, reformare. Quando autem (aiunt hi) Sacra Congregatio prohibuit reductionem Missarum, non prohibuit eam fieri ex vi explicatæ compensationis, sed ex vi dispensationis, quam facere, solum pertinere vult ad Pontificem.

Respondeo, hæc argumenta ostendere quidem debere fieri ejusmodi reductionem, sed non ostendunt, quisnam debeat eam expedire. At potuit S. Congregatio propter bonum commune, & ne detur ansa particularibus personis, vel Ecclesiis, perperam illam reductionem expediendi ad se illam avocare, ut re ipsa clarissimis verbis avocavit, id, quod modo *num.* 2. vidisti. Ad Confirmationem. Respondeo, Concesso antecedente, neganda est propter eandem rationem Consequentia: neque potest dici solum vetari à Sacra Congregatione ne id fiat in vim dispensationis, non vero vetari ne fiat in vim justæ compensationis. Non, inquam, hoc dici potest, quia S. Congregatio, ut patet ex ipsius Decreti lectione, non intendit titulum dumtaxat, unde fiat, sed ne ipsa materialis reductio ab alio, quam à Summo Pontifice fiat.

Eam tamen, sed tamen præscindendo à præsenti Decreto, novissimè exceptam video à Thoma Hurtad. *p.* 2. *tr.* 8. *n.* 369.

Vnum, quod huc facit, dicam infra §. 3. *num.* 88. & 89.

*Qua onera Missarum reduci prohibentur, & an etiam præterita.*

3. Circa quæ adhuc dubitabis Primò, de quibusnam oneribus hic agatur, quæ nec reducere in minus, nec moderari, nec commutare Episcopi, aut Generales hodie possint?

Respondeo Primò, intelligi etiam de præteritis ante promulgationem horum decretorum, nec solum de oneribus in futurum suscipiendis. Iuxta leges, *C. de leg.* ibi: *leges futuris dant formam negotiis, non ad facta præterita revocantur, nisi nominatim de præterito cautum sit.* Ratio est, quia sic expressè declaravit Sacra Congregatio, ibi: *Episcopi ne reducant ulla onera Missarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis.* Nota illud *imposita*, quod est præteriti temporis. Rursus, ibi. *Vt absolute tot Missæ dicantur, quot fuerint præscriptæ, quamvis stipendia sint exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum.* Nota illud *collata fuerint*, quod item est præteritum. Quod autem contrarium in Sicilia practicari Peyrinus *tom.* 3. *c. n.* 29. asserat, forte est, quia quoad hanc partem acceptata ibi hæc decreta tunc non fuerunt, juxta communem doctrinam docentem posse acceptari, ut & abrogari aliquam legem secundum unam partem, non secundum aliam; cum Bonac. *de legib. d.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *num.* 30. alios citante. Dixi *tunc*, & fortasse solum in sua Religione Minimorum, nam apud Sacerdotes sæculares jam nunc acceptata in omnibus esse communiter animadverto.

Respondeo secundò, intelligi de omnibus, atque adeo de oneribus, quæ sunt affixa quomodocumque Capellis, vel Ecclesiis de oneribus ex Beneficio, de oneribus ex legato, & breviter ex quacumque causa, vel titulo. Ita March. *de ord. tract.* 3. *p.* 2. *c.* 19. *num.* 30. Patet id ex verbis universalibus Decreti restringentis potestatem, qua olim prædicti potiebantur.

4. Imò si legatum non sit sub obligatione applicandi Sacrificium pro aliquo, sed solum sub obligatione celebrandi in tali loco, vel Altari, vel in tali tempore, nec sufficiat legatum, unde oporteat moderationem adhibere, adhuc ad Pontificem erit recurrendum. Ratio est, quia, ut diximus, verba Decreti universalia sunt & ex alia parte, cum *Accessorium sequatur Principale*, hæ autem circumstantiæ, seu onera sint Accessoria ad Missam, consequenter, sub eodem Decreto de moderatione Missarum, comprehenduntur.

5. Quid si sit Anniversarium Defunctorum, Respondeo, adhuc regulariter comprehendi sub Decreto; nam vel Anniversarium ejusmodi est, ut dicantur, singulis annis, Missæ & tunc expresè includitur in verbis illis Decreti (*onera ulla Missarum*) vel ut dicantur Missæ, & itidem Officia Defunctorum, ac distribuantur eleemosynæ pauperibus, & similia: & tunc quia hæc omnia se habent per modum unius, posito quod non possint Episcopi, & Generales reducere onera talium Missarum, nec poterunt moderari prædicta Officia, & Eleemosynas. Adde quod hæc videntur accessoria ad Missas, quæ in Anniversariis ejusmodi principalius intenduntur. Solum posset esse aliquis rarus casus, propter quem, modo addidi illud (*regulariter*) quando scilicet tale Anniversarium ex voluntate Testatoris solum consisteret in Officio Defunctorum, vel in distributione Eleemosynæ sine celebratione ullius Missæ; & tunc puto quod non includitur in prædicto Decreto, atque adeo Episcopi, & Generales poterunt illud reducere sicuti poterant ante hoc Decretum, & concesserunt illis juxta antiqua Iura apud March. *de ord. tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 19. *num.* 2. Trident. *sess.* 25. *de refor. cap.* 4. ibi, *circa hæc*, idest legata. Ratio est, quia in hoc Decreto Sacræ Congregationis, solum vetatur Episcopis, & Generalibus, ne reducant onera Missarum, ergo remanent dicti Episcopi, & Generales, quoad hoc, in concessione Tridentini. Diana igitur *p.* 2. *tract.* 13. *res.* 5. aliique apud ipsum, quia non meminerunt huius rari casus, ideo universaliter docuerunt comprehendi Anniversaria, & Officia Defunctorum. Monent autem rectè Naldus *v. Miss. num.* 10. aliique, reductionem compensandam esse cum aliquo alio opere, celebrando v. g. aliquam Missam in generali pro omnibus illis fundatoribus, vel recitando aliquam Orationem, vel Collectam &c. ut scilicet quantum potest minus defraudentur Fundatores.

6. Rogas: Episcopi, & Generales, in hoc raro casu mox explicando *num.* 8. hanc Officiorum reductionem debéntne facere in Synodo, vel Capitulo? Respondeo debere; & quidem ita, ut semper in posterum commemoratio in Officio fiat eorum, qui legata reliquerunt. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cit. de refor. c.* 4. in fine illis injungit his verbis: *Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum saluti legata adpios usus reliquerunt.*

Vbi Nota Primò quod esto ante Concilium, iis licuerit extra Synodum, vel Capitulum; hodie tamen (nisi alicubi in hoc fuisset Concilium receptum) non licet. Quare non est audiendus Rodriq. *in Comp. r.* 25. *num.* 11. dum absolutè docet, quod Episcopus etiam absque Synodo, exercere hanc potestatem valet, ut Recentiores consulti subscripserunt; non est, inquam, audiendus, quia clarè contrarium præcipitur à Tridentino: nisi fortè dicas (atque id Rodriq. intellexerit) talem reductionem factam extra Capitulum vel Synodum, licet illicitè factam, esse tamen validam, quod certè est probabile, quia nulla est in his Concilij verbis clausula irritans factum.

Nota secundò, id fieri quidem debere in Capitulo seu Synodo, sed non necessario ex consensu Capituli, ut ex verbis Concilij patet: licet sit optimum consilium, ut res maturius procedat, illius etiam consensum accedere.

Nota tertiò, posse Episcopum, seu Generalem hanc suam potestatem alteri delegare, qui id, modo dicto, faciat in Synodo, seu Capitulo. Ratio est, quia

cum hæc causa sit commissa Episcopis, & Generalibus sub nomine dignitatis, non est electa industria personæ, & cùm commissa sit iis omnibus in futurum, est potestas ordinaria, atque adeo delegabilis. Ita Sanch. *lib. 2. de matr. d. 40. n. 17.* aliique.

*De oneribus Missarum ante Tridentinum.*

7. Dubitabis secundò, an Episcopi, & Generales possint reducere ad minorem summam Missas, quæ fuerunt impositæ, seu relictæ ante Concilium Tridentinum. Diana *p. 2. tract. 14. res. 2.* Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 19. num. 31.* aliique apud ipsos absolutè respondent, posse, quia Decretum solum vetat, ne possint imposita post Concilium.

Sed enim vero hi Doctores debuerunt id addere, quod additur à Decreto, quod, dum vetat, ne possint imposita post Concilium, addit, absolute, quod *nec possint imposita in limine fundationis.* Si ergo hæc onera imposita fuerint in ipso initio fundationis, seu erectionis Beneficij, vel Capellaniæ, & non processu temporis, (quod secundum potuit evenire, si quando, auctis v. g. redditibus, aucta fuissent ab Episcopo & illa onera) non possunt ab Episcopo, & Generalibus reduci, quamvis fuerint imposita ante Concilium. Verba absoluta Decreti allata supra §. 1. *n.* 7. sunt hujusmodi. *Ne Episcopus, aut Generalis, reducat onera Missarum celebrandarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis.*

8. Relicta in ultimis voluntatibus, ac testamentis per modum legati, si fuerint acceptata ante Tridentinum, poterunt etiam à dictis reduci, quia solum Beneficia, & Capellaniæ propriè dicuntur habere limen fundationis, non autem mera legata: At vero si ejusmodi legata, vel quæcumque eleemosyna manualis sint acceptata post Tridentinum, reduci non poterunt, quia de acceptatis post Tridentinum Congregatio universaliter loquitur sub nomine oneris Missarum, talia autem legata, vel eleemosyna onus certe est.

Modus reducendi prædicta acceptata ante Tridentinum, est idem, de quo modo diximus *n.* 6.

Unum denique addo, quod si Episcopus impetraret privilegium reducendi onera sua Diœcesis, posset etiam reducere onera suscepta à Regularibus. Ratio est, quia etiam hæc sunt onera suæ Diœcesis, licet non suæ subjectionis. Adde quod sicut in Iure *Clem. de Testamentis*, Ordinarius loci exigit ab Religiosis exemptis rationem de executionibus testamentorum, atque adeo in hac re subsunt dicti Regulares Episcopo: ita in eadem re ejusdem privilegio frui convenientissimum est.

*De oneribus Missarum nondum acceptatis.*

9. Dubitabis tertiò, An Episcopis liceat moderari Missas alicui Ecclesiæ, sive ante, sive post Tridentinum relictas, nondum tamen, sive ob tenuitatem eleemosynæ, sive ob aliam causam, ab eadem Ecclesia acceptatas.

Respondeo, non esse improbabile licere. Ita Marchin. *ibid. num. 32.* Ratio est, quia decretum vetat, ne Episcopi moderentur onera Missarum imposita, at onus nondum acceptatum, non dicitur propriè fuisse impositum.

10. Rogas: legatum Missarum frequenter non est relictum Ecclesiæ immediatè, sed alicui Sacerdoti nominando, sive ab Episcopo, sive etiam à persona sæculari, seu fideicommissario iuxta dispositionem testatoris. Iam potest contingere, Primò, quod ipso initio Sacerdos primus nominatus non acceptet tale legatum. Secundò, quod hic primus Sacerdos acceptet quidem, verùm, hoc mortuo, secundus nominatus, propter tenuitatem legati fortasse supervenientem accepta recuset. Rogas, inquam, est ne probabile in utroque hoc casu, Episcopo licere Missas ex prædicto legato dispositas moderari ex eo, quia sunt acceptatæ?

Respondeo in priore eventu probabile esse, quia vere onus nondum est impositum, cum legatum nondum legatum sit acceptatum. In posteriore puto, nequaquam licere; idque propter rationem, quia fuit acceptatum per primum Sacerdotem, atque adeo onus simpliciter fuit impositum. enim non acceptatio secundi Sacerdotis potest quin fuerit ab Ecclesia, mediante primo Sacerdote acceptata.

*De Iustis causis reducendi.*

11. Dubitabis Quartò? quænam iudicandæ sint causæ, propter quas legitimè fiat à Sacra Congregatione Cardinalium ejusmodi Missarum moderatio? deo cum March. *de ord. tract. 3. p. 2. c. 19. n. 26.* esse tes, vel similes. Primò, si lapsu temporis reditus cleſiæ, seu Conventus sint imminuti, Secundò, pensæ maiores nunc fiant in pertinentibus ad quam antea, putà in emendis paramentis, vino & aliis similibus. Tertiò, si numerus Religiosorum notabiliter minor, unde non valent integrò Missarum numero satisfacere, & ex alia parte non possit numerus ob defectum eleemosynarum. Quartò, si mosynæ relictæ sit valde tenuis. Quintò, si nunc pertinent ad victum, & cultum Sacerdotis, sint maiora, quam antea, quando fundata est Missa si ad reficiendum Molendinum v. g. vel domum fructus pro Missis solvendi sunt, factæ sint riæ expensæ, vel ad litigandum, &c.

12. Illud notat rectè Navarrus *de Miss. celebr. n. 9. & conf. 11. per totum*, facilius posse minui Missas bere in sua fundatione relictas, quam illas, quæ minatis Capellis sunt affixæ; & facilius item antiquam recenter acceptatas. Ratio est, quia & illa dat fine dubio majorem facilitatem, & in antiquis lius inveniri possunt prædictæ causæ iustæ, hoc merus Sacerdotum diminutus, redditus attenuati, terum pretia, &c.

Porrò talis reductionis Praxis, qua in hac re Congregatio utitur, videatur si est otium apud nam. *v. Missa n. 31.* Lege item Bordonum *res. 15. n.* & 43. qui rectè admonet in legato simplici Sacram Congregat. concedere quidem reductionem vero in legato conventionali, quia hoc forma quo intercessit conventio partium.

§. III. *Super illud §. 1. numer. 8.* Deinde, *&c.*

Vbi

*Præcipitur, ut tot Missæ celebrentur, quot requirit titas Eleemosyna.*

1. PEtrus offert stipem decem v. g. Iuliorum Sacerdoti, vel Ecclesiæ, ut viginti Missas pro ipso brentur. Acceptant ij, sed deinde vellent solum celebrare Missas decem, vel propter alias rationes, vel quia dent eam eleemosynam esse pro viginti Missis valde guam, possuntne id tuta conscientia? Respondet cra Congregatio, *dicto num. octavo*, non posse, sed re celebrare Missas præscriptas.

2. Et quia quæsitum primò fuit, An celebrandæ essent Missæ, præscriptæ ab offerente eleemosynam præscriptæ ab Ordinario? Respondit eadem Sacra Congregatio *dicto §. 1. n. 31.* Si offerens præscripsit Missas esse celebrandas, si non præscripsit, esse celebrandas præscriptionem Ordinarij, juxta morem Regionis ctam, vel faciendam.

3. Quæsitum fuit rursus, An Sacerdos si eleemosynam non sufficientem pro tot Missis, eam tamen pro recipiat, possit deinde pauciores celebrare? Respondit *ibid. n 32.* Non posse.

4. Quæ-

4. Quæsitum præterea, An Sacerdotes, qui obstringuntur ratione Capellaniæ, vel simili ad Missam possint manualem eleemosynam recipere, & unica Missa utrique obligationi satisfacere? Respondit *ibid. num.* 33. nequaquam posse.

5. Quæsitum denique fuit, posito quod Testator disponat, ut celebrentur tot determinatæ Missæ, v.g. centum, nec præscribat eleemosynam, An Hæredes possint sibi benevisam tradere, An potius sit ab Ordinario præscribenda; Respondit *ibid. num* 34. ab Ordinario præscribendam, juxta morem Regionis.

*Unica Missa an pluribus obligationibus ex Iustitia satisfieri possit*

6. Vt autem prædicta clarius constent. Dubitabis, Primò, An possit Sacerdos una Missa satisfacere pluribus obligationibus ex Iustita, accipiendo v. g. unum Iulium à Petro, & alium à Paulo, Missaque unica, utrique satisfacere?

7. Respondeo. Aliqui secluso scandalo, olim, concedebant, ac notanter Auctores non nomino, quia si Suarez *de Sacramen. d.* 86. *sect.* 2. §. *Dico quarto*, asserit se nunquam Auctorem pro hac sententia legisse, nec ego legi. Fundabantur autem, ejusmodi innominati in infinito valore Missæ, qui si pluribus applicetur, nullus, posito quod sit infinitus, detrimentum ex consortio alterius patietur. Sed profecto alij apud Suar. & Vasq. citatos à Marchino *de ord. tract.* 3. *p.*2 *cap.* 5 *à num.* 11. contrarium docebant, & merito, quia talis valor infinitus non est, ut vidimus supra *lib.*2.*cap.* 2. §.1. *à num.*4. Adde, quod sequeretur, pro una Missa, posse Sacerdotem Iulios decem, centum, mille, &c à totidem Missam exposcentibus accipere, quod à sensu omnium fidelium abhorret.

Hæc olim. Nunc verò jam id fieri non posse, præcipit Sacra Congregatio, ut prodo vidimus.

8. Rogas: quid si aliqui sequentes opinionem eorum, qui eam infinitatem Sacrificio concedunt, dent singuli integra stipendia, & sint contenti unica Missa, licebitne Sacerdoti illis acquiescere? Respondeo cum March. *ibid. cap.* 16. *num.* 4. Licebit quia volenti non fit injuria. Instas, at id Sacra Congregatio vetat. Respondeo, Sacra Congregatio supponit offerentes eleemosynam esse invitos: cæterum si consentiant, erit perinde ac si ex mera liberalitate pinguem eleemosynam elargiantur.

Nota tamen, consensum hunc non posse dari, nisi ab iis pro quibus Missa debet offerri, non vero ab hæredibus, legatariis, aut alienæ voluntatis exequutoribus, si quidem ij domini non sunt, sed Ministri.

*Unica Missa an pluribus obligationibus, quarum una sit ex iustitia, altera nequaquam, vel quarum utraque sit non iustitiæ, satisfiat.*

9. Dubitabis Secundò, an quod negavimus de obligationibus Iustitiæ, concedere possimus de cæteris obligationibus, quæ iustitiæ non sunt? Accipit v.g. ex una parte Sacerdos eleemosynam à Petro, ut pro ipso unam Missam offerat, ex alia parte idem Sacerdos ex liberalitate, vel charitate, vel alio titulo, qui non sit Iustitiæ, promittit Paulo unam Missam, poteritne unica Missa Petro, & Paulo satisfacere; Idem est, si pro nullo intercedat titulus Iustitiæ, sed tum Petro, tum Paulo v.g. debeat Sacerdos ex Charitate; vel promissione, potestne unicam Missam pro utroque offerre, & sic duas obligationes adimplere?

10. Respondeo: Marchinus *de ord. tract.* 3. *p.* 2.*c.*17. etiam post prædicta Congregationis Decreta concedit. Fundatur in prædicto valore infinito, quem ipse in Missa mordicus cognoscit. Cum igitur illi, qui dedit stipem, jam applicetur Missa conqueri rationabiliter non potest, si applicetur & alteri, ex cujus applicationis consortio detrimentum non patitur, *Missa, enim*, inquit, *instar Candelæ accensa est, quæ tam uni quam multis æquale lumen impertit*

11. Nihilominus audiendus non est, Tum quia non est vera ea sententia de valoris infinitate in actu secundo, modo supra *lib.*1.*cap.*2.§. 1. *num.*6. explicato. Tum quia sequeretur, posse etiam id fieri in obligationibus iustitiæ, quod tamen omnes, & ipse etiam Marchinus, ut paulo ante *n.*7. vidimus negat, & solidam disparitatem afferre, quamvis contendat, non potest. Tum denique quia Sacra Congregatio licet explicitè loquatur de pluribus obligationibus Iustitiæ, tamen etiam de aliis obligationibus implicitè loqui ex ipso contextu, non obscurè colligimus.

Neque valet dicere, satis esse, quod ea sententia de infinitate valoris, probabilis sit, ut illam sequi in ordine ad Praxim valeamus: non valet, inquam, quia putamus eam sententiam non esse probabilem, sed vero incertam, ac valde dubiam, ut *loco citato*, breviter innuimus.

12. Quid de Voto? Vovit v. g. Sacerdos, si salutem sui Patris impetraverit, celebraturum in actionem gratiarum Missam, potestne illam ex stipendio accepto alteri dare? Posse alicui videbitur, quia petens ex stipendio Missam, solum petit impetrationem, & Satisfactionem quam jam locratur: cum Votum Sacerdotem obligaverit solum ad reddendas Deo laudes, quas jam Deo dat, etiam accepto pro dicta Impetratione, & Satisfactione stipendio.

Dico tamen, non posse. Ratio non est ducenda ab his Decretis Sacræ Congregationis, posset enim responderi, hæc Decreta solum vetare ne duplex stipendium accipiatur pro fructu Missæ, qui consistit in Impetratione, & Satisfactione, & quem totum solent petere, & velle qui Missas exposcunt: at in casu nostro hic fructus jam uni tantummodo datur: & solum additur gratiarum actio pro beneficio accepto, quæ nihil tollit de fructu toto, qui illi uni applicatur. Ratio igitur erit, quia qui vovit absolute Deo Missam, illamque ex voto celebrat, totam Missam à se regulariter abdicat, Deoque veluti dat, non ergo illam alteri dare potest. Dixi, regulariter, nam si solum voveres celebrare Sacrum in Dei laudem, reservando tibi potestatem applicandi fructum alteri, qui sit petitus, tunc non repugno, posse id fieri, quia tunc Votum non cadit super Missæ fructum, de quo disputamus, & quod totum regulariter exigunt, qui Missam postulant.

*Propter Paupertatem, an excedi valeat commune stipendium Missæ: & obiter, An stipendium Missæ possit remitti.*

13. Dubitabis tertiò. An aliquando, pro una Missa plura integra, vel non integra stipendia accipi propter paupertatem possint?

Respondeo Quidquid olim dixerint, Sotus, Beia, Rodriq. Nugnus, alique apud Dian. *p.*2 *tract.*14.*res* 8. certè non possunt. Ita Suar. Vasqu. Lessius, Azor. aliique apud Delugo *de Euch disp.*21.*sect.*2. *n.*27. Ratio (præter Decretum hoc Sacræ Congregationis) est clara, quia paupertas non datius accipiendi rem alienam (secluta extrema necessitate, quando res aliena non est, in qua tamen necessitate, per alias orationes compensati debere putat Lezzana v. *Missa*, *num.* 28. & 29.) nec dat ius transgrediendi leges taxantes rerum pretia. Hoc autem, de quo loquitur, licet non sit propriè Missæ pretium, est tamen ad illius instar, ut ex dictis constat.

Ille certè, vel scrupulus fuit, vel avaritia, quando quidam Sacerdos totum Missæ stipendium, hoc est integrum Iulium, ideo à paupere vidua exposcebat, quod diceret se remittere non posse, stante tali Missæ taxato stipendio. Verum licet possis taxatam integram

eleemosynam exigere, at liberaliter remittere, vel ex integro, vel ea parte etiam potes; nunquam enim Sacra Congregatio, vel Episcopus remissionem prohibuit: & taxa solum est, ne ex vi stipendij ipsa excedatur, non vero, ne remittatur: Dico (ex vi stipendij) nam nec prohibuit à sponte offerentibus, te posse taxato majus accipere, prohibuisset enim pietatis, & liberalitatis officia.

*Pro Officiatura, & Intentione, an duplex stipendium recipi possit.*

14. Dubitabis quartò, An liceat Sacerdoti accipere duplicem eleemosynam, alteram pro præsentia, seu quam vocant Officiaturam, alteram pro intentione seu Applicatione.

Respondeo quando constat petentem Missam, dato stipendio, etiam integro, solum voluisse præsentiam, potes accipere aliud integrum stipendium pro Applicatione, & è contrario, id quod licet Gavantus *in rubr. Miss. p. 3. tit. 12. num. 5.* & Barbosa *de offic. Parochæ. 11. n. 11.* aliique negaverint, tamen probabilius Suar. *de Sacram disput. 86. sect. 3.* Vasquez *de Euch. 234. c. 4.* immo & Delugo *de Euch. disput 21. sec. 1. n. 21.* qui post hoc Decretum Sacræ Congregationis scripsit, aliique concedunt. Ratio est, quia stipendium pro præsentia, recipitur propter laborem extrinsecum Missæ, quo in tali loco, vel tempore Missa assumitur celebranda: stipendium vero pro Applicatione, pro ipso Sacrificio, eo modo, quo supra §. 1. *num.* 2. fieri sine labe Simoniæ posse docuimus.

Ad Decretum Sacræ Congregationis, quatenus videtur esse contra nos, respondebitur mox *n. 35.*

*Unde coniiciatur quod petens Missam velit præsentiam, vel applicationem, an potius Utramque.*

15. Quæstio ergo superest dumtaxat, ecquandonam, si fortè verba sint dubia, petitionem esse de sola præsentia, & non de Applicatione, vel contra, iudicandum sit?

Dico. Si petitio, vel institutio Missæ in hunc, vel similem modum cum mentione finis, & etiam loci, vel temporis efformetur. *Volo, seu lego tot Missas in tali Altari, vel, templo celebrandas quolibet Anno, Mense, Hebdomada pro anima mea, vel in remedium, seu refrigerium animæ meæ,* Vel *in remissionem, seu satisfactionem delictorum meorum,* vel *ad intentionem meam,* vel *pro defunctis, &c.* Certum est ex March. *de ord. 3. p. 2. c. 27. n. 1.* petitionem non esse solum de Officiatura, sed esse etiam de Applicatione, ut ex se patet. Idem etiam puto, si dicat, *Volo ut celebrentur tot Missæ in Ecclesia meæ sepulturæ,* seu *in qua ego sepultus fuero*; videtur enim tunc haberi respectus ad satisfactionem in Purgatorio debitam à se, vel à suis.

16. Quod si petitio fiat cum mentione finis, sed non loci, seu temporis in hunc modum: *Volo ut celebrentur tot Missæ pro anima mea, vel pro defunctis, vel ad impetrandam salutem filij mei, &c.* Certum est ex eodem *ibid.* petitionem esse solum de Applicatione, ut etiam ex se patet: & in hoc casu, si alius à te petat solum præsentiam, idque tibi constet, ut solent petere Moniales, Confratres, immo & Parochi in quibusdam solemnitatibus, quando solum intendunt habere numerum Missarum pro commoditate audientium, poteris pro tali præsentia aliud stipendium accipere, quia id non recipis pro fructu Missæ, sed pro labore extrinseco ut dictum est, *num.* 14.

17. Denique, si petitio fiat cum mentione loci seu etiam temporis, sed citato, sive in hunc forte modum *Instituo in tali altari Capellanum, qui quotidie celebrare debeat. Aggravo Haredem meum, ut in tali loco faciat celebrare tot Missas, Volo, ut celebrentur tot Missæ in Ecclesia Maiori, &c.* si, inquam, ita fiat petitio, operosum erit discernere, quid petatur.

18. Et Bonacina quidem *de Sacr. disp. 4. q. 2. p. num. 13.* cum Barbos. *tom. 2. de potest. Episc. allegans*, favente Delug. *de Euch. disp. 21. sect. 1. n. 23. & seq.* asserunt peti tunc, & deberi etiam Applicationem. Sed est, inquiunt, quia cum non constet contrarium, res admodum dubia, præsumendum est id quod munitere accidit, ut semper in rebus dubiis docet latè Menoch *lib. 1. de præsumpt. q. 10. num.* muniter autem petens Missam vult sibi illam apl Confirmatur, quia sic statuitur ab hoc Decreto Congregationis in ordine ad quartum dubium *n. 8. & n. 33.* à nobis allato.

19. Marchinus autem *de ord. tr. 3 p. 2. c. 27. n. 5.* tunc non peti, unde nec deberi hujusmodi Applnem. Ratio est, inquit, quia non est onus gravenendum, nisi clarè constet. Ni constet enim, nullconditio libertatis minimè tale onus cognoscendi de quod propositum mente retentum nihil extra mtur, *l. quidquid astringendæ ff. de verb. oblig.* lex mente Principis retenta ad nihil obligat. Cntur in dictis dispositionibus (quæ ad instar legplicari solent, cum sint leges privatæ) le tnon declaret, etiamsi mente obligare voluisset, obligabit.

20. Verum enimvero, nisi, in hoc casu, quando mmentio finis, distinguas tres disponendi modos, eultatis hujus modum nunquam dissolves.

Primus modus est, si absolutè formata sit pseu dispositio sine ulla mentione loci, vel temporis *volo seu lego, ut celebrentur tot Missæ.*

Secundus modus, est. Si Petitio efformata fuerit dita mentione loci: *Volo ut celebrentur tot Missæ Altari, vel Ecclesia.*

Tertius cum mentione temporis, sic: *Volo ut celebtur tot Missæ tali die v.g. Dominico, vel Lunæ S. Petri &c.* Idemque erit cum intentione loci simtemporis, hoc modo: *Volo ut celebrentur tot Missæ tali Ecclesia, tali die.* His positis.

21. Dico primò, si dispositio sit primo modo, est, absolutè, præsumendum esse peti, adeoque ri Missæ applicationem dumtaxat. Ratio est, communiter, qui sic petit, pro se solum petit, adeo applicari sibi fructum Missæ requirit, & præterea. Idem enim est, in communi loquendi mpetere: *volo ut tot Missæ celebrentur*, atque, *Volo tot Missæ pro me celebrentur*, & nihil aliud. Senim te conveniat, stipémque offerens, dicat, *hunc Iulium pro una Missa*, sanè nil aliud intellignisi stipem accipere ad dicendum Missam pro anmseu salute ipsius, atque id ita communiter ejusmodi eleemosynis manualibus, mox cum Delug dicam *num.* 27. ita igitur in dispositione, de qua loqmur.

22. Dico secundò. Si dispositio sit secundo modhoc est, cum additione loci, nec sit alia circumstantquæ contrarium persuadeat, peti solam præsentiam, tio est ea, quam authores secundæ sententiæ relatattulerunt, quia nimirum non debeo sine claro fudamento onus mihi grave imponere. Adde quideo apponi videtur determinatio loci, ut vel huire locus afficiatur, vel adsit commoditas fidelibus diendi Missam. Ita communiter intendunt Confratrvel Moniales, quando petunt in suis Oratoriis Missecelebrari; intendunt enim dumtaxat frui commoditaudiendi Missam, & nihil ulterius, nihil igitur alidebeo.

Dictum autem est (nec sit alia circumstantia, qcontrarium persuadeat) quia hæ maximè sunt attendendæ ad implendas Fundatorum mentes, ut ex *sequnum.* patebit clarius.

23. Dico tertiò. Si dispositio sit tertio modo, hoc cum additione temporis (& idem est si simul cum tempore addatur, & locus) erit iterum distingue-

dum. Si enim ex determinatione tali colligatur mens petentis Missam ferri in præsentiam, hæc sola petetur: si ferri in Applicationem, petetur Applicatio. Dictum explico exemplis, ac probo. Si quis dicat, *volo ut dicantur vor Missæ singulis diebus Lunæ*, certè, quia dies hic est à devotione Fidelium assignatus ad orandum pro Defunctis, præsumetur dispositio esse, ut celebrentur Missæ pro illis, atque adeo petitionem esse de Applicatione. Si vero sic dicat, *Volo ut celebretur Missa die dominico, seu die festivo*, vel *ut celebretur Missa, die Dominico in tali Ecclesia*, videtur petitio solum esse regulariter de præsentia, ut nimirum sit, in concursu populi commoditas audiendi Sacrum Dixi (regulariter,) quia potest contingere, ut ex circumstantiis colligatur, quod etiam in hoc secundo casu, exposcatur Applicatio. Ita esset, mea sententia, si diceret: *Volo, ut celebretur Missa die festivo Sancti mei nominis, seu Sancti mei Devoti*; tunc enim ex communiter accidentibus præsumitur Missam esse applicandam pro petente: communiter enim Fideles, die festivo proprij Sancti, totam sibi Missam celebratam volunt.

24. Ad rationem in contrarium dictam *n.* 18. quatenus contra nos facere potest, Respondeo petentem frequenter velle Missæ applicationem, sed velle etiam aliquando solam præsentiam, & cultum Dei, idque esse frequentissimum in fundationibus Capellarum, & Altarium, in quibus fundatores magis inspexerunt ad honorem Altaris, commoditatem populi, vel quid simile, quam ad suorum delictorum satisfactionem. Quare non sequor sententiam Graffij *de Miss. celebr. cons.* 3. *tom.* 2. & Joannis Delugo *de Euch. d.* 21. *sect.* 2. *num.* 42. dicentium eum, qui exposcit Missam, velle semper obligare Sacerdotem ad id, quod utilius est ipsi petenti. Non sequor, inquam horum sententiam; nisi enim petens aliquo tandem modo, se declaret, non est præsumendum fatorum id velle, quia de facto non totum id semper fideles intendunt, ut videmus; & confirmatur ex illo dicto Suarij *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 2. *Hæc regula in omnibus maximè imponendis servanda est: si voluisset, expressisset.*

Multo Minus placet Aloysius Riccius *tom.* 3. *Praxis rerum quotidian. Eccl. for. res.* 359. quòcet, quando testator non designavit locum Missæ, quam legavit, debere celebrari in loco suæ sepulturæ. Minus, inquam, placet, quia quamvis hoc sit consulendum, tamen non adest obligatio, quia dum testator locum non assignavit non præsumitur voluisse præsentiam. Illud concederem Aloysio, si Testator sic disponat, *Eligo talem Ecclesiam* pro sepultura, *volens ut dicantur quotannis centum Missæ*: concederem, inquam, dici oportere in loco sepulturæ. Ita Portella *de duobus reg. v. Missa, n.* 13. & *in Resp. p.* 2. *casu* 19. Ratio est, quia tanta coniunctio electionis sepulturæ, & dispositionis Missarum videtur persuadere, ea fuisse Testatoris voluntatem.

25. Ad confirmationem, nego, Congregationem esse contra nos, ipsa enim solum loquitur de iis, qui habent Capellaniam, legatum, vel salarium cum onere applicandi pro Fandatore; non vero de iis, qui ad præsentiam solum obligantur; fuisset enim injustum, si iis qui præsentiam solum debent, & applicatio est sua, prohibuisset ne quod in sua est potestate, aliis dare potuissent. Alias conjecturas, pro hac explicatione, lege, si placet, apud Delugo *disput. de Sacram* 21. *sect.* 1. *num* 23. ut enim nonnulla de loco quæ huc reduci possent, vide infra *cap.* 25 1.

Denique si omnibus expensis, res adhuc remanet dubia, possessio videtur esse pro fundatore, atque adeo illi deberi tum Præsentiam, tum Applicationem. Lege Alphonsum de Leone *de off. Cappel. quæst.* 8. *sec.* 8. Ita etiam late sustinet Thom. Hurtadus *p. p. res. mor. tr.* 2 *cap* 4. *a num.* 135. docens, quando nihil exprimit petens Missam, semper præsumi (nisi contrarium constet utrumque petere.

*Dubium incidens de Hebdomadariis Ecclesiæ Cathedralis Neapolitanæ.*

26. Ex dictis infero Aloysium Riccium *in decis. p.* 3. *decis.* 13. non statim debuisse damnare consuetudinem in Cathedrali Neapolitana, per quam Hebdomadarij celebrant ibi Sacrum, sed applicant alteri, cui libuerit fructum Missæ: non, inquam, statim damnare debuisset; nam juxta prædicta considerandum erit, qua ratione, seu quibus verbis ibi fundatores eas Missas in instrumento fundationis disposuerunt, ut sic decerneretur, approbandáne esset illa consuetudo, an reprobanda?

27. At quid, si non extet tale instrumentum, seuscriptura, unde idex ejus verbis dilucidari possit? Respondeo ex Delugo *de Euch.* 21. *sect.* 1. *num.* 23. *fin.* qui fatetur, quamvis in iis, qui dant eleemosynas manuales pro Missis dicendis semper præsumitur eos velle applicationem: in beneficiis vero, vel aliis, in quibus obligatur Sacerdos ad celebrandum solum ob commoditatem eorum, qui audituri sunt Missam, facilius posse existimari quod sola Officiatura, non vero Applicatio requiratur. Hæc ille. Cui addi potest, in casu nullius scripturæ, maximè favere famam populi, (notat idem Riccius *tom.* 3. *praxis rerum quotid. Eccl. res.* 366.) ipsam Sacerdotum praxim, ipsum exemplum prædecessorum, & similia: Debuerat ergo Riccius hæc omnia considerare, nam certè, si hæc favent dictis hebdomadariis, à sua consuetudine dimovendi non sunt.

*Aliquot quæstiones circa voluntates fundantium Missas.*

28. Explicatio conjecturarum, de quibus hactenus egimus circa Fundatorum voluntates, requirit, ut ad majorem legentium utilitatem sequentes has quæstiones dissolvamus.

Quæres enim 1. Si Fundator sic disponat, *Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea*; obligabiturne Sacerdos applicare Missam pro Fundatore, an solum satis erit si pro Fundatore oret in Missa?

Respondeo, Certè posset sic intelligi, hæc enim duo applicare pro Fundatore Missam, & orare in Missa pro eodem, separabilia sunt: cum ergo unum solum exprimatur, non alius, in illud unum videbitur alicui cadere obligatio. Verum ex tanta conjunctione verborum *celebrans oret*, puto implicitè utrumque voluisse Fundatorem, donec aliqua alia circumstantia contrarium persuadeat.

29. Quæres secundò. Si fundator ita disponat, *Assigno hoc legatum ut Sacerdos celebret pro anima mea*, quot Missæ celebrandæ?

Respondeo, quot in ea Civitate celebrati solent in aliis similibus Fundationibus: Quod si in ea nullæ aliæ, præter hanc, de qua dubitamus, appareant, arbitrio prudentis juxta amplitudinem, vel parvitatem eleemosynæ, aliásque circumstantias, res decernatur. Dixi (in ea civitate) non autem dixi (in ea Diœcesi) solet enim non raro evenire, ut multum dissimiles sint ejusmodi circumstantiæ, in ampla, & locuplete civitate, quam in parvo oppido, licet ejusdem Diœcesis.

30. Adverto insuper aliud esse si sit fundatio Capellaniæ vel Beneficij, aliud, si sit merum legatum Missarum. In Capellania enim, & Beneficio propter alia onera Altaris, & officij, pinguius solet assignari stipendium Sacerdoti, quam in mero legato Missarum, pro quibus communiter solum dari consuevit stipendium, quod est inductum, vel taxatum in tali Diœcesi.

31. Quæres tertiò. Si fundator ita disponat, *Assigno hunc censum, ut Sacerdos teneatur assidue celebrare*: celebrandúmne huic erit quotidie, an satis erit frequenter dumtaxat? Respondeo. Cenedus *in simul.* 14. illud

(*assidue*) interpretatur, *frequenter*. At ex alia parte *c. Significatum de prabendis*, pro eodem accipitur *quotidie* & *assidue*. Melius igitur erit perpendere, an census sit pinguis, an moderatus, an per similem censum in eo loco multæ, an paucæ Missæ celebrari solent; an sit Capellania, seu Beneficium, an merum legatum, his enim, & similibus consideratis illud à prudenti decernatur, quod verisimilius est Fundatoris fuisse voluntatem.

32. Quæres Quartò. Si Testator sic loquitur: *Sacerdos meus celebret per annum integrum*, nec addat aliud, obligabitur ne Sacerdos singulis diebus celebrare, an solum frequenter in toto anno? Respondeo. Si per illud, *celebret per annum integrum*, poneremur in dubio, an Testator voluerit Missas quotidianas per annum continuum, an vero solum frequenter; certè ad hoc secundum, quod est minus onus teneretur Sacerdos, quia ex Molina *tract. 2. d. 198. §. Si res*, Sanch. *in Decal. lib. 4. cap. 14. num. 8.* habemus sufficere quod legatum dubium observetur secundum minus: at certè mihi ex ipso modo communi loquendi videtur illud, *celebret per annum integrum* sine dubio significare per annum integrum, nullo die dempto, atque adeo continuo.

33. Quæres Quintò. Testator disposuit, ut die primo Lunæ Mensis recitaretur Officium defunctorum in tali Ecclesia, celebrarentur ab ejusdem Sacerdotibus centum Missæ, assignato pingui stipendio. Accidit, ut dicto die sive ex legitima Sacerdotum penuria, sive quia incidit dies festus solemnis (quo casu potius esse anticipandum Officium, & Missas defunctorum, quam postponendas ut scilicet celerius adsit auxilium animarum rectè monet Fraxinellus *de oblig. Sac sec. 3. præcept. 5. §. 6. num. 3.*) accidit, inquam, ut tali die non potuerit expleri Testatoris voluntas, poteruntne alio die eas Missas, & officium celebrare Sacerdotes prædictæ Ecclesiæ, & si adhuc duret penuria Sacerdotum, celebrari continuatæ Missæ in sequentibus diebus, & sic lucrari prædictam pinguem eleemosynam? Iuvat id scire, tum propter conscientiam: tum quia Hæredes, qui pecuniam debent, contendunt aliis Sacerdotibus tale Officium committere.

34. Respondeo, posse Sacerdotes, Ecclesiæ à Testatore designatos diebus sequentibus successivè celebrare, & sic lucrari illud pingue stipendium. Ratio est, quia admittitur ferè ab omnibus ea doctrina: quod quando legatum aliquod pium non potest impleri in specie, impleatur modo magis simili, & conformi dispositioni Testatoris: Ita Sanch. *lib. 4. conc. cap. 2. dub. 6. num. 2.* ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de reform.* & *l. legatum. ff. de usu, & usufruct. legati.* Cum ergo in casu nostro magis conforme, & magis, ut ita dicam, vicinum menti Testatoris sit, ut Missæ ab iisdem, quibus in illo pingui stipendio voluit gratificari, celebrentur, & in eodem Templo, solo Tempore mutato, quam ab aliis in alio Templo, illud erit præstandum, non hoc.

Atque hæc de præsenti argumento dixisse sufficiat, nam casus alios similes prudens Lector solvere ex se ipse poterit.

### *An ratione diei festi aliquid plus recipi possit pro Missa.*

35. DUbitabis Quintò. An die festivo Sacerdoti liceat pro Missa aliquid plus, quam sit consuetum accipere.

Respondeo ante hoc Decretum licuisse. Ratio esse poterat, quia, licet Missæ stipendium non sit proprie pretium, ne incidamus in Simoniam, non est tamen dubium regulari proportionaliter debere ad illius normam: sicuti igitur, nullis emere volentibus, rerum pretia decrescunt, crescunt, ementibus multis, ita, quia die festivo multæ Missæ appeti ad commoditatem populi solent, mercede, ut ita dicam cariore, dignus erit operarius Missæ.

Confirmatur primò, quia Mediolani dabatur tas Sacerdotibus accipiendi die festivo duplum, solent die feriato. Ita *in Syn. Diec. Med.*, lege *de jure Ab. tom. 2. disp. 5. quæst. 9. num. 15.* Et taxatum erat stipendum Missæ feriatæ duodecim dos ultra eandem ceram. Festivæ autem viginti Ita *in Syn. Cremon.* apud Marchin. *de ord. tract. num. 2.*

Confirmatur secundò; quia eandem facultatem probaverat Sacra Congregatio alicui à Bonacina *Sacr. disp. 4. q. vlt. pun. 8. num. 13.* qui testatur se Congregationi interfuisse, idemque consuluisse, tissimum fundamento, quia si licet augere pro Missa solemni, idem licebit pro Missa de lemnis.

Noto tamen hoc fundamentum nisi aliud infirmum esse: Missa enim solemnis majori labore annexae, quam privata, ideo majore de digna, id quod non est in Missa privata lemnis.

36. Hæc ante Decretum. Quid post illud? *p. 2. tract. 14. res. 9.* docet opinionem prædictam scilicet possit augeri stipendium Missæ, ratione stivi, damnari hoc decreto Sacræ Congregat Verum Marchinus *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 16.* qui scripsit post hoc Decretum, absolutè appro eandem prædictam opinionem, videtur & merito putasse hoc Decretum sibi contrarium. Scio in creto prohiberi duplicatum stipendium pro unis sed profectò accipiens plus pro Missa festiva, pro feriata, non accipit duplicatam mercedem unam, & quidem justam pro festiva: quod fatet duplicatam pro feriata, sicuti recipiens plus, pro ta, seu solemni, justum recipit, quod esset excedens injustum, pro privata.

37. Nihilominus temperanda est hæc sententia, post Decretum, tum ante. Missa enim diei Fabr test à te duplicato stipendio exposci, vel quod plicationem dumtaxat, vel quod etiam ad officium Si pro sola Applicatione, non potes aliquid plus pere. Si pro Officiatura, potes. Ratio differentiæ quia pro sola Applicatione, non video unde ex majus possit stipendium; siquidem Applicatio festivæ, est semper eadem cum applicatione diei tæ, quoad omnes circumstantias, quæ nunc in siderationem cadunt, quæ quidem Circumstantiæ satis diversæ, respectu Officiaturæ: quia hæc exposcitur in festivis diebus, quam in feriatis majorem tunc commoditatem populi, majusque Ecclesiæ, & eius Rectoribus conferat. Quam immerito Prælati stipendium maius, pro ipsa, festivo, quam Feria, ut vidimus supra, taxare verunt.

38. Idem proportionaliter dic cum Lezzan. *num. 23.* de Missa cantata, potes enim pro eius Officiatura plus accipere v. g. duplicatum, vel etiam tum stipendium juxta mensuram laboris, non vero Applicatione, quia labor cantatæ est varius, & major, at Applicatio est una, & eadem in cantata est in quacunque ptivata.

### *An aliquid ultra solitum stipendium accipi possit fructu ex opere operantis.*

39 Hurtadus *de Sacrif. Miss. disp. 3. diff. 8. sec. diff. 4. disp. 15.* sequens Ægidium Coninch. *de Sacr. art. 1. dub. 10. num. 195.* docet celebrantem non te danti stipendium, applicare Sacrificium, nisi quoad ctum ex opere operato, non vero quoad fructum ex opere operantis: unde Sacerdotem non habere gationem orationes, & alia, quæ in Missa fiunt, eodem, offerendi. Ratio est, inquit, quia dans pendium solum exigit illum fructum priorem,

vero hunc posteriorem; alias non satisfaceret Sacerdos, quando ex malo fine celebrat, tunc enim nullus adest fructus ex opere operantis, ex quo sequitur, posse Sacerdotem aliquid plus accipere si hunc fructum ex opere operantis promittat, ad quem dandum ex vi soliti stipendij non obligatur.

40. Sed profectò hæc sententia, nullo modo est approbanda quia quamvis fructus operis operati sit propius, & potissimus Sacrificij, qui potissimum exigitur; exigitur tamenetiam, & minus principalis, qui est fructus operis operantis. Cuius rei ulterior ratio est, quia communis sensus hominum petentium, vel injungentium, vel voventium Missam, est de toto valore ejusdem, sine ulla distinctione, qualis nimirum potest haberi à tali Sacerdote, qui celebrare debebit. Habe exemplum. Emit quis à Domino fructum v. g. duorum annorum prædij: totus fructus ementi debetur, sive multus, quando ex bona dispositione terræ seu opportunis pluviis annus est ferax, sive exiguus quando est sterilis Ita proportionaliter, quando Fideles exposcunt Missam à Sacerdote totum ejus fructum exposcunt, sive multum, sive ex aliquo accidenti aliquantulum deficientem, juxta dispositionem, scilicet, in qua invenitur Sacerdos, dum celebrat.

41. Quando ergo ex malo fine, & in peccato quis celebrat, dat, quod exigitur, quia exigitur secundum suam dispositionem, quam habet, quando ex bono fine, & magna gratia celebrat, dat item, quod exigitur, quia exigitur secundum suam dispositionem, quam pariter habet. Nam propterea rationabiliter Fideles, sollicitè quærunt Sacerdotem bonum, quia magis tunc lucrati propter dictum fructum ex opere operantis, meritò putant. Ita Fagund. alios citans *præcep. Eccl. 1. l. 3. c. 6. num. 22.*

42. Hic obiter resolve, Sacerdotem excommunicatum vel suspensum posse retinere stipendium suæ Missæ, si (quamvis cum peccato, & pœna irregularitatis) pro aliquo celebret. Ratio est, quia cum ipse validè Sacrificium offerat, est enim Sacerdos, dat petenti Missam, totum valorem ex opere operato, valorem vero ex opere operantis non se obligavit dare, nisi sit, & quatenus illum ipse habet, ut modo diximus de Sacerdote existente in peccato. Ita Coninch. *de Sacr. q. 83. num. 104. juncta disp. 14. de centur. n. 35.*

### *An pro Impetratione unum, pro Satisfactione alterum stipendium, accipi valeat.*

43. Dubitabis sextò, an possit Sacerdos recipere unum stipendium pro fructu Impetrationis, quam applicet v. g. Petro, & alterum pro fructu Satisfactionis, quam applicet v. g. Paulo.

Respondeo Quod hi fructus separabiles sint certum est, ut patet ex supradictis *lib. 2. cap. 2. §. 1.* Quare ergo sine dubio Missam votivam v. g. Beatissimæ Virginis celebrando, possum applicare uni vim impetrativam, ad obtinendum à Deo aliquod Beneficium, & alteri totam vim satisfactivam pro pœna ejus peccatis debita.

44. Certum item mihi est, quod si quis expressè consentiat velle solum unum fructum, ex his possis accipere aliquid ab alio ob alterum fructum, ad quem hic etiam consentiat; volenti enim, & consentienti nulla fit injuria, ut in simili diximus supra *n. 8.*

45. Sed quando quis absolutè, & nihil se explicando petit Missam votivam v. g. Beatissimæ Virginis ad aliquod Beneficium impetrandum, quale est salus filij, potestne Sacerdos huic tribuere totam prædictam vim impetrandi reservata sibi vi satisfaciendi, quam, alio accepto stipendio, alteri indigenti v. g. defuncto dare possis; Hoc scilicet, est. quod hic quærendum proponitur.

46. Concedebat olim ut non improbabile Petrus Navarr. *lib. 2. de rest. cap. 2. dub. 6. num. 243.* aliique apud Marchin. *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 16. num. 17.* quia si separabiles sunt ejusmodi fructus separatim eos dare & propter eos separata stipendia accipere cur Sacerdos non possit; Negabat ex sua sententia idem Navarr. Bonacina, Rodriquez, aliique apud Marchinum *ibid. num. 16.* cum quibus sentio, multo magis, nunc, post præsens Decretum Sacræ Congregationis. Ratio præter dictum Decretum, ducitur ex sensu consueto petentium Missam, qui (nisi contrarium explicent, vel ex aliqua circumstantia contrarium colligatur,) est, ut utrumque fructum sibi acquirere velint.

47. Solum concederem, promittentem ex liberalitate uni Missam pro salute filij v. g. posse alteri eandem promittere pro Satisfactione pœnarum. Ratio est, quia cum id non faciat ex stipendio, quod totum Missæ fructum requirit, satis est si illis det id quod absolutè ex intentione sua, & acceptatione alterius promisit; promisit autemuni Missam formaliter prout Impetratoriam, alteri prout Satisfactoriam.

48. Quid ex voto; certe nec est impossibile te votum quod emisisti celebrandi sacrum ob actionem gratiarum de salute v. g. tui fratris obtenta, posse implere cum eadem Missa, quam alteri, ex liberalitate dones pro Satisfactione pœnarum, & è contra. Ratio est eadem dicta, quia satisfit formaliter intentioni promittentis & acceptantis.

### *An maior Devotio in celebrando, vel orationes alia extra, vel intra Missam, Ius ad maius Missæ stipendium conferant.*

49. Dubitabis septimò. An si quis alias orationes, & suffragia Missam extra applicet ei qui stipem dedit pro Missa vel magno, & extraordinario affectu ipsam Missam celebret, possit recipere plura stipendia, vel talia, quæ, morali iudicio, adæquent illas orationes, vel affectum.

Respondeo. Non posse; quidquid dixerint aliqui antiquiores, Palud. *in dist. 45. q. a. 2. concl. 5.* Sylvest. *v. Missa 1. quæst. 10.* Adde Comitolum *in Resp. mor. l. 1. de Sacr. q. 42 num. 24.*

Ratio est quia qui Missam exposcit, fructum ejus ex opere operato, & operantis exposcit. Quare si eas orationes eumque extraordinarium affectum addas, quamvis laudabiliter addas, tamen addis contra conventionem, & ideo stipendium tibi non debebit is, qui id à te non petiit. Secus si invitus, & nolens, illud quod nequaquam vult solvere cogeretur.

48. Multò magis displicet sententia Bordoni *ref. 25. num. 13.* apud Lezzan. *v. Missa, n. 18.* putantis, posse Sacerdotem accipere duplex stipendium, unum pro applicatione Missæ, alterum pro applicatione Indulgentiæ si Missam dicat in Altari privilegiato (poterat & addere, vel cum calculo Benedicto) cui concessa est liberatio animæ à Purgatorio. Displicet, inquam, quia, vel offerens tantam stipem petit talem indulgentiam, vel non: si primum, iam ex conventione debes & indulgentiam: si secundum, non potes accipere mercedem de re non conventa. Adde id certè esse contra intentionem Pontificum tales indulgentias concedentium, qui multum abhorrent ab hujusmodi sordidis negotiationibus.

49. Illud non reprobarem. Nam si quis à te petat, ut aliquam Collectam, quæ in Missis v. g. ferialibus tu ex voluntate tua potes apponere, vel petat, ut in Missa pro se particulariter ores in *Memento*, conscius quod cæterum totam Missam alteri ex obligatione applices, puto te stipendium integrum, si integrum, vel etiam majus elargiatur posse recipere. Ratio est, quia tunc in nihilo defraudas eum, cui Missam debes, neque pro Missa, ejusque necessariis partibus, seu pro fructu ex opere operato, & operantis, stipendium duplex accipis, & ex alia parte dans tam excedentem

eleemosynam liberaliter dat, quam dari certè ab aliquo nunquam prohibetur.

*An pro una Missa, plura à pluribus exigua stipendia usque ad iustam mercedem accipi possint.*

50. Dubitabis Octavò, cui ob Missæ applicationem datur stipendium minus, quàm sit lege, vel consuetudine taxatum, an possit tantum accepere ab alio quantum sufficit ad justam unius Missæ eleemosynam, & deinde unica Missa, vtrique satisfacere? Respondeo præscindendo ab hoc Sacræ Congregationis Decreto, posse. Ita Rodr. Nugnus, Vasq. Filliuc. Scortia? apud Deluge *disp. 20. de Euch. sect. 2 n. 26.* Ratio est, quia non est defraudandus Sacerdos sua justa mercede, supponimus enim Sacerdotem accipiendo illud exiguum, iuri suo nequaquam cessisse.

51. Quod si expressè suo iuri cessit, atque expressè acceptauit se ob illam tenuem stipem velle totam Missam applicare, non posse ab alio quidquam recipere, communis doctrina est; Ita Corduba aliique apud Dianam *part. 2. tract. 14. resol. 7.* Marchin. *de ord. tract 3. part. 2. cap. 21. num. 5.* Quia, tunc, suo pacto, cui semper standum est, se ad totam obligavit, iuri suo cedendo.

Suarez tamen *de Sacram. disp. 86. sect. 4. § Vnde consequenter*, etiam in hoc casu posse concedit Sacerdoti pauperi, in uno eventu; quando scilicet coactus paupertate consentit, hic enim poterit ab iniusto pacto resilire séque indemnem servare. *Sicut* (inquit) *famulus, seu operarius, cui digna merces non tribuitur, potest damnum suum resarcire, etiamsi à principio ob paupertatem coactus sit pro iniusto, & inæquali pretio paciscì: & sicut, qui ob necessitatem cogitur emere triticum, pretio injusto, potest sine injustitia, alia via se indemnem servare.* Sed de hac doctrina, & exemplis dicam separatim *à num. 57.*

52. Hæc præscindendo à Decreto *de celebratione Missarum.* Quid eo iam posito; Delugo *loc. cit.* Diana, Marchin. *loc. cit.* Tamburin. *de iure Abb. tom 2. d. 5. q. 9. n. 11.* timent Decretum, atque adeo docent Sacerdotem recipientem à fideli exiguam quamlibet stipem, pro Missa, totum ejus fructum pro ipso applicare debere; ni id faciat, teneri ad restitutionem.

53. Nihilominus puto adhuc posse. Favent innominati apud Marchin. *dicto num. 5.* Nec timendum Decretum, (concurrentibus tamen conditionibus *n. 66.* dicendis,) cum nobis contrarium non sit, quia non est credibile voluisse Sacram Congregationem fraudare Sacerdotes iusta mercede. Expendamus breviter verba Decreti, *Deinde*, (inquit) *vbi plura stipendia quantumvis incongrua, & exigua collata fuerint Sacerdotibus, præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.* Hæc Sacra Congregatio. Vbi noto primò, illud (*ad rationem attributæ eleemosynæ*) nam significat Missas celebrari debere, non sicuti ab offerente absolutè præscriptæ sunt, sed sicuti ab eodem, juxta rationem, & competum datæ eleemosynæ præscriptæ sunt. Cum igitur eleemosyna non sit data nisi limitate, limitate debebitur applicatio Missæ.

54. Quando ergo, ut vidimus §. 1. *num.* 31. Congregatio respondit se loqui de præscriptione facta ab offerente, non vero facta ab Ordinario, solum explicuit personas, quæ facere debeant præscriptionem, non vero ad quam ratam, quia hanc fieri debere, ad rationem eleemosynæ datæ, dixerat in Decreto.

55. Quando item *num.* 32. præcipit ut ad stipendia quantumvis incongrua, & exigua etiam, data ab una persona Missæ præscriptæ celebrentur; præcipit quidem ut celebrentur Missæ ad eleemosynam præscriptam, sed juxta ratam, seu adrationem dictæ eleemosynæ, non vero ad merum arbitrium dantis. Scio explicationem aliorum, quos tacito nomine affert Marchinus *de ord. tr. 3. p. 2. cap. 21. num. 5. fine*, sed nostra est magis ad [illegible] magisque favet Sacerdotibus.

56. Noto secundò illud (*sua obligationi non sa[tis]re*) vbi, per suam obligationem non intelligitur quæ erat ante Decretum, hæc enim erat sua Sacerdotum obligatio, & Decretum solum illa minit, illámque inculcat, non vero inducit. Quia ergo ante Decreti promulgationem Sacerdotes obligatione non astringebantur; nec in præsens stringentur.

*Examinatur Doctrina Suarij de promittente minus stipendio Missas.*

57. Sed age per hanc occasionem, eam Suarij nam *n. 51.* traditam, duobus exemplum ab eo paupertatem, seu necessitatem aliquid invitus pa[ti] expendamus; nam sic facilior ad propositæ Quæ solutionem sternetur via.

58. Dico Primò. Qui ob necessitatem cogitur triticum pretio iniusto, potest alia via se indemnem vare. Ratio est, quia injustè venditor agit, debe[t] tare eum, qui ob necessitatem emit, verè non co[gi]tali pretio, ad quod extorquendum, idem vendi[to]lum titulum habet.

59. Dico Secundò: Famulus, seu operarius, paupertatem cogitur minori, quam sit justum pr[e]suum famulatum vendere, nunc regulariter, in multitudine servorum non potest se occulte nem servare, damnúmque suum contra Domi[num] sarcire. Vide Valerium *de diff. vtriusque fori c.* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 25. diff. 13. num. 6.* Ratio quia Dominus damnum patitur causa huius fra[ud]alium conducat, qui minori pretio serviat, ut ma[i]ret Dominus, quod hic famulus se occulte relinq[ue]let, non de illo, sed de alio in tanta multitudine [se]rum sese exhibentium provideret; qua igitur [in]famulus occultè à Domino surripiat illud, quod [ei]no alius remitteret, nisi ipsemet famulus sua [ne]lenta exhibitione impediret? Vnde quia famulus fuit causa damni emergentis in Domino, obligat Dominum indemnem servare, & consequenter famulus indemnem se contra Dominum servare poterit.

60. Dixi autem (regulariter in tanta multitudine servorum) nam si quando tale damnum non patitur Dominus; quia scilicet alium servum minori pretio famulantem non inveniret, non erit famulus [in]mercede defraudandus. Ratio est, quia licet inhi[bi]egerit, mendicioque dixerit se contentum esse [ta]illo pretio, tamen de facto vendidit suum famu[lat]dignum tanta illa mercede; & ex alia parte [pa]quod Dominus voluit famulatum illum emere, [ha]plicitè ad justum pretium obligavit, nec ullum [da]num, dum hunc famulum acceptat, patitur, [ut] nimus, Dixi *de facto vendidit*, nam famulus [po]tit aliqua obsequia gratis, animóque liberali, [ve]charitate, vel ex pietate, non potest deinde [mu]re voluntatem, unde nec petere ex justitia, nec facere poterit compensationem. Bonacin. *de Cens. de loc. & cond. q. 7. part. 4. num. 2.* Ratio est, quia legitimè Dominus possidet illum famulatum, [ut] bi liberaliter exhibitum, seu donatum, ergo [de]juste nequaquam potest. Lege Molin. *de contract. di[sp.]* Fagundez *de contract. lib. 5 cap. 16.* Less. *lib. 2. c[ap.] dub. 18.*

61. Quæ *num. 59.* de servo diximus, vide ex [qu]Rebellus *2. part. de obl. iust. cap. 5 §. 1. dub. 10. num.* qui fatetur esse injustitiam ex parte famuli, [qui] do deceptio est alicuius momenti, & Dominus erat illam contracturus, etiam pretio infimo, adeo in compensatione diminuendum esse aliquid justo stipendio, etiam infimo, ratione injustæ, [de]damni sequuti Domino, ob illam fraudem. Sed

fecto id consequenter non est dictum, nam si fuit vera injuria, ( ut Rebellius fatetur, ) ex parte famuli non solum diminuendum aliquid est, sed totus ille excessus, quem Dominus propter illam injuriam cogitur solvere supra id, quod promiserat, debet restitui, seu à famulo non accipi, cùm totus ille excessus sit damnum sequutum Domino propter illam deceptionem injustam, ut jam *dicto num.* 59. diximus.

62. Dices pro Suario, cum Delugo *de just. & jur. tract.* 1. *d.* 16. *sect.* 2 & 3. *num.* 82. posse sibi hunc famulum integrè resarcire, *quia ipse non cogit ullo modo Dominum ad contrahendum, sed ipse liberè contrahit, & eo ipso vult subire obligationem, quæ intrinsecè inest contractui, ut scilicet fiat cum æqualitate pretij justi. Sicut quando in necessitate petis mutuum promittendo usuram, non decipis injustè mutuantem, nam ipse potest liberè non mutuare: si tamen dat mutuum, eo ipso obligat se ad servandas leges intrinsecas mutui, & ad non accipiendam usuram. Quare non debes etiam quoad partem illi usuras dare propter fraudulentam promissionem, qua induxisti illum ad mutuum, quia mutuans ad nullam usuræ partem jus acquirere potuit, sed eo ipso quod voluit mutuum dare, voluit servare æqualitatem naturalem intrinsecam mutuo, de cujus intrinseca ratione est dare sine lucro. Sic etiam qui in necessitate vendit infra justum pretium, non privatur etiam quoad partem, jure suo ad totum pretium, ad hoc enim voluit se implicitè obligare emptor eo ipso, quod liberè voluit emere, quod idem in conductione dicendum est, cum sit eadem prorsus ratio.*

63. Hæc Delugo, quæ certè vera sunt, si solum ipsum contractum emptionis, vel conductionis nude spectemus; posito enim, quod Dominus servum conducit, vel emptor merces emit, se justo pretio emere, vel conducere tacitè consentit, & id locum omnino habet, ut modo dicimus, si quando Dominus causa servi, vel emptor causa venditoris nullum damnum patitur; at in casu nostro cum Dominus injustum damnum patiatur, non conducendo alium servum, qui gratis, vel minori pretio liberaliter serviret, poterit Dominus se compensare contra hunc famulum causam damni. Quare famulus potest se resarcire quantum est ex vi contractus: Dominus, quantum ex vi damni accepti; sed prævalet Dominus, quia ipse damnum patitur à famulo, sicuti mercator ex vi contractus mutui non potest exigere quidpiam ultra mutuatam pecuniam; at si à tali mutuo damnum sibi emergit; vel lucrum cessat, certè non ex vi contractus mutui, sed ex vi damni sequuti juxta debitas regulas, quantum sua interest, exigere potest.

64. Ad exemplum de usurario facilis est responsio: tu enim quando mutuum petis, promittendo usuram nullo modo es causa injusti damni usurario, nec illum injustè decipis. Non enim hic habet jus extorquendi solutum nec à te, nec ab alio: at Dominus habet jus acceptandi famulatum alterius gratis servire volentis, unde injustè decipitur à servo à cujus mendaci promissione allectus, reliquit illum nullo, vel minori pretio servientem: Quid enim est injustè decipere, si hoc non est?

Simile quid dicendum, circa aliud exemplum de vendente infra justum pretium: nam si dictus vendens est causa injusti damni in emente, qui emeret alibi minori illo pretio, vel rem illam sibi forte inutilem non emeret, & deceptus, atque adeo invitus emit, non potest dictus vendens decipiens se rasarcire; id enim convincit ratio inducta *n.* 63.

65. Atque ex his confirmantur ea, quæ diximus *num.* 51. de emente triticum injusto pretio: hic enim non est causa injusti damni in vendente, cum vendens nullum jus habet vendendi maiori illo pretio, jam enim injustum supponimus, & ideo emens poterit contra ipsum occultè, si aliam viam non habet, sibi compensare.

66. Dico Tertiò, in quæstione nostra, de expressè Missam promittente ob paupertatem, minori stipendio quam soleat, esse omnino juxta prædicta distinguendum; nam si offerens tenuem eleemosynam invenisset alium ( quod ex conjecturis verbi gratia, ex paucitate, & mumerositate Sacerdotum ac petentium Missas, vel simili colligendum erit) qui minori illo stipendio celebraret, non poterit Sacerdos se indemnem servare, applicando offerenti partem fructus Missæ: si non invenisset, utique posset; & de hoc posteriore solum loquutum esse Suarium existimandum est: cujus doctrinæ ratio est iam dicta, quia nimirum in priori casu Sacerdos promittens est causa injusti damni, in posteriore non item.

*An fructum Missæ specialissimum possit Sacerdos habita mercede alteri concedere.*

67. Dubitabis Nonò, an Sacerdos possit accipere aliquid plus, quam sit justum stipendium, ex eo quia fructum, qui ipsius Sacerdotis est, & specialissimum supra §. 3. *num.* 3. appellavimus, applicet ei, qui illud plus offert.

Respondeo Aliqui concedunt, atque addunt, fructum specialissimum trium Missarum æquivalere fructui medio unius Missæ: atque adeo dignum esse integro stipendio. Sic Molphesius apud Dian. *p.* 2. *tract.* 14. *res.* 14. *de jur. Abb tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 9 *n.* 17. aliique. Ratio est ( inquiunt) quia fructus specialissimus est alteri applicabilis, ergo si applicetur, dignus est sua mercede. Antecedens probatur paritate; quia omne aliud opus bonum, imò & ipsa Sacra Communio, omniumque Sacramentorum participatio, si non qua meritoria sunt, certè qua satisfactoria, alteri applicari possunt. Cur ergo non & fructus satisfactorius Missæ specialissimus? Confirmatur, quia fructum medium Missæ qui dari solet aliis, sibi potest applicare Sacerdos, ergo etiam fructum specialissimum, quem sibi applicare solet, poterit applicare aliis.

68. Nihilominus alij meritò negant. Ita Suar. *de Sacramem. disp.* 79. *sect.* 9. *fine*, Delugo *de Euchar. d.d.* 11. *sect.* 2. *num.* 33. Ratio ( præter hoc Sacræ Congregationis Decretum multum negantibus favens) est, quia quod talis fructus sit alteri applicabilis, est res satis incerta: fideles autem, cum afferunt stipem certam, non sunt fructu incerto satisfaciendi. Adde ejusmodi fructum specialissimum fortasse ex instituto Christi ita non posse alteri applicari, sicuti fructum generalem non posse applicari aliis, diximus supra §. 1. *num.* 3.

69. Ad rationem Adversatiorum, neganda est paritas, orationes enim cæteræ, & participationes Sacramentorum possunt applicari aliis quoad fructum operis operantis, hic enim fructus est veluti in dominio operantium. At fructus specialissimus, de quo loquimur, est fructus ex opere operato, quem fructum ex opere operato, sicuti in casu nostro, sic in dicta participatione Sacramentorum, an Christus ita instituerit, ut mera voluntate nostra aliis applicari possimus, divinare potius possumus, quam pronunciare. Quis enim scit, quod talis fructus sit sicuti fructus generalis Missæ, qui applicari non potest alteri, an vero sicuti medius, qui potest?

70. Ad Confirmationem respondeo negando consequentiam, nam quod fructus medius possit sibi, & aliis à Sacerdote applicari, habemus ex praxi perpetua Ecclesiæ, & sensu omnium fidelium: at quod similiter se habeat specialissimus, non habemus.

71. Dices: Adversariis satis esse eorum sententiam esse probabilem; ut prudenter se gerant; Neque enim fidelis Sacerdos obligatur dare fructum certissimum, ad quem nullo modo se obligat, sed probabilem dumtaxat. Resp. negando eam opinionem esse probabilem, est enim satis dubia, & incerta, ut patet ex solutione

funda

fundamenti ipsius, quod nihil habet, nisi duas paritates; quibus facili negotio afferri disparitas à obis potuit.

*Quando contra Hæredes agi possit pro stipendio Missarum, de quibus testator disposuit.*

72. Dubitabis Decimo. Quando testator, seu fundator legat, vel præscribit aliquot Missas, quid juris habeat Sacerdos vel Ecclesia contra hæredes petendi justum stipendium.

Respondeo: quatuor modis in hoc se habere potest testator. Primo, volendo tot Missas, de stipendio autem mentionem non faciat, & tunc potest Sacerdos vel Ecclesia agere coram Episcopo contra hæredes, de stipendio, secundum consuetudinem Regionis, justo; & Hæres juxta vires hæreditarias erit obligatus, illud assignare, ut constat ex dictis in responsione Sacræ Congregationis à nobis allata supra §. 1. *num.* 34. Si autem Hæreditas non sufficiat, quod recurrendum sit ad Pontificem; satis §. 2. *à num.* 1. explicuimus.

73. Secundo modo se habere potest testator, si velit tantam pecuniam, verbi gratia, aureos centum expendi pro Missis, sed modicum Missæ numerum taxet, verbi gratia, decem, ita ut superabundet pecunia: & tunc nisi aliud ex circumstantiis constet, censetur velle legatario liberaliter excessum concedere, beneficiumque, seu Capellaniam pinguem velle fundare, & sine dubio ad totam pecuniam subministrandam cogi debent hæredes. Idem dic, si testator relinquat prædium pro paucis Missis, quod processu temporis sufficeret ad plures, nisi tamen, ut dictum est, ex circumstantiis, vel verbis testatoris colligatur, velle, aucto Prædio, augere & numerum Missarum, de qua re iterum redibit sermo *à n.* 92.

74. Tertio modo posset testator velle, ut tanta pecunia expendatur pro Missis, sed numerum Missarum non taxat. Tunc, ut ex dictis supra *hoc* §. 2. *num.* 1. constare potest, numerum Missarum taxare licebit Episcopo, nec nisi ad assignatam, ut ex se patet, pecuniam obligabuntur Hæredes.

75. Quarto modo posset testator tot Missas præscribere, sed assignare pecuniam tenuem, & insufficientem, & tunc communior sententia docet in eo solum casu ab hæredibus deberi supplementum, quando testator principaliter intendit ipsas tot Missas, & consequenter tunc solum compelli hæredes ab Episcopo posse. Ita Bart. Surd. Mantic. aliique apud Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 1. *num.* 36. Vasq. *in Opusc. de Testam. c.* 8. aliique. Ratio est, quia tunc Testator præsumitur in animæ suæ commodum voluisse omnino bonum illud spirituale, quacumque impensa, data capacitate hæreditatis.

76. Illud igitur, in hoc quarto modo remanet, & quidem difficile explicandum, qua ratione dignoscere valeamus, quod Testator intendat principaliter tot determinatas Missas, quando ejus verba sunt ambigua, nec facilè appareat, quid principaliter intendat, ot Missas, ne celebrari, an tantam, & non majorem pecuniæ summam in Missis insumi; si enim verba essent clara, nulla investigatione indigeremus, sed mens Testatoris, ad unguem esset servanda.

77. Variæ Regulæ traduntur à Doctoribus modo citatis. Illa inter cæteras, ut melior excipitur, quæ est communis in similibus dubiis dispositionibus. Quando testator demonstrativè apponit quantitatem pecuniæ, quâ pro Missis assignat, tunc principaliter intendit tot Missas. Quando verò apponit quantitatem pecuniæ taxativè, tunc minus principaliter intendit ipsas tot Missas, cum principaliter solum intendat tantam pecuniam taxatam insumi, & non amplius.

78. Sed ecce iterum difficultas: ecquanam ratione id ipsum cognosci possit: Afferam breviter tres modos, seu regulas; nam fusè invenies apud [illegible] passim.

Primus modus est ille, quem ex Felino, [illegible] Castro, & Moneta tradit Marchinus *de ord.* [illegible] *p.* 2. *cap.* 22. *à num.* 7. In prædictis, scilicet, [illegible] dispositionibus esse verborum ordinem attendi, nam quod primo profertur, principaliter [illegible] Testatore, dicendum erit: quod secundo loco principaliter. Quare si primo loco dicatur, [illegible] Missas celebrandas, deinde verò approbatio pecuniæ: demonstrativè erit talis pecuniæ [illegible] tio, & principaliter tot Missæ intendentur; [illegible] non ad assignatam solam peccuniam, sed etiam [illegible] plementum obligabuntur Hæredes. At vero, [illegible] tra, primo loco assignetur tanta pecunia, [illegible] de subdatur, quot Missæ sint celebrandæ: [illegible] vè se habebit talis assignatio pecuniæ, & [illegible] minus principaliter intendentur, atque ad [illegible] gnatam pecuniam, non verò ad amplius [illegible] hæredes.

79 Secundus modus. Si legatum exprimatur [illegible] ca perfecta oratione, tunc censetur factum [illegible] si duabus, præsumitur factum demonstrativè. Verius; illa sunt verba taxativa, quæ stant perse, [illegible] sola absque dependentia aliorum verborum, [illegible] sensum perfectum ab alio quopiam distinctum [illegible] sunt demonstrativa, quæ dependent ab aliis, [illegible] non habent sensum perfectum sine illis, seu [illegible] denter ab illis. Exempli gratia. Si testator ita [illegible] tur: *Aggravo hæredem meum ad dandum Petro* [illegible] *aureos triginta ex fructibus talis fundi pro omni* [illegible] *quotidianæ.*

Hoc legatum factum est taxativè, quia [illegible] facta oratione factum est. Si vero ita dicat: *Hæredem meum ad dandum Petro aureos triginta* [illegible] *iubeo ex talis fundi redditibus persolvi pro omni* [illegible] *quotidianæ.* Hoc legatum stat demonstrativè, [illegible] ctum est per duas distinctas Orationes. Alteram [illegible] teram, *Iubeo ex talis fundi redditibus persolvi pro* [illegible] *Missæ quotidianæ.* In priore ergo dispositione, [illegible] te, seu imminuto fundo compelliter hæres ad [illegible] plementum, in posteriore non compelliur. In [illegible] nus, Gavant. Sanch. Bonacin. aliique citati à [illegible] chin. *de ord. tractat.* 3. *p.* 2. *cap.* 22. *num.* 6. [illegible] probat.

80. Vterque ex his modis suis difficultatibus [illegible] catur, ex quibus se extricare, dum Iurisperiti [illegible] mitationibus, & sublimitationibus quærunt, [illegible] stram minus reddunt expectam. Continent bonas [illegible] ctrinam, non inficior, & ad Testatoris mentem [illegible] dagandam conducunt nonnihil aliquando, sed [illegible] omnino satisfaciunt. Primo enim in utroque [illegible] res à Notario, seu Scriba dependebit, qui vel [illegible] oratione, vel multiplici, vel priore, vel posteriori [illegible] co, legatum, suo arbitratu, & sine ullo delectu [illegible] bere solent. Secundo quia ex primo modo, [illegible] quod si ita loquatur testator, *Volo decem Missas* [illegible] *quinque Iuliis dandis*; Missæ decem sint omnino [illegible] cendæ, quacunque expensa, quia primo loco [illegible] feruntur. Si verò ita, *Pro quinque Iuliis volo* [illegible] *Missas*; Non decem, sed quinque sint celebrandæ, [illegible] quia proferuntur secundo loco, quod tamen [illegible] credibile est, quia prorsus in utraque dispositione [illegible] dem videtur esse testatoris mens. Tertiò, quia [illegible] do modo non absimile quid incommodum [illegible] Ego profecto non sum tam perspicax, ut possim [illegible] dignoscere rationabile discrimen. Nonne idem [illegible] nat (*aureos triginta ex fructibus talis fundi iubeo* [illegible] *solvi*) & (*aureos triginta, quos iubeo ex tali fundo* [illegible] *solvi*) cur igitur in una dispositione hæredem obligat [illegible] in altera non item?

81. Putant igitur Tertio alij (sed ipsi videritis) [illegible] probandam esse Brixiani opinionem (quam etiam [illegible]

ponunt Berous, & Guido Papa apud March. *de ord. tract. 2. part. 2. cap. 12. num & 2.*) docentis, ubi Testator meminit quantitatis solvendæ pro Missis, (idem dicunt in similibus dubiis dispositionibus pro quacumque materia) quamvis quantitas sit insufficiens ad dispositas Missas, non teneri Hæredem, nisi ad quantitatem assignatam, & nullo modo ad supplementum. Ratio est Primo, quia ex quo testator meminit quantitatis pecuniæ, præsumitur illam principaliter, & taxativè voluisse, & non aliam insumi, quia talis est natura amoris pecuniæ, ut homines in similibus dispositionibus communiter mentem maximè apponant ad deliberandum de quantitate insumenda; Vnde, si assignant, multum deliberatè eam assignant, atque adeo ptincipaliter, & taxativè. Secundò, quia, ut *lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 4.* diximus, non est imponendum onus grave, nisi certò de illo constet, at nunc non certò constat, quia testatoris verba, de quibus agimus, dubia sunt. Tertiò, quia in dubio melior est conditio possidentis. At nunc Hæres eam possidet. Quartò, docent non ignobiles Doctores (Mol. Sanch. Menoch. Mantica, & Bonac *de contr. disp. 3. quæst. 17. part. 7. n. 7.* addens Sanchez esse pro hac opinione *in summa, cap. 13. n. 8.* & *cap. 15. n. 49.* licet sibi contrariam *lib. 3. de matrim. d. 18. num. 24.*) semper præsumi Testatorem voluisse gravare hæredem, quam minimum possibile est, *l. unum. ex fam. §. si rem, ff. de legat. 2.* & in dubio semper fieri interpretationem pro hærede contra legatarium, vel fideicommissarium, *l. apud. Iul § Seio, ff. de legatis 1.* nec eandem esse rationem de legatis etiam piis, ac de testamentis, cum Testamenta amplè explicanda sint, *l. in testam. ff. de reg. jur.* non ita legata, quantumvis pia. Cum igitur hic præcipuè agamus de legatis Missarum, & quidem dubiis, Interpretatio non pro legato, sed pro hæredibus facienda est, adeoque ad nihil, nisi ad assignatam nominatim pecuniam, sunt hæredes compellendi.

Hæc nobis, quæ Iurisperitorum sunt propria, rudi Minerva insinuasse sufficiat. Certè Fraxinellus *de Sacerd. oblig. sect. 4. §. 24. num. 2.* ex hoc capite, quia Testatores Communiter curant gravare suos hæredes quam minimum possunt, unde non sit certum, quod præsumi possit mentem illorum fuisse, ut aucto decursu temporis Missæ stipendio, hæredes teneantur ad augendum stipendium? colligit non esse improbabile non teneri. Esto teneri etiam, probabiliter doceat cum aliis Diana *part. 2. tract. 14. resol. 17.*

*An Hæres pro Missis legatis debeat stipendium, quod currit tempore dispositionis, an tempore executionis?*

83. Dubitabis Vndecimo, quando Testator non expressit quantitatem pecuniæ, sed disposuit ut celebrentur tot Missæ v. g. in perpetuum, si contingat tempore dispositionis fuisse majus, vel minus Missæ stipendium, quam tempore, quo actu sunt celebrandæ, tenetúrne hæres ad pretium currens, tempore dispositionis, an tempore executionis.

84. Dico teneri ad currens tempore executionis. Ita Bartol. Gevin. Monetа apud March. *de ord. tract. 3. part. 2. cap. 22. num. 9.* Ratio est, quia in tali dispositione Testator respexit principaliter ad tot Missas, ut ex supradictis constat, ergo præsumitur eas voluisse, quocunque dato stipendio, quod currit, quando dicendæ sunt Missæ, quod est tempus excutionis.

85. Illud tamen adverte, quod si hæres negligenter se habuerit, nec curaverit Missas pro anima testatoris, intra competens tempus celebrari (quod tempus si à testatore præscriptum non fuerit, quantum sit colligetur ex mox dicendis §. 9.) certè propter damnum, quod, cauſa hæredis, inferretur Defuncto, si Missæ non celebrentur: supplere omnino illud, quod deest, ut ex se patet, dictus hæres tenebitur.

*Quid fiet de Decursis non solutis antea pro Missis, sed nunc redditis?*

86. Dubitabis Duodecimo in hunc modum. Hæres quidam Testatoris, qui legavit centum aureos supra quendam fundum pro Missa quotidiana celebranda à Monasterio per decem annos non solvit talem summam, unde nec celebratæ fuere tunc Missæ, reddit nunc Monasterio mille aureos, fructus scilicet, decem annorum præteritorum, potritne Monasterium illos retinere?

Respondeo, posse cum onere celebrandi Missas respondentes decem annis; Quod superest Monasterij erit. Ratio est, quia fructus legati legatario debentur cum eodem onere, quo legati fuerunt. Ita Molina *tom. 2. de instit. d. 20. §. 2.* aliique.

87. Quid si fuerint legati Sacerdoti Capellano v. g. talis Ecclesiæ? cum enim hic unus Sacerdos occupandus sit ad explendam quotidianam Missam, quæ deinceps celebranda erit ad Missas præteritas supplendas non sufficiet.

Respondeo. Suppleat per alios, sicuti supplere etiam Monasterium per suos varios Sacerdotes, potuit, quodque superest, Capellani erit propter eandem rationem modo dictam: per illam enim pinguem eleemosynam præsumitur Testator Capellano, sicut Monasterio benefacere voluisse.

88. Vnum adverterem. Nam si redditus, seu eleemosyna legata, esset Missis adæquate respondens, hoc est, non esset pinguis seu excedens, tunc non statim prælumere oportet. Testatorem voluisse Capellano gratificari, posset enim tunc dici solum illum voluisse merum numerum Missarum. Quare si eveniret casus prædictus, quando pro Missis non celebratis redderetur magna summa, distinguendum esset. Si enim ex circumstantiis colligatur Capellano voluisse Testatorum gratificari, ut si Capellanus fuisset Testatoris consanguineus, concivis, pauper, &c. Capellano cum prædicto onere faciendi celebrare Missas nondum celebratas compereret illud ius faciendi celebrare. Sed si id non colligatur, posset hæres ex se facere supplere per alios. Ratio est, quia in priore casu, quando gratificatus fuit Capellanus, ipse jus videtur habere legati, in posteriore, solum ipsæ Missæ celebrandæ.

Si tale legatum fuit addictum loco, An reddita summa pro præteritis Missis requirat omnino, ut Missæ celebrentur in loco à Testatore designato? colligetur ex dicendis *infra c. 2. §. 1. a n. 5.*

*Quid fiat si census relictus pro Missis pereat*

89. Dubitabis Decimotertiò. Si census relictus pro Missis pereat in totum (nam si ex parte diminuatur, quomodo recurrendum sit ad Pontificem *supra §. 2. à n. 1.* vidimus) ad quid tenetur Ecclesia?

Respondeo, si cum sua culpa, tenetur, ut certum est, reſarcire totum damnū, si nulla sua culpa, ad nihil obligatur. Ita Fraxinell. *de oblig. Sacerd sect. 4. n. 27.* Ratio est, quia Ecclesia obligatur propter stipendium, & sub illo Testator eam obligavit: at hoc iam deest ergo, &c. Sanè ita accidit in Beneficio quocunque, quod datur propter Officium pereunte enim fructu Beneficij, cessat obligatio ad officium. Nec tunc est recurrendum ad ullum Superiorem, si enim periit census, ad quid moderatio petenda erit?

*Quid si non pereat, sed minuatur census, & non possit adiri Pontifex?*

90. Dubitabis Decimoquartò. Quid si ita diminuatur propter aliquod caput ex dictis §. 2. n. 11. Vt stipendium fiat evidenter minus infimo justo, nec hæres suppleat; & Capellanus non possit adire Pontificem?

Respondeo. Castrop. *de Sacram. tract. 22. d. vinca de Euch.*

*Euch. p.* 15. *n.* 7. qui non meminit hujus Decreti de Celebratione Missarum, docet quando aditi non potest Ordinarius (dicamus nos post Decretum) quando aditi non potest Summus Pontifex, qui stipendium taxet, Missasque diminuat, probabile esse, posse Capellanum ex se diminuere, seque indemnem servare; est enim id de jure naturæ, contra quod Decreta hæc Sacræ Congregationis non præsumuntur agere. Cæterum monet id moraliter contingere non posse. Dum enim Capellaniam voluntariè admisit, illam retinet, Superiorémque non adit, sibi imputet, atque adeo tenetur integrè satisfacere.

91. Sed certè casus non est tam ratus, ut moraliter contingere non possit, accidit enim sæpè, ut quando Capellanus admisit onus, census fuerit sufficiens, deinde sine culpa diminuatur: & ex alia parte, sive propter paupertatem, sive propter aliud, non possit adire ad eum, cui licet numerum Missarum temperare. Vide tamen id, quod mox notabo *n.* 96.

Quod census pro Missis differtur solvi, quid faciendum, dicetur §. 9. *n.* 12.

*Quid fiet si census pro Missis relictis augeatur.*

92. Dubitabis Decimoquartò. Sic reliquit Monasterio Testator domum, vel viridarium, ut ex pretio locationis, vel fructu dicantur Missæ: crescunt arbores, crescitque ex concursu populi pretium locationis, suntne augendæ Missæ?

Respondeo, posito, quod constet noluisse Testatorem pingui redditu benefacere Monasterio, nec taxasse Missas modo dicto *à num.* 72. sed voluisse ex toto redditu Missas celebrari, aio esse distinguendum cum Fraxinel. *de oblig. Sacr. sect.* 4. §. 25. Si enim Viridarij, vel domus locatio crescat ex industria Monasterij, quia scilicet arbores plures plantavit, vel officinas domus auxit, vel quid simile, non erit augendus Missarum numerus, quia illud augmentum est fructus industriæ Monasterij: At si ex natura sua arbores creverint, vel casu ex frequentia populi crescat domus locatio, tunc augendæ erunt Missæ. Ratio est, quia voluntas Testatoris est, ut totus fructus rei suæ pro Missis expendatur. Adde contrariorum eandem esse rationem, si ergo diminuta locatione, vel fructu diminuentur & Missæ modo supradicto, ergo aucto redditu, & Missæ erunt augendæ.

93. Una potest esse exceptio, quando raro contingit tale augmentum: & aliquando etiam raro fortasse fuit decrementum: tunc enim unus annus compensatur cum alio, ut mox in simili dicam *n.* 96.

94. Quid, si, eo tempore, quo augetur talis redditus, inveniatur, quod etiam sit auctum stipendium Missæ, poteritne tunc compensari incrementum redditus cum incremento stipendij? Respondeo. Puto posse cum Rodriquez *tom.* 4. *Summæ. cap.* 12. *de Missa. num.* 10. quia tunc servatur æqualitas inter augmentum utriusque.

*Quid fiet si augeatur taxa stipendij Missæ?*

95. Dubitabis Decimosextò, An si censu pro designatis tot Missis invariato, crescat taxa stipendij Missæ v. g. erat medius Iulius, fiat (Episcopo sic disponente, vel communi praxi sic acceptante) unus interger Iulius: An, inquam possit diminui, numerus Missarum? Respondeo, posse diminui cum authoritate Pontificis, & hanc esse unam ex causis moderationis Missarum, ut diximus *supra*: & in casu necessitatis idem posse affirmari, quod modo ex Castropalao *num.* 90. insinuamus, paritas rationis videtur ostendere, ut scilicet Ecclesia vel Capellanus se indemnem servet, neque enim præsumit Testator in tali necessitate injustè eos aggravare voluisse. Ita Bordonus *res.* 35 *num.* 27. Aversa *de Eucharist. q.* 11. *sect.* 18.

96. Illud tamen tum in hoc, tum in casu, de quo *num.* 89. diximus, noto perlibenter. Si præfinitos præfixit Ecclesia habuit stipendium pro prædictis numero solito, ut esse consuevit, quando pinguem Capellaniam ut legatum fundavit Testator, non posse statim diminui Missas prætextu, quod taxa stipendij creverit, ut decreverit census. Ratio est, quia sicuti antea fuit commodo tuo, ita tuo incommodo stare nunc debet defectúmque hujus anni compensare congruum est cum aliorum annorum excessu, ut modo, in simili modo dictum est.

Quare tum hic, tum in dictis *num.* 91. & 93. judicio prudentis est decidendum, quando excessus, vel defectus est tantus, ut merito diminutio, vel auctio Missarum facienda sit.

*Quid si taxa stipendij decrescat?*

Vbi,

*An Religiosus stare debeat taxæ factæ ab Episcopo?*

97. Dubitabis Decimoseptimò. Quid contra fiet, si, invariato dicto censu pro tot determinatis Missis, decrescat taxa stipendij? Erat v. g. unus Iulius, nunc fiat medius Iulius, critne augendus numerus Missarum?

Respondeo. Si ex circumstantiis constet Testatorem noluisse Ecclesiæ pinguem redditum relinquere, augendum puto. Ratio est, quia tunc in casu hujus dubitationis Testator præsumitur velle censum adæquari Missis, & Missas censui: At si id non constet de legatum, seu Capellania fundata præsumatur absolutè, non puto augendum, quia tunc præsumitur Fundator suo Capellano, ut assolet benefacere voluisse, posito quod determinatas Missas præscripsit, & nihil aliud explicuit.

98. Sed dum meminimus taxæ stipendij, datur occasio quærendi: Vtrum si Episcopus taxat unum Iulium v. g. deberi pro una Missa, obligetur Religiosus exemptus stare huic taxæ: An potius possit à volumine dantibus recipere duos Iulios, posito quod hoc sit stipendium summum, quod currit abstrahendo ab Episcopi legitima taxa? Respondeo. Si voluntariè dimittat, tanquam pinguis eleemosyna; tam Regularis quam Sæcularis, potest, quia taxa Episcopi non excludit liberalitatem Fidelium. Difficultas ergo sola consistit, quando quis det illud plus tanquam stipendium Missæ, aliter omninò non daturus, in quo casu cum certum sit Sæcularem Sacerdotem debere taxæ à suo Superiori legitimè constitutæ se conformare, potest meritò dubitari: An id etiam debeat Religiosus exemptus.

99. Dico hanc quæstionem similem esse illi: An Ecclesiastici teneantur stare taxis, & metis in pretiorum, quas Principes sæculares taxant: ita enim Ecclesiastici non sunt Principibus sæcularibus subditi, sicuti exempti non sunt subditi Episcopis. Quoniam ergo communior, & vera opinio est illos debere stare metis taxatis à Principe, si non directè, attè consequenter ex eo, quod posita tali meta pretium justum talis rei non erit indivisibiliter, nisi juxta illam metam, unde si quis plus accipiat contra justitiam accipiet, quia sumit ultra debitum rei pretium. Ita Molina, Vasquez, Bonacin. aliique, quos sequitur & citat Castropal. *tom.* 1. *tract.* 3. *de legibus d.* 1. *part.* 24. §. 6. *num.* 1. Ideo etiam in casu nostro posito, quod Episcopus taxat dandum pro stipendio Missæ, unum verbi gratia, Julium, unus Julius est Missæ indivisibile stipendium, quare quidquid ex hoc solo titulo accipietur, contra justitiam erit. In casu enim Missarum, licet non interveniat vera venditio & emptio, quia esset Simonia, tamen ut alibi innuavimus, proportionaliter ad veram venditionem vel emptionem, etiam in Missarum casu dicimus debere

debemus. Scio Navarr. & Bonac. apud Castrop. *loc. cit.* negare Ecclesiasticos saltem sub mortali taxis Principum sæcularium subdi, unde idem puto dicturos in casu nostro de stipendio Missæ, sed illis ego propter rationem à nobis modo dictam assentiri non possum.

*An Capellanus teneatur pecuniam expendere ad ornatum Altaris.*

100. Dubitabis decimooctavo. An Capellanus obligetur tum ad Missas celebrandas, tum ad conquirenda Altaris ornamenta?

Respondeo, si sufficiant redditus tum ad designatas Missas, tum ad necessaria Altaris, teneri ad utrumque. Ad ipsum enim pertinet totum onus Capellaniæ, sicuti onus Beneficij ad Beneficiatum: qui enim sentit commodum, & incommodum sentire debet. At si non sufficiant, distinguendum est. Si Capellania est pinguis, ita ut per antecedentes annos supra justum stipendium Missæ aliquid habuerit Capellanus, licet nunc hoc superfluum cessaverit, puto teneri. Ratio est, quia de toto Beneficio, seu redditu præsumendum est provideri debere (quando aliunde provisum non est) tum Altari, tum justo Missæ stipendio, computato anno fœcundo cum sterili. Si vero Capellania non est, nisi ad justum Missæ stipendium; censeo non teneri, quia secus tuis stipendiis militares, quare tunc qua ratione possit quid retineri de stipnedio dicam infrà §. 5 à n. 7.

Justum autem stipendium computare potes in tui favorem illud: quod forte in tua Civitate est medium, sed justum, si Episcopus illud legitimè id est indivisibiliter non taxavetit, tunc enim juxta hoc, & non juxta infimum tuas tationes taxare debes. Dixi (in tui favorem) nam nisi Fundator contrarium expresserit, præsumitur noluisse suum Cpellanum stipendio infimo, licet justo, aggravate voluisse. An hæc præsumptio possit extendi ad concedendum tibi stipendium summum, aliis judicantum relinquo.

101. Docet Fraxinel. *de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 5. §. 5.* Capellanum non teneri facere restitutionem Missarum si forte pecuniam expenderit ad ornandum quomodocumque Altare. Sed est distinguendum. Si enim sunt ornamenta, necessaria (& quidem necessaria judico, quæ cum decoro Altari conveniunt, ut sunt aliqua congrua paramenta Mappæ, &c.) Fraxinello assentior, secus, si sint ad ostentationem, his enim cum jactura suarum Missarum fundatorem non consensisse putandum est. Illud item eidem docto authori post factum, sed non ante, concedo. Nam si bona fide id jam fecisse nunc inveniatur Capellanus, non esse obligandum ad Missas de suo supplendas puto, quia ea ornamenta jam denique in Altaris, atque adeo Dei cultum cesserunt, nec mihi persuadere volo in tali bona fide Fundatorem voluisse suum Capellanum urgere, imò non urgeret Capellanum in tali casu, sed ipsum Altare, cui attributa sunt ornamenta, nec in his factus est ditior Capellanus, sed Altare.

*An compensare stipendium Missæ sibi non solutum aliquis possit.*

102. Dubitabis decimonono in hunc modum. Hæres, vel quilibet curavit, ut Sacerdos, pecunia credita, centum Missas celebraret, quibus celebratis, stipendium ei Hæres non solvit. Post multum tempus idem oblitus præteriti debiti affert centum Julios eidem Sacerdoti, ut centum Missas celebret, licetne huic Sacerdoti eos reciperare, & quia non habet aliam viam recuperandi stipendium celebratarum Missarum, sibi id compensare, non celebrando Missas nunc postulatas?

Respondeo: Posse. Colligitur ex Peyrino *tom. 3. cap. 1. n. 17.* quatenus docet si Monasterium fecit expensas, ad recuperandum stipendium pro Missis jam celebratis, nec eas recuperare alio modo à Petro, qui illas Missas petiit, valeat, nisi retinendo partem elemosynæ, quam forte idem Petrus pro aliis Missis celebrandis offerat, posse diminuere has alias Missas, & sibi juste expensas factas compensare. Ratio esse posset, quia propter justam compensationem potest sibi resarcire damnum, sive Sacerdos in casu nostro, sive Monasterium in casu Peyrini. Sibi ergo imputet ille, qui stipendium celebratarum non solvit, si postulatas nunc Missas non habet.

103. Certè in hac doctrina illud difficile mihi est, nam fac Missas celebrandas esse pro anima purgante, vel pro impetranda sanitate alicuius, non erit æquum, ut hi patiantur damnum in re tam gravi ob delictum debitoris alius, etiamsi anima, & infirmus ad eundem debitorem pertineant. In illo igitur solum casu prædictam recompensationem admitterem, quo constaret totum damnum esse solius debitoris, & nullo modo tertij.

§. IV. *Super. illud* § 1. *num.* 9. Id verò ut deinceps, *&c*

*Vbi revocantur Privilegia Religiosorum.*

1. QVoniam circa minuendum numerum Missarum concessa fuerunt à Summo Pontifice nonnulla, Privilegia, ea hic universa in futurum revocantur.

Et quia per illud (*in futurum*) denotari videbatur non revocari dicta Privilegia, quoad onera suscepta de præterito: ideo dubitatum fuit. An illud (*in futurum suscipiendis.*) intelligeretur de suscipiendis post privilegium? Respondit Sacra Congregatio esse intelligendum, ut vidimus §. 1. *n.* 35.

Ex qua responsione declaratur, ut notat ex Bordono, Lezzana *tom. 3. V. Missa, num* 15. hanc revocationem Privilegiorum esse etiam quoad onera suscepta ante Decretum, si suscepta fuetint post privilegium, non verò esse revocata, si talia onera fuerunt suscepta ante Privilegiorum concessionem.

*Quænam Privilegia hic revocentur.*

4. Circa quæ dubitabis primo, quænam sint ejusmodi Privilegia? Respondeo, esse ferè sequentia.

Primum est Julij II. & Leonis X. Nam Julius II. apud Confectum *in Bulla 7. Iulij II.* concessit Generali Minimorum Sancti Francisci de Paula, ut in Visitatione, vel alias ubi forte contingeret Fratres multarum Missarum obligationibus prægravati, quibus satisfacere non valerent, dispensare posset, ut unam Missam cum novem collectis, hoc est, cum novem Orationibus, celebrando, satisfacerent pro novem obligationibus, perinde ac si novem Missas celebrarent, & cum septem Collectis pro septem, & sic infra descendendo, &c. & interim, qui eas Missas fundaverant, participes essent omnium bonorum talis Religionis.

3. Hæc concessio, quia facta fuit nuncupatim Francisco Binect tunc Generali, idco Successor obtinuit à Leone X. apud eundem Confect. *in Bulla* 8. *Leonis X.* idem Privilegium universaliter his verbis. *Cum autem Fratribus, pro illorum sustentatione, aut alias, devotionis causa, duo baiocchi, seu septem quatrini monetæ Iuliæ, pro celebratione unius Missæ, per Christi fideles communiter dari consueverit, &c.* Et infra: *Nos omnibus Fratribus domorum dicti Ordinis in partibus Alemanniæ, & Boëmiæ pro tempore existentium, ut de cætero, perpetuis temporibus, in celebratione unius Missæ novem, vel septem commemorationes, ad eorum devotionem, pro tempore recitatæ, pro septem, vel novem specialibus & integralibus Missis, etiam si illæ specialiter de Requiem forent celebrandæ vel de quibuscunque Sanctis, vel aliàs quomodocumque etiam si pro illis recitandis elecmosynam receperint, seu in posterum reciperent plenè satisfacere valeant, concedimus.*

2. Hoc Privilegium, licet sit concessum particularibus illis Fratribus Alemanniæ, & Boëmiæ, tamen concessum intelligitur, & alius. Ratio est, quia (ut notat

Rodriquez *tom. 1. reg. 55. art. 18.* Vide supra *lib. 1. c. 6. §. 4. n. 11.* ex Deluge) adest Privilegium Pontificis, quo Privilegia concessa uni domui Mendicantium, intelliguntur concessa toti Religioni, saltem in simili causa, atque adeo omnibus participantibus in Privilegiis, id quod iterum me dixisse memini *lib. 1. cap. 6. §. 4. n. 11.*

*es.* Secundum Privilegium apud Confect. *Bulla 7. Leonis X.* & meminit Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. 43. art. 17.* est ejusdem Leonis X. concessum Minoribus, quod sic habet. *Cum sicut accepimus, contingat sæpius, ut Fideles ipsi plures Missas per eosdem Fratres celebrandas, elargita eis aliqua eleemosyna, committant, & in aliquibus regionibus ea eleemosynam celebrationis unius Missæ certæ pecuniæ quantitas valde parva, & tenuis dari consuevit, adeo quod vos ad eleemosynam, quæ singulariter à pluribus elargitur, tot Missas, quot sunt largientes pro singulis celebrare non valeatis.* Et infra: *Nos vobis, ac pro tempore existentibus Fratribus, quod celebrando unam Missam dumtaxat, si eleemosyna æquivalens unius Iulij non elargitur, etiam si duas, tres, aut quatuor, vel plures Missas celebraturi, occasione diversarum, vel plurium eleemosynarum huiusmodi, essetis, & in dicta celebranda Missa pro omnibus, qui dictis Missis in eleemosynam usque ad Summum huiusmodi contribuerint, vel contribuent in futurum, commemorationem in genere faciendo, in hac conscientiarum vestrarum puritati satisfactum fore, & esse indulgemus.*

6. Tertium Privilegium apud Rodr. *in Bullar. in Bullis Sixt. IV. Bull. 44.* est concessum Monasterio S. Benedicti Vallisoletani per Nicol. Francum Nuncium Sixti IV. in hanc formam. *Reverendiss. Pater Supplicatur Paternitati vestræ Reverendissimæ, ut Fratres quascumque eleemosynas, vel quascumque legata pro perpetuis Cappellais, vel aliis liberè, & licitè possint recipere, & retinere sine prædicto onere, &c. Fiat ut petitur Nicolaus Francus Legatus.*

7. Quartum Privilegium, apud Portell. *V. Missa. n. 2.* est Martini V. concessum Patribus D. Hieronymi in Hispania, quod per extensum conscriptum ego nondum videre potui: in quo conceditur, quod illi non teneantur dicere, pro qualibet Capellania, ultra quatuor Missas in qualibet hebdomada, etiam si earum Fundatores, & Institutores defuncti ordinaverint quotidie Missam celebrari: & quod idem Papa dixit, hanc esse amplam satisfactionem per has quatuor Missas. Addit Portella *ibid.* hæc verba: *Ego quoad concessionem hanc non dubito quin fuerit facta, sed non consulo quod fiat, imo quod non publicetur sæcularibus ob periculum pusillorum.*

Hæc Privilegia, & si quæ alia fortasse fuissent, revocavit in hoc Decreto Sacra Congregatio.

*An prædicta Privilegia legitime concesserit Summus Pontifex.*

8. At vero, quanam ratione Pontifex hæc Privilegia concedere tunc potuit, in præjudicium eorum, qui eleemosynas obtulerunt? Profectò Pontifex Dominus non est bonorum Fidelium, ut possit de iis suo arbitratu disponere, & Religiosis applicare.

Nihilominus, si rectè attendas ad prædicta Privilegia; nihil incongruum concessum à Sancta Sede fuisse reperies: id quod non ut antiquiores aliqui apud Rodriq. *tom. 1. q. reg. 43. art. 7. §. Tertia conclusio*, & Peyrinum *tom. 1. in constit. decim. Leonis X. num. 1.* defendunt, & quidem frigidè, sed nova, facilioréque via, discurrendo per singula, sic explico.

9. Primum Privilegium Leonis X. relatum *n. 3.* (quod idem est cum relato *num. 4.*) concedit, ut quandoquidem duos baiocchos dari pro stipendio unius Missæ, ibi consuetum erat, concedit inquam, ut per unam Missam sub novem commemorationibus celebratam satisfieret pro novem, & per septem, pro septem, &c. Iam, ini rationem, ad quantam summam ascendat ea pecunia novies repetita. Certe baiocchi duo novies replicati sunt bajocchi decem, & octo, hoc est, duo Julij Romani minus duobus baiocchis. Decrevit ergo, seu potius declaravit Pontifex illud stipendium duorum baiocchorum fuisse irrationabile, taxavitque pro singulis Missis regionibus assignandos esse decem & octo baiocchos, quando certè ibi, & in ea ætate, quando erat magna cerdotum penuria, non erat durum stipendium: quidem nunc in tanta Sacerdotum multitudine, supra *c. 1. §. 1. n. 2.* diximus, solet esse diebus festis Julius, seu argenteus, hoc est, baiocchi decem, diebus festis, duplicati, hoc est, baiocchi viginti, & expensas vini, ceræ, paramentorum Missilium, quæ modo infra dicendo §, *5. a. n. 7.* pendium, censeri absolutè possunt.

10. Quid autem ex facto computato consequitè illud, quod stipendio sic justè à Pontifice terunt deinceps Patres illi una Missa satisfecerunt novem exiguis stipendiis, quæ unita ascendistum, prout supra §. 3. *num. 50* à nobis ex probasententia resolutum est. Nihil igitur Pontifex Fidelium disposuit, sed declaravit justum stiunius Missæ, ibi, esse duos Iulios minus duobuschis.

11. Secundum Privilegium relatum *num. 5.* ut pro multis offerentibus exiguam eleemosynam pertingeret usque ad Iulium, una Missa applicVides etiam hic nihil aliud fecisse Pontificem, declarasse justum stipendium Missæ manualis esse Julium?

Non est igitur audiendus Collector Privilegii Mendicantium *in comp. Mendicit. Miss. §. 1.* Rodriq. *tom. 1. q. reg. 43. art. 17.* qui non jvalens modo explicare, asseruit, hanc concessionem fuisse titiam, nulliusque valoris, prout multi viri famodologi, & Jurisperiti responderunt: Non est, inquidiendus, sicut & nec alij, frivolas explicationes tes, siquidem modo dicto justitia concessionis cofacile potest.

12. Tertium Privilegium allatum *n. 6.* quod gati Pontificis, si potes prædicta, vel alia interpretione defendere, bene est. Secus, concedere Leguæ potestatis limites excessisse (licet bona fide) est inconveniens.

13. Quartum Privilegium concedit pro qualibet pellania quotidianæ Missæ, celebrari Missas quatuor hebdomada. Id quod ideo concessisse Pontificem credibile est, quia Capellaniæ illæ tenues erant, & guæ, reduxit igitur ad rationabile stipendium, ut cet, deperditis forte Capellaniæ redditibus, aut pretiis, &c. fieret justa Missarum reductio: id quod cernere ad Sanctam Sedem pertinere, nunc explicaclaravit §. 1. *n. 7.* Sacra Congregatio.

*Duo Privilegia concessa post hæc Decreta de celebratione Missarum.*

14. Dubitabis secundò. An post hæc Decreta sit quod Privilegium de hac re concessum Regularibus

Respondeo, esse duo: Nam primo Urbanus VIII. sequenti post evulgata dicta Decreta, id est, 13. Julij concessit Procuratori Generali Minimorum, ut Missarum perpetua exigua, & oneri annexo ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Rom(quæ unciis citciter viginti Siculis respondent) proquilibet Missa quotidiana, reducerentur. Ita Peyrin. *tom. const. 5. Urbani VIII.* Marchin *de ord. tract. 3. p. 2. c. 20.* Vides Summum Pontificem nequaquam libere dispore de Fidelium bonis, sed solum concedere, ut tantre de Missæ ad rationem justi stipendij.

15. Secundo, idem Urbanus VIII. 6. Aug. 1625 approbando Constitutiones Fratrum Minorum concsit, ut ij in primo eorum Capitulo, Missas, quas habrent annuas quotidianas, reducerent ad rationem sciginta scutorum annuorum. Ita Lezz. *V. Miss. n. 11.* Quod Privilegium eandem habet explicationem. Neque offendat modo quinquaginta, modo sexagintaquæ

pistendia enim hæc, ad modum pretij rerum, habent Medium, Infimum, & Summum.

16. Sed petet quis: An his duobus Privilegiis fruantur alij religiosi participantes in Privilegiis.

Concedit Matchin, *dict. n.* 7. Negat Lazzàn. *dict. n.* 31. Ille, ob rationem universalem, quod participantes communicant in Privilegiis concessis, & concedendis. Hic, quia putat hæc non esse Privilegia, sed reductiones particulares, quas Pontifex ad petitionem particularium fecit, quæ certè aliis non communicantur. Secus, quando Pontifex concedit v. g. uni Conventui alienationem alicuius boni immobilis, concederet omnibus participantibus. Adde quod jam amplius hi Religiosi non tenerentur adire Pontificem ob reductionem Missarum cum ipsi possint facere, & tamen praxis est in contrarium.

17. Sententia concedens est probabilior quoad concessionem allatam *n.* 16. Ratio est, quia illa Privilegium est, non vero reductio, nam non reducit ipse Pontifex, sed dat facultatem reducendi, & quidem per Diploma approbans Constitutiones Fratrum, id quod satis ostendit esse concessionem universalem. Ad id, quod additur. Respondeo primo, Esto propter reductiones Missarum quotidianarum illi non obligarentur ad Pontificem confugere: obligarentur tamen propter alias reductiones non quotidianas, & quando reductio instat, ut fiat extra Capitulum. Sed Resp. secundo, concessionem solum loqui de reductione facienda in primo Capitulo, & non amplius, quare si occurrat facienda alia reductio post illud Capitulum, certè ad Sanctam Sedem erit recurrendum.

§. V. *Super illud* §. 1. *num.* 10. Ac similiter, *&c.*

Vbi,

*Prohibetur, ne Sacerdos, retenta parte eleemosynæ, Missam alteri celebrandam committat.*

1. Sacerdos cum receperit à Fideli argenteum integrum, ut Missam pro illo celebret, dat argenteum medium Petro similiter Sacerdoti, ut sui loco satisfaciat; medium vero sibi retinet; potestne id licitè efficere? Decidit Sacra Congregatio supra §. 1. *n.* 10. non posse.

2. Et quia dubitatum fuit: An saltem possent Rectores Ecclesiæ aliquid sibi retinere pro expensis necessariis, vino, cera, Hostia, Paramentis, & similibus. Respondit *ibidem n.* 36. posse Rectores Ecclesiæ pauperis non vero ejus, quæ sufficientes habet redditus: advertitque ne plus justo excedant hæ expensæ, & nihilominùs, his deductis, curandum esse tot celeberari Missas, quot fuere præscriptæ ab offerentibus eleemosynam.

3. Rursus fuit dubitatum, An beneficiatus qui potest per alium celebrare, teneatur huic alij dare stipendium ad rationem Beneficij. Respondit *num.* 37. satis esse si det eleemosynam congruam secundum morem Regionis, si aliud in fundatione cautum non fuerit.

4. Denique. An ille, cui datur stipendium manuale majus solito, pro Missa, debeat totum dare alteri cui fortè illam celebrandam committit. Respondit *ibid. n.* 38. debere totum dare.

5. Vides discrimen? Id, quod concessum est Beneficiato habenti fortè pingues redditus pro onere Missarum, negatur recipienti eleemosynam manualem pro Missis. Et quidem merito, nam huic fideles totam eleemosynam dant pro ipsa Missa; ibi Fundatores dant etiam pro ipsa commmodiore sustentatione Beneficiati, ut alacriùs serviat, &c.

6. Quæres: recipiens eleemosynem manualem, si non servet hoc Decretum, peccátne mortaliter? Respondeo cum Peyrino *const.* 9. *Vrbani VIII.* §. 4. alios affirmare, quia tam subtilis distractio Sacræ Congregationis, in re tam gravi, illam serio intendisse, demonstrat. Ita Bordonus *ref.* 2. 6 *num.* 28. alios negare, quia in Decreto hujus rei nulla adsunt verba indicantia culpam mortalem, & ex alio capite nulli tunc fiet injuria, non Sacerdoti celebranti, quia stipendium minus voluntarie, ut supponimus accepit; non petenti Missam, jam enim illa pro ipso celebratur.

*An alij præter Rectores Ecclesiæ, possint retinere expensas pro vino, cera, ministro, paramentis? &c.*

7. Sed adhuc dubitabis primò: An sicuti Rectori Ecclesiæ pauperis conceditur, posse retinere prædictas expensas, ita possit Sacerdos legatarius, qui non sit Rector, Sacerdos v. g. cui relictum fuit annuum legatum pro celebrandis tot Missis, potéstne exposcere aliquid plus, ut faciat dictas expensas?

8. Idem quæritur in eleemosynis manualibus potéstne exposcere Sacerdos aliquid plus (sed rationabile) quo satisfaciat ministro inservienti, vel insumat pro cera, vino, &c.

9. Respondeo utrumque posse juxta dicta *num* 2. Sic March. *de ord. tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 18. *n.* 26. quia nemo cogitur insumere de suo in gratiam alterius: id tamen non consulerem diviti, quia sapit indignam avaritiam. Confirmatur responsio, quia merito alicubi, taxantur hæ expensæ separatim ab ipsius Missæ stipendio, ut vidimus supra.

*An Capellanus, vel legatarius pinguis retinere possit partem stipendij?*

10. Dubitabis secundò: An quod concessum est *n.* 3. Beneficiato, concedatur Capellano, vel legatario pingui? Respondeo affirmativè, modo det justum stipendium alteri. Ita Delugo *de Euch. disput.* 21. *sect. n.* 30. Aloys. Ricc. *in decis. p.* 2. *decis.* 219. *num.* 3. citans Sotum Navarr. Beja Licet enim Sacra Congregario meminerit solius Beneficiati, cum eadem sit ratio, includuntur cæteri simlies, sive sint principales, sive subrogati, quia *subrogatum sapit naturam ejus in cuius locum subrogatur*: modo non sit eleemosyna manualis, ut *ibid.* dictum est.

11. Rogas: Quantum est hoc justum stipendium? Quantum lex Diœcesana taxavit, quod apud nos esse fertè unum Iulium pro una Missa feriata, & circiter duplicatum pro festiva, supra diximus *cap.* 1. §. 1. *n.* 2. & §. 3. *n* 15. Quod si alicubi taxatum non fuerit, illud erit justum quod fuerit communi consuetudine introductum, in quo casu (sicuti accidit in rerum pretiis non taxatis) erit reperire summum, medium, infimum, & Beneficiatus non obligabitur in prædicto casu, nisi infimum dare, jam enim hoc justum stipendium est.

*An quilibet alius possit alteri committeere Missam, retenta parte stipendii?*

12. Dubitabis tertiò: An in aliquo tandem casu id alicui Sacerdoti liceat in manualibus eleemosynis?

Respondeo; quamvis id absolutè Congragatio neget, ut vidimus *n.* 4. adhuc tamen tres exceptiones, seu Declarationes admitti debent.

Prima est. Si alicubi hoc Decretum non sit acceptatum, quæ est communis doctrina in legibus positivis. Id, quod hîc innuere volui, quia Marchin *de ord. tract.* 3 *p.* 2. *cap.* 32. *n.* 8. *fin.* ait se audiviſse, in multis Italiæ locis, & Romæ, in multis Collegiatis, hoc Decretum quoad hanc partem, non servari.

13. Secunda. Si ego Sacerdos recepi liberaliter à Petro pro una Missa unum v. g. aureum, pingue scilicet stipendium, si Petrus dedit præcisè, & simpliciter pro Missa, itaut liberalitas exercita fuerit in favorem, ut ita dicam, Missæ ipsiusque obsequium: certè non possem dare alteri Sacerdoti celebraturo pro eodem Petro unum Iulium, justum scilicet stipendium

quodque supereſt, mihi retinere. Ita Diana *part.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 12. At ſi fuit ex liberalitate, circa meam perſonam, quia ſum illius amicus, vel quia ſum pauper, &c. utique poſſem. Ita Aloyſ. Ricc. *in deciſ. p.* 3. *deciſ.* 219. *num.* 3. Ratio eſt, quia in ptiori caſu ſtipendium fuit pro Miſſa, quod ſtipendium integrum debet dari ex Sacra Congregatione, in poſteriore, non fuit pro Miſſa, ſed pro alio titulo.

14. Tertia. Si Sacerdos, cui ego committo Miſſam celebrandam, ſit expreſsè contentus modica parte, etiam infrà infimum ſtipendium, meliore parte mihi relicta in rigore poſſum modicam illam partem ei dare. Ita Aloyſ. Ricc. *ibid. fine.* Ratio eſt, quia ſicuti poteſt mihi talis Sacerdos gratificari, dicendo pro mea commiſſione Miſſam ſine ullo ſtipendio, neque id prohibui unquam Congregatio, quia id eſt mera liberalitas Sacerdotis: ita & poteſt mihi gratificari, condonando partem, quæ eſt adhuc partial isliberalitas.

Dixi (in rigore) nam ſunt duo omnino Scopuli timendi. Alter: ne Sacerdos ille metu, vel alio ſimili affectu ducatur ad id: quaſi timeat, ne inveniat in poſterum eleemoſynas pro Miſſis, niſi nunc condonet partem, jam enim tunc non eſſet ex liberalitate. Alter: ne tali modo in periculum incidas ſordidæ negotiationis.

15. Denique quod hactenus diximus, tum de prohibitione, tum de ejus exceptionibus, puto probabile eſſe, extendi etiam ad Parochos, ſeu ad Collectores Miſſarum, qui plura ſtipendia congregant, & deinde inter Sacerdotes ſtipendiarios diſtribuunt. Ratio eſt, quia quamvis hi non ſuſcipiant onus dicendi Miſſas, unde videantur ex Suario *de Sacrament. diſput.* 86. *ſect.* 3. §. *Hac vero occaſione*: ſaltem pro labore colligendi & diſtribuendi poſſe ſibi aliquid retinere, nihilominus quia adhuc hæc eleemoſyna datur pro Miſſis, debet, ſecundum hoc Decretum, integrè dari Miſſam celebranti, niſi adſit, ut dictum eſt, aliqua ex dictis tribus exceptionibus.

Sed certè, quia Decretum hoc ſolum dirigitur ad Sacerdotes, ibi: *Prohibet Sacerdoti, ne parte eleemoſynæ retenta, &c.* non audeo condemnare ejuſmodi Collectores, & Sacriſtas (etiamſi ſint Sacerdotes, ſed non ut talibus aſſignetur eleemoſyna, hoc eſt, ut ipſi Miſſas celebrent, ſed ut celebrandas eas curent) ſi moderatam pro labore mercedem ex datis pro Miſſa ſuſcipiant. Ratio eſt, quia cum prohibitio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad ſolum expreſsè prohibitos, prohibiti autem ſunt ſolum Sacerdotes, quibus eleemoſyna datur pro Miſſis, quæ ab ipſis ſint celebrandæ. Cæteri ergo ſervent id, ad quod obligantur iure naturæ.

Ad idem reducitur, ſi quis, cum ſit procurator, ut centum v. g. Miſſæ celebrentur, quæ Miſſæ in hac Vrbe ſolent dici exempli gratia, pro ducentis Iuliis; ſi quis, inquam, per induſtriam ſuam mittat, ſeu eat ad aliam Vrbem, ubi intra expoſtulatum tempus dicantur pro centum Iuliis: puto enim non eſſe improbabile poſſe talem procuratorem retinere ſibi alios centum. Ratio eſt, quia ſumi poteſt paritas à ſervo, qui per extraordinariam (nam ad ordinariam, & moralem obligatur ex ipſo famulatu) per ſuum laborem emit res minoris, quam valeant communiter in foro: poteſt enim retinere, quod ſupereſt, utpote fructum ſuæ induſtriæ: pari ergo modo in caſu noſtro.

Illud tamen perdiligenter in noſtro caſu notandum eſt, id non poſſe fieri, quando ex circumſtantiis animadverteretur dantem eleemoſynam non voluiſſe ſolum ipſum Miſſarum numerum, ſed voluiſſe benefacere loci Sacerdotibus, vel honorate Eccleſiam, vel quid ſimile, ut ex ſe patet.

§. VI. *Super illud* §. 1. *num.* 11. Præterea ne in Eccleſiis, *&c.*

*Vbi præcipitur, ut Mobilia relicta pro Miſſis quamprimum inveſtiantur in bonis immobilibus ſeu ſtabilibus.*

Licet hoc Decretum primo aſpectu videatur [illegible] tione non indigere, involvit tamen difficultates contemnendas.

*An decretum hoc loquatur de nondum acceptatis.*

1. Dubitabis enim primò. An ſi cui Eccleſia [illegible] quatur aliquod mobile, pro onere Miſſæ perpetuæ, [illegible] nondum Eccleſia acceptavit, obligentur Eccleſiarum [illegible] res talem inveſtituram, ſeu applicationem exqui[illegible]

Reſpondeo, non obligari, quia ſi nondum Eccleſia acceptavit, cum ſuum non ſit de illo diſponere [illegible] teſt. Illud autem ex regulis univerſalibus ſuppone[illegible] qui cauſam dat irrationabilem, ne acceptetur, [illegible] damnum, quod facit, peccare, & ad reſtitution[illegible] neri.

*Quodnam mobile inveſtiendum ſit.*

2. Dubitabis ſecundò, de quonam mobili [illegible] tur? Reſpondeo, de omni, qualis eſt pecunia, argen[illegible] aurum, ſupellex, &c. quæ relicta ſunt pro onere [illegible] tuo Miſſarum. Ita Barboſ. *de appellat. verborum, ſi[illegible]* *na*, *n.* 5.

3. Quod ſi Teſtator magnam ſummam pecuni[illegible] Miſſis relinquat, nec explicet, an intendat relin[illegible] pro perpetuis, an pro temporaneis, id eſt, ſimil[illegible] tempore dicendis. Puto intelligi regulariter de [illegible] tuis, atque adeo prædictam ſummam debere [illegible] in annuos redditus, & inveſtiendam ad præſcr[illegible] huius Decreti. Ita Bonac. *de contract. diſp.* 13. *q[illegible] p.* 7. *n.* 6. §. *ex quo ſequitur.* Ratio eſt, quia comm[illegible] non ſolet legari magna ſumma, niſi pro Anniver[illegible] perpetuis. Dico (communiter) nam ſi legatum fi[illegible] fuerit à Principe, aut valde divite, cum hi [illegible] magnam pecuniæ vim legare pro celebrandis [illegible] multis Miſſis, pro his erit tunc pecunia diſtribuen[illegible] ſemper habendo præ oculis Teſtatoris mentem, q[illegible] circumſtantiis, verbis Teſtamenti, ſimilibus eſt [illegible] ter inveſtiganda.

*Quandonam urget onus celebrandi Miſſas in hoc ca[illegible]*

4. Dubitabis tertiò, quandonam incipiat obligari celebrandi, ſtatim ne poſt Depoſitum pecuniæ, [illegible] acceptationem Eccleſiæ, an poſt factam inveſtitur[illegible] Reſpondeo poſt inveſtituram. Sic March. *de ordinat. p.* 2. *cap.* 15. *n.* 28. §. *Quæres Quinto.* Ratio eſt, quia [illegible] incipit ſtipendium, ergo tunc & onus. Quod ſi [illegible] culpam alicuius, res differtur, is delinquet, & reſtitu[illegible] ni erit obnoxius.

*In quonam bono Immobili debet ejuſmodi mobile inveſtiri.*

5. Dubitabis quartò. Et cujus conditionis eſſe debet bonum Immobile, & huic Decreto, per inveſtitur[illegible] in illud, ſatisfiat? Poteſt nimirum talis pecunia impl[illegible] ri. Primo in emendo aliquo prædio, domo, horto, p[illegible] mario, molendino, vinea, vel ſimili.

Secundò, in emendo aliquo cenſu, ſeu annuo red[illegible] perpetuo.

Tertiò in extinguendo proprium cenſum, quo [illegible] gravatur talis Eccleſia, quæ onus perpetuum Miſſar[illegible] Suſceptura eſt.

Quartò, in ſolvendo reſiduum pretij alicuius præ[illegible] quod eadem Eccleſia, non dato toto pretio, forte emer[illegible]

Quintò, in redimendo aliquod prædium, quod [illegible]

eadem Ecclesia forte vendiderat, pacto inito cum ementibus, ut obligarentur, reddito ab Ecclesia pretio retrovendere.

Sexto, in imponendo censum super bona propria Ecclesiæ.

Septimo in fabricanda parte Conventus.

6. Hæc fuse persequi pertinet ad Iurisperitos pro nostro tamen instituto spectante forum conscientiæ, Dico, in aliquibus ex primis quinque modis certum, in omnibus iisdem quinque probabile saltem esse, quod possit. Ratio universalis est, quia ex verbis, & intentione Decreti nihil aliud requiritur, nisi ut pecunia illa, seu bonum mobile, fiat immobile, id est perpetuum, & fructiferum, ut sic sustineri valeat onus perpetuæ Missæ. At si pecunia implicetur aliquo ex his prædictis quinque modis, id sufficienter habetur. Ergo, &c.

In sexto, & septimo modo non posse, mox patebit, nam discurre breviter per singulos.

7. Quoad primum, non videtur esse difficultas, immo id maxime intenditur; ut nimirum possideatur ab Ecclesia bonum immobile, qualia supponimus esse ea, quæ ibi numeravimus, saltem quoad intentum Sacræ Congregationis, unde annui fructus percipi soleant.

8. Quoad secundum. Ius census, seu jus annui redditus perpetui immobile bonum est, & frugiferum: Ita Barbos. *de Apell. verborum v. immobilia, n.* 1. est enim perpetuum, & fructus reddit, quibus sufficienter, ut in humanis, & non minus, quam in alio immobili fundo, provideatur perpetuitati Missarum.

9. Quoad tertium; dum extinguitur census, quem Ecclesia super sua bona aliis debet, quasi acquirit illum redditum annuum perpetuum pro se, quo acquisito sustinere jam potest onus Missæ. Cavendum tamen est, ne Ecclesia etiam post extinctum censum, vel sit insufficiens, vel prudenter timeatur fore negligens ad novum onus, quod suscipit.

Non sic, si quis investit dictam pecuniam super bona immobilia suæmet Ecclesiæ exempta à simili censu, quia tunc nihil de novo acquirit ipsa Ecclesia, unde fructus habeat, ad onus Missæ sustinendum, nam propterea non posse sic dictam pecuniam investiri puto cum Lezzana ex Bordono *v. Missa n.* 37.

10. Quoad quartum, dum solvitur residuum illud pretij pro prædio perinde est, ac si pars prædij nondum empta, nunc ematur: jam ergo satis pecunia in immobili bono implicatur.

11. Quoad quintum, quod est magis controversum, inde probatur, quia quemadmodum in prædictis quatuor casibus, ita in hoc quinto, satis pecunia investitur in re immobili, hoc est, in illo prædio, quod de novo redit ad Ecclesiam, quodque jam fructus reddit, quo pacto satis impletur mens Sacræ Congregationis. Quare non videtur Marchinus *de ord. tract.* 3. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 28. §. *quæro ergo primo*, consequenter loqui, dum concedit per prædictos quatuor modos, satisfieri menti Congregationis, non vero per hunc quintum.

Dices cum eodem Marchino; Potest occurrere, ut anteriores creditores, quorum hypotheca non remansit extincta per venditionem subsecutam, sed rem venditam associavit, semper agere valeant contra prædium retroemptum, & illud evincere atque adeo posset amitti legatum.

Confirmatur, quia Sacra Rota *apud Farin. T.* 2. *decis.* 363. propter hoc fundamentum in simili quadam quæstione reiecit hunc quintum.

12. Respondeo, advertendo prius quod in omnibus investituris, semper præ oculis haberi debet immobile, in quo pecunia applicatur, non debere esse ita aliis hypothecis, seu obligationibus affectum, ut sit periculum, quod ab aliquo evincatur cum damno legati. Quis enim legitime implicabit pecuniam in emendo prædio, in quod uxor, v. g. habet jus suarum dotium, vel quid simile? certe hoc esset pecunium perdere non implicare. Hoc posito: Dico non esse mirum quod si in illo prædio retrovendito sint anteriores Creditores, non possit inibi investiti pecunia, quia instat periculum dictum, jam ergo, si non sint ejusmodi anteriores, poterit; atque adeo stat nostra doctrina, quod ex vi retrovenditionis, possit. Cæterum, & in hoc quinto, & in aliis præcedentibus modis semper similia pericula à diligente negotiatione cavenda sunt.

13. Ad confirmationem Respondeo, Sacram Rotam ideo in illa decisione hunc quintum modum rejecisse; quia contra prædium retrovenditum timebatur, & fortasse aderant anteriores, non autem ex vi contractus retrovenditionis ut dictum est.

Quoad sextum dictum est obiter *n.* 9.

Quoad septimum dico non esse audiendum doctiss. Bordonum *in Concil. Resp.* 25. *n.* 34. docentem, dictam pecuniam posse implicari in fabricanda parte Conventus, vel in alia re simili non faciente actu fructus. Ratio est jam dicta, quia sic non implicaretur eo modo, quo requirit Sacra Congregatio, hoc est, ut possit ex ejus fructu onus Missarum sustineri.

14. Denique adverte non solum bona immobilia, in quæ dicta pecunia erit implicata, si contingat authoritate Pontificis alienari, debere eorum pretium in alia immobilia investiri toties, quoties; sed etiam si contingat alienari cum eadem facultate bonum immobile, v. g. Fundum, Molendinum, domum, &c. relicta à Testatoribus, ut cum eorum fructibus sustineantur onera perpetua Missarum. Ratio non solum ducitur ex eo, quod hæc sunt bona Ecclesiastica immobilia, atque adeo eorum pretium immobile reputatur, & consequenter id super aliquod bonum stabile venit investiendum; sed etiam quia dum Sacra Congregatio ita disponit de immobilibus emptis pecunia addicta illis Missis: multo magis id disponere videtur, (& quidem sub iisdem pœnis) de similibus immobilibus relictis pro dictis perpetuis Missis.

*Quantum extendatur illud* (quam primum investiendi).

15. Dubitabis quintò. Quantum sive hæres, sive quicumque alius ad quem pertinere contigerit expectare, sine scrupulo poterit, ad dictam pecuniam investiendam?

Respondeo, etiam si multum expectet, quando non invenitur modus utilis investiendi ad præscriptum Testatoris, non peccat: quia illud (*quamprimum*) intelligitur, Quamprimum prudenter, & utili negotiatione poterit.

At si expectetur ex mera negligentia, tunc erit culpa, quando infert grave damnum Testatori, cum is scilicet per executoris negligentiam fundatarum Missarum suffragiis defraudatur. Non est tamen id metaphysicè expendendum sed moraliter, ut ea cura adhibeatur, eoque tempore fiat, quo similia gravia negotia fieri communiter solent; quod potius arbitrio prudentis, quam certa regula definiri valet.

*Quantum extendatur illud*, statim pecunia deponatur. *Et quid significet illud*, Ædem Sacram.

Quod intra triduum fit, fieri statim, habemus in iure *l. fin. C. de errore Advoc.* & *l. fin. C. de Iudiciis*, poterit ergo talis depositio fieri intra triduum: & merito, nam si maiorem celeritatem vellemus, nimis strictè leges, quæ debent esse humanæ fragilitati accommodatæ, interpretaremur.

*Ædis sacræ* nomine puto intelligi locum forte in tali Monasterio vel Ecclesia destinatum ad hæc similia deposita gravia conservanda: qui, si non sit, jam monet Sacra Congregatio, ut deponatur apud personam idoneam. Cum autem ea loquatur sub illa disiunctione *Vel*, puto, etiam si adesset talis Ædes sacra, te posse apud personam idoneam conservare, etiam si ejusmodi

persona esset proprij Monasterij: dummodo sine fuco, & fallacia secura iudicaretur pecunia, quod scilicet in alios usus non consumeretur. Ratio est, quia jam satis superque finis à lege intentus haberetur.

*Quid intelligatur per illud* (pro Missis perpetuis)

16. Dubitabis sextò. An pecunia relicta non pro Missis dicendis in perpetuum, sed in longum tempus, v.g. pro quadraginta, vel centum annis, ex vi huius Decreti sit modo dicto investienda?

Respondeo negativè cum Lezzana. *v. Missa num. 59. Perpetuum, l. Iurisperitos ff. de excusat.* tut. significat propriè tempus non habens certum finem, esto aliquando tempus centum annorum, immo infra centum annos, dicatur etiam perpetuum. In legibus autem benignior semper interpretatio est facienda, ut quanto minus possumus libertatem lædere concedamus. Possunt tamen ex alio capite astringi executores, vel legatarij ad investiendum, ut scilicet talem pecuniam fructuose investiant, quo securiùs dictum onus à Successoribus pro suo tempore, impleatur.

§. VII. *Super illud §. primi num.* 12. Ad hæc Sacra Congregatio, *&c.*

Vbi

*Præcipitur ne suscipiantur onera perpetua sine licentia.*

1. PRæcipit Sacra Congregatio sæcularibus Sacerdotibus sub Interdicto ingressus Ecclesiæ, & Religiosis sub privatione, & inhabilitate ad Officia, privationeque vocis activæ, & passivæ, ipso facto, incurrendis, ne suscipiant onera perpetua Missarum, sine licentia in scriptis, & gratis concedenda ab Episcopo, seu Vicario Generali, vel Generali, seu Provinciali.

2. Et quia dubitatum fuit, an hæc prohibitio dirigeretur non solum ad Rectores Ecclesiarum, sed etiam ad privatos Sacerdotes, siquando illis tale quid relinquatur Respondeo *n.* 44. etiam ad hos dirigi.

Notandam est autem illud *onera perpetua*, nam propterea rectè non nemo Verricell. *tr. 8. q. mor. 4.* advertit, Capellaniam amovibilem non includi in hac prohibitione.

*Ad quosnam dirigatur prohibitio suscipiendi onera perpetua sine licentia?*

3. Sed adhuc dubitabis primo quosnam comprehendat dicta clausula? Occurrit enim non raro, ut testator committat hæredibus, vel alteri cuilibet, ut eligant Sacerdotem, qui celebret Missas ad intentionem ipsius Testatoris; quo Sacerdote mortuo, eligant alium, & sic in perpetuum; Dubitabis ergo, an dicti hæredes ut acceptent hoc onus eligendi Sacerdotem qui se obliget ad dicendas Missas, indigeant licentia Episcopi?

4. Respondeo non indigere. Ratio est quia in hoc casu, nec hæres, nec alter, (quantumvis Rector Ecclesiæ fortasse sit) suscipit onus Missarum, sed curam procurandi, ut alter sub annuo stipendio, veluti sub manuali eleemosyna se obliget ad Missas, de qua cura præsens Decretum non loquitur.

*An pœnæ hic latæ requirant sententiam declaratoriam.*

5. Dubitabis secundo. Cum pœnæ relatæ *n.* 1. incurrantur ipso facto, & absque declaratione, an adhuc necessaria sit sententia declaratoria criminis, hoc est sententia Iudicis legitimè pronuntiantis transgressorem recepisse onus perpetuum sine licentia?

6. Respondeo. Communis doctrina est, quod aliquæ pœnæ impositæ ipso facto in legibus non indigeant ejusmodi sententia. Lege Thom. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp.* 30, Laym. *de legib. tract. 4 cap. 15. n. 5.* aliosque *ibi* citatos. Tales sine dubio censentur ab omnibus pœnæ Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, Regularitatis ipso facto latæ: aliquæ vero indigeant, sicut sine dubio item sunt pœnæ Mortis, Amissionorum, Exilij, in quibus etiamsi dicat lex, quod delinquens ipso facto, &c. absque alia declaratione incurrat, licet ex vi talis clausulæ non sit necessaria sententia declaratoria pœnæ, hoc est, sententia, quæ pronuntiet talem transgressorem incidisse in dictam pœnam necessaria est nihilominus sententia declaratoria criminis, hoc est, sententia, quæ pronuntiat talem transgressorem incidisse in tale crimen, ad quod ex pœna consequuntur: cur autem ita sit in his, & non in illis, Respondet Sanchez *loc. cit.* se non invenire aliam rationem, sed solum, quia ita usu receptum est.

7. Inhabilitas autè ad beneficia, & inhabilitas ad Regimen ferendum ipso facto lata utrum sint ex indigentes sententia declaratoria criminis, an non, est communis? probabile tamen censet Sanchez *loc. cit.* n. 8. contrarium, ut videre facile est apud ipsum.

8. Ex his, in casu nostro, distinguendum omnino. Vel enim dubitatio præsens procedit de Sæcularibus, contra quos fulminatur pœna Interdicti ingressus in Ecclesiam, & tunc dico, hanc non indigere sententia declaratoria criminis, sed statim tales transgressores se tanquam interdictos abstinere debere ejusmodi ingressu. Ratio est, quia interdictum ut diximus, numeratur inter pœnas, quæ tali sententia non indigent. Vel dubitatio procedit de Religiosis, quibus imponitur pœna inhabilitatis ad officia, & privationis vocis activæ, & passivæ: & tunc Dico hanc, sin oppositum satis probabili, indigere, ac propterea ante sententiam non obligari transgressorem Religiosum se tanquam inhabilem, & privatum gerere. Ratio est, quia inhabilitas ac officia, & privatio vocis activæ, & passivæ idem sunt cum inhabilitate ad Beneficia, & ad Regimen ferenda, vel perinde se habent, ac illa quæ (ut n. 6. diximus ex probabili sententia) talem sententiam declaratoriam requirunt.

*Quis possit absolvere in prædictis.*

9. Dubitabis tertiò. Quis possit absolvere hac pœna, si forte in illas aliquis incurrerit?

Respondeo; Si hæ pœnæ essent Summo Pontifici reservatæ, rursus si incurrerentur propter delictum adulterio gravius, esse aliqua difficultas; nunc verò facilis est responsio, posse nimirum absolvi, vel ab Ordinario, vel à superiore Regulari respectiuè ad inferiores. Sic Lezzan. *t. 1. cap. 20. n. 34. & 35.* Ratio est, quia cum non sint reservatæ, semper Ordinarij, & Prælati intelliguntur esse in suo iure valendi eas remittere, quando incurruntur ob crimina minus gravia, quam sit adulterium, ex declaratione Alexandri III. cap. *Ast Clerici §. De adulterio:* at certè audulterio minus grave est hoc de quo agimus.

*An licentia hæc valida sit sine scriptura.*

10. Dubitabis tertiò de validitate licentiæ, quæ hic requiritur, si forte habeatur, tantum ore tenus.

Respondeo adhuc tunc fore validam. Ratio est, quia illud, quod habetur in Decreto (*cum licentia in scriptis concedenda*) notat modum, non conditionem, & quidquid adiectum actui perfecto: quoniam ergo tunc non vitiatur actus, ut vidimus supra *l. 1. c. 4. § 5. n. 50.* nec vitiabitur hæc licentia, si scriptura deficiat. Quod autem scriptura hic, ut modus, non ut conditio, requiratur, si aliunde non pateret, inde probatur: Quia ex Sanchez *lib. 3. matr. disp. 33. n. 2.* forma expressa in mandato, quando non pertinet ad essentiam actus non habet rationem conditionis sed modi actum non vitiantis; At scriptura non pertinet ad substantiam licentiæ ut ex se patet ergo, &c.

*An sit valida si non sit gratis concessa?*

11. Dubitabis quartò. Quid si licentia concedatur pretio mediante? Respondeo licentiam esse validam, quamvis illicitè datam. Ratio est eadem, quia illud, quod est in Decreto (*cum licentia gratis concedenda*) significat modum, non conditionem, ut modo de voce (*in scriptis*) dictum est.

12. Certè (ut id, hac occasione, obiter dicam) quando in concessionibus Indulgentiarum ponit Pontifex *esse gratis publicandas ab Ordinariis*: si talis clausula ponatur solum enunciativè, & solum notans id, quod iure debetur, nimirum has gratias esse sine pretio concedendas, valida erit Indulgentia, etiamsi aliquid ab Ordinario recipiatur. At si ponatur clausula invalidans in hunc ferè modum: *ne aliquid recipiatur, alioqui indulgentia sit nulla*; nulla erit, si quid recipiatur. Ratio utriusque dicti est, ex Sanchez *ibid. n.* 4. quia ibi notatur modus tantummodo: hic, clausula illa clarè invalidans habet vim conditionis, unde nisi fiat juxta dictam clausulam, invalida erit concessio. Redeo ad nostra.

*An validè suscipiat onus perpetuum Missandi qui sine licentia suscipit?*

13. Dubitabis quintò. An si quis, esto delinquat (de quo *mox* §. 8. *n.* 18.) validè tamen onus perpetuum contrahat si sine licentia illud admittit.

Respondeo. Clausula Decreti hæc est: *Neque in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum sine licentia.* Si ergo hæc clausula est irritans, invalide contrahet, si solum est prohibens, sanè contrahet validè. Id ergo quærendum nobis est.

14. Suarez, quem Theologi ferè omnes sequuntur, Sanchez, Mol. Salas aliique apud Castrop. *tom. 1. tr. 3. d. leg. disp. 2. part.* 8. docet ex eo solum, quod lex prohibeat actum, non censeri actum nullum in conscientia, si fiat contra talem legem: sed si Legislator velit nullitatem talis actus, debet in lege verbis id explicantibus disponere.

Contra Iurisperiti ferè omnes, Baldus, Tiraquell. aliique apud Castrop. *loc. cit.* communiter docent statim atque lex prohibet actum, censeri illum nullum reddere, v.g. si ferretur lex in hunc modum: *Ne quis quidpiam hoc anno mutuum det.* Theologi affirmant, quod nisi in tali lege addatur clausula irritans in hunc, vel similem modum (*quod si dederit nullus sit talis mutui contractus*,) erit validus talis mutui contractus, esto annullari per sententiam possit à Iudice.

At Iurisperiti asserunt, sive addatur, sive non, clausula irritas, semper fore irritum, & invalidum ejusmodi contractum.

15. Ratio Iurisperitorum est, quia nihil prosus contra voluntatem Superioris, potest voluntas inferioris. Ratio Theologorum est, quia prohibere, & irritare sunt omninò distincta, prius enim edicit, ne fiat, posterius verò, ne valeat actus. Et sic non valet consequentia, lex prohibuit, ergo lex irritavit. Sanè Ecclesia olim prohibuit matrimonia clandestina, non tamen erant irrita, ut ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1 *de reform. matr.* constat.

Hæc sententia sine dubio est recipienda, & ad rationem Iurisperitorum respondendum, facientem contra legem solum prohibentem, non contraire voluntati Superioris quoad valorem actus, sed solum quoad actus prohibitionem, unde inhonestè, seu illicitè faciet, non verò invalidè. Nec obstat lex *non dubium*, *C. deleg.* quia illam satis bene interpretantur Castrop. *loc. cit.* aliique.

16. His ergo positis, iam ad resolutionem casus nostri facilis patet via. Cum enim Decreti nostri clausula sit solum prohibens, esto delinquat, qui sine licentia dictum onus suscipit, validè tamen suscipit, poteritque nihilominus talis susceptio à Superiore annullari, quia hic susceptionis actus non est incapax irritationis, ut ex prædictis Doctoribus latius colligi potest.

*An peccetur mortaliter ab eo, qui sine licentia tale onus admittit?*

17. Dubitabis sextò. An mortaliter peccet is, qui Missandi perpetuum onus suscipit sine licentia? Dico id exposcere altiorem tractationem. Cum enim hæc Decreta sint leges Ecclesiasticæ, imponántque in hac clausula pœnas dictas *num.* 1. dicendum est. An quando ejusmodi leges prædictas pœnas imponunt, obligent, non solum ad ipsas pœnas, sed etiam ad culpam, id quod *in § sequenti* commodius præstabimus.

## §. VII. *Occasione prædictæ Clausulæ, Quærimus, Quandò lex Ecclesiastica imponit pœnam, an obliget etiam ad culpam?*

1. Pœna, quæ in his legibus solet apponi, vel est spiritualis, vel temporalis: de quibus, qua ratione sint signa obligationis mortalis separatim est, claritatis gratia disserendum.

*Pœna spiritualis.*

2. Certum est primò, obligari fideles ad mortale, quoties lex Ecclesiastica aliquid præcipit sub pœna peccati mortalis. Huc reducuntur verba his æquivalentia, ut cum quid jubetur *in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub obtestatione Iudicij, sub indignatione Apostolorum Petri, & Pauli, sub pœna maledictionis Dei, sub stricto Dei judicio, in virtute Iuris jurandi, vel voti facti, & similium.* Usus enim jam obtinuit, ut hæc verba indicent intentionem Superioris obligandi sub mortale, comprobátque communis Doctorum sententia apud Valentiam *part. 2. d. 7. quæst. 5. part. 6. §. 3. Verbo, Tertium signum est.*

3. Certum est secundò, obligari item sub mortali quando lex præcipit sub pœna Excommunicationis majoris latæ sententiæ. Ratio, quia hæc, utpote omnium gravissima pœna, non incurritur, atque adeo nec imponitur, nisi propter peccatum mortale: nam ideo dicere aliqui solent, quod pœna dictæ Excommunicationis, vel peccatum mortale supponit, vel inducit.

4. Hæc sunt certa. Dubium autem est, An pœna lata vel ferenda Suspensionis, vel Interdicti, vel irregularitatis, vel pœna majoris Excommunicationis ferendæ, sint signa obligationis mortalis. Non meminimus Excommunicationis minoris, quia hanc non esse signum mortalis obligationis, cum soleat pro peccato veniali incurri, omnes communiter concedunt.

5. Et quidem in hoc triplex est sententia. Prima distinguit, aitque pœnam Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis ipso facto incurrendam, esse signum obligationis mortalis: at pœnam Excommunicationis ferendæ, & propter paritatem pœnam Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis ferendam, non item. Ita Castrop. *tom. 1. tract. 3. de leg. d. 1. part. 15. à num.* 30. alios citans. Ratio est, quia quando imponuntur ipso facto, sunt gravissimæ: at quando imponuntur ferendæ, cum requirant ulteriorem admonitionem, ad hoc ut incurrantur non censentur tam graves, & propterea nec sufficiens signum obligationis mortalis.

6. Secunda sententia nihil distinguens, docet omnes has pœnas spirituales, sive latas, sive ferendas signa esse per se, ut quod sub illis præcipitur sit præstandum sub reatu culpæ mortalis. Sic Sanchez *in dec. lib. 6. c. 4. à n.* 47. citans Suarium. Ratio est, quia per se (nisi aliud ex mente legislatoris, vel aliunde colligatur) hæ pœnæ sunt gravissimæ, utpote spirituales, quare concidendum est (inquit) obligare sub mortali.

7. Tertia sententia nihil item distinguens, tenet omnes prædictas *num.* 4. pœnas, sive ipso facto latas, sive ferendas, sive ipsam Excommunicationem ferendam,

non esse signum mortalis obligationis. Ita Val. 1.2. d.7. *quæst.5. p.6. verbo, Quartum signum*, citatque Navarr. Castrum, Caët. Quoad suspAzor *p.1.lib. 5.cap.6.q.5.* Quoad irregul. Sayr. *in clavi lib 3. cap. 7. num.25.* Consentit in multis, Salon. 2.2. *tract. 2. q. 77. art. 1. contr.8.* Quoad excomm. ferendam dictus Val. *loc. cit.* Castrop. *loc.cit* colligitur ex citat. Sanch. *l.2.in dec.c.31.n. 4. juncto n.26.* Hæc igitur tertia sententia exceptis verbis expressè, vel æquivalenter mortalem obligationem notantibus, ut vidimus *numero 1.* & exceptà pœna Excommunicationis latæ sententiæ, ut *numero 3.* diximus, & excepta legitima acceptatione, praxique fidelium, de qua infra *num. 17.* nunquam cognoscit obligationem mortalem, ex eo quod dictæ, vel similes pœnæ, sive latæ, sive ferendæ legi Ecclesiasticæ adjungantur. Ratio ex Valentia *loc. cit.* est, quia hæ pœnæ, etiam ipso facto latæ, possunt incurri propter peccatum veniale. Immo Irregularitas incurritur interdum absque ullo peccato, ergo quando imponuntur, non statim possumus conijcere imponi propter mortale. Adde in odiosis mitiorem esse interpretationem faciendam, & in dubio obligationis ab omnibus fere concedi, cum Castropal. *tom.2. tract.3. de leg. disp.1. p. 9. num. 1.* standum esse pro libertate, atque adeo obligationem esse accipiendam de veniali: Cum igitur hæ pœnæ possint explicari, quod afferant culpam venialem, vel mortalem, dicendum erit, juxta benigniorem interpretationem, & pro libertate, solum afferre venialem.

8. Hanc tertiam sententiam libens sequor, præsertim quia Valentia *loco citato* contra Ioannem Medinam, *Quamquam* (ait) *has etiam pœnas Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis Ioannes Medina in tractatu de Ieiunio non satis, ut patet, consideratè dixit, esse indicium obligationis sub mortali.*

9. Hæc Valentia. Qui sanè dum *ibidem* dixit ex pœnis spiritualibus solam Excommunicationem latæ sententiæ esse signum gravis obligationis, videtur consequenter excluisse à signo obligationis mortalis omnes similes pœnas v. g Depositionis, Degradationis, Privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, &c. & quidem meritò. Ratio est, quia privatio sepulturæ imponitur etiam pro nulla culpa (id quod immerito negat Castropalus *tom.2. tract. 3. de leg disput.1.p.5.num.15.*) ut quando in Interdicto locali etiam illi, qui non dederunt foro Interdicto causam, non possunt gaudere Ecclesiastica sepultura. Pœnæ vero Depositionis & Degradationis videntur impositæ pro foro externo, non, vero pro interno, id quod mihi persuadeo, ex duabus conjecturis, Primò, quia hæ pœnæ nonnisi secundum allegata, & probata extorquentur. Secundò quia si Irregularitas, ex modo dictis, non est signum mortale, cum tamen afferat impedimentum ad Ordinum susceptionem, vel executionem, nec erit Depositio & Degradatio, quæ supra dictum impedimentum, nihil aliud addunt, nisi extrinsecas quasdam demonstrationes solitas in depositione & Degradatione exhiberi; quæ nihil pertinent ad forum conscientiæ.

### *Pœna Temporalis.*

10. Sed jam quæramus de pœnis temporalibus, ad quas reducimus pœnam inhabilitatis ad officia, vel beneficia, privationis vocis activæ, & passivæ, & si quæ similes sunt aliæ; quamvis enim hæ corporales pœnæ nequaquam sint, certè temporales propriè sunt, non spirituales.

11. Præmitto legem pœnalem in universum duplicem esse, id est purè pœnalem & mixtam. Prior est illa, in qua sola pœna apparet, & nulla jussio, v. g. *Qui noctu arma portat, subeat pœnam carceris; Triremium, exilij.* Vel, *si quis arma ferat, pœnam carceris, &c.* Posterior est ea, in qua præter pœnam, apparet jussio, sive implicitè, vel explicitè, v. g. sic: *Iubemus, ne quis arma noctu deferat sub pœnam Carceris.* Vbi apparet expressa jussio. Vel sic: *Ne quis arma ferat sub pœna Carceris, &c.* Vbi implicitè, seu in actu exercito in illo imperandi (*Ne ferat*) adest præceptio. Hoc posito, simplex est sententia, sive sermo sit de Ecclesiasticis sive de legibus civilibus, nam propter paritatem rationis utraque simul agunt Doctores.

12. Prima sententia docet, omnes leges pœnales puras, sive mixtas in materia, & in pœna gravi non obligare transgressores ad mortale, quando de contraria expressa Legislatoris mente non constat. Ita Sotus, Azor. aliique citati à Sanch. *lib. Dec. cap. 4. num.* Ratio præcipua est, quia de natura legis, & præcepti inducere obligationem. Ergo solum ad pœnam, non etiam ad culpam gravem.

Adde quod pœna supponit culpam, secus pœna non justè infligeretur, nulla, vel non proportionata præcedente; quare si lex ad gravem pœnam obligat, supponitur gravem præcessisse culpam.

13. Secunda sententia distinguit, aitque legem penalem puram non inducere ullius culpæ obligationem, mixtam vero, inducere. Ita Sanch. *ibid num.6.* Castroparum differens *tom. 1. tr. 3. de leg. d.1.p.15.n.* Bonac. Vasq. *p.2. disp.159. cap.2.&. 3.* Ratio quod pœnalem puram, est, quia lex non operatur ultra intentionem Legislatoris. Cum ergo in pœna pura, clarè appareat Legislatorem ad solam pœnam velle obligare, subditos solius pœnæ, nulla jussione additta, meminit, consequenter dicendum erit ad solam culpam obligare velle. Ratio præcipua quoad mixtam, est, quia, in hac non inveniuntur. Pœna; & Præceptum: Cum igitur præceptum adsit, & appositio pœnæ non diminuat vim præcepti, sed potius augeat, remanebit præceptum in suo vigore, atque adeo, ad culpam, juxta materiæ gravitatem obligabit.

14. Tertia sententia, quam libens amplector, docet universaliter nullam legem pœnalem, sive puram, sive mixtam in quacumque pœna temporalis quantumvis gravi obligare in conscientia ad culpam, sed solum ad sustinendam pœnam. Ita Val. *p.2.d.7.q.5.p.6.§.3. verum signum.* Villalobos *in summ. tom.1. tract.2. dub.* citans Navarr. aliosque apud Dian. *1. p. tract. de obl. resol.10.* probabilemque fatentur Azor. *p.1.lib.5.cap.* Filliuc. *tom.1. tract. 21. cap.11. num.418. & 420.* Ratio potissima allata à Valentia est, quia quod legislatores sæculares, cum ipsi rarissimè, ne dicam nunquam soleant obligare in conscientia, certè si se expresse non explicant, sed solum pœnam, licet addito etiam imperio, exprimant: judicabimus illos, more suo, in conscientia, non obligare, & verè nihil aliud intendisse nisi id, quod exprimunt, nempe pœnam. Quod Ecclesiasticos verò, cum illè contra soleant se explicare quando in conscientia obligare volunt, apponendo pœnam Excommunicationis latæ, vel verba clare significantia obligationem ad mortale colligimus prodire quando non sic se explicant, sed solum explicant pœnam, quod ad illam solum obligare, & non ad culpam velint.

15. Adde quod odia sunt restringenda, & quod sint tot leges humanas diminuere, ne tanta præponderet multitudine sub mortali obligantium, Hebræis pœnis ut ex S. Augustino loquitur S. Thomas, efficiamur *quibus quidem* (verba sunt S. Thomæ *p. 2.q.107. art. cor.*) *legibus humanis etiam Augustinus (Epist.119.c. edit. Ven.1570.*) *ait esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur:* & paulo post repetendit eos. *Qui Religionem nostram servilibus premunt legibus, adeo ut tolerabiliior sit conditio Iudæorum, qui legibus sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciuntur.*

16. Ad rationem primæ sententiæ aliam [illegible] Respondetur de natura legis esse, inducere obligationem, sed eam ex verbis legis, & ex circumstantiis pendere, sed eam ex verbis legis, & ex circumstantiis pendenter conijcimus nimirum, sive ad culpam, sive tantum ad solam pœnam.

Ad id, quod additur, respondeo omnem pœnam supponere culpam materialem, seu juridicam, hoc est transgressionem legis, non vero semper supponere culpam theologicam, seu in conscientia. Et sanè communis est doctrina cum Sanchez *in Dec. lib. 6. cap. 4. num. 13.* Castrop. *tom. 1. tract. 3. de leg disp. 1. p. 24. n. 3. Ad quartum*, posse legem obligare solum ad pœnam, nullâ ratione intendendo obligare ad veram culpam, exemplúmque solet afferri de Regulis Fratrum Prædicatorum, obligantibus ad pœnam, non vero ad culpam.

17. Ad rationem secundæ sententiæ allatam *n.* 13. quatenus est contra nos, Respondetur negando appositionem pœnæ non diminuere vim præcepti: nam quando fertur præceptum cum appositione pœnæ, ipsa vis præcepti restringitur ad solam pœnam quando vero sit præceptum absolutè, cum non sit unde restringatur, obligat ad totum, ad quod se extendit vis præcepti, adeoque in materia gravi graviter; atque ita esse ex communi consuetudine, usuque fidelium testantur Doctores cum Val. *loc. cit. mox.* citando *part. 6. §. 3. Verbo Sextum præceptum.* Castrop. *tom. 1. tract. 3. de leg. d. 1. p. 9. num. 3.* Vnde nec negamus, quod etiam quando additur pœna, si lex sub illa pœna à communi existimatione, fidelíumque usu acceptetur, ut obligans sub mortali, idque certo constet (nam in dubio, pro libertate) sub mortali obligabit. Ita Suar. *de Sacram. disp. 8 sect. 1. § Hæc* Hortad. *de Euch. d. 2. diff. 3.* Val. *part. 2. d. 7. q. 5. p. 6. § Quintum signum.* Cujus rei ratio est, tum quia optima legum interpres est consuetudo, *l. Si de interpret. ff. de legib. cap. Cum dilectus, de consuetud.* tum quia ipsa consuetudo legitima vim habet legis, *l. Diuturna, ff. de legib.* S. Thom. *part. 2. q. 97. art. 3.* tum quia legislatores expresse vel tacitè volunt ita communitatem obligare, sicuti ipsa communitas pro majori saltem sui parte, libere (non autem per ignorantiam, vel coactè) vult ad aliquid obligari. Ita Val. *loc. cit § Quintum signum.* Atque id videre est in jejuniis Ecclesiasticis, in abstinentia à carnibus, certis diebus, in auditione Missæ, diebus festis in annua confessione, & communione Paschali, & similibus, quorum gravis obligatio, etiam si colligi ex alio capite non posset, certè ex communi existimatione, & consuetudine recepta, esset colligenda. Responsiones ad alias minus principales rationes adversariorum, facilè invenies apud citatos.

*Ex dictis deducitur, an peccet mortaliter Sacerdos accepians sine licentia onus Missæ perpetuum.*

18. Id nunc facile est decernere. Recole autem id à Sacra Congregatione prohiberi sub pœna ipso facto Interdicti, Inhabilitatis ad officia, & Privationis vocis activæ, & passivæ. Iam qui tenent pœnas ejusmodi positas in legibus esse signum mortalis obligationis, consequenter tenent, ejusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Qui vero illud negant, negant & hoc, esto prædictis pœnis subiaceat. Quod utrumque esse probabile, & tutum, ex rationibus, & authoribus pro utraque sententia allatis, nequaquam videtur negandum.

§. IX. *Super illud §. primi, num. 3.* Eleemosynas verò Manuales.

Vbi

*Præcipitur, ne Sacerdotes eleemosynas pro Missis recipiant nisi pro antea promissis satisfecerint.*

1. SAcerdos obligavit se ad celebrandas tot Missas, stipendio jsthuc recepto, quibus nondum celebratis, eidem sponte offertur alia eleemosyna pro aliis Missis, potestne recipere, seque obligare ad Missas eo prætextu, quod vel has, vel illas, quando commodè poterit, satisfaciet?

Decernit Sacra Congregatio *num.* 13. non posse, nisi quando infra modicum tempus poterit satisfacere, ut eadem Sacra Congregatio explicat *n.* 40.

2. Et quia dubitatum fuit, nA id sine exceptione, intelligatur? Respondit *n.* 43. adesse exceptionem unam, nimirum quando expresse ad dilationem consentiunt ij, qui Missas exposcunt.

3. Iterum dubitatum fuit. An Rectores Ecclesiæ magnæ devotionis possint eleemosynas recipere pro Missis, quibus non nisi post longum tempus satisfacere valeant; possint, inquam, ex eo capite, ne scilicet cultus Divinus, devotio, & concursus populi minuatur? Respondit *ibidem*, non posse sine expressa voluntate offerentium eleemosynas.

*Quantum importet illud (modicum tempus)*

4. Dubitabis insuper Primò: quale est huiusmodi modicum tempus, quo differre Sacerdoti licet Missas, accepto stipendio, promissas, quando non adest pactum, & conventio, ut nunc, seu in tali determinato die celebrentur?

Respondeo. Alij docent arbitrio prudentis, juxta Missarum numerum, necessitatem illas petentium similéque circumstantias id esse decernendum: sicuti decidunt communiter Doctores in illa verba Iurisconsulti *l. Si cum dies, de recep. arb. Si intra modicum tempus dederit, pœnam vitabit.* Lege Menoch. *de arbitr. Iudicum lib. 2. cent. 1. cap. 8. n. 10. ad finem.* Alij licere docent novis Missarum oneribus se gravare, si intra mensem possit quis se veteribus deonerare. Sic Marchin. *de ord. tract. 3. p. 2. c. 31. num. 5.* Alij idem tempus extendunt ad duos menses. lege Ripam *in l. si insulta, n. 36 ff. de verb signific.* Alij denique ad tres. Sic Ledesma, & Villalobos citati, & approbati à Delugo *de Euch d. 21. sect. 2. n. 54.* Omnes probabiliter, nisi tamen ex circumstantiis colligatur à postulantibus Missas majorem celeritatem requiri, juxta mox dicenda *num.* 8. Ratio autem ejusmodi probabilitatis est, quia hoc judicari communiter solet modicum tempus, & colligitur ex *c. præsentium 7. q. 1.* Vbi absens à sua Ecclesia per duos menses, causa ægritudinis, non dicitur defuisse: & ex Tridentino *sess 23 de refor. c. 1. & sess. 24 de reform. c. 12.* ubi Canonicis, & similibus per duos, Episcopis per tres menses conceditur posse à suis Ecclesiis abesse. Scio Peyrinum *declar. Constit. 9. Vrb. VIII. Ad.* 10 modicum tempus intelligere spatium trium annorum: sed profecto ei acquiescere non possum.

*An Missa celebranda pro Excommunicato vitando differri possit?*

5. Dubitabis Secundò, Si Sacerdos obligaretur ex stipendio celebrare aliquot Missas pro Petro v. g. & acciderat, Petrum nunc fieri excommunicatum non toleratum, recténe faceret Sacerdos, si differret dictas Missas, donec Petrus absolveretur, ad tempus scilicet habile, quo poterit dicto fructu Missæ Petrus gaudere?

Respondeo, rectè facturum puto, nisi quid expressè, conventum sit, sic enim utiliter Sacerdos geret negotium Petri. At Sacerdotem ad differendum non obligo, quia debitor quando non est ex pacto præfixum tempus solvendi, solvere quando vult, potest, nec tenetur expectare tempus, quo utilior esset Creditori solutio. Adde Petrum posse se conterere, & sic ex dictis *supra lib. 2. cap. 25. 4. n. 6.* fieri probabiliter aptum ad lucrandum Missæ fructum. Quare si is contritionem negligat, sibi imputet, non Sacerdoti non expectanti.

*De pœnis Missas intra modicum tempus non satisfacientium.*

9. Dubitabis Tertiò, qui has Manuales eleemosynas suscipiunt, nec Missas postulatas infra debitum tempus celebrant, quamnampœnam incurrunt?

Respondeo

Respondeo, nullam incurrere explicuit supra ipsa Sacra Congregatio §. 1. *n.* 41.

7. Id autem est ex vi hujus Decreti, nam cæterum Dico Primo eum, qui Missas, accepta stipe, promissas diu sine legitima causa differt, peccare mortaliter. Ita Fagund. Bonac. Beg. alique cit. à March. *de Ordine*, *tr.* 3. *p.* 2. *c* 31. *n.* 1. quibus adde Delugo *de Euch. d.* 21 *sect.* 2. *n.* 45. Ratio est, quia etiam sic peccat, qui nulla legitima excusante causa, solvere differt cætera similia debita. Adde & damnum, quod differens affert sive Animæ purganti, si sint offerendæ Missæ pro Satisfactione Defuncti, sive cuicumque Fideli, si is beneficia nunc necessaria, ut salutem infirmi, excarcerationem amici, vel simile quid per fructum Impetrationis, expectat.

8. Potest tamen hic regulariter loquendo, sicuti in cæteris debitis, inveniri parvitas materiæ, unde & tunc solum venialiter peccaretur. Parvitas autem, vel potest esse in paucitate Missarum, ut si de una, vel altera Missa agatur, vel in exigua temporis dilatione, &c. Rursus parvitas, & gravitas, in hac re non est pensanda quoad damnum spirituale, sed quoad ipsum tantummodo temporale, ut mox dicam *n.* 18. *in simili.*

9. Dices. Si quis Missa à te postulata nunc indigeat propter gravem v.g filij ægritudinem, si differas etiam unam Missam, etiam per unum, vel alterum diem mortuo scilicet infirmo, grave damnum infers, quia fortasse, per missam illam, filij vitam Pater impetrasset, ergo peccas mortaliter. Respondeo ideo à nobis dictum esse (regulariter) & sane idem evenit, in solutione cuiuscumque debiti; nam regulariter illam modico differre tempore non est mortale, quia parum pro nihilo reputatur: at si ea modica dilatio sit causa gravis damni in creditore, mortale erit. Est tamen notandum facilius in dilatione debitorum temporalium cognosci posse damnum creditori secutum, quam in re nostra, quia in nostra re nescimus, quid, posita etiam Missa, emolumenti sperati habuisset ille, qui Missam petiit: quare prudenti judicio ad hoc deliberandum opus est. Simile esset, si quis, acceptaret stipendium pro dicendis Missis in Altari privilegiato, & illas celebraret alibi, nam pensandum est detrimentum, quod Animæ purganti præsumitur ipse fecisse.

10. Dico secundo eundem Sacerdotem, qui modo dicto differt, obligari ad restitutionem. Ita Bonacin. aliique apud Marchinum *de ord. tr.* 3. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 2. Ratio est, quia tunc peccatur contra Iustitiam.

11. Rogas, quantum restituere tenetur; potest enim hic duplex considerari injustitia. Primò, quòd injustè retineatur stipendium Missæ. Secundò quòd injustè inferatur grave damnum Missam exposcenti. Pone verbi gratia, quod una Missa celebranda erat ad obtinendam sententiam Iudicis circa litem de mille aureis; ecquid restituere oportebit, unúmne argenteum dumtaxat, an vero etiam quanti valebat spes de vincenda fortasse per Missam lite, quam jam perdidisse supponimus?

Respondeo, teneri restituere unum tantum argenteum. Ratio est, quia quamvis peccaverit, tamen in communi hominum existimatione, non videntur fideles expostulantes Missas, ad aliud onus Sacerdotes obligare, nec Sacerdotes ad aliud onus se obstringere; nisi ad hoc, ut, nî Sacrum dicant, reddant stipendium receptum. Et quidem merito, nam Impetratio, seu spes impetrationis & similia bona spiritualia, cum sint inæstimabilia sub pretium temporale cadere non possunt, adeoque de illis contrahere sub obligatione illa restituendi, Fideles non præsumuntur. Nam propterea Doctores Bonac. Rodriq. Homob. Navarrus Fraxinell *loc. cit.* de hac re differentes, dum absolvere sine mentione alterius docent debere reddi eleemosynam, videntur docere non habendum esse respectum ad illud aliud damnum spiritale. Facit quod mox dicam *n.* 18.

*Quandonam obligatur quis Missas celebrare: si differatur solutio stipendij.*

12. Huc præsens quæstio commodè revocatur, licet nonnulla etiam quæ ad idem facere possunt, dicenda à nobis sint infra *cap.* 3. §. 3.

Dubitabis ergo Quarto in hunc modum. Ecclesia seu Monasterium debet Missam, quotidianam ex legato, seu Capellania titulo oneroso, hoc est, ex accepto redditu annuo ad hunc finem. Accidit autem, ut hæredes, sive ij, ad quos pertinet censum solvere, non sint solliciti ad solvendum, obligatúrne Ecclesia aliquam pecuniam exigat Missas celebrare?

Respondeo. Si facta morali diligentia (ad quam faciendam certè obligo Ecclesiam, posito, quod acceperit) certa moraliter spes adest recuperandi non multo post tempore pecuniam, obligatur. Ratio est, quia Ecclesia iam contraxit onus, & acceptavit, ut supponno: & ex alio capite tales exactiones in communi hominum convictu semper solent esse difficiles, nec propterea cessamus ab illis acceptandis, vel putamus ad nihil ex illis obligari. Quod si non sit talis spes, vel certe judicio prudentis, post multum notabile tempus, tunc posse Ecclesiam seu Capellanum celebrationem Missarum differre probabile puto, quia non est æquum, laborare me, alium gratis meis laboribus gaudere. Idem censeo, si adsit aliqua spes dubia; vel etiam probabilis, seu non sit moraliter certum, quia ob incertum stipendium non tenemur subire certum onus. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 1. Sotus *lib.* 10. *de Iustit. quæst.* 5. *art.* 3. Turrecremata *cap. Clericus dist.* 91. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 9. Hinc si ratione belli, vel pestis non sit spes ut solvantur consueti redditus Capellaniæ, non tenetur ad Missas Capellanus: immò si spe talis redditus bona fide Missas aliquot celebravit, potest deinde etiam post multos annos, quando forte solvi redditus incipient, dictas Missas cum præsenti censu compensare, quia nemo cogitur suis stipendiis militare. Quando talis dilatio census ea per aliquot annos est, ut deinde tota simul habeatur à Capellano, quid faciendum sit dicimus §. 3. *n.* 86.

13. Porrò si Testator assignat nunc initio anni v.g. censum annuum, vel prædium, cuius fructus habebitur in fine anni, obligabitúrne Ecclesia, vel Sacerdos, qui tale legatum acceptavit, Missas celebrare initio anni, an poterit in anni finem seu post exactum annum, habita nimirum jam pecunia, Missas celebrandas differre?

Respondeo. Puto initio anni, nisi, aliud explicite vel implicitè conventum fuerit. Ratio est, quia, ut modo dixi, iam in hoc casu est certa spes stipendij, & ex alia parte, acceptato jam à te censu, tibi incumbit satisfacere more communi hominum, ut dictum est, & raro in servitiis personalibus prius solvitur tota salem pecunia, quam adhibeatur servitiũ: cum videamus posse artifices prius operari, & famulos servire, & postea eis mercedum reddi. Certè si nunc mense Ianuarij tibi detur possessio verbi gratia Episcopatus, cuius emolumenta constant in annuo sensu, qui provenit, vel ex prædiis, vel ex decimis, vel similibus colligendis in fine anni, nonne nunc ab ipso initio anni Ecclesiæ servire, tuæque Diœcesis curæ vacabis? ita sane à die collationis ex Navar. *de orat. c.* 27. *n.* 26. vel salem sine controversia à die possessionis, ex Flam. Parisi. *lib.* 1. *de Resignat. q.* 9. *n.* 15. *ex more curiæ*, quia posito quod sis Episcopus, tibi illa onera incumbunt: pari igitur modo videtur esse in quolibet alio Beneficio, vel Capellania, seu onere acceptato Missarum. Nõ sic in eleemosyna Manuali, quia cum sit incertum an illâ habiturus sis, cumque nondum illam acceptaveris, jure expectas, donec illa tibi attribuatur. Quod si promittas nunc Missam celebrare pro futuro stipendio, tunc non est mirum, quod nunc celebrare teneris, quia accedit expressa conventio.

14. Vnum adverto, posse afferri disparitatem inter Beneficiatum, vel Capellanum, & inter merum legatarium Missarum: nam Beneficiatus, vel Capellanus ut dictum est de Episcopo acceptat totum onus Beneficij, vel Capellaniæ, & consequenter tenetur ex nunc onus Missæ satisfacere, quod est titulo Beneficij, vel Capellaniæ annexum; at legatario solum incumbit onus merum Missarum; quod, quia non obligatur explere,

explere, nisi propter eleemosynam, & non propter titulum, videtur æquiparari accipienti eleemosynam manualem, atque adeo (salvo melioré iudicio) posse expectare, ad Missas satisfaciendas, donec habeat eleemosynam legati: & quamvis legatum acceptaverit, videtur posse se tueri, (nisi aliud implicitè fuerit conventum cum legante, quod est facillimum, quando acceptant hujusmodi legata desiderata Sacerdotes) dicendo se ac cepisse pro suo tempore. Adde multum rationabile esse, quod ea, quæ debet qui pro alimentis alicuius debeat solvere anticipatè; ad sustentationem enim meam non debeo expectare finem anni. At stipendium hoc de quo loquimur, accipitur per se ob sustentationem Sacerdotis: ergo ni anticipatè detur, non videtur ipse obligari, quando non consentit ad postpositam solutionem. Sed hæc ut dixi, (salvo meliore iudicio) dubitativè sint dicta.

*De obligatione promittentis, accepto stipendio, Missas, & non satisfacientis.*

15. Dubitabis Quinto hac occasione: quid peccet, & ad quid teneatur Sacerdos, qui, accepto stipendio pro Missis, illas non celebrat?

Respondeo peccare ex genere suo mortaliter, & debere solum restituere stipendium: si enim quando Missæ differuntur ad tempus inutile id diximus *n.7 & 10* multo magis ad affirmandum, quando prorsus omittuntur.

16. Illud tamen ex materia Restitutionis hic, & *dicto num.7.* advertimus. non esse mortale negligere restitutionem rei ex se levis, atque adeo nec negligere restitutionem unius, vel alterius stipendij Missæ, quia ex iustitia veniali mortalem obligationem consurgere consentaneum non est. Neque obstat Sacra Congregatio in his Decretis, quatenus dicit, *ni dicantur Missæ præscriptæ, peccari graviter, & ad restitutionem teneri.* Non obstat, inquam, quia non est credibile Sacram Congregationem velle obligare plus quam quis tenetur iure naturali. Obligabit ergo mortaliter, si adest materia gravis, venialiter, si levis.

17. Petes: quando Missæ non sunt dictæ in Monasterio, cuinam incumbit onus supplendi illas, vel pretium restituendi. Superiorine, an ipsis subditis Sacerdotibus?

Respondeo: certè primo loco Superiori, advertendo tamen, quod Sacerdotes Religiosi obligantur ex iustitia Superiori obedire in celebrandis Missis pro Fundatoribus. Quod si hi iussi legitimè à Superiore, non dicent, obligabuntur, vel dicere, vel restituere stipendium ex suo peculio, si illud habent, eo modo, quo Doctores docent, Religiosos ex eo, quod fortè habent, obligari ad restitutionem, si aliquid ex Iustitia debent. Ratio horum est, quia contractui inito inter expostulantes Missas, & Conventum, ipsi se virtualiter obligaverunt, ut *supra lib.2.c.2.§.9.n.2.* diximus. Quod si particulares Religiosi sint ad dictam restitutionem impotentes, totum onus restituendi Prælato incumbere, cum illud stipendium nomine Conventus acceptum fuerit, palam est.

Dixi (Primo loco) nam negligente Superiore, in subditos iterum recidet totum onus, quia etiam ipsi contraxerunt, ut dictum est, & ad particulares pertinent officia communitatis, quando eanegligit Prælatus.

*De obligatione promittentis Missam sive stipendio, non stet promisso.*

18. Vt etiam id hac occasione decernam. Dubitabis Sexto. An qui ex liberalitate promittit Missas, nec illas celebrat, peccet, & ad restitutionem aliquam teneatur?

Respondeo. Licet aliqui etiam unum tantum Sacrum ex liberalitate promissum non celebrare, putent mortale; Ita Bonac. *de contr. d.3. q.12. p.1 n.8.* Petrus Navarr. *lib.2. de rest. cap.2.d.7.* tamen cum aliis probabilius est, non esse. Ita Sanch. Fagund. Mald. aliique citati à Matchin. *de ord. t.3. p.2 cap.18. n.5.* Ratio est, quia in hujusmodi promissionibus non est attendendum ad damnum spirituale, secus promissam Salurationem Angelicam non recitare, mortale esset, quia affert damnum spirituale, quod longè maius est, quam quodcunque damnum temporale. Metiri igitur debemus huius materiæ promissionem non ex quantitate damni, sed ex quantitate stipendij, ita ut qui Missam promittit, perinde se habeat, ac si promitteret unum argenteum, qui duas, duos. Quoniam ergo in promissionibus quadruplo maior quam sit in furto, debet esse quantitas, quæ constituat materiam peccati mortalis ex doctrina Sanchez *de Matrim. lib.1.d.5 n.24.* (cum in furto tollatur alienum in promissione detur voluntariè suum) ideo non erit mortale in casu nostro, nisi denegentur tot Missæ liberaliter promissæ, quot quadrupliciter superant in stipendio materiam furri gravis quæ cum in communiore opinione, & abstrahendo ab aliis circumstantiis sit trium circiter Iuliorum, Missæ promissæ denegatæ, ad hoc ut mortaliter peccetur, deberent ascendere ad numerum circiter duodecim. seu quindecim Missarum

Immò ex ea opinione satis probabili, affirmante cum Sà *v. Promissio, n.1.* aliisque, non esse mortale, nec restitutioni subiacere, non servare promissionem simplicem in materia notabili etiam legitimè acceptatam, quia id est contra fidelitatem, quæ non obligat cum tanto rigore, non verò contra Iustitiam, cujus obligatio est rigoriosior. Ex ea opinione, inquam, sequitur nunquam esse mortale, nec subiacere restitutioni Missas quamvis plures sine stipendio promissas (etiamsi promisisses dicere in Altari privilegiato, vel cum alia Indulgentia) denegare, quia jam tunc non fit, nisi contra Fidelitatem. Hinc si recideres ab aliquo stipendium pro Missis, & liberaliter promitteres eas celebrare cum Indulgentia, sed deinde celebrares quidem Missam pro illo, sed sine Indulgentia, venialiter tantum peccares, quia non peccares contra Iustitiam, sed solum contra Fidelitatem.

19. Excipe cum Castropal. *disp. de Euc.7.p.14. num.2. fine.* Primò, nisi addatur votum, vel iuramentum Deo exhibitum, vel præceptum Superioris, nam tunc non servare fidem esset contra Religionem, vel obedientiam, cum materia gravis tunc desumatur ex cultu, & honore, qui Deo per Sacrificium exhibetur, quod etiam unicum gravem Dei cultum continere (secus Missam die festo relinquere, non esset mortale) omnium est sententia.

20. Excipiunt Secundo, ex Rebellio *p.2. lib.18.q.14. n.5.* aliqui, nisi grave detrimentum promissario ob non servatam fidem obveniat, quia tunc lædetur iustitia propter damnum causa tua, iniustè illatum. Hæc tamen exceptio videtur quoad damnum spirituale non habere locum in casu nostro, quia, ut dictum est *n.11.* hoc non attenditur in hujusmodi promissionibus.

21. Dices, sequi ex hoc, quod si quis, accepto stipendio, unam v. g. Missam promitteret, nec celebraret, nunquam mortaliter peccaret, quia ex una parte materia stipendij est levis, & ex alia non habetur ratio boni spiritualis, cujus tamen contrarium visi sumus dixisse *num.9.* Respondeo: ex accepto stipendio strictiorem oriri obligationem ad Missam promissam, quàm eo non accepto, ipsa naturalis ratio dictat. Hoc posito, Dico mortaliter peccare, accepto stipendio, Missam denegans in urgente necessitate, quod solum *dicto n.8.* diximus, quia ad strictam obligationem consensit per receptionem stipendij Sacerdos, unde & consensit se habere respectum ad illam urgentem necessitatem, sive spiritualem, sive temporalem, ad quod non consensit in simili liberali promissione ex dictis *num.11.* In utroque autem casu non esse considerandum, nisi quantitatem stipendij, non vero damni quia de hoc non contrahere præsumuntur Fideles, *ibid.* diximus

22. Hinc etiam collige, si quis unam, vel alteram Missam homini liberaliter cum iuramento promittat (supposita probabilissima opinione cum Sanchez *lib.3. in dec.cap.4.num.23.* quod iuramentum promissorium de-

re levi solum venialiter obliget) si non celebret venialiter peccare: at accepto stipendio in urgente necessitate, mortaliter, quia hic est quid grave propter respectum ad necessitatem urgentem, ibi non item, ut diximus *n* 9.

13. Dixi (homini) nam si fiat Deo promissio procedit doctrina data *n.* 29

§. X. *Super illud §. primi, n.* 13. Capsulas auferant, *&c.*

Vbi,

*Præcipitur, ut ab Ecclesiis auferantur Capsulæ cum inscriptione eleemosynæ pro Missis.*

1. PRæcipit id merito Sacra Congregatio, ne per illas eleemosynas confusas, sua intentione frustrentur fideles.

2. Et quia dubitatum fuit, An pœna interdicti, &c. extendatur ad non tollentes has Capsulas. Respondit *ibid. n.* 41. non extendi.

3. Dubitatum insuper fuit, An deberent etiam tolli Capsulæ apponi solitæ in die Commemorationis Defunctorum cum inscriptione *Cassæ de morti*? Respondit *n.* 42 debere.

4. Dubitabis, an qui in sua Ecclesia non habuit talem capsam, atque adeo nunquam contraxit obligationem, illam auferendi, possit de novo sine timore horum Decretorum apponere? Rursus. Quid si quis auferat, sed deinde post aliquot dies reponat? hi enim non videntur ire contra Decretum, cum non negligant auferre, sed de novo ponatur.

Respondeo, utrosque ire contra Decretum. Ratio est evidens, quia statim atque capsula in Ecclesia apposita à te de novo est, consurgit obligatio illam auferendi, ergo ni auferas, Decretum non servas. Adde non vitare pœnam legis eum qui in fraudem legis operatur, *l. Non dubium, de legibus.*

Hic nihil præterea supereſt explicandum, vel addendum.

§. XI. *Super illud §. primi, n.* 14. Episcopus verò, *&c.*

Vbi,

*Cavetur ne Superiores prædictam licentiam concedant, nisi ipsis constet onera susceptа, & suscipienda correspondere redditibus.*

1. ID ita perspicuum est, ut alia explicatione non indigeamus.

§. XII. *Quid peccet, qui prædicta decreta non observat?*

1. CErtè hic aptus videtur locus decernendi. An singula hæc Decreta *de Celebratione Missarum* obligent ad mortale?

Qui non distinxerunt, confusè satis hanc difficultatem pertractarunt. Adverte ergo in his Decretis variè loqui S. Congreg. & secundum varietatem verborum de gravi, vel levi obligatione ab ipsa nobis, imposita esse iudicandum. Dico (ab ipsa imposita) nam de obligatione orta ex natura delictorum, ut in defraudante de Missis promissis, de non observante Fundatoris mentem, & similibus sparsim habes *in toto hoc Opusculo in suis locis.*

2. Jam vero Primum Decretum positum §. 1. n. 7. ubi interdicitur Episcopis, & Generalibus reductio Missarum, est sub his verbis: *Dictricte prohibet ne, &c.* & sub. illis: *Alioqui reductiones, omnino nullas, atque inanes decernit.* Obligat ergo hoc primum Decretum ad mortale. Ratio est illa, quam insinuavimus §. 8. *num.* 17. quia hoc præceptum est absolutum. Adde quod Episcopus per reductionem, quam faceret esset causa, ut non celebrarentur omnes Missæ à Fundatore præscriptæ, ergo cooperaretur ad iniustitiam

3. Secundum Decretum *ibidem* positum n. 8. ubi incipitur tot esse celebrandas Missas, Quot fuerunt scriptæ, per hæc verba fertur: *Sub obtestatione dicij & Graviter peccant.* Ergo peccare mortaliter facientes, ex dictis §. 8. *n.* 2. palam est.

4. Tertium Decretum positum *n.* 9. ubi tempore privilegia, certum est obligare ad mortale; quia privilegiis revocatis, atque adeo nullis in re gravi peccatum est.

5. Quartum Decretum positum *n.* 10. ubi prohibetur ne Sacerdos partem eleemosynæ Missæ sibi retinere ratione obligat, dixi *supra* §. 5. *n.* 6.

6. Quintum Decretum positum *n.* 11. de impetranda pecunia, fertur sub hac clausul.: *Sub pœna Immo egressus Ecclesiæ ipso facto incurrenda.* Obligatio ergo cundum opinionem, quam quis habet circa dictæ pœnæ gravitatem, & efficaciam, iuxta dicta *tom* §. *tim num.* 18. Nota tamen hic facile delinquere ius Fundatoris, si tua negligentia officiat perpetuæ Missarum.

7. Sextum Decretum positum *n.* 13. ubi præcipiantur eleemosynæ manuales pro Missis nil dentibus satisfactis sub hoc imperativo edicitur: *ueant.* Cum ergo quando per verba Imperativa tur, aliqui ad nullam culpam obligant, aliqui venialem, aliqui iuxta materiæ gravitatem & omnes quidem probabiliter, apud Castrop. *d. 1. p. 9. n. 3.* ita. hic dicendum erit.

8. Denique Septimum Decretum positum prohibetur, ne Episcopi facultatem concedant ra Missarum, nisi facta diligentia, etiam illa verba imperativa, *Diligenter inquiram*, Episcopi negligentia damnum fiat Fundatori, cendum quod *numero præcedente* dictum Decreto.

*Ad quid teneatur Successor, quando prædecessor Decretis observandis fuit negligens.*

9. Petes An etiam Prælatus successor in hæc &pœnas incurrat, si negligens sit in observandis cretis, quæ Prædecessor non observavit?

Respondeo. Regula generalis sit quod Successor solum peccat incurritque pœnas dictas, cum observata à Prædecessore, potest ab ipso immunis erit successor. Hinc sit, quod si Prædecessor deposuit pecuniam pro Missis apud Ædem non abstulit capsulam ab Ecclesia, si non fecit Missas ex stipendio iuxta voluntatem illas exponi & iuxta hæc Decreta, &c. ipse Successor Præcessor in sumpsit pecuniam in aliis usibus, possit talis pecunia haberi propter paupertatem sterij (nam cæterum debet adhiberi diligentia sore ut habeatur, quia Successor utpote nunc perior, tenetur quantum potest voluntates Monasterio commissas nondum completas vel si implicavit non servatis servandis, onus sine licentia, vel suscepit Missas, nunc satisfieri possibile est, ad nihil Successor quia hæc mala sunt irreparabilia.

## CAPVT II.

### *De obligationibus Capellani, vel Sacerdotis celebrandis Missis*

1. QVoniam non omnia, quæ ad obligationes rum pertinent, explicare in prædictis Sacræ Congregationi propositum fuit, unde nec dem interpretantes, in medium afferre universa mus: nonnulla quæ supersunt, breviter in sequ exhibere, operæ pretium erit.

§. I. *De loco, ubi celebrare quis teneatur.*

*Quoad peccatum.*

1. PRo hac re duas regulas præ oculis habe. Regula prima: Quando Fundator, vel quicumque Missas, largita stipe, postulat, eligit talem Ecclesiam, Capellam, altare v. g. privilegiatum, princ. paliter, ut ibi Præsentia seu Officiatura Missæ adsit, peccatum est ex genere suo mortale alibi celebrare: Ita Bonac. Fag. Barbos. Ricc. aliique apud March. *de ord. tract.* 3. *p.* 2. *c.* 14. *à n.* 1.

Regula Secunda. Quando vero principalis finis fuit velle Missæ Applicationem, non est peccatū mortale alibi celebrare, imò ne veniale quidem, quando constat non curari, nisi de Applicatione. Ratio prioris. Regulæ est, quia tunc fit contra mentem erogantis eleemosynā. Ratio posterioris est, quia cum Sacrificium sit, in quocunque loco, ejusdem valoris; contra disponentis mentem, saltem, in re gravi, nequaquam fit.

Qua ratione constare possit expoſcentes Missas, Præsentiam, non vero Applicationem, vel contra intendisse: diximus supra *c.* 1. § 3. *à n.* 15.

2. Dixi autem in prima Regula, *ex genere suo*, nam dari hac in re parvitatem materiæ, unde solum venialiter peccari posset, non est ambigendum. Certè Capellanum obligatum toto anno Missam quotidianam in certo Altari celebrare, si bis, vel ter in anno ibi non celebret, excusant à mortali propter parvitatem materiæ communiter Doctores cum Dian. *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 29. Ego certè, si uno vel altero die feriato, singulis mensibus alibi quis celebraret, non iudicarem in gravi materia delinquere. Obligatum celebrare in Altari privilegiato, si alibi celebret, facilius attingere posse gravitatem materiæ, quam obligatum in communibus Altaribus, ipsa naturalis ratio dictat, quia nimirum ibi magis inviti sunt Fideles, quam hic.

3. Excusat item facilius, & meritò Delugo *de Euch. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 36. celebrantem in alio Altari, quam in designato, sed in eadem Ecclesia, quam celebrantem in alia Ecclesia à designata: quia scilicet tunc minus receditur à voluntate Missam expoſcentis.

4. Notatque *ibid.* Delugo, Capellanum quotidianæ Missæ ex rationabili causa celebrare raro alibi, quàm in loco designato, neque esse veniale; quia non censetur Fundator cum tanto rigore suum Cappellanum obligare voluisse.

Illud non est omittendum, si constet Missas esse assignatas in tali loco, ut frequens populus audiat Sacrum, contingat autem nullos, aut valdè paucos ad Missam accedere, posse alibi celebrare, nisi aliud expressum in Fundatione Missæ sit. Ratio est, quia cessante causa præsumitur Fundator velle, ut cesset effectus.

*Quoad restitutionem.*

5. In hac dubitatione, illud observari debet. Ad quidnam teneatur Sacerdos, ad Præsentiámne, an etiam ad Applicationē? Si ad Applicationem, & non applicat, iam diximus supra *c.* 1. § 6. *n.* 10. *& n.* 16. ad restitutionem solius stipendij obligari. Quod si finis, propter quem erat Missa applicanda, adhuc perstat, dubium non est, quin ad applicandum teneatur, retento sibi stipendio: quia res integra est & pactum initum servari potest.

6. Si verò debeat Præsentiam, nec tamen celebret in loco designato. Aliqui docent obligari, sive omissas Missas in loco præscripto celebrare per se, vel per alium, sive restituere stipendium, & si sit Beneficiarius restituere fructus Beneficij. Ita Azor. Fagun. Riccius apud March. *de ord. tr.* 3. *p.* 2 *c.* 24. *n.* 7. Aliqui negant obligari ad restitutionem ullam. Ita March. *ibid.* aliique apud ipsum. Ratio illorum est, quia talis Sacerdos non fecit contractui. Ratio horum est, quia licèt hic non stetit contractui, cum defecerit in Præsentia, unde & ex genere suo peccaverit mortaliter ut, *n.* 1. diximus: tamen non peccavit in substantia contra justitiam, sed contra fidelitatem, quandoquidem dum alibi celebravit ut supponimus, non privavit Fundatorem fructu debiti Sacrificij: quod ejusdem valoris est, ubicumque offeratur.

7. Hæc posterior sententia mihi magis placet quam confirmo, quia hic non debet stipendium reddere, cum jam applicuerit Missam suo stipendio dignam. Nec debet Missam omissam repetere, quia vere illam non omisit, ut supponimus, sed dixit, applicuitque pro Fundatore, licet in alio loco à designato: solum igitur deberet supplere honorem loco designato debitum, vel commoditatem, quam populus habuisset audiendi Sacrum, sed hanc commoditatem non potest restituere, cum dies illa jam præterierit: illum vero honorem nec restituere tenetur, quia ille idem honor, cum fuerit addictus ad illum diem (erat enim cultus illo die exhibendus) non amplius obligat: imò per novum cultum, qui nunc exhibetur, præteritus honor neglectus non resarcitur, quia homines non advertunt ad antecedentem defectum, quem delere, hoc præsenti cultu intendit Sacerdos.

*Non approbatur Diana nec Bonacina.*

8. Diana *p.* 2 *t.* 14. *res.* 29. asserit prædictum Sacerdotem non teneri ad restitutionem, nisi tamen aliquod Suffragium Defunctis subtraxerit, quia videlicet, si in designato Altari celebrasset, aliqui ad eum locum convenissent, ut sacro interessent, & mortuos precibus adjuvassent; & in hoc casu (ait) debet Sacerdos aliis precibus compensare.

Sed non placet hæc doctrina, scrupulósq; ingerit Sacerdotibus. Quæso enim te, edissere, quot quantasque orationes compensabit? Decerne, quot numero fuissent illi, qui in tali Altari Sacrum audissent, quot, qui defunctos orationibus adiuvassent; quanta intensione orassent, quantam, dum Sacerdos compensat, intensionem exhibeat? hæc enim nosse oportet, ut ad quantum Sacerdos obligetur, & quantum det, decernatur.

At, inquies, hæc à nobis determinari non possunt; Rectè, ergo per illam doctrinam nihil egisti, nisi quod scrupulos ingessisti. Sanè quando res tanta laborat indeterminatione (cum subiaceat multis erroribus) reduci ad praxim moraliter non potest, unde nec debet. Lege in simili Delugo *de Pœnit. d.* 16. *sect.* 15. *à n.* 606.

9. Bonacina *de Euch. d.* 4. *q. ult. p.* 7. § 4. *n.* 5. per similem incedens viam, asserit non esse obligandum Capellanum, qui Missam debitam alibi celebravit, nisi fortè quatenus interest Fundatoris Missam alibi fuisse celebratam, ut si exempli gratia, non celebravit in Altari privilegiato: hic enim violavit fidem datam, cum detrimento alterius.

10. Verum, pari modo, hæc limitatio improbari potest. Nam inquiro, quantum importat celebrare in Altari privilegiato? Dices importare plenariam Indulgentiam, atque adeo integram animæ purgantis liberationem. Respondeo. Quid si illa anima erat inter Beatas in Cœlo? illi damnum non fecisti, & illi, cui forte illa Indulgentia applicata fuisset à Deo, tu nihil ex justitia debebas. Deinde (dato quod fuisset certa Indulgentia Plenaria) hæc non est ad æqualitatem pro omnibus; Animæ enim debenti ut duo prodest Indulgentia Plenaria perfectè illam liberando ab igne: & Animæ debenti ut centum prodest dicta Indulgentia, illam similiter liberando. Quid ergo faciet in tanta indeterminatione Sacerdos? compensare tenetur undecem, an ut centum? Iterum dices. Celebret denuo, sed in Altari privilegiato: nam sic compensabit quantum Deus novit esse necessarium illi animæ, cui detrimentum factum est. Respondeo, ex hoc jam habemus talem Sacerdotem non teneri ad Orationes, quia nescit quantæ necessariæ sint: Sed nec ad iterum celebrandum in Altari privilegiato illum obligare sub novo peccato audeo, (quamvis, ut id faciat, omninò consulo) Ratio est, quia ut supra *cap.* 1. § 9. *num.* 10. *& num.* 16. vidimus, nec Fideles Sacerdotes censentur contractum inire sub obligatione restituendi tale damnum spirituale, sed solum sub obligatione ut præ. Adde quod hic Sacerdos sic cogeretur multò plus reddere, quam deberet, ad quod certè nemo cogendus ex justitia

stitia est, nam ipse debebat Applicationem unius Missæ, licet in Altari privilegiato, quam Applicationem, quamvis in Altari non privilegiato, jam dedit; si ergo nunc obligatur iterum applicare Missam in Altari privilegiato, redderet Applicationem duarum, nempe jam datam in Altari non privilegiato, & hanc præsentem in privilegiato.

*Comparatio Altaris Privilegiati, & Calculi Benedicti.*

11. Dubitabis, hac occasione, insuper An Sacerdos ob acceptam eleemosynam obligatus in Altari privilegiato celebrare, satisfaciat alibi celebrando, prætextu, quod secum habeat Calculum, seu Numisma benedictum, cum quo æqualis Indulgentia Plenaria acquiritur?

Quamvis aliqui concedant, quia hic Sacerdos satisfacit per æquipollens, utroque enim modo applicantur Christi merita. Ita March *de ord. tr. 3. p. 2. c. 24. n. 8.* Fraxin. Megal. Pasq. apud Lezzan. *v. Missa n. 45.* Tamen omnino puto cum Delugo *de Euch. d. 21. sect. 2. n. 39.* nequaquam satisfacere. Ratio est, quia regulariter Indulgentia applicata Altari, solet esse magis authentica, & secura, quam quæ applicatur calculo, & fortasse minus dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum. Adde fideles adeo esse addictos (& merito) ad Altaria privilegiata supra Calculos benedictos, ut prorsus per hos non præsumantur satisfacti.

12. Neque valet dicere satisfieri per æquipollens. Nam obstat ipsa justitia contractus, quando enim contractus expresse initur de aliqua re determinata, v. g. de hoc equo, non servatur justitia, dando alium equum, quem nullo modo vult alter contrahens: Ita Molin. *de contract. disp. 561.* & *passim.* Multo magis, si equus sit vendito deterior, aliud enim pro alio, invito creditore, solvi, ex vulgatis legibus *l. 2 §. 1. ff. si cert. per l. eum à quo, C. de solut.* non potest. Si ergo tecum Missam expostulans contraxit de Altari privilegiato, excluserit æquipollens; multo magis Calculum, qui non est simpliciter æquipollens, cum sit minus securus, quam Altare.

§. II. *De Dispensatione alibi celebrandi.*

1. POtest Episcopus sine dubio in hoc dispensare, quia in iis, quæ passim occurrere possunt, habet is dispensandi potestatem, ut alibi diximus. Ita Bonac. *de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 4. n. 4.* Barbos. *de potest. Episc. t. 2. all. 28. n. 8.* Nald. *v. Missa, n. 34.* Lege Pasq. *decis. 429.* qui id extendit ad Rectores Ecclesiarum. Cum autem de natura dispensationis sit, ut adsit causa rei dispensandæ proportionata, & hanc adesse hic debere semper supponendum est. Et quidem legitima sine dubio causa esset utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, necessitas infirmitatis, & similia, bis, vel ter in anno posse alibi celebrare Capellanum quotidianæ Missæ, diximus §. 1. *n. 4.* ex interpretativa voluntate Fundatoris.

2. Sed quid? præter licentiam Episcopi requiritúrne consensus Patroni, vel Hæredis? Rursus solus consensus Patroni, vel Hæredis, sine Episcopi nutu, satisne erit? Respond. ad primum, non requiri. Ita Bonac. *l. cit §. 4. n. 3.* Ad secundum, non satis esse. Ita Barbos. *loc. cit. alleg. 24. n. 35. fin.* Ratio utriusque est, quia Episcop. non autem hæres clavem habet dispensandi. Fateor interim, imò adverto hæredis, patronive voluntatem, ad evitanda scandala, esse ex consilio requirendam.

## CAPUT III.

*De tempore obligationis celebrandi.*

§. I. *An obligatus celebrare quotidie possit quandoque?*

1. POstulans Missam, vel principaliter intendit cultum talis Altaris per celebrationem Missæ, vel principaliter intendit ipsam Missam in tali Altari dicitur electa persona Sacerdotis, ibi locus Altaris.

Verum quandonam iudicabitur electa persona, quando locus?

2. Dico recurri debere ad verba Fundatoris, seu dantis Missam, vel si hæc sint obscura, ad has canones, ex March. *de ord. tr. 3. p. 2. c. 23. n. 7.*

Prima regula. Si petens Missam intendat remissionem pœnarum, si Applicationem Missæ, si Imperatum, & similia pertinentia ad ipsum Missæ valorem, electa est persona: si cultum, honorémve Altaris, seu commoditatem populi, si præsentiam, & similia pertinentia ad extrinseca Missæ, electus est locus. Ratio est, quia hæc posterior intentio ostendit, principaliter intendi cultum loci, atque adeo eligi locum; illa eligi celebrantem, atque adeo personam. Quo utrumque intendat, certè erit simul persona, & locus electus.

3. Secunda regula. Si verba Fundatoris dirigantur ad locum locus erit electus: si directè ad personam, Persona, v. g. si sic dicat: *Volo ut Missa celebretur in tali Altari*, est electus locus. Si sic: *eligatur Sacerdos, qui Missam quotidianam dicat*, electa persona. Ratio regulæ est, quia id ad quod dirigiuntur Testatoris verba, principaliter intendi rito præsumendum est. Quod si verba directè ad que dirigantur uterque, id est tum locus, tum persona erunt electa, ut si sic dicat: *Volo ut in tali Altari Sacerdos pro anima mea celebret.* Verum si adhuc sint dubia, recurratur ad regulas datas in simili §. 3. *à n. 15.*

4. His positis, quamvis aliqui putent esse distinguendum, & quando est electa persona, aliud dicendum quam quando est electus locus. Ita Sylvest. Azorius, Adriquez, Beia, Bonac. apud eundem March. loc. cit. Tamen puto esse probabile, posse dari absolutè hanc universalem regulam, Vt sive sit electa persona sive locus, sive utrumque, Sacerdos Beneficiatus, Capellanus, vel alio quopiam titulo obligatus toto anno Missas quotidie celebrare, possit intermittere, seu vacare semel in domada. Sic Tol. *l. 2. c. 3. n. 3.* ex *c. significarum, de prab.* Gavantus *in rubr. Miss. p. 3. tom. 12. n. 17.* Bonac. *d. 4. quæst. ult. p. 7. n. 6.* ibi, *Qua de causa usu receptum &c.* favetque Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 6.* ibi. *Quare in eadem,* Naldus *v. Missa, n. 6.* Ratio est, quia celebrare anno sine ulla intermissione, onus nimis grave diceretur imponere fundator nequaquam præsumitur, cum onus redunder semper in Sacerdotem, directè quando si ipse sit electus, indirectè, & per necessariam consequentiam, si electus sit locus, ut in eo à Sacerdote celebretur, semper enim celebratio quotidiana Sacerdoti incumbet.

Nota primò, nos non indigere ejusmodi distinctione, si electa sit persona, vel si electus sit locus: æquè enim excusari quotidianum Capellanum iudicamus, si Fundatorem velle solum morali modo obligare, ut servare personam ad quotidianam Missam, non vero simpliciter: ut item morali modo velle honorare locum, quando eligit Missa quotidiana decorandum.

Nota secundò, nos non afferre pro ratione *Decretum, de Prabendis*, quo aliqui ad hoc probandum utuntur, sed intentionem præsumptam, & rationabilem Fundatoris; Putamus enim ex illo *cap.* non posse nos argumentari: siquidem *ibi* sic loquitur Pontifex de quotidiano Beneficiato: *Quanto frequentius poterit salva honestate sua, & debita devotione Missas celebrare.* Vbi Glossa sic habet: *Hoc dicit, quia non esset honestum ut bis, vel ter Missam in die celebraret: Vel, Salva, ut sine peccato mortali, quod esset inhonestum* Cum sic explicari rectè possit textus, ut de facto explicatus à Glossa, non possumus niti huic textui ad probandum illam vacationem in Beneficiato, vel legatario annuo, multo minus in obligato celebrare per solum mensem, vel continuum hebdomadam, vel

possint etiam & hi vacare, ut aliqui propter hunc textum, quando eleemosyna tota simul pro uno mense, vel hebdomada datur, minus bene concesserunt.

Dices concedatur hoc propter nostram rationem præsumptæ voluntatis elargientis eleemosynam. Respondeo quia per unum continuum annum physicè quotidie celebrate, est ex se difficile, ideo explicare potuimus non fuisse Fundatoris intentionem ad id obligare: at per unum mensem, vel hebdomadam continuo physicè celebrare, non est certè ex se difficile: quare ad intentionem elargientis eleemosynam quasi voluerit concedere tunc vacationem, recurrere nequaquam possumus.

5. Sed quoad vacationem prædictam: Excipe primò, quando Fundator expressè præcipit, vel ex ejus verbis, omnibus circumstantiis expensis, velle colligitur, ut sine interruptione Missæ quotidie celebrentur: nam tunc ex una parte, non possumus (cum constet de Fundatoris mente) aliter explicare, quam de continuatione physica: & ex alia parte, ad tale grave onus consensit Capellanus. Nec obstat honestum esse propter reverentiam aliquoties à celebrando desistere: quia etiam est probabilissima opinio, optimum esse, Sacerdotem, qui ad tantum Mysterium est institutus, quotidie sine ulla prorsus interruptione, celebrare; ad quam opinionem sequendam se Sacerdos obligavit dum ei oneri, quamvis difficili, accepto stipendio consensit: id quod etiam est satis moderatum, cum regulariter possit, quando velit, satisfacere per alium. Ad quos reduco eos qui obligantur ex legato.

6. Excipe secundò cum Suar. *de Euch. disp.* 86. *sect.* 1. §. *de beneficiis*, *circa fin.* quando onus est Ecclesiæ, vel Monasterij, ut curet dici Missam quotidianam, tunc enim nulla est danda vacatio, quia tunc non militat ratio dicta n. 4. Siquidem tale onus per varios Sacerdotes satisfaciendum, præcipitur. Idem puto quando expressè præscribitur Capellano, ut Missas quotidianas dicat per se vel per alium, vel ut Missas celebrare faciat, &c. talis enim expressio videtur significare non injungi onus Capellano celebrandi dumtaxat, sed curandi, ut celebrentur quotidianæ Missæ sine interruptione.

7. Dices cum Bonac. 4. *de Euch. d.* 4. *q. ult. p.* 7. § 2. *n.* 17. quando Fundator eligit personam, si intenderet quotidianam sine interruptione Missam, intendetet obligare Sacerdotem ad rem illicitam, quod non est, quando eligit locum, quia tunc non intendit, nisi cultum loci, & per accidens injungit quotidianam physicè obligationem, quam jam potest Sacerdos evitare celebrando per alium: ergo aliud præsumendum est, quando eligitur persona, & aliud, quando eligitur locus.

Respondeo, utrumque negandum esse, & quod quotidiana sine interruptione Missa sit res illicita, & quod non idem sit, quando est electus locus. Hoc posterius patet ex dictis, quia onus semper redundat in personam Sacerdotis; illud prius nec item multa probatione indiget. Quid enim ais? Ergo pij Sacerdotes, qui quotidie sine interpolatione sacrificant, illicitè agunt? ergo Regula Sacerdotum Societatis Iesv, quæ injungit, ut illi quotidie celebrent, illicita est? Audi Cassianum *lib.* 6. *de spirit. fornic. cap.* 8. approbantem Monachorum suæ ætatis quotidie sacrificantium, imò, & communicantium consuetudinem. *Qua puritate* (inquit) *oportet custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidie Sacrosanctis Agni Carnibus vesci?* Recte igitur dixisset Bonac. si id difficilè dixisset; nunc vero, cum illicitum dixerit, non rectè dixit. Et nota ipsum inter cæteros citare pro se Suar. *de Sacram. disp.* 86. *sect.* 1. §. *de beneficiis*, *circa finem*, qui tamen nunquam ejusmodi onus illicitum, sed onus intolerabile, hoc est, satis difficile toleratu, ut omnes fatemur, asseruit.

8. Illud hic addunt Doctores, Naldus *v. Missa num.* 7. Peyt. *tom.* 3. *in Addit. cap.* 1. *num.* 23. hunc Sacerdotem quotidianæ Missæ debitorem, posse quater, vel sexies in anno pro se, aut suis, vel aliqua alia causa occurrente Sacrificium offerre, quia non est putandum Fundatorem hoc rarum auxilium spirituale suo Capellano denegare voluisse.

*Vacare quoad Applicationem an possit Capellanus in die Commemorationis Defunctorum?*

9. Eo die omnes Sacerdotes ad celebrandum pro aliis etiam physicè quotidie obligatos posse, imò debere Missas applicare generaliter pro omnibus Fidelibus Defunctis, docent Fraxinell. *de oblig. Sacerd. sect.* 4. *concl.* 4. §. 22. & Gavantus *p.* 4 *in Rubr. Miss. Tit.* 15. *num.* 8. Ratio esse potest Prima, quia ita consuetudine introductum videtur.

Secunda, quia in titulo primæ Missæ Defunctorum dicitur, *Missa in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.* Nota illud, *Omnium*, non ergo unius in particulari.

Tertia, quia in Missa illius diei Oratio est generalis pro omnibus defunctis.

Quarta, quia intentio Ecclesiæ in tali solemni die est, ut generaliter omnes Defuncti etiam destituti aliis suffragiis a liuventur,

Quinta, quia sic propter pietatem per eas purgantes animas præsumi potest, voluisse quoscumque Missarum Fundatores.

10. Verùm hæ rationes licet probabile reddant, quod possint, non tamen convincunt, quod debeant, quia non est imponendum onus nisi de eo clarè constet, ut in simili sæpè diximus.

Ad primam autem Responderi potest, vel eam consuetudinem non adesse, vel certè non apparere esse introducta sub obligatione.

Ad Secundam, eum titulum solum ostendere illam Missam in specie, & non aliam debere recitari in illo die.

Ad Tertiam, Quamvis Oratio externa sit generalis, non propterea Applicatio Missæ non potest esse specialis. Pater in omnibus aliis Missis per annum, in quibus Oratio est semper universalis pro omnibus Fidelibus.

Ad Quartam, Ecclesiam id quidem intendere ut consilium, non ut præceptum.

Ad Quintam, voluisse non obligasse.

## §. II. *De die, quo conceditur Capellano vacatio, & obiter de Vacatione Diei Iovis Sancti, & Sabbati sequentis.*

1. EO die quo ut dictum est, licet à quotidiana Missa vacare Capellano, cum non obligetur vacare sed solum concedatur cessandi facultas, quæri potest, an si tunc celebret, possit illam Missam, pro se vel pro alio applicare?

Respondeo, non posse. Ita Tamb. *de iure Abb. tom.* 2. *d.* 5. *q.* 9. *n.* 15. (nisi forte aliquando utatur concessione, quater, vel sexies in anno, data *n.* 8. quam concessionem cum hac præsenti quæstione non legitimè confundit Peyt. *tom.* 3. *in Addit. cap.* 1. *n.* 23.) Sed posito, quod celebret, pro Fundatore celebrare debere. Ratio est, inquit, Bon. *disp. de Euch.* 4. *q. ult. p.* 7. §. 2. *n.* 16. quia tunc non vacaret ob honestatem, & reverentiam Sacrificij, sed ob avaritiam, accipiendo duas eleemosynas, alteram, qua ut Capellanus fruitur, alteram, quam nunc recipit.

2. Verum hæc ratio non est saltem universalis, nam posset pro se, vel pro alio liberaliter celebrare. Ratio igitur universalior esse potest, quia sicuti v. g. Dominus vineæ, si ea nullum fructum, seu modicum producit, nullo, vel modico fruetur; si vero ubertimum, illo integro non est defraudandus, ita cum omnes Missæ Capellani sint Fundatoris, illique omnes debeantur, posito quod celebrentur, Fundatoris esse, non alterius debent.

3. Confirmatur ex quadam doctrina Ioan. Delugo *disp. de Euch.* 21. *sect.* 2. *n.* 26. qui quærit, an Capellanus, qui obligatur omnibus feriis quintis, sextis, & Sabbathis totius anni celebrare possit vel debeat feria quinta Iovis Sancti, & sequente Sabbatho celebrare? Feria enim sexta non posse vidimus suo loco supra

supra *lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 1.* Respondetque non obligari, imò nec teneri deinde in alia hebdomada supplere, quia scilicet potest se conformare Ecclesiæ, eo die cessanti à Sacrificiis privatis, nec præsumendum est Fundatorem contrarium voluisse, addit nihilominus posse quidem celebrare, sed debere applicari, iuxta intentionem Fundatoris, atque adeo nec sibi, nec aliis posse eas Missas quamvis voluntariè dictas applicare. Hæc Delugo, qui huius ultimi dicti rationem non tradit, verum illa est quam nos *num. præcedente* ex paritate Domini fundi breviter deduximus.

4. Pro illis sex Missis in anno quas Capellano concessimus *§. præcedente n. 8.* potestne, quando pro aliis applicat, sumere stipendium? Respondeo, mihi videri non posse, quia contra hæc Decreta Sacræ Congregationis sumeret pro eadem Missa duo stipendia, & hic valere rationem Bonacin. *n. 2.* allatam fateor.

### §. III. *An celebrans aliis, quam designatis diebus, satisfaciat.*

1. SI quis obligetur celebrare v. g. feria quarta, sexta & Sabbatho totius anni, ipse celebret feria secunda, tertia, & quinta? satisfacitne obligationi?

Dico, si à Fundatore addicti tales dies sunt, v. l propter cultum, seu devotionem ut Sabbatho propter Beatiss. Virginem, Feria sexta propter Domini Passionem, &c. nequaquam satisfacere: satisfacere si propter fructum Missæ. Ita Delugo *de Euch. disp. 21. sec 2. num. 43.* Ratio est quia ibi, non servatur Fundatoris mens: hic quoad principale, servatur, & parva illa variatio temporis, cum non sit in alicuius præiudicium; ad summum erit veniale, imò ex rationabili causa, nullum.

2. Non inficior etiam in prioribus casibus vix illam varietatem posse accedere ad mortale cum pariter videatur modici præjudicij. Excipe in casu, quo forte, sine causa, quæ Sacerdotem excusaret, alij, die festo, Missæ non interessent.

3. Idem cum eadem exceptione dicendum de eo, qui obligatus nunc, celebrat in alia hora, modo præsens forte necessitas alia hora non defuerit, ut supra *cap. 1. §. 9. n. 9.* dictum est in simili.

4. Atque ex his colligitur. An Capellanus obligatus quater v. g. in hebdomada facere Sacrum in tali Ecclesia, satisfaciat, si Sacrum ibi semper faciat in diebus feriatis. Nam si ex circumstantiis verbisque fundatoris apparet, finem Testatoris fuisse, ut ibi adesset Missa ob commoditatem vicinorum, vel simile, non satisfacit: si ob solum fructum, utique satisfaciet. Sic Bonac. *de Sacr. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. n. 5.* Id autem quomodo apparere in dubio possit, ex supradictis *c. 1 §. 3. à n. 13.* quivis colligere facilè poterit.

5. Quid si quis obligetur in mense v. g alternis diebus facere Sacrum, ipse vero quotidie celebrans absolvat obligationem in primis quindecim diebus, & quid si postponat, absolvatque in diebus quindecim posterioribus?

6. Dico cum Delugo *de Euch. disp 21. sect. 2. n. 43.* utrumque excusari posse, quia cum mutatio sit modici temporis, parva reputatur multo magis eo qui anticipat ob diligentiam. Semper autè habenda sunt præ oculis illa duo: Ne scilicet electus sit talis dies ob causam peculiarem, ut dictum est *n. 1.* & ne fiat in præiudicium aliquorum, prout dictum est *lib. 2. c. 2. §. 3. n 4 iuncto n 9.*

7. Denique si Missæ quotidianæ propter diminutionem redditus à legitimo Superiore reducerentur ad sexaginta v. g. Missas annuas, poterit Capellanus eas adimplere in duobus mensibus ultimis anni, nec obligatur in anni initio. Quamvis enim ratio legati pia peratsolvi initio anni *l. Si ita fuerit libertas relicta ff. de manum. Test.* lege Dian. *p. 3. tract 6. res 29.* idemque exposcat necessitas animarum Purgatorij, pro quibus illæ Missæ sunt fortè celebrandæ: tamen nisi aliud pe tat expressa conventio, vel voluntas Testatoris, vsus est in contrarium, & Testatoris mens satis ostendit huic moræ se consensisse, dum successivè per annos non simul Missas celebrandas esse, disposuit.

Quandiu posset Sacerdos differre in cæteris solutionem Missarum, diximus supra *c. 1 §. 5. n.*

### §. IV. *De hora, qua Capellanus celebrare tenetur.* Vbi.

*De Canonico celebrante hora Officij.*

1. DE hora qua celebrari potest, supra lib. §. 4. disputavimus, hic autem sermo est ra, ad quam Sacerdos se obligavit ex pacto. Et pactum servandum esse, darique parvitatem plus minus ab hora decreta discedatur, pariter lis universalibus; sicuti quodnam peccatum sit, pactum non servetur, colligitur ex modo dicto *n. 3.* Illud ergo huc tanquam in apposito loco dum reduco, An Sacerdos Canonicus distri Officij lucretur, si ea hora, qua Officium in recitetur, Missam celebret;

2. Communis, & vera opinio est, præciso Pontificis, vel legitimæ consuetudinis, non Bon. *de Euch. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. n. 7.* Ratio est, nec censetur esse præsens in Choro, qui Ecclesia celebrat. Distributiones vero dantur sol dentibus in Choro, exclusa, ut habet Trident. *c. 12. de ref.* qualibet Canonicorum remissione.

3. Per hoc autem non tollitur, quin ob neces Ecclesiæ, v. g. ob defectum celebrantium, Chori possit disponere, ut Canonicus tempore Missam in Ecclesia sua Collegiata celebret. Ita *ibid. n. 7.* tunc enim merito lucrabitur distribu quia, accedente legitima Superioris dispositione liter iudicatur Canonicus non abesse.

### §. V. *Pro quo sit prius celebrandum quando pro simul debes?*

1. DAt tibi eleemosynam manualem Petrus pro cem Missis, dat Paulus item similem stipe aliis decem, nec alterutri anterioritatem promisi enim non est dubium promissioni tibi standum es quo prius satisfacias, pro Petro, an pro Paulo?

Respondeo pro quo velis. Ratio est, quia cum ctis *cap. 1. §. 9. n. 4.* habeas latitudinem duorum, v mensium, in quibus satisfacere vales, potes quem eris intra idem tempus anteferre.

2. At quis æquius præferetur; Respondeo, cen prior petit juxta Reg. juris, *Qui prior est tempore, p est iure*, nisi propter aliquam circumstantiam contrarium persuaderet.

Aliqui censuerunt æquum esse, ut alternatim modi onera satisfierent, ita scilicet ut uno die tur pro uno, altero die pro altero, & sic vicissim nem usque; quod certè est probabile. Ita Fraxin. *obl. sect. 4. concl 4. §. 5. n. 2.* referens Bonac. aliosque.

Petes: in hoc casu ritène satisfaceret Sacerdos celebraret viginti Missas in communi simul pro Pet & Paulo, qua ratione in singulis Missis dimidium ctus obveniret uni, & dimidium alteri? Respondeo non aprobatem propter varias rationes, quas v apud Fraxin. *ibid. n. 1.* sed maximè propter voluntat petentium, qui dum petunt à te tot Missas, tum simul separationem, tum communionem cum aliis cau dere videntur.

Quisnam æquius præferatur, si quando Ecclesiæ res pluribus Missas debet, & non potest omnes cele re, dicam infra *cap. 5. n. 4.*

### §. VI. *De dispensatione quoad tempus: remissione.*

1. CIrca hoc. Dico eundem Superiorem iisdem causis posse dispensare in tempore, qui poterat in loco, nam propterea recole, quæ dicta sunt *cap. 2. §. 2.*

CAPVT

## CAPVT LV.

### *De Capellano celebrante per alium.*

#### §. I. *Quando quis potest celebrare per alium.*

1. SIt unica regula. Quoties Fundator non ponit hanc clausulam, ut *perseipsum Capellanus celebret, seu non celebret per alium*, poterit semper per alium supplere. Ita Bonac. *de Euc. d. 4. q. ult. p. 7 §. 1. n. 1.* March. *de ord tract. 2. part. 2. cap. 4. num. 24.* Ratio est, quia ex una parte Sacrificium est æqualis valoris, & ex alia, nisi se Fundator explicuerit, nil, saltem principaliter, velle nisi ipsam Sacrificij oblationem, nec elegisse peculiarem personæ qualitatem præsumendus est. Adde multas Sacræ Romæ decisiones dictam regulam confirmantes.

2. Hinc infero Primò; idem esse sentiendum in eleemosynis manualibus. Si quis enim à te Missam exposcat, nec explicitè postulet, ut per te ipsum satisfacias, poteris per alium. Ratio est jam dicta.

3. Infero Secundò, Capellanum prædictum habentem onus celebrandi in determinato Altari, vel Ecclesia, & posse per alium supplere, nec posse ab Episcopo compelli, ut per se celebret. Ita Bonac. *ibid.* Barbos. *de potest. Ep. all. 24. n. 29.* Ratio est, quia jam implet Testatoris mentem, quam non adimpleret, adeoque posset cogi, in illo casu, quo ipse personaliter, ut diximus, esset electus.

4. Infero Tertiò, non posse per alium satisfacere, eum Capellanum, qui in Cathedralibus gaudet, per suam Missam distributionibus quotidianis. Sic Grat. Mon. Gonsal. apud March. *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 29. num. 16.* Ratio, est, quia ejusmodi Capellaniæ requirunt Præsentiam personalem, unde, quando eligitur is Capellanus, fit veluti quædam conventio, ut nisi personaliter celebret, distributiones non lucretur.

Idem propter eandem rationem dic, si alicubi sit similis lex, vel legitima consuetudo celebrandi per se.

5. Infero Quartò, cum Bonac. *d. §. 1. n. 4.* posse aliquem celebrare applicando Missas pro aliquo effectu, ad quem alter Sacerdos obligabatur, hoc altero inscio, imò, & pro illis Missis, recipere stipendium. Petrus v. g. obligatur celebrare decem Missas pro Defunctis, nec tamen illas celebrare curat si Antonius eas, Petro inscio, celebrat proque dictis defunctis applicat, dico Antonium satisfacere obligationi Petri, idque posse deinde significacare eidem Petro, & accipere stipendium. Ratio est, quia iam Defuncti per alium lucrati sunt fructum, ergo dignus est hic alius sua mercede.

6. Infero Quintò, quid dicendum sit ad illum casum, de quo olim interrogatus fui Panormi. Confratres quidam elegerunt Antonium Sacerdotem, qui diebus festis celebret, & Confratrum confessiones audiret. Post aliquot menses nactus Antonius pinguiorem Capellaniam, satisfacere prædictis Confratribus intendebat per alium, poteràne id tentare contra Confratrum voluntates? Respondi negativè, cum enim eundem Confratres in Confessarium sibi elegerint (imò de consuetudine in nostris Regionibus sic intelligitur, cum Sacerdos eligitur ab hujusmodi Confratribus clarè constabat electam personam illam fuisse. Adde quod sicuti quando est obscura Testatoris voluntas, recurritur ad intelligentiam verborum eius, ita hic confugere oportebat ad Confratrum sensum, qui jam de sua mente contra Sacerdotis intentionem testabantur.

7. Infero Sexto. Si quis obligatus in tali Ecclesia pro aliquo celebrare, celebraret in alia applicando Missam pro illo, simul curans, ut alius Sacerdos celebraret loco ipsius in illa Ecclesia designata quoad præsentiam tantum, non verò quoad Applicationem; satisfaceret suæ obligationi. Ratio est, quia totam Fundatoris mentem adimplet. Solum est advertendum, ne Ecclesia illa sit electa forte, quia ibi adest Indulgentia applicandi ibi Missam pro Defuncto, tunc enim non impleretur mens Testatoris, ut per se patet.

#### §. II. *Quando Capellania possit non Sacerdoti conferri?*

1. EX dictis oritur illa celebris dubitatio. An Capellania Sacerdotalis relicta à Testatore possit conferri Clerico nondum Sacerdoti? Ratio dubitandi est quia ex una parte si Capellanus potest, ut dictum est, per alios satisfacere, quilibet Clericus erit ejusmodi Capellaniæ capax, cum possit per alium Sacerdotem satisfacere: Ex alia tamen videtur mens Testatoris Sacerdotem velle, dum Sacerdotalem Capellaniam instituit, esto, deinde Capellanus Sacerdos institutus, per alium velcat satisfacere.

2. Tres sunt sententiæ. Prima docet absolutè ejusmodi Capellaniam non posse conferri, nisi Sacerdoti. Ita Barbos. *de pot. Episc. all. 24. n. 37.* Garsias apud Marchin. *mox* citandum. Secunda, posse Clerico dummodo Testator non se explicuerit velle omnino Sacerdotem. Ita Bonac. *de Sacr. disput. 4. q. ult. p. 7. §. 1.* clarius Fagund. *1. Ecc. pr. lib. 3. c. 9. n. 3.* afferens exemplum Suarij. Tertia, cum eadem exceptione posse quidem, sed debere conferri solum ei Clerico, qui infra annum Sacerdos ordinari possit. Sic Marchin. *de ord. tract. 3. p. 2. cap. 29. n. 4.* Prima opinio fundatur in secunda parte rationis dubitandi, secunda in prima parte ejusdem. Tertia in paritate cum cæteris Beneficiis Sacerdotibus, in quibus ex Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref. c. si pro Clericis c. ei cui, de præbendis in 6.* sufficere solet habilitas, & potentia proxima ad Sacerdotium, qualis est in illo, qui infra annum initiari potest.

3. Ex his sententiis Primam non amplectimur, quia nisi Testator se explicet, non præsumitur tantum rigorem voluisse in sua dispositione. Secunda, & Tertia sunt probabiles, quia bonis rationibus innituntur.

4. Atque ex his rectè colligimus cum Fag. *ibidem* aliisque, posse quemlibet habere duas, vel tres Capellanias requirentes Missas etiam in diversis locis, quia hæ sunt instar Beneficij simplicis, quod non requirit residentiam, & per alium supplere jure potest.

*Quandonam Fundator præsumitur velle, ut Capellania Sacerdoti actuali conferatur?*

5. Dico illam esse universalem Regulam ex Doct. citatis: Debere Sacerdoti conferri, quoties verba Testatoris, sive laici, sive Ecclesiastici significant, affectant, seu postulant personam Sacerdotis; non debere quoties affectant ipsam Missam. Clarius: debere quando principaliter eligitur persona Sacerdotalis, secus quando principaliter intenditur Sacrificium.

Exemplis adhuc clarior fiet regula. Si quis Fundator ita disponat: *Elegatur seu præsentetur Presbyter bonæ conditionis, qui tot Missas celebret. Eligatur qui Missam celebret. Celebrentur à Sacerdote tot Missæ. Hæredes in tali Capella Capellanum eligant, qui tot. Missas pro me celebret; vel diu noctuque Altari serviat, divinaque officia recitet. Præsentetur, qui tot Missas in hebdomada celebrare teneatur. præsentetur Capellanus, seu Sacerdos*; Si inquam ita disponat Fundator, videtur solum onus Missæ respicere non personæ qualitatem. Nisi fortè id sit in Cathedralibus per distributiones quotidianas; quia tunc personalis est dispositio, ut *n. 4.* diximus.

6. Si sic disponat *Missæ tot celebrentur, non per alium, sed per proprium Capellanum meum, vel per proprium Rectorem Ecclesiæ. Capellanus meus deserviat personaliter Non eligatur nisi sit Sacerdos. Capellania non conferatur nisi Sacerdoti. Capellaniæ non præsentetur nisi Sacerdos Legatum meum non assequatur nisi Sacerdos. Iubeo conferri Sacerdoti, & non alteri præsentetur, seu conferatur Sacerdoti, qui sit Presbyter bonæ famæ* (nam per hanc geminationem videtur exposci Sacerdotium: ) si, inquam, aliquo ex prædictis modis disponat, eligitur ipse Sacerdotis persona; Nisi fortè alicubi, etiam positis his, vel similibus verbis fuerit introducta consuetudo contraria, ideſt, fuisse admissos Capellanos non Sacerdotes: nam tunc ex tali observantia subsecuta, videtur mens Testatoris explicata fuisse pro non Sacerdote.

7. Vnum non prætermittam ; esse nimirum probabile etiam in hoc secundo dispositionis modo *n.*6. dicto, satis esse si talis eligatur, qui infra annum possit ordinari. Ita Fag. *Ecc. præc.* 1.*l.* 3.*c.*9.*n.*2. Lother.*de re Benefi.*l.2.*q.*47. *n.*51.Ratio est:quia interim potest supplere per alium:& ex alia parte,qui intra tam modicum tempus fieri Sacerdos potest ; judicatur habere sufficientem habilitatem, cum is , qui in proximo initiandus est Sacerdos , ut Sacerdos habeatur in jure.

§. III. *Obligatus per se ipsum , per alium celebrans an peccet ? Et an obligetur ad restitutionem?*

1. QVod peccet , & quid ex genere suo mortaliter (ni excusetur à parvitate materiæ,vel à necessitate , de qua mox *cap.* 5. ) dubiúmne sit ; quia peccat contra mentem Testatoris , contra pactum : Vide quæ diximus supra *cap.* 2.§.aliqua enim ex illis sunt hic proportionaliter applicanda.

2. Quoad restitutionem.Dico non obligari. Ita Bonac. *disp. de Euc.* 4. *q.ult. p.* 7.§.1.*n.*2.ex Azor.Ratio est , quia quantum ad principale,(qui est fructus ex opere operato) tantum exhibitum fuit per alium , quantum fuisset per se ipsum cum omnia Sacrificia sint ejusdem valoris.

3. Dices,at devotio forte fuisset major ejus,qui per se ipsũ celebrare debebat, unde potuit illatũ fuisse damnum ei, qui Missam petiit,quoad fructum ex opere operantis.

Respondeo. At devotio fortè fuit major alterius , qui supplevit, unde potuit evenisse majus emolumentum ei, qui Missam petiit, Adde dictum fuisse supra *c.*1.§.9.*n.* 11. hujusmodi fructus spirituales , quamvis , à petentibus Missas omnino volitos , non cadere tamen , quoad restitutionis onus , in considerationem.

*De Sacerdote , qui committit alteri Missas , quas hic non celebret.*

4. Si Capellanus, etiam ille,cui permittitur per alium celebrare , alium deleget , & hic non celebret, quid fiet?

Dico Capellanum debere numerum Missarum vel per se , vel per tertium supplere , vel eleemosynam reddere. Ratio est,quia si à te ego emerem v.g.picturam à te faciendam , & tu traderes illam dato pretio , efformandam alteri tertio : si hic ex quocumque casu , etiam subitanea morte correptus , exequi injunctum opus non potest , tu non eximeris ab obligatione providendi me de pictura ; ita proportionaliter in casu nostro : Et Ratio ulterior est quia tibi perit , seu deficit ille suffectus, non mihi , qui tecum contraxi , non cum illo.

## CAPVT V.

*De obligatione Capellani, quando adsunt impedimenta celebrandi , quæ ipse removere non potest.*

1. ID hic agimus : nam quando removere potest , dicemus *capite sequenti*. Et quamvis utriusque tractatio commodiorem fortasse habuisset alibi locum,huc tamen, ubi agimus de obligatione Capellani , nec incommodè rejecta est.

2. Solent autem ejusmodi impedimenta se tenere vel ex parte Sacerdotis , vel ex parte loci, vel ex parte temporis,vel ex parte similium circumstantiarum,& quibus claritatis gratia , sic breviter separatim disputamus.

§. I. *De impedimentis ex parte Sacerdotis.*

1. SI Capellanus infirmus,carcere detentus , vel simili impedimeto laborans tenetur per se celebrare, nec potest ; certum est eum esse excusandum à celebrando per se, quia est legitimè impeditus. Ita Doctores *mox* citandi. Sed adhuc quæritur,an tunc statim teneatur per alium supplere , ne scilicet gratis fruatur interim stipendio annuali , quod pro se currit?

2. Dico distinguendum esse , *ibid.* Si breve est impedimentum , non tenetur;teneri , si longum , nisi expressè colligatur , mentem testatoris fuisse,ut nunquam Missa. Ratio est, quia præsumendum est Testatorem luisse tam rigide in brevi impedimento cum suo Cilano agere ; ut statim ad restitutionem teneatur ; in longo , vel quando se declaravit,præsumitur vel

3. Verùm quænam erit brevis , quæ longa infirmitas brevis,vel longus carcer ? &c. Respondeo loquendo infirmitate eademque est ratio de cæteris legitimis dimentis ; Barbosa *de pot. Ep.p.*2.*coll.*24.*n.*31. affirmitatem octo , vel decem dierum , Bonacina *de Euch. q. ult.p.*8.*n.*17.quindecim,et tum Petr. *de rest. lib.* 2. *cap.*2.*n.*210. unius mensis,Delugo *de d.* 21.*sect.*2.*n.* 49. mensium duorum : Omnes pater , quia in jure tale tempus breve judicatur. Vide *cap.* 1. §.9.*n.*4.Vide etiam *c.*3.§.1.*n.*6.ubi advertidati Vacationem , quando onus est susceptum absia , quæ curet dici Missas quotidianas:non etiam proportionaliter est dicendum non sufficere ad dum Monasterium , seu Ecclesiam impedimentum Sacerdotis , sed debere esse totius Monasterij,quod rarissimum erit. Nec deri vacationem accipeleemosynas manuales , vel legata annua ex ibiactis patet.

4. Quod si in Monasterio , vel Ecclesia adsint firmi , sed qui validiores sunt, sufficiant ad oniasarum : illa illorum infirmitas non excusabit, quin obligatio sit Monasterij,& non particularium,imtè iis , qui incolumes remanent , onus totum incumbet.

Quod si qui sani remanent omnia onera , quæ diversarum personarum habet Ecclesia, solvere non sunt: quæ possunt solvant.

5. At quarum personarum , quandoquidem non major ratio de una , quam de alia?Respondeo,at singulorum, ita ut omnes aliqua Missa careant, habeant,juxta majus, vel minus legatum à singulis clesiæ relictum , pinguiori plures Missæ , minus pauciores tribuendo.Ratio est,quia ita æquitas expre videtur , non enim video cur in hoc casu, locum bere possit illa Regula , *Qui prior est tempore , tior est jure :* cum prioritas non videatur hic esse momenti , ut vincat cætera posteriora legata forte guiora.

6. Negotium grave Capellani, vel incommoditas ducuntne dictum legitimum impedimentum ? Respondeo affirmativè de priore , sed de posteriore negat Ratio est quia negotium grave reducitur ad Necessitem : incommoditas , dum remanet in terminis inmoditatis , ad negligentiam , ad quam evincendam habet stipendium Capellanus.

Vnum adverto : Superiorem , quando videt summa Sacerdotum dicta legitima impedimenta,debere eis licitum ad alios advocandos in subsidium, æquitas postulat , ut si id possit , non negligat.

§. II. *De impedimento ex parte loci.*

1. SI Ecclesia est violata , si interdicta,si destructa , non inveniantur claves ejusdem,ad quid obligatur Sacerdotem?

Dico maximè hîc esse advertendum , an Fundator Præsentiam solam intenderit , an etiam Applicationem de qua re satis supra *cap.* 1.§. 2. *num.* 15. dictum est ; enim solum intendit Præsentiam ob commoditatem populi , vel ob aliud in tali die determinato , ad nihil Sacerdotem obligare pareret,quia jam impossibilis,vel moraliter, vel physicè reddita est executio mentis Fundatoris tali addicta die , nec alium diem curantis. Si verò tendit , vel Applicationem , vel merum cultum Dei,& consequenter Sacrificium nulli diei addictum , tum Capellanum obligamus , vel ad celebrandum eodem die in alio loco , si locus aptus suppetat , vel ad reservandum alio die.Ratio est supra tacta , id est præsumptum Fundatoris voluntas. Cætera pertinentia ad locum, vide loco suo supra *toto cap* 2.

§. III.

### §. III. *De impedimento ex parte temporis, & aliarum circumstantiarum.*

1. DE impedimento ex parte temporis tum ex proximè dictis tom. 2. c. 3. satis superque colligitur, quid sentiendum sit.

Idem de cæteris impedimentis, v. g. quod non inveniantur, nulla Capellani culpa, Calix, vestes sacræ, Hostia, & similia; ex dictis enim facilè quivis intelliget ad quid in ejusmodi casibus Capellanum obligare oportebit.

## CAPVT VI.

*De obligatione Capellani ad removenda, vel non apponenda impedimenta celebrandi, quando ea non apponere, vel removere potest.*

2. CApellanus obligatus cras, perendie, sequentibus diebus per se ipsum celebrare, est v. g. infirmus, vel carcere detentus, vel excommunicatus, &c. quam obligationem habet removendi impedimenta carceris, vel morbi ad finem adimplendi debitas Missas; Rursus, si permittat se in carcerē conici, si in remotas regiones discedat, si Missale projiciat, sanè impedietur, ne possit satisfacere: quærimus, quam obligationem habet hujusmodi impedimenta non apponendi?

### §. I. *Præmittuntur aliqua necessaria pro resolutione quæstionis.*

2. VT hæc, & similia decervamus, præmittendum est, quoties quilibet obligatur ad observandam aliquam legem, obligari etiam ad non apponenda impedimenta, & ad ea tollenda, si adsint, quæ obstant observationi legis. Si quis, v. g. obligatur audire Missam, obligatur etiam ad surgendum è lecto, quod est impedimentum illam audiendi. Ratio est, quia Superior, qui præcipit finem, censetur, & media ad ipsum præcipere, secus non efficaciter finem vellet, & sanè deficeret, si veluti terminum volens non curaret de via, non apponere autem, vel tollere impedimēta, unū est ex mediis ad habendū finem.

3. Quoniam vero non semper obligamur omnia omnino impedimenta removere, seu non ponere, statim enascitur difficultas, ecquonam modo nobis constare possit, quænam obligemur, quæ vero non item? Et quidem varij modi afferri solēt. Ille à Sanc *lib. 1. in dec. c. 15.* & à Merolla. *tom. 2. d. 4. de leg. dub. 37.* repetitus, ferè nunc ab omnibus recipitur; quod scilicet spectanda sint quatuor. Primò, vis, & rigor præcepti, quædam enim benignius, quam alia explicantur, ac minoribus causis excusantibus indigent. Secundò, necessitas, & utilitas, quam affert ejusmodi impedimentum, de quo an tolli, vel non poni debeat dubitatur. Tertiò: vicinitas, aut distantia, quam tale impedimentum, vel medium habet ad rem præceptam: minus enim distat ab impedienda auditione Sacri iter à me correptum die Iovis, & die Sabbati quam ipso die Dominico. Quartò, conjunctio per se, vel per accidens, seu intrinseca, vel extrinseca, quam habet medium cum materia seu re præcepta. Magis enim, v. g. per se, & intrinsecè conjungitur Breviarium cum recitatione Horarum, quod per se ad illas requiritur, quam conjungatur bona valetudo, aut non esse excommunicatum cum auditione Missæ, quæ solum per accidens ad illam pertinere videntur.

His diversimodè in singulis præceptis computatis, judicandum erit (ait *ibidem* Sanchez) an culpa sit admittere, vel non prohibere impedimenta illis præceptis obstantia. Sed id fusè persequi ad nos non pertinet: poterit legi Castropalaus *tom. 1. d. 1. de leg. p. 1.* & Merolla. *dicto dub. 37.* aliique ab ipsis citati.

4. Præmittendum secundo, in materia, de qua nos agimus, adesse unum, quod magis, quam in aliis materiis urget Capellanum ad prædicta impedimenta tollenda, vel non tollenda: nos enim hic supponimus adesse pactum inter Testatorem, & Capellanum, seu inter Missas expostulantes, & inter promittentes, quare cum hic urgeat titulus Iustitiæ, qui fortior est cæteris, major erit obligatio Sacerdotis. Fac, v. g. te debere centum Petro, ex contractu emptionis cum illo inito; certè non solum, eodem die, quo, ex conventione solvere debes, sed etiam in quocumque præcedenti, pro die conventa, urgeris ad tollenda impedimenta solutionis, si potes, immo & ad moralem diligentiam adhibendam, ut pecuniam pro eodem die habeat. Id quod non tam rigidè obligaris præstare in observanda, v. g. aliqua lege: neque enim obstringeris ante tempus obligationis tam strictè impedimenta quæcumque tollere, & media adhibere, v. g. non obligaris duobus, vel tribus diebus ante diem festivum abstinere, & itinere, ne scilicet ponas impedimentum ad audiendum, eodem festivo die, Sacrum.

His positis, rem hanc satis ex se variam, quinque dictis expedio.

### §. II. *Resolvitur quandonam Capellanus obligetur non apponere, vel removere impedimenta celebrandi.*

5. DIco primò, Capellanum, ut suæ obligationi satisfaciat, non posse die eodem, quo celebrare obligatur, ponere impedimenta per se obstantia Sacrificio. Hinc non potest se eodem die inebriare, dormire, confabulari, Missale projicere, vestes cæteraque Sacra instrumenta in arca reposita non extrahere, vel de loco vicino non accipere, &c. Ratio est, quia si hæc eodem die poneret, clarè convinceretur nolle suæ obligationi satisfacere,

6. Dico secundò, nec ante tempus obligationis posse Cappllanum apponere voluntaria impedimenta, quam vis per accidens obstantia, nisi ex verbis Fundatoris, vel præsumpta ejus mente, ei aliquid permittatur. Ratio ducitur ex rigore tituli justitiæ jam dicto.

7. Hinc deducitur Primò, an si Capellanus se inebriet ante tempus urgens celebrandi, peccet contra pactum initum; Secundò, quid si aliò discedat, ubi celebrare die statuto non possit; Tertiò, quid si ante dictum tempus projiciat Missale, vel Ecclesiæ claves? Quartò, quid si cibum nocivum comedat, vel quid simile faciat, quo infirmetur, & sic sacrificare non valeat, Agimus autem, quando non adest legitima excusatio, vel quando non suffragatur aliqua facultas juxta supradicta, vacandi, vel aliquid simile.

Puto enim in Primo, Secundo & Tertio peccari à Capellano cum obligatione restitutionis; in Quarto non item. Ratio est, quia se inebriare, vel discedere à loco Sacrificij, ut item Missale, seu claves projicere est veluti directè inito pacto velle contradicere: At comedere cibum nocivum, vel quid facere, quo in morbum incidat, non ita, & ex alia parte, nec ex voluntate Fundatoris, nec ex consensu subsecuto Capellani, præsumendum est, ipsum obligari ad sanitatem tuendam, propter hunc determinatum finem celebrandi.

8. Dico Tertiò. Si Capellanus sit infirmus, si carcere detentus, si simili impedimento constrictus, non obligatur sanitatem, vel liberationem procurare, ut satisfaciat obligationi celebrandi, nisi quid expressè in Fundatione dictum sit. Ratio est, quia non puto Fundatorem voluisse suum Capellanum in his corporalibus impedimentis involuntaris, quæ multum per accidens se habent ad celebrationem Sacrificij, tam rigidè obligare, dummodo quando potest, & quando iuxta dicta *c. 5. §. 1. & 2.* debet suppleat dictus Capellanus per alium.

9. Dico Quartò Si idem sit excommunicatus, suspensus, interdictus, ut etiamsi per ipsum stet, quòd locus, ubi celebrare debet, sit interdictus, obligari videtur ad procurandam absolutionem, semper intelligendo, si non potest per alium, vel alibi supplere. Ratio est, quia hæc sunt directa impedimenta Sacrificij ad quæ excludenda, cum potest, ratio iustitiæ omnino Capellanum cogit.

10. Dico Quintò, Quando cibum nocivum sumere

vel quid simile facere Capellano permisimus,quo impeditur Sacrificium, licet,si id prævideat, adhuc posse permittamus; nunquam tamen concedimus, id posse intendere.Ratio est, quia dum solum prævidet, utitur iure suæ libertatis à Fundatore verisimiliter non ablato, at dum intendit, facit contra pactum cum eodem Fundatore celebratum, qui nunquam id concessit, immò negavit:siquidem dum eum obligavit ad sacrificandum, obligavit ad volendum Sacrificium,non vero permisit illud nolle, nollet autem, si comederet nociva, ut impeditus morbo, Sacrum omittere cogeretur.

### §. III. *An Capellanus impedimentum violationis Ecclesiæ tollere teneatur?*

Vbi.

*Traduntur nonnulla de Violatione loci Sacri, ejusdémque Reconciliatione.*

1 ANtequam id decernam : Præmitto Primo, quod in Ecclesia quantumcumque consecrata, si per aliquod ex sequentibus delictis,(& quidem,satis probabiliter, ex Suarez *de Sacram.d.*81.*sect.*4.§. *His positis* Fagund. aliisque relatis à March. *tract.*3.*p.*5. *cap.* 10. *n.*10. non secretis, sed publicis) violata sit, hoc est sive per homicidium, sive per sanguinis, seminisve effusionem, sive per sepulturam infidelis, quamvis infantis, sive per sepulturam excommunicati, qui tamen post Concilium Constantiense nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percussor fuerit; non potest licitè, & sine mortali, sacrificari, nisi prius reconcilietur,( quamvis, sic sacrificans ex Suar. *loc. cit.* §.*Sed quæret* Sà, *V.Eccl. num.*20. Rodriq. *tom.*1. *q.reg.*16. *art.*6. ex *cap. qui*, *de sent. excommun. in* 6. nec suspensus maneat, nec irregularis, vel nisi in casu necessitatis de licentia Episcopi. Talem fuisse Panormi judicavit P. Bernardinus Piccinus Societatis Iesv, Theologus, Doctrina, & Sanctitate insignis, cum Ecclesia Cathedralis mane ipso die Pentecostes, in quem incidit festum Sanctæ Christinæ Patronæ Civitatis, fuisset, per effusionem sanguinis,violata. Immo necessitas tanta posset esse, ut si ad Episcopum recursus non pateret, cujus licentia non esset necessaria; ex Suarez, & Fagund. apud March. *de ord.tom.*4. *p.*3.*cap.*10.*n.*2. Talem iudicat Delugo *mox* citandus,si in festo Populus aliam Ecclesiam non haberet,in qua Missam posset audire.

Hæc autem, & huc pertinentia,cum passim à Doctoribus, & quidem latissimè,tractentur, non est cur & nos inculcemus.Lege Joannem Delugo *de Eccl.d.*20.*sect.*2. *à n.*52. qui fere universa, breviter,& cordate complectitur. Lege item Marchinum *loc. cit.* authorèsque ab ipso citatos.Lege denique *infra lib.*2. *cap.*7.§.5. ubi dicemus, quid faciet Sacerdos,si incepta Missa, contingat violari Ecclesiam.

2. Quoad Reconciliationem recolendum est, quod Ecclesia ubi Sacrificium Missæ celebratur, vel est consecrata, vel benedicta, vel solum ab Episcopo, seu alio potestatem habente, ad divina officia deputata, ut ex supra dictis, *de loco Sacrificij*, patet. Jam, si solum sit deputata, violarique contigerit, reconciliatione probabiliter non indigere, docent Navarr. Henriq. Sotus apud Delugo citatum *n.*59. aliique, quibus adde Suar. *de Sacr. d.*18.*sect.*4. §.*Quinto violatur*, *fin.* licet contrarium videatur docere *tom.*1. *de Relig. tract.* 2. *cap.*9.*n.*2. & 3. id quod nobis satis est. Si sit benedicta, quilibet Sacerdos simplex, aqúa per ipsum simpliciter benedicta, potest illam : formula petita à Rituali Romano reconciliare. Ita Layman. *lib.*5.*tract.*5. *cap.*5.*num* 12. aliique, colligitúrque ex *c.ultim.de consecrat.Eccl.* id quod supra diximus *lib.*2. *cap.*7.§.5. Quod si aliqui Religiosi facultatem obtinuerunt à Summo Pontifice, Ecclesias suas solum benedictas, reconciliandi, id, vel factum est,ad scrupulos eximendos, vel quia contrariam sententiam sequebantur. Denique si sit Ecclesia consecrata & debere ab Episcopo, aqua, per ipsum,cum sale & cinere benedicta reconciliari,dubium non est, nec dubium mihi est, Episcopum ejusmodi facultatem delegare non posse simplici Sacerdoti, atque adeo Vicario suo, qui non sit Prælatus. Ita Delugo *d. Euch.*20. *sect.*1.*n.*61. aliique ( quidquid dicant Rodr. Sà, Silvius apud Dianam *p.*2. *tract. Miscell.* Ratio est, quia præter id, quod supra *lib.*1.*cap.*5. in simili diximus,sic clarè deciditur *cap. Aqua*, *de Ecclesiæ.*Posse denique ex delegatione Summi Pontificis à Mendicantibus, & participantibus cum illis, aliisque quibusdam conditionibus, ejusmodi consectarias reconciliari, habes in Bulla Leonis X. in Bull. Rodr. *Bulla* 6. *Leon.X.* & apud Portellam *in dub. Reg. Eccl.in Add.n.*1. Rodr. *tom.*1. *quæst.Reg.*19.*art.*6. can. Tamburin. *de jur. Abb. disp.*18.*quæst.*3.*n.*41. Scio ipso, forte, in Ecclesia violata, peracto, an maneat reconciliata, dictum est *lib.*1.*cap.*5.*n.*8.

3. His positis : facilè responderi potest ad tam in titulo Dubitationem. Dico enim Capellanum seu quemcumque obligatum ad Missam hodie, in tali loco gubernandum, si contingat eum violari Reconciliatio dependeat ab ipso ( secus, huic stioni locus non est, sed recurrit doctrina dicta §.2. ) quia potest v. g. habere Rituale Romanum gari ad reconciliandam Ecclesiam. Ratio est, quia vis ut diximus *lib.*2. *cap.*7.§.5.*n.*2. *fine*, ad Sacrum privatum non pertineat Ecclesiam reconciliare, quia nunc supponimus eum teneri ex stipendio lebrandum, iustitia requirit, ut impedimentum tionis, quod tollere ipse potest, tollat, sicuti c. *num.*9. de aliis similibus impedimentis directo tum est.

Hæc notasse sufficiat, nam ex his ita decisis les casus non difficili negotio decidentur.

## CAPVT VII.

### *De legitima præscriptione quoad Missas.*

*Quandonam Sacerdos, vel Ecclesia contra onus Missarum præscribat?*

1. SI concurrant conditiones requisitæ à iure ad scribendum, præscribi etiam contra Missas Ratio est, quia universaliter potest legitimè præ contra ius,alterius etiam ignorantis; nec unquam ptio facta est in iure,quod non currat præscriptio onera Missarum, seu contra voluntatem Defuncti cum quibus tamen, quia reclamare ij non possunt agendum,ac si essent absentes, contra quos longius pus requiritur ad præscriptionem.

Hinc fit, ut Capellania, quæ in sui Fundatione onerata Missis quotidianis; nunc possit cum onere inveniri : atque adeo Capellanum, seu Ecclesiam non obligari, ( si dictæ conditiones legitimæ præ ptionis adsint) nisi ad hoc minus Missarum onus nunc invenitur.

2. Conditiones autem sunt Possessio, Titulus, des, Continuatio possessionis cum eadem fide bona Tempus lege præscriptum, de quibus passim Doctores. Lege Molinam *tract.*2. *de inst. & iure d.* 60. Covar. gula, *Possessor.*2.*p.cap.*5. aliosque. Cum autem aliud pus requiratur inter absentes, quam præsentes, & quoad bona stabilia, quam mobilia : ideo ad hoc præscribendum, cum sit inter absentes, ut modo mus, & quidem, ut supponimus, stabile & perpetuum requiritur cum titulo viginti annorum decurſus, lo triginta, *l.malæ fidei*, *cap.de Præscript.longi temporis* vel 20. *annuor. Iust. de usuc.* §.1.*cap.de Quarta de Præb.* & communiter, quæ omnia nobis satis sit immutila-

3. Alicubi, vel non adest, vel non est receptus

modi præscriptionis lex : ibi ergo tum in foro externo, tum interno, id fiat, quod in eodem foro servatur in cæteris.

§. II. *Quandonam onus Missa præscribat contra Sacerdotem, vel Ecclesiam?*

1. IN hac quæstione est distinguendum de Capellano titulo Capellaniæ, vel Beneficij Missas celebrante, & de legatario, qui is est, cui à Testatore absolutè (sine Episcopi authoritate) legatum aliquod, quantumvis perpetuum, pro celebrandis Missis relinquitur.

2. Contra Capellanum, seu Ecclesiam cui incumbit Capellania, vel Beneficium, Missarum onus, seu obligatio præscribit tempore decem annorum, positis cæteris requisitis ad præscriptionem, §. *præced.* dictis. Ita Fraxin. *de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 17. n. 1.* Quare si per decem annos Missa quotidiana celebrata est pro tali Capellania licet nunc inveniatur, quod, Fundator solam instituerit hebdomadariam, quotidiana erit celebranda. Ratio esse potest, quia hoc perpetuum onus est, veluti jus Testatoris defuncti circa Missas, jura autem, & actiones in hac materia præscriptionis, ex Lessio *lib. 2. c. 6. n. 25. fin.* aliisque, computantur inter bona immobilia quæ inter præsentes, ut est in casu nostro, quia Capellanus præsens est decennio præscribunt.

3. Contra legatarium vero obligatio Missarum præscribit tempore triginta annorum. Ratio est, quia legata contra legatarium præscribunt spatio triginta annorum. Ita Lessius *lib. 2. cap. 6. n. 39.* ex *l. ultima, cap. Communia, de legatis*, hoc autem legatum est, non Capellania, ut supponimus.

4. Dices, quid si legatum sit apud Monasterium Religiosorum, quibus concessum est, ne contra ipsos currat præscriptio minor, quam sexaginta annorum? Respondeo aliquos putare etiam contra Religiosos sufficere spatium triginta annorum, quia dicta concessio est tantum de bonis, personis, & locis Religiosorum: at jura, & actiones incorporeæ, quale est id, de quo disputamus, nec sunt bona, nec personæ, nec loca. Ita Pellizzar. *Man. Reg. tom. 1. tract. 5. cap. 9. n. 93.*

5. Sed profecto ex Lessio modo dixi nomine bonorum immobilium venire etiam jura, & actiones: quare posset quis contendere contra hos privilegiatos requiri in casu nostro annos sexaginta, quia jus Missarum est bonum immobile.

6. Hactenus ita disputatum sit: nam mihi unum dicendum superest, quo videtur probari, nunquam tale jus Missarum posse præscribere contra Sacerdotem. Docent communiter Doctores *l. finali, cap. de longi temporis præscriptione*, Lessius *loc. cit. n. 23.* aliique *passim*, servitutem personalem, quæ debetur personæ, à persona nullo tempore præscribi posse, & ratio est, quia æquitas non patitur hominem liberum, fieri servum ex quacumque causa. Id de veluti integra servitute: sed certe eadem videtur ratio de servitute partiali; sita enim se habet totum ad totum, sicut pars ad partem: quare si per multos annos Petrus v. g. serviviſſet Paulo per aliquod tempus in aliquo opere, illum v. g. associasset singulis festis diebus ad Ecclesiam, cum bona fide, seu errore utriusque quod ad id per contractum teneretur Petrus, posset dictus Petrus advertens nullum fuisse contractum, eximere se à tali servitio, qua servitus personalis nunquam præscribitur. Cum ergo Capellanus Beneficiatus, vel legatarius prædicti, Missas illas profundatore celebrare soliti sint, credentes se ad illas omnes teneri: si advertant se verè ex Fundatione ad tot non obligari, videntur quocumque tempore se posse eximere à tali servitute, & illas solum celebrare, ad quas verè ex titulo Capellaniæ, Beneficij, vel legati obligantur; onus enim hoc non videtur esse aliud jus, nisi servitus quædam debita à Sacerdote ipsi Fundatori Missarum, sicuti illa associatio Petri circa personam Pauli, quæ servitus ut dictum est, nunquam præscribitur.

## CAPVT VIII.

*An statim peracta Missa, comedere, evomere, aromata, in ore ruminari liceat?*

Et

*An novum, vel majus peccatum sit illud, quod ipsa die, qua Sacrum facit, committit Sacerdos?*

Et

*Denique de precibus, & de lotione manuum post Sacrificium: Remissivè.*

1. De primo, & secundo ex his, à me actum satis superque est *in Opusculo de expedienda Communione, cap. 3. per totum.* De tertio, quoad preces egi per occasionem breviter *lib. 1. c. 7. §. 1. n. 1.* quoad lotionem verò *ib. §. 7.* quare cum ea hîc exscribere, operam esset perdere, illuc Lectorem meum remitto libens.

## CAPVT IX.

*De vino assumendo à Sacerdote post assumptum Sanctissimum Sanguinem.*

2. FInem huic libro imponet resolutio circa vinum quod in fine Sacrificij sumit in Missa Sacerdos. Is enim post assumptas sacras species, imponere vinum debet in Calice, & sumere, atque hæc vocatur in Rubricis, *Purificatio*; deinde vero vino, & aqua digitos semper Calicem abluere, eaque patirer assumere, quæ proprio vocabulo appellatur *Ablutio*. De utraque sigillatim.

2. Dico primo. Is, qui in Ablutione solum adhibet aquam, condemnandus de culpa non est. Ratio prima esse potest, quia passim absque scrupulo sic agunt nonnulli laudatæ virtutis Sacerdotes, aiúntque id prodesse ad abstergendum odorem vini ab ore celebrantis, ad digitos eodem odore non inficiendos, ad Purificatorij munditiem; & ut sunt non pauci plus debito delicatiores ad temperandum illud modicum vini (quod non raro in Sacrificio generosum propinatur) assumpti stomacho pœnè jejuno. Secunda, quia hæc non est nisi Rubrica directiva, cum non appareat aliud fortius jus, nec ex se sit materia gravis. Immo quia invenio de vino adhibendo in Purificatione aliquid innui in Sacris Canonibus, quorum verba *mox* proferam, nihil autem de vino Ablutionis, conjecturam facio, deboc Sanctos Pontifices non valdè laborasse. Tertia, quia cum Sanch. *mox* citando, adverto *in Rubricis generalibus initio Missalis §. Quibus sumptis*, sic haberi: *Sacerdos porrigit Calicem Ministro, quo vinum fundente se purificat. Deinde vino & aqua abluit pollices, & indices super Calicem; At in Rubricis appositis in Canone post factam Communionem §. Abluit digitos*, sic: *Infundit parum vini quo se purificat: deinde abluit digitos, extergit, & sumit ablutionem.* Vbi noto, de vino Purificationis utroque in loco, mentionem fieri; de Ablutionis autem vino solum in uno, quasi significetur nequaquam esse sub magno rigore hoc posterius apponendum.

3. Dico Secundò. Ad Purificationem est omnino adhibendum vinum, non aqua. Ratio est, quia sic supponit ritè faciendum Sacer textus, *Ex parte, de celebr. Miss. Respondemus*, inquit Pontifex, *quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum*, & quidem notat hic merito Gavantus *in rubr. Miss. p. 2 c. 10. n. 4. lib. x.* in hunc modum. *Deceret ut vinum pro Purificatione Calicis infusum, esset ejusdem saltem quantitatis, quâ fuerunt primæ species sanguinis, alioquin Sacerdos illud saltem intra Calicem circumagat, ut absumantur dictæ species. Monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate Pius V. (in epist. ad Episc. Tarrac.)* additque quod sumatur Ablutio per eandem partem

*tem Calicis per quam Sanguis Christi hæustus est. Mirare quæso Sanctissimi Pontificis etiam in minimis diligentiam.* Hæc Gavantus.

4. Verum qui pro dicta Purificatione adhiberet solam aquam, condemnandúsne esset peccati mortalis.

Respondeo. Sanch. *in Decal. lib.4. c.11.n 43.* Azor.*t.1. lib. 12.c.20.q.7.* Barbosa *in Coll. ad lib.3.decr.in c.ex parte num 4.* asserunt de vino Purificationis adesse præceptum, non tamen explicant gravéne sit an leve. *Nec voto non bibendi vinum* (instar omnium sint verba Sanch.) *contravenitur sumpto vino in prima Missæ ablutione (id est Purificatione,) quia obligat præceptum Ecclesiæ ad id sumendum c. ex parte, de celebr Miss. Nec etiam sumpto vino in secunda ablutione, quia votum non intelligitur ut sit contra communem Ecclesiæ usum juxta quem Sacerdos in ea ablutione vino & aqua utuntur.* Addit Gavantus *loc.cit.* si Abstemij ideśt, quibus vinum bibere nausea est) *non debent sine vino purificare Calicem, Papa inconsulto, ex Romana praxi.*

3. Alicui non videbitur improbabile, id nequaquam esse præceptum grave, atque adeo adhibentem in Purificatione solam aquam, excusari à mortali posse. Primo, quia res ex se non videtur tanti momenti ut rigorem mortalem, inducat; cum illud vinum non adhibeatur ad mysterium, sed solum ad extergendum Calicem, ad quod præstandum apta quantum sufficit, est aqua. Secundo, quia prædictus textus dicit, *vino perfundere debent*: at illud verbum *debet*, non necessario inducere obligationem supra *in Opusc. de Commun. c.1.§.6.n 53.* fusè probavimus. Tertiò, quia non directè, & ex proposito id jussit Pontifex, sed veluti suppositivè insinuavit, ut ex modo loquendi sacri textus, quem mox expendam *num.10.* palam fiet. Quartò, quia praxis Romana, ut scilicet in hoc consulatur Pontifex, potuit inniti periculo introducendi novum ritum, vel relaxandi præcepta etiam levia. Adde ejusmodi dispensationes sæpè à Sancta Sede concedi ad sedandas mentes scrupulosiorum, ut in simili supra *l. 1. c.2.§.2.n.11. fine*, notavimus ex Suario, & Castropalao.

6. Ex hac sententia, quæ certè probabilis est, consequitur, Absteium, vel non habent eum nisi illud modicum vini, quod est consecrandum, vel non absimili necessitate coactum, cui facilis non est recursus ad Pontificem; aqua sola purificantem, sed citra contemptum, scandalum, animumque introducendi novum ritum, ab omni culpa liberandum: similes enim necessitates à præcepto positivo non gravi, ut aliàs sæpe docuimus, excusant operantem.

7. Dixit quidam fore ex se irreverentiam, quod Sacræ Sanguinis species, quæ resident in fundo Calicis, immisceantur cum aqua.

Responderi potest, negando id sapere irreverentiam. Primo, quia etiam in secunda Ablutione, in qua adhibetur aqua, hæc immiscentur cum iisdem speciebus, quæ moraliter non rarò aliquæ remanebunt post haustam Purificationem, in Calice; quæ tamen immistio non judicatur ab Ecclesia irreverentia. Secundò, quia id per accidens est, nec ex proposito immiscendi quam cum sanguine, sed ad extergendas sacras species. Tertio. Rogo te, explica, sodes, quamnam hic irreverentiam cognoscis? equidem illa minus video potius ex eo, quod Christus Dominus suis speciebus materialibus latere dignatus, est, nec dedignatum consequenter esse easdem species cum otis saliva, stomachi phlegmate, vino, aqua indiscriminatim commisceri. Quarto, quia in sententia admodum probabili, juxta quam aqua, quæ infunditur Calici in Offertorio, non convertitur in Christi Sanguinem; nisi prius convertatur in vinum, sæpe contingit ut quia tempore consecrationis non inventur conversa, remaneat immista cum speciebus consecratis & nemo unquam adversus eius sententiæ sectatores irreverentiam ullam ex hoc capite exprobravit. Ita Thomistæ communiter apud Con... *de Euch. q. 44. art.8. d.unic. à n.144.*

8. Redeo nunc ad Ablutionem *n.2.* dictam Sacerdotis, circa quam cum Glossa disputare juvat. Ea *in hoc c. ex parte*, sic scribit. *Secundum sententiam determinantur quatuor quæstiones: quarebatur, An Sacerdos post Sacramenta sumpta fundere debeat manus. Secunda, cum quo liquore. Tertium, utrum illum liquorem debeat Sacerdos sumere. Quarta, post illum sumptum debeat, seu possit iterum celebrare in effectu respondet Papa ad omnes quæstiones: nam manus primo perfundere cum vino, & vinum sumere, nisi sit celebraturus aliam Missam, &c.* Idem petit paulo post: v. *vino*, & v. *perfundere vino*, ut *perfundere manus.*

9. Vt ergo videamus, an solidè sit à Glossa dictum esse à Sacerdote, manus abluendas, integer textus est hîc proferendus: *Ex parte vestra, & instantiarum vestrarum taliter respondemus, quod sacerdos vino perfundere debet, postquam totum accepit charistiæ Sacramentum: nisi cum eodem die aliam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis celebrationem aliam impediret.*

10. Vbi adverto. Primo petitionem videri fuisse taxat de vino, Num scilicet semper à Sacerdote mendum sit vinum post assumptam Eucharistiam, aliquando ab eo abstinendum? id quod bene notavit, dum tanquam unicæ petitionis responsum hoc capitulum compilavit, *Sacerdos post sumptam charistiam perfundat nisi aliam Missam sit dicturus.* igitur debeat Sacerdos sive vinum infundere Calici, ve illud ebibere, sive aliud efficere, supponitur sed non quæritur, ut ex ipsa Pontificis responsione contextu data apparet dilucide. Sanè, si sic respondet Pontifex, *Respondemus, quod Sacerdos vino perfundere debet, & præterea debet vinum accipere, nisi quando aliam Missam est celebraturus*, possemus conicere plures se petitiones; nunc vero, cum unico contentu data responsio, unica dicenda erit & facta petitio.

11. Adverto Secundo illud, quod hic quærendum tuimus: non constare illam explicationem Glossæ *fundere. id est perfundere manus*: non enim de Ablutione, sed de ablutione Calicis prima, id est rificatione hic locutio est. Vidit hoc oculatissima mas Sanchez *in dec. lib.4. cap. 11.n.13.* qui pro tione hunc textum inducit, non vero pro idemque facili negotio probabit perspicax in hunc modum: Asserit Pontifex semper esse dendum nisi quando bis eodem die v.g. in Natali ni Sacerdos est celebraturus: non igitur loquitur tifex de Ablutione manuum. Clara est consequentia, quia Ablutio hæc in omnibus casibus est adhibenda etiamsi eodem die sit celebrandum; sic enim requirit, & sic universalis Rubrica *initio Missalis, de fectibus dispositionis corporis: n. 4.* præcipit. *Si* quit) *Missas in una die Sacerdos celebret, ut in Nomine Domini in unaquaque Missa ablucat digitos.* ergo Pontifex de ea perfusione loquitur, quæ non est adhibenda, ejus hæc dispositio solum erit de menda Purificatione, quæ in casu iteratæ celebrationis mittitur; non verò de Ablutione manuum, quæ in lo prorsus casu negligenda est.

12. Ex his collige, rectè dictum à nobis esse *n.2.* lum afferri textum, qui aliquid circa aquam Ablutionis disponat: cum hic, qui adducitur, de Purificatione dicto agat, non de Ablutione. Sed nos vela contrahamus atque huic quæstiunculæ immo & toti huic Opusculo quod Deo immortales sint gratiæ) finem optatum imponamus.

*FINIS.*

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac B. Aloysio Patrono meo.

INDEX

# INDEX

## Rerum, & Verborum, quæ in tribus Opusculis, de Confessione, de Communione, & de Sacrificio Missæ continentur.

*Paginæ tantùm ratio habenda.*


A

*Ablutio.*

ABlutio calicis, an fieri possit sola aqua? 189.

*Absolvere.*

Absolvere sub conditione aliquis potest, quando tota materia est dubia; & necessitas urget. 7

Item quando imminet mors sine loquela, vel signo morientis Christiani. 31

Absolvens, vel absolutus à peccatis, & non censuris. 34

Absolutionis forma. 35

Absolutionem differre. Vide, *Dilatio absolutionis.*

Absolutio moribundi. Vide, *Moribundus.*

Absolutio à Censuris, cur possit fieri extra Sacramentum. 50

Absolutus sententia diffinitiva, non est adducendus iterum in judicium. 8

Absolvere quis possit à pœnis contractis ex susceptione oneris perpetui Missarum sine licentia? 174

*Acceptare.*

Acceptatio fiàclium quandonam est signum mortalis peccati in transgrediente legem? 176

Acceptare pœnitentiam. Vide, *Pœnitens an teneatur.*

*Acetum.*

Acetum si fortè consecretur, quid fiet. 149

*Actus.*

Actualis devotio. Vide, *Devotio Actualis.*

Actus fidei quinam eliciendus à pœnitente. 38

Actus interni interrupti. 9

Actus externi interrupti. ibid.

*Addere.*

Addere nihil licet in Missa. 138

*Adventus.*

Adventus Principis aut multitudinis, an det causam celebrandi eodem die. 113

An Missam interrumpendi? 147

*Adulterium.*

Adulterium. 25

Adulteriúmne est, Sodomia cum conjuge? Vide, *Sodomia.*

Quid de mollitie Conjugati: Vide, *Mollities.*

*Ægrotus.*

Ægrotus. Vide, *Infirmus.*

*Ætas.*

Ætas quæ requiritur ad communicandum. 77

*Affectus.*

Affectus ad peccatum veniale, an noceat communicanti? 61

*Agens.*

Agens sine fuerit, an patiens, in Sodomia explicandum. 28

*Alliciens.*

Alliciens ad peccandum. Vide, *Invitans.*

*Altare.*

Altare, seu Ara. 109

Altare privilegiatum, qualiter concedatur? 142

Altaris privilegiati, & calculi benedicti comparatio. 178

Altari dum quis astat communicaturus, an liceat confiteri Sacerdoti Eucharistiam ministranti? 65

*Amens.*

Amentibus non danda Eucharistia. 76. & seq.

An habentibus lucem intervalli? ibid.

*Amor.*

Amoris Dei actus an sit sufficiens dispositio pro Sacramento Pœnitentiæ. 2

*Anglia.*

Angliæ Regina communicavit seipsam. 68

*Anniversaria.*

Anniversaria defunctorũ, an Episcopus moderari queat?

*Annua Confessio.*

Annuæ Confessionis præceptum. 78. & deinceps.

Quando, quos, a quid obligat? ibid.

*Annus.*

Annus, quomodo computandus in præcepto Confessionis? 79

Annus à Pascha ad Pascha, est annus Ecclesiasticus: à primo Januarij ad finem Decembris, est Civilis. ibid.

*Apostasia.*

Apostasiam in Confessione declarare an teneatur Apostata. 17

*Appellatio.*

Appellatione pendente, excommunicatus denuntiatus non est vitandus. 146

*Applicare. Applicatio.*

Applicatio Missæ. 124

Applicari an Missa possit pro infideli? ibid.

An pro Catechumeno? 125

An pro excommunicatio, sive tolerato, sive non? ibid.

Applicari Missa an possit pro justis, sive Viatoribus, sive Beatis? 126

An pro peccatoribus, sive Viatoribus, sive Damnatis? 127

Applicari Missa *de Defunctis*, an possit pro vivis? ibid.

Applicatio Missæ anticipata, quoad satisfactionem. ibid.

Quid, quoad impetrationem? 128

Applicare Missas contra voluntatem superioris, an liceat? ibid.

An validum sit? ibid. & seq.

Applicatio Missæ pro eo, quem vult Deus, an valida? 129. & seq.

Applicatio Missæ, quando elicienda? 130

An possit multo ante Missam? ibid.

An post consecrationem? ibid.

Applicatio Missæ, facta pro uno; deinde pro alio, cui prosit? ibid. & seq.

Applicatio Missæ nulli facta, cui prodest? 131

Applicatio Missæ. Vide, *Officiatura.*

*Approbatus.*

Approbatus, & non approbatus. Sacerdos, quid absolvere potest. 41


*Aqua*

# Index Rerum


*Aqua.*

Aqua, an necessariò fundenda in ablutione calicis; 189
Quid in Purificatione? ibid.
Aqua Calici immiscenda, & quanta; 134
Quid si advertatur in Missa, aquam non fuisse appositam; 189.& seq.
Quid, si advertatur, fuisse aquam solam, vel acetum in Calice; ibid.

*Archipresbyter.*

Archipresbyter, an concedere licentiam possit Religiosis, ministrandi Eucharistiam? 82

*Aroma.*

Aromata in ore ruminata, an violent jejunium naturale; 71.75

*Articulus mortis.*

Atticulus mortis, quomodo differt à periculo vitæ. 85

*Attentio.*

Attentio Sacerdotis, dum celebrat. 133
Attentio interna, triplex, ad verba, ad sensum, ad Deum. ibid.
Attentio Fidelium in auditione Missæ. ibid.
Attentio recitantium horas Canonicas. idib.

*Attritio.*

Attritio quid. 1
Ejus formula. 2

*Aurora.*

Aurora, quid sit, quoad horam celebrandi; 114

*Azymum.*

In Azymo communicare. Vide *Sacerdos Græcus.*

B

*Baptismus. Baptizari.*

Baptismus non requirit statum gratiæ in suscipiente. 60
Baptizatus eodem die, quo morte plectendus est, an communicandus. 86

*Beatificatus.*

Beatificatis tantum, & nondum Canonizatis, an omnes possint cultum Missæ tribuere? 143.& seq.

*Benedictio.*

Benedictio vestium Sacerdotalium. 100

*Bestialitas.*

Bestialitas quid. 48

*Bezzuar.*

Bezzuar, an violet jejunium naturale; Vide, *Jejunium naturale.*

*Blasphemia.*

Blasphemia. 18
Blasphemiæ multæ uno impetu. 10
Blasphemia an advertentes prolata. 19
Blasphemus contra fidem. 20
Bombace. Vide, *Gossipium.*

*Bona.*

Bona immobilia ad effectum, ut iis investiantur mobilibus relicta pro Missis perpetuis, quænam sint; 172. & seqq.

*Bona fides.*

Bona fides in multis excusat Sacerdotem errantem in Missa. 138
Bona fides excusat aliquando à repetenda Confessione. 33.& seq.
Quid, quando bona fide est quis absolutus à peccatis, & non à Censura? ibid.
Quid, quando bona fide confessus quis est sub dubio peccatum, & deinde reperit peccatum esse certum? 8
In Bona fide quando relinquendus pœnitens. 38.36
Bona fide confitentes rustici, & mulierculæ, an iterum ad confessionem cogendi? 8

*Bulla.*

Bulla Cruciatæ, vel Iubileum quid operatur in peccatis oblitis. 59
Quid in absolutione à Censuris. 41
Bulla Cœnæ exposcit juramentum ab absolvendis in Casu necessitatis, & quod.
Bullæ Cœnæ casus occulti an possint ab Episcopo per Bullam Cruciatæ absolvi.
Bullæ Cœnæ Summa.
Bullæ Cruciatæ Indulgentia. Vide, *Indulgentiæ.*
Bullæ Cruciatæ privilegium, circa Oratorios 108
Bulla Cruciatæ, an det facultatem accipiendi [illegible] stiam ab alio, quàm à Parocho?

C

*Calceus.*

Calcei in celebrante.

*Calculus benedictus.*

Calculi benedicti, & altaris privilegiati com[illegible] 178

*Calix.*

Calice, vel Hostia veneno infectis, quid fiet?
Calix, & Patena ex qua materia sunt conflandi.
Eorundem consecratio.
An remaneant consecrata ex solo usu in Miss[illegible]
Quando amittunt consecrationem?

*Canape.*

Canape an sit materia vestium Sacrarum;

*Candela.*

Candelis benedictis quis cultus debeatur.

*Canonicus.*

Canonicus celebrans tempore officij an lucrent[illegible] butiones.

*Canon.*

Canon Missæ quisnam est?
In Canone nihil omitti potest.
Nec addi.

*Capellania.*

Capellaniæ onus. Vide, *Onus Capellania.*

*Capellanus.*

Capellanus quas Missas recitare debet? 130. & [illegible] ceps.
Capellanus Monialium alterius ritus, an possit [illegible] do celebrare ritu Monialium.
Capellanus celebrans aliis, quam designatis [illegible] satisfaciat;
Cappellanus, quando potest celebrare pro alium.
Cappellanus quoad impedimenta celebrandi. Vide, *[illegible] dimenta.*
Capellania quando potest conferri non Sacerdoti.

*Capsula.*

Capsulæ mortuorum auferendæ ab Ecclesiis.

*Carcer.*

Carcere detentus, an obligetur quærere excatenem, ut possit communicare, & confiteri.

*Carta.*

Carta, an violet jejunium naturale?

*Castropalaus.*

Castropalai testimonium. Vide, *Testimonium Castropalai.*

*Casus reservatus.*

Casus reservati Pontifici semper habent excommunicationem annexam. 42.
Casum reservatum non incurrit ille, qui ex [illegible] erronea putat suum peccatum esse reservatum.
Casus reservatos qua ratione possit quis fateri Superiori, vel inferiori.
Quid quando quis illorum obliviscitur.
propter Casum reservatum pœnitentis an Confessarius obligetur adire Superiorem.
Casus reservati Pontifici sex.
Casum reservatum habens, quomodo se gerat absolvendi qui potest absolvere?
Casum reservatum habens Religiosus, cui Praelatus [illegible] get licentiam absolvendi, quid faciet. Vide *Religiosus cui negatur licentia.*

*Causa.*

Causa quæ requiritur, ut communicet qui confessus habuit?

Cau[illegible]

Causæ excusantes à Communione & Confessione. 80
Causæ excusantes infirmum, ut non jejunus sumat Viaticum. 85
Causæ justæ recitandi Missas votivas. 140
Causæ justæ Missas reducendi. 158

*Celebrare.*

Celebrare sine vestibus sacris, nunquam quis potest. 63. & seq.
Nec sine altari consecrato. ibid.
At sine Confessione, cum contritione, potest aliquando. 64. & seq.
Quid si recordetur peccati in ipsa Missa? ibid.
Quid si recordetur, esse excommunicatum? ibid.
Quid si recordetur, se non esse jejunum? 72
Celebrandum pro quo, quando pro multis simul debet. 184.

*Census.*

Census pro Missis pereunte quid fiet? 167
Quid si evadat minor. ibid
Quid si augeatur. 168
Quid si augeatur taxa stipendij. ibid.
Quid si taxa stipendij decrescat. ibid

*Cera.*

Cera an violet jejunium naturale? 70

*Cibus.*

Cibum esse digestum, non est necesse ad Communionem. 71
Cibus modicissimus frangit jejunium naturale. 70
Cibus quid sit. ibid.

*Circumstantia.*

Circumstantiæ aggravantes. 16
Aliæ solum agravantes, aliæ mutantes speciem, ibid.
Quæ regula id discernendi. ibid.

*Clausula.*

Clausula (*sine Præjudicio Ecclesiæ Parochialis*) quid importet. 107
Clausula (*infra modicum tempus*) quid importet. 177
*Si arbitratus fueris*, quid. 106
*Ejus arbitrio ducatur.* ibid.
*Ad beneplacitum meum.* ibid.
*Sine licentia.* 175
*Quamprimum.* 173
*Statim.* ibid.
Clausula (*satisfacta parte*) quid operatur. 35

*Clemens.*

Clementis VIII. Decretum contra utentes cognitione habita in confessione. 57

*Clericus.*

Clerici pueri rixantes, an incurrant excommunicationem, Si quis. Vide *pueri impuberes.*

*Collegium.*

Collegiatæ Ecclesiæ. Vide *Ecclesia Collegiata.*

*Comedere.*

Comedi an possit statim à Communione? 75
Comedens calida ut sequatur pollutio. 21
Comedere carnes pluries in die jejunij, an plura peccata committat. 19

*Communicare, Communio.*

Communicare an possit per Viaticum, qui eadem die communicavit ex devotione. 85
Communicare cum veniali, an veniale. 61
Communicare in mortali, an aliquando non mortale. 78. & deinceps
Communicare an teneatur statim, qui non communicavit in Pasch ate. 80
Communicare an iterum teneatur, qui post Viaticum peccavit mortaliter. 85
Communio quotidiana. Vide *Quotidiana Communio.*
Communio sacrilega satisfacit præcepto. 80
Communicare in graviore peccato, an sit majus peccatum? 61.
An in Confessione explicandum? ibid.
Communicare post lautas epulas, an sit gravius peccatum, quàm post modicum cibum? ibid
An id in Confessione explicandum? ibid.
Communicare contra præceptum humanum, an addat novam malitiam? ibid.

*Commutare.*

Commutare pœnitentiam, quando & quis possit. 49
An ipse pœnitens. 50
An alius Confessor sive æqualis, sive Superior. ibid.
Quid non audita confessione. ibid.
An tum vindicativam, tum præservativam. ibid.
Quando extra ne, an intra confessionem. ibid.

*Compensare.*

Compensare an sibi possit stipendium Missæ sacerdos, 169.

*Commemoratio.*

in Commemoratione Defunctorum an Capellanus obligetur Missam celebrare pro omnibus defunctis. 183
Complex. Vide *Socius peccati.*

*Concubitus.*

Concubitus ex affectu personæ. 28
Concubitus cum Dæmone. ibid.

*Concubinarius.*

Concubinarius quomodo confiteri debeat. 10
Idem quomodo interrogandus. Vide *Meretrix.*

*Conditio.*

Conditio non est apponenda, quando quis operatur ex assensu probabili. 31
sub Conditione absolvere. Vide *Absolvere sub conditione.*

*Confessio.*

Confessio. Vide *Dolor, Propositum, Attritio.*
Confessio generalis, an requirat ut peccata aliàs confessa, aperiantur. 6
Confessio Sacramentalis requirit materiam certam & non dubiam. ibid. & seq.
Confessio facta non judici, repetenda, & quomodo. 36
Confessionem repetere, vel generalem instituere, quando oportet. 34
Confessio generalis. Vide *Confessionem repetere.*

*Confessor.*

Confessor utatur breviore forma absolvendi in necessitate, & in brevibus confessionibus. 36
Confessor qua ratione recordari debeat peccatorum, quando ea absolvit. ibid.
Confessarius quoad servandum secretum. Vide *Sigillum Confessionis.*
Confessor quomodo, & in quo instituere debet pœnitentem. 38
Idem quando debet ignorantiam inculpabilem, vel culpabilem tollere. ibid.
Idem se accommodet in multis pœnitenti. 46
Confessoris jurisdictio. Vide *Jurisdictio.*
Confessor electus per Bullam, & Iubilæum quid possit. 42.
Confessor Mendicantium quid possit. Vide *Privilegiatus.*
Confessor videns pœnitentem non fateri peccatum quod commisit quid faciet? 54
Confessor quomodo interrogabit pœnitentem. Vide *Interrogare.*
Confessor quando onus pœnitentis subire possit, vel debeat. 45
Confessor quas excommunicationes scire debet. 42
Confessor, si erraverit in aliquo quid faciet? 43
Confessor quid si respuat Pœnitentem impœnitentem? 57.
Quid si renuat celebrare in Ecclesia quam ex confessione scit esse pollutam?
An possit Confessor, uti cognitione habita in confessione? 56
Confessarius quando judicatur deesse. 62

*Confessor.*

Confessio est præmittenda communioni ibidem, & deinceps.
Confessio invalida non satisfacit præcepto. 80

Confitens in principio unius anni, & iterum in fine alterius, an satisfaciat præcepto. ibid
Confiteri aliquando an possis cum simplici Sacerdote, & absolvi indirectè à mortalibus. 62
Confiteri an possis inferiori peccata reservata, quando non est copia Superioris. ibid. & deinceps
Confiteri quamprimum. Vide *Quamprimum confiteri.*
Confiteri an statim obligetur, qui præcedenti anno non communicavit. 86
Quid si oblitus fuit alicujus peccati mortalis. 79
Confiteri quando teneatur, qui toto ferè anno confessus est venialia, & in fine cecidit in mortale. ibid.
Confiterine teneatur, qui post Viaticum incidit in mortale. 80
Confiteri ante communionem, an quis teneatur peccatum oblitum. 67 & deinceps

*Congelare.*

Congelato vino, vel sanguine, quid fiet. 151

*Conscicientia*

Conscientia dictans esse peccatum, abstrahendo à mortali, & veniali, an causet in operante peccatum mortale. 14
Conscientia erronea in peccando, quomodo fatenda, ibid.
Conscientia erronea; propter censuram vel reservationem interdum est explicanda. ibid.
Item ad cognoscendum ipsum peccatum, est eadem confitenda. ibid

*Consecratio.*

Consecrationis materia. Vide *Materia consecrationis.*
Consecrandi intentio. Vide *Intentio consecrandi.*

*Consilium.*

Consilium dedisse ad peccandum, an specie differat ab ipso peccato.

*Consuetudo.*

Consuetudop eccandi an confitenda. 6
Item. 18

*Contractus.*

Contractus Sacrorum an prohibitus. 96

*Contritio.*

Contritionem elicere an teneatur quis ante communionem, de peccato oblito in confessione. 67
Contritionem non valens elicere, & nec potens confiteri, an urgente necessitate possit communicare. ibid
Contritio quid.
Ejus formula.

*Contumelia.*

Contumeliarum unitas. Vide *Vnitas peccati.*
Contumeliæ inflictæ parentibus vel aliis. Vide *Injuria. inflicta.*

*Copula.*

Copula sive licita, sive illicita, an prohibeat Communionem. 69
Copula incepta, & non absoluta, an in confessione explicanda 24

*Corporale.*

Corporale. 110
An remaneat benedictum ex solo usu sacro? 94
Corporeæ sordes. Vide *Sordes Corporeæ.*
Correctio legum. Vide *leguum Correctio.*

*Crimen.*

Crimen notum in uno loco, an possit alibi propalari. 88

*Crux.*

Crux in Altari dum celebratur Missa. 111
Cruciata. Vide *Bulla Cruciatæ.*

*Cultus.*

Cultus qualis debetur supellectili, ac vasis Sacris. 96

D

*Dæmon.*

Dæmone arreptus Sacerdos, an celebrare possit 118.

*Declaratio.*

Declaratio Sacræ Congregationis de non communicando extra Parochiam. 82

*Decretum.*

Decreta Clementis VIII. & R. P. Generalis Societatis Iesv contra utens cognitione [illegible] confessione.
Decreta Sacræ Congregationis, per celebrationem Missarum.
Hæc non observare, quodnam peccatum.

*Decursa.*

Decursa non antea soluta, sed nunc quam obligent inducant nunc dicendi Missas.

*Defectus.*

Defectibus Missæ qua ratione occurrendum. deinceps.
Deficiente Sacerdote in Missa, quid fiet? Vide *deficiente.*

*Delectatio.*

Delectatio turpis seu morosa.

*Deliquium.*

Deliquium simulare, an teneatur Sacerdos, si se recordetur se esse in mortali.

*Depositio.*

Depositionis, vel degradationis pœna, an signatum mortalis in lege.

*Desiderium.*

Desiderium occisionis multorum, vel Copulæ carnalis, qua ratione in confessione aperienda.
Desiderare malum alicui. Vide *Mala alicui inferre.*
in Desiderio rei illicitæ explicanda est res desi 21
Designatis diebus non celebrans, an obligationem faciat.
Detestatio. Vide, *Dolor.*

*Detractio.*

Detractionis materia, an explicanda.
Detractio continuata cadens in multos.
Detractio dicendo verum an differat à detractione falsum.
Detractor quomodo differat à susurrone.
Detractionum unitas. Vide, *Vnitas peccati.*
Detractio contra multos, quomodo fatenda.

*Detrimentum.*

Detrimentum spirituale, vel temporale, an sufficiens gentem necessitatem ad effectum communicandi & deinceps.

*Devotio.*

Devotio actualis, an requiratur in communicante.
Devotio sola ad tuum Confessarium absentem, an excusat à Confessione ante Communionem, habes.
Devotio major an sit causa majoris stipendij 163
Devotio magna an det causam recitandi Missas à currente.

*Dies festus.*

Diebus festis solemnioribus an celebrari possit in oratoriis privatis. 107
Quid per Bullam Cruciatæ.
Dies festus an det causam augendi stipendium 162

*Dies.*

Dies in quibus celebrarinon potest, quis. III.

*Dies Lunæ.*

Die Lunæ impedito, an dici possit Missa de requiem altari privilegiato.

*Dies vacans.*

Die vacanti an Capellanus possit pro se applicare crum.

*Dies Iovis.*

Die Iovis sancti. Vide, *Iovis sancti die*
Die eadem commmunicare per Viaticum, qui manducavit ex devotione, an quis possit.

*Differentia.*

Differentia inter Sanctos Beatificatos, & Canonizatos

Differri an possit Missa, quæ dicenda erat pro excommunicato? 177

*Difficultas.*

Difficultas magna in pœnitente, an excuset Confessorem, ne ipsi manifestet veritatem? 32

*Dilatio.*

Dilatio stipendij, an det causam differendi Missas? 192
Dilatio absolutionis, quando fieri potest. 53

*Dimidiare.*

Dimidiari confessio quando possit. 63

*Dispensare.*

Dispensare Eucharistiam in mortali, an sit mortale? Vide *Ministrare Eucharistiam.*

*Dispensatio.*

Dispensatio alibi celebranda, à quo? 197
Dispensatio alio tempore celebrandi, à quo? ibid.

*Dispositio.*

Dispositio Testatoris de applicatione Missæ, vel de præsentia seu officiatura, qua ratione investiganda? 60 & seq.
Dispositio ejusdem, quoad numerum Missarum. 166 & seq.
Dispositio legati. Vide *Legatum.*
Dispositio spiritualis, requisita ad Communionem. 60
Dispositio corporalis, ad eandem requisita. 68. & deinceps.
Dispositio ad eandem non requiritur tota quanta potest. 61 39
Dispositio quæ in pœnitente. ibid.
Dispositio quæ in Confessario.

*Distantia.*

Distantia confessoris quanta esse debet, ut dicatur non esse Confessoris copia. 62

*Distractio.*

Distractio confessarij. Vide *Ignorantia Confessarij,*
Distractio voluntaria, an noceat communicanti. 62

*Distributor.*

Distributor, seu Collector Missarum, an possit sibi retinere pro suo labore, partem eleemosynæ. 197
Divinatio. 17

*Doctrina.*

Doctrina quædam Suarij examinatur. 164

*Dolor.*

Dolor unius venialis, & non alterius venialis, vel mortalis, an sufficiat. 4
Dolor multitudinis venialium, an sufficiat. ibid.
Dolor extraordinarius, qui operetur in habente occasiones proximas. 37
Dolotis venialium revocatio. 4
Dolor & detestatio peccatorum. 2
Dolor quòd non doleas, an sufficiat ad confessionem. 3
Intentio ejus, & qualitas. ibid
An referendus ad confessionem. ibid.
Quando exhibendus. ibid
An requiratur novus in nova confessione eorundem peccatorum. ibid.
Quid in confessione aliorum peccatorum oblitorum. ibid.
Dolor Virtualis, an satis sit pro confessione venialium. 4

*Domesticus.*

Domesticorum nomine, qui veniant? 108

*Dubius.*

Dubia peccata, an clavibus subiicienda. 6
Dubium, aliud negativum, aliud positivum. ibid.
Dubius de excommunicatione, suspensione, irregularitate, casu reservato, si absolvatur, non est iterum absolvendus, si de illis postea fiat certus. 6
Dubia verba. Vide *Verba dubia.*
Dubia peccata, an ante Communionem necessario fatenda. 67
Dubius de Iejunio, an communicare possit. 71
Quid in dubio de hora, qua quis comederit. ibid.
Dubius de revocatione certi privilegij, an sit privilegio privandus? 101
Dubius se consecrasse acetum, an vinum, quid faciet. 149

*Dummodo.*

Dummodo. Vide *Particula Dummodo.*

*Duratio.*

Duratio peccati, an confitenda? 10

E

*Ecclesia.*

In Ecclesia Cathedrali omnes de Diœcesi satisfaciunt præcepto Communionis Paschalis. 81
Eccleia an remaneat reconciliata, ex sola Missa ibidem celebrata? 81
An remaneat consecrata vel benedicta? ibid.
Ecclesiæ collegiatæ obligatio celebrandi. 112
Ecclesiæ Regularium, an sint collegiatæ. 113
Ecclesia, qua ratione orat pro Excommunicatis. 125

*Effectus.*

Effectus peccati an fatendus? 21

*Electio.*

Electionum varij modi, pro celebrandis Missis. 160. & seq.
Electus quandonam locus, quando personæ. 162

*Eleemosyna.*

Eleemosynæ Manuales pro Missis non sunt acceptandæ, nisi fuerit satisfactum pro acceptatis. 177. & seq

*Emanuel Sa.*

Emanuel Sà defenditur. 148
Idem non approbatur. ibid.
Idem non citatur fideliter à Coninch. 101

*Emere.*

Emens triticum pluris quàm valeat, an se resarcire occultè possit? 164

*Energumenus.*

Energumenis an danda Eucharistia. 7

*Episcopus.*

Episcopi potestas circa locum sacrificij. 102
Episcopi possunt benedicere Ecclesias, & Oratoria Religiosorum. 103
Episcoporum facultas benedicendi sacras vestes, an delegabilis? 101
Episcoporum est curare, quæcumque ad Dei cultum pertinent. 106
Episcopi conditio, an explicanda in Confessione? 24
Episcopus dare potest licentiam Religiosis, ministrandi Eucharistiam. 81
Episcopi potestas in absolvendo à peccatis. 24

*Eremita.*

Eremita celebrans, an possit sibi ministrare? 117 & seq

*Error*

Errorem à se commissum in absolvendo, qua ratione emendabit Confessor. 43
Quid sine damno tertij. 44
Quid cum damno. ibid.
Quid cum invaliditate Sacramenti? ibid

*Erubescentia.*

Erubescentia magna, an excuset à Confessionis integritate. 80

*Evangelium.*

Evangelium ultimum omittere in Missa, quod peccatum. 136

*Eucharistia.*

Eucharistiæ Sacramentum, per accidens potest causare primam gratiam. 60
Eucharistiam gestando, si quis peccet, an novo peccato peccet. 24
Eucharistiam sumere in Oratoriis privatis. 107
Eucharistia, an danda pueris. Vide *Pueri.*
Eucharistia, an danda Amentibus, Stolidis, Energumenis Vide *Prædictas voces.*
Eucharistiam dispensare in mortali. Vide *Ministrare Eucharistiam.*

Eucharistiam sumere in mortali, an aliquando non mortale. 67
Eucharistia, an porrigi possit per instrumentum. 86
Eucharistia, an possit indigno ministari. Vide *Ministrari an possit*.
Eucharistiam petere ab hæretico excommunicato, & similibus, an liceat instante morte. 84
An sit obligatio. ibid.
Eucharistiam sumere, an liceat, post redditum conjugij debitum. 69

*Evidentia.*

Evidentia Iuris, quænam sit. 88
Quæ evidentia facti. ibid.

*Eunuchus.*

Eunuchus luxuriosè peccans, an explicare debeat talem statum. 24

*Evomere.*

Evomere sacram Hostiam. Vide *Vomere*.

*Excommunicatus.*

Excommunicatus communicans an peccet duplici peccato. 61
Et quomodo se debeat in Confessione explicare. ibid.
Quid, si excommunicatus existens, communicet in statu gratiæ. ibid.
Excommunicatus, an obligetur procurare absolutionem, ut possit communicare. 80
Quid ut Missam audiat. ibid.
Excommunicatio Confessatij, quando obligat pœnitentem ad repetendam confessionem ipsi factam. 34
Excommunicatio lata, est signum peccati mortalis in lege. 175
Excommunicatio ferenda quid? ibid.
Excommunicato non tolerato superveniente, desistendum à Missa. 145
Excommunicationem habens, si desit potens absolvere, an urgente necessitate communicandi, communicare possit? 64
An confiteri? ibid.
Et quando debet esse necessitas. 65
Excommunicatus toleratus, vel non toleratus, qua ratione peccet ingerendo se communioni fidelium? 126
Iidem qua ratione participes sint fructus Missæ? 126. & seqq.
Excommunicatus Sacerdos, in necessitate non excluditur à ministrandis Sacramentis. 148
Excommunicatum se esse, si Sacerdos recordetur, dum Missam celebrat, quid faciet? 149

*Excusatio.*

Excusationémne quis habere aliquando possit, ad non removendam occasionem proximam? 37
Excusantes causæ à Confessione & Communione. Vide *Causæ Excusantes*.

*Expuere.*

Expuere an liceat statim à Communione. 75

*Extrema necessitas.*

Extrema victus necessitas, an judicetur urgens necessitas ad celebrandum, cum contritione, sine confessione? 65

*Extrema unctio.*

Extremæ unctionis conferendæ causa, an interrumpi Missa possit. 146

F

*Fames.*

FAmem patiens, quando communicandus? 71

*Familiaris.*

Familiaris nomine, quis veniat? 108

*Famulus.*

Famulus serviens in necessitate pro minori pretio, an se possit occultè resarcire. 164

*Feria.*

Feriæ privilegiatæ quæ? 113

*Feritas.*

Feritas, species homicidij, qua vel cadaver, vel ... excerpitur.
Festus dies. Vide *Dies festus*.

*Fides.*

Contra Fidem peccare.

*Fidelis.*

Fidelis peccans cum infideli, an novam addat ... speciem?
Fidelium.

*Filum.*

Filum ex ferro, vel serico, vel lana, an violet ... naturale?
Quid de filo ex lino?

*Finis.*

Finis ultimus Sacerdotis celebrantis, quis ... 118. & seqq.
Finis, seu intentio ultima in peccando, quæ ... tenda?
Finem an possit quis fateri separatim ab actu?

*Fœmina.*

Fœminæ non obligantur recurrere ad Pontificem ... Absolutione excommunicationis, *Si quis suadente*
Fœmina an possit ministrare sacro.

*Forma.*

Forma consecrationis.

*Fornicatio.*

Fornicatio simplex.
Fornicationum unitas. Vide *Unitas fornicationum*.
Fornicari cum tribus, an sit idem, ac fornicari ... eadem.
Fornicari cum filia confessionis, an addat novam ... ciem?

*Fragmentum.*

Fragmentum sacræ Hostiæ inveniens post ... crificium, sive in Altari, sive in Sacristia, quid ... 72
Fragmentum Hostiæ si cadat in barbam viri, vel ... mulieris, quid fiet?

*S. Franciscus Xaverius*

S. Francisci Xaverij oratio in Missa.

*Fructus.*

Fructus Missæ triplex: Meritum, Satisfactio, Impetr. 142.
Alius ex opere operato, alius ex opere ... ibid.
An infiniti valoris;
Rursus triplex, Generalis, Specialis seu medius, Specialissimus.
Fructus Missæ ex opere operantis, alicui applicatus ... sit causa augendi stipendium.
Fructum Missæ specialissimum, an quis possit alteri ... cedere?

*Fructum.*

Fructum unguis, an violet jejunium naturale? Vide ... guis.

*Fulmen.*

Fulmine tacta, sunt venenata.

*Fumus.*

Fumus an violet jejunium naturale. Vide *Tabacum*.

*Fundator.*

Fundator Missarum. Vide *Testator*, & Vide *Dispositio Testatoris*.

*Fur. Furtum.*

Fur habitualis, quomodo fateri sua furta debeat? Vide *Habitualis peccator*.
Furtum.
Furtum sacrilegum quid & quotuplex?
Furtum à multis, quomodo quis confiteri debeat?

G

*Gaudium.*

GAudium de malo alterius.
Gaudium de re illicita.

*Generalis.*

Generalis, seu Prælati conditio, an explicanda in Confessione? 29

*Gladius.*

Gladio accinctus, an peccet quis communicando. 99

*Gossipium.*

Gossipium, an sit materia apta vestium sacrarum? 110

*Græcus.*

Græcus Sacerdos: Vide *Sacerdos Græcus.*

*Granum.*

Granum unum anisi, an violet jejunium naturale? 70

*Gratia.*

Gratia intelligitur concessa, solum iuxta verba supplicationis. 143

Gratiæ status requiritur ad Communionem. 60

*Gratitudo.*

Gratitudinis vitium ex se solo communiter non affert distinctionem specificam peccati. 20

S. *Gregorius.*

S. Gregorij Missæ. 142

*Gubernator.*

Gubernatoris conditio, an explicanda in confessione furti? 29

*Gutta.*

Guttæ discontinuæ in Calice, an remaneant consecratæ; 122. & seq.

An abstergendæ ante consecrationem. ibid.

An postea? ibid.

Gutta aquæ, an violet jejunium naturale.

H

*Habitualis peccator.*

Habitualis peccator quomodo explicare sua peccata debeat. 9

*Hæres.*

Hæredes quando obligantur supplere stipendium Missæ? 166

Hæredes an debeant legatum pro Missis solvere iuxta stipendium quod currit tempore executionis legati. 167

*Hebdomadarius.*

Hebdomadarij Ecclesiæ Cathedralis Neapol. an obligentur ad applicandas Missas pro Fundatoribus; 161

*Hora, Hora Canonicæ.*

Horâ quâ tenetur Capellanus celebrare? 184

Hora celebrandi, quænam sit? 114

Horis canonicis quæ attentio adhibenda? Vide, *Officium divinum.*

Horâ, quâ ministranda Eucharistia? 87

Horas Canonicas omittere, quot peccata? 17

*Homicidium*

Homicidium in causa: Vide, *Occisio in causa.*

Homicidij species aliquæ. 19

*Vi*, de Parricidio, 19

Vxoricidio,

Fratricidio,

Sororicidio,

Vide, *Verb. Feritas.*

*Horologium.*

Horologium notat horas per primum pulsum. 71

Horologiorum diversitas, quomodo faciat probabilitatem mediæ noctis? ibid.

*Hostia.*

Hostia oblata si fortè non consecretur, quid de illa fiet. 146

Hostia vel calice veneno infectis, quid fiet. 148

Hostia, si tota madefacta non potest frangi, quid fiet. 149

Quid si tota dispareat. ibid.

Quid si nulla haberi possit incœpta Missa. 151

Quid si decidat. ibid.

Hostia grandiore deficiente, an celebrare liceat cum formula parva. 15 & seq.

Hostiam grandiorem reservare, & parvam sumere, an liceat celebranti. ibid.

Hostiam aliam non à se consecratam, an possit elevare Sacerdos in Missa. ibid.

Hostiam consecratam unitam cum non consecrata, an possit Sacerdos adorandam exponere. ibid.

Hostia fracta an consecranda. ibid.

Hostiæ suæ partem, an possit Sacerdos communicaturo dare. 89

Hostiam non consecratam porrigere non licet occulto peccatori. 88

I

*Iactantia.*

Iactantia peccati. 22

*Idololatria.* 16

*Iejunium.*

Jejunium naturale requiritur ad Communionem. 70. & sequent.

Et quale. ibid.

Quando violatur. 71

Jejunium ex duplici præcepto violans, an dupliciter peccet. 19

Quid de voto & præcepto. ibid.

*Ignorantia.*

Ignorantia vel error qua ratione excuset ab integritate confessionis. 53

Ignorantia Confessarij, quomodo impedit integritatem confessionis. 54

*Impedimentum.*

Impedimenta celebrandi, quæ Capellanus removere non potest. 187

Impedimenta ex parte Sacerdotis. ibid.

Ex parte loci. 188

Ex parte temporis, & aliarum circumstantiarum. ibid. & deinceps.

Impedimenta quæ Cappellanus removere potest. ibid. & deinceps.

Impediti non recurrunt ad Pontificem pro absolutione excommunicationis, *Si quis.* 78

Impedimenta tolerare, ut confiteri, vel communicare possit quomodo quis obligatur. 80

Impedimentum publicæ honestatis, an addat novam speciem. 26

*Impetratio.*

Pro Impetratione, an possit accipi diversum stipendium. ab accepta pro satisfactione. 165

*Impotentia.*

Impotentia dat causam omittendi aliquid in Missa. 138

*Inadvertentia.*

Inadvertentia in jurando, & in aliis peccatis. 18

*Incestus.*

Incestus. 25

Cum consanguineis. ibid.

Cum affinibus. ibid.

Incestus cum conjunctis conjunctione legali. ibid.

Cum conjunctis conjunctione spirituali. ibid.

*Indignus.*

Indigno an ministranda Eucharistia: Vide, *Ministrari an possit.*

*Inducere.*

Inducens alium ad peccatum an explicare debeat suum votum. 24

Inducere renitentem ad peccatum est peccatum novum. 9

*Indulgentia.*

Indulgentia plenatia excusat à pœnitentia. 16

Indulgentia, an valeat, si non expediatur gratis, 175

Indulgentia plenaria quid sit. 132

Indulgentia plenaria seu Bulla Cruciatæ, an utilior

quoad satisfactionem, quam Missa. ibid.
Indulgentia calculi benedicti, comparata cum Indulgentia altaris privilegiati. 197

*Infamia.*

Infamiæ notam ne quis incurrat, est urgens necessitas ad communicandum cum contritione, si desit Confessor. 64
Infamiæ nota, quando excusat communicatum à jejunio. ibid.
Infamare proximum quomodo est contra jus naturæ? 56
Quid apud confessorem. ibid.
Quid apud vnum vel duos. ibid.

*Infidelis.*

Infidelis an peccet peculiari peccato non credendo aptum per Baptismum ad Communionem? 76

*Infirmus.*

Infirmus Sacerdos debet participare quantum potest de suo sacrificio: Vide, *Sacerdos infirmus.*
Infirmus ex vomitu an communicandus? 70
Infirmus an obligetur sanitatem quærere, ut possit confiteri, & communicare? 80

*Injuria.*

Injuria: Vide, *Contumelia.*
Injuria inflicta Parentibus, aliisque. 19
Injuria facta Principi. ibid.
Facta Benefactori. ibid.

*Inspiratio.*

Inspirationi resistere, an addat novam malitiam peccato. 17

*Intentio.*

Intentio consecrandi, quæ? 119
Actualis. ibid
Habitualis. ibid.
Virtualis. ibid.
Interpretativa. ibid. & seq.
Intentionis prædictæ praxis in negotio Consecrationis. 120
Intentio prædicta, supra quam materiam cadere potest. 121
An super materiam ignotam Sacerdoti. ibid.
An super hostias numeratas. ibid.
An super hostias non consecratas confusas cum consecratis. ibid.
An super particulas positas super altare, non verò supra Corporale? ibid. & deinceps
An super guttas vini in Calice discontinuas. 122

*Interdictum.*

Interdicti pœna an sit signum peccati mortalis in transgrediente legem? 475. & deinceps.
Interdicti tempore an ministranda infirmo Eucharistia. 90
Et qua solemnitate deferenda. ibid.
Et an die Paschatis aliisque solemniotibus omnibus ministrari possit. ibid.
Interdictus, an possit urgente necessitate communicare. 65
Quid de Irregulari ut item de suspenso? ibid.

*Interpretativus consensus.*

Interpretativus consensus Parochi sufficit ad alibi, quam in Parochia communicandum. 81

*Interrogare.*

Interrogandæ non sunt minutiæ in peccatis Luxuriæ. 28
Interrogare qua ratione debeat pœnitentem Confessor. 45

*Interrumpere.*

Interrumpi Missa an aliquando possit? 145
Quid ex metu mortis? ibid.
Quid ex memoria superveniente impedimenti ex assumpto cibo, ex peccato, ex censura, ex tempore indebito. ibid.
Quid ex superveniente excommunicato non tolerato ibid.
Quid ex superveniente Violatione Ecclesiæ? 146
Quid ex superveniente necessitate corporali? ibid.
Quid ex superveniente necessitate spirituali? ibid.
Quid ex superveniente adventu Principis, vel alis? ibid.
Quid ex consequente promulgatione Edictorum. ibid.
Interruptiones ejusdem peccati quomodo confitendæ. 47

*Inthesitura.*

Investitura Mobilium facienda pro Missis perpetuis & deinceps. 144

*Iovis Sancti dies.*

Iovis Sancti die si Capellanus celebret, cui debeat famam applicare. 144

*Iubileum.*

Iubileum quid operetur in oblitis.
Iubileum an requirat ex necessitate confessionem. 47

*Iudaismus.*

*Iudex.*

Iudicis persona an explicanda in peccato furti. 47
Iudex tenetur dare tempus ad communionem Paschatis nato. 144

*Iudicium.*

In iudicio temeratio, an explicanda materia. 47

*Iuramentum.*

Iuramentum an det causam rationabilem recitandi Missam à currente? 144
Iuramentum de dicenda Missa, quomodo obligans. 144
Iuramenta exposcenda ab eo, qui absolvitur in casu necessitatis. 144
Iuramentorum unitas: Vide, *Vnitas peccati.*
Iuramenti diversitatem specificam, an pariat diversitatem Sanctorum per quos iuratur. 144
Iurandi consuetudo. 144

*Iurisdictio.*

Iurisdictio requiritur administrandi Eucharistiam. 144

## L

*Lacticinia.*

Lacticinia in die jejunij. 144

*Laicus.*

Laicus, vel inferior Diacono, an aliis, vel sibi ministrare in necessitate possit Eucharistiam. 144

*Laudare.*

Laudare vnum Pœnitentem, & non alium, peccatum. 47

*Legatum.*

Legati dispositio, quando taxatiuè, quando demonstrativè interpretanda. 146. & 147
Legatum strictè explicandum contra hæredem. 144

*Lepra.*

Lepra an noceat communicaturo. 70

*Lex.*

Lex pœnalis, sive pura, sive mixta, an obligat in conscientia? 5
Leges humanæ debent diminui. 5
Leges humanas dimnuere optabile est. 5

*Licentia.*

Licentia necessaria ad suscipiendum onus perpetuum Missarum. 144
Licentia hæc an necessariò dandain scriptis? ibid.
An danda gratis? ibid.
An, ea deficiente, validè suscipiatur dictum onus. ibid.
An licitè? ibid.
Licentiam in Paschate communicandi alibi, quam in Parochia, quis concedere potest. 81. & deinceps.

*Locus.*

Locus in quo quis celebrare teneatur. 94
Ad quam restitutionem teneatur, qui illum non servat. ibid. 95
Locus Sacrificij quisnam esse possit. 94
Quid, in necessitate? 94
Loci Sacri nomine quid intelligatur: Vide *Sacri nomine.* Loca

*Locutio turpis.*

Locutio turpis. 22
An illa sit materia explicanda. ibid.
An numerus coram quibus. 16
An conditiones eorumdem. ibid.
An Locus. 25

*Longus.*

Longa Confessione indigens, si urget Communio, quid faciet? 65
Longum iter, quando excusat à confessione annua 80.
Quando à Communione. ibid.

*P. Lorinus.*

P. Lorinus, qua ratione orabat pro Beatissimæ Virginis Conceptione? 126. & seq.

*Lotio.*

Lotio ejus, super quod cecidit fortè Eucharistia, ad quem pertinet? 150
Lotio Sacrorum Vasorum, & vestium, ad quem? 98
Lotio manuum ante, & post Missam? 118

*Lumen.*

Lumen in Missa. 111
An ex adipe? ibid.

*Luxuria.*

Luxuriæ species enarrantur. 23
Vide *Singulas species*, *Adulterium*, *Sacrilegium*, *Incestus*, &c.

M

*Malum.*

Mala alicui volita, quomodo fatenda. 21

*Mala fides.*

Mala fide errans Confessor, in absolvendo, quid faciet? 44
Vide *v. Bona Fides.*

*Mappa.*

Mappa Altaris 110

*Mastice.*

Mastice in ore ruminata, an frangat jejunium naturale 71

*Materia.*

Materiæ diversitas, qua ratione peccati speciem mutat. 16
Materia Consecrationis. 34

*Matutinum.*

Matutini recitatio ante Missam. 116

*Medium.*

Media quæ assumuntur ad peccandum, quomodo aperienda. 12

*Medicina.*

Medicinæ an violent jejunium naturale, Vide *Iejunium naturale.*

*Memoria.*

Memoria singulorum peccatorum, non est necessaria in detestatione. 2

*Mendacium.*

Mendacium in Confessione. 33

*Mendicantes.*

Mendicantes: Vide, *Religiosi.*
Mendicantes Confessores quid possint: Vide, *verbo, Privilegiati.*
Mendicantium Privilegia: Vide, *Privilegia Religiosorum.*

*Meretrix.*

Meretrix, & Concubinarius, quomodo interrogandi. 46
Meretrix, qua ratione sua peccata explicare debet. 9
Meretrix publica, instante morte, an communicanda. 89

*Meridies.*

Meridies est terminus horæ celebrandi. 115

*Metus.*

Metu coactus, an celebrare possit sine vestibus sacris? 100.
Metus mortis, an excuset communicantem non jejunum. 73

*Miles.*

Miles, an decenter communicet accinctus gladio. 69

*Mimianum nemus.*

Mimianum nemus celebre in Sicilia. 111

*Minister, Ministrare.*

Ministrare Eucharistiam in mortali, an mortale. 68
Minister Sacrificio inserviens. 117
Minister communis quis, quo habitu, qua hora, quibus circumstantiis? 87
Ministrari an possit indigno Eucharistia. 85

*Missa.*

Missane, an Bulla Cruciatæ, utilior quoad satisfactionem? 132
Missa, quando perfici die sequenti possit? 148
Per quos Sacerdotes? ibid.
in Missa nihil omittendum: Vide, *Omittere.*
in Missa nihil addendum: Vide, *Addere.*
Missæ votivæ: Vide, *Votivæ Missæ.*
Missæ de Requiem, quando recitari possint? 140 sequentibus.
Missæ applicatio: Vide, *Applicatio Missæ.*
Missæ simul dictæ, an sint successivè dictis præferendæ. 132
Missæ ante mortemne procurandæ, an post mortem ibid.
Missæ quales recitandæ, ex præcepto superioris. 141
Quid ex injunctione pœnitentiæ. 142
Quid, ex præscriptione Episcopi in Ordinatione. ibid.
Missæ Defunctorum in Altari privilegiato. ibid.
Missæ S. Gregorij: Vide, S. *Gregorij Missæ.*
Missæ de Beatificatis: Vide, *Beatificat.*
Missæ promissæ: Vide, *Quales Missæ.*
Missæ defectibus quî recurrendum: Vide, *Defectibus Missæ.*
Missæ tot celebrandæ, quot exposcit eleemosynæ quantitas. 158
Missa unica, an satisfieri queat multis obligationibus ex iustitia ortis.
An multis obligationibus, non ortis ex iustitia ibid.
An multis, exiguam stipem dantibus. 164
Missæ in Oratoriis privatis, quot celebrari possunt. 106
Missarum applicationem, an præcipere possit Prælatus. Vide, *Prælatus.*
Missarum onera: Vide, *Onera. Missarum.*
Missas plures quando licet eodem die eidem Sacerdoti celebrare. 113
Missa solemnis de feria privilegiata. ibid.
Missa an interrumpi possit: Vide, *Interrumpi Missa.*
Missa cui magis prodest, ei, qui illam audit, an ei pro quo applicatur.
Missam audiens, aut celebrans, mane, in loco non festivo, non obligatur iterum audire, audiens eodem die ad locum festivum. 85
Missam celebrare: Vide, *Celebrare.*
Missam ut alij, vel ipse Sacerdos audiant, an sit urgens necessitas. 64. & seq.
Missæ auditio ex duplici præcepto. 19

*Missale.*

Missale an necessarium in celebrante. 211

*Mobilia.*

Mobilia relicta pro Missis perpetuis, investienda in bonis immobilibus. 172. & seq

*Modicum tempus.*

Modicum tempus; Vide, *Clausula* (*Modicum tempus.*)

*Mollities.*

Mollities uxorati, an sit adulterium. 25
Mollities quid sit. 17
Polluere se inter coxendices alterius, an mera Mollities. ibid.

*Mons Regalis.*

Montis Regalis Parochi, sex: Vide, *Parochi sex Montis Regalensis.*

*Morosus.*

Morosa delectatio: Vide, *Delectatio turpis interna.*

*Mors.*

Mors imminens, excusat ab integritate materiali Confessionis. 31
Moribundus an absolvendus date vel non date signo, & quomodo. 32
Mors alterius, an sit urgens necessitas, ut s. non adsint particulæ consecratæ, possit Sacerdos non jejunus celebrare. 63
Quid Mors propria. ibid.

*Motivum.*

Motiva doloris de peccatis. 2
Ad Motivum Attritionis, sufficitne timor incurrendi malum temporale. ibid.
Motivum universale doloris, qua ratione necessarium ad iustificationem. 68

*Mulier.*

Mulier cerussata, an peccet sic communicando. 69
Quid de superfluo ornatu. ibid.

*Multiplicatio.*

Multiplicatio malitiæ in eodem actu peccati. 11
Multiplicatio numerica peccati. 9

*Musca.*

Musca deglutita, an violet jejunium naturale. 70

*Mutus.*

Mutus excusatur ab integritate morali confessionis. 31

N

*Naufragium.*

Naufragium vicinum, aliquando excusat ab integritate materiali confessionis. 31

*Navis, Navigatio.*

In Navibus an possit celebrari. 102
Navigationem aggressurus, an possit recitare aliam Missam à currente. 140

*Necessitas.*

Necessitas celebrandi alibi, quàm in loco designato, an sit causa dispensandi Capellanum. 197
Quid in alio tempore à designato. 187
Necessitas celebrandi, an aliquando det causam celebrandi in loco non benedicto. 102
Quid in Ecclesia violata. 188
De Necessitate salutis quid credendum. 38
Quid de Necessitate præcepti? ibid.
Necessitas urgens, quænam sit. 63
Necessitate urgente, an possit quis peccata reservata confiteri inferiori. ibid.
Necessitas urgens, an excuset communicaturum à Jejunio: Vide, *Non] Iejuno.*
An concedat interdicto posse celebrare: Vide, *Interdictus an possit.*
An excommunicato: Vide, *Excommunicationem habens.*
Necessitas an concedat laico se excommunicare posse: Vide, *Laicus.*
An Sacerdoti extra Missam: Vide, *Sacerdos an possit seipsum*, &c.

*Negare.*

Negare aliquid in Confessione? Vide, *Mendacium.*

*Nix.*

Nive vinum & aqua consecranda, infrigidari an possint. 135

*Nobilitas.*

Nobilitas vera, quæ.

*Nominare.*

Nominandus in Canone Episcopus loci non vel brantis. 136

*Nona.*

Nonæ hora, quænam sit.

*Notus.*

Notum crimen in vno loco, an possit alibi 88

*Novitius.*

Novitius peccans, an fateri debeat se esse talem.

*Numerus.*

Numerus peccatorum, in confessione manifestan certus, vel ut certus, antiterum aperiendus, riatur non esse talis.
Numerus peccatorum, à Meretrice, & peccatu tuali, quomodo explicandus: Vide, *Meretrix peccator.*
Numerus Missarum S. Gregorij, non est superst 143

*Nunnus.*

Nunnus defenditur contra Dianam.

*Nux.*

Nux pinea an violet jejunium naturale: Vide, *Nux.*

O

*Objectum.*

Obiectum peccati, an manifestari possit in confessione, si inde quis infametur.
Idem, an taceri queat.
Idem Objectum, an propalari à Confessore 42.

*Oblatio.*

Oblatio particularum, an aliquando negligi 136.

*Obligatio.*

Obligatio Capellani, quoad removenda impedim celebrandi: Vide, *Impedimenta.*
Obligatus ad celebrandas Missas, quando per alium lebrare potest.
Obligatus per se ipsum, si per alium celebret, cet, & quid restituere tenetur.

*Occasio.*

Occasio, alia remota, alia proxima.
Occasio quæ removenda.
Occasio proxima, quando debet in confessione plicari.

*Occisio.*

Occisio in causa.
Occisio una multorum, quomodo confitenda.

*Occultus.*

Occultus peccator, quis sit.

*Odium.*

Odium, quando sistit in mero desiderio, qua ratione tendum.

*Offerre.*

Offerens in Missa, qui.

*Officiatura.*

Pro Officiatura Missæ, an aliud stipendium ab appo tione recipi possit.
Vnde coniiciendum, quod petens velit Officiatura ibid.

*Officium.*

Officium, qui mane recitavit, non obligatur post sa ptos ordines, vel emissam professionem eorum e die recitare.

Officio Divino, quæ attentio adhibenda 133. & sequentibus

*Omittere.*

Omissa quomodo suppleri debent in Missa. 137.
Omittere nihil licet in Missa. 136. & seq.
Omittere *enim*, vel *m* in *meum*? vel, in Verbo *est*, quæ culpa. ibid.

*Onus.*

Onus Capellaniæ, an sit urgens necessitas ad celebrandum. 64
Onus pœnitentiæ, quando subire Confessarius possit vel debeat: Vide, *Confessor, quando Onus*, &c.
Onera Missarum: quænam reduci ab Episcopis vetentur. 156. 157.
An omnia etiam Anniversaria. ibid.
An præterita. ibid
An imposita ante Tridentinum. 158
An nondum acceptata. ibid.
An relicta immediatè fideicommissario. ibid.
Onera Missarum non suscipienda, nisi satisfactis oneribus ante susceptis. 177

*Opera.*

Opera aliorum si utaris ad peccatum, quomodo aperire in confessione id debeas. 12

*Opinio.*

Opinionem pœnitentis, quando, &, quomodo Confessor sequi debeat. 45

*Oportet.*

Oportet, quid importet: Vide, *verb. Oportet.*

*Opus.*

Opus internum an imponi possit pro pœnitentia. 48
Quid & alias debito. ibid.
Quid de opere Defunctis applicando. ibid.

*Oratio.*

in Orationibus nihil addendum in Missa. 138

*Oratoria.*

Oratoria privata, vel publica. 10
Oratoria privata, in domibus Religiosorum. 104
Oratoria privata, in domibus privatis. 105. & seq. fusè.
Oratoria privata, qua ratione exstruenda. ibid.
A quo & quoties visitanda. ibid.
Quot Missæ ibidem celebrari possunt ex vi privilegij 166.
In diebus soleminoribus nullæ. 107
Sed ex vi Bullæ Cruciatæ, possunt etiam multæ. 108.
An in præsentia familiarium, etiam absente Domino. ibid.

*Ordo.*

Ordinis Iudiciarij non sunt capaces impuberes. 77

*Ornatus.*

Ornatus superfluus mulierum, an noceat ipsis sic communicantibus. 69
Ornatus Altaris, quis. 111
Ornatum Altaris, an Capellanus procurare teneatur. 169.

*Oscula.*

Oscula in loco sacro. 24

*Ossiculum.*

Ossiculum an frangat jejunium naturale. 70

P

*Pactum.*

Pactum cum Dæmone, sive implicitum, sive explicitum quomodo confitendum. 28
*Paganismus.* 17

*Palla.*

Palla. 110
Palla duplex, an adhiberi possit in Missa. 159

*Papyrus.*

Papyrus an violet jejunium naturale? : Vide, *Carta*

*Paraschue.*

in Paraschue, an liceat communicare. 87

*Parochus.*

Parochi nomine, quid veniat. 82
Parochi sex Montis Regalensis, quid possint. 83
Parocho non licet immodestè currere, dum fert Communionem infirmo. 87

*Parochia.*

in Parochia non communicare semel aut iterum in vita, an mortale. 81
Parochorum obligatio celebrandi. 112
Idem an obligentur applicare Missam pro suis. 132. & seq.
*Parricidium.*

*Particula.*

Particula (*plus minus*) ad quantum se extendit. 8
Particula (*Dummodo*) modum notat. 109
Particula (*tantum*) quid operetur in brevibus concessionis Missæ pro Beatificatis. 144
Particulam (*enim*) omittere, quod peccatum. 136
Particula sacra remanente in fundo Cali cis, quid fiet. 151.

*Parvitas.*

Parvitas materiæ in promissione Missarum. 178 & sequent.

*Pascha.*

Paschatis nomine quid intelligatur. 79. & seq
Paschatis die, an ministrari possit Eucharistia tempore interdicti. 90
Paschalis Communionis præceptum. 76. & deinceps.
Paschalis Communionis præceptum, an judicanda urgens necessitas. 65.

*Paupertas.*

Paupertas an det causam justam augendi stipendium Missæ. 59
Quid, si ob paupertatem, promittas sub minori stipendio Missam celebrare. 164. & seq.

*Peccatum, Peccator.*

Peccata aliàs confessa, an explicanda: 6
Quid in Confessione generali: Vide, *Confessio.*
Qui dubi sint peccata reservata. ibid.
Peccata confessa ut dubia, an iterum confitenda. 6
Peccati effectus: Vide, *Effectus peccati.*
Peccatum unum fateri pro alio, non potes. 33
Peccati contra naturam species. 27
Mollities. ibid.
Sodomia perfecta. 28
Imperfecta. ibid.
Bestialitas. 19
Peccatum continens multas species malitiæ, an separati in confessione possit. 13
Quid in prima confessione. ibid.
Quid in secunda. ibid.
Quid de peccato continente multas numero malitias ibid.
Peccans contra præceptum superioris, an contrahat malitiam specie diversam. 14
Peccator publicus, an absolvendus. 37
Peccator habitualis: Vide, *Habitualis Peccator.*
Peccata dubia: Vide, *Dubia peccata.*
Peccatum reservatum: Vide, *Casus reservatus.*
Peccatum patratum ipso die Communionis, an gravius 76
Peccatori occulto an liceat Hostiam non consecratam porrigere: Vide, *Hostiam non consecratam.*
Peccatum porrigendi Sacramentum indigno, an duplex. 88.
Quid de peccato, quo seipsum quis in necessitate indignè communicat. ibid.
Quid, quo Sacerdos indignè celebrat. ibid.
Peccatum oblitum: Vide, *Confiteri ante Communionem.*
Peccator sive publicus, sive occultus, quam pœnitentiam exhibere debeat, ut communicet. ibid.

Peccatum quodnam sit, decreta de celebratione Missarum non observare. 180

*Per.*

Per alium celebrare, quando quis potest 185. & seq.

*Perire.*

Percunte censu pro Missis, quid fiet? Vide *Censu pereunte pro Missis.*

*percussio.*

Percussionum unitas: Vide, *Duratio.*

*Periculum.*

Pariculum an idem, atque articulus mortis. 86

*Petere.*

Petenti publicè indigno an neganda Eucharistia. 87. & deinceps.

Quid petenti secreto. 88

Quid, si peccatum solum ex confessione sibi innotuerit. 79

Periculis peccandi se exponere an novum peccatum. 24.

*Perpetuus.*

*Perpetui* nomine, quid veniat. 174

Perpetua onera Missarum, non suscipienda sine licentia. ibid. & seq.

*Phreneticus.*

Phrenetico an dandum Viaticum. 85

Phreneticus quomodo absolvendus: 32

*Pileolus.*

Pileoli usus in Sacrificio, qua ratione prohibitus. 117

*Pinea nux*

Pinea nux integra deglutita, an violet jejunium naturale 70

*Pixis.*

Pixis plena particulis posita super Altare, non supra corporale, an remaneat consecrata. 121. & seq.

*Pluralitas.*

Pluralitas individualis malitiæ. 11

*Plus minus.*

Plus minus: Vide, *Particula (plus minus.)*

*Pœna.*

Pœna non communicantibus in Paschate. 84

Pœna contra recipientes onera perpetua Missarum sine licentia. ibid. & 177

An requirant sententiam declaratoriam criminis 174.

A dictis pœnis jam contractis, quis absolvit. ibid.

Pœna celebrantis in Calice non consecrato. 99

Pœnæ impositæ in legibus, an notent obligationem ad culpam. 175. & deinceps fusè,

Pœna spiritualis. 175

Pœna temporalis, pura, vel, mista. 176

*Pœnitentia pœnitens.*

Pœnitentiæ Sacramentum non requirit statum gratiæ præcessisse in suscipiente. 60

Pœnitens interrogatus à Confessario, an possit negare. 6

Pœnitens, quem actum fidei elicere debeat. 39

Pœnitens admonerine potest de errore commisso à Confessario, sine fractione sigilli. 44

Pœnitens, an teneatur acceptare pœnitentiam. 48

An acceptatam teneatur implere. 49

Quid, si sit oblitus, impotens redditus ibid.

An teneatur ad substantiam, si nequeat circumstantiam pœnitentiæ implere, vel contra. ibid.

Pœnitentiæ Sacramentum: Vide, *Confessio.*

Pœnitentia quando sub præscripto. 47

Pœnitentia debet esse salutaris pœnitenti, nec odium confessionis adducens. ibid

Pœnitentia injungenda pœnitenti. ibid.

An necessariò. ibid.

Quæ excusationes. ibid.

An possit impleri per alium. 49

Pœnitentiam commutare, quando, quis queat? Vide, *Commutare Pœnitentiam.*

*Polluere.*

polluere se, vel manibus alterius, vel inter alios exendiens, &c.

Polluta Ec[illegible] cognita in confessione.

Pollutio involuntaria, an prohibeat Communionem & seq.

Quid de voluntaria, sive copula licita, sive 96.

*Pontifex.*

Pontifex Summus, an legitimè concesserit quæ vilegia Religiosis?

*Potestas.*

Potestas Episcopi: Vide, *Episcopi Potestas.*

*Potus.*

Potus quid sit.

Potus modicissimus frangit jejunium naturale.

*Præceptum.*

Præceptum Communionis; instante morte, ceps.

Præceptum communionis debito modo.

Præceptum communionis instante morte, eos, qui in vita communicaverunt.

An qui paulo ante periculum mortis?

Præceptum Communionis Paschalis: Vide, *Communionis præceptum.*

Præcepta humana, an inducant urgentem in re nostra?

Præceptum Confessionis annuæ. Vide, *Annuæ nionis præceptum.*

Præcipiens finem, præcipit & media.

*Prælatus.*

Prælatorum potestas in absolvendo. Vide, *potestas.*

Prælatus Religiosorum, an possit præcipere nos?

*Præscriptio.*

Præscriptionis lex circa Missas.

*Præsentia.*

Præsentia Missæ: Vide, *Officiatura.*

*Prævenire.*

Prævenire an obligetur Communionem, vel sionem, qui prævidet tempore præcepti se dium.

*Preces.*

Preces in Missa debent esse approbatæ.

Preces in Missa an omitti aliquando possint.

*Omittere.*

An addi: Vide *Addere.*

Preces ante vel post Missam.

*Principalis.*

Principali actu in confessione manifestato, an manifestari accessorius?

*Prior.*

Prior tempore, potior in Iure.

*Privilegium.*

Privilegia Religiorum, circa locum Sacrificij. deinceps.

Privilegia eorundem, celebrandi ante Auram.

Privilegia eorundem, celebrandi post meridiem.

Privilegia eorundem, an revocata quoad numerum sarum? 169. & deinceps

An legitimè olim à Summo Pontifice concessa & deinceps.

Privilegia eadem, an iisdem aliquo modo ibid.

Privilegia eorundem, circa recitationem officij Missæ.

Privilegia eorundem, circa Benedictionem vestium cerdotis.

Privilegia eorundem, consecrandi Calices.

Privilegium non extenditur de persona ad personam. 143. & seq.
Privilegiati mendicantes, qui absolvere possint? 43
Quid mendicantes Siculi, Sardi, Melitenses? ibid.
Privilegia Cruciatæ, vel Iubilæi; Vide, *Bulla Cruciata.*

*Probabilitas.*

Probabilitas sufficit ut quis prudenter operetur. 7
Probabilitatem habens, se non fecisse peccatum, an illud confiteri teneatur? 9
*Procuratio* mutua pollutionis: Vide, *Polluere se.*

*Profanus.*

Profanorum usus ad sacra: Vide, *Vsus Profanorum.*

*Promittere.*

Promissis non stare in negotio Missarum, quod peccatum, & quæ obligatio restitutionis? 179. & deinceps.
Promittens minori stipendio Missas: an possit ab alio recipere aliquid usque ad justam mercedem, & pro utroque unica Missa satisfacere? 164. & deinceps.

*Propositum.*

Propositum non peccandi, necessarium in detestatione. 2
Sed non necessario explicitum, quando motivum est universale. ibid.
Propositum non vitiat timor, imò nec certitudo, quod iterum quis peccaturus sit. ibid.
Propositum solum sine dolore, an sufficiat. ibid.
Propositum venialium disiunctivè, mortalium collectivè.

*Proprius.*

Proprij Sacerdotis nomine quid intelligatur. 82

*Publicus.*

Publicus Peccator: Vide, *Peccator publicus.*

*Puer.*

Pueris an; & quando danda Eucharistia. 77
An, & quando obligandi ad Communionem Paschalem? ibid.
Pueri impuberes, an subdantur legibus humanis, quoad culpam. ibid.
Quid, quoad pœnas. ibid.
An incurrant excommunicationem, *Si quis.* 78. & deinceps.
An pœnam impositam contra non communicantes, non confitentes. ibid.
An excommunicationes latas in Bulla Cœnæ. ibid. & seq.
An pœnas in Interdicto latas. ibid.
Pueri ante, vel post septennium, si sint doli capaces, an teneantur ad annuam confessionem. ibid.
Quid, si dubitetur? ibid.
Pueri an communicandi pro Viatico. 85
An iisdem danda Extrema-Vnctio? ibid.

*Purgatio menstrua.*

Purgationis dies, non removent ex obligatione, à licita copula. 66

*Purificatio.*

Purificatorium. 110
Purificatio Calicis an expediri possit sola aqua. ibid.

Q

*Quales.*

Quales Missæ sunt recitandæ. 139
Quales ex devotione. ibid.
Quales ex stipendio. ibid.
Quales ex Juramento homini præstito. 141
Quales ex Juramento vel voto Deo præstito. ibid.
Quales ex injunctione Superioris? ibid.
Quales ex pœnitentia? 142
Quales ex injunctione Episcopi in ordinatione. ibid
Quales ex promissione in altari privilegiato? ibid.
Quales ex promissione pro Missis S. Gregorij. ibid.
Quales ex promissione pro S. Beatificato tantum. ibid. & deinceps.

*Quamprimum.*

*Quamprimum*: Vide *Clausula (quamprimum.)* 65
*Quamprimum confiteri*, esse consilium, qui docent. 65
Et quidem meritò. ibid
Quamprimum confiteri post communionem ritè peractam, non est materia gravis. 66
Quamprimum confiteri, an quis aliquando obligatur. 65. & seq.
An sit aliquando, præceptum latum à Tridentino. [illegible]
Quando debet elici actus contritionis à communicaturo, urgente necessitate, sine confessione. 66
An satisfit, dum in ore est facta Hostia. ibid.
An, in *Memento*, vel ante consumptionem. 67

*Quando.*

Quando pœnitentia imponi debet. 43
Quanta. ibid.
Qualis. ibid.
Quando commutari pœnitentia possit: Vide, *Commutare pœnitentiam.*
An debeat impleri, quando quis est in gratia. 49
An possit, quando quis exercet aliud opus. ibid.

*Quantitas.*

Quanta aqua Calici admiscenda. 134
Quantitas pecuniæ pro Missis in legato dubio, unde cognoscenda. 163

*Qui.*

*Qui facit per alium perinde est, ac si faciat per se ipsum.* 144

*Quotidie.*

Quotidie obligatus celebrare, an possit semel in hebdomada vacare. 183. & deinceps.
Quotidie sacrificare, laudabile. ibid.

*Quotidianus.*

Quotidiana Communio, a omnibus licet. 68

R

*Ramus.*

RAmis palmarum benedictis, quis cultus debetur. 99

*Rapina Raptus.*

Rapina. 29
Raptus. 27
*Recidivus.* 37

*Recitatio.*

Recitatio Matutini: Vide, *Matutini recitatio.*

*Reconciliatio.*

Reconciliatio loci sacri. 188

*Reductio.*

Reductio Missarum ad quem spectat. 156. & deinceps fusè.

*Regina.*

Regina Angliæ: Vide, *Angliæ Regina.*

*Regulares.*

Regulares; Vide, *Religiosi.*
Religiosorum privilegia: Vide, *Privilegia Religiosorum.*
Religiosi an teneantur stare taxæ factæ ab Episcopo. 168.
Religiosi, an in necessitate possint ministrare Eucharistiam moribundis. 84
Religiosis in Jure prohibetur, sed jam Mendicantibus. ex privilegio nunc conceditur ministrare Eucharistiam. 80. & seq.
Quid in tempore Paschali. 84.
Religiosus, cui negatur licentia circa casum, vel excommunicationem reservatam, quid faciet. 63
Religiosi quid possint in absolvendo: Vide, *Privilegiati.*

*Reliquiæ.*

Reliquiarum gestatio an addat speciem peccato. 24
Reliquiæ cœnæ deglutitæ, an violent jejunium naturale. 70

*Repetere.*

Repeti in Missa an debeant omissa. 137
Repetere confessionem : Vide, *Confessionem repetere.*

*Reservatus.*

Reservatum peccatum : Vide *Casus reservatus.*
Reservata excommunicatio : Vide, *Excommunicatio reservata.*
Reservati casus : Vide, *Casus reservatus.*

*Respiratio.*

Respiratio non est cometio. 71

*Restitutio.*

Restitutio quæ facienda ab accipiente stipendium pro Missis, quas quis non celebret. 178
Restitutio, quæ facienda ab eo qui alibi, quam in loco sibi assignato, celebrat. 196
Quid de eo, qui Missas differt. 177

*Retinere.*

Retinere an quis possit partem eleemosynæ Missarum. 171.
Quid pro cera & cæteris expensis. ibid.
Quid de legatario seu Capellano pingui. ibid.
Quid de committente aliis Missam celebrandam. ibid.

*Reverentia.*

Reverentia Christo debita, an aliquando excusat communicantem in mortali. 69
An non jejunum. 72. & seq.
Reverentia Christo debita compensatur in necessitate, per actum contritionis. 64

*Revocatio.*

Revocatio doloris mortalium. 5
Venialium. ibid.
Revocatio dubia : Vide, *Dubium de revocatione.*
Revocatio privilegiorum. Vide, *Privilegia.*

*Rex.*

Rex an nominandus in Canone. 138

*Ritus.*

Ritum proprium omittere an aliquando liceat. 137
& deinceps fusè.

*Rubrica.*

Rubricæ Ecclesiæ, aliæ præceptivæ, aliæ directivæ. 135.
Quomodo obligent. ibid.

S

*Sabbathum.*

SAbbathi Sancti Missa undenam incipiat. 112

*Saccarum.*

Saccarum in ore vesperi positum : Vide *Tabella.* 71

*Sacer locus.*

Sacer locus in homicidio explicandus. 21
Item in percussione gravi cum sanguinis effusione. ib.
Sed non in eadem sine sanguinis effusione. ibid.
Sacri loci nomine quid intelligatur. 24

*Sacræ vestes.*

Sacræ vestes quomodo prohibeantur non tangi, nisi à sactis hominibus ? 66

*Sacra.*

Sacrorum usus ad profana : Vide, *Vsus Sacrorum.*

*Sacerdos.*

Sacerdotis dispositio, antequam absolvat. 39
Sacerdotis conditio, an aperienda in confessione. 24
Sacerdos simplex, an obligetur aliquando celebrare. 112
Sacerdos quoad intentionem consecrandi : *v. Intentio.*
Sacerdos, si non applicet suam Missam, cui prodest. 131.
Sacerdos, excludens aliquem à fructu suæ Missæ, an valide excludat. ibid
Sacerdos voluntariè distractus in Missa, quid 133
Sacerdos Romanus vel Mediolanensis, Carmelita qua ratione Missa debeat Ecclesiæ suæ uti?
Sacerdos quales Missas recitare debet? deinceps.
Sacerdote deficiente in Missa quid fiet?
Sacerdos, an aliquando teneatur confiteri, dum sam celebrat.
Sacerdos vocatus ad infirmum communicandum veniat illum indigere longa confessione quid ibid.
Sacerdos propter onus Capellaniæ, an celebrare cum contritione, absente Confessario.
Quid propter extremam victus necessitatem.
Sacerdos, an sine stola extra sacrificium, rite nicet.
Sacerdos, quando non jejunus communicare
Sacerdos, quid faciet, advertendo esse Calice pro vino.
Et quid, si hæserit sacra Hostia in calice.
Sacerdos an possit seipsum extra Sacrificium, nicare.
Quid, præsente Diacono.
Sacerdos an possit communicaturo dare Hostiæ.
Sacerdos infirmus debet participare, quantum de suo sacrificio.
Sacerdos Græcus in azymo, vel Latino in an consecrare possint. 73.

*Sacramentum.*

Sacramenta omnia vivorum requiruntur in statum gratiæ, & cur ?
Sacramentum Eucharistiæ : Vide, *Eucharistiæ Sacramentum.*
Sacramenta recipere in Oratoriis privatis.

*Sacrificium.*

Sacrificium quid sit.
Sacrificium an possit aliquando die sequenti 248.
A quo.
An perfici possit cum Hostia præconsecrata.
An interrumpi aliquando possit? & deinceps.
Vide, *v. Missa*, & Vide *Tempus sacrificij.*

*Sacrilegium.*

Sacrilegium quotuplex.
Sacrilegium in furto : Vide *Furtum Sacrilegum.*
Sacrilegium in percussione : Vide, *Homicidium.*
Sacrilegium in Luxuria.
Quoad personam sacram.
Quoad locum sacrum.

*Saliva.*

Salivæ quid immissum delgutitum, an violet naturale?

*Sanguis.*

Sanguis deglutitus, an frangat jejunium
Sanguis Christi Domini non est dandus infirmo potenti deglutire res siccas.
Sanguis si totus effundatur, quid geret celebrans?
Sanguis congelatus : Vide, *Congelatio.*
Sanguine in terram, vel similem locum effuso fiet?
Quisnam locum lavabit?

*Sanitas.*

Sanitas quæ requiritur in celebrante?
Sanitas, an requiratur à communicaturo?

*Sardi.*

Sardi Medicantes quid possint in absolvendo : *Privilegiati.*

*Satisfactio.*

Satisfactio & impetratio Missæ, an mereantur diversi stipendium.

Satisfacta parte. Vide, *Clausula satisfacta parte.*
Satisfactio. Vide, *Pœnitentia.*

*Scandalum.*

Scandalum qua ratione in confessione aperiendum. 15

*Scire.*

Scire debet Confessor Catalogum excommunicationum, quas non potest absolvere. 42

*Scriptura.*

Scriptura an necessaria ad valorem licentiæ. 174

*Scrupulosus.*

Scrupulosus non tenetur fateri peccata dubia. 6
Idem excusatur ab integritate materiali confessionis 32

*Secreta Missæ.*

Secreta Missæ, qua voce dicenda sint? 153

*Semifatuus.*

Semifatuis an danda Eucharistia? 76

*Senex.*

Senex non obligatur recurrere ad Pontificem, pro absolutione ab excommunicatione, *Si quis suadente.* 78

*Sepelire.*

Sepelire Sacerdotes indutos vestibus sacris non est prohibitum. 99

*Servitus.*

Servitus nunquam præscribitur. 189

*Siculus.*

Siculi Mendicantes quid possint in absolvendo. Vide, *Privilegiati.*

*Sigillum.*

Sigillum confessionis rigidè obligat. 88
Sigillum frangentis, culpæ & pœnæ quæ? 58
Sigillum confessionis aliquando excusat ab integritate materiali confessionis. 51
Sigillum confessionis quid sit, unde oriatur, quo modo differat à secreto naturali, quæ cadant, quæ non cadant subipsum. 50
An venialia in genere, cadant sub sigillo. 51
An circumstantia loci. ibid.
An peccata publica. 52
An complices, & obiecta peccati. ibid.
An peccata committenda. ibid.
An quæ per errorem quis, ut necessaria fatetur. ibid.
An defectus naturales, dicti in confessione. ibid.
Quid de defectibus visis in eadem? 53
An peccatum dubiè notum. ibid.
Sigillum quisnam teneatur observare. ibid.
Confessor pœnitens, interpres, alij. ibid.
Quid de eò, à quo petitur consilium, ut licentia absolvendi à reservatis? ibid.
Quid de laico confessorem se esse simulante. 54
Quid de legente scripturam in quam notata sunt peccata? ibid.
Sigillum an violet, qui cum eodem pœnitente extra confessionem de peccatis in confessione auditis loquitur? 55
Quid intra aliam confessionem? ibid.
Quid statim à confessione? ibid.
Sigillúmne frangit confessarius, qui utitur cognitione confectionis in actionibus peragendis. 56
Quid cum nullus id advertit? ibid.
Quid si advertat solus pœnitens. ibid.
Quid si advertant alij complices. 56
Sigillíne reus est confessor, si simulatum confessorem respuat. 57
Quid si idem respuat pœnitentem, qui ipsum confessorem in confessione ad peccandum sollicitat. ibid.
Sigillum seu sepulcrum aræ, quid sit? 109

*Signum.*

Signa ostendentia leges obligare sub mortali. 175. & deinceps.
Signa sacra, super particulas in Missa exhibendas, omittere non licet. 136
Signa contritionis in phrenetico. 86
Signa emendationis in pœnitente. 37
Signa doloris in eodem. 39

*Societas IESV.*

Societatis IESV Religiosi, in multis privilegiis, à suo Generali restringuntur. 105

*Socius.*

Socius peccati an manifestari in confessione possit? 33
An taceri. 32

*Sodomia.*

Sodomia cum Infideli, an sit nova species peccati? 23
Cum conjuge sua, an sit adulterium? 25
Cum conjunctis, an incestus. Vide, *Incestus.*
Cum Virgine, an stuprum? 27
Sodomia perfecta. 28
Imperfecta. ibid.
Sodomia specie diversa an sit agere, & pati. Vide, *Agens & Patiens.*

*Solemnitas.*

Solemnitates, quibus instituuntur, & in possessionem mittuntur Parochi.

*Somnus.*

Somnus Confessoris. Vide *Ignorantia Confessoris.*
Somnum præcessisse, non est necesse ad communionem. 71

*Sordes.*

Sodes corporeæ, an noceant communicaturo. 69

*Spes.*

Spes veniæ, an addat novam malitiam peccato? 17

*Sponsalia.*

Sponsalia habens de futuro, si peccet contra largitatem, an novam peccati speciem addat? 27

*Stephanus Turturreti.*

P. Stephani Turturreti factum, & laus. 151

*Stipendium.*

Stipendium an det rationabilem causam recitandi Missam aliam à currente? 140
Stipendium Missæ. 154. & deinceps fusè.
Stipendij dilatio. Vide, *Dilatio stipendij.*
Stipendia exigua multa, an pro una Missa accipi possint? 164.

*Stola.*

Stola an requiratur à Sacerdote communicaturo. Vide, *Sacerdos an sine stola.*

*Stolidus.*

Stolidis an danda Eucharistia. Vide, *Semifatuis.*

*Stuprum*

Stuprum quid, & quomodo confitendum. 25
Stuprator ad quid teneatur? ibid.

*Suares.*

Suarij doctrina quædam examinatur. 164. & deinceps,

*Successor.*

Successor negligente prædecessore, ad quid obligatur, 180

*Superior.*

Superior Religiosorum. Vide, *Prælatus Religiosorum.*
Superiorum diversitas an det novam speciem malitiæ? 14

*Superstitio.*

Superstitio quid, quotuplex, & similia.

*Surdus.*

Surdus non potens, excusatur ab integritate confessionis. 32

*Suspensus.*

Suspensus an celebrare possit ne cessi tate urgente. 64

# Index Rerum


*Suspicio.*

Suspicio probabilis, violenta quænam sit. 88
Suspicionis periculum quale esse debet, ut frangatur sigillum. 58

*Susurro.*

Susurro quomodo differat à Detractore? 19

*Symbolum.*

Symbolum Apostolicum omittere in Missa, quando peccatum? 136

T

*Tabaccum.*

TAbaccum an violet jejunium naturale? 70

*Tabellæ.*

Tabellæ in ore vesperi positæ an violent jejunium naturale. 70

*Tacere.*

Tacens bona vel mala fide Censuram in Confessione ad quid obligetur. 35
Taceri licitè aliquod peccatum in Confessione, interdum potest. 30
Ob impotentiam Physicam. 31.
Ob impotentiam Moralem. 32
Ob invincibilem errorem. 33

*Tactus. Tangere.*

Tactus turpes in loco sacro. Vide, *Oscula.*
Tangi à Sacerdote Sacram Hostiam in mortali, an sit mortale. 67
Tangi à laico potest Eucharistia, quando id requirit reverentia Christo debita. 68

*Taxa.*

Taxæ factæ ab Episcopo, stare an teneantur Religiosi. 168

*Tempus.*

Tempus Sacrificij. 111
Tempus obligationis Capellani in sacrificando. 181 & deinceps.
Tempus executionis, an dispositionis, est attendendum in decernenda quantite pecuniæ pro Missis legatis. 167.
Tempus, an addat novam speciem peccati. 25

*Terra.*

Terra an violet jejunium naturale. 70

*Testamentum.*

Testamentum prius, an aliquando valeat. 131
Testamenta ample explicanda. 167

*Testator.*

Testator qua ratione se habere potest in dispositione Missarum, quoad applicationem. 160. & deinceps
Quoad numerum Missarum. 166. &. deinceps
Quoad pecuniam exhibendam. ibid.
Testator quando præsumitur velle Capellaniam Sacedoti actuali conferri. 178. & deinceps.

*Testimonium.*

Testimonium Castropalai præfertur testimonio Dianæ. 143

*Timor.*

Timor rationabilis, quomodo excuset ab integritate Confessionis. 32
Timor gravis mali, vel revelationis sigilli urgens est necessitas. 61

*Triduum.*

Triduum hebdomadæ Sanctæ quoad sacrificandum. 111. & deinceps.

V

*Vacare.*

VAcare an possit aliquando is, qui ad quotidianam Missam tenetur. 182. & seq.

*Vagus.*

Vagi & Peregrini, ubilibet possunt satisfacere præcepto Communionis Paschalis. 81

*Valor.*

Valor Missæ. Vide, *Fructus Missæ.*

*Vasa.*

Vasa in Missa adhiberi solita.

*Vendere.*

Vendens & emens triticum minori pretio ob [illegible] tatem.

*Veneficium.*

Veneficium quid & quomodo confirmandum.

*Veniale peccatum.*

Venialibus peccatis solum gravatus an obligetur [illegible] nuam confessionem.
Venialium confessio, an requirat dolorem formalem.
Venialium dolor. Vide, *Dolor.*
Venialium propositum. Vide, *Propositum.*

*Veneris sancti dies.*

Veneris sancti die, an liceat communicare. Vide, *Missa sicca.*

*Verba.*

Verba imperativi modi, an indicent præceptum.
Verbum unum omittere in Canone, an mortale.
Verba dubia legis, quilibet probabiliter interpretari potest.
Verba dubia, an contineant præceptum fillici [illegible] tinent.
Verbum (*debet*) an importet præceptum obligandi.
Verbum (*oportet*) an importet præceptum obligandi ibid.

*Vestis.*

Vestes externæ quæ requirantur à communicante. 69
Vestes Sacerdotales, an remaneant benedictæ [illegible] usu sacro.
Vestes Sacerdotales, quæ & quot.
Earundem benedictio. ibid.
Eædem quando amittunt benedictionem.
Vestis sacra una quando mutatur in aliam, an indigeat benedictone.

*Viaticum.*

Viatici porrigendi causa an Missa anticipari possit. 114.
Viaticum datur non jejuno & quomodo.
Viaticum an detur phrenetico. Vide, *Phreneticus.*
Viatico semel refectus an in eadem infirmitate possit iterum refici.
Viaticum an possit à morte damnatis sumi eatenus ibid.

*Vicarius.*

Vicarius Generalis an concedere possit licentiam Religiosis ministrandi Eucharistiam,
Quid de Vicario foraneo.

*Vinum.*

Vinum generosum, laudabiliter Calici imponitur. 135
Vinum congelatum. Vide, *Congelatio.*

*Violare.*

Violatio loci sacri, quot modis contingat.
Violata Ecclesia, dum quis celebrat quid faciet.

*Virgo.*

Virgo se polluens, an Virginitatem explicare in confessione debeat.
Item.
Item.

*Vna Missa.*

Vnam Missam an dare pluribus liceat. Vide, *Missa una.*

*Vnitas.*

Vnitas peccati unde desumenda, & ejusdem multiplicitas.

*Vngnis.*

Vngnis fructum an violet. jejunium naturale. 70

*Voluntas.*

Voluntas Testatoris, dat causam aliquando recitandi Missam aliam à currente. 140

Voluntas quæ requiritur præcessisse in amente, ut possit communicare. 85.

Voluntaria distractio, an noceat communicanti. Vide, *Distractio voluntaria.*

*Vomere.*

Vomere quando licet infirmo post Communionem 75

Vomitum patiens an, & quomodo communicandus 70

Vomere si contingat factam Hostiam, quid fiet. 151

*Votivæ Missæ.*

Votivæ Missæ quando recitari possunt. 139. & seq.

*Votum.*

Votum communicandi an inducat necessitatem, ut quis eum contritione, absente Confessario communicet. 65

Votum an det rationabilem causam recitandi aliam Missam à currente. 141

Votum de dicendis Missis, quomodo obliget. 179

Vota commutari ex se possunt extra Sacramentum. 50

Voti materia diversa, an diversificat specie votum. 15

Voti solemnitas an explicanda in confessione. 24

Votorum unitas, *Vnitas peccati.*

*Vox.*

Voce qua recitanda sit Missa. 153

*Vrgere.*

Vrgens necessitas, Vide, *Necessitas urgens.*

*Vsus.*

Vsus prophanorum ad sacra. 100

Vsus sacrorum ad profana. 99

*Vxoricidium.*

Vxoricidium & Viricidium an differant specie. 20

X

*Xylina.*

Xylina & Gossipium an differant specie vulgò *Bombace* vel *Cottone.*

*FINIS.*

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac B. Aloysio Patrono meo.

R. P. THOMÆ

# TAMBURINI

THEOLOGI SOC. JESU,

SICULI CALTANISSETTENSIS

JURIS DIVINI, NATURALIS, ET ECCLESIASTICI

*EXPEDITA*

# MORALIS EXPLICATIO,

COMPLECTENS TRACTATIONES TRES

DE SACRAMENTIS, Quæ sunt de jure Divino.
DE CONTRACTIBUS, Quos dirigit jus Naturale.
DE CENSURIS ET IRREGULARITATE, Quæ sunt de iure Ecclesiastico.

*ACCEDIT*

## TRACTATUS BULLÆ CRUCIATÆ

In Theologorum, Parochorum, Confessariorum, Sacerdotum, imò & Pœnitentium; necnon Jurisperitorum commodum,

*Tum etiam Opusculum inscriptum* GERMANA DOCTRINA *Tamburini, à nonnullis impugnationibus vindicata.*

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.



LUGDUNI,

Sumpt. Fr. ANISSONIORUM & JOAN. POSUEL,

*M. DC. LXXXIX.*

Cum Approbationibus & Superiorum Permissu.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## FACULTAS REV. ADMODUM PATRIS JOSEPHI CASTELNOVI *Provincialis Societatis* JESU *in Sicilia.*

CUM Librum, cui titulus est (Opus continens Tractationes de Sacramentis, de Contractibus in particulari & de Censuris, atque Irregularitate) à P. THOMA TAMBURINO Societatis nostræ compositum, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse, probaverint, facultate nobis facta ab admodum R.P.N. Gosvino Nickel Præposito Generali, concedimus, Typis mandetur si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & nostro sigillo munitas dedimus. Panormi, 9. Februarii 1659.

JOSEPHUS CASTELNOVUS.

## APPROBATIO IGNATII MONCADÆ PROVINCIALIS *Societatis* JESU *in Sicilia.*

CUM Librum, qui inscribitur *Tractatus de Bulla Cruciatæ*, à THOMA TAMBURINO nostræ Societatis Sacerdote compositum tres ejusdem Societatis Sacerdotes, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis ab admodum R.P. Joanne Paulo Oliva, Vicario Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur; si ita iis, ad quos pertinet videbitur, in quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Panorm. 27. Decemb. 1662.

## APPROBATIO DOCTORUM.

POst accuratissimam discussionem Operis, cujus tale est Diagramma *Explicatio Juris Divini, Naturalis, & Ecclesiastici, de Contractibus & Irregularitate, atque etiam de Bulla Cruciatæ.* Authore R. P. THOMA TAMBURINO Societatis JESU, nihil quod fidei adversetur, propterea quod nihil quod dicti operis impressionem, & ne publici juris fiat remoretur, repertum est; cujus rei fidem facio, Ego infrascriptus Doctor Theologus. Actum Lugduni die 21. Martii Anni Domini 1665.

FR. J. ROBE'.

IDem censeo ego infrascriptus Doctor Theologus. Lugduni die decimaquarta Martii Anni ejusdem millesimi sexcentesimi sexagesimiquinti.

P. MOREL.

## LICENTIA ORDINARII.

VIsa Doctorum approbatione, imprimatur hic liber cujus titulus est *Explicatio Iuris Divini, Naturalis, & Ecclesiastici, de Contractibus & Irregularitate, atque etiam de Bulla Cruciatæ.* Authore R.P. THOMA TAMBURINO Societatis JESU. Lugduni die 14. Martii anno 1665.

DE NEU-VILLE, Vic. Gener.

## CONSENSUS PROCURATORIS REGII.

VIsâ Ordinarii licentiâ pro opere, cui titulus est, R.P. THOMÆ TAMBURINI Socier. JESU, opera moralia Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura, in lucem prodire non impedio, Lugduni die 14. Martii 1665.

VIDAUD

## PERMISSUS.

FIat secundùm Conclusiones Procuratoris Regii. Datum Lugduni, die & anno suprà scriptis.

DE SEVE.

# INDEX

## Librorum, Capitum; & Paragraphorum in hoc Volumine contentorum.

### LIBER I.

*De Sacramentis in genere.*


CAP. I. DE materia, & forma Sacramentorum. *fol.* 1.
§. 1. Materia, & forma Sacramenti, simul esse debent. *ibid.*
2. Non debent immutari. 2
3. Forma non debet reiterari super eandem materiam. 3
CAP. II. De Ministro Sacramentorum. *ibid.*
§. 1. De Ministri legitima intentione conficiendi Sacramentum. *ibid.*
2. De ejusdem probitate. 4
3. Praxis de prædicta probitate. *ibid.*
CAP. III. De suscipientibus Sacramenta. 5
§. 1. Voluntas suscipiendi Sacramentum. *ibid.*
2. Dispositio necessaria. 6
3. An liceat petere Sacramenta à peccatore, vel excommunicato. 7
4. An liceat indigno illa ministrare. *ibid.*


### LIBER II.

*De Baptismo.*


CAP. I. DE materia & forma Baptismi. 7
§. 1. De materia remota. *ibid.*
2. Materia remota, quoad licitum usum. 8
3. Materia proxima, quæ est ablutio. *ibid.*
4. Materia proxima, quoad licitum usum. 9
5. Forma. 10
6. Regulæ tres de Baptismo sub conditione. 12
7. Explicatur, quænam sit moralis certitudo de suscepto Baptismo. 13
8. Quid observandum, si quando repetendus sit Baptismus. *ibid.*
CAP. II. De Ministro Baptismi. 14
§. 1. Quisnam sit extra casum necessitatis? *ibid.*
2. Quis in casu necessitatis. *ibid.*
3. De obligationibus Ministri Bapt. extra necessitatem. 15
CAP. III. De subjecto Baptismi. *ibid.*
§. 1. De Baptismo infantium, qui nascuntur à fidelibus. *ibid.*
2. De Baptismo infantium, qui nascuntur ab infidelibus. 16
3. De Baptismo adultorum. 17
CAP. IV. De cognatione spirituali, quæ oritur ex Baptismo. *ibid.*
§. 1. Proponuntur explicanda. *ibid.*
2. Quæ persona esse Patrinus possit? 18
3. Quænam Baptismi administratio dictam cognationem pariat? 19
4. Quænam actio, quæque intentio requiritur ad hanc cognationem. 20


### LIBER III.

*De Sacramento Confirmationis.*


CAP. I. DE materia, & forma Confirmationis.
§. 1. Materia remota.
2. Proxima.
3. Forma.
CAP. II. De Ministro Confirmationis.
§. 1. Quis ille sit.
2. De obligationibus Ministri, deque solemnitatibus ab ipso servandis.
CAP. III. De subjecto Confirmationis.
§. 2. De infantibus.
2. De amentibus.
3. De proximè morituris.
4. De adultis.
CAP. IV. De Patrino Confirmationis.
CAP. V. De pœnis iterum Confirmationis.


### LIBER IV.

*De Sacramento Eucharistiæ.*


CAP. I. DE materia, & forma Eucharistiæ.
§. 1. Materia Sanctissimi Corporis.
2. Materia Sanctissimi Sanguinis.
CAP. II. De consecratione.
§. 1. Forma consecrationis.
CAP. III. De intentione requisita ad Consecr.
CAP. IV. De dispositione requisita in suscipiente eucharistiam.
CAP. V. De præcepto Communionis.
§. 1. An in periculo mortis liceat aliquando communicare sub speciebus SS. Sanguinis.
2. An possit concedi dispensatio de non communicando in Paschate?


*De Pœnitentiæ Sacramento.*


CAP. I. DE materia, & forma hujus Sacramenti.
CAP. II. De præcepto suscipiendi hoc Sacramentum.
§. 1. An obligemur semper confiteri per voces.
2. De præcepto dato Medicis circa Confessionem & Communionem ægrotantium.
CAP. III. De potestate Ordinis quoad absolvendum.
CAP. IV. De Iurisdictione necessaria ad absolvendum.
§. 1. Quid ea sit?
2. In quonam resideat ordinaria.
3. Explicantur distinctius prædicta.
4. De delegatione hujus jurisdictionis, quæ à Summo Pontifice fieri solet.
5. De eadem delegatione, quæ fit à Prælatis inferioribus.
6. De acquisitione hujus jurisdictionis ex consuetudine.
7. De acquisitione ex errore communi.
8. Ex opinione probabili.
9. Ex subdelegatione.

# Capitum, & Paragraphorum.


10. De prædictæ delegationis duratione. 42
CAP. V. De approbat. Confessariis necessaria. 43
§. 1. Quid ea sit. *ibid.*
2. Explicatur prima Clausula Tridentini requirentis dictam Approbationem. *Nullus etiam Regularis, &c.* *ibid*
3. Explicatur secunda Clausula. *Nisi, aut Parochiale Beneficium obtineat.* *fol.* 47
4. Explicatur tertia Clausula. *Aut ab Episcopis per examen.* *ibid.*
5. Explicatur quarta Clausula. *Quæ gratis detur.* 52
6. Explicatur quinta Clausula. *Quibuscunque Privilegiis non obstantibus.* 53
CAP. VI. De aliis conditionibus requisitis in Ministro Confessionis. *ibid.*
§. 1. De scientia. *ibid.*
2. De aliis requisitis, in eodem. 54

TRACTATUS
*De Casibus reservatis.*

CAP. I. Quid sit casuum reservatio. 55
II. Quis possit casus, & sub qua limitatione reservare. *ibid.*
III. Quinam subjaceant casibus reservatis? 56
IV. De peccatis, quæ sive non possunt, sive non solent reservari. 57
V. De peccatis Summo Pontifici reservatis. 59
§. 1. Præmittitur notabile discrimen inter reservata Pontifici, & Episcopis. *ibid.*
1. Peccata, seu excommunicationes Summo Pontifici reservatæ. 60
CAP. VI. De peccatis Episcopo reservatis. *ibid.*
§. 1. An in jure sint aliqui casus reservati Episcopo? *ibid.*
2. Quos casus sibi reservare potest Episcopus? *ibid.*
3. Peccata hodie reservata Archiepiscopo Panormitano. 61
CAP. VII. De peccatis reservatis pro Religiosis. 65
§. 1. Quibus casibus reservatis in universum subjaceant Religiosi? *ibid.*
2. Explicatio Decreti Clementis VIII. de casibus reservatis Regularium. 66
3. De casibus reservatis Societatis JESU. 69
CAP. VIII. De absolutione à reservatis ex jure Ordinario. 73
§. 1. Quis possit absolvere à reservatis ex jure Ordinario? *ibid.*
2. An Ordinarij obligentur hanc potestatem delegare? 73
CAP. IX. De eadem absolutione jure delegationis *ibidi*
§. 1. Quis possit jure delegationis absolvere à reservatis? *ibid.*
2. An validè absolvantur commissa in confidentiam licentiæ concedendæ? 76
3. De reservatis post licentiam absolutionis commissis. *ibid.*
4. An reservata oblita post Confessionem validam remaneant reservata. 77
5. An enarrata confessione invalida remaneant reservata? Quid de oblitis in eadem. 78
6. An cum quis absolvitur remaneat absolutus ab excommunicationibus oblitis. *ibid.*
7. Reservata qua ratione possit quis fateri soli superiori, vel inferiori delegato? 79
CAP. X. De absolutione reservatorum iure delegationis in particulari. *ibid.*
§. 1. De obligatione concessa Episcopis à Trid. circa casus? seu excommunicationes reservatas. & occultas. *ibid.*
CAP. XI. De delegatione facta Regularibus ad absolvendos casus, & excommunicationes reservatas. 80
§. 1. Prælatorum Regularium potestas ad suos subditos absolvendos. *ibid.*
2. Prælatorum, & Confessariorum Regularium potestas ad absolvendum sæculares. 83
CAP. XII. De delagatione, seu potestate simplicis Sacerdotis in casu necessitatis ad absolvendu. 84
§. 1. In articulo, seu periculo mortis. *ibid.*
2. In impedimento perpetuo, vel longi temporis. 86
3. In necessitate alia urgenti. 87
4. Tres conditiones requisitæ, ut quis ab excommunicationibus reservatis absolvatur per inferiorem in dictis casibus reservatis. 89
5. De delegatione concessa per Bullam Cruciatæ circa reservata. 91
Explicantur Clausulæ dictæ concessionis. ibidem, & sequent.

LIBER VI.
*De Extrema-Unctione.*

CAP. I. MATERIA, & forma Extremæ Unctionis. 95
§. 1. Materia remota. *ibid.*
2 Proxima. 96
3. Forma. *ibid.*
4. Modus, seu solemnitas administrandi Extremam-Unctionem. *ibid.*
CAP. II. De subjecto hujus Sacramenti. 97
§. 1. Viator. *ibid.*
2. Baptizatus. *ibid.*
3. Usus rationis compos. *ibid.*
4. In gratia existens, putans. 98
5. Infirmus. *ibid.*
6. Quando reiterari potest Extrema-Unctio? 99
CAP. III. De Ministro hujus Sacramenti. *ibid.*
§. 1. Minister est Sacerdos. *ibid.*
2. Sub qua obligatione? *ibid.*
3. Religiosi, an sint Ministri hujus Sacramenti? *ibid.*
4. De Adjutore Ministrantis hoc Sacramentum. 100
CAP. IV. Quo tempore ministrari potest Extrema-Unctio? *ibid.*

LIBER VII.
*De Ordine.*

CAP. I. QUID sit Ordo, quotuplex? 100
2. An omnes Ordines sint Sacramentum. *ibid.*
CAP. II. De materia forma, & Officiis Tonsuræ. & Minorum. 101
§. 1. Prima Tonsura. *ibid.*
2. Ostiariatus. *ibid.*
3. Lectoratus. *ibid.*
4. Exorcistatus. *ibid.*
5. Acolythatus. *ibid.*
6. Aliquot quæstiunculæ de initiatis. Tonsura, & Minoribus. *ibid.*
CAP. III. De Subdiaconatu. 103
§. 1. Quid sit, quæ ejus materia, forma, Officium. *ibid.*
2. Quæstiones aliquot circa materiam Subdiaconatus. 104
3. Quæstiones aliquot circa obligationem Subdiaconi. 105
4. & 5. Castitas, Recitatio Horarum, sufficiens Patrimonium. 106
CAP. IV. De Diaconatu. *ibid.*
§. 1. Quid ille sit, quæ materia, forma, Officium? *ibid.*
2. Quæstiones aliquot circa materiam Diaconatus. 107
CAP. V. De Sacerdotio. *ibid.*
§. 1. Quid sit, quæ materia, forma, officium? *ibid.*
2. Quæstiones aliquot circa Sacerdotium. 108
CAP. VI. De subjecto Ordinis. 109
§. 1. Quoad valorem. *ibid.*
2. Quoad licitam receptionem. *ibid.*
3. De titulo Ordinandorum. 110
4. Quæstiones aliquot circa prædictos titulos. 111
CAP. VII. De Ministro Ordinis. 113

§. 1. Quoad valorem. *ibid.*
2. Quoad licitum usum. *ibid.*
Cap. VIII. De litteris dimissoriis, & commendatitiis. 116
§. 1. Quando, & qua ratione dantur. *ibid.*
2. Quis eas concedere potest. *ibid.*
3. De duratione prælictarum litterarum. 117
Cap. IX. De examine ordinandorum. *ibid.*
Cap. X. De temporibus ordinationum. 118
Cap. XI. De interstitiis. 119
§. 1. Quid sint, & qua ratione servanda. *ibid.*
2. De eorum dispensatione. 120
Cap. XII. De pœnis malè conferentis, vel recipientis Ordines. 121
§. 1. De prædictis pœnis in particulari. *ibid.*
2. Concilium circa suspensionem quandam ratione Ordinum. 123

## LIBER VIII.

*De Sacramento Matrimonij.*

### Tractatus I.

*De Impedimentis ejusdem.*

Cap. I. Quid, & quotuplex sit impedimentum matrimonij? 125
Cap. II. Impedimentum primum, id est, error. *ibid.*
§. 1. Quid illud sit? *ibid.*
2. Deciduntur duo casus Tabienæ, & Hostiensis circa errorem personæ. 127
Cap. III. Impedimentum secundum, conditio. 128
§. 1. In quo consistat. *ibid.*
2. Servitus diminuta quid operetur? 129
3. Servitus, vel libertas putata. *ibid.*
4. Servitus cessans per ipsum matrimonium. 130
5. Obligatio servitutem occultantis. *ibid.*
Cap. IV. Impedimentum tertium. Votum solemne castitatis. *ibid.*
Cap. V. Impedimentum quartum. Cognatio. *ibid.*
§ 1. Cognatio naturalis. *ibid.*
2. Cognatio spiritualis. 133
3. Cognatio legalis. *ibid.*
Cap. VI. Impedimentum quintum. 134
§. 1. Primum crimen. Conspiratio cum occisione conjugis sine adulterio. *ibid.*
2. Secundum. Adulterium cum occisione sine conspiratione. *ibid.*
3. Tertium. Adulterium cum promissione matrimonij. 135
4. Quartum. Adulterium cum matrimonio attentato. *ibid.*
5. Quo jure introductum est impedimentum criminis. 136
Cap. VII. Impedimentum sextum. Cultûs disparitas. *ibid.*
Cap. VIII. Impedimentum septimum. Vis. *ibid.*
Cap. IX. Impedimentum octavum. Ordo. *ibid.*
Cap. X. Impedimentum nonum. Ligamen. 137
Cap. XI. Impedimentum decimum. Publica honestas. 138
§. 1. Quid illud sit. *ibid.*
2. Publica honestas ex sponsalibus. *ibid.*
3. Publica honestas ex matrimonio rato. 139
Cap. XII. Impedimentum undecimum. Affinitas. *ibid.*
§. 1. Quid sit, & quatenùs extendatur. *ibid.*
2. Quo jure inductum est hoc impedimentum. 140
3. Affinitas superveniens matrimonio. *ibid.*
4. Qualis copula affinitatem pariat? 141
Cap. XIII. Impedimentum duodecimum. Impotentia. *ibid.*
§. 1. Quid, & quotuplex sit? *ibid.*
2. Impotentia absoluta perpetua. 142
3. Impotentia respectiva. 145
4. Quomodo ferendum sit judicium de impotentia respectiva dubia. *ibid.*
5. Impotentia superveniens matrimonio.
Cap. XIV. Impedimentum decimum tertium [illegible]
Cap. XV. Impedimentum decimum quartum [illegible] sentiæ Parochi, & testium.
Cap. XVI. De impedimentis solum impedientibus. *ibid.*
Cap. XVII. Quæstiones aliquot de dictis impedimentis.
§. 1. Quanam specie peccat, qui cum impedimento copulam habet, vel matrimonium init.
2. An metu coactus matrimonium valide contrahat, & licitè?
3. Quid si quis putet impedimentum adesse, cum adsit?
4. Quam pœnam incurrit contrahens matrimonium cum impedimento?

### Tractatus II.

*De Dispensatione impedimentorum.*

Cap. I. Quid sit dispensatio?
Cap. II. De potestate dispensandi.
Cap. III. De hac potestate in Summo Pontifice.
Cap. IV. De eadem in Episcopo.
§. 1. In impedientibus tantùm.
2. In dirimentibus.
3. An propter bonam fidem possit quid Episcopus in dirimentibus.
4. An necessitate?
Cap. V. An alij à Pontifice, vel Episcopo possit aliquid in impedimentis matrimonij.
Cap. VI. Quis possit dispensare ad præcavendum bium, si superveniat conjugibus affinitas copula illicita?
Cap. VII. De causis dispensandi in impedimentis *ibid.*
§. 1. Præmittuntur aliqua de his causis.
2. De causis in particulari.
Cap. VIII. Quandonam dispensatio est subreptitia atque adeò invalida.
Cap. IX. Taciturnitas veri, quandonam vitiet dispensationem.
§. 1. An, quando tacetur repulsa aliàs data,
2. An, quando tacetur dispensatio aliàs concessa
3. An, quando tacetur, plura subesse impedimenta 161
4. An, quando tacetur matrimonium fuit contractum cum impedimento.
5. An quando tacentur qualitates extrinsecæ.
6. An, quando tacentur individuales gradus
7. An, quando tacetur gradus proximior.
8. An, quando tacetur copula incestuosa.
Cap. X. Expressio falsi, quandonam vitiat dispensationem.
§. 1. An, quando proponitur unum impedimentum pro alio.
2. An, quando falsò exprimitur gradus conjunctionis. *ibid.*
3. An, quando exponitur unica causa, cum sint
*ibid.*
4. An, quando aliqua ex expositis est falsa.
5. An, quando petuntur duæ dispensationes, altera cum vera, altera cum falsa causa?
6. An, quando erratum est in nomine supplicantium?
7. An quando erratum est in nomine Diœcesis.
Cap. XI. Quid faciendum in dubio de dispensatione?
Cap. XII. Explicantur clausulæ, rescripti dispensationis pro foro externo.
§. 1. Prima clausula persona executoris.
2. Secunda clausula. Supplicantium narratio.
3. Tertia

# Capitum, & Paragraphorum.


3. Tertia clausula. Mandatum inquirendi veritatem, *ibid.*
4. Quarta clausula. Pœnitentia salutaris. 169
5. Quinta clausula. Aliquæ causæ integrare. *ibid.*
6. Sexta Clausula. Prohibetur munerum acceptati *ibid.*
7. Septima clausula. Ponitur : *Non obstantibus*, &c. 170

Cap. XIII. Explicantur clausulæ rescripti pro foro interno. *ibid.*
§. 1. Prima clausula. Committitur Confessario executio. *ibid.*
2. Secunda. Eidem committitur veritatis indagatio. 171
3. Tertia Pœnitentiæ impositio. *ibid.*
Quarta, Solum in occultis. *ibid.*
5. Quinta. Revalidatio matrimonij. 172
6. Sexta Solum pro foro interno. *ibid.*
7. Septima. Ut lacerentur litteræ *ibid.*
Cap. XIV. De duratione dispensationis, & potestatis dispensandi. *ibid.*
§. 1. An valeat dispensatio, vel potestas dispensandi, si non acceptetur ? *ibid.*
2. An cesset ex renunciatione, vel non usu ? *ibid.*
3. An ex revocatione ? 173
4. An morte delegantis ? *ibid.*
5. An valeat dispensatio ante datas litteras concessionis ? 175


## Tractatus III.
### *De Sponsalibus.*


Cap. I. De natura sponsalium. 175
§. 1. Quid sint, quamque promissionem contineant ? *ibid.*
2. An sponsalia voluntate spondentium vanialem, vel nullam continere possint ? 176
3. An obligationem pœnæ ? 177
4. Quid sint sponsalia ficta, quamque obligationem inducant. 178
Cap. II. De quibusdam conditionibus requisitis in sponsalibus. 179
§. 1. Voluntaria esse illa debent. *ibid.*
2. Non exorta metu. *ibid.*
3. Signo certo expressa. 181
4. Non necessario aliis manifesta. 182
5. Absoluta sponsalia & conditionata Remissivè. 183
Cap. III. Quis possit sponsalia contrahere. *ibid.*
§. 1. Ætas, quandonam irritat sponsalia ? *ibid.*
2. Impedimenta, an irritent sponsalia. 184
Cap. IV. De quibusdam pactis, quæ solent apponi in sponsalibus. *ibid.*
Cap. V. De dissolutione sponsalium. 185
§. 1. Prima causa mutuus consensus. *ibid.*
2. Secunda. Religionis ingressus. 186
3. Tertia. Ordo sacer. 187
4. Quarta. Votum simplex castitatis, seu cœlibatus. *ibid.*
5. Quinta. Matrimonium, vel sponsalia cum alio, seu alia contraxisse. 188
6. Sexta. Alterius, vel utriusque fornicatio. 190
7. Septima. Impedimentum superveniens. 191
8. Octava. Mutatio notabilis superveniens. 192
9. Prædictæ causæ existentes ante sponsalia, sed postea cognitæ. 193
10. An laborans aliquo occulto defectu possit, eo tacito ad matrimonium procedere. *ibid.*


## Tractatus IV.
### *De Consensu per verba de præsenti.*


Cap. I. De natura matrimonij. 194
§. 1. Quid propriè veniat nomine matrimonij. *ibid.*
2. Quotuplex sit matrimonium. *ibid.*
Cap. II. De consensu requisito ad matrimonium. *ibid.*
§. 1. Qualis consensus ? *ibid.*
2. An sufficiat consensus, quando non cognoscitur impedimentum. *ibid.*
3. Circa quod versari is debet. *ibid.*
Cap. III. De consensu externo requisito ad matrimonium. 196
Per quæ signa, &c. *ibid.*
Cap. IV. De consensu dato absenti. 199
§. 1. Per Procuratorem. *ibid.*
2. Per Epistolam. 199
Cap. V. De consensu conditionato. *ibid.*
§. 1. Quid, & quotuplex sit conditio ? *ibid.*
2. Sub conditione præsenti, vel præterita. 200
3. Sub conditione de futuro necessario. *ibid.*
4. Sub conditione de futuro contingente non turpi. *ibid.*
5. Sub conditione de futuro impossibili physicè. 202
6. Sub conditione turpi de futuro, quamvis non contraria contractui matrimonij. 203
7. Sub conditione, quæ inest contractui matrimonij. 204
8. Sub conditione contraria contractui matrimonij *ibid.*
9. Sub conditione positiva, vel negativa. *ibid.*
10. Monitio ad Parochos. 205
Cap. VI. De consensu matrimonij coacto. *ibid.*
§. 1. De consensu ex errore : &c. *ibid.*
2. De consensu ex metu. *ibid.*
3. De peccato, & obligatione incutientis metum ad matrimonium. 206
Cap. VII. De ratificatione matrimonij, quando illud validum non fuit. *ibid.*
§. 1. Ratificatio matrimonij invalidi ex ficto, vel meticuloso consensu. *ibid.*
2. Ratificatio matrimonij invalidi ex aliquo impedimento. 208
3. An matrimonium coram Parocho, & testibus invalidè celebratum, sit coram iisdem renovandum. *ibid.*
4. An matrimonium invalidum ex metu ratificetur per copulam simili metu extortam. 209


## Tractatus V.
### *De Matrimonio, ut est Sacramentum.*


Cap. I. INstitutio hujus Sacramenti, ejusdémque forma, & materia. 210
Cap. II. Minister ejusdem. 211
Cap. III. Matrimonium inter absentes, an sit Sacramentum. *ibid.*
Cap. IV. Matrimonium infidelium, an sit Sacramentum. *ibid.*
Cap. V. De indissolubilitate matrimonij. *ibid.*
§. 1. An matrimonium infidelium ante conversionem initum, sit indissolubile. *ibid.*
2. An, quando utrique conjuges convertuntur ad fidem. 221
3. An, quando alter. *ibid.*
Cap. VI. De indissolubilitate matrimonij rati fidelium. 214
§. 1. An matrimonium ratum sit auctoritate Pontificis dissolubile. *ibid.*
2. An per Professionem solemnem. *ibid.*
3. De Bimestri concessu sponsis ad deliberandum de Religione assumenda. 216
Cap. VII. Matrimonium fidelium consummatum indissolubile est. 217


## Tractatus VI.
### *De Solemnitatibus Contractus Matrimonij.*


Cap. I. QVænam sint ejusmodi solemnitates. 217
Cap. II. De præsentia Parochi, & testium. *ibid.*
§. 1. Qua ratione hanc inducere potuit Concilium. *ibid.*

2. Explicatur ejusmodi Præsentia. 218
3. Qualis debeat esse præsentia Parochi, & testium? ibid.
4. Præter assistentiam quemnam ritum debeat observare Parochus? 221
5. Quis Parochus? 222
6. Qui testes? 224.
Cap. III. De denuntiationibus. ibid.
§. 1. Quanta sit earum obligatio. ibid
2. Praxis earum. 225
Cap. IV. De Benedictionibus, seu Velationibus matrimonij. 226
§. 1. Sub qua obligatione? ibid.
2. Secundæ Nuptiæ, an sint benedicendæ? 227
3. Quis eas benedicat? ibid.
4. Quis tempore? ibid.
5. De traductione sponsæ in domum sponsi. ibid.

Tractatus VII.
*De obligationibus ex Matrimonio consurgentibus, ubi de Divortio.*

Cap. I. De obligationibus conjugibus necessariis. 228
§. 1. Prima obligatio. Cohabitatio. ibid.
2. Secunda, & tertia. Præstatio alimentorum, & educatio filiorum. 229
3. Quarta. Correctio mutua. ibid.
4. Quinta. Debiti conjugalis redditio. ibid.
Cap. II. De obligationibus voluntariis. 230
§. 1. Donationes liberales inter conjuges. ibid.
2. Sponsalitia largitas pura. 232
3. Non pura. 234
Cap. III. De divortio. 235
§. 1. Quid sit, & quando illud sit licitum. ibid.
2. Divortium ex causa adulterij carnalis. ibid.
3. Casus quinque, in quibus non est licitum divortium, quamvis adsit adulterium. 236
4. An possit innocens adulterium non repellere. 237
5. Quænam adulterij certitudo requiritur ad divortium. ibid.
6. An auctoritate propria possit fieri divortium? ibid.
7. Causæ celebrandi divortium ad tempus. 238
8. De effectibus divortij ex adulterio. 240
9. De effectibus divortij ex hæresi. 241
10. De effectibus divortij ex sollicitatione ad peccandum, vel ex sævitia. ibid.
Cap. IV. An conjuges post consummatum matrimonium valeant ex communi consensu mutationem status assumere. 242
§. 1. Quoad professionem Religiosam. ibid.
2. Quoad Ordines sacros. 243
3. Quoad votum simplex castitatis. 244

Liber IX.
*De Contractibus in Particulari.*
Tractatus I.
*De Contractu mutui & usura.*

Cap. I. De mutuo. 244
§. 1. Quid illud sit, ibid.
2. De diversitate valoris in mutuo. 245
3. An & quando sit præceptum de dando mutuo 246
Cap. II. De usura, quoad ejus naturam. 247
§. 1. Quid sit, & quotuplex usura. ibid.
2. An, & quo jure prohibita. ibid.
Cap. III. Casus in mutuo usuram certò non continentes. ibid.
§. 1. Lucrum ex mutuo ratione gratitudinis. ibid.
2. Ratione alicujus oneris suscepti à mutuante. 248
3. Ex damno emergente. 249
4. Ex lucro cessante. 250
5. Ex pœnæ conventione. ibid.
6. Ratione periculi. 251
7. Ex contractu innominato, do, ut des, 252
8. Exigere in mutuo, id quod debetur ex Justitia vel Charitate.
9. Montes Pietatis.
Cap. IV. Casus in mutuo usuram certò continentes 253
§. 1. Exigere benevolentiam ex justitia.
2. Vel obligationem remutuandi, vendendi, colendi, &c.
3. Vel reddendi pecuniam in frumento, vel simili 254
4. Vel exigendi debita mutuatarij, accipiendi pretem debiti, vel similium.
5. Pro voluntate mutuandi, an aliquid accipi possit ibid.
6. Pro commoditate mutui?
7. Pro dilatione redditionis.
Cap. V. Casus in mutuo usuram sub dubio continentes.
§. 1. Bona fides, an licitum lucrum ex mutuo dat?
2. Promissio non repetendi.
3. Molestia mutuantis.
4. Non petere redditionem mutui, dum mutuatarius aliquod pro mutuante facit.
Cap. VI. Quando in pignore dato in securitatem mutui sit usura.
§. 1. An mutuans pignoris fructus sibi accipere queat.
2. De pacto legis Commissariæ in favorem mutuantis.
3. De eodem in favorem fidejussoris.
Cap. VII. De dominio circa res per usuram acquisitas.
§. 1. Quandonam usurarius dominium acquirat per usuram acceptæ.
2. An bona usurarij sint obligata pro usuris.
Cap. VIII. De alienatione rerum acceptarum ex usuram factam ab usurario.
§. 1. De alienatione rei in specie.
2. De eadem, non in fraudem creditorum.
3. De eadem, in fraudem.
Cap. IX. De restitutione usurarum.
§. 1. Quænam obligatur usurarius restituere?
2. De obligatione cooperantium cum illo.
3. Hæredis, vel Legatarij.
4. Cujnam sint usuræ restituendæ.
Cap. X. De petente ad usuram.
Cap. XI. Summa modorum lucrandi ex peccatis usuræ culpa.

Tractatus II.
*De Contractu censuali, seu de censibus.*

Cap. I. Quid sit, & quotuplex census.
Cap. II. De justitia prædictorum contractuum 263
§. 1. Personalis, an sit licitus.
2. An Vitalitius.
3. An realis.
Cap. III. Quodnam pretium sit justum in dictis contractibus.
§. 1. Pretium justum in vitalitio.
2. In aliis censibus.
Cap. IV. De aliquibus pactis, quæ solent addi censibus.
§. 1. Pactum redemptionis ante, vel post certum tempus.
2. Pactum absolutum, &c.
3. Pactum solvendi pensionem, etiamsi res pereat ibid.
4. Pactum, ut non soluta pensione, res cadat in commissum.
5. Pactum de rescindendo contractu.
6. Redimendi censum.
7. Redimendi cum eadem moneta.

# Capitum, & Paragraphorum.


Cap. V. De constitutionibus Pontificiis circa censuum creationem. *ibid.*
Cap. VI. De constitutione census pro Regno Siciliæ in forma Bullæ Nicolai V. & Greg. XIII. 270
§. 1. Proponitur Bulla Nicolai. *ibid.*
2. Gregorij. 271
3. Prima conditio. Super re, vel rebus. *ibid.*
4. Secunda. Ut redimi possit eodem pretio. 275
5. Tertia. Ut pensio non excedat decimam pretij. 276
6. Quarta. Ut possint apponi pacta. *ibid.*
7. An possit quis vi cessionis sibi adjudicare prædium, &c. 277
8. An Adjudicatio, quæ fieri consuevit in Regno Siciliæ sit justa. 278
9. De fingente velle redimere censum. 282
Cap. VII. Montes vacabiles, vel non vacabiles, &c. 283

Tractatus III.
*De Contractu Cambij.*

Cap. I. Quid sit Cambium. 283
Cap. II. Quotuplex. 284
Cap. III. De Cambio minuto. *ibid.*
§. 1. An pro hoc cambio liceat lucrari? *ibid.*
2. An privatis lucrari ex cambij minuto, liceat. *ibid.*
3. De cambio addita pecuniæ custodia. 285
4. De eo, qui ex industria cambit monetam alterius. *ibid.*
Cap. IV. De cambio per litteras. 286
§. 1. Hic recipiens, & alibi solvens. *ibid.*
2. Hic solvens & alibi recipiens. *ibid.*
3. Quando tum campsario, tum campsori cambium prosit, cujus erit lucrum. 287
Cap. V. De cambio ad Nundinas. *ibid.*
§. 1. De cambio ad Nundinas absolutè. *ibid.*
2. De cambio cum recambio, seu cum recursu. 289
3. An hoc sit licitum. 290
4. Quandoquidem tribus modis hoc celebratur, approbatur primus modus, & secundus, non verò tertius. 291
5. Praxis quoad eos, qui utuntur opera alterius ad expedienda cambia, & recambia. 293
6. De pactis, quæ solent apponi in contractu cambij. 294
7. De usu cambiendi per alium. 295

Tractatus IV.
*De Locatione, & Conductione.*

Cap. I. Explicatur illud. *Contractus qua locator conductori, &c.* 297
§. 1. Obligationes Locatoris. *ibid.*
2. Obligationes Conductoris. 298
Cap. II. Explicatur illud. *Rem, vel Personam aliquam etiam se ipsum concedit, &c.* 300
Cap. III. Explicatur illud. *Ad usum, vel fructum.* 302
Cap. IV. Explicatur illud. *Sub certa, justaque pensione.* *ibid.*
§. 1. Quanta pensio solvenda sit. 303
2. Quando. 304
3. Ubi? *ibid.*
Cap. V. Explicatur illud. *Nullo addito injusto pacto.* *ibid.*
Cap. VI. Explicatur illud. *Pro duratione temporis designati.* 305
§. 1. Quoad contrahentes. *ibid.*
2. Quoad successores. *ibid.*
3. Quoad successorum exemptiones. 307
Cap. VII. Explicatur illud *Personam aliquam, vel seipsum.* *ibid.*
§. 1. De famulis, qui serviunt, vel servierunt. 308
2. De eisdem, qui non serviunt, cum possint. 310
3. De iisdem, qui non serviunt, cum non possint. *ibid.*

Tractatus V.
*De Emptione, & Venditione. Remissivè.*

§. unic. An vino vendendo misceri aqua possit. 311

Tractatus VI.
*De Emphyteusi, Livello, Feudo.*

Cap. I. Quid sit Emphyteusis, &c. 314
Cap. II. Prima proprietas Emphyteusis. *Res Apta meliorari.* 315
Cap. III. Secunda. *Habilitas personarum.* *ibid.*
Cap. IV. Tertia. *Solutio Canonis.* *ibid.*
Cap. V. Quarta. *Admonitio Proprietarij, & Solutio Laudemij.* 316
Cap. VI. Quinta. *In eadem onera.* 317
Cap. VII. De Livello. *ibid.*
Cap. VIII. De Feudo. *ibid.*
2. Quid & quotuplex sit. *ibid.*
3. Quinque Conditiones contractus Feudalis. 318
4. Tres obligationes Feudatarij. *ibid.*
5. Causæ amittendi Feudum. *ibid.*

Tractatus VII.
*De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, Hypotheca, Deposito, Commodato, Precario.*

Cap. I. De fidejussione. 319
§. 1. Quid sit? *ibid.*
2. Multi fide jubentes. 320
3. Protogatio termini solutionis 321
4. Pretium ex fidejussione. *ibid.*
5. Quis possit fidejubere? *ibid.*
6. Quando fidejussor potest agere, ut liberetur à fidejussione. *ibid.*
Cap. II. De assecuratione. *ibid.*
Cap. III. De Pignore. 322
§. 1. Quid sit? *ibid.*
2. Quis possit oppignorare, & quæ bona. *ibid.*
3. Fructus pignoris cujus. 323
4. Res data in pignus, si varietur, an remaneat pignus, & quomodo reddendum. *ibid.*
5. In rem sibi hypothecatam quid juris habeat creditor. *ibid.*
6. Pignoris venditio. *ibid.*
Cap. IV. Quid & quotuplex sit hypotheca? 324
Cap. V. De deposito. 325
§. 1. Quid sit? *ibid.*
2. Quis deponens, vel depositarius esse possit. 326
3. Incrementum, & decrementum depositi, cujus sit. *ibid.*
4. Præsumpta voluntas in commutando depositi quid operatur. *ibid.*
5. Multa de depositi, remissivè. *ibid.*
Cap. VI. De commodato. 327
Cap. VII. De precario. 328

Tractatus VIII.
*De Contractu Societatis.*

Cap. I. Quid ille sit. 328
Cap. II. Conditio prima. *Omnes socij aliquid conferant.* 329
Cap. III. Secunda. *Negotiatio sit honesta.* *ibid.*
Cap. IV. Tertia. *Æqualitas in conferendo.* 330
Cap. V. Quarta. *Pecunia collata stet periculo Domini.* *ibid.*
§. 1. Tota pecunia finita Societate debet dari ei, qui illam contulit. 331
2. Si perit sine culpa socij pecunia, perit ei, qui eam contulit. *ibid.*
3. An sit modus, quo licitè periculum Capitalis, immò & lucri totum rejiciatur in socium. 332
Cap. VI. Quinta. *Ut pro quantitate partium collatarum lucrum dividatur.* 333
Cap. VII. Sexta. *Ut dividantur damna.* 334


Cap.

# Index Titulorum,


Cap. VIII. Septima. *Vt expensæ sint communes, vel compensentur.* 336
Cap. IX. Octava. *Vt non apponantur pacta injusta.* 337
Cap. X. De dissolutione Societatis. *ibid.*
Cap. XI. De Societate in animalibus. 338
Cap. XII. De partitione inter fratres mortuo Patre. 339

Tractatus IX.
*De Promissione.*

Cap. I. Quid sit promissio? 340
Cap. II. Est affirmatio, & enuntiatio. *ibid.*
Cap. III. Libera. 341
Cap. IV. Spontanea. 342
Cap. V. Rei possibilis, & licitæ. *ibid.*
Cap. VI. Ab aliquo, & alteri faciendæ. 344
Cap. VII. Data alteri ab eóque acceptata. *ibid.*
§. 1. Promissio data, sed non acceptata, ad quid obligat ex justitia? *ibid.*
2. Ad quid ex fidelitate. 345
3. An aliquando ea obliget sine acceptatione. *ibid.*
4. An ad remissionem debiti requiratur acceptatio? 346
5. Promissio acceptata ad quid obligat. *ibid.*
6. Quid requiratur ad legitimâ acceptationem. 348
7. Quis possit pro alio acceptare. 349
Cap. VIII. Alteri, in cujus utilitatem res est facienda. 351
Cap. IX. Quandonam obligatio promissionis est nulla, vel cessat. *ibid.*

Tractatus X.
*De Donatione.*

Cap. I. Quid sit donatio? 352
§. 1. Explicatur natura donationis. *ibid.*
2. Quantum obliget donatio? *ibid.*
Cap. II. Divisiones donationum. *ibid.*
§. 1. Tres principales divisiones donationum. *ibid.*
2. Explicantur dictæ donationum classes. 353
Cap. III. Quis possit donare? 354
§. 1. Quædam classes personarum, quid & quantum donare possunt? *ibid.*
Reges, Principes, Rectores Civitatum, Parentes, Prælati, Beneficiarij, Novitius, Tutores, Curatores, à §. 1. usque ad septimum. 355 & seq.
Cap. IV. Quantum quis donare possit? 356
§. 1. Donatio omnium bonorum invalida est. *ibid.*
2. Quatuor casus, in quibus omnium bonorum donatio valet. *ibid.*
3. Acceptans donationem omnium, an obligetur ea restituere? 357
4. Quid sit juramento vallata? *ibid.*
Cap. V. De Insinuatione Donationis. 358
§. 1. Quid ea sit, & in quanta donatione est adhibenda? *ibid.*
2. Quæ donationes non indigent insinuatione? 359
Cap. VI. De revocatione donationis. 360
§. 1. Revocatur, Primò, ob ingratitudinem donatarij. *ibid.*
2. Secundò, ob susceptam prolem. 361
3. Revocatio donationis inofficiosæ. 362
Cap. VII. Quæstiones nonnullæ de materia donationis. Remissivè. 363

LIBER X.
*De Censuris & Irregularitate.*

Tractatus I.
*De Excommunicatione.*

Cap. I. Divisio Excommunicationis in latam & ferendam. 343
Cap. II. Metus gravis quid operetur in excommunicatione. 366
§. 1. Metus, an excuset ab excommunicationis incursu? *ibid.*
2. An observandis iis, quæ aliàs debentur excommunicatis observare? *ibid.*
Cap. III. Explicantur aliqua de excommunicatione vitandis. *ibid.*
§. 1. Quid requiratur ad denuntiationem excommunicati expediendam? *ibid.*
2. An nominatim denuntiatus in uno loco sit vitandus. *ibid.*
3. Quidnam præstet certitudinem, quod quis excommunicatus vitandus? *ibid.*

Tractatus II.
*De Suspensione.*

Cap. I. Modus dignoscendi, quandonam suspensio sit censura, quandonam pœna? *ibid.*
Cap. II. Quæ culpa requiratur ad incurrendam suspensionem. *ibid.*

Tractatus III.
*De Interdicto.*

Cap. I. Quid servandum est hodie in interdicto Generali locali. *ibid.*
§. 1. Præmittitur, quid sit interdictum. *ibid.*
2. Quotuplex sit? *ibid.*
3. Quidnam mitigaverit Bonifacius VIII. in interdicto locali Generali? *ibid.*
Cap. II. Quid indulserit Concilium Constantiense in interdicto. *ibid.*

Tractatus IV.
*De Irregularitate.*

Cap. I. Quid sit Irregularitas. *ibid.*
Cap. II. De ejus subjecto. *ibid.*
Cap. III. Quibus verbis infligitur Irregularitas. *ibid.*
Cap. IV. Quinam actus requirantur in subjecto ad Irregularitatem ex delicto incurrendam. *ibid.*
§. 1. Actus debet esse externus. *ibid.*
2. Opere consummatus. *ibid.*
3. Plenè deliberatus. *ibid.*
4. Peccaminosus. *ibid.*
5. Cognitus in ratione malitiæ, & pœnæ, &c. *ibid.*
Cap. V. Non dubia debet esse in irregularitate incursio. *ibid.*
Cap. VI. De effectibus irregularitatis. *ibid.*
§. 1. Irregularitas impedit Ordinum susceptionem. *ibid.*
2. Impedit usum Ordinis. *ibid.*
3. Impedit à Beneficiis. *ibid.*

*De Irregularitate in Particulari.*

Cap. VII. De irregularitate ex defectu famæ. *ibid.*
§. 1. Quid ille sit. *ibid.*
2. Quis dispenset. *ibid.*
Cap. VIII. De Irregularitate ex corporis vitio. *ibid.*
§. 1. De vitiatis sine propria culpa. *ibid.*
2. Ex propria culpa. *ibid.*
3. Quis dispenset in prædictis. *ibid.*
4. De Irregularitate ex defectu sexus. *ibid.*
Cap. IX. De Irregularitate ex defectu libertatis. *ibid.*
§. 1. De servitute. *ibid.*
2. De uxorato. *ibid.*
3. Quis dispensat cum servo, &c. *ibid.*
Cap. X. De Irregularitate ex defectu bonæ famæ. *ibid.*
§. 1. Quid, & quotuplex sit infamia. *ibid.*
2. De infamia juris irregularitatem inducente. *ibid.*
3. De infamia facti, &c. *ibid.*
4. Effectus infamiæ. *ibid.*
5. Quis dispenset in irregularitate contracta ex infamia. *ibid.*
Cap. XI. De irregularitate ex novitate Fidei. *ibid.*
§. 1. Quisnam eam contrahit. *ibid.*

# Capitum, & Paragraphorum.


2. Quinam dispensat in Neophytis. 392
Cap. XII. De irregularitate ex defectu scientiæ. ib.
§. 1. Quis eam contrahit. ibid.
2. Quid Tridentinum in hoc disposuerit. 393
3. Quænam scientia requiratur in religioso iniciando. ibid.
4. De examine Ordinandorum. 394
5. Quis dispenset in defectu scientiæ. ibid.
Cap. XIII. De irregularitate ex mala susceptione Baptismi. ibid.
§. 1. De Baptismo malè suscepto. ibid.
2. De Baptismo. ibid.
3. Quis dispenset. ibid.
Cap. XIV. De irregularitate ex Ordinum abusu. 395
§. 1. Quando Ordines pravè suscipiuntur. ibid.
2. Ordinis, quem non habes usurpatio. ibid.
3. Ordinis, quem habes usurpatio prava. 396
4. Quis dispenset ? 197
Cap. XV. De Irregularitate ex occisione hominis. ib.
§. 1. Dispositio tractandorum. ibid.
2. Ex quo casuali homicidio incurratur Irregularitas. ibid.
3. De homicidio casuali moraliter commisso, &c. 400
4. De homicidio ex morte infirmi, præter voluntatem Medici, vel assistentium. 401
5. De homicidio ex occasione adulr. 403
6. De homicidio ex occasione subitæ rixæ ibid.
7. De irregularitate ex homicidio voluntario, physicè patrato. 404
8. De irregularitate ex homicidio voluntario commisso ex mandato, &c. 407
9. An contrahatur irregularitas, quando quis negativè se habet ad alterius mortem. 410
10. De irregularitate orta ex occisione facta à Ministris justitiæ. 411
11. De irregularitate, quæ oritur per cooperationem ad sententiam sanguinis. 415
12. De ea, quæ oritur per testificationem. 418
13. De ea, quæ oritur in aliis Ministris justitiæ. 419
14. De ea, quæ contrahitur à militibus in bello. 422
15. De ea, quæ ex propria defensione. 423
16. De ea, quæ ex mutilatione. ibid.
17. Quis dispenset in irregularitate ex homicidio. 425
18. Quid possit Commissarius Cruciatæ in dispensatione irregularitatis. Quid Prælati Regulares. 428.
Cap. XVI. De irregularitate ex Bigamia. ibid.
§. 1. Præmittitur quid & quotuplex sit Bigamia. ibid.
2. Bigami sunt irregulares. ibid.
3. Quis dispenset ? 429
Cap. XVII. De irregularitate ex defectu Natalium. ibid.
§. 1. Illegitimi sunt irregulares. ibid.
2. Qua ratione dubitatio de illegitimo Natali removeatur. 430
3. Qua ratione cesset illegitimitas, & consequenter hæc irregularitas. 431
De legitimato per subsequens matrimonium. ibid.
4. Per Professionem Religiosam. 432
5. Per rescriptum Principis. 434
6. De dispensatione illegitimi. 435
7. Quid debeat explicare illegitimus, quando petit dispensationem. 436
8. Quis dispensare potest in hac irregularitate. ibid.
Cap. XVIII. De irregularitate ex Hæresi. 437
§. 1. Quinam ratione hæresis irregularitate afficiantur. ibid.
2. Quis dispenset in hac irregularitate. 438
Cap. XIX. De irregularitate orta ex Officio, & ratociniis. ibid.
§. 1. Explicatur hæc irregularitas. ibid.
2. Quomodo cesset ? 439
3. Quis in illa dispensat. ibid.
Cap. XX. De irregularitate ex paupertate. ibid.
§. 1. Explicatur. ibid.
2. Quis in illa dispenset. ibid.
Cap. XXI. De irregularitate ex defectu ætatis. ibid.
Cap. XXII. Summa, seu Catalogus irregular. 440
Cap. XXIII. De cessatione irregularitatis. ibid.
§. 1. Ex Baptismo. ibid.
2. Ex professione solemni. ibid.
3. De cessatione causæ. 441
4. Ex dispentatione. ibid.


## Tractatus.

### *De Bulla Cruciatæ.*


Cap. I. PRæmittuntur aliqua de natura Privilegiorum Bullæ. 442
§. 1. Quid & quotuplex sit Privilegium. ibid.
2. Privilegia Bullæ Cruciatæ cujus sunt generis. ibid.
3. An plenè an strictè sint Privilegia Bullæ interpretanda. ibid.
Cap. II. Dispositio tractandorum. 443
*Clausula prima* Bullæ Cruciatæ; *secunda*, & *tertia* omittuntur utpote ad nos non pertinentes. ibid.
*Clausula quarta.* ibid.
Cap. III. Explicatur prædicta Clausula quarta, quoad priores ejus partes. ibid.
§. 1. Explicatur illud. *A Christi fidelibus.* ibid.
2. Illud. *Confitentibus, & ecclinantibus in hoc Regnum.* 444
3. Illud. *Ex bonis sibi à Deo collatis liberaliter cõtulerit.* 445
4. An ex bonis furtivis vel usurariis dari eleemosyna possit pro Bulla. ibid.
5. An ex pecunia habita ex turpi lucro. ibid.
6. An ex bonis creditis, vel ab alio datis. ibid.
7. Quædam de eleemosyna porrigenda ab insignibus personis, & quædam de porrigenda à pauperibus. 446
Cap. IV. Explicatur posterior pars clausulæ quartæ superius positæ, hoc est illud. *Anno durante.* 447
§. 1. Quandonam incipit annus Privilegiorum Bullæ. ibid.
2. Quandiu durat annus Bullæ. 448
3. Quando in uno loco tardius, in alio citius fiat promulgatio Bullæ. ibid.
4. An finito anno in aliquo faveat Bulla. ibid.
*Clausula quinta.* 450
Cap. V. Primum Bullæ Privilegium, quod est circa tempus interdicti. ibid.
§. 1. Præmittitur summaria explicatio interdicti. ibid.
2. Favor primus Bullæ, tempore interdicti *posse Missas & divina Officia celebrari, &c.* ibid.
3. Quid concedat Bulla quoad celebrationem Missæ in Oratoriis privatis extra tempus interdicti. 451
4. An per Bullam possit quis exigere Oratorium privatum, in quo celebretur sine alia Pontificis licentia. ibid.
5. An Commissarius Cruciatæ possit prædictum perfectè constitutum Oratorium concedere ? ibid.
6. Quid possit concedere Commissarius circa celebrationem Missæ, quoad horam celebrandi. 452
*Clausula sexta.* ibi.
Cap. VI. Favor secundus Bullæ tempore interdicti, *posse recipere Sacramenta.* ibid.
*Clausula septima.* ibid.
Cap. VII. Favor tertius Bullæ, tempore interdicti, *posse Ecclesiasticè sepeliri.* 453
*Clausula octava.* ibid.
Cap. VIII. Secundum Privilegium, circa cibos vetitos, *posse carnibus vesci de consilio utriusque Medici*, §. 1. ibid.
2. Posse temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadragesimalium, vesci lacticiniis. 454
3. *Ovis, & lacticiniis.* ibid.


4. Exci

# Index Titulorum, Capitum. & Paragr.


4. Excipiuntur Patriarchæ, &c. ab indulto lacticiniorum. 455
5. De Privilegio edendi lacticinia concesso ab Urbano Octavo aliquibus prædictis exceptis. 456
*Clausula nona.* 457
CAP. IX. Tertium Privilegium, de quibusdam indulgentiis, & participatione bonorum operum, 458
§. 1. Quænam Indulgentiæ hîc concedantur. *ibid.*
2. Quænam communicatio operum. *ibid.*
3. Sub quibus conditionibus. 459
*Clausula decima.* ibid.
CAP. X. Quartum Privilegium. De Indulgentiis Stationum, quas concedit Bulla. 460
§. 1. Explicatur illud. *Quinque Ecclesias, vel altaria visitaverint.* ibid.
2. Illud. *Devotè visitaverint.* 461
3. An pluries hæ indulgentiæ acquiri possint. *ibid.*
4. An applicari possint pro defunctis? *ibid.*
*Clausula undecima.* ibid.
CAP. XI. Quintum Privilegium, circa absolutionem à reservatis. 462
§. 1. Explicatur illud. *Ex approbatis ab Ordinario,* ib.
2. Illud. A reservatis Episcopo toties, quoties, & à reservatis Papæ semel, &c. 463
3. Illud. *In mortis articulo.* 463
4. *Excepta Hæresi.* ibid.
5. An toties quoties ab occultis Pontificiis? 464
6. Illud. *Ab omnibus censuris.* ibid.
7. Illud. *Satisfacta parte.* ibid.
8. Illud. *In foro interno.* 465
9. Tres Notationes ad prædicta facientes, 466
CAP. XII. De sexto privilegio. Hoc est, de Indulgentia, quæ in hac clausula undecima conceditur semel, in vita, & semel in morte. 467
§. *Semel in vita.* ibid.
2. *Semel in morte.* 467
*Clausula duodecima.* 468
CAP. XIII. Septimum Privilegium Commutatio votorum, *ibid.*
§. 1. De commutatione votorum præter excepta, *ib.*
2. Explicantur vota excepta. 471
3. Vota de quibus est aliqua major controversia an per Bullam commutari queant. 472
*Clausula decimatertia.* 474
CAP. XIV. De suspensione Indulgentiarum. *ibid.*
§. 1. Quæ gratiæ suspendantur, quoad sæculares. *ibid.*
2. Quoad Religiosos. 475
*Clausula decima quarta.* ibid.
CAP. XV. De receptione, & retentione Bullæ, 475
§. 1. Bulla debet esse scripta, impressa, &c. *ibid.*
2. An requiratur nomen scriptum. 476
3. Sufficitne receptio sine acceptatione, vel acceptatio sine receptione. *ibid.*
4. Explicatur illud (*retinere.*) 478
5. Duo discrimina inter Bullam communem, & Bullam compositionis, quoad earum retentionem, & nominis inscriptionem. *ibid.*
CAP. XVI. Concessio Gregorij XIII. per quam bis Bulla recipi potest. 479
§. un. De secunda eadem Bulla, quæ eodem anno recipi potest. *ibid.*
CAP. XVII. Bulla pro Defunctis. *ibid.*
§. 1. Explicatur illud, *per modum suffragij.* *ibid.*
2. Conditiones requisitæ pro Bulla Defunctorũ. 479
CAP. XVIII. De Bulla compositionis. 481
§. 1. Explicatur caput illud primum se componendi, hoc est, *super illicitè habitis, & super malè ablatis,* &c. *ibid.*
2. Illud secundum caput. *Super medietate legatorum* 482
3. Illud tertium caput. *Ac super illis legatis,* &c. 483
4. Illud quartum caput. *Et super fructibus debitis ex omissione horarum,* &c. *ibid.*
5. Illud. *Si facta diligentia non invenitur creditor.* 484
6. Explicatur quantitas de qua quis componi
7. Conditiones requisitæ pro recipienda
positionis Bulla.


# OPUSCULUM

DE

## GERMANA DOCTRINA R. P. THOMÆ TAMBURINI

SOCIETATIS JESU.


OCCASIO scribendi, & intentio Auctoris.
Probra & Dicteria Baronij in Tamburi
CAP. I. Congeries sententiarum, quæ Tam
imputantur.
CAP. II. De qualitate probabilitatum.
Explicatur illud (tenuis probabilitas.)
Explicatur illud (instante morte.)
CAP. III. De præcepto Charitatis, Spei, &c.
Fides.
Charitas,
Spes.
Explicatur magis illud (per se.)
Explicatur illud (quando non est determin
tempus implendi præceptum.)
CAP. IV. De præcepto Orationis.
CAP. V. De distractione in orando.
CAP. VI. De die festo.
CAP. VII. Repetitio aliquorum ex dictis
CAP. VIII. De jejunio.
Declaratur illud (de conjugatis.)
CAP. IX. De filio erga Patrem.
CAP. X. De matrimonio filij, inconsulto Pat
CAP. XI. De voto paternæ mortis.
CAP. XII. De Rege, quo ad bellum gerendum
CAP. XIII. De subditis quoad Gabellas.
CAP. XIV. De Iudicibus.
CAP. XV. De Furibus.
CAP. XVI. De Reo imponente sibi falsum crimen,
CAP. XVII. De eodem Reo imponente falsum
men testi iniquo.
CAP. XVIII. De iis, quæ in §. 1. affert contra Ta
burinum Baronius.
De protectione sacræ Inquisitionis Italicæ
Decalogo Tamburini.
CAP. XIX. De supplici libello Curatorum Pa
siensium.
CAP. XX. De jurgiis contra doctrinam Tambu
déque consequentiis impiis quas ex illa
intellecta Baronius deducit.
CAP. XXI. Primum Paradoxum ex tribus imputa
Tamburino, hoc est, jurare verbis æquivoc
CAP. XXII. De juramento ficto.
CAP. XXIII. Secundum Paradoxum imputa
Tamburino. Prima Pars hujus Paradoxi.
De Reo non respondente ad mentem Judicis
certo legitimi.
Secunda Pars Prædicti Paradoxi, de Reo non
pondente ad interrogationem, quamvis legi
mam Judicis.
Tertia Pars, in qua dicitur Tamburinus non
constans.
CAP. XXIV. Tertium Paradoxum. De infligente
rare falsum, quod jurans verum putat.
CAP. XXV. Injusta Gradatio Baronij.
Aliæ observationes contra prædicta à Baronio,
Qua fidelitate prædicti Doctores citentur.
CAP. XXVI. An sibi conveniant duo nostri A
thoris dicta?

# DE SACRAMENTIS IN GENERE. LIBER PRIMVS.

*ADEO obvia, & probè disputata sunt, præsertim à recentioribus, quæ pertinent ad Sacramentum, ut actum agere, ea repetendo, omnino nolim. Seligam ergo, quæ utiliora sunt ad praxim. Tu interim, Amantissime* IESU, *qui gratiam Sacramentis, seu ex uberrimis fontibus, in animas tibi addictas effundis, guttulam tui roris in mentem meam servi tui benignus insperge.*

## CAPVT PRIMVM.

### *De Materia, & Forma Sacramentorum.*

OMNIA Sacramenta constant rebus, & verbis, quæ materiam, & formam vocant Theologi, Baptismus v.g. conficitur ex ablutione, qua homo à Baptizante abluitur, atque hæc est materia: & ex illis verbis, quæ ab eodem in quacumque lingua dicuntur, *Ego te baptizo in nomine, &c.* atque hæc est forma. Ita est proportionaliter in cæteris Sacramentis, ut late idem Theologi probant, & nos ea, quæ sunt necessaria, dicemus in consequentibus. Nunc autem, cum loquamur in genere de Sacramentis, illa explicare opus est, quæ, quoad praxim, omnibus Sacramentis sunt communia, quod jam facio.

§. 1. *Materia, & forma Sacramenti simul esse debent.*

1. Simul quidem, sed simultate morali, tum quia Sacramenta sunt entia moralia; tum quia, si requireres simultatem metaphysicam, cum ad hæc homines humano modo operantes, minus attendere soleant, ea sæpissimè invalida essent. Rectè igitur Sotus *In 4. diff. 3. quæst. unic. art. 8.* vocat in hoc Cajetanum scrupulosum, quòd voluerit, ad validitatem Sacramenti, debere verba inchoari, antequam actio finiatur, antequam v. g. finiatur, Ablutio in Baptismo, debere inchoari illa verba: *Ego te Baptizo, &c.*

2. Illud tamen nota, pro diversitate Sacramentorum, diversam requiri propinquitatem rerum, & actionum sensibilium, in quibus Dominus IESVS illa constituit.

3. Verùm, quæ tandem hæc propinquitas?

Respondeo. Quoad praxim, ad quam nos semper collimamus, Sacerdos, vel Minister, cum Sacramentum conficit, debet curare, ut servet majorem, quam potest, simultatem materiæ cum forma. Et in cæteris quidem Sacramentis, dum ponit materiam, simul proferat formam, dum v. g. abluit, dicat: *Ego te baptizo, &c.* At in Sacramento pœnitentiæ statim, absoluta narratione peccatorum, injunctáque pœnitentia, dicat verba Absolutionis, & in Sacramẽto Matrimonii, post explicatũ assensũ vnius ex conjugibus, explicet alter assensum suum.

4. Quod si propter aliquos casus, qui fortè evenire possunt, quæras, quænam in rigore distantia materiæ à prolatione formæ invalidet Sacramentum? aio tunc invalidare, quando secundum naturam talis Sacramenti ita distat materia à forma, ut prudentis arbitrio vnum completum morale ex vtraque non fiat. Si enim hodie abluas, & cras ore proferas: *Ego te baptizo*, quis non videt forę invalidum hoc Baptisma, cùm ablutio hodierna, & verba cras prolata non faciant vnum morale in hoc genere actionis abluendi? Eadem tamen distantia, imò major, non faciet invalidum Matrimonij Sacramentum, quia hoc Sacramentum sequitur naturam contractus civilis, ut clarius apparet, quando per nuncium, vel literas in loco distanti matrimonium celebratur. Pro sua igitur proportione hæc sunt applicanda cæteris Sacramentis, vt apud DD. latè, S. Th. scilicet *q. 60. art. 6. ad 2.* Suar. *de Sacr. d. 2. sec. 2.* Valent. Coninch. Hurt. aliosque ad Bonac. *d. 2. de Sacr. q. 1. p. 2.* Atque ex his jam intelligis, quid sit illud, quod modo *n. 2.* dixi, eam requiri propinquitatem secundum diversitatem rerum, & actionum, in quibus Dominus Sacramenta constituit.

5. Duo me olim, sed diverso tempore, Sacerdotes convenêre; quorum alter me interrogavit, An ipse quendam pœnitentẽm, qui sua peccata plenè confessus erat, iniunctamque pœnitentiam acceptaverat; licitè absolverit non statim, sed post integram ferè horam, in qua ipse Confessor debuit in loco eodem confessionis, ex urgenti necessitate, prolixum habere sermonem cum quodam magnæ auctoritatis Principe. Alter vero quæsivit, An ritè simile quid fecerit in extrema-vnctione conferenda? Nam dum primam vnctionem adhibuisset, formæque partem illi vnctioni respondentem, ut fit, sed non totam protulisset, visus est certò infirmus animam exhalasse, unde omnino destitit ab incepto ministerio Sacerdos, ut desistere certe debuit; sed quia post integram circiter horam infirmus oculos aperuit, vivúsque manifestè apparuit, idem Sacerdos formam iterum adhibuit, quam integram non protulerat, non repetita tamen vnctione, quæsivit ergo an ritè se gesserit?

6. Respondi, priorem ritè, & licitè se gessisse, nequaquam posteriorem. Ratio fuit, quia pœnitentia, quæ est ad modum iudicii, tolerat prædictam illam distantiam, quantum est ex hoc capite, præscindendo, an in eo interjecto tempore peccaverit, vel non peccaverit pœnitens, &c. At mihi videtur eadem distantia non tolerari à Sacramento Extremæ Vnctionis, quod est institutum ad

modum deprecationis, ut coniunctæ cum vnctione: Debuerat ergo Sacerdos ille vnctionem iterare, quia illa prior vnctio se habuit, ac si nunquam fuisset pro hoc Sacramento, cum non potuerit propter illam distantiam facere vnitatem moralem cum forma post horam.

7. Inquires, si Sacerdos impleret vnam, vel alteram vnctionem, atque integrè formas primis his vnctionibus correspondentes, proferret; sed deinde, propter similem paroxismum, post horam vellet Sacramentum perficere, deberétne iterum primas illas vnctiones, formásque ipsis affixas repetere?

8. Respondeo, debere. Ratio est, quia communior, & vera sententia, quam docet Suar. Conich. cum G. Hurtado *de exir. vn. diff.* 9. S. Th. est gratiam in hoc Sacramento conferri in instanti vltimo, quod contingit esse in prolatione formæ, vel exhibitione vltimæ vnctionis: Quare primæ illæ vnctiones cum suis, quamvis integris formis, non fuerunt Sacramentum. Cum ergo ex alia parte, propter distantiam interiecti temporis, non possint, ut jam dictum est, facere moraliter vnum cum consequentibus vnctionibus, debebunt repeti. Nec Sacramentum reiterabitur, quia, ut dixi, illæ primæ Sacramentum non fuere, si gratiam nullam contulerunt. Ex his ergo disce similia.

*De separatione verborum formæ inter se.*

9. Quidam Sacerdos, dum partem verborum consecrationis protulisset, nimirum *Hoc est corpus*, antequam proferet *meum*, ea distillatio à capite fluens repente fauces impediit, vt fere per semiquadrantem tussi occupatus, illud quod supererat de forma nempe *meum* proferre non potuit, protulit tamen deinde ipsum pronomen *meum* dumtaxat, confecitne Eucharistiam, idque licitè?

10. Respondeo. Regula generalis in hac re similis est præcedenti; Si enim interruptio sit hujusmodi, ut verba præcedentia, faciant vnum sensum locutionis cum consequentibus, validum fiet Sacramentum, & quidem quando est magna temporis interiectio, quæ tamen non tollat dictum sensum vniu, locutionis cum consequentibus, validum fiet Sacramentum, & fiet in gravi necessitate etiam licitè. At verò si interruptio ita sensum distrahat, vt non sit vna locutio, seu vna oratio, certè non conficietur Sacramentum, nec licitè, nec validè, propter rationes suprà in simili dictas. Cum igitur in casu præfecti tussientis Sacerdotis magna fuerit illa vnius semiquadrantis interpedo sensum omnino distraxit, vnitatem impediit, atque adeo Sacramentum constituere non potuit. Quare debuisset ille bonus Sacerdos totam formam repetere? Non ita, si solum semel expuisset, v.g. aut vnum vel alterum verbulũ dixisset, v.g. sic, ô *bone Deus*, vel *fuge hinc*, vel *Dominus tecũ*, vel, si dicat baptizãs: Ego te baptizo, *verte folium* in nomine Patris, &c. Nam sic nequaquam diuulsa (ut ita dicam) fuisset oratio, nec Sacramentum invalidũ.

11. Quod hactenus dictum est, intelligi etiam debet de interruptione per silentium, nam etiam hoc potest esse tantum, vt non fiat vna locutio ex verbis, ante illud dictis, & dictis postea.

12. Quando autem dubium est, an interruptio, siue per alia verba, sive per dictum silentium diuiserit notabiliter orationem, vel tu animo pusillanimis decernere id non audeas, certè repetere totam formam, non solum tibi erit integrum, verum etiam securius operaberis.

*De separatione syllabarum formæ.*

13. Quod dictum est, sua applicandum est proportione ad interruptionem inter vnam syllabam, & aliam, nam si quis, postquam pronunciavit *Hoc est corpus meum*, tussiat vel sileat, vel loquatur verbulum aliud, & deinde proferat, non conficiet Sacrementum, si est notabilis intercapedo inter syllabam, ut ex dictis colligitur: Sed quid si interruptio sit breuiuscula?

14. Respondeo. Si semel Sacerdos tussiat, vel respiret, vnde tantisper quiescat, fieri Sacramentum docet Leander *tract. 2. de Sacram. Bapt. d. 3. q. 38. in prima edi. Compluti ann. 1642. quam semper cito.* licet neget Bonacina, *d. 1. d. Sacr. quæst. 2. p. 1. n. 23.*

15. Ego omnino explicandam, ac dividendam quæstionem puto, nam de vnica respiratione, ac etiam vnica momentanea tussi, quæ sit vnius tionis par, Leandri sententiam accipio, & tamen securius esse judico, si repetatur integrè verbum do interruptio fuit notabilis, repetatur etiam locutione verò amplector Bonacinæ sententiam enim, si quis ita dicat: *Ego te bap* & deinde *Deus*, tum denique addat *tizo*, vel *Hoc est Co pus meum*, non conficere Sacramentum. Ratio vnum verbum, quamvis brevissimum interm bis alterius verbi distrahit sensum syllabæ quod non facit momentanea illa tussis, & vnica respiratio, ut ipsæ, audientium aures facile

16. Qui tamen repetit aliquam primam syllabi formæ, sic v. g. Hoc est *Cor* Corpus meum, calix sanguinis *me* mei, conficit Sacramentum prima syllaba in tam brevi tempore repetita destrahere non solet, & sic sine distractione loquuntur sæpe balbutientes, quos Siculi *cheerlegs* lamus.

## §. II. *Materia, & Forma Sacramenti non debent immutari.*

1. Nimis est communis illa Regula, Mutatio lis facit invalidum Sacramentum, accide verò validitatem non tollit, sed vsum facit illicitum.

2. Sed quæ est mutatio essentialis, quæ accide Respondeo. Quando, sive materia, sive forma non convenit cum materia & forma à Christo & ab Ecclesia vsitata, est essentialis, & Sacra per illam non fit. Vt si baptizes in vino, confe pane ex hordeo, dicas. *Ego te refrigero*, loco, *Ego ptizo. Hoc est caput meum*, loco *Corpus meum*, &c. convenit quidem cum materia, & forma à Christo stituta, sed fiat mutatio in re, quæ ipsas non distin alia, erit accidentalis, & fiet per illas Sacramentum semper cum peccato mortali ex se: quia fit contu Ecclesiæ: nisi sit adeo parua, ut pro nihilo reputa quando ad summum erit peccatum tantummodo ven Quare si dicas *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii Spiritu Sancta* probabilissimum est fieri baptismum hæc verba non aliud etiam in communi hominum ceptatione, significant, nisi quod significet inten forma, quia supponimus sic dici ob imperitiam form latini, vel ob impedimentum linguæ, ut habet Zacch Pontifex *C. Retulerunt de consecr. d. 4.* Non ita, si quis mutaret vnam literam, quæ in communi dicti significatione ad aliud omnino diversum distraheret locutionis, tunc enim Sacramentum non fieret, si dicat: *Ego te baptizo, in nomine Matris, Filii*, Non igitur attendendum est ad mutationem literæ, significationem vocis, quæ ex mutatione literarum surgit. Pari modo, si baptizes in aqua calida, baptizas, imò licitè in casu necessitatis infirm pueri, quia non est mutatio nisi accidentalis, & ne cessitate id faciens, quia est parua mutatio, peccabi lum venialiter, dummodo non intendas facere nouum ritum in Ecclesia.

Hæc sint satis, nam cætera dicentur, cum de singu Sacramentis.

3. Illud hîc locum commodum naniscetur, Quæ endum, si cum errore forma Sacramenti proferatur Respondeo. Error hic, vel exprimitur exterius in p forma, vel solum habetur in mente.

4. Si prius, vtere allata regula, Nam, si substantialem sensum mutet, ut, si Arianus dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij creatura, &c.* non fiet Sacramentum; non mutet, fiet, ut, si quis dicat *Ego te te, vel te Antonius baptizo, &c.* putans esse necessariam illam repetitionem vel illud nomen: nam error hic est valde extrinsecus significationi verborum, & illud quod tu addis, non destrahit verum sensum, &c.

§. 3

5. Si posterius, hoc est, si error habeatur solum in mente, ut, si idem Arianus v.g. retinens in mente filium esse creaturam, dicat *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, vel Calvinista si consecret per veram formam, *Hoc est corpus meum*: intenda tamen mente, *hoc corporis mei figura*: distinctione opus habemus.

6. Nam, si is per suum errorem sic proferens, intendat nihilominus facere, quod Christus instituit, vel Ecclesia Catholica facit, valide Sacramentum conficiet, quia per hanc intentionem faciendi, quod instituit Christus, & usurpat Ecclesia, corrigetur error. At si proferat cum expressa intentione, quamvis interius solum mente retenta, velit conficere Sacramentum secundum erroneum suum conceptum, nihil efficiet, quia non ponit veram formam Sacramenti, quæ non est nisi illa, quæ significat, quod intendit Ecclesia significare.

7. Anno superiore accessit ad sacros Inquisitores quidam ex Hæreticis Transalpanis, reconciliationem exposcens cum Ecclesia Catholica, dubitatúmque fuit, an esset rebaptizandus, quando quidem ipse narrabat, se audivisse his verbis Baptismum conferri solere ab illis Ministris, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, secundum auctoritatem, quam mihi concessit Calvinus.*

8. Dixerunt recte Theologi de hoc consulti. Si hi Ministri intendunt facere quod Christus instituit, vel quod idem est, quod facit Ecclesia, sic baptizatos non esse rebaptizandos, esse autem omnino, si intendant secundum illorum verborum significationem, & non aliter baptizare. Sic, inquam, propter rationem à nobis modò allatam, dixere. Quoniam verò in casu proposito, qualis fuerit intentio illius Ministri qui hunc baptizavit, nescimus, imò ab inimicis Ecclesiæ, nihil aliud expectamus, quam ritum ab Ecclesia diversum, ideò omnino indicatum fuit, illum hominem esse sub conditione rebaptizandum.

### §. III. *Forma non debet reiterari super eandem materiam.*

1. COnsecrasti hostiam, rite baptizasti, &c. non potes sub pœna peccati mortalis (quia fieret iniuria Sacramento) iterum proferre formam. At si dubius sis, an bene, & rite quoad substantiam proferis, aio, te posse, ac debere repetere sub conditione, si non leve sit dubium. At si dubium sit circa accidentalia, non erit repetenda, iuxta superiùs dicta in simili.

2. Quid, si sit dubium levis circa substantiam, atque ideò sit merus scrupulus animi pusillanimis, peccabiturne mortaliter ab eo, qui, ut amoveat à se scrupulum illum, repetit formam sub conditione supra eandem materiam?

3. Respond. Non audeo hunc condemnare de mortali sed solum de veniali, quia non irrogat gravem Deo, vel Sacramento iniuriam, dum se movet tam bono fine non offendendi ipsum eundem Deum, licet, quia in hoc se gerit imprudenter, non effugiat culpam certè levem imprudentiæ. Ita Villalobos, quem approbat Leander. *tr. 1. de Sacram. d. 5. q. 13.*

4. Dices, Ergo idem fieri posset, si quis laborans solo scrupulo de suo baptismo, de sua Confirmatione, de suo Ordine, vellet hæc Sacramenta, quæ reiterari non possunt iterum recipere sub conditione, ut se ab illa animi sui pusilli molestia liberaret.

Respondeo. Idem fieri posse propter paritatem rationis, dictus Leander ibidem concedit. Sed dictum hoc, vel reiiciendum, vel temperandum eo modo est, quod distinctiùs dicam infra *l. 2. de Baptismo. c. 1. §. 6. n. 4.*

## CAPVT II.

### *De Ministro Sacramentorum.*

DVo hic explicari universaliter de Ministro debent nimirum ejus Intentio, ejusdemque Probitas. Habe de singulis.

### §. I. *De Ministri legitimâ intentione conficiendi Sacramentum.*

1. DIstincte aliàs *In Opusc. de Sacram. Miss. l. 2. c. 1. §. 2.* de ejusmodi intentione disputavi, ac resolvi sufficere intentionem Actualem, vel Virtualem, non verò Habitualem, vel Interpretativam, Ea omninò recole; nunc enim satis sit hæc brevis regula.

2. Ad conficiendum Sacramentum, vel Primo satis est si actu habeas voluntatem illud conficiendi: quam habes, quando advertens ad Sacramentum, quod vis conficere; illius formam supra debitam materiam profers. Vel Secundo satis est, si ex dicta iam habita voluntate Sacramentum conficiendi, nihil amplius cogitans, media sumis ad Sacramentum conficiendum, v.g. motus ex voluntate baptizandi Petrum, quam hoc mane habuisti, hodie illa nequaquam revocata, domo exis, ad Ecclesiam adis superpellicium induis, ad fontem accedis, puerúmque abluis, ac formam Baptismi profers, etiam si dum hæc omnia facis, ad alia quæcumque attendas, v.g. ad venationem, ad lites, ad amicos invisendos, &c. Illam priorem vocamus actualem intentionem, hanc posteriorem virtualem, cæteras omnes vocamus habituales, vel interpretativas, atq; adeo insufficientes Vide mox *c. 3. §. 1. à n. 6.*

3. Quæres in hac virtuali intentione peccatne quis voluntariè alia cogitans, seu voluniariè distrahens, & dum Sacramentum conficit ad ipsum, vel ad Deum non attendit.

Respondeo. Hæc quæstio est sit similis illi, An qui orationem effundit Deo voluntariè distractus, peccet. Similis, inquam, nam non est eadem, quia oratio est collocutio cum Deo, effectio autem Sacramenti (præter Sacramentum extremæ unctionis, quæ fit per modum orationis (non est collocutio cum Deo, sed actio, qua producitur gratia, &c.

4. Profecto in neminem incidi, qui id de Sacramentis explicaret: & ego in dicto *Opusc. de sacr. Miss. l. 2. c. 3. n. 9.* solum quæsivi de Sacerdote, qui consecraret cum dicta distractione, ac dixi voluntariè tunc distrahi esse mortale propter gravem irreverentiam, quæ Deo fit, dum in Sacrificio, opere omnium præstantissimo, aliò animum intendit sacrificans.

At, quid dicendum in aliis Sacramentis, in quibus, cum ea non sint sacrificia, dicta ratio non militat?

5. Mihi videtur peccari quidem venialiter, quia aliqua tandem hîc irreverentia est: at non audeo Ministrum sic voluntariè distractum, &, ut suppono securum, quod nihil grave ex debitis ad Sacramenti confectionem, omittat: non audeo, inquam de peccato mortali condemnare, quia non apprehendo gravem in hac distractione irreverentiam. Instrumentum Dei est Minister, at instrumento sufficit, nihil omittere ex iis, quæ ministranda sunt: cæterum si in actuali attentione deficiat, non apparet notabilis defectus. Confirmatur, quia in sententia iam ætate nostra valde probabili, si in oratione etiam ex obligatione facienda, admittatur voluntaria distractio, non est mortale, ut latè probat Delugo *de sacr. Euch. d. 22. sect. 2. à n. 25.* Coninch. *de sacr. q. 83. ar. 6. dub. nnic. à n. 289.* Ergo nec mortale erit si similis distractio admittatur in forma extremæ-vnctionis, quæ deprecatoria tota est, ergo nec si admittatur in aliis Sacramentis, quæ perinde sunt Sacramenta, sicuti est extrema unctio; præter Consecrationem tamen Eucharistiæ, de qua propter peculiarem rationem sacrificii, aliud esse dicendum, iudicavi loco citato num. præced. Hæc dubitandi gratiâ sint dicta.

6. Sempe

6. Semper autem secludendus est contemptus, sive actualis, sive virtualis, ut ex se patet. Et virtualem quidem esse (puto) si quis ex Ministris semper profiteretur oscitanter, & distract è se habere; tunc enim videretur contemnere res Sacras, ut in simili *Opus. de Sacr. Missæ, c.5.§.1.n.6.* diximus de Sacerdote, non curante de ullis Rubricis Missalis.

### §. II. *De Ministri probitate.*

1. QVi conficit Sacramenta (nam de suscipiente mox §.3.) ita dispositus esse debet, ut dum conficit, iniuriam non irroget Deo, cui in conficiendo simulatur. Vnde concludunt communiter Doctores, eum non debere esse in statu peccati mortalis (si ex officio illa ministret, quod officium §. sequenti explicabitur clare) nam licèt Minister ille, qui est Dei inimicus, validè Sacramentum conficeret; non tamen sancta sanctè tractaret. Vnde peccaret mortaliter.

2. De hujus peccati mortalis incursu, certam rationem reddere difficile aliquibus visum est; ita, ut quidam dicant solum incurri peccatum veniale, quia non vident irreverentiam gravem, nec aliud caput unde tantus rigor enasci possit. Ita Hieronym. Llamas *in summa*, & Ludovicus de S. Ioanne, citatus à Leandro mox adducendo, inclinatque Ortiz, citatus ab eodem, docentque aliqui recentiores innominati apud Leand. *t.1.de Sacr. in gen.4. q.8.& 9.* qui etiam advertit hanc sententiam fuisse à Censoribus fidei delatam ex dicta summa Llamas.

3. Dico veram esse communem sententiam, quam confirmant DD. quos citat, sequiturque præcitatus Leander. Ratio autem communis, in qua innititur sententia hæc, ita breviter inducitur ab Hurtado, *d.4.de Sacr. in gen. diff.9.* Conficere Sacramenta in mortali, est prohibitum non iure aliquo positivo humano, nam id nullibi prohibetur, tametsi in aliquibus Sacri Textus capitulis supponitur esse illicitum; neque positivo divino, voluntate Dei lato, quia de eo nullatenus constat; sed est prohibitum iure divino naturali, orto ex natura Sacramentorum, quam ex Dei institutione habent, quia est irreverentia contra Sacramentum, institutum ad sanctificandam, & mundandam conscientiam, effici ab immundo, & sordido Ministro ad hoc consecrato, *Et paulo post:* Est irreverentia gravis, atque adeo mortalis, quia effectio Sacramenti est res gravis, & non parvi momenti, ac proinde, cum facta in peccato mortali sit illicita, erit per se, & ex suo objecto graviter, & mortaliter illicita. Hæc Hurtadus.

4. Profectò hæc adversarios non expugnat, concedent enim effectionem Sacramenti esse rem gravem, sed negabunt consequentiam illam, *ac proinde si est illicita, est graviter illicita*, facilè enim concedunt receptionem Sacramenti esse irreverentiam gravem, ut cum omnibus DD. dicetur §. sequenti; at non cum eadem facilitate concedere volent, effectionem ejusdem Sacramenti, quæ in alterius gratiam communiter exhibetur, esse etiam irreverentiam gravem; longè enim diversa sunt hæc duo, Me indignum suscipere in me Sacramentum, ordinatum ad munditiem, &, Me indignum concurrere cum homine fideli, qui dignè illud suscipiat.

Si ego rebellis adversus Regem, nomine ejusdem Regis adiuvem alium rebellem ad se humiliandum ipsi eidem Regi, ejusque reconciliationem procurandam, num de hoc opere, quod in ejus gratiam facio, me quasi de nova rebellione, hoc est de novo, gravíque delicto Rex condemnabit? Non utique. Peccatum autem veniale, ideo non evitabo, quia aliqua tandem deordinatio est, me indignum à rebus tam sanctis tractandis non abstinere, cùm possim.

Hanc meam considerationem, vel certè similem, forte vidit Leander *l.c.* qui propterea se reducit ad ultimum refugium, ad quod in similibus, in quibus rationem à priori difficulter invenire possumus, confugimus omnes; nimirum, hanc irreverentiam esse gravem existimandam ex perpetua traditione, & sensu communi Eccles. (cum non extet, nec præceptum humanum, necessario dicendum sit, adesse præceptum Christi Domini, &c. rito, pro tanta Sacramentorum ab se institutorum dignitate; præcipientis.

### §. III. *Explicatur praxis prædicta probitatis Ministri Sacramentorum.*

1. IPsa eadem Ecclesia, ex eadem traditione edidit, explicuit necessitatem actualis probitatis, quam debere Minister Sacramenti debet, nam propterea DD. sequentem regulam efformarunt, certè probabil. Solum tunc existens in peccato mortali, mortaliter cat conficiens Sacramentum, quando ad illud Sacram tum conficiendum est solemniter consecratus, nec aliunde aliquam excusationem in eo malo statu mentum conficiendi. Ratio regulæ est, quia DD. probabiliter tunc solum agnoscunt in hoc adesse Eccles. Ecclesiæ consuetudinem, cum ratio reverentiæ est At gravis valde prebabiliter, tunc solum est, fuit quis ad illud Sacramentum conficiendum tus, & ut consecratus operatur, nam propter hanc secrationem magis, magisque obligatur ad sancte tractanda. Hæc est regula, cujus clausulæ quia exposcunt declarationem, sigillatim sunt declaranda

*Conficiens Sacramentum.*

2. Sic merito dicimus: nam Sacramentalia confer vel alia munera Ecclesiastica exercere in mortali, est mortale, quia hæc Sacramenta non sunt.

3. Quare Sacerdos aquam lustralem, nuptias, paschalem, sal benedicens, ut item benedicens popul etiam cum Eucharistia, Parochus solemnitates fun privatim domi ab alio collati, supplens, idem Pa assistens matrimonio, Sacerdos porrigens, seu strans Eucharistiam fidelibus. Idem eandem sive a sa, sive extra illam tangens, concionator verbum etiam publicè, prædicans, Episcopus primam tonsu conferens, Idem Virgines, & Chrisma confectum benedicens Oleum sanctum, Altaria, Templa, Camp vestes sacras, Vasa, non peccant mortaliter, dum hæc in peccato exercent, quia sic Sacramenta non ficiunt. Esto De Lug. *d.8.de Sacr. sec.9.n.156.* Episcopum consecrantem Chrisma, & benedicens O infirmorum in statu peccati, peccare mortaliter non libentius sequimur doctiss. Vasq. *3. part. disp.236.* c.4.n.48. apud eundem De Lugo qui id negat.

*Quando ad illud Sacramentum est solemniter consecra.*

4. Dico (solemniter consecratus) nam baptizare privatim, & dantes assensum ad matrimonium, ipsi contrahentes sunt Ministri, qui conficiunt Sacramentum matrimonii, hîc non comprehendimus, Ministri ad baptizandum, & Ministri ad matrimon sunt omnes Fideles nequaquam ad hæc solemniter consecrati, sed solum à Christo Domino deputati, instituit hæc Sacramenta.

5. Hinc etiam Sacerdos ministrans privatim Bap mum, hic non comprehenditur, quia id facit non consecratus ad illum, sed perinde ac cæteri Fideles.

6. Aliqui hanc clausulam sic formant, (quando illud Sacramentum est solemniter quis consecratus, deputatus) sed nos iis non assentimur, quia sequen dictos privatos Ministros Baptismi, hîc comprehen cum tamen valde probabiliter à DD. communiter excludimus, ex nullo cusentur. Nam propterea etiam excludimus, ex item probabili sententia, dictos Ministros matrimon quatenus conficiunt, non verò propter mox dicenda sequenti, quatenus suscipiunt.

7. Ex hac doctrina fit Ministrum peccare mortaliter conferendo Sacramentum in mortali, solum in sequentibus sex casibus.

1 Quan-

I. Quando baptizat solemniter.
II. Quando conficit Eucharistiam.
III. Quando absolvit Sacramentaliter, de qua re dixi distinctius *In Opusc. meth. Confess. lib. 3. c. 5. §. 3.*
IV. Quando conficit extremam unctionem.
V. Quando Episcopus initiat, seu consecrat Sacerdotes, An verò quando confert alios ordines, dependet ab illa quæstione; an alii ordines sint Sacramenta. Quoniam verò *in lib. de Ordine dicemus* Diaconatum esse certò Sacramentum, Subdiaconatum verò esse, in probabiliore sententia, item Sacramentum, horum collatio in mortali facta mortalem inducit culpam. De cæteris minoribus cum maior sit dubitatio, an sint Sacramenta, id, quod ibidem decernemus, est consequenter dubitatio, an hîc ii comprehendatur. Sed denique utrumque esse probabile ibidem dicemus, nec idem negabimus de Subdiaconatu.
VI. Quando idem Episcopus confert Sacramentum Confirmationis.

8. Circa prædicta nota, in sex Sacramentis Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctione, & Ordine non fieri distinctionem, an conferantur privatim, an solemniter, quia in his semper Minister operatur, ut consecratus ad illa: at in Baptismo potest se habere ut laicus, quod est quando privatim baptizat, sicuti privatim semper se habet Fidelis in Sacramento matrimonii.

9. Nota item, Sacerdotem celebrantem Missam in mortali duo peccata committere, nam conficit Sacramentum, & illud suscipit in statu peccati, quod esse per omnes mortale insinuavimus modo, & §. sequenti latius explicabimus. Unde satis non est ejusmodi Sacerdoti volenti aperire Confessario sua peccata, dicere, se communicasse in mortali, sed debet dicere, se etiam in mortali consecrasse, (vel utrumque includendo) se Missam in mortali celebrasse. Quod si is post consecrationem, contritionis forte actum eliceret, deberet expresse declarare, se solum consecrasse in mortali, nam propter actum dictum contritionis non commisit secundum peccatum, quod fuisset in indigna assumptione Communionis.

*Nulla existente excusatione.*

10. Prima excusatio ducitur à Charitate; Minister enim existens in mortali, quando in brevi morula non potest se conterere, & urget Collatio Baptismi, vel pœnitentiæ in proximè morituro, excusabitur, (testibus Delugo *d. 8. de Sacr. n. 151.* aliisque) à peccato si baptizet, vel absolvat in mortali, ut à me probabiliter est explicatum, *In Opusc. de confess. lib. 3. c. 5. §. 3. n. præsertim 12.*

11. Secunda excusatio ducitur à benignitate Dei in aliquo casu raro, de quo satis à me dictum est *In Opusc. de comm. c. 2. §. 10.*

12. Tertia à levitate materiæ. Nam Diaconus, & Subdiaconus Evangelium, vel epistolam solemniter cantantes in mortali, & multo magis Clericus in minoribus, minorum Ordinum munera in eodem mortali exercentes, etiamsi eorum collatio fuerit Sacramentum, non ut ait Leand. cum innumeris *de ord. d. 2. q. 21. Delugo l. c. n. 152.* peccant mortaliter, quia non habemus ex traditione, vel ex consuetudine, hæc iudicata fuisse gravem irreverentiam.

13. An saltem peccent tunc venialiter? Affirmant nonnulli cum Leandro *de ord. d. 2. q. 18. & 22.* Vasquez apud eumdem *ib.* tamen cum aliis negat, quia nulli præcepto, vel consuetudini contraveniunt, quod certe probabile est.

14. In calce hujus §. lectorem moneo, aliquos aliter docere in prædictis: mihi tamen fuisse pro praxi satis probabilem, & profectò expeditiorem aliorum non ignobiliorum Doctorum sententiam ostendisse.



# CAPVT III.

## *De suscipientibus Sacramenta.*

NI voluntatem habeas suscipiendi Sacramentum, nulliter tibi illud conferetur, Ni bene sis dispositus, illicitè. Hæc quomodo se habeant, explicemus separatim.

### §. I. *Voluntas suscipiendi Sacramentum.*

1. VEl de infantibus, ante susceptum usum rationis loqueris, vel de adultis, quibus inest usus illo;

*Rationis impotentes.*

2. Aio primò. Infantes, ad quos reducuntur ii amentes, qui nunquam compotes fuerunt rationis, valide suscipiunt quatuor Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Eucharistiam. At invalidè alia tria, nimirum Pœnitentiam, Extremam unctionem, Matrimonium. Ratio est, quia illa priora non requirunt, ad suos effectus, suscipientium voluntatem, sed solum capacitatem subjecti (nam propterea fœmina, quia est incapax, nunquam valide ordines recipit) si aliàs rite ponatur materia, & forma Sacramenti, ut probatur in Tractatibus de singulis Sacramentis: at illa posteriora requirunt voluntatem suscipientium; Pœnitentiæ enimi materia proxima sunt liberi actus pœnitentis, ideſt Confessio cũ dolore, remota sunt peccata commissa; Extremæ autem Vnctionis materia sunt rel: quiæ peccatorum. In Matrimonio denique debet adesse consensus Coniugum, quo se invicem tradunt, & acceptant, qui actus in prædictis infantibus & perpetuis amentibus esse non possunt.

*Compotes Rationis.*

3. Aio 2. Adulti, quibus integrum est posse liberè consentire, invalide suscipiunt Sacramenta, nisi consentiant; multo igitur minus si dissentiant. Ratio est, quia sic instituit Christus Dominus, ut scilicet non conferretur tanta gratia Sacramentorum, nisi volenti, quando adultus est, & velle potest.

4. Idem dic de iis, qui usum rationis habuerunt, quem deinde per amentiam amiserunt: nam, si dum erant sanæ mentis Sacramentum nullo modo petierunt, invalide illis confertur. Legatur S. Thom. *1. p. quæst. 68. art. 7.* aliique ut Vasq. *d. 238.* Suar. *de Sacr. d. 14. sec. 2.* Coninch. *de Sacram. quæst. 64. art. 8. dub. 5.* G. Hurt. *de Sacr. d. 4. dif. 13.* Castrop. *t. 4. tr. 18. d. unic. p. 12.*

5. Nota illud (libere) debet enim esse consensus humanus: qualis certe non esset quando quis per vim cogeretur, quia tunc esset is simpliciter, ut supponimus, involuntarius. Esset autem validum Sacramentum, quando per metum gravem quis Sacramentum susciperet, quia metus non tollit voluntarium, simpliciter ut explicuimus *Lib. 1. in Decal. cap. 2. §. 5.* sed excipere debes matrimonium, quia hoc ex metu gravi initum, invalidum est, ut ibidem docuimus, *n. 24.* & dicemus cum de Matrimonio, *In lib. 8. tr. 3. de matr. cap. 2. §. 2. & tr. 4. cap. 6. §. 2.* Ordo autem ex metu gravi initus, validus est, characteremque imprimit, non tamen sic ordinatus, nisi postea ratificet, ad continentiam servandam obligatur, quia quoad hanc debet intercedere voluntarium simpliciter, ut ibidem explicatum est universaliter, & dicemus cum de Ordine.

6. Nota præterea illud (nisi consentiant) ad quod satis est voluntas habitualis. Imo in cæteris Sacramentis (præter Pœnitentiam, quæ requirit pro materia proxima actus pœnitentis?) sufficit voluntas interpretativa. Explico clarius. Habitualis voluntas est illa, quæ cum semel fuerit, adhuc revocata non est. Fac v. g. te voluisse baptizari, & hac voluntate non retractata, in phrenesim te abisse, dico, tunc adesse consensum tuum habitualem, & valide te baptizari.

7. Interpretativa voluntas est illa, quæ imbibitur, vel involuitur in alia voluntate. Fac. v. g. Catechumenum voluisse servare omnia Christi Domini præcepta, & item suscipere omnia remedia suæ salutis, atque hac voluntate non retractata, in similem phrenesim incidisse; dico baptizari posse, etiam licitè, quia in illa voluntate adfuit interpretativè voluntas, seu consensus ad Baptismum: & illa necessitas periculi mortis licitam facit ejusdem Baptismi collationem.

8. Ex quibus vides Ministro, ut conferat Sacramentum, non satis esse voluntatem habitualem, vel interpretativam; requiritur enim, vel actualis, vel virtualis. quemadmodum supra explicatum est *In cap. 2. §. 1. num. 2.* Vt autem Sacramentum (præter pœnitentiam) valide quis suscipiat, satis esse voluntatem dictam habitualem, vel interpretativam, ut jam hic explicuimus.

9. Hinc etiam intelligis rationem praxis quotidianæ Fidelium: Nam, quavis infirmis, quibus sive ob delirium, sive ob destitutos sensus mens deficit, non possit cōferri Sacramentum pœnitentiæ: (hoc enim ut modò dixi *num. 6.* exceptum est) & solum ex sententia nonnullorum possit in iis casibus, quos *In Opusc. de confess. leg. 2. cap. 10. §. 1. à num. 7.* plenè declaravi) tamen in omnium sententia potest, & solet conferri Extrema vnctio, immo, & Eucharistia, si non sit periculum vomitus, vel similis irreverentiæ, & clarè non constet, eos esse in statu peccati mortalis. Ratio autem est jam indicata, quia hi in professione vitæ Christianæ habent interpretativè consensum sufficientem ad illa Sacramenta suscipienda, etiam si de aliquo illorum, ut facile esse posset de Sacramento Extremæ vnctionis, nihil audierint. Lege quæ dixi *In Opuscul. de comm. c. 5. §. 9*

## §. II. *Dispositio necessaria suscipienti Sacramenta.*

1. VEl iis, qui primis labiis Theologicam doctrinam attigerunt, notum est, ad suscipiendam Pœnitentiam, & Baptismum, præter voluntatem illa suscipiendi, sufficere hominem esse saltem atritum, si actuali culpa gravatur; at ad alia Sacramenta suscipienda, oportere illa suscipientem debere esse in statu gratiæ quæ obtinetur, vel per contritionem, vel per attritionem cum dicto Sacramento Pœnitentiæ.

2. Quod si adultus nullum mortale commisisset, sic attritione quidem indigeret, ad suscipiendum Baptismum (licet haberet peccatum originale) sed solum opus ei esset actus Fidei, & Spei, seu Charitatis; siquidem attritio, & contritio solum versantur circa proprium personale peccatum, non alienum, quamvis alteri imputatum, ut est peccatum originale. Videatur Coninch. *q. 62. ar. 1. de Sacram. dub. 2. concl. 2. n. 27.* Supersunt autem difficultates tres.

### *De Attrito, accedente cum mortali, sed bona fide, ad Sacramentum.*

3. Prima difficultas. An si quis accedat ad Sacramenta, bona fide putans, se omni peccato carere, cum tamen sit à culpa mortali maculatus, vel putans, esse contritus cum tamen contritus non sit, sed solum attritus, an, inquam, gratiam, & remissionem peccatorum, ex vi Sacramenti obtineat.

4. Respondeo, obtinere, quia is jam per attritionem avertitur à malo commisso, quamvis bona fide non cognito, & consequenter non ponit obicem gratiæ, & ex alia parte Sacramentum rite suscipit. Decens enim fuit ut Christus Dominus id concederet Sacramentis, quando bona fide, & sine obice à Fidelibus suscipiūtur. Lege Castrop. *tom. 4. tr. 18. d. vnic. p. 13. num. 6.* citantem Navar. Suar. Coninch. & alios; & dicentem hanc esse Doctorum communem sententiam. Sed certe, vniversaliter non est, nisi probabilis, vt ego breviter significavi *in Opusc. meth. comm. c. p. §. p.* adducens G. Hurt. & Vasq. eam negantes. Dico (vniversaliter) nam per pœnitentiam, quando adest, attritio, acquiritur gratia, & de extrema vnctione dicam de illa.

5. Quid si prædictus, ne attritionis quidem formam actum eliceret? Id autem non quæro de Sacramento Pœnitentiæ, scimus enim omnes, saltem attritionem, vtpote partem hujus Sacramenti, pro ipso necessariam esse, sed de aliis Sacramentis.

6. Respondeo. Putat Coninch. *l. cit. num. 35.* & alia qua sententia, Castrop. *de Sacr. tract. 18. d. vnic. p. 14.* citat Scotum, & Caëtanum; tunc Fidelem cum attritione dei & spei suscipientem Sacramenta iustificari, gratiamque recipere, quia supernaturalis actus Spei pœnitentiam peccati commissi virtualiter continere videtur. Verumdum tamen est, non justificari, nec recipere gratiam, quia nulla sit peccati remissio, absque pœnitentia, ut habetur passim in Sacris Scripturis. At pœnitentiam virtualiter quidem, continetur in actu Fidei, vel Spei, in qua solum ad summum continetur Pœnitentia conditionata, sic: Si memor essem peccati, illud detestarer.

### *De accedente cum veniali ad Sacramentum*

7. Secunda difficultas. An qui accedit ad recipienda Sacramenta cum peccato veniali peccet venialiter, respondeo. Non committere novum veniale, dixi *Opusc. de comm. cap. 1. §. 4.* esse probabile, eum qui cum peccato veniali Eucharistiam suscipit; Multo igitur magis idem dicendum de cæteris Sacramentis quæ ut te inferiora sunt Eucharistia. Hinc autem sequitur, non impediri productionem gratiæ, quia peccatum veniale stat cum gratia.

### *De accedente ad Sacramentum cum mortali, sine sufficiente dispositione.*

8. Tertia difficultas petit pro curiosis brevem explicationem ejus quæstionis. An detur Sacramentum informe, & informe? Si enim detur, tunc erit, quando qui sine sufficienti dispositione ad Sacramentum accedit. Nam si tu adultus peccato mortali gravatus absolvaris, v. g. sine nulla contritione, vel attritione, sed cum voluntate quidem Baptismum recipiendi, tunc valide recipis, sed gratiam non acquiris: Ecce quomodo validum est Sacramentum, sed informe, hoc est, sine gratia. Gratiam autem non acquiris, quia vniversaliter loquendo ad validitatem Baptismi satis est voluntas illum suscipiendi: at pro gratia per illum acquirenda debes insuper te disponere, removendo impedimentum, seu obicem dictæ gratiæ, vel per actum contritionis, vel in sententia probabili, per actum solius attritionis: Cujus Auctores vide apud Bonac. *d. 1. de Sacr. quæst. 4. p. 2. num. 2. & quæst. 6. p. 2. num. 13.* Neque enim gratia acquiri potest, nisi homo à suo peccato, vt modo dixi, ideſt ab inimicitia Dei per proprium actum avertatur. Quæstio igitur est, an si tu post Baptismum valide susceptum, sed modo dicto sine gratia, (quo pacto jam dixi, Sacramentum hoc validum est, & informe, ideſt gratia non informatum) an, inquam, si deinde vel te conteras, vel cum attritione suscipias Sacramentum Pœnitentiæ de peccatis, quæ forte commiseris post Baptismum, vel in dicta sententia probabili te solum atteras, acquiras ex vi Sacramenti Baptismi antea valide suscepti, gratiam, eamque non solum ex vi, & ad mensuram dictæ contritionis, vel Sacramenti Pœnitentiæ, verum etiam ex opere operato, & ad mensuram Baptismi, jam antea informiter suscepti. Advertatur autem de mortalibus peccatis, quæ forte quis commiserit post Baptismum, semper esse necessariam vel contritionem, vel susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, juxta ea, quæ infra *lib. de pœnit. cap. 1.* dicenda sunt. Quod igitur propositum est sub exemplo Baptismi, quærunt vniversaliter Theologi de cæteris Sacramentis.

9. Respondeo. Circa hanc quæstionem novem omnino legi sententias. Prima est Vasq. *3. p. quæst. 61. d. 2.*

& Hurt. *d.3. de sacram. diff.8* .concedentium hanc efficaciam soli Baptismo.

Secunda est Cani *de pœnit. p. 5.* eandem efficaciam concedentis Baptismo,& Pœnitentiæ.

Tertia, Covarruviæ *in cap. Alma Mater. p.1.§.4. n.25.* omnibus,& solis Sacramentis imprimentibus Characterem,id est Baptismo, Confirmationi,& Ordini,quæ reiterari non valent.

Quarta Sylvestri *V. Baptismus*, prædictis tribus Characterem imprimentibus, & item Pœnitentiæ.

Quinta Ægidij Coninch. *q.62. de Sacr. art.1. d.5. à n.75.* prædictis tribus Characterem imprimentibus, & item Matrimonio,dum durat idem vinculum, & denique Extremæ Vnctionis,dum durat eadem infirmitas;nam,cum nec illa tria,nec Matrimonium,& Extrema Vnctio,tunc reiterari possint, iudicantur inquit,perseverare, & suum effectum,sublato obice, producere.

Sexta Suarii *d.28. de Sacr. sect.6.* quem sequitur De Lugo *d.9. de Sacram. n.100.* omnibus Sacramentis,præter Eucharistiam.

Septima Leandri *tr.1. de Sacr. d.5. q.7.* citantis S.Th. Cætanum,Sotum,Bonac. si omnibus Sacramentis,quare non etiam Eucharistiæ.

Octava aliquorum apud Filliuc. *tr.1. n.143.* nulli prorsus Sacramento.

Nona Castropalai *tom.6. tr.18. disp.unic. p.9. n.5. & 6.* omnibus quidem Sacramentis, sed Eucharistiæ, solum, dum sacræ species non sunt consumptæ in stomacho recipientis,& Sacramento Pœnitentiæ,si quando hoc possit esse validum,& gratiam non producere.

10. Hæc Doctores. Ego Dico primo,non esse negandam hanc efficaciam inesse Sacramento Baptismi, tum quia id ferè omnes Doctores ( exceptis paucis) docent, tum quia probabilius est id colligi ex S. Augustino,apud Castrop. *l.c.* sed latina apud De Lugo *l.c.* contra Vasq. tum quia Baptismo, cujus èst afferre novam hominis regenerationem, statúmque vitæ immutabilem Christiano religionis, maxime decuit hanc prærogativam conferri.

11. Secundo Dico, cautè Castropalaum modo dixisse,si quando Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & gratiam non producere ) nam multi negant id esse posse. Ratio est,inquiunt,quia in Sacramento Pœnitentiæ pro necessaria materia sunt actus pœnitentis, id est confessio,& dolor,quo dolore iam avertitur pœnitens à malo peccati,& tollit obicem:quare si tunc addatur forma, quæ est Absolutio, iam Sacramentum erit ita validum, ut trahat reconciliationem cum Deo,atque adeo informe esse non poterit. Tamen quia non est improbabile in aliquo casu posse esse etiam hoc Sacramentum validum,& informe, ideo laudo Castropalaum loquutum fuisse sub conditione *Si quando,&c.* Casus autem saltem ille esset, quando quis confiteretur sua peccata cum dolore, ducto ex peculiari motivo, afficiente solum illa peccata quæ confitetur. Confitetur quis v.g. peccata turpia cum dolore,ducto à motivo talis turpitudinis, sed obliviscitur inculpatè alterius peccati diversi generis, v.g. Blasphemiæ. In hoc enim casu videtur confessio esse valida, quia iam adsunt partes necessariæ Sacramenti pœnitentiæ, nempe Oris confessio,Cordis dolor, & absolutio: at quia non adest dolor se extendens ad blasphemiam, non poterit blasphemia remitti, quia, ut supra diximus,non potest remitti peccatum,nisi avertaris ab illo. Et ex alia parte, nec remitti possunt peccata illa turpia,quamvis confessa, quia non potest remitti unum mortale, sine alio: & ita in hoc casu non dabitur gratia, & consequenter Sacramentum hoc erit validum, & informe. Verum has Theologicas speculationes in Scholis disputandas, relinquamus.

### §. III. *An liceat petere Sacramenta ab eo, qui peccatò mortali, vel excommunicatione gravetur?*

1. DE hac quæstione,vide quæ dixi *l.5. de Decal. c.1. §.4. à n.36. & in opusc. de comm c.5. §.4.*

### §. IV. *An liceat volenti suscipere Sacramentum indignè, illud ipsi ministrare.*

HÆc difficultas agitur à Doctoribus sub illis terminis: an peccatori publico, vel occulto ministrari possit Eucharistia? Quam ego satis item explicui *in Opusc. de comm. c.6. §.6.*

*Finis de Sacramentis in Genere.*

# DE BAPTISMO
## LIBER SECVNDVS.

### CAPVT PRIMVM.
### *De Materia, & Forma Baptismi.*

REMOTA, est Aqua naturalis,seu elementaris, proxima,est Ablutio, Forma, *Ego te baptizo in nomine Patris,& Filii, & Spiritus sancti.*

#### §. I. *De Materia remota.*

*Materia remota certo sufficiens ad valorem Baptismi.*

1. SAnè ad valorem sufficit Aqua maris, fluminis, fontis,stagni,putei,cisternæ,pluviæ.

2. Ros item,& pruina non concreta, Aqua quæ ex vaporibus conflatur,qualis est,quæ in hyemè ex parietibus exudat,vel quæ reperitur in ollarum tegumento quando illis aqua plenis subiicitur ignis.

3. Præterea Aqua,quæ habetur ex nive,glacie,grandine liquefactis, Aqua decurrens ex balneo,quamvis odoris sulfurei, Aqua expressa ex luto.

4. Aqua denique quamvis calida, quamvis frigida, quamvis odorata,quamvis aliquantulo crassiore & pauco luto immista, dummodo Aqua sit, & ad abluendum apta. Ratio omnium horum est, quia omnes prædictæ sunt aquæ naturales. Aquam, quæ fluxit à latere Christi Domini naturalem fuisse,censuerunt Sancti Patres;quare ad Baptismum satis,supérque fuisset.

*Materia remota certò non sufficiens.*

5. Contrà,omnes alii liquores,qui ab aqua specie differunt, quale est vinum,lac,mel,oleum,aqua, quam vocamus ardentem, seu aquam vitis, urina,lachrymæ, saliva. Hanc dubiam vocat cum Coninch. Castropal. *de Bapt. d.unic. punct.3. n.2.* ) sed immerito, est enim certò insufficiens,sudores,aquæ quæ stillant ex incisione vitis, ex cucumeribus,ex peponibus, &c. insufficientes sunt, quia non sunt aquæ naturales,seu elementares.

6. Aqua item, ita alterata, vel alio corpore ita immista, ut aquæ denominationem, naturámque amiserit, huc reducitur, ejusmodi est lixivium forte, ius,seu brodium,

dium, saltem illud, quod est spissum, & valdè carnibus, vel alia materia decoctum, aqua multo vino immissa, &c. Nix, gelu, glacies, lutum densum, ut sic, non sunt apta materia, quia non sunt apta ad abluendum.

7. Idem puto de succo herbarum, hoc est, de liquore qui exprimitur ex herbis, vel radicibus, vel fructibus contusis, seu compressis, Aqua enim naturalis ea non est, sed rei contusæ substantiæ.

*Materia remota dubia ad Baptismum.*

8. Aquæ illæ, quæ ex vi ignis per stillicidia ex herbis, floribus, vel radicibus extrahitur, qualis est aqua rosacea, & similes, incertum est, an sint apta baptismi materia, quia licet communis opinio ferat has non esse verè aquas, non nemo tamen aquam elementarem esse putat, vt Castrop. *tom.1.tr.1.d.2.p.5.n.6.* lege eundem de Baptismo modo citato.

9. Aqua extracta artificio quodam, cujus meminit Vecherus, *lib. 3. de secretis naturæ, cap.4.* ex Cardano, à vino, cui antea fuit admissa aqua, incerta mihi aqua est, quia non constat, an sit illa aqua, quæ fuerat admista, an partes puriores vini, quo nobis aquæ apparent.

10. Brodium item non admodum spissum, seu coctum, vel aqua luto non admodum denso confusa, vel lixivium leve, id est non multis cineribus imbibitum, & similia erunt incerta materia, quando incertum est an servent naturalem speciem, vel vsum communem aquæ.

11. Aquam resolutam à sale concreto ex aqua salsa maris, dubia mihi materia baptismi est, quia nimis multum exhalationis terræ retinet, multo magis Sylvest. Angelus, Tabiena, Armilla, omnes, v. Baptismus, referunt resolutam ex sale montano, id est ex eo sale, quod in nostra Sicilia copiosum est, & à salis fodinis ad quotidianum vsum lapidum instar, exciditur.

12. Scio Leandrum *de Baptism. d.2.quæst.4. & 7.* & Bonacinam *d.2.de Bapt. quæst.2. p.3.n.4.* putare, aquam resolutam à sale Maris esse aquam naturalem, sed id mihi non videtur ita certum vt ex illius ablutione certum pronunciem Baptismum.

13. Aqua existens in linteo, vel digito, nisi exprimatur, dubium est, an sit apta materia, quia ut sic, non est certum, an sit apta ad lavandum, quamvis Leander *de Bapt.d.2.q.4.& 5.* doceat tum glaciem, lutúmque *num.6.* dicta, tum prædictum linteum, digitúmque apta esse, quia putat adhuc per illam quamvis non expressam, sed ut ita dicam expressam in corpus baptizandi, hominem denominari simpliciter ablutum, sed vide quæ dicam §. 3. *num.21.& 22.*

## §. II. *De materia remota Baptismi quoad licitum vsum.*

1. Regula generalis est, debere servari consuetudinem Ecclesiæ, ut licitè conferatur Baptismus, atque adeo, secluſa necessitate, semper adhibendam esse aquam Sacri Fontis ritè benedicti.

2. Quidam Parochus non multis abhinc annis, ob extraordinarium hyemis rigorem solemniter baptizavit infantem aqua calida communi, ne tenellos infantis artus offenderet frigida Sacri Fontis, peccavitne is mortaliter.

Respondeo. Mortaliter peccasse videtur colligi ex Bonac. *l.c.n.7.& 8.* cum aliis, quia à consuetudine Ecclesiæ in re gravi discessit: sed non peccasse mortaliter fusè probat Quintanadveñas, *de Bapt. sign.22.* quia nullum est, ait, de hac re præceptum, quod si esset, sanè de re esset non substantiali, sed modicæ materiæ.

3. Quid si Parochus adhibuisset aquam Sacri Fontis, illam calefaciens. Respondeo, hanc vocare irreverentiam, saltem gravem, nequaquam audeo.

4. Dictum autem est, (solemniter baptizavit) nam quando propter necessitatem confertur Baptismus privatim, si facilè benedicta aqua fontis haberi [illegible] non benedicta sine vlla dubitatione, vti omnino [illegible] & debebis.

Illud item concedit dicta necessitas, ut possis [illegible] & ex charitate debeas adhibere materiam dubiam [illegible] certa haberi non possit, quod tamen cum condition[illegible] saltem mente concepta, faciendum erit in hunc [illegible] dum, *Si materia hæc idonea est ad baptizandum, [illegible] baptizo in nomine Patris, &c.* Verum deinde, [illegible] aqua certo naturalis habebitur, debebit hic rebaptizare sub alia conditione in hunc modum, *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Quod si forte [illegible] quem baptizasti, materia omnino insufficiens, v.g. [illegible] vino, &c. tunc certè sine vlla conditione illum rebaptizare omnino debes.

## §. III. *De materia proxima Baptismi, qua est [illegible] certò sufficiens.*

1. Quia ablutio est contactus successivus [illegible] corpus baptizati, ideo sufficiens certò [illegible] ablutio quæ fit per immersionem, vel per notabilem [illegible] persionem, vel per effussionem item notabilem [illegible] corpus, ipsum corpus contingendo.

2. Trina immersio olim erat in præcepto, nunc [illegible] fasse notat Castropalaus *de Bapt.d.vnic.p.4.n.2.* [illegible] addens, in prima ex tribus compleri baptismum [illegible] jam tunc forma; Quod si expresse baptizans [illegible] per tertiam, tunc enim verò non ex defectu ablu[illegible] sed ex defectu intentionis, (at certè non rite) complet[illegible] in tertia.

3. Dixi autem (ipsum corpus contingendo) non [illegible] dem totum, cum satis sit fieri ablutionem in [illegible] hominis parte, sic enim, absolutè dicitur homo [illegible] Nam propterea, sive ex præcepto, sive ex Ecclesiæ [illegible] suetudine solet fieri in capite, vel in pectore, vel in [illegible] pulis, vel in brachio, non quod totum, v.g. *caput solum* [illegible] notabilis ejus pars abluatur.

4. Vnum hic in Castropalao *l.c.n.5.* videtur [illegible] non posse; sic enim habet. *Probabilius est, requiri, [illegible] mum fieri in aliqua parte corporis principe, v.g. in capite, pectore, scapulis, brachio, pede: factum verò in digito, [illegible] sola manu insufficiens est.*

5. Hæc Castropalaus, à quo rogo cur iudicem [illegible] dem esse partem principem corporis, non verò [illegible] num.

6. Respondere, Lector, posses, Castropalaum loqu[illegible] tem de manu, docere nequaquam sufficere ablu[illegible] manum (nota illud, *solam*) at loquentem de pede, [illegible] cere, satis sufficere pedem, non addendo, (*solum [illegible] dem*) cum ergo pes apud doctos (vt notat Zacc[illegible] *tract.1.l.6. Historia 6.* de Scholeto, *sect.4. fol. [illegible]* vbi de pede præstantissimus Medicus, & Anatom[illegible] significet complexum ex fœmore, tibia, & extremo [illegible] de, totum id intelligit Castropalaus nomine pedis, [illegible] jus ablutio sufficiat ad Baptismum, non verò ipsum [illegible] lum extremum pedem, qui certè, si solus abluatur [illegible] sufficit, sicuti nec sufficit si solum abluatur extr[illegible] manus.

7. Eruditè ictum contra Castropalaum comm[illegible] avertere contendisti, amice Lector; Verum ego [illegible] rogo, si ad Medicos confugis, cur in eodem Zacc[illegible] loco prorsus à te citato, non legisti etiam manum [illegible] eosdem significare complexum ex brachio, cubito [illegible] extrema manu? debuisset ergo saltem, nec obfuisset [illegible] queretur Castropalaus, diserte docere, sufficere ab[illegible] ptismum absolutionem pedis, & manus, vt complectentium illas alias partes, non verò sufficere, ut solum [illegible] mas complectentium.

8. Si obstetrix, manu immissa in uterum, bapt[illegible] infantem in parte principali, v.g. in capite, medio [illegible] gis si baptizet in simili parte jam ab utero egressa, [illegible] cienter baptizat, quia est vera pueri ablutio. Ita Hurt[illegible] *de bapt.diff.2.* Leander *de bapt.d.2.q.11.* multos citans

9. Si puerum v.g. ligatum fune immittas in flumen, & extrahas, valide illum baptizas, prolata forma, quia vere tunc puerum abluis. Non ita si ex se puer in fluvium cadat, nam tunc non abluitur ab alio, hoc est à ministro Baptismi, quam personarum distinctionem esse necessariam dicetur mox.

10. Si eundem immittas in flumen, vel puteum, sed illud inde non extrahas, an validè baptizes, mox §. 4. explicabitur.

11. Si linteum aquæ imbibitum exprimas in corpus baptizandi, ut etiam si glaciem, lutumque pari modo exprimas, sufficienter baptizas, prolata forma: quia sic sufficienter abluis. Non ita, sed sub dubio, si solum imprimas, ut dixi §. 1. *num.* 13. Est alia quædam ablutio sufficiens, de qua per occasionem mox *num.* 15.

*Ablutio certò non sufficiens.*

12. Si abluas vestes tantum baptizandi, vel uterum Matris in quibus sit infans, vel linteum, vel corium, in quibus idem forsitan est involutus, insufficienter pro te nostra abluis, quia sic baptizandum verè non abluis.

13. Quid si vestitus quis induso, linteo, similibúsque vestibus, ita in fontem à te immergatur, emergatúrque, vel ita perfundatur aqua, ut ipsa propter porositatem vestis in corpus ipsum penetret?

Respondeo. Sufficere merito insinuat Castropalaus, *tbid. num.* 6. Bonac. *d.* 2. *de Bapt. quæst.* 2. *part.* 3. *num.* 21. Leand. *l.c. quæst.* 22. & 23. & alij, quia is tunc verè abluitur.

14. Si ex se cadat quis in fontem, non sufficere pro te nostra, jam dixi *num.* 9.

15. Si te remotè habeas ad ablutionem baptizandi, nec item sufficere dicam mox *num.* 18.

*Ablutio dubiè sufficiens.*

16. Ex triplici capite? quantum nunc ad nostrum institutum facit, dubia sufficientia esse potest, hoc est, ex parte baptizantis, baptizati, & aquæ.

17. *Ex parte baptizantis.* Si puerum v. g. submittas sub tegulas, vel in alium locum, unde aqua actu dilabitur, formamque adhibeas, sufficienter baptizari puerum putant Bonacina, & Leander; mihi dubia videtur res hæc, quia sic nimis largè, & remotè diceris puerum abluere.

18. Dixi (actu dilabitur) nam si submittas hominem in prædicta, vel similia loca, ex quibus aqua ex nõtabili intervallo effluxura est, qua deinde fluente tu formam proferas, non dubium baptismum, sed certò nullum administraturus mihi videris, quia hoc pacto remotissime te ad illam ablutionem habes.

19. *Ex parte baptizandi.* Si quis in capillis tantum, si infans in secundina, qua involutus nascitur, si quis in digito, imo etiam in sola manu, vel solo pede abluatur, dubiè baptizatur, quia incertum est, aliis affirmantibus, denegantibus aliis, an hoc modo dicantur prædicti absolutè, & verè ablui.

20. Si quis immergatur in aquam sed non emergat; (id quod evenire posset, quando quis in fine immersionis statim moreretur) inter dubia baptismata connumero, licet enim probabile putent cum Suar. Vasq. Valent. Coninch. quos sequitur citatus Hurtadus, *l.c. diff.* 5. non esse necesse, ut immersioni succedat emersio, sicuti nec si Baptismus fiat per aspersionem, necesse est, vt aqua fluat per corpus baptizandi sed sufficit si hæreat, cum sic satis, superque constituatur lotio humana, quemadmodum si manibus madefactis faciem abluas, diceris absolutè faciem lavare; licet inquam id probabile putem: tamen, quia non est certum, an simpliciter apponatur vera ablutio, ideo hunc modum inter baptismata dubia recensendum, quo ad praxim iudico, sicuti in simili de linteo, vel digito madefacto dixi §. 1. *n.* 13. & mox repetam *n.* 22

21. *Ex parte aquæ.* Vna, vel altera aquæ gutta, & ex Bonacina, *l.c. num.* 19. etiam addita tertia, etiam si successivè corpus tangat, dubia ablutio est, cum aliqui negent, aliqui affirment, sic posse hominem dici absolutè ablui.

22. Linteum, vel manum aqua madefacta, & in corpus baptizandi tantummodo impressa, dixi §. 1. *num.* 13. & nunc in proprio loco repetere debeo dubium esse saltem pro praxi, an constituat ablutionem absolutè dictam, atque adeo dubium esse & baptisma.

## §. IV. *De Materia proxima Baptismi quoad licitum vsum.*

1. IDem hîc proportionaliter dici debet quod §. 2. dictum est. Solum est Castropalao *de Baptism. disput. vnc. p.* 4. *n.* 2. adde non esse mortale, si quis in Ecclesia, quæ consuevit baptizare per immersionem, baptizaret per effusionem vel contra, quia hæc censetur levis mutatio.

*Occasione prædictorum quæro, an quidam qui, vt infantem jamjam moriturum baptizaret, illum aqua suffocavit, in irregularitatem inciderit?*

2. Curiosam mihi proposuit quidam difficultatem ex illo casu ortam, qui ætate Panormitani contigit, & de quo pluribus disputaverunt tunc Sapientes.

Casus ille fuit hujusmodi: Quidam deferens infantem baptizandum in remotam Ecclesiam, advertit eum morti esse proximum, cum ergo aqua careret, & in puteum forte obvium incideret, infantem in illum projecit, verba formæ legitimè pronuntians.

Quare quæsitum Primò fuit, an infans, si vivus ad aquas pervenit, ritè fuerit baptizatus? Fuisse, putavit Panormitanus, & plures Canonistæ, sed nequaquam fuisse multi ex Theologis docuerunt. Præcipua vtrorumque ratio fuit, quia Canonistæ tenebant, ad baptismum, non oportere, necessario immersioni succedere emersionem, oportere tenebant Theologi. Omnes tamen consenserunt; si forte puer ille vivus extractus fuisset, debuisse sub conditione iterum baptizari. Vtraque sententia fuit probabilis, & illam quidem Canonistarum hodie communem jam esse Suar. Vasq. Coninch. qui eos citat sequiturq; *quæst.* 66. *art.* 7. *dub. p.* quibus adde Castrop. *de bapt. d. vnica, p.* 4. *n.* 10. citantem Valentiam, Layman. Bonacinam, alioſque inter recentiores Theologos invenies, qui favent his quæ diximus §. præcedente, *num.* 20. nec tamen nego, opinionem illorum Theologorum à recentioribus aliquibus, ut à Toleto, aliisque apud Castrop. *loc. cit.* etiam nunc admitti.

3. Quæsitum fuit Secundò. An licitè id fieri, & sine peccato potuerit? Responsumque ab omnibus est, illicitè; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: occidere autem innocentem, malum est intrinsecè, nam propter non absimilem rationem, non licet secare vterum matris animam agentis, ad finem baptizandi infantem ibi existentem.

4. Quæsitum Tertiò à recentioribus ex hac occasione subinde fuit. An, quando baptizandus ita esset infirmus, ut iudicaretur mors ipsi fore acceleranda ab aqua ad baptismum necessaria, An inquam tunc licitè baptizari posset, Resonditque Coninch. *q.* 66. *art.* 7. *dub. p.* Hurt. *d.* 1. *de baptism. diff.* 5. Diana *p.* 5. *Tr.* 3. *res.* 8. Pasqua. *decis.* 421. aliique, casum fore moraliter impossibilem, quia modica aqua, præsertim si admoveatur calida, non videtur, posse tantum detrimentum afferre. Addit tamen admisso casu, licitè baptizari, quia eiusmodi periculum ex modica illa aqua, præsertim, ut diximus, calida proveniens, est tam rarum, paruum, atque incertum, vt non debeat venire in considerationem humanam.

5. Hæc olim quæsita sunt; nunc vero ea proponitur difficultas. An ille, qui prædictum infantem projecit in puteum inciderit in irregularitatem & per hanc occasionem, idem Secundò quæritur de illo, qui baptizat infirmum

firmum in eo raro casu, quo ex sola ablutione baptismi moriatur? cujus modo *num.4.* meminimus.

6. Respondeo ad Primum, eum, qui infantem projecit in puteum incurrisse irregularitatem ex delicto, quia (ut nunc suppono) peccavit occidendo innocentem. Dico, ut nunc suppono, nam si bona fide facit, & ex bona conscientia, quamvis erronea, non peccavit, unde irregularitatem non contraxit, quia irregularitas ex delicto, sine delicto non incurritur, ut infra late suo dicetur loco.

7. Respondeo ad Secundum; eum, qui infirmum baptizat in eo raro casu, non incidere in irregularitatem. Acceleratio enim (sunt verba Hurtad. *l. c.*) illa mortis hominis alias morituri, cui ratione dictæ aspersionis exponitur, adeo exigua, & insensibilis est, & fit modo ita humano, ut ob salutem æternam non sit contra rationem, ac proinde sic baptizans non manet irregularis, quamvis re ipsa sequatur dicta acceleratio. Hæc Hurtadus.

8. Vides differentiam utriusque casus? In priore is, qui projicit infantem moribundum in puteum, infantem occidit, dum proiicit, in posteriore vero infirmum abluendo, nequaquam occidit, quia ea parva ablutio non est causa ex se mortis, sicuti est dicta projectio.

9. Favet nostræ & Hurtadi sententiæ Sotus, *in 14 d. 5. q. 3.* & Zambranus *de casibus occur. tempore mortis, dub. 12. n. 16.* qui dicunt, baptizantem non incurrere irregularitatem, quando est necessitas aliquem baptizandi, & mors accidit propter actionem baptizantis, sed sine illius culpa, ac per accidens, & inopinato.

## §. V. *De forma Baptismi.*

1. Ad essentiam formæ baptismi habendam, tria distinctè explicari omnino debent. Primò, Actio exterior, seu actus ipse baptizandi. Secundò, Vnitas Dei. Tertiò, personarum divinarum Trinitas, quæ certè tria satis bene explicantur in communi, & consueta forma Latinorum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et in forma Græcorum, quam mox ponam *num.15.*

2. Illud (in nomine) aliqui dicunt significare idem, quod in invocatione, alij in fide, alij in virtute, id est in authoritate, & potestate: id quod, cum major explicatio ad Theologos, ut S. Thom. *3. p. q. 66. art. 5. ad 6.* alios que pertineat, innuisse sufficiat.

3. Et quidem, quoad valorem, in quacunque lingua proferri ejusmodi formam posse, diximus superius universaliter, *lib. 1. de Sacrament. in genere, cap. 1. initio.* Quoad licitum verò usum, Latinum vti forma Græca, Græcum Latina, esse mortale, docet Hurtadus *loc. cit. diff. 7.* negat tamen Valentia *apud eundem*, quia hæc censetur mutatio accidentalis, & levis momenti, quod certè probabile est.

4. Iam vero, quia difficile est aliquando cognoscere an, & quando verba æquivalentia, vel mutata, vel addita, vel corruptè prolata, ejusmodi sit ut formam mutent essentialiter, vel accidentaliter, atque adeo ut certo, vel non certo, vel etiam sub dubio sufficiant ad baptismi valorem, ideo breviter hîc suis sub classibus ea collecta subdam: quamvis circa idem aliqua docuerim, cum de forma Sacramentorum in universum disservi, *lib. 1. de Sacr. in gener. c. 2. §. 3.* quæ sanè erunt omnino recolenda.

### *Verba certa sufficientia ad formam Baptismi.*

5. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

*Nota, illud* Ego, *& illud* Amen, *non esse de essentia formæ. Immo, si citra contemptum omittantur, non peccari mortaliter, quia res est levis: ut habes apud Hurtadum de bapt. d. 1. diff. 7. vide etiam Leand. de bapt. d. 3. à q. 2. aliosque.*

6. Ego te baptizo in nomine Patris: Dei Filii: vel Christi, Dei Filii: & Spiritus sancti.

7. Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine [illegible] in nomine Spiritus sancti. Vel quod idem videtur, in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine [illegible] ritus sancti.

*Ratio hujus sufficientiæ est, quia sic ostenditur pluralitas personarum, non vero pluralitas Deorum. Ita Soto, Dicastillus, Henriquez, Corinch, Trullench, Bonac. Dianna p. 2. tr. 17. res. 15. Licet invalidam esse hanc formam vel saltem sub conditione repetendum baptismum, hanc formam collatum, dicant non pauci, ut Diana Summa Seraphica, Gesualdus, Medulla Theologiæ & Bonacina apud Dianam l. c. Sed ego sequor Dianam res, priore loco adductos. Et nihilominus propter ea dicenda sunt §. 2. num. 2. rectè sub conditione non repetetur Baptisma.*

8. Ego te baptizo nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii Sapientis, & Spiritus sancti boni [illegible] Paracliti.

*Nam illud in, de essentia non esse puto cum Hurtado de Bapt. diff. 7. & multis aliis contra alios putantes de essentia.*

9. Ego te baptizo virtute Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

*Ita Hurtadus ibid. contra Toletum aliosque apud eundem Hurtadum negantes.*

10. Ego te baptizo in nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii Sapientis, & Spiritus sancti Boni [illegible] Paracliti.

11. Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti.

*Nam illud (&) non esse de essentia puto cum Diana & G. Hurtad. l. c. & alios contra nonnullos apud eundem Hurtadum ibid.*

12. Baptizo te, vel baptizo hunc in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.

13. Ego te abluo, vel lavo in nomine, &c.

14. Ego Sacerdos: ego Petrus te baptizo in nomine, &c.

15. Baptizetur servus Christi, vel baptizeris, vel baptizetur hic in nomine Patris, &c.

*Adverte, Modum hunc esse Indicativum, ut nonnulli enunciant, vel esse Imperativum, ut nonnulli alii Hurtad. l. c. diff. 8. Theologi, eos proferre puto, & approbant. At vero nunquam deprecativi, ut mox dicam num. 28.*

*Adverte item, Valentiam, adductum ab Hurtado d. 2. Bapt. diff. 7. putare, solum venialiter peccari, si Latinus utatur forma Græcorum, vel Græcus forma Latinorum, sed ipsum Hortadum putare, peccari mortaliter. Nec horum: quia hic, ejusmodi mutationem magni, non seo esse momenti, at levioris illæ.*

16. Ego in nomine Patris, & Filii, & S. S. baptizo, vel in nomine Patris baptizato te, & Filii, & S. S.

17. Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filii, Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti.

18. Nos *auctoritatis gratia*, te baptizamus in nomine Patris, Filii, & S. S.

*Illud enim* Nos *in hoc loquendi modo idem significat, atque* Ego.

19. Ego baptizo vos, vel Dominationem vestram, Altitudinem, Excellentiam vestram in nomine, &c.

*Intelligitur enim ex usu loquendi persona ipsa vocanda.*

20. Ego baptizo servum Christi Ducem talem in nomine, &c.

21. Ego baptizo Petrum in nomine, &c.

*Nota in proximis tribus formulis, & similibus, non videri committi peccatum, nisi veniale, quia in his manet Consuetudinis Ecclesiæ non videtur gravis.*

22. Ego baptizo vos (si sunt multi in necessitate baptismi, ut in repentino naufragio) in nomine Patris & Filii, & S. S.

*Ratio sufficientiæ hujus formæ suppositæ sufficienti ablutione, est quia illum vos, etiam ex communi more loquendi significat, te, te, &c. ex S. Th. 3. p. q. 66. art. 5. ad 4.* Prædicta habes sparsim ex Doctoribus citatis, ubi agunt de Baptismo.

*Verba certò non sufficientia ad formam Baptismi.*

23. Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii & Spiritus sancti.
*Nam sic significatur pluralitas Deorum.*

24. Ego te baptizo in nomine Christi. Amen.
*Lege Bellarminum, l. 1. de bapt. à cap. 3. qui probat, Apostolos nunquam baptizasse sub hac forma,* In nomine Christi. *Quod si Actor. cap. 2. & alibi sic dicitur, sensus est, Apostolos baptizasse in virtute, & fide, & auctoritate Christi, id est Baptismo instituto à Christo ad differentiam Baptismi Ioannis Baptistæ. Vel sensus est, apponi consuevisse nomen Christi Domini in vera forma, in hunc modum. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Domini nostri IESV Christi, & Spiritus sancti. Prior interpretatio affertur à Sancto Basilio, Theophylacto, Damasceno: posterior à S. Cypriano, & Origene.*
*Scio S. Thom. 1. p. art. 6. ad 1. asserere, Apostolos ex peculiari concessione, sic baptizasse ut nomen Christi redderetur dulce, & amabile: Sed profectò magis animo sedent explicationes allatæ.*

25. Ego te baptizo.
- In nomine Dei. Amen.
- In nomine Trinitatis. Amen.
- In nomine trium Divinarum personarum. Amen.
- In nomine Omnipotentis, Sapientis, & Boni.
- In nomine Genitoris, & imaginis ejus, seu splendoris gloriæ ejus, & Doni, seu Flaminis.
- In nomine Patris Maioris, & Fili Minoris, & Spiritus sancti.
- In nomine Dei, & Sanctæ Crucis.
- *Incidi in quoddam manuscriptum affirmans: Bedam in c. 10. Actorum, & S. Bernardum Epist. 34. dixisse, hanc postremam esse formulam sufficientem. Sed nihil minus in locis, qui ab ipso citantur.*
- *Id tamen diserte S. Bernardus dicit in Epist. 340. Verum ejus sententiam sequi non possum & credere ipsum hac nostra ætate, quando res diligentius sūt disputatæ nobis cōsensurum. Id quod Sanctus Doctor innuit ipso initio prædictæ Epistolæ, sic enim præmittit, [ Breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præiudicio tamen sanioris sapientis.*
- In nomine Patris, & Filii, & gratiæ Spiritus sancti
- *Hanc omnino reiicit. Quintanadveñas de Baptism. sing. 5. n. 5.*

26. Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Virginis, & Sanctorum. Amen.
Quid si dicas. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac Beatissimæ Virginis, & Sanctorum.
*Respondeo, distinguendum esse. Si enim intendat baptizare, vel in nomine Virginis, & Sanctorum, vel in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti indivisibiliter cum Virgine, nullus est Baptismus. Si vero solum intendas implorare Virginis, & Sanctorum auxilium, validus erit, quia sic non mutatur essentialiter forma, sicuti contra, mutatur ex intentione præcedente. Ita Vasq. Suar. aliique apud Lean. de Baptismo, d. 3. q. 36.*

27. Baptizatur à Christo, vel à Deo talis servus Christi. Amen.

28. Baptizetur *deprecativè* servus talis Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
*Quando enim sic deprecativè dicitur, puta modo Optativo, vel etiam Subiunctivo, non adhibetur forma præscripta à Christo Domino, qui dixit Apostolis* Baptizantes eos, *id est, vos baptizate, quasi authoritativè, quamvis, ut Ministri, non vero, ut causæ principales.*

29. Ego baptizo in te nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
*Quia in ejusmodi transpositione mutatur forma essentialiter.*

30. Baptiza petrum servum Christi.
*Non sic, ne implicitè quidem subintelligitur legitimus Minister baptizans, qui idem debet esse, qui profert verba, & qui abluit.*

31. Ego intendo te baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
*Debet enim explicari actus baptizandi, non vero sola baptizandi intentio, ut rectè notat Sayrus l. 1. de Sacram. c. 4. artic. 4.*

32. Ego me baptizo.
*Debet enim esse persona distincta ea, quæ baptizat, ab ea quæ baptizatur.*

33. Denique, quando duo simul formam pronuntiant & simul abluunt, quid dicendum?
Respondeo. Si unus independenter ab alio, hæc duo ipse faciat, valide baptizat, quia sic adsunt omnia essentialia Sacramenti, ita tamen, ut solus ille verè baptizet, qui prius absolvit requisita, atque adeo qui posterior est nihil aget.

34. Quod si, posita dicta independentia simul absolvant, simul baptizabunt, ut puto, sicut in Missa Ordinationis omnes Sacerdotes consecrant, si simul consecrationis verba perficiant, & nihilominus hunc, ita baptizatum, esse sub conditione rebaptizandum omnino censeo.

35. Si vero unus dependenter ab alio baptizare intendat, erit Baptismus invalidus, quia sic falsa est forma, cum neuter per se auctoritativè baptizet. Vide G. Hurtad. *d. 2. de bapt. diff. 5.*

*Verba dubiè sufficientia ad formam Baptismi.*

36. Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis seu Spirantis ab utroque.

37. Ego te baptizo in nomine Vngentis, Vncti, & quo Vnctus est.
*Hanc formulam numerassem cum insufficientibus, sed quia ea posset colligi ex dictis à Beda in c. 10. Actorum, & Ambrosio, lib. 1. de Spiritu sancto, hic, eorum reverentia inseratur.*

Ego te baptizo.
- 38. In nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti.
- 39. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus. Amen.
- *Hanc formam certo sufficientem iudicat G. Hurtad. à prima de bapt. diff. 10. citans Vasq. mihi dubia est, quia non satis explicitè videtur significari Spiritus sanctus: nam & Angelus etiam Spiritus est.*
- 40. In nomine, Patris, & Verbi, & Spiritus sācti
- *Hanc sufficere, putat Bonacina de bapt. de prima q. 2. p. 4. n. 13. nequaquam sufficeret ait, Fillucius, apud Bonacinam ibid. Si, ergo dubia*
- 41. Cum nomine Patris, cum nomine Filii, cum nomine Spiritus sancti.
- *Quamvis hanc formam sufficere putent aliqui qui apud Dian. tract. 17. res. 15. quia censent illud* Cum *non extrahere formam in diversam significationem, tamen quia alii id negant, iudicantes, sic non exprimi, id quod exprimitur per illud* In. *Ideo securius adnumeretur cum formis incertis.*
- *Idem ergo erit si dicas* sub nomine Patris, &c. *vel* Per nomen Patris, &c.
- 42. Cum Patre, Filio, & Spiritu sancto.

In

In Deo Patre, vel in essentia Patris, vel in uno Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto.
In Patre Filio, & Spiritu sancto.
*In his proximis tribus formulis ambigo de Baptismo, quia per illas non videtur significari id totum, quod significatur per illud* In nomine, *ita Valentia, Coninch. apud G. Hurtadum loc. cit. diff. 7. eos citantem, sed non sequentem.*

33. Ego te baptizo. In essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

44. In uno Deo Patre, & Spiritu sancto, vel in unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vel per unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.
*Has approbat Vasq. & Laym. quos Castrop. citat, sequiturque de bapt. d. p. 5. n. 17. sed non acquiesco propter rationem proxime adductam. Sicut non acquiescit Valentia, & Coninch, adducti, sed non excepti à G. Hurtado de bapt. diff. 7. vers. Ex quibus.*

45. In Virtute, Autoritate, & Fide Patris, Filii, & Spiritus sancti.
*Forma hæc merito incerta est Valentiæ dub. 4. quæst. 1. p. 3. quia ejusmodi voces minus videntur significare, quam illud,* In nomine.

46. In nomine Spiritus sancti, Filii, & Patris.
*Hanc cum Castropal. l. c. ver. Quando autem; ideo incertam iudico, quia, non significat Spiritum sanctum, prout ipse est procedens, sed potius ut principium.*

47. In nomine Filii, Patris, & Spiritus sancti.
*Propter similem rationem modo dictam, ambigo item de hac forma, quia non significat Patrem, ut Originem, & Principium sicuti reipsa est.*

48. In nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti.
*Hanc, ut sufficientem affert Leander de bapt. d. 3. q. 13. quia putat sic, non mutari significationem formæ. Et quidē Græci qui ablativo carent,* In nomen *proferunt: licet in Syriaco sit in ablativo, ut notat Estius in 4. §. 6. Sed profectò non video, hanc esse certo sufficientem, non enim est eadem ratio in Græco, atq; in Latino. Illud enim εἰς τὸ ὄνομα, Græce prolatam eandem habet significationem quam habet Latinum illud.* In Nomine. *At hoc Latinum* In nomen *non videtur certo habere eandem significationem quam habet illud* in Nomine, *seu quam habet Græcum.* εἰς τὸ ὄνομα.

49. Ego te Tingo, Intingo, Mergo, Immergo, Aspergo, Aquam infundo, Balneo, Conijcio in aquam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
*Valde mihi incerta sunt hæ formulæ, quia per has non satis significatur ipsa ablutionis actio, & per postremas potius significatur ablutionis causa quam Ablutio.*

50. Baptizat, vel Baptizet, *imperativè* te Deus, vel Christus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vel Baptizaris, seu baptizeris, *item imperativè*, à Deo vel à Christo, in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.
*Has duas formulas ratas, ac legitimas esse pronunciat Suarez: sed negant Vasq. apud Castropalaum citatum, qui tamen Suarii sententiam amplectitur, nescio an meritò, quia sic non explicatur ipsa dictio Ministri.*

*Nona difficultas de collatione cujusdam Baptismi, ex patrio vocabulo apud Siculos orta.*

51. Quando forte confertur Baptismus Infanti, urgente mortis periculo in parturientis ædibus, solet in Sicilia vernacula lingua id sic explicari. *La Raccoglitrice, o vero la Mammona ingravatto il Fanciullo. Questo Fanciullo fu ingravatto in Casa*, &c. Neque unquam in alia occasione utimur hac voce *Ingravattare*, solum enim ea utimur ad significandum baptismum in praxi, circumstantiis, prædictoque modo collatum.

Quædam ergo Obstetrix in ea necessitate baptizatura, hac forma usa, per inscitiam, est. *Io Ti batto in nomine del Padre, e del Figlio, e dello Spirito sancto. Amen* Convaluit Infans, deque hac non certior factus Parochus, dubitavit, an validus Baptismus, multis ex Sacerdotibus Parochiæ consentientibus, fuisse legitimum, multis omnino negantibus, consentientibus tamen omnibus debere Infantem conditione iterum ritè baptizari; quod certè fecisset. Porro si ad te fuisset ejusmodi quæstio delata, in rumnam Sacerdotum sententiam suffragium, rogatus tulisses?

52. Ego profectò de hac re interrogatus, sic retulissem. Si illud *Ingravattare* idem esset apud Siculos, quod *lavare*, vel *abluere*, certa fuisset, & rata illa formula mi, puta idiomate patrio prolata. At non ita se habet. Nam *Ingravattare*, quantum ego, qui Siculus sum, gnoscere ex nostrate more loquendi possum, significat conflatum totius illius actionis baptizandi in re mortisque discrimine, privatim Domi, à non Parocho sine consuetis Ecclesiæ cæremoniis, &c. Non autem significat ipsum actum abluendi, sed potius id quod in pentina illa necessitate factum est. Prorsus, ac si dicam: Fuit hîc infans Christo Domino addictus, sine solemnitatibus Ecclesiæ. Sicuti ergo, qui sic baptizaret, Ego hanc actionem quam facio, te Christo addico, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, irritum faceret baptismum, quia non explicaret actum abluendi, quem debitè explicari omnino debere, nec solum implicitè significari dicimus *n.* 1. Ita in casu nostro.

53. Dices. At P. Franciscus Scorsus utriusque Linguæ Græcæ, & Hebraïcæ peritissimus, in suo Latio Christiano putat *Ingravattare*, deduci à verbo Græco βαπτίζω, quod significat *Lavare*, à quo etiam verbo, demta præpositione, deducitur βαπτίζω, quod ritè in hujus sacramenti collatione omnes usurpamus. Si igitur *Ingravattare* significat *Lavare*, aptissimum verbum erit forma baptismi.

Respondeo. Tametsi concederemus ejusmoditiam logiam, *quam certe ipse Pater Scorsus prudenter sibi habilitate dumtaxat approbat, quamque ex suo penu nullo duce, sed certe, me id ab ipso scisitante, promit demque, me rogante, in suo Latio scripsit.* Tametsi ethimologiam concederemus, nihilominus ex inquisitissima usurpatione loquendi Siculorum, non amplius ipsum abluendi actum, sed aggregatum modo explicatum, hac ætate significat nostratus, nihil præterea.

## §. VI. *Regulæ tres, quibus docemur, quando sub conditione reiterandus sit Baptismus.*

1. Prima Regula. Quoties collatus est Baptismus aliquo ex prædictis modis dubie sufficiens, erit necessariò sub conditione repetendus. Quod si latus fuerit, aliquo ex modis certò non sufficiente, erit multo magis repetendus, sed conditio apponenda non erit.

2. Secunda Regula. Quoties probabilem opinionem habes, sive ex iure, sive ex facto, te non esse baptizatum, toties licitè poteris sub conditione rebaptizari, toties obligaris. Ratio prioris partis hujus secundæ Regulæ est, quia iam habes prudentem, & rationabilem causam de carentia tui baptismi. Ratio posterioris est, quia potes sequi opinionem probabilem atque adeo probabiliter iudicare, te esse baptizatum. Ita Hurtadus *de bapt. diff. 2.* contra Ochagaviam. Lege item De Lugo *in 3. p. lib. 1. cap. 33.* fusè docentem, quando possis, non tamen obligeris reiterare baptismum.

3. Ex his autem vides, te posse rebaptizari, etiam in omnibus illis casibus, in quibus licet nos probabiliter dixerimus sufficientem esse materiam, vel formam

alii tamen probabiliter dixerunt, sufficientem non esse. At, ut obligeris non reiterare hoc Sacramentum puto, debere adesse certitudinem moralem validè iam collati baptismi, non vero probabilitatem quamcumque. Quæ autem ejusmodi moralem certitudinem pariant, mox separatim indicabo.

4. Tertia Regula. Quoties certus moraliter es, te esse baptizatum, si forte habeas aliquem levem scrupulum, vel suspicionem de carentia Baptismi, non poteris rebaptizari. Ratio est clara, quia imprudenter ageres. Exempli gratia. Si natus es inter Christianos, rebaptizari non debes, quamvis levem scrupulum habeas, te non esse baptizatum, quia, ut mox dicam, natum esse inter Christianos, facit certitudinem moralem baptismi, si alia valde urgens cõiectura contra baptismum non adsit.

5. Neque obstat quod apud Quintanad. *de Bapt. sing.* 8. ex Doctissimi cuiusdam consilio, fuerit iteratum baptisma cujusdam mulieris, quæ, quamvis nata, ac nutrita inter Fideles, tamen ex levissima suspicione timebat de suo Baptismo, sed propter ejusmodi timorem inquietissima vivebat, non obstat inquam, nam post multa ibi à Quintanad. in favorem hujus reiterationis illata, tandem sic concludit. Hæc sunt, quæ virum doctum hujus Fœminæ Baptismo conditionali annuentem, movere potuerunt: At Ego, nisi dubium, aut suspicionem prudentem ex defectu, vel materiæ, vel utriusque applicationis, intentionis, vel Ministri ortam deprehendam, iterationem, hanc consulere non auderem, sed nec eum in præsenti casu damnarem.

## §. VII. *Explicatur, quænam sit moralis certitudo de suscepto Baptismo.*

1. Esse natum inter Fideles, ut iam modo dixi, affert certitudinem moralem Baptismi. Nam natum inter Hæreticos, & ab illis fuisse baptizatum, valde probabile iudicio, posse rebaptizari, imo & debere, quando aliquæ sint circumstantiæ, in quibus suspecta sit sufficientia. Vide quæ dixi *lib. 1. cap. 1. §. 2. n. 7.*

2. Secundò, unus testis, de quo non sit probabilis suspicio mendacii, satis est, ut non rebaptizeris, si dicat, te certò scire, te esse baptizatum.

3. Tertiò, multo magis erit satis fides Baptismi, ex libris Parochi sumpta.

4. Quartò, expositi ad Hospitale, si schedulam habeant collo, *ut solet fieri*, appensam, qua significetur eorum baptismus, certitudinem habent moralem, unde non sunt rebaptizandi: nam, si habeant signum nondum collati baptismi, erunt sine conditione baptizandi: Quid si nullum habeant signum? baptizandos esse sub conditione puto: quia tunc magna est suspicio nondum suscepti baptismi.

5. Scio Quintanad. *l. c. sing. 9.* censere, omnes Infantes inter Catholicos ubicumque expositos, etiam si habeant scripturam collo appensam, testificantem eorum baptismum, esse sub conditione rebaptizandos. Sed ego adhæreo communiori opinioni, & communi nostrarum Regionum praxi. Concederē nihilominus posse, sed non obligari, idque propter modo dicta §. *præced. num. 2. & 3.*

6. Is autem Auctor, quia degebat in iis locis, ubi non pauci olim vixerunt Mauri, & Saraceni infideles, quorum scripturis non erat fidendum, ideo universalem illam doctrinam docuisse videtur.

7. Quintò, qui à peritis Obstetricibus, vel Parentibus, propter instantem necessitatem fuit privatim baptizatus, habet sufficientem certitudinem, quare non est rebaptizandus.

8. Vt autem comprehendatur, an sint peritæ, sunt diligenter examinandæ, præsertim in quatuor. Primò, quam formam pronuncient. Secundò, quam, & quantam aquam infundant. Tertiò, an simul simultate morali à nobis libro primo explicata, formā proferant, & abluāt. Quartò, quam intentionem habeant. Quare si in ejusmodi examine inveniatur, nihil substantiale defuisse, non erit, ratione Obstetricum, locus renovandi Baptismi, si secus, erit. Lege quæ dixi vniversaliter *lib. 1. cap. 1. §. 1.*

9. Quintanad. *loc. cit.* sibi similis nimis est facilis in concedenda, & præcipienda hac iteratione illis, qui sunt ab Obstetricibus baptizati, fortasse, quia in ejus Regionibus frequentes erant imperitæ, & fortasse infideles Obstetrices, at in nostris, vbi hoc munus non exercent, nisi approbatæ ab Episcopis, tanta facilitas vel obligatio non est inducenda.

10. Inquires, hac occasione, peccántne mortaliter dictæ Obstetrices, si nesciant formam, & modum baptizandi?

Respondeō ita cum Navarr. Henriquez. Tol. Reginald. Grand. *apud Leandr. de Bapt. d. 4. q. 33.* Ratio autem est quia quilibet debet scire, quæ ad suum officium pertinent. Aliqui *apud dictum Leandrum*, qui hoc peccatum in Obstetricibus non agnoscunt, dicunt, Obstetricis officium non esse, baptizare: Sed non placent, quia Charitas dictat quemlibet debere juvare proximum ad salutem consequendam, saltem quando commode, & facile potest: At, quæ major facilitas, quam Obstetricem, cui sæpe accidit, posse salvare Infantem, discere modum baptizandi? Adde, tanto majus fore, earum peccatum, si sint imperitæ, quando cum ea imperitia, si suum non est munus baptizare, baptizent tamen, & infantem in re tam gravi decipiant.

## §. VIII. *Quid observandum in dicta repetitione Baptismi.*

1. Vniversaliter adverte, quando rebaptizatur adultus sub conditione, debere ipsum si de mortali sit sibi conscius, se disponere per contritionem, vel per attritionem, *non autem necessario per Confessionem Sacramentalem*, ut nimirum sic obicem gratiæ amoveat, sed insuper adverte, suscepto jam certo Baptismo, eundem ut refert Quintanad. *l. c. sing. 16. & 18.* debere ea peccata ante hoc certum baptismum, & post illud dubium commissa, aperire Confessario, & sub conditione Sacramentalem absolutionem recipere, ut si forte primus Baptismus fuit verus, servetur præceptum Christi Domini, quo jubemur omnia mortalia post Baptismum commissa clavibus subjicere.

2. Præterea pro praxi dicti Baptismi conditionati, nota sequentia. Primò, illud posse conferri domi, vel in quocumque loco privatim, immo occultissime solum cum solo. Secundò, posse à quopiam, sed certe perito, etiam si facile possit haberi Sacerdos. Tertiò, non esse adhibendum Patrinum, *potest tamen*; nec si adhibeatur contrahi cognationem spiritualem. Quartò, non esse necessarias alias Ecclesiæ ceremonias. Ratio omnium horum est, quia solemnitates loci, Ministri &c. sunt institutæ solum pro Baptismo absoluto, non verò, pro conditionato. Ita Quintanadveñas.

3. Scio aliquos, inter quos est Perez *de Matrim. d. 29. sec. 3.* in Tertio ex his superaddere distinctionem. Dicunt enim, si forte post dictum conditionatum Baptismum, inveniatur primum baptismum fuisse validum, Patrinum baptismi conditionati non esse verum Patrinum, nec cognationem contrahere, si tamen illud inveniatur fuisse invalidum, tunc Patrinum dicti baptismi conditionati esse verum Patrinum, quia iam is suscepit baptizandum in vero baptismo. Scio inquam id: Verum ego nunquam fieri verum Patrinum in Baptismo conditionato sustineo cum Quintanadveñas, quia hæc Patrini solemnitas, ut & aliæ non sunt institutæ, nisi, ut dictum est, pro Baptismo absoluto. Quare, nec inter baptizantem, & baptizatum oriri tunc cognationem, puto cum Quintanadveñas *d. singul. 18. num. 2.* licet oriri putet ex Dicastillo Diana *part. 11. Tractat. 8. resol. 57.*

## CAPVT II.

### *De Ministro Baptismi.*

#### §. I. *Quisnam sit, præscindendo à casu necessitatis.*

1. MInister Ordinarius Baptismi est Sacerdos, & quidem proprius, ideſt Parochus.

Hinc, non solum Laicus extra necessitatem baptizans, peccat, sed etiam alius Sacerdos, quamvis hic sit Parochus alterius Parochiæ, nisi de licentia Episcopi, qui certè est supremus Parochus suæ diœcesis, vel de licentia proprii Parochi, quæ sola sufficit, neque enim ad Baptismum requiritur approbatio Episcopi, sicuti requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

2. Inquires Qualenam est hoc peccatum? Respondeo, cum Navarr. *cap.27.n.7. ex c.interdicimus 2.q.p.* Castrop. alios citante *de bapt.disp.unic.p.q.n. 2.* & G. Hurt. *d.2. de bapt.diff.2.vers.Diaconus ergo*, esse mortale ex genere suo, & contra iustitiam, quia agitur contra officium alterius, nisi excusetur baptizans, à licentia præsumpta Parochi, quæ certè sufficit.

3. Dixi *ex genere suo*, nam si fiat semel, aut bis, non contradicente Parocho; seu non multum ipso de hujusmodi collatione laborante: videtur esse parvitas materiæ, adeoque ad summum veniale.

4. Inquites iterum. Vicarius Generalis potestne sine peccato baptizare oves Parochi suæ diœcesis, aliisque licentiam hanc concedere, contradicente Parocho? Præscindimus autem ab eleemosyna, quæ fortè ex lege, vel consuetudine cedit Parocho ex collatione baptismi, ea enim omnino Parocho semper debetur.

5. Respondeo ex speciali Episcopi concessione data circa baptismum suo vicario, posse sine dubio. Nam sicut potest ex se Episcopus, quia, ut diximus, est supremus Parochus, ita potest eam potestatem aliis delegare.

6. At ex sola Vicariatus constitutione, quid dicendum? Respondeo. Colligo ex Baboſa *de potest. Episc. p.3. Alleg.54.* posse. Is enim docet, vicarium ea non posse sine speciali commissione quæ propter rei gravitatem indigent speciali concessione. At non est tanti Baptismum conferre, licentiamque ad illud conferendum dare. Et quidem idem ibidem ponit per extensum quadraginta novem casus, in quibus dictus Vicarius indiget prædicta peculiari concessione, inter quos, ille, de quo agimus, nequaquam adest.

7. An religiosi ex privilegio possint extra necessitatem baptizare sine Parochi licentia, vide Castropalaum *de bapt. d. unic.p.9.n.3.* qui cum Suario docet, solum eos posse in terris Infidelium, ubi nondum fundatæ sunt Ecclesiæ. Extra necessitatem ergo Religiosi nequeunt sine licentia Parochi baptizare solemniter, sicuti nequeunt cæteri Sacerdotes, cum ejus autem licentia non peccabunt contra ius Parochi, sed tamen peccabunt, quia iis prohibitum est in Sacris Canonibus. Verum contra hanc prohibitionem ire, non peccare eos nisi levissime venialiter, & facile posse excusari ex sola voluntate Patris, id est ex devotione à Religioso petentis, fuse probat Quintanadveñas *de bapt.sing.ult.* An iidem possint esse Patrini, dicam loco suo infra *c.4. §.2.c.20.*

#### §. II. *Minister Baptismi in casu necessitatis.*

1. IN necessitate, hoc est, quando est periculum, ne quis absque Baptismo decedat, quod periculum Medici, vel Obstetrices, vel vir prudens cognoscere debet, *nec tamen scrupulose, quia quilibet rationabilis timor mortis sufficit, ut benignissime docet Quintanad. de bapt.singul.20.* in necessitate, inquam, quilibet quemlibet baptizare licite valet.

2. Docemus tamen hunc ordinem esse servandum, ut scilicet absente Parocho, hoc Sacramentum administret Sacerdos quicumque, hoc absente, Diaconus, tum Subdiaconus, tum Acolitus, tum Exorcista, tum Lector, tum Ostiarius, tum demum Clericus primæ tonsuræ. Quod si nullus his præsto sit, administret homo quicumque, tum Fœmina, ultimo Hæreticus, Infidelis, Judæus. Ita Sanct. Th.3.p.q.67.art.p.& deinceps, aliique passim. Laicum non excommunicatum præferri debere excommunicato, imo, & Sacerdoti excommunicato, tum non tolerato, tum tolerato, docet G. Hurt. *de bapt.d.2.* Vgolin. *ap. Leandrum de excommunic.d.5.q.8.* De Lugo *de pœnit.d.18.n.57.* contra Suar. & alios pro illo articulo, æque est Minister non excommunicatus, atque excommunicatus.

3. Circa prædicta sunt adnotanda tria. Primò hanc ordinem, non videtur (teste Soto in *q.un, art.5.* Valentia *dub.4. q.2.p.p. vers. quarto* & Bonac. multos citans *d.2.de bapt.q.2.p.* gravis, præscindendo ab alio inconveniente si Hæreticus præferretur Catholico cum periculo conferendi invalide Baptismum, etiam inconveniens, ait, Val. *l.c.* occurreret, si laicus inferior vellet præferri Sacerdoti volenti baptizare, enim peccaret mortaliter laicus, seu inferior, sit proprium Sacerdotis munus, licet non cum officii proprietate, ut quando ipse abest, vel vacat, possit alius ministrare. Quidquid sentiat Castrop. *d. unic.p.q.n.10.* qui in hac administratione posse Sacerdotem putat, semper esse mortale.

4. Quæres. Si adest mulier v.g. quæ probabiliter caretur esse in statu gratiæ, adesset autem & vir Sacerdos, qui ob publicum ejus concubinatum taretur esse in mortali, esset ne in actione prædicta zandi, præferendus vir seu Sacerdos iniustus, iustæ? Respondeo cum Filiuc. hic *de bapt.* præferendus. Cum enim ministrare in mortali hoc Sacramentum vatim, & sine solemnitate, non sit mortale, ut supra mus *l.p. de Sacr.in gen.c.2.§.3.* non est, unde dictus legitimus sit prævertendus.

5. Secundum. Non solum est congruum, sed omnino est, Superiorem cedere ejusmodi officium riori, virum v.g. mulieri, quando inferior est peritior baptizandum, ut nimirum sic securius conferatur necessitatis Sacramentum.

6. Tertium. Qui baptizat in necessitate, contrahit gnationem spiritualem cum baptizato, & cum ejus tibus, qui etiã tum, vere baptizat excipe quod dicam

7. Atque in hoc adverte notabile differmen. Nam baptizat in prædicta necessitate Filium legitimum, non contrahit cognationem cum uxore sua, tamen debitum petere, quia sic manifeste disponitur in *C.ad Limina 30.q.p.* id quod cum G. Hurt. *de matr. diff.6.fine.* intelligo, etiam si alii adsint, qui possint tizare, esto Sanch. *l.7.matr.d.57.* putet contrahere do alii adsunt.

9. Dixi *Filium legitimum.* Si enim Pater baptizet lium suum natum ex sua Concubina, & confessione non legitimum, ita contrahit cognationem spiritualem cum illa, ut non possit eandem ducere in uxorem. Lugo Sanch. Henriq. aliósq; quos citat, sequiturque Bonac. *de matr.p.5.§2.n.11.* Ratio hujus doctrinæ inde ducenda quia Regula generalis est, ut contrahatur dicta cognatio inter baptizãtem, & parentes baptizari, & solùm in prædicto iure, *Ad limina* excipitur baptizans in necessitate suum filium susceptum à sua coniuge. *Et propter paritatem rationis, Filium ejusdem suæ coniugis quamvis non suum quam Siculi appellamus.* Figliastro, *ut manifestè colligitur ex dicto c. ad limina.* At illa Concubina, Coniux non est.

10. Quæ

10. Quæres. Si Pater, vel Mater baptizent proprium filium, vel filium legitimum alterutrius extra necessitatem, privanturne jure petendi debitum conjugale?

Respondeo. Quamvis mortaliter peccent, quia faciunt contra Sacros Canones adductos ab Hurtado, *de matr. d.10. diff.6.* tamen non privantur dicto jure ex probabili opinione, quam contra communem sequitur, & probat idem Hurtadus. Summa autem probationis est, quia si aliquis Canon eam privationem præcipit, jam, fuit à Canonibus posterioribus correctus. Idem propter eandem rationem dicemus infra *c. 4. §. 2. n. 17.* si Pater, & Mater sint Patrini suæ propriæ sobolis.

### §. III. *De obligationibus Ministri Baptismi, quando is confertur extra necessitatis articulum.*

1. Minister quando extra necessitatem baptizat, baptizare obligatur cum solemnitatibus ab Ecclesia institutis: qui secus facit, peccabit ex genere suo mortaliter: Nec Minister solum, verum etiam ipse baptizandus, si sit adultus, & quicumque alius, qui sit causa omissionis hujusmodi. Ratio est, quia sic fieret contra Sacros Canones. Clem. *unic. de Baptismo.* & contra graviter Ecclesiæ in re ex se gravi. Ita Leand. *de bapt. d. 4. q.6.* plures adducens, contra admodum paucos

2. Solemnitates breviter collectæ, quas pluribus explicat Castropalaus *de Bapt. d. unic. p.12.* hæ sunt ex Rituali Romano.

I. Adhibenda est aqua naturalis, non tamen quælibet, sed benedicta in Sacro Fonte.

II. Adhibendus est Patrinus.

III. Imponendum nomen.

IV. Facienda professio Fidei, seu publica recitatio Symboli Apostolici.

V. Impressio signi Crucis in fronte, & pectore baptizãdi.

VI. Abjuratio Dæmonis, & trina insufflatio.

VII. Appositio Salis exorcizati in ore baptizandi.

VIII. Terna Tinctio auriũ, & nariũ ejusdem cum saliva.

IX. Impositio manus Sacerdotis super caput ejusdem, & Benedictio.

X. Unctio pectoris, & scapularum ejusdem cum Oleo benedicto.

XI. Unctio verticis ejusdem cum Chrismate, & quidem illius anni, nisi necessitas cogat.

XII. Cooperatio dicti verticis jam uncti cũ veste cãdida.

XIII. Porrectio cerei accẽsi ipsi iã uncto, & siccooperto.

XIV. Hæc debent fieri in Ecclesia.

XV. Sacerdos debet esse vestitus Superpellicio, & Stola.

3. Porro, citra contemptum, & grave scandalum unum, vel alteram rẽ ex his levem omittere, esset veniale; omnes, vel gravem aliquam, mortale profecto esset, licet benignius loquatur Possevinus, quem refert, & non reiicit Medulla Theologica, *In tractatu de Bapt. dub. 5. num. 5.*

4. Diximus autem supra *c.1. §.2. n.2.* uti aqua naturali, sed non benedicta, non esse mortale ex probabili sententia, omittere autem Patrinum esse mortale dicemus infra, *c.4. §.1. n.2.* quando baptismus confertur solemniter extra articulum mortis.

5. Sed quid de loco? Respondeo, Qui sine necessitate aliquem baptizat extra Ecclesiam, domi, v.g. vel etiam in Oratorio privato, peccat mortaliter. Ita Suar *de bapt. d.3. sect.2.* gravis est, secundum Quintanad. *de bapt. sing. 15.* Castrop. *l. mox citando n.16.*

6. Non te prætereat tamen, in jure concedi, ut Liberi Regum, vel Principum, baptizentur in domo privata, sed intellige ex Suario *l. c.* in privato Oratorio, & cum solemnitatibus consuetis.

7. Sed quis censendus erit Filius Principis? Respondet Suarez citatus his verbis Glossa lata disputat quisnam nomine Principis comprehendatur, & adductis variis juribus concludit, illa voce plus videri significari, quam nomine Ducis, vel Marchionis. Quod videtur verum, quando hi non sunt supremi, sed sub Regibus constituti. Solum igitur posse vel hoc Privilegio Reges, vel alij supremæ Potestatis, qui fere Regibus æquiparantur. Hæc Suarez, Glossa autem ibidem addit, *Regis, vel Principis Filios & Nepotes*, quo pacto intelligerẽtur omnes descendentes per lineam rectam, qui nomine Liberorum veniunt. Nunquid ergo in infinitum? Nequaquam puto, sed solum, donec Regia Majestas, Regiusque decor in Nepotibus conservatur. Sic enim ex intentione Legislatoris interpretari. Privilegium in hoc omnino debemus. Lege Quintan. *de bapt. signif. 21.* qui adhuc benignius loquitur, cujus tamen benignitatẽ sequi nolo. Denique nota non esse, ut legere est in Med. Theol. *de Bapt. c.1. dub.5. n.6.* Bon. Coninch. & Henr. *apud Castrop. mox citandum*, probabiliter, repetendas prædictas ceremonias, si forte Baptismus solemniter celebratus comprehendatur fuisse nullus: sicuti etiam supra diximus, non esse eas iterandas, si quando quis sub conditione est rebaptizandus, tunc enim satis, superque erit, ipsam solam substantiam Baptismi, etiam secretissime, repetere, esto Castrop. *de Bapt. disp. unic. p.12. n.23. & 24.* puter, in priore casu ex prædictis esse repetendas.

Quod si ob necessitatem Domi, sine dictis solemnitatibus fuit Baptisma collatum, oportere eas in Ecclesia suppleri, docet cum multis Castrop. *l.c. n.22.* sed sub qua culpa, non explicat, Quintan. tamen *de bapt. sing. 8. n.4.* citans Sotum, Vigheriũ, Zambran. & alios, dicit, hanc esse culpam mortalem, nisi forte aliquod in iis supplendis, scandalum, vel grave damnum timeretur. Invenio nihilominus aliquos ut Caër. *apud Quintan. l.c. & Med. Th. d. bapt. c.1. dub 5. n.5.* citant Possevinum & alios dicentes præciso contemptu, esse tantũ veniale, illas non supplere.

## CAPVT III.

### *De subjecto Baptismi.*

1. Quæ hic ad praxim faciunt tria sunt omnino, Primùm pertinet ad infantes, qui nascuntur à Fidelibus. Secundum, ad infantes, qui nascuntur ab Infidelibus. Tertium ad adultos rationis compotes, Amentes à nativitate inter Infantes connumera, ac propterea more Infantium baptizandos. Lege Castrop. *de bapt. d. vn. p.6. num.15.* Hurtad. *d.3. de bapt. diff.2.*

### §. I. *De Baptismo Infantium, qui nascuntur à Fidelibus.*

1. Hi statim sunt baptizandi. Et quamvis nullum videatur adesse præceptum, quo teneantur Parentes, vel curam Infantium habentes, eos statim baptizare quando nullum apparet periculum decedendi sine Baptismo, tamen, ex receptissima, gravique Ecclesiæ cõsuetudine, sub mortali obligantur non valde differre.

2. Sed quantum est hoc valde? Respondeo. Bonacina *d.2. de bapt. q.2. p.2. n.6.* citans Val. Henriq. Vasq. putat dilationem trium, vel quinque, vel plurium dierum non esse mortale, additque in hunc modum. Immo absolute Baptismum differri posse, nonnulli docent, dum rationabilis causa subest, nec imminet mortis periculum *ut hic semper supponimus*, nec forte in ea Diœcesi adsit peculiare præceptum.

Ochagavia *quæst.18. num.3.* differri posse ait, ad arbitrium prudentis, cum non sit definitum ab Ecclesia, quo die sit conferendus, cavendum tamen esse, ne nimium sine causa differatur.

Bartholomæus Bar. Led. *diff.14.* quem sequitur Leand. *de bapt. q.14.* ait, posse differri in diem octavum, immo, usque ad decimum, vel duodecimum Petrus de Ledesma *c.17. de bapt.* censet quindecim, aut viginti dies differre esse nimis, atque adeo mortale sine urgenti causa.

Ex his placitis elige tibi, quod probabilius in circumstantiis, in quibus casus occurrerit, apparebit.

3. Ad subjectum Baptismi pertinet, an Multi valide, & licite simul, ideſt per unicam formam, (posito, quod singuli abluantur) baptizentur, vel unus à multi, sed

quia hi sunt casus raræ praxis, videantur apud S. Th. *qu.66.ar.5.ad 4.* ibique commentatores Suar. *de Sacra. d.23.sec.3.* Castrop. *de bap. d.un.p.9. à num.14.* G. Hurtad. *de bap. d.2. à diff.6.* & alios Doctores: nobis sufficiant, quæ de his diximus supra *c.1.§.5.à n.33.*

Præterea, qua ratione sint baptizandi, quando duo Gemelli ita iuncti nascuntur, ut non appareat, sitne una, an duæ personæ, vel quando non apparet, vitamne habeat proles, an sit monstrum, diximus *lib.1. in Decal.c.3.§.7.V.Baptismus.*

## §.II. *De Baptismo Infantium natorum ab Infidelibus.*

1. Regula generalis. Licet nequeant, utroque parente refragante, Infantes Infidelium baptizari. ut mox dicemus *num.8.* baptizari tamen possunt, altero ex parentibus consentiente, etiam si hæc sit Mater. Debet tamen tunc puer tradi curæ Parentis consentientis.

Hæc Regula colligitur ex iure *C.2. de conver. Infidel.* & fulcitur ratione, quia Religionis, & Filii bonum præferendum est Iuri, quo Pater potitur in Filium. Et certe Greg.XIII. vt refert Valentia *d.4.q.3.p.3.vers. Quarto dico.* decrevit aliquid fortasse difficilius, idest, ut baptizaretur Puer, quem Avus paternus volebat baptizari, invita Matre Iudæa.

2. Hinc Primò possunt baptizari Infantes, qui longissime absunt à parentibus Infidelibus, & amplius ad eos transmitti non possunt. Ita Scotus *in 4.dist.5.q.vn. ar.10.* & Caëta. *3.p.q.68.ar.10.*

3. Hinc Secundo, non licet baptizare Infantes invitis Tutoribus Infidelibus, quando illi sunt parentibus orbati, quia ex iure naturali Tutores succedunt Patri, quando eos Pater constituit, sicuti eidem Patri, ex eodem Iure succedit Avus.

4. Quando autem Tutores Iure civili sunt constituti, iidemque subjecti sunt Principi Christiano, possunt prædicti Infantes baptizari, etiam Tutoribus hujusmodi invitis, quia tunc Princeps posset privare potestate illos Tutores, eamque sibi assumere, vel alteri Tutori Christiano dare, & consequenter Infantem baptizare. Curare tamen tunc Princeps debebit, ut puer ab Infidelibus separetur, ne periculum subeat deserendi fidem, ut notat G.Hurtad. *l.mox.citando.*

5. Hinc Tertio, secundum G. Hurtad *d.3.de Bapt. diff.4.* & Castrop. *de Bap.de.vn.p.6.n.9.* Infantes Filij Hæreticorum possunt, invitis parentibus, baptizari, quia eorum parentes, vtpote per Baptismum subditi Ecclesiæ, possunt cogi ad servanda omnia præcepta Naturalia, Divina, & Ecclesiastica, quare cogi possunt ad servandum præceptum hoc de Baptismo: Si tamen adsit periculum subversionis, debebunt ab illis evelli filii.

6. Si vnus tantum ex dictis Hæreticis parentibus sit baptizatus, idem dic, quia in hoc satis est, si alteruter ex parentibus sit subditus Ecclesiæ, possitque ab illa cogi.

7. Sed quid agendum, si ejusmodi Infans non possit à parentibus Hæreticis separari?

Respondet Suarez *apud Castr. mox citandum*: tunc non esse baptizandum ne scilicet grave damnum potius Infans suscipiat à parentum consortio quam emolumentum à Baptismo. At Layman quem citat, sequiturque Castr. *de Bap.d.vni.p.9.num.10.* putat baptizandum esse, quia dictum periculum incertum est: nam fortasse puer morietur ante vsum rationis; & quando erit ætate grandior, facilius revocabitur ab infidelitate, cum primum sciet se Sacro Baptismate consignatum. Vtrumque probabiliter ratiocinari, merito pronunciat Leander *de Bap.d.5.quæst.8.*

8. Hinc Quarto, Infantes parentum Infidelium, qui parentes sui juris sint, nec vllo modo subjecti Principibus Christianis, non possunt parentibus vtriusque invitis baptizari. Ita Suarez *de Sacr.d.25.sec.3.initio.* & G. Hurtad. *de Bap.d.3.diff.4 initio* dicentes nullum Theologum se invenisse, qui contrarium doceret, cujus dictio illa nobis sufficiat, quod nunquam id constiterit ab Ecclesia, immo in Sacris Canonibus C. Majores *Bapt.* C. Iudæis *eod.* prohibuit, ne parentibus invitis baptizarentur Infantes Infidelium, solum civiliter subjectorum Ecclesiæ.

9. Excipio, ut G. Hurt. *de bap.d.4 diff.4.v. Observandum* citans *Vasq. & Coninch.* si quando infans præviderit moriturus, tunc enim non est morale periculum, quod parentes eum revocent à fide, nec aliud sequitur inconmodum, si caute, ut supponimus, Baptismus ipsi, parentibus nólentibus, conferatur. Addit autem Castropalaus *d.vn. de Bap.p.6.n.16.* in extrema vicinæ mortis necessitate, etiam si timeas à Patre ægrè id ferendum, & Filium Sacrilegiis, & falsitatibus: si fortè, vixerit, contemnendum; adhuc posse te, illum baptizare; nam si poteris illum separabis à Patre, si non poteris, ipsi patri imputabuntur ea sacrilegia, non tibi, qui ab illa necessitate Baptismatis excusaris.

10. Dixi autem modo (nullo modo subjecti) & Sotus Canones dixerunt, (tolum civiliter subjectorum Ecclesiæ) Nam, si parentes sunt Mancipia, seu vere servi Christianorum, potest, ut ajunt Durand. & Vasq. quos refert G.Hurt. *l.c. diff.* Dominus baptizare eorum infantes filios, invitis parentibus, siquidem servi magis subsunt Domini sunt, quam sub cura Parentum.

11. Addunt aliqui. Principes Christianos posse baptizare Infantes Turcarum quamvis nondum Monarchæ etiam parentibus repugnantibus, quia sicuti adversus illos, dicti Principes justum bellum gerere eosdemque occidere, propriisque bonis spoliare possunt, ita, & eorundem filios ab ipsis avellere, ut certe post Baptismum facere oportebit, eosque in Fidei Mysteriis instruere. Recte igitur Doctores citati reiiciunt Sotum *in 4.dist.* dicentem, non licere Domino eo solo fine separare parvulum à patre, ut ille baptizetur.

12. Denique bene advertunt hic Vasq. & Sotus apud *G.Hurtad.l.c.versic. sed quæres.* Iudæos, in terris Christianorum degentes non esse servos sed concives: quare cum eorum Infantibus non erit agendum, nisi eo modo, quo diximus *num.8.* cum civiliter subjectis.

13. Sed adhuc inquires. In casibus prædictis, in quibus posiùt Domini baptizare prædictos Infantes, obligantne?

Respondeo. Ita profecto per se loquendo, sic dicente Charitate, seu Misericordia.

14. Dico tamen (per se) excipere enim debemus casum, quo quis excusaretur ab aliquo gravi incommodo, quod ex ejusmodi Baptismate conferendo sequeretur, judicet prudentis Theologi expendendum.

15. Supersunt duæ prædictæ difficultates, licet minus frequentes enodandæ.

Quæri enim primo potest, An, si dubitetur de validitate ablutionis pueri, ipse autem Baptismum deposcat, iterandus vtroque Parente. An inquam, baptizari licite possit?

Respondeo, me de hac difficultate, *Li.p.in Decalogo §.3.V. Baptismus, n.3. & 4.* plenè dixisse.

16. Quæri Secundo potest de eo casu, qui superioribus annis agitatus est Melitæ in nobilissimo Milite Hierosolymitarum Concilio.

Inter divitè, & pinguem prædam qua semel prædictorum Militum Triremes potiti sunt, dû strenuè, ut fidelium prælliantes, ingens Turcarum navigium expugnant, adfuit infans à mammis, adhuc nutricis pendens, Regio genere, ut dicebatur, enatus. Pater ergo, qui certe locupletissimis instructus erat divitiis, ut infortunij munera accepit, per fidos legatos, Magnum memorati Ordinis Magistrum, oblato ingenti in redemptionem pretio, exoravit, ut infantem filium suum Vnigenitum, ut dicebat, remitteret ad patriam. Nam propterea quæritur, an licite potuisset Infans ad patrem Infidelem remitti cum certo ipsius animæ irreparabili detrimento? Nam se enim non remitti, jam ex se patet.

17. Respondeo? Si mihi hæc quæstio proposita fuisset, affirmassem, esse probabile, licitè potuisse remitti, non quia

quid tunc dictum à Theologis fuerit, prorsus ignoro,) quia puto esse probabile, Christianos posse licite reddere Infantes non baptizatos, accepto pretio, à parentibus oblato.

Primo, propter maiorem libertatem, & honorem Religionis nostræ, & Baptismi reverentiam.

Secundo, quia videretur Ecclesia uti mediis fere violentis, & valde extrinsecis ad fidem propagandam.

Tertio efficacius, quia infideles etiam retinerent infantes Christianos captivos, si ipsis negari suos Infantes, præsertim adeo ab iisdem expetitos, experirentur.

Quarto, quia Dominus subiret onus illos alendi, & educandi, nec eos vendere regulariter posset, quo pacto essent magno sumptui, & labori iis, qui in illos dominium habent: Charitas vero non videtur cum tanto incommodo, & onere obligare, dum infans non est in extrema necessitate, hoc est in articulo mortis constitutus. Ita Suar. *apud Bon, mox citandum.* Quod si in hoc, ii, qui remittunt, videantur cooperari cum peccato Infidelium Parentum, tamen excusantur, quia ex una parte vendere, seu restituere Parenti, filium, non est res intrinsecè mala, & ex alia, satis prædicta incommoda vendentem excusant, & sic mala sequentia merito solis parentibus Infidelibus imputantur.

18. Quæ dixi, didici ex Suar. Henriq. Vasq. & aliis quos citatos, sequitur Bon. *d. 2. de bapt. q. 2. p. 6. num. 14.* Cæterum huic sententiæ G. Hurt. *disp. 3. de bapt. diff. 5. sect. ita tamen.* Non videtur assentiri, absolute enim edicit, ex Misericordia teneri Dominum, ad non restituendos Infantes parentibus Infidelibus.

19. Post hæc præscripta incidi in Castrop. *de Bapt. d. unic. p. 6. n. 20.* qui sic habet. Præterea consuetudine introductum est, super parvulos Saracenorum, immo Hæreticorum, captivos vendi, & restitui parentibus, nullo collato Baptismo, ne ab ipsis Catholicorum filii detineantur, cum gravi Apostasiæ periculo.

### §. III. *De Baptismo Adultorum, ubi de obligatione, quam habet Adultus baptizandus, sciendi Mysteria, & Præcepta Fidei.*

1. CVm adultus in Religionis electione sit maximè sui iuris posse, imo & debere, quibuscumque contradicentibus, baptizari, nimis est certum. Solum igitur hic agamus de dispositione, quam ad Baptismum afferre is debet: quæ certe quatuor importat.

Primò, intentionem suscipiendi hoc Sacramentum.

Secundò, actum saltem Attritionis, quo à se removeat obicem peccati.

Tertiò, cognitionem Mysteriorum Fidei.

Quartò, similem cognitionem Præceptorum ab ipso deinceps servandorum.

Quoniam vero de primis duobus alibi dictum est satis *lib. 1. de Sacram. in genere*, nunc breviter de Tertio, & Quarto aliquid delibemus.

2. Quoad Tertium, ergo. Extra mortis articulum, esse mortale, Adultum aliquem baptizare, vel sinere, se baptizari, nisi pro sua capacitate cognitionem habeat Mysteriorum Fidei: nam ea debet credere, iuxta illud Matth. 11. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* At credi non potest id, quod nescitur.

3. Ea vero, quorum cognitio necessaria est, sunt. Quod Deus sit unus, & trinus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Quod idem Filius Dei, ut nos salvaret factus sit homo, mortem sit passus, resurrexerit, vivatque nunc gloriosus in Cœlo, venturúsque sit in mundi fine, præmium æternum, hoc est beatam vitam Bonis, & Delibus redditurus, æternam pœnam Malis: ad quam beatam vitam pervenire non possumus sine fide, & absque observantia præceptorum Christi. Quæ omnia debet Adultus credere, tanquam à Deo, qui fallere, nec falli potest, revelata. Debet item credere per baptismum, se obtenturum gratiam, & amicitiam Dei, ut nimirum sciens, & prudens, se, saltem ad Attritionem disponat, illamque velit. Recte autem notat Quintanadveñas *de Baptism. sing. 15. num. 4.* in intentione Baptismum suscipiendi involui hoc ultimum; intentio enim suscipiendi Baptismum nulla esset, si Baptismi effectus, si est amicitia, seu reconciliatio cum Deo nullo modo cognosceretur.

4. Quo ad Quartum. Quia quilibet tenetur scire obligationes sui status, & professionis, ideo debet Baptizandus, tum Præceptorum Decalogi, tum Ecclesiæ, saltem in genere, cognitionem habere. Quare qui extra necessitatem baptizat Adultum, sine horum instructione, peccat mortaliter, ut fusè docet Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 3. n. 24. fine.*

5. Quamvis autem tantummodo prædicta sint, pro suscipiendo Baptismo, necessaria: tamen urgeat Instructor, ut Baptizandus sciat alia Mysteria, sciatque Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & decem præcepta, aliaque quæ de præcepto scienda sunt à Fidelibus, quæque enumerat ibidem Sanchez, & nos breviter collegimus *lib. 2. In Decal. cap. 2. §. 1.* Nam post susceptum Baptismum facile negligi deinde solet horum notitia.

6. Dixi *num. 2. & 4. extra necessitatem mortisque periculum.* In necessitate enim sine prædictorum scientia, sed tamen, quando potest, cum generica voluntate, credendi, quæ credit Ecclesia, posse licite Baptismum conferri, ac suscipi ab Adulto consentiente, omnes ut Ioan. Sanch. *in select. d. 44. n. 41.* & Leand. *de Baptism. d. 5. q. 24.* supponimus.

7. Illud denique hic prætermittere nolo. Tametsi quilibet, ut colligitur ex dictis §. 1. obligetur baptizari statim, ne se exponat periculo moriendi sine Baptismo, &, ut valeat in decursu suæ vitæ cætera Sacramenta suscipere, tamen si forte quis damnatus ad mortem sit Infidelis, & convertatur ad Christum, poterit differri ejus Baptismus usque ad locum patibuli, ut sic securius salutem naciscantur. Ita contra Ioannem Sanchem, Quintanadveñas *de Baptism. singul. 23.* id pluribus probans. Qui addit, hunc recenter baptizatum non posse suscipere Eucharistiam. Sed nos cum eodem Ioan. Sanch. posse docuimus *in Opusc. de Commun. c. 5. §. 5.* & quidem eodem die, & sufficere unam horam ante mortem. Nam propterea ad facilitandam hujus casus praxim, sic corrigere prædictam Quintanadveñas doctrinam, ut hujus morituri Baptismus differatur usque ad ultimum diem, atque in illo baptizetur, & post instructionem de Mysterio Eucharistiæ, ante aliquot horas mortis communicetur.

---

## CAPVT IV.

### *De cognatione spirituali, quæ oritur ex Baptismo.*

### §. I. *Proponuntur ea quæ sunt deinceps explicanda.*

1 PRæmittendum est Primo, Patrinum vel Matrinam esse eum, vel eam, qui, vel quæ sponder, se habiturum Paternam spititualem curam ejus, qui Baptismum est recepturus, in instructione rerum Fidei. Spondet autem tacite, quando baptizatum suscipit, etiam si nihil respondeat. Hæc autem susceptio, vnde Patrinus susceptor appellatur, & Matrina susceptrix, duplici consuevit modo præstari, vel scilicet baptizandum tenendo cum Baptismus administratur, vel eundem suscipiendo, à manibus baptizantis, immediate post Baptismum. Vide quæ dicam §. 4. *n. 1.*

2. Peres. Solemniter baptizare sine Patrino (*sub hac voce semper intellige, vel Matrinam*) mortaléne est?

Respondeo. Probabilius est esse mortale. Vide Leand. *loco mox citando*, (ut etiam diximus in Confirmatione) quia sit in re gravi contra præceptum Ecclesiæ. Esto Possevinus apud Leandrum *d. 7. de Baptism. quæst. 2.* dicat non esse mortale, quando parentes sunt Catholici; & esto, Archangelus *apud eundem* dicat esse de congruentia

Dixi *solemniter*, nam in Baptismo privato, licet admitti possit, non tamen id esse de obligatione, non ignoramus cum Suario *de Sacr. quæst.67. de Bapt. n.8.*

3. Præmittendum secundo, ex ritu seu ceremoniis Baptismi, ut etiam Confirmationis, oriri inter personas quæ in illo concurrunt, cognationem spiritualem (quod est unum ex impedimentis Matrimonium dirimentibus) hoc est, illas personas, nisi dispensationem obtineant, invalide inter se Matrimonium contrahere.

4. Ea autem multiplicem olim oriebatur in iure antiquo, hodie tamen à Tridentino *Sess.24.c.2.de Ref. matr.* & late Sanch. *lib.3.matr.d.54.* ad quatuor dumtaxat Classes personarum restricta est. Nam Primo contrahitur à Baptizato vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante. Secundo, ab eodem Baptizato vel Confirmato cum Patrino, vel Matrina, & utraque hæc appellatur Paternitas. Tertio cõtrahitur à Patrino vel Matrina cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati. Quarto à Patre & Matre Baptizati, vel Confirmati cum ipso baptizante: & utraque hæc Comparernitas appellatur.

5. Quoniam autem de prædictis valde quidem minuta, sed certe necessaria passim afferunt Doctores, ego, ne confusa evadat tractatio, ea omnia ad tria capita reducam.

Primò, Quænam persona potest esse Patrinus?

Secundò, Quænam administratio Baptismi requiritur ad ejusmodi cognationem spiritualem pariendam?

Tertiò, Quænam tenendi, seu suscipiendi actio?

## §. II. *Quæ Persona esse Patrinus possit; Vt sit rationis compos.*

1. ADexercendum munus Patrini, cognationemque contrahendam, requiritur Primo, ut is usu rationis potiatur. Non ergo infans, non mente captus, non ebrius; debet enim voluntarie velle, facere id, quod instituit Ecclesia: id est, intentionem habere debet exercendi munus susceptoris: secus, solum materialiter teneret baptizandum; commoditatis causa, v.g. non vero exerceret sacram actionem ab Ecclesia institutam.

2. Non requiri determinatam ætatem, nec, ut sit ætate grandior, quam baptizandus, communis docet opinio cum Sanchez *lib.7.matr.d.61.*

### *Vt sit Baptizatus.*

3. Requiritur secundo, ut sit Baptizatus, Quare Gentilis, imo & Cathecumenus, etiam si teneret Baptizandum cum intentione quacumque, & etiamsi in aliquo casu aliquem cum debita intentione solemniter baptizaret, non contraheret cognationem ullam, & consequenter nec alii cum ipso. Ratio est, quia hæc lex cognationis profecta est ab Ecclesia, cui non subiacet Gentilis, vel Cathecumenus. Idque verum est, etiamsi postea ille Baptismum susciperet: quod enim initio irritum est, tractu temporis non convalescit. Ita Sanchez *lib.7. matr. d.60. num.11.* aliique contra Toletum *lib.2. sum.c.23.*

4. Inquires per hanc occasionem, An pari modo requiratur, ut sit Confirmatus ille, qui confirmandum suscipit in Confirmatione?

Respondeo, requiri ex probabiliore sententia, sic enim habetur in Iure *cap. In Baptismate d.4. & Pontificale* Clem. VIII. *hic.* Vnde sequitur, ut referunt Suar. Coninch. Sanch. cum Leandr. *de Conf.d.5.quæst.5.* non contrahere cognationem spiritualem eum, qui non confirmatus aliquem teneat in Confirmatione. Ratio est, quia in Pontificali dicitur, ut *non Confirmatus non possit alium suscipere*; Illud autem, *non possit*, hic satis probabiliter non solum videtur ostendere id illicite fieri, sed etiam invalide. Cognationem tamen contrahere est etiã probabile, saltem propter doctissimos Authores bona ratione motos, id affirmantes: ut videre est in Soto, Navarr. Rodriq. Nald. *apud eundem Leand. loc. cit.* Quintañad. *de Confirm.7.n.5.*

5. Illiciténe mortaliter? Respondeo. Non [illegible] mortaliter hunc condemnare, quia res non videtur [illegible] vis, sed veniáliter dumtaxat scio Suarium *3.p. d. art.10. fine*, docere, esse id illicitum mortaliter, Sequor S. Th. *3. p. quæst.72. art.10.* quem sequitur [illegible] *3.p.tr.4.res.21.* & Quintañad. *de Confirm. sect.2.n.* fatente eodem Suario *l.c.* & apud Leandr. *de Conf. quæst.4.* videtur non cognoscere in hoc mortale pam. Approbo tamen sententiam Leandr. *l.c.* dicen utramque opinionem esse probabilem.

### *Ne sit Hæreticus.*

6. Requiritur Tertiò, ut Patrinus non sit Hæreticus. Et quidem is illicite graviter esset Patrinus, cum non sit aptus ad instruendum puerum in recta Fide; Nec cæterum, quia est Baptizatus, unde subditus legi Ecclesiæ, contraheret Cognationem spiritualem cum baptizato ejusque Parentibus, ut cum Sanch. notat Pastropalaus *de Bapt. disp.un.p.11.§.1.n.7.*

Melius autem erit Baptismum solemnem sine Patrino celebrare, quam cum Patrino Hæretico, si Catholicus præsto esse non possit.

7. Si forte à te Sacerdote Catholico petat Parens ejus Filium baptizes, sed velit, ut admittas Patrinum Hæreticum, non licebit tibi illum admittere, si [illegible] non admitti sine aliquo tuo gravi detrimento: Nec damnum grave tibi rationabiliter timeres, ut etiam timeretur Filius adducendus ad Sacerdotem Hæreticus admittendus esset, secundùm Castrop. *l.c.* quia committeretur minus malum ad evitandum malus, & ita parte non est credendum, Ecclesiam in prædictis cumstantiis aliter velle.

8. Et in simili quidem necessitate concedo Idem te posse esse Patrinum in Baptismo, qui conferat Hæretico, sed addere debes Protestationem, qua significes, te suscipere ad ritum Ecclesiæ Romanæ, ne videris committere cum Hæretico, & obligare, ad instruendum Infantem more illius Hæretici baptizati, quod esset grave delictum.

### *Vt sit unus; vel unus, & una.*

9. Requiritur Tertio ex Tridentino *sess.24.c.2.de Reform. Matr.* ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel summum unus, & una designentur tanquam Patrinus; autem plures designentur, peccari mortaliter, dicit Leander *de Bapt. d.7.* qui tamen citat Thomam Sanch. *lib.7.de matr. disp.51.n.6* Perez & Leyra, *apud Diana p.quæst.tractat.7.resol.2.* existimantes esse veniale. Non item Castrop. *de bapt.d.un.p.11.§.2.num.1.* & alios nihil dispensare Episcopum posse. Denique idem Tridentinum addit, ut, si alii ultra designatos tetigerint, [illegible] tenuerint baptizandum, cognationem non contrahi.

10. Duos coniuges, Maritum scilicet, & uxorem, [illegible] sint unus, & una, non posse suscipere alienam prolem, quia id prohibet Vrbanus II. sed sub veniali, quia res levis, putat Suar. *q.67. de bapt. art.8. ver.2.* Et probabilius est ex Sanchez, posse, etiam sine veniali, quia, vel id non prohibet Vrbanus, vel ea Constitutio non est usu recepta.

An iidem possint suscipere propriam prolem, [illegible] separatim à *n.16.*

### *Vt sit designatus.*

11. Requiritur Quartò id quod modo insinuatum est, nempe, Patrinum debere esse designatum.

12. Sed ad quem pertinet designare? Respondeo. Parentes primo & per se seu ad eos, quibus incumbit [illegible] rare, ut quis baptizetur, & in horum defectum, ad Parochum. Quando autem omittitur, ejusmodi designatio omnes, etiam non designari, secundum ius antiquum tenebant, etiam successive, baptizandum, contrahebant

copu-

cognationem, verum hodie, post Tridentinum probabilius est, teste Sanch. *l. c. num.* 10. neminem contrahere, quia nemo est verè Patrinus, cum tamquam de forma substantiali Tridentinum requirat ejusmodi designationem.

13. Quid si simul designentur plures, quam vnus, vel vnus & vna, & Parochus illos admitteret (certè illicitè mortaliter, ut dixi *num.* 9. ex sententia Leandri, & mortaliter ex Sanchez) contraherentne omnes cognationem.

Respondeo, Omnes, ait Sanchez *lib.* 7. *de matr. d.* 57. *n.* 14. Adde cum multis *Leandr. de bapt. d.* 7. *q.* 9. quia omnes jam sunt designati. Sed probabilius judico neminem, quia tunc deficit alia conditio, quæ est etiam substantialis qua Tridentinum voluit vnum Patrinum, vel ad summum, vnum, & vnam. Hanc posteriorem sententiam probabilem dicit Suar. *de sacr. ad q.* 67. *art.* 8. *n.* 2. *explicat*, & ad illam valdè idem videtur propendere, licet denique asserat, non esse consulendam. Sed immerito consilium pro ea dare Suar. timet: valido enim fundamento hæc sententia innititur, cum finis Tridentini clarissimè fuerit, has cognationes spirituales valdè diminuere: lege diligenter prædictum Tridentini locum *sess.* 24. *cap. de ref. matr.*

14. Dixi (si simul designetur) nam si designati sint successivè ille vnus; vel ille vnus, & vna solum contrahent, qui prius fuerint designati; illi enim fuerunt certè legitimi, qui vero postea, illegitimi.

15. Si quis se ingerat ad hoc munus, & Parentes, vel Parochus non reiiciant, iudicari debere designatum, docet Diana 1. *q. tr.* 7. *res.* 50. *ex Castro*. Ego id tunc solum concedo, quando Parentes vel Parochus facilè possunt eum reiicere, & tamen non reiiciunt, tunc enim tacitè admittunt juxta limitationes, quæ Regulæ illi dari solent, *Qui tacet consentire videtur.*

*Ne sit Pater vel Mater.*

16. Requiruntur Quinto, ut Patrinus vel Matrina non sit Pater, vel Mater. Parentes enim non possunt esse Patrini suorum Filiorum. Excipe nisi adsit necessitas (ut de Patre baptizante suum Filium in simili necessitate dixi *c.* 2. §. 2. *n.* 8.) ea enim existente sicuti certo non peccant, ita nec contrahunt cognationem, nec privantur jure petendi debitum conjugale, illúdque obligantur reddere. Ita Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 26. *n.* 3. Addunt multi, ut Leand. cum Nald. *d.* 4. *de Baptism. quæst.* 32. & *d.* 7. *q.* 11. etiamsi tunc adessent alii extranei, qui possent esse Patrini.

17. Extra necessitatem ergo Parentes suum Filium scienter à fonte suscipientes, certo peccant mortaliter, quia in re gravi discedunt ab Ecclesiæ legibus: id quod docent omnes cum Suarez *l. c.* an vero tunc contrahant cognationem, & consequenter priventur jure petendi, non omnes docent.

Contrahere putat Layman *lib.* 1. *tr.* 10. *de sacr. pœnit. cap.* 8. *n.* 8. cum aliis. Non contrahere cum aliis putant Suarez 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *v. Quo circa*, & G. Hurt. *d.* 10. *de matr. diff.* 6. *n.* 24. Lege Aversam *q.* 16. *de matr. sect.* 2. Vtrique probabiliter. Hos tamen secuti sumus *supra c.* 2. §. 2. *n.* 10. & Hurtadum in simili propter rationem ibi dem dictam, quæ est communis præsenti intentui. Et nota nos idem *infra de Confirmatione lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 8.

18. Dictum est autem (*scienter.*) Nam si Parentes ignorent prohibitionem hanc, excusantur à peccato, & etiam ex Laym. ejúsque sententiæ sectatoribus non privantur Iure petendi. Hæc enim privatio hic est pœna inflicta Parentibus agentibus contra prohibitionem Ecclesiæ: pœna autem saltem extraordinaria non contrahitur, si non contrahitur delictum, cui ejusmodi pœna connexa à Legislatore fuit.

19. Naldus *v. Baptismus*, *n.* 15. excusat à peccato Patrinum tenentem à Sacro Fonte suum Filium, ex copula illicita sibi natum, si id faciat ut territus à cognatione, quam sic contrahit cum concubina, abstineat ab ipsius consortio. Ratio posset esse, quia in hac causa validis rationibus præsumitur Ecclesia suspendere prohibitionem ne Pater suam sobolem suscipiat. Verum cum vestigium nullum videatur Iure hujus excusationis, aliáque remedia sint in promptu pro abstinentia prædicti consortij, Naldi Doctrinam sequi, non audeo.

*Ne sit Religiosus.*

20. Requiritur Sextò, Ne Patrinus sit Religiosus, vel Religiosa, iis enim prohibetur, esse Patrinos, *c. Non licet de Consecr. d.* 2. & alibi. Si tamen sint, contrahent cognationem, quia per dictam prohibitionem non fiunt inhabiles ad suscipiendum.

21. Notat enim Quintana dv. *de Bapt. sing. vlt.* id fortè non prohiberi, nisi Monachis, non vero Religiosis omnibus, & quidem non nisi sub levissimo veniali, à quo excusat quælibet causa, qualis est petitio aut devotio Patris: id quod idem doctè probat.

*An Frater, vel Soror.*

22. De hoc dicam, cùm *de Confirmatione l.* 3. *cap.* 4. *num.* 18.

*Obligatio Patrini.*

23. Ad Personam Patrini, de qua hic agemus, pertinet obligatio, quam ipse, per hanc suscipiendi cæremoniam, subit. Obligatur autem instruere Baptizatum in sana Fide, ac moribus Christianis. Quæ tamen obligatio non vrget, nisi in tempore necessitatis. Quoniam igitur hæc necessitas inter Christianos vix adest, quia communiter supponitur illum instrui à Parentibus, vel à Parocho, quibus profecto hæc cura magis incumbit. Idem communiter Patrinus (ut notat Henriquez *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 1. aliique passim) excusabitur.

## §. III. *Quænam Baptismi Administratio, dictam cognationem pariat.*

1. SAnè solemnis, quæ scilicet publicè fit cum ritibus ab Ecclesia institutis, quæ nos *supra c.* 2. §. 3. *n.* 2. enumeravimus.

2. In privato ergo baptismo jam dixi *supra* §. 1. *n.* 2. non esse opus, posse tamen adhiberi Patrinum. At vero est controversum, an si adhibeatur, contrahat is cognationem spiritualem, sicuti quando adhibetur in solemni.

3. Ad hanc quæstiunculam, ut *supra c.* 2. §. 2. *n.* 7. cum Coninch. *d.* 32. *dub.* 2. *n.* 39. indicavi, aliqui affirmativè respondent, negativè aliqui, ut Quintan. & Sanch. quos citat sequiturque Dian. 3. *tr.* 4. *res.* 18. & inclinat Suar. 3. *p. q.* 63. *art.* 8. & G. Hurt. *de matr. d.* 18. *diff.* 6. Affirmantiũ ratio ducitur à paritate cum baptizante, nam ex claris Iuribus baptizatus etiam privatim contrahit, ut ibidem diximus, dictam cognationem cum baptizato, ejúsque Parentibus, ergo contrahet etiam suscipiens.

4. Sed negantium ratio est, quia lura hanc cognationem inducentia in suscipiente, solum loquuntur de suscipiente in Baptismo solemni, non ergo extendenda ad suscipientem in privato. Paritas ergo adversariorum facilè solvitur. Nam jura de omni baptizante loquuntur, etiam de Fœmina, dum absolutè dicunt baptizantem contrahere cognationem, at cum dicunt Susceptorem contrahere cognationem, non loquuntur absolutè, sed dictam cognationem adnectunt suscipienti ex instituto Ecclesiæ. Cum ergo qui suscipit in privato Baptismo, non suscipiat ex instituto, sed ex voluntate propria, de illo non loquuntur Jura. Ergo cognationem is nequaquam contrahet.

5. Quando in Ecclesia supplentur solemnitates ejus Baptismi, qui vrgente necessitate, privatim collatus fuit, tunc is qui suscipit, non fit verus Patrinus, quia verè non est susceptor in Baptismo.

6. Superasset dicere de Patrino, in Baptismo conditionato. Verum de hoc sufficit *supr. c.1. §.8. n.2.* adnotasse, ipsum in baptismo quod confertur sub conditione, non necessario adhiberi, posse tamen: cum verò adhiberur, cognationem spiritualem illum nequaquam contrahere.

### §. IV. *Quænam actio suscipiendi, quoque intentio, ad inducendam hanc cognationem requiritur.*

1. DIximus §.1. *n.1.* duplici modo hanc susceptionem exhiberi posse. Vel scilicet tenendo baptizandum, dum baptizatur, vel illum immediatè accipiendo à baptizante post baptismum. Et merito ita dictum est. Nam Iura vtuntur his loquendi modis, pura tangendi, levandi de Sacro Fonte, tenendi, suscipiendi, & similibus. Non ergo sufficit sola assistentia, nec responsio ad Catechismum, quam Sacerdos recitat: imò hanc responsionem non esse necessariam ad præstandum munus Patrini, rectè notat cum communi Sanch. *l.7. de matr. d.56. num.10.*

2. Præterea recolendum est, quod dixi *supra §.2. n.1.* hanc actionem debere fieri cum intentione exercendi munus Patrini, & quidem satis est implicita, qualis est intentio faciendi, quod alii faciunt, vel quod intendit Ecclesia; sed non est necesse, ut interveniat intentio contrahendi cognationem spiritualem, hæc enim necessariò consequitur ad munus Patrini, etiamsi tu illam contrahere renuas, quia tua voluntas removere non potest illud quod Ecclesia muneri Patrini, ab se instituto, connexuit.

3. Hinc solvitur illa quæstio, quam ad me quidam nuper attulit. An si quis teneat baptizandum, habeat tamen expressum animum, non contrahendi cognationem spiritualem, nihilominus contrahat?

Distinguendum dixi diligenter esse: Si enim animum habeat nolendi esse Patrinum, & solum materialiter baptizandum tangat, non contrahet cognationem. Ita Castrop. *de bapt. d. vn. p.11. §.2. n.4.* quia sic non exercet munus Patrini, nec Patrinus fit: in quo tamen casu addidi, probabilius esse, hunc peccare mortaliter, quia, ut *supra §.1.n.2.* dictum est, probabilius est mortaliter peccari ab omittente Patrinum in baptismo solemni. At vero, si habeat animum exercendi munus Patrini, ut certè habere debet, cum tunc jam fiat Patrinus, fit consequenter conjunctus cognatione spirituali, etiamsi ipse illam nolit, quia cognationem spiritualem affixit Ecclesia ipsi muneri suscipiendi, ut dictum est independenter à voluntate susceptoris.

### *De errore in Suscipiente.*

4. Quid si quis per errorem suscipit Titium v.g. putans, atque adeo intendens suscipere Cajum contrahetne cognationem cum eodem Titio, ejusque Parentibus?

Respondeo, Sanch. *lib.7. de matr. d.58. n.7.* Laym. *lib.5. tr.10. p.4. cap.8. n.6.* aliique docent cognationem cum Titio, nequaquam contrahere. Sed Pontius, Coninch. Dian. quos citat, sequiturque Leand. *d.7. de bapt. q.28.* Castrop. *l.c.n.5.* aliique cum Leandro docent contrahere, quia error (inquit Leander) non impedit Fidejussoris, & Patris Spiritualis officium. Verùm hæc ratio nihil habet efficaciæ. Dicet enim merito Sanchez neminem intendere, se obligare alteri, nisi aliquo tandem modo velit, se illi obligare. At prædictus, qui per errorem operatus est, nullo modo voluit se obligare Titio, nec ut Fidejussor, nec ut Pater Spiritualis, ergo, &c.

5. Obiicit Castrop. *l.c.* Validè baptizatur is, quem minister Baptismi alium esse putat, vel quem putat esse [illegible] ium, cum sit puella, quia intendit baptizare [illegible] tem. Ergo valide suscipietur is, quem Suscipiens esse putat.

Respondeo. Si prædictus Susceptor operans per [illegible] rorem, velit suscipere præsentem quicumque sit, [illegible] currereret paritas, & susceptio valeret, contraheret [illegible] cognatio. At licet in conferendo Baptismo requi[illegible] Minister velit præsentem baptizare, & ita obligare [illegible] le, ne incertitudini subjaceat collatus baptismus: [illegible] in Susceptore non ita fieri solet, nam Susceptor [illegible] v.g. vult suscipere, & non Titium, & ita colligu[illegible] gulariter ex communiter contingentibus? Solet [illegible] enim pro Cajo fortè filio viri nobilis, & amici [illegible] opus suum, non pro Titio, forte ignobili, & non [illegible] Sicuti ergo in Matrimonio error personæ illud [illegible] dat, quia Petrus v.g. invalidè matrimonium contra[illegible] cum Berta, si ipse volebat contrahere cum Maria, [illegible] inquam, hanc voluntatem mutavit, in casu subcon[illegible] di, &c.

### *De Suscipiente per Procuratorem.*

6. Hanc actionem levandi posse fieri per Procura[illegible] rem vel Procuratores, certa, & quotidiana praxis ob[illegible] dit, quando Patrinus dicetur tangere, non per se, sed [illegible] alium, legitimè tamen à se constitutum.

Illud est decernendum, quisnam contrahet cognatio[illegible] nem, an principalis, qui Procuratorem ad suscipiendu[illegible] constituit, an ipse Procurator constitutus?

7. Et quidem quod Procurator non contrahat, pu[illegible] ipse non agit suo nomine, sed alieno, jam dictum est. [illegible] Sacra Congregatione, apud Pont. *l.meæ cuando, & ibi* [illegible] Barb. *de off. Paro. c.18. n.15.* & apud Sanch. *l.7. de matr.* [illegible] *d.59. num.12.* esto Toletus *apud eundem Pontium* pute[illegible] Procuratorem contrahere.

8. At verò, an contrahat ipse principalis, bipartita [illegible] tentia est Sanch. *l.c.n.* citans Iurisperitos cum quorum [illegible] Iurisperitis negativè respondet; quare docet in casu [illegible] susceptionis per procuratorem à nemine contrahi cog[illegible] nationem; non à Procuratore propter rationem nostro præcedente dictam; Non à principali, quia cognatio [illegible] est annexa actioni levandi personaliter, at nunc principalis personnaliter non levat, ergo, &c.

Pontius verò *l.7. de matr. c.39. n.10.* alies citans, Coninch. *d.32. n.40.* Perez *d.29. de mat. sect.7. n.2.* cum alii multis Theologis respondet affirmativè, docetque cognationem contrahi à principali. Ratio est, inquit, quia Ecclesia concedit hanc susceptionem fieri per Procuratorem, quod certè non inaniter, seu inutiliter concedit. Ergo cum effectu cognationis spiritualis inducatur, & cum obligatione instruendi, modo supradicto, baptizatur. Et sanè quis dicat Ecclesiam præcipere, ut adhibeatur Patrinus in Baptismo, idque tam rigorosè, ut ejus omissio sicuti supra vidimus ex probabiliore sententia sit mortalis, & tamen eandem Ecclesiam concedere, ut ipse non adhibeantur? Idem enim esset, Patrinum non adhiberi, atque adhiberi per Procuratorem, si nemo cognationem, & obligationem instruendi contraheret.

Profecto Pontium hîc sequor, non Sanchez.

---

## CAPVT V.

### *Pœnæ malè, vel bis baptizantis, Remissæ.*

DE his planè dicam *in libro de Irregularitate*, [illegible]
Favente Deo.

# DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. LIBER TERTIVS.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Materia, & Forma Confirmationis.*

SACRAMENTVM Confirmationis, quod est *Vnctio Chrismatis consecrati, facta ab Episcopo sub præscripta verbis, Confirmans Fideles ad Christianam Fidem custodiendam*, habet suam materiam, & formam, de quibus dicemus, quæ sunt scitu necessaria, mox cætera ad hoc Sacramentum pertinentia breviter prosecuturi.

### §. I. *Materia remota.*

1. CHrisma confectum ex oleo simul, & Balsamo benedictum ab Episcopo Consecrato, est materia remota confirmationis. Vide *C. literis vestris de consecrat. d.3.*

2. Dicitur Primo, *ex Oleo* nempe Olivarum, Quare sub pœna nullitatis Sacramenti non apponetur Oleum ex nucibus, ex piscibus, ex semine lini, ex amygdalis, &c. quia hæc non sunt simpliciter olea. Quid de oleo ex Oleastris, hoc est ex olivis silvestribus? Puto hoc sufficienter, ac legitimè adhiberi, quia simpliciter, & in omnium usu oleum est.

3. Dicitur Secundo, *ex Balsamo*, sive Palestino, sive Syriaco, sive Indico, æquè enim sunt Balsama, & ita declarasse Paulum IV. Pium IV. Gregorium XIII. & Sixtum V. testantur Bel. *l. de hoc Sacr. cap.* 8. & Sanch. *d. Sacr. d.3. sect.1. ver. Ad.2.* Sufficere autem parum Balsami, quamvis in multo oleo, ita tamen, ut oleo partes suscipiant odorem Balsami, notant Castropalaus, *de conf. d. vn. p.2. n.4. ver. Ad 4.* & Hurtadus, *de conf. d.4. vers. Quod autem.*

Dicitur Tertio, *simul*, quia cum Suar. *l.c.* puto falsam, esse tum sententiam Cætani *3.p.q.72. art.2.* aliorúmque paucorum affirmantium, sufficere solum oleum, Balsamumque esse solum de necessitate præcepti, tum sententiam Cani *apud Valen. 3. p. disp. 5. q.1. p.2. v. Prima fertur*, dicentis sufficere alterutrum, sive solum oleum Olivarum, sive Balsamum solum. Ratio nostra est, quia usus Ecclesiæ præscribentis, requiri vtrumque, satis ostendit, vtrumque requiri absolute, atque adeo ad valorem.

5. Dicitur Quarto, *ab Episcopo Consecrato.* Si enim consecratus Episcopus nondum sit, sed solum electus, vel etiam à Summo Pontifice confirmatus, non potest valide exercere ea, quæ pertinent ad Consecrationem quare non potest confirmare.

6. Dicitur Quinto, *benedictum ab Episcopo Consecrato*; nam non solum Vnctio exhibenda est ab Consecrato Episcopo, sed ipsum oleum, Balsamumque, (quod vnico vocabulo appellamus *Chrisma*) debet esse ab simili Episcopo Consecrato benedictũ, secus inepta esset Confirmationis materia, ut est communis doctrina Theologorum cum S. Th. *3. p. q.72. art.3.* Ratio autem hujus doctrinæ efficacior nulla est, (nam aliæ allatæ à Theologis solam congruentiam probant) nisi vsus antiquissimus, & continuatus Ecclesiæ.

7. Quare Cæt. *l.c. art.3.* & Val. *c. ver. Ad hoc in primis* dum sentiunt, sufficere benedictionem Sacerdotalem contra communem, seu certe contra probabiliorem opinionem sentiunt. Lege Quintanad. *de conf. sing.3.* qui invalidè confirmatos esse putavit quosdam, quos Episcopus, quia defecit Chrisma, confirmavit oleo infirmorum; Multoque minus est audiendus Molfesius *in Sum. Tr.4. c.2. n.22.* dum docet, Confirmatum ex oleo non Consecrato, non iterum confirmandum.

8. Nisi forte Cætanus intelligat, benedictionem Sacerdotalem sufficere, quando alicui Sacerdoti hanc facultatem benedicendi, seu conficiendi Chrisma Summus Pontifex concessisset; licet enim nunquam legatur id alicui concessisse Pontificem quia tamen legitur (ut mox *cap.2.§.1.* dicemus) simplici Sacerdoti privilegium dedisse confirmandi Fideles cum Chrismate consecrato ab Episcopo; ideo non videtur à Cæt. *ib. art.4. in 4.d.7. q.vn. art.3.* Palud. *in 4.d.7. q.4.* Victor. *de Consc. in 4.8.* Val. *3.p.d.5.q.1.p.ver. Deinde dico*: denegandam Pontifici, etiam hanc potestatem ipsum Chrisma benedicendi, posse simplici Sacerdoti concedere.

9. Verum, in hoc sunt etiam hi Doctores reiiciendi, ut recte notat Suar. *de Sacr. d.32. sect.2.* cum aliis, qui hanc potestatem simplici Sacerdoti concedi à Summo Pontifice posse, omnino negant. Si autem hujus rationem quæras, illa est, quia id esset contra vsum Ecclesiæ antiquissimum, cujus contrarium non possit vlla ratione, vel testimonio comprobari. Eademque ratio probat Pontificem, non posse dispensare, ut Confirmatio conferatur in Oleo, Balsamoque ab Episcopo nondum benedicto quicquid Palud. Esti. & Campu. *ap. Leand. Conf. d.3.q.4* in oppositum doceant.

10. Inquires, qua benedictione vti debet in conficiendo Chrismate Episcopus?

Respond. Certum est, Episcopum sub mortali debere vsurpare benedictionem ab Ecclesia præscriptam. Ad valorem tamen sufficere quamlibet Dei invocationem, Doctores advertet, quia credi nequit Christum Dominum formulam aliquam pro ejusmodi benedictione designasse.

11. Inquires iterum. Est ne de necessitate Sacramenti, Chrisma esse novum, hoc est, hoc præsenti anno benedictum?

Respondeo. Ad valorem sufficit Chrisma vetus, nisi sit corruptum. Illud autem, quod totam balsami fragrantiam amisit, satis dubiam materiam esse existimarem. Ad licitum autem vsum, debere sub pœna peccati mortalis esse novum, monet Suar. *d.13. de Sacr. sect.1. vers. Hic vero.* Neque hic apponendam esse puto exceptionem illam (nisi urgeat necessitas) ut apponendam duximus supra in Baptismo, hoc enim Confirmationis Sacramentum non est necessarium, sicuti Baptismus. Quare in dies differri, donec de novo Chrismate provideatur, facilè potest.

§. II.

### §. II. *Materia proxima.*

1. VNctio ex Chrismate, quæ ab Episcopo per modum, seu figuram Crucis, ipso Episcopi dextero pollice fiat in fronte confirmandi, est materia proxima Confirmationis.

2. Diximus Primo. *Vnctio ex Chrismate*, id est ex Oleo & Balsamo benedicto, modo jam explicato. Quanta autem debet esse ejusmodi Vnctio? Respond. Quanta sufficit, ut cum illa formari possit Crux sensibiliter in fronte; debet enim verificari forma, quam dicemus eam esse: *Signo te Signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, &c.*

3. Diximus Secundo. *Ab Episcopo*, intellige de Iure, seu de potestate ordinaria, nam ex concessione Summi Pontificis dicemus mox *cap.2.§.1. n.4.*

4. Diximus Tertio. *Per figuram Crucis*, nam id requiritur necessitate Sacramenti, propter rationem modo dictam, quia debet respondere formæ: *Signo te signo Crucis, &c.* Adverte autem hoc signum debere fieri Vnctione ipsa: quod certe constat ex vsu, & continuato ritu Ecclesiæ.

5. Diximus Quarto. *In fronte confirmandi*, quod etiam esse ex necessitate valoris Sacramenti, docet ipse vsus, confirmantque Patres, id in Confirmatione semper exposcentes; & quidem valde congruenter, ut ostendatur, Fideles non debere fidem, & Christi Domini Crucem erubescere.

6. Diximus Quinto. *Pollice dextro*, quod item ex ipso vsu ritusque Ecclesiæ perpetuo constat Noto nihilominus, id non videri ita de necessitate Sacramenti, ut alia manu, aliove digito ejusmodi Vnctio exhiberi non possit, quia, (ut advertit G. Hurt. *de Confirm. diff.6. vers. Quartò ad minus*) non est credibile, Christum Dominum voluisse ex re tam modica valorem hujus Sacramenti dependere.

7. Sed quid? erítne illicitum mortaliter, alia manu, vel alio digito inunigere? Respondeo. Ita docet Zambra. *de casib. occ. temp. nov. cap.2. d.1.* sed nimis rigide. Quare probabilitet Seraph. Th. *V. Confirmatio directè diff.1.* cui favere videtur Laym. *lib.5. Tr.3.cap.2.num.5. fine*, & alij liberant à mortali, quia non est variatio essentialis, nec in re gravi.

8. Inquires. Ipsóne digito immediate debet Vnctio fieri, an potest medio aliquo instrumento, v. g. modico gossipio, vel particula, vel argentea virgula tempore pestis, &c.

Respondeo. Quoad licitum vsum immediatè debet fieri, secus esse mortale, ut notat Theologia Seraphica *l. c.* quia hæc res videtur gravior, quam quod modo dictum est de alia manu, vel digito.

9. Quoad valorem, quid sentiendum? Respondeo. Non pauci, ut Suar. Laym. Regin. Dian. aliique *ap. Leand. de Confir. Tr.3.q.12.* quibus adde Castrop. *d. Conf. d.vn. p.3.n.4.* docent, invalidum esse hoc Sacramentum, si mediante instrumento fiat vnctio, quia impositione manus, à primis Ecclesiæ exordiis, semper collatum esse hoc Sacramentum constat ex Apostolorum vsu.

10. Non pauci vero, ut Henri. Vivald. quos citat, sequiturque G. Hurt. *de Conf. diff.4.* quibus adde Quintan. *de Conf. sing.3.n.5.* validum esse contendunt, quia ut habet Hurtadus *l.c.* non est credibile, Christum Dominum instituisse, ut essentia tanti Sacramenti dependeret ab ejusmodi immediatione. Quare sicuti potest valide conferri Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Extremæ-Vnctionis medio instrumento, & quidem vrgente necessitate, v.g. tempore pestis, etiam licite, ita in Confirmatione.

Neque obstat prædictus Apostolorum vsus, nam qui facit aliquid sua manu tenente instrumentum, satis verè, satisque propriè sua manu, atque adeo suæ manus impositione facere dicitur. Hunc tamen, sic confirmatum, esse iterum sub conditione confirmandum, rectè notat Quitanadv. ibidem.

### §. III. *Forma Confirmationis.*

1. EX Conc. Flor. *in Decr. Fidei sub* Eugen. IV. [illegible] nibus Theologis hæc est Confirmationis forma: *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate [illegible] in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

2. Quæ omnia verba requiruntur ad valorem, [illegible] antiquissimo Ecclesiæ ritu constat.

3. Hæ autem formæ: *Signo te & Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Vel, *Signo te Signo Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Vel, *Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Hæ inquam, formæ, licet ab aliquibus *ap. Leand. de Confir. diff.8.* sufficientes existimentur, quia [illegible] quæ omittuntur, videntur involui in iis, quæ [illegible] ciantur; tamen vel id falsum est, vel certe esse [illegible] an sic sufficiant, inficiabitur nemo. Quare si quando forte collata fuit Confirmatio, omnino erit sub [illegible] tione repetenda.

4. Si verò indicativè vel imperativè, (nam [illegible] cative dicatur, certum est invalidam esse collationem sic proferat Episcopus, *Signetur servus Christi, [illegible] ris tu &c.* valide Confirmatio conferetur, intell. enim (*à me*) sicuti supra diximus de illa forma Bapt. Græcorum *Baptizetur servus Christi, &c.*

5. An licite? Respondeo. Leander *d. conf. d.3.* cum Suar. Henriq. Diana, aliisque ait: id esse mortaliter illicite, quia sic fieret contra vsum Ecclesiæ: tum Latinæ ut certum est, tum Græcæ, cui concessum quoque fuit simili modo Baptismum conferre, nunquam vero Confirmationem.

6. Nollem tantis Doctoribus me nullius scientiæ ritum opponere. Fateor sic peccari ob discessum à universali Ecclesiæ consuetudine, sed peccati mortalis fateri vix possum, quia dum certa, & rata constat, quæ valorem, forma, non admodum gravis ejusmodi mutio mihi esse videtur. Favet mihi Valentia *in Disp. [illegible] §.5. n.15.* supra allatus in simili de Latino, qui vtatur Baptismo forma Græcorum.

7. Quoniam vero illa eadem invocatio Trinitatis in Confirmatione explicite adhibenda, quæ adhibetur in Baptismo, (& quidem satis congruenter, ad significandum fidem, quam in Baptismo recipimus, eandem in Confirmationem esse à nobis propugnandam) video quo ad ejusmodi expressionem, idem dic, quod supra diximus in Baptismo, esse nempe de necessitate Sacramenti. Consule S.Th. supra Henri. Suar. *ap. Leand. de conf. [illegible] q.17.* dicentem esse omnium Doctorum.

## CAPVT II.

### *De Ministro Confirmationis.*

### §. I. *Quis ille sit?*

1. ORdinarium Confirmationis Ministrum esse Episcopum consecratum, firmatum est ipso hujus tractationis initio. Supersunt quæstiunculæ quamor.

2. Prima: Quid de Episcopo Hæretico, Depositus, Degradato? Respondeo; Licet cum peccato gravi, [illegible] de tamen Confirmationem hi conferrent, quia per hæc non amittunt Ordinis Characterem.

3. Secunda. Si inveniatur aliquis Episcopus qui non acceperit hoc Sacramentum Confirmationis validè, ac licite alios confirmabit? Respondeo. Valide, non est dubium, quia carentia Confirmationis Consecrationis Episcopalem non impedit. At vero illicite mortaliter docet Tannerus *ap. Leandr. de conf. d.2. quæst.6.* Verum Leand. *l.c.* cum Gran. aliis agnoscit solum culpam venialem; & merito, quia non videtur gravis deordinatio nec Confirmatum confirmare.

4. Tertia. Quamvis supra statuerimus, Possidentem

committere simplici Sacerdoti Chrismatis confectionem, poteritne saltem idem Pontifex concedere eidem Sacerdoti, ut is ministret Fidelibus Confirmationem, Chrismate confecto ab Episcopo? Respondeo posse Sacerdoti non vero inferioribus Clericis. Constat id ex vsu Ecclesiæ; cum enim inveniamus Summum Pontificem, id aliquando concessisse, pro certo tenendum est, eum posse: Vnde colligimus Christum Dominum ita instituisse. Sanè sic habet Eug. IV. *in Decr. Fidei in Conc. Florent. Legitur aliquando per Apostolicæ Sedis dispositionem ex rationabili, & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Sacramentum Confirmationis administrasse.*

5. Nota illud *vrgente*, nam sine justa causa, quamvis valida esset concessio, non tamen licita, G. Hurt. *de Conf. diff. 13. Ex quo constat*, item rectè notat, posse id à Summo Pontifice concedi electo, quamvis nondum Consecrato, quia is est actus iurisdictionis. Rectè item addit G. Hurt. ibi *Vt sit autem* concessionem non expirare morte concedentis, quia est gratia facta.

6. Episcopum, vel alium quempiam Summo Pontifice inferiorem, hanc facultatem non posse concedere certum apud omnes est. Vide G. Hurt. cum communi n. *de Conf. ib. ver. Ex quo constat.*

7. Quarta. An hodie sint aliqui Sacerdotes, quibus inveniatur concessa tanta facultas? Respondeo esse, sub quibusdam conditionibus Regulares pro locis Indiarum, quod videri i curioso poterit apud Quintanadvesum *de Confirm. singul. 5. & 6.*

### §. II. *De obligationibus Ministri Confirmationis, deque solemnitatibus ab ipso servandis.*

1. VT licitè Episcopus Confirmationis Sacramentum administret, debet Primo versari in statu gratiæ, ut vniversaliter alibi dictum est.

2. Debet Secundo solum subditis suis illud conferre, idque in propria Diœcesi. Ex præsumpto tamen consensu alterius Episcopi, licitè alienos in sua eadem Diœcesi confirmabit: qui præsumptus consensus solet evenire, quando aliquis Episcopus suum subditum mittit ordinandum ad alterum Episcopum, tunc enim tacitam concedit licentiam, ut ab eodem, si fortè ordinandus non sit confirmatus accipiat Confirmationem, quæ prærequiritur ad ordinationem. Idem puto pro advenis cum Henr. Layman. Castrop. *de Confir. d. vn. p. 9.* & aliis, Episcopus enim potest alienos fortè existentes, etiam obiter, in sua Diœcesi cõfirmare. In aliena item Diœcesi solum potest cum Episcopi proprij, saltem præsumpta licentia, sine qua, si etiam suos confirmaret, peccaret mortaliter & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita ex Trid. Barbosa 2. *p. de pot. Episc. all. 30. n. 15.* & aliis.

3. Tertio. In Templo debet administrare ex decentia, & ex Rubricis, ante Altare: cæterum potest teste Diana *p. 5. tr. 4. resol. 50.* extra Ecclesiam in Oratorio, vel Palatio ipsius Episcopi, & in quocumque loco decenti. Item in quovis die, sive festo, sive profesto. Præterea in quacumque hora sive ante prandium, sive post illud, quia nec Episcopus conferens, *cap. Vt Iejun. c. Vt Episcopi, de consecr. d. 5.* nec Fidelis, cui confertur Confirmatio, debet ex necessitate esse jejunus. Quod si jejunium requirat Sacer Textus, id, vel est solum ex consilio, vel is Canon contrario vsu est jam abrogatus. Ita Suar. *loc. cit. d. 37. sect. 2. V. Quarto observatum.*

4. Quarto, Episcopus, dum hoc Sacramentum administrat, debet sub obligatione peccati mortalis esse vestitus Pluviali, Mitra, Stola, & cum baculo Pastorali. Vide Dianam *p. 7. tr. 10. resol. 31.*

5. Quinto, Obligatur Episcopus ministrare hoc Sacramentum suis, vel per se, vel per alium Episcopum. Quare si longo tempore negligat, peccabit mortaliter ex Castropal. *l. c.* quia magno bono suas oves defraudat. Debet itaque se conferre in templa ad hanc administrationem opportuna, nec expensas itineris petere potest, siquidem propter administrationem Sacramentorum, decimis, & sui Episcopatus fructibus gaudet: circa hanc obligationem Episcopi, vide omnino, quæ dicemus mox *c. 3. §. 3. n. 2.*

6. Denique hujus Sacramenti solemnitates hæ sunt: Primo præsentia Patrini, de quo mox separatim, & de his fusè Bonac. *d. 2. q. 3. de Confir.* Suar. *d. 37. de Sac. sect. 1. & 2.* & Castrop. *de Conf. d. vn. p. vlt.*

Secundo. Episcopus modo dicto vestitus exhibet Sacram Vnctionem, formam proferens, &c.

Tertio, confert pacem jam Confirmato.

Quarto, eidem levem alapam impingit, ut ipsum moneat de forti animo in perferendis injuriis pro Christo. Eam autem non impingere nullum esse peccatum, seipso contempto, notat rectè Valentia *3. p. quæstion. 1. p. 3. fine.*

Quinto, Confirmati frontem vitta linea ligari curat, ne Chrismate defluat, juxta locorum consuetudinem: quam vittam, propter Chrismatis contractum, ad profanos vsus nunquam adhibendam esse, monet Layman. *lib. 5. tract. 3. c. vlt.* sed vel servetur ad similem vsum, vel comburatur, & ejus cineres in Sacrarium projiciantur. In nostris locis, statim post peractam Vnctionem, Ministri Episcopi frontem confirmati abstergunt, vnde ejusmodi vittæ vsus non est.

7. Plures orationes ante, & postea recitantur ab Episcopo, &c.

Mutat Episcopus aliquando nomen Confirmati, præsertim si ejus antiquum nomen Gentilitatem sapiat.

8. Cereum accensum in manu Confirmati tradi alicubi consuetudo est.

9. Admonitio, ne Confirmatus discedat ante benedictionem Episcopi, non videtur obligare. Imò in magno concursu expedit discedere, & locum aliis cedere.

Denique debent nomina Confirmatorum, Confirmantis, & Patrinorum scribi, ut in posterum sciatur cognatio contracta. Modum hæc scribendi minute tradit Barbos. *de pot. Paroc. c. 7. num. 16.* Et quidem Parochum scienter, & ex negligentia frequente, seu plures baptizatos, vel matrimonio copulatos non scribere mortalis peccati condemnat Quinta. *de Conf. sing. 11.* Vnde quid simile videtur dicendum de Confirmatis, ut apud dictum auctorem videri potest distinctius.

---

## CAPVT III.

### *De subjecto Confirmationis.*

1. SVbjectum aptum ad validam Confirmationem est persona baptizata cujuscumque conditionis, vel ætatis. Quoad licitum autem vsum, quæri solet. Primò de Infantibus. Secundo de Amentibus. Tertio de proximè morituris. Quarto de Adultis, posito semper, quod sint baptizati.

#### *De Infantibus.*

Convenientius esse, Infantes confirmati in Infantia docet Leandr. *de Conf. d. 4. q. 3.* sed nimis immerito, ita docuit, cum sit longè melius eos regulariter confirmare post adeptum rationis vsum, ut hodie praxis Ecclesiarum observat, atque disertè habet Pius V. *in Cath. Rom. 2. p. c. 3. n. 14.* & communiore calculo docent Theologi, scilicet Suar. *disp. 35. sect. 2.* Castrop. *de Conf. d. vnic. p. 7. n. 4.* cum Silv. Soto, Bon. Laym. Bar. & aliis. Verba Pii hæc sunt in catechismo; *Posset quidem statim à Baptismo Confirmatio omnibus administrari, sed minus expedit pueris illam conferre ante septennium, licet expectandus non sit annus duodecimus.*

Illud Leandro libentissimè concedimus, rationabili existente causa, posse, & aliquando deberi Infantem confirmari, ut, si timeatur longa Episcopi absentia, vel brevi Infantem morituram, vel adsit alicubi consuetudo pro Infantibus. Certè Suar. *de Sacr. d. 55. sect. 2. vers. Vtraque,*

illam

illam etiam causam esse rationabilem censet, si Episcopus, vellet ob benevolentiam, similemve causam confirmare Infantem, sed remoto, si quod timeatur, scandalo; nam tunc graviter non peccaret Episcopus, quia ejusmodi usus confirmandi compotes rationis, non videtur esse rigoris magni.

### §. II. *De Amentibus.*

1. SI spes sit, ut Amentes ad rationem redeant expectetur, ut expectantur Infantes, secus possunt, & debent confirmari, etiamsi sint Amentes perpetui, ne scilicet tanto bono, & hujus Sacramenti Charactere careant. Sic ex probabiliore sententia S. Th. 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *ad* 2. Suar. aliique citati.

2. Theologia Seraph. monet *V. Conf. diff.* 3. *ver. Amentes verò*, ne detur confirmatio iis amentibus de quibus constat notoriè incidisse in amentiam in statu peccati mortalis. Constat inquit, nam si non constet, vel dubitetur, scimus omnes, debere eos præsumi bonos, & confirmandos. Non placet monitio, quia semper dubitari potest aliquod intercessisse lucis intervallum, in quo per contritionem bonum statum acquisierint.

3. Quod si alicubi Episcopus Amentes confirmare non soleat, satis excusabuntur Parentes, si illos ad Episcopum non adducant.

### §. III. *De proximè morituris.*

1. HOs tametsi sint Infantes, posse & debere confirmari, ratio modo *dicta* §. 1. *n.* 2. suadet. Excusatio tamen illa esse solet in promptu, quia ejusmodi infirmi suis in lectulis jacentes, sive erubescunt, sive timent, ad se Episcopum advocare.

2. Audiant tamen Episcopi quod Io. Sanch. *in sel. d.* 40. *n.* 4. *ver. Quod si Episcopus adire*, ipsis edicit, *si Episcopus* (inquit) *adire Carcerem vellet, & ibi Confirmationem ministrare condemnatis ad mortem exemplum humilitatis, & curæ ingentis erga suas oves ostenderet.* Audiant quæ scripsit Quintan. *de Conf. sing.* 3. *n.* 5. *Si suspendendus* (inquit) *vel quilibet moribundus Confirmationem petat à proprio Episcopo, illum sub mortali teneri ad eam ministrandam, docent Angelus, Vivaldus, Filliuc. Ochagavia, Suar. Regin. Layman, quia privaret petentem magno fructu.* Audient Sanctissimum Pastorem Carolum Borromæum, *in Decr.* 27. *Decretorum Mediol. Si quis* (inquit) *cum periculosè ægrotat. Confirmationem sibi ministrari petat, tunc Episcopus, si eo loci est, ubi ille ægrotat, ne sine hoc Sacramento decedat, eum charitate paterna invisat, & confirmet.*

### §. IV. *De Adultis.*

1. PRimo. Hi statim à Baptismo confirmentur, si opportunitas adest, quia nihil eos impedit, & sic fortiores reddentur ad fidem profitendam.

2. Secundo. Non tamen iidem peccant, nec mortaliter, nec venialiter si citra contemptum, vel quid simile, data occasione id negligant, quia de hoc nullum apparet præceptum: quæ est sententia Suar. *d. Conf. d.* 83. *sect.* 1. *vers. Quo circa*, contra Caët. & alios non nullos putantes, esse veniale. Vnde non est fides habenda Leandro *de Conf. d.* 1. *q.* 7. *fine*, qui trahit ad se Suar. quasi concedentem esse veniale.

3. Tertio. Nec vllo modo peccant ij Fideles, qui nondum Confirmati accedunt ad Sacram Eucharistiam assumendam, quia multo magis de hoc nullum præceptum adest, quidquid Tol. Victorel. Sot. apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 50. dicant in oppositum. Multo (ait Quintanad. *de Conf. sing.* 4.) minus peccant, qui nondum Confirmati, Religiosam Professionem emittunt, vel alia Sacramenta (præscinde ab Ordine de quo mox) suscipiunt, vel administrant.

4. Verum Quarto. Quid de suscipientibus Ordines, non præsumpta Confirmatione? Respondeo. Id magis est controversum. Puto tamen, neque hos peccare [illegible] mortaliter, quia neque hic apparet adesse præceptum, vel gravem sakem consuetudinem. Tridentinum [illegible] *sess.* 23. *c.* 4. *de Conf.* dum dicit prima Tonsura non [illegible] tientur, qui confirmationem non susceperint, innuere [illegible] tius videtur, quam præcipere. Ita Suar. Valer. Conin. Gran. Avil. aliique apud Dianam *p.* 2. *tr.* 16. *ref.* 4. [illegible] farear probabile item esse, committi mortale, quia [illegible] ctissimi etiam Auctores Tann scilicet Bon. Tol. [illegible] cum Aucisa *de Conf. fine*, id affirmant.

5. An autem peccent saltem venialiter? Respondeo verè communior opinio est eos peccare venialiter. [illegible] probabile etiam est ne venialiter quidem peccare, quia ne levis quidem deordinatio apparet, & ex alia [illegible] nō obligamur omnes bonas operationes Ordinis [illegible] cipiendis præmittere: Episcopum quidem ipsum [illegible] ter ordinantem non Confirmatos, à dicto venialiter excuso, quia magis ad ipsum pertinet, directionem [illegible] ciliorum diligenter custodire.

Inquires denique. Quamnam dispositionem [illegible] debet confirmandus, ut rite & licitè hoc Sacramentum suscipiat? Respondeo, præter intentionem saltem virtualem illud suscipiendi, & statum gratiæ, qui requiritur ne suscipiendo Sacramentum mortaliter peccet, ut [illegible] *l.* 1. *c.* 3. vniversaliter dictum est, debet Adultus aliquo tandem modo scire, quid suscipiat, & alia omnia de [illegible] cognitionem Mysteriorum Fidei, quæ requiruntur [illegible] susceptione Baptismi, de quibus suo loco dictum [illegible] *supra lib.* 2. *c.* 2. §. 3.

## CAPVT IV.

### *de Patrino in Confirmatione.*

1. QVoniam plura, quæ de Patrino in Baptismo proximus superius ad Patrinum Confirmationis etiam faciunt, ideo sunt ea omnino recolenda & nonnihil minus hic aliqua, ibidem dicta commoditatis gratia repetemus, & alia propria superaddemus.

2. Patrinus, vel Matrina contrahit cognationem spiritualem, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonium; *sess.* 24. *c.* 2. *de ref.* sic enim habet Trid. Ea (inquit) quoque cognatio, quæ in Confirmatione contrahitur inter confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac tenentem, non egrediatur. Clarius tibi erunt ex dictis de Patrino in Baptismo. Hic autem notæ illud (tenentem) quare sicut non tangens baptizandum non contrahit cognationem, ita nec contrahet non tangens Confirmandum.

3. Secundo. Idem qui fuit Patrinus in Baptismo potest esse in Confirmatione, ut docet G. Hurt. *l. c. dif.* 3. *Silu. V. Confirmatio, n.* 4. aliique. Verum probabilius Castropal. *de Conf. d. un. p.* 10. *num.* 2. Bon. Laym. Barbos. cum Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 21. aliique dicunt debere esse diversum, nisi necessitas urgeat, licet admittere eundem, non esse mortale: quia res non est gravis, fatetur Diana.

4. Tertio. Patrinus in Confirmatione non fit, nisi vnus, vel vna, quia quod in Baptismo possit esse vna, vel vnus, & vna dispositum fuit à Tridentino, ita Castro *l. c.* quod non fuit dispositum in Confirmatione ego in hac standum est Iuri communi, *C. Final. de Cognat. spol. in* 6. quod vnum, vel vnam tantummodo in Confirmatione concedit. Rectè autem decretum est ob decretum in Synodo Panormitana *part.* 2. *cap.* 13. ut, iuxta Pontificale Romanum Clem. VIII. masculum, fœminam fœminam teneat, addit Barbos. 2. *p. de pot. Episc. alleg. n.* 52. non posse convenienter vnam esse Patrinum, aut duorum tantum in eodem die, sic præscribente Pontificali, nisi fortè ejusmodi Patrinus sit probus, & præsens nisi sit Ecclesiasticus, de quo non adsit malitiæ præsumptio. Hæc ille. Sed profectò rectè dixit (conveniens) nam cæterum præceptum non video.

5. Quarto. Religiosus, vel Religiosa, etiam sine licentia Superioris, potest, saltem absque mortali, esse Patrina, vel Matrina in Confirmatione. Si enim olim fortasse fuit aliqua prohibitio, hodie ipsa consuetudine abrogata est. Quidquid dicat Castrop. *l. c. n.* 2. qui docet Religiosum peccare mortaliter tenendo Confirmandum, & solum tunc non peccare, quando confirmandus esset etiam Religiosus. Nos autem sequitur Quintanad. *de Bapt. singu. ultim. & de Conf. fin.* 8. saltem peccatum mortale non cognoscentem.

6. Quinto. Patrinus in Confirmatione debet ex Castropalao *de Conf. d. v. n.* 2. esse confirmatus, sed de hoc dixi cum de Baptismo, *l.* 2. *c.* 4. § 2. *n.* 4.

7. Sexto. Patrinum non adhibere in Confirmatione esse mortale, docent communiter Doctores, præsertim *Conf. d.* 5. *q.* 1. quia est solemnitas semper gravis existimata in Ecclesia, ut etiam in Baptismo.

8. Septimo. Parentes non possunt in Confirmatione suscipere sub mortali propriam sobolem, ut nec possunt in Baptismo. An autem priventur iure petendi, si suscipiant extra necessitatem, est in opinione positum, atque tum affirmativa, tum negativa probabilis est, ut, cum de Baptismo loqueremur, indicavimus, & confirmabitur ex dicendis *n.* 10.

9. Octavo. Vir non potest suscipere Vxorem suam in Confirmatione, nisi accedente necessitate. Ita Sà *v. Confirmat. num* 16. Verum Leander *de Confirmat. d.* 5. *q.* 9. citans Sot. Tol. aliosque ne in necessitate quidem posse contendit. Vnde sequitur, si suscipiat, non contrahere cognationem propter similem rationem, quàm aliàs indixi *l.* 2. *de Bapt. c.* 4. § 3. *num.* 4. quia qui aliquem suscipit, contra Ecclesiæ dispositionem, cognationem ab ipsa legitimæ susceptioni annexam contrahere non potest. Contra hanc sequelam habet Leand. *l. c.* sed nos illum non sequimur.

10. Confirmatur nostra doctrina, quia sic habet Clem. VIII. *in Pontificali*: Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus, nec Pater, aut Mater, Maritus, aut Vxor. Hæc ille. Ego igitur expendo illud (non potest) cum enim hoc verbum cum negatione possit significare idem, quod (non valet) ideest non est valida susceptio, & possit etiam significare idem quod (non licet) ideest valida est, sed peccaminosa susceptio, ideo poterit quis sequi priorem explicationem, & negare contrahi prædictam cognationem à Coniugatis: ex nulla enim & invalida susceptione, valida cognatio enasci non potest. Sed non nego posse te sequi opinionem posteriorem &c. Vnde utraque sententia sit probabilis, &c. Quod autem has significationes habeat illud (nō potest) habes *apud Barb. de distinctio. V. Potest.* Sanch. *lib.* 6. *de matr. d.* 38. *n.* 20. Suar. *de legib. l.* 5 *c.* 31. *à n.* 13. Castro. *to.* 1. *tr.* 2. *p.* 17. *n.* 4. *& tom.* 3. *de Vot. Obed. q.* 4. *p.* 1. *§.* 1. *n.* 8. *& distinctè* §. 7. *n.* 1. *& p.* 12. §. 4. *n.* 5. *brevius*, aliosque.

11. Nono. An Frater possit esse Susceptor in hoc Sacramento alterius Fratris? Sà V. *Confirmatio n.* 16. Bonac. *de Conf. d.* 5. *p.* 4. *n.* 12. aliique aiunt licitum esse in necessitate. Si ergo id solum necessitati concedunt, negare videntur extra illam. Sed profecto id nimis ieiune dictum est. Quare oportebit, & id clarius explicare, & alias dubitationes hinc emergentes dissolvere, quod iam facio.

12. Quæro enim Primo, An peccet frater suscipiendo Fratrem extra necessitatem?

13. Quæro Secundo. An contrahat cognationem spiritualem, ita ut, si Frater v. g. tenuerit Sororem, deinde cum illa inhoneste agendo delinquat in Confessione explicare, tum cognationem carnalem, tum spiritualem?

14. Quæro Tertio per hanc occasionem. Si Frater Fratrem suscipiat in Baptismo, idémne in prædictis duobus dicendum, quod in Confirmatione?

15. Respondeo. Volui non paucos Doctorum libros revoluere, & recolere totam distinctionem 4. & 5. de Consecr. & causam 30. in quibus de hujusmodi argumento tractatur, & nullibi inveni prohibitionem, ne Frater Fratrem, Sororémve in Baptismo, vel Confirmatione susciperet, Solum in prædicta verba, Sà, & Bonac. incidi, valde, ut vidisti, arida, eaque sine ulla ratione, sine ulla Iuris citatione, sine ulla paritate prolata. Quare donec aliud certius effulgeat.

16. Dico ad primam Quæstionem, Fratrem, posse suscipere Fratrem, vel Sororem sine ullo peccato, quia non sunt imponenda præcepta, si de illis non constet.

17. Dico ad secundam contrahere cognationem, quia nulla ratio apparet non contrahendi. Vnde utraque cognatio erit Confessori aperienda, si casus propositus eveniat.

18. Dico ad tertiam, idem esse dicendum in Baptismo, quia pari modo res in eo se habet.

### *Obligatio Patrini Confirmationis.*

19. Patrinus in Confirmatione tunc solum tenetur confirmatum instruere in fide & moribus; quando defecit Patrinus Baptismi, vel alius, qui instruat. Imo Henriq. Bonac. Laym. cum Castr. *de Conf. d. un. p.* 10. *n.* 2. & cum Leandro *de Conf. d.* 5. *num.* 7. aliique hunc patrinum non esse ad ejusmodi instructionem obligatum docent? hoc enim est proprium munus Patrini Baptizati, non Confirmati.

---

## CAPVT V.

### *De Pœnis iterum Confirmantis.*

1. QVamvis, qui bis scienter eundem baptizat, ut *lib.* 2. *de Bapt. c. ult. & lib. de Irreg. c.* § dictum est, sit ipso facto ex expressis Iuribus irregularis; qui tamen bis, etiam scienter, confirmat, graviter quidem, & sacrilege peccat, quia Confirmatio cum imprimat characterem, est irreiterabilis, sed non incurrit irregularitatem. Ratio convicens ducitur ex illo principio alias *L. de Irreg. c.* §. *n.* allato. *Illud solum delictum inducit irregularitatem, quod expresse iura decernunt.* Quo posito, sic subsumo. At nullum Ius invenitur, quod delicto iteratæ Confirmationis irregularitatem adnectat, ergo &c. Et ita docent communiter Doctores. G. Hurt. *de Confir. diff. 9. & iterum de Irreg. d.* 2. *dif.* 1. Suar. 3. *p. de Sacr. d.* 38. *sec.* 2. Bona. Val. March. aliique cum Leand. *de Conf. p.* 4. *q.* 11.

2. Neque obstat Sacer Textus, *C. Dictum est de Conf. q.* 5. quatenus videtur irregularitatem huic delicto adnectere: non obstat inquam, nam hoc Cap. est Concilii Tarraconensis, quod fuit Provinciale, atque adeo totam Ecclesiam nequit obligare: vel certe usu est abrogatum, vel denique, quia est pœna, incurretur post sententiam.

3. Reconfirmare sub conditione eum de quo est dubium, an valide fuerit confirmatus, non solum non esse peccatum, sed recte factum, sicuti dictum est de dubiè baptizato, monitione non indiget.

# DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ: LIBER QVARTVS.

## MONITIO AD LECTOREM.

ADVERTE (*Amice Lector*) me de Sacramento Eucharistiæ, ut & de Sacrificio Missæ tractatio hujus item est loci, pluribus egisse in Opusculo expeditæ Communionis, & in Opusculo de ejusdem Missæ Sacrificio. Si ergo sæpius ad Opuscula hæc, te Lector, ablegem, ne mireris: id facio, ne ea huc transcribam, cum mea molestia, imo, & cum tua, qui cramben reverentiæ tuæ mensæ appositam, quasi invitus, iterum absumere cogereris. Hanc eandem monitionem, pro Tractatione Sacramenti Pœnitentiæ, præmissam esse volo.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Materia, & Forma Sacramenti Eucharistiæ.*

1. MAteria Eucharistiæ illud nimirum, quod aptum est consecrari, id est transubstantiari in Christi Domini Corpus, & Sanguinem, panis est, & vinū, ut in Trid. *sess.* 13. *n.* 2. & 3. observatur. Forma, illa verba, Hoc est Corpus, &c. Hic est Calix sanguinis, &c.

### §. I. *De Materia Sanctissimi Corporis.*

#### *Materia certò apta.*

1. PAnis ex vero tritico, quod absolutè Frumentum appellamus, certa est materia. Lege *S. Th. 3. p. q. 47. ar. 3. & passim Doctores.*

2. Ejusdem tamen certitudinis est, si panis fiat ex Roccella, ut cæteri Itali vocant, & nos Siculi communiter vocamus Maiorcam. Item si fiat ex illo frumenti genere, quod non raro apud nos usui est, appellaturque Timminia, aliis triticum trimestre, seu trimesinum, sic dictum à brevitate, qua nascitur, & matureſcit: sunt enim hæc in omni rigore triticum.

3. Sive autem azimus sit panis, in quo consecrat Ecclesia Latina, sive fermentatus, in quo Græca, certa est materia. Quo modo autem ab iis Ecclesiis servanda omnino sit sua consuetudo, *in Opusc. de comm. c. 2. §. 9.* fusè dictum est.

4. Dixi autem (Panis) hoc est comestibilis usu communi, sub denominatione Panis, uno verbo, Panis usualis. Nam propterea massa cruda, esto essentialiter, ut aliqui putant, non differat à Pane cocto, cum non sit usu communi comestibilis, nullo modo ex omnium Theologorum sententia, apta est consecrationi.

5. Panem iterum dico, ideſt in clibano, seu furno coctum, vel simili modo igne assum, ut concoqui solent illæ, quas vocamus Hostias, ferreo instrumento, ad eas assandas apto; quod certe clibano æquivalet: & ut fit, quando Panis assatur sub cineribus, vel in vasis, sive ahenis, sive fictilibus, nullo humore adhibito, quia tunc per illam assationem vere fit Panis usualis, ut tenet Suar. Ægid. Delug. Fag. aliique *apud Lean. tr. 7. d. 8. q. 13.*

6. Panem denique dico, etiam si ut habet Lean *l. c. q. 12. cum aliis contra Fagun. p. c. Eccl. 3. l. 2. c. 1. n. 12.* madefactus sit vino, vel aqua, sive frigida, sive calida (dummodo non ita coquatur, ut amittat denominationem panis usualis,) quia sic adhuc remanet Panis. Quare mica panis madefacta, & digitis manúve compressa reddita, quasi massa, est apta consecrationi, quia etiam sic (si aliud non addas) Panis usualis est.

De Pane bis cocto dicam *n.* 10.

7. Quod autem hæc, & similia dicamus de validitate Consecrationis, non verò de licito usu, qui sedulò servandus, quem consuevit Ecclesia, nimis est manifestum.

#### *Materia certò inepta pro Consecratione Sanctissimi Corporis.*

8. Primo Hordeum *Orgio*. Secundo Avena, *Aveglia*. Tertio, Far, *Farro* Italis. Quarto Frumentum istud *Maiſio* Hispanis, non dant materiam aptam conficiendo Pani pro Consecratione, quia nulla ratione, sine fermentum; Multo minus Fabæ, Milium, Lentes, Cicera, Castaneæ, Amygdalæ, cæterique fructus, quia nullus horum frumentum sunt. De Hordeo exuto exteriore ſquamoſo seu de farina ejus idem omnino dic, quod de illo, neque enim ea despoliatio illud immutat à suo genere.

9. Cum autem modò dixi Far non esse aptam materiam, de communi Farre loquutus sum, nam si nomine Farris intelligas Timminiani. (hanc enim per illud nomen Far significari ab Hispanis testatur Leand.) Far sane apta est, ut modò dixi *n.* 2. Sicuti etiam non locutus sum de eo genere Farris, quod à Plinio *lib. 8. c. 8. n.* vocatur Adortum, & ex quo vetus, & optimus Panis conficitur, si enim ita est, apta est materia, cum sic supponimus, Adortum esse verum frumentum.

10. Massa veri frumenti, quam pastam vocamus, si cruda, hinc etiam exulat, quia, ut modo diximus, panis non est.

11. Eadem Massa hordeo, vel butyro frixa, vel cocta in aqua, cum faciat lagana potius, & pultes, quam panes certo item ab Altari excluditur.

12. Minutissima particula veri panis, quæ sive absolute sensibilis non sit, ut ait Vasq. Suar. Hurt. aliique apud *Leandr.* sive etiam ex sententia probabiliore, quamvis in se sensibilis, tamen talis non sit respectu Sacerdotis consecrantis non est apta materia, quia non potest ratione eam demonstrare Sacerdos per pronomen (Hoc) cum sit ipsi non sensibilis. Lege Leandr. *tr. 7. d. 8. q. 12.* cum Hurt. Vasq. aliique *contra Delug. d. 4. de Euc. num. 11.* Verùm adverte minutissimam quantamcumque partem jam separatam ab Hostia consecrata, si tamen adhuc retinet species panis, remanere consecratam, ut definit Tridentinum, *sess. 13. can. 3. & 4.* non enim his militat prædicta ratio negationis demonstrabilitatis, quæ solum requiritur, dum fit consecratio, non jam posita.

*Materia*

*Materia dubia Consecrationis Sanctissimi Corporis.*

13. Panis ex Typha, seu Centeno, Panis ex Spelta, quã Zean, seu Alicam, vocant aliqui, Panis ex Siligine illa, quam ad Centenum pertinere nonnulli dicunt, valde dubiam Doctores citati, & passim materiam afferunt, quia multum ambigitur, an hæc sint Frumentum verum. Huc etiam reduco, quem nos Iermanum vocamus.

14. Dixi (Siligine illa, &c.) Si enim nomine Siliginis intelligas, ut aliquos intelligere testatur Granad triticum selectum, seu candidum quod ab aliquibus Italis vocatur *Grano gentile*, ab aliquibus, *Frumento bianco*, & fortasse correspondet alicui speciei nostræ Maiorchæ, seu Roccellæ, de qua supra *n.*2. diximus, si inquam frumentum est, aptissima est materia.

Sane Plinius *lib.*8. *c.*8. ait Siliginem esse delicias Tritici, & Galenus *lib.*1. *de ciborum facultatib. c.*p. ait panem ex Siligine, esse panem perfectissimum, seu perfectissimum alimentum.

15. Panem ex cremore Tritici, quem appellamus *Amido*, valde item incerta materia est, quia ut *Amidum* fiat, corrumpi debet farina Tritici.

16. Panis ex Tritico misto notabiliter cum aliis seminibus, vel cum colore rubro cinnabari, quo solemus uti ad litteras consignandas, vel cum saccaro, vel melle quos *Mustacioli* vocamus, semper erit incerta materia, quia quando mistio est in quantitate notabili, semper est dubium, an res sit absolute hæc, vel illa ex mistis; At si sit in modica quantitate, tunc, cum parum pro nihilo reputetur, non distrahitur res ad aliam speciem; quare erit consecrabilis.

17. Dubito tamen merito de aliquibus, etiam in quavis modica quantitate. Quis enim acquiesceat Leandro *de Euch. d.*8. *q.*16. indicanti esse panem usualem, Hostiam rubram, quamvis modico cinnabari imbibitam? Non ita panis, cui modicum v.g. saccarum sit immistum; cum enim sic adhuc comestioni humanæ sit aptus, & ex alia parte ea parvitas, ut supponimus, illum non moveat à suo esse, non erit ad consecrationem ineptum. Illicitus autem certe erit, quia est extra usum Ecclesiæ.

18. An autem in hoc casu exiguæ mistionis illa pars modica intermista, substantia, v.g. illa modici saccari, ut etiam lapillus, terræ pulviculus, vel granum hordei milii, similisque generis, sive integri, sive contusi convertatur, necne in Corpus, vel Sanguinem Christi Domini simul cum massa, cum qua facit unum, ad Theologos speculativos, ut sunt Suar. Vasq. Gran. alique citati, à *Leand. de Euc. d.*8. *q.*10. enodare pertinet.

19. Panis ex vero Tritico confectus nõ cum aqua, sed cum aliis humoribus, cum aqua rosacea v. g. vel succo alicuius herbæ, valde dubia materia est, quia inde panis usualis confici non videtur. Excipe nisi satis parva fiat mistio liquoris alterius cum aqua naturali, nam tunc idem dicendum esset, quod modo in simili dictum est.

Panis, qui bis est coctus, quem absolute Biscoctum appellamus, aliquis inter materias dubias connumerare posset, sed certe panis est absolute, quia iterata ea coctio, illum non extrahit ab usuali pane, quare materia dubia non est consecrationis, sed certa.

## §. II. *De materia Sanctissimi Sanguinis.*

*Materia certò apta.*

1. VInum de vite, & quidem omne, sive album, sive rubrum, sive ex una regione sive ex alia, sive ex natura sua debile, sive (quod adhiberi pro sacrificio semper est convenientius) ex se generosum. Notat autem Vasq. *3. p. d.*175. *apud Leandrum tractat.*7. *de Sacr. d.*7. *quæst.*25. Licet vinum rubrum ratione coloris magis assimiletur sanguini, idemque vinum rubrum in Scriptura soleat vocari sanguis uvæ, unde propter hoc convenientius videatur apponi in Sacrificio, tamen absolutè convenientius est, propter munditiem, album.

2. Mustum item, teste S. Th. *3. p. q.*74. *art.*5. *& habetur in c. Omne Vinum, de consec. d.*2. id est liquor ex uvis recenter expressum, apta est materia (licet illicita, propter consuetudinem Ecclesiæ, &c.) quia est in substantia vinum & quidem potabile, licet non sit plene purgatum, seu decoctum. Excipe quoad illud de illicito vsu necessitatem dandi Viaticum, vel quid simile. Excipit etiam Leander *l. c. q.*33. festum Transfigurationis, vbi consuetudo vrget eo die consectandi in musto.

3. Vinum congelatum, non solum postquam sit liquefactum, verum etiam dum est actu congelatum, *l.*2. *Op. sc. de Sacr. Missæ, c.*8. § 8. *a. n.*8. sustinui esse materiam consecrationi idoneam, quia ex se, & natura sua est potabile. Relege locum; nam plura minutiora ad huius rei praxim ibidem invenies.

4. Vinum aqua, vel alio humore satis modico mistum, apta est materia, quia sic non amittitur, nec substantia vini, nec demonstrabilitas vini, per illud *Hic est Calix*, &c. Sicuti in simili dictum est modo §. præcedente.

5. Vinum ex se acidum, cum vere sit vinum, apta est materia. Imo licet cum peccato, valide tamen in rigore Consecratio fieret in vino, quod incipit acescere, seu in acetum abire, si adhuc vere est vinum, quod palato, imò & odore rectè distinguere norunt aliqui, vide mox *n.*10.

*Materia certo inepta ad consecrationem Calicis.*

6. Vinum ex pomis, vel aliis rebus, quam ex vite, Mistum item in uvis existens, Agrestam item, vel liquorem ex eadem expressum, quod Omphacium appellamus, ineptam materiam ad Consecrationem certo pronuncia, quia nec vere vinum sunt, nec sunt usu potabilia.

7. De guttula non sensibili, quod apta non sit, collige ex dictis §. *præcedenti, n.*12.

8. Vinum imbibitum in pane, non est apta materia, quia non potest de illo absolute dici, Hoc est vinum, sed potius, Hic est panis, nam propterea, hunc panem vino madefactum esse materiam Sanctissimi Corporis, ibidem dixi *num.*6. Adde vinum in pane imbibitum valde assimilari musto in uvis existenti, quod modo ineptum esse consecrationi, sine ulla controversia, docuimus omnes.

Liquor expressus ex uvis passis (quidquid dicat Amicus *in cursu Theo. tom.*2. *d.*16. *sect.*3. *n.*3. Diana *p.*7. *tr.*12. *resol.*8. *apud Amedaum contra Anonym. de Euchar. propos.*3.) non est apta consecrationis materia. Ratio non debet esse illa, in qua prædicti putant, nos inniti, sed quia hic liquor, seu succus, nec est ullo modo vinum, nec Mustum. Sicuti enim Sapa, (quod nos vocamus Mustum coctum, seu vinum coctum,) quia est decocta à Musto, deperditis ferè omnibus partibus subtilioribus, nec vinum, nec mustum est, unde nec computanda inter potabilia, sed comestibilia, ut ego supposui *lib.*4. *in Decal. c.*3. §. 2. *num.*5. in Tractatu de Ieiunio; ita succus ex uvis passis, adeo siccus, & decoctus est, ut nullam vini, vel musti potabilitatem servet, sicque potius dictæ sapæ, similis, quam vino.

*Materia dubia pro Calicis consecratione.*

9. Vinum, quod conditur aromatibus, & hujusmodi rebus, semper est, (si non sit satis modica immistio) materia dubia, quia semper timetur, an aromata adeo sint valida, ut vinum extrahant, si non à substantia vini, certe à denominatione absoluta vini, ut non possit dici, Hoc est vinum, sed abeat in mulsum, quo veteres olim utebantur.

10. Pro dubia etiam materia habe saltem quoad praxim vinum illud, quod in acetum iam abire comprehenditur, quia quamvis, dixi *num.*5. aliqui dignoscant an adhuc sit vinum, tamen semper timendum est, ne in acetum corruptum, iam penitus substantiam vini amiserit.

11. Quid fiet si ante vel post Consecrationem Sacerdos advertat pro vino appositum fuisse acetum in Calice, vel quam, satis dixi *in Op. de Sacr. Miss. l.*2. *c.*8. §.

## CAPVT II.

### *De Forma Consecrationis Eucharistiæ.*

EVcharistiæ Forma continetur in his verbis à Sacerdote cum debita intentione prolata *Hoc est enim Corpus meum*; Et, *Hic est Calix Sanguinis mei novi, & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

2. Porro sive illud *Hoc* sumatur adjectivè. (Ita tenet De Lug. *d.* 11. *de Euc. n.* 154. si attente legatur.) Vt sensus sit Hoc est Corpus meum, sicut pronomen *Hic* sumitur in forma Calicis, sive sumatur substantive (Secundùm Suar. *d.* 58. *de Euch. sect.* 7. *cùm S. Th. v. Quinta tamè,*) ut non denotetur Christi Corpus, sed aliqua ratio communis Substantiæ, vel Enti, ita ut sensus sit, *Hoc, quod continetur sub his speciebus, est Corpus meum*, valida est Consecratio. At verò an satis sit, si Sacerdos, dum consecrat proferat verba solum recitando. Durand. Innoc. Ochag. aliique *ap. Suarium, l. c. sect.* 4. An debeat proferre significando. Vas. *d.* 200. *c.* 2. id est personaliter faciendo, quod Christus fecit, an potius utroque modo: Teste de Lugo *d. cit.* 11. *n.* 110. *cum S. Th. Vale. Suar. aliisque*, ut fiat rite Consecratio explicare nostrum non est, sed Theologorum: nobis sufficit monere Sacerdotem, ut intendat se gerere, sicut intendit Ecclesia.

3. An item si quis mutet ejusmodi verba, proferendo v. g. sic, Hoc est Corpus Christi. Ecce Corpus meum. Hic cibus est Corpus meum, Hoc fit, seu fiat Corpus meum. Ego consecro hunc panem in Corpus meum, Ego conficio Corpus meum ex pane, Accipite, & comedite hoc Corpus meum. Hæc est substantia mea. Hic est cibus meus, An, inquam, si quis in consecratione Corporis, (& quid simile in consecratione Calicis. Vt videre est in Suar. Vasq. Conin. De Lugo aliisque innume. citatis *à Lea d. tr.* 7. *d.* 9. *à q.* 7.) ita proferat, conficiat Sacramentum, Theologis quærendum relinquamus. Lege Lean. *d.* 9. *à q.* 2. Profecto hæ, vel similes formæ, saltem dubiæ sunt, & aliquæ nequaquam sufficientes: Nam propterea ab illis, sub pœna peccati gravis abstinendum erit semper.

Afferamus nunc in singulis legitimæ formæ verbis, aliquid scitu dignum.

#### *Hoc.*

4. Quoniam pronomen (hoc) est demonstrativum rei præsentis, ideo duo avertunt Theologi. Primo, debere materiam esse præsentem. Secundo debere esse certam, & determinatam, neque enim de re distanti potes cum veritate dicere, Hoc; Rursus neque de re indeterminata, de aliquo v. g. qui fortasse est infirmus inter decem homines, quemque tu, quia nescis, non vales determinatè designare; non potes cum simili veritate proferre. Hic homo est infirmus.

Tria ergo habe de præsentia, tria de determinatione.

#### *Materia debet esse præsens.*

5. Primo, sicuti non est necesse videre materiam consecrandam, neque illam tangere, ita nec secundum Suar. *d.* 43. *de Euc. sec.* 5. *aliisque*, necesse est, sonum verborum formæ pervenire physice ad materiam, secus submissa voce Sacerdos Formam proferens, quæ vox non pertingeret, usque ad materiam, non consecraret, quod est inauditum.

6. Secundo, Materia posita à tergo, vel post parietem non consecratur. Ita Suar. *l. c. cum S. Th. aliisque.* Addit Coninc. *quæst.* 14. *de Euch. ar.* 2. *dub.* 1. *n.* 22. nec hostia latens sub mappa Altaris, quia non potest quis pro illa sic posita uti pronomine (Hic) Contra vero, materia coram Sacerdote collata, quamvis linteo tantummodo cooperta, vel etiam clausa in Pixide, vel posita in Tabernaculo; seu Sacrario aperto, valide consecrabitur, quia rectè tunc aptatur illud (Hoc) Dico, valide, [illegible] licitum usum nullo modo hæc probanda [illegible] pter consuetum usum Ecclesiæ conferatim [illegible]

7. Quid si Tabernaculum sit clausum? [illegible] Aliqui inter quos est Coninch. *l. cit.* æquiparant [illegible] naculum clausum parieti, & consequenter [illegible] consecrationem. Aliqui inter quos est Lead, [illegible] *d.* 8. *q.* 63. æquiparant Pixidi clausæ, & consequenter fieri consecrationem affirmant: Tabernaculum, [illegible] quasi vas magnum est, inquiunt, ergo eo [illegible] demonstratur, & id quod in illo continetur. De [illegible] *d.* 4. *De Euch. num.* 123 id sub dubio relinquit. Quidquid ergo sit de valore, tu ab hoc semper cave, quia [illegible] illicitum. Et quidem sive Tabernaculum sit apertum, sive clausum, ex alio capite tanquam illicitum id [illegible] batur, quia materia consecranda, vel debet esse [illegible] nibus Sacerdotis, vel supra aram lapideam in Altari.

8. Tertio, certum esse, ait Sotus *d.* 9. *art.* 2. [illegible] stiam consecrari, si distet à consecrante per decem [illegible] sus: at si distet per triginta, esse ait, valde dubium [illegible] adesse ejusmodi dubiam dicit Leander, *l. c. q.* 67. [illegible] tum esse, valide sic posse hostiam consecrari. Ego [illegible] Bonacina *d.* 4. *de Euch. q.* 2. *p.* 6. *n.* 11. incertissimum [illegible] pronuntio, non enim video, qua ratione res à me pro [illegible] ginta passus distans, ita sit mihi præsens, ut de illa [illegible] sim vere dicere (Hæc.)

9. Huc reduci potest illa quæstio. An si magna [illegible] titas apponatur consecranda, solum illa pars [illegible] vini consecretur, quam Deus videt esse mortiferam [illegible] sentem, an tota? Partem, putat Suarez. *De Euch. d. fine*, totam Vasq. *in* 3. *p. d.* 171. *n.* 25. *Cui adhæret G. Hurt. d.* 2. *Euch. diff.* 15. quia, hic iudicat sufficere, si [illegible] sit præsens secundum aliquid sui, id quod ille [illegible] nequaquam putat; caute denique De Lugo *de Euch. d.* 4. *n.* 127. rem dubiam relinquit.

#### *Materia debet esse determinata.*

10. Primo notanda est doctrina, quam citat id [illegible] Coninch. *q.* 74. *ar.* 1. *dub.* 3. *n.* 37. docet enim tria, [illegible] si Sacerdos velit consecrare quinque hostias, re [illegible] v. g. quas habet præsentes, eum debere determinare [illegible] in particulari velit, secus nihil facit, quia tunc [illegible] non esset determinata. Secundo docet, posse eumdem [illegible] lide consecrare quinque, si mente intendat consecrare eas quinque, quas Petrus v. g. antea designasset. Tertio docet, invalidè tamen consecrari, si mente intendat consecrare eas quinque, quas Petrus v. g. post consecrationem designabit, quia sacramenti confectio non pendere ab eventu, seu conditione futura.

11. Ego ex his primum & tertium cum sententia communi satis approbo: secùndum, pace tanti Doctoris, nullo modo, sicuti nec approbant Suar. *d.* 43. *sect.* 6. Vasq. [illegible] 171. *n.* 1. aliique, quia nisi Petri, vel etiam Dei voluntas manifesta fiat Sacerdoti, non potest Sacerdos, per pronomen, *Hoc*, designare quas Hostias consecrare velit.

12. Secundo si inter consecratas particulas per [illegible] cuius incuriam una, vel plures non consecratæ in eum cumulo immiscerentur, non posset ille cumulus absque [illegible] consecrari, quia caderet Consecratio in iam consecratas, quod esset sacrilegum. At limitate, puta cum intentione consecrandi eam, vel eas, quæ consecratæ non sint, valide posset, quam sententiam ego docui, *lib.* 2. *appl. Sac. Missæ c.* 1. §. 3. *n.* 10. & nunc in ejus confirmationem adduco Dian. *cit. à Bauci more afferendo*, & Leandrum *tr.* 6. *d.* 8. *q.* 78. & 79. quia sic consecratio non caderet in hostias consecratas, & ex alia parte, sat determinantur, dum designantur eæ non consecratæ, [illegible] enim determinatæ sunt; non autem vagæ, vel confusæ. Scio De Lugo *d.* 4. *de Euch. n.* 136. *quem sequitur Bauci selectiis quæst.* 47. esse contra me, qui denique dicit, propter dubiam consecrationem debere illum cumulum servari donec corrumpatur, sed mihi probabilior videtur nostra sententia.

13. Contingit

13. Contigit non multis ab hinc diebus, ut Sacerdos cum attulisset ad Altare duas hostias, non advertens, vnam alteri esse suppositam, de more consecrationis verba legitime protulerit. Quænam ex duabus consecrationem sortita est? Respondeo. Neutram aiunt aliqui. *Apud Leandrum l.c.quæst.*71. aliqui *Apud eundem* solam vnam, nempe illam, quæ erat in prospectu Sacerdotis. Verum ego vtramque longe probabilius cum Leand. ibidem citante *Suar.Vasq.Hurt.aliosque, & communiter*, saltem regulariter in praxi puto, quia Sacerdos solet habere intentionem consecrandi quidquid habet in manibus.

Alios similes casus, valde ad hoc argumentum facientes satis, superque consideravimus *in dict. Opusc.l.2.c.1. toto §.3. de Sacr. Miss.*

*Est.*

14. Vide quæ mox dicam *n.*18.

*Enim.*

15. Hæc particula non est de essentia formæ, & quidem sine peccato mortali (præciso contemptu) omitteretur, quia satis est materiæ parvitas. Imò non esse certum, fore mortale, si omitteretur ex contemptu, putat Sotus, *in 4.d.1. q.1. art.8. §.si autem* quia adhuc contemptus parvitate materiæ non caret.

*Corpus meum.*

16. Si quis dicat, *Hoc est corpus meus, Hic est corpus meum, Hic est corpus meis*, grammaticaliter labetur, sed valide consecrabit, quia mutatio est accidentalis. Vide Sua.*d.59.sec.2.cum* Fag.*præcept.Eccl.4.lib.2.c.6.n.*18.& *alii* addentem validam esse absolutionem si ex ignorantia dicat Confessor Absolvo tibi.

17. Idem putat Leand.*tr.7. d.9.q.17.* de eo, qui dicat *Istud est corpus meum*, quia pronomen, *Istud* licet aliud latinè significet, aliquando tamen saltem ab indoctis vsurpatur pro *Hoc*, *Idem ibidem*. Non idem esset si quis diceret, *Illud est corpus meum*, quia pronomen, *Illud*, apud nullos est ostensivum materiæ præsentis.

18. Quid si quis pronunciet *Meun*, pro, *Meum* De Hoc, & similibus audi Sotum *apud Leand.l.c.q.17.& q.*20. qui sic habet.

19. Sunt autem pejores, quam scrupulosi, & morosi, qui putant, si pro *Meum*, dicant, *Meun* non consecrari: est enim deridendus scrupulus. Hispani namque ægrè proferimus *M.* finale. Imò pro, *Est*, velocitate linguæ dicatur, *Et*, nullus exurgere debet scrupulus, quoniam *T.* post S, in fine difficile etiam Hispani pronuntiant: Ex accommodatione enim vsus, legitimus servatur sensus, sicuti in balbutientibus. *Et paulo post.* Imo quamvis non adhibeatur diligentia proferendi *M.* finale in *Meum*, vel si fortè non proferretur *T* in verbo, *Est* nullam profectò reor culpam incurri: Deus enim non est istarum minutiarum observator.

20. Hæc Sotus: licèt severiùs, quoad hanc diligentiam adhibendam, loquatur Fagundez *l.c.n.*21.

21. In his, autem, similibusque casibus adverto, Sacerdotem sic forte pronuncientem, non posse prolata jam tota forma, iterum illam super eandem materiam proferre, quia tunc caderet consecratio in rem jam consecratam.

*Hic est Calix Sanguinis.*

22. Si quis proferat *Calis*, pro *Calix*, vel *Sanguinis* pro *Sanguinis* (ita enim pronunciant Hispani) vel, *Hic est Calix Sanguinem mei.* Vide Leand.*tr.7.d.9.q.*28. vel *Hic est Calix Sanguinis meis*, idem dic, quod modo diximus a *n.*18.

Alias similes formas Sanctissimi Sanguinis æquipollentes legitimæ formæ vnde aptas ad consecrationis valorem, sed certè (quia sunt contra vsum Ecclesiæ) illicitas, vide latè apud Leandrum *loc.c.quæst.*12. 25. 26. 27.28.*&c.* & Fagundez *præcep. Eccles.3. l.2. c.6. an.*18.

*Novi, & æterni testamenti Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

23. Celebris hîc est quæstio, an hæc verba præter illa (Hic est Calix Sanguinis mei) sint de essentia formæ Calicis. Varii varia. Profectò si quis Latinus ea omittat, peccabit mortaliter, quia in re gravissima negliget præceptum, vel vsum antiquissimum Ecclesiæ. At validane fiet consecratio? Respondeo, esse valde probabile, & mihi certum, validam fieri, sed non esse omnino sine controversia. Nam multi Thomistæ omnia illa verba, modo posita, requirunt ad valorem, quæ est quæstio celebris, latè agitata à De Lugo *de Euch.d.*11.*sec.*3. aliisque ab eodem citatis. Vnde prudenter advertunt nonnulli ut Henriq.*lib.*8.*c.*17.*n.*4. Bonac.*d.*4.*q.*3.*p.*2.*n.*3.*aliisque apud ipsos.* Sacerdotem, vel debere habere intentionem consecrandi calicem, per hæc omnia verba, vel, si nolit rem ipse decernere, (vt certe omnibus auctor sum, vt non decernant) debere se referre ad intentionem Ecclesiæ, intendendo consecrare per verba, quæ Ecclesia, intendit. Cum enim nomine Ecclesiæ intelligatur morale Ecclesiæ corpus, cuius caput est Christus Dominus, etiam si omnes Fideles id nesciant, scit certe ipse Christus, qui hoc Sacramentum instituit, &c.

Quod si contingat mori Sacerdotem, nondum prolatis prædictis verbis, prædicti Thomistæ dicerent, reiterandam fore totam formam, ab eo Sacerdote, qui de more supplere debebit Sacrificium inceptum, atque interim illum Calicem esse sub conditione adorandum, ut signatè dicit Bonacina *ibid.n.*4.

## CAPVT III.

### *De intentione requisita ad Consecrationem.*

*Remissivè.*

1. DE hac locuti sumus *in tract. sive lib.*1.*c.*2.*§.*1.*de Sacr. in gen.* & rursus *in Opusc. de Sacr. Miss. lib.*2.*c.*1.*§.*2. quare de illa hic disserere, opus non est.

## CAPVT IV.

### *De dispositione, quæ requiritur in suscipiente Eucharistiam.*

*Remissivè.*

1. SIve de corporali, sive de spirituali, quæ hic requiritur, actum est pluribus *in Opusc. de Comm.*1. & 2.*&c.* non igitur de ea hic iterum agere oportet.

2. Nisi forte id in præsentia addendum sit, quod ad spiritualem dispositionem reduci commodè potest, quodque ibi omittere brevitas coëgit. Id igitur hîc agamus, quæramusque, an sit majus bonum spirituale sumere plures particulas, quando communicat, quam vnam, & consequenter an licitum sit, illas plures sumere? quod idem quærere possumus de majori, vel minori hostia, parciore, vel largiore potu Sanctissimi Sanguinis, &c.

3. Ad vtrumque Respondeo, vtilius quidem esse, atque adeò majus bonum spirituale plures sumere, non per se, sed per accidens, & nihilominus esse illicitum id facere de industria. Explico breviter, quod pluribus prosequuntur Theologi, vt Vasq.*d.*103.*n.*23.*&* 24.*de Euch.* De Lug. *de Euch.d.*12.*a n.*46. G.Hurt.*d.*8.*de Euch.diff.*2. aliique.

4. Et probabilis opinio apud eosdem, & signatè advertit. *Vasq.l.c.n.*26. Eucharistiam toto tempore quo durant ejus species in stomacho posse causare gratiam. Quando enim Christus Dominus est apud eos Sacramentaliter, si nos actus devotionis plures, & plures tunc exhibeamus, ipse causat in nobis gratiam, ad quam per eos actus disponitur. Quoniam ergo sumendo plures particulas, vel hostiam majorem, dintiùs Christus Dominus apud nos, ut ita dicam, hospitatur, longius tempus habemus

bemus, quo actus plures, & plures devotionis exercere valeamus, & consequenter maiores effectus gratiæ consequamur, unde utilius nobis sit, plures accipere.

5. Et nihilominus repeto, nec Sacerdoti licitum esse alteri dare, nec Fideles sumere particulas plures, etiam omni cessante scandalo, etiamque propter dictum finem maioris gratiæ. Nam quòd ad necessitatem consumendi v. g. particulas consecratas, cum renovatur Sacramentum, vel propter similem necessitatem id fiat, licitum esse, immo pium, nulla est dubitatio. Ratio autem nostri dicti ducitur, sive ex usu antiquo Ecclesiæ in re gravi. Ut placet Henriq. *l.8.c.43.n.2.& lit.K.* G.Hurt. & Vasq. *ll. cc.* sive ex periculo, quod posset sensim introduci superstitio; vel opinio aliqua nova de virtute hujus Sacramenti, nam propterea Inquisitores solent contra id facientes diligenter procedere. Audi Vasq. *l.c. num.26.* sic loquentem. *Quamvis id secluso scandalo, non per se illicitum sit, curandum tamen esset, ne maior quantitas specierum mulieribus ignorantibus daretur. Quia licet tolerabilis esset usus propter opinionem aliquorum, tamen introduci posset falsa opinio de veritate hujus Sacramenti, ut eo maior existimaretur, quo plures essent species panis, aut quo maior quantitas illarum esset.* Hæc Vasquez.

In quibus Nota illud, *licet tolerabilis esset*; non enim addidit, *licet sit*, sed *esset*, quasi dicat, Concedatur gratis, esse tolerabile, non est tamen faciendum, propter dictum periculum.

6. Volo item, vt adnotes, licet hoc periculum non esset in viro Theologo, & docto; tamen contra hunc militaturam primam rationem de vsu Ecclesiæ in re gravi.

7. Solum excusarem illum, qui libentius grossiorem hostiam, vel aliquid plus vini in Calice poneret motus à dicto fine habendi diutius apud se Christum Dominum, modo non excedat hostiæ, vel vini quantitatem, plus minusque apponi solitam, excusarem, inquam, propter ejusmodi devotionis affectum, at si excedat, excusare non possem; sic enim dictum usum Ecclesiæ non custodiret.

8. Neque obstat maior devotio ex diuturniore mora Christi Domini, neque obstat, inquam, quia si quater v. g. in die communicares, etiam maior esset devotio, & diuturnior Christi præsentia nec tamen id faciendum, quia non est negligendus usus Ecclesiæ, semel communicandi in die. Iudicatur enim satius esse, has rationabiles, & reverentiæ Christo debitas consuetudines ad vnguem servare, quam illegitimo illi, ut sic loquar, affectui devotionis indulgere: præsertim cum ea devotio alia via possit, purà bonis operibus, & ferventibus animi moribus compensari.

## CAPVT V.

### *De Præcepto Communionis.*

1. DVplex præceptum alibi diximus esse de suscipienda Sacra Eucharistia, scilicet in periculo mortis. Vide *In Opusc. de Comm. cap.5.à §.1.* & in Paschate, *cap.4.§.4.a num.44.* ibidem sufficienter egimus de utroque.

Advertere tamen libet duo. Alterum pertinens ad Communionem in periculo mortis, alterum ad Communionem in Paschate.

#### §. I. *An in periculo mortis aliquando liceat communicare sub speciebus SS. Sanguinis?*

1. IN aliquo casu ita necessario, ut deberet Fidelis decedere ex hac vita sine Viatico, nisi communicaret in utraque specie, vel nisi communicaret in solo Sanguine, quod evenire posset, quando infirmus non haberet vires deglutiendi Sacram Hostiam, sed solum res liquidas, puta vinum, vel hostiam vino madefactam. In aliquo, inquam, ejusmodi casu, id liceretne?

2. Respondeo. Concedit esse probabile in tanta necessitate Leand. *tr.7. disp.11.q.31.* citans alios, & non cæteros Nunnum, qui tamen requirit consensum Episcopi. Cum autem Leander loquatur absolute, videtur concedere, etiam si infirmus recepisset Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis, atque adeo probabiliter iudicaretur esse in statu gratiæ.

3. Verum negant Suar. Fag. Gran. aliique apud Leand. *l.c.* quos ego malim sequi, quia, quod Pontifex Summus in nonnullis casibus ab eodē enarratis, iam scio, aliquibus quos enumerat citatus Leander, id concedere, semper pro proxime morituris non valentibus hostiam absumere, Pontifex in Ecclesia Latina dispensare nunquam legitur. Imò tum ex ejusdem Ecclesiæ mente, quæ in reverentiam tanti Sacramenti semper voluit illud ministretur debitis modis, tū ex Tridentino *sess. fine*, quod integrum hoc negotium, concedendi Nationi, vel Regno, utramque speciem remittit singulari Prudentiæ Summi Pontificis, ostenditur nolle Ecclesiam cōcedere ejusmodi facultatem, nisi hic, & nunc Summus ipse Pontifex causis expensis, expresè concedat non autem id remitti cuicūque pro dicta necessitate morienti.

4. Post hæc scripta incidi in Responsa Moralia Joannis De Lugo *in Resp. Mor. lib.1. dub.10.n.2.* negantem cum Suario, posse dari Sanctissimum Sanguinem moribundo non potenti Sacram Hostiam deglutire.

5. Addo duo, Primum, in eo casu posse infirmo non potenti siccam hostiam absumere, tradi exiguam particulam hostiæ consecratæ intinctam vino non consecrato, nam sic facile posset eam deglutire, & ex aliis pro Viatico non requiritur ieiunium rigorosum necessarium, &c.

6. Secundum, non propterea ait Leand. *l.c.n.3.* prohiberi, laicum assumere Calicem, si forte mortuo Sacerdote esset periculum, ne indignè Sacer sanguis exhauriatur ab Hæreticis, vel ne verteretur in acetum, vel in casu projectus in terram, non esset Sacerdos, qui possit lambere, vel sumere. Nam tunc reverentia ipsi, Sacramento debita, de iure naturæ requirit, etiam à non posse reverenter absumi. Qua dispositione animi, vide *in Opusc.c.1.de Communione.*

#### §. II. *An possit concedi dispensatio de non Communicando in Paschate?*

1. ENarrabò, ut id explicem, casum olim mihi propositum. Versabar Agrigenti ob quædam negotia Ordinis negotia, ab Eminentissimo Cardinali Rodulfo, per id tempus Agrigentino Episcopo, expediendā; Dicerant, quibus feriæ Paschales celebrabantur; Quando vicinis oppidis quidam Diœcesanus Agrigentum accessit, postulans ab Episcopo, vel Dispensationem non communicandi in Paschate, vel communicandi non ieiunè. Asserebat enim ex Medicorū scripto testimonio, se non posse absque notabili, ac gravissimo vitæ periculo, vel paucas horas sine nova cibi assumptione transigere. Quare, aut Communionem eo Paschali tempore omittere, aut cibatum communicare oporteret. Magna exorta est disputatio in Episcopi aula inter illos tres Theologos, sive Canonistas, qui Cardinali assidebant, aliquibus asserentibus debere huic concedi facultatem communicandi non ieiunum, ut Præcepto de Communione Paschali satisfaceret, aliquibus contra contendentibus, satius fore, si concederetur dispensatio non communicandi, ne scilicet violaretur præceptum tam antiquum, & tam debitum reverentiæ hujus Sacramenti de Communicando ieiunè. In tanta perplexitate, quodnam ex duobus hisce præceptis, prævaleret, quodque deberet cedere deberet, dubitatum per plures horas fuit. Ecce autem cuidam ex illis menti occurrit hominem è Societate IESU per eos dies Agrigenti commorari, quare id aliis suggessit, qui communi consensu Reverendum Archidiaconum Dom Ioannem Gisulfum, in cujus ego domo exceptus hospitabar, à me scisciturum, miserunt, quid ego de illa quæstione sentirem.

Equidem

Equidem fateor, me tunc satis jejunè, nec valdè in ejusmodi moralibus quæstionibus instructum, hæsisse ad postulatum. Verùm, (ut solet in subitis casibus) non quidem ingenium, (quod admodum tenue mihi inesse animadverto) sed responsendi necessitas viam aperuit ad satisfaciendum postulantibus satis expeditam. Itaque respondi, mihi videri, in proposito casu eminentissimum Dominum neutrum ex dictis præceptis posse, vel debere dispensare, cum vtrumque probe valeat ab infirmo illo Diœcesano sartum tectum custodiri. Poterit enim is prædicta fame, nec alia (ut idem ipse fatebatur) infirmitate laborans, aliquid cibi sumere ante mediam noctem, & postunam, vel alteram horam sequentis diei communicare, cum jam sit, quoad sequentem illum diem satis, superque jejunus. Plausum dedit, etiam manibus, nec solum voce, ad responsionem Archidiaconus: Et O quam bellè, inquit & expedite vtrique præcepto satisfactum est! quorum neutrum Eminentissimus Cardinalis dispensare merito hactenus recusavit. Sic ille, nec amplius, tumipse, tum alij de ea quæstione (cuinam facilius ex illis duobus præceptis dispensationem concedi liceret,) fuere solliciti.

2. Porro, ego illi plausui nihil arridens, erubui, non ut putavit Archidiaconus, ob conceptam ex dato plausu modestiam, sed propterea, quod quæstionem illam, ut de ea erat directa postulatio, si fortè amplius instassem, evolvere, nescivissem. Quare resedit animo propositum, vbi opportunitas librorum mihi suppeteret, diligenter perscrutandi, ecquinam Doctores de illa decernerent. Verum, ut in similibus fit, cum aliis fuissem distractus negotiis, studiisque, à mente prorsus excidit, penitúsque refrixit ardens illud inquirendi desiderium; nunc verò, dum post triginta quinque ferè annos hæc scribo, in mentem tempestivè redit antiquum illud propositum, aurémque vellicat, ut breviter in lectorum gratiam id meo more decernam.

3. Præmittendum est, præceptum assumendi Eucharistiam jejunè, esse totum Ecclesiasticum, ut docent omnes communi calculo Theologi, scilicet S. Thom. Vasq. Suar. Gran. Del. aliique cit. à Lean. *tract. 7. de Euchar. d. 2. q. 2.* quibus adde De Lugo *d. 15. de Euch. sect. 2.* communicandi vero in Paschate esse partim Ecclesiasticum, sed ex origine, Divinum: quatenus scilicet CHRISTUS Dominus præceptum adultis dedit communicandi aliquoties in vita. Vide S. Th. Suar. Grand. Vasq. aliósque apud Leand. *cit.* (nec solum semel, ut Palud. & Cæt. *apud eundem* minus probabiliter putant) in illis verbis: *Nisi manducaveritis Carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis.* Sed quia tempus non determinavit, ideo Ecclesia suo præcepto prædictum tempus pro adultis designavit, affixitque Paschalibus feriis. Simile etiam esse præceptum Confessionis mortalium habes apud Dianam *p. 11. tr. 8. resol. 36. & 37.* Ex his jam colligis, vrgentius, ac fortius præceptum esse de communicando in Paschate, quam de communicando jejunè.

4. His habitis, dico Primo, Summum Pontificem (nam mox de Episcopo) posse facilius dispensare præcepto de jejunè communicando, quam præcepto de communicando in Paschate. Patet ratio ex dictis, quia in priore dispensat in suo præcepto, in posteriore dispensaret in suo quidem, sed quod est Divino; ut ita dicam, immistum, nam propterea notanda est limitatio, mox *num. 6.* proferenda.

5. Et quidem rectè De Lugo *l. c. n. 142.* quærens. An Summus Pontifex obligetur communicare in Paschate, ait, probabile esse, quod si hanc legem Ecclesiasticam communicandi in Paschate, non omnino tolleret, quoad se Pontifex, sed alteraret, quoad tempus, volendo quod determinatio temporis quoad se, esset pro aliqua vice, annus v. g. cum dimidio, non peccaret graviter vtique, quia dispensaret in lege propria: quasi dicat De Lugo, potest Pontifex differre, non verò præceptum tollere, quia non potest tollere id, quod de præcepto divino est.

6. Ex qua Doctrina vides Summum Pontificem posse quidem huic semper esurienti Fideli de quo loquimur, ne jejunus communicet, dispensare; dispensat enim in proprio, id est Ecclesiastico præcepto, ut aliquando Carolo V. dispensasse, etiam devotionis causa, dixi ex Famiano *in Opusc. de comm. c. 2. §. 8. n. 46.* At vides insuper non posse eundem Summum Pontificem dispensare, ut nunquam communicet, quia dispensaret in præcepto Divino: solum enim posset, ut communionem pro aliquo tempore differret, quia sic dispensaret, ut dictum est in Ecclesiastico.

7. Dico Secundo. Episcopum non posse dispensare, ne quis non jejunus communicet, multominus propter prædictam originem à præcepto Divino, ne quis communicet in Paschate. Ratio est; quia hæc sunt præcepta totius Ecclesiæ à Conciliis, Summóque Pontifice impositis in quibus nihil potest Episcopus qui est Papa inferior, ut est omnium vulgata doctrina. Ita apud Castrop. *tom. 1. tr. de legib.* & apud Dian. *p. 7. tr. 10. resol. 37.* nisi fortè in aliquibus, legibus quarum dispensationis necessitas frequenter occurrit, ut in legibus de jejunio Ecclesiastico, de laborando diebus festivis, &c. Tunc enim potestas dispensandi conceditur Episcopis ob bonum, ac suave regimen Fidelium. Cum ergo necessitas dispensandi in duobus præceptis, de quibus præsens est disputatio, rarissimè occurrat, Episcopis integrum non est dispensare, & Eminent. Card. Rodulphus, eam dispensationem merito concedere recusabat.

8. Sed fac, hominem illum continuato cibo indigentem vti remedio modo allato comedendi post mediam noctem, sive per possibile, sive per impossibile nequaquam posse, omninò remedio carebit?

9. Respond. si prædictus in periculo mortis sit constitutus, jam poterit non jejunus per modum Viatici communicare. Si sanus, jam tempus supperit recurrendi ad Summum Pontificem, ut concedat, saltem aliquoties, ut quamvis alias sanus, non jejunus communicet. Si denique interim superveniant feriæ Paschales, dum expectatur Pontificis rescriptum, ipse verò nec est in periculo mortis, nec vti potest, sicuti tu metaphysicè supponis, illo remedio comedendi ante mediam noctem, excusabitur à præcepto tunc, adimplendo, tanquam ipsi tunc reddito moraliter impossibili, séque tunc gerere poterit ac si esset in loco vbi nullus est Sacerdos, nulla Eucharistia, &c.

Atque hæc de Eucharistiæ Sacramento in præsenti tractatiuncula; cætera enim ad illud pertinentia, latè, vt sæpè monui, sunt petenda à nostris Opusculis *de communione, & de Sacrificio Missæ.*

# DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

## LIBER QVINTVS.

MEmineris, *Lector*, *Me de hoc Sacramento in Opusculo Methodi Confessionis multa scripsi*... *Ea igitur solùm, quæ ibi locum non habuere, erunt hic nostro more, hoc est, breviter explicanda.*

### CAPVT PRIMVM.

### *Materia, & Forma hujus Sacramenti, & dispositio præsentis Tractatus.*

*Materia Remota.*

1. MATERIA remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata. Ut ait S. Th. 3. *p. q.* 84. *art.* 2. & *Theologi hic passim* non quidem materia, ex qua, sed circa quam illud versatur.

2. Porro nomine peccatorum non intelligimus cum Trid. *sess.* 6. *c.* 1. & 5. & *Can.* 1. & 2. nec peccatum originale, nec ea quæ ante Baptismum fuerunt commissa, sed commissa post ipsius susceptionem; illa enim priora delet Baptismus, hæc Pœnitentia, quæ propterea appellatur à Patribus *Secunda Tabula post naufragium*. Peccatum fictionis, ut vocant Theologi, (quod est illud, quo quis adultus sine debito dolore peccatorum à se commissorum, ad Baptismum fortè accedit, vel accedit cum voluntate aliquod peccatum mortale committendi) est etiam materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ, vnde in Confessione Sacramentali explicandum, ut alibi latius probatum à nobis est *in tract. Theologico de Sacramentis*, quia hæc peccaminosa fictio consummatur in aliquo posteriori à Baptismo; prius enim intelligi debet Baptismus constitutus, & deinde ejusdem prava susceptio; quamvis igitur voluntas malè susciipiendi præcedat Baptismum: vnde hæc non est materia Pœnitentiæ; ipsa tamen mala susceptio Baptismum consequitur, ac materia Pœnitentiæ esse potest, & debet.

3. Peccata mortalia, alias confessa, & ritè absoluta, ut item peccata venialia, sunt materia quidem sufficiens, & idonea hujus Sacramenti, sed non necessaria; illa enim jam remissa supponuntur, hæc verò possunt aliis modis remitti.

*Materia Proxima.*

4. Materia proxima sunt actus pœnitentis, hoc est oris Confessio, cordis Contritio, Satisfactio. Et cordis quidem contritio non est solitariè accipienda, sed ut sensibilis fit per Confessionem. Satisfactio autem non est pars essentialis, sed integralis, pertinens ad ejus perfectionem, nec ita tamen, ut est cor, & caput in homine, sine quibus persistere homo, nullo modo potest, sed ut pedes & manus, quæ, sunt partes hominis integrales secundario: potest enim hoc Sacramentum, quoad essentiam, & quoad principales partes, constare sine satisfactione, ut ostendit perpetua Ecclesiæ praxis, qua absolvitur morti proximus, quando nullam susciipere pœnitentiam valet, per quam satisfaciat.

*Forma.*

5. Forma denique est absolutio, verbis prolata à legitimo peccatorum Iudice, nempe à Confessario, *Ego te absolvo, &c.*

*Dispositio præsentis Tractatus.*

6. His distinctis, ut hujus Sacramenti tota Tractatio absolveretur, percurrendæ essent ejusmodi dictæ materiæ, hoc est oris Confessio, cordis Contritio, Satisfactio, & solutio. Verùm quia de his à nobis satis, superque tractatum est in Methodo expeditæ Confessionis, ne molestia legentium, hic eadem repetamus, ab iis tradendis merito abstinebimus, ut ea afferamus in medium quæ ibi locum habere pro meo instituto, quod fateor, non potuerunt: Hæc autem ad tria reduco, ad obligationem, quam quisque Fidelium habet recipiendi hoc Sacramentum Pœnitentiæ. Ad potestatem, ministrandi... Approbationémque legitimam Ministri hoc Sacramentum conferentis, Ad casus reservatos, à quibus non nisi ex dictis Ministris absolvere possunt. Faveant omnibus nostris Cælites, faveat Virgo, faveat Deus, quo aliquid proferam lectione dignum, in hoc argumento tam obvio, atque à tot sapientissimis viris agitato, ut supplex, & obtestor.

### CAPVT II.

### *De præcepto susciipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.*

1. SVpponimus tanquam omnibus Theologis explaratum probatúmque ex illis verbis Christi Domini Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, addita Ecclesiæ traditione, esse præceptum Divinum de hoc Sacramento susciipiendo impositum iis qui labi rant mortalibus. An extra articulum mortis sit hoc præceptum: Vide apud Dian. *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 8. & 33. Suppo nimus item de eodem esse præceptum Ecclesiæ, *c. Omnis utriusque sex. de pœn. ex remiss.* Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *fin.* ut ite tem semel in anno ab iisdem, si aliquo mortali gravatur, susciipiatur. Quoniam verò de tota hac re satis dixi mus *in Opusc. Meth. Comm.* Duæ hic super sunt quæstiones, quas jam subdo.

#### PRIMA QVÆSTIO.

§. 1. *An obligentur Fideles Confessionem præditam habere semper per voces, non vero per Scripturam?*

1. REspondeo, Nisi necessitas aliud cogat, ut in fide muto, &c. in quibus satis sunt nutus, Confessio semper fieri debet per voces, ut colligitur ex Sacr. Text. *cap. Quem pœnit. de Pœnit. d.* 1. Vnde mortaliter peccat, qui aliter faceret; esset enim contra vsum Ecclesiæ antiquissimum. Conceditur nihilominus à pluribus, à Costrop. *de pœn. p.* 8. *n.* 8. cum Suar. Vasq. aliisque Pœnitentiæ vel ob maximam verecundiam, vel ob loquelæ impedimentum (adderem ego libens, vel ob scrupulos, quando se melius explicare pœnitens, putat per scripturam) posse exhibere sua peccata Confessario præsenti, atque immediatè à præsenti absolvi: & tutius quidé fiet, si pœnitens antequam absolvatur dicat, *Ego cum dolore confiteor omnia peccata, quæ hic legisti, &c.* lege mox dicenda, *n.*

DVBIVM

### DVBIVM INCIDENS.
*An possint absentes absolvi?*

2. Ex dictis, quod aliquando liceat per scripturam confessio exhiberi confessario præsenti, & ab eodem præsenti absolvi, oritur cupido sciendi, an etiam id liceat in absentia?

3. Resp. Nullo modo, nec licere, nec valide fieri posse decrevit Clem. VIII. his verbis: Hanc propositionem, id est (Licere per litteras, seu per internuncium Confessario absenti peccata confiteri Sacramentaliter, & ab eo absente absolutionem obtinere) ad minus, ut falsam, temerariam, & scandalosam Sanctissimus damnavit, ac prohibuit sub excommunicatione lata Pontificique reservata, aliisque pœnis, &c.

4. In cujus explicationem satis sit notare duo. Primo, non solum, ut illicitam ejusmodi Confessionem, Absolutionemque ab absente collatam prohiberi, sed (quidquid aliqui contra dicant) etiam ut invalidam secundum Suar. *d. 19. sect. 3. de pœnit. n. 16.* & De Lugo *de pœnit. d. 17. n. 64.* Ratio mihi non inefficax est, quia si esset valida, non posset assignari ratio, cur aliquando, pura in extrema v. g. necessitate moribundi, non posset licitè absenti absolutio conferri? tunc enim licita reddi deberet ex tanta necessitate. Quare si licita aliquando posset esse, non potuisset à Pontifice semper damnari.

5. Nota secundo, prædictam propositionem, à Clemente prohibitam, duas habere partes: unde valde dubitatum fuisse inter Theologos, utrum in sensu conjuncto, an in sensu disjunctivo eæ sumi deberent; Verum, debere in sensu disjunctivo, ego pro certo habeo. Explico, quod dictum est, & probo.

5. Dubium esse potest, An Clem. VIII. damnet simul hæc duo, scilicet, posse fieri confessionem absenti, & à Confessario absenti absolutionem obtineri, quo pacto illud (&) sumeretur in sensu conjunctivo: & sic non damnaretur, qui solum unam partem ex dictis affirmaret v. g. Confessionem solam posse fieri absenti, vel affirmaret, Absolutionem solam posse dari absenti. An potius dictus Clemens damnet hæc duo etiam separatim sic: Damno etiam eum, qui affirmat, Confessionem posse fieri absenti, &, Damno etiam eum, qui affirmat posse dari absenti absolutionem, quo pacto illud (&) acciperetur in sensu disjunctivo.

7. Video utrumque sensum verbis Clementis dari posse. Sed certum, ut dixi, ego ex fine intento à Pontifice judico, sensum esse posteriorem, idest sensum disjunctivum. Nec novum est illud (Et) sumi in locutionibus pro (*Vel*) nam sic Aristoteles dixit, *Naturam esse principium motus & quietis*, idest, *vel motus, vel quietis*. Qui modus locutionis habetur in iure *L. Conjunct. Ff. de Verb. sign.* non semel, & videri potest apud Barbos. *in Dian. Dist. 100.* Ratio autem datæ doctrinæ est, quia secus, qui separatim diceret Absolutionem posse conferri absenti non damnatus fuisset à Clemente. At ipse hanc propositionem maxime damnare voluit, siquidem de ea maxime ejus ætate, disputatum est contra aliquos, id concedentes propter rationem judicii, in quo sententia dari solet etiam in absentia delinquentis. Adde Sacram Congregationem Sancti Officij (ut refert De Lugo *loc.*) declarasse, non subsistere interpretationem illam, quæ dicit Confessionem posse fieri absenti, dummodo Absolutio detur præsenti. Hæc de hac materia nobis dixisse sufficiat.

8. Non tamen puto Confessionem fieri absenti, si quis mittat sua peccata scripta Confessario absenti, & deinde conveniens eundem Confessarium, dicat, se fateri omnia illa peccata, ad ipsum scripta, nec alia præter illa scripta postea commisisse, non, inquam puto hanc Confessionem fieri absenti, satis enim per verba prædicta fit Confessio coram. Lege DD. Dianam *p. 11. tr. 7. resol. 1.* vbi, An aliquando obligeris sic, vel per Interpretem confiteri. *Et ibidem Resolut. 30. late, an possis.*

9. Hac occasione solet quæri, quando, & quomodo possit, vel debeat dari absolutio proxime morituro, qui vel non petiit Confessionem, vel petiit absente Confessario? Sed de tota hac praxi satis diximus *in Opusc. Meth. confess. l. 2. cap. 10. §. 1. à n. 13. exp. Confessionis.*

### *Praxis circa qualitatem præsentiæ requisitæ in hoc Sacramento.*

10. Leander *de Sacram. Pœnit. t. 2. quæst 30. & 31.* citans *Ochag. Dianam* & alios, cum proposuisset, An si Sacerdos inadvertenter pœnitentem non absolvat, possit illum parum distantem absolvere? Respondet, posse, si pœnitentem nequeat revocare sine scandalo, vel alio incommodo. Secundò, addit rationem quia ad absolutionem non requiritur contractus physicus, sed satis est præsentia moralis. Tertiò, superaddit satis esse ad præsentiam moralem, si Sacerdos videat pœnitentem, aut alio sensu illum percipiat. Quartò, affert Molfesium dicentem. *v. g. Summæ Tract. 7. cap. 5. num. 59.* in dicto casu, si pœnitens sit moraliter præsens, nempe parum per distans, etiam viginti passus, posse à Confario absolvi, modo ex qualitate personnæ probaliter constet, pœnitentem non incidisse in novum mortale. Quintò, denique docet, certum esse contra aliquos doctos Recentiores, non posse absolvi moribundum v. g. existentem in domo à Confessario, qui domum nondum ingressus est, quia in hoc casu nulla est præsentia moralis. Hæc ex Leandro: quæ tamen ita mihi placent, vt ex illis vnum omnino displiceat, & alterum examini subijciendum putem.

11. Primo enim displicet mihi, & forte etiam aliis, quod tertio superaddit, nimirum satis esse ad præsentiam hanc moralem, si Sacerdos videat pœnitentem. Hoc valde difficile est. Nunquid, si meus pœnitens post confessa peccata abeat ab extremo magnæ cujuspiam Ecclesiæ ad aliud extremum, quantum scilicet à meis oculis videri etiam commode posset, valide ego illum absolvam? Erit hæc præsentia moralis pro audienda concione, imo etiam pro assistentia Missæ, quando Templum plenum est audientibus, quia omnes faciunt vnum populum, rite Missæ assistentem: at certe præsentia moralis non erit pro Absolutione, quæ majorem propinquitatem requirit, nempe illam, quæ est in Iudice, non reum quomodocunque, sed ex Clemente VIII. vt diximus reum præsentem condemnante, vel absolvente. Ecquæ tandem est hæc? Profecto illa, qua solent communi voce, etiam aliquanto altiore homines cum hominibus loqui. Hæc enim est præsentia moralis, propria hujus Sacramenti, instituti per modum judicii humani.

12. Secundo, Examini, ac Sapientum judicio submitto illud de viginti passibus: si enim distantia ejusmodi judicetur á Sapientibus esse apta, ut modo dicto, homines loquantur, apta judicetur, & hic secus non item.

13. Ex iis, quæ dicta sunt, potest solvi illa communis quæstio de eo Sacerdote, qui letaliter vulneratum in via vellet absolvere ex fenestra ob periculum, ne sine absolutione moriatur vulneratus. Dico enim valide, & licite posse, si parum fenestra disteт, explicando hoc (parum distet) eo modo, quo jam dictum est, secus ex se non posset. Dico (ex se) nam hic, & similes casus illud proprium habent, ut si tibi appareat fenestra aliquanto altior, ita ut dubius sis de præsentia debita; tunc, quanta potes contentione vocis, moribundum absolvas, sub conditione tamen (quæ sane conditio si mente retineatur, sufficit) ut in similibus dubiis, fieri posse, diximus *In Meth. Conf. l. 2. c. 10. n. 8.* animo semper iterum absolute illam cum suis debitis conditionibus, sive per se, sive per alium conferendi.

## SECVNDA QVÆSTIO.

### §. III. *De Præcepto dato Medicis circa Confessionem Ægrotantium.*

1. HUc commode reducitur illud Præceptum Ecclesiasticum, quo Pius V. *sup. Gregem* præcepit, ne Medici

Medici incipiant ægrotos curare, nisi eos moneant de facienda peccatorum confessione, neque eosdem vltra tertium diem visitent, nisi ipsi de confessione facta constet, per testimonium Confessoris, scriptis datum, additque, ut Medici, antequam Doctoratus gradum assumant, hoc præceptum, se observaturos, jurent.

2. Profecto multa ex his temperavit ipsa consuetudo. Ita Suarez *de Pœn. d. 35. sect. 3. n. 5.* Sanch. 3. *Sum. c. 10.* & Scortia *in const. Pontificiis epist. 88. Theor. 215.* Primò ergo id intelligitur de morbis periculosis. Secundò, sufficiet testimonium domesticorum, vel ipsius ægroti, si appareant fide digni. Tertio, satis erit, si Medicus admoneat ægrotum per alios. Quartò, si ægrotus est obstinatus in respuenda Confessione, non est deserendus à Medico, si ipso se retrahente, grave periculum infirmus incurrat, sicuti, nec deseritur ægrotus Turca, qui obstinatè respuit Baptismum, quia id esset contra charitatem. Pius autem jubet, ægrum deseri, quando desertionis timore resipiscentia speratur infirmi, His autem dictis non obstat juramentum, datam à Medicis, illud enim intelligitur dari, secundum vsum receptum.

## CAPVT III.

### *De Potestate Ordinis, quoad absolvendum.*

1. NOstrum hîc non est confirmare contra Hæreticos, solum Sacerdotem Ministrum esse legitimum Sacramenti Pœnitentiæ; id enim est ab Eugen. IV. *in Decret. Fidei*, & à Tridentino *sess. 14. c. 6.* manifestè definitum. Quare suspectus est de hæresi, qui sive Clericus, sive Laicus, cum non sit Sacerdos, Sacramentum Pœnitentiæ administrat, & puniendus ab Inquisitoribus, & eisdem à Fidelibus denuntiandus erit.

2. Et quidem Vrbanus VIII. *Apostol. Offic.* Lege etiam Bullam Greg. XIII. & Clem. VIII. *de eadem hac re*, addidit committentem hoc crimen, hoc est absolventem peccata, ut etiam celebrantem Missam sine Sacerdotio, si complevit ætatis annum vigesimum, debere dari Curiæ seculari, ut debitis pœnis puniatur,

3. Nota quatuor. Primò, in Hispanica, atque adeo in Sicula Inquisitione non solere, ut ait Carena *l. mox citand.* pœnam mortis imponi, sed alias mitiores pœnas, etiamsi complerè, id est audiendo peccata, & ea absolvendo, Sacramentum hoc ab ejusmodi non Sacerdote administratum fuerit.

4. Secundo nota, hunc non Sacerdotem, sic delinquentem, fieri irregularem, immò, si delictum notorium sit, etiam infamem ex De Lugo *de Sacr. d. 18. n. 14.* dicente hanc esse veriorem sententiam, citantéque Suar. lege iterum Thesaur. *de pœnis Ecclesiasticis V. Absolvo c. 1.* Sed irregularitatem hanc negat Leander *de pœn. tract. 5. disp. 11. quæst. 6.* quia non est jure expressa. Verum ego cum distinctione loquor, ut fusè declaro *in tr. de Irreg. vbi de irregul. ex prava ordinis vsurpatione*, ac Laicum omnino ab irregularitate libero, non vero Clericum, saltem quoad effectum.

Tertio nota. Si non Sacerdos nequaquam se fingat Sacerdotè aut, non velit vsurpare officiũ Sacerdotis, sed ut merus Laicus, putans v. g. se Laicum, (ut certè, aliqui ex vulgo satis imperiti iudicant) posse moribundum absolvere, & à peccatis ipsum absolvat, hic certè, ut docet cum Gasp. Hurt. *d. 2. de irreg. diff. 1. n. 5.* De Lugo ibidem, non incurreret irregularitatem, non solum, propter bonam fidem sic operantis, sed quia ad hanc irregularitatem incurrendam (idem videtur consequenter dicendum quoad alias pœnas) requiritur, quod non Ordinatus exerceat illum actum absolvendi, tanquam Ordinatus.

Quartò, Quid si quis non Sacerdos incipiat audire Confessionem, sed non conferat Absolutionem, incidet, ne in prædictas pœnas.

Respondeo, vel agis, an hic sit denuntiandus Inquisitori? vel agis, an sit pœna mortis condemnandus primo, consentiunt Carena *de Off. Inquis.* & Salelles *Inquisitione lib. 1. 1. Reg. 16.* debere tiari, punirique pœna saltem extraordinari, quia Tribunale spectat cognoscere de crimine confi & de attentato. Si de secundo, Salelles *l. c.* cum & Freita affirmat, esse pœna mortis puniendus non adest Hispanicæ Inquisitionis mitigatio, modo indicavimus. Carena autem *l. c.* cum Rod Acuña, & Sanctarello id negat. Vtraque sententia babilis est, sed probabilior hæc secunda, quia cum tur de pœnis, strictior est legum interpretatio fa At qui solum audit peccata, & non absolvit, non tur strictè, & proptriè administrare Sacramentum pœnitentiæ.

## CAPVT IV.

### *De Iurisdictione necessaria ad absolvendum.*

#### §. I. *Quid ea sit?*

1. IVrisdictio in communi ex Azore. *Est potestas publico introducta, cum necessitate iuris dicendi, aquitatis statuendæ.* Seu clarius. *Est potestas dicendi & proferendæ sententiam, absolvendo à delicto, vel imponendo pœnam.*

2. In nostro igitur casu iurisdictio est potestas legitimo Superiore (quis ille sit dicetur §. 4.) alicui cerdoti, per quam tanquam in suos subditos possit actus Sacerdos reducere in actum eam potestatem solvendi à culpis, & pœnitentias injungendi, quam habet Ordine Sacerdotij.

3. Hanc Iurisdictionem, quam potestatem Clavis appellare solemus, esse ad absolvendum necessariam, que adeo nequaquam valere Absolutionem sine illa, mis disertè docet Trident. *sess. 14. cap. 7.* id autem nis CHRISTVS Dominus instituit, quia hoc Sacramentum Pœnitentiæ conveniens fuit, ut exerceretur per modum Iudicii, in quo non valet sententia, nisi à Iudice iurisdictionem habente feratur. Considero igitur ego potestatem Ordinis esse, tanquam gradum Doctoratus per quem fit homo habilis in actu primo ad exercendum officium iudicis, potestatem vero Iurisdictionis (addita approbatione, de qua *in cap. sequenti*) esse perinde, ac missionem ipsum iudicis datum à Superiore, per quod sit in actu secundo Iudex habens jus iudicandi, id est, vel absolvendi, vel puniendi. Lege Suar. aliosque *d. 16. de Pœn. sect.* Coninck *de Sacr. d. 7. dub. 2.* Averſam *de Sacr. q. 18. sect.* De Lugo *Pœn. d. 15. sect. 2.*

4. Porro ex eo, quod Iurisdictio est necessaria, sequitur, Sacerdotem simplicem, id est eum, cui nondum collata est, nulliter absolvere.

At, incurritne pœnam aliquam, si teneat absolvere?

5. Respondeo, In iure suspendi ab officio, id est Confessionibus, & à celebratione Missæ, per suspensionem ferendam. Lege Thes. *de pœn. Eccl. p. 2. V. Absolvo cap. 2.* non vero latæ sententiæ. Non fieri irregularem merito docet De Lugo, *de Pœn. d. 18. num. 14. fin.* quia irregularitas (adde) & aliæ pœnæ *cap. præcedens* dictæ sunt contra non Sacerdotem, at hic, de quo loquimur, jam Sacerdos est.

#### §. II. *In quonam consistat ordinaria iurisdictio absolvendi à peccatis?*

1. NOn obstantibus in præcedenti §. explicatis non sunt casus, in quibus simplex Sacerdos absolvere ritè potest. Primus, si ad ipsum accedat pœnitens solis peccatis venialibus laborans. Secundus, si ad eundem accedat, habens sola mortalia, alias legitimè directè absoluta. Tertius, si vrgeat necessitas ea, quam infra latè explicabimus.

Hanc tertiam potestatem concessit ex communi sen-

tenti

tentia simplici Sacerdoti pia Mater Ecclesia. Secundam verò, & primam, licet Vasq. *de Pœnit. quæst. 93. art. 1. d. 6.* contendat datam illi esse immediate à Christo Domino in Ordinatione Sacerdotis, atque adeo esse hanc potestatem imbibitam in potestate Ordinis; tamen probabilissimum est, secundum De Lug *de Pœn. d. 18. num. 47. & 49.* Coninch. *de Pœn. d. 8. n. 17.* & Hurd. *de Pœn. d. 10. diff. 10.* eam dari ab Ecclesia, nam propterea posset illam tollere Summus Pontifex, non vero inferior Prælatus, cum ea sit concessa à Superiore omnium.

2. At verò loquentes absolute de Iurisdictione absolvendi à mortalibus, de qua deinceps sermo semper erit. Primo eam in Summo Pontifice pro toto orbe residere, & quidem à nullo limitabilem, quia illam accepit à Christo Domino, nimis stolidus esset, qui negaret.

3. Secundo, Episcopus in sua Diœcesi habet etiam Iurisdictionem Ordinariam, & quidem verosimilius immediate à Summo Pontifice.

4. Tertio, Paroehus in sua Parochia. Vide *n. 13.*

5. Quartò, Abbates, Priorecque proprium territorium habentes gaudent etiam Iurisdictione quasi Episcopali in illo territorio. Huc item reducuntur Cardinales in Ecclesiis sui Tituli.

6. Quinto, Legati, seu Nuncij Apostolici in sua Provincia.

7. Sexto, Prælati regulares in suos subditos, putà Generalis, Provincialis, Superior localis.

8. Septimo, Archiepiscopus in Diœcesi sui suffraganei, sed solum, ut ait Suar. *d. 25. de Pœn. sec. 2. num. 13. & 14.* & Barb. *de Potest. Ep. p. p. Tit. 3. num. 47.* quando eam actu visitat, quare tunc solum poterit audire Confessiones, sicuti, & assistere Matrimoniis subditorum sui suffraganei. Quando autem actu non visitat, solum, ut vult Barb. *l. c. n. 24.* tunc posset, quando injuste suffraganeus Episcopus absolutionem denegaret.

9. Octavo, Vicarius Generalis Episcopi habet etiam jurisdictionem ordinariam, non solum pro foro externo sed etiam pro foro Sacramentali, Sanchez *l. 3. matr. d. 29.* hoc est in administratione Sacramentorum sed vivente suo Episcopo dumtaxat, nam eo mortuo, vel amoto ab officio, vel ejus jurisdictione suspensa per censuras cessat, vel suspenditur & Vicarii jurisdictio.

10. Nono denique, Vicarius Capituli, sede vacante eandem jurisdictionem habet, quia Capitulum succedit Episcopo in omni eo quod spectat ad jurisdictionem.

An prædicti Vicarij Episcoporum, vel Capituli hanc jurisdictionem, ut & ad casus reservatos habeant ex concessione Generalis Vicariatus, dicam infra *in tr. de casibus reserv. c. 19. §. unico, à n. 9.*

11. Vicarios foraneos nulla ejusmodi jurisdictione gaudere, te non ignorare puto, sicuti etiam, nec Abbatissam pro suis Monialibus, nam hæc non habet propriam jurisdictionem, sed solam domesticam gubernationem, ut recte notat Thomas Hurtadus *l. mox citando num. marginali 202.*

### *An prædicti suam hanc ordinariam iurisdictionem, possint aliis delegare?*

12. Prædicti omnes, si sint Sacerdotes, possunt suis ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, & item possunt etiamsi Sacerdotes non sint, aliis Sacerdotibus suam potestatem delegare. Regula enim generalis est, eum, qui potestatem habet ordinariam, eandem posse aliis delegare.

13. Dices. Ergo Parochus poterit dare licentiam simplici Sacerdoti, ut ministret suis Parochianis hoc Sacramentum, Respondeo. Nego consequentiam; nam ad hoc Sacramentum administrandum præter iurisdictionem, requiritur Approbatio Episcopi, de qua late mox. Parochus ergo potest quidem suam iurisdictionem delegare (Vide de hoc, quod dicam *cap. 5. §. 3.*) hanc enim potestatem habuit à Sacro Textu, *C. omnis utriusque sexus de pœnitentiis in 6.* Neque ea fuit unquam revocata sed quia non potest approbare, (hoc enim pertinet, ex Tridentino ad Episcopum, ut paulo post videbimus) ideo non potest simplici Sacerdoti dare completam potestatem administrandi hoc Sacramentum, ne pro Parochianis quidem suis. Non ergo sequi possum aliquos affirmantes. Vide Thom. Hurtad. *T. 2. Variar. Quæst. tract. 12. c. 1. § 2. dub. 1. num. marginali, 2023.* aliosque quos refert. Sed rejicit Diana *part. 11. tract. 4. resol. 13. §. Quæro 5.* etiam post Tridentinum posse: Sequi, inquam non possum, quia saltem usus antiquus, quo nemo, quantum scire possum, ex Parochis hanc potestatem sibi vendicat, interpretatio est tacita, ea ipsos carere.

Dixi, *simplici Sacerdoti*, nam, an alteri Parocho quæram mox *cap. 5. § 3. n. 5.*

14. Illud hic obiter scito, quando Episcopus tibi confert licentiam audiendi Confessiones, duo tibi conferre, nimirum iurisdictionem, & approbationem, nisi expresse explicet se unam dare, & non alteram. Ratio est quia illud (confero, seu do tibi licentiam) utrumque involvit.

### §. III. *Explicatur distinctius, quibusnam prædicti possint ministrare hoc Sacramentum.*

1. QUoniam dictum est, prædictos posse suis subditis ministrare Pœnitentiæ Sacramentum, inquirimus in præsentia, Ecquinam sit existimandus subditus in hac materia?

### *Habitationem permanentem, habentes.*

2. Dico, certum esse (De hoc, & sequentibus late Sanchez *lib. 3. de matrim. num. 23.*) eos qui in hac Diœcesi, vel Parochia habent domicilium originis, & habitationis, hoc est eos qui hîc nati sunt, & hîc permanenter habitant, esse in hac materia subditos hujus Episcopi, vel hujus Parochiæ, & ab his posse illos recipere Sacramenta & consequenter absolutionem, Patet, quia hi sunt maximè subditi.

3. Quid si hæc duo, hoc est nativitas, & habitatio non sint conjuncta; Respondeo. Si hic domicilium fixum quis habeat, licet hic natus non sit, potest ab hoc Episcopo, vel Parocho recipere Sacramenta. Contra verò non potest, si alibi fixum habeant domicilium, solum ex eo capite, quod hic natus fuerit. Ratio est, quia in priori casu est subditus, non in posteriori. Neque obstat paritas ducta ab ordinatione quæ potest haberi ab Episcopo illius loci, vbi qui natus est, juxta suo loco dicenda *l. 7. de Ordine c. 6. §. 1. à n. 6.* Non obstat inquam, quia id concessum est ex peculiari dispositione Pontificia, *C. cum nullus ad Temp. Ordinationum in 6.* quæ similis non invenitur eo capite, &c.) propter illa quæ dicenda sunt mox præsertim *num. 2 §.*

4. Sed quæres, Quandonam domicilium fixum quis in hoc v.g. loco habere dicendus est?

Respondeo. Quando adsunt indivisibiliter hæc duo: Primo, quod animum is habeat perpetuo hîc manendi, & Secundo, quod in actu materiale domicilium huc transtulerit; statim enim atque hæc duo adsunt, dicetur quis simpliciter, & absolute hujus loci habitator.

5. Pari modo ut quis deserat domicilium, duo etiam requiruntur indivisibiliter. Primo, animus hîc non habitandi, & actualis, materialisque translatio. Vnde si animum habeas hinc discedendi, sed nondum discessisti, tuam sedem transferendo, subditus adhuc permanes hujus Episcopi. Nota autem, animum permanendi in priore casu, & animum discedendi in posteriore sufficere cum dicta translatione ad prædictos effectus pro foro interno, at, pro foro exterrno requiritur probatio, & per aliquos, decennalis habitatio de qua re dicto *Tract. de Ordine.*

6. Quæret curiosus. Si quis incolat domum sitam in confinio duarum Parochiarum, in cujusnam Parochia dicetur

dicetur domicilium habere, & consequenter cujus erit parochianus?

Respondeo, In ejus Parochia, in qua patet porta principalis, magisque frequentata illius domus, quia ex aditu iudicatur de domo, cui cedat. *l. ej cui ades, ff. de legatis 3.* Ita Barbosa *de potest. Episcop. Alleg. 32. n. 7. & de potest. Paroch. cap. 21. n. 43.* Quid si in eodem casu vtraque porta sit æquè principalis, ut in magnis domibus aliquando evenire contingit?

7. Respondeo. In vtraque, quia in more, & victu humano, vtriusque Parochiæ dici habitator rectè potest. Vide *mox num. 13.*

*Habitationem transeuntem habentes.*

8. Hæc de habitatione permanenti, dicamus nunc de transeunte, An scilicet, & quando, transeuntes per aliqua loca, vel peregrè ad aliquem locum euntes connumerentur inter subditos illius loci, ad effectum, vt possint Sacramenta ibi recipere.

Quatuor modis ejusmodi transitus contingere potest qui separatim sunt à nobis, doctrinæ clarioris gratia, distinguendi.

9. Primo enim, Si tu retinens animum hic permanenter habitandi, divertis in aliam Diœcesim, seu Parochiam, animo ibi permanendi pro majore parte anni, vel etiam per aliquot annos, sed finitio negotio, v. g. studio, lite, &c. intendis ad locum tuum reverti, quo pacto diceris in alia Diœcesi, vel parochia habere quasi domicilium, sic inquam, si te habes, potes absolvi, atque assistentiam tui matrimonij habere, cæteraque Sacramento recipere, tum ab Ordinario tuæ permanentis habitationis, tum ab Ordinario tui quasi domicilij, vel ab eorum legitimis delegatis, censeris enim vtrobique subditus. Ita Sanch. *lib. 3. de Matrim. disp. 23.* Bossius *de Matrim. c. 4. n. 8.* Aversa *q. 64. de Sacram. in commun. sect. 6.* Imo si in loco tui quasi domicilij inveniretur Parochus tuæ permanentis Diœcesis, seu Parochiæ, posses ab illo Sacramentum Pœnitentiæ obtinere: cætera vero Sacramenta per accidens, non posses, saltem regulariter, quia, cum ex se conferantur cum publicitate, præjudicium generares Ordinario præsentis loci.

10. Secundo. Si tu, retinens animum habitandi in tua Diœcesi, divertis ad aliam pro brevi tempore, vel ob recreationem, vel, ut loquitur Textus, *c. is qui, de Sepultur. n 6.* ad ruralia opera ibi exercenda, quo pacto vocaberis Hospes, & Peregrinus, quales etiam sunt omnes itinerantes brevi in Patriam reversuri. Si (inquam) sic te habes, non potes ex vi Iuris absolvi, nec recipere assistentiam tui Matrimonij, nec alia Sacramenta, nisi à tuo Ordinario, quia illius es tantummodo subditus? nam propterea in eodem Textu dicitur hujusmodi Hospites, si decedant; non electa ab ipsis sepultura, non debere sepeliri in Ecclesia, vbi decedunt, sed in sua Parochiali.

11. Dixi autem (ex vi Iuris) nam ex consuetudine, & interpretativo consensu omnium Ordinariorum, potes Sacramenta necessaria, etiam, & in alia, vbi peregrè degis, recipere; putà Sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis. Id extendit contra communem sententiam Pontius *l. 1. de matr. c. 13. §. 1.* ad assistentiam Matrimonij, imo, & ad Dispensationes; sed mihi difficilè apparet, in his non necessariis adesse consensum illum. Nam propterea in praxi non audeo Pontij sententiam amplecti, de qua re iterum, cum de dispensatione Irregularitatis.

12. Quoad hoc igitur Pontium non sequor, sequor tamen illum quoad aliud. Tametsi enim nonnulli doceant, si quis in aliam Diœcesim se consulto transferat, ut absolvatur à peccatis per alium, quam per suum proprium Pastorem, cui non vult sua peccata exponere; Nonnulli inquam doceant, hunc nulliter absolutionem recipere, quia in hoc casu, aiunt, vbi intervenit mala fides, & dolus, non præsumitur consensus proprij Pastoris, cum nemini sua fraus patrocinari debeat; tamen meritò tius *l. c.* cum aliis satis probabiliter docet, & valid licitè hunc absolutionem recipere, cluctus ex illa Iuris. *Nullus videtur dolo facere, quando* Cum ergo vnusquisque jus habeat adeundi alium à suo, ibique se in statu gratiæ ponere, qui id fraude, dolo vtitur nullo. Adde, Episcopos sui hujus dissensus in dicto casu, ne exiguum signum ostendisse.

*Habitationem æqualem in duobus locis habentes.*

13. Tertio. Si tu pro vna æquali anni parte, v. hyeme, moraris in vno loco, v. g. Panormi, æ v. g. æstate in alio, v. g. Montis Regalis, ab loci Ordinario, seu Parocho, Sacramenta tuo pies, quia tunc, tum ex jure, tum ex Doctoribus *Sepul. in 6.* apud Sanch. *l. 3. de matr. d. 24.* censeris duplex domicilium, ita, ut probabilissima sententia ut ait Sanch. *l. c.* cum Nav. Henriq. item Gut. *d. d. 64. num. 2.* Aversa *l. supra cit.* ut dum hyeme v. g. raris Panormi, possis ea recipere, tum ab Ordinario Parocho Panormitano, tum ab Ordinario, vel Montis Regalensi; & dum æstate moratis Montis galis, possis tum ab Ordinario Montis Regalensi, ab Ordinario Panormitano; Id enim totum affert habere vtrumque domicilium. Atque hæc confirmo quod modo *n. 7.* dixi de habitante in domo sita in finio duarum Parochiarum existentibus duabus æquè Principalibus.

*Nullam habitationem habentes.*

14. Quarto denique, si tu sis vagus, hoc est dum habeas animum alicubi residendi, sive quia dis semper vagari, sive quia relicta tua habitatione nondum pervenisti ad locum destinatum, vel inquam in quonam loco residere debeas: Si inquam, sic habes, potes, inquit Sanchez *dict. lib. 6. de matrim. disp. 15. num. 5.* vbique recipere Sacramenta, quia est major ratio de vno loco quam de alio, & ex alia parte brevis mora qua in vno loco inveniris, addicit ille. Hæc quoad effectum Absolutionis, nam quoad assistentiam Matrimonij, dicam latè *infra lib. 8. de matrim. tract. 6. cap. 2. §. 5. à num. 10.* & quoad ferendas censuras dicam *in tractatu de Excommunicatione*, & quoad faciendos Ordines dicam *in tract. de Ordine, lib. 7. de cap. 6. §. 1. à num. 6.*

## §. IV. *De Delegatione Iurisdictionis absolvendi à peccatis, quæ fieri à Summo Pontifice solet.*

1. Dvæ tantummodo observationes circa hoc medium sunt afferendæ. Prior. Cum concessiones à Summo Pontifice, ut Religiosi ab Ordinario approbati, valeant excipere Confessiones omnium Fidelium, possent ex vi hujus clausulæ excipere confessiones etiam Religiosorum, quia concessio est vniversalis, & nemini præjudicium afferens: tamen quia quæcunque Religio habet peculiare privilegium, ut ejus Religiosi non possint excipiant Pœnitentiæ Sacramentum ab aliis extra eam nem, ideo ipsi hodie excluduntur ab illo privilegio vniversali, ut Suar. *t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 19. In Compend. Privil. Soc. v. Absolvo, §. 1.* adnotarunt, Ita in Societate expressa à nostro Patre Generali nobis cavetur, ne quis nostrum absolvat Religiosos sine suorum Superiorum licentia.

2. Secundo, prædictam Iurisdictionem, seu potestatem ad absolvendum, ita delegat Summus Pontifex Religiosis singulis, ut hi eam communicatam habere Religiosis singulis, ut hi eam communicatam habere beant immediatè à suis Superioribus. Sed de hoc latius *cap. 5. §. 2. à num. 27.*

§ 7.

§. V. *Nonnulla de Delegatione Iurisdictionis absolvendi à peccatis, quæ ab Episcopo, vel similibus Prælatis emanare solet.*

1. QVandoquidem Religiosi, ut modò vidimus §. *præcedenti num.*2. prædictam Iurisdictionem absolvendi habent à summo Pontifice, mediantibus suis Superioribus quæret quis, an possint nihilominus eandem immediate habere ab Ediscopis, pro ipsorum Episcopatum ovibus, sine ulla dependentia ab ipsorum Religiosorum Superioribus. Respondeo. De hac re agam paulo inferiùs *L.c.à n.*28.

2. Quæres Secundo. Si quis Prælatus compulsus per metum gravem, concederet hanc iurisdictionem absolvendi (idem de Approbatione) validáne esset collatio, atque adeo Confessio, & Absolutio? Respondeo. Validam esse, docet Sanch. *l.*3. *matr.d.*39.*n.*13. & Castrop. *t.*1.*p.*2.*d.*1.*p.*9.*n.*6. cum aliis, quia gesta per metum sunt voluntaria absolute, licet indirecte involuntaria. Sed invalidam esse, merito ait. Pont. *l.*4.*c.*8.*n.*13. Lud. à Cruce *in expl. Bull. Cruc. c.*2.*d.*21.*n.*6. Azor. Salas, aliique relati à Castrop. *l.c.* quia concessio Iurisdictionis est quædam donatio, at donatio meticulosa invalida est, ut nos diximus. *In Tract. de promissione c.*2. & universaliter *l.*1. *in Decal. c.*2 §.5.*à n.*14.

3. Absolutionem Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti per metum datam: esse item invalidam, dicam, cum de Excommunicatione, Absolutionem autem à peccatis (ut id etiam obiter scias) per metum collatam, validam puto cum De Lugo *de Iustit.d.*22.*n.*128. quia Baptismus simili metu collatus, ut etiam alia Sacramenta valida sunt. Et confirmatur, nam quamvis Salas *p.*2.*Tract.*3.*d.*3.*sec.*1.*n.*27. putet, sententiam per metum latam, esse eo ipso irritam, Castrop. tamen *l.c. num.*7. & Azor. *Apud Castrop. l.c.* verius putant esse validam, quia nullibi in iure invenitur irrita. Cum ergo Absolutio naturam sententiæ sequatur, nec erit ipsa irrita, licet metu collata. Simili modo Dispensationes, & signate Dispensationem Irregularitatis, metu concessam, validam esse, putat De Lugo, quia nimirum nullibi in iure irrita pronunciatur.

4. Quæres Tertio. Quid si eadem (ut & Approbatio) extorqueatur per dolum, v.g. per commendationem, falso coeinnatam, quasi alicuius Principis?

Respondeo. Puto esse validam, quia commendatio ejusmodi non videtur esse causa finalis, sed solum impulsiva; non enim verisimile est, Episcopum nolle dare licentiam excipiendi Confessiones, si commendatio falsa esset; sic enim, cum sint frequentes ejusmodi commendationes, exponerentur Confessiones multis periculis nullitatis. Ita in simili Sanchez *leg.*1. *matr.d.*39. *à num.*11. de licentia Parochi, data ad assistendum Matrimonio.

5. Recte autem hæc dicta sunt de exemplo dato commendationis falsæ, deque similibus. Cæterum si dolus, ut etiam error, sit concernens ad causam finalem, vel ad aliquid substantiale, ut si v.g. per dolum, vel errorem Episcopo submittatur unus pro alio, nemo dubitat, licentiam esse prorsus invalidam.

6. Quæres Tertiò. Si iniustè Episcopus denegat iurisdictionem (idem si Approbationem) Sacerdoti, possitne præsumere ejusmodi Sacerdotem illam nihilominus acquirere? Respondeo. Non possumus: quod certissimum est de Sacerdote sæculari. De Regulari dubitant nonnulli, verùm de hoc infrà §.4.*à n.*49.

7. Quæres Quartò. Vt à me acquiratur Iurisdictio delegata, debetne mihi esse nota ejus concessio? Respondeo, ita puto cum Coninch. & Sanchez *ap. Delug. d.*19.*de pœnit. num.*17. quia debet à te acceptari, quæ acceptatio esse non potest, nisi concessionem scias. Illud tamen fateor, quando concessio est facta Religioni, eo ipso, quod Religionem professus es, omnia te privilegia, atque adeo hanc potestatem absolvendi te acceptasse. Vide, quæ de quæstiuncula, huic affini, dicam infrà *in Tract. de casibus reservatis cap.*9.§.1.*n.*18.

§. VI. *De Acquisitione Iurisdictionis absolvendi ex Ratihabitione.*

1. SI quis Sacerdos simplex aliquem à mortali absolveret hoc mane v.g. sive probabiliter, sive certo putans, quod hodie cras, vel cras, vel perendie, &c. Episcopus ratam, & firmam habebit ejusmodi Absolutionem, diceretur absolvere Ratihabitione de futuro: & hæc est proprie Ratihabitio.

2. Si autem idem Sacerdos absolveret, quia probabiliter, vel certo putaret, heri v.g. Episcopum, quamvis non expresse, tacite tamen concessisse potestatem ad ejusmodi absolutionem, vel pari modo, si nunc, dum datur Absolutio, putaret, Episcopum consentire, eæ non dicerentur proprie Ratihabitiones, sed licentiæ præsumptæ, & impropriè solum dicerentur ratihabitiones. Quærimus ergo, An iurisdictio absolvendi delegetur aliquando alicui per Ratihabitionem? & prius quidem de propria, tum de impropria decernamus.

3. Dico Primò, nunquam delegari per Ratihabitionem propriam. Quare in casu dicto *num.*1. Ille Sacerdos (quidquid aliqui *apud Suar. d.*26.*de pœn. sect.*1. *num.*13. dicant) semper nulliter absolvet. Ita communiter Doctores ut Suar. Vasquez aliique cum Delugo *de pœnit.d.*19.*n.*21. Ratio est, quia (abstrahendo, an in aliis materiis Ratihabitio de futuro valideat actum) in casu nostro est peculiaris ratio, quæ obstat, id est ratio Sacramenti; Cum enim Sacramentum non possit esse in suspenso, nec dependens à consensu futuro Superioris, non poterit consensus futurus sufficere ad validitatem absolutionis: vel enim illa absolutio hoc mane collata fuit valida, & sic non indigebit consensu futuro; Sacramentum enim semel validum non potest fieri per humanam potentiam invalidum. Vel fuit invalida (ut certè est, quia non processit à potente absolvere) & sic non potest fieri valida postea quando non est. Licet enim aliquando antea invalidi possint deinde approbari, & fieri validi per Ratihabitionem, id accidit in iis actibus in quibus ius potest facere, ut dicti actus incipiant valere, quando ponetur aliqua conditio; tunc enim ius facit, ut valeant, seu habeant effectum, ac si ab initio validi fuissent; id, quod Iuristæ explicant, dum dicunt, valorem retrotrahi per Iurisdictionem ad tempus præcedens, sicuti qui hodie ratam habet percussionem Clerici suo nomine heri factam, excommunicatur, ac si heri consensum præbuisset, iuxta illud *Reg.*10. *de Reg. Iur. in* 6. Iuris pronunciatum. *Ratihabitio retrotrahitur; & mandato comparatur.* At in Sacramentis à Christo institutis hæc fictio ab humano iure, ut ex se patet, fieri non potest.

4. Dices. Cur licentia v. g. proprii Parochi præsumpta de futuro sufficit ad Eucharistiam, vel Extremam Vnctionem alicui ministrandam, ut etiam similis licentia Prælati sufficit, ut Religiosus, aliquid expendendo, non peccet contra Paupertatem, non autem sufficit in casu nostro similis licentia præsumpta de futuro?

5. Respondeo. Rationem modò indicavi, quia in casu nostro licentia requiritur ad validitatem actus, quæ validitas non potest esse, nisi actus fiat à potente illum facere. Si ergo nunc actu non habetur Iurisdictio absolvendi, eum actus exeat à non potente, invalidus omnino erit. At in prædictis exemplis administratio Eucharistiæ, & administratio Extremæ-Vnctionis valide sine actuali licentia Parochi fiunt, cùm licentia non pertineat ad validitatem dictorum actuum. Et quamvis, si fierent sine dicta licentia, illicitè fierent, tamen nunc, quia adest præsumpta Parochi, licentia, iam purgantur à ratione illiciti. Expensio item illa, in alio exemplo, est quidem invalida, quia non est à potente alienare, sed quia non est Sacramentum, nullum est inconveniens, si incipiat valere, quando ponetur consensus Superiotis.

6. Dices. Cur si ego certo, vel probabiliter iudicem dominum mihi donaturum hunc librum, si illum ab eo peterem, possem sine furti peccato librum mihi usurpare, non verò possum usurpare potestatem absolvendi, si certus sim, eam mihi collaturum Episcopum, si illam petam?

Respondeo, Quia ad vitandum furtum satis est, quod dominus non sit invitus, ad quod non est necesse, quod positive det: at in casu nostro non satis est, quod Superior non sit invitus, sed necesse est, ut positive conferat Iurisdictionem, quia hanc tu recipere non potes, nisi positive detur ab illo, ex qua, deinde procedere debeat actus validus. Ita Respondet huic instantiæ De Lugo *d.19.de Pœnit.n.22.*

7. Dico secundo, per Ratihabitionem impropriam, quæ est de præterito, vel præsenti (quam modo diximus proprie appellari licentiam præsumptam) posse delegari ejusmodi potestatem absolvendi. Ratio est, quia licentia præsumpta est consensus verus Superioris, & quidem, vel actualis, qualis est præsumpta de præsenti, vel habitualis, qualis est præsumpta de præterito, quæ supponitur nunquam fuisse revocata. Tria tamen sunt diligentissime notanda. Primò, non esse licentiam præsumptam sufficientem, si sit solum conditionata sic. *Si Episcopus sciret, seu ab illo peterem, concederet mihi potestatem absolvendi.* Hæc enim est solum licentia præsumpta conditionatè, quæ non est consensus Episcopi; sed esset. Requiritur igitur, ut iudicetur Episcopus absolute dedisse, ut absolute, & vere habeatur potestas absolvendi ex qua oriri possit actus absolvendi, validus.

8. Secundò, notari debet, non satis esse, probabiliter, vel certo me iudicare Episcopum interne consensisse, vel consentire ad conferendam mihi dictam potestatem, sed addi debere signum externum, licet non omnino explicite datum. Ratio est, tum quia, sic poteris scire tibi absolute concessam tacite fuisse Iurisdictionem, secus semper præsumeretur fuisse concessa conditionate, *Si Episcopus sciret, si potestas à te postulata esset, &c.* quod, ut modo dixi, satis non est, Tum quia voluntas interna, dum externe non prodit, nihil operari potest ad conferendam Iurisdictionem tibi, qui illam acceptare debes.

9. Signa autem hæc dependent ex variis circumstantiis, vel modo loquendi, quæ Episcopus exhibuit, unde certò, vel satis probabiliter colligatur, vere, quamvis non omnino explicitè, consensisse, vel nunc consentire. Dico (vel probabiliter) quia, quamvis Suar. *de Pœnit. d.26.sec.1.n.17.* velit, ea signa debere certam existimationem facere præsentis consensus Superioris; De Lugo *de Pœnit. d.19. num.23.* tamen merito docet, sufficere, si faciant probabilem, si quidem omnes, & ipsemet Suar. alibi concedit, ex potestate, seu Iurisdictione probabili posse quempiam hoc Sacramentum Pœnitentiæ administrare. De ejusmodi signis mox *num.11.* aliqua explicatius dabo.

10. Debet denique notari tertio, si Episcopus v.g. videat, te actu excipientem Confessionem, toleraretque, non statim te posse ex illa tolerantia, tanquam ex signo, putare adesse eius præsumptum consensum, sed necessariam distinctionem omnino esse adhibendam: Si enim ipse nesciat, te non esse legitimum Confessarium, hoc est, putet v.g. vel putare possit te licentiâ habuisse à suo Prædecessore, vel à suo vicario Generali, vel à se ipso nunc immemore, &c. vel si sciat, te non esse legitimum, tamen propter aliquam causam non potest te impedire, tunc sane non præsumetur dare licentiam, quia ea tolerantia in dictis circumstantiis nullo modo est signum consensus. Si vero sciat, te non esse Confessarium, & posset facile te ab excipienda dicta Confessione prohibere, & non prohibet (qui certe rarus erit casus) tunc nonnulli fatentur, licentiâ præsumptam adesse. Verum adverte cum Sanc. *l.3.de Matr.d.35.n.22.* si quando Superior hoc modo præsumatur dare licentiam de præsenti, eam non se extendere, nisi ad præsentem Confessionem, non verò ad alias forte sequentes, quia præsumpta de una Confessione, non est licentia de aliis.

*Signa Superioris, unde colligatur licentia præsumpta quoad potestatem absolvendi.*

11. Explicita concessio dictæ potestatis per expressa verba, vel expressam scripturam, licentia est perfecta, atque adeo sufficientissima traditio potestatis absolvendi, sed difficultas, quæ hic proponitur, est quando tacita expressio non intervenit, quænam sunt omnia signa sufficientis concessionis de præsenti, vel de præterito, & consequenter sufficiens licentia tacita, seu præsumpta.

12. Respondeo id, ut modo *num.9.* innui, pendere a variis circumstantiis, Lucem tamen habebit ex enumeratione trium signorum, quæ hic à Doctoribus adduci solent. Lege *Fag. præcept. Eccl.2.l.7.c.2.*

Primum signum sufficiens est, si Episcopus v.g. rogatus, ut concedat dictam licentiam, ipse nutu capitis, vel oculorum, vel alio signo ab ipso usitato ostendat suum consensum?

13. Secundum signum item sufficiens est, si Episcopus constituat Sacerdotem in vicarium Parochi, vel ejus Capellanum Parochialem, vel tribuat aliud munus cui sit adnexam munus Confessionis.

14. Tertium signum controversum est, si Episcopus videat simplicem Sacerdotem excipere Confessiones suorum, & taceat: Aliqui enim ut Fagund. *l.c.n.* docent, hanc solam taciturnitatem esse satis moralem signum concessionis potestatis; licet enim taciturnitas sit negativa, quid negativum, tamen moraliter habetur pro positivo consensus. Aliqui verò, ut Coninch. *d.8. n.45.* negant, quia falsum est taciturnitatem haberi pro morali consensu, cum possit Episcopus tacere ob aliam rationem, & non quia consentiat. Ego sententia est illa, quam modò nos *n.10.* sub distinctione indicavimus.

*Ratihabitio Approbationis ad absolvendum.*

15. Quæres. Cum paulo ante breviter dixerimus, mox late declaraturi simus, ad completam licentiam ministrandi hoc Sacramentum, præter collationem Iurisdictionis legitime factam, necessariam esse etiam Approbationem Ordinarii: Quæres, inquam, an loquamur etiam, de Approbatione sufficiat, aliquando Ratihabitione.

16. Respondeo, Sufficere eo prorsus modo, quo actum est de Iurisdictione, par enim est in utrisque ratio, & quidem quod etiam hujusmodi approbatio debeat dari per aliquod signum externum, debeatque de præsenti ineſse in Sacerdote, ut actus validus adhibeatur, ipso procedat, manifeste ostendunt verba illa Trident. *sess.23. de Ref. c.15. Approbationem obtineat.* Per enim *Approbatio*, quæ est ostensio, seu testificatio ab Episcopo, significatur signum externum, & per *obtineat*, significatur, ea debere esse actu in Sacerdote, nec sufficere in futurum.

## §. VII. *De Acquisitione Iurisdictionis administrandi Sacramentum Pœnitentiæ ex errore communi, titulo que colorato.*

1. SI in aliquo loco simplex Sacerdos communiter credatur esse legitimus Confessarius, dicetur esse communis error de Iurisdictione illius Sacerdotis ad absolvendū. Rursus si simplex idem Sacerdos obtinuerit recipiatque ab Episcopo officium v.g. Parochi, sed habet aliquod occultum impedimentū v.g. Irregularitatis per quod sit incapax talis officii, nulliter recipiat, dicetur habere titulum coloratum, seu putativum; habuit enim collationē beneficii Parochialis, ecce Titulū; sed quia habuit nulliter, nō habuit, neq; habet verū titulū, sed habuit nulliter, sed coloratū, Quod si quis collatione,

non habuisser, sed tamen communiter Parochus existimaretur, quia cum falsis v. g. litteris se Parochum finxit, hic sane communem errorem haberet, non verò titulum, ne coloratum quidem. Hac terminorum explicatione præmissa.

2. Assero cum Sanch. *l.3.matr.d.12.* Mascard. *de prob. conf.648.* Sperello *dec.3.* aliisque passim: Communem esse doctrinam, Sacerdotem simplicem habentem titulum coloratum, & simul errorem communem, sufficienti Iurisdictione esse instructum ad absolvendum. Ratio ducitur ex benigna interpretatione voluntatis piæ Matris Ecclesiæ, quæ, propter utilitatem publicam, & ne magni subinde scrupuli, & turbationes enascerentur, non solum pro suscipientibus hoc Sacramentum Pœnitentiæ; verum etiam pro suscipientibus alia ministeria indigentia Iurisdictione in Ministro, ut etiam pro assistentia Parochiali Matrimonii, imò & pro quibuscunque actibus à Iurisdictione Ecclesiastica dependentibus, voluit conferre veram Iurisdictionem iis, qui capaces illa sunt, stantibus, dicto communi errore, titulo que colorato. Cum igitur hæc tria adsunt. Primò, Iurisdictionis, seu potestatis collationem dependere ab Ecclesia. Secundò, error communis, titulus coloratus, semper aderit certa Iurisdictio ab Ecclesia collata, atque adeo ille, cui prædicta tria favent, valide actus ab ipsa procedentes exercebit, valide, inquam, nam illicite mortaliter (nisi ab ignorantia inculpabili excusetur) non est dubium, quia usurpat Iurisdictionem, quam ex se non habet, sed solum posita ipsius malitia, quasi invita, concedit Ecclesia.

3. In ejusmodi benignitate exercenda, imitata est Ecclesia Ius Civile humanum, *L. Barbar. ff.3.de officio prætor.* quod etiam habetur *l. si Arbiter C. de sent. & Interloc.* illudque visa est canonizasse, idest recepisse in Sacris Canonibus. *In Syn. Rom. relata c.1.3.q.7.* Cum enim quidam servus qui apud Romanos incapax erat dignitatum, obtinuisset Præturam, & deinde in sua ditione multa decreta edidisset, dubitatum fuit, an ea fuissent valida, cum in Iure pro nullis acta servorum habeantur, *L. Quod attinet, in reg. Iuris.* Responsum fuit ab Vlpiano, esse valida, & non esse reprobanda, his verbis. *Humanius est illa non reprobare, cum etiam potuisset Populus Romanus servo decernere hanc potestatem, sed, & si scivisset, servum esse, liberum effecisset.*

4. Ex hoc igitur Respondeo, quoties est error communis, Titulusque putativus, qualis esse in prædicto servo putabatur, toties à Iure Civili intelligitur illi collata potestas. Ius ergo Canonicum Civilia Iura in hoc imitatur, atque in simili errore, & titulo Iurisdictionem necessariam tribuit, idque tum in foro interno, tum externo, tum in causis temporalibus, tum in spiritualibus, quia semper eadem militat legis prædictæ ratio. Sed aliqua de singulis prædictis conditionibus separatim seligamus.

*Debet esse Iurisdictio dependens ab Ecclesia, hoc est, quam Ecclesia conferre valet.*

5. Non potest Ecclesia (idem dic de quocumque Superiore) supplere impedimenta, quæ sive ex iure divino, sive ex iure naturali incapacem hominem faciunt Iurisdictionis.

6. Hinc, si quis non Sacerdos absolveret, vel consecraret, quamvis errore, & titulo quocumque vallatus esset, nihil efficeret, quia Ecclesia non potest facere, ut non Sacerdos valide absolvat, vel conficeret, cum sit ad hæc ex Iure Divino necessarium Sacerdotium.

7. Idem dic de baptizante, & de absolvente, vel consecrante sine intentione, idemque de amente, qui hæc facere attentaret, quia intentio, & mentis sanitas requiruntur de iure naturæ, imò etiam, & divino quorum defectus cum à Iure humano Ecclesiæ suppleri nequeat, non possumus confugere ad titulum coloratum, communemque errorem, qui forte adesset in prædictis.

8. Contra, si quis Sacerdos sit irregularis, vel excommunicatus, etiam denuntiatus, vel suspensus, vel interdictus, vel quacumque Ecclesiastica pœna incapacitatis affectus, existimaretur autem communiter legitimus Confessarius, cum prædicto titulo colorato, valide exercere Iurisdictionem absolvendi, quia eos defectus potest tollere Ecclesia, & in hoc casu tollere profitetur, & vult. Scio Veteres quosdam id negasse de excommunicatione, sed immerito, ut late docet, & probat Sanc. *lib.3.de Matr.d.22.n.22.* & deinceps.

9. De fœmina existimata viro, si forte assumeretur ad Pontificatum, distinguit cum communi sententia idem Sanchez, & quidem ex allata hactenus doctrina; Nam Pontifex verus non esset, quia sexus fœmineus de iure Divino incapax Sacerdotii, & Pontificatus, sed haberet tamen Iurisdictionem aliquam; Sicut enim Ecclesia Iurisdictionem aliquam confert ei, qui Sede vacante, præest loco Pontificis, ita eandem conferre, tunc conferretur fœminæ: Fœmina enim, ut omnes scimus, licet incapax sit potestatis Ordinis, non est tamen incapax potestatis Iurisdictionis.

*Debet esse error Communis.*

10. Non ergo sufficit error unius, vel alterius, vel paucorum: cum contra sufficiat, si communis error esset in hac Civitate, ubi fiunt acta, licet in alia nullius esset error, nam & servus ille *in L. Barbarius*, notus erat servus Romæ, & tamen quia fuerat ignotus in eo loco, ubi Præturam gessit, ejus gesta pro omni loco absolute valida fuerunt existimata.

11. Sed quid, Primò, si Populus præsens incipiat dubitare de defectu Iurisdictionis, ut si suboriatur dubitatio, quod Parochus fuerit amotus ab officio, vel quod ejus electio fuerit nulla, &c.

Respondeo, Tunc debere inquiri veritatem: Secus esset error crassus, vel supinus, qui fere æquivalet scientiæ, atque adeo non esset sufficiens ad Iurisdictionem communicandam. Quod si, facta diligentia, adhuc sit res dubia, valebunt acta, quia dum vinci dubium non potest, prævalet ille idem error communis, qui ante ortam dubitationem aderat.

12. Quid secundo, Si Sacerdos esset communiter existimatus v. g. Parochus, sed à paucis nullitas ejus Iurisdictionis cognosceretur, adhuc respectu horum paucorum haberetne Parochus Iurisdictionem?

13. Respondeo, habere, cum communi sententia docet Sanchez *loc. c. num.42.* unde valida fore omnia ejus acta, dubitandum non esse, quia ad conferendam Iurisdictionem non requiritur error uniuscuiusque, sed communis in Civitate, qui iam in hoc casu abundè adesse supponitur.

14. Duo tamen adverte. Primo, hos paucos v. g. te scientem hunc non esse verum Parochum, peccare mortaliter, si illum convenias, ut tibi Sacramentum administret, quia cooperaris cum peccato ipsius Parochi usurpantis scienter Iurisdictionem, quam ex se non habet. Excipe urgentem necessitatem, vel aliam forte excusationem, de qua ego *l.5.in Dec.c.1.§.4.à n.39.* universaliter dixi.

Quod si hoc Sacramentum quod ab ejusmodi Parocho, à te cognito pro non legitimo, postulas, sit Sacramentum Pœnitentiæ, ultra peccatum, quod committis, certe ex hoc ipso, quod male dispositus cum actuali peccato ad illud accedis, nullam omnino, irritamque absolutionem recipies.

15. Secundò, Si pari modo ab hoc Iudice tu, qui illius defectum noscis, sententiã in tui favorem reportas, licet reportes validè; tamen in pœnam tui delicti rescindi illa posset, & tu puniri. Quamvis enim acta illa valeant, tu tamen, ut suprà dixi, illicite ab illo iudicia scienter exposcis, foves enim fictos Iudices in Rep. Fateor interim, te aliquando excusari, si ejusmodi Iudicem non repellas, immo, si omnino taceas, quando scilicet

majus est scandalum, & infamia oritura ex repulsa, & ex manifestatione, quam ex patientia, & silentio.

*Debet adesse Titulus coloratus. Quid si desit?*

16. Quando cum errore communi conjungitur Titulus coloratus, jam dictū est modo. Sed celebris est quæstio, an si desit ejusmodi Titulus, adsit autem solus error communis, idem dicendum sit. Secerdos v. g. nullam collationem habuit, ne invalidam quidem Parochiæ, sed tamen Parochus ab omnibus communiter existimatur, validéne officia Parochi administrat?

17. Certant duo Celebres Doctores cum suis asseclis utrinque. Negat valide administrare Th. Sanc. *l. 3. matr. d. 22. n. 49.* dicens oppositum non esse probabile. Mart. Perez *de matr. d. 40. sec. 6 n. 5.* Avers. *de Sacr. q. 64. sec. 5.* Fag. *2. Eccles. præc. l. 7. 53. n. 61. junctor. n. 75. sine*, Bonac. *de matr. q. 2. p. 8. à n. 23.* Boss. *de Iubil. sect. 7. casu 2. n. 152.* & multi *ap. Dianam p. 2. tr. 16. resol. 43.* Basilius Pont. *l. 5. de matr. c. 20. n. 6.* Ioan. Sanch. *in select. d. 44. n. 3.* Verr. *in q. moral. tr. 2. q. 25. n. 15.* Bauc. *in sing. casu 225.* V. sed petes 1. vocans hanc sententiam valde probabilem. Diana *loc. cit. Res. 43. & p. 8. tract. 1. res. 94.* citans *Molf. Delbene, Leand. Bordonium, aliosque.* Piget me rescribere ea, quæ ad manus eujusque sunt, viderique apud prædictos, eorumque Sectatores possunt. Satis ergo mihi sit, pronuntiare, vtramque sententiam esse probabilem, quia cum Sanchez, dicere possumus hoc beneficium concedi juxta circumstantias, quæ fuerunt in illo servo, de quo *L. Barbarius, ff. de officio Prætoris*, at ibi, & alibi cum errore communi semper invenitur conjunctus titulus coloratus. Cum Pontio autem possumus asserere, illas circumstantias dedisse quidem occasionem Legislatoribus, illud Beneficium concedendi, sed ipsi tamen absolute concesserunt, quoties evitanda est Reip. perturbatio, quæ non minus sequitur, quando communi errori adnexus est titulus coloratus, quam, quando solus error communis intervenit.

18. Ex eo, quod probabile ducimus, sufficere ad conferendam Iurisdictionem errorem communem dumtaxat sequitur, Confessarium nunquam approbatum, Episcopum nunquam electum Parochum, Iudicem, Tabellionem: cæterosque similes mere intrusos, multo magis Sacerdotem approbatum ad confessiones excipiendas pro vno anno, eo finito, vel pro tempore incerto ad beneplacitum v. g. Episcopi, posita, sed nondum scita revocatione, Vicarium Generalem defuncto ejus Episcopo, Patronum, qui vere Iuspatronatus non habet, &c. si adsit error communis circa eiusmodi officia, licet officia, ne ex putativo quidem colore habeant, valide absolvere, Iurisdictionem exercere, assistere matrimonio, sententias ferre, præsentare, &c. ac si dicto errori communi titulus coloratus esset adnexus, quia solum communem errorem sufficere probabile est.

## §. VIII. *De Acquisitione Iurisdictionis ex opinione probabili.*

1. SI Sacerdos ex opinione probabili, putans, se posse ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, de facto administret; validéne administrat, quasi ab illa opinione probabili certam, & indubitatam acquirat Iurisdictionem? Idem quæro de similibus actibus indigentibus Iurisdictione sibi collata ad eorum valorem, si ij exhibeantur ex opinione probabili.

2. Negativè Respondent non pauci, vt Salas *p. 1. t. 1. tr. 8. de conf. sec. 27. num. 286. & alibi.* Io. Sanch. *In select. d. 44. num. 3.* Suar. *de pœnitent. d. 26. sect. 6. num. 8.* De Lugo *de pœnit. d. 19. à num. 29. Subbitans*, &c. Suar. Oviedo, Bardi, Marcant. aliique *ap. Verricell. mox citandum*; ita ut non nemo ex illis dicat, contrariam opinionem esse valde dubiam, non nemo autem, nullo fundamento probari. Rationes principaliores sunt duæ. Altera, quia, quamvis in jure concedatur, vt modò vidimus, Iurisdictio, existente errore communi, titulo etiam colorato, nunquam tamen invenies in jure eam concessam sola opinione probabili. Altera, quia non potest argumentari à pari, hoc est, ex eo, quod concedatur propter dictum errorem, titulumque, non possimus inferre, quod concedatur etiam ex opinione probabili. Satis enim hæc diversa sunt, cum in priore adsint multorum, quamvis dubitativus: at in posteriore nonnisi illa probabilis est, solum apud paucos sapientes, ex altera parte ex nullo vestigio adsit in illis vllus.

3. Nihilominus affirmative respondent meritò plures vt Th. Sanch. *de matr. l. 3. d. 22. n. 65. & in Dec. l. 1. cap. 9. num. 35.* Pontius *de matr. l. 5. c. 20. n. 7.* Coninch *tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 5. num. 9.* Less. *l. 2. cap. 29. dub. 8.* Hurt. Bonac. Filliuc. G. Hurtad. Gran. Franc. Delogo Comit. aliique, quos citat, sequiturque Verric. *tr. 2. q. num.* Diana alios citans *p. 8. tr. 1. res. 93.* & ita certum id esse vt Verric. *loc. c.* asserat, contrariam, hoc est præsertim *num. 2.* opinionem esse improbabilem, & fallam: certe nimis exaggerare dictum est, cum probabilitas sua illam pollere, non sit negandum. Ratio hujus sententiæ, quam vt probabiliorem sequimur, est, quia constat apud omnes, vniversalem Ecclesiæ consuetudinem conferre Iurisdictionem, seu esse signum institutionis collatæ, vt clarè habetur in Iure *C. communiter de foro competenti*, vbi Glossa, Abbas, aliique, fit universali Ecclesiæ consuetudine omnes fere Sacerdotes (excipe paucos, & hos nimis timidos, vel indiscretis) absolvunt cum Iurisdictione probabili; ergo &c. Minor probatur ex testimonio Suarij, & Delogo, ex alias nobis contrarij sunt Suar. *l. c. num. 7.* sic habet: *Est autem universalis Ecclesiæ vsus, vt Sacerdotes sic vtantur hujusmodi Iurisdictione probabili in hujus Sacramenti administratione.* Delogo *loc. cit. n. 35.* sic: *Est præterea & vsus communis omnium Confessariorum; qui cum hac Iurisdictione probabili absolvunt.* Merito ergo Castrop, &c. sic diserte nostram sententiam confirmat. *Quando ista probabilis opinio absolvendi à reservatis, & assistendi Matrimonio, nullo morali periculo se exponit Minister irritum faciendi Sacramentum, quia sine Privilegio, Iurisdictionem non habeat, habet tamen eam ex tacito consensu Ecclesiæ, & ratihabitione de præsenti, sufficiente Iurisdictionem ne tot actus irriti sint.* Et post citatos Suar. Lessium, Th. Sanchez, Coninch Pontium, Dianam, Bonacinam, sic addit. *Omnes enim ij, aliique affirmantes, probantem ex opinione probabili se habere Iurisdictionem, veram habere certissimam, sicuti haberet, qui ex certo titulo & titulo præsumpto operaretur.*

4. Ad primam ergo rationem in contrarium, Respondeo, nostram doctrinam non fundari immediate in aliquo Iure, sed in consuetudine, quæ Iuri æquivalet, ut jam modo vidimus.

5. Ad posteriorem, Respondeo dupliciter. Primò, quicquid sit, an in opinione probabili adsit error communis, & titulus, nam nostra argumentatio solum ex eo est, vt sicuti error communis, titulúsque coloratus reddit Iurisdictionem *ex l. Barbarius*; ita opinio probabilis de jurisdictione illam tradit ex tacito consensu Ecclesiæ firma consuetudine.

6. Respondeo. Secundo cum Verricelli *l. c.* Iacillime hanc secundam Responsionem prosequente, etiam in casu nostro adesse errorem communem, quia omnes fere Confessarii secure absolvunt ex opinione probabili, omnésque Fideles secure absolvuntur. Et certe nisi secure absolverentur, quæ turbatio esset in conscientia Fidelium, si ij dubitarent de sua absolutione à suis Confessariis prudenter data? Hanc ergo communem persuasionem Sacerdotum, & pœnitentium, si tu appelles errorem communem, ego non refragabor, nam sic communem errorem, quem tu exposcis, in re nostra jam habebimus.

Præterea

Præterea, quamvis modo dixerimus, solum errorem communem satis esse ad conferendam Iurisdictionem, tamen, nec abest ab opinione probabili titulus, siquidem adest auctoritas Ecclesiæ per communem praxim satis nobis explicata, dans Iurisdictionem operanti, ex opinione probabili; quid enim aliud est Titulus, nisi voluntas Superioris se explicantis, conferre alicui potestatem aliquam moralem?

*An ex probabili opinione unius Doctoris, & ex probabilitate solius conferatur Iurisdictio?*

7. Aversa *quæst.16.de pœnit.sec.5.*& Salas *p.2.t.1.tr.8. de confes. sect.27. num.286.* affigunt duas limitationes Doctrinæ iam iam allatæ, nam Primo aiunt, eam admitti solum debere, quando adest opinio probabilis, quæ talis existimetur communiter à doctis, non autem admitti posse, quando solum alicui privato ea probabilis apparet.

8. Secundo, aiunt, Intelligi debere nostram doctrinam, quando probabilis est circa ius. v. g. an privilegium meum extendatur ad absolvendum hos, vel illos casus, non verò quando probabilitas est circa aliquod factum particulare: v.g. an hîc, & nunc Episcopus dederit mihi facultatem excipiendi confessiones, vel absolvendi à reservatis, &c.

9. Verùm hæ limitationes ingerunt scrupulos, & fere evertunt eam sententiam, quam ipsi probabilem appellant. Ratio est, quia rationes, quæ persuadent nostram sententiam, absolutè persuadent, & sine limitatione. Vnde contra priorem limitationem, sic diserte loquitur *l.c.n.15.* Verricelli: *Quomodocunque opinio sit probabilis, sive extrinsece propter auctoritatem Doctorum, sive intrinsece propter solida fundamenta de novo ab uno docto viro considerata, sicuti licite ex tali probabilitate absolvit, ita, & validissime. Et merito quia semper Populus accedit bona fide, & cum errore communi. Ergo non debet decipi, seu frustrari fructu Absolutionis.*

10. Contra posteriorem, sic idem *n.10.* concludit, *Quare eadem omnino ratio est in casu nostro*, (intellige in opinione probabili, de qua erat locutio) *circa ius, ac circa factum, nam utrque error est inculpabilis, & caveri a Populo nequit.* Hæc Verricelli. Et vide ingeniorum diuersæ sententium varietatem; Aversa prædictus recipit nostram doctrinam in probabilitate iuris, & non in probabilitate facti, Masca, *cons.648.* cui adde Glossam *in dict. lege Barbarius*, recipit in probabilitate facti, non in probabilitate iuris: Verricelli, quem nos sequimur, in utraque & quidem merito, quia est eadem in utraque ratio.

## §. IX. *De Acquisitone Iurisdictionis ex Subdelegatione.*

1. SVbdelegatio Iurisdictionis tunc habetur, quando Delegatus qui habuit immediatè à Superiore potestatem, eandem alteri tertio concedit; Et licet videatur id nunquam fieri posse ex illo universali Axiomate, *Delegatus subdelegare non potest*; nihilominus quia Doctores multis modis limitant dictum Axioma, præsertim quando Delegatus est à Summo Pontifice, & quando est ad universitatem causarum, ut distinctius videre est apud Sanc. *l.3.de matr.d.31.* ideo quamvis notum non sit de cæteris agere, tamen necessaria dicere in nostra materia de iurisdictione ad absolvendum, notum omnino est. Quoniam autem tota res hæc à vocatate illius Ordinarii, qui te immediate delegavit, pendet; potuit enim ita te delegare, ut potestatem haberes alios subdelegandi, & potuit, ut non haberes, idcirco merito inquirimus, quandonam hoc erit, quando non ita?

Respondeo. Habe hæc tria documenta pro nostro instituto breviter.

2. Documentum primum. Nisi expresse Superior te delegat ad absolvendum cum prædicta potestate subdelegandi, vel nisi conferat tibi officium, cui est annexa eiusmodi Ordinaria potestas, ut in sequenti documento dicam, nunquam teste (De Lugo *de pœn.d.19.n.15.* potes alium subdelegare ad absolvendum. Ratio est, quia (quicquid sit, aliquando in aliis materiis) certe in nostra, in qua maxime requiritur idoneitas personæ, tuæ personæ dumtaxat addicitur potestas, nisi tertiæ mentio fiat.

3. Documentum secundum. Si quando quis à Superiore constituatur potens absolvere, ut ei tradatur officium Ordinarii, cui scilicet officio est coniuncta potestas ministrandi hoc Sacramentum, quale est munus Episcopi, Parochi, Prælati Regularium, aliorumque supradictorum, habentium potestatem ordinariam, is non videtur delegari à dicto Superiore, sed officium Ordinarii accipere, unde iure proprio alios delegare poterit, etiam dando iisdem aliis potestatem subdelegandi. At si quis constituatur loco alterius Ordinarii, non absolute, sed ut suppleat, seu exerceat officium Ordinarii, v.g. Parochi ad breve tèmpus, (quo pacto dicetur Vicarius Parochi) hic sane Vicarius brevis temporis, puta per quindecim dies, (inquit *l.c.* Delugo) dicetur quidem delegatus, sed dubitatur, an possit sibi subdelegare aliquem alium. Circa quam dubitationem dico, eum posse ait idem, De Lugo *l.c.* subdelegare alium capacem dictæ Iurisdictionis; in aliquo tamen casu particulari, non verò universaliter. Idem dico de Pœnitentiario Summo. Idem dicit Quin. *de Pœn.sing.13.n.2* de eo Religioso, qui loco Superioris substituitur in totali administratione totius Monasterii. Idemque dicit Delugo *l.c.* de Vicario cum potestate universali absolvendi constituto ab Abbate, seu Superiore in aliqua distanti domo à dicto Superiore. Ratio est, quia non præsumitur Delegans voluisse adeo rigorose se gerere cum suo universali Vicario, & Officiali, ut ne in casu quidem particulari, aliquid possit supra id, quod potest Delegatus ad absoluendum, de quo in antecedente documento dictum est.

4. Dixi autem Primo, *alium capacem*, nam requiritur, ut non sit excommunicatus, vel alia censura affectus, & ut sit approbatus ea Approbatione, quam dicam *in c. sequenti.*

5. Dixi Secundo, *in aliquo tamen casu*, nam non potest ad totum officium suum, quia is, qui cum, pro suo Vicario, vel officiali eligit, non præsumitur tantam potestatem eidem concessisse. Excipe, nisi fortè aliquid plus expresse concesserit: Aliquid amplius primo aspectu videtur concedere prædicto Religioso Substituto, idem Quintanad. *l.c.* etiam si per unum diem illi administratio totius domus committatur, sed si attente legatur, à nostra doctrina non distat.

6. Documentum Tertium. Quando Pontifex Summus concedit aliquibus, (ut de facto concessit, modo alibi explicato. Mendicantibus) Iurisdictionem pro omnibus casibus, censuris que, etiam ipsi reservatis, ii sic delegati, ne pro uno quidem casu particulari poterunt id subdelegare alteri. Ratio est, quia, quamvis sic sint à Pontifice delegati, & præterea ad universalitatem causarum, unde videantur posse, tamen non ita est, quia voluntas Summi Pontificis limitat concessionem ad personas dumtaxat sic delegatas, quæ limitatio etiamsi ex aliis coniecturis non colligeretur, certe haberetur, ex eo, quod ita usurpatum est tot annos. Religiosi enim, quamvis scientissimi suorum privilegiorum, nunquam ausi sunt aliquid subdelegare de sua Iurisdictione absolvendi universaliter ipsis delegata.

7. Idem multo magis dici debet, quando inferiores Ordinarii, vel Prælati Regulares similem potestatem universalem darent alicui subdito, qui casus certe ille esset quem diximus in Documento Primo. Idemque de Confessoribus deputatis in aliqua domo Religiosorum, neque enim ille subditus, & hi deputati possunt aliquid alteri subdelegare, ut notat Quint, *l.c. sing.19.n.10.*

8. Diana *part.2.tract.17. de Miscell. resol.54.* docet, si quando detur hujusmodi potestas ab Episcopo alicui Prælato Regulari, posse hunc subdelegare alium pro aliquo casu peculiari. Verùm ego cum Delugo *de pœnit.*

*d.19.n.19.* puto, nisi aliqua alia verba Episcopus addat significantia dictam potestatem subdelegandi, non esse sententiæ Dianæ acquiescendum, saltem propter dictam praxim in contrarium.

### §. X. *De prædicta Delegationis duratione.*

1. EGimus, qua ratione acquiritur Iurisdictio ad absolvendum, nunc superest, vt agamus de eius duratione, quæ est tractatio proportionaliter communis ad Approbationem, vel ad similes concessiones. Sed nobis otium non est de hac re agere vniversaliter, cum solum duratio Iurisdictionis, vel Approbationis ad absolvendum, quæ dependenter habetur ab Ordinario, seu Prælato, ad nostrum institutum pertineat. Porro tribus modis potest tibi ab eiusmodi Ordinario delegari, seu concedi potestas absoluendi. Primo, absolute. Secundo, ad certum tempus. Tertio, ad tempus incertum.

2. Quoad duos priores facilis est resolutio. Nam prima durat, donec ligitime reuocetur, & quidem positiuo actu revocationis, vnde mortuo, vel ab officio amoto concedente, adhuc illa perseuerat, teste Sanc. *l.8. de matr.28.n.72.* donec successor positiuè reuocet, quia est gratia facta. Vide omnino infra *c.5.§.4.n.48.* vbi discès, an reuocatio hæc, sine causa facta ab Episcopo, sit valida. Vide multa in hanc rem infra *lib.8. de matr. tr.2.c. vlt.§.4.& 5.*

3. Secunda etiam durabit usque ad tempus, seu terminum præcise designatum, vt ex se patet, nisi antea pari modo positiue reuocetur; Adest tamen hic notandum documentum. Si enim res non est integra, hoc est, si qua confessio bona fide incœpta finiri non potuit intra tempus præfixum, siue propter pœnitentis scrupulos, siue ob prolixam Confessionem, siue ob aliud rationabile impedimentum, si inquam, res non est integra, poterit Confessor post dictum tempus prosequi suam operam, etiam cum interpolationibus humano modo solitis, & illum absoluere, ac si esset intra tempus concessum. Ratio est, quia ex eo quod incœptum est negotium Confessionis tempore habili, radicem in Delegato fixit Iurisdictio, vt loquuntur Iura, ex rationabili voluntate concedentis; quare in illo ea perpetuantur, vsque ad complementum negotij. Idem passim docent Sanchez *l.2.Sum. c.13.n.15.* & Delugo *disp.29.de pœn.num.24.* Doctores, etiam in simili concessione ex vi Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi, si quando, elapsis terminis concessionis, confessio incœpta, propter aliquod impedimentum perfici non potuit. Addidi illud (bona fide) quia persuadere mihi non possum, (si id in fraudem fiat) adesse consensum Superioris ad prædictam Iurisdictionem continuandam, quicquid alij dicant.

3. Nota item cum Fag. *2.Eccl.præcept.l.7.c.2.num.34.* aliisque, si, data Absolutione, recorderis alicuius peccati mortalis à te, ante Absolutionem commissi, te non posse absolui ab hoc Sacerdote, à quo iam expirauit omnis potestas absoluendi, cum per Absolutionem, quasi per sententiam datam, ipse iam functus sit officio suæ delegationis; debebis ergo eiusmodi mortale exponere legitimo Confessario. Et nihilominus posse probabiliter habet Diana *p.11.tract.8.* ex Dicastillo, quia tunc sequens Confessio pertinet ad priorem. Sed nota, nullo modo posse pro novis, neque separatim, neque coniunctim cum prædictis oblitis, Quid si interim pecces nouo peccato? Respondeo, de hoc, & similibus solet agi *in Tractatu de Iubilæo.* Quare videatur Sanchez *lib.8.matr. d.15.n.17.* distinctius De Lugo *d.20.de Pœniten.n.præsertim 136.* quæ nos breuiter afferemus infra *in tr. de Casibus reserv.c.9. §.3.* Et distinctius affert Bardi de Bulla Cruciatæ *in 2.edit.p.1.tr.5.c.6.à n.76.*

5. Quoad Tertium, quando concessio facta est ad tempus incertum, aliquanto difficilior est decisio. Et quidem eiusmodi concessio duplici solet fieri formula. Primo, per has, vel similes clausulas: *Do tibi facultatem absolvendi, donec reuocauero*, vel *donec aliud ordinauero* vel *vsque ad aliud*, & in his quidem formulis videtur ostendi, debere interponi actum voluntatis positiuæ reuocationis, vt Superior concessionem reuocet; secus si actus positiuus non interponatur, perseverabit. Secundo per has, vel similes. *Do tibi facultatem absoluendi, donec voluero*, vel *donec mihi placuerit*, vel idem est, *ad meum beneplacitum*, & in his formulis videtur ostendi, non debere necessario interponi actum positiuum, vt Superior concessionem reuocet, sed reuocabitur eo ipso, quod voluntas, & placitum Superioris non adfuerit, quod poterit esse sine vllo Superioris positiuo actu, quando morietur; nam eo mortuo desinit atque adeo non adest ipsius positiva voluntas, seu beneplacitum. Ita Suar. *d.26.de Pœnitent.sec.3.* Delug. *de pœn.n.37.* & Sanc. cum multis *lib.8.matr.d.28.n.32.*

6. Iam verò si de prioribus formulis sermonem beamus; certum est apud omnes concessionem, sub illis formulis, non expirare etiam post mortem concedentis, vel post eum amotum ab officio, sed vtrumque ret, debere à successore per actum positiuum, vt dixi, est, revocari. Ratio est, quia si concessio est sub formulis *donec reuocem*, vel *donec aliud ordinauero vsque ad aliud*, debet vt finem habeat concessio, vel hoc aliud, vel debet poni illa ordinatio, vel reuocatio. Si ergo non ponatur, finem concessio non habebit; igitur mors concedentis, vel amotio eiusdem ab officio non sit reuocatio, nec ordinatio, &c. non expirabit concessio.

7. Si vero loquamur de formulis posterioribus, duæ sunt sententiæ: Altera communior, & est Sanch. referentis *lib.8. de Matrim. disp.28.* scilicet Med. Couarr. Pontium quos refert sequiturque Castrop. *tom.1.tract.3.disp.4.p.16.§.5.n.5.* Merollam *tom.1.tr. cap.6.n.522.* & Suar. *de leg.lib.8.cap.32.* docet concessionem Iurisdictionis his modis factam, expirare per mortem concedentis, vel per amotionem ab officio, hoc est, inquiunt, quia concessio facta per eiusmodi formulas requirit, vt perseueret continuata volitio, & consentum beneplacitum concedentis, at post mortem non continuatur volitio; post mortem enim, nec volitio, nec placitum, nec beneplacitum, & post amotionem ab officio, etiamsi adsit, adest tamen illegitima, & intens ad conseruandam iurisdictionem, cum is amplius Superior non sit.

Illud concedunt hi Auctores, si concessio sit facta beneplacitum Sedis, seu ad beneplacitum Episcopi, non expirare concessionem morte Episcopi, vel eius amotione ab officio, quia cum dignitas Sedis, & Episcopi semper maneat, per eam formulam semper manet potentia, significatur.

8. Altera sententia multorum v.g. Hurt. *d.10.de diff.4.* & rursus *d. suspens. dig.3.* Pasqu. *t.1. decis.* multos citantis, vt Castrop. *l.c.* & dicentis hanc non videri probabilitate, non minus certe probabilis, quæ præcedens, donec eiusmodi concessionem his posterioribus formulis concessam, non expirare per mortem concedentis, vel per amotionem ab officio, donec successore, vel eius Superiore positiue reuocente. Et quæ simul soluit fundamentum oppositæ sententiæ, quia, esto illud: *donec voluero, donec mihi placuerit, ad meum beneplacitum*, significet debere permanere volitionem & beneplacitum concedentis, vt concessio perseueret, tamen iam permanet in casu nostro; eo ipso enim quod non reuocatur eiusmodi voluntas, seu beneplacitum, satis manet habitualiter, & morali modo; dum enim ego non retracto voluntatem aliquid faciendi, in illa voluntate satis persisto. Cum ergo concedens, quando is decessit, vel amotus est ab officio non retractauerit volitionem, beneplacitum, in eadem permanere dicendus est. Videsne has posteriores formulas (donec voluero &c.) videre, quæ dicebant (donec reuocauero, &c) Leges Bonum, *in Var. Resol.res.36.num.6.* qui hanc nostram sententiam ex alio capite, quod hic non vacat examinare, probab

probabilem esse affirmat, pro Regularibus præsertim, quando sine causa sufficienti Episcopus apponit limitationes dictas (ad beneplacitum, &c.) quod etiam observat Diana *p.6.tr.6.res.48.* & innuit de Lugo *de pœn.d.2. num.60.*

9. Obiicies. *In cap. si gratiosè, de reseriptis, in 6.* expresse habetur illud Axioma, *Concessio gratiæ ad beneplacitum spirat morte concedentis.* Respondeo. Hoc Axioma multas habet limitationes, quas legere potes apud Menochium *de Arbitr. lib.1. quæst.69.* & Bossium *de Iubil. sect.3.cap.2.num.10.* addes; & apud Sanch. *l.c.* Inter cæteras est illa, vt eiusmodi Pronunciatum sit verum in materia ambitiosa, & restringibili. Ita multi apud Barbos. *in variis circa dictum Axioma, &c.* Dico ergo hoc Capitulum *si gratiosè*, non esse contra nos, illud enim expresse loquitur solum de materia multum restringibili, nempe de beneficiis vacaturis, quando scilicet Pontifex concedit alicui gratiam, vt provideatur de Beneficiis, quæ vacabunt pro tempore, quo ipsi Pontifici beneplacitum erit, quæ concessio vult expresse, vt solum intelligatur de Beneficio vacaturo, dum vivet ipse Pontifex: non enim vult præiudicare successori, cui competit conferre Beneficia, quæ suo tempore vacant, & idem est in officiis temporalibus.

10. Denique concessa delegatio, seu potestas absolvendi, si à Superiore revocatur legitimè, perit, vt indicatum est, sed debet revocatio intimari ei, cui concessa dicta potestas fuerat. Vnde si illi non intimaretur, sive per nuntium ad id destinatum, sive per edictum, licitè & validè posset ille Sacerdos confessiones excipere, quia donec iuridicè ipsi intimetur revocatio potestatis, semper potest probabiliter iudicare, nondum sibi ejusmodi potestatem fuisse sublatam, vt ex communi sententia rectè probat Sanchez *l.3. matr.d.30. n.11. & 13.* Quod si Superior licentiam revocaret, & item eam suo Delegato intimaret, sed revocatio commmuniter nesciretur, validè confessiones exciperet Sacerdos, licet illicitè, quia nunc adesset error communis, dans iurisdictionem, vt superius dictum est.

## CAPVT V.

### *De Approbatione Confessario necessaria.*

#### §. I. *Quid ea sit.*

1. VT Sacerdos idoneus reputetur ad accipiendam Iurisdictionem absolvendi Fideles, præterquam, quod debet carere excommunicatione, suspensione, interdicto personali, modo alibi explicato, oportet etiam ex Tridentino, *sess.23.cap.15.de reform.* vt sit ab Episcopo approbatus.

Aliqui ergo vt Boss. *de Iubil. sect.3.cas.2.n.57.* sentiunt hanc Approbationem à Tridentino requisitam, nihil aliud esse, nisi meram, simplicem testificationem Episcopi, vt talis persona est, non, vt est Episcopus, qua scilicet ipse testatur, hunc Sacerdotem esse aptum ad Confessiones excipiendas, quia eiusmodi simplex testificatio satis superque est ad intentum Tridentini.

Aliqui vero vt Pontius *l.5.matr.c.17. n.14.* & Averſa *quæst.16. de pœnitent. sect.6.* citans Fabium, Bonac. Bordonum, contendunt, esse sententiam, seu iuridicam testificationem, quam idem Episcopus, vt Episcopus profert de dicta aptitudine. Cum enim (aiunt, approbatio requisita à Tridentino sit quid coniunctum, & pertinens ad completam iurisdictionem Confessarij: sicuti ipsa Iurisdictio, quæ confertur Confessario, procedit ex potestate Iurisdictionis Episcopi vt sic; ita procedat, & approbatio necesse est.

2. Et quidem ex hac posteriore opinione sequitur, nullam esse Approbationem factam ab Episcopo excommunicato vitando, quia, vt scimus omnes, ab excommunicato vitando, vel tollitur, vel suspenditur omnis Iurisdictio. Contra ex priore sequitur, validam esse; nam illa mea testificatio non oritur à potestate Iurisdictionis, neque ab aliquo, quod per excommunicationem tollatur, vel suspendatur, perinde ac, propter eandem rationem, valida est assistentia matrimonij exhibita à Parocho vitando.

3. Vtraque sententia videtur probabilis, prior tamen est expeditior, & Tridentini verbis (vt accuratè ea perpendenti patebit) conformior.

4. Hæc autem, sive testificatio, sive sententia, non est, nec esse debet solum iudicium de doctrina sufficienti Sacerdotis, sed etiam de morum integritate, & prudentia, cæterisque conditionibus ad confessiones Fidelium dignè excipiendas: nam proprerea, etiamsi Sacerdos sæcularis, vel Regularis dignè, quoad litteras, gaudeat laurea Doctoratus, vel sit Magister, seu Lector Theologiæ, &c. indiget Approbatione, quia Doctoratus, vel Magisterium quantumvis notoriæ sapientiæ, nihil probat de moribus, &c. Lege Thomam Hurtadum *part.2. tract. num.1860.*

5. Quod eadem testificatio, seu approbatio debeat esse data non ex errore, vel dolo, & quid si ex metu? vel quid, si iniustè negetur? diximus supra satis *cap.4. §.5.*

6. Porro, vt omnia hic breviter colligam, quæ sunt scitu necessaria de prædicta Approbatione percurram, breviter aliquot clausulas Decreti Tridentini *sessione.23. c.25 de reform.* quod illam induxit, quasque prolixè habes apud Fagundez *l.3. n.2. Eccl. præcept. c.2. per totum.* Barbos. in Conc. Trid. *d.cap.15. & alios.* Decretum autem est huiusmodi.

*Decernit Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis, per examen (si illis videtur esse necessarium) aut alias, idoneus iudicetur, & Approbationem, quæ gratis detur, obtineat privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.*

### PRIMA CLAVSVLA.

#### §. II. *Nullus etiam Regularis possit Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire.*

1. ETiam *Regularis.* Quamvis aliqui velint, vt Rodriquez, Henriq. Navar. Lop. apud Ant. Escobar, *in Theolog. mor. tom.1. sect.2. problem.30.* hanc approbationem Episcopi non esse necessariam pro Regularibus exemptis, quia ipsi habent privilegia, vt electi à suis Superioribus, & presentati Episcopis, si hi nolint approbare; intelligantur iure ipso approbati; tamen est adeo manifesta mihi, & Escobar *ib.* adducenti Suar. Fagund. & alios horum privilegiorum revocatio, quæ satis expresse fit à Tridentino in hac sua nova lege, contradictorie oppositæ privilegiis illis quibuscunque, vt non sit integrum dubitare de huiusmodi necessaria Approbatione, etiam pro Regularibus. An autem Episcopus possit Approbationem dare limitatam v.g. pro viris, & non pro Mulieribus, &c. Lege Dianam *p.11. tract.8. resol.27.*

2. *Nullus possit.* Per hoc verbum *possit*, proposita negatione, modoque loquendi, & fine Tridentini, ostenditur, nullum Sacerdotem, sive sæcularem, sive, vt modo dixi, Regularem, posse validè, vel licitè sine Approbatione Ordinarij confessiones excipere: licet enim sit controversum, an semper vox *non potest*, tum licitum vsum, tum validum excludat, de qua re Suar. *l.5. de leg. c.31. à n.13.* Sanch. *lib.6. matr.d.38. n.20.* Castrop. *tom.1. tract.3. d.2. p.17. n.4.* & *tom.3. tr.16. d.4. p.12. §.4. num.4. & distinctius ibid. p.13. §.1. n.8.* Quintanad. *de confirm. sing.7. n.4.* Bardi *l.20. select. q.8. num.7.* aliique fusè; tamen omnes concordant, in re nostra vtrumque excludere ex modo, vt dixi, loquendi, & fine intento à Tridentino.

Posita hac doctrina, colligo ex Suario *d.28.de pœnit. sect.5.* & Diana *p.11.tr.4.res.16.* si quis Episcopus concederet tibi licentiam eligẽdi Confessarium non approbatum, quemcunque velis, nulliter eam cõcessurum, quia ipse dispensare non potest in lege Superioris, qualis est hæc Tridentini, in qua solus Summus Pontifex potest. Hoc Suarij dictum ego tunc intelligo esse verum, quando ejusmodi licentia ex circumstantiis non est tacita Episcopi approbatio ejus Confessarii, quem tu elegeris.

3. *Confessiones Sæcularium.* In his verbis notantur duo. Primo, Concilium loqui de Confessariis audituris Confessiones Sæcularium, non ergo de excepturis Religiosorum confessiones, de quibus nihil Concilium innovat. Quare hi poterunt secundum Ius antiquum ab suis Sacerdotibus absolutionem obtinere, quos eorum Prælati ipsis destinaverint.

4. Inter Sæculares numera post Decretum Vrb. VIII. *Cum sicut accepimus*, quia revocavit omnia privilegia, aliàs concessa circa confessiones sæcularium sine approbatione Episcopi, numera, inquam, cum Dian. *p.11.tr.4. res.14.* Aversa *q.16. de pœn. sect.7. fin.* Bos. *de Iubilæo, sect.3. cas.2.n.32.* contra Tamb. *de Iur. Abb. tr.2. d.6. q.16.* & contra Lezzanam *in mari magn. Erem. S. Augustini, §.1. n.4.* famulos quamvis commensales Religiosorum, qui non sunt nec Novitij, nec professi: numera item Alumnos & Convictores in Seminariis eorundem Religiosorum: ut etiam numera proximè ingressuros in Religionem, nam quia hi sunt verè sæculares, per dictum Vrbani Decretum ablata est potestas, qua forrè gaudebant Religiosi apud Thom. Hurtad. *part.1. Res. Mor. folio mihi 293. n.197.*

5. Secundo, notatur à Concilio, revocari eam antiquam aliquorum locorum consuetudinem, per quam Sacerdotes sæculares absolvebantur à quovis Sacerdote, & licet aliqui dubitaverint de hac revocatione, nunc post multas declarationes Cardinalium, & maximè post Decretum Innocentij X. non potest de ea amplius dubitari, ut videre potes apud Vetricelli *de mission. tit.9. quæst.153.*

6. Nondum omnia, quæ huc pertinent, explicuimus, enodandæ enim sunt sequentes quæstiones, quas per suos titulos claritatis gratia, sic distinguo.

*Approbatio pro Confessore ipsius Episcopi.*

7. Quæritur Primo, an sub nomine Sacerdotis sæcularis hîc comprehendatur etiam Episcopus, ita ut Episcopus v. g. Syracusanus non possit extra suam Diœcesim, v.g. in civitate Catanensi Confessorem ex sibi non subditis eligere, sed debeat aliquem ex illis, qui sunt approbati ab Ordinario Catanensi.

8. Comprehendi affirmant De Lug. *de pœn. d.21.n.3.* citans Suar. & Coninch. & Aversa *q.16. de pœn. sect.8.* quia etiam ipse est Sacerdos sæcularis: Confirmatur ex eodem De Lugo, *in resp. moral. l.1. dub.17.* qui dicit Episcopũ extra suam Diœcesim non posse approbare Confessarios pro suis subditis extra Diœcesim existentibus.

9. Negant alij. Vnde Bosl. *de Iubil. sect.3. n.100.* & Pasq. *decis. mor.88.* id extendens *ad Episc. confir. nondum consecratum*, & *decis. 87. ad Titularem*: lege etiam Lud. à Cruce *in exp. Bull. Cruc. d.1. cap.2. d.25.* dicunt, Episcopum, etiam post Tridentinum posse eligere, quem voluerit, juxta *c. finale de pœn. & remiss.* Quamvis autem aliæ rationes afferantur ab aliis pro hac sententia, illa mihi satis probabilis in mentem venit, quia ex contextu, & loquendi modo vsurpato à Tridentino, nomine Sacerdotum sæcularium, quibus imponitur, ut ipsorum Confessarius sit approbatus à suo Episcopo, solum intelliguntur Sacerdotes communes, non vero Sacerdotes, qui simul sunt Episcopi. Video enim hodie Sacerdotis nomine non venire Episcopos, esto olim venerint: &, etiamsi hodie venirent in aliis dispositionibus, certè in dispositionibus Tridentini, non item: quia adverto sub nomine Sacerdotis nunquam Concilium includere Episcopum, sed constanter Sacerdotis nomen abs prolatum, nonnisi Sacerdotibus communibus attribuit.

10. Ad Confirmationem Respondeo: Negando id, quod dicit De Lugo, & merito, nam cum Approbatio ad audiendas confessiones sit actus Iurisdictionis contentiosæ, & non contentiosæ, possit in alieno territorio exerceri, vt alibi dictum à nobis est, multo magis mera testificatio, vt dixi *n.1.*

*Approbatio pro Confessore Cardinalium, Imperatoris, Regis.*

11. De his, (quæ est Quæstio II.) cum non sit frequentis praxis; legatur Diana *p.11.tr.4. res.13.* & alios citans, qui tamen tandem concludit Cardinales Confessarium non indigere approbatione Episcopi, ipsos posse dare licentiam suo familiari, vt is eligat in Confessarium Sacerdotem, quem voluerit, quamvis ab Episcopo non approbatum, quia Cardinales non sunt Episcopi, & Parochi suæ familiæ, Non ita Imperatores & Reges: hi enim, nisi habeant privilegium, (vt habere solent) indigent Confessariis ab Episcopo approbatis.

*Approbatio pro Confessario Novitij.*

12. Quæritur Tertio, an Confessarius Novitiorum Religionum exemptarum, (exceptæ autem sunt hîc ferè omnes Religiones) debeant ab Episcopo approbari?

13. Respondeo, non debere quia Novitij in favorabilibus (quale certè est posse absolvi apud Confessarium independenter ab Episcopo) veniunt nomine Religiosorum: Ipsi ergo poterunt Absolutionem obtinere à Confessario deputato à suis Superioribus.

14. Sed possúntne prædictam absolutionem accipere à Confessario destinato, vel approbato solum à loci Episcopo, & non à suo superiore?

15. Respondeo. De hac re agam infra *in tract. de reserv. c.3. à n.8.* vbi dicam negari ab aliquibus, sed non probabiliter concedi ab aliis.

Sed per Bullam Cruciatæ: dicam paulo infrà in *eodem c.5.§.4.n.38.*

*Approbatio pro Confessario Religiositer agente.*

16. Quæritur IV. in hunc modũ. Solet sive ex expressa, sive ex tacita licentia imbibita in facultate peregrinandi, seu, quod idem est, in facultate morandi, ubi non sunt Sacerdotes proprii ordinis, solet, inquam, contingere Religiosos, ut tunc confiteantur Sacerdoti sæculari, Sacerdote sui ordinis carent, de qua re late Suar. *de Relig. tr.8. l.2. c.17.* In his ergo casibus possumne isti Religiosi in Confessorem eligere Sacerdotem sæcularem, nondum approbatum ab Episcopo.

17. Negat Vasq. cum paucis, sed probabilius contra Suar. *l.c.* cum multis. Ratio est, quia ex una parte Tridentinum non includit Religiosos in hoc Decreto requirente Approbationem Episcopi, ut supra vidimus, & ex alia à Superioribus non restringuntur ejusmodi itineranti ad eligendos Confessarios approbatos ab Episcopo, si enim restringerentur, sine dubio nõ possent; ergo non à nobis restringi debent. Nostri ex Societate an fuerint strictiores in aliquo, quoad hoc, infrà dicemus, *de casib. reserv. c.11. §.1. à n.26.* vbi etiam explicabimus quia ratione Religiosi possint absolvi à reservatis, cum itet faciunt.

*Approbatio pro Confessariis Monialium.*

18. Quod Moniales subditæ Episcopis debeant non alios Confessarios habere, nisi à suo Episcopo approbatos, res est, & semper fuit extra controversiam, quia subditæ, & ipsæ Episcopo sunt. Solum ergo olim erat quæstio de Monialibus exemptis, quæ scilicet Prælatis Religiosorum exemptorum sunt subditæ. Sed iam hodie soluta est hæc quæstio: Gregor. enim XV. *Inscrutabili*

bili, statuit, etiam has non alios, quam ab Episcopo approbatos habere posse in Confessario.

19. Porrò, vt hac occasione alia ad Monialium Confessarios pertinentia discas, habe sequentia.

Primo. In licentia, quam dat Episcopus excipiendi Confessiones etiam mulierum non intelligi Moniales, nisi specialiter exprimantur, & ita est praxis, vt ex communi sententia notat Campanili, *in direct. Iuris, dub.* 12. *cap.* 13. *num.* 62.

Secundo. Confessarium approbatum pro vno Monasterio, non censeri approbatum pro alio. Vide Doctor. *ap. Aversam q.* 6. *de pœn. sect.* 7.

Tertio. Approbatum pro vno Monasterio pro una vice, non pro aliis vicibus.

Quarto. Approbatus absolute pro sæcularibus, an possit excipere Confessiones Monialium tempore Iubilei, alij negant, alij affirmant *apud Pelliz. de Monia. c.* 9. *num.* 20. & 21.

Quinto. A quonam absolvi possint Moniales à reservatis dicam infra *in tract. de casib. reser. cap.* 3. *n.* 3. & 4.

*Approbatio pro Confessario Ordinum Militarium.*

20. Interrogatus nuper fui, an Milites Hierosolymitani S. Ioannis, hodie Melitenses, possint eligere in suum Confessarium quemlibet Sæcularem, vel Regularem Sacerdotem, qui ipsis designetur à suis Superioribus, quamvis hic non sit approbatus à suo Episcopo?

21. Vterque Sanchez *d.* 49. *n.* 10. & Th. *ap. eundem* putant posse, quia ex una parte hi milites sunt in omnium sententia veri Religiosi, pro quorum Confessariis non requirit Trident. Episcopi Approbationem, & ex alia non habemus, cur ipsi qui sunt verè Religiosi ab hoc privilegio sint excludendi.

22. Aversa autem *q.* 16. *de pœn. sect.* 7. putat non posse, atque adeo etiam ipsorum Confessarios indigere Episcopi Approbatione. Ratio est (inquit,) quia hi propter magnam libertatem vivendi qua gaudent, veniunt nomine sæcularium, pro quorum Confessariis requirit Tridentinum Approbationem Episcopi; in Tridentino enim hoc nomen (Sæcularis) accipitur prout opponitur Religioso claustrato, vt idem hic sit, Sæcularis, ac vivens in propria domo, & quasi in sæculo.

23. Equidem tria Dico. Primo hanc acceptationem nimis esse gratis excogitatam. Dico secundo, melius idem probari posse ex interpretatione vsu ipso facta huius Decreti Trid. quando hi milites degunt extra Conventum, hoc est extra Melitam; Raro enim invenies hoc audere tunc absolutionem petere à non approbatis ab Episcopo. Dico tertio, propterea quidquid sit speculative, certe si sint extra conventum, practicè posteriorem sententiam dictam *n.* 22. esse recipiendam ita Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 30.

24. Dico denique quarto dum sunt in Conventu, id est, dum Melitæ, quasi in suo Claustro ipsis proportionato, morantur, videri eorum Confessarius non indigere, nisi licentia sui Superioris, quem in hoc esse Priorem Ecclesiæ supponit Pater Bardi, *in explic. Bullæ Cruc. p.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. *fac.* 2. *num.* 26. Profecto in praxi, vsus ibi vsurpatus custodiatur.

25. Quoad alios Ordines Militares Sancti Iacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, quamvis de his vtrinque (sane probabiliter) an verè sint, an non sint Religiosi pugnetur, dicendum est, in vtraque opinione debere vti Confessariis approbatis ab Episcopo, quando sunt extra suos Conventus (nam quando ibi commorantur, vsus servent iuxtà praxim ibidem observatam.) Ratio est, quia, si non sunt Religiosi subduntur Episcopis; sit sunt Religiosi, recurrit, quod tertio dixi *n.* 23.

*De licentia, quam Religiosus habere debet, vt validè excipiat sæcularium Confessiones.*

26. Ex occasione Approbationis, quam etiam Religiosi obtinere per Tridentinum debent, vt *n.* 1. dictum est, omnia fere, quæ ad licentiam pertinent, sub qua à dictis Religiosis Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est, hic breviter comprehendam.

Recole autem, Religiosos iurisdictionem necessariam ad absolvendum sæculares habere à Summo Pontifice, & ab ipsis, teste Suarez *t.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *præsertim n.* 1 *v. fine*, & latiùs Castrop. *de pœn. p.* 14. *num.* 7. non obtinetur, inconsultis, vel invitis eorum superioribus; Ratio est duplex. Prima, quia in Clem. *dudum de Sepulturis*; Religiosis conceditur posse absolvere, pœnitentes, quando à Superioribus præsentantur Episcopo, vt is eos approbet; ergo supponit, quod ipsi Superiores non sint inconsulti, vel inviti. Hoc autem nunquam invenitur revocatum. Secundo, quia hoc privilegium directe concessum est Religioni, quare non transit ad particulares, nisi media voluntate Superioris. Ita Bos. *de Iubil. sect.* 4. *casu* 2. *n.* 180. testans esse sententiam communem. Et adverte tametsi aliquis, sive jure, sive injuria posset de hoc dubitare, quoad alios Religiosos, saltē quando Superior positive non repugnat, velletque sustinere privilegium esse immediate ipsis particularibus concessum; tamen quoad Religiosos nostræ Societatis dubitari non potest, quia Societas habet privilegium, ut nullis gratiis concessis, vel concedendis Socii utantur, nisi medio Patre Generali positive concedente. Ita *In Præf. Compend. Priv. Soc. Iesu*, & Suar. *t.* 4. *de Rel. tr.* 10. *l.* 10. *c.* 5. *n.* 6. & 9. *cap.* 2. *à n.* 2.

28. Atque ex hac doctrina sequitur, Primo Regularem non posse in administratione hujus Sacramenti Pœnitentiæ uti privilegiis suæ Religionis, sive directe, sive per communicationem concessis; sine suorum superiorum licentia, quia pari modo illa omnia debent medio Superiore transire ad subditos. Sequitur secundò, (ut infert Suar. *l. c. l.* 9. *c.* 2. *n.* 6.) Superiores posse dictam Iurisdictionem, quam ipsi juxta dicta, suis communicant, communicare limitatè, ut scilicet dicti Religiosi possint excipere confessiones virorum, & non mulierum, in hoc loco, & non in alio tanto tempore, & non tanto, &c. sicuti possunt Episcopi, ut probat quotidiana praxis, limitatè approbare aliquem Confessarium pro viris, & non mulieribus, tanto, vel tanto tempore, pro sæcularibus, & non monialibus, &c. Lege Aversam *quæst.* 16. *de pœnit. section.* 7. *Asca. Tamb. de Iur. Abb. t.* 2. *d.* 6. *quæst.* 16.

29. Si vero loquamur de Iurisdictione, quam participare possunt Regulares, si ea ab Episcopo eis communicetur? Dico Episcopum posse, (nam quando velle, censendus sit: dicam mox *n.*....) ipsis Religiosis eam valide communicare etiam invitis eorum Superioribus. Ita Graff. Miranda Lezana, Laym. aliique *apud Bossium de Iubil. sect.* 3. *casu* 2. *num.* 187. Trull. *in Bulla Cruc. l.* 1. §. 7. *cap.* 1. *d.* 6. *n.* 7. Luc. à Cruc. *in Bulla Cruc. disp. p. c.* 2. *d.* 16. *n.* 5. Si enim Episcopus potest non subdito, v.g. Sacerdoti alterius Diœcesis dare valide Iurisdictionem, Approbationemque ad proprias dicti Episcopi oves absolvendas, inscio, invitoque alio Episcopo dicti Sacerdotis, cur non Religioso; hoc tamen interest inter vtrumque quod Religiosus facilius posset peccare mortaliter, quia facilius sub gravi præcepto à Superiore prohiberi ipsi potest, ne excipiat Confessiones sæcularium, cum non tam facile soleat Episcopus sub gravi præcepto istis Sacerdotibus idem prohibere.

Dixi *valide communicare*, &c. At licitène Religiosi vtentur dicta Iurisdictione?

30. Respondeo etiam Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *n.* 19. sine positiva prohibitione superioris putat peccare Religiosum prædictum, si Confessionis Sacramentum administret, quia adhuc in re gravi vtitur sua voluntate independenter à superiore. Id ego Layman concedere non possum,

sum, quia saltem ex certa consuetudine, non peccant Religiosi contra dependentiam à suo Superiore, nisi hic legitimè voluntatem suam exprimat in contrarium.

31. Pejus quid molitur Bossius, l. c. citans Sylvest. Henriq. aliosque, contendit enim Religiosum esse incapacem Iurisdictionis Episcopalis sine consensu Superioris, quia sic subderetur Episcopo, à quo totaliter erat exemptus, quod cedit in præjudicium Superioris. Quare putat absolutionem prædictam esse omnino illicitam, & quidem etiam invalidam.

32. Verum, ut hinc incipiam, quamvis ex ejusmodi præjudicio, etiamsi illud adesset grave, illicita fieret collatio Iurisdictionis, sed vnde probatur fieri etiam invalidam, & Religiosum ex vi subjectionis, quam in Religione profitetur, esse ejusmodi Iurisdictionis incapacem?

33. Deinde dico, Religiosum prædictum, tunc solum illicitè mortaliter vsurum dicta Iurisdictione, excipiendo Sæcularium Confessiones, quando illi Superior legitimè per positivam prohibitionem graviter præciperet, ne ea utatur: tunc enim faceret contra obedientiam superiori debitam, aliàs, ad summum solum venialiter peccaturum: Vide tamen *n.* 36.

34. Hic denique scito, Ordinis Prædicatorum Religiosos illud habere à Iulio III. refert Rodriq. *tom. 2. Reg. art. 1.* & Castrop. *loco mox citando*, vt nullæ sint omnes licentiæ absolvendi, seu Iurisdictiones pro Confessionibus audiendis concessæ illis ab Ordinario (non ergo concessæ à Summo Pontifice, sicuti fit per Bullam Cruciatæ) ut rectè notat Castrop. *de pœn. p. 14. n. 24.* sicas Magister Ordinis revocandas esse judicaverit. Cum ergo ibidem Rodriquez dicat, fuisse in quodam Capitulo Generali revocatus, si sint sine consensu suorum Superiorum, non videtur dubium pro Dominicanis esse invalidas Absolutiones, collatas, sine dicto Prælatorum suorum consensu. Hanc Iulii III. Constitutionem non afficere alios Religiosos, (nisi constet ab aliis Religionibus receptam fuisse, quod certè hodie non constat,) notat ibidem Castropalaus.

### *Invito Superiore, an possit in Confessarium eligi Religiosus per Bullam.*

35. An sint eligibiles per Bullam Cruciatæ Regulares, quando verè sunt Approbati ab Ordinario, invitis, seu prohibentibus suis superioribus, breviter per hanc occasionem, dic affirmativè quoad validitatem. Ratio est, quia ex vna parte, ex vi Bullæ Iurisdictionem illis dat Pontifex, & ex alia jam supponimus, eos esse Approbatos.

36. Quid Secundo, Si Superior hunc Religiosum, quamvis aliàs approbatum, per sententiam privaverit, vel suspenderit ab omni Iurisdictione? Respondeo idem dic, quoad validitatem Absolutionis. Superior enim Regularis non potest privare Religiosum Iurisdictione concessa, vel concedenda à Pontifice.

37. Dixi in vtroque casu *n.* 35. & 36. quoad validitatem, nam in hoc secundo peccare mortaliter cum Luis de Raimon. *in Apol. pro. M. Serio. § 4. n. 32.* Regularem puto: quidem Superior Regularis, licet iurisdictionem concessam à Pontifice, vel etiam ab Episcopo abolere nequeat; tamen regere subditum valet in vsu talis Iurisdictionis; Si ergo illum per Iuridicam sententiam prohibet, videtur sub gravi præcepto prohibere. In priore autem casu, ubi non intercessit sententia, sed sola prohibitio, peccabit Religiosus, sive mortaliter, ut habet Diana *p. 1. tr. 11. resol. 13.* aliique: sive venialiter, juxta majorem vel minorem præcepti dati rigorem, ut innuit *num. 32.* Et quidem juxta hunc majorem, minorémve præcepti rigorem, debet intelligi Fagund. *2. Eccl. præcept. lib. 7. cap. 2. num. 32.* dum sic habet: Si Prælatus Regularis expressit verbis suis licentiam, approbationémque non auferat, sed tantum prohibeat audire Confessiones, aut prohibeat, ne Juniores sacerdotes fœminas audiant propter periculum, & decentiam personæ, & Religionis, tunc quidem cùm Approbatio non auferatur, valet absolutio: peccant tamen contra Prælatorum suorum prohibitionem, & ob id possent ab illis graviter puniri. Hæc Fagund.

### *Quandonam Episcopus præsumitur dictam licentiam concedere?*

38. Sed adhuc dubitabis primo, Quandonam judicabitur Episcopus concedere Religioso ejusmodi jurisdictionem, Approbationémque, etiamsi inviti sint Superiores? Respondeo, quando Episcopus expresse sciat superiores nolle Religiosum exponere ad Confessiones excipiendas? ipse nihilominus Iurisdictionem sive Approbationémque confert, alias enim semper præsumitur eam conferre more consueto, id est Superiore regulari positivè consentiente. Quare non est fidendum concessioni factæ ab Episcopo Superioribus ignorantibus, & multo minus contradicentibus. Si enim ejusmodi ignorantia, vel contradictio Episcopo non sit res magnum periculum est, ne collactio Iurisdictionis sit subreptitia, atque adeo nulla, cum sit sive per fraudem extorta, sive ex errore concessa. Sed Diana cum aliis, quos Episcopos absolutè (nisi exprimant contrarium) non de re licentiam excipiendi Confessione dependentes à Superioribus Religionum. Certè id colligitur ex doctrina quam affert Valentia *tom. 3. tract. 22. d. 5. q. 20. p. 4.*

### *An Religioso licentia concessa ab Episcopo in Religione prosit in sæculo, & contra?*

39. Dubitabis Secundo. An Regularis, qui licentiam ab hoc Episcopo obtinuit, excipiendi Confessiones Sæcularium, possit easdem excipere, si (ut usu venire pretium solet in Societate JESV) ad sæculum dimittatur? Respondet Pellizzarius, *tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. n. 2.* quem ad verbum sequitur Dian. *part. 11. tr. 4. res. 32.* hunc amissurum Iurisdictionem, quam habuit, ut Religiosus, à Summo Pontifice, quia non est amplius Religiosus; sed retenturum Episcopi Approbationem, quam illam Episcopus non revocavit, ut supponimus. Vnde sequitur (ait) hunc dimissum non posse excipere Confessiones, quia quamvis gaudeat approbatione; non tamen pollet Iurisdictione, at poterit easdem excipere si illi conferatur Iurisdictio, sive à Parocho, sive per Bullam, vel Jubileum, juxta mox dicenda *§. sequitur num. 4. & 7.*

40. Insufficiens doctrina. Nam ego illud maximè in re aveo de dicto Regulari; An, idem dicendum in casu do etiam Iurisdictionem, (ut communiter fieri solet) habuit ab Episcopo pro ipsius ovibus, quæ nunquam à nobis supponimus, revocata sit. Profectò si consequens sit qui Pelliz. velit, concedet, hunc in Sæculo valide adhuc Confessiones excipere posse, perinde, ac antea in Religione, quia jam habet, tum Iurisdictionem, tum Approbationem non revocatas.

41. Sed ego valdè ambigo de duratione tum Iurisdictionis, tum Approbationis in hoc Religioso dimisso. Vnde puto, non posse Confessiones excipere. Ratio mihi est, quia nequeo mihi persuadere Episcopum voluisse tantam concedere potestatem pro tempore quo tam deterius personæ, & status mutatio facienda sit. Episcopum quidem tibi Religioso oves suas, sed non tibi Sæculari credidisse præsumendum semper est.

42. Contra assentior Pelliz. *l. c. n. 39.* & Bordono *ref. 58. n. 88.* apud Pelliz. *l. c.* dicentibus Sacerdoem Sæcularem cui Episcopus concessit potestatem excipiendi Confessiones suarum ovium ingressum in Religionem, posse valide easdem excipere, quia hic non militat Involuntarium Episcopi, imo maxima ejus voluntas faveat, propter oppositam rationem numero præcedenti dictam puta, quia mutatio personæ est in melius.

SECVN

## Secunda Clausula.

*§. III. Nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, &c.*

1. Statim atque Parochiæ quis præfecturam incipit possidere, Approbatum jam esse ad audiendas Parochianorum Confessiones, hîc Tridentinum pronunciat. Inter hos autem vt refert Barbos. in Trident. *sess.23.cap.15.de reform.num.18* numerari etiam majores Sacerdotes curam animarum habentes, putà Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & illos Priores, quibus cura secularium animarum cum Iurisdictione quasi Episcopali in suo Territorio tribuitur, nimis est certum. Sicuti mihi certum est (quicquid nonnulli adversentur) non numerari, ait De Lugo *d.21.de.pœn.n.10.* Ascan. Tambur. *de Iure Abb.tom.2.d.6.quæst.17.* Suar. *d.28. de pœn. sect.4. n.21.* Prælatos Regulares, ij enim quamvis habeant curam animarum suorum Religiosorum, nequeùt sine Episcopi Approbatione sæcularium, Confessiones excipere, quia non veniunt absolutè, & sine addito nomine Prælatorum, cum eorum Prælatura non sit propriè beneficium Parochiale, quicquid in contrarium velit Th. Hurt. *p.2.tr.12. c.1.n.1869.*

2. Signate autem dixi (*incipit possidere*) id enim significatur, ut habet De Lugo, & Suar. *l.c.* ab illo verbo Tridentini (*obtineat.*) Quare si solum sit electus, vel si beneficium Parochiale obtentum, eo privetur, sive ob delictum sive ob litem; teste Ludovic. à Cruce, *in Bull. Cruc. d.1. cap.2. dubit.7.* sive ob suspensionem ab officio, ut vult Boss. *de Iubil. sect. 3. cas. 2. num. 57.* sive ob aliquem casum, quo cesset beneficium, carebit potestate Absolvendi, quia hæc ex jure, est accessoria ad possessionem Parochiæ. Nam propterea Maneta *de comm. vit. volunt. c.5.n.384.* & Diana *p.1.tr.11.res.7.fine*, docent Episcopos Titulares non censeri Approbatos, quia sic Episcopatus possessione carent: de hac re lege De Lugo *in resp.mor. l.3.d.15.num.3. & 9.* qui videtur innuere Titularem sententiæ Approbatum, sed videtur censeri contrarium. De Lugo *disp.21.de pœn.n.1. fine.*

3. Contra, dum Parochus Parochiam obtinet, non potest, vt placet De Lugo *de pœn. d.21.n.63.* & Lezzan. *consult 4.* per Episcopum privari Approbatione, quia illa gaudet ex Iure Tridentini, adversus quod nihil potest Pontifice inferior. Si ergo illum Approbatione indignum esse, legitimè constet, suspendat illum ob officio vel removeat, nam tunc, ut dictum est, statim cessat Approbatio.

4. Inquires Primo. Parochus quando quidem est ipso Iure Approbatus estne pro suis tantum Parochianis, an etiam pro omnibus Fidelibus cujuscunque Diœcesis, ita ut omnium sæcularium confessiones liberè possit excipere?

Resp. Dividenda est ejusmodi à te prolata Inquisitio; nam quoad priorem partem, An Parochus sit Approbatus pro omnibus? Dico esse pro omnibus approbatum, vnde accedente Iurisdictione sola, quæ illi deest pro aliis legitimè illos absolvet. Ratio est, quia ante Trid. Parochus non indigebat Approbatione, nam ex ipso uno officio Parochi Approbatus censebatur: Sed Tridentinum nihil immutavit, quoad hoc, ergo neque nunc indigebit Approbatione. At verò quoad posteriorem partem, An liberè possit excipere Confessiones omnium, dico non posse. Ratio est, quia ad legitimè eas excipiendas, non solum requiritur Approbatio, sed etiam requiritur Iurisdictio. Cum ergo Parochus gaudeat quidem Approbatione, sed non Iurisdictione, nisi pro suis ovibus, pro suis tantum erit aptus Confessarius, non pro alienis.

5. Ex ea doctrina, quod Parochus sit pro omnibus Approbatus, colligunt Fagund. 4. *Eccl. præc. l.7.c.2. n.37.* eiens praxim Lusit. Sanch. Leand. cum De Lug. *de pœn. d.21.n.12.* Dian. *p.11.tr.4.res.13.§. Concedo tamen*, Suar. *de quand. 18. sect.5.n.18.* aliique Parochũ quemcunque cum sit Ordinarius suæ Parochiæ, posse Episcopo saltem non contradicente delegare suam Iurisdictionem alteri Parocho, sive alterius Parochiæ in eadem Civitate, sive alterius Civitatis in eadem Diœcesi, sive alterius Diœcesis cujuscumque, & consequenter hunc Delegatum posse excipere confessiones ovium Parochi Delegantis; Nam Iurisdictionem habet ex dicta Delegatione, Approbationem verò habet ex suo munere, ut dictum est.

Scio Barbosam *de pot. Paroch.p.2.cap.1. num.3.* solum concedere in eadem Civitate, cui dicit, à Sacra Congregatione sic fuisse decisum: Verum de hac decisione non constat authenticè. Idem Barbos. pro hac sua restrictione citat Fagund. 2. *Eccl. præcept. l.7.c.2. n.35.* sed non rectè, quia Fagund. *l.c. sed n.37.* stat pro nobis, ut modo nos citavimus.

6. Sed quid? poteritne eandem suam Iurisdictionem concedere simplici Sacerdoti; Respondeo posse, ut dixi superius *c.4.§.3.n.12.* sed non approbationem, vnde simpliciter hic simplex Sacerdos, quia solum habebit Iurisdictionem, & non Approbationem, non poterit legitimè confessiones audire.

7. Inquires. Secundò, cum in Bullâ Cruciatæ, & Iubilæis dicatur, posse Fideles eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, poteritne ab omnibus in quocunque loco, vel Regno eligi Parochus?

Respondeo. In eadem tota civitate, vbi est Parochiâ certum videtur. Ita Fagund. *l.c. à n.35.* quia sicuti approbatus ab hoc Ordinario potest per Bullam eligi in tota hac Civitate, ita Parochus cujus titulus Parochiæ Tridentinum æquiparat Approbationi. In aliis locis extra Diœcesim. Idem *ibid.* multi negant, multi affirmant. Ego sicuti mox docebo, esse probabile Sacerdotem Approbatum à suo Ordinario, posse per Bullam eligi, quia Bulla non requirit Approbationem cujusvis Ordinarii loci, sed Approbationem absolutè, quam jam hic Sacerdos habet, dùm à suo Ordinario est approbatus, ita dicendum est de Parocho, cujus Beneficium Parochiale æquivalere voluit Tridentinum Approbationi. Ita Fagund. *l.c.* Aversa *q.16.de Pœnit. sect.8.* Boss. *de Iub. sect.3. cap.2. num.254.* aliique.

8. Quando Parochus amisit Parochiam, non esse per Bullam eligibilem, quia tunc actu non est approbatus, colligitur ex iis, quæ dicam *mox §.4.n.4.*

9. Inquires Tertio. Potéstne Episcopus ad examen iterum vocare Parochum, qui jam vel examinatus, vel idoneus fuisse reputatus supponitur, quando ad Parochum assumptus fuit. Vide sis *mox §.4.n.47.*

Respondeo. Ita Sanchez *in select. disp.50. n.11.* Vide Thom. Hurtad. *part.1.fol.455.* docet posse, & debere, sed in praxi nunquam vidi ad examen vocatos fuisse Parochos, & certè si non apparet apertè indignitas, non esset ipsi hoc onus imponendum, sed potius, si quis indoctum se ostendat, detur ei Coadjutor, ac suspendatur.

## Tertia Clausula.

*§. IV. Aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur necessarium, approbatus.*

1. Illud, *si ipsis videbitur*, denotat Episcopum ab examinando eos, quos novit esse idoneos liberum esse, immo imprudenter ipsum facturum existimo, si hominem doctum, & pium satis ab ipso cognitum vocare ad examen vellet.

2. Si Episcopus aliquem, sive per examen, sive aliàs aptum inveniat, quem absolutè approbare posset, peccátne si limitate approbet pro determinato loco, pro certis personis, &c.

Respondeo cum Boss. *de Iubil. sect.3.casu 2.n.57.* qui rectè ait, Episcopum injuriam, facere ei, quem ad examen admisit, si eum inveniens idoneum non approbet: consequenter ergo dicemus injuriam etiam illi facere, quem

quem ad examen admissum, idoneum absolutè inveniat & tamen approbet sine causa lamitate. Sine causa inquam, nam sæpissime causa non deest, puta, vt Sacerdos non negligat studium, ut bonos mores custodiat, vel quid simile, & quidem nisi clare de injuria constet, semper pro Episcopo præsummendum est.

*A quonam Ordinario concedi dicta approbatio debeat?*

4. Si sermo sit de ea, quæ simul est conjuncta cum concessione, seu delegatione Iurisdictionis, non est dubium, debere concedi à proprio Ordinatio loci pro suis subditis, supra quos Iurisdictio habetur.

5. Sermo ergo hic esse debet, quando Approbatio datur separatim à Iurisdictione, ut solet concedi iis qui aliunde Iurisdictionem habent à summo Pontifice, quales sunt Religiosi, vel electi per Bullam Cruciatæ, &c. in quo casu quæritur, an primo concedi Approbatio debeat à quocunque cujuslibet Diœcesis Episcopo, an Secundo ab Ordinario loci, vbi fit confessio, an Tertio ab Ordinario, cui subditur Confessarius: an Quarto ab Ordinario, cui subditur pœnitens absolvendus?

6. Non pauci in hac permoleſta difficultate, quia confundunt duo quæstionis membra, molestiorem illam, & non parum scrupulosam reddunt. Duo ergo sunt quæstiones permaxime distinguendæ. Altera de Religiosis tantum, alera de quibuscumque Confessariis, etiam Religiosis, sed electis per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæum, vel per peculiare rescriptum Pontificis, quamvis enim, tum Religiosis, tam quibuscunque dictis Confessariis, ipse summus Pontifex concedat tunc Iurisdictionem, ea lege, vt obtineant approbationem ab Ordinario, diversum tamen loquendi modum vsurpat pro Religiosis, quam pro eligendis per Bullam, vel Iubilæum, nam pro Religiosis vtitur Tridentinum, his verbis, (ab Episcopis sunt approbati) at pro eligendis per Bullam Cruciatæ si Pontifex præscribit (sint Approbati ab Ordinario) pro eligendis verò per Iubilæum solet addi sic, (Approbati sint ab ordinario loci) pro aliis denique rescriptis modo loquitur Pontifex, ut in Bulla Cruciatæ, modo, ut in Iubilæo.

7. Quoniam ergo, ut dixi, hæc permiscentur à nonnullis, unde argumenta, quibus altera quæstio probatur, detorquentur ad alteram; ideo fit, ut minus expedita, imo confusa reddatur vtriusque decisio. Nos igitur separatim de illis sic discurramus.

*A quonam Ordinario debeat Religiosus approbari, pro Confessionibus secularium.*

8. Mihi & Ascan. Tamb. multos citanti *t.2. d.6. q.14. contra illud. Approbatus semel, semper approbatus*, (& Doctoribus non paucis, saltem quoad praxim, certum est Religiosum, debere approbari ab Ordinario, cujus sunt oves illæ, quæ sunt Absolvendæ. Ratio ducitur à Tridentino toties citato, ibi, *Nullum etiam regularem, posse Secularium Confessiones excipere, nec ad idoneum reputari, nisi ab Episcopis approbetur.* Vbi ex intentione Patrum Concilii satis apparet, voluisse illos, ut hoc judicium exponendi Sacerdotes ad tantum munus fierent, ab Episcopis, pro cura, quam debent habere suarum ovium: at hæc requirit, ut quilibet Episcopus suos Confessarios veluti sibi formet, formatosque suis subditis exponat.

9. Quare licet his Tridentini verbis possit dari alia interpretatio, (vt contendit Cellotius *de Hierar. l.5. c. 24. & 25.*) defendens hîc illam propositionem) *semel approbatus, semper approbatus* (quasi illud (*ab Episcopis*, ita intelligatur, vt semel Religiosus sit ab vno ex Episcopis totius Mundi approbandus, qua vnica approbatione semel habita, possit vti ea Iurisdictione ad Fideles absolvendos, quam immediate habet à Pontifice; nihilominus ejusmodi interpretationi nimis valde obstat præ-

dictus finis Patrum, & cura in tanta re, quam Episcopus singuli adhibere obligantur pro suis ovibus. Si in Tridentino, iis Religiosis, ut prædicent Verbum Dei, tra suam Ecclesiam; requiritur, ut habeant licentiam ab Episcopis singulis, & intra suas Ecclesias, saltem benedictionem, putabone in designandis Confessariis res maximi est momenti, tantam voluisse licentiam concedere Tridentinum; non vtique, & veris.

10. Dixi autem *num.8.* (saltem quoad praxim) quamvis vtcunque nostra prædicta ratio, & alia adductæ infirmari possent speculative, practice nullo modo est contraria sententia recipienda, ipsa tot annos vsurpata praxis, tum Episcoporum omnium constans vigilantia, qua examinare, vel cognoscere volunt Religiosos, quamvis in aliis locis probatos, tum timoratorum Religiosorum confessiones non audentium, cum vnica Approbatione omnes absolvere, tum denique periculum, ne res tanti momenti, qualis est remissio peccatorum, invalidè exercetur ab ejusmodi Religiosis, satis ostendunt nostram esse, communem sententiam, & nullo modo aliam in vsum deducendam.

*A quonam Ordinario approbari debet electus per Bullam Cruciatæ.*

11. Si in Bulla aliqua, vel in Rescripto quocumque (ut certe in Iubilæis, sicuti notavi *num.6.* sæpe videmus) dicitur posse Fidelem, cui fit concessio, absolvi, dispensari à Confessario quocunque, sed addatur *Approbato ab Ordinario loci* non est mihi dubium requiri Approbationem Episcopi, seu Ordinarii illius Diœcesis, in qua fit Confessio, nisi forte limitetur hoc, vel simile modo *A tuo Ordinario, vel ab Ordinario tui loci*; tunc enim servanda esset limitatio.

12. Dubium ergo solum est, quando absolute dicitur *Approbato ab Ordinario*, ut certe nunc dicitur, (ut supradicto *num.6.* notavi) in Bulla Cruciatæ: Quæritur sic non appareat à quo Ordinario procedere debeat approbatio quærendum est, quisnam Ordinarius per hæc verba designetur.

13. Pugnant loquendo de dicta Bulla, & ex meis sententia, paribus armis vtrique Doctores. Non pauci sufficere, si in Sacerdote adsit Approbatio cujuscumque Ordinarij, sive loci, sive ipsius Confessarij, sive pœtentis legitime collata, etiam si dictus Sacerdos alio domicilium transferat, & ex Indiis huc accedat, ma ipsi Approbatio nondum spiraverit, nam si spiraverit cam mox. Ita plures Doctores, ut Henr. *l.7. c.12. n.3. V. Absolvo, dif.* Diana *p.p.tr.11. res.7.* dicês sic sentire quos Patres, qui interfuerunt Conc. Trid. Titul. probabile idem dicens *l.1. in Bull. Cruc. c.7 §.1. dub.2.* Th. Hurt. *t.2. res. mor. tr.12. c.1. n.2056.* vocans hanc sententiam valde probabilem, nisi esset contra praxin Astrop. *in Bulla Cruc. p.8. §.1. n.1.* vocans hanc sententiam probabilem, & ibidem *p.6. n.3. Sà v. Confessor, n.6. in pres. genuin.* Anton. Escob. *in Theol. mor. t.1. l.7. tract. probl.23.* aliique ut Ioan. Sanch. *in select. d.44.* allios citat Cordu. Coninch. Suar. à Regin. & Filliuc. *apud Leand. Cruce, loc. mox citando.* Idem dic in Iubilæo, vel quocumque rescripto, si similem clausulam præferat.

Hæc sententia illo nititur, satis probabili fundamento quia expedit diversum illum modum, quo Pontifex Tridentino vtitur, dum imponit necessitatem Approbationis pro Confessariis, & illum, quo idem vtitur in Bulla Cruciatæ. Nam licet in vtroque non apponat illum *loci*, tamen in Tridentino directe præcipiuntur Confessarii, etiam Regulares, ne Confessiones excipiant, ab Episcopis Approbationem obtinant: At in Bulla Cruciatæ directe concedit Fideli, ut is possit eligere Confessarium approbatum ab Ordinario.

Ex hac diversitate loquendi Pontificis, satis apparet majorem libertatem concedi Fidelibus per Bullam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lum enim imponitur ut eligant Confessarium Approbatum ab Ordinario. Approbatus autem ab Ordinario, sive loci, sive Confessarii, sive ipsius Fidelis, dicetur, & est in omni rigore Approbatus ab Ordinario; At per Tridentinum, cum imponatur Confessariis ipsis onus accipiendi Approbationem ab Episcopo, omnino debet intelligi, nisi minus castigatè locutum esse Tridentinum velis) ab Episcopo illo, cui incumbit dare suis ovibus Confessarios approbatos, qui est Ordinarius loci, à quo Confessarii ipsi recipere legitime Approbationem debeant, sicuti accipere debent iurisdictionem, quando illis non datur à Summo Pontifice.

16. Semper autem dixi (legitime) id quod explicatius intelliges ex sequenti Decisione. Ordinarius v.g. Messanensis potestne valide approbare Sacerdotem fixe commorantem in alia Diœcesi, v. g. Panormi, ad hoc, ut sit eligibilis per Bullam Cruciatæ, à Civibus Panormitanis, ut etiam, ut sit eligibilis à quibuscunque aliis Christi Fidelibus.

Ita putant nonnulli, quia hic iam erit Sacerdos Approbatus ab Ordinario (id quod solum requirit Bulla) etsi ille, qui approbat, non sit Ordinarius loci, nec Pœnitentis, nec Confessarii.

17. Verum id animo nulla ratione sedet. Nam, & Tridentinum, & Bulla, & Rescripta, quando requirunt Approbationem Ordinarii, loquuntur de Approbatione quæ legitime, & secundum iura conferatur: At secundum quam legem Ordinarius Messanensis potest Sacerdoti Diœcesis alienæ concedere Approbationem, solum ut sit ab omnibus eligibilis per Bullam? Hoc verè non esset approbare pro Confessionibus, sed dare dicto Sacerdoti facultatem, ut possit eligi per Bullam, quod est extra Episcopi potestatem. Approbet ergo ejusmodi Episcopus dictum Sacerdotem ad excipiendas Confessiones ovium suæ Diœcesis Massanensis, (quod iure potest ab ipso fieri non dubitamus, quia potest pro suis ovibus undecunque convocare Confessarios) siquidem tunc, quia ejusmodi Sacerdos legitime erit approbatus ad Confessiones, erit consequenter iuxta hanc primam sententiam eligibilis ab omnibus.

18. Porro quando contra prædictam primam sententiam opponunt Primo aliqui (Vrbanum VIII. cujus meminit De Lug. *de pœn. d. 21. n. 29.*) qui revocavit omnium Regularium Privilegia, circa audiendas Confessiones, sine Approbatione data ab Episcopis Diœcesanum, vel Secundo, quando opponunt Breve, ut habet Th. Hurt. *t. 2. ref. mor. tr. 12. c. 1. n. 1044.* edictum à Paulo V. in quo declaratur per Bullam Cruciatæ non induci novum ius contra Tridentinum, vel Tertio, quando opponunt Declarationes Sacr. Congregationis in contrarium; nihil conficiunt: nam ad Primum, Vrbanus loquitur de Privilegiis Regularium, nos autem versamur in iure peculiari Bullæ, vel Rescripti. Ad Secundum Paulus V. nihil innovat, nec nos innovamus de substantia Approbationis, quam legitime faciendam esse ab Episcopis, omnino requirimus? cæterum Paulus, nec restringit se ad unam Approbationem, nec si se restringeret posset ligare manus aliorum Pontificum, quasi hi non possint concedere, ut semel Approbatus, sit per Bullam eligibilis. Ad Tertium denique, vel de prædictis declarationibus non constat authenticè, vel eæ loquuntur de Approbatione requisita à Tridentino, pro confessariis communibus, non verò loquuntur de electis à Fidelibus per Bullam peculiarem.

19. Vrgebis, in Bulla Originali Cruciatæ dicit Pontifex: *ut possit quis eligere Presbyterum Sæcularem, vel ex Regularibus, qui sit approbatus ab Ordinario, vel quoad Regulares, semel tantum fuerit approbatus.* Ergo doctrina data, licet procedat in Confessario Regulari, non videtur procedere in sæculari. Respondeo. Pontificem supponere id quod communiter accidit, nimirum Presbyteros Sæculares commorari in sua Diœcesi, Regulares vero transire de Diœcesi, ad Diœcesim. De his ergo Regularibus dicit, sufficere unam Approbationem (quod certe nostram doctrinam, saltem ex parte confirmat) quamvis in aliam Diœcesim migrent. De Presbyteris tacet, quia supponit, ut dixi, domicilium eos non mutare, non tamen negat idem de ipsis esse, si mutent. Aliam Responsionem habet Th. Gallegus *de Bulla Cruciatæ c. 9. diff. 120.* vide item Diana *p. 11. tract. 6. res. 51. d. n.* vnde Vasquez.

20. Iam vero plures, ut Suarez *de Pœnitent. d. 28. sect. 3.* Th. Hurtad *l. c. 2056.* Layman, aliique *apud Aversam, quæst. 16. de pœnit. sect. 6.* Delug. *l. c.* Vasq. *ad q. 93. de pœnit. art. 3. dub. 4.* Ludov. à Cruce *d. 1. in Bulla Cruciatæ, cap. 2. d. 15.* qui dicit primam sententiam non iudicari probabilem. Eandem sententiam tenet Fag. 2. *Eccl. præcept. l. 7. c. n. 22.* negant, sufficere unam Approbationem, quamvis legitimam, cuiuscunque Ordinarii, ut quis per Bullam eligi in Confessarium possit. Si interroges, cujus ergo Ordinarii? Respondent variis modis, quos afferam mox *n. 26.*

Ratio hujus secundæ Sententiæ potissima hæc est. Summus Pontifex in Bulla Cruciatæ, dum postulat Confessarium Approbatum, profitetur velle se conformare dispositioni Concilii Tridentini, sed Tridentinum requirit Approbationem Episcoporum in singulis Diœcesibus, ut supra diximus, ergo etiam requirit in Bulla Pontifex.

21. Confirmatur Primo, quia quando Tridentinum ait, ut aliquid non fiat sine licentia Episcopi, omnes explicemus sine licentia singulorum Episcoporum in singulis Diœcesibus; quis enim dicat, quando v.g. *Sess. 5. c. 2.* Tridentinum vult, ut Regulares, si velint prædicare in propria Ecclesia, se præsentent Episcopis: si extra, petant licentiam ab iisdem, quis, inquam, dicat, sufficere si licentiam semel petant ab uno Episcopo, pro toto Orbe? Ita ergo in casu nostro non sufficiet una Approbatio.

22. Confirmatur Secundo, quia si una sufficeret, cur permittit Ecclesia, ut in singulis Episcopatibus examinentur Confessarii?

23. Confirmatur Tertio quia tanta licentia, ut sufficiat una Approbatio; nec ullo Iure, nec ex Tridentino probatur.

24. Confirmatur Quarto, etiamsi unus Episcopus posset approbare pro toto Orbe, non est credendum, ipsum velle dare Sacerdoti tantam auctoritatem. Ex quibus confirmationibus infertur, Sacerdotem in una Diœcesi Approbatum, se debere gerere, ut non Approbatum in alia, si rationabiliter operari velit.

25. His rationibus, sic facile posset responderi. Ad rationem principalem distinguenda est maior. Pontifex in Bulla Cruciatæ, dum postulat Confessarium Approbatum, profertur se conformare cum dispositione Tridentini in substantia Approbationis, ut scilicet Confessarius sit legitime Approbatus, concedo: in aliis, & præsertim in multiplici approbatione, nego maiorem. Vnde & nego consequentiam. Neque gratis, sic nego majorem, quādo enim Pontifex in dandis similibus privilegiis, vult in multiplici Approbatione se conformare dispositioni Tridentini, id explicite facit, apponendo illud (ab Ordinario loci) vel quid simile: ergo cum in Bulla non sic se explicet, certe in Approbatione illa multiplici conformem se Tridentino reddere non intendit.

26. Ad quatuor Confirmationes respondebis facile, modo non permiscear, ut monui *n. 15.* quæstionem de Bulla, cum quæstione de Religiosis, concedo enim omnia, quæ in dictis confirmationibus assumuntur. Sed illæ nihil aliud probant, nisi quod ex vi Sacrorum Canonū, & Tridentini; Omnes etiam Religiosi, qui excipiunt Fidelium Confessiones, debēt multiplicem dictam Approbationem pro multiplicibus Diœcesibus habere: At nos loquimur ex peculiari privilegio dato in Bulla Cruciatæ, vel in peculiari Rescripto. Quod ergo

infertur *num.*23. distinguendum est; nam ex vi Canonum, & Tridentini, concedo, non autem ex vi Bullæ Cruciatæ vel Rescripti, per quæ rationabiliter Sacerdos vtitur vna Approbatione, propter rationes dictas in prima sententia.

His ita explicatis, pronuntio nihilominus, vtramque sententiam esse probabilem. Sed ego priorem libens amplector, sicuti ad eandem accessisse visus sum. *In Opusc. meth. confess. l.3.c.7.§.3.n.7. in editione Venetâ anni...*

27. Quæret curiosus, secundam sententiam sectantes, cujusnam Episcopi Approbationem requirunt? Respondeo. Varii varios. Vasq aliique citati à Bossio *de Iub. sect.3.c.2. n.209.*& Covar. *lib.1.can.q.cap.27.* requirunt Approbationem Episcopi loci, quo fit Confessio, Laym aliique *ap. Averſam, quæst.16. de pœn.sect.8.& ap. Lud.à Cruce in Bull.Cruc.d.1.cap.2.d.15.n.24.* Approbationem Episcopi pœnitentis, illius scilicet, qui debet absolutionem recipere. Suar. *d.28.de pœn. sect.6.* De Lugo *d.21. de pœn.n.29.* Sanch. *lib.3. de matr. d.29.n.2.* Bossius *l.c. num.202.* late, aliique Approbationem Episcopi Sacerdotis, puta illius, qui excepturus est confessionem, atque absolutionem collaturus. Quas sententias satis sit innuisse legendas, si cui est otium, *apud Bardi in Bullam Cruciatæ p.2.tract.5.c.1.sect.2.*

*An sufficiat pro Bulla approbatio, quæ cessavit.*

28. An Confessarius, cui legitime spiravit, vel à quo legitime revocata est Approbatio, possit eligi per Bullam, vel simile reseriptum? idem quæritur de Parocho à quo fortè ablata est Parochia. Respondeo. Negative; Ita Castrop. *de Bull.Cruc.d.unic.p.8.§.1.n.5.* Solum enim est eligibilis pro eo tempore, quo durat Approbatio. Ratio est, quia privilegium Bullæ concedit, eligi posse Sacerdotem Approbatum, & sensus videtur esse, ut sit actu Approbatus: at is, cui illa cessavit, non dicitur amplius actu Approbatus: sicuti excommunicatus, qui est iam Absolutus, non dicitur amplius excommunicatus. Adde inconveniens quod mox dicam *num.*31. fine.

Illud ergo (Approbatus) non est participium præteriti temporis quasi, qui fuit Approbatus, sed est nomen concretum, quod requirit formam Approbationis actu moraliter adesse, hoc est, eam non fuisse revocatam.

29. Aliqui tamen, ut Seb. Acost. & ex parte Rodrig. *ap. Castrop. l.c.* Marc. Seio *in Bull. Cruciatæ* dicens id probabile, concedunt, contendentes, sufficere fuisse semel approbatum, etsi fuerit pro limitato tempore approbatus, & eo elapso, non fuit ex causa legitima reprobatus, quam sententiam refert, & non reiicit Castrop. *l.c.* Illum lege, nam quia in praxim eam deducere nec volo, nec audeo, satis habeo, illam tibi brevibus innuisse.

*An sufficiat pro Bulla Approbatio limitata?*

30. Qui est approbatus limitatè, pro Mulieribus v.g. non pro Viris, pro rusticis, non pro mercatoribus, &c. potestne ex privilegio Bullæ, vel similis Rescripti, eligi ab omnibus illimitatè? Respondeo, Nequaquam, Ita Suar. *d.28.de pœn.sec.3.n.3.* Delugo. *d.21. de pœn.n.26.* Bardi *in sel ec. l.5. q.7. n.6.* Bossium *de Iub. sec.3.c.2. n.245.* aliique plures ab his citati, sed solum pro illis pro quibus est approbatus. Ratio est, quia suprà diximus, eligibilem per Bullam debere esse legitime approbatum, at hic non est legitime approbatus respectu illorum, à quibus excluditur.

Scio non paucos, ut Dianam *p.1.tr.11.res.9.* Merollam *t.3.d.6. c.2. n.67.* aliosque plures ab ipsis citatos, & Castrop. *de Bull. Cruc. p.8. p.1. n.3. fine:* & latius *d. vnic. de pœn.§.2.n.10.* citantem *Barb. Coninch. Fagund.* concedere, posse ab omnibus illimitatè, quia verificatur (aiunt) illum esse aliquo tandem modo approbatum; neque enim Bulla distinguit, an debeat esse approbatus illimitatè vel limitate, sicuti approbatus ab Episcopo pro sua Diœbesi, potest dici limitatè Approbatus, & tamen prima sententia *n.13.* allata, probabiliter sustinet, posse hunc ab omnibus illimitatè eligi.

31. Video argumentum vrgere; sed nihilominus non do; nam inconveniens quod sequeretur, dit, sententiam hanc non esse probabilem. Sicut cerdos approbatus pro una fœmina, vel pro un esset eligibilis pro tota Diœcesi, imo in prima tentia pro toto Orbe. Ex quo inconvenient non posse præsumi Summum Pontificem id concedere, cum, contra præsumere possimus concedere, approbatum absolute pro una Dioec pro alia eligibilem, quia ex una parte non sequitur ctum, vel simile inconveniens, & ex alia pro una Diœcesi, satis proprie dicitur absolute tus, quod dici non potest de approbato pro uno genere personarum, pro uno tantum Oppido disparitas solvit illud quod Adversarii dixerunt præcedenti.

32. Simile inconveniens eveniret in eo, qui approbatus per unum, vel alterum diem, ut Hebdomada sancta aliquando ab Episcopis fieri enim is per totum Terratum Orbem, semel eligi nemo dicere audebit.

33. Doctores aliqui ex proxime citatis *num.* stinent limitatè approbatum, posse ab omnibus lam eligi: sed id solum docent, quando limitatio apposita ob defectum scientiæ. Si enim esset ejusmodi defectum apposita, non posset (aiunt) ab bus eligi.

34. Verum, quæso vos, Doctissimi viri, cum Approbatio non sit solum testificatio scientiæ, sed moralis prudentiæ, sed decentiæ, ut nuper vidimus, cur non defectus æquè non restringunt Approbationem?

*Religiosi, an ex vi Bullæ Cruciatæ, possint eligi.*

35. An Religiosus Sacerdos possit à Fidelibus in Confessarium vi Bullæ, vel Iubilæi?

Respondeo. Certum est, Sacerdotem Religiosum se eligi à Fidelibus ex vi Bullæ, vel Iubilæi, vel Rescripti. Sed, debere esse approbatum ab Ordinario, ma iam dicto, certum item est, quia sic, etiam ipse Religiosus erit Confessarius legitimus. Illud quæri potest, nomine Ordinarii, hic valeat intelligi ipsius Religiosi Prælatus, quando in aliquo Iubilæo, vel Rescripto additur illud, *ut sit Approbatus ab Ordinario sui*, solum illud, *ut sit Approbatus ab Ordinario*, Ver id Tractatu de Iubileæ solet resolvi: legantur Delug *de pœnit. d.29. n.143.* Boss. *de Iubil. sect.2.n.7. Iub inselec.l.5.q.8.* aliique.

36. Quid si quis Religiosus, invitis suis Superioribus, approbaretur ab Episcopo, esset ne is pari modo gibilis? Respon. De hoc dixi paulo ante supra §.2.

*An Religiosi possint sibi eligere Confessarium ex Bullæ, vel Iubilæi.*

37. Profecto aliud est dicendum ex vi Bullæ, aliud vi Iubilæi. Ex vi Bullæ teneamus cum De Lugo *d.20.sec.9.* citans *Suar. Henriq. Regin. Dian. alios* Castro *de Bull. Cruc.p.8.§.2.& 3.* (quicquid alii dicant Trul. *in expos. Bull.l.1.§.7.c.1.d.9.* Ioan. Sanc. *& 13.* Valerus *diff.1.concl.5.* Iuniper. *de offic.p.2.* & Diana latè probans *p.11. tr.6. Res.37.& 38.* Ratram, & solidam opinionem negantem; idest, non Religiosos, uti Bulla ad eligendum Confessarium approbatum tantummodo ab Ordinario, sed debere esse adesse consensum sui Superioris, sive ut absolvens casibus reservatis, quod est certius, sive à non reservatis quod est magis controversum. Et hoc quidem, ideo ut absolvatur à non reservatis concedit Quintan. *de pœn. singul.18.* citans *Trull. Henriq. Ludo. à Cruce, Lon. alioſque.* Fusissime Mendo *d.24. in Bull.Cr. fol. mihi 384. pend.d.1.c.10.* late item Galleg. *in Bull.Cr. fol. mihi 384.* alii, sed negat merito Delug. *l.c.n.195* Escob. *l.c. prob.45* late sibi contr. nam in examine breviter cocedit, aliique

Si plura cupias, adi citatos, lariſſimè hac de re diſputantes: nobis ad præxim ſemper collimantibus, ſolidam doctrinam ſignificaſſe, ſatis ſuperque eſt.

38. Novitios uti Bulla Cruciatæ poſſe, quis ipſi verè ſint ſæculares, & in odioſis non veniunt nomine Religioſorum, firmat Caſtropalaus *loc. cit.* §. 2. *num.* 7. alios citans.

39. Illud mihi placet, quod docet Ioan. Sanch. *de* 45. *num.* 10. *fine.* Quamvis daremus, eſſe probabile, Regulares valide abſolvi per Bullam Cruciatæ, tamen conſtrictum non eſſe Confeſſarium tenentem contrariam, hoc eſt noſtram opinionem, excipere Confeſſionem talis Regularis, nam in hoc caſu defectus, ob quem non auſcultatur Confeſſio, ſive non impenditur Abſolutio, tantum ſe tenet ex parte Miniſtri: Verum idem Sanchez advertit, condecens eſſe, ut ante auſcultationem peccatorum moneat pœnitentem Confeſſarius, ſe non abſolutorum, juxta ipſius pœnitentis opinionem. Hæc Io. Sanchez, quæ latius explicat De Lugo *in reſponſ. mor. lib.* 1. *d.* 27.

40. Ex vi Iubilæi, vel reſcripti, Iubilæo ſimilis, dicendum eſt debere conſiderari formam Iubilæi, vel Reſcripti. Certe in Iubilæis hactenus latis communiter omnia privilegia Religioſorum in contrarium revocata fuerunt, atque adeo poterunt ſibi eligere quemcunque Confeſſarium, etiam ſæcularem approbatum ab Ordinario loci, ut ſcilicet nullus à libertate fatendi ſua peccata tempore univerſalis Indulgentiæ excluderetur. Si ergo deinceps edentur Iubilæa ſimilia præcedentibus, par erit poteſtas concedenda. Adde tacitum conſenſum Superiorum, qui dum Iubilæum ſuis ſubditis proponunt, ſatis oſtendunt, eam libertatem approbare.

### *Approbationis certitudo.*

41. Confeſſarius debet eſſe moraliter certus de ſua approbatione, (idem dic de Iuriſdictione) ſive ad abſolvendum neceſſaria, ſive ad abſolvendum ab his, vel his caſibus.

Amicus audivit, Epiſcopum me approbaſſe ad excipendas Confeſſiones, mihique id retulit, poſſumne valide Confeſſiones excipere, quaſi certus de poteſtate?

42. Reſpondeo, non poſſe, & quidem cuidam hanc doctrinam non approbanti ſtatim, atque oſtendi: Th. Sanch. *l.* 3. *mat. d.* 36. *n.* 8. manus dedit. Is diſerte docet. Confeſſario conſtare debere licentiam ſibi datam audiendi Confeſſiones, vel immediatè per Epiſcopi, ſeu Vicarii loquelam, vel per nuntium, ex Epiſcopi mandato, id teſtificantem; Sicut enim licentia audiendi Confeſſiones non intelligitur valide revocata ab Epiſcopo, niſi revocatio conſtet per nuntium ad id deſtinatum, vel per edictum, ita nec valide conceſſa, &c. Hæc Sanchez.

43. Quid ſi dubius negativè ſum de licentia data? Reſpondeo, non poſſe te illa uti, quia omnes conſtanter docemus in dubiis prævalere id quod eſt prius: at prius eſt, te carere licentia, & poſtea, illam poſſidere.

44. Quid ſi probabilitatem de illa habeamus? Reſpondeo, te tunc illa vti poſſe (quicquid neget Ioan. Sanc. *d.* 44. *n.* 13.) Ratio eſt ex ſuperioribus eruenda, uti diximus, quando eſt probabile, tu gaudere Iuriſdictione, Eccleſiam certò illam tibi conferre. Vnde non eſt audiendus idem Ioan. Sanch. dum dicit, in eo caſu, quo Confeſſor probabili Iuriſdictione vtitur, debere ab ipſo admoneri pœnitentem de ejuſmodi probabilitate, ut ſi velit, quærat alium abſolventem ex certitudine, non eſt, inquam, audiendus, quia probabilis Iuriſdictio affert certitudinem ſui, non ex ſe, ſed ex Eccleſia certo confirmante, ſeu conferente illam.

45. Si opponas illud Axioma: In adminiſtratione Sacramentorum tenemur ſequi partem tutiorem, dico, id intelligi in materia, & forma ipſorum, vel ſimilium, non in Iuriſdictione, nam hujus defectum Eccleſia ſupplet, quod non poteſt facere in materia, & forma Sacramentorum, ut fuſe proſequitur Caſtrop. *t.* 1. *tr. de Conc d.* 2. *p.* 5. *n.* 5.

Si Approbationem, ut etiam Iuriſdictionem conceſſerit Epiſcopus, ſed tu illam neſcias, an valide illa vti poſſis, dicam infrà, *in tract. de caſib. reſerv. c.* 9. §. 1. *à n.* 18.

### *Approbationis duratio.*

46. Quandiu durat Approbatio? Sane de hoc egi ſuperius, *c.* 4. §. 10. cum de Iuriſdictionis duratione diſputavi. Illud eſt proprium hujus loci; an ex eo, quod hæc approbatio ſit per Celloti. *de Hierar. l.* 5. *c.* 24. & 25. & aliquos, quos ſupra *hoc c.* 5. §. 1. *num.* 1. meminimus, ſententia de aptitudine Sacerdotis, non vero privilegium, ſeu gratia, an, inquam, ſit irrevocabilis, perinde, ac ſententia in aliis materiis, quæ ſemel data, revocari non poteſt.

Reſpondeo, irrevocabilem eſſe dixerunt propter dictam rationem nonnulli.

47. Verum his aſſentiri non poſſum, quia hæc eſt quidem ad modum ſententiæ, vel teſtificationis, ſed cum ſit liberè data ab Epiſcopo, illam ab ipſo dependere, atque adeo eſſe revocabilem putandum eſt: quod ſi alia ratio non urgeret, certe praxis tam communis Epiſcoporum eam ſæpiſſime revocantium, ſufficienter id probat. Quod ſi iniuſte revocet? Reſpondeo, aliud dicendum, ſi revocet à Sacerdote Sæculari, aliud ſi à Religioſo, quod jam ſeparatim do.

### *Iniuſta revocatio Approbationis, quoad Sacerdotes Sæculares.*

48. Duæ ſunt ſententiæ. Ioan Sanc. *d.* 48. *n.* 22. & Iſambert. apud Dian. *p.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 15. dicentes eſſe communem, docent, revocationem Approbationis abſolute ab Epiſcopo, ex nulla iuſta cauſa factam, v. g. certo ex malevolentia, (nam in dubio præſumendum eſt Epiſcopum, ſe iuſtè gerere) docent, inquam, eſſe validam. Ratio eſt, ait, quia ſicuti Iuriſdictio, quæ à Superioribus confertur; eſt ad libitum revocabilis, ita, & Approbatio. Id certe probabile eſt. Verùm De Lugo *d.* 21. *de pœn. num.* 64. probabilius eſſe docet, invalidam eſſe revocationem, quia revocatio ex nulla cauſa facta, cum ſit iniuſta, non poteſt tollere ius, quod Sacerdos in Approbatione iam habita, obtinet.

49. Neque tamen hinc ſequitur, hunc Sacerdotem Sæcularem iniuſtam revocationem Approbationis patientem, poſſe valide Confeſſiones excipere, quia dum Epiſcopus revocat Approbationem, ſimul revocat Iuriſdictionem, quam poteſt, etiam ſine cauſa, revocare, quia hæc Iuriſdictio, data ab ipſo eſt huic Sacerdoti per Delegationem, quam revocare, vti libuerit, poteſt, ut clarius videbis *n.* 51. Sed tum ergo, ut ait Eſcob. *l.* 7. *ſec.* 2. *probl.* 26. hic Sacerdos poſſet eligi in Confeſſarium per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, nam tunc Iuriſdictionem habet à Pontifice, Approbationem autem non amiſit ex iniuſta revocatione, quam nullam eſſe diximus.

### *Iniuſta revocatio Approbationis, quoad Sacerdotes Regulares.*

50. Si hîc afferam Decretum Cardinalium, & Pii V. ac Vrbani VIII. Conſtitutiones clare habebitur, quid in hac re ſentiendum ſit.

Declaratio quam referunt Barboſ. *de pot. Epiſc. all.* 25. *n.* 40. Aſc. Tamb. *tom.* 2. *d.* 6. *q.* 12. *de Iure Ab. alique.*

*Illuſtriſſimi Cardinales ſtatuunt Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac locorum Ordinarios, ad quos Confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares, aliàs ab ipſis libere approbatos, ab audiendis Confeſſionibus, ſuſpendere poſthac minime licere, niſi ex nova cauſa, eaque ad Confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſervatum Interdictum, ab ipſis Ordinariis poſitum.*

51. *Statutum inſuper, eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos*

*ac locorum Ordinario Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse, &c. Romæ 20. Nov. 1615.*

52. Vbi nota Primo illud, *minime licere* & hoc (*nullo pacto posse*) habere vim invalidandi revocationem contra hoc Decretum ab Episcopis intentatam, & quidem de hac posteriore clausula minor est difficultas; invaliditatem enim satis ostendunt emphatica illa verba (*nullo pacto posse*) At de illa priore *minime licere*, dico invaliditatem quidem non ostendere immediate, sed mediate, ut ita loquar, idest per necessariam consequentiam; si enim revocatio est illicita, iniqua contra ius quæsitum, ergo invalida erit, ut modo cum De Lugo *num.* 47. diximus, & ita de hoc particulari puncto docent Conin. Suar. Bossius, Homob. Faber, aliique *ap. Aver. q. 16. de pœnit. sec. 6. Asc. Tambur. de Iur. Ab. t. 2. d. 6. q. 12. num. 7.* & innumeri alii, quicquid sentiat in oppositum Isambert. *apud Dianam*, dicens, & illud *non licere*, & illud, *nullo modo posse*, non probare invaliditatem revocationis, quia Approbatio tota non pendet in fieri, & conservari, sicuti Iurisdictio à libera voluntate Episcopi. Nam non est audiendus, quia non attendit ad ius quæsitum, & non consideravit Iurisdictionem, cum sit potestas iuris dicendi, quæ tota est in Delegante, etiamsi illicitè tollatur à Delegato, verè tolli, atque adeo valide; etiamsi ablatio sit contra ius quæsitum, & illicita, ut si ego à te tollam equum, quem tibi donavi, iniquè ago, sed non propterea tu sine equo poteris equitare: quod certe invenire non est in Approbatione, quæ, utpote, sive sententia, sive testificatio semel absoluta data, semper remaner in approbato, nisi nova sententia, seu nova iusta Reprobatio accedat. Quare, quia, quando est iniqua Reprobatio, vim nullam habet, remanebit Approbatio in approbato.

53. Sermo autem semper est de Approbatione absolute data; nam si est ad tempus, nulla iniuria tibi fit, si finito tempore, ea ex se cesset. Quod si ex nulla causa revocetur ante tempus, tunc profecto invalide, propter eandem rationem iuris quæsiti pro illo tempore concesso, revocaretur.

54. Quid si sit data ad beneplacitum? Respondeo. Barbosæ, *ac Iure Eccl. l. 1. c. 43. num. 208.* & De Lugo *de pœn. d. 21. sec. 13. num. 63.* assentior, non fore tunc revocationem, sine ulla causa factam, invalidam, sed validam; & cum iusta causa licitam, quia si Approbatio data fuit cum totali dependentia à beneplacito, seu libera voluntate Episcopi, non fit contra meum ullum ius, si libere à me illa removetur, propter identitatem rationis idem est, sive loquamur de Sacerdotibus Sæcularibus, sive Regularibus, ut idem De Lugo notat.

55. Leander, *de pœn. d. 11. q. 80.* citans Peyrin. Trul. Fag. aliosque *ap. Dian. p. 11. tr. 4. res. 15.* aliique docent fore invalidam, si sine iusta causa Approbatio ad beneplacitum data revocetur, sed illis propter nostram rationem assentiri nolo.

56. Nota Secundo illud *ex causa ad Confessiones pertinente* à Sacr. Congregatione, quam refert Ascan. Tamb. *l. c. Quæst. 12. n. 9.* declarari, etiam esse eam, quæ habetur ex mala, & scandalosa vita Religiosi.

57. Nota denique illud, quod modo dictum est *n.* 48. hîc non habere locum, quia Iurisdictionem Religiosi suam habent à Pontifice, mediantibus suis Regularibus Prælatis, ut suprà dictum est.

58. Hactenus de Declaratione Cardinalium, sequitur Constitutio, *Apud Ant. Escob. t. 1. sect. 2. probl. 29.* Pii V. quæ pro Religiosis est hujusmodi.

*Qui semel ab Episcopo in Civitate, & Diœcesibus suis, prævio examine, approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non possunt examinari; ab Episcopo autem successore, pro maiori conscientia quiete, examinari de novo poterunt.*

59. Nota Primo, hîc locutionem esse de Approbatis absolute, vel etiam de Approbatis, quo ad tempus determinatum, v. g. quoad annum, sed pro illo anni tempore non ergo ad libitum, & multo minus ob malitiam.

60. Nota Secundo illud *pro maiori conscientiæ quiete* terunt Religiosi iam approbati ad examen vocati à pitulo Sede vacante, id quod aliqui rectè item ut Perin. *ap. De Lugo de pœn. d. 21. n. 62.*

61. Nota Tertio, *ab Episcopo successore.* Non ergo quam refert Barb. *l. 1. de Iure vn. c. 43. anum. 2* Tambur. *de Iure Abbat. per extensum, t. 2. d. 6. qu* q. 16. affert Gregorii X V. declarationes; multa confirmationem, declarationémque prædictæ Constitutionis Pii V. Primo, Regulares posse ab Episcopo fore examinari, &, si minus idonei reperti fuerint probari. Secundo, approbatos ad certum tempus posse postea confessiones audire, sine nova Approbatione, prævio etiam novo, si libuerit, examine. Tertio, eos, quos ipsemet Episcopus simpliciter, & absque fine temporis prædefinitione ad Confessiones excipiendas approbavit, ab eodem non posse reprobari sine nova causa. Quarto, Episcopum non teneri ipsis Regularibus aperire, subsit necne causa reprobationis. Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam, sibi jubente aperire. Hæc sunt clara. Ex quibus videtur cessare sententia castilli *apud Dianam par. 11. tract. 8. resol. 52.* dicentis Regularem approbatum, ne à successore quidem reminari posse, nisi causa cognita.

## QVARTA CLAVSVLA.

### §. V. *Quæ gratis detur.*

1. IN quibusdam Diœcesibus solet pro ejusmodi Approbationibus expediendis aliqua pecunia exigi. Cum ergo id videatur contra hanc Tridentini clausulam, inquiro Primo, an hoc sit licitum. Secundo, an Approbationes sint validæ.

Respondeo. Quod sint validæ, non ambigo, quia Tridentino non apponitur hæc clausula, ut invalidè acta, quæ contra ipsam fiant. Quamvis ergo in Indulgentiarum concessionibus, ubi expresse ponit Pontifex se nolle Indulgentiam concedere, si aliquid pro publicatione, vel præsentatione detur, sit dubium, an tunc valeat concessio, (de qua tamen re benè loquitur Quintan. *in Append. tr. 2. ad Iubil. 40. dub. 5.* non verò sic Diana *p. 5. tract. 23. resol. 70. Nolandum; & res. 71. Ver. Vnde.*) nihilominus in casu nostro, quia non adest ejusmodi clausula irritans Approbationem, rectè concludimus irritam eam certo non fore data pecunia pro illa expedienda, abstrahendo à simonia, &c.

2. Quod verò pro Approbatione, de qua nostra disputatio, illicitè detur, & à M. Notario, illicitum acceptetur aliqua, quamvis modica pecunia, sive pro ratione laboris, sive sigilli, sive scripturæ, sive alio titulo satis decernit Tridentinum, ibi, (*& approbationem gratis detur, obtineat*) addita declaratione Sacræ Congregationis, cujus hæc sunt verba allata à Diana *p. 11. tr. 13. res. 70.* ex Barbosa.

3. *Cancellario*, id est Notario *Episcopi nullo pacto etiam in vim taxæ antiquæ, pro Approbatione ad Confessiones audiendas, quam hoc Decretum gratis dari mandavit, quidquam exigere.* Lege prædictum locum Diana, ubi multa habes pertinentia ad ejusmodi stipendia, quæ solent dari pro Dispensationibus, pro licentiis prædicandi, vel celebrandi pro Dimissoriis, pro Indulgentiis, &c.

QVINTA

## QVINTA CLAVSVLA.

### §. VI. *Quibuscunque Privilegiis non obstantibus.*

1. DIximus initio hujus *c.5.§.2.num.1.* clare in Tridentino dispositum, ut nullus Religiosus sine Episcopi approbatione valeat sæcularium Confessiones excipere. Id breviter expendamus, nam non desunt, ut Bordon. Ascan. Tamb. de Iur. Ab. Peyrinus *apud Dianam p.9.tr.8.ref.36.* Rodr. Henriq. Navar. Lopez *apud Ant. Escob. Theol. Mor. t.1.1 sect.2. probl.30.* qui propter privilegia Mendicantium, & cum ipsis participantium, negent, illa indigere; cum tamen nos firmiter, & omnino tenendum esse, pronunciemus, ea ipsos egere, Suar. Fagund. Lud. à Cruce, Rodriq. priorem sententiam relinquens Escob. *l.c.* eosdem citans Doct. mox citandos, perinde prorsus, ac indigent cæteri Sacerdotes Sæculares. Probatur manifeste, tum ex verbis Tridentini, toties allatis nimis apertis, tum Vrb. VIII. *Cum sicut accepimus, 12. septem* 1628. idem declarante; id, quod proceditetiam, si sine causa Episcopus nolit approbare. Qui curiosus est, videat rationum conflictus, & victoriam nostræ doctrinæ apud non paucos Doctores, præsertim *apud Io. Sanc. d.48.n.7. & Dianam p.11.tr.2.ref.11. & 12. & p.9.tr.9.r.36. & p.5. tr.13. r.45.* agentem contra Brunum, hæc, & similia privilegia plus æquo defendentem, nec denique omittatur De Lugo *de pœnitent. d.21. à num.51.*

## DIGRESSIVNCVLA.

*De Privilegio quo aliqui, dum iter agunt gaudent, excipiendi Confessiones Sacularium, sine approbatione Ordinarii loci.*

2. Ex hoc Tridentini & Vrbani Decreto nascitur sequens difficultas. Eugenius VI. Minoribus, Gregorius vero XIII. Patribus Societatis Iesu, hoc Privilegium concessit, *ut refertur in nostro Compendio Privileg. V. Confessarius, n.2.*

*Confessarii nostri, ac Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad ejusmodi munera deputati quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt, possunt, (non repugnantibus, tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum,) Verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi Fidelium Confessiones audire, dummodo id non faciant in Oppidis, in quibus Ordinarii existunt.*

3. Dubitatur iam, an hoc Privilegium sit à Tridentino, vel Vrbano revocatum?

Respondeo. Esse revocatum, affirmant aliqui: non esse revocatum, docet De Lugo *de pœn. d.21.num.29.* cum quo constanter sentio: quia & Tridentinum, & Vrbanus revocant Privilegia nullam requirentia approbationem, at hoc, & illam requirit, & multas habet restrictiones.

4. Tria autem nota in prædicto Privilegio. Primo, illud (non repugnantibus Parochis) unde si consulto effugiam præsentiam Parochi, ne cognoscens excipere me Confessiones, impediat, tuto excipio, quia adhuc Parochus non repugnat.

5. Secundo, Si in aliquo adsit Vicarius Generalis, non vero Episcopus, uti non possum hoc Privilegio, quia Vicarius Generalis Ordinarius est.

6. Tertio. Si ego hic approbatus me conferam in aliquem locum alicuius Diœcesis, ubi non sum approbatus ad finem, ut alicuius Confessionem ibi excipiam, non possum uti hoc privilegio. Sic respondi abhinc multis annis eidem ex nostris, qui Messana, ubi erat approbatus, ad Oppidum quoddam Calabriæ, ubi approbatus non erat, ire intendebat, ad cuiusdam primarii viri Confessionem excipiendam, Ratio fuit, quia illa verba privilegii (quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt) significant motum per locum, ergo idem significant, atque pes transitum, seu transeunter, seu ut loquitur De Lugo, in itinere, & transitu: at aliquo se de industria conferre; ut ibi Confessiones audiat, nullo modo dicitur transeunter, seu per transitum, seu in transitu ibi reperiri.

Quid si diu moraturus, sed certe transeunter propter alia negotia, in illum locum me conferam, possumne ibi hoc privilegio uti? Respondeo, certè tunc magis videris illic esse per transitum, quam si in fraudem approbationis consulto eas, ut Confessionem audias; & nihilominus à N.R.P. Generali, vel S. Sede maiorem hujus dubitationis explicationem expecto.



## CAPVT VI.

*De aliis conditionibus, requisitis in Ministro Confessionis.*

### §. I. *De Scientia.*

1. HIc vel expendi potest, qualisnam habitualiter in Confessario residere debeat, vel qualisnam actualiter exercenda sit, dum actu Confessiones excipit.

*Scientia Confessarii habitualis.*

2. Difficile est, ad unguem decernere, ad quem gradum ascendere debeat scientia in Confessario, cuius munus est Iudicis, Magistri, & Medici quoad salutem pœnitentis. Ex placitis tamen DD. tria ab ipso scienda colligo, & quidem in meliore gradu à Confessario Mercatorum vel Principum, quam rusticorum, quam mulierum, quam puerorum, &c. Nam Primo scire Confessarius debet, quæ pertinent ad seipsum, qua scilicet potestate polleat, in quos subditos, virósne, an etiam mulieres, &c. ad quæ peccata, & ad quas excommunicationes absolvendas, ejus potestas extendatur. Quod ultimum, est scire, quinam casus sunt reservati, qui non item.

3. Secundò, quæ pertinent ad ipsum pœnitentem; quamnam scilicet dispositionem afferre debeat pœnitens, ut sit absolutione dignus, quo dolore de offensa Dei, quo proposito amplius non peccandi, qua integritate Confessionis, &c.

4. Tertiò, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet afferant obligationem restitutionis, quænam satisfactionem partis. Quænam sint ex se venialia, quæ mortalia. Quænam circumstantiæ mutant speciem peccatorum, quæ non item.

5. Hæc ergo debent à Confessario aliqua tandem ratione cognosci, ita saltem ut dubitare de iis possit, utque (salvo semper sigillo) ea, vel in libris recognoscere, vel in casibus occurrentibus sciscitari possit à Doctoribus, iusso interim, quando oportebit, pœnitente redire, post casum exagitatum, dilata Absolutione. Poterit etiam idem ingenuè à Confessario moneri, ut alium doctiorem conveniat. Quæ profecto probi Confessarii præstare non erubescunt, perinde, ac præstantissimi Medici, in morbis gravibus, alios advocare ad concilium, non dedignantur.

6. Inquires. Ejusmodi scientia estne ad validitatem Confessionis necessaria, an dumtaxat ad licitam administrationem?

Respondeo Bossius *de Iubil. sect.3. casu 2.n.168.* citans *Gabr. Nau. Cæt.* docet Confessarium, nisi sciat discrimen inter lepram & lepram, id est inter peccatum mortale, & veniale in casibus communiter contingentibus, invalide Confessiones excipere. Sed Suar. *d.18. de Pœnitent. sect.2. n.12.* sequi omnino debemus docentem per ejusmodi ignorantiam illicite solum exerceri munus Confessarii. Ratio est, quia valor in Sacramentis satis habetur, si ponatur materia, & forma cum intentione legitimi Ministri, ad quam in casu nostro sufficit, ut Confessarius cognoscat

gnoscat peccatum sub confusa ratione peccati; ideſt offensæ Dei. Ita Præpoſi. *ap. Dian. p. 11. tr. 4. reſ. 10. V. His tamen non obſtantibus.* Et Confirmatur ex communi doctrina, imo ex communi praxi, qua in articulo mortis quilibet indoctus Sacerdos potest infirmum absolvere &, si alius non adsit, debet. Quod si indoctissimus ita sit Sacerdos, ut ne peccati quidem rationem confusam noscat, (sed hoc difficile est, nisi forte is mente læsus omnino sit) valde dubita, (Favet dubitationi Suarez *l. c. n. 10.*) an valida sit ab ipso collata absolutio? si enim rationem peccati non agnoscit, quid absolvit, seu quam intentionem absolvendi habere poterit? Vide *apud Dianam citatum*, varia Doctorum placita, circa hanc quæstionem nobis ad praxim tendentibus minime necessaria.

7. Ex dictis infero, mortaliter delinquere eos. Ita Præpoſ. *ap. Dian. l. c. fine.* Suar. mox citan. & passim; qui de industria quærunt Confessarium indoctum respectui status ipsorum? ipsis enim is mederi utiliter nequit. Dixi de (industria) nam cæterum præsumere semper debes, omnes Confessarios expositos sufficienter esse doctos, nisi contrarium tibi positive constet. Lege Suar. *d. 28. de pœn sec. 2. n. 9.* Addo, doctum pœnitentem posse Confessarii indocti defectum sua sapientia non raro supplere. Vide mox *n. 13.*

8. Infero Secundo, mortaliter peccare Ordinarios, si quando concedunt facultatem excipiendi Confessiones Sacerdotibus insufficientibus. Et tamen hic notanda limitatio? Quando enim in Villis, & Pagis non adest copia Doctoris, potest indoctus eligi in Confessarium, satius enim est, aliquem ibi, quamvis indoctum, præsto esse, quam nullum. Considerent tamen Episcopi onus, quod ipsis incumbit suis ovibus etiam propriis expensis, consulendi.

9. Infero Tertio, ipsum Confessarium peccare item graviter, si se insufficientem noscens, extorquat dictam facultatem, se enim exponit periculo, perperam ministrandi Sacramentum.

10. Ad tollendos tamen scrupulos timorati Sacerdotis, qui semper se insufficientem existimat sciat, si bona fide ipse procedens, videt se approbari ab Ordinario, vel à piis, doctisque viris, qui eum noscunt, vel quibus se examinandum præbuit, sciat inquam, se tuto posse Confessoris munus admittere, & exercere.

11. Quid, si sit dubium negativum de mea sufficientia. Respondeo. Vel inquiris si dubium sit in te, vel, si sit in Ordinario, qui te exponit. De Ordinario, aio ipsum peccare, si te exponat, quia sic exponeret Sacramenta à te conferenda periculo malæ administrationis, nisi tamen adsit casus limitationis inductæ *n. 8.* De te aio, excusari à præcepto Superioris, Conscientiam enim tu deponere super ipsius iudicio potes.

### *Scientia Confeſſarii actualis.*

12. Non semper obligatur Confessarius, dum excipit Confessiones, de singulis, quæ dicuntur à pœnitente, ferre hîc & nunc iudicium, an sint venialia, an mortalia, nam sæpe, sive quia pœnitens rudis se explicare amplius ignorat, sive quia cognosci nequit, an adfuerit plena advertentia in actione prava, sive ob rationem aliam, ejusmodi iudicium ferri ne à doctissimo quidem potest. Posito ergo quod Confessarius, ut modo dicimus, sciat communiter, quæ sint immortalia, quæ ve[nialia], satis habet, si communiter ea discernat, ut possit [im]am pœnitentiam in satisfactionem, & debita remedia prudenter imponere.

13. Peritia interdum pœnitentis adiuvare, ut modo diximus, iudicium Confessarii potest, non solum quando pœnitens pius est, & doctus, cuius iudicio stare possit, verum etiam, quando agitur de professione, quam spiritus pœnitens exercet. Si is enim v. g. est pecuniarum collector, poterit Confessor ei fidem habere, dicenti se in contractum non continere iniustitiam. Fateor tamen in his difficilioribus rebus pertinentibus ad ius, confidendos esse doctos, & Theologos, ut iam dictum est. Quinam in rebus pertinentibus ad factam ipsam, petita ea arte, vel professione, de qua agitur, facilius acquiescere poterimus.

14. Quid, si post peractam Confessionem, Confessarius, vel pœnitens, re melius expensa, advertat esse [...], quod ut veniale absolutum fuit? Respondeo: [...] pœnitens fideliter suam actionem narravit, & Confessarius illud, quamvis ut mortale cognitum poterat absolvere, non est necesse iterum adduci ad Confessionem. Satis enim fuit; & quidem directe absolutum, & [...] secus asseramus, scrupulis omnia scatebunt. Quod non poterat absolvere; erat enim casus reservatus [...] satis *in Methodo Confessionis l. 3. c. 3. §. 8.* ubi hinc [...] versaliter prosecutus sum, quid agendum in casu, [...] post Confessionem aliquis error in ipsa Confessione [...] brepsisse, animadvertatur.

### §. II. *De aliis requisitis in Confeſſario.*

1. PLura dicta sunt in præcedentibus, quæ in Confessario requiruntur. Solum superest dicta breviter innuenda.

Primo enim esse in statu gratiæ Confessor debet, [...] sine peccato hoc Sacramentum administret: in quo [...] prudenter sibi persuadebit, si non cognoscat in [...] catum mortale, vel si cognoscat tamen, sive per [...] tionem, bona fide existimatam, sive per legitimam Confessionem, statum gratiæ recuperavit. Sed [...] hoc, &; An sit aliquis casus exceptionis. An [...] peccet: quoties in statu pravo existens, absolvit, [...] peccet quando audit peccata, sed ante absolutionem conferendam se onerat, dixi sufficienter, & diffuse *Method. expeditæ Confessionis l. 3. c. 5. §. 3. & l. 2. c. 3. num. 65.*

2. Secundo, Confessarius non debet esse excommunicatus, nec suspensus ab officio (hoc est non suspensus a actibus, sive Ordinis, sive Iurisdictionis) nec interdictus, etiamsi per contritionem ipse existimet, se esse in gratia; nam censura affectum removet à prædictis actibus Ecclesia. Et invalide quidem ageret, si censura vitanda devinctus esset, illicite, si non vitanda, seque ipse ingerat. quæ sunt quæstiones pertinentes ad Tractatum de Censuris, de quibus infra suo loco.

Atque hic finis esto Tractationis de Sacramento Pœnitentiæ, cui adnectimus *Tractatum de Caſibus Re[ſer]*

TRACTA

# TRACTATVS
## DE
# CASIBVS RESERVATIS

### CAPVT PRIMVM.
### *Quid sit Casuum Reservatio.*

EST restrictio Iurisdictionis à legitimo Superiore indicta Confessariis, per quam restrictionem ii non valeant aliqua peccata Sacramentaliter absolvere.

*Reservatio an liget eam ignorantes?*

2. Ex hac descriptione colligitur Primò, etiam eos incidere in Casus reservatos, qui illos esse reservatos ignorant, (quidquid nullam afferens rationem videatur, docere Quintanad. *de pœnit. singul.* 11. *num.* 1. *initio*, sed multas, at non efficaces adducens, Ianuarius apud Dianam *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 63. Reservatio enim non est pœna, cui certè non subjacet, qui illam nescit, sed, ut diximus, est limitatio potestatis Confessariorum facta, ob bonum publicum, ut scilicet Fideles à peccatis illis reservatis committendis absterreantur, dum vident, ea non posse ab Ordinariis Confessariis absolvi, sed solum à Superiore, seu ab illo, cui reservantur.

3. Fatetor tamen cum Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. d.* 32. *n.* 18. Delugo *de pœn. d.* 20. *n.* 11. aliisque, interdum reservationem esse pœnam, quando scilicet Superior prohibet aliquod peccatum, & in ejus odium infligit reservationem. Ponit Sanchez exemplum de peccato ex mala promotione ad Ordines, quod, quia reservatum est à Sixto V. in odium talis peccati, non incurritur ab ignorante ejusmodi reservationem, quamvis is, se peccare cognoscat.

4. Quando autem reservatio sit in pœnam committentis peccatum, quando sit ob bonum publicum limitatio Iurisdictionis, ex verbis Legis est colligendum. Ego certè, ut innuit ibidem Sanchez, semper censeo, reservationem simpliciter factam, esse limitationem Iurisdictionis; regulariter enim sic solent ab Ecclesia reservari casus, & solum tunc censuerim, esse meram pœnam, quando expresè ex tenore Legis pœna esse significetur.

*An Pueros.*

5. Colligitur Secundò, quamvis pueri ante annos pubertatis, ex sententia probabili, quam nos *in Opusc. de Comm. c.* 4. §. 2. *à n.* 11. sumus amplexi, propter imperfectionè iudicii, eximantur ab incursione censurarum, eosdem tamen subjacere casibus reservatis: Nam casuum reservatio est restrictio Iurisdictionis, facta ipsi Confessario, ut dictum est, non verò pueris, multo magis, quia etiam pueris utilissimum est, si per ejusmodi restrictionem à peccatorum gravitate deterreantur.

*An Exteros?*

6. Colligitur Tertiò, si quis divertat, sive permanenter, sive etiam transeunter in aliam Diœcesim, ubi peccatum, quod commisit in sua, est reservatum, non verò in dicta alia, ad quam accedit, probabile valdè esse, posse ibi absolvi à Confessario communi. Ita docet Delugo *d.* 20. *de pœn. n.* 72. Castrop. *de pœn. p.* 13. §. 5. *n.* 10. Dian. *p.* 11. *tr.* 1. *res.* 48. Aversa *de pœn. q.* 17. *sect.* 3. aliique contrà paucos ab iisdem citatos. Ratio est, quia Confessarius illius Diœcesis non habet restrictam suam Iurisdictionem, circa hoc peccatum. Adde Primo, Reum debere iudicari iuxta Leges loci. Adde Secundo nimis fore molestum, obligare Confessarios ad sciendam, quænam peccata sint in alienis Diœcesibus reservata. Adde Tertio, communem praxim.

7. Contra, si quis committat peccatum, quod non est reservatum, non potest absolvi in eo loco, quia ibi Confessario est restricta potestas.

8. Idem dic de Religioso se conferente transeunter de uno Monasterio in aliud, si enim in hoc adsint fortè casus reservati, qui non adsint in illo, absolvi à dictis reservatis per Confessarium hujus Monasterii non potest.

*Reservatio ante, vel post tuam Confessionem facta, quid operetur?*

9. Colligitur Quarto, si Confessionem tui peccati v. g. adulterii, exhibeas hodie, quando adulterium non est amplius reservatum, cum tamen fuerit, quando tu illud commisisti, posse hodie illud absolvi à communi Confessario, quia hodie huic Confessario non est restricta potestas.

10. Contrà, si hodie fatearis dictum adulterium v. g. quando iam factus est, casus reservatus, cum tamen ejusmodi non fuerit, quando in illud incidisti; non poteris hodie à communi confessario absolvi, siquidem hodiè Iurisdictio illa iam invenitur esse restricta.

---

### CAPVT II.
### *Quis possit Casus, & sub qua limitatione, reservare.*

1. QVod possit Pontifex pro toto Orbe, Episcopus autem pro sua Diœcesi, nimis est certum ex Tridentino, & hic quidem etiam respectu regularium non exemptorum; Nam de exemptis dicam mox sigillatim. Denique certum est, Prælatos, eorumdem Regularium, (siquidem hi Iurisdictionem spiritualem etiam habent in suos) posse, pro iisdem suis, casus reservare, sed cum limitationibus paulo inferius explicandis.

*Reservatio, an debeat esse pro omnibus.*

2. Tria nota, Primum, Aversa *quæst.* 12. *de pœn. sect.* 1. & Pellizzarius *tract.* 6. *c.* 2. *n.* 52. citans Suar. & Floronum docent, Episcopum non posse, validè reservare decem, v.g. peccata, pro omnibus suis subditis Sacerdotibus Sæcularibus, & insuper alia decem pro Regularibus, nam ipse debet se æqualiter gerere pro Regularibus, perinde se gerit cum Parochis. Ego de hac doctrina valde dubito. Cur enim ex rationabili causa non possit Episcopus, plus fidere de Sacerdotibus & Parochis, quos fortè idoneos, & doctos cognoscit, dando eis

majorem potestatem quam aliquibus Religiosis, de quorum aptitudine forte aliquando dubitet.

*An possit esse nimia.*

3. Secundum: Si reservatio sit indiscreta, seu nimia, puta cedens in damnum potius, quàm utilitatem animarum, reddénsque usum Confessionis nimis onerosum, peccabit mortaliter reservans, etiamsi sit Summus Pontifex. At vero, si fiat ejusmodi detrimentosa reservatio ab Episcopo, an sit valida? (nam si à Summo Pontifice fiat, validam esse, fatemur omnes) est quæstio videnda apud De Lug. *d.* 20. *de pœnit. sect.* 3. qui postquam attulisset Vasquez docentem, esse invalidam propter verba Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. asserentis Episcopos, reservare posse casus in salutem, non in destructionem, & Suarium docentem esse validam, quia prædicta Tridentini verba non clarè auferunt potestatem ab Episcopo, postquam, inquam, eos attulisset Suariique sententiam approbasset, addit limitationem, dicens, esse invalidam, saltem, quando Parochis diminueretur notabiliter munus absolvendi: sic enim Episcopus moraliter tolleret ab his munus Parochi, quod certè tollere non potest, nisi propter eorum ineptitudinem, vel in pœnam; sic ille. Addamus nos, idem debere dici de Regularibus exemptis legitimè, & absolutè ab Episcopo approbatis: cum enim ab his ex communi sententia, à *lib.* 5. *de pœn. cap.* 5. §. 4. *à n.* 49. nobis dicta, & ex ipse De Lugo *de pœn. d.* 21 *sect.* 3. *à n.* 36. confirmata, invalidè, sine justa causa Episcopus auferret dictam approbationem simpliciter, & absolutè datam Regularibus, invalidè etiam notabiliter diminueret. Illud est certum, in dubio, semper præsumendum, esse licitam, validámque reservationem, quia semper præsumere debemus pro Superiore; recurri nihilominus posset ad Superiorem majorem, ut moderationem adhiberet. Lege Suar. *de pœnit. disp.* 29. *sect.* 4. *Instr. Sacram. Cong.* apud Quarantam, *V. casus Reserv.*

*An semper sit perpetua?*

4. Tertium. Casus ab Episcopis & à Prælatis regularium duobus possunt modis reservari. Primo, per modum legis, seu statuti ut sit communiter in Synodo Diœcesana, vel in capitulis Religiosorum, & tunc reservatio durat etiam post illorum mortem, & donec à successore revocetur, quia lex est ex se perpetua. Secundò, per modum præcepti, seu edicti ab Episcopo, vel Regulari Prælato promulgati; & tunc reservatio spirat, Episcopi, vel Prælati morte, ut est communis doctrina de duratione legis & præcepti. Lege tamen Quintan. *de sing.* 11. *n.* 2. qui notat tamen, præcepta Generalis Societatis Jesu, atque adeo ejusdem reservationes, ut etiam communicationes Privilegiorum durare etiam ipso defuncto, vel amoto ab officio, nisi ea revocentur à Successore, idque propter peculiare Societatis Iesv, Decretum, quod fuisse deinde à sequente Generali extensum ad præcepta aliorum Superiorum, ne te prætereat. Lege *in Congr.* 4. *decis.* 1. *& Congr.* 13. *& in Congr.* 7. *Decr.* 67. *can.* 10. & apud Castrop. *t.* 3. *tr.* 16. *d.* 5. *p.* 9. *n.* 1. Idem ergo evenire posset in aliis Regionibus, si simile quid in illis esset legitimè statutum.

## CAPVT III.

### *Quinam subjaceant Casibus Reservatis.*

1. CErtè non nisi subditi reservatis. Sed adhuc sunt enodandæ sequentes quæstiunculæ.

*An operans ex conscientia erronea?*

Commisit quis delictum, v. g. Stuprum, quod non est in ejus Diœcesi reservatum, ipse tamen, per errorem, reservatum esse omninò putat, subjacebitne reservationi?

Respondeo, negativè, Doct. passim apud Averlan. *q.* 17. *sect.* 1. Unde is poterit absolvi à quocumque Confessario inferiore, sine necessitate recurrendi ad Superiorem, apud quem est potestas absolvendi à reservatione. Hoc est in promptu, quia error delinquentis non potest diminuere jurisdictionem, qua circa illud peccatum gaudet Confessarius.

*An operans metu.*

2. Titius timore mortis, vel alterius gravis mali à grassatoribus v. g. incusso, nisi occideret Petrum, illum occidit, & nunc petit à communi Confessario ejus homicidii absolutionem, quod est in Diœcesi reservatum, validéne absolvetur? quod eli quærere; An operans metu subjaceat casui reservato tali operationi adnexo? Respondeo, validè absolvi. Ita Graffis *de casib. reserv. l.* 1. *cap.* 13. *n.* 33. Floron. *cas.* 4. §. 1. *num.* 16. Averl. loc. Bordon. *infra l.* 1. *de excomm. cap.* 7. §. *num.* aliique. Ratio ducitur ex benignitate Ecclesiæ, quæ sicut excusat ab excommunicatione cum, qui coactus metu gravi, dente in constantem virum, committit peccatum, adnexa est Excommunicatio, v. g. excusat eum Clericum (quamvis cum peccato) percutit ex metu dente in constantem virum, ut tanquam probabilem nos sustinemus *in lib. de Excommunicatione*, ita excusat ab incursu in casum reservatum. Et ratio videtur esse debet, quia reservatio, ut etiam dicta Excommunicatio, sunt odiosæ, atque adeo, quando strictius possunt interpretandæ & consequenter, ut intelligatur de peccato plenè voluntario, atque fiunt ex metu, licet absolutè voluntaria sunt, sunt tamen aliquo tandem modo involuntaria.

*An Moniales?*

3. Vel quæris de Monialibus exemptis à Jurisdictione Episcopi; vel de non exemptis. Priores, pura eæptæ non subjacent, testibus Quint. *sing.* 16. *de pœn.* Pellizz. *de Mon. c.* 9. *q.* 15. *n.* 14. (docebat olim communis doctrina) casibus reservatis ab Episcopo, quia illis subditæ nequaquam sunt. Immo aliqui cum Pellizzar. *de Monial. c.* 5. *n.* 191. probabiliter id extendunt ad pallas sæculares, quæ in Monasterio earumdem Monialium exemptarum educandæ conservantur. Cum enim quasi domicilium commorentur in loco illo exempto, participare debebunt de exemptione. Adde, sic esse interpretandam Ecclesiæ voluntatem: ut habeant puellæ eadem remedia suæ salutis, quæ habent cæteræ, cum quibus convivunt.

4. Contra hanc communem doctrinam, illud mihi dicendum venit in mentem. Notavimus in superioribus *de Sacr. pœn. c.* 3. §. 2. *n.* 21. Gregorium XV. statuisse, quinas exemptas, non alios, quam ab Episcopo approbatos, habere posse in Confessarios. Iam ex hoc sequitur, ergo Episcopum posse restringere dictam approbationem, & Confessarium, quem his Monialibus concedit limitare, ne valeat absolvere ab hoc, vel illo peccato; qua ratione, jam Moniales hæ subjacebunt reservationi Episcopi.

Certè ita nunc esse dicendum, convincit discussa quare doctrina Pellizz. *de Mon. cap.* 9. *n.* 24. & Quintan. *de pœnit. singul.* 26. *n.* 1. contrarium dicens, vera fuisse fuit ante dictum Gregorii XV. Decretum, non vero postea. Hodie ergo, cum Episcopi semper approbent Confessarios sub restrictione, ne absolvant à reservatis (quando contrarium non exprimunt) eodem modo approbare præsumentur hos Confessarios Monialium, quamvis exemptarum.

Posteriores vero, id est Moniales non exemptæ subjacent omnibus casibus, quos reservat earum Episcopus pro tota Diœcesi, quia ejus sunt legitimæ subditæ, ve notat idem Pellizzarius. Immo ex praxi communi habetur,

ut Episcopus aliquos Casus superaddat reservatos pro solis suis his Monialibus, quod certè potest, quando Domino judicaverit ad monialium bonum conducere.

Ex dictis sit, Moniales absolvi non posse à reservatis nisi à legitimo Confessario, habente facultatem pro dictis reservatis de qua re multa habet Quintanad. *l.c.* nimis fortasse benigne; lege item multa apud Pellizzarium *citatum, lib.5. de pœn. c.5.§.4.n.40.*

*An Novitii.*

5. Decantata quæstio: nam propterea breviter tibi illam indico, legendam, si placet, apud Doctores mox citandos latius. Eam verò hic explicabo sub illa æquivalenti quæstione; Per quemnam Novitii absolui à reservatis valeant?

6. Distinguendum est. Aliud enim dicendum de peccatis reservatis ab Episcopis, aliud de peccatis reservatis à Prælatis ejus Religionis, in qua Novitius es.

*Pro Reservatis ab Episcopo.*

7. A casibus reservatis ab Episcopo per te Novitium commissis, sive ante, sive post ingressum in Religionem, non potes, ut habet Averl. *q.17. de pœn. sect.1.* dum es Novitius absolvi per communem Confessarium sæcularem, nisi is auctoritatem absolvendi à reservatis obtinuerit ab eodem Episcopo. Ratio est manifesta, quia prædictus communis Confessarius, ut suprà diximus, limitatam habet Iurisdictionem, quæ ad reservata non extenditur; at vero ab iisdem reservatis Episcopo, poteris dum es Novitius absolvi per communem Confessarium tuæ Religionis approbatum à Superiore. Ratio est, quia ex vna parte Religiosi, ut superius vidimus, cum sint exempti, non subjacent Casibus reservatis Episcopo, & ex alia, Novitij in favorabilibus gaudent omnibus privilegiis suæ Religionis, ut notat Sanc. *l.6 in dec. c.10. a n.10.* nam propterea non poterunt absolvi à Casibus Summo Pontifici reservatis; sicuti possunt cæteri Religiosi professi nempe à Superioribus talis Religionis juxta privilegia, quæ quælibet Religio habere solet, & juxta ea quæ dicentur suo loco inferius, *c.11.§.1.*

*Pro Casibus Reservatis à Religione.*

8. Porro pro Casibus reservatis in Religione, est iterum diligenter subdistinguendum; vel enim Primo, loquutio est de Confessariis Regularibus, imò, & Sæcularibus, quibus Superior Religionis exemptæ concessit licentiam absolvendi suos Religiosos subditos independenter ab Episcopo (quod certè ex privilegiis exemptionis facere possunt, qualem exemptionem hodie habent Religiones ferè omnes) & de his Confessariis dico non posse absolvere Novitium à dictis Casibus reservatis in Religione, nisi specialem ad hoc facultatem obtineant à Superiore Religionis. Ratio est, quia ejusmodi Confessarij Iurisdictionem absolvendi reservata nondum acceperunt à suo Superiore. Neque obstat prædictos Confessarios jam habere licentiam excipiendi prædictas Confessiones. Non obstat, inquam. Nam Superior, cum licentiam, seu Iurisdictionem absolvendi concedit limitatè, id est, dumtaxat pro non reservatis, nisi contrarium exprimat, ut infra dicemus.

9. Vel Secundo, loquutio est de iisdem Confessariis, sive Regularibus, sive sæcularibus, quibus non jam Superior Regularis, sed Episcopus conferat Iurisdictionem, Approbationémque absolvendi suos subditos. Et de his Confessariis duplex est sententia, vtraque probabilis. Alij enim negant hos posse absolvere Novitios à Casibus prædictis reservatis in Religione, in qua sunt Novitij, quia Novitius (inquiunt) per ingressum in Religionem, aut si mutavit domicilium, relinquens Territorium Episcopi, cui non amplius est subditus, vnde sicuti ab eo iudicari in foro externo non potest, ita nec poterit absolvi in foro interno. Hanc sententiam sequitur cum Corduba, aliisque, Laym. *lib.4.tr.5.c.4.n.4.* Suarez *tom.4. de Relig.tr.8.l.2.cap.17.n.14.* & Ascanius Tambur. *de Iure Abb.tr.2.d.6.q.6.n.11.*

10. Alij vero affirmant, quia quamvis quoad forum Pœnitentiæ, Novitij sint exempti à Iurisdictione Episcopi, propter Privilegia Religionis, quibus, & ipsi gaudent, vnde possunt tum judicario foro externo, tum in foro interno à superioribus suæ Religionis, tamen in odiosis Novitii non veniunt nomine Religiosorum. Cum ergo odiosum ipsis sit, non posse absolvi ab Episcopo, poterunt tunc (si velint) tenere se, vt Sæculares, & sic ab Episcopo, vel à Confessario, per ipsum approbato, legitimè absolvi, non solum à non reservatis, sed etiam à Casibus reservatis, in Religione, qui casus, ut supponere semper debemus, non sint ab Episcopo reservati pro prædicto Confessario. Ita sibi contrarius Ascanius Tamb. *de Iure Abb. tom.2. d.13. q.5. plur.* citans, Henriq. Ioan. la Cruz aliisque apud Bossi. *de Iubil. sect.3. c.4. n.13.* & apud Averl. *q.16. sect.7.* & apud Dian. *p.1. tr.6. res.27. & p.3. tr.2. res.4. & part.4. tr.4. res.5.* Barbi *in select. lib.6. q.23. n.3.* nolens quid decernere de Novitiis Societatis.

11. Suarez *l.c.* qui priorem sententiam sequitur, dicit, Privilegium exemptionis totum, & integrum participari à Novitio: cum ergo in exemptione ab ipsis participata includatur, ipsos eximi à necessitate adeundi ad Episcopum pro reservatis, non poterunt amplius ad illum adire pro absolutione; licet enim hæc pars exemptionis non valendi petere ab Episcopo sit (ait Suarez) odiosa, tamen quia includitur in ipsa exemptione, illam integrè participant Novitij, etiam huic parti subjacebunt.

12. Sed profecto non apparet ratio, cur Novitius ex vi privilegij exemptionis, non possit acceptare id, quod sibi favet: puta, vt absolvi valeat à Superiore suæ Religionis & respuere, quod sibi nocet, scilicet, vt absolvi non valeat ab Episcopo.

## CAPVT IV.

### *De peccatis, quæ sive non possint, sive non solent reservari.*

1. Hæc sunt. Primo venialia, ac mortalia, ritè aliàs absoluta. Secundo mortalia dubia. Tertiò merè interna. Quartò, non completa.

2. Porrò, antequam hæc quatuor sigillatim declarem, adverte, ad multa sequentia decernenda, legem, seu præceptum constituentia Casus reservatos, cum sint odiosa; restringunt enim libertatem absolvendi, esse strictè interpretanda (sicuti de similibus legibus odiosis docent Auctores, (ut Salas *d.21. Sà V. Interpretatio, num.1.* & Castrop. *de legib. d.5. p.3. §.3. num.11.*) hoc est, debere verba, quibus casus reservantur, sumi secundum propriam ipsorum significationem, & quando dubitatur de ipso sensu benigniorem partem esse accipiendam. Hoc in memoriam redacto, per quatuor proposita breviter, sed sufficienter discurramus.

*Venialia, ac mortalia aliàs ritè absoluta.*

3. Hæc ideo non solent reservari, quia cum ea non obligemur confiteri, inutiliter reservarentur. Dixi *non solent*, nam an possint, lege Suarez *t.4. ad 3. partem, d.29. sect.3.* affirmantem, & Vasq. *t.4. ad 2. partem q.91. art.5. dub.2.* negantem.

4. Hinc fit, vt, si tu committas peccatum, quod ex se est reservatum, sed ob defectum plenæ advertentiæ, vel ob parvitatem materiæ cognoscas, te non peccasse, nisi venialiter, illud non sit reservatum; Fac. v.g. homicidium, & furtum esse reservata, tu verò occidas aliquem inadvertenter, sed tamen negligentia dumtaxat venali interce

intercedente, vel furerit num, vel alterum obolum, non eris peccati reservati Reus.

5. Aliud amplius addit Quintan. *de pœn. sing.* 8. nempe, cum ab Episcopis (nam de Prælatis Regularium alia est ratio mox dicenda *cap. 6. §. 1.* aliquod peccatum mortale, v.g. furtum reservatur, non intelligi reservatum in quacunque materia notabili, quamvis mortali, sed in materia ejus generis, quæ possit dici delictum, esseve & error. Verùm id commodius explicabitur infra loco citato.

*Mortalia dubia.*

6. Esto, possint, ut censet Torrian. *in select. d.* 38. mortalia dubia, reservari, tamen, quando id expressis verbis non fit, sed absolutè aliquod peccatum reservatur, de certo intelligitur, non de dubio. Ratio ducenda est ex dictis *num.* 1. quia stricta est in hac materia interpretatio facienda.

7. Sive ergo dubites, te commisisse illud peccatum, quod est reservatum, sive an illud quod commisit sit mortale, sive an aliud comprehendatur in Decreto de peccatis reservatis, quod est habere dubium facti, vel Iuris, reservationem non incurris. Vide Suar. *de censur. d.* 40. *sect.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *res.* 4. Meroll. alios cit. *t.* 1. *d.* 3. *cap.* 3. *num.* 370.

8. Hic scrupulum iniicit Sanch. *lib.* 1. *Sum. c.* 10. *n.* 15. quem sequitur Bonac. *de pœnit. d.* 7. *quæst.* 7. *p.* 5. §. 4. Ait enim, si peccatum sit dubium, sed præsumptio in foro externo stet pro peccato, sicuti in eo externo foro judicaretur, ut certum, ita in foro interno iudicandum esse, ut certum; atque adeo, ut reservatum. Profers v. g. propositionem hæreticam, sub dubium tibi est, an in ea prolatione mortaliter peccaveris, tunc sicuti iudex in foro externo ex illa sufficienti præsumptione prolationis, te, ut hæreticum certum, condemnaret, ita Confessarius in foro interno, atque adeo cum reservatione, condemnare debebis.

9. Verum cum De Lug. *d.* 20. *de pœn. n.* 18. & 19. Meroll. apud Dian. *mox citandum*, Quitan. *de pœn. sing.* 11. *n.* 1. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *res.* 4. dicens vtramque opinionem esse probabilem, & aliis scrupulum removendum iudicio ex dictis, quia nimirum reservatio peccatorum debet restringi iuxta regulam, quam modo *n.* 1. tradidimus, ut scilicet faveamus conscientiis quantum, salvis præcepti verbis, favere possumus; quam regulam observare, non cogitur forum externum.

10. Quæris. Si tu dubius de casu reservato, dubius, v.g. an commiseris hæresim, absolvatis, à communi Confessario, sed postea re melius expensa, comperias, te verè hæresim illam externam commisisse, obligaberisne illam iterum confiteri apud Confessarium, habentem potestatem illam absolvendi?

11. Respondeo. Hic tangitur illa quæstio. An obligetur quis confiteri iterum peccatum, quod apud Confessarium deposuit, vt dubium, si deinde comperiat esse certum, de qua quæstione satis dixi, *lib.* 1. *Met. Conf. cap.* 1. §. 4. vbi notavi, communem opinionem esse, obligari, quia ejusmodi peccatũ videbitur in priore confessione solum fuisse indirectè absolutum, innui tamen, sententiam censentem, non obligari esse probabilem, quia dici probabiliter potest, illud absolutum fuisse directè.

12. Iuxta hanc ergo posteriorem sententiam, tu non obligaberis iterum confiteri dictam hæresim, quia iuxta sententiam hanc fuit tua hæresis satis supérque directè absoluta.

*Merè interna.*

13. Superfluum esset quærere, an peccata (vtique mortalia, (interna possint reservari: sufficit nobis advertere ea nunquam fuisse reservata, quia Ecclesia, propter suam benignitatem; profitetur, se non iudicare de interioribus, nisi quando voluntariè quis Sacramento pœnitentiæ subiiciat.

Ut ergo peccatum sit reservatum, necesse est [illegible] aliquo tandem modo in actum exeat exteriorem.

14. Tempestivè autem hic incidit Suarii, *pro. d. lig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 12. Sanch. *l.* 2. *in dec.* [illegible] Castrop. *de pœnit. p.* 15. §. 3. *n.* 4. De Lug. *l.* [illegible] aliorúmque, contra Turrianum, notabilis obj[illegible] ducta ex duobus principiis hactenus indicatis: [illegible] Ecclesia non reservat, nisi peccata externa. Alter [illegible] clesia non reservat venialia. Ex his enim [illegible] quis in Diœcesi, vbi esset reservatum omne furtum [illegible] vel omnis percussio proximi, furaretur vnum [illegible] parvam scilicet materiam animo surripiendi [illegible] tem notabilem, vel percuteret proximum leviter [illegible] lædendi graviter, peccaret quidem mortaliter [illegible] peccato reservato, quia illud quod est mortale [illegible] malitia mortalis in actum externum prorumpat [illegible] internum, illud verò, quod est externum, est ex se, [illegible] citè veniale, atque adeo non reservatum, vide quæ [illegible] *infra c.* 6. §. 2. *n.* 3. & 4.

15. Pari modo quando reservatur (inquit De Lug. *d.* 20. *de pœnitent. num.* 15.) peccatum citra [illegible] quoties in actum externum prodit, requiritur [illegible] quod ipsa actio externa secundum se habeat gra[illegible] tem.

Nam si quis, intentione mortali, & gravi com[illegible] stitatem, dicat alteri aliquod verbum turpe ex [illegible] vel exerceat aliquam aliam actionem externam [illegible] vem, licet hæc actio denominetur mortalis ab [illegible] ne graviter mala, à qua procedit, non erit reserva[illegible] sicuti sola voluntas interna non reservatur, ita [illegible] do non procedit in actum externum habentem [illegible] gravem malitiam, & indecentiam. Hactenus De Lug. quam eandem rem sic Castropalaus *de pœnit. d.* [illegible] §. 3. *num.* 4. Visio curiosa fœminæ, levis tactus mam[illegible] similes, tametsi iniqua, & mortali intentione [illegible] reservati non erunt, quia ea malitia, quatenus [illegible] est, non prodit in externum actum. Hac enim de [illegible] exclusimus verba hæreticali intentione dicta ex quo per se spectatis, colligi hæresis non possit. Hæc Castropalaus.

*Non completa in ea ratione, qua reservatur.*

16. Si reserventur v.g. incestus, adulterium, homicidium, furtum, &c. non incurret in reservationem [illegible] qui solum dicta peccata attentaverit, vel inchoaverit. Ita Sylvester, Graffis, Henriquez, quos citat, sequitur Castrop. *l. c.* §. 2. *num.* 3. Quare qui solum turpiter [illegible] alterius vxorem, eandémque est amplexatus, vel oscu[illegible] tus. Qui solum percussit, vel vulneraverit, quamvis [illegible] viter. Qui scalas apposuit, & arcam aperuit, ut furaretur, sed reipsa non est furatus, &c. peccatum reservatum [illegible] quam commisit. Ratio ducitur ex principio allato, [illegible] quia legis reservationis stricta est apponenda interpretatio, & ideo de peccato intelligenda, quod absolutè completum est in suo genere, qualis est incestus, adulterium, furtum, &c consummata, non vero amplexus, osculum, furtum attentatum.

17. Hinc fit, ut in ejusmodi forma reservandi non datur ille qui solum mandat, vel solum auxiliatur, [illegible] solum consilium dat: hi enim non dicuntur [illegible] committere, seu complere illud peccatum, cui [illegible] dictis cooperantur.

Dixi *in ejusmodi forma reservandi*; si enim [illegible] serventur similia attentata, vel inchoata non est [illegible] tunc, etiam illa reservari. Sic in aliqua Religione [illegible] vatur quicunque lapsus carnis externus, & sic excommunicatio *C. Si quis suadente* lata contra percussores Clericorum *C. Quanta de sent. Excomm.* extenditur [illegible] mandantes, & consilium dantes, &c.

CAPVT

# CAPVT V.

## *De peccatis Summo Pontifici reservatis.*

### §. I. *Præmittitur notabile discrimen inter peccata reservata Pontifici, & Episcopis.*

1. CAsus Pontificij, hoc est Summo Pontifici reservati, ut habet Suar. *d.29. de pœn. sect.2.* & alii passim semper adnexam habent excommunicationem, & quidem etiam ipsam reservatam. Nam licet aliquando aliquod peccatum reservari Pontifici, sine mentione Excommunicationis legas in nonnullis decretis, tamen ea sufficienter interpretatur partim Castropal. *de pœn. p.15.§.2.n.1.* partim Bossi. *de Iubil.sect.1. casu 2.* Floron. *de casibus reserv.p.1.casu 2.n.7.* qui omnes concludunt, nullum esse casum Pontificium Excommunicatione liberum.

2. At verò Casus Episcopales, hoc est reservati Episcopis, non omnes Excommunicationem adnexam habent, solent enim ab ipsis reservari, & Casus nullam Excommunicationem habentes; & item habentes.

3. Quæres, quando asserimus Casus Pontificios habere adnexam Excommunicationem reservatam, itáne id intelligendum est, ut sola Excommunicatio sit reservata, an etiam ipse Casus, id est, an etiam ipsum delictum reservatum sit?

Respondeo. Etiam ipsum delictum, quando est affectum Excommunicatione. Id, quod probatur à Sanchez *l.1.in dec.c.8.n.5.* à posteriori. Nam si bona fide absolvaris à tali delicto, & ab Excommunicatione reservata, v.g. (ab hæresi externa) per Confessarium ex invincibili ignorantia, putantem se illa absolvere posse, comperta deinde carentia potestatis in eo Confessario, non solum debes absolutionem Excommunicationis petere, & obtinere ab habente Iurisdictionem ad illam Excommunicationem absolvendum, verum etiam debes in omnium sententia, ab eodem obtinere absolutionem delicti hæresis, quia hoc non fuit directè absolutum, sed propter bonam fidem solum indirectè cum aliis peccatis à te expositis Confessario. At si ipsum delictum non esset reservatum, fuisset directè absolutum & non indigeret nova directa absolutione. Ita Sanchez *l.c.*

4. Dixi *quando est affectum Excommunicatione*, nam si per ignorantiam quis nesciret huic peccato esse Excommunicationem Pontificiam adnexam, vel ratione metus, ut *sup.c.3.n.2.* dixi, adnexa de facto non esset, tunc illud delictum à te sic commissum non esset Pontifici reservatum, posseretque absolui per quemcunque Confessarium potentem absolvere à peccatis mortalibus. Ratio est, quia ex vna parte huic propter dictam ignorantiam, vel metum, nunquam fuit adnexa Excómunicatio, & ex alia Casus ipse non est reservatus Pontifici, nisi quãdo ut *n.1.* diximus, est cum Excommunicatione conjunctus, Ita Suar. *d.29. de pœn. sect.2.* Sanch. *l.c.* Castrop. *t.1. n.d.4.punct.5. initio* citans Bonac. Vasq. Laym. alioſque.

5. Iam vero ex dato discrimine inter reservata Pontifici, & Episcopo, duæ suboriuntur aliæ differentiæ. Prima quando Summus Pontifex, sive per Iubileum, sive per quodcunque priuilegium, concedit Iurisdictionem alicui absolvendi à Casibus Papalibus, concedit etiam facultatem absolvendi Excommunicatione eidem Papæ reservatas: quia sicuti hæc duo, Casus, & Excommunicationes Papales, sunt semper connexa, ita concessa potestate ad vnum ex ipsis, intelligitur concessa ad alterum.

6. At verò, quando Episcopus concedit Iurisdictionem absolvendi à casibus sibi reservatis, non intelligitur concedere Iurisdictionem absolvendi ab Excommunicationibus sibi eidem reservatis, quia cum ipse habeat multos casus reservatos distinctos à reservatis Excommunicationibus, concessio pro illis non potest extendi ad has, neque contrà, nisi aliud ex concessionis verbis, aliisve circumstantiis coniiciatur. Ita Bonacina, Barbosa, aliique ex communi sententia, quos habes *apud Bossium l.c.*

7. Secunda differentia. Si quando propter ignorantiam, vel propter metum cadentem in virum constantem, juxta supradicta non incurrit aliquis Excommunicationem, dum patrat delictum Summo Pontifici reservatum, v.g. dum incidit in externam hæresim, poterit absolui à quocunque simplici, seu communi Confessario ut dixi *n.4.* quia illud delictum quandoquidem non habet annexam excommunicationem reservatam, non habetur saltem ex vsu Ecclesiæ, pro reservato; At non ita in delictis Episcopalibus: Quamvis enim per ignorantiam, vel propter aliud, non incurras Excommunicationem, adhuc illud delictum ferè semper remanet reservatum, nec poterit à simplici Confessario absolvi, sed solum ab habente Iurisdictionem ad reservata, quia in Casibus Episcopalibus non adest vsus Ecclesiæ, quod non habeatur pro reservato illud delictum, cui non est adnexa Excommunicatio reservata Episcopis, & quamvis hæc per ignorantiam vel metum, non incurratur, sic docent Suar. *d.3.de pœnis sect.3.n.11.* Laym. *l.1.tr.5. p.2.c.6.n.10.* Bossi. *de Iubil.sect.1.c.28.n.2.* alique. Et ratio vlterior est quia Episcopi aliquando, imo fere semper, reservant ipsa delicta ratione ipsorum, & non vt facere solet Pontifex, ratione Excommunicationis, vel saltem reservant immediatè, & Casum, & Excommunicationem.

8. Dixi *ferè semper*, nam si quando ex verbis, vel circumstantiis constaret, delictum illud fuisse ab Episcopo reservatum, ratione Excommunicationis, tunc profecto eadem esset ratio, quæ est in Pontificiis, vnde qui ob ignorantiam, vel ob aliud non contraheret hanc excommunicationem, nec contraheret dicti delicti reservationem.

9. Sed quid præsumendum, quando, neque ex verbis atque ex circumstantiis id colligi queat?

Respondeo, præsumendum esse reservationem ab Episcopo factam fuisse ratione ipsius delicti, vel ratione, vt dictum est, vtriusque immediate, atque adeo etiam casum esse immediate reservatum. Ratio ducitur ex communiter contingentibus, quia scilicet hic est consuetus vsus Episcoporum, qui in reservationibus suis ad ipsa delicta fere semper attendunt.

10. Quæres Primo, Si Summus Pontifex auferat censuram adnexam casui sibi reservato, remanétne ipse casus eidem Pontifici reservatus?

Respondeo. Probabile est non remanere reservatum, atque adeo posse absolui, à communi Confessario. Ratio est, quam diximus *n. 4. & 7.* quam rectè notat Sanch. *lib.2.in Dec.c.8.num.5.* Acuti enim à principio, & veluti in fieri sunt simul casus, & Excommunicatio Pontifici reservata, ita in conservari, ut scilicet, remota excommunicatione reservata, per potentem illam absolvere; removeatur, & reservatio Casus, & data à Pontifice (ut supra etiam nos diximus *n. 5.*) facultate absolvendi pro tali Excommunicatione, censeatur etiam data pro tali peccato, & contra.

11. Quid si idem casus esset Pontificius & Episcopalis, nempe sibi illud reservasset Pontifex, & ex propria sua Iurisdictione etiam Episcopus, (quod fieri, an licear, infra indicabimus.) Remota per absolutionem Pontificis Excommunicatione à tali casu, remanerétne, reservatus ipse Casus Episcopo? Respondeo, Si in rigore juris loquamur, remanere reservatum Episcopo, quia vbi plura Iura vrgent, vt hîc vrget ius Pontificis, & jus proprium Episcopi, remisso vno, non intelligitur remissum & aliud. At Navarr. *in Manual.c.17. num.261. Ver. Nono dico*, cum aliis docet, hodie vsum, & consuetudinem interpretari, etiam sublatam esse Episcopalem reservationem. Ita etiam tenet Floronus, *de Casibus reser.p.1.casu 2.c.13.* citans *Grassium, Henriquez, Homobonum.* Mihi difficilis est, quæ credatur hæc consuetudo, quia

quia raro peccatum reseruatur idem ab Episcopis, quod à Pontifice, vnde potuerit eiusmodi vsus introduci.

12. Idem dicerem, si quis esset Excommunicatus excommunicatione Pontificia; & Episcopali de eadem re, neque enim absolutus ab Excommunicatione Pontificia, intelligeretur absolutus ab Episcopali, quia existentibus duobus impedimentis, vno sublato, alterum non tollitur, vt colligitur ex *cap. Suarum, de authorit. & vsu palli*, & ex *l. si Domus, ff. de seruit. V.* licet intelligi etiam ab Episcopali, vsu communi sic interpretante, doceat Ragueeius, Naldus, aliique apud Dianam *p. 5. tr. 9. resol. 60.* Sed ego etiam de ejusmodi vsu, propter rationem, à me modo dictam, valde dubito.

13. Quæres Secundo. Quod dictum est, remota excommunicatione non remanere casum reservatum in Casibus reservatis, procedit ne eriam in Casibus illis Pontificiis, qui cum ipsi Pontifici sint reservati, idem tamen Pontifex concessit, ut possint ab Episcopo absolui, qualis est v. g. abortus fœtus animati, & alij quos *mox c. 6. §. 1. n. 2.* enumerabo.

Respondeo. Salvo meliore iudicio, mihi videtur (nam apud neminem id lego) procedere; nam ij nunc] sunt quidem Casus Episcopales, ut ibidem dicam, sed per hujusmodi concessionem non mutant reseruationem, quam habent Pontificiam; quare solum sunt reseruati, quando, (ut supra dictum est de Casibus omnibus à Pontifice reservatis,) conjunctionem habent cum excommunicatione; vnde, ea remota ob ignorantiam, vel ob metum, vel per Absolutionem, non remanebunt Casus reservati, sed poterunt absolui à communi Confessario.

### §. II. *Peccata, seu Excommunicationes Summo Pontifici reservata.*

1. IN tres Classes ea distribuo. Prima continetur in Bulla Cœnæ. Secunda in quodam Decreto Clementis VIII. Tertia in Constitutionibus aliorum Pontificum.

Duarum priorum summam attuli *in Opusculo Methodi Confessionis, lib. 3. c. 7. §. 4. à n. 13.* Tertiam habes apud Filliuc. *tract. 10. c. 9. n. 213.* Castrop. Suar, Bonac. & fusè Duardum. Alter. Sayr. *cum de censuris & sexcentos alios.* Nolo ergo actum agere, sed ad necessaria progredior.

---

## CAPVT VI.

### *De peccatis Episcopo reservatis.*

### §. I. *An in Iure sint aliqui Casus reservati Episcopis.*

1. CErtum est, ab alisque satis probatum, nullum hodie de facto casum esse reservatum, in Iure, Episcopis, saltem, quia (ut notat Floronus *1. p. de casib. reserv. c. 1. §. 1. num. 5.*) consuetudine ita servatur. Lege Suarem *de pœn. d. 29. sect. 3. n. 6.* Barb. *de potest. Ep. all. 51. n. 2.* Quint. *singul. 1. de pœnit. n. 1.* Castrop. *de pœnit. q. 15. §. 2. n. 2.* alioque. Eo sigitur, pro sua Diœcesi, quilibet Ordinarius reservare poterit, quos prudenter ad bonum suarum ovium expedire judicaverit: vel ii reservari etiam erunt Episcopis, quos de facto propria alicujus Diœcesi consuetudo reservavit.

2. Quoniam vero aliquot inveniuntur Casus Summo Pontifici reservati, quos Summus Pontifex concessit, vt ii possint absolvi ab Episcopis, quale est ex Tridentino *sess. 24. c. 6. de ref.* omne delictum quomodocunque Pontifici reservatum, si sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, & qualis etiam est levis percussio Clerici, inter limites peccati mortalis, vt dicemus in explicatio Excommunicationis, *si quis Suadente*, & qualem etiam esse abortum fœtus animati, diximus *l. 5. in Decal. cap. 2. §. 4. à num. 7.* Quoniam, inquam, hæc ita se habent: Quæritur, an ejusmodi Casus sint Episcopis concessi iure suæ ordinariæ iurisdictionis, & sic possint, debeantque vocari casus Episcopo reservati, verò sint Pontificii.

3. Sanchez *l. 4. in Decal. cap. 54. c. 27.* Pontius *de Sacram. l. 8. cap. 6. num. 9.* Fragos. *p. 1. l. 4. d. 10. num. 98.* aliique tant dici, & esse Episcopales, hoc est absolute Episcopis reservati, quia sunt concessi dignitati Episcopali, que adeo perpetuo, quod est, jam nunc illos esse casus Diœcesis Iurisdictionis Episcopalis; Castropalaus in *tr. 21. de Pœn. part. 8. §. 1. num. 7.* & Henriq. *l. 6. cap. 14. n. 7.* remanere Pontificios, quia tales sunt per se Episcopis sint, per delegationem, concessi.

4. Sed vera decisio, vtramque sententiam sic concilians, est eos esse vere, & per se Pontificios, quia enim per delegationem concessam Episcopis, manent suam primævam naturam reservationis Pontificiæ, quam supra dixi *cap. 5. §. 1. num. 11.* Sed tamen possunt tandem modo; & quoad aliquem effectum vocari Episcopales, quia, cum eorum absolutionis potestas sit annexa dignitati, fiunt ejus ordinariæ, & perpetuæ Iurisdictionis. Vide omnino quæ dicam infra *cap. num. 13.*

5. Permaximè autem vtilis est hæc decisio, nam Confessarius electus per Bullam Cruciatæ absolvit Casus Episcopales, toties, quoties, & eodem modo Mendicantes extra Italiam absolvunt per sua privilegia Casus eosdem Episcopales, & denique ipse Episcopus potest alicui Confessario delegare potestatem absolvendi in Casus Episcopales. Si ergo prædicti Casus, de quibus loquimur, absolutè remanent Pontificij, nec Bullæ Cruciatæ, nec privilegia Mendicantium, nec dicta Episcopi delegatio per concessionem Casuum Episcopalium extendent ad illos. At certè se extendent, (exceptis semper hæresim etiam occultam, propter ejus enormitatem) si sint, ut nos probabiliter sustinemus, aliquo tandem modo Episcopales, & Iurisdictioni Episcopali connexi.

6. Dices. Si hi casus sunt jam concessi Episcopis non autem aliis communibus Confessariis, ergo in ipsis Episcopis reservati. Ergo falsum est, quod dictum est *num.* 1. de facto non esse alios Casus reservatos Episcopo, nisi in Diœcesi specialiter reservent. Respondeo. Nego primam, & secundam consequentiam. Illi enim casus sunt Pontificii, nec esse tales desinunt, nec, *vt num. 4.* dixi, naturam reservationis mutant per delegationem, qua concessi fuerunt Episcopis. Quis enim dicat delicta occulta in Cœna Domini esse, vel vocari posse casus absolutè reservatos Episcopis; & tamen Tridentinum illos ipsis concedit. Ne igitur immiscas hæc duo, Casus reservatos Iure Episcopis, & Casus reservatos in Iure Pontificis, sed per particularem delegationem ordinariæ Potesti Episcoporum concessos, ut rectè notavit Filliuc. *part. 1. de casibus reservat. cap. 1. §. 1. num. 5.* Illis ipsis nos cum Doctoribus citatis negavimus dicto modo non autem hoc posterius: quæ differentia quam diversam praxim pariat, habebis infrà *cap. 9. §. 1. numero 5. 6. & 7.*

### §. II. *Quos casus reservare sibi potest Episcopus.*

1. SIgnatè dictum est §. *præcedenti num. 1.* (Episcopus reservare poterit Casus, quos prudenter expedire judicaverit, &c.) nam Casus reservare cum moderatione debet, ne Sacramenti pœnitentiæ vsus difficilior reddatur, quam par est: de qua moderatione extant documenta Sacræ Cangregationis *apud Quarum. V. de reserv. fine. Graffis de casib. reserv. Barb. de potest. Ep. all. num. 288. aliosque l. c.* Et Barbosa quidem bene enumerat casus reservari consuetos, modumque eosdem interpretandi.

2. At quæstio est an ipsi possint peccatum reservare cujuscunque gravitatis reservare? Respondeo, ejusdem natura reservationis, posse, quia statim, atque peccatum est mortale, capax est reservationis, ut supra videmus

at, spectata Summi Pontificis dispositione, aliud est dicendum de Episcopis, aliud de Prælatis, seu Capitulis Regularium.

3. Aio igitur Primò, Episcopos, seu Ordinarios licitè non posse. Explico id, afferendo ea, quæ docet de hac re Quint. *sing. 8. de pœnit. n. 5.* Is enim cum attulisset verba Trident. asserentis, posse sibi Episcopos atrociora quædam, & graviora crimina reservare, cumque etiam protulisset S. Cong. & Clem. VIII. monitionem, qua Episcopi admonentur, ne in Casuum reservatione modum excedant, sed reservent sibi atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem, addit n. 4. *Si sit reservatum furtum, vel detentio Decimarum, quando quis furaretur, vel retineret ex Decimis duodecim, vel quatuordecim argenteos, neminem dicturum, hunc atrox, & grave crimen commisisse, eumque esse atrocissimum latronem, & sacrilegum gravissimum.* Et paulo post. *Quantitas ergo*, (ait) *duodecim argenteorum, licet sufficiens sit ad mortale, non tamen ad reservationem prudenter in Diœcesibus faciendam, cum ad hanc requiratur gravitas valdè considerabilis, & atrocitas.* Hæc ex illo. Vnde rectè à nobis dictum est, Episcopos ex dispositione Pontificis, fuisse limitatos, ut non reservarent quodcunque peccatum mortale, sed tantummodo atrox, & grave.

4. Quid autem, si non gravia reservent, reservabunt-ne valide? Respondeo, Sylvester, & Henriquez, quos refert, sequiturque Suarez apud dictum Quint. *l. c. n. 7.* validam esse dicunt ejusmodi reservationem, licet, quia potius in destructionem quam in ædificationem ea tenderet, illicitam. At Sotus, & Richardus, quos refert, sequiturque Vasquez apud eundem, nec validam dicunt, nec licitam, quia Episcopi carent ea Iurisdictione; cum Pontifex ipsis illam limitaverit (ut *num. 1.* dictum est) in dispositionibus Tridentini, Sacræ Congregationis, & Clementis VIII. Mihi placet opinio Suarez, quia in dictis dispositionibus, quas ad verbum affert. Quintanad. *loc. cit.* nullum verbum est, sive irritans factum, sive Iurisdictionem tollens.

5. Hæc quæstio, si rectè advertis, non est eadem, sed solum similis illi, de qua egimus supra *cap. 2. num. 3.* ibi enim actum est de reservatione omnium, vel majoris partis delictorum, hic agimus etiam de vnico, si ex aliquo capite non sit atrox, nec sit notabiliter grave.

6. Aio Secundò, Prælatos, cum Capitulis Regularium posse, & valide, & licitè peccatum mortale quamvis non tam atrox reservare, juxta id quod ipsi bonum, & vile pro suis Religiosis prudenter judicaverint. Ratio est, tum quia in præcedentibus dispositionibus solum loquutio est cum Episcopis, tum quia idem Clemens id concedit Regularibus, dum in Catalogo Casuum, quos sibi reservare ij possunt, aliqua peccata inserit, mortalia quidem, sed certè non admodum gravia, quale est, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale, furtum de rebus Monasterij in ea quantitate quæ sit peccatum mortale, lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Accedit & ratio disparitatis: Regulares enim profitentur perfectionis statum; vnde gravius semper iudicatur peccatum ipsorum quam iudicetur, illud quod committunt sæculares, qui statum illum perfectum non profitentur.

### §. III. *Peccata hodie reservata Archiepiscopo Panormitano.*

QVælibet Diœcesis proprios solet statuere Casus reservatos, quos omnes recensere nostrum non est. Satis igitur nobis, superque erit, si nostræ Panormitanæ Diœcesis casus reservati in vltima Synodo anni 1652. propositos, hîc additis nonnullis notulis asseramus.

### CASVS RESERVATI IN PANORMITANA DIOECESI.

1. *Raptores Virginum.*
2. *Proles suffocantes.*
3. *Nefandum Sodomiæ scelus committentes.*
4. *Paganis mulieribus, aut bestiis abutentes.*
5. *Qui sanctimoniales vel alias mulieres, intra Monasterium commorantes, turpiter alloquuntur, vel turpe quid interdum; aut tractant.*
6. *Sortilegium operantes, veneficia, superstitionesque exercentes, & quolibet Sacramento, vel Sacramentali ad id abutentes.*
7. *Literarum, ac Sigilli Archiepiscopalis, & ejus Curiæ falsarii, & qui literas, & scripturas Archivii, vel furto arripiunt, vel quovis modo mutilant, aut deturpant, ut integrè legi nequeant.*
8. *Notarii, qui legata, ad pias causas facta non denuntiant.*
9. *Clerici ad quoslibet ordines per saltum vel furtivè promoti.*
10. *Bonorum Ecclesiasticorum invasores.*

#### I. *Raptores Virginum.*

11. Qui igitur rapit puellam, vel viduam, vel vxoratam, quamvis ex dictis, *lib. 2. meth. Con. cap. 7. §. 9. & l. 7. in Decal. cap. 6. §. 1. & 2.* Raptum committat, hic non comprehenditur.

Nomine autem Raptoris ex ordinaria significatione hujus criminis, intelligitur committens Raptum, vnam ex speciebus luxuriæ. Ad hujusmodi autem Raptum, ut ibidem explicuimus, tria requiruntur, Vis illata, Finis inhonestæ libidinis, Abductio in alium locum; Quoniam ergo ibidem diximus, constitui Raptum sive vis illata sit ipsi virgini, consentientibus parentibus, vel iis, sub quorum curâ vivit virgo, sive sit illata consentiente ipsâ virgine, prædictis non consentientibus, ideo hic consequenter dicendum est, esse casum reservatum, quocunque ex iis modis Raptus committatur.

12. Præterea. Diximus aliquanto superius, peccatum, quod reservatur, nisi quid aliud exprimatur, debere esse in illo genere completum. Iam quæro, ut Raptus virginis hic Panormi reservatus, oportetne, ut sit per copulam consummatus? Respondeo, non oportere. Ratio est, quia ut *dicto l. 7. in Decal. c. 6. §. 2. num. 10.* docuimus, Raptus satis consummatur per ipsam abductionem ad finem libidinis. Ita Sanch. *l. 7. de matr. d. 12. n. 7.* Less. *l. 4. cap. 3. num. 66.*

Nomine Raptoris non intelligitur hic quasi habitualiter rapiens, sed etiam ille, qui, vel semel rapit, ejusmodi enim est loquutio Doctorum, cum agunt de Raptu, etiam si semel committatur.

#### II. *Prolem suffocantes.*

13. Occidi potest proles, Primò, per abortum fœtus animati (nam si nondum est animatus, non dicitur saltem proprie, proles.) Secundò, per suffocationem, quæ fiat dum in eodem lecto infans ponitur cum nutrice, vel Matre, ibique opprimatur ab ipsis, periculum advertentibus, & non curantibus. Tertiò, per suffocationem ejusdem infantis de industria factam, ut si mater suam prolem volens occultare ex adulterio genitam, eam suffocet. Quartò si infantem vulnerando, vel eidem venenum propinando, quamvis non suffocando, ipsum occidat. Quintò, si filium iam grandiusculæ ætatis, seu iam adolescentem ejus mater, vel pater suffocet, seu alio modo interficiat. Quærimus iam, an commissum hoc crimen singulis prædictis modis casus sit reservatus.

14. Respondeo. Si reservatos hos omnes modos reservare voluisset, dixisset sanè se reservare abortum, occisionem filii, vel ejusdem homicidium, vel quid simile: nunc vero, cum meminerit solum suffocationis, puto, salvo meliori iudicio, solum aliquos ex dictis voluisse

comprehendere, nempe quando mater, vel alia, aliusve (neque enim Synodus dicit suam prolem, sed absolutè, prolem) infantem ex eo, quod in eodem lecto decumbat, opprimit modo dicto, vel quando quis prolem statim natam, ne appareat suffocat, seu occidit: hi enim sunt in loquutione communi prolis suffocatores, ideſt qui vel opprimunt in lecto, vel faciunt, ut proles non appareat; alia enim sunt mera homicidia.

Dixi *seu occidit*, nam si quis prolem statim natam alio modo interimat, & non per materialem suffocationem, puto propter rationem dictam, esse peccatum hic reseruatum.

*Nefandum Sodomiæ scelus committentes.*

15. Nos cum communi sustinuimus (quidquid dicat Bordon. cum aliquibus *in conſ. regul. reſ. 48. quæſt. 5. num. 2.*) tum agentem, tum patientem esse Sodomitam. Hic igitur vterque comprehenditur, vide quæ dixi *lib. 7. in Decal. cap. 7. §. 6. num. 3.* vbi tamen solum agentem incidere in reservatum, nisi major expressio fiat, fassi sumus esse probabile. Debet autem esse actus consummatus, ideſt cum effusione seminis in vase præpostero: secus, quamvis esset Sodomia attentata, & incœpta fuisset copula in vase præpostero, sed deinde, extra effusum fuisset semen, non erit hîc reservata, quia, ut supra diximus, peccatum reservatum debet esse actus in eo genere, quo reservatur completus. Præterea, quoniam fœmina cum fœmina congrediens non committit verè, & propriè Sodomiam, nam Sodomia est congressus consummatus inter masculos in vase innaturali, nec subjacebit huic reservationi. Idem dic de viro congrediente cum fœmina in vase non naturali.

16. Quod si fœmina cum fœmina in vase præpostero, in quod effundat semen congrediatur (quod fieri posse potius est à nobis propter modestiam supponendum, quam inquirendum) esse veram Sodomiam docet Mazzuchellus *apud Diaz. p. 7. tr. 12. reſ. 13.* sed non assentior, quia non est perfecta Sodomia, sed imperfecta, ut diximus dicto §. 6. quare consequenter dicendum erit, non esse hîc reservatam.

17. De impubere non placet indistincta doctrina ejusdem Bord. *ibid. reſ. 38. q. 11. num. 18.* dicentis, impuberem non subjacere huic reservationi, quia regulariter non seminat, atque adeo non effundit semen intra vas alterius, non inquam, placet, debebat enim castigatius loqui, & sic distinguere, Impuberem, si non seminet, non committere propriè Sodomiam, si vero seminet, quod certe sæpissimè, ante decimum quartum annum pubertatis, malitia supplente ætatem, evenit, Sodomiam veram committere, & consequenter in casum incidere reservatum.

18. Denique quia hic casus reservatur in nostra Synodo sub hac forma *committentes*, non vero sub hac *exercentes*, non possumus dicere, illud non esse reservatum, nisi frequenter fiat; non possumus inquam, siquidem, &, qui semel sodomita est, dicitur committere Sodomiæ scelus.

IV. *Paganis mulieribus, aut bestiis abutentes.*

19. Sustinui *l. 7. in Decal. c. 1. §. 1. n. 6.* congressum cum muliere pagana, hoc est infideli, seu non baptizata, non differre à speciebus aliis luxuriæ: hîc tamen, propter ejus peculiarem, licet non essentialiter diversam deformationem, merito à nostra Synodo reservatur. Non baptizata, dixi, non ergo reservatur congressus cum hæretica, vel cum schismatica baptizatis, hæ enim non sunt paganæ.

20. Quid de congressu fœminæ baptizatæ, cum homine infideli; vel de masculo Fideli congrediente cum puero non baptizato; Respondeo. Neuter est casus reservatus, quia, ut supra vidimus, stricta est in lege reservatorum facienda interpretatio; si ergo reservatio est contra viros abutentes mulieribus paganis, non est tendenda, ut sit contra mulieres abutentes viris paganis, vel contra viros abutentes masculis paganis. Nec stat major, vel æqualis peccati gravitas; in reservatis enim non semper attenditur ad majorem, vel minorem criminis gravitatem, sed sæpissimè ad repressionem aliquorum gravium criminum frequentiam, vel ad viandum scandalo publico, quod ex illis oriatur, aut quid simile.

Propter eandem rationem licet concubitus cum homone, sive succubo, sive incubo, sit major peccatum quam concubitus cum bestiis, tamen hîc solum reservatum abusus, qui solet esse frequentior, non vero Dæmonum, reseruatur.

V. *Qui Sanctimoniales, vel alias mulieres intra Monasterium commorantes turpiter alloquuntur, aut turpe quid intendunt, aut tractant.*

21. Comprehendit hic casus tum ipsas Monialis professas, tum novitias, tum educandas, tum quascumque etiam vxoratas, quæ forte, propter aliquam vrgentem causam, intra Monasterium degunt. Patent hæc omnia verbis (vel alias mulieres.)

Præterea, qui turpiter, ideſt, de rebus obscenis prædictis alloquitur sine intentione vlterioris progressus di, etiamsi de turpibus aliorum actibus, v. g. de amoribus agat, ut item, qui quamvis indifferenter etiam spirituales sermones habeat cum illis, tamen habet cum intentione mortali aliquid turpe, vbi tangam, sive osculum, sive tactum committendi; item in sola morosa delectatione sistendi, in casum reservatum incidet: Ratio est manifesta: quia hæc, vel turpia vel intendunt turpia.

Neque obstat, Peccatum, ut reservetur, debere esse, & ex objecto, grave exterius, ut diximus supra *num. 13.* qualis non est indifferens hæc vel spiritualis cutio, quamvis ex prava intentione facta; Non inquam, quia hîc adest expressa reservantis voluntas, ibi supponebatur non esse: & ex alia parte hanc statem non fuisse ab Episcopis ablatâ, nuper ditum *eodem c. 6. §. 2. n. 4.*

22. Animadvertendum insuper est, ex alia Constitutione ejusdem Synodi adesse excommunicationem vatam contra illos, qui absolutè alloquuntur Mon vel existentes in Monasterio, idque sine licen enim habetur in Constitutionibus Synodalibus norm. celebratis anno 1654. *c. 7. n. 162. p. 4.*

*Quoniam circa accessum ad Moniales: tam quidem, nostri regiminis initio, edicta promulgavimus, eorum formam sub pœnis inibi statutis, liter observari præcipimus, & specialiter communicationis, in edictis latam, contra alloquen licentia cum Monialibus, ipso facto ipsoque rendam, nobisque reservatam, denuo indicimus, novamus.*

Dixi autem *etiam in Monasteriis existentes*, ctis edictis comprehenduntur etiam, & hi, vbi tur forma dictarum licentiarum.

23. Iam vero tres in hoc Casu reservato, de quimur, se se offerunt difficultates. Prima, an tractet alia crimina, v. g. agat cum Moniali de dio patrando, de furto, &c. incurrat in hunc servatum?

Respondeo, non incurrere, quia hæc, & quamvis grauissima crimina non veniunt in loquutione sub nomine turpium: Turpia enim sunt ea, quæ pertinent ad Venerem, seu ad præ sextum.

24. Secunda difficultas. An hîc detur parvitas riæ? An scilicet qui duo, vel tria verba obscena Moniali loquatur, incidat in reservatum, posito, sic peccaverit mortaliter, ut semper ex dictis, hic nendum est.

25. Re-

25. Respondeo. Quærit Verric. *tr.8. q.mor.66.n.32.* an quando Episcopus excommunicat, quomodocunque colloquentes cum Monialibus, excommunicationem incurrat ille, qui duo verba obscena cum prava intentione colloquitur, & Respondet incurrere, quia tunc ratione qualitatis verborum, haberetur materia gravis, prout docet, ait, Thomas del Bene, & Merolla. At oppositum Respondet Bord. apud eundem Verr. dicens, ad incurrendam dictam excommunicationem, non sufficere quatuor verba, etiam obscæna, quia materia quæ non est gravis, saltem non est apta ad incurrendam tam gravem pœnam, qualis est excommunicatio.

Utraque sententia videtur probabilis; unde in casu nostro utrumque erit probabile, nimirum colloquentem duo, vel tria verba mortaliter turpia cum moniali incidere, & non incidere in Casum reservatum; quamvis si indifferentia alloquatur per unum miserere, & aliquod amplius in sententia Dianæ *p.3.tr.2.resol.48.* vel per unum quadrantem horæ in sententia ejusdem Verric. *l.c.n.31.* magis apparenter, effugisset excommunicationem, quia tunc ex qualitate verborum, & parvitate tam angusti temporis, non fuisset materia gravis. Verum, quod dictum est de horæ quadrante, nunc expendere propius locus non est. Certè, non esse consulendum, iudico.

26. Tertia difficultas, an qui verba obscæna loqueretur cum Moniali, nihil illa respondente, incurreret in casum reservatum? Respondeo. Inquiro à te si quis posita excommunicatione contra colloquentes absolute cum Monialibus, ipse solus loqueretur, nihil respondente Moniali, incurretne is in excommunicationem? Respondebis, esse duas sententias. Nonnulli enim cum Vidal. *tit. de Mon.inqui.4.n.25.* Ianuario *de casib.reserv. resol.29.* Th. del Bene *de Imm. c.14.dub.5.sect.3.num.4.* Graff. *in quibusque casibus l.2.c.5.num.1.* aliisque negant quia solum loquens non dicitur colloqui. Non nulli cum Metol. *t.p.d.1.c.2.num.607.* affirmant, quia ex communi usu, idem sunt alloqui, seu loqui cum alio, & colloqui. Cum ergo utraque hæc sententia sit probabilis in casu excommunicationis imposita in illa Diœcesi, sub illa voce *colloquentes*, quamvis affirmans, iudicetur probabilior, idem tibi videbitur dicendum in casu nostro reservationis, imo & in casu excommunicationis allatæ à nostra Synodo de loquutione cum Monialibus, sine licentia. Nihilominus in nostris casibus, tum reservationis, tum dictæ excommunicationis, dico, semper adesse resevationem, & excommunicationem, etiam nihil respondente Moniali. Ratio ducitur à verbis Synodi, quæ non dicunt, *colloquuntur*, sed *alloquuntur*; alloquitur autem quis, etiam si nullus respondeat; Idem enim est alloqui, ac loqui cum alio, si, vel primis labiis Latinitatem attigisti. At in omni rigore dixeris loqui cum alio, etiam illo nihil respondente, sed tamen ad tam locutionem attendente.

27. Illud etiam certum habet ipsam monialem audientem ejusmodi turpia, sed nihil respondentem, quamvis peccet si cooperetur voluntariè audiendo cum loquente, tamen non incidere in Casum reservatum. Ratio est quia in verbis reservationis dicitur, reservari peccatum, quo quis turpiter alloquitur Moniales, non vero peccatum, quo Moniales audit alios turpiter loquentes.

28. Illud item certum habeo, si Monialis turpiter responderet, immo si etiam ipsa incipiat turpiter loqui cum Sæculari, non incurrere in hunc casum reservatum, quia in verbis reservationis dicitur reservari peccatum, quo quis cum Moniali loquitur obscenè, nihil autem dicitur de ipsa Moniali turpiter loquente cum Sæculari.

29. Quid si Monialis turpiter loquatur cum alia Moniali? Respondeo. Certum mihi videtur, incidere in reservatum, quia verba reservationis absolutè pronunciant de omnibus, qui Sanctimoniales turpiter alloquantur.

30. Neque obstat illud, *qui*, masculini generis, non obstat, inquam; nam novum non est in iure, sub nomine masculino, intelligi, & fœminium; nisi ex subjecta materia astringatur loquutio ad masculos. Lege Gloss. *in C. eos, qui Clementi p.de sepult.* & Alterium, *l.1.de cens.d.14. c.1.col.3.* qui docent, dum Pontifex excommunicat eos, qui sepeliunt excommunicatum (utique vitandum) in loco sacro, comprehendi & mulieres; probatque ex eo, quod sub dictione *qui*, continetur dictio, *quæ*, quia Masculinum concipit Fœminium. Ita etiam Glossa *in C. General.V.Universos, de elect.in 7.* & ducitur argumentum *ex C. Si quis suadente 16.q.1.* omnesque apud Leand. *de excom.d.7.q.13.* Et certè in casu hoc nostro, patet ex inconvenienti, nam secus sequeretur, Sæcularem mulierem, colloquentem turpiter cum Moniali, hic non comprehendi, quod nemo dicet.

Si quis ad Moniales turpia scriberet, non puto, eum incursurum in casum hunc reservatum, quia scriptio non est propriè loquutio; An incurrat ex vi illius verbi *traslant*, alia est consideratio.

### VI. *Sortilegium operantes, & Magicas artes, veneficia superstitionesque exercentes, & quolibet Sacramento, vel Sacramentali ad id abutentes.*

31. Tres hîc adsunt clausulæ. Prima, *Sortilegium operantes*, quare etiam, qui semel per sortilegium, utique mortale, peccat, subjacet reservationi, quia iam operatur sortilegium.

32. Hòc autem delictum est illud, quo quis per sortes inquirit ea quæ sunt illi abscondita. Quoniam autem dictæ sortes, aliæ sunt consultoriæ, aliæ divisoriæ, aliæ divinatoriæ, & primas quidem, ac secundas aliquando esse licitas, nunquam vero tertias, docet S. Thomas *t.1. q.95.art.8.* Quintanad. *de pœn.sing.4.* Ideo non omne, & quodcunque sortilegium, sed illud, quod est mortale illicitum, erit casus reservatus.

33. Secunda clausula *Magicas artes, veneficia superstitionesque, vtique mortales exercentes.* Cum ergo, qui semel hæc patrat non dicatur hæc exercere; Ideo, ut ea sint reservata, frequentiam superaddendam esse, puto, quæ frequentia sit à prudenti viro decernenda. Confirmo ex paritate, ducta à pœna suspensionis ab exercitio Ordinis privationisque omnium beneficiorum, & dignitatum, lata à Pio V. contra Clericos Sodomiam exercentes, nam propter hoc verbum *exercentes* communiter Doctores apud Dianam *p.2.tr.12.resol.65.* docent, bis, aut ter Sodomiam committentem, non incidere in prædictas pœnas, sicuti neque dicitur v. g. Mercator, qui bis, vel ter Mercatoriam agit; Ita igitur in casu nostro. An omnes superstitiones hic reserventur expende ex doctrina quam habet Th. Hurt. *p.1. Ref. Mor. Fol. mihi 290.*

34. Tertia clausula, *quolibet Sacramento, vel Sacramentali abutentes.* Quia ergo etiam, qui semel aqua benedicta v.g. abutitur, dicitur abuti Sacramentali, ideo non effugiet ex singularitate criminis reservationem. Abuti autem hîc significat illud quodcunque peccatum, quod quis committit vsurpando Sacramenta, vel Sacramentalia cum gravi peccato circa prædicta, id est circa sortilegia, magiam, veneficia, superstitiones; hoc enim indicat illud, *ad id abutentes.*

### VII. *Litterarum, ac Sigilli Archiepiscopalis falsarii, & qui literas, & scripturas Archivii, vel furto arripiunt vel quovis modo mutilant, aut deturpant, ut integrè legi nequeant.*

35. Percurre separatim prædictas clausulas.

36. Prima clausula, *Litterarum, &c. falsarii.* In Bulla Cœnæ, & in Cap. *Falsariorum de crimine falsi*, excommunicantur falsarii litterarum Apostolicarum. Ad hujus ergo Constitutionis instar, nunc Archiepiscopus Panormitanus reservat crimen, quo falsæ redduntur literæ Archiepiscopales, quare proportionaliter ad ea, quæ de illa excommunicatione Pontificia decernunt Doctores, erit loquendum de hoc nostro casu reservato. Hinc, cum non sit excommunicatus in Bulla Cœnæ qui falsificat literas, emanatas à Delegatis, vel Officialibus

Papæ, nec qui falsificat ut ego puto, litterarum Apostolicarum copias rescriptas, & in sententia aliquorum, nec qui emendat merum errorem Grammaticæ, & similia, videnda *apud Fill. tr. 16. cap. 8. num. 190. Suar. Alter. aliosque apud Leand. de excom. d. 15. quæst. 9.* ideo idem erit in casu reservato hoc nostro, respectu litterarum Archiepiscopalium.

Ad casum autem hunc reservatum non requiritur copulativè hæc tria facere, puta, litteras, & sigillum Archiepiscopi, & sigillum Curiæ falsificare: satis erit, si quodcunque ex his fiat, ita enim colligitur ex fine intento ab Archiepiscopo, qui est, ut pure & sine falsitate Archiepiscopales litteræ legantur.

37. Sed eritne ex his falsarius ille, qui sigillum novum Archiepiscopi, vel ejus Curiæ effigeret, illoque uteretur? Respondeo. Fore, puto, quia si id non est falsare sigillum, quidnam erit.

38. Quid, si quis efformaret, seu fingeret litteras Archiepiscopales ex integro, esset ne falsarius litterarum Archiepiscopi? Respondeo. Pari modo puto. Falsitas enim, quæ hîc prohiberi intenditur non necessario supponit veras literas, qua deinde temerentur, sed est omnis falsitas, quæ nocet veritati litterarum Archiepiscopalium. In Bulla Cœnæ Domini excommunicantur falsificantes literas Apostolicas, & deinde, in alia clausula, excommunicantur ii, qui falso fabricant easdem Apostolicas literas. Vnde videntur hæc duo crimina esse diversa, nec posse inferri, reservato uno, reservari utrumque, & consequenter cum in nostra Synodo solum reserventur falsarii, qui idem sunt, ac falsificantes, non verò reservantur ii, qui de novo falso fabricant, videtur non esse verum, etiam hoc incidere in casum reservatum.

Nihilominus ego puto, in dicta Bulla Cœnæ id ad maiorem declarationem expressum sic fuisse, nam cæterum dico, posterius crimen includi omnino in priore, quod confirmo ex doctrina Alter. *d. 6. in Bul. Cœnæ. l. 5. c. 3. V. Quare* qui expresse docet, falsam fabricationem ex integro Bullarum Apostolicarum esse crimen falsi.

39. Quid denique, qui litteras hujusmodi omnino lateat, inciditne in casum reservatum? Respondeo, Filli. *tract. 16. c. 18. num. 190.* notat in Bulla Cœnæ non ex eo, quod falsarius excommunicatur, excommunicari eum, qui literas Apostolicas dilacerat: diversa enim satis sunt lacerare, & falsificare; scriptura enim lacerata ex omni parte, & omnino, non potes abuti, potes falsificata; ita igitur quoad reservationem in casu nostro.

40. Secunda clausula, *Qui literas, & scripturas Archivii furto arripiunt* vtique Archivii Archiepiscopalis, ejusque Curiæ, de quibus immediatè antea fuit loquutio; furto autem arripit, etiam qui violenter per rapinam aufert; rapina enim præter violentiam involvit etiam malitiam furti.

Non dubito tamen hic, posse esse levitatem materiæ; Quid enim, si quis furetur paginam quampiam nullius, vel levis momenti? is certè, sicut non peccabit mortaliter, sic neque reservatione afficietur.

41. Tertia clausula, *Qui quovis modo mutilant, aut deturpant, ut integrè legi nequeant*, mutilare hîc, aut deturpare; non est idem, ac omnino dilaniare, seu lacerare: sicuti enim, qui hominem mutilat, non dicitur hominem occidere, sed aliquod hominis membrum amputare; sic non dicitur mutilare, aut deturpare scripturam is, qui omnino illam dilaniat, ita ut usui amplius esse non possit, sed qui ex scriptura aliquam partem abscindit, vel nihil abscindendo ita deturpat, ut integrè non possit legi. Dico igitur, in hac clausula reservari casum, quo quis scripturam prædictam mancam, & mutilam reddit: nam casum, quo quis eam ita dilacerat, ut usui esse nequeat, hic non reservari probabiliter docui 39.

### VIII. *Notarii, qui legata ad pias causas facta non denunciant.*

42. Hæc clausula supponit, Notarios mortaliter peccare, dum ejusmodi legata non denunciant, secus non incideren in casum reservatum, at unde est ipsi in hoc peccent? Respondeo, peccant eo, sive non observant hoc ipsum præceptum, quod luitur in hoc casu, qui nunc reservatur, sive non vant peculiare præceptum in nostra Diœcesi, ipsis tariis impositum; sic enim habetur in posterum Panorm. Ann. 1652. *p. 4. n. 24.*

„ *Notariis vero pœnam excommunicationis indi*
„ *nisi in singulis Testamentis, Codicillis, aliisve*
„ *his eas particulas, intra tres menses nobis de*
„ *propria ipsorum manu signatas, in quibus de*
„ *causas pias, vel in rei male parte, seu ablat*
„ *furti satisfactionem quomodocunque legatur.*

43. Porro hic duo adverto. Primo latius patere præceptum, quam clausulam reservationis, de qu quimur; præceptum enim comprehendit quodcu legatum, tum ad causas pias, tum in satisfactio ablatæ, aut furti; at reservatio solum loquitur de ad pias causas: quamvis enim legata ad satisfac rei ablatæ, & furti, vocari possint legata ad pias tamen cum tam signatè Legislator in hoc præcep sub pœna excommunicationis, solùm mentionem legatorum ad pias causas, ideo strictè (ut debe supradictis) id interpretando, satis probabiliter salvo meliori iudicio, possumus, solum hæc legat causas pias, voluisse legislatorem reservare.

44. Animadverto Secundo, excommunicatio hoc præcepto Synodi Notariis indictam, videri communicationem ferendam, illud enim, parum *communicationis indicimus*, non solet significare municationem latæ sententiæ, ex doctrina Suar. *fur. l. 1. c. 11. n. 12.* Avilæ *de censur. p. 2. c. 2. d.* passim aliorum.

45. Verum hinc emergit molesta difficultas, nam sententiæ non ignobilium Doctorum præceptum sub sola pœna excommunicationis ferendæ, non est signum obligationis sub mortali. Si ergo Not non obligatur sub mortali ex vi talis excommu nis, ad denunciandum legata, qua ratione erit ca servatus denunciationis omissio, cum non reperia nisi peccata mortalia.

Dicam, quod sentio, in hunc modum. Verum communicationem ferendam non esse ex se signum talis obligationis, de qua re nos agimus *lib. 3. de Missa, c. 1. §. 8.* at hoc dicitur, conceditur, plus ex verbis Legislatoris colligatur. Cum igitur nostra Legislator ex una parte imponat præceptum tariis sub pœna excommunicationis ferendæ, idem Legislator dicat, se velle peccatum, quod committunt, dum non denunciant esse reservatum re colligitur velle, illam inobedientiam esse gravem mortalem, quia sine hac gravitate reservatio, ut sæpe dictum est, consistere non posset.

### IX. *Clerici ad quoslibet Ordines per saltum, vel promoti.*

46. Clericus, qui ordinatur per saltum, idest, cipit Ordinem superiorem, non recepto prius in suspenditur in Iure ab Ordine sic recepto. Videlis *unic. de Cleric. promoto per saltum.* Rursus, qui fur ideat, Episcopo non approbante, promoveatur, dit ur, & per aliquos irregularis fit, imo, & excom catur. Sic habent Suar. *de censur. dis. 42. sect. 3. n.* *de irreg. d. 7. q. 3. p. 4. n. 6.* Castrop. *p. 6. d. 6. par.* Hæc igitur duo delicta reservantur in præsenti sula.

47. Sed quæ actiones comprehendit hæc furtiva motio. Respondeo, furtiva promotio multiplex esse potest. Primo si Ordinandus, decipiat Episcopum simulando ætatem sufficientem. Secundo, falsificando trimonium. Tertio, literas dimissoriales fingendo, to, absque notitia, & voluntate Episcopi ordinato

cum aliis promovendis se ingerendo, Ex his modis propriè furtiva susceptio est hoc quarto modo: Illud enim furtiva, significat clanculam susceptionem, ita ut sine scientia ordinantis, quis consocietur cum aliis ordinandis, & sic, nesciente, & consequenter nolente, & approbante Episcopo, ordinetur: Cæteri tres præcedentes modi potius dicuntur dolosæ susceptiones, solum largè dici possunt furtivæ: in illis enim decipitur quidem Episcopus, sed non proprie, modo furtivo, & occulto, ut in quarto. Quemadmodum igitur Doctores cum Suar. *d.42. de censuris sect.3. num.6.* P. Bardi *in select.leg.7.q. 10.* citans *Layman. Svyr. G. Hurtad.* communiter docent, pœnam latam in Sacris Canonibus contra furtivè promotos, esse solum contra hunc quartum modum, ita dicendum esse in casu nostro, censeo, cum in vtroque casu sint stricte verba interpretanda.

48. Quæres, de quibusnam Ordinibus hic loquutio est? Respondeo. Cum prima tonsura ex communi sententia Ordo non sit, ut habes apud Doctores citatos à Castrop. *l.c. de ord.d.un.p.1. n.4.* citante *Vasq. Coninch. Laymam aliosque*, ejus furtiva susceptio non erit casus reservatus. At vero, quia Minores, Ordines sunt, (definit enim Tridentinum *sess.23. cap.2.& can.2.* Ordines septem esse in Ecclesia, Sacerdotii, Diaconatus, Subdiaconatus, quatuor Minorum Ordinum) Ideo eorum furtiva susceptio casus erit reservatus.

49. Dices, at Minores Ordines ex sententia Vasquez, aliorumque non sunt Sacramenta, ergo neque propriè, & verè Ordines. Respondeo Primò, Minores Ordines esse Sacramenta, tenet communior sententia, quam docet S. Thom. sequiturque Castrop. *l.c.p.3.n.4.* citans *S. Th. Bellam. Con. alios*; Respondeo Secundò, licet Minores non essent Sacramenta, non propterea negar debet esse propriè Ordines: Ad hoc enim, ut Minor sit propriè Ordo, satis est, si ille sit potestas quædam moralis relata ad aliquod Ministerium Altaris, quæque Ordinatum constituat in gradu superiori, comparatione ministrorum Ecclesiæ, nec solum comparatione aliorum Fidelium, quod solum facit prima tonsura, cum Minores faciant, etiam comparatione ipsorum ministrorum Ecclesiæ, quales sunt ipsi tonsurati? lege Castrop. *loc.cit.* Cum ergo noster Legislator dicat (quoscunque Ordines) Minores autem omnium consensu, propriè Ordines sint, quamvis non sint, in aliquorum opinione, Sacramenta, illos etiam comprehendere voluit Legislator.

### X. *Bonorum Ecclesiasticorum Invasores.*

50. Bona alia sunt stabilia, mobilia alia, unde lex hæc videtur extendi ad eos, qui alterutra rapit. Verum, salva meliore sententia, quia propriè, & strictè loquendo (ut hic ex supradictis loquendum nobis est) non dicitur quis invadere bona mobilia, v.g. pecuniam, vestem, & similia, sed furari, rapere, tollere, usurpare, nam invadere propriè est de bonis stabilibus, & significat in prædium, in feudum, in domum possidenda, se se immittere, ideo mihi videtur, hic non comprehendi, nisi invasores bonorum stabilium.

Confirmo, quia in Bulla Cœnæ *num.17.* excommunicantur qui usurpant fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum pertinentes, & *n.20.* excommunicantur invadentes, destruentes, occupantes, & detinentes, in totum, vel in partem, Regna, Civitates, Terras, & loca ad Romanam Ecclesiam pertinentia. Vides igitur *n.20.* ubi agitur de bonis immobilibus usurpari verbū invadendi, nō vero *n.17.* ubi agitur de mobilibus.

51. Nomine autem Ecclesiasticorum bonorum, intelligi ea bona, quæ sunt Ecclesiarum, unde bona patrimonialia hic non includi, nequaquam est dubitandum. Dubitari tamen posset de bonis patrimonialibus, ad quorum titulum quis est ordinatus. An scilicet is, qui dictum patrimonium invadit, incidat in reservatum?

52. Respondeo, non incidere. Hujus autem responsionis ratio tota pendet ex solutione illius quæstionis. An bonum quodcunque stabile, statim, atque sit patrimonium Ordinati, fiat bonum propriè Ecclesiasticum? Profecto, cum agitur de rebus Ecclesiasticis non alienandis, quærunt DD. an sub prohibitione Trid. *sess.25.c.11. de reserv.* & in Extra. *Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alienand.* ne bona Ecclesiastica alienari possint, includatur dictum Ordinati patrimonium: & resolvunt communiter, non includi, ut rectè notat Bonac. *t.p. d.2. de reb. Eccl.non alienand. q. un.p.2.n.28. fine*, quia Extravagans Ambitiosæ, (quam Tridentinum confirmat) expresse loquitur de bonis immobilibus, & mobilibus pretiosis, Deo dicatis. Porro ex hac doctrina vides; ut aliquod sit bonum Ecclesiasticum; debere esse dicatum absolutè Deo: quare cum dictum patrimonium non sit dicatum immediatè Deo, vel Ecclesiis sed solum in alimentum temporale Ordinati; absolutè, & propriè Ecclesiasticum non erit. Adde, dictum Patrimonium, mortuo Ordinato, redire sine alia licentia ad pristinum statum, quod certè non posset si esset propriè bonum Ecclesiæ. Vera igitur est nostra Responsio, invadentem bona prædicti patrimonii, non incurrere in casum reservatum, quia non invadit bona simpliciter, & absolutè Ecclesiastica.

53. Dices, at dictum patrimonium non potest alienari ab Ordinato, sine Episcopi licentia, donec aliunde habeat Ordinatus, unde vivat: ergo est bonum Ecclesiasticum Respondeo. Nego consequentiam. Ratio enim, cur non possit alienari, non est, quia sit Ecclesiasticum bonum, sed quia ex peculiari Iure Tridentinum sic statuit, ut scilicet viventi Ordinato congrua alimenta non desint. Rectè ergo Marchinus *de ord.tr.2.p.6.c.7. diff.12.* quando ex probabiliore sententia, docet, bona patrimonialia, ad quorum titulum quis est ordinatus, non subjacere gabellis, nec collectari posse nō dicit, quia hæc sunt bona Ecclesiastica, sed quia privilegio bonorū Ecclesiasticorum gaudent, cur autē hoc privilegio gaudeant, ad nos in præsenti non pertinet edocere, si cui scire placet, ipsum, & ab ipso Doctores citatos adeat.

---

## CAPUT VII.

### *De Casibus Reservatis pro Religiosis.*

#### §. I. *Quibus Casibus Reservatis in Universum subdantur Religiosi.*

1. CErtum est, Religiosos subjacere Casibus in sua Religione reservatis. Certum item, eosdem non affici casibus, qui reservantur ab Episcopis, ut ex superius allatis patet: quamvis enim hi domicilium habeant in Diœcesi Episcoporum, habeant tamen amplam exemptionem ab ipsorum Iurisdictione.

2. Verum, an idem Religiosi afficiantur casibus à Summo Pontifice absolutè reservatis, aliqui dubitarunt sed immerito, sunt enim, & ipsi, ut cæteri Fideles Summo Pontifici subjecti, nec vnquam ab vniversali lege, qua Pontifex casus reservat, liberari ab eodem Pontifice ipsi fuerunt. Solum enim per varia privilegia iisdem concessa, indulsit Pontifex, ut de iis casibus absolvi à Superioribus, iuxta privilegiorum tenorem possint, non vero eos ab incursione reservatorum exemit.

3. Hinc ergo fit, ut si Religiosus incidat in casum quemcunque Papalem, non possit absolvi à Confessario Regulari, qui à Superiore Monasterii est expositus ad excipiendas Confessiones in eo Monasterio subditorum; nisi specialem potestatem ei Confessario attribuerit legitimus Superior. Et ratio est, quia ex una parte ut dictum est, casus supponitur esse Papalis, & ex altera supponitur per ipsam simplicem deputationem Confessariorum non concedi à Superioribus facultas absolvendi à reservatis, ut certum est apud omnes; legatur De-Lugo *in resp.moral.l.1.dub.27.* Suar. *Tom.4. de relig.tr.8. sess.2.c.22.n.12.* Pelliz. *t.2.tract.8. cap.2.n.53.* Castr. *de pœnit.d.vnic.p.15 §.3.n.11.*

Quintanadueñas docet *de pœnit. sing. 19. num. 4.* Superiores in Societate nostra concedere ejusmodi Confessariis, licentiam absolvendi à casibus Pontificiis, (exceptis casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini) eo ipso, quod ipsos deputant ad audiendas nostrorum Confessiones. Id quod probat ex eo, quod Pater noster Generalis, ex potestate, quam habet à Summo Pontifice, concedit in Compendio Privilegiorum omnibus Confessariis nostris approbatis, ut possint absolvere quoscunque Fideles, ad eos vndecunque accedentes ab omnibus peccatis, & censuris, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ: at sub nomine Christi Fidelium, (ait hic Auctor) cur comprehendi non debeant nostri: Hæc ille, concludens, non esse mirum, si hic Confessarius non valeat nostros absolvere à casibus in Societate reservatis, possit verò à dictis Papalibus, non esse, inquit, mirum, quia hos reservat Societas, nec eorundem absolutionem P. Generalis concedit, dum communes Confessarios deputat, illorum vero Papalium (præter casus dictos Bullæ Cœnæ.) Idem P. Generalis voluit in dicto §.1. concedere.

5. Hæc Quintanadueñas: quibus ego non acquiesco; nam adverto (quod certè miror, minus advertisse Quintanad.) P. Generalem, dum dicto primo §. concedit, nostros Confessarios posse absolvere omnes Christi Fideles à prædictis Papalibus, loqui de Fidelibus sæcularibus, seu externis, nullo modo de nostris. De nostris enim loquitur paulo post, in eodem verbo *absolvo*, §.6. vbi, cum retulisset per Præpositum Generalem, vel per alios; quos ipse deputaverit, posse nostros absolvi ab omnibus casibus Pontificiis; exceptis quibusdam ibi videndis, addit, *Communicatur hæc facultas Superioribus, & iis, quibus ipsi commiserint.* Ecce, quomodo Pater Generalis restringit Confessarios nostros, dum eam facultatem, non concedit omnibus Confessariis, sed solum Superioribus, & iis Confessariis quibus iidem Superiores concedere voluerint. Cum ergo tam distinctè P. Generalis loquatur in hoc §.6. certè nostros non comprehendere voluit in §.1.

6. Et sanè mirum esset, si ejusmodi nostrorum simplex Confessarius non posset nostrum absolvere ab vsurpatione alicuius rei contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale quodcunque, quia hic est unus ex casibus nostris reservatis, ut infra videbimus, possit tamen eundem absolvere à sacrilegio, per quod noster effringeret Ecclesiam, eamque spoliaret, quia hoc peccatum est Pontificium, nec contentum in Bulla Cœnæ, & sic de similibus. Quod certè inconveniens ostendit à posteriore, doctrinam Quintanad. nulla esse ratione recipiendam.

## §. II. *Explicatio Decreti Clementis VIII. de Casibus reservatis Regularium.*

1. ILlud sic habet, quod invenies tum in Bullario, tum *apud Iuniper. de casib. reserv.* initio, tum *in Ord. Soc. Iesu cap. 4. de casib. reserv.*

I. *Sanctissimus Dominus noster, iam pridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem.*

2. *Quocirca, ut huic malo Sanctitas sua opportunè provideret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire in domino iudicaverit.*

3. *Primo, Veneficia, incantationes, sortilegia.*

II. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.*

III. *Nocturna, & furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

IV. *Proprietas contra votum paupertatis quæ sit peccatum mortale.*

V. *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu extra illud.*

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum procurandum; post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

VII. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventus.*

VIII. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

IX. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummato.*

X. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscunque personæ.*

XI. *Malitiosum impedimentum aut retardatio, circa apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

4. *Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in suo ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione & consensu.*

5. *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserunt, aut ipsissimet sponte, aut proprio motu id à ipsis petierint.*

6. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, minori, iique sint docti, prudentes, charitate præditi, qui non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrit, in quo eam debere committi ipse imprimis Confessarius iudicaverit.*

7. *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligenter, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.*

8. *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab ejusmodi peccatis cohibere possint. Atque &c. Non obstantibus, &c. Dat. Rom. apud S. Petrum 26. Maii 1593.*

9. Hactenus Decretum Clem. VIII. quod deinde confirmavit Vrbanus VIII. addens verba sequentia.

*Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessarii casus alicujus reservati facultatem à pœnitentibus Superior dare voluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.*

Hæc ad verbum Clemens, & Vrbanus, sequuntur aliquæ notulæ, quibus eadem illustrentur.

### SVPER ILLVD NVMERI PRIMI.

*Prudenter, & moderatè.*

10. Quamvis supra dixerimus, Prælatis Regularibus pro suis Religiosis licere aliquid amplius reservare, quam Episcopis pro Sæcularibus suis; tamen maximè notanda sunt hæc verba *prudenter, & moderatè*, in quæ vereor, ne aliqui Superiores ex nimio zelo maximè delinquant: sed hoc satis sit innuisse.

11. At si imprudenter, & immoderatè se gerant Superiores (ut certum est) tunc peccent, validène etiè reservent? Respondeo, validam puto, si cætera serventur, quæ sunt in memorato Decreto descriptas, quia nullum vetitum hic adest irritans factum quoad hoc, de quo hic quæris. Et nota, hoc vndecim casus non esse eo ipso reservatos, sed reservabiles. Sane si eo ipso essent reservati, non diceret Pontifex, ut Prælati, vel omnes, vel aliqui sibi reservent.

SVPER

## SVPER ILLVD NVMERI SECVNDI.

*Aut omnibus, aut eorum aliquot.*

12. Non negat Pontifex, posse omnes prædictos casus reservari à Prælatis regularibus, idque etiam sine Capituli consensu, sed statim addit prout prudenter expediet (quod maximè ut modo *n.* 10. dixi) est animadvertendum. Hinc merito dicimus, non semper licitè Prælatos reservare omnes hos casus, quia Prælatus in illis reservandis habere debet probabiliter ad subditorum suorum salutem, & vtilitatem facere, illam omnium reservationem, quod certè non semper subditorum vtilitati id convenire solet. Moneo tamen in Societate judicatum à Congregatione Generali fuisse, de Societatis bono esse, omnes reservare, quibus alii sunt superadditi, ut mox videbimus, id quod non fuisse nimium, probat Suarez *t.* 4. *in* 3. *p. tr.* 10. *lib.* 2. *cap.* 5. *à n.* 5.

13. Quæres, Si ante hoc decretum erant alii casus in aliqua Religione reservati, talesne remansissent, etiamsi de novo non fuissent à dicta Religione juxta hoc decretum reservati?

Respondeo probabilius, imo certum judico, non remansisse. Pontifex enim voluit, ut in Religione non essent casus reservati, nisi juxta formam in hoc suo Decreto firmatam: at si illi antiqui remansissent, jam adessent casus reservati & non juxta ejusmodi formam, ergo, &c. Vide id latè apud Juniperum *l. c. q.* 2. *per totam.*

## SVPER ILLVD NVMERI TERTII.

*Veneficia, & quæ sequuntur.*

14. Hic esset locus omnes prædictos vndecim casus explicandi; sed quia non pauci Doctores satis dilucide eos sigillatim explicant, supervacaneum iudico, pluribus in his immorari. Hi autem Doctores præcipui sunt Castrop. *de Sacr. pœn. disp. vnica, punct.* 15. §. 2. *à num.* 15. Fagundez *præcept. Eccl.* 2. *lib.* 8. *c.* 4. *& sequent.* Iuniper. *de casib. reserv. tot ap.* 3. latissimè, Pellizzarius, *tr.* 6. *c.* 1. *à n.* 21. Bordonus *tom.* 1. *à resp.* 37. *vsque ad* 50.

## SVPER ILLVD NVMERI QVARTI.

*Si aliquod aliud reservandum videbitur, fiat in Capitulo Generali, vel Provinciali, matura discussione, & consensu, &c.*

15. Ex hac clausula per quam in Capitulo Generali pro toto Ordine, & in Provinciali pro Provincia reservari debet aliquod aliud peccatum, præter vndecim dicta (hæc enim quilibet Superior, etiam sine Capitulo, ut diximus, potest) clarè fit; Primo, ut non possit in Capitulo Provinciali etiamsi præsideat Generalis, illud aliud reservari, pro toto Ordine, quia tunc non est, nisi Capitulum Provinciale, quod solum potest reservare pro Provincia

16. Secundo fit, ut nec possit in Capitulo Conventuali vnius Monasterii pro ipso vno Monasterio, quia id non concedit Clemens, cum requirat saltem Capitulum Provinciale; Sed quid, Poterit ne in Capitulo Generali, vel Provinciali reservari casus pro vno, vel duobus Monasteriis tantum? Respondeo, posse, quia Pontifex solum præcipit, ut reservatio fiat cum consensu Capituli Generalis, vel Provincialis, non vero vt semper fiat pro toto Ordine, vel tota Provincia; ita De Lugo *disp.* 20. *de pœn. n.* 44. citans Suarium, quidquid dicat Iuniperus *de cas. reserv. p.* 1. *d.* 4. *q.* 3. *n.* 4.

17. Tertio fit, ut quia prædicta reservatio decernenda est à Capitulo, ideo necessario debeat intervenire suffragium majoris partis Capituli, secus Decretum Capituli non esset.

18. Hic nota, in Societate nostra suffragantes, in Congregatione generali se habere, ut se habet Capitulum Generale in aliis Religionibus.

Sed quid de Congregatione Provinciali; id enim scire necessarium est, ut videamus, an Congregatio nostra Provincialis possit pro sua Provincia reservare casus alios, præter illos vndecim? Respondeo, Negari merito & Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 15. *& ibid. tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 4. Ratio esse debet, quia Congregatio nostra Provincialis non habet suffragium, nisi consultivum, & Electivum Procuratoris. At Clemens VIII. requirit Capituli consensum: Nomine autem Capituli non intelligitur, nisi Congregatio Vocalium, habentium suffragium activum ad eligendum Generalem, vel Provincialem, quod nostra Provincialis Congregatio non habet, habet verò ad eligendum Generalem Congregatio generalis.

19. Quarto, Quia requiritur matura discussio, & consensus, fit, ut quærere debeamus quidnam intelligatur per hæc. Sanè, per *naturalem discussionem* intelligitur seria & diligens rei examinatio: Per *consensum* verò non intelligitur solum Concilium, sed suffragium majoris partis Capituli; id enim significat illud *Consensus Capituli*, in hoc autem differt obligatio faciendi aliquid juxta Consilium alicujus ab obligatione faciendi juxta alicujus consensum, quod satisfiat priori obligationi, si petatur consilium, sed sine obligatione illud sequendi; posteriori vero non satisfiat, per petitionem solam consilii, sed oporteat, ut adsit alterius consensus, juxta quem fiat res. Debet igitur in re nostra adesse matura consideratio, & non consilium solum, sed assensus.

Denique, Ne te prætereat prædicta omnia, cum sint de solemnitate substantiæ actus, seu decreti, nisi ad vnguem serventur, nullam fore, & irritam reservationem. Sed adhuc

20. Inquires primo, Si Capitulum reservet aliquod peccatum, concedens illius absolutionem Prælatis localibus cum potestate, ut illam aliis delegare possent; poteritne deinde Generalis, vel Provincialis, sine consensu Capituli, à prædictis Prælatis illam tollere, vel limitare?

Respondeo. Non posse, quia hæc esset nova reservatio facta sine Capituli consensu. Ita docet ex Suario, De Lugo *l. c. num.* 43.

21. Inquires secundo, An per hoc Decretum, in quo conceditur Superioribus, posse reservare vndecim dictos casus, restricta iisdem sit potestas reservandi Censuras? Pontifex enim loquitur solum de casibus, déque his præcipit, ne sine Capitulo reserventur alii, præter dictos vndecim, de Censuris ne verbum quidem.

Respondeo, propter hanc rationem non fuisse in Censuris restrictam Superiorum potestatem, docuerunt Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p.* 29. *sect.* 3. *n.* 13. *& tom.* 3. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 17. Castrop. *de pœn. p.* 25. §. 1. *num.* 6. Pellizz. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 6.

Sed jam hodie communior Doctorum sententia est, fuisse restrictam, & ita declarasse Sacram Congregationem, testantur Diana, & De Lugo locis mox citandis. Merito sanè: quia secus excluderetur nimis clarè Decretum Pontificis: posset enim Superior sine Capitulo imponere Censuram, cuicunque casui, & deinde illam sibi reservare, quod esset, sibi reservare casum contra Pontificis Decretum. Lege Iuniper. qui rectè respondet rationibus Suarii.

Atque hanc posteriorem sententiam in praxi esse excipiendam, ipsemet Suarez loco citato fatetur, dum ibidem dicto *num.* 13. ait, *Quamquam melius censebimus id non facere, nisi speciali Capituli Consensu, ad omnem dubitationem tollendam.* Eamque absolutè amplectuntur, Th. Sanch. Coriolanus, Peyrinus, Magala, Molfes. Leo, aliique cum Junipero 1. *part. de casib. reserv. d.* 2. *quæst.* 3. *per totam*, & Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 3. adde & Averf. *quæst.* 17. *de pœnit. sect.* 2. & De Lugo *disp.* 20. *de pœnit. num.* 47.

Inquires Tertiò. Potestne Capitulum Generale, non

obstante dicto Decreto Clementis VIII. reservare omne peccatum mortale inobedientiæ contra Præceptum Obedientiæ à Prælatis impositum.

Respondeo. Concedit De Lug, *de pœn. disp. 15. num. 47.* Quia, inquit, quamvis reservatione hac facta, posset Prælatus prohibere sub præcepto Obedientiæ hoc, vel illud peccatum quodcunque, seu omnia peccata quę sibi vellet reservare, & sic sequerentur eadem inconvenientia, quæ dicta sunt sequi, si reservaret sibi Censuras; tamen id sequeretur, inquit, per accidens, & indirectè, quod non sum à Decreto Pontificio vetitum est.

Sed ego valde ambigo, an valide fieri id possit, quia sic manifestè eluderetur mens Pontificis nolentis tantam concedere potestatem Prælatis, sine speciali consensu Capituli circa hoc, vel illud peccatum reservandum, ut clarè colligitur ex verbis prædicti Decreti Clem. VIII. & notat idem ipse De Lug. *ibid. n. 46.* Quod si Congregatio modo allata solum declaravit de Censuris, certe idem declarasset, propter identitatem rationis, si de dicto præcepto tam vniversali Obedientiæ interrogata fuisset, vel illud in mentem ipsi venisset.

## SVPER ILLVD NVMERI QVINTI.

*Non liceat Superioribus subditorum Confessiones audire, nisi, vel reservatorum, vel sponte, aut proprio motu volentium.*

22. His cum plana sint, nihil occurrit superaddere, nisi forte advertere illud, *sponte*, quod non excludit inductionem alterius, & illud *proprio motu*, quod dictam inductionem excludit. Cum igitur Pontifex loquatur sub desiunctione, non fiet in rigore contra Decretum, si quis confiteatur Superiori inductus, seu motus ab ipso, vel ab alio, sed non coactus. Monet tamen jure Suarez *t. 4. de Relig. tract. 8. c. 15. num.* ... ne timor aliquis, vel nimia persuasio tollat spontaneam pœnitentis voluntatem.

## SVPER ILLVD NVMERI SEXTI.

*Superiores deputent duos, tres, aut plures Confessarios, doctos, prudentes, &c. pro subditorum numero majori, vel minori.*

23. Quinque hic se se mihi offerunt difficultates. Prima, an Religiosus indifferenter possit confiteri cum his pluribus constitutis Confessariis, modo vni, modo alteri, an potius, posito quod vnum elegerit, nequeat ad alium recurrere.

Respondeo. Hunc posteriorem modum docuit Suarez *l. cit. num. 7.* quem sequutus est Castrop. *de pœn. p. 15. §. 5. n. 7.* sed jam cum gravissimis Doctoribus, ut habet Iunipet. *p. 1. d. 6. q. 1. c. 1. num. 7.* & cum Quintanad. vel certus vel probabilior nobis est ille prior, & talis est praxis in Societate, quam tamen contrariam immerito dicit esse Iuniperus *de pœnit. sing. 19. num. 56.* ex Coriolano: sed fortasse, vel olim ante decretum Vrb. VIII. de quo Quintanad. *n. 7.* ita erat, vel in aliqua fortè Provincia. Ratio autem nostræ probabilioris sententiæ est, quia per posteriorem vix consuleretur facilitati pœnitentium quam intendit Pontifex. Merito ergo P. N. Generalis *In Respon. Gen. manuscriptis, V. absolutio à præsen. n. 3.* sic respondit Provinciali Flandriæ 16. Aug. 1625. Secundarius Confessarius, licet non deberet habere Iurisdictionem, nisi quando non potest haberi primarius, ad tollendos tamen scrupulos, intentio nostra est, ut vterque plenam Iurisdictione habeat, &c.

24. Secunda difficultas. An Superiores, dum jubentur Confessarios duos, tres, vel plures juxta numerum subditorum deputare, possint nihilominus excedere hunc numerum, ita ut legitimè valeant in Conventu paruo deputare tres, vel quatuor?

Respondeo, valere non est mihi dubium, quia ex vna parte Pontificis intentio fuit, ut daretur facilitas vtentibus, cui non obstat, imo favet major multitudo, & ex alia, Superior communicando uni, vel aliis suam potestatem, non privat se Iurisdictione, nec possit aliis eandem delegare. Delegabit autem, vel dabit directè Iurisdictionem dictis Sacerdotibus, vel privilegium suo subdito, ut eligat sibi confessarium quem velit ex illis.

25. Hinc insurgit tertia difficultas. An Superiores possit suam Iurisdictionem communicare præcedentibus numerum, ut ij superadditi absolutam permanentem habeant Iurisdictionem? Respondet Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. c. 15. fine*, (quem sequitur Iuniper. *de reserv. p. 1. d. 6. qust. 1. c. 1. num. 9.*) propositam ad negandum: licet enim possit Superior pro vno, seu ad aliquem actum deputare alios, non tamen permanenter, quia id esset contra regulatem obseruantiam, & contra dispositionem Pontificiam. Addit, Superiorem posse concedere subdito, ut is sibi eligat Confessarium, quem voluerit, & quotiescunque voluerit.

26. Mihi hæc doctrina sic absolutè prolata videtur scrupulosa, & fortasse falsa. Prius, quia nimirum non solido fundamento stringit Superiorum potestatem, & pœnitentium conscientias. Posterius, quia non video, vnde facultas, quam habent Superiores in genere delegandi suam Iurisdictionem Confessariis, restringatur. Pontifex enim in decreto hoc solum jubet, ut Superiores deputent duos vel tres, &c. non vero nisi ut modo dixi, ut non possint plures. Pari modo, cum de reservatis Casibus Pontifex agens, subdit, vt electis Confessariis deputatis detur à Superioribus potestas absolvendi ab illis, quando casus occurrit, non privativam clausulam ponit, ut omnino tunc committi talis potestas, non vero addit negativum, vt non possit alio modo vniversaliter committi, etiam antequam casus occurrat.

Melius igitur mihi arridet doctrina Quintanad. *in pœnit. sing. 10. num. 4.* qui agens de potestate concedendi circa absolutionem reservatorum, postquam probat Episcopos, & Prælatos Regularium posse eam generaliter concedere Confessoribus, ut absolvant, vel alium subdito, ut absolvatur, & postquam dixit, quod Episcopos expedire, ut in locis suæ Diœcesis assignet aliquos Confessarios pios, & Doctos, qui absolvere valeant à reservatis, immo, aliquando id esse necessarium in locis, vbi non est Bulla Cruciatæ, vel non adsint Religiosi privilegiati? qui possint à reservatis absolvere, hæc addit de Religiosis.

27. *Quod Religiosos non ita facilè hoc admittam, immo absolutè negarem expedire (nota, expedire, non autem non posse, vel esse contra dispositionem Pontificis) cum semper intra domum habeant Prælatum, vel habituri sint, si fortè mane, vel vespere absit, qui eam facultatem possit concedere, & strictius consulendum est profectioni Religiosi, quam Sæcularium disciplinæ; ut in aliquibus casibus existimarem, hanc generalem facultatem concedendam, nam*

28. *Primo, Poterit Superior Confessario ordinario concedere pro occasionibus in quibus superior, vel eius patus, vel ipsi eundum est extra Vrbem, & differri nequit Sacrificium, vel communio sine nota.*

29. *Secundo, In Conventibus paucorum Regularium impediet, vt Superior immediatus illam etiam concedat, si cum petitur, colligi possit quisnam sit is, pro quo petitur.*

30. *Tertio, etiam scrupuloso pœnitenti aliquoties concedi oportet generalem facultatem, ne scrupulis angatur, existimans se sine licentia absolvi non posse, quia falsò judicans se passim in reservata incidere.*

31. *Quarto, Pro aliquibus magnis festivitatibus vt ad quater in anno, etiam forsan concedenda foret, nisi in instructionem potius, quam in ædificationem vergere cognoceretur.*

Hæc Quitanadveñas. Ex quibus collige vniversalem regulam? Posse scilicet licentiam generalem concedi absolutis

absolutionem prædictorum Casuum reservatorum in Religione: imò, & aliorum Papalium, (pro quibus tamen Superior potestatem delegare valet) posset, inquam, quoties rationabilis causa adsit, per virum prudentem expendenda.

32. Quarta difficultas, quid significat illud *aut plures pro majori subditorum numero*. Duos enim sensus facere potest. Primum, ut in magno Monasterio sint plures, quam tres, nempè quatuor, sed ita, ut si adhuc notabiliter crescat subditorum numerus, non superaddatur quintus, sextus, & sic deinceps. Secundum, ut crescente numero subditorum, superaddatur tunc quintus, sextus, septimus, &c.

33. Hac in re memini, me legisse quemdam Doctorem, qui nunc in mentem non venit, docentem in quocunque numerosissimo Monasterio ad summum quatuor Confessarios deputari posse. Quint. *de pœn. sing.* 19. n. 6. contra ait: autumare Sapientes, non solum debere plures, & plures, deputari, sed ea proportione, vt pro singulis denariis Religiosorum, addatur vnus. Ex qua doctrina, ut vides, sequeretur in Monasterio centum Religiosorum, debere deputari decem Confessarios, & sic deinceps.

34. Certè neutra ex his sententiis placet: nam si maturo judicio verba Decreti expendantur, invenies, & excedi numerum quaternarium posse, & non oportere multiplicari ad proportionem dicti denarii, sed debere fieri, quod vtile, & bonum subditorum fore prudentia Superiorum judicaverit. Illud notat idem Quint. *loc. n.* 7. privilegium, quod in nostris ordinationibus refertur, per quod non obligetur Societas præter Confessarium ordinarium, multiplicare alios, sublatum fuisse ab Vrbano VIII.

35. Quinta difficultas. An in parvo Conventu sufficiat vnum Confessarium deputare? Respondeo. Suarez *tom. 4. de relig. lib. 2. tract. 8. lib. 2. cap. 15. num. 7.* Castrop. *de pœn. punct. 15 § 5. n. 7.* Iunip. *de casib. reserv. 1. part. d. 6. c. 1. n. 7.* aliique docent, si Conventus parvus sit, judicetur que sufficiens vnus Confessarius, vnum sufficere dicunt, afferuntque duas rationes. Primam; quia non videtur Pontifex obligare ad plures, nisi sub conditione, si vnus non judicetur sufficiens. Secundam, quia in Monasteriis Monialium vnus solet esse Confessarius quando ille vnus sufficiens existimatur, Ergo cur non idem dicendum sit de aliis Religiosis?

36. Mihi nullo modo hæc doctrina placere potest. Ratio ducitur à Decreto adeo disertè præcipiente pluralitatem. Hæc sunt ejus verba. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures:* Si ergo Pontifex jubet duos, cur restringis ad vnum?

Hinc respondeo ad primam rationem, negando Pontificem loqui sub conditione, & item negando esse præsumendum, ipsum velle aliter quàm nos docemus; vbi enim clara lex est, locum interpretatio nullo modo reperit.

Ad secundum aio, esse magnam disparitatem; nam Monialibus provisum fuit à Tridentino, vt ter in anno alius extraordinarius offeretur, quo remedio, quia carebant Religiosi, merito Clem. VIII. voluit saltem duos Confessarios in quacunque domo constitui, & ita; post hæc scripta, à me visus tenet Quint. *de pœn. sing.* 10. *n.* 6. contra Suarez.

## SVPER ILLVD EIVSDEM NVMERI QVINTI.

*Quibus Confessariis, etiam reservatorum Absolutio committatur, quando casus occurrerit.*

37. Si Petrus v.g. Religiosus, dicto reservato maculatus absolutionem petit ab aliquo ex Confessariis deputatis, huic Confessario debebit Superior concedere potestatem illum pœnitentem absolvendi, quando ipsemet Confessarius judicat, sibi illam esse committendam; tunc verò sic judicabit, quando nec damnum proximo, nec bono publico Religionis, nec ipsi pœnitenti ex ea absolutione timeri rationabiliter potest.

38. At vero si dictus Petrus absolutionem hanc petat ab alio Sacerdote, seu Confessario ex non deputatis, non obligabitur Superior illi committere dictam potestatem, quia Pontifex loquitur solum de deputatis.

39. Scio, esse consilium omnino sequendum, ut etiam tum ejusmodi Sacerdoti (nisi valde sit ineptus, timeatque rationabiliter malus eventus &c.) committatur, ne difficile sit remedium pœnitenti. Imò aliqui docent, debere saltem ex obligatione charitatis committi præsertim, si ejusmodi Sacerdos quamvis non deputatus, talis sit vt merito deputari possit.

Hæc sunt facilia. Sed quid si Superior, quamvis deputatus Confessarius judicet in Domino, sibi committendam esse potestatem absolvendi; ipse tamen Superior committere nolit? Id quod tyrannicum esse merito Suarez pronunciavit *apud Quintanaduenam loc. cit. sing.* 13.

40. Respondeo. Huic malo occurrit Decretum Vrbani VIII. volentis, ut tunc etiam repugnante Superiore, habeat Confessarius potestatem absolvendi. Vrbanus enim post confirmatum Decretum, de quo loquimur, Clementis VIII. sic voluit, ut adderetur, sicuti habes *in 4. tom. Bull. fol. mihi* 273. & refert idem Quinta. *de pœn. sing.* 11. *n.* 4:

*Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii, illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.*

41. Idem Auctor *loc. cit. num.* 6. cum aliis quibusdam putat, hanc facultatem etiam concedi Confessario docto & pio, qui est alias aptus, vt possit deputari Confessarius Regularium, quia inquit, sic præsumitur esse mens Pontificis: Id ego nequaquam admitto, quia cum agimus de Iurisdictione necessaria ad actum, non est satis qualiscumque interpretatio confessionis datæ. Neque dicas cum eodem tunc adesse licentiam Pontificis de præsenti, nec solum ratihabitionem de futuro, idque propter vitandum scandalum, & ne ipsius oves pereant. Ne hoc, inquam, dicas, nam sic recurris ad aliud caput universale de vitando scandalo, & de ratihabitione, id quod quantum se extendat alibi quæritur, nos autem nunc loquimur solum, spectato hoc Vrbani Decreto, quod cum clare loquantur de Confessariis deputatis, non video, qua ratione hic Auctor velit ad deputabiles extendere.

42. Quæres si idem dictus Petrus illa vice fuit sine consensu Superioris absolutus, modo dicto, à Confessario deputato, quia vsus est facultate sibi ab Vrbano concessa, si inquam, dictus Petrus iterum incideret in casum reservatum, posset ne absolui iterum à dicto, vel alio deputato Confessario, positis iisdem circunstantiis, ob quas fuit prima vice absolutus, idest quod prædictus Confessarius judicet prudenter, dandam esse licentiam quam tamen neget Superior.

43. Respondeo, posse docet Pelliz. *tr. 8. c. 2. n. 60.* adducens *Dianam, Alfonsum de Leone, Bordonum*, & merito, quia in Decreto nulla particula taxativa adest, restringens ad vnam tantum absolutionem. Et illud (illa vice) satis verificari potest si significet illam vicem, quando ea facultate vtitur. Cum igitur iterum casus idem occurrat, iterum dabitur eadem facultas absolvendi, si Superior modo dicto neget, atque ita, toties quoties.

## §. III. *De casibus Reservatis in Societate Iesu.*

1. QVoad alias Ordinum familias cognoscere quisque debebit suo Superiori reservatos casus, ego hic solum indicabo de mea. Societas ergo in Congregatione generali reservavit illos vndecim omnes reserva

reservabiles per Clementem VIII. & insuper sequentes decem superaddidit, ut habetur *In Ordinat. ejusdem Societatis cap. 5. de casib. reserv. ex Decr. Congr. Gener. 40. & 46. aliis 67. & 73.* qui sunt hujusmodi.

I. *Perjurium, & falsum testimonium in judicio, vel extra.*

II. *Furtum, & vsurpatio alicujus rei contra votum paupertatis, in ea quantitate quæ efficiat peccatum mortale.*

III. *Lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat.*

IV. *Inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere.*

V. *Seditio in Superiorem, & divisio à capite in grave nocumentum Societatis.*

VI. *Detractio famæ, bonaque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres.*

VII. *Impedimentum, excludens à Societate, reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse; unde esse grave aliquod incommodum oriri possit.*

VIII. *Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, quæ scilicet acceptio, vel missio contineat rationem peccati mortalis.*

IX. *Transgressio votorum simplicium, quæ Professi emittunt post professionem.*

X. *Censuræ Societatis nostræ, seu peccata quæ in nostris Constitutionibus, Bullis, vel Decretis adnexam habent excommunicationem.*

XI. *Hæc omnia, cum manifestè erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reservantur Superiori domus, vel Collegii, & ab alio, nisi de expressa licentia illius, absolvi non possunt.*

XII. Addit præterea *num.* 7. dicta Ordinatio nostra in hunc modum. *Ad extremum, ut omnes eximantur scrupuli, cum Confessarius, bona fide dubitans, an mortale sit quod proponitur ab eo, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet ejusmodi dubitatio ex ignorantia procedat, sed neque postea si manifestè adverterit, manifestè fuisse mortale, repetenda erit Confessio, bona siquidem, & vera fuit Absolutio.* Hactenus Ordinatio.

Si autem dubitetur. An peccatum sit reservatum, necne, idem dici debere. Ego vniversaliter docui *in Opusc. Meth. Conf. c. 1. §. 4. n. 27.* & probat rectè De Lugo *de pœn. d. 28. num. 22.*

Iam vero pro horum decem casuum explicatione, in brevem summam prius redigam, quæ super illos habet Castrop. *de pœnit. part. 15. §. 3.* mox de penu meo pauca depromam.

## I. *Perjurium, & falsum Testimonium in judicio, vel extra.*

13. Duo peccata reservantur separatim non vnitim, hoc est; Primò, Periurium mortale quodcunque, factum sive in judicio, quod fieri solet ab Actore, Reo, Teste, sive extra illud, quod vsurpari consuevit in contractibus, ac politicis conversationibus. Secundò, falsum testimonium, quo proximum graviter lædas; etiamsi juratum non sit, nam quando est juratum, includitur in casu priore, hoc est in periurio.

## II. *Furtum, & vsurpatio alicujus rei contra Votum paupertatis, in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale.*

14. Furtum, & vsurpatio; vtique gravia, ex rebus Monasterii sunt reservata superius, ex Clemente VIII. Hic autem in Societate superadditur, *ex bonis cuiuscunque personæ*: hoc enim significat illud absolutè dictum *Alicujus rei*. Quæ autem sit ejusmodi quantitas *lib. 8. in Decal. tract. 2. c. 4.* dictum est.

## III. *Lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra Votum Castitatis, quod in actum externum prodeat.*

15. Reservatur in Societate, non solum lapsus carnis perfectus, seu consummatus in sua specie, v. g. Fornicatio, Adulterium, &c. Verum etiam non consummatus dummodo prodeat in actum externum, & sit per se contrarius Castitati graviter contrarius.

16. Dixi, *per se*, nam si actus externus sit contrarius Castitati ex intentione agentis; vel sit venialis, sed ex tua intentione interna, mortalis, sic communiter dicitur de visione curiosa fœminæ, de tactu manus & similibus, licet ex tua interna intentione mala mortaliter, tamen non erunt casus reservati, quia ea malitia, quatenus est mortalis, non prodit exteriorem actum; at erunt reservati si in eo vitio tactu tuam pravam voluntatem Fœminæ indicarent, tunc sunt quædam sollicitatio, atque adeo externe graviter mala. Vide *mox à n.* 49. & quoad dictam affinitatem, vide, quæ ego *superius c. 4. n. 14.* & 15 annotavi. De Lugo.

## IV. *Inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere.*

17. Hic reservatur inobedientia formalis, quæ sonat ex contemptu præcepti, vel præcipientis oriunda: hæc generis enim est illa, qua, quis asserit *se nolle parere*. cæterum inobedientia materialis adest in violatione cujuscunque præcepti.

18. Quoniam autem debet esse mortalis, dubitatur, est, an qui non vult, Superiori obedire in levi materia incidat in casum reservatum; & incidere dicendum est, quia si id, nihil aliud addendo, externe significes, dicitas, te paratum non esse Superiori obedire etiam in gravi, quod est graviter contemnere. Non sic, si exprimas esse paratum obedire in gravi materia, sed nunc tu non obedire, quia nunc res præcepta levis est, non inquam sic: nam tunc non graviter, sed leviter tantummodo est in materia levi, obedire recusas.

19. Quid si nolis obedire in hac re levi, quia Superior est indoctus, vel imprudens? Respondeo, Lessius putat non esse mortale, atque adeo nec reservatum; at Castropalaus *l. c.* hoc dictum Lessij approbat, si id non declares nec aliis, nec Superiori, at si declaret, (etiam cum reflectione ad levem materiam) erit inquit mortale, & reservatum, quia est gravis Superioris contemptus, & ipsius muneris non mediocris injuria. Vide quæ in hoc argumentum affero *n.* 30.

## V. *Seditio in Superiorem, & Divisio à capite in grave nocumentum Societatis.*

20. Seditionem hanc committis, si animos fratrum commoveas, ne illum, ut Superiorem recognoscant, ne illius iussis obtemperent; è capite autem te dividis, si ab obediendo Generali te subtrahas, quæ, cum hæc sint in grave detrimentum Religionis, non videntur habere levem materiam.

## VI. *Detractio Famæ, bonaque æstimationis aliorum, & Discordiarum seminatio inter Fratres.*

21. Reservatur hic Primò, alterius famæ gravis denigratio. Quoniam vero differt detractio, de qua hic est sermo, quæque ea est, quæ fit in absentia infamia, a Contumelia, quæ fit in præsentia, ideo putat merito Castropalaus, Contumeliam non esse peccatum reservatum, quæ, quia difficilius committitur, judicata fuit reservatione non indigere.

22. Secundo, reservatur Discordiarum seminatio, quæ est, quando tuis verbis, vel factis dissentiones rerum Fratrum voluntates, sanè in materia gravi. Nomine autem Fratrum intelligit Castropalaus Christianos omnes. Lege quæ dicam *n. 28. & n. 50.*

VII. *Impedimentum excludens è Societate tacuisse in Examine (quæ scilicet solet fieri de ingressuro in Societatem) vel in eo mentitum esse, undè grave incommodum oriri possit.*

23. Illud (*Impedimentum excludens*) notat impedimenta essentialia, illud (*vel in eo mentitum esse*) notat, & impedimenta essentialia, & secundaria. Quæ autem hæc sint latè prosequitur alibi Castrop. *t.3.d.1.de Relig. statu part.8.* & breviter, essentialia sunt quinque: Primo, recessisse ab Ecclesia, fidem abnegando, vel in errorem contra fidem incurrendo, &c. Secundo. Homicidium perpetrasse. Tertiò, Habitum alicujus Religionis sumpsisse. Quarto, Vinculo matrimonii consummati, vel servitutis obstrictum esse. Quinto, Infirmitatem pati, unde obsisteretur Iudicium, vel ad id dispositionem notabilem habere. Secundaria sunt duo: Primo, ex infecto sanguine Iudæorum, & Saracenorum procedere. Secundo, Majoratum habere in Hispania, nisi habita facultate à P. Generali.

VIII. *Acceptio seu Missio litterarum absque licentia, expressa, quæ scilicet acceptio, seu Missio contineant rationem peccati mortalis.*

24. Si litteræ in se contineant rationem peccati mort. sed superior det licentiam illas mittendi, erit ne tunc casus reservatus. Erit (respondet Castrop.) quia licentia est invalida, cum non possit Superior concedere missionem mortaliter peccaminosam, unde ejusmodi missio tunc remanebit sine licentia. Addit, si tamen litteræ non contineant in se rationem peccati, sed solum extrinsecè sit gravis prohibitio v. g. ne eæ mittantur sine licentia, tunc per licentiam purgari missionem ab omni labe, & propterea tunc non fore reservatam. Verum vide *num.29.*

IX. *Transgressio votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionem.*

25. Circa id nihil notandum hoc in loco occurrit Castropalao; ipse tamen alibi latè ejusmodi vota explicat. Sunt autem sex. Primo votum obedientiæ Summo Pontifici, in missionibus peragendis, ad animarum salutem: at quia hoc est votum solemne quartum Professorum, ut ibidem etiam advertit Castr. *t.3. de stat. Relig. d.5. par.2. & deinceps*, mihi videtur ejus transgressio hic non comprehendi, ubi solum est locutio de transgressionibus votorum simplicium. Secundo, votum paupertatis non relaxandæ. Tertio, non ambiendi Prælationem intra Societatem. Quarto, non ambiendi ullam prælationem extra Societatem, illámque non acceptandi, nisi fortè in casu, quo sit coactus obedientia ejus, qui potest præcipere sub pœna peccati. Quinto, votum manifestandi hos sive intra, sive extra Societatem ambientes, ipsi Societati, vel ejus Præposito. Sexto, votum non detrectandi consilia Præpositi Generalis, vel ab eo substituti, eáque sequendi, si Deo grata judicaverit, si quando in Prælatum quis assumatur. Castropalaus de hoc vltimo nihil advertit. Adverterem ego, hujus voti transgressionem, hic locum non habere, ut etiam transgressionem ambientis, quando ea juxta Vrbani VIII. constitutionem committeretur ab illo, qui in aliam Religionem, etiam legitimè migraverit. Tunc enim sic transgressores peccabunt quidem contra votum, sed pēccatum non fore reservatum puto, quia prædicta reservatio facta est pro subditis Societatis, quales jam hi non esse supponuntur.

X. *Censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in nostris Constitutionibus, Bullis, seu Decretis annexam habent excommunicationem.*

26. Notanter additur (seu peccata) nam non solum ipsæ censuræ, verùm etiam peccata, quibus illæ sunt annexæ, per se, & directè reservantur.

27. Quæ autem sint hæ habes apud Castrop. hîc; & quoad nostra Decreta habes *in Catalogo nostrarum Censurarum, & præceptorum, &c.*

Hæc ex citato Auctore, quibus juvat addere quæ sequuntur.

*Discutiuntur tria ex prædictis.*

I. *Discordiarum disseminatio inter fratres.*
II. *Missio litterarum.*
III. *Inobedientia in re levi ex motivo Imprudentiæ Superioris.*

28. In doctrina hactenus rescripta ex Castrop. tria videntur difficilia. Primum esse in Societate reservatam dissēminationem discordiarum inter sæculares, vel alios Religiosos, de qua dictum est *num.22.* Nam quando Spiritus Sanctus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias, quem textum inducit Castropalaus, fatebitur quis intelligi, Christianos omnes; at cum nostra lex loquatur cum nostris, dicere quis posset, nomine Fratrum nostros dumtaxat intelligi, non externos. Ita videtur primo aspectu, sed tamen standum est responso quod habebis *mox n.60.*

29. Deinde mihi difficile fit, id, de quo *n.24.* dictum est, nimirum esse reservatā remissionem litterarum graviter peccaminosam, si fiat cum licentia Superioris profectò licentia Superioris, quamvis illicitè data, adhuc licentia est verè qui mittit litteras eas peccaminosas cum prædicta illicita licentia non potest, morali, & communi saltem loquendi modo, dici, mittere sine licentia. Si Superior concedat tibi licentiam dandi vile aliquod pretium, paucos v.g. Iulios meretrici, peccabis quidem & tu, & Superior, at ex probabili sententia, non contra paupertatem, quia non sine licentia pecuniam illam expendis. Adde, reservationem esse odiosam, atque adeo potius restringendam, quam extendendam.

30. Tertio denique non video, cur Lessii sententia allata *n.29.* quæ docet dicentem, se nolle obedire in re levi, addentémque expressè rationem, quia Superior est imprudens, non peccare peccato hic reservato, non video, inquam, cur reiiciatur sententia hæc à Castropalao. Respondet Castropalaus, quia est contemptus Superioris, ejúsque muneris.

31. Verum hoc negari potest, nos enim contendimus, tunc non esse contemptum Superioris, sed ut hominis indocti, atque adeo nec muneris. Patet, quia si subditus, se declarer, id ab ipso fieri, id est, se non obedire, quia res est levis, clarè significat, se idem non facturū, id est se obediturum in re gravi, ut in simili paulo ante dixerat Castropalaus, ergo clarè, nec Superiorem, ut Superiorem graviter contemnit, nec ejus munus. Vide quæ de ejusmodi contemptu ego *lib.1. in Decal. c.1. §.4. an.6.* dixi. Vide item paulo post *n.55.* ubi P.N. Generalis, dum pronunciat dicentem in materia levi (*Nolo parere*) incidere in reservatum, non loquitur, de hoc nostro casu, sed de alio, in quo non fiat prædicta expressio, seu declaratio.

*Explicatur magis ac magis quæ Inobedientia reservatur.*

32. Si Superior tibi aliquid in virtute S. Obedientiæ legitimè imponat, tu vero dicas, *Nolo parere*, certum est, te peccare atque incidere in casum reservatum, quia peccas contra præceptum, idque illis verbis exprimis. At si idem tibi aliquid imponat sine ejusmodi obligatione præcepti, tu vero expressè dicas *Nolo parere*, dubitari posset an pecces, incurrásque in reservatum, & ratio dubitandi esset, quia contra nullum præceptum Obedientiæ tunc operareris.

33. Nihilominus omnes nostri Doctores passim docent, te regulariter peccare, quia, ut est apud omnes certum non solum peccatur peccato Inobedientiæ, quando quis transgreditur præceptum Superioris prædicto modo latum, verum etiam quando quis graviter contemnit

ipsum

ipsum Superiorem,vt Superior est,vel ipsius munus,vel etiam ipsam rem præceptam,ut relevatam ad præcipientem. Cum igitur (*Nolo parere*)etiam abstrahendo à præcepto late in virtute Sanctæ Obedientiæ, sit regulariter magnus contemptus, non est mirum, si asserat culpam mortalem,adeóque hic reservatam.

34. Dixi(*regulariter*)nam si dictum illud (*Nolo parere*) sit in iis circumstantiis,in quibus non appareat externè gravis cõtemptus (quod licet raro,interdum tamen euenire posset,) non possumus negare, tunc,nec mortaliter peccari,nec incurri in reservationem,ut tandem insinuat De Lugo,*de pœn.d.*20.*à n.*48.*& in Resp.mor.sect.*4.*d.*22.

35. Sed adhuc quæres Primo, Si peccatum est inobedientiæ,non observare, seu non exequi,quod tibi iniunctum est in virtute Sanctæ Obedientiæ, estne etiam reservatum.

36. Respondeo, In nostra Societate non est reservatum,quia in nostro jure vniversaliter non reservatur,nisi illa inobedientia expressa qua quis dicit, nolle parere. Verum reservari specialiter inobedientiam, cui annexa sit Censura nostrarum Constitutionum, vel decretorum (nam minimè ex vi juris nostri, si Censura aliunde procedat) dixi *n.*27.

37. Quæres secundo. Si quis Superiori non jubenti in virtute Obedientiæ dicat similia verba, sed non eadem illa(*Nolo parere*)incidetne in reservatum;dicat v.g. Non possum facere, vel vadat V.R.& hoc aliis imperet, sum occupatus,ne me V.R.conturbet. Superiorem V.R. in hoc non agnosco, &c.

38. Respondeo,De Lugo *lib.*4.*Resp.moral.d.*22.*citato*, hæc latè prosequitur:& denique distinguit,si ex circumstantiis hæc verba eundem sensum faciant,quem regulariter faciunt illa (*Nolo parere*) cum par sit Superioris contemptus, efficient peccatum mortale,& reservatum, si vero dicantur in circumstantia,& in modo,quæ vsque ad veniale mitigent contemptum, sanè non efficient. Si tamen dicat quis *nolo facere*, videtur,ait De Lugo,idem esse, ac si dicat *nolo parere* : siquidem, *nolle parere* nihil aliud est, nisi *nolle facere*, *seu exequi*, *quod imponitur*. Hoc postremum dictum ego confirmo ex Responsis mox afferendis *num.*53. 55. & 56. vbi contemptus fundatur in illo tantum (*Nolo*) quod jam invenitur in illo (*Nolo facere*) Vide etiam *n.* 57. vbi subditus excusatur ab incursu in reservationem,si respondeat,se non facturum ; Cujus certè excusationis ratio hæc videtur esse, quia, sic non respondet (*Nolo.*)

39. Audivi, quendam asserentem, solum reservari, quando præcisè, & signate dicuntur hæc verba : *Nolo parere*, vel *Nolo obedire* (idem enim hæc sonant) non vero, quando dicuntur verba quomodocunque æquivalentia, quamvis in circumstantiis,in quibus significetur idem,vel etiam major,& quidem peccaminosus contemptus,quia lex reservationis (aiebat) quæ est odiosa,vnde non extendenda ad similia, solum prædicta verba habet. Sed profectò hic nimis ad litteram( littera autem occidit ) videtur esse locutus.

40. Quæres tertio nomine Superioris, venitne in hac reservatione Minister?Respondeo.Venire maximè,& ita expressè statuunt nostra Decreta *Congr.Gen.*7. *Decr.* 45. atque id, etiam respectu Professorum : voluit enim Societas, ut in hoc Minister esset veluti persona Rectoris ; non venire autem Subministrum ne respectu quidem Fratrum Coadjutorum notabitur *infra n.*58.

41. Quæres quarto. Si quis internuntio,quo Superior aliquid ( sive obligatione præcepti ) jnbet,dicat,absente dicto Superiore, Nolo parere.committeretne peccatum reservatum ?

42. Respondeo. Si dicat internuntio, ut amico,non committet,quia non apparet tunc contemptus vllus Superioris. Multo minus si secum ipse solus mente, vel etiam ore nullis audientibus dicat. *Nolo facere*, *Nolo parere*. At si dicat internuntio,ut internuntio,seu ut loquenti vice Superioris,De Lugo *dub.*22. distinguit, dosétque regulariter esse reservatum,quia sic utplurimum est gravis contemptus Superioris, aliquando tamen esse,quia aliquid contra Superiorem dicere,ipso diminuit de contemptu,sicuti dimsuitur iniuria, detrahens facit alteri absenti,cum,contra,audienti contumeliam irrogetur præsenti.

43.Ego verò potius regulam in contrarium confirmarem ; ut regulariter non sit reservatum, quia frequentissimè absentia Superioris mirum quantum diminuit contemptum, esto aliquando, tantus esse possit ex circumstantiis,& modo loquendi contemptus,ut censendus omnino gravis.

44. Hactenus à me allata ita Societatis, vel Reverendi Generalis iudicio submissa volo, ut liberè ipse examinet, expungant,inverso stylo omnino deleant.

Sed pro coronide subscribamus, hic denique tres Casulas in manuscripto quod apud me habeo, Reservatos Peritorum instituti nostræ Societatis pertinentes ad casus reservatos, hoc enim pacto non parum illustrabitur multa,quæ in præcedentibus dicta sunt.

## CASVS RESERVATI IN GENERE.

45. *Casus,cuius signa externa,ita sunt indifferentia, vt possint in bonam, & in malam partem accipi, non est reservatus.*

46. *Merè scrupulosis ad tollendos scrupulos, si tamen potest facultas generalis concedi, ut à certo aliquo perpetuo absolvantur. Nam casus dubii,vel qui scrupulosi tales videntur, non reservantur.*

## CASVS RESERVATI IN PARTICVLARI.

### Contra Paupertatem.

47.*Eam,qui tantum foris prandium sumeret sine vno Superioris sui pœnæ sine dubio non subiicerem,ita vt absolutionis non obligarem.*

### Contra Castitatem.

48. *Vt peccatum contra votum Castitatis censeatur prodire in actum externum,ut sit reservatum,necesse est illum actum esse, qui ex se non sit indifferens, qui scilicet bonam,& malam partem accipi possit:sit actus qui debet habere malitiam exteriorem, qua sit index interna malæ voluntatis.*

49.*Non videtur casus reservatus si quis ex consuetudinus alterius, qui ex se turpis non est, percat mortaliter in delectatione morosa,modo illa delectatio non prodeat in actum exteriorem : sin verò ex illo contactu, vel solo aspectu sequatur voluntaria pollutio,si casu reservatur vnius pollutionis quæ est peccatum contra Castitatem in actu externũ prodiens,non ratione illius aspectus,aut contactus. Quidquid in oppositum dicat non nemo apud Dian.p.*tract.4.resol.61.*qui citat Suarium pro nostra Decisione.*

50. *Hinc etiam non censetur reservatus aspectus,qui animo libidinosa factus,nisi talis sit, qui, spectatis omnibus circumstantiis,non sit indifferens amplius.*

51. *Aspectus, Locutio, Lectio cum delectatione inordinata mortaliter, tunc solum censentur reservata, quando actus externa ex se indicat malitiam actus interni, nec manet amplius, ut, tam in bonam, quam in malam partem accipi possit.Quando verò actio externa in individuo sit talis, vel non sit,spectat ad Theologos iudicare.*

### Contra Obedientiam.

52.*Casus reservatus est deliberata inobedientia expressis verbis* ( Nolo facere )

53. *Tametsi Constitutiones, & Regula non obligent sub mortali, nisi adsit Præceptum, est tamen casus reservatus, inobedientiæ, si quis dicat Ministro* ( Nolo facere ) *vbi nullum sit præceptum ; eo, quod ex vi voti, ac obedientiæ, obligamur, etiam secluso præcepto,ne Superiorem, vel Obedientiam contemnamus, quod in proposito accidit, Et hoc Minister*

*Minister non possit imperare in virtute Obedientiæ, tamen contemptus Superioris est grave peccatum quod involuitur in verbo* (Nolo)

54. *Et complectitur etiam Sacerdotes, licet Decretum quarum Congreg. septimæ tantum meminerit fratrum, & c.2. Ord. Gen. tantum Coadiutorum.*

55. *Casus reservatus est dicere*, Nolo facere, *etiam in materia levi.* (Vide supra num. 31.) *quia hic peccatum attenditur, non tam ex gravitate materiæ quam ex contemptu qui involuitur in verbo*, Nolo.

56. *Qui Rectori, seu Regenti Convictorii, aut Residentiæ Superiori respondet*, Nolo, *incurrit in casum reservatum.*

57. *Quamvis graviter peccet, qui jubenti Superiori dicit se non facturum, non videtur tamen incidere in casum reservatum, cum non clarè dicat* (Nolo parere) *qui solus intelligitur expresè reservatus. c.2. Ord. Gen. §. 18.*

58. *Qui noluit parere Subministro, non incidit in casum reservatum, licet sit superior fratrum.*

Detractio.

59. *In sexto casu, ubi reservatur Detractio famæ, bonæque existimationis aliorum, verbum hoc* (aliorum) *complectitur, tam nostros, quàm alios quoscunque.*

60. *Detractio gravis famæ etiam externorum, est casus reservatus.*

61. *Cessavit jam declaratio illa R. P. Claudii, de casu murmurationis reservato in dubio, atque adeo idem judicandum est deinceps de ejusmodi, quod de aliis communiter reservatis.*

Occultatio impedimenti.

62. *Casus reservatus est, si Candidatus in examine reticeat ejusmodi habitus pravos suos, ex quorum reticentia grave incommodum oriri possit Societati, sic enim locus examinis, C.B.litt.A. videtur explicandus, c.3.* Ord. Gen. casu 7.

Apertio litterarum.

63. *Apertio litterarum ad suum Superiorem scriptarum tunc erit casus reservatus, quando apertio illarum erit peccatum mortale, nam pendet à circumstantiis.*

Falsificatio Sigilli.

64. *Nomine Officialium, per quorum Sigilli falsificationem incurritur casus reservatus ex Decret. Clem. VIII. intelligitur etiam qui ratione Officij habent proprium Sigillum in Ordine, ut præter Superiores Societatis, sunt Assistentes, Secret. Provinc. Gen. Admonitor.*

Machinatio in Superiores, & Seminatio discordiarum.

65. *Prohibetur docere a nostris hæc propositio*; In ordinat. pro stud. super juribus propos. 21. *Nonnulla peccata quæ reservantur in Societate, ut Machinatio in Superiores, seminatio discordiarum, & similia, licet attingant gravitatem peccati mortalis, non sunt reservata, nisi sequatur effectus.*

---

# CAPVT VIII.

## De Absolutione à reservatis ex Iure Ordinario.

1. NOnnulla per occasionem de hac Absolutione retigimus in Superioribus, nunc in proprio loco plura sunt superaddenda. Cum autem ea possit impendi iure Ordinario, id est ab habente ordinariam potestatem absolvendi reservata, jure delegato, id est ab habente delegatam: in hoc capite de illa, deinde in sequentibus Capitibus de hac breviter disseremus.

### §. I. *Quis possit absolvere à peccatis, vel ab excommunicationibus reservatis Iure Ordinario.*

1. POtest Primo is, qui reservavit, seu is, cui facta est reservatio, v.g. Capitulum Generale reservat peccata Provinciali, vel Superiori locali; tunc Provincialis, vel Superior localis pro tempore existentes, seu successores in officio, possunt jure suo directè absolvere. Item Episcopus reservat aliqua peccata; poterit ergo Episcopus ipse, ut item successor in Episcopatu, ea directè jure suo absolvere.

2. Potest secundo, Superior horum, Quare in Religionibus poterit Generalis, & Provincialis absolvere casus reservatos Superiori locali, sicuti à casibus in aliqua Diœcesi reservatis Episcopo, potest tum Papa absolvere, tum Legatus à latere ejus Provinciæ, ut notat Gavantus, *in suo manuali v. Legatus*, & Aversa *q.17. de pœn. sect. 4.* Limitat tamen ibidem Gavantus, ne Legatus possit absolvere à Censuris per sententiam latis.

3. Potest tertio, Inferior, cujus dignitati Superior perpetuo concessit, ut possit absolvere à reservatis. Ejusmodi est Episcopus, cujus dignitati concessit Tridentinum, ut is absolvere possit ab omnibus Pontificiis casibus occultis, de qua re infra: tunc enim Episcopus jure Ordinario absolvit. Ejusmodi etiam sunt Prælati Regularium, quorum officio Pontifex Summus concessit potestatem absolvendi suos subditos à casibus Pontificiis, modo superius indicato.

De Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis breviter, & absolutè negat ei, sive ex iure, sive ex consuetudine, concessum esse, posse absolvere à reservatis sine sui Episcopi speciali commissione: quod latè contra nonnullos prosequitur Diana *p.9.tr.8.res.11.& 12.*

4. De Vicariis Episcoporum dicam *mox cap.10.§.unico, num.9.* De Vicariis autem Prælatorum Regularium, an scilicet Superiores, an Ministri, an cæteri similes, vel Vicepriores, Vicerectores, &c. saltem, quando adest horum Superior hac eadem potestate ordinaria gaudeant; pendet ex cognitione potestatis quam prædictis conceditur in Religione quaque sua. Lege Quintanadu. *tr.de pœn.sing.13.a n.2.* Pellizz. *tr.8. c.2.a n.519.* De Lugo *de pœn.d sp.19.n.16.* Iuniper. *de casibus reserv.p.1, disp.8.q.2. c.2.al. ósque.*

5. Profecto in mea, Ministro nulla conceditur, in hoc; potestas, ut in sequentibus Responsis dixerunt Peritiores Instituti Soc. Iesu supra citati; *In manuscripto*, quod apud me habeo.

I. *Absente Rectore non habet Minister facultatem absolvendi à reservatis, nisi ei specialiter concessum sit: quod non expedit fieri, maximè si ad paucos dies dumtaxat absit: potest enim quis confiteri Ordinario cum onere se sistendi Superiori.* Quomodo id intelligatur vide omnino *infra c.12.§.3.n. præsertim 11.*

II. *Minister non potest, absente Rectore, dare facultatem absolvendi à reservatis, nisi hoc etiam, præter curam domus quam ipsi concedit, officium, specialiter commissum sit à Rectore abituro.*

III. *Minister non potest deputare Confessarium; nec dare facultatem absolvendi à reservatis, nec & ipse absolvere.*

IV. *Si tamen relinquatur cum titulo, ac potestate Rectoris, videtur habere istam potestatem.*

V. *Denique Præfatio Compendii Privilegiorum loquitur de Vicerectoribus Ordinariis* (*non de Ministro ad breve tempus pro Rectore electo*) *qui administrant cum plena potestate, & sunt veri superiores.*

6. Verum ad ea, à quibus discesseramus, redeamus. Quod diximus de peccatis, dic proportionaliter de Excommunicatione reservata: ea enim per se loquendo, & communiter ex iure Ordinario, de quo loquimur potest, Primò, absolvi ab ipso reservante, seu ab ejus successore in officio, & abeo, cui excommunicatio reservatur. Secundo, à Superiore illorum. Tertio à Delegato perpetuo, &c.

7. Dixi autem (*per se loquendo*) nam per accidens, ratione necessitatis urgentis, possunt, & alii, sed hæc potestas potius est ex iure Delegationis, quam ex Iure Ordinario, ut videbimus latè inferius, *c.12.§.3.*

8. Dixi item (*communiter*) nam quamvis ipse reservans possit ab excommunicatione, sibi reservata communiter suum subditum absolvere, excipiuntur tamen

men quatuor casus. Ita Coninch. *disp.* 14. *de excom. n.* 656. Primus, quando quis fuit excommunicatus per Delegatum Pontificis ad certam causam finiendam, si non vult parere ejus sententiæ definitivæ, & per annum in contumacia perseveret: tunc enim non potest ipsemet, qui excommunicavit, sed solus Summus Pontifex: ita habetur *C. quærenti de off. Deleg.* Secundus, quando excommunicatio lata ab inferiore confirmatur à Superiore ex perfecta cognitione causæ, & ex certa scientia, tunc enim excommunicatio evadit reservata ipsi Superiori: ita Coninc. *d.* 14. *de excom. n.* 656. Tertius, quando Episcopus aliquem excommunicat, reservatque ejus excommunicationis absolutionem, non sibi, sed Papæ, tunc enim solus Summus Pontifex absolvet. Ita Campanii *in diversor. Iur. rubr.* 11. *c.* 15. *n.* 132. cui adde Donat. de Marinis *l.* 9. *controv.* 17. licet hunc tertium casum neget Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 158. dicens, adhuc posse per legitimam appellationem, Metropolitanum. Quartus, quando incendiarii sunt nominatim excommunicati, & denuntiati, tunc enim ex *c. Tuanos* de sententia excommunicationis, à solo Summo Pontifice possunt absolvi.

9. Prædicta potestas, qua quis gaudet iure Ordinario, duos effectus parit in illam habente. Primus est, ut possit eam aliis delegare, id est habens iurisdictionem Ordinariam, potest eam aliis exercendam committere; Nam propterea rectè Barbosa *de potest. Episc. p.* 1. *t.* 4. *num.* 48. ex Suario, aliisque, notat, Archiepiscopum, dum ipse actu visitat Diœcesim sui suffraganei, sicuti potest absolvere subditos prædicti suffraganei per se, ita etiam posse pro illo tempore per alios, quia tunc vtitur iurisdictione ordinaria. Atque hoc, quod dicimus, in hac materia, de qua agimus verum est, etiamsi ejusmodi Ordinarius Sacerdos non sit? ut usu venire solet, quando Prælatus non est Sacerdos: Is enim, licet non possit per se absolvere, potest tamen illam potestatem Sacerdoti committere.

10. Secundus est ut inferior præsente Superiore, v.g. Provincialis præsente Generali, & localis, præsente Provinciali, possit liberè uti tota potestate, quam iure Ordinario habet: siquidem cum uterque sit Ordinarius independenter unus ab altero, suam quisque exercere iurisdictionem potest, sive alteri, ut modo diximus, suam potestatem conferendo.

### §. II. *An Ordinarii Prælati obligentur, ejusmodi potestatem reservatam absolvendi, alteri delegare.*

1. HÆc eadem est quæstio, atque illa, An Superior, Episcopus v. g vel Prælatus Regularis, in casu occurrenti teneatur dare licentiam idoneo Confessario petenti authoritatem absolvendi ejus subditum nolentem accedere immediatè ad Superiorem. Dico (*in casu occurrenti*) nam, an obligetur, antequam fiat petitio, constituere Confessarium, qui possit universaliter absolvere reservata, non multo ante dictum est *cap.* 7. §. 2. *à num.* 26.

2. Ad propositam autem quæstionem ex communi sententia universaliter idem dicendum est, quod de Prælatis Regularibus specialiter nuper indicavimus, *cap.* 7. §. 2. *à num.* 37. Id est, quando ex licentia non timetur rationabiliter damnum pœnitentis, qui, ob facilitatem Absolutionis, non emendabitur, nec timetur damnum boni publici, vel tertii, ut esset gravis infamia communitatis, vel facilitas peccandi in aliis, qui casuum reservatorum legem non curarent, si hæc, inquam, non timentur, Superior licentiam denegare non debebit, ac denegando mortaliter peccaret: multo magis, si Confessarius testetur pœnitentem esse in periculo omittendi omnino Confessionem. Ita Quintanadu. *de pœn. sing.* 13. *n.* 5. lege item Castrop. *de pœn. p.* 15. §. 5. *num.* 5. Quando vero aliquod ex his malis timetur (quod timeri posse ratissimum esse notant passim Doctores, quia hic agimus in foro conscientiæ de peccatore, verè, ut supponitur, pœnitente) denegabit licentiam sine peccato. Sed addo, etiam in hoc casu, regulariter meliùs fore licentiam concedat, injungendo aliquam obligationem hujus, vel illius remedii, quo obviari probabiliter possit damno, quod timetur, itemque possint occasiones removeri.

3. Quod si dubium sit, an prædicta pericula adsint, decet omninò licentiam concedere Superior, quia necessitas pœnitentis potiendi se in statu gratiæ est atque adeo prævalere debet prædicto dubio periculi.

4. Quando Superior Regularis irrationabiliter negat licentiam pro suo subdito deneget, quæritur, an Confessarius pro illa vice adhuc possit pœnitentem absolvere, dictum est *supra c.* 7. §. 2. *à n.* 40. Quod certe non convenio de Superioribus non Regularibus.

5. Illud autem hîc est maximè inculcandum Superioribus, quibuscunque, ne quando ab ipsis postulata licentia interrogationes illas superaddant, quas petant à Confessario, an peccatum pœnitentis in aliis rationis, an in talibus circumstantiis, an commissum à Laico, an Sacerdote, an cum complice, vel sine, &c. hæc enim ob periculum prodendi pœnitentem neque ipse exposcere, nec licitè explicare Confessarius potest. Legatur Quintanadu. *de pœn. sing.* 12. *num.* 7. *sing.* 13. *num.* 7.

6. Denique scisciitabatur à me Confessarius Orientalis, an ipse obligetur sumere onus pœnitentis adeundi Superiorem, ut impetret facultatem absolvendi illum pœnitentem à peccato reservato? Respondeo, Hac re nos satis egisse *lib.* 3. *Methodi Confessionis, cap.* 3. *num. præs.* 17.

## CAPVT IX.

### *Agimus in universum de Absolutione à reservatis, jure Delegationis.*

### §. I. *Quis possit iure Delegationis absolvere à reservatis.*

1. VNo verbo, is potest, qui legitimè eam Delegationem habet: verum id latiore indigit explicatione.

2. Dixi superiùs, & nunc suo loco confirmo, me eo ipso, quod, quis deputatur ad Confessiones excipiendas, habere licentiam, seu Delegationem absolvendi à reservatis: imò si Prælatus tibi concessit Approbationem audiendi Confessiones, & absolvendi à reservatis per annum vnam, quo elapso, iterum concederet approbationem Confessiones audiendi, non intelligeretur reconcedere potestatem absolvendi à reservatis, ut notat Bonacinus *resol.* 39. *n.* 8. Debet ergo ejusmodi licentia esse expressa, ita ut, nec satis sit, si Superior tibi facultatem concedat eligendi Confessarium, quem velis, ut definit Bonifacius *cap. de pœn. & remiss. in* 6. hac de re loquens, quia, inquit, in Generali Concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus. Legatur Suar. *de pœnit. d.* 30. *sect.* 1. *n.* 3. & Coriol. *de casib. reser. p.* 1. *art.* 9. *sect.* 2. *ad n.* 5. Contra vero si Prælatus tibi concedat posse absolvere reservata, intelligitur concedere posse absolvere, etiam non reservata, & te approbare excipiendas Confessiones, quia, qui vult consequens, vult etiam antecedens, seu id, sine quo aliud esse non potest, ut docet Pellizz. *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 135.

Si autem licentia sit ad certum genus peccati, vel certum tempus (ut fit in Bulla Cruciatæ) sub certa forma, vel simili quapiam restrictione, non posse ulteriùs alia peccata, vel ad aliud tempus, &c. extendi palam est.

3. Licentiam absolvendi reservata concessam ad diem annum, v.g. *die* 21. *Decembr.* 1642. durare usque ad diem 21. *Decembris*, sequentis anni 1643. docet Pellizz. *l. c. n.* 12. quia *Dies termini non computatur in terminum*, addunt ita iudicasse Doctores recentiores.

Vnus

Verùm penes hos Doctores sit ejusmodi dicti fides. Nam cæterum hæc, de qua agimus, est collatio iurisdictionis, quæ æquiparatur Donationi. In Donationibus autem non video, quo modo dies termini non computetur in terminum. Si enim mihi dones, seu commodes, seu loces ad annum vsum tuæ domus, finitur donatio, seu locatio de momento ad momentum, ita testante ipsa praxi. Hæc mea doctrina late confirmatur ex iis, quæ adducit Merolla *tom.2.d.4.cap.4.à n.629.* explicans illud pronunciatum *Dies termini non computatur in terminum.* Et de traditione iurisdictionis ad absolvendum per Bullam Cruciatæ, ita supponunt communiter Doctores, *Apud Bar.in exp.Bul.Cruc.p.1.tract.2. cap.6.* dicentes, eam durare præcisè, vel à Publicatione ad Publicationem, vel ad annum naturalem, &c. sine additione aliorum duorum dierum, &c.

4. Si delegans dicat, *Do tibi Confessario omnem meam auctoritatem*, non confertur tibi vlla potestas circa reservata, ut notat Coriolanus, *l.c.* quia sub tanta generalitate non veniunt ea, quæ speciali indigent concessione, qualis est potestas pro reservatis. At si dicat *Do omnes casus, seu concedo, ut ab omnibus casibus possis absolvere*, inclinat conferri potestatem in reservata idem Coriolanus; id enim videtur significare illud (omnes) siquidem, qui totum dat, nihil excludit: Nota in formula præcedente, nullo modo facta est mentio, *nec casuum, nec omnium casuum.*

5. Si Pontifex Summus dicat; *Concedo tibi, ut possis absolvere ab omnibus casibus mihi reservatis*, potes absolvere, etiam ab illis, quos Pontifex perpetuo delegavit Episcopis. Hi enim jam sunt, & remanent Pontificii, ut supra *c.6.§.1.* dictum est. Si idem Pontifex, propter magnam authoritatem, quam supra Episcopus habet, dicat; *Do tibi potestatem absolvendi casus Episcopo reservatos*, probabile est, te non posse absolvere casus prædictos, quia ij, ut jam dictum est, non sunt reservati Episcopo, sed Pontifici, & solum sunt Episcopo delegati. Verum probabile etiam est, te posse absolvere, quia propter delegationem factam perpetuam Episcopali dignitati, jam possunt dici aliquo tandem modo casus Episcopales, & casus Episcopo reservati, ut idem dicam inferius *cap.13. num.13.* posse probabiliter ex vi Bullæ Cruciatæ. Quod si Pontifex dicat, *Concedo tibi potestatem absolvendi ab omnibus casibus, quos potest absolvere Episcopus*; tunc profecto multo probabilius poteris absolvere prædictos casus Episcopis perpetuo concessos, eos enim jam potest, licet per delegationem; & quidem perpetuam, Episcopus absolvere.

6. Idem dic, si ipse Episcopus dicat, *Do tibi, ut possis absolvere à casibus, & Censuris à quibus ego possum absolvere*, vel, *à casibus, & Censuris Episcopalibus*, vel, *ab omnibus meis casibus, & Censuris:* potes enim absolvere à prædictis, quia jam ab his potest absolvere Episcopus, & propter iurisdictionem ordinariam, quam in illa habent à Tridentino, ut diximus, aliquo tandem modo, sunt Episcopales, & Episcopo reservati. Idem erit, si dicat, *à Casibus, & Censuris mihi reservatis*, jam enim ob dictam delegationem, sicuti illi possunt dici aliquo modo Episcopales, ita Episcopo reservati, & sic docet, loquens de abortu fœtus animati. Bauci *in selectis quæstionibus, quæst.48.petit.8.* De hæresi vide limitationem Tridentini *sess.24.cap.6.de Refor.*

7. At si dicat idem Episcopus, *Do tibi omnes casus, quos mihi reservavi*; certè non poteris absolvere à prædictis, quia illos non sibi reservavit Episcopus, sed Pontifex, licet deinde eos Episcopis concesserit.

8. Si quicunque delegans dicat, *Concedo tibi, ut possis omnes casus reservatos etiam futuros absolvere*, poteris absolvere à futuris, quos reservabit ille idem, qui tibi hoc concessit, non verò, quos successor ejus reservabit, quia par in parem potestatem non habet, vnde non potest ligare manus successori, ut is non possit reservare, quos velit. Ita Pellizzar. *l.c.n.131. ex Bordono.*

9. Si tibi quis concedit absolute omnes casus reservatos, & deinde per aliam formulam strictiorem, concedat limitatè, potes omnes absolute, ut habet ibidem Pellizzarius, *ibi.n.132.* quia strictior concessio non est revocatio prioris concessionis, ergo adhuc remanet. Excipe, nisi strictior contineat aliqua forte verba priorem implicitè revocantia.

10. Si Nuntium mittas ad Prælatum, ut det tibi facultatem ad reservata, is autem eidem Nuntio dicat, se concedere: tu valide absolveres, etiam si tibi concessio non fuerit manifestata. Ratio sumitur ex doctrina Sanch. *lib.3.matr. disp.36.* docentis, prodesse privilegiato privilegium illi concessum, si obtentum est, non motu proprio concedentis, sed ad petitionem, seu ad instantiam Nuntij, vel Procuratoris, missi à dicto privilegiato, & ipsi Nuntio manifestatum, licet nondum manifestatum ipsi privilegiato: ita ergo in casu nostro, sed de hoc aliquanto latius dicemus mox à *n.18.*

11. Si dicat Episcopus, vel Prælatus Regularis, *Concedo tibi facultatem absolvendi à casib. reservatis*, non intelligitur ab excommunicationibus: nec, si concedat potestatem absolvendi ab excommunicationibus, intelligitur data potestas in casus reservatos. Ratio est, quia sunt diversæ potestates, & vna ab altera non dependet; nam potestas excommunicationes absolvendi, etiam in foro interno tantum, potest concedi cuicunque Clerico in Minoribus: cum potestas absolvendi à casibus solum Sacerdotibus concedi possit. At verò, si Summus Pontifex concedat casus suos alicui, intelligi etiam excommunicationes satis diximus *sup.c.5.§.n.5.* & iterum dicetur infra *cap.10.n.6.*

12. Denique hîc superest magis, ac magis, declarandum, quomodo interpretandæ sint ejusmodi concessiones absolvendi à reservatis. Id quod, ut planius habeas, sequentem titulum præmittamus.

*Concessio absolvendi, largènè, an strictè interpretanda?*

13. Præmittenda hîc est resolutio illius celebris quæstionis; an potestas absolvendi à reservatis sit largè, an strictè interpretanda? Et quidem omnes, ut Sanch. *lib.8. matr. d.2. n.1.* & Bardi *de Bull. Cruc. p.1.tr.1.c.5.num.6.* conveniunt ordinariam potestatem absolvendi à reservatis, quam habent Superiores, de quibus *in cap. præcedente* diximus esse interpretandam largè, quia omnis potestas dispensandi in legibus, qualis est etiam potestas absolvendi à reservatis, cum respiciat Communitatem, cui vtile est habere, ad quem recurrant subditi, largæ est interpretationis; licet ipsa actualis dispensatio, quia vulnerat jus commune (*Dispensatio enim est concessio, ut non servetur aliqua lex*) debeat strictè interpretari.

14. Quæstio igitur est solum de potestate delegata, Vtrum scilicet potestas, quam Episcopus mihi dat, ut absolvam pœnitentes à reservatis, largè sit interpretanda, an vero strictè.

Distinguunt communiter Doctores, asserentes, potestatem prædictam delegatam Confessario, non expressis personis absolvendis, esse largè interpretandam, quia tunc adest prorsus similis ratio boni Communitatis, ut modo dictum est de potestate ordinaria. Ita Castropal. *de leg. disp.4. punct.11.n.2. & 3.* alios citans. At quando delegata est, expressis personis absolvendis, duplex est sententia; Sanch. *lib.8. de matr.disp.2.n.6.* cum aliis distinguit si facultas dicta absolvendi conceditur Confessario, cui Superior vult favere, late esse interpretandam, si conceditur in gratiam ipsius pœnitentis absolvendi, esse interpretandam strictè.

15. Castropalus verò, *loco citato numero 5.* absolutè in vtroque casu, potestatem delegatam absolvendi à reservatis, quando exprimuntur personæ absolvendæ, esse ait interpretationis strictæ. Illud tamen *numero 7.* notat, potestatem concessam absolvendi à reservatis in Iubilæis, & in Bulla Cruciatæ esse largè interpretandam, quia est data in bonum

bonum commune Fidelium, quod dici non potest (ait ipse) de licentia data à Prælatis quando saltem datur pro aliquo peculiari pœnitente. Vtraque sententia videtur probabilis.

16. His breviter explicatis, iam patet responsio ad quæstionem in hoc titulo propositam, Concessionem scilicet, de qua loquimur debere interpretari largè, si detur non expressis personis absolvendis, si vero hæ personæ exprimantur strictè, vel largè, iuxta duas probabiles sententias, iam dictas.

17. Profecto utilis est hæc doctrina, sed quia in casu hoc de delegatione, ad absolvenda reservata, tota res pendet ab intentione concedentis potestatem, ideò à tenore concessionis, à forma petitionis (iuxta quam Superior facultatem dare præsumitur) à verbis in contextu dictæ Concessionis appositis, & similibus, qualitas, & quantitas, licentiæ mensuranda est; quæ omnia maximè ex mox dicendis, præsertim §. 3. non parum explicabuntur.

*Occasione ejus, quod dictum est* num. 6. *quærimus vniversaliter, an ignorans licentiam ipsi datam absolvendi à reservatis, valide absolvat?*

18. Figuremus casum in sequentem modum. Ego, sive quia Bulla Cruciatæ fruor, sive, quia obtinui facultatem à Superiore, ut absolvar à casu reservato, per eum Confessarium, quem elegero, ipsum eligo, & sine dolo, sed ex ignorantia, illi non manifesto ejusmodi potestatem, ipse item, ex pari ignorantia, me bona fide absolvit, inquiro, sumne directe absolutus à prædicto casu reservato.

19. Respondeo, De hac quæstione interrogatus nudius tertius quidam Theologus, dixit, per se loquendo esse absolutum, additque hanc esse opinionem Suarii, *l. 8. de leg. c. 25. n. 16.* & Merollæ, *tom. 3. disp. 6. c. 6. à n. 94. usque ad* 100. Ratio, (dicebat) est, quia effectus prædictæ licentiæ Superioris, vel Privilegii nequit impediri per ignorantiam Confessarii, posita enim electione dicti Confessarii, Summus Pontifex, vel Superior censetur electo Sacerdoti Iurisdictionem conferre. Dixit (*per se*) nam per accidens posset esse invalida Confessio, si nimirum pœnitens animadverteret Confessarium ignorare suam Iurisdictionem, & tamen procedere ad Absolutionem, tunc enim graviter Confessarius peccaret; & item pœnitens, cooperando, unde hic non esset dispositus, ad Absolutionem recipiendam.

20. Verum hæc doctrina mihi valde difficilis est. Nam nemo acquirit Iurisdictionem ullam, sive contentiosam, sive voluntariam, nisi illam velit acquirere, seu, nisi illam acceptet: at hîc Confessarius electus, cui non manifestatur, ipsum electum fuisse, nondum acceptavit Iurisdictionem: ergo, qua ratione iuridicè absolvet? sane fac Episcopum, te elegisse, & approbasse in Confessarium: Si interim, dum tu nullo modo noscis ejusmodi electionem, bona fide absolveres aliquem à mortalibus, num valida directe esset Absolutio? non utique, siquidem tu nondum acceptasti Iurisdictionem & fortasse nunquam acceptaturus sis, quia v.g. non vis officium Confessarii exercere.

21. Confirmatur. Quærunt Sanch. aliique apud Castropalaum *loc. cit. d. 2. p. 13. §. 11. n. 6.* & Dianam *p. 11. tr. 3. resol. 32.* & nos infra dicemus *l. 8. de matr. tr. 6. de solemnit. c. 2. §. 5. n. 7.* An: si licentiam assistendi Contractioni Matrimonii datam à Parocho Sacerdos ignoret, validè assistat matrimonio? & Respondet, invalide assistere, quia eam licentiam, seu Iurisdictionem, nondum habet donec acceptet, acceptare autem legitimè non potest dum eam datam esse nescit: Esto teneant, si eam per Nuntium petiisset, iudicandum fore iam acceptasse in acceptatione Nuntii, ut etiam nos modò diximus *n.* 10. Porro ex hac doctrina clare sequitur, idem esse dicendum in casu nostro: invalidam scilicet fore illam absolutionem de reservatis, dum supponimus Sacerdotem, nec per se, nec per suum Nuntium iurisdictionem acceptasse.

22. Ad authoritatem Suarii, & Merollæ dico, eos loqui, quando Privilegium concessum est toti Religioni; tunc enim etiam si hîc Religiosus illud nesciat, attendum illud tamen operatur, sed certè, tunc non dicitur acceptatio; Religiosus enim eo ipso, quod eam Religionem profitetur, tacitè acceptat omnia ejus privilegia: Et de hoc casu, loqui Suar. *l. c.* patet ex lectione citati ipsius & ex De Lugo *disp. 19. de pœn. ad n. 17.* ostante ipsum de hoc loqui.

Hanc nostram sententiam sequitur P. Tanchred. *Conf. mor. disp. 2. q. 16.* dicens, hanc esse probabilem, significare fortasse volens oppositam esse probabilem, quod tamen ego significare non possum.

23. P. Bardi *in expos. Bull. Cr. p. 2. tit. 5. c. 1. fol. 10.* eadem sententiam tenet in expositione Bullæ Cruciatæ, distinguit tamen, asserens, quod dictum est, intelligi de Iurisdictione, non autem de Approbatione, quæ exigitur per Tridentin. requiritur in Confessario. Si quis enim haberet (ait) Iurisdictionem, eamque sibi inesse sciret, & haberet dictam Approbationem Episcopi, quam tamen habere nesciret, valide absolveret, quia Approbatio est mera testificatio idoneitatis sacerdotis, cuius cognitio vel acceptatio nullo iure requiritur ad validitatem absolutionis, cum tamen requiratur cognitio, & acceptatio Iurisdictionis, iuxta illud iuris privilegium; quod afferunt Bartolus *in l. Bapt. num. 18. de off. Prator.* Sanchez *lib. 3. mor. disp. 37. n. 8.* aliique *Ignorantia non acquiritur, seu tunc dest Iurisdictio*, quod dictum non invenies de Approbatione. Hanc disparitatem inter Iurisdictionem & Approbationem impugnat P. Mendo allat. à Bar. *l. 2. n. 1. editione*, dicens, etiam Approbationem debere ei Confessario notam; quia etiam ipsa pertinet ad Iurisdictionem; id quod certè tenendum est, & omnino colendum in praxi.

## §. II. *An per licentiam concessam absolvendi à reservatis valide ea peccata absolvantur, qua fuerunt commissa in confidentiam licentiæ concedendæ?*

1. Respondeo, Absolvi. Ita Sanctarellus, *de Iubil. cap. 8. d. 10.* Bossius, *de Iubil. sect. 1. cas. 13. n. 10.* Sim. Ratio est: quia confidentia non tollit potestatem quæ datur, sive à Iubilæo, sive à Bulla Cruciatæ, sive à Prælatis. Excipe, nisi expressè contrarium exprimatur in licentia: nam propterea, quia in Bulla Compositionis exprimitur, non concedi beneficium Compositionis usurpanti bona incerta ex Confidentia, seu fide dictæ Compositionis: ideo tunc Bulla rapienti dicta incerta bona ex dicta Confidentia non suffragabitur, & que hinc ducitur Confirmatio nostræ Responsionis: enim, quando volunt Superiores id negare, expressè negant, signum satis probabile est, quod si expressè non negent, concedant.

## §. III. *De peccatis reservatis post licentiam Absolutionis commissis.*

1. Si pœnitens post impetratam licentiam, ut absolvatur à reservatis, nulla alia nova reservata committat, potest per illam licentiam absolvi, etiam post plures annos, etiam si mortuus sit, vel amovus absolutionis Superior, qui illam concessit. Quintanadu. *de pœnitentia Superior, qui illam concessit. Quintanadu. de pœnitentia singul. 11. n. 9.* & De Lugo, *de pœn. disp. 20. n. 125.* Ratio ducitur ex illa communi sententia; quod, quando fit gratia facta, quales solent esse ejusmodi licentiæ, sine limitatione alicui pœnitenti, concessæ, non expirat morte concedentis, sed ex se sunt perpetuæ, donec positivè non revocantur, ut habet Sanch. *lib. 8. matr. disp. 21. num. 85.* & nos infra *lib. de matr. tract. 1. 65. dicemus num. 85.* & nos infra *lib. de matr. tract. 1. 65. dicemus*. De licentia autem loquor, quæ non est addicta tempori. Nam licentia concessa in Bulla Cruciatæ, cum sit de dicta vni anno, in eo vno anno illa dumtaxat vti poderit.

2. At si pœnitens nova peccata reservata committat post licentiam impetratam, debet quæstio resolvi, perpensa concedentis intentione, perpensisque verbis Superioris, & modo concessionis.

3. Omissis autem aliis sententiis, fusè relatis à De Lugo *l.c. à n.* 120. dico cum eodem, debere distingui duos modos, sub quibus dari solet hujusmodi licentia à Superioribus, de qua hîc loquimur. Primo, quando, sive Confessario, ut absolvat, sive pœnitenti, ut absolvatur, datur licentia ad absolutionem talis vel talis peccati, & tunc ratio, non extendi eam concessionem ad commissa post datam licentiam. Manifesta est ratio: quia in hac forma cõcessionis se Superior restringit ad tale, vel tale peccatũ.

4. Hinc Primò, si petas, sic *Volo absolvi à quodam peccato reservato*, vel Confessarius petat: *Volo absolvere quendam à peccato reservato*, & annuat Superior, non poteris absolvi, vel absolvere à peccato reservato commisso post dictam concessionem, neque à commisso post tuam petitionem, seu postquam mandasti Confessario, ut eam licentiam peteret. Ratio est, quia concessio intelligitur facta iuxta petitionem; petitio autem, & mandatum fuerunt de tali quodam peccato.

5. Hinc secundo, quando ejusmodi licentiæ conceduntur per Sacram Pœnitentiariam, & petitio fuit facta pro aliquibus peccatis, concessio autem fiat cum illa clausula, *Super præmissis, seu à præmissis*, non conceditur licentia absolvendi à peccatis reservatis commissis post licentiam impetratam, vel postulatam, quia hæc non fuerunt Pontifici enarrata, ipse autem concedit super præmissis, id est, super enarratis. Neque obstat, quod, ex vi Bullæ Cruciatæ, possint absolvi peccata reservata commissa, etiam post sumptam Bullam, quamvis commissa ex ejusdem Bullæ confidentia, ut modo §. 2. statuimus, non obstat, inquam, quia in hac potestate absolvendi à reservatis, nullam restrictionem Bullæ tenor, apponit in nostro casu.

6. Sed accedamus jam ad secundum modum. Quando enim licentia sine mentione implicita, vel explicita talis peccati concessa est, sive pœnitenti, ut absolvatur, sive Confessario, ut absolvat, etiam si addatur (pro hac vice) videtur posse ille absolvi, & hîc absolvere à reservatis commissis post ejusmodi licentiæ concessionem, imo, & post ejusmodi concessionis acceptationem, dummodo peccatum reservatum iteratum fuerit ante collatam absolutionem. Ratio potest esse, quia hæc formula concessionis non se attĕtat ad sola commissa; sensus enim est, una vice, illum à reservatis absolvas: At iam ille sic, una vice, absolvitur. Vnus tamen scopulus est hîc maximè declinandus, scilicet ne in longum tempus differatur Confessio, de qua re mox *n.* 10. Dixi autem (*videtur*) nam praxis hujus doctrinæ semper mihi scrupulosa visa est.

7. Hinc prudenter se gerat Confessarius potens à Superiore, vel à pœnitentiaria ejusmodi licentias, & ne illas postuler eo modo, quo dictum est *n.* 4. & 5. Imò, neque hoc modo dicto *num.* 6. ne scilicet scrupulis subjaceat concessio, sed pro omnibus commissis reservatis, quæ tempore Confessionis invenerit.

8. Dices, ex hac posteriore parte sequuntur duo absurda. Alterum, dari ansam huic pœnitenti, ut committat ante absolutionem illa reservata, quia iam est securus de eorum omnium absolutione. Alterum; posse differre diu Confessionem, & interim multa reservata eadem spe confidenter admittere.

9. Respondeo, ad primum, id per accidens esse. Et sanè sicuti simile quod potest occurrere accipienti Bullam Cruciatæ, vel aliud Iubilæum, & tamen id non iudicatur absurdum, quia iudicatur maius bonum, quod subditus liberetur à suis peccatis, & non abeat in desperationem, quam quod permissio hæc sit occasio per accidens peccandi. Ita in casu nostro, &c.

10. Ad secundum dico. Cum illa verba sub tempore præsenti dicta (*Do licentiam pro hac vice*) sint accipienda morali modo, semper per illa intelligitur decerni tempus competens, & rationabile ad ejusmodi absolutionem impertiendam, non vero quodcunque: unde, quia tota hæc res dependet, ut dixi, ab intentione concedentis illud (*Do tibi licentiam pro hac vice*) moraliter acceptum, & iuxta mentem rationabilem dantis intellectum, videtur significare dari licentiam pro quocunque etiam longissimo tempore, si nova reservata non admittas; quia ex vna parte ut dictum est *n.* 1. est gratia facta, & ex alia non est ratio; unde dici possit, gratiam illam fuisse in hoc casu coarctatam ad tempus: At vero si nova admittas, intelligendum est, dari licentiam pro tempore præsenti, vel quod præsenti, prudentis iudicio, omnibus circunstantiis expensis æquipolleat, quia, sic præsumitur esse rationabilis voluntas licentiam ejusmodi concedentis, ut dictum est.

11. An petens à Superiore licentiam, ut absolvat à reservato, intelligatur posse etiam ipse petens absolvi? Negativè respondet pro nostris ex Societ. De Lugo *de pœn. disp.* 20. *n.* 119. & Dian. *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 48. *fin.* pro aliis, expendi deberere usum Religionis &c. Lege ipsum.

## §. IV. *An peccata oblita in Confessione valida, remaneant reservata.*

1. TItius, tribus v.g. peccatis reservatis infectus, confitetur sine fraude duo, oblitus nimirum unius, absolutionemque à potente absolvere reservata, recipit: Inquiro, An hoc vnum remaneat reservatum, ita ut Titius pro illius absolutione confugere debeat ad Superiorem, seu potentem absolvere reservata, an satis sit, eam petere à quocunque communi Confessario?

2. Triplex est sententia, prima Suarii, *de pœn. disp.* 31. *sect.* 4. *à n.* 12. docentis reservationem ejusmodi casus obliti cessare, non quidem semper, sed solum, quando pœnitens accedit ad Superiorem modo quodam extraordinario, hoc est, in ea circunstantia, in qua appareat expresse, vel tacitè peti ab ipso absolutionem reservatorum, ut si, subditus tempore Iubilæi accedat ad deponenda peccata apud Superiorem; non autem cessare, quando accedit ad eundem, more ordinario, pro Confessionibus quotidianis & solitis. Ratio est, inquit, quia in posteriore hoc modo nulla implicita voluntas est tollendi reservationẽ: adest vero, saltẽ tacite in priore; siquidẽ tunc Superior vult, ut pœnitens fruatur omni privilegio Iubilæi.

3. Secunda est Vasquez *de pœnit. ad q.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. docentis cessare quidem reservationem prædictam, quando pœnitenti concessa est facultas eligendi Confessarium, per quam possit à reservatis absolvi, perinde, accidit, quando pœnitens suscipit Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, non vero, quando ipse pœnitens recurrit ad Superiorem, ut apud ipsum Confessionem exhibeat. Ratio est, inquit, quia in priori casu, præsumitur Superior per Bullam, vel Privilegium concedere, quantum potest, atq; adeo præsumitur tollere reservationem casus quamvis obliti: at in posteriore non præsumitur, quia illud peccatum oblitum non venit in iudicium, nec pro illo pœnitens accipit à Superiore remedia sui peccati, qui videtur finis reservationis, & ex alia parte tunc Superior non exercet suam potestatem tollendi reservationem.

4. Tertia sententia est Ioannis De Lugo, *disp.* 20. *sec.* 7. *de pœn. n.* 85. *& deinceps.* Castrop. *de pœn. punct.* 15. §. 6. *n.* 3. quibus adde plures *apud Averf. q.* 17. *de pœn. sec.* 8. *& ap. Bossium de Iubilæo sect.* 1. *casu* 29. Dicastill. *apud Dianam p.* 11. *tr.* 8. *res.* 28. ubi disputat, an habens licentiam te absolvendi pro hac vice, possit & vi talis licentiæ te ab oblitis absolvere, aliorumque plurium, dicentium, semper tolli reservationem, modo bona fide, ut dictum est, illud peccatum sine culpa taceatur: Sicuti per eosdem, imò, etiam, per Suarium, Vasquez, tollitur Censura, seu excommunicatio reservata ab eo qui illam inculpabiliter oblitus, absolvitur à Superiore legitimo per absolutionem à Censuris generalem. Ratio hujus tertiæ sententiæ est, quia posito quod is, qui tunc absolvit, habeat potestatem absolvendi à reservatis, præsumitur velle absolvere, seu remittere, quantum potest, & quantum item potest prodesse pœnitenti. Cum ergo possit reservationem tollere non est, cur non tollat.

5. Dico (*Quantum potest*) nam, ut modo diximus, remanet in hoc pœnitente obligatio confitendi directe apud legitimum ordinarium Confessarium hoc peccatum, sicuti alia peccata mortalia non reservata & nondum confessa: hæc enim obligatio, cum sit à Christo Domino inducta, non potest tolli ab illo, qui solum absolvit illud peccatum indirectè, & superior nunc, solum, abstulit reservationem, quam inferre poterat, non vero directè absolvit peccatum, quod sibi non fuit expositum. Hæc sententia cæteris videtur probabilior, atque ex eius ratione facilè fundamentis duarum præcedentium respondeti potest.

6. Inquires. Cuinam Confessario est deinde aperiendum ejusmodi peccatum oblitum? certum enim est, ut dicimus, debere subdi clavibus, ut directè absolvatur. Respondeo. Non necessario opus erit illud aperire Superiori, vel ejus Delegato potenti absolvere à reservatis, quia iam reservatio est ablata, ut dictum est: sed satis erit si subdatur Confessario communi approbato valenti absolvere à mortalibus, nam non sufficit, si subdatur Sacerdoti simplici, hic enim non habet potestatem absolvendi directè mortalia, sed solum venialia, ut expressè docet Delugo *l.c.num.*8. cum Suario, & Vasquez, & nos item iudicamus *in Methodo Confessionis, lib.2.c.*10.§.3. *à n.*55. *in fine.*

## §. V. *An enarrata in Confessione invalida remaneant reservata. Quid de oblitis in eadem?*

1. Dico Primo. Si Confessio fuit invalida, quia dolose tacuisti, vel peccatum aliquod reservatum, vel aliquod mortale non reservatum, non cessabit eju reservatio, ut docet ibidem De Lugo, *n.*106. quidquid benignius videatur concedere Castr. *de pœn.p.*15.§.6.*n.*2. Ratio est, quia præsumi, nec debet, nec potest, superiorem velle tollere reservationem ab eo, qui sic fraudulenter se gerit.

2. Dico secundo, cum eodem *n.*102. Confessio fuit invalida ob alia capita, ob defectum v.g. doloris, seu propositi, valde probabile est, tolli reservationem illorum peccatorum, quæ confessus est apud potentem absolvere à reservatis. Ratio est: quia licet ab illorum reatu absolutus non fueris propter Confessionem invalidam, tamen jam te Supetiori præsentasti, ab eo pœnitentiam, & medecinam de ejusmodi reservatis recepturus, ergo non est, cur reservatio auferenda non sit. Notat vero ibidem rectè ex Vasquez De Lugo te debere observare, quæ imposita tibi fuere in illa Confessione, quamvis invalida, quia sub onere illa præstandi, videtur Superior, eam reservationem abstulisse.

3. Atque id verum est, etiam, quando ejusmodi Confessio facta invalidè fuit apud Delegatum, v. g. apud Confessarium electum per Bullam Cruciatæ, vel apud Confessarium à Prælato tibi concessum, ad Absolutionem peccati tui reservati. Nam licet ii Delegati non habeant potestatem absolvendi, nisi in Sacramento Pœnitentiæ, quod in hoc casu supponitur invalidum, tamen ex usu, & benignitate Ecclesiæ, ipse superior intelligitur tollere reservationem illam, quoties pœnitens se præsentat Delegato legitimè constituto ab eodem Superiore. Ita Trullench. *de Bull. Cr. lib.*1. §.7. *c.*2. *d.*3. Castrop. *de pœn.pu.*15.§.6.*n.*5. De Lugo *de pœn.disp.*20. *sec.*7. aliique *ap.Dian.p.*1.*tr.*11. *num.*18. *& p.*3. *in addit. resol.*16.

4. Si in Iubilæo simile quid occurrat, ex alio capite potest evenire, ut in casu, de quo loquimur, non tollatur reservatio, quia nimirum ex vera sententia in Iubilæo requiritur Confessio valida, saltem, quando quis peccatis mortalibus aggravatur: Si ergo Confessio tunc est invalida, tu non lucraberis Iubilæum, & consequenter, nec Iubilæi beneficiis, inter quæ est ablatio reservationis,) frui poteris.

5. Comitolus, *in resp.moral.l.*1.*q.*30. & Henriq. *l.*7.*c.*11. *n.*4. tolli etiam in Iubilæo, prædictam reservationem putant quibus non assentior, quia etiam, si probabile sit Confessionem non requiri ad Iubilæum acquirendum eo, qui non habet mortalia, at in eo, qui ita habet requiri omninò, nec sufficere contritionem, puto cum De Lugo, *de pœnit.disp.*17.*n.*103.

6. Dico tertio. Difficile mihi est, decernere an reservatio peccati bona fide obliti, atque adeo ejus quis non confessus est, tollatur in his Confessionibus validis ex proxime dictis capitibus. Nam, ex una parte is non accipit Pœnitentiam, vel remedia à pœnitente absolvere; ut fuit in casu *n.*2. quia non enarravit illud peccatum reservatum, cuius per inadvertentiam oblitus est, ergo non poterit gaudere benignitate dicta *n.*2. ex alia parte, ipse iam se præsentavit Superiori, vel ejus legato, paratus illud peccatum enarrare, si oblitus fuisset, ergo non videtur privandus dicta benignitate Ecclesiæ qua reservatio peccatorum oblitorum tollitur, ita tenet Delugo *de pœnit.disp.*20.*n.*106. Verum ego in reo quia esse paratum, non videtur esse ad hoc sufficere decernunt sapientes.

## §. VI. *An cum quis absolvitur, remaneat absolutus excommunicationibus oblitis.*

1. Hactenus egimus de peccatis oblitis, nunc breviter de oblitis excommunicationibus dicamus. An, scilicet quando Confessor præmittit Absolutionem à Censuris per illa, vel similia verba *Absolvo te ab omni excommunicatione, in quantum possum, & indigeris*, quibus gitque Absolutionem à peccatis, an, inquam, per prædictam Absolutionem deleatur excommunicatio, si pœnitens erat irretitus, sed ejus inimemor, Confessus nequaquam aperuit.

Respondeo, ut dixi, *Lib.*2.*meth. confes.cap.*14.§.2. *n.*55. posito quod Confessarius habuerit potestatem, seu Iurisdictionem ad ejusmodi excommunicationes auferendam, deleri: unde postea pœnitens illius reus datus, illius Absolutione non indigebit. Ratio est, quia Confessor semper habet, habereque debet intentionem simpliciter, absoluram absolvendi quantum licite potest, servandique partes omnes officii sui quas non servare, si absolvere intenderet à peccatis. & non Censuris, id quod propter eandem rationem est verum, non dicam in Confessario ordinario, sed etiam in Delegato, ut tat Coninch. *disp.*8. *de pœn. de* 12.*n.*94. Castrop. *de pœn. p.*15.§.6.*n.*3.

Si Confessarius careat Iurisdictione ad absolvendum eam excommunicationem oblitam, illam non delere nimis est manifestum. Quare quando ea in mentem revocabitur, legitimo Superiore indigebit.

2. Dixi (quantum licitè potest) quare, si in prædigio, seu in Iubilæo esset forma, ne possit licitè quis absolvi, nisi aliqua conditione adimpleta, v. g. nisi satisfecerit parte, non conferetur Confessor per illud *absolvo te ab omni excommunicatione*, absolvere, si parti minime satisfactum, ut rectè notat De Lugo *disp.*16.*sect.*13.*n.*161. Ratio est, quia ut dictum est, Confessor solum habet, habereque præsumitur intentionem absolvendi quoad quantum validè, & licitè potest.

3. Petes si Confessor absolvere potens, absolvit a peccatis, dicendo *Absolvo te à peccatis tuis*, nulli præmissa formula Absolutionis à Censura, ut usu venit solet in brevibus Confessionibus, & non raro in articulo mortis, remanebitne ignarus suæ, immo, & conscius, si tamen propter imminentem mortem loqui non potest, remanebitne, inquam, absolutus ab illaqueo Confessarius potest absolvere?

4. Respondeo, Remansurum, ut docet Suarez, *de Censur. disp.*10.*sect.*3. *num.*9. Ratio est, quia in illo *Absolvo te à peccatis*, involuitur Absolutio à quocunque vinculo nato ex peccatis, atque adeo à Censuris; Cum igitur ejusmodi Confessor supponatur velle licitè fungi suo munere, supponetur etiam absolvere vinculo Pœnitentem absolvere multoque magis Censuræ vinculo Pœnitentem absolvere

go

gis id erit in articulo mortis, si tunc expressè absoluens intendat per illa verba sola, *Absolvo te a peccatis*, absolvere etiam à Censuris. Ad majorem autem certitudinem, sic absolvat, *Absolvo te ab omnibus Censuris, & peccatis*, quia certum est, illud, *Ego te absolvo*, sufficere ad absolutionem peccatorum, quod non est, ita certum, licet sit probabilissimum, sufficere etiam ad absolutionem Censurarum.

### §. VII. *Casus reservatos, qua ratione possit quis fateri Superiori, vel Inferiori Delegato.*

1. QVandoquidem pluries firmatum jam est supra, posse Superiorem vel immediatè per se, vel per suum Delegatum casus reservatos absolvere, quæret aliquis, an qui habet casus reservatos, possit hos solos fateri Superiori potestatem habenti illos absolvendi, & ab ipso absolvi, ac pro cæteris remitti ad inferiorem, vel contra fateri solos non reservatos inferiori, qui absolvat, remittatque pro cæteris reservatis ad superiorem.

2. Dico, vt jam dixi *lib. 2. meth. conf. c. 10. §. 1. n. 27.* absolutè id fieri non posse. Ratio est, quia esset dimidiata Confessionem sine necessitate. Quare in hisce eventibus, vel Superior audiat omnia, & absolvat, vel audiens reservata extra Confessionem, tollat reservationem, seu mittat ad inferiorem, cui conferat potestatem absolvendi à reservatis. Si vero sit inferior; mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat, impetretque potestatem & demum ritè absolvat. Ita Coninch. *disp. 8. de pœnit. dub. 13. num. 100.* Præpositus, *de Confess. quæst. 1. dub. 9.* aliique passim, quidquid dicat Cajetanus, *In summa V. Confess. c. 10.* qui ait, contrariam esse Romanæ Curiæ consuetudinem, in qua discutienda inquit, non oportet nimium sapere, quidquid inquam, dicat. Nam consuetudo illa solum est, quoad tollendas Censuras, reservationem, non verò quo ad absolvendum sacramentaliter.

2. Dixi autem (*absolutè*) nam, si aliqua necessitas vrgeret, posset, ut si v. g. pœnitens non posset adire inferiorem, sed solum superiorem, qui tamen Superior propter aliquod grave impedimentum, v. g. articulum mortis, non posset omnia peccata audire, &c.

## CAPVT X.

### *Agimus de absolutione reservatorum Iure delegationis in particulari.*

1. HIs in vniversum explicatis, exposcit ordo, & facilitas doctrinæ, ut de Delegationibus in particulari disseramus.

Et quidem si reservans, seu Superior concedat facultatem alicui v. g. Confessario ad absolvendum hunc peculiarem pœnitentem, seu excommunicatum, dicitur is Confessarius habere specialem delegationem. Huc reducere libet facultatem, concedi solitam à Pontifice in libellis secundum varios, modo amplos, modo limitatos eorum tenores. Si vero prædictus Superior det facultatem generalem circa casus, vel excommunicationes reservatas, dicitur, is Confessarius habere delegationem vniversalem.

2. Porro de speciali Delegatione certa regula dari non potest, nisi ea; Vt serventur illa, quæ talis delegationis tenor præscribit. At generales Delegationes, de quibus certa doctrina potest, quatuor, hodie inveniuntur.

Prima, in Tridentino, quod concedit Episcopis potestatem absolvendi omnes casus occultos.

Secunda, In privilegiis concessis à Pontifice Regularibus.

Tertia, In eodem Tridentino, quod confirmat consuetudinem Ecclesiæ, qua quilibet Sacerdos in casu articuli mortis, modo jam jam explicando, absoluit ab omnibus casibus, & excommunicationibus.

Quarta, In Bulla Cruciatæ.

De his igitur nostrum erit hic breviter disserere: In hoc capite de prima dicam; deinde, in suis distinctis capitibus, de cæteris.

### §. Vnicus. *De Delegatione concessa Episcopis à Tridentino circa casus, excommunicationesque reservatas, & occultas.*

1. TRidentini verba sunt hujusmodi *sess. 24. cap. 6 de reformat.*

*Liceat Episcopis, &c. in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum in foro Conscientiæ, gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

Hactenus Tridentinum: in cujus verbis aliquid specialiter, & sigillatim adnotemus.

#### EPISCOPIS.

2. Nimirum illi, sive Episcopi, sive Archiepiscopi (atque hi etiam ante vsum Pallii) qui habent subditos (non vero mere Titulares.) Confirmati item, etiam ante Consecrationem, (sed qui possessionem habeant sui Episcopatus, seu Archiepiscopatus, ut ex *C. Iuncta de elect. inter extravag. comm. 2.* notat vniversaliter Azor. *p. 1. l. 7. c. 1. quæst. 2.*) hic comprehenduntur, quia hæc potestas absolvendi, de qua loquimur, est Iurisdictionis, non Consecrationis. Lege Merollum *tom. 2. disp. 4. c. 6. n. 132.* & Præpositum *in 3. part. quæst. 5. de irreg. dubit. 10. n. 81.*

3. Plures Doctores affirmant, venire hic omnes habentes Iurisdictionem, quasi Episcopalem, etiam si careant territorio, quales sunt Superiores Conventuales in Ordine ad suos Religiosos. Sed de hac re vide paulo post *cap. 11. §. 1. num. 11.*

#### IN QVIBVSCVNQVE CASIBVS OCCVLTIS.

4. Delictum tunc est occultum in hac materia, quando non est notoriè divulgatum, & potest tergiversatione celari. Quamvis ergo possit per paucos testes probari, occultum erit. Ita cum aliis Bardi, *in Bulla Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 1. sect. 10. num. 97.* & Leand. *d. 17. de excom. quæst. 47.* sed nos vniversaliter de hoc egimus *in nostro Decalogo, lib. 9. cap. 3. §. 2. à n. 9.* & tandem hanc regulam dedimus; Vt illud delictum sit publicum in re, de qua agimus, quando prudenter, & ex circumstantiis judicatur, illud facilè fore communiter euulgandum: quare illud erit occultum, quod ejusmodi non est. Legatur item Fagund. *præc. Eccl. 2. lib. 8. c. 8. à n. 23. & 26.* qui etiam, valdè probabiliter docet, delictum deductum ad forum exterius, sed quod non fuit probatum, esse occultum, Imò, & postquam est punitum, posse ab Episcopo absolui, docet Leand. *loc. c. quæst. 57.* contra Suarium, aliosque non paucos, sed citans pro se Sanchez, aliosque.

5. Illud hîc adde. Quid enim, si publicum sit delictum in vna Civitate v. g. Romæ, & petatur à pœnitente Absolutio hîc Panormi, vbi ejusmodi delictum est occultum, nec de proximo erit probabiliter euulgandum poteritne absolui? Respondeo. Vtrumq; esse probabile puta, posse, & non posse. Ratio, quod non possit, est, quia jam non est occultum delictum. Ratio, quod possit est, quia cum hîc Panormi sine vllo inconveniente habeatur à populo, ut innocens, delictum erit occultum in Ordine ab finem, quem requirit Ecclesia, qui est, ne alii scientes illud absolvi ab Episcopo, concipiant facilitatem incidendi in reservata Pontifici. Adde potestatem hanc absolvendi, vtpote favorabilem, esse ample interpretandam.

An, & quando Episcopus possit casus excommunicationesque publicas absolvere, dicam infrà *c. 12. §. 2.*

A CASIBVS ETIAM SEDI APOSTOLICÆ RESERVATIS.

6. Quoniam supra *c.5.§.1.n.5.* diximus, omnes casus Pontificios reservari ratione excommunicationis, idcò cum hoc loco Summus Pontifex concedat Episcopis casus ipsi Summo Pontifici reservatos, concedit, sine dubio, omnes occultas excommunicationes reservatas, etiam in Cœna Domini, de qua re mox aliquanto latius, vbi, & quid de hæresi; Atque id confirmat illud, quod dixi supra *c.9.§.1. n.11.*

SIBI SVBDITOS.

9. An Episcopi possint, etiam non sibi subditos, sed peregrinantes in suis Diœcesibus absolvere, dixi in Superioribus *lib. De pœn. c.4.§.3. à num.9.* Hic autem incidit illa quæstio, an Episcopus possit absolvere Religiosos exemptos, habitantes in Monasteriis suæ Diœcesis à casibus occultis Papæ reservatis, sicuti potest suas oves, quando dicti Religiosi se subjiciunt cum licentia suorum Superiorum ipsi Episcopo. Et affirmativè respondet Leand. *p.4.tr.2. dis.27.q.10.* Et iterum *de irreg. d.27.q.8.* quem, placet, lege, Si Superior juste neget dictam licentiam, non posse; posse autem si injustè, docet Sanch. citat. ab eodem Leandro, & apud eundem Leandrum, docet Suar. Molina, Pontius.

IN DIOECESI SVA.

8. Non puto id dictum esse taxative, quasi Concilium definiat, hanc Absolutionem debere omnino impendi in Diœcesi propria, sed demonstrativè, quasi notet id, quod communiter solet fieri, sit enim communiter in propria Diœcesi. Sive ergo subditus existat in propria absolventis Diœcesi, sive in aliena, poterit à suo Episcopo, etiam existente in aliena, dictis reservatis absolvi, ut notat Sanch. Diana, aliique apud eundem Leandrum. Ratio est, quia hic est vsus Iurisdictionis voluntariæ, quæ in aliena Diœcesi exerceri potest, non vero Iurisdictionis Contentiosæ, quæ, quia affert strepitum Iudicii, non nisi in proprio territorio, exercenda necessario est. Neque valet, Episcopus non potest saltem communiter excommunicare aliquem, dum existit in aliena Diœcesi, ergo, nec absolvere: Non valet, inquam, quia, absolvere, est actus Iurisdictionis voluntariæ, actus autem excommunicandi est Iurisdictionis contentiosæ, ut dicimus *in tractatu de excommunicatione c.5.§.7.*

PER SE IPSOS, AVT PER VICARIVM ad id specialiter deputandum.

9. Non potest Vicarius Episcopi, ut docent Suarius, *3.disp.7.c.6.n.157.* Sborz, aliique cum Merolla sine speciali mandato absolvere à casibus, seu Censuris Pontificiis concessis Episcopo, potest ex speciali delegatione, quia, sic Concilium requirit ibid. *(ad id specialiter deputandum.)* Addit Henriquez *lib.14.cap.19.* sive *in comment. lit. I. & lib.6.cap.14.num.7. in comm. litt. O.* cui adhærent alii, quos citat Barbosa *part.2. de potest. Episc. alleg.30. à num.11.* non posse Episcopum hujusmodi potestatem absolvendi (ut etiam dispensandi, &c.) committere generaliter suo Vicario, sed tantum, quando casus occurrerit: melius tamen posse docet Sanchez *lib.2. de Matrim. disp.40. num.17.* (excepto casu hæresis, de quo mox) quia illud *specialiter deputandum*, verificatur, si deputetur specialis ille Vicarius ad absolvendum ab omnibus, &c.

An Vicarius Generalis possit absolvere, ut & dispensare in casibus, in quibus potest Episcopus ratione concessionis, & impedimenti recurrendi ad Pontificem dicam infra *c.12.§.2.n.39.*

19. Sed per hanc occasionem quæres, An possit idem Vicarius Episcopi absolvere à casibus, quos sibi reservavit suus idem Episcopus?

Respondeo, Barbosa *de potest. Episc. part.3. All.54. num.116.* cum Merolla *tom.3. de Iurisd. Vic. d.7.cap.6. num.408.* citans Sbroz, Vgolinum, Rebuffum, &c. non posse ex generali concessione Vicarius, nam ex generali concessione non veniunt ea, quæ speciali indigent impressione: Poterit ergo ex concessione speciali Hæc doctrina solidæ praxis; Cæterum, an ex doctrina Sanchez, *lib.3. matr. d.29. à num.15.* Merolla, loc. cit. & aliorum dicentium, absolutè Vicarium Episcopi posse sine speciali mandato audire Confessiones omnium Diœcesi, & concedere aliis licentiam audiendi, videtur colligi, simili modo posse casus dictos reservatos absolvere, aliis decernendum relinquo.

11. Illud scito, Episcopum hanc, vt & similes potestates specialiter suo Vicario concedendas, non solum legitime illas ipsi tribuere, eam, vel eas specialiter exprimendo, verum etiam exprimendo aliquam ex illis, & deinde apponendo clausulam generalem pro cæteris, vt in simili adnotavit Quaranta *V. capit. Sede vacante* §.2. & Merolla cum aliis *loc. cit. n.410.*

IDEM IN HÆRESIS CRIMINE.

12. Tridentinum, propter gravitatem criminis hæresis, disponit, ut illa, si externa sit, & occulta absolvi possit idem in foro conscientiæ possit ab Episcopo, sed, vel immediate ab ipso, vel mediate, dando alicui Sacerdoti potestatem, solum, quando casus occurrerit, non vero generaliter. Hunc esse sensum verborum Concilii plurimus probat Fagundez *p.c.Eccl.2.lib.8.c.18.n.16.*

Nil præterea hic explicandum occurrit, nisi fuerit advertere, hanc Episcopi potestatem non fuisse, nec esse per Bullam Cœnæ Domini, vel revocatam, vel limitatam, esse probabilissimum, ut nos probavimus *in Dec.c.1.§.9.à n.12.*

IN FORO CONSCIENTIÆ

13. Non ergo hæc Absolutio ab Episcopo per se, vel per alium collata delinquenti occulto, impedit, quin delinquens possit accusari, capi, damnari in foro exterior. Verum, ut hæc, & quid importet, hujusmodi clausula (*In foro Conscientiæ*) distinctius noscas, vide quæ dicam infra *cap.13.à n.35.*

## CAPVT XI.

### *De Delegatione facta Regularibus ad absolvendos casus, & excommunicationes reservatas.*

DVplex Delegatio facta est Regularibus circa prædicta, altera Prælatis ad absolvendos subditos, altera iisdem, vel cæteris Confessariis Regularibus ad absolvendos Sæculares. De vtraque separatim.

§. I. *Prælatorum Regularium potestas ad suos subditos absolvendos.*

1. VArii varia congerunt in hanc rem. Ego sequor Suar. *tom.4. de relig. tract.8. leg.2. cap.19. à n.11.* Abi Peyrinum, *tom.2. in Const. 4. Sixti 4. num.22.* Abi & Portellam, & vtrosque Rodriq. quos refert, nec refellit Pelliz. *tract.8. cap.2. num.33.* ac Leandrum *de excomm. q.72.* saltem probabiliter asserentes Prælatos Regulares Mendicantium, eorumque Privilegia Participantes ideò, Generalem, Provincialem, Superiorisque locales (nisi quid obstet mox afferendum *n.6.*) posse absolvere suos etiam Novitios (teste Suar. *loc. cit. cap.15.*) *n.11.*) ab omnibus peccatis, Censurisque à jure, vel homine latis quomodocunque reservatis, etiam Papæ, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini (excipe hæresim, de qua mox à *num.12.*) Ratio tam amplæ potestatis est, quia, tum ex suo jure ordinario, quod dictis Superioribus competit, tum ex variis privilegiis prædictis Mendicantibus concessis ea colligitur, & quidem tanquam

tanquam ordinariis Pastoribus, atque adeo cum potestate delegandi,

2. Affert Peyrin. de dicta ampla potestate concessione m Pii V. factam Prælatis Cassinensibus, ut ait Suarez *loc.cit.c.19.n.12. junctoc.22.a n.8.* anno 1571. quam hîc instar omnium inserere operæpretium est, nam cæterum apud eundem Peyrin. eundem Leandrum invenies probatum, eam non esse revocatam per Bullam Cœnæ per Decreta Clementis VIII. vel Vrbani VIII. nec hactenus ab aliis. Concessio autem sic habet.

3. *Vt possint* (Prælati Cassinenses & consequenter participantes cum ipsorum Privilegiis) *absolvere omnes suos fratres, tam professos, quam novitios, in Religione tamen perseverantes, à quibuscunque peccatis, Censuris, & pœnis per eos tam ante, quam post ingressum in dictam Congreg. seu Professionem incursis, & in futurum incurrendis; etiamsi fuerint de casibus Apostolicæ Sedi reservatis; vel comprehensis in Bulla, quæ dicitur Cœna Domini singulis annis legi consueta, quoties opus fuerit, injuncta eis pro modo culpæ salutari pœnitentia.* Hactenus Pius V.

4. Vnde colligit primo Leander *loc.cit.q.*30. cui adde Frag. *part.leg.*11.*d.*24.§.14.*n.*29. non solum excommunicatum per sententiam generalem ab aliquo Iudice, verum etiam excommunicatum per sententiam particularem, si is ingrediatur in Religionem, posse ex vi Privilegiorum Religiosorum, absolui à suo Prælato, dummodo satisfacta sit pars, quia dicta privilegia generaliter concedunt dictis Superioribus potestatem absolvendi suos ab omni Censura lata ab homine.

5. Colligit Secundo, propter eandem rationem, Ascanius Tamb. *de jur. Abb. tom.2. disp.14.q.*10. posse eosdem Prælatos absolvere suos à percussione publica Clerici. Verum de ejusmodi delictis publicis vniversaliter *mox à num.9.*

6. Duo hîc sunt animadvertenda. Alterum, in aliquibus Religionibus interdum aliquod peccatum reservatur Provinciali, & tunc, Rector, seu Prior, non potest illud absolvere; interdum reservatur Generali, & tunc, nec Rector, nec Provincialis poterit. Quisque igitur suorum Ordinum dispositiones consulat, nam cæterum de jure constat Privilegia modo dicta.

7. Quoad nostram Societatem scimus aliquid restrictum esse de memorata nostrorum Superiorum potestate, tum circa casus Pontificios, tum circa reservata ab ipsa Societ. *vt in Compendio Privil. Soc. V. Absolutio, & in Catalogo præcept. & Cens. in Gen.9. Congr. confecto*, videri facile potest, & mox à nobis iterum indicabitur *n.*13.

## QVOAD PROXIME INGRESSVROS in Novitiatum.

8. Inquires Primo, dictum est *n.*1. (etiam Novitios.) Quid de Sæculari proximè ingressuro in Novitiatum? poterit non solum à non reservatis, sed etiam à reservatis absolui à Prælato Regulari, vel de ejus concessione ab alio Confessario?

Respondeo. Negat Th. Hurt. *part.2. tract.12. cap.*1.§.2. *dub.*10.*n.*201. cum quo sentio, quia hic verè non est, nisi meræ Sæcularis, circa quem nullam habet Iurisdictionem Prælatus Regularis. Quidquid ergo concedat Diana *n.*11. *tract.4. resol.*16. asserens Peyrinum, Pellizzar. & Vecchium; nullam enim firmam affert pro dicta concessione rationem.

Portella *in Reg. dub. v. Novit. absolutio* affert pro hac concessione quædam Privilegia, quæ tamen ego *supra de pœnit. cap.*5.§ 2. *num.*4. indicavi, hodie esse omnino revocata.

## CIRCA DELICTA PVBLICA.

9. Inquires Secundo. Quando dictum est *n.*1. posse Prælatos Regulares suos absolvere, sive per se, sive per Delegatum Confessarium ab omnibus casibus, & excommunicationibus etiam reservatis, intelligitúrne tum de occultis, tum de publicis? Respondeo. Sanè de occultis (excepta hæresi, de qua mox separatim) posse mihi certum est, & fusè probat Leand. *de excomm. d.*17. *à q.*7. Primo, ex propriis Religiosorum privilegiis. Secundo, quia occulti jam sunt Episcopales, quo ad hoc; ut supra etiá non docuimus cum Sanchez. Tertio, ex concessione facta Episcopis à Tridentino concedente posse ipsos ab omnibus casibus, & excommunicationibus occultis, quoquo modo Pontifici reservatis, absolvere subditos suos. Quam concessionem competere Regularibus Prælatis idem Auctor probat, tum de jure, quia in hoc habent dicti Prælati Episcopalem Iurisdictionem in suos, tum ex privilegio concesso Prælatis Dominicanorum, ut hac potestate Tridentini gauderent. De occultis ergo mihi certum est, at de publicis non est ita mihi certum.

10. Nihilominus satis eidem mihi probabile videtur, posse etiam de publicis semper intelligi pro foro tantum conscientiæ. Primo, quia absolutè, & non cum limitatione publicis, vel occultis loquuntur Privilegia. Secundo, quia Iulius II. apud Peyrinum *tom.2. in const.4. Sixti IV. n.*15. declarat, non obstante Bulla Cœnæ de cujus reservationibus dubitari poterat Privilegiato Regulares posse in perpetuum absolvere suos ab omnibus in ea contentis, ac si Bulla prædicta Cœnæ non esset facta, nec fieret. Sed tunc, nimirum, si hæc Bulla facta non esset etiam publica potuissent, ergo, & nunc.

Tertio, quia Doctores in multis æquiparant Privilegium Bullæ Cruciatæ cum hoc privilegio Mendicantium. Sed ex privilegio Cruciat. absoluuntur, saltem Semel, casus reservati etiam publici, ut *c.*13. *n.*1. dicemus; ergo, &c.

Quarto, quia Privilegium Martini V. sic habet apud Leand. *d.*16. *de excomm. q.*73. de Priori Sancti Benedicti & consequenter de Participantibus in Privilegiis, *Vt ipse in foro Conscientiæ possit absolvere Monachos ab omni excommunicatione, etiamsi talis esset, quam ipse Summus Pontifex reservare consuevit, & cum eis in omni irregularitate, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reservat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione, valeat dispensare, dum tamen aliquod horum trium non sit notorium.*

Hæc Martinus V. Si ergo excipit, quoad notoria, solum Irregularitatem contractam ex his tribus Morte, Truncatione, Effusione, non autem aliquid excipit ex absolutione Excommunicationem, clarè sequitur, ex vi hujus privilegii, etiam publica reservata Pontifici, posse, à dictis absolui.

11. Merito ergo Tamburinus modo *n.*5. dixit, à prædictis Prælatis posse absolui publicos percussores Clerici, Meritò item modo *n.*4. Leand. voluit, à dictis Prælatis posse absolui suum subditum per sententiam particularem excommunicatum, satisfacta parte. At profecto tunc excommunicatio publica est. Merito denique Suar. aliique *ll.cc.* absolutè nihil distinguentes de occultis, vel publicis, docuerunt, posse ejusmodi Prælatos absolvere suos ab omnibus, etiam Cœnæ Domini, &c.

## CIRCA HÆRESIM.

12. Quamvis etiam hodie nonnulli concedant, Prælatos Mendicantium, & eorum privilegia participantium posse ab Hæresi saltem, quando est occulta, suos subditos absolvere; nihilominus quid tandem in praxi amplectendum sit, incipiendo à Societate, mox intelliges.

P. N. Generalis ex auctoritate, qua pollet communicandi, vel restringendi Privilegia nostro Ordini concessa, prohibet. *In Comp. privil. Soc. v. Absolut.* ne à Rectoribus, vel Præpositis absolvatur peccatum hæresis, vnde multo magis ne absolvatur peccatum relapsus in illam, & Apostasiæ ab Ecclesia, commissum à nostris: Provincialibus verò concedit, ut ab illis solum absolvantur dicta peccata in casu magnæ distantiæ Generalis, idque sub

sub honore, quo Pœnitens obligetur, sive per se, sive (salvo sigillo) per ipsum Provincialem, se, coram Generali præsentare. Id jam olim erat; Verum hodie, ne Provincialis quidem potest suos subditos absolvere ab hæresi, vel ejus relapsu in locis, Sacræ Inquisitioni Hispaniæ subjectis Ratio est, quia hanc potestatem à se abdicavit Noster. Pat. Generalis, ut item Congregatio Generalis V. *Decr. 16. f. mihi. 348.* accedente Pontificis Summi auctoritate. Lege Castropal. *T. 1. tr. 4. d. 4. p. 3. §. 3.* & decretum hac de re dictæ V. Congregationis.

13. Dixi (*Quamvis occultis*) Nam id mihi indicat Revocatio facta à Summo Pontifice per Breve, cujus meminit dictum Decretum, & quam revocationem acceptavit Congregatio Generalis, hoc est, tota Societas. Cum enim Pontifex revocaverit per dictum Breve privilegia, quæ Pontifices cõcesserant Societati circa Absolutionem hæresis, & circa lectionem librorum prohibitorum, quia privilegia illa comprehendebant sine dubio Absolutionem hæresis occultæ, dicendum est, hanc fuisse revocatam. Et nota obiter, id etiam esse in ordine ad externos, omnis enim potestas absolvendæ hæresi, juxta prædicta, à nobis ablata est.

14. Alios Religiosos in iisdem locis, Hispanicæ Inquisitioni subjectis, non habere potestatem absolvendi suos subditos ab hæresi, disertè tandem docet Leander mox citandus. Et quidem hodie, multo magis, ita dicendum est post declarationem Innocentii X. 23. Maii 1656. publicatam hîc Panormi per Edictum Inquisitorum 15. Februarii 1657. Vbi vero Hispanica Inquisitio non adest, concedit potestatem prædictam idem Leand. an probabiliter, tunc decernes, quando rationes, hinc inde probantes, *apud Dianam part. 11. tract. 2. resol. p. 18.* legeris ut item *apud Amedeum, in anno tr. de fide, prop. 1. & 2.* & plenius *apud eundem Leandrum d. 27. de excomm. à quæst. 76.*

## CONFESSARIVS REGVLARIS in ordine ad suum Superiorem.

15. Diximus aliquando superius *c. 7. §. 1. n. 3. & c. 9. §. 1. à n. 2.* Confessarii Regularium, non eo ipso, quod ipsi deputantur Confessarii, concedi potestatem absolvendi Religiosos, sive à reservatis Pontifici, sive à reservatis in tali Religione. Quæro jam nunc, an dictus Confessarius Ordinarius pro Regularibus subditis Deputatus, possit aliquando absolvere ipsum Superiorem à dictis casibus reservatis.

16. Respondeo, ut ex radice habeatur hæc resolutio præmitte cum De Lugo *de Pœnit. d. 20. à num. 67.* Superiorem, seu Prælatum Regularem posse eligere sibi pro suo Confessario Sacerdotem, quem voluerit, etiam non subditum, etiam non Religiosum, etiam non approbatum ab Ordinario, & ab eo absolui à non reservatis, ut patet *c. finali de pœnitentia, & remiss.* Sicut enim ipse potest suis subditis quemcumque ex dictis concedere. Ita, & sibi, ne scilicet pejoris ipse sit conditionis. Ita Pasqualigus *decis. 97. & 98.* Tamburinus *de jure Abb. t. 2. d. 6. quæst. 10.* Th. Hurt. *p. 1. res. mol. fol. mihi 104.* excludens Parochos, Pellizarius, *tract. 8. cap. 2. à n. 2.* qui vltimus limitat pro Iesuatis in ordine ad suos, & in Prælatis Regularibus exemptis in ordine ad Moniales; adsunt enim peculiares dispositiones Pontificum *apud ipsum* legendæ, ne Iesuatus Superior eligere possit pro suo Confessario non approbatum ab Ordinario & ne dicti Prælati concedant Monialibus Confessarium, pari modo ab Ordinario non approbatum.

17. Hoc posito. Respondeo, ac Dico Primò, in Religionibus, in quibus non sit aliqua legitima restrictio, Confessarios Ordinarios Domus Religiosæ posse absolvere, testibus Quintan. *de pœn. sing. 23.* Fag. *Eccl. præc. 4. l. 1. c. 9. n. 6.* & Sanch. *l. 8. matr. d. 3. n. 4.* ipsum Superiorem ab omnibus, à quibus dicti confessarii possunt alios Religiosos, atque adeo ab omnibus non reservatis. Patet id *ex c. dicto finali*, & ne ipse Superior sit aliis deterioris conditionis.

18. Dico secundo. Propter easdem rationes [illegible] quicquid potest concedere pro aliis, potest [illegible] si pariter nulla restrictio ipsi legitimè sit fact[illegible] potest delegare confessario suo potestatem, [illegible] ipsum Superiorem à reservatis, à quibus ipse [illegible] potest pro aliis delegare.

19. Dico tertio, In nostra Societate (nam in illis [illegible] gionibus consulat quisque Ordinationes suas [illegible] procedere doctrinam præcedenti dicto tradit[illegible] Rector v.g nostri Collegii potest quidem deleg[illegible] fessarium, ut is absolvat cæteros subditos ipsius [illegible] vatis, non vero, ut absolvat ab iisdem ipsum Rect[illegible] Ratio est expressa limitatio *In nost. Ordinat. c. 6. n.* A reservatis, dixi, nam à non reservatis posse [illegible] certum est. Ita De Lugo *d. 20. de pœn. n. 66.* Pellizz[illegible] *c. 1. num. 63.*

20. Et quidem olim, si rector, seu Superior [illegible] noster in casum reservatum incidebat absolvebat Confessario ordinario cum onere se præsentandi [illegible] vinciali. Quod si ipse Provincialis incidebat, absol[illegible] tur ab eodem confessario Ordinario cum onere [illegible] sentandi ei, qui ad hunc finem à Generali esset dest[illegible] tus, ut habetur in eadem ordinatione, quam etiam [illegible] Quintanad. *l. c.*

21. Nunc vero (quia id durum certè erat) jam ob[illegible] bitum est planius remedium, quo scilicet dictis Sum[illegible] ribus designatus est à Congregatione Generali §. [illegible] 6. & 8. Confessarius in casu, quo ipsi incidere[illegible] vata. Designatus autem est his verbis.

*Facultas absolvendi à reservatis Superiores [illegible] do (quod Deus avertat) in aliquem incidere [illegible] tatur libere uti ex Confessariis Collegii, vel Dom[illegible] Provinciali designando. Denique similis facultas [illegible] vendi Provincialem ejus facto absolute concedatur.*

22. Hactenus octava Congregatio. Iuniperus [illegible] *casib. reserv. part. 1. dub. 8. quæst. 2. cap. 3. num. 20.* sit quædam concessionem eligendi Confessarium quemcumque voluerit superioribus factam, quia est ex jure Pontificio *dicto c. finali*, non posse ab aliquo restringi. Et quo Iuniperi dicto sequeretur, restrictionem [illegible] allatam irritam esse. Sed certe dictum Iuniperi non [illegible] in Societate, in qua omnia Privilegia nobis sunt communicanda à Rev. Patre Generali, etiam illa, quæ continentur in jure communi, quia Gregorius XIII. *in comp. privil. Soc. V. communic. §. 5.* de omnibus concessis cultatibus edicit; ne personæ Societatis, possint [illegible] vti, nisi de Generalis licentia, & habes *ap. Suarium de Relig. tr. 10. l. 10. c. 5. & ibid. tr. 8. l. 2. c. 14. n. 15.* Prælatis inferioribus aliarum Religionum concessa [illegible] se dispensare quibusdam præceptis Ecclesiæ suos [illegible] tos (quod certè ipsis Prælatis convenit ex jure [illegible] at non Prælatis inferioribus Societatis, nisi ut dixi[illegible] est, illis à Patre Generali fiat ejusmodi potestatis [illegible] municatio. *Prædicto* autem *Cap. final.* alio modo respondet De Lugo *d. 20. de pœnit. n. 64.* cui non placet [illegible] alius respondèdi allatis à Suario. Consultius ergo [illegible] Iuniperus, si Societatem ab illa Doctrina excepit[illegible] excepit De Lug. *l. 4. Respons. moral. d. 28.* Bardi in [illegible] *l. 6. q. 19. n. 9.* Pelliz. *tr. 6. c. 1. n. 63. & tr. 8. c. 2. n. 71.* [illegible] vero Religiones remisisset ad dispositiones.

23. Dico denique quarto, sine solido fundamento Quintanad. *de pœn. sing. 23. n. 5.* dixisse Superiores [illegible] ctos Societatis solum pro reservatis commissis occasione sui muneris, seu ut Superior est, non posse sibi Confessarium eligere, sed pro cæteris posse; sine solido, inquam fundamento; innititur enim in quadam [illegible] Epistola R. Pat. Claudii Generalis sic ut is Auctor [illegible] tat declarantis. Sed certè P. Claudius, nec clarè loquitur ex ipsis Epistolæ verbis, quæ idem Quintanad. [illegible] effert, cognoscere poteris, nec per privatum [illegible] sum judicandus est P. Claudius voluisse ferre [illegible] vniversalem de re tanti momenti, & de qua tanta [illegible] habetur in Societate.

Quæres, Potestne Rector, v.g. qui est in fine [illegible]

minis, dare facultatem absolvendi à reservatis suo subdito, & deinde, regimine abdicato, absolvi à dicto olim subdito suo à reservatis, fortè commissis in tempore, vel post tempus, quo regebat?

Respondeo. Id vniversaliter de omnibus Superioribus exagitat De Lugo *de pœnit. dub. 16. à num. 4.* quia res cum tanta sit, sufficit hunc tibi Doctorem indicasse.

## CIRCA NOVITIOS.

Satis explicui suprà *c. 1. à n. 5.* quisnam absolvere valeat Novitios à reservatis: quæ ergo in hoc argumentum eadem illinc pete.

## CIRCA ITER AGENTES.

24. De hac re in vniversum egi *in Tract. de Approb. Confess.* & videri potest Suar. *t. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 17.* Addatur & Ascan. Tamb. *de iure Abb. t. 2. dub. 6. quæst. 6.* De Lugo *de pœn. d. 15. sec. 6. à num. 100.* Quint. *de pœn. sing. 12.* Quare illud duntaxat, quod in hunc locum remisi, de quodam peculiari jure nostræ Societatis superest explicandum.

## CIRCA ITER AGENTES, IN SOCIETATE.

25. Habe, in ipsa fronte hujus argumenti verba Ordinationis nostræ hac de re sic disponentis, *cap. 6. de casib. reserv. n. 6.*

16. *De iter agentibus* (ait) *quando ad aliquem Societatis locum diverunt, potest a reservatis Ordinarius loci illius Confessor absolvere, aut, si is haberi non possit, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus, aut, si is quoque desit, etiam externus.*

27. *In omnibus tamen his casibus cum onere, & obligatione, ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri, vel redituri sunt, eique, aut alteri de ejus licentia confiteantur.*

28. *Si verò accidat, ut aliquis tanquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puta spatio vnius, aut alterius circiter mensis) si eo tempore in casum aliquem reservatum incideret, poterit, ac debebit absolvi à Superiore illius loci, in quo est, vel de ejus licentia, tanquam si proprius esset ejus subditus, sine obligatione sistendi se Superiori ejus loci, ad quem propriè pertinent.*

29. Hactenus Ordinatio. De qua multa Suarez, *loc. c. & dub. 20. de pœnit. sec. 5.* De Lugo *loc. cit.* Quintan. *loc. c.* Castrop. *de pœnit. part 5. n. 9.* Turr. Vasq. 10. Sanch. *apud Quintanad.* aliique. Tu breviter nota Primò, obligationem esse, ut iterum confitearis peccata illa reservata, ut habet Ordinatio *num. 27.* allata. Neque obstat non posse obligari quempiam ad confitenda bis eadem peccata, non obstat, inquam, quia ad hoc respondent variis modis prædicti Doctores, sed planior est illa resolutio, quam affert ex R. P. Mutio Generali, De Lugo, non posse quidem ab alio obligari quempiam ad iteratam Confessionem ejusdem peccati, sed posse se ipsum ad illam obligare, ut fit in casu nostro, in quo ipsemet pœnitens se obligat, & quidem voluntariè; cum enim ipsi offeratur commoditas illius absolutionis, ea lege, ut voluntarie accepret iterum idem peccatum confiteri, ut ipse, ut ea commoditate fruatur, acceptet, voluntariè acceptat. Legi id *apud De Lug. l. c. n. 16. iuncto n. 128.*

30. Nota secundò, etiam si Confessarius hunc pœnitentem non admoneat de hac obligatione, ipsummet tamen accedendo ad talem Confessionem, illaque fruendo, obligationem acceptare. Vnde semper obligatur sub mortali (est enim res gravissima) illam ponere.

31. Nota tertiò, prædictum Pat. Mutium explicasse apud De Lugo *loc. cit.* non esse Societatis mentem, eam facultatem dare, quando subditus ex industria, eo ipso fine facit iter, aut alias iter facturus, ex industria, Confessionem differt, ut possit in ipso itinere absolvi? Addit, nec posse etiam in itinere adire externos, cum assint proprii.

32. Nota quartò, hæc dicta esse de casibus reservatis Quare, si dictus Pœnitens iter agens, servando Ordinationem prædictam, confiteantur alia non reservata, non habet dictam, ut habet Suar. *t. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 17. n. 10.* obligationem se sistendi superiori, nec iterum ea non reservata confitendi, quia, quoad non reservata, non limitatur, ut detur Absolutio cum dicto onere.

33. Nota quintò, Castrop. *loc. c.* qui etiam citat Suar. asserere, se propendere ad dicendum, nostrum, qui iter agit, quando moratur, etiam per breve tempus, vbi adest Confessor Ordinarius Collegii, in quo ipse moratur, non posse Absolutionem obtinere à suo socio, quamvis hic forte esset Confessor Ordinarius Collegii iter agentis. Ratio est, quia prædicta nostra Ordinatio allata *n. 28.* præscribit, ut hospes absolvatur à Confessario Domus, quando is hospes in ea domo commoratur, etiam pro brevi tempore. Licet ergo (ait Castropalaus) consuetudo obtinuerit, posse à tali socio absolvi alios Religiosos iter agentes, non tamen poterit Religiosus noster. Hæc ille. Scio Quint. *de pœnit. sing. 12.* concedere posse, sed prædictam rationem nequaquam solvit.

34. Dices pro Quintanad. *In cit. manuscr. Ref. Gen. V. Confess. §. 6. n. 2. & 3.* stare duo responsa Nost. Pat. Generalis, Ecce illa. Primum. *Si nullus sit inter eos* (iter agentes) *reliquorum Superior, & non nisi ad breve tempus, v. g. octo dierum in alieno Collegio moraturi sunt, possunt confiteri, vel Superiori illius loci, vel Ordinario illius, vel ei, cui ex nostris in itinere confitebantur. Lugd. Provinc. 1579.*

Alterum. *Quando duo Sacerdotes simul mittuntur foras, debent sibi invicem confiteri, nec possunt alteri, etiamsi de nostris in itinere forsan occurrent. Si per Collegium aliquod transeant, in eoque quiescant aliquot diebus, potest etiam vnus alteri confiteri, licet non debeat, C. Tolet. 1628.*

35. Respondeo, Hæc responsa particularia, nec nobis authentica, non posse prævalere supra Ordinationem publicam, & authenticam, sed juxta hanc debere illa reformari.

36. Peres, si prædictus in itinere absolutus à reservatis, deinde legitimum suum Superiorem, sive per se, sive per alium conveniret, & patefaceret reservatum in genere, reciperetque pœnitentiam, vel remedia prout Superiori visum fuerit, sed obtineret remissionem obligationis iterum peccatum illud confitendi, securúsne esset pœnitens recipiendo ejusmodi remissionem, & Superior illam concedendo? Ratio dubitandi est, quia Ordinatio *n. 27.* allata præscribit iteratam Confessionem, quam hîc pœnitens in prædicto casu non ponit.

37. Respondeo, Quamvis id apud neminem legerim; puto tamen vtrumque securum fore. Nam pœnitens jam fuerat in itinere directè absolutus ab illis peccatis, & ex alio capite jam legitimus Superior remittit illi liberè eam obligationem iterum confitendi. Ipse autem Superior securus item erit, quia ejusmodi tota causa ad ipsum pertinet. Quare poterit prudenter judicare sic sufficienter ordinationi satisfactum esse. Ita, inquam, puto, salvo meliori judicio, cui libenter me subjicio.

38. Denique habe hîc, & illud Responsum ad iter facientes pertinens *in præd. Respons. V. Confess. §. 6. numer. 1. & 9.*

*Si inter eos* (inquit) *qui iter faciunt, sit Ordinarius eorum Superior, v. g. Rector, Provincialis, potest in alieno Collegio audire suorum subditorum Confessiones, si velit.*

### §. II. *Prælatorum, & Confessariorum Regularium potestas ad absolvendum Sæculares, Remissivè.*

1. SAtis de hac potestate nos egimus *Lib. 3. method. Conf. cap. 7.* Vide multa *apud Castropalaum tom. 3. d. 4. de voto Relig. obed. p. 8. num. 12. vbi etiam quoad alias pœnas.* Quare vnum tantummodo occurrit monendum. Ut, quamvis aliquando possint Religiosi Mendicantes absolvere nominatim excommunicatos pro foro Conscientiæ, modo ibidem à nobis explicato; non debeant

tamen

tamen passim id facere, sed remittant Pœnitentem ad suum Episcopum, vel ejus licentiam expostulent nimirum, ne veniat in contemptum ejus Iurisdictio. Quod si ita ionabilis adsit causa, ut, si nimis Episcopus distat, au licentiam negat, tunc enimvero absolvi pro foro interno ejusmodi pœnitens poterit, si alias, est dispositus, nec per ipsum stat, quo minus a suo Prælato absolutionem pro foro externo obtineat. Consonant huic monitioni ea, quæ de Bulla Cruciatæ dicentur inferius *cap.13. num.19.*

## CAPVT XII.

### *De Delegatione, seu Potestate simplicis Sacerdotis in casu necessitatis, ad absolvendum.*

COnceditur simplici Sacerdoti posse absolvere ab omnibus casibus & excommunicationibus quomodocunque reservatis. Primò, in articulo, seu proximo, & probabili periculo mortis, & ex Castrop. *loc. mox citando*, etiam dubio. Secundò, in impedimento perpetuo, quo pœnitens convenire Superiorem non potest. Tertio, in aliqua alia vrgente necessitate, & quidem cum quibusdam oneribus, ut mox explicabimus per suos paragraphos.

#### §. I. *In Articulo, seu Periculo mortis.*

1. CElebris est quæstio, an in dicto periculo pœnitentis, quilibet, quamvis simplex Sacerdos valide, & licitè possit eum directè absolvere ab omnibus casibus, & excommunicationibus etiam ob hæresim contractis; nam non posse à suspensione vel interdicto, docemus omnes cum De Lugo *de pœn.dub.20. num.203.*

Quo possit, absente legitimo Confessario (& quoad excommunicationes, quas dictus Sacerdos absolvere alias nequit, imponendo onus comparendi, quod mox §.4.*à n.2.* explicabitur) nunquam fuit dubium, ut videbis, at, hoc præsente, maxime controvertitur inter Doctores, & duplex est de more sententia.

2. Prima quam cum multis, mox citandis, sequutus sum *in opusc. meth. Conf. lib.3. cap.7. §.1. num.1.* & nunc iterum sequor, affirmat. Ratio potissima, & veluti Achilles nunquam evincendus, ducitur ex Tridentino, *sess. 14. cap.7. De casib. reservat.* sic absolute pronunciante.

> „ *Pie admodum ne hac ipsa occasione reservatorum, ali-*
> „ *quis pereat in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut*
> „ *nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo om-*
> „ *nes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis pec-*
> „ *catis & Censuris, absolvere poterunt.*

3. Quæ verba adeo sunt clara, ut nimis immerito Turr. *in Censur. Theol. dub.77.* dixerit, hanc sententiam esse improbabilem, saltem enim auctoritas tot insignium Doctorum eam sequentium, tam valido Tridentini testimonio vallata, non debuit nota improbabilitatis inuri; Eam inter cæteros tenent Navarrus, Sà, Ledesma, Rodriq. Vega, Henriq. *apud Marchinum, de peste cap.3.* P. Hurt. *de fide, d.84. sect.8.* aliique quos refert Diana, *part.5. Res.5. & tract.3. res.65.* & Castrop. *t.1. tr.4. d.4. p.3. §.5. n.8.* cum Barbosa, Sairo, Reginaldo, aliisque quos refert De Lugo, *de pœn. d.18. sec.2. n.23.* quibus addantur Verricelli *tr.2. q.mor.25.* Leand. *de pœnit. tr.5. d.11. q.18.*

4. Confirmatur Primò, quia Tridentinum non addit (si desit copia legitimi confessarii) cur igitur non addere velimus? cum solemnia sint illa axiomata: *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, Quod voluit lex, expressit: Beneficium Principis, vbi nullum est alterius præjudicium, est latè interpretandum. Quæ sunt in favorem animæ, non sunt restringenda.*

5. Confirmatur secundò; nam ipse Castropalaus *l.c.* aliique plures, qui nostram sententiam non sequuntur, adhuc nostram vocant probabilem.

6. Confirmatur tertio, quia negatio est multiplex naturæ omnia removens: cum igitur Tridentinum dicat, nulla est reservatio, &c. omnem omnimodam reservationem quibuscunque circunstantiis reservationem tollit penitus.

7. Confirmatur quartò, quia illud argumentum, quo pro hac sententia *loco citato*, olim induxi non probabilem solum eam reddit, ut ibidem dixi, sed re mea sententia considerata, reddit moraliter certam.

Argumentum autem breviter est hujusmodi. Non potest negari hanc sententiam nostram esse probabilem, ut fatentur ipse Castrop. *l.c. n.8. & 9.* & seudecim Doctores à De Lugo *l.c.* adducti, & plures à Verricello citando: sed in Iurisdictione probabili, sententia communis, quod Ecclesia dat Iurisdictionem certam, ergo prædicta Iurisdictio non erit amplius probabilis, sed certa. Minorem hujus argumenti, præsertim quod nos eam ex communi consensu firmavimus *lib. de pœnit. c.4. §.8.* eandem probat ipse idem Castrop. *eodem t.1. d.2. de consc. opin. part.5. num.9.* cum Verric. *tr.2. quæst. mor.25.* & Dicast. *n.8. de pœnit. d.dub.14. à n.368.* afferentes Suarium, Lessium, Thomam Sanchez, Basilium de Leone, Coninch, Bonacinam aliosque, qui affirmant, operanti ex opinione probabili, quia scilicet quis probabiliter judicat, se habere illam dictionem, statim de facto ab ipsa Ecclesia Iurisdictionem certo conferri. Hoc argumentum latius, & cum magna contentione prosequitur, idem Verricelli *citato.*

8. Sed jam secunda sententia negat; eam enim amplam potestatem pro illo articulo arctat ad eum tantum casum, quo legitimus desit Confessor, vel si adsit, non Confessionem audire. Ita tenet Sanchez & ab illo citati *lib.2. in decal. c.13. n.7.* Rosella, Sylvest. Armilla, Navarruvias, Catechismus Pii V. Graffius, Guttierez, Lebranus, Sotus, Suarez, Valentia, Molina, Azor, aliique. Ita etiam Bonacina, Coninch, Ocagavia quos citat sequiturque De Lugo *d.28. de pœn. n.24.* In tenet Castropalaus *t.1. tr.4. d.4. p.3. §.5. n.9.* alios citans.

9. Tria nihilominus concedunt nonnulli ex Sectatoribus hujus secundæ sententiæ Primò si mòrti proximus, laborans casibus, excommunicationibus reservatis, non possit personaliter eum nire potentem absolvere ab his, ipsum non teneri litteras, vel Nuntium ab eo petere facultatem, ut absolvatur, quia id nimis est grave, & affert periculum mortiæ: quare tunc poterit absolvi à quocunque simplici Sacerdote.

10. Secundò, nec eundem teneri sumere Bullam Cruciatæ, ut sic possit à dictis reservatis absolvi, quia hoc est medium extraordinarium.

Tertiò, si quando dubitatur an possit adesse Confessarius legitimus, tunc posse simplicem Sacerdotem monti proximum à dictis reservatis absolvere; quia in eo modi dubio præsumitur Ecclesia Iurisdictionem illi Sacerdoti conferre. Quod si supervenit legitimus adest Confessarius, poterit nihilominus simplex Sacerdos Confessionem inceptam finire, & absolutionem impertiri, quia causa jam cœpta est.

11. Porro plurimæ afferuntur rationes pro hac secunda sententia, quas invenies præcipuè apud *De Lug. & Castropalaum citatos*, Ego duas, quæ sunt difficiliores hic proponam, & solvam; cæteras quilibet maturiori criter in Theologicis versatus poterit, ut mihi videtur facile diluere.

12. Prima ratio quam affert De Lugo, ut ejus vim pareat, ut sic induci potest. Nullus, quamvis in articulo mortis, (nisi sub onere se præsentandi Superiori, vel legitimo Delegato, cum primum potest) absolvi valet ab omnibus communicationibus reservatis (nam in casibus, quibusvis reservatis, non vrget hoc onus, ut mox dicemus) ergo supponit Pontifex non posse pœnitentem, se antea non

sentare. Ergo, si est Superior, vel ejus Delegatus præsens, cui se pœnitens præsentare possit, obligabitur se ipsi præsentare, ergo cessat in alio simplici Sacerdote potestas eum pœnitentem absolvendi?

13. Respondeo, Distinguo primum consequens. Supponit Pontifex pœnitentem se non potuisse præsentare, tanquam necessarium ad hoc, vt detur simplici Sacerdoti potestas, sive facultas absolvendi in articulo mortis in dicto casu, nego, supponit Pontifex tanquam id, quod communiter accidere soleret, concedo consequentiam.

14. Deinde concedo secundam consequentiam, sed nego prorsus tertiam. Causa enim, vnde Ecclesia cum Tridentino mota est ad concedendum simplici Sacerdoti ejusmodi potestatem, fuit quidem periculum, quod communiter, & de facili potest, & solet esse: sed tamen illam absolute, & in omnibus casibus concessit, ut vidimus in textu Tridentini nihil limitantes; & forsasse, neque illa facilis absentia foit causa adæquata concessionis dictæ, sed insuper fuit facilitas, & summa commoditas, atque libertas eligendi quemcunque Sacerdotem, quam in tanto illo periculo voluit pia Ecclesia offerre morientibus. Moribundus ergo excommunicatione reservata alligatus, si præsentem habeat simplicem Sacerdotem. & insuper habeat præsentem Superiorem, poterit absolui à simplici, sed debebit, se præsentare Superiori, non ut accipiat Absolutionem, quam jam legitime obtinuit, sed ad subdendum se remediis, vel pœnitentiæ quæ imponere velit Superior, id enim est se præsentare, ut omnes docent, & nos paulò inferius §. 14. *à num.* 2. explicabimus quod certè diversissimum est ab absolvi.

15. Audivi quemdam Doctum Theologum asserentem, esse inter Doctores controversum an simplex Sacerdos posset, præsente Superiore, absolvere peccata reservata; at nullam esse controversiam, nec diversitatem opinionum circa Absolutionem excommunicationum reservatarum, sed esse certum, quod harum Absolutio, si possit haberi à Superiore, vel ejus legitimo Delegato non possit obtineri à quocunque Sacerdote; & ratio, dicebat, est, quia hic pœnitens tenetur, cum primum potest, se præsentare Superiori, at, illo præsente, potest, ergo ab illo absolvi debet. Verum facile negatur consequentia, transit enim ab obligatione præsentationis ad Absolutionem, quæ longè sunt diversæ, vt dictum est.

16. Præterea, quando Castrop. *t.* 1. *tr.* 4. *d.* §. 5. *n.* 8 dixit, nostram opinionem esse probabilem, signatè loquutus est, tum de peccatis, tum de excommunicationibus reservatis. Ecce ejus verba.

*Dubium est, an pro articulo, vel periculo mortis simplex Sacerdos possit præstare dictam Absolutionem, præsente proprio Sacerdote, vel Superiore, cui casus sunt reservati? Affirmant plures, tam de Absolutione peccatorum, quam Censurarum,* & sic tenet Navar. Sà, Henriq. Manuel Barb. Sair. Règ. &c.

Hæc ille. Qua veritate ergo potuit Doctus ille Theologus asserere, circa Absolutionem excommunicationis non haberi opinionum diversitatem?

17. Iam vero secunda ratio, quam ibidem affert De Lugo, sic formari potest. Tridentinum loco citato non condidit novum jus, sed retulit id, firmavitque, *Quod custoditum hactenus fuit ab Ecclesia Dei*, Sed ab Ecclesia semper custoditum fuit, ut præsente proprio Confessario, simplex Sacerdos non absolveret moribundum, ergo, &c. Major continet verba Tridentini. Minor probatur, ex tribus textibus Sacrorum Canonum, in quibus agitur de Absolutione moribundi. In primo enim *cs jubet* 26. *quæst.* 6. dicitur: *Eam posse dari à quocunque Sacerdote si absit Prælatus Ordinarius*: In secundo, *cap. Presbyt. in consulto* 26. *c.* 6. sic habetur. *Presbyter non reconciliet pœnitentes, nisi absente Episcopo, ultima necessitas cogat.* In tertio. *In Extrav. inter cunct.* §. *intendimus*, De Privileg. & *extrav.* 1. §. *Decernimus*, declarat Pontifex *Pœnitentes posse absolvi in certis casibus, si haberi nequeat recursus ad Episcopum, vel Pontificem*: ergo (infert De Lugo *numero* 8.) declarat, si ejusmodi recursus dari possit, illos pœnitentes absolvi non posse ab inferiore.

18. Respondeo. Daremus certè manus, si vera esset Major, & Minor hujus argumenti, nunc verò cum falsum aliquod assumant, negatur omnino consequentia. Discurramus de Minore, mox de Majore.

19. Dico Minorem esse falsam, si loquutio sit de absolutione Sacramentali, de qua nostra est disputatio. Vno enim verbo assero in citatis agi de pœnitentibus ex publica pœnitentia ad modum in veteri illa ætate vsurpari solita, ut expendens tres præcitatos textus clarè videre poterit accuratus lector. Et miror voluisse aliquos nostram responsionem, impugnare, fatentes, eos textus loqui de pœnitentia publica, sed addentes, eandem esse, quoad hoc rationem publici, & occulti. Miror, inquam, cum enim Sacramentalis Absolutio tendat ad internam, atque invisibilem reconciliationem cum Deo, & in ordine ad vitam æternam consequendam, reconciliatio autem illa publicè pœnitentium tendat ad ædificationem externam, & satisfactionem exhibendam visibili Ecclesiæ (ut interim alia discrimina taceam) eas Absolutiones esse validè diversas, vel cæcus videt. Merito igitur pia Mater Ecclesia voluit Fidelibus maximam se Deo reconciliandi facilitatem offerre in eo mortis periculo, vnde proximè pendet æternitas, quam facilitatem concedere pro illa externa reconciliatione, nec laboravit, nec erat conveniens.

Discurramus nunc de Majore. Dico, illud, in dicta Majore affertur (*id concedit Tridentin. quod custoditum antea semper fuit in Ecclesia Dei*) Dico inquam, esse falsum, Tridentinum enim non dicit se concedere, *quod custoditum semper fuit in Ecclesia*; sed absolutè pronunciat, *In Ecc. Dei custoditum semper fuisse, nullam esse in articulo mortis reservationem*, quod certè, ut ex se patet, satis diversum est. Immò ex hoc Tridentini pronunciato confirmantur maximè, quæ dicta sunt in præcedentibus, puta eos textu loqui de reconciliatione publici pœnitentis; si enim loquerentur de Sacramentali, nullo modo Tridentinum poterat absolutè, & sine addito pronuntiare, custoditum semper fuisse in Ecclesia, ut pro articulo mortis, nulla sit reservatio.

## *EXPLICATVR ILLVD (A QVOCVNQVE Sacerdote.)*

20. Etiamne ergo excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, hæreticus, schismaticus Sacerdos poterit tunc absolvere modo dicto, &c.

21. Respondeo. Ita, quoad validitatem, quia id significat illa amplissima vox Tridentini, (omnes Sacerdotes.) Quoad licitum vero vsum, nimis certum est, te, quamvis constitutum in mortis periculo, si adsit, vel adesse non difficulter possit bonus Sacerdos, hoc est prædictis impedimentis non irretitus, non posse petere Absolutionem ab excommunicato, suspenso, &c. quia nulla tunc te cogit necessitas, ut cooperaris cum illorum peccatis, modo explicato *in nostra Meth. commun. c.* 5. §. 4. & *in nostr. Decal. lib.* 5. *c.* 1 §. 4. *à n.* 39 at, si bonus haberi nequeat tunc præscindendo ab alio inconvenienti, licitum erit, nam te extrema illa necessitas excusat à peccato, quod aliàs esset in ejusmodi cooperatione, ut ibidem diximus in simili. Inconveniens autem illud certè esset, communicando v. g. cum hæretico, videaris approbare ejus errorem, seu sectam Lege §. 4. *cit. Meth. Com.*

## *EXPLICATVR, QVID SIT PERICVLVM, seu articulus mortis.*

22. Periculum, & Articulum in hac re, sic explicat Dicastillus *de pœn.* 10. 409. *pro eodem reputatur periculum, & articulus, quando mortis periculũ est propinquũ, & verum in*

*fieri, non autem quando fere certum est, mortem diutius esse afferendam, quo tempore potest occurrere opportunitas habentis facultatem legitimè absolvendi.* Hæc ille, qui deinde *n.*411. tunc approbat posse absolvi damnatos in Triremibus, ut in articulo mortis, quando debent periculosum mare transire, aut non esset aptus Sacerdos, aut haberi à tali damnato de facili non posset: Infero ego, non igitur omnes remigantes, ut putant minus bene aliqui apud Dianam *p.*11. *tr.*3. *resol.*

23. Pergit Dicastillus ibidem. *Plura sunt alia pericula, quæ arbitrio prudentis potius, quam certa regula definiri possunt, ut, cum quis in morbum periculosum incidit, qui maiore ex parte mortem solet afferre, aut iter agit expositum prædonibus, occidere solentibus, vel curationem alicuius morbi aggreditur, quæ periculosa esse soleat.* Hæc ille.

24. Hinc non iudico, in articulo seu periculo hoc existere eum, qui tertiana simplici febre laborat, vel simili, quia non solet hæc maiore ex parte mortem afferre.

25. Contra, in dicto periculo constitutos iudico.

I. Damnatos ad mortem violentam ipsis de proximo infligendam.

II. Navigantes, non semper, sed solum, quando incipit gravis tempestas, ut in casu modo dicto *n.*22. de damnatis ad triremes.

III. Milites, etiam spontaneos. Ita Diana *p.*11. *Tr.*5. *Resp.*29. ex Dicastill. quando proximum est periculum, ut notat Layman. *lib.*5. *tr.*6. *cap.*13. *n.*19. Ver. His adde.

IV. Prægnantes sub partu, quando expertæ sunt difficilem alias, & periculosum partum, & fortasse etiam omnes Puellas primi partus, & ut vult Castropalaus *l. mox citando* etiam illas, quæ ex complexione delicata, vel aliunde, prudenter, periclitari timent. Non igitur omnes parturientes, ut aliqui putant *apud Dianam loco citato.*

V. Eos, qui timent infamiam de proximo, seu se amissuros usum rationis.

VI. Eos qui serviunt peste infectis.

VII. Eos, qui febri, quam vocant Malignam, vel simili periculosa, laborant.

VIII. Eos, quorum capita sunt proscripta, id est, qui impune possunt ab omnibus occidi, nec in loco sunt tuto, v. g. non sunt in regione distanti, vel diversi dominii, nam, tunc non essent in periculo vitæ.

IX. Eos, qui iter faciunt inter grassatores, seu latrones, qui quos libet occidere consueverunt, ut modo diximus ex Dicastillo.

X. Eos, qui capitalem inimicitiam cum aliquo habent, à quo timent, se esse facile occidendos. Legatur Layman citatus, & Castrop. *tom.*1. *tractat.*4. *disput.*4. *p.*3. §.5. *n.*4.

26. Nimis ergo rigide loquutus est Valentia *apud Thomam Sanchez in Decalogum, lib.*2. *c.*13. *num.*11. (cui adde Sotum, & Covarruviam, ibidem citatos) dicens nomine articuli mortis intelligi illud tempus, quo instat inevitabiliter mors. Nimis quam, rigide, nam intelligitur etiam periculum probabile, sed vero proximum, mortis, ut rectè probat Gaspar. Hurt. *d.*10. *de pœnit. diff.*9. aliique, ex eo, Delugo *de pœnit. d.*18. *n.*21. quod Canones hac de re loquentes, modo utuntur voce (articuli) modo (periculi) Et sanè, sicut obligatio, seu præceptum confitendi mortalia vrget, non solum in stricto articulo, sed etiam in proximo probabili periculo mortis, ut communiter docetur, ita concedi prædicta facultas debuit omnibus Sacerdotibus, ut facilius Fideles dictam possent obligationem adimplere.

27. Tandem huc faceret quæstiuncula illa, an merus Clericus in Minoribus, vel etiam Laicus possit absolvere ab excommunicatione constitutum in articulo mortis. Verum id *In Trac. de excomm. c.*8. §.4. *n.*32. non admittemus.

§. II. *In Impedimento perpetuo, vel longi temporis.*

28. Quando quis est ita impeditus, ut morituri non mortem, non possit, personaliter (nam non obligari per Nuncium, supra §. *prac. n.*8. dictum est coram re ad Pontificem, vel ejus Delegatum, potest absolvi casibus, & excommunicationibus reservatis per Concilium approbatum, & hoc deficiente, per simplicem Sacerdotem, cum onere comparendi, mox §.4. *n.*31. explicando.

29. Vt id clarius fiat, sciendum est iura loquentia de excommunicatione contracta, ex percussione Clerici, disponere, ut ii qui hanc, etiam publicam, & enormem contraxerunt, si adire Pontificem, vel ejus Delegatum non possint, possint ab Episcopo cum dicto onere mox explicando, absolvi. Intellige, in utroque foro, quando prædicto casu iura *c. Mulieres, c. ea noscitur, c. Quamvis cap. De catero de sentent. excommunicat. cap. Quod de. c. De Mon. De sent. excomm. cap. eos, cap. quod vero in 6.* non se restringunt ut ad aliquem forum in particulari.

30. Nonnulli autem afferunt Episcopos habere hanc auctoritatem iure Delegationis, ut insinuat Pellizarius Non. *tr.*8. *c.*3. *n.*99. Nonnulli vero, ut Avila *de Cens. c.*7. *d.*1. *dub.*6. cum quibus ego sentio, iure ordinario, ut dixi supra *cap.*6. §.1. *num.*3. in simili. De hac re, & etiam an ab Hæresi, & videatur Diana *p.*11. *Tract. Res.*1. & 2.

31. Dixi (vel ejus Delegatum) nam si possent ad Regulares, qui haberent potestatem delegatam a Summo Pontifice absolvendi reservata Pontificia, prædicta non possent absolvi ab Episcopo, quia tunc est impedimentum, ut tenent De Lugo, *de pœnit. d.*20. *n.*101. Leander, *d.*15. *de excomm. qu.*61. aliique. Quamvis Bonignius Coninch. *de pœnit. d.*8. *dub.*11. teneat, in hoc casu, quo adsint Regulares Delegati, adhuc posse eos impeditos absolvi ab Episcopo, quia, constante impedimento adeundi Pontificem, tantum Episcopo redintegratur ejus ordinaria potestas absolvendi illas excommunicationes, quæ fuerat ipsi ablata per reservationem, ita mox tenent Gaspar. Hurtad. & Corn. *apud Dianam par.*5. *tract.*9. *resolut.*6. Leander autem dicit, hanc esse probabilem sententiam, licet præcedentem probabiliorem.

32. His præmissis, assero, quamvis prædicta disponantur à Sacris Canonibus pro excommunicatione ex percussione Clerici contracta, tamen intelligi etiam de omnibus aliis casibus, seu excommunicationibus Papæ reservatis, etiam in Cœna Domini, etiam ob hæresim. Ita Suarez *de pœnit. d.*30. *sect.*3. *n.*9. Castrop. *loc. cit.* Sanctar. *de hær. c.*6. *d.*3. aliique. Et quod Hæresim contra Sanchez *in summa lib.*1. *c.*16. *n.*37. Ratio est quia dem ratio confessionis militat in omnibus. Vnde regula Generalis hæc formetur. Quilibet impedimento perpetuo, seu longo tempore, in quo prudenter timetur morte antequam habeatur, qui de iure ordinario, vel Delegato, valeat eum absolvere, potest Absolutionem de prædictis directe ab Episcopo obtinere, quia ita reputatur, ac si esset in periculo mortis, sub hac tamen lege, ut, qui fuit absolutus, ab excommunicatione reservata Summo Pontifici, si deinde aditum ad ipsum habeat, vel ad ejus Delegatum, debeat coram illo comparere, mox universaliter explicabitur §.4.

33. Quid si haberi Episcopus nequeat, posserne in præd. dicto impedimento perpetuo, vel longi temporis absolutionem de his obtinere pœnitens à Parocho, aut quolibet legitimo confessario, & hoc deficiente, à quocunque Sacerdote?

34. Respondeo, Negant multi ut Bonac. *de Cens. disp. parat. q.*2. *q.*22. agens *de casib. Bullæ Cœnæ.* Valquez *in pœnit. ad quæst.*9. *art.*3. *dub.*8. & 9. Dnard. *in Bull. Cœnæ lib.*3. §.2. *q.*8. *num.*28. Dian. *p.*9. *tr.*7. *res.*10. aliique citati Boss. *in q. mor. tit.*4. *de Iurisd. absolv. à casib. reserv.* §.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia prædicti textus solum concedunt, ut in prædictis impedimentis adeatur Episcopus, nihil de aliis Confessariis. Multi tamen non minus probabiliter, in foro tamen Conscientiæ, & quoad excommunicationem, cum prædicto onere mox explicando, concedunt, quia reservatio, quæ est instituta ad bonum animæ, in ejus damnum surgeret, nisi sic eos textus interpretaremur. Ita Castrop. *de pæn. p.15.§.4.n.3. & de Cens. d.1. p.11.§.5. n.6.* Suar. *de pæn. d.30. sect.3.n.10. fine.* Alter. *tom.1. disp.6. lib.1.c.6.* & 8. aliique *ap. eosdem.* Ludov. Bertrand. Lotth. *in Resol. Theol. tr.1.q.1.art.9.n.1.*

35. Ex his diluitur illa difficultas, An sicuti Episcopus potest hunc impeditum absolvere à Papalibus, sic Parochus, vel quilibet Confessarius possit absolvere à casibus, vel excommunicationibus, Episcopo forte reservatis eum, qui habet modo dicto impedimentum; quo confugiendi ad Episcopum aditus non datur.

36. Respondeo, Et id etiam plures negant, ut Alter. Suar. *ll.cc.* De Lugo *de pæn. d.20. num.225.* Suar. *l.c.n.12.* quia Sacri Textus illud concedunt ob difficultatem adeundi ad Pontificem: at accessus ad Episcopum solet esse facilior; nihilominus etiam plures, ut Castropal, Duard. Bossius *ll.cc.* Gran. *in 3.p. controv.7. tract.10.d.7.* aliique apud Dianam *p.9. tract.7. resp.10.* Lotth. *loc.c.* expresse addens etiam hæresim quamcunque cum Castr. contra Sanc. &c. Eaver. Dicastill. apud Dianam *p.11. tr.8. resp.49.* satis probabiliter, in eodem foro Conscientiæ, & cum oneribus mox declarandis, concedunt propter rationem modo dictam: Cum enim reservatio sit odiosa, non debet in damnum animarum vergere, ut certè, si secus dicere vellemus, vergeret in hoc casu.

37. Sed, quæso te quænam in particulari sunt impedimenta, quæ specialiter sufficiunt ad hoc, ut Episcopus ejusmodi excommunicationes Papæ reservatas, etiam publicas absolvere possit. Quod est petere, Quandonam prudenter judicandum sit, prædicta impedimenta esse perpetua vel longi temporis, ita, ut moraliter constet, non posse ante mortem absolvi à legitimo Superiore?

38. Respondeo, Præter periculum mortis, quod pertinet ad doctrinam §. *præced.* est

I. Infirmitas longa, etiam si periculosa nunc non sit.

II. Paupertas: ut si Romam non nisi mendicando ire deberet is, qui mendicare non solet.

IV. Ætas senilis seu puerilis; imò, si contraxisset quis excommunicationem ante pubertatem, ejusque absolutionem peteret post pubertatem, posset Episcopus absolvere.

V. Fragilitas sexus, idest, esse mulierem cujuscunque conditionis.

VI. Astrictus alteri: ut filius familias vel servus, quando sine præjudicio Domini Papam adire nequit.

VII. Cura animarum, vel temporale dominium, quando rationabiliter timetur, ne oves, vel Vassalli damnum patiantur.

VIII. Debilitas in viris delicatis, qui judicantur, non posse ferre itineris labores.

IX. Quodlibet aliud impedimentum quod prudentis judicio legitimum putetur. Hæc cum citationibus Sacrorum Textuum habes collecta apud Leandrum, *d.17. de excomm. quæst.5.* & apud Dianem, *p.5. tr.9. res.6.* inter quæ adnumerant merito alii inimicitias graves, quæ impediant iter, necessitatem succurrendi familiæ, vel parentibus, retentionem in carcere, in Triremibus, in Claustro, obligationem exercendi munus publicum, quod illud iter non permittat, si munus relinqui sine gravi detrimento non valeat, & similia, quæ etiam habes apud Suar. *de Cens. d.22. sect.1. à n.63.* Delug. *d.20. de pæn. n.219.* Castrop. *t.1. tr.4. d.4 p.3.§.5. à.3.* aliosque.

39. Quæres: Sicuti Episcopus per se potest absolvere in prædictis necessitatibus, & impedimentis recurrenti ad Pontificem, potestne etiam ejus Vicarius Generalis?

40. Respondeo, Ex commissione Episcopi, non est dubium: Ita Sanch. *de matr. l.2.d.40.n.14.* Quint. *tr.9. sing.1. num.6.* cum enim potestas Episcopo conveniat ratione dignitatis, potest illam alteri, quamvis non Vicario Generali, delegare. At, an ex ipsa constitutione Vicariatus hæc potestas absolvendi (ut etiam dispensandi) in casibus necessitatis conveniat Vicario, major est difficultas. Certè mihi, & aliis negandum videtur, juxta Sanch. *de matr. l.c. num.9.* Fagund. Suar. aliosque apud Dianam *part.9. tract.6. resol.59. & ibid. tract.9. resol.41.* quidquid alii nimis indulgenter concedant: Apud eundem Dianam. Ratio est, eadem imò major, quam innuimus supra *cap.10.§.vn. num.10.* Lege Dianam *ibid.* idem dicentem de Confessario electo per Bullam Cruciatæ, & de Regulari privilegiato: hi enim non possunt extendere privilegia absolvendi, vel dispensandi, quæ habent, ad illos casus, ad quos Episcopi potestas extenditur ratione dictæ necessitatis, &c.

41. Ejusmodi absolutum ab Episcopo, vel modo dicto ab ejus Delegato, quando non est recursus ad Pontificem in dictis excommunicationibus reservatis publicis, debet se præsentare Pontifici, vel ejus Delegato in iis casibus, in quibus impedimentum forte cessaret, ut si pauper fieret dives, &c. (excepto impedimento impubertatis) rectè notat Hurtadus, *disput.15. de excomm. diff.3. num.10.* & nos supra indicavimus, atque infra §.4. *n.6.* vniversaliter notabimus.

42. Præterea prædicta impedimenta, quæ sufficere dicimus Episcopo ut absolvat pœnitentem à reservatis Summo Pontifici, sufficiunt etiam proportionaliter, in foro tamen interno, & cum oneribus mox explicandis, ut deficiente Episcopo, possit alius Sacerdos absolvere ut diximus *num.35.*

## §. III. *In Necessitate alia urgenti.*

1. POtest evenire, ut non sit perpetuo quis impeditus, nec longo eo tempore, in quo non sit habiturus Confessarium legitimum, sed tamen aliqua interim urgeatur necessitate.

2. Quare inquirimus, quid tunc agendum ab eo, qui, & alia peccata non reservata habet, & casibus item, vel excommunicationibus reservatis, etiam ob hæresim contractis, (teste Castrop. *Tomo primo, tract.4. part.3.§.6. numero secundo,*) forte laborat, potestne ex illa necessitate directè à non reservatis, & à reservatis, indirectè absolvi ab Ordinario Confessario cum onere se præsentandi, iterumque peccata illa reservata ritè confitendi? Scimus enim (quidquid aliqui sentiant in oppositum) non posse directe, quia ille Confessarius, qui supponitur præsens, caret Iurisdictione pro reservatis, ut clarius mox *n.4.* explicabimus.

3. Dico, de tota hac quæstione me disputasse *in method. Comm. cap.1. §.6. à num.18.* vbi ex sententia probabili affirmavi, posse, & addidi duos alios modos quibus uti valet is, qui in necessitate dicta positus caret Confessario potente à reservatis absolvere, quæ hîc non sunt cum Lectoris molestia repetenda. Qualis autem debeat esse necessitatis gradus, sive ex notabili infamia, sive ex alio gravi detrimento procedens, ibidem distinctè declaravi.

4. Illud discrimen clarius hic est explicandum: nam suprà docuimus, in articulo mortis, & impedimento perpetuo, non adesse onus comparendi coram Superiore, quando quis per inferiorem absolvitur à casu reservato, sed solum, quando absolvitur ab excommunicatione, quam inferior absolvere nequit: at quando quis sequens hanc sententiam probabilem, ab inferiori, vel simplici Sacerdote absolvitur, propter vrgentem necessitatem aliam, v. g. ne incurrat notabilem infamiam nî communicet, vnde vult præmittere modo dicto Sacramentalem Confessionem, semper debebit postea se sistere Superiori, vel ejus Delegato, nec solum, ut accipiat pœnitentiam, vel remedia suorum peccatorum,

sed, ut absolvatur, tum ab illis casibus, tum ab illis excommunicationibus, quas ille inferior non poterat absolvere.

Ratio autem discriminis est, quia in nostra sententia pro articulo mortis, & pro illo impedimento perpetuo, quod mortis articulo æquivalet, Confessor ex Tridentino habet plenam iurisdictionem, unde absolvit directè pœnitentem, solum pro excommunicatione, quam extra illum articulum absolvere is non potest, debet dictus pœnitens ex peculiari Sacrorum Canonum dispositione quam explicabimus, §. 4. *num.* 2. comparere coram Superiore ad suscipienda remedia, &c. At in casu alterius vrgentis necessitatis, cum Confessor ille non habeat plenam Iurisdictionem, sed solum propter ejusmodi necessitatem concedatur, posse dimidiari Confessio, in hoc, inquam, casu, Confessor pœnitentem absolvit indirecte à reservatis, & non absolvit ab excommunicatione, quam absolvere non potest, quia caret Iurisdictione, ut supponimus: unde in dicto pœnitente remanet obligatio, subdendi clavibus illa peccata & obtinendi Absolutionem ab illa excommunicatione.

5. Scio, esse alias sententias de hac necessitate iteratæ Confessionis, ut videre est apud Quintanadu. *de pœn. singul.* 11. *à num.* 6. Dicastill. apud Dianam *p.* 11. *tract.* 8. *resolut.* 49. & De Lugo *de pœnit. d.* 20. *à numero* 218. sed hæc nostra planior est, tutior, & in praxi omnino servanda.

6. Scio etiam, alicui posse in mentem venire (ut innui in parenthesi quam interposui *n.* 2.) non esse eiusmodi onus confitendi iterum dictos casus reservatos: Sed fuisse à nostris Ordinationibus: vide *In Ordinat. pro stud. super Propos.* 23. prohibitum, ne id doceatur, etiam scio: Prohibetur enim hæc propositio.

*Is, qui à reservato peccato, pro tali cognito, ex necessitate aliqua indirectè est absolutus, non tenetur deinceps se Superiori sistere, nec per se, nec per alium, sed manet simpliciter absolutus, & sine vllo onere quærendi directè à reservato Absolutionem.*

Quæres, cur additur illud (*pro tali cognito.*) Respondeo, Ob ea, quæ dicta superius sunt *c.* 7. §. 3. *n.* 11.

7. Inquires hac occasione, si pœnitens bona fide à te Confessario inferiore, seu Sacerdote simplici, modo dicto, sed nulla vrgente necessitate accipiat Absolutionem, ad quam dandam ipse Iurisdictione caret, ut supponimus, validè ne erit Absolutio? Respondeo, Si omnia peccata, quæ pœnitens aperuit, sunt reservata, certum est, esse invalidam, quare cum id advertet pœnitens: debebit iterum ea omnia legitimo Confessario subdere; Ratio est manifesta, quia Confessarius ille inferior non habebat Iurisdictionem vllam circa hujusmodi peccata, quæ omnia supponuntur esse reservata, ergo validum Sacramentum Pœnitentiæ facere, quacunque tandem bona fide posita, non potuit.

8. At, si cum peccatis reservatis aperuit pœnitens alia non reservata mortalia, vel aliqua venialia cum legitimo dolore, invalida erit Absolutio ex Vasque apud mox citandos, quia (inquit) Confessarius non habet potestatem dimidiandi Absolutionem sine necessitate, quam hic non adesse, supponimus. Sed valide erit ex Suar. quia, inquit, cum tunc Confessor polleat Iurisdictione ad aliqua, illa absolvet directè, indirectè, alia: Nam propterea errore detecto, iterum hæc indirectè absoluta subdenda erunt legitimo Confessario, ut directè ea absolvantur, non verò alia, hæc enim alia ob bonam fidem Confessarii, & Pœnitentis, ritè fuerunt, & directè absoluta, quia ad illa, ut supponimus, Iurisdictionem habebat Confessarius. Dimidiatio autem illa materialiter solum se habet non formaliter, quod integritati Confessionis non obstare, docet communiter in *tr. de pœn.* Vtramque sententiam probabilem esse censeo.

9. Si Confessor in posteriore hoc casu pœnitentem absolvit mala fide, ideò scienter, illum sacrilegè se gerere, certum est, quia sine necessitate Confessionem dimidiat. Verum tu, si bona fide processisti in recipienda Absolutione, vti doctrina, *numero precedente* allata, poterat. Cum contra, si mala fide, hoc est scienter id absque facias, quia peccabis actualiter, vnde indispositus ad absolutionem accedens, nulliter illam recipies.

### OCCASIONE PRÆDICTORUM

*quærimus consequenter, an aliquando in nostra Societate sine vlla necessitate, possit quis per inferiorem absolvi à reservatis.*

10. Cum in præcedentibus dictum sit ut quis per inferiorem absolvatur à reservatis, requiri necessitatem illam, quæ sufficiat ad dimidiandam Confessionem, quamque distincte me explicasse, dixi in *Methodo communionis loco citato*, oritur mihi dubitatio. An cum hoc aliqua peculiari concessione gaudeant Nostri & Societate Religiosi; Et quidem gaudere quando interdum: certum est, eo modo, & in iis circumstantiis quæ supra *cap.* 11. §. 1. *à num.* 25. memoravimus: in qua concessione nulla fit mentio necessitatis, sed solum Cautiæ proprii Confessarii, seu Superioris, licet cum eo se præsentandi, &c. At estne alius casus præter prædictum itineris?

11. Esse videtur primo aspectu ille alius, quando abest à Collegio, vel Domo Superior, & vult quis communicare. Sic enim videntur concedere illi Theologi, quos peritos nostri Instituti appellavimus in Superioribus: ita in manuscripto quod apud me habeo V. *Absol. à reserv. in gen. num.* 3.

*Si quis*, inquiunt, *Superiore occupato, v. g. vel alibi ad horam, lapsus sit in casum reservatum, & insuper pulsam ab ea sam nolit confiteri Ordinario, non potest ab alio valide absolvi. Quare quæsito aliquo titulo, differenda potius celebratio, vel communio, vsque dum conveniri possit, qui auctoritatem habet. Alioquin potest talis absolvi ab ordinario cum onere comparendi.*

Et alibi *v. Absol. à reser. absente Superiore n.* 4.

*Absente Rectore, non habet Minister facultatem absolvendi à reservatis, nisi ei specialiter concessum sit, vel non expedit fieri, maximè si ad paucos dies diuturna absit. Potest enim quis confiteri Ordinario cum onere sistendi Superiori.*

12. Vides, nullam fieri mentionem necessitatis, sed solum absentiæ Superioris. Quare videtur Pater Generalis in prædictis casibus concessisse Ordinariis Confessoribus auctoritatem absolvendi à reservatis cum dicto onere, sicuti concessum est pro iter agentibus.

13. Dixi (*videtur*) Nam ego ita esse nequaquam puto. Primò, quia hæc responsa dictorum peritorum, de cujuscunque sint, non habent in Societate vim vnam salem legis; fuerunt enim data juxta varias circumstantias, quæ pro tempore occurrebant, eaque particulatibus provinciis. Et sanè verosimile non est, Societatem seu Præpositum Generalem voluisse eam tanti momenti facultatem omnibus per rescripta hæc privata, cedere.

Secundo, quia pro iter agentibus adest expressa structio pro tota Societate, atque in nostris Ordinationibus, & Decretis inserta, quæ non est de dictis casibus de quibus certè facta fuisset mentio in dictis Ordinationibus, si Societas ad eos concessionem aliquam voluisset extendere.

Tertio, quia in his responsis, nec explicitè, nec implicitè conceditur ejusmodi facultas, nulla existente necessitate; nec colligitur ex modo loquendi ipsorum, contra, clarè dicitur in casu de iter agentibus. Credibile ergo fit prædicta responsa supponere id quod Doctores semper supponunt, ad dimidiandam Confessionem, habere adesse necessitatem vrgentem communicandi, igitur illa non vrgente poterit.

§. IV. *Tres conditiones requisitæ, ut quis legitime ab excommunicationibus reservatis absolvatur per inferiorem, in casu periculi mortis, impedimenti perpetui, &c.*

1. Eiusmodi tres conditiones, quæ præter cæteras communes, hîc requiruntur, hæ sunt. Promissio de comparendo: Promissio de stando mandatis Ecclesiæ: Satisfactio partis. Quamvis autem earum aliquæ necessariæ interdum etiam sint pro Absolutione excommunicationis non reservatæ, tamen, quia maximè requiruntur pro reservatis, hîc proprius est locus illas omnes vniversaliter explicandi; quod jam separatim præsto.

## PRIMA CONDITIO.

*Promissio de comparendo.*

2. Cum quis, ob periculum mortis, vel impedimentum perpetuum, longive temporis, juxta ac dictum in præcedentibus est, absoluitur ab excommunicatione reservata per Sacerdotem aliàs non valentem eam excommunicationem absolvere, debet præmittere, & ad id Sacerdos pœnitentem obligare, ut cum primum commodè poterit, quando nimirum forte cessaverit, vel desinet impedimentum (id quod morali modo, juxta conditiones personæ, loci, temporis est judicandum) compareat coram Superiore, non ut accipiat Absolutionem, jam enim in illo periculo eam accipit, sed, vt, vel pœnitentiam, vel remedia ab ipso habeat de commisso delicto; idque sub pœna reincidentiæ, id, est, si non compareat, præter peccatum inobedientiæ in re gravi, reincidat in eandem, hoc est, in similem excommunicationem, à qua fuerat absolutus, ut latè explicat De Lugo *de pœnit. d. 20. num. 205.* Castrop. *tom. 1. tract. 4. d. 4. part. 3. §. 3. n. 10. c. Quamvis, c. ea noscitur de sent. excomm. c. eos, qui eodem in 6.*

Scio Dianam *p. 10. tract. 14. res. 63.* approbare, tanquam non improbabilem, sententiam Januarii, *de casib. reserv. res. 12.* dicentis hanc obligationem, quam habet absolutus à Censura reservata in periculo mortis inductâ olim à Sacris Canonibus, *c. eos, qui de sent. excomm. in 6* fuisse abrogatam à Tridentino pro foro conscientiæ, dum pro illo articulo dixit, nullam esse reservationem: Scio, inquam, hoc, sed non est recedendum à nostra Doctrina, quæ est communis Doctorum.

3. Dixi (ab excommunicatione reservata) nam pro casibus reservatis, quibus non est connexa excommunicatio, nullum adest jus commune, quod obliget ad hujusmodi promissionem de comparendo, quando quis absolvitur (ut supra vidimus) in periculo mortis, vel perpetuo impedimento, longive temporis: & præterea pro his casibus in eo tempore, quilibet Sacerdos directè omnia peccata absolvere potest, quia ex Tridentino habet omnimodam potestatem legitimi Confessarii; ut notat rectè Diana aliique *p. 10. tr. 14. res. 63. v.* & tandem lege; item Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 13. n. 24. & 25.* & Castrop. *l. c. n. 17.* quidquid dicant Vasq. & G. Hurt apud De Lug. *l. c. n. 208.*

4. Dixi item (quam primum poterit, &c.) ut notarem ab eo, qui judicatur certo moriturus, vel certo nunquam fore liberandus à dictis impedimentis, non esse exposcendam ejusmodi promissionem, quia inutilis esset. Imò notant Sanchez *l. c. n. 30.* & Castropalaus, *l. c. n. 18.* si per errorem Confessarii data fuisset à dicto pœnitente dicta promissio, etiam jurata, non obligari deinde ad illam, memoratum pœnitentem, si forte, v. g. per miraculum cessaverit impedimentum, quia, stante eo impedimento, non obligabatur iurare: quod si juraverit, non se intendit obligare, nisi juxta intentionem legitimam Confessarii, & juxta sacra jura: at Confessarius legitime operans, & jura non intendunt obligare eum, cui impedimentum nunquam erit defuturum. Sed certè hîc casus nimis rarus erit, & fortasse, quia noscere non possumus, an affuerit miraculum, physice impossibilis.

Contra, si quis dictas excommunicationes absolvens negligeret de ea obligatione pœnitentem admonere (quam certè admonitionem scienter omittere, est mortale, quia res est gravis) adhuc pœnitens, quando eam obligationem resciverit, obligabitur sub mortali, se Superiori sistere: siquidem hæc est dispositio Sacrorum Canonum in re gravi lata (ut omnes Doctores supponunt) etiam pro foro conscientiæ; atque adeo ab omnibus observanda.

5. His communibus explicatis, sunt pro praxi tres Notationes superaddendæ. Prima, Sacerdos communis in prædictis necessitatibus vrgentis mortis, vel perpetui Impedimenti absolvens ab excommunicatione, quam absolvere aliàs non potest, debet ex iure exposcere à pœnitente, non solum dictam promissionem, sed etiam illam iuramento vallatam. Ratio est, quia tunc *c. Quod de his, de sent. excomm. & sæpe in eodem tit.* ejusmodi Sacerdos se habet perinde, ac Confessarius absolvens ab excommunicatione reservata.

6. Notatio secunda. Cum certum sit, quando, quis absolvitur in necessitate, saltem ab excommunicatione, *si quis suadente*, per Iudicem Papa inferiorem in foro externo, Pœnitentem debere iurare, se, cum potuerit, ad Pontificem aditurum, ut *in præced.* dictum est, debebuntne emittere idem iuramentum adeundi legitimum Superiorem ii, qui absolvuntur per Confessarium in foro Sacramentali Pœnitentiæ à dicta excommunicatione percussionis Clerici, ut item ab aliis?

Respondeo, Affirmant, & quidem probabiliter non pauci, ut Thes. *de pœn. Eccl. p. 1. c. 22.* cum Avila, Sanchez, Tanero, Henriq. Duar. *in Bull. Cœnæ. l. 3. §. 4. q. 2.* etiam in aliis omnibus excommunicationibus.

7. Sed certè mitius loquuntur alii, ut Bordo. *t. 3. contr. 27. n. 60.* Filliuc. *p. 1. tr. 11. c. 10. n. 332.* Boss. *de Iubil. sec. 1. casu 22. num. 16.* Taner. Pasq. *de Iub. q. 262.* loquens solum quando quis absolvitur ex vi Iubilæi. Nec improbabiliter, hoc est, tum in prædicta Absolutione percussionis, tum in aliis excommunicationibus, satis esse pro dicto foro Sacramentali seriam promissionem, sive iuramento quæ tamen obligabit, ut modo dixi, sub mortali. Ratio hujus probabilitatis est, tum quia iura de hac re, cùm sint odiosa, restringenda sunt, tum quia, ne Sacramentum Confessionis novis obligationibus difficilius evadat, rectè intelligi possunt de solo foro externo.

8. Notatio tertia, Sub hoc onere comparendi absolutus, satis obligationem sibi impositam adimplet, si compareat, sive personaliter, sive per alium (qui sine necessitate nominandi pœnitentem, pœnitentis delictum explicet) si compareat, inquam, vel coram Superiore iure suo potente absolvere illam excommunicationem, seu delictum, vel si compareat personaliter coram ejus Delegato, quales sunt illi Regulares, qui, ut superius vidimus, gaudent multis privilegiis, & quales sunt Confessarii per Iubilæum, & Bullam Cruciatæ, de quibus mox. Ratio est clara, quia hi delegati sunt loco Superioris in iis, in quibus potestatem habent absolvendi. Ita Bard. *in Bulla Cruc. p. 2. tract. 6. cap. 4. sect. 7.* De Lugo *de pœn. d. 20. n. 201.* & alii.

## SECVNDA CONDITIO.

*Promissio standi mandatis Ecclesiæ.*

9. Vt propositum amplius non peccandi, quod in omni peccatorum Absolutione requiritur, firmius persistat, quando quis de reservatis absolvitur, iura *c. Ex tenore, c. Gravem, c. Nuper de sentent. excom.* exposcunt, ut absolvendus ab aliquibus gravibus delictis, adhibeat iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, hoc est, de iterum non committendo simile delictum. Iam difficultas est, an ejusmodi iuramentum sit exigendum, non solum, quando quis absolvitur pro foro externo, verum etiam, quando pro interno in Sacramento Pœnitentiæ?

10. Respondeo, Exigendum esse, præsertim in percussione Clericorum, & casibus Bullæ Cœnæ, pro utroque foro nonnulli sustinent, ut Diar. *in Bull. Cœn. lib.* 3. §. 4. *quæst.* 2. *num.* 3. Thes. *de pœnis Eccl. p.* 1. *c.* 22. aliique, quia non adest ratio, cur servari non oporteat in foro pœnitentiali conscientiæ id quod Canones præscribunt esse exigendum, solum quando quis absolvitur pro foro externo, non vero, quando pro foro interno, sustinent, Alii ut Bos. *de Iubil. sect.* 1. *cap.* 22. Filliuc. *p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 10. *n.* 332. Alt. *lib.* 4. *d.* 6. *cap.* 2. Pellizz. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 115. Favet Dian. *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 23. *v. etiam p.* 2. *tract.* 1. *res.* 42. clarius ex Bord. Diana *p. eadem, tract.* 4. *resol.* 68. Pasq. *de Iubil. quæst.* 262. tunc enim satis esse docent, propositum consuetum emendationis; tum, quia Canones per dictam solemnitatem iuramenti volunt alios terrere, quæ ratio cessat, quando quis absolvitur in interiore foro dumtaxat; tum quia ejusmodi obligatio iurandi est odiosa, & reddens magis difficilem Confessionem Sacramentalem; unde non debemus præsumere impositam ab Ecclesia fuisse, dum expresè forum conscientiæ non incluſit.

11. Hæc sententia probabilis est, quoad alias excommunicationes, nam de contentis in Bulla Cœnæ, dicam infra *cap.* 13. *num.* 33. & 34. Interim universaliter moneo, prudenter facturum Confessarium, si iuramentum hoc exigat, quando advertit, fore, ut per illud pœnitens magis penetret gravitatem delicti, seque ab illo facilius abstineat: nam si prævideat periculum iterum labendi, vel quid simile, nequaquam exigat, ne peierandi occasionem proximo præbeat.

## TERTIA CONDITIO.

### *Satisfactio.*

12. Quamvis, aliquando contrahi possit excommunicatio sine læsione partis, ut est v.g. excommunicatio ob peccatum hæresis, unde tunc nulla erit satisfactio exposcenda, sed solum emendationis propositum, tamen non raro adest partis læsio, ut v.g. in percussione Clerici. Nomine igitur satisfactionis hîc intelligitur restitutio pecuniæ, vel famæ, vel honoris, quæ parti læsæ debetur, ut notat Suarez *de Censur. disput.* 7. *sect.* 5. *num.* 47.

13. Hinc fit, ut pœna pecuniaria, si forte debeatur Fisco, vel Ecclesiæ, vel Notario, non veniat in hanc præsentem considerationem, quia prædicti hîc non sunt pars læsa.

14. Hinc etiam, quamvis plures in percussione Religiosi partem læsam iudicent esse Religionem, seu ejus Prælatum, tamen satis probabiliter multi, quos citant, & sequuntur Verricelli, *tract.* 8. *q. mor.* 20. *n.* 8. & Leander, *de excomm. dub.* 17. *quæst.* 93. & 94. putant, non esse, nisi ipsum Religiosum percussum, cui satisfaciendum sit, idque in utroque foro; si enim ipse percussus fuit, ipse est pars læsa. Confirmatur; quia, quando dicitur (concordata parte) non intelligitur Respublica, sed persona particularis. Confirmatur iterum, quia, si in casu dictæ excommunicationis pars læsa esset publica potestas, seu Prælatus, certè esset Ecclesia, vel Pontifex, qui excommunicationem contra prædictam percussionem tulit; at Pontifex, dum concedit, ut quis ab illa absolvatur, iam ipse condonat.

15. Iam vero quoniam certum est, te, antequam impendas absolutionem, debere sub mortali exigere à pœnitente, ut satisfaciat, vel reddendo ablatum, compensando iniuriam factam, vel remissionem ab eo obtinendo, &c. Quærimus Primò quid faciendum in praxi, si ea præmitti non possit, sive ob impotentiam pœnitentis, sive ob dubium, quod forte vertitur de qualitate satisfactionis, sive ob obstinationem partis læsæ, quæ non est contenta satisfactione rationabili sibi oblata, sive ob quid simile?

16. Respondeo, Quando impotentia non solum est præsens, sed moraliter certo prævidetur, semper esse futura, nihil requirendum à pœnitente, nam restitutio nea requireretur. Sic Suar. Hurt. Præpo. Turrian. Dianam *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 11. & *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 2. Ar... quâdo potentia probabiliter futura sit; Si loquamur... foro externo, debet pœnitens, antequam absolvatur... mittere cautionem de satisfaciendo, id est, debet... vel pignus, vel fideiussionem, vel, si ea non possit... bet iuramentum proferre, quod satisfacier, ut sit... certa sit promissa satisfactio. Ita *c. ex tenore, de for... excom.* At si loquamur pro foro Sacramentali, seu... scientiæ, quamvis De Lugo, *de pœn. dub.* 20. *n.* 2. Cas... strop. *l. moxcitando* loquens *de satisfac. pecuniaria... vi privileg. Mendic.* & plures apud Leand. *loc. cit.*... *q.* 118. & alii eandem cautionē videantur requirere... sine distinctione de ea præmittenda loquuntur... alii ut Trullenc. *in Bull. Cruc. lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. *dub.* 11... tans Navarr. aliosque Pellizz. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.*... Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 42. vide etiam *part.* 1. *tr.*... *resol.* 23. Pasq. *de Iubil. quæst.* 225. Castrop. *tom.* 1. *tr.*... *dub.* 4. *part.* 3. §. 5. *num.* 15. Bonac. *de Cens. dub.* 1. *pu... num.* 34. & 35. eam non esse necessariam probabiliter... cent (excipio dictos casus Bull. Cœnæ, de quibus dixi... §. 13. & 34. & delictum dantium causam inscrib... quando in periculo mortis conceditur ipsis Sacerdo... tum Pœnitentiæ, de quo *in tractatu de interdict. D...* favente, dicemus.) Ratio, quod pro foro Sacramentali... sit necessarium iuramentum, sed, sufficiat seria promis... est, quia illa cautio, sive pignoratitia, sive fideiussoria... juratoria pro solo foro externo imposita à Sacris Ca... nibus esse videtur: sufficiat ergo tunc, si pœnitens... beat propositum satisfaciendi, quando poterit, & fecer... valide, tum licitè absolvetur. Quod autem id sufficia... bant eædem ferè conjecturæ, quas modo articul... 17. Noto autem ex Ludovico à Cruce *in Bullam Co... ciatæ, d. r. cap.* 4. *d.* 8. *num.* 4. idque multos semel... Præpos. apud Dian. *part.* 5. *tractat.* 9. *resolut.* 11. *fin. D...* cétque Layman. *lib.* 1. *part.* 2. *tr.* 5. *c.* 5. *p.* 6. *v. Duo infer...* forte is ab excōmunicatione absolutus non fervet re... missionem, scilicet, non satisfaciat cum peteret, ... peccet, non tamen reincidere in vllam excommunica... nem; quia à nullo jure imponitur læ reincidentia... tra non satisfacientem; imponitur vero contra non comparentem, ut vidimus *n.* 2.

18. Quærimus secundo, quid si præmitti possit satisfactio, & non præmittitur? Respondeo certe tunc, p... se loquendo, & tu Confessarius peccas, & pœnitens... habet Leander *tract.* 2. *de excomm. d.* 17. §. 3. *n.* 90. ... quia dees muneri tuo, immo etiam quia aliquando... ces parti, cum, post Absolutionem, difficilius ... beri soleat satisfactio. Pœnitens, quia differt notabiliter... & sine causa (ut supponimus) reddere id, quod debet... justè retinens, sive rem, sive famam, sive honore... alienum Dixi (per se loquendo) propter ea quæ mox ... feram *n.* 21.

19. Sed ecce, occasione prædictorum, se offert difficultas molestissima Confessariis. Titius, v. g. percussit Clericum, cui nondum voluit, cum potuerit, satisfacere; nunc vero cum animo contrito, & cum satisfaciendi proposito accedit ad te Confessarium habentem facultatem illud absolvendi, poterisne cum hoc solo propositio illum absolvere?

Respondeo. Cum ejusmodi satisfactio sit quædam restitutio rei, vel honoris, vel famæ ablatæ, ideo ita te gerere in hoc casu debes, quemadmodum te gereres, si... te accederet aliquis injustus detentor rei alienæ, ... nondum voluit restituere, tunc verò restituere quantum, promittit. Neque enim obligatio hujus facilitationis aliquid plus ratione sui habet, quam habeat quæcunque alia obligatio restitutionis.

20. Verum non sedet animus, Inquiris enim rursus ecquonam modo me gerere deberem, si agerem de restitutione. Respondeo, id præclare docere à Diana *lib.* 2. *de restit. tract.* 2. *d.* 19. *dub.* 1. cujus doctrinam ego

attuli *lib.8.in Decalogum tr.4.c.4.n.10.* Ne autem longe abeas, Ecce illam.

Pœnitenti, qui, prima vice, fatetur, se culpabiliter non restituisse alienum; nunc tamen habere firmum propositum statim restituendi, non est neganda Absolutio. Si tamen bis, aut ter, sæpius fuerat jussus in aliis confessionibus restituere, & tamen, cum posset, non fecit, regulariter non est absolvendus, quousque fecerit, re ipsa restitutionem. Ratio prioris partis est, quia sicuti in omnibus aliis, Confessarius credere potest, & debet pœnitenti ita in hoc. Ratio posterioris est, quia talis homo est in periculo proximo, experientia ipsa comperto, iterum differendi restitutionem; ideo non rectè aliqui putant, esse probabile, absolui tunc illum posse; nam idem posset de Concubinario, etiam illo, qui sæpius jussus non ejecit domo Concubinam.

21. Dixi autem, *regulariter non esse absolvendum*; nam talis esse posset pœnitens, talesque circumstantiæ, ut Confessarius deberet esse contentus solo proposito restituendi, etiamsi antea, sæpè jussus, omiserit restitutionem. Et Molina quidem exemplum adhibet, ut si Confessarius non leviter credat, pœnitentè re ipsa restituturum statim, sine mora, quia non ea acrimonia fuerat illi iussa restitutio aliis in Confessionibus, vel si aliæ adsint circumstantiæ ad id credendum, præsertim, si injungat illi, ut non prius accedat ad Eucharistiam, quam restituat.

Hæc ibi ex Dicastillo, quæ tibi vsui erunt, & hîc.

22. Denique, quamvis aliqui absolutè videant, docere, quæ diximus, tamen sunt adhibendæ exceptiones duæ, altera *n.16.* altera pro casibus Bullæ Cœnæ, altera pro dantibus causam interdicto, & quoad eosdem dictæ Bullæ casus, eo modo, quo dicam § *seq. num.34.*

## §. V. *De Delegatione concessa per Bullam Cruciatæ circa casus reservatos.*

1. QVi Bullam Cruciatæ sumpserit, potest, durante anno, eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, per quem Confessarium, absolui possit pro foro interno ab omnibus casibus, & Censuris: satisfacta parte, & quidem toties, quoties à reservatis Episcopo, at à reservatis Pontifici semel in vita, & semel in periculo mortis, atque ab iisdem Pontificiis, iterum, si secundam Bullam sumpserit, non vero tertio si tertiam sive dicti sint publici, sive occulti, (excepta semper hæresi) modo, quando delicta sunt deducta ad forum contentiosum, cautiones mox dicendæ *n.17.* & 19. adhibeantur.

Circa hanc delegationem, si sequentia animotaveris omnia fere, quæ ad illam spectant, facilè cognosces.

### SVPER ILLVD,

*Et approbatis ab Ordinario.*

2. Quid hîc intelligatur nomine Ordinarii, & alia huc pertinentia dixi latè alibi, hoc est *supra tract. de Sacramento Pœnitentiæ, c.5.§.4.* Ne igitur recoctam crambem repetamus, locum citatum adeat studiosus.

### SVPER ILLVD,

*Et iterum, si secundam Bullam.*

3. Si à commisso delicto reservato Pontifici v.g. per lectionem libri hæretici de Religione tractantis, fuisti per Bullam jam absolutus, & deinde in eodem anno incidas, sive in idem peccatum legendi librum hæretici, sive in aliud specie distinctum, occupandi v.g. bona naufragantium, non potes ex vi ejusdem Bullæ in vita absolui, nec à peccato novo legendi, nec à peccato occupandi. Ratio est, qui Bulla non concedit, ut possis in vita absolui semel à quolibet peccato, Pontifici reservato; concedit enim solum vnicam Absolutionem in vita à peccatis, Pontifici reservatis; indigebis ergo tunc secunda Bulla; ea tamen lege, ut si tertio incidas, non tibi profectura sit tertia. Ita Bardi *in Bull. Cruc. p.2. tr.6.c.1. sect.1.* cum aliis contra quem Leander *tr.212. de exc.d.17.§.3.q.83.* pugnat, dicens, esse probabile per vnicâ Bullam concedi, posse absolvi ab omnibus, dummodo ab vnoquoque in specie semel tantum in vita, intra publicationis annum, quis absolvatur. Certè, id esse probabile, negare non possum, quia etiam hunc sensum facere commodè possunt verba Bullæ si attentè legantur.

4. Ex eo autem, quod in nostra sententia Bulla, semel, dictam reservatorum Absolutionem concedat, fit ut si in ea confessione aperias plura peccata contracta ex pluribus aliis delictis diversis, puta, occupatione bonorum naufragantium, percussione Cardinalium, læsione immunitatis Ecclesiasticæ, &c. fit, inquam, ut possis ab omnibus simul absolvi per vnam Bullam, quia, sic, vnicam Absolutionem recipis. Idem per secundam Bullam, sed non tertio, per tertiam, ut dictum est.

5. Quæres, si quis non sit vsus Bulla anno, v.g. præterito, quoad Absolutionem à reservatis, potestne illa anni præteriti vti hoc anno? Respondeo, Cum Bardi *loco cit. sect.2.n.11. seu num.19. in editione secunda*, non posse, quia privilegium solum fuit pro illo solo vno anno. Leander vero *loco citato*, putat non improbabile, posse, quia sequens publicatio hujus anni non suspendit privilegium absolvendi, concessum anno præterito: quare, cum illud adhuc perseveret in præsenti anno, quia est gratia facta, potest Fidelis vti illo. Sed certè fallitur: nam ratio, cur non possit, non est, quia illa privilegia suspenduntur à nova publicatione, sed, quia illa fuerunt solum pro illo anno; illique anno addicta. Fruſtra ergo ipsa Navarrum doctissimum quidem virum in suam sententiam citat, nam, si ipse Navarrus nostram hanc tam claram rationem advertisset, ab illa doctrina sine dubio abstinuisset.

### SVPER ILLVD,

*In mortis articulo.*

6. Si quilibet Sacerdos in hoc articulo potest absolvere à reservatis, ut latè nuper disseruimus, quid emolumenti affert hoc Bullæ privilegium? Respondeo, Duo emolumenta, alterum, quod Absolutionem hanc potest tibi conferre electus ex vi Bullæ, etiam præsente proprio Parocho, quod certè inserviet pro illis, qui ut *ibid.* videmus, sustinent id tunc non posse quemlibet Sacerdotem.

7. Alterum, quod si tunc absolvaris ab excommunicatione reservata, liber eris ab onere te præsentandi Superiori, quia electus per Bullam jam est tuus Superior Delegatûs à Pontifice, à quo onere (si absoluaris ex vniversali facultate concessa pro periculo mortis) libet nequaquam eris.

### SVPER ILLVD,

*Excepta hæresi, &c.*

8. Quamvis multi multa afferant, quibus probent hæresim formalem saltem occultam posse per Bullam Cruciatæ absolui ex illo principio, quod ex vna parte potestas concessa Episcopis absolvendi ab illa adhuc in ipsis ex sententia probabilissima remanet post Bullam Cœnæ, & ex alia parte Bulla Cruciatæ, concedit posse absolvi omnia, quæ possunt Episcopi, tamen cum propter ejus gravitatem, hæresis Absolutio non veniat in concessione generali, ideo, saltem hodie, non possumus, vbi est Tribunal Sacræ Inquisitionis Hispanicæ, ejusmodi sententiæ adhærere; quod, etiam alibi, puto, semper saltem esse considendum. Cæterum, qui de hac quæstione latè rationes vtrinque adductas cognoscere cupit, eas legat ab aliis fusè agitatas, ut à Bar. Trull. Ludov. à Cruc. aliisque cit. à Leandr. *l.c.q.85.* & 86. & *quæst.38.* & 39. Lege item in simili Suar. Bauci, Brun. alioſque

apud Amad. contra Anton. *tr. de fide prop. 2. & 3.* Lotth. *resol. Theol. quæst. 1. art.* Nec legere graveris ea, quæ ad facilem reddendam hanc Hæresis Absolutionem à me sunt alibi disputata. *lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 8.*

9. Dixi autem signatè (*Hæresim formalem*) id est cum errore intellectus, quare sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, sollicitatio in Confessione, lectio librorum hæreticorum, blasphemiæ hæreticales, & omnia alia crimina contenta in Edictis Inquisitorum possunt per Bullam absolvi, toties quoties, si sint Episcopalia; semel in vita, & semel in morte, si sint Pontificia; qualis est v. g. lectio libri hæretici de Religione tractantis, & hæc iterum cum secunda Bulla, sed non tertio. Ita Leandr. *tr. 2 de excomm. d. 17. §. 5. q. 88.* multos referens.

10. Quæres per hanc occasionem, An per Bullam Cruciatæ concedatur, posse absolvi pœnitentem, antequam denunciet aliquod crimen Inquisitori ex obligatione denunciandum. Respondeo, Non posse (quidquid dicat Navarrus apud Leandrum *de excomm. dicta d. 17. q. 85.*) quia in Bulla ejusmodi potestas non invenitur concessa.

11. Illud tamen est hîc vniversaliter advertendum, aliquando posse ex præsumpta voluntate Inquisitorum, quos ita rigidos esse, non est præsumendum, vt quando adest causa rationabilis differendi denunciationem, pœnitentes, velint repellere à beneficio Absolutionis, tunc enim satis erit, si firmiter promittant denunciare; Iusta autem causa erit, (ut notat ibidem Leander) si necessitas Communionis vrgeat ad vitandam infamiam, vel vtilitas extraordinaria obtinendi Iubilæum, vel, Tribunal longe distare. Addo ego semper casum, quo Confessor vult studere, vel consulere doctos circa obligationem, quam habeat pœnitens, quando dubia est obligatio, &c. Aliud benignius docet Sanctarellus *tract. de Hæresi, c. 9. dub. vnico, num. 19. fine* ex Navarro, sufficere nimirum saltem, propositum firmum denunciandi, & loquitur (ait Diana *p. 1. tract. 4. resol. 27.*) de denunciando Hæretico. An tamen id in praxi sit deducendum, me doctior decernat.

## SVPER ILLVD,

### *Toties quoties.*

12. Hîc quæritur, an à Pontificiis casibus etiam in Cœna Domini occultis possit per Bullam absolvi toties, quoties, an solum semel in vita, & semel in morte modo superius dicto.

13. Respondeo, Æquè probabile judico posse, vt habet Sanc. Trull. Dian. aliique cit. à Leand. *tract. de excom. d. 17 §. 3. n. 84.* & non posse toties, quoties. Excipio hæresim, etiam occultam, de qua modo à *num. 8.* dictum est: vide Henr. Lud. à Cruc. alioque cit. ab eod. Leand. *ibidem.* Ratio, quod possit, est, quia per Bullam potest quis absolvi toties, quoties ab Episcopalibus, sed jam omnes Pontificii occulti sunt hodie concessi Episcopis, atque adeo sunt aliquo tandem modo Episcopales; vt vidimus *sup. cap. 6. §. 1. numero 3. & cap. 9. §. 1. numero 5.* ergo, &c.

14. Neque obstat, idem dici propter hanc rationem posse, de hæresi occulta; non obstat, inquam, quia de illa propter ejus enormitatem, & propter sensum Ecclesiæ quæ eam regulariter excipit, non debemus loqui perinde, ac de cæteris.

Ratio quod non possit, est, quia hi casus Pontificii occulti, ex eo, quod concedantur Episcopis, non desinunt esse Pontificii: ergo non desinunt esse reservati ipsi Pontifici. Adde in Bulla dici sine limitatione, omnes Pontificios posse absolvi, semel; ergo comprehendit etiam occultos.

15. Sed affirmativa sententia respondet, occultos desinere esse Pontificios stricte, statim atque conceduntur Episcopis jure ordinario ut dictum est. Ad id, quod additur, respondet, limitationem illam publicitati tribui, cirè poni in Bulla, dum per eam conceditur, ut Episcopales, quales sunt Pontificii occulti, absolvi possint toties quoties, non vero alios. Utraque ergo sententia probabilis est.

## SVPER ILLVD,

### *Ab omnibus Censuris.*

16. Certum mihi, & Thomæ Sanch. *lib. 8. in Dec. c. 17. n. 41. & 43.* Hen. *lib. 7. c. 13. n. 3.* Castrop. *tract. 2. Bull. Cruc. p. 8. §. 5. num. 8.* Trullen. *de Bull. Cruc. lib. 3. cap. 2. dub. 10.* aliique est, Primo per Bullam posse absolvi excommunicationem, suspensionem, interdictum personale speciale, quando hæc postrema duo sunt priè Censuræ; nam excommunicatio semper est Censura, ut in propriis tractatibus explicabimus (excommunicationem ex hæresi contractam, sive Censuræ sint occultæ, sive publicæ, & deductæ ad forum contentiosum, sive sint à jure, sive ab homine per sententiam specialem contra aliquem in particulari formatam, & sive prædictæ sint Censuræ denuntiatæ nominatim, sive sint excommunicationes contractæ exconfessione publica Clerici. Ratio tantæ potestatis est, quia in Bulla, quoad hæc, nulla apponitur restrictio, & alio capite beneficium Principis late est interpretandum (semper intellige reservatas Papæ semel in vita, & semel in morte, & iterum cum alia Bulla, sed non tertio reservatas verò toties, quoties, &c.) vide Leandr. *d. 17. de excomm. q. 87. & 95.* alios citantem.

17. Quando autem dictum est (etiam deducta ad forum contentiosum) maximè advertere debes illud, quamvis per Bullam possit quis absolvi ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, pendente tamen lite, illicite concederetur Absolutio, nam, hic affertur præjudicium Judici Ecclesiastico.

18. Excipe tamen, quando Judex, vel longe distans injustè agit, vel nimis rigorosè se gerendo, negat absolutionem: Tunc enim, si pœnitens ex parte sua est paratus justo ejus, qui excommunicationem fulminavit præcepto obedire, cum jam cessat contumacia, potest pro foro interno (& semper, satisfacta parte, potest dicere) absolvi per Bullam. Simile quid dictum est *super cap. 2. §. 2. de Mendicantium Privilegiis.*

19. Declara etiam id in excommunicatis nominatim. Quamvis enim per Bullam possit absolvi pro foro Conscientiæ nominatim excommunicatus, tamen non est passim absolvendus, sed erit ad sum Prælatum remittendus, ne veniat in contemptum Iuris dicti Prælati. Adhibe tamen præcedentem exceptionem.

20. Certum item est, vi Bullæ absolvi non posse ordinationem à Divinis. Ita Trullenc. & Castrop. *loc. cit.* Vide etiam de his & aliis pœnis eundem Castrop. *tom. 3. de voto Relig. obed. p. 8. n. 12.* nec Interdictum, sive generale, sive speciale locale, nec personale generale, nec *tractatu de interdicto* dicitur, nec eas irregularitates, quæ non sunt Censuræ, nec sunt pœnæ, sed inductæ ob indecentiam, qua, quis laborans repellitur ab administratione altari, qualis est, v. g. irregularitas ex Bigamia, &c. quas Bulla solum concedit Absolutionem à Censuris, ex quibus non est irregularitas ex indecentia.

21. Quæstio igitur, solum proponi solet de irregularitate, quæ incurritur in pœnam alicujus dicti; v. g. ob malam ministrationem Sacramentorum cum violatione Censuræ ob Hæresim, ob Apostasiam à fide, &c. si scilicet possit absolvi per Bullam.

Respondeo, Affirmat Leander, *de irreg. d. 28. quæst. 3.* & apud Dianam *p. 1. tr. 11. res. 27.* aliique saltem tanquam probabile. Excipiunt tamen iidem, imò, & omnes, irregularitatem ex delicto homicidii, vel mutilationis, quæ illi semper est annexa indecentia. Verum omnino puto esse absolutè de omnibus negandum cum Suar. *Cens. d. 1. sect. 13. num. 6.* Leand. *loc. c.* Castrop. *de Bull. Cruc. p. 1. §. 4. n. 5.* Giball. *de irregul. c. 6. q. 5. & vlt.* aliique propè innumeris apud citatos.

22. Tertio

22. Triplex autem pro nostra sententia afferri solet ratio. Prima, quia Bulla eas Censuras tollere potest, & ad summum eas pœnas, quæ impediunt receptionem Eucharistiæ, vel Sacramenti Pœnitentiæ, vt notat *loco citato* Suarez, non autem alias, quæ non impediunt ejusmodi receptionem. At irregularitates, de quibus loquimur, imò alia pœna quæcunque, non sunt pœnæ ex se impedientes dictam receptionem. Adde, in Bullis recentioribus; (ut notat Leander *loc. cit.*) ablatum esse illud, (ut possit absolvi à pœnis.)

23. Secunda, quia sequeretur, majorem esse potestatem Confessariorum electorum per Bullam, quam ipsius Bullæ Generalis Commissarii, quod certè videtur absurdum & incredibile; sequela manifesta est, quia Commissario non conceditur, posse auferre irregularitatem contractam ex Apostasia, ex Hæresi, &c. ut patet ex ipsa Bulla originalis; sed tu id concedis prædicto Confessario ergo, &c.

24. Hæc secunda ratio non convincit, non enim est mirum, si in hoc vinceret potestas Confessarii potestatem Commissarii, nam certè vincitur in aliis innumeris, sic in simili respondet Bardi *in Bull. Cruc. p. 2. tract. 6. c. 7. sect. 1. n. 7.*

Prima autem ratio, dicta *n.* 22. gratis assumit, quod dicit, Quod autem ibidem additur (fateor) majorem vim habet, si per legitimam potestatem illud (à pœnis) ablatum est à Bulla.

25. Tertia ergo ratio, quam affert Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 6.* videtur absolutè efficacior, quia in Bulla, ut patet ex ejus tenore, nulla datur potestas Confessario ad dispensandum, sed solum ad absolvendum; at irregularitas, ut etiam suspensio, per dispensationem tolluntur, non per Absolutionem, ergo ad eas, potestas concessa prædicto Confessario, non extenditur.

26. Posse item absolvi quempiam virtute Bullæ, etiam si in ejus confidentiam peccaret, non vero per eandem posse componi in male ablatis ex ejusdem confidentia, dictum est *supra c. 9. §. 2.*

## SVPER ILLVD,

### *Satisfacta parte.*

27. Multa diximus de hac clausula aliquando superius, *c. 12. a n. 12.* quo sunt omnino hîc recolenda, Nunc solum quærimus id, quod propriè pertinet ad hunc locum. Cum enim Bulla requirat, ut excommunicationis Absolutio non conferatur, nisi satisfacta parte, dubium emergit; nam nihilominus, si ea propter inadvertentiam, vel propter aliud conferretur ante præmissam satisfactionem, conferretur valide, nam an licitè, diximus ibidem satis.

28. Respondeo, Vt vniversaliter decidatur, an, non satisfacta parte, valide conferatur Absolutio, quando adest pars læsa, ibidem explicuimus, distinguendum est. Nam si ea conferatur à Superiore, validè confertur, quia satisfactio non est pars essentialis Absolutionis excommunicationis. Si vero conferatur à Delegato ipsius, erit subdistinguendum: Si enim ejusmodi Delegato detur absoluta facultas absolvendi excommunicationem, idem dic, quod dictum est de Superiore. At si Delegato detur ejusmodi facultas cum prædicta (clausula satisfacta parte) duplex est sententia.

29. Prima negat, validè conferri ejusmodi Absolutionem, quia satisfactio in hoc modo delegandi exigitur per modum conditionis, at conditione non servata, irritum abit concessio. Major probatur ex illa communi doctrina, quod ablativus absolutus, qualis est ille (satisfacta parte) resolvitur in conditionem si parti satisfeceris, ita tenent plures apud Trullench. *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. & dub. 12. n. 11.* & apud Castrop. *tr. 25. de Bull. Cruc. p. 8 §. 5. n. 6.* & apud Dianam *part. 5. tract. 9. resol. 12.*

30. Secunda affirmat secundum Laym. *lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. n. 8. v. Quod si,* Lud. à Cru. *in Bull. Cruc. d. 1. c. 4. dub. 9.* aliosque apud citatos conferri validè, quia quoties in delegatione exprimitur ea forma, quæ à jure communi requiritur, non aliter requiritur, quam requirat ipsum jus, nisi aliter in concessione delegationis exprimatur: Sed in jure communi exigitur quidem satisfactio, ut licitè ejusmodi delegatio exerceatur, at, non, ut validè; in nullo enim jure aliter ac dicimus, invenies, ergo, &c. Vtraque ex his sententiis probabilis est, & ita tandem pronunciat Ludov. à Cruce, quamvis addat, priorem sententiam esse in praxi sequendam.

31. Dixi (nisi aliter exprimatur) Nam si in concessione delegationis dicatur (si non satisfactum fuerit, irrita sit concessio, irrita sit Absolutio, nulla, invalida) Absolutionem invalidam fore, parte non satisfacta, certum est, quia illa expressio indicat aliquid plus requiri, quam à solo jure requiratur.

32. Cum ergo in Bulla Cruciatæ, vt etiam in facultatibus concessis Regularibus absolvendi excommunicationes, ponatur quidem illa clausula (*satisfacta parte*) sed sine aliis verbis expresè irritantibus, probabile satis erit validam fore Absolutionem, parte nondum satisfacta.

33. At vero, quia in concessione, quam Pontifex concedit de absolvendis casibus Bullæ Cœnæ pro articulo mortis, exprimit tunc debere saltem præmitti satisfactionem, & cautionem (quæ sit hæc diximus *c. 12. §. 4. n. 13. & 16.*) videaturque exprimere sub pœna nullitatis, ideo sine illis, invalida erit in dictis casibus Absolutio. Verba Bullæ Cœnæ hæc sunt.

*Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standō mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo, cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumvis facultatum.*

34. Quæres. Possumusne dicere, hanc Bullæ Cœnæ clausulam intelligi dumtaxat, quando Absolutio casuum dictæ Bullæ datur pro foro externo; non verò, quando pro foro interno, & Sacramentali? Respondeo, Difficile videtur, sic posse dici. Ratio est, quia dum Pontifex addit illud (*nisi in mortis articulo*) & *etiam prætextu quarumvis facultatum* apparet, ipsum loqui de Absolutione etiam in foro Sacramentali; hæc enim Absolutio nunc solet dari, & pro prædicto foro solent ejusmodi facultates concedi; nam cæterum rarissimè in eo articulo agitur de Absolutione pro foro externo, & ideo ego *dicto cap. 12. §. 4. num. 11. 16. & 22.* visus sum, indicasse, id esse servandum in absolvendis casibus Bullæ Cœnæ.

Cæterum tu judica, Lector, an sit præferenda sententia Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 13. n. 35.* qui sic habet. Quamvis Confessarius non imponat prædictum se præsentandi onus, valet Absolutio in periculo mortis, quod Ecclesia noluerit valorem absolvendi in tanta necessitate ex Confessoris negligentia, aut ignorantia pendere, vt optimè docet Henriq. *de pœn. c. 10. ad fin.* Quare idem dicendum est, si omittat petere cautionem parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi; imò idem dicendum est extra eum articulum. Et paulo post. Nec earum expressio in Bulla Cœnæ, ad absolvendum ab his excommunicationibus Cœnæ inducit conditionem irritantem aliter factum, cum sola forma jure communi petita exprimatur, vt probavi *l. de Matr. disp. 33. n. 3.* Hactenus Sanchez.

## SVPER ILLVD,

### *In foro interno.*

35. Quamvis non pauci asserant, Absolutionem excommunicationis vi Bullæ habitam, prodesse etiam pro foro externo, quia concessio Bullæ est absolutio, nec restricta ad aliquem forum; ut tenet Vega, Garcia, alii que apud Castropalaum, mox citandum. Vera tamen sententia est, non prodesse, nisi pro foro interno. Excipe ea, quæ

quæ mox dicam *à num.43*. Ita tenet Sanchez, Tolerus, Suarez, aliique, apud Castropalaum *de Bull. Cruc. p.8. §. num.9* Lege Dian. *p.5. resol.13.* & Gibalinum *num.26. loc. mox citando*. Ratio hujus veræ sententiæ est, quia intentio Pontificis concedentis per Bullam Absolutionem Censurarum, est ut cum conscientia possint Fideles accedere ad Sacram Euchatistiam, & Indulgentiam acquirere, ad quod certè satis, superque est Absolutio pro foro interno.

36. Confirmatur, quia incredibile est Summum Pontificem voluisse concedere cuicunque Confessario tantam potestatem, per quam eluderentur, & perturbarentur, imo & contemnerentur Tribunalia Ecclesiatica.

37. Confirmatur iterum: quia hodie extat Bulla Cruciatæ concessa ab Vrbano VIII. vbi declaratur Bullæ hoc privilegium suffragari in foro Conscientiæ tantum, ut latè habes multis citatis apud Dianam *p.11.tr.2. resol.62.* Lege item Suarez *tom.4.de Relig. tract.10.l.9.c.2. n.33.& 38.* qui solvit quandam objectionem ductam à quadam Constitutione Pii V.

38. At, cupidum te video, distinctius sciendi, quid sit? & quam vtilitatem conferat hæc Absolutio excommunicationis pro foro interno dumtaxat?

Respondeo, Qui sic est absolutus coram Deo, & in rei veritate liber sit ab excommunicatione; vnde potest se gerere, sicuti se gerunt cæteri Fideles non excommunicati; sed ita, ut, quoad actiones externas, & præsertim quoad subeundum iudicium Iudicis Ecclesiastici, sit perinde, ac absolutus nullatenus fuisset.

Qui igitur est excommunicatus excommunicatione occulta, & deinde absolutus in foro Conscientiæ dumtaxat, se poterit, teste Suar. *loc. cit. num.7.* gerere, ut non excommunicatus in omnibus actibus tum publicis tum privatis. Nam excommunicatione coram Deo caret, & quia excommunicatio erat occulta, nihil erit scandali coram hominibus. At quando excommunicatio non est occulta, sed deducta ad forum externum, tunc absolutus in foro tantum interno, cautè se, Primo, gerere debet in actionibus externis. Secundo à iudicio externo Ecclesiæ liber non erit; quæ duo, & alia duo addam, satis tibi fient clara.

39. Primum, Absolutus in foro Conscientiæ ab excommunicatione aliis nota, potest se immiscere tum humanis, tum divinis, sed non cum aliorum scandalo, & est non coram iis, qui excommunicationem sciunt, & nesciunt Absolutionem.

40. Quid si iis dicam, & probem me esse absolutum per Bullam v.g. Respondeo, adhuc te peccare, si coram eisdem publicè & indifferenter te ingeras, quia sic videris contemnere Ecclesiam, quæ te pro excommunicato in foro externo habet. At si cautè, & coram paucis, qui tuæ sint conscii Absolutionis, te ingeras non peccas, quia sic non intervenit prædictus contemptus. Lege Suarium, *l.c.c.2.n.37.* & Bardi *in Bulla Cruc. p.2.tr.6.c.5. sect.2.n.20.* Thes. *de pœnis Eccl. p.1. c.22.* Ricciul. *lib.4. c.68.* De his etiam Tanctedi *part.2. quæst. Moral. tract.5. quæst.42.* Aliique.

41. Sed quid, si hic deductus ad forum externum, & tunc absolutus pro foro Conscientiæ non molestetur amplius à Iudice Ecclesiastico? Respondeo, tunc posse præsumi Iudicem approbare talem Absolutionem iuxta mox dicenda *n.44.* Cum ergo, tunc non adsit vllus, ne virtualis quidem contemptus, nihil te restringo, si Fideles sciant ejusmodi tacitam Approbationem.

42. Quid denique, si tua excommunicatio sit aliis cognita, sed non fuit deducta ad forum externum? Respondeo. Tunc sanè pores etiam te gerere, ut non excommunicatum coram iis, qui sciunt tuam Absolutionem, quia etiam tum, nullus est contemptus, &c.

43. Secundum. Quamvis in foro Conscientiæ sis absolutus, potest nihilominus contra te Iudex procedere, ac si non fuisses absolutus, tum ob delictum ob quod incidisti in excommunicationem, tum ob ipsam excommunicationem; tum ob actiones externas prohibitas, quas forte, post dictam fori interni Absolutionem, peccato gessisti. Quare poterit Iudex procedere ad denunciandum, ut excommunicatum ad finem [illegible] ris ab aliis, &, si fortè, publicè celebrasti Missas, [illegible] nuisti beneficium post dictam Absolutionem, [illegible] declarare irregularem, & privatum beneficio.

Dixi (*cum peccato, & publicè*) mihi enim cum [illegible] *loc.cit.n.38.* videtur probabile, quod Iudex Ecclesi[illegible] si ipsi constet ejusmodi Absolutio, ut ita loquar, [illegible] non possit procedere econtra sic absolutum ob [illegible] nicationem cum Fidelibus, celebrationemque Miss[illegible] vel beneficii impetrationem, si hæc facta fuerint [illegible] moderatione *dicta n.38. & 39.* ubi enim non est [illegible] ctum, non potest Iudex vrgere ad pœnam; immo [illegible] tat *ibid.* Suarez, pro aliis actionibus peccaminosis [illegible] rit quidem illum punire, sed minus; quantum [illegible] præcisè est necessarium ad satisfactionem scandali [illegible] lum dari, & ad puniendam negligentiam obtinen[illegible] tisfactionem pro foro externo. Lege Gibalin. *de cen[illegible] ris, d.9.q.1.n.23.* alios referens *fol. mihi 405.*

44. Potest tamen dictus Iudex procedens ex offi[illegible] (non tamen, si contra instet pars, quæ legitimè contu[illegible] cat) se mitem præbere cum ejusmodi privatim absol[illegible] to, quando ipsi Iudici moraliter constat Absolutio[illegible] enim illum excusare, potest illum non denuntiare [illegible] communicatum, potest non declarare irregularem [illegible] beneficio privatum, potest repellere accusationem fi[illegible] curatoris Fiscalis contra Reum fortè instantis; [illegible] bo potest esse contentus illa Absolutione, aliamque [illegible] quaquam requirere. Ita Coninch. aliique cit. & exte[illegible] à Diana *p.5.tr.9.res.13.*

45. Si roges, Per quid iudici constabit de dicta Absolutione?

Respondeo, Vel per testificationem fide dignorum [illegible] per schedulam Confessarii testantis, se illum Reum [illegible] solvisse vigore Bullæ: Quam schedulam, ad solum Pœnitentis instantiam facere poterit Confessarius, ne sceli[illegible] Confessionis sigillum violet. Et quidem ejusmodi [illegible] dulam in re nostra fidem facere, docet Suar. *de censur. d. sect.5.n.26.* & Mascard. *de probat. t.1. conc.12.* & te[illegible] dem multa apud Dianam habes.

46. Vnum notat Filliuc. *tr.11.c.11.n.193.* eam posse Confessario, modo dicto, scribi, sed raro, & non nisi rationabili causa, sed certò intelligo, quando est tuus seu periculum, ne ea abutatur pœnitens, contemnens procurare Absolutionem pro foro externo, sicuti danda non sit?

47. Inquires denique, Quandoquidem hæc privata communicationis Absolutio datur pro foro Conscientiæ, estne necessarium, ut conferatur pœnitenti intra Sacramentum pœnitentiæ?

Respondeo, Vi Bullæ, & Privilegiorum Mendicantium non esse necesse, ut dicam *in lib.10.tr.1. de excomm. c.* §.3. quia in his non ponitur clausula ad id obligans. Leg[illegible] interim Sanch. *l.8. de matr. d.16.n.11.* Suar. *l.c.* Dian. *tr.11. res.25.* G. Hurt. *de excomm. d.15. diff.5.n.18.* alios[illegible] que. In aliis facultatibus impetratis, vel impetrandis [illegible] ligenter adverti debebit, an clausula aliqua ad id obli[illegible] gans ponatur; si ea enim ponitur, deberi intra Sacramentum conferri conferri Absolutionem, dubium non est.

48. Denique *ibid. §. vlt. n.2.* ego notabo excommunicationis cuiuscumque absolutionem pro foro interno regulariter esse dandam intra Sacramentum Pœnitentiæ cum requisita ad Absolutionem illam confectendam, atque à Pœnitente obtinendam, melius in ipso Pœnitentiæ Sacramento ponatur.

# DE SACRAMENTO EXTREMÆ-VNCTIONIS. LIBER SEXTVS.

SACRAMENTVM Extremæ-Vnctionis est, *Vnctio exterior facta cum oleo benedicto in sensibus corporis infirmi à Presbytero, sub præscripta forma verborum, ad auferendas reliquias peccatorum, & corroborandum infirmum contra omnia mala, quæ solent tempore mortis imminere.* De illa ergo Theologi tractent, nos ea, quæ sunt pro Praxi, scitu necessaria, sic breviter expedimus.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Materia, & Forma Extremæ-Vnctionis.*

#### §. I. *Materia Remota.*

IVS remota Materia est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Si verò scire cupis. An Oleum non benedictum sit apta materia ad valorem hujus Sacramenti (nam certò est graviter illicita) &, an Summus Pontifex possit concedere hanc benedictionem simplici Sacerdoti. Lege Emanuëlem Sà Genuin. *v. Extr. Vnct. n.* 6. qui concedit prius ex his: Lege item eundem Expurgatum *ibidem*, qui vtrumque concedere videtur. Sed, & lege Castropalaum *de Extr. Vnct. part.* 2. qui cum communi vtrumque probabilius negat. Hoc oleum jam benedictum potest in vase stanneo conservari, ut habet Ritual. Rom. *de Confess.* verùm Religiosiores Parochi vsurpant communiter argenteum.

#### *OLEVM NON BENEDICTVM, quatenus addi potest benedicto.*

1. In eodem Rituali Romano, sic habetur. Oleum benedictum, si fortè infra annum aliquo modo deficiat, ut sufficere, non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo benedicto in minori quantitate superfuso, reparari potest. Hæc Rituale. Quod dum dicit (modico) insinuat totum Oleum non benedictum, quod addi benedictio, sive simul, sive successivè potest, non posse excedere quantitatem Olei benedicti, imo deberi esse in parua quãtitate, ut contra nonnullos latè probat Quintan. *de extr. Vnct. sing.* 1. Lege item de hac mistione Dian. *p.* 11. *tr.* 3. *res.* 15. Ratio autem hujus doctrinæ est, quia modicum illud non benedictum, quod additur Oleo benedicto non extrahit ab esse Olei benedicti.

3. Eadem autem ratio probat, Oleum Olivarum, cui addatur aliquod aliud genus Olei in parua quantitate v.g. Balsamum, Oleum Amygdalarum, vel simile, esse aptam materiam, quæ benedicatur in Oleum infirmorum, quia per parvam illam quantitatem non extrahitur à suo esse, sicuti Vinum, si modica aqua immisceatur est apta materia consecrationis, &c. Ne igitur audias illos, qui nullam prorsus mistionem Balsami in Oleo infirmorum admittunt.

4. Confirmatur Primo, nostra doctrina ex Sà Expurg. *n.* 16. *fin.* qui docet Oleum Rosaceum, vel Violaceum, si formam Olei amisit ob Violarum, vel Rosarum mistionem, non posse esse aptum ad Sacramentum hoc. Quasi dicat, si non amisit, aptum esse, at certè per modicam mistionem non amittit.

5. Confirmatur Secundò, quia Suar. non putat *d.* 40. *de Sacr. sect.* 1. *circa finem*, & Henr. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. esse sententiam improbabilem eorum, qui dicunt, olim Oleum Balsamo immistum, vsui fuisse ad Vnctionem infirmorum: cum æquè pro Sacramento Confirmationis, atque pro Sacramento Extremæ Vnctionis benedici ab Ecclesia fuerit consuetum. Profecto hujus consuetudinis non alia esse poterat ratio, nisi, quia modica solet esse illa mistura Balsami, quæ propterea Oleum in suo esse, seu substantia relinquit. Vides? Confirmatio invalidè fieret ex solo Oleo Olivarum, ut supra docui; quia pro illa requiritur Chrisma, id est Oleum Balsamo mistum, at Extrema Vnctio fit validè in solo Oleo, sed, & validè in Oleo cum modico Balsamo, quia hoc modicum non removet Oleum ab esse Olei.

#### *OLEVM INFIRMORVM VETVS.*

6. Interrogabis. An liceat ad administrandam Extremam-Vnctionem vti Oleo benedicto præcedentis anni?

7. Respondeo, Vrgente necessitate, licere: at ea non vrgente, validam quidem fore administrationem, sed ita illicitam, ut periculum subsit peccandi mortaliter. Scio, Emanuëlem Sà Genuinum *V. Extr. Vnct. n.* 6. putare, adhiberi posse Oleum non eodem anno benedictum, cui sententiæ Sà *ibid.* expurgatus addit rationem; De solo enim (ait) Chrismate comburendo præceptum est *C. Fin. dist.* 4. *de Consecr.* Hæc ille; cujus rationis vis ea esse mihi videtur. Non præcipitur comburi Oleum Extremæ-Vnctionis antiquum, ergo poterit servari; ergo ne sit otiosa, & frustranea conservatio, vti eo licitè ad Sacramentum poterimus.

8. Huic sententiæ Emanuëlis favet Leander *tract.* 4. *de Extrem. Vnction. disp.* 2. *quæst.* 11. dicens, post longam consultationem cum multis Theologis, fuisse resolutum, vsurpantem prædictum Oleum vetus non peccare mortaliter.

9. Verùm Bonacina, Possevinus, Zambranus apud eundem Leand. sustinent, esse peccatum, vti Oleo alterius anni, licet non explicent, peccatum mortale sit, an veniale. Et quidem Leander *loc. cit.* ait, hos dicere, esse peccatum mortale, sed Castrop. *de Extrem. Vnct. part.* 3. *n.* 12. ait, hos non explicare, an hoc peccatum mortale sit. Quinam ex his duobus Doctoribus verius referat, videat, qui otiosus est.

Denique Castrop. *loc. cit.* sic habet. Cum gravis sit materia, vti Oleo veteris anni, si præceptum adsit culpam gravem constituere debet. Hæc ille, sed non explicat, an hujusmodi præceptum adsit.

Ex his vides cur ego *num.* 7. dixi subesse periculum mortaliter peccandi, &c.

10. Sed, quando erit judicanda vrgens necessitas, ita ut omne

omne peccatum evitetur? Respondeo, quando timetur præpropera infirmi mors, ut item, quando de ea dubitatur, quia in dubio favendum est periclitanti: quod iudicium, vel Medicus, vel prudens Vir dabit, & quidem benignè potius, quàm rigorosè. In his ergo eventibus, si tempus non suppetat conquirendi novum, vtere veteri sine scrupulo.

### §. II. *Materia Proxima.*

1. PRoximam materiam dant quinque sensuum unctiones ex prædicto Oleo benedicto. Non enim probo sententiam aliquorum, quos referunt (sed reiiciunt Suarez *tom.4.in 3.p.disp.40.sect.2.num.8.*& Bellarminus *lib.de Extrem.Vnct.cap.10.* putantes, sufficere unctionem cuiuslibet partis corporis: sic enim non verificaretur hujus Sacramenti forma, quæ, ut videbimus, sensus ipsos exprimit signatè.

2. Dxi (quinque sensuum) nempe Oculorum, Aurium, Narium, Oris, Manuum, intellige, vel locorum his sensibus vicinorum, si fortè quis aliquo ex his careat. Quare unctio renum, seu lumborum, & unctio pedum, non sunt de necessitate Sacramenti, imo in fœminis illa in renibus, propter decentiam, semper omittenda est, & etiam in viris, quando difficulter moveri situ possunt; Illa autem in pedibus, solum ibi est exhibenda, ubi fert consuetudo, ut vtrumque cum aliis notat Castrop. *t.4. de Extr.Vnct.p.3.num.3.*

3. Cum autem dictum est (Oculorum, Aurium, &c.) non ita intelligo, quasi sentiam ex necessitate Sacramenti inungendos esse vtrosque Oculos, vtrasq; Aures, &c. satis enim est ad valorem, unum Oculum, unam Aurem, &c. inungi; unde in casu necessitatis, idest periculi præproperæ mortis, vel similis, unus ex singulis est inungendus. Dico, in casu necessitatis. Nam, quia gravis hæc res semper visa est Ecclesiæ, erit mortale extra necessitatem vtrosque sensus non inungere.

4. Quamvis autem Castrop. *l. c. n.7.* doceat, hoc Sacramentum nunquam esse incipiendum ministrari, si timeatur, non posse omnes quinque vnctiones perfici, tamen hoc ipse idem limitat pro casu necessitatis, adducitque Layman, aliosque. Nam, quando nullum (inquit) Sacramentum ægrotus susceptisset, timereturque decessurus ante finiras quinque vnctiones, posset (addo ego, & deberet) sub conditione infirmus inungi in sensu magis obvio v.g. in Capite, pronuntiante Sacerdote formam exprimentem quinque sensus, sic. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, per auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Neque hoc est contra Doctrinam *num.1.* allatam ex Bellarmino, nunc enim cogor à necessitate providere infirmo, si forte possim &c.

5. Tandem moneo, unctionem singulorum sensuum tantam requiri, quanta sufficit, ut sit sensibilis, quamvis per vnam guttulam, seu stillulam fiat, quia solum requiritur, ut verè possit dici sensus inunctus, ad quod quælibet sensibilis certo sufficit.

### §. III. *Forma Extremæ-Vnctionis.*

1. FOrma hujus Sacramenti sunt verba deprecatoria, & invalida essent, sivè indicativa, sive imperativa, (quidquid aliqui pauci contradicant) quia in Orationis modum hoc Sacramentum instituit Christus Dominus, ut habetur Iacobi 5. *orent super eum*, &c. Ea autem est hujusmodi per singulos sensus.

*Ad Oculos.* Per istam Sanctam Vnctionem †, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti. Amen.

*Ad Aures.* Per istam Sanctam Vnctionem †, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.

*Ad Nares.* Per istam Sanctam Vnctionem †, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

*Ad Os, compressis labiis.* Per istam Sanctam Vnctionem †, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per gustũ, & locutionẽ deliquisti. Amen.

*Ad Manus.* Per istam Sanctam Vnctionem † & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.

*Ad Pedes.* Per istam Sanctam Vnctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.

*Ad Lumbos, seu Renes.* Per istam Sanctam Vnctionem † & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per lumborum delectationẽ deliquisti. Amen.

2. In prædicta forma puto probabilius, cum Hurtado & aliis *de Extr. Vnct. disp. 7.* de necessitate, seu essentia Sacramenti, non esse illud (Sanctam, nec illud per piissimam misericordiam) multo minus illud Amen. Nam cætera certum sit, esse de essentia; & omnes adjacent (excipio illud, Amen) esse de præcepto gravi, notat rectè Suarez *t.4. in 3.p.d.40. sect.3.*

Tanquam verius item puto, essentiale esse cuilibet vnctioni, suam formam distinctè repetere, nec sufficere quinque vnctionibus celeriter peractis vnicam formam omnes sensus complectentem exprimere, in hunc modum. *Per istam Sanctam Vnctionem, † & piissimam misericordiam suam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Sic igitur sub conditione id fieri poterit quando timetur ocior mors: ut modo, *§.2.num.4.* significavi.

3. Invocatio explicita Trinitatis, seu ejus expressa mentio, nec necessaria est, ut vult Castropal. *tract.4. de Extr.Vnct. d.vn.p.4.n.5.* nec consueta.

Vnctiones item expedire per modum Crucis, † quamvis sit consuetum, tamen non est, & ita Suar. *tract.4. de Extr.Vnct. p.4.sect.2. num.5.* nec de necessitate Sacramenti, nec de præcepto gravi, vnde, præciso contemptu, & scandalo, quod certe ratum est, id omittere, peccatum mortale non erit.

4. Si necessitas vrgeat, ut si infirmus timeatur decessurus sine hoc Sacramento, adhiberi possint plures Sacerdotes, quorum singuli suas vnctiones peragant, aut vnus singuli sub suis formis; nullo enim modo potest alter vngere, & alter formam proferre, Lege Suarez *l.c.disp.4.sect.2.& 3.* Coninch. *d.19.d.9. fin.* Hurtad. *de Extr.Vnct. diff.11.*

5. Si Sacerdos non possit progredi ad perficiendum hoc Sacramentum, supplenda ab alio Sacerdote ea quæ restabunt, rectè cum Divo Thoma, aliisque omnibus Sà *de Extr.Vnct. num.10.*

### §. IV. *Modus, seu Solemnitas administrandi Extremam Vnctionem.*

1. PArochus, vel ejus jussu Sacerdos superpelliceo & stola indutus (secus foret mortale & ponendo vestes non suppetant, omitti debere Extremæ Vnctionis collationem, asserit Suarez *d.14. sect.2. num.7.* sed quaquam debere omitti, docet Quintan. *de Extr. Vnct. sing.5. n.4.* Cum quo sentio, quia in hoc Sacramento vis judicandus est defectus vestium, quare illæ quæ solidæ decumbentis vtilitati debent) Sacerdos ingressus sic indutus, atque associatus Clerico (potest vti Layman potest nullum advocare, si in promptu is nequeat haberi, sit, vt notat Layman *lib.5. tr.8. cap.8. n.1.*) ingreditur locum ægroti, eundemque, confiteri se Sacramento volenti, libenter audit, tum preces antecedentes ad Sacram Vnctionem devote fundit, quas preces, non posse sine peccato mortali omitti, nisi vrgente necessitate, putat Quintanad. & Bonacina. Addo libens, & nisi exigua parvitas materiæ, ut si ex illis modica pars omittenda. Mox Psalmos Pœnitentiales, ac Litanias, quæ licet non sunt sub consilio, recitari genibus flexis ab assistente curat, dum ipse interim infirmi sensus digito inungit ad modum Crucis, quam autem Crucis efformationem non esse sub præcepto modo docuimus, peractoque quolibet Vnctione, ipse idem inuncta loca tergit gossypio, vel stupa, vel lana, vel simili, illa mutando ad singulas vnctiones

vnctionis, quæ in vase mundo reponit, ad ea comburenda, combustionis cineres in Sacrarium proiecturus. Denique recitat Orationes consequentes ad Sacram Vnctionem, sub eodem peccati mortalis onere, (nisi necessitas excuset, vel parva materia) sicuti diximus de similibus Orationibus antecedentibus.

2. Hoc Sacramentum ministrare sine lumine, non esse peccatum, bonum est scire, ut rectè notat Quintanadu. *de Extr. Vn. sing. 5. n. 4.*

3. Supersunt tres quæstiunculæ. Prima, quonam digito hæ vnctiones sunt expediendæ?

Secunda, quæ pars manus ejus, qui non est Sacerdos est inungenda exteriorne, an interior, quam volam appellamus? ejus, inquam, qui non est Sacerdos, nam omnes scimus Rituale Romanum reformatum præscribere, ut Sacerdotes (qui iam fuerunt in vola manus sacro Chrismate vncti in exteriore manu inunganturt, dum eis Extremæ Vnctionis Sacramento ministratur.

Tertia, quid de inversione Ordinis vnctionum?

4. Respondeo, si de valore Sacramenti loquamur; Primo, quocunque digito ejusmodi Sacra Vnctio exhibeatur; Secundo quæcunque pars manus inungatur; Tertio, à quocunque sensu mutato Ordine, incipiatur, validum erit Sacramentum, quia cum sic iam adsit vnctio à Christo instituta, adest iam, quod est de substantia: neque enim credibile fit Christum Dominum voluisse, valorem tanti Sacramenti à circumstantiis tam levibus dependere.

5. Si vero loquamur de licito usu, puto non esse saltem mortale, quocunque digito exhibere vnctionem, vel exteriorem manum non Sacerdotis inungere, quia hæc duo levia sunt.

6. At invertere ordinem Vnctionum, ita ut prius vnguntur aures, quam oculi, &c. esse grave peccatum docet Castropalaus *de Extr. Vnct. p. 3. n. 11.* his verbis, *Grave est peccatum, utpote contra Ecclesiæ consuetudinem, ordinem invertere.* (Hoc est, si prius ad aures, deinde in oculis, &c. Vnctio fieret) ut ex communi docet Suarez *tom. 4. in 3. p. d. 4. sect. 2. fine*, Emmanuel Sà *V. Extrema Vnctio, num. 12.* Bonacina aliis relatis *d. 7. de Sacramentis quæst. vnica p. 5. n. 20.*

7. Profecto animadverto, etiam doctissimos viros, labi interdum in adducendis Authoribus, sive ob Amanuensium, sive ob Typographorum incuriam; Legi locum Suar. à Castrop. citatum, ubi, non, (*grave*,) sed (*aliquod*) esse peccatum dicitur: At illud (*aliquod*) satis minus est, quam illud (*grave*) Legi Emmanuel. Sà, tum g. nuinum, tum expurgatum in editione Romana, qui nec, *n. 12. citato* à Castropal. nec in toto verbo *Extrem. Vnctio* hujus rei meminit. Legi Bonac. qui loco ab eodem citato, solum docet, Ordinem in vngendis quinque sensibus, non esse necessarium, necessitate Sacramenti, quia mutato ordine adhuc completa manet significatio, at de necessitate præcepti, ne verbum quidem.

8. Ego, si me consulis, puto non esse mortale; Excipe semper contemptum, & scandalum, quæ certè raro hic contingere possunt. Ratio est, quia, ut in simili dictum est sæpius, hæc non est tanta variatio, ut mortalem culpam parere possit. Merito ergo dixit Suarez esse aliquod peccatum, id est veniale, & fortasse citatus Castropalaus non discedit ab hac sententia. Cum enim illud (grave) non raro à Doctoribus ut Sanch. *tom. 1. in dec. l. 3. c. 6. num. 22. & l. 4. de matr. d. 23. n. 9. circa fin.* Idem Castrop. *tom. 3. d. 2. de voto p. 17. n. 6. fine*; usurpetur pro gravi in genere peccati venialis, possumus opinari, Doctiss. Castropal. voluisse duntaxat notare, peccatum hoc non fore ex peccatis venialibus levibus, sed in genere venialium, esse ex gravibus.



## CAPVT II.

### *De subjecto hujus Sacramenti.*

1. IS qui validè & licitè potest Extremam-Vnctionem recipere, est Homo Viator Baptizatus, Vsus rationis compos; In gratia existens, seu putans in eadem existere; graviter infirmus, & denique, Qui in eodem periculo hoc idem Sacramentum non susceperit. Illustremus singula.

### §. I. *Viator.*

2. NOn ergo mortuus hujus est Sacramenti capax. Ei autem, de quo dubitatur, an expiraverit, nonnisi sub conditione dandum est. Immò suprà *c. 1. §. 2. n. 4.* dixi, ab eo conferendo abstinendum esse si prævideatur infirmus esse moriturus, antequam quinque vnctiones perficiantur, nec sit casus necessitatis, iuxta ibidem dicta.

### §. II. *Baptizatus.*

3. CAthecumenus, & multo magis infidelis Extremæ Vnctionis capax non est, quia Baptismus re ipsa susceptus, qui est Sacramentorum ianua, necessariò præcedere ad illum debet. Si autem accidat, aliquem graviter infirmum Baptizari in fine vitæ, statim à Baptismo, extremæ vngi poterit.

4. Quamvis autem ex congruentia soleat dicto baptizato in fine vitæ porrigi Viaticum prius, quam ei conferatur Extrema Vnctio, tamen cum hæc sint Sacramenta, quorum vnum ab alio non dependet, necesse non est, sub tanto rigore ejusmodi ordinem custodire. Ita Suar. *de Extre. Vnct. d. 44. sect. 1. n. 8.*

### §. III. *Vsus rationis Compos.*

1. NOn quidem, quod actu ratione vtatur, sed quod vsum rationis habuerit. Vnde licet Infantes perpetuoque amentes invalidè inungantur; Pueri tamen septennes, cum supponantur vsum rationis obtinuisse, validè, & licitè vnguntur: Non est autem necesse; ut mortaliter peccare potuerint, cum sit satis, si potuerint venialiter: Quare non sunt laudandi Episcopi, qui requirunt, puerum excessisse pubertatem: Et quamvis iuxta aliquorum probabilem sententiam, his septem annorum Pueris non liceat, dare Viaticum, pro quo suscipiendo expectandus est decimus circiter annus, tamen licebit, debebitque dari Extrema-Vnctio; quia hæc sunt Sacramento disparata, & Extrema-Vnctio non requirit tantam discretionem, quantam illorum opinio requirit ad sumendam Eucharistiam. Dixi (*iuxta aliquorum sententiam*) nam ego sustinui *in opusc. meth. comm. c. 5. §. 8. num. 14.* posse, & debere, etiam his dari Viaticum.

2. An autem satis sit ad validam, licitamque vnctionem, solum posse peccare, saltem venialiter, unde licitum sit, sive pueris septennibus, sive aliis illam conferre immediatè post baptismum, quando moraliter certum est, nondum eos, ne venialiter quidem peccasse, duplex est sententia: affirmat Suarez *loc. cit. d. 42. n. 8.* aliique innumeri, quia solum requirunt potentiam peccandi. Negat Ioan. Sanchez apud Leand. *disp. 3. de Extr. Vnct. q. 5.* Ioan. Sanch. *in select. d. 27. n. 18. & 19.* quem sequitur Leand. *l. cit.* cum aliis, quia sic non verificaretur forma hujus Sacramenti, quæ dicit, Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c.

3. Vtraque sententia, saltem propter authoritatem Doctorum, est probabilis: vnde fit, ut probabile item non sit Beatissimæ Virgini ministratum fuisse hoc Sacramentum.

Si dubitetur, an puer vsu rationis polleat ? poterit, & debebit ecclesiasticè inungi, sed sub conditione. Ita Ioan. Sanch. *in sef. d. 17. n. 17.* Leandr. *de Ext. Vnct. d. 3. q. 3.* Diana *3. p. tract. 4. res. 169.* Addens negotia, in quibus nihil amittendum timetur, sed potius lucrum speratur, audacter esse tractanda.

Accedamus nunc ad Phræneticos. Qui post usum rationis in Phrænesim, vel in amentiam inciderunt, hoc Sacramento frui posse, certum est. Nec enim opus, ut expresè infirmus illud dum sanæ esset mentis, petierit; cum sufficiat, vel aliquod dedisse petitionis signum, vel solum esse Fidelem de quo præsumatur velle, saltem in mortis articulo ritu Christiano decedere, & de quo non constet, esse in mortali, modo mox explicando §. *seq. n. 2.*

Cavendum tamen semper est, ne, quoad Phræneticos, sit periculum irreverentiæ, eo enim existente, non erunt vngendi.

## §. IV. *In gratia existens, seu putans, &c.*

1. CVm hoc Sacramentum sit Vivorum, ut explicuimus, *In Opusc. meth. comm. c. 1. §. 1. iuncto lib. 1. de Sacram. in gen. sup. c. 3. §. 2. n. 4.* & videri potest Coninch. *disp. 19. de Extr. Vnct. à num. 19.* requirit statum gratiæ in suscipiente. Quod si quis bona fide putans, se esse in eo statu, tamen re vera sit in mortali, hoc peculiare habet hoc Sacramentum, ut in omnium sententia cum attritione illud mortale remittat; nam propterea dicitur, auferre reliquias peccatorum, id quod pluribus explicant Theologi.

2. Huc ergo pertinent peccatores, de quibus notat, Primo, Coninch. *d. 19. de Sacr. dub. 6. num. 19.* citans Suar. *d. 42. de Extrem. Vnct. sect. 1. n. 10.* si post peccatum commissum, v. g. post duellum, tempus superfuit, quo vulneratus pœnitere potuit, præsumendum esse, saltem per attritionem pœnituisse, nisi contrarium clarè constet, quod certè clarè constare, difficile est. Quare, si ita à sensibus abalienatus, unde non possit, nec conteri nec, Sacramentalem Absolutionem cum attritione suscipere, erit regulariter per Extremam-Vnctionem reficiendus, quia regulariter præsumitur attritus & non potest de statu actuali peccati constare. Vide omnino, quæ dixi *In opusc. meth. comm. c. 5. §. 9.*

3. Notat Secundò Sà, *Verb. Extrem. Vnct. n. 1.* suscipientem hoc Sacramentum, non debere esse excommunicatum, nam propterea, si sit, vel si timeatur esse ejusmodi, erit prius, sive absolutè, sive sub conditione, *si indiget*, absolvendus; pro eo enim articulo quilibet Sacerdos hanc absolvendi potestatem habet, eo modo, & cum iis oneribus, quæ suprà *de Sacram. Pœnit. tract. de cas. reser. c. 12. §. 4.* pluribus explicuimus.

4. Dices. Si susceпturus hoc Sacramentum debet existere in gratia, ut dictum est, *n. 1.* quo modo ad administrandum illud infirmo alienato à sensibus, de quo solum nunc est locutio, satis est mihi ministranti, si illum attritum, dumtaxat esse præsumam ?

5. Respondeo, hunc nodum solvit Suarez, *3. p. tom. 4. d. 42. de Extrem. Vnct. sect. 1. n. 10.* & ego indicavi, dum eodem *num. 1.* dixi, ( *vel bona fide putans se esse in gratia.* Cum enim dictus Suarez sibi sic objecisset. *Fidelis non potest licitè accipere hoc Sacramentum cum sola attritione cognita : ergo, nec Minister potest licitè dare;* Cum inquam, sic objecisset, ita respondet. *Vtique potest, quia si conferat, Sacramentum non carebit affectu suo. Diximus enim supra, Sacramentum hoc facere de attrito contritum, quoties suscipiens non peccat de novo in ejus susceptione. Sed ille recipiens de quo loquimur, non peccat de novo, nam ratione talis status in quo est à sensibus destitutus, est incapax novi peccati, & alias supponitur attritus, quo pacto abstulit obicem gratiæ, ergo fit contritus virtute hujus Sacramenti, recipitque gratiam, & consequenter Minister illi hoc Sacramentum conferre digne poterit.* Hæc Suarez.

## §. V. *Infirmus.*

1. Eiusmodi sunt omnes ii, qui ex vulnere, quibus aliqui dicant, qui volunt, ut præter vulnus, aliquis accedat ) qui ex morsu Viperæ, vel rabidi ( ergo etiam, qui ex veneno quocunque ) qui ex humorum inordinatione, qui ex natura tate, ut etiam mulieres, quæ ex prægnatione, vel rio ; Omnes, inquam, hi, si in mortis probabili esse, iuxta prudentis, & quidem benignum, dicantur, possunt Extremam-Vnctionem suscipere si in lecto non iaceant.

2. At vero Qui mortis supplicio sunt afficiendi periculosam navigationem aggressuri, qui ad quantumvis atrox præparantur, nec licitè, nec eamdem Vnctionem suscipient, quia ut sic non firmi.

Immo Suarez, *dicta d. 42. sect. 2. n. 4.* sustinet, non illicitam, sed invalidam esse collationem hujus Sacramenti factam Infirmo, qui prudenti iudicio non tatur, quod certè probabile est : quia hoc Sacramen institutum est pro fine vitæ. Sed est etiam probabile validam, & licitam, ut sustinet Coninch. *l. supra* quia Tridentinum *sess. 14. cap. 3.* dicit, hoc Sacramentum conferendum esse Infirmis, præsertim periculosè bentibus. Notandum enim, est illud ( *præsertim* indicat posse, quoad valorem etiam aliis Infirmis.

3. Quid si sit dubium, an Infirmus sit in dicto culo ? Respondeo, etiam in prædicta sententia Suarii niſtretur, ( ait Capeavilla ) *de minist. Vnct. cap. 2.* huic Extrema-Vnctio. Sed expectetur ( inquit Cabalaus ) *de Extr. Vnct. d. vnic. p. 6. numero 13.* donec stet de periculo. Vtraque sententia est probabilis, prior magis est animæ favens, adeoque libentius pienda.

4. Et quidem adverte, etiam in prædicta Suarii tentia, ( quam certè esse in praxi sequendam, & nam Coninch, ipse usus Fidelium communis oftendit periculum esse expectandum, non vero vitæ desperationem. Nam concors est Theologorum vox, Extrema-Vnctionem esse conferendam, quando sensus, & recipientis vigent, ut nimirum reverenter, & convenire dispositione recipiatur. In quo tamen rigorose tur Catechismus, *p. 2. de Vnct. c. 6. n. 9. Gravissime, ii peccant, qui illud tempus ægroti vngendi, quo solent cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensus re incipiat.*

5. Ejusmodi dictum lenit Quintanaduen. *de Extr. Vnct. sing. 8. n. 3.* dicens ad mortalem culpam incumbere dam, requiri, ut tanta dilatio, dedita opera, & ex negligentia fiat.

6. Adhuc mitius Suarez *l. c. d. 42. sect. 1. n. 7.* Medici ( ait ) *curare debent, ut hoc Sacramentum detur fidelidum sunt sui compotes. An vero hoc ita sit necessarium ut eadat sub præceptum, Authores nihil dicunt, magnum facilè hanc obligationem imponam, saltem sub gravi* Hactenus Suarez, lege tamen exceptionem mox adnendam.

7. Hæc quoad Ministros : Sed quid de ipso infirmo obligaturne sub mortali ad hoc Sacramentum piendum ?

Respondeo, communem esse opinionem solum gari sub veniali, quia hoc non est Sacramentum rium : Excipe, Primo, quando ex contemptu omittitur cum gravi scandalo, quod certè non adest, solum quod infirmus requisitus velit differre ad rempus modius, sed adesset, inquit Coninch. *d. 19. dub. 10. n.* & Layman, *tract. 8. de Extr. Vnct. cap. 7. n. 2.* quia quisitus ex nulla causa nollet, unde astantes aut Lay conciperent illum esse hæreticum, vel ob hominis thoritatem, ad vilipendendum hoc Sacramentum, ri possent. Denique Hurt. *de Extr. Vnct. disp. 11. notat* rum esse, quod sequatur ejusmodi grave scandalum mera omissione.

8. Excu-

8. Excipe Secundo, quando aliud Sacramentum infirmus non suscepit, nec contritionem elicuit, nam tunc videtur ex obligatione Charitatis ad se ipsum, teneri ad suscipiendam Extremam-Vnctionem, ut si sit fortè in peccato sibi non cognito, gratiam cum attritione acquirat, iustusque decedat.

9. Atque id, quod in hac secunda exceptione dictum est, debere etiam servari à Ministris, & Assidentibus circa infirmum, operæ pretium est, advertere.

10. Denique Prælati, & Parochi, sub quanam obligatione tenentur ad hoc Sacramentum suis ovibus administrandum, dicam *cap. quarto, num. quinto.*

## §. VI. *Quando reiterari potest Extrema Vnctio.*

1. QVamvis Extrema-Vnctio Characterem non imprimat, ut supponit Tridentinum *sess. 7. cap. 9. de Sacr. in gen.* ex Eugenii Quarti definitione, nihilominus, eodem periculo mortis perseverante, iterari, nec licitè, nec validè potest, quia semel habita, sufficit pro eodem periculo, ut ex usu Ecclesiæ constat antiquissimo. At si novum superveniat periculum, licet infirmitas non cessaverit, validè poterit, & licitè, quia tunc censetur alia nova infirmitas, atque adeo novo remedio, novoque indigens auxilio.

2. Hæc sunt certa, & omnibus obvia. Verum gravis difficultas apud Doctores agitatur, quonam modo hoc novum periculum cognosci possit? Quod tamen ex sequentibus eorumdem Doctorum explicationibus habebis, spero, manifestè.

3. Hurtadus *de Extr. Vnct. diff. 10. fine*, sic loquitur *Vivro novum adsit periculum, non requiritur, maius temporis intervallum, quam quod requiritur, ut infirmus dicatur prius periculum evasisse, seu fuisse extra illud.*

4. Bonacina *d. 8. de Extr. Vn. q. vnic. p. 6. n. 4.* sic, *Si status*, inquit, *Infirmitatis mutetur, potest iterari Extrema Vnctio. Itaque, si existens in periculo mortis infirmus percepit Extremam-Vnctionem, deinde per aliquos dies evasit mortis periculum; ut si, per mensem, convaluit à periculo mortis, potest iterum recipere hoc Sacramentum, si iterum incidat in grave ejusdem mortis periculum.*

5. Suarez *tom. 4. in 3. p. d. 40. sect. 4. num. 7.* cum dixisset, frivolum esse, ad iterandam Extremam-Vnctionem, vnius anni interruptionè postulare, vel vnius mensis; sic addit. *Ideo hæc regula non est admodum certa, ideoque prudenti arbitrio hoc relinquendum est, ut nimirum, considerata diuturnitate ægritudinis, & statuum ejus, & interruptionis eorum inter se, practica, & communi existimatione, illa censeantur diversa pericula, & status ita diversi, ut perinde se habeant, ac si essent morbi omnino distincti.*

6. Coninch. *d. 19. de Extr. Vnct. d. 8. n. 26.* ita docent, *Intervallum inter periculum transactum & periculum novum in eadem infirmitate, debet esse notabile, idest tantum, ut utrumque periculum, non solum secundum apparentiam, & effectus, sed in re ipsa possit dici distinctum, ita ut ager, medio tempore, prudenti iudicio, possit dici fuisse, extra periculum mortis, quoad illum morbum attinet.*

7. Denique Rituale Romanum his verbis breviter, & disertè propositam rem, sic expedit. *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.*

---

# CAPVT III.

## *De Ministro hujus Sacramenti.*

## §. I. *Minister est Sacerdos.*

1. PRo valore, est quilibet simplex Sacerdos, licet excommunicatus, vel degradatus. Pro licito autem vsu, debet esse Sacerdos non excommunicatus, nec alia innodatus Censura, & Iurisdictionem habens in infirmum, qualis est Prælatus pro suis ovibus, ut item est Parochus pro suis, vel alius Sacerdos ex alterutrius commissione tacita, vel expressa. Quare in necessitate quilibet Sacerdos nulla Censura ligatus licitè confert, quia potest præsumere licentiam Parochi, vel Prælati; cum in his actionibus, quæ non ut validè, sed ut licitè fiant, dependent à Superiore, non requiratur, nisi probabilis ejusdem consensus: ut ait Castropalaus, *de Extr. Vnct. p. 7. num. 4.* sic disponente.

2. Si sine vlla licentia Sacerdos alterum vngeret, saltem sæpè id faciendo, videtur res gravis, atque adeo culpa mortalis; vsurpat enim iurisdictionem alterius. Non ita si semel; aut iterum; sic enim leve quid est, ut in simili alibi memini. *In opusc. de commun. c. 5. §. 4. n. 8.* me declarasse.

3. An Sacerdos excommunicatus licitè ex necessitate inungat? colligi ex ibidem dictis potest.

## §. II. *Sub qua obligatione.*

1. PArochus, & Prælati tenentur ex iustitia, Lege *Laym. lib. 5. tract. 2. c. 7. num. 3.* Dianam *p. 3. tract. 4. resol. 170.* Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 44. sect. 3.* ex obligatione sui officii sub mortali (alii enim Sacerdotes, solum ex Charitate) hoc Sacramentum conferre suis ovibus, sive expressè, sive tacitè petentibus: quam tacitam petitionem ego interpretor adesse, quoties infirmus graviter decumbit, nec Sacerdotem excludit, immò si excludat, debet à Parocho persuaderi, &c. Licet enim infirmus, modo supradicto, non obligetur, saltem regulariter, sub mortali Extremam-Vnctionem suscipere, qui potest suo iuri cedere, non tamen ita Parochus, qui ut Pastor debet in illo gravi articulo suis ovibus de spiritualibus remediis providere.

2. Pro tempore pestis videantur Castrop. *l. c. p. 8. n. 5.* & multi quos citat Leander *de Extr. Vnct. d. 1. q. 8. & 9.* Adde Suar. *tom. 4. d. 44. sect. 3. num. 20.* Nobis in præsentia satis sit duo notare. Primò, Docent non pauci, ut Dian. Villalob. Amicus. Franc. De Lugo Suar. aliique cum Medul. Theolog. *de Extr. Vnct. cap. 1. n. 1.* si peste infecti, sint confessi, vnde censeantur esse in gratia, posse Extremam-Vnctionem absolutè omitti.

3. Secundò; Docent Tannerus allatus à Medulla Theol. *l. c.* Suar. *de Extr. Vnct. d. 44. sect. 3. num. 20.* aliique, non teneri Parochum, quando, adhibitis remediis adhuc subest periculum suæ vitæ, hoc Sacramentum porrigere, sed addit Suarez *loc. cit.* Parochum obligari, adhibere convenientia remedia, quibus possit sine morali periculo, Extremam-Vnctionem ministrare. Lege ipsum, qui hæc remedia enumerat.

## §. III. *Religiosi, an sint hujusmodi Sacramenti Ministri.*

1. COntra Religiosos conferentes hoc Sacramentum fulminatur ipso facto excommunicatio Pontifici reservata *in Clementina, prima de Privilegiis.* Intellige autem, quando sine licentia tacita vel expressa Parochi, vel sine Pontificis privilegio id faciant. Quibus tamen ipsi ex privilegio conferre Extremam-Vnctionem possint, habes late apud Quintanadu. *l. mox citando*, ex quo duo seligo dumtaxat.

2. Primò. Si Novitius Sacerdos conferat alicui Extremam-Vnctionem sine licentia Parochi, peccat quidem modo dicto §. 1. *n. 3.* at non afficitur hac excommunicatione. Ita Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 22. de Cens. sect. 4. num. 3.* (quidquid dicat Navarrus *in man. cap. 22. num. 102.* Sylu. *V. excomm. 7. num. 32.* apud Suar. *citatum*,) nam hæc excommunicatio est contra Religiosos, Novitii autem, in odiosis, Religiosorum nomine, non veniunt.

3. Secundò. In dicta Clementina non est sermo de Religioso ministrante hoc Sacramentum, alterì Religioso, qui est exemptus à Iurisdictione Parochi.

Ratio est, quia dictæ prohibitionis totus finis est, ne præiudicium aliquod oriatur Parochis, quod neutiquam fit, si Religiosus Religiosum inungat, in quos nulla Parochus Iurisdictione gaudet.

§. IV. *De Adiutore Ministrantis hoc Sacramentum.*

1. ADjutor, seu respondens Sacerdoti hoc Sacramentum Ministranti, indicavi supra, solere esse Clericum, immò sufficere etiam Laicum, & aliquando posse nullum adesse. Inquiro nunc præterea, an liceat esse Fœminam?

2. Respondeo, nequaquam licere: nec scilicet, respondendo ad preces, nec multo magis, tergendo sensus infirmi vncti.

3. Quid si deficiant viri omnes? Adhuc sentio cum Quintanaducña *de Extr. Vnct. sing.* 6. potius Sacerdotem sibi debere respondere, & eundem ipsum abstergere unctiones, quàm Fœminam adhibere. Nam ex una parte, ejusmodi Adiutorem adesse, non est necessarium in hac functione, & ex alia Fœminæ in Sacris Canonibus semper arcentur ab immediatis hisce ministeriis Sacramentorum.

## CAPVT VIII.

*Quo tempore ministrari potest Extrema-Vnctio.*

1. QVacunque hora, quocunque tempore, quocunque die: non enim est, unde coarctatum sit ejusmodi tempus.

2. Solum in tempore Interdicti prohibitum [illegible] nimus in Sacro textu *cap. Quod in te de panis remiss.*

3. Excipi tamen ab hac prohibitione debent, Pa[illegible] ii, quibus pro illo tempore concessum est privile[illegible] (quod an, & quatenus concedatur à Bulla Cruci[illegible] citur *in tract. de interdicto.* Interim lege à Cruc[illegible] *Bullæ Cruc. cap. 5. dub. 5. num.* 1. ubi etiam dicitur, [illegible] Religiosos.)

4. Excipe Secundo, quando moriturus Sacramen[illegible] Pœnitentiæ recipere non potuit; nam in hoc casu [illegible] trema-Vnctio est medium valde probabiliter ben[illegible] rium ad animæ infirmi salutem, vnde illam non pr[illegible] bet Ecclesia, sicut, nec tunc prohibet collationem [illegible] cramenti Pœnitentiæ.

5. Quoniam vero acquiri primam gratiam, & pe[illegible] catum oblitum remitti Fideli baptizato persuasen[illegible] nem aliorum Sacramentorum bona fide, & cum [illegible] tritione factam, est solum probabile; Ita Sua[illegible] *Extrem. Vnct. disp. 41. sect. 1. num.* 19. per Pœnitentia[illegible] vero, & Extremam-Vnctionem sit moraliter ex[illegible] Suar. *ibidem*, ideo puto non esse alienum ab Ecclesia[illegible] tate concedere, ut infirmus, si tempore iuterdicti no[illegible] potuit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, (esto re[illegible] perit aliquod aliud Sacramentum, etiam Eucharist[illegible] posse Vnctionem Extremam rite suscipere, illique à [illegible] cerdote eam ministrari, ut scilicet certius ejus salutis [illegible] sulatur.

# DE SACRAMENTO ORDINIS. LIBER SEPTIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

### §. I. *Quid sit Ordo, & Quotuplex.*

ORDO, seu ordinatio est *Signum sensibile, quo spiritualis potestas cum impressione Charactheris tribuitur viro baptizato circa Eucharistiam, qua conficiendam, qua ministrandam.*

2. Signatè autem dicimus (*circa Eucharistiam*) omnes enim Ordines relationem, seu habitudinem habent, sive remotè, sive proximè ad unicum Eucharistiæ sacrificium, vel conficiendum, vel ministrandum Nam propterea licet illi plures sint, tamen, quia omnes habent prædictam moralem vnitatem per eandem relationem ad Eucharistiam, unum sunt Sacramentum, lege Bellarminum *lib. 1. de Ordine c. 8.* & Marchinum *de Ordine p. 1. cap. 15.*

3. Ordines autem esse septem, idest quatuor Minores, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcizatum, Acholitatum, tres verò Maiores, nimirum Subdiaconatum, seu Hypodiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium, vel pueri non ignorant, quorum officia dicam inferius.

4. Primam tonsuram, & Cardinalatum non esse Ordines, Episcopatum verò non esse diversum Ordinem à Sacerdotio, sed ejus extensionem quandam, qua Episcopo datur potestas ordinandi Sacerdotes, Episcopos, & denique Archiepiscopatum, & Papatum non esse ordines diversos ab Episcopatu, seu à dicta extensione Sacerdotis, satis sit innuere: legantur Doctores passim V. Bellar. *loc. cit.* 50. Leand *de Ord. dis. 1. q. 5. & 10.* alios tans, *& quæst. 14. 15. 17.* Sanc. *in cons. lib. 7. cap. 1[illegible]* Castrop. *de Ord. p. 3. num. 3.* Quintanad. *de Ord. [illegible] num. 5.*

5. Solum nota, ex eo, quod Episcopatus sit extensio Sacerdotis; sequi, nulliter, & invalidè ordinari in Episcopum, eum, qui Sacerdos non est, quia Episcopatus prærequirit essentialiter Sacerdotium, quod non [illegible] est in aliis ordinibus. Nam quamvis illicitè quis initiaretur v. g. Sacerdotio, si præcedentibus Ordinibus [illegible] reret, validè tamen initiaretur, quia Sacerdotium non essentialiter, sed solum ex præcepto, illos alios ordines supponit.

### §. II. *An omnes Ordines sint Sacramentum.*

1. MInores quatuor, esse Ordines, certum est, quia tales pronunciat Tridentinum *sess. 23. can. 2. de Sacram. Ordin.* & merito, quia faciunt gradum, seu ordinem in Ecclesia supra tonsura insignitos, quæ tonsura est ianua, seu fundamentum Ordinum, non Ordo.

2. An vero Minorum horum Ordinum collationes sint Sacramenta, dissentiunt Doctores. Vasquez *tom. 3. in 3. p. d. 257.* Aliique quos citat Leand. *de Ord. d. 1. q. 6.* larè probat non esse, Sanchez *in consil. lib. 7. cap. 1. d. 17.* Leand. *l. c. quæst. 6.* Aversa *de Ord. quæst. 1. sect. 1.* Castropal[illegible] *tom. 4.*

tom.4.tr. de Ord.p.3.n.9. tamen cum communiore, & probabiliore sententia esse, probat; quos Doctores, si est otium, adi.

MAIORES.

3. Subdiaconatus collationem esse iterū Sacramentum, est longè probabilius: quamvis fatear, opinionem dicentem non esse, in censuram vocari non posse, eam enim nonnulli Docti sequuntur, vocantque probabilem.

4. Quod autem collatio Diaconatus sit Sacramentum videtur accedere ad certitudinem fidei. Lege Aversum loc.cit.sect.3. Apud Castrop. loc.c.n.5. Sot. Laymam. aliosque apud Leand. de Ord. d.1.q.7. & March.tr.1. de Ord.p.1.c.6. vocat valdè probabilem.

5. Denique Sacerdotium, & Episcopatus, prout, includit Sacerdotium, de fide est, esse Sacramentum. At prout superaddit extensionem dictam §.praced.n.5. licet non sit de fide, est tamen certissimum esse Sacramentum, ut apud Vasquez, aliosque citatos videre poteris.

6. Quoad praxim, illud ex dictis colligi debet, Ordinem, cum iam dixerimus, esse Sacramentum, undè suam producit gratiam, debere dignè ministrari ab Episcopo ordinante, & digne recipi ab ordinato, idest sine conscientia peccati mortalis, ut supra libro primo de Sacramentis in vniversum explicatum est. Sed difficultas propria hic se offert: An id sentiendum sit de omni Ordine, etiam de prædicta extensione; ita ut per quamcumque indignam collationem, vel receptionem illorum, committatur novum numero peccatum.

7. Respondeo. Ita est sentiendum in sententia, quam, ut probabiliorem secuti sumus, docentem, eos omnes esse Sacramenta, multo magis de illa extentione, quam diximus, certo esse Sacramentum. At quia non potuimus negare probabile esse, Subdiaconatum, & Minores Ordines non esse Sacramenta, ut modo vidimus, ideo probabile etiam erit, ea ministrare, ut vult Leand. cum multis disp.2.de Ord.quæst.21.& 22. Quintanad. de Ord.sing.17.n.1. vel suscipere, non esse saltem mortale.

---

# CAPVT II.

## *De Materia, Forma, & Officiis primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum.*

### §. I. *Prima Tonsura.*

1. EST *deputatio ad canendum in Choro seu Ecclesia, & ad ejusdem obsequium.*

2. Confertur ab Episcopo per abscissionem capillorum, loco materiæ, & per hæc verba, loco formæ, ab eodem Episcopo, & simul ab ordinando pronunciata: *Dominus pars hæreditatis meæ, & pars mea Deus in æternum.*

Dico (loco materiæ, loco formæ) cum enim prima Tonsura Ordo non sit, vera materia, formaque non indiget: nam propterea, his omissis, validè quis (teste March. de Ord. tr.2.p.1. cap.12.) deputaretur ad obsequia prædicta, si quocunque alio modo, ipso consentiente, ad ea addiceretur ab Episcopo.

3. Officium primæ Tonsuræ est, deputare Fidelem ad canendum in Ecclesia, ob quam rationem vocatur is Psalmista, & ei imponitur, ut semel recitet septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & Precibus consequentibus. Destinatur item per ipsam Fidelis ad obsequium, & famulatum Ecclesiæ, unde sit capax beneficiorum Ecclesiasticorum, & aptus ad Ordines sequentes.

4. Vt autem id hac occasione dicam, adverte, prædictas Orationes imponi ab Episcopo, tum tonsurato, tum cuilibet ordinato in Minoribus, & quidem semel, etiam si receperit simul dictam Tonsuram, & quatuor omnes Ordines: imponi, inquam, non sub peccato, sed sub consilio. Ita March. loco citato cap.8. cum Navarr. & Reginaldo sicuti idem sentiendum esse de Matutino, & Missis, quæ idem Episcopus imponit Ordinato in Sacris, dicam mox cap.2.§.4.

### §. II. *Ostiariatus.*

1. EST *Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.*

2. Ejus materia remota, sunt claves Ecclesiæ, Proxima est porrectio, seu traditio clavium. Forma sunt illa Episcopi verba. *Sic age, quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Adduntur tanquam ceremoniæ, aperire, & claudere fores ejusdem Ecclesiæ, & illi tradi campanulam, seu funiculum, quo ea ligatur, quibus ostenditur exercitium Ordinis, quem susceperunt.

3. Ostiarii munus est; secundùm Leand. de Ord. d.2. quæst.10. ex March. loco citato tract.2.p.2. cap.3. aperire & admittere, custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos, indignos excludendo, Campanas pulsare (explicat Gaspar Hurtad. de Ordin. differ.5. id intelligi, tempore sacrificii) supellectilem Sacram custodire, denique aperire librum ei, qui est prædicaturus; quod tamen vltimum in vsu certè non est. Lege Gasp. Hurt. lib.

### §. III. *Lectoratus.*

1. EST *Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur potestas Prophetias, & scripturas legendi in Ecclesia.*

2. Ejus materia remota est liber continens Sacras Lectiones, idest Epistolas, & Prophetias. Proxima est ejusdem libri traditio. Forma. *Accipe, & esto verbi Dei realiter, habiturus, si fideliter, & viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.*

3. Munus ergo Lectoris est legere prædictas Prophetias, & Sacras scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam, nam, in hac, est officium respectivè subdiaconi, & Diaconi. Item ejusdem Lectori est munus Cathecumenis baptizandis fidei rudimenta tradere. Olim panes, & fructus novos Lector benedicebat, minori tamen solemnitate, quam ea, quæ convenit ordinatis in Sacris, ut notat Gasp. Hurt. loco citato, verum hodie id abrogatum esse, Marchinus de Ord. tr.2.part.3. cap.3. testatur.

### §. IV. *Exorcistatus.*

1. EST *Ordo Ecclesiasticus conferens potestatem imponendi manus super Energumenos, legendique Exorcismo, ad Dæmones fugandos.*

2. Materia ejus remota est liber Exorcismorum, Proxima ejusdem libri traditio, Forma. *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos sive Baptizatos sive Catechumenos.*

3. Ejus ergo officium est manus imponere super Energumenos, atque exorcismos legere; Olim Exorcista edicebat Populo, ut, qui non communicabant, darent locum aliis communicaturis, & aquam, qua in ministerio Baptismi vsurus erat Baptizans, infundebat, sed hodie hæc, ipso non vsu, abrogata esse, idem *ibidem* notat Marchinus.

### §. V. *Acolythatus.*

1. EST *Ordo Ecclesiasticus, quo datur potestas accendendi lumina, cereumque accensum transferendi ad altare, porrigendi Subdiacono Vrceolos, pro Sacro ministerio.*

2. Materia remota hujus Ordinis est duplex, altera, est candelabrum cum cereo extincto, altera, sunt Vrceoli vacui. Horum traditio est materia proxima. Notatque Bonacina de Sacram. Ord. quæst. vn. part.3. num.6.

cit. Hen. Filliuc. & communiter satis esse, si unus Vrceolus tangatur ab ordinando: Forma item duplex est Altera. *Accipe Ceroferarium cum Cereo, ut scias, te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine Domini.* Altera. *Accipe Vrceolos, ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

3. Circa quæ, triplex est sententia, alii, ut Bon. Rich. Angel. aliique apud Leand. *de Ord. quæst. 17.* affirmant priorem, alii ut S. Thom. Val. Gran. Bonac. aliique apud Leand. *citatum*, posteriorem, alii denique Aversa *de Ordin. quæst. 2. sect. 4.* utramque simul esse materiam, & formam adæquatam hujus Ordinis, & per ipsas imprimi Characterem. Omnes probabiliter.

4. Officium ergo Acolythi est præparare lumina ad Sacrificium, Cereum, ubi est legendum Evangelium, ferre Diacono, & Subdiacono inservire, (nam indè dicitur Acolythus, latinè pedissequus) Aquam, & vinum in Vrceolis ministrare, eosdemque vino, & aqua plenos eidem Subdiacono porrigere.

5. Acolythum, immò, & cæteros quocunque Ordine, quamvis Minori, insignitos, imò & solum tonsuratos posse licite tangere vasa sacra, sed in quibus non sit Sanctissima Eucharistia, teste G. Hurt. *de Ord. diff. 14.* & plur. apud eundem Leand. docuimus. *In opusc. de Sacr. Missæ lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 9.*

## §. VI. *Aliquot quæstiunculæ de Initiatis Tonsura, & Minoribus.*

### *An HI, CVM INITIANTVR OBLIGENTVR Sacram Eucharistiam sumere, & quid de Aliis.*

1. PRima Tonsura, & Minoribus initiati, eo die, quo initiantur, obligaturne, Sacram Communionem suscipere, & per hanc occasionem, quid de aliis in Sacris?

2. Respondeo tribus dictis. Dico, Primò, Tonsura & Minoribus initiatos non obligare. Primò, quia non adest Textus ad id obligans. Secundò, quia aliqua Rubrica sic fortè disponens, nullum indicat præceptum, vndè solum continet consilium. Tertiò, Praxis idem persuadet, quando scilicet hi ordines conferuntur à Prandio.

3. Dico, Secundò, Idem affirmari debere de Subdiaconatu & Diaconatu propter duas priores rationes proxime dictas; semper supponendo, non esse alicubi peculiare præceptum.

4. Dico. Tertiò, Sacerdotio initiatus omnino sub pœna culpæ mortalis communicare debere, (teste Quint. *de Ord. sing. 17. n. 2.*) quia debent participare de suo sacrificio.

### *AN PECCET QVIS, SI INITIATVR TONSVRA, & Minoribus, sine intentione ascendendi ad alios Ordines. Et quid de Episcopo, si, id sciens, illum initiet.*

5. Neutrum peccare mortaliter, puto, cum Sanch. *lib. 7. matr. d. 31. n. 16.* Coninch. Layman. G. Hurt. Bon. aliisque ap. Leand. *de Ordin. d. 7. q. 9. & 10.* quia nulla gravis deordinatio in hoc apparet, nec grave præceptum; Non ita in eo, qui Religionem ingreditur animo non perseverandi, quia hic decipit Religionem, dum alitur ejus expensis contra ejusdem Religionis voluntatem, Lege Coninch. *de Ord. d. 20. n. 105.*

6. Dices. At Tridentinum *sess. 25. c. 4. de Ref.* prohibet illos prima Tonsura ordinari, de quibus probabilis coniectura non sit, eos, non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo serviant, hoc vitæ genus elegisse.

Respondeo. Tridentinum loquitur de initiato ex intentione fugiendi iudicium sæculare, non autem de intentione non ascendendi ad alios ordines.

7. Quod si quæras, an is, qui contra Tridentinum initiatus ex intentione fugiendi dictum iudicium peccet mortaliter? Respondeo, esse duas sententias. Navarrus, Barbosa, March. Molfes. aliique cum Leand. *loc. c.* putant, peccare mortaliter. Sanc. *l. 6. G. Hurt. Coninch. Diana, Layman, Bonac. ap. Leand l. c.* cum aliis, non peccare mortaliter non peccare.

8. Hanc posteriorem sequor; quia, nec Tridentinum imponit præceptum grave, nec gravem iniuriam infert, cum ejusmodi intentione ordinatur; irrogat vel facit, vel potestari sæculari; quilibet enim vir potest libertate, in eligendo vitæ statu, esto deinde pœnitens sequatur exemptio à sæcularibus, & esto ordinatus ad statum altiorem nolit ascendere.

9. Verum peccatne saltem venialiter. Respondet Sanch. *loc. c. num. 17.* sic habet: *Si Ordines Minores primam Tonsuram accipiens, solum intendat declinare iurisdictionem fori sæcularis, nonnulla culpa est, quia peccat recta intentio Ordines suscipiendi.* Certè ex modo loquendi communi, illud (*nonnulla*) solum venialem notat. Quare si deinde Sanch. *n. 18.* dicit non peccare Episcopum, si prædictam ordinet, intelligendus esse, si sibi sit contrarius) non peccare mortaliter, nam posset effugere venialè, si sciens ad illud cooperetur.

10. Notabile demum est illud, quod docet Layman, nimirum, Rectores Academiarum sine venialì culpa assumere Minores Ordines, absque intentione pergendi in Clericatu, sed solum ut sic, possint Scholares Ecclesiasticos regere. Quæ Doctrina ostenditur, si adesse iustam causam, unde, ne venialiter quidem peccetur.

### *AN PECCETVR, QVI MINORIBVS INITIATVR ob solam spem Beneficium Ecclesiasticum consequi.*

11. Marchinus *de Ord. tract. 1. p. 8. c. 1. à n. 13.* ad hanc quæstionem sic respondet. Si dicta spes sit causa principalis finalis, & primaria, mortaliter peccabitur, imò si sit secundaria, & impulsiva. Quæ doctrina confirmari potest ex Divo Thoma 2. 2. q. 185. *art. 1.* docente, imperare Episcopatum ob divitias (intelligendus esse principaliter) esse mortale.

12. Profecto, si id, ita absolutè dictum verum esse, væ Sacerdotibus, væ Clericis, væ Fidelibus, Quotcumque enim est, qui ob finem habendi temporalia adeo ritualia non moveatur?

13. Naviter igitur intelligendum est, quid sit hoc in moveri à lucro, vel simili spe temporali, tanquam à fine seu causa principali, ita ut mortaliter tunc peccet. Certè est, cum quis ita movetur ab hoc fine lucri, ut ita spiritualia ad illud ordinat, ut velit legem Dei non gravi negligere, dummodò eo lucro potiatur. Hunc profecto intentionem, si vel Clericus, vel Episcopus habet in sua Ordinatione, peccare mortaliter, non est dubium, deque hac loquitur Sanctus Thomas.

At, si ejusmodi intentionem non habeat, sed ita ut finem illũ lucri, media sua ordinatione, ut sive expectet, sive tacire sit paratus, legem Dei non negligere, hoc certè difficile est, pronunciare, mortaliter peccarunt. Quamvis enim aliqua sit venialis deordinatio, spiritualibus uti, tanquam mediis, ad temporalia: tamen, ubi constat voluntas prædicta, esse gravis, & mortalis ordinatio nequaquam videtur. Lege nonnulla admodum huc facientia *in nostro opusculo de Sac. Missæ l. 2. c. 6.*

### *AN INITIATVS TONSVRA, VEL MINORIBVS peccet, si sine vlla causa vxorem ducat, & à Clericatu discedat.*

14. Quamvis aliqui, ut Th. Azor Silv. aliique ap. Leand. *de Ord. d. 7. q. 13.* nullam hic agnoscant culpam, tamen adesse venialem mihi probabile est, cum Sanch. *lib. 7. matr. d. 31. n. 7.* quia ejusmodi clericus videtur recedere à statu, quem in ipsa receptione Tonsuræ videtur implicite Ecclesiæ, aliquo tandem modo promisisse. Non ergo hanc culpam ego duco ex capite inconstantiæ, hoc enim fortasse non attingeret culpam, cum sit solum defectus maioris boni, ut in simili diximus *lib. 3. in fine*

cal.cap.11.n.2. sed ex capite dictæ infidelitatis in re non notabiliter gravi.

15. Hunc autem Clericum si beneficio gaudeat, vel Ecclesiastica pensione, illis privati, statim ipso jure, inito valide matrimonio, ne te, quæso prætereat. Lege Sanchez *l.7.de matr.disp.44.n.5.* Castrop. *de Ord.d.vn.p.17. n.15.* Laym. *lib.4. tr.2.cap.14.n.2.*

## *AN TONSVRA INITIATVS, SIVE SIMPLEX Clericus, sive Beneficiatus peccet, si Tonsuram, quam Clericam appellamus, non deferat.*

### *Idem per occasionem quæritur de Initiato in Sacris; Et quid de vestibus Clericalibus?*

16. Triplex est, quoad Clericam, sententia. Prima, docet (cum Panorm. S. Aug. Tab. Arm. Sylvest. Bañ. Soto apud March. *de Ord.tract.2.p.1. cap.6.*) omnes Clericos peccare mortaliter, si Clericam ferre negligant per tempus notabile. Secunda satis communis (cum Vasq. *tom.3. in 3.p.d.250.cap.8.* G.Hurtad. *de Ord.diff.vlt.* Sanch. *in consil.7.c.1.d.49.* Leand. *d.13. de Ord.q.34.& 35.*) asserit, non omnes, sed cleros Beneficiatos, & constitutos in sacris. Tertia contendit, cum March. *loc.cit.tract.2.p.1.c.6.* Castrop. *de Ord.d.vn.p.18.n.3.* Caët. aliisque apud Dian. *p.3.tract.4. resol.183.*) nullos peccare mortaliter, nisi adsit temeritas, contumacia, & contemptus.

17. Hinc tertiæ sententiæ ego adhæreo libentius. Ratio est, quia consideratis diligenter, expensisque singulis textibus allatis à contrarium sentientibus, nullum inveni, qui præceptum, saltem grave, contineret, quam diligentem considerationem hîc inferere animus fuit, verum, quia post meum in expendendo laborem impensum (sincerè enuntio, me non mentiri) incidi in Marchum *loc.cit.* apud quem legi, meam diligentiam ab ipso fuisse præventam, ideo judico, satis, superque esse, si te ad illum, Lector benigne, remittam.

18. Excepi autem contemptum, &c. quod ex Caëtano sic diserte notavit Layman. *lib.5.tract.9. cap.12. num.2.* his verbis, in quibus statuitur etiam de vestibus, & comprehenduntur item initiati in Sacris. *Sylvester, Armilla, Vasquez aiunt, non esse mortale, Clericum Beneficiatum, vel constitutum in sacris non ferentem Tonsuram, aut habitum Clericalem (secluſa contumacia, & contemptu) nisi notabilis excessus fiat ultra modum consuetum: Et hoc placet, tum esse mortale, si spectatis circumstantiis personæ, loci, diuturnitate temporis, &c. Clericalis Tonsura, & habitus neglectus notabiliter repugnet honestati, & bono exemplo Clericorum, cujus gratia talis habitus lege Ecclesiastica præcipitur. Sin vero ex justa causa, vel ad tempus breve, sine honestatis detrimento, habitus deponatur, nulla omnino culpa est. Spectanda etiam est cujuscunque Diœcesis consuetudo.* Hæc Layman. quæ quasi iisdem verbis, approbat Castropalaus *loco citat.*

19. Nec dissimilis est Trullench. *l.6. de Ord. cap.vn. d.15.num.6.* cujus verba exscribere non erit inutilis, qui explicant prædictam Layman, & Caëtani doctrinam; Sic enim ait. *Caëtanus docet, Initiatum non gestantem habitum Clericalem, & Tonsuram apertam, tunc peccare mortaliter, quando adest temeritas, contumacia, & contemptus, cujus sententia sustineri posset, si adesset aliquod signum, quo appareret Clericus, quod tanquam probabile admittunt Ledesma, & Villalobos: Secus tamen si nullum signum Clericatus appareat, vt si habitum Laicalem, & ensem sine corona deferret. Ideo, & bene prædicti Villalobos, & Ledesma concluduni, Clericum Initiatum, tunc solum non peccare mortaliter, cum ita defert habitum vt videatur non Clericus. Excipe semper necessitatem justam, qualis esset paupertas, vel fuga inimici, parvitatem item temporis ob aliquam congruentiam, &c.* Hæc ex Trull. Addo ego Barb. & G.Hurt. *l.c.* & Vasq. *l.c.cap.2.*

# CAPVT II.

## *De Subdiaconatu.*

### §. I. *Quid ille sit, qua materia, & forma constat, & quod ejus Officium.*

1. SVbdiaconatus est *Ordo Sacer Ecclesiasticus, quo datur potestas assistendi in altari Presbytero sacrificanti, ministrando ei Calicem cum vino, & patenam cum Hostia, & item potestas legendi Epistolas in Missa.*

2. Materia, & forma est duplex. Altera, est Calix cum Patena sine vino, & Hostia, quæ est materia remota, nam proxima est ejusdem porrectio cum hac forma ex verbis monitoriis composita potius, quàm ex imperativis. *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo vt ita vos exhibeatis, quod Deo placere possitis.* Ita post accuratam considerationem se inveniſse, asserit Vasquez *tom.3.in 3.p.d.238.c.5.n.52.* cum plausu suorum Auditorum; nam sic, ait, constabit hoc Sacramentum, more cæterorum rebus, & verbis, & non est cum molestia quærendum, cur hic Ordo conferatur sine forma verborum? Altera materia remota, est liber: proxima, ejus porrectio: forma hujusmodi. *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi in Ecclesia Sancta Dei tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

3. Ex his materiis, & formis nonnulli sentiunt ut Vasq. Coninch. Marc. apud Leand. *de Ord.d.3. q.14.* Castrop. *de Ord. d.vn. part.4. n.13.* vocans id commune & certum, conferri Subdiaconatum per priorem. Alii vero ut Medin. Filliuc. Averſa G. Hurt. alique *ap. Leand. citatum*, per priorem simul, & vnitim cum posteriore. Id quod, & an duplex Character partialis imprimatur? & duplex conferatur gratia, an potius vnus, & vna? similesque quæstiones, quæ ad praxim non faciunt, Doctores citati prosequantur.

4. Munera Subdiaconi, ideſt Subministri Sacerdotis, his verbis numerantur in Pontificali. Subdiaconus debet,

I. Aquam ad ministerium altaris præparare.

II. Diacono ministrare.

III. Pallas altaris, & corporalia abluere (de hoc omnino vide *in cap.2.§.1.num.5. in nostro Opusc. de Sacr. Missæ.*)

IV. Calicem, & Patenam in vsum Sacrificii eidem offerre.

V. Panem consecrandum pro populo in altari ponere. Hæc in Pontificali, quibus in aliis Rubricis additur,

VI. Crucem in supplicationibus gestare.

VII. Epistolam in Missa solemni canere.

VIII. Denique Subdiaconus ad mulierum januam, sicuti Diaconus ad januam virorum, dum ij templa ingrediebantur, antiquitus, Ap. Clem. Rom. *l.8. const.c.11. aliàs 15.* ad sexus distinguendos, assidebant.

5. Hæc sunt Subdiaconi munera, quibus adde obligationes duas, quas sub mortali in susceptione sui Ordinis contrahit, puta Castitatem servandi, & horas Canonicas persolvendi.

6. Denique tria aduerte. Primo porrectionem, seu traditionem prædictam quæ est materia proxima Subdiaconatus, ut etiam similem traditionem in Diaconatu, & Sacerdotio, debere, sub pœna nullitatis Ordinis, fieri ab Episcopo ordinante: quæ tamen invaliditas non ita clare apparet in Minoribus Ordinibus, nam olim ab alio quàm ab Episcopo, hoc est ab Archidiacono tradebatur Acolyto materia, ut notavit Vasquez, *loc. cit. disput.237. cap.2. num.23.* ap. Au. *quæst.2. de Ordinat. init. sect.2.* Secundo formam priorem Subdiaconatus dictam *num.2.* solum esse illa verba: (Videre cujus ministerium vobis traditur) cætera enim videtur solum ad

adhortationem pertinere. Lege Vasq. citatum dicto *n.* 2.

Tertio, in secunda forma invocationem Sanctissimæ Trinitatis non esse de necessitate Sacramenti, lege Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. vn. part.* 3. *num.* 14. Cum autem dicatur (videre) in plurali, rationem à Theologis scholasticis petito.

### §. II. *Quæstiones aliquot circa materiam Subdiaconatus.*

#### *SI TRADATVR CALIX SINE Patena, vel contra, validè ne est ordinatio?*

1. VAlidam esse putat Sylvester, *V. Ordin. 2. q. 11. fine*, invalidam Marchinus, *de Ord. tr. 2. p. 6. cap. 1. d. 2.* & Leander, *de Ord. d.* 3. *quæst.* 15. quia Concilia semper vtrumque exprimunt. Et ratio ipsa dictat, ut vtrumque tradatur, sicuti ad vtramque partem Sacrificii, nimirum Corporis, & Sanguinis Christi, illa traditio refertur, certè hoc posterius saltem in praxi, vtpote tutius, & melioti rationi innixum, erit sustinendum, idque satis confirmabitur ex dicendis de Sacerdotio mox, *cap.* §. 3. *n.* 9. vbi dubiam putavimus ordinationem Sacerdotis, si porrigatur sola Hostia, vel solus Calix.

#### *AN IN SVBDIACONATV CALIX, & Patena non consecrata sufficiant ad valorem Ordinis, vt item in Sacerdotio?*

2. Sufficere docet Bonacina, *de Sacr. d.* 8. *quæst. vn. p.* 3. *n.* 5. Diana, Sà, aliique cum Leand. *d.* 3. *de Ord. q.* 16. quia nullo jure præcipitur, illa debere ad hunc effectum esse consecrata. Non sufficere contendit Castropalaus: *de Ord. d. vn. part.* 4. *n.* 15. quia, per hæc non consecrata, nequaquam significatur, tangentem ea vasa deputari ad rem sacram Sacrificii, & quia secus posset, dici esse materiam aptam quodlibet vasculum, ligneum, coriaceum, argillaceum.

Denique March. *de Ord. p.* 6. *c.* 1. *d.* 1. *n.* 3. Bonac. sententiam post factum tolerat, non verò antea, quia Calix non consecratus non est Calix in jure Canonico.

3. Equidem assero, Primo, Marchini dictum (cum sit de valore Ordinationis, ut ratio ab ipso allata clare demonstrat) sustineri non posse: quando enim ante ordinationem inepta est materia, est item postea, & è contra. Si enim vnquam valet illud axioma juris. *Quod ab initio invalidum est, tractu temporis non convalescit*, certe valet in administratione Sacramentorum, in quibus, ut omnes scimus, & alibi nos explicuimus, retrotractio, & fictio juris locum habere nequaquam potest.

4. Assero Secundo, Bonac. sententiam esse probabiliorem; & loquendo de Sacerdotio, mihi moraliter certam. Ratio est, quia materia propria Sacerdotii est Hostia, & Vinum, quæ etiam si dentur in manus ipsas ordinandi, sufficientissima sunt ad Valorem Ordinis, cum solum propter congruentiam tradantur in Calice, & Patena, ut ex Vasq. aliisque dicemus infrà *c.* 4. §. 3. *n.* 5. Ergo parum nocebit, si deficiant Calix, & Patena consecrata, cum solum ad summum esset perinde, ac si Patena ipsa, & Calix deficerent, modo ex alia parte adsit contractus moralis, qui sufficienter potest adesse, sicuti adesse ibidem *n.* 7. dicemus, si vero Calix, & Patena cooperta sint, vel in disco, aut ara portatili materia conficeranda tradatur, & per velum, vel per aram tangatur. Atque ex his patet responsio ad rationes Castropalai.

Pro Subdiaconatu sufficit ratio allata *n.* 2.

#### *AN, IN SVBDIACONATV, VT ETIAM in cæteris Ordinibus, & præsertim in Sacerdotio, sit de necessitate valoris Sacramenti, contingere physicè materiam, an potius sufficiat porrectio facta ab Episcopo cum acceptatione Ordinandi?*

6. Id quærimus in Ecclesia Latina: nam in Ecclesia Græca non solum Subdiaconatum, verum etiam Diaconatum, & Sacerdotium, & Episcopatum conferri per nuum impositionem, nullus ignorat. Neque mirandum diversitatem, quia Christus Dominus instituit materiam & formas hujus Sacramenti Ordinis, non cum determinatione, sed reliquit aliqua determinanda Ecclesiæ; Instituit enim veluti in genere ut pus per aliquod manuum signum, seu communicaret ordinando potestatem; quale autem signum esset, voluit, ut Ecclesia decerneret, Græcis determinata fuit extentio manuum super nandi caput ab ipsis vocata Chirotonia, idest impositio; in Latinis autem fuit extensio ejusdem nus, qua porrigantur, seu tradantur ordinandis dicta instrumenta: Et quidem, loquendo de Ordine Sacris, Subdiacono porrigitur Patena, & Calix vacuo, & Hostia, Sacerdoti autem eadem Patena, & Calix sed cum Vino, & Hostia: nam Episcoparus, etiam tinis, confertur per manuum impositionem, & Diaconatus etiam per eandem impositionem confertur tanquam per materiam inadæquatam, ut mox dicemus. Hunc explicandi modum, post accuratam considerationem, video inter cæteros modos, ab aliis excogitatos esse expeditionem, qui quidem modi poterunt legi apud Doctores late: vt Del. *d.* 1. *de Sacr. sect.* 5. March. *de tract.* 2. *part.* 7. *cap.* 2. *n.* 9. Averf. *de Ord. q.* 1. *sect.* 1. Dicastillus *de Ord.* Aliique ab ipsis citati.

6. Plures ergo Doctores ut Cætanus Scot. Vasq. Laym. Hurt. aliique apud Leand. *de Ordin. disp.* & Averf. *l. mox citand.* non requirunt contactum physicum, & realem, ut necessarium ad valorem formæ num; satis enim esse putant, si adsit contactus moralis, id est ut ordinandus aliquo gestu corporis, v. g. extensione manus significet se illa instrumenta, vel materiam quæ offert, seu porrigit Episcopus, acceptare. Verum plures ut Cæt. se retractans apud Leand. *loc. cit.* Sanch. *in confess. lib.* 7. *disputat.* 1. *dub.* 2. Coninch. *disputat. dubitat.* 7. March. *de Ordin. part.* 5. *num.* 22. Aver. *de Ordin. sect.* 2. Aliique ad prædictos, requirunt no, ut essentialem, prorsus, necessarium, consultum physicum, & realem. Conflictus rationum, ex vtraque parte allatum, nimis obvius est apud citatos, non propterea à me, qui solam praxim promoveo, est omittendus.

7. Illud deserte pronuncio. Quamvis vtraque sententia sit probabilis, nihilominus in praxi, ita adhibere physicum contactum ut, is qui solum moraliter tigit, se iterum sub conditione ordinandus, & interim abstinere debeat ab exercitio Ordinis, præsertim Sacerdotii. Ratio hujus monitionis, quam facit Hurt. *Ord. diff.* 15. licet prioris opinionis sectator, est quia tus rigor, quos Ecclesia Latina contactum physicum præcipit, & solicitudo tanta, qua is physicus contactus in eadem Ecclesia servatur, ostendit illum esse materium ad valorem.

8. Hinc Sacerdos sine physico contactu initiatus fessiones Fidelium excipere non posset, nec acceptare pendia pro Missis, nec redditus Beneficii Sacerdotii, quia nemo extra casum necessitatis, vult Absolutionem recipere, vel obligationem Sacrificii habere ab eo, cum ejusmodi dubitatione initiatus fuit, nec eidem rigere pingues redditus Beneficiorum, &c.

9. Dixi (*præsertim Sacerdotij*) quia in Sacerdotio grave periculum nullitatis Sacrificii, & Confessionis damnique Pœnitentium, nam propterea præter Sacerdotium non puto necessariam in aliis Ordinibus contactum iterationem promotionis.

10. Inquires, prædictus contactus physicus debet fieri simul physicè cum prolatione formæ?

Respondeo satis esse cum Leand. *diffut.* 1. *de Sacr. gener. quæstion.* 16. alios citans simul moraliter, sive paulo ante, sive paulo post, ita tamen, ut instantia sit valde exigua; nam verum moraliter esse debet, quod, dum Episcopus profert formam, ordinandus tangit

tangat. Addit De Lugo *in resp. moral. lib. 1. dub. 33.* eum, qui non tetigit Calicem, & Patenam, dum actu forma proferebatur, sed modo dicto, paulo post, posse quidem ad majorem animi sui quierem sub conditione renitiari, sed non esse necessarium. Quæ doctrina ostendit, valde ipsi certam esse responsionem nostram, nec solum probabilem. Aliquæ aliæ quæstiones, ad prædictam materiam, & formam subdiaconi facientes, habebis *infra cap. 4. §. 3. n. 6. 7. & 8.* in simili, cum de Sacerdotio.

### §. III. *Quæstiones aliquot circa obligationem Subdiaconi de servanda Castitate.*

1. DVas obligationes Subdiaconum subire in sui ordinatione diximus §. 1. Castitatem scilicet custodiendi, & horas Canonicas recitandi, quibus potest addi tertia, id est, & patrimonium aptum, ad se alendum possidendi, de quibus necesse habemus (initium sumendo à prima) separatim hîc disputare.

## PRIMA OBLIGATIO,

### *Custodiendi Castitatem.*

2. Et quidem, Prima quæstio, quoad Castitatem, ea est, An ad illam teneatur Subdiaconus (idem dic de cæteris constitutis in Sacris) ex voto, quod, dum ordinatur, sive explicitè emittat, sive implicitè, dum vult ordinari eo modo, & cum iis oneribus, quæ Subdiaconatui affixit Ecclesia, affixit autem Ecclesia obligationem, ut votum Castitatis ipse ordinanndus emitteret, An potius teneatur non ex dicto voto, sed inmediatè ex præcepto ejusdem Ecclesiæ, quatenus scilicet Ecclesia præceperit, ut Subdiaconus à venereis abstineret: sic enim etiamsi expresse ordinandus Castitatem voveat, adhuc obligabitur ex præcepto; sicuti Fideles, etiamsi non voveant Sacro interesse die festo, adhuc tenentur ex præcepto Ecclesiastico.

3. Valdè autem hîc notandum est, huic obligationi servandæ Castitati quam habet ordinatus in Sacris, esse annexum impedimentum dirimens matrimonium, hoc est invalidè constitutum in Sacris contrahere matrimonium, si fortè illud attentet: id quod de fide est, cum sit à Concilio Tridentino *sess. 24. canon. 9.* definitum, cujus verba mox ponemus *n. 8.*

4. Porro quoad obligationem servandæ, Castitatis triplex est sententia. Alii ut Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 27. num. 10.* Vasq. *in 3. part. disp. 248.* Pont. *lib. 7. de matrim. cap. 27.* March. *de Ord. tract. 2. p. 6. c. 8.* Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 17.* asserunt teneri ex voto; Alii ut Val. Sot. Paladan, quos sequitur Aversa *quæst. 4. sect. 7. v. Præterea dus*, ex Præcepto; Alii, ut Coninch. *d. 20. dub. 13.* Rebell. *lib. 3. de matrim. quæst. 10.* Hurtad. *de Ord. diff. 26.* Archid. *lib. 17. concordia. cap. 40.* ex vtroque, & quidem omnes magnæ authoritatis Doctores, iique non vulgaribus annixi rationibus, vnde & omnibus est merito concedenda probabilitas.

5. Verum, quia non pauci ex his Doctoribus confundunt obligationem servandæ Castitatis cum obligatione non discendæ vxoris sub impedimento dicto nullitatis, eòdi fuerunt admittere obligationem Præcepti, vbi tantummodo est votum. Explico clarius, dum meam sententiam profero.

6. Ego enim sustineo, obligationem servandæ Castitatis in constitutis in Sacris immediatè esse ex Voto, (sive implicito, sive explicito, eo modo, quo explicui *num. 2.*) At impedimentum explicatum *num. 3.* quo iidem habent, dirimens matrimonium, esse immediatè Ecclesiæ Præcepto.

7. Prior pars probatur, Primo, quia in aliquibus vulgatis textibus apud prædictos Auctores, obligatio ad Castitatem, in ordinato in Sacris, vocatur Votum.

Secundo, quia in aliis Textibus præcipitur, ut nullus ad Subdiaconatum promoveatur, nisi prius se castè viturum promittat.

Tertiò, quia omnes fatentur, ut alibi nos *lib. 2. meth. Confess. c. 7. §. 1. n. 4. in edit. Panor. ann. 1641.* diximus, & potest videri signate apud Verricelli *tract. 4. quæst. mor. 5. num. 2.* Sacerdotem peccare sacrilegè, si merè internè admittat delectationes Venereas, cum teneatur ad servandam omnimodam Castitatem. Ergo fateri etiam omnes debent, eum teneri ex Voto, & non ex Præcepto. Patet consequentia, quia Ecclesia non præcipit merè interiora, ut, nec iudicat de internis, ut omnes sciunt.

8. Posterior pars, quod impedimentum dirimens matrimonium immediatè in iisdem sit ex Ecclesiæ Præcepto, probatur, Primo ex Tridentino *sess. 24. can. 9.* in iis verbis. *Qui dixerit Clericos in Sacris constitutus, vel Regulares solemniter Castitatem professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Hæc Tridentinum, quod, si bene expendatur, duo decernit. Primo, non posse licitè prædictos contrahere matrimonium, quia obstat votum. Secundo, invalidè contrahere, quia obstat lex Ecclesiastica.

Probatur secundo, quia Votum ex se, in quantum dicit promissionem Deo factam, non irritat matrimonium, ut patet ex Voto Castitatis simplici, quod, quoad promissionem Deo factam, omnino convenit cum Voto Castitatis solemni: Rursus Ordo Sacer ex se, nec matrimonium irritat, ut patet in Græcis, ego quandoquidem apud Latinos, tum Sacer Ordo, tum Votum Professorum illud irritat, nonnisi ex lege Ecclesiastica provenire immediatè potest.

Probatur tertio, quia multi Sacri Textus apud prædictos Doctores allati semper ita iubent ordinatis in sacris servare Castitatem, ut addant relationem ad irritationem matrimonii, quasi dicat Ecclesia. Advertite, quod sacræ vestræ ordinationi ego coniungo matrimonii irritationem.

9. Ex dictis sit in Primo, ut si quis ordinetur Ordine Sacro cum expressa intentione nolendi vovere Castitatem, cum hic verè non voveat, quia Votum debet ex propria voluntate proficisci, voto non teneatur, at, si matrimonium init, nulliter ineat, quia ejusmodi irritatio matrimonii non dependet à voluntate propria, sed à lege Ecclesiastica; sicuti, si meus frater duxit vxorem Bertam, ego filio affinis cum ipsa Berta, affinitate dirimente matrimonium, quod fortè attentarem cum ipsa post mortem mei fratris; fio inquam affinis, etiamsi ego nollem; quia impedimentum hoc non dependet à mea voluntate, sed à lege Ecclesiastica.

10. Advertè autem hunc, qui scienter Sacros Ordines suscipit, & Castitatem vovere non vult, *non tantum peccare* (sunt verba Hurtadi *de Ord. diff. 26. pro tunc, quando, ordinatur, non vovendo; sed etiam pro tempore sequenti, quovsque, aut explicitè, aut implicitè voueat, quia ad eam vouendam tenetur, tanquam ad aliquod annexum statui, quem suscipit.* Hæc Hurtadus. Et sanè prædictus nolens vovere nimis temerè decipit Ecclesiam in re gravi, quæ nunquam ad Ordines ipsum admitteret, si ejusmodi in eo dispositionem cognosceret.

11. Dixi (*scienter*) nam si suscipiret Ordinem Sacrum prorsus inculpatè nesciens aliquid de voto, nec de eo, quod faciunt alii, tunc esset ordinatus, & sine peccato non emisisset votum: at irritum esset ejus matrimonium, quod fortè contraheret, quia iam habet Ordinem, cui adnexa est ab Ecclesia irritatio. Votum autem, quod tunc per ignorantiam non emisit, debet deinde emittere ut dictum est, cum primum eam ignorantiam deposuit, si velit vti Ordinibus susceptis; Vel, si nolit vti ordinibus, petat dispensationem, à Pontifice, quam tamen Pontifex difficulter concedet, quia difficillimè materis hodie, in tanta harum rerum peritia, inculpatam tuam ignorantiam probare.

12. Dixi iterum (*quis Sacros Ordines suscipit*) nam si quis adultus non haberet intentionem suscipiendi Ordines, Ordines non susciperet, quia nemo validè suscipit

Sacra-

Sacramenta, nisi ea suscipere intendat. Vnde, quia hic verè Ordines non haberet, nec ad servandam Castitatem, nec ad alia onera Ordinis Sacri teneretur, neque laboraret impedimento dirimente matrimonium; solum peccabit sacrilege propter defectum illius intentionis, ut ex se patet.

13. Ex iisdem supradictis fieret, Secundò, ut si quis injusto metu, vel vi coactus susciperet Ordinem Sacrum, teneretur Voto, quia *lib.1.in decal.c.2.§.5.* dictum est metus ex se non tollit voluntarium. Dixi tamen si teneretur) nam cæterum, quia vota ex injusto timore extorta irrita nunc esse ex lege saltem Ecclesiæ notavi, *lib.1.in decal.c.2.§.8.n.3.* ideo hodie non tenetur. Quoniam vero id eadem Ecclesia nunquam invalidavit (& nec potest) receptionem Sacramenti factam ex timore, idcirco is ita ordinatus contrahit impedimentum dirimens subsequens matrimonium, quod impedimentum Ordini Sacro eadem Ecclesia connexuit, quodque dispensari poterit à Summo Pontifice, quia idem metus dat justam causam dispensandi.

Ita post maturiorem considerationem puto, tenendum quamvis *loc.cit.lib.1.in decal.c.2.§.8.n.4.* sequendo aliam opinionem dixerim, initiatum ex metu validè, & licitè matrimonium posse contrahere, quod certè est probabile, quia probabile est, Ecclesiam conjunxisse impedimentum dirimens matrimonium soli Ordini Sacro suscepto modo ordinario, & consueto, id est cum cognitione Voti illi Ordini adnexi, & voluntariè emissi, ut notat Bossius *l.mox cit. à n.201.* probatque.

14. Dices; Qui ex metu injusto, ut ibidem diximus, solemniter profitetur, potest, approbato metu, validè inire matrimonium, nec solum licitè: cur ergo non ita is, qui Ordinem Sacrum ex simili metu suscipit?

Respondeo, Clara est ratio, quia hic, ut modo dixi, verum Ordinem suscipit. Vnde, & contrahit id, quod Ordini est adnexum: at ille, cum verè non sit professus, nullam obligationem adnexam professioni subire potest.

15. Denique fieret Tertio, ut, ex vi prædictæ doctrinæ si infans rationis impos ordinaretur, quem in jure, *c.vnic. de Cl.per saltum promoto*, certum est validè, licet illicitè, ordinari in Sacris (non verò per aliquos, in Episcopatu) quia Episcopus ordinatur in Pastorem, ad quod munus est incapax is, qui ratione caret, ut docet S. Thomas aliique cum Castrop. *d.vnic.de Ord.p.7.n.5.* Lege Leand. *de Ord.d.5.q.8.* quæ ratio, an convincat, non est otium nunc quærere, quæram tamen breviter inferius *c.5. §.1. n.12.*) si infans, inquam, ordinaretur in Sacris, non esset obligatus ad votum servandum, quia infans emittere votum non valet; sed tamen invalidè grandior factus iniret matrimonium, quia, cum habeat Ordinem Sacrum, habet & impedimentum Ordini Sacro adhærescens.

16. Dixi autem, (*fieret ex vi prædictæ doctrinæ*) nam cæterum Ecclesia id voluit limitare in Infantibus, dispositque merito, ut ipsis, adveniente usu rationis, daretur optio, teste Sanch. aliique communiter apud March. *tr.2.p.6. c.8. diff.10.* Boss. *t.2.moral. p.3.t.3. n.199.* ut si velint Ordini stare, stent, ac deinceps obligabuntur ad Castitatem, quia per dictam electionem implicitè illam vovent, si nolint, ducant vxorem, ut libet, sed Sacerdotio non vtantur.

17. Quid si (ut id hac occasione non taceam) initietur puer rationis compos, sed nondum pubes, sciens Ordini Sacro annexum esse votum Castitatis.

18. Respondeo Sanchez *lib.7.de matr.d.30.n.8.* alios citans putat, hunc puerum ante decimum sextum ætatis completum, non teneri ad continentiam post Tridentinum, immo ipsi licere vxorem ducere. Ratio est, inquit, quia Sacer Ordo, qui imbibit Votum Castitatis, perinde est, ac professio religiosa, sed Tridentinum irritam reddit professionem ante illam ætatem emissam, ergo hoc Votum.

19. Verum Marchinus *l.c.* cui adde Leand. *de Ord.d.13. q.7.* Boss. *l.c. n.206.* aliique putant, teneri ad Castitatem, ut, & ad horas Canonicas recitandas, quia ex vna parte puer rationis Compos validè se obstringit Voto, & alia Tridentinum reddit quidem nullam professionem emissam ante illam ætatem, non verò Votum in Subdiaconatu imbibitum. Neque valet paritas in rebus dissentibus à voluntate Legislatoris, multo magis hic, ubi magna fuit ratio irritandi pro ea pueri ætate professionem religiosam, quæ secum affert onera immensa, plura alia duo Vota Paupertatis, & Obedientiæ, item duram, rigorem vitæ, &c. quæ non affert Ordo. Lege Pontium *lib.7. matr.c. 29. num.15. fine*, dicentem opinionem Thomæ Sanch. esse sine fundamento, Sed Bossium *l.c.n.207.* asserentem, vtramque opinionem probabilem.

### §. IV. *Secunda obligatio horas Canonicas persolvendi Remissivè.*

*VBI TAMEN DE NOCTVRNO, ET MISSA ab Episcopo in ipsa Ordinatione imponitur.*

1. DE obligatione recitandi horas Canonicas absolutissimè *in lib.2. Decalogi tto c.5.* Nod, tanquam in loco non inopportuno, quæro, dum an Nocturnum, quod recitandum imponit Subdiacono, ut, & Diacono, Episcopus in eorum Ordinatione gentur ij recitare sub mortali. Idem quæro de Missa bus, quas imponit Sacerdoti. Nam de Psalmis Penitentialibus impositis Ordinatis in Minoribus jam me dixisse *supra c.2.§.1.num.4.*

2. Respondeo. Diana, & Bonac. *cap.2.cap.mys* obligari, putant sub mortali, sed rigorosè nimis: tam severa obligatio ex nullo capite adesse convincit puta, nec ex Iure, nec ex Pontificali, jussu Clem Octavi edito; in his enim tam gravis præceptio legitur. Ita Sanch. *l.7.cons.c.2.dub.2.num.6.* Pet. Perf. *tr.de hoc.Can.c.5.d.3.n.10.* Bardi *in select. lib.* aliique.

3. At hæ orationes, & Missæ imponuntur in pœnitentiam. Ergo, cum sint materia notabilis, obligabunt gravi culpa.

Respondeo. Vnde colligis imponi in Pœnitentiam quæ semper imponi debet suppositâ culpâ? de qua est, an potius summa probitas ad Ordines promoti Dic ergo merius, imponi in gratiarum actionem, simile, & ad summum, ut consilium.

### §. V. *Tertia obligatio sufficiens Patrimonium possidendi Remissivè.*

DE hac obligatione commodiori loco sequenti agam paulo inferius *c.5.§.4.*

## CAPVT IV.

### *De Diaconatu.*

### §. I. *Quid ille sit, & qua ejus, materia, forma, effectus*

1. EST Ordo Sacer Ecclesiasticus, quo conferuntur proximè assistendi Presbytero in ministerio ad legendique Evangelium in Missa.

Nota illud (*proximè*) per quod maximè distingui Subdiaconatu.

2. Ejus materia, & forma duplex est: Altera est Evangeliorum, ejusdemque porrectio cum his tanquam forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis, quam pro defunctis, in Domini.*

Altera est impositio manus dexteræ facta ab Episcopo super caput ordinandi sub his verbis: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

3. Et quidem sicuti in Subdiaconatu, ita hîc duplex adest opinio. Nonnulli enim, ut Vasq. Sotus, Val. Regin. apud Leand. *de Ordin. d. 3. qu. 12.* G. Hurt. *de Ordin. diff. 12.* Castropal. *de Ordin. d. unic. p. 4. n. 10.* putans traditionem Evangeliorum cum sua forma esse materiam & formam adæquatam Diaconatus. Nonnulli vero ut Bullar. *lib. 1. de Ord. c. 9.* Coninch. *disp. 20. disp. 7. n. 62.* Corn. à Lap. *in cap. 6. Actorum.* March. *de Ordin. tract. 2. p. 7. c. 2.* Sanch. *in cons. lib. 7. c. 1. d. 3.* Avers. *q. 2. sect. 6.* aliique dicunt esse partialem, quæ cum prædicta traditione libri integret adæquatam. Probabilius est hoc posterius, quia Eugenius in Decreto Fidei ait, Diaconatum conferri per libri Evangeliorum traditionem, & Concilium Carthaginense Quartum *c. 4.* assignat pro Ordinatione Diaconi impositionem manus. Ne igitur hæc duo dicta sibi repugnent, vel certè, ut cohæreant, expeditius dicendum erit, hunc Ordinem per alterutrum inadæquatè, per utrumque integrè, & adæquatè conferri, atque adeo Eugenium, & Concilium solum in iis verbis assignasse materiam inadæquatam. Quandonam imprimitur Character, an duplex gratia conferatur? & similia, sunt quæstiones à Scholasticis expendendæ.

4. Munus Diaconi, id est, Ministri Sacerdotis, est assistere Proximè Presbytero sacrificanti, id quod involuit multa, sed præsertim prærogativam legendi Evangelium in Missa. Munus etiam ejusdem est ex præscripto Sacerdotis Eucharistiam ministrare quando vrget necessitas, ut item Sacrorum lotioni assistere: quæ duo ego satis clarè prosecutus sum *in opusc. de comm. c. 6. n. 1. & in opusc. de Sacr. Missæ, l. 1. cap. 2. §. 2. ibid. lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 2.*

5. Semel quæsitum fuit, An Diacono liceat, deferre Pixidem, in qua sint sacræ formulæ de vno altari in alterum?

Respondimus licere, cum Leand. *de Ordin. d. 2. q. 38.* March. *ibid.* citatus, quia ex Sancto Thom. *3. p. quæst. 82. art. 3. ad primum*, Diaconus debet habere potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum. Confirmavimus, quia ex quotidiana praxi Diaconus, pro solemni Processione, vel expositione, Pixidem, seu Lunulam, in quibus est Eucharistia, educit à Sacrario, vel à sublimi loco sumit, adducitque in manus Sacerdotis.

6. Quæsitum iterum fuit de munere prædicandi Verbum Dei; Et putavi cum Leand. *de Ordin. d. 2. q. 26. & 29.* hoc munus esse proprium Diaconi, neque enim putandum est, tradi illi Evangelii librum, ut eum solum legat, verum etiam, ut, si aliàs est idoneus, illud interpretatur, & Fidelibus enuulget.

Quicquid ergo dicant aliqui, ut Chamer. & Med. apud Leand. citati id concedentes Diaconis, solum, quando adest penuria Sacerdotum: mihi enim durum videtur, Ecclesiam velle prohibere illis officium, quod ex propria ordinatione ipsis competit. Multo magis durum videri debet Castropalao, *de Ordin. d. unic. part. 4. num. 11.* qui fatetur, materiam adæquatam Diaconatus esse traditionem Evangelii, ut denotetur, inquit ipse idem, munus Diaconi esse legem Evangelicam prædicare.

### §. II. *Quæstiones aliquot circa materiam Diaconatus.*

1. SI non tradatur liber Missalis (ut certè solet) sed alius liber continens Evangelia, vel eorum partem, Inquiro, an promotio Diaconi validè consistat?

Respondeo, validè consistere, quia jam jam adsunt Evangelica, quod solum requiritur.

2. Inquiro iterum, Quid si solum tradatur liber Sacerv. g. liber Exorcismorum, vel Concilium Tridentinum, vel similis liber Evangelium non continens?

Respondeo, Non fore ordinationem validam, quia, sic, non adessent Evangelia, quæ significat forma, quam ordinans profert. *Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.*

3. Inquiro Tertio, Quod si tota sacra Scriptura tradatur.

Respondeo, fore certè validam ordinationem, quia Evangelia jam adsunt. Vnde idem dicendum erit, si tradatur solum Testamentum novum, non vero, si tradatur solum vetus Testamentum, quia in novo adsunt Evangelia, in vetere non item.

4. Quod si traderetur liber continens solum acta Apostolica, Epistolas S. Pauli, & Apocalypsim, incerta mihi esset ordinatio, & sub conditione repetenda, nam quamvis in actibus, aliisque prædictis libris adsit doctrina Evangelii, non sunt tamen Evangelia.

---

# CAPVT V.

## *De Sacerdotio.*

### §. I. *Quid sit, ejúsque materia, forma, & offi. ium?*

1. SAcerdotium est Ordo Sacer, per quem datur potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, ac remittendi Fidelibus peccata.

2. Ejus materia, & forma duplex est. Prior est Calix, cum Vino, & Patena cum Hostia, earúmque traditio. Forma est hujusmodi *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Domini.*

Posterior est vltima impositio manuum, ab ipso solo Episcopo facta ipsi Sacerdoti cum his verbis tanquam forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

3. Dixi (vltima impositio) nam in solemnitatibus Ordinationis Sacerdotis præcedit alia impositio manuum, facta ab Episcopo ordinante, & ab aliis tribus saltem Sacerdotibus Ordinationi assistentibus, super caput Sacerdotis ordinandi, sicut etiam præcedunt aliæ Cæremoniæ, puta impositio vestium Sacerdotalium, sacra Vnctio manuum, &c. quæ omnino licet magni momenti, de substantia tamen nequaquam sunt, quidquid dicat De Lugo, *de Sacr. in gen. d. 2. sect. 5. à num. 90.* putans prædictam manuum præcedentem impositionem esse de essentia.

4. Est autem, & hîc duplex opinio. Non pauci enim ut Val. Bonacin. Nuñi, aliique apud Leand. *de Ord. d. 3. q. 6.* & apud Avers. *de Ord. q. 2. sect. 8.* putant, esse materiam, & formam adæquatam Sacerdotii solam traditionem dicti Calicis, & Patenæ cum Vino, & Hostia cum suis verbis. Non pauci autem, ut Layman. G. Hurt. Gran. Filiuc. Campan. De Lug. Marc. aliique cit. à Leand. & Aver. citat. Item Bellar. *lib. de Ord. c. 9.* & Sanch. *l. 7. cons. c. 1. dub. 3.* putat, vtramque esse adæquatam, alterutram vero esse inadæquatam.

6. Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia in Conciliis, Patribus, & sacra Scriptura Ordinatio Sacerdotis semper vocatur impositio manus, ut notat erudite Bellarm. *loc. cit.* Cum ergo nos modo *n. 3.* excluserimus illam præcedentem impositionem manuum, hanc excludere non possumus, at quia adæquata sine dubio non est, erit omnino inadæquata. Cæteras quæstiones, & sanè multas hinc pullulantes lege apud Scholasticos, dummodo semper certum sit Apostolos fuisse verè Sacerdotes institutos à Christo in vltima Cœna, ut definit Trid. *sess. 22. Can. 2.*

Munera Sacerdotis præter munus sacrificandi, seu conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & absolvendi à peccatis, multa sunt, & omnibus obvia: nam propterea non sunt hîc cum lectorum tædio transcribenda. Inter cætera illius etiam est, prædicare Verbum Dei, sed cumulativè cum Diacono, propter superius dicta *cap. 4. §. 1. num. 6.*

§. II. *Quæstiones aliquot circa Presbyteratum?*

1. PRima quæstio. An Sacerdos ante vltimam manuum impositionem, sed post dictam Calicis, & Patenæ traditionem, ejúsque prolatam formam, valide consecrat sanctissimum Christi Corpus & Sanguinem?

Respondeo validè, quia jam per illam traditionem complerè ipsi communicata est hæc potestas, & ut habetur ex Tridentino *loc. cit.* per illam est verè Sacerdos, ac de facto validè consecrat in Missa Ordinationis, quam concelebrat cum Episcopo, antequam accipiat, per dictam manuum impositionem, potestatem absolvendi à peccatis; consecrat, inquam, in dicta Missa Ordinationis, sive solus, sive actione communi, cum aliis, quæ sunt quæstiones à Scholasticis agitatæ.

2. Hinc vides, Primo, has duas potestates, id est conficiendi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis, esse inter se distinctas, nec vnam ab alia dependere, non vero ita in aliis Ordinibus, ut pluribus prosequuntur iidem Scholastici.

3. Hinc etiam vides Secundo, si cui fortè per errorem vel quid simile, tradita est prior potestas, non vero posterior invalidè absolvere à peccatis.

Vides Tertio, in prædicto casu, solum posteriorem esse supplendam, quia prior suum effectum habuit, suúmque Characterem impressit.

4. Quæstio secunda. Vtrum necesse sit necessitate valoris Sacramenti, vt ordinandus tangat immediatè Hostiam, an sufficiat tangere cum Calice solam Patenam, vbi est Hostia, non vero ipsam Hostiam?

Respondeo, cum G. Hurt. *de Ord. diff.* 15. Coninc. *d.* 20. *dub.* 7. *n.* 71. Castrop. *de Ord. d. vn. p.* 4. *num.* 20. Vasq. Gra. Sanch. apud Leand. *de Ord. d.* 3. *q.* 24. longe probabilius est etiam practicè sufficere, si cum Calice solam Patenam, vbi sit Hostia tangat, sufficienter enim dicitur acceptare Hostiam, dum acceptat vas in quo illa est: sicuti de facto non tangitur Vinum, sed Calix, in quo illud continetur. Ita Gaspar. Hurtad. *loc. cit.* dicens id esse maximè certum moraliter; & rectè Vasq. *d.* 146. *c.* 2. *n.* 19. & 20. aliique apud Leand. *l. c. q.* 24. notat, cum ordinatus habeat tunc manus linteo colligatas difficile esse tangere cum Calice ipsam Hostiam, præsertim habenti digitos breviores, & denique Leander rectè hic putat, etiamsi sit præceptum tangendi ipsam Hostiam, non esse credibile esse sub mortali, &c.

5. Quæstio tertia. Si tradatur Hostia immediatè in manum Sacerdotis, vel, si tradatur Hostia, & Vinum simul immixta in Calice, validáne est Ordinatio?

Respondeo validam esse, quia id, quod per se, & de essentia requiritur, est traditio illarum substantiarum, & solum ob congruentiam, ex præcepto Ecclesiæ vsurpatur Calix, & Patena.

6. Quæstio quarta. Satisne est tangere Calicem, in quo sit vinum, & cui superimposita sit Patena cum Hostia, sine necessitate tangendi physicè ipsam Patenam: quæ quæstio communis est etiam Subdiacono, licet pro hoc, sine Vino, & Hostia.

Respondeo, cum Coninch. *l. c.* Gasp. Hurt. Vasq. Val. aliique apud Leandr. *l. c. q.* 25. ad valorem satis esse, quia Calix, & Patena Calici superposita videntur facere vnũ, & ex alia parte, sicuti pro Sacerdotio, pro quo debet in Calice adesse vinum, sufficit ad ipsum vinum moraliter, & humano modo tangendum, si tangatur vas illud continens, ita nunc sufficiet tangere Calicem non continentem supra se Patenam, in qua sit Hostia, ad hoc, vt morali modo, dicatur, & ipsa Patena cum Hostia tangi. At vero ex præcepto, secundùm Coninch. *l. c.* & Castrop. *de Ord. d. vn. p.* 4. *n.* 20. seu saltem antiqua consuetudine: tum Patena, tum Calix tangenda sine dubio sum.

7. Propter prædictam rationem ductam à natura contactus moralis, sufficit etiam ad valorem, ut vult Castrop. *l. c.* Aversa *q.* 2. *sect.* 2. *v. non per hoc*, cum Coninch. Vasq. Bonac. si tangatur Calix, & Patena velo cooperta, vel si tradantur in disco: vel, vel aliquo hæc immediatè, non verò Calix, & Patena tangatur, sic enim etiam ipsa humano tanguntur.

8. Denique adverte, non esse necesse prædicto gere tota manu, seu pugno, sev aperta palma, vt habet Aversa *loc. cit.* est tangere extremis digitis mo, quia satis esset tangere vna manu, docet *ibidem*, ideo satis esse puto, si vno extremo digito gas, quia, sic sufficientissimè quælibet res est tacta.

9. Quæstio quinta. Quandoquidem, pro Ordinatione Sacerdotis Calix vinum continere debet, & Patena stiam, vt dictum est, essétne valida initiatio, si alterutrum? v. g. esset solum vinum in Calice, Hostia in Patena?

Respondeo, Video speculativè sustineri posse Henr. *l.* 10. *c.* 6. Fill. *tr.* 9. *c.* ... *n.* 43. & alii ei à Leand. *de Ord. q.* 8. esse validam, quia, dum datur potestas crandi vnam speciem, indivisibiliter datur potestas secrandi, & aliam; tamen, quia cum summo rigore que requiratur ab antiquissima Ecclesiæ consuetudine dubia, saltem, mihi semper erit cum Gasp. Hurt. *Ord. diff.* 15. *v. observandum*, March. *p.* 8. *c.* 5. Aversa *sect.* 8. alios citans Leand. *l. c. q.* 9. practice ejusmodi Ordinatio alterutra specie carens, & propterea sub conditione repetenda, ut factum esse testatur Tannerus *t.* 4. *d. dub.* 4. in eventu hujus casus, qui ipsius ætate genter exagitatus.

10. Subinquires. Quid, si in Calice sit vinum sine aqua, vel vinum aqua multa dilutum?

Respondeo, si vinum solum, sufficiens erit ad sine dubio, aqua enim solum imponitur ex præcep si vinum sit aqua multa dilutum, distinguendum enim aqua non sit in tanta quantitate, ut illud amittat denominationem vini, ita scilicet, ut possit lutè dicere. In hoc Calice est absolutè vinum, ut possit evenire, si vinum sit valdè generosum, aquæ quantitas fuerit nonnihil notabilis, erit ad rem Ordinis sufficiens: at, si in tanta quantitate ut amittatur denominatio vini, quod facilius evenit vinum sit admodum leve, nec valde generosum, quam sufficeret, seu saltem valde dubia redderetur dinatio. Ratio est manifesta, quia in priori casu absolutè in Calice esse vinum, in posteriore autem item, vel certè sub dubio.

11. Non multis abhinc annis, peracta jam aliquot Sacerdotum promotione comprehensum est in Calice, qui ad illam Ordinationem vsurpatus fuit, infusa ab imperito Ministro totam aquam, & totum vinum quibus Vrceoli consueti paris magnitudinis pleni & præsto erant in abaco ad sacrum ministerium bitatúmque fuit, an tanta mistio aquæ adduxerit illud ab absoluta denominatione vini?

Super qua dubitatione longa, diligénsque facta est à Theologis, inter quos ego adfui omnium nimus; omnésque præter admodum paucos decrevi illos Sacerdotes debere, sub conditione, Ordinem rum ritè recipere, saltem propter rationes, quas *supra* §. 1. *à num.* 7. indicavi, cum agerem de contactu materiæ Ordinationis, cui sententiæ probi illi Sacerdotes, imo, & idem Episcopus, qui illos initiaverat, adhæserunt.

12. An Calix, & Patena debeant esse consecratæ? Dixi *supra c.* 3. §. 2. *n.* 2.

An debeat intercedere contactus physicus? Dixi ibidem *à num.* 5.

An simul cum prolatione formæ? Dixi ibidem *num.* 10.

NOTA

*NOTATIO PRO CASV, QVO SIT, Reiteranda Ordinatio sub conditione.*

13. Ad reddendam facilem ejusmodi reiterationem, quæ propter aliquos casus suprà dictos, vel similes, est sub conditione exhibenda, notetur, eam posse fieri quolibet anni tempore, posse à quocunque Episcopo, posse in Oratorio privato, posse absque cæteris Cæremoniis, sed solum supplendo id, in quo adest dubium. Ratio est, quia solemnitates, aliàs requisitæ, sunt institutæ pro Ordinatione absoluta, non autem pro Ordinatione conditionata; tunc enim non est Ordinationem celebrare, sed, quod imperfectè præstitum est, supplere. Ita ex Granado Quintanaduenas, *de Ordin. sig.1.*

## CAPVT VI.

### *De Subjecto Ordinis.*

### §. I. *Quoad valorem.*

1. ORdinis capax est solum Baptizatus, *c. Veniens de Presbit. non Baptizatis, & passim*, & quidem mas, ut vult Leand, aliis citans *de Ord. à quæst.1.* March. aliis item citans *de Ord. tract.1. part.4. cap.4.* Excluditur ergo fœmina, & is, qui Ianuam Sacramentorum, idest Baptismum non est ingressus.

2. De non Baptizato nil incurrit, quod addam, de Fœmina illud quæri solet, an is qui simul Fœmina est, & Masculus, quem Hermaphroditum appellamus, sit capax Ordinis.

*HERMAPHRODITVS.*

3. Respondeo, Is Hermaphroditus, in quo prævalet, sexus virilis, est Ordinis capax, sicut, & matrimonii. Ita Leand. March. *ll. cc.* Verum, irregularisne est? Affirmat Henriquez; Negat Hurtadus, *de irreg. diff.14. n.52.* Sed certe etiam si non esset in rigore irregularis, tenendum tamen est cum Castrop. *de Ord. d. vn. p.6. n.3.* illum non esse ordinandum, quia in se monstruosum esset, hominem aliquo tandem modo fœminam, ordinari.

4. Is autem, in quo prævalet fœmineus sexus, Ordinum capax non erit.

5. Is denique, in quo vterque sexus æque prævalet, (quod tamen nunquam esse, sed necessario vnum prævalere putat Vasquez *d.145. cap.2. num.12.*) aliqui affirmant capacem esse Ordinis, aliqui negant, sed concordant omnes, esse propter modo dictam rationem irregularem. Vide hæc fusè disputata apud citatos.

6. Sed quid Primò, de eo, qui nullum sexum habet qualem puerum natum esse, testatur Livius? *Dec.4. l.1.*

Respondeo, Incapacem Ordinis hunc pronuncio, quia vere non est vir.

7. Quid, Secundò, de eo qui ex muliere erupit in virum?

Respondeo, Hinc non erit incapax, nec ex hoc capite irregularis. Ratio est, quia præsens status debet considerari, in quo jam est vir, & in nihilo fœmina. Quod si, ita erumpat in virum, ut remaneat etiam fœmina, idem die, quod modo dictum est *n.5.*

8. Quid Tertiò, si ex viro desciscat quis in mulierem? Respondeo, Id evenire posse difficile apparet Ioanni Delugo *in resp. moral. l.1. d.31.* sed tamen, id si eveniret, ejici is incapax Ordinis, quia secundum præsentem statum fœmina esse, supponitur.

9. Sed si antea fuerat ordinatus, amitterne Characterem Sacerdotii, posset ne consecrare valide?

Respondeo, Id dicam infrà *lib.8. tr.1. de matr. cap.12. §.1. num.36.*

10. Qui se finxit fœminam, irregularem, volunt Majolus, *de irreg. l.1. cap.27. num.4.* & Vgolinus, *de irregul.* *cap.48. §.2. num.2.* sed certè nullo fundamento, dictum est, nisi fortè aliud addatur caput, quale posset esse infamia ex ejusmodi fictione contracta.

*PVER.*

11. Is Puer, quis carer vsu rationis, ideſt infans, capax est Ordinis. Vnde validè eos suscipere, docent communiter Doctores apud Leand. *d.5. Ord. q.8. ex c. vn. de Cl. per saltum promoto*, & ego sup. indicavi *c.3. §.3. n.15.*

12. Multi tamen addunt ex Doctrina Sancti Thomæ, aliquamque apud Castrop. *d. vn. de Ord. p.7. n.5.* infantem invalidè ordinari in Episcopum, quia Episcopus consecratur in pastorem, ad quod munus est incapax, qui ratione caret. Sed certè, sic etiam esset incapax potestatis ad absolvendum à peccatis. Ergo non posset ordinari in Sacerdotem cum hac potestate. Propter hanc rationem, aliasque, Dicastillus *de Ord. d.1. dub.21. n.318.* sustinet etiam infantem valide ordinari in Episcopum.

*EXCOMMVNICATVS, QVEM NOLIT Episcopus ordinare, &c.*

23. Mos est, ut Episcopus, ante Ordinationem, enunciare faciat, se non intendere ordinare excommunicatum, irregularem, nec furtivè accedentē ad Ordines, nec similes. Iam quæritur, si quis ex dictis adhuc ad Ordines suscipiendos accederet, validéne ordinaretur, si non propriè ex defectu capacitatis suæ, certe ex defectu intentionis Episcopi? juvat enim hac occasione, id breviter explicare.

Respondeo, esse multo probabilius, valide ordinari; Tum quia, ut habetur in Pontificali, potest prædictam protestationem solet Episcopus, absolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad effectum solum illos Ordines suscipiendi. Tum quia illam protestationem ad terrorem enunciat, habet autem animum, etiam intrusos promovendi: Tum quia idem Episcopus (nisi oppositum constet) præsumitur, quando actu confert Ordines, voluntatem priorem, si quam contrariam habuit, mutare, & illum jam præsentem ordinari. Dico (nisi oppositum constet) nam si certo constaret, Episcopum persistere in ea negativa voluntate, nec te absolvisse, certum est, te Ordinem non recipere, quia intentio ministrantis semper requiritur ad valorem Sacramenti. Ita Sanch. *lib.7. matr. d.16. n.11.* Layman. *de Sacr. in com. c.4. n.7.* Thesaur. *de pœn. Eccl. p.2. V. Ordo. c.7.* Imò adverto, quando agitur de Sacerdotio, si aliquod sit rationabile dubium de voluntate Episcopi debere sub conditione reiterari Sacerdotii initiationem, id enim persuadet periculum gravium damnorum, si fortè prior initiatio fuit invalida, ut in vniversum alibi dictum est superius.

Pro consolatione Lectoris sic benigne habet Sà *V. Ordo n.38. Si Episcopus dicat: nolo, vel non intendo, ordinare excommunicatos, vel irregulares, intelligitur, si sciat talem esse. Quare is, quem ordinat, non sciens talem esse, vere est ordinatus.* Hæc Sà. Non tamen omitterem conditionatam Reordinationem.

### §. II. *Quoad licitam receptionem Ordinum.*

I. VT licitè quis Ordines recipiat, debet Primo, esse confirmatus.

II. Tantam habere ætatem, quantam requirunt Sacri Canones.

III. Titulum habere patrimonii, vel beneficii, vel Religiosæ paupertatis.

IV. Non esse irregularem, vel simili affectum impedimento, quæ omnia impedimenta simul colligit Trull. *de Ord. l.b.6. cap.vn. d.11. n.12.*

V. Sufficientibus esse litteris peritum.

VI. Esse in statu gratiæ.

Quoniam vero de Primo, *L.3. de Conf. c.3. §.4. num.4.* Quarto, *Cum irreg. c.6 §.1.* Quinto, *Ibid. c.12. §.1. & 2.* & Sexto, *lib.1. de Sacr. in gen. cap.3. §.2.* alibi commodior est tractandi locus, hîc solum superest de duobus agere puta de ætate, & de titulo.

## DE ÆTATE ORDINANDORVM.

1. Quod illicite, sed tamen valide ordinetur infans, satis innuimus aliquanto superius *cap.2. §.3.num.15* De adultis, ergo agendum hic erit.

22. Et quidem, quamvis in Sacris Canonibus, alia ætas decreta olim pro Ordinibus suscipiendis fuerit; hodie tamen sequentes dispositiones Concilii Tridentini sunt observandæ.

## ÆTAS PRO TONSVRA.

3. Ætas pro Tonsura est septennium completum. Non septenni Tonsuram concedere, illa culpa erit, quam dicam *num.6.* Ejusmodi ætas statuitur in jure, & colligitur ex Tridentino, *sess.23.cap.4. de Reform.* quod vult, ut initiandus prima Tonsura sciat rudimenta fidei, & item legere, & scribere.

4. Quod si septennio minor comprehendatur ex præcoce ingenio, vsu rationis pollere, ac legere, & scribere sciat, ordinari prima Tonsura posse, merito docet Quintanadu. *de Ordin. sing.21.*

## ÆTAS PRO MINORIBVS.

5. Ad Ordines Minores licet nonnulli, probabiliter doceant, ut Narb. *de ætate ad an.7.q.9.n.3.& ad ann.12. q.1.n.6.* aliique, requiri annum ætatis decimumquartum, tamen probabilius est, ut Plur. habent apud Leand. *de Ord.d.5. quæst.2.* satis esse septennium completum. Ratio est, quia non apparet prohibitio in contrarium. Quoniam tamen communiter non statim à septennio scit puer, quod requirit Tridentinum pro Minoribus, ideo communiter non statim sunt ordinandi.

6. Quæres. Peccatne mortaliter, qui Minoribus ordinat non septennem, nam qui Majoribus, peccare mortaliter, non est dubium.

Respondeo, Qui ordinat saltem sola prima Tonsura non septennem, non peccare mortaliter, docent aliqui. Verum post prædictum *cap. Nullus*, & post Tridentinum *l.c.* esse mortale, merito docent Sanch. *in Confess. lib.7. cap.1.d.33.n.16.& 16.* aliique: siquidem prohibitio est de re gravi. Excipit necessitatem, si quando hæc vnquam adsit, *ibidem* Sanchez.

## ÆTAS PRO ORDINIBVS MAIORIBVS.

7. Id sic decernitur à Tridentino *sess.23. cap.12. de Reform. Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 21. Ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis suæ annum promoveatur.*

8. Satis esse, si ij anni sint incepti, etiam per vnum diem, concors est Doctorum sententia.

9. Si inceptus sit dies, sed nondum advenit hora nativitatis: vel, si venit nativitatis hora, v.g. hora matutina, sed non completus est dies, vel, si dies hic sit bissextilis, an ordinari quis possit? &c. Vide apud Doctores; ut Boss. *t.2.moral.p.3.tit.2.de supput.temp.à n.42.* Leand. *d.6.de Ord.à q.6. & quoad ann.bissext.q.20.* March. *tr.1. p.5.c.4.* Narb. *de ætate ad ann.c.2.* sunt enim hi casus admodum rari, meque vtiliora explicare volentem impedire non debent.

10. Illud non est omittendum. Quid enim fiet, si omnibus diligentiis factis, dubium sit, an ætatem requisitam quis habeat ad Ordines suscipiendos?

11. Respondeo, Si dubium sit negativum, non potest licitè promoveri, quia, ut vniversaliter alibi dixi, *L.1. in Decal.c.3.§.7. V.ætas*, & docet Sanc. *l.2. de matr.d.41. n.38.* certa obligatio ætatis requisitæ non potest vinci ab incertitudine, qua laborat provectioris ætatis.

12. Si vero dubium sit positivum, idest verè probabile sit, te gaudere requisitis annis, licet æque probabile, imo probabilius sit, illis non te gaudere, licitè ad Ordines admitti poteris, ut colligitur ex dictis *in dicto l.1. in De. cap.3.§.3.num.7.* quia, qui probabili ratione movetur ad operandum, prudenter operatur, atque adeo sine culpa: quodnam sit verè probabile, vide omnino *in nostro Decal. lib.1.cap.3.§.3.numero 11.*

23. Si parentes ordinandi testentur de requisitis, concedere Ordines poterit sine scrupulo. Explicatur, quia licet testimonium parentum pro filiis in materia ab aliquibus sufficiens non judicetur, hic tamen vbi in nullius est præjudicium, sufficiens judicatur. Ita Diana *p.11.tract.3.res.27.*

Ætatem pro Ordinatione incipere à die nativitatis non vero à die conceptionis, ostendit communis, & colligitur ex doctrina, quam habet in simili Mast. *t.2.d.4.c.6.an.660.*

## §. III. *De Titulo Ordinandorum.*

1. Tridentin. *sess.21. c.1. de Ref.* præcipit, ut nemo possit ordinari in Sacris, nisi ad Titulum Beneficii, vel Patrimonii, vel paupertatis, ejus scilicet, qui solemniter emittunt Religiosi, quales etiam esse eos, qui emittunt vota biennii in Societate Iesu, decrevit Greg. XIII. *Quanto fructuosius.* Ratio hujus dispositionis fuit, vt ordinatus in Sacris haberet, vnde aliquando posset. Nam propterea quantitas Beneficii, vel Patrimonii arbitrio Episcopi remittitur ab eodem Tridentino, qui secundum varias regiones sufficientem summam determinet. Sanè Synodus Panormitana, *p.2.n.8.*, habenti quirit censum scutorum sexaginta annuorum Panormitanorum, aliis vero Diœcesis locis, scutorum quadraginta. Minores non expostulari ejusmodi Titulos, jure communi, saltem hodie operæ pretium est, admonetur Leym. Castrop. *de Ord.d.vn.p.9.n.2.* citans, Triden. & Nav. Barbos. aliosque.

2. Quoad Titulum Beneficii, nota, non sufficere quodcunque tenue; suppleatur ergo tunc ex patrimonio, ut sufficiat tota summa, ad alimenta honeste prostanda.

3. Quoad titulum Patrimonii, nota, plurimum aliquorum Episcoporum, qui ne ad primam quidem Tonsuram volunt aliquem admittere, nisi Patrimonium reale, rium pro Ordinibus Sacris se habere, legitime ostendat, prudenter sane, ne Clericatum deinde, cum dedecore exerceat, vel ab illo ad sæculum redire cum incommodatia cogatur. Sed quia communior praxis id non requirit, non possumus, Episcopos ad hoc obligare, sed laudamus dumtaxat.

4. Quoad Titulum Paupertatis, nota Primò, quod Bullam Pii V. Rom. Pontif. *Sacr. Concil. Aucl. tom.3. Octob.1568. in Bullar. novissi. t.2.fol.mihi 205.* quæ jubet, ne Novitii ante Professionem ordinentur in Sacris ad Titulum Paupertatis, ac secus facientes, ipso facto suspensionis subiicit, & in ordine sic suscepto multiplices irregularitate afficit.

5. Nota secundo, eum, qui emissa invalida Professione ob metum, vel ob aliquod impedimentum vere probatum non est, & vniversaliter, qui ad sæculum liberum licite redire potest, (abstraho hic à Scholasticis Societatis) si ordinetur ad Titulum Paupertatis, esse ipso suspensum, & modo dictæ irregularem ex eadem Pii Bulla. De hac Bulla agunt multi, quos citat Bossius *tom. moral.variis,tit.3.de Ord.§.8.n.22.* Bonac. *de Claus.q.2. diff.5.num.4. & de suspens.d.3.p.5.§.4.num.3.* Castrop. *Ordin.d. vn.p.9. num.3.* Et quidem is duplicem potest. Primò, quia sine patrimonio, seu sine vllo titulo, & dò, quia sine Dimissoriis proprii Episcopi ordinatur, notat rectè Diana *p.4.tract.2.resol.82.*

6. De ejectis adesse Decretum Sacræ Congregationis, ut sint etiam suspensi perpetuo, ablata potestate Ordinariis locorum eam suspensionem moderandi, vel tollendi. Hac occasione, scias, quod Decretum affert, verbum Donat. *l. de Reg. tr.8.q.7.tom.1.p.1.* Vide etiam *ibid.q.35.n.7.& 8.* quod tamen non fuisse acceptatum decit Th. Hurt. *p.1. res.mor.tr.4.c.8.n.799. fol.mihi 231.*

§. IV. Qui

§. IV. *Quæstiones aliquot circa prædictos Titulos Ordinandorum.*

*AN SVSPENSIONEM INCVRRAT, QVI ordinatur sine Titulo?*

1. NOvitios, vel nulliter professos suspensionem incurrere, iam modo dictum est. De aliis igitur quæro, qui forte sine Titulo Beneficii, vel Patrimonii, vel Paupertatis ordinantur.

2. Et sanè olim, ipso facto, *c. Nemine, c. Sanctorum, dist.70.* suspensionem incurrebant, & celebrantes contrahebant irregularitatem ii, qui sine sufficienti titulo Ordines Sacros suscipiebant. Postea vero (*c. Cum secundum Apostol. de præbendis.*) ab Innocentio III. ablata, ex meliori sententia fuit, hæc suspensio in illis verbis; (*Nos tamen benignius agere cupientes*) & impositum fuit onus Episcopo aliquem sine Titulo scienter ordinanti, ut ipse teneretur alere sic ordinatum, donec ei de sufficienti beneficio provideretur.

3. Id olim fuit: Sed quid hodie post Tridentinum? *sess.21.c.2. De ref.* loquimur autem de dicta pœna suspensionis, nam graviter peccari ab ordinante, & ab ordinando, nullus dubitat.

4. Respondeo. Multi insignes Doctores, ut Suar. *d.31. de Cens. sec.1.n.35.* Thesaur. *de pœnis Eccles. 3.p.V. Ordo c.11.n.4.* Bonac. *l.c.n.26.* Bord. *T.2. res.77.n.70.* aliique apud Barb. *in loc.c. Trident. à n.71.* dicunt ejusmodi sic ordinatum incurrere dictam suspensionem, qui putant, Tridentinum *loc. cit.* dum patrimonium seu alimenta sufficientia omnino requirens in ordinato, sic habet: *Aliquorum Canonum pœna super his innovando*: putant, inquam, innovare, tum pœnam suspensionis contra ordinatum, tum pœnam oneris alendi contra Episcopum ordinantem.

5. Verum multi non inferioris item ordinis Doctores, ut Sà, Tol. Henriq. aliique ap. Dicast. *p.2. tract.16. res.5.* Sanct. *variar. q.49.n.15.* Barb. *l.c.n.73.* March. *de Ordin. t.p.6.cap.7. diff.6.* G. Hurt. *de suspens. diff.13.n.58.* immo, ut habet Barbosa *loc.cit.* numero, & auctoritate Superiores, docent, Tridentinum non innovasse pœnam suspensionis contra ordinatum, quæ iam ante Tridentinum fuerat ablata, sed solum innovasse, vel confirmasse pœnam oneris alendi, quæ ablata non fuerat.

6. Mihi placet huic posteriori sententiæ adhærere, licet fatear, probabilem esse priorem. Ratio, quæ me movet, est, quia non possum mihi persuadere, Tridentinum voluisse innovare pœnam illam, quæ iam erat abolita per Innocentium Tertium, illius expressam mentionem nullo modo faciendo. Adde in pœnis benigniorem sensum esse sustinendum, &c.

7. Si ordinandus pactum ineat cum Episcopo, quod ab eo non peter alimenta, tunc enim vero incurret suspensionem à solo Summo Pontifice dispensandam, *c. pœn. de Simon.* lege Hurt. *l.c.* & ordinans suspenditur per triennium à collatione Ordinum, & eundem præsentans per idem triennium, ab Ordinum executione.

8. Quando scienter Episcopus ordinat aliquem sine patrimonio, quem alius Episcopus præsentavit, quisnam obligabitur porrigere ejusmodi ordinato alimenta, ordinans, an præsentans?

Respondeo, id clare decidi à Bonifacio VIII. in iure, *C. si Episc. de præbend. & dignit. in 6.* quod, quando occurrerit casus, facile videre poteris; longum enim esset Decisionem illam varios casus continentem hîc referre.

*PATRIMONIVM FICTVM.*

9. Quid si quis fingat, vel ementiatur Patrimonium?

Respondeo. Tunc, si dictum supponis esse patrimonium, nullum illud erit; ergo is cum nullo titulo ordinabitur, & sic recurrit doctrina modo prædicta à *num.4.*

*PATRIMONIVM CVM PROMISSIONE illud alteri retrodonandi.*

10. Quid, si ab amico acceptavi Patrimonium, vnde um vero patrimonio promovear, sed eidem amico promiserim, me illud eidem retrodonaturum?

Respondeo. Tunc peccasti graviter, quia in re gravi decepisti Ecclesiam.

Instas: incidine in suspensionem?

Respondeo. Si hoc modo acquisitum patrimonium verum est patrimonium, non ordinatus fuisti sine titulo, atque adeo in nullius sententia incurristi in suspensionem: si non est verum, ut ego puto, quia morali modo est, ac illa bona non haberes, Doctores allati *n.4.* dicunt, te incidisse. At Doctores sequentes opinionem probabiliorem dictam *n.6.* negant, si nullum pactum iniisti cum Episcopo.

11. Bonacina *de Sacr. d.8. q.un. p.5. num.26.* Dian. *p.8. tract.6. res.135.* alios citans, putat, prædictum, qui promisit se retrodonaturum amico post Ordines susceptos patrimonium, non obligari ad retrodonandum, quia ex Tridentino bona, ad quorum titulum quis ordinatur alienari nequeunt: vnde potest is bona illa sibi in conscientia retinere. At Suar. *d.31. de Cens. sec.1.n.37.* aliique apud eundem Dian. *l.c.* dicunt, teneri ad retrodonandum; quia, vel iure invalida fuit donatio amici ob defectum voluntatis de absolute donando, vel certè moraliter, ut ego dixi, seu æquivalenter, nulla fuit.

12. Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Verum vtramque esse probabilem, merito dicit Diana *loc. cit.* licet priorem, ut probabiliorem ipse sequatur, addit Sanch. aliique, ejusmodi retrodonationem, si forte fiat, rescindi solere à foro exteriore, idque in pœnam Donatoris, qui voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum. Vnde etiam sequitur, quod iudex non obligabit dictum Donatarium, ut donationem sibi factam ab ipso illo amico, illi retrocedat.

13. Si quis ordinandus promittat patrimonium amico reddere, quando ipse iam ordinatus nactus fuerit sufficiens beneficium, vel alia bona, idque cum consensu Episcopi, nullam pœnam, nullamque culpam incurret, quia nulla ratione contra Tridentinum operatur. Ita Trullench. *de Ord. lib.6. cap. vnic. dub.12. num.3. & tit. de Patrim.*

*SN SYNODO PANORMITANA SVSPENDITVR, qui cum ficto patrimonio ordinatur.*

14. Denique hîc duo adverte. Primò, prædicta sic se habere in iure communi. Cæterum quisque sua Diœcesana consulat statuta. Sanè Synodus Panormitana *anni 1652. p.2. cap.7. n.97.* suspensionem contra prædictos pronunciat: *Declaramus, fictitium esse Patrimonium illud, quod ab aliquo possidetur cum prævio pacto non exigendi fructus annuos, vel eos retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi. Declaramus etiam, in pœnam suspensionis à iure impositam eos incurrere, qui cum hoc ficto, & simulato patrimonio ad Sacros Ordines accesserint: eandemque pœnam suspensionis ipso facto incurrendam, si & quatenus opus est, denuo iniungimus.*

*VLTRAMONTANI SVSPENDVNTVR, SI cum ficto Patrimonio ordinantur.*

15. Secundo, adverte adesse Decretum Vrbani Octavi quod eo ipso Vltramontanos, vel natos extra Italiam suspendit in perpetuum, si ordinentur in Italia cum ficto patrimonio, aliisque eos pœnis ad arbitrium Summi Pontificis subdit. De hoc Decreto iterum redibit sermo non multo post *cap.8.§.2. num.4.*

*De PATRIMONIO SVFFICIENTI, SED non ex arbitrio Episcopi.*

16. Si quis Patrimonio fruatur, quod sibi sufficiat ad alimenta sibi congrua? Episcopus tamen nolit patri-

monium illud ad ordines admittere, si is nihilominus initiatur, dicturne initiari sine sufficienti patrimonio.

17. Rursus, si Episcopus, vel Synodus decernat pro patrimonio sufficienti v.g. quinquaginta aureos annuos, sufficiant autem mihi in meo oppido viginti, vel triginta, si cum his promovear, dicámne promoveri cum sufficienti patrimonio?

18. Respondeo, vtrumque dici sine sufficienti patrimonio promoveri, quia manifeste Tridentinum illud vult esse sufficiens, quod approbat Episcopus. Ita Trullench. *l. c.* alios citans. Reminiscere nihilominus, tum pro his, tum pro præcedentibus casibus, si parum, seu in quantitate minimè notabili sit defectus, esse tunc parvitatem materiæ, atque adeo tantummodo culpam venialem. Quænam sit hæc parvitas, vide apud Dianam *p.4.tract.4.Resol.52.*

## AN PATRIMONIVM ALIENARI QVEAT?

19. Non posse alienari, donec ordinatus nanciscatur sufficiens Beneficium, vel bona, vnde alatur, idque cum consensu Episcopi, disertè præcipit Tridentinum *sess. 21. cap. 2. de reform.* An autem consensus Episcopi ita requiratur, ut sine illo invalida sit alienatio facta à dicto ordinato iam habente sufficiens beneficium, vel bona, bipartita est sententia apud Barbosam *in loc. cit. Trid. n. 68. & 69.* videnda, affirmans altera, altera negans, vtraque probabiliter, quia verba, & contextus Tridentini in vtramque partem probabiliter trahi possunt.

20. Sed adhuc inquires. Primò, An sicuti patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatus fuit, potest modo dicto alienari post adeptum sufficiens Beneficium: ita è contra possit Beneficium renunciari post adeptum sufficiens patrimonium; vel sufficientia bona? Tridentinum enim solum prioris casus meminit.

21. Respondeo, posse modo dicto; est enim eadem prorsus ratio, eademque Concilii intentio.

22. Inquires Secundo. An, si alienarem dictum patrimonium ante adeptum sufficiens beneficium, vel bona: non solum illicite mortaliter, ut certum est, sed etiam invalide alienarem?

23. Respondeo, etiam invalide, ut est sententia communis: id enim clare colligitur ex verbis Tridentini *loc. cit. nullatenus possint*, addito fine, cur alienatio prohibeatur, qui est, alimenta ordinato in Sacris non deesse.

Immò, nec potes hypotecare tuum patrimonium, nec creditori tuo illud cedere, nec alteri remittere. Audi Barbosam *in Trident. l.c. num. 65. p.2. de potest. Ep. allegat. 19. præsertim n. 75.*

24. Alienari, aut extingui, vel remitti non potest patrimonium, immo, nec vendi, nec permutari, nec hypothecari, nec præscribi tempore ordinatio, & paulo post: dictio illa *nullatenus* importat nullitatem actus ipso iure, ex multis quos plena manu retuli *in Tr. de dictionibus.*

25. Audi Aloysium Riccium *p.2. dec. Cur. Archiepisc. Neap. dec. mihi 212.* multos Auct. & textus adducens; *Eleganter*, inquit, *dubitatum fuit, an prohibitus alienare bona, ad quorum titulum quis fuit ordinatus, censeatur etiam prohibitus obligare eadem bona?* & paulo post cum multa protulisset, sic habet: *Nullatenus potest obligare in specie seu speciali obligatione, nominando tale bonum patrimoniale, & licet possit, sine incursione pœnæ, obligare in tali genere, obligando nimirum omnia bona sua, tamen in tali generali obligatione non comprehenduntur hujusmodi bona, ad quorum titulum fuit promotus.*

26. Confirmantur hæc ex sequenti resolutione. Quærunt ap. Leand. *de ord. d. 9. qu. 6.* nonnulli, An ordinatus Diaconus cum legitimo patrimonio, si illud ante susceptionem presbyteratus alteri renunciet (idem certe esset, si vendat) & deinde ad Sacerdotium promoveatur, incurrat suspensionem? (peccare enim mortaliter non est dubium) & quamvis multi, qui sententiam illam dictam *num. 4.* sequuntur, affirment, quia licet patrimonio ordinabitur, tamen probabilius plures ... ttando in illa sententia, negant, quia ... remutationem omnino esse invalidam, vide ... colligunt, hunc revera non ordinari sine ... nio.

27. Dictum patrimonium licet à Principe collat... non possit; Ita Sanch. *loc. c. consil. 6. n. dub. 36.* nec ... debeatur gabella; tamen in rigore non est bonum ... clesiasticum, d... contra Marchinum, *de Ord. tr. 2. ... 7. diff. 12.* supra *in tract. de casib. reserv. c. 6. §. 3. n. 53.*

## DE AMITTENTE PATRIMONIVM.

28. Titius idoneo patrimonio instructus ordinem fuit Subdiaconus, sed deinde, sine sua culpa illud ... sit, potestne licite, sine aliis bonis ad vlteriores Ordines ascendere? Idem quæro de simili Diacono, quoad Sacerdotium.

29. Respondeo, non posse; Ita Castr. *d. vn. de Ord. ... num. 4.* cum Suario. Barb. Henr. ab eod. cit. Trull. *de Ord. ... din. l. 6. c. vnic. dub. 12. n. 3. in tit. de Patrim.* quia sic ... moveretur sine patrimonio contra Tridentinum. Esset ... get tamen vna quædam benigna interpretatio: nam ... Diaconatu, vel Subdiaconatu cum dedecore ... clesiastici, vel mendicare vel turpi quæstu victum ... rere is cogeretur, spem autem haberet, cum Sacerdotio ... honestius se fore sustentandum, posset Episcopus ... pensare ad Sacerdotium, quia hæc esset causa sufficiens ... dispensandi. Ita Henriquez, & Avila, quos citat, & non reprobat Castrop. *l.c.*

30. Propter dictas similes rationes cum legitimo patrimonio promotis, sed deinde sine culpa (nam ... culpa dicam infrà *de irreg. c. 20. §. 4.*) ob aliquod ... nium, illo privatis poterit Episcopus permittere ... tionem, aliaque Sacerdotis ministeria. Imò potest ... dotes ejusmodi posse sine vlla Episcopi licentia, ... prosequi in suis dictis ministeriis, quia vbi nulla ... nulla esse debet pœna. Et quia honestius, sic vivendo ... quia nullum jus est in oppositum. Jura enim solum ... tant, ne ascendatur ad Ordines sine patrimonio, ... de ejusmodi amissione loquuntur, & denique, quia ... est praxis; cum nemo ex Sacerdotibus se gerat (omnibus scientibus, Prælatis) ut suspensum ex superveniente ... ra patrimonii. Vide, quæ Deo dante dicam in Tract. *de irreg.*

## AN SINE PATRIMONIO INSIGNIS aliquis vir initiari possit? Quid de expectante ... hæreditatem, vel quid simile?

31. Docent non pauci, ut Henriq. Avil. aliique ... Castrop. *de Ordin. p. 9. n. 5.* posse aliquando Episcopus ... dispensare, ut absque Patrimonio, vel Beneficio ... tur in Sacris vir litteris insignis, cui merito præ... potest non defutura honesta alimenta.

32. Sed profecto id videtur contra Tridentinum *sess. 21. c. 2. de Ref.* & forte, dum præcipit, ne quis, quamvis ... aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate sine ... ordinetur, id prohibere signate voluit.

33. Majorem probabilitatis speciem habet, Primò, quod aliqui, ap. Leand. *disput. 6. de Ord. q. 13.* affirmant posse scilicet promoveri eum, qui de proximo ... moraliter expectat Beneficium; tunc enim (atenti ... mo morali, & humano potest existimari, jam ... neficio.

Secundò, quod alii inter quos est Surd. *apud eumdem Leand.* dicunt, posse sacris initiari filium, qui ... patrimonium expectat à Patre.

Tertiò, quod Sà, multique ap. eund. Leand. *q. 10. Dian. p. 4. t. 4. res. 15.* putarunt posse scilicet promoveri graduatum in jure Canonico vel in Theologia, præsertim in Collegiatis Majoribus Hispaniæ, quibus nûquâ desûr Beneficia pinguia; tunc enim perinde sunt, ac si Beneficio gauderet.

34. Illa.

34. His tamen non obstantibus, quæ pensitare nunc non vacat, recedendum non est à tam clara dispositione Tridentini ibi (*nisi legitime constet Beneficium pacifice possidere*) & ibi (*patrimonium vere ab eis obtineri.*) Adde, & responsiones Cardinalium apud prædictos Auctores, & præsertim *apud Sá expurgatum.*

### *AN SINE BENEFICIO, SED CVM SOLO Patrimonio possit quis promoveri?*

35. Tridentinum *loco cit.* sic disponit: Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Hæc Tridentinum. Cum ergo illud *judicaverit* hîc significet boni viri arbitrium, hoc est voluntatem rationi congruam, contra Tridentinum faceret Episcopus, si solius Patrimonii titulo, ad hominem promovendum moveretur. Atque hinc refert Navarrus, apud Trullenc. *de Ord. loc. c.* se vidisse negatam cuidam fuisse facultatem ascendendi ad Subdiaconatum ob defectum tituli Beneficii, licet is habuerit patrimonium trium millium scutorum. Id, quod referens Trull. *loc. lic.* ait, hoc Decretum obligare sub mortali, citatque eundem Navarrum, & Villalobos.

36. Equidem duo expendenda Lectoribus do. Primò, nonne potuit esse causa rationabilis prædictum hominem promovendi, quia vile, & honorificum est Ecclesiæ, hominem prædivitem ejus servitio addici, & consecrari?

Secundò, tantum rigorem exposcendi omnino Beneficium in ordinandis vix animadverto in Episcopis: vsusne subsecutus Decretum hoc fortasse mitigavit?

---

# CAPVT VII.

## *De Ministro Ordinis.*

### §. I. *Quoad Validitatem.*

1. CErtum est, ordinarium Ministrum Ordinibus conferendis esse Episcopum, ut habet Tridentinum, *sess. 23. cap. 4.*

2. Certum item est omnes Episcopos in hoc æquales esse, & validè cuicunque Fideli Ordines ministrare. Nam Episcopus quicunque, etiam excommunicatus, etiam hæreticus, etiam si Diaconatum, & alios inferiores Ordines non susceptisset, potest omnes Ordines, quamvis à se non susceptos, alteri conferre, dummodo vere ipse sit Sacerdos, & Episcopus consecratus (non enim satis foret, esse electum, & confirmatum) siquidem Ordines confert, v. g. Diaconatum, non ex vi Diaconatus, quem habeat, sed ex vi Ordinis Episcopalis, quia Diaconatum, aliosque ipso inferiores essentialiter non supponit. Lege Vasquez, *tom. 3. in 3. p. d. 243. n. 24.* March. *de Ordine tract. 1. part. 3. cap. 7.* aliosque, licet sit contrarius Sanchez *in consil. l. 7. cap. 1. dub. 14.* aliique relati à Leand. *de Ord. d. 4. q. 4.*

3. Incertum ergo illud remanet, An alii Episcopo inferiores, idest Sacerdotes communes possint ex delegatione Summi Pontificis, Ordines validè conferre. Nam non Sacerdoti, etiam si sit Cardinalis, tantam potestatem delegari non posse, quia, nec exemplum, nec vlla ratio id persuader, certum omnino est. Ita Sanch. Coninch. aliique apud Leand. *l. c. q. 16.* & apud Avers. *de Ord. q. 3. sect. 3. Vers. In hac re.*

4. Respondeo, distinguendo Ordines in tres classes. Primò, in Sacerdotium. Secundò, in Diaconatum, & Subdiaconatum. Tertiò, in Minores, Tonsuramque primam.

5. Dico jam Primò, probabile ab aliquibus existimari, Sacerdoti posse à Pontifice delegari potestatem conferendi alteri Sacerdotium, sed improbabile existimari ab aliis; quod posterius libentius recipio; cum enim hanc delegationem nunquam concesserit Pontifex, ab ipso Ecclesiæ initio, non est res tanti momenti, sic facile concedenda. Lege citatos.

6. Dico Secundò facilius posse concedi, delegabilem à Summo Pontifice esse Sacerdoti potestatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum, quia non tam clare apparet hîc valde gravis inconvenientia, immo fertur Innocentium Octavum id concessisse Abbatibus Cisterciensibus pro suis Monachis. Sed nihilominus id alii negant apud Leand. *loco citato quæstion. 18* & quoad Innocentium dicunt, ipsum solum concessisse, ut dicti Abbates possint in suis Monasteriis ordinare suos non per se, sed per quemcumque Episcopum.

7. Dico Tertiò, Sacerdoti posse Summum Pontificem concedere facultatem conferendi primam tonsuram, Minoresque Ordines.

Addo concessam de facto eam esse quibusdam Abbatibus pro suis Regularibus. Legantur Diana, *part. 4. tract. 4. resol. 147. & part. 5. tract. 13. resolut. 93. & part. 7. tract. 11. resol. 12.* Leander *d. 4. de Ord. præsertim à quæst. 9. vsque ad 15.* Marchinus *tract. 1. part. 2. de Ordin. cap. 10.* Loth. *in resp. Theol. tract. 7. q. 1. art. 3.* aliique permulti ab ipsis adducti, qui de hac concessione, ejusque extensione, hinc, inde, disputant latè.

### §. II. *De Ministro Ordinis quoad licitum vsum.*

1. QVamvis multa requirantur in Episcopo, ut licite Ordines conferat, status v. g. gratiæ, non esse suspensum à Pontificalibus, &c. tamen, quia de his, & similibus, alibi dictum est, hîc solum proprius locus est agendi, Quosnam Fideles possit licitè Episcopus promovere. At quia certum est, non posse nisi suos; cum ex Sacris Textibus, ut videre est in Trid. *sess. 6. cap. 5. de Ref. & sess. 14. cap. 2.* non liceat quempiam ordinari, nisi à proprio Episcopo; ideo hîc solum superest quærere, quisnam nomine proprii Episcopi, intelligendus sit?

2. Respondeo, in aliis materiis intelligitur ille Episcopus, in cujus Diœcesi habet quis fixum domicilium: at vero in materia Ordinationis aliquanto latius, ut vult Sanch. *l. 3. matr. d. 23. n. 7.* accipitur nomen proprii Episcopi. Bonifacius enim *c. Cum nullus de temp. Ord. in 6.* qui, nec expresse, nec tacite revocatus fuit à Tridentino, quicquid aliqui dicant, vel certè etiam si fuerit à Tridentino revocatus, revocatio tamen est abrogata ab ipso vsu omnium Ecclesiarum, & Episcoporum, juxta dicti Bonifacii dispositionem, quotidie operantium: Bonifacius, inquam, generaliter sic rem hanc disponit, ut velit neminem posse ordinari, etiam prima Tonsura, nisi ab Episcopo, qui proprie sit suus, vel *ratione Originis*, vel *ratione Beneficii*, vel *ratione Domicilii.*

3. Non deest tamen duplex exceptio. Prima habetur in Tridentino *sess. 14. cap. 2. de Reform.* Castropalaus *d. vn. de Ordin. part. 15. num. 6. fine*, in favorem Familiarum Episcoporum, ut scilicet Episcopus Diœcesis possit ordinare suum non subditum, qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, & cui statim Beneficium conferat. Dixi (*Episcopus Diœcesis*) nam id omnino negatur. Lege Trident. *sess. 23. cap. 9. de Ref.* Episcopo Titulari Diœcesim non habenti. Ita Trid. *sess. 14. cap. de Ref.* Castropal. *d. vn. de Ordin. part. 15. num. 6. fine.* Quod autem familiari huic, saltem intra decem dies, debeat Episcopus beneficium conferre. Quod hæc concessio extendatur etiam ad famulos talium familiarum. Quod triennium debeat esse continuatum. Quod numeretur, etiam si inceperit ante collationem Episcopatus. Quod servitium debeat fieri Episcopo præsenti, non autem distanti, sunt quæstiunculæ notatæ à Doctoribus apud Leandrum, *de Ordin. d. 8. à quæst. 22.* & apud March. *tr. 1. de Ordin. p. 5. cap. 9.* Castrop. *de suspens. d. 4 §. 10. num. 4. Vers. Secundus est.*

4. An huic non subdito, sed familiari possit Episcopus ex titulo familiaritatis dispensare in interstitiis dicam infrà c. 11. §. 2. n. 10. & 11.

5. Secunda exceptio habetur in jure *cap. 2. de Temp. Ordin. in 6.* in quo conceditur, Clericos posse promoveri ad Ordines à vicinis Episcopis sine proprii Episcopi licentia, quando hîc proprius notorie ordinavit alienos subditos sine licentia propriorum Episcoporum. Lege Suar. *de Censur. d. 31. §. 1. num. 13.* & Castrop. *l. c. Vers. Sunt tamen*, de his, & similibus.

Sed jam separatim illa tria allata à Bonifacio Octavo.

## *PROPRIVS EPISCOPVS RATIONE ORIGINIS.*

6. Assero Primò, Antonium posse ordinari ab Episcopo v. g. Panormitano, si ipse natus sit in Panormitana Diœcesi, & ejus parentes ibidem habuerit fixum domicilium eo tempore, quo Antonius natus est. Hæc est certissima assertio; hoc enim permaxime est, esse subditum ratione originis.

7. Idem est, si postquam Antonius in hac Diœcesi est natus, tempore, quo ejus parentes in eadem degebant, postea iidem in aliam Diœcesim se transtulerunt. Ratio est manifesta, quia translatio parentum, postea facta, non potest auferre jus nativitatis acquisitum à filio.

8. Sed quid, si Antonius natus est in hac Diœcesi, dum parentes ipsius hîc domicilium non habebant, sed erant in transitu, causâ itineris v. g. vel alterius negotii: eritne Antonius existimandus hujus Diœcesis?

9. Respondeo. Nonnulli, ut G. Hurt. *de Ordin. differ. 17.* Pyrr. Cor. *l. 4 praxis disp. cap. 5. n. 32.* Leand. *de Ord. d. 8. quæst. 8.* esse existimandum, dicunt, & quidem probabiliter, sed probabilius id alii negant, ut Trull. *l. 6. de Ord. cap. un. dub. 7. num. 3.* Sanch. Henr. Less. Filliuc. Laym. March. aliique apud Leand. *loc. cit.* Castrop. *de Ord. disp. un. p. 15. num. 2.* Dicastill. *de Ordin. disp. 1. dub. 16. n. 225.* quia ex una parte forsitan nativitas non videtur sufficere ut per eam quis dicatur habere originem ab ea Civitate, vbi, sic per accidens, nascitur, & ex alia parte, in re, vbi disceditur à jure communi stricta est verborum interpretatio facienda. Sane Medulla Theol. *de Ord. cap. 2. dub. 1. fine*, citans Dianam, *part. 8. tract. 2. resol. 15.* & deinceps vbi multa de hoc argumento sic habet: *Studiosi, qui in Vniversitate habitant, etiam ultra Decennium, animo redeundi in Patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeo ab ejus loci Episcopo ordinari non possunt: imò, si ibi ducant vxorem, nec filii eorum: sicut enim is non dicitur Episcopus domicilii respectu Patris, ita nec Episcopus originis respectu prolis, quæ nata fingitur in domicilio Patris.* Hæc ibi.

10. Hoc tamen omnia licet probabiliorem hanc sententiam faciant, non tamen priorem à sua probabilitate deiiciunt, nam in communi existimatione, communique hominum vsu, qui alicubi noscitur, illius loci sit civis. Vnde, quod mavis, tuto sequere.

11. Assero Secundò, cum Castrop. *loc. c. n. 2.* March. *de Ordin. tom. 1. part. 5. cap. 6.* Campan. *in Divers. jurisdict. Rubr. 9. cap. 8. num. 4.* aliique Leand. *loc. cit. quæst. 9.* Dian. *part. 4. tract. 4. resol. 148.* afferentibus declarat. Sacr. Congreg. & Trull. multis id probantem *de Ord. l. 6. c. un. dub. 7.* probabile esse, aliquem posse ordinari in Civitate originis paternæ, hoc est promoveri licite posse prædictum v. g. Antonium ab Episcopo Panormitano, si ejus pater natus, & fixe, ut volunt Quaranta. *V. Ord. §. Quoad Tertium.* Rodriq. Graff. Tusc. aliique apud Leand. *loc. cit.* commoratus sit in Panormitana Diœcesi, tametsi ipse Antonius natus sit, & sit commoratus in Diœcesi aliena; & assero item probabile esse non posse. Ratio prioris probabilitatis est; quia illud (ratione originis, seu esse oriundum, seu originarium) de quo loquitur Bonifacius, significare id debet, quod significatur in jure; *L. Assumpt. ff. ad Municipalia L. libertas, C. de Mancipiis,* at in jure, per hæc vocabula, significatur, aliquem putari in civem illius Civitatis, in qua natus est; ergo, &c. Ratio probabilitatis posterioris est, quia standa est origo propria, non vero paterna, cum vox (oriundus, seu origo) sæpissimè significet idem, quod significat vox (ortus, seu nativitas.)

12. Ex priore probabilitate infert Marchin. non esse subreptitiam dispensationem, si quis expetat se esse oriundum ex tali Civitate, cum tamen ipse natus alibi, sed pater ejus erat natus in Civitate illa, que domicilium habebat; sed de hac illatione videbitur, præsertim in Dispensationibus matrimonialibus, quæ hodie, ut suo loco dicemus, diriguntur expedæ ad determinatum Ordinarium loci nativitatis dandi.

13. Doctores autem prædicti, qui affirmant, originem patris sufficere, notant, se loqui de filiis legitimis, non illegitimi non sequuntur nativitatem patris, sed matris, vnde hi non possunt ordinari ab Episcopo Civitatis originis patris, sed matris. Nam licet, ut advertit Castrop. *loc. c. p. 15. n. 2. Vers. Dixi matris*, in hac materia Dubium, non spectetur origo matris, sed patris; tamen quando filius est naturalis, cum pater solet esse incognitus, origo matris inspicitur. In expositione quando nescitur origo paterna, vel materna, subscribait, locum expositionis, quod vltimum docent communiter apud Merollam, *loco mox citand.* Gratianum *loco mox cit.* aliosque.

14. Assero Tertiò. Quamvis nonnulli, ut Leand. *de Ord. quæst. 10.* propter rationes modo dictas de extendant idem ad Auum, posse scilicet ordinari piam in Diœcesi, vbi ejus Auus natus est; tenendum est cum aliis, ut Trull. *loc. cit. n. 5.* & March. *de tract. 1. p. 5. cap. 6. n. 2.* dicente, omnes Doctores idem re non sufficere originem Aui, nequaquam posse secus nimis extenderetur ejusmodi potestas contra positionem Sacrorum Canonum, volentium cuicumque Episcopo suos fines præscribere.

15. Hic se offert dissolvenda quæstio, de qua superioribus diebus disputatum Panormi fuit. Solent nonnulli ex civibus Montis Regalis suos infantes Panormum, non plus, quàm quatuor circiter milliarium, Monte-Regali distantem, asportare, & ibi Sacrum Baptismum suscipientes, veluti, sic Civitate donati, potiri deinceps Panormitanis Privilegiis possint, et jure, ipsi viderint. Quoniam ergo diversæ hæ sunt Diœceses, quidam ex his Panormi baptizatus, fuit tus Montis Regalis, ex Montisregalensi patre, Ordines postulavit ab Archiepiscopo Panormitano, quam ejus subditus, legitimèue voti compos fieri potuit?

16. Ostendi ego iis, qui id scisciati sunt Leandrum *de Ordin. dub. 8. quæst. 7.* citantem, *cap. cum nullus de tempor. Ordin. in 6.* Sanchez, *de matrim. leg. 3. disp. 22.* Philip. March. *tract. 1. de Ord. part. 5. a cap. 5.* G. Filliuc. *de Ord. diff. 17.* Sayrum, Forma, Machad. & alios, qui cedentem his verbis: *Quia in vna Diœcesi est natus, altera baptizatus, in tertia habet domicilium, in qua Beneficium, optime potest à qualibet ex his Episcopo ordinari, vel ad id litteras Dimissorias accipere.*

17. Verum, quamvis hunc Authorem ostendam, dixi, nulla ratione esse approbandum.

I. Quia ratione solius Baptismi, non potest quis originarius, seu habere originem, seu ortum in aliqua Civitate; propriam originem enim dat nativitas temporalis non spiritualis.

II. Quia nunquam legimus hujusmodi prærogativam faciendi civem alicujus loci, soli ipsi Baptismo fuisse concessam.

III. Quia nemo daret legatum relictum civibus naturalibus alicujus loci, si solum ibi quis fuisset baptizatus, nam si daret, vtique veris naturalibus injungeret. Quod faceret.

IV. Quia recte sic ait Trullenc. *loc. cit. num. 3.* Quod Baptismus

Baptismus det originem, intelligerem, modo non constaret individuo de loco, vbi quis natus est.

V. Quia ex hoc dicto Trullenc. puto, illos, qui concedunt Baptismo effectum, originem dandi Fidelibus, solum velle, pro foro externo ex Baptismo probari, vel præsumi nativitatem, nam cæterum pro foro interno, & pro externo, quando constat, alibi fuisse nativitatem, procedere non potest illa doctrina, & certe omnis sanæ mentis homo id etiam sentiet in Privilegiis quoad temporalia, nisi expresse, vel ex æquitate quadam, quam mox dicam, id Baptismo concedatur à Principe, quamvis aliquid plus videatur concedere Gratianus citandus mox *num.* 24.

VI. Quia volui oculis meis recolere *Cap. cum nullus* citatum à Leandro, & Sanchez, Marchinum, Hurtadum, ab eodem pro ejus sententia item citatos, & ne verbum quidem de Baptismo. Vnde alios, quos ipse citat videre nolui, nam etiam si rem dicerent, non rectè dicerent.

VII. Quia bene distinguit Merolla *t.3. disp.6. cap.6. dub.5. diff.5. num.*180. Id, quod forte Doctores, quando videntur diversimode loqui, conciliabit. *Advertendum* (inquit) *gaudere prædictis Privilegiis, vt civem ortum, Infidelem baptizatum Neapoli, quia tunc Neapoli dicitur renasci. Idem decisum fuit pluries in eadem Regia Camera. Hoc autem limitant aliqui, nisi fuerit baptizatus Neapoli in fraudem, vt originalem consequeretur.* Ita Stephanus Gratianus *tom.1. discept. Foren. c.75. à num.16.* Hæc Merolla. Vides, ex æquitate concedi Infideli hic baptizato, fieri hic civem; idque fortasse, quia nescitur non raro ejus origo, vel, si scitur, cum suam patriam reliquerit, in favorem fidei æquum est, ut ea, in qua baptizatur, civitate donetur. Vides item in casu, de quo nos agimus cum adsit aperta fraus consequendi originem, locum ejusmodi æquitatem non habere?

18. Audiamus, & Gratianum. *Per Baptismum* (ait loc. cit.) *quis efficitur Civis, & acquiritur origo, quam sivè habemus per nativitatem temporalem, tanquam magis propriam, ita per Baptismum, qui dicitur nativitas, & per eum homo denuo nascitur (c. Debitum de Bap.) sive loquamur quoad spiritualia, & beneficialia, sive temporalia. Intelligendo, cessante fraude; nam si quis in aliquo loco baptizetur per aliquem, vt acquireret originem illius loci, reputabitur nihilominus pro extraneo, nec diceretur civis, in præjudicium aliorum. Ita in specie concludit Gonzales ad Reg. prima Cancel. glossa 9. §.1. n.108. juncto n.113.* Hæc Gratianus. At in casu nostro, & fraus est, & præjudicium foret Archiepiscopi Montis-Regalensis, si prædicto, de quo loquimur, Ordines concederet Archiepiscopus Panormitanus. Sed hæc contra meam consuetudinem nimis fortasse pluribus.

## *PROPRIVS EPISCOPVS RATIONE Beneficij.*

19. Assero, quemlibet ordinari licitè posse ab Episcopo, in cujus Diœcesi habet is Beneficium Ecclesiasticum, nam per Beneficium sit ei Episcopo subditus.

20. Inquires. Quid Primo, si Beneficium sit simplex, nec residentiam requirat?

Quid Secundo, si quis habeat ibi pensionem?

Quid Tertio, si quis habeat duo Beneficia, alterum in una, alterum in altera Diœcesi?

Quid Quarto, si Beneficium sit admodum tenue?

Respondeo ad Primum, affirmativè ut March. *de Ordin. tr. 1. p.5. cap. 8. num. 3.* Barbos. *de potest. Episcop. allegat. 4. num.* 46. quia Bonifacius VIII. non requirit residentiam.

Ad secundum, negative quia idem Bonifacius Beneficium requirit, Pensio autem Beneficium non est.

Ad Tertium, dicam mox *num.*34.

Ad Quartum affirmative, ut Piasec. *in praxi p.1. c.1. n.*10. Ric. *in praxi ref.*260. Squill. *de oblig. Cler. p.2. n.*26. Castrop. *de Ordin. d.un. p.15. num.5.* aio enim sufficere ad constituendum te subditum Episcopo, si in ejus Diœcesi possideas Beneficium quamvis tenuissimum, quia Bonifacius non requirit, nisi Beneficium. At profecto Beneficium tenuissimum Beneficium est. Ne tamen obliviscaris, ut actu Ordines Sacros suscipias, te debere id supplere de Patrimonio, quod necessarium erit ad honestam sustentationem tuam.

21. Non me latet, Barbosam *l.c.* Marant. *p.2. resp.29. num.*78. aliosque requirere, ut beneficium saltem afferat octo, vel quatuor scuta singulis annis, & aliquos ut Barb. *de iure Eccl. l.1. c.33. n.4.* & Squill. *de Priv. Cler. c.4. n.*34. requirere, ne adsit fraus, qualis esset, si fundares Beneficium tenue in aliena Diœcesi, ut illius deinde compos, ibidem initieris, id enim (aiunt) fieret in præjudicium alienæ jurisdictionis. Non me, inquam, hæc latent, sed ego sequor alios hæc non requirentes: Nam quoad primum, jam dixi etiam tenue Beneficium esse: quoad secundum verò, non est fraudulentus is, ut vult Leand. cum aliis *d.8. de Ord. q.*19. Bard. *in select. l.3. q.3. n.*7 Dian. *p.*11 *tr.4. ref.*1. qui vtitur eo stratagemate, quod nullo jure prohibetur. Non sic in casu de Baptismo de quo modo dixi *num.* 24. Nam Baptismus nonnisi impropriè, & ex æquitate dat nativitatem, Beneficium vero tenue, cum verè, & propriissimè Beneficium sit, dat esse propriè Beneficiarium illius Diœcesis, in qua est Beneficium.

22. Illud prorsus non potui annis hisce superioribus approbare. Quidam ex iis Theologis, qui solum Scholasticam profitentur, parum (ut animadvertere potui) in Morali, & Canonibus Sacris versatus, contendebat, posse à Laïco extraneo fundari in aliena Diœcesi Beneficium, quod eidem statim conferretur, nam sic redditus ratione Beneficii subditus, poterit (aiebat Theologus) in illa Diœcesi promoveri.

23. Dixi, ejusmodi doctrinam procedere ex modica Jurium notitia. Jura omnia clamant, ut nullus sit capax beneficii Ecclesiastici, nisi habeat Tonsuram, ut supra, nos etiam docuimus. Si ergo Laïcus de quo est sermo adhuc, possfundatum beneficium, est Laïcus qua ratione poterit ipsi validè conferri illud, vel quodcunque aliud beneficium? Nullo modo: & consequenter qua ratione subditus est redditus in illa aliena Diœcesi ratione beneficii, quod beneficium cum nulliter habeat, nullum habet? Hanc solidam doctrinam potius me docuit prædictus discursus (sincere loquor, non mentior) sed deinde inveni subobscurè indicatam à Thoma Sanchez *in consil. l.7. d.23. num.*23. & Aversa *de Ord. q.3. sect.6. V. Secundus modus fine*, post hæc scripta, id confirmabis ex dictis in simili à Tancr. *p.2. quæst. Moral. folio mihi* 357.

## *PROPRIVS EPISCOPVS RATIONE Domicilij.*

24. Assero Primo, quemlibet posse ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi habet actu fixum domicilium, hoc est habet ibi habitationem actualem cum animo ibidem perpetuo manendi. Quod si soleret quis perpetuo æstate in una Diœcesi, hyeme in alia, quasi æqualiter, habitare, sanè is diceretur habere duplex fixum domicilium, & ab vtroque Episcopo posset promoveri, ut notat rectè Marchinus *de Ord. tr.1. p.5. cap.7. n.*13. Vide Tancred. *l.c.*

25. Dictum est (perpetuo) nam duplex domicilium distingunt Doctores 1 Aliud, in quo quis actu habitat, & in eodem habitare perpetuo intendit. Aliud, in quo majore solum parte anni intendit habitare: illud appellatur verum domicilium, hoc, quasi domicilium. Qua distinctione præ oculis habita, docemus, licet pro receptione aliorum Sacramentorum, sufficiat quasi domicilium, vel, pro aliquibus Sacramentis necessariis, quælibet habitatio, at pro receptione Ordinum, qui requirunt maximum delectum; & personæ cognitionem, docemus, inquam, requiri verum, & fixum domicilium. Quare, qui multos annos, etiam decem, etiam

viginti, etiam centum proposuit alibi commorari, si expresse, vel tacitè habeat animum redeundi in patriam, cum sic non dicatur habere ibi fixum domicilium, non poterit, in conscientia ab illius loci Episcopo promoveri.

25. Quoad forum autem externum, puta, ut ab Episcopo tui alibi natus admittaris ad Ordines, tanquam in ejus Diœcesi domicilium habens, debes testibus probationibus, & conjecturis animum tuum ibi perpetuo manendi probare. De quibus probationibus lege Menochium, *de arbitr. l. 2. casu* 86. Castropalaum *de Ord. d. vn. p.* 15. *num.* 3. & breviter alios citantem Bonacinam *de Ordin. disput.* 8. *quæst. vn. part.* 4. *à num.* 11.

26. Assero Secundo, te habentem hîc domicilium, & alibi v. g. Neapoli Beneficium, posse vnum ordinem ab hoc Episcopo; Ita Ricc. *in praxi de Ord. dec.* 304. & 305. Pyr. Cour. *in praxi disp. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 32. Aversa *de Ord. q.* 3. *sect.* 6. *Versu Tertius modus.* Maran. *l.c. p.* 4. *resp.* 4. contra nonnullos. Alterum à Neapolitano, vel omnes, vbi magis tibi placet ab vlterutro recipere, quia semper recipis à proprio Episcopo.

27. Idem ergo erit, si habeas duo Beneficia in duabus Dœcesibus, quia jam, ratione illorum, duobus es Episcopis legitimè subditus.

28. Assero Tertio, non esse improbabile, Barones, teste March. *tr.* 1. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 15. & 16. alios citans, ut etiam Senatores; qui sunt perpetui Officiales Principis, eorumque filios in suis Villis, Oppidis, Civitatibus posse recipere Ordines ab Episcopis talium locorum, quamvis ibi nati non sint. Ratio est, quia ratione dominii, vel dicti officii, quod ibi habent, computantur non quidem, ut cives; id enim negat Textus, *L. Civ. C. de Incolis l.* 10. sed, ut partes illius populi, vbi ea officia perpetuo exercent, atque adeo computantur inter habentes ibi domicilium; lege *L. Senatores eod. tit. de incolis.*

## CAPVT VIII.

### *De Litteris Dimissoriis, & Commendatitiis.*

#### §. I. *Quando, & quomodo dantur.*

1. STatuitur à Tridentino *sess.* 23. *de Ref. c.* 3. *juxta c.* 1 de *Temp. Ordin. in* 6. ut si proprius Episcopus sit æger, seu aliàs impeditus (nam aliud, si sit æger solum ponitur à Tridentino exempli gratia ex Barbosa *in l. c. Trid. n.* 2.) possit dare licentiam, ut ordinandus promoveatur ab alieno Episcopo, sive indeterminatè à quocunque, sive ab hoc, vel illo determinatè.

2. Hæc licentia dari quidem potest oretenus, quia Cœcilium requirit dumtaxat consensum proprii Episcopi, sed solet ad majorem, facilioremque fidem faciendam expediri per litteras patentes, quæ vocantur *Dimissoriæ*, quia subditum dimittunt ad alienum Episcopum: appellantur etiam *Reverendæ*, ob reverentiam illis debitam.

3. Præter memoratam licentiam, debet ordinandus habere à proprio Episcopo suorum morum approbationem, quæ dari consuevit interdum in ipsismet Dimissoriis, interdum separatim. Quando autem sunt separatæ, vocantur *literæ Commendatitiæ vel Testimoniales*, quia in his Episcopus suum subditum commendat alieno, deque ejus probis moribus testificatur.

4. Vltramontani? id est, qui nati sunt vltra Montes Alpium, quales sunt Hispani, Lusitani, Galli, Germani, &c. ut item, qui nati sunt extra Italiam, si velint ad quemcumque Ordinem, etiam Minorem, etiam primam Tonsuram intra Italiam promoveri, debent sub pœna suspensionis, aliisque pœnis infrictis à Decreto Vrb. VIII. *Sacr.* 1624. 11. *Dec.* quod per extensum affert Marchin. *de Ord. tr.* 1. *p.* 5. *c.* 11. *n.* 14. non solum ostendere Dimissorias, ut dictum est, à suis propriis Episcopis sibi concessas, sed easdem insuper recognitas, probatas, & subscriptas à Nuntiis, seu Collectoribus Apostolicis commorantibus in loco, vnde ordinandi discesserunt, & de his recognitas à Vicario Generali Vrbis Romæ.

5. Si sustineas Siciliam in favorabilibus venire nomen Italiæ, hoc Decreto Siculus ordinandus non comprehenditur, quia in hac probabili sententia, quam ego *lib.* 3. *mei Conf. c.* 7. §. 4. *n.* 16. *in edit. Rom.* docui, est natus extra Italiam.

6. Denique hanc constitutionem non afficere religiosos, quia nulla fit in illa Regularium mentio, ex decisum Florentiæ tenet Marchinus *l.c. num.* 17. Quos hos habentes Dimissorias à suis Prælatis, à quocunque Episcopo Italo ordinari posse concludit.

#### §. II. *Quis prædictas litteras concedere?*

*EPISCOPVS, ET SIMILES ECCLESIASTICI Iurisdictionem habentes in subditos.*

1. DImissorias concedit proprius Episcopus, sive ordinis, sive Beneficii, sive domicilii. Immo etiam Abbas, vel prior, quia habent quasi Episcopale distinctum ab Episcopo territorium. Item Vicarius Generalis, si ab Episcopo ad id habeat speciale mandatum, vel si Episcopus agat in remotis: id quod docet Sanchez *in cons. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 41. quem Episcopus invenitur extra provinciam in partibus remotis per duas diætas, licet Barbosa *de pœnit. Ep. p.* 3. *alleg.* 54. *n.* 48. *Vide p.* 2. *all.* 7. *n.* 9. sentiat tunc Episcopum dici in remotis agere, quando est vltra Montes. Intellige etiam, quando est vltra mare (sufficit enim quod hujusmodi remotio sit inconveniens ordinato). Sed nimis indistinctè loquitur Barbosa: dicerem distinctius, quando hujusmodi remotio prudenti hominum existimatione notabiliter esset ordinandis incommoda: Putabis enim remote agere Archiepiscopum Messanensem si forte inveniatur Regii in Calabria, brevi freto è Sicilia distantis?

2. Commendatitias, sive Testimoniales literas primo iure non posse dari, nisi ab Episcopo domicilii, hoc est, quia mores, qui in his literis sunt approbandi, solum illi solent esse noti, non aliis.

#### *CAPITVLVM SEDE VACANTE.*

3. Tridentinum *sess.* 7 *can.* 10. *de Reform.* Sic statuit: *Non liceat Capitulis, Sede vacante, infra annum à die vacationis Ordinarii, licentiam, aut litteras Dimissorias, seu Reverendas, ut vocant, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere &c.*

Nota Primo posse Capitulum, intra dictum annum concedere Dimissorias pro prima Tonsura, quia hæc non est Ordo. Ita docet Quintanad. *de Ord. sing.* 4. allegans declarationem Cardinalium.

4. Nota Secundò, illud (*à die vacationis*) significare quamcunque vacationem, sive ex Episcopi morte (quando vocatur, *infra annum luctus*) sive ex translatione, sive ex renuntiatione, &c.

5. Nota Tertiò, illud (qui arctatus fuerit) esse non exceptio, quia conceditur Capitulo, ut possit dare Dimissorias, etiam intra annum, obligatis ad suscipiendos Ordines.

6. Petes. Si Tonsuratus aliquis, vel quilibet non dum Sacerdos Beneficium simplex habeat cum libertate satisfaciendi per alium Missas ex Beneficio debitas, potestne Capitulum Sede Vacante Dimissorias huic concedere? Ita Quintan. *de Ord. sing.* 4.

7. Respondeo quamvis iis, qui præsentantur ad Capellaniam, aut Beneficium, licet tempus ipsos non urgeat, possit ut vult Pyrr. Contad. *in praxi disp. libro* 5. *cap.* 4. *num.* 12. & 13. dictum Capitulum concedere Dimissor-

Dimissorias ad primam Tonsuram, vt sic potiri possit Beneficio, quia, ut dictum est, prima Tonsura non est Ordo; tamen ad alios Ordines non potest, quando (vt proponitur) Missæ, & onera satisfacienda ex Beneficio præstari possunt per alium. Ratio est, quia hic, commodius quidem præstaret per se, sed non potest dici arctatus à Beneficio recepto, vel recipiendo, nam Beneficium jam recipit, & satisfactionem jam præstare potest per alium.

8. Nota Quarto, illas duas voces (*licentiam, aut litteras Dimissorias*) idem prorsus significare, ut expendit Sanchez *lib. 7. cons. cap. 1. dub. 26. n. 2.* id est facultatem suscipiendi Ordines.

9. Nota hic iterum (*licentiam, aut litteras Dimissorias*) hæc enim solum prohibetur Capitulum tunc dare, nam propterea potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia, & ordinandi, tum exteros, tum subditos ipsius Capituli, qui alinnde v. g. Pontifice habuerunt suæ ordinationis licentiam.

10. Rursus, propter eandem rationem potest Capitulum intra prædictum annum cõcedere litteras Commendatitias, seu Testimoniales, quia hæ litteræ non continent licentiam suscipiendi Ordines. Id certè est maximè advertendum; Sæpè enim occurrit, ut quis in prædicto anno Vacationis impetret Breve Apostolicum, per quod promoveri possit, sive à viciniore, sive à quocunque Episcopo Catholico, & tunc, non obstante ejusmodi Brevi, debebit ordinandus petere, & obtinere à dicto Capitulo testimonium suæ vitæ, quod certè tunc dare potest Capitulum, quia id non est concedere, ut dixi licentiam suscipiendi Ordines, (hanc enim prædictus ordinandus habet per dictum Breve à Papa) sed solum est, testari de moribus. Et quidem Papa solet in eodem Brevi ordinandum admonere, ut has litteras testimoniales omnino obtineat à Capitulo in ea, vel simili clausula (*cum licentia tui Ordinarii*) quæ quamvis dicat (*licentia*) tamen intelligitur solum de literis commendatitiis, seu Testimonialibus, quia licentiam Ordinum jam ipse Pontifex, ut dictum est, concedit. Ita Barbosa, *de potest. Epis. alleg. 7. n. 14. & 15.* Merolla *3. d. 7. c. 7. dub. 6.* Gau. *in praxi Episc. V. Capit. Sed. vacan. n. 30.* Diana *p. 8. tr. 4. res. 42.* March. *de Ordr. 1. p. 6. c. 3. n. 77.* aliique plures.

11. Nota Quinto, illud (*infra annum*) poterit ergo Capitulum, seu Vicarius ejus Generalis (sed ex speciali mandato ut ait Barb. *de potest. Episc. p. 3. all. 54.* non verò ex ipsa ratione Vicarius, ut diximus *n. 1.* de Vicario Episcopi) Dimissorias, seu Commendatitias pro suis subditis concedere post dictum annum.

12. Atque hæc pro Sæcularibus. Quid de Regularibus commorantibus in Diœcesi?

Respondeo. Regulares non indigent Dimissoriis, quas concedere ipsis debeat Episcopus, vel Capitulum Sede Vacante, in cujus Diœcesi ipsi Regulares commorantur. Nam satis est, si ipsi habeant Dimissorias à suis Prælatis Regularibus eo modo, quem mox dicam. Quare infra dictum annum Sedis Vacantis, si hi habeant dictas Dimissorias à Prælatis suis poterunt ordinari, etiam in eadem Diœcesi, in qua Sedes vacat ab aliquo Episcopo, qui fortè ex licentia Capituli ibi Pontificalia exerceat, & multo magis ab aliis Episcopis, quando in suis Diœcesibus ordinationem celebrant. Ita fusè probat, & efficaciter Quintanad. *de Ord. sing. 8.* Pyrrh. Conrad. *in praxi disp. 4. c. 6. n. 16.*

### PRÆLATI REGULARIUM EXEMPTORUM.

13. Hos posse concedere Dimissorias suis subditis, immo, & Novitiis (sed his cum patrimonio, vel Beneficio, ut supra dixi, & non ad titulum Paupertatis) quia participant omnia Religiosorum privilegia, dubiúmne fit, an habes de Religiosis apud Quintan. *de Ord. sing. 8.* Sanch. *in summa l. 6. c. 10. à n. 18.* Dian. *p. 5. tr. 10. resol. 43.* March. *tr. 1. de Ordine p. 6. c. 4. n. 6.* & de Novitiis apud Marchinum, aliosque, quos vide propter varios casus, quos ipsi discutiunt.

14. Hic adverte, extare Decretum Clem. VIII. *Quod per extensum cum alia declarat.* Card. affert Pyrr. Conrad. *de disp. l. 4. c. 16. 17.* quo vult has Dimissorias Regularium debere dari cum duabus conditionibus sub pœna privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ Prælati eas non observantis. Prima, ut hæ Dimissoriæ non dirigantur, nisi ad Episcopum illius Diœcesis, vbi habitat Religiosus ordinandus, nisi fortè is Episcopus abfuerit, vel Ordines non celebraverit. Secunda, ne in Dimissoriis hoc ipsum exprimatur.

15. Verùm hoc decretum, ait Castrop. *de Ord. disp. un. p. 15. n. 8. fine*, non videri vsu receptum, quia illud Prælati Regulares observare non solent.

16. Licentiam suscipiendi Ordines, seu Dimissoriarum concessionem non posse à nostris Societatis IESV Superioribus localibus dari, sed à Provinciali, vult Pater Noster Generalis *in Compend. Privil. Soc. Iesu V. Ordines.* An ampliorem potestatem habeant Superiores locales aliorum Religionum, eorum praxis, & ordinationes consulantur.

### §. III. *De Duratione prædictarum litterarum.*

1. HÆ Dimissoriæ, seu licentiæ absolutè à quocunque legitimè concessæ non cessant lapsu temporis, ut vult Camp. *in suo Diversorio Rubr. 9. cap. 7. num. 15.* dicens ita fuisse decisum Barbos. in Trident. *sess. 7. c. 11. de Reform. num. 3.* Clar. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 23.* Sanch. *l. 8. de matr. d. 28. n. 83.* & Meroll. *tr. 3. d. 7. c. 7. c. 6. n. 88.* Nam si tempus fuit limitatum, cessabunt sanè, eo finito tempore. Poterunt ergo dictæ absolutæ litteræ habere effectum post amotionem ab officio, vel mortem concedentis, quia sunt gratiæ factæ; nisi tamen, ut semper supponendum est, à successore non revocentur. Lege Sanch. *l. 7. consil. c. 1. dub. 20. n. 18.* Omnes enim licentiæ à quocunque successore, æqualem potestatem habente, revocari possunt.

2. Idem dic, si datæ fuerint à Capitulo Sede vacante; eodem enim modo durabunt, etiam post Sedem plenam, nisi à novo Episcopo revocentur.

3. Verum commendandi sunt ij Episcopi, qui imitantur Sanctum Carolum Borromæum, ut refert Pyrr. Conrad. *l. c. num. 21.* in edictis de Sacra Ordinatione præcipientem, ne Dimissoriæ sint vetustiores duobus, vel tribus mensibus à die vltimæ ordinationis computandis, nisi ob absentiam Superioris; commendandi, inquam, sunt, quia in decursu notabili temporis facilè mutari ordinandi mores possunt, & ex Agno Lupus evadere promovendus.

## CAPVT IX.

### *De Examine Ordinandorum.*

1. DE doctrina, quæ est exploranda in ordinandis dicam, *in lib. de irregul. cap. 12. §. 1. & 2.* nunc solum agendum est de jure, quod Episcopi in iis examinandis habent.

2. Tridentinum *sess. 10. de Reform.* jubet, examen debere præcedere ordinationem, debet autem fieri à proprio Episcopo, etiam quoad Religiosos ordinandos, vide Trident. *sess. 23. cap. 12. de Reform.*

Possunt tamen Episcopi se remittere examini Superiorum, si non non appareat clara ordinandi ignorantia. Possunt etiam committere aliis, quos ipse Episcopus designabit, & possunt etiam ipsis litteris Dimissoriis illos designare & maximè possunt hoc examen committere ipsi Episcopo, ad quem subditum suum dimittunt, ut Sacra Congregatio declaravit, teste Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 22.* Si Summus Pontifex alicui Religioni, post hoc Tridentini Decretum, concessit, ut ejus Religiosi absque examine promoverentur, examinari certè ab Episcopis non debent.

3. Quando

3. Quando quis à suo Episcopo examinatus,& approbatus mittitur ad alium Episcopum,adhuc jus integrum est huic Episcopo iterum illum examinandi,quia potest velle cognoscere, cuinam Ordines conferat : non tamen habet obligationem examinandi ( quicquid dicat *ibidem* Barbosa)quia Tridentinum dicens,neminem esse ab alieno ad ordinandum, nisi prævio examine,non tollit examen posse fieri per alium , at certè hic alienus Episcopus ; dum approbat examen alterius Episcopi per illum Episcopum,tanquam per suum examinatorem, ipse examinasse,censetur. Excipe,& modo dixi , nisi clara appareat imperitia promovendi.

## CAPVT X.

### *De Temporibus Ordinationum.*

#### *PRIMA TONSVRA.*

1. IN quocunque die, sive,festo, sive profesto conferri hæc licitè potest. Ita Sanchez *in consil.lib.7.cap.1. dub.52. num.7.*

#### *ORDINES MINORES.*

2. Minores verò possunt. Primò,in sex Sabbatis addictis pro conferendis Majoribus quæ mox enumerabo.

3. Possunt Secundò,quocumque die Dominico,vel festo de Præcepto,etiamsi solum in ea Diœcesi dictum festum habeatur,ut notat Castrop. *l.c. p.13.n.2.* Vnde ego extenderem , propter paritatem rationis, etiamsi in sola Civitate celebretur festum : Quamvis autem Alexander Tertius velit , ut in dictis Dominicis, & festis non conferantur dicti Minores Ordines,nisi vni,vel duobus : potest tamen paucis,teste Sanch. *l.c.n.3.* quia ejus intentio solum est , ut non appareat Ordinatio generalis.

4. Possunt Tertiò , ex generali consuetudine , in die Veneris,(vide Sanch. *l.c.n.3.*)ante prædicta sex Sabbata (& Castrop. *d.4.de Cens.p.10.§.1.n.8.* addit etiam in feria quarta quatuor Temporum ) quo sic sequentis diei labor Episcopis minuatur.

5. Præterea quamvis in Pontificali ad conferendos Ordines , etiam Minores , signetur tempus de mane ex consuetudine tamen etiam potest à prandio,lege March. *tract.1.de Ordin. p.7.cap.1. n.15.* Leand.*de Ordine,d.11. quæst.6.*

6. Reiicienda autem est saltem hodie sententia aliquorum,ut March.Zerolæ,apud Leand.*de Ordine, d.11.q.2.* putantium Minores Ordines quovis die , quem elegerit Episcopus,posse conferri ; hodie,inquam,quia Vrb.VIII. in novo Pontificali, ut videre est apud De Lugo *in resp. mor.lib.1. dub.34.* addixit ordinationem Minorum , vltra Dominicam , solis diebus festis de præcepto ; id tamen non ligare munus Summi Pontificis , quasi non possit concedere alicui , ut alio tempore ordinetur operæpretium est , propter ea , quæ *n.10.* dicam,advertere.

7. Leander *de Ord. d.11. q.3.* videtur sibi contrarius, dum in vno loco negat,in altero affirmat idem *ibid.q.24.* licere Episcopis conferre Minores in festis duplicibus, non de Præcepto. Sed sanè hoc posterius negandum est, quia,ut vidimus, Vrbanus VIII. requirit,vel Dominicam , vel festum de Præcepto.

#### *ORDINES MAIORES.*

8. Ordines Majores, id est Subdiaconatus,Diaconatus ,& Sacerdotium possunt conferri de jure in sex tantum Sabbatis *c.de eo,de Temp.Ord.* hoc est , in quatuor Sabbatis quatuor anni temporum , & in Sabbato ante Dominicam Passionis , & in Sabbato Sancto. Quod, si contingat propter multitudinem ordinandorum , vel gravem Episcopi ordinantis infirmitatem , non posse perfici ordinationes in Sabbato , tunc conceditur. Lege Sanch.*in consil.7.c.1.dub.51.n.4.* ut continuare [illegible] tum ab ipso Episcopo,tum ab ordinandis completa [illegible] Dominico immediatè sequenti. Semper autem [illegible] runtur inter celebrationem Missæ , vnde de mane.

9. Episcopatum quolibet die Dominico posse conferri,jus , *c. Quod à Patribus , d.71.* manifestè [illegible] immo solum tunc licitè posse , non verò in aliis [illegible] festivis , probat Sanchez , *in consil. lib.7. cap.1. dub. num.11.*

10. Dixi *(de jure)* nam Summus Pontifex (qui [illegible] in hoc dispensare potest) soler per Breve speciale [illegible] Privilegia concessa Regularibus,de quibus mox, [illegible] gere , ut extra prædicta tempora,id est, ut extra [illegible] morata Sabbata, in tribus diebus festivis,alicui [illegible] prædicti tres Majores Ordines possint.

11. Quærunt autem hîc Recentiores,An breve [illegible] ligitur,præter Dominicam, de diebus festivis de P[illegible] pto , quando in eo solum dicitur absolutè (*Concedi[illegible] vt in tribus diebus festivis ordinari possit* ) Fagund. *[illegible] in Eccl. præcept.c.2.n.12.* March.*tom.1.tract.7. c.[illegible]* aliique apud Dianam *p.5.tr.13. res.97.* cùm pauci [illegible] bare pluribus contendit,intelligi quemcunque dies [illegible] quo Ecclesia facit officiū duplex,vel semiduplex,[illegible] vis non sit dies festus de præcepto,quia in jure [illegible] di dies vocatur absolutè festivus , seu festum.

Thomas Hurtadus *in res. mor.p.2.tract.12.num.[illegible]* solum intelligit diem festum duplicem Majorem,[illegible] vis non de præcepto.

Communis tamen opinio intelligit omnino [illegible] stum de præcepto. Ita apud citatos & apud De Lug[illegible] *resp. mor. l.1. dub.34.*

12. Nimis autem oscitanter legit Pontificale [illegible] Urbani VIII. quidam Iuris Canonici peritus, qui [illegible] tertius contendebat contra Fagundez jam rem [illegible] sam; si enim ( ajebat) Vrbanus pro Minoribus [illegible] diem festum de præcepto, multo magis pro Majo[illegible] Oscitanter quidem , Vrbanus enim loquitur de [illegible] nos in præsentia agimus ex Summi Pontificis Privi[illegible] per suum Breve alicui determinatæ personæ conc[illegible]

13. Ego igitur, an sententia Fagundez probabil[illegible] saltem pro diebus festis duplicibus nolo decerne[illegible] tasse enim eam improbabilem esse contra verita[illegible] acutum alicujus ingenium evincere non possem.

Sed aio , observandum omnino in praxi , ut eligat[illegible] dies festivus de præcepto. Ratio est, quia [illegible] consuetudo Ecclesiarum , & communis Episcoporu[illegible] praxis videtur explicuisse Summum Pontificem in [illegible] Brevibus , nomine festi intelligere festum de præce[illegible] nam videmus rarissimè Episcopos velle sequi opinion[illegible] contrariam,& ideo omnino prædictæ antiquissimæ [illegible] suetudini standum. Quam ut amplectamur persuad[illegible] tus,quem Sacri Canones semper requirunt , ut Ordi[illegible] tiones in diebus solemnibus celebrentur, quem certe [illegible] tum,etiam in privatis , seu privilegiatis ordinatio[illegible] quantum fieri potest , par est,sequi. Adde, valdè [illegible] consentaneum esse, ut etiam in negotio ordinum [illegible] nomine diei festi,non intelligatur,nisi illud festum [illegible] in communi hominum existimatione , festum [illegible] hoc autem est festum de præcepto.

14. Solve hic, Lector,quæstiunculam novam. Co[illegible] tingit in annorum decursu , ut aliquando incidat in [illegible] riam quartam Cinerum festum de præcepto Sancti [illegible] thiæ (simile quid evenire potest aliis diebus,in qua[illegible] fiat officium duplex Sancti Matthiæ , sed simplex [illegible] illius privilegiatæ. Quæro jam,an liceat,eo die cele[illegible] Ordines Minores , vel cum Brevi Pontificio supradicto [illegible] Majores ? Ratio dubitandi est , quia Minores ex Vrb[illegible] no VIII. debent conferri in die Dominico, vel festo [illegible] de præcepto,& ex Brevi Pontificio in tribus diebus [illegible] stivis. Cum ergo dies festivi de præcepto,præter Dom[illegible] nicam , soleant esse sub officio duplici ; in feria [illegible] quarta Cinerum prædicta non fiat officium duplex , [illegible] feriæ privilegiatæ,satis dubitari posse videtur,an nihilo minus tunc conferri dictos Ordines concedatur.

15. Respo

15. Respondeo. De hac difficultate olim interrogatus, negativè respondi, quia mihi tunc visum fuit collectivè requiri festum duplex, & festum de præcepto. Nunc verò maturius rem expendendo affirmativè respondeo. Nam intentum Pontificis principale est, ut ejusmodi Ordines dentur in diebus apud Fideles solemnibus, & ad hoc sufficit dies esse de præcepto. Confirmatur, quia tum Vrbanus VIII. in Pontificali novo, tum Brevia illa Pontificia solum dicunt, conferri debere eos Ordines diebus festivis, nihil de officio, an sit duplex, necne, vel an sit correspondens festo, an non. Confirmatur iterum ex Leandro, *de Ordin. d.11. q.3.* qui in Brevibus prædictis ait; venire omnia festa, quæcunque sint, modo ab Ecclesia servari mandentur. Nota illud (quæcunque sint.)

*PER OCCASIONEM QVÆRIMVS, AN Religiosi gaudeant Privilegio, ut ordinari licitè possint extra Tempora?*

16. Quod Nostra IESU Societas hoc Privilegio gaudeat, communicando tamen ordinandis à solo Nostro Patre Generali, certum est ex Bulla Greg. XIII. edita 11. *Septembr.* 1582. *V. in Privil. Soc. V. Ordines*, & data sub clausula, ut ejusmodi Privilegium non communicetur aliis Regularibus. Lege Quintan. *de Ordin. sing.* 8.

17. Tam grave est hoc Societatis Privilegium, ut Castropal. *de Ordin. p.13. num.* 11. damnet de mortali Episcopum, qui nolit ordinare extra tempora nostrum præsentatum à dicto Patre Generali (ut etiam, non servatis interstitiis, præsentatum à dicto Patre Generali, vel Provinciali) quia Gregorius XIII. dum hæc nostris concedit, loquitur cum Episcopis per verba præceptiva, *præcipimus*, &c.

18. Quamvis autem Gregorius prædictus neget communicationem hujus Privilegii aliis Religiosis, non propterea ligantur manus Successorum Pontificum, vel Prædecessorum, quibus non sit legitimè derogatum. Quare Marchinus, *tract. 1. p.7. cap.7.* citans Rodr. Barbos. Homobonum, Patellam, testatur idem Privilegium concessum fuisse

I. Mendicantibus, & à Clemente VIII. absque vlla limitatione, deinde confirmatum.

II. Monachis (*idem ibidem*) Divi Hieronymi, & Sancti Benedicti ab Alexandro VI. & Eugenio IV.

III. Ordini, (Idem citans Portellam, & Dianam,) sive Congregationi Sancti Ioannis Evangelistæ in Portugalia à Clement. VIII.

IV. Barnabitis idem *ibidem* à Greg. XV.

V. Pasqualigus, *cent. 4. q. 356.* item testatur concessum esse Theatinis à Greg. XIV.

VI. Thomas Hurtadus, *in mor. p.2. tr.12. c.1. n.*1848. ait, concedi omnibus, qui communicant in Privilegiis, & Castrop. *de Ordin. p.13. n.*13. omnibus Mendicantibus, & qui communicant in Privilegiis Sancti Benedicti: quæ tamen Pasqualigus *l.c.* limitat, quando communicatio non est generica, sed veluti sic, vel simili modo. *Communico vobis Privilegia aliis concessa, licet fuerint illis concessa irrevocabiliter.*

Sed Thomas Hurt. *l.c. n.*1854. ait, Paulum V. Minoribus, & Clementem VIII. Patribus Evangelistis concessisse hoc Privilegium sine vlla limitatione incommunicabilitatis. Quare, quæcunque alia Religio cum his communicans, etiam per communicationem generalem, illud participabit, etiam quoad Novitios, sed his cum Patrimonio, vel Beneficio iuxta supra dicta. Hoc Privilegium magnum vocat idem Thomas Hurtad. *loc. cit. n.*1818. addens, illi sine scrupulo se posse Episcopos conformare: quæ eadem verba dixerat pro Mendicantibus Marchin. *loco supra citato.*

19. Hæc Doctores prædicti, quorum fidem sublevandi, mihi, vel deprimendi, voluntas non est.

## CAPVT XI.

### *De Interstitiis.*

#### §. I. *Quid sint, & qua ratione servanda.*

1. SAcri Canones vulgatis iuribus præcipiunt, ut Ordines conferantur ordinandis cum certo temporis intervallo inter unum, & alterum Ordinem; quod certè ita constitutum est, ut interim per exercitia inferioris Ordinis, promovendus ad Superiores disponatur.

2. Hæc intervalla temporum vocantur *Interstitia*, quæ, sine dispensatione, servanda ab omnibus sunt, etiam à Religiosis præscindendo à Privilegiis, de quibus mox, idque sub mortali, quia est res gravis, licet ex communi sententia non incurratur suspensio, nec irregularitas ab eo, qui illa fortè non observet, ut notat Suarez *de Cens. d.21. sect.1. n.*43. March. *de Ord. tr.1. p.7. c.1. n.*16. Diana *p.5. tract.*10. *res.*40. & *p.4. tr.4. res.*209. Castrop. *d.4. de Cens. p.*10. §.1. aliique.

3. Hinc Lezzana *in summa V. Interstitia, n.*3. immerito ex Bulla Pii II. (quæ, quamvis valdè fuerit amplificata à Sixto V. hodie tamen servatur solum iuxta restrictionem factam à Clem. VIII. Rom. Pont. *in Bull. tr.3. fol.*40.) colligit, ordinandum non observantem interstitia, incurrere suspensionem Immerito sanè.

Hæc enim Bulla tria solum edicit. Primò, ut suspensionem ipso facto incurrat, qui sine dispensatione Canonica, aut legitima licentia ordinatur extra tempora. Secundò, ut eandem incurrat, qui sine Dimissoriis. Tertiò, ut eandem, quia ante legitimam ætatem. Lezzana autem illud (*sine dispensatione Canonica*) vult distinguere ab illo (*aut legitima licentia* additque illud (*sine dispensatione*) cadere in alia impedimenta, atque adeo in impedimentum ex intervallo interstitiorum, nondum decurso, & illud (*sine licentia*) cadere in prædicta tria. Verum nimis gratis hic auctor loquitur, & illud (*aut*) clarè ostendit, vtramque clausulam cadere solum in illa tria, vnamque ex ipsis clausulis esse alterius explicationem.

4. Porro inter primam Tonsuram, & Ostiariatum non invenio, debere intercedere interstitia.

5. Quoad Minores Ordines inter se Tridentinum, *sess.23. cap.1. de Reform.* requirit ut ordinatus in Minoribus promoveatur per temporum interstitia, instructus in iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent. Insinuat ergo, debere intercedere aliquod saltem intervallum, ut ipso exercitio instruatur in ordine recepto, & disponatur ad alium; sed quia non determinans intervalli spatium, addit, (nisi aliud Episcopo expedire magis videatur) Ideo ipsius Episcopi prudenti arbitrio id remittitur. Vide §. *sequentem n.*6.

6. Inter Acolythatum, & Subdiaconatum, Tridentinum *loc. cit.* requirit anni vnius Ecclesiastici (ut mox de cæteris Ordinibus dicam) intervallum. Excipe, nisi legitima consuetudo aliud alicubi introduxerit, ut dicto *n.*6. mox indicabo.

7. Inter Subdiaconatum, & Diaconatum, atque inter hunc, & Sacerdotium ex eodem Tridentino debet annus intercedere, atque ex communi, tutissimâque sententia, Ecclesiasticus, id est ab vno Sabbato, v.g. Quatuor Temporum, Quadragesimæ ad aliud simile Sabbatum sequentis Quadragesimæ; etiamsi non intercesserint eo anno duodecim menses integri. Ne sit tamen dubium, sufficere annum naturalem, quia multo magis, nomine anni requisiti à Tridentino, potest intelligi annus naturalis duodecim mensium, quæ est significatio principalis.

8. Ex quo ultimo sequitur (ait Pasqualigus, *Cent. 4. q.*355.) si intercesserint duodecim menses, licet Ecclesiasticus annus nondum finierit, licitè te posse ad alium Ordinem ascendere. Casus posset occurrere, si anno præcedente, Sabbatum Sanctum, in quo tu v.g. ordinatus fuisti

fuisti inciderit in diem 22. Martii, & anno sequenti incidat in 22.v.g.diem Aprilis: tunc ergo poteris in hoc anno ordinari in Sabato ante Dominicam Passionis, si sit tunc completus annus naturalis, licet nondum advenerit Sabbatum Sanctum in quo finitur annus Ecclesiasticus.

9. Quoniam verò extare dicitur Responsio Pontificis *apud eundem ibidem*, quæ ait, sufficere ita annum Ecclesiasticum, ut satis sit, si transierint quatuor interstitia, idest quatuor intervalla temporum, sequitur ordinatum anno superiore in Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam Passionis, licitè ordinari posse in Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimæ, quia sic jam sunt transacta intervalla Quatuor temporum, nempè à dicto Sabbato Quadragesimæ ad Sabbatum post Pentecosten: ab hoc, ad illud Septembris: ab hoc, ad illud Decembris: & denique ab hoc, ad simile Sabbatum sequentis Quadragesimæ.

10. Hanc præcedentis numeri doctrinam habet Pasqualigus *loc.cit.* additque rationem à priori hujus rei esse posse, quia hæc duo Sabbata, id est Sanctum, & Passionis sunt, vel pars, vel appendices Quatuor temporum, quæ servantur initio Quadragesimæ, quare, qui ordinantur in hoc Sabbato Quatuor temporum initio Quadragesimæ, censetur ordinari in illis Sabbatis, puta Sancto, & Passionis, quæ sunt pars seu apendix hujus, atque adeo, fictione Iuris, non ante terminum debitum. Verum hujus doctrinæ penes ipsum sit fides, non apud me.

11. Denique inter Sacerdotium, & Episcopatum, de jure communi, nulla necessitas est, ut intercedant dies. Ita Sanchez *in consil. l.7. cap.1. dub.15. n.11.* alios citans. Sed quamvis Sanchez *loc.cit.* affirmet vno, eodemque die Dominico posse quempiam suscipere Sacerdotium, & Episcopatum, melius tamen negat Aversa, *de Ord. quæst.3. sect.9. Versu. Ad Consecrationem*, saltem ex eo capite, quod tam novus Sacerdos, quam novus Episcopus concelebrare debet cum Ordinante, id, quod eodem die non potest, quia eodem die bis celebraret.

## §. II. *De Dispensatione Interstitiorum.*

1. NE alterum ex his cum altero confundas. Tria Decreta Tridentini hic debes advertere, ejusque verba diligenter expendere circa promovendos ad Ordines Majores, nam de Minoribus jam diximus §. *præced. num.5.*

Primum, de Ordinato in minoribus promoveri cupiente ad Subdiaconatum, sic disponit *Hic vero*, ut habet *Trident sess.23. cap.11. de Reform.* (id est in Minoribus constituti.) *nonnisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad Sacros promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.*

Secundum, de Subdiacono sic Lege Trident. *sess.23. cap.13. ibidem. Promoti ad Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem, in eo non sint versati, ad altiorem Ordinem, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittuntur.*

Tertio, de Diacono sic *Ibidem cap.14. Ad Presbyteratus Ordinem assumatur, qui in Diaconatus ad minus annum integrum (nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo) ministraverint.*

2. Ex his tria habes. Primò, posse Episcopum (quis autem esse debeat, dicam, mox *à num.9.*) dispensare in Interstitiis, quod non potuit intra tempora, ut supra notavi.

3. Secundò debere adesse causam, Tum, quia id prædicta Decreta significant, Tum, quia omnis dispensatio, ut alibi dictum est, requirit proportionatam causam.

4. Tertiò à Concilio jam explicari quantitatem, ut ita dicam, talis causæ. Nam majorem causam requirit à Diaconatu ad Sacerdotium, ut illa conjunctio ostendit, (*ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem*) quam à Subdiaconatu ad Diaconatum, quod significant verba (*nisi aliud Episcopo videatur*) & ab Acolytatu ad Subdiaconatum, ut ostendit illa disjunctio *nisi necessitas, Ecclesiæ utilitas aliud exposcat*) semper autem non necessitatem puram, & absolutam, sed moralem cum latitudine aliqua, ut vult Avers. l. *mox citatus*, Barbosa, & Diana.

5. Puto autem, utilitatem sufficientem adesse, quando pauci sunt boni Ministri, sive in tota Civitate, sive aliqua peculiari Ecclesia, cui per ordinandum provideatur: Adesse autem necessitatem, quando deficiunt Ministri. Et Hurtadus *de Ordine disp.23.* censet, causam sufficientem esse, quando quis habet beneficium vel Capellaniam cum onere Missam celebrandi.

Idem Hurtadus *loc.cit.* Leand. *de Ordin. t.1. q.* sufficiens etiam putat, si in ordinando magnus fructus sint, vel virtus insignis. Affertur pro hac cum Cardinalium.

Sed pro Diaconatu ad Sacerdotium negat Aversa *Ordin. quæst.2. sect.9. Versu. Idemque Concil.* quia licet litas sit Ecclesiæ habere Ministros virtute præditos, *non tamen* (ait) *ea sola potest vocari necessitas.* Ho consentit Marchinus, *tract.1. p.7. cap.3. de Ordine*, in quo est excellens in litteris profectus, & addit, vel provecta cum integritate morum, ut item vacatio lum in aliqua Vniversitate, quo, media celebrationis sæ, sustentare se quis possit in studiis.

6. Inquires Poteline Episcopus in Interstitiis differe, ut vno, eodemque die plures Ordines ferantur.

Respondeo. Vt prima Tonsura, & Minores Ordines simul, & in eodem die conferuntur, potest ex cau ficere hic qualemcunque notat Aversa *loc.cit. Verum* conditio sit sine, Sanch. *consil. lib.7. cap.1. dub.* quia id ipsi non est prohibitum, immo, ubi est cons do, posset sine causa, quia huic consuetudini non gavit Tridentinum.

7. Vt Acolytatus, & subdiaconatus eodem ferantur, potest item Episcopus, ita Sanch. ex causa, & ubi est consuetudo, etiam sine causa rationes *n. præ.* dictas.

8. Denique, ut plures Ordines Majores eodem ferantur die, non potest Episcopus ut fertur in Trid *sess.23. cap.3. de reform. C. litteras de temporibus Ordinationum*, dispensare, neque hodie vllum exat circa hoc alicui concessum, neque video in vllam introductam esse consuetudinem.

De Sacerdotio cum Episcopatu jam dixi, §. 1. *num.*

### *QVISNAM EPISCOPVS DISPENSAT in prædictis Interstitiis.*

9. Dico Episcopum, vel Originis, vel Beneficii, Domicilii posse suum dispensare juxta prædicta terstitiis. Si, quando hic proprius Episcopus aliqu mittat cum Dimissoriis ad alium Episcopum, quod prius huic alieno commitere, ut ipse dispenset, tunc alienus dispensabit, ut Delegatus à proprio. Cæte Sede vacante, tunc solum potest in his dispensare; potest concedere Dimissorias, ut rectè notat Marchin *tr.1. p.7. c.2. n.8.* Diana *p.4. tract.4. n.209.* & alii, latè concedat Merolla *t.3. d.7. n.48.*

10. An autem Episcopus possit in Interstitiis dispensare suum familiarem triennalem ex solo capite familiaritatis?

Negat Sanchez *loc.cit. cap.1. conf. dub.16. num.1.* Marchinus, *tract.1. de Ordin. p.6. cap.4.* item id negat, cum Episcopo Beneficii; Castropalaus autem *de Ordin. d. p.15. num.6.* id familiari negans, addit rationem, quia hæ sunt diversa privilegia posse ordinare familiarem, & posse in Interstitiis dispensare. Vnde vnius concessio concessionem alterius extendenda non est. Et ficuti Episcopo non potest dispensare in illegitimo natali filium familiarem ad Ordines Minores, ita nec in Interstitiis.

Dixique

Denique dicit, ita decisum fuisse, referri à Garcia 2.p. de Benef.c.5.n.86.

11. Sed profectò probabilius affirmat Aversa *quæst.3. de Ord.sec.9. Ver. Relinquit tamen*, cum aliis: quicquid enim sit de aliis dispensationibus v.g. circa illegitimum natalem, certè in interstitiis militat peculiaris ratio. Si enim Episcopo competit principale, ideſt, posse suum familiarem ordinare, videtur etiam competere, posse dispensare in Interstitiis, quod est valde accessorium ad ordinandum, & quasi imbibitum in potestate ordinandi, quod certè non est in cæteris. Decisioni autem à Garcia relatæ opponitur declaratio Sacræ Congregationis, concedentis Episcopo pro suo familiari dispensationem in Interstitiis, quam referunt Ioannes de Cruce, *p.2.dub.44.de Ord.* & Diana *p.3.tract.4.res.190.*

*AN PRÆLATI REGVLARES dispensent suos in Interstitiis?*

12. Cum Religiosis exemptis dispensarne in Interstitiis Episcopus ejus loci, ubi ii habitant de familia, an eorum Superiores?

13. Profectò bipartita est sententia. Alii ut Bon. Vasq. Henriq. Ascan. Tambur. Less. & plures apud Pasq. *cent. 4.quæst.153.* quibus adde Dianam *part.4.tr.4.res.209.* qui affert declat. Cardinalium, in dicto Episcopo, Alii ut Pasq. *l.c.* Suar. *t.4. De Relig. tr.8. lib.2.c.22.n.21.* Sanc. *lib.7.conf.c.1.d.54.n.8.* in Superioribus hanc potestatem agnoscunt; Illi, quia universaliter Tridentinum loco sæpius citato hanc potestatem Episcopis tribuit, hi, quia volunt in hoc Tridentini loco, nomine Episcopi, intelligi eos, qui, cum habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem, tribuunt Dimissorias suis subditis; Hi autem sunt Superiores Regulares (ut supra *c.8.§.2.num.13.* indicavi) si enim ad ipsos pertinet concedere licentiam ordinandi, ad eosdem pertinebit, & dispensandi, ut, non servatis Interstitiis, ordinentur.

14. Monet hîc opportune Suarez *loc. cit. num.23.* ex modestia Religiosorum fieri, ut Superiores in suis Dimissoriis rogent Episcopos, ut in his dispensent cum suis Religiosis.

Vtraque opinio ita mihi (etiam practicè) visa est probabilis (licet probabilior certè sit secunda) ut, me consentiente, Illustrissimus Archiepiscopus Montis Regalis Don Ioannes Torresiglia, modo ipse rogatus in prædictis Dimissoriis dispensabat, modo Superioribus in iisdem literis se dispensasse, attestantibus, acquiescebat.

15. Illud tamen, ut certum habet; iudicium de causis dispensandi pertinere ad dictos Superiores. Ratio est manifesta, quia ipsi norunt necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ suæ.

16. Illud ne te lateat, Provincialem Nostræ Societatis *cap.10. num.16.* posse dispensare in Interstitiis, licet non posse dixerimus in extra tempora, ad hoc enim requiritur Pater noster Generalis. Ratio est, quia illud concessit idem Pater Generalis Provincialibus (vide *In Comp. Privil. Societ. Iesu V. Ordines*) hoc non item. Cætera Religiosi suam praxim, vel privilegia consulant.

## CAPVT XII.

### §. I. *Pœnæ malè conferentis, vel recipientis Ordines.*

1. PRimo. Qui scienter ordinantur in Sacris ab Episcopo, qui Episcopatui, & vsui Ordinis Episcopalis renuntiavit (si ea renuntiatio habuit effectum per acceptationem Summi Pontificis) suspenduntur *C.1.de ordinatis ab Episcopo*, ab ordine suscepto.

2. *Hæc suspensio reservatur Summo Pontifici; dum enim in Textu, ibidem, dicitur, ut si non scienter, nec per ignorantiam crassam, & supinam quis ita ordinatus possit ab Episcopo dispensari sequitur, quod si scienter, vel per supinam ignorantiam, non possit ab Episcopo.*

3. Secundò. Ii, qui ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico suspenduntur (*C.1. & 2. de Schism. & Ordin.ab eo*) ab Ordine, sic malè suscepto.

4. *Requiritur, ut Episcopus*, Lege Bauni *de Ord.q.13. d.11.* Suar. *de Censur.d.31. sect.1.num.64.* Bonac. *tom.3. disp.3. de Cens.in part.quæst.4.p.10. vel sit denunciatus, ut talis, vel, ut sit excommunicatus per publicam Clerici percussionem; debet enim esse talis, ut sit vitandus, seu non toleratus.*

5. *Cum ordinatus à schismatico dispensat unus, Pontifex Summus*, Lege Glossam *cap.2. de Schism. ex Apost. V. Potestatem. Cum cæteris colligetur ex dicendis, Cum agam de suspensis, cap.10. Deo dante, de Absolutione à suspensione.*

6. Tertiò. Ordinatus per Simoniam manet suspensus (*C. Ex multis.1.q. & alibi*) ab Ordinibus sic susceptis. & ordinans suspenditur à collatione Ordinum à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ.

7. *Cum eo, qui scienter hanc Simoniam commisit solum dispensat Pontifex, sed cum eo, qui ignoravit, commissam fuisse Simoniam, potest Episcopus.* Lege Glossam *ibidem, V. Possit.*

8. Quartò. Qui innodatus excommunicatione (*C. Cum illorum de sent.de excomm.*) ob Clerici percussionem recipit Ordines, sive Majores, sive Minores (ne includas primam Tonsuram, quia hæc Ordo non est) suspenditur, si sit Clericus Regularis, si vero sit Clericus Secularis, est deponendus à susceptis,

9. *Cum is, qui existentes excommunicati dicta excommunicatione ob Clerici percussionem scientes Ordines recipiunt, Vnus Papa dispensat. Ibidem.*

10. Antonius Thesaurus *de pœnis Ecclesiast. part.1. V. Ordo cap.4. V. Amplia primo extendit hanc suspensionem ad omnes excommunicatos suscipientes scienter Ordines. Sed, quia Textus C. Cum illorum cit. signate solum loquitur de excommunicatione ob dictam percussionem, hæc doctrina mihi incerta relinquitur. Cur enim extendenda sit tanta pœna ad omnes excommunicationes, si Textus tantummodo loquitur de una?*

11. *Qui quacunque excommunicatione irretitus Ordines suscipit, irregularitatem non incurrere dicemus suo loco. Cum agam de irreg.c.14.§.1.n.8. & 9.*

12. Quintò. Qui Ordines quoscunque recipit ab Episcopo, quamvis proprio, exercente Pontificalia in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarii loci, suspenditur ex Tridentino, *sess.6.cap.2. de Ref.* donec suo Prælato visum fuerit.

13. *Quid sit exercere Pontificalia, & quas actiones hæc comprehendat, lege apud Castrop. Cens. disp.4.p.10. §.1.n.1. sed latius* apud Bonacinam, *tr.3. de Cens.in part. disp.3.q.2.part.12.*

14. *Quoniam autem Tridentinum loc. cit. requirit licentiam Ordinarii, supponit* Vasquez, apud Castropal. *mox citan. sufficere licentiam Ordinarii, qui sit in aliquo loco exempto ab Iurisdictione Episcopi talis loci, seu territorii, nulla alia licentia ab ipso Episcopo loci requisita, & favet Ludou. Bertran. Loth. in res.mor. f.145. loquens de Abbatibus, quoad usum Pontificalium. Sed tenendum cum Castropalao de Ordin. d.un. part.15.num.10. Ascan. Tamb. de iure Abb. tract.1. disput.21. quæst.4. merito tantam licentiam negante cum aliis, quos apud eundem lege.*

15. Sexto. Qui culpabiliter Trid. *sess.23. de Ref.c.8.* Pius II. *l.mox citan.* Ordines, etiam Minores (quicquid neget de Minoribus Bauni apud Dian. *p.11.tr.5.r.2.* recipit ab alieno Episcopo sine licentia, seu dimissoriis, seu sine literis commendatitiis proprii Ordinarii, suspenditur per Tridentinum ab Ordine, quamdiu Episcopo proprio iudicabitur expedire: Ipse verò Episcopus

scienter, vel mala fide ordinans (non ergo per rationabilem ratihabitionem) suspenditur per annum à collatione Ordinum, sive omnium, ut Barb. plurèsque apud Leand. *de Ord. d.8. q.31.* sustinent, sive solum illorum, quos male confert, ut non pauci, sicut Navarr. March. aliique apud Leand. *d. loc. c.* defendunt.

16. Bonacina *t.3. de Cens. in part. d.3. q.1. p.11. num.18. hic comprehendit, tum recipientem, tum conferentem primam Tonsuram, quia putat primam Tonsuram, venire in Sacris Textibus nomine Ordinis. Non verò comprehendit* Castrop. *d.4. de Cens. p.10. §.1. n.4. ob oppositam rationem.*

*Dixi* (per Tridentinum) *nam in Bulla, de qua mox num.18. & de qua item dixi supra cap.11. §.1. num.3. similem suspensionem* Pius II. *imponit* (cum ex Sacrarum, confirmata à Sixto V. sed ad terminos ipsius Pii II. reducta à Clem. VII. ut dixi sup. *c.11. §.1. num.3. sed loquitur de Ordinibus Sacris: at Tridentinum loquitur etiam in Minoribus.*

*Præterea* Pius II. *dixit absolute* (suspensus sit) *at Tridentinum dicit (quamdiu Episcopo proprio iudicabitur expedire) unde videtur Tridentinum Pii II. dispositionem mitigasse.*

*Contra Vltramontanos, &c. esse suas peculiares pœnas, si ordinentur sine Dimissoriis, & sine requisitis ab Vrbano VIII. dictum est supra c.8. §.1. n.4.*

17. *Inquires. Si quis absque Dimissoriis proprii Episcopi petat ordinari ab alieno, sed interim tempore, quo is ordinatur, inveniatur Episcopus proprius concessisse Dimissorias, incurrène sic ordinatus suspensionem?*

*Respondeo. Distinguit rectè sic* Merolla *t.3. disp.6. c.6. n.12. citans Nau. Si proprius Episcopus concessit Dimissorias motu proprio, vel ad instantiam alterius, quam, ipsius ordinandi, incidit in suspensionem ordinandus: at si concessit ad ipsius instantiam, puta per suum Procuratorem, vel Nuntium ad id destinatum, aut per litteras suas, non incidit. Ratio est, quia gratia priori modo concessa non prodest ignoranti, secus vero concessa modo posteriori. Hanc rationem facilius intelliges si legas quæ dixi sup. l.5. de pœn. tr. de casib. reserv. c.9. §.2. a n.18.*

18. Septimò. Qui ordines suscipit Sacros cum culpa ante legitimam ætatem, ipso iure suspenditur à Pio II. *loc. cit.* tum ab Ordine sic suscepto, tum ab aliis Ordinibus ante susceptis, ut ego puto, quicquid aliqui, ut Villalob. Avila Henriq. apud Dian. *p.5. tr.4. res.182.* restringant ad solum Ordinem sic susceptum.

19. *Ratio hujus meæ sententiæ est, quia sic expressè habet Pius Secundus. Ecce ejus verba.* Omnes, qui absque dispensatione, sive extra tempora à Iure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque Dimissoriis literis ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerit promoveri à suorum Ordinum executione, ipso iure, suspensus sit.

*Hæc Pius. In quibus illud* (suorum) *absolute dictum, etiam ritè susceptos comprehendere videtur.*

20. *Inquires. Qui bona fide, putans se habere legitimam ætatem, promovetur ad gradum Sacerdotalem, potestne, errore cognito, licitè, & sine timore incurrendi in irregularitatem, celebrare post adeptam requisitam ætatem?*

*Respondeo affirmativè,* & ita Hurt. *de susp. diff.13. n.6.* Diana *p.3. tract.4. res.182.* Bauni *de Ord. quæst.13. dub.6. Cum enim hic non sit suspensus, quia culpam, cui Pius suspensionem adnexuit, non commisit, non violat Censuram celebrando, atque adeo irregularitatem non incurret. Sed, nec peccat, quia iam Ordinibus est initiatus, & nunc in ætate requisita munus, quod habet, exercet.*

21. *Quod etiam hic bona fide ante ætatem promotus possit licitè celebrare, antequam debitam acquirat ætatem, probabile putat Ledesma,* apud Dian. *l.c. sed non est audiendus, quia nimis abhorret ab Ecclesiæ sensu, ut quis ante ætatem debitam altari deserviat, & dum Tridentinum vetuit, ne quis ante ætatem promoveretur ad Ordines, vetuit item, ne Ordinibus uteretur.* De prima Tonsura Infanti collata, vide Dianam *p.11. tr.6. res.8.*

22. Octavo. Qui scienter, seu cum culpa ordinatur in Sacris, extra tempora à Iure statuta sine dispensatione, suspenditur.

23. *Lege, quod modo dixi num.19. non videri esse suspensionem ab omnibus Ordinibus, etiam susceptis: quidquid sit, an aliqui putent, esse solum ab Ordine sic suscepto.*

24. Nonò. Dum is, qui eadem die duos Sacros Ordines suscipit, tum is qui eos confert, suspenditur, *c. 1. teras de Tem. Ord.*

*Qui eodem die,* dixi, *nam cæterum, si alia commissa iterstitia non serventur, peccari quidem, sed non incurri suspensionem, non multo ante dictum est.*

25. *Hanc suspensionem sibi reservat Pontifex, dum dicit* (tandiu volumus manere suspensos, donec de illis disponamus.)

26. *Præterea Textus loquitur de conferente, & de recipiente Diaconatum, & Sacerdotium eodem die, vel altero sequenti die v.g. Sabbato, & Dominica, continuo ieiunio, quod fictione iuris censeatur idem, & unus dies. At Rubrica hujus Textus absolutè de omnibus Ordinibus Sacris loquitur, sic enim summat hoc Capitulum: Sacri Ordines non possunt conferri eidem uno die, vel duobus, continuato ieiunio.*

27. Decimò. Qui ordinatur per saltum, idest, qui recipit Ordinem superiorem, non recepto prius inferiori, suspenditur *C. vn. de Clerico, promoto per saltum,* ab Ordine sic suscepto, donec susceperit Ordinem præsumptum, & accedente Episcopi dispensatione, iuxta id quod habet Tridentinum *sess.23. cap.14. de Reform. his verbis. Cum promotis per saltum, si non ministraverit, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

28. Vndecimò. Qui durante matrimonio, etiam rato, suscipere præsumpsit Ordinem Sacrum, suspenditur *Extrav. Io.22. De Voto, V.* Bonac. *de susp. d.3. p.5. §.1. n.1.* ab Ordine sic suscepto, etiam post dissolutum matrimonium, nec valet ad alios Ordines ascendere, nec ullum ad Beneficium, vel officium Ecclesiasticum.

29. *Moneo id intelligi de coniugato recipiente Ordines Sacros extra casus, qui ex Iure permittuntur, quales est, quando cum quibusdam requisitis, de quibus in Trid. mair. cap.8. & habet c. Episc. d.79. C. Agatha 23. quæst. 1. Coniugatus. De Convers. Coniug. dicemus, accedente consensu utriusque coniugis.*

30. *Prædicta suspensio reservatur Papæ, nisi forsan tus in Religionem per Professionem ingrediatur, non potuerit cum eo Episcopus dispensare. Ita Extrav. h.t.*

31. *Qui, contra, cum sit in Sacris, maximum contrahit non incurrit suspensionem, sed subiacet pœnæ Depositionis, & Degradationis, aliisque septem pœnis quatuor meratas lege apud Bauni de Ord. quæst.15 dub.8.*

32. Duodecimò. Novitius, vel nulliter professus, qui ordinatur ad titulum Paupertatis, suspenditur. *Hanc suspensionem explicuimus supra §.4. c.1. n.4.*

33. Decimotertiò. Vniversaliter, qui ordinatur absque certis fine Titulo, vel Patrimonii, vel Beneficii, vel paupertatis, idque cum pacto, cum Ordinante de non petendis alimentis ab ipso, suspenditur.

*De hoc argumento plene disseruimus dicto c.5. §.4.*

34. Decimoquartò. Qui ordinatur furtive, idest, qui fine scientia Ordinantis consociatur cum Ordinante, & sic nesciente, & consequenter nolente, atque ante non examinante Episcopo, Ordines suscipit, suspenditur *C.1. de eo, qui furtivè*, arbitrio Episcopi, dans Delinquenti pœnitentia pro mensura delicti, si ejusmodi sic ordinatus non fuit ad id prohibitus sub excommunicatione.

*Si vero* (ait Sacer Textus dicto cap. primo, de eo qui furtivè) *Interminatio anathematis super hoc fiat, ut moneas eum, ut in aliquo Monasterio, seu Canonica habitum suscipiat Regularem, cui, ex quo in habitu illo steterit, quanto tempore fuerit laudabiliter conversus, paterniter sericorditer providere* (loquitur Summus Pontifex cum Episcopo) *alioquin nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem Ordinem promoveri.*

35. *Profectò hodie hanc posteriorem pœnam puto, ut quatuor*

quaquam incurri, quia lego in Pontificali Romano reformato ante actum Ordinationis imponi ab Episcopo contra hos, furtive accedentes, pœnam excommunicationis solum ferendæ, sed Textus hic loquitur de latæ. Vide Gloss. in cap. 1. citatum, & Thesaur. de pœn. Eccl. p. 2. c. 7. §. advertе secundo multos cit.

36. Quod autem, nomine furtivè accedentis, intelligatur solum is quem modo explicui n. 34. probabilior est sententia apud dictum Bonacinam, de Ord. q. unic. p. 4. n. 31. & latius de irreg. q. 3. p. 4. n. 6. Suar. de Censur. d. 42. sect. 3. n. 5. Bard. in selec. l. 7. quæst. 10. alios citans.

Prædictam pœnam, sive appelles suspensionem cum aliquibus, ut Gibal. cap. 5. de irregul. quæst. 1. num. 24. sive cum aliis irregularitatem, parum refert, cum sufficiat nobis scire, eam posse ab Episcopo, vel Summo Pontifice sub distinctione dua n. 34. dispensari, & quidem tum pro executione Ordinum susceptorum, tum pro ulterioribus suscipiendis, ut notat Thesaurus ibidem, initio.

37. Decimoquintò Qui ordinatur in Sacris cum Dimissoriis habitis à Capitulo intra primum annum Sedis Vacantis, nisi ratione Beneficii sit arctatus ad Ordines suscipiendos, suspenditur. Vide Avil. p. 7. d. 9. sect. 1. d. 4. Laym. de Sacr. Ord. c. 3. art. 4. sub quadam distinctione, &c. ad beneplacitum futuri Prælati. Ita Trid. sess. 7. cap. 10. de Reform.

38. Decimosextò, Religiosus suscipiens Ordinem Sacrum in Apostasia, ab eo suspenditur, (C. ultim. de Apostatis,) nec potest, nisi à Summo Pontifice dispensari.

Atque hæc de pœnis, saltem usu frequentioribus. Ordinem perperam recipientium, vel conferentium, nam pœnæ quæ incurruntur propter malum usum Ordinum iam susceptorum, dicentur, Deo favente, cum de irregularitate c. 24. §. 3.

## §. II. *Concilium circa suspensionem quandam, ratione Ordinum.*

1. PAter Ioannes Petrus Mustica doctissimus hac nostra ætate Theologus, floruit cum admirabili sapientiæ & virtutis fama in hoc Panormitano Societatis nostræ Collegio. Is morti proximus, me perantiquum familiarem suum gemmis sane, auroque pretiosiore, dono, condecorare voluit, peramplo scilicet Manuscripto plurium Consiliorum, quæ idem ipse, per varias occasiones, ediderat; quod ego amicè custodio, curiosè lego, & ejus sapientia animum subinde reficio.

2. Quoniam ergo in quodam Consilio plura habet circa suspensionem ob Ordines sine literis Dimissoriis receptos, ideo hîc illud inserere libuit in tui gratiam, Lector, & in mei animi grati monumentum.

### *FACTI SPECIES.*

3. Titius Diœcesis Mazarensis, Sede Vacante, infra annum obtinuit à Summo Pontifice Privilegium suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo in hæc verba. (*Ut ab Ordinario viciniori, constito illi prius per legitimas probationes de Vita, & moribus, cæteriſque requisitis, &c. vel de ejus licentia cujus testimonio, vita, & mores tui commendentur, à quovis alio Antistite, &c. promoveari*) sic ibi. Et, obtentis literis commendatitiis sui Vicarii Capitularis, ordinatus est ab Episcopo Cephaludensi Subdiaconus, & Diaconus, non obtenta licentia Episcopi vicinioris. Nunc eidem Clerico, Titio, volenti initiari Sacro Ordine Presbyteratus, ab Illustrissimo Archiepiscopo Panormitano, utique viciniori, opponitur, ipsum Titium esse suspensum, ob omissionem licentiæ, quæ erat obtinenda ab Episcopo viciniore.

4. Ego censeo, prædictum Clericum nullam incurrisse suspensionem, in suscipiendis Sacris Ordinibus Subdiaconatus, & Diaconatus ab Episcopo Cephaludensi sine licentia Episcopi vicinioris. Ducor, quia hæc suspensio, aut dicitur esse ab Homine, aut dicitur esse à Iure, sed neutrum verum est, ut probabo: ergo nullam incurrit suspensionem.

5. Quod nulla in hoc casu sit suspensio ab Homine res est luce clarior. Quia, nec à Summo Pontifice lata est, nec ab Ordinario propriæ Diœcesis, v.g. Vicario Capitulari, nec ab ullo Episcopo viciniore, nec ab ipso Episcopo Cephaludensi.

6. Tota ergo controversia esse potest de suspensione à Iure, & hanc non adesse, seu non esse latam in prædicto casu, sic evinco. Suspensio à Iure lata, cum quis ordinatur sine literis testimonialibus, vel commendatitiis, tunc tantum incurritur ab eo, qui sic ordinatur; quando ordinatur sine literis Dimissoriis, seu commendatitiis, sui proprii Ordinarii, sed in prædicto casu Titius non erat ordinatus sine literis commendatitiis sui proprii Ordinarii, has enim habuit à Vicario Capitulari suæ propriæ Diœcesis, qui vtique est Ordinarius ipsius Titii proprius (Dimissorias concedere ille non poterat) ergo in prædicto casu Titius non incurrit suspensionem à Iure latam.

7. Probo majorem propositionem, quia Concilium Tridentinum, quod est Ius novum, & interpretativum Iurium antiquorum de his literis agens, seu de ista licentia & consensu, semper vult ut licentia, consensus, & literæ sint Prælati proprii, vel, quod idem est, sui. Sic habetur *sess. 14. cap. 2. de Reform.* ibi (*absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut literis Dimissoriis*) & eundem sensum faciunt verba *cap. 3.* ibi (*suos Clericos, absque suo examine, & commendatitiis literis*) & *sess. 23. cap. 8.* quem locum mox ponderabo (*sine Ordinarii sui literis commendatitiis*) & eadem *sess. 23. cap. 16.* ibi (*sine commendatitiis sui Ordinarii literis.*)

Sed quod Caput est, in terminis nostri proprii casus, in quo obtentum est speciale Pontificis Privilegium suscipiendi Ordines à quovis Antistite de licentia Ordinarii vicinioris, loquens Concilium Tridentinum *sess. 23.* citata, *cap. 8.* nil aliud statuit, nisi, (*Ut probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.*) Et deinde subdit, incurrendam esse suspensionem ab eo, qui secus fecerit: nimirum, *qui fuerit ordinatus sine testimonio Ordinarii sui de vita & moribus.* Non ergo incurritur suspensio à Titio ordinato sine licentia Ordinarii non sui, ideſt sine licentia vicinioris. Et hanc intelligentiam dederunt Concilio Tridentino, Auctores sequentes.

Henric. Henriq. Theologus Societatis Iesu *in summ. lib. 13. cap. 38. num. 2.* Franciscus Tolet. ejusdem Societ. *in summ. lib. primo cap. 49. num. 4.* ubi tandem concludit loquens de prædicto loco Concilii requirentis tantum licentiam Ordinarii sui (*hoc est, quod sub hac pœna statuitur.*)

Stephanus Quaranta *in summ. Bullar. verb. Ordo, §. suspensionis pœnam.* Aloysius Ricc. *in prax. Episc. tom. 3. resolut. 235. initio*, qui omnium apertissime intelligit Concilium, cum exclusione licentiæ alterius Ordinarii in terminis nostri casus, in quo est obtentum privilegium à Sede Apostolica. Formalia ejus Auctoris verba sunt. *Papa potest alicui concedere privilegium, ut possit ordinari à quocunque Catholico Antistite, quo casu solum requiruntur literæ testimoniales proprii Episcopi de vita, & moribus.*

Fornarius *de Sacram. Ordin. cap. 4. num. 3.* quem citat Barbos. *loco mox allegando.*

P. Marius Andria *apud Steph. Quarant. loco citato.*

Omnium novissimus Augustinus Barbos. *de potest. & offic. Episc. 2. p. allegat. 7. num. 15.* qui apertè etiam includit novas literas Dimissorias non esse obtinendas ab alio, sed satis esse testimoniales proprii Ordinarii de vita, & moribus, & ex defectu istarum tantum testimonialium docet, incurri suspensionem, latam in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 8.*

Denique hanc ipsam Doctrinam, & intelligentiam Tridentini fuisse traditam à Sacra Congregatione Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, refert Ricc. *loco citato.*

8. Dices Primò, Concilium Tridentinum non apposuisse expressè *sess.23. citato cap.8* particulam (*tantum*) dicens requiri commendatitias Ordinarii proprii tantum.

9. Aut Dices, ex omissione tantum commendatitiarum Ordinarii proprii incurri suspensionem.

10. Respondeo, id, quod non apponitur, nec requiri, & haberi pro excluso per Iura vulgata; quod in re nostra verius est, cum versemur in pœnalibus, & in odiis. Si ergo pœna suspensionis imponitur in omissione commendatitiarum proprii Ordinarii sine vlla alia mentione suspensionis, incurrendæ ex omissione licentiæ alterius Ordinarii, utique talis suspensio nulla erit; quia pœna non incurritur, nisi sit expressa. Adde, quod sic intellexerunt Tridentinum Doctores citati.

11. Dices Secundò, in litteris ipsis Apostolicis hujus Brevis, seu privilegii, præter commendatitias Ordinarii proprii, de quibus loquitur Tridentinum *sess.23. c.8. cit.* requiri licentiam Ordinarii vicinioris, & ejus testimonium, seu literas commendatitias.

12. Respondeo, id esse verissimum de literis, & licentia Ordinarii vicinioris: At ubi, quæso apparet ex omissione istarum literarum, sive licentiæ incurri suspensionem? Sanè fatendum est nullam incurri suspensionem, quia, neque in Iure, nec in ipsis literis Apostolicis privilegii, vlla suspensio expressè imponitur; pœna autem non incurritur, nisi exprimatur. Quod ergo notandum est, in istis literis Apostolicis, illud est, imponi à Pontifice obligationem habendi licentiam à viciniori Episcopo, non autem imponi suspensionem contra Clericum, qui talem licentiam à viciniori Episcopo non obtinuit. Hoc censeo, accurata animadversione dignum esse.

13. Dices Tertiò, incurri suspensionem, non obtenta licentia Episcopi vicinioris, propter paritatem rationis; Nimirum, sicut incurritur, non obtenta licentia à proprio Ordinario, ita, & incurritur, non obtenta licentia Episcopi vicinioris.

14. Sed hæc objectio nullam habet vim. Nam pœna, præsertim Censuræ, non infertur ex paritate rationis, ut est vulgatissimum apud Auctores de Censuris scribentes. Quinimmo iidem asserunt, quod pœna, imposita ob delictum minus, non est extendenda ad delictum maius.

Non valet ergo dicere, est imposita suspensio huic delicto, quod est, non obtinere licentiam Ordinarii proprii, igitur imposita censenda est alteri simili delicto, quod est, non obtinere licentiam Ordinarii vicinioris. Et adest Ratio, cur licentia Ordinarii vicinioris non sit, ita simpliciter necessaria, ut ex omissione, incurratur suspensio; quia nimirum, non potest Episcopus vicinior plenam, & exactam Approbationem alieni Clerici inducere.

15. Dices Quarto. Prædictus Clericus contraxit tandem suspensionem, quia, obtinens licentiam ab Ordinario viciniore, censetur, non obtinuisse eam ab Ordinario proprio, quia Ordinarius vicinior in isto casu habendus est, tanquam proprius.

16. Respondeo Primo, Ordinarium proprium sumendum esse rigorosè pro Ordinario propriæ Diœcesis, tum, quia versamur pœnalibus, & odiis, in quibus nunquam faciendæ est extensio, sed sumenda sunt vocabula in significatione strictiori, tum, quia Concilium Tridentinum omnibus locis supra citatis, præsertim, *sess. 23.c.8.* ubi imponit suspensionem Clerico ordinato sine licentia proprii Ordinarii, proprium Ordinarium contra distinguit ab omni alio, etiam viciniore, & ita Ordinarius vicinior in tali casu nulla ratione est habendus tanquam proprius.

17. Respondeo Secundo ad hanc objectionem, eam nobis maximè favere, si vim habeat. Nam, si vicinior est habendus, ut proprius, utique poterit prædictum Clericum absolvere à suspensione contracta, sic enim argumentor. Ordinarius proprius hujus Clerici potest eum absolvere à prædicta suspensione in vtroque foro, potestate ordinaria, quia talis suspensio non est Beneficii reservata, sed Ordinarius vicinior, ut objectio concludit, est habendus tanquam proprius, seu per aequipollentiam, est proprius ergo Ordinarius vicinior potest prædictum Clericum absolvere à prædicta suspensione in vtroque foro.

18. Dices Quintò. Contraxit hic Clericus suspensionem ex alio capite, videlicet, quia est ordinatus absque Episcopo sine literis Dimissoriis Ordinarii proprii, cui delicto certum est, esse impositam suspensionem Tridentino *sess.23.c.8.*

19. Respondeo, literas Dimissorias Ordinarii proprii esse necessarios, tunc tantum, quando Clericus est ordinandus ab alieno Episcopo sine privilegio Pontificis, quando autem obtinetur tale privilegium non requiruntur literæ Dimissoriales Ordinarii proprii Clerici ordinandi: & ita sentiunt Henriquez *lib.13.cap.18.num.* Quarant. *in summ. Bullar. ver. Ordo §. suspensionis pœna*, vbi citat Patrem Barium Andriam, Toler. *lib.1. cap.49. num.4.* Ricch. *tom.3. prax. Episc. resol.* vbi affert declarationem Cardinalium Barbos. *& offic. Episcop. par.2. alleg.7. n.15.*

Et ratio est, quia Papa ipse dat licentiam, & Dimissoriam.

20. Litteræ autem propriè Dimissoriæ differunt ab literis Testimonialibus de vita & moribus Clerici ordinandi, ut apertissimè docent Ricc. *loc. cit. num.vlt.* Quarant. *loco cit.* Barbos. *loco cit. num.16.* vbi citant Bonac. & ita etiam sentit Doctor Navarr. *lib. Confessor. tract. de tempor. ordinat. conf.19. in editione vetusta, & conf.20. in edit. nova, n.1.*

Satis sit hoc discrimen, ne longum faciam, Dimissoriæ propriè dant licentiam alieno Ordinario ordinandi Clericum non suum subditum; At verò literæ Testimoniales continent tantum simplex Testimonium & Approbationem de vita & moribus Clerici ordinandi, sine vlla concessione licentiæ ad suscipiendos Ordines, quod explico à simili. Approbatio Confessarii facta ab Ordinario est simplex Testimonium, seu Iudicium de eius sufficientia ad audiendas Confessiones, non autem est licentia, quæ tunc datur, cum datur Iurisdictio, ergo literæ Testimoniales similes sunt Approbationi. Literæ vero Dimissoriales concedunt facultatem, & licentiam alieno Ordinario, &c.

Cætera, in quibus differunt inter se, vtræque literæ colliguntur ex Zerol. *in praxi Episcopi part.1. verb. Dimissoriæ*, vbi latè agit de iis, quæ continentur in Dimissoriis.

21. Dices Sextò. Sed neque potuit prædictus Clericus licitè obtinere has ipsa literas Testimoniales de vita, & moribus suis à proprio suo ordinario, quia jam Sess. vocabant intra annum, talis ergo obtentio fuit illicita, & nulla.

Respondeo, hanc objectionem non esse, alicuius momenti; Nam infra annum à Sede Vacante prohibitum est Capitulo, seu Vicario Capitulari concedere literas propriè Dimissorias, non autem concedere literas Testimoniales de moribus, & vita; Has ergo licitè potuit prædictus Clericus obtinere, quia licitè potuit Vicarius Capitularis infra annum eas concedere. Et quod hoc infra annum possit Vicarius, sive Capitulum præstare, sentiunt clare Barbos. *loco citato num.16.* alios quos refert, & sequitur, & Quarant. *loco citato*, & *verb. Capitulum, Sede vacante, quæst. 10.§. Tertio limita*, Navarr. *loco citato*, & Ricciul. *loco citato, numero ultimo.*

22. Dices Septimo, Pontifex in privilegio obtento forte requirit literas Ordinarii proprii propriè Dimissorias, quas jam non obtinuit prædictus Clericus.

23. Respondeo, has non requiri in privilegio obtento, sed solum literas Testimoniales Ordinarii proprii, ut patet ex Textu Brevis; nec potuit Pontifex propriè Dimissorias

missorias requirere concedendas à proprio Ordinario, cum eas infra annum non possit Vicarius Capitularis concedere, ut habetur in Iure; Pontifex autem præsumitur habere omnia Iura in scriniò pectoris sui, ut dicitur *c.1. de Constit. in 6.* & in eodem privilegio apertè ostendit se habere noritiam Sedis Vacantis; solum ergo requirit Pontifex testimonium Ordinarii proprii de vita, & moribus Clerici, quod iam Clericus authenticè ostendit.

Et hæc dicta sunt circa Maiorem propositionem allatam in nostro syllogismo suprà *n.4.*

24. Quod attinet ad Minorem, res est clara; nam literas Testimoniales proprii Ordinarii, & habet, & affert, sigillo munitas authentico.

25. Brevis ergo ratio est, quia non incurritur suspensio, nisi sit lata: at ob hoc delictum peculiare Clerici Titii non est data ulla suspensio, ergo.

26. Ex dictis infertur, Episcopum Cephaludensem, non incurrisse suspensionem à collatione Ordinum, cui postea conferendo, contraxisse irregularitatem.

Hactenus P. Petrus Mustica, & ego item de Ordine hactenus.

# DE SACRAMENTO MATRIMONII. LIBER OCTAVUS.

## TRACTATUS PRIMUS, DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

*Iuvat me impedimenta amovere Matrimonii, prius quam de ipso magis proximè tractationem instituam: Nam propterea in Primo, & Secundo Tractatu hujus Octavi Libri agam de Matrimonii Impedimentis, deque horum Dispensatione, ut scilicet illis per dispensationem amotis, possim proprius atque expeditius ad ipsius Matrimonii considerationem accedere. Faveat conatibus nostris omnium bonorum Auctor, & Donator Deus.*

### CAPUT PRIMUM.

### *Quid, & quotuplex sit impedimentum Matrimonii.*

1. QUOD obstat, ne Matrimonium contrahatur, sive illud sit physicum, ut ætas infantilis, quæ est inepta ad matrimonium, sive sit morale, ut prohibitio v. g. ne affinis contrahat cum affine dicitur Matrimonii impedimentum.

2. Est autem in duplici Classe: Aliud enim est solum impediens, impedit nimirum, sed non invalidat matrimonium, qualis est v.g. votum simplex Castitatis; Aliud ita impedit, ut etiam invalidet, quale est idem votum Castitatis solemne. Illa primi generis vocantur absolutè Impedientia, hæc Dirimentia.

3. De Impedientibus dicemus postea, nunc (utpote gravioris momenti) locum demus Dirimentibus, quæ sunt duodecim ex iure antiquo, quibus si duo addas ex iure novo Tridentini, omnia sunt quatuordecim his vulgatis versibus comprehensa.

*4. Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Si sis affinis, si forte coire nequibis.*

Et ex Tridentino.

*Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis,*
*Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ*
*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

Hoc est. Matrimonium cum aliquo ex prædictis impedimentis factum, retractatur, atque omnino irritum est, ac nullum, ac si factum non fuisset.

5. Hæc impedimenta, aliqua sunt inducta Iure naturæ, aliqua Iure Ecclesiastico. De Iure naturæ sunt illa quatuor: Error in persona: Impotentia perpetua, Consanguinitas in primo gradu rectæ lineæ, Patris v.g. cum filia, & Ligamen; id est ligatum esse actuali matrimonio. Cætera sunt de iure Ecclesiastico, ut distinctius dicemus in explicatione singulorum.

6. Quæ autem sunt ex iure naturæ, dispensabilia non sunt, & locum habent etiam in matrimoniis Infidelium; quæ verò ortum habent ex iure Ecclesiæ possunt à Summo Pontifice dispensari, & locum nequaquam habent in dictis Infidelium matrimoniis.

7. An alia potestas (præter Summum Pontificem) sive Ecclesiastica ipso inferior, sive Civilis, Imperatoria, Regia, &c. Matrimonii impedimenta constituere validè possit, lege apud Doctores passim (ut Sanch. *lib.7. de mat. d.1.* Pont. *l.6. de matr. à c.1.* Coninch. *disp.30. de matr. dub.1.* Perez *d.31. de matr. sect.4.* Avers. *q.9. de matrim. sect.2.* & 3. aliosque apud ipsos.

### CAPUT II.

### *Impedimentum primum Matrimonii.*

### *ERROR.*

#### §. I. *Quis ille sit?*

1. UT hujus impedimenti notitia plana fiat, Advertе Primo in contrahentibus Matrimonium, duorum genera errorum posse intercedere. Primum, in personis ipsis, quæ contrahunt, ut si tu volens contrahere cum Maria, invenias Catharinam.

Secundum, in qualitatibus personarum, ut, si quis volens contrahere cum Maria pulchra, vel nobili, vel di-

vite, inveniat ipsam eandem deformem, vel ignobilem, vel pauperem. Inter has qualitates, ne adnumeres Servitutem; hæc enim propter suas peculiares considerationes certò est impedimentum dirimens, ut c.3. explicabimus: adnumeres tamen ipsum nomen contrahentium, nam ex solo nominis errore non vitiati matrimonium, quando constat de persona, nimis est certum.

2. Adverte Secundò. Errorem posse interdum esse antecedentem, & dantem causam contractui, interdum comitantem. Prior contingit, quando consensus tecus innititur errori. Contingit autem, sive circa substantiam: ut, si Antonius, ideo ducit hanc, quia putat esse Mariam, ita ut, si sciviſſet non esse Mariam, non consensisset in illam: Sive circa qualitates, ut si ideo ducit Mariam quia putat esse divitem, ita ut, si sciviſſet, non esse divitem, in illam non consensisset Posterior, ideſt error comitans contingit, quando consensus non innititur errori; & quidem pari modo, sive circa substantiam, ut, si Antonius ducit hanc, v.g. Bertam, ita ut, si sciviſſet esse Mariam, adhuc consensisset; sive circa qualitates, ut si Antonius ducit Mariam, putans, eam esse divitem, ita tamen, ut, si sciviſſet divitem non esse, adhuc illam duxisset.

3. Adverte Tertiò, Errorem circa prædicta posse, esse vincibilem vel invincibilem, ut alibi nimis sæpè, per alias occasiones, explicuimus.

4. Adverte denique Quartò, Conditionem aliquam, posse apponi contractui, atque adeo matrimonio, tribus modis. Actualiter. Virtualiter, Habitualiter; Actualiter est, quando expresse ea ponitur, ut: *Si es dives, te volo ducere, secus nequaquam.* Virtualiter, quando licet in contractu actualiter non ponatur: tamen de ea cogitatum fuit, & fuit apposita antea, & illa non retractata, datur consensus contractui, ut, si Antonius v.g. se declarasset, nolle ducere Mariam, nisi sub conditione, quod sit dives, vel pulchra, vel non ex genere Iudæorum, &c. & deinde, hoc animo non mutato, consensit in Mariam, quæ est inops, vel fœda, vel ex Iudæorum genere. Habitualis, quando, nec de illa conditione cogitatum fuit, nec illa apposita est in contractu, quamvis in ea dispositione sit, vel fuerit contrahens, ut si de illa cogitasset, non contraxisset. Duxit Antonius v.g. Mariam, nihil cogitando de ejus paupertate, vel divitiis, sed deinde invenit, eam esse pauperem: id, quod, si sciviſſet, vel cogitasset, nunquam illam duxisset.

5. His positis sint duæ regulæ. Altera facilis in praxi. *Error circa substantiam iure naturali est impedimentum dirimens.* Altera difficilior, propter exceptiones, quas habere debet, *Error circa qualitates personæ non est impedimentum dirimens.* Sed singulas separatim explicemus.

## *ERROR CIRCA SVBSTANTIAM.*

6. Error circa substantiam personæ, ut cum unus, vel vna supponitur pro alio, vel pro alia, sive sit antecedens, sive comitans, sive vincibilis, etiam si crassus sit, & supinus, sive invincibilis, irritum prorsus reddit matrimonium. Ita Sanch. *l.7.matr.d.18. num.7.* G. Hurtad. *d.13.de matr.diff.1.* Fill. *t.1.tr.10.de matr.p.2.c.2.n.3.* aliique passim. Et ratio est manifesta, quia ejusmodi errores, & quicunque similes, constituunt ignoratam eam personam, in quam tanquam in objectum tendere deberet cõsensus; at circa id, quod ignoratur, nullus actus seu consensus voluntatis tendere potest, iuxta illud Iuris: (*l.9.C. de Iuris, & facti ignorantia.*) *Errantis nullus est consensus.* Confirmatur, si quis volens à te emere aurum, tu ei des vitrum, quem tamen ipse per errorem putet esse aurum, nonne est invalida emptio? Ita igitur erit, si Antonius volens ducere personam Mariæ, inveniat esse Bertã.

7. Contra, si Antonius ducens Bertam, quam Bertam esse cognoscit, diceret, *Si hæc esset Maria, illam certe ducerem*, validum, secundum Sanch. *l.1.num.6.* esset matrimonium cum Berta? quia ejusmodi dicendi modus ostendit id, in quod Antonius consentiret, non verò id, in quod consentit de præsenti; consentit re ipsa in Bertam.

8. Dices. At Sacramentum Baptismi v.g. est valid si quis, dum baptizat hunc, putat esse alium.

Respondeo, id non esse mirum, quia Baptizans actionem, & intentionem suam in hunc præsentem cumque tandem fiat contrahens suum consensum git in determinatam personam hanc v.g. Mariam, si Baptizans diceret: *Volo baptizare hunc, si is* certè non baptizaret, si esset Paulus; quam tamen tionem conditionalem illicitè, & nimis impro haberet.

9. Dices iterum. Venditio hujus equi valida si emptor, putet, venditorẽ esse Titium, cũ vere sit ad contractum emptionis, & venditionis parum cit, sitne hic, vel ille, qui vendit, dummodo legitime dat, cum tota venditionis substantia versetur circ ctum, seu materiam, quæ emitur. Addo nihilomin neque illam fore validam emptionem, qua condition liter quis sic emeret, *Emo à Titio equum v.g. si hic ditor est Titius*, & re ipsa Titius non esset.

10. Inquires. Quodnam peccatum committat is per dolum cooperatur, ut quis cum errore contr matrimonium?

Respondeo. Si, ut contrahatur cum errore per de quo hic agimus, peccare, mortaliter, non est dubi quia tunc cooperatio esset, ad invalidum matrimoniu id, quod rem esse gravem, vel stultus vider. Si non contrahatur cum errore qualitatum, de quo *num. sequenti*, satis alibi explicui, nempè *l.7.Dec.c.*

## *ERROR CIRCA QVALITATEM.*

11. Error circa qualitates sive is error à te ipso pe niat, sive per dolum ab alio, sive idem error in ante dens, sive comitans, sive quomodocunque vincibi sive invincibilis, non facit matrimonium invalidum illud erit validum, sine contrahens cogitaverit de hu modi qualitatibus, sive non cogitaverit, modo non a aliqua ex duabus exceptionibus mox explicandis.

Ratio est, quia ad valorem contractus Matrimo satis est, si consensus sit circa substantiam corporis mutuo datur, quicquid ergo est extra corpus stantiam, accidentale est, nec (si aliud non adsit) p test invalidum reddere contractum matrimonii.

12. Confirmatur Primò, quia ad valorem contrac civilis v.g. venditionis, satis est consensus in substa tiam, de qua agitur, nec est opus ad circumstantias nes advertere, secus cum præiudicio humani comm cii vix ullus consisteret contractus, quia vix unquam advertuntur ejusmodi omnes circumstantiæ.

13. Confirmatur Secundò, quia eodem modo Pro sio Religiosa est valida, quamvis ejus qualitates & ri ritates victus, fratrum mores, rigor Prælatorum, &c. advertantur. Id, quod rectè Sanchez *l.10. de mar. c.9.* probat ex ea ratione quia secus, nullus status perpe qualis est Religio, & Matrimonium diceretur, & stabiliter electus, quia semper novæ circumstantiæ illo advertuntur. Qua ratione tamen aliquando error qualitatibus, quia redundat in substantiam, profitu irritet, diximus, *l.8. in Decal. tract.1.c.7.§.11.n.*

## *PRIMA EXCEPTIO.*

14. Accedamus nunc ad exceptiones. Excepto pri est, validum non esse Matrimonium, si expresse contra xeris sub conditione talis qualitatis, quam deinde ad fuisse, non invenias, ut si dicas: *Si es dives, si es no es nobilis, si non es ex progenie Iudæorum, tecum cont* Virginitate enim, vel divitiis, vel nobilitate non exist te, vel existente Iudæorum progenie, nulliter contrah Ratio est manifesta, quia consensus conditionatus i præsenti conditione non existente, nullus est. Atq hæc, ut vides, est conditio actualiter posita in ipso tractu matrimonii.

15. Sed quid Primò, si conditio sit virtualis, qualem explicuimus *num.* 4. v. g. ego nunquam contrahere volo cum Maria, nisi sub conditione, quod sit Virgo, & deinde hoc animo non retractato, sed, nec actu cogitans ad hanc meam dispositionem, contraho cum Maria, putans. esse Virginem, cum talis tamen non sit. Validúmne est matrimonium.

16. Respondeo esse invalidum, quia illa prior intentio, cum non sit retractata, & adhuc duret, ut supponimus, æquivalet conditioni actualiter positæ. Confirmatur, quia idem diximus, *lib. 2. opusc. de Sacrific. Missæ c. 1. §. 2.* & alibi de confectione Sacramentorum, valere scilicet intentionem virtualem, ac si esset actualis.

17. Ex dictis merito declaratum fuisse nullum matrimonium cujusdam mulieris, testatur Pontius, *l. 4. matr. cap. 21. num. 13.* quæ sæpè dixerat, se potius mortem sibi allaturam, quàm cum certo quodam viro initurum matrimonium; si is esset ex Iudæorum progenie; & post illud contractum, ex Iudæis inventus est, quia (inquit Pontius) ex circumstantiis clarè apparuit, illam conditionem virtualiter remansisse. Meritò item simile quid refert Barbosa, (*in vero decisivo 19. artic. 3.* multa de hac qu. erudite afferens,) de matrimonio cujusdam mulieris, quæ se nobilem finxerat. Merito denique similem casum narrat Caramuel. *in Th. fundament. primæ edit. num. 1340. fol. 708.* quos omnes si est otium, lege.

18. Quid Secundò, si conditio sit habitualis, quam explicuimus eodem *num. 4.* Si quis v. g. ita sit dispositus ut si advertisset ad hanc, vel illam qualitatem, non contraxisset; nunquam tamen ad illam advertit, & deinde contraxit, nihil item advertendo?

Respondeo. Tunc certè validum est matrimonium, quia in contractibus non attenditur ad id, quod fecisses vel voluisses in aliis circumstantiis, sed ad id quod re ipsa fecisti, & voluisti circa substantiam contractus, ut sic enim absolutè consensum præbuisti substantiæ, nec adfuit vlla conditio, sed solum adfuisset, quod nihil operatur. Confirmatur, quia idem docuimus *loc. cit.* idest, non sufficere, ad validitatem confectionis Sacramentorum dispositionem habitualem.

## *SECVNDA EXCEPTIO.*

19. Iam verò secunda exceptio ejusdem posterioris regulæ hæc est. Quando error circa qualitates redundit, seu redundat in substantiam Personæ, seu adducit errorem in substantiam, invalidum parit matrimonium. De Matrimonio loquor, nam pro aliis materiis aliter sumi errorem in substantia declaravimus *In lib. 8. in Decal. c. 7. §. 11. n. 17.*

20. Sed hoc opus, hic labor. Ecqua enim ratione hanc redundantiam cognoscam? Operosum id esse fateor, ut etiam fatetur Sanchez *l. 7. matr. d. 18. num. 25.* ex quo tamen aliisque Doctoribus duas vias ad inveniendum quod quæris indicabo; quarum altera ostendet nullitatem matrimonii, altera validitatem.

21. Prior via. Si occasione, seu consideratione alicujus qualitatis formet homo conceptum alicujus personæ determinatæ, seu individuæ, & singularis, tunc illa qualitas redunditur in personæ substantiam, & consequenter si qualitas illa non adsit, sed per errorem putetur adesse, invalidat matrimonium. Exemplo res fiet clarior. Videt quis mulieres duas, altaram sedentem, stantem alteram ac dicit *Volo contrahere matrimonium cum hac, quæ sedet.* Vel videt alius duas puellas, & ex amico audit hanc esse nobilem, illam ignobilem, hanc esse virginem, viduam autem illam, dicitque *se velle contrahere cum ea, de qua meliores audit qualitates.* Aio, illam sessionem, hanc nobilitatem, hanc virginitatem, melioresque qualitates, qualitates quidem esse, sed in præsenti esse signa substantiæ ejus, cum qua ille homo inire matrimonium intendit, atque adeo important determinationem personæ, cum tota intentio illius sit ad illud individuum, quod sedet, quod nobile est, quod virgo, &c. Si ergo alia dicto homini præsentetur, cum quia per errorem contrahat, nulliter contrahet.

22. Posterior via. Contra, si aliunde formaverit homo conceptum talis determinatæ personæ. Cognovit v. g. hoc individuum, hanc determinatam puellam Mariam, sed illam jam cognitam, quoad personam, putat divitem nobilem, ex hac progenie, ex illa Civitate, vel amici, vt talem eandem jactent, cum talis verè non sit, & sub hoc errore cum illa matrimonium contrahat; validè contrahit, quia nunc error est in qualitatibus, quæ non redundantur in substantiam personæ; jam enim illam ducis, quam ducere decrevisti.

## *CONFIRMANTVR PRÆDICTA auctoritate Doctorum.*

23. Explicabunt magis, magisque rem, de qua agimus, verba aliqua Pontii, Coninch, Layman, Pontius *l. 4. c. 21. n. 13.* sic habet: *Denique hinc fit, vitiari quandoque matrimonium ex errore in ejusmodi qualitatibus, ut cum animus contrahentis expresè niritur illi qualitati, quamvis accidentali, est enim ille consensus virtualis conditionalis. Vnde si quis contraheret cum aliqua, quia existimabat, divitem esse, vel nobilem, vel honestam, vel virginem, ita ut his qualitatibus ducatur ad contrahendum, & his imitatur expresè, aliter nom contractuus, in quo casu talis consensu dependet ab ea circunstantia, & illam habet pro conditione assensus, invalidum erit matrimonium, si dives non sit, aut nobilis, aut honesta, aut virgo: in foro quidem conscientiæ, si ita res se habet; & etiam in exteriori foro, si probari poterit.*

24. Coninch. *d. 31. dub. 1. num. 17. Petrus incidit in aliquam personam sibi incognitam, agit aliquantulum cum ea, deinderogat, quanam sit, falsoque dicitur ei, esse filiam unicam talis Ducis, deinde eam ducit vxorem, est solum error qualitatis, & matrimonium valet, quia determinatur ad concipiendam certam personam ex priore conversatione & per eam narrationem non determinatur, ut putat, eam esse aliam ab ea, qua cum agit, sed, ut putat ei talem qualitatem convenire. Excipe casum quo filiæ talis Ducis per famam ei prius esset singulariter nota, tunc per eam narrationem determinaretur, ut hanc in particulari sibi ducendum proponeret.*

25. Idem paulò ante *l. c. n. 13* dixerat: *Solius illius qualitatis error involvit errorem personæ, qua determinat intellectum contrahentis, ut certam, ac omnino determinatam personam concipiat, cum qua hic, & nunc intendit contrahere, eamque, cum qua externum contractum celebrat.*

26. Et paucis interiectis lineis: *Ita ut verum sit ipsum non intendere cum hac contrahere, sed cum ea, quam hanc putat esse.*

27. Layman *l. 5. tract. 10. p. 4. cap. 3. num. 2. Si Caja visu prius nota, & ad matrimonium determinata fuisset, tametsi postea simulet se primogenitam, cum non sit, valebit matrimonium, nisi actualis intentio fuisset, saltem animo retenta, non accipiendi eam, nisi primogenita sit*

Atque hæc ex prædictis Doctoribus verba allata, sufficiant: Ceterum, qui alia cupit, adeat Barbosam *in voto decisivo 19. num. 3.* qui nimis multa refert per extensum.

## §. II. *Ex dictis deciduntur duos casus; alter olim decisus à Tabiena; alter allatus ab Hostiensi.*

1. CIrca annum 1508. Adolescens quidem petiit in vxorem filiam cujusdam, quam valdè formosam forte viderat, verum illam ei denegavit Pater, causans eam esse secundogenitam, se tamen facilè daturum primogenitam, quam nubere prius decebat. Ad hæc Adolescens petiit à Patre, ut prædictam primogenitam ostenderet cuidam viro gravi, ut is sincerè, & ex fide ipsi Adolescenti referret, an etiam, & ipsa pulchra esset: annuit Pater, sed vim illi ostendit filiam secundogenitam, nam primogenita deformis erat. Adolescens ergo à viro illo gravi conscius factus, etiam illam ipsi ostensam pulchram esse, cum ea contraxit per verba de præsenti, sub Vespe-

ras fortasse vel sub luce candelarum, quando ejus formam advertere non potest. Inventa deinde ea nequaquam pulchra contendebat Adolescens, matrimonium nullum fuisse. Sed Tabiena, *in summa V. Impedimentum quæst. 4.* ut ipsemet refert, respondit fuisse validum, quia error fuit in qualitate pulchritudinis, non in substantia; Adolescens enim jam consensit in primogenitam, quam ipsi obtulit Pater: quare illam duxit, quam voluit. Hanc responsionem approbat Sanchez, *loc. cit. num. 35.* aliique, sed illam reprobat Pontius, *l. 4. cap. 22. n. 5.* quia Adolescens consensit in illam, quæ fuit ostensa viro illi gravi, at hæc non fuit Primogenita.

2. Quid ego sententiam paucis expedio. Ex regula data *num. 16.* colligo Pontii sententiam esse potius approbandam, quam illam Tabienæ, & Sanchez; eremm Adolescens, occasione pulchritudinis se determinavit ad volendam illam determinatam, quam ostendit Pater, Pater autem secundam ostendit; ergo illam determinavit Adolescens. Falsum igitur videtur esse, quod ait Tabiena, Adolescentem non consensisse in secundogenitam ipsi à Patre denegaram, sed in Primogenitam, quam Pater obtulit, falsum, inquam, quia ipse consensit in personam illam determinatam, quam vidit illle vir gravis, & non in aliam, quam Pater obtulit; obtulit enim his primogenitam, sed Adolescens non se determinavit ad oblatam à Patre, sed ad ostensam amico.

Casus alter sic narratur, seu figuratur ab Hostiensi ap. Barb. *l. c.*

3. Anglus quidam vilis conditionis Romam veniens, finxit, se filium esse Regis Angliæ. Quo mendacio seduxit nobilem puellam, ad contrahendum cum ipso matrimonium. Non multo post, detecta fraude, quæsitum fuit, an validum deberet pronunciari matrimonium.

4. Respondeo, mihi videri, nullum esse pronunciandum. Ratio est ex dictis duplex. Nam primò, puella illa non videtur consensisse absolutè in personam præsentem, sed in illam, prout ipsi affixa esset nobilitas Regia, puella enim semper præsumitur fuisse cum expressa intentione, perinde, ac solent esse nobiles cæteræ puellæ, ut nollet nubere cum homine vili, & hanc intentionem nunquam retractasse.

Secundo efficacius, quia puella non alia via cognovit hunc hominem præsentem, cujus matrimonio consensit, nisi occasione, seu consideratione filiationis Regiæ: quare ipsa consensit in hunc hominem, ut filium Regis, non vero in hunc hominem, qui judicaretur Regis filius, quemadmodum diximus *n. 21.* de eo qui eligit pro sua vxore illam, quæ sedebat, nam ita hæc puella, eligit illum, qui cum veritate esset filius Regis, non vero, qui fictè

5. Profectò, si puella hæc consensisset in hunc præsentem, quem judicabat, sive ex se, sive ex dolo alterius, esse filium Regis, validum fuisset matrimonium: At vero, quia puella consensit in filium Regis quem ipsa sibi in mente proposuit (sic enim videtur res se habuisse) non fuit validam quia, ut constat ex dictis, error fuit in qualitate redundante in personam, Lege Barbos. *in voto decisivo 19. cit. art. 3.* qui multorum Doctorum verba affert, ad firmandam hanc decisionem, etiam in foro externo quia ex dictis circumstantiis, aliisque expensis, illud præsumitur, quod dictum hactenus à nobis est.

6. Equidem, quamvis ille homo se finxisset filium Regis, nec explicuisset cujus Regis, idem puto dicendum, Eadem enim est ratio, (licet Bonacina, *de Imped. mat. quæst. 3. p. 1. num. 8.* non eandem esse dicat) ac si explicuisset, si etiam puellæ consensus innixus totum fuit nobilitati illi Regiæ, voluit cum filio Regis, quicunque is Rex esset, matrimonium celebrare, non autem cum homine vili præsente, Nam vniversaliter, si quis dicat: *Volo hunc quem puto v. g. esse Regem* errat in qualitate tantum, si sic *Volo Regem, v. g. quem puto esse hunc*, tunc error qualitatis redundat in substantiam, ut diximus, casus autem noster hic posterior est.

## CAPVT III.

### *Impedimentum secundum.*

### CONDITIO SERVITVTIS IGNORATÆ.

#### §. I. *In quo consistat hoc Impedimentum.*

1. QVando persona libera forte contrahit matrimonium cum persona, quæ sit verè serva (hoc est Mancipium, quod bello justo captum sit, licet deinde aliis venditum) vel servitutem dictæ personæ ignorat, vel scit. Si ignorat, invalidum erit matrimonium: contractus enim alterius ex sponsis ab altero ignorata impedimentum est dirimens, de quo loquimur. Si scit, validum erit, etiam non consentiente Domino, vnde hic de eo agendum non est. Dixi (verè serva) nam ij, qui ... propter mercedem famulantur, hoc impedimentum quaquam contrahunt.

2. Ratio, cur inductum fuit hoc impedimentum ... quia licet servitus sit qualitas; tamen deceptio in ... trahit gravissima incommoda, vnde merito Eccles... definivit. Nescimus autem, à quo Pontifice hoc ... dimentum fuerit inductum, sed illud tamen ... ponunt Sacri Canones *C. final. de conjug. C. Si quis ... nuus, & cujus rei 29. q. 2.*

3. Ratio etiam, quod etiam Domino nolente ... dum matrimonium cum serva, vel servo cognito ... ctum, est, quia quilibet est dominus sui corporis ... cet rectè Sanctus Thomas *in 4. d. 29. q. vn. art. 4. ...* *l. 4. matr. d. 22. n. 4.* in iis, quæ pertinent ad proles ... rationem. Adde, Dominum non habere jus tollendi ... servo remedium concupiscentiæ. Quod si ex eo matrimonio cum serva oriantur alteri conjugi aliqua incommoda, & quidem non levia, dum aliquando obsequia debita Domino à serva, impediant obsequia debita ... tamen jam ipse liber cedit juri suo, quando ... alterius cognoscens, matrimonium init cum illa.

4. Sive autem ignorata fuerit servitus per ignorantiam invincibilem, sive ut probabilius est, etiam per vincibilem, & crassam, sive per errorem antecedentem ... ipsum matrimonium, sive etiam ipsi comitantem, impedimentum dirimens erit, quia sic semper est ignorata servitus, vnde personam liberam suo juri cessisse in contractu tam oneroso, & perpetuo præsumere non vult Ecclesia. Ita Sanchez *l. 7. de matr. d. 17. n. 10.* & Henr. *de matr. diffic. 2.*

5. Si ipsa persona serva sine vlla culpa ignorat ... servitutem, & bona fide contrahat cum libero, ... est impedimentum dirimens, ut etiam dirimens est, ... gnoscatur servitus, sed nesciatur, ea esse impedimentum (quæ dicitur ignorantia Iuris) quia Ecclesia, independenter ab ipsius cognitione, affixit ejusmodi impedimentum servituti.

6. Hic per occasionem Nota, in casibus, in quibus inter servum, & liberam, vel contra, est validum matrimonium, filios sequi conditionem ventris, ex communi doctrina, quod etiam servatur, quando filii communes essent naturales. Sensus autem hujus dicti est, ut in favorem libertatis, si mater fuerit libera, sive solum quando concepit, sive solum, quando vterum gessit, sive solum, quando peperit, etiam si libertatem per vnum diem habuerit, libera sit proles. Serva autem nunquam erit dicta proles, quando mater toto tempore, quo concepit, vterum gessit, peperitque, libera non fuit, lege Sanchez *l. 7. de matr. d. 24. n. 10.*

### *AN PECCET MANCIPIVM, SI matrimonium contrahat cum persona libera prudente, & sciente, sed nesciente, vel volente Domino?*

7. Paulò ante dixi, nullam legem tollere à servo ... liber

ffbertatis ad matrimonium, nunc ergo consequenter aio, illicitè à Domino, matrimonium, vel vsum ejus rationabilem prohiberi suo servo, ac posse ejusmodi servum, ac deberi à Iudice Ecclesiastico protegi. Vide tamen apud Sanchez *l.7.de matrim.d.21. num.5.* excusationem quandam.

Obiicies: Ergo peccaret Dominus servum vxoratum vendendo, vel mittendo in regionem distantem, quando illum sequi non valet vxor, quia sic impediret vsum matrimonii.

Respondeo. Ita putant nonnulli cum Sanchez, *ibidem d.22.n.11.& 12.* Verum De Lugo, *de Iust. d.3. num.24.* cum quo sentit Coninch. *d.31.dub.2.num.37.*& Perez, *de matr.d.21.sect.7.* rectius distinguũt. Vel agimus, an peccet Dominus contra Iustitiam, & dicendum contra Iustitiam non peccare, quia jus conjugii non debet Iuri Domini præjudicium ferre, secus, neque posset illum apud se retinere, vel sibi emere, quando multum distat vxor: quod esset contra praxim quotidianam, qua absque vllo scrupulo, ex eo capite, quod eorum vxores sequi ipsos non valeant, emuntur servi.

Vel agimus, an peccet contra charitatem, & dicendum, tunc demum vendentem, & ementem peccare, quando sine suo gravi damno potest ab ea venditione, vel emptione se abstinere, & tamen non se abstinet; obligat enim tunc charitas ad succurrendum bono spirituali conjugum: In quo casu poterit Iudex Ecclesiasticus Dominum cogere, ut vendat servum in loco, vbi is queat cum sua conjuge convivere. De qua re vide distinctius Pontium *l.7. de matr.cap.42.num.6.* atque idem dic de Missione servi in partes remotas ab vxore, &c.

8. His positis. Respondeo ad id, quod propositum est in titulo hujus paragraphi, verbis Coninch. *d.31.de matr.num.32.* qui cum dixisset, ex Sacro Textu omnes communiter colligere, Dominum non posse sine justa causa, servorum matrimonia directè impedire id est, nolendo hæc illis vllo modo permittere, addit: *Nota tamen nisi aliqua justa causa aliud suadeat (qualis esset, si timerent servi, ni Dominus malitiosè eorum matrimonium impediret) teneri prius Dominorum consensum petere, antequam cum aliqua contrahant; id, quod colligitur ex Concilio,* (Quod refertur C.Fin.29.q.2.) *quod requirit voluntatem Dominorum, vt conjugia servorum sine ommino legitima. Ratio autem est, quia hoc exigit reverentia, quam iis debent. Præsertim cum sæpè multum Dominorum intersit, virum servi cum hac, vel illa contrahant, ideoque durum sit, si servi, iis inconsultis, cum aliqua contrahant, quæ ipsi valde ingrata, ac multas molestias paritura sit.* Haec Coninch. Sanch. *l.7. matrim. disp.21. à n.12.* De Lugo, & idem Coninch. *ll.cc.*

In concursu obsequii Domini, & Conjugis, cui debeat prius satisfieri, habes dilucidè apud citatos.

### §. II. *Servitus diminuta quid operetur?*

1. IDexpeditius explicabo per sequentium casuum figurationes. Berta est nunc serva, quæ tamen hinc ad duos annos ex testamento sui Domini acquiret libertatem. Porro, dum præfixum libertatis tempus nondum advenisset, contraxit matrimonium cum Titio, ejusmodi temporaneam servitutem ignorante, validéne contraxit, sustinendúmque matrimonium, saltem post annos illos duos exactos.

2. Respondeo, invalidè contraxisset, nec sustineri posse matrimonium, ait Pontius, *l.7.matr.cap.43.num.1.fine*, nisi adveniente libertatis tempore, legitima adsit ratificatio. Ratio est, quia Sacri Canones indistinctè loquuntur, nec excipiunt servitutem temporaneam, & ex alia parte, eo medio tempore verè ea persona serva est, ut expressè habetur in lure, *l.Statu liberum.ff.de statu libero.* Sanchez, *l.7.d.19.num.4.*& Perez *de matr.d.21.sect.1.* putant, probabile esse, valere matrimonium, si servitus removenda sit infra sex menses, cùm parum pro nihilo reputetur. Sed his non acquiesco, quia carentia servitutis est de substantia contractus matrimonii, & de solemnitate actus, quæ ad vnguem observanda est.

3. Contrà, Catharinæ, quæ serva est, Dominus concedit nunc duos annos libertatis, intra quos, dum libertate gaudet, nubit cum Titio ejusmodi Catharinæ conditionem ad servitutem migraturæ nesciente, validéne nubit? Scio autem, ut notat Sanchez, *loco citato, numero 3.* non posse concedi libertatem ad tempus; semel enim concessa libertas, etiam pro brevi tempore, cum revocari ea ex jure non possit, perpetua est: sed casus proponitur pro iis locis, vbi fortè lex Municipalis admittit ejusmodi temporaneam libertatem.

4. Respondeo, Catharinam nubere invalidé, ita Sanchez *l.c.* quia ipsa dum reditura est ad servitutem, verè libera non est. Ita decrevit Textus dicens, eo medio tempore non cessare, sed dormire servitutem. Et quidem meritò ita decretum est, quia si conjux redire debet ad servitutem, non poterit liberè dare corpus suum alteri in perpetuum, quod est de essentia Matrimonii. Nam propterea servus similis temporaneus non potest Ordines Sacros licitè recipere, nec domicilium mutare cum præjudicio Domini.

5. Denique Maria fuit serva, nunc verò libera jam est, quo pacto Latinè vocatur *Liberta*, Titióque nubit nescienti antiquam Mariæ servitutem, nubítne validè?

Respondeo, validè sanè: Ita Rebell. *lib.3. sect.2.n.19.* & Perez *l.c.* quia liberta Libera verè est.

### §. III. *Servitus, vel libertas putata.*

6. TRiplex est casus decidendus. Primus, Duxit Titius Bertam liberam, quam tamen per errorem putat servam. Valuitne matrimonium.

Respondeo. Sanè valuit, tum quia Ecclesia veram servitutem, non autem putatam constituit esse impedimentum, tum quia in hoc casu non obstat servitus matrimonio, si Titius putavit Bertam esse servam, & tamen illam dixit.

7. Secundus casus est prædicto oppositus. Antonius duxit Mariam servam, quam tamen ipse putat liberam, validéne ducit.

Respondeo, Profecto non oportebat hunc casum proponere; in hoc enim adest ipsissimum impedimentum servitutis ignoratæ, de quo hactenus locuti sumus.

8. Quandoquidem ergo hic casus proponendus non erat, succedat alius illius loco. Petrus seruus ducit Mariam servam, putans ipsam esse liberam, valètne matrimonium? quasi servitus vnius compensetur cum servitute alterius?

Respondeo valere. Ita Aversa *q.12. de matr.sect.2.* & communiter non quidem propter dictam compensationem, sed quia Sacri Canones statuerunt dumtaxat (ut patet in Textibus supra citatis) esse impedimentum dirimens servitutem ignoratam ab altero libero. Quare irritum reddiderunt solum matrimonium personæ liberæ cum persona serva ignorata, non verò personæ servæ cum persona serva, quamvis ignorata.

9. Tertius casus. Titius liber contrahit cum Lucia serva putans eam esse liberam, sed eo animo, ut nesciisset eam esse servam, adhuc cum ea contraxisset, qui est error in qualitate servitutis, non antecedens, sed comitans, contraxitne validè?

Respondeo. Sanchez *l.7.de matr. d.18. n.6.* Bonac. *de matr.q.3.p.2.n.4.* Layman. *l.5.tract.10.p.4.cap.2.* aliique docent invalidè. Sylvester, aliique validè citati à Bossio *cap.2.de matrim.n.85.* Sed cum Sanchez est sentiendum, quia intentio Titii antecedens tetendit absolutè in servam verè à se ignoratam, atque adeò in habentem impedimentum dirimens, quo existente, consensus validus ad matrimonium esse non potest.

### §. IV. *Servitus cessans per ipsum matrimonium.*

1. IN favorem libertatis decernitur à Iure Civili, *Auth. Ad hoc D. de Latina libr.* & latè habet Sanch. *de matrim. l. 7. d. 20.* ut, si Dominus personam servam suam tradat in matrimonium personæ liberæ, servitute nequaquam detecta, secuto matrimonio, eo ipso, serva sit libera, quod idem satis probabiliter est, si ipse Dominus, vel Domina matrimonium contrahat cum suo mancipio: ut tenet Pontius, *l. 7. de matr. c. 14. à num. 2.* G Hurtad. *d. 14. diff. 4.* aliique. De quodam Turca prætendente servam, quam duxit remanere servam, quamvis baptizetur, vide Tanc. *p. 2. quæst. Mor. tr. 5. q. 65.* Iam quæritur, an in his, similibúsque casibus, in quibus persona serva evadit in ipsa matrimonii contractione libera, servitus ignorata sit impedimentum dirimens?

2. Respondeo, Duæ sunt de more sententiæ. Sanchez *l. c. num. 13.* docet, non esse dirimens, sed tunc matrimonium valere, quia (inquit) in eo instanti, in quo matrimonium contrahitur, jam realiter illa persona sit libera: ergo evolat impedimentum. Immò, tametsi in illo instanti non evolaret, cum statim, finito consensu finienda sit servitus, & item abolenda sit vilitas talis personæ, morali, & humano modo, dicenda esset dicta servitus nequaquam adesse: tam parvum enim instans nullius considerationis in humanis commerciis est.

3. Verum Hurtadus, *l. c. diff. 3.* aliique docent, adesse impedimentum dirimens, & non valere matrimonium, quia servitus (inquiunt) non tollitur, nisi à matrimonio valido; ergo debet in priori signo supponi validitas matrimonii, ut in posteriori dicta servitus tollatur ex vi talis matrimonii: quod tamen in casibus dictis esse nequit; cum in priori signo supponatur servitus ignorata

Confirmatur, quia in Iure Canonico servitus ignorata, absque vlla limitatione est impedimentum: at nunc jam est servitus ignorata. Esto autem vilitas illa personæ in dictis casibus cessasse dicenda sit; tamen cum Ecclesia voluerit sine vlla limitatione, servitutem ignoratam esse impedimentum, semper tale erit sive vilem reddat, sive non vilem personam.

Profectò secundum prudentem hominum existimationem servitus non redderet vilem Reginam, v. g. bello justo captam, & tamen matrimonium cum tali servitute ignorata, nullum esset.

4. Vtramque opinionem esse probabilem, rationes vtrinque allatæ me fateri cogunt: neque obstat probabilitati prioris sententiæ illud, quod noluimus concedere eidem Sanch. §. 2 *num. 2.* ibi enim agebatur de tempore, hic de instanti.

### §. V. *Obligatio servitutem occultantis.*

1. CErtum est, quando post contractum matrimonium cognoscitur servitus antea ignorata, debere conjuges abstinere à petendo, vel reddendo debito conjugali, & posse propria auctoritate relinquere hoc matrimonium, & aliud inire, si nolint legitimè hoc ratificare, perinde, ac debet fieri in cæteris impedimentis dirimentibus. Solum hic & semper adverte, scandalo existente, accedere debere Iudicis Ecclesiastici auctoritatem: nisi sub aliquo rationabili prætextu obviam ire scandalo ex se dicti conjuges possent, vt dicam in simili cum de Divortio *infrà tract. 7. de obligationibus, c. 3. §. 6. à num. 4.*

2. Hoc, inquam, certum est. Sed quæritur Primò. An persona decipiens, hoc est, quæ suam servitutem occultavit, possit licitè resilire à matrimonio sic invalidè contracto nolendo illud ratificare, si alter illud ratificatum velit: nam personam deceptam licitè resilire posse, etiam alia nolente, non est dubium.

3. Respondeo etiam illam posse, licet enim peccaverit attentando matrimonium, quod Ecclesia prohibet; tamen, quia re vera, nullum illud est pro vtraque persona, & rectè solet dici, nunquam posse matrimonium vna tantum parte claudicare, ideò æquè vtraque potest: Quare dicta persona decipiens non obligatur novo consentire, vide etiam *infrà tract. 3. de spons. c. 2. num. 13.* si decepta id requirat, quia non obligatur vi matrimonii, hoc enim, ut dixi, nullum est, nec etiamsi illud matrimonium invalidè attentatum, nec promissiones vera sponsalia, nec validam promissionem cum his hæc valeant inter personas inhabiles, id est inter habiles impedimentum dirimens, si promissio fuit obligatoria & pro tempore, quo cessabit impedimentum, vt latius explicabimus.

4. Dixi (præscindendo ab alio damno) num sit decipiens in honore, vel bonis nocuisset deceptæ, tunc ratione damni illati obligaretur in damnum refarcire, ut matrimonium legitimè contrahere eo modo, quo dictus à me explicatum est, *l. 7. in Decalog. cap. 5. §. 4. num. 26.*

## CAPVT IV.

### *Impedimentum Tertium.*

### *VOTVM SOLEMNE CASTITATIS.*

1. NOn quodcunque votum Castitatis simplex (enim est impedimentum solum impediens, ut infrà dicemus) sed illud, quod in solemni professione religiosa simul cum Paupertatis, & Obedientiæ voto emittitur, est impedimentum dirimens illud matrimonium quod celebrari, post dictum votum, attentatur: hoc probabiliore sententia solum de jure Ecclesiastico, contra nonnullos, putantes, esse de jure Naturæ, post Suar. *t. 3. de Rel. l. 2. c. 6. & 7.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 20.* Pont. *l. 7. matr. c. 22. n. 4.* Perez *de matr. d. 26. sect. 6. sect. q. 15. de matr. sect. 1.* aliique.

2. Illud nota, votum simplex Castitatis emissum in Societate Iesv post biennium Novitiatus, esse impedimentum, dirimens subsequens Matrimonium, juxta ex peculiari jure novo Gregorii XIII. qua certe vi, antedictum jus, carebat ejusmodi votum, quia vere non erat votum solemne, ut latè Suar. *t. 4. de Rel. tr. 10. l. 4. cap. 4.* & breviter explicat Hurtad. *d. 15. matr. diff. 10.*

Quam excommunicationem incurrat tentans contrahere matrimonium cum hoc impedimento, dicam *infrà c. 17. §. 4.* sicuti de voto Castitatis imbibito in Sacris Ordinibus dicam *infrà c. 8.*

## CAPVT V.

### *Impedimentum Quartum.*

### *COGNATIO.*

Hæc alia est Naturalis, alia Spiritualis, alia Legalis.

### §. I. *Naturalis.*

1. COgnatio naturalis, ut habet Sanch. *loc. cit.* quæ etiam consanguinitas appellatur, *est vinculum personarum descendentium ab eodem stipite per naturalem propagationem.*

Vt, quæ ad hoc argumentum pertinent, facilius intelligas, ne te prætereat cognitio Terminorum sequentium. Nam stipes est illa persona, à qua aliæ personæ, de quarum cognatione tractatur, descendunt: Titius v. g. qui est Pater Antonii, & Antoniæ, dicitur stipes vtriusque, & cæterorum.

2. Li-

2. Linea est illa series personarum, quæ per varias generationes descendunt à prædicto stipite. Hæc autem quadruplex est.

3. Prima vocatur Recta, quam scilicet constituunt eæ personæ, quarum vna est ab alia, sive sint ascendentes, ut Avus, Atavus, Abavus, sive descendentes, ut Pater, Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos. Idem dicito, tum hic, tum in sequentibus, de fœminis Avia, Atavia, &c. Filia, Neptis, &c.

4. Secunda vocatur Transversalis, seu Collateralis, quam constituunt eæ personæ, quæ, licèt descendant ab eodem stipite, v. g. Titio; tamen vna non descendit ab alia, ut frater, soror, Consobrinæ.

5. Tertia vocatur æqualis, éstque eadem dicta transversalis, quando eædem dictæ personæ distant æqualiter à stipite v.g. à dicto Titio, ut frater, ac soror ex eodem patre, &c.

6. Quarta vocatur inæqualis, éstque eadem dicta transversalis, quando eædem dictæ personæ distant inæqualiter ab eodem stipite, ut frater, & sororis filius; qui certè inæqualiter distant à prædicto Titio, frater enim est in primo gradu, sororis autem filius in secundo cum eodem Titio prædicto.

7. Gradus denique, ducta metaphora à scalis, est illa distantia, quæ intercedit inter dictas personas.

8. Iam verò, quoniam computatio prædictorum gradum inter memoratas personas, alia est apud Iura Canonica pro Matrimonio dirigendis, quæ solum numerant quatuor gradus, alia apud Iura Civilia pro successoribus constituendis, quæ numerant gradus decem, ideo nos computationem Canonicam hic explicabimus, explicanti civilem, cum de Testamentis.

9. Ad Canonicam igitur computationem cognoscendam, Tres sunt Regulæ menti figendæ. Prima, pro linea recta. Secunda pro linea transversali æquali. Tertia, pro transversali inæquali. Et quamvis hæ regulæ satis sint planæ, tamen moneo Lectorem, difficulter à sola earum lectione easdem perfectè percepturum: opem ergo Præceptoris periti submisso animo quærere, ne dedignetur.

### *PRIMA REGVLA PRO LINEA RECTA.*

10. In hac linea tot sunt gradus, quot sunt personæ, seu quot sunt factæ generationes, sed dempto stipite. Exempli gratia.

*PATER TITIVS, STIPES.*

| | |
|---|---|
| Filius, qui vocetur | Antonius |
| Nepos | Bartolus |
| Pronepos | Cæsar |
| Abnepos | Didacus. |

11. In hac igitur linea, Antonius est in primo gradu conjunctus cum Titio, quia dempto ipso stipite, qui est ipse Titius vna remanet persona. At Bartolus est in secundo gradu cum dicto Titio, quia Titio dempto, duæ remanent personæ, seu duæ factæ sunt generationes, Titius enim generavit Antonium, Antonius Bartolum: sic de cæteris.

### *SECVNDA REGVLA PRO LINEA Transversali in distantia æquali.*


12. In hac linea, tot gradibus vna persona distat ab alia, quot gradibus illa vna distat à communi stipite, dempto tamen ipso eodem stipite. Hinc Antonius frater & Antonia soror vno gradu inter se distant, atque adeo Antonius est in primo gradu consanguinitatis cum Antonia, quia vno gradu distant à Patre, & sic de cæteris in hunc modum.

| | |
|---|---|
| Antonius est in 1. gradu | cum Antonia. |
| Bartolus in 2. gradu | cum Berta. |
| Cæsar in 3. gradu | cum Catharina. |
| Didacus in 4. gradu | cum Dorothea. |

### *TERTIA REGVLA PRO LINEA Transversali in distantia inæquali.*

13. In hac tot gradibus vna persona distat ab alia, quot gradibus illa persona, quæ est à stipite remotior, distat ab eodem stipite, dempto tamen pari modo, ipso eodem stipite. Vnde Antonius prædictus distat in secundo gradu à Berta, quia Berta, quæ est remotior à Titio stipite, distat ab ipso Titio duobus gradibus, dempto nimirum eodem dicto stipite, in hunc modum vsque ad quartum gradum, nam in quinto nulla est consanguinitas.

*TITIVS PATER, STIPES.*




14. Quod notavimus in Antonio, idem nota in cæteris proportionaliter, nam Bartolus, v.g. cum Dorothea erit in quarto gradu, & sic de gradibus superioribus.


15. Nota Secundò, quod dictum est de Antonio respectu Bertæ, & de cæteris collocatis in eadem linea sinistra respectu collocatorum in linea dextra, idem dici debere de Antonia respectu Bartoli, cæterisque collocatis in linea dextra respectu collocatorum in linea sinistra.

16. Nota diligenter Tertiò, Doctrinam sequentem. Quamvis distantia remotior sit illa, quæ cósanguinitatis gradus

gradus constituat: ut dictum est (qui gradus, quando non exeunt à quarto, sunt necessario dispensandi à Pontifice, ut dicemus in matrimoniis ineundis inter consanguineos) tamen solet etiam considerari gradus proximior, & de illo juxta Bullam Pii V. debet obtineri ab eodem Pontifice declaratio, quod is gradus proximior matrimonio non officiat, modo infrà *de dispensat. cap. 9. §. 7.* distinctius explicando, quæ distinctio est omnino videnda. Vnde quia dictus Antonius, v. g. distat vno gradu à Titio, prædicta verò Berta distat duobus gradibus ab eodem Titio, ideo sic consuevimus loqui: *Antonius distat primo in secundo gradu à Berta*, seu *Antonius, & Berta sunt conjuncti*, seu *sunt in primo, & secundo gradu*, seu *in primo cum secundo gradu à stipite*, & sic de cæteris.

Nota igitur diligenter prædictis modis tam explicandi plures consanguinitates quas forte quis habet ex diversis stipitibus, aliam, v. g. ex parte Patris, aliam ex parte Matris, quæ certè plures consanguinitates explicandæ distinctè debebunt à petentibus dispensationem, si forte plures habeant, ut infrà distinctius advertemus. Hæc, inquam, prædictis modis explicari dumtaxat vsum habet in sanguinitatem lineæ Transversalis inæqualis, cujusmodi propterea additur illud ab vno stipite.

17. Ut id explicatius habeas sequentem figuram aspice, & lege; memor, hîc etiam locum habere notationes *num.* 14. allatas.




18. His præmissis, dico omnem consanguinitatis gradum vsque ad quarum inclusivè tantum, & non vltra hodie esse impedimentum dirimens matrimonium, idque non solum in linea recta; sed etiam transversali, ut notant Doctores mox citandi, quia Concilium Lateranense indistinctè, & absolutè loquitur de dictis quatuor gradibus, dum ait, esse impedimentum dirimens, Matrimonium. Id, quod factum est ob reverentiam, quæ debetur sanguine conjunctis, & ut, propter bonum, pacémque publicam matrimonia extenderentur ad extraneos, & denique ne consanguinei ob spem matrimonii minus castè simul cohabitarent.

19. Signatè adverte illud (vsque ad quartum gradum, &c. & non vltra) nam propterea Cæsar, v. g. positus in figura respectu Evandræ, quia est in quinto gradu cum ipsa, nullam cum ea consanguinitatem habet, vnde potest illam ducere sine vlla dispensatione, ut clarè habetur Textus, *C. fin. de consanguin.* & passim Doctores, ut Perez *de matrim. d. 28. sect. 7. n. 5.* Campan. *in Divers. Iuris* [illegible] *p. 3. n. 45.* aliique notant. *Rubr. 2. c.* [illegible] ires. Cum prædictus Cæsar sit (ut patet ex Figura) conjunctus cum Catharina in tertio gradu quinto, & modo nos *num.* 16. diximus de primo gradu debere obtineri declarationem illam, quam dixit Pius V. estne necesse hic, vbi consanguinitatem illam esse dicimus, dictam declarationem nihilominus petere, & obtinere?

Respondeo, nequaquam id necessarium esse, ut rectè notat Leander *p. 2. de Sacr. d. 24. de matrim. q.* Sanch. *lib. 8. matr. d. 24. n. 32. fine*, hæc declaratio petenda & obtinenda est, quando à Pontifice conceditur dispensatio alicujus gradus: ac pro quinto non datur dispensatio, ergo, nec danda in declaratio.

21. Quinto gradum primum in recta linea jure naturæ irritare matrimonium, quale esset inter Patrem & Filiam, & inter Matrem, & Filium, certum est. Fundantes apud DD. ut Sanch. *l. 7. de matrim. d. 51.* Pont. *l. 9. c.* Per. *d. 28. de matrim. sect. 7.* Cæteros vero gradus in recta linea probabilius est, jure naturæ, nequaquam irritare. Vnde non sequor eos, (apud Sanchez *loc. c.* *num. 15.*) qui dicunt, dirimi jure naturali matrimonium in recta linea vsque ad secundum gradum inclusivè tan-

20. Inq[illegible]

eos, qui usque ad quartum, nec eos, qui usque ad septimum, nec eos, qui usque ad infinitum, ita, ut hi postremi asserant nunc Adamum, si resurgeret, non posse ullam ducere ex mulieribus Universi, quia omnes sunt abillo per lineam rectam descendentes, quæ, & similia videri possunt *apud Sanch. aliosque citatos.*

22. Quoad lineam transversalem, nullum ejus gradum dirimere matrimonium de iure naturæ etiam inter fratrem, & sororem, sed solum iure Ecclesiastico, mihi item probabilius videtur. Id, quod vide apud eosdem, scilicet Pontium *l.7.c.32.* citantem S. Th. Sotum, Alensem, G. Hurt. *d.17. de matr. diff.5.* Perez *loc. cit. sect.5.* aliosque, quamvis non negem Vasquem, Sanch. Rebell. Valent. quos sequitur, citatque Bonac. *de matr. q.3. p.5. §.1. n.12.* aliosque Doctissimos viros putare, primum gradum in linea hac transversali dirimere matrimonium iure naturæ, qualis est inter fratrem & sororem.

## §. II. *Cognatio Spiritualis.*

1. Hæc est vinculum, seu connexio inter aliquas personas procedens ex regeneratione spirituali, idest est Baptismo, vel Confirmatione, nam ex aliis Sacramentis ejusmodi cognatio nequaquam oritur.

2. Ea autem multipliciter oriebatur ex iure antiquo: hodie tamen reducta est à Tridentino *sess.24. de Reform. matr. cap.2.* lege Sanch. *l.7.d.54. num.9.* fusè explicantem locum hunc Tridentini ad quatuor capita. Nam Primò, contrahitur nunc cognatio spiritualis à Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante.

Secundò ab eodem Baptizato, vel Confirmato cum Patrino, vel Matrina (Compare, ó Commare) & hæ duæ cognationes vocantur Paternitas, vel Filiatio utique spiritualis, quasi is fiat filius illorum per regenerationem spiritualem.

Tertiò, à Patrino, vel Matrina cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati.

Quartò, à Patre & Matre Baptizati cum ipso Baptizante, vel Confirmante, & hæ postremæ duæ vocantur Compaternitas, quasi hi fiant simul Patres Baptizati, vel Confirmati.

Breviter in Baptismo (idem in Confirmatione) Baptizatus spiritualiter coniungitur cum Baptizante, & cum Patrino, vel Matrina per Filiationem, Pater vero, & Mater ejusdem Baptizati coniunguntur cum eodem Baptizante, & cum Patrino, vel Matrina per Compaternitatem.

3. Quæ speciatim requiruntur, ut hæc spiritualis cognatio nascatur, & alia valde plura ad hanc cognationem pertinentia dixi satis de Baptismo, *l.2. de Baptism. c.4.§.2.à num.19.* Illud vtile est, vel addere, vel recolere, si quis baptizet, vel confirmet, vel sit Patrinus nesciens Baptizatum, vel Confirmatum esse filium hujus, vel illius, adhuc contrahere, ut vult Aversa. *quæst.16. de matrim. sect.2. Ver. Habet hæc Spiritualis*; cum his cognationem, ignorantia enim non valet impedire id, quod Ecclesia ejusmodi actionibus adnexuit.

4. His præmissis. Assero cognationem spiritualem prædictam, esse impedimentum dirimens matrimonium, contrahendum à personis, inter quas eam esse iam diximus *n.2.* idque ex Iure Ecclesiastico, non autem ex Iure Naturali, vel Divino, ut clare constat ex Sacris Textibus. *Toto titul. de Cognat. spirit. & 30. quæst.1.*

5. In hac autem cognatione spirituali non numerantur gradus aliqui, sicuti in præcedenti cognatione naturali numeravimus, sed solum coniunctio, & impedimentum est inter personas prædictas, eaque in perpetuum, hoc est, etiam si moriatur persona, ratione cujus illa coniunctio contracta fuit, ut cum communi docet Sanch. *loco cit.*

6. Si eadem cognatio forte superveniat Matrimonio iam contracto, an impediat petitionem, vel redditionem debiti coniugalis, dixi pluribus, cum de Baptismo *l.2. de Baptism. c.2.§.2.n.10. & c.4.§.2.n.17.*



## §. III. *Cognatio Legalis.*

1. In Iure Civili (Iura hæc habes ap. Sanc. *l.7. disp.63.*) communi conceditur, ut quilibet possit sibi adoptare quempiam in filium, quinque positis conditionibus. Prima, ut Adoptans sit sui iuris. Secunda, ut sit vir. Tertia, ut sit potens ad generandum. Quarta, ut sit maior 25. annis, excedatque Adoptatum saltem 18. annis. Quinta, ut non possit quis adoptari in eo cognationis gradu, quo forte coniunctus est cum Adoptante, Filius v.g. naturalis Adoptantis non potest adoptari in filium adoptivum, & nepos naturalis, quamvis possit adoptari in filium, non tamen potest adoptari in nepotem, &c.

Hæc omnia implicitè comprehendit vulgata descriptio Adoptionis, quæ est hæc. *Adoptio est extranea personæ legitima assumptio.* Per vocem enim illam (*legitima*) notantur primæ quatuor conditiones, per vocem (*extranea*) notatur quinta, eo modo, quo iam explicatum est, siquidem hîc per illam non significatur, personam adoptatam, debere carere omni gradu naturali coniunctionis, sed solum eo, ad quem assumitur.

2. Si quæras, cujus auctoritate hujusmodi Adoptio expedienda sit. Dico, eam expediri posse ex auctoritate Magistratus Inferioris Summo Principe, & posse ex auctoritate ejusdem Principis Summi: cum hoc tamen discrimine, ut facta ex auctoritate Supremi Principis (quæ consuevit proprio vocabulo appellari *Arrogatio*, estque in Iure perfectissima Adoptio, neque fieri potest, nisi Arrogans sit ætatis saltem 40. annorum) facta, inquam, sic, habeat hos duos effectus, ut Arrogatus transeat in potestatem Arrogantis, & ut sit ejus hæres necessarius, etiam ex Testamento; qui effectus Adoptioni communi nequaquam conveniunt.

3. In eodem Iure, *apud eundem Sanch.* Civili ex dicta Arrogatione, vel Adoptione, quam cognationem legalem appellamus, tres oriuntur dictæ cognationis species. Prima, est in linea recta inter Adoptantem, & Adoptatum. Vide mox *n.5.* Secunda, in linea collaterali inter Adoptatum & filios carnales Adoptantis, legitimos tantum ex Coninch. *disp.32. de matr. n.44.* sed ex Pontio *l.7. matr. c.41. n.8.* etiam illegitimos. Tertia, inter Adoptatum, & uxorem Adoptantis, & item inter Adoptantem, & vxorem Adoptati.

4. His præmissis aio, Ecclesiam approbasse has prædictas tres species cognationum, & in reverentiam, quæ ab adoptato filio debetur Patri assumenti ipsum in filium adoptatum, eas ita approbasse, ut etiam voluerit, inter illas personas iam memoratas in tribus dictis speciebus invalidè celebrari matrimonium, & consequenter cognationem legalem esse impedimentum dirimens.

5. Primam speciem ex dictis, quæ est in linea recta approbavit Ecclesia, ut impedimentum dirimens in Decreto, *C. Ita diligere 30. quæst.3.* & illud quidem, ut non solum contraheretur ab Adoptato, verum etiam ab ejus filiis, & nepotibus, qui essent in ejus potestate eo tempore quo celebraretur adoptio, duratque in perpetuum, idest etiam finita Adoptione, ut notat *ibidem*, Sanch.

6. Secundam Speciem approbavit eadem Ecclesia, ut impedimentum dirimens, in Decretalibus; sed est temporale. Finitur enim finita Adoptione.

7. Tertiam speciem approbavit Ecclesia tacitè, & ex antiqua consuetudine, nam cæterum id expressè non reperitur in Iure Canonico.

8. Ex dictis duæ, ut vult Sanc. *l.7.d.63.n.28.* personæ v.g. Titius & Maria aliàs inter se coniunctæ si ab eodem adoptaræ fuerint? Rursus Adoptans & Mater Adoptati, vide eundem *ibid.* Præterea, secundum Perez *d.30. sect.4. num.4.* Adoptans, & filia nata ex filia Adoptiva, hæ, inquam, personæ non habent inter se cognationem legalem, quia non sunt in illis tribus speciebus *num.3.* numeratis, quas solas induxit ius Civile, quasque approbavit Ecclesia. Quare illæ poterunt inter se validum inire matrimonium.

9. Benigna autem interpretatio quorumdam non est silenda. Nonnulli, ut Tolet. *l.7.c.4.* Pont. *l.7. matr.cap.41.* sustinent hoc impedimentum induci, tum ab Arrogatione, quam explicui *n.2.* tum ab Adoptione, quia Ecclesia adnexuit hoc impedimentum absolutè Adoptioni, ut utraque verè Adoptio est: Sanchez tamen benignius *l.c.n.9.* Coninch. *d.32. n.44.* Perez *loc. cit. sect.2.* Aversa *q.16. de matr. sect.3. Ver. At vero.* Vbi plures citat, aliique putant, solam prædictam Arrogationem parere cognationem cui Ecclesia coniunxerit impedimentum, quia Matrimonium est ius valdè favorabile, unde ejus impedimenta sunt strictè interpretanda, quæ stricta interpretatio tunc in re, de qua loquimur, fiet, quando nomine Adoptionis, cui ejusmodi impedimentum adiungitur, intelligatur vna illa Adoptio, quæ est perfectissima, id est Arrogatio, non autem quæcunque. Profectò utramque sententiam probabilem esse, inficiari non possum.

10. Inquires. Cognatio hujusmodi legalis superveniens matrimonio iam contracto privàne iure petendi, vel reddendi debitum coniugale?

Respondeo. Nequaquam cum Sanch. *l.c. num.19.* quia nulla apparet lex Canonica hanc privationem inducens.

## CAPVT VI.

### *Impedimentum Quintum.*

### *CRIMEN.*

NOn quodvis Crimen, sed solum illud, quod est contra fidem Matrimonii, & ex quo timeri possit coniugis sive viri, sive fœminæ occisio, est impedimentum dirimens. Quod certè quadruplex est.

### *PRIMVM CRIMEN.*

#### §. I. *Conspiratio cum occisione Coniugis, sine Adulterio.*

1. SI Titius v.g. qui est Bertæ coniux, conspiraret cum Catharina ad interficiendam Bertam, sequatúrque ex ea conspiratione ejusdem Bertæ interfectio, nascitur impedimentum dirimens inter Titium, & Catharinam. Idem dicendum, si Berta conspiraret cum Caio v.g. ad occidendum Titium, quia in hoc Canones, tum de occisione vxoris loquuntur, tum de occisione viri. Ita Sanch. *l.7. de matr. d.8. n.8.* contra paucos. Quare, ut hoc impedimentum enascatur, non requiritur ullum affuisse adulterium inter Titium, & Catharinam, cum *c.1. de Convers. c. Si quis vivente 31. n.1.* satis sit ipsa una conspiratio cum dicta occisione secuta, tametsi in aliis tribus criminibus mox explicandis, requiratur præterea commissum inter dictas personas adulterium.

2. Nota insuper tria. Primum conspirationem fieri debere à prædictis ex intentione ineundi inter se matrimonium. Qui igitur ex alio motivo conspirarent, puta ex odio, vel ex spe successionis, &c. & post commissam occisionem superveniret voluntas contrahendi matrimonium, non enasceretur in ipsis impedimentum. Lege Sanchez *l.7.d.78. n.13* Pont. *l.7.c.45. n.4.*

3. Rectè item Pontius *loc.cit.* notat, illam intentionem ineundi inter se matrimonium debere esse exterius explicatam: Si enim solum mente retineretur hoc impedimentum non consurgeret, quia non adesset conspiratio duorum.

4. Nota Secundò, eam conspirationem satis haberi, si coniux, sive consilio, sive mandato, sive alia conspiratione auxilium afferat ad mortem. Ratihabitio autem sola subsequens occisionem, ideo non sufficit, quia Iura de Ratihabitione non loquuntur.

5. Nota Tertio, mortem debere esse secutam, quia pœna, nisi aliud exprimatur, imponi semper intelligitur delicto completo. Non sufficit ergo secundùm Pont. *l.c.* attentatio, immo, nec vulnus, si id sufficiens non fuisset ad afferendam mortem, sed ea conscuta sit culpa, vel ignorantia Medici.

### *SECVNDVM CRIMEN.*

#### §. II. *Adulterium cum occisione sive mera conspiratione.*

1. SI idem Titius Bertæ, etiamsi sit ejus vir per matrimonium tantummodo ratum, committat cum Catharina adulterium, alter autem horum adulterum etiam sine consensu alterius, mortem paret Bertæ, & ipsa sequatur mors (*c. Significavit nobis, de eo, qui duxit*) enascetur impedimentum dirimens matrimonium inter Titium, & Catharinam. Dictum est etiam per matrimonium tantummodo ratum) quia etiam tunc est perfectissimum adulterium, ut docemus omnes. Idem dic de Berta, si committat adulterium cum Caio.

2. Nota hîc quatuor. Primum, machinationem mortis Bertæ iam secutæ fieri debere ex intentione ducendi Catharinam; Ita Sanch. *l.c.* Quare si fiat ex intentione alterius v.g. vivendi, vel ducendi aliquam fœminam matrimonio, vel ex simili alia causa, non consurget impedimentum. Semper tamen in foro externo præsumetur ut supra idem *l.c. n.19.* intentio ducendi hanc, quoties occisor eam contrahere cum ea, cum qua adulterium perpetravit.

3. Nota Secundò, esse quæstionem An hæc prætentio debeat fuisse explicata ei, cum quo intendit celebrari matrimonium? Et aio, ita docere à Pont. *l.c.* afferente D. Thom. & dicente esse sententiam communem Doct. sed prorsus non acquiesco. Negativè enim respondendum est cum Aversa, *de matr. q.18. sect. 4. n.3. Tertio, Rursus*, quia in hoc secundo crimine non consurgit nisi conspiratio duorum, sicuti requisita fuit in crimine præcedente.

4. Nota Tertiò, Adulterium, sive præcedat mortis machinationem, sive sequatur, sufficiens esse ad constituendum impedimentum *ex hoc secundo capite.*

5. Hinc, si prædictus Titius mandasset Sicario ut occideret dictam Bertam ex intentione ducendi Catharinam, & post ejusmodi mandatum, ante mortem Bertæ committeret adulterium cum Catharina, consurgeret impedimentum; non verò consurgere, si cum eadem Catharina copulam habuisset post Bertæ mortem. Ita Sanch. *l.c. n.10.* in simili de committente adulterium propinatum venenum.

6. Nota Quarto, nonnulla circa adulterium hoc loco. Primo enim non sufficiunt oscula, ut habet Sanch. *loc.cit.* Coninch. *d.31. n.61.* vel tactus turpes, sed requiritur copula consummata. Secundò, requiritur adulterium bene respectu vtriusque, id est, non solum prædicti Titii, sed etiam Catharinæ debet esse notum ipsum Titium esse vxoratum; si enim Catharina putet Titium non esse coniugatum, copula, quam cum Titio habet, est adulterium in se, & respectu ipsius Titii, qui iam scit se esse vxoratum esse, sed non respectu Catharinæ, quæ putat ipsum Titium esse solutum. Quare tunc non orietur impedimentum. Ita plures ut Sanch. *l.c. n.12.* Averl. *l.c. Verbo loquendo.* Coninch *d.31. n.61.* Perez *d.33. sect.2.* Cardenas *d.4. de sponsal. p.12. n.8.* contra Pont. *l.7.c.45. n.5.* Ad rentem sufficere, etiamsi malitia adulterii nota fuerit ipsi occisori. Tertiò, non sufficit, tuum Adulterium formaliter tale ex sola conscientia erronea. Hinc si Titius, & Catharina putent Bertam vivere, cum tamen sit mortua, vel putent inter Titium & Bertam esse verum matrimonium, cum tamen ob aliquod impedimentum verum non sit, Adulterium Titii cum Catharina non sufficit ad inducendum hoc impedimentum. Ratio horum trium est, quia Iura in re odiosa sunt strictè interpretanda. Ergo in casu nostro sunt intelligenda, nisi de vero adulterio, quod omni ex parte verè, & realiter adulterium sit.

§ II.

## TERTIVM CRIMEN.

### §. III. *Adulterium cum promissione Matrimonii.*

1. SI Titius vir Bertæ, etiam per solum matrimonium ratum, committat adulterium cum Catharina, promittens huic matrimonium post Bertæ mortem, incidit in impedimentum dirimens matrimonium inter ipsum Titium, & dictam Catharinam. (*C. Si quis vovente. C. Relatum 31. quæst. 1. C. Significavit nobis, De eo, qui duxit.*) Vides Primo, hîc non requiri occasionem, nec conspirationem, nec intentionem mortis, sufficit enim adulterium cum promissione, quam certè promissionem, negari non potest, dare ansam captandæ mortis coniugis. Vides Secundò, nec requiri iuramentum, quia promissio sine iuramento verissima promissio est. Vides Tertiò, promissionem non debere esse revocatam, nam, si est revocata, evolat, & non persistit promissio: at adulterium, & simul promissio hoc impedimentum delinquentibus effingunt. Revocatio autem, vel expressa esse potest, vel tacita, cujus tacitæ nonnulla exempla habere potes à Sanchez *lib. 7. matr. d. 79. n. 6.*

2. Sed adhuc sunt addendæ notationes quatuor. Notatio prima. Adulterium hîc intelligitur eo modo quo intelliximus §. *praced. n. 6.*

3. Notatio secunda. Promissio debet esse acceptata ab altero coniuge; si enim acceptata non est, vim promissionis, saltem completæ, non habet; Sed non est necesse, ut alter repromittat, siquidem nullum ius requirit ejusmodi repromissionem; quia tamen debet esse acceptata, ideo alteri significari omnino debet, ut dicam *num. 6.*

Quid si solum sit externa, sed ficto animo ficta, atque adeo nullo modo interna? Respondeo, non sufficere tum pro foro poli, tum, si possit probari, pro foro fori, quia verè tunc nō est promissio, cui iura (quæ cum sint odiosa, non debent extendi) adnexuerunt impedimentum. Ita Henriq. *l. c. 12. c. 14. n. 3.* G. Hurt. *d. 23. matr. diff. 2. n. 8. & 9.* Perez, *de matr. d. 33. sect. 4. Ver. Sufficere quoque*, aliique licet Sanch. *lib. 7. matr. d. 79. n. 10.* Coninch. *d. 31. num. 5.* & Castrop. *d. 4. de sponsal. p. 12. n. 11.* putent, sufficere, quia finis legis est, tollere ab adulteris occasionem captandæ mortis coiugis. Sed certè finis legis non cadit sub legem, nisi quatenus in verbis legis comprehenditur. Quare sententia Henriq. est à nobis approbanda.

4. Notatio tertia. Requiritur, ut dicta promissio sit absoluta, vel si sit conditionata, ut transierit in absolutam per adventum conditionis, qui scilicet eventus fuerit ante mortem coniugis. Si sic v. g. promittat dictus Titius prædictæ Catharinæ, *Te ducam in vxorem, si meus Pater discesserit ab hac Vrbe*, necesse est, ut vult Castrop. *loc. num. 13.* citans Coninch. G. Hurt. Avers. contra Sanch. Navarr. & Rodriq. ut discessus Patris sit antè mortem Bertæ, ut cum adulterio consurgat impedimentum.

5. Quid, si sic promittat Titius? *Te Catharinam ducam, si moriatur Berta mea uxor?*

Respondeo, tunc cum adulterio exurgere impedimentum, quia in casu hoc hujusmodi promisso æquivalet promissioni absolutæ, ut rectè notat Aversa *disp. q. 18. sect. 3. tamen Ver. Si*; siquidem hæc conditio (*si moriatur mea uxor*) semper imbibitur in promissione, quantumvis absoluta matrimonii, facta à coniugato: ergo non reddit illam diversam ab absoluta, & ex alia parte illa locutio potius auget, quam minuit ansam captandæ mortis coniugis.

6. Notatio quarta. Dictum est, promissionem debere esse acceptatam. Iam quæro, an acceptatio hæc debeat esse externo aliquo signo facta ei, qui promisit?

Respondeo, ita profecto, secus completa promissio non esset. Ita Sanchez, *d. 79. n. 26.* Coninch. *l. c. n. 56.* aliique. Lege item De Lugo, *de Iust. t. 2. disp. de Dona. & prom. n. 63.* qui hanc exteriorem significationem acceptationis necessariam esse putat in promissionibus onerosis (qualis certè est ea, de qua loquimur) quamvis non gratuitis.

7. Quid, si alter, qui debet acceptare taceat? Respondeo, si taceat, & interne non acceptet, ut dixi *n. 3.* sufficiens, & vera acceptatio non est. Quæstio ergo solum esse posset, quando quis acceptet interne, & taceat. Ad quam dico, reduci id tandem ad illam regulam: *Qui tacet, consentire videtur*: quam communiter Doctores explicant, valere semper in favorabilibus ipsi tacenti, non vero in odiosis, seu ipsi nocivis. Quid ergo? valetne in casu nostro? Sanchez *loc. c. n. 25.* cum Bonac. *de mat. q. 3. p. 6. n. 9.* Avers. *q. 18. sect. 3. Ver. Quia demum*, & Castrop. *loc. c. n. 10.* putat non valere, quia, sumus (ait) in nocivis, illa enim acceptatio re vera affert, causatque impedimentum matrimonii, quod incommodum est & detrimentum Coninch. *loc. c. n. 58.* Pont. *l. 7. c. 45.* G. Hurt. *l. 1. diff. 2. n. 9. fine.* Rebell. *l. 3. q. 8. n. 5.* Perez *disp. 33. sect. 5.* putant, valere, quia sumus (ait) in favorabilibus, illud enim matrimonium apprehenditur ab illis adulteris, ut bonū, Quoniam verò utraque sententia est probabilis, rationes vtrinque adductæ apud earum Doctores videantur.

8. Si ex circunstantiis colligatur, illud silentium esse potius contemptum, quam acceptationem, certum est, non sufficere, quia non esset tunc iudicandum, adesse acceptationem, ut non iudicatur (inquit in simili De Lugo *loc. cit.*) si dicente Scurra puellæ Regiæ, Tibi promitto matrimonium, puella taceat: tunc enim silentium illud contemptum significat, non consensum.

Ex dictis vides, adulterium solum sine alia promissione, vel promissionem solam (quæ certè est peccatum grave secundùm Avers. *q. 18. matr. sect. 3. Ver. Videtur impedire,*) sine adulterio non esse impedimentum dirimens; ut rectè monet *ibid.* Aversa.

9. Ex dictis sequentem casum decidamus. Titius, & Catharina bona fide putantes Titii vxorem obiisse, sibi invicem promiserunt matrimonium, deinde cognoverunt eam vivere, & nihilominus commiserunt adulterium, incurreruntne impedimentum, de quo loquimur?

10. Respondeo, Incurrerunt (ait Aversa, *quæst. 18. de matrim. sect. 3. Vers. Sed plerique*, & in simili Perez *d. 63. sect. 3. num. 3.*) quia iam adsunt illa duo, quæ ad pariendum hoc impedimentum requiruntur, nempè promissio, & adulterium. Et quamvis ex iure suprà dixerimus, Adulterium debere esse formale, hoc est cognitum, ut tale: tamen non invenitur in Iure, quod promissio debeat esse cum notitia, quod, propter viventem coniugem, fieri illa promissio non possit.

11. Hæc illi, à quibus dissentire me cogit distinctio hic adhibenda. Collig. ex Sanch. *l. 7. de matr. d. 79. n. 6. & 7.* Si Titius, & Catharina adulterium post cognitionem vitæ Bertæ committunt ex vi promissionis factæ, seu ex confidentia, quod erant, (ut ita loquar) sponsi cum spe futuri matrimonii, sanè tunc assentior impedimentum consurgere, quia sic persistit promissio, & quidem sub mala fide, quæ antea erat sub bona. At verò, si cognita Bertæ vita, apprehenderint Titius, & Catharina promissionem illam evanuisse, quia inter ipsos matrimonium intercedere amplius non potest, committuntque deinde adulterium abstrahendo ab illa promissione, impedimentum non contrahent, quia sic adulterium non est coniunctum cum promissione, si quidem illa iam, ut dictum est, in hoc posteriore casu, amplius non persistit.

## QVARTVM CRIMEN.

### §. IV. *Adulterium coniunctum cum matrimonio attentato.*

1. SI Titius vir Bertæ per matrimonium, etiam tantummodo ratum, committat cum Catharina adulterium, & insuper idem, idest Titius, & Catharina attentent contrahere matrimonium per verba de præsenti, statim enascitur inter ipsos impedimentum dirimens: attentent (dixi) nam vivente coniuge, verum nunquam erit cum alio matrimonium. Neque mirum

est, in hoc casu enasci dictum impedimentum; si enim illud, ex sola promissione matrimonii cum adulterio, consurgit, multo magis ex consensu præsenti.

Nihil præterea hîc notandum occurrit, quod ex proximè dictis colligi non possit.

§. V. *Quo Iure inductum est Impedimentum Criminis?*

1. SAnè Iure Ecclesiastico, ut patet ex Textibus initio hujus cap. allatis. Verùm institui hunc paragraphum, ut notarem duo.

Primum, cum Infideles non subjaceant legibus Ecclesiasticis, ideo, fit, ut, si duo ex ipsis committant prædicta crimina, non futurum sit invalidum eorum matrimonium ex hoc capite, ut reipsa invalidum non fuit matrimonium David cum Bersabea Adultera post Uriæ mortem, ab eodem David interfecti.

2. Secundum. Quid si aliquod ex prædictis criminibus committatur ab altero, qui sit Christianus, altero existente Infideli?

Respondeo, Sanè tunc redundaret impedimentum dirimens inter ipsos: nam ad contrahendum invalidè matrimonium satis, superque est, ut alter ex contrahentibus impedimento alligetur. Quemadmodum contingit in impedimento solemnis Voti, vel Ordinis Sacri, quod, quamvis in altero dumtaxat inveniatur, irritum tamen reddit matrimonium. Sunt nihilominus in casu nostro aliquot exceptiones, quas admittit Sanchez, *lib.7. matr.d.78.num.3.* reiicit vero Aversa, *de matr.quæst.18. sect.5.* quasque, si tempus tibi suppetit, & curiositas movet, vel necessitas decidendi vrgeat, apud ipsos lege: rarissimè enim evenire solent.

## CAPVT VII.

### *Impedimentum Sextum.*

### *CVLTVS DISPARITAS.*

1. INter personam baptizatam, & non baptizatam, quamvis Cathecumenam, invalidè initur Matrimonium, quod significamus, cum disparitatem cultus esse asserimus impedimentum dirimens. Id autem est inductum Iure Ecclesiastico propter periculum, quod subiret proles nascitura pravæ educationis. Quod quidem periculum notat, Matrimonium inter Fidelem, & Infidelem illicitum iure naturæ esse, sed non notat esse invalidum, ut minùs rectè aliquot pauci putant. Locum Iuris, in quo hoc impedimentum constituitur, non facilè invenies; id, quod pluribus disputatum habes apud Pontium *lib.7. cap.47.* satis tamen nobis est, asserere, saltem ipsa consuetudine, & usu à Sancta Ecclesia illud fuisse approbatum.

2. Si Infidelitas superveniat Matrimonio iam contracto, illud non dirimit, sed qua ratione possit esse causa divortii infrà dicam, *tract.7. de obligat. cap.3. §.7. à num.2.*

3. Infidelem autem, dixi, nam cum hæretico contractum matrimonium à Catholico validum est, quia hæreticus opponitur baptizatus; erit tamen illicitum, quia regulariter timentur pericula malæ educationis filiorum, vel perversionis alterius coniugis, quibus tamen in raro casu cessantibus, posset Summus Pontifex dispensare. Quæ, & similia distinctius dicam infrà, *tract.5. de matr. ut Sacr.cap.5. & tract.7. de oblig.cap.3.§.2.à num.2.* & passim Doctores, ut Sanchez *lib.7. d.72.* Coninch. *d.31.dub.3.à n.41.* De Lugo *de Fide d.62.quæst.2.* Aversa *loc.cit.sect.2.*

## CAPVT VIII.

### *Impedimentum Septimum.*

### *VIS.*

DE Impedimento hoc, quod exurgit ex Vi, Coa[c]tione, Metu, dicemus commodius non modo [in] *tract.3. de sponsal.cap.2.§.2. & tract.4. de consens.§.3.*

## CAPVT IX.

### *Impedimentum Octavum.*

### *ORDO SACER.*

1. ORdinem Sacrum, hoc est Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium esse in Ecclesia Lat. impedimentum dirimens Matrimonium, est ita certum ut sit ex Tridentino de Fide, *sess.24. de matrim.c.9.*

2. Adde insuper, si ordinatus quis in Sacris ordinibus Matrimonium contrahere, incidere in excommunicationem latæ sententiæ, ut infrà *hoc eodem tr.1.c.17.§.2.* docemus, & incidere in irregularitatem Bigamiæ similitudinariè, ut explicabimus, cum de Irregularitate, & denique post sententiam incidere in privationem Beneficiorum, ut habetur in Iure *C. Decernimus dist.28.*

3. Inquires. In Ecclesia Græca, seu Orientali, si ordinatus in Sacris ducat vxorem, validène ducit. Non in Græcis jam vxoratis antea, concedatur posse. Ordinari Sacros, non verò Episcopatum, validè suscipere, & [e]os in Matrimonio exercere; tamen non concedimus Matrimonio coniungi eos, qui Sacris Ordinibus sunt insigniti: nam propterea quæritur an sit ipsis Ordo Sacer impedimentum dirimens, ita, ut, si Græcus Sacerdos vxorem ducat, non illicitè modò, sed invalidè ducat?

4. Respondeo, invalidè ducit, Azor. *t.1.l.13.c.14.* & validè Arcudius, *in Concord.l.7.cap.42.* cui fortasse non habebit fidem Lector, utpote viro docto ex Græca, & in suis ritibus peritiori, quam Azor. Ipsum adi.

5. Multa hîc essent superaddenda, nisi alibi de iis sufficienter dixissem, nam propterea hîc indicare loci non erit. Quodnam Sacrilegium committat Sacro Ordine initiatus, si contra Castitatem peccet, dixi in *Medul. Conf. lib.2.c.7.§.1.n.4. & 5.*

Quid de Sacerdote Græco? Dixi in libris Decalogi vi de *l.2. in Decal.c.6.§.3.n.3.*

An Sponsus, invita Sponsa, Ordinem Sacrum insuscipere valeat? infrà *tr.3. de sponsal.c.5.§.3.*

An Ordo Sacer dissolvat vinculum Matrimoniale? Infrà *tr.5. de matr.vi.Sacr.c.6.§.2.n.13.*

An ex consensu vxoris possit ordinari vxoratus; quid si ordinetur, absque ejus consensu? infrà *tr.6. de oblig.cap.4.§.2.*

An obligatio servandæ Castitatis annexa ordini Sacris sit ex Voto, an ex Præcepto, suprà *lib.5. de Ordin.cap.3.§.3.*

An infans, vel ignorans hanc obligationem, illam subeat, si ordinetur? *Ibid.à n.17.*

An Metu, vel Vi coactus Sacrum Ordinem suscipiens eandem servandæ Castitatis obligationem contrahat? *Ibid.à n.13.*

An in Sacris constitutus incurrat excommunicationem, si attentet Matrimonium contrahere Infra *c.9. §.14.* ut modo *n.2.* dixi.

CAPVT

# CAPVT X.

## *Impedimentum Nonum.*

## LIGAMEN.

1. PErsonam alteri per Matrimonium ligatam non posse, vivente coniuge, alteri per simile Matrimonium ligari, est res adeo certa, & à Trid. definita, ut probatione non indigeat, debeatque Inquisitoribus deferri, qui dum vivit coniux, aliud Matrimonium contrahit. Lege Dian. *p.4.T.7.Resol.4.* Castrop. *T.2.tr.4.d.8. p.16.§.8.* Th.Hurt. *p.1.Resp.mor.s.c.2.n.32.* Imò per aliquos etiam, ut Carenam *p.2.tit.5.n.6. iuncto n.33. ad* 47.Bord. *de Sacro Trib.c.22.q.39.* Sed omnino vide Th. Hurt. *l.c.n.34. & 35.* qui sponsalia nova, dum ipse est matrimonio devinctus, init cum aliqua.

Conveniunt autem DD. hoc impedimentum esse ex iure naturali, & Divino, quamvis non negent, olim concessisse Deum Hebræis polygamiam, hoc est vxores plures, de qua re Pontius, *l.7.mat.c.49.* Sanc. *l.7.cap.80.* aliique multa scribunt.

2. Aliud hîc superaddere non occurreret, nisi animadverterem, velle Lectorem hac occasione opportunè doceri, quam cognitionem mortis alterius debeat habere alter coniux, ut possit ad alias nuptias animum adiicere.

3. Aio, hanc regulam dari ab omnibus receptam; Ita ap.Sanch. *l.2.d.46.* & ap.Barb. *in Collect. ad cap. in præsentia de sponsal.* eamque in utroque foro. Non sufficit ad secundum Matrimonium contrahendum verisimilitudo, vel probabilitas mortis coniugis, multo minus dubium negativum, sed necessaria est cognitio moraliter certa. Hæc regula probatur. Primo, quia in sacro Textu *C. Dominus, De secundis Nuptiis* dicitur: *Donec constet quod ab hac vita coniux migraverit*, & alibi *C. In præsentia, de sponsal. Donec certum nuntium recipiant de morte Viri sui.* Secundo, quia hîc egimus de tollenda possessione prioris coniugis. At contra possidentem probationes debent esse claræ, & convincentes. Tertio, quia incommoda gravia, quæ solent enasci, si inito secundo matrimonio inveniatur vivere prior coniux satis ostendunt, in tam gravi negotio ex valde firmis rationibus esse procedendum.

4. Neque obstat Pontifex, *C. queniam, ut lite non contestata, Ter. Si autem*, dum alibi dicit, *Tandiu alter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur.* Non obstat, inquam, quia illud (*præsumatur*) notat, requiri vero similitudinem, quæ solet præsumi in iure, at hæc in tanta re, in qua agitur de secundo matrimonio, non ducitur in Iure, nisi ex rationibus moraliter certis. Aliam explicationem hujus textus affert Gutierez, quam Sanchez *l.mox citando n.9.*

5. Verum, his habitis, vix aliquid habuimus. Nam Inquiro, vndenam, & qua ratione ejusmodi moralis certitudo conquirenda sit? Molesta difficultas in praxi, nam propterea id à Iure Iudicis arbitrio tandem remittitur. Ita Menoch. *de arbitr. casu 470. n.128.* Sanch. *l.2.d.46. n.7.* Lucem nihilominus ex sequentibus probationibus, coniecturis non exiguam hauriemus.

6. Primo Non sufficit sola coniugis absentia longi temporis, etiam si interim adhibita sit diligentia, & etiam si, ut habet Textus, *C. In præsentia de sponsal.* fœmina esset iuvenis, & se continere non posset, quia vita hominis præsumitur durare usque ad annos centum. Lege Sanc. citatum *n.1.*

7. Secundo; non sufficit, si nullus habeatur testis de visu, sed solum aliqui de auditu & de fama testimonium ferant, coniugem obiisse, id enim rem certam nequaquam reddit. Ita communis fert opinio. Ita Sanch. *l.c. n.15. Pont. l.7.c.53.n.3.*

8. Tertio, non sufficit ut vult Sanc. *l.c.n.12.* unus privatus testis de visu, quia pari modo unus, tanti negotii rem certam non reddit. Et quamvis aliquando testis unus admittatur ad aliquam probationem certam faciendam; id tamen est in re alteri nequaquam præiudicante: at in casu nostro præiudicium ferretur ipsi primo coniugi.

9. Obiices: Modo Sacer Textus dixit, requiri certum nuncium. Ergo unus sufficit testis, secus dixisset (*nuncios*)

Respondeo propter hanc considerationem putarunt plures, ut Hostiensis, & Verrac. ap. Sanc. *l.c.n.10.* sufficere testem unum de visu, sed immerito, nam illa vox (*nuncium*) in hoc textu est neutrius generis, & stat pro (*Nunciatione*) seu susq; est hujusmodi. *Donec certum nuncium, seu certam nunciationem* (auviso Italicè) *recipiant.* Nec gratis affigimus hanc interpretationem, cum ipsa materia de qua agitur; illam prorsus expostulet. Atque hæc tria non sufficiunt, sufficiunt vero tria sequentia.

10. Quarto enim, si cum fama, seu cum Testibus de auditu adiungantur aliæ coniecturæ non levis momenti, vtique sufficiunt, secundum Bonac. *de matr.q.3.p.10. n.14.* & Averſ. *q.14.matr.sect.3.Ver. Tertio vlterius?* alios citans; quia sic rem moraliter, & humano modo certam faciunt, atque hic maximè valet prudens Iudicis arbitrium.

11. Quintò. Si cum unico Teste de visu aliæ simili modo coniecturæ, seu adminicula coniungantur, multo magis, si per distantiam maior probatio sperranda non sit, sufficere docet Sanchez *l.c.n.12.* Benignius de his videtur loqui Th. Hurtad. *p.1. Resp. Mor. n.106. fol. mihi 109.*

12. Sexto. Si Rector Parochiæ testificetur de morte prædicta, vel exhibeatur ejus authentica fides, probabitur nunc sufficienter mors, quia hæc est probatio publici Officialis, seu per publicam scripturam exhibita, quæ fidem moraliter certam facit.

13. Sed quid, si, adhibitis necessariis diligentiis moraliter, constat de morte coniugis, unde bona fide matrimonium quis novum contrahat, sed casu occurrat, coniugem illum vivere, validúmne fuit novuum matrimonium?

14. Respondeo, omnino fuisse invalidum: neque enim bona fides, immo neque iudicis sententia, si forte interposita fuisset, potest tollere impedimentum dirimens matrimonium. Quare coniux ille, qui defunctus credebatur, si forte appareat, revocare sibi omnino suam conjugem debebit.

15. Inquiret Curiosus. Si Titius v.g. mala fide contraxisset cum Catharina, quæ tamen Catharina putabat fide bona, & forte ex Iudicis sententia Bertam coniugem priorem Titii iam è vivis decessisse, contingat autem, ut deinde idem Titius affirmet Catharinæ, matrimonium inter ipsos esse irritum, quia sua Titii coniux Berta verè vivebat, quando idem Titius contraxit matrimonium cum ipsa Catharina, illinc obligabitur credere Catharina?

Respondeo, Nisi certo ostendatur ex aliis probationibus, tunc vivam fuisse Bertam non obligatur, quia propria Titii confessio ipsi Titio præiudicat; non verò alteri tertio. Legantur Sanch. *l.10.d.12.n.50.* & ea quæ ego dixi in hanc rem, *L.1.in Decal.c.3 §.7.V. Matr.n.4.*

16. Iam si occurrat oppositum, quid dicendum? Vere mortua est vxor Titii, sed putantes ipsi Titius, & Catharina Bertam vivere, matrimonium cum mala fide contraxerunt, contraxerúntne valide?

Respondeo, Si fides mala fuit innixa certitudini, quamvis solum existimatæ, invalidè contraxerunt, quia tunc adesse sufficiens consensus non potuit; si vero fuit innixa dubitationi, vel probabilitati, quam ipsi non curarunt indagare (quod idem esset, si pendente lite pro validitate prioris matrimonii, novum contraxissent. sic enim etiam contraxerunt cum dubio, si, inquam, sic fuit, & deinde invenitur verè fuisse Bertam mortuam, validè contraxerunt. Ratio est, quia in hoc casu adfuit sufficiens consensus, ut dicemus infra *tr.4. de consensu matr. d.2.* Quem locum, nisi legas, hanc rationum diversitatem intelligere profectò nequaquam poteris.

## CAPVT XI.

### *Impedimentum Decimum.*

### *PVBLICA HONESTAS.*

#### §. I. *Quid illud sit?*

1. IMpedimentum publicæ honestatis, (seu ut solet etiam appellari, Iustitiæ publicæ honestatis, propterea, quod ab Ecclesia institutum est, propter quandam honestatem, & decentiam publicam) oritur ex duobus capitibus, puta ex sponsalibus, & matrimonio tantum rato, sed in diversis gradibus.

2. Si enim Titius v. g. contraxit sponsalia cum Berta, idem Titius non poterit, etiam post mortem Bertæ, ut testatur Villalob. *de communi sententia n.1. in sum. tr.14. diff.16. num.4.* Aversa. *quæst.17. matr. sect.4. V. Semelque*, coniungi in Matrimonio cum consanguineis Bertæ in primo gradu, nempe cum Matre, vel Sorore, vel filia dictæ Bertæ, nec Berta cum similibus consanguineis Titii, quia ex sponsalibus, respectu dictorum nascitur impedimentum dirimens. Dico (respectu dictorum) nam respectu aliorum quorumcunque, ex sponsalibus solum oritur impedimentum impediens, ut dicemus *infra c.16. n.6.* suo loco.

3. Si verò idem Titius contraxit matrimonium per verba de præsenti cum Berta, sed nondum consummavit si enim consummavit, oritur impedimentum aliud, quod appellatur Affinitatis, & de quo *c.seq.* dicemus) quo pacto est matrimonium tantummodo ratum, non poterit Titius contrahere matrimonium cum nulla ex consanguineis Bertæ usque ad quartum gradum inclusivè, nec Berta cum similibus consanguineis Titii, ut notat, saltem ex recepta legitima consuetudine, Pontius *l.7. matr. c.36. n.4.* Aversa. *l.c. Ver. Hinc*, Notetur benè hæc diversitas, nam ego ad aliqua particularia de duobus dictis capitibus separatim explicanda, gradum facio.

#### §. II. *Publica honestas ex sponsalibus.*

1. TRia peculiaria de hac habet Tridentinum *sess. 24. c.3. de Reform. matr.* Primo disponit, ut, quia iure antiquo hæc publica honestas orta ex sponsalibus extendebatur usque ad quartum gradum, nunc restringatur, ut dictum est ad Primum.

2. Secundo, ut non enascatur hoc impedimentum, nisi ex sponsalibus validis. Quare, si ex quocunque capite, sive ex defectu consensus; quamvis solum interni. Ita G. Hurt. *de matr. d.21. diff.1. n.3.* alios citans contra Sanch. Henr. Pont. & Aversa. *q.17. matr. sect.5. V. Si autem*, sive ex impedimento occulto, quo sponsi laborarent, invalida essent sponsalia, hoc impedimentum nullum esset.

3. Tertio, ut sponsalia debeant esse absoluta, nam si sint conditionata, hoc impedimentum pari modo non incurritur. Vide *n.9.*

#### *DISSOLVTIS SPONSALIBVS, AN ETIAM dissolvatur hoc Impedimentum?*

4. Circa hæc sic dubitare posses. Primò, Titius, & Berta contraxerunt validè sponsalia, sed deinde, sive mutuo consensu ea dissolverunt, sive ex iusta causa alter legitimè à sponsalibus recedendo; ea fuerunt legitimè dissoluta. Tu ergo nunc dubitas, an sponsalibus iam cessantibus, cesset etiam impedimentum publicæ honestatis.

5. Respondeo cessare putat G. Hurt. *d.21. diff.1. n.5.* Pontius *l.7. c.36. n.9.* Barbos. *in d. cap. Trid. n.8.* Sà *Ver. Matr. n.12.* Castrop. *disp.4. p.10. n.9.* Leand. *tr.9. d.19. q.4.* Cornejo *d.7. dub.30. q.5.* aliique, qui cum nunc sint dissoluta illa sponsalia, iam verificatur, illa esse invalida. Vnde ex Trid. ut dictum est *n.2.* non parient impedimentum. Non cessare docet Sanch. *l.7. d.68. n.21.* Laym. *lib.5. tr.10. p.4. c.9* Perez *de matr. d.8. sect.2.* Aversa. *de matr. q.17. sect.5.* *Ver. Addit.* Bonac. *q.3. p.11. n.7.* cum aliis, quia fuerunt valida sponsalia, unde iam fuit orum impedimentum, illo autem semel exorto, non dependet à sponsorum ejus cessatio. Confirmatur, quia hoc impedimentum morte alterius ex sponsis non cessat, & tamen nunc dissolvuntur sponsalia.

6. Vtraque sententia videtur probabilis. Quod prior, ut ait Pont. *l.c.* afferat pro se declarationem Cardinalium, nihil est, quia etiam posterior, ut vult Bonacina, aliam pro se Cardinalium declarationem inducit, & stylum, ut habet Aversa. *l.c.* Curiæ Romanæ pro obtineri in ejusmodi casu, de quo loquimur, allegari solet. Ad rationem posterioris posset prior respondere, hoc impedimentum non enasci, nisi quando sponsalia, at quando sunt retractata, moraliter non sunt, vnde non est mirum, si non remanet impedimentum.

Ad confirmationem potest afferri disparitas, quia sponsalia retractata non fuerunt à Sponsis ante mortem, noluit Ecclesia, ut impedimentum aboleretur post mortem, quia iudicantur permanere.

7. Pro priore sententia habeo Consilium Petri Musticæ Doctissimi Theologi nostræ ætatis, in suo *manuscript. consiliis, cons.40.* cujus supra etiam mentio. Consilium sic absolvit. *Vnde potest, qui contraxit sponsalia de futuro cum filia, postea verò per mutuum consensum dissoluta, potest, inquam, contrahere matrimonium cum Matre sine ulla dispensatione Summi Pontificis, Episcopi, vel sentio, salvo meliori iudicio aliorum præsertim Theologorum. Atque hanc sententiam docuerunt Maximilianus Archipresbyter Sambucensis, & Episcop. Agrien. permittentes, quod Ioseph Torres sine dispensatione contraxerit in vxorem N. Buscemi sororem minorem, qui paulo ante eodem anno 1634. inierat sponsalia cum sorore maiori N. Buscemi, quæ mutuo sponsi & sponsa consensu fuerunt dissoluta.* Post hæc scripta, & in prioribus editionibus impressa, venit in manus meas Decretum S. Congregationis latum contra posteriorem sententiam, quod eiusmodi. Iubente sanctissimo Domino nostro, proposita fuit in sacra Congr. Conc. An sponsalibus validè contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, fit illicitum impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, & hoc pluries proposito, & maturè examinato, tandem die 6. Iulii 1658. Eminentissimi Patres in antiqua eadem Congregationis sententia consentientes censuerunt non esse sublatum. Cujus sententiæ vnà cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congr. in hac materia responsis facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas suà sub die ejusdem mensis in eadem Congregat. resolutionem probavit, eamque confirmavit, bium exceptis non revocari: hactenus Decretum, quod omnino servandum est.

#### *SECVNDA SPONSALIA An pariant Impedimentum?*

8. Dubitare potes sic Secundò, Titius contraxit validè sponsalia cum Berta: mox alia sponsalia, (licitè) contraxit cum Antonia sorore Bertæ, quæritur hæc secunda sponsalia impedimenta ipsum Titium, ita, ut non possit amplius sine dispensatione ducere Bertam?

Respondeo, Non parere. Ita Aversa *quæst.* *Ver. Alia tandem*, quia hæc secunda sponsalia valida, quæ ex Tridentino ut dictum est, impedimenta non afferunt.

#### *SPONSALIA CONDITIONATA An pariant dictum impedimentum?*

9. Dubitare denique posses Tertio. An sponsalia facta sub conditione de futuro suspendente consensum adveniat deinde conditio, tunc emergat hoc impedimentum?

Respondeo, cum communi sententia emergere Dolore

Doctores supra citati, nam ex sponsalibus conditionatis non nascitur, quia illa nondum sunt vera sponsalia: at adveniente, & purificata conditione, jam sunt vera, absoluta & propria sponsalia: ergo, &c.

§. III. *Publica Honestas ex Matrimonio Rato.*

1. EX matrimonio tantummodo rato oriri impedimentum hodie dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum inclusive, supra indicavimus, nam olim extendebatur vsque ad gradum septimum. Iam inquiro, ejusmodi impedimentum oriturne, etiam ex matrimonio rato invalido?

2. Respondeo, esse bene distinguendum. Ita Pon. *loco mox citando n.5.* aliique passim; nam oritur ex invalido, quod invalidum sit ex omnibus aliis capitibus, præterquam, si sit invalidum ex defectu consensus. Quare, si matrimonium ratum fuit invalidum, quia fuit cum consanguinea, cum affini, cum Professa solemniter, &c. jam incurristi impedimentum dirimens Publicæ Honestatis ex matrimonio rato; at si fuit invalidum ex defectu tui liberi consensus, qualis etiam est consensus eo metu, ex errore personæ, ex amentia, ut notat Hurt. *de matr. d.21. diff.2.n.8.* impedimentum hoc non contraxisti.

3. Nota differentiam? Impedimentum Publicæ Honestatis ex sponsalibus nunquam ex Tridentino oritur ipsis sponsalibus invalidis. At impedimentum ejusdem publicæ honestatis ex matrimonio rato oritur semper, excepto cum affuit defectus ipsius consensus; tunc enim non oritur, ut dictum est.

Ex defectu ætatis, quando sufficiens consensus deficit pro matrimonio non incurritur publica honestas ex matrimonio rato, quia hoc est defectus pleni consensus: At vero, quia ille consensus valeret ad sponsalia, incurri publicam honestatem ex sponsalibus, dicam infra *Tr.3. de sponsa. c.2.§.4.n.4.*

4. Quid quando Matrimonium ratum sit invalidum, quia contrahitur clandestinè; id est, quia celebratur sine Parocho & testibus.

Respondeo. Non contrahi hoc impedimentum tenet Sanchez, *l.7.d.70.n.13.* & Coninch, sed immerito, nam propterea cõtra eos argui rectè Perez, *d.32. matrim. sec.3.* citans Hurt. Pont. *l.7. cap.36.n.5.* afferens declarationem Cardin. Averf *q.17. sect.5. Ver. Addit. Sanch.* cum enim (ait) in hoc casu matrimonium non sit invalidum ex defectu consensus, sed ex defectu solemnitatis illi consensui annexæ ab Ecclesia, non est ratio, cur impedimentum non enasci concedamus.

5. Quid de Matrimonio rato conditionato per conditionem futuram suspendentem dicti Matrimonii consensum.

Respondeo. Dum manet conditionatum, non parit hoc impedimentum, quia tunc nondum vere est matrimonium. At adveniente conditione, parit, quia jam tunc absolutum est, & verum matrimonium.

6. An autem, adveniente conditione, antequam novum consensum legitime adhibeant conjuges, oriatur publicæ honestatis impedimentum, tanquam à sponsalibus, atque adeo vsque ad primum gradum dumtaxat; an vero tanquam à matrimonio jam rato, adeoque vsque ad quartum gradum, quæstio est apud Doctores. Nam aliqui volunt matrimonium sub dicta conditione celebratum, adveniente conditione non habere vim nisi sponsalium, antequam de novo rite consentiant sponsi, & hi debent consequenter tenere, nunc oriri impedimentum tantummodo vsque ad primum gradum. Aliqui vero contendunt dictum matrimonium jam habere totam vim Matrimonii rati, & hi debent consequenter docere oriri impedimentum vsque ad quartum gradum. Quoniam vero nos infra *Tr.4. de consens. §.4.n.11.* docebimus, vtramque sententiam esse probabilem, sed priorem probabiliorem, ideo idem dicimus in præsentia de impedimento. Lege id breviter apud G. Hurt. *d.21. matr. diff.2.n.8.*

# CAPVT XII.

## *Impedimentum Vndecimum.*

## AFFINITAS.

### §. I. *Quid sit, & quatenus extendatur.*

1. AFfinitas est propinquitas, seu attinentia quædam, quæ ex copula carnali (quam completam vir, & mulier, sive licitè per conjugium, sive illicitè per culpam habent) provenit inter consanguineos viri, & dictam mulierem, & inter consanguineos mulieris, & dictum virum. Cum enim vir, & mulier per copulam, vel semel habitam, fiant vna caro, & vnum principium ejusdem filii, merito consanguinei vtriusque ad ipsos attinebunt, modo dicto; quæ attinentia vocatur Affinitas, quia consanguinei alterius (quilibet juxta suum gradum) veluti accedunt ad fines alterius. Ipsi vero vir, & mulier copulam habentes non sunt, nec vocantur affines, secundum Sanch. *l.7.d.64.num.4.* G. Hurt. *d.20. diff.1.n.1.* Perez *d.31. sec.2.* sed fiunt vna caro, & vocantur stipites Affinitatis, sunt enim radix, seu causa, vnde cæteri fiant affines.

2. Quoniam vero Affinitas habet, ut dictum est, suos gradus, perinde, ac consanguinitas, ad eos distinguendos solet à Canonistis hæc dari Regula. *Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, non gradum attinentiæ.* Merito dicitur (*mutat genus*) nam ex consanguineis fiunt affines & merito dicitur (*non gradum*) quia eo gradu quo erant consanguinei, fiunt in eodem gradu affines. Sed clarius habe sequentem Regulam explicantem illam Canonistarum. Quoto gradu consanguinitatis, est quis conjunctus, vel distat ab vno ex illis, qui copulam inter se habent, eodem gradu affinitatis est conjunctus, vel distat ab altero ex ipsis, qui prædictam copulam habent. Si ergo Antonius v.g. est in primo gradu collaterali cum Titio, id est ejus frater, erit affinis in eodem gradu cum Maria, cum qua Titius per copulam se conjunxit, in eodem gradu affinis erit Berta soror Mariæ cum dicto Titio. Pari modo, si Cæsar est pater Titii, atque adeo in primo gradu cum ipso conjunctus in linea recta erit affinis in primo eodem gradu in linea recta cum Maria, & similiter in eodem primo gradu erit pater Mariæ cum Titio, & sic de cæteris, mutando semper nomen *consanguinitatis* in *Affinitatem*, & ut dictum est, servando semper eundem gradum.

3. His declaratis, dicendum est, Affinitatem ortam ex copula licita; hoc est inter legitimos conjuges, hodie esse impedimentum dirimens subsequens matrimonium vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè: Affinitatem vero ex copula illicita, id est fornicaria, hodie esse impedimentum dirimens idem matrimonium subsequens, solum vsque ad secundum gradum ejusdem consanguinitatis inclusivè. Ratio est expressa dispositio Tridentini *sess.24. cap.4. de reform. matr.* confirmantis Decretum (*C. Non debet de Consang. & Affinitate*) Innocentii III. in Concilio Lateranensi.

4. Dixi (hodie) nam antea multo latius ejusmodi Affinitas extendebatur, tunc enim affinitas patiebat affinitatem, ut habes latè apud Sanchez, *l.7.d.67.* At vero, nunc certa Regula illa est: *Affinitas non parit affinitatem.* Quare hodie inter consanguineos Mariti, & consanguineos vxoris nulla est affinitas, nam solum est inter consanguineos Mariti, & vxorem, & inter consanguineos vxoris, & Maritum.

5. Ex dictis ergo fit ut duo fratres possint sine dispensatione accipere duas sorores, vel soror, & frater Petri v.g. copulari matrimonio cum fratre, & sorore Antonii v.g. Item fit, ut vnus ex fratribus ducere possit viduam, & alter frater possit ducere filiam ejusdem viduæ genitam ex mortuo marito. Item, ut Pater ducere

possit viduam, & ejusdem patris filius ducere ejusdem viduæ filiam ex alio matrimonio, atque hæc omnia, quia Affinitas non parit Affinitatem. Ita Sanch. *l.7. matrim. d.67. num.3.*

6. Idem dic, si Caius, v. g. ducat viduam relictam à propriæ vxoris fratre. Clarius. Caius duxerat Bertam, hæc autem Berta habet fratrem nomine Cæsarem, qui duxerat Catharinam. Dico, mortua Berta, & Cæsare, posse Caium ducere Catharinam, quia Cajus contraxit quidem affinitatem cum Cæsare, sed ex dictis nullam cum vxore Cæsaris, nempe Catharinam.

## QVÆSTIVNCVLA ORTA EX PRÆDICTIS.

7. Diebus hisce superioribus enatus sit sequens difficultas, cujus expressam solutionem apud neminem ex Scriptoribus nec ego, nec nostri Colleg. Panormitani Theologi invenire potuimus.

8. Si ex vivis excedat Berta vxor Titii, perseverat in Titio affinitas cum omnibus Bertæ consanguineis, quia, ut cum Sancto Thoma ex Textu notat Sanch. *l.7.d.64. n.2. ex C. Fraternitatis 35.q.10.* affinitas semel orta perpetuo remanet.

9. Sed quid, si post mortem Bertæ nascatur ex sorore v. g. dictæ Bertæ puella aliqua, hæc puella eritne affinis ipsi Titio, ita ut inter ipsam, & Titium nequeat validum matrimonium intercedere?

10. Respondeo: Theologi fere omnes prædicti, & ego minimus omnium, diximus esse affinem, & inter ipsos invalidum fore matrimonium. Ratio fuit, quia affinitas non solum extenditur ad consanguineos viventes, vel natos, vivente ipsa vxore, sed etiam ad consanguineos, natos post ipsius vxoris mortem. De novo enim nati verè, & in omni rigore sunt consanguinei dictæ vxoris, quamvis mortuæ. Et sanè Pater in Cœlo, v. g. existens, ut suum filium, suosque nepotes recognoscit filium post humum, & nepotes descendentes. Si ergo postea nati, sunt verè consanguinei vxoris Titii, erunt affines ejusdé Titii.

11. Noluit acquiescere huic rationi vnus ex prædictis nostris Theologis. Vnde quæstionem hanc Romæ decidendam misit ad Patrem Ludovicum Leti Nostræ Societatis virum Doctissimum, & præcipuè in Sacris Canonibus exceltissimũ, qui respondit certissimam esse doctrinam à me, prædictisque Theologis allatam. Huic responsioni, nec dum ille vnus acquievit, donec suum argumentum dissolutum viderit: Argumentum autem fuit hujusmodi: Affinitas non resultat, nisi mediante Matrimonio: ergo, non stante Matrimonio, resultare ea nunquam poterit: Sed post mortem prædictæ Bertæ jam non stat matrimonium cum Titio, quia ex Sancto Paulo matrimonium dissoluitur per mortem: ergo nec resultabit affinitas in Titio cum natis post mortem Bertæ.

12. Respondi in hunc modum: Affinitas non resultat, nisi mediante matrimonio, quod aliquo tempore extiterit, concedo quod nunc actu existat, nego. Vndè nego consequentiam. Cujus distinctionis ratio est, quia, ut diximus, adhuc de novo nati (matrimonio scilicet amplius non existente) sunt consanguinei vxoris: ergo non possunt, non esse affines mariti; Sacri enim Canones ad contrahendam Affinitatem nihil aliud requirunt, nisi consanguinitatem cum altero ex conjugibus, nec distinguunt, stante vel non stante matrimonio.

13. Confirmatur. Affinitas vsque ad secundum gradum contracta ex copula fornicaria semper consurgit, ut vidimus, quamvis ibi non adsit, nec stet matrimonium; Satis enim est, ut aliquo tempore adfuerit culpa illa illicita: Ergo, & in casu nostro satis est, quod aliquo tempore adfuerit copula licita.

14. Et hinc ducitur ratio à priori. Nam Affinitas non oritur ex matrimonio immediatè, sed ex mixtione Corporum, etiam semel habita inter virum, & mulierem. Quamvis ergo per mortem dissolvatur matrimonium non dissoluitur immediata radix affinitatis, quæ est copulam intercessisse inter virum, & mulierem, propinquitas quæ nasci ex tali radice debet, impedit amplius oriri.

### §. II. *Quo jure inductum est hoc Impedimentum affinitatis.*

1. QVamvis naturaliter consurgat attimentia consanguineorum alterius conjugis cum altero, quam Affinitatem appellamus, ea enim consurgit ex ipsa unione corporum, quo conjuges fiunt vna caro; tamen eam attimentiam esse impedimentum dirimens Matrimonium subsequens, omninò inductum est ab Ecclesia. Ita Sanch. *l.7.d.66.& 67.* & Pontius *l.7.c.34.* atque propter convenientias supra in explicatione impedimenti cõsanguinitate indicatas, hîc proportionaliter applicandas. Addita etiam est excommunicatio contra incentes Matrimonium cum hoc impedimento, ut dicam *cap. .* §.3.

2. Hinc rectè colligit Hurtadus, *d.20. matrim. disp. num.8.* duos Infideles, qui dictam affinitatem contrahunt, posse tempore Infidelitatis valido Matrimonio conjungi cum affinibus, quia Infideles non subjacent Ecclesiæ legibus. Cætera ad Infideles circa hoc pertinentia vide apud citatum Hurtadum.

### §. III. *Affinitas supervenient Matrimonio.*

1. DIximus, Affinitatem dirimere Matrimonium subsequens; Si autem ea superveniat Matrimonio jam contracto, hîc dicendum est. De Cognatione spirituali superveniente dixi *lib. 2. cap. 4. §.2. à numero 17.*

2. Breviter. Si vir, vel vxor copulentur cum aliqua, vel aliquo ex consanguineis in primo, vel secundo gradu tantum sui conjugis, non dirimetur Matrimonium jam factum, sed impedietur, ne conjux à suo conjugio debitum conjugale petere licitè possit. Si Titius v. g. ut Bertæ cognoscat turpiter Sororem, vel matrem Bertæ, non poterit amplius petere debitum à Berta, nisi accedat legitima dispensatio ejus, qui dispensare potest, de quo dicam infra *tr.2.c.5.* Vltra peccatum igitur incestus quod committet Titius, cognoscendo suam affinam, incidet ipso facto in prædictam pœnam. Hoc igitur impedimentum non oritur, si conjux cum suis propinquis consanguineis incestum committat, sed solum, si commixtio cum consanguineis sui conjugis.

3. Ne autem hîc duo confundas, quæ sunt satis diversa. Non, si Titius v. g. vir Bertæ cognoscat turpiter aliquam Bertæ consanguineam in remotioribus gradibus, à primo, & secundo, hoc est in tertio, vel quarto, committit quidem incestum, quia ex suprædictis, consanguinei ejus vxoris sunt ipsi Titio affines, at non amittit jus petendi debitum à sua vxore Berta, quia Tridentinum hanc pœnam non valendi petere debitum, incestu & impedimentum dirimens ex copula illicita, non instrinxit ad primum, & secundum dumtaxat, ut dixi.

Simili modo, si idem Titius v. g. cognoscat turpiter aliam extraneam, nulla consanguinitate ad illam, vel ad vxorem suam pertinentem, cognoscat, v. g. Mariam, contrahet impedimentum, ne ipse Titius post mortem suæ vxoris Bertæ possit Matrimonium contrahere cum consanguineis Mariæ in primo, & secundo gradu, & si cum his forte postea copulam habeat committet incestum speciatim in Confessione aperiendum. At vero, si copulam, postea habeat cum consanguineis dictæ Mariæ in gradibus remotioribus, hoc est in tertio & quarto, illicitè quidem, ut ex se patet, facies, sed non contrahet conjunctionem cum dicta Maria, & consequenter, neque incurret impedimentum dirimens Matrimonium, forte contrahendum cum illa, ut fugiat declaravit Pius V. *ad Dominum 1557. Declarat, Card.* ap. Pont. *lib. 7. matr. d. 33. num. 6.* vadè, nec peccato

peccato

peccato incestus, sicuti rectè notavit Sanch. *lib.7.matr. d.67.num.7.* quare, nec speciatim, ut incestum in Confessione explicandum, quia in copula illicita (ut nimis sæpè dictum est) Tridentinum abstulit ab his remotioribus gradibus contractionem impedimenti, &c.

Vides ergo diversitatem, præsertim illam de incestu? Titius enim cognoscendo consanguineas Bertæ vxoris suæ in remotioribus illis gradibus, committit incestum. Idem verò Titius cognoscendo consanguineas dictæ Mariæ sibi extraneæ, sed jam vnitæ per copulam illiciam, cognoscendo, inquam, eas, quæ Mariæ sunt conjunctæ in primo, & secundo gradu, committet quidem incestum, sed cognoscendo eas, quæ eidem Mariæ sunt conjunctæ in tertio, & quarto incestum non committit.

4. Dixi autem *n.2.* (petere licitè non potest) potest enim, imò, & debet reddere ne ex peccato vnius conjugis patiatur damnum alter. Nam propterea, sic, & alter consenserit ad prædictum incestum, etiam, & ipse petere non poterit, ut explicatius alibi docui, *l.7. in Decal. c.4. §.2. in præscr. 12.*

5. Tria tunc exciderunt, quæ te ignorare non convenit, Primum, Secundùm Sanch. *l.7.d.31.n.1.* & Pontium *l.10.c.7.n.6.* aliósque, excusari ab hac pœna non valendi petere debitum, à suo conjuge, mulierem, quæ præcisa vi oppressa fuit à consanguineo sui viri, quia tunc cum culpam non committat mulier, non meretur pœnam, esto naturaliter oriatur affinitas. Secundum, eandem excusationem concedi probabiliter à nonnullis, ut Pont. *l.c.* Bonac. *de matr.q.4.p.2.n.5.* Aversa *q.17. matr. sect.3. Ver. Quod si fœm.* contra Sanch. & Pontium, si ex metu gravi, sive mulier, sive vir cogatur similem incestum cõmittere. Nam quamvis tunc peccent, Ecclesia tamen non videtur tunc illum, vel illam castigare tanta pœna velle. Tertium, probabiliter etiam à nonnullis concedi eandem excusationem, si adsit ignorantia, sive facti, sive juris, sive pœnæ, dummodo non sit affectata, ut liberius dicti conjuges peccent, id quod clarè docet Sanch. *l.c.d.31. a num. 43.* De his tribus, lege Dianam *p.11. tract.5. res.38.*

### §. IV. *Qualis copula Affinitatem pariat.*

1. QVoniam copula radix est prædictæ Affinitatis, ideo maximè hic explicari solet, qualis esse debeat copula, ut ex illa certo Affinitas oriatur. Dico, hac in re vnum esse certum, incerta duo: Certum est, nequaquam sufficere actus quantumcunque turpes esse, sed requiri copulam consummatam intra vas fœminæ, ubi effundatur semen.

2. Hinc non consurgit hoc impedimentum ex copula sodomitica, nec ex copula cum mortua, nec ex effusione seminis omnino extra vas, nec ex congressu spadonum, qui verum semen non emittunt, nec, ut declaravit Pius V. ex Matrimonio rato non consummato (ex illo tamen oriri impedimentum publicæ honestatis, ne obliviscaris.

3. Contra, ut vult Sanch. *l.7. d.64.n.17.* consurgit ex copula habita cum dormiente, cum ebria, cum infana, cum invita, cum coacta, cum ignorante, sive jus, sive factum; tunc enim vera fit seminum commixtio, & fit vnim principium generationis.

4. Atque hic nota diligenter differentiam, nam nunc docemus, oriri Affinitates à copula, etiam vi, vel metu habita: at paulo ante *in præced. num. 6.* docuimus ex copula vi, metu, &c. habita, non oriri pœnam non valendi petere debitum: quæ duo, quia sunt valde diversa, ideo valde notanda. Prius enim est ante contractum matrimonium, posterius vero est post illud jam legitimè celebratum.

5. Iam vero, incertum est Primò. An oriatur affinitas si semen emittuntur extra vas, sed illud sibi matrix attrahat, vel, si aliqua tandem arte, etiam ope Dæmonis, intra vas mulieris intromittatur. Negat Pontius, *lib.7. cap.33.num.2.* affirmavit cum communi Sanchez *l.7.d.64. num.15.* Pont. *q.3.p.12.n.14.* Aversa *q.17. sect.1. Ver. Dubitari etiam*, Perez *d.31. sect.1.n.4.* G. Hurt. *d.20. de matr. diff.1.num.3.* & merito, jam enim sic adest verissima seminum commixtio.

6. Incertum est secundo. An prædicta Affinitas oriatur si intromisso semine viri, mulier suum semen fœmineum non emittat, quo aliquando in fœmina frigidiore fertur posse contingere?

Respondeo, Quamvis debeat semper præsumi, fœminam etiam, & ipsam seminasse, vnde, nisi evidentissimè contrarium constet, in praxi, tum in foro fori, tum in foro conscientiæ est pronunciandum, Affinitatem esse contractam, tamen pro eo raro casu, qui posset contingere, duæ sunt sententiæ.

7. Non oriri tunc affinitatem, docet Perez *l.c.num.5.* G. Hurt. *l.c.num.4.* Aversa *l.c. V. Dubitatur tamen*, aliique, & novissimè Verricelli, *tr.4.q.mor.27. sect.10.* Ratio principalior est, quia ex Medicorum sententia ad generationem requiritur necessariò semé fœmineum. Quando igitur hoc abest, cum vir, & mulier non possint fieri vnum principium generationis, quod est radix Affinitatis, ipsa Affinitas oriri non potest.

8. Oriri tunc Affinitatem, docet Sanchez *l.c.num.20.* Pontius *l.7.cap.33. num.2.* aliique, quia hi probabilius putant, non esse necessarium ad generationem fœmineum semen, esto adiuuet. Quare sine hoc poterunt vir, & mulier fieri vnum principium generationis.

9. Vtraque sententia est probabilis, ut fatetur idem Sanchez *l.c.n.19.* & in simili iterum dicetur à nobis aliquanto inferius, *tract.5.c.7.n.5.*

---

# CAPVT XIII.

## *Impedimentum Duodecimum.*

## *IMPOTENTIA.*

### §. I. *Quid, & quotuplex sit?*

1. IMpotentia coëundi, seu inhabilitas ad consummandam copulam (quam Sacri Canones *Toto titul. de frig. & malefaciat.* frigiditatem appellant) est impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum, idque jure naturæ est, ut non possis tradere tuum corpus ad actum illum impossibilem. Quare, sive tu scias, sive tu nescias impotentiam, si tamen verè impotens sis, impedimento eris affectus, & consequenter ineptus ad Matrimonium.

2. Dixi autem primò, (*impotentia coëundi*) nam impotentia generandi (quam *sterilitatem* appellamus) impedimentum non est dirimens; Ita Sanch. *l.7.d.97.num.26.* tunc enim, si haberi nequit primarius finis Matrimonii, nempe prolis generatio, habetur tamen secundarius, qui est remedium concupiscentiæ. Potissimum, quæ jam adest immediatè potestas perficiendi copulam, esto absit, quasi per accidens effectus copulæ, id est proles. Nam propterea potest Maritus commiscere cum vxore vicina partui quamvis sine effectu novæ prolis, &c.

3. Dixi item (*dirimens matrimonium contrahendum*) nam impotentia superveniens Matrimonio jam contracto, sive consummato, sive rato, illud non dirimit. An vero tunc liceat vsus Matrimonii, dicemus §.5.

4. Impotentia autem hæc tunc certo adest, quando aliquid, ut volunt Sanch. *l.7.d.92. per totum*, & *d.107.* Pont. *l.7.c.60.n.3.* & G. Hurt. *d.22. diff.1.3. & 7.* ex his tribus certò deest, vel scilicet deest Potentia ad penetrationem vasis, vel Potentia ad emittendum verum semen, vel Potentia ad illud emittendum intra vas, neque enim sufficit, si emittatur extra vas, quamvis in ejus ore. Lege G. Hurt. *l.c.*

5. Hæc

5. Hæc autem certitudo potest esse, vel certa, & evidens physicè, (ut, si vir amputata habeat virilia, aut omninò arida) vel certa, seu valdè verosimiliter evidens, quo pacto dicetur certa moraliter) ut si membrum virile sit aliquantum aridum, vel fœmina sit ita arcta, ut valdè probabiliter non possit incisione, vel alio remedio adjuvari. Quando autem adsunt indicia probabiliter indicaptia impotentiam, ita ut oppositum probabilitatem nullam habeat, dicitur certo moraliter adesse impotentia. Nos hanc probabilitatem vocabimus deinceps veram probabilitatem, vel, ut dixi, certitudinem moralem.

6. Quando hæc certitudo, sive physica, sive moralis non adest, tunc profectò impotentia erit dubia, idque tunc est, quando indicia ad prædictam certitudinem physicam, vel moralem non attingunt. Quare, quando potentia est probabilis, ita ut etiam oppositum, idest impotentia sit probabilis, inter dubias connumera in hac materia, quia cum tunc deficiat à certitudine physica, vel morali, incerta censenda est in tanto negotio pertinente ad Matrimonium. Quoniam ergo ejusmodi impotentia; vel est perpetua, vel temporalis, vel dubia, loquamur de singulis separatim.

## §. II. *Impotentia absolutè perpetua.*

1. IMpotentia absoluta, & perpetua (quæ tunc adest quando ea, certo physice, vel moraliter, ut modo explicui, nec arte, nec medicamento, absque gravi periculo, removeri potest) est certo impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum, vel cum ipsa contractum. Constat ex claris Iuribus. *C. Fraternitatis de frigid. & malefic.*

Si mulier adeo sit arcta, ut nulla incisione vel remedio adjuvari possit, est certo perpetuo impotens: at si incisione non valdè difficili adjuvari posset, tunc non esse, nisi impotentiam temporalem docet Sanchez *l.* 7. *d.* 93. cum communi, quia putat, obligari fœminam, eam non valde difficilem incisionem pati. At esse perpetuam, & Matrimonium dissolvendum, tenet mordicùs Pontius *l.* 7. *c.* 62. *latè*. Lege etiam Dian. *p.* 11. *tract.* 5. *resol.* 11. latissimè, quia, contra, putat, non obligari fœminam ad incisionem illam. Si eum legas, merito illi non repugnabis.

2. Quid si solum per miraculum tolli possit impotentia?

Respondeo, adhuc esse impotentiam perpetuam, atque adeo afferentem impedimentum dirimens. Ratio est, quia consideranda impotentia est juxta cursum naturalem, non juxta miraculosum. Puto tamen, impotentiam ex maleficio, si per orationes, suffragia, & exorcismos, multo magis, si per medicamenta naturalia removeri posse prudenter judicaretur, non esse perpetuam, sed temporalem, quia tunc essent remedia spiritualia quidem, sed quasi ordinaria; & non miraculosa.

3. Quid, si ejusmodi Maleficiati impotentia, ope magica tolli possit?

Respondeo, si cum peccato, reputabitur perpetua, quia, quod cum peccato fieri debet, impossibile reputandum est: Si sine illo, sanè reputabitur possibile, atque adeo perpetua impotentia non erit: intellige, quando hæc possibilitas facilè, seu certè, non valdè difficulter habere executionem possit.

4. Triplici autem modo à Mago obtineri ejusmodi impotentiæ remotio solet. Primo, per novum maleficium, & tunc impotentia est perpetua, quia ejus remotio non posset haberi, nisi cum peccato. Secundo, per nullum maleficium, sed, vel tollendo signum maleficii sine maleficio novo; vel adhibendo medicamenta naturalia, & tunc impotentia est temporalis, si haberi id non valde difficulter posset, quia sic sine peccato, vt alibi diximus *L. b.* 2. *in Decal. cap.* 6. §. 7. impotentia tolleretur. Tertio, si quamvis obtineri remotio impedimenti posset à Mago sine novo Maleficio, tamen præsidium eam non ablaturum, nisi cum Maleficio, quod solet, quando signum Maleficii habeti non potuit ex eo, quod v. g. fuit projectum in Mare, vel confossum fuit in actione transeunte, v. g. in comestione, vel locutione verborum, & hoc pacto impedimentum perpetuum, quia licèt aliàs posset sine peccato tolli, tamen de facto nunc sine illo non tolletur.

An mulier jam conjugata obligetur pati incisionem nec periculosam, nec gravis doloris, etiam si dicat procedat ex parte viri, Alij negant, Alij affirmant, que probabiliter, ut latè cum aliis minutiis prosequitur Diana *tr.* 5. *res.* 11.

5. Porrò, quando certo physicè, vel moraliter constat de impotentia, cum qua contractum fuit matrimonium, nullum illud omninò censendum erit. Sanch. *l.* 7. *d.* 107. *num.* 2. & deinceps, Pon. *l.* 7. *c.* 67. *num.* 1. G. Hurt. *d.* 22. *diff.* 11. Perez *d.* 37. *sect.* 15. Quo tunc non licebit conjugibus se ut conjuges gerere, sunt separandi. Quod, si Iudex præceptum illis faciat, ponat etiam sub excommunicatione, ut se tractent, non valebit præceptum, nec excommunicatio, quia inniteretur præsumptioni Potentiæ, adhuc ditati Matrimonii: at præsumptio cedit veritati. Pro foro autem externo semper requiritur sententia Judicis declarantis Matrimonii invaliditatem, quantum Iudex (*laudabilem de frig. de malef.*) debebit re, si certa modo dicto appareat impotentia (num dubia, dicam infra) nullo requisito juramento nec testimonio septimæ manus: quæ omnia dicemus explicamus non multo post.

### *MATRIMONIVM EVNVCHI, SEV SPADONIS*

6. Hinc, si quis ambobus Testibus careat, vel attritos habeat, invalide Matrimonium contrahit, cum verum semen emittere non possit, impedimento borat perpetuo. Quod cum definitum sit à Sixto V. apud Gut. *l.* 1. *quæst. Canon. cap.* 6. *in* 2. *edit.* Sanch. *num.* 17. Pon. *l.* 7. *cap.* 67. & 68. aliud addere opus non Illum, qui cum sana, atque integra virilia habeat, pollet testiculo, esse potentem ad semen verum emittendum, & consequenter esse aptum ad Matrimonium cum Medicis Perez, *d.* 37 *sect.* 3. *n.* 4.

### *MATRIMONIVM DECREPITI*

7. Quamvis Ecclesia, teste Sanch. *l.* 7. *d.* 92. non reiiciat senes à Matrimoniis ineundis, quia permit, vel ex ipsa natura, vel medicamentis, vel et te ciborum posse fieri sufficientes ad actum conjugi tamen, si supponamus, hanc sufficientiam adesse nus posse, quid dicendum? Loquamur prius de de Vetula.

8. SENEX, si ita viribus exhaustus supponatur, nunquâ possit actum conjugalem consummare, in contrahet, quia tunc ejusmodi impotentia esset in rum perpetua. Ita Sanchez, *d.* 92. *n.* 74. Aver. *q.* 13. *V. Septimo possunt.* Bonac. *q.* 3. *p.* 13. *n.* 18. aliique Henriquez, apud Bonac. *l. c.* aliosque putantes, contrahere, quia semper retinet potentiam suam secam seminandi. Si verò sit ejusmodi, ut possit à prædictis cibis, ac medicamentis illum actum mare, quamvis generare non possit, quia illud sterile sit, contrahet valide, quia impotentia temporalis. Nam propter similem rationem mortis mus, licet ob diutissimam febrim tunc non sit copulam; tamen aptus est ad Matrimonium, quia debilitas, est (puta cum convalescet) amovibilis.

9. Pontius *apud Hurt. max citandum* tenet Matrimonium non solum iniri posse valide ob finem generationem sobolem, ut communiter sit, sed etiam, si fiat solum mutuam societatem cum vxore, vnde impotentem tuo, atque prædictum senem effœtum posse, valide trimonium inire cum prædicto fine. Sed, quia non Hurtado

Hartado, *d.12. matr. diff.4.* qui id efficaciter probat, hanc sententiam reiicimus. Ita Sixtus V. modo allatus, & apud Hurt. *loc. c. n.12.* ideo absolute dicimus, ejusmodi impotentem non esse aptum ad matrimonium. Certè, secus, etiam Eunuchus posset valide ad prædictum finem matrimonium contrahere, & tamen Sixtus V. Cum Sanch. *lib.7. matr. d.97. n.13.* definit non posse. Immo, dum ibidem dixit impotentiam esse impedimentum dirimens, nec distinxit ad hunc, vel illum vsum nostrum videtur casum definiuisse. Si ejusmodi mulier, & vir impedimenti conscii nolint se copulare matrimonio, sed quoddam Societatis vinculum inire, videtur concedere. Aversa *l.c.* Henriq. *l. c.* Sanch. *l. c.* quicquid dicat contra Sanch. Hurt. *d.22. diff.5. n.18.* sed amoto periculo incontinentiæ.

10. VETVLA quomodocunque decrepita, & certò inepta ad suum semen effundendum, si est capax seminis vir, validè contrahet in sententia eorum, qui putant, semen mulieris non esse necessarium ad generationem prolis: at invalidè in eorum sententia, qui contra, putant esse simpliciter necessarium. Quoniam vero vtraque opinio, ut supr dixi *cap.12. §.4. n.1.* probabilis est, erit, & probabilis validitas, & probabilis item invaliditas matrimonii. An ejusmodi senes decrepiti, si inveniantur matrimonio copulati, possint conari licitè ad copulam, vel alios tactus inter se exercere, dixi satis distinctè *lib.7. in Decal. c.3. §.5. n.37. & 39.* De vxore reclamante, quod duxerit virum senem, atque adeo impotentem, disputat Tancr. in *quæst. mor. p.2. tr.5. quæst.24.* qua soliditate rationum, expendet Lector.

## *MATRIMONIVM MVLIERIS PARIENTIS cum suæ vitæ, vel prolis periculo.*

11. Si mulier potens quidem sit ad actum conjugalem, sed cum suæ vitæ periculo, vel cum prolis morte, vel cum abortu semper pariat, valide matrimonium inire poterit; ita Sanch. *d.62. num.28. & 29.* Boss. *de effectibus matrim. c.1. num.175.* quia jam potens est, ad quod essentialiter requiritur ad matrimonium, nempè ad copulam.

12. Sed licétne si id advertens, & sciens faciat? Quod certè contingere posset in Vidua, quæ hæc mala jam experta in præcedente matrimonio sit?

Respondeo. Si id faciat, nesciente novo marito, certè, peccabit, quia illi magnum damnum infert, dum in re, tam gravi, eum decipit. Ipso autem sciente; nequaquam peccabit ex hoc capite, quia scienti, & consentienti non fit injuria, at mortaliter peccabit (ait Bossius *l.c.*) ex alio capite, hoc est propter damnum, quod facit sibi, proli, cum illius mortis (& aliquando etiam sine gravissimo) & sui periculi, causa est. Neque excusari potest (ait idem Author) à fine remedium adhibendi tentationibus concupiscentiæ; Eas enim aliis remediis orationum, & mortificationum cum Dei gratia superare poterit. Verum hanc non peccaturam, si nubat marito scienti, docent nonnulli, quia, ut mox dicet Sanchez in simili, non facit injuriam, nec proli, nec sibi: Non proli, quia melius est, aliquo tandem tempore esse, quamvis sine Baptismo (tunc enim non habet peccatum à se commissum, sed originale commissum ab alio) quam nunquam esse. Non sibi, quia durum esset, negare mulieri, & aliquando quidem valdè calidæ, remedium matrimonii à Christo Domino ad eum finem inter cæteros institutum, & eam compellere ad remedia illa mortificationum valde dura, & extraordinaria; nam, neque infirmum, ut vitam servet, obligamus ad remedia admodum difficilia adhibenda, vel conquirenda. Profecto hanc sententiam probabilem esse, negare non possum.

13. Atque hæc de Matrimonio contrahendo. Quid, si hæc pericula superveniant Matrimonio, jam à Muliere contracto? potétne ipsa reddere, & petere debitum conjugale?

Respondeo. Probabilius cum Sanch. *d.102. n.9. & 11.* Boss. *loc. c. num.173. & 177.* aliisque, puto, posse, quia tunc separare virum à thoro, vel cohabitationes vxoris nimis esset vtique durum, quod certè deberent facere, ne manerent sub continuo periculo peccandi.

14. Dices: Non separentur, sed se gerant, vt frater & soror?

Respondeo. At nimis esset durum simul esse in eadem habitatione cum tanto peccandi periculo.

15. Illud tamen mulieri concedo, ut quamvis, (sicuti dictum est) possit, non obligetur cum tanto damno debitum reddere.

## *MATRIMONIVM IMPVBERIS.*

16. Impotentia ad generationem, qua laborat ætas puerilis, cum ex se non sit perpetua, Impedimentum dirimens ex jure naturæ non est; ita Pont. *l.7. matr. cap.65. n.4. fine*, vnde inter Infideles, si cætera non deessent, valeret ejusmodi matrimonium, puta, ut exercendum suo tempore) Ecclesia tamen illam esse impedimentum dirimens definivit *Toto tit. de Disput. Impub.* cum illa exceptione: *Nisi malitia supplcat ætatem.* Est igitur hic explicanda, tum definitio, tum exceptio.

17. Quoad definitionem. Ecclesia statuit, ut nec puer (qui ille in hac materia est, qui annum decimum quartum nondum complevit) nec puella (quæ est illa, quæ nondum complevit annum duodecimum, quo tempore dicuntur Impuberes) statuit (inquam) ut non possint valide Matrimonium de præsenti contrahere cum quocunque, quamvis puberi. Addunt Sacri Canones, illud Matrimonium, si fortè contrahatur, valere, vt sponsalia, de qua re infra *l.3. de sponsc.3. §.1.*

18. At peccabitne impubes sic matrimonium attentando?

Respondeo, Peccaturum mortaliter tenent non pauci, ap. Sanchez. mox citandum, Leand. *d.1. matr. quæst.36.* multos citans, Pont. *l.7. matr. cap.65. num.3.* sibi fortasse contrarius, quia fit, inquiunt, injuria Sacramento, redditu, enim irritum ætatis defectu. Verum alii putant, ut Sanc. *l.1. d.17. num.5. & 6.* Pont. fortasse sibi contrarius *l.52. cap.5. num.4.* Qui dicatur Puberti proximus vide apud Dianam *p.11. tr.7. Res.39.* mortaliter non peccaturum, quia ejusmodi Matrimonium sic contrahi, permittunt Canones, illud interpretantur, tanquam Matrimonium de futuro, ideſt tanquam sponsalia. Hæc posterior sententia ut benignior est, ita sit item probabilior.

19. Quoad exceptionem (*Nisi malitia suppleat ætatem*) præmitte, nomine Malitiæ, hic duo intelligi. Primò: Maturitatem Iudicii, ut possit cum rationis vsu contractus matrimonii celebrari, secus enim illud esset irritum ex defectu consensus. Secundò, Potentiam coëundi, ideſt emittendi verum semen intra vas fœmineum, quam certè, vel ex facto, quia fortè copulam cum aliqua habuit impubes, vel ex habitu, & dispositione corporis, addita propinquitate ad ipsos annos pubertatis, colligere poteris, ut latè, & minutè colligit Sanchez, *loco mox citando.* His duobus positis, declarat, seu statuit Pontifex, esse validum matrimonium initum ab Impubere.

20. Verùm licitúmne etiam erit?

Respondeo, certum est, Matrimonium ab ejusmodi Impubere debere fieri cum licentia Episcopi, & item ex gravissima, & vrgentissima causa, ut loquitur Sanch. *l.7. d.194. n.12.* quia à Sacro Textu *c.2. de Disp. Impub.* requiritur pro causa bonum pacis: & tunc jam validum erit, & licitum. Notat tamen Pyrrhus Conrad. *in praxi disput.4. cap.3. n.3.* quia vix solet intervenire gravissima hæc causa, ideo omnes Episcopos hanc dispensationem remittere ad Pontificem, quamvis, solum per duos menses, puer distet à pubertate.

21. Quod, si forte deinde comperiatur, erratum fuisse, & ejusmodi impuberem, non esse habilem copulæ exercendæ, adhuc esset validum Matrimonium, quia tunc judicare vult Ecclesia, inhabilitatem illam esse temporalem, quare vult, ut expectetur vsque ad

completiſſi

completissimam pubertatem, quæ in viris est anno decimo octavo, & in fœminis anno decimo quarto. Quod, si neque in his annis habilis esset, tunc enim vero emergit rationabilis dubitatio, an inhabilitas sit perpetua, an temporalis, an erit opus triennali experientia, de qua mox.

22. Sed adhuc dubitabis. Si certa appareat malitia ætatem supplens, impubes autem sine licentia Episcopi, & sine gravi causa Matrimonium contrahat peccabitne mortaliter? quamvis validè contrahat, ex dictis *num.* 19.

Respondeo, quicquid colligi possit ex Pontio, *lib.* 12. *matr. c.* 5. *n.* 4. certè Sanch. *lib.* 7. *matr. d.* 104. *n.* 12. referens Navar. Sylvestrum, aliosque, & non reiiciens judicat, peccaturum mortaliter, quia id (quod certè in se grave est) prohibitum est graviter in Iure.

23. Siste hîc Lector: paulò ante *n.* 18. diximus, non peccare mortaliter impuberem, cui malitia non supplet ætatem, Matrimonium contrahendo: nunc verò docemus, impuberem, qui malitia supplet ætatem, peccare mortaliter, si sine gravi causa, consensuque Episcopi Matrimonium contrahat. Hæc certe non videntur sibi cohærere.

24. Respondeo, cohærere satis, nam quando non adest malitia supplens ætatem, nullum fit Matrimonium, sed ex dispositione Sacrorum Canonum sic concedentium, fiunt sponsalia, ut suprà vidimus. Quare nihil fit contrà voluntatem Ecclesiæ. At quando malitia supplet ætatem, fit verum Matrimonium, quod Ecclesia fieri pro eo impubertatis tempore prohibuit, nisi accedente gravi causa legitimè approbanda. Sic post accuratam considerationem conciliandæ hæc duo dicta, videntur mihi.

## *MATRIMONIVM HERMAPHRODITI.*

25. Circa Hermaphroditos, ideſt habentes sexum virilem simul, & fœmineum sex distinguo casus in hunc modum: videnda tamen sunt non pauca à me suprà *lib.* 7. *de Ord. cap.* 5. §. 1. dicta, cum *de Ordine.*

26. Primus casus. Quidam duos habet sexus, sed secundum vnum est impotens, potens secundum alium: quid Iuris?

Respondeo, hunc cum Sanchez *lib.* 7. *d.* 106. non posse Matrimonium cõtrahere, nisi secundum sexum, quo esse potest. Id probatione non indiget.

27. Secundus. Quidam habet duos sexus in vtroque potens, quid item Iuris?

Respondeo, Si æqualiter est in vtroque potens dicam mox *n.* 29. Si vero prævalet sexus fœmineus, reputanda est mulier, vnde nec poterit validè Ordines suscipere, nec profiteri in Religione virorum, nec vxorem ducere, sed Maritum. Non tamen concederem fieri Monialem, idque propter illam aliqualem potentiam sexus Masculini. Si verò prævalet sexus Masculinus; Mas reputabitur, & ut talis Matrimonium inire potest, nam propterea nec profiteri posset in Religione Monialium, nec nubere viro, poterit tamen validè Ordines suscipere, sed illicitè, quia ut alibi diximus, Hermaphroditus est omnino ab altari repellendus. Eidem denique non concederem, fieri Religiosum, ut nec concessi præcedenti fieri Monialem.

28. Tertius. Quidam nullum sexum habet, quid Iuris?

Respondeo, Certè supponis rem admodum innaturalem: sed esto. Is inhabilis ad Matrimonium erit ex omni parte.

29. Quartus Quidam, post probationes Medicorum, & Matronarum peritarum, secundum vtrumque sexum est æqualiter potens, quid Iuris?

Respondeo, Hic Matrimonium contrahere poterit secundum illum sexum, quam elegerit: quo electo, peccabit mortaliter, si fortè alio vti velit. Immo Parochus huius Matrimonio assistere non debet, ut volunt Sanch. *loc. cit.* & Pont. *lib.* 7. *cap.* 65. *num.* 8. nisi is dictam electionem coram Iudice Ecclesiastico faciat, eamque fidelimento. Vnde fit, ut si, mortuo conjuge, viduus licet validè contraheret secundum alium sexum nem factam mutando, peccaret tamen contra tum, immo ex Sanchez, aliisque peccaret etiamsi iuramentum non emisisset, quod tamen negat Hurt. *d.* 22. *matr. diff.* 10. *n.* 34.

30. Hinc duos Hermaphroditos æqualiter, vel æqualiter prævalentes in vtroque sexu, non posvsum promiscuum vtriusque sexus hoc est culini, modo Fœminini, nec licitè, nec validè re inter se Matrimonium docet Perez, *d.* 37. *n.* 2. quia illa essent, quasi duo matrimonia; id videtur abhorrere ab ipsa natura rationali, & quid esset in Ecclesia Dei, ne dicam in bene Republica.

31. Si alter sexum vnum eligat, alter alterum, vnum solum vsum contrahat, non video, vnde invaliditas oriri possit.

Propter majorem rationem, majoraque incommoda is æqualiter potens in vtroque sexu, nec Religiovirorum, nec mulierum ingredi valet, nec Ordines scipere, idque nec licitè, nec validè, ut latè probant Sanchez *l. c.* & *lib.* 7. *conf. cap.* 1. *d.* 31.

32. Quintus casus. Quædam conjugata incipit vir, prorumpente natura in sexum masculinum. Quid Iuris?

Respondeo, si remanet in illa etiam sexus fœmineus validum fuit matrimonium, ipsaque tenetur hunc sexum etiam nunc eligere, seu in hoc sexu perseverare. Si non remaneat, tunc matrimonium fuit, & nunc invalidum, quia sexus ille fœmineus, sub quo contrahebat erat perpetuus, atque adeò ineptus ad matrimonium illud. Non erat autem perpetuus, quia latebat in ea sexus virilis, saltem in dispositione corporis, qui tempore jam erupit. Ex qua doctrina sequitur hanc illum per bonam fidem potuisse uti matrimonio, cæterum vera conjux non erat.

33. Ob similem rationem rectè docet De Lugo *Resp. mor. lib.* 1. *d.* 32. Diana *p.* 5. *tr.* 14. *res.* 49. & hoc su latè Portella *in dub. Regul. v. professio fict.* Monialis quæ erumpat in matrem, nulliter professum fuisse, adeo à Monasterio educandam, neque cogendam professionem emittere in Monasterio virorum, quia nec profitens habuit intentionem profitendi, nisi quia niales, nec aliter illam acceptavit Prælatus, nisi nam, quicquid aliqui dixerint apud eundem Delugo cum casus hic occurrisset, cogere prædictam bant, ad profitendum in Religiosorum Monasterio.

34. Sextus. Quidam conjugatus incipit esse fœna, subtrahente natura instrumentum genitale. Quid Iuris?

Respondeo, Tantam mutationem evenire non putat Delugo *l. c.* ex Medicorum relatione. Si tamen currat, docet, matrimonium quidem fuisse, sed mutato sexu, dissolvi vinculum dicti matrimonii, matrimonium (inquit) constare nequit inter duos fœnas, sicuti nec inter duos mares: vnde addit, se quod Thom. Sanch. in suo opere de matrimonio meminerit hujus capitis, vnde vinculum matrimonii quamvis consummati, dissolui, etiam ante mortem trius ex conjugibus, possit.

35. Verum mihi valdè difficile est concedere, monii vinculum ante alterutrius obitum dissolvi omnes Scripturæ, Patres, & Theologi clament, trimonium consummatum, nonnisi morte dissolvi. Melius igitur, & expeditius in præsentia id dicemus, modo in simili ferè casu dictum est *num.* 32. nimirum hoc matrimonium fuisse ab ipso initio invalidum, vi sexus, sub quo contractum fuit matrimonium, & consequenter habilitas personalis ad matrimonium, non perpetua, latente in corporali dispositione sexu qui deinde tandem apparuit. Delugo autem imputatur, miratur silentium Thomæ Sanchez, nam etiamsi in

cassa dissolveretur, vinculum Matrimonii, non debuit dictus Sanchez ejus mentionem facere, quem ipsemet Delugo, ex Medicorum relatione, ait, evenire non posse.

36. Propter eandem rationem, si quis Professus in Religione contraheretur modo dicto in fœminam, nullitèr professus fuisset, nec esset cogendus, ut profiteretur apud Moniales, ut in simili dictum est modo *n.*33.

37. Quod si quis jam initiatus Sacerdos simili ratione desisceret in fœminam, fuisséne verus Sacerdos? Id enim hac occasione innuere, curiosum est.

Respondet De Lugo *loc.cit.* ipsum fuisse verum Sacerdotem, & Sacerdotis characterem per hujusmodi mutationem non amittere, invalidè tamen in posterum consecraturum, vel absoluturum à peccatis; sicuti, inquit, Anima Sacerdotis extra corpus characterem servat, quia is est indelebilis, cum tamen non possit validè consecrare, quia exercitium Ordinis conceditur composito, idest homini, non verò solum animæ. Sed in his nostrum non est pluribus immorari, vel nostras considerationes immiscere.

### §. III. *Impotentia respectiva.*

1. POsse dari Impotentiam, hoc est posse personam aliquam esse ineptam ad actum coniugalem cum hac peculiari persona, licet cum aliis sit apta, scimus, & habemus in Iure, *C. ultim. 33. quæst.* Nec obstat in eodem Iure dici, *C. Requisisti 33. q. 1. & C. Laudabilem. De frig. & malefic.* fieri non posse, ut aliquis sit impotens cum una, & potens cum alia, non obstat, inquam, quia in hoc posteriore loco Textus loquitur de impotentia ex frigiditate, quæ certè, si est, respectu omnium est.

2. Triplici autem modo hæc respectiva Impotentia accidere contingit. Primò, ex improportione instrumentorum generationis, ut si fœmina, respectu instrumenti viri hujus sit arcta, vel vir propter pinguedinem prope accedere ad vas mulieris non valeat. Secundò, ex Maleficio, tendente contra hanc personam particularem. Tertiò, ex quadam antipathia naturali circa hanc. Quæ tria capita latè explicant Aversa, *q. 13. sect. 3. Ver. Sexto Demum*, & Pontius *l. 7. c. 62.*

3. Dico iam, hanc impotentiam cum hac, si sit perpetua, esse impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum cum hac, vel si cum illa contractum fuit, esse separandos coniuges, modo, quo dictum est §. 2. *n.* 5.

4. Dictum hoc certum est, quia Canones absolutè & sine distinctione impotentiam perpetuam constituunt impedimentum dirimens. Adde rationem. Ideo enim absoluta impotentia dirimit Matrimonium subsequens, quia persona, quæ ejusmodi impotenta laborat, non est apta ad actum generandi; sed idem est in respectiva pro hoc Matrimonio, ergo pro hoc impedimentum erit dirimens.

5. Si omnibus à prudentibus viris, & Matronis expensis, temporalis sit ejusmodi impotentia, eam non esse impedimentum dirimens, constat ex dictis. Quod, si dubium adsit, nam hæc sit perpetua, an temporalis, mox universaliter dicam §. *seq.*

### §. IV. *Quomodo Iudicium ferendum sit, quando dubia apparet impotentia in Matrimonio, jam contracto.*

1. SÆpissimè incertum est, an prædicta impotentia perpetua verè adsit inter coniuges legitimo Matrimonio vnitos: Qua ratione igitur hæc incertitudo, sive pro foro conscientiæ, sive pro foro externo, evincenda est?

2. Pro foro conscientiæ. Quando dubium est, an Impotentia sit perpetua, an sit temporalis poterunt coniuges pro tempore, idest, solum per triennium, commiscere, ut nimirum experiantur, an ipso temporis, & ætatis, & circunstantiarum opportunitate cesset impotentia, atque adeo evincatur. Nam in prædicto dubio habent coniuges ius inquirendi de potentia, vel impotentia, quæ aliter inquiri non potest, nisi copulam attentando: quod, si semen aliquando dispergatur, cum id sit per accidens, non erit culpa, ut mox iterum dicam *n.* 8. Solum triennium dixi, nam tantum temporis prudenter præfixit, (*C. Laudabilem, C. fin. de frigidis.* Ecclesia requiri, & sufficere ad indagandam hanc veritatem. Post triennium igitur, si perfistat impotentia, sunt separandi conjuges modo nuper dicto, *supra hoc eodem cap. §. 2. num. 5.* Quando non sit dubium, sed spes verè probabilis consummandi copulam, dicam *num.* 8. cum Sanch.

3. Pro foro externo (cujus etiam non pauca faciunt, ut videbis etiam pro interno) alia ratione procedendum est, quando conjuges conveniunt, fatendo impotentiam, alia verò, quando dissentiunt.

#### *Quando conveniunt.*

4. In hoc casu, quamvis conveniant conjuges, affirmando impotentiam, si tamen ejus moralis saltem certitudo, per Medicos, & Matronam peritam, modo suprædicto non appareat, conjugibus fidem ne habeat statim Iudex, nec Matrimonium invalidum statim pronunciet, nam ex communiore, ac probabiliore sententia, tria præstanda antea sunt, vide *C. Laudabilem, De frigid.* Sanch. Pont. aliosque cum Aversa *q. 13. sect. 5. §. Statuendum tamen.* Primò per tres annos continuos debent ejusmodi conjuges frequenter, (& quidem morali frequentia, & humana) experiri, an verè sint impotentes: id, quod facient, attentando copulam materialem. Secundò, iidem post dictos tres annos jurare debent, se coïte, non potuisse, licet conati sint. Tertiò, debet accedere Testimonium septimæ manus, ut jura loquuntur, idest debent septem propinqui ex parte viri, & septem ex parte fœminæ, vel in horum defectu totidem vicini vel saltem quot haberi possunt, debent, inquam, jurare se credere conjuges verum dicere, dum ij jurant se per illum triennium copulam perficere non potuisse. Hæc dispositio merito à Sacris Canonibus statuta est, ne inter ipsos conjuges intercurrat aliqua fraus, vel collusio, & ne, si facilis fides habeatur aliqua deceptio subjaceat. His ergo tribus conditionibus positis de invaliditate Matrimonii, sententiam Iudex proferat.

5. Duo nota. Primo, si ante finem Triennii appareat certo physicè, vel moraliter impotentia perpetua, ut si apparent virilia arida, &c. ut suprà diximus, tunc non erit expectandus triennii finis, nec adhibendum Testimonium supradictum septimæ manus; hoc enim Testimonium requiritur, quando res est dubia, ut videbimus: sed si res certa sit, ad quid ejusmodi Testimonium? statim ergo ferenda est sententia a Iudice de invaliditate Matrimonii, quia tunc subintrat doctrina data §. 2. *n.* 5.

Ita docet Hurt. *d. 22. matr. d. 11. n. 38.* contra Sanch. & Pontium ab ipso citatos requirentes, etiam hic, septimæ manus Testimonium. Ratio autem Hurtadi, quæ est modo dicta, satis efficax mihi videtur.

6. Nota Secundò. Quandonam debet incipere ejusmodi triennalis experientia? Sanchez cum communi dicit, incipere à die intentatæ primæ copulæ, Pontius à die, quo Iudex decernit, faciendam esse ejusmodi triennalem experientiã. Aversa, à die, quẽ præfiget Iudex, ut rationabilius judicabit; id enim totũ Iudicis arbitrio remittitur.

Ex iis sententiis. Prima est servanda, quando agimus pro foro conscientiæ juxta dicta *n.* 2. Secundam, vel tertiam, (cum vtraque sit probabilis) poterit, ut libet, amplecti Iudex, immo etiam primam, quando illa vti, necessarium, seu opportunum ipse arbitrabitur, quod certè erit, si post multum tempus ad Iudicem acceditur, & interim conjuges experti copulam fuerunt.

7. Dum autem dicitur Triennium debere esse continuum, morali intelligatur modo (ut contra aliquos, requirentes continuitatem physicam, bene docet Diana *p. 11. r. 5. ref.* 8. G. Hurt. *d. 22. diff. 11. num. 41. fine*,) idest non magna interruptione facta, quod si magna ob aliquem casum intercessit, suppleatur prudentis Iudicis arbitrio, post triennium.

8. Denique, si dum attentat coniux copulam, non potest intra vas semen emittere, sed dispergat extra, sinè non peccabit, quia effusio ipsi voluntaria non est, sed per accidens, sequitur ad experientiam, quam is legitimè facere valet. De qua re lege Sanchez *lib. 9. d. 17. n. 20. & 24* qui addit, quandiu verè probabilis spes est consummandi copulam, etiam per sex, etiam per plures annos, posse coniugem illam tentare; nam, si non est spes verè probabilis, sed solum dubia (quos terminos explicui *supra* §. 1. *à n. 5.*) tunc profecto tentare copulam coniux non poterit, nisi per triennium, ut iam dictum est *n. 2.*

## *QVANDO DISSENTIVNT.*

9. Si alter coniux affirmat, se esse potentem, quam potentiam negat alter, quid decernet Iudex?

Respondeo, ac distinguo duo casus. Primus casus. Si qui negat potentiam, reclamet statim, hoc est infra bimestre à Matrimonio contracto, afferátque signa impotentiam physicè, vel moraliter certam ostendentia, debebit illum Iudex audire; *Ex dicto cap. 1. de frigidis*, deinde (ex doctrina Sanchez, & Pontii, non verò Hurtadi, ut diximus *num. 5.*) recipere ejusdem iuramentum, & insuper Testimonium septimæ manus, modo *supra num. 4.* explicato, & sic matrimonium illud pronunciare invalidum, illúdque dissolvere: at, si afferat signa nequaquam, modo dicto, certa, sed dubia, debebit Iudex illis coniugibus concedere triennalem experientiam, quo transacto, immo, & nondum transacto, si appareat certo impotentia, dissolvat Matrimonium: at vero, si adhuc remaneat dubia, altero affirmante, negante altero, fiat, quod mox dicam *n. 11. & 12.*

10. Secundus casus. Si qui negat potentiam alterius, reclamet tardè, id est post bimestre (etiam post annos) afferátque signa impotentiæ certa physicè, ut vult Sanch. *lib. 7. d. 109. num. 5.* vel moraliter (adverte, à Sanchez signa certa moraliter vocari hîc verosimiliter evidentia) tunc Iudex, præcedentibus iuramento negantis, & iuramento septimæ manus, dissolvat eodem modo matrimonium, quo in primo casu. Ita omnino, quoad dissolutionem cum Sanchez *l. c.* quem affert, sed non sequitur Aversa. *quæst. 13. de matr. sect. 5. Ver. Quod si pars*, sive citò, sive tardè, sive vir, sive fœmina reclamet, si enim certa appareat impotentia, nullum fuit matrimonium.

11. Hæc doctrina de hoc secundo casu est aliquanto magis controversa, quàm doctrina de casu primo, nam propterea eos duxi distinguendos. Dixi autem (quo ad dissolutionem.) Nam, an necessariò adhibendum sit iuramentum negantis, & Testimonium septimæ manus, recurrit doctrina Sanchez, & Pontii, illud requirentium, Hurtadi verò non requirentis, ut vidimus *n. 5.*

Quod, si idem tardius reclamans affert signa, seu probationes dubias (reclamanti enim semper incumbet probare impotentiam alterius) ut tandem res decernatur, quærat Iudex Testes spectatæ virtutis, qui fortè ab utroque coniuge audierint, ipsos potuisse, vel per triennium non potuisse, Matrimonium consummare, factisque cæteris probationibus per iuramenta dicta *num. 4.* cum sic potentia, vel impotentia iam moraliter constet (nisi aliud in contrarium advertatur ex circumstantiis) dissolvat Iudex, vel firmet Matrimonium. Si tamen his omnibus diligentiis exhibitis, vel illi Testes de eo auditu haberi non possint, vel prudenti iudicio, quamvis illi habeantur, adhuc res non appareat certa moraliter, concedat Iudex prædictam triennalem experientiam, qua elapsa, si res adhuc dubia remaneat, vel etiam purè probabilis (id est ea probabilitate, quæ non pertingat ad certitudinem, quam explicui §. 1. *num. 5. & 6.*) confirmet Matrimonium, quia tunc non potest spoliare coniugem suo coniuge: nam ad spoliandum eum, qui est in possessione bona fide habita (ut habuit coniux, de quo loquimur, quando Matrimonium sine ulla suspicione impotentiæ contraxit) non sufficit probabilitas, sed requiritur certitudo, multo magis in negotio Matrimonii, cuius valori est semper favendum, etiam post quodcumque tempus.

12. Quid, si probetur per certas probationes, nempe coniugem cum cognitione suæ impotentiæ Matrimonium contraxisse?

Respondeo. Profecto putarem, salvo peritiorum iudicio, tunc esse Matrimonium à Iudice dissolvendum, quia eo casu coniugi non faveret possessio.

13. Denique iterum adverte, prædicta pro foro interno non tollere obligationem fori interni, quam coniuges, si verè cognoscant potentiam, vel impotentiam habere, vel per sistere in Matrimonio, vel illud dissolvere, ut ex dictis patet. Hæc clarè sunt dicta, sunt agitata, sed profecto non parum in ipsa lubrica sunt. Sanchez, Pontium, Hurtadum, Aversam, Petrum, alios apud eosdem, nec omittas Tanc. *lib. 7. de matr. D. sertim* 107. & 108. multa in hoc argumentum afferens contra Ioan. Sanchez.

14. Illud ne à te hac occasione excidat, sententiam de Matrimonii invaliditate, etiam tel latam, etiam quocunque tempore, nunquam transire in rem iudicatam, id est, detecto errore, deberi retractari sententiam, & iterum debere coniuges coniungi, etiam si transiissent ad secundas Nuptias, quia si illud primum fuit validum, hæ secundæ Nuptiæ nullæ fuerunt, & ita prius matrimonium nulla humana potentia dissolvi potuit. Si bona, vel mala fide processerunt coniuges ad obtinendam dissolutionem Matrimonii ratione impotentiæ, & deinde post legitimam sententiam appareat certo potentia, Matrimonium esse necessario restabiliendum docet Sanchez, *l. 7. d. 99. & 100.* Sed Portius *lib. 7. cap. 65. n. 6.* negat si bona fide processerunt, lege, & item Aversam omnino *loc. cit. Ver. in nostro.*

### §. V. *Impotentia, sive absoluta, sive respectiva superveniens Matrimonio.*

1. SVperveniens Impotentia Matrimonio iam ipsi quia Matrimonium semel validum semper est validum, & ita deciditur in iure; *c. Hi, qui 32. quæst. 7.* Quod in alio iure *3. c. Quod proposuisti ib.* videtur contrarium docere, non ita est, quia in hoc secundo Textu loquitur de sponsalibus de futuro, vel de impotentia, quæ Matrimonium præcessit,

2. An autem coniuges, quibus impotentia superveniat, licitè possint usum Matrimonii quoad actus, & exercere, si periculum pollutionis non adsit, concedit Sanch. *lib. 9. d. 44. num. 22.* & latius *ib. dub. 19. & 20.* & nos satis explicuimus, *lib. 7. in Decal. cap. 3. num. 37. & 38.*

Quando, omnibus expensis, dubium est, an impotentia perpetua præcesserit, unde sit dubium de validitate matrimonii, an potius subsecuta sit, vide late apud Sanch. *lib. 7. matr. d. 103.* Regin. *lib. 31. num. 105.* Aversa. *q. 13. sect. 4.* Bonac. *q. 3. de matr. p. 13. n. 11.* aliósque.

## CAPVT XIV.

### *Impedimentum Decimumtertium.*

### *RAPTVS.*

DE hoc impedimento latè egi *lib. 7. in Decal. c. 6. à num. 9.*

CAPVT

## CAPVT XV.

### *Impedimentum XIV.*

### *ABSENTIA PAROCHI, ET TESTIVM.*

DE hoc agam, Deo favente, infrà commodius *tr. 4. fere per totum.*

## CAPVT XVI.

### *De Impedimentis solum impedientibus Matrimonium.*

1 ERant hæc olim duodecim his versibus comprehensa.

*Ecclesia vetitum, nec non Tempus feriatum,*
*Atque Cathechismus, sponsalia, iungito votum,*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*
*Incestus, Raptus sponsa, mors mulieris,*
*Susceptor propriæ sobolis, mors presbyteralis,*
*Vel, si pœniteat solemniter, aut Monialem*
*Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.*

Cum his ergo illicitè contrahebatur Matrimonium, sed valide. Ita Sanch. *l. 7. d. 17.* & communiter. Nunc partim à Tridentino, partim à consuetudine legitimè usurpata, reducta sunt ad quatuor, nam propterea solum hæc explicabo. Illa cætera videat Lector apud Doctores passim: Hæc autem quatuor (quorum duo sunt impedimenta admodum limitata) hoc versu comprehendere, in gratiam Tironum, volui.

*Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, votum.*

### *SACRATVM TEMPVS.*

2. Tridentinum *sess. 24. c. 10. de Reform. matr.* limitans Canones antiquos solum prohibet (sub qua culpa suo loco dicam infra *tract. 7. de solemn. matr. c. 4. §. 4.*) ne ab adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusivè celebrentur Benedictiones solemnes Matrimonii, & solemnes traductiones Sponsæ ad domum Sponsi cum multis lætitiæ signis. Non ergo prohibet iniri Matrimonia, vel consuetas denunciationes fieri, vel privatas Traductiones Sponsæ ad Sponsi domum: vide Sanch. *lib. 7. Matrim. d. 6. num. 6.* Pont. *lib. 6. c. 7.* Et habetur. *C. Fina. de Clandestina Desponsatione*, id, quod indicavi, dum dixi modo, hoc impedimentum esse valdè limitatum.

### *VETITVM.*

3. Quando Episcopus, vel etiam Parochus, ut notat Sanchez, *C. 1. de matrim. contra Interd. Eccles.* Vide Cartarium *decis. 23.* aliique, graviter alicui prohibent etiam extra iudicium, ne Matrimonium tunc contrahatur, sed differatur ob aliquam rationabilem causam, puta, ut interim cognoscatur de aliquo impedimento dirimenti, vel, ut rixæ, & discordiæ componantur, &c. licet valide, illicitè tamen graviter, contrahunt Matrimonium, & debebit iudex Ecclesiasticus, *C. 1. de matrim. contra Interd. Eccles.* Vide Cartar. *Decis. 23.* pœnam arbitrariam non obedientibus infligere.

4. Excommunicatus, sive Majori, sive Minori excommunicatione, cum interdictus sit, ut dicemus *in tract. de Excommunicatione*, recipere Sacramenta, illicitè etiam recipiet Matrimonium, licet validè, ut *ibidem* explicabimus.

5. Tempore autem interdicti prohibitæ quidem sunt Benedictiones Matrimonii, non tamen ipsius Matrimonii contractio, ut item dicemus cum de Interdicto.

Ex dictis vides, quam merito dixerim, hoc impedimentum esse limitatum, ac diminutum.



### *SPONSALIA.*

6. Hoc tertium enim vero, ut & quartum, sunt impedimenta licet solum impedientia, absoluta tamen, & non limitata.

Si quis ergo cum aliqua persona contraxit sponsalia, illicitè Matrimonium contrahet cum quacumque alia, nisi fortè antea, sponsalia priora, legitimè, dissolvantur: validè tamen dictum Matrimonium per verba de præsenti contrahet, quia hoc impedimentum solum impedit, non dirimit Matrimonii contractionem.

Est autem de iure naturæ hoc impedimentum: quilibet enim debet stare promissis in contractibus onerosis, Verùm de sponsalibus infra valdè plura dicenda sunt.

### *VOTVM.*

7. Hic nequaquam agimus de Voto solemni Castitatis incluso in Professione Religiosa, vel Sacerdotio; illud enim impedimentum dirimens est iuxta ea, quæ nuper vidimus, sed de Voto Castitatis simplici nostra præsens est locutio, quod impedimentum est solum impediens, quodque quatuor sub se peculiaria vota comprehendit, quorum aliqua directè, aliqua indirectè Castitatem requirunt, & opponuntur Matrimonio, non quæ illud invalidum reddunt, sed illicitum. Sunt autem ea. Votum simplex Castitatis, Votum non ducendi uxorem, seu vitam celibem agendi. Votum ingrediendi Religionem. Votum suscipiendi Ordinem Sacrum. Est autem hoc impedimentum de iure naturæ, quilibet enim obligatur, vota quæ Deo promittit adimplere.

## CAPVT XVII.

### *Aliquot quæstiones pertinentes vniuersaliter ad prædicta impedimenta.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*§. I. Quanam specie peccati peccet, qui cum impedimento dirimente copulam habet, vel Matrimonium contrahat.*

1. HVnc peccare mortaliter, dictum est sæpè: at tunc scire Lector cupit, ecquanam peccati specie? Claritatis gratiâ sequentibus quatuor dictis huic desiderio faciam satis.

2. Dictum primum. Si duæ personæ non coniugatæ, vir scilicet, & mulier nullo impedimento dirimente affecti copulâ habeant, ea specie malitiæ peccant quod affert ex se peccatum, quod cómittunt, v. g. duæ personæ liberæ non consanguineæ peccabunt sola fornicationis specie.

3. Dictum secundum. Adveniente, seu considerato impedimento, si vir, & mulier copulam habeant, ultra malitiam quam ex se ejusmodi copula affert, contrahent aliâ quam fortè affert impedimentum, v. g. quando vir, & mulier sunt consanguinei, si copulam habent, ultra speciem peccati fornicationis, contrahent peccatum Incestus: Vnde, si antea vir, & mulier fuissent extranei, sed postea, vel votum, vel affinitas aliqua ipsis superveniret, certè quâvis antea eorum copula fuisset solum fornicaria; tamen deinde sacrilega erit, vel incestuosa, & sic de similibus. Idem dic, si iidem cum impedimento dirimente contrahant, & deinde cómisceãtur; cum enim Matrimonium illud sit nullum, remanent eædem malitiæ quæ erãt antea.

4. Dixi (*Quam fortè affert impedimentum*) nam aliquando illam novam malitiam non affert: error v. g. in persona malitiam aliam novam afferre non solet; si enim putans, te habere copulam cum Maria libera, invenias eam fuisse Antoniam item liberam, sanè solam malitiam simplicis luxuria à te contractam esse, nemini esse dubium potest. Pari modo in impedimento Raptûs: Tridentinum enim voluit, ut irritum esset Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, quamdiu rapta est in potestate Raptoris, idque voluit ob libertatem Matrimonii. Iam si Rapiens, & Rapta, communi consensu

copulam deinde habeant; fornicationis, solam malitiam contrahent, quia motivum propter quod Ecclesia Matrimonium inter has personas invalidum reddidit, fuit libertas Matrimonii, quod motivum nunc non addit aliquam rationem novæ malitiæ supra simplicem fornicationem. Idem denique in impedimento Criminis; Ecclesia enim sancivit, ne vir & fœmina convenientes ad occidendum alterutrius coniugem eo animo, ut inter se Matrimonium contrahant, validè illud ineant, idque sancivit in pœnam delicti, & ad præcavendam, ne spe Matrimonii simile delictum committatur. At hoc motivum nullam novam malitiæ speciem addit, &c.

5. Dictum tertium. Prædicti, qui Matrimonium contrahunt cum impedimento dirimente quocunque, sive Iure naturæ, sive Ecclesiastico, inducto, ultra nullitatem Matrimonii, peccant etiam contra illas virtutes, ratione quarum adest illud impedimentum. Si enim v. g. sint consanguinei, Matrimonium attentando faciunt contra reverentiam debitam consanguineis, dum volunt illud, quod ipsis est impossibile, & quod ob motivum talis virtutis ipsis est prohibitum. Multo magis, quia sic habent animum vtendi consanguineo pro coniuge, &, si impotentes sint ad prolem, habent animum peccandi contra naturam, & si coniugati, contra iustitiam, adulterando, &c. Hos tamen non peccare peccato inobedientiæ, puto, cum Perez *loc. cit.* quia non quælibet trasgressio præcepti affert malitiam peculiarem contra Obedientiam, nisi, quando sit expresso animo non obediendi, vel nisi prohibitio sit facta à Superiore, ut ipsi obediatur, quæ hîc non adesse, supponimus.

6. De Impedimentis solum impedientibus, Dico, quamvis cum illis valide Matrimonium incatur, peccari tamen à contrahente Matrimonium; cum illis, inquam, quatuor quæ hodie durant. Nam cum primo fit contra promissionem datam Sponsæ, cum secundo fit contra Votum factum Deo, cum tertio, & quarto, contra prohibitionem, qua Episcopus, vel Parochus tibi distulit. Matrimonium.

7. At inquies. Peccatúne peccato sacrilegii, quatenus qui contrahunt cum impedimento dirimente, iniuriam faciunt Sacramento Matrimonii, quod nulliter suscipiũt?

8. Respondeo. Ita putat Coninch. *d.* 30. *d.* 2. *num.* 18. Aver. *quæst.* 9. *sect.* 5. aliique, sicuti peccat quando nulliter cætera Sacramenta conficere quis attentat, ut, si quis baptizaret sine debita forma, vel materia. Certè Fideles, quando contrahunt Matrimonium cum impedimento dirimente, sciunt, sic se, non solum irritum reddere contractum civilem Matrimonii, verum etiam Sacramentum illi contractui à Christo Domino annexum.

9. Negat Sanch. *ibid. n.* 1. Perez *ibid.* G. Hurt. *d.* 12. *diff.* 3. *n.* 11. Dian *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 297. cum aliis, quia irritatio, cuius nunc dictæ personæ sunt causæ, cadit, dumtaxat in ipsum contractum civilem; ipsi enim solum hunc contractum nullum faciunt, esto sequatur deinde, in eo actu non adesse rationem Sacramenti. Lege Perez *d.* 22. *sect.* 5. *n.* 5. G. Hurt. *d.* 12. *diff.* 4. Aver. *q.* 19. *sect.* 3. *Ver. Rursus.* Vtraque sententia probabilis est.

## QVÆSTIO SECVNDA.

### §. II. *An, qui metu gravi coactus Matrimonium cum impedimento dirimente contrahit, validè contrahat, & licitè?*

1. QVoad primum, idest quoad Valorem convenimus omnes, eum omnino abesse ab ejusmodi Matrimonio ex gravi metu contracto; non solum ob rationem, quam infrà *tr.* 4. *c.* 6. §. 2. dicemus, vniversalem, quia omne Matrimonium, etiam nullo impedimento contractum irritum est, si ex metu gravi contrahatur, modo ibidem explicando; verum etiam ex peculiari ratione ducta ab impedimentis dirimentibus.

2. Et quidem ratio peculiaris pro impedimentis iuris naturæ inditis est manifesta, nam si personæ sunt inhabiles, Pater, v. g. est inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum Filia, nunquid metus habilitatem illam dare illis potest? At ratio peculiaris pro impedimentis ab Iure Ecclesiastico inductis difficilis & difficultas ducitur ex ea communi doctrina, quod præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo, cum periculo magni mali, quale malum supponitur adesse, quando ex gravi metu quis Matrimonium contrahere cogitur. Quare tunc præceptum Ecclesiæ non induxit tale impedimentum, non obligabit, & consequenter tunc nullum impedimentum erit.

3. Varias rationes fortasse minus aptas invenies apud Doctores; illam ego, post diligentem considerationem, esse puto. Quando dicimus, Ecclesiæ præcepta non obligare, vbi magna est difficultas, maliqua non sit periculum, sensus est, quod Fideles illa præcepta, cum difficilia transgrediendo, non peccent: At non est sensus, quod illa, quæ ipsa Ecclesia, immo, & Princeps Sæcularis legitimè decernit, & vult esse talia, quæ non sint respectu patientis gravem metum, sint. Nam enim contractus Minoris facti ex timore sine auctoritate Iudicis, validus esset, quod nemo dicit; timor magni mali excusat quidem ab obligatione præceptis, sed non propterea tollit, talem esse actum in se, qualem pronunciat legitimus Superior, qui actum, sive sponte, sive metu factum, annullat. Eo-dem pari modo, qui cum ignorantia ineulpabiliter impedimenti contrahit Matrimonium non peccat ob ignorantia, sed tamen invalide contrahit. Ita Sanch. *lib.* 2. *dict.* 38. & communiter *ex Cod. Innocent. sent. excommunic. & Cod. Litteras de Restitut.* quia ignorantia non facit personas ex ineptis aptas, in casu nostro.

4. Quoad secundum, an metu gravi contrahens Matrimonium cum impedimento dirimente illicite peccet? Dico, illicitè quidem graviter agere, quando contrahit cum animo vtendi conjugio, sic contracto vel cum animo cohabitandi cum conjuge, cum periculo incontinentiæ. Patet, quia hic animus peccaminosus manifestè est. At si hic animus desit, est distinguendum quando enim contrahis cum impedimentis Iure Ecclesiæ constitutis, ne venialiter quidem peccat, quia non esset peccatum, ideo esset, quia fieret contra præceptum positivum Ecclesiæ vetantis, ne quis attentet contrahere Matrimonium cum impedimento: at præcepta positiva Ecclesiæ, ut dictum est, non obligant cum tanto periculo gravis mali, ergo, &c. Et ita communiter Sanchez, Coninch. Gas. Hur. eos citat. *d.* 12. *diff.* 4. aliique.

5. At vero in eodem casu, quo dictus privatus usus deest, quando ex dicto metu contrahis cum impedimentis Iure naturæ constitutis, v. g. cum impotentia, vel Pater cum tua filia, sunt duæ sententiæ. Altera (quam habet Gas. Hurt. *d.* 12. *diff.* 4. sequiturque Perez 4. *sect.* 5. *num.* 5.) docet te semper peccare mortaliter, ac (inquit) tunc contrahere, est contra jus naturale prohibens Matrimonium. Altera (quam sustinet Sanch. *de matrim. d.* 5. sequiturque Coninch. *d.* 30. *num.* 19. & Castropalaus *d.* 2. *de sponsal. p.* 12. *num.* 3.) docet, te posse venialiter quidem, peccare, eo prorsus modo quo ex metu peccare, dictum est *num. præcedente* in impedimento ab Ecclesia constitutis. Ratio est, quia (inquit) ex una parte tunc matrimonium non fit validè & ex alia tibi solus inefficax consensus satis à peccato liberatur ex capite dicti metus. Equidem hanc posteriorem sententiam probabiliorem existimo.

6. Verùm vrget Hurtadus. Intentare id fieri, quod jure naturæ prohibitum est, est intrinsecè malum, quia esset, v. g. intentare homicidium Innocentis. Sed intentare Matrimonium cum impedimento dirimente est intrinsecè malum; ergo excusari nunquam, ne ex gravissimo quidem mortis metu, potest.

Respondeo, Distinguendo Majorem: intentare id fieri quod

quod prohibitum est iure naturæ v.g. homicidium Innocentis cum animo volendi illud facere, est intrinsecè malum, concedo Majorem; cum animo illud nolendi facere, & cum certitudine, quod non faciet, est intrinsecè malum, nego Maiorem abstrahendo ab alio inconvenienti. Neque enim condemnabis eum, qui metu suæ mortis adactus, fingeret occidere Innocentem, proiiciendo, v.g. contra illum sagittam, sciens certò, nullum illi se damnum allaturum, hæc enim non esset vera attentatio homicidii, sed solum, quasi illusoria quædam attentatio quam licitè exhibere possum, ut ego mortem evitem. Quoniam ergo meticulosè contrahens cum dicto, impedimento scit pro certo, se nullum celebrare Matrimonium, illa non erit vera attentatio Matrimonii, atque adeo erit talis actio digna, quæ à metu gravi excusari à peccato possit. Atque hæc ad defendendam sententiam Sanchez merito dicta sint.

7. Quod si sciens, te nullum celebrare Matrimonium, adhuc contra ius velis verè contrahere, tunc profectò non est mirum, si pecces, ut etiam peccares, si similem animum habens, contraheres cum impedimento inducto ab Ecclesia; nam tunc esset, nolle obedire legi, & animum fornicandi habere, &c.

8. Quid si prædictus impeditus iure naturæ putaret, se vere contrahere posse, & propterea metu coactus contraheret?

Respondeo, hunc multo minus peccaturum, quia bona fides cum invincibiliter ignorantem excusat, ea tamen fide ablata, ipsum se gerere non posse, ut coniugem, satis supra monuimus.

9. Affectum impedimento solum impediente, nec peccare in prædicto metu, si absint pericula, & inconvenientia dicta *n.* 4. similis ratio persuader, nam & ipsum tunc invalidum est non quidem ex ratione talis generis impedimenti, sed ex ratione vniversalis infra, ut diximus, explicanda, quod scilicet omne Matrimonium est nullum, si ex metu gravi contrahatur.

### §. III. *Qui putant impedimentum adesse, cum tamen non adsit, an validè contrahat?*

De hac quæstiuncula commodius agemus infra *tr.* 4. *cap.* 2. §. 2.

### §. IV. *Quam pœnam incurrant contrahentes cum impedimento.*

Breviter. Præter peccatum, quando adest impedimentum solum impediens, & præter peccatum, & invaliditatem Matrimonii, quando adest impedimentum dirimens, nulla pœna ipso facto vniversaliter incurritur ab impeditis, Matrimonium, non prævia dispensatione contrahentibus.

Dico (vniversaliter) nam incurritur excommunicatio ipso facto, sed non reservata in iis casibus, qui habentur in Clementina unica de consanguinitate, his verbis, *Ea, qui scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis Constitutione Canonica interdicti, aut cum Monialibus contrahere Matrimonium non verentur, nec non Religiosos, & Moniales, & Clericos in Sacris constitutos Matrimonium contrahentes, excommunicationis sententia, ipso facto, decernimus subjacere.*

Cum autem hæc Constitutio alia Impedimenta non meminerit, ad illa ex Regula Generali, quod odia sunt restringenda, extendi nequaquam debet; Ita Aversa *q.* 9. *de matr. sect.* 5. *V. Denique.* Vnde ex eodem principio rectè Pontius *lib.* 7, *matr. c.* 41. *n.* 9. docet, hac excommunicatione non affici eos, qui cum obstringantur vinculo Cognationis legalis, vel spiritualis, Matrimonium inter se contrahunt, quia Constitutio solum meminit Consanguinitatis, & Affinitatis.



# TRACTATVS II.
## DE
# DISPENSATIONE IMPEDIMENTORVM MATRIMONII.

## CAPVT PRIMVM.
### *Quid sit Dispensatio, & qua ratione interpretanda?*

Dispensatio, ut habent Gloss. *C. Requiritis* 1. *q.* 7. V. *ut plerique*, & ap. Sanc. *lib.* 8. *matr. d.* 1. *n.* 2. Castrop. *t.* 1. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 1. *n.* 2. aliique ap. Dian. *p.* 8. *tract.* 3. *Res.* 1. Est *Iuris relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui potest relaxare.* Clarius: est *actus Iurisdictionis, quo pro aliquo peculiari casu, vel persona, tollitur obligatio alicuius legis, ea lege interim in suo robore pro aliis remanente.*

2. Hæc igitur dispensatio strictè est interpretanda, salva semper proprietate verborum: vide *C.* 1. *de filiis Presb. in* 6. Sanc. *l. c.* Ratio est, quia natura dispensationis est contra ius commune, illud enim tollit pro aliquo casu, vel persona particulari; ergo est odiosa iuri, atque adeo bono communi, propter quod latum est ius; ergo quanto minus potest, debet extendi.

3. Hinc sequitur, etiam dispensationes Matrimoniales, de quibus loquimur, debere strictè interpretari: iam enim etiam ipsæ vulnerant ius commune, & ita sustinet communis opinio. Ita Sanc. *l. c. n.* 30. Nihilominus Merolla *t.* 2. *d.* 4. *c.* 6. *n.* 28. cum aliis tenet has largam habere interpretationem. Ratio est, inquit, quia ex communi doctrina, quando per aliquam dispositionem redimus ad observantiam iuris, illa dispositio non est odiosa iuri, sed illi favens, quia iam illud servat: Sed per dispensationes Matrimoniales redimus ad ius naturæ, concedentis amplissimam libertatem in Matrimoniis: ergo odiosæ illæ non sunt, adeoque, nec strictè intelligendæ: Bono autem communi larga hæc interpretatio nocere, dicenda non est, quandoquidem favet primordiali hominum libertati in Matrimoniis contrahendis.

4. Hæc Merollæ opinio nimis probat, ideoque probat nihil, probat enim omnem dispensationem habere largam interpretationem, quia hæc semper favet hominum primordiali libertati. Ad argumentum ergo ipsius, concessa Maiore, neganda est Minor; nam Ius naturæ, non præcipit, sed solum non prohibet Matrimonia, ad quæ Natura ipsa propendet. Si ergo à iure positivo aliqua ex illis, ob commune bonum, prohibentur, (ut certè prohibentur) sanè in casibus deinde, in quibus pro aliquo ex his prohibitis, dispensatur, ius, & bonum commune violabitur.

5. Quando dispensatio, æquivalet legi communi, qualis est dispensatio, quæ clauditur in iure communi, vel quæ conceditur communitati, largam profectò habet interpretationem, sed absque admiratione, quia tunc per illam ius commune non vulneratur, sed immo ius constituitur. Lege hæc, & similia apud Dianam *p.* 8. *tract.* 3. *res.* 32. aliosque citatos.

## CAPVT II.
### *De potestate dispensandi.*

1. Potestas, quam quis habet, sive ordinariam, sive delegatam, sed generaliter alicui concessam dispensandi cum omnibus, est late interpretanda. Ita Sanc. *l. c. d.* 2. *n.* 1. Suar. *l.* 6. *de legibus, c.* 17. Lessius *l.* 2. *c.* 42. *n.* 60.

Ratio brevis est, quia potestas ad dispensandum non est contra ius, nec in alterius præiudicium, immo bono communi favens, siquidem bonum est commune, adesse eos in Republica, qui subditis consulere, per dispensationem possint. Aliqua limitationes vide apud eundem Sanch. *l.c.a n.2.*

2. Dixi (*generaliter, & cum omnibus*) nam si hæc potestas dispensandi concedatur alicui per modum mandati, ut solet pro dispensationibus Matrimonialibus, in quibus sic v. g. dicit Pontifex Delegato: *Dispenses cum Petro, si ejus preces veritate nitantur*, vel, quamvis postrema hæc, vel similia verba non apponantur; tamen concedat Princeps Delegato potestatem dispensandi solum cum aliqua peculiari persona, si, inquam, sic potestas dispensandi concedatur, erit strictè interpretanda. Sic Sanch. *l.8. d.2. num.6.* Ratio est, quia in hoc casu, concessio potestatis, vel est inchoata dispensatio, vel speciatim relata ad peculiarem dispensationem, & consequenter iuxta prædicta, esse stricti iuris debet. Sic exemplum illud, quod affert Conradus: Concedit absolutè Pontifex Delegato, seu executori potestatem dispensandi super quarto gradu consanguinitatis in favorem v. g. Titii: Delegatus autem invenit, quartum ejusmodi gradum esse v.g. in eo duplicem, hoc est, ex duobus stipitibus esse Titium, & Bertam consanguineos, habetne executor potestatem dispensandi in utroque gradu? Sanè non habet, quia cum hæc potestatis concessio facta sit pro peculiari casu & persona, strictè est interpretanda. Quare intelligenda erit de uno quarto gradu, nimirum proveniente ab uno stipite, non vero ex duobus, vel pluribus.

## CAPVT III.

### *De Potestate dispensandi Impedimenta Matrimonii, quæ residet in Summo Pontifice. Remissivè.*

1. EAm amplissimè residere in Summo Pontifice, sed quoad ea impedimenta, quæ non sunt de iure naturæ, sive impedientia, sive dirimentia, res est indigna, de qua dubitetur. De iure autem naturæ certo esse diximus suprà, impedimentum ex errore personæ, ex ligamine, ex impotentia perpetua, ex consanguinitate in primo gradu rectæ lineæ. Adde ex impedientibus, Sponsalia, quia esset præiudicium alterius ex Sponsis; nisi fortè Summus Pontifex, ut Iudex illa sponsalia propter legitimam causam declaret irrita, vel esse dissolvenda.

2. Hæc sunt clara. Illud est controversum, an Pontifex possit dispensare in impedimentis Matrimonii quæ sunt de iure divino, id, quod cum ad frequentem praxim non pertineat, videatur, quando erit opus, apud Sanch. *l.8. matrim. d.7. n.4.* Molin. *d.62.* Coninch. *d.33. dub.4.* Perez *d.44. sect.5.* G. Hurt. *d.26. Matrim. diff.1. num.5. &* ex Iurisperitis Marc. Cutelli *tr.1. de Donatio. d.2. particula 6. à num.33. & præsertim n.160. & 164.* aliosque.

## CAPVT IV.

### *De Potestate, quæ residet in Episcopo dispensandi Impedimenta Matrimonii.*

#### §. I. *De Potestate Episcopi dispensandi in Impedimentis solum impedientibus.*

1. LOquimur solum de illis quatuor, quæ sunt hodie impedientia, *Sacratum tempus, Votum, Sponsalia, Votum*, facilisque est doctrina, nam potest Episcopus dispensare in primo, sed eo modo, quem infra *cum de solemnitat. mat. tr.6. c.4. §.5. num.4.* distinctius dicemus. Potest item in secundo, quia est dispensare in prohibitione à se, vel à Parocho, cujus ipse est Superior. Item potest autem in tertio, quia esset præiudicium alterius ex Sponsis; nisi fortè, ut Iudex, ea ratione, quam modo de Pontifice. Denique non potest in quarto, quoad Votum absolutè Castitatis, & Religionis; hæc sunt reservata Pontifici. Quoad alia Vota poterit, advertendo, semper debere adesse in dispensatione concedenda rationabilem causam, ut *lib.3. in Decal. cap. §.4.* vniversaliter explicatum.

#### §. II. *De Potestate Episcopi in Impedimentis dirimentibus. Præmittuntur aliqua scitu necessaria.*

1. PRæter Impedimentum ætatis (in quo vrgentissima causa posse de iure Episcopum dispensare, quando malitia supplet ætatem, suprà *tract.13. de Impot. cap.13. §.2. num.20.* vidimus, ubi etiam monuimus proximè esse, ut etiam in hoc solus Papa dispenset) in nullo alio impedimento dirimente potest ullam dispensationem Episcopus, per se loquendo, concedere, quia nullus inferior potest quid in lege Superioris, qualia hæc de Impedimentis dirimentibus. Lege Castrop. *tr.3. de legib. d.6. p.4.* aliosque passim.

2. Dictum est (per se loquendo) nam ex peculiari Summi Pontificis voluntate aliquando potest, & quidem inductis à iure Ecclesiastico, nam ab aliis, ne ipse quidem Pontifex potest, ut diximus.

3. Id autem, ut facilius intelligatur, prænotare iuvat in Vniversum.

I. Circa potestatem Episcopi in legibus Superioris esse duos loquendi modos. Alter docet Episcopum habere potestatem omnem dispensandi in dicta lege Superioris, exceptis solum iis in quibus à Superiore positive & expresse limitatur. Alter docet, Episcopum nullam dispensandi potestatem habere in dicta Superioris lege, nisi solum in iis, quæ Superior positivè concedat. Posteriorem hunc sentiendi modum probabiliorem esse ait Castropalaus, *l.c.n.8.* Vnde videtur innuere priorem ut probabilem, quem ut probabilem etiam docet Bonacina apud Castrop. *l.c.n.7.*

4. II. Quoties in Sacris Canonibus aliquid prohibetur, sed additur impersonaliter, ut in eo possit dispensari, poterit tunc Episcopus. Sic habet Castrop. *l.c.p.3.* Sanch. *l.8. d.5. n.1.* Suar. *d.leg. l.6. c.15. n.6.* Metella *l.2. c.6. num.178. & 182.* & communiter. Cum enim certum sit, in iis posse Summum Pontificem, superbus est hujusmodi clausula, nisi tunc potestas intelligeretur Episcopis esse concessa.

5. III. Merito addit idem Castropalaus *loc.cit.* Episcopum dispensare posse in dictis Superioris legibus (etiam Concilii Generalis) Primo, in materia levi. Secundo, in lege non obligante ad culpam ullam, nec ad solum veniale. Tertio, in casu aliquo extraordinario vrgente necessitate, quando periculum est in mora, & non facilis est aditus ad Pontificem. Quarto, in dubiis; quando nimirum dubium est negativum, an casus indigeat dispensatione. Quinto in legibus propriè, & non vniversalibus. Sexto, in iis casibus pro quibus prescripta est legitima consuetudo, ut possit Episcopus dispensare.

6. His præmissis, cum alia decernere ad instituti nostrum non pertineat, disputationem nos restringemus ad sequentes quæstiones, ex quarum decisione non ignorabitur, quandonam Episcopus dispensationem expedire in impedimentis Matrimonialibus, possit.

§. III.

§. III *An Episcopus propter solam bonam fidem contrahentium possit dispensare in impedimento dirimente.*

1. Dico nequaquam posse, quia bona fides non dat potestatem inferiori ad dispensandum in eo, in quo ipse inferior potestatem nullam habet. Neque dicas Tridentinum *sess.24.c.5.de Reform. matr.* concedere impersonaliter, ut facilius dispensetur bona fide contrahenti Matrimonium cum impedimento dirimente quàm cum mala, per quem modum impersonaliter loquendi, modo diximus, concedi potestatem Episcopis; Ne id dicas (inquam) hæc enim non est concessio, sed permissio, qua Concilium solum enunciativè dicit, facilius dispensari posse (vtique ab eo, qui eam potestatem habet, nempe à Summo Pontifice) quando Matrimonium fuit bona fide contractum, quàm, quando mala. Non ergo Concilium dat potestatem dispensandi, ne impersonaliter quidem, idque patet, quia secus posset Episcopus etiam dispensare, quando intercessit mala fides, licet difficilius, quod nemo dixit.

§. IV. *An Episcopus in necessitate aliqua dispensare valeat in prædictis Impedimentis dirimentibus.*

1. Vel sermo esse potest, an Episcopus valeat in his dispensare post contractum Matrimonium, vel ante contractum, idque, vel in impedimento publico, vel in occulto. Secernamus hæc diligenter, ne confusa reddatur tractatio.

*IN IMPEDIMENTO OCCVLTO, APPARENTE post contractum Matrimonium.*

2. Potest in hoc Episcopus pro foro tantum conscientiæ dispensare, quando adsunt simul quatuor circumstantiæ. Primo, si adsit gravissima necessitas. Secundo, si ea sic vrgeat, ut non sit tempus adeundi Pontificem, vel ejus Delegatum, dispensare volentem. Tertiò, si impedimentum, ut dictum est, sit occultum. Quartò, si adfuit bona fides, quando contractum est Matrimonium, id est adfuit inculpata ignorantia impedimenti.

3. Hæc doctrina sub quatuor dictis conditionibus jam hodie recipitur communiter à Doctoribus, ut Sanch. *lib.2.d.40.n.3.& n.10.* Pont. *lib.8.c.13.* Avers. *q.19. matr. sect.2.* Perez *de matrim.d.43.sect.6.* Castrop. *d.4.de sponsa. p.vlt.§.1.num.8.* Et deinceps ducta ratione à præsumpta mente, & benignitate Pontificis, qui in tanta necessitate præsumitur, nolle ita sibi in damnum Fidelium, reservare potestatem dispensandi, ut eam, tunc non possit Episcopus concedere. Non ergo necessitas dat hanc Iurisdictionem, quam certè dare non potest, sed benignitas Pontificis ob illam necessitatem.

4. Sed quandonam impedimentum iudicatur occultum, & quando judicanda erit sufficiens necessitas?

Respondeo, de priore dicam *mox c.seq.à n.26.* De posteriore hîc breviter habe.

Quæcunque vrgens gravis necessitas vndecunque ducta satis est, dummodo sit vrgens, nec alio modo possit auxilium ferri, nisi per dispensationem Episcopi, nam ut supponimus, non est aditus ad Pontificem. Addunt tunc non immerito aliqui, raro alium casum posse contingere tantæ necessitatis prætet sequentem, vel ei similem. Titius, & Berta in facie Ecclesiæ contraxerunt bona fide, de qua loquimur (nam de fide mala *mox num. seq.*) Matrimonium, sed invenitur Berta impedimento occulto laborasse ex Affinitate contracta cum dicto Titio per copulam, quam ante Matrimonium ipsa habuit cum consanguineo in primo, seu secundo gradu ipsius Titii. Certe, si sine scandalo, & periculo infamiæ non potest Berta se separare à Titio donec impetretur dispensatio à Pontifice, in gravissima necessitate esse judicabitur, quia non potest prodere Marito, vel aliis suum delictum. Quare ab Episcopo tunc dispensari poterit. Non apparet autem facile in aliis impedimentis tanta necessitas, quia impedimenta alia sine infamia manifestari poterunt, & dum impetratur dispensatio, sine incommodo separabuntur conjuges.

5. Dixi autem (*raro alium casum posse contingere*) negare enim non possumus, aliquando etiam præscindendo ab infamia, posse aliquam aliam necessitatem adesse, id quod ex mox dicendis patebit, præsertim *n.10. & num.22.*

6. Hæc cum bona fide. Si vero dicti Titius, & Berta contraxerint fide mala, id est cognoscentes impedimentum, poteritne Episcopus, concurrentibus cæteris conditionibus prædictis?

Respondeo. Si vterque mala fide processit, non poterit Episcopus, teste Sanch. *l.2.d.40.matrim.num.4.* Coninch. Tanc. G. Hurt. aliique quos citat, sequiturque Lot. *tr.2.res.Theol.q.3.art.2.* quia in hoc casu non præsumitur Pontifex potestatem Episcopo concedere, & confirmatur ex Tridentino, *sess.22.cap 5.de Ref.matr.* quod vult, ut qui mala fide Matrimonium contraxerunt, (quod saltem est intelligendum, quando mala fides in vtroque est conjuge,) spe dispensationis careant. Si ergo Pontifex ipse profitetur, nolle tunc dispensare, præsumerene poterimus, eam potestatem Episcopis concessisse?

7. Notat autem Pontius *l.8.cap.13. n.4.fine*, eum, qui solemnitates Denunciationum ex præsumptione, & temeritate omisit, mala fide contraxisse, atque adeo cum hoc non posse dispensare Episcopum juxta dicta.

At, si saltem alter bona fide processit, multi Doctores ut Sanch. *l.c.* Pont. Perez, Castr. Lot. *ll. cc.* concedunt, posse Episcopum, ne scilicet alterius peccatum alteri noceat, dispensare, quicquid dicat Avers. *q.19.de matr.sect.2.* Garc. *de Benef.p.11.cap.5. n.357.* qui etiam tunc negare contendit, cujus tamen rationes facile ab non imperito Lectore dissolventur.

An denique Paterna Pontificis, ac summa benignitas concedat Episcopis dictam potestatem, etiam, quando adfuit mala fides in aliquo raro, & verè vrgentissimo casu, operæpretium esset, ut à sapientibus expenderetur.

*IN IMPEDIMENTO OCCVLTO ANTE contractum Matrimonium.*

8. Antonius, & Antonia laborant impedimento occulto dirimente, & nisi Matrimonium celebrent, periculum est magni damni: poteritne dispensare Episcopus, ad illud contrahendum, si periculum sit in mora, vnde expectari Pontificia dispensatio non detur?

9. Respondeo posse, in foro conscientiæ tamen. Ita Doctores non pauci, ut Sanch. *l.c.* Pont. Perez, Castrop. *ll.cc.* G. Hurt. *d.26.diff.2.* Loth *loc.cit.tract.5.* & ratio est eadem præsumpta voluntas Summi Pontificis, quam diximus, adesse in jam contracto. Solum hîc idem notant, difficilius hanc necessitatem occurrere posse in Matrimonio hoc contrahendo quàm in jam contracto. Quando enim Matrimonium nondum contractum est, poterit Sponsa, v. g. vti remedio, quod indicat Sanchez *loc. cit.* ad declinandam contractionem Matrimonii, ut scilicet voveat per aliquot dies Castitatem, quanti circiter requiruntur ad obtinendam Pontificis dispensationem, & deinde dicat cum veritate, sibi in mentem venisse votum Castitatis à se emissum (non autem aperiat temporalene fuerit, an perpetuum; cum enim temporale possit Episcopus dispensare, non bene consuleret necessitati expectandi dispensationem à Pontifice) atque edisceat, sibi propterea non licere assensum Matrimonio præbere, donec veniat dispensatio. At hoc remedio vti nequit conjux, quando jam contractum fuit Matrimonium, quia tunc alter conjux potest dicere se habere jus ad po-

tendum, & tunc deberet alter reddere, ut alibi explicuimus. Verum igitur est facilius posse vrgere necessitatem in Matrimonio contracto quam in contrahendo, cum in contracto hoc remedio vti nequaquam possis.

10. Facilius inquam, nam cæterum posse, saltem raro, illam vrgere, etiam ante contractum Matrimonium, iidem Doctores, ut Sanch. *l. c.* Hurt. *l.c. num.7.* consentiunt: eáque omnes admittunt, qua aliquis morti proximus astringeretur ad Matrimonium, cum aliqua contrahendum, ut sic legitimæ redderetur proles antea susceptæ, vel, ut resarciretur honor puellæ, vel, ut statim sedarentur graves inimicitiæ.

*IN IMPEDIMENTO PVBLICO POST contractum Matrimonium.*

11. Ut hunc casum planè decisum habeas, lege hic Consilium, quod quidam ex nostris hujus Panormitani Collegii doctus Theologus ad Episcopum Agrigentinum multis abhinc annis scripsit, quod, ego tunc in Theologia morali adhuc Tiro in summam fideliter contraxi, & in vsum fortè futurum (ut nunc contingit) mihi reservavi.

12. Titius, & Berta, præmissis legitimis Denunciationibus, cæterisque requisitis, bona fide (nam, si mala, idem esset dicendum, quod *n.6.* dictum est) Matrimonium contraxerunt, ac filios genuerũt multos, quorum vnus nunc est superstes; Sed ecce post annos septem à Matrimonio apparuit impedimentum inter ipsos dirimens consanguinitatis secundi in quartum gradum. Notitia hujus impedimenti est inter vicinos, & suppono, posse facilè probari, imò, & esse publicum.

13. Certum est filios esse legitimos ob bonam fidem, ut notat Filliuc. *tom.1.tr.19.n.132.* Sanch. *l.8.d.34.n.46.* & passim alios citans. Verum quærendum est, quid remedii ad hoc Matrimonium validandum?

14. Primum remedium est recursus ad Summum Pontificem. At, hoc factum est, sed inutiliter, quia, vel requisitæ sunt aliquot expensæ, vel accessus ad Romanam Curiam. Conjuges autem ita sunt ingenti oppressi paupertate, ut neutrum possint.

15. Secundum remedium est dissolutio Matrimonii. At, hoc durissimum est, & affert dedecus conjugibus, & tamen ij sunt digni mitiori remedio ob bonam fidem, & ob recursum jam factum ad Pontificem.

16. Tertium, ut simul cohabitent, tanquam Soror, & Frater. At hoc non vulgaribus incommodis plenum est, tum quia affert scandalum scientibus impedimentum, tum quia difficile erit, eos in tanta familiaritate continentiam observare; tum quia, dum ij cognoscunt impedimentum, verosque se non esse conjuges, quæ pax erit inter illos, quis amor?

17. Quartum, ut Episcopus suppetat expensas necessarias ad profectionem in Curiam Romanam. Hoc remedium affert Vasquez *1.2.t.2.d.178.c.1.n.16.* Bonac. *de legib.d.1.q.2.p.1.n.19.* dicens, has debere Episcopum subministrare suis ovibus. Verum hoc remedium est Episcopo molestum, & durum nimis, & ideo à Salas, apud Bonac. *l.c.* citans *praxim Doctorum & sententiam*, Sanchez, Castrop. *loco mox citando, n.9.* Pontio *l.8. cap.13. num.3.* nequaquam admittitur.

18. Remedium ergo quintum puto, esse, ut Episcopus dispenset: potest enim in hoc casu in foro conscientiæ, etiam existente nunc impedimento publico, nam, si occultum esset, multo magis posse, modo diximus, *num.2.* Doctores, qui videntur insinuare, posse Episcopum dispensare in prædictis circumstantiis, sunt Sotus, *l.1. de Iust.q.7.* Vasq. *l.c.* Salas, *de leg.d.20.sect.2.n.27.* Castrop. *tom.1.tr.3.d.6.p.5.n.7.*

Dico (*insinuare videntur*) quia absolutè docent Episcopum in simili necessitate posse dispensare in impedimento Matrimonii dirimente, & nunquam addunt limitationem, se loqui de occulto; Ergo sentiunt de omni etiam publico, & meritò, quia eædem rationes ductæ à Charitate, & benignitate Pontificis, ita præsumendo adesse aliquando in publico, perinde ac occulto.

19. Puto item, hanc dispensationem concedi posse ab Episcopo, atqua peccare, nisi concedat: quia illum justitia obligatur Episcopus (quando ratione habitus tenetur) concedere, ut vniversaliter docet Suar. *de legib. n.22.* Verum de hac obligatione legatur omninò Cast. *tom.1.tr.3.d.6.n.6.§.2.à n.8.* qui benignius loquitur.

20. Hactenus illius Theologi Consilium, quod confirmari ex Doctrina Perez, *de matrim.d.* *num.6.* qui sic habet, *Vt Episcopus dispenset in impedimento dirimente, requiritur, ut illud sit occultum. Si esset casus, quod impedimentum sit publicum, portaretur scandalum, si Episcopus dispensaret, quam scandalum cessaret: Omnes enim sciunt per se loquendo, non posse Episcopum ejusmodi dispensationes concedere. Si supponeremus impedimentum esse publicum, & simul publicam esse gravissimam necessitatem, posset similiter Episcopus dispensare.*

*IN IMPEDIMENTO PVBLICO ANTE contractum Matrimonium.*

21. Quamvis hic casus videatur molestior, tamen ex simili nuper *à n.9.* dictum est, molestia in eo demonstrata est, quod difficilius tanta necessitas inveniatur, aliisque remediis ita destituta, ut etiam ante contractum Matrimonium possit ab Episcopo in impedimento publico dispensari. At, si in rarissimo casu vrgentissima esset dicta necessitas, cur ex eadem benignitate & charitate Pontificis concedenda non sit ejusmodi potestas Episcopis in præsenti casu, sicut in præcedenti? Recte tenetur etiam in casu præsenti concedit Leander apud Donam *part.11. tr.8. resol.3. v. Sed observa.*

22. Fac enim, aliquem morti proximum vrgere Matrimonium contrahendum cum aliqua puella, ut sic legitima reddatur proles antea susceptа, vel, ut reparetur honor dictæ puellæ, vel, ut sic sedentur graves inimicitiæ (in quibus casibus *n.10.* concessimus Episcopis potestatem dispensandi in impedimento publico vrgente post contractum Matrimonium) tunc sine propter easdem rationes debemus concedere ante Matrimonium contractum; Et confirmari id potest ex doctrina *num.20.* allata à Perez, cum hic, ut supponere etiam debemus, non solum impedimẽtum sit publicum, sed etiam publica necessitas. Adderem, si fortè necessitas publica non sit, reddi eam publicam per prudentem evulgationem posse, ut scilicet sic scandalum, quod forte proveniret ex ejusmodi Episcopi dispensatione devitetur. Insistent Lectores prædicta, & sapienter diudicent.

*IN DVBIO, AN EPISCOPVS POSSIT dispensare in impedimentis Matrimonij?*

23. Si exhibitis diligentiis moralibus (quæ certo haberi omnino debent) dubium sit negativum, an impedimentum verè adsit, Dispensatione in re nostra non indigemus, nec Episcopi, nec Pontificis, & absque illa procedi potest ad Matrimonium, ut vult Sanch. *lib.8. disp. d.6.n.18.* Pont. *lib.8. cap.13.n.1.* Et nos *lib.1. in Decal. c.3.§.7.V. Matr.n.3.* quia tũc possessio stat pro libertate hominis potentis vxorem ducere, solum (quando opus esse, judicabitur) Episcopus, ad scandalum vitandum declaret, dispensationem non esse necessariam, vel, ad cautelam, dispenset. Idem multo magis erit, si probabilius sit, impedimentum non adesse.

At verò, si certum sit impedimentum, sed dubia causa, seu dubium sit, an sit tanta necessitas, quanam requiri hactenus explicuimus, tunc enim verò dubium potest,

AN

*AN EPISCOPVS, POTESTATEM habeat dispensandi?.*

Et breviter, Respondeo, non habere, quia in hoc dubio possidet certitudo impedimenti dirimentis, potestas Episcopi autem est dubia; dubia enim causa non potest dare certam potestatem, ergo ex à me dictis *lib.2.in Decal. c.3.§.7.V.Dispens.V.Iurisdict. V. Subditus* non potest, se extendere ad dissolvendum certum impedimentum.

24. Dices Episcopus in dubio, an adsit sufficiens causa ad Votum non reservatum dispensandum, ad jejunium Ecclesiasticum solvendum, ad laborandum die festivo potest dispensare ex receptissima doctrina Doctorum apud Meroll. *2.d.4.c.6.dub.3.n.107.* & Diana *p.1.tr.3. res.29.* ergo, & in casu nostro.

Respondeo. Nego consequentiam, quia potestas dispensandi in Votis non reservatis, & cæteris prædictis est certa in Episcopo, ut omnes docemus, & sic operari supra dubiam causam in prædictis potest; At in Episcopo non adest potestas dispensandi in casu nostro, id est in impedimentis, ergo non potest operari circa certum impedimentum, & ex alia parte, causa dubiè sufficiens, non potest Episcopo dare certam potestatem, vt dictum est.

Adde, totam hanc potestatem esse ex præsumptione voluntatis Pontificis: At in re tam gravi, quis illam in dubio præsumere audebit?

Quid si Episcopus putet, se habere causam, sed deinde post datam dispensationem, inveniat, se errasse, hoc est causam illam non adfuisse? Respondeo, id me dicturum *infra c.12.§.1.*

*In casu obtenta dispensationis subreptitiæ: An aliquid possit Episcopus.*

25. Non dubitarunt aliqui, ut Glossa, Hostiens. Gutt. aliique apud Castrop. *mox citandum*, affirmare, posse Episcopum firmam per suam dispensationem reddere eam dispensationem, quam aliqui fortè subreptitiè habuerunt à Summo Pontifice, quasi jam Summus Pontifex eam voluit imperfectam concessisse, quæ possit perfici ab Episcopo. Sane Pontius *l.8.c.13.n.7.* incertus de hac potestate est, quia eam videtur Sacer Textus *6. quia circa de consanguin.* concedere. Verùm nos nullatenus incerti esse debemus, quia illam admittere non possumus, perinde non admittunt Castrop. *d.4.de matr.p.vlt.§.1.n.20.* Aver. *q.19.de matr.sect.2.Vers. Octavo addiderunt.* Perez *d.43. sect.6.* aliique; nullibi enim illa conceditur, & Textus allatus solum permittit Episcopo, ut, propter multas difficultates separationis, dissimulet, si Matrimonium sit nullum, & à conjugibus validum reputetur. Adde posse dici, illam fuisse peculiarem concessionem pro illo speciali casu, non vero legem vniversalem.

26. Hæc quoad Episcopum. An autem dispensatio bona fide à Summo Pontifice impetrata sit deinde inveniatur subreptitia, possit aliquando præsumi, ratam, & firmam haberi ab eodem Pontifice, dixi *lib.1.in Decal.c.3. §.7.V.Dispens.n.8.& 9.*

---

# CAPVT V.

## *An alii à Summo Pontifice, vel Episcopo possint aliquid in impedimentis Matrimonii.*

1. POtest dubitari Primò de Vicario Episcopi. Secundo, de Capitulo Sede Vacante, Tertio, de Regularibus per privilegia. Quarto, de Commissario Bullæ Cruciatæ.

*Vicarius Episcopi.*

2. Quoniam hæc potestas dispensandi in prædictis, necessitatibus est ordinaria Episcopo, ideo ea delegabilis est. Quare specialem concessionem ejusmodi potestatis suo Vicario, seu alteri potest Episcopus communicare; Lege Sanch. *l.2 matr.d.40. à n.12.*

3. Verum adverte, hanc potestatem Vicarium non habere ex vi Vicariatus, sed debere specialiter ipsi ab Episcopo concedi, ut notat Sanch. *l.2. de matr. d.40. n.12.* Castr. *d.4.de sponsp.vlt. §.1. n.14.* G.Hurt. *d.26. diff.2. num.7.* aliique.

*Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius.*

4. Sane poterit Capitulum, quia, Sede Vacante, succedit in tota Iurisdictione Episcopi, Vicarius autem ipsius poterit quidem, sed ex speciali concessione, non vero ex vi Vicariatus, juxta dicta *num.præced.*

*Regulares.*

5. Nullum circa hoc, ut habet Sanch. *l.8.matrim.d.6. n.28.* Religiosi privilegium habent, nisi aliqui ex illis possint dispensare cum infidelibus existentibus in remotissimis Regionibus. Et quidem (ut constat) in impedimentis solum Iure Ecclesiastico inductis. De quare vide Sanch. *loc. cit. n.29.*

An vero possint dispensare in petitione debiti, si superveniat legitimis conjugibus Affinitas, ex copula illicita, dicam *mox cap.6.n.4.*

*Commissarius Bullæ Cruciatæ.*

6. Potestas, quæ Commissario huic conceditur super hac re, illa vna est, qua cum quibusdam conditionibus possit is dispensare in impedimto Affinitatis, contracto ex copula fornicaria. Id ut, explicetur, habe præ oculis, ipsa verba Bullæ, apud Lud. à Cruc. *in Expos. Bull. Cruc. in initio operis*, in quibus ea potestas Commissario conceditur.

*Item* (ait Summus Pontifex) *Reverendo Episcopo, qui Commissarius deputatur, datur facultas dispensandi in foro conscientiæ dumtaxat nullis datis litteris, seu per Confessorem laceratis cum his, qui primo & secundo Affinitatis, ex fornicatione contractæ, gradibus conjuncti, Matrimonium contrahere, dummodo post Concil. Trid. illius formam servaverint, ac impedimenta hujusmodi occulta sint penitus, & alter contrahentium, tempore contracti Matrimonii impedimenti ignarus extiterit, & quod de nullitate prioris consensus prius certificati, taciteque (si videbitur ad evitanda scandala) causa nullitatis Matrimonium inter se, etiam secretè de novo contrahere possint, proleque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo.* Hactenus Bull. Discurre nunc per singulas clausulas.

*Qui Commissarius deputatur.*

7. Ne ignores Commissarium hunc, cui Pontifex prædictam potestatem concedit, residere in Hispania, qui tamen substituit alios in singulis Provinciis, quibus eam potestatem subdelegat. Ale vocatur Commissarius Generalis, hi Commissarii Provinciales.

8. Inquiro jam primo, quo jure Generalis hanc potestatem Provincialibus Commissariis concedit?

Respondeo, quia hæc potestas Generali Commissario est concessa omnibus successoribus, ideo ordinaria est, atque adeo delegabilis. Adde, id peculiariter concedi à Pontifice Commissario Generali, ut *num. seq.* jamjam explicabo.

9. Inquiro Secundo. An Commissarius Provincialis, qualis, est noster Archiepiscopus Panormitanus pro tota Sicilia, possit hanc eandem potestatem dispensandi in dicto impedimento subdelegare alteri tertio, seu Commissariis specialibus, quos ipse Commissarius Provincialis solet in singulis Civitatibus constituere, quosque vocemus, distinctionis gratiâ, Commissarios particulares?

10. Respondeo. Ex vi prædictæ Bullæ mihi videtur, non

non posse, quis quamvis Commissarius Generalis possit suam potestatem amplissimè concedere Commissariis Provincialibus; sic enim habent verba ejusdem Bullæ:

*Item, ut* (Commissarius Generalis) *Deputare possit Commissarium in singulis Provinciis per locorum Ordinarios, quorum conscientiæ onerantur, prævia matura deliberatione, approbandos cum simili; vel limitata potestate.*

11. Tamen, nihil Pontifex concedit, ut ii Provinciales possint deinde alteri tertio eam potestatem communicare. Confirmatur Primò, quia, quamvis Delegatus Principis, etiam ad vniversitatem causarum, possit alium subdelegare; nihilominus hic alius non potest tertium delegare, ut rectè probant Sanchez *l. 3, matrim. dub. 31. n. 9.* Meroll. *t. 3. d. 7. cap. 4. num. 105.* alios citans. aliique & ego mox *num. 14.* latius dicam. Confirmatur Secundo, quia prædicti Commissarii particulares, & tertius quicunque non deputari solent, nisi ab ipso Commissario Provinciali, & non per locorum Ordinarium, ut requiritur à Summo Pontifice ad concedendam potestatem illam, &c.

12. Dixi autem (*Ex vi prædictæ Bullæ*) nam, si adsit aliqua peculiaris dispositio magis ampla, non erit mirum, si extendatur potestas: Sanè nostro Archiepiscopo Panormitano Commissarius Generalis hanc potestatem subdelegandi in hunc modum concedit, vide *In lit. Deputationis Commiss. hujus Regni, quæ servatur apud dictum Archiepisc.*

*Quoniam in Regno Siciliæ sunt Diœceses distinctæ, nec Archiepiscopus potest per se ipsum in omnibus providere, ideo concedimus, ut ipse valeat per singulas Diœceses nominare, seu eligere Commissarios particulares in Diœcesibus, vel locis, vbi ipse necessarium iudicabit, quibus nos concedimus facultatem exercendi munus Commissarii in iis locis, pro quibus fuerint designati, dummodo servent Bullam Pontificis, instructionemque, &c.* Hæc ille.

Vides autem, qua ratione in hac dispositione non ipse Archiepiscopus subdelegat, sed solum nominat, seu eligit personas, quibus Commissarius ipse Generalis potestatem concedit, quæ est doctrina, valdè communis apud Doctores, ut Sanch. Meroll. Pont. *mox citandi* in aliis materiis.

Vides item, hos debere esse approbatos ab Ordinario; Id enim vult Bulla Pontificis, cujus verba attulimus *num. 10.*

13. Sed remanet illa difficultas. An Archiepiscopus possit pari modo eligere aliquem v. g. Theologum, non ad totum dictum munus Commissarii, sed solum ad valendum dispensare in vna aliqua causa (v. g. in impedimento matrimonii ex copula illicita, altero nesciente, &c.

Respondeo. Aliquis difficulter id concedet, quia finis Commissarii Generalis, & verba prædicta ejusmodi concessionis, solum volunt, ut singulæ Diœceses, vel loca habeant suos Commissarios ad omnes causas, non vero separatim ad vnam, vel alteram (quam separationem non videtur posse fieri ab hoc Archiepiscopo, cum eam in mandatis non habeat. Constituat ergo Theologum illum, (sed semper cum dicta Approbatione Ordinarii) absolutè Commissarium, & sic tutò procedet.

Aliquis autem concedet pro Approbatione prædicta, quia cui conceditur totum, videtur concedi pars. Hæreo, cuinam ex his sententiis hærere debeam: Tu tua sapientia ad alterutram me, Lector, impelle. An vero ex dictis, & ex doctrina Sanch. *lib. 3. matr. d. 32. n. 18.* Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 4.* Pont. *lib. 5. cap. 16. n. 108. & c. 28. num. 2. fine*, aliorumque, colligi valeat, posse etiam validè sic dispensare Archiepiscopum?

*Ex nunc ego dispenso illud v. g. impedimentum ex copula illicita modo supra dicto exortum, dispenso, inquam, pro illa vel illis personis, pro quibus talis Theologus judicaverit esse dispensandum.* Tu, idem Lector dijudica.

14. Dices. Possumusne affirmare, Delegatum, atque adeo Commissarium Generalem Cruciatæ posse delegare aliquem, vel aliquos, quibus det facultatem subdelegandi, saltem ex eo capite, quod sit Delegatus Principis, & ad vniversitatem causarum, tunc enim Archiepiscopus noster posset subdelegare Theologum illum, &c.

Respondeo Primo, esto possit: vnde habes, quod sic subdelegaverit? Ego sanè contrarium habeo, nam Commissarius Generalis modo *n. 12.* prænominatus à se subdelegari nominatos à Commissarius Provincialibus; ergo videtur excludere ipsos Provinciales Commissarios ab ejusmodi potestate subdelegandi.

Respondeo Secundo, me ideo dixisse (esto possit) quia communiter reprobatur. Audi Merollam *tr. 3. d. 7. a num. 105.* quæstionem hanc disertè resolventem, (ait) *Delegatus Principis possit delegare cum potestate delegandi causam sibi commissam?* Et respondet, Ita *apud dictum Merollam* dicit, *forsan posse, sicuti potest Ordinarius. Ruio esse potest, quia Delegatus Principis major Ordinario, quoad causam sibi delegatam, sed tamen probabile Ordinarium posse delegare cum potestate delegandi, ergo multo magis id poterit Delegatus Principis. Verum hæc sententia communiter reprobatur. Quia Delegatus non habet facultatem vltra sibi concessam, cum Delegato Principis solum reperiatur in jure concessum posse subdelegare, & nullibi concedatur, quod possit potestatem subdelegandi, id non poterit. Et idem dicitur est à fortiori de Delegato ad vniversitatem causarum, propter eandem rationem. Ita tenet Glossa, Felinus, Paulus, Alexander, Bertach. Maranta, Mandosius, quos citat, quibusque Sanchez* lib. 3. matr. d. 31. n. 9. *Differt autem ratio de Ordinario, & Delegato. Nam Delegatus non habet facultatem vltra sibi concessam, Ordinarius vertitur facultatem, & Iurisdictionem vniversalem, eaque pro nomine exercet.* Hactenus Merolla.

Respondeo Tertio. Si Commissarius Generalis tassaret, se posse hanc potestatem subdelegandi communicare Commissariis Provincialibus, sanè illam ipsis rectè communicasset, & non esset vsus modo illo dicto *num. 12.*

Atque hæc nimis fortasse pluribus, sed fuit refutanda sententia cujusdam Theologi, cui hæc non adeo facilis visa est.

*Dispensandi.*

15. Hinc inquiro. An Commissarius possit dispensare in dicto impedimento sine vlla compositione immosynæ in favorem Cruciatæ?

Respondeo. In aliis casibus, in quibus commissarius dispensare potest, dicitur in Bulla, ut is habeat potestatem *dispensandi & componendi*: vnde videtur verum hoc, de quo agimus idem esse dicendum. Verum hoc non est omnino certum, illud (*componendi*) cadere in casum nostrum. Nam primo, in Bulla dicitur, *Detur potestas Commissario dispensandi, & componendi in commutatione legatorum, & datur potestas dispensandi, & componendi in irregularitate contracta, &c.* Deinde verò dicitur, *Item dispensandi in Affinitate orta ex copula, &c.* Vtrum in prioribus casibus poni illud (*componendi*) non sit in nostro? Nihilominus puto non esse recedendum à praxi, quam video hic adesse, dandámque esse clementiam; nam juxta qualitatem personæ, & delicti. Quæ summa maximè innititur in eo, quod omnes concessiones hujus Bullæ tendunt in subsidium temporale Cruciatæ. Sanè D. Franciscus Salerno Commissarius, Sede Vacante, non multis abhinc annis hanc dispensationem concessit cuidam pauperi cum onere elargiendi huius eleemosynæ citer quinque, hoc est tarenos Siculos sex, in subsidium Cruciatæ, & potuisset minus, si dispensandus pauperior fuisset.

Idem propter easdem rationes, puto dicendum de dispensatione ad petendum debitum conjugale in casu quem dicemus *infrà cap. 6. n. 3.*

*In foro Conscientiæ dumtaxat.*

16. Non ergo hæc dispensatio à Commissario expedienda est publicè. Hinc praxis est, ut petatur dispensatio pro quodam determinato matrimonio invalido ex dicta Affinitate copulæ illicitæ, non nominatis personis, explicato tamen distinctè gradu primo, (vide mox *c.9.§.7. n.2.*) vel secundo rectæ lineæ, vel transversalis (nam vltra non extendi hoc impedimentum ex copula fornicatia. dictum est supra satis) quibus, vel dispensat oretenus Commissarius, facta compositione, de qua modo dictum est, vel dando literas, in quibus nullus nominatur ex dispensatis: quæ tamen litteræ statim erunt lacerandæ, ut dicitir in Bulla.

*Dummodo, &c.*

17. Hic ponuntur Conditiones quinque, sub quibus solis, potest Commissarius prædictam dispensationem concedere: iis autem positis, potest, etiam si facilis esset aditus ad Pontificem, quia hæc restrictio non ponitur in Bulla.

18. Prima conditio est, ut matrimonium reperiatur contractum juxta formam Concilii Tridentini, idest coram Parocho, & Testibus, & insuper cum debitis Denunciationibus, nam sine illis non dicitur servata forma Tridentini. Quod si Episcopus, vnam, vel omnes has Denunciationes dispensavit, jam servata fuit Tridentini forma, ut latè habes apud Bardi, *in Bulla Cruc. p.3. tract.3. c.3. sect.1. num.2.* qui notat, si vna tantum omittatur, quamvis cum culpa, matrimonium adhuc dici contractum sub debita forma, quia levis est omissio, quando tamen Parochus est certus non apparere pto illo matrimonio vllum impedimentum.

19. Secunda, ut idem matrimonium fuerit contractum bona fide, saltem ex parte vnius ex conjugibus, qui ignoraverit intercessisse ejusmodi impedimentum Affinitatis ex copula illicita. Quando ergo vterque conjux impedimentum novit, nihil illis concedere potest Commissarius. Olim quædam scivit suum impedimentum, sed deinde ex aliorum dictis sibi persuasit, illud non adesse: apparuit tamē clare post contractum matrimonium: fuitne matrimonium illud bona fide contractum? Respondi affirmativè, quia jam sine dolo, sine fraude contractum fuit.

20. Tertia, ut impedimentum sit occultum, Quando autem hujusmodi esse, exstimandum sit, mox dicam *n.25. & sequ.*

21. Quarta, ut alter impedimenti ignarus certificetur de nullitate prioris consensus, tacita, si videbitur, causa nullitatis. Quare, si hæc certificatio facta non fuerit, non valere dispensationem, merito docet Trullench, *in Bull. Cruc. lib.2.§.4. dub.1.*

22. Quinta, ut adsit necessitas ea scilicet, qua, si illud matrimonium dirimeretur, periculum esset alicujus scandali. Quoniam vero ex dissolutione matrimonii, existente impedimento occulto, facilè mulieris fama jacturam pateretur, innuptaque facile remaneret, ideo regulariter semper adest ejusmodi quarta conditio: si nihilominus in aliquo raro casu, scandalum nullum timeretur, non poterit tunc Commissartus dispensare.

23. Si autem postquam dispensatum fuit, divulgetur publicè forte impedimentum, tunc à Pontifice petenda est obtentæ dispensationis ratificatio, & interim pro foro externo erunt conjuges separandi, quia pro externo foro non valet Commissarius dispensare. Quod idem observandum est quoties in foro Conscientiæ dispensatur in quocunque alio impedimento occulto.

24. Hi tamen occultè dispensati, sed, deinde cognito publicè impedimento, si copulam habeant, non peccant peccato fornicationis, quia verè coniuges sunt, sed solum, si ea copula sciatur, peccant, vel contra reverentiam debitam Ecclesiæ; vel ratione scandali, &c.

25. Sed quandonam impedimentum hoc dicetur occultum?

Respondeo, Ad hunc effectum, ut possit dispensare Commissarius (idémque dic de aliis impedimentis, & delictis), quando dispensari, vel absolvi conceduntur, ut occulta) cum non intendatur, nisi obviari scandalo publico, illud dicetur occultum, quod non est publicum, nec famosum, nec manifestum, nec notorium. Quare etiamsi probari per duos Testes planè possit, adhuc dicetur occultum, Vide Sanch. *lib.8. de matrim. disp.34. n.55.* Verricell. *in Quæst. Mor. tract.3. quæst.51. num.1.* alioſque ab ipso citatos. Ut ergo publicum sit, & non occultum, debet esse cognitum à majore parte Collegii, vel Viciniæ, vel Communitatis, vbi invenian-tur, saltem personæ decem. Sed certè (ut nos *lib. 9. in Decalog. cap.3.§.2. num.10.* advertimus) prudentis arbitrio id maximè relinquendum; nam aliquando in magna Civitate, etiam si decem rem aliquam sciant, non dicetur publica in ea Civitate, nisi fortè in iis circumstantiis in quibus facilè res ad alios divulgabitur.

26. Quando impedimentum est deductum ad forum contentiosum, sanè dicetur publicum, deducitur autem ad dictum forum per citationem partis. Quare antè illam, etiam si delatum sit ad Iudicem, non dicetur ad forum contentiosum esse deductum, neque ex hoc capite publicum, esto ex alio ex prædictis.

27. Addit Sanch. duo *loc.cit.* Castrop. *de Bull. Cruc. d.vn.p.11. num.8.* Bardi *in Bull. Cruc. p.3. tract.3. cap.3. sect.2.* Primum, esse ex hoc eodem capite occultum, si, quamvis fuerit deductum ad forum contentiosum; tamen per sententiam, sive Interlocutoriam, sive definitivam, causa fuerit expedita in favorem Rei, etiam si Testes in favorem, fuerit falsi, quia tunc remanet, ut erat prius, idest non probatum, quicquid dicat Suar. *de Censu. d.43. sect.3.* qui immerito negat de Interlocutoria. Nam infamia delicti etiam aufertur per sententiam Interlocutoriam, quæ pronunciat expetita judicia nihil probare; esto igitur possit iterum dictum delictum, seu impedimentum deduci in Iudicium, si nova indicia apparerent, sed jam nunc non apparent; ergo nunc remanet ex hoc capite occultum.

28. Addit Secundo, esse adhuc occultum impedimentum, si sciatur, v. g. copula illicita, sed in eo loco nesciatur, esse impedimentum, quia jam sic cessat scandalum quoad Matrimonii contractionem.

29. Addam ego alia quatuor ex Doctoribus M. Paulo Leone *in praxi ad liter. Pœnitent. p.2. initio.* Portell. ap. Dianam *p.8. tr.3. res.110.* & aliis, nam Primò, placet permaximè mihi ea doctrina, quæ docet; non posse à Delegato dispensari in impedimento, vel absolvi illud delictum, si quando in potestate quam delegat Superior, dicat: *Dummodo impedimentum, seu delictum sit omnino occultum*, quod solet dici, quando delictum, vnde oritur impedimentum, est enorme; quia illud (*omnino*) explicatur (*totaliter, & indistinctè*) tunc ergo, nec publicum esse debet, nec probabile, lege Verricelli *loco citato num.8.*

30. Secundò. Si res sit occulta in eo loco, vbi expedienda est dispensatio, & alibi sit publica, eritne in re nostra adhuc occulta?

Respondeo. Erit, quando abest periculum, ut posteà etiam ibi manifesta fiat. Quia esse impedimentum occultum, ibi verificari, solum oportet, vbi Dispensationis favor impenditur.

31. Tertiò. Si delictum, seu impedimentum deductum fuit in judicium, & in eo fuit punitum, notoriúmne erit?

Respondeo, in re nostra notorium erit, non occultum; publica enim pœna publicum notat delictum. Idem dic, si adhuc causa examinatur, saltem, quia est in proximo periculo manifestationis.

32. Quartò. Quid, si delictum in Iudicio, nec fuit punitum, nec absolutum, quia non potuit probari.

Vnde

Vnde veluti negativè cessarit Iudicum ?

Respondeo, tunc ex Glossa *in C. Omnipotens de Accusat. V. Denuncietur*, post annum elapsum dicetur, & erit, quantum est ex hoc capite, occultum, quia, quod probari nequit, præsumendum est, non adesse.

*Matrimonium an secretè contrahere possint.*

33. Magna est controversia: An Matrimonio, quando revalidandum est, debeat adesse præsentia Parochi, & Testium, de qua re ego pluribus, infra *tract. 4. de conf. cap. 4. num. 3.* sed hîc ejusmodi quæstio locum non habet, quia, quamvis in aliis casibus illa requireretur, hîc nequaquam requiritur; siquidem expresse Pontifex concedit, ut secretè possit ejusmodi matrimonium revalidari, & merito, tum quia scandala sic vitantur, tum, quia jam supponitur matrimonium illud in facie Ecclesiæ, hoc est cum dicta Parochi, & Testium assistentia, fuisse celebratum.

34. Quod si eveniat, ut deinde fiat impedimentum publicum, & debebit peti pro foro externo dispensatio juxta dicta *n. 23.* debebit advocari Parochus cum Testibus, ut nos *l. c.* dicemus, notatq; rectè Trull. *l. 2. §. 4. d. 1. n. 7.*

*Prolem susceptam, suscipiendamque ex indè legitimam decernendo.*

35. Hanc legitimationem valere solum pro foro Conscientiæ certum sit, quia tota potestas Commissarii est pro interno foro dumtaxat. Quare, in foro tantum Conscientiæ poterit sic legitimatus promoveri, ut habet Sanch. *lib. 8. matr. d. 6. num. 25.* ad Ordines Sacros, Beneficiaque Ecclesiastica recipere.

36. An possit ex vi hujus legitimationis succedere in bonis temporalibus, perinde, ac legitimus, quæstio est inter Doctores, mox citandos, quos adi, si placet: Illud recole, ex alio capite, nimirum ex vi bonæ fidei, qua saltem alter ex conjugibus Matrimonium contraxit, prolem, de qua agimus, legitimam esse, tum per leges civiles, tum per Canonicas. Vnde tam ex hoc capite poterit succedere in bonis temporalibus. Lege Sanc. *l. 8. matr. d. 34. n. 46.* aliosque à me citandos, infra *lib. 2. de irreg. c. 17. §. 2. n. 2.*

## CAPVT VI.

### *Quis possit dispensare ad petendum debitum, si quando conjugibus superveniat dicta affinitas ex copula illicita.*

1. QVomodo oriatur hoc impedimentum diximus supra *tr. 1. c. 12. §. 3.* hic, quisnam illud dispensare potest, erit breviter dicendum.

2. Potest Primò, Episcopus respectu suarum ovium, etiamsi aditus facilis sit ad Summum Pontificem, nullaque vrgeat peculiaris necessitas, idque saltem ex consuetudine tam legitimè introducta, ut habet Pontius, *l. 8. c. 13. n. 9.* Sanch. *l. 8. matr. d. 12. n. 13.* Castrop. *de sponf. d. 4. p. vlt. §. 1. num. 16.* aliique quidquid neget Hurtadus *d. 26. d. 2. n. 8. de matr.* Ejus Vicarius non potest, nisi ipsi specialiter ab Episcopo ejusmodi potestas concedatur, quia est regula generalis apud Merollam, *t. 3. d. 7. de Iurisd. Vic. c. 6. à n. 128.* alioisque ab ipso citatos, Vicarium ex generali commissione Vicariatus, non posse ea dispensare; quæ sunt voluntariæ Iurisdictionis, sed solum, quæ sunt Iurisdictionis necessariæ, at dispensare, est actus Iurisdictionis voluntariæ, ut omnes apud eundem docent.

3. Potest Secundo, Commissarius Bullæ Cruc. sic enim habet Bulla:

*Item Commissario datur facultas dispensandi in simili Affinitatis impedimento super debiti exactione in eodem foro conscientia tantum.*

4. Rodriquez, & Villalobos apud Bard *de Bull. Cr. p. 3. tr. 3. cap. 5. n. 2.* extendunt hanc facultatem Commissarii, ut possit dispensare ad petendum debitum conjuge, cur id interdicitur ratione cognationis spiritualis, contractæ cum altera conjuge. Sed eos refellit Sanchez *l. 8. matr. d. 15. num. 13.* Trull. Bard. & ipse Bard. *l. c.* aliique, quia Commissario conceditur dispensatio ad petendum debitum, quando impedimentum supervenit ex Affinitate orta ex copula illicita; at cognatio spiritualis nullo modo dicitur Affinitas. Quare à diversis non potest fieri illatio, neque dicas, concesso majori, intelligitur concessum minus, id enim verum habet, quando minus continetur in majori, non verò, quando est diversum.

5. Religiosi privilegiati, quales sunt, qui communicant cum nostris Privilegiis, possunt in præsidio Affinitatis supervenientis dispensare ad petendum, etiam post ablata vivæ vocis oracula, quia hoc Privilegium habetur per Bullam, ut fusè probat Thomas Bladus, *2. mor. q. tr. 11. cap. 1. à n. 1193.* & G. Hurt. *de matrim. diff. 2. n. 8.* Lotth. *tr. 1. Resquaest. 2. art. 5. Dub. p. 11. Tract. 8. Resolut. 16. vbi, an extra confessionem* dicens de dispensatione ad petendum debitum ab eo, qui cum Voto simplici Castitatis Matrimonium celebravit ?

6. Duo adverte. Primo, pro nostris requiri, ut communicationem hujus Privilegii concedat Pater Generalis, vel Provincialis; ita enim id restrinxit nobis Gener.

7. Secundò. Dispensationem hanc posteriorem ut petendum debitum ab eo, qui cum dicto Voto iniit Matrimonium non posse dispensari à Commissario Crucis, quia hoc ipsi nullibi conceditur.

8. Quæres. Potéstne Episcopus? Respondeo, negat G. Hurt. *l. c. n. 9.* quia id esset (inquit) dispensare in voto castitatis, quoad aliquem actum, ad quem non extendit Episcopi potestas, quia Votum Castitatis est Summo Pontifici reservatum. Sed profecto affirmandum puto; idque saltem ex consuetudine, ut dixi, *Lay. Decal. cap. 16. §. 4. n. 43.* (quem locum recolere, non inutile, quia ad rem multa) idemque docet merito Cit. *de sponf. d. 4. p. vlt. §. 1. n. 17.*

## CAPVT VII.

### *De causis dispensandi in impedimento Matrimonij.*

§. I. *Præmittuntur aliqua de his causis in universum.*

1. AD Dispensationem quamcunque requiri causam rationabilem, & proportionatam, sæpè diximus cum Sanchez, *l. 8. matr. d. 18.* & Castropal. mox citandis aliisque, qua deficiente, dispensatio ab inferiore in Superioris facta, illicita est, & nulla, sed, ut vult Cit. *T. 1. tr. 3. d. 6. p. 8. §. 1.* alios citans, valida; licet illicita fiat (ut etiam si à te petatur) à Superiore, vel ab inferiore in propria lege.

2. Et quidem Cajetanus, aliique ap. Sanch. mox citandum peccare mortaliter ait Superiorem, si sine causa dispenset in sua, vel prædecessoris lege, nisi parum materiæ excuset, sed tamen regulariter solum venialiter peccare, tum superiorem, tum subditum sine causa petentem tenent alii, sentitque Sanch. *l. 8. d. 18. n. 3.* & Dian. *p. 1. tr. 10. de legib. res. 32. & res. 35.* & latius *tr. 3. resol. 6. & sequent.* Valent. Suarez, aliique apud Dian. nam, qui addit, ea jam obtenta vti, ne peccatum quidem veniale esse; excipe, nisi adsit scandalum, & grave damnum aliorum, quale esset, ait Sanchez, *l. c.* alios nimis gravari, ex eo, quod alii absque causa, lege solvendi onera liberarentur.

3. Nota tria. Primo, nisi expresse dispensans dicat, se sine causa dispensare, semper intelligitur dispensare cum causa.

causa, quia non possumus præsumere, nisi clarè constet, peccatum alterius.

4. Secundò. Qui potens dispensare in lege Superioris, dispeniat prudenter, putà cum morali præcognitione causæ, & circumstantiarum, putans bona fide, se habere causam dispensandi, cum tamen causa non adsit, valide concedit dispensationem ex Sanch. *lib.8. matr.d.17. num.11.* Azor. Ioan. Sanch. Suar. Rebell. *ll. mox citandis*, illisque, tunc enim credendum est, ad tollendos scrupulos fieri à Superiore dispensationem, sed invalidam hanc dispensationem, docet esse Castrop. *l.c.§.2.num.5.* Pont. Bonac. Baldell. *ll. mox citandis*, aliique, quia bona fides excusat à peccato, sed non dat actui valorem. Vtraque sententia mihi probabilis apparet.

5. Tertiò. Si Pontifex committat Episcopo, v.g. ut dispenset præcognita veritate causæ, Episcopus verò sine eiusdem causæ præcognitione, atque adeo imprudenter dispenset, cum tamen in rei veritate adsit causa sufficiens invalidam eam dispensationem esse, contendit Pontius *lib.8.cap.14.n.8.* Bonac. *quæst.2.de legibus p.3. num.8.* Baldell. *lib.5.d.52.n.4.* Castrop. *loc.c.§.2.n.5.* quia, si causa cognita non est, movere dispensantem non potest: & sic dispensatio esset facta ab Inferiore sine causa, atque adeo nulliter. At Sanch. *lib.8. de matrim.d.34. a num.2.* Suar. *de legibus lib.6. cap.19.* Ioan. Sanchez *d.54. num.39.* Rebel *p.2.lib.3.quæst.5.n.12.* distinguit; si enim (ait) commissio sic habeat: *Dispenses si preces veritate nitantur*, valida erit valdè probabiliter in foro Conscientiæ dispensatio, quia iam adest re verà causa, ut supponimus, quamvis in foro externo, si causa notoria non esset, iudicetur nulla. Si verò commissio sic, vel simili modo se habeat: *Si per diligentem examinationem inveneris preces veritate niti*, invalida erit dispensatio, quia tunc illa præcognitio causæ requiritur, ut forma necessaria ad dispensationis valorem. Sanè, nec Pontium, nec Sanchez improbabilitatis damnare audeo. His præmissis, accedamus propius ad nostra.

## §. II. *De causis in particulari dispensandi in impedimentis Matrimonii.*

1. AD sex reduci hujusmodi causæ solent, ut est Ap. Pyrrhum Conr. *in praxi lib.7.cap.2.* & Barb. *in Trident. sess.24.cap.5.* Sanchez *lib.8.d.19.* Diahan *p.8. tract.3.ref.93.* ad angustiam loci, ad Paupertatem, vel Incompetentiam dotis, ad grave periculum litis vel Inimicitiæ, ad ætatem excedentem fœminæ, ad conservationem familiæ Illustris, quo reducuntur merita in Ecclesiam personæ petentis dispensationem, ad infamiæ fœminæ periculum, vel gravis scandali timorem; ad largam eleemosynam. Nonnihil explicationis addamus singulis.

### *Angustia loci.*

2. Si mulier in loco, in quo habitat, ob ejus angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui possit nubere, non inveniat, est sufficiens causa, ob quam Pontifex dispenset, ut dicta mulier nubat cum consanguineo, vel Affine.

3. Notanda autem hìc sunt quinque. Primò, Ad verificandam hanc causam, satis est, si consideretur propium oppidum, ubi mulier degit, quia molestum est mulieri, relinquendo suos, nuptias extra suum oppidum, etiam in loco vicino, conquirere. Suburbia tamen, nisi fortè per unum circiter milliare distent, non essent extra propriam Civitatem, ut notavit Conradus *loc.cit. cap.5.num.42.*

4. Secundò, in numerosa Civitate difficile est, non invenire parem, qui non sit coniunctus cum muliere, facilè in minus frequenti oppido, nam propterea additur aliquando in Brevi dispensationis (*modo ejusmodi oppidum non excedat numerum trecentorum focolariorum*) licet fatear, non semper addi, quia non potest negari, aliquando, etiam in loco frequenti par mulieris, qui coniunctus non sit, nequaquam inveniri.

5. Tertiò. Vt expendatur, an in aliquo loco inveniatur vir non coniunctus partis conditionis cum fœmina, expendendæ prudenter sunt qualitates, & conditiones personarum. Nam primò, debent semper excludi coniugati, Religiosi, ordinati in Sacris, hi enim utpotè impediti, non possunt cadere in considerationem Nuptiarum. Secundò excludendi item sunt moraliter inepti, ut sunt aliqui intractabilis ingenii, perditorum morum, &c. Tertiò, non est item habenda ratio illorum, qui valdè impares sunt fœminæ, ut qui sunt valdè pauperes respectu facultatum Mulieris, vel qui sunt valdè exiguæ, vel provectæ ætatis respectu ejusdem. Nota illud (valdè.)

6. Quartò. Si, omnibus his expensis, solum inveniatur unus, aut alter paris conditionis, adhuc persistet causa hæc, nam non est restringenda mulier ad unum, vel alterum, respectu cujus fortè fœmina antipathiam habet naturalem, & rectè Sanch. *loc. c.n.14.* notat hanc causam non esse strictè, sed morali modo verificandam, satisque esse, si communiter in eo loco non inveniatur vir paris conditionis, &c.

7. Quintò. Si petatur dispensatio in gradibus propinquioribus, putà in secundo vel tertio gradu ab eodem stipite, non solet aliquando, esse sufficiens hæc sola causa ab dicta angustia loci, nam propterea requiri solet alia causa, qualis esset illa, ut si extra dictum locum nubere cogeretur, Dos quam mulier habet, insufficiens esset, ad nubendum pari. Etquidem universale est, secundùm G. Hurt. *d.26. matr. diff.3. n.13.* & apud Dian. *p.8.tr.3. res. 93. V. Adverte etiam*, ut, quando una causa non sufficit, plures vnitæ sufficiant.

Dixi (*non solet aliquando*) nam cæterum quilibet Pontifex stylum observat, quem mavult.

### *Paupertas, vel Incompetentia dotis.*

8. Si mulier dote careat, vel careat congruenti cum qua iuxta ipsius conditionem possit virum non coniunctum paris conditionis invenire, est causa ad dispensandum sufficiens.

9. Notanda autem sunt tria. Primò, si fœmina habeat parentes divites, qui cogi possunt ad eam dotandam, ea non dicetur carere dote. At, si solum habeat alios etiam fratres, qui ad ipsam dotandam cogi non possunt, vel, si habeat solum spem, immo, & ius ad aliqua bona sibi ab intestato fortè proventura, carere dicetur dote: Ita Sanchez *lib.8.matr.d.19.n.27.* & Aversa *quæst.19.matr.sect.4.* quia de præsenti verè pauper est, & ut suppono certa non est de vicina successione. Et rectè Sanchez *loc. cit. num.26.* ait, si Parentes puellæ nunc non valent dotare filiam, ne dotando, ipsi secundum eorum statum indigeant, filiam esse pauperem, quamvis post eorum mortem, sit successura in hæreditatem sufficientem.

10. Quid, si deinde, mortuo, v.g. consanguineo, ipsa ab intestato succedat ejus bonis, vel ab amico donationem, vel legatum acquirat, vel thesaurum inveniat, &c. persistétne causa hæc Incompetentiæ Dotis?

11. Respondeo. Si hæc eveniant post contractum matrimonium cum consanguineo, vel Affini, dispensatione præcedente, persistet dispensatio. & Matrimonium, quia iam semel validum matrimonium ex dispensatione dicta legitima data, à nullo eventu infirmari potest. Idem dicam infrà *cap.12 §.3.n.9.* si hæc eveniat post concessam, & expeditam legitimè dispensationem, idque saltem probabiliter, quem locum lege.

12. At verò, si hæc eveniant ante dispensationem expeditam à Delegato, vel ante dispensationem à Pontifice concessam, maior est difficultas. Distingunt Doctores sic: Si Mulier tempore, quo verificanda est hæc causa paupertatis, idest, vel ante expeditionem Delegati vel ante concessionem Pontificis ea bona, vel per modicissimum tempus acceptavit, quamvis statim alteri donaverit, non potest dici pauper: unde nulla esset sequens

dispensatio concessa ex causa paupertatis, vel incompetentiæ doris, quia, si acceptavit ea bona, etiam per unicum momentum, dives dicetur, secus quælibet ditissima potest prætendere dispensationem ob paupertatem per similem renunciationem suarum divitiarum, quod nimis alienum est à mente Pontificis dispensantis ob causam paupertatis.

23. Hoc intelligit Aversa *l.c.* quando fœmina, consultò renunciat, ut deinde iam pauper effecta, dispensationem petat. Putat enim, si qua mulier bona fide renunciet sua bona alicui ob alios fines, & deinde per novum consilium, velit nubere, careatque dote, tunc posse petere dispensationem ob causam inopiæ, quia sine fraude, sine dolo, verè pauper de præsenti est. Hoc dictum modo allato vestitum satis probabile esse, puto.

14. Verum, si eadem mulier non acceptavit illam successionem, vel illud legatum, donationémve, ait nihilominus idem Aversa, & Sanchez *ll.cc.* eam esse pauperem, quia in nullo momento sibi ea bona acquisivit; quare poterit proferre Pontifici pro causa dispensationis suam paupertatem, & valida erit concessio dispensationis, & ejus executio, quia verè pauper est, nec in ullo momento fuit dives, etiam si non acceptaverit ob finem obtinendi dispensationem.

15. Mihi non placet hæc sententia, quia licet physicè hæc sit pauper, humano, & morali modo reputanda est dives: qui enim facile divitias acquirere potest, pauper in civilibus commerciis non dicitur.

Addit Ocagavia apud Dianam *p.8.tr.3.resol.44.* hanc Sanchez doctrinam reiiciens, sic facilem aperiri viam ad sæpius contrahenda Matrimonia cum coniunctis, quod vitare intendit Ecclesia. Ego denique, nunquam credidero, Pontificis mentem esse, ut huic nolenti (ut nubat coniuncto) acceptare divitias, quæ fuerunt in promptu, concedatur dispensatio ob paupertatem, quam paupertatem, tam facile à se depellere per acceptationem poterat.

16. Secundò. Si puella competente quidem dote, iuxta suum statum, gaudet, sed quia est, v. g. deformis, vel provectioris ætatis, vel aliquo crimine infamata, illa dos non existimatur sufficiens ad inveniendum virum suæ conditionis parem, dicetur ex Sanch. *l.8.matr. d.19.num.29.* verè pauper, & sine dote. Vnde, si Pontifici exponatur ea esse sine dote, & sic concedatur dispensatio, validè (ait Sanchez) concedetur. Mihi, occurrente nudius tertius hoc casu, visa fuit invalida dispensatio, tum ex aliis rationibus (quas afferemus infrà in proprio loco *cap.10.8.3.à num.3.*) tum ex eo, quia (ut infra item dicemus) Princeps, ut validè concedat gratiam, debet scire diversitatem, & quantitatem ejusdem gratiæ, quam concedit: at longè diversa est gratia dispensationis concessæ competentem dotem habenti, quam habenti nullam.

17. Tertio. Si Mulieri competentem dotem habenti velit consanguineus valdè dictam dotem augere, si ei à Pontifice illius mulieris Nuptiæ concedantur, certè non propterea hæc esset causa sufficiens, quia Pontifex pro causa non vult lucrum acquirendum à muliere, sed solum paupertatem.

18. Quarto. Pro gradibus propinquioribus requiritur major causa, nec solet esse satis sola mulieribus pauperras; nam propterea tunc solet addi illa causa, nempè consanguineum, seu affinem promittere puellæ ipsius dotis augmentum. Quali autem modo hæc promissio expedienda sit, explicant Sanch. *lib.8. de matr. disp.35. n.6.* & Conrad. *lib.7. praxis c.2.à n.38.*

19. Quinto denique adverte, has esse diversas causas, *Mulierem esse indotatam*, hoc est verè pauperem, quia est sine omni dote, quo pacto datur dispensatio in forma pauperum, & non imponitur solutio expensarum, & *Mulierem carere doto competente*, quo pacto saltem aliqua imponitur, ut rectè notat Conradus *l.7. c.2.à n.21.* Quare, si proposuisti Pontifici priorem causam ex his, dispensatio est invalida, si solum verificetur posterior, & tunc, ut sit valida, erit impetranda ab eodem Pontifice alia gratia, quam vocamus *Remissionem*, ut notat *ibidem* Conradus.

*Litis, vel Inimicitia sedatio.*

20. Si sit periculum litis circa dotem fœminæ non rationabili timore, ne ea indorata, vel sine competenti dote remaneat, vel, si sit periculum litis circa bonum plurium bonorum, ad quæ ius habet mulier, non sufficiens causa, ut nubat cum coniuncto, si hic sibi assumat, vel, si eo matrimonio dictæ lites componantur. Neque enim hoc posterius est solum aspectare lucri, quod modo *n.6.* exclusimus à causis movere Pontificem, sed est amissio bonorum, ad quæ hæc mulier habet, & cessatio molestiarum litigandi, quam muliebris fragilitas nequit.

21. Similis item causa sufficiens esset, si per ejusdi matrimonium graves inimicitiæ sedarentur.

*Ætas excedens.*

22. Si fœmina excedat vigesimum quartum annum, nec invenire potuit, ob quamcunque rationem virum, cum tamen interim ipsa nubere voluisset, si sufficiens causa? Cum enim periculum sit, ne hæc non nupta remaneat, Pia Mater Ecclesia hanc, ut cautam sufficientem consuevit admittere, quo possit nubere coniuncto, præsertim in gradibus remotioribus.

*Illustris Familiæ conservatio, & merita Excellentia Ecclesiam.*

23. Hæc, sufficientes etiam causæ sunt; bonum enim & utile est Ecclesiæ, ut in ipsa conserventur Familiæ Illustres, & item ii, qui singularia obsequia ei præstiterunt remuneratione non careant.

*Infamiæ periculum, & scandala.*

24. Si per dispensationem contrahendi matrimonium cum coniuncto, cesset periculum, quod bona puella fœmina, ne remaneat diffamata, vel cessent gravia scandala, sufficiens erit causa. Diffamata remanent, si fuisset cognita à consanguineo, vel affini, vel ex consequenti conversatione orta fuisset copulæ suspicio. Licet hæc posterior minor sit causa, & cum aliqua alia simul iuncta, similiter coniungenda. Scandala sequerentur, si probabiliter peccatorum periculum adesset, ut, si spirant ira & mulier non possent, unde esset incontinentiæ periculum, vel timor esset, ne perseverarent in concubitu &c. Vide Sanchez *l.8.d.19.n.10.*

*Larga Eleemosyna.*

25. Summus Pontifex aliquando dispensat in impedimentis, de quibus loquimur, solum ex eo, quod congregetur larga eleemosyna, quam ipse Pontifex opponit operibus piis, & tunc dicitur dispensatio concedi ex nulla causa. Intellige ex nulla causa intrinsecè permanente ad Matrimonium, nam cæterum iam adest causa extrinseca, nempe ipsa eleemosyna.

26. Quoniam verò id solet concedi de divitiis, vel nobilitate præditis, nota, Tridentinum *sess.24.c.5.de reform. matr.* velle, ne concedatur dispensatio in secundo gradu consanguinitatis, vel Affinitatis ex copula licita, nisi magnis Principibus. Nota Coninch. *d.33.n.44.* nisi magnis Principibus. Nomen autem Principis Sanch. *l.8.d.19.n.2.* putat comprehendi omnes Titulos, Henriq. *l.12.c.3.n.6.* & *9.* comprehendi omnes personas opulentas, vel præcipuas, ita prædicti interpretante rigorem Tridentini.

27. Nota item per hanc occasionem, esse nobilitatem verificari, si nobilitas sit ex parte Patris. Ita Sanch. *l.c. n.6.* non verò ex parte Matris solius Esse ex principalibus verificari, si sit valde secundùm Sanch. *l.8. de matrimonio d.35.n.25.* potens, & dives. Esse denique ex Magistratibus, qua ratione verificetur, vide Sanch. *l.c.* & Conrad. *l.c. disp.l.7.c.2.à n.115.* Præterea idem Sanch. *ibidem* explicat quantum differat, si in Brevi Dispensationis dicatur

Qu

*Qui ut asseris, nobilis existis* : ab illo : *Qui, ut asseritur, nobilis existis* : Vide etiam infrà *cap.* 12. §. 5. *num.* 3. Nota denique, esse ex honestis familiis, verificari, si familia nullo turpitudinis vitio laboret, & sic videtur Conrado, *in praxi l.* 7. *c.* 2. *n.* 118. posse servari.

## CAPVT VIII.

### *Quandonam Dispensatio est subreptitia, atque adeo invalida?*

1. SI in libello, quo Oratores, ideſt Dispensandi rogant Pontificem, ut dispenset in aliquo impedimento (idem dic in petitione cujuscunque gratiæ à quocunque Principe, &c.) sive data opera, sive per errorem taceatur aliquid, quod erat exprimendum, vel proponatur aliquid quod non ita se habet, sicuti proponitur, gratia, seu dispensatio sic concessa dicitur subreptitia, seu, quod pro nobis idem est, obreptitia. Ita Sanch. *lib.* 8. *matr. d.* 21. *n.* 2. Moneta *de commut. ult. voluntatum cap.* 6. Illa dicitur taciturnitas veri, hæc falsitatis expressio, utraque nullam reddens, ipso facto, iuxta mox dicenda, dispensationem, seu gratiam. Gratiam, inquam, nam, ut Rescripta Iustitiæ vitio subreptionis infecta nulla sint, debet præcedere exceptio partis. Cuius diversitatis rationem affert, explicatque rectè Sanc. *l. c. n.* 3.

2. Vt autem explicetur, quandonam hoc vitium subreptionis adsit? præmitte, causam, ob quam movetur Pontifex, seu Princeps ad aliquam gratiam concedendam, vel esse finalem, vel esse impulsivam.

3. Finalis, quæ etiam dicitur motiva in casu nostro est illa, qua non existente, non concederetur gratia, vel concederetur cum aliqua moderatione. (In aliis materiis lege Tiraquel. *in tract. Causa cessante:*) quando enim gratia cum aliqua moderatione conceditur, iam absolutè non conceditur ea, quæ petitur. Ita Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 324.

4. Impulsiva est illa, qua non existente, concederetur quidem gratia, ut habet Sanch. *l. c. à num.* 8. Suar. *de Voto l.* 6. *d.* 27. *n.* 11. & quidem sine limitatione, sed non tam facilè, tam promptè, tam citò.

His ita explicatis, Regula Generalis est, ut, Si surreptio sit circa causam finalem, hoc est, si Princeps motus fuit ad concedendam talem, vel tantam gratiam ex ea causa, quæ verè non existit, gratia sit nulla: Si vero sit circa causam impulsivam, hoc est, si Princeps ex ea causa, quæ verè non existit, motus solum fuit ad facilè, vel cito dandam, valida sit gratia.

5. Adverte tria. Primò, hic locutionem esse de veritate, & falsitate pertinentibus ad gratiam; si enim ad gratiam per se non pertineant, nec connexionem cum gratia, quæ petitur, habeant, illam non variant. Exempla duo solent afferri.

Aliquis Clericus malis imbutus moribus petit Beneficium Ecclesiasticum ab Episcopo, tacens ejusmodi suos improbos mores, & fortè Concubinatum quæ si sciviſſet Episcopus, Beneficium ipsi non contulisset; contulit tamen, & profectò validè. Rursus: Quidam verè pauper postulat à te stipem, cum sit homo improbus, & fortè hæreticus; hæc tamen ipse nequaquam patefacit, eleemosynamque à te recipit, validè recipit, quamvis, si tu novisses eum, esse hæreticum, omnino repulisses. Ratio autem horum est, quia, tum illius Clerici, tum hujus pauperis delicta & mores per se non pertinent ad Beneficii, vel eleemosynæ concessionem; collatio enim Beneficii solum per se respicit habilitatem, eleemosyna indigentiam personæ. Simile quid igitur in casu nostro.

6. Secundò, quando ius requirit, ut in concessione alicuius gratiæ exprimatur aliqua rei circunstantia, vel qualitas, hæc profectò, si non exprimatur, etiamsi levis momenti sit, subreptitiam facit, atque adeo nullam gratiam. Ita colligunt Doctores, ut Sanc. *lib.* 8. *matrim. d.* 12. *num.* 12. Castrop. *t.* 1. *tract.* 3. *d. cap.* 16. §. 4. *num.* 5. *fine*, ex Sacro Textu, *C. Si motu proprio De præbendis in sexto*, in quo pronunciatur subreptitia concessio Beneficii, quia impetrans tacuit, se habere Beneficium exiguum, quamvis, si Pontifex id sciviſſet, cum eadem fere facilitate illud aliud concessiſſet. Sed, quia id erat explicandum ex Iure, nunquam re ipsa Pontifex concedere, sine illa expressione præsumitur.

7. Tertiò, si silentium alicuius veritatis sit solum causa impulsiva concedendi gratiam, non obstat validitati, quando bona fide illa veritas tacetur, ut omnes docemus. At nec obstare, quando mala fide, hoc est, quando eadem solum impulsiva tacetur consulto, ad evitandam difficultatem concessionis à Principe impetrandæ, docet Sanch. *l. c. n.* 74.

Hæc breviter de his universaliter dicta sufficiant; nam, quæ in particulari iamiam dicentur in nostra materia Dispensationum Matrimonialium, sive de Taciturnitate veri, sive de Expressione falsi, rem totam clarius explicabunt.

## CAPVT IX.

### *Taciturnitas veri, quandonam in particulari vitiat Dispensationem?*

1. NVllo expeditiori modo huic titulo fieri satis potest, quam ea percurrendo, de quibus in nostra re solet esse dubitatio; quod iam aggredior sigillatim.

#### §. I. *Quando tacetur repulsa, aliàs data.*

2. TItius rogavit Pontificem, ut dignaretur, concedere dispensationem, qua possit ducere, v. g. consanguineam. Pontifex abnuit, repulitque Oratorem. Iam, si rursus velit Titius rogare Pontificem, opúsne habet hujusmodi repulsam exponere, immo, & repulsas, si plures oravit, & repulsus pluries fuit, ne Dispensatio fortè concedenda, sit subreptitia?

Respondeo, nequaquam, secundum Suar. *de leg. l.* 2. *c.* 22. Sanch. *l.* 8. *matr. d.* 22. *n.* 14. Castrop. *t.* 1. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 16. §. 4. *n.* 1. Dian. *p.* 8. *c.* 13. *resol.* 54. alios citans: id opus esse, quia, qui dictas repulsas tacet, neque contra jus vllum facit, neque contra stylum Curiæ, & ex alia parte jam tota, integraque causa Pontifici aperitur, ut suppono, quam solam respicit Pontifex, nihil laborando de data repulsa. Idem dic de aliis Principibus, ad quos pertinet gratias concedere, idque etiam, si nova causa non superaddatur, quicquid dicat Menoc. apud Sanch. *l. c.* Neque enim verum est, quod ipse assumit, nempe Pontificem, si recordaretur repulsæ gratiam non concessurum, non, inquam, verum est, quin immo præsumendum est, concessurum facilius ex multiplicatione precum, quibus majus Oratoris desiderium, & fortè major necessitas indicatur.

3. Quid si Superior, v. g. Pontifex negavit gratiam? Possumne tacendo repulsam Superioris, expoſcere eandem ab Inferiore, v. g. ab Episcopo in iis casibus, quibus potest, & Inferior?

Respondeo. Potes, testibus Suar. & Castrop. *ll. cc.* quia militat eadem ratio *num. præced.* dicta. Scio id negari à Sanch. *l. c. d.* 14. *n.* 5. quia (inquit) Superior per illam repulsam tollit potestatem ab Inferiore, quoad eandem gratiam: scio, inquam, hoc, sed certè id gratis videtur dictum.

4. Multo magis Inferior poterit dispensare (*sanè ex causa*) in iis, quæ ipse potest, licet sciat Superiorem non solere, nec velle in illis dispensare id, quod idem Sanch. negare non potuit, quia multo minus præsumitur Superior in iis ab Inferiore potestatem tollere.

5. Quod dictum est, extende (ut id hac occasione scias) ad cæteros Superiores Regulares: neque enim ex eo, quod licèt iam mihi Religioso alter Superior, sive æqua-

lis, sive major denegavit, obligor eam repulsam exprimere alteri æquali, vel inferiori, ut licentiam eandem mihi concedat. Quod, si, in Regulis Societatis Nostræ dicatur, ut Subditus passus repulsam, eam, & ejus causam explicet alteri Superiori, si ab eo eandem postulat, consilium id est, & directiva instructio, non autem forma ad invalidandam licentiam, ut signatè pro nostra Societate docet Bardi *in select. l. 6. q. 12.*

§. II. *Quando tacetur dispensatio, aliàs concessa.*

1. Hic sermo est, quando secunda dispensatio, quæ ponitur, est in eadem materia. Si enim in diversa omnes, ut Suar. *de leg. l. 6. c. 23.* Sanch. *l. 8. matr. d. 22. n. 5.* Castrop. *l. c. n. 3.* aliique conveniunt, opus non esse, meminisse prioris. Fac, v. g. te impetrasse dispensationem illegitimi Natalis ad Beneficium acquirendum, deinde verò velis obtinere dispensationem Voti Religionis assumendæ, quod tu fortè emiseras, non obligaris meminisse illegitimi Natalis dispensationem, cum hæc sit ab illa diversa, nec in ullo hanc officere possit, illam tacuisse.

2. Rursus sermo non est, quando prior dispensatio fuit propter aliquem defectum nulla; hujus enim mentionem facere, quando eandem, impetrare validam velis necesse non est; Ita Sanch. *l. 8. matr. d. 22. c. 21.* Vide Texedam ap. Dianam *p. 8. tr. 3. res. 59.* siquidem, si nulla fuit, nullum nunc effectum parere potest iuxta regulam Iuris, *Reg. Non præstat, de Regul. Iuris in sexto*; nec enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. His habitis,

3. Statue Regulam hanc. Quoties cognitio concessa in eadem materia dispensationis rationabiliter impediret dispensantem ad concedendam secundam dispensationem, toties ejus mentio fieri debet, quando hæc secunda petitur, ne gratia sit subreptitia: Quoties verò non impediret, non debet. Ratio Regulæ est, quia secus involuntariè concederetur gratia, atque adeo nulliter. Tunc autem rationabiliter impedire censebitur, quando maior est gratia, concedere posteriorem posita concessione prioris, quàm, hac non posita. Cujus ulterior ratio est, quia concedens, ut voluntariè concedat; ipsam gratiæ substantiam debet cognoscere, teste Castrop. *l. c. n. 5.* cum Suar. & Pont. quantitatem gratiæ, quam concedit: in ju enim, quod non cognoscitur, voluntas nostra ferri non potest.

4. Sed explicemus, Regulam per exempla frequentia in re nostra, hoc est in dispensationibus Matrimonialibus.

Exemplum primum. Antonius obtinuit à Pontifice dispensationem ducendi Bertam consanguineam, deinde vult ducere aliam consanguineam, nempe Catharinam, obligatúrne priorem dispensationem exponere Pontifici, ut valida sit hæc posterior?

5. Respondeo. Si prior dispensatio, quoad Bertam, adhuc viget, quia, v. g. Antonius mutato consilio vult aliam consanguineam, v. g. Catharinam ducere, obligatur prioris mentionem facere, quia, ex Regula data, ejus concessio, dum adhuc viget maximè impedit Pontificem ne secundam concedat, nunquam enim ipse tam exorbitantem, & magnam gratiam concedere intendit, ut quis habeat potestatem, seu libertatem ducendi hanc, vel illam consanguineam.

6. Si verò prior dispensatio effectum habuit, & iam cessavit, (ut, si Antonius duxit iam Bertam, sed nunc est mortua, vel etiam, non quidem illam duxit, sed nunc pari modo est mortua, vel Professionem solemnem emisit, unde inepta est ad Matrimonium) non opus habet Antonius, ut habet Sanch. *l. c. n. 13.* Castrop. *l. c. n. 7.* Perez *d. 46. sect. 3. n. 5.* ap. Dian. *p. 8. tr. 3. res. 55.* petendo secundam dispensationem cum Catharina, prioris dispensationis meminisse, quia cum illa iam cessaverit, impedire non præsumitur Pontificem, ne ex nova rationabili causa novam dispensationem, quasi requisitam ab illa nova causa, concedat; id enim non est concedere plures dispensationes simul, sed pluries, dispensationem, unam post aliam, quod certè valdè minus est.

7. Inquires. In casu quo non cessavit, & tamen ejus mentione impetretur secunda, quando quidem utra debet esse invalida, quænam illa erit, prior, posterior?

8. Respondeo. Sanch. *l. 8. matr. d. 22. n. 19.* posse validam fore priorem quia Pontifex non intendit dere posteriorem, nisi priore exclusa, quam renunciat Antonius dum posteriorem petit.

9. Verum ego non video, qua ratione Pontifex dat priorem, dum illius non recordatur, cum ex te gratis diceres Pontificem habere universalem tatem non concedendi posteriorem, nisi intelligeret ab ipso exclusa priori. Nec item video, qua ratione renunciat Antonius, quia nullum actum renunciationis facit, immo etiam si faceret nulla esset renunciatio, nec à Pontifice acceptaretur, ut de omni simili renunciatione docet idem Sanch. *l. 8. matr. d. 32.*

10. Melius ergo Castrop. *t. 1. tr. 3. d. 6. p. 2. §. 4.* Suar. Pont. *ll. cc.* cum aliis sustinet, invalidam fore riorem, quia nunquam Pontifex intendit posteriorem concedere, quando persistit prior, ne tantam libertatem, &c. ut dictum est *n. 5.*

11. Exemplum secundum. Titius impetravit dispensationem de impedimento Criminis ob uxoricidium. Deinde, commisso iterum eodem crimine, petit dispensationem de secundo Uxoricidio, obligatur mentionem facere proris dispensationis?

12. Respondeo. Obligatur, ut habet Sanch. *l. 8. matr. d. 22. n. 20.* Castrop. *l. c. n. 5.* Pont. *l. 8. c. 17. num. 8.* subsumptæ nullitatis posterioris dispensationis. Ratio est, quia impedit Pontificem, ne secundam concedat, nam longe difficilius est, secundo delicto gratiam concedere, quam primò; Vide, ut videatur, an Pontifex verè velit concedere iterum, debet inquirere, an antea, quid simile concesserit. Nam rectè monet Textus *L. 3. C. de Episcopali audient. V.* Tiraq. *de pœn. temperand. cons. 19. n. 2.* & Sanch. *loc. c. n. 2. Remissionem venia crimina, missionem commissa non habebunt.* Intellige in ordine ad favorem æternum, & ad has extrinsecas gratias à Principe condi solitas; aliud enim est coram Deo pro verè pœnitente.

13. Filliuc. *tr. 10. p. 2. de matr. num. 32.* posterius hanc doctrinæ meminit, quia scilicet dispensatio prioris defecti explicari debeat in petitione posterioris, aliàs verba: (*sed hoc non puto receptum.*) Certè voluisset, non tam ieiunè id dixisset, sed confirmasset validitatem; ego possem à mea resolutione, aliqua tandem mea ratione, discedere.

14. Exemplum tertium. Seius ligatus Voto Castitatis obtinuit dispensationem, ut posset Matrimonium contrahere semel tantum. Contraxit; sed mortua uxore, ut iterum uxorem ducere & quia Votum redit, debet ne novam dispensationem. Inquiro, ut hæc nova dispensatio non sit subreptitia, debetne mentionem facere prioris?

15. Respondeo cum Castrop. *l. c. n. 5. & 7.* esse valde probabile, nequaquam debere. Ratio ducitur ex dictis *num. 6.*

16. Exemplum quartum. Caius obtinuit dispensationem ducendi quandam suam consanguineam, sed mox dubium, seu scrupulus illi suboritur, an ea dispensatio sit omnibus expensis, legitima, quare supplicat denuò sibi dispensetur à Pontifice pro eadem consanguinea, debetne prioris dispensationis meminisse?

17. Respondeo, non debere, si credatur Castrop. *l. c. n.* Sanch. *l. c. n. 15. 16.* quia si prior est valida, posterior non est necessaria, si autem eadem prior est nulla, cum nullum effectum habeat, perinde est, ac impetrata non fuisset. Addit Sanch. *l. c.* præsertim, quando posterior impetranda non est amplior, quàm prior.

§. III. *Quando tacetur, plura subesse impedimenta.*

1. PLuribus impedimentis laborat Caius, ne possit ducere Caiam? Est enim illius consanguineus, est illius affinis, Voto item Castitatis astrictus, vel etiam habet impedimentum Criminis, vel est ex duplici stipite consanguineus, vel ex duplici capite affinis, &c. & interrogat, an simul hæc impedimenta proponere debeat Pontifici, an satis sit de illis sigillatim cum Pontifice agere, & distinctas obtinere de singulis dispensationes?

Respondeo. Probabiliorem eam sententiam vocat Sanchez *lib.8.matrim.d.23.num.1.* quæ sustinet, satis esse sigillatim, quia nullibi impositum est hoc onus exponendi simul omnia, cum satis sit, afferre causam, quæ persuadeat circa unam dispensationem, & hanc obtinere, & fide de aliis separatim, sicuti potest obtineri, & haberi Absolutio unius Excommunicationis, relicta alia, quam quis fortè etiam habet.

2. Communior tamen, & probabilior sententia, & ab ipsa praxi, ut habent Sanch. *loco cit. num.2.* Castrop. *loc.cit.n.11.* Suar. *de legibus, lib.6. cap.24.* Pont. *lib.8.c.17.* §.5. G. Hurtad. *d.26. diff.6.* Layman. Santarell. Dian. apud Aversa *quæst.19. sect.5. Verf. Oportere*, firmata docet, opus esse, ut exponantur omnia: nempe, ut Pontifex cognoscat qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam concedit, ut nuper in simili dictum est. Non est igitur ratio, quasi non possit concedi una dispensatio sine alia; potest enim, sicuti de Absolutione Excommunicationis dictum est, sed propter rationem iam dictam, cum certum sit, longè maiorem gratiam fieri uni tibi, si Pontifex duo, vel tria impedimenta auferat, quàm, si unum. Quare sive ex ignorantia non omnia exponantur, sive impedimenta solum impedientia sint, vel dirimentia, debebunt simul Pontifici proponi.

3. Prædicta communis sententia temperatur tribus modis; Nam Primò, si unum impedimentum, v g. consanguinitatis, debet quidem à Pontifice dispensari, sed aliud potest alia via tolli, quàm per dispensationem Pontificiam, quale est Votum Castitatis simplex, quod (si non fuit post pubertatem ratificatum, potest per irritationem à patre tolli, vel quale est impedimentum à sponsalibus, quod potest mutuo consensu sponsorum auferri) tunc non erit tibi necesse hoc impedimentum alia via amovibile manifestare Pontifici; poteris enim consanguinitatem solam exponere, deque illa dispensationem obtinere, deinde vero, (poteras & antea) Votum, vel sponsalia illis aliis viis à te tollere.

4. Quod, si velis, ut utrumque impedimentum tibi Pontifex dispenset, utramque simul aperire debes iuxta nostram sententiam probabiliorem *num.2.* explicatam. Et vides rationem? Vt utrumque dispenset Pontifex (quæ est maior gratia) debet cognoscere simul utrumque, quo scilicet videat, an tantam gratiam velit concedere. At quando ipse unum tantum impedimentum dispensat (aliud enim alia via alius à te tollet) satis est, si unum ipse cognoscat, quia ipse unam gratiam facit.

5. Scio, eundem Sanchez *lib.8.matr.d.23.num.4.* docere; quando unum impedimentum est Votum, & aliud est alterius generis, v.g. consanguinitatis, te posse separatim à Pontifice obtinere dispensationem Voti, non facta mentione consanguinitatis, & deinde obtinere dispensationem consanguinitatis, non facta mentione Voti, sed non contra. prius dispensationem consanguinitatis, & postea, Voti.

6. Scio Castropalaum *t.3. tract.3.d.6.p.16.§.4.num.12.* distinguere, & docere, quando dispensatio unius impedimenti habet alium effectum, quàm habilem personam reddere ad Matrimonium, (qualis est dispensatio Voti Castitatis, quæ habet alios effectus v. g. non peccare contra Religionem fornicando, &c.) posse, tacito altero, separatim prius Voti dispensationem obtinere, & deinde dispensationem consanguinitatis, at non contra, prius consanguinitatis, & deinde Voti, quia dispensatio consanguinitatis tendit ad faciendam habilem personam ad Matrimonium, & ad nihil aliud, seu nullum alium effectum habet, nisi personam habilem ad Matrimonium facere.

7. Scio Coninch. *d.33.num.74. & 75.* alio modo distinguere, ac dicere, quando duo vel plura impedimenta sunt quodammodo ejusdem rationis facientia maiorem indecentiam in Matrimonio, ut sunt duæ consanguinitates, vel duæ affinitates, vel altera consanguinitas, altera affinitas, &c. debere simul exponi Pontifici: at verò, quando sunt diversæ omnino rationis, qualia sunt cognatio, & Votum, non esse necesse simul exponere, nam, vel unius, vel alterius dispensatio (ait) obtineri, tacito altero ex his, poterit.

8. Scio, inquam hæc, quæ distinctius apud eosdem legi possunt, sed ego tibi Lector, proposui viam tutiam, & minus scrupulis obnoxiam, nempe, quando impedimentum, quod potest alia via tolli, illa alia via tollere intendis, non obligaris illius mentionem facere, at quando intendis, ut eadem via idest, ut idem Superior utrumque tollat ad finem contrahendi Matrimonium, certè obligaris. Et ratio est iam dicta, quia tunc Superior maiorem, & ampliorem gratiam concedit.

9. Temperatur Secundò, prædicta communis sententia. Nam, si forte unum impedimentum includitur in alio, sufficiet, ut vult Sanchez *lib.8. de matrim. d.24. num.38.* si solum hoc aliud explicetur: sed adverre, id in uno tantum casu posse contingere, ut cum Sanch. rectè notat Aversa *quæst.19. sect.5. Verf. Secundo si inter*, nempe, si tu labores impedimento publicæ honestatis cum Berta, v.g. ex eo, quod habuisti Matrimonium ratum, vel sponsalia cum ejus olim vivente Sorore, & deinde exponas Pontifici aliud impedimentum affinitatis, quod cum eadem Berta contraxisti ex eo, quod Matrimonium consummasti cum eadem ejus Sorore. In hoc ergo unico casu satis erit, exponere Pontifici hoc impedimentum affinitatis ex consummato Matrimonio consurgens, quia in hoc includitur dictum impedimentum ex Matrimonio rato, & ex sponsalibus, quæ certè supponuntur, præcessisse ad Matrimonium legitimè consummatum. Quare, dum Pontifex illi dispensat, dispensat, & huic, & quando committit alicui, ut dispenset in illo, committit, ut, & dispenset in hoc. Alium casum similem non inveniri iidem docent, nisi velis huc reducere, quando unus gradus coniunctionis includitur in alio. De qua infrà *c.9 §.2.*

10. Temperatur Tertiò. Nam, si occurrat adesse in aliquo duo impedimenta, alterum occultum v. g. affinitatis ex copula fornicaria, vel crimen: alterum publicum, v. g. consanguinitatis, tunc ex benigna Pontificis mente nolentis hominem sua occulta crimina publicè manifestare, satis erit, petere publicè, & ita Aversa *loco cicato Verf. Iuxta has rationes*, (quod solet fieri per viam Datariæ (dispensationem impedimenti publici, v. g. dictæ consanguinitatis, tacito occulto, & deinde, secretè, (quod fit per viam Pœnitentiariæ) petere dispensationem occulti, v.g. dictæ Affinitatis, vel Criminis: Sed advertè, Pœnitentiario narrari debere publicum impedimentum, addendo, vel de illo impetratam, vel impetrandam esse ab eodem Summo Pontifice dispensationem.

§. IV. *Quando tacetur, Matrimonium fuisse contractum cum impedimento.*

1. PEtrus contraxit Matrimonium per verba de præsenti cum Maria ejus consanguinea, quare nulliter contraxit. Num, sive ante consummationem, sive postea, (quo pacto commisit incestum) poscit à Pontifice dispensationem hujus impedimenti, obligaturne exponere, se cum dicto impedimento contraxisse, vel consummasse?

2. Respondeo. Si cum scientia impedimenti contraxit

(idem dic, si contraxit cum quocumque alio impedimento, ut putat Aversa *l.c. sect.6.* cum Sanch. *l.8. matr. d. 25. n.24. & alibi*, quicquid contrarium sentiat Henriq. *l.c.c.3. n.8.*) debet exponere, sic se contraxisse, vel consummasse, secus nullam dispensationem recipiet. Ratio est, quia Tridentinum *sess.24.cap.5. de Ref.* monet Pontificem, ne in hoc casu dispenset (hoc est, ut difficulter dispenset) ad puniendam malam fidem ejus, qui sic contrahere præsumpsit. Propter eandem rationem si quis Matrimonium contraxisset cum impedimento cognito (quale etiam est impedimentum absentiæ Parochi, & Testium (sub spe facilioris dispensationis, debet etiam hanc spem declarare, quia multo magis Tridentinum vult, ut in eo casu non dispensetur. Et nota, explicandam Pontifici esse rem, sicuti se habuit, hoc est, malam fidem fuisse, ex parte utriusque coniugis, vel fuisse ex parte unius tantum. Lege Aversam *l.c. Ver. At si ex duobus*, quicquid innuatur in oppositum apud Dianam, *p.10. tract.11. resol.44.* ubi multa ad rem hanc.

3. At verò, si quis dictum Matrimonium in facie Ecclesiæ contrahit bona fide cum ignorantia impedimenti, poterit ejusmodi contractionem tacere, quia ejusmodi Matrimonium bona fide contractum dispensationi non nocet, nec difficiliorem eam reddit; immo, quia reddit faciliorem, consilium tibi do, ut illud exponat, nam sic facilius gratiam impetrabis. Verùm adverte; Primò, quando ignorantia fuit crassa, quamvis sine temeritate, non posse te exponere positivè Matrimonium bona fide contraxisse; id enim tunc falsum esset, sed solum tibi nunc concederetur, posse negativè te habere, hoc est, te posse tacere, quia verè tunc non fuit contractum cum scientia, & præsumptione, quam præsumptionem, ac temeritatem vult punire Tridentinum.

Adverte Secundò, idem Tridentinum *sess.14.c.5. de Ref. matr.* Aversa *l.c. sect.6. initio*, velle, ut, qui Matrimonium contraxit cum impedimento dirimente non præmissis denuntiationibus, etiam si impedimentum is ignorasset, iisdem subiiciatur pœnis. Quare is explicare debebit nullitatem sui Matrimonii: quia, neglexisse denuntiationes, difficiliorem tunc reddit dispensationem.

## §. V. *Quando tacentur Qualitates extrinsecæ.*

1. ANtonius, & Antonia, sive divites, sive inopes, sive nobiles, sive ignobiles, sive vidui, sive non vidui, similesque qualitates Matrimonio extrinsecas habentes, necessitatémne habent eas explicandi, quando aliquam dispensationem à Pontifice exposcunt?

2. Respondeo. Quamvis interdum consultum, sit, eas explicare ad facilitandam dispensationem; tamen non ex obligatione, quia illarum notitia, vel ignorantia non nocent dispensationi.

3. Excipit viduitatem ex parte fœminæ Pontius, *l.8. c.17. num.42.* notat enim, fœminam viduam, præsertim habentem filios, debere manifestare, se esse talem, si petat dispensationem nubendi, v. g. consanguineo, vel affini, quia Pontifex dispensando maximè intendit favere fœminæ, ne innupta remaneat, quam miserationem non habet respectu viduæ, de cujus secundis nuptiis iura nihil laborant.

4. Adverte tamen, quamvis ex te non obligeris, explicare tuos Titulos, tuas divitias, inopiam, nobilitatem, ignobilitatem, &c. tamen, si de his interrogeris, sive tu, sive tuus Procurator, debebis omnino veritatem aperire, ut nempe Datarius arbitretur quantitatem Compositionis. Qui sint nobiles, & similia, satis indicavi supra *c.7.n.26.*

## §. VI. *Quando tacentur ipsi individuales gradus, vel similia pertinentia ad consanguinitatem, vel affinitatem.*

1. INdicavimus non multo antea, debere explicari, non solum impedimenta diversa specie, v. g. an sit impedimentum ex consanguinitate, an ex affinitate, ex crimine, an ex Voto, &c. sed etiam, an sint determinati veluti numero, an scilicet sit consanguinitas in secundo gradu, an in tertio, &c. Adde nunc, debere etiam explicari, an sit unica coniunctio, an multiplex ex diversis stipitibus, ideòque tum ex patris, tum matris, vel ex duabus aviæ, &c. An sit publica honestas ex Matrimonio, an ex sponsalibus. An coniunctio sit per lineam rectam, an per transversalem, & an sit spiritualis, & quæ sit Paternitas scilicet, an Compaternitas, quas supra *c.5.§.2. num.2.* explicuimus. Quod autem hæc coniunctio sit ex Baptismo, vel ex Confirmatione: non est adeo gatio explicandi, quia ex utroque Sacramento eadem coniunctio.

2. In sola Affinitate ex copula fornicaria forte esse necesse explicari, an sit per lineam rectam, v. g. copulam habitam cum Matre ejus, quam ducere vi cum Sorore indicare videtur Sanch. *l.8. matr. d.* sed quia, ob majorem peccati enormitatem, difficultatem tunc est dispensatio, explicari debere, colligi potest dictis §.2. *n.3.*

3. Præterea, si velis ducere Bertam, v. g. consorem, v.g. Mariam cognovisti, una est Affinitas, si Mariam centies cognoveris: at, si cognoveris v. g. Bertæ Sorores; v.g. Mariam, & Agatham semel tantummodo singulas, sanè contraxisti duas nitates, speciatim explicandas, licet sint in eodem Lege Molinam *tract.1. de Justit. d.161.* Aversa *q.39. Vers. Affirmandum tamen est*, Quidquid dicat apud Dian. *p.8. tr.8. res.60.*

4. Atque ex priore parte hujus dicti sit, ut si explicasti Pontificem pro hoc impedimento exorto ex copula fornicaria habita cum unica Sorore Bertæ, quam intendis ducere, Pontifex autem, ut consuevit, committat Delegato, ut expediat dispensationem, tu ante Dispensationis expeditionem iterum, iterumque cognoscas eandem Sororem, fit inquam, ut adhuc possit Delegatus dispensationem validè expedire, quia iteratas copulas nova non insurgit Affinitas. At si Delegatus iam dispensavit, postea verò tu eandem Mariam ante Matrimonium ritè initum, cognoscas, fit, ut contrahas omnino novam Affinitatem à Pontifice necessario de novo dispensandam. Ita Sanch. *l.8. matr. c.14. num. & 8.* & communiter ap. Dian. *p.8. tract.3. resol.65. Sed quia*; nam prior ablata iam fuit per dispensationem, quare nunc de novo alia consurgat necesse est.

## §. VII. *Quando tacetur gradus proximior.*

1. ALoysius, & Aloysia sunt consanguinei (idem dic, si sint Affines) cum gradu secundo in tertio, vel tertio in quarto, &c. obligunturne, non solum explicare gradum remotiorem (propter quem solum acquiritur dispensatio, quia ille est, qui constituit gradum coniunctionis, ut supra vidimus (qui locus omnino recolendus) verum etiam gradum proximiorem, si forte petant dispensationem ad Matrimonium inter ipsos contrahendum?

2. Respondeo. Quod obligentur in consanguinitate & Affinitate ex copula licita non est dubium, quia statuerunt Gregorius XI. Clemens VII. Pius V. & Pius V. Dixi (ex copula licita); nam, quando petitur dispensatio in solo foro Conscientiæ Affinitate ex occulta copula fornicaria, valere illam, quamvis gradus propinquioris mentio non fiat, dummodo non fit primus, monemus, nec esse necessarias literas declaratorias, monet rectè Sanch. *lib.8. matrim. d.24. num.33.* sed quæritur Primo, An obligentur sub pœna invaliditatis; Secundo, saltem sub pœna peccati.

3. Quoad primum, quando sive per ignorantiam, sive per malitiam, sive bona, sive mala fide tacitus fuit proximior gradus, qui sit primus, esset invalida dispensatio, & invalide à Delegato etiam ignoranter procedente, si concederetur: At in casu, in quo taciti fuerint proxi-

miores gradus, qui sint alii à primo, esset valida, sive proximior sit vir, sive fœmina, ut contra Sanch. & Molinam rectè probat Pontius *lib.8.c.27.n.27.* Ratio horum satis illa efficax est, quia expressè ita decrevit Pius V. *Sanctiss. Annend. edita 20. Augusti 1566.* revocans Decretum Pii IV. quo sub clausula irritante volebat, semper quemcunque gradum proximiorem esse Pontifici proponendum.

In hoc Pij V. motu, duo notant rectè idem Pontius, *ibidem*, Leand. *d.14. de matr. quæst.39.* aliique. Primò, Pontificem loqui tantum in consanguinitate, & Affinitate vnde, & in affinitate orta, sive ex copula licita, sive illicita, quando, pro illicita fortè publica, petitur dispensatio in foro externo; non tamen loqui in publica honestate ex Matrimonio rato, in qua sufficit explicare gradum remotiorem.

Secundò, eundem motum non habere locum, cum gradus remotior est extra quartum, quia tunc non est necessaria dispensatio, ut declaravit Sacra Congregatio, & cætera.

4. Iam vero, praxis hodie est, ut si impetres à Pontifice dispensationem ducendi, v.g. Aloysiam tibi conjunctam secundo, in tertio gradu, ipse Pontifex non committat Delegato, ut dispenset in dicto secundo gradu, sed, ut dispenset in tertio gradu, & declarasset, ejusmodi matrimonio non obesse illum secundum: cujus declarationis commissio potest per litteras Pontificias separatas dari, sed hodie communiter video, dari in ipso Brevi dispensationis.

5. Instas: Si alii gradus proximiores, præter primum, non obstant Matrimonio, cur addeuda est ejusmodi declaratio?

Respondeo. Vt obviam eat scandalo; cum enim nonnulli censuerint, ejusmodi alios proximiores gradus indigere dispensatione, voluerunt Pontifices, ne quis putaret, dispensatos in remotiori gradu nulliter matrimonium iniisse, voluerunt, inquam, ut ejusmodi declaratio expresè fieret.

6. Quoad secundam difficultatem, quod peccatum committatur, si dicti gradus proximiores; præter primum, taceantur. Dico duo, alterum de Delegato, alterum de ipsis Oratoribus dispensandis.

Nam, si delegatus, seu executor, cui commissa est expeditio dispensationis, adverteret, seu sciret, Oratores exposuisse, sive bona, sive mala fide, solum gradum remotiorem, tacuisse autem proximiorem, peccaret mortaliter, exequendo eam dispensationem, teste Conrad. *de Dispens. l.7.c.7.n.59.* quia ipse, qui operatur in foro externo, debet se conformare voluntati Pontificum, qui saltem pro foro externo statuerunt, ne concederetur dispensatio gradus remotiotis sine declaratione prædicta quoad gradum proximiorem.

7. At vero, si ipsi Oratores, petendo dispensationem remotioris gradus, taceant, etiam scienter, gradum proximiorem præter primum, puto probabile esse, non peccare mortaliter, si omni scandalo obvietur, tota enim illa declaratio, nonnisi ad scandalum amovendum ordinata est, atque adeo pro foro externo, non autem pro interno, quando dictus gradus proximior esse fortè occultus, vel alia via posset obviari scandalo, dando notitiam Decreti Pii V. declarantis, illos proximiores à primo nihil officere matrimonio.

8. Hanc doctrinam habent Sanch. *l.8. matr. d.24. n.29.* Pontius *l.8.c.17.§.5.n.26.* Aversa, *q.19. sect.5. Vers. Septimo, &c.* quia obligatio hæc tota, quanta quanta est, fundatur, vt diximus, adæquatè in scandalo: quare hoc remoto, non apparet, vnde peccatum mortale desumi possit. Addit insuper Pontius *l.c. n.27.* contra Sanchez id quod dictum est, intelligi eodem modo, tum de mari, tum de fœmina.

9. Inquiret Curiosus Textum Sacrorum, si valide est dispensatio tacito gradu proximiore, præter primum; Cur Vrbanus VIII. per litteras in forma Brevis. quas affert Barbosa *in Voto decisivo 3. fine*, declarat nullum fuisse Matrimonium duorum, qui volum petierant, & obtinuerant dispensationem pro tertio gradu consanguinitatis, cum tamen ipsi essent conjuncti in secundo cum tertio?

Respondeo, Hujus difficultatis Barbosa *loc.cit.* fatetur ingenuè, se nescire solutionem. Ita etiam mihi respondet quidam Doctus Theologus à me de hac re quid sentiret, interrogatus, audens, & quidem merito, standum nihilominus nobis esse dictæ hactenus Doctrinæ, pro qua fuit Decretum Generale, & publicatum Pii V. Profecto, cum non sit credibile, Vrbanum VIII. per literas privatas voluisse abrogare dictum Generale Decretum, mihi videtur, esse putandum in memoratis privatis literis aliquem irrepsisse errorem, à Ministris commissum.

## §. VIII. *Quando tacetur copula incestuosa inter dispensandos habita.*

1. SEnsus quæstionis est, an incestus, quem fortè commiserunt inter se Oratores petentes dispensationem (quod antea erat impedimentum solum impediens, hodie verò, ut supra vidimus, nullum impedimentum est) an, inquam, ejusmodi incestus, si non tanquam illi dispensandum sit, sed propter alias causas, sit Pontifici proponendus; ut valida impetretur dispensatio ab ipsis, qui sunt consanguinei vel affines, ad finem ineundi Matrimonium?

Dico (ad finem ineundi Matrimonium) nam, si Matrimonium contraxerunt, multo magis, si consummarunt, non præmissa Consanguinitatis, vel Affinitatis dispensatione, tunc incestum hunc esse exponendum certum est, & nos diximus *supra* §. 4. Porro celebris est præsens quæstio, duplex circa illam sententia est.

2. Prima, quam sequitur Pontius *l. 8. c.17.§ 6.* aliique mox citandi *n. 15.* dicit prædictos non obligari ad copulam, vel copulas manifestandas, etiam spe facilioris dispensationis, inter se habitas, nec ob tale silentium invalidam reddi dispensationem. Fundamentum est duplex.

Primum, quia nullo jure requiritur ejusmodi incestus expressio.

Secundum, quia argumenta secundæ sententiæ eam expressionem requirentis facilè solvuntur, ut videre poteris apud eundem Pontium, & apud Fagundez *præcep. 8. Decal. cap. 11.* qui loquens de copula incestuosa occulta, sic primam hanc sententiam explicat. In hac opinione prima dicendum est, sive copula occulta fuerit habita ante dispensationis petitionem, sive post petitionem ipsius, sive ante expeditionem Ordinarii, sive post illam; non esse necessariò explicandam, nec vitiare dispensationem, etiamsi malitiosè, vel per ignorantiam fuerit suppressa. Hactenus ille.

3. Secunda, quam sequitur Sanchez; *l.8. matr. d.25. num.8.* cum aliis mox citandis *num.5.* docet prædictos, si habuerunt, copulam (& quidem consummatam) debere omnino eam explicare, ut etiam spem facilioris dispensationis si hæc adfuit, secus nullam fore dispensationem, sive ex malitia, sive ex errore, sive ex ignorantia non explicetur. Fundamentum est item duplex.

Primum, quia ita est stylus Curiæ. Secundum, quia Pontifex aliquando interrogat, an intercesserit ejusmodi copula incestuosa, injungitque convenientem pœnitentiam, quod est signum, incestum, quamvis hodie non sit amplius impedimentum, conjunctum tamen impedimentum consanguinitatis, vel Affinitatis difficiliorem reddere dispensationem, unde, & propterea debeat exponi.

4. Explicat autem Sanchez, aliique hanc secundam sententiam. Primò, ut si sit copula occulta, manifestetur solum Pœnitentiariæ, tacitis nominibus supplicantium. Secundò, ut hæc obligatio imponatur dumtaxat, quando copula est incestuosa ex parte vtriusque, hoc

est, quando vterque scit, se esse consanguineos vel affines. Tertio, ut item solum sit obligatio eam explicandi quando copula præcessit supplicationem Pontifici factam, & quando præcessit executionem à Delegato, non verò, quando habita est post executam dispensationem, licet antequam Matrimonium de præsenti contraheretur, quia tunc cum præcesserit dispensatio, illa copula non est in rigore incestuosa. Quartò, non esse necesse explicare numerum copularum cum eadem fortè habitarum, quia hæc multiplicitas cum eadem non affert novum impedimentum juxta ea, quæ nos supra §.6. *num.* 3 docuimus. Quintò, non esse necesse, explicare copulam habitam inter conjunctos conjunctione legali, vel spirituali, vel conjunctione publicæ honestatis, quia hæc non est propriè incestus: ita illi. Sed debere explicari in hac sententia, putat Castropalaus *loc. mox citan. num.* 7. quia putat, esse propriè in specie incestus.

5. Ex his sententiis priorem sequuntur Doctissimi viri, ut Pont. *l.c.* G. Hurt. *d.*26.*diff.*5. Averf. *q.*19.*sect.*6. Perez *d.*46.*sect.*7. Diana *p.*1.*tr.*10.*resol.*44. Sed *p.*4.*tr.*4. *resol.*135. se retractat. Et ipse Sanchez, quamvis sequatur posteriorem, fatetur tamen, esse hanc probabilem, saltem de copula occulta, & in foro interno. Posteriorem verò, quæ est communior, multo plures, ut Sanch. *l.c.* & alii 18. citati ab ipso, & à Barb. *in Voto decis.*83. *n.*14.*& Voto* 17.*n.*57. Fagund.*pracept.Decal.*8.*n*11. Castrop.*d.*4. *de spons.p.vlt.* §.3.*n.*4. Dian.*dict.resol.*135. amplectuntur, ita ut ego, sic concludam, sicuti concludit his verbis Fagundez loc.cit. *Si meum judicium expectes circa has opiniones, dico primam, quæ loquitur de occulta, & in foro interno, esse valde probabilem secundam probabiliorem & ordinarie in praxi tenendam.*

6. Porrò illud in omni sententia monendum; Si fortè Pontifex in litteris quibus Delegato committit dispensationem exequendam, explicite hanc clausulam inserat: *Dummodo copula non intercesserit, vel Dummodo non intercesserit, sub spe facilioris Dispensationis*; Executorem Dispensationis, debere omnino supplicantes interrogare, ipsosque teneri, verum respondere, alioqui nulla esset dispensatio, ut item esset nulla, si intercessisset copula, &c. & ipse dispensaret.

Addit tamen rectè Sanchez, *l.*8.*d.*25.*n.*13. necessariam distinctionem. Nam, quando executor pro foro externo dispensat, non potest interrogare de copula occulta, de qua non adsit infamia æquivalens semiplenæ probationi: quod si interroget, poterunt supplicantes negare sub apta æquivocatione, quamvis fortè adesset aliqua suspicio de illa, nec per dictam negationem vitiabitur dispensatio: At quando Executor dispensat pro foro interno, ut solet esse Confessarius per Pœnitentiariam Delegatus; debebit interrogare de copula occulta, & supplicantes fateri debebunt, eaque supposita, non poterit Confessarius dispensationem exequi, quod, si exequeretur, exequeretur nulliter, ut item nulliter daretur, si falso illam negarent supplicantes. Vide hæc latius apud Sanchez, & Castropalaum, aliosque citatos. Idem proportionaliter dic, quando adest clausula, dummodo non adfuerit spes facilioris dispensationis, de qua plura vide apud Dianam *loc. cit.*

## CAPVT X.

### *Expressio falsi, quandonam vitiat dispensationem.*

1. NVper *cap.* 8. *num.* 4. post explicationem causæ finalis, & causæ impulsivæ, Regulam generalem cognoscendi, quandonam vitiatur gratia à Principe concessa attulimus: illam ergo præsenti argumento sic breviter applica: Nulla redditur dispensatio Matrimonialis ex falsitate, quam proponis, quando illam à Pontifice postulas, si falsitas est in causa finali, si vero in causa impulsiva, valida est. Recole omnino eorum dicta, quibus in memoriam redactis, discurramus aliquos speciales casus pertinentes ad dictam expressionem falsi, ad quam etiam spectant ea, quæ fortè per errorem Pontifici proponuntur.

#### §. I. *Quando falsò proponitur Impedimentum vnum pro altero.*

1. ANtonius proposuit, se esse Bertæ affinem in tertio gradu, v.g. cum esset in tertio gradu consanguineus, obtinuitne validè dispensationem matrimonii cum eadem Berta?

Respondeo nequaquam cum Sanchez *lib.* 8. *disp.*24.*num.*5. *&* 10. Pyrrh. Conrad. *in Disperf. cap.* 5. *à num.* 71. & vniversaliter scito, invalidam esse dispensationem, si vnum impedimentum exponatur pro alio, quia cùm hæc sint impedimenta diversa, nullo modo paret Pontificis voluntas in rescripto, per quem postulamus colligere, ipsum dispensasse in impedimento, quod non fuit ipsi propositum: Excipi tamen hic potest, quod supra diximus in vnico illo casu, quando illud vnum impedimentum involvebatur in alio. Lege *sup. cap.* 5. *num.*9.

2. Neque dicas, Pontificem, si sciviſſet dispensasse, ne id dicas, inquam, quia conditio nil ponit in effectu, purificetur. Cum ergo ea in hoc casu purificata non sit, quia Pontifex impedimentum verum nunquam cognovit, ideo remanet, impedimento vero non fuisse dispensatum.

3. Diana *p.*1.*tr.*10.*de legib.resol.*36. *V. Nota etiam p.*4. *tr.*3.*res.*64.*fine*, putat executorem posse valide exponere dispensationem consanguinitatis, licet in brevi dicatur Affinitatis, sed lege Conradum *l.c.* qui rectè illum impugnat. Portella item *in Respons. moral.* t.1. *cas.* 40. ex parte Dianæ, citatque pro se Bonacinam, sed falsa ratione, non affert.

#### §. II. *Quando falsò proponitur gradus consanguinitatis, is est vnus pro alio.*

1. SEd quid si error, seu falsitas contingeret circa gradus ejusdem conjunctionis?

Respondeo cum necessaria distinctione; Si enim pro gradu proximiore expressisti remotiorem, ut, si reus secundo consanguinitatis, expressisti tertium, invalida erit dispensatio: vide Sanchez *l.c.n.*2. sic enim manifestum Pontifex non cognosceret quantitatem gratiæ, quam concederet. At, si contra, pro remotiore expressisti proximiorem, etiam advertenter, ut, si cum esset in tertio exposuisti, esse in secundo, probabile est ut habet Sanch. *l.c.n.*17. valere dispensationem, quia cum Pontifex mandat, tollere impedimentum, satis videtur tollere, dum illud tollit in eo strictiori gradu, in quo sine dubio debebat, quia minus strictus est. Quare in hoc non loquor. Contradum *l.c.n.*94. sentientem oppositum, licet, ut fatear, probabiliter.

#### §. III. *Quando proponitur vnica causa falsa.*

1. SI vnica causa dispensandi proponatur Pontifici, atque hæc vsquequaque falsa, corruit omnino dispensatio; cum enim dispensatio semper detur ex causa, si hæc falsa sit, cum tunc nulla sit dispensatio non datur.

2. Dixi (vsquequaque falsa) nam posset esse ipsa falsa, sed motivum, quod apparet in illa posset esse verum ex alia causa non proposita. Proponis v.g. ut Pontifex dispenset ad matrimonium inter Antonium, & Annam, quia secus hæc ob carentiam dotis remaneret innupta; falsa autem est, eam carere dote; verum tamen est, eam remansuram innuptam, sed ex alia causa, quæ non fuit, proposita, nempè, v.g. ex deformitate, ex grandæva ætate, ex infamia contra ipsam exorta, vel ex simili alio defectu. Tunc ergo validè est dispensatum ex

3. Respondeo. Communis, & in praxi excipienda opinio est, Sanch. *in sum. l.4. c.47. n.17.* Guttier. apud Dianam *mox citand.* Conrad. *in praxi f.395.* Ma. Ant. *in suis variis resol. l.1. resol.39. n.11.* Barbos. *in Col. C. Cum dilecta, de rescriptis, in 6.* aliorúmque ab ipsis citatorum qui dicunt eam esse invalidam, etiamsi per inculpatum errorem falsitas hæc contingeret. Ratio est, quia Pontifex movetur solum ex causa proposita, & ex illo motivo, quod relationem habet ad dictam propositam causam; non ergo ab illo motivo relato ad causam non propositam.

4. Confirmo Primò à posteriori satis efficaciter. Nam cur tanta Doctorum, & Pontificum diligentia in proponendis, examinandis, & approbandis causis? Sanè sufficeret in supplicationibus sic semper ponere: *Supplicatur Sanctissimus Pontifex, ut dispenset cum Antonia, ne innupta remaneat*, ut certè, ex aliqua tandem causa, remaneret. Confirmo Secundo, ex dictis in hanc eandem rem *sup. c.7. §.2. n.16.*

Quicquid igitur dicat Leander, Martin. apud Diana *p.10. tract.11. resol.42.* & Martinus S. Joseph apud Dianam valdè, ut videtur, ad hanc sententiam propendentem, qui citant etiam Sanch. *l.8. matr. d.29. n.29.* alio in loco ab eo, quem modo ipse idem, & modo nos citavimus pro nostra sententia. Sed certè, vel hic locus est bene explicandus, ne sibi Sanchez contradicat, vel ipse à nobis hac in re, ejus pace, non est approbandus.

## §. IV. *Quando ex pluribus causis propositis aliqua est falsa.*

1. Distinguendum hic est. Nam, quando præsumitur ex circumstantiis, à prudenti expendendis, Pontifex motus fuisse ex vtraque indivisibiliter sumpta, nulla est dispensatio, quia tunc corruit veritas causæ Pontificem moventis. At vero quando saltem vna est vera eaque ejus est generis, ut spectata ordinaria consuetudine, & praxi dispensandi judicetur sufficiens causa motiva (nec solum impulsiva) ad dispensationem obtinendam, non vitiabitur fortè dispensatio, quamvis alia sit falsa, quia tunc jam adest sufficiens causa. Lege Sanch. *l.8. matr. d.21. n.2.* Lean. Ocg aviam, aliosque quos citat, sequitúrque Diana *p.10. tract.12. resol.43.* & apud Castrop. *mox citando*, Bard. *in select. l.4. q.4.*

Exemplum. Proposuit Curialis duas causas, alteram, quia cum prædicta Antonia copulam habuit Antonius consanguineus, alteram, quia eadem diffamata est in Civitate ob suspicionem copulæ. Certè existente veritate dictæ suspicionis & diffamationis, quamvis falsum fuerit, intercessisse copulam, valida fortè erit dispensatio, quia prædicta diffamatio solet esse sufficiens causa ad dispensationem. Dixi bis (fortè) propter dicenda *mox num.3.*

2. Adverte diligenter duo. Primo, invalidam fore dispensationem, si aliud ex circumstantiis colligatur. Exemplum sit illud, quod affert Corduba apud Dianam *p.8. tract.3. resol.65.* Semel negavit quidam Pontifex dispensationem ob illam causam suspicionis copulæ: Curialis autem, ut dispensationem obtineret, addidit fallo, adfuisse copulam: vnde concessa fuit dispensatio. Aio, illam invalidè fuisse concessam, quia clarè colligi debuit, Pontificem ad solam copulam attendisse, cum repulisset jam illam aliam, nempè copulæ suspicionem.

3. Adverte Secundò, cum Castropalao, *tom.1. tr.3. d.6. p.16. §.5. num.2.* semper scrupulosum esse, velle sustinere valorem dispensationis in casu veritatis vnius, & falsitatis alterius causæ. Ratio est, clara, quia, quisnum potest, etiam probabiliter scire, Pontificem, cui proponuntur duæ causæ, altera vera, altera falsa (præsertim, quando gravior est falsa, quamvis aliàs sufficiens) quis, inquam, sciet Pontificem absolutè motum fuisse à vera, non autem à falsa? Solum igitur tunc veram esse doctrinam *num.1.* datam, ego, & Castrop. & fortasse etiam Auctores modo pro ipsa citati judicabamus; quando illa causa falsa proposita, est de re extrinsecè pertinente ad materiam dispensationis, & quæ Pontificem, ad illam dispensationem concedendam, movere non soleat, quod est dicere, quando prudenter judicatur, falsam esse solam causam merè impulsivam.

## §. V. *Quando duæ simul dispositiones petuntur, altera cum causa vera, altera cum falsa.*

1. Titius duo à Summo Pontifice postulavit, alterum, ut Votum suæ Castitatis dispensaretur, alterum, ut posset consanguineam ducere, pro Voto autem allegavit causam mendacem, veram pro consanguinitate? Quoniam verò vtramque dispensationem obtinuit, nunc quæritur, an vtraque sit invalida, an solum prior. Et idem quæri potest, quando pro vna dispensatione tacuit, quod erat necessarium ad substantiam dispensationis, pro alia, explicuit?

2. Respondeo, si dolosè se non gessit, sed per solum errorem, seu ignorantiam non valdè crassam, Titius falsam rationem pro Voto assignavit, erit secundùm Castrop. *l. c. num.5.* valida dispensatio pro consanguinitate, quia non est ratio cur ipsa valida tunc non sit; At, si per dolum, & malam fidem, vitiabitur, teste eodem *ibidem num.6.* vtraque dispensatio in casu nostro; quia cum vtraque ordinetur ad eundem finem Matrimonii, Pontifex non præsumitur alteram, concedere ei, qui circa alteram, in ordine ad eundem effectum, dolosè se egit.

3. Dico, in casu nostro, in quo dispensatio ordinatur ad eundem Matrimonii finem: Nam si petiisset, atque impetrasset dispensationem Voti, v. g. & irregularitatis, causamque etiam mala fide falsam allegaverit pro Voto, veram pro irregularitate, quia hæ dispensationes sunt ad valdè diversos fines, & in rescripto dispensationis, ut supponimus, vna non concedatur dependenter ab alia, erit valida, quoad irregularitatem? Ita Castr. *l. c. num.7.* at invalida, pro Voto.

## §. IV. *Quando erratum est in nomine supplicantium.*

1. Dvplici modo solet poni nomen, & cognomen supplicantium in petitione dispensationis, vel scilicet sub propriis vocibus, v. g. *Supplicatur Beat. Vestra ex parte Petri de Marinis, & Bertæ de Martellis.* Vel sub nomine parentum (quod faciunt sæpè Curiales, quia non benè legunt cognomen supplicantium, cum tamen habeant arborem consanguinitatis, ad ipsos è partibus transmissam), ut, *Supplicatur Beat. Vestra ex parte Petri Francisci, & Bertæ Mariæ*, cum F. & M. majusculis, significantes Petrum esse filium Francisci; & Bertam esse filiam Mariæ. Nam, ne quis putet vnam, eandémque personam habere illa duo nomina, sic solent scribere majusculè, cum scribant litteris minoribus, quando illa duo nomina sunt ejusdem personæ, sic, *ex parte Petrè Francisci, & Bertæ Mariæ*, ut rectè notat Conradus *de dispens. l.7. cap.5. n.18.*

2. Potrò, sive erretur in nomine, sive in cognomine, quocunque ex prædictis duobus modis indicata fuerint, si constet de corpore, hoc est de personis postulantibus dispensationem, ut si loco Petri dicatur Titius, loco Bertæ dicatur Agatha, valida erit pro vtroque foro dispensatio. Est opinio Sanch. *l.8. matr. d.21. n.37.* & commun. apud Dianam *p.8. tr.5. res.63.* (si constet, inquam, nam secus indeterminata fuisset dispensatio, atque adeo nulla.) Ratio est, quia jam ad illam personam direxit intentionem Pontifex. Confirmatur, quia in Pœnitentiaria pro dispensationibus in occultis impedimentis, ne nominantur quidem supplicantes, sed solum significatur persona, ut de ipsa constet, sic: *Quidam talis Diœcesis cognovit occultè Sororem suæ Sponsæ, &c.*

Confirmatur Secundò, à simili, nam in Iure Civili (*in Instit.*

*Instit. de legatis, l. Si quis in fundo de legatis primo*: habetur hæc dispositio: Si quis in nomine, Cognomine, Prænomine, Agnomine Legatarii, Testator erraverit, si tibi de persona constat, nihilominus legatum valet: Nomina enim significandorum hominum gratiâ, reperta sunt, qui, si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. Hactenus Textus.

3. Quod, si Conradus *l.c.* dicat dispensationem censeri invalidam in Romana Curia, si erratum sit in Nomine, vel Cognomine, intelligo, id esse pro foro externo, quando in illo, & pro illo, de persona constare fortè non potest.

## §. VII. *Quando erratum est in nomine Diœcesis.*

1. HOc enim verò diligentiore examine pensitandum est. Nam licet primo aspectu videatur esse ejusmodi error valdè accidentalis, & ejusmodi sanè est, si ex se spectetur; trahit tamen errorem alium pertinentem ad substantiam dispensationis. Solet enim communiter Pontifex committere dispensationis executionem Ordinario Diœcesis ejus, in qua natus est supplicans, non autem in qua quis Domicilium fortè habet, sic disponente Tridentino *sess. 22. c. 5. de Ref.* pro foro externo (pro foro interno enim in occultis committitur, ut dicemus infra *cap. 12. initio* confessario, &c.) Nam ideo semper in petitione explicari debet supplicantium propria Diœcesis. Si ergo loco tuæ Diœcesis, alteram, etiam sine tua culpa, exponas, cum Pontifex intendat concedere Iurisdictionem, seu potestatem exequendi dispensationem Episcopo Diœcesis tuæ Nativitatis, certè invalidè alter Episcopus dispensationem exequeretur, vtpote, qui à Pontifice non fuerit ad illam Delegatus.

2. Dico igitur cum Sanch. *l. 8. matr. d. 21. n. 39.* Conrad. *in praxi, disp. l. 7. c. 5. à n. 28.* Perez, *d. 46. sect. 8. n. 18.* Sal. *de leg. d. 20. 26.* Meroll. *T. 2. d. 4. c. 6. n. 373.* aliisque in hoc errare, hoc est, si tu cum sis, v.g. Diœcesis Agrigentinæ, erret (etiam inculpatè) Curialis, exponatque te esse, v.g. Catanensis Diœcesis, vnde committatur executio Ordinario Catanensi, nec Ordinarium hunc Catanensem, nec Ordinarium Agrigentinum, nec separatim, nec conjunctim validè tibi dispensationem executurum. Ratio est, quia Pontifex, nisi aliud expressè dicat, se conformare intendit Tridentino: ergo in casu posito non vult committere dispensationem Catanensi. Quomodo ergo hîc illam exequi poterit? Ex alia parte de facto non committit Agrigentino, ergo similiter qua ratione hîc poterit illam exequi? Nam, quod committeret, si sciret, nihil juvat; conditionalis enim voluntas nihil operatur.

3. Hinc nullo modo assentior Pontio, *l. 8. cap. 17. num. 43.* Dianæ *p. 8. tract. 3. resol. 64.* Afferenti Amicum, Texedam, Perez, aliisque putantibus Agrigentinum posse exequi prædictam dispensationem. Et ad paritatem, quam ipsi inducunt, ductam ex errore nominis personæ, quando constat de ejus corpore, vndè idem dicere contendunt de errore nominis Diœcesis, quando de ea constat. Respondeo, adesse disparitatem, quia, in errore nominis personæ, vna est persona, quam in mente habet Pontifex, cui concedit dispensationem? At in errore Diœcesis duo sunt Ordinarii, nempe in exemplo nostro, Agrigentinus, in qua natus est supplicans, atque huic non dat. commissionem Pontifex, & Catanensis, Et, neque huic, vtpotè non proprio Episcopo supplicantis, dictam commissionem ex Tridentino dare Pontifex intendit. Quamvis ergo hanc Pontii doctrinam aliqui probabilem appellent apud citatum Dianam; illis tamen ego acquiescere nequaquam possum.

4. Inquires. Quando Sponsus est vnius Diœcesis, Sponsa verò alterius, explicandane est vtriusque Diœcesis in petitione dispensationis?

Respondeo. Ita, ut nimirum Pontifex eligat Ordinarium, cui vult committere executionem dispensationis. Eligere tamen ipse solet Ordinarium Diœcesis Ordinarium Quando ergo Sanch. *l. 8. matr. d. 35. n. 5.* dicit in [illegible] pressionem Diœcesis alterutrius, intelligi (puto) [illegible] praxim antiquam quam jam in desuetudinem [illegible] ligo ex praxi hodierna, quæ semper exprimit, [illegible] vtramque Conradus *in praxi dispens. l. 7. c. 5. n. 24.*

5. Inquires iterum. Ad quem pertinebit, dispensa[illegible] nem exequi, si vacante Ecclesia, v.g. Mazzarinensi, [illegible] natur à supplicante Pontifici, ut committat eiusdem [illegible] scopo viciniori, addátque idem supplicans, vicinio[illegible] esse Episcopum Cephaludensem, cum tamen [illegible] Agrigentinus. Pontifex autem annuat postulatis, [illegible] que Commissionem Episcopo Cephaludensi.

Respondeo. Bardi *in select. l. 4. q. 6.* duo hîc dici[illegible] mo hunc casum esse similem, imò eundem, ac præce[illegible] tem hactenus à nobis explicatum. Secundò, pertine[illegible] Episcopum Agrigentinum, quare ipsum posse eam [illegible] pensationem exequi, quia est attendenda mens Ponti[illegible] qui verè vult committere talem delegationem vicinio[illegible] idque esse probabilius.

6. Profectò, quoad hoc posterius dictum, ipsi[illegible] reo; cum Pont. Bonac. Sal. Santarello apud eundem [illegible] *n. 4.* apta enim est ejus ratio. At quoad prius, nequaquam [illegible] Puto enim casum esse diversum, nam in casu præce[illegible] Patris Bardi, constat de corpore, ut ita loquar, Dioe[illegible] sis, siquidem mens Pontificis est viciniori potestatem [illegible] conferre. Vicinior autem est solus Agrigentinus. Cum ergo viciniorem designat, Agrigentinum designat. In casu præcendenti à nobis allato, non constat de Dioecesi corpore, nam Diœcesis, ubi natus est Orator, non dum esse potest in mente Pontificis, cum ex vna parte ig[illegible] nesciat, & ex alia, nec vnquam solet Pontifex commi[illegible] tere indeterminatè sic: Vicario ejus Diœcesis, in qu[illegible] quis natus est.

### *Monitio ad sanandos prædictos errores.*

7. Pro his, & similibus casibus præcedentibus error, vel quando dubia existit impetratio dispensatio[illegible] adverte, eam sanari, id est, validam fieri per novas litte[illegible] seu nova rescripta à Pontifice obtinenda, narrato tam[illegible] fideliter errore. Quæ novæ literæ vocantur *Perinde valere*. Per illas enim vult Pontifex, ut literæ prior[illegible] leant, ac si error non irrepserit. Et quidem hæ litte[illegible] cilius impetrantur, & sine nova compositione, nec cum multis expensis.

## CAPVT XI.

### *Quid statuendum, si quid dubii intercurrat circa dispensationem matrimonialem, Remissio.*

1. DE hac re latè egi *lib. 3. in Decal. c. 3. §. 7. Dispensatio, & V. Matrimonium*, illud te, hæc occasione prætereat, non esse dubiam, sed certo invalidam dispensationem. Ita Suar. *l. 6. de Voto, c. 27. n. 6.* Sanch. *matr. d. 21. n. 40.* si supplicans nartet, se ambigere, [illegible] copulam consummaverit cum Sorore ejus, quam duxit intendit, an Votum Castitatis emiserit, an contingente sit cum Sponsa conjunctus, &c. ipse autem certo [illegible] stitatem voverit, copulam consummaverit, contingente sit astrictus, &c. Ratio est manifesta, quia [illegible] deceptio facit gratiam incognitam danti, atque [illegible] eidem involuntariam

## CAPVT XII.

### *Explicantur clausulæ Rescripti dispensationis pro foro externo.*

1. COmmittere solet Pontifex, ut sæpius [illegible] dicavimus, Ordinario supplicantium, hoc [illegible] Episco-

Episcopo vel ejus Vicario executionem dispensationis pro foro externo; idque per viam Datariæ: nam pro foro interno de occultis committit, per viam Pœnitentiariæ, dictam executionem Confessario ejusdem supplicantis: Quoniam ergo in his commissionibus multa sunt, quæ declarationem expescunt, earum singulas clausulas breviter explicabimus in hoc capite pro foro externo, in sequenti pro interno, quas latius habes apud Sanch. *fol.* 8. *matr. d.* 34. & *d.* 57. & Conrad. *in praxi disp. toto lib.* 7. & 8.

§. 1 *In prima clausula agitur de persona executoris.*

1. IN prima hac clausula Benedictionem suam impertiens Pontifex Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ipsis committit expeditionem causæ: id est, ut exequantur & actu concedant dispensationem. Oritur autem statim prima dubitatio, cuinam ex ipsis.

*An solus Episcopus, vel Vicarius solus, an uterque dispensationem exequi valeat?*

2. Quando ad vtrumque diriguntur litteræ, mandatúmque in illis contentum sub disiunctione, hoc est, ad alterutrum illorum, committitur (quod tamen non esse in vsu advertit Conrad. *in praxi disp. l.* 7. *c.* 4. *n.* 37.) potest dispensationem exequi alteruter ex nominatis, ad electionem supplicantis. Quando autem diriguntur ad Vicarium absolutè, vel absolutè ad Episcopum, solus ille, ut vult Sanch. *l.* 8. *matr. d.* 27. *n.* 3. ad quem diriguntur, potestatem habet exequendi. Quamvis enim idem sit Tribunal Episcopi, & Vicarii; id tamen est in his, quæ jure ordinario competunt Episcopo, non in iis, quæ delegantur à Pontifice. Cum ergo nunc supponamus, dirigi mandatum ad Vicarium, non potest se ingerere Episcopus, nec contra.

*Vicarius relicto officio.*

3. Secunda dubitatio. Si Vicarius Episcopi prædictus, dum Informationes instruit pro dispensationis executione, desinat esse Vicarius, vel quia ipse idem creetur Episcopus ejusdem loci, vel, quia amoveatur ab officio, poteritne deinde perficere probationes, ac dispensationem concedere?

Respondeo. Quando, ut loquitur Conrad. *l. c. n.* 36. realis est commissio, ut esse communiter solet, non poterit, poterit, quando est personalis.

4. Sed quid est, & qua ratione cognoscetur realisne sit, an personalis commissio.

Respondeo. Realis est, quando commissio fit alicui, non habito respectu ad personam, ejúsque qualitatem, sed ad officium, quod gerit. Personalis, quando alicui fit, habito respectu ad personam. Quare, si aliunde colligi non potest intentio committentis, vtere hac regula. Quoties in literis mandati nominatur solum dignitas, sic, v. g. *Tibi Vicario committo, &c.* commissio est realis. Quoties verò nominatur persona v. g. sic, *Tibi Petro committo*, est personalis.

5. Rectè igitur diximus, quando commissio est realis, nihil amplius posse Delegatum, deposito officio, quia is non habet amplius illud munus, cui connexa fuit commissio; posse autem, quando commissio est personalis, quia jam remanet eadem persona, cui commissio, facta est.

Si commissio fiat personæ, & officio sic: *Tibi Petro Vicario*, vel *Tibi Vicario Petro* probabilius censet Sanch. *l.* 8. *matr. d.* 27. *à num.* 14. Castrop. *tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 1 6. §. 6. commissionem esse personalem. Sed hoc, & similia multa ad ejusmodi realem, vel personalem commissionem facientia, vide latè apud eundem, aliosque.

*Vicarius succedens.*

6. Dubitatio tertia. Remoto, vel defuncto Vicario, cui commissa est à Pontifice executio, potestne Vicarius in eodem officio succedens?

Respondeo. Si commissio sit realis; ut certè communiter esse solet, poterit executioni mandati à Vicario, qui de novo creabitur ab Episcopo: ab Episcopo, inquam, non à Capitulo Sede Vacante; de hoc enim mox. Ratio responsionis est jam dicta *num.* 5.

7. Quod, si commissio sit personalis, non poterit ob rationem ibidem dictam. Hæc est probabilissima sententia, quam etiam firmant Decisiones Rotæ Romanæ allatæ à Conrado, *in praxi disp. l.* 7. *cap.* 4. *n.* 36. & apud Sperell. *t.* 1. *decis.* 31.

Hîc daretur occasio explicandi, an facultas, quam fortè mihi Rectori concessit, ad approbandos Confessarios mei Collegii, Episcopus, me amoto ab Officio, transeat ad meum successorem. Verùm, ne tam sæpè divertam ad alias materias, videatur id apud Sanch. *l. c.* & *d.* 28. *num.* 44. De Lugo, *in respons. moral. lib.* 1. *d.* 19. aliosque.

*Episcopus Vicinior.*

8. Dubitatio quarta. Quando committit Pontifex exequendam dispensationem Episcopo vicinori (quis iste sit? & qua ratione mensuranda distantia? vide apud Conradum *mox citand. n.* 20.) id, quod consuevit fieri in eventibus quibus sedes propriæ Diœcesis vacat: si hæc deinde fiat, per novum Episcopum, plena, potestne ille vicinior exequi amplius dispensationem illam?

9. Respondeo. Non potest, saltem re integra, & hunc esse stylum certissimum, notat Conradus, *in praxi, l.* 7. *cap.* 4. *n.* 25. Ratio est, quia semper supponitur Pontifex, velle servare Dispositionem Tridentini *sess.* 22. *cap.* 5. *de Refor.* jubentis dispensationes esse exequendas à proprio Episcopo, vnde, nisi huic dispositioni expressè deroget, semper intelligitur conditionatè sic committere Episcopo vicinori: *Exequere dispensationem hanc, si vacat Sedes propria.*

10. Quæres, Poteritne tunc Episcopus proprius, seu novus, quando jam plena fit Sedes?

Respondeo, nequaquam, quia huic novo hujus Diœcesis Episcopo nihil commisit Pontifex. In hoc ergo casu, quo fiat plena sedes, cum non possit Episcopus vicinior, ut dictum est *num. præced.* nec possit Episcopus hic novus, ut nunc dicimus, erit necesse confugere ad Pontificem pro mutatione Iudicis, seu Delegati, ut idem Conradus indicat *loc. cit.* loquens de casu, in quo literæ Pontificis illi vicinori nondum fuerint præsentatæ.

*Capitulum, seu Vicarius Capituli, Sede Vacante.*

11. Dubitatio quinta. Concessiones dispensandi, commissas Vicario Episcopi, potestne exequi Capitulum, Sede Vacante, vel ejus Vicarius?

Respondeo. Quod non possit ipsum Capitulum, certum est; illud enim succedit quidem in omni Iurisdictione ordinaria Episcopi, non verò in Delegata, qualis est præsens.

12. At, quoad ejus Capituli Vicarium celebris est quæstio, nam concedit Sanchez *l.* 8. *matrim. d.* 27. *n.* 32. cum paucis, quia Vicarius Capituli vocatur interdum Vicarius Episcopi ex eo, quia est Vicarius Capituli, in quo residet tota Iurisdictio Episcopi.

13. Negat Conradus *l.* 7. *c.* 4. *n.* 11. cum Barb. *de Canon. c.* 42. *n.* 57. Sperell. *t.* 1. *decis.* 31. Antonel. *in praxi Ep. l.* 4. *c. ult.* & Ventrig. *Ann.* 38. *n.* 24. alios citante. Multæ declarationes Sacr. Cong. & multæ Dec. Rotæ Rom. apud citatos negant cum multis, quia certi sumus de mente Pontificis, nolentis Vicario Capituli (etiamsi idem, qui fuerat Vicarius Episcopi, nunc sit electus Vicarius Capituli) has dispensationes committere. Quando enim Pontifex scit, Sedem Episcopalem vacare, etiamsi litteræ expeditæ essent ante vacantiæ cognitionem, statim scribit alias litteras continentes, ut loquimur, mutationem

Iudicis,

Iudicis, ac Viciniori Episcopo dispensationem committit, nunquam verò, etiam emixè exoratus, committit Vicario Capituli, ut idem Conradus testatur. Et meritò quidem non vult Pontifex in hac re gravissima fidere Vicario Capituli, qui tumultuariè, & ab amicis creatus sæpè supponitur.

14. Nonnulli pro sententia Sanchez, afferunt Pontium, magnique faciunt vnanimem consensum horum duorum, aliàs sequentissimè dissidentium, sed nihil conficiunt; nam Pontius, & id obiter tractat, & remittit se ad doctrinam Salas. At Salas *de leg. d. 20. sect. 7. n. 124.* (ut, & S. Congreg. si rectè intelligatur, quam adducit Gavant. *in man. Ep. V. Capitulum S. Vac. n. 53. & 55.* & ex Gavant. Dian. *p. 5. tr. 14. res. 19.* non loquitur, quando cõmissio data est Vicario Episcopi, de qua est nostra quæstio, sed de alia commissione extraordinaria, quando data esset Vicario talis Diœcesis, v. g. Vicario Panormitano: qui casus est valdè diversus à nostro, cum commissio in hoc casu non detur, Vicario Episcopi, sed Vicario cuicunque qui sit Panormitanæ Diœcesis: & tamen hæc doctrina cùm sit raræ praxis, aliis discutiendam relinquo. His à me allatis, incidi in Tancredi *p. 2. quæst. mor. tr. 5. q. 31.* & latius *p. 1. tr. 12. q. 1.* docentem vtrumque dictum Vicarium posse dictam dispensationem exequi. Id quod nunc videtur mihi probabile.

*An Vicarius hanc potestatem sibi delegatam possit alteri committere?*

15. Dubitatio sexta. An Vicarius, & quicunque Delegatus ad hac dispensationes expediendas possit vices suas alteri committere? quod est, quærere, an possit eas alteri subdelegare?

16. Antequam respondeam, scito, duo hic considerari posse. Alterum est examen, & verificatio causæ, ob quam erit dispensatio concedenda, qualis est receptio v. g. Testium. Alterum est ipsa actualis dispensatio, & hoc dicitur importare nudum ministerium, id est ipsius Executoris operationem, illud dicitur importare vsum Iurisdictionis.

17. Hoc posito Respondeo, Examen & verificationem causæ posse alteri committi, sed nullo modo nudum ministerium. Ita Sanch. *l. 8. matr. d. 27. n. 43.* & communiter Merolla *t. 1. disp. 4. c. 6. n. 619.* lege etiam eundem *t. 3. d. 7. c. 4. à num. 172.* & paulo antea *num. 57.* cum aliis. Ratio est, quia Pontifex committit Delegato, ut ipse dispenset, & non aliter; quod est nudum exercere ministerium: At examen, & verificationem causæ non præsumitur idem Pontifex committere ipsi vni Delegato, sed committere juxta consuetudinem Tribunalium, qua per alios instruuntur informationes, recipiuntur Testes, &c. Ex quibus deinde soleat Delegatus causam instructam benè recognoscere, & suum dispensandi ministerium tandem exhibere.

18. Hinc, si testes recipiendi sint extra propriam Diœcesim, poterit, & debebit Executor literas rogatorias scribere, quibus Ordinarium illius alienæ Diœcesis roget, ut Testes recipiat, informationésque transmittat ad ipsum Executorem. Et quia hos Testes, in hac causa, non auctoritate sua ordinaria is recipit, ideo debebit servare formam sibi præscriptam ab Executore prædicto; ad quod certè in aliis casibus non tenetur, cum possit secundum proprias consuetudines procedere. Lege id latius apud Barbosam, *in Voto decis. 17. n. 184.*

*Quid faciet Vicarius, seu executor, si erravit in exequendo?*

19. Dubitatio septima. Post negatam, vel concessam dispensationem, si clarè apparet ab Executore erratum fuisse, quid faciendum?

20. Respondeo. Quia commune est, ut vult Guttier. *l. 2. Canon. cap. 2.* multos citans, omnibus Delegatis, ut postquam Delegatus functus est munere suo, nihil amplius possit, ideo ejusmodi Executor sanare non potest errorem: quare tanquam Delegatus nihil poterit.

21. Verùm, quia is Executor solet esse ordinarius, atque adeo Ordinarius, ipsi, tanquam Ordinario incumbet, providere, in quantum potest, ne defectus committantur. Quare, si erratum fuit in concedenda dispensatione, ipse, ut Ordinarius, debebit Sponsos, antequam procedant ad Matrimonium, vel si jam ad illud processum fuerit, debebit eos separare, ne sint in peccato, & iterum legitimè à Pontifice concedatur dispensatio. Si verò, si negavit, tunc enim verò nihil potest, quia Delegatus functus est sicuti diximus, munere suo. Ordinarius autem non habet auctoritatem exequendi dispensationem per errorem Sponsis negatam, quia auctoritas illi, ut Ordinario à Pontifice tradita non fuit, in hoc ergo casu, iterum Romam ad Pontificem recurrendum erit; ut notant Sanch. *l. 8. matr. d. 27. n. 39.* Squillent. *de Privil. Cleric. cap. 2. n. 205.* aliique ab eodem citati. Si dispensatio fuerit cessa per Pœnitentiariam pro foro conscientiæ, potest aliquando à Confessario sanari error eo modo quo dicam *cap. 13. §. 1. n. 8. dicam.*

Quid autem faciendum, si de ejusmodi errore non constet, sed solum dubitetur, satis explicui *lib. 2. n. Tract. cap. 3. §. 7. V. Dispens. & V. Matr.* Vide etiam Sanch. *l. matr. d. 21. n. 25.*

§. II. *In secunda clausula refertur supplicationis narratio.*

1. Hic Pontifex narrat id quod sibi à supplicante propositum fuit. Quoniam ergo ea quæ in veritate exponere debent, supervacua sunt indicata, intuendum in hac clausula nobis non est.

§. III. *In tertia clausula datur Executori mandatum quirendi veritatem, & dispensandi.*

1. Hic Delegato Pontifex committit, ut de veritate causæ propositæ quærat eâque inventâ, dispenset.

*Qualis debeat esse hæc Inquisitio.*

Dubitabis ergo Primò. An ejusmodi Informatio, seu Inquisitio fieri à Delegato debeat judicialiter, recipiendo Testes coram Notario, &c. an extrajudicialiter? Sanè nimus enim, quando res non est notoria, sufficere ut habere hujusmodi externam inquisitionem, quia hic agitur de dispensatione in foro externo.

2. Respondeo posse fieri judicialiter, sed satis non esse teste Sanch. *l. 8. matr. d. 35. n. 15.* si fiat extrajudicialiter, siquidem Pontifex solum præcipit ejusmodi veritatem indagare, ut Delegatus suæ conscientiæ satisfaciat, ut ex veritate cognita procedat, nam propterea, si necessaria est veritas, vel aliunde ea Iudici constet, id sufficiet perque erit, lege Sanc. *ibid. n. 16.*

3. Hinc, si hujusmodi Informationes fiant extrajudicialiter, possunt fieri extra propriam Diœcesim; si verò, si judicialiter (ut certè semper fieri, video hodie) non sunt in aliena Diœcesi, sine licentia ejus Ordinarii, ne forte exercitium Iurisdictionis contentiosæ. Notant tamen factis etiam judicialiter cum licentia illius Episcopi probationibus, secundùm Sanchez *lib. 3. matr. d. num. 6.* posse Executorem concedere dispensationem etiam in aliena Diœcesi: quia ipsa concessio dispensationis non est actus Iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ in alieno territorio exerceri sine delegatione possunt.

*Tempus, quo causa verificanda est.*

4. Dubitatur Secundò. Quandonam causa dispensationis verificari debet? Et, quia quatuor tempora distinguí possunt. Primò, quando mittitur Romanum, seu supplicatur Pontifex. Secundò, quando, audita supplicatione, Pontifex annuit, dicens: *Fiat, ut petitur.* Tertiò, quando

quando executor dispensationem concedit. Quartò, post concessam dispensationem, & dum Sponsi actu matrimonium per verba de præsenti contrahunt, ideo quæritur si pro causa, v.g. dispensandi, ut Antonius, & Antonia consanguinei matrimonium ineant, assignetur Antoniæ paupertas, vel diffamatio, quandonam ex his quatuor temporibus verificari debeat, eam esse pauperem: vel diffamatam? Resp. ondeo quatuor Dictis.

5. Dico primò, non esse opus, ut verificetur. Primò tempore; Ita Sanchez *l.8.matr.d.30.n.2.* Bonac. *de disp. d.1.q.2.p.10.§1.n.2.* Pet. *de matr.d.45. sect.6.n.2.* quia id nec à iure præscribitur, & res est admodum remota ad dispensationem.

6. Dico secundò, probabilius esse secundum Sanch. *l.8.matr.d.30.n.4.* Pont. *l.8.c.20.num.2.* Castrop. *t.1.tr.3. d.4.p.15.num.2* Perez *de matr.d.41.sect.6.num.1.* oportere verificari secundo tempore, sed probabile etiam, esse, non oportere. Ita Conrad. *in praxi disp.l.7.c.2.n.32.* Garcias *p.6.de Benef.c.2.num.287.& seq.* Ratio prioris probabilitatis est, quia Pontifex annuit postulatis, si res veritate nitatur, ergo causam, à qua movetur ad annuendum, oportebit verificari quando ipse annuit. Ratio probabilitatis posterioris est, quia Pontifex non dispensat immediatè, ut olim fiebat (si enim ipse immediatè dispensaret, sine dubio causa vera tunc esse deberet) sed dispensat mediatè per Executorem. Cum igitur veritas causæ, ex natura dispensationis, tunc adesse requiratur, quando dispensatio fit, non quando committitur fieri, nō erit necesse, eam esse veram quando Pontifex annuit, satis erit, quando executor actu dispensat, ut mox dicemus. Sensus ergo verborum Pontificis hic est: *Dispensa, si vera est hac causa quando dispensandum à te erit.*

7. Neque dicas, ex posteriori probabilitate sequi, si Pontifex concessisset dispensationem ab Executore expediendam pro matrimonio duorum consanguineorum, vel affinium, si concessisset, inquam ex causa, quod inter illos intervenerit copula, posse Executorem illam expedire, si copula habeatur ante ejus expeditionem, seu post impetratam gratiam à Pontifice. Ne, inquam, id dicas, nam respondet Garcias *l.c.* & apud Conradum *l.c.num.33* non posse præsumi, Pontificem velle concedere commissionem dispensandi, dando occasionem, qua post ipsius commissionem committendum sit à supplicantibus peccatum, qualis esset prædicta copula: præsumitur verò, quando similis occasio non datur; ut est in casu prædictæ paupertatis, vel diffamationis, vel similis.

8. Dico Tertiò, certum esse, causam dispensandi omnino debere verificari tertio tempore, hoc est, quando executor dispensationem concedit. In hoc omnes, ut Sanch. *l.c.n.12.* Ioan. Præpos. *3.p.de disp.matr.dub.4.n.35.* Diana *p.8.tract.3.res.77.* consentiunt quia executori non datur potestas, nisi preces supplicantium veritate nitantur, & quia natura dispensationis, ut modo dixi, requirit, ut adsit causa, quando ea conceditur. Unde, si mulier prædicta erat mops, vel diffamata tempore dictæ commissionis à Papa, sed deinde tempore executionis faciendæ à Delegato dives evasisset, vel diffamatio cessasset, nulliter concederetur dispensatio.

9. Dico Quartò. Quamvis Sanch. *l.8.de matr.d.30.n.14.* Merol. *t.2.d.4.c.6.n.331.* multos citans, cum aliis putet, debere causam, v.g. dictam paupertatem persistere, quando initur matrimonium, quòd sanè probabilissimum est, tamen est etiam probabile cum Suar. *l.8. de leg.cap.30.* Dicast. apud Dianam *l.c.* Gran. Salas apud Merol. *l.c.* Castrop. *t.1.tr.3.d.4.15.à n.4.* Pontio, aliisque (fatente hanc probabilitatem eodem Sanch, *l.c.*) id necesse non esse. Nam dispensatio non fuit concessa, neque explicitè, neque implicitè sub conditione perseverantiæ, semel autem legitimè ea existente, libera est mulier ab impedimento; ergo, & matrimonium inibit legitimè.

10. Quando datur dispensatio comedendi carnes, v.g. diebus vetitis ob dubiam infirmitatem, non est mirum debere causam, idest infirmitatem dubiam perseverare, quando successivè comedendæ sunt carnes, quia in his dispensationibus circa res habentes tractum successivum sic præsumitur, teste Castr. *l.c.n.5.* rationabilis mens illas concedentis: id, quod nō videtur præsumi in casu nostro.



*Causa vera, sed verificata falsis Testibus.*

11. Certum est, si falsa sit causa dispensationis datæ, v. g. incompetentia dotis, & falsis Testibus probata, nullam esse dispensationem. Ita Castr. *t.1.tr.3.d.6 p.16. §.5.n.4* quia nulla causa nullam parit concessionem. At si sit vera, licèt falsis Testibus probata subsistet dispensatio, teste eodem *ibid.* cum Sanch. & Pontio, quia verificatur conditio à Pontifice requisita.

12. Quid si falsitatem causæ allegavit sollicitator, me ignorante, possumne iudicare Pontificem ratam pro me habere dispensationem? Respondeo, non potes, vide Castropal. *ibidem* cum Tiraquell. & Sanch. quidquid aliqui asserant, quia intercurrente cujuscunque ignorantia, si requisita causa deest, & illi causæ innixa concessio.

## §. IV. *In quarta clausula iniungitur pœnitentia salutaris.*

DE hac pœnitentia dicam commodius infrà *c. sequenti §.3.*

## §. V. *In quinta clausula aliqua causa in genere ponuntur.*

1. NOn rarò Pontifex refert, supplicantes petiisse dispensationem ex hac, vel illa causa determinata, tum addit in hunc modum: *Exceptis aliis, seu prater alias causas rationabiliter earum animarum moventes,* & addit item sic: *De præmissis te informes, &c.*

2. Dubitatur ergo, an debeat de his causis in genere positis se informare Delegatus? Nam de determinatis omninò debere, iam vidimus suprà.

Respondeo, cum Sanch. *l.8.matr.d.35.n.24.* & Conrad. *in praxi l.7.c.2.à n.113.* Nequaquam; dum enim in particulari illas non exprimit, signum est evidens, eas solum apponi ob aliam finem, puta ut appareat, dispensationem rationabiliter, & honestè concedi.

Atque hinc etiam fit, ut quando aliqua qualitas, v.g. nobilitas supplicantis, narratur solum à Pontifice, opus non sit, eam verificari per probationes ab executore faciendas. Quod si nobilitas, vel quælibet alia qualitas in Brevi concessionis apponitur per modum conditionis: Si es nobilis, Si es pauper, vel per modum causæ finalis: Quia es nobilis; Quia es pauper, tunc sinè verificari oportebit. Ita Sanch. *loc. cit. num.24.* & Conrad. *l.c.* Et quidem, quando dispensatio est in secundo, & tertio gradu consanguinitatis, si ponatur nobilitas, poni, ut conditionem, vel ut causam finalem, iidem Doctores notant. Quædam alia circa nobilitatem dixi supra *c.7. §.2.n.26.& 27.*

## §. VI. *In sexta clausula prohibetur executor aliquid muneris, vel compensationis accipere.*

1. ID sanè non solum monet, sed præcipit: sic enim habet: *Quod si, spreta hac monitione, aliquid muneris, aut præmii, recipias, excommunicationem latam incurras.* Immo interdum, quando scilicet dispensatio conceditur in forma pauperum, id est sine illa compositione, seu eleemosyna, quam pro divitibus solet taxare Datarius, addit Pontifex, ut dispensatio tunc nulla sit.

2. Dubitatur ergo, an nihilominus executor possit, accipere, saltem esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi solent?

3. Respondet Primò Sanch. *l.8.matr.d.35.num.12.* non posse, quia omne genus muneris vetat Pontifex, ibi (*aliquid muneris*) intelligit tamen Sanch. si ea mittantur à partibus ante finitam Delegationem, vel cum pacto seu conventione dandi postea.

Addit Conrad. *in praxi l.7.c.6.n.14.* ejusmodi executorem debere omnia gratis exhibere; quare, nec pro labore studii, nec pro accessu ad Testes examinandos aliquam posse mercedem accipere.

4. Respondet Secundò Perez *de matr. d.48. sect.2.n.6.* & ap. Dian. *p.8.tr. resol.3. vult.* loquentem de simili clausula *in literis Pœnit.* duo afferens. Primum, per dictam clausulam non prohiberi Officiali aliquid modicum accipere pro laboris impensa in exequenda dispensatione, si illud sit iure, vel consuetudine debitum, quam tamen consuetudinem adesse, difficile putat, quia ejusmodi labor admodum est exiguus.

Secundum, non prohiberi esculenta, & poculenta non magni momenti: cum enim non dentur (ut supponendum est) ad corrumpendum Iudicem, sed solum, ut majori brevitate suum munus perficiat, non videtur (ait) cadere in dictam prohibitionem.

### §. VII. *In septima clausula ponitur: Non obstantibus, &c.*

1. Tametsi hæc clausula: *Non obstantibus Constitutionibus Pontificum*: addatur in mandato de Dispensando; illa tamen non tollit impedimentum in illo mandato non expressum. Cadit igitur solum illa non obstantia super impedimentum expressum, ut rectè notat ibidem Conradus, *ibid.c.7.n.4.*

## CAPVT XIII.

### *Explicantur clausulæ Rescripti dispensationis pro foro interno.*

1. Indicavimus aliquanto superius, quando occultum est impedimentum, ejus dispensationem peti, & impetrari per viam Pœnitentiariæ, quæ, nec ipsa immediatè illam expedit, sed committit alteri per literas sigillatas, quarum præcipuas Clausulas iam expendo.

### §. I. *Prima Clausula, committitur Delegato executio.*

1. In hac Pontifex, ubi salutationem impertiit ei cui, delegat commissionem, requirit in eodem duas qualitates, quarum alterutra deficiente, nulla concederetur à Delegato dispensatio. Eæ sunt, ipsum esse Doctorem in Theologia, vel in Iure Canonico, & eundem esse Confessarium approbatum ab Ordinario. Verba Pontificis hæ sunt: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex Approbatis ab Ordinario.* His autem qualitatibus existentibus, est in potestate dispensandi hunc, vel illum eligere. Sed perpendamus iam vtramque qualitatem.

2. *Confessario.* Olim satis erat, Delegatum hunc esse Confessarium, sed probabile saltem erat, non opus tunc fuisse, ut dispensatio expediretur ab ipso in actu Confessionis Sacramentalis, quia verba Brevis, non clare hunc rigorem requirebant, hodie verò clarè solet poni, ut non nisi in ipso actu Confessionis Sacramentalis prædictus Confessarius dispenset, ut cum multis notat Diana *p.8.tr.3.resol.106.*

3. Addit idem *ibid.resol.107.* ex Marco Leone sufficere, etiam si Confessio sit sacrilega, dummodo ejusmodi sacrilegium non oriatur ex defectu integritatis circa rem, pro qua petitur dispensatio. Sed hæc doctrina mihi nimis difficilis est; nam, si requiritur Confessio Sacramentalis, quomodo sacrilega satis est, quæ Sacramentalis non est, cum in ea Sacramentum non conficiatur, nec ea Confessio, si sit sacrilega, pars esse Sacramenti possit?

4. Quoniam verò absolutè, nomine Ordinarii, ex communiore opinione intelligitur Ordinarius loci, quando ejusmodi Confessarius dicitur debere esse approbatus ab Ordinario, de Ordinario loci loquimur nam, an aliud benignius dici possit, sup. *lib.3.de Pœn. c.5.§.4.a n.11.* investigavimus. Illud certè est probabili opinione, an Confessarius approbatus pro Confessionibus virorum tantum, valeat expedire dispensationes, seu literas directas ad fœminas: nam affirmans sequitur Sanch. *lib.8. matrim. d.34. num.16.* negans alii apud Dianam *l. c. Res.103.* vtrique non improbabiliter.

5. *Magistro &c.* Aptus ergo non est Doctor in Civili, neque ii, qui titulum habent Magistri in Religione, neque ii, qui tantùm sunt licentiati, soli illi, qui, vel in Theologia vel in Iure Canonico ad gradum Doctoratus in aliqua Vniversitate promoti fuerint; hi enim in Sacris Canonibus veniunt sub Magistrorum.

6. Non nego interim, ex privilegio aliis id posse concedi, ut concessum est nostris Sacerdotibus Societatis, qui, si sint approbati ab Ordinario, & Deputati ab à P. Gen. vel ad hoc idem Deputati (sint ab alio Superiore nostris Superiore, possunt (& super hoc consule *Privil. Soc. V. Confess.* § 3. Conrad. *in praxi disp. c.4.4.n.70.*) ex Privilegio concesso à Gregorio XIII modo dicto nobis communicato, vel communicando ab eodem P. Generali, vel Superiore, possunt imperare literas Pœnitentiariæ, & illas exequi. Aliorum ligiosos, qui in hoc Privilegio participant, debere approbatos ab Ordinario, & ab ipsorum Generali de ejus licentia à Superioribus Deputatos pari modo hoc esse debere, rectè monet Sanch. *l.8. matr. d.34.* quia hæ sunt necessariæ conditiones requisitæ in re dicti Privilegii Gregorii XIII.

7. Inquires. Si Confessarius rite electus à supplicante aperiat legitime literas, iudicetque, non posse dispensationem, quia putat, v.g. ob aliquod caput, non verificari, atque adeo literas esse subreptitias, interitrne alius similis Confessarius, si iudicet easdem verificari, vel ille idem Confessarius, si, re maturius expensa, mutet sententiam, iterum negotium resumere, & dispensare.

8. Respondeo, cum Sanch. *l.8. matr. d.27. n.40.* Bonac. *de disp. d.1. q.2. n.2.* Castrop. *t.1. tr.3. d.6. p.15. n.1.* Lezzana *in sum. V. litera Apostol. n.19.* Perez *ibi num.48. sect.5. n.7.* Vtrumque posse (esto non posse, cum Marcus) *in praxi Pœnit.* apud Dianam *p.8. tr.3. resol.* Opinio enim, vel error alterius non debet obstare supplicanti.

9. Neque obstat, Primò literas fuisse apertas abs quia, per apertionem materialem, sive à Confessario sive etiam fortè à Laico factam, ut vult Sanch. *l.8. matr. d.34. num.12.* non amittunt literæ valorem suum, quando Confessario iniungitur, ut literas aperiat, ligitur de formali apertione, ideſt, cum facultate dispensandi.

10. Neque obstat Secundo, quod Delegatus, data sententia, iam functus fuerit officio suo, unde nihil amplius possit, ut diximus suprà *c.12.§.1. num.10.* non obstat quam, quia ibi res vertitur in foro externo, pro quo legatus gerere se debet secundum rationem fori externi, quod in Iure non admittit reditum ad eandem causam semel sententia. At hic res agitur in foro internæ conscientiæ, cuius natura est, ut, vel idem Confessarius mutando prudenter consilium, vel alius, sequendo opinionem probabilem, possit mutare per meliorem considerationem iudicium, & absolvere.

11. Ex hac doctrina clare sequitur, Confessario dato forte antequam tibi dispensationem expedierit, defuncto posse à te eligi alium similem. Vnde vides, committentes has pro foro interno semper esse similes (nisi à Superiore restringantur) commissionibus realibus, quæ, ut supra dixi, transeunt in successorem, atque adeo in casu mortis commissio transibit in successorem à te legitimè electum.

§. II.

### §. II. *In secundâ clausula committitur Veritatis indagatio.*

1. INjungitur hîc Confessario, ut his diligenter se informet de veritate causæ propositæ: Si ergo illi ea constet, jam sufficientem veritatem indagatam habet, supra diximus in simili.

2. Ejusmodi autem informatio cum nunc sit pro dispositione in foro conscientiæ, ejusdem foro conformanda erit: atque adeo non est sumenda, nisi ab ipso supplicante, sine Testibus, sine Notario, immo, & sine juramento ipsius supplicantis; quicquid contrarium dicat Pontius *lib. 8. cap. 21. n. 16.* contra quem agit Perez *l. c.* Si autem hæc informatio, vel non sumatur, vel veritas Confessario non constet, nulla erit dispensatio, ob non servatam formam à Delegante præscriptam.

3. Sed quid, si supplicans dicat, immo, & juret, rem ita se habere, ut ipse Pontifici proposuit, sed executor aliunde sciat eam esse falsam?

Respondeo. Non debet dispensare, ita Sanch. *l. 8. matrim. d. 34. n. 21.* quia ipsi non sub alia forma concessa est dispensandi potestas, nisi, indagata veritate, eaque comperta; dummodo semper advertas, ut docet Sanch. *lib. 3. matrim. d. 16. à n. 8.* ut sigillum Confessario sartum tectum custodias.

### §. III. *In tertia clausula designat Pontifex pœnitentiam dispensando imponendam.*

1. IN hac designatione pro foro interno, ut etiam pro foro externo, de quo diximus *in cap. præcedenti*, & hanc locutionem de simili pœnitentia remisimus, diligenter est distinguendum, nam in aliquibus operibus se remittit Pontifex arbitrio Delegati, in aliquibus Pontifex ipse determinat. In illis igitur aliquid potest Delegatus, in his prorsus nihil. Perpendantur ergo verba Pontificis, & secundum illa, ad amussim, se Delegatus gerat.

2. Illud notat, & latè habet Sanchez *l. 8. matr. d. 34. à n. 16.* si culpa fuit jam per alias Confessiones absoluta, non debere necessariò iterum à Delegato illam absolvi, & pro ea iterum pœnitentiam Sacramentalem imponi: tunc ergo solum pœnitentiæ, quas designat Pontifex, sunt à Delegato injungendæ.

3. Delegatus ergo non potest opera specialiter à Pontifice injuncta, quale est, v. g. servitium Ecclesiæ per tres, vel quatuor menses, quod in dispensationibus in forma Pauperum, aliquando imponit Pontifex non potest, inquam, illa, vel mutare in alia, quamvis pia opera, nec contrahere, nec differre post matrimonium, nec mitigare, potest tamen hanc, vel illam Ecclesiam, immo, & locum pium designare. Ratio est, quia servitium est à Pontifice definitum, Ecclesia non item. Vide de his fusè Pyrrhum Conradū, *l. 8. in praxi disp. cap. 6. à n. 16.* & colligitur Sanch. *l. 8. matr. d. 34. à num. 32.* probatque Bardi *in select. l. 4. q. 5.* in quo invenies, si secus fiat, dispensationem fore nullam, & certè, eam esse praxim in Curia, supponit etiam Diana, *p. 7. tract. 10. resol. 9. & p. 9. tr. 9. res. 11.* quidquid in oppositum fusè disputet Taner. *2. p. 9. mor. t. 5. quæst. 21.*

4. Inquires. Potestne Delegatus concedere, ut quando pœnitentia imponitur à Pontifice per aliquot menses, fiat partim antequam matrimonium ineatur, partim verò postea, & interim ipse dispensationem concedat, pœnitentia non integrè peracta? Hæc quæstio non est eadem, ac illa: An Delegatus possit, dispensare, antequam pœnitentia ullo modo peracta sit: id, quod non posse, modo statuimus, & rectè probat Bardi *l. c.* sed an possit antequam ex parte peracta sit.

5. Respondeo. Conradus *l. c.* omnino esse debere pœnitentiam integrè peractam docet. Sed quidam Theologus mihi nudius tertius retulit, se scire, hîc Panormi Vicarium quendam ad similes dispensationes Delegatum, semel, aut iterum concessisse dispensationem Matrimonii, antequam tota pœnitentia, sed solum, quoad aliquam partem, completa fuerit.

6. Confirmabat ex eo, quod in Brevi Pontificio, postquam imponitur, ut Oratores in Ecclesia publica adsint Sacro cum candelis in manu accensis, &, ut vir servitium exhibeat per tres, vel quatuor menses in aliqua Ecclesia designanda à Delegato, addi soleat. *Quæ pœnitentia publicè peracta dispenses.* Hæc enim verba videntur solum cadere in priorem pœnitentiam, quæ est publicè facienda, non verò in servitio illo corporali, quod potest in aliquo loco pio, quamvis non publico, ad arbitrium Delegati exhiberi.

7. Sed profectò hæc firmitatem non habent. Quare, si Vicarius ille hac doctrina usus est, penes ipsum sit auctoritas. Expende enim Clausulas Rescripti, quod tria præscribere solet: Primò, ut Delegatus Oratores separet, si forte simul habitent. Secundò, ut imponat eisdem publicam pœnitentiam assistendi in Missa certis accensis. Tertiò, ut vir conferat servitium alicui loco pio per tres menses, quibus præscriptis, concludit; *Et peracta publicè pœnitentia, dispenses, &c.* Notes verba? Ideo Pontifex solum meminit in hac conclusione pœnitentiæ publicè peractæ, quia illam omnino vult jam peractam esse ante dispensationem: non meminit autem servitii illius, quod etiam integrè peractum esse vult, quia jam hoc dixerat in illis verbis: *Ut vir conferat servitium per tres menses*: Si enim vir conferat solum per duos, jam non servat id, quod præscriptum fuit ad dispensationem obtinendam; hanc enim vim habet illud (*conferat*) positum ante illud (dispenses) quasi dicatur: *postquam contulerit, dispenses.* Hic est sensus tenoris Rescripti, si sincerè illud interpretari velimus, & ad intentionem Pontificis attendamus, qui prius vult satisfactionem per illam pœnitentiam sibi dari, & deinde, quasi satisfactus, gratiam dispensationis concedere.

8. Adde primò, illud (*ut*) significare conditionem, ideſt: *Si contulerit servitium*, sicut notat Conrad. ex Surdo *in praxi disp. l. 8. c. 6. §. 54.*

9. Adde Secundò, in his dispensationibus in forma Pauperum, in quibus imponitur hoc servitium illud imponi loco eleemosynæ, quæ imponitur Divitibus, subrogando scilicet servitium eleemosynæ. Quemadmodum ergo à Divite prius soluitur eleemosyna, & deinde ipsi conceditur gratia, ita à Paupere prius implendum est servitium, &c. cum commune sit jus, quod subrogatum debeat habere easdem conditiones, quas habet id, cui subrogatur.

10. Adde Tertiò, esse valdè inconveniens, ut matrimonium celebretur ab Oratore, lætitiæque solitæ signa exhibeantur, traducatur Sponsa coram omnibus in domum Sponsi, fiant benedictiones Matrimonii ab Ecclesia institutæ, &c. quando eadem Ecclesia vult vt Orator maneat in pœnitentia.

11. Denique Quid, si deinde Orator jam dispensatus omittat servitium? Respondebis, illicitè omittet, sed validè perfistet dispensatio. Audio: sed hoc non satis esset ad difficiles reddendas ejusmodi dispensationes, & ad exemplum aliorum quæ est intentio Ecclesiæ; ergo dicendum est, non solum illicitè agi, sed invalidè.

### §. IV. *In quarta clausula requiritur, impedimentum esse occultum.*

DE hac re plenè diximus vbi etiam suprà *cap. 5. à num. 25.* notavimus quid præstandum, *ibid. n. 24.* si post dispensationem res forte divulgetur.

§. V. *In quinta Clausula præscribitur revalidatio Matrimonii.*

SI fortè Matrimonium inter impeditos per impedimentum dirimens, contractum fuit cum fuerit nullum, revalidari per novum consensum debet: id ergo monet in hac Clausula Pontifex. Nos autem de hac revalidatione commodiùs tractabimus pluribus infra *tr. 4. de consensu c. 7.*

§. VI. *In sexta Clausula advertitur, hanc dispensationem valere tantum pro foro Conscientiæ.*

1. QVandoquidem Dispensatio, de qua agimus, expedienda est, per viam pœnitentiariæ, quia est pro impedimentis occultis, ideo rectè advertit Pontifex: eam dari solùm pro foro interno. Iudex ergo in externo foro procedere poterit in hoc casu, ac si ei Matrimonio dispensatum non fuisset.

2. Verùm non est negandum, si Iudex sciat, ejusmodi dispensationem fuisse datam, posse interdum illi acquiescere, immo rectè Filliucius *tract. 10. de matr. p. 2. cap. 10. num. 358.* notat, posse evenire, ut Confessarius (habita licentia, ut suppono à Pœnitente) faciat fidem apud Iudicem se absolvisse, & dispensasse. Ex quo Testimonio dissimulare Iudex poterit, & Matrimonium illud non condemnare. Potest item contingere, ut Parochus, vel Episcopus nolit assistere huic Matrimonio, quia scit, impedimentum occultum esse inter contrahentes; tunc ergo Confessarius poterit, per similem licentiam Pœnitentis, certiorem facere Parochum, vel Episcopum, qui sanè ad ejusmodi Testimonium acquiescere omnino debebunt.

§. VII. *In septima Clausula præcipitur lacerari literas.*

EXecutor horum impedimentorum, quæ occulta supponuntur, nullas literas, nullamque fidem debebit dare iis, quibus dispensationem concedit (Excipe, quæ diximus §. *præc. n. 2.*) ipsumque Summi Pœnitentiarii, Breve, seu Rescriptum, ex cuius vi dispensationem expediit, lacerare, vel quod idem est, comburere, obligabitur: id quod non rarò sub pœna excommunicationis præcipitur, quia ut habet *ibidem n. 357.* Filliucius, Pontifex non vult, ut sic dispensatus, uti possit ea dispensatione in foro externo.

*At, poteritne Confessarius illud Breve apud se retinere?*

Respondeo. Cum certè ad alium usum, non verò ad forum externum, ut supponimus, retineat, erit materialis retentio, unde, nec ipsi, ut vult idem Filliuc. *ibid.* prohibita, maximè, si in illo aliqua fiat scissura, præsertim sigilli, &c. Addit Sanch. *l. 8. matr. d. 34. n. 42.* Si ejusmodi Breve apud ipsum dispensatum remaneat, non propterea invalidam fore dispensationem; nam, quando Pontifex Delegato dicit. *Quod si retinuerit, nihil illi præsentes literæ suffragentur*, sensus est, nihil suffragentur in foro externo.

## CAPVT XIV.

### *De Duratione Dispensationis, & Potestatis dispensandi.*

§. I. *An cesset, seu valeat Dispensatio, seu dispensandi potestas, si non acceptetur?*

1. HIc sunt tria fere certa, unum controversum. Certum est Primò, si tu petas à Pontifice v. g. per medium tuum Procuratorem dispensationem, vel potestatem dispensandi, & Pontifex concedit vobis tiam; ita Sanch. *l. 8. matr. d. 26.* quia tam adest tatio in persona tui Procuratoris, cui mandatum dedisti.

2. Certum est Secundò. Si, te nesciente, eadem gratias impetret, valide impetrare, vel impetrari omnes gratis pro alio nesciente, recte Sanc. *ibid. c. Si motu proprio de Præben. in 6.* enim, sicuti generalem animum habet Iuramenti nes liberales, ita, & has gratias, & privilegia, quæ aliquid donant, nempè exemptionem à lege. Ad mentum tamen valoris requiri tua acceptatio illa gratia uti possis, & ad quosdam alios effectus infra indicabuntur. Si igitur res ita se habet in gratiis, ita etiam se habebit in dispensationibus monialibus. Immo in his, quoad impedimen sanguinitatis, vel Affinitatis est illud peculiare, tur, vel acceptentur ab uno ex coniugibus, sit capite valida dispensatio; Cum enim tunc dispens impedimento afficienti utramque personam, unius, ne careat suo affectu, prodest etiam alteri.

3. Certum est etiam Tertio, si aliquo tempore ris acceptare prædictas gratias, posse postea, quando que volueris, illas valide acceptare, quia donec Pontifex seu Princeps eas non revocaverit, semper persistet adeo eas acceptare tibi integrum semper erit.

4. Hæc sunt certa. Controversum est, an, si impetrasti dispensationem de impedimento, quo laborant vos lier, nescientes, sive bona, sive mala fide procedat matrimonium, matrimonium infirmetur ex alterius capite? Verùm de hac quæstione à me infra *tr. II. Consensu c. 2. §. 2.* dicetur satis.

§. II. *An cesset ex renunciatione? Quid ex iu*

1. IMpetrasti dispensationem, seu gratiam, & acceptasti, illam tamen tunc renuntias, petitre gratiam. Quod enim eam possis renunciare certum est, quilibet potest renunciare suam rem, quales esse supponuntur hæ gratiæ, & privilegia concessa in utilitatem personæ, nam concessa alicui in favorem suum, privilegium Canoni concessum Clericis, non Clerico renunciari, scimus omnes.

2. Respondeo, Si Superior legitimus tum renuntionem acceptavit, expirat gratia; Si nondum acceptavit non expirat. Ratio prioris partis est, quia, si renuntiasti, & Superior acceptavit, jam amplius non est. Ratio partis posterioris est, quia, sicuti valiter Donatio alicujus rei non acceptata, non rei dominium in alterum, sed remanet res in ita, in renunciatione gratiæ non acceptata à Superiore remanet ea gratia in ipso renuntiante.

3. Hinc sequitur Primo, ut quamvis millies renuntiaverit quis impetratæ dispensationi, etiam acceptatæ teras concessionis, possit illa uti, quis dum Superior nunciationem non acceptat, remanet gratia apud datum.

4. Superior autem legitimus, qui, in casu nostro, pensationum Matrimonialium, acceptare renuntionem valeat, est solus Summus Pontifex, quia valiter ille, vel ejus Superior potest renunciationem acceptare, qui illam concedere potest. Vide Ordinarius loci, & Confessarius, quibus solet potestas dispensandi, non possint (ut notat Castrop. *tr. 3. d. 4. p. 17. n. 10.* legitimè renunciationem nis acceptare, quia in rescripto Pontificis quidem illis dicta potestas dispensandi, sed nihil testate renuntiationem acceptandi.

5. Sequitur Secundò, ex non usu dispensationis illam cessare, ut vult Pont. *l. 8. matr. c. 18. §. 1. n. 20.* *l. 8. de mat. d. 32. n. 7.* Castr. *l. c. p. 18. n. 3.* quia si cessant tè non aliunde, nisi, quia tacitè per non usum v. g. que, octo, decem annorum intelligeretur renunciari renuntiatio sola, ut dictum est, etiam expressa non ad gratiæ cessationem, ergo multo minus tacita.

§. III. *An ex revocatione?*

1. VT expeditius huic quæstioni faciam satis, præmitto tria. Primò. Privilegium quod nihil aliud est, nisi potestas alicui concessa ad faciendum aliquid alias ex lege prohibitum (neque enim hîc nos loquimur de privilegio, quod dominium alicuius rei transfert in Privilegiatum, de quo Castrop. *T.1. tract.3. d.4. p.21. §.1.*) Privilegium inquam, seu similis gratia revocari, secundùm Suarez *de legibus, lib.8. cap.37.* Sanchez *lib.8. matr. d.33. n.1.* citantem multa Iura, & Doctores, potest ex natura sua ab eo, qui illud concessit, vel ab ejus Successore, vel ab ejus Superiore. Ratio est, quia Superior, quando privilegium concedit nec suo, nec Successoris, nec Superioris iuri præiudicat. Quare, & ipse & illi semper retinent potestatem requirendi à subdito legis observantiam, vel certè de novo ejusmodi observantiam præcipiendi. Dixi, (ex natura sua) propter ea, quæ mox subdam.

2. Præmitto. Secundò. Privilegium aliud est oneroſum, aliud mere liberale, seu gratiosum. Oneroſum est illud, quod conceditur ex causa onerosa, seu per modum contractus, puta sub onere alicujus pretii, vel operis. Ejusmodi est privilegium, quod alicui conceditur cum conditione, si tantùm eleemosynam erogaverit, si illam peregrinationem susceperit, si ad præliandum contra Infideles se contulerit, &c. Atque huc etiam reducunt aliqui privilegium remuneratorium, seu concessum ob aliqua merita, ut si gratia quæpiam alicui concedatur, quia ad bellum is se contulit, quia illud vel illud Beneficium contulit Ecclesiæ, vel Principi, &c.

3. Privilegium autem merè liberale est illud, quod, præscindendo à quocunque onere, gratis conceditur.

4. Ex hac duplici Privilegiorum classe, oneroſum, nisi adsit iusta, ac proportionata causa, & nisi fiat restitutio, seu compensatio prædicti pretii, revocari non potest. Quod si revocaretur, nulla esset revocatio, utpote, iniusta. Ita cum aliis Castropalaus *loc. cit. §.2.* Sanchez, Suarez, Pontius *ll. cc.* aliique ab eodem citati. Id, quod Doctores extendunt ad privilegium remuneratorium, notantque nonnulli ejusmodi esse non pauca privilegia concessa Religionibus, quando saltem habent proportionem cum meritis illis quorum mentio in tenore concessionis Privilegii fit.

5. Privilegium verò merè liberale datum à Superiore contra proprium ius revocari quidem validè potest ab ipso, vel ejus Successore, vel ejus majore Superiore, ut dictum est *n.2.* tamen, si revocetur sine causa iusta, peccabit revocans, sed (præscindendo ab aliquo graviore inconveniente, quod posset occurrere) solum venialiter, cum enim ex natura sua Beneficium absolutè collatum requirat esse perpetuum, si Superior sine causa illud post quam dedit, revocet, faciatque temporale, non poterit (quamvis ea mutatio fuerit sub ejus potestate) notam inconstantiæ & levitatis evitare.

6. His positis restringendo nos ad nostrum argumentum de Dispensationibus Matrimonialibus (de gratiis enim aliis universaliter, præcitati legantur Doctores) dico, nobis esse cum distinctione respondendum. Nam, vel sermonem habemus de Dispensationibus in foro externo concessis per viam Datariæ, vel de concessis in foro conscientiæ per viam Pœnitentiariæ. Illæ sine iusta causa revocari non possunt à Pontifice, quia sunt privilegia concessa per modum contractus sub onere eleemosynæ solutæ à Dispensato. Quare, si Pontifex, existente iusta causa, revocare validè eas velit, debet pretium, ut modo *num.4.* dictum est, reddere. Hæ verò pro foro conscientiæ datæ, neque sine iusta causa debent revocari, quia, ut diximus, adesset culpa levitatis, & inconstantiæ, tamen hæ validè revocabuntur, ut iam *n.5.* indicavimus, sive immediatè ipse Pontifex illas Dispensationes expedierit, sive mediis suis Delegatis. Illud signanter docet Sanchez *lib.8. matrim. d.33. n.13.* Pœnitentiarium non posse, sine causa, validè revocare eas concessiones Dispensationum, quas expedire consuevit, eas enim concedit ex auctoritate sibi tradita à Pontifice; at non constat, ipsum habere potestatem concessas revocandi, ut libet. Lege Suar. allatum à Pont. *l.8. matr. c.19. §.2. n.13.* majorem potestatem circa prædictas revocationes concedentem.

§. IV. *An dispensatio, vel potestas delegata ad dispensandum cesset morte Pontificis Delegantis?*

1. DE Dispensatione difficultas non est. Si enim illa semel jam legitimè concessa fuit, non cessat morte concedentis, quia non potest infirmari ex superveniente facto, quod firmum semel absolute fuit, ut ex multis Doctoribus notavit Sanchez *lib.8. matrim. d.28. num.91.* & ex Doctrina afferenda colligam *n.10.*

2. De Potestate autem Delegata ad dispensandum est difficultas. Pro qua præmitto primò sic. Negotium aliquod alicui Delegato commissum, vel ab eodem Delegato fuit cœptum, & tunc res dicitur non integra: vel nondum cœptum fuit, & res dicitur tunc integra.

3. Sed, quæ actio Delegati facit rem cœptam, vel non cœptam, adeoque non integram, vel integram?

Respondeo cum Sanchez *loc. cit. n.49.* In literis Iustitiæ: ideſt in iis, in quibus constituitur quis Iudex in aliqua causa, tunc res non est integra, quando Iudex primum actum Iurisdictionis exercet. Et per Sanchez quidem *loc. cit.* hic primus actus est citatio partis, per Castrop. verò *T.1. tract.3. d.4. p.15. §.1. n.2. & 4.* est quilibet alius actus, quo Iudex incipit uti Iurisdictione, ut indicere locum Iudicii, præcipere ut citetur pars &c. Et nota, per primum hunc actum dic Iurisdictionem delegatam radicari, & veluti firmari in Delegato. In literis verò gratiæ, ideſt, quando non adest pars contraria, quæ citari possit, ut est in Rescriptis Dispensationum, & gratiarum (de quibus noster dumtaxat est sermo) tunc res non est integra, quando Delegatus auctoritativè fecit primum actum, ut si cepit vocare partem, vel, si mandavit cognosci de veritate precum, &c. Quo pacto etiam in ipso dicitur Iurisdictio radicari.

4. In literis ergo, in quibus nulla actio cœpta à Delegato est, res integra erit, sicuti, in quibus prædicta aliqua actio cœpta fuit rem non esse integram, dictum est.

Solam præsentationem literarum Delegato factam nunquam facere negotium cœptum, notat *ibid.* Castrop. *loc. cit. n.7.*

5. Præmitto Secundo sic: gratia, quæ in his litteris (de quibus non agimus) continetur, interdum est facta, interdum facienda. Gratia facta est illa, quæ conceditur alicui ut illa gratia is fruatur, ut sua, Talis esset, v.g. potestas quam Pontifex alicui, v.g. Petro daret, ut dispensaret cum iis, quibus ipse Petrus vellet; Ita Sanch. *l.8. matr. d.28. n.87.* Castrop. *l.c. §.2.* aliique passim. Gratia autem facienda est illa, quæ conceditur ita alicui certæ personæ, v.g. Cæsari, ut ipsi immediatè non concedatur, sed concedatur alteri, hoc est Cæsar illam Titio, v.g. conferat. Quandoquidem enim tunc nondum dicto Titio concessa est gratia, meritò dicitur gratia ipsi facienda.

6. Hoc autem peculiare habet gratia facta, ut non expiret per mortem ejus, qui illam dedit, vel per ejus amotionem ab officio, si quidem præter claros Textus. (*C. Gratum. C. Relatum de off. Delegati. L. Mandati. C. Mandat.*) gratia Principis debet esse ex se, nisi expresse limitetur, perpetua. At gratia facienda expiret in prædicta morte, vel amotione ab officio: nam tunc ejusmodi collata potestas non habet, nisi rationem mandati, seu commissionis, qua Princeps mandat suo Delegato, ut concedat, v.g. Dispensationem. De ratione autem mandati est, sicuti habent iura vulgata, ut expiret morte mandantis, vel amotione ab officio, quia mortui, neque extat mandatum, neque non mandatum, & amoti ab officio mandatum extat illegitimum, hoc est procedens ab eo, qui iam ex officio mandare amplius non potest. Noli autem hujus rei ulteriorem rationem quærere,

quia totum id ad dispositionem Iuris tandem revocandum est.

His non ignoratis. Alterum in re nostra est certum, alterum nonnihil controversum.

7. Certum est, gratiam, seu concessionem, seu indultum alicui datum, ut possit absolutè dispensare cum aliis, seu cum personis indeterminatis, non expirare, secundum Sanc. *l.c.n.*72. & Pont. *l.*8. *matr. c.*29. §.1. *n.*1. morte concedentis, vel amotione ab officio etiam re integra, idest, etiam si cum hoc vel cum aliquo dispensare is nondum cœperit, idque in utroque foro, quia ex modo dicto hæc est gratia facta ipsi Delegato, sive sit Vicarius pro foro externo, sive Confessarius pro interno.

8. Hinc Primò, facultas, quam Pontifex concedit Commiss. Gen. Cruciatæ, ut possit dispensare in quodam impedimento matrimonii, ut supra vidimus, quia nullas personas exprimit non expirat morte Pontificis pro tempore, quo conceditur.

9. Hinc Secundò, licentia, quam concedit Episcopus Sacerdoti, ut possit audire Confessiones Fidelium, quia est gratia facta Sacerdoti (cùm personæ absolvendæ non exprimantur) non expirat morte Episcopi, vel ejus translatione, ut praxis quotidiana demonstrat, donec revocetur.

10. Hinc Tertio. Potestas concessa alicui, qui eligere valeat, sive determinatè hunc, sive indeterminatè aliquem in suum Confessarium, sicuti per Rescriptum Pœnitentiariæ, vel per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæum fieri consuevit, & facultas tibi concessa eligendi aliquem, qui dispenset super tuo aliquo voto, ut impedimento, sicuti, fit communiter, committendo id viro Theologo, &c. & facultas alicui concessa ad comedendas carnes v.g. vel celebrandi in privato Oratorio, vel ad Ordines suscipiendos. Hinc, inquam, ejusmodi & similes facultates concessæ absolutè, & non limitatè ad aliquem fortè terminum, non expirant morte concedentis, vel amotione ab officio, donec legitimè revocentur, quia eo ipso, quod acceptatæ fuerint ab eo, cui conceduntur, immo ex Castrop. *l.c.* §.2. *n.*5. citans Suar. & Sanch. eo ipso, quod datæ fuerint, sunt ex dictis *n.*4 gratiæ factæ ipsi, non verò illis, qui eligendi sunt ad tale minus implendum, seu ad tales gratias exequendas. Alia similia vide apud Dianam *p.*11. *tr.*7. *res.*7.

11. Iam verò controversum est, an gratia, seu indultum alicui datum, ut dispenset cum hac determinata persona, expiret morte, vel amotione concedentis, atque adeo quid dicendum in re nostra, quando Pontifex concedit Vicario pro foro externo, vel huic determinato Confessario pro interno, ut dispenset in impedimento cum illa, vel illa persona determinata.

12. Vt hæc difficultas dissolvatur, aliam viam init Sanch. aliam Pont. qui licet in doctrina universali discrepent, tamen in materia nostra dispensationum tandem ut videbis, conveniunt, docentes, eas esse gratias factas, nec expirare, &c.

13. Sanch. *l.*8. *matr. d.*28. *n.*87. ergo, quem alii communiter sequuntur, distinctione utitur; docet enim quando gratia exequenda per alium, ita conceditur, ut hic alius, qui, ut Executor delegatur, inventa veritate causæ, obligetur eam gratiam exequi; docet, inquam, ejusmodi gratiam esse gratiam factam, atque adeo non expirare morte concedentis. Ratio est, inquit, quia per illam obligationem, qua Delegans præceptivè imposuit sic Delegato, *Dispensa, concede gratiam, &c.* illa persona dispensanda acquirit ius ad gratiam, quare facta iam esse censenda est. Quando autem ejusmodi gratia exequenda per alium ita conceditur, ut hic alius, qui', ut Executor delegatur, non obligetur eam gratiam exequi, sed suæ libertati, seu voluntati, relinquitur, tunc non est gratia facta, sed facienda, quia tunc nullum ius acquirit ad eam gratiam persona, quæ eam gratiam expectat.

14. Porrò ex priore parte hujus doctrinæ sequitur; ut, quia in dispensationibus impedimentorum de quibus nostra est locutio, Pontifex semper obliget Delegatum, ut inventa veritate dispenset, sequatur quam, esse gratiam factam, ac propterea modo non expirare morte Pontificis concedentis dicto Delegationibus, seu Concessionibus, ubi Delegatio non imponitur, sit gratia faciendi, & consequenter morte Pontificis expiret, in hac sententia

15. Hæc in via Sanchez. Pontius verò *l.*8. *matr.* §.1. *n.*5. Sà *V. Dispensatio n.*6. *in utraque editione*, Perez *de matr. d.*47. *sect.*5. & 6. *n.*6. Propendet etiam Lugo *in Respons. mor. l.*1. *d.*2 §. *n.*8. aliosciteans. Major parte, Castrop. *l.c. n.*3. cum aliis prædictam Sanch. sententionem admittere respuit, sed sequentem universalem regulam cum unica exceptione statuit: Omnis licentia, seu facultas, seu indultum, vel gratia commissi, dati in ordine ad causandum effectum in alio, est gratia facta, atque adeo non expirabit morte concedentis, aut amotione ab officio. Ratio regulæ est, inquit, quia concedens gratiam velit per illam commissionem personæ determinatæ favere, censendus est, effectum huic favere velle, atque adeo per gratiam firmare, stabilem.

16. Exceptio autem dictæ regulæ est. Nisi contrarium disponat Ius Canonicum, quia tunc non censetur concedens alicui dare facultatem, nisi eo modo, quo ipsa disponit. Ne autem scrupulosa sit hæc exceptio, inferat incertitudinem, circa casus aliter à Iure disposita, addit Pontius, in duobus tantum esse aliter disponere. Primo, in materia ambitiosa, seu Beneficiali, de hac solum agit Textus, *c. Si cui de Præben. in* 6. in quo dicitur, facultatem alicui concessam de providendo non persona de Beneficio vacaturo, expirare, expirante concedente. Secundo, in materia fori contentiosi, adeoque rescriptis Iustitiæ, ut habetur in aliis Iuribus (*C. 9. in C. Relatum de off. Deleg.*) ad quam reducuntur legata statuunt Mandatum expirare morte Mandantis.

17. Ex hac ergo doctrina Pontius probat ideo, Iustifice mortuo, (idem dic de aliis Superioribus omnibus dentibus similes gratiosas potestates) non expirare Delegato potestatem dispensandi in impedimento, de quibus nos loquimur, quamvis res integra sit, quia gratia facta ob regulam iam datam, & non excludit ab exceptione, cum hæ dispensationes, nec sint in materia Beneficiali, nec in materia Iustitiæ.

18. Vtraque ex his viis probabilis est. Vnde inter des, in re nostra hos Doctores tandem convenit, ut visurum promisi *n.*12.

19. Dices ex via Sanch. sequitur potestatem Pontificis, vel Episcopi v.g. datam Confessario, ut valeat solvere reservatis talem determinatum pœnitentem, expirare morte concedentis, quia non est gratia facta cum in volentate Confessarii sit, si velit, vel nolit illum pœnitentis Confessionem excipere, & absolvere, videatur durum.

20. Respondeo. Durum videtur Pontio *l.c.* mihi aliis: quod tamen durum non fuit visum Sanch. Castropalao *ll. cc.* qui concedunt sequelam; inquiunt, inquiunt, ex doctrina probabiliter ab ipsis lata.

21. Verum nobis id amplius inquirendum non est. Dummodo sciamus, saltem in alia via Pontii non peccare tutò sequi probabiliorem opinionem multorum, inter quos est De Lugo *de pœnitent. d. num.*19. *num.*37. de pœnitentium non expirare. Nec fortè omnino præter rationem Sanch. quia, ut habet idem Pontius *l.c.n.*8. ligatem Sanch. quia, ut habet Dianam *p.*11. *tr.*7. *res.*7. non potest negari hanc potestatem esse regulariter in favorem, tum Confessarii, tum etiam pœnitentis, cui tandem concedenda est gratia Dispensationis, vel Absolutionis; Cur ergo non dicendum sit, eam, utpote gratiam pœnitenti factam, non expirare?

22. Defuncto nuper Archiepiscopo, dubitatum fuit, an facultas, quam concesserat cuidam Rectori ex nostris, ut approbaret quemcumque aptum videretur, eidemque concederet licentiam administrandi Sacramentum

Sacramentum Pœnitentiæ, perierit defuncto Episcopo.

23. Certè ex dictis sequitur, nequaquam periisse etiam re integra, quia hæc fuit gratia facta ipsi Rectori, & quidem circa personas indeterminatas. Ita sustinet signatè Fragosus *t.1. seu p.1. l.3. d.50. fol. mihi 291.* his verbis: Vnde, quamvis possint ejusmodi facultates pro libito revocari, certum est, non expirare morte concedentis, duratéque donec viduatis Ecclesiis provisum fuerit de Pastore à quo possunt revocari. An dicta facultas transierit ad Successorem dicti Rectoris pertinet ad §.6. paulo post afferendum.

§. V. *An expiret Dispensatio, vel potestas dispensandi, vel alia gratia, si, qui concessit, moriatur, vel amoveatur ab officio, antequam litteras Concessionis dederit.*

1. Assero Primo, in foro conscientiæ valere prædictas gratias, de quibus nostra est locutio, etiamsi scriptura nulla super illis confecta sit, valere, inquam, statim ac simplici verbo conceditur. Molin. *t.1. d.599.* Ioan. Præp. *q.8. de disp. matr. d.7. à num. 46.* Perez *de matrim. d.47. sect.6.* aliosque apud Dian. *p.8. tract.3. res.84.* Poterit ergo eas in foro Conscientiæ, vti etiamsi concedens moriatur, antequam literæ concessionis expeditæ fuerint. Excipe semper, nisi aliud cautum sit in concessione, vel in lege aliqua municipali. Ratio est, quia neque ex natura Donationis gratiæ, neque ex Iuris communis dispositione apparet, cur ejusmodi gratia non valeat: cum per simplicem concessionem voluntariè datum, concedens transferat gratiam in alium, ut est communis doctrina apud Sanch. *l.8. matrim. d.29. n.2.* March. *de Or. tr.1. p.7. cap.6. n.15* Azor. *p.2. l.7. c.1.*

2. Assero secundo, prædictas gratias non prodesse, nec vim habere in foro externo, litteris nõ expeditis. Si tamen non expediantur, post mortem concedentis retrorrahi, hoc est vim habere à puncto concessionis. Ratio est, quia prior hujus assertionis pars clarè habetur in regula 53. & Reg. 50. Cancellariæ, posterior vero colligitur ex isdem Regulis, ut latè habes apud Molin. *l.c.*

3. Dices Regula Cancellariæ, quæ habetur apud Sanc. *l.8. matr. d.19. n.11.* non solum loquitur in casu hujus secundæ assertionis, sed etiam in casu assertionis primæ jam dictæ *n.1.* hæc enim sunt ejus verba. *Nulla dispositio cuiquam in Iudicio, vel extra suffragetur, antequam super eadem litera Apostolica sint confecta.* Ergo perperam dictum est oppositum dicto *n.1.*

4. Respondeo. Hæc verba intelligenda sunt non suffragari in Iudicio, vel extra judicium; in foro externo, neque enim (ut rectè ait Præpositus *l.c.*) & credendum est Pontificem voluisse adversari sententiæ receptæ à tot Doctoribus, qui docent pro foro conscientiæ non esse necessariam, ex se, & vi Iuris communis, illam literarum expeditionem.

5. Atque hinc collige, eum, cui à fide digno significatum certò est, Pontificem dispensasse in impedimento, posse in foro conscientiæ Matrimonium contrahere, vel nulliter antea contractum nunc revalidare, etiamsi ante literarum expeditionem moriatur Pontifex, & idem de aliis Superioribus quoad alias gratias. Idémque item dic si pari modo certò scias à fide digno Pontificem dispensationem, vel aliam gratiam tibi per litteras, seu per scripturam concessisse; cum tamen dictæ literæ ad te nondum transmissæ sint, quia est eadem, imò major ratio.

6. Dixi (certo scias) sanè certitudine morali, quam (quænam illa sit explicui in simili *supra tract. 1. de imp. c.10. à n.5. & c.13. n.5.* Mihi enim, & Amico apud Dian. *p.8. tr.3. resol.84. V. At hic*, non videtur sufficere probabilitas concessionis: nunquam enim præsumendum est, Pontificem, vel Principem concedere gratiam voluisse, de qua solum mera probabilitas habetur, quod illi concesserint: id enim multis fraudibus, & erroribus esset obnoxium.

§. VI. *An cesset Dispensatio, vel Potestas ad dispensandum morte Delegati? Remissivè.*

Diximus an, & qua ratione cessent gratiæ morte Pontificis, vel alterius Principis, hoc est morte legantis: Quid, si moriatur Delegatus, cui gratiam exequi commissum fuerat; sed, quia de hoc Argumento, quantum ad nostras dispensationes Matrimoniales pertinet: egimus *supra cap.12. §.1. à n.6.* absolvamus nunc Tractationem hanc Secundam, & tantisper quiescamus.

# TRACTATVS III.
## DE
# CONSENSV
## Per verba de futuro, id est,
# DE SPONSALIBVS.

### Caput Primum.

### *De Natura Sponsalium.*

§. I. *Quæ sint Sponsalia, & quam promissionem continere debeant, ut obligent?*

Sponsalia, quamvis non rarò sumantur pro matrimonio rato non consummato, id est pro matrimonio contracto per verba de præsenti, sed nondum habita Corporum commixtione, tamen propriè in tota hac tractatione significant mutuam sponsionem seu promissionem futuri Matrimonii, nam propterea Sponsus, & Sponsa propriè vocantur, & sunt ii inter quos ejusmodi mutua, sponsio intercessit licet impropriè, ut dixi, aliquando sic appellentur illi, qui matrimonium tantummodo ratum contraxerunt.

2. Promissio autem quadruplici modo exhiberi, seu considerari potest. Primo, ut est interna, nec dum alteri, insinuata. Secundo, ut est insinuata alteri, qui tamen nondum illam acceptavit. Tertio, ut est alteri insinuata, & ab illo acceptata quidem, sed non sub mutua repromissione, Puella v.g. acceptavit promissionem matrimonii à te ipsi factam, sed non repromisit, matrimonium ex parte sua. Atque his tribus modis promissio matrimonii dicitur esse facta gratis, quia obligatio est ex vna tantum parte, ejus nimirum, qui sponte promisit. Quarto, promissio considerari potest, ut est alteri insinuata, ab eodémque acceptata, & per ejus repromissionem confirmata, qua ratione promissio dicitur facta per modum contractus, qui certè mutuum vtriusque consensum continet.

3. Dico igitur Primò, ut sponsalia obligationem in spondentibus pariant, non satis esse primum, nec secundam, nec tertiam promissionem ex ductis, sed addendam esse, & quartam. Sanch. Pont. Coninch. & innumeri apud Leandum *de matr. d.1. à q.4.* Ratio, quod non sufficiat prima, & secunda evidens, est ex eis, quæ dicemus *in tractatione de contractu promissionis*, vbi cum communi docebimus, promissionem mente retentam, vel etiam verbis expressam, si non sit acceptata non obligare, & signatè in materia sponsalium, firmat Sanch. *l.1. de matr. d.3.6. & 7.*

4. Ratio autem, quod nec tertia sit satis, est, quia promissio facta ex vna tantum parte, & ab altero acceptata, qualis, est hæc tertia, licèt posset aliquando esse valida, &

obligans, quo pacto diceretur claudicare contractus ex vna parte, quæ ſe non obligavit, ut ſi quis, ſe prorſus obligando, promitteret tibi aliquid vendere, quando tu emere velles, & ut ſe poſſet Sponſus obligare ad ducendam Sponſam (ſive ſub mortali, ſive ſub veniali juxta Ius quod Sponſæ tradere vellet) quando ipſa liberè vellet ei nubere, licet inquam, valida & obligans eſſet hæc promiſſio, quia tamen regulariter nunquam Sponſi ſic promittunt matrimonium; ideo hæc ſola tertia ſaltem in praxi non ſufficit. Quod autem nunquam ſic promittant Sponſi, patet, quia nunquam regulariter aliquis promittit alteri gratis futurum matrimonium, ſcilicet ſine ſpe, ſeu ſine conditione, qua alter certò etiam & ipſe ſe obliget ad idem matrimonium, atque adeo ſemper requirit quod alter repromittat, fieri enim ab vtroque Sponſo ſemper intenditur contractus innominatus, do, ut des. *Promitto ſi tu promittas.* Vide hæc pluribus apud Sanch. *l.c.d.5.*

4. Ratio denique, quod quarta promiſſio ex ſupra memoratis ponat obligationem in conſcientia, & conſequenter contineat vera ſponſalia, patet quia cum contineat mutuam obligationem, quæ certè eſt ex juſtitia, nihil ei deeſt de contractu, cujus definitio eſt. Vide *l. Habeo, ff. de Rubr. ſignifiat.* Vltro, citroque obligatio; & quia eſt in re gravi, nihil deerit à mortali. Quod ſi addatur juramentum, enaſceetur alius titulus obligationis, ſcilicet ex virtute Religionis, ut ex tractatu de juramento ſupponimus.

5. Dices. At Vaſq. *d.4. de matr.* Pontius *l.12. matr. cap.4. num.10.* docent, in omni contractu, atque adeo in contractu matrimonii ipſam acceptationem, quam nos modò poſuimus in tertio loco, eſſe repromiſſionem, ergo promiſſio acceptata ſatis, ſupérque conſtituet vera ſponſalia.

Reſpondeo. At G. Hurt. *d.1. matrim. diff.4.* hanc doctrinam meritò refellit; quia poteſt quis acceptare, ſeu admittere tuam promiſſionem, v. g. ſed, nec implicitè nec explicitè repromittere fidem ſuam.

*Quoad forum externum.*

6. His poſitis: Inquires. Primò, poſita tanta obligatione ſub mortali, quantam inducunt ſponſalia in foro conſcientiæ, quid erit in foro externo? Poteritne Iudex cogere Sponſum, tempore debito recuſantem inire Matrimonium.

7. Reſpondeo, quatuor eſſe ſententias. Primò enim, Negat Sanctus Thomas apud Averſam *mox citandum*, cum Angelo, & Armilla, etiamſi ſponſalia fuerint juramento vallata, à Iudice poſſe cogi prædictum Sponſum recuſantem. Ratio hujus ſententiæ, præter aliquos Sacros Textus, ducitur ex libertate Matrimonii, & ex periculo mali ejus eventus, ſi forte ab invito contrahatur.

8. Secundò. Affirmat Sanctus Bonaventura apud eundem *mox citand.* cum Sanch. Pontio, aliiſque; etſi juramentum non præceſſerit, quia præter aliquos Textus, quos etiam ipſi inducunt, Iudex poteſt, immò & debet compellere ſubditos ad complendum id, ad quod ipſi ex juſtitia in conſcientia tenentur.

9. Tertiò Diſtinguit Sotus apud eundem afferens, & ipſe quendam Textum, concedit enim poſſe compellere, ſi præceſſit juramentum, non verò ſi non præceſſit; quia Iudicis eſt juramenti obſervationem, non verò cujuſcunque generis obligationes exigere.

10. Quartò. Alio modo diſtinguit Averſa *de matrim. quæſt.8. ſect.8. à Verſu. Quintò dubitatur*, dictos Textus afferens, & concilians. Ait enim, ſi Iudex ex circumſtantiis prævideat malum exitum Matrimonii, diſcordias, rixas, occiſionem vxoris, vir. fugam à domo, &c. ne cogat, etiam eum, qui juravit, ſed prius ſeriò admoneat, tum vtatur remedio carcerationis, immò, & cenſuratum, quando videbitur opportunum, ſed nunquam deveniat ad hoc, ut Sponſi contrahant inviti matrimonium. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia ſic vitantur omnia incommoda, & quantum prudenter à Iudice teſt, redditur vnicuique Ius ſuum.

11. Hanc quartam ſententiam, quam etiam leg. G Hurt. *d.1. matr. diff.17* & quam ſi attente expo. approbat prædictus Sanch. *lib.1. matr. d.20.* ego ſib. eſſem cum moderatione mox dicenda, amplectere in praxi tutò deducerem. Merito enim hæc verba Averſa & Sanch. Nunquam tamen (aiunt) debebit naciter Iudex inſiſtere, ut finaliter compellat vider alterum nimis renitentem, immo debebit forte excommunicatum abſolvere, quamvis non tem Abſolutionem, ne ſcilicet Iudex ipſi ſcand Averſa quidem, quoad forum externum, de quo mus, loqui videtur etiamſi intercefſerit violatio nis, ſeu copula cum honeſta perſona; pati enim (inquit) ſe habeat Iudex in foro externo cum latore, ſi denique perſu. deri non poteſt, ducere

Immo moneo Iudicem, ut procedat ad excom cationem, quando prævidet per illam nihil prof quid enim prodeſt vulnus infligere, nulla cu recuperandæ neceſſitatis?

Dixi (in foro externo) nam in foro conſcientiæ omnino eſt, ut de eodem violatore ſuo loco dixim *in Decal. cap.5 §.3. à n.43.*

12. De hoc delicto nolendi ſervare ſponſalia, Iudicem Laicum poſſe cognoſcere, notat Sanch. modò non ſit controverſia de validitate ſponſalium de ſufficientia cauſæ ad illa diſſolvenda; tunc enim ſpectaret ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum.

*Quo tempore implenda ſunt Sponſalia?*

13. Inquires, Secundò. Quandonam eſt tempus bitum, poſt quod peccabit mortaliter, & modo cogendus eſt à Iudice Sponſus, ad contrahendum Matrimonium?

Reſpondeo, quando advenit terminus præfixus ſponſalibus (intellige nulla rationabili cauſa ceſſante quæ fortè ſuperveniat, de quibus cauſis infra, ut dictum fuit *ducam te poſt annum*, erit terminus, tra moraliter anno, nam trium, vel quatuor dierum abſtrahendo ab alio incommodo, non videtur, gravis in hac re.

14. Quid ſi nullus ſit præfixus terminus, ut ſi dictum fuit, *te ducam*, Sanch. *lib.1. matr. d.28.* quem Dian *tract.4. reſol.245.* defendit, ait, tempus obligans ſub mortali, præſcindendo ab excuſatione forte ſuperveniente eſſe, quando alter ex Sponſis requirit Matrimonium. Pont. autem *l.12. matr. c.6. n.1.* quem defendit Averſa *de ſponſ. ſect.8. Verſ. Quartò dubit.* eſſe ſtatim, atque opportunè, & commodè Matrimonium celebrari poſſit. Sed profectò facilè has ſententias conciliabimus, ſi dixeramus, obligari quidem ſtatim, quia natura prudentiæ ea eſt, ut ſervetur, quam primum morali, & humano modo poteſt; vide *l. in omnibus oblig. ff. de regul. jur. l. Eum, qui ff. de ver. oblig.* At excuſari ejuſmodi Sponſi quoties alter non requirit, cum poſſit; quia tunc poſſunt emittere, & non curare, de dilatione, ut habetur in Textu, *l. Sapè de Sponſalib.*

## §. II. *An Sponſalia ex voluntate ſpondentium, vel veram obligationem parere poſſint, vel nullam?*

1. SI promittentes ſponſalia nolint expreſsè ſub mortali ſe ad illa obligare, ſed ſub veniali dixerint, Sanch. *l.c.d.9. n.6.* concedit, non fore obligationem, niſi ſub veniali; Negat Vaſq. *d.6. de matr. c.3.* cui aſſentitur Pont. *lib.2. matr. cap.12. n.12.* ait enim, ſemper eſſe ſub mortali. Ratio Sanch. eſt, quia tota hæc obligatio dependet à voluntate ſe obligantis; ſicuti enim, cui in voto de re gravi, poteſt, ex probabiliſſima ſententia ſe quis obligare ſub levi culpa, ſic in caſu noſtro. Ratio Vaſquez eſt, quia ipſe putat, obligationem hanc immediatè à voluntate ſe obligantis, ſeu ipſa dependere

ipsa promissione, quamvis solum externa; posita enim jure naturæ sequitur in materia gravi gravis obligatio.

2. Ego, qui cum Sanch. & aliis probabilius judico, totam obligationem in quacunque promissione oriri ex voluntate obligantis, consequenter cum eodem censeo, posse sub dicta obligatione levi contrahi hæc sponsalia.

3. Sed erit maximè advertendum cum Aversa, *loc. c. q.8. Ver. Suadetur*, tunc illa non esse in rigore sponsalia, hæc enim rigorosam, & certam obligationem futuri Matrimonii continere debet, concedunt enim Sponsis, ex sententia probabili, amplexus, & oscula eadem quæ inducunt impedimentũ publicæ honestatis, qui certè effectus supponunt Sponsos habere jus rigorosum ad futurum Matrimonium, atque adeo obligationem gravem ad Nuptias, nisi quid rationabile oberit, contrahendas.

4. Ex eodem principio, quod tota obligatio mensuretur à voluntate promittentis, sequitur posse sub nulla obligatione, id est, ne sub veniali quidem, sponsalia contrahi; quia etiam sic velle possunt promittentes. Verum quæso te, quænam sponsalia hæc erunt nulli obligationi subjecta?

### §. III. *An Sponsalia ex voluntate spondentium contrahi possint sub obligatione pœnæ?*

Vbi

### *DE ARRHIS, ET PIGNORE.*

1. COntrahíne possunt sponsalia sub obligatione, ut qui promissis non stat, solvat pœnam aliquam, v. g. aureos centum, vas argenteum, torquem aureum?

2. Respondeo, non posse. Vnde, nec deberi in vtroque foro ejusmodi pœnam sive magnam, sive exiguam, &, valde probabiliter, etiamsi additum fuisset iuramentum. Ratio est, quia licet de jure naturæ id illicitum non sit, tamen per Sacros Canones, *C. Gemma de sponsa.* prohibetur, &, si fiat, irrita pronunciatur pœna, vnde (ut deducit Aversa *quæstion. de matrimon. sect. 8. Vers. Et quidem*, irrita, ac nulla redduntur sponsalia sic contracta. Congruentia autem, cur id prohiberetur, fuit, ne ob timorem solvendæ pœnæ, minus liberè Nuptiæ contraherentur; nam propterea, sive pœnam apponant ipsi Sponsi, sive eorundem parentes, sive eorundem consanguinei, vel valde amici (quia sic æquale est periculum impediendi libertatem Matrimonii) pari modo de ea procedit prohibitio. Et Sanch. *lib. 1. de matrim. d. 30. num. 8.* quidem eandem doctrinam extendit, ut non valeat pœna sub qua quis promittit, se non ducturum vxorem, & paulo post, *num. 9.* ut nec valeat eadem pœna apposita dissolventi Matrimonium modo licito, v. g. in primo bimestri per ingressum Religionis, vel aliàs per justum divortium: Simili enim ratione læderetur Matrimonii libertas. Atque hæc satis sit innuisse, nam cætera vide apud Sanch. & Aversam, nec omittas legere, quæ dicam infra *cap. 4.*

3. Ne tamen intermisceas pœnam cum Arrha, vel cum Sponsalia largitate; Arrha enim est, quæ actu traditur inter promittentes ad securitatem Matrimonii in hunc ferè modum. *Ego promitto Nuptias me tecum contracturum, & in Arrham, id est securitatem meæ promissionis consigno tibi centum, vt, si ego à promissione resiliam, tua sint, si vero tu resilias, reddas mihi illa, & insuper, in pœnam, addas alterum tantum, idest alia centum, quod jura vocant Duplum.* Hæc est Arrha, quam certè eadem jura concedunt in sponsalibus, quando Arrham recipiens est major 25. annis. Posse iterum procedi ad pœnam reddendi triplum, vel quadruplum, id est ducenta alia, vel trecenta sed non vltra, idque ab iisdem majoribus viginti quinque annis, signatè monet Textus *L. fin. C. de sponsalib.* Intellige autem, si resiliatur injustè, nam si justè rescindatur promissio, & Matrimonium non contrahatur ex justa causa, Arrha nequaquam amittitur, sed restituenda est suo domino, sicuti etiam restituenda est ei, qui illam dedit, si Matrimonium celebretur; sunt enim Arrhæ quasi pignora, quæ promissione completa redire ad suum Dominum debent. Arrham autem posse dari in quacunque quantitate, etiam in re immobili, & esse ab vtroque contrahente, rectè contra Bartolum, & alios docent Sanchez *lib. 1. matrim. d. 35. num. 9.* & Hurtadus *de matrim. disput. 1. diff. 19.* alios citantes.

4. At verò pœna non traditur actu, sed in hunc ferè modum. *Ego tibi promitto futurum Matrimonium, tu mihi: sub pœna, vt quis promissionem suo debito tempore non implebit, soluturus sit aureos centum.* Vides, pœnam non solvi statim, Arrham verò statim tradi? Arrham igitur, ut dixi, in sponsalibus jura permittunt, pœnam verò nequaquam. Cur autem illam permittant, non verò hanc difficile est indagare, & nobis id prolixius inquirendi otium non est. Videatur de hoc Sanchez *lib. 1. matr. d. 35. num. 2.* deque aliis minutioribus quæstionibus pertinentibus ad Arrham Sanch. *ibid. dicta d. 35.* & deinceps Aversa, *loc. cit. sect. 10.* Hurtadus *loco citato, à diff. 18.* aliique.

5. Pignus autem, ut etiam fidejussor, si detur in securitatem Arrhæ, poterit, (inquit Sanch. *l. c.*) interponi in sponsalibus, non verò, si detur in securitatem solvendi pœnam. Ratio est (inquit) quia accessorium sequitur naturam principalis; quare sicuti prohibetur pœna, & non Arrha, sic prohibetur pignus, quod sit accessorium ad securitatem pœnæ, non verò, quod sit accessorium ad securitatem Arrhæ. Hæc Sanch. Verùm, quia semper pignus (si recte, expendas ut expendit Aversa *q. 8. matrim. sect. 10. vers. Sed potius*,) succedit loco pœnæ, non verò fidejussor: ideo absolutè tenendum est non posse in sponsalibus interponi pignus, posse Fidejussorem.

6. Denique sponsalitia largitas est donatio, quam intuitu futuri Matrimonii solent sponsi invicem facere liberaliter, de qua propria erit suo loco tractatio. Vide infra *Tr. 2. de oblig. matr. cap. 2. §. 3. & 4.*

7. In his pœnis, & arrhis, ne iterum ab ea molestia reverti cogar, adverto duo. Alterum, etiamsi pœna posset validè apponi in sponsalibus? tamen non esse ea ante judicis sententiam solvenda, quia pœnæ ejusmodi temporales non obligant, ex probabilissima opinione, antequam Iudex sententiam de illis ferat. At verò ipsa Arrha, etiam ante ipsam sententiam, est in conscientiæ foro reddenda à resiliente injustè, quia ejus non est. Sed duplex, triplum, quadruplum, non esse in conscientia solvendum, nisi post sententiam, docet Sanch. *l. c. d. 37. n. 1.* quia horum solutio habet rationem pœnæ. Quamvis esse solvendum in conscientia ante sententiam, doceat Pontius *l. 12. matr. cap. 19. n. 5.* (hunc sequuntur alii plures cum Aversa *l. c. q. 8. sect. 10. §. octavo*, eos citante) maximè petente parte, saltem, quando intentio promittentium fuit, ut statim ejusmodi duplum solveretur; quia tunc id requirit expressa conventio Sponsalium. Video, vtramque sententiam esse probabilem, sed mihi probabilior est illa prior, quia se obligantes ad pœnam, cujus rationem habet hæc dupli solutio, ut notat Sanch. ibidem, saltem regulariter, præsumuntur, se obligare ad eam juxta naturam ipsius pœnæ quæ est illam non deberi, nisi post sententiam.

8. Alterum. Si apposita fuisset pœna in sponsalibus (vtique contra leges, quod tamen per se non puto, esse, nisi culpam venialem, ut tenet Sanch. *lib. 1. matr. d. 30. n. 2.* quicquid dicat Bonac. *de matr. q. 1. p. vlt. n. 3.* qui putat, esse mortalem) & Sponsus, vel Sponsa illam pœnam exegisse à frangente fidem, obligaretúrne huic fidem frangenti illam restituere?

Respondeo Sanch. *l. c. d. 31. num. 2.* quem sequuntur Lessius, & Coninch. apud Hurtad. *d. 1. matr. diff. 18. n. 77.* Cui adde Aversa *l. c. q. 8. Vers. septimo*, docet non obligari, sed posse in conscientia illam sibi retinere, donec juridicè ad restituendum condemnetur, quia jura irritantia hanc pœnam solum videntur denegare actionem petendi

petendi, & obligationem ſolvendi, non autem impedire tranſlationem domicilii in eum qui illam re ipſa exegit: Sicuti contingit in ſolutione facta legatario, cui aliquid relictum eſt per Teſtamentum minus ſolemne, & ſicuti evenit lucranti in ludo pecunia credita, loquendo de jure communi. At verò Hurtad. *l.c.* cum quo prorſus ſentio) docet, obligari reddere, nec poſſe in conſcientia illam ſibi retinere. Ratio mihi efficax eſt, quia nullus adeſt titulus, quo transferri poſſit dominium illius rei in recipientem, ſi enim recipit ob pœnam; at hæc jam manifeſtè irritata eſt per leges, quæ irritatio non habetur in dicto legato, ludoque; Aptius ergo pro noſtra ſententia eſt exemplum de vſurario, & latrone; ſicuti enim hi retinere non poſſunt pecuniam ſibi extortam, quamvis cum juramento promiſſam, & deinde traditam, quia ejuſmodi promiſſio non affert titulum juſtum, ita in caſu noſtro.

### §. IV. *Quid ſint ſponſalia ficta, & quam obligationem inducant?*

1. PRomittit Primo, quis ore tenus, ſe ducturum Bertam, ſed ſine animo promittendi; vel ſine animo ſe obligandi. Secundo, promittit alius ore, & animo promittendi, ſeque obligandi, ſed ſine animo exequendi. Tertio promittit denique alius nihil conſiderans; præſcindit enim ab animo promittendi, vel ſe obligandi, vel exequendi. In his ergo nos quærimus, ad quidnam hic obligetur? id enim eſt, quærere de ſponſalibus fictis.

*Promiſſio ſine animo promittendi, vel ſe obligandi.*

2. Quoad primum, Dico primo ſiue ſuſtineas cum Sanch. ut vidimus §. 2. *n.* 2. promiſſionem externam ſolitariè ſumptam ſine voluntate ſe obligandi non eſſe veram promiſſionem, ſive multo magis cum Pontio *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 3. eſſe promiſſionem veram, immo & verum contractum, quem tamen ego alibi rejicio.

Dico, inquam, te ſemper peccare mortaliter, ſi ſic fictè ſpondeas, obligationemque contrahis reſtituendi damna, ſi quæ ex ejuſmodi ficta ſponſione conſequantur. Quod pecces mortaliter, ratio eſt, quia decipis proximum in re gravi. Nam ideo alter ſe putat obligatum ad Matrimonium, & ut talem ſe gerit, quia ſuppoſuit obligationem tuam. Hinc rectè colligit Sanch. *diſp.* 9. *lib.* 1. *matr. n.* 1. non peccare mortaliter eum, qui ſolum ex parte ſua fictè promitteret abſque promiſſione mutua alterius partis, & abſque alio damno hujus alterius partis, quia tunc non adeſt dicta repromiſſio, qua ſe alteri obligatum ſentit, quicquid dicat Averſa *quæſt.* 6. *de matrim. ſect.* 1. *V. Quare*, putans, ſemper peccare mortaliter. Quod obligeris ad damna; ratio eſt, quia eorum tu cauſa es deceptione tua, ut ſupponimus.

3. Dico Secundo. Per ejuſmodi promiſſionem ſine animo promittendi, vel ſine animo ſe obligandi non haberi vera ſponſalia: Patet ex dictis, quia ad ſponſalia, ut nuper docuimus, requiritur promiſſio, & obligatio dans promiſſario jus juſtitiæ ad futuras Nuptias: at ea promiſſio, quæ excludit animum promittendi, vel ſe obligandi dare jus juſtitiæ nequaquam poteſt, ita Sanch. *l.* 1. *matrim. d.* 9. *n.* 3. *&* 5. *& d.* 10. *n.* 1. Molina *T.* 2. *d.* 352. Suar. *Tr.* 2. *de Relig. l.* 1. *de Voto c.* 2. *& 3. & opuſc.* 4. *de Volunt. Divin. d.* 2. *ſect.* 2. *n.* 18. alibique.

4. Dico Tertio, etiamſi addatur ejuſmodi fictæ promiſſioni juramentum, nec verum eſſe contractum, nec vera ſponſalia. Ratio eſt, quia (ut notat Sanct. Thom. apud Sanch. *l. c. n.* 9.) Iuramentum ex ſui ratione non obligat, niſi juxta Iurantis intentionem. Cum ergo is, de quo loquimur intentionem non habeat ſe obligandi, obligare ſe per ejuſmodi juramentum non poterit.

5. Dices. Si ficta promiſſio etiam jurata jus Juſtitiæ non tribuit, nec vera ſponſalia conſtituit, vnde ergo fictè promittens obligatur ex juſtitia ad reſarcienda damna ex ejuſmodi promiſſione redundantia?

Reſpondeo. Concedo, ex hac ficta promiſſione non oriri jus Juſtitiæ, nec obligationem ex ipſa promiſſione, ſeu contractu; ficta enim promiſſio, nec vera promiſſio eſt, nec vérus contractus, ſed alio, oritur ex ipſa, Cum enim fictio prædicta ſit cauſa, vt dixi nimus, damni, debet omnino damnum ex ratione nificationis reſarciri.

6. Inſtas. Ergo hinc ſequitur, ut ſi nullum damnum ſequatur alteri, ad nihil teneatur fictè promittens, ne peccaverit, ut dictum eſt.

Reſpondeo. Ita docet Sanch. *l.* 1. *matr.* 20. *n.* 2. promiſſio facta eſt gratis, ideſt ſine remiſſione & non interveniet fractio juramenti. At, ſi fictè promiſſio, ideſt, te fictè promitente, alter verò repromiſit, vrget magis inſtantia ficta, & eſſe duplex difficultas. Prima, an quando nullum num ſubſequutum eſt, & nihil aliud additur, tur obligatio adimplendi promiſſionem fictam? da, an ſi præter fictam promiſſionem accedat defloratio Puellæ, cui Defloror fictè promiſit jugium, aliqua ſubnaſcatur obligatio?

Reſpondeo, circa hanc poſteriorem difficultatem Defloratore, quoad obligationem ad conjugium bus dixi *l.* 7. *in Dec. c.* 5. §. 3. 3. *à n.* 26. & poteſt Sanch. *l. c. àn.* 2. Hurt. *diſp.* 1. *de matr. diff.* 12. Averſa *q.* 8. *ſect.* 2. *Verſ. Nec obſtat.* aliique.

7. Circa priorem verò, quæ eſt hujus loci cum eodem Sanc. *l. c. n.* 15. & 16. eſſe probabile, ri fictè promittentem ad contrahendum matrimonium cum Sponſa v. g. decepta, ſed addo cum eodem San eſt probabilius, non teneri. Ratio hujus additi quamvis peccaverit Deceptor contra juſtitiam deceptio, dum nullius damni cauſa fuit, manſit in tione, nec habuit effectum, vnde non apparet quod ſit reſtituendum, & ſanè cum promiſſio fictæ non ſit promiſſio, ſequitur, nec promiſſionem fuiſſe veram repromiſſionem (hæc enim ſuppoſita promiſſionem alterius) quare remanet, quod cepta ſit obligata ad matrimonium. Si ergo libera remanet, liber etiam remanebit deceptor ſaria obligatione illam ducendi. Sicuti, ſi fictè mitterem Romam adire, quando mihi dederis aureos: Si ego nolim adire, vndè tu mihi nihil de te fefellerim fictè promittendo, tamen, nec tu mihi ego tibi aliquid debeo, præſcindendo ab alio damno injuria, ut certè præſcindimus in caſu noſtro.

8. Quæres. Quid Primo, ſi omnibus expenſis, dubium eſſet, an fuerint contracta vera ſponſalia? Secundo, ſi dubium eſſet, an quando ea quis contrahit animum veram habuerit ſe obligandi, teneatur ne illam?

9. Reſpondeo. In priori caſu in foro conſcientiæ non tenetur. Ità Leand. *d.* 1. *de matrim. quæſt.* 47. cum Sanch. Henr. Bonac. Pontio, aliiſque, quia melior eſt conditio certæ libertatis ipſius, quæ, ut alibi ſæpè dictum eſt, dubia promiſſione vinci non poteſt. In poſteriore Sanch. *lib.* 1. *matr. d.* 9. *num.* 12. & communiter *ap. rum Leandrum*, docet obligari ad ſervandam promiſſionem, quia jam poſſidet promiſſio, quam certo quis adhibet. Verum in eodem conſcientiæ foro (præſcindendo damno, quod forte naſcatur alteri Sponſo ex tali promiſſione; hoc enim certum eſt eſſe reſtituendum) non poſſit dici, eſſe in hoc poſteriore caſu non poſſe promiſſionem, quia de ipſa, an vera, & obligans ſit, dubitatur, vndè de ejus ſubſtantia non conſtat. In ſimili, ne contra communem doctrinam ire videamur, aliis diſcutiendum reliquimus *Lib.* 1. *in Decal. Lor* §. 7. *V. Profeſſ. Relig. & V. Matrim. n.* 5. *in* 2. *edit. Fer* ergo nunc faciamus.

*Promiſſio ſine animo exequendi.*

10. Quoad ſecundum de eo ſcilicet, qui ore promittit, & inſuper animo promittendi, ſeque obligandi ſed animo non exequendi. Dico Primo, eum peccare mortaliter, quia habet animum non adimplendi id, ad quod

se graviter obligat. Dico Secundò, eundem obligari ad futurum matrimonium. Ratio est, quia hæc sunt vera sponsalia, cum in his clarè intercedat mutua promissio. Ita Sanch. *lib.1.matrim.d.9.n.2.*& aliquid simile esse in Voto,nos contra Valentiam diximus,cum de Voto *lib.3. in Dec.cap.12. §.1. num.4.*

*Promissio præscindens ab animo se obligandi, &c.*

11. Quoad tertium,de eo,qui promittit præscindendo ab obligatione,est diligenter distinguendum. Si enim is novit, quid si promittere Nuptias, vel promittit juxta morem communem,quo solent sponsalia promitti,sicuti non peccat,sic obligatur stare promissis,veraque contrahit sponsalia.Ratio est,quia sic se implicitè obligavit;dum enim sic promisit,nec contrarium expressit,implicitè voluit totum illud quod in tali promissione involvitur,involvitur autem obligatio contrahendi matrimonium.

12.Verum,si ex vna parte præcisivè se habuit,& ex alia non novit, eam promissionem afferre dictam obligationem,nec voluit facere,quod alii solent cum nec implicitè,se obligaverit,vera sponsalia non contraxit, & consequenter ad illa servanda non obligatur. Ita ibidem insinuat Sanch.& nos latius explicuimus dicto §.1.præsertim *n.5.*Supponimus autem hîc,bona fide hunc processisse nam,si mala fide,ut alterum deciperet sic se gessit recurrit doctrina de fictè promittente paulo superius allata.

---

# CAPVT II.

## *De quibusdam conditionibus requisitis in Sponsalibus.*

PRæter ea,quæ hactenus dicta sunt, debent sponsalia esse. Primo voluntaria. Secundo,Non extorta metu. Tertio, Signo certo expressa. Quarta, non necessario aliis,sed solum Sponsis,manifesta.Quinto,Absoluta,non conditionata.

### §. I. *Sponsalia voluntaria esse debent.*

Vbi

### *DE ERRORE, DECEPTIONE, IGNORANTIA forte intercurrentibus in illis.*

1 QVoad ad Sponsalia requiratur libertas,& plena deliberatio,nec sufficiat semiplena, potius est, tanquam res clara, supponendum, quam probandum. Cum enim sponsalia obligent ad mortale, eam petere debent advertentiam,quæ ad mortale requiritur,quæ non est,nisi plena,& perfecta.Sed,quæ tandem est hæc?

Respondeo, esse eam,qua intellectus sine vllo errore aut ignorantia apprehendit rem,& sufficienter advertit, sitne bona,vel mala,seu advertit, quænam in sua natura illa sit. Sanch. *l.1. matr.d.8.n.2.* & 5.Pont.*l.4.matr.c.1.*

2. Hinc neque ab eo, qui vsu rationis caret, etiamsi sit septennio major, neque à furioso, neque ebrio, immo,neque ab iracundo,vel valdè cupiente, quando ira, & cupiditas, ita privat hominem vsu rationis, ut impediat advertentiam requisitam ad mortale(quod certè rarissimum est)valida sponsalia, sicuti,nec validum Matrimonium,inirentur.Sanch.Hurtad.Pontius Beccanus,aliique apud Leandr.*d.1.de matr.q.19.*

3. Quoniam verò ignorantia,deceptio,error,minuunt voluntarium, quin aliquando tollunt,ideo pro re nostra de illis aliqua hic sunt adnotanda.

4. Primo. Si error sit ejusmodi,ut sufficeret ad reddendum irritum Matrimonium,qualis est error personæ & conditionis servilis, sine dubio reddit irrita, etiam sponsalia, si vero error sit circa alias qualitates Sponsi, vel Sponsæ, quæ sint tales, quæ sufficerent ad rescindenda sponsalia,quando post illa supervenirent (de qua re *infra c.5.§.7.*& 8.)saltem dat ius ad rescindenda sponsalia facta per dictum errorem, quo illæ qualitates tunc non advertebantur,rescindenda,inquam, modo mox dicendo *n.8.*

5. Secundo. Si altera pars v.g. Sponsus dolo,& fraude Sponsam decepit in prædictis qualitatibus, & hic dolus dedit causam contractui, scilicet hoc dolo inducta Sponsa consensit, nulla sunt sponsalia ex Aversa loco mox citando, sed contrarium tenet cum Lessio,& aliis Conninch.*d.23.de sponsal.dissol.dub.9.n.73* An autem remaneat dicipiens ex parte, sua saltem in vim promissionis obligatus ad standum sponsalibus, si decepta id requirit,idem dic, quod de incutiente metum ad eadem sponsalia extorquenda, *infra*, §.2. *n.13.* dicemus. Quod si circa easdem qualitates, nec Sponsus, nec Sponsa decepit, sed iis nescientibus ,decepit alius, non sunt irrita sponsalia: ex hac tamen causa possunt justè rescindi modo mox dicendo *n.8.* ita Aversa *de matrim.q.8. sect.4*

6. Tertio. Si ex ignorantia, vel imprudentia seipsum Sponsus decepit in prædictis qualitatibus, pari modo valida erunt sponsalia,sed pari modo ex hac etiam causa rescindi possunt. Idem *ibidem.*

7. Quarto,quando error, vel dolus in iisdem qualitatibus intercessit, sed non inde inductus est Sponsus, vel Sponsa ad contrahendum(qui error apud Theologos, & Iuristas dicitur comitans) valida sunt sponsalia;quia non sunt contracta ex vi illius erroris vel doli.

8. Quid si dubitat,An verè contraxerit ob qualitates circa quas fuit error,vel dolus?

Respondeo,si eæ qualitates erant tam graves,ut sufficerent ad sponsalia dissolvenda, de quibus quidem qualitatibus hic loquimur, non debebit se tenere obligatum ad sponsalia, quia nisi ipsi clarè constet, se verè, etiam cum illa cognitione, sponsalia inire voluisse, potest, se tenere tanquam inductam ad illa ex eo errore, vel dolo.

9. Quæres. Si in aliquibus ex dictis casibus sponsalia valida sic contracta, possunt facilè rescindi (id quod,ut Doctores notant, non solum ministerio Iudicis, verum etiam ab ipsa parte errante,vel decepta, fieri per meram suam voluntatem potest, quæ scilicet jure suo refiliat à sponsalibus sic initis) si,inquam,tam facilè rescindi possunt,quid interest, quoad praxim scire,an sponsalia sint valida, neene?

10. Respondeo, multum sanè interesse, nam si ipso jure sunt valida,quamvis statim rescindenda,parient impedimentum publicæ honestatis,id est,vna pars non potest contrahere Matrimonium cum consanguineis in primo gradu conjunctis cum alia parte,juxta Decretum Tridentini, quod impedimentum non pariunt si sint invalida. Idem dic de jure ad amplexus, & oscula donec rescindantur,quæ duo in simili innui etiam *supra cap.1. §.2. num.3.*

### §. II. *Non extorta metu.*

METus potest esse Primò,vel injustè incussus ad extorquenda sponsalia, vel justè. Secundò,vel gravis, qui dicitur cadens in constantem virum, vel levis. Tertiò potest incuti,vel ad extorquenda, ut dictum est,sponsalia,vel ad aliquid aliud,ut si inimicus mortem alicui minaretur & is ex se,& liberè eligeret inire sponsalia cum inimici sorore,ut mortem sic effugeret. Quartò,vel incussus ab extrinseca causa libera,v.g.à Parente, à Iudice,ab Inimico, vel ab extrinseca causa necessaria, v.g.ab infirmitate, tempestate, apprehensione infirmi, vnde quis moveatur ad sponsandam, v.g suam concubinam. Nota autem metum illum, qui causatur à prædicta causa extrinseca necessaria, verè esse & dici metum ab intrinseco,verè enim is, qui movet te ad Matrimonium promittendum, & tuus timor conceptus ex infirmitate,naufragio gehenna, intrinsecus est.

Has

Has metuum claſſes diſtinctè explicui *l.1. in Decal. cap.2. § 5.*

*Metus gravis injuſtè incuſſus, quomodo ſponſalia irritet?*

2. Hic, ſive à patre, ſive ab aliis incuſſus ad extorquenda ſponſalia, reddunt ipſa, non ſolum jure Eccleſiaſtico, vt colligo *ex cap. Exlitteris de diſpenſ. impub.* ſed etiam Iure naturæ nulla: Ita ſuſtinui *loco cit.* & rationem ſatis efficacem (ut mihi videtur) attuli, loquendo ibi de omni contractu afferente obligationem Iuſtitiæ & loquendo de Matrimonio: at certè eadem eſt ratio, nunc de ſponſalibus. Videatur locus *lib.1. in Decal. cap.2.§.7.* ne actum agere hîc cogamur.

3. Quod autem ſaltem ex Iure Eccleſiaſtico ſint nulla prædicta meticuloſa ſponſalia, eſt communior opinio apud Sanch. *lib.4. matrim. d.19. n.3.* idque, etiamſi eſſent juramento firmata, ut non ſit opus relaxatione juramenti, ad ea non ſervanda, ut docet idem *ibidem d.21. num.3.* quem ſequitur Diana, *part.3. tract.4. reſolut.278.* Averſa *quæſt. 4. ſect.6. Verſ. Afferendum*, alios citans.

*Metus gravis juſtè incuſſus.*

44. Hic incuſſus ad extorquenda ſponſalia, ut ſi, v.g. Iudex tibi dicat, qui homicidium commiſiſti, *Niſi deſpondeas Bertam, te juſtè ad triremes, vel ad mortem propter homicidium commiſſum condemnabo*, non reddit ſponſalia nulla; vide Averſ. *loc.cit. ſect.4. Verſ. Et hæc.* Sicuti, nec per ſimilem metum, nullum reddi Matrimonium, nos diximus, *lib.1. in Decal. cap.2.§.7. num.3.* & dicemus *infra tract.4. de conſenſu, cap.6. §.2.* militat enim eadem ratio *ibidem* dicta; & quamvis Bonacina *ibidem* à me citatus doceat metu hoc juſto, invalidum reddi matrimonium, ob perfectam libertatem, quam Matrimonium, quod eſt ex ſe indiſſolubile, requirit, tamen idem dicere nequaquam poterit de ſponſalibus, quæ ex ſe indiſſolubilia non ſunt, ſed reſcindi ex ſupervenientibus cauſis poſſunt.

*Metus levis, ſive juſtè, ſive injuſtè incuſſus.*

5. Hic non reddit irrita ſponſalia: Ita aliqui apud Averſam, *loc.cit. V. dicendum tamen*, & nos item *loco citato, §.6.* Idem ſuſtinuimus de Matrimonio, eadem autem eſt ratio de ſponſalibus. Monui tamen *ibid.* ſaltem propter auctoritatem extrinſecam, eſſe probabile, quod ſponſalia metu levi juſto extorta ſint valida, ſed irritanda; etiam propria auctoritate; cum enim (ut Sanch. *l.4. matrim. d.19. n.6.*) altera pars in conſcientia teneatur relaxare fidem hoc metu exortam, poterit ipſemet vim patiens pari modo in conſcientia reſumere fidem à ſe datam, idque etiamſi ſponſalia juramento firmata fuerint, modo tamen Abſolutionem juramenti obtinuerit, ut idem notat. Idem *ibid. d.21. n.4.* in foro externo non dari actionem huic patienti metum levem, ſive juſtum, ſive injuſtum, *ibid.* monui.

*Metus injuſtus non incuſſus ad extorquenda ſponſalia, ſed ad aliud.*

6. Hic non irritat ſponſalia, neque ex ſolo hoc capite, niſi alia rationabilis ſuperveniat cauſa, irritari poſſunt. Ita colligitur ex iis, quæ habet Sanch. *l.4. matrim. d.12. à n.8.* & ex iis, quæ nos *loco cit. §.5. n.12.* diximus, docuimus matrimonium hoc modo celebratum eſſe validum, quia non ex vi metus, ſed ex propria voluntate in illa occaſione metus, eligitur Matrimonium, quare ſponſalia inita ex metu illo mortis ab inimico incuſſo ob alium finem, quem *num.1.* tertio loco explicui, valida ſunt.

*Metus quicunque, ſive gravis, ſive levis incuſſus ab extrinſeca non libera.*

7. Hic pari modo non irritat ſponſalia; vide Sanch. *l.4. matrim. d.12. n.8.* ſponſalia, quæ *num.1.* exempli cauſa attulimus contracta à naufragii, &c. valida ſunt. Ratio eſt, quia nemo à ſeipſo ab alio impulſus, eligit, tanquam medium honeſtum, illa ſponſalia. Lege Sanch. *lib.4. matr. d.12.* nos idem dicemus de Matrimonio *infra c.8.§.2.*

*Obligatio incurrentis metum.*

8. Inquires. Cum certum ſit illam partem, quæ metu gravem injuſtum paſſa eſt, poſſe licitè reſiſtere ſponſalibus, quid dicendum de ea parte v.g. de Sponſo, qui metum injuſtè incuſſit, ſeu quo ſciente incuſſus fuit alio metus, vltra peccatum mortale, quia eſt materia in re gravi, obligatúrne ſtare ſponſalibus, ſi velit Sponſa, quæ metum paſſa eſt, velit Matrimonium contrahere?

9. Reſpondeo. Certum eſt Primò, non obligari ad Nuptias contrahendas ex vi juſtitiæ ſponſalium, quia jam dictum eſt, hæc ſponſalia irrita eſſe.

10. Certum eſt Secundo, obligari ad reſtitutionem omnia damna, forte inde conſequuta Sponſæ multo magis, ſi adfuit violatio, de qua re diſtinctè *lib.7. in Decal. c.5.§.3. num. præſertim 43.* locutus ſum.

11. Supereſt ergo quæſtio, An obligetur ad Nuptias ſaltem ex vi fidelitatis, ſeu ex vi promiſſionis.

12. Reſpondeo. Obligari, niſi aliquid ſupervenerit quod ab obligatione excuſet, docet Averſa *quæſt.8. de matr. ſect.4. Verſ. Dum vero*, ſicuti Idem *cap.4. ſect.2.§.2.* docuerat, in Matrimonio meticuloſe inito, eum qui metum injuſtè incuſſit, obligari ad iterum contrahendum validè Matrimonium, ſi altera pars Matrimonium tale exigi expoſtulet.

13. Sed non obligari, colligitur ex Caſtropalao, *de ſponſ. punct. 12. n.2.* & ex Sanch. *lib.4. matr. d.13. n.* quatenus hi probabilius reputant, incutientem metum ad ipſum Matrimonium extorquendum, non obligari in foro conſcientiæ, donec per Iudicem condemnetur ad illud ratificandum, etiamſi altera pars metum paſſa ratificatum velit. Nam ex hoc colligitur, quod multo probabilius iidem reputabunt in ſponſalibus, propter paritatem, imò majoritatem rationis. Ratio præterea hujus doctrinæ eſt, quia in contractu oneroſo, cum ex ſua natura ipſe ſit ex vtraque parte obligatorius, ex tè, ut ſervetur æqualitas, aut vtraque pars obligata manere debebit, aut neutra. Cum igitur certum ſit in caſibus poſitis, partem quæ metu paſſa eſt non remanere obligatam, nec remanebit alia. Moneo tamen pro oculis ſemper habendum, quod diximus *n.10. & in loc. ibid. cit.*

14. Quod diximus de incutiente metum, hîc ut Sanch. *l.1. matr. d.11. n.15.* de decipiente, idemque dicit fictè conſentiente cum eadem monitione *n.10.* Addimen, neutrum obligari ad aliquid, ſi mutua fuit & æqualis deceptio, vel fictio: quia in injuriis datur compenſatio, & deceptione deceptio elidit ur. Lege Sanch. *l.1. matr. d.10. præſertim n.11.* Layman, *l.5. tr.10. p.1. c.2. n.2.* & Boſſium, *de matr. c.2. n.62.*

*Animadverſio pro metu juſtè incuſſo à lege.*

15. Denique adverte ſponſalia inita ex metu nullo incuſſo per legem, ut ſi Iudex ſic dicat, *Si non deſponſabis Bertam* (*quam, quia violaſti, debes ex lege, & ex obligatione ne vxorem ducere*) *te in triremes trudam*; advertendum, quam, ſponſalia hæc, & valida eſſe, & reſcindi non poſſe, quia ex nulla parte injuriam continent, vt ex dictis & ex primo *lib. in Dec. l.c.* colligitur.

## §. III. *Signo certo expressa.*

1. QVæcunque verba, signa, scriptura, nutus, quibus Sponsus, & Sponsa determinatæ personæ significent promissionem reciprocam de futuris Nuptiis, sufficiunt ad constituenda sponsalia, sive ea signa ejusmodi sint ex propria significatione, sive ex consuetudine, sive ex propria voluntate spondentium, sive quocunque alio modo, dummodo, ut dixi, Sponsus, & Sponsa inter se significent, intelligantque promissionem; Cum enim sponsalia sint merus contractus civilis, satis sunt ea verba, vel signa, quæ internum consensum, seque obligandi intentionem sufficienter exprimant. Meritò igitur Sanchez *lib.1, matr. d.18. n.3.* ait, apud Indos illa verba *Ego te ducam*, respondente alio, *Fortè ego te ducam*, & illa verba apud Indos. *Sepeliam te, quando morieris.* Marito, inquam, ait; parere vera sponsalia; nam quamvis ex se hæc non sint determinata promissio, tamen ex vsu illius regionis, animus spondendi Matrimonium explicatur.

2. Idem dic, si post tractatum de sponsalibus addant Sponsi, *Placet*, vel quid simile, nam tunc ex circumstantiis, satis prædictus animus exprimitur.

3. Pari modo, vel vult Sanch. *loc. c. n.4.* si Sponsus, *v.g.* dixit verba certo significantia promissionem, & Sponsa respondeat, *Consentio, Volo*, vel quid simile; quia verba sequentia intelliguntur ad sensum præcedentium, nisi clarè contrarium explicetur.

4. Dixi autem *num.1.* (determinatæ personæ.) Nam sponsalia non constituuntur, si personæ sint indeterminatæ, ut si quis ita dicat. *Accipio in Sponsam meam vnam ex his tribus filiabus tuis:* quia sic, incerta est promissio, cum nesciatur, in quam ex filiis terminetur.

5. Ex dictis ergo, si constet affuisse intentionem spondendi, & Sponsus, ac Sponsa per illa signa, vel verba quamvis ex se non sufficienter explicativa, satis promissionem mutuam cognoverint, vera enascentur sponsalia, veramque in foro conscientiæ obligationem inducent.

6. In foro autem externo Iudex, cui intentio spondentium interna constare non potest, debebit pronunciare juxta verba, vel signa externa. Quare, si ea mutuam promissionem significent, vel ex se, vel ex circumstantiis, vel ex consuetudine loci, pronunciabit valida sponsalia: si non significent, pronunciabit invalida; Si verò dubia est significatio, puto, debere à Iudice ferri sententiam pro validitate sponsalium; quia in causa Matrimonii judicandum semper à Iudice est in ejus favorem, ut docet cum communi Sanchez, *loco citato*, qui tamen excipit, quando dubium oritur ex impedimento Impotentiæ. At causa sponsalium causa Matrimonii est. Quid in foro conscientiæ, sit in dubio dati consensus in matrimonium, sentiendum, meam sententiam proposui *Lib.1. in Decal. cap.3. §.7. V. Mat.* Sed hoc *in editio.2. Ven. ejusdem Decalogi.*

7. Iam verò his in vniversum dictis, ipsa verba, vel signa certò, vel dubiè significantia, hîc claritatis gratiâ in suas Classes distributas subscribamus.

### *Verba, quæ certò constituunt Sponsalia.*

8. *Accipiam, vel ducam te*, vel, *v.g. Mariam, in meam, vel in Sponsam meam.*

9. *Promitto, me ductурum te*, vel, *Mariam in crastinum.*

10. *Accipiam, ducam te*, vel *Mariam.* Nam ex communi vsu, subintelligitur, *in vxorem.*

11. *Deinceps, posthac, ex nunc te ducam*, vel *te accipiam in vxorem.*

12. *Non aliam, sed te ducam.*

13. *Promitto*, vel, *me obligo*, vel, *do tibi fidem meam, quod te ducam.*

14. *Sub fide mea te ducam.*

15. *Habeas me infidum, nisi te ducam.*

16. *Ego te accipio in vxorem.* Et altera respondeat, *Ego te accipiam in virum*, constituunt sponsalia. Nam licet illud Sponsi *Accipio*, significet de præsenti; vnde videatur per hæc verba constitui Matrimonium: tamen illa expressio Sponsæ respondentis per futurum, ostendit, consensum esse de futuro; atque adeo constituuntur sponsalia, non verò Matrimonium.

### *Verba, quæ certò non constituunt sponsalia, sed potius Matrimonium.*

17. *Accipio te in meam.*

18. *Habeo te in vxorem.*

19. *Providebo tibi, sicuti vxori.* Sed vide *n.28.*

20. *Ex nunc reputo te vxorem*, seu, *in vxorem meam.*

21. *Ex nunc*, vel, *semper, omnibus diebus vitæ meæ*, vel, *posthac*, vel, *ab hoc tempore habebo te, tenebo te pro vxore, tractabo te, providebo tibi, ut vxori. Posthac*, vel, *ex nunc eris mea.*

Prædictæ formulæ, exprimente vxore simili modo suum consensum, non constituunt sponsalia, nam constituunt Matrimonium, quia sic explicatur consensus de præsenti. Cum autem in vltima ex prædictis non additur illud *ex nunc, posthac, vel, semper*, dubia res est, de qua mox *num.28.*

22. *Volo te in vxorem: Volo te in virum.* Non constituunt sponsalia, sed Matrimonium, quia consensus est de præsenti; Si autem dicatur *Volo te ducere in vxorem*, dubia res est, de qua *num.29.*

23. Verba illa negativa: *Nunquam aliam à te ducam*, non inducunt sponsalia, nec Matrimonium, sed ad summum sic dicentes tenebuntur solum sub conditione, illam ducere, si aliquam ducere velint Vide Sanch. *lib.1. mat. disp.19. n.1.* & Aversam *q.8. sect.3. V. Debet.* Si dicatur *Nullam aliam ducam, nisi te*, mox *n.31.* explicabo.

24. *Non aliam, nisi te duco*, Matrimonium constituit non sponsalia, quia sic exprimitur consensus de præsenti.

### *Verba, quæ sub dubio constituunt sponsalia, nisi major expressio addatur.*

25. *Promitto, me desponsaturum te, vel Mariam.*

26. *Te desponsabo.*

27. *Tecum sponsalia contraham.* Hæc tria afferunt incerta sponsalia: est tamen probabilius ex Sanch. *l.c.d.18. n.13.* sponsalia non afferre, sunt enim solum promissio de sponsalibus contrahendis.

28. *Habebo, tenebo te, ut vxorem, providebo tibi, ut vxori*, dubiæ sunt formulæ, an scilicet Matrimonium, an solum sponsalia constituant, quando non additur aliqua ex illis particulis dictis *num.21. ex nunc, semper, &c.* Nihilominus Sanch. *l.c.n.18.* & Hurt. *d.1. de matr. diff.13.* citans Coninch. aiunt, probabilius esse, quod sine illis particulis constituant sponsalia, quia ex se hæc verba respiciunt futurum. Rectè *ex se* (aiunt) nam constituent Matrimonium, si consuetudo loci, vel tractatus antecedens de Matrimonio, vel quid simile efficiat, ut ea verba significent consensum de præsenti, quæ consideratio semper in hac materia adhibenda est, ut vniversim innui *num.1. 2. & 3.* Ex quo conciliatur, quod diximus *n.19.* de illa formula (*providebo tibi, ut vxori*) & quod hic dicimus de eadem; hic enim, ut probabilius asserimus per eam ex se constitui sponsalia: ibi autem diximus constitui Matrimonium, sed intelligendum est non ex se, sed vel ex circunstantiis, vel ex vsu regionis ad similitudinem ejus, quod *n.1.* attulimus de ea Indorum formula, quamvis per verbum futurum, *Sepeliam te, &c.* Illa item formula; *mea eris*, dubia est; Siquidem sensus potest esse, *mea eris vxor*, vel *mea eris Sponsa.* Sed mihi quidem longè probabilius est per eam constitui sponsalia, quia id notat illud futurum, (*eris*) quod tamen contrahi ad præsens, vnde, & tunc constitui Matrimonium si addatur *ex nunc, posthac, &c.* diximus *eodem num.21.* & idem, si similia addantur *ibidem* diximus, de illis aliis formulis, *habebo te, tenebo te, pro vxore, &c.*

29. *Volo*, vel *placet* infinito adjunctum, sic, *volo*, vel *placet contrahere tecum, ducere, accipere te in vxorem*: pari

modo *volo te habere*, *te tenere in uxorem*, dubia ſunt verba. Conſtituunt ſponſalia ex Sanchez, *l.c.* quia ex ſe hæc verba ſatis verificantur, ſi ea proferens nolit nunc, illam eſſe ſuam, ſed tempore futuro; Verùm ab Hurt. *l.c.* hæc putantur verba, ſatis æquinoca, quia poſſunt ſignificare merum, dumtaxat deſiderium promittendi, atque adeo Iudex qui intentionem, ſic loquentium, non noſcit, debebit pronunciare (ait Hurtadus) per hæc verba nec Matrimonium, nec ſponſalia fuiſſe conſtituta. Lege etiam Delugo, *l.3. Reſponſ. mor. d.16. n.47. & 48.*

30. *Accipio te in meam ex craſtino*, ſeu *in craſtinum*, non ſponſalia, ſed Matrimonium conſtituere, docet Hurtad. *loco citato*, quia ſenſus eſt, *nunc volo*, ſeu *conſentio ut cras ſis mea*: conſenſus ergo eſt, inquit, de præſenti, licet exequutio debeat eſſe cras. Ad *l.c.* ait, conſtituere ſponſalia, quia ratione illius additi (*ex craſtino & c.*) promiſſio eſt de futuro. Incerta igitur res hæc apparet mihi.

31. *Nullam aliam ducam*, vel *duco niſi te*, vel *præter te*, vel *quam te*, nec ſponſalia conſtituere, nec Matrimonium putant Sanch. *ibid. num.5.8. & 10.* & Pontius *lib.2. matr.c.10.* Rem eſſe dubiam dicit Averſ. *q.8. matr. ſect.3. V. Debet.* Diſtinguit autem Hurt. *l.c. diff.13. num.57.* Si enim dicatur *duco*: conſtituitur (*ait*) Matrimonium, ſi *ducam*, conſtituuntur ſponſalia. Huic poſtremo adhæreo, quia per illud, *duco*, conſenſus præſens exprimitur; per illud, *ducam*, exprimitur futurus; nam propterea *num.11.* hanc poſteriorem numeravi inter formas conſtituentes ſponſalia, & illam priorem *n.14.* recenſui inter conſtituentes matrimonium.

*Signa, quæ Sponſalia conſtituunt.*

32. Porrigere, & tangere ſibi manus in ſignum fidei, & promiſſionis, quam ſibi dant Spõſi de futuris Nuptiis.

33. Immiſſio annuli in digitum, ad idem ſignificandum.

34. Miſſio, & acceptatio munerum juxta morem Sponſorum, præcedente tractatu de matrimonio.

Ex his vides non ſolum prædicta ſigna ſola, ſed nec ipſam copulam ſolam conſtituere ſponſalia, niſi ſupponatur tractatio de Nuptiis, vel quid ſimile, ſecus enim prædicta præſtari poſſens animo fornicario.

35. Taciturnitas filii præſentis, quando parentes, Tutores, vel curam illius loco Parentum gerentes Matrimonium ipſius promittunt, parit ſponſalia. Parentes, inquam, Tutores &c. non vero extranei, nam non aſſentior Pontio *lib.2. cap.14. n.7.* aſſerenti, & Dianæ *p.3. tr.4. reſol.370.* judicanti eſſe probabile, conſtitui ſponſalia, etiam ſi extranei ſint, qui promittunt, non aſſentior, inquam, quia extranei carent auctoritate exprimendi aliorum conſenſum, & Taciturnitas tunc dicti filii non præſumitur rationabiliter eſſe conſenſus, facile enim poteſt procedere ex eo, quod non curaverea, quæ dicti extranei ex ſe promittunt, cum non teneatur ipſis reſpondere.

36. Si filius abſens, vel infans, poſtea fiat præſens, vel ſeptennis, quando ab iiſdem Parentibus ediſcet promiſſionem pro ipſo factam de ipſius Matrimonio, & ipſe taceat, ſponſalia item init. Ita Coninch. *d.2. dub.3. num.39.* multo magis, ſi ratificet per verba, vel per cohabitationem, vel per oſcula, & amplexus, vel per viſitationem, vel per appellationem Sponſæ, vel per ſimilia, ſic enim eſt clara ſponſalium approbatio, quod etiam definitur in Iure, *C. unic. de Deſponſ. Impub. in 6.*

## §. IV. *Non neceſſariò aliis manifeſta.*

1. IN hoc, inter alia multa, matrimonium differt à ſponſalibus, quod poſt Tridentinum, Matrimonium invalidè initur, niſi ineatur publicè, hoc eſt, coram Parocho, & Teſtibus, id, quod dicitur iniri Matrimonium in facie Eccleſiæ: at non, ſic ſponſalia; ad horum enim valorem ſatis eſt, ſi ſoli Sponſi inter ſe mutuam promiſſionem exhibeant. Quare ſponſalia clandeſtina, & valida ſunt, & niſi aliud mali immiſceatur, licita, ut declaravit Sacra Congregatio apud Pa[illegible] lium, & Hurtadum, *l.c. diff.16. n.69.* Dixerunt *dentini* (ait Sacra Congregatio) *quod ſponſ[illegible] nium ſint coram Parocho, & Teſtibus, non habet ſponſalibus.*

2. Portò dubitabis: An Matrimonium ſ[illegible] deſtinum, quod eſt invalidum, ut Matrimonium tamen valida ſponſalia, & ſic, qui, abſente Paro Teſtibus, Matrimonium contraxit, obligetur gitimè contrahere, quaſi tunc ſponſalia contrax

3. Reſpondeo. Vel agimus de Matrimonio no contracto ab Impuberibus, vel à Puberibus: tas acquiritur à viro, decimo quarto anno à fœmina, duodecimo item completo.

4. De priore non eſt controverſia. Sicut enim docemus, Matrimonium clandeſtinum, ut etiam cum, ſi contrahatur inter dictos Impuberes nullum tum ratione impubertatis, quia tunc non ſunt Matrimonium: tum ratione clandeſtinitatis, quia Tridentinum, *ſeſſ.24. cap.1. de matr.* Matrimonium deſtinum irritum eſt & nullum: eodem modo con chez *lib.1. matrim. d.21. n.5.* docemus omnes Matrimonium eſſe, in ratione ſponſalium, valid impuberes, qui clandeſtinè invalidum Matrim contraxerint, tamen contraxerint vera ſponſalia reſultaverit impedimentum publicæ honeſtitis eſt, quia ejuſmodi Matrimonium obligare ad ſ definivit *Caput finale de Deſponſ. Impuberum & cum*; §. *Idem quoque eodem n.6.* & ratio definitio quia quando actus includitur in eo, quod fit, fi let eo pacto, quo fit, valet meliori modo, quo At ſponſalia ſatis manifeſtè includuntur in eo co clandeſtino. „Cum igitur ex alia parte Tridentinum lum annullaverit Matrimonium clandeſtinum, Clandeſtina ſponſalia, ſequitur, ea eſſe valida. niſi prædicti expreſsè exclueſſent ſponſalia, ut ſi ſent, *Contrahimus Matrimonium, quod ſi matrimonium valet, nolumus nos obligare ad ſponſalia*, nam tunc ſalia incluſa nequaquam fuiſſent in illo clandeſtino trimonio.

5. De poſteriori celebris eſt, & vulgata quæſtio matrimonium clandeſtinum inter puberes, cum non leat poſt Tridentinum; ut matrimonium, valet gérque, ſit ſponſalia, ſicuti modo diximus de clan ſtino inter puberes.

6. Negat Sanch. *l.c. diſp.20.* eumque ſequitur Diana Diana *p.3. tract.4. reſ.258.* Becanus, Navarr. alique Averſam, *loco mox citando, V. Si autem.* Innitur in Tridentini verbis. *Ad ſic*, id eſt clandeſtine *dum eos Sancta Synodus omnino inhabiles reddit.* S eſſent habiles (ait Sanchez) ad ſponſalia, non omnino inhabiles. Confirmat, nam tunc ſolum, ſi non valet, ut agitur, valet meliori modo, quando eſt defectus ex parte cauſæ efficientis, matrimonio impuberum; at quando eſt defectus efficientis, & formæ, ut eſt in caſu noſtro, ut di dentinum inhabiles reddit illas perſonas, & requ blicitatem illam, tanquam formam, corroit omn tus actus; vndè, quia ejuſmodi actui reſiſtit lex Tri tini, non poteſt ex illo oriri obligatio ſponſalium.

7. Præter citatos, hanc etiam ſententiam ſeq Boſſius, *de matr. cap.1. §.7.* citans pro eo 35. Dic addens, non poſſe hoc matrimonium, etiam ſi fuerit, & etiamſi acceſſerit poſtea copula, poſtea ſponſalia, quia illud totum, quantum, quantum eſt, actus nullus ex Tridentino? ex actu autem nullo procedere poteſt effectus.

8. Nihilominus Averſ. *q.8. ſect.3. V. Vi detur* citans ſe Navarr. & præterea Cordubam, Coninch. Lay Rebellium, (quibus adde alios apud Boſſium, *l.c.* tes declarationem Sacræ Congregationis) ait valere tem, ut ſponſalia, æquè prorſus, ac valet in impuberibus Ratio potiſſima eſt, quia fundamentum, quo innitur eſt Sanchez, non videtur ſolidum; nam Tridentinum

inhabiles omnino reddidit Fideles ad contrahendum matrimonium clandestinè, non verò sponsalia: scilicet non abstulit vim obligationis per modum sponsalium imbibitam in matrimonio clandestino, sed valorem dumtaxat matrimonii de præsenti. Ius ergo Tridentini resistit contractui clandestino, ut matrimonium est, non verò, ut est promissio sponsalium: Quare negandum est illud, quod assumit Sanch. in Confirmatione, nimirum, quod eæ personæ, tunc sunt inhabiles ad sponsalia, & quod tunc desit forma data à Tridentino, Tridentinum enim solum eas personas reddidit inhabiles, & eam formam dedit, pro matrimonio tantum, non pro sponsalibus in eo contractu inhibitis.

9. Prior ex dictis sententiis videtur probabilior; quia, dum absolutè loquitur Tridentinum, absolutè nullum totum actum quoad omnes partes quomodocunque imbibitas refellit, nihilominus posteriori probabilitatem suam ne denegemus.

10. Quod si clandestinè contrahentes habeant intentionem faciendi sponsalia, si non possint validum facere matrimonium, etiam Sanch. *loc. c. n.* 6. concedit, tunc fieri valida sponsalia, sed magis consequenter negat Bossius, *l. c.* quia sic contrahentes non promittunt sponsalia externis verbis, seu signis externis, sed solum internè, quod ex supra dictis ad validitatem non sufficit; verba enim illa clandestini Matrimonii, cum actum omninò nullum, ex sententia Sanchez, & ipsius Bossii, contineant, videntur non posse intentionem promittendi sponsalium legitimè significare.

§. V. *Absoluta sponsalia, & non conditionata. Remissivè.*

DE his agetur commodius cum de consensu ipsius contractus Matrimonii, Deo favente, infrà *Tr. 4. de Consensu c. 5.* disputabimus.

---

# CAPVT III.

## *Quis possit Sponsalia contrahere?*

HIc solum duo difficultatem habent, Primo, an possit quis in quacunque ætate. Secundo, an possit quis impedimento aliquo laborans, validè inire sponsalia.

### §. I. *Ætas, quandonam, irritat sponsalia.*

1. QVæstio potest esse Primo, de eo, qui septennium complevit, sed nondum est pubes. Secundo, de eo, qui illud non complevit.

*De eo qui septennium complevit.*

Dico Primo. Qui septennium complevit, quamvis nondum pubes, validè, & licitè sponsalia contrahit, si usu rationis est compos (nam impos rationis etiam septennio maior, non est aptus ad sponsalia, ut supra vidimus.) Ita Sanctus Thomas, *in 4. d. 27. q. 2. art. 2.* omnesque ferè Theologi, quidquid dicant Sylvest. *V. Matr. sec. q. 6. V. Sponsalia quæst. 3.* aliique perpauci, requirentes ad sponsalia eandem ætatem, quæ requiritur ad Matrimonium. Ratio nostræ doctrinæ est; quia licèt sit determinata ætas pro Matrimonio, pro quo iura requirunt pubertatem, scilicet duodecimum annum completum in fœmina; decimumquartum item completum in viro; tamen pro sponsalibus expressè conceditur sufficere, (*C. Lit. & C. Accessit. De desponsat. impub. & alibi*) tum pro fœminis, tum pro viris septennium completum. Hujus autem rei congruentia est; quia ad Matrimonium, quod ex se est indissolubile, maturiore opus est iudicio, quàm ad sponsalia, quæ rescindi ex multis causis possunt.

*De eo, qui septennium non complevit.*

2. Dico Secundo. Minor septennio carens usu rationis invalidè init sponsalia. Patet id ex dictis supra, *c. 2. §. 1. n. 2.* & habetur in iure, *C. unic. De Disp. impub. in* 6.

3. Dico tamen Tertio. Idem Minor septennio, si usu rationis polleat; etiam si cum usum per miraculum recepisset, validè, & licitè contrahit sponsalia. Hoc dictum magis est controversum, quàm præcedens; nam aliqui cum Aversa *q. 8. matr. sec. 7. V. Dicendum tamen*, requirunt, præter usum rationis, ætatem septennii completi; Aliqui apud Dianam, ut S. Th. *l. c. ad Septimum*, & apud eundem Aversam, Diana *p. 3. tr. 4. resol. 274.* præter dictum usum, requirunt ætatem, saltem proximam septennio. Sed nos cum Sanch. *lib. 1. matr. disp. 18. n. 14.* Pontio, *l. 12. c. 5.* & Leandro *de matr. d. 1. q. 28.* alios citans, requirimus usum solum rationis; fatemur tamen propter aliquos Textus; quos prædicti Doctores inducunt, ipsorum sententiam esse probabilem. Ratio nostra potissima est; quia, quando Ius sivè concedit, sivè præscribit pro sponsalibus septennium; Ideo præscribit; quia tunc præsumit in Sponsis usum rationis necessariæ ad illa contrahenda: prorsus sicuti, ideo præscribit ætatem pubertatis pro Matrimonio; quia tunc præsumit potentiam ad generandum; Si ergo iam habetur sufficiens usus rationis ante septennium, sufficienter Iura servabuntur, sicu i proportionaliter Iura, quæ requirunt pubertatem pro Matrimonio sufficienter servantur etiam ante pubertatem, quando ante illam constat, quod malitia suppleat ætatem, ut cum communi docet idem Sanch. *l. 7. matr. disp. 104. num. 5. & n. 15.*

4. Illud est notandum cum eodem. *lib. 1. matr. disp. 16. num. 10.* ante septennium non esse sponsalia, nisi appareat, & in foro externo, nisi probetur Sponsos esse compotes usus rationis, sed, post septennium completum, esse sponsalia; nisi appareat, seu probetur eos rationis non esse capaces. Ratio est, quia post septennium præsumitur usus rationis; antea vero præsumitur carentia usus rationis.

5. Dixi, validè & licitè; Et quidem, quod valide, iam probatum est, quod verò etiam licitè, probatur quia, si ex una parte ea sunt valida, ut vidimus; cum ex alia parte nullum ius sit in contrarium, non est, unde oriri debeat culpa, sive venialis, sive mortalis: & certè licèt à Pontio *lib. 7. matrim. c. 65. n. 3.* putetur inire Matrimonium ante pubertatem esse mortale, quod negat Sanchez *lib. 1. matrim. d. 17. n. 5. & 6.* (& intellige, quando initur exercendum post pubertatem) tamen utrique conveniunt, non esse peccatum sponsalia contrahere, ante septennium. Consonat in utroque dicto Leander *loc. c. quæst. 29. & quæst. 30.*

6. Dices, Qui pollens ratione sponsalia celebrat ante septennium, immo etiam post, sed ante pubertatem, potest deinde statim, ac pubertatem attigerit ex sua mera voluntate, illa dissolvere, ut mox dicemus, & docet Sanch. *lib. 1. disp. 51. n. 9. & 14.* ergo videtur illicitum esse, ea tunc contrahere. Probatur consequentia, quia Sponsis conceduntur ex probabili sententia oscula, & amplexus; at illicitum videtur, ipsis hæc concedi propter sponsalia, & deinde eosdem liberè eadem sponsalia posse dissolvere.

7. Respondeo cum Aversa, *q. 8. matrim. sec. 7. §. Ad Textum vero*, etiam ex voluntate utriusque possunt rescindi sponsalia inita inter puberes, ut infra videbimus. & tamen his eadem oscula, & amplexus conceduntur. Ergo argumentum hoc ab omnibus est dissolvendum. Dissolvi autem facile potest, quia inconveniens non est, ius osculandi tandiu durare, quandiù durant sponsalia, quibus rescissis, deperditur. & Ius: Sicuti durante contractu, v. g. census, adest Ius in Creditore exigendi pensionem, quo tamen rescisso, & Ius exigendi rescinditur.

§. II. *Impedimenta, quibus contrahentes forè laborant, an irritent ſponſalia?*

1. AN Titius, & Berta conſanguinei, antequam obtineant diſpenſationem, ſint habiles ad contrahenda validè ſponſalia? Quod eſt quærere, an impedimentis dirimentibus affecti à validitate ſponſalium repellantur, ſicuti repelluntur à validitate Matrimonii? Rurſus, An Antonius Voto ſimplici Caſtitatis aſtrictus, ſit aptus ad eadem contrahenda: quod eſt quærere, an impedimentis non dirimentibus laborantes, validè celebrent ſponſalia?

2. Dico Primo, cum Averſa *l.c.ſect.7. initio.* eſſe probabilius, Titium prædictum cum Berta eſſe ſecundum præſentem ſtatum inhabilem ad valorem ſponſalium. Probatur, quia non poteſt validè ſe quis obligare ad illud, quod ponere ex ſe non poteſt; ergo, qui non valet propter impedimentum dirimens (quod certè ipſe non poteſt ex ſe tollere) Matrimonium contrahere, nec promittere illud per ſponſalia valebit.

Dixi (ſecundum præſentem ſtatum,) propter ea, quæ mox addam *n.5.*

3. Dico Secundo, cum eodem *ibidem* & cum Sanch. *lib.1.de matr.d.46.n.3.* prædictum Antonium non poſſe validè ſponſalia, nec Matrimonium promittere. Ratio eſt, quia promiſſio etiam iurata faciendi rem malam non obligat, undè non eſt vera promiſſio, atque adeo, nec ſponſalia. At Antonius Voto dicto ligatus, promitteret, per ſponſalia violare Votum Caſtitatis: ergo: &c.

4. Hinc colligis, reſpectu ſponſalium omnia impedimenta eſſe dirimentia, quia ex diverſa via, altera explicata *n.2.* altera, *n.3.* ſponſalium promiſſio irrita redditur. Non ſic quoad Matrimonium ipſum: nam dirimentia reddunt omninò nullum matrimonium, at ſolum impedientia non irritant matrimonium, ſed inducunt dumtaxat peccatum in contrahentibus. Et quidem hujus ſecundi generis eſt dictum Votum ſimplex Caſtitatis, ut ſuo loco explicatum eſt, cum de impedimentis Matrimonii eſt diſputatum.

5. Dico Tertio, cum G. Hurtad. *diſp.1.de matr.diff.21. Initio*, quæ hactenus diximus, hoc eſt, non fieri ab his impeditis vera ſponſalia, & peccati ea attentando, intelligi, ſi promiſſio referatur ad quodcunque tempus, quo durat impedimentum, vel etiam, ut colligo ex Sanch. *l.5. matr.d.5.n.26.* ſi promiſſio ab impedito fiat, abſolutè, nam tunc promiſſio videtur referri ad quodcunque tempus. At dico, valida fieri, & (ut idem Sanch. *n.16.* notat) etiam licita, ſi referantur ad tempus, quo ceſſabit impedimentum, ut ſi quis conſanguineus ſic promittat conſanguineæ: *Nunc ſpondeo tibi futuras Nuptias, celebrandas poſt obtentam diſpenſationem*: quo pacto certè ſenſus eſt conditionatus, hoc modo: *Spondeo ſi Pontifex diſpenſaverit.* Ratio hujus doctrinæ eſt, quia pro illo priori tempore viget inhabilitas, & impedimentum perſonæ, undè, & peccati radix, ſi pro illo tempore promittas, non verò pro poſteriore.

6. Hæc autem vera ſponſalia, non ſunt vera, pro tempore antè obtentam diſpenſationem, pro eo enim tempore, cum adhuc non ſit poſita conditio, deficit perfectus, & abſolutus conſenſus, qui eſt omnino neceſſarius ad quemcumque contractum; ſed ſunt vera poſt conditionem adimpletam, putà poſt diſpenſationem impetratam; quia tunc ſi nihil obſtet, purificata iam conditione, abſolutus, (ſaltem ex probabili ſententia mox *n.9.* dicenda) redditur conſenſus.

7. Hinc ſit, ut antea, nec iudicatur impedimentum publicæ honeſtatis (ut habetur in Textu *cap.1.de ſponſ. in 6.* de qua re vide Sanch. *l.c.n.12. fine*, & apud Dianam *p.11.tr.2.reſol.68.* nec concedantur oſcula, & amplexus Sponſis, ut ibidem *n.38.* notat Sanch. quia pro illo tempore verè Sponſi non ſunt.

8. Dices. At cur hæc oſcula conceſſimus §. *præced. n.5.* Sponſis impuberibus, ſeu certè ſuppoſuimus, ut etiam cur diximus, in ipſis oriri impedimentum publicæ honeſtatis, cum tamen pro eo tempore ſint habiles ad Matrimonium?

9. Reſpondeo Quia illi non ſunt inhabiles ad ſponſalia, etiam pro illo tempore, eos enim ad ſponſalia admittunt, Sacri Canones, ut ibi videmus, & habetur ex ipſis Sanch. *l.1.matr.diſp.16.c.2.* at impedimenta de quibus nunc loquimur, Eccleſia, nec ad matrimonium admittit, nec ad ſponſalia.

*Sponſalia invalida ob impedimentum, an indigeant conſenſu poſt diſpenſationem?*

10. Inquires. Obtenta diſpenſatione, ſeu ſublato impedimento, ſtatim ne ſine alio novo conſenſu, vel ſaltem ſine nova ratificatione, valida ſunt dicta ſponſalia, an requiritur novus conſenſus, vel ratificatio?

11. Reſpondeo Celebris eſt de hac re, & vtrinque pius diſputata quæſtio. Alii cum Sanch. *l.5.matr.d.* *n.24.* & cum Paſqualigo *deciſ.506.* innumeros citantes requirunt novum conſenſum, ſeu ratificationem. Alii aiunt, ſponſus, poſt impetratam diſpenſationem non poſſe reſilire, quia, ea habita, ſtatim conſolidatur, & abſoluta evadunt ſponſalia, atque adeo obligant. Alii verò cum Sacra Rota multos citante apud Dian. *à calce libri, deciſ.2.* requirunt novum conſenſum, vel ratificatiocem. Quare, ſi Sponſi nollent ratificare, poſſent reſilire, quia, antea per hos Auctores, erant invalidi modi ſponſalia, cum fuerint inter inhabiles; ergo poſt diſpenſationem debent iterum celebrari, ut ſint valida: ſecus in ſua invaliditate remanebunt.

Vtramque ſententiam probabilem judico, ut inter fuſius, cùm de ſimili quæſtione circa ipſum Matrimonium agemus, infra *tr.4.de conſenſu c.5 §.4.* ubi expenditur.

## CAPVT IV.

### *De quibuſdam pactis, quæ ſolent apponi ſponſalibus.*

1. PRimum pactum eſſe poteſt ejuſmodi: *Si Sponſis recedat à Matrimonio, ſibi non interuenturi cri ceſſantis, vel damni emergentis, quod alteri ratietur ex receſſu?*

Reſpondeo, hoc pactum eſſe legitimum: hæc mulcta non eſt pœna apposita ſponſalibus, quam ſupra, §. rejecimus, ſed debitum juſtitiæ, & etiam, præcio reſarciendum, quare, tametſi videatur aliquatenus violari libertas Matrimonii, tamen cum id imbibat in natura cujuſlibet contractus; atque adeo in contractu ſponſalium, nihil contra allatam reſponſionem.

2. Secundum pactum. *Promitto, te ducere cum ut parentes, vel conſanguinei tui, ſub pœna ſolvendi tum aureos, curent ut in Matrimonium te ipſa contrahas.*

Reſpondeo, pactum eſſe legitimum; quia ſic parentes & conſanguinei ſolum obligantur, curare, ut fiat Matrimonium; quod (ſi aliud non addatur, ideſt ſine minis & violentia fiat) curare poſſunt ſine læſione libertatis, ad quod dumtaxat citandum, obligentur ex promiſſione, vt notat Sanch. *lib.1.matr.diſp.30.n.*

3. Tertium pactum. *Si mecum contrahas Matrimonium, donabo tibi centum, ſecus nequaquam donabo.*

Reſpondeo cum neceſſaria diſtinctione. Si ſimplex pactum apponitur causâ libidinis, idque conſtat, illud pactum eſt, & reiicitur à lege, *L. Si ita ſtipulatus, huius* timum eſt, & reiicitur à lege, *Verb. obligat. & alibi.* Si verò (ut ſolet communiter fieri) adſit cauſa juſta, ut ſi fiat dotis nomine, vel ad compenſandum nobilitatem, vel juventutem, vel pulchritudinem, &c. legitimum eſt, & appobatur *C. de illis de quæ apposuis*, de illis lege Sanch. *l.c.diſp.33. & 34.* ubi multa habes de hoc pacto, quod etiam clarè expendit Caſtrop. *d.1.de ſponſ.p.10. & 11.*

4. Quæritur

4. Quartum pactum. *Tecum contraham si tu cohabitare mecum in meo v.g. oppido, nec alio commigrare, promittas.* Quid si addatur, *sub pœna solvendi centum?* Respondeo, legitimum esse pactum, etiam, de habitatione perpetua, alioque teneri coniuges, sequuto Matrimonio, nam voluntariè acceptari potest & ex alio capite nullam continet iniustitiam. Ita Sanch. *l.1. matr. disp.40.* Pont. *l.12.c.20.n.8.* Diana *p.3.tr.4.res.212.* Laym. *l.5.tr.10.p.3. c.2.n.5.* Castrop. *l.c.p.15.§.2.n.4.* aliique. Quare, si vir, v.g. nollet deinde pactum observare, non tenetur eum sequi uxor, & è contra. Pœna autem illa solvenda erit, quia non est pœna apposita pro sponsalibus adimplendis, quam supra reiecimus, sed pro prædicta habitationis securitate. Ita Aversa *q.22. de matr. sect.3. V. Octavo.* Intelligè autem semper, modo non adsit rationabilis causa recedendi: puta sanitas, capitales inimicitiæ, & similes, nam tunc cum non adsit culpa, nec pœnam subire debebit coniux recedens, & obligabitur alter eum sequi.

5. Hinc enascitur sequens difficultas. Petrus, & Berta sponsalia sine ullo ejusmodi pacto contraxerunt, mox Petrus rogat, vel cogit Sponsam, ut secum abeat in aliam regionem: obligaturne Sponsa illum sequi?

Respondeo, non obligari, & si Petrus discedat, solvi iustè, & licitè sponsalia, etiam iurata à Sponsa posse; quia quamvis vxor, modo infrà *tract.7. de oblig.c.1.§.1.* explicando, obligetur sequi virum, non tamen Sponsa Sponsum. Ita Aversa *q.8. sect.11. V. Quarto. similiter.* Petrus verò peccabit, vel non peccabit, prout vera, & sufficiens causa illam excusabit, vel non excusabit ab ejusmodi discessu.

6. Sed quid Iuris, si nullo ejusmodi præcedente pacto, ineatur Matrimonium, semperne coniuges mutuo se debent sequi aliò commigrantes? Respondeo, de hac re infra dicam, *tract.7. de oblig.c.1.§.1. à n.7.*

---

# CAPVT V.

## *De Dissolutione Sponsalium.*

Ad octo capita reduco causas, ex quibus quæri solet, an dissolvere sponsalia sine culpa quis possit, quas iam suis paragraphis explicandas aggredior.

### PRIMA CAVSA.

### §. I. *Mutuus Consensus.*

#### *Inter puberes.*

1. Sponsalia à puberibus contracta, etiam iurata, licitè dissolvuntur mutuo, sed certè liberò, & non coacto consensu, quo uterque velit à sponsalibus discedere, idque etiam si in honorem Dei per votum illa fuerint inita, ut si quis, voto addito, pauperem desponsaverit. Ratio est, quia semper intelligitur factum ejusmodi Votum sub conditione, *si altera pars velit.* Ita Sanctus Thomas, *in 4.d.27.art.3.n.5.* & communiter.

2. Quare, si quis ex Sponsis, quamvis cum peccato, recedat à sponsalibus, poterit licitè alter si velit, & ipse ex se, sine officio Iudicis, resilire. Ratio est, quia iam sic sponsalium dissolutio erit ex mutuo consensu, licitè autem hic alter recedet, quia in Textu *L. Cum proponens C. De pactis*, merito dicitur, *Frangenti fidem servanda fides non est.*

3. Dictus autem recessus à sponsalibus duplici modo exhiberi potest. Primo, explicitè, quando scilicet quis expressis verbis negat, velle ad matrimonium procedere, & de hoc dictum est hactenus. Potest Secundo implicitè, & interpretativè, quando scilicet, ita se gerit Sponsus, ut facto ipso, sponsalia recusare censeatur, & certè e iam tunc poterit relictus abluere, & sic sponsalia dissolvere.

4. Hoc implicito modo recedit quis, vel ob nimiam dilationem, vel ob profectionem in regionem aliam, de quibus sigillatim est differendum.

Quoad dilationem, qui differt inire matrimonium ultra terminum, qui fortè præfixus fuit (nam si præfixus non fuerit, dicam mox *num.6.*) censetur à sponsalibus resilire. Id, quod, ut explicatius habeas, fac, sic contracta fuisse sponsalia; *Spondemus intra annum inire matrimonium*, elabatur autem annus, nec alter è Sponsis compareat ad Matrimonium celebrandum, inquiro, an statim primo die, immo prima hora post annum: iudicandus hic sit, plus iusto differre, atque adeo licitum sit alteri recedere, & sponsalia dissolvere?

5. Affirmativè respondet cum Sancto Thomas *loc.cit.* communis opinio, & colligitur ex Sacro Textu. *Ex c. Sicuti de sponsal.* ubi cum iubeatur quidam puniri, qui, relictis prioribus sponsalibus, evolavit ad aliud Matrimonium, additur, nisi forsan terminum præfixerit, nec per eum steterit, quin ad præfixum terminum Matrimonium consummaverit. Quam decisionem adeo strictè excipit Coninch. *disp.23. dub.6.n.47.* ut etiam si iustam causam alter habuerit differendi, adhuc doceat, alterum posse licitè resilire, & dissolvere sponsalia. Verum nec illam communis opinionis doctrinam indistinctè reciperem, nec huic strictæ acceptioni acquiescerem; putarem enim, Primo, duos, vel tres, seu certè paucos dies (ubi aliud incommodum non apparet) non afferre dilationem plus iusto, quia communiter (nisi aliud expressum ex pacto fuerit) præfixio ejusmodi termini in re nostra, ut in similibus commercijs humanis, non intelligitur cum tanto rigore, ut pauci dies contumacem hominem reddant. Putarem Secundo, contra Coninch, id multo magis esse, si addatur causa rationabilis differendi, tunc enim æquitas vult, ut relictus non sit adeo rigorosus, ut modicam dilationem habeat pro contumacia. Expensis ergo damno, vel molestia, vel periculo incontinentiæ alterius, ac necessitate, qua vrgetur, qui differt, & similibus, iudicet prudens, an sit notabilis dilatio, & quidem in utroque foro. In dubio autem recurratur ad Iudicem modo mox dicendo *n.10.*

6. Quod si terminus nullus præfixus (in quo casu, ut supra diximus, celebrandum est Matrimonium, quam primum sine magno incommodo potest, præsertim altero inquirente) difficilius est, dignoscere, quantum temporis spatium sit expectandum, ut plus iusto longior existimetur dilatio.

7. Dico nihilominus pari modo, ac dictum est *num.5. fine*, id esse omnibus expensis diiudicandum; quare licèt biennium nõ censeatur nimiũ à lege, *L. Si Is. C. de Sponsa.* immo, nec *C. Sicut. de Sponsa.* quinquennium, quia tunc fortasse ex circumstantiis eo tempore præsentibus ita iudicari potuit, tamen multo minus spatium regulariter sufficiens erit, quod ut dixi, à viro prudenti singula considerante decernatur. Lege Sanch Layman, Rebellium, Gurtieres, aliosque cit à Castrop. *disp.1. de sponsal. p.23.*

8. Quoad profectionem in regionem aliam. Qui ex Sponsis aliò commigrat, diuque abest à loco, ubi Matrimonium erat contrahendum, renunciare præsumitur, imò facto ipso renunciat sponsalibus; nam propterea alterum à promissione, etiam iurata, liberat: qui sic liberatus poterit ex se sine Iudicis officio, liberè, ad alias Nuptias se convertere.

9. Sed quænam temporis diuturnitas ad hoc sufficiet, ut nimirum profectio prædicta ita longa existimetur, ut contumaciam importet?

Respondeo. Lex Civilis, *L.2. C. de Except.* significat, non sufficere minus triennio, & *L.2. de sponsa.* non sufficere minus biennio: sed standum est Legi Canonicæ. *C. de Illis sponsa.* & quidem in utroque foro, quæ absolutè concedit Sponsæ, posse dissolvere sponsalia, quando alter Sponsus aliò se confert, his verbis; *De illis, qui promittunt se mulieres ducturos, & postea dimittunt terram, se in partes alias transferentes, &c. liberum erit mulieribus ad alteras se Vota transferre.*

10. Verùm adhuc vrgeo, & inquiro, quodnam tempus requiritur, ut terram quis dimisisse censeatur? Respondeo, id, non alio modo, cognosci posse, quàm ex iisdem

vel ſimilibus circumſtantiis, quas modo diximus *num.* 5. In dubio autem recurratur ad Iudicem, cujus auctoritate cauſa diſſolvendi ſponſalia definiatur; & certè prudenter muneri Iudex ſatisfaciet ſuo, ſi abſentem Sponſum, vel Sponſam (in hoc enim ſunt pares licèt Canones communiter loquantur de maribus, qui falcius aliò proficiſci ſolent) per internuncium quando poteſt, moneat, & minumque competentem præſcribat, quo elapſo, libera pronuncietur Sponſa, vel Sponſus.

*Inter Impuberes.*

11. Atque hæc de ſponſalibus contractis à puberibus. At, ſi qui impuberes, modo ſupra explicato, ſponſalia iniverint, non poſſunt, etiam mutuo conſenſu ea diſſolvere, dum ſunt impuberes. Ita definivit Sacer Textus, *C. de illis & C. à nob. de ſponſ. impub.* Sanch. fusè *lib.* 1. *matr. d.* 51. Ratio autem definitionis fuit, ne in eo infirmæ ætatis debili iudicio imprudens eſſet mutatio. Quando tamen, quilibet ex ipſis attingit pubertatem, poteſt validè, & licitè ſtatim diſſentire & ſic diſſolvere ſponſalia, ita ut, quamvis alter, ſive pervenerit, ſive non pervenerit ad pubertatem velit in ſponſalibus perſiſtere, tamen iam diſſoluta ea omnino in utroque foro ſint. Ita decidit in Textibus citatis. Ratio autem Deciſionis fuit, quia ſponſalia impuberum, cum ſint inita in ea debili ætate, non debent eſſe adeo firma, ut ad eorum diſſolutionem, non ſufficiat alteruttius diſſenſus, maturo, ideſt pubertatis tempore habitus.

12. Dixi (*ſtatim*) nam ſecus approbare videbuntur ſponſalia; niſi ducatur excuſatio ab inadvertentia, vel ignorantia, vel bona fide, qua quis credat, ſe poſſe ex intervallo diſſentire. Ita Averſa *quæſt.* 8. *de ſponſal ſect. V. Notant.*

13. Dixi iterum (*ſtatim*) quod eſt morali modo ſumendum; ita ut ejuſmodi diſſenſus validè, & licitè exhiberi poſſit intra tres dies ante, vel poſt pubertatis ætatem, ut idem *ibidem* notat, & meritò, id enim dicitur in iure fieri ſtatim, quod intra triduum fit, (niſi tamen, ut ego interpretor, aliqua vrgeat circumſtantia, vel negotii qualitas contrarium perſuadens) ita iure, illud (*inconti. nenter*) explicatur triduo, vide *L. Fin. de Errore Advocati*, & illud (*illico*) explicatur *L. Fin. C. de Iudiciis*, infra triduum. ut docent Canoniſtæ *in C. de illis modo citato*, notatque Mandoſius, *de Monit.* dicens ſtatim aliquod probari, quod infra tres dies probatur.

14. Quid ſi pubes contraxerit cum impubere, & Sponſus impubes perveniens ad pubertatem approbaverit ſponſalia, poteritne pubes, ſe ſolo, diſſolvere ſponſalia? Reſpondeo, non poſſe, quia hæc facultas valendi. ſe ſolo, ea diſſolvere conceſſa eſt, dumtaxat impuberi non approbanti ſponſalia, quando attingit pubertatem, ut iam dictum eſt ſatis, non vero puberi.

15. Quod ſi ſponſalia contracta fuerint ante ſeptennium, idque ante uſum rationis, cum irrita ſint ipſo iure, nec ullam obligationem inducant, nullius conſenſu indigent, ut diſſolvantur.

16. Denique, quando dicimus impuberem, cum pervenerit ad pubertatem, licitè reſilire poſſe à ſponſalibus, quæri poteſt, an comprehendamus caſum, quo impuberes dicti interpoſuerunt ſuis ſponſalibus iuramentum?

17. Reſpondeo. Sanch. *lib.* 2. *matr. d.* 51. *n.* 22. aliique citati à Caſtrop. *d.* 1. *de ſponſal. q.* 17. *n.* 8. aiunt, non comprehendi, quare tunc non poſſe eos licitè ſine mutuo conſenſu à promiſſo matrimonio recedere. Pontius autem *l.* 12. *c.* 9. *n.* 7. quem ſequitur cum aliis idem Caſtrop. *n.* 9. aſſerit, comprehendi; atque adeò licitè poſſe reſilire, ac ſi iuramentum non adfuiſſet, id, quod probabile eſſe idem Sanch ingenuè fatetur.

18. Hanc poſteriorem ſententiam probabiliorem pronuncio, quia ius, *C. Ex lit. de ſponſal.* in quo fundatur ſententia prior id clare non decernit, & ex alia parte, alibi dictum eſt, & omnes ex aliis Iuribus *C. Quemadmodum de iure iurando*, *L. fin. C. de non numer. pecun.* docent, iuramentum ſequi naturam actus cui adhæret, & iure contrarium diſpoſitum fuerit. Cum ergo ſponſalia impuberum ſint irritabilia, etiam per unum ex ſponſum qui pubertatem attingit, ejuſmodi etiam erit iuramentum illis adhærens.

## SECVNDA CAVSA.

### §. II. *Religionis ingreſſus.*

Vbi

### DE EIVSDEM VOTO.

1. Hic, alterum eſt certum, ſub controverſia rum. Certum eſt & Definitur *cap.* 2. *De Conuiugat.* diſſolvi ritè, & licitè ſponſalia per ſolemnem profeſſionem Religioſam, ſicuti, ut infra dicemus, trimonium ratum. Et ratio valdè congrua eſt, quia cui que reli- qui facultas aſſumendi ſtatum Religioqui ſingularem continet ſtatus Excellentiam. Ideo erit, ut notat G. Hurt. *diſp.* 1. *de matrim. diff.* 8. vota biennii Societatis Ieſu, quæ verum Religioefficiunt, & poſt Bullam Gregorii XIII. *Dominus*, irritant Matrimonium, quod forte poſt contraheretur, non autem per ea biennii vota Matrimonium ratum, quamvis hoc dirimatur à profeſſione, infra explicabimus *tract.* 9. *cap.* 6. 2.

2. Quid ſi prædictis ſponſalibus additus fuit mentum? Reſpondeo, Idem forte dicendum, modo diximus, iuramentum ſequitur naturam actus adhæret, & ita tenet Sanch, Coninch. Pontius Caſtropalao *diſp.* 1. *de ſponſ. part.* 16. *n.* 5. quibus Hurt. *d.* 1. *de matr. diff.* 5. *n.* 17.

Non igitur aſſentior Rebellio, aliſque citatis Averſ. *q.* 7. *de ſponſ. ſect.* 12. *Verſ. Secundo*, dicentibus obligationem imò, nec Scoto apud eoſdem dicentem conſilium, ſi prædictus, qui ſponſalia iuravit, procedat ad Matrimonium, ut ſic ſervet iuramentum, nam dum inquit, antequam illum conſummet, Religionem gredi poterit, non, inquam, aſſentior, quia ſic crimen actum ageret, animum habens Matrimonium ſerendi. Præterquam quod Sponſam decipere, quæ nunquam Matrimonium contraheret cum alio, ſine animum habenti.

3. Quando Religionis electionem concedimus Sponſis, ſemper excipimus, modo alteri ex Sponſis interſit Matrimonium celebrari: puta, ſi neceſſarium Matrimonium ad honorem Sponſæ à te forte coactum & ad legitimandam prolem forte natam, &c. ſed hoc non eſt ex vi ſponſalium, eſt enim ex vi dammodolatorum, &c.

*Ingreſſus in Novitiatum.*

4. Alterum, quod controvertitur eſt, an id non lum concedatur ſolemni profeſſioni, ſed etiam ingreſſui in Novitiatum? Reſpondeo. Plures ut Sanch *matr. diſp.* 42. aliique apud Caſtrop *d.* 1. *de ſponſ.* æquè concedunt. Plures tamen apud Caſtrop. *l. c.* cedere omnino renuunt.

5. Sed verius, & probabilius ſic diſtingue, cum Caſtrop. *l. c. n.* 4. Vel loquimur de eo qui manet in ſæculo de hoc dicito, liberum manere à ſponſalibus; ac poſſe velit ad aliud Matrimonium ſe convertere. Ratio quia alter, dum Novitiatum ingreditur, recedit à ſponſalibus; ergo, ſi alter etiam & ipſe recedat, iam mutuo conſenſu erunt ſponſalia diſſoluta; Quod ſi ille ſine mutuo non cum animo profitendi ad Novitiatú ſe contulit, huc is qui remanet in ſæculo, poterit licitè recedere, in ſponſalibus ſemper imbibitur, ut mox dicemus, tio, niſi res ſint notabiliter mutatæ. At per dictum ingreſſum mutatæ ſunt nimis manifeſtè res. Primò, Sponſa v. g. quæ remanet in ſæculo, deberet expoſ-

finem Novitiatus alterius. Secundò, deberet, nubere ei, qui Monachus fuit. Tertiò, deberet nubere ei, qui illam despexit, dum per fictum ingressum eam deserere voluit.

6. Vel loquimur de eo, qui Novitiatum assumpsit, & de hoc dicitur, quamvis licitè ingrediatur, tamen ipsum non esse liberum absolutè a sponsalibus, sed si fortè egrediatur ante professionem, debere observare promissionem datam alteri, si alter velit. Ratio potissima, præter cæteras, est, quia ingressus in Novitiatum non soluit sponsalia ex sui natura, cum novitius possit egredi, & sponsalia adimplere. Neque ex jure positivo: illud enim, quod modo dixi, concedi à jure professionis non potest extendi ad Novitiatum, tum quia, quæ pendent à jure positivo non possunt extendi de casu in casum; tum quia disparitas est manifesta, nam professio constituit statum perpetuum; quod non constituit Novitiatus.

*Votum assumendi Religionem.*

7. Inquires. Si professio Religiosa dissoluit sponsalia, dissoluitne etiam Votum simplex eandem assumendi?

Respondeo, cum distinctione, quæ consequitur ex dictis. Vel enim est sermo, An licitè ejusmodi Votum emittatur à Sponsis, & Aio, licitè emitti, quia sicuti licitum est Sponso profiteri in religione, ita, & illam vovere, præscindendo ab aliquibus circumstantiis, quæ illud inficerent, qualis esset, fuisse à Sponso Sponsam violatam, de quibus *lib. 7. in Dec. c. 5. §. 3. à n. 33.* dictum est id, quod ego iterum, iterúmque monere soleo. Vide *mox §. 4. n. 8.*

Vel sermo est, An eo ipso dissoluantur sponsalia: & Aio, licet alter, qui non vovit, possit, si velit, recedere à sponsalibus, quia, ut modo in simili diximus, alter per prædictum Votum jam renunciat Matrimonio, atque adeo nunc pro dissolutione jam mutuus consensus adest; Tamen, non eo ipso consurgeret dissolutio: Nam si is, qui Religionem vovit, in nulla fortè ex Religionibus admittatur, seu quoquo modo à Religione liber egrediatur, debebit stare initis sponsalibus, si alter, qui remansit in sæculo, sic velit. Ratio est eadem, quam modo dixi de Novitiatu, quia Votum prædictum, nec ex natura sua habet sponsalia dissoluere, neque ex jure Ecclesiastico: cum nullibi in jure hoc privilegium ejusmodi Voto concedatur. Ita Castr. *l. c. p. 20 n. 6.*

8. Quæres. Si quis vovisset Religionem assumere, ut etiamsi quis vovisset ordinari in Sacris, & deinde contraheret sponsalia, validáne essent hæc sponsalia, & ad illa tenereturne, is, qui vovit?

Respondeo. Nec valida erunt, nec ad illa tenebitur, etiamsi illa jurasset, quia tunc, sponsalia subsequentia vorum, sunt de re illicita. Si tamen præter dicta sponsalia intercessisset defloratio; vel quid simile, alia prorsus esset ratio, de qua ego *l. 7. in Dec. c. 5. §. 3. à num. 34.* plenè differui.

## TERTIA CAVSA.

### §. III. *Ordo Sacer.*

1. POsito, quod Ordinem Sacrum susceperis, non est dubium sponsalia remanere dissoluta, quia jam assumptus est status Matrimonio insociabilis. Ordinem Sacrum dixi, per Minores enim ea non dissolui, cum illi statum Nuptiis incompatibilem non constituant, certum est. At controversia esse potest, an eundem Ordinem Sacrum Sponsus licitè possit, inita Sponsa, suscipere?

Respondeo licitè, ex Pontio, Layman. aliisque citatis à Castropalao *lor. cit. part. 19.* & ex Diana, aliisque, quos citat, sequitur Aversa, *quæst. 7. de sponsal. sect. 12. Vers. Dici tamen.* Ratio est, aiunt, quia etiam status, quem affert Ordo Sacer est admodum perfectus, & statui Religioso æquipollens. Sed illicitè ex Sanch. Conninch. Rebellio, Castropalao eos *ibidem* citante, quibus adde Gasp. Hurt. *d. 2. de matr. diff. 4.* Ratio est, inquiunt, quia Ordini Sacro, tametsi perfectum certè statum vicendi is contineat, non conceditur à jure sponsalia dirimere, cum è contra statui Religioso, propter ejus peculiarem; singularémque perfectionem, id concedatur in supradicto Textu, *c. 2. de conversione coniug.*

Vtraque sententia sua probabilitate non caret.

*Votum assumendi Ordines Sacros.*

2. Quid de Voto assumendi Ordines Sacros? Respondeo. Si Votum fuerit emissum ante sponsalia jam modo §. 2. n. 8. dixi, si vero postea, allati Doctores *num. præced.* cum Pontio, & Layman. consequenter dicent, & quidem probabiliter ejusmodi Votum licitè emitti à Sponsis, & debere ab iisdem observari, & per illud eodem modo dissolui sponsalia, quo *ibidem num. 7.* diximus de Voto ingrediendi Religionem. At verò Doctores *eodem num. præced.* allati cum Sanch. & Castrop. *cap. 20. num. 2.* consequenter, & item probabiliter, docebunt illicitè emitti; vnde illud non acceptari à Deo, nec per illud dissolui sponsalia. Ratio vtriusque sententiæ est, quia cum priori concedat licitè dissolui sponsalia per ipsum Ordinem Sacrum, licitè etiam concedet per ejus Votum, cum verò posterior neget id Ordini Sacro, negabit etiam ejus Votum.

3. Gasp. Hurtadus *loc. cit.* ait, etiam in hac sententia posteriori, mortua vxore, debere Sponsum suscipere Ordines ad observandum Votum, quod non potuit tempore vitæ vxoris adimplere; Sed est distinguendum. Si enim vovit suscipere Ordines pro tempore, quo fortè supervivet vxori, obligatur, ut in simili dicam *infra §. 5. num. 22.* quia sic promissum Votum est de re bona; At si promisit absolutè pro omni tempore, cum Votum sit de mala, Votum non subsistit, quia in hac sententia sit contra jus Sponsæ, atque adeo nunquam obligare poterit.

## QVARTA CAVSA.

### §. IV. *Votum simplex Castitatis, seu Cœlibatus.*

1. ASsero Primò, probabile esse per Votum simplex Castitatis, seu Cœlibatus post sponsalia emissum dissolui ex vtraque parte sponsalia, & illud licitè emitti ab altero ex Sponsis, etiam altero renuente. Ita docent plerique cum Aversa. ut S. Thom. Vasq. Suar. Bonacin. Pontius quos citat, sequiturque Aversa *loc. cit. V. Sed dicendum.* Ratio est, inquiunt, quia per ejusmodi Votum assumit quis statum, validè perfectum, & Deo gratum cum eidem Deo se illi offert: sicuti quamvis perfectiore modo facit is, qui se dicat Deo per professionem religiosam.

2. Moneo autem, hanc sententiam, habere locum in foro conscientiæ tantum, nam in foro externo quis Iudex credat, te verè ob Votum simplex Castitatis sponsalia deserere?

3. Moneo item, habere locum in vero Voto facto ob cultum Dei, seu animæ salutem, secus, si ob odium Sponsæ, vel quid simile; tunc enim non esset Votum, ut alibi explicatur, cum disputatur de Voto.

4. Atque has duas monitiones habere debere etiam locum in præcedentibus Votis assumendi Religionem, vel Ordiem Sacrum, jam vides.

5. Assero Secundò, probabile item esse, illicitè, & invalidè emitti ejusmodi Votum Castitatis, seu cœlibatus post sponsalia, vnde per illud ea nequaquam dissolvi.

Ratio hujus probabilitatis est, quia non sufficit quæcunque perfectio operis ad tollendam obligationem Iustitiæ, qualis invenitur in sponsalibus, sed id debet in jure

concedi, ſeu declarari ab Eccleſia? Cum igitur videamus, id certò Eccleſiam conceſſiſſe profeſſioni Religioſæ, & conſequenter ejus Voto, Voto autem ſimplici Caſtitatis, id clarè conceſſiſſe non videamus, conſequenter dicimus, hoc Votum ejuſmodi prærogativa carere. Dixi, clarè, nam Textus *in c. vemens. Qui clerici vel vovemes*, quem inducunt Doctores allati *n.* 2. ſcilicet Leſſ. Laym. Sanch. aliíque apud Averſ. *l. c.* Alii apud Caſtrop. *loc. cit. part.* 20. *num.* 6. profectò aperte non loquitur, ut Caſtr. *l. c. n.* 5. expendit.

6. Ex priore ſententia ſequitur, Sponſum emittentem poſt ſponſalia hoc Votum, remanere liberum ab illis, ipſáque ſponſalia eſſe prorſus diſſoluta, atque adeo alterum Sponſum, qui Votum non emiſit, poſſe licitè, & validè alias Nuptias ſibi procurare.

7. Ex poſteriore verò ſequitur, ejuſmodi Sponſum non remanere liberum à ſponſalibus, debere procedere ad Matrimonium, ſi alter velit, ſponſaliáque ipſa non fuiſſe diſſoluta. Lege Caſtrop. qui advertit, hunc poſt Matrimonium reddere poſſe debitum, ſed non petere, & obligari ad petendam diſpenſationem, ne permaneat in periculo continuo incontinentiæ.

8. Ex iis ſententiis, elige quam mavis, modo advertas hæc dicta eſſe, præſcindendo ab alio damno. Nam, ſi copulam quis, v. g. à Sponſa habuit, imò à quacunque cum promiſſione Matrimonii, ſanè is, nec per ſimile Votum Caſtitatis antecedens, nec per conſequens promiſſionem Matrimonii poterit à Nuptiis liberari, Sponſa nolente, ſed de hac re dixi latè *lib.* 7. *Decal. c.* 5. §. 3. *à num.* 34.

9. Denique Caëtanus indicat, etiam per merum propoſitum ſervandi Caſtitatem, ſeu vitam cœlibem, diſſolvi licitè poſſe ſponſalia, ita, ut ſolo amore caſtè vivendi poſſit Sponſus, vel Sponſa recuſare Nuptias promiſſas. Sed non eſt à nobis audiendus, ſicuti non auditur ab Averſa, *loc. cit. Verſ. Septimo demum.* Nam ejuſmodi propoſitum, non inducit ſtatum incompoſſibilem cum Matrimonio, & tanta conceſſio à nullo jure illi facta eſſe probatur & denique obligatio orta ex Juſtitia, quæ invenitur in ſponſalibus, vinci non poteſt à propoſito exercendæ cujuſlibet virtutis, ad quam quis non obligatur.

## QVINTA CAVSA.

### §. V. *Matrimonium, vel Sponſalia cum alio contracta.*

1. CErtum eſt Primò, quando alter ex Sponſis Matrimonium de præſenti cum alio contrahit (ſanè cum peccato, quia, ut, ſupponimus fidem ſine cauſa ſufficienti alteri datam frangit) valere matrimonium, diſſolutáque eſſe illa priora ſponſalia, quamvis jurata, licitéque alterum poſſe ſibi de alio conjuge providere. Ratio eſt clara, quia ſponſalia priora non ſunt impedimentum dirimens, cum tamen Matrimonium jam actu conſiſtens (nam mortuo conjuge, an obligetur hic redire ad prima ſponſalia dicam *à n.* 4.) dirimat aliud Matrimonium cum illud reddat impoſſibile.

Quod ſi dictum Matrimonium, poſt prædicta ſponſalia initum fuiſſet nullum, quia, v. g. contractum fuiſſet cum conſanguinea; tunc certè illa non diſſolverentur. Quare qui dictum Matrimonium attentavit, redire cogitur ad Sponſum, licet hæc non obligetur illum admittere, quia poteſt vti jure ſuo non ſervandi fidem illi, qui prius fidem frangere voluit.

2. Certum eſt Secundò, ſponſalia poſteriora inita etiam cum juramento poſt ſponſalia priora eſſe ex ſe nulla. Ratio eſt, quia poſteriora ſunt illicita; ergo non obligantia, atque adeo nulla. Adde, in pari caſu debere prævalere priorem promiſſionem, utpote, tempore, præcedentem, juxta vulgatum jus. *Qui prior eſt tempore, prior eſt Jure.* Non ita in Matrimonio; illud enim, quamvis poſt ſponſalia cum alio inita, contrahatur, eſt validum, atque adeo, cum Matrimonium ſit vinculum indiſſolubile, ſemper tale remanebit, & ſic ſemper excludet cumque ſponſalia, cum aliis.

Hæc ſunt facilia, & quibuſcunque obvia; ſequentes tamen difficultates ſequentes.

### PRIMA DIFFICVLTAS

*An ſponſalia reviviſcant.*

3. Titius Sponſus Bertæ, Bertam deferens Matrimonium de præſenti cum Antonia. Poſt nos Antonia exceſſit è vita (idem eſſet, ſi profeſſionem emiſiſſet) Berta autem Titium Matrimonium ſibi ante duos annos promiſſum gabiturne, ſaltem in foro conſcientiæ, Titium ducere.

Reſpondeo. Non obligari, docet Sanch. *l.* *d.* 48. *n.* 3. aliique apud Caſtrop. *l. mox citande*, docet Caſtropalaus, *de ſponſ. d.* 1. *part.* 21. Averſ. *de matr. ſect.* 13. *Verſ. Tertio*, G. Hurt. *d.* 21. Ratio Sanchez potiſſima eſt, quia ut habent *res*, §. *aream*, *ff. de ſolutionibus*; C. *Quæ de conſ.* obligatio ſemel extincta non reviviſcit; ſponſalia per matrimonium cum alia contractum fuere, ergo, &c. Adde, adeſſe aliquos Sacros Textus hac ſententia.

Ratio Caſtropal. eſt, quia gratis dicitur, eſſe obligationem priorum ſponſalium; ſuſpenſa, donec duraturum erat impedimentum id eſt Matrimonium ſubſecutum cum alia conjuge jam ablato per mortem conjugis, ſuum effectum debebit.

4. Confirmat Caſtropalaus ſic. Si equum permittas, vel vendas, qua promiſſione vel venditione obſtante, Franciſco eundem equum vendere Franciſci equus erit, ut deciditur in jure *l. Quotiens re vindicet.* At ſi Franciſcus equum tibi reddere dubium erit, te obligatum eſſe Petro equum priorem promiſſionem, & venditionem exequi, id facere poſſes, ergo ita in caſu noſtro.

5. Confirmari item poteſt alio exemplo, *loc. cit.* pace tanti viri, valdè frigidè reſpondet. argumentor; is qui vovit Caſtitatem, & vxorem, ac mortua, debet redire ad Votum ſum, ut omnes docent. Ergo pari modo, mortuo ge debet redire ad ſponſalia antea ritè argumento, reſpondet Sanch. afferendo diſ quia nimirum Votum Caſtitatis eſt diverſæ Matrimonio, at ſponſalia, & matrimonium tiones diverſæ, vnde non eſt mirum (ait) guant per Matrimonium ſponſalia, ibi ſuſpendatur dum taxat. Verum, ut dixi, reſponſio. Quid enim ad rem hanc operari diverſitas, vel identitas illa, ſi vtrobique vrget promiſſio?

6. Hæc ſententia Caſtropalai, mihi magis det, illam Sanchez propter ejus & plurium ctoritatem, non poſſum non vocare probabilem. Textus, qui contra Caſtropalaum afferuntur eos ſolum definiri, contrahentem cum aliqua nium de præſenti non poſſe ab illa ſeparari, Sponſæ nubat, quod certum eſſe jam dixi *n.* 1. an per dictum Matrimonium ſolvantur ſponſalia celebrata, an potius ſuſpendantur, nihil jura

### SECVNDA DIFFICVLTAS.

*Quæ ſponſalia præferuntur, an priora ſine copula, vel poſteriora cum copula?*

7. Caius Catharinam deſponſavit, mox per verba de ſponſalia, vtique cum peccato, promiſit Bertæ penitus inſciæ priorum ſponſalium, eamque hac promiſſione cognovit; & quiares occulta

quam fuit, ad Iudicem confugiens vtraque mulier, sibi expoſcebat pro viro Caium: quam ergo in vtroque foro Caius ducere obligabitur, præſertim nunc poſt Tridentinum.

8. Dixi (Bertæ penitus inſciæ) nam ſi ſciviſſet, cum ſic fuiſſet in culpa, non eſſet in vtroque foro Berta vllatenus audienda. Dixi (item poſt Tridentinum) nam antea (imò, & nunc vbi Tridentinum non eſt promulgatum) ſponſalia per copulam tranſibant in Matrimonium de præſenti. Quare tunc hic caſus coincidiſſet cum præcedente allato *num.* 1.

9. Sed jam Reſpondeo ad caſum propoſitum. Pontius, *l.* 12. *matr. cap.* 14. Coninch. *d.* 23. *dub.* 14. *concl.* 4. aliique quos citat, & excipit Caſtrop. *de ſponſ. d.* 1. *p.* 22. *num.* 6. ſuſtinent, ſolvi priora ſponſalia, idque propter damnum illatum poſteriori Sponſæ, ob habitam cum Sponſo copulam, quod damnum reparari non poteſt, niſi per ſubſequens Matrimonium. Quare in hac ſententia Caius eſt Bertæ concedendus, niſi fortè idem Caius Catharinam cognoviſſet, tunc enim prævalere non eſt dubium priora ſponſalia.

10. Sanchez, verò, *l.* 1. *matr. d.* 49. & Averſa *loc. cit. Verſ. Sextò*, alios citantes docent, non diſſolvi, adeoque Caium in quocunque foro eſſe Catharinæ reddendum. Ratio eſt, quia jus prioris ſponſalitii, ne vnguem quidem diminui potuit per ſecunda ſponſalitia injuſtè inita, & prorſus nulla, unde impedimentum publicæ honeſtatis non parientia. Cujus ergo alio modo, augendo dotem, conſulat Bertæ.

11. Illud fatetur hæc ſententia poſterior, ſi fortè magnum periculum immineat Bertæ, Catharinæ verò nullum, vel leve damnum ex privatione conjugii cum Caio, tunc per accidens prævaliturum conditionem Bertæ, quatenus, ob charitatem, Catharina debeat priora ſua ſponſalia remittere, ut à damno tam gravi Berta liberetur. Atque hanc ſolam doctrinam forſaſſe admittit Diana *p.* 11. *tr.* 2. *reſ.* 70. ſi attentè legatur, quamvis, multis citatis, videatur eſſe in priori ſententia.

12. Objicies contra hanc poſteriorem ſententiam Sanch. Diximus *Lib.* 7. *in Decal. cap.* 5. §. 3. *num.* 35. cum communiore ſententia, ſi quis poſt Votum ſimplex Caſtitatis Deo promiſſum violavit honeſtam puellam ſub promiſſione Matrimonii, debere poſtponere Votum, & puellam ducere. Ergo multo magis idem debet quis in ſimili violatione facere poſt ſponſalia homini promiſſa.

12. Reſpondeo, diſparitatem *ibidem* à me inſinuatam fuiſſe, nam Votum cum obliget ex virtute Religionis circa Deum, qui non eſt tam rigidus exactor, ut homo, quique benigne judicatur ſuum jus remittere in concurrentia juris juſtitiæ, quod eſt homini ſervandum, non adeo vrget, ut promiſſio facta homini, qui non facile ſuum jus remittere præſumitur, quare hæc ſemper vrget fortius. Alias reſponſiones lege apud Averſam citatum.

14. Objicies iterum cum Caſtropalao *loc. cit.* contra hanc eandem ſententiam Sanc. Si equum Petro liberaliter promiſſum vendas Ioanni, pretio accepto, &, conſumpto, equum Ioanni trahere obligaris, *arg. l. Quoties, ſ. dare vendic.* vbi res ſolum vendita vni; ſed alteri, & vendita, & tradita, huic debetur. At per priora ſponſalia te in Matrimonium promiſiſti, per ſecunda vero te quaſi vendidiſti recepto pretio copulæ, quin imò, & tradidiſti te, ſeu corpus tuum, ſi non, quoad dominium, ſaltem quo ad vſum. Ergo hæc ſecunda ſponſalia exequi debes, non priora.

15. Reſpondeo, falſum eſt, priora ſponſalia comparari poſſe promiſſioni liberali de dando, v. g. equo: quamvis enim ea habuerit initium à libera voluntate; tamen cum ſint oneroſa, ſanè obligantia ſunt, & mere liberalia non ſunt, poſita repromiſſione alterius. Falſum item nihil pretii recepiſſe Sponſum in prioribus ſponſalibus, ut videtur ſupponere Caſtropalaus; recipit enim promiſſionem, quaſi pretium ſuæ promiſſionis. Falſum denique, ſe Sponſum quaſi vendidiſſe, recepta copula, quaſi recepto pretio; non enim potuit ſeipſum quaſi vendere huic, ſi ante, ſe quaſi vendiderat, ſeu, ut ita loquar, ſe inceperat vendere alteri. Neque favet prætenſæ huic venditioni, Sponſum tradidiſſe vſum ſui corporis; cum enim id fuerit contra jus prioris Sponſæ, nihil abſolutè ſuum tradidit, at verè tuum equum tu Ioanni tradidiſti in exemplo adducto. Traditio igitur illius vſus corporis nullam legitimam poſſeſſionem peperit, æquè, ac non conſurgit poſſeſſio legitima, quando quis rem furto ablatam, etiam accepto pretio, alteri vendit, & tradit.

16. Ex dictis poſterior, hoc eſt Sanchez ſententia eſt abſolutè præferenda. Verùm, ſi poſterior Sponſa copulam paſſa pateretur grave damnum, prior verò nullum, vel ſatis leve, rediret doctrina modo data *num.* 11.

## TERTIA DIFFICVLTAS.

*An aliquando valeant ſecunda ſponſalia?*

17. Franciſcus ſponſalia legitimè iniit cum Antonia, deinde alia nova iniit cum Berta, ſanè cum peccato. Sed quid deinde conſecutum eſt? obiit Antonia, ſeu Religionem profeſſa eſt, ſeu liberè, & volens receſſit à ſponſalibus, & Franciſcus interrogavit Theologos, an obligaretur ex vi prædictorum ſponſalium poſteriorum, quamvis cum peccato initorum, Bertam ducere?

18. Reſpondet Rebellius, *part.* 2. *lib.* 4. *quæſt.* 8. *ſect.* 8. *numer.* 56. *Verſ. Verum quæres*, Franciſcum obligari Bertam ducere, quia nova illa ſponſalia, licet non valuerint eo modo, quo facta ſunt, valuerunt tamen eo modo, quo valere potuerunt, juxta illud juris vulgatum *Actus qui non valet eo modo, quo fit, valet eo modo quo poteſt*, ut ſuprà *cap.* 2. §. 4. *n.* 4. diximus. At jam mortua priore ſponſa, poteſt valere, & affectum ſuum conſequi poſterior facta promiſſio; ergo debebit.

19. Verùm reſpondent alii cum Caſtropalao, *d.* 1. *de ſponſ. p.* 22. *num.* 4. citans Suar. alioſque non obligari, etiam ſi juramentum adhibitum fuerit, quia illa nova ſponſalia nullo modo valuerunt. Quare non poſſunt deinde fieri valida ſolum ob mortem, vel mutationem prioris Sponſæ, juxta illud non minus vulgatum juris. *Quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaleſcit.*

20. Ad jus allatum à Rebellio reſpondet hæc Caſtropalai ſententia, illud eſſe verum, quando actus, dum fit, partim poteſt valere, partim non ita: nam tunc valebit ſecundum id, quod valere poteſt. At in caſu noſtro nullo modo, ne in parte quidem valida ſunt illa ſponſalia abſolutè facta.

21. Poſterior ſententia ex dictis, cum in illa conveniant Sanchez, & Pontius, aliàs oppoſiti, magnum ſignum habet, quod vera ſit, & à nobis omnino excipienda.

22. Adverte tamen illud (abſolutè) quod modo dixi, nam, ſi nova ſponſalia addita conditione, ſic Franciſcus iniiſſet: *Ego promitto tibi Bertæ conjugium, ſi fortè Catharina mea Sponſa moriatur, ſeu remittat promiſſionem illi à me factam, ſeu Promitto tibi Bertæ conjugium pro tempore, quo legitimè ero ſolutus à ſponſalibus à me cum alia factis.* Si, inquam, ſic ſponſalia hæc nova iniiſſet, valida fuiſſet promiſſio, & tunc mortua, vel animo mutata Catharina, obligaretur Franciſcus ad ducendam Bertam, quia, ſi tunc ejuſmodi intentionem habuit Franciſcus, validè contraxit pro tempore illo futuro.

23. Quid, ſi eſſet, omnibus expenſis, dubium, an Franciſcus habuerit intentionem hanc?

Reſpondeo. Averſa *l. c.* ait, Franciſcum debere præſumi, illam habuiſſe, atque adeo obligari ad ducendam Bertam; ſi enim præſumeretur non habuiſſe, præſume-

retur

retur delictum injuſtitiæ contra priorem Sponſam commiſiſſe : at in jure delictum nunquam præſumitur, niſi certo conſter.

24. Verùm, eſto, nolim, nec poſſim præſumere Franciſci delictum, & eſto, ſic debeat in judicio pronunciare Iudex, qui animum internum non videt, adhuc tamen dubium remanet ; an re vera Franciſcus ſe obligaverit Bertæ, nec-ne, & ſic dubitatur de ipſa ſubſtantia obligationis, ſeu promiſſionis obligantis. Quare recurrit quæſtio, an pro foro conſcientiæ debeat prævalere certa libertas Franciſci contra dubiam promiſſionem ? Sed id in ſimili dictum à nobis eſt ſup. *c.* 1 §. 4. *n.* 10.

## QVARTA DIFFICVLTAS.

*Sponſalia inter impeditos ſub conditione*, ſi Papa diſpenſaverit, *An prævaleant poſterioribus inita inter non impeditos ?*

25. Cæſar ſciens Lucretiam ſibi eſſe conſanguineam, eam, nullo deſignato tempore, deſponſavit ſub conditione *ſi ſummus Pontifex diſpenſaverit*. Interim, antequam diſpenſatio expedita fuerit, nova ſponſalia cum Berta nullo affecta impedimento contraxit. Obtenta jam diſpenſatione, poſteritne Cæſar Bertam potius (vt optat) ducere, quàm Lucretiam?

26. Reſpondeo, mihi certum eſſe cum Diana, *p.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 70. poſſe, ſupponendo non adfuiſſe novum conſenſum in Cæſare poſt diſpenſationem impetratam. Ratio eſt, quia illa priora ſponſalia nulla prorſus fuere, atque adeo poſteriora fuerunt valida, & hujus vlterior ratio eſt, quia jus omnino prohibet ſponſalia inter ejuſmodi impeditos ; ſed ante impletam conditionem ſunt impediti; ergo &c. Adde, in re quæ per leges eximitur à commercio humano, & ex facto, quod à jure improbatur, nullam oriri poſſe obligationem, vide *L. inter ſtipulantem §. Sacrum. ff. de Verb. ſignif. L. cum lex. ff. de Fidejuſſ.* Ergo ex promiſſione facta Matrimonii, quod improbatur inter conſanguineos, non poteſt oriri obligatio pro tempore ante obtentam diſpenſationem, de quo loquimur ; ergo illa promiſſio Cæſaris & Lucretiæ nulla fuit, & conſequenter valida illa ejuſdem Cæſaris, & Bertæ.

27. Quid ſi poſteriora ſponſalia cum Berta contracta fuiſſent poſt diſpenſationem jam expeditam ?

Reſpondeo, eſſe diſtinguendum juxta ſuperius dicta *cap.* 3. §. 2. *n.* 10. Si enim ſuſtineas, ſtatim, obtenta diſpenſatione ſine novo conſenſu, valida eſſe ſponſalia illa, facta ſub ſpe, ſub conditione Diſpenſationis, ſponſalia Cæſaris & Lucretiæ erunt, (habita diſpenſatione) ſtatim valida, & obſervanda. Si vero ſuſtineas, obtenta diſpenſatione, non ſtatim convaleſcere ſponſalia, ſed requiri novum conſenſum, ſeu ratificationem, quam in caſu noſtro ſupponimus, nequaquam adfuiſſe, remanent ſponſalia priora cum Lucretia invalida, vnde valida erunt poſteriora cum Berta, atque hæc cuſtodienda. Nos vero, quia vtramque ſententiam probabilem judicavimus *l. c.* & iterum judicabimus infrà, *tr. de conſenſu c.* 7. §. 3. ided breviter dicimus, ſi ſponſalia cum Berta fuerunt, ante impetratam pro Lucretia diſpenſationem, contracta, Bertam fore vxorem Cæſaris, qui eſt caſus allatus *n.* 25. Si verò fuerint inita poſt obtentam diſpenſationem, qui eſt caſus allatus hoc *n.* 27. dicimus eſſe probabile, quod Berta à conjugio Cæſaris ſit repellenda, & quod Lucretia ſit ad ejuſdem conjugium advocanda, ſed eſſe item probabile contrarium, ut patet ex dictis : Advertendo ſemper, debere reſarciri damna, ſi quæ facta ſunt à Cæſare Sponſæ relictæ, & præſcindendo à copula, de qua jam modo, dictum eſt.

## SEXTA CAVSA.

### §. VI. *Alterius, vel vtriuſque Fornicatio.*

1. Si Sponſa, vel Sponſus (in hoc enim ut & in ſequentibus gationibus matrimonii, ſunt pares) fornicatus cum alio, ſtatim innocens, etiam ſi ſponſalia jurata, poteſt ab ipſis recedere, ut deciditur *cap. Quamvis dum de jurejurando*, & patet. Quæ enim eſt mens dei fractio, ob quam omnes concedimus, poſſe à ſponſalibus recedere, ſi hæc non eſt ? Dixi (innocens) qui delictum commiſit, debet ex parte ſua obligationem adimplere, ſi alter velit, ne ſcilicet ex ſua impietate lucrum reporter.

2. Quid, ſi Sponſa verè per vim patretur fornicationem, quem eſſe caſum riariſſimum dixi *l.* 7. *in Dicta* §. 2. *n.* 5. Sanch. *lib.* 1. *matr. d.* 55. *n.* 8.

Reſpondeo, poſſe adhuc Sponſum eam deſerere, non quidem ob fractam fidem, quam in hoc caſu non adfuiſſe ſupponimus, ſed quia Sponſa, etiam per vim violata, vilis notabiliter efficitur, & probro veritur fœminam ſic violatam ducere, idque cum periculo alienam prolem alendi.

3. Dictum eſt (Sponſa) nam ex communiore ſententia Sanch. Pont. *l.* 12. *cap.* 17. *num.* 3. & aliorum, non concedimus, ſi Sponſus ex violata cogeretur illam cognoſcere (ſi tamen virum poſſe invitum ad id cogi, poſſibile ſit, quod mihi, & Toleto *l.* 5. *cap.* 10. *n.* ditu eſt difficile) nam tunc, nec Sponſus fidem fra ret cum ageret coactus, nec probroſum eſſet eum ducere, cum, virum aliquem cognoviſſe, ſecundum hominum exiſtimationem non ſit. Non idem Sponſus cogeretur ſodomiticè pati, quia dedecus eſſet mulieri, ejuſmodi virum pro bere, ideo judicat Caſtrop. *loc. mox citando num.* hanc ſolam rationem, poſſe Sponſam illum talia ab ſe repellere, id, quod ego limitarem, quando eſt occulta, ut etiam in ſimilibus (quando expo tur ſolum à ratione dedecoris) dicendum eſt.

4. Quod dictum eſt de fornicatione, extenditur mò ad oſcula, tactúſque impudicos ; per hæc enim ximè, ſi ſint frequentia, etiam fides frangitur, cum promiſerint Matrimonium, & omnia, quæ illud quuntur.

5. Extenditur Secundò, ad fornicationem ſpi lem, id eſt ad hæreſim. Alter enim poteſt recedere vit alterum in hæreſim incidiſſe : quod dictum Caſtrop. *l.* 1. *de ſponſ. p.* 25. *num.* 11. quando particula eſt Sponſo innocenti, habitare cum hæretico, & quando ſumus in loco, vbi delictum hæreſis reddit nem infamem, ut in Hiſpania, aliiſque Catholicis gnis. Equidem hanc limitationem, nec apud chez *loc. cit.* nec paſſim apud alios lego, & etiam in Regionibus Hæreticorum non condem ſed commendarem potius Sponſam, quæ nollet gredi ad Matrimonium ejus Sponſi, qui hæreſim ſponſalia amplectitur ; nimis enim grave eſt co tholicam, ad nubendum homini diverſæ, & quidem ſæ Religionis, quem tamen ipſa Catholicum in libus elegerat.

6. Inquires. Fornicantibus vtriſque, ideſt Sponſa alio viro, Sponſo autem cum muliere alia, poſſunt vtrique ad libitum à Sponſalibus reſilire.

Reſpondeo. Communis opinio cum Sanch. *l.* *num.* 9. & cum Pontio, Coninch, Layman, Gutt apud Caſtropalaum, *loc. cit. num.* 9. quibus addit *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 284. & quidem ſatis probabiliter diſtinguit ; concedit enim Sponſum poſſe, non Sponſam, quia quod Sponſa violata ab aliquo ſit maximum eſt dedecus, non autè quod Sponſus aliquem violaverit, ut modò diximus *num.* 3. Quare aliquo compenſari injuriæ nequaquam poſſunt. Sed Caſtropalaus, *loc. cit. n.* 10. & quidem ex mea ſententia

bilius,ne dicam verius,ad quod etiam propendet Aversa *de matrim.sect.8. quæst.24.V. Porro*, putat posse utrosque æquè resilire ; Sponsum propter rationem iam dictam, Sponsam vero , quia,etiamsi ipsa fornicata fuerit , non propterea tollitur , quod vir per suam fornicationem fidem fregerit Sponsæ ; Sicuti propter similem rationem, quamvis dedecus non sit uxori, si ejus vir aliam cognoscat , tamen ipsa , solum , quia si datam fidem vir frangit , divertere potest, ut ex certa , & communi doctrina habet ipse Sanchez *lib.10.de matr. disp.3.num.6.*& infra suo loco dicemus. Non ergo ex capite dedecoris, quod exclusimus dicto n.3. sed ex capite fractionis fidei, quæ hic adest.

7. Instas. Quando,tum uxor,tum vir adulteratur, nemo potest divertere,quia,ut habet Textus, *c.Significasti de Divort.alibi*, paria delicta mutua compensatione abolentur.Ergo,neque Sponsi,quamvis utrique fornicantes, poterunt à sponsalibus divertere ?

8. Respondeo. Huic paritati debent etiam Auctores communis sententiæ respondere,nam probat,ne à Sponso quidem fornicante posse dimitti Sponsam similiter delinquentem ; compensarentur enim delicta. Disparitas igitur est , quia cum Matrimonium sit ex se indissolubile , quodlibet caput impediendi ejus separationem sufficere debuit , quale nunc est compensatio adulteriorum ; At pro sponsalibus, quæ ob quamlibet mutationem dissolvi possunt , non cogimur similem compensationem iniuriarum inducere , sed concedere debemus utrique Sponso , ut fidem sibi factam vindicare possit per separationem , quæ facile, etiam ob alias rationabiles causas concedi solet Sponsis. Ita respondent Sanch. Layman.Guttier.cit. quamvis nobis contrarii,ita igitur, & nos.

## SEPTIMA CAVSA.

### §. VII. *Impedimentum superveniens.*

1. IMpedimenta non dirimentia Matrimonium , quantum facit ad præsens institutum,hodie sunt ( ut supra *tract.1.de Imped.c.16.*dixi) Votum Religionis , Votum Sacerdotii,Votum Castitatis , Votum Cœlibatus; De his ergo non dirimentibus, cum iam *sup.c.5.§.2.n.7.* & §.13.*n.2.*& §.4.*per totum* , dixerimus , quæratione se habent in sponsalibus.supereſt hic solum agere de impedimentis dirimentibus , quomodo scilicet , & quatenus aliquod impedimentum dirimens superveniens sponsalibus , illa dissolvat , id quod figuratione sequentis casus dilucidius explicabitur.

2. Antonius sponsalia promisit Mariæ , verum non multo post cognovit Agatham Mariæ Sororem , unde (ut scimus omnes ) affinitatem ex copula carnali fornicaria dictus Antonius contraxit cum eadem sua Sponsa Maria , quæ affinitas , cum sit impedimentum dirimens in causa est , ut non possit procedi ad Matrimonium de præsenti , nisi prius obtineatur à Summo Pontifice dispensatio.

3. Porrò circa hunc casum , & similes,quando culpa alterius ex Sponsis supervenit quomodocumque aliud impedimentum dirimens,tria resolvenda se offerunt,quæ iam,tribus assertionibus,resolvo.

4. Assero Primò,Mariam esse liberam à sponsalibus, ut vult Aversa.*q.8.de sponsa.sect.14.V.Ita autem*,Coninch. & Sanch.apud Castrop.*disp.2.de sponsa.p.26.* posse reiicere Antonium , etiamsi se offerat ad obtinendam dispensationem , immo etiamsi dispensationem obtentam exhibeat. Ratio ( præter fornicationem,quæ in hoc peculiari casu intervenit,quam esse causam sufficientem,ut innocens resiliat à sponsalibus,nuper diximus)est , quia apponens impedimentum dirimens,fecit,quantum est ex se,matrimonium iure impossibile , ergo sufficienter dedit causam alteri resiliendi,& volendi,conformare se Iuri Matrimonium prohibenti.

5. Assero Secundò , Antonium non esse liberum à sponsalibus : Iidem *ll.cc.* præter Av. Vnde,volente Maria obligari ad procurandam dispensationem , & ad Matrimonium de præsenti celebrandum. Ratio est,quia ut superius sæpè diximus , æquum non est,ut liberetur à data fide is,qui delictum commisit : nam,sic ex iniquitate lucrum reportaret. Aversa autem *l.c.* ait, dictum Antonium (præscindendo ab alio damno Mariæ)posse,velle se conformari iuri prohibenti , sed ei non acquiesco , propter rationem dictam,& quia de iure naturæ est , ut,qui causa est impedimenti,circa illud,quod ipse promisit , tollere ipsum debeat , quo ablato , iam non erit difformis iuri prohibenti,

6. Assero Tertiò,dispensationem prædictam esse procurandam expensis Antonii,& nullo modo Mariæ : patet , quia solum ipse , & quidem iniustè , fuit causa , ob quam necessariò illa dispensatio procuranda esset. Ita Doctores citati.

7. Sed ecce celebris difficultas. Si magnis expensis hæc dispensatio sit impetranda, adhuc ne obligabitur ad illam procurandam Antonius nocens ?

Respondeo. Non obligari, putat Filliuc. Sanch. Coninch. quos citat , sequiturque Gasp. Hurtad. *disp.2. de matr. diff.12.*Ratio est,inquiunt , quia obligatio orta ex sponsalibus solum urget Sponsum ad ponenda media ordinaria, & non valdè difficilia , quibus impleri possit Matrimonium,non verò extraordinaria,& difficilia. Excipiunt,& merito,nisi sponsa fuerit spe Matrimonii violata , unde damnum pateretur, vel infamiam , si non sequeretur Matrimonium , nam tunc , sine dubio , nullis sumptibus parcere debebit, pro dispensatione impetranda,Sponsus.

8. Obligari Antonium semper,etiam magnis sumptibus , concedit cum Petro Ledesma , & Ochagavia Castropalaus , *loc.cit.num.4.*non quidem ex vi sponsalium, ex quibus rectè dixerunt prædicti Doctores , non obligari Sponsum,nisi ad media ordinaria : (nam propterea Spōsus ex sola lege sponsalium teneretur dumtaxat procurare dispensationem mediocribus sumptibus , exemplo ducto ab eo , qui post votum Castitatis Matrimonium contrahit;non enim obligatur ante consummationem Matrimonii ingredi Religionem , in qua possit servare castitatem;quia hoc est remedium extraordinarium, & nimis durum sufficiunt alia de quibus alibi ) non inquam,ex vi sponsalium,sed ex vi, seu ratione damnificationis,cujus,contra Sponsæ Ius , causa fuit per suum delictum Antonius.

9. Hanc decisionem Castropalai,Ego verissimam iudico; itaut contrariam ne probabilem quidem vocare velim , quia non video cur qui causa est damni contra iustitiam,non sit obligatus illud quantum potest,resarcire.Inquiro enim à te,si me iniustè impedires à consequutione Beneficii , ad quod ego ius habeo per electionem mihi legitimè factam, nonne deberes , quacunque impensa,illud impedimentum tollere,si posses.

10. Illud tamen hujus decisionis rigorem aliquantulum mitigabit,quod notat Gasp.Hurtad. *loc. cit.*his verbis : *Is , qui fuit causa impedimenti , tenetur ad procurandam dispensationem , quando dans causam impedimenti advertebat,impedimentum contrahi, quia tunc liberè dedit causam damno extorto ex impedimento: damnificationi autem liberæ , & humanæ satisfaciendum est. At quando tunc non advertebat impedimentum contrahi , non tenetur; quia tunc liberè non damnificavit , damnificationi autem, quando non liberè fit , non est necessariò satisfaciendum.* Hæc ille: unde cum sæpissimè non advertatur frequentissima erit excusatio.

11. Eundem rigorem mitigabit , etiam illud. Nam si forè tot , tantæque deberent esse expensæ , ut si ea fierent , caderet notabiliter à suo statu Antonius , excusaretur ab illis. Rursus,si comparatione damni , quod patitur Maria , nimis exorbitans deberet esse damnum expensarum , quod deberet pati Antonius , posset differri ad melius tempus procuratio dispensationis , vel conveniri cum Maria , ut remittat,quæ certè non debet esse difficilis

difficilis, quia iuſtitia non adverſatur Charitati, & rectæ rationi; hæ autem dictant, non debere dominum velle rem ſuam cum tanto rigore, ſibi reſtitui, ut damnum aliud intolerabile debitori inferatur. Id quod ego in ſimili notavi, *lib.8.in dec.tr.4.c.1.§.8.n.4.*

## OCTAVA CAUSA.

### §. VIII. *Superveniens mutatio notabilis in Sponſis.*

1. EX Doctrina illa univerſali, quod promiſſio intelligitur ſemper fieri, rebus in eodem ſtatu permanentibus, ſit, ut, ſi contractis ſponſalibus mutatio notabilis ſuperveniat in altero ex Sponſis, ipſa etiam iurata, non obligent. Ea autem conſuevit accidere in bonis, vel corporis, vel animæ, vel fortunarum, conſuevit, inquam, nam cæterum hæc regula generalis datur à Doctoribus apud Coninc. *d.23. de ſponſ. diſſol. dub.8.* Vt quoties initis iam ſponſalibus, ſuperaccidat alia quæcunque cauſa, quæ eorum exequutionem reddit notabiliter difficiliorem, quæque, ſi initio fuiſſet, cordatum hominem ſimilis conditionis prudenter ab illis avertiſſet, toties ceſſat obligatio reſpectu illius, cui difficilius redditum eſt Matrimonium. Atque hanc regulam admitti debere in ſponſalibus, ut rectè notat Averſa, *quæſt.8.de ſponſ.ſect.14.Verſ.Sexto*, quamvis non admittatur in cæteris contractibus, præſertim oneroſis; nam Matrimonium, & conſequenter ejus promiſſio, requirit maiorem libertatem, cum ſit contractus ex ſe perpetuus, & indiſſolubile.

2. Porro hanc regulam aliquantulum illuſtremus, ea tria bonorum genera ſigillatim percurrentes.

#### *Quoad bona Corporis.*

3. Si quis ex Sponſis incidat in morbum incurabilem, vel contagioſum, puta, paralyſim, lepram, morbum Gallicum, ſi amittat oculos, aures nares, ſi fiat claudus, mancus, &c. iuſtè alter recedere à ſponſalibus poteſt. Hæc enim, ſicuti retardarent à ſponſalibus contrahendis, ſic excuſant à contractis, quamvis iuratis; quia nimis grave eſſet, hæc perpetuo velle in ſocio pati, poterit ergo is recedere ab hoc contractu ſponſalium ex ſe diſſolubili, quod certè non poſſet, ſi Matrimonium iam contractum fuiſſet de præſenti, quod ex ſe indiſſolubile eſt.

4. Tria hîc ſelige, non valdè communia. Primum Morbi Gallici vehemens ſuſpicio, cauſam dat dictæ diſſolutionis ipſi Sponſo ſano. Ex Pont. *lib.12.c.17.n.4.* Adderem ego, idem eſſe de ſuſpicione cuiuſcunque infirmitatis gravis incurabilis, par enim eſt ratio,

5. Secundum. Oris graveolentia, cui ars Medici ſubvenire nequit, adnumera inter has infirmitates valentes modo dicto diſſolvere ſponſalia, ex parte alterius benevalenti: Ita Sanch. *lib.1.diſp.57.n.2.* approbátque ibidem Pontius, & merito, quia illam in tam arcta coniunctione tolerare, nimis eſſet oneroſum.

6. Tertium. Quid, ſi Sponſa tempore ſponſalium pulcherrima, deinde notabiliter deformis evadat?

Reſpondeo, etiam propter hanc mutationem poſſe Sponſum reſilire, docet Caſtropal. *lib.1.de ſponſal.q.27.* & Gaſp. Hurtad. *diſp.2.de matr.diff.13.* Ratio eſt, quia in materia Matrimonii admodum æſtimatur apud homines pulchritudo: verum nota illud (notabiliter deformis.)

#### *Quoad bona Animi.*

7. Si quis ex ſponſis gravi infamia maculetur; ſi ſponſus ſcortator, aleator, ebrioſus evadat; ſi aſper moribus, vel admodum ſævus, poteſt alter recedere, etiam poſt iurata ſponſalia. Rurſus, ſi graves inimicitiæ ortæ fuerint inter Sponſorum parentes, diſſolvi poſſunt ſponſalia ex parte vtriuſque. Quod ſi, inter Sponſos ipſos gravis inimicitia fuerit exorta, poſſunt quidem vtrique recedere, ſed, qui fuit cauſa inimicitiæ obligatur omnia moralia, atque ordinaria remedia adhibere pacem inducendam. Ratio prædictorum eadem ac præcedens. Adde, & timorem rationabilem de exitum Nuptiæ ſortiátur. Hinc ſequitur, ut ſi Titius deſponſaverit Bertam, neſcientibus vtriuſque parentibus immo, & ſcientibus, unde tan é factum ſit, ut ex parte parentes obſtinatè cótradicant, timent diſcordia inter illos, vel inter Sponſos eoſdem; inquam, ut alter, etiam altero invito, ſe ad monium convertere licitè poſſit. Ratio eſt, quia oppoſitione facilè eſt, oriri inimicitias, incom via, & inter ipſos Sponſos non leves rixas, & Ne tamen excidat à te monitio, quam facit *d.14.n.3.* ut ſcilicet cautè in hoc procedas; iactantur minæ, opponuntur pericula, amplificantur cordiarum timores, quæ tamen experientia eſſe, & ſtatim inito Matrimonio deferbuiſſe.

#### *Quoad bona Fortunarum.*

8. Si dotem promiſſam negas, vel negat ille, quem miſit, te ab altero deſeri poſſe, luce clarius eſt, dotis promiſſio conditio, ſub qua fiunt ſponſalia deficiente, etiam ſine culpa promittentis, ceſſat ſio, quamvis iurata.

9. Quid, ſi nulla promiſſa fuerit dos à Sponſo quæ deinde poſt ſponſalia in paupertatem incurrat?

Reſpondeo. Quidquid dicant plures apud Sanch. *diſp.59. num.3.* certum mihi eſt cum eodem Sanch. cum Caſtropalao, *d.1.de ſponſ.punct.28.n.1.* & Averſa *de ſponſ.ſect.14.Verſ.Quarto*, illos citantibus poſſe ſum licitè recedere. Ratio eſt, quia, tametſi non explicitè promiſſa dos, implicitè tamen fuit. Omnes enim ſupponunt, fœminam tranſire in domum cum omnibus ſuis bonis. Adde, hanc eſſe mutationem dum notabilem, quæ quemcunque, vel cordatiſſimum hominem, à contrahendis ſponſalitiis, atque adeo à trimonio, prudenter averteret.

10. Tria communi huic doctrinæ addi vola. Primum ſi timeatur rationabiliter, alterum ex Sponſis fore redarum, alter reſiliet licitè, ut notat Pont. *locis n.8.* quia ſecus, ſe is immitteret in periculum ſubeun paupertatis, atque id ego merito, propter patrimonium tionis, extendo ad ſimilem rationabilem metum de turam paupertate fortè alteri ex aliis quibuſcunque provenienda.

11. Secundum. Si rationabiliter timeant, vel perveniæ iam paupertas utrique, vterque licitè reſilit ſponſalibus, quia tanto difficilius ſuſtineri poterunt ra Matrimonii; Vnde hic dari non poteſt compenſ paupertatis unius cum paupertate alterius. Ita Bonac ſed Rebellius, & Pontius, neutri licere putant; Averſa autem *loc. cit. Verſ. Quartò circa finem*, præcedi tans, diſtinguit, aitque ſi propter paupertatem non ſubire onus Matrimonii, licitè recedere, ſed ſi vel trahere Matrimonium, cum æquè paupere, illicitè cedere à priore. Profectò commoda reſtrictio illam non poſſum admittere, ut neceſſariam, quia perveniens paupertas videtur dare ius recedendi lutè, &c.

12. Tertium. Quid ſi alter ex Sponſis ex inopina valdè locuples fiat, poteritne iuſtè ab altero recedere Matrimono meliori ſe addicere?

13. Reſpondet Sanch. quem ſequitur Caſtrop. *loc. num.5.* citans Coninch. & Gurtierez, quibus adde Averſam *loc.cit.* non poſſe; Probat Primò, à poſteriori, quia ſic, quoties dote notabiliter maiore Matrimonium intereniret alter ex Sponſis, alterum deſerere poſſet, tunc enim iam locuples cenſetur eſſe factus. Secundò, à priori, quia ſi Sponſa tua deterior non eſt facta, iniquum eſt ſuo illam privare, ſolum ob bonæ fortunæ mutationem in te factam.

14. Prædictam sententiam sic impugnat Gasp. Hurt. *d.2.de matr.diff.14.num.25. Hanc Sanch.& Coninch.sententiam difficilem æstimamus, quia dicta mutatio est ita notabilis, ut ex se efficiat impletionem notabiliter gravem, Sponsæ facto ditiore, & à principio existens, etiam prudentem à Sponsalibus retrahere.* Hæc Hurtad. cujus argumento Castropalaus, *loc. cit.* quia prædictam Sanch. sententiam amplectitur, respondere conatur, dicens: effici quidem impletionem sponsalium notabiliter graviorem, durioremque, sed non per se, at solum per accidens, eo quod Sponsus impeditur ab aliis ditioribus sponsalibus, quæ posset invenire, id quod (ait) nihil probat, propter argumentum modò à posteriore factum, quia scilicet, sic, quilibet Sponsus posset semper Sponsam deserere, quoties notabiliter ditius Matrimonium ei offerretur.

15. Circa has sententias interponat iudicium me sapientior; quod si Leandrum *tr.9.de matr. d.2.q.47.* sequi te invat, invenies apud ipsum, utramque sententiam esse probabilem.

## §. IX. *Prædicta Causa existentes ante sponsalia, sed postea cognita.*

1. Regula vniversalis. Hæc pari modo sponsalia etiam iurata, infirmant, ac si de novo advenirent. Ita Sanch. Pont. Bonac. & alii innumeri apud Aversam, *q.8.de sponsal.sect.15.V. Dicendum tamen.* Ratio est, quia pro eo qui ante illas ignoraverat, videntur dictæ causæ tunc supervenire, quando sciuntur.

2. Id autem intellige. Primò, de prædictis causis, quæ sunt qualitates, si enim fuissent de substantia, seu de individuatione personæ; ut, si tu volens contrahere sponsalia cum Berta, cognoscas deinde illam non esse Bertam, sed Mariam, sponsalia non solum infirmari possunt, sed ab initio sunt invalida, sicuti invalidum esset Matrimonium.

3. Intellige Secundò, quando ignorantia ejusmodi causæ, seu defectus tibi dedit causam contrahendi, si enim expressè fuisses eo animo, ut etiam cum illo defectu contracturus fuisses sponsalia, nihil illis officiet ignorantia. Ita Castrop. *d.1.de sponsa. p.29.n.2.* Quid si dubius nunc sis, an contracturus fuisset? Respondet Leand. *d.2.de matr.q.59.* citans Sanch. Bonac. Navarr. si defectus de novo cognitus sit gravis, ut si inveniatur, non esse Virgo vel Dives ea, quam talem putabas, posse præsumi, te non habuisse animum contrahendi, secus, si defectus sit levis, &c.

4. Intellige Tertiò, nisi post cognitionem, dicta sponsalia, quæ fuerant initio valida ratificaveris, quæ ratificatio fieri potuit, vel expressis verbis, vel implicitè ipso facto, ut, si post dictam notitiam, Sponsam, ut tuam, cognovisti. Ita Castrop. *l.c.num.11.* citans Pontium, Laym. Sanc. aliosque. Valida, dixi, si enim propter aliquam rationem fuerant initio invalida, ut, si fuissent cum errore personæ, vel cum nullo consensu, non validantur per solam copulam, quia hæc non est sufficiens signum veri consensus, potest enim fieri animo fornicario, ut suprà *C.2.§.3.n.34.* dictum est, & tenet Hurtad. *de matr.disp.16.* Quid si Sponsus ad Sponsam cognoscendam accederet (sanè cum peccato) animo non ratificandi? Respondeo Sanc. *lib.1.d.66.n.3.* ait, adhuc ipso facto ratificare, sed Hurtad. merito *l.c.* censet, in foro conscientiæ non ratificare, nec cedere Iuri suo, & sic dissolvere posse sponsalia, nisi aliàs, ratione damni illati, ad illa ratificanda teneretur.

5. Dictum est autem (pro eo, qui antea ignoraverat) nam, si antea eas causas seu defectus cognovisti, & tamen adhibuisti consensum, tata erunt sponsalia. Excipit Aversa mox citandus, *V. Et quidem*, nisi fortè promissio valde fuerit imprudens, & indiscreta, qualis, v.g. esset promissio Iuvenis nobilis, & divitis facta vilissimæ puellæ; tunc enim ex alio capite non teneretur quis servare promissum: nempè ex eo, quod faceret rem illicitam, & indiscreteam, ita Aver. *q.8. de sponsa.sect.15.V. Pro altera:* Adverte id dici ex vi promissionis sponsalium, non ex vi damni illati; illud enim esse omnino resarciendum, certum est.

6. Ex dicta regula *n.1.* allata fit, ut non solum, quando Sponsam existimabas virginem, & post sponsalia rescivisti, esse defloratam, sed etiam, quando rescivisti esse viduam, quia certè regulariter vilior existimatur ea, quæ virgo non est, fit, inquam, ut possit resilire à sponsalibus, Non ita in Sponsa respectu Sponsi, qui fortè inveniatur non fuisse virgo: nam id vile non est Sponsæ nisi tamen inveniatur, valde deditus alienis mulieribus fuisse, sine solida, & continuata emendatione, vel inveniatur, habere filios, nam tunc cum molestum id sit notabiliter Sponsæ, poterit à sponsalibus recedere.

7. An ipso facto in hoc casu ignorantiæ defectuum, quoad qualitates (nam, si adfuerit deceptio ex parte alterius, vel metus, diximus supra) *C.2.§.1.& 2.* irrita sint sponsalia, an irritanda? Respondeo Castrop. *l.c.n.10.* & Hurtadus *l.c.diff.16.n.54.* merito dicunt, quando res est clara esse irritanda per voluntatem ejus, qui potest resilire; nec necessariam esse Iudicis sententiam.

8. Quid si res sit dubia? Respondeo, Tunc, vel etiam, quando recessio à sponsalibus afferret scandalum, recurrendum esse ad Iudicem, monemus omnes. Legatur Castropal *p.31.& 32.* qui alios citans, docet, qualisnam probatio sufficiat in foro externo, ad ejusmodi rescissionem; cui adde Gas. Hurtad. *loco citato. diff.19.* & Sanchez, *disp.17.*

9. Donec autem is, qui ignoravit, non resiliit, manent valida sponsalia. Id, quod inde constat; quia secus, cum in casibus, de quibus loquimur, ignorantia adfuisset ipso initio, tunc etiam fuissent invalida, quod tamen non potest sustineri, nam ipso initio fuerunt legitima, cum fuerint ritè promissa, & ignorantia, ut nunc supponimus, non fuerit circa substantiam personæ, sed solum circa qualitates; unde ex illis sponsalibus ortum est impedimentum publicæ honestatis ex Sanchez, *lib.1. matr.d.68.*

10. Denique Si quæras Primò, an qui iustè à sponsalibus resilit, quando scilicet resilit sine ulla culpa, ut esset, v.g. ad ingrediendum in Religionem, teneatur restituere ea, quæ fortè alter expendit in parandis Nuptiis? Respondeo, esse probabile, obligari, sed esse probabilius, non obligari. Lege Castrop. *loco citato p.53.* Si quæras Secundò, quando omnibus consideratis dubium est, sintne valida, an invalida sponsalia, quid sentiendum? Respondeo, me de hoc dixisse superius *c.1. §.4.n.9.& 10.*

## §. X. *An laborans alio occulto defectu possit, eo tacito, ad Matrimonium procedere?*

### *Et item, An tunc possit ad sponsalium impletionem alterum compellere? Remissivè.*

Hæc denique ad complementum hujus Tractationis de sponsalibus essent inquirenda, sed, quia de priore à me satis tractatum est *Lib.7. in Decal. cap.5. §.2.n.5.& 6.* ideo, vel illa lege, quæ ibi breviter perstrinxi, vel pluribus agitata pete eadem à Sanchez *lib.6.matr. d.27.num.8.& 9.* Castrop. *de sponsa. d.1.p.30.* Coninch. *de sponsa.dissol.27.dub.12.* Pont. *lib.12.c.18.* Avers *quæst.8. de matr.sect.19.* G Hurtad. *d.2.matr. diff.17.* aliisque, à quibus etiam distinctè habebis de posteriore.

# TRACTATVS IV.
## DE
# CONSENSV
## Per verba de præsenti.
## ID EST,
## DE MATRIMONIO,
## ut est Contractus.

## CAPVT PRIMVM.
### *De Natura Matrimonii.*

#### §. I. *Quid propriè veniat nomine Matrimonii.*

IN toto negotio Matrimonii, quatuor intercedunt, quæ ad rem nostram in præsentia faciunt. Primò, Contractus inter personas habiles, quo scilicet hæ consentiunt, atque adeo se obligant ad mutuam corporum traditionem, in ordine ad sobolem generandam. Secundò, Ratio Sacramenti, quæ ex Divina institutione adest in prædicto consensu, hunc enim Christus Dominus elevavit, ita ut significaret, & conferret gratiam Fidelibus: quæ quidem ratio Sacramenti, brevi tempore durans, eo scilicet, quo ejusmodi consensus exhibetur, causa dictæ gratiæ eo modo est, quo pluribus explicant Theologi; nam matrimonium non esse Sacramentum in facto esse, iudico cum Castropal. *d. 2. p. 2. de sponsa. n. 3.* & cum aliis probabilius. Tertiò, Intervenit vinculum perpetuum, quod remanet post ejusmodi consensum, & Sacramentum. Quartò denique, interveniunt, seu consequuntur aliæ obligationes ex dicto consensu, scilicet servandi fidem coniugi: cohabitandi cum eodem, filios educandi, &c. hæc quidem duo postrema, scilicet vinculum, seu indissolubilitas, & dictæ obligationes, quæ subsequuntur; sunt effectus prædicti consensus, & prædicti Sacramenti.

2. Porrò propriè loquendo, tum contractus ipse seu mutuus consensus vocatur matrimonium, tum vinculum prædictum. Hinc, quando Tridentinum *sess. 24. Canone primo*, dicit, matrimonium esse Sacramentum intelligitur de dicto consensu, quando autem Eugenius IV. *in Decreto fidei* dicit, consensum esse causam efficientem Matrimonii, & pari modo, quando Doctores dicunt, Matrimonium esse ex se indissolubile, esse perpetuum, esse effectum mutui consensus, intelligitur de vinculo: non est igitur à nobis quærendum, at cum supervacuo labore quærit Perez *de matrim. d. 3. sect. 1.* quid propriè sit Matrimonium, consensúsne, an vinculum, nam utrumque propriè dici solere Matrimonium, iam vidimus.

2. Si quis ergo à te scisciteur, in quonam consistat matrimonium, ne sine distinctione respondeas; sed ita distingue Matrimonium, pro ut dicit consensum, est *Viri & Fœminæ habilium ad prolem generandam consensus mutuus, quo scilicet iidem invicem tradunt, acceptantque ius, & dominium corporum ad finem prædictæ prolis generandæ, quique ad rationem Sacramenti est à Christo Domino elevatus.* Matrimonium verò ut dicit vinculũ, rectè à Theologis cum Magist. *in 4. dist. 7. &c. illud, de præsumpt.* sic describitur, *est Coniunctio maris, & fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens:* vel, ut habent Iurisperiti, *l. 1. ff. de ritu Nupt. Coniunctio maris, & fœminæ, consortium omnis vitæ, divini, & humani communicatio Iuris.* Explicant Matrimonii descriptionem pluribus Pontius *lib. 1. de matr. cap. 2. num. 6.* quorum aliqui rectè colligunt, hoc vinculum [illegible] iunctionem seu obligationem esse denominat[illegible] tam ex prædicta mutua traditione corporum, [illegible] omnia satis sit, innuisse breviter.

#### §. II. *Quotuplex sit Matrimonium.*

1. TRiplex est: Legitimum, Ratum, Consum[illegible] Legitimum (quod sic appellatur, sive [illegible] cundum leges sit, sive, quia legitimo initur [illegible] est ipse contractus naturalis, qui certè commune [illegible] omni Matrimonio, tum in lege naturæ, tum gratiæ [illegible] tum, est prædictus contractus inter Fideles, qui [illegible] rationem Sacramenti, ut §. *præced.* diximus, [illegible] quam habeatur copula maritalis. Consummatum [illegible] lud ipsum, quod ratum, sed postquam accessit [illegible] copula, ita dictum, quia perficitur, seu consum[illegible] sicuti venditio rei traditione perficitur. Vide, quæ [illegible] *p. 4. c. 7.*

2. Et quidem Ratum, etiam propriissimè, Matri[illegible] nium est, quia (etiam præscindendo ab actuali [illegible] in solo consensu, quo se coniuges obligant, per mutu[illegible] corporum traditionem vtrinque acceptam, tota effec[illegible] Matrimonii habetur, quale fuisse matrimonium [illegible] ginis cum S. Ioseph optime, brevibus, explicat Cabr[illegible] *disp. 2. p. 1. num. 3.* & legi potest S. Thom. *in 4. d. [illegible] quæst. 2. art. 1. quæst. 2. ad tertium.* Suar. *3. p. tom. 3. [illegible]* Sanch. *lib. 2. de matr. d. 28.* Avers. *quæst. 3. de matr[illegible]* Pont. *lib. 1. cap. 19.* Christoph. à Castro *in lib. de Bon[illegible] Virgine*, aliique.

3. Differunt autem permaximè, ut habet idem Cabr[illegible] pal. *loc. cit. num. 4.* prædicta Matrimonia in eo, quod [illegible] timum, favore fidei, solvi potest, cum alter ad fi[illegible] convertitur, alio quamvis renuente. Ratum verò [illegible] professione solemni Religionis. Consummatum [illegible] nunquam ut ex dicendis latius, & clarius habebitur, [illegible] que hinc, & *ex Cap. Deb. de bigamis*, atque ex Con[illegible] *ultimo Conc. Florent.* aptè colligitur triplex significa[illegible] in Matrimonio; Nam, quatenus est legitimus contrac[illegible] significat coniunctionem Dei cum Anima fidel[illegible] gratiam. Quatenus Sacramentum, præscindendo [illegible] pula, significat coniunctionem Christi cum tot[illegible] clesia per Baptismum. Quatenus Sacramentum [illegible] summatum, denotat coniunctionem Hypostaticam [illegible] Verbi Divini cum natura humana, quæ omnia [illegible] insolubilis est, perinde, ac matrimonium consum[illegible] tum.

4. Nos autem in hac secunda parte agemus de matrimonio legitimo quatenus scilicet dicit merum consensum naturalem; nam postea de matrimonio, ut Sacramentum est, sua erit distincta tractatio.

## CAPVT II.
### *De consensu requisito ad Matrimonium.*

#### §. I. *Qualis Consensus?*

1. NImis est certum, proprium consensum requ[illegible] ad matrimonium, quia tradi suum alteri non p[illegible] test sine consensu tradentis, multo magis proprium [illegible] pus, idque indissolubiliter.

2. Id, quod adeo verum est, ut neque Princeps [illegible] sæcularem, neque Ecclesiasticum posse dare in [illegible] sæcularem, neque Ecclesiasticum posse dare ius [illegible] corpore ad prolem suscipiendam, sine proprio vero [illegible] consensu, tradant communiter Doctores apud Sanch. *l. 2. de matrim. disp. 26.* & Gasp. Hurtad. *disp. 3. de matr[illegible] diff. 6. n. 15.*

3. Deum autem, qui est omnium corporum Do[illegible] minus, posse dare viro potestatem in corpus mulieris [illegible] & contra, sine ipsorum consensu, docet Sanc. *dict. disp.* [illegible] Lessi-

Leandr. *disp.6. de matrim.q.4.* Hurt. *l.c.* contra Filliuc. & Ochag. cum aliis, rectè addens, probabilius esse, illam traditionem tunc non esse Matrimonium: hujus enim essentia requirit mutuum coniugum consensum, ut hactenus dictum est.

4. Quod autem requiratur coniugum Consensus, & non alterius, v.g. parentum ad Matrimonii validitatem, habes luculenter apud Bellarm. *lib.1. de matr.c.19.& 20.* An verò licitè filius, invitis parentibus, consensum Matrimonio præbeat, diximus nos *lib....cap.2.§.3.* Lege item Barbosam *in Voto decisivo*, &c. an valeat statutum afficiens pœnis filios sine consensu parentum contrahentes: ubi affirmantes alios, melius negantes refert.

5. Denique, cum certum sit, nullum consurgere Matrimonium ex consensu ficto quæri posset an sic fictè contrahens obligetur verè consentire: sed id colligitur ex dictis supra, *tract.3. de sponsal.c.1.§.4.*

### §. II. *An sufficiat Consensus, quando à contrahente non cognoscitur impedimentum dirimens.*

1. TItius & Berta, dum sive uterque, sive alteruter dubitarent, an inter ipsos esset impedimentum consanguinitatis (idem dic quocunque impedimento dirimente) contraxerunt Matrimonium, sed non multo post cognoverunt, nullum fuisse ejusmodi impedimentum: fuitne validum Matrimonium? Quid secundo, si certò putassent, adesse impedimentum, quod verè non erat?

2. Respondeo ad primum, Matrimonium esse validum. Ita Sanch. *lib.2. matrim. disp.33.* Castrop. *disp.2. de sponsal. punct.5.n.9.* Hurt. *disp.3. de matr. diffic.7. n.21.* & communiter. Ratio est, quia sic contraxerunt quasi sub conditione de præsenti, si habiles sumus? at iam habiles erant, ergo iam absolutus de facto, atque adeo efficax fuit consensus.

3. Respondeo ad secundum, Matrimonium esse invalidum. Contra hanc responsionem habemus Sanchez *cit.* Covar. & Guttierrez adducto à Castrop. *loco citato num.8.* Ratio nostræ responsionis est, quia qui firmiter credit laborare impedimento dirimenti, nec absolutè, nec sub conditione potest efficaciter consentire Matrimonio; Non absolutè, ut certum est, & ipsi adversarii fatentur; quia id quod ut impossibile apprehenditur, non potest quis efficaciter velle. Non sub conditione, sic, *Si fortè possim, si fortè sim habilis, si fortè impedimentum non adsit*, nam si quis se sic haberet, iam non firmiter putaret, sed subdubitaret, se posse, se habilem esse, se impedimentum habere, atque adeo essemus in casu præcedentis numeri.

4. Neque obstat primum argumentum, quo utitur Sanc. *l.c.* quod scilicet excommunicantur, qui sic contrahunt, unde supponuntur, posse habere verum consensum, non obstat, inquam, nam excommunicantur, non quia validum fecerint Matrimonium, sed quia contrahere attentaverint.

5. Neque obstat secundum argumentum, quo Idem utitur, quia in iure ex sponsalibus nullis ratione impedimenti oritur publica honestas, modò adsit consensus, unde supponit Textus, posse adesse consensum cum impedimento dirimenti: non obstat, inquam, quia dictum ius disposuit, ut talis consensus attentatus pareret publicam dictam honestatem, quamvis verus non esset.

6. Neque denique tertiò obstat paritas ab eodem allata ab hæretico, qui quamvis certò putet, Baptismum non esse Sacramentum, tamen validè baptizat; non obstat, inquam, quia in hæretico supponitur, esse intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio prævalet. Hi quod non invenitur in casu nostro, ut supponimus. Lege Hurtad. *l.c.n.23.*

7. Quid si contraxerunt cum impedimento v.g. cum consanguinitate, sed deinde post dispensationem obtentam v.g. à Confessario, illi iterum consenserunt, quam tamen dispensationem ipsis Confessarius non aperuit, validúmne tunc esset Matrimonium?

Respondeo, adhuc invalidum? ita Bossius *de matr.c.2. n.82.* contra Paludan. & Ang. putantes esse validum saltem ex eo capite; quia, si aliud non addatur, consensus hic novus solum fuit ratificatio consensus prioris, qui cum fuerit nullus, consequenter & ipsa ratificatio nulla erit. Dixi (saltem ex eo capite) nam, an ex illo alio, quod nondum ipsi dispensationem concessam acceptaverint, colligi possit ex à me dictis *sup. lib.5. de pœn. in tract. de cas. reserv.c.9.§.1.à n.18.*

### §. III. *Circa quod versari debet consensus contrahentium.*

1. COntroversum, & sanè dignum, quod explicetur, est, de quanam re debeat, seu circa quod objectum debeat versari consensus, tum ut validum sit, tum ut licitum matrimonium? In Matrimonio enim tria veluti collecta inveniuntur. Bonum Sacramenti, Bonum prolis, Bonum fidei hoc est Matrimonium ex natura sua Primò, affert indissolubilitatem, quia est Sacramentum iuxta illud Sancti Pauli *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, ut scilicet, sicuti Christus Dominus indissolubiliter est coniunctus cum Ecclesia, ita vir cum vxore modo superius explicato. Secundò, affert intentionem generandi prolem, illamque educandi. Tertiò, necessitatem servandi fidem inter ipsos coniuges: atque ad horum aliquod reducuntur alia in matrimonio inclusa, qualis est cohabitatio coniugum, obligatio reddendi debitum, & similia.

2. Quærimus ergo, An si quis matrimonium contrahat, non intendendo prædicta omnia bona inclusa in matrimonio, validè, & licitè contrahat? Quid, si intendat alios fines extrinsecos matrimonio: intendat, v.g. divitias ex dote acquirere, honorem ex familia, coniugii voluptatem, & similia?

#### *An validè?*

3. Si quis mente intendat, sivè explicitè, sive implicitè (quod implicitum hîc evenit, quando non intenditur contrarium) se obligare ad illa tria, scilicet ad perpetuitatem, ad prolem, ad servandam fidem, validè matrimonium contrahit; invalidè verò, si positivè habeat animum non se obligandi ad hæc. Ita Sanch. *lib.2. matr. d.29.* G. Hurt. *de matr. disp.3. diff.1.* aliique. Ratio quæ dictum hoc simul probat, & explicat, est, quia, ut modò diximus, de essentia matrimonii est consensus tradendi corpus, quo consensu coniux se obliget, ad prolem generandam, fidémque servandam. At verò ipsa executio generationis, vel ipsa actualis custodia fidei de essentia non est: possum enim ego, me obligare; v.g. ad servandam castitatem, licèt animum habeam ejusmodi obligationem (sanè cum peccato) non observandi. Cum igitur prædictus contrahens, de quo loquimur, intendat se, sive explicitè, sive implicitè, ut dixi, hanc obligationem subire, substantiam matrimonii ponit, atque adeo contrahit validè; imo id etiam erit, si intendat, se obligare ad status perpetuitatem, quod est Bonum Sacramenti, cætera verò bona, puta Bonum prolis, & Bonum fidei, non excludat. Nam sic, quasi in radice includit cætera dicta Bona.

4. Quod si omnem obligationem, vel etiam solum unam ex prædictis tribus, v.g. perpetuum statum excludat, tunc nullum esse Matrimonium patet ex dictis, quia non habetur sic matrimonii essentia. Lege Hurtad. *disp. 7. diff.9.* & Perez *de matr. di.13. sect.5.*

#### *An licitè?*

*Vbi, qualis finis debeat intendi à contrahente Matrimonium, ne is peccet.*

5. Finis alius est principalis, ad quem scilicet quis princi-

paliter intendens, aliquid agit. Alius secundarius, à quo quis non raro applicatur ad agendum, Celebras v.g ut Sacrificium Deo offeras? Ecce causam, seu finem principalem. Sed id hodie facis, aliter non facturus, quia eleemosynam invenisti? ecce finem secundarium, & quem vocamus etiam impulsivum, quo actu applicaris ad celebrandum: nam illum primum vocare solemus motivum.

6. Iam in Matrimonio contrahendo, potest Primo, esse finis tradendi mutuo corpora, quæ, ut modo dicebam, est obligatio, in qua tanquam in radice includitur obligatio prolis generandæ, & obligatio reddendi coniugi debitum, & cætera modo *num.*2. explicata, & in Matrimonio inclusa.

7. Secundò, potest esse finis adhibendi remedium concupiscentiæ, seu evitandi fornicationem, vel habendi coniunctionem mutuam, obsequium, & similia, quæ includuntur quidem in Matrimonio, sed tanquam quædam secundaria; nam præterea vocantur, & sunt fines secundarii institutionis Matrimonii.

8. Tertiò, possunt esse fines quilibet alii qui nec primario, nec secundario includuntur in institutione Matrimonii, nam properea sunt, vocanturque fines extranei Matrimonii, quos scilicet coniuges ipsi non raro adhibere solent, ejusmodi est finis acquirendi divitias, voluptatem, bonum nomen, honestam familiam, &c. His positis,

9. Dico Primò. Cum quis contrahit Matrimonium more ordinario, illique consentit ob finem prædictum principalem, vel ob aliquem ex inclusis in ipso principali fine, vel ob aliquem ex finibus prædictis secundariis, non excludendo expresè principalem, licitè contrahit. Ratio est, quia sic se conformem reddit ejus institutioni, & non est, unde culpa oriri possit.

10. Dixi (more ordinario) nam posset licitè contrahi Matrimonium cum sola intentione se obligandi ad mutuam corporum traditionem, præscindendo à copula, immo copulam excludendo, & sic fuisse Matrimonium Sanctissimæ Virginis, & Sancti Ioseph, suprà insinuavimus, & iterum dicemus clarius infrà *c.*5. §.8. *n.*5. *fine*.

11. Dico Secundo. Si quis per suum consensum ordinet suum Matrimonium ad aliquem ex finibus extrinsecis dictis *num.*8. non excludendo expresse fines illos matrimonii primarium, & secundarium, peccabit quidem ex communi sententia cum Sanch. *lib.*2. *matr. d.*29. *num.* præsertim 21. & Layman, *lib.*1. *tr.*10. *& tract.*4. *n.*2. & 3. aliisque, sed non mortaliter. Ratio est, quia, licet non sit magna deordinatio, cum implicite remaneant illi fines, unde non sit culpa mortalis; aliqua tamen adest deordinatio, dum tam explicitè intenditur finis extrinsecus, & alienus à finibus, ob quos institutum est matrimonium.

12. Quod si excluderentur expresse fines primarii, nec consentiret quis obligationi tradendi suum corpus, &c. tunc, & matrimonium esset nullum, & consequenter id sic intendere, foret mortaliter illicitum, quia sic irritum redderetur Sacramentum.

13. Dico Quarto. Quamvis sententia dicta *n.*11. probabilis sit, & communiter recepta, tamen probabilis est etiam opposita, excludens etiam peccatum veniale, ut sustinent Castropal. *disp.*2. *de sponsal. quæst.*10. *n.*3. & 4. Coninch. *disp.*25. *dub.*2. *concl.*3. & 4. Pontius *lib.*2. *c.*21. *n.*13. Vel enim hi extrinseci fines ex se honestatem moralem habent, ut esset pax Reipublicæ, concordia consanguineorum, familiæ nobilis conservatio, fornicatio vitanda, &c. & tunc aio, te venialiter non peccaturum, si ob ejusmodi fines Matrimonium contrahas, quia dum finem illum principalem procreationis sobolis, &c. non excludis, & aliquem ex his extraneis, qui ex se honesti sunt, intendis, non est, unde culpam ullam committas: Quæ enim culpa est, honesto medio, quale est Matrimonium, velle acquirere illud, quod ex se honestum item est?

Vel hi extrinseci fines, ex quorum aliquo [illegible] Matrimonium, sunt ex se indifferentes, [illegible] divitiarum, voluptatis, non peccaminosæ, [illegible] & tunc etiam aio, te, nec peccaturum venialiter, [illegible] hendo ab aliquo alio inconvenienti? Ratio eadem, quia, dum non excludis finem principalem, [illegible] nulla est culpa, velle aliquod temporale acquirere [illegible] aliquo honesto actu. Sanè culpam non committeret, [illegible] celebrat, Sacrum non celebraturus, v.g. hodie [illegible] dium lucretur, modò remaneat intentio principalis [illegible] crificandi in honorem Dei, quæ semper remanere [illegible] supponimus, siquidem peccaminosum non est, [illegible] rari. Ita igitur in casu nostro. Et ad hoc fortè [illegible] Sanch. *l.c. n.*25. dum denique fatsus est, [illegible] adhibendis his finibus, ne venialiter quidem [illegible] quia dum remanet implicitè, modo dicto, finis principalis, cæteri (ait) non tam sunt fines operis, quam motivum, & applicativum operantis.

## CAPVT III.

### *De consensu externo requisito ad Matrimonii valorem.*

1. INterno consensui debet accedere mutuus consensus externus, ut Matrimonium valeat, tum quia [illegible] contractus consistit, nisi fiat externè; debet enim [illegible] sci ab altero, cum quo contrahis, tum quia Matrimonium est Sacramentum, atque adeo ex Christi [illegible] institutione, necessariò signum sensibile, id est [illegible] Sanch. *lib.*2. *de matrim. disput.*30. ut dicat esse [illegible] bilius (certum esse ego dicerem libentius) [illegible] vtriusque coniugis externo consensu posse Matrimonium consistere, etiamsi Deus utriusque consensum [illegible] ternum vtrique revelet; quod profectò nimis [illegible] in hoc præsente rerum statu, in quo matrimonium [illegible] elevatum ad rationem Sacramenti, quod, ut dixi, [illegible] sensibile secundum præsens ejusdem Dei Decretum, [illegible] debet.

2. Sed internum consensum exprimi quibus [illegible] signis, satisne erit, an necessariò debent accedere [illegible] in iis, qui loqui possunt? in illis enim, qui loqui [illegible] rent sufficere alia signa iam scimus defuisse [illegible] *C. cum ap. & C. Tua de sponsal.*

3. Respondeo, etiam in potentibus loqui, [illegible] quælibet signa ad validitatem matrimonii. Ita Sanch. *mat. d.*31. *n.*5. cum sexcentis Auctoribus ab ipso allatis, quidquid aliqui apud eundem ibidem negent ex eo [illegible] putant Sacros Canones decrevisse, semper esse necessaria verba in potentibus loqui. Sed ratio nostræ doctrinæ [illegible] quia ex una parte hi Canones non rectè adducuntur, [illegible] ciléque ad eos respondet Sanch. *l.c. n.*10. ex alio [illegible] Christus Dominus hoc Sacramentum matrimonii, [illegible] tuit per modum contractus, seu rationem contractus [illegible] vavit ad rationem Sacramenti: at quilibet contractus [illegible] gno impleri potest. Confirmatur ex Concilio Florentino, [illegible] in cujus Decreto de Sacramentis sic habetur: *Conjugium per verba regulariter expressus facit Matrimonium*, [illegible] ta illud (*regulariter*) non ergo semper, & necessario.

*An licitè solis signis Matrimonium contrahatur.*

4. Inquires Primò. Qui cum possit loqui, matrimonium contrahit solis nutibus, vel signis, peccatne?

Respondeo, certè non invenio præceptum hoc [illegible] quare, qui signis utatur certis, & non dubiis (nam [illegible] esset mortale ob incertitudinem matrimonii, [illegible] quentem, & ob scandala, ac lites, inde facile [illegible] ra) non video, unde peccatum committat. Et quamvis Sanchez *l. c.* dicat esse veniale, si [illegible] terveniat, cur debes uti signis, & non verbis, quæ [illegible] inquit, à ratione alienum aliquam deordinationem [illegible] tinens, in hoc gravissimo contractu non expedit, [illegible] consilium

consensum commodiori modo, quo potest, scilicet verbis; nihilominus, quia nos in humanis actionibus, ne sub veniali quidem obligamur perfectissimo modo, & certissimo agere, sed satis abundè est, si perfecto, & certo modo agamus, ideo etiam à veniali signis certis contrahens liberandus est. Ita Castropal. *d. 2. de sponsal. p. 7. n. 5.* qui utitur alia ratione à nostra, quia, inquit, ubi lex non est, nec prævaricatio esse potest, ut dicit Sanctus Paulus. Verùm hæc ratio non solvit argumentum allatum à Sanch. hic enim contendit, ut modo vidisti, adesse legem naturæ dictantem, alienum esse à recta ratione, in hac gravissima re certissimum modum contrahendi negligere. Expeditius ergo nos negamus, adesse ejusmodi legem, recta enim ratio in moralibus non dictat sub aliqua deformitate, nisi, ut utamur modo certo, non autem, ut certissimo.

*Quinam ex coniugibus prius consentire debeat per sua signa?*

5. Inquires Secundo, pro praxi, Quinam prius est interrogandus, ut prædictum consensum externum præbeat, vir, an mulier?

Respondet Covarr. honestum esse, ut prius fœmina: At Ioannes Andreas honestius esse putat, vir, qui est caput mulieris, atque hunc sequitur Sanc. *l. c. n. 12.* eosdem referens. Ego censeo, sequendam consuetudinem uniuscuiusque, Ecclesiæ ut insinuatur à Rituali Romano, ubi de Ritu servando in Matrimonii Sacramento agitur; ab eodem tamen Romano Rituali prius interrogatur vir, postea mulier, id, quod in nostra Diœcesi Panormitana servamus.

*Qua verba, vel signa sunt ad Matrimonium necessaria?*

6. Inquires Tertiò. Quæ verba, vel signa requiruntur, vel sufficiunt ad ejusmodi consensum exprimendum.

Respondeo, Regula generalis hæc esto. Illud verbum seu signum requiritur; & sufficit, quod certò in circumstantiis, in quibus efformatur, exprimat internum consensum. Quæ autem in particulari ejusmodi sint, satis colligi potest ex iis, quæ dixi paulò superius, *tr. 3. de sponsal. c. 2. §. 3.* præsertim *à n. 17.* & latè habet Sanchez, *lib. 1. matr. 4. disp. 18.* breviter autem Castropalaus *l. c. p. 8.*

*Quam simultatem verba contrahentium habere debeant?*

7. Inquires Quartò, Necessène est, ut simul proferant suum consensum vir, & mulier?

Respondeo, nequaquam; nam satis est, si unus post alterum proferat, dummodo consensus alterius non fuerit revocatus, isque moraliter perseverare censeatur; si quidem, nec ratio contractus, nec ratio Sacramenti maiorem simultatem requirit. Ita Aversa *quæst. 3. de matr. sect. 6.* contra aliquos contrarium sentientes, ita etiam Sanch *lib. 2. matr. disp. 32.* cum aliis multis.

Nec obstat Concilium Tridentinum, *sess. 24. c. 1. de Ref.* ipsum enim, requirit quidem præsentiam Parochi, & Testium, sed nihil innovat, quoad simultatem, de qua loquimur, & certè etiam in humanis aliquibus contractibus requiritur præsentia Notarii, & Testium; sed non inde infertur necessitas simultanei consensus contrahentium.

8. Consensus autem alterius non perseverare, sed revocari censetur vel explicitè, ut si positivè, incipiat dissentire, vel implicitè, ut si v. g. consentiat per verba de præsenti cum alia, vel si transeat tempus, pro quo fortè consensit, vel quando tempus nullum fuit præfinitum, transeat tantum temporis, ad quantum in talibus circumstantiis prudenter censeatur (secundum varias sententias, quas mox referam) non se extendi intentio contrahentis. Lege G. Hurtad. *disp. 3. de matr. diff. 8.*

9. Addit Sanch. *loc. cit. num. 4.* Si, altero volente non statim consentire, prior, qui consenserat affirmet, se consensum nunc revocasse, ipsi esse credendum, quia, nisi contrarium constet, præsumitur quis consensisse sub conditione, si alter statim assensum præbeat, præsertim quando est præsens, nec per Procuratorem, vel Epistolam initur Matrimonium. Adde æquum non esse, ut prius consentiens debeat expectare ad quodcunque libitum alterius, &c.

10. Si urgeas: Ecquodnam temporis intervallum potest intercedere inter consensum unius, & alterius, ut Matrimonium validum contrahatur?

Respondeo, quodcunque tempus concedit Navarrus, quem citat G. Hurtadus *disputat. 3. de matr. diff. 8. n. 25.* dum alter non revocat. Si septennium non transeat, dixit Sotus. Si biennium, Henriquez, apud Sanch. *l. c. n. 4.* Si annus, Ledesma apud Hurtadum cit. Denique ipse Sanch. id prudentis arbitrio relinquit, attentis particularibus circumstantiis: nam Matrimonium (ait) est Sacramentum fundatum in contractu civili; quare illud tempus intercedere potest inter consensus unius & consensum alterius, quod non destruit rationem contractus civilis. Cum ergo à multis circumstantiis pendeat, an civilis contractus iudicetur persistere, necne ex tanto, vel tanto temporis intervallo, rectè eæ circumstantiæ semper erunt expendendæ. Quis enim neget, maius tempus posse intercedere, quando per Procuratorem contrahitur Matrimonium, quàm, quando per principalem, & maius, quando per Epistolas missas v. g. ad Indias, si ibi inveniatur unus ex Sponsis, quàm, si per verba, inter præsentes? Hæc sententia esset excipienda, nisi scrupulis daret aditum, dum frequentissimè timoratus dubitaret, an expensæ omnes circumstantiæ fuerint.

11. Excipiatur igitur à nobis prima sententia Navarri, concedentis quodcunque tempus. Quam sententiam sequitur Bossius *de contr. matr. c. 2. n. 40.* citans Maiorem, Lessium, Bonac. Coninch. Covarr. aliosque; & ratio est eadem, ac modo dicta, sed sine limitatione, quia scilicet Matrimonium est ex iis contractibus, qui subsistunt, non revocato consensu ab altero, si alter, quocunque tempore, consentit: id quod non potuit negare ipse idem Sanch. *lib. 2. matr. d. 32. n. 7.* in eo casu quo post longissimum tempus, ratificatur Matrimonium ab altero, qui fictè initio consenserat, de qua re suo loco, inferius.

---

# CAPVT IV.

## *De Consensu dato absenti.*

### §. I. *Per Procuratorem.*

1. SVpponimus tanquam certum, & ab aliis passim probatum, posse per Procuratorem contrahi Matrimonium, illudque esse Sacramentum, eiusque Ministros, & suscipientes esse ipsos principales, non verò Procuratorem.

2. Supponimus item ex Sacro Textu, *Cap. fin. de procurat. in sexto.* Procuratorem instituturum ad Matrimonium imo & ad sponsalia, ex Sánchez, mox citando, ut legitimus sit, debere habere speciale mandatum ad Matrimonium circa determinatam personam, non posse limites mandati excedere, & nec posse, alterum sibi substituere, nisi hoc expresè contineatur in mandato. Lege Coninch *disp. 24. dub. 9. à n. 67* Pont. *lib. 2. c. 15.* Castr. *d. 2. de sponsa. p. 9.* Sanch. *l. 2. matr. d. 11. n. 15.* alioque. Et Sanc. quidem rectè notat, non esse necessariam sexuũ diversitatem in ejusmodi Procuratoribus, sed posse esse duos viros, vel duas mulieres, quia non contrahunt nomine proprio, sed alieno. Rectè etiam notat Coninch. quem sequitur Aversa mox citandus sufficere generale mandatum quo aliquis expresse consensisset in eam, quam Procurator electurus est, & mandasse, ut suo nomine, cum ea sine ullo responso contraheret. Cuius rationem ego puto esse illam, quia sic est ad certam personã. Denique rectè notat Aversa *q. 3. sect. 5. Iam verò.* Procuratorẽ ad Matrimonium posse esse cuiuslibet ætatis, dũmodo sit compos rationis, & cuiuscunque qualitatis. Quamvis ergo ex iure, *C. Qui generalit. de procur. in 6.* in Procuratore requi-

ratur ætas decem & ſeptem annorum, tamen hoc non requiritur, niſi ſecundum qualitatem negotiorum, vbi eſt neceſſaria induſtria perſonæ. Quare in Procuratore vbi non requiritur, niſi expreſſio conſenſus; & de quo nulla eſt juris diſpoſitio in contractum, dicta ætas neceſſaria non erit. Ita Perez, Reginald. aliique apud Dianam *p.11.tr.3. reſ.33.*

*An conſtituì Procurator debeat in præſentia Parochi?*

3. His ſuppoſitis. Prima difficultas eſt, an, quando is, qui futurus eſt conjux, conſtituit Procuratorem ad matrimonium, debeat ejuſmodi mandatum dare in præſentia ſui Parochi, & Teſtium?

4. Reſp. Ita requirunt aliqui apud Caſtr. *l. c. n.4.* Verum cum communi ſententia, & cum Sanch. Coninch. & eodem Caſtrop. *l.c. n.5.* eos citante, certum ſit, id non requiri. Ratio efficax eſt, quia Trid. requirit præſentiam Parochi, & Teſtium, quando contrahitur matrimonium ut illi teſtari poſſit de jam contracto, nihil verò diſponit de mandato ad contrahendum: at matrimonium contrahitur, quando Procurator nomine alterius præbet conſenſum ſuſcipitque conſenſum alterius, non verò, quando conſtituitur Procurator ad illud. Advertendum tamen eſt, ita dari ejuſmodi mandatum debere, ut poſſit probari, & conſtare Eccleſiæ, ipſum datum fuiſſe. Quare, quamvis omnes concedamus, ut habet Sanch. *l.c. n.14.* procurationem hanc, ſeu mandatum, poſſe dari ore tenus, ſine ſcriptura, ſicuti poteſt, quodcunque aliud mandatum, omnes tamen advertimus, pari modo conſtare debere, idem mandatum oretenus fuiſſe datum.

Hinc cum eodem Sanch. & Boſſio *de matr. c.3. n.203.* Lege item Coninch. *d.24. à n.77.* dicimus, Parochum, & Teſtes non obligari ad videndum litteras mandati; ipſi enim ſolum Teſtes eſſe debent de ipſo conſenſu matrimonii facto à Procuratore, qui ſit de facto legitimus, non verò, ut legitimus cognitus ab ipſis.

*Revocatio conſenſus conjugis, antequam Procurator ejus contrahat, quid operetur?*

5. Secunda difficultas. Conſtituit Titius ejuſmodi Procuratorem, juravitque ſe perſeveraturum in conſenſu ad matrimonium cum Berta, v. g. ſed deinde (eſto cuſi peccato) antequam Procurator officium impleat, revocat Titius conſenſum, ſive expreſsè, ſive tacitè per nova v. g. ſponſalia cum alia, vel per novum mandatum contrahendi cum alia, &c. Validúmne erit matrimonium, ſi Procurator hujus revocationis inſcius contrahit nomine Titii cum Berta.

6. Reſpondeo, non fore validum, etiamſi ſolum mente conſenſum revocaverit, quia eſſentiale eſt contractui matrimonii, adeſſe conſenſum vtriuſque conjugis, nunc autem jam vnius conſenſus deficit.

7. Dices. Alii contractus politici validè fiunt per Procuratorem revocatum, quando revocatio, nec parti, nec Procuratori, nota eſt, ut habetur *L. ſi man. ff. mandati*, & *alibi*: ergo, & in conſenſu matrimonii. Reſpondeo, negatur conſequentia: nam Reſpublica, vel Eccleſia ſupplere poſſunt conſenſum contrahentium circa res temporales, & politicas, vnde pro quiete, & bono publico ſupplent in caſu dicto; at circa matrimonium ſupplere nequeunt, cum ſit de hujus eſſentia proprius conjugis conſenſus, ſine quo per nullam auctoritatem conſiſtere matrimonium poteſt.

8. Nota, ſi poſt conſenſum datum Procuratori; diſſentias quidem, ſed deinde iterum eo tempore aſſentias, quo procurator nomine ſuo contrahit, validum fore matrimonium: quia tunc jam adeſt conſenſus. Ita *l. c. n.2.* Caſtropalaus.

*Procurator ad Matrimonium fictè conſtitutus.*

9. Tertia difficultas. Quando conſtituiſti Procuratorem fictè, & non vero animo, ſed poſtea eo tempore Procurator nomine tuo contraxit; verum conſentiebuiſti, validúmne ejuſmodi tuum matrimonium *n.13.* quia jam adeſt conſenſus requiſitus. Vtrum nunc *d.24. dub.9. n.72.* longe melius negat. Ratione cum prima conſtitutio Procuratoris fuerit nulla effectu tui conſenſus, is non potuit, quando contrahere matrimonium contrahere ut verus Procurator nulliter contraxit. Ergo parum juvat te longe diconſenſiſſe, oportebat enim de novo Procuratorem timè conſtituere ad tuum conſenſum exprimendo.

*In amentiam incidens poſt Procuratorem conſtitutum.*

11. Quarta difficultas. Quid ſi impediatur ſenſus ex eo capite, quod antequam tuus Procurator contrahat, fias amens; valebitne Matrimonium ctum à tuo Procuratore, te perſiſtente in amentia mandatum incurſa?

12. Reſpondeo. Valere aſſerit Caſtrop. *l.c.* Sanch. Coninch Gutt. adde Bonac. *q.2. p.5. n.13.* cum aliis, quia matrimonium per Procuratorem ex vi conſenſus, quem habeas tunc, quando curator contrahit, poſſet enim evenire, ut tunc ebrius, vel dormires, & tamen nemo negat, in ebrietatis, vel ſomni, validum eſſe illud matrimonium ſed fit ex vi conſenſus, quem dediſti, quando Procutorem conſtituiſti, at mente tunc firmus eras. Averſ. *q.3. ſect.6. V. Hoc tamen.* Et Dian. *q.3. n.4.* quem ſequuntur alii, aſſerit, nequaquam valere, præter cæteras, eſt, quia (inquit Averſa) amentia hominem extra ſtatum humani commercii, & humanæ rationis; Vnde videtur extinguere conſenſum antea ab hujuſmodi homine datum. Commo efficacius, quia hîc non adeſt ſufficiens conalterius conjugis mente ſani, nam, quando hic conſentit acceptando, & ſe invicem alteri tradendo, intelligit, ſe conſentire ad matrimonium cum quæ ſecundum communem hominum vel mulierum tum, humana ſit: At amens eſt extra hunc ſtatum de hic videtur adeſſe error in perſona, qui matrinium nullum ſine controverſia parit. Hæc ſententia ſterior mihi arridet: Noto tamen locutionem eſſe ra amentia, non autem de Phreneſi ad aliquod hæc enim æquiparatur ebrietati, & non amentem à ſtatu humano.

14. Dices. At alia Sacramenta valida ſunt, conferantur amenti, ſi is ante amentiam tale per ergo non idem dicamus in Matrimonio: Reſpondsuſcipiens alia Sacramenta. v. g. qui baptizatur, debet eſſe ſubjectum Baptiſmi, ad quod ſatis petiiſſe, nec petitionem fuiſſe revocatam; at deſtes matrimonium, ſunt etiam miniſtri, & legum conſenſum debent elicere dum adminiſtrant. Cum in caſu noſtro, ſaltem alter coniux, qui eſt ſanus conſentit, ut dictum eſt in perſonam amentis, fit trimonium non poterit.

*Verba Procuratoris ad Matrimonium.*

15. Quinta difficultas. Quibus verbis debet Procurator vti, quando, nomine principalium, matrimonium contrahit? Reſpondeo. His vel ſimilibus verbis. *conſentit in te vel accipit in te virum, vel vxorem, mediante*, vel *Recipio te in virum & vxorem nomine perſonæ.* Ita Sanch. *diſp.11. dit. num.16.* Sed, quinam Parochus debeat aſſiſtere huic matrimonio per Procuratorem celebrato? Reſpondeo, de hoc agam infra *de ſolemn. c.2. §.5. n.23.*

§. I

### §. II. *Per Epistolam.*

1. CVm certum sit, etiam per Epistolam, ut cæteri civiles contractus posse Sacramentum Matrimonii celebrari, solum hîc ejus praxim apponere debemus, quam his verbis affert Castrop. *p. dicta d. 2. p. 9. Debet traditio, & acceptatio utriusque contrahentis coram eodem Parocho, & Testibus fieri, aliàs non possent testari de Matrimonio. Id vero fiet, si scribas Mariæ, te ipsum in maritum ei tradere, eamque in uxorem, ex tunc accipere: ipsaque legens litteras coram Parocho, & Testibus, assumet, se etiam tibi tradere, & traditionem à te factam accepisse Eu tibi, quomodo traditio, & acceptatio utriusque contrahentis sit coram Parocho, & Testibus. Existimo tamen, necessarium esse, quod Parochus, & Testes agnoscant tuas litteras, ut sic sciant, cujus traditionem mulier acceptat, ut notavit Coninch.* Hæc Castropalaus.

2. Dices, Is, qui per Epistolam (idem) qui, per Procuratorem) contrahit Matrimonium, ignorat, an alter sit bene dispositus ad Sacramentum ejúsque effectum suscipiendum: Ergo subit periculum cooperandi cum peccato alterius, si fortè ille sit in statu peccati.

3. Respondeo. Cum quilibet, sit existimandus bonus, nisi contrarium constet, poterit alius morali certitudine præsumere, alium esse bene dispositum.

4. Illud certè advertendum est, ipsos principales contrahentes debere esse in statu gratiæ, non quidem necessario eo tempore, quo Procuratorem constituunt, vel Epistolam scribunt, sed eo, quo verisimile est, fore, ut Procurator nomine ipsorum contrahat, vel quo Epistola legatur, quia, ut diximus, & fusè dicemus inferius, ipsi principales sunt Ministri, & susceptores hujus Sacramenti. Lege Sanch. *dicta disp. 11. n. 29. & 30.* Procurator autem ipse non peccat, si, dum contrahit Matrimonium, est in statu lethalis peccati: quia nec recipit in se Sacramentum, nec nomine suo ministrat.

*Duæ Monitiones ad contrahentes per Procuratorem, vel Epistolam.*

5. Prima. Sanch. *l. c. n. 31.* hîc appositè monet, optimè facturos contrahentes per Procuratorem, vel Epistolam, si deinde per se ipsos iterum contrahant, ut certius sit matrimonium, si fortè illegitimum quid intercurrerit. *Ne timeas* (inquit) *de iteratione, quæ licet in aliis Sacramentis, manente eadem materia, prohibeatur, non tamen prohibetur in Sacramento Matrimonij, quia hoc fundatur in ratione contractus ciuilis, qui iterari ex se potest, & solet.* Adde tamen (ut patebit ex iis, quæ dicentur inferius *tract. 5. de matr. vt Sacram. cap. 3. n. 3.*) non semper fieri Sacramentum, quoties renovatur consensus, sed solum, quando primo, perficitur contractus, si antea propter aliquem defectum legitimè perfectus non fuit.

6. Secunda. Prudenter monet Coninch. *d. 24. num. 80. fine*, in hunc modum: *Sed hæc* (contrahere scilicet per litteras) *extra necessitatem non sunt practicanda, quia aliæ viæ commodiores possunt facilè reperiri.* Hæc ille, & certè, etiam quando est necessitas, securior via est per Procuratorem, quàm per litteras.

---

# CAPVT V.

## *De Consensu conditionato.*

### §. I. *Quid, & quotuplex sit conditio.*

1. MAtrimonium (sicuti, & cæteri contractus) potest, quantum ad præsens institutum facit, duplici modo contrahi. Primò, absolutè, ut, *Te in vxorem duco.* Secundò, sub conditione, ut, *Te in vxorem duco, si tuus Pater approbaverit*; Qui duo modi contrahendi, valdè differunt; Consensus enim absolutus vult, & de facto parit eodem ipso momento, quo exhibetur, translationem dominii in corpus: At conditionatus vult quidem eandem dominii translationem, sed vult, eam non haberi, si apposita conditio deficiat. Lege G. Hurt. *d. 7. differ. 1.*

2. Hinc fit, ut Matrimonium absoluto consensu celebratum, nihil expectare debeat, ad suos effectus producendos. Debeat verò celebratum consensu conditionato; suspenditur enim perfectio contractus, vsque ad adventum conditionis, nam propterea nihil interim innovandum, nec conjuges se, ut tales tractare queunt.

3. Iam verò ejusmodi conditionum divisiones variæ sunt. Prima divisio; Alia est de præsenti: ut, *Te duco, si virgo es.* Alia de præterito, ut, *Te duco, si sacro interfuisti*; Alia de futuro, ut, *Te duco, si Panormum te transferes: si tantam dotem dabis, &c.*

4. Secunda divisio. Quæcunque ex dictis conditionibus potest esse de re impossibili Physicè, ut, *si volabis, si volasti, &c.* vel de re admodum difficili, quæ æquiparatur impossibili, imò, & impossibile vocatur, ut, *si montem aureum mihi donaveris*, vel de re impossibili moraliter id est de re turpi, seu contra leges, ut, *si mendacium dixeris, &c.*

Rursus potest esse de re possibili, sive necessaria, ut, *Si cras orietur Sol*; sive contingente, ut, *si Navis ex Asia venerit.*

5. Tertia divisio. Hæc contingens potest esse, vel solum dependens à tua potestate, nam ideo dicitur potestativa, ut, *si Venatum ibis*; Vel casualis, ut, *si cras fulgurabit, si Navis ex Asia venerit, &c.* hæc enim in tua potestate non sunt; Vel mista, id est partim dependens à tua potestate, partim à potestate alterius, ut, *si officium à Rege impetravero*, id enim dependet à me acceptante, & à Rege officium conferente.

6. Hîc te moneo, has Contingentes conditiones non rarò apponi, tanquam terminos, vel tanquam diem præfixum, non tanquam conditiones, ut, *Duco te, si morietur meus pater*, id est *quando morietur.*

7. Quarta Divisio admodum notanda. Conditionum alia est, quæ inest contractui, & à contractu exposcitur, sine qua scilicet contractus esse non potest, ut, *Te duco, si tu consenseris.* Alia, quam contractus ipse non exigit, nec tamen est contractui contraria, ut, *Si pater consenserit, si mendacium dixeris, si furtum feceris, &c.* Alia, quæ ipsi contractui contraria est, ut, *Te ducam, si non transtuleris dominium tui corporis ad prolem generandam.*

8. Quinta denique. Alia est positiva, ut sunt præcedentes, præsertim, quando dependent ab altero ex coniugibus, ut, *Te duco, si Romam adieris.* Alia est negativa, ut, *Te duco, si Romam non adiveris.*

9. Adverto Primò, aliquos nihil distinguere inter Matrimonium conditionatum, & consensum conditionatum; Sed certè Sanch. *lib. 5. d. 5. num. 5.* benè docet, consensum posse esse conditionatum, Matrimonium verò nequaquam, quia nimirum, quando consensus est conditionatus, nullum adhuc est verè Matrimonium; at quando deinde purificata est conditio, fit verum Matrimonium, quod jam nullo modo conditionatum est, sed absolutum, quia per adventum, conditionis transiit in absolutum. Vides ergo quomodo Matrimonium nunquam est, ni si absolutum. Moneo nihilominus, nos, & Doctores passim vti hac voce Matrimonii conditionati, per illam solum significantes, tunc Matrimonium nondum esse perfectum.

10. Adverto Secundò, quando inferius sæpè dicemus, per aliquas conditiones ex dictis vitiari contractum Matrimonii, sensum esse tunc Matrimonii contractum esse nullum. Quando autem dicemus, aliquam ex iisdem conditionibus rejici, seu haberi pro non adjecta sensum esse, contractum esse validum, de conditione autem illa nihil esse laborandum: cum habenda sit perinde ac apposita nequaquam fuisset. Sed per singulas conditiones discurramus.

### §. II. *Matrimonium ſub conditione præſenti, vel præterita.*

1. CONditio de præſenti, vel de præterito non ſuſpendit Matrimonium, ſeu non reddit illud conditionatum, ſed, vel eſt certo Matrimonium, vel certo non eſt. Ratio ducitur ex natura contractus conditionati cujuſcumque. Si enim conditio exiſtit, vel extitit, jam purificata eſt conditio, & conſequenter certo contractus obligat: ſi verò non exiſtit, vel non extitit, jam non adeſt conditio, & conſequenter contractus vitiatur, & certo non obligat, quia ſolum ſub illa voluit, ſe obligare contrahens. Ita Sanch. *l. 5. matr. d. 6. n. 1.* De Lugo *d. 22. de Iuſt. num. 335.* aliique.

2. Extenditur hæc doctrina ad conditiones turpes; quamvis enim mox dicturi ſimus, conditionem turpem de futuro vitiare contractum, & illum reddere nullum, ſtamen eadem conditio turpis de præſenti, vel præterito, ſicuti non ſuſpendit contractum, quia, ut dictum eſt, conditio de præterito, vel præſenti certo exiſtit, vel certo non extitit, ita non vitiat. Ratio autem differentiæ eſt, quia, ex turpi de futuro, allicerentur homines ad turpia patranda, ſi contractus ſuſtinendus eſſet media illa turpi conditione futura, at hoc inconveniens non adeſt in turpi de præſenti, vel de præterito, cum tunc ſupponatur, delictum jam fuiſſe patratum, ergo non eſt, vnde non ſuſtineatur.

3. Extendenda eſſet eadem doctrina data *num.* 11. ad conditiones de præſenti, vel de præterito phyſicè, impoſſibiles, id, quod colligetur ex dicendis mox §. 5. & videri poſſunt Pontius, *lib. 3. cap. 4. num.* 12. & Caſtropalaus *d. 2. p. 11. §. 3. n. 5.* extendentes; Thomas verò Sanchez *l. 5. d. 4.* non extendens.

4. Inquires. Ad valorem Matrimonii requiritúne cognitio exiſtentiæ talis conditionis, v. g. ſi ſic tecum contrahat puella; *Si es nobilis, vel ſi habes, vel, ſi habuiſti officium a Rege, tecum contraho:* neceſſéne eſt, ut ipſa ſciat tuam nobilitatem, vel tuum officium? Quod, ſi non novit, dicendúmne eſt, non ſtatim, ſed ſolum quando noſcet, fore validum Matrimonium?

5. Reſpondeo. Ita putat Coninch. *d. 29. dub. 1. num. 6.* Ratio eſt, inquit, quia ad Matrimonium opus eſt, ut vterque contrahens ſciat conſenſum alterius. At in caſu hoc dum puella neſcit tuam nobilitatem, non poteſt tibi notus eſſet ejus conſenſus, quia, ſi ſub conditione ſibi ignota conſentit, non minus ejus diſſenſus conjici poteſt, quàm conſenſus.

Confirmatur, quia id eſſet, ac ſi diceret puella; *Accipio te in virum, vel non accipio*, quo pacto certum eſt, eſſe, invalidum Matrimonium.

6. Verum Sanch. & G. Hurtad. *d. 7. diff. 2.* citans Sanch. ſequitur Caſtropal. *d. 2. p. 11. §. 3.* merito putant, fore ſtatim validum Matrimonium, ſi vera eſt conditio. Ratio eſt, quia puella non conſentit ſub conditione nobilitatis, vel officii ſibi noti, ſed ſub conditione nobilitatis, officii, ſi hæc exiſtant, hunc autem conſenſum jam tu cognoſcis, licet non cognoſcas illum, ut procedentem à cognitione nobilitatis, vel officii.

Ad confirmationem dic, eſſe diſparitatem maximam, quia formula illa nec aſſenſum, nec diſſenſum determinatè ſignificat, cum in caſu noſtro clarè ſignificetur, ut dictum eſt, conſenſus determinatus ſub exiſtentia conditionis, licèt non ſub notitia illius.

7. Ex dictis igitur, erit quidem neceſſe, ut puella cognoſcat, an tu ſis nobilis, vel officium obtinueris, ut videat, an Matrimonium fuerit validum, necne, non verò ut illud validum fiat.

### §. III. *Sub Conditione de futuro neceſſario.*

1. A Conditione de futuro neceſſario, ut, *Duco in vxorem Bertam, ſi cras ſol orietur*, non ſuſpenditur contractus Matrimonii, ſicuti, nec cæteri contractus Ratio eſt, quia prædicta conditio, tam ad ſuſpendendum conſenſum, quàm ad demonſtrandam conſenſus antediem, appoſita eſſe cenſetur: ut ſenſus ſit determinativus, non conditionatus ſic: *Sicuti certum, ſi ſolem, ſi certum eſt me Bertam ducere.*

2. Quod ſi facias ſenſum ſic: *Duco Bertam, cras orietur Sol*, non eſt mirum, te debere expectare ad num, quia tunc illud *Cras* eſt tempus præfixum. Sed in hoc poſteriori ſenſu, hæc verba conſtituunt Matrimonium: an ſponſalia, dixi ſuperius, *tr. 3. de ſponſ. d. num. 30.*

3. Addo, evenire poſſe, ut contrahentes, ſive ex ignorantia, ſive conſulto, verè voluerint expectare præfixam conditionis neceſſariæ impletionem (id, quod eſt ſæpe jecturis colligendum) & tunc ſuſpenditur ſine conſenſus, quia tunc, ut ſupponimus, verè ſub illa ſenſum præbuerunt, & voluerunt facere ſenſum explicatum.

4. Atque ex hoc Addito vide, an conciliare poſſit Pontium, & Sanchez. Hic enim *lib. 5. matr. d. 2. num.* habet doctrinam à nobis hactenus allatam. Pontius *l. 3. c. 1. num.* 12. dum eam ex parte negat, videtur modo deraſſe id, quod nos in prædicto Addito monuimus.

5. Notat ibidem merito Sanchez *loc. cit. num.* conditio in ſe ſit contingens, ſed certo futura, ut, *Si Antichriſtus naſcetur*, non ſuſpendere conſenſum: cum enim id ſit de futuro certo, æquivalet neceſſario. Non ego aſſentior Pontio *loc. cit. num.* 13. dicenti, conſenſum non ſuſpendi, uſque ad conditionis eventum; cum enim ſit incertum, inquit, quando Antichriſtus v. g. naſcetur, debebit expectari ejus temporis adventus. Non, inquam, aſſentior, ſiquidem tu non contraxiſti ſub conditione, *Antichriſtus tali tempore naſcetur*, ſed *ſi Antichriſtus naſcetur*, quod certum eſt, & tibi ſatis cognitum.

Ne tamen excidat hic debere etiam addi illud, quod modo addidi *num. 2. & 3.*

### §. IV. *Sub conditione de quocunque futuro contingente, ſed non turpi.*

Vbi

### *AN, ADVENIENTE CONDITIONE, neceſſarius ſit novus conſenſus?*

1 IN conſenſu ſic, v. g. habito *Te duco, ſi Pater tuus conſenſerit, vel, ſi Avus tuus te donaverit, &c.* Certum eſt, Matrimonium ſuſpendi, quia ſub illa conditione contrahis: accedente autem dicto conſenſu, vel certum item eſt, Matrimonii obligationem ſubſequi debere, cum jam purificata, ideſt poſita ſit conditio. Idem dic de quacunque alia conditione etiam turpi, dummodo non ſit turpis, ut *Tecum contraho, ſi tuum venenatum, ſi in terram expues, &c.* quia contrahentes prohibentur ponere ex ſua libertate (ſeu imperare) conditiones, quas velint, modò non ſint turpes, vel lege reprobatæ. Ita Averſa *q. 5. matr. ſect. 6. V.* Lugo Contra Sotum, & alios.

2. Sed difficultas eſt graviſſima hic, & in ſimilibus conſenſibus conditionatis, vel conſenſibus reſpectivis, quibus tempus futurum, ut, *Te duco, ſi tantam dotem mihi aſſignaveris, Te duco pro die craſtino*, in quibus omnibus eſt, non eſſe Matrimonium ante adventum præfixi temporis. Difficultas (inquam) eſt, An purificata jam conditione dotis, ſeu adveniente tempore deſignato, debeat iterum actum conſenſus exhibere ad valorem Matrimonii, an ſatis ſit prior ille conſenſus exhibitus ante conditionis, vel temporis adventum, ita, ut, conditione, vel tempore poſitis, ſtatim, ſine novo tuo acto, validum ſit Matrimonium.

3. Reſpondeo. Duas de more eſſe ſententias. Prima ſuſtinet, non requiri novum conſenſum, ſed ſtatim validum eſſe poſita conditione, Matrimonium, Ita Sanchez *lib.*

*l.5.matr.d.8.n.5.* Coninch.*d.29.n.11.* G.Hurt. *d.7.diff.2.* De Lugo *de Iust. d.22.§.14. n.386.* & iterum *de pœnit. d.13.sect.5.n.111.* Castrop. *d.2.p.11.§.2.n.5.* aliique ab ipsis citati, quorum potissima ratio est, quia consensus ille conditionatus verus consensus est, licet (quia sub illa conditione) imperfectus. Si ergo non est revocatus, ut supponi semper debet, idem manet, adveniente conditione: & quia non amplius pendet à conditione, jam perfectus erit, & absolutus: Vt quid igitur necessaria est alterius novi consensus accessio?

4. Quod si ab his Auctoribus requiras; quandonam vi Tridentini Parochus, & Testes debent assistere dicto matrimonio, quando sit consensus conditionatus, an quando impletur conditio?

Respondet Sanchez *loc.cit.* quando sit consensus conditionatus, quia tunc verè exhibetur consensus ad matrimonium; Sicuti iidem assistere debent matrimonio, quod fit per Procuratorem, non verò constitutioni Procuratoris: At vero Coninch. & Hurtadus *locis citatis* respondent, debere assistere etiam, quando impletur conditio, quia illi debent esse Testes matrimonii, at Testes esse non possent matrimonii jam contracti, si solum assisterent conditionato consensui, non vero impletioni conditionis.

5. Verùm secunda sententia sustinet requiri novum consensum, sine quo ille prior conditionatus consensus etiam adveniente conditione, constitueret solum sponsalia absoluta, non verò constitueret matrimonium. Ita Pontius *l.3.matr.c.14.* citans S.Th. aliosque. Bannius fusè *tract.12.q.20.* Latè item Decisio Rotæ apud Dian. *p.6. in calce libri Dec.2.* aliique, quorum ratio præcipua esse debet, quia licèt ille consensus conditionatus sit, certè consensus, tamen est imperfectus, ut ipsi Adversarii fatentur: ergo, etiam adveniente conditione, imperfectus ex se manebit. Probatur consequentia, quia in se remanet ille idem, qui erat antea, nec adventus conditionis aliquid influit in illum. Quare, si tunc non habebat efficaciam ad perfectè obligandum, non habebit ex se post conditionem.

6. Quod autem consensus conditionatus non habeat tantam efficaciam, patet, quia secus non posset validè revocari ante completam conditionem; sicuti non potest consensus absolutus. Et secus, huic consensui conditionato non prævaleret consensus absolutus, quo quis iniit cum aliqua matrimonium absolutè, relicta ea, cum qua ante completam conditionem sub conditione contraxerat, ut prævalere docemus omnes.

7. Quare licet (ut videri potest apud Auctores citatos) concedatur, ejusmodi conditionatum consensum modo dicto imperfectum, obligare contrahentem in cæteris materiis, in quibus, adveniente conditione regulariter, non debet, ad inducendam obligationem, accedere novus consensus, quia contrahens voluit, se obligare pro illo tempore, quo acceder conditio; id tamen in matrimonio concedere non possumus: non solum, quia, cum gravissimus sit, & indissolubilis contractus, requirit perfectissimum consensum, sed, quia in matrimonio obligatio non oritur ex promissione, qua se quis velit obligare, sed ex ipso actuali actu, ex vi cujus efficaciter se obligat; huic enim actui; tanquam materiæ proximæ, adhæret ratio Sacramenti à Christo Domino instituti,

8. Ex his vides, in hac sententia Parochum, & Testes huic novo consensui assistere omnino debere, quia solum per hunc consensum contrahitur Matrimonium, cum in conditionato, adveniente conditione, adsit solum ratio sponsalium.

9. Dices cum Castropalao citato, Quando Matrimonium de præsenti contrahitur, prius suum consensum exprimit v.g. vir, sub conditione tamen in se imbibita, quod mulier consentiat, qua consentiente, opus non est, ut vir de novo consentiat, sed ejus consensus, qui in se conditionalis erat ante mulieris consensum, redditur absolutus, & perfectus, mulieris consensu adveniente. Ita ergo in casu nostro adveniente conditione, non erit necessarius novus consensus,

10. Respondeo. Negari consequentiam posse. Nam viri consensus de præsenti, moraliter, & secundum humana commercia, idem censetur esse ante, & post mulieris consensum: quod certè nimis manifestè non habet consensus sub futura conditione, qui solum perseverare judicatur ex eo, quod nondum est revocatus, at ille de præsenti idem censetur durare, quia tunc elicitur, & quidem prudenter judicatur, ac si actu eliciatur post mulieris consensum. Quare consensus novus non est necessarius.

Confirmatur, quia viri consensus de præsenti, ita præcedit consensum mulieris, ut ex circumstantiis clarè appareat, esse vir in tali dispositione, ut mulier, primo consensisset, sequeretur, & ipse cum suo consensu: Quare non est mirum, si novus non sit necessarius, sufficit enim consensus cum ejusmodi affectione: id quod certè non est in casu conditionis de futuro, in quo multæ possent contingere mutationes, &c.

11. Ex his duabus sententiis hæc posterior mihi certior fit: cæterum priorem sententiam, cum ea tantorum virorum sit; commodáque ratione fulciatur, qua fronte improbabilem appellaveris? Quare merito vtramque probabilem esse, superius *tract.3. de sponsa. c.3.§.2. n.10.* iudicavimus.

### *Conditio, si Pontifex dispensaverit.*

12. Iam vero, ex allata decisione consequitur decisio illius similis difficultatis. An matrimonium initum inter impeditos sub conditione, si Pontifex dispensaverit, sit, validum statim, ac impetratur dispensatio, an potius sit necesse, ut post eam impetratam, novus consensus accedat?

13. Respondeo, Sanchez. Coninch. Hurtadus. Castrop. *ll.cc.* non requiri, Pontius, aliique citati, quos ego sequor requiri, consequenter putant. Rationes præcipuæ pro vtraque parte sunt eædem, ac præcedentes; nam propterea idem de vtraque sententia judicium feratur, quod modo *n.11.* tulimus de sententiis præcedentibus.

### *An hæc conditio, si Pontifex dispensaverit, sit contingens?*

14. Circa conditionem, *Si Pontifex dispensaverit*, quæres hac occasione Primo, An semper sit connumeranda inter conditiones contingentes?

Respondeo. Non semper. Nam in iis rebus, in quibus solet dispensatio concedi, (licet solum ex gravi causa) inter contingentes est annumeranda, atque adeo erit obligatio expectandi, donec ea impleatur modo dicto *num.1.* In iis verò, in quibus dispensari à Principe non solet, conditio dispensationis est connumeranda inter impossibiles, seu turpes, de quibus *mox* §.5. Talis esset dispensatio Matrimonii inter fratrem, & sororem. Quare hi semper remanebunt inhabiles ad Matrimonium, siue apponatur conditio dispensationis, sivenon. *Idem* igitur erit dicere: *Ego te duco meam sororem, si Papa dispensaverit*, ac dicere: *Ego te meam sororem duco.*

15. Quæres Secundo. Quisnam obligabitur procurare ejusmodi dispensationem solitam concedi (idem dic de aliis conditionibus, quæ procurari debeant, ut Patris consensus, Advocati consilium, &c.) si quando Matrimonium sit sub dicta conditione dispensationis contractum.

Respondeo Castropal. *loc. cit.* citans Coninch. neminì ex contrahentibus id per se incumbere, nisi ad id speciatim se quis obligaverit. Incumbet ergo ei, inquit qui cupit contractum perfici. Expensas autem, ait, debere esse communes, quia vtriusque negotium geritur. Quod dictum est de matrimonio, dic de sponsalibus, quando sunt contracta cum dicta conditione.

De dictis expensis multa dixi *tract.3.c.5.§.7.à num.7.*

Si

*Si Pater consenserit.*

16. Occasione item prædictorum, quærunt hîc Doctores.

I. Quantum temporis debet expectari, si nullo præfinito termino aliquis sic contrahat: *Te duco, si pater meus, vel tuus consenserit?*

Quærunt II. Quid, si pater consentiat, sed deindè statim consensum revocet, repugnetque? Et vtraque quæstio erit etiam in sponsalibus sub eadem conditione contractis.

17. Respondeo ad primum. Prudentis arbitrio (ut fieri debere diximus) sæpè in similibus erit competens tempus definiendum.

18. Respondeo ad secundum, tunc non esse positam conditionem, quia illa celeriter addita repugnantia, absolutum Patris consensum moraliter non ostendit,

19. Major difficultas est, si Pater initio repugnet, sed deindè consentiat. In quo casu posita jam esse conditionem, atque adeo matrimonium obligare, docet Coninch. & Hurtadus supra citati; Non esse positam, undè matrimonium non obligare, docent Sanchez, *l. c. d.7. num.9.* & Pontius, *lib.13. de matr. cap.17. n.11.* quia, si Pater repugnavit, avolavit obligatio. Sed dic, amice, cur per te in casu *num.18.* allato, statim, atque Pater consentit, non firmatur matrimonium, at nunc, statim, ac Pater repugnat, evanescit obligatio? Vellem à te hujus paritatis disparitatem.

20. Id fortasse vidit Castropalaus. *l.c.n.7.* nam propterea huic difficultati, ita respondet, ut vtrobique consideret celerem consensus, vel dissensus, Patris mutationem, nam, si rogatus Pater, inquit, ita firmiter dissentiat ut præsumi non possit, intra breve tempus arbitrio prudenti ejus consensum obtinendum esse, conditio absolutè deficit, secus verò, si consensus ejus obtinetur intra breve tempus, tametsi rebellis primum extiterit: sicuti impleta censetur conditio, si Pontifex dispensaverit, tametsi primæ, & secundæ petitioni non acquieverit, si postea dispensationem concesserit.

21. Quod dictum certè est regulariter. Cæterum rectè monet Aversa *quæst.5. matr. sect.6. V. Sed hæc res*; si intentio contrahentium fuit de consensu, quem statim, audito negotio, daret Pater tunc ad primum ejusdem tutum standum esse. Vide apud eundem; quid fiet, quando Pater taceat, & similia.

22. Si Pater erat mortuus, & tu apposuisti Matrimonio tuo hanc conditionem. *Si Patri placebit*, impossibilem conditionem apposuisti, undè de hoc consensu idem dicendum est, quod mox dicam vniversim de conditione impossibili.

23. Quid, si Pater dicebat, priusquam ejus assensus explorari potuerit?

Puto, tunc impletam esse conditionem; & matrimonium valere. Ratio est, quia ejusmodi conditio: *Si Patri placuerit*, regulariter apponitur, ne patrem filius offendat, si fortè matrimonium eligat sine ejus consensu quæ ratio cessat: si jam ipse decesserit.

24. Dixi (regulariter) Si enim verè apposita fuisset propter aliquid dependens à vita Patris, tunc sanè nullum erit matrimonium, quia advenire non potest conditio requisita.

## §. V. *Sub conditione de futuro impossibili physicè.*

Vbi

## *DE FVTVRO MVLTVM DIFFICILI.*

1. VT, quæ sunt dicenda planiora fiant, tria distinguamus oportet. Primò, Contractus communes, de rebus temporalibus. Secundò, vltimas Testatorum voluntates. Tertiò, contractum Matrimonii, quando hæc sub conditione impossibili exhibentur. Et exemplum quidem Primi est: *Equum tibi vendo, si tu volabis.* Secundi: *Relinquo Titio meo hæredi, vel legatario centum si volabit*, Tertii: *Te duco in vxorem, si volabis si Cœlum manu tetigeris.*

2. Porrò ex communi sententia Doctorum, quos habes apud De Lugo *de Iustit. d.22. num.340.* & Pontium, *l.3. cap.3. n.5.* in primo, hoc est in contractibus communibus, conditio impossibilis vitiat, seu annullat actos contractus; ita ut, in exemplo allato, illa venditio sit nulla. Ratio est, quia ea conditio, sub qua fit venditio, ponitur nunquam potest, & consequenter etiam Iura disponunt; vide *Instit. de inutil. stipul. §. impossibilis, L. Non solum, ff. de actionibus*, hoc pacto fit venditio.

3. Rursus ex communi sententia Doctorum, quos apud eosdem habes *ibidem*, in secundo, hoc est in ultimis voluntatibus (excipit Pontius *loc. cit.* institutionem filii in hæredem, quando in potestate Patris est) conditio impossibilis non irritat dispositionem: ejusmodi conditio rejicitur, ac, si apposita non fuisset. Vide tamen omnino quæ dicam *num.9.* Vnde in exemplo allato *num.1.* debebuntur Titio illa centum, si non est, quia licet nunquam evasura sit absolutè illa Testatoris dispositio, propterea, quod nunquam eveniat dicta conditio; tamen legislator in legibus afferendis *num.9.* ita statuit, sive ne captiosæ hæ dispositiones essent malo publico inveherentur, sive quia præsumit, Testatorem ita velle.

4. Denique ex communi item, & certa sententia apud Doctores mox citandos, conditio impossibilis in Tertio, hoc est in Matrimonio, se habet sicuti in dictis dispositionibus dictis vltimarum voluntatum, non enim irritat dictum Matrimonium, sed ipsa regulariter (ut non explicabo) rejicitur, ac si apposita non fuisset, & Matrimonium statim est validum, si est inter personas habiles ad Matrimonium. Verùm id, quomodo sit intelligendum, hujus loci est breviter explicare.

5. Equidem celeberrima est difficultas cur in aliis contractibus conditio impossibilis illos irritat, non verò in matrimonio? Si respondeas, quia ita Decretum est à Gregorio I X. *in cap. de condit. appositis*, haud opus ad dispositiones vltimarum voluntatum, ita sanctum à Legibus Civilibus mox *num.9.* afferendis, nullo modo satisfacis. Nam princeps potest quidem in rebus temporalibus, propter bonum commune, supplere defectum consensus subditorum, & ita fecit in dictis vltimis dispositionibus. At Ecclesia non potest supplere defectum consensus in Matrimonio, quod, ut supra vidimus, celebrari, nisi per proprium contrahentium consensum non potest.

6. Tanta visa est hæc difficultas Durando *in 3. d.39. quæst.4. n.9.* ut dixerit se minimè percipere, vnde Ecclesia Matrimonium celebratum sub dicta conditione validum pronuntiet, & ideo hanc difficultatem Doctoribus solvendam relinquit. Et Sanch. quidem *l.5. matrim. d.* postquam retulit sex aliorum explicationes dictæ dispositionis Gregorii I X. in qua ejusmodi Decretum continetur, suam ipse adhibet. Cum autem hæc non placeant Ioanni De Lugo *l.c. à num.355.* suam etiam is tradit, cui, fortasse tuus, perinde, ac meus animus, non omnino conquiescit.

7. Nos igitur facilem viam, & certè regiam ineamus, duo statuemus cum Coninch. *d.29. dub.42.* quem sequitur G. Hurt. *d.7. matrim. differ.10.* dico enim primò Ecclesiam, sic decrevisse regulariter, quia cum nesciat intentio contrahentium, an scilicet contrahens adhibuerit illam conditionem impossibilem sine animo contrahendi, an potius cum vero contrahendi animo, & ignorantium illam adhibuerit per jocum, vel per ignorantiam. Ecclesia præsumit hoc posterius, quod est in favorem validitatis Matrimonii, & consequenter validum Matrimonium pronunciat, & conditionem habet, ac si adjecta non fuisset.

8. Dico Secundò. Si tamen constet, conditionem illam impossibilem appositam fuisse sine animo contrahendi, vel cum animo volendi verè expectare illum

certè in foro conscientiæ nullum fore Matrimonium,& probari si id possit, etiam in foro fori, nam propterea antecedenti dicto, & *num.*4. apposui illud(regulariter.) Ratio est, quia consensus Matrimonii totus, quantus quantus est, dependenter fit ab animo contrahentis.

9. Quamvis autem *num.* 3. absolutè, & sine distinctione dixerimus, dispositiones vltimarum voluntatum celebratas sub conditione impossibili valere rejecta conditione, ita disponentibus Iuribus, ut innuimus *num.*3. vnde id intelligi in vtroque foro teneat Turrianus? *d.*15. *dub.*9. *num.*9. tamen Sanch. & Vasq. quos citat, sequiturque De Lugo,*loc.cit. à n.*342. aiunt in dictis vltimis voluntatibus debere servari idem, quod dictum à nobis est modo in Matrimonio,id est eas factas sub modo impossibili,valere regulariter in foro externo,idque quando aliunde non constet de voluntate Testatoris, at non valere,si constet Testatorem apposuisse illam conditionem impossibilem sine animo disponendi, vel cum animo volendi illam expectare, quia, si attente expendantur jura, *lib.* 3. *de condit. & demonstr. l.* 1. *de condit. & Institut. l. ab omnibus*, §. 1. *Delegatis* 1.*Instit.de hæred. Instit.* §. *Impossib.* quando voluerunt, ut conditiones impossibiles in vltimis voluntatibus haberentur pro non adjectis, nihil aliud voluerunt, nisi, ut ut pro non adjectis præsumerentur ab ipsarum legum foro, præsumptio autem semper cedit veritati, quando de hac constat.

10. Quid in dubio,an affuerit ejusmodi animus? Respondeo, tum in Matrimonio, tum in vltimis voluntatibus possessio stabit pro negatione Matrimonii,& pro negatione dispositionis. Lege Hurt.*loc.cit.*

*Conditio impossibilis putata possibilis.*

11. Enascitur ex dictis gravis hæc dubitatio: Si condicio sit re ipsa impossibilis,sed possibilis reputetur(quod ex conjecturis colligi non raro potest) à contrahente Matrimonium,quid judicandum?

Respondeo. Sanchez *l.*5.*matr.d.*3.*n.*8. sentit, nullum tunc esse contractum Matrimonii,imò & nullam dispositionem vltimæ voluntatis. Ratio est,inquit, quia tunc contrahens,& disponens ita consentiunt? ut verè expectare velint impletionem conditionis; jam enim illam putarunt possibilem, atque adeo, quæ impleri posset. Quoniam ergo ex alia parte ea nunquam ponetur, nunquam purificabitur consensus, & sic nulla remanebunt contractus,& dispositio.

12. At vero De Lugo.*d.*22. *de Iustit. num.*374. putat non annullari Matrimonium, sed eam conditionem esse rejiciendam, perinde, ac adiecta non fuisset, eámque dicit in vltimis voluntatibus. Rationem ducit ex Textu,*in dict.cap.fin. de condit appos.* nam Pontifex absolutè & sine distinctione definit, esse validum Matrimonium, & conditiones impossibiles esse rejiciendas: hæ autem jam absolutè sunt impossibiles, quamvis à te non tales reputatæ. Vtraque sententia est probabilis, modò hæc posterior intelligatur juxta dicta *n.*7.8.& 9.

*Conditio valdè difficilis.*

13.Subnascitur etiam sequens difficultas. Quid sentiendum, si conditio sit multum difficilis, quæ æquiparari solet impossibili,seu,ut aliqui loquuntur,si conditio non sit impossibilis per naturam, sed solum de facto propter ejus summam difficultatem? v. g. *Te duco in vxorem, si Regnum mihi dotabis, si tu*(inquit) *mihi mille numerabis, &c.*Vbi nota prius ex his,quamvis in se possibile,tamen etiam multis est valdè difficile: Et posterius facilè fortasse erit aliis, at difficillimum ei pauperi, qui deberet conditionem illam implere.

14. Respondeo.Prima sententia quæ est Sanch. *l.* 5. *matrim. d.*4.*num.*14. aliorúmque asserit, Matrimonium sub priore conditione initum, id est sub conditione,quæ quamvis comparatione aliquorum, sit possibilis, est tamen multis valdè difficilis,esse validum (regulariter tamen juxta dicta *num.*7.& 8.& conditionem illam rejici, sicuti rejicitur conditio quælibet physicè impossibilis.) Ratio est,quia illa conditio verè est, & appellatur moraliter impossibilis; ergo, ut impossibilis debet rejici. At verò Matrimonium sub posteriore conditione celebratum,id est sub conditione,quæ cum sit respectu aliorum, sive facilis, sive possibilis, est tamen valdè difficilis solum ei,qui illam debet apponere, hæc prima sententia docet, esse invalidum, quia in jure non rejiciuntur,nisi conditiones absolutè impossibiles, qualis non reputatur illa, quæ solum respectu tui vnius est valdè difficilis.

15. Secunda sententia,quæ est Pont. *l.*3.*cap.*3. *n.*15. & Castrop. *d.*2. *despons. p.*11. §.2. *num.*2. asserit, ejusmodi Matrimonium contractum sub conditione valdè difficile sive multis, sive vni non esse validum; si de facto non ponatur conditio, & conditionem dictam, non rejici. Ratio est,quia conditiones impossibiles solum per naturam in jure rejiciuntur, non verò rejiciuntur hæ conditiones, quæ vocantur impossibiles de facto, cum hæ verè sint potius difficiles, quàm absolutè impossibiles.

Et confirmatur, quia hæ conditiones difficiles in dispositionibus vltimarum voluntatum non rejiciuntur à jure, ut probat *ibid.* Pontius, præsertim ex illo juris, *Ex* §. *Impossibilis,Institut. de inutilibus stipul. (Cui naturæ impedimento est;)* ergo neque rejici debent in Matrimonio, de quo Ecclesia definivit ad similitudinem dispositionis civilis circa dictas vltimas voluntates.

16. Si conditio ex se possibilis, sed, vel per accidens, vel lapsu temporis fiat impossibilis,eam non esse numerandam inter impossibiles, & consequenter nequaquam rejici in Matrimonio, rectè monent Sanch. Pontius & Castropalaus citati.

## §. VI. *De conditione turpi de futuro, quamvis ea non sit contraria Contractui Matrimonij.*

1. CVm illud possimus, quod jure possumus, ideo conditionem hanc turpem appellare jura solent impossibilem. Accedit, quod impossibile judicari debet, hominem honestum velle facere id,quod turpe est, de hac enim loquimur, non verò de conditione turpi, quæ poneretur ab alio sine contrahentium voluntate,ut si quis sic contrahat. *Vendo tibi equum, si fortè à latronibus tibi tuus ablatus fuerit*; tunc enim valet contractus, quia turpitudo non ponitur, ut admittenda à contrahentibus,sicuti rectè notat De Lugo,*d.*22.*de contract. num.*368.

2. Dico igitur, hanc conditionem haberi pro non adjecta, debereque expelli in Matrimonio, perinde, ac repellitur conditio physicè impossibilis, cum iisdem tamen limitationibus allatis §.*præced.num.*7.& 8. Ratio dicti est, quia ita definit *loc. cit.* Pontifex *cap. final. de cond. appos.*

3. Hinc fit,ut habet conditio; *Te duco in vxorem, si te virginem inveniam*, esse modo dicto rejiciendam,quia est turpis; siquidem illam invenire Virginem vis,ad eam accedendo; at hic accessus turpis est, cum ante inventionem ejus virginitatis, illa non sit conjux tua. Dixi (ad illam accedendo) nam,si velis invenire modo licito, v. g. per obstetricem, conditio turpis non erit, quare non rejicienda.

4. Quæret curiosus. Eademne doctrina est in vltimis voluntatibus, ita ut conditiones turpes in iis rejici debeant?

Respondeo. Ita De Lugo, *loc. cit. num.*370. cum hoc tamen discrimine, quod conditio impossibilis tunc solum habetur pro non adjecta in vltimis voluntatibus, quando non constat, Testatorem omnino voluisse dispositionem non subsistere, ablata conditione. At verò conditio turpis in iisdem vltimis voluntatibus semper aufertur, & dispositio valet, etiamsi de contraria Testatoris

toris mente conſtet. Ratio autem hujus rei eſt, quia ita abſolutè diſponunt jura, ne ob metum lucri amittendi Legatarius vel hæres inducantur ad malum: regulariter tamen id etiam diſponunt ex præſumpta, vel interpretativa Teſtatoris voluntate. Et quidem valet legatum, quando non ſtat per Legatarium, quin ponatur modus. At non ſtat per Legatarium apponi modum turpem, ſed per legem, quæ modum illum, ſeu illud turpe onus meritò vetat; ergo pari modo valebit legatum ſub ſimili conditione turpi.

5. Quid in cæteris contractibus communibus? Reſpondeo, in his ejuſmodi conditiones turpes, nec rejiciuntur, nec impoſſibiles reputantur; obligantur tamen ſic contrahentes reſcindere ejuſmodi contractum factum ſub conditione turpi, ut ſic patranda turpitudo impediatur, de quo ego latè, *lib. 7. in Decalog. cap. 5. §. 3. à num. 8.*

## §. VII. *Sub conditione, quæ ineſt contractui Matrimonij.*

1. SI apponatur in contractu conditio, quæ de ſe ineſt in dicto contractu, eoque modo exprimatur, quo ineſt, non ſuſpendit contractum, ſed ſtatim eſt perfectus, v. g. *Vendo tibi equum, ſi conſenſeris*: quæ eſt conditio tacitè imbibita in omni contractu, vel: *ſi pretium dederis*, quæ eſt conditio ex ſe inhærens contractui venditionis. Ratio eſt manifeſta, quia cum taciti, & expreſſi eadem ſit ratio (de quo axiomate plura habent Pontius, *l. 3. cap. 2.* & Barboſa *in tr. axiom. 218.*) ejuſmodi contractus non eſt per memoratas conditiones propriè conditionatus, ſed ſolum per illas exprimitur id, quod de jure veri contractus eſt.

2. Id igitur pari modo ſe habet in contractu Matrimonii. Quare, ſi dicas: *Contraho tecum, ſi conſenſeris, ſi non es mea conſanguinea, ſi nullum ſubeſt impedimentum*, non ſuſpenditur Matrimonium, quia conditiones hæ de ſe inſunt in Matrimonii contractu. Ita Sanch. *l. 5. matr. d. 1. n. 6.* Pont. *loc. cit.* Averſ. *quæſt. 5. matr. ſect. 6. V. In primis*, aliique.

3. Dixi (eo modo, quo ineſt) nam ſi ejuſmodi conditiones aliter exprimantur, non eſt mirum, quod ſuſpendant. Sic in jure, *l. ſi ita legatum, §. illi, ſi volet, ff. de legatis primo*, ſuſpenditur diſpoſitio in ſequentem modum facta: *Relinquo Titio legatum illud, ſi velit*: Senſus enim eſt, ſi ſe declaret, quod velit (quæ declaratio non ineſt in diſpoſitione) quare antequam declaraverit, ſe velle: non habet vim legatum; nam propterea, Titio ante declarationem mortuo, legatum non tranſmitteretur ad ejuſdem Titii hæredes. Simili modo in materia Beneficiaria, ſi dicat, Pontifex, vel Epiſcopus: *Confero tibi hoc Beneficium, ſi es idoneus*, non ſuſpendit. At, ſi dicat: *Confero tibi hoc Beneficium ſi inventus fueris idoneus*, ſuſpendit, quia illud explicatur, ut ineſt de jure Collationis, hoc verò, non item.

4. Quod ergo de his diſpoſitionibus dictum eſt, ſervari etiam debet in Matrimonio. Vnde, ſi ſic illud ineas: *Contraho tecum, ſi Eccleſia id approbaverit*, ſuſpendis, quia conditio aliter exprimitur, ac ineſt. Senſus enim eſt ſi facto examine conſtiterit, non adeſſe impedimentum. Ita Averſ. *l. c. V. Sed certè*, cum Sanch. *l. c.* aliiſque quibus adde Coninch. citatum ab Averſa in contrariam partem; ſed, ſi is attentè legatur, mihi videtur, eſſe pro parte hac, quæ eſt communis.

5. Quando aliquis diceret, *ſi Deo placuerit, vendo tibi equum, duco te in vxorem*, &c. cum communiter intelligatur de voluntate beneplatici Dei, quia omnia vult, vel permittit, nec ſuſpendit contractum, nec Matrimonium, ſed validè ea init. At, ſi intelligatur de voluntate Approbationis, id eſt, ſi Deus, ut bonum approbet, tunc, propter rationem modò dictam ſuſpendit. Ita Sanch. Averſa, aliique citati.

Lege Paſqualigum *tr. 3. q. mor. 36.* qui ex allata doctrina colligit, legatum quoddam relictum Religioſo, ſi ipſum Religioſus petierit, nec ab ipſo Religioſo, nec ejus Monaſterio obtineri poſſe, niſi ipſe Religioſus ſonaliter petat, nec ſatis eſſe, ſi petat Monaſterium.

## §. VIII. *Sub conditione contraria contractui Matrim.*

1. SI quis v.g. ita contrahat: *Te duco in vxorem, e non transferam dominium mei corporis ad te conjugalem*, contrahit cum conditione, ſeu modo contrario ſubſtantiæ matrimonii. Et his, vel ſimilibus, irritum eſſe, & nullum matrimonium, quia non matrimonium ſubſiſtere ſine ſuis ſubſtantialibus, non immerito ſic definitur Pontifex, *ſponſe conſen* non novum jus concedens, ſed quod eſt de jure declarans.

2. Atque id verum eſt, tametſi ab altero ex contrahentibus ejuſmodi conditio apponatur, quia validitas matrimonii æquè pendet ab vtriuſque conſenſu, ut contra Covarruviam, & alios requirentes ad nullitatem, ut conditio hæc apponatur ab vtroque, notat Caſtr. *d. 2. de diſp. part. 1. §. 4.* eſto Sanchez probabilem vocet ſententiam Covarruviæ.

3. Cùm autem hæ conditiones verſari poſſint circa tria bona matrimonii ſuperius dicta, Sacramentum, fidem, Prolem: Quæritur, an quæcumque conditio contra hæc tria, matrimonium irritet? Exemplum primi, *contraho tecum donec, ſeu, ſi non inveniam pulchriorem*, contra matrimonii Sacramentum, quod eſt indiſſolubile. Exemplum ſecundi. *Contraho tecum, ſi te adulterare tradideris.* Exemplum tertii. *Contraho tecum, ſi nolueris generare, vel educare prolem.*

4. Et omnes quidem conveniunt, conditiones contra bonum Sacramenti, & Fidei in primo, & ſecundo exemplo allatas irritare matrimonium, quia hæ ſunt contra eſſentialia matrimonii. At de conditione contra generationem prolis Sanchez *l. 5. matr. d. 10.* putat ab ea contrahi matrimonium, quia pari modo illius eſſentiale ipſi repugnans eſt.

5. Sed G. Hurtad. *d. 7. matr. diff. 9.* cum Vaſq. Rebel. Coninch. melius diſtinguit; aitque, ad ea matrimonia irritari, quando apponitur conditio evitandi prolem medio illicito v. g. ſi deberet evitari, ſumendo remedia ad dejiciendum fœtum, occidendo, vel non educando prolem ſuſceptam, &c. Id enim eſt planè contrarium matrimonio: non autem irritari, quando apponitur eadem conditio modo licito v. g. ſi evitanda eſſet ſolum prolis, quia conjux nollet petere; quod vtique licitum ipſi eſt, vel, quia etiam nollet reddere, ſed cum conſenſu alterius conjugis, puta emiſſo ex vtriuſque voluntate Voto Caſtitatis: id enim non repugnat matrimonio, cujus eſſentia eſt obligatio ad tranſferendum corpus in ordine ad generationem, non verò ipſi actualis generatio, ut ſupra vidimus. Quare ſi actualis generatio prolis fiat propter bonum finem ex vtriuſque conjugis conſenſu, ut fuit in matrimonio Sanctiſſimæ Virginis & Sancti Ioſeph, nec illicita eſt, nec Matrimonii eſſentiæ repugnans.

## §. IX. *Sub conditione poſitiva, vel negativa.*

1. HÆc, vel ſimilis poſitiva conditio ſine præfinitione temporis: *Te duco in vxorem, ſi Romam adiero*, vnico, & primo actu implerur. Debet autem impleri quàm primum moraliter poſſit. Ita Averſ. *q. 5. ſect. 1. Quarto.* Vnde, ſi occurrat moralis opportunitas, & illam non adeas, ſolvitur contractus tui matrimonii; ſi adeas, ſtabilitur, & firmus redditur; jam enim impletur conditio. De hac conditione ſic habet Textus (*Lex Si in Caſtrenſi conditio, ff. de condit. & demonſtr.*) *Si in Caſtrenſi aſcenderit, ſic recipienda eſt, ſi, cum primum poterit, aſcenderit.*

2. Contra, hæc, vel ſimilis conditio negativa ſine determinatione temporis: *Te duco, ſi Romam non adiero*, prorſus vana eſt, & nullum vnquam parit matrimo-

nium.

nium, quia ut esset expectandum usque ad mortem, ut videretur, an ille Romam adiret, necne, quod esset dicere, matrimonium esse adimplendum post mortem, quo nihil magis ridiculum esse posset.

3. Quoniam verò sic aliquis contrahere potest aliquando: *Te duco, modo Romam non adieris*, maximè est advertendum ejusmodi consensum non esse sub conditione, sed sub modo. Quare matrimonium est validum, quia est absolutè contractum, & solum remanet obligatio coniugi Romam non adeundi, seu illum modum servandi, si turpis non est.

### §. X. *Monitio ad Parochos.*

4. HActenus dicta de consensu conditionato in matrimonio locum hodie nullum habere debebunt, quia monendi sunt Parochi (quorum, & Testium assistentia est post Tridentinum necessaria ad validitatem matrimonii) ut nunquam ejusmodi conditionatos consensus admittant. Nam licèt, si admitterent, matrimonium perficiendum foret per conditionis adventum, modo, in superioribus explicato, nihil enim circa rem hanc Tridentinum innovavit, nihilominus prudenter Parochi facient, si absolutum requirant consensum. Quod, si alicujus conditionis impletio ad matrimonium expectanda sit, ea expectetur, antequam illud per verba de præsenti celebretur. Vtile tamen fuit, prædictas conditiones explicare, tum, ut natura contractus matrimonii magis introspiceretur, tum quia illæ locum sæpè habere possent in Sponsalibus, in quibus non est opus præsentia Parochi, ut rectè notat Sanchez *l.5.d.1.n.1.*

---

# CAPVT VI.

## *De Consensu Matrimonii coacto.*

### §. I. *De Consensu dato ex Errore, & similibus. Remissivè.*

1. QVoad errorem, dolum, deceptionem, recole, quæ superius *tract.3.c.2.§.2.* dicta sunt circa sponsalia, nam quia eadem hîc sunt observanda, molestum esset illa repetere.

2. Præterea scito, nihil nos hic agere de consensu Matrimonii habito ex spe lucri, ex blanditiis, ex amore, &c. hæc enim sine dubio nihil obstant validitati matrimonii, cùm ea non faciant involuntarium, sed maximè voluntarium augeant. Lege Sanchez *lib.4.matr.d.11.*

### §. II. *De Consensu ex Metu.*

1. MEmineris, ut supra explicuimus, metum alium esse gravem, alium levem, iustum, iniustum, incussum, vel ad extorquendum matrimonium; vel ad aliud; incussum item, vel ab extrinseca causa libera, vel ab intrinseco.

2. His in memoriam redactis, hîc ea ex dictis *L.1.in Decal.cap.2.§.5.* afferam, quæ magis pertinent ad materiam de matrimonio, quo ad meticulosum consensum, in quo versamur. Et quamvis multa de hoc argumento dicta sint supra *tract.3. de spons.c.2. §.2.* aliqua tamen ex illis hîc repetere, claritatis, & commoditatis gratiâ, non gravabor.

*Metus gravis iniustè incussus, ad extorquendum Matrimonium.*

3. Matrimonium hoc metu contractum est iure naturæ, ex mea sententia, nullum. Id *dicto lib.in Decal. c.2.§.5.n.22.* satis probatum est ex eo capite, quod quicunque contractus, simili iniusto metu initus, non potest parere in alio ius Iustitiæ: sic enim oriretur Iustitia ab iniuria, scilicet ab Iniustitia, quod est impossibile. Est etiam ejusmodi matrimonium ab Ecclesia *C.significavit, de eo, qui duxit in matrim. C. Requisivit, C.Gemma, de spons.* annullatum, quod nemo negat.

4. Hinc sequitur etiam iuramentum, quo quis, vel matrimonium, vel sponsalia meticulosa firmet, esse nullum, & non obligare, ad ratificandam, nec indigere relaxatione, quia Iuramentum sequitur naturam contractus, cui adhæret. Si ergo contractus dicti matrimonii nullam inducit obligationem, nec inducit Iuramentum. Ita Aver. *q.4.sect.6.V.asserendum* cum Barb. Sanc. Dian. & alios.

*Matrimonium ex metu levi iniusto, ad Matrimonium extorquendum incusso.*

5. Probabile est, hoc matrimonium nullum esse in foro conscientiæ, idque potissimum, quia ei deest perfectus consensus, qui matrimonio, quod est ex natura sua dissolubile, necessarius est. At hoc multo est probabilius secundùm Sanch. *l.4.d.17.n.2.* De Lugo *de Iust.d.22. n.141.* & Pont. *l.4.c.18.n.2.* validum in eodem foro conscientiæ esse, tum iure naturæ, tum positivo. Ratio potissima est, quia cùm metus levis sit in potestate ineuntis matrimonium ut, & alium contractum, facileque illum is depellere possit, si non depellit, liberè, & perfectè sine ulla coactione contrahit, & consequenter cum perfectissima libertate consentit.

6. Dixi (in foro conscientiæ) nam, ne detur ansa litibus, metui levi non datur actio in foro externo, ut omnes docent.

*Matrimonium ex metu, sive levi, sive gravi, iustè incusso, ad Matrimonium.*

7. Matrimonium ex hoc metu est validum. Ratio est quia radix, unde nullus sit, vel rescindi possit contractus, est iniuria, quæ fiat contrahenti: at nulla iniuria fit ei, cui sic causa metus datur, &c. ergo, &c. Quam enim tibi iniuriam irrogo, si dicam: *Nisi mihi hoc vendas, vel nisi Bertam duxeris, accusabo te iuste de homicidio à te patrato*; gratiam potius à te iniuero, quippe propono, te, hoc remedio, malum punitionis tibi debitæ, posse non difficulter effugere. Ita Castropalaus *tom.1.tr.2. disp.1.punct. 10.* & Sanchez *lib.4.matr.d.13.n.3. & disp.17.n.2.* Dices, at Matrimonium debet esse perfecte liberum, quæ libertas certè læditur per metum, etiam iustè incussum, ad extorquendum matrimonium.

8. Respondeo, non lædi iniustè, sed iustè; Matrimonium autem debet esse perfectè liberum libertate non læsa iniustè, non verò libertate quomodocunque perfecta. Sic à Castrop. *l.c.d.1.p.10.n.4.* respondetur huic rationi.

9. Verùm, quia alicui videri poterit rationi non planè per hanc responsionem esse satisfactum (Adde, & auctoritatem multorum asserentium, ejusmodi matrimonium nullum esse) non puto improbabilem Bonac. *de matr.q.3.p.8.à n.10.* Coninch. *d.28.d.1.n.15.* aliique apud Castrop. *l.c.n.1.V.Secunda sent.* aliorumque opinionem, qui discurrunt in sequentem modum. Ejusmodi metus gravis iustus aliquando incutitur ad alios fines, aliquando ad extorquendum matrimonium: habet, v.g. Caius ius accusandi Titium ob iniuriam sibi illatam per furtum mille aureorum, potest tunc Caius metum accusationis incutere Titio ad extorquendos mille aureos dicens, *redde mihi aureos, secus, te accusabo*, at non potest dictum accusationis metum incutere ad extorquendum matrimonium, sic dicens, *Duc meam filiam, secus te accusabo.* Ratio est, inquiunt, quia hic metus iniustè incutitur ad hunc finem matrimonii, cum ipsius libertati repugnet. At verò ad finem extorquendi aureos iustè incutitur, quia ad eos recuperandos utitur Caius modo licito accusationis. Non indigemus autem hac distinctione in alio exemplo, quo iudex v.g. minetur carcerem Petro Stupratori Virginis, nisi illam ducat, vel dotet; tunc enim licitè, & iustè Iudex potest, immo debet carcerationis metum incutere ad finem extorquendi matrimonium, quia Stuprator tenetur ex se secundum leges illud celebrare.

10. Sed nos putamus, in vtroque exemplo eſſe validum Matrimonium, quia in vtroque abeſt Iniuſtitia, & coactio. In ſecundo exemplo, id eſt in iudice iam conceditur ab adverſariis: In primo probatur; quia tunc. Caius dicendo *Duc meam filiam, ſecus te accuſabo*, non ſe illicitè gerit, nam ſi rectè & attente res expendatur, Caius non comminatur accuſationem, nec Titium abſolutè cogit, ſed ſub conditione proponit, ut, ſi Titius velit evitare accuſationem, cui ipſe cauſam libere dedit, & quam ſine peccato deferre Cajus poteſt, filiam libere ducat. Nihilominus, (ut dixi) non nego propter exrrinſecam Doctorum auctoritatem, atque eorundem non contemnendam rationem, poſſe illorum opinionem probabilem reputari.

*Matrimonium contractum ex metu iniuſto, ſive gravi, ſive levi, ſed non incuſſo, ad Matrimonium extorquendum.*

11. Omnes conveniunt, hoc matrimonium eſſe validum, nam ſi quis v. g. ob timorem mortis ab inimico ſuo iniuſte inferendæ, eligeret ſua prædia mihi vendere ut expeditius à patria diſcederet, mortemque vitaret, valida eſſet venditio; quia timor ab inimico illatus, cum non fuerit directus, ad extorquendam venditionem, venditionem inficere non poteſt. Idem ergo in Matrimonio, & idem in Votis, docet merito Sanch. *lib. 4. matr. d. 12. n. 3. & lib. 4. in dec. c. 3. n. 4.* aliique.

*Matrimonium contractum ex metu ſive gravi, ſive levi incuſſo à cauſa extrinſeca non libera, v. g. à Naufragio.*

12. Omnes pari modo conſentiunt, hoc Matrimonium validum eſſe. Ratio eſt, quia ſic homo non ab alio, ſed à ſe ipſo impulſus eligit illud remedium Matrimonii, tanquam conducens ad liberationem ſuam, id, quod non eſt ex metu matrimonium contrahere, ſed ex amore ſui boni. Adde quod *n. præc.* dictum eſt, conſenſum Matrimonii non poſſe inſici à timore illo concepto ex naufragio nulla ratione incuſſo ad extorquendum ipſum Matrimonium.

*Matrimonium ex metu doloſo, an ſit validum?*

13. Hic incidit auditu iucunda quæſtiuncula, quæ in ipſa narratione caſus commodius agitabitur.

Titius, vir pius, cupiens Caium perfamiliarem ſuum à malo animæ ſtatu ſubducere, quod obtinere non facile poterat, niſi contracto per ipſum Caium matrimonio cum Amaſia, quam cœco amore captus deperibat, hoc artificio uſus eſt. Dum opportune amicus levi correptus febricula in lecto decumberet, Medicum exoravit, ut gravibus verbis affirmaret, hominem maligna, ac periculoſa febre laborare. Morem amico geſſit nimis indulgens Medicus. Vnde Titius Caio perſuadere potuit, ut Amaſiam legitimè duceret, ne periculum ſubiret in pravo ſtatu decedendi. Quare denunciationibus conſuetis, Epiſcopi auctoritate dilatis, matrimonium coram Parocho, & Teſtibus tota lætante familia, quæ id maximè peroptabat, lecto decumbens cum ea puella contraxit. Eo ritem vix celebrato, ſtratagema illi aperuit Titius, ne ſcilicet diutius in eo mortis imminentis trepidatione amicum detineret. Et res profecto commode proceſſit, nam Caius inito coniugio libens acquievit. Obtulit tamen occaſionem Theologis diſputandi de duobus. Ptimo, an id potuerit prudenter, & ſine peccato moliri Titius, & Medicus cooperari?

Secundò, an matrimonium illud extortum ex metu ægritudinis non veræ, & incuſſo operâ Titii, eo ipſo, ſine nova ratificatione, validum fuerit? Quoniam verò prius ex his hujus loci non eſt, agamus ſolum de poſteriore.

14. Reſpondeo. Tres non abſimiles caſus inducit, reſolvitque De Lugo *de Iuſtit. d. 22. num. 169.* ſi fingas, inquit, advenire hoſtes iuſte occiſuros cives omnes præter Religioſos quibus nolunt nocere, & Petrus ex metu occiſionis. Religioſus fiat, profeſſio[nem]. Item Secundò, ſi fingas revelationem, qu[od] Petro propter ejus peccata vult, anno ſequen[te] medio tollere, niſi reſipiſcat; & Petrus eo metu [Re]ligioſus fiat, ut imminentem mortem fugiat, Profeſſ[io] bit, redditque rationem, quia, inquit, ad irrita[n]dam, requiritur, ut metus ſit iniuſtus ſecun[dum] ſe, ideſt, ut ſit de malo iniuſtè ferendo: at in [his] bus dictis, licèt metus ſit cauſatus, à dolo, [non] dolum, tamen ipſe metus in ſe iuſtus eſt, iniuſte cau[ſa]mus mala propter noſtra peccata. Cum ergo ex [ſo]lo dolus, & error non fuerit circa ſubſtantiam, [non] vnde irrita ſit illa Profeſſio. Ex eadem doctrina *n.* 170. Tertium caſum, videlicet, validam fuiſſe Profeſſ[io]nem cuiuſdam Adoleſcentis, quem cum meretrice [in] cto cubante, amicus quidam deterruit, immiſſo [per] funiculum ſulfure vnctum, quem prius, formine[o] à cubiculo inferiore ad lectum uſque alligaverat; [et] cum repente lectulus ardere cepiſſet, credens; Deo modi ignem immiſſum fuiſſe in pœnam ſui peccati. Ordinem Religioſum ſe contulit, & laudabiliter [in] xit re nunquam à deceptore detecta. Profeſſio [ne]la licèt ex metu facta fuerit, non tamen ex metu [ve]liter iniuſto, ſed ex dolo dicto, quare valida [ex] Hæc ille. Quæ omninò militant in caſu noſtro de [Ma]monio Caii, cum in hoc par ſit ratio Matrimonii & [Pro]feſſionis, ut idemnet De Lugo indicat *dicto num.* Doctrina hujuſmodi, ſic ſe habet, ſi placet vere; [ſed] illam corrige.

§. III. *De peccato, & obligatione incuientis ad Matrimonium. Remiſſoi.*

1. DE his ſatis dixi ſupra *tr. 3. de ſponſ. c. 4. §. 1.* vide etiam *in noſt. lib. 5. in Dec. c. 2. §. 1.* [qui] ſunt hîc proportionaliter applicanda. Quid autem [de] Iudex, ne puella ad Matrimonium cogatur, & quâ[ve] quáve ratione poſſit illam cuſtodire in Monaſterio [Do]nialium, vide apud Dianam *p. 11. r. 3. reſ. 20.*

Denique, an peccet, qui coactus metu Matrimo[nium] contrahit, dixi ſuprà *tr. 1. de imped. c. 17. §. 2.*

## CAPVT VII.

### *De Matrimonii ratificatione, quando illud [in]validum non fuit.*

1. TRiplici modo nullum eſſe Matrimonium [in]ualiter contingit. Primò, per defectum conſen[ſus], ſive, quia is fuit fictus, ſive, quia fuit coactus, v. g. [ex] tu. Secundò, per defectum habilitatis perſonarum, [qui] qui contraxerunt, impedimento dirimente labora[nte]. Tertio, per defectum ſolemnitatis inductæ à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de matr.* puta, ſi in Matrimonii [con]de præſenti non adfuit præſentia Parochi & Teſtium.

2. Quando hîc tertius defectus occurrit, debet [ut] ab vtroque conjuge renovari conſenſum; idque [co]Parocho & Teſtibus, ſi validum velis matrimonium [fa]mis eſt clarum, & clarius fiet ex infra dicendis. [Ex] igitur hîc ſolum debemus, quando duo priora [de]occurrunt.

§. I. *Ratificatio Matrimonii invalidi ex fict[o], vel [co]culoſo conſenſu.*

1. QVærimus, an, ſicut certum eſt, eum, qui conſen[ſit] nullum, ſeu fictum, vel ex metu præbuit in [Ma]trimonio, debere verum, liberumque conſenſum [de] vo præſtare, ſi velit matrimonio validitatem affer[re]; debeat alter, qui verè, & liberè conſenſit iterum, [de] novo conſentire.

2. Ratio

2. Respondeo: Debere, & illum consensum antiquum non sufficere, ut Matrimonium fiat validum, docet Castropal. *d.3.p.1.§.1.num.7.* citans Less. Pont. Gas. Hurtad. Comitolum, alioſque cui adde Aversam, *quæſt.3. ſect.6.Verſ.Item.* Et Comitolus adductus à Castrop. *loc. cit.* quidem testatur, ita declarasse Clementem VIII. Ratio est, inquiunt, quia primus consensus illius, qui verè, & liberè consensit, non remanet virtute, nec, si remaneret, esset sufficiens ad Matrimonium efficiendum, quando alter verè consentiet. Non remanet, quia Titius, v.g quando verè consentit, consentit cum imbibita conditione, quod Berta v. g. verè consentiat: Ergo si Berta fictè, vel coactè consentiat, non adest Titii consensus, adeóque remanere nullo modo potest. Nec si remaneret, esset sufficiens, quia ille, quamvis ex animo fuerit factus, tamen fuit nullus; quia fuit acceptatio corporis Bertæ, at si Berta verè corpus non dedit, acceptatio vera esse non potuit. Rursus fuit traditio sui, scilicet ipsius Titii corporis, facta Bertæ, at Berta, si, ut dictum est, verè non consensit, Titii corpus non acceptavit, & consequenter vera illa traditio non fuit. Cum ergo ille primus Titii consensus nullus fuerit, semper erit nullus, quod enim nullum est, tractu temporis non convalescit, atque adeo non erit aptus, ut iunctus cum novo consensu alterius efficiat Sacramentum Matrimonii.

3. Adde cum Pontio, allato à Castr. *l.c.* illum consensum Titii primum processisse ex errore personæ; putavit enim Titius Bertam esse habilem ad Matrimonium, cum tamen ob illum consensum fictum vel coactum, fuerit prorsus inhabilis.

4. Ex hac sententia fit, ut Berta debeat (si velit Matrimoninm efficere validum) de suo ficto, vel meticuloso consensu certiorem facere Titium, ut scilicet, & hic de novo consentiat.

5. Non debere novum consensum elicere illum, qui verè consensit, sed satis esse, si solum renovet consensum is, qui fictionem, vel coactionem passus est, docent Sanctus Thomas, aliique, quos citat, sequiturque Bossius, *de matrim. cap.2. num.38.* citans S. Thom. Navar. Coninch. Laym. Sanch. Less. Bonacin. Filliuc. Dian. alioſque. Ratio est (inquiunt) quia moraliter, & virtute manet ille primus consensus, non enim, ut supponi semper debet, ille vnquam revocatus fuit. Hi enim concedunt, Titium v. g. consensisse cum conditione imbibita, si Berta verè consentiret, sed negant tanquam falsum, quod, fictè Berta consentiente, Titius cesset à suo consensu, semper enim ex parte sua, dum illum non revocat, eundem consensum moraliter, & virtute retinet. Rursus falsum est, primum eundem consensum nullum esse; constat enim permaximè; nam ex parte ipsius Titii est absoluta acceptatio, & traditio, quæ, si ei adveniet consensus alterius, quocunque tempore adveniat (ut suprà vidimus) unum morale facit cum dicto alterius consensu, aptam scilicet materiam, & formam Sacramenti Matrimonii: sicuti si Pontifex tibi conferat Beneficium, quod vacabit post decem annos, si tuus Episcopus consenserit, sanè adveniente tempore, censentur moraliter vniri consensus novus Episcopi, & antiquus Pontificis, ad moraliter causandam in te collationem Beneficii.

6. Ad auctoritatem Clem. VIII. dicunt, vel illam non fuisse, nisi tanquam à Doctore privato, vel de ea non constare autenticè.

7. Ad id, quod additur ex Pontio Respondet Bossius, *l.c.n.40.* falsum esse, adfuisse errorem personæ, nam, qui fictè coactus consensit, est illa eadem persona, cum qua intendit alter contrahere, libera, & habilis ad contrahendum, utpotè carens omni impedimento; sed solum non subsistit Matrimonium, ratione consensus deficientis, qui defectus non reddit personam inhabilem Matrimonio, sed impedit, ne resultet verus Matrimonii contractus. Eo igitur vero consensu adveniente, statim convalescit Matrimonium, cùm cætera requisita permaneant.

8. Ex hac sententia sequitur non esse Bertæ opus, certiorem facere Titium de nullitate Matrimonii, quia satis est, si ipsa sola, quæ non verè consenserat, consentiat verè.

9. Vtraque ex his sententiis probabilis est, hanc tamen posteriorem, vtpotè magis expeditam, ego libenter eligo.

### *An in ratificatione hujus Matrimonij sit opus externis signis.*

10. Verùm, adhuc inquires Primò, ut convalescat prædictum matrimonium, debétne externè exprimi consensus ab eo? qui fictè, vel coactè consenserat? (vtrum necessariò iterum coram Parocho quæretur mox §.4.)

11. Respondeo, cum necessaria distinctione. Si matrimonium est deficiens, quia vnus dumtaxat ex conjugibus fictè vel ex metu consensit, qui certè est casus de quo hactenus est disputatum, probabilius cum Bossio, *loc.cit.num.42.* & cum Sanch. *lib.2.matr.disp.32. num.9.* judico, non esse opus ejusmodi externa expressione, sed satis esse occultum, & internum mentis consensum, & post quodcunque tempus posito, quod alter non revocaverit suum verum consensum, sicuti ex eodem Sanch. *num.14.* & eodem Bossio *num.43.* solus internus consensus sufficit in persona capaci professionis ad ratificandam professionem, quam ejusmodi persona fictè, vel ex metu emisit, & tunc accepravit Religio. Ratio est, quia hic præsens consensus cum illo antiquo, qui jam fuit externus, & quidem persona habili, ut supponimus sufficienter sensibilis est, & aliis innotescit, aptúsque est consequenter ad matrimonii Sacramentum, & ad professionem Religiosam.

12. Hanc sufficientiam, quia non agnoscit (certè valdè probabiliter) Pontius, *lib.4.cap.25.n.2.* citans Comit. & respons. Clem. VIII. quem sequitur Castrop. *de sponsal.cap.7.§.1. num.6.* ideo requirit, omnino dictam matrimonii ratificationem debere esse externè exhibitam, sicuti cum Henriq. & Rebellius apud eundem Bossium, propter eandem rationem volunt, ratificationem prædictæ professionis signo aliquo externo exprimi debere. Imò ex Pontio, *lib.4.cap.25. n.12.* necessariò iterum coram Prælato, qui de novo accepit. Sed de his pertinentibus ad ratificationem possessionis, cum sint extra nostram materiam, vide De Lugo, *in resp. l.3. dub.2.& 16.* Auctoréſque apud ipsum citatos.

13. Si verò vterque conjux fortè fictè, vel coactè initio consensit, tunc enim verò debet, ut docet Sanch. *loc. cit. d.32. num.15.* & Pontius, *lib.4.cap.24.* vtriusque consensus externus accedere, nam in hoc casu, vtriusque consensus fuit nullus, & ne ex parte quidem illud fuit matrimonium inchoatum, & sensibile, ut requirit ratio Sacramenti, quare vterque de matrimonii nullitate debet admoneri, ut iterum legitimè vterque contrahat. Lege Less. *lib.2.c.17.n.37.*

14. Inquires Secundò. Quid faciat v.g. si ei affirmet mulier, se contraxisse fictè, vel coactè, quamvis præsente Parocho, & Testibus, addatque, nolle nunc ratificare, poteritne vir fidem ipsi habere, & aliam sibi Sponsam conquirere.

Respondeo. Si manifesta sint iudicia, unde mulier ostendat veram fuisse fictionem, vel coactionem, potest illi habere fidem, imò debebit, & si res sit dubia, & possit exquiri veritas, debitam moraliter diligentiam vir adhibere obligabitur, veritaréque comperta, aliam sibi vxorem poterit vir eligere: secus nequaquam; Lege id latius apud Boss. *l.c.n.66.*

15. Inquires. Tertiò. Si is, fictè, vel ex metu cum Berta v.g. contraxit, noscens, hoc matrimonium esse invalidum, aliam v.g. Mariam ritè ducat, sed deinde qui fictionem, metúmve probare non potest, cogatur ab Ecclesia, etiam per excommunicationem, ut cohabitet cum Berta, quæ verè, & coram Deo sua non est, poteritne à Berta, debitum petere, & eidem reddere?

Respondeo. Illam excommunicationem in foro conscientiæ non ligare, & non posse petere, nec reddere, nimis est manifestum, quia sic clare fornicationem

coram Deo committeret, ut habuisti superioribus *tract. de Imped. cap. 1. num. 25.* Impedim. & ita docet cum communi S. Th. *in addit. quæst. 46. artic. 2. ad quartum*, & Sanc. *lib. 2. d. 39. n. 5.* aliique.

### §. II. *Ratificatio Matrimonii invalidi ex aliquo impedimento.*

1. CErtum est, debere renovari ab utroque coniuge consensum, si cessante impedimento, velint Matrimonium validum efficere, ipsique cognoscunt, tale impedimentum nunc adesse v.g. contraxisti ante debitam ætatem cum Berta, vel cum consanguinea, &c. debes accedente ætate, vel dispensatione, tu & Berta, vel consanguinea nullitatem ejusmodi matrimonii scientes, iterum, per novum consensum expressum verbis matrimonium inire. Ratio est, quia primus ille utriusque consensus, cum fuerit circa personas inhabiles, nulla ex parte fuit matrimonium. An hic novus consensus debeat fieri in præsentia Parochi, & Testium, quæram §. 3.

2. Quæstio igitur hîc illa, & quidem gravissima est, an, quando unus duntaxat ex coniugibus sciens impedimentum, contraxit, alter verò contraxit bona fide, illud nesciens? an inquam, sublato impedimento non solum ille, qui impedimentum scivit, vel fortasse nunc scit, debeat de novo contrahere, quod certum est debere, verum etiam oporteat, alterum, qui nihil scit de impedimento, certiorem fieri de illo, ut de novo (si velit, matrimonium validum efficere) libere, & ipse contrahat cum antea nulliter, ut dictum est, contraxerit.

3. Tres sunt sententiæ. Prima, ut convalescat dictum matrimonium, requirit, ut vterque de novo consentiat, & matrimonium contrahere legitime intendat, quare debebit coniux, qui nullitatis inscius, fieri dictæ nullitatis conscius (non est autem necesse, causam nullitatis illi aperiri) Ratio primæ sententiæ est, quia, nisi ita fiat, semper iudicabimus, consensum novum non esse de matrimonio nunc contrahendo sed solum esse Approbationem primi consensus, seu perseverantiam in illo, qui consensus, cum fuerit nullus, matrimonium constituere non potest. Ita Sanchez, *lib. 2. disputat. 36. num. 3.* Pont. *lib. 4. capit. 25.* Comitol. *disput. 24. dubit. 10. numero 90.* G. Hurt. *disp. diff. 10.* Comit. *t. 1. resol. quæst. 120.* Castropal. *d. 2. de sponsa. part. 7. §. 2. numero 3.* Bossius, *de matrim. capit. 2. à num. 74.* aliique quibus Adde Aversam, *quæst. 11. de matrim. sect. 4. Vers. Quantum ad Tertium*, qui affert discrimen inter hunc casum, & illum, qui à nobis ut probabilis exceptus est §. *præced. num. 5.* de altero coniuge fictè, vel coactè consentiente: ibi enim deerat solum ex parte unius veritas, & libertas consensus, ideoque hic solus erat supplendus; at in casu præsenti totus actus, tum internus, tum externus ex parte utriusque nullus est, quia ex parte utriusque est inter personas inhabiles, & ideo totus renovandus.

4. Secunda sententia asserit, requiri quidem utriusque consensum, sed non esse necesse, ut ullo modo alteri indicetur nullitas, seu impedimentum, cum sufficiat, si uxor v.g. obtineat à viro nullitatis prorsus ignaro, ut pro sua, scilicet vxoris consolatione, renovet consensum iam factam, & renovante viro, renovet etiam ipsa uxor. Ratio huius sententiæ est, quia tunc coniuges sunt habiles ad matrimonium (Iam enim, ut supponimus, cessavit impedimentum) ergo, si mutuo consentiant, habetur (inquit hæc sententia) quod requirit essentia matrimonii. Ita Sot. Rodr. Henriq. aliique apud Castropal. *loco citato*, & apud Aversa. *loco citato sect. 5.* Bossius, *loc. cit. num. 73.* vocans hanc sententiam probabilem, quam etiam sequuntur Filliuc. & Bonac. apud eundem Boss. aliique.

5. Tertia sententia affirmat, satis esse, ut solus coniux conscius nullitatis de novo consentiat per aliquem actum externum, sive verbis, sive factis v.g. per copulam maritali affectu habitam, nec esse necesse, ut alter ignarus vllum consensum det. Quare hæc tertia ait, opus non esse, ut alter admoneatur de nullitate Matrimonii, ne in confuso quidem; sed ille, qui scit, copulam petitam ab alio cognoscens, tam ipse ejus, isque externus consensus, scilicet reddendo ut relata ad consensum primum non revocatum, tunc invalidum, quia hæc redditio conjugii petitione alterius sufficienter contractum Matrimonium novum constituere poterit. Ita Ledesma allegat citant Sanch. *lib. 2. disputat. 36. num. 2.* & Bos. *numero 72.*

6. Prima sententia ex dictis omnino tenenda est, verò hæ duæ postremæ saltem aliquando sint probabiles jam subdo. Et quidem Sanch. Boss. Castropal. cent, quando gravia incommoda timerentur si fieret conscius nullitatis Matrimonii, sique admonitus ut novum consensum juxta primam sententiam tunc posse in praxi excipi secundam sententiam autem gravia incommoda sunt ex dicto Sanch. Castropal. *loc. cit.* si esset probabilis timor scandali infamiæ, scilicet, si adesset periculum, v. g. nullitatis admonitus, nollet denuo contrahere pacto remaneat fœmina remedio destituta, dimentum illud probare non posset, maxime, adest proles. Atque hoc periculum facilius posse in fœmina, quàm in viro, advertit Sanchez.

7. Quod si, dum dicta gravia inconveniantur, non posset vir induci, ne ad consensum explicatum in secunda sententia, posse tunc tertiam sententiam, docent Sanch. *l. c. num. 7.* nam Castrop. de hac tertia sententia meminit.

8. His nihilominus non obstantibus, asserto eius tio, & Aversa. *l. c.* primam sententiam esse, semper piendam, exclusa prorsus secunda, & tertia, quia per in praxi conjux nullitatis sui Matrimonii dum, sive expressè, ut dicit secunda sententia, ci è, ut dicit tertia, de novo consentit, semper conjux judicabitur in matrimonio antiquo, quod validum, persistere, non verò novum facere velle, modo ergo secuti erimus de nova matrimonii Quod certè inconveniens non adest in casu num. 5. vbi actum est de altero conjuge fictè, culosè consentiente: nam ibi non est renovatio seu consensus ab altero, qui verè consensit, fuit ex parte sua, ac supponitur nunquam fuisse tus, at in hoc præsenti casu, cum debeat renovari quia fuit nullus, non est fidendum illum à conjuge novari, nisi ab eodem sciatur nullitas præcedens actum est *num. 3.*

Lege Pontium cit. qui inter cætera multa, confirmat nostram sententiam ex eo quod, quandocunque Matrimonii nullitas tacetur, semper consensus renovatur per dolum: si ergo dolosus est consensus, validus non erit, ergo nullo modo aptus ad contrahendum matrimonii constituendum.

### §. III. *An Matrimonium coram Parocho, & Testibus invalidè celebratum sit coram ipsâ renovandum?*

1. HAc in re certum est, quando impedimentum est publicum, vel ad forum contentiosum deductum, vel periculum est, detegatur, vel potest probari saltem duobus Testibus, certum est inquam, nunc quando ablato impedimento renovandus est consensus, novari debere coram Parocho, & Testibus. Ratio manifesta: quia illud matrimonium, quod potest probari, esse nullum, nec in se fuit matrimonium, nec in facie Ecclesiæ, ergo, ut convalescat, necessaria est, juxta Tridentini dispositionem, præsentia Parochi & Testium, qui apud Ecclesiam testati, probare possint ejus matrimonii validitatem.

1. Ratio

2. Rectè autem cum Henriquez notat Sanch. *lib.2. d.37.num.11.& 12.* si impedimentum fuit deductum ad forum contentiosum, & non probatum, nec probari possit, tunc impedimentum esse, ac dici occultum. Notat item, si tres, vel quatuor audierint impedimentum ex relatione dumtaxat coniugis, adhuc illud esse occultum, quia tota ejusmodi testium efficacia reducitur ad dictum, & confessionem unius coniugis.

3. Quæstio igitur est, an quando impedimentum est occultum, scilicet non est ex iis, quæ diximus *num.1.* debeat, eo impedimento sublato, revocari iterum coram Parocho, & Testibus dictum Matrimonium, quod iam coram iisdem fuerat celebratum. Duæ de more sunt oppositæ sententiæ vtrinque æquo fere Marte pugnantes. Altera affirmat, cujus validior ratio est, quia Tridentinum statuit, pro forma substantiali Matrimonii, Parochi, & Testium præsentiam, id quod propter nimis clara Tridentini verba nemo negat. At, cum forma tunc intervenire debeat, cum actus producitur in suo esse (ut habet Baldus *in l. Observari, §. fin. num.5.ff.de offic. Proconsulis.*) Nunc autem producitur Matrimonium, quando de novo renovatur consensus, ergo nunc debet adesse forma inducta à Tridentino. Adde, si, Teste Comitolo apud Bossium mox citandum, respondisse Clementem VIII. sic declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, sic Romanam Rotam sæpè, ne dicam cum De Lug. *lib.3.de resp.moral.dub.16.num.45.* semper decidisse.

4. Si Doctores pro hac parte militantes cognoscere, saltem præcipuos, velis, eos habes apud Boss. *de matrim.cap.2. num.8.* Averf. *quæst.11. sect.5.* sed præcipuus, & quidem omnium fortissimus est Pont. *l.5.c.6. à n.6.* cui accedit De Lug. *l.c.* hanc sententiam tanquam certam supponens.

5. Altera sententia, eáque negativa docet, non esse necessariam dictorum iteratam assistentiam, sive nullitas Matrimonii primo initi contracta fuerit ex defectu consensus unius, sive vtriusque, sive ex quocunque impedimento occulto, & sive bona, sive mala fide (ut notat Bossius *loco citato, num.24.* Sanch. *lib.2.d.37.num.8.*) dicta nullitas fuerit contracta. Ratio præcipua hujus sententiæ tendens ad solutionem rationis sententiæ præcedentis, est, quia Tridentinum dat quidem Matrimonio pro forma substantiali dictam præsentiam, at non Matrimonio, quando renovatur, sed, quando celebratur in facie Ecclesiæ; in facie autem Ecclesiæ tunc fit contractus Matrimonii, quando primò celebratur: & quamvis tunc propter impedimentum invalidus re vera contractus ille sit, tamen exterius, in quo solum Ecclesia iudicat, apparet validus, & cum Tridentinum intenderit solum posse illud Matrimonium idoneis testibus probari, id solum (quod ad hoc sufficit) ab ipso statutum fuisse, dicendum est. Adde, sic decrevisse Pium V. sic declarasse Sacram Cardinalium Congreg. sic Romanam Rotam apud Bossium *l.c.n.7.* decidisse.

6. Vides utramque sententiam ad se Pontificem, Cardinales, & Rotam advocare. Sed certè pro neutra conveniunt ejusmodi testimonia, sive, quia non constant authenticè, sive, quia, cum utraque sententia sit probabilis, modo unam, modo alteram Patres illi sequuntur, sive, quia, modo timent publicitatem, modo nequaquam, &c.

7. Pugnantes pro hac sententia plures sunt, quàm pro priore, quos Castrop. Rebell. Coninch. Gasp. Hurt. quos citat Castr. *de sponsa.d.3.p.7.§.3.* & Averf. *quæst.11. sect.5.V. Posse tamen*, aliique quos citat, sequiturque Boss. *l.c.* cui adde Sanch. *l.2.matr.d.37.n.3.* Navarrum denique ab utraque sententia pro se afferri, non est inutile scire.

8. Vtraque ergo opinio probabilis meritò est. Sanum nihilominus est consilium, advocare Parochum, Testesque quantum fieri potest in renovatione dicta Matrimonii, ut litibus de nullitate Matrimonii aditus præcludatur; Quando autem subest aliquod periculum si Parochus advocandus sit optimum remedium est, ut Confessarius obtineat ab eodem Parocho licentiam absolvendi, qua impetrata, advocatis duobus fidis Testibus, in solitario cubiculo Matrimonium revalidetur. Cæterum, si neque hoc facile fieri possit, tutò amplectitor secundam sententiam, scilicet negativam, nam re vera hæc (ut habet *l.c.* Boss.) hodie communiter à piis, & doctis viris in praxim deducitur, eamque in praxi servari, testatur Seraphinus, *decis.90.*

9. Atque in hoc casu, si receptæ antea jam fuerant benedictiones Ecclesiæ, nec erunt repetendæ, post revalidationem; Nam satis est, eas semel in facie Ecclesiæ fuisse receptas; præterquam, quod in hac re, quæ non est de essentia matrimonii, satis excusat periculum scandali, & notæ conjugum ex Sanch. *l.c. n.3.*

10. Inquires Primò. Si ipsi vni tantum Parocho, vel vni tantùm ex Testibus notum fuerit impedimentum eo tempore, quo prima vice contractum fuit matrimonium, quando deinde sublato impedimento renovabitur, debetne in hac sententia coram Parocho, & Testibus renovari?

Respondeo, nequaquam, quia unus tantum Testis non facit impedimentum probabile in foro externo, & ex alia parte illi Parochus, & Testes sunt apti ad testificandum contractum Matrimonii secundum formam ab Ecclesia præscriptam, non enim ipsi Testes esse debent validitatis Matrimonii, sed contractus Matrimonii, quem certè, ea unius cognitione non obstante, testari satis. Ita Coninch. *disputat.24. dubit.10.num.48.* aliique contra Sanch. *l.2. matrim.d.37.num.10.* requirentem in hoc casu præsentiam Parochi & Testium in restauratione matrimonii, quia secus non poterunt (ait) testificari de Matrimonio valido? Verum, ut vidimus, ii, de contractu matrimonii testificari debent, & iam possunt, non de validitate.

11. Inquires Secundò. Quando Pontifex apponit in Brevi alicujus dispensationis concessæ ad revalidandum Matrimonium contractum cum occulto impedimento, hæc, vel similia verba (*si ita est cum eis dispensa', ut inter se publicè, & servata forma Tridentini contrahant*) necessariùmne est, ut id fiat coram Parocho, & Testibus.

Respondeo. Non esse necesse docet Sanch. *l.c.num.9.* quamvis enim (ait) non possit tunc Delegatus dispensare, ut occultè celebretur matrimonium, tamen potest dispensare in impedimento, quo per dispensationem cessante, iam ex doctrina data poterunt coniuges inter se solos matrimonium celebrare. Huic decisioni allatæ à Sanch. se opponit toto conatu Guttier. *de matr.c.47.& num.6.* dicens opinionem Sanc. esse singularem, & periculosam. Ratio præcipua est, inquit, quia Pontifex in iis verbis dat formam Delegato, ut non possit dispensare, nisi servata dispositione Tridentini, quod, cùm requirat præsentiam Parochi, & Testium, si illam non adhibeat, nihil poterit Delegatus. Verùm respondebit Sanchez, formam à Tridentino impositam, ut modò ipse Sanch. dixit esse, ut semel illa præsentia adsit, quando scilicet in facie Ecclesiæ fit contractus. Cum igitur in casu nostro tunc adfuerit præsentia Parochi, & Testium, satis, superque servata est forma à Tridentino requisita. Ita Bossius *de matrim. cap.2. num.31.* sane probabiliter.

## §. IV. *An Matrimonium invalidum ex metu ratificetur per copulam simili metu extortam.*

1. EX dictis oritur quæstio, an si Matrimonii contractum in facie Ecclesiæ iniisti cum aliqua puella ex metu, & deinde simili metu cogaris ad habendam copulam, illamque tu habeas eodem metu coactus, sed ex affectu maritali, quem affectum saltè tacitè habeat, ut supponimus, puella: An inquam, etiam ratifices matrimonium,

nium, & consequenter illud iam validum in posterum remaneat?

2. Negant plures apud Aversa. *q. 4. matr. sect. 6. V. At si quis*, Sanch. Coninch. Pont. Nau. Pet. Ledes. Henr. & Silu. Ratio est (inquiunt) quia, qui cogitur habere prædictam copulam, eandem immunitatem libertatis patitur, quam qui cogitur ad contractum Matrimonii per verba de præsenti; ergo pari modo ipsi iniuria fit, & consequenter Matrimonium hoc, utpotè per metum extortum, invalidum erit. Confirmatur, quia si secus esset, non provisum satis fuisset libertati Matrimonii.

3. Affirmant non pauciores apud Aversa *loc. cit.* Sotus, Gabriël, Bart. Ledes. Vega, ipse Aversa quibus adde Sanchez, & Coninch. fatentes hanc sententiam esse probabilem & asserentes, rationem esse, quia durum videtur eum, cui metus incutitur ad habendam copulam, obligare, ut non possit consentire sponte ad Matrimonium illud, ut sic effugiat peccatum, eundemque poni ab Ecclesia in bivio satis duro, ut ipse, vel peccet mortaliter vel patiatur grave damnum, quod ex eo timore expectare debebit. Hoc voluisse Ecclesiam non est præsumendum. Vnde dicendum est, Ecclesiam solum voluisse providere libertati Matrimonii, quando ipsum per verba de præsenti contrahitur; & merito, quia tunc periculum coactionis frequenter occurrit, nihil autem curasse, quando ratificatur per copulam, quia modus hujus coactionis rarissimus est. Vlterior autem ratio, eaque à priori hujus posterioris sententiæ esse debet, quia in hoc actu, quo quis sponte eligit Matrimonium quasi in remedium evitationis peccati, homo non consentit ex vi metus illati, sed ex seipso, & ex vi suæ spontaneæ libertatis volentis effugere peccatum.

4. Confirmatur. Nam invalidatio Matrimonii meticulosi decreta ab Ecclesia est potissimum, & immediate in favorem particularium Fidelium, ergo potest Fidelis cedere iuri suo, suoque favori, & sic validè contrahere. Et sanè idem dici potest in sententia nostra quæ iudicat, Matrimonium meticulosum esse iure naturæ nullum; talis enim est, quia, ut supra indicavimus, iniuria fit contrahenti: at contrahens iuri quod ex hac iniuria habet, cedere pari modo, si velit, potest.

5. Neque dicas: Decreto Ecclesiæ irritanti matrimonia clandestina non possunt Fideles cedere, ergo neque Decreto irritanti hoc Matrimonium meticulosum. Ne id dicas, inquam, nam decretum de clandestino est latum immediatè intuitu ipsius Matrimonii, & potissimum intuitu Ecclesiæ, ut ei constare possit de contractis Matrimoniis, id quod non officit casui nostro.

6. Verùm adhuc dices. Sicuti affirmatur, in copula metu extorta posse contrahentem cedere iuri suo, & velle Matrimonium perficere; ita affirmari posset, idem esse initio, quando contractus Matrimonii per verba de præsenti ex metu celebratur, ergo simili modo tunc is, qui metum patitur, poterit iuri suo cedere, & validum Matrimonium efficere.

Respondeo. Concedit paritatem, & consequentiam Aversa, *loc. c. V. Vbi consequenter*. Nobis non est otium id prosequendi.

7. Tantorum virorum duas hasce sententias suis innixas rationibus ni probabiles iudicemus, vereor, ne imprudentiæ notam apud prudentes incurramus, modò præscindamus à confirmatione *num.* 4. dicta, sed utamur rationibus, seu coniecturis allatis *num.* 3.

# TRACTATVS V.
## DE MATRIMONIO VT EST SACRAMENTVM.

### CAPVT PRIMVM.

### *Institutio hujus Sacramenti, ejusdemque materia & forma.*

MATRIMONIUM in ratione contractus naturalis ipso mundi exordio institutum fuit ad naturæ officium, scilicet ad propagandos homines, & post lapsum Adæ ad concupiscentiæ remedium, sive illis verbis, quæ Adami, inspirante Deo, dixit, Gen. 2. *ex ossibus meis*, ut videtur sentire S. August. *de Civ. Dei, c. 2.* sive in illis, quæ Deus protulit Gen. 1. *Crescite & multiplicamini*.

2. At verò fuisse elevatum à Christo Domino ad dignitatem Sacramenti, sive quando ipse interfuit Nuptiis Canæ Galileæ, sive, quando dixit Mat. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Catholicorum nullus dubitat.

3. Quod autem matrimonium Fidelium, ut post Sacramentum, conferat gratiæ augmentum, & ab aliquo possit primam gratiam conferre, & similia, quæ ad Theoricam spectant, & passim Theologi disputant.

4. At quænam est hujus Sacramenti materia, & forma? Certè Aversa *q. 2. de matr. sect. 3.* affert decem Theologorum sententias, Sanch. verò *lib. 1. disp. 5. de matr.* cum attulisset sex, vltimam approbavit, asserens materiam esse ipsa verba, seu signa, quibus exprimitur consensus mutuæ traditionis vtriusque coniugis: formam verò eadem ipsa verba, seu signa, quibus exprimitur consensus mutuæ acceptationis eorundem. Traditionem verò factam sensibilis per externa verba, vel signa, cum sit choatus, & imperfectus contractus, se habet ut materia, acceptatio verò facta pari modo sensibilis, ut potè quæ perficiat contractum, se habet ut forma. Ita Sanch. *l. c.* cui libens acquiesco.

5. Quoniam verò Matrimonium Fidelium est simul naturalis est, & simul Sacramentum, Inquiret quispiam, an Fidelis possit Matrimonium inire, ut solum contractum, non verò, ut Sacramentum? Videtur enim, quamvis illicitè, posse tamen validè, quia cuiuscunque Sacramenti confectio pendet ab intentione Ministri volentis illud conferre, & sicuti potest (quamvis illicitè) abluere puerum; & verba Baptismi proferre, nolens illum baptizare, quando certè illum minimè baptizaret, ita in casu Matrimonii, &c. Adde, & ultimam rationem, nam quemadmodum absolutioni cum suis verbis sine intentione baptizandi prolatis, nonnisi sacramentalis, & necessariò coniuncta ratio Sacramenti, sic ratio Baptismi, sic contractui naturalis Matrimonii sine intentione faciendi Sacramentum, non est effectualis, nec necessariò coniuncta ratio Sacramenti. Quod si dicas esse necessariò coniunctam ex Christi institutione, etiam independenter à voluntate contrahentium, divinantem te potius quis pronunciabit, quàm contraferentem.

6. Respondeo. Vrget me ejusmodi allata ratio dubitandi, ita ut cum Vasquez, *tom. 2. in 3. p. disp. 148. n. 1.* Pont. *lib. 1. cap. 9. num. 3.* Hurt. *disp. 3. de matrim. disp. 19.* aliisque quos citat, sed non sequitur Aversa *q. 2. de matr. sect. 5. V. Primo iudicaverunt*. Aliique probabilius iudicent, posse valide, modo dicto, iniri à Fidelis Matrimonium,

nium, ut solum contractum, & non, ut Sacramentum: esto Suar. Sanch. Coninch. quos citat, sequiturque Averss. *l.c. V. Constans tamen*, quibus addatur Castrop. *d.2. de sponsa. p.2. num.5.* aliique negent, contendentes Christum Dominum conjunxisse rationem Sacramenti ipsi contractui ita, ut, quamvis positio contractus dependeat à voluntate Fidelium, eo tamen posito, non dependeat ab ipsorum voluntate ratio Sacramenti, sed eo ipso, quod ejusmodi contractus legitimè ponitur, statim ex Christi institutione illi adhæreat ratio Sacramenti. Verùm id asserere, esset divinare, ut jam modò dictum est.

## CAPUT II.

### *Minister Sacramenti Matrimonij.*

1. CErta jam, & vera sententia nunc est, ipsos conjuges esse hujus Sacramenti Ministros, perinde, ac iidem sunt suscipientes. Ratio est, quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum juxta naturam ipsius contractus; at Ministri, seu ij, qui contractum efficiunt, sint iidem, qui contrahunt, quique in se obligationem suscipiunt, ergo, &c. Lege Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap. 6. & sequentib.* vbi contrariam opinionem appellat temerariam.

2. Hinc fit, ut verba Parochi, quibus dicit, se conjungere Sponsos, non sint de essentia Matrimonii; ipse enim, solum est assistens Matrimonio, non illud conferens: nam propterea, si assistat in statu peccati mortalis, non peccat assistendo, quia is, nec Sacramentum ministrat, nec suscipit.

3. Sed quid, si ipsi conjuges sint in dicto peccati mortalis statu, quando contrahunt?

Respondeo. Quod peccent ex eo, quod in malo statu hoc Sacramentum suscipiant, certum est, quia omnia Sacramenta vivorum requirunt, suscipientem esse in statu gratiæ, ut scilicet illam augeant, quemadmodum explicant fusè Theologi; sed dubium est, an item peccent ex eo, quod indigne ministrent.

4. Dico, esse duas oppositas sententias. Navar. apud Sanch. *lib.2. de matr. disp.6. n.3.* putat, peccare mortaliter, etiam ut Ministros, quippe qui conferant sibi hoc Sacramentum ex officio, & ad hoc deputati. Sanchez, *ibid. num.4.* citans Suar. aliosque verò, aliique censent, ut sic, non peccare mortaliter; quia, licet conjuges sint ad hoc deputati, non tamen sunt consecrati ad hoc Sacramentum administrandum, pro quo non fuit necessaria Consecratio? Quod autem Consecratio sit necessaria ut Minister Sacramenti peccet, *supr. l.1. de Sacr. in genere, c.2. p.2. n.4.* diximus. Hanc posteriorem sententiam, ego ibidem amplexus sum, & iterum amplector, licet cum eodem Suar. & Sanch. fatear, opinionem Navar. esse probabilem.

## CAPUT III.

### *Matrimonium inter absentes, an sit Sacramentum?*

1. ESse Sacramentum, omnino tenendum est cum multis, quos citat, sequiturque Castropalaus *de sponsa. d.2. p.2. num.9.* quidquid dicat Durandus, aliique pauci apud Sanchez *loc. cit. d.11. num.26.* quorum rationes levissimas vocat ibidem Castropalaus, & easdem solvit. Ratio nostra potissima, cujus vi omnia ferè contraria argumenta dissolvuntur, est, quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, elevando rationem contractus naturalis, quæ est in Matrimonio, ad rationem Sacramenti; at ratio contractus naturalis æquè est, si fiat per ipsos principales præsentes, ac, si fiat per Procuratorem inter absentes, ut nemo negat, ergo, &c.

Adde ex Concilio Trid. *sess.24. cap.1.* haberi, Matrimonium Fidelium esse Sacramentum; At Matrimonium per Procuratorem, sive etiam per Epistolam, non æquivocè, nec proportionaliter, sed vnivocè Matrimonium est, quis enim vnquam inter Catholicos fuit, qui auderet dicere, duo genera Matrimoniorum esse in Ecclesia Dei, vnde inferre posset, alterum esse Sacramentum, alterum non item?

2. Materia ergo, & forma in Matrimonio per Procuratorem est item traditio, & acceptatio corporum facta à principalibus contrahentibus; quatenus exprimitur per verba, vel per signa à Procuratoribus exhibita.

3. Hinc meritò Procuratorem non obligamus ad statum gratiæ, quando sum hoc munus exercet, obligamus autem ipsos principales ut recipientes Sacramentum debere esse in gratia, quando verosimiliter putant, Procuratorem nomine ipsorum contrahere. Quo tempore, etiam si dormirent, reciperent gratiæ augmentum, sicuti tunc reciperent Sacramentum Matrimonii; quemadmodum occurrit, quando quis vigilans, vel sanus petiit Baptismum, & deinde cum dormit, vel phreneticus est, baptizatur; nam tunc, & Sacramentum recipit, & gratiam. Dixi (ut recipientes) ut ministrantes enim non habere hanc obligationem, dictum est modò *cap.2.*

## CAPUT IV.

### *Matrimonium Infidelium, an sit Sacramentum? Remissivè.*

CVm hoc ad praxim non pertineat, habeat id Lector à Doctoribus citatis, ac citandis, Sanch. Pontio, Aversa, G. Hurtado, aliisque.

## CAPUT V.

### *De Indissolubilitate Matrimonij.*

1. VT ea omnia, quæ ad indissolubilitatem spectant, cognoscantur, agam Primò de indissolubilitate Matrimonii infidelium, sive ante, sive post susceptionem Baptismi. Secundò, de eadem, quæ inest in Matrimonio rato Fidelium. Tertiò, de eadem, quæ in consummato eorundem.

### §. I. *An Matrimonium Infidelium ante conversionem initum sit indissolubile?*

1. MAtrimonium Infidelium, sive sit consummatum, sive sit Ratum dumtaxat, id est nondum consummatum (sic loquamur claritatis gratiâ), nam cæterum Matrimonium Ratum propriè est Matrimonium contractum per verba de præsenti inter Fideles, quod nondum sit consummatum, ut supra diximus *tract.4. de Consensu, cap.1. §.2. n.1.* Matrimonium, inquam, dictum Infidelium est ex natura sua indissolubile. Ita Ponrius, Vasq. Rebell. Bellarm. quos citat, sequiturque G. Hurt. *d.8. matr. diff.1.* quibus adde Castrop. *d.3. de sponsa. p.2. §.1. n.6.* & Leand. *de matr. d. q.2.* aliique contra Sanch. & Coninch. apud eundem Hurt. aliosque.

2. Ratio à posteriori ducitur ex illis verbis Genesis 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit vxori suæ* (ecce Matrimonium ratum, *& erunt duo in carne vna*, ecce consummatum) cum enim Deus dicat, *relinquet, adhærebit, erunt*, notat ejusmodi esse naturam matrimonii, non vero ipsum Deum, sic positivè velle constituere.

3. Ratio verò à priori præcipua est (nam alias vide apud Hurtadum, & citatos) quia certum est illicitum esse concubitum vagum, & communicationem vxorum

& virorum indifferenter; ergo certum est Matrimonium ex natura sua esse indissolubile. Antecedens conceditur ab omnibus Catholicis, & ferè etiam ab omnibus Ethnicis, & probatur communiter ex causa finali Matrimonii, quæ est suscipere, & educare, benéque instruere prolem: ad quod omnino requiritur, ut certum ineatur Matrimonium. Consequentia verò probatur, nam, si Matrimonium esset ex natura sua, sicuti cæteri contractus, dissolubile ex mutuo consensu contrahentium, possent reliqui viri, & vxores, & alii duci in Matrimonium: ergo admitteretur ipsissima communicatio vxorum, & virorum, quæ negatur ab omnibus. Vide, quæ dicam mox §. 2. n. 6. Qua ratione autem concesserit Deus Iudæis libellum repudii, quo relinquere suam vxorem, & aliam ducere poterant, vide apud Hurtad. *loc. cit. diff.* 15. alios citantem.

## §. II. *An sit indissolubile Matrimonium Infidelium, quando vtrique conjuges per Baptismum converuntur ad fidem?*

1. HOc, etiam consummatum, posse auctoritate Pontificis dissolui, eo modo, quo inferius dicemus, justa intercedente causa dissolui posse Ratum Christianorum, puant Navarrus, & Sanch. *l. 2. matr. d. 17. num. 2.* eum citans. Negat verò communior opinio cum Azor. Coninch. & Pontio, quos sequitur, citatque Castropal. *d. 3. de spons. p. 3. n. 2.* quibus adde Vasq. quem citat, & excipit Aversa *quæst. 2. sect. 5. V. Postremo.*

2. Ne autem turpiter labaris, bene distingue. Vel enim matrimonium Infidelium consummatum, sive solum Ratum ante Baptismum, etiam est consummatum post illum; vel quamvis consummatum antè Baptismum; tamen post Baptismum consummatum non est. Si illud prius, omnes conveniunt, nulla auctoritate dissolui posse, utpotè jàm matrimonium Christianorum consummatum repræsentans indissolubilitatem Christi cum Ecclesia, & Verbi Divini cum Humana Natura, æquè, ac repræsentant cætera Fidelium consummata matrimonia. Si verò posterius, tunc erit in opinione positum an dissolvi aliqua tandem ex causa possit.

3. Et quidem (ut dicebam) Sanch. cum Navarro affirmat. Ratio est, quia tunc illud matrimonium assimilatur matrimonio rato Fidelium, quod, ut dicemus, potest solvi per ingressum in Religionem. Sed, vt item dicebam, Azor. aliique modò citati negant, quia illud Matrimonium, quamvis ante Baptismum consummatum, consummatum tamen est, & nunc, cum simus post Baptismum, non est ratio, cur carere debeat prærogativa Matrimonii Fidelium. Ergo sicuti alia Fidelium consummata matrimonia nulla auctoritate dissolui possunt, quia id Christus Dominus nunquam concessit, ut mox *c. 7.* dicemus, ita, & hoc.

4. Vtraque sententia (fatente etiam Castropal. *loc. cit.* qui hanc posteriorem amplectitur) probabilis est. Et certè vtraque, nonnisi in verosimilibus conjecturis innititur.

5. Inquires. Si vir hic conversus (hac voce compendiosa vtimur, cum volumus significare, Infidelem suscepisse Baptismum (si hic inquam vir habuisset in Infidelitate plures simul vxores, vel primam, & secundam repudiasset, & haberet in præsentia tertiam, vel quartam, atque ad fidem converterentur, quamnam ex his pro legitima vxore retinebit?

Respondo, omnino quam primam dixit etiamsi cum primo solum haberet matrimonium ratum, cùm aliis verò matrimonium consummasset. Ratio est, quia, ut §. *præced.* vidimus, matrimonium, etiam dumtaxat ratum, est natura sua indissolubile. Cum ergo vinculum primi matrimonii nunquam dissolutum fuerit, cætera matrimonia subsequentia nulla fuerunt, & consequenter, non nisi prima est legitima, & vera vxor suo viro legitimè restituenda. Ita deciditur *c. gaudemus de divortiis*, & id esse certum in Ecclesia, notat Aversa *quæst. 2. matrim. sect. 4. V. Et Confirmatur.*

6. Atque ex hac Ecclesiæ definitione confirmatur diximus §. 1. n. 1. & 3. hæc enim definitio magnum signum credendi, matrimonium Infidelium ex sua esse indissolubile: secus enim Ecclesia posset tradere viro prædicto primam vxorem. Large Aversam *l. c. & sect. 6. V. In hac re.*

7. Denique scito; Pontificem non posse, ut vult Castrop. *de spons. d. 3. p. 2. §. 2. n. 1.* quacunque interveniente causa dissolvere Matrimonium duorum Infidelium non consummatum, sive non, quia Pontifex non habet talem potestatem in eos, qui sunt extra Ecclesiam.

## §. III. *Matrimonium Infidelium, quando alter conjugibus convertitur ad fidem, dissolubile est.*

1. EX tribus saltem capitibus dissolvi potest Matrimonium, etiam consummatum Infidelium, quando alter per Baptismum venit ad fidem.

Primò, ex eo, quòd conjux Infidelis discedat à converso; & nolit cum eo habitare, non ob aliam causam, quia is fidem amplexus est.

Secundò, ex eo, quod, quamvis habitare cum converso velit, Creatori tamen injuriam irroget, quia Christum Dominum contemnat, si ejus cultum prohibeat, si familiam fortè se convertere volentem quovis modo impediat.

Tertiò, si Fidelem conjugem excitet ad quodlibet peccatum; id enim est, etiam Creatori injuriam ferre.

2. Hæc ita se habere, non aliunde, efficaciter probatur, quàm ex Christi dispositione nobis promulgata per Sanctum Paulum 1. Cor. 7. qui de conjugibus loquens dicit: *Quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti*, id est legamini conjugali *subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, & in hunc sensum, ad quem nos hæc verba affertimus, semper intellexit immò definivit Ecclesia *cap. Quanto, cap. Gaudemus de divortiis.*

3. Et quidem primum caput ex dictis discessu physica, secundum, & tertium est discessio moralis, ut concordi sensu omnes Doctores explicant. Id autem ut dispositi Christus Dominus in favorem Baptismi, licet Baptismus afferret onus cœlibatus, vel patereretur baptizatus periculum perversionis.

4. Inquires obiter. An infidelis peccet non solum nolendo se convertere, sed etiam alio novo peccato nolendo sequi suam conjugem?

Respondeo, peccare novo peccato, quia non solum facit contra legem Christi vniversalem obligantem ad Baptismum, sed etiam contra specialem legem matrimonii, ne detur justa Divortii causa, qualem certe non ipse dat. Ita Sanch. *l. 7. matrim. d. 73. n. 3.* ex S. Anton. & Soto.

5. Dixi autem *numero 5.* ex tribus saltem capitibus; nam quamvis aliqui Doctores hæc tria solum vera agnoscunt pro primis Ecclesiæ temporibus pro hac in ætate (& certè fateor probabiliter) aliud addunt, nimirum ipsam meram conversionem vnius Fidelis. Nos tamen dicimus, esse probabilius hoc caput, quod aliqui Doctores ut Aversa, alios citans *p. 2. matr. sect. 5. Si autem*, Barb. *in Collect. 1. 4. p. 2. Decr. 28. n. 2. & n. 3.* addunt, non admittere: Censemus enim cum Elbel *d. matr. diff. 11. & 12.* Castrop. *de spons. d. 3. p. 5. §. 3. n. 8.* hanc potestatem dissolvendi matrimonium non dari Sancto Paulo Fideli converso, nisi, quando infidelis non conversus discedit physicè, vel moraliter, ut explicatum est, & ostendunt illa alia verba vniversaliter dicta: *Melior Infidelis sanctificata est per virum Fidelem*, ingerebus pro ratione negatæ dissolutionis afferunt spes conversionis alterius conjugis. At certè infidelis, dum peccato physicè se habet, magnum judicium etiam nunc, magnaque spem præbet cupitæ conversionis.

6. Non admittimus igitur diversitatem illorum primo-

rum

rum temporum hac in re cum nostra ætate. Immo Hurtad. *loc. cit. diff.* 13. *n.* 45. testatur, se audivisse in India, Japonia hodie servari id, quod nos dicemus, & ibidem (quod certè advertere, ad rem nostram facit) probat, non esse de facto prohibitionem ullam, qua conjux Conversus interdicatur cohabitare cum conjuge Infideli nolente baptizari, velit pacificè cohabitare; & ita advertisse Rebellium, & insinuasse Coninch. idem Hurt. notat.

7. Inquires. Si alter ex conjugibus Catholicis in hæresim incideret, vel Gentilis fieret, dissolvíne ex hoc capite poterit Matrimonium?

Respondeo negativè, nec ratum tantum, & multo minus consummatum. Ita definitur in jure, *C. quanto De divortiis*, & ratio definitionis fuit, ne sub prætextu hæresis conjugia, quæ minus placent, dissolvi tentarentur.

*An dictum Matrimonium solvatur in eo momento, quo alter ex conjugibus baptizatur?*

8. Hactenus diximus, ex tribus dictis capitibus solvi posse Matrimonium Infidelium, altero veniente ad Baptismum. Iam inquirimus, an solvatur statim, in eo scilicet puncto, quo Baptismus suspicitur.

Respondeo. Scio, Rodriq. & alios allatos à Castrop. *l. c. n.* 4. putare, statim: sed vera, & communis opinio est, S. Th. Coninch. Pontii, Sanchez, aliorumque cum Castropal. eos adducente *l. c.* non statim, sed quando ipse conjux conversus init Matrimonium novum cum alio. Antea igitur, in eo intermedio tempore à puncto Baptismi suscepti usque ad punctum novi Matrimonii, remanet vinculum, sed suspensum, vndè, nec tenetur conversus cohabitare cum non converso, nec impeditur inire, quando velit, dictum novum Matrimonium. Indè ergo fit, ut non conversus nequeat in hoc intermedio tempore Matrimonio jungi cum altero, quia vinculum remanet, & insuper fit, ut si fortè ipse convertatur, debeat continuare conjugium cum suo conjuge, iuxta id, quod Decretum esse in jure diximus §. *præced. num.* 5. *fine.*

9. Ut autem Conversus possit dictum novum Matrimonium inire, non est opus sententia Iudicis, quia Christus Dominus hoc privilegium concedens, ejusmodi restrictionem non apposuit. Satis igitur erit, quod certo moraliter constet obstinatio conjugis Infidelis Christum, seu fidem afficientis injuria, vel longa ejus distantia.

Quando autem non constat, vel spes est conversionis, erit necessaria monitio, ut is intra terminum deliberet, an velit converti, vel juxta doctrinam modò dictam, an velit pacificè cohabitare. Immo aliquando erit dicta monitio necessaria pro foro externo, ad intercludendas lites de validitate futuri Matrimonii. Lege hæc fusius apud Sanc. *l. 7. matr. d. 74. à n.* 11. *& d. 79. à n.* 2.

*An dictum Matrimonium dissolvatur per susceptionem Ordinis, vel per Vota solemnia in Religione.*

10. Inquirimus Secundò. An, sicuti vinculum dicti Matrimonii solum ante Baptismum consummati dissolvitur, quando conversus novum init Matrimonium, sic dissolvatur, quando susciperet fortè Ordinem Sacrum, vel solemniter Professionem emitteret in Religione? (quod vtrumque posse ipsum facere, nullus negat, per rationem dicendam *n.* 17.) Id autem non ignorare, proderit multum. Nam, si vinculum dissolvitur, poterit conjux alter Infidelis validè, & (ut ego contra Pontium cum Castrop. *l. c. n.* 13. & 15. puto) etiam quantum ad hoc licitè providere sibi de novo Matrimonio: Si vero non dissolvitur, nullo modo poterit, ut ex se patet.

11. Respondeo. Quamvis aliqui per susceptionem Ordinis Sacri dictum vinculum dissolui censeant, communis tamen sententia negat. Ratio efficax est, quia hanc potestatem dissolvendi vinculum non agnoscimus, nisi ex Christi Domini dispensatione ex modo dictis *num.* 2. at nec per Ecclesiam, nec per Patres hoc privilegium Ordini Sacro esse concessum audivimus; ergo, &c.

12. At verò per professionem in Religione duplex sensentia est. Prior cum Castrop. *l. c. n.* 12. cum Coninch. Pontio, G. Hurt. aliisque negat. Ratio est eadem, quia nimirum pari modo nullibi invenitur à Christo concessum, quod Matrimonium consummatum antè Baptismum possit per Religiosam Professionem dissolvi (de consummato enim loquimur, nam solum ratum posse per dictam Professionem, sicuti potest Ratum Fidelium, non est dubium, ut notat Hurtad. *d. 8. matr. diff.* 14. *n.* 51.) Adde, Matrimonium hoc Ratum Fidelium ideo per Professionem dissolui, quia Religio assumpta ab vno ex conjugibus non debet nocere alteri, qui nollet fortasse remanere cælebs. At in casu nostro dicti Matrimonii consummati, esto gravetur Infidelis, si cogitur cælebs manere, id gravamen sibi imputet, nam Ecclesia, ad quam non pertinent Infideles, eorum gravamina non alio modo tollere debet, nisi eos vocando ad Baptismum, & satis ipsi habeant quod per accidens ipsorum matrimonium ratum, propter paritatem cum matrimonio rato Fidelium, dissolvatur per Professionem ab altero conjuge Converso emissam ut modo dictum est, non verò prætendant idem de consummato.

13. Posterior sententia cum Sanch. & Henriquez apud eundem Hurt. *l. c.* concedit, per Vota solemnia Professionis Religiosæ dissolui dictum consummatum matrimonium. Ratio est (inquiunt) quia professio solvit vinculum matrimonii Rati Fidelium, quod est Sacramentum, & consequenter, quod est fortius vinculum, quàm sit dictum matrimonium consummatum Infidelium: ergo solve, & hoc. Probant consequentiam, quia in jure *L. De accus. ff. de diversis, & tempor. præscrip.* habetur illud vulgatum axioma: *Si vincam vincentem te, à fortiori vincam te.* Si enim à professione vincitur vinculum matrimonii Rati Fidelium, multo magis ab eadem vinci poterit vinculum dicti matrimonii consummati Infidelium, quod minus fortè, cum non sit sacramentum.

14. Verùm huic rationi respondent locis citatis Castropalaus, & Hurtadus, hoc axioma intelligi de casibus similibus, & jure ordinario, ac naturali contingentibus, non verò de dissimilibus, & de iis, quæ à jure positivo, & extraordinario præsertim divino dependent. Prior igitur sententia probabilior sit, posterior saltem ob auctoritatem extrinsecam probabilis. Et quidem loquimur de votis solemnibus in religione emissis nam per votum simplicis castitatis non dissoluitur matrimonium dictum Infidelium, sicuti non dissoluitur matrimonium Ratum fidelium, ut certum est, & notat Aversa *quæst. 2. matr. sect. 5. V. Negue.*

15. Vnum advertunt concordi animo prædicti Doctores, Nam si ejusmodi conversus factus jam sit professus, & deinde alter conjux fortè convertatur ad fidem, non erit huic ille professus restituendus.

Quamvis enim aliquorum sententia vinculum matrimonii remanserit, undè videatur suum conjugem conjugi reddi debere; tamen non ita est. Siquidem cum ille prior conversus legitimè, vndè, & valide assumpserit statum incompossibilem matrimonio, (nam propterea ex Sanchez *l. 7. matr. d. 76.* idem dicendum est, si ordinem Sacrum susceperit, vel Votum simplex Castitatis emiserit) non poterit ad matrimonium redire. Sicuti, si celebrato, jure, divortio, innocens conjux Ordinem Sacrum, vel professionem susciperet, vel votum Castitatis simplex emiserit, non poterit licitè alterum conjugem sibi reassumere, ut habet idem Sanch. *lib. 10. matr. d. 10. n.* 6.

16. Dixi (factus jam sit professus.) Nam si esset Novitius, cum nondum statum incompatibilem susceperit, poterit (immò, & debebit, nisi alter consentiat) cum res adhuc sit integra, redire ad matrimonium, ut

notat

notat ibidem Sanchez, & Coninch. *d. 26. dub. 5. n. 7.*

16. Ex qua doctrina vides, hæc duo esse satis diversa. Aliud est, an per professionis Vota solemnia dissolvatur vinculum prædicti Matrimonii? Aliud, an Conversus possit legitimè, vndè, & licitè Professionem emittere? Illud prius est in opinione positum, ut vidimus *num. 12. & 13.* hoc posterius omnes admittimus & nemo negat, ut diximus *num. 10.* cujus posterioris ratio est, quia nolens converti, dat justam causam, propter quam Divortium facere, conversus possit, quo divortio facto, jam conversus, utpote innocens, poterit licitè illos status eligere, monito prius altero conjuge, juxta modo dicta *n. 9.* & juxta ea, quæ dicuntur, cum de Divortio disputatur.

## CAPVT IV.

### *De indissolubilitate Matrimonii Rati Fidelium.*

#### §. I. *An hoc Matrimonium Ratum sit auctoritate Pontificis dissolubile?*

1. VT plurimum DD. sententias omittam quas apud Sanch. *lib. 2. matr. d. 15.* Avers. *q. 2. matrim. sect. 6.* præsertim *V. Tertio.* Castrop. *d. 13. de spons. p. 2. §. 4.* Pont. *lib. 9. c. 3. per totum*, habes, aliosque, duæ sunt hac in re præcipuæ. Altera negat cum Pont. *l. c.* cujus potissimum fundamentum à posteriore est, quia, si posset à Pontifice, quamvis ex causa, dissolvi Ratum posset, & consummatum, quod inauditum in Ecclesia Dei est. Sequela probatur, quia eædem causæ, evitationes, scilicet scandalorum, rixarum, & discordiarum æquè interdum sunt in consummato, ac sunt in Rato. A priori, quia Matrimonium ratum est ejusdem rationis, ac consummatum, quoad essentiam. Copula enim nihil addit essentiæ, vel integritati Matrimonii, quod consistit, in ipsa traditione, & acceptatione corporum. Ergo, si eadem semper est essentia, eadem in vtroque indissolubilitas; quare, sicut Pontifex dissolvere nequit consummatum, sic nequibit Ratum.

2. Altera sententia affirmat, eámque sequitur Sanch. *l. c. n. 4.* cum aliis. Et Leand. quidem *d. 5. matr. q. 7.* dicit priorem sententiam esse speculativè probabilem, hanc verò posteriorem probabiliorem esse practicè. Eandem hanc posteriorem tenet Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 16. n. 6.* qui refert, se vidisse Bullam Greg. XIII. dispensantis in matrimonio Rato. Sed quid hoc ad aliud, quod narrat Henriq. *lib. 11. de matr. c. 8. n. 11.* hoc est, eundem Gregor. XIII. vna die, tredecim Dispensationes dedisse de hac re? Adde, & similes dispensationes, quas fuisse concessas à Martino V. Eugenio V. Pio III. Pio V. meminit Hurtad. *l. c.*

3. Fundamentum præcipuum hujus sententiæ à posteriori ducitur à tot dictis concessionibus, quas per Summos Pontifices invalide, vel illicitè, esse datas, affirmare quis audeat? A priori autem, quia, licet firmiter teneamus, Matrimonium ratum esse ex se indissolubile, tamen non propterea negatur Deo potestas dispensandi mutando materiam, sit fusè prosequuntur Theologi. Quoniam ergo videmus Ecclesiam hac potestate per tot Pontificum seriem fuisse vsam, tenendum omninò est, eam ipsi à Christo Domino fuisse communicatam. Quare perinde hæc sententia certa alicui videbitur, ac est illa, quam omnes docemus, & Tridentinum definit, ut mox videbimus; puta Matrimonium ratum dissolui per professionem Religiosam; omne enim Tridentinum id decrevit? certè, non nisi, quia sic Ecclesia ab initio vsurpavit: at idem vsurpavit in re nostra per tot Pontifices.

4. Hæc sententia est probabilior, fateor tamen priorem sua probabilitate nequaquam carere, responsiones autem argumentorum vtriusque partis, vide apud citatos.

5. Inquires. An invito altero ex conjugibus Pontifex in hoc dispensare? rursus an sine causa?

6. Respondeo ad prius; Etiam altero invito, potest alter professionem emittere, & vere vinculum Matrimonii rati. Ratio autem est, quia Christus Dominus reliquit prudentiæ Pontificis, arbitrio contrahentium, ita ex Medina Aversa *sect. 6. V. Extendit.*

Respondeo ad posterius; Requiri justam, & validam causam, ut licitè Pontifex dispenset, certum, quia secus malè vteretur potestate sibi concessa. Sufficientem autem causam esse, ferè omnes fatentur. Sanch. *lib. 2. matr. d. 16.* si gravia damna, vel periculum discordiæ, rixæque inter conjuges, conjunctos esse, aliter metuantur, si mutua cohabitatio esse non possit, quod alteri supervenerit, v. g. Lepra cui remedium adhiberi nequeat, si perpetua sit, sterilitas, & similia.

7. Docet Sanch. *loc. c.* sufficientem esse causam, si magna inæqualitas inter virum, & fœminam. Id, si de prudenter timeantur rixæ, & discordiæ, malitia vtentis Matrimonii, ego non approbo; experimur etiam rarò, etiam inæquales ob insigne aliquod donum amari. Expendantur igitur circumstantiæ, & mores personarum, nam sic tandem apparebit, an rationabiliter adsit prædictus timor.

8. Vt vir promoveatur ad Episcopatum, non est causam sufficientem, nisi id valdè necessarium sit ad bonum commune, bene docet ibidem Sanch.

9. At verò, vt validè Pontifex dispenset, nullatenus requiri causam; quia Christus omnem citra hoc absolutatem concessit Pontifici, ne relinqueret locum scrupulositati, nonnulli putant, cum Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 8. num. 11. littera G.* sed tutior apud Avers. *q. 2. matr. sect. 6. V. Requiritur vero*, communior, vetior, & certa sententia est, requiri causam justam, sicuti in dispensatione Votorum, & juramentorum communiter docemus de quibus dictum est, *lib. 4. in Decalog. tit. de Iuramenti, & Voti.*

#### §. II. *An Matrimonium Ratum dissolvatur per Professionem solemnem?*

1. DIssolvi, non dubium, & ita definitum legimus in Tridentino *sessione 24. can. 6. Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Alios Sacrorum Canonum Textus vide apud citatos, atque hæc definitio Tridentini cum sit absoluta comprehendi omne Matrimonium ratum, etiam indubium, venientium ad fidem, etiam altero invito, etiam post multos annos à contracto matrimonio, si nondum sit consummatum. Lege Sanchez, *lib. 2. matrim. d. 24. num. 27.*

2. Ex eadem definitione fit, ut conjux relictus non culo possit, non quidem statim post ingressum alterius in Novitiatum (quo certè vinculum matrimonii non soluitur) sed post professionem emissam, etiamsi debeat expectari integer annus, immò etiam plus, ut fingas erat duodennis, quæ non poterit profiteri, nisi post quatuor annos, hoc est donec compleat annum decimum sextum ex Tridentino, ut notat Sanch. Pont. &c. que apud Castrop. *d. 3. de spons. p. 2. §. 5. n. 2.* fit, quare ut possit dictus relictus novum sibi Matrimonium contrahere quirere post professionem alterius. Quod si Religiosus, quia antea fuerat conjux, deinde dispensetur à Pontifice, de suis Votis solemnibus, & egrediatur à Religione, poterit quamcunque eligere pro suo novo Matrimonio. Idque verum est, etiamsi vtrique conjuges Religionem assumpsissent, & deinde similem dispensationem obtinuissent, poterunt enim cum aliis quibuscunque Matrimonio copulari. Ratio clara omnium horum est, quia jam ruptum fuit prius vinculum: vide Leand. *d. 5. matr. q. num. 10.* citans Sanch. aliósque. Idque ex institutione Christi Domini, ut *mox num. 4.*

3. Atque

3. Atque hinc etiam collige, ejusmodi Religiosum, qui olim conjux fuit, peccando contra Castitatem, peccare quidem sacrilegè contra Votum, non tamen committere adulterium quia non peccat contra fidem datam in matrimonio, cum jam Matrimonium, vinculo dissoluto, nullum adsit, vnde etiam sequitur, pari modo contra Castitatem ipsum (& quidem sacrilege) peccaturum, si copuletur cum eadem ipsa, cum qua contraxerat Matrimonium ratum, quia dissoluto vinculo, illa sua amplius non est. Id non ita esse, quando quis post divortium professionem emittit, quia divortium non solvit Matrimonii vinculum, dicemus infra cum *de Divortio*.

4. Quo autem jure hæc dissolutio fiat, hoc porro controversum est apud DD. nobis tamen ex dictis quæstio remanet decisa; fit enim, ut superiùs indicavimus ex dispositione, quam Christus Dominus ob favorem Religionis, quæ est quædam mors spiritalis, concessit Fidelibus quamque per Ecclesiam ab ipso exordio nobis significavit.

*Per professionem cujusnam Religionis dissolvatur Matrimonium Ratum?*

5. Jam verò ad majorem præcedentium explicationem, Inquires Primò, per cujusnam Religionis professionem, hæc dissolutio, fiat?

6. Respondeo. Per ejus Religionis approbatæ à Pontifice professionem, cujus Vota solemnia constituunt verum Religiosum: hæc autem sunt, quæ legitimè obligant, tum ex parte profitentis, tum ex parte Religionis, nomine Ecclesiæ, acceptantis. Hinc Vota emissa à Tertiariis, qui in sæculo vivunt, vel etiam in aliqua Congregatione simul, sed non cum dicta solemnitate, non dirimunt matrimonium: dirimunt contra, si in Congregatione collegialiter vivant cum Approbatione Pontificis, quia tunc ea Congregatio esset vera Religio, ita Leand. *d.5.q.16. &* 17. citans Sanch. aliosque.

7. Hinc advertis, à Voto simplicis Castitatis in nullo modo matrimonium dissolvi, quia jam solemne, illud non est.

8. Quid de Votis Ordinum Militarium? Respondeo. Si de militibus S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & similium agas, eorum Vota matrimonium non dirimunt, quia, esto, nonnulli & quidem probabiliter, asserant, eos esse Religiosos, quia tamen ipsorum status non est incompatibilis cum Matrimonio, dirimere illud eorum Vota non possunt. Si verò agas de Militibus S. Joan. Hierosolymitani, vulgò Melitensibus, sine dubio eorum Vota dirimunt, quia ij sunt veri Religiosi ex communi sententia, nec cum ipsorum statu subsistere matrimonium potest. Lege Sperell. *decis.21.n.44.* & Leandrum, *d.5.de matr.q.14.* qui affert Pontium testantem, ita Sacr. Congregationem Cardinalium declarasse.

9. Per Vota Clericorum, vel Monialium prædictorum Ordinum, qui in Claustro vivunt, verique sunt Religiosi, matrimonium dissolvi, rectè notat Sanchez, *loc. cit.* quia tunc illa vota sunt solemnia, in Claustro, dixi, Vota Clericorum Ordinum militarium (præter Ordinem S. Joan. Hierosolymitani) qui extra claustra vivunt, cum sint ejusdem rationis, ac sunt vota eorundem Militum, eandem naturam sequuntur, nec dissolvere matrimonium possunt, vt habet Hurtad. *d.8.matr.diff.6.n.26.* contra Pontium.

*An per vota Biennij Societatis?*

10. Quid de Votis biennii Societatis Iesu? Respondeo. Affirmat Pontius, *lib.9.cap.6.* quia hæc Vota licet solemnia non sint constituunt tamen Religiosum, & per Bullam Gregorii XIII. *Bulla Ascendente Domino*, sunt impedimentum dirimens Matrimonium illis supervenies, ergo, & dirimunt matrimonium antea contractum.

11. Verum Doctores nostræ Societatis, cum quibus est omninò sentiendum, negant Vasquez, Sanc. Henriq. Gasp. Hurtad. *d.8.matr.diff.5.* eosdem citans, & Suarius, *t.4. Relig.tr.10. lib.4.c.2.* Adde non nostros, Leandrum *l.c.q.13.* qui citat Cornelium, & Ochagaviam, adde, & Aversam, *q.2.sect.6.§. Dico præterea*, qui advertit frustra contra prædictos conniti Pontium. Ratio est, quia jus dissolvendi matrimonium ratum ex Institutione Christi Domini inhæret professioni Religiosæ, eo modo quo traditum, & explicatum est ab Ecclesia; at Ecclesia solum explicuit de professione sub solemnibus Votis, non verò de professione sub Votis simplicibus, ut merito dixerit Tridentinum (per solemnem professionem) quasi excludens omnem non solemnem.

12. Propter eandem rationem Vota Formatorum Coadiutorum, sine temporalium, sive spiritualium in dicta Societate non dirimunt matrimonium, quia, quamvis per illa ejusmodi Coadiutores incorporentur (vt loquitur Suar. *l.2.lib.7.c.2.*) ultimatè Societati, tamen id fit per Vota tantum simplicia, & non per solemnia. Qui nostri Instituti inscius velit cognoscere, in quo differant ejusmodi Vota simplicia Coadiutorum à Votis solemnibus Professorum, adeat Suar. *l.c.*

Prædictam doctrinam non nemo apud Pont. *de matr. l.9.c.6.* confirmare voluit ex facto (Quod factum narrat etiam Vasq. *p.2.d.156.c.10.* S.P. Ignatii, qui Coadjutori temporali, qui transiit à matrimonio rato ad Societatem, concessit solemnem professionem, ut scilicet, sic dissolveretur vinculum matrimonii, quod dissolvi non poterat per Vota illa Coadjutorum. Optima confirmatio, sed nihilominus posset aliquid obstinatè respondere, id fecisse S. Ignatium, ad omnem scrupulum amovendum, ut sic, posset conjux relicta in sæculo majori cum securitate Matrimonium aliud inire, si voluisset. Vera tamen, & sufficiens datæ doctrinæ ratio est, quia, ut dixi, hæc Vota Coadjutorum solemnia nequaquam sunt.

*An per Ordinem Sacrum?*

13. Quid denique dicemus de Voto Castitatis imbibito in Ordine Sacro?

Respondeo. Nequaquam ab alio dirimitur Matrimonium, idque est definitum *in Extrav. Antiqua de Voto*, etiamsi Ordo sit Sacerdotium, immò etiamsi sit Episcopatus, ut notat G. Hurt. *d.8.de matr. diff.4. n.5.*

Ex dictis vides, nec Ordines Sacros, nec quamcunque Ecclesiasticam dignitatem, nec Vota simplicia, sed solùm Vota solemnia, sive Religiosorum, sive Monialium, dirimere matrimonium ratum: ut autem aliæ causæ dirimant, requiri, ex probabili sententia, auctoritatem Summi Pontificis? sicuti §. *præced.* dictum est.

*Conjux volens, profiteri, differre ingressum in religionem non debet.*

14. Inquires Secundò. Quo remedio vtetur conjux, si alter prætextu volendi ingredi in Religionem differat ingressum, vel ingrediens modò in Novitiatum vnius Religionis, modò alterius, solemnia Vota procrastinet?

Respondeo. Per Iudicem præscribat ei terminum rationabilem peremptorium, ut profiteatur statim (sanè sumpto hoc, statim, morali, & humano modo) vel ad (conjugem relictum) regrediatur, ut fusè Doctores, ut Sanc. *l.2.matr.d.24.n.9.* Pont. *l.9.* & 20. Castrop. *de sponsa p.2.§.5.n.3.*

*Cum animo ingrediendi Religionem; An liceat Matrimonium.*

15. Inquires Tertiò. Licetne mihi contrahere matrimonium per verba de præsenti cum certo animo non consummandi, sed ad Religionem sine consensu mei conjugis evolandi.

16. Respondeo duobus dictis. Dico primo, regulariter

ter non licere, idque sub mortali. Ratio est, quia regulariter fit primò injuria vxori, quæ cogetur expectare sine Nuptiis, donec tu profitearis. Secundò, quia tuâ causâ frustra fuerunt fortassè multæ expensæ factæ à tua Sponsa. Tertiò, quia, si tu fortè non perseveraveris in Religione, cogetur vxor, cum suo dedecore te habere conjugem ex Monachatu. Quartò, quia das ansam non paucis suspicandi, ipsam à te propter aliquod vitium fuisse relictam. Quintò, quia si fortè ideò vis, contrahere cum animo transeundi ad Religionem, quia Votum emiseras Castitatis, te exponis, evidenti periculo consummandi Matrimonium, adeóque Votum violandi. Ita Sanch. *lib. 11. matr. d. 43. num. 7. & 12.* cui adde Aversa *q. 2. sect. 6. V. Absolutè.* Coninch. *d. 33. d. 3. n. 5.* G. Hurt. *d. 2. de matr. diff. 5. fine*, aliique, quidquid dicat Pont. *lib. 6. cap. 1. num. 5.*

17. Dico Secundò, in aliquo rato casu magnæ necessitatis, peccatum non esse; nam propterea addidimus illud (regulariter) ratio est, quia necessitas tanta vincere posset incommoda illa, quæ modò dicta sunt. Exempla duo affert Sanch. *loc. cit.* Primum, si fortè cogaris per metum gravem contrahere Matrimonium, tu verò firmum animum habeas non consummandi, & resarciendi damna, si quæ sint. Secundum, si illa Matrimonii contractio tibi esset medium necessarium, ut posses ad Religionem transire, ut si, v. g. esses carcere inclusus, ne aliud remedium evadendi occurreret, nisi cum illo animo Matrimonium contrahendi. Quòd si tua Matrimonii contractio esset necessaria ad honorem puellæ restituendum, quam anteà, v. g. violaveras, & ad ejus prolem legitimandam, tunc enim verò non modò non posses ad Religionem ire, sed obligareris, juxta alibi dicta, Matrimonium verè contrahere.

*An prædicta dissolutio Matrimonii Rati liceat ob finem recedendi ab vxore molesta?*

18. Inquires Quartò. Si quis dicto Matrimonio tantummodo Rato ligatus, solum, quia ipsi displicet vxor, eligat Religiosam professionem, tanquam minus sibi malum, peccabitne?

Respondeo. Videtur hîc licitè vti jure suo posse.

Subinquires. Quid, si notabile damnum venerit fœminæ, quæ difficillime alterum virum invenire fortasse poterit?

Respondeo. Adhuc videtur vir (præscindendo ab alio inconveniente) vti posse jure suo: neque enim Charitas illum obligat cum notabili suo damno, ad fœminæ commoda quærenda. Multò magis, quia damna prædicta per accidens, & indirectè evenirent. Adde, non irrogari injuriam fœminæ, quia etiam ipsa parem habet potestatem, & sub hac implicita conditione contraxit vterque, ut, quandocunque Matrimonium non fuerit consummatum, posset alter ad Religionem proficisci. Ita in simili respondet Sanchez, *lib. 2. matr. d. 24. n. 2.*

## §. III. *De bimestri concesso Sponsis ad deliberandum de Religione assumenda.*

1. QVamvis semper, ut modò indicavi, etiam invito altero, possit conjux alter ad Religionem transire, Matrimonio nondum consummato, tamen dicto conjugi, sive mari, sive fœminæ Sacri Canones concedunt bimestre (non necessariò ex Sanch. *lib. 2. matrim. d. 24. num. 15.* complectens sexaginta dies, sed dies illos, secundum quod occurrunt eo tempore, quo de præsenti contrahitur Matrimonium,) bimestre, inquam, numerandum de momento ad momentum, à puncto Matrimonii contracti, vsque ad ingressum in Novitiatum, in quo bimestri possit vterque conjux deliberare, an velit statum Religiosum eligere, quo electo, possit ad illum liberè convolare. Quæ omnia habent, & probant DD. quos citat, sequiturque Castrop. *d. 3. de sponsal. p. 2. §. 5.* citans Pont. Sanch. G. Hurt. & alios addens hunc terminum duorum mensium posse ex causa à Iudice vel prorogari.

2. Est autem notandum discrimen inter hoc bimestre & reliquum tempus consequens; nam finito debito bimestre, conjux potest licitè negare debitum alteri petenti, quia in spatio illius temporis jus habet facultatem non reddendi debitum, nè scilicet frustretur ad Religionem, at, exacto bimestri, obligatur reddere, vel, si reddere nolit, obligatur, statim ire Religionem ingredi, quia jus illi amplius non datur; licet si, de facto ob causam aliquam Matrimonium non consummetur, etiam possit, quamvis alterum conge inuito, ad Religionem evolare; ita Doctores omnes *ex C. ex publico de convers. Conjug.* Sanc. Pont. &c.

3. Quantum debeat conjux relictus in seculo expectare, ut legitimè queat aliud Matrimonium inire, dictum est §. *præced.*

*Nolens ingredi Religionem, an possit negare debitum primo bimestre.*

4. His habitis tanquam certis: Inquires Primò, an liceat conjugi denegare, in illo bimestri, debitum, quamvis firmus sit se nolle ad Religionem transire.

Respondeo. Probabilius est, licere, quia, qui nolens priori mense animum Religioni adjicere, potest in posteriori, quare habet jus cuilibet aptitudinem ad Religionem. Ita Sanch. & Pontius *loco citato.* Non tamen interim probabile etiam esse cum Coninch. *d. 33. dub. 4.* & G. Hurt. *d. 8. de matr. diff. 8.* non licere, quia dicit potest id solum concessum esse iis, qui animum adhuc habent deliberandi de Religione.

*Sponsa coacta à Sponso in primo bimestri.*

5. Inquires Secundò. An, si maritus, (quem, quamnondum consummavit Matrimonium, solemus vxorem vocare Sponsum) an, inquam, maritus in primo bimestri, si cogat vi vxorem omninò renitentem ad coitum, possit nihilominus vxor vti privilegio Religionis assumendi.

Respondeo. Quamvis coacta fuerit copula vide mortaliter tunc peccaverit cogens ex Sanch. *lib. 2. matr. d. n. 15.* dicunt tamen aliqui, & quidem probabiliter coactum non posse amplius vinculum Matrimonii dissolvere, quia jam matrimonium est consummatum, & conjuges sunt effecti vna caro. Nihilominus probabilius est, ut vult G. Hurt. *d. 8. matr. diff. 9.* citans Pont. & Sanch. Aversa *d. 23. matr. sec. 10. V. Melius*, posse vxorem coactam in Religionem ingredi, quamvis non dissolvat vinculum, quia non debet quis ob injuriam ipsi factam privari jure, quod habet.

6. Dixi (in primo bimestri) nam, si, eo completo, dicta vxor compellatur (saltem quando non apparet statim conjugem velle in Novitiatum ingredi) cum tunc ei non fiat injuria, (obligatur enim reddere debitum) non poterit dicto privilegio frui.

7. Illud necessariò nota, cogentem, nec posse matrimonium novum inire, nec Religionem profiteri, etiamvis profiteri, coacta juxta posteriorem sententiam possit. Ratio est, quia, cum remaneat vinculum, non liberatur conjux ab obligatione matrimonii, quam liberationem ideò potuimus concedere coacto, quia non debuit ob injuriam alterius suo jure privari: id, quod non indulsimus in cogente.

*Sponsorum copula, an Matrimonium consummet?*

8. Inquires Tertiò. Si Sponsi ante contractionem matrimonii per verba de præsenti copulam habuissent, essetne ejusmodi matrimonium consummatum, etiamvis post verba de præsenti nondum subsequuta sit nova copula?

Respodeo; non esse consummatum, quia matrimonium non consummatur, nisi per copulam maritalem, & quamvis ad legitimandam prolem retrotrahatur matrimonium; quia ob bonum prolis jura fingunt peculiare

ac matrimonium legitimè contractum antea fuisse, non tamen retrotrahitur ad effectum, ut censeatur matrimonium consummatum, &, ut sic amittant, quantum est ex hoc capite, coniuges privilegium, de quo loquimur; quia, ut iudicat Sanch. *d.21.n.13.* G.Hurt. *d.8. matr. diff.9.n.33.v. Addemus*, id nunquam iura finxerunt.

## CAPVT VI.

### *Matrimonium Fidelium consummatum indissolubile est.*

1. ITa id certum est ex dictis, ut longior probatio sit omninò superflua. Breviter autem sic discurre: Ex una parte matrimonium est ex naturâ suâ, & ex ratione Sacramenti, indissolubile, ut vidimus in superioribus, ex altera, non apparet, Christum Dominum dedisse Ecclesiæ potestatem dissolvendi matrimonium consummatum, imò, ex antiquissima traditione, ejus vinculum esse in omni casu insolubile, excepto ob alterius mortem, semper Ecclesia prædicavit, ergo, &c.

2. Non est igitur admittenda consuetudo Græcorum qui matrimonium consummatum dissolvunt ob adulterium, ut refert Leand. *d.5. de matr.q.5.* Divertere enim potest coniux innocens, modo *infrà* explicando, ob alterius adulterium, non verò (quod longè diversum est) vinculum dissolvere.

3. Illud tamen hîc proprium locum habet; ut explicemus, seu recolamus, in quonam consistat ejusmodi consummatio, nam de ea memini, me iterum dixisse in simili *suprà, tr.1. de imped. c.12.§.4.*

Enim verò consistit in receptione seminis virilis intra vas naturale Mulieris. Hinc, si habeatur vasis penetratio, sed sine viri seminatione, non erit consummatio, esto, in foro externo, consummatio præsumatur. Ita Sanch. *lib.2. matr.d.21.* G.Hurt. *disp.8. matr. diff.9.*

4. Si tamen, contrà, habeatur seminis receptio, non verò penetratio, quod contingere posse, mattice sibi semen attrahente, supponunt Doctores, habebitur secundum Sanch. *l.c.* G. Hurt. *l.c.n.33.* consummatio, quia iam coniuges fiunt una caro, & unum principium generationis, quidquid dubitet Pont. *l.9.c.10.*

5. Verùm, requiritúrne seminatio facta à fœmina? Respondeo: Probabilius esse, non requiri, tenet Sanchez, licèt requiri fateatur esse probabile, quia ex opinione probabili multorum, ut Sanch. *l.c.* Dianæ *p.3.tr.4. res.19. & in Addit. res.21.* Avers. *q.2. sect.4. de matr. initio*, citantis S.Th. Verric. latè *tr.4.q.mor.27. sect.3.* requiritur semen Mulieris ad generandam prolem, & in aliorum opinione non requiritur.

Coniugibus iurantibus, se non consummasse matrimonium non est fides habenda in Iudicio, nisi adsint alia indicia, v.g. integritas Clausti Virginalis, vel ipsam non fuisse deductam ad domum Sponsi, vel quid simile, ut docent Sanch. *lib.2. matr.d.23.n.1.* & Pont. *l.c.n.6. locis citatis.* Quidquid autem concedat idem Sanch. *l.c.n.2.* nè innitaris solùm integritati prædictæ clausti: nam plura remedia, quibus utuntur fœminæ, ut Virgines appareant, ex solâ integritate nihil certi hac in re haberi posse, latè probat *ibid.* Verricelli *dicto tr.4.q.14.*

Quid si alter negèt, alter affirmet se matrimonium consummasse? Vide prædictos DD. cùm id magis ad forum externum pertineat, quàm ad conscientiæ forum, de quo agere, nostrum est institutum.

An coniuges, quamvis matrimonium consummaverint, licitè ex mutuo consensu Religionem profiteri valeant? Dicam *infrà, tr.7. de obligat. c.4.§.1.*



# TRACTATVS VI.

## DE SOLEMNITATIBVS Contractus Matrimonii.

## CAPVT PRIMVM.

### *Quænam sint ejusmodi Solemnitates?*

DVæ potissimùm sunt: Altera, inducta à Tridentino, *sess.24. cap.1. de ref. matr.* illa est, ut matrimonium contrahatur coram Parocho, & Testibus: Altera, à Sacris Canonibus aliàs lata, sed ab eodem Tridentino *ibidem* confirmata, est, ut antequam matrimonium per verba de præsenti celebretur, præmittantur denuntiationes. Est etiam alia tertia minoris momenti solemnitas, seu cæremonia, qua matrimonium contractum benedici à Parocho solet, & de hac etiam erit suo loco paulò *infrà* opportuna tractatio.

2. Inter illa autem duo priora maximum discrimen intercedit; Si enim non adsint Matrimonio Parochus, & Testes, nullum est Fidelium matrimonium, & sine dubio graviter peccabitur: at, si non præmittantur denuntiationes, peccabitur quidem modo *inferius, c.3.§.1. n.2.* explicando, sed validum erit matrimonium.

3. Dixi (Fidelium) nam ad matrimonia Infidelium, quamvis temporaliter subjectorum Ecclesiæ, hæc decreta non extenduntur, undè matrimonia Iudæorum, Turcarum, & hujusmodi, nec præsentia Parochi, & Testium indigent, nec denunciationibus. Eosdem, quando iam coniugati veniunt ad fidem, non obligari ad supplendas prædictas solemnitates, rectè notat Bossius *de matrim. cap.1.§.32.*

## CAPVT II.

### *De primâ Solemnitate, quæ requirit præsentiam Parochi, & Testium.*

#### §.I. *Qua ratione hanc inducere Tridentinum potuit?*

1. TAmetsi hoc explicare pertineat ad Theologos scholasticos, breviter tamen id innuere, alienum à nobis non est.

2. Propter bonum commune, bonumque gubernationem valet Potestas humana iterum reddere contractum civilem, sive ipsum contractum irritando, sive inhabiles reddendo, personas ad hoc, vel illo modo contrahendum, ut de facto ius civile gessit, quando irritavit contractus Minorum initos sine Tutoris licentia, &c. & Ius Ecclesiasticum, quando irritavit professiones Religiosas ante annum 16. ætatis, & ante annum novitiatûs emissas, ergo Potestas Ecclesiastica, in quâ residet summa auctoritas circa ea, quæ ad bonum commune, & circa gubernationem Fidelium pertinent, potuit, ad tollenda innumera scandala, quæ oriebantur ex matrimoniis clandestinis potuit, inquam, irritum reddere contractum matrimonii initum sine præsentia Parochi, & Testium, irritando ipsum contractum sic celebratum, imò, & reddendo personas sibi subditas inhabiles ad contrahendum sine dicta præsentia. Hoc posito, si prosequimur argumentationem, quo pacto etiam solvimus objectionem, quæ afferri contra nos potest.

3. Materia, & forma Sacramenti matrimonii est validus contractus inter virum, & fœminam, sed Ecclesia po-

test facere, ut hic contractus non sit validus juxta jam dicta, ergo potest facere, ut tunc non fiat Sacramentum matrimonii. Id, quod non est absolutè, seu formaliter, & directè mutare materiam, & formam Sacramenti, ad quam mutationem nulla humana potestas se extendit; sed est illam mutare consequenter, & indirectè, quod nullum est inconveniens. Finge, me posse, hunc panem mutare in lapidem, iam non constabit in eo lapide Consecratio Eucharistica, & tamen tunc non dices, me absolutè mutasse materiam Eucharistiæ, & rectè; solùm enim possem dici, mutasse indirectè, & consequenter, quod certè inconveniens nullum affert. Ita proportionaliter in casu nostro, &c.

### §. II. *Explicatur prima dicta Solemnitas, quæ est præsentia Parochi.*

1. ITa necessaria est præsentia Parochi, dum Fidelium matrimonia contrahuntur, ut si fortè contrahantur coram toto populo, uno tamen absente Parocho, nulla consurgant matrimonia. Quod verum etiam est in casu urgentissimæ necessitatis, ut, si expediret morti proximos coniuges matrimonio legitimè copulari, ad salvandum honorem alterius, vel ad prolem legitimandam, & Parochus loco degens, præsens adesse non posset. Quamvis enim aliqui apud Castropal. *d. 2. de spons. p. 13. §. 8. n. 9.* & alii apud Bossium, *c. 1. de matr. §. 24.* qui ad idem propendet, censuerint, non esse credibile, Tridentinum voluisse comprehendere casum tantæ necessitatis, unde putaverint, validum tunc fore matrimonium sine Parocho; tamen communiter DD. contrarium sentiunt, etiamsi adfuerint plures testes; atque cum his est omnino sentiendum; quia verba Tridentini sunt valdè vniversalia, & clara. Ita Sanch. *lib. 3. matr. d. 27. n. 4.* Coninch. *d. 27. dub. 1. n. 11* Pont. *lib. 5. c. 6. n. 3.* G. Hurt. *d. 5. de matr. diff. 3. n. 11.* Avers. *q. 6. de matr. sect. 2. v. Caterum*, aliique.

### *Hæc dispositio an liget ignorantes?*

2. Quid, si contrahentes per ignorantiam invincibilem hoc Decretum omninò nescirent?

Respondeo, adhuc matrimonium sine Parocho nullũ fore, quia irritatio hæc matrimonii clandestini non est pœna delicti, quam pœnam non subit ignorans, sed est dispositio legalis, quæ etiam ignorantes afficit. Lege Coninch. *d. 11. n. 13.* Sanch. *n. 10.* Pont. *l. c. n. 18.* G. Hurt. *l. c.* Avers. *l. c.* aliósque.

### *An Matrimonium sine solemnitate initum, propria auctoritate, dissolvi queat?*

3. Ex certa doctrina, quam hactenus protulimus, sequitur primò, tutâ conscientiâ, posse sic contrahentes, nullâ ab aliquo petitâ veniâ, matrimonium dissolvere, ubi scandalum nullum sequeretur, in hujus enim timore debet ad Iudicem Ecclesiasticum recurri, vel alio modo prudenti, occurri scandalo. Vide Boss. *l. c. §. 10.* Quomodo autem obligetur alter ex coniugibus, vel restituere interesse fortè alteri allatum; vel alterum legitimè contrahere ob copulam fortè extortam, cui non nisi legitimis nuptiis satisfieri possit, vel ob aliam rationem, *lib. 7. in Decal. c. 3. §. 3.* satis dictum est à nobis.

### *A Tridentino sublata iam sunt Matrimonia præsumpta.*

4. Sequitur secundò, iam hodie post Tridentinum sublata esse matrimonia, sive præsumpta, sive per tacitum consensum inita, quia, cùm de illo tacito, vel præsumpto consensu testari non possit Parochus, nullum semper erit ejusmodi matrimonium, utpote sine necessaria Parochi præsentia celebratum.

5. Hinc, quamvis olim, *Ex c. Is, qui fidem, de sponsalibus*, sponsalia inter puberes transirent in matrimonium per copulam subsequentem affectu maritali habitam, & quamvis sponsalia inter impuberes, vel inter impuberem & puberem transirent (*Ex cap. unic. §. Idémque, de desponsat. impub. in 6.*) item in matrimonium per copulam ætate perfecta simili maritali affectu habitam, vel per alios similes, quibus iuris interpretatione equipollens consensus de præsenti, ut per cohabitationem continuatam, per traductionem ejusdem in domum Sponsi, per nullum in digitum Sponsæ immissum, per osculum, quamvis validum (*Ex c. Proposuit, de coniug. servo*), item fieret matrimonium contractum cum famulo servo, si post cognitam servitutem haberent consensum, quamvis, inquam, hæc, & similia, ita olim fuerint, tamen non ita; quia post Tridentinum requiritur, ut contractum est, præsentia Parochi, & testium, qui scientes sint de contracto matrimonio fidem facere.

### *Quid in locis, ubi Tridentinum non est receptum, Parochi non adsunt?*

6. Iam verò duplex exceptio, seu melius duplex explicatio advertenda est circa prædictum Tridentinum. Nam primò, ipsum non procedit pro locis, ubi Tridentinum non est receptum, vel legitima consuetudine abrogatum fortè est. Secundò, nec procedit pro locis, ubi, nec Parochi habitant, nec eorum vicegerentes adsunt proxima loca, ubi iidem incolant.

7. Prius ex his patet, quia ex regulis generalibus non obligat, ubi ea recepta non est, vel, ubi est abrogata.

8. Posterius autem probatur, quia casus, pro quo servari lex physicè non potest, videtur legislator excipere. Ita Coninch. *d. 27. n. 11.* & Hurt. *d. 5. de matr.* aliique ab ipso citati. Adhiberi tamen in hoc casu debent testes, quia hi adesse iam possunt, ut sic servetur potius fieri potest, forma Concilii.

Dixi (physicè non potest) moralem enim necessitatem (sic appellem[us] distinctionis gratiâ) modò *n. 1.* etc. [illegible]

9. Castropalaus *de spons. d. 2. p. 13. §. 8. num. 8.* dicit sentire cum reliquis Doctoribus, refugit admittere Coninch. & Hurtadi doctrinam. Verùm ego duo vobis breviter ab ipso. Primò, rationem aliquam, cur [illegible] modi doctrinæ nolit acquiescere? Sed ille vir ullam affert. Secundò, cur dicat (cum reliquis Doctoribus) non nisi Coninch. & Hurtadus hanc sententiam tuerint. At Diana *p. 11. tract. 6. resp. 1.* cùm attulisset de re declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quam nos mox afferemus, factam multò antè, quàm Castropalaus scripserit, multos citat Auctores, quorum [illegible] ipso Castropalao sunt antiquiores, Less. Syl. Lop. Ioannem Præpositum, Petrum Marcantium, Rebuffum, item Marcantium, aliósque, quos, & alios citat, sequitur Boss. *de matr. c. 1. §. 24.*

Iuvat autem prædictam declarationem hic subjicere, propter multos casus, qui in ea decidentur; est autem tenoris sequentis ad Episcopum Trichatiensem die 3. Ianuarii 1605. missam.

10. *Congregatio Concilii censuit: Primò, ubi Decretum Concilii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observantia formæ à Concilio præscriptæ.*

11. *Secundò, publicationem præsumi, ubi Decretum fuit aliquo tempore in Parochia, tanquam Decretum Concilii observatum.*

12. *Tertiò, Hæreticos quoque, ubi Decretum fuit, vel est publicatum, teneri talem formam observare, & proinde etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, nempe coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta nulla, atque irrita esse.*

13. *Quartò, ubi etiam constat, Decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia, aut pote vacans, proprio Parocho careat, & Cathedralis item careat Episcopo, atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullum alius ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque præsentia Parochi, servatis tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, id est, nuptiis fiant duobus testibus.*

14. *Quintò, si existant quidem Parochus, & Episcopus*

*sed, nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus Testibus.*

*Quod autem attinet ad casum specialem in scripturis contentum, Congregatio ita duxit respondendum: Cùm secundum ea, quæ proponuntur, Matrimonium fuerit contractum in Parochia, ubi fuerat publicatum dictum Decretum, & extaret in Diœcesi Antuerpiensi, cujus erat Parochia, Vicarius, qui iuxta Concilii Decretum poterat providere, utique hujusmodi Matrimonium absque forma contractum esse nullum.* Hactenus Sacra Congregatio.

*Accedentes ad loca, ubi Tridentinum non est receptum, vel inde recedentes, an ligentur à dicta solemnitate?*

15. Vir, & fœmina degentes in loco, ubi Tridentinum receptum erat, volentes contrahere Matrimonium, transierunt in locum, ubi non erat receptum, ibique clandestinè contraxerunt, liciténe, & validè id attentarunt?

Respondeo: Hi sanè peccaverunt, sicuti, ante Tridentinum ex communi sententia (quam habet Castropal. *d.2. de spons. p.13. §.2. n.1.* cui adde Boss. *c.1. de matr. §.2.* citantem S. Th. aliósque) peccabatur ab iis, qui clandestinè contrahebant, agebant enim contra sacros Canones severè prohibentes matrimonia clandestina, licèt tunc non sub pœna irritante, quam certè prohibitionem non obscurè indicat Tridentinum, *sess. 24. cap. 1. de ref. matr.* dum sic ait: *Ecclesia semper Matrimonia clandestina, detestata est.*

16. At verò, quoad valorem; Respondeo, Non ignobiles DD. sine distinctione, resolvunt, hos contraxisse validè. Ratio est, inquiunt, quia hoc Tridentini Decretum non afficit personas, utcunque, sed ut contrahentes in locis, ubi Tridentinum publicatum, & receptum est; fraus autem illa, si qua fuit, actum invaliditate non potuit, cùm illi iure suo, aliò declinandi, usi fuerunt. Ita Coninch. *d.27. n.11.* Sanch. *l.c. n.1.* G. Hurt. *d.5. matr. diff. 4. n.15.* Boss. §.29. aliique.

Verùm, ex De Lugo *l.1. resp. mor. dub.36.* omninò distinguendum est; Nam, si transierunt ita, ut domicilium mutaverint, validè contraxerunt, si verò ita, ut domicilium verè non mutaverint, contraxerunt invalidè. Ratio efficacior est expressum Vrb. VIII. Breve datum de hac re, quod per extensum ponit *ibidem* De Lugo.

17. Quid, si prædictus casus eveniat contrà? Vir, & fœmina degentes in loco, ubi Tridentinum receptum non erat, diverterunt ad locum, ubi erat receptum, animo ibi matrimonium contrahendi, ibique contraxerunt clandestinè. An ex eo, quòd advenæ non tenentur legibus incolarum, licitè, & validè contraxerunt?

Respondeo: Quoad peccatum idem dic, quod modò dictum est in casu præcedente? Quoad valorem, assero, invalidè hos contraxisse; nam, esto, peregrini non teneantur legibus locorum pertinentibus ad speciale bonum; at tenentur legibus pertinentibus ad bonum commune; & certè, saltem contractus debere iniri iuxta leges loci, ubi contractus celebrantur; communissima sententia est. Ita Coninch. Boss. aliique *locis* modò *citatis*, quibus adde Pontium, *lib.5. matr. c.7. §.1. & seq.* nimis fortasse fusè hac de re disputantem.

18. Ex dictis solvuntur duo casus sequentes: Titius incola erat loci, ubi Tridentinum receptum erat, Berta autem habitatrix erat loci, ubi non erat receptum; quid iuris, si primò, Titius ad locum Bertæ, vel secundò Berta ad locum Titii divertat, indigéntne præsentia Parochi, & Testium, ut contrahant matrimonium?

19. Respondeo: Quoniam, ut dictum est, in contractibus ineundis, ratio habenda est loci, ubi fit contractus: ideo in primo casu, si Titio ad Bertæ locum divertente, ibi matrimonium contrahatur, non indiget ejusmodi matrimonii Parocho. At in casu secùdo, hoc est, Berta transeunte ad Titii locũ, indiget. Ratio utriusque est, quia sic servatur solemnitas contractus iuxta leges loci. Lege Boss. *l.c.*



## §. III. *Qualis debeat esse præsentia Parochi, & Testium?*

1. VT nihil obscurum remaneat de ejusmodi prima solemnitate, quatuor sunt in consequentibus explicanda sigillatim. Qualis debeat esse præsentia, qualis Ritus, qui Parochus, qui Testes?

*Præsentia Moralis, satis, superque est.*

2. Ejusmodi ergo præsentia Parochi, & Testium, cùm requiratur, ut ii testificari possint de matrimonio contracto, non est satis physica solùm, & materialis, sed requiritur humana, & moralis, qua scilicet ipsi intelligant, & advertant, quid à contrahentibus agatur. Lege Sanch. *lib.3. matr. d.39.* Boss *cap.3. matr. §.1.* & passim.

3. Quoniam verò hæc humana præsentia, seu assistentia duo dicit: Alterum, quod se tenet ex parte attentionis: Alterum, quod se tenet ex parte voluntatis, fit Regula generalis: *Ex his duobus sufficit prius, putà Parochum, & testes reipsa percipere, quod ha certa persona matrimonium ineant; non requiritur autem necessariò posterius, puta, quod Parochus, & Testes percipere velint, dummodo tamen, ut dictum est, percipiant.* Ex corollariis, quæ iam subdo, clariùs explicabitur Regula.

*Præsentia amentis.*

4. Hinc enim amentes, furiosi, infantes, ebrii, dormientes, quamvis matrimonio sint præsentes, quia testificari illud non possunt, meritò ab hoc nunc repelluntur.

*Præsentia non advertentis.*

5. Quid, si quis interfit animo advertendi, sed deindè propter mentis evagationem non advertat, quæ appellatur à Theologis assistentia virtualis?

Respondeo, hanc non esse satis; quamvis enim attentio virtualis, satis sit in Ministro, ut conficiat Sacramenta, tamen in casu nostro, in quo Parochi, & Testes debent testificari de facto aliorum, sufficiens non est. Ita Suar. *l.c. n.5.* contra Henriq. quia sine attentione actuali, veri Testes esse non possunt.

*Præsentia non cognoscentis.*

6. Hinc secundò, si sponsa, vel sponsus velo faciem coopertus, saltem ex voce non cognoscatur certò à Parocho, & Testibus, invalidum matrimonium contrahetur, quia tunc iidem non possunt de matrimonio testificari.

*Præsentia Casualis.*

7. Hinc tertiò, etiamsi Parochus, vel Testes non sint ad id specialiter vocati, sed casu, in loco contrahendi matrimonium, adsint, vel illac casu transeant, advertant tamen ad id, quod agitur, validum erit matrimonium. Ita Sanch. *lib.3. matr. d.39. num.11.* quidquid dicat Pont. *lib.5. matr. c.11. n.4.* exceptus Leand. *d.7. de matr. q.38.* qui ait Parochum, Testes debere esse vocatos, eosdémque debere liberè matrimonio assistere: id quod probat ex quadam declaratione Sacræ Congregationis. Sed contra Pontium est eriã Hurt. *d.5. de matr. diff.15. n.50.* & Avers. *q.6. matr. sect.6. v. Quod si*, qui notat, prædictam Congregationem loqui quando ex illo casuali transitu, vel præsentia, non potest bene percipi, quid agatur.

*Præsentia per Interpretem.*

8. Hinc quartò: Si Parochus, & testes nesciunt idioma contrahentium, sufficit, si ex signis; at enim verò certis, vel (ut habet Sanch. *l.c. num.3.* sed mox explicandus) ex interprete ab ipsis, & à sponsis liberè electo, sufficit, inquam, si certò matrimonialem consensum ipse Parochus, & testes percipiant. Certò autem percipient, non ex dicto solius interpretis, qui certè decipere assistentes posset, sed additis aliis signis, nutibus, immissione annuli in digitum sponsæ, &c. Et sic intelligendus est Sanch. *l.c. d.4.* ut notat Leand. *d.9. matr. q.36.* non si Sanch. secùs dicat, putà, merum interpretem sufficere,

benè illum ob dictum periculum deceptionis impugnat Pontius *lib.5.cap.11. num.10. & 11.* Posse adhiberi duplicem interpretem, scilicet interpretem Interpretis, docet De Lugo *de pœn.d.17.n.81.*

*Præsentia coacta.*

9. Hinc quintò: Si iidem vi, vel dolo coacti intersint, modò verè percipiant, quid agatur, licèt ipsi nolint percipere, sed oculos, auresque claudendo, ab iis, quæ fiunt, se avertere satagant, si nihilominus, ut dico, percipiant, valida est assistentia: quia, quamvis ex parte voluntatis adsit repugnantia, adest tamen totum id, quod requiritur à Tridentino. Ita Sanch. Boss. Castropal. *ll. cc.* & Coninch. *d.27. num.44.* aliique, quibus adde Pontium *l.c.n.5.* qui, tametsi, ut modò vidimus, negaverit valorem præsentiæ casualis, illam tamen concedit huic præsentiæ dolosæ, vel coactæ; utrum autem consequenter, ipse viderit.

10. Contrà, ut bene distinguit Sanc. *l.c. n.6.* & nos iam innuimus; si, dum prædicti conantur, seu affectant, non percipere, vere minùs percipiant, invalida erit præsentia, quia sic apti Testes Matrimonii esse nequeunt. Ad quam rationem, quia minùs attendit Bossius, *l.c.n.22.* nimis immeritò vanam, & inutilem appellavit distinctionem Sanch.

11. Illud item hîc certum est, peccare graviter eos, qui Parochum vi, vel dolo, ad assistendum Matrimonio, retinent (idem dic de iis, qui metu retinent, de quo mox) atque etiam puniendos ab Ordinario, & coniuges esse inhibendos, ne consumment Matrimonium, antequam fiant, nisi factæ fuerint, consuetæ denuntiationes. Ratio autem, quòd ii, qui vi, vel dolo Parochum retinent, etiam præscindendo ab iniuria coactionis, peccent, est, quia Sacri Canones volunt, ut matrimonia iniantur, & cum assistentia, & cum approbatione Ecclesiæ, cujus vicem gerit Parochus; at hæc approbatio, quæ certè res gravis est, non habetur, Parocho repugnante, vel decepto.

12. Dixi (Parocho repugnante, vel decepto) nam, si vi, vel dolo retineres Testes (præscindendo ab iniuria fortè illis illata) Sanch. *dict.39.n.12.* ait, te solùm peccare venialiter, quia Ecclesia eos non requirit, ut approbent, nomine ipsius, Matrimonium, sed solùm, ut sint meri Testes. At Castropal. *d.2. de sponsa. p.13 §.9.n.11.* ait esse mortale, quia pari modo Ecclesia requirit approbationem ipsorum, perindè, ac Parochi. Sententia Sanch. quia est benignior, approbanda videtur: non enim facilè præcepta odiosa sunt intelligenda de mortali, quando, ut est in casu nostro, declarare rem possumus de veniali, ut vniuersaliter habet ipsemet Castr. *t.1. disp.1. de leg.p.9.n.1.*

13. Nota denique in hoc puncto de peccato cum G. Hurt. *d.5. matr. diff.15.n.51.* quando esset gravis necessitas contrahendi, & sine iusta causa nollent Parochus, & Testes assistere, posse dolosa æquivocatione eos induci ad assistendum, sed non posse cogi, quia vim facere nequeunt privati.

14. Semel, ut quidam fallerent Parochum præsentem, & colloquentem cum quadam puella, v. g. cum Maria, præsentibus ex ducto Testibus, Sponsus ad idem colloquium accedens, nullis præmissis denuntiationibus, dixit: *Venio, ut videam Dominã Mariam, quæ est mea coniux*, & ipsa respondit: *Hic est meus coniux.* His ita ex parte peractis, quæsitũ fuit, an validum fuerit hoc Matrimonium?

15. Respondeo, aliquos gravissimos Iurisperitos, ut refert De Lugo *d.22. de Iust.n.23.* putasse validũ fuisse: Verùm, idem De Lugo docet, non fuisse, quia illa verba non dicta sunt practicè, ut causativa Matrimonii, quod tunc celebraretur, & de qua celebratione Parochus esse Testis debeat, sed demonstrativè, ut significantia Matrimonium iam factum. Addit idem De Lugo, licèt Matrimonium esset dubium, & in dubio soleat præsumi in favorem validitatis Matrimonii, tamen, quia in hoc Parochus fuit invitus, & non præcessêre denuntiationes, vnde hoc Matrimonium, secundùm [illegible] clandestinum, illi non est favendum, quia [illegible] est odiosa, idest, contra jura clandestinum Matrimonium irritantia, (ut aliàs notant Doctores cum Sanch. *matr.d.45.n.1.*) & consequenter non erit validum, nunciandum.

*Extorta metu, vel mendaciis Præsentia.*

16. Hinc sextò: Si primò, Parochus propter illum metum assistat. Secundò, si ex eodem metu det licentiam assistendi alteri Sacerdoti, validum est Matrimonium. Ratio pro primo est, quia, esto, ea quæ fiunt ex vi, tamen vis, ut modò vidimus, non tollit voluntatem hujus assistentiæ. Ratio pro secundo est, quia prior doctrina habet, Iurisdictionem metu extortam valere. Adde, hanc licentiam assistendi non esse actum Iurisdictionis, ut habet Sanch. *lib.3.d.39.matr.n.13.* sed dic, si fictè, & non vero animo eam licentiam dederit Parochus; nam tunc, adesset titulus coloratus, hoc est, assistentia externè data, & communis populi error, quo omnes putant, vero animo datam esse licentiam. Sanch. *d.22.n.60.* & Aversa *quæst.6. matr. sect.4.n.* Diuisio.

17. Idem denique puto, valere scilicet licentiam, si Parochus illam det deceptus ex mendaciis, vel dolo [illegible] jus, ut si quis fingat apud Parochum instantiam Principis pro dicta licentia impetranda. Nam quamvis [illegible] magis contrarium consensui, quàm error; vnde [illegible] deatur Parochus verè licentiam non dare, tamen non [illegible] est in casu nostro, siquidem, cùm illa rogatio Principis non pertineat ad licentiæ concessionem, nisi admodum [illegible] trinsecè judicandum est cum Sanch. *l.3. matr.d.39.n.* eam non esse rationem finalem ad concedendum [illegible] tiam, sed solùm impulsivam, quæ non vitiat consensum.

*Assistentia Matrimonii contra prohibitionem Epi[illegible]*

18. Sed jam, his statutis, Inquires, si Episcopus Parochum prohibeat, ne huic, vel illi Matrimonio assistat, ipse verò assistat contra prohibitionem, esto, cum [illegible] to, de quo hîc non agimus, validáne erit assistentia, [illegible] adeo Matrimonium?

19. Respondeo: Si Episcopus legitimè amoveat, [illegible] suspendat Parochum ab officio, validam non esse [illegible] ex se: sed, si, ei perseveranti in suo munere, Episcopus prohibeat dictam assistentiam, quæ est quæstio propria, duobus modis prohibitio procedere posset. Primò, si Episcopus solùm prohibeat, ne Parochus assistat, secundò, si, & prohibeat, & addat clausulam irritantem in hunc modum: *Prohibeo, ne assistas matrimonio, quod si assistas, nulla sit assistentia, & consequenter nullum matrimonium.*

20. Si ergo sit primo modo, valebit assistentia, ut vult Sanch. *lib.3. matr.d.21.n.11.* Vide etiam *d.23.* Martin. Perez, *de matr.d.41. sect.4.* & Matrimonium, quia illa prohibitio solum notat illicitum vsum, non verò reducit invaliditatem. Ratio est, quia, dum Parochus manet Parochus, habet ex Tridentino (cui Episcopus rogare non potest) ut validè assistat.

21. Si autem sit secundo modo, difficillis est resolutio. Adhuc tamen dico, validam esse assistentiam, validumque Matrimonium. Ratio est eadem, quia, si ignorans Parochus, jam assistet, ut Parochus, & consequenter validè: Ita de Lugo, *lib.1. resp. mor. dub.45.* referens, & [illegible] eram Congregationem monuisse quendam Episcopum, ut revocaret edictum, quo præcipiebat, ut, si Parochi [illegible] sterent Matrimoniis occultis, idest, non præmissis denunciationibus, assistéria, & matrimonia essent irrita, quod certè præceptum (ait meritò de Lugo) dare non poterat Episcopus, quia hoc fuisset concedere nonnullum impedimentum dirimens matrimonia, ad quod non extenditur Episcopi potestas.

22. Quid, si Episcopus interdixit Parocho, ne daret licentiã alteri Sacerdoti, ut sic assisteret matrimonio, vel petitã accepit, ne daret, nisi talibus Sacerdotibus approbata, si verò contra prohibitionem, daret, validáne esset licentia? Respondeo

Respondeo, Diana *p. 11. tr. 3. res. 32. v. Quero sexto*, utitur distinctione; Si non adest, inquit, in tali prohibitione Decretum irritans, erit valida; si adest, erit invalida. Sed tu vide, an ex doctrina modò allata à De Lugo, colligere possis, in utroque casu esse validam, quia in utroque casu agit Parochus, ut Parochus.

*Assistentia Matrimonii contra prohibitionem Summi Pontificis.*

23. Si Summus Pontifex idem prohibeat Parochis, sub expressa clausula assistentiam, vel Matrimonium, irritante (nam secus semper esse interpretandam pro valore, & in favorem Matrimonii) censeo, invalidam fore assistentiam, & Matrimonium, nam Summus Pontifex potest dimidiare auctoritatem Parochi, potest novum impedimentum dirimens condere, potest Concilio Tridentino derogare, &c. Lege Bossium, *l. c.* §. 5. qui immeritò de præsenti resolutione absolutè sic data dubitavit; sicuti valdè meritò *ibidem* cum Reginaldo, Pontio, & Barbosa notavit, mortaliter peccaturos eos qui scienter contra Pontificis (adde, vel Episcopi) prohibitionem iusta de causa latam, quamvis sine clausula irritante matrimonium contraherent: excepto, si certò scirent, nullum subesse impedimentum, causamque omnem prohibitionis cessare.

*Pœna hanc solemnitatem non servantium.*

24. Pœna contrahentium sine Parocho, & Testibus præter peccatum, & irritationem Matrimonii sic contracti, nulla lata est à Tridentino. In iure autem antiquo scilicet, quo ignoranter contrahit cum impedimento dirimente, facit nihilominus prolem legitimam; cujus favoris privatio etiam nunc viget, cùm non fuerit à Tridentino, ne tacitè quidem ablata. Lege Aversam, *q. 16. matr. sect. 8.* G. Hurt. *d. 5. matr. diff. 17.* Sanch *lib. 3. matrim. d. 48.* Con. *d. 27. n. 10.* Boss. *de matr. toto c. 6.* alios que.

25. Pœna Parochi, vel Sacerdotis assistentis Matrimonio sine aliis testibus, ut etiam testium assistentium absque Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi licentia, est illa, quam iis infliget Ordinarius, & quidem gravem, ejus arbitrio. Ita Tridentinum *sess. 24. c. 1. de ref. matr.* Unde probabiliter aliæ pœnæ graviores fuerunt à dicto Tridentino sublatæ, quia, quando lege nova (inquit Hurt. *l. c.*) imponitur mitior pœna, quàm erat imposita lege antiquiore, cessat antiqua, unde tacitè à nova lege videtur auferri.

## §. IV. *Præter assistentiam, quemnam ritum debeat observare Parochus?*

*Quibus verbis utetur.*

1. EA servare debet, quæ Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de ref. matr.* præscripsit: præscripsit autem primò in hunc modum: Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum cuiuscunque Provinciæ ritum.

2. Vbi nota primò, sensus illius (*coniungo vos*) esse declaro, seu approbo coniugalem vestram coniunctionem; nam cæterùm contractus matrimonialis fit per verba ipsorum coniugum; unde constat, hæc Parochi verba non esse, neque de essentia, neque de ulla ratione Matrimonii.

3. Nota secundò, hæc verba debere à Parocho proferri, etiamsi per Interpretem, modo *superiùs* dicto, consensum coniugum exceperit, neque enim necesse est, ut coniuges ea intelligant, sicuti, nec necesse est, ut pœnitens, qui confitetur per similem interpretem, intelligat Idioma Confessarii ipsum absolventis.

4. Nota tertiò: Si hæc verba non proferat Parochus, quamvis peccet, quia contra præscriptum Tridentini agit, non tamen, ut ego cum Sanch. & Coninch. Diana, apud Aversa. *q. 6. matr. sect. 7. v. Obligat.* & aliis censeo, peccabit, nisi venialiter, quia hæc non videtur esse res gravis. Putat tamen esse mortale Aversa. *l. c.* aitque, ita sentire communiter alios. Mihi certè incredibile apparet silentium horum verborum grave quid esse, & Parocho in rebus Sacramento Matrimonii necessariis non deficienti, damnationem æternam afferre.

*Quam interrogationem faciet Parochus?*

5. Nota quartò illud (interrogantis, &c.) interrogari enim (& quidem ritè priùs vir, deinde mulier) debebunt, non de impedimentis, an fortè aliquo laborent; id enim tunc non est expediens, & jam, si aliquo laboraverint, supponitur circa illud fuisse dispensatum, sed solùm de mutuo consensu ab ipsis exhibendo. Hanc tamen, interrogationem omittere, propter similem rationem, quam modò diximus, non puto fore mortale. Imò, si ex se sponsi non interrogati consensum præbeant, non esset à Parocho addenda, quia tunc otiosa foret interrogatio. Vide Sanch. Coninch. Dianam apud eundem Aversa. *l. c.*

*Quam Notationem?*

6. Jam verò præscribit secundò, *ibid.* Concilium, ut habeat Parochus librum, in quo conjugum, & Testium nomina, diémque, & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

7. Nota, hoc grave quid esse, cùm requiratur, ut constet in Ecclesia de Matrimoniis contractis; ac propterea peccati, teste Aversa. *l. c. v. Debet*, mortaliter à Parochis, si id ipsi non servent.

*Consuetudines servet Parochus, & ad communionem Sponsos adhortetur.*

8. Tertiò, *ibid.* Concilium confirmat alias consuetudines, si quæ sunt in Provinciis, juxta quas cum laude, ideste piè, ac religiosè administrari fortè soleat hoc Sacramentum, hortatúrque ut Sponsi, antequam contrahant Matrimonium, ritè confessi Sacra Eucharistia reficiantur.

*Exquirat à Sponsis notitiam rerum fidei.*

9. Hactenus ex Tridentino, sequuntur quædam pertinentia ad ritum, de quo agimus. Primum est, ut Parochus advertat, an sciant conjuges rudimenta Fidei, quod si nesciant, non possent ex rigore expelli à Matrimonio celebrando, quia nihil de hoc Concilium, vel Sacri Canones decernunt. Imò, nec Episcopum posse præcipere, ut hi ignorantes arceantur, putant nonnulli, quia (aiunt) sic conderet novum impedimentum dirimens, ad quod, ut modò diximus, non se extendit potestas Papa inferioris, Verùm, contrà est, quia hoc non est ponere novum impedimentum, sed differre Matrimonium pro tempore opportuniore, & ad Parochum pertinet vti aptis remediis pro instructione suorum. Differat igitur cum prudentia, nam omnino expellere integrum ei non est.

*In Ecclesia assistat Matrimoniis Parochus.*

10. Secundum, ut in tali loco, hoc est, in Ecclesia celebretur regulariter Matrimonium, & non alibi. Quare prudenter in Panormitanæ Diœcesis Synodo anni 1652. *p. 2. num. 116.* sic præscribitur: *Nullo autem in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, Sponsos* (Parochus) *jungat, nisi justam ob causam nobis* (hoc est, Archiepiscopo) *probatam.*

*Quocumque tempore assistat.*

11. Tertium denique est, videre, an tali solùm tempore matrimonia sint celebranda? Verùm, nihil de hoc Sacri Canones, vel Concilia. Quare possunt quocunque tempore, manè, Vespere, die festivo, feriato, &c. Nam, quando in Sacris Canonibus prohibentur Nuptiæ in Quadragesima, vel Adventu, id non intelligitur de ipso Matrimonii contractu, sed de solemnitatibus Benedictionis, & Traductionis, quæ fieri solent post

Matrimonium contractum, ut omnibus est compertum, & nos *infrà* explicabimus.

### §. V. *Quis Parochus?*

1. PRoprius debet esse Parochus, qui assistere debet illis, qui in Matrimonio sunt copulandi.

Quare I. Summus Pontifex pro toto Orbe.

II. Archiepiscopus pro suis, & in decursu visitationis pro ovibus sui suffraganei, vel, quando ad eum fuit appellatum, & sententia data transiit in rem iudicatam, vel elapsum est decennium appellationis.

III. Episcopus pro sua Diœcesi.

IV. Abbates nulli Episcopo subjecti pro suis, in quos habent iurisdictionem Episcopalem (non tamen, qui Abbatiam illam habent in commendam) de qua quæstione vide Dian. *p.11.tr.3.res.35.*

V. Capitulum, Sede Vacante, item pro suis.

VI. Legatus à latere pro suæ legationis Provincia.

VII. Cardinales pro suo titulo; Hi omnes ut Pontius *lib.5.cap.*10 Sanch. *lib.3.matr.d.*28. & passim possunt matrimoniis legitimè assistere, quia omnes sunt Ordinarii, & Pastores respectivè ad prædictos.

Idem possunt Vicarii Generales ipsorum, ex vi Vicariatus. Ita Sanch. *lib.3. matr.d.7.num.*10. Idem Viceparochi, id est, ii, quibus legitimè Parochiæ cura plenè mandatur, quamvis enim, non sint proprietarii Parochiæ, sed delegati, verè tamen pro eo tempore Parochi sunt, & Pastores. Hæc fusè docent Sanch. *lib.3.matr.d.29. num.*18. Castropal. *d.2. de sponsa.p.*13.§.11.*n.*2. G. Hurt. *d.5.matr.diff.*9. Coninch. *d.*27. *à dub.*2. Pont. *lib.5.cap.*11. Perez *de matr. d.*41. *sect.*1. contra alios in aliquo discrepantes.

2. Rursus, Parochus non Sacerdos, Parochus excommunicatus, etiamsi nominatim sit denuntiatus, atque adeo vitandus, suspensus, irregularis, interdictus, Parochus putatus communiter talis ob titulum coloratum, (Idem de Episcopo, Archiepiscopo, &c.) imò etiam cum solo communi errore (licèt sine titulo, quando dicitur Parochus intrusus, valide assistunt, ut item validè dant licentiam Sacerdoti, ut assistat; quia hujusmodi assistentia, assistendique licentia non sunt actus Iurisdictionis, à cuius usu excommunicatus, prædictique privantur. Ita Doctores citati apud Dian. *p.*11. *tr.*3. *res.*33. *v. Et tandem.* Vide etiam *ib. tr.*5. *res.*10. contra alios.

Validè, dixi, nam, an licitè, dicam *in tract. de Excomm. cap.*8. §.1.

### *Quis ex licentia Parochi?*

3. Præterea Parochus, vel ii, quos modò recensuimus, possunt hanc licentiam assistendi delegare alteri: sed certè solum ei, qui sit Sacerdos (non requiritur autem, ut sit approbatus ab Ordinario) clarè enim Tridentinum *sess.*24. *c.*1. *de ref. matr.* requirit Sacerdotè, & nil præterea.

Licentia autem hæc, vel scripto, vel voce delegari à prædictis potest, vel particulariter ad hoc certum Matrimonium, vel generaliter ad matrimonia quæcunque.

4. Si detur alicui Sacerdoti licentia absolutè ad omnia Sacramenta administranda, dari etiam hanc assistentiam, quia, impropriè saltem, hæc assistentia est quædam administratio Sacramenti matrimonii, docet Coninch. & ex declaratione Card. Pontius, & Castrop. apud Dianam, *p.*11. *tr.*3. *resol.*32. Vide etiam *ibid. tr.*5. *res.*10. sed de hoc subdubitat Aversa, *q.*6. *matr. sect.*4.§. *Item*, nisi alia circumstantia id persuadeat. Hurt. verò *d.*5. *matr. diff.*11. clarè negat, requirit enim licentiam generalem ad exercendum officium Parochi. Ratio est, inquit, quia hæc assistentia non est administratio Sacramenti Matrimonii, cuius soli coniuges sunt Ministri. Certè utraque sententia probabilis est.

### *Qua licentia?*

5. Non sufficit tamen licentia præsumpta, nec tacita de futuro; tacita verò de præsenti, ut si Parochus dens Sacerdotem parare se dictæ assistentiæ, & non sit prohibere taceat, sufficere, probabilius est. Vide Coninch. *l.c.*§.12. *n.*3. & 4. citantem Pont. Sanch. Coninch. cum Menochium.

Licentiam hanc, etiam metu, vi, dolo, &c. extortam valere, diximus §.3. *n.*4.

### *Mors Parochi post licentiam datam, quid operetur?*

6. Si Parochus dedit mihi potestatem assistendi matrimonio, & antequam assistam, moritur, (vel amoveatur ab officio) validè ego assistam, dubitandum est. Vel enim Parochi mors nondum scitur, vel jam scitur. Si prius, ob titulum coloratum, & communem errorem, validè assistes, juxta legem *Barbarius, ff. de Præt.* Si posterius, assistes, invalidè, quia delegatio actu finem determinatum spirat, mortuo delegante. Lege Sanch. *lib.*8. *matr. d.*28. *à n.*64. Vide etiam De Lugo *lib.*3. *resp. mor. dub.*35. afferentem differentiam inter delegationem ad vnum quid determinatum, & delegationem ad effectus personasque indeterminatas, de qua re nos vniversitatem egimus *suprà, tract.*2. *de dispens. cap. vlt.*

### *Licentia data, sed non scita quid operetur?*

7. Si licentiam datam esse à Parocho, Sacerdoti non constet, invalidè hic assistet, quia eam nondum habet, donec acceptet, acceptare autem legitimè non potest, nisi eam datam esse, ignorat. At si dictus Sacerdos nomine suum misit ad Parochum, ut dictam licentiam petat, quam Parochus concessit, & Nuntius nomine Sacerdotis acceptavit, assistet validè. Ita Castrop. *disp.*1. *de sponsa. p.*13. *n.*6. citans Coninch. & Sanchez contra G. Hurt. Pont. quos citat, sequiturque Dian. *p.*11. *tract.*3. *res.*32. *vers. Quæ quinto*, (sed certè illicitè graviter, quia semper adest periculum eam nondum esse datam, ut Matrimonium sit invalidum.) Ratio autem, quid tamen verè, quando fit assistentia, inveniatur licentia fuisse concessa, si dicta assistentia valida est, quia communiter Doctores tradunt, ut notat Castrop. *l.c. & tom.*1. *tr.*3. *de sac. d.*4. *p.*3. §.3. *n.*10. & colligitur ex Iure *c. Si tibi absenti de præbendis, n.*6. cujuslibet Beneficii, Privilegii, Dispensationis, facultatis, & Gratiæ concessio à puncto concessionis factæ Nuntio ad id specialiter destinato acceptatæ habet effectum. Lege, quæ in hanc eandem rem quæ dixi *suprà, lib.*5. *de pœn. in tract. de casib. reserv. c.*9. §.1. n.1.

### *Licentia data à Parocho suo Capellano.*

8. Si Parochus det licentiam generalem ministrandi Sacramenta, seu juxta *n.*4. exercendi officium Parochi Sacerdoti suo, v.g. Coadjutori, quem nos Capellanum Parochiæ appellare solemus, An, sicuti potest Capellanis, assistere ipse Matrimoniis, ita possit alium subdelegare, qui alicui Matrimonio assistat, dubitari meritò potest. Sed quod respondeo. Sanch. *lib.*3. *matr. d.*31. *n.*19. videtur contextu velle. quod possit in absentia Parochi, non verò in ejus præsentia. quia in absentia est delegatus in universitatem causarum, non verò in præsentia; at Sanch. Hurtado. *d.*5. *matr. diff.*10. qui vult posse in vtroque casu, quia in vtroque est delegatus ad vniversitatem causarum.

### *Licentia assistendi revocari potest, &c.*

9. Denique licentiam hanc assistendi, datam Sacerdoti, posse revocari, sed, ut revocatio habeat effectum, debere à Sacerdote per Nuntium ad id ipsi destinatum cognosci revocationem, iidem Doctores notant.

### *In Ordinem ad quosnam Parochianos, possit Parochus prædictam licentiam concedere?*

10. Præmitto, quatuor modis posse quempiam esse (quantum ad præsens institutum facit) in aliquo loco

Paro-

Primò, animo ibi perpetuò, seu absolutè habitandi, quo pacto dicitur is habere ibi domicilium. Secundò, animo ibidem habitandi pro majori parte plus minus anni, ut habet Hurt. *l.c. diff.6.n.19.* vel, ut alii apud De Lugo *in Resp.mor.l.1.dub.37.n.4.* pro parte anni absolutè majore, seu saltem pro æquali, perinde solent habitare scholastici in Vniversitate litigantes in Curia principis, &c. quo pacto dicuntur habere ibi, quasi domicilium. Tertiò, transeunter per aliquot dies, vel paucos menses, animo redeundi ad locum sui domicilii. Quartò vagè id est, sine vllo animo hîc, vel illic, sive per domicilium, sive per quasi domicilium, habitandi. Notas differentiam? Hi quarti nullum certum habent domicilium, habent tertii, ut, & duo primi.

11. Dico jam primò: Parochus loci potest validè assistere matrimonio existentium in eodem loco primis duobus modis, id est, per domicilium, vel quasi domicilium in dicti Parochi Parochia habitantium (etiam primo die, quo sine fuco, & fallacia ibi habitare dictis modis incipiunt) non verò potest validè assistere matrimonio in eodem loco existentium tertio modo, id est, transeunter. Ratio est, quia respectu illorum is verus est Parochus, non verò respectu horum. Ita Doctores citati, præter Pont. *lib.5.c.14.§.1.n.8.* qui cum Sà, *v. Parochus, n.2. in vtraque edit.* vide, quæ dixi *lib.5. de pœn.c.4.§.3.* affirmat, Parochum validè assistere matrimonio etiam existentium, tertio modo in loco, vbi ipse Parochus.

12. Dico secundò: Matrimoniis vagorum quilibet Parochus potest assistere, ex sententia Sanch. Pont. *ll.cc.* & Barbosæ *in Trid. sess.24. cap.7.* referentis decisionem quandam de hac re. Ratio est, quia cùm hi nullum habeant Parochum, quemlibet eligere possunt pro suis matrimoniis, sicuti quemlibet eligunt pro suis Confessionibus: At est sententia Coninch. & Hurt. *locis cit.* aliorúmque apud Bossium *de matr. cap.4. §.15.* non potest quilibet Parochus, sed solus ille, non cujus Parochia hi vagi inveniuntur, quando contrahunt: Ratio est (inquit) quia tunc ille est ipsorum Parochus. Sanè hæc posterior opinio tutior est, & eligenda, saltem in praxi, licèt, priorem esse probabilem, negare non possim, quàm, magis esse receptam, testatur *ibidem* Bossius. Quoniam verò mox dicemus, satis esse, ad validam assistentiam matrimonii, Parochum vnius in contrahentibus, ideò, si vnus sit vagus, quamvis alter fixam habeat alicubi sedem, potest Parochus huic matrimonio assistere, tanquam matrimonio vagorum.

13. Debere autem dictum Parochum, antequam iis vagis assistat, diligenter inquirere, an aliquo impedimento laborent, immò ex Tridentino *sess.24. c.7. de reform. matr.* debere Parochum licentiam habere ab Ordinario, hos (sive vterque, sive alter tantùm sit Vagus) matrimonio conjungendi, monitione opus non est.

14. Eos, qui sunt in via animo relinquendi antiquum domicilium, & aliud acquirendi, qui tamen nondum ad hoc pervenerunt, ad Vagos reducit Castropal. *n.11.* ex Sanch. & Guttierrez: quare pari modo à Parocho, vbi inveniuntur, matrimonio erunt ex tutiore nostra sententia copulandi: hi enim, cum pristinam reliquerint habitationem, novam verò nondum acquisierint, nullum per se Parochum habent, habent ergo, more Vagorum, illum, in cujus Parochia inveniuntur.

*An suis, sed existentibus extra Parochiam?*

15. Ex dictis emergit gravis dubitatio: Si vnus ex conjugibus habitet in vna Parochia, alter in alia, quis erit aptus Parochus pro illorum matrimonio? Ut responsionem distinctè percipias, figuremus duos casus:

16. Primò, Petrus, & Berta habitant ambo in Parochia Sancti Antonii. Secundò, Titius, & Catharina non habitant ambo in eadem Parochia, sed Titius in Parochia Sancti Antonii, Catharina in Parochia Sancti Nicolai.

Hac figuratione posita, nimis certum est, Parochum Sancti Antonii validè assistere matrimonio Petri, & Bertæ, quia cum is vtriusque sit Parochus, non est, vnde de assistentia legitima dubitetur. Atque hic est primus casus.

17. Quoad secundum: Certum item sit, tum Parochum Sancti Antonii posse assistere in Parochia ipsius S. Antonii Matrimonio Titii, & Catharinæ, tum Parochum S. Nicolai posse assistere in Parochia ipsius Sancti Nicolai eidem Titii, & Catharinæ matrimonio. Ratio est, quia, satis servatur forma Tridentini. Ii enim, dum in sua Parochia existunt, verè Parochi sunt respectu matrimonii inter illos duos, quorum vnus est suus Parochianus, esto, alter ex conjugibus alterius, sit Parochiæ: connexorum enim eadem est ratio.

18. Certum præterea sit nobis, vel profectò valdè probabile, Parochium Sancti Antonii validè assistere dicto matrimonio Titii, & Catharinæ in Parochia Sancti Nicolai, & Parochum Sancti Nicolai in Parochia Sancti Antonii. Ratio est, quia adhuc ille Parochus est proprius respectu matrimonii inter illos duos, quorum alter suus est Parochianus. Esse enim ipsum in aliena Parochia non tollit, ipsum esse eodem modo Parochum suorum Parochianorum, sicuti est in suos, sed solum notat, illud officium congruentiùs, tunc pertinere ad Parochum loci, quàm ad ipsum. Ita Sanchez, *lib.3.matr.d.19.* Castro Pal. *d.2.p.13.§.9.num.7.* Lean. *d.7. matr. quæst.16.* Coninch. *d.27.n.19.* Henr. *lib.11.matr.c.3.* G. Hurt. *l.mox cit.* quamvis Navarrus, & Pontius id negent apud Gasp. Hurt. *d.5. matr. diff.6.*

19. Illud ergo superest aliquantò incertius: Quid si, vel Parochus Sancti Antonii, vel Parochus Sancti Nicolai assistat, sive matrimonio Petri, & Bertæ, sive matrimonio Titii, & Catharinæ, in aliena omnino, seu tertia Parochia, v.g. in Parochio Sancti Hyppolyti, ad quam, nec conjuges, nec duo illi Parochi vllo modo pertinent?

20. Respondeo, adhuc validè assistere. Ratio est ferè eadem, quia ibi is est Parochus respectu illius matrimonii inter duos, quorum alter sua ovis est; quare satis, superque satisfit Tridentino, quod nihil aliud requirit, nisi præsentiam proprii Parochi: ita Sanch. *l. c.* G. Hurt. Coninch. *l. c.* aliique contra Navarrum, quem sequitur Pontius, aliósque, quos citat Hurtad. aliósque, quorum sententiam tamen probabilem esse, non nego. Præterea, sicuti diximus, posse validè Parochum extra Parochiam suis assistere, ita affirmamus, posse Sacerdotem, cui Parochus assistendi licentiam det; Excepto, si ita det, ut expresè sub clausula irritante, illam ipsi limitet, ut assistat in propria Parochia, de qua re latè Coninch. *d.27. d.3.* Pont. *lib.5.à c.29.* Sanch. *lib.3.matr.d.33.* Aver. *q.6. matr. sect.4. v. Item dubitarunt*, aliique.

21. Si inquiras, an peccet Parochus, si in aliena Parochia assistat matrimonio suæ ovis?

Respondeo, non peccare, quia assistere non est actus jurisdictionis (hanc enim jurisdictionem, quando est contentiosa, fateor, licitum non esse exerceri in alieno Territorio) nec continet strepitum externum, ut continent denuntiationes, & benedictiones, quas item fateor, illicitè fieri in Territorio non suo. Ita Hurtadus, & Leander *loc. cit.* Quod dictum est de Parocho, ob parem rationem, dic de Sacerdote delegato ad assistendum, quantum est ex hoc capite, nam, si fortè à Parocho, ut modò innui, prohibitus fuisset, secundùm gravitatem prohibitionis, esset culpa mensuranda.

*Pœna assistentis Matrimonio alieni Parochiani.*

22. Pœna, quam incurrit Parochus, vel Sacerdos assistens matrimonio Parochiani non sui, vel illud benedicens, ex Tridentino *sess.24. cap.1. de reform. matrim.* G. Hurt. *d.5. diff.17. fine*, est, tandiu suspensum manere ab Officio, & Beneficio, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur, quæ suspensio est

ipso facto, ut habet Aversa *q.6. sect.8. v. Demum*, addens, si Parochus det licentiam Sacerdori assistendi matrimonio ovis non suæ, pœnam hanc ab ipso Sacerdote, non à Parocho incurri, quia Tridentinum assistendi imponit hanc pœnam, non verò assistentiam mandanti.

*Quisnam Parochus assistat Matrimonio inter absentes?*

23. Inquires item hic, quinam Parochus assistere debet matrimonio, quando hoc contrahitur per procuratorem, vel per Epistolam? Respondeo, casus duplici modo posset occurrere. Primò, ut alter ex sponsis, sit Parochianus loci, vbi contrahitur matrimonium per procuratorem alterius sponsi absentis, & tunc poterit, ut pater ex supradictis, huic matrimonio assistere Parochus illius loci vel alius Sacerdos ex licentia dicti Parochi, vel ex licentia, Parochi absentis. Secundò, ut vterque sponsus sit absens, & Procuratores contrahere debeant in loco, qui ad neutrum Sponsum pertinet, v.g. Sponsus sit Panormitanus, Sponsa sit Hispana, & vtriusque Procuratores sint Messanæ. De his ergo quæri potest, quis debeat esse Parochus assistens? Id certè apud neminem ex iis Doctoribus, quos præ manibus habeo, invenire potui. Ad hoc ergo sic, salvo Sapientiorum judicio, responderem: Cum Doctores omnes, & Tridentinum semper clament, debere esse proprium Parochum, saltem vnius ex contrahentibus, qui matrimonio assistat, fit, ut, quia Parochus Messanensis non sit Parochus, neque vtriusque, neque alterius, neque vllo modo ejusmodi contrahentes sint Vagi, fixam enim habent sedem suam, alter Panormi, altera in Hispania. Procuratores autem, supponimus, contrahere matrimonium Messanæ, sit, inquam, ut non possit dictus Parochus Messanensis esse legitimus assistens talis matrimonii. Debet igitur esse Parochus Sponsi, vel Sponsæ, qui, quia est absens det licentiam alicui Sacerdoti existenti Messanæ. Neque id difficile factu erit, sicuti enim debet Messanam afferri fides denuntiationum, quæ necessario, ut mox dicemus ex Tridentino, exhiberi debent in Parochia Sponsæ, & Sponsi, ita poterit afferri licentia assistendi.

## §. VI. *Qui Testes?*

1. PLura de hujusmodi testibus dicta sunt propter connexionem, quam habent in hac re cum Parocho: solum ergo duo sunt, vel addenda, vel confirmanda.

2. Primò. Non sufficit, si vnus, immò etiam plures testes sint præsentes consensui viri, & alter, sive alii, etiam plures, consensui mulieris, vel contrà. Nam iidem, tum testes, tum Parochus integro contractui matrimonii præsentes esse debent, ut de illo testificari queant, & Tridentino satisfacere.

3. Secundò, quamvis in aliis commerciis humanis plerumque, præsertim in rebus gravibus, ut actus sint legitimi, desiderentur testes idonei, sive omni exceptione majores; vnde in jure repelluntur à testificando infames, excommunicati, propinqui, fœminæ, &c. tamen in casu nostro satis est, ad validitatem, quilibet, qui vsu rationis pollea, advertátque, quid agatur. Quare sufficiunt prædicti infames, excommunicati, propinqui, fœminæ, vt etiam servi, pueri rationis compotes, immò etiam Infideles. Ratio est, quia Tridentinum testes requirit, nihil restringens, ad eorum qualitates exquirendas. Et meritò, quia id asserit periculum, vel scrupulum nullitatis matrimonii. Adde primò, si necessaria foret in testibus qualitas aliqua, jam suppleri à Parocho, qui certè testis qualificatus, quique aliis auctoritatem præsentiâ suâ conferre potest. Et certè suppletur etiam ex voluntaria electione vtriusque partis. Adde secundò, cùm hæc Tridentini dispositio corrigat jus commune, in quo ante Tridentinum nulla erat necessaria testium præsentia, interpretandam illam esse, ita, ut quantò minus possit, illud Ius corrigat. Hæc fusè Sanc. *lib.3.d.39.& 41.* Castro Pal. *d.2. de sponsa. p.13. §. 13.* Aversa *quæst.6. sect.5.* Boss. *de matrim. cap.5. §. præsertim 12.* Leand. *tract.3. res.33.* aliique.

4. Dixi in casu nostro, idest, ad contractionem matrimonii, nam ad probandam matrimonii jam contracti invaliditatem, ut illud scilicet dissolvatur, non debere esse omni exceptione majores, testè nonnullis Doctoribus, & decrevit Summus Pontifex *Benedictus XIV.* in *consanguineis.*

# CAPVT III.

## *De Denunciationibus.*

### §. I. *Quanta sit earum Obligatio?*

1. TRidentinum *sess.24. c.1. de reform. matrim.* habet: *Vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.*

2. Porrò hæ denunciationes, quæ tandem nihil aliud sunt, nisi monitiones quædam, ut, qui forte noverit impedimentum aliquod intercedere inter eos, & quæ sit monitio, illud Parocho manifestet; hæ, inquam, denunciationes, si negligantur, non invalidant matrimonium, vt nuper diximus, at peccati, tum à Parocho, tum à contrahentibus, qui eas omittunt, debitum non est, & quidem ex se mortaliter, quia ex re gravis est.

3. Excusat autem à mortali Sanch. *lib.3. matrim. disp. num.7.* Vallab. Diana, aliique apud Aversa. meminendum. Primò; parvitas materiæ, putà, si omitteretur denunciatio, quando nullum esset morale periculum quod aliquod subesset impedimentum. Sed Aversa *sect.1. v. Non est itaque*, citans Pontium, & Coninchum putat, non esse parvitatem materiæ, vnde asserit relinquere, semper esse mortale. Ego in ejusmodi omissione, dicto periculo non subjecta, grave mendum sanè non invenio.

4. Excusat secundò, dispensatio Superioris ex justa. Sed quis Superior? Quæ causa? Jam subdo, hic habebitur tertia excusatio, id est, necessitas.

*Quis in Denunciationibus dispenset*

5. Episcopus, & ejus Vic. Gener. (non quidem suus) & omnes, qui jurisdictione Episcopali gaudent, veniúntque sub nomine Ordinarii (quos *supra*, cum nos recensuimus) possunt dispensare ad vnam, vel omnes denunciationes, juxta exigentiam causæ, de qua mox.

6. Quid, si contrahentes sunt diversarum Diœcesum, indigéntne dispensatione vtriusque Episcopi?

Respondeo, non indigere. Vnus enim Episcopus sufficienter dispensare potest; siquidem cum suo subdito dispensans, dispensat etiam validè, ratione contractus cum altero; idque etiamsi matrimonium contrahendum sit in Diœcesi alterius.

7. Idem Episcopus delegare alteri Clerico, quamvis non Sacerdoti potestatem dispensandi in denunciationibus potest, potest etiam, & Vicarius Generalis, ratione vi Vicariatus, eandem delegare, saltem specialiter in uno vel illo casu, ut fusè habes apud Sanchez *lib.3. matrim. d.7.* Barb. *in Trident. sess.24. cap.1. de reform. matr. n.13.* Pont. *lib.5. c.31.* aliósque.

8. Parochus dispensare in denunciationibus nequit, nisi tantæ esset necessitatis, ut Episcopus obligatus dispensare, & ad ipsum aditus non daretur. Vide Sanch. *loc.cit. d.10. num.27.* Aversa *loc.cit. sect.2. v. Si tamen.* Basil. *loc.cit. n.59.*

Qua-

*Quas ob causas?*

9. Causæ, sine quibus Episcopus nequit dispensare, & cum quibus potest, ad duas reducuntur. Prima est probabilis suspicio, ne Matrimonium malitiosè impediatur. Ita expressè Trid. *l.c.*

10. Secunda est periculum gravis damni, sive animæ, sive corporis, sive famæ; quæ omnia explicata minutius legere potes apud Sanchez *l.c.d.*9. Pont. *l.c.c.*31. G. Hurt. *d.5. matr. diff.*20. Averl. *l.c. sect.*2. *v. Vique*, aliósque. Has causas, notat Aversa *l.c.* cognoscendas esse ab Episcopo privatim, & extrajudicialiter. Rectè: nam Trident. ejus prudentiæ, & judicio id remittit.

11. Matrimonium esse contrahendum inter Magnates, quia solent esse nota eorum impedimenta, & inter eos, qui inæqualis sunt conditionis, ut inter nobilem, & ignobilem, senem, & puellam, divitem, & pauperem, quia esset nimius pudor, & verecundia ex parte vnius ex his conjugibus id publicè in Ecclesia prædicari: & inter diuturnos concubinarios existimatos, ut conjuges, quia per denunciationes matrimonii contrahendi, palam fieret eorum peccatum, ad secundum hoc caput reducuntur, quare afferunt sufficientem Episcopo, sed prudenter omnia consideranti, causam ad dispensandum super denunciationes, ut docent plures, quos citat, sequiturque Leander *disp.*7. *matr. q.*62. 63. & 64. Quando gravis vrget causa, ut si quis in articulo mortis vellet amasiam ducere in vxorem, ut à damnationis periculo liberaretur, vel ut prolem legitimaret, vel ne puellam cum dedecore relinqueret, obligari Episcopum sub mortali, ad dispensandum, meritò iidem notant. Addit Leander, tunc si non est aditus ad dispensantem, posse licitè in dictis gravibus necessitatibus matrimonium contrahi sine dispensatione denunciationum, quia necessitas non habet legem, sed certè tunc jam adest Parochus, qui, ut dixi *n.*8. dispensare posset.

12. Duo tamen sunt præstanda: Alterum, debere Episcopum reddi moraliter certum, sed extrajudicialiter, nullum impedimentum subesse inter dispensandos: Alterum, debere Episcopum prohibere eosdem, ne post contractum Matrimonium illud consummetur, antequam fiant dictæ denuntiationes, id, quod intelligitur, quando Episcopus expensis causis, solùm distulit denuntiationes. Nam, si judicavit, esse omninò omittendas, non habet locum dicta prohibitio, ut notat Aversa *l.c. sect.*2. *v. Cæterùm.*

13. Quòd si conjuges, quibus non est data totalis dispensatio denuntiationum, Matrimonium consumment, abstrahendo à peculiari Episcopi prohibitione, & etiamsi sint moraliter certi, nullum sibi obstare impedimentum, peccant ex vi Tridentini moraliter, ut verius putat Sanchez *lib.*3. *matrim. d.*11. non solùm prima vice, sed toties, quoties copulantur. Quamvis Henriquez citatus ab eodem putet, solùm prima vice peccare. Mihi expendenti vtriusque rationes, quas ipsi afferunt, videntur vtrique loqui probabiliter, quando conjuges moraliter sunt certi de impedimenti carentia. Id, quod fortasse innuit Sanchez, dum suam sententiam veriorem pronuntiat, sic enim videtur, veram supponere contrariam.

## §. II. *Praxis Denuntiationes exhibendi.*

1. DEbent denuntiationes, ex Tridentino *loco citato*, fieri à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, inter Missarum solemnia, ad finem, ut impedimentum, sive dirimens, sive solùm impediens, quod fortè inter contrahentes intercedit, manifestetur. Expende breviter singula.

*A proprio contrahentium Parocho.*

2. A proprio Parocho, seu ab ejus delegato debent hæ denuntiationes fieri, eæque, ut ex se patet, in propria contrahentium Parochia; Quod si contrahentes ad suam propriam quisque pertineat Parochiam, in vtraque illas fieri oportebit. Quid, si quis plura habeat domicilia, quales sunt illi, qui per medium annum habitant in vna Parochia, seu Diœcesi, & per aliud medium, in alia?

Respondeo: In ea latis erit, fieri, vbi facilius creditur sciri posse impedimenta. Ita Sanch. *lib.*3. *matrim. d.*6. *n.*6. adderem, debere fieri in vtraque, quando alterutram sufficientem ad intentum Parochus non judicaverit.

3. Pro vagis non solùm debet Episcopus (sine cujus licentia à Parochis, ut *suprà* vidimus, non sunt hi copulandi) eorum impedimenta inquirere per denuntiationes faciendas in loco, vnde fortè venerunt, sed etiam, juxta suam prudentiam, debet per alias diligentias veritatem carentiæ impedimentorum agnoscere. Ratio est, quia pro iis, qui vagantur, immò, & qui exteri hinc inde habitare solent, solæ denuntiationes non videntur sufficientes, ad impedimenta detegenda.

*Tribus continuis diebus festivis.*

4. Id non notat, festivos dies ad denuntiationes aptos, debere esse sine interjectis feriis, nam possunt rectè denuntiationes fieri tribus diebus Dominicis, sed solùm notat tanquam melius, ut, si post primam, v.g. denuntiationem sequatur alius dies festivus, non negligatur, tunc fieri denuntiatio secunda; cujus fortè ratio est, ne, si tunc negligatur, & diu, sequentes denuntiationes differantur, Parochiani obliviscatur monitionis antea factæ, & ipsi etiam differant, seu negligant impedimentum detegere.

5. Nonnulli apud G. Hurtad. *d.5. matr. diff.*18. *n.*60. putant, non posse denuntiationes fieri tribus diebus festivis, immediatè sibi succedentibus, ut accidit, v.g. in Paschate, sed certè immeritò, quia sufficienter sic Tridentini præscriptum custoditur.

6. Illud consilium est non contemnendum, ut expleta tertia denuntiatione, expectentur aliqui pauci dies, quò videri possit, an impedimentum aliquod opponatur: nam cæterùm id non esse necesse, & posse eodem die, quo vltima fit denuntiatio, contrahi Matrimonium, mihi dubium non est. Dixi (aliqui pauci dies) nam non esse differendum diù Matrimonium, putà post duos, vel quatuor menses, monet Pontius *l.c.c.*30. & Bonac. apud Barbosam *l.c.n.*31. quia facilè illo temporis spatio aliquod suboriri inconveniens posset, quod anteà non erat.

*Inter Missarum solemnia.*

7. Non id dicitur, tanquam necessarium: Existimo enim cum Aversa *q.*7. *matr. sect.*1. *v. Adnotari*, intentioni Tridentini satisfieri, si hæ denuntiationes fiant in loco publico, vbi sit magnus Fidelium concursus, vel post concionem, vel post similes actiones frequentiâ populi celebres.

*Quamnam obligationem contrahant ex his denuntiationibus Fideles, detegendi impedimenta?*

8. Hæ denuntiationes sunt veluti edictum Episcopale, quo præcipitur Fidelibus, ut si noverint aliquod impedimentum, sive dirimens, sive tantum impediens matrimonium, ut esset Votum simplex Castitatis, vel sponsalia cum altero contracta, illud Parocho manifestent. Hinc ergo sequitur, Fideles, etiam ipsos contrahentes, obligari ad dictam manifestationem sub mortali. Ita Sanch. Pont. Guttierrez, & communiter cum Castrop. *d.*2. *de sponsp.*13. §. 6. Est enim res gravis. Noverint, inquam, sive ex causa scientiæ, sive ex auditu à fide dignis, non verò, si à fide non dignis, neque, si non recordentur, à quo, vel à quibus audierint: nam, sic, non dicetur quis noscere impedimentum, ad effectum, qui intenditur ab Ecclesia, cùm, in ea incertitudine, ad nihil procedi prudenter possit.

9. Quid, si impedimentum sit occultum, ut esset affinitas

nitas orta ex copula fornicaria, obligabimúrne illud manifestare.

Respondeo: Si non potes avertere Sponsos à matrimonio, obligaris, sed occultè, etiam si scires sub secreto naturali, & cum juramento (sed non, si scires in Confessione Sacramentali) quia hæc manifestatio non est ordinata ad puniendum, sed ad peccatum removendum. Ita Sanch. *l.3.matr.d.13.* & Hurt. *d.5. diff.21*, apud quos multa minutiora legere poteris de hac re.

10. Si tu scires impedimentum occultum, quod probare non posses, te non obligari detegere, putat Pontius, *lib.5.c.34.n.5.* aliique, quia nemo tenetur (inquiunt) denuntiare, quod nequit probare. Sed puto, te obligari. Ita Sanch. Fagund. G. Hurt. Laym. Coninch. aliique, quos citat, sequiturque Boss. *cap.7.matr.n.137.* Leand. *d.7. matr. q.88.* Castrop. *l.c.* Ratio est, quia hæc revelatio non est ad puniendum, sed evitandum peccatum, & ex alia parte impedire Matrimonium potest, etiam vnus denuntiator, ut notat idem Sanchez *lib.3. de matr. disp.13. n.2.* vel certè is vnus poterit viam aperire, ut major diligentia ad cognoscendam veritatem impedimenti adhibeatur. Atque in hoc casu, quo defertur à Fideli impedimentum, non debebita, Parochus procedere ad alias denunciationes, neque ad assistendum matrimonio, sed negotium occultè remittat ad Episcopum, & ab eo (qui sanè obligabitur rem inquirere, & examinare) expectet, quid faciendum.

Quas autem probationes facere debeat Episcopus, vide apud Sanc. *lib.1. matrim. d.71.* Pont. *lib.5.cap.35. & 36.* Sanch. *lib.1. matr. d.71. & 72.* Pont. *dict. lib.5. matr. c.35. & 36.* aliosque.

11. Quòd si Episcopus, vel ejus Minister, ut veritatem venetur, ipsos conjuges fortè interroget de impedimento, debebunt, & ipsi (nisi velint à Matrimonio desistere) veritatem aperire. Si enim ex se, ut modò dixi, obligantur illud detegere, multò magis, ut vult Sanch. *lib.3. matrim. d.14.* Pont. *lib.5.cap.33.* Averf. *q.7. sect.2.* si interrogentur: quod sanè idem dici solet de ordinando, & de eligendo ad Beneficium, si hi habent impedimentum, &c.

Quod si habuerunt dispensationem, neque ipsi, neque alii obligantur detegere, quia frustranea esset manifestatio. Illud posset evenire, ut dispensatio fuerit in foro Conscientiæ pro impedimento occulto quod tamen, si est periculum quod publicetur, manifestari debebit, ut de remedio illo provideatur, quod *suprà, tr.2. de dispensat. c.5.n.23.* indicavimus.

12. Quid faciet Confessarius, si in volentibus contrahere, advertat, adesse impedimentum, quando prævidet, se non profuturum, si illos de eo admoneant, diximus satis *in opusculo Confessionis, lib.3.c.4.* Vide etiam Sanch. *lib.2. matr. d.38.* & Boss. *cap.2. de matr. à 86.*

13. Denique, ne te lateat, non teneri eum revelare, qui prudenter timet, sequuturum sibi gravissimum damnum, aut inter alios magnum scandalum; Lex enim Charitatis, aut præceptum Superioris nos non obligat in tanto dispendio, ut advertit Navar. *in summa, c.22.n.83.* Sanch. Henriq. Coninch. cum Castropal. *l.c.* aliique, docentque Sanchez, Henriquez, Coninch. cum Castrop. eos citante.

### *Pœna contra non præmittentes Matrimonio Denunciationes.*

14. Matrimonium celebratum cum Parocho, & Testibus, sed omissis culpabiliter denunciationibus, aliqui cum Molina *tract.1.d.176.* Hurt. aliisque apud Castropal. sustinent, non subjici pœnis matrimonii clandestini; sed jam communis est doctrina, Castropal. *d.2. de sponsal. part.13. §. vlt.* Sanchez, Navarr. Pont. Gasp. Hurt. quos citat, sequiturque Leand. *d.7. matr. quæst.91.* subjici, quia in jure, *c. cum inhibitio, de Claud. desponsat.* Matrimonium sive denunciationibus clandestinum esse dicitur, id, quod Tridentinum nunquam correxit. Molinæ autem sententiam probabilem meritò censet Castropal. *loc.cit.* quamvis ipse nostram, hoc est, communem sequatur.

15. In jure autem *dict. cap. Cùm inhibitio, G. Hurt. matr. diff.17.n.54.* prima pœna contra Parochos, vel Sacerdotes ex eorum delegatione assistentes celebrato matrimonio clandestino, id est, non præmissis denunciationibus, his verbis fertur: *Si Parochialis Sacerdos*, id est, eos pro quibus denuntiationes præmissæ non sunt, *conjunxerit, per triennium ab officio suspendatur, vius puniendus, si culpa gravitas postulaverit.* Hinc spensionem esse latæ sententiæ dicit Covar. esse Henr. & Sayrus quorum vtramque sententiam babilem, indicat Filliuc. *tr.17.c.6.n.102.* eosdem

16. Secunda est contra ipsos contrahentes, dicitur ibidem; C. Cùm Inhibitio, de spons. *taliter præsumpserint, etiam in gradu concesso, condignæ pœnitentia imponatur.*

17. Tertia, C. *Extenore, qui filii sint legitimi*, in ges prolem suscipiant, ignorantes, se impedimenti laborare, ipsa proles, quæ aliàs legitima à Ecc concedebatur, legitima non sit, si dicti conjuges exerunt, non præmissis denuntiationibus.

18. Aliam pœnam iisdem imposuit Trident. *sess. c.5. de reform. matr.* in hunc modum: *Qui quamvis ranter, intra gradus prohibitos contraxerunt, quendæ dispensationis careant, si* (Certè cum culpa monium contraxerunt; *denuntiationibus non præ* Tridentinum, quod quidem non ligat manus Pontifici quasi hi non possint dispensare, sed solùm, his verbis tatur, habito hoc sensu Concilii, difficilùs Pontifex dispensaturum, & ipsos dispensandos obligati petunt dispensationem, exprimere Pontifici, se ita ranter, quoad impedimentum, tamen sine denunciationibus, contraxisse. Hæc latiùs disputata, lege apud citatos Sanch. Coninch. cum Castrop. *d.2. de sponsal. §.3.* & Averf. *q.7. matr. sect.3.* aliisque.

## CAPVT IV.

### *De Benedictionibus, seu, ut vocant, Velationibus Matrimonij.*

#### §. I. *Sub qua Obligatione, &c.*

1. HÆc est postrema solemnitas Matrimonii Missarum solemnia omninò præstandi Conjugibus, quando vtrique contrahunt primas Nuptias, aliàs corrupti, sed non vxorati. Cùm ea matrimonio accidentalis, illique jam contracto adveniat, omissio ipsum invalidare non potest. Dixi (quando que) nam si alter ex conjugibus secundas Nuptias trahit, an sit hoc Matrimonium secundum benedictum, dicam *mox §. seq.*

2. An verò hujusmodi solemnitatis omissio peccatum, distinguendum est: Nam, vel quæris, peccatum illas omninò negligere, vel quæris, an tum sit, Matrimonium consummare, antequam illæ piantur. In hoc posteriori casu multos habemus res asserentes, non esse mortale (præciso semper lo, earúmque contemptu) immò, necesse Sanch. Azor. Pont. adducti, & excepti à Leandro *matr. q.82.* Adde Averf. *q.20. matr. sect.4. §. Dixit.* enim consilium hoc est, non præceptum, ut dunt illa Concilii verba: *Sancta Synodus hortatur juges ante Benedictionem Sacerdotalem in templo piendam in eadem domo non cohabitent.*

3. At in priori casu, dissentiunt prædicti. Averf. *de matr. cap.9. num.7.* & Leander *l.c.* cum aliis mortale, Sanchez, & Bonacina cum aliis ab illorum tatis, aiunt, mortale non esse. Illi affirmant, quia illud esse præceptum Ecclesiæ de re gravi: hi negant, contrà, putant, præceptum, vtpotè de suscipiendo

mentali, non autem Sacramento, de re gravi non esse. Utrumque probabile. Sed mihi probabilior est sententia hæc negans, quia, nisi clarè constent onera gravia, nolo ea Fidelibus imponere.

4. Et hic quidem non improbabiliter docet Sanch. *lib.3.matr.d.12.n.10.* Cui adde Villalob. apud Leand. *l.c. q.74.* Episcopum posse per alias pœnas cogere conjuges ad ejusmodi Benedictiones assumendas, sed non per excommunicationem, quia hæc res non est adeo gravis ut per excommunicationem vrgeri queat, quidquid contra Sanch. sentiant Leander, *loc.cit.* & alii.

5. In sententia autem affirmante, esse mortale, Benedictiones negligere (quæ sententia certè probabilis est) obligatio sub mortali solùm esset, ne prima vice conjuges consumment Matrimonium, omissa Benedictione, non verò pro vicibus aliis.

## §. II. *Secundæ nuptiæ, an sint benedicendæ?*

1. QVando Conjuges ambo, vel alter ipsorum contrahit secundas Nuptias, non debent benedici, ut probant ex Sacris Canonibus Bellarminus *de matrim. c.16.* Sanchez, *lib.7.d.82.* Barb. in Trid. *sess.24.c.1.de ref. matr.* aliique. Ratio præcipua est, quia Benedictiones solemnes Ecclesiæ non solent ex Iure repeti, *c.Vir, de sec. Nupt.* super eadem re.

2. Nihilominus, quamvis ita res se habeat ex vi Iuris, tamen standum erit consuetudini, quam singulæ Ecclesiæ laudabiliter servant. Nam alicubi, quando alter solus ex conjugibus, sive vir, sive fœmina acceperat in primis suis Nuptiis Benedictionem, rursus accipit in secundis, si ducat conjugem, sed primas Nuptias ineuntē, & certè ita esse consuetudinē introductum, absolutè docet Sanchez *loc.cit.* testans, adesse etiam de hoc quandam Extravag. Ioan. XXII.

3. Alicubi autem, quando fœmina, tunc primum contrahit, seu antea benedicta non fuerat, iterum cum viro, quamvis viduo ante benedicto, benedicitur, non autem contrà, id est quando fœmina benedicta fuerat, licet vir non fuerit benedictus. Et Aversa *l.c.§. Iam verò*, quidem testatur, in Italia, ita introductum communiter esse. Servetur ergo, ut dicebam, cujuscunque Ecclesiæ consuetudo.

4. Pœna Parochi benedicentis secundas Nuptias in casu per jura, vel prædictas consuetudines non permisso, esse arbitrariam ab Episcopo infligendam, concludit Bos. *c.9.de matr.num.43.*

## §. III. *Quisnam Nuptias benedicit.*

1. INflicta est à Tridentino pœna suspensionis ipso facto ab officio, & Beneficio, ei Parocho, qui benedicit conjuges alienæ Parochiæ, quæ suspensio sit duratura, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur. Vide quæ dixi *suprà, c.2.§.5.n.22.*

2. Hinc igitur vides, per Parochum, vel per Sacerdotem ex ejus licentia, Nuptias esse benedicendas, & quia Benedictiones dandæ sunt inter Missarum solemnia ideò ad has non posse delegari, nisi Sacerdotem.

3. Si, antequam conjuges Benedictiones acceperint, mutent domicilium, Parochus hujus domicilii debere Benedictiones dare, dubium ne sit, quia tunc ille est proprius Parochus; denique hic discurre, sicuti discurrimus de Parocho, cùm de ejus præsentia ad Matrimonium nuper disputavimus.

4. Sed peccabitne Parochus benedicens conjuges alienæ Parochiæ?

Respondeo, quandoquidem is læderet Ius alieni Parochi, & incurreret ipso facto in suspensionem modo dictam, ideò ex capite incursus in suspensionem, aliquis posset excusare à mortali prædictum Parochum, quia sicuti nonnulli Doctores, quos ego *lib.3.opusc.de Sacrif. Missæ, c.1.§.8.n.7.* citavi, docent pœnam, etiam ipso facto suspensionis, non esse signum obligationis sub mortali, ita in casu hoc. Ex capite item læsionis Iuris alieni facile etiam quis posset excusare à mortali eundem Parochum, si semel, aut iterum alienam ovem benediceret, quando modicum judicaretur esse præjudicium Parochi proprii, non verò, quando sæpè, & cum gravi ejusdem præjudicio. Ita de Fideli Eucharistiam semel, aut iterum suscipiente extra suam Parochiam in Paschate, qui cæterùm paratus est, suum Parochum recognoscere, ita, inquam, ego philosophatus sum *in opusc. de Communione, c.4.§.4. num.50.* Pari igitur modo posset aliquis philosophari in præsenti casu.

## §. IV. *Quonam tempore Benedictiones concedendæ non sint.*

1. QVamvis Iure antiquo dies plures exciperetur, in quibus prohibitum erat, Benedictiones conferre, hodie tamen Tridentinum *sess.24. cap. 10. de reform. matr.* prohibitionem restringit ad Adventum, & Quadragesimam his verbis: *Ab Adventu Domini Nostri, vsque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum, vsque in Octavam Paschæ inclusivè, antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcepit, in aliis verò temporibus Nuptias solemniter celebrari, permittit.*

2. Hoc præceptum, quo solùm prohibentur dictæ Benedictiones (nam cæterùm quocunque tempore possunt iniri sponsalia, denunciationes fieri, contrahi Matrimonia, illæque consummari) censeo cum Aversa *q.20. de matr. sect.2.v. Obligat.* obligare sub mortali. Ratio est, quia id præcipit Tridentinum in honorem, & reverentiam illorum dierum, sicuti præcipit Ecclesia, jejunia, festos dies, &c.

3. Præterea conjuges recipientes Benedictionem prædictis diebus, jubentur, *c.Non oportet 2. 33.q.4.* separari ad arbitrium Episcopi, (sed certè excluso incontinentiæ periculo) quòd si conjuges sic puniuntur, multò magis, & ipsi Parochi diebus illis vetitis benedicentes, erunt ad arbitrium ejusdem Episcopi puniendi, nam in Iure non adest pœna taxata, ut notant Aversa *lic.cit.* Posse autem Episcopum dispensare, ut in dictis diebus Benedictio ex causa urgente (quæ certè rarissimè contingere potest) omittatur, docet Sanch. *lib.7. matr.d.7.n.6.*

4. Tempore interdicti localis generalis, vel cessationis à divinis dubitare quis posset, an conferri ita licitè queant ejusmodi Benedictiones, sicuti, ex probabilissima sententia apud Hurt. *de interd. diff.8.n.27.* licitè possunt contrahi matrimonia; & dubitationi respondendum est negativè, id est, non conferri licitè. Ratio est, quia hæc sunt propriè officia Ecclesiastica, quæ tempore dicti Interdicti certò prohibentur. Vide de hoc nimis plura apud Bos. *c.9.de matr.§.19. & seqq.*

## §. V. *Quandonam, & sub qua obligatione à solemni traductione Sponsa in domum Sponsi sit abstinendum?*

1. QVemadmodum vrget prohibitio adhibendi Benedictiones tempore Adventus, & Quadragesimæ, ita, & traducendi Sponsam, in Sponsi domum cum solemni pompa; id enim videtur à sacris Officiis Fideles avocare, quod pro sacris illis diebus minùs decet. Dico (cum solemni pompa) non enim vetatur simplex deductio Sponsæ in domum Sponsi.

2. Docet autem Sanch. *lib.7.matr.d.7.n.18.* pompam moderatam non afferre culpam vllam paulò excedentem afferre venialem saltem, excedentem verò ita, ut ex arbitrio prudentis, judicetur notabiliter, detrahere sanctis illis diebus, atque ansam dare aliis notabilis offensionis, & scandali, culpam afferre mortalem.

3. At Pont. *lib.6.c.8.n.10.* quem sequitur Aversa *l.c. v. Non obligare*, docet potiùs esse dicendum, absolutè mortalem culpam afferre, quia id grave præceptum est; Siquidem ejusmodi pompa interdicitur in reverentiam illorum

illorum dierum, sicuti de benedictionibus à nobis dictum est §. *præced. num.* 2. & solùm afferre culpam venialem ex parvitate materiæ, quando scilicet pompa est adeò moderata ut ex illa parum detrahi sanctitati illorum dierum prudenter judicetur.

4. Profectò utrumque video probabiliter loqui: sed locutio Sanch. videtur esse castigatior, quia non est eodem modo sentiendum de Benedictionibus, quæ sunt officia Ecclesiastica, atque de hac pompa, quæ, cùm sit merè sæcularis, & extra sacra loca fiat, non statim attingere videtur illorum dierum sanctitatem, illisque statim detrahere, unde absolutè, & de genere sub mortale esse peccatum dicenda sit.

5. Puto denique, per se posse Episcopum dispensare, & concedere solemnem dictam traductionem, si enim potuit §. *præced. num.* 2. concedere Benedictiones in diebus vetitis, quæ sunt officia Ecclesiastica, multò magis prædictam pompam, quæ ex natura sua sæcularis est. Dico (per se) nam ex alio capite vix unquam poterit Episcopus illam concedere, nam cùm ad dispensationem legis latæ à Summo Pontifice nequeat Episcopus, ut *alibi* dictum est, dispensare, nisi ex rationabili, & proportionata causa, quandónam hæc aderit in casu pompæ, de qua agimus? Quæ semper superflua, & prodiga consuevit esse, ac facilè differri in aliud non Sacrum tempus potest.

# TRACTATVS VII.

## DE

# OBLIGATIONIBVS EX MATRIMONIO consurgentibus, vbi etiam de Divortio.

*Duo genera obligationum considero in conjugibus, alteram necessariam voco, voluntariam alteram. Prior quinque habet Capita. Posterior duo, ut jam ex sigillatim explicandis patebit.*

## CAPVT PRIMVM.

### *De Obligationibus Conjugum necessariis.*

### §. I. *Prima Obligatio, hoc est, Cohabitatio.*

1. SIVE ex Matrimonii natura, sive ex lege divina nobis promulgata per illa Summi Dei verba, Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una,* individuam vitam agere conjuges debent, sub eodem tecto, in eadem mensa, in eodem toro. Unde, nisi à gravi causa excusentur, grave ex genere suo peccatum committent, si secùs faxint.

2. Gravis autem causa esset, si timeret alter ex conjugibus sibi mortem, vel læsionem membrorum, vel grave damnum, sive animæ, sive corporis, ut, si ab altero sollicitaretur ad peccatum, si periculum subiret inficiendi se morbo aliquo contagioso. Si autem ejusmodi pericula non essent ex cohabitatione, essent verò ex debiti redditione, teneretur conjux cum conjuge infirmo cohabitare, consuetáque præstare obsequia, reddere autem debitum non teneretur, juxta ea, quæ à nobis dicta sunt *lib. 7. Decal. c. 3. §. 5. n. 24.* legique potest Aversa *quæst. 22. matr. sect. 3. v. Decimò tandem.*

3. Verùm, adverte primò, si in casibus, in quibus excusaris à coabitatione nesciatur, causa debere non publicari aliquam aptam excusationem, ne ansa detur aliis cogitandi aliquid minùs decorum de altero conjuge.

4. Adverte secundò, si nulla adsit excusatio, posse rum, vel vxorem cogi ad mutuam dictam habitationem tũ à Iudice Ecclesiastico, tum à Iudice Sæculari, sed hoc, quando causa non cohabitandi, non dependet à controversia valoris Matrimonii) ratio est, quia Ecclesiastica potestas, sic tuebitur Iura Matrimonii, quod est Sacramentum, Sæcularis verò tuebitur Iura civilia, cum Matrimonium contractus civilis sit.

5. Adverte tertiò, quid dicendum primò, si ipse vir quamvis, ut dictum est, non obligetur, velit tamen cohabitare cum suo viro laboranti morbo contagioso propter amorem, quo illum prosequitur, potestne licitè cohabitare? Secundò; Quid dicendum, si velit debitum cum suo vitæ periculo?

6. Respondeo, de priore ex his satis ego dixi lib. 6. *Decal. c. 2. §. 2. n. 7.* De posteriore, *l. 7. in Dec. c. 3. §. 5. n.*

### *Profectio Conjugis in alium locum.*

7. Quoniam verò non rarò occurrit casus, quo ex conjugibus aliò proficisci debeat, quæstio hîc oritur est, An alter eum debeat comitari, ut cum illo jura trimonii leges cohabitet; Loquimur autem, quando contractum Matrimonium nullum præcessit pactum, conjuges se obligaverint habitare certo in loco pactum præcessit, satis dictum est *supra, tract. num. 4.*

8. Respondeo: Id quatuor sequentibus Regulis num fiet. Prima: Vxor debet sub mortali sequi quando ex quacunque causa, sed non turpi, & inhonesta aliò vir commigrat, modò vxori id grave non affert cumentum, (ut habet Layman *lib. 5. tr. 10. c. 3. n.* seu, (ut habet Sanch. *lib. ... matr. d. 4. num. 15.* modò vxoris statum id non dedeceat.

9. Multò autem magis debebit vxor sequi virum, antea sciebat consuetudinem viri, qua alibi habitare sueverat. In quo certè casu major causa, seu major num esse illud debebit, quod ipsam ab ejusmodi sequ excusare valeat, illa enim scientia posita, vix ea consentire, transmigrare. Lege Castropal. *d. disp. part. 15. §. 1.*

10. Regula secunda: An teneatur vxorem sequi, aliò ex necessitate commigrare, seu alibi habitare pelletur, putà propter sanitatem, vel simile quid in mutuis obsequiis paris sunt cõditionis conjuges, tamen suæ excusationes pro viro, quas modò diamus vxore, hîc proportionaliter applicandæ.

11. Regula tertia, Si mutuo consensu, & sine scandalo alióve incommodo conjuges teneant, sequeab habitatione separent, cùm tunc injuria alteri non fiat, unde ex hoc capite culpa vlla committatur. Incommodum autem esset, si quia separationis causa nesciretur occasio malè judicandi de alterutro; si separaret ex indignatione, vel ódio; si periculum esset incontinentiæ; Et quidem propter hanc postremam cõsideretionem, rectè Abbas *l. n. 7. de Conjugio*, monet, ne Ecclesiasticus vlla ratione permittat, conjuges separatim vivere; prudenterque Sanctus Paulus 1. Cor. 7. *Nolite* (inquit) *fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, & iterum revertimini, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

12. Regula quarta: Si vir non alio commigret domicilium fixurus, de quo casu hactenus dictum sed velit per Provinciam vagari, vxor non obligatur habent Sanch. *loc. cit.* & Castropal. *l. c. num. 5.* eum peregrinari, quia sic vagari, non decet mulierem nisi rè, quando celebratum fuit Matrimonium, scibat hanc esse consuetudinem viri; tunc enim videtur sensisse huic incommodo. Multò minùs vir obligatur sequi vxorem vagari volentem (qui certè casus raro est.) Adde, si vir ex aliqua justa causa vagari, cogitur

non esse obligandum, secundùm Sanch. *n.*14. & Castropal. *n.*5. ducere uxorem volentem eum sequi, quia nimis id molestum esset ipsi viro & nimis indecens uxori.

13. Nota, quamvis longam peregrinationem nemo ex coniugibus vovere, vel suscipere valeat licitè, nisi ex aliqua necessitate, vel, nisi ex mutuo consensu, idque iuxta dicta *num.* 11. brevem tamen suscipere, vel vovere potest vir, invita uxore; sed non uxor, invito viro. Ratio est, quia vir non est uxori subditus, cùm ipse sit uxoris caput, unde liberior vir esse debet in iis, quæ non multùm offendunt rationem coniugii, quàm uxor, quæ cùm subdita sit viro, à viro gubernanda est, præsertim in ejusmodi peregrinationibus, quæ, tametsi breves, mulieri nequaquam convenire, nisi cum quibusdam circumstantiis solent.

*Cohabitatio cum Coniuge excommunicato.*

14. Ex dicta cohabitationis obligatione, ne ea sit unquam impedita, conceditur coniugi, ut licitè possit cum altero communicare, etiamsi is sit excommunicatus vitandus, ut omnes docemus, & ego disertè iterum, & minutiùs dicam, si Deo placuerit, in *Tractatu de Excommunicatione*, in explicatione illius carminis: *Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse*, ubi particula, *lex* significat legem Matrimonii, illuc adi, ubi excipiemus participationem in crimine criminoso, &c.

*A Servitute cohabitatio coniugum non impedienda.*

15. De hac re satis multa dixi *suprà, tr.* 1. *de imped. c.* 3. Solùm in præsentia restat sequens doctrina.

Matrimonium inter duos liberos ejusmodi effectum inducit, ut neuter licitè possit, se in servitutem tradere, seu vendere, altero invito; id enim præter gravem ignominiam, quam affert alteri, maximum prædictæ obligationi cohabitationis præiudicium ferret.

16. Invenio autem notabile discrimen inter virum, & uxorem. Nam uxor non potest se validè vendere absque viri consensu, potest se validè (quamvis illicitè) vendere vir sine consensu uxoris. Ratio est, quia, uxor ob subjectionem, quam habet sub viro non potest de se disponere, potest, quantum est ex hoc capite Iustitiæ, vir, qui non est subjectus uxori, nisi inconvenientibus addreditionem debiti coniugalis, quam certè servitus ex se non impedit. Hanc sententiam sequuntur Sanch. *lib.* 7. *matr. d.* 23. *num.* 2. citans D. Thomam Aversa. *q.* 22. *matr. sect.* 1. *v. Rursus*, aliique, sed Pontius *lib.* 7. *matr. c.* 44. æquales facit in hoc coniuges, & invalidam esse putat, invito altero sui cuiuscunque coniugis venditionem, quam æqualitatem probabiliter adesse, negare non possum.

17. Dixi (altero invito) ex communi enim consensu non esset peccatum se vendere quantum est ex capite Iustitiæ, quia volenti, & consentienti non fit iniuria: Nam cæterùm scimus omnes, facilè posse intervenire alia inconvenientia, unde illicita esset ejusmodi venditio.

18. Advertendum tandem est, in eo casu quo venderet se vir, volente uxore; ipsam uxorem non amittere suam libertatem, sed solùm sibi præiudicare non parum. Tunc enim ejus vir factus iam servus, ipsa consentiente, debebit præferre obsequia Domini obsequiis, aliàs debitis ipsi uxori. Idem dic, si uxor, consentiente viro, (Qui certè mihi videtur casus moraliter impossibilis) se vendat.

## §. II. *Secunda, & Tertia coniugum obligatio.*

Idest:

*Mutua præstatio alimentorum, & educatio filiorum, Remissivè.*

DE his quæstionibus dictum est à me satis *lib.* 5. *in Decal. c.* 3. §. 3. quem locum studiosus adire facilè poterit, vel adeat Aversam. *q.* 22. *matr. sect.* 4. & Castropal. *d.* 2. *de spons. p.* 5. §. 2. de priori argumento bene disserentes, & de posteriore Bonac. *cit. cap.* 4. *Decal. præcept.* alios-que *ibidem* citatos.

## §. III. *Quarta coniugum obligatio.*

Idest:

*Correctio Mutua.*

1. VItæ magna coniunctio, quæ est inter coniuges: exigit, ut mutuò iidem se coniugali affectu corrigant, & ad peccata evitanda, se invicem adiuvent, id, quod duobus fieri potest modis. Primò, adhortatione. Secundò punitione. Tum igitur vir, tum coniux adhortationem uti poterunt, & aliquando, iuxta regulas correctionis fraternæ, debebunt: ita tamen, ut vir, (quippe qui uxoris caput) illa, quæ pertinent ad familiæ gubernationem, possit uxori præcipere. sed præcipere non possit uxor viro, nam hæc solum poterit, debebitque proponere, atque illa prudenter vrgere.

2. At verò, quoad punitionem, nullo modo conceditur uxori, posse virum punire, viro autem uxorem punire leviter, & moderatè, conceditur: leviter, inquam (quia ipsa serva non est, sed viri socia, atque una caro cum illo.) Et quidem nunquam ex odio, sed ex Charitate, Zelo, & Amore Iustitiæ. Semper autem iuxta proportionem culpæ, imò leviùs, quàm culpa requirit, ut pax inter coniuges, & amor custodiatur. Hinc fit, ut, si grave delictum committat uxor, gravi punitione corrigendum, id ad maritum non pertineat, sed ad publicum Iudicem.

3. Si quæras magis in particulari mensuram ejusmodi punitionis.

Respondeo, id, ita cordatè, ac breviter explicari à Castropal. *d.* 3. *de spons. p.* 5. §. 3. *n.* 31. ut satis sit ejus verba hîc subscribere.

4. *Certum est* (inquit) *non posse maritum punire uxorem pœnâ mortis, mutilationis, exilii, perpetui carceris,* (intelligo publici, vel perpetui, vel diuturni) *vulneris, alterius-que percussionis, ex quæ ejus salus, vel membrum periculum subeat; has enim pœnas sibi Respublica reservavit, quas, nec Dominis, ratione servorum, permisit. Plerumque censerem, subtractione cibi maritum uti debere in uxore punienda, quia hæc pœna sufficiens videtur, ad communes defectus puniendos: Cui pœnæ addi possunt aliquot recusionis dies, etiam compedibus appositis: Vxorem tamen cædere, lapis, conculcare pedibus, fustibus percutere, rarò permitterem, quia coniugali affectui, & amori, qui semper spectandus est, ha graves punitiones, si frequentes sint, non leviter obstant. Minùs censeo concedendum verberum punitionem, quia hæc servorum propria est; & licèt aliquando causa vrgente, ingenui soleant affici hac punitione, id contingit, cùm in minore ætate sunt constituti. Quapropter (nisi causa gravissima vrgeret) peccatum mortale existimarem eam punitionem, etiamsi in suo genere levis, & moderata sit, quia ex se uxorem maximè dedecet, & in plurium sententia præbet divortii causam. Atque ait, sustinet Sotus, Sanch. Molina.* Hæc Castropalaus.

5. Rectè autem idem Doctor *ibid. n.* 3. notat, in hac re maximè esse spectandam loci consuetudinem, attentâ uxoris conditione. Quippe uxor humilis, & plebei gravius puniri solet, quàm nobilis; In cuius dicti confirmationem mihi affirmavit quædam nobilis fœmina, nunquam hîc Panormi à viris solere nobiles uxores, ne leviter quidem percuti, seu verberari: quod si quis ei id facere auderet, universos uxoris propinquos, dicebat, fore commovendos.

## §. IV. *Quinta conjugum obligatio, quæ est respectu tori, scilicet, circa debitum coniugale? Remissivè.*

1. HÆc est præcipua coniugum obligatio, quâ scilicet hi tenentur debitum coniugale sibi invicem reddere, ad quod per contractum Matrimonii, ad prolem generandam, se se obstrinxerunt; Quoniam verò de ea *lib.* 7. *in Decal. c.* 3. §. 5. præsertim à §. 5. latè satis disputavimus, inde totam hujus rei explicationem, sine molesta mea replicatione, habere facilè potes.

## CAPVT II.

### *De Obligationibus voluntariis, quas possunt in rebus temporalibus suscipere inter se Coniuges.*

HVc reducimus Donationes, & sponsalitiam largitatem: Nam de contractu dotis, ejúsque restitutione, mortuo coniuge, quæ est ex obligatione necessaria, alius esse solet disputandi locus, nempe *in tractatu de contractibus.*

§. I. *Donationes liberales inter Coniuges.*

1. IN iure communi (de quo nos semper loquimur) Donationes inter vivos factæ invicem à coniugibus, constante matrimonio, invalidæ sunt, atque adeò revocari possunt, etiamsi matrimonium fuerit solùm ratum, etiamsi donatio fuerit facta ante matrimonium, sed dilato ipsius effectu in tempus iam celebrati matrimonii. Constant hæc ex Iure, *Toto tit. ff. & C. de donat. & C. finali, eodem.*

2. Ratio autem convenientiæ pro ejusmodi invaliditate fuit, quia, si ejusmodi donationes concederentur, alterum ex his duobus consequeretur, quod scilicet, vel facilè depauperarentur coniuges, quia; ne se offenderent parum amantes, prodigè donarent, vel oriretur inter eosdem continuæ discordiæ, si non donarent.

3. Eodem modo prohibetur coniux aliquam summam alteri coniugi remittere: non autem prohibetur eidem legatum relinquere, vel aliquid donare causâ mortis, vel aliquid eidem repudiare, v.g. hæreditatem, aut fideicommissum, vel aliquid per contractum venditionis, vel similem tradere. Ratio discriminis inter prædictam alicuius summæ remissionem, & hos casus, est, quia illa remissio verè est donatio, at legatum, & illi contractus non sunt propriè donationes. Ita Molina, *d.* 289. Sanchez *de matr. lib.* 6. *d.* 1. Tusr. *d.* 75. *dub.* 1. Bonacin. *d.* 3. *de contract. quæst.* 13. *p.* 4. *à num.* 26. Oñate *de contract. t.* 2. *tr.* 10. *d.* 33. *a n.* 6. aliique. Speciatim verò, quòd donatio causâ mortis non prohibetur inter coniuges, vide apud Dianam *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 30. contra Clarum, & Fagundez ab eodem citatos, putantes prohiberi.

4. Illud operæpretium est hîc obiter adnotare, quod, licèt donatio Conjugum inter vivos non confirmaretur morte donantis, de qua re mox *à num.* 22. nisi, ut nonnulli existimant, præcesserit traditio; Donatio tamen causâ mortis, quam non prohiberi inter coniuges, modò indicavi, etiam non præcedente traditione, morte coniugis donantis confirmatur. Lege Molinam *d.* 288. *num. præsert.* 17. & Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 13. *n.* 4.

5. Huic generali doctrinæ de invaliditate donationis inter coniuges addunt eadem Iura quinque exceptiones, in quibus valida est donatio prædicta, constante matrimonio.

6. Nimirum I. Quando Maritus condonat, vel remittit dotem uxori.

7. II. Quando uxor, quæ dotem non attulit, constituit dotem viro. Rationabilis exceptio; nam ejusmodi constitutio dotis non est liberalis donatio, quia per illam, compensatur onus alendi ipsam uxorem, & familiam, quod vir tunc in matrimonio subit.

8. Quando autem, contrà, vir, post contractum matrimonium, constituit uxori dotem, vel illam auget, distinguendum erit: Si enim merè liberaliter, & gratis id faciat, invalidè facit, quia tunc est pura donatio, at verò, si dictam dotem constituit, vel augeat in recompensationem, quod ipse sit, v.g. Ignobilis vel senex, uxor verò nobilis, vel puella, vel quid simile, validè constituet, augebitque, quia, tunc non est pura donatio, sed recompensatio. Atque per hanc distinctionem conciliare fortasse poteris Authores inter se, quoad hoc, dissentientes, quos relatos habes apud Dian. *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 29.

9. III. Excipitur, quando Coniux donatione suarum facultatum modicè donat, aut non deturmoraliter pauperior, nec donatarius locupletior. Atque huc nonnulli meritò reducunt, quando donatio fit inter coniuges Principes non habentes Superiorem, quamvis utrique servent ius commune.

10. Huc item reducunt Sanchez, & alii quos nam *part.* 8. *tract.* 6. *res.* 26. id probabile esse, quando coniux dat reditus, v.g. annuos, pro seu pro sepulchro, vel capella alterius coniugis enim coniux hic alter non fit locupletior. Sed non quia is coniux donatarius posset illam sepulturam dictos reditus annuos, qui sunt temporales, ipsius dominio iam esse supponuntur, vendere locupletior. Præterquam, quod donans tam per prædictam donationem, pauperior. Melius stinguit Fagundez, *de contract. lib.* 4. *cap.* 11. enim capella, vel sepulchrum emptum sit, vel pro coniuge paupere, ad Dei honorem, rit sustineri donatio, quia sic, potiùs est Deo, quàm coniugi: At sustineri non posset, tionem ejusmodi non habet.

11. IV. Quando uxor dat viro causâ ipsum doctorandum, vel causâ acquirendæ Honoris Dignitatis, immò & causâ Ludorum blica auctoritate celebrantur, hæc enim non tur donata viro, quàm expensa ab uxore ob in persona viri.

12. V. Quando vir aliquid annuum, vel traxit uxori, ad se sustentandam, iuxta vires ipsa dotis: Addo libens, & iuxta conditionem Hæc enim non est pura donatio, sed debitum tractus matrimonii.

Hæc, & minutiora quædam lege apud Doctores citant Bonacina, *d.* 3. *de contract. quæst.* 13. *p.* 4. *num.* Diana *l. c.*

13. Illa duo omittere nolo.

I. Quid fiet, si alter coniux, dum haberi ab altero donata, gemmam, torquem aureum, teum, &c. illa extraneo vendat, vel donet, peccato, quod mox iterum dicam *num.* 14. Obligabitne extraneus illa restituere, si coniux suam talium rerum factam alteri, revocet? Quare tutio fieri vix posset sine dedecore coniugis, didit, vel donavit, & sine periculo rixarum ges vtrosque.

14. Respondeo: Ex rigore Legum restituere bitur, ut ex se patet. Verùm, advertere debemus ramuël apud Dianam *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 19.) has Leges ter esse interpretandas, neque credendum, in perniciem tendere, adeóque communem sententiam spondentem obligari donatarium, vel emptorem modi ad restitutionem, videri prudentum iudicio tandam. Hæc ex illo. Adderem insuper ego, in dicti dedecoris, vel discordiæ, ipsum coniugem navit, obligari, ad non revocandam donationem, non dissolvendam emptionem, nisi valdè magna seu, satis vrgens necessitas, revocationem petitus quia ipse obligatur ad non dehonorandum coniugem ad pacem domesticam custodiendam.

15. II. In dubio, an donatio coniugis fuerit causâ mortis, an inter vivos, præsumi, eam esse mortis, dicit cum multis Diana *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 30. dicto, sed ejus rationibus, quas apud ipsum lege, acquiesco. Illa sit ergo efficacior, quia donatio quantò minùs potest, nocere debet donanti; nisi rium exprimatur in donatione, nemo enim ximus, & fatentur omnes, res suas prodigere tur; nam propter non absimilem rationem voti, idem sustinuimus, ut quantum potest, minùs noceat voventem. Cùm ergo donatio causâ mortis noceat donanti, quàm donatio inter vivos, ut constat, illa erit in dubio præsumenda.

*An possit Coniux obligationes cæteras suscipere pro Coniuge ?*

16. Præterea, quod uxor non possit, constante matrimonio, marito donare, extenditur ad quamcunque obligationem uxoris pro marito, & quidem in nostro Siciliæ Regno in hunc modum, *tom.2. Pragm.tit.53. Pragm.35. §.3.* disponitur :

*Obligationes Mulierum, quæ deinceps fient ob causam, & utilitatem virorum ipsorum, sint ipso iure nullæ, non obstante iuramento, quod præsumitur extortum fuisse in fraudem. Item quamcunque renuntiationem, & certioronem Velleiani. Solùm dictas obligationes in eo casu valere volumus, quo debeat ipsarũ viri à captiuitate redimi.*

17. Vnde vides, hanc legem non prohibere obligationes pro aliis à marito: nam has suscipere potest uxor. Adverte tamen, debere accedere consensum mariti : si quidem solemne est apud Doctores, uxorem, constante matrimonio, non posse disponere de rebus dotalibus sine viri licentia. De qua re vide Oñaten. *tom.2. de contr. d.40. à n.12.* Fundum verò dotalem, ne cum licentia quidem potest alienare, ut idem *n.37.* notat.

18. Dixi (dotalibus) nam in iure communi potest de Paraphernalibus, ut idem habet *ibidem*, *à num.30.* licèt in Iure Castellæ, & consuetudine Lusitaniæ, ne de his quidem, possit sine dicta licentia disponere.

*Donatio remuneratoria Coniugum.*

19. Quid autem dicendum de donatione remuneratoria ?

Respondeo: De Lugo *d.23. de Iust.n.134.* ait, hanc esse pari modo invalidam, tum, quia militant eædem rationes de pauperationis, vel discordiæ, tum, quia, ita colligi, ipse ait, ex iure.

20. At Sanchez *lib.6. matr.d.6. num.11.* ait, non esse invalidam, quia prohibita donatione, non intelligitur prohibita remuneratio, ut etiam nos *infrà* dicemus *in tract. de donatione.*

21. Excipe, seu explica, nisi affuerit excessus notabilis, nam tunc, saltem excessus est mera donatio, atque adeo invalida. Ita etiam tenent plures, cum Bonac. *d.2. de contr. q.14. p.4. n.37. v. Secundus est*, citante Molin. Clarum, aliósque, & cum Diana *p.8. tr.6. re/28.* citante Dicast. Azor. aliósque. Quæ certè opinio est probabilior, quam firmat etiam ex Iurisperitis Marius Cutell. *tr.1. de donat. disc.2. partic.12. à n.19. & à n.44.* quem omninò lege, nam latè explicat, quæ debeant esse ejusmodi merita, & quomodo probanda, ut appareat, donationem verè esse remuneratoriam. Ioanni autem De Lugo non valdè favent illæ leges ab ipso citatæ, nam dispositio talium legum, in quibus ipse fundatur, quæ est vniuersalis, statuens eam donationem inter coniuges prohiberi, quæ donantem pauperiorem, & accipientem facit locupletiorem, verissima est. At per donationem remuneratoriam donãs non fit absolutè, & simpliciter pauperior, iam enim antea ipse Beneficium acceperat, nec donatarius fit locupletior : iam enim antea Beneficium contulerat.

*An morte confirmetur Coniugum Donatio ?*

22. His statutis, inquires primò : Quanam ratione valeat donatio facta in vita, si alteruter ex coniugibus moriatur, sive per mortem naturalem, sive civilem, qualis civilis est deportatio in exilium, & ex Sanchez *lib.6. de matrim.d.17. num.9. & lib.7. summ.cap.3. num.68. & c.15. num.31.* Professio solemnis in Religione successionis incapace ?

Locutio autem semper est, primò, quando res donata tradita iam est, atque adeò in possessione ; si enim non fuisset secuta traditio, cùm illa donatio invalida fuerit, nihil remansisset, quod fortè confirmari posset, nisi, ut dico, adfuisset traditio, seu possessio. Secundò, locutio item semper est, quando donatio excedens 500. solidos fuerit insinuata ; nam si insinuata non fuit, donatio ejusmodi quoad excessum supra dictos solidos, cùm sit in iure nulla, non confirmaretur morte coniugis, de qua insinuatione satis abundè dicam *in tractatu de Duratione.*

23. Sed iam respondeo cum necessaria distinctione: Vel enim moritur priùs coniux donans, qui in vita donationem non revocavit ; ut certè revocare poterat, & tunc assero, eam donationem ipsius morte confirmari, ideò, eam, quæ ante mortem erat invalida, unde, & revocabilis, fieri iam postea validam, & consequenter res donatas, & traditas iustè retineri à coniuge donatario posse. Immò addo, donationem retrotrahi ad tempus, quo facta fuit, ac proinde omnes fructus ex illo tempore pertinere ad ipsum donatarium. Ratio est, quia donans, quandoquidem eam donationem revocare valens, non revocavit, firmam esse post mortem voluisse à tempore, quo donavit, putandus est ; id enim nulla unquam lex prohibuit.

24. Hinc notat Bonac. *l.c.num.16. v. Addunt nonnulli*, posse coniugem, rem ab altero coniuge sibi donatam retinere, ut expectet, donec videat, an donatio confirmetur morte ; nulli enim sic iniuriam facit. Sed id cautè intellige, ita nimirum, ut rem donatam non distrahat, secùs in casu revocationis rem suam habere non posset alter coniux. Vnde peccaret ille coniux, qui distraheret, iuxta damnum, quod inferret alteri ; & ad restitutionem teneretur, modo dicto *n.14.*

25. Vel secundò, moritur priùs coniux donatarius, & tunc assero, illam donationem, quæ prorsus erat nulla, nullam remanere, atque adeo non posse hæredes donatarii rem illam sibi retinere. Ratio est manifesta, quia res illa donatarii non est, quia donatio est nulla. Ergo ad donatarii hæredes nullo modo pertinet, sed illam coniux donans sibi vendicabit.

26. Vel tertiò, moriuntur simul tam coniux donans, quàm donatarius, ut posset accidere, naufragio, bombarda, ædificio diruto, &c. & tunc assero, diligenter investigandum esse, quis priùs, etiam per brevissimum tempus expiraverit. Si donans, confirmabitur ejus morte donatio, si donatarius, non confirmabitur, ut modò dictum est.

27. Quid, si post expensas omnes præsumptiones, quas in simili mox afferam, adhuc sit dubium, quisnam priùs animam efflaverit ?

Respondeo, cum Molina, Covarruvia, ac Turriano allatis, exceptisque à Bonacina *l.c n.27. v. Si verò*, in ejusmodi dubio usui debere esse regulam vulgatam : *Melior est conditio possidentis.* Illius igitur erit res illa donata, à quo invenitur possideri.

*Matre, & Filio simul decedentibus, quis succedet ?*

28. Hac occasione iuvat digredi ad similem casum, de quo non multis abhinc diebus interrogatus fui: Mortua est ex diruto pariete vidua Mater, & Filius parvulus unigenitus sub eodem tecto, eodémque in lecto dormientes. Quæsitum ergo fuit, an præsumendum sit, Matrem priùs animam emisisse, quàm filium ; id enim maximè intererat decernere ; si enim filius Matri præmortuus est, succedebat Mater in bona paterna dicti filii, qua deinde mortuâ, succedere debuerant consanguinei ejusdem Matris, & quidem eidem Matri proximiores. Si verò Mater filio præmortua esset, succedere debebant consanguinei Patris, tanquam ejusdem Patris, & dicti filii proximiores. Quid ergo statuendum ?

29. Respondeo : Longa est hæc disputatio inter Iurisperitos. Et quidem, si ageretur de morte naturali, ut, si nesciretur, an mortua priùs fuerit Mater, an filius in loco distanti, verbi gratiâ, in Indiis, præsumeretur mortua priùs Mater, utpote grandior natu, atque adeo naturali morti vicinior. At, cum in præsenti casu versemur in morte violenta, alia est indaganda coniectura:

Dic ergo, ex Testibus mox citandis, tanquam probabilius in nostro casu existimari debere, præmortuum fuisse filiom parvulum, utpotè propter teneram ætatem facilius morti obnoxium. At contrà, si filius fuisset grandior, cùm Mater, utpotè fœmina, debilior sit, ipsam Matrem fuisse præmortuam, præsumendum foret. Vide hæc fusè apud Iurisperitos. *In l. Qui duos, §. Cùm in Bellum ff. de reb. dub. l. cum pubere, l. cùm mulier.*

30. Quid, si omnibus expensis, in dubio adhuc res versaretur? Tunc putarem, vel pro possidente esse sententiam ferendam ut modò dixi *n.* 27. in simili, vel si nullus possideret, dividenda esse bona pro rata dubii. Sed redeamus ad nostra.

*Donatio supellectilium, an valeat inter Coniuges?*

31. Inquires secundò: An, si coniux alteri coniugi donet, constante matrimonio, vestes, annulos & supellectilia domus, ejusmodi donatio confirmetur morte donantis?

Respondeo: Confirmari, sicut cæteras aliarum rerum donationes, si vera donatio fuit. Verùm, hoc opus est, hic labor, conijcere, an in hoc genere dictorum donatorum donatio fuit vera, quando ex verbis donantis id cognosci non potest.

32. Aio, distinguendum esse: Vel enim sunt vestes pretiosæ, vel ordinariæ, & viles (id, quod certè iudicio prudentis, spectata nobilitate, vel qualitate coniugum diiudicandum est: nam vestis, v. g. serica erit pretiosa pro uxore rustica, quæ ejusmodi non est pro nobili) Si vestes ergo donatæ sint ex prioribus, non censentur donatæ, sed solùm usus esset concessus: si ex posterioribus, donatæ censeri poterunt. Ratio est, quia donatio nunquam præsumitur, nisi de ea certò constet, cùm nemo præsumatur prodigere res suas, *L. cùm de indeb. ff. de probatione.* Cùm ergo facilè donentur vilia, præsertim ei, quem amas, difficulter pretiosa: ideo, illa donata esse, hæc non item diiudicari poterit: Lege Glossam, *in leg. cùm quid, ff. si certum petatur*, quæ notat, quoties extat coniectura, ut aliquid sit collatum ex alia causa, quàm donationis, nunquam intelligi esse donatum: At in casu nostro est coniectura ea pretiosa concedi, ut decentior appareat coniux in alterius oculis, ad quod sufficit dumtaxat earum rerum solus usus.

33. Excipe tres casus. Primò, quando in aliqua Regione, etiam pretiosa absolutè donati consueverunt. Secundò, quando coniux est multùm nobilis, & dives. Tertiò, quando dantur occasione, quod coniux aliquid donaverit coniugi. In his enim tribus casibus præsumitur absoluta, & vera donatio. In primo, quia donans præsumitur, se conformare consuetudini. In secundo, quia tunc valet, quod modò diximus, putà, rem pretiosam existimari vilem (sed profectò talem metiendam ad proportionem personæ, &c.) In tertiò, quia videtur tunc esse retributio ex gratitudine, iuxta dicta *à n.* 10.

*Donata intuitu alterius Coniugis.*

34. Inquires tertiò: An donata coniugi intuitu alterius coniugis, v. g. intuitu amicitiæ, beneficii, consanguinitatis alterius, acquirantur ei, in cujus intuitum donantur, an ei, cui donantur? Petrus, v.g. dat Bertæ annulum ex eo, quia Maritus eiusdem Bertæ, qui est Medicus, ipsi Petro sanitatem reddidit, cuiusnam erit annulus, Bertæ, an Medici Mariti? Supponuimus, autem Medicum satis abundè pretium suæ artis habuisse.

35. Respondeo: Si donavit in dictum pretium laboris, vel alio modo constet, Petrum voluisse rem dare Marito, non est dubium, quod res donata acquiratur Marito, quia acquisitio rei donatæ dependet à voluntate donatoris: At, si velit donare uxori quidem, sed intuitu viri, licèt Bonacina *l. c. num.* 10. cum Bart. & aliis putet, acquiri viro; tamen Bald. aliique apud Bonac. *l. c.* putant, acquiri uxori, quia iam uxori res donatur. Profectò utrumque probabile, sed hoc posterius probabilius. Meum enim est, seu in meum dominium transferri, quod mihi fu donas, licèt intuitu, & ex meritis alterius, & gloria, quam infanti baptizato dat Deus ex meritis Christi, verè infantis est?

*Donata Mulieri putata uxori.*

36. Inquires quartò, de eo casu, quem Carmelita *Theol. moral. d. l. 2. n.* 647. Vide etiam Dianam p. 4. *tr. 8. res.* 28. sic proponit, decernitque: *Petrus habebat bona Antoniam in uxorem, &, quia illam amabat, multa ipsi dedit: postea comperiens matrimonium esse nullum, quirit, an illæ donationes teneant, an revocari queant.*

Respondet, *eas fuisse, sicuti fuerunt initio, quamdiu tempus eas mutat. At quo modo initio fuerunt?*

Respondet, & primo quidem, *si fuerunt remotiæ, validæ fuerunt.* Secundò autem, *si graviores, videri, an, si Petrus cognovisset eam, ut amasium, potuisset, & tunc fuissent item validæ.* Tertiò, *si non dedisset, nisi, ut uxori, dic tunc dona processisse ex ac propterea, non fuisse liberas, nec fuisse validas.* Tandem (addit) *Cur non possint compensari cum usu corporis a muliere, etiam ex errore ipsi credito per errorem veritatis* ex illo. Cujus ultimo huic addito ego necessitatem adnecto, debere scilicet prudentis arbitrio pendi dona, ut fiat scilicet iusta compensatio inter & proportionatum pretium usus corporis talis feminæ. Deinde dico, si mulier dedit usum sui corporis, non dedit etiam usum sui corporis vir? & fortasse is magis gratum fuerit mulieri habuisse talem virum, æstimatum, quàm contrà.

*Donata cum iuramento.*

37. Inquires Quintò: si coniux alteri quid donet, adjecto donationi iuramento, confirmaturne donatio, adque fit valida?

Respondeo esse validam in eo sensu, ut non possint vocari ob iuramenti reverentiam, docet communis sententia. Quid in nostra sententia dicendum sit, & quomodo distinguendum, diximus, cùm egimus *de Iuramento, lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. à num.* 42. ubi etiam vidimus. §. 6. etiam si iuramentum det robur dictæ donationi ex virtute Religionis tantùm, non tamen date ex obligatione iustitiæ.

## §. II. *De sponsalitia Largitate.*

1. Sponsalitia largitas, quæ solet esse inter sponsos antè quàm contrahatur matrimonium per verba de præsenti, est de vera donatio, & hic ea distinguenda differendumque est autem duplicis generis. Alia pura, quando nimirum inter sponsos, nec osculum intercessit, nec copula. Alia non pura, quando scilicet intercessit, hic priori, mox §. *sequenti* de posteriore.

*Sponsalitia Largitas pura.*

2. Sit generalis Regula: Sponsalitia largitas pura, seu pura donatio cuiuscunque rei, etiam pretiosæ facta inter sponsos de futuro; ita valida est, ut, si subsequatur matrimonium, illúdque consummetur, donata acquirantur omninò donatorio, sine necessitate insinuationis, ut habet Diana, *p. 8. tr. 6. res.* 25. secùs dicta donata reverterentur ad donatorem. Notentur singulæ claudulæ adjectæ Regulæ.

3. Dictum est primò, (*Sponsalitia largitas*) non enim hic loquimur, si constet aliquid independenter à matrimonio secuturo fuisse donata; sic enim non est sponsalitia largitas, sed donatio facta extraneo, de qua hic non agimus.

4. Dictum est secundò, (*Donatio cuiuscunque rei*, nulli enim est prohibitio, seu limitatio circa res, quas sponsi sibi invicem donare possunt.

5. Dictum est tertiò, (*inter sponsos de futuro.*) Hinc ergo fit, ut, si inter illos adsit impedimentum dirimens etiam

etiamsi contracta sint sponsalia sub conditione dispensationis, & ante dispensationem aliquid donetur, illam non fore sponsalitiam largitatem, sed donationem, qualis solet fieri extraneis, eodémque modo mensurandam, ac illam. Ratio est, quia, tunc ii non sunt verè sponsi. Ita Sanch. *l.6.matrim.d.18.cap.7. & d.19.num.6.* Vide etiam multa in hanc rem apud Dianam *p.11.tr.4.à resol.28.*

6. Dictum est quartò, *( ita valida est, ut subsequatur matrimonium,&c.)* Donationes enim sponsorum, semper præsumuntur fieri sub conditione futuri eventus, id est, futuri matrimonii. Vnde si hoc non subsequatur, res donatæ restituendæ sunt integrè donatori, cum iis limitationibus, seu explicationibus, mox afferendis *à num.9.* Quare, quando sponsus, vel sponsa dono sibi invicem dant vestes, aliáque similia: cùm donatio absoluta nunquam, ut nuper §.2. *num.22.* diximus, præsumatur, semper præsumuntur donari ex causa futuri matrimonii, & ob ejus decus, non verò absolutè, ut transferatur dominium illarum in alterum: Nisi fortè sint vestes quotidianæ, & non pretiosæ, vel adsint aliæ coniecturæ probantes absolutam donationem, qualem esse concedimus, si res sint esculentæ, & poculentæ, quæ servari, usque ad contractum matrimonium non solent, vel, quando in aliqua Regione sit mos vsurpatus à sponsis absolutè donandi. Vide hoc fusiùs agitatum à Ioan. Angel. Boss. *tom.2. tit.8 De restit. locatium, dissol.spons.* ubi multa ad rem de hoc argumento notat; etiamsi dicat sponsus: *Dono, seu dono mitto has res pretiosas sponsæ*, adhuc non præsumi absolutam donationem, quia sensus solet esse, dono ad ornatum meæ futuræ coniugis, dono ad ejus usum, si sequatur matrimonium, &c.

7. Dicitur quintò, *(Illúdque consummetur)* quia sic solùm videtur conditio integrè completa, siquidem ante consummationem potest matrimonium dissolvi per ingressum in Religionem. Ita Sanch. *l.c.d.19.à n.1.*

8. Dictum est sextò, *( Donata acquirantur omnino donatario )* Ratio est, quia positis iis, quæ iam prædicta sunt, purificatur conditio, atque adeo valida facta est donatio.

9. Dictum est septimò, *( Secùs revertatur ad donantem, &c. )* id, quod clariùs sic distingue, *Ex l.cum veterum,C.De Donat.ante Nupt.*& ex Mol.*d.*296.& ex Bossio *l.c.* aliisque: Vel matrimonium non sequitur ob solius donantis culpam, sive is sit Sponsus, sive Sponsa,& tunc donans duo mala contrahit: Alterum est, quod res omnes per sponsalitiam largitatem donatas recuperare non valebit; remanent enim apud eum, qui culpam non habet: Alterum, quod restituere eidem debebit omnia, quæ per similem largitatem fortè habuit ab alio.

10. Vel matrimonium non sequitur, culpâ donatarii, & tunc is omnia restituet donanti, qui est sine culpa,& meritò, nam æquitas non patitur, ut relictus sine sua culpa amittat Sponsam, seu Sponsum, & item dona alteri concessa intuitu matrimonii.

11. Vel tertiò, matrimonium non sequitur, nullius culpa, ut, si alteruter ex Sponsis moriatur, vel fiat Religiosus ( hæc enim culpa non est) & tunc omnia reducentur in pristinum, hoc est, Sponsus debebit restituere totum, quod habuit à Sponsa,& hæc, totum, quod habuit ab illo. Excipe in hoc tertio casu, nisi fortè hæc passa sit osculum, vel copulam, de qua re mox *infrà, §.3.num.4.*

12. Vel denique quartò, non subsequitur matrimonium ex communi utriusque libero consensu, & tunc pari modo, ac dictum est *numero præcedenti*, omnia reducentur in pristinum, id est, totum, quod dono alter accepit, restituetur alteri, quia ob consensum liberè præstitum dissolvendi sponsalia, tacitè convenire videntur, ut quilibet restituat accepta, neque hîc osculum, aut copula aliquid proderit Sponsæ, ut mox *inf.dict.§.3.n.5.* videbimus.

*Res habita per Sponsalitiam largitatem, an necessariò servanda pro filiis Donantis?*

*Affertur communis Doctrina affirmans.*

13. Iam verò insurgit nunc quæstio, an, quando ex secuto iam matrimonio enascuntur filii, ea, quæ mulier habuit à sponso per donationem, si transeat ad secundas Nuptias, debeat reservare pro dictis filiis, an possit de illis donatis liberè disponere, eáque dare etiam filiis posterioris matrimonii?

14. Huic quæstioni respondetur communiter, debere reservari pro filiis prioris matrimonii, si ipsi vivunt, sicuti etiam omnia bona, ab ipsa matre per donationem inter vivos, vel per ultimam voluntatem habita à primo coniuge, sive tempore constantis matrimonii, sive tempore sponsalitii, quia, ita habetur in iure, *l.Fœmina,C. de secundis Nupt.*& ita habent Gomez, Molina, Sanch. Turrian, apud Bonacinam. *d.3.de contract. quæst.13.p.3. n.32.* Illa autem, quæ ab aliis habuit mulier intuitu viri prioris matrimonii, debere etiam reservari dictis filiis, docet idem Bonacina, *loc.cit.p.4. num.32.v.Secundò colligi*, quod certè est consequenter ad Bartoli opinionem, quam ipse Bonacina tenet, bona scilicet data uxori intuitu viri, acquiri ipsi viro, ut vidimus *supra, §.1.n.35.* At in alia probabiliore sententia Baldi *ibid.* allata, quam multi tenent, ea bona acquiri ipsi uxori, non ita est: & mihi videtur satis probabile, non ita esse; nam dicta lex *Fœmina*, solùm dicit esse reservandum pro filiis, quidquid ex bonis priorum Maritorum fuerint assecutæ. At hæc bona, de quibus est quæstio, Maritorum non sunt, ut tanquam probabilius *ibid.* indicavimus.

15. Omnes autem à dicta reservatione pro filiis prioris matrimonii excipimus cum eodem Bonacina *loc. cit. p.3. num.32. v. Hæc tamen*, medietatem sponsalitiæ largitatis, quando intercessit osculum, vel copula, nam, quia hæc medietas, tunc acquiritur ipsi uxori, ut mox dicemus, ideò de ea poterit liberè disponere sine ulla obligatione eam reservandi pro dictis filiis.

16. Dictum est *num.14.* ( pro filiis, si ipsi vivunt ) si enim, vel mortui fuerint filii procreati à dicto priore matrimonio, vel nulli sint filii procreati, dispositio hæc legis *Fœminæ*, locum nullum habet, sed in mulieris libera potestate remanebunt ea bona, ut clarè notat eadem *l.Fœminæ.*

*Affertur nostra opinio negans donata vxori debere servari pro filiis prioris matrimonii.*

17. Hactenus communem doctrinam in medium attulimus. Nunc studiosis Lectoribus meis considerandum propono, hæc ideo ab Imperatore fuisse disposita, quia leges civiles, quæ abhorrent à secundis Nuptiis, volunt ab illis viduas retrahere. Cùm ergo leges Canonicæ, quas sequi debemus, Nuptias secundas non reprobent, unde nullam culpam mulier ad eas transeundo, etiam intra annum luctus, committat, pœnam amissionis prædictorum donatorum nequaquam incurrer.

18. Confirmatur primò, ex Sacro Textu, *C. penult. & C.ult.De sec.Nup.* qui sic habet:

*Super illa quæstione, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus* (hoc est, intra annum à morte viri) *secundùm leges definitum. Respondemus, quod, cùm Apostolus dicat:* Mulier, viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit, *per licentiam, & auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur.*

19. Confirmatur secundò, Nam Glossa communis *d.cap.vltimo*, cùm attulisset aliquorum opinionem asserentium, propter dictam Apostoli licentiam mulierem non evadere pœnam, qua privatur antenuptiali donatione, & omni eo, quod ex liberalitate viri ad eam potuit pervenire, & item asserentium, Ecclesiam non potuisse hanc pœnam tollere, cùm, inquam, Glossa cõmunia

hæc attulisset, Glossa marginalis notavit in margine *n.* 4. sic:

*Immò potuit, quidquid dicat Bernardus, cui standum non est.*

Si ergo ablata est ab Ecclesia ejusmodi pœna, cur debebit mulier eas donationes amittere?

20. Ad hæc, scio, quid respondere possint Iurisperiti Civiles, nimirum, duas esse constitutas pœnas contra Viduam transeuntem ad secundas Nuptias in anno luctus; alteram, infamiæ, alteram, amissionis bonorum ipsi donatorum, priorem tolli à Sacris Canonibus, non verò posteriorem. Ita Glossa Civilis, *in d. l.* 1. *C. de secund. Nupt. Pœna, quæ imponitur mulieri eo, quòd nimis festinanter nubit, de qua* in hac l. (*id est, pœna infamiæ*) *est sublata per dictum Apostoli. Pœna verò quæ imponitur ideo, quod nubit secundo, de qua* l. Fœminæ, *& alibi, non est sublata. Ita dicunt communiter omnes Canonistæ* in c. penult. & fin. de secundis Nuptiis. *De quo vide omninò Abbatem* in dicto c. finali.

21. Verùm, ego tria habeo contra hanc Glossam, & consequenter contra Responsionem Iurisperitorum. Primum, si in margine *dicti c. fin.* ut ego *num.* 19. modò notavi, leguntur illa verba (*Immo potuit, &c.*) qua veritate dici ur, omnes Canonistas ita sentire *in dicto c. fin.* Num fortasse, quando scripta est prædicta Glossa Civilis, nondum illi capitulo erat addita Glossa hæc marginalis Canonica?

22. Secundum: Si nobis conceditur, sublatam esse pœnam infamiæ inflictam l. 1. citata, non ex alio capite, nisi, quia est pœna, qua ratione negas, non esse sublatam pœnam amissionis donatorum inflictam, quam ipsa Glossa Civilis etiam pœnam meritò appellat, dicens hæc amissione puniri dictam mulierem? Certè nimis gratis id negas, cùm nulla prorsus appareat ratio disparitatis.

23. Dices, eam satis apparere, quia pœna infamiæ nubentis intrà annum est pœna mulieris ipsi inflicta in odium tantæ festinantiæ, ac amissio donatorum, inflicta ex susceptis secundis Nuptiis, est lata in favorem filiorum prioris matrimonii. Respondeo, hanc amissionem redundare in favorem filiorum, ultrò concedimus: sed dicimus (quòd certè nemo negabit) radicem hujus favoris esse pœnam, quam Iura Civilia abhorrentia à secundis Nuptiis infligunt: Cùm ergo hæc pœna non sit ex Sacris Canonibus infligenda, nec favor ille redundabit pro filiis.

24. Tertium: Cur prædicta Glossa Civilis remittit me ad Abbatem, *in d. cap. fin. De sec. Nupt.* cum ego illum inveniam pro nostra sententia? Esto, dicat contrariam esse multorum Canonistarum. Verba Abbatis, quæ multum faciunt ad hanc quæstionem elucidandam, hæc sunt:

*Quanquam ista litera, nempè concedens secundas Nuptias, loquatur de infamia, tamen ratio literæ est universalis quoad omnes pœnas. Probatur hoc satis in antiqua, dum Papa prohibuit, me ad iacturam, vel infamiam allegaretur; esse transitus ad secundas Nuptias contra istam mulierem, &, si audacia concederetur, tenerem contra communem opinionem, quod, etiam pœnas inflictas favore filiorum, mulier non deberet incurrere. Primò, quia favor filiorum non debet esse causa puniendi mulierem, vel impediendi matrimonium à Deo concessum. Item ex defectu potestatis, nam Imperator non habet potestatem interdicendi matrimonium ad tempus, vel apponendi pœnam, per quam tollatur indirectè libera facultas contrahendi: non enim negari potest, quia ex ipsis pœnis, etiam inflictis favore filiorum, intimidetur matrimonium, & tollatur libera contrahendi facultas, & sic posset mulier incurrere peccatum fornicationis, abstinendo se de secundo matrimonio, ne incurreret pœnas Iuris.*

25. Sed paulò post, sic addit:

*In iudicando tamen, vel consulendo, grave esset contra communi opinione Doctorum, quam non reperio, per aliquem violatam: & ideo non attenderem, nec contrà opinionem tantorum.*

Hactenus Abbas. Cujus ultima clausula, an sit timida, Lector diiudicet.

## §. III. *Sponsalitia Largitas non pura, id est:*

### *Quando inter Sponsos interessit osculum, vel copula.*

1. VT, quod proposuimus declarandum, intelligatur planissimè, satis erit, si hic afferamus l. 6. *Si à sponso* (ait lex) *rebus sponsæ donatis, interveniente osculo ante Nuptias, hunc, vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pervenire præcipimus, dimidiam ad defuncti, vel defunctæ hæredes. Osculo non interveniente, tota donatio revocetur. Quòd si sponsa, interveniente, vel non interveniente osculo, aliquid sponso fuerit largita, & ante Nuptias hunc, vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam, vel ejus successores donatarum rerum dominium transferatur.*

2. Vbi nota primò, loqui Textum de osculo, sed Doctores extendere propter parem, immò meliorem rationem, ad copulam. Convenientia hujus dispositionis fuit, velle, saltem per medietatem donatorum, subvenire Sponsæ, & difficultatem iterum nubendi, quam pellit ex osculo, vel copula, compensare.

3. Nota secundò, hunc favorem dari Sponsæ, non verò Sponso, quia hic dictum ruborem, & difficultatem non patitur.

4. Quid, si sponsalia dissolvantur alio modo sine ullâ culpa, v. g. per alterius ingressum in Religionem.

Respondeo, adhuc hunc favorem concedi Sponsæ, non verò Sponso, quia æquè illa passa est ruborem, non verò hic.

5. Quid, si solvantur ex communi consensu?

Respondeo, tunc nihil lucrari Sponsam, quia, consentiendo dissolutioni sponsalium, videtur remittere jus suum. Ita Molina, *d.* 290. *num.* 2. & 3. Sanch. *lib.* 8. *mat. d.* 21. *n.* 6. Turr. *d.* 77. *dub.* 4. aliique. Aliqui autem ad hunc effectum, ut nihil lucretur Sponsa, requirunt, ut consensus utriusque sit simul. Verùm, sufficere ex intervallo, etiamsi antea Sponsus, vel Sponsa consentire noluerint, probat Sanch. *l. c. n.* 7. & meritò: æque enim sic censetur facta remissio.

6. Quid, si culpa sponsi, vel sponsæ sponsalia dissolvantur, ut fornicatione, vel hæresi, vel simili culpâ? ab alterutro data, lucrabitúrne alter aliquid ex dictis donatis?

Respondeo, cum Sanch. *l. c. n.* 8. Sponsam, si non sequatur matrimonium culpa Sponsi, acquirere filii nomen sponsalitiam largitatem habitam à Sponso, & puta mea Sponsum, si non sequatur matrimonium, culpâ Sponsæ eandem sponsalitiam largitatem acquirere. Ratio est eadem, quam diximus §. *præced. num.* 10.

7. Nota tertiò, osculum, vel dictam copulam dare Sponsæ dictam medietatem, quando vere Sponsalia erant. Non ergo, si hæc intercesserint ante vera sponsalia, ut si intercessissent cum impedimento dirimente ergo to ab utroque Sponso, vel cum sponsalitiis sub conditione celebratis, quæ certè nulla sunt ante adventum conditionis: tunc enim osculum, & copula esset omninò inhonesta, quibus favere, concedendo illam dimidietatem donatorum, Iura nunquam voluere. Atque in hoc casu, licèt aliqui dicant, si fuerit illa quid Sponsus à Sponsa, vel contrà, receperit, debere tradi Fisco, tamen veriùs iudicat Sanch. *lib. 6. mat. d.* posse retineri, donec accedat sententia Iudicis eum retinentem.

8. At, si impedimentum dirimens fuit ignoratum à sponso, vel ab altero ex ipsis, quid juris.

Respondeo, cum Sanch. *l.c.* si ab vtrisque fuit ignoratum, non amittet medietatem dictam sponsa, quia cùm inculpate gravamen pudoris per osculum, vel copulam senserit, non est defraudanda illius compensatione, quæ per dictam dimidietatem donatorum fit. Si item fuit ignoratum à sponsa, quamvis cognitum à sponso, eandem medietatem etiam debebit acquirere, quia, pari modo, sine culpa, gravamen passa est. Si denique è contra ignotatum fuit impedimentum à sponso, cognitum autem à sponsa, nihil ipsa acquiret, sed totam sponsalitiam largitatem restituere sponso debebit, quia, ut dictum est, culpæ sponsæ favere iura non debent.

9. Nota quartò, ut largitas prædicta habeat effectum transferendi dominium in sponsam mediatatis donatorum, satis esse, si dictum osculum, vel copula intervenerit, sive ante dictam largitatem, sive postea; par enim gravamen, & ruborem in vtroque tempore patitur Sponsa.

## CAPVT III.

### *De Dissolutione Cohabitationis, & Tori, hoc est, de Divortio.*

EXplicatis obligationibus conjugum ex eorum conjunctione provenientibus, admoneor jam ad ea declaranda procedere, quæ ad eorundem quasi disiunctionem pertinent, id est, ad divortium, quod jam facio.

### §. I. *Quid, quotuplex, & quando licitum sit Divortium?*

1. NOn est hic sermo de dissolutione vinculi matrimonii, de hac enim dictum est *tract.* 3. Sed de ejus dissolutione, quoad torum, & cohabitationem, remanente vinculo. Id, quod valdè diversum est, ut ex *ibidem* dictis patet. Separatio autem hæc quoad torum, & cohabitationem, tunc vocatur divortium, quando est perpetuum, juxta Textum, *l. Divortium. ff. de divortiis*, in quo dicitur: *Divortium non est verum, nisi, quod animo constituenda perpetuæ separationis, fit.* Nihilominus, si perpetuum non sit, sed ad tempus, vocatur etiam, quamvis minùs propriè, divortium.

2. Porrò, ut tota ejus tractatio ordine ipso docendi clarior fiat, duo erunt separatim explicanda. Alterum, quandonam illud licitum sit? sive loquamur de perpetuo, sive temporaneo. Alterum quosnam effectus pariat? De quibus distinctim *in paragraphis sequentibus*: nunc autem juvabit vnitim eadem duo sub compendiosa explicatione complecti, ut vno aspectu totam doctrinam mox latiùs agitandam comprehendas.

3. Quoad prius, sic statue: Divortium perpetuum est licitum tantummodo propter adulterium alterius conjugis: Divortium verò ad tempus licitum est propter alias causas, quæ in vniversum ad illam reducuntur, scilicet ad grave periculum, sive animæ, sive corporis, sive famæ: in particulari autem sunt tres; hæresis alterius conjugis, sollicitatio ad peccatum, quam alter alteri facit, sævitia ejusdem. Ratio prædictæ diversitatis est, quia divortium propter adulterium fundatur in eo, quòd per illud delictum fides conjugis absolutè frangitur, ergo fides illi ampliùs absolutè non debetur. Adde, absolutè Christum Dominum ejusmodi separationem concessisse, dum dixit Matth. 19. *Quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Dimissio autem absolutè data perpetua est.

4. At verò divortium ad tempus propter tres illas causas fundatur in eo, quòd non obligatur quis ad commorandum cum altero, à quo tanta mala patitur, vtique, dum illa patitur. Cùm ergo, si conjux cum effectu emendetur, & quando est necessarium, securitatem det, non patiatur ampliùs alter mala illa, obligabitur admittere conjugem, vnde fiet, vt divortium perpetuum non sit. Circa causam verò hæresis erit adnotanda quædam distinctio, quam *infrà* ponam §. 7. *n.* 5.

5. Quoad posterius, vnus est præcipuus effectus (nam minùs principales paulò *inferius* attingentur) ut conjux innocens, postquam legitimè divertit, proprio dicto divortio, scilicet perpetuo, possit, si velit, Ordines sacros suscipere, vel solemnem Professionem in Religione, vel votum simplex castitatis in sæculo emittere. At, si divertit per divortium impropriè dictum, scilicet ad tempus, hæc non possit. Ratio discriminis est, quia si separatio perpetua est, non habetur, vnde impediri possit conjux innocens à susceptione boni alterius status ex se perpetui; Verùm, si separatio perpetua non est, habetur, vnde impediatur, nam transacto eo tempore, conjux suum conjugem repetere debebit. Iudicatur autem transisse tempus, quoties emendatur, ut dictum est, conjux. Illud nota, si quando nulla spes adest ejusmodi emendationis, posse innocentem status illos perpetuos suscipere, sed id non est per se ex vi divortii, sed ex vi defectus dictæ spei, ut *infrà* explicatiùs dicendum erit.

His veluti in compendium hoc initio, ad faciliorem doctrinam, explicatis, eadem suo Ordine in sequentibus repetamus, & illustremus.

### §. II. *Divortium licitum est ex causa adulterij.*

Vbi:

#### *Cujusnam adulterij?*

1. QVod licitum sit divortium, scilicet separatio perpetua, quoad torum, & cohabitationem ob adulterii crimen, certum est ex fide, ut constat *ex Matth.* 19. Certum etiam est ex lumine naturæ; quia frangenti fidem, fides servanda in eodem contractu non est, ut docemus omnes.

2. Quoniam verò æqualis fides vtrique conjugi debetur, pares in hoc sunt conjuges, nec potest, sive lege, sive consuetudine introduci, ut divortium celebrari queat ob adulterium vxoris, non verò ob adulterium viri; Dixi (esse pares in hoc) nam in criminalibus pares non sunt. Cùm enim in Republica majus dedecus existimetur afferre adulterium vxoris, quàm viri, ideo vir criminaliter accusare vxorem adulteram potest, non verò vxor virum adulterij. Sed prosequamur cætera, in quibus sunt pares.

3. Rursus, ergo, quia, fracta fide, absolutum jus habet innocens ad recedendum, ideo, quocunque elapso tempore; *C. admonere*, 33. *q.* 2. celebrare conjux innocens divortium poterit, nisi fortè is remiserit, vel quid acciderit, propter quod actus innocens ejusmodi jus amiserit, de qua re mox §. *seq.*

#### *Quid hic veniat nomine adulterij?*

4. Tota difficultas hic in eo versatur, ut videamus, quidnam intelligatur nomine adulterii, ad hunc effectum divertendi? nam ad effectum deponendi illud sacramentaliter apud Confessarium, diximus *in opusc. meth. Confess. lib. 2. cap. 7. §. 6.*

5. Breviter, Assero primò, nomine adulterii hic intelligi copulam carnalem consummatam, sive naturalem, sive sodomiticam activam, vel passivam, sive etiam bestialem. Ratio vniversalis est, quia tunc frangis conjugi fidem, quando tuam carnem, quam illi vni conjugi promiseras, dividis cum aliis; at dividis, cùm copulam consummatam habes cum dictis. Ita cum communi Sanch. *lib.* 10. *matr. d.* 4. *n.* 3. & 4. & de copula sodomitica, ita expressè S. Th. Sà, Henriq. Hurt. & innumeri apud Leand. *d.* 26. *matrim. q.* 11. aliique, vnde, propter paritatem rationis, idem dicere cum aliis debemus de bestialitate.

6. Scio Pontium, *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 5. quem sequitur Aversa *q.* 23. *matr. sect.* 1. *v. Hinc tandem*, excludere sodo-

miam ( & sanè propter paritatem suæ rationis deberet etiam excludere bestialitatem ) quia, inquit, divisio carnis non per immissionem seminis in alienam carnem, sed propter mixtionem seminis in semine, seu cum carne alterius in vase apto ad generationem, id, quod in sodomia non contingit; scio, inquam, hoc, sed, quia ipsemet Pontius *loc. cit.* tandem fatetur, in praxi excipiendum esse opinionem communem, ab ea nobis recedendum non erit.

7. Quid de Sodomia cum propria vxore?

Respondeo, hanc puto, non venire hic nomine adulterii, quia verè tunc non est perfecta divisio cum alterius carne. Ita cum communi Sanchez *l.c.* Esset tamen sufficiens causa divortii temporalis, quando conjux alium sollicitaret ad ejusmodi peccatum, juxta ea, quæ mox dicemus §.7.

8. Assero secundò, tactus impudicos, oscula, pollutionem ipsius conjugis extra vas, etiam procuratam alienis manibus, seu instrumentis, immò, & copulam sine seminis emissione non intelligi hîc nomine adulterii, quamvis hæc fiant cum animo perveniendi ad adulterium. Ratio horum omnium est, quia hi non sunt actus perfecti contra datam fidem, cùm non dividant carnem conjugis cum alterius carne; nam propter eandem rationem, nec nomine adulterii hîc venit copula cum fœmina mortua, quia illa non est vera caro, sed veluti statua lapidea. Ita Sanch. Fillliuc. Bonac. aliique apud Leandr. *loc. cit. quæst.* 8. 9. & 10.

9. Dictum est semper ( *hic* ) nam cæterum in ordine ad Confessionem esse ejusmodi peccata, adulterii, *in mer. Confess. l.* 2. *c.* 7. §. 6. & rursus *l.* 7. *in Decal. c.* 3. §. 1. docui, ut monui *n.* 4.

## §. III. *Casus quinque, in quibus non est licitum Divortium, quamvis adsit causa Adulterii.*

### *ADVLTERIVM VTRIVSQVE.*

1. PRimus casus est, quando vterque conjux adulterium commisit; tunc enim, quia delicta compensantur, neuter ex conjugibus poterit divertere. Idque verum est, etiamsi vnus conjugum plura, vel publicè, alter vnum, vel occultè adulterium commiserit, & etiamsi vnus per sodomiam, alter per fornicationem, &; etiamsi unus se emendaverit, scilicet non amplius adulteretur, alter verò ( sed admonitus, ut desistat ) persistat tamen in adulterando. Ita Doctores citati, & ratio est, quia, posita fidei fractione, semper locum suum habet jus compensandi, etiam contra emendatum, donec conjux innocens injuriam remittat, de qua remissione *mox num.* 16. Illud ( admonitus, ut desistat ) vide fusiùs apud Sanchez *lib.* 10. *matr. d.* 7. Coninch. *d.* 35. *dub.* 2. Avers. *loc. cit. sect.* 4. *v. Quintò*, aliósque.

2. Hæc autem intelligenda sunt, si ante peractum diuortium uterque adulteretur. Sed quid, si celebrato jam diuortio ob adulterium unius, deinde alter, qui fuerat innocens, adulteretur & ipse, obligabitúne hic alteri reconciliari ex eo, quòd sic compensentur duo dicta adulteria?

3. Obligari tenet Coninch. *l.c.* G. Hurt. *d.* 11. *de matr. diff.* 3. *num.* 11. Leand. *d.* 26. *matr. quæst.* 23. Auers. *quæst.* 23. *matr. sect.* 4. *v. Septimò* Sanch. *lib.* 10. *matr. d.* 9. *n.* 30. citans S. Thom. alióque. At Sanch. sustinet, non obligari, nisi post sententiam, quâ Iudex cogat fieri reconciliationem, ob periculum fornicationis, quod ex illa separatione consurgit.

4. Verùm, sententia Coninch est à nobis approbanda. Ratio est, quia, quamuis, post diuortium factum, fidem fregerit, tconjux, quia antea fuerat innocens, iam tunc est nocens, ergo alter jam acquirit jus compensandi.

5. Quid fiet, si post diuortium, conjux innocens ritè solemnem professionem emiserit, & post professionem adulteraverit, an scilicet reddendus sit conjugi uolenti tecompensationem? Dicam §. 8. *à n.* 8.

### *Adulterium vnius, sed altero consentiente.*

6. Secundus casus est, si conjux adulterium commisit, consentiente alio conjuge ( quod dicitur, consentire, prostituere. ) Ita constat ex Sacro Textu, *c. Dilectus, eo, qui cognoscit consanguin.* Ratio autem est, quia, si vterque tunc delinquat, alter per adulterium, alter per lenocinium, æquitas non vult, ut alter jure suo utatur, alter non item. Ita Sanch. Pont. Castropal. *ll. cc.* & communiter.

7. Consentit autem secundùm eosdem, quibus citat. Avers. *quæst.* 23. *matr. sect.* 3. *v. Quintò*, conjux, sive expressè, sive tacitè, non impediendo, cùm possit.

8. Inquires: Si vir neget alimenta vxori, si eam adulterat, si eam domo expellat, si cùm ea crudeliter agat, si ipsa sibi de aliquo amatore provideat, censebiturne consentire vxoris adulterio, & consequenter propter adulterorum compensationem, cadere à lute divertendi?

9. Respondeo: Sanch. *l.c. d.* 6. Pont. *lib.* 9. *c.* 17. n. G. Hurt. *d.* 11. *diff.* 3. *n.* 12. aliíque citantes aliquos hæc tenent, non cadere, quia id non est consentire in adulterium, sed solùm occasionem remotam adulterii dare. Excipiunt, nisi animo, ut mulier fornicetur, eam videat; nam tunc jam consentiret adulterio, & consequenter à suo jure divertendi caderet.

10. At S. Thom. Aug. Covar. aliique apud Averl. *c. v. At ex opposito*, citantes, & ipsi quoddam ius, sibi cadere, quia cùm conjux sufficienter tunc sit consolatus injuriarum, videtur etiam esse causa, vnde adulterium sequatur; quare non debet ex sua malitia ejusmodi vsque commodum reportare, & jus divertendi retinere.

11. Mihi videtur excipienda distinctio Averl. *ex Cohærenter*, nam illæ injuriæ, si solitariè sumantur, non sint in alio genere ab adulterio, non sufficiunt, non ob citum quidem consensum, quando vir rationabiliter prævidet, vxorem fornicaturam; at quando prævidet ut certè prævidere debet, quia aliquo modo subhibet hujusmodi fornicatione vxoris, & tamen ab injuria non desistit, cùm certò desistere obligetur, tunc à ius Iure se separandi meritò excidet, quia cùm sine non ipse coram habere debeat, si ea, tam gravi incommodo sexui fragili afferat, jam sufficientem causam dat adulterii, & consequenter tacitè consentire, censebitur.

12. Atque ex data distinctione, Textus, quæ vtraque sententia, satis conciliari poterunt.

### *Adulterium materiale, id est, vacans culpa adulterii.*

13. Tertius casus: Quando adulterium vacat ab adulterii culpâ, jus divertendi alteri conjugi non tribuit. Meritò quidem, quia non est plectendus quis pœna indicta, seu conjuncta ejusmodi delicto sine culpa; sed vera culpa talis delicti. Exempla sunt, si conjux fornicatur, prudenter putans suum conjugem objisse, aut ignorantiam invincibilem, credens quis hanc esse sua ad illam accedat; si per vim omninò absolutam cogatur conjux adulterium committere, &c. in his enim, & similibus casibus, cùm sit involuntaria ratio adulterii, destructionem, quæ ex formali adulterio consequitur, habet conjugem æquum non est.

14. Quid, si per metum gravem?

Respondeo: Sylvester, aliique, & eos citans Averl. *d. q.* 23. *sect.* 3. *v. Tertiò*, dicunt, adulterium ex metu grauium non dare alteri divertendi jus, quia, ad hunc effectum non est perinde, ac si adfuisset vis, & absoluta coactio, sed est perinde, ac si adfuisset vis, & absoluta coactio, sed dem metus tanti mali excusare debet à pœna, de qua agimus.

15. Verùm, Sanch. Coninch. Rebell. quos citat, sequitur túrque Gasp Hurt. *d.* 11. *matr. diff.* 3. docet, dare jus divertendi, quia metus voluntarium per se, & absolutè tendi, quia metus voluntarium per se, & absolutè, nisi que culpam non tollit. Vtrumque probabiliter dicitur esse, judico.

*Remissum fuisse adulterium.*

16. Quartus casus. Quando innocens conjux, (v.g. Vir remisit culpam adulterii jam commissi ab vxore) non potest amplius ab illa divertere, quia injuria semel condonata non reviviscit. Quòd si post remissum vnum adulterium, conjux incidat in aliud; tunc enim verò poterit alter divertere, quia remissio illa non poterat se extendere ad futura.

17. Remissio autem hæc fiet, vel expressè, si conjux externè dicat, se remittere, vel tacitè, si idem conjux conscius adulterii, ex animo remittendi admittat adulterii reum, sive ad copulam, sive ad oscula, sive ad amplexus, &c. quia, sic, jam illam tractat vt vxorem: ita Sanch. *lib.* 10. *matrim. disp.* 14. *n.* 18. & 19. Castropal. *disp.* 3. *de sponsal.* 6. §. 2. *n.* 4. aliique.

18. Inquires: Si conjax solo animo condonet adulterium conjugi, vnde hic eadem conditionem nondum acceptaverit, poteritne deinde animum, mutans retractare condonationem, & divortium celebrare?

Respondeo, non posse, probat Sanch. *ibidem*, quia ad hanc condonationem, quæ non est, nisi cessio Iuris proprii, ut firma sit, non requiritur alterius acceptatio: statim enim, ac existit jam remissum est delictum, quod reviviscere amplius non potest.

19. Quid, si vxor, v. g. admittat quidem virum suum, qui adulteravit, sed animo non remittendi illi adulterium?

Respondeo cum Sanch. *l.* 10. *matr. d.* 14. *num.* 30. in hoc casu non posse amplius vxorem divortium petere in foro externo, qui illa admissio, probat apud Iudicem, qui animum internum non novit, remissionem. At verò coram Deo, cùm hæc non sit vera remissio, dico, conjugem in foro conscientiæ Ius suum divertendi non amittere.

20. Idem esse dicendum, si dicta vxor admittat virum, nec habens animum remittendi, nec habens animum non remittendi, quia tunc verè non remittit, docet Aversa. *quæst.* 13. *matrim. sect.* 8. *v. Sextò præterea*, contra Sanch. *lib.* 10. *matrim. disp.* 14. *dicto num.* 30. *fine*, dicentem tunc remittere.

*Periculum incontinentiæ in Innocente.*

21. Quintus casus: Si vir v. g. Innocens divertere valens ab vxore adulterante, experiatur, se sine vxore facilè labi contra castitatem, licèt ex vi adulterii vxoris Ius habeat ad divertendum, tamen illud impediri à damno proprio spirituali, rectè monet Pont. *lib.* 9. *c.* 17. *num.* 4. quia tunc prævalere debet salus spiritualis.

## §. IV. *An possit Innocens adulterum non repellere?*

1. DIximus hactenus, posse Innocentem divertere, nunc inquiro, an obligetur?

Respondeo, regulariter non obligari, ita Sanch. Castropal. & Gasp. Hurt. mox citandi, quia quilibet juri suo cedere potest; nec aliud caput assignari valet, vnde hæc obligatio oriatur.

2. Dixi (regulariter) nam in aliquo gravissimo casu obligaretur; quando enim dimissio, v.g. vxoris esset apta sine vllo inconveniente ad emendationem dictæ vxoris, quæ, si non esset dimissa, perseveraret in peccato, vel, quando dicta dimissio esset apta ad delendum scandalum, quod habent Populi de viro, quasi is patrocinetur adulterio vxoris, & eadem dimissio esset non valdè incommoda ipsi viro, essétque item vnicum medium sufficiens ad dictam emendationem ponendam, vel ad dictum scandalum amovendum, quando, inquam, adessent hæc, obligaretur Innocens divertere, ut fusè habent Sanchez *lib.* 10. *d.* 13. G. Hurt. *n.* 11. *diff.* 4. Coninch. *d.* 35. *dub.* 3. aliique.

## §. V. *Quænam certitudo adulterii requiritur ad divertendum?*

1. CVm conjuges sint in possessione maritalis conjunctionis, non possunt ab ea per divortium deturbari, nisi adsit certitudo causæ, seu delicti divortium inducentis. Hinc non satis est, quòd alter dubitet, vel probabiliter suspicetur de alterius delicto, ut illum dimittat; Regula enim generalis, *alibi* allata est, neminem posse à suæ rei vel juris possessione dejici, nisi certò moraliter constet titulus, unde ejici possit ab illa: & ita docent in nostro casu de divortio omnes DD. ut testatur Castropal. *d.* 3. *p.* 6. §. 4. *n.* 7. & colligitur *ex c. ex parte, de sponsalib.*

2. Si quando ergo in alio Textu, *cap. Dixit Dominus* 32. *q.* 1. dicitur dimitti posse vxorem ob suspicionem fornicationis, intelligitur; ob suspicionem violentam; & in sententia probabili Farinacii, aliorúmque apud Castropal. *l. c. n.* 8. *fine*, ob suspicionem vehementem, ex qua fieri rem moraliter certam, idem Farinacius putat.

3. Si inquiras, quoad effectum divortii (nam quoad alios effectus, qui ad nos nunc pertinent, vide citatos) quænam conjecturæ, seu probationes certitudinem hanc moralem faciant de adulterio commisso?

4. Respondeo, certum esse, eas, quæ, si in judicio exhiberentur ad probationem adulterii, illud ibi sufficienter probarent, sufficere etiam, ut illud privatim constet, sed descendendo magis ad signa particularia, Dico, quando adulter publicè moratur in domo adulteræ, seu contrà, vel, quando extant filii ex adulterio, vel, quando extat suspicio violenta, ut, si fuerit inventus nudus cum nuda, vel solus cum sola in eodem toto, certitudo moralis delicti est.

5. Oscula, & amplexus sola non sufficiunt ad moralem certitudinem de adulterio, sufficiunt autem adminiculata cum aliis conjecturis, v.g. à tempore, à loco, à mora, putà, si ea fuerunt in loco secreto, & tempore apto ad delictum, vel quid simile.

6. Amatoriæ litteræ dumtaxat, non sufficiunt; at, si in iis mentio fiat de copula habita, planè sufficiunt.

7. Confessio propria seriò facta item sufficit, non verò facta ad se jactandum; id, quod à circumstantiis colligi à prudenti debet, quæ jactantia potest etiam esse *in præced. num.*

8. Dictum alicujus testantis adulterium vel testantis indicia violenta de illo, non sufficit, nisi sit dictum fide dignissimi, vel plurium fide dignorum. Hæc sparsim apud Sanch. *lib.* 10. *matr. d.* 12. Castropal. *l. c. num.* 8. Mascardum *de probation. conc.* 58. & 64. Aversa. *quæst.* 13. *matr. sect.* 2. *v. Admonent*, aliósque.

9. Huc denique facit casus sequens: Berta est certò adultera, sed ejus vir, Titius nescit id certò, solum enim de vxoris adulterio subdubitat: ex, quo motus, (sanè insufficienter ex dictis) eam deseruit, quæro, an Berta possit cogere Titium ad se cum cohabitandum, & ad non negandum tori commercium?

10. Respondeo, Sanchez, & Coninch. apud G. Hurt. *disp. matr. diff.* 7. aiunt, posse, quia separatio est pœna vxori infligenda; donec Titius certò sciat delictum, eam pœnam infligere justè nequit. Si ergo nondum Berta à suo Iure cohabitandi, & conversandi cum suo viro dejecta est, illum ad se revocare poterit.

11. Ad idem Hurtadus *l. c.* citans Rebellium, & Cajetanum meritò ait, non posse, quia cùm ipsa certò fregerit viro fidem, jam cecidit à Iure exposcendi sibi fidem; Divortium enim verè non est pœna, sed quasi effectus necessariò sequens ad fidei fractionem, sine Iure autem virum cogere ad secum habitandum valet vxor.

## §. VI. *An auctoritate propria fieri possit Divortium, ob adulterium?*

1. NOn ignoro, nobiles aliquos Doctores, ut Pont. *lib.* 9. *c.* 18. Aversa. *l. c. v. Explicatur*, docere, etiam-

si certò scias tui conjugis adulterium, non posse eum à toto, & cohabitatione depellere, nisi accedat Iudicis sententia.

2. Sed hæc ignoro, alios, vt Sanch. *l.*10. *matr. d.*12. *n.*31. Castrop. *l.*3. *de sponsp.*6. §.4. *n.*2. Leandr. *d.*26. *matr. q.*40. & 41. non minùs nobiles, velle contrarium, scilicet te sciente conjugis adulterium posse, nulla præcedente sententia, ab illo divertere: secluso tamen scandalo, sive adulterium sit publicum, sive occultum, sive ex causa adulterii, sive ex aliis causis pro temporali divortio mox explicandis.

3. Me cum his posterioribus sentire cogit ratio duplex. Prima, quia in sacro Textu *cap. Dixit Dominus* 32. *q.*2. *n.*2. dicitur: *Vbicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio* (sanè violenta, ut modò dixi) *liberè dimittatur vxor.* Nota illud, (*liberè*) quæ enim esset tua libertas, si tibi judex esset implorandus? Secunda, quia, ut toties dictum est, frangenti fidem, fides non est servanda in omnibus contractibus civilibus, etiam auctoritate propria & in foro conscientiæ; ergo, & in casu nostro, cùm ius divertendi, ut modò indicavimus, non sit pœna à Iudice infligenda; illam enim solùm ipse declaret, sed est quasi effectus necessariò procedens à fide non servata. Addam, & rationem tertiam ductam ab exemplo Sancti Ioseph, volentis propria auctoritate relinquere Sanctissimam Virginem, ut probat Maldonatus, *in primum c. Matth.*

4. At in Sacris Canonibus vetatur, fieri divortium absque auctoritate Iudicis?

Respondeo falsum id esse, & aliquibus Textibus, qui de hac re circunferuntur, aptè respondet Castropal. *loc. cit.*

5. Dictum autem est (secluso scandalo) quod certè evitabitur, si conjux simulando graves causas abeat in loca longinqua, vbi ejus Matrimonium ignoratur.

6. Quæres, Estne alius modus vitandi ejusmodi scandalum?

Respondeo, apud Doctores hunc modum passim lego; certè puto, id dici loco exempli: quare, si aliud occurrat, illo vtere. Ego sanè tanquam modum sufficientem approbarem, si conjuges per aptam æquivocationem simularent, se velle communi consensu castitatem servare vel quid simile, quod amovere posset à Fidelibus suspicionem delicti, si quando est occultum, in altero conjuge, & quo tolleretur aliis ansa deferendi conjuges sine causa.

De simili scandalo fugiendo, vide Castropal. *tract.*16. *disp.*2. *p.*7. *num.*6. (quem sequitur Gibalinus *de Clausura, disp.*2. *cap.*11. *num.*55. *fol. mihi* 135.) Qui Castropalaus, cum dixisset, si quis absque gravi difficultate non potest probare nullitatem veram suæ professionis, posse ipsum fugere à Religione, &c. sic addit: *Limitant hæc Lessius Sanchez, Suarez, nisi oriatur scandalum, Sed rarò, vel numquam ex tali fuga orietur scandalum sub obligatione vitandum: tum quia rarò inde sumunt alii occasionem fugiendi absque legitima causa, tum quia ipse legitimè fugiens vtitur jure suo, à quo vsu sine gravi damno abstinere non potes*, &c. Hæc ille.

Quid si nullitatem probare absque difficultate possem? Respondet *ibidem* Castropalaus, te sub mortali fugere, antequam probes, non posse. Posse adhuc sine mortali, dicit Gibalinus, *loco citato*, idque propter rationes jam dictas, quæ videntur etiam hic militare. Vterque tamen convenit, posito, quod fugerit, esto, peccaverit, non teneri ad religionem reverti. Porrò prædictam doctrinam casui nostro aptare, tu ipse facili negotio, Lector, potes.

7. Si conjux ob adulterium occultum relictus, querelam apud Iudicem deponat, se injustè relictum esse, qua ratione se gerere debeat conjux alter, qui justè eum deseruit, & similia multa, quæ pertinent ad forum externum, legi poterunt apud citatos.

8. Illud hîc ne te prætereat, convenire omnes, conjugem adulterum obligari ad reconciliationem cum conjuge innocente, quandocunque innocens velit, si facta fit auctoritate propria; At, si facta fit auctoritate Iudicis, non omnes Doctores in eadem esse sententia. Nam aliqui apud Sanch. *lib.*10. *matrim. disp.* & 10. tenent, si innocens acceptavit sententiam divortio, ipsum adulterum non obligari amplius ad conciliationem; vnde posse, innocente invito, sacros suscipere, Religionem profiteri, cælibem in sæculo, &c. quia innocens per acceptationem sententiæ de divortio, remittit mutuam societatem, ad quam alius obligabatur. Alii tamen, ut Sanch. *loc. cit.* Pal. *disp.*2. *de sponsp.* 6. §.7. *n.*1. alios citantes, tenent ipsum adulterum per se obligari ad reconciliationem, neque posse prædictos status erigere, dum subest reconciliationis spes, de qua spe mox *inf. n.*§.7. *n.*7. dicemus simili. Ratio est, quia sententia de divortio, cùm sit declaratio Iuris, non potest plus concedere quàm ipsa naturæ concedit, at de Iure naturæ adulterium solo eximit adulterum à sua obligatione manendo in sua; secùs ex delicto, commodum reportante, ut patet. Illud autem, quòd dicitur, innocentem per acceptationem sententiæ remittere mutuam societatem, falsum omninò est; quia gratis dicitur.

9. Hæc posterior sententia est omninò exulans priorem vocat non improbabilem *loco cit.* Castropal. mihi, pace tanti viri, videtur ob rationes modò dictas improbabilis.

Dixi autem (*per se obligari*) nam quando maximum periculum esset, ne ipse conjux, quamvis alius non occideretur, vel iniquè, crudelitérve tractaretur à conjuges innocentem rediret, sanè non obligaretur. Castropal. *l.c. num.*3. sed id per accidens est, ex illo licet capite, quòd mutua societas conjugum maximè censetur, fuisse promissa cum tanto periculo, vide Castropal. *l.c. num.*3.

## §. VII. *Causa celebrandi Divortium ad tempus.*

1. EAs generatim ad vnam causam damni grauis deduci, vel in specie ad tres, putà ad hæresim, ad solicitationem ad peccandum, & ad sævitiam nuper dictam §.1. *n.*3. Dixi item, has tres causas inducere separationem conjugum ad illud dumtaxat tempus, quo illa durat, ibidémque hujus doctrinæ rationem breviter, quam fuit satis, indicavi. Nunc ergo aliquid de singulis, vel explicatu dignum, superaddamus.

### PRIMA CAVSA. *Hæresis.*

2. Cùm ratio, cur propter hæresim, & prout Apostasiam à fide (quam spirituale adulterium appellare consueuimus) separari possit conjux, sit ne cum habitatione cum hæretico, alter periculum subeat perversionis, prolésque malè educetur, ideo, etiamsi in quo peculiari eventu hoc periculum non esset, non propterea Catholicus divertere vetabitur: satis enim est, si periculum adsit, plurimum. Nomine autem hæresis intellige veram, & pertinacem, quâ scilicet hæreticus correctionem non admittat, seu illam admittere prout non sit.

3. Hîc autem nota, quamvis non omnes conveniant posse propria auctoritate fieri divortium ob adulterium carnale, ut §. *præced.* vidimus, omnes tamen convenire posse ob adulterium hoc spirituale. Ratio forsan est, quia id ab ipso jure conceditur, vel, quia in hoc magnum est periculum contagii. Ita Sanchez, *lib.*10. *matr. d.*5. *num.*6.

4. Adde conjugem separari non solùm posse à conjuge hæretico, verùm etiam obligari secundùm Castropal. *d.*3. *matr. p.*6. §.8. *n.*2. citantem Sanch. Coninch Layman. quando re ipsa dictum periculum adsit, quia conjux tenetur, saltem gravissimum hoc infidelitatis periculum vitare

vitare. Benigniùs loquitur Castropal. credit enim tunc esse hanc obligationem, quando duo concurrunt, putà, quando conjux hæreticus Catholicum niteretur pervertere, & quando gravissimum esset periculum assentiendi. Ipsum lege. Si ejusmodi periculum non sit, imò adsit spes conversionis dicti Hæretici, posse Catholicum, si velit cum eo habitare, meritò sustinet Aversa. *q.23. matr. sect.9.v.Secundò.*

5. Quòd autem in adulterio spirituali viriusque conjugis non detur compensatio delictorum (sicuti dari diximus in adulterio carnali) nec in spirituali vnius cum carnali alterius juvat breviter meminisse, nam cæterum latè id prosequitur Sanch. *lib.10.matr.d.16.* & brevius Castropal. *loc.cit.n.8.* quibus adde Pont. *lib.9. c.22. n.6.* Aversam *q.23.matr.sect.9.v.Pontius.*

*De Hæretico emendato.*

6. Inquires autem primò, Hæreticum emendatum admitterene conjux Catholicus obligatur?

Respondeo, conveniunt Doctores communiter obligari, si divortium ex hæresi, imò etiam ex aliis prædictis duabus causis factum fuit auctoritate privata sine Iudicis ministerio; At, si fuit factum post Iudicis sententiam, sive condemnantis conjugem de hæresi, sive de divortio, iidem Doctores non conveniunt. Plures enim apud Sanchez *lib.10. matrim.d.15. num.18.* putant, adesse etiam tum obligationem in Catholico admittendi hæreticum emendatum, & solùm hanc obligationem non adesse, quando ipse Catholicus vellet in Religionem ingredi: id enim (aiunt) deducitur ex sacro Textu. At absolutè non adesse ejusmodi obligationem; unde absolutè dictum conjugem Catholicum posse, sive manere in sæculo cum perpetuo divortio, sive Ordines sacros suscipere, sive multò magis Religionem profiteri, meritò putant Sanch. *l.c.* Castr. *l.c.n.5.* Aversa. *q.23. sect.9.vers. Concedendum*, aliique. Ratio non ducitur ex natura hæresis, nec ex natura sententiæ (quod addo propter *dicta n.7.* & 8.) Sed quia Ecclesia in odium ipsius hæretici, hanc potestatem concessit Catholico, cujus concessionis jura iidem expendunt, & contraria solvunt. Addit tamen Castrop. *loc.cit.n.4.* consilium optimum sæpè esse, ut Catholicus respiscentem hæreticum quomodocunque damnatum recipiat propter bonum pacis, & propter charitatem, quam conjugi jam emendato alter conjux debet.

7. Atque hæc de potestate, quam habet conjux Catholicus. Verum, hæreticus, quamvis emendatus potestatem ad vtrumlibet non habet, sed obligatur reconciliari cum suo conjuge, si hic velit. Quare, si quem ex illis statibus, sacri Ordinis, vel Religionis, vel voti simplicis castitatis, eligere cupiat, (cupiat, inquam, nam ad illas non obligatur) id exequi non poterit sine consensu sui conjugis, sive expresso, sive tacito, qualis esset, si ex circumstantiis apparet, non esse spem reconciliationis, vel, si conjux sæpius ab emendato requisitus illum admittere respuerit, censetur enim tunc dare licentiam perpetuæ separationis.

8. Admoneo tamen primo, ad electionem talium statuum debere accedere auctoritatem Iudicis, ne suscepto Ordine, vel Religione emergant lites, &c.

9. Admoneo secundò, Votum imperfectum castitatis simplicis, id est, de non petendo debitum, posse à prædicto conjuge, secundùm Pont. *lib.8.c.11. num.4.* ut à quocunque alio, emitti sine alterius conjugis consensu, abstrahendo ab alio inconveniente, & à periculo non servandi votum, quia sic non præjudicatur vxori, sed sibi ipsi dumtaxat.

## SECVNDA CAVSA.

*Sollicitatio, seu inductio ad peccandum.*

10. In hac causa notant Doctores, debere admoneri conjugem, ut desistat à sollicitando, & tunc demum, eo non desistente, posse alterum, etiam propria auctoritate, divertere pro tempore, pro quo timetur rationabiliter similis sollicitatio, consulatur item aliorum scandalo, quantùm fieri rationabiliter potest, ne scilicet infamia notentur conjuges, vel ansa detur aliis suos conjuges deserendi.

11. Ex hoc ergo capite licitum est vxori, divertere à viro, qui lenocinium exercet, vel in domum introducit eos, qui vxorem sollicitent, vel eandem cogit ad furta tegenda, & simulanda, vel, ut pellicem foveat, vel ipse conjux sit veneficus; ex consortio enim dæmonis grave animæ, imò, & corporis malum meritò sibi alter timere debet. Lege Castr. *l.c.§.9.n.1.* & 2. G. Hurt. *d.11. diff.5.* Sanch. *lib.10. matr.d.17.* & 18.

12. Transacto autem periculo ejusmodi sollicitationis, ut, si, v.g. mortuus jam fuerit juvenis, in cujus gratiam leno erat tuus vir, nec aliud periculum prudenter timeas, obligari te ad ipsum tuum virum redire (quantum est ex hoc capite) dubitandum non est.

## TERTIA CAVSA.

*Sævitia Conjugis.*

13. Sævitia profectò non levis, sed tanta, ut grave malum, seu damnum ex illa immineat vxori à viro, quod solet esse frequentius, vel viro ab vxore, quod solet evenire rarius, dat ex Iure *C. Ex lit. de divortio*, causam divertendi pro tempore, quo illud periculum durat. Censetur etiam ad hunc effectum sævitia contra conjugem ea, quæ fit contra ejus conjunctos, ut filios, vel parentes necessariò in eadem manentes domo, &, etiam si malum, quamvis non timeatur ab ipso conjuge, timeatur tamen ab ipsius conjunctis, v.g. ab alterius parentibus in eadem domo pariter manentibus, ut notant Aversa. *q.23. matrim. sect.10.v.Rursus.*

14. Ad hoc caput pertinet periculum cujuscunque alterius mali gravis, vt, si conjux sit ita furiosus, ebrius, malo contagioso affectus, ut inde grave damnum vxori immineat. Ex dictis deducitur (ait Leander *d.26. matr. quæst.46.* justam divortii causam esse.) *Quòd vir gladium apposuerit ad collum vxoris, animo illam occidendi, vel faciendi, quod alter conjux alteri per venenum, vel per maleficia, vel alio modo insidias vitæ paraverit, Quòd vir graviter, & atrociter vxorem percusserit, sive id fecerit gladio, sive hasta, in capite, facie, oculo, aut in pectore, aut in manibus, Quòd vir vxorem acriter, & immoderatè, excedendo levem correctionem viro permissam, verberaverit*; Hæc ille, cui adde Aversa. *loc.cit. v. Non sufficit timor*, qui ex Henriquez, & Sanchez docet, hujus generis censeri nimis molestam cohabitationem convitiis, & frequentibus jurgiis obnoxiam. Intelliguntur autem hæc afferre potestatem divertendi pro tempore, quo pericula prædicta non cessent. Quòd si nunquam cessare prudenti, & morali certitudine judicabuntur, sanè perpetuum tunc erit divortium.

15. Porrò, prædictæ sævitiæ, vel damni periculum ita (dum periculum durat) potestatem se separandi dat conjugi, ut separationem exequi is possit auctoritate propria, tum, quia de Iure naturæ est, vitare malum grave, tum, quia hîc regulariter periculum est in mora, si deberet expectari ministerium Iudicis. Cæterùm, quando afferret scandalum separatio, & periculum in mora non esset accedere debere Iudicis auctoritatem, certum sit. Ita intelligenda sunt alia jura, ne sint contraria *dicto cap. Ad litteras.* Lege Pont. *lib.9.cap.23.n.7.* & Sanchez *lib.10.matr. d.18. n.3.*

An possit à viro expelli à cohabitatione conjux, solùm ex eo capite, quòd dotem ipsa non solverit, huc reduci posset. Verùm, de hac re *lib.5. in Decal. cap.3.§.3. num.4.* actum est à me satis.

## §. VIII. *De Effectibus Divortij ex Adulterio.*

### PRIMVS EFFECTVS.

*Potestas suscipiendi novum vitæ statum.*

1. PRimus Divortii, celebrati propter adulterium, effectus est, concedere liberam facultatem innocenti eligendi statum vitæ, quem ipse velit, sive per susceptionem Ordinis sacri, sive per professionem in Religione, sive per Votum simplex Castitatis in sæculo: Aliud matrimonium inire, nequaquam conceditur, quia vinculum prioris matrimonii, vivente conjuge, cum quo consummatum est matrimonium, semper, ut toties dictum est, perseverat.

2. Prædictum Privilegium est conjugis innocentis; nam conjux nocens debebit expectare, ut eligere possit (quando liberè volet, non enim obligatur) aliquem ex dictis vitæ statibus, donec non sit ampliùs spes reconciliationis, juxta dicta, *suprà §.6.num.7.& §.7.n.7.* vel donec ipse conjux innocens consentiat, de quo consensu *infrà* disputabimus *cap.4.*

*Conjux innocens, ut status prædictos suscipiat, an egeat sententia de Divortio?*

3. Circa prædictam communem doctrinam quatuor sunt quæstiones dissolvendæ. Prima: An, ut Innocens statum aliquem ex illis suscipiat requiratur, divortium fuisse per sententiam Iudicis celebratum; An verò sufficiat factum auctoritate propria, stante adulterio moraliter certo; sive notorio, sive occulto.

4. Respondeo: Si quæras de susceptione valida, & licita, dico, cum Sanch. *lib.10. matr.d.11. à num.12.* & Castropal. *d.3. de sponsp.6 §.6. num.3.* aliisque communiter, innocentem, non solùm validè, sed etiam licitè status illos suscipere, quando sententia Iudicis præcessit. Ratio est manifesta, quia ex vna parte adulter omnino amisit jus cohabitationis cum innocente, ex alia per sententiam Iudicis satisfit omni incommodo, quod oriri possit ex assumptione illorum statuum, ut mox clariùs patebit.

5. Si autem quæras de susceptione, dumtaxat valida, Dico, validè suscipi illos status ab innocente, etiamsi non præcesserit sententia Iudicis; imò etiamsi adulterium fuerit occultum, & non notorium, dummodo certum fuerit. Ratio est modò dicta quia jam totum jus cohabitandi amisit adulter, idque in perpetuum; ergo cùm nullum alterius jus ipsi obsistere possit, valebit statum vitæ, quem velit eligere.

6. Sed quid? Eligétne tunc licitè?

Respondeo, nequaquam, sed illicitè, & quidem mortaliter, ut expressè habet *ibid.* Castropal. nisi licentiam obtineat à conjuge, quamvis nocente. Ratio est, quia conjux quamvis nocens, separatus ante sententiam, & spoliatus suo conjuge, debebit restitui in sua possessione, quandocunque restitutionem sui dicti conjugis petat: non solùm, quando adulterium fuit occultum, verùm etiam in sententia probabili, quando fuit notorium: Et hujus rei ratio vlterior est, quia, antequam procedatur ad probationes, ob quas debebit ferri definitiva sententia debet illi, qui sua re spoliatus fuit, eadem restitui: at sanè hæc restitutio in casu nostro esset grave damnum Religionis, & scandalum proximorum. Ita Sanch. Castr. citati, & Aversa *q.23.s.8.v. Quarò.*

*Quid, si sententia de Divortio processit ex errore.*

7. Secunda quæstio: Quid fiat, si sententia divortii, sive postea, sive antea, quàm innocentis statum aliquem ex dictis susceperit, appareat fuisse falsa?

Respondeo: Debebit, ut vult Sanch. *lib.10. matrim. d.9.num.9.* Pont. *lib.9.c.20.n.2.* Castr. *l.c.n.6.* restitui alteri conjugi, quia ligamen matrimonii, vtpotè jus jam legitimè quæsitum, semper evincere debet quidlibet aliud subsequens. Et ex alia parte, Ecclesia nunquam præsumitur, velle persistere in sententia, quæ inveniatur [illegible] adeo injusta.

*Quid, si innocens, post sententiam de Divortio [illegible] ipse in adulterium.*

8. Tertia quæstio; Quid, si postquam [illegible] elegit innocens, incidat in adulterium, etiam [illegible] compensandi cum adulterio alterius, ita ut ipse [illegible] tuendus conjugi, tametsi sacros Ordines susceperit professionem solemnem emiserit?

9. Respondeo: Castropal. *d.3.p.6.§.6.num.11.* Pont. Mol. Coninch. aliósque, probare contendo, restituendum conjugi. Ratio principalior est, quia non apparet, vndè non debeat fieri compensatio delictorum, perinde, ac fieri debere, eorum est adulterium antea committatur; æque enim frangitur lex matrimonii, cujus vinculum semper remanet, vivente naturaliter conjuge.

10. At Sanch. *l.c.n.30.* Henriq. aliique cit. D. N. distinguit; Quando enim (ait) sententia abiit in rem judicatam, scilicet, quando elapsum est tempus ampliationis, vel similis remedii, non est conjux prædictus innocens in adulterium restituendus alteri, nec sunt [illegible] ea adulteria capacia mutuæ compensationis? Et [illegible] restituendus, & adulteria illa sunt compensanda [illegible] do sententia non abiit in rem judicatam, vel, quia dicta sententia lata fuit contra Minorem, v.g. qui [illegible] vti beneficio restitutionis in integrum. Ratio est (inquit Sanch.) quia, quod semel bene definitum est, non [illegible] tractandum. Audit hoc Castropal. respondetque, [illegible] semel bene definitum est, non esse quidem retractandum ex causis, ex quibus definitum est, retractari cæpit; sed ex nova causa superveniente, ut est in casu nostro: nam tunc illa sententia non erit propriè prioris sententiæ retractatio, sed novæ causæ decisio.

11. Prefectò hæc (quæ certe in vtramque partem [illegible] probabilia) latiùs prosequi, necesse non est. Legant Castropalaus, & Sanch. cit. Illud ego moneo, Episcopos, & Prælatos cautè in iis admittendis ad Ordines, ac Professionem Religiosam, præsertim quando [illegible] nes, debere procedere, ne fortè cogantur, [illegible] prædictum, aliquando restituere; nam propterea, [illegible] ctore nunquam eos sine consensu alterius [illegible] professionem, vel sacros Ordines admittant.

*An legitimè quis separatus ab vxore possit dicere, se non esse conjugatum?*

12. Quarta quæstio: An peccet conjux [illegible] tus ab alio, si volens suscipere Ordines sacros, aut Religionem, interrogatus ab Episcopo, vel Prælato negat esse conjugatum?

Respondeo: Sanch. *dist.11.num.14.* ait, non peccare, præscindendo ab alio damno: quia (inquit) cum dicto æquivocatione non mentitur, & ex alio capite peccat, est in ordine ad Ordines, vel Religionem, esse desperatum, ac si conjugatus non esset. Contrà, Navarrus, Sanch. *l.c.* putat hunc peccare, & invalidè profiteri, quando Prælatus eo animo esset, vt eum non admitteret, si conjugatus esset.

13. Equidem, nec Navarro quoad illud (inualidè) [illegible] tior, nec absolutè assentior San. Non Navarro, quia [illegible] in Religione adsit statutum irritans, vel expresse [illegible] sit sub conditione carétiæ conjugij, valet profe[illegible] sertè docet idem Sanch. ad irritam enim reddendam [illegible] fessionem, non sufficit voluntas habitualis (mò ex Aver. *q.23. matr. sect.8.v. Secundò*, nec statutú merè prohibens; sic enim invalida esset professio juvenis obtenti ingressu, quia, si id noverisset Prælatus, certò non admisisset. Non assentior Sanch. quia semper est damnum notabile Religionis admittere conjugatú cum periculo, ne si res [illegible] tefiat, turbetur Religio, quæ in re tam gravi merito [illegible] esse debet; quare semper aderit peccatum in hujusmodi conjuge negante, imò non patefaciente suum conjugium, ita Aversa, *loco citato*, Adde, valdè inconsultum [illegible]

fortè Religioni; habere sine suo consensu obligationem, seu, saltem dubium (propter varias opiniones suprà dictas) de obligatione reddendi coniugem suæ uxori, si fortè is adulterium committat.

## SECVNDVS EFFECTVS,

### *Divortii ex Adulterio.*

### *Libertas non restituendi dotem, & præstationis alimentorum.*

14. Secundus Divortii perpetui (de quo loquimur) effectus est, dare potestatem innocenti viro, ne obligetur dotem reddere uxori expulsæ ob adulterium. Verùm, id explicatiùs afferemus.

Si loquamur post sententiam, qua privet Iudex adulteram sua dote (ut certè privare debebit) omnes consentiunt, iustè tunc sibi illam retineri ab innocente viro: at ante sententiam, non conveniunt omnes.

15. Nam non posse eam retineri à dicto viro innocente, saltem ante sententiam Iudicis declaratoriam delicti uxoris, existimat Castropal. *disp.3.de sponsa.p.6.§.5.n.7.* quia amissio dotis est vera pœna, ad quam nullus tenetur, nisi post sententiam; Vnde uxor, quamvis nocens, donec sententia accedat, ea gaudere debebit, si eam habeat; vel, si eam non habeat, petere eam iustè poterit, petit enim rem suam. Quare eam ipsi reddere debebit vir, quamvis innocens. Solùm ergo vir hic innocens implorare Iudicem poterit, & post ejus sententiam, dotem eam sibi, vel repetere, vel retinere.

16. Contrà, posse eam ab innocente retineri, etiam ante sententiam Iudicis, censet Sanch. *d.8.n.13.* quia, is, cui competit exceptio, ne aliquid solvere cogatur, habet Ius illud retinendi, tum in foro fori, tum in foro poli: at Maritus habet Ius se opponendi contra uxorem adulteram volentem repetere suam dotem; ergo potest illam sibi retinere: Minor probatur, quia potest opponere delictum adulterii.

17. Verùm, Castropalaus replicat, negando hanc Minorem. Maritus enim (ait) non habet Ius retinendi dotem absolutè, si quidem Maritus, quamvis habeat Ius opponendi uxori relictum, non tamen habet Ius retinendi dotem, nisi media sententia de patrato delicto.

18. Vides utramque sententiam esse probabilem? Sanch. enim probabiliter dicit, Maritum habere Ius retinendi, etiam ante sententiam, quia ante illam habet Ius se opponendi, quod Castropalaus probabiliter negat.

### *An vir innocens alimenta adulterâ præstare teneatur?*

19. Quid de alimentis? Obligatúrne coniux innocens illa subministrare uxori expulsæ propter adulterium?

Respondeo, in meliori sententia non obligabitur in foro conscientiæ, quia propter adulterium consortis, à debito omni solutus est coniux. Ita Sanch. *lib.10. matr. d.8.à num.25.* Castropal. *l.c.num.5.* Farin. *t.4.q.143.n.41. & 42.* Præterea, nec in casu litis, expensas litis contribuere uxori adulteræ, si certum est adulterium, obligabitur innocens coniux, & ratio est eadem, quia ab omni debito propter adulterium coniugis, liberatur coniux. Alter. An autem in foro fori obligetur, vide apud citatos. Verùm, coniux nocens debebit innocenti tradere alimenta, ut item expensas litis, si fortè hic innocens adulterium alterius probare intendat; quia Innocens cadere non debet à Iure suo, quo potest, & alimenta, & litis expensas ab altero exposcere.

20. Propter non dissimilem rationem, si uxor domo fugiat ob timorem, ne malè tractetur à viro suspicante uxoris adulterium, quod verè uxor commisit, ne in foro quidem externo. Ita Farin. *l.c.* Castropal. *l.c. fine*, alimenta illi subministrare tenetur vir, quia scilicet universaliter vir non obligatur alere uxorem fugientem extra domum viri, ipso viro causam recessus non dante.

## TERTIVS EFFECTVS.

### *Divortii ex Adulterio.*

### *Potestas educandi, vel non educandi filios, Remissivè.*

21. Tertius effectus Divortii est, dare potestatem innocenti, ut sine suo onere educentur filii, id quod cùm multis scateat limitationibus, ac distinctionibus non valdè nobis scitu necessariis, magis enim pertinet ad Iurisperitos, videatur apud eosdem, nec tamen omittantur Theologi, ut Sanch. *lib.10. matrim. d.10.* Castropal. *d.3. de sponsa. part.6.§.10.* Layman. *lib.5. tract.10. part.3. cap.7. num.19.*

### §. IX. *De iisdem tribus effectibus Divortii celebratè propter hæresim.*

1. QVamvis Divortium propter hæresim celebratum non pariat ex se, suáque natura primum effectum, quem parit adulterium carnale, non enim datur libera potestas Catholico conjugi assumendi aliquem ex illis statibus, putà Ordinem, Religionem, Votum simplex castitatis, nihilominus, quia parit illum eundem effectum ex institutione, & dispositione Ecclesiæ, ut *suprà §.7.à n.6.* diximus, ideò inde habe ea, quæ essent hic afferenda.

2. Quoad secundum effectum pertinentem ad dotem, sit hæc regula: Si divortium factum est non culpâ vxoris, sed viri, restituendam esse vxori dotem. Si verò factum est, culpâ vxoris, dotem ipsi non esse restituendam. Id quod Castropal. *l.c.n.2.* & Sanch. *lib.10. matr. d.4. n.20. & d.20.n.7.* colligunt ex Iure, *C. plerumque, De Donat. inter virum, & vxorem*, in quo vniversaliter disponitur, ut vxor amittat dotem, vel dotalitium, si ejus culpa divortium fiat. Puto autem Castropalaum intelligere post sententiam, Sanch. etiam antè, eo modo, quo iidem dixerunt in adulterio carnali, quorum placita, nos retulimus, *§. præced. à n.14.*

3. De alimentis idem dic, quod *ibidem* diximus *n.19.*

4. Quoad tertium effectum, id speciale habet divortium ob hæresim, ut filii semper educandi sint apud conjugem Catholicum, idque in favorem fidei, ne scilicet proles erroribus inficiatur. Lege id pluribus apud Sanch. *d.20.à n.4.* aliósque.

### §. X. *De tribus iisdem effectibus adulterii ob sollicitationem ad peccandum, & ob sævitiam.*

1. QVoad primum Effectum, cùm separatio conjugum ex his duabus causis sit ex natura sua temporalis, nemo ex conjugibus statum aliquem ex illis, quo diximus *§ 8.n.1.* assumere potest, nisi mutuus adsit consensus, sicuti prorsus cæteri alii conjuges post consummatum matrimonium, de qua re mox *c.4.*

Expectari igitur debet, si fortè evanescat spes reconciliationis, hac enim evolante, poterunt dicti conjuges eligere novum vitæ statum, eo proportionaliter modo, quo *supra* definitum est.

2. Quoad secundum Effectum sit hæc Regula: Conjux illa, qui aliàs obligatus erat, debebit dotem, & alimenta subministrare ei, qui culpam non dedit separationi, non debebit ei, qui culpam dedit, quæ Regula satis explicata manet ex prædictis, advertendo tamen, tum in his causis, tum in præcedentibus intelligi semper pro tempore, quo actualiter legitimè perseverat separatio.

3. Pontius *lib.9. cap.23. num.12.* censet, quando divortium est factum ob sævitiam vxoris, ipsam non obligari ad restituendam dotem viro innocenti. Ratio est, inquit, quia amissio dotis solùm est adnexa delicto adulterii, vel occasionis Mariti, non autem aliis delictis.

Sed contrà meritò se opponit Castropalaus, *l.c.* § 10. *n.* 2. Nam in sacro Textu, cuictinque delicto, ex quo divortium fit, seu mutua cohabitatio solvitur (sanè pro tempore, quo, ut modò dixi, legitimè durat solutio) amissio dotis annectitur.

5. Quoad tertium effectum, idem dico, quod modò indicavi §. 8. *n.* 21.

## CAPVT IV.

*Occasione prædictorum quærimus, qua ratione Coniuges post consummatum Matrimonium valeant communi consensu mutationem status assumere.*

1. HActenus declaravimus, quandónam in casu delicti alterius coniugis possit alter novum vitæ statum suscipere. In præsentia verò quærimus, quid extra casum delicti?

2. Et quidem, quod mutuo consensu valeant coniuges, etiam post consummatum matrimonium se separare, & vitam cœlibem agere, & certum est, & multi Sancti Veteres nos suo exemplo docuerunt. Verùm, id à coniugibus, præsertim, si sint iuvenes, esse cum magna prudentia, immò, & longa experientia suæ continentiæ præstandum, non est hic, nisi seriò monendum. Legatur Sanchez *l.7. matr. à d.*34. Pont. *l.9. matr. c.*11. aliique.

3. Iam verò discurramus per singulos illos vitæ status *suprà* memoratos, Professionem Religiosam, Ordinis sacri susceptionem, simplicis voti castitatis emissionem.

### §. I. *Quoad Professionem Religiosam sine licentia Coniugis.*

1. NEc licitè, nec validè coniux sine expressa licentia alterius professionem in Religionem emittit, prorsus sicut servus Domino non consentiente. Si tamen sine prædicta licentia emittat, poterit omninò ab altero coniuge repeti, immò ipsemet, relicta Religione, poterit propria auctoritate (gravi scandalo semper prudenter amoto) ad coniugem reverti, & ad hanc revertionem sanè obligabitur, etiamsi coniux alterius ingressui non consentiens, nequaquam positivè revocet. Ratio est, quia ex una parte id requirit iustitia debita coniugi, & ex alia professio fuit nulla: *Ex c.*2. *d.*32. *q.*5. Sanch. *l.7. matr. d.*34. *n.*15. Laym. *l.5. tr.*10. *p.*3. *c.*7. *n.*4. esto, Pontius *l.c. n.*8. teneat, sine sententia Iudicis, causæque discussione non posse hunc professum Religionem deserere.

2. Licentia autem, ut volunt Sanch. Pont. Laym. cum Castropal. *d.*3. *de spons. p.*6. §. 11. *n.*6. *ex c. Veniens, de conver. Coniugatorum*, debet liberè data esse à coniuge. Quare coacta, vel dolo, vel metu extorta non sufficit ad validitatem Professionis.

3. Inquires: Coniux sine licentia alterius factus Professus, si deinde redeat ad uxorem, obligatúrne primò, servare castitatem, quantum potest, v.g. non petendo debitum. Secundò, obligatúrne, mortua uxore, redire ad Religionem.

4. Respondeo ad primum: Si professionem emittens habuit expressum animum castitatem vovendi, etiamsi ad sæculum rediret, certum est, obligari ad servandam, quantum potest, castitatem, & consequenter ad non petendum debitum, nam ad satisfaciendum uxori, satis est, si reddat. Si verò hunc animum expressum non habuit, non obligabitur, quia ex communi more emittendi professionem, semper intelligit profitens, vovere castitatem statui Religioso annexam. Quòd si Pontifex in sacro Textu, *C. Quidam, C. placet, de conversi. coniugat.* dicit hùc coniugem teneri ad id, quod potest, id dicit, tum ex quadam præsumptione, quòd coniugatus animum habuerit servandi castitatem, etiam extra Religionem, tum, ut conjugi proponat id, quod tutius est. Ita Pontius *l.c. matr. c.*11. *n.*4. idémque tenet in simili de prohibente alio capite nulla, Bordonus, *tom.*3. *contr. tr.*8. *q.*3. Sanch. *l.7. matr. d.*34. *num.*2. aliique strictiùs loquentes, quibus adde Dianam *p.*6. *tr.*7. *res.*51.

5. Ad secundum respondeo, certum esse, ut Castropal. *l.c. n.*5. non obligari, neque ad illam Religionem, ubi professus fuerat, redire, neque aliam suscipere, ut forte ad aliquod ex his se obligare expresse intendebat.

Atque hæc de Professione nuncupata sine licentia coniugis; sequitur, ut dicamus de eadem ex alterius consensu.

### *Quoad eandem, cum licentia Conjugis.*

6. Profectò validam esse eam professionem, & rescindendo ab alio inconveniente, per se licitam esse docemus. Sed, quia tunc vinculum matrimonii non dissolvitur, ideo, ii cognosceret vir professus vxorem suam etiam professam, peccaret quidem contra votum, non verò contra iustitiam. Ita Castrop. *d.*2. *de spons. p.*1. quia adhuc illa sua est, si evolaverunt ad Religionem matrimonio consummato.

7. Est autem advertendum id, quod sieri Canon. *cap. Cum sis, c. Vxorat. c. conversi. coniugat.* statuunt circa hanc professionem, ut scilicet neuter coniugum possit Religionem ingredi, nisi vterque ingrediatur, & Religionem quidem Sancti Ioannis sufficere, & ibi reservari, docet Pont. *loc. cit. cap.*12. *num.*5. contra Sanchez, id negantem. Additur tamen in prædictis Textibus, tunc nihilominus virum posse, ut etiam vxor (quicquid contrarium dicat de vxore Hurtado, cum quem agit Castropalaus *loc. cit. num.*9.) Religionem ingredi, remanente altero coniuge in sæculo, quando concurrunt tria.

8. Primò, Vt Conjux relictus in sæculo sit fœmina. Senex autem ad hunc effectum ordinariè erit, si sit sexaginta annorum, fœmina quinquaginta, quando non solent ampliùs apti esse ad generandum. Censet in particularibus poterit Episcopus, spectata corporis valetudine, robore, modo vivendi, arbitrari aliquem abesse debitam senectutem.

9. Secundò, ut ejusmodi conjux relinquendus in sæculo non sit suspectus de incontinentia.

10. Tertiò, ut idem emittat votum castitatis, quo certè votum simplex erit, adeóque, si post mortem alterius conjugis aliud matrimonium (vtique illicitum) contrahat, contrahet validè, & impetrata dispensatione voti, etiam licitè.

11. Nonnulli, præter licentiam alterius coniugis requirunt licentiam Episcopi, saltem, ut licitè admittatur dicta professio: Et sanè, tametsi de rigore juris hæc non requiratur, ut, expediendo Textus, prosequitur Castropalaus, *loc. cit. n.*11. nihilominus ex consuetudine, etiam *ibid.* habet, jam necessaria est ejusmodi licentia ad illam admissionem, & ita vsus obtinuit.

12. Inquires: Quid, si eveniat casus, ut profitens non ex conjugibus, alter, qui dedit licentiam, nolit deinde regredi Religionem, si juvenis est, &, si senex, non velit tum castitatis emittere?

13. Respondeo, tunc professio illius, qui ad Religionem transiit, est quidem valida, quia, si præcesserit alterius liber consensus, satis fuit legitimè suscepta; interim relictus in sæculo ad Religionem, vel votum persuaderi posset, cogi non posset, quia Religio, & votum ex propria voluntate, non verò ex aliena sunt suscipienda. Immò in hoc casu, si incontinentiæ periculum vxorem, v. g. premeret, debebit Episcopus coniugem, quamvis professum vxori periclitanti restituere (cum is se exire à Religione nequit, quia, ut dictum est, fuit vera & valida professio) licèt, vxore deinde mortua, vel nonnulla professio) licèt, vxore deinde mortua, vel nonnulla castitatis emittente, obligetur dictus professus ad suam Religionem reverti. Vide Sanch. *l.7. matr. d.*33. *num.*14. & 15. Pont. *l.9. cap.*12. aliósque.

14. Quæres: Ille relictus in sæculo, peccabitne nolens ingredi Religionem, vel Votum Castitatis emittere?

Respondeo: Si gravi causa non moveatur, (sic puto) graviter peccabit, tum quia contra Sacros Canones agit, tum, quia Religioni, pro qua dedit licentiam, illud damnum affert, quod modò *suprà, c.3.§.8.n.6.* diximus, nempe obligationem restituendi coniugem, &c.

15. Si relicta in sæculo voveat tandem Castitatem, non poterit amplius revocare ad se Professum, quia per licentiam, quam dedit, ut suus coniux profiteretur, concessit illi, ut posset, immò, ut deberet non petere debitum: per Votum autem, quod ipsa emisit castitatis, non potest ipsa petere: ergo ad quid inservier illa revocatio? Ita discurrit Pontius, *loc. cit. num.5.* & consequenter vides, Professum, si quando restitueretur uxori in casu dicto *numero* 13. posse quidem reddere debitum, at, quia vere est Professus, debet, ut vult Pontius *loc.cit.num.4.* quando potest, suum Votum servare, atque adeò, nisi ipsi dispensetur à Summo Pontifice, petere debitum non valebit.

## §. II. *Quoad Ordines Sacros sine consensu Coniugis.*

1. QVamvis certissimum sit, validè Sacris Ordinibus initiari coniugatum, invita uxore, semper tamen mortaliter illicitè. Idque verum est, sive post matrimonium consummatum, sive etiam post solum ratum, Ratum enim dat dumtaxat facultatem ad professionem emittendam, non verò ad Ordines sacros suscipiendos, ut *suprà* suo loco vidimus.

2. Hinc fit, ut sic ordinatus possit revocari à sua uxore, possitque ipse revocationi assentiri, & reddere debitum, sed, quia Ordini sacro annexum est Votum, seu Præceptum servandæ Castitatis, petere non poterit, ut in simili *num.* 16. dictum est, & hîc notat Pontius *d. lib.9. cap.13.n.5.*

3. Quid si non revocetur?

Respondeo: Tunc non tenebitur quidem ex se redire ad illam. Ordo enim validus meritò id concedere debet, (ut advertit Castropalaus *lib.5.num.8. ex Extravag. Antiqua, de Voto.*) Posset, tamen, si vellet, ut diximus *n.4.* de professo, uxore non consentiente; par enim est ratio. Quamvis enim illa professio fuerit nulla, Ordo verò hic sit validus, tamen obligatio reddendi debitum uxori est eadem, & ex alia parte Ordo sacer non pugnat ex se cum matrimonio, nisi ratione voti Castitatis ipsi Ordini adnexi. Si ergo voto professionis non obstante, potest in illo casu ex se redire, potest redire, & ordinatus cui nihil obstare posset, nisi idem votum Castitatis. Lege Castropal. *loc.cit.* contra nonnullos citatos à Sanchez *lib.7.matr. d.40.n.5.*

4. Denique adverte, si coniugatus, etiam matrimonio non consummato, ad Ordinem Sacrum (non ergo, si ad Minores) ascendat sine uxoris expressa licentia, in suspensionem, seu irregularitatem incurrere ex iure, *In Extravag. citata*, & habet Pont. *loc.cit.num.2.* Vnde neque in suscepto Ordine ministrare, neque ad Superiores promoveri, neque Beneficium, vel officium Ecclesiasticum obtinere poterit.

## *Quoad eosdem Ordines cum consensu Coniugis.*

5. Hactenus de susceptione sacrorum Ordinum sine consensu Coniugis, quid Iuris cum ejusdem consensu?

Assero, posse eos suscipi cum dicto consensu, sed cum similibus conditionibus explicatis *à num.8.* Nempe, ut uxor priùs Religionem profiteatur, aut, si sit senex, & de incontinentia non sit suspecta, Castitatis votum simplex emittat.

6. Scio Gasp. Hurt. *d.11. matrim. diff.9.* docere contra Sanchez, ut vir ad sacros Ordines promoveri possit, sufficere, si uxor manens in sæculo, castitatem voveat, liberétque per suam licentiam dictum virum ab obligatione tori, & cohabitationis, nec requiri, ut uxor profiteatur, quia, (inquit) *in cap. Coniugatus, de convers. coniug.* Professio uxoris non requiritur.

7. Verùm, pro Sanchez pugnat Castropal. *lib.3. de spons. d.3.p.6.§.11.n.17.* ratetur enim, veram esse sententiam Hurtadi in rigore iuris, sed iam ex vi consuetudinis, nullum nunc coniugatum permitti initiari sacris, nisi priùs uxor profiteatur, vel si sit vetula, castitatem voveat. Nota autem (ut colligo ex Pont. *l.7. matr. d.36.n.1.*) debere accedere licentiam etiam Episcopi, si non est ex rigore iuris, certè ex consuetudine, ut in simili diximus *n.11.*

8. Quando autem modo dicto, secundùm Castropal. *d.3. de spons. p.6.§.11.n.11.* remanet voto constricta uxor in sæculo, admonent Doctores cum Sanchez *l.7. matrim. d.39.n.8.* non posse ipsam cum suo coniuge ordinato manere in eodem cubiculo, ut habetur *cap. Episcopus, dist.77.* immò prudens consilium tradunt esse, ut, ne in eadem quidem domo habitet, ad vitandum scilicet incontinentiæ suspicionem.

9. Præterea hoc uxoris votum Castitatis, licèt sit simplex, tamen habet hoc peculiare, ut, si ipsa post mortem sui coniugis iam ordinati contrahat novum matrimonium, invalidè contrahat.

Ratio cur hunc effectum pariat hoc votum nunc, non verò, quando coniux in Religione Professionem emisit, est, quia Ordini sacro, ad quem licentiam concessit ipsa uxor, debetur hæc reverentia, ne uxor eadem aliud matrimonium ineat. Hanc doctrinam habet Sanchez *lib.7. matr. d.40.n.2.* quam Azor. *p.p.l.13.cap.14.* affirmat, esse omnium, Pont. *l.7.c.25.n.10.* tamen id negat, asserens, par esse utrumque votum, & neutrum dirimere matrimonium subsequens, sanè probabilius.

Inquires per hanc occasionem, primò An ipse Presbyter Græcus, si post mortem suæ uxoris aliam ducat, validè ducat? Secundò, An licitè? Tertiò, An vidua prædicti Græci Sacerdotis, si ad secundas nuptias convolet, validè convolet, & licitè?

Respondeo, ad primum. Docet Petrus Arcudius *lib.7. de matr. c.4.* Matrimonium secundum Presbyteri Græci validum esse (licèt tunc dictus Presbyter sit repellendus ab exercitio Ordinis, si velit ipse, vel vxor persistere in eo matrimonio) quia, inquit, nec ipse emisit vllum votum castitatis, nec adest Canon matrimonium illud invalidans, sed tamen, quia sit bigamus per secundas nuptias, meritò privatur exercitio altaris. Ita Arcudius contra Cariophylum putantem hoc matrimonium esse invalidum.

Respondeo, ad secundum, Sacerdotem prædictum graviter peccare, secundas nuptias celebrando. Non solùm enim Canones Græcorum (ut colligo ex allatis ab Arcudio citato) illum faciunt bigamum, eundémque Sacerdotali exercitio privant, ut dictum est, verùm etiam vocant illas nuptias illicitas, illegitimas, nefarias.

Respondeo, ad tertium, validum esse matrimonium viduæ relictæ à Presbytero Græco, ut etiam esse licitum. Ita contra Cariophylum, qui videtur hoc matrimonium damnare, docet his verbis Arcud. loc.cit. *Quod Sacerdotum viduæ ad secunda vota minimè transeat, non ritus, sed virtutis est.*

Confirmo, quia Sanch. *lib.7. de matr. c.40.n.5.* ait, licitè viduam Sacerdotis secundo nubere, si non consensit Ordinationi sui primi viri, & probabile esse, etiam licitè secundo nubere, quando vxor nesciebat, id sibi prohiberi. Sed audio, vxores communiter non solere dare ejusmodi consensum; quod si dent, eas nescire ejusmodi prohibitionem non valendi transire ad secundas nuptias; ergo, &c. Supponimus autem dictam viduam nullum votum castitatis emisisse, ut certè emittere non solent.

Confirmo iterum; quia in dubio, an emiserim votum, & in dubio, quòd existat lex, seu præceptum, melior est conditio meæ libertatis, atque adeo non obligor illam servare, ut de lege dubia docet Sanchez *lib. 1. in*

*Decal. c. 10. n. 32.* & de voto *n. 36.* Cùm ergo, ad minus, saltem dubia sit lex hæc, vel votum de abstinendo à secundis Nuptiis, quoad prædictam viduam, ipsa non obligabitur, &c.

Nec contrarius est Pontius *lib. 7. matr. c. 25. & 21.* dum dicit, matrimonium relictæ à Sacerdote Græco esse quidem validum, sed illicitum, quia est contra eorum Canones: Nec est, inquam, contrarius, quia & ipse, & Canones, quos affert, videntur loqui de vidua, quæ dedit licentiam, seu consensit sui viri Ordinationi, sciens sibi sic prohiberi secundas nuptias, vel se vidua, quæ castitatem fortè voverit: Lege diligenter tum ipsum, tum Sanch. *ll. cc.*

10. Inquires iterum: Si eveniat casus similis illi, cuius *suprà*, §. 1. *n.* 12. memini, hoc est, si, promoto coniuge in sacris, uxor, nec Religionem ingredi velit, nec castitatem vovere, quid faciet vir iam Ordinatus?

11. Respondeo: Sanch. *l. 7. matr. d. 39. n.* 12. ait, uxorem debere cogi ad votum; ad hoc enim emittendum se obligavit, dum liberè dedit licentiam viro, ut ad Ordines ascenderet. Verùm, Castropal. *l. c. n.* 19. ait, non posse cogi, sed, si uxor petat, debere ipsi suum virum restitui. Ratio est, quia nemo unquam cogi invitus potest ad vovendam castitatem. Vtraque probabilis est sententia. Verùm, mihi magis placet hæc posterior; tuetur enim magis libertatem. Quia tamen uxor supponitur promisisse, se professionem, vel votum emissuram, nolens deinde promissionem servare, causa valdè rationabilis debet accedere, ne graviter peccet, nolendo custodire sacros Canones in re tam gravi. Sic puto, ut *ibid. n.* 14. in simili putavi.

12. Illud item Castropalaus *l. c. num.* 23. contra plures Doctores habet, hunc Ordinatum cum licentia uxoris, sed nolentis, nec profiteri, nec vovere, incidere etiam in eandem illam suspensionem, seu irregularitatem, de qua modò dixi *n.* 4. Ratio est, quia in sacro Textu *Extravag. Antiq. de voto*, dicitur, cum incidere in dictam suspensionem, qui aliter, quàm sacris Canonibus noverit convenire, sacros Ordines susceperit. At sacri Canones negant ad dictos Ordines non solùm licentiam uxoris, sed ejus professionem, vel votum. Nota tamen illud: si enim bona fide inculpatè maritus, supponens uxorem Canones servaturam, promoveatur, non puto teneri suspensum, quia sic non novit se ordinari contra sacros Canones. Sed profectò, ne prædicta inconvenientia eveniant, praxis esse debet, ut priùs profiteatur, vel vovet uxor, & deinde maritus promoveatur.

13. Denique, ut vir ad Episcopatum ascendat, non omninò iura, ut uxor Religionem ingrediatur, ut Cardinalatum verò nihil aliud est opus, præter illud quod ad Ordines sacros necessarium esse, hactenus advertimus.

### §. III. *Quoad Votum simplex Castitatis.*

1. QVemadmodum §. 1. indicavimus, posse conjuges mutuo consensu cœlibem vitam agere, & proinde utrumque voto se Castitatis astringere, eadem enim est ratio de utroque: recole tamen cautionem, quam ibid. adhibitavimus, ut item illa, quæ hùc facere videntur, quæque in præcedentibus per occasionem sunt definita.

2. Si quis ritè uxoratus, deinde ob impedimentum impotentiæ, quod creditum fuit perpetuum, professionem emisit, vel Ordines sacros suscepit, quid faciet, si casu, quo deinde appareat, eum esse potentem, redire poterit, ac debebit ad uxorem?

3. Respondeo, redire debere, quia prævalet validitas matrimonii ritè suscepti. Verùm, id, & multa alia idem facientia latè prosequitur Diana *part. 11. tract. resol. 9.*

Et ad iam finem *Tractationum de Matrimonio* felicitérque perveni; id, quod Summo Deo accepto referens, similem felicitatem studiosis Lectoribus ut ab eodem enixè precor.

# DE CONTRACTIBVS IN PARTICVLARI QVOS DIRIGIT IVS NATVRALE

# LIBER NONVS

*EA, quæ pro praxi scire oportuit de Contractibus in genere*, in lib. 8. Decal. tr. 3. c. 6. n. 1. *dicta vi satis: Nam propterea, iis non repetitis, ad peculiares Contractus explicandos non opportunè descendendum est.*

## TRACTATVS I.

### DE CONTRACTV MVTVI, & de Vsura.

### CAPVT PRIMVM.

### *De Mutuo.*

#### §. I. *Quid sit Mutuum.*

1. MVTVVM, quod sic dicitur, quia *de meo tuum fit*; commodè definiri potest in hunc modum: *Est traditio rei consistentis in pondere*, ut Massæ Argenti, *Numero*, ut Pecuniæ, *& Mensura*, ut Vini, Frumenti, &c. *recuperandi, statuto tempore, tantundem in suo genere.*

Hanc definitionem *lib. 8. in Decal. tr. 3. c. 8. §. 1. n. 1.* explicuimus, nunc duo recolamus, vel explicemus: Alterum quoad tempus mutuum restituendi: Alterum quoad illud (*tantundem.*)

*Tempus restituendi Mutuum.*

2. Mutuatarius tenetur restituere mutuum tempore constituto, vel post ejus usum completum, non antea: tenetur reddere antea, quamvis mutuum à mutuante non repetatur: potest tamen antea reddere, si velit. Nam, ut habetur in Iure, *l. Quod in diem, ff. de solutionibus.* Quoties in gratiam debitoris apponitur dies solutionis, potest, ut vult Navar. *in Man. c. 17. n. 219.* etiam Ang. *v. Vsura 1. num. 26.* debitor ante illum diem solvere: unde fit, ut, in contractu mutui, creditori non liceat exigere debitorem, ut ipse debitor nequeat ante diem illum solvere. Ratio est, quia, mutui natura postulat, ut quando

non teneatur debitor debitum solvere antè præfixum diem, in sua tamen potestate sit; illud antea solvere, quia integrum semper est homini, rem, quæ Domino debetur, eidem consignare.

Quod si mutuatarius præfixo tempore non restituat, & propterea mutuans aliquod damnum patiatur, tenetur in conscientia illud resarcire; sicuti etiam tenetur restituere ea quæ mutuans insumpsit in repetendo ejusmodi debitum. Ratio est, quia tunc mutuatarius causa prædictorum damnorum est, An autem is præmonendus sit de interesse, quod fit mutuanti, diximus satis *l.8.in Decal. tr.3.c.8.§.3.n.9.* & iterũ dicemus mox *infrà, c.3.§.3.à n.5.*

3. Sed quid, si nullus fuit præfixus terminus ad reddendum mutuum?

Respondeo, adhuc non posse mutuantem statim repetere, sic enim nullum fuisset mutuum. Tunc ergo, vel ex circumstantiis, vel Iudicis arbitrio statuendum est, quandónam possit repeti, ut notat Menoch. *de arbitr. l.2.c.22.* Tiraqu. *in l. Ut nunquã, n.31. C. de reuocãda Donat.* aliique.

4. Si fortè confessus es per scripturam, etiam publicam, te recepisse numeratò pecuniam mutuam spe, quòd certò tibi esset numeranda, quæ tamen deinde tradita tibi non fuit, qua exceptione uti possis in foro externo, ne cogaris reddere quod non accepisti (nam in interno clarum est, te non obligari) lege fusè apud Molinam *d.302.* De Lugo *de Iust. d.25.n.5.* aliósque.

### *Tantundem restituendum in Mutuo.*

5. Iam verò aliquantò latiùs explicandum est illud (*tantundem*) ex qua particula maximè discernitur, quandónam in mutuo involvatur usura; si enim plus requiras, quàm sit res mutuata, committis usuram, ut latè explicabimus *inferiùs.*

6. Certum autem est, ei, qui mutuat pecuniam auream, (præscindendo à pacto) iustè communiter reddi argenteam, vel æream, si tantundem in valore reddatur, & ex ea minutioris pecuniæ redditione nullum damnum sequatur mutuanti.

7. At quæri potest, an possit mutuator prætendere sibi fieri supplementum merè ex ipsa redditione minutioris pecuniæ.

Respondeo affirmativè, atque ideo posse exigere pecuniam ejus rationis, quam numeravit, vel aliquid proportionatum petere, quod ipsi damnum compensetur: immò etiam posse pactum facere ab initio mutui, ut sibi ejus rationis reddatur pecunia, quam dedit. Ratio est, quia pecunia aurea utilior est, & pretiosior, quàm argentea & hæc, quàm ærea; nec tenetur mutuator gratis privare se hujusmodi commodis, quæ sunt extra ipsum mutuum. Ita Sylvester *v. Solutio, q.2.* Ang. *v. Solutio, num.2.* Bart. *in l. Paul. n.3. ff. De solutione,* aliique.

8. Contrà verò, qui mutuat pecuniam, putà, æream, liciténe potest exigere, vel pactum facere, ut detur argentea, vel aurea.

Respondeo, nequaquam; cum Navar. *in man. c.17. n.226.* Iason. aliisque *in l.2.ff. de rebus venditis*, quia imponeret onus debitori ultra debitum, seu vltra sortem, plus enim valet, ut dictum est, aurea, quàm argentea, & hæc, quàm ærea.

Sed certè, incidit hìc celebris dubitatio; quid faciendum quando res mutuata diversimodè valet tempore accepti, quàm tempore soluti Mutui. Sanè de hac instituere particularem paragraphum distinctionis gratiã operæ pretium erit, quod iam facio.

## §. II. *De diversitate valoris in Mutuo.*

1. VT distinctiùs procedamus loquamur priùs de pecunia, tum de rebus aliis, habent enim suas quæque proprias difficultates.

### *Quoad Pecuniam.*

2. Titius dedit mutuos Caio centum, v. g. quos vocant, Zicchinos aureos, quorum singuli, tunc valebant viginti Iuliis. Nunc verò, tempore præfixi termini reddendi, valent eorum singuli, viginti quinque Iuliis.

Inquiro primè: poteritne iustè Titius nunc exigere à Cajo centum Zicchinos ex auro?

Quid secundò: Si contrà, hoc est, si tunc valebant Iuliis viginti quinque, nunc verò solùm viginti? Hæc autem inquiro, quando nullum præcessit pactum, nam an licitè possit pactum aliquod præcedere, dicam mox à *n.9.* seu potiùs adverto, idem quoad hoc pactum, dicendum esse de pecunia, quod dicto *n.9.* dicetur de rebus.

Respondeo ad primum, negativè; solùm enim potest tot exigere, quot complent valorem antiquum centum illorum aureorum.

Contrà verò, Respondeo ad secundum affirmativè; poterit enim exigere tot, quot tunc mutuos dedit, vel eorum æquivalentem valorem. Ita Mol. *d.27.n.7.* & latiùs *d.312.à n.2.* Covarr. *de Collat. Numismatum, c.7.§.ult.n.3.*

3. Ratio utriusque responsionis est, quia valor ille crescit, vel decrescit Domino pecuniæ, qui sanè nunc est mutuatarius: à mutuo enim transferri dominium rei mutuatæ, non verò in commodato, diximus satis *alibi*; ergo illi ejus utilitas, vel damnum cedere debet. Præterea, mutuatarius debet illud, quod ipsi mutuatum fuit; at ipsi mutuata fuit pecunia sub ratione pecuniæ, secundùm valorem temporis, quo acceptum à se fuit mutuum, reddit verò secundùm valorem temporis, quo mutuum reddit, ergo illum valorem debet non hunc, quia solùm debet tantundem.

3. Confirmatur ex *cap. Cum olim, de censibus*, ubi dicitur, censum esse solvendum secundum monetam priorem & non posteriorem, quæ fortè curret minoris valoris; & *ex c. Cum Canonici, eodem*, ubi decernitur, pensionem esse solvendam, iuxta æstimationem prioris pecuniæ, quando imposita est pensio.

5. Scio à Navarro *in Man. c.17. n.294. & in Comment. de cambiis n.48.* oppositum doceri, quia mutuator (ait) erat servaturus suam pecuniam usque ad tempus, quo valor erat augendus. Sed nihil fecit contrà nos: Nos enim in hac Conclusione non loquimur de alio contractu, quem quis potest celebrare cum mutuatario circa damnum emergens, vel lucrum cessans, de hoc enim *inferiùs* agemus: sicuti, neque de pacto aliquo iusto, quo convenires cum eodem, ut tibi semper detur valor præsens pecuniæ, sive crescat, sive decrescat in posterum, de quo mox dicam *n.10.* & denique, neque de illo casu, quo fortè commodas tuam auream pecuniam ad ornatum, v.g. quando certè eadem erit in individuo reddenda, quia tunc pecunia non fungitur munere pecuniæ, sed rei, solùm enim loquimur de mero mutuo, ratione cuius ex allata doctrina, dicimus, non deberi tibi, nisi tantundem ejus, quod mutuasti, quod certè est pretium illud currens eo tempore, quo mutuam pecuniam dedisti.

### *Quoad res.*

6. Quamvis, quod de pecunia dictum est, intelligendum etiam sit de aliis rebus pecuniæ functionem habentibus; unde si mutuasti mensuram Tritici, contingat autem propter novam, v.g. Pragmaticam, mensuram augeri, vel decrescere, semper tibi debeatur ea mensura, quã tu mutuasti, ut patet ex dictis, quia ius habes semper ad tantundem; quæstio tamen remanet, quando non crevit quidem, vel decrevit mensura, sed quod sæpè solet accidere, quando decrescit, vel augetur ipsum mutuatæ rei pretium, mutuavi tibi mense superiore quatuor, v.g. frumenti modios, qui tunc valebant aureis sex, nunc verò valent, propter abundantiam, tribus aureis, vel propter penuriam, octo; possúmne non licitè exigere modios quatuor, quocunque tandem pretio ii valeant?

3. Respondeo: Si nullum præcessit pactum, debebit mutuatarius semper reddere quatuor modios, & consequenter eosdem tu poteris exigere. Ita Less. *lib.1.cap.10. dub.17.num.150.* Ratio est, quia ita usu, & consuetudine, & quasi virtuali pacto inter mutuum celebrantes, receptum est; ut nimirum, si nulla præcesserit contraria

conventio, res debeat reddi in pari bonitate, & mensura, abstrahendo à pretio; ego enim, quando tibi mutuum do modium frumenti, modium frumenti semper à te mihi reddendum expecto, quidquid sit de pretio. Non sic, si mutuo pecuniam, quia tunc secundùm ejus pretium, eiúsque valorem præsentem, qui est de essentia pecuniæ mutuo, non verò secundùm massam ipsam materialem.

Sotus *in 4. quæst. 2. dist. 15.* cui adde Petrum à Navarr. *lib. 3. c. 2. n. 252.* Palud. *in 3. d. 37. quæst. 2. cap. 4.* docet, in hoc casu, quando nullum præcessit pactum, posse haberi rationem valoris, qui est tempore, quo celebratur mutuum, & hanc exigi posse. Verùm, contrarius est usus, & virtuale pactum, ut dictum est.

8. Obiicies: Si hæc essent vera, mutuans, quando non fuit terminus præfixus ad restituendum mutuum, sive explicitè, sive tacitè, ut *suprà* dictum est, posset licitè repetere frumentum, vinum, oleum, &c. eo tempore, quo videt ea pluris valere, quod videtur durum?

Respondeo: At non durum videtur eidem Soto, *lib. 6. q. 1. art. 2.* & Molinæ, *d. 311. n. 2.* Nam sibi debet mutuatarius imputare, quòd priùs non solverit, quando fortè minus valebit; Et sicuti, si mutuatarius solvisset, quando minus valebat, non poterat mutuans illud non acceptare, ita, si mutuans nunc, aucto frumenti valore, exigit, non poterit mutuatarius denegare solutionem, posito, quod verè nunc debeat, ut supponimus, cùm supponamus tempus aliquod, quod imbibitum est in contractu mutui, esse transactum.

9. Diximus, si nullum præcessit pactum, nam si hoc præcessit, est diligenter expendendum, an illud sit iustum, & servandum. Quatuor enim iniri modis id potest. Primò, ut, sive crescat pretium frumenti, v.g. sive decrescat, totidem mensuræ reddantur. Secundò, ut, si frumenti valor decrescat reddatur tantum, quantum æquivalet valori frumenti, qui currit tempore, quo datur mutuum. Tertiò, ut si frumenti valor crescat, reddatur tantum, quantum æquivalet ejusmodi valori aucto. Quartò, ut reddatur absolutè tantum, quantum æquivalet valori frumenti, qui curret tempore, quo reddetur mutuum,

10. Dico iam primis duobus modis, iustum esse pactum, etiam si illud ineas quia prævides minùs, vel magis valiturum frumentum. Ratio est, quia Dominus habes Ius, tum ad illas suas mensuras absolutè, tum ad easdem iuxta pretium præsens sui frumenti; ergo, vel secundum mensuras, vel secundùm pretium poterit paciscì. Ita Sanctarel. *in manuscr. de contract. Mutui, c. 6. dub. 4.* quod apud me habeo.

At in tertio modo ex prædictis: Dico, nisi adsit alius titulus damni emergentis, vel lucri cessantis, esse pactum iniustum. Ratio est, quia tu non mutuas, nec mutuare iustè potes, secundùm valorem futurum non existentem nunc; ad illum enim nullum Ius habes.

Denique in quarto modo idem dico, quando ideò ejusmodi pactum absolutè fiat, quia prævidetur pretium fore augendum; nam secùs esset, si par sit periculum, quod crescat, vel decrescat; tunc enim non erit vsura, sed ludus sortis, & erit similis primo modo iam allato.

11. Ex dictis colligi potest, an iustè paciscaris, ut, te dante rem veterem, v.g. frumentum, vel vinum vetus, obliges mutuatarium, ut reddat novum. Distinguendum enim est, ac dicendum, si hæc obligatio afferat aliquod gravamen supra mutuum acceptum, iniustum fore pactum, si non afferat, fore iustum. Quoniam igitur pluris valet vinum, v.g. vetus, quàm novum, cùm, contrà, pluris valeat frumentum novum, quàm vetus, ideo de vino poteris (sed certè noles) dictum pactum celebrare, non verò de frumento; Pari igitur modo discurre de similibus.

12. Quòd si libenter à mutuatario redderetur novum frumentum pro veteri mutuato, quia ipsi id sit facilius, & nullum ipsi detrimentum afferens, libenter enim novum æstate reddere iuvat ex sua messe, illud quod habuit hyeme à mutuante, non erit illicitum, si præcedat pactum de reddendo frumento novo, quia tunc nullum gravamen, ut supponimus, fit mutuatario. Lege Molinam *d. 312. n. 12.* loquentem de re simili ideft, de mutuo liberè, & sine proprio detrimento pecuniam autem mutuanti æream, nec omittas *lib. 8. Decal. tr. 3. cap. 3. num. 11.*

13. Denique nota, hanc negotiationem citra vetus & novam rem posse in alia figura sine ullius iniuriæ periculo celebrari, si nimirum vendas nunc vinum, quod pretio currenti, & anticipato pretio item iusto commodum, quod novum erit tempore vindemiæ pretio currenti, quod certè minus, communiter erit, ut colligo ex dicendis *infrà*, præsertim *c. 4. §. 4.*

## §. III. *An, & quando sit præceptum de dando Mutuo?*

1. AIo primò, aliquo tandem modo adesse præceptum de dando Mutuo. Ratio præcipua est, quia est præceptum de faciendâ eleemosyna extremè indigenti; ergo, & præceptum de dando mutuo. Antecedens certum, secundùm Castropal. *tom. 1. tract. 3. de Charit. d. p. 2. num. 2.* saltem ex ea ratione universali, quòd præcipimus est amandus re, & veritate, id, quod non levi, qui ei in tanta necessitate non succurrit. Consequentia probatur, quia ideo danda est proximo eleemosyna, quia obligamur ex charitate succurrere indigenti in extrema necessitate; ergo, si proximus nostro mutuo indiget ad suam necessitatem sublevandam, illud dare obligamur.

2. Dices: Hac doctrina posita, vel tollitur præceptum de danda eleemosyna, vel tollitur præceptum de dando mutuo; ergo, &c. Antecedens probatur, quia fraterna rum obligationum est sublevatio indigentis, nunquam dives voleat dare eleemosynam ad ejusmodi sublevationem, sed mutuum; ergo iam tolleretur de medio præceptum de danda eleemosyna. Contrà, si aliquis nolit dare mutuum, sed semper absolutè, & gratis donare, cùm sic meliùs sublevetur indigens, iam tollitur præceptum de dando mutuo. Adde, enasci posse inconveniens non tolerandum, nam dives avarus semper dicet extremè non indigenti: *Frater, dabo tibi mutuum, ex pacto iam sublevabo tuam indigentiam extremam*, cui ille Pauper acquiescere obligabitur, acceptando mutuum pro tempore, quo perueniet ad pinguiorem fortunam, & sic non poterit absolutè accipere quidpiam occurrente etiam in extrema necessitate, sed semper sub ratione mutui.

3. Respondeo: Nonnulli totum hunc discursum reprobant, dicunt enim, tibi solum esse præceptum de sublevanda inopis necessitate, quocunque tandem modo subleves, sive donando, sive mutuando; sed non sufficiunt. Dico ergo, non tolli præceptum de danda eleemosyna, quia, quando pauper est indigens extremè cum maiore proxima aliquid habendi, tu non potes eligere mutuum, sed obligaris absolutè donare: & pauper ille non potest, etiam occultè, potest absolutè, etiam te nolente petere, in extrema necessitate omnia sunt communia, ut ibi *Decal. tr. 2. c. 6. §. 1.* diximus. Nec tollitur præceptum mutuandi, nam in casu, quo pauper extremè indigens non habet proximam habet aliquid possidendi (propter quem finem non erit propriè, & verè in extrema necessitate.) Tu enim potes non dare mutuum, sed potes eligere donare eleemosynam. Verùm, si tunc id velis, commutabis in meliorem præceptum mutuandi, non verò omnino tolles (melius enim est donare, quàm mutuare) quæ profectò commutatio inconveniens nullum affert, nam propterea, n. 1. dixi esse præceptum aliquo tandem modo mutuandi, ideò saltem æquivalenter per metum inclusum in ipsa donatione. At id, quod additur, iam patet ex dictis.

4. Aio secundò. Principes posse pœnitentiæ tempore invites cogere ad mutuandum, verbi gratiâ ad mutuandum hyeme frumentum populo, redditurò æstate. Ratio est,

qui

quia divites possunt, ut habet Gloss. *c. Sicut, v. Esurientium, distinct.* 47. & Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 14. *num.* 4. cogi tempore necessitatis ad dandam indigentibus eleemosynam, ergo multò magis cogi possunt ad mutuum submistrandum.

Adde, posse quempiam in aliquibus casibus cogi ad vendendum, vel locandum ob commune bonum, ut ex omnium sententia docet Covarr. *ibid. c.* 6. & 7. Afflictus *in Proœm. Constitut. quæst.* 3. *num.* 10. aliique. Ergo multò magis ad mutuandum.

## CAPVT II.

### *De Vsura, quoad ejus naturam.*

#### §. I. *Quid sit, & quotuplex Vsura?*

1. COnnexa maximè est vsura cum mutuo: ea enim tota fundatur in mutuo, & sic definitur: *Est lucrum, quæsitum ex mutuo vi mutui.* Nota autem illud, teste Innoc. Abb. aliisque *in Rubr. de vsuris, num.* 3. (vi mutui) in quo consistit essentia vsuræ, ut modò notavimus *c.* 1. §. 1. *n.* 5.

2. Alia autem est mentalis, quæ, sola intentione habendi lucrum ex vi mutui, committitur. Alia realis, quæ re ipsa committitur, id est, acceptato, re ipsa lucro.

3. Alia expressa, quæ scilicet expressum pactum habendi lucrum fit: Alia tacita, quæ, per tacitum.

4. Alia palliata, cùm scilicet committitur sub pallio alterius contractus v. g. venditionis, locationis, dilationis, quam creditor concedit suo debitori, &c. Alia clara, cùm scilicet sine vllo involucro manifestè lucrum quis petit ex vi mutui. Palliatam vocamus communiter vsuram virtualem, claram verò appellamus vsuram formalem.

5. Nonnulli addunt aliam divisionem, in vsuram lucratoriam, quæ est jam dicta, in qua scilicet lucrum intenditur, vel exigitur; in punitoriam, per quam scilicet dans mutuum obligat mutuatarium, vt, si non reddat mutuum tempore præfixo, incidat in pœnam solvendi aliquid mutuanti; in restauratoriam, seu compensatoriam, per quam mutuans aliquid exigit, ut restauret, seu sibi compenset lucrum, quod ipsi cessavit, vel damnum, quod ipsi emersit ratione dati mutui. Cùm autem nos, (ut etiam faciunt Doctores passim) de vsura loquimur, loquimur de lucratoria; nam punitoria, & restauratoria verè vsuræ non sunt, ut ex dicendis patebit.

#### §. II. *An, & quo Iure Vsura prohibita sit?*

1. IVs Civile, quod concedit (sive ut alii meliùs sentiunt,) quod permittit simplicem vsuram, de qua re lege Doctores, Bartol. *lib.* 1. *C. de summa Trinitate*, Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 6. Lessium *lib.* 20. *dub.* 4. *num.* 31. aliósque, correctum est à lege Canonica *in toto titulo de vsuris*, & *in Clementina prima, eodem*, & *alibi* juxta multa sacræ Scripturæ loca, præsertim illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Vsura tamen vsuratum, seu, ut vocatur à Græcis apud Lessium *loc. cit.* Anatocismus, (id est, quando lucrum adjicitur sorti, vnde lucrum habitum ex vsura pariat aliud lucrum) est etiam in Iure Civili, *l. Placuit*, *l. Vt nullo*, *C. de vsuris*, prohibitus.

2. Verùm, enim verò éstne de fide, vsuram esse illicitam? Rursus éstne de fide, illam non solùm jure positivo, sed etiam jure naturæ illicitam esse?

Respondeo: Omnes conveniunt, de fide credendum, vsuram esse illicitam, idque propter loca evidentia, & mox afferenda *cap.* 3. §. 1. *num.* 2. in quibus id definitur, in prædictis sacris Textibus. Esse autem illicitam jure naturæ, tametsi Bañez putet etiam de fide esse, Salas tamen cum aliis negat; solùm enim hi putant, eum, qui contrarium nunc diceret, forè non quidem hæreticum, sed temerarium, erroneum, periculosum; à quibus tamen censuris voluissem, ut etiam hi abstinerent; cùm Theologi valdè laborent, (ut videre est apud De Lugo *de Iustit. d.* 25. *sect.* 3. qui prædictos citat) in invenienda ratione, quæ id efficaciter probet.

3. Porrò ex duobus principiis ratio ejusmodi naturalis, qualiscunque ea sit, duci consuevit. Alterum est: In mutuo ex gratuita voluntate, & mera donatione mutuantis transferri dominium rei mutuatæ in dominium mutuatarii, qui tamen remanet obligatus reddere tantundem suo tempore. Alterum: Non posse re accipere lucrum ex re alterius, nisi ex aliquo titulo illud tibi debeatur. His positis, sic formatur ratio: In mortuo non invenitur titulus, vnde lucrum supra sortem exigere possis, ergo injustè illud exigeres. Antecedens probatur, quia ex priore principio in mutuo transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium: ergo tota res, ejúsque vsus jam est mutuatarii, licèt cum obligatione tantundem reddendi; si ergo tota res, totúsque ejus vsus est mutuatarii, quódnam erit in mutuo caput, ex vi cujus lucrum accipere possis? Quare, si illud sumeres, ex re aliena contra secundum principium sumeres.

Sed hæc, & responsiones ad illa fusiùs agitantur apud citatos. Nos, ad praxim semper collimantes, ejusmodi disputationes, non admodum ad eam rem necessarias, libenter prætermittamus.

4. Illud non omittendum: An semper prohibeatur vsura sub mortali, an potiùs in ipsa detur parvitas materiæ, & consequenter tunc committatur solùm culpa venialis? Constanter assero, ipsam ex genere suo esse sub mortali veritam, adesse nihilominus parvitatem materiæ, Ratio potissima, & convincens est, quia tota ejus malitia est contra justitiam: at hæc admittit parvitatem materiæ, ex omnibus, ut patet in furante obolum, v. g. vel in inferente damnum leve, ita De Lugo *d.* 25. *de Iust. n.* 252.

5. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 30. propter auctoritatem Alphonsi de Leone negantis, in vsura dari parvitatem materiæ, & ex eo argumento, quod, quidquid sorti accidit, vsura est, Diana, inquam, hanc rem nobis cogitandam reliquit. Sed ne amplius (oro) quis cogitet, idque propter rationem à nobis modò allatam. Respondeatque Alphonso in hunc modum: Quidquid adiicitur sorti, esse quidem vsuram, sed exiguæ materiæ, atque adeo peccatum veniale, sicuti quodlibet furtum, etiam sacrilegium, rei Ecclesiæ in modica materia furtum est, & sacrilegium, sed veniale.

## CAPVT III.

### *Casus in Mutuo Vsuram certò non continentes.*

1. IN tres classes distinguo casus ad hanc tractationem de vsura, pertinentes, nimirum primò, in eos casus, qui certò vsuram non continent. Secundò, in eos, qui certò continent. Tertiò, in eos, qui sub controversia. Incipiamus à primis in hoc capite, tractaturi de aliis separatim in capitibus subsequentibus.

#### §. I. *Lucrum ex Mutuo, ratione gratitudinis.*

1. NEc peccat, nec obligationem contrahit restituendi, si mutuet quis intendendo; imò, & habendo aliquid ex mutuatarii benevolentia, gratitudine, liberalitate, amicitia; quamvis intentionem habeat non mutuandi, si re sperata careat. Ratio est, tum, quia id non est, exigere lucrum ex vi mutui, tanquam ex justitia, in quo consistit essentia vsuræ, sed ex vi alterius tituli, quem verè adesse, supponimus; tum, quia, qui ejusmodi gratitudinem intendit, rem honestam, & rectæ rationi congruentem intendit. Nam propterea poterit mutuatarium excitare, & rogare, ut se gratum

ostendat ; excitat enim ad id , quod honestum est. Ita Molina *d.305.n.1.*Less.*lib.2.c.20.n.38.* aliique. Affertur à Molina exemplum de mutuante pecuniam Principi ad finem , ut ab illo obtineat officium , vel dignitatem ex Principis liberalitate : is enim quamvis principaliter officium intendat,non propterea est vsurarius, quia non intendit ex vi justitiæ , sed ex vi liberalitatis.

Nota,hoc*(Ex vi justitiæ)* includi in descriptione vsuræ,ibi *(Ex vi mutui)*illud enim*(vi)* significat vrgentem, & omnimodam obligationem,quæ est ipsissima obligatio justitiæ.

2. Objicies : Lucæ 6.dicitur : *Mutuum date, nihil inde sperantes :* & in *C.Consuluit,de vsuris*,dicitur esse vsuram , dare mutuum ex spe lucri principaliter , non verò ex spe lucri minùs principaliter ; ergo omnem spem, saltem principaliter intentam , excludere debemus,ne in vsuram incidamus.

Respondeo : Illicitum esse,aliquid sperare ex mutuo, tanquam debitum est justitia, & quidem, etiamsi speres minùs principaliter , quia adhuc committis injustitiam, cùm lucrum accipias sine titulo,non verò esse illicitum, sperare aliquid,tanquam congruum ex gratitudine;illud ergo prohibetur , non hoc. Vnde , quando prædictum *cap. Consuluit*,dicit , licere , sperare lucrum minùs principaliter ex mutuo,semper intelligendum ita est,ut sensus sit,licere,illud sperare,non tanquam debitum ex justitia,sed tanquam congruum ex gratitudine,& amicitia dumtaxat. Vide omnino, quæ dicam *infrà,cap.4. §.2. & cap.5. §.4.*

3. Duo tamen scopuli possunt in praxi diligentissimè declinandi : Alter,ne fiat pactum antea : Alter,ne sit quis nimis importunus in petendo lucrum ex graditudine. Quamvis enim pactum fiat expressè , ut lucrum detur ex gratitudine dumtaxat , & quamvis mutuans solùm vtatur precibus , vnde speculativè non videatur , sic induci malitia vsuræ , tamen , quia , ut verè effugiatur injustitia , mutuatarius ex mera , & pura libertate , & voluntate dare debet , quæ libertas facilè in prædictis scopulis violatur,& infringitur, cùm illud pactum antea factum , & importunæ illæ preces ostendant involuntarium , & multò magis , si mutuatarius concipiat timorem , ne alia vice difficulter inveniat , qui mutuet , ideo dixi , esse in praxi geminos illos scrupulos solertissimè cavendos.

4. Inquires : Peccóne , & obligor ad restitutionem. Primò , si accipiam bona fide lucrum, tanquam ex gratitudine, vel simili justo titulo , mutuatarius tamen verè det,tanquam debitum ex justitia ? Secundò,quid,si contrà, mutuatarius det ex gratitudine , tu verò accipias ex justitia ?

5. Respondeo ad primum , te non peccare ; Quando tamen rescies,mutuatarium dedisse ex vi justitiæ,reddere debes omnino lucrum,quod extat,vel id,in quo factus es ex eo ditior , quia tunc , jam cognoscis , te titulum non habere retinendi.

6. Ad secundam, te peccasse quidem : ex conscientia erronea,sed illa depositâ , lucrum tutò retine , quia jam habes titulum justum retinendi. Vtramque responsionem legere poteris apud Less. *lib.20. dub.6.*

7. Respondeo,te debere restituere, quia in dubio melior est conditio possidentis : Nunc autem verè, & civiliter possidet mutuatarius, quamvis materialiter lucrum sit apud te : sicuti , quando Latro possidet rem meam, possessio vera,& civilis est apud me, licèt possessio materialis , seu , ut vocamus,naturalis,sit apud Latronem, Less. *ibid.* contra Cajetanum.

8. Postremò,hîc est rejicienda falsa illa sententia Scot. *in 4. dist.15.q.2.art.3.* apud Molin.mox citandum,& aliquorum ipsam sequentium , qui asserunt,vsurarium non teneri restituere , si mutuatario non manifestavit suam intentionem exigendi supra sortem,quamvis peccet exigendo , sed peccare , & restituere tunc solùm debere, quando id manifestavit. Ratio est, aiunt , quia, quando non manifestatur hujusmodi intentio mutuatario , ipse mutuatarius præsumitur dare gratis. Falsa enim est sententia , ut falsa meritò visa est Molinæ,*d.304.n.* Soto *lib.6.de Iustit.quæst.1.art.4.* Med., *quæst.4.* aliisque ab eodem Molina citatis. Ratio est , quia fundamento sic præsumitur, immò cum maximo fundamento præsumitur contrarium.Nemo enim censetur gratis donare,ut *infrà,cùm de donatione*, fusiùs , Deo docebimus.

Præterea,si vera esset hæc sententia,sequeretur debitum mentalem nunquam obligari ad restitutionem, eo ipso,quòd sit solum mentalis, jam mutuo sine expresso pacto,& sine manifestatione suæ intentionis,dummodo *in cap.Consuluit , de vsuris*, teneri ad restitutionem mentalem vsurarium , clerè decernitur.

## §. II. *Lucrum ex Mutuo ratione alicujus muneris susceptî à Mutuante.*

### *Ratione laboris.*

1. POtest,teste Med.*de Cambiis,quæst.2.Nauar.in cap.17.num.209.*Molina *d.304.*Cœlest.*tract.de vsuris,cap.3. Quares* 3. Mutans aliquid porportionatum exigere ratione notabilis laboris , quem forte suscepit gratiam mutuatarii,in parandis , v.g.pecuniis,in numeranda ejus magna quantitate, in mensurando vino , transportando vino ad domum mutuatarii,&c.Ratio est, quia licitè potest quis locare laborem suum extra dominium alteri.

2. Dixi,*proportionatum* , in hoc enim fœdè laborem nonnunquam aliqui , vsuráque palliant,dum pro parvo labore sumunt non exiguam mercedem, tunc enim jam non videt , vel vsuram committi palliatam , vel clamat furtum. Expendat igitur homo prudens , & expendat quanti sit ejusmodi labor.

3. Dixi item, *in gratiam mutuatarii*, quod enim id semper est , quando datur mutuum. Quando enim mutuans dat mutuum tibi,in tuam gratiam numerat,numerat,transfert in domum tuam rem mutuatam:At quando mutuatarius reddit , discrimen invenio inter numerationem , seu mensurationem , & inter translationem.Nec quoad translationem mutuatarius ipse debet rem transportare in locum,in quo rem habuit à mutuante,ne licet mutuans ex mutuo dato damnum expensarum relportationis patiatur. Vnde , si mutuans in alium locum non æquivalentem velit rem transferri,certè sibi expensis facere id debet, non mutuatarii , quia tunc rem propriam in gratiam suam aliò transfert. Quòd numerationem verò,vel mensurationem , cùm mutuans habeat , ne defraudetur in numero , vel in mensura, debet mutuatarius coram mutuante numerare , vel mensurare & quidem propriis ipsius mutuatarii expensis. Ratio est, quia ad mutuatarium pertinet , cùm reddit mutuum,idem numerare,ne plus,vel minus reddat ; Certè in decimis Ecclesiæ solvendis ex frumento,solent in nostris Regionibus Domini suis expensis frumentum mensurare coram eis,qui Ecclesiæ decimas recipit. Et meritò,nam rem suam gerit Dominus,dum mensurat : ne scilicet det plus,quam debet , cum suo damno , vel minus,quàm debet , cum lucro peccato,vide,quæ dicam *infrà,in tract.de Cambiis,cap.1 §.3.num.6.*

### *Ratione gravaminis extrinseci.*

4. Potest secundò mutuans aliquid porportionatum accipere , si præter rem,quam dat mutuam,aliud grave men mutuo extrinsecum suscipiat,mutuat,v.g. tibi Petrus centum aureos hic, & suscipit onus pro te illos extrinsecum ferendi in emendis tibi vestibus,vel mercibus ; poterit sanè aliquid proportionatum accipere ex tali gravamine. Ratio est jam dicta , quia hæc nova onera sunt pretio æstimabilia,quæ nemo obligatur gratis suscipere.

*Ratione promissionis mutuandi.*

5. Potest tertiò mutuans aliquid à te accipere, si se obliget ad mutuandum, quoties tu volueris, seu quoties tu pecunia indiguetis. Ratio est eadem, quia id novum est gravamen. Hinc licitè Mercator aliquid lucri accipit à Principe, vel Civitate, quando se obligat ad mutuandum ipsis, quoties frumento, v.g. indiguerint, &c. & ita docet Tol. *l.5.c.38. n.6.* Scotus, aliique.

*Ratione Assecurationis.*

6. Potest quartò, mutuans aliquid à te accipere ratione Assecurationis. Vt id intelligas, vel scito, vel recolito, posse mutuatarium ad assecurandum mutuantem de dato mutuo, rogare aliquem tertium, ut fidejubeat, seu assecuret mutuantem de ejus sorte, cui tertio aliquid solvit pro tali fidejussione; aliquid, inquam, proportionatum à viro prudenti decernendum juxta pericula, quæ, omnibus expensis, in eo mutuo timeri possunt. Immò, quamvis Covar. *lib.3. variar. cap.2.n.6.* neget pro fidejussione posse aliquid accipi, quando nullum est periculum in solutione; tamen Alii cum Navar. *in man.c.17.n.285.* affirmant, posse, quia adhuc est pretio æstimabile, sic fidejubere: Adde, saltem moraliter, propter tot rerum mundanarum varietates semper subesse aliquod periculum, sed certè tunc valdè minus (si minus est periculum) debere esse, quod accipitur, monitione non indiget.

7. His positis: Quærimus, An, sicuti mutuatarius potest advocare pro suo fidejussore hunc tertium, dando illi proportionatam mercedem, ita licitè, & justè possit acceptare pro fidejussore suo ipsum eundem mutuantem, qui licitè possit proportionatum pretium à mutuatario accipere.

Respondeo, licitè, & justè posse, si aliud non addas. Ratio est, quia hoc est subire novum gravamen. & sicuti justè solvi potest tertio ejusmodi merces, ita poterit solvi mutuanti.

8. Dixi (*si aliud non addas*) nam si à mutuante obligaretur mutuatarius ad eligendum pro suo assecuratore ipsum mutuantem, injustè se gereret, quia obligaret mutuatarium ad aliquod præstandum, ad quod ex vi mutui non obligatur, quare adderet mutuatario novum gravamen, quæ injustitia esset manifesta. Contra prædicta videntur prima facie esse aliqui Sacri Textus, præsertim *C. Navigantis, de Vsuris*, quorum explicationem lege apud DD. Mol. Less. Sal. apud De Lugo mox citandum, & breviter omnes complectentem De Lugo *d.25. de Iust. à num.79.*

Denique adverte, multa huc pertinentia propter connexionem casuum fore iterum dicenda *cap.4. sequenti.*

## §. III. *Lucrum in Mutuo ex damno emergente.*

1. PRæmittendum est pro Tyronibus, quid sit damnum emergens, quid lucrum cessans. Damnum emergens dicitur illud, quod patimur in nostris bonis, quæ possidemus, eo, quòd alteri illa concedimus. Quare, si, ut tibi dem mutuos centum aureos, cogar ab alio eosdem ad vsuram cum meo interesse, decem, v.g. aureorum, accipere. Vel, si, ut tibi mutuem frumentum, v.g. cogar res meas vili pretio cum meo damno, quinque, v.g. aureorum, vendere, vel hinc ad quatuor menses idem triticum pro meo victu carius cogar emere, duobus, v. g. aureis amplius, dicor pati *damnum emergens*, in illis decem, quinque, duobus aureis.

2. Hinc affine est lucrum cessans. Hoc enim est illud damnum, quod patimur, non quidem in bonis, quæ possidemus, sed in lucro, quod probabiliter acquireremus, si nostrum alteri non concederemus. Habeo, v.g. pecuniam paratam ad emendum nunc, tempore messis, triticum cum spe lucrandi, omnibus expensis, aureos centum; Si tibi hanc pecuniam mutuem, quo mutuo posito acquirere ejusmodi lucrum non possum, cessabit mihi lucrum in aureis centum, & hoc, *lucrum cessans* appellatur. Vnde vides, lucrum cessans posse etiam vocari damnum emergens, quatenus qui lucrum separatum non acquirit, damnum pati, dici profectò potest. In *hoc paragrapho* dicemus de damno emergente, dicturi mox de lucro cessante.

3. Certum est apud omnes, posse mutuantem exigere totum illud damnum, quod ratione mutui ipsi provenit, seu emergit; nam ratio naturalis manifestè dictat, ut nemo obligetur cum suo damno alteri Beneficium præstare. Ita passim Theologi, ut S. Thom. *2.2. quæst.77. art. 1. & quæst.78. art. 2. ad primum.* Valent. *2.2. tom.3. disp.5. quæst.20. p.2. conclus.3.* aliique. Vnde licitum esse mutuanti pacisci, etiam ante mutuum datum, de hoc damno emergente à die contractus celebrati, quia justam rem deposcit.

4. Tria tamen requiruntur, ne injustitia, seu vsura intercurrat. Primò, ut mutuum sit re vera causa hujus damni, & aliter impediri damnum non possit; si enim mutuans habeat alias pecunias, seu illas facilè parare queat, quibus possit damnum illud impedire, vel amicus pecuniam offerat, non poterit ex hoc capite lucrum accipere ex mutuo, quia tunc mutuum non est causa ejusmodi damni.

Secundò, ut admoveatur mutuatarius de ejusmodi damno, seu, quod idem est, ut ab initio fiat pactum de hoc damno; nam fortasse nolet is accipere mutuum cum eo onere.

Tertiò, ut non excedat limites valoris damni, ut ex se patet, & nos *alibi* diximus.

5. Duo autem damna possent, debentque hic distingui: Alia sunt; quæ ex mutuo sequuntur mutuanti pro tempore, quo ex conventione durat mutuum, hoc est; vsque ad præfixum terminum, quo debet mutuum reddi, & de his damnis hactenus loquuti sumus: Alia sunt, quæ sequuntur ex eodem mutuo pro tempore, quod currit post terminum prædictum, quæ alio vocabulo dicuntur damna ex mora, id est, quæ ex mora solvendi fortè sequuntur mutuanti; De his igitur posterioribus quærendum est, an & quatenus debeant resarciri à mutuatario?

6. Debere resarciri, si de illis dictis mutuatarius fuerit admonitus, vel si pactum de ipsis præcesserit, tenent omnes, quia, ut supponimus, vera causa talium damnorum tunc pari modo est mutuatarius. Requiritur tamen, ut verè, & necessariò sequantur ratione mutui. Vnde, si mutuans, propter moram mutuarii in reddendo, accepit pecuniam, solvendo interesse, ut suis vsibus necessariis subveniret, hoc interesse, tanquam damnum emergens debebit resarcire mutuatarius: at, si, ut luderet, vel quid simile non necessarium faceret, non debebit mutuatarius quia is non obligatur, nisi ad damnum emergens, quod ipsi imputetur, ut causæ: at in hoc eventu ejusmodi interesse non imputatur mutuatario, sed ipsi mutuanti.

7. Præterea sequitur, ut mutuatarius potuerit in termino solvere, nam non dicitur esse in mora, si inculpabiliter solvere non potuit.

8. Quoad illud, quod dictum est, (*si fuerit admonitus,*) adverte, esse controversiam inter Doctores, an si de hoc damno mutuanti sequuturo post moram non sit admonitus mutuatarius, nec præcesserit de illo pactum; debeat nihilominus hoc resarcire dictus mutuatarius?

Et quidem licèt nonnulli, ut Navar. *in Comment. de Vsuris, num.55.* Petr. Navarr. *lib.3. cap.2. num.208.* dicant, debere, quia non est necesse, aiunt, ut moneatur, cum ipsa dies solutionis interpelle pro homine, ut dicitur *in l. Magna, Cod. de contrahenda stipulatione*, tamen ego *lib.8. Decal. t.3. cap.8. §.3. n.9.* cum Azor. dixi, debere admoneri, quia probabilius existimavi, hanc monitionem debere præcedere; fortasse enim mutuatarius statim solveret sortem, nec ad hoc novum damnum resarciendum obligaretur, & donec admoneatur, potest præsume-

re,

re, creditorem remittere: Dies autem interpellat quidem pro homine, sed non quoad damnum hoc sequuturum, sed quoad debitum, seu sortem principalem. Excepi tamen ibi ex Sà, *v. Mora, n.* 2. & iterum excipio consuetudinem apud mercatores, qui in contractu mutui pecuniarum semper supponuntur paciſci de damno quocunque eventuro, quæ consuetudo, ubi adest, meritò servanda est.

## §. IV. *Lucrum in Mutuo ex lucro cessante.*

1. DAmnum emergens debere modo jam prædicto a mutuatario resarciri, docent omnes; non autem omnes idem docent de lucro cessante; Nam Durandus, *in* 3. *d.* 37. *quæst.* 2. *ad primum*, Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. Sot. *lib.* 6. *de Iusti. q.* 1. *art.* 3. *concl.* 4. apud Mol. mox citandum *n.* 10. aliique negant. Verùm, jam communis nunc est, & vera sententia affirmativa, id est, idem dici debere de lucro cessante, quod diximus de damno emergente. Ratio fundamentalis est, quia, est etiam pretio æstimabile, me amittere lucrum, quod probabiliter sperabam: Cùm ergo tu hujus jacturæ sis causa, resarcire teneris. Fruſtra autem citatur D. Thomas contra nos. Nam advertunt Cajetanus, 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad primum*, & Molina, *d.* 315. *ad finem*, D. Thomam nullo modo contra nos esse: is enim, vel solùm dicit lucrum, quod est in potentia remota, & non est spes illud habendi, non posse vendi, vel, si loquatur de lucro probabili, & in potentia proxima, solùm vult, ut non vendatur ad æqualitatem, sed quanti dumtaxat ab experto viro æstimatur spes illa probabilis lucri.

2. Sunt autem, & hic tres conditiones necessariæ, ad exigendum in mutuo hoc lucrum cessans. Primò, ut pecunia, quam mutuas, sit destinata negotiationi, secùs non cessaret ratione mutui tibi lucrum. Quòd, si habeas domi aliam pecuniam otiosam, hanc tamen, quam mutuas negotiationi destinaveras, adhuc potes, si hanc destinatam mutues, exigere lucrum cessans, quia verè ratione mutui cessat tibi ejusmodi lucrum ex hac destinata pecunia.

3. Si quis sit dubius, an negotiationi destinanda sit pecunia in occasionibus, quæ se fortè offerent, non potest totum lucrum accipere, sed ad rationem dubii à prudenti viro decernendum.

4. Si quis sub conditione sic destinaverit: Vellem meas pecunias negotiationi exponere, sed quia adest qui eas petit mutuas, illi do, si inquam, sic destinaverit, poteritne licitè exigere, vel paciſci de toto lucro cessante?

Quod possit, dicit Lessius, *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 90. & 95. esse opinionem probabilem. Ratio præcipua est, quia adhuc mutuo re ipsa id, cujus carentia est causa, ut mihi cesset lucrum. In praxi tamen notant aliqui Recentiores ob periculum palliandi vsuram, id non esse facilè admittendum.

5. Secunda conditio est, ut admoneatur de hoc onere mutuatarius eo modo, quo nempe *num.* 4. diximus de damno emergente. Lege Valentiam, *tom.* 3. *d.* 5. *quæst.* 20. *p.* 2. *concl.* 3. **Tertia conditio**, cui adde Lopez, *lib.* 1. *de contract. c.* 23.

6. Tertia conditio, vt non exigatur, testibus Less. *loc. cit. num.* 96. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 33. nisi quanti æstimatur spes illa lucri, quam certè posse multipliciter impediri, negari non potest, deductis item expensis, & periculis.

7. Laborem, quem mutuans posuisset in acquirendo lucro; quod nunc cessat ratione mutui, non debere regulariter deduci, notant Lessius, Salas, Reginaldus, aliique, quos sequitur Dicastill. *lib.* 2. *de Iustit. tr.* 10. *d.* 2. *d.* 5. *n.* 178. quia homines communiter volunt potiùs laborare, quàm otiantes nihil lucrari. Excipe rem, nisi fortè labor fuisset futurus adeo magnus, ut esset probabile, mutuantem aliquo saltem pretio illum laborem fuisse redempturum.

Alias quasdam conditiones requirit Conradus, *de contractib.* quæ certè, vel non sunt necessariæ, vel prædictas reducuntur.

8. Quoniam verò spes dicti lucri est incerta, dubio modo potest initio mutui fieri de dicto lucro pacto. Primò, ut tunc, determinetur lucrum aliquod moderatum, quod, deductis omnibus expensis, vir expertus consequi possit: & tunc sanè etiam minus, vel plus fuisset lucratus illud, determinatum exigi solum poterit. Ratio est, quia tanti vendidit illud lucrum mutuans, quanti probabiliter valere judicatum fuit, ergo tanta correspondentia ces semper danda.

Secundò, ut nihil antea determinetur, sed solùm postea id lucri, quod deprehenderit cessasse, deducendo autem poterit, vel ex eo, quòd mercatores alii in simili negotiatione lucrati sunt, vel ex eo, quòd ille ipse pecuniam mutuavit, lucratus est in negotiatione simili per annum æqualem pecuniam.

9. Sed certè valdè difficile est cognoscere, quantum fuisset lucrum, quod mutuanti cessat ex pecunia mutuata: quare in foro interno, suam mutuans conscientiam consulat, ut tantum exigat, quanti ei deductis debitis expensis, verè cessat. In foro autem externo difficultas probandi clarè potest, vel quòd cessaverit lucrum, vel quòd tantùm cessaverit; ut docet Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent. casu* 119. vnde nullus ex mutuatariis obligatur in foro externo foro solvere lucrum cessans, nisi actu probet se mutuum amisisse illud lucrum, id quod etiam notat Cassanæus, *decis.* 79.

Conjecturæ autem, quod lucrum tandem aliquod mutuanti cessaverit, ducentur primò ex eo, quòd mutuans solitus erat negotiationi suas pecunias exponere. Secundò, quod habebat merces paratas, quas de more emisset ad lucrum, nisi mutuasset. Tertiò, ex Testibus, qui de hac more testificentur. Quantum autem cessaverit, judicis arbitrio relinqui, notat Rebuffus, *in l. vnic. de fenore pro eo, num.* 516.

10. Quæres: Sicuti potest, arbitrio mutui, seu pacto de lucro cessante, liciténe potest, etiam ipsum lucrum cessans tunc exigi? Mutuo, v. g. tibi nunc centum aureos pro vno anno, in quo, omnibus expensis, mihi cessabunt de lucro decem, liciténe possum nunc accipere à mutuatario hos decem?

Respondeo negativè. Ratio manifesta est, quia ibi non mutuares centum, sed nonaginta, ut fusiùs docet Medina *de vsur. quæst.* 3. §. *Sept. condicio.* Petr. Navar. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 305. Less. *loc. cit. n.* 99. aliique, & non alia remedia, seu justa artificia tradidimus *lib.* 8. *in Prol. tract.* 3. *cap.* 8. §. 3. *à n.* 16. quorum auxilio aliquid accipatò sumi possit.

## §. V. *Lucrum in Mutuo ex pœna conventa.*

1. NOn loquimur de pœna, quæ in mutui contractu apponi ex pacto posset in compensationem lucri cessantis, & damni emergentis, hæc enim ante sententiam, & omnino, debetur in conscientia, quia compensat interesse mutuantis, de quo jam paulò antè actum est satis; sed loquimur de pœna merè conventionali, quæ ex solo pacto debeatur mutuatario, in casu, in quo, præfixo termino, non reddat mutuum, etiamsi nullum damnum emerserit, vel lucrum cesserit mutuanti. Hanc aliqui vocant pœnam punitivam, quia punit violationem fidei mutuatarii, qui non reddit mutuum, quando reddendum promisit.

2. Duo in hac difficultate sunt discutienda. Alterum; An hæc pœna conventionalis justè, & licitè apponi possit in mutuo, sic: *Do tibi mutuos centum aureos, pro hoc anno, in fine cujus, nî reddideris, solves mihi pro pœna quinque aureos.* Alterum: An solutio dictæ pœnæ debeatur in conscientia ante condemnationem Judicis, vel ante petitionem partis?

3. Quoad primum, Assero, justè, & licitè posse. Ratio est, quia in omni contractu justè ponitur pœna rebi-

liarii

lienti, vel ipsum contractum non observanti, & hujus ratio est, quia pœna iustè imponitur pro culpa.

4. Tres autem conditiones requiruntur ad iustitiam hujus pœnæ. Prima, ut præcesserit culpa mutuatarii, quare si is non habeat in præfixo termino, vnde solvat mutuum, non obligatur in conscientia ad dictam pœnam, quia tunc nullam culpam ipse commisit.

4. Quæres: Quid, si ideò est impotens ad solvendum, quia prodigè vixit, & inutiliter sua bona consumpsit?

6. Respondeo: Molina *disp.*317.*n.*8. & Lessius *lib.*2. *cap.*20. *n.*132. aiunt, in eo casu ideo obligari, quia tunc poterat facilè advertere, se ex culpa sua reddi impotentem: at De Lugo *disp.*22.*de Iust.n.*398. ait, ideò obligari, quia sufficit culpa antecedens, qua quis prævideat se futurum impotentem ad solvendum.

Nota, Molina dicit (*quia facilè poterat advertere*) De Lugo ait, (*qua quis prævideat*) quæ duo dicta sunt longè diversa, Molinæ enim sufficit, quod facilè potuerit esse advertentia, De Lugo requirit ipsam advertentiam.

7. Certè, quia culpa non est, nisi præcedat advertentia illa, quam *lib.*1. *Decal, cap.*3.§.10. explicuimus, sentiendum cum De Lugo: nisi fortè debitor prædictus negligentia graviter culpabili impediverit advertentiam futuræ impotentiæ, nam tunc aderit negligentia graviter culpabilis, & consequenter contrahetur dicta pœna, quò fortasse respexit doctissimus Molina.

8. Secunda conditio: Ut non ponatur hæc pœna ad palliandam vsuram. Illa autem palliatur, si mutuans ideò hanc pœnam ponat, quia lucrum habere vult ex ipso mutuo, quod, ut occultet, dictam pœnam obtendit: quam palliationem clarè apparet adesse, quando sciens mutuans, nam posse mutuatarium solvere in tempore præfixo, adhuc pœnam apponit.

9. Tertia conditio: Ut non sit immoderata, sed juxta quantitatem culpæ, secùs, id quod culpam excedit, injustè conraderetur. Vnde differre solutionem per biduum, vel per hebdomadam, non æstimari culpam, saltem dignam tanta pœna, notat De Lugo *l.c.* Præterea, si pars, non verò totum solvatur, diminuet certè de culpa, sed non diminuet, quando non totum solvit, æquè mutuanti noceat, ut si prædium non emit mutuans, quia totam summam non habuit, id quod rectè notat Bonac. *d.*3. *de contract.p.*3.*p.*7.*n.*2. *v. Ex quo.* Nec displicet interim Pasqualigus, *cent.*4. *quæst.*362. asserens, creditorem, acceptantem solutionem partis debiti, censeri liberare debitorem à mora: sibi enim, eam partem acceptando, prædicat; nam dum partem acceptat, videtur, inquit, implicitè pœnam moræ & quodcunque interesse ratione moræ habitum remittere. Hæc Pasqualigus, quibus necessariò addendum est, nisi creditor explicet, acceptare se partem sine præjudicio sui interesse.

10. Quoad posterius, triplex adest sententia: nam primò pœnam conventionalem deberi in conscientia ante omnem Iudicis condemnationem, etiam parte non petente, docet Felinus, Decius, aliique apud Castropalaum, & Sanch. mox citandos. Ratio est, inquit, quia quod ex contractu debetur, debetur in conscientia, etiam, parte non petente, nec Iudice condemnante: at hæc pœna, cùm sit conventionalis, ex contractu debetur.

11. Secundò non deberi, etiamsi pars petat, nisi accedat Iudicis sententia, tenet Sanch. *lib.*1.*de matr.d.*37. Castropalaus, *tom.*2.*tract.*3.*d.*2.*p.*3.*n.*4. Vasq.*p.*2.*d.*173. *c.*1. aliique plures apud Dian. *p.*1.*tr.de contract.resol.*29. aliique: Ratio est, aiunt, quia eo ipso, quod ponitur, ut pœna, quamvis ponatur ex pacto inito contractus, præsumitur poni juxta naturam aliarum pœnarum legalium quæ est, ut non debeatur, antequam accedat Iudicis sententia, præsertim, quia sæpissimè ejusmodi pœnæ conventionales sunt rigidæ, expeditque eas moderari per Iudicem, ut rectè advertit Menochius *de Arbitrariis, l.*2.*cent.*3.*casu* 266.

12. Tertiò, deberi ante Iudicis condemnationem, non tamen, antequam pars petat, sentit Suar. *lib.*5.*de legib.cap.*6.*num.*8. Bonac. *d.*3. *de contr. quæst.*3.*p.*7. *num.*4. De Lugo *d.*22.*de Iust.à num.*406. aliique. Ratio est (inquiunt) quia hæc videtur esse intentio contrahentium cui in foro conscientiæ standum est, ut ex vna parte nolint sibi imponere onus recurrendi ad Iudicem cum expensis litibus, incertitudine eventus, &c. & ex alia parte, nec velint se obligare, parte non petente, nisi expressè ad hoc ipsum se obligent in contractu.

13. Has duas postremas sententias, quas fusè agitatas vide apud citatos, esse vtrasque probabiles, non ambigo: primam verò nequaquam recipio, quia vsu videtur explicatum, parte non petente (adde tamen, potente petere) remitti, vel saltem differri debitum.

## §. VI. *Lucrum in Mutuo ratione periculi.*

1. NOn est hîc sermo, an mutuans possit periculum mutui apud se, accepta à mutuatario mercede sumere, de hoc enim tractavimus modò §. 2. *num.*6. sed, an idem mutuans possit aliquid porportionatum sumere ex eo, quod videt suam pecuniam Petro, v.g. mutuatam periclitari propter dubiam fidelitatem, vel propter paupertatem, vel propter aliud, quod timetur in Petro. Vides, in casu dicti §.2. adesse duos contractus alterum mutui, alterum assecurationis mutui, in hoc autem casu adesse dumtaxat contractus mutui, pro cujus periculo vult mutuans aliquid sibi solvi.

2. Assero, posse aliquid recipi sed proportionatum, Ita Valentia *tom.*3.*dub.*5.*quæst.*20.*p.*2. *concluf.*4. Sylvest. *v. Vsura* 1. *q.*55. Sà, Molina, Less. Bonacin. Filliuc. Diana eos sequens, & citans *p.*1. *tract. de contract. resolut.* 37. & 41. De Lugo *de Iustit. disp.*25.*num.*81. aliique quamvis aliqui negent, ut Navarr. Sotus, Tol. Salas, Rebelli, aliique apud de Lug. *l.c.*

Dico (proportionatum) nam aliquando est majus, aliquando minus periculum propter varias personæ mutuatariæ circunstantias, propter longius, vel brevius tempus, quo mutuum restitui debebit, vel propter quid simile. Ratio autem nostræ sententiæ ducitur ex eo, quòd negari nequit, esse pretio æstimabile, & quidem extra ipsum mutuum, quod mutuans subeat periculum amittendi suam pecuniam, & quod idem toto anno, v.g. quo durat mutuum, molestiam passurus sit, quam ei affert timor suam pecuniam amittendi: Hujus autem periculi timorem esse extra mutuum, patet, quia ab illo separari potest. Nam, si mutuum dem homine fidelissimo certóque, ac tuto pignore apud me depositò, quo pacto certitudinem habeam, quod mutuum non sim amissurus, adhuc constet mutuum, & tamen nullum odoratur periculum amissionis.

Confirmatur, quia si tibi locem, vel commodem equum, vel domum, probabiliter timens, ne apud te hominem socordem, & dubiæ fidei, deteriora illa fiant, vel amittantur, possum aliquid accipere, vel exigere, propter periculum, quod in tui gratiam subeo, ergo & in casu nostro.

3. Hinc vides primò, quando apud te certum pignus habuisti pro assecuratione tui mutui, vel fidelissimum fidejussorem, te non posse, ex hoc capite periculi aliquid sumere, quia tunc, cùm periculum nullum subesse supponatur, molestiam non patieris, ergo illius tolerantiam vendere non poteris.

4. Vide secundò, etiamsi deinde suo præfixo tempore totum mutuum integrè tibi solvatur, posse nihilominus dictum aliquod proportionatum à te exigi & retineri. Ratio est, quia hoc exigis ratione gravaminis, quod jam certò suscepisti, tolerando per annum illud periculum, & timorem amittendi mutuum.

5. Objicies: Si ratione periculi, & metûs liceret ex mutuo, aliquid accipere, is qui est meticulosior posset plus accipere, quia major molestia, quam is patitur, majorem mercedem meretur: at id videtur falsum, ergo & in vnde sequitur.

Respon

Respondeo : Communiter à Doctoribus, ut Molina, *disp.356. num.5.* Sal.*de contract. tract. de usur. dub.22.* aliíque, negari solet sequela majoris,nam timor,aiunt, debet niti aliqua ratione probabili , ita ut quilibet vir prudens , attenta qualitate mutuatarii , cæteríque adjunctis,probabiliter queat dubitare ejusmodi periculum non recuperandi mutuum : quare, si verè non adest , sed adest solùm falsa apprehensio mutuantis , non erit satis ad aliquid exigendum : sicuti in matrimonio metus ex falsa apprehensione contractus , non est satis ad ipsum invalidandum , ex Sanchez *lib.4. matrimon. disputat.1. num.15.*

6. Dixi , *( Communiter à doctoribus negari )* nam inclinat De Lugo *loco cit.* (sed timidè relinquens aliorum judicio ) posse, etiam tum,aliquid accipere, quia , quidquid sit, (ait) in contractu matrimonii,pro cujus invaliditate potuit ob suas peculiares rationes requiri à jure metum ex re ipsa , non autem falsa apprehensione conceptum, de qua re *alibi* disputatur ; in nostro certè casu, videtur esse satis , hunc metum hominis pusillanimis, quia jam in homine adest major molestia animi , quam majori pretio vendere is possit;sicuti enim adest in claudo major molestia ambulandi , quàm adsit in homine robusto , licèt ex vitio, & infirmitate procedens,quàm certè majorem molestiam,si in tui gratiam claudens subeat , poterit aliquid plus exigere , quàm exigit is, qui nullam,vel satis minorem molestiam in ambulando sentiret , ita in casu nostro , hæc ex De Lugo.

### §. VII. *Lucrum in Mutuo ex contractu innominato : Do , ut des.*

1. NVmero tibi centum aureos , ea lege , ut si ego moriar infra decem annos , tu nihil mihi , vel meis hæredibus reddere obligeris : si autem vixero,reddere tenearis alios centum,atque adeò ducentos aureos, nimirum decem pro singulis annis præcedentibus , licitúsne est hic contractus ?

2. Respondeo esse licitum,sed adverto,hunc non esse contractum mutui.

Quòd sit licitus , probatur , quia est par periculum amittendi , & lucrandi , atque adeò est contractus ludi sortis , qui per omnes est licitus.

Quòd non sit contractus mutui , patet ; nam præter cæteras rationes mutuum debet in omnem eventum restitui , *l. Incendium , C. si certum petatur* , quamvis fortuitò pereat. Sed in casu , de quo loquimur , si ego ante decimum annum moriar , tu potes illos centum sine scrupulo retinere , ergo hic non est contractus mutui.

3. Potiùs ergo erit , ut dictum est in titulo , contractus innominatus : *Do , ut des.* Doco tamen hîc agere volui , quia Sylvester *v.Usura 3. quæst.36. & 37.* Armill. *v.Usura,num.37. & 37.* Ang. *v. Usura 1.num.42. & 43.* aliique dicunt , hunc contractum esse usuratium , quia tunc, ( aiunt ) si ego non morerer , exigerem lucrum ex mutuo. Verùm,ut jam dictum est, nec exigerem lucrum ex mutuo , quia hoc non est mutuum, nec exigerem injustè quia ex ludo sortis exigerem.

### §. VIII. *Exigere in Mutuo,id quod debetur ex justitia, vel ex Charitate.*

1. PRimò : Debes certò ex justitia mihi centum : ego tibi mutuo alia centum, sed exigo ex pacto, ut reddas illa centum,quæ mihi aliàs ex justitia debes.

Secundò debes certò,ex Charitate mederi , vel adjuvare pauperem in extrema necessitate , ego tibi mutuo decem cum pacto, ut medearis,vel adjuves dictum pauperem,liciténe hæc exigo?

2. Respondeo ad primum , affirmativè , quia non exigo ex vi mutui , sed ex vi justitiæ extra mutuum. Ad secundum negativè respondet Petr. Navarr. *lib.3.cap.2. n.351.* quia adderem novum gravamen ex justitia , cum solùm ille antè obligatus fuisset ex charitate. Sed affirmativè , id est , licitè me gerere , respondet Mol. *disput. 309.* & meritò , quia , cùm adsit obligatio ex charitate , parum addit, qui insuper addit obligationem ex justitia , vnde sic non videtur moraliter superare novum gravamen.

3. Dictum est autem ( debes certò ) nam , si dubia debeas , negativè in vtroque casu respondendum , quia clara est injustitia , velle certò , quod dubie debetur.

Quid si probabiliter debeas ? respondeo : Cardenas *in Theol. morali,lib.2. d.14. casu 4.num.731.* affirmative respondet. At hæc sententia difficillima mihi est. Tu ; quia sic facis certum debitum, quod erat solùm probabilitate , & me privas eo jure,quo poteram uti probabilitatem apud Judices vrgere, quo pacto forsan vincerem , pihilque tibi essem traditurus, id quod est pretio non parvo æstimabile esse , negabit nemo.

4. Contrà : Ego mutuans,v.g.debeo æquum vel tenuum , quod tibi intuli in fama , honore, rebus tuis citéne,& justè possum tibi mutuare cum pacto, ut id omninò remittas ? Id enim, etiam hîc, est redimere propter connexionem materiæ.

Respondeo,esse nimis manifestum,non posse petere pluſquam mihi debetur ex mutuo : remissio prædictorum est nimis manifestè pretio æstimabilis.

5. Quid de pœna , quam mutuans tibi ob alterationem fortè debebit post sententiam Judicis, possitne is licitè tibi mutuare pecuniam cum pacto,ut illam pœnam remittas antè dictam sententiam, quando ipse adhuc nondum obligatur ad illam subeundam ?

Respondeo , non posse , ut habet Ang. *v.Usura 1.* Mol. *d.307.* Less. *l.2.c.10.dub.7.* & Salas *de usuris,dub.* nam licèt tunc non sit debita hujusmodi pœna proprie, est tamen remotè debita , cùm mutuatarius habeat jus accusandi mutuantem;quare mutuans peteret incerta in mutuo , si peteret remissionem illius,quæ certè videtur non parvi æstimatur apud homines.

6. Quid denique de vindicta,quam injuriatus, aut mutuatarius in aliquo fortè offensus sumat de ipso mutuante?Potestne mutuans mutuare pecuniam cum pacto, ut mutuatarius ab illa vindicta desistat?

Respondeo : Vt desistat à vindicta iniusta, vel etiam modo intenta , qualis esset vindicta, quæ fieri debet auctoritate privata,poterit licitè. Idem dic, ut desistat ab odio. At , ut desistat à vindicta,seu satisfactione debita, ab illa satisfactione, quam justè potest implorare ab auctoritate publica , non poterit licitè. Ratio est, quia si peteret , quod sibi non debetur, atque adeò imponeret mutuatario novum gravamen:hîc verò secùs.Ita Navarr. *cap.17.in man.n.239.* Caiet.*in summa,v.Usura 1.* Sylv.*v.Usur.1.q.11.*

7. Hic tamen recolendum est,quod diximus *supra,tract.2. §.1.* de requirente gratitudinem ; nam inde colligo, rigore non esse illicita hæc , quæ in hoc §. dicta sunt, peti tanquam ex gratitudine,& amicitia. An verò possit fieri pactum , ut , dum ego tibi Beneficium mutuo impendo,tu impendas Beneficium hoc remissionis,quæritur semper ex congruentia,dicam *infrà,cap.4.§.2.n.9.* & explicatiùs *c.5.§.4.*

### §. IX. *Lucrum in Mutuo,quod exigitur à Montibus Pietatis.*

1. HVc id reducimus , quia in Montibus datur mutuum cum certo lucro, ut jam videbimus.

Est enim Mons pietatis summa aliqua pecuniæ , vel tritici &c. in communi posita ex alicuius donatione, vel eleemosyna, destinata ad mutuandum indigentibus,sive semper capitali, quodcunque tandem illud sit.Habet autem tres conditiones.

Primam , ut mutua detur certa quædam quantitas ex ea summa , idque ad tempus certum.

Secundam,ut mutuatarius det idonea pignora cautionis

dienda apud prædicti Montis Administratores, quæ, non solventibus statuto tempore mutuatariis venduntur, retenta à Monte parte sibi debita, alia verò, si superet, ipsi mutuatario reddita.

Tertiam, ut mutuatarius pro rata pecuniæ sibi mutuatæ, & pro rata temporis solvat singulis mensibus certum quid pro laboribus & stipendio Ministrorum Montium, pro conductione domus, in qua hi Ministri residunt, pro libris rationum, & pro aliis sumptibus ad Montis reservationem necessariis.

2. Asserendum est hujusmodi Pietatis Montes licitos, immò, & verè pios esse. Ratio evidens, & principaliter est, quia illud, quod solvitur pro ejusmodi mutuo, solvitur propter expensas necessarias ad conservandos Montes in commodum mutuatariorum. Sanè, si mutuares Petro centum modios frumenti, qui ad illum pervenire non possunt, nisi operâ, & laboribus asportantium, nónne deberet Petrus, in cujus gratiam fit translatio frumenti transportationis solvere stipendium? Ita prorsus in casu Montium, Lessius *lib.2.cap.20. num.*191. dicit, hanc doctrinam esse de fide tenendam. Molina *d.* 325. ait, contrariam opinionem non esse tutam, Lupus, *in cap. Navig. de vsuru,§.3. num.*83. esse temerariam, Tolctus *lib.5. cap.*38. asserit, eum, qui contrarium affirmat, esse excommunicatum. Meritò autem hæ censuræ contorquentur, quia hi Montes fuerunt approbati in suis Constitutionibus à Paulo II. à Sixto IV, Innocentio VIII. Alexandro VI. Iulio II. ut habetur in Bulla Leonis X. & etiam in Concilio Lateranensi, *sub Leone X. sess.*10. & in Tridentino, *sess.*22. *c.*8. 9. *&* 11. *de Ref.*

3. Objicies: Cajetanus, *tom.2. opuscul.6.* qui interfuit dicto Conc. Lateranensi, scripsit integrum opusculum contra hos Montes. & Sotus *lib.6. quæst.1. art.6.* ait, ea, quæ sunt definita à Concilio Lateranensi non esse usu recepta.

4. Respondeo: Cajetanus scripsit illud opusculum multis annis, anta dictum Concilium, nempe anno 1498. ut patet ex fine opusculi, cum tamen Concilium hanc veritatem definiverit anno 1515. Sotus verò fundamento valdè infirmo nixus est. Nam definita in eo Concilio, saltem per totam Italiam usu recepta sunt. Quòd si non essent recepta, adhuc Sotus nihil contra rem nostram diceret; nam cùm Concilium definit aliquid, quod ad fidelium mores pertinet, errare non potest, nec id dependet ab usus receptione, quare cùm Concilium definierit, Montes Pietatis licitos esse, nemo sinè temeritate oppositum proloqui potest, immò Concilium excommunicat ipso facto contrarium dicentes, vel prædicantes.

5. Denique, sive ad ornatum, sive ad complementum hujus argumenti adverte, si Mons aliquis exigeret à mutuatariis, ut solverent tria, v. g. pro singulis centenariis, cùm tamen pro expensis, & rebus necessariis sufficerent duo, tunc illicitè, & vsurariè acturos Ministros, si tria exigant, ut ex dictis patet. Contrà, si progressu temporis duo, quæ nunc solent justè solvi, appareret, non sufficere, tunc poterunt exigi tria, ut item constat ex dictis.

6. Quæres: Si quid fortè supersit de sumptibus necessariis, potésne in Montis vtilitatem accrescere?

Respondeo, nequaquam, ex Filliucio *tract. 34. cap.9.* n.172. Ratio est, quia Mons non potest licitè locupletari ex mutuo, quod concedit, sed potest, dumtaxat, se servare indemnem. Quare superfluum est restituendum mutuatariis iis, qui plus, quàm debuêre, solverunt. Quòd si hi ignorentur, tunc expendatur in vsus pios, vel distribuatur in pauperes, vel componatur cum Bulla compositionis, vbi illa adest. Verùm, quia inter alios pios vsus meritò connumeratur, & ipse Mons, ideo tunc superfluum eidem Monti (non verò Ministris, quibus sufficienter est satisfactum) fas erit attribui.

Dixi (*ex Filliucio*) nam De Lugo *d.*25. *de Iust. numero* 105. propendet ad dicendum, (licèt denique se remittat intentioni mutuantium, & consuetudini) propendet, inquam, ad dicendum, quando bona fide Ministri montis exigunt tria, v. g. pro centum, putantes hoc sufficere, posse id, quod fortè superest, retineri absolutè pro Monte: sicuti, si fortè non sufficerent, ipse Mons damnum pateretur, nec à mutuatariis illud resarciendum postularet: tunc enim, idest, initio mutui, fuit par vtriusque, Montis scilicet, & mutuatarii periculum, sicuti *suprà* in simili dictum est de ludo sortis, ergo eorundem erit, sive emolumentum, sive detrimentum.

## CAPVT IV.

### *Casus in Mutuo Vsuram certò continentes.*

#### §. I. *Exigere in Mutuo benevolentiam ex justitia.*

1. CVm possim, ut *capite præcedenti*, §.2. diximus, à mutuatario exigere gratitudinem, beneuolentiam, amorem; quæro hîc, an possim hæc exigere quasi debita ex Iustitia?

2. Respondeo, nequaquam, sed solùm, sicuti *ibidem* diximus, tanquam congruentia, & cum libertate mutuatarii. Ratio est manifesta, quia, si exigeres amorem ex Iustitia, exigeres plus, quàm tibi à mutuatario debetur; ab ipso enim debetur tantummodo ex conuenientia. Lege Valentiam, *tom.3. disputatione 5. quæstione 21. part.2.*

#### §. II. *Exigere tanquam ex Iustitia in Mutuo obligationem remutuandi, fidejubendi, vendendi, agros colendi, &c.*

1. SI quis mutuet alteri cum pacto, ut mutuatarius teneatur remutuare mutuanti, quando is indiguerit.

2. Si cum pacto, ut mutuatarius mihi, in aliquo negotio, vel alteri meo amico fidejubeat.

3. Si cum pacto, ut idem mutuatarius aliquod iter suscipiat, vel aliquod opus in meum obsequium faciat, putà, medendi, docendi, vendendi, advocandi, agros meos suo tempore colendi, &c.

4. Si cum pacto, ut idem conferat mihi mutuanti, vel amico aliquod officium temporale, vel aliquod Beneficium Ecclesiasticum.

5. Si cum pacto, ut idem mutuatarius exhibeat mihi mutuanti, vel alteri munus, quod vocant à lingua, quale est alloqui Principem, Iudicem, &c. Vel ab obsequio, quale est comitari me mutuantem, vel meam vxorem, filios, &c. Vel à manu, quale est aliquid mihi mutuanti, vel suis elargiri.

6. Si cum pacto, ut ipse mutuatarius frequentet officinam, vel scholam, vel molendinum mutuantis.

7. Si quis, inquam, cum aliquo ex his pactis, ea ex Iustitia requirendo, mutuet, vsurarius clarè est. Ratio ducitur ex dictis, quia, hæc sunt gravamina vltra, seu præter mutuum, súntque obligationes civiles, sanè pretio æstimabiles. Hæc sparsim habes apud Doctores, apud quos invenies, an officium temporale, & Beneficium Ecclesiasticum, si sic acquiruntur, valide acquirantur? & an saltem sint renuntianda? & denique, an fructus ex illis percepti sint restituendi? præsertim in Beneficio Ecclesiastico, vbi sic interveniret simonia, quæ omnem collationem invalidat cum onere restituendi. Hæc autem solùm innuo; nam cæterùm pertinent ad alias materias.

8. Dixi tamen (requirendo ex Iustitia) nam, si solùm, & sincerè sine pallio vsuræ hæc requirantur, imò, & ad illa excitet mutuans mutuatarium, tanquam rememorando id, quod de jure naturæ est, nempe congruentiam ex gratitudine, non erit vsura, ut *ex præced.* §. constat.

9. Hùc pertinet sequens contrahendi modus, quo sic dicas: *Mutuabo interim, dum frequentabis meum Molendinum, vel quid simile facies: at quando deseris hæc præstare,*

*tenearis mihi mutuum reddere.* Quæro enim, an hæc sit vsura?

Respondeo, Molina *d.*309.*n.*15.& Less.*lib.*2.*c.*2.*n.*57. aliique citandi *infrà*, *cap.*5. §.4. *num.*2. licèt fateantur, periculum maximum esse, ne illa pallietur, tamen in rigore, si sine fuco, & fallacia fiat, vsuram non esse, putant. Ratio est, quia nihil sic requiritur, tanquam ex Iustitia.

10. Confirmant primò; Nam sic, nullum onus mutuatario imponitur, nec ei libertas adimitur, sed potestati ejus relinquitur, si velit, vel nolit, meum Mobiendinum, v.g. frequentare.

11. Confirmant secundò, quia licitè possum desinere tibi Beneficium conferre, quando tu mihi desinis benefacere, nec vlla est injustitia in me, si nolim perseverare in Beneficio mutuandi, quando tu recusas mihi aliud conferre Beneficium: tunc enim meritò possum, te, tanquam ingratum, excludere, & gratitudinem, tanquam conditionem, requirere, non tanquam pretium. Sed huic doctrinæ ne acquiescas, sicuti nec acquiescam ego *c.*5. §.4.*num.*4.

### §. III. *Exigerè in Mutuo obligationem reddendi pecuniam in frumento, &c. ubi remissivè de contractu ad Metam.*

1. RVstico mutuavi pecuniam, cum pacto, ut teneretur eam solvere tempore Messis; in frumento, oleo, vino, aliisve fructibus, justo quidem pretio, puta; quo tunc hi fructus valebunt, sûmne vsurarius? Respondeo affirmativè, cum Conrad. *de contract. q.* 16. Azor. *p.*3.*lib.*8.*de Mutuo, c.*7. Cœl.*tr.*11.*de Mutuo, c.* 2. quia addis novum gravamen, Mutuum enim pecuniæ requirit ut solvatur pecunia, tu verò obligas, ut detur frumentum, &c.

2. Objicies: At hic modus contrahendi est valdè frequens in vtraque Sicilia.

Respondeo: Nego, hunc modum esse in Sicilia frequentem. Aio enim alium contractum esse illum, qui in Sicilia frequens est, qui que vocatur, *Contractus ad Metam*, quo scilicet aliquis emit nunc hyeme frumentum, quod erit æstate consignandum, eo pretio, quod tunc determinabitur à Magistratu, de quo contractu per aliam occasionem nos *lib.* 8. *in Decal. tr.*3.*c.*7.*à n.*9. egimus. Vnde hîc advertis, quod nimis sæpè notant Doctores, & iterum ego mox notabo §.4. *à n.*11. eandem negotiationem: quæ vsurario sit modo, posse alio modo ab vsura omnino liberari. Id, quod patet in negotiatione, de qua loquimur; Nam, si mutuas pecuniam, cum pacto, ut tibi ristituatur frumentum, qui est casus propositus *n.*1. est vsura propter rationem dictam, at, si eandem pecuniam non mutues, sed rustico solvas in pretium frumenti, quod tibi vendit, consignandum suo tempore, juxta leges dicti contractus ad Metam, vsura non est, sed licitum lucrum de quo contractu, ut dixi, à nobis pluribus *l. c.* disputatum est.

### §. IV. *Exigere in Mutuo obligationem exigendi debita Mutuantis, vel obligationem acceptandi, vel solvendi partem debiti in alia re, vel similium.*

1. SI alteri mutues cum pacto, ut is teneatur cum suo notabili opere, ac labore exigere à tuo aliquo debitore id, quod ejusmodi debitor debet, vsura est, ut vult Sot.*lib.*6.*q.*1. *art.*2. multò magis, si cogas mutuatarium, ut id faciat cum suis expensis.

2. Si cum pacto, ut mutuatarius partem mutui accipiat in pecunia, & alteram in debito, quod difficilè recuperari potest, vsura vide Mol.*d.*310.

3. Si mutues, v.g. centum, cum pacto, vt mutuatarius quinquaginta accipiat in pecunia, & quinquaginta in alia merce, v.g. vino, frumento, veste, & simili, non facilè vendè la, vsura est. Lege Conrad.*q.*36.*de contract.* Mol.*l.c.*

4. Si mutues hic Panormi, vinum, oleum, &c. cum pacto ut reddas alibi, v.g. Neapoli, vbi æquiliter valet, transportatio tibi sit gravamini, vsura est. Ad Nav. *in man. cap.* 17. *n.*42. & 43.

5. Si mutues vinum, oleum, &c. hîc Panormi cum pacto, ut reddas alibi, vbi pluris valet, multò magis vsura est. Consule Mol.*d.*310. Quòd si mutuatarius haberet frumento in alio loco, & tu illud frumentum, vel ibi fortasse habes, mutuares ibid. cum pacto, ut illud deferet, excusareris ab vsura, quia tunc perinde est, ac si illud frumentum illuc transportares in commodum mutuatarii, & ille inde transportaret hucin tui commodum, atque adeò esset æqualis commutatio gravamium.

6. Si mutues vinum, v.g. cum pacto, ut tibi reddat vinum Chium, vinum Falernum, vel etiam vinum eiusdem qualitatis, sed determinatè hujus Regionis, & non alterius, quod parare difficile sit, mutuanti, vsura est.

7. Si mutues cum pacto, ut, quod mutuatarius tibi post annum, reddat nunc, vel post sex, v.g. mensis, vsura est. De hoc dicam aliquid aliud separatim.

8. Si mutues cum pacto, ut quod tibi debet dicatur, vel vinum, vel frumentum, vel pecuniam, sed determinatè dare determinatè in vino, v.g. vel determinatè in frumento, &c. vsura est.

9. Horum omnium, & similium ratio est evidens ex dicta, quia sic gravamen novum imponitur mutuatario.

10. Semper tamen advertè duo. Primò, non est vsura, si mutuatarius hæc præstet voluntariè, & non obligatè, sed verè ex gratitudine, vel ex eo, quòd ipsi difficile non est, nec damnosum, ut *suprà* notavimus.

11. Secundò, multa ex his posse, mutata forma contrahendi, liberari ab vsura, videlicet, si non esset contractus mutui, sed contractus emptionis, vel locationis, vel similis, ut dictum item paulò *superiùs* est. Ita si mutues cum pacto, ut quis tuos agros colendos suscipiatur, vsuram ex dictis contrahes, quia addis novum gravamen: at, si idem conducat tuos eosdem agros ex contractum conductionis, & locationis, deinde vendat eidem mutues summam aliquam pecuniæ, quâ is possit boves parare, rusticos alere, cæteráque sumptus exigere eisdem agris necessarios, vsurarius non eris, etsi initurus fuisses hunc secundum contractum, nisi prius fuisset prior conductionis, & locationis. Ratio est, quia Beneficium facis illi conductori, non verò gravamen dis mutuo: nam ille liber remanet, & potest, si velit, alterò pecuniâ pro suis agris mutuâ petere, ut supponimus.

Atque hoc pacto intelligendi sunt DD. Mol. & Nav. Navar.*lib.*3.*cap.*2.*n.*30. quando concedunt, posse pacto mutuum ad agros tuos colendos.

12. Rursus, duobus modis potest alicui anticipari pecunia. Primò, eam mutuando sub aliquo ex præcedentibus obligationibus, & hoc pacto esse vsuram jam definitum est.

13. Secundò, non quidem mutuando, sed ineundo contractum locationis, & conductionis operæ & laboris solvente pretium anticipatò. Vis, v.g. seu conducam Rustici, Medici, Advocati ad tuum colendum agrum, ad tuam sanitatem procurandam, ad tuas lites patrocinandas, idque sub certa mercede, quam illis, ipso initi contractus, solvis. Sanè hoc non est vsuram exercere, sed licitè negotiari, immò prædictis beneficium.

De mutuo vini, vel frumenti veteris, cùm pacto mutuo datur novum, satis *suprà* diximus *cap.*2.§.2.

### §. V. *Pro voluntate mutuandi, an accipi aliquid possit.*

1. NIhil potest ex hac voluntate supra forsan accipi, si jocari nolimus; nam voluntas hæc non cadit in mutuo.

Si enim mutuas, certè mutuare vis. Sicuti ergo si mutuo das rem tuam, non potes ex voluntate vendendi aliquid accipere, ex De Lugo, *d.*25. *de Just. n.*10. ita, si mutuo das pecuniam, non potes ex voluntate vendendi aliquid accipere. Et profectò claris injustitiis aperiretur via, si quis non posset vendere: *Ego, quia vendere volo meam domum, quæ pretio justo rigoroso valet, v.g. centum aureis, tu gam à te centum aureos pro domo, & dicam pro voluntate*

*vendendi.* Ineptè sanè; tu enim non obligaris quidem vendere, sed posito, quod sive oratus, sive sponte vendere velis, non potes exigere, nisi quantum ipsa res tua valet. Ita in casu nostro, &c.

### §. VI. *An pro commoditate Mutui aliquid possis exigere?*

1. VT distinctè id intelligas, debes distinguere commoditatem, quæ ex accepto mutuo provenit mutuatario, à commoditate, quâ ex eodem dato mutuo se privat mutuans.

2. Si de priore commoditate loquaris, manifestum est, ut notat De Lugo, *l.c.* te non posse quid accipere, quia commoditas alterius non est tua; ergo illam vendere non potes: secùs, panem pretii duorum obolorum posses vendere, quanti valet vita hominis, quam panis conservat ementi.

3. Si de posteriore, maior est ratio dubitandi. Nihilominus, nec illam vendere potes quia in dando mutuo, per quod fit Beneficium mutuatario, semper involvitur aliqua commoditas ipsi donata à mutuante, & consequenter aliqua incommoditas à mutuante suscepta.

4. Quòd si magna, & extraordinaria esset ejusmodi mutuantis commoditas, quâ se ipse privat, certè tunc vendi posset, quia ille excessus esset pretio æstimabilis supra rationem mutui, & reduceretur, sive ad caput molestiæ, de qua *c.3.§.6.* dictum est, & iterum dicetur *c.5.§.3.* sive ad damnum emergens, &c.

### §. VII. *An pro dilatione redditionis Mutui, aliquid exigi possit?*

1. DEbebam Petro, ex mutuo mihi ab ipso concesso, ducentos aureos, reddendos hinc ad duos annos: paciscor ergo cum illo, ut in fine secundi anni solvam eidem Petro centum, ea lege, ut pro aliis centum det dilationem mihi usque ad finem tertii anni: éstne usura?

Respondeo: Est, sive usura, sine iniustitia; hoc enim modo aggravas creditorem, ut expectet usque ad tertium annum, id quod non obligatur.

2. Dices: Si dicta dilatio est cum dicto pacto usura; ergo esset etiam usura, vel certè iniustitia, quando Ministri Principum, seu cuiuscunque Domini à debitoribus Principis, vel Domini aliquid accipiunt, ut eosdem debitores expectent ultra tempus præfixum.

Respondeo: Concedo sequelam, hoc enim sine dubio delictum est, ut habet De Lugo, *d.25. de Iust. sect.5.n.70.* citans Mol. & Salas, quià, pretio accepto, concedunt debitoribus dilationem, quam dare non possunt, in damnum Domini, in cuius præiudicium fit dilatio. Lege eundem distinctiùs de hac dilatione, & similibus horum Ministrorum negotiationibus agentem, de quibus etiam nos egimus suo loco, *lib.8. in Decal. tr.3. c.7. §.8. à n.5.*

3. Quod si contractus *n.1.* allatus fiat alio modo, sic: *Ex mutuo debeo ducentum post duos annos: Paciscor ergo nunc dare centum post primum annum; modò tu pro aliis centum expectes annum alium, nempe usque ad tertium*; non est usura, teste Caram. *lib.2. Theol. mor. d.14. n.748.* cujus verba exscribit Diana *p.9. tr.6. res.24.* ut superiùs docuimus; nam esset compensatio gravaminum, essétque contractus innominatus, quo das tuum gravamen reddendi illa centum post annum, cùm potuisses post duos, ut Petrus det suum gravamen expectandi pro aliis centum, usque ad tertium annum, cùm potuisset exigere post annum secundum.

4. Alium modum effugiendi usuram in hoc casu relinquendo contractum mutui, affert De Lugo *l.c.n.57.* si nimirum dicta dilatio, & solutio fiant voluntariè cum libertate utriusque: sed certè erit sic grave periculum palliandi usuram, quod periculum videbis clariùs, postquam legeris ea, quæ afferam *inferiùs*, *c.5.§.4.*



## CAPVT V.

### *Casus in Mutuo Vsuram sub dubio continentes.*

### §. I. *Bona fides an licitum lucrum ex Mutuo reddat?*

1. DEdi tibi mutuos aureos centum cum pacto, ut post annum redderes centum, & decem, ignorans invincibiliter hanc esse usuram: putabam enim, posse id iustè fieri, bonáque omnino fide processi, si enim usuram agnovissem, alium tecum, vel cum alio contractum celebrassem, nempe contractum veri Cambii, census, emptionis fructuum anticipatò, (quem contractum ad Metam paulò *superiùs* appellavimus) vel similem: quo contractu iusto, omnibus expensis; lucratus aureos decem supra meam sortem fuissem, liciténe ejusmodi decem aureos à te possum exigere?

2. Respondeo: Certè dubia res est hæc, Less. *lib.2.c.20. num.105.* tamen probabile putat, iustè posse, quando mutuans expressit, se velle contrahere omni meliori modo, quo potest. Sà verò *v. Vsura, n.8.* absolutè concedit. Quoniam verò idem Less. *ibidem* advertit, non facilè practicè id esse usurpandum, ideò nobis ad praxim semper intentis, hanc difficultatem innuisse, sufficiat, quàm nihilominus *lib.1. in Decal. tr.3. c.8. §.3. à n.21.* examinavimus latè, poterit legi Less. *l.c.* aliique, inter quos est De Lugo *d.25. de Iust. sect.9.* Diana *p.1. tract. de contract. res.47. & p.3. tr.5. miscel. res.92.* Tanc. *2.2. disp.4. q.7. dub.3. n.99.*

### §. II. *Promissio non repetendi Mutuum, an licitum reddat lucrum?*

1. DO tibi mutuos aureos centum, & me obligo, eos non repetere per unum, per duos per decem annos; possúmne licitè aliquod proportionatum accipere propter hanc solam obligationem?

Respondeo: Negatur communiter, & sententiam affirmantem vocant nonnulli novam, inauditam, falsissimam, periculosam in fide, & aperientem viam usuris. Less. *lib.2. c.20. dub.14.* tamen licèt negantem sententiam excipiat, affirmantem tamen ait videri alicui non improbabilem.

2. Dubia igitur res est: Quoniam ergo eam affirmantem noluimus in praxi deducere, nobis utile non est, eam fusiùs prosequi, ut in simili diximus §. *præced.* prosequuti tamen sumus plutibus, *lib.8. in Decal. tr.3. c.8. toto §.5.* & videri apud DD. potest, scilicet, Less. *l.c.* De Lugo *l.c. sect.3.* Arag. *2.2. q.38. art.1.* Dicast. *lib.2. de Iust. tr.10. disp.2.*

### §. III. *Molestia, quam subit Mutuans ex privatione suæ pecuniæ, an licitum reddat lucrum ex Mutuo?*

1. DVplex in re nostra distingui debet molestia: Altera, quæ sumitur ex periculo, quod subit mea pecunia, dum tibi, non certè fidelissimo eam concedo mutuam, & de hac nuper locuti sumus *cap.3.§.6.* Altera, quæ sumitur ex absentia pecuniæ mutuatæ, est enim (ait Caram. *lib.4. Theol. mor. d.14. n.362.*) aliquod solatium videre in arca suam pecuniam; ergo molestia ex carentia hujus solatii; De hac loquimur in præsentia, & quærimus, an pro illa, quam mutuans subit in gratiam mutuatarii, aliquod lucrum possit exigere?

2. Incerta res est, quia ex una parte aperiretur ampla via ad usuras, at ex alia videtur ladesse hæc molestia in mutuante, atque adeò vendi eam ab ipso posse, quando illa verè adest. Quod confirmari posset, quia non invenitur in omni mutuo. Verùm, iterum dico, esse rem incertam, & propterea in praxim non deducendam, præcipuè ex eo capite, de quo *lib.8. in Decal. c.8. §.6.* dixi, quia nimirum ejusmodi molestia apud homines non venit in consideratione, unde, nec materia esse lucri debet. Lege Dicastill. *lib.2. de Iust. tr.10. d.2. dub.11.*

Confirmatur: Nam, si tua pecunia est longè à te distans, v.g. apud Trapezitam; parvum, ne dicam nullum, erit solatium, quod ab ipsius præsentia capere possis; ergo illud vendere non potes.

3. Denique ad toto hoc capite adverte, præsumptiones, quibus probari possit aliquem esse usurarium, legi posse apud Tancred. 2. *part. quæst. mor. quæstione 64. à num. 22.*

## §. IV. *Non petere redditionem Mutui, dum Mutuatarius aliquid pro me facit.*

1. Dixi *cap. 4. §. 2. num. 9.* sequens, vel simile mutuum, licitè in rigore celebrari, per Molin. & Lessium, posse: Mutuo Petro mille aureos, usque ad tempus, quo ipse frequentabit meum Molendinum, licitè ergo etiam per eosdem erit hoc sequens mutuum. Eidem Petro mutuo mille aureos, usque ad tempus, quo ipse singulis mensibus donet ex liberalitate mihi duos aureos, v. g. Quando autem non donabit, volo, ut reddat mihi meos mille aureos. Vides? Non peto illos aureos duos, ut pretium mutui, quod mutuum certè gratis concedo, sed volo experiri beneficentiam, & gratitudinem mutuatarii, & volo, illum esse terminum mutui, qui est terminus ejus liberalitatis. Inquiro ergo, an id sine scrupulo in praxi deduci possit?

2. Respondet Salas *dub. 2. de Vsuris*, & De Lugo, *disp. 25. de Iust. à n. 53.* aliique apud Dianam *p. 11. tr. 8. res. 23.* licere te sic mutuum celebrare, quia, hoc modo, tu solùm vis repetere tuum mutuum, quando cessabit beneficentia mutuatarii, quod non est illicitum, aiunt, quia præfigere terminum suo mutuo, licitum est cuilibet: & ex alia parte Petrus non cogitur dare illos duos ex debito, sed ex liberalitate, quando voluerit per illos aureos tuam benevolentiam conciliare. Suppone tamen semper gravamen, quod imponitur mutuatario, esse, iudicio prudentis iuxta regulas gratitudinis, æquale gravamini, quia mutuans subit mutuum non repetendi, ut scilicet sic nihil occultè contra Iustitiam intercurrat, sed gravamina iustè compensentur.

3. Neque sic omne lucrum ex mutuo iustificari posse dicunt, dum mutuans posset semper petere lucrum ex mutuo, non tanquam debitum, sed, ut experiretur benevolentiam, & gratitudinem mutuatarii: nam respondent duplici modo formari posse casum. Primò, relinquendo libertatem, tum in mutuante, tum in mutuatario, & tunc dicunt non committi usuram, quia, ut *suprà d. c. 4. §. 2.* dixerunt Molina, & Lessius: Conditio est hæc, sub qua datur mutuum, non pretium mutui. Secundò, posset id fieri, non relinquendo mutuatarium in sua libertate, sed obligando, ut omnino det aliquid propter mutuum, sicut in exemplo allato, ut singulis mensibus omnino solvat illos duos aureos, & tunc fatentur, usuram committi. Cùm igitur hoc posterius sit illicitum, licitum verò illud prius concludunt, falsum esse omne lucrum ex mutuo iustificari posse.

4. His tamen non obstantibus, periculosum est, id absolutè concedere, & an concedi possit, incertum. Nam in *d. c. 4. §. 2. n. 9.* solùm in rigore speculativo locuti sumus; Periculosum, quia, ut ipsemet De Lugo prudenter *ibidem* addit, id non esse consulendum, sed dissuadendum propter magnum periculum usurariæ conventionis. Incertum, quia sicuti pactum antea initum de dando aliquid ex liberalitate ei, qui confert Beneficium Ecclesiasticum, semper præsumitur esse ex obligatione, non autem ex liberalitate, atque adeo regulariter peccari peccato simoniæ, ita ejusmodi pactum dandi illos aureos in casu nostro, &c.

Dixi (regulariter) nam scio, aliquos putare in simili pacto, si sincerè fiat, non committi in aliquo casu simoniam, ut potes videre apud Dian. *l. c.* sed nobis satis esse communiter simoniam adesse.

5. Semper autem dictum est (non dat illos aureos ex debito) quia, si daret ex debito dictos aureos Petrus, subiret clarè novum gravamen, se enim subiiceret iustitiæ, cui antea subjectus non erat, quod modo imponat usuram.

6. Id certè occurreret etiam in re, quam aliàs sponte & voluntariè quis faceret, nam, si quis non solùm libenter, & sine ullo incommodo operationē quamplurimum exoneret, sed etiam cum delectatione, quale esset Mosis Cantiunculas emodulari, si tamen is ad illius contentum se obligaret aliquid ei deberetur, & tu initio id negares, quia subit ille gravamen, dum, quòd forte iuvenerat ex liberalitate, facit iam ex obligatione subeundum. Rectè igitur Salas, & De Lugo citati, immò omnes, per excludimus obligationem ex debito. Quamvis enim Petrus v.g. nullum incōmodum sentiat adeundi ad me Molendinum, quia, v.g. illud proximè situm est, & ad domum, non propterea negabis, esse gravamen, & quidem quo pretio æstimabile, se, ad illud adeundum obligare.

# CAPVT VI.

## *Quando in pignore dato in securitatem Mutui adsit Vsura?*

1. Non raro, ob securitatem mutui dat mutuatario mutuanti pignus, immò, & non raro addit fidei iussorem; quæ sanè, quando lucrum non accipitur, periculum, licitè fieri, vidimus *suprà*.

2. Porrò ex hoc tres emerguntdifficultates. Primo, de pignore fructifero, cuiusnam sint fructus? Secundo, de pacto legis commissoriæ. Tertia, de eodem pacto, quo additur fideiussor.

3. Sunt hæ difficultates satis communes. Verùm nostra doctrina communis erit, illud novi sufficere, quod clarè, & breviter, præcisis Doctorum anfractibus, & gillatim, Deo dante, enodabuntur.

## §. I. *An Mutuans percipere queat fructus pignoris fructiferi sibi dati?*

1. Regula sit generalis, non posse ut patet ex Text. *c. 1. & 2. & cap. Conquestus, de Vsuris, & Specialiter, de Pignoribus.* Et ratio est manifesta, quia in hoc mutuo inter cætera, differt contractus mutui à contractu pignoris, quòd in mutuo transfertur dominium, illudque acquirit, ut *suprà* dictum est, mutuatarius: at in pignore non transfertur dominium pignoris in eum, cui pignus accipit. Cùm ergo mutuans, in casu, de quo loquimur, accipiat pignus à mutuatario, ejusmodi pignus remanet in dominio ipsius mutuatarii; ergo ipsi fructificet, ergo mutuans sibi eos fructus applicare non potest, sed reddere debet mutuatario, vel computare in sortem, aut in partem solutionis debiti. Quòd si adhuc pactum fuerit, fructus pignoris cederent mutuanti, pactum illicitum fuit, quia addidit novum gravamen mutuatario.

2. Propter eandem rationem, (ut id hac occasione non decidat) quando pignus non est fructiferum, sed est vestis, vel aliquid, quod usu atteritur, non potest pactum, ut eis uti possit ille, qui pignus retinet, esse id novum onus mutuatarii; nam, præter integrum mutuum suo tempore reddendum, pateretur, damnum concessione ejusmodi usus. Quod si eis nihilominus mutuans uteretur, quamvis dictum pactum non præcesserit, peccaret contra iustitiam, quia, invito Domino rem alienam contrectaret.

3. Duo autem hunc rigorem temperabunt. Primum, quando pignus usu ipso non consumitur, quale esset argenteum, torques aureus, &c. facilius potest presumi, vel ipsum Dominum facultatem concedere utendi, vel esse parvitatem materiæ semel, vel iterum eo uti secundum, quando pignori, quod ex se usu atteritur, ipse tamen raro usu ipsi consulatur, quia nimirum sic à tinea non corroditur, non exedetur à pulvere, &c. idem pro

terit, immò, & debebit præsumi, semper addendo, ut hæc non fiant cum præiudicio Domini, seu, quando Dominus omnino nolle, iudicatur.

4. Ex ratione regulæ allatæ *num.* 1. commune est in omni pignore (nec solùm in pignore dato in mutuo) debere servari ejus fructus pro Domino, qui pignus dedit, quia, ut dixi, de natura pignoris est, ut ejus dominium non transferatur in pignoratarium. Idque verum est, etiamsi fructus illi sint ex prædio, quod aliàs Domiuo erat inutile, quia semper sunt fructus rei Domini, retentis tamen iustis expensis culturæ, & laboris pro pignoratario, ut notant Doctores, ut Salas, Less. Lopez, aliique apud De Lugo *d.* 25. *de Iust. num.* 31. & potest colligi ex dictis à nobis *l.* 8. *in Decal. tr.* 3. *c.* 7. §... *a n* 2. *& c.* 3. §. 5. *n. præsert.* 4.

5. Propter eandem rationem, si equum das pignori, erit is tuis expensis alendus, quia tuus est equus, & sicut tibi fructificaret, ita à te fustentandus erit. Moneo tamen, persæpè usu, v. g. dicti equi compensari posse, & debere expensas, quibus alitur, ut videre est apud Bonac. *d.* 3. *de contract. q.* 10. *p.* 1. *num.* 11. reddito, quo superabundat, Domino.

6. Scio autem, adesse remedium faciendi fructus tuos ex pignore, quod accepisti: si nimirum illud emas cum pacto retrovendendi, nam tunc non erit ampliùs pignus, sed res tibi vendita, quare tibi fructificabit, sed consequenter, à te erit alenda, licèt tibi etiam pereat, ut notat *ibid.* De Lugo *n.* 132. si peribit.

7. Si fortè culpâ suâ pignoratarius fructus non colligat ex pignore, an & quatenus teneatur ad restitutionem, facilè habere poteris ex Doctoribus citatis, & ex universaliter dictis suo loco à nobis, *l.* 8. *in Decal. tr.* 3. *c.* 3. §. 5.

8. Quæres, Fructus prædicti pignoris, quamvis sint Domini, suntne subjecti, seu hypothecati ipsi creditori?

Respondeo, sanè esse, ut habetur in Iure, *L. Potior, §. Si de fruc. ff. Qui potior in pignore*, & videri latius potest apud Molinam in simili.

9. Denique Regula eadem allata *num.* 1. tres habet exceptiones valdè solemnes in Iure. Prima est, ut tamen Gener possit, ut habet Mol. *d.* 529. & Bonac. *l. c. n.* 6. accipere sibi fructus pignoris, non computando eos in sortem, quando ejusmodi pignus datur ipsi à Socero ob dotem; quam dandam post annos promittit, & interim dictum pignus ipsi dedit; idque præter cætera Iura, habetur clare *in C. salubriter, de Vsuris.*

10. Secundò, ut Dominus directus feudi possit sibi retinere fructus feudi, non computando in sortem, quando feudatarius ob aliquod debitum illi in pignus dedit feudum, ut habetur *in cap.* 1. *de feudis, & cap. Conquestus, de Vsuris.* Sed adsunt quædam limitationes, seu declarationes omninò videndæ apud Molinam *d.* 323. Nau. *c.* 17. *in man. num.* 217. *&* 218. Less. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 139. Salas *de contract. tr. de Vsur. d.* 28. De Lugo *d.* 25. *de Iust. tota sec.* 8. Dianam *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 27. aliósque.

11. Tertiò, idem cum iisdem limitationibus, etiam potest Dominus directus, si fortè Emphyteuta illi oppignoràret prædium concessum in Emphyteusim. Lege citatos.

## §. II. *De Pacto legis commissoriæ in favorem Mutuantis.*

1. IN toto *Titulo, ff. de l. commissoria*, conceditur venditori alicuius rei, ut si ejus emptor pretium non solvat constituto tempore, res habeatur, ut non vendita, sed possit dictus venditor, ad suum arbitrium, vel repetere sibi suam rem, vel emptorem obligare ad solvendum pretium, quo pacto emptor dicetur cadere in cõmissum. Iustam esse hanc legem, & servandam in venditione, pro qua lata est, concedunt omnes, sed quæritur, utrùm aliquod simile sit in mutuo; An nimirum iustè ponatur pactum, ut, si mutuatarius præfixo tempore mutuum non reddat, pignus, quod est in manu mutuantis, intelligetur esse venditum ipsi mutuanti pro suo credito, seu pro suo mutuo. Nam quando non præcedit pactum, an pignus intelligatur venditum, vel vendi possit, dicemus, Deo favente, cũ de pignore erit germana tractatio *infr. tr.* 7. *c.* 3. §. 6.

2. Respondeo, id pactum in pignoribus omnibus, atque adeo in pignore pro mutuo reprobatur à legibus, *l. Vltima, C. de pactis pign. c. Significante, de pignor.* irritumque redditur; & meritò, quia aliquando pignus est maioris valoris, quàm mutuum, seu creditum, unde ad pericula iniustitiæ amovenda, rectè ejusmodi pactum leges reprobarunt.

3. Quòd si fiat pactum, ut, debitore non solvente debitum in suo termino, pignus remaneat venditum, non pro credito, nec pretio aliquo determinato, sed pro pretio iusto, quod tunc curret, vel, quod boni viri arbitrio secundum occurrentes circumstantias decernetur, reddito excessu, si quis sit, ipsi debitori, erítne licitum?

4. Respondeo, fore illicitum, si id tanquam gravamen pro mutuo imponatur, ut ex dictis patet: at, si imponatur, ut creditor habeat suum, indemnisque reddatur, licitum fore. Ita Mol. *d.* 324. Tiraq. *l.* 2. *de retract. n.* 318. Ratio est, quia illud est iniustum pactum in mutuo, quod ordinatur ad habendum aliquod lucrum supra mutuum, sicuti illud est iniustum pactum in cæteris contractibus, quod ordinatur ad habendum plus, quàm creditori debetur. At verè illa pacta, quæ ordinantur ad habendum securè ipsum solum mutuum, vel creditum, usuraria, vel iniusta nequaquam sunt. Hujus autem generis est, petere pignus, vel fideiussorem sufficientem, vel velle hypothecam generalem, vel specialem super bona debitoris, &c. Quilibet enim securitatem suæ rei potest iustè postulare. Quare, cùm pactum, quod ordinatur ad vendendum pignus elapso termino, imponatur (ut supponimus) ad securitatem mutui, dumtaxat, de quo loquimur, usurarium non erit, cùm non possit esse rationabiliter iniustus mutuatarius ex eo, quòd mutuans, seu creditor velit omnino suum recuperare.

Quòd si mutuatarius damnũ considerabile subiret ex pacto, vi cuius vendi deberet pignus alteri, sanè non posset permitti ejusmodi pactum, quia sic adderetur gravamen, ut ex toties dictis patet. Vide quæ dicam iterum *infrà* de vẽditione pignoris, *tr.* 7. *de Fideiuss. & c. c.* 3. §. 4. *n.* 2.

## §. III. *De Pacto legis commissoriæ in favorem Fideiussoris.*

1. ACcidit sæpè, ut præter pignus in potestate mutuantis ad sui crediti, seu mutui securitatem repositum, accesserit itidem fideiussor pro eodem mutuo; quæritur iam an fideiussor, quando subit onus fideiubendi, possit inire pactum cum mutuatario, ut ipso mutuatario non reddente mutuum, pignus remaneat pro ipso fideiussore, non quidem absolutè, seu pro pretio determinato, id enim in simili reprobatum est §. *antecedente*, sed pro pretio iusto, illo scilicet, quod boni viri arbitrio iudicabitur, vel curret in foro, reddito excessu ipsi debitoris.

2. Ne quæstiones implicemus, hîc non loquimur, an pro fideiussione possit quis aliquid recipere, quod certè, potest, atque adeo posset fideiussor à mutuatario exigere ut pignus sibi remaneat pro vendito, si tanti valet pignus quanti sua fideiubendi opera, vel quantum ipse fortè solvet in gratiam mutuatarii, ut *infrà*, cùm *de fideiussione* dicemus. Neque loquimur, an id possit constitui in pœnam mutuatarii non solventis; posset enim, si pœna esset proportionata culpæ, ut universaliter *suprà* dictum est *cap.* 3. §. 5. ubi notavimus, prærequiri sententiam, &c. sed quærimus pro solo mutuo, quo dictus fideiussor fortè solvet in gratiam mutuatarii, an possit dictum pactum fieri?

3. Equidem puto, cum Mol. *d. disput.* 324. *sine*, contra Covarr. ab eod. citatum, posse. Ratio est modò dicta §. *secundo*, quia id pactum non imponitur pro mutuo ullo, sed, ut fideiussor indemnis servetur de eo, quod fortè solvet pro mutuatario, quod certè semper potest exposcere.

## CAPVT VII.

### *De Dominio circa res per Vsuram acquisitas.*

#### §. I. *Quandonam Vsurarius Dominium acquirat rei per Vsuram acceptæ?*

1. REs per usuram acquisitæ, vel primò sunt habentes functionem, puta, pecunia, frumentum, oleum, &c. vel secundò functionem non habentes, ut vestis, equus, prædium. De his posterioribus usurarius ex nostra sententia, ut mox videbimus, non acquiri dominium, quia res aliena, ubi discerni potest, semper remanet Domino.

2. De illis prioribus distinguendum est, nam, vel usurarius illas commiscuit cum suis, ita, ut discerni nequeant, vel non immiscuit, seu ita immiscuit, ut discerni possint.

3. Si loquamur de casibus, in quibus commiscuit, ita, ut discerni nequeant, acquiret illorum dominium usurarius, sed cum obligatione eas reddendi Domino, in æquivalenti, omniáque damna resarciendi. Ita passim Iura, §. *Si duorum, Institut. de rerum divis.* l. *Si alieni. ff. de solut.* docéntque Lessius, *l.* 3. *c.* 20. *n.* 256. & Molina, *d.* 326. addentes, eum, cujus est res permista cum re alterius, habere ius in eo cumulo, quandiu extat, sive apud ipsum usurarium, sive apud alium, & ante alios creditores illi debet ex eo cumulo satisfieri. Et quidem meritò, quia in illo cumulo certum est, adesse rem Domini, quamvis ea non discernatur, ergo potior ratio ejus Domini habenda est, quàm aliorum creditorum, qui rem suam non habent in cumulo.

4. Verùm, si loquamur in casibus, quando non immiscuit, an scilicet pecuniæ (sub hoc nomine, intellige hic semper oleum, frumentum, & cæterea functionem recipientia) non immistæ cum suis usurarius dominium acquirat? Res est controversa apud Doctores. Et quamvis, ut notat De Lugo *loc. cit. n.* 207. rarò accidat, ut eas non immiscerat usurarius cum suis, qui est casus præcedentis numeri secundi, tamen, quia negari non potest, posse contingere, ut non statim immiscerat, ideò non est hæc quæstio à nobis omittenda; præsertim cùm per hanc occasionem multa sint dicenda circa res functionem non habentes.

5. Triplex autem est circa id opinio. Prima, quam sequitur Mol. *d.* 126. Less. *l. c. n.* 158. Salas *l. c.* aliique apud De Lugo mox citandum negat, ab usurario, ut, & à quocunque latrone acquiri dominium pecuniæ usurariæ, vel fortunæ, quando hæ discerni valent, additque multò magis non acquiri dominium ab usurario rerum non habentium functiones, ut, v. g. equi, vestis, prædii, id quod ego *n.* 1. tanquam mihi certum, supponere volui,

6. Secunda, quam tenet De Lugo *d.* 25. *de Iust. à n.* 206. alios citans, affirmat, acquiri dominium ab usurario rerum acceptarum per usuram, sive hæ sint functionem habentes, sive non habentes, quando discerni valent, sed dominium certè debile, quia remanet in ipso omnimoda obligatio restituendi, etiam in individuo, quidquid ipse per dictam usuram accepit.

7. Tertia sententia distinguit; affirmat enim acquiri dominium ab usurario rerum habentium functionem, etiamsi hæ discerni possint, non verò dominium rerum functionem non habentium. Hanc sententiam sequuntur aliqui apud Salas, *de usura, dub.* 38. *n.* 4. qui eam improbabilem esse, & fundamento carere docet, &, quia sanè talis est, cùm non sit maior ratio de unis, quàm de aliis, ideo de illa ampliùs loqui, ne laboremus; vide tamen, quæ dicam *c.* 8. §. 1. *n.* 2.

8. Quamvis autem secunda sententia, quam sequitur, ut dixi, De Lugo, quáinque ipse fusè probat, probabilis censenda sit, tamen mihi multò probabilior est prima; cujus ratio est, ut intelligatur, recolendum est, illud, quod ego *lib.* 1. *in Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 11. quæsivi: An contractus ex metu gravi iniusto factus, sit eo ipso invalidus, vel irritò sit quidem validus, sed irritandus à Iudice; & quod ibi claro argumento, ut mihi videtur, confeci, esse validum ipso facto, quia nimirum in iure naturæ inveniri possibile est, ut ex iniustitia oriatur iustitia, sed si ex contractu meticuloso oriretur contractus validus, oriretur iniustitia ex iniustitia, ergo & cætera. Minorem probavi, quia si contractum dicis esse validum, dicis inde nasci obligationem, contractus enim essentialiter est alicujus *obligatio*, ergo hæc obligatio iustitiæ oriretur ex iniustitia, non aliunde enim oritur per te, nisi ex contractu meticuloso iniusto.

9. Ex his ergo ducitur ratio primæ sententiæ, quam ego sequor, quæ scilicet docet, usurarium non acquirere dominium rerum per usuram acceptarum, si discerni queant, nam mutuatarius usuras, seu lucrum ex mutuo usurario per contractum iure naturæ invalidum, quia enim vi coactus, non potens scilicet aliud facere, ut ei habeatur, ne difficulter postea mutuum inveniat, &c. ergo dat per contractum meticulosum, ergo per contractum, ut dictum est, invalidum, & consequenter non valentem parere translationem dominii in accipientem.

10. Obiicies: & hæc est potior ratio contra mutuatarius, licèt vi, & metu sit coactus, voluntarium men dat usuras usurario; metum enim non tollere voluntarium simpliciter, omnes docemus; ergo usurarius earum dominium acquirit, accepit enim rem à volente & potente donare.

Respondeo: Nego consequentiam, ad transferendum enim dominium non satis est, ut quomodocumque voluntariè ad te mea res perveniat, seu tibi voluntaria detur, sed debet dari, atque ad te pervenire cum aliquo titulo: at usurarius nullum titulum habet, non emptionis non lucri cessantis, non liberalis donationis, non alterius generis (si enim aliquis ex his adesset, iam non esset usura) ergo, &c.

11. Dices: Titulus erit ipsa datio mutuatarii, voluntaria simpliciter, quamvis hæc sit meticulosa; quæ datio simpliciter voluntaria cùm non adsit in forum non adfuit in pignore, iuxta *dicta cap.* 6. §. 1. non enim rum, quod per ipsam fur, & pignoratarius dominium non acquirant. Cùm ergo in casu nostro adsit ipsa voluntaria datio, potens ea erit ad transferendum dominium in usurarium.

Respondeo: At hoc probavit nostra ratio, quòd scilicet ex datione meticulosa, quamvis aliquo modo voluntaria, cùm sit datio intrinsecè affecta, seu maculata ab iniustitia, non possit oriri iustum dominium in usurario ac non potest in fure. Quicquid ergo dicat De Lugo contendens, hanc esse iniustitiam, seu iniuriam extrinsecam: esto enim, sit dationi in genere consideratæ extrinseca, non tamen dationi huic singulari, de qua loquimur extrinseca est, sed prorsus intrinseca, vel certe extrinsecam impediens, ne resultet translatio dominii in usurarium.

Nota, quosdam contractus meticulosos in utroque sententia eo ipso esse invalidos, quos ex Sanch. *l.* 4. *d.* 8. nos alibi enumeravimus.

#### *Fructus rei acceptæ per vsuram, cujus.*

12. Ex dictis infertur primò, si prædium, domus, equus, habita ab vsurario per vsuram, fructus fructificantes omnes illos mutuatario deberi, quia illa in dominio mutuatarii sunt, unde ipsi (deductis expensis) fructificantes iterum dicam *c.* 9. §. 1.

De Lugo *l. c.* in sua sententia distinguit: Vel enim (inquit) eos fructus à re tua percepisset mutuatarius, si non illam vsurario non dedisset pro lucro vsuræ, vel non percepisset, quia domum, v. g. mutuatarius non locasset. Si prius, eos fructus debebit restituere vsurario mutuatario, ut scilicet nullum damnum patiatur dictus mutuatarius ex injusta læsione: at, si posterius, non debebit, quia ex vna parte mutuatarius non est læsus, &c.

enim ipse non percepisset ex re illa eos fructus, ut supponimus; & ex alia parte hi sunt fructus rei, cujus dominium in sententia De Lugo, ipse mutuans habet; ergo ipsi mutuanti fructificat. Id, quod probabile est, sicuti probabilis est illa sententia. Sed certè nostra probabilior, vt modò vidimus, unde sequitur, fructus debere esse mutuatarii, utpotè fructus rei suæ, ut dictum est.

*Res emptæ ex pecunia Vsuraria, cujus?*

13. Infertur secundò, seu hîc per occasionem notetur, res, quas vsurarius sibi emit pecunia ipsa vsuraria, quamvis non permixta, in ipsius vsurarii transire dominium. Ita Molin. id latè probans *d.* 326. (idem dic de re empta à fure pecuniâ furtivâ.) Ratio est, quia res empta non est fructus pecuniæ, quæ est sterilis, sed est veluti effectus voluntariæ emptionis, seu susceptæ negotiationis; Cùm ergo ejusmodi emptio, seu negotiatio sit tota ipsius vsurarii, seu furis, ideò in ipsius ementis, seu negotiantis dominium res empta veniet. Hanc illationem concedunt omnes, etiam illi, qui negant, dominium vsurarum transferri in vsurarium, & colligitur apertè ex Iure, *l. 9. C. Si quis alteri*, *l. Si ex ea*, *C. De rei vindicat.* notâque Molina, *d.* 327. Less. *l. 2. cap. 30. num.* 161. Salas *loc. cit. dub.* 39. aliique. Remanere nihilominus in vsurario, & fure obligationem tantundem reddendi, & damna inde sequuta mutuatario, vel Domino, nimis est dictum sæpè.

## §. II. *An bona Vsurarii sint obligata pro Vsuris?*

1. QVandoquidem in vsurario remanet dicta obligatio. Quærimus an ea afficiat solùm personam ipsius, an etiam ejusdem bona, ita, ut omnia bona vsurarii remaneant hypothecata pro vsuris solvendis?

2. Respondeo: Sed ante responsionem duo præmitto. Primò, posse nos, vel loqui de bonis vsurarii (idem etiam est in fure) emptis pecuniâ ipsâ vsuriariâ, vel posse nos loqui de bonis aliis, quæ alia propria pecunia, vel alia via ad ipsum pervenerunt. Non loquimur autem de bonis ipsis in individuo extantibus malè acquisitis per vsuram, hæc enim certò semper deberi Domino, apud quemcunque inveniantur, constat ex dictis, & dicam *c.* 8. §. 1. *num.* 1.

3. Secundò præmitto, quid sit, rem meam esse alteri, sive tacitè, sive expresè hypothecatam? Est enim, rem meam esse realiter obligatam alteri. Quare ipsi rei sic affixa est obligatio, ut quamvis transeat, sive per venditionem, sive per donationem, sive per alium contractum in cujuscunque possessionem, semper Creditor possit ab illa re exigere suum creditum; est enim pignus suæ rei. Licèt ergo vsurarius sit obligatus personaliter ad solvendas vsuras, vnde, & omnia bona sua sint etiam tacitè obligata, ut habet De Lugo, *d.* 20. *de Iust. num.* 107. & possit, debeátque cum illis, vel eorum pretio satisfieri creditoribus, id tamen est ratione personæ, nam propterea, si aliquod ex his bonis transeat in dominium alterius possessoris, qui personam vsurarii non repræsentet; si, verbi gratiâ, alicui tale bonum, verbi gratiâ, domus legitimè vendatur, excutit domus à se ejusmodi obligationem, quod non posset facere, si esset realiter obligata.

4. Nunc jam respondeo tribus dictis. Dico primò, personam vsurarii, & ejus bona omnia, dum ea possidentur ab vsurario, esse obligata pro vsuris, vel furtis solvendis. Ratio est manifesta, quia vsurarius obligatur ad restitutionem acceptorum per vsuram ex injusta acceptione, unde semper ipse per quæcunque bona, quæ habet tenetur ejusmodi restitutionem expedire.

5. Dico secundò: Bona vsurarii, vel furis empta, vel habita aliunde, quàm ex pecunia vsuraria, vel furtiva; non esse neque tacitè, neque expresè ex se hypothecata pro solvendis vsuris.

6. Dico tertiò: Bona eorundem empta pecunia vsuriariâ, vel furtivâ, quamvis aliqui dicant, esse realiter hypothecata pro dictis vsuris, vel furtis, vnde affirmant, quocunque proveniant, sive per contractum onerosum, qualis est venditio, sive per lucrativum, qualis est donatio, transire cum hoc onere, tamen probabilius longè est, nequaquam esse ex se hypothecata, nec cum dicto onere transire.

7. Ratio potissima secundi, & tertii dicti est, quia ex vna parte, (ut modo diximus §. *præced.*) res empta fructus est negotiationis ementis, atque adeo sit ejus dominii, & ex alia parte hypotheca realis, seu obligatio, vel debet induci à Iure, sic ipse disponente, vel à conventione partium; non enim naturaliter ex se inducta est, cùm ergo sive loquaris de rebus emptis pecuniâ vsuriariâ, vel furtivâ, sive de rebus aliunde habitis, non apparet in Iure, eas esse realiter hypothecatas pro vsuris, vel furtis, quia nullibi toto corpore legum id legitur, neque ex conventione partium, ut ex se constat, sequitur eam non esse nobis inducendam.

8. Quando igitur Pontifex *cap. de vsuris*, decrevit, ut ad solvendas vsuras, venderetur prædium vsuris emptum loquutus est de prædio, quod emerat pecuniâ vsuriariâ ipse vsurarius, illúdque possidebat, non autem de prædio, quod translatum fuerat ad alios; Et quamvis potuisset Pontifex statuere, ut venderentur alia bona possessa ex alio titulo ab vsurario propter obligationem personalem, quam modò *n.* 4. diximus; tamen in odium, & pœnam delicti vsuræ, rectè statuit, ut non hæc, sed illa empta cum pecunia vsuraria auctoritate Iudicis venderentur.

9. An autem, quando res empta cum pecunia vsuraria est in possessione ipsius vsurarii, debeat potiùs reddi ipsi mutuatario, à quo illa pecunia habita fuit; & sic ipse debeat præferri cæteris creditoribus fortè anterioribus, & privilegiatis dicti vsurarii, sicuti ex De Lugo *d.* 20. *de Iust. num.* 15. præferuntur ii, qui pecuniam dant ad reparationem, vel conservationem rei, alia est quæstio *alibi* decernenda.

---

# CAPVT VIII.

## *De Alienatione rerum acceptarum per vsuram factam ab Vsurario.*

### §. I. *De Alienatione rei in Specie.*

1. REgula prima: Si exter apud vsurarium res ipsa aliena in specie, seu, ut nos Theologi loquimur in individuo, nec suis rebus immixta, non potest à te illa acceptari, nec ab ipso potest alienari. Ratio est, quia res aliena, qualis est hæc, in nostra sententia, *suprà c.* 7. §. 1. *n.* 9. in qua dominium non fuit translatum in vsurarium, invito Domino contrectari non valet. Quare, si mala fide accipis, teneberis ex injusta acceptione, si bona fide, seu ignoranter, teneberis ex re accepta juxta vniversales restitutionis leges.

2. Duas hîc exceptiones invenio, alteram de rebus vsu consumptibilibus, seu functionem recipientibus, putâ pecuniâ, vino, frumento, & similibus. Alteram, de rebus aliis. Quoad res consumptibiles, Valentia *tom.* 3. *d.* 5. *q.* 21. *p.* 3. *v. Sequitur secundò*, Med. *loco mox citando*, ait, in hisce rebus prædictam regulam non omnino procedere: quare, si per donationem, vel venditionem habuisti ab vsurario oleum, vinum, pecuniam ipsam in individuo vsurariam, si ex hac venditione, vel donatione dictus vsurarius non factus est impotens ad restituendum, non obligaris restituere. Ratio est (inquit) quia res vsu consumptibiles, cùm ex se requirant restitui in aliquo æquivalente, transeunt statim in dominium ejusdem possessoris: Verùm, efficacior ratio prædictæ doctrinæ illa esse mihi videtur, quia nimirum, si

usurarius non est factus impotens, tunc creditor, seu Dominus, cùm totam actionem habeat contra usurarium, à quo recipere suum potest, non est, unde sit involuntarius contra te, qui bona fide accepisti? Nam si accepisti malâ fide, invalidam esse acceptationem, neque esse obligatum ad restitutionem ex radice injustæ acceptationis, dubium non est.

3. Circa hanc exceptionem habeat hîc studiosus sequentem considerationem.

De Lugo *d.20. de Iust. n.304.* sic habet: *Medina dixit, si ejusmodi res sunt usu consumptibiles, & qua functionem recipiant in proprio genere, posse ab usurario, & aliis validè alienari, si ex hoc non sit impotens ad restituendum creditoribus; quam sententiam communiter omnes alii reiiciunt, quia ii non possunt transferre dominium, quod non habent.* Hæc De Lugo.

Bonacina autem *d.3. de contract. q.3. p.14. n.3.* sic habet: *Addunt Medina, & plures alii Doctores apud Salas* de usuris, *disp.40. n.3. contra Petrum à Navarra, validum esse contractum ab usurariis factum, non solum de rebus, quarum habent dominium, verùm etiam de aliis, quorum dominium non habent, sed recipiunt functionem, & sunt usu consumptibiles. Opinio istorum Doctorum probabilis est, sed intelligenda cum Molina disp.330. modo usurarii habeant alia bona, quibus commodè possint satisfacere. Tunc enim creditores non censentur inviti circa alienationem rei suæ, & consequenter transfertur dominium in accipientem. Ita videtur sentire Salas dub.42. n.3. cum Salonio, Bannez Aragonio.* Hæc Bonac.

4. Vidisti: De Lugo dicit, doctrinam Medinæ ab omnibus reiici, & tamen Bonacina eam amplectitur, aliosque eam amplexos esse, testatur. Et nihilominus puto, hos Doctores non esse contrarios; nam De Lugo loqui videtur, seu loqui debet ex ipsa naturâ dominii, Bonacina verò ex interpretativa voluntate mutuatarii, quod certè non negabit De Lugo, qui in sequenti exceptione interpretativam hanc voluntatem admittit, ut jam subdo.

5. Alteram exceptionem invenio apud prædictum De Lugo *disp.20. de Iust. n.105.* de rebus functionem non habentibus, putà, veste, vase argenteo, torque aureo, &c. *Excipitur, inquit, qui rem illam de usurario emit, quando præsumi facilè potest consensus Domini; Unde excusari possunt, qui pignora ab usurariis emunt, ut ab Hebræis, quia Domini non solent multùm curare, ad quos postea perveniant illæ res.* Hæc De Lugo, quibus confirmat, ut dixi, doctrinam à nobis traditam *n.2. fine.*

### §. II. *Alienatio rerum Usurarii non in fraudem Creditorum.*

1. Regula secunda: Debitor usurarius (ut etiam fur) si habeat, unde possit satisfacere omnibus creditoribus, potest donare, vendere, & quoscunque contractus, sive onerosos, sive lucrativos inire de rebus, quorum ipse liberum dominium habet, per quos non fit impotens ad satisfaciendum illis, & consequenter, qui ab eo accipit, potest accepta retinere licitè, & justè, etiamsi deinde debitor per alias profusas donationes, vel aliunde reddatur impotens sine accipientis cooperatione.

Hæc Regula sequitur clarè ex dictis §. *præced.* nulla enim obstat ratio, quin de suis rebus possit liberè quis disponere. Dixi, *liberum*; nam de bonis hypothecatis realiter, disponere non potest, sive quoad totum, sive quoad partem, quæ obligationem hypothecæ adæquat, quia res sic hypothecatæ sunt obligatæ creditoribus, ut dictum est *supr. cap.7. §.2. n.3.*

### §. III. *Alienatio rerum Usurarii in fraudem Creditorum.*

1. Regula tertia: Si usurarius, vel etiam fur, per alienationem suæ rei fieret impotens ad satisfaciendum suis creditoribus, non posset, sine injustitia contra dictos creditores illam rem alienare, vel contractum onerosum, v.g. Venditionem, vel lucrativum, v.g. Donationem, & qui reciperet, præsumeretur teneretur ad restitutionem. Ratio est clara, quia non potest se inhabilem reddere in fraudem creditoris, est, nemo potest se inhabilem reddere ad frustrandum creditoribus illud, quod ipsis debet ex justitia, nec huic inhabilitati cooperari.

2. Hîc tres invenio exceptiones. Prima est, primo re locum hanc regulam, quando per venditionem usurarius tantum vtiliter accipit, quantum tradit, v.g. domum, & accipit tantum, quanti domus valet, est, quia, si habet tantundem, jam non fit impotens, quàm ante venditionem erat, nam in eo recipit, valebit creditoribus æquè satisfacere. Quid deinde ipse non satisfaciat?

Respondeo: Ipsi imputabitur, non verò emtori, jam tantundem dedit.

3. Dixi, *vtiliter*; nam, si usurarius tantum quantum dat, sed inutiliter pro creditoribus, niâ usuriâ emat cibos, non quidem necessarios mox *n.5.* sed superfluos, ad convivia, v.g. & tiones, haberet quidem quantum dat, sed creditoribus) non poterit sine injustitia nec alii possunt sine cooperatione ad eandem ipsi vendere, ut communiter docent Doctores. enim, ut diximus, detur æquale, si tamen injustitia fit creditoribus, dum res ipsis vtilis, ipsis inutilis.

4. Secunda exceptio, quam affert Molina *d.230.* quam sent. probab. dicit De Lugo & ego *lib.8. in Decal. tr.3. c.3. §.4. n.26.* peccare, nec onus restitutionis mihi remanet naturæ, quando acceptavi solùm, sed non indu rium vel furem ad donandum, vel ad vendendum suam, quamvis ipsi fiant impotentes ad solvendum creditoribus. Ratio est, quia vtor jure meo nos Iustitiæ, dum accepto rem mihi à Domino tam, quæ nulli, ut supponimus, erat realiter obligata, ex alia parte non cooperor cum ipsius peccato, quia ipse peccatum fecit offerendo, ego autem accepto solùm vtor in mei commodum ejus peccato, ipso jam commisso. Cætera huc pertinentia, hac de re statuerint leges positivæ, & quatenus vandæ, lege apud Mol. *l.c.* Less. *lib.2. c.20. n.168.* De Lug *disp.20. de Iust. n.116.* aliósque.

5. Tertia exceptio est, non peccare, nec obligari ad restitutionem usurarium, vel etiam furem, quando tantum expendunt, quantum ad eorundem statum quiritur in parando victu, cultúque pro se, suisque vxore, &c. necessariis, in solvenda mercede suis famulis sibi item necessariis, ac suo statui, imò in faciendis liberalibus donationibus, quos sine dedecore omittere non potest, & nî faceret, vilis haberetur, ut item ma peccare, nec obligari ad restitutionem, si ejusmodi necessarias ipsis vendam. Ratio est, quia ad hæc libet habet jus, etiam in præjudicium creditorum, fusè, & minutarium expensa vide apud De Lugo *citato.*

## CAPVT IX.

### *De restitutione Usurarum.*

### §. I. *Quanam obligatur Usurarius restituere.*

1. Tria obligatur restituere usurarius, unam quam: Obligatur enim primò, restituere totum id, quod per usuram accipit. Patet, quia lucrum rum contra justitiam accepit. Lege S. Thomam 2.2. *art.1. & 2.*

2. Obligatur secundò, restituere omnes fructus ipse usurarius percepit ex usuraria fructifera, dedu

semper expensis, quamvis Dominus ex sua negligentia, eos non fuisset percepturus, idque ex nostra sententia. Verùm, hoc non est necesse, hîc fusiùs persequi, jam enim dictum de eo est satis; *supra, c.7.§.1. præsertim à n.12.*

Sed quæres nihilominus, an ad aliquod obligetur solvendum vsurarius, si ipse propter negligentiam non percepit fructus, quos nec mutuatarius propter similem negligentiam percepisset, v.g. ex agro inculto, quem nec mutuans coluisset, nec coluit mutuatarius.

Respondeo ad nihil obligari, quia in nihil Dominum damnificavit. Et ex alia parte res Domini fructum nullum fecit. Ita Cœlestinus, *tract.11. de vsur. c.8.*

3. Obligatur tertiò, restituere omne lucrum cessans, quod mutuatario cessavit, & omne damnum emergens, quod idem est passus, ut, si propter solutionem vsurarum, quam vsurario fecit, res suas vilius vendiderit, vel pecuniam acceperit ad interesse, ut solveret vsuras, quia omnium horum est causa vsurarius juxta Regulas dictas de lucro cessante, & damno emergente. Lege Molinam *d.332.*

4. Obligatum ad prædicta vsurarium excusari ab impotentia, vel ab extrema, seu gravi necessitate sua, vel suorum, modo *alibi* explicato, non est necesse monere, cùm id ex regulis generalibus excusantibus debitorem à restitutione minimis sit manifestum.

5. At verò non obligatur vsurarius restituere illud, quod fortè lucratus est ex rebus vsu consumptibilibus, quare, si in lucrum suæ vsuræ accepisset pecuniam, vinum, oleum, & cum his aliquid lucratus est, quamvis obligetur illa restituere, non tamen obligatur restituere hoc lucrum. Ratio est, quia vsurarius sit verè Dominus illius lucri, hoc enim non est fructus rei, sed industriæ, & personæ, ut *suprà* diximus in simili.

Hæc in proprio loco volui breviter repetere, nam cæterùm memor sum, sparsim ea me in superioribus innuisse.

## §. II. *De obligatione restituendi Cooperantium cum Vsurario.*

1. DE his, qui cooperantur cum vsurario, sive sint famuli, sive amici, sive Notarii, sive alii, à nobis actum est, *in nost. Decalog. lib.5. cap.1.§.4. à n.42.* Lege item Molinam, Lessium, aliósque allatos à Diana *p.5.§.7. de scandalo, resol.8.*

## §. III. *De obligatione restituendi, quam contrahit Hæres, vel Legatarius Vsurarii.*

1. HÆres semper, & in omni casu tenetur, restituere rem à testatore acceptam per vsuram, si illa in specie, seu, ut loquuntur Theologi, in individuo extet; quia semper est Domini, sempérque pro Domino clamat; si verò illa non extet; & illa omnia, quæ, cùm aliena fuerint, transierunt in vsurarii dominium juxta varias sententias suprà dictas, tenetur etiam hæres restituere, sed in æquivalenti, quoties vsurarius in vita non satisfecit. Hujus autem ratio est, quia obligatio, qua defunctus astringebatur, transmittitur ad hæredes, qui succedunt in locum defuncti, & vna eademque persona reputantur. Ita passim Doctores *in l. Hared. ff. de Hared. constit.*

2. Non tamen hæres tenetur vltra vires hæreditatis, si Inventarium fecit, ut patet ex *C. Quandam, de Vsuris.* Bona enim hæreditaria sunt infecta, non alia. Quòd si Inventarium scribere neglexerit, licèt in foro externo adhuc cogatur restituere, tamen in foro conscientiæ non obligatur vltra hæreditatis vires, quia forum externum, ideo cogit, quia præsumit fraudes, internum verò respicit veritatem. Ita Bonacina *d.3. de contr. q.4.p.15. n.16.* alios citans; esto, Molina *d.332.* putet teneri, etiam in foro conscientiæ.

### *Quando Hæredes sunt plures,*

3. Si plures sint hæredes, scire cupio, an teneatur singuli in solidum solvere vsuras?

Respondeo: Singulos solùm obligari pro rata, id est, pro sua parte; quare, si vnus nolit, vel non possit restituere, non tenebitur alter ad ejus partem. Ratio est, quia sicuti bona dividuntur in partes, sic & debita, & sicut ex parte commodum sentiunt, sic ex parte onus; nam repræsentant quidem illi singuli defunctum, at non totaliter, sed ex parte, singuli, totaliter, omnes simul: Ita Molina, aliique, quos citat, sequitúrque De Lugo *lib.25. de Iustit. n.237.*

4. Excipe primò, cum Bonacina *loc. cit.* nisi aliquis ex cohæredibus in culpa fuisset, ne totalis restitutio fieret. Rectè, tunc enim non est mirum, si is obligetur ad totum, quando totius causa damni est.

5. Excipe secundò, nisi quis ex cohæredibus rem ipsam in specie apud se habeat, nam hæc tota debebitur Domino, quia ut, modò dixi, ea semper pro Domino clamat.

### *Legatarius.*

6. Quid de Legatario, is obligatúrne ad solvendas vsuras defuncti?

Respondeo, per se non obligari, quia ipse, ut etiam donatarii, non repræsentant testatoris personam, & sicuti non succedunt in jura ipsius, sic, nec in onera. Loquimur autem semper, si res ipsa aliena non extet in individuo. Hæc enim semper debetur Domino, ut item, si res sit hypotheçata alteri: eo modo, quo *suprà* dictum est *c.7.§.2. num.38.*

7. Dixi, *ex se*, nam est notanda sequens doctrina: Si vsurarius reliquit hæredibus bona, quæ sufficerent ad restitutionem vsurarum, aliorúmque debitorum, & præterea ad dandam legitimam, si adsint sui ascendentes, vel descendentes, vel ad dandam quartam, si hæredes sint extranei, quæ quidem quarta de jure his extraneis debetur, vel juxta locorum leges plus, minúsve, ut nos dicemus, Deo favente, cùm *de Testamentis*, tunc Legatarius quicunque ad nihil prorsus; ut modò dixi, obligatur, etiamsi hæredes non solvant vsuras defuncti. Ratio est jam dicta, quia debita personalia, quæ non continent rem ipsam in individuo alienam, non transeunt ad Legatarios. At verò, si vsurarius non reliquit bona, quæ sufficerent ad dictam vsurarum restitutionem, vel quæ non sufficerent ad hoc ut hæredes haberent suam dictam legitimam, vel dictam quartam, tunc debebunt Legatarii concurrere ad restitutionem vsurarum, ita scilicet, ut, ante omnia solvi debeant debita defuncti, deinde danda legitima, vel quarta hæredibus, tum denique quod remanet, distribuendum est inter Legatarios, modo *ibid.* pluribus explicando.

### *Hæres, vel Legatarius, an obligentur restituere vsuras Defuncti, si cadant à suo statu?*

8. De hac re sic vniversaliter ex sententia probabili me *lib.8. in Decal, tract.4. cap.1.§.9. num.5.* docuisse, memini. Adverte, si quis in statum honorificum ascendisset propter rem alienam mala fide acceptam, tunc faciendam esse restitutionem, etiam cum diminutione sui talis status, quia hoc non esset cadere, sed redire ad suum, multò magis, si in pari necessitate esset is, à quo rem surripui, tunc enim debet esse melior conditio innocentis Domini.

9. Illud subadverte, si filius, verbi gratiâ, vsurarii mala fide cœpit possidere, teneri eum, etiam cum diminutione status relicti à Patre, ad restituendum, quia ejusmodi possessio cum mala fide nihil ipsi suffragatur. Si verò cœpit possidere bona fide; non teneri postea à suo statu bona fide possesso decidere, ut restituat, si cognoscat, ea esse bona aliena, quia quilibet jus habet ad conser

conseruandum starum bona fide acquisitum. Hæc *ibi*, & ita Diana *p. 5. tract. 14. resol. 57.* ex Cœlestin. & Scoto, & consentire videtur De Lugo *d. 21. de Just. n. 12.*

### §. IV. *Cuinam sint vsuræ restituendæ?*

1. SAnè iis, à quibus vsuras quis accipit. Quòd si hi mortui inveniantur, restituendæ eæ erunt hæredibus, seu iis, qui ipsorum nomine acquirere possunt. Ratio est clara, quia hi sunt Domini. Quid, si sint ignoti ii, quibus debetur ejusmodi restitutio?

Respondeo, tunc debere restitui pauperibus, vel operibus piis, ut decrevit Alexand. I I I. vnde tunc habere locum Bullam compositionis in loco, ubi adest privilegium Bullæ Cruciatæ, diximus. *lib. 8. in Decalog. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 20.* & docet Molina *disp. 748.* Ludovic. à Cruc. *in Bulla Cruc. d. 3. dub. 14.* aliique.

## CAPVT X.

### *De petente ad Vsuram.*

1. DVo hîc sunt certa. Tertium sub controversia. Certum est primò, mutuatario licere, vt vult Sanc. *lib. 3. in Decalog. cap. 8. num. 20.* aliisque, solvere vsuras ob mutuum jam acceptum. Ratio est, quia hæc non est causa peccandi, quæ detur vsurario, dum is posset facilè illas non acceptare; sibi ergo imputet, si recipiat. Excusatur autem mutuatarius (ne Infidelis habeatur, & ne mutuum, quo alia vice fortasse indigebit, non inveniat) à cooperatione, quæ videtur esse cum peccato vsurarii.

2. Certum est secundò, posse secundùm Sanch. *ibid.* Mol. Vasq. aliósque apud Dianam *part. 5. tract. 7. de scandalo, resolut. 8.* aliquem petere pecuniam mutuam ab eodem vsurario, promittendo illi lucrum ex mutuo, quando ea pecunia is indiget. Ratio est, quia si petens, nec consilium dat, nec intendit, ut supponimus, eam vsurarii injustitiam, quod certè esset iniquum, sed intendit vtiliratem propriam, suppositâ malitiâ vsurarii, quam mutuatarius solam permittit, nam cæterùm propria indigentia dat ipsi sufficientem causam, ne sit cooperator cum vsurarii peccato.

3. Controversum ergo remanet tertium. An idem licitè possis, quando illa non indiges, sed sine necessitate illam velis expendere ad ludos, ad convivia, &c.

Respondeo, tres esse sententias. Prima, negat. Secunda, affirmat. Tertia, distinguit, hæc enim tertia asserit, non posse, si vsurarius non est paratus ex malitia sua ad dandas pecunias sub vsura; at posse, si est ex sua malitia paratus; sibi enim tu excitares vsurarium ad peccatum injustitiæ, hic non item. Sanè, ut vides, prior pars hujus rationis probat primam sententiam negantem, at posterior probat secundam affirmantem, si prædicta ratio profundè consideretur.

5. Equidem asseroʃut *lib. 5. in Decalog. c. 1. §. 4. num. 44.* fusiùs dixi) has sententias omnes esse probabiles, sed probabilissimè addo cum Petro Hurtado *2. 2. d. 173. sect. 14. §. 74.* posse semper, vel certè regulariter ab vsurariis sine vlla causa necessitatis peti mutuum, etiam signatè ad vsuras, sed semper intendendo proprium commodum, non verò ipsam injustitiam vsurarii, nec positivè ad vsuram commitendam ipsum excitando.) Ratio est, quia cum vsurarii sint parati ad ejusmodi lucrum vsurarium accipiendum, non jam ex passione, sed ex malitia delinquunt.

6. Hactenus de peccato vsuræ, nam de pœnis vsurarii, déque Iudice competente contra ipsum, quæ maximè pertinent ad forum externum, legatur Molina *disput. 333. & 334.* Salas *dub. 45. & 46. de vsuris*, Tolet. *l. 5. summæ, cap. 36.* Navar. *cap. 17. num. 279.* Lessius *dub. 22. Canonista in toto titulo de vsuris*, Covar. *tertio variarum cap. 3.* De Lugo *disp. 25. de Justitia, à num. 118.* Reginald. *disp. 3. de contract. quæst. 4. punct. ultim.* Carena *tit. 6. tomo 8. v. Vsura, conclus. 354.* Aliique pene innumeri apud ipsos.

## CAPVT XI.

### *Summa Modorum aliquot lucrandi ex pecunia sine culpa Vsuræ.*

1. IVvat denique hos modos hîc jungere, ut vno intuitu appareant, quæ sparsim dicuntur hîc & illic dicentur. Quatuor enumerantur à Valentia, quæ breviter addam.

*Quatuor sint modi* (ait Valent. *tom. 3. in 22. disp. 4. q. 1. p. 2. fine,*) *tolerabiles percipiendi annuatim certum lucrum salvo, & securo Capitali, ut putà quinque pro centum.*

2. *Primò, si ad id suppetat Titulus aliquis ex extrinsecis, ut lucri cessantis, vel damni emergentis, qui moderatè tet quam latissimè.* De hoc modo fusè ego egi in lib. *Dec. tract. 3. cap. 8. §. 3.*

3. *Secundò, si Societas ineatur cum pacto assecurandi Capitalis, & lucri quinarii pro majori lucro sperato, quod socio in compensationem ejusmodi onerum relinquatur. Si ista pacta fiant explicita intentione, sive implicita.* Dixi ego pluribus agam *infrà, lib. hoc 9. tract. 8. de Societate, §. 3.*

4. *Tertiò, si ematur census realis cum pacto revendi redimendi, & assecurandi, sive implicita item, sive explicita intentione.* De hoc ego agam item *infrà, tract. 2. de emptione cap. 2.*

5. *Quartò, si absque expressa determinatione Contractus Societatis, vel census, &c. Intentio saltem generalis accipiendi in lucrum, aliquo tandem modo justo, & licito, ad quem consideratis personarum & facti circumstantiis videatur factum ipsum revocari posse.*

Hic modus non est diversus à dictis, vel dicendis; solùm ostendit implicitam intentionem aliquando fuisse ad justitiam contractus. Lege eundem Valentiam. Nos quidem de hac re diximus *in lib. 8. Decal. tract. 2. §. 3. à n. 21.*

6. Hæc ex Valentia. Addi etiam potest quintus is contractus, quem Siculi appellamus. *Ad Mum*, de quo disputatum à nobis est latissimè *in lib. 8. Decal. tract. c. 7. §. 7. à n. 21.*

7. Sextò, si fiat Contractus veri Cambii, pura cum suis requisitis conditionibus, de quibus *infrà* agam pro ribus.

8. Si cui aliquis alius modus in mentem veniat, is oro, subscribat. Dum ego calamum à pagina, gratiâ, tantisper amoveo.

# TRACTATVS II
## DE
## CONTRACTV CENSVALI
## seu de Censibus.

### CAPVT PRIMVM.

### *Quid sit, & quotuplex Census.*

CENSVS, ut hîc sumi solet pro annuo reditu, *Est annua pensio, quæ ex re alterius fructifera accipitur.*

Multiplices autem habet divisiones, quarum præcipuæ sunt sequentes.

Capite

*Census Reservativus, & Consignativus.*

2. Primò, dividitur census in reservativum, & consignativum. In reservativo, do tibi meum prædium, & reservo mihi ex illo certam pensionem, ut scilicet tu singulis annis, vel mensibus solvas mihi aliquam justam summam, v. g. decem aureos. In consignativo, retineo quidem dominium rei meæ v.g. prædii, domus, & cætera; sed in illis constituo pensionem, v. g. decem aureos singulis annis, vel mensibus, tibi solvendos. Solùm ergo transfero in te jus percipiendi pensionem à re mea, non verò rem meam: neque enim, in hoc census genere, vendo tibi rem meam, nec fructus ipsos percipiendos à re mea, sed jus ad illos percipiendos, ut ex *infrà* dicendis clariùs intelliges. Nam propterea Iurisperiti censum consignativum sic definiunt: *Est jus percipiendi annuam, vel menstruam pensionem ex re fructifera, vel persona alterius.* Vnde cùm dicis: *Habeo censum in feudo Petri*, sensus est: *Habeo jus exigendi certam pecuniæ summam, seu certos fructus ex Petri feudo.* Lege Valent. *tr.* 3. *t.* 2. *d.* 5. *q.* 22. *p.* 1. Mol. *d.* 383. Less. *l.* c. 22. *d.* 1. aliósque.

Adverte, eum, qui emit censum, id est cui solvenda est pensio, appellari censuistam, seu censualistam: qui verò vendit, id est, qui soluturus est censum, vocari censuarium.

*Personalis, Realis, Mistus.*

3. Secundò, census consignativus, de quo solet hic esse sermo, propter graves, & proprias difficultates, quibus scatet, triplex est, ratione scilicet rei, super qua constituitur, quæ item est triplex. Primò enim constituitur super aliqua persona, dicitúrque census personalis, tunc pensio solvenda est, veluti ex fructibus propriæ artis, industriæ, operæ, laboris ipsius personæ, in qua census fundatur. Merus autem erit personalis, si nihil addas; aliam rem, ex qua non solvatur quidem pensio, sed sit, veluti dignus, seu hypotheca ad assecurationem dicti census, dicitur, testibus Molin. *l.* c. & Less. *l.* c. *d.* 2. non merè personalis.

Secundò, constituitur census, seu fundatur in aliqua re vili, & fructifera, sive immobili, ut sunt prædia, domus, &c. sive aliquando mobili, seu se movente, quæ facit fructum, ut sunt greges, armenta, &c. dicitúrque census realis. Tertiò, constituitur in re, & in persona ita, ut si res pereat, debeat ipsa persona solvere ex fructu suæ artis, vel industriæ, dicitúrque census mistus.

*Perpetuus, & Temporalis.*

4. Tertiò, dividitur census ratione temporis. Alius enim est perpetuus, id est, pensio est perpetuò solvenda, nam, & ad hæredes transit. Alius temporalis, id est, pensio solvenda ad tempus, sive incertum, ut si esset ad vitam alterius, quo pacto vocari vulgò solet vitalitius, sive certum, ut, si esset ad decem, ad quindecim, ad viginti annos. Vnde clarè colligis, non esse licitum, constituere censum perpetuum super personam, quia hæc perpetua non est, & consequenter fructum perpetuum non facit.

*Redimibilis, & Irredimibilis.*

5. Quartò, dividitur ratione pacti, nam pacisci solent contrahentes aliquando, ut census redimatur, ut tunc dicitur census redimibilis. Quòd si pactum sit, ut census redimatur, seu extinguatur, quandocunque voluerit venditor, restituendo pecuniam totam, quam habuit ex venditione, pactum erit in gratiam venditoris: Si, quandocunque voluerit emptor, erit in gratiam emptoris, si quandocunque venditor, vel emptor voluerit, erit ex parte vtriusque, atque adeò in vtriusque gratiam. Aliquando autem paciscuntur contrahentes, ut nunquam census redimatur, & tunc erit census irredimibilis, atque adeò perpetuus. In dubio, an census sit redimibilis, an irredimibilis, esse irredimibilem putat De Lugo *d.* 27. *de Iust. n.* 7. contra alios, quem vide.

*Pecuniarius, Fructuarius.*

6. Quintò, dividitur ratione pensionis; eri. enim census pecuniarius, si solvitur pecunia: Fructuarius, si fructus, oleum, frumentum, vinum, &c. quæ ex re percipiuntur.

*Certus, Incertus.*

7. Sextò denique, certus dicitur census, si debeat solvi determinata pars fructuum, putà semper, & in omni eventu; quinque mensuræ hordei, vini, &c. Incertus, si indeterminata, seu, ut aliqui loquuntur, aliquota, putà, tertia, vel quarta, vel quinta pars fructuum, qui ex re, illo anno, provenient.

---

# CAPVT II.

## *De Iustitia prædictorum Contractuum.*

PRædictos census esse ferè omnes licitos, & justos, nisi aliunde, sive in pretio, sive ex aliquo adjuncto delinquatur, tanquam certum supponimus omnes.

Dixi, ferè quia dubitatur, ut volunt Val. *tom.* 3. 2. *c.* 9. *part.* 2. *& quæst.* 25. *p.* 2. & Less. *l.* c. *cap.* 22. *num.* 18. de merè personali, déque vitalitio, de quibus hîc breviter. Nec omittemus tamen dicere id, quod scitu necessarium erit de reali.

### §. I. *Personalis, an sit licitus?*

1. DIco primò, hunc esse justum, ac licitum ex natura sua, quia à veritate aberrat id, quod aliqui cum Navarro dicunt, hunc contractum non esse, nisi mutuum cum lucro, atque adeo esse meram usuram: aberrat, inquam, à veritate, nam contractus hic est emptio fructuum, seu lucri, quod homo opera sua acquirere potest. Sicut ergo omnes concedimus, censum realem esse licitum, quia per illum emitur ius ad percipiendos fructus agri, domus, piscinæ, & cætera, ita concedere debemus, esse licitum, emere ius ad fructus, quo homo sua arte, & opere facere potest.

2. Sed adverte primò, quod sicuti venditor tunc debebit hoc efficere, ne fraudet emptorem, ex quibus solvere possit pensionem, sic emptor debet, in emendo ejusmodi censum, cognoscere, talem personam esse idoneam, ad lucrandam illam pensionem, quam venditor vendit: lucrandam, inquam, suâ; id est, venditoris industria, artificio, officio, &c. secùs nihil emeret, unde pensionem iniustè sumeret.

3. Obiicies cum Navar. Martinus V. & Calistus III. in suis Bullis paulò pòst referendis, solùm dixerunt, census reales esse licitos; ergo personales reprobarunt. Respondeo, dictos Pontifices non negasse, census personales esse licitos, sed solùm declarasse, census reales licitos esse, de quibus interrogati fuerunt, ut *loco citato* notat Valent. Quare nihil contra nos.

4. Dico tamen secundò, census hos personales propter fraudis, & vsuræ timorem, esse jure Pontificio prohibitos, nam propterea addidimus in præcedenti conclusione illud (ex natura sua.) Hæc conclusio patebit ex dicendis, quia Pontifices semper requirunt census debere constitui in re immobili. Quoniam ergo prohibitio fundatur in præsumptione fraudis, & vsuræ, si hæ verè, omnibus consideratis, absunt, licitus erit in foro conscientiæ contractus, si cætera adsint; nam in foro fori Iudices debent judicare juxta prædictum jus Pontificium.

§. II. *An*

### §. II. *An licitus sit Vitalitius?*

1. Census vitalitius, de quo hîc debitari, & disputari solet, celebratur, primò, in hunc modum: *Do tibi centum aureos, quos à te nunquam auferam, eo tamen pacto, ut tu, donec ego vixero, vel donec vixerit meus filius, vel nepos, si nascentur,* (quamvis nondum sint nati) *vel donec vixerit Petrus, vel Paulus, vel uterque.* Tu, inquam, *des mihi quinque pro singulis annis,* & hoc vocatur census vitalitius personalis.

2. Celebratur secundò; hoc alio modo: *Do tibi centum, quibus mihi vendas jus ad fructus tui prædii, donec vixeris, dando mihi ex illis fructibus quinque, v.g. singulis annis tuæ vitæ, vel alterius,* & hic appellatur census vitalitius realis.

3. Dico jam primò, hos contractus posse licito modo celebrari, semper præscindendo ab aliquo extrinseco inconvenienti, & supposito pretio justo, de quo mox *infra, cap. 3.*) hoc est, esse licitos hos contractus, non solùm, quando census dictus constituitur supra rem realem, v.g. prædium, sed etiam, quando dumtaxat supra personam, quantumvis hæc persona nulla ratione ex sua arte & industria sit fructifera. Ratio hujus dicti est, quia justitia hujus contractus nequaquam innititur in eo, quod ematur jus ad fructus; sed in contractu sortis, in quo specialiter contrahentes se exponunt periculo lucri, & damni, cùm mors sit incerta. Si enim sic dicas: *Do tibi centum, quæ à te, vel à tuis nunquam sint auferenda, tu verò reddas mihi, vel meo hæredi singulis annis,* (tua vita durante) *decem*; nónne potest esse, ut æqualiter ego, vel tu, juxta longitudinem, vel brevitatem tuæ vitæ, lucrum, vel jacturam faciamus?

4. Dico secundò, census eosdem vitalitios posse licitè celebrari, etiam post Bullam Pii V. Ratio est, quia justitia hujus contractus, de quo agimus, non innititur, vt modò diximus, in emptione fructuum, vel alterius rei, sed in periculo æquali, éstque contractus sortium. Hæc sententia, quam sequitur Lopez *c. 55. de contract. conel. 3.* Rodr. *lib. 1. summæ, cap. 64.* est mihi probabilior. (Esto, Molina *d. 389. in pr. clauf.* dicat, id esse contra Bullam Pii V.) Pius enim non videtur prohibuisse ludum sortis, sed contractum illum personalem, qui fundatur in fructibus, vel operibus solius personæ. Adde, id, quod, modò dixi *§. præced. n. 4.*

5. Atque hinc fit, ut, quamvis pensiones, quæ sperantur colligendæ, sint minoris summæ, quàm summa data, vel sint majoris, semper sit licitus contractus, quia per hunc emuntur illæ pensiones, sed justo pretio emitur spes ad illas, unde sub æquali periculo potest euenire, ut nihil habeas, si statim moriatur venditor, vel multum, si vivat diù.

### §. III. *An licitus sit Realis?*

1. Adeo licitus est census realis (præscindendo semper ab aliquo extrinseco inconvenienti, &c.) ut putem, docere contrarium, esse nunc saltem temerarium, & erroneum. Ratio est, quia Martinus V. Calistus III. Nicolaus V. in Constitutionibus mox afferendis §. 8. Censum realem approbant, & approbationis quidem ratio potissima fuit, quia est verus contractus emptionis, quo non quidem emitur ipsa pensio, si naturam contractus census bene cognoscas, sed, vel emitur jus percipiendi ipsam ex fructibus rei, vt habent communiter Doctores apud Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 18. n. 3* vel, ut habet De Lugo *d. 37. de Iust. num. 20.* emitur pars vsusfructus illius prædii, super quo census constituitur, ita, ut dominium totum directum prædii maneat apud venditorem; dominium verò vtile, quod appellatur vsusfructus, ex parte, vendatur; nam propterea minoris semper debet vendi, quàm valeat totum prædium, quia minoris æstimatur dominium vtile, quamvis totum & integrum, quàm dominium ipsum vtile simul cum dominio directo, quorum vtrumque venditur, quando venditur absolutè prædium; cùm in censu venditur illum vsusfructus, ut dictum est.

2. Ex hac ratione sive, ut Doctores communiter, ut De Lugo illam inducit, vides primò, non solùm posse emi census antiquos jam constitutos, sed etiam posse de novos constitui. Nam eadem est ratio, per quam antiqui rectè constituti sunt, ac illa, per quam nunc de novo constituuntur; vtrobique enim non est mutuum cum hac sed vera emptio, & venditio; & profectò antiquissimi ne olim fuerunt novi?

3. Vides secundò, facilè solvi argumentum allatum Dec. *cons. 323.* Aret. *cons. 151.* putantium, ejusmodi census esse illicitos. Qui vendit (aiunt) censum recipiendo v.g. mille ab emptore, debet singulis annis ad rationem verbi gratiâ, quinque pro centenario ipsi dare quinquaginta; dabit ergo ex obligatione centum in duodecennis, & tamen semper debebit mille, quòd est Capitale, quódque semper, ex natura hujus census realis, sit debebit, si vult censum extinguere; ergo obligabitur dare plus, quàm acceperit, quæ est clara usura. Fatemur inquam, solvitur, nam sicuti iustè emit quis prædium, quamvis idem ex fructibus, quos per annos colligendo percolliget, compenses tibi totum pretium, quod dedit, & adhuc ipsi remanet totum prædium, quod posset vendere, quanti emit; ita etiam licita, & iusta est emptio census realis, quamvis pensiones solvendæ sint æquales pretium ipsius Capitalis. Et ratio ulterior hujus rei est, quia ego non emo ipsas pensiones futuras, sed, ut modò vidimus, ius præsens ad illas, quod ius à me habitum, & veluti à me possessum, necesse est, ut vendat tanquam Domino fructificet.

4. Vides tertiò, necessarium esse ad iustitiam venditionis census: Ita Medul. Theolog. *l. 3. tract. 3. c. 4. q. 1.* ex Bonac. ut res sit fructifera, unde iniustus est venditor census, id est, censuarius, si obligat emptori, id est, censualistæ rem non potentem reddere fructus, saltem tot quot pensio exigit, aut si obligat rem, eos quidem non redentem, sed iam in aliis censibus venditam.

5. Denique, quamvis census sit supra prædium, ejusque fructus; scias tamen, benè, & licite te posse & recipere à possidente prædium, pensionem pecuniariam quæ in constituendo ejusmodi censu, adsint impliciti duo contractus: Alter est venditionis census fructuum, qui mihi venditor ius ad fructus, seu, ex explicatione De Lugo, ususfructus partialis. Alter permutationis, quo venditor sibi retinet fructus, & solvit, servata æqualitate, pecuniam, computando unum annum forte similem pro alio. Lege Mol. *d. 385.* Arag. *2. 2. q. 78. art. 1. concl. 2.* De Lugo *l. c.* aliósque.

## CAPVT III.

### *Quódnam pretium sit iustum in dictis contractibus?*

### §. I. *Pretium iustum in Vitalitio.*

1. Iustum pretium census vitalitii, sive realis, sive personalis est illud, quod communi hominum existimatione in singulis locis iudicatur, sive summum, sive medium, sive infimum. Quòd si fuerit à Principe taxatum, illud erit indivisibiliter servandum, sicuti similiter fit in cæteris rebus, quæ venduntur, & quibus taxa ponitur à Republica.

2. Inquires: Si nec Princeps taxaverit, nec communis æstimatio, quomodo ab ipsis contrahentibus ea exigenda?

3. Respondeo, iuxta prudentis viri arbitrium, habita, ut vult Boss. *lib. 2. c. 22. d. 6. num. 41. & d. 23. num. 103.* ratione ætatis, complexionis, modi vivendi illius, pro cuius vita solvenda est pensio, copia item, vel penuria pecuniarum in civitate, & habita etiam ratione quod ejus

ejus adveniente morte, capitale amittendum sit. Quare minoris emi debet census vitalitius, si supra vitam robusti, vel iuvenis censum constituas, quam senis, vel infirmi. Hæc etiam debere considerari à Principe, si quando ipse fortasse taxare velit justum pretium census vitalitii, manifestum est, secùs erit injustum, nec ei standum; Injustitia tamen debet evidenter constare. Lege de his Garsiam, *de contract. cap. 27. num. 4.* & Rodriquez, *in summ. lib. 1. c. 44.*

4. Quando pretium non est taxatum, putat Molina, *disp. 388.* hoc modo esse statuendum pretium census vitalitii personalis, ut scilicet habeatur ratio, ad quot annos pervenire possit is, ad cujus vitam census emitur, & desumatur dimidium dictorum annorum, quod erit, inquit, justum pretium dicti census vitalitii. Si sit, v. g. spes, ut ille vivat viginti annos, pretium constituatur, quasi certò victurus sit, decem; posset enim vivere triginta, & posset eras mori. Sumatur igitur medietas illorum viginti annorum, id est, decem. Hæc aliquibus meritò non placent, & præsertim Ioan. De Lugo. *d. 27. de Iust. n. 39.* qui tandem concludit hunc Molinæ discursum juvare quidem, sed omnes tamen alias circumstantias *num. præced.* à me dictas esse considerandas.

5. Illud denique nota, in sensu vitalitio, si is fuerit justo pretio, v. g. centum aureis emptus, non posse in ejusmodi emptione poni pactum, ut æquali pretio revendatur. Patet ratio, quia, quando revendetur, cùm sit transactum aliquid de vita, ut communiter solet occurrere; pauciores solutiones remanebunt, quàm erat initio, Decernatur ergo tunc prudenti judicio, quot anni, & quæ spes remaneant.

## §. II. *Pretium justum in aliis Censibus.*

1. PAri modo justum pretium aliorum censuum est; quod communi usu Provinciæ, vel Civitatis est receptum. Rursus, si Princeps justè taxaverit, illi standum erit, nisi evidenter injustum pretium appareat, ut modò diximus de vitalitio. Si, nec usus, nec Princeps taxavit, determinent sine dolo contrahentes, omnibus expensis.

2. Aliqui hanc regulam tradunt, ut Med. *quæst. 12. de Usur. ad 2.* Conrad. *de censibus, quæst. 82. concl. 3.* ut scilicet eo pretio ematur census perpetuus, quo emeretur ipse fundus, vel alia res fructifera, quæ tantundem redderet in fructibus, deductis expensis. Quare eo pretio, quo emi potest res fructifera, quæ singulis annis reddit fructus centum aureorum, eodem potest (aiunt) emi census perpetuus, & irredimibilis. Sed certè verius est, posse censum paulò minoris emi, cùm plus sit, plenum dominium rei habere, quàm solum jus, quamvis perpetuum, percipiendi fructus.

3. Præterea, quia in contractu censuali non emitur res censui subjecta, sed jus percipiendi fructus ex re, ideo, si res illa, ut habet Covar. *lib. 3. var. cap. 7. num. 6.* Tol. *lib. 5. cap. 47.* magnos afferat fructus, poterit in ea constitui ius exigendi omnes illos, atque adeo magna pensio, (deductis semper expensis) non enim debet habeti ratio in emptione census, quantinam illa res æstimetur, & quanti vendi possit, sed quanti sint, & quanti valoris fructus, quos illa de liquido parit.

4. Denique, eadem proportione servatâ, multò minoris vendi debet, si sit census redimibilis à venditore, quia hoc facit deteriorem conditionem emptoris. Multò minoris, inquam, juxta arbitrium prudentis viri omnes circumstantias expendentis. His explicatis, quatuor hîc sunt notatu digna.

### *Licita est Venditio Census majori pretio, quàm sit Taxa.*

5. Notatio prima: Quando à Principe taxatum est pretium census (ut certè pro Sicilia Philippus Rex, vide *infra, cap. 6. §. 5. n. 1.* & pro Germania Carolus V. apud Medul. Theol. *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 9. num. 1.* taxavit ad rationem quinque pro centum, & Summus Pontifex Clem. VIII. *anno 1593. Quoad sublevationem*, ad rationem septem pro centum, pro statu Ecclesiastico) quando, inquam, taxatum est pretium census, illicitum & injustum est, emere censum minori pretio, quàm sit taxatum, licitum tamen, & justum erit, vendere pro pretio minori. Exemplo id intelliges facilè: Si das in Sicilia ducentos aureos Petro, volens ab ipso emere censum super ejus prædium, Petrus non debebit tibi solvere singulis annis nisi decem; nec potest illum obligare, ut solvat vndecim, duodecim, vel ampliùs, quia non potes emere minori pretio censum decem aureorum annuorum, nisi ducentis aureis, id est, ad rationem quinque pro centum, ut statuit Philippus Rex. At verò potes velle, ut Petrus solùm reddat annuatim octo, v. g. vel quinque, vel minus, & sic Petrus venditor vendet tibi censum pro majori pretio, nam pretio ducentorum aureorum vendet censum annuum octo aureorum, id est, ad rationem non quinque pro centum, se minùs, id est, quatuor pro centum. Ratio hujus doctrinæ est, quia pretium in censibus taxatur in favorem venditorum, qui, nonnisi ob necessitatem, solent vendere census, & quærere solent emptores. Quare, si non taxaretur à Principe pretium, cogerentur vendere illos census pretio valdè tenui.

### *Quomodo supplendum, quando census emitur injusto pretio?*

6. Notatio secunda: Ad quid obligaris, si censum à censuario, emisti majoris? Emisti verbi gratiâ, contra taxam censum decem aureorum annuorum, pretio centum aureorum, cùm dubuisses emere pretio ducentorum aureorum, & per duos annos, v. g. habuisti pensionem correspondentem, id est, viginti aureos, debésne restituere censuario venditori non solum centum aureos ad supplementum legitimi pretii census, eorúmque interesse, quod fortè venditor passus est ex carentia illius pecuniæ, an etiam illos viginti aureos, seu saltem decem, quos habuisti?

Respondeo, esse rectè tres casus distinguendos; vel enim primò, pretium fuit taxatum cum clausula irritante contractum, vel secundò, sine clausula irritante, vel tertiò, nulla lex, nullâque consuetudo pretium taxavit.

7. Si occurrat primum (& in Sicilia quidem esse taxatum cum clausula irritante, vel scilicet invalidè vendatur census, nisi ad rationem quinque pro centum, innuimus modò, & iterum dicemus *infrà, cap. 6. §. 5. num. 2.* (vbi etiam probabimus, legem hanc fuisse cum Justitia latam) si occurrat, inquam, Primum, sunt tria sub pœna peccati mortalis restituenda. Primò, dictum supplementum pretii. Secundò, damnum, quod ex hujus carentia fortè passus est venditor, (quæ duo dicta certa sunt ex vniversalibus regulis restitutionis.) Tertiò, denique pensiones acceptæ, at non omnes, sed solùm qua parte excedunt justum pretium. Ratio hujus tertii est, quia ex vno capite contractus in hoc casu est irritus; ergo censuista non habet absolutè titulum justum retinendi pensiones: Verùm, ex alio capite, quia saltem ex voluntate, & cõsensu, & ex præsumptione, quod clausula illa non irritet contractum, nisi qua parte continet injustitiam, validus est in conscientia contractus pro parte correspondente justo pretio; ideo poterit censuista retinere partem pensionis, quæ fuit ex justo pretio, quandoquidem pro hac parte fuit, ut dico, validus contractus. Hinc in exemplo posito dictus emptor debebit, Primò, restituere centum aureos. Secundò, interesse, si fortè ex horum centum carentia venditori natum est. Tertiò, decem aureos, nam alios decem, vtpotè justè in conscientia acquisitos, retinere poterit.

8. Si occurrat secundum, & tertium, hoc est, si emisti supra taxam sine clausula irritante præceptam, vel, vbi non est lex, præsertim taxans, duo tantùm sunt restituenda, id est, dictum supplementum pretii, &

interesse ex ipso, si fortè venditori accidit (& semper erit Emptor, ut omnes scimus, in peccato, dum hæc duo non restituit) poterit tamen sibi retinere omnes, & integras pensiones, id est, in dicto exemplo aureos viginti. Ita tenet Less. *l.2.c.22.d.58.* De Lugo *d.27.de Iust. n.54.* aliique.

Ratio est, quia tunc, ut supponimus, contractus est validus, ergo dominium iuris ad censum translatum est in emptorem; ergo emptor pensiones illas tanquam suas accepit, quamvis semper cum obligatione, ut dictum est, solvendi, quod est supplendum de pretio ipso, & solvendi damnum, &c. Sicuti, si emis domum, nec integrum pretium solvis, fructus locationis domus tuus est, quia provenit ex re tua, licèt obligeris semper supplere pretium, & damnum, quod fortè provenit venditori domus ex carentia pretii.

*Quo pretio vendi potest Census iam constitutus?*

9. Notatio tertia requirit solutionem illius celebris quæstionis: An census licitè possit emi minori pretio, quàm fuerit ab initio constitutus. Emisti, v. g. censum quinque aureorum annuorum pretio centum aureorum, an possim ego à te emere ejusmodi censum, pretio, v.g. nonaginta aureorum?

10. Respondeo, vel possumus loqui, quando non adest pretium census determinatū à Principe, seu consuetudine, vel quando adest. In priori casu est communis opinio cum Lessio *l.2.c.22.n47.* docens, posse. Et ratio est, quia pretium vulgare, quale esset hoc, non consistit in indivisibili, & sæpè, quod est emptum pretio rigoroso, redimitur infimo. Adde, sicut in aliis rebus, sic in censibus, pretium augeri, & minui iuxta copiam, vel penuriā emptorum, & venditorum, diminui item, quando merces est ultronea, iuxta ea, quæ de capitibus, unde crescat, vel decrescat rerum pretium, *c.8. Decal.tr.3.c.7.§.4.* diximus.

11. In posteriori casu duplex est opinio. Negat altera, altera concedit. Ratio negantium est, quia supposito Decreto Principis taxante pretium, cùm illud consistat in indivisibili, præteriti nequit. Ratio Mol. *d.393.n.5.* Less. *l.c.n.45.* Nav. *in sum. c.23. n.91.* Lopez *de contract. c.58.* concedentium est, quia Decretum, seu Lex statuens certum pretium censibus, intelligenda est de censu, quando constituitur, seu fundatur, de hoc enim loquitur Lex, Summa Corona *2.p. de cens.n.16.* Nav sibi contr. *in com. de usuris, n.112.* Dian. *l. mox citand.* afferens Nan. Sylvest. Ioan. à Cruce; non verò, quando venditur census iam constitutus. Imò iidem dicunt, id in praxi ferè, ubique sic esse receptum. Vtraque opinio probabilis esto.

12. Sed quanti minoris? Respondeo, id debere decerni eo prorsus modo, quo *num. præced.* dictum est. Sanè Diana *p.2.tr.8.res.36.* non condemnavit eum, qui emit rogatus enixè à venditore censum decem aureorum annorum, pretio octoginta aureis, cùm aliàs debuisset emere aureis centum. Et ratio Dianæ, aliorúmque ab ipso citatorum fuit, quia merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte, imò, per aliquos, etiam pro medietate.

*De expensis Scripturæ, locoque, & tempore solvendi pensiones.*

13. Notatio quarta: Ad Iustitiam pretii, & obligationis iustæ in censibus, pertinent item tria. Primò, expensæ scripturæ census. Secundò, Locus. Tertiò, Tempus solvendi pensionem institutam. Quare,

14. Dico primò, Expensas pro scriptura, eiúsque expeditione, ut etiam salarium pro Procuratore, seu Exactore census debere fieri ab emptore. Ratio est, quia scriptura fit in utilitatem ipsius, nimirum ad eius Ius probandum, nam propterea illa apud emptorem remanet. Ita Bald. aliique apud Bonacin. *de contr. d.3.q.4. p.vn.n.32.* Idem dic de Gabella; hæc enim communiter solet imponi ementibus census, non vendentibus.

15. Dico secundò, ex se pensionem solvendam esse in fine anni à tempore, quo constituitur census, enim eruenda ex fructibus, qui anno exacto fiunt. Dixi (ex se) nam scio alicubi esse consuetudinem, ut, exactis aliquot mensibus, per partes solvatur pensio, quæ vbi legitimè adest, servanda est. Id præsertim fit accidere, quando census impositus est super Gabellam mensarim, id est, per menses, solent exigi, ut item, quando impositus est super prædium, quod fructificet tritico, no ut, si mense Iulii producat frumentum, mense Octobris vinum, mense Martii ligna, vel quid simile. Vide addo cum Salas, *tract. de Vsur. dub.42.* si census finem anni redimatur, pensionem non esse integram solvendam, sed ad ratam temporis transacti, vel minuter.

16. Dico tertiò, censum esse solvendum in loco, in quo fuerit conventum: Id quod tamen, si fuerit onerosum emptori compenset venditor, vendendo censum aliquanto minoris. (Quòd si non fuerit expressè conventum, servetur consuetudo civitatis, in qua fundatur census, enim videtur implicitè conveniri secundùm eorum dinem communiter vsurpatam. Quòd si neque hæc sit, puto cum Virginio *de censib. 3.p.n.73.* solvi debere loco, in quo voluit censuarius. vt *in l. is qui ff. de re certo loco*, nam profectò rationabiliter solvitur ubi est res, vel prædium subjectum censui; penso est loco fructuum, qui à re, non, nisi in loco producuntur.

## CAPVT IV.

### *De aliquibus Pactis, quæ solent addi Censi*

1. PRæmittendum est primò, ad Iustitiam eorum consciențiā, præscindendo à legibus positis esse, adesse eas conditiones, quæ sunt de pure Eas autem ad duas reducit Lessius, *c.c.21.n.74.* Primo ut sit æqualitas secundùm æstimationem inter censum pretium. Secundò, ut, quando aliqua gravamina hinc de, præter naturam contractus per pacta accessoria ponantur ea ex prudentis arbitrio debitè compensa supponendo semper hujusmodi pacta, non esse debita va ipsius contractus.

2. Præmittendum secundò, vniversaliter loqui omnia pacta, quæ licita sunt in cæteris venditionibus & emptionibus rerum, licita esse, etiam in empti & venditione census, quia ejusmodi pacta nam nec sunt contraria naturæ contractus census. Ne dicas, posse apponi vnum, non verò multa: nā, quam, dicas, nam si licitum est ponere vnum pactum vtique justum, licitum erit, ponere multa item dummodo contraria in se non sint, mutuòque se destruant.

His præmissis, expendamus aliqua pacta, quatenus natura sua possunt addi licitè, & sine injustitia huic tractui, nam an ab aliqua lege positiva sint prohibita *c.5.* disserendum.

*§.I. Pactum Redemptionis ante, vel post certum temp.*

1. Dico duo. Primum est, esse licitum emere cum pacto, vt possit redimi à venditore certum tempus, v. g. intra sex annos, sed iis elapsis, census non redempto, fiat census irredimibilis. Secundum esse licitum etiam, testibus Mo. *d.391.n.5.* & Val. *2.d.5.d.22.p.4.* emere censum cum pacto, vt census possit à venditore redimi post aliquot annos, v.g. post sex annos. tea non possit. Ratio horum est, quia licitū est emere sum perpetuum irredimibilem, ut omnes concedimus, ergo & redimibilem, nulla enim disparitas (posito pretio justo) afferri potest, ut *suprà* vidimus: Ergo licitum etiam erit constituere prædicta pacta. Probatur hæc vltima consequentia, quia nihil aliud faciunt, nisi, quod dimittere

de perpetuita te: Et quidem Ius redimendi,vel non redimendi censum intra certos annos est pretio æstimabile; cur ergo emi (secluſa lege in contrarium) justè non possit?

2. Dixi (secluſa lege) nam posterius pactum ex dictis, quia habet speciem quandam vsuræ, & periculum illam palliandi,prohibuit Pius V. in Bulla modò dicta,& *inferius* citanda. Prius autem pactum aliqui cum Navar. Less. Mol. Salas,apud de Lugo dicunt,non fuisse prohibitum à dicto Pio V. licèt fuisse prohibitum teneat Bonac. Rebel.apud eundem De Lugo *n.*4. cum quo sentio, quia vna ex conditionibus à Pio V. positis, est,ut census possit semper redimi à venditore. Ita etiam tenet De Lugo, *d.*27. *de Iust. n.*112. licèt probabilem fatear esse sententiam Navarri.

## §. II. *Pactum absolutum Redemptionis ex parte Venditoris, vel ex parte Emptoris.*

1. Dico primò, licitum esse, emere censum realem cum pacto, ut idem census possit redimi, quandocunque voluerit venditor redimere.

Hoc pactum approbatur, immò in omni censu requiritur à Pontificibus Martino, Calisto,Pio, & probatur ratione,quia licitum est,res alias vendere cum pacto, ut emptor illas teneatur revendere ad arbitrium venditoris, ergo, & census. Nec est periculum vsuræ,quia hoc non est mutuum, sed venditio, & emptio. Adde, in mutuo mutuatarium obligari ad reddendam pecuniam mutuatam, at censuarius, qui est venditor,non obligatur reddere pecuniam acceptam,sed solùm, si velit,potest illam emptori reddere, & sic censum extinguere: ergo hoc non est mutuum.

2. Dico secundò, licitum esse, emere censum realem cum pacto, ut possit redimi, quando voluerit venditor, vel quando voluerit emptor: quod est dicere emere census ex vtraque parte redimibilem.

3. Hoc pactum,licèt propter similitudinem cum vsura sit à Pio V. prohibitum, secundùm præsumptionem fori externi,ut habet Medulla Theol. *lib.*3.*tract.*5.*cap.*3. *d.*9.*n.*7.alique,tamen ex natura sua licitum est. Ita Less. *lib.*2.*cap.*22.*dub.*10. & Valent. *t.*3. *in* 2.2.*d.*5. *q.*25. *p.*2. qui addit Romæ in Consultatione, cui ipse interfuit, à viris doctissimis id fuisse probabile judicatum. Probatur autem,quia,qui emit censum realem,redimibilem solùm ex parte venditoris,modo dicto *n.*1.in priori pacto,quod omnes approbamus,v.g. qui centum aureis emit censum quinque aureorum,non videtur illicitè agere, si post dictum censum constitutum,seu post celebratum,jam contractum cum priori dicto pacto, deinde de novo paciscatur cum eodem venditore, ut venditor non solvat quinque, sed quatuor, cum pacto tamen,ut non possit redimere dictum censum,nisi, quando voluerit ipse emptor,non videtur,inquam,agere illicitè, quia illud onus satis compensatur ab ea diminutione census. Ergo,quod licitè sit per duos contractus, potest fieri simul in vno, quando jam erit casus posterioris pacti, de quo loquimur; nam plures licitos contractus simul exercere illicitum non esse,docemus ex Iure *C.vn.de commodato*,*l.*1. *ff.de Deposito*, & passim omnes.

4. Ex his tamen vides, quando apponitur ejusmodi pactum, debere compensari hoc onus, & consequenter debere censum emi majori pretio,secundùm, quod prudens vir existimaverit.

5. Dico tertiò, si ponatur pactum, maximè in censu merè personali,ut solùm tunc possit redimi census,quando voluerit emptor, valdè suspectum illum esse, quòd vsura committatur, licèt in rigore, si hoc tantum onus justè compensetur ab emente,non videatur ex natura rei vsurarius, quia tamen nolumus illum in praxim deducere,satis sit id innuisse, & videri poterit Valentia, *t.*3. *in* 2.2.*d.*3.*q.*25.*p.*2.*v. Quartum*,qui testatur nullum Doctorem id in censu merè personali concessisse.

## §. III. *De Pacto solvendi Pensionem, etiamsi res illi subjecta pereat.*

1. Ratio dubitandi,cur id paciscì non possis,est,quia contractus censualis intrinsecè postulat, ut, pereunte re (cùm tunc pereat, & fructus) pereat, & census.

Nihilominus dico,hoc pactum esse quidem præter naturam contractus censualis; non verò esse contrà, quasi ipsum censualem contractum destruat: Quare dico,secluſa lege positiva,esse licitum ex natura sua,(licèt non negem,esse dissuadendum propter periculum vsuræ.) Ita Valentia *l.c.*& Lessius *l.*item *cit.* Et Valentia quidem ait, hoc idem censuisse illos Doctissimos in ea Consultatione,de qua *in præced.*§.meminimus *n.*3. Ratio autem quod liceat,est. Tum, quia, sicuti in aliis contractibus potest adjici hoc pactum, ita in casu nostro, dummodo tamen hoc onus,quod imponitur venditori, compensetur,augendo pretium census, vel, quod in idem recidit, dummodo minor pensio designetur; Tum,quia hìc sunt duo contractus implicitè,alter constitutionis census, alter, quo venditor census constituitur fidejussor pensionum solvendarum.

2. Hinc vides, hoc pactum posse tutiùs reduci ad pactum assecurationis ut,si res,in qua census fundatur, pereat,damno venditoris pereat, qui sit obligatus,vel pretium totum reddere,vel super alia sua bona census constituere. Sed,ut dixi,debet compensari totum onus,quod venditori imponitur. Et quidem in nostro Regno, ejusmodi assecuratio in ipsa fundatione census solet apponi per illam clausulam(*& super omnia bona,&c.*)idque concessit Nicolaus V. ut paulò pòst videbimus, dum concessit, posse apponi omnia pacta,vtique,præter ea, quæ sunt contra substantiam contractus.

3. Atque ex his, & aliis oneribus, quæ in fundationibus censuum in Sicilia solent addi ad securitatem emptoris, puto, rationabiliter latam esse à Domino Rege Nostro Pragmaticam, idest,legem *inf. à, c.*6.§.5.*n.*5.ponendam,quâ, ut compensatio fieret ad æqualitatem tot pactorum, quæ contra venditorem apponi solent, sancivit, ne census emerentur in posterum ampliùs ad rationem decem pro centum, sed, ad summum, ad rationem quinque pro centum, nam sic compensat emptor illa opera, quæ imponit venditori census. Non est igitur acquiescendum aliquibus, qui aiunt, iniustam fuisse hanc Pragmaticam,seu hanc legem ex eo,quia putant Regem habuisse respectum ad proprium interesse, quo multas censuum pensiones solvebat Regnicolis ad rationem decem pro centum. Non est,inquam,acquiescendum, quia, quicquid sit de intentione interna Regis (quæ tamen bona in dubio semper est præsumenda) cùm lex sit justa ex objecto, ut vidimus, non potest reprobari,ut iniusta ex quocunque affectu Regis interno,ut, si Rex ferat legem, qua damnandi sint fures ad Triremes, non propterea ea lex est iniusta, & repellenda, quia ipse ex odio peccaminoso velit, suorum bonorum subreptores cruciare. Sed de Iustitia hujus Pragmaticæ iterum dicetur; *infrà,c.*6.§.5.*à n.*2.

## §. IV. *Pactum, ut, non soluta pensione, res cadat in commissum.*

1. Solet aliquando addi pactum, ut,si censuarius pensionem non solvat intra duos, vel tres annos, res censui subjecta cadat in commissum,idest,in currat pœnam, ut dicta res fiat emptoris census. Idne licitum est? Dico,positis tribus conditionibus,esse licitum. Ita Tol. *lib.*5.*c.*48. quia iis positis, ex nulla parte apparet iniustitia, secluſa semper lege in contrarium.

2. Prima conditio est,ut culpâ suâ venditor census pensionem non solverit,cùm tamen potuerit. Secunda,ut pœna proportionetur culpæ;unde nō potest pro exigua pēsione non soluta cadere in commissum prædium multi valoris,

sed, judicio prudentis, æqualitas decernatur. Tertia, ut pro onere talis pacti, quod subit venditor, augeatur pretium vel diminuatur pensio modo jam dicto §.3.

3. His conditionibus positis, non possunt esse nobis contrarii multi, qui cum Bonac. *de contract. d.3. q.4. p.vn.n.39.* ideò id esse licitum, negant, quia pœna debet esse moderata, & culpæ proportionata; cùm enim nos proportionem dictam requiramus, hi Doctores contra nos nequaquam sunt. Vide, quæ dicam *cap.5.à n.14.*

### §. V. *Pactum de rescindendo contractu.*

1. Dico, in contractu censuali, licitè, ut vult Mol. *d.391. fine*, posse, abstrahendo à contraria lege, apponi pactum, ut si per duos, vel tres annos censuarius pensionem non solverit, cogatur, seu teneatur restituere emptori pretium totum, & rescindere contractum. Probatur facilè ex dictis. In hoc autem pacto rectè notat Medina *q.15. de vs.* apud Cœlest. *tr.12. de Cens. c.2. versus finem*, non oportere, augeri pretium ab emptore, qui hoc pactum requirit. Ratio, puto, est, quia de jure naturæ sit, ut des mihi meum pretium, si servare non vis obligationem solvendi id, quod ego, per illud pretium, emo. Quædam circa hoc peculiaria pro nostro Siciliæ Regno dicentur paulò *inferius*, *cap.6.*

### §. VI. *Pactum redimendi Censum totum simul.*

1. IN Censu redimibili solet adjici pactum, ut is redimi à censuario nequeat per partes, sed in totum. Emisti, v. g. à me pretio centum aureorum, censum annuum redimibilem quinque aureorum, cum pacto, ut dando tibi quinquaginta, diminuam censum, sed, si velim redimere, debeam reddere centum; quia integra solutione facta, integer census, & totus extinguatur.

2. Dico primò, ex natura rei ejusmodi pactum esse licitum. Ita Tol. *l.5.c.45.* Mol. *d.393. num.8.* Arag. *2.2. q.74. art.4. fine.* Ratio est, quia, sicuti alias res emptas cum pacto retrovenditionis, non potest venditor redimere per partes; id enim esset in damnum emptoris, quia emptor partiali illa pecunia non poterit uti ad emendas res majoris valoris, quas fortè vellet emere, & quia pecunia per partes reddita facilè cõsumitur, &c. Ità in casu census, &c.

3. Non approbo Nav. *in comment. de vsur. n.78.* dicentem in hoc pacto, ut illud sit licitum, debere pretium census augeri: Non approbo, inquam, quia hoc pactum est imbibitum in ipso contractu emptionis, ut scilicet, qui velit eandem rem, quam vendidit, redimere, totum pretium offerat, sicut totum obtulit, qui emit.

4. Rectè autem Lopez *l.1. de contr. cap.59.* Garsias *de contr. cap.28.* contra Bannez, aliõsque, notant, censum posse emi cum ejusmodi pacto, etiam post Bullam Pii V. quia Pius id nunquam prohibuit. Illud tamen fateor, si alicubi sit legitima consuetudo, vel lex municipalis, ut redimatur per partes, esse servandam, si non appareat clarè injusta, quia leges, & consuetudines justæ semper sunt observandæ.

5. Denique ex ratione hujus primi dicti inferri facilè potest, etiamsi pactum redimendi totum simul non præcesserit, tamen totum simul, & non per partes esse ex se censum redimendum. Ita Less. *l.c.c.22.n.73.* Mol. *l.c.* quia, ut dictum est, id postulat ipsa natura retrovenditionis.

6. Dico secundò, posse nihilominus poni pactum, ut possit redimi per partes, & id solùm declaravêre Martinus, & Calistus, dum contractum census continentem hoc pactum approbaverunt, non enim reprobarunt, si hoc non contineret. Ratio est, quia non apparet, unde id sit illicitum; cùm sit in favorem Venditoris, cui rationabile est favere, utpotè, qui subeat onus solvendi pensionem quotannis.

7. Multi Doctores, ut Nav. *in comment. de vsur. n.101.* Summa Cor. *2.p. tract. de Cens. n.13. & 16.* Montalin. *in lucerna animæ, c.18. §.6. n.14.* putant absolutè posse censum redimi per partes notabiles, ut per tertiam, per quartam, &c. non autem per partes minimas, & quin Romæ sic fieri, dicit Montal. *l.c.* Sed certè id, si firmat confirmat quod modò diximus, servandam esse legitimam consuetudinem.

### §. VII. *Pactum de redimendo cum eadem Moneta.*

1. QVoad pactum de redimendo cum eadem vel cum diversa moneta, nihil occurrit dicendum præter id, quod latè docet Less. *l.2.c.22. dub.8.* nimirum quod & abstrahendo ab aliquo lucro cessante, non licere afferre eandem, vel diversam, sit novum gravamen, non aliunde non recompensetur, quia satis est venditori justa, & æquivalenti moneta restituendar.

2. Quòd si gravamen abundè compensetur, vel æquale periculum, quod crescat, vel decrescat valor monetæ, tunc licere, etiam in terminis Bullæ Pii V. quia novus contractus fortis, mihi dubium non est. Idem potest De Lugo *d.27. de Iust. sect.11.* Addit Bonac. *contr. d.3. q.4. p.vn. n.41. v. Adverti.2.* Censum emptus posse, etiam aliis rebus, quibus tamen census fuit emptus sit loco pecuniæ, idque etiam post Bullam Pii V. Pontifex, esto voluerit numeratam pecuniam in constitutione census, de qua tamen re *infernus* dicam. Sed in constitutione id solum voluisse, non in extensione tenendum est. Atque hæc de ejusmodi pactis ex communi ipsorum licitis. Videamus nunc, an adsint aliqua in contrarium.

## CAPVT V.

### *De Constitutionibus Pontificiis circa Census creationem.*

1. QVinque Pontificum Bullæ, qui de hac re disposuerunt, sunt hîc prælegendæ.

#### *MARTINVS V. & CALISTVS III.*

Primò enim Martinus V. & secundò, non multo post idem, quod Martinus, approbavit Calistus III. per constitutiones, quæ habentur *in titulo de Emptione, & venditione, inter Extravagantes.* Sed, quia hi Pontifices non requirunt eas conditiones in suis Bullis appositas ad factitiam census, sed solùm declarant, census cum illis conditionibus creatos esse licitos, ut sentit Mol. *d.393. l.5.c.46. fine*, (quidquid dicat Navar. *in comment. de vsuris, num.72.*) ideò de his non est, cur fusiùs hîc sit agendum.

#### *NICOLAVS V.*

2. Tertiò, Nicolaus V. anno 1451. ad petitionem Alphonsi Primi Regis utriusque Siciliæ, edidit constitutionem censuum in illis Regnis, Bullam repetentem quatuor conditiones, sed de hac Bulla latè, utpotè ad nos Siculos maximè pertinente, disputamus; hic autem fuit solùm innuenda, ubi ceteras Bullas afferimus.

#### *PIVS V.*

3. Quartò, Pius V. anno 1569. edidit Constitutionem, quæ incipit, *Cum onus Apostolica*, & est 82. *in Bullario Romano*, in qua requirit ferè decem & septem conditiones, quarum certè plurimæ non requiruntur ex natura rei in censuum constitutione. Quare, ubi ea non est promulgata, vel recepta, non obligat, sicuti non obligant cæteræ leges positivæ, ubi receptæ non sunt. Idem sanè hanc Pii Bullam non obligare in Gallia, nec in Germania, nec in Belgio, in quibus Regnis hæc Bulla non fuit promulgata, nec usu recepta, docet Less. *l.2.c.22. dub.9.* nec in Regno Castellæ, docet Mol. *d.394. n.1. fine*, nec in Regno Siciliæ, teste Less. *loc. cit. n.99.* nos docebimus *c.seq.* pluribus. Solùm ergo in tertis Pontificis subiectis, ubi fuerit fortè promulgata, receptáque, obligabit. Quid si ex parte fuerit recepta, ex parte obligabit, ut habet

Less.

Less. *loc. cit. num.* 100. & ut patet ex illo vulgari principio, quòd leges justè, legitimèque receptæ vim habent obligandi. At, si aliquo in loco, neque hæ, neque aliæ sint leges vel consuetudines legitimæ in constituendis censibus, satis erit servare legem naturalem, quæ tantummodo æqualitatem inter census, & pretium requirit ut mox iterum dicam *in 4. condit.*

Denique non est improbabile, quod affirmat Valent. *tr.3.in 2.2.d.5. q.22.p.2. v. Quamquam probabiliter*, sed negat Less. *l.2.c.22.n.*100. ex Navarro, hanc Pii V. Constitutionem procedere ex præsumptione vsuræ, & sic non obligare in foro conscientiæ eum, qui conditiones in illa præscriptas non servat, si cæterùm servet eas conditiones, quæ requiruntur ex Iure naturæ.

Notat tamen, & meritò *ibidem* Valent. obligari Iudices, etiam in conscientia, ut in locis, vbi ea viget, non admittant in Iudicio emptiones censuum aliter, quàm dicta constitutio jubet.

Pertinet autem ad vlteriorem doctrinam, conditiones à Pio V. requisitas hic breviter percurrere, ut percurrit Cœlestinus *tr.12. de Cens. cap.*3. Summa Cor. *de Censib.* aliique breviter, nam cæterum Duardus integrum volumen de his scripsit *t.1. & 2. de Censib.*

4. Prima ergo conditio est, ut census non constituatur, nisi supra rem immobilem.

5. Secunda, nonnisi supra rem certam, quæ nominatim certis finibus sit designata.

6. Tertia, ut, nonnisi supra rem fructiferam, & quidem rationem habendo vnius anni pro alio, ut notat Bonacina, *contr.d.3.q.4.p.vn.n.21.v. Addo non opus esse.*

7. Quarta, ut integrum, totúmque pretium census numerato solvatur coram Notario, & Testibus.

Hic nota cum Sanch. Megala, Mald. aliisque quos citat, sequitúrque Diana *p.1.tr.8.resol.*44. esse nihilominus licitum in conscientia, etiam in terminis hujus Bullæ (est 6, neget Filliuc. & Salas apud eundem) constituere censum de pecunia antea debita, vel tradendo, tempore, quo celebratur ipse contractus census, aliquas merces in pretium, vel non statim datâ pecuniâ, ut etiam licitum esse, ex pensionibus census non solutis augere census antiquum, vel novum constituere. Ratio horum est, quia ideò requiritur à Pontifice, ut pecunia sit numerata, ne fiant fraudes, & vsuræ, quare, si illæ verè absint, ejusmodi numeratio non obligabit in conscientia.

8. Quinta, ne deducantur in pactum anticipatæ pensiones, id est, ne venditor cogatur solvere pensionem temporis nondum elapsi.

9. Sexta, ne venditor obligetur ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non tenetur.

10. Septima, ne addatur pactum, quo non possit venditor vendere, cui voluerit rem censui subjectam, nec pactum solvendi aliquid emptori pro facultate vendendi, quam dare sibi reservaverit idem emptor, quod solet justè apponi in censu Emphyteutico, vocatúrque Laudemium.

11. Octava, ne fiant pacta, quibus censuarius ob moram solvendi teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad solvendas expensas, quas fortè faciet emptor ad exigendam pensionem.

12. Hîc nota duo: Primum, hanc octavam conditionem addidisse Potificem, ut removeret omnem ansam vsuræ; nam cæterùm jure naturæ tenetur venditor resarcire omnia damna, quæ emptor pateretur, & expensas, quas fortè fecerit (sed necessarias) ad suam pensionem acquirendam. Quare ab hac obligatione Pius V. censuarium nequaquam liberat, vnde fit, ut semper possit emptor hæc damna petere à Iudice, & per sententiam habere recompensationem, & censuarius semper obligetur, etiam ante sententiam, illas recompensare, &c. Ejusmodi mora solvendi, quid, & quatenus operetur, vide *in nost. Dec. lib.*8.*tr.*3. *cap* 8.§.3.

13. Secundò nota, emptorem posse licitè exigere à venditore pignora & fidejussiones, tum pro pensione, tum pro evictione, idest, pro periculo, quod subit emptor, ne, propter aliquod jus alterius, evincatur, seu auferatur ab ipso jus ad prædium, seu ad prædii fructus, quod jus ipse emptor emerat: & ut securiùs pensio annua ipsi solvatur. Ratio horum est, quia ex vna parte de jure naturæ habemus, ut quilibet rem suam, quanta potest securitate, tractet, & ex alia, Pius V. hæc non prohibuit.

14. Nona, ne fiat pactum, ut si non solvatur pensio, teneatur censuarius ad aliquam pœnam, vel ad amittendam rem censui subjectam.

15. Hîc nota duo: Primò, pœnam aliquam moderatam, & proportionatam non esse contra justitiam ex natura contractus, ut *superiùs* admonui.

Secundò, errare Notarios, si vbi recepta est hæc Bulla, apponant pœnam, quam vocamus commissi, idest, qua amittatur res, si pensio non solvatur, hi enim confundunt censum reservativum, in quo potest poni talis pœna, cum consignativo, de quo loquimur, in quo non potest, ubi hæc Bulla Pii V. est recepta; nam cæterùm ex natura contractus posse illam poni, dixi *suprà, c.5.§.4.* & iterum *infrà*, dicam *c.6.§.1.n.6.*

16. Decima, ne pensiones annuæ non solutæ, vel non solvendæ augeant censum antiquum.

17. Vndecima, ne ex illis alius creetur.

18. Notat autem Mol. *d.* 390. hanc conditionem involvi in quarta modò dicta, ex vi cujus præsens debet esse pecunia, quâ constituitur census, ut nos jam *ibidem* explicuimus.

19. Duodecima, ne fiant pacta, quibus aliqua onera cogatur solvere is, qui ex natura contractus ad ea non obligabatur, si, v.g. qui emit, debet solvere Gabellam, ne imponatur hoc onus ei, qui censum vendit, nec contrà, si debet, qui vendit, imponatur ei, qui emit. Pari modo, si tributum, v.g. super prædium suum censuarius reddebat Principi, ne id imponatur emptori; tributa enim soluuntur à Domino feudi, qualis est nunc censuarius.

20. Decimatertia, ut pereunte, sine culpa censuarii, re subjecta censui, census omnino pereat.

21. Decimaquarta, ut pereunte ex parte, ita scilicet, vt non produci fructus possint sufficientes, nisi ad partem pensionis, census etiam ad partem solùm debeatur.

22. Decimaquinta, ut semper census sit redimibilis, reddito eodem pretio. Vide, quæ dixi *suprà, capite* 4.§.1.

23. Decimasexta, ut si venditor census, seu censuarius velit censum redimere, seu extinguere, debeat monere emptorem ante duos menses, & tunc post denuntiationem possit eum cogere intra annum, ut censum extinguat, quo elapso, cogere amplius non possit.

24. Has denunciationes non esse necessarias in terris non subjectis dominio temporali Ecclesiæ, docet Mol. *d.* 391. *clus.* 10. *fine.* Notant item meritò nonnulli, si Dominus census nolit obstinatè extinguere censum, pretium accipiendo, posse censuarium tunc, coram Notario, & Testibus, pretium deponere, admonito Domino census; nam sic liberabitur censuarius ab onere solvendi amplius pensionem.

25. Decimaseptima, ne emptor possit ob vllas causas ab invito censuario repetere pretium, seu capitale, ne in pœnam quidem, solutæ pensionis.

Ex hac conditione vides censum debere semper esse irredimibilem ex parte emptoris, & debere semper ex parte venditoris redimibilem esse. Id esse ex lege positiva non de jure naturæ, si proportionatum sit pretium, dixi *suprà, cap.*4.§.1. & 2.

26. Postremò, census sine his conditionibus creandos à tempore publicationis hujus Bullæ, quæ fuit 1568. mense Februarii, ut fœneratitios haberi vult Pius V. saltem in foro externo (semper intellige, vbi ea recepta est) nam quid in externo, sæpè innui *superiùs*, & mox iterum dicam *n.*31. *& infr. c.*6.§.2.*n.*4.

27. Hactenus ex Pii V. constitutione, in qua tria denique notare operæpretiù est. Primò, multos cù Farin. *cons.*54. *n.*20. *& lib.*1. *dec.*10. *n.*4 existimare, si in contractu censuali desit aliqua ex his conditionibus non magni pon-

deris, quæque non sit destructiva contractûs, ut, si contractus non celebretur coram testibus, & Notario, aut non per scripturam publicam, aut non per pecuniam numeratam, de qua numeratione dixi, quoad forum conscientiæ *in conditione quarta, num.7.* non statim eum judicandum esse invalidum, & illicitum, sed potiùs validum, licitúmque, etiam in foro externo. Ratio est, quia semper est præsumendum pro actu, ut potiùs valeat, quàm pereat, & quod licitus fuerit, quàm illicitus, si solùm omittantur conditiones, quæ cùm sint leves, non sunt de solemnitate necessaria, nec inducunt formam substantialem contractûs.

28. Id certè multò verius est, si addatur in instrumento contractûs hæc, vel similis clausula: *Contrahimus juxta formam Bullæ, vel servatis conditionibus Pontificiis, nec aliter, nec alio modo.*

Tunc enim, si quid in tali contractu appositum inveniatur, quod Bullæ adversetur, haberi debet pro non adjecto, atque huic doctrinæ favet illud Iuris, l. cum precario, ff. de precariis: *Vitiosa debent haberi pro non appositis.*

29. Idem denique verum erit, si contrahens sit Rusticus, vel mulier, nam de his non præsumendum est, velle celebrare contractum illicitum, & vsurarium, ut notant Covarruvias *lib. 3. variarum cap.8. numero 3.* Tiraquell. *de retract. convent. in Præfat. numero 34. & 35.* aliíque.

30. Secundò, notare operæ pretium est, has conditiones Pontificias extendi solùm ad contractus censuales, qui fiunt per modum emptionis, & venditionis, id est, quibus addito prætio, emitur census; de his enim agit Pontifex, non ergo ad eos, qui fiunt per contractum donationis, aut dotis constituendæ, vel per viam legati, seu vltimæ voluntatis, &c. Ita ex Navarro, Lessius, *lib.2. cap.22. num.96.* in his enim satis est servare ea, quæ sunt necessaria de jure naturæ.

31. Tertiò, nota esse probabilem opinionem illorum, qui affirmant eas solas conditiones ex prædictis requiri pro foro conscientiæ ad validum, licitúmque contractum census, qua de jure naturæ esse *suprà* diximus, ex Lessio, *suprà, cap.4. num.1.* cæteras esse pro foro externo. Lege Bonac. *de contract. disp.3. q.4. punct. vnic. n.45.* vide etiam, quæ dicam *infra, cap.6. §.2. n.4.* aliósque ab ipso Bonacina citatos.

## *GREGORIVS XIII.*

32. Hic, anno 1574. apud Bullarium ad petitionem Regis Philippi Secundi approbavit Bullam Nicolai V. pro Regno Siciliæ vltra Pharum, dedítque facultatem, ut in Sicilia constituerentur census juxta Bullam Nicolai V. non obstante Bulla Pii V. addidit tamen quasdam conditiones, quas nos *inferiùs* paulò pòst expendemus. Interim videatur Summa Corona 2. *part. de cens. num.16.*

## *CLEMENS VIII.*

33. Denique Clemens VIII. anno 1592. edidit Constitutionem, quæ incipit: *Quæ ad sublevationem.* Vbi præcipit, ne in statu Ecclesiastico in posterum creentur census, nisi ad summum ad rationem septem pro centenario.

---

# CAPVT VI.

## *De Constitutione Censûs pro Regno Siciliæ in forma Bullæ Nicolai V. & Gregorij XIII.*

### §. I. *Proponitur Bulla Nicolai V.*

1. BVllam Nicolai V. pro vtraque Sicilia vltra, & citra Pharum habes in Bullario, eandémque refert Collerius *de Contract. Censuali, initio*, Summa Corona *de vsura, circa contr. Censuales*, Duarenus *de Sacr. t.1. initio*, Petrus de Gregorio *de Cens.* Lupus *de vsur. §.2. n.85.* qui vltimus dum addidit, hanc Bullam esse valdè periculosam, & præbere materiam vsurarum facilè labitur, cùm Nicolaus V. *ibidem* sub indignatione Dei præcipiat, ne quis audeat contradicere illi, quæ dicta Bulla definit, & concedit. Nec minùs errat Augustinus Montalcinus *in Lucerna animæ, cap. vlt. num.21.* dum ait, id esse permissum à Nicolao, ne majus malum, ad majora mala vitanda; sicuti licuit fuit permissum repudium, & vsura; erat, inquam, hæc valdè hementer, cæcutitque in tenebris, quatenus Bullam animæ sibi præferre profiteatur; non enim id Nicolaus ex permittit, ut minus malum, sed concedit, atque, licitè posse constitui cum conditionibus assignatis.

2. Iam verò Bulla hæc, quam præter dictos Doctores exscribit Rex Alphonsus Primus in suis *censibus inter Pragmaticas hujus Regni*, est horis.

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei, *tudo Pastoralis.* Et infrà: *Regis Prafati* (id est, Alph *supplicationibus inclinati, tam eidem Regi, quam di R gnorum Siciliæ citra, & ultra Pharum, singulis, præsentibus & futuris, huiusmodi cen rebus, & proprietatibus suis, ac facultatibus tis eorundem, instrumento gratia pro consimile redimendi mediante, dummodo annualis censu censualium decimam partem principalis recepti eorundem non excedat, inter se contrahendi, cum opportuna contrahentium securitate, titione, nitate, cum potestate vendentes personis, prietates, reditus, iura, iurisdictiones, census, & singula mobilia, & immobilia bona obligandi, ri faciendi, ac etiam quascunque alias obligationes missiones cuicunque foro, necnon renuntiationes nes, stipulationes, pœnis, iuramentis, & alis vallatas, & alia, quacunque, de quibus inter vendentes huiusmodi censualia, conventum, & deductum fuerit, plenam licentiam, & liberam tate Apostolica, tenore præsentium, concedimus tem: Decernentes, & declarantes, eosdem emtas, bitatores censualia huiusmodi, modo præmisso, in ipsis Siciliæ citra, & ultra Pharum, inter se libere contrahere, ac vendere, & emere posse, neque usurariam pravitatem committere, dummodo etiam ut præmittitur, quodlibet annuum censuale decimam tem principalis recepti, seu pretii venditionis ipsius excedat, & pensionibus, seu annualitatibus illorum sortem non computatis, pro tali redemptione, prætr cipalem summam nihil, ultra percipiatur ab emptore, exhibeatur à venditore. Non obstantibus, & causa. Nos ergo liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, Beatorum Petri, & Pauli se noverit, incursurum. Datum Romæ anno 1452. pridie Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno VI.*

3. Hactenus Bulla, in qua vides, rectè posse (ut inquiunt Lupus, & Summa Corona II, cc) conditiones ea requisitas ad quatuor revocari.

Prima est, ut census possit constitui, aut specialiter super re certa, aut generaliter super omnibus bonis addita etiam obligatione omnium bonorum mobilium & immobilium, & etiam personæ, quæ vendit.

4. Secunda, ut possit eodem pretio redimi, id est, extingui.

5. Tertia, ut annua census pensio non excedat decimam partem pretii, id est, ut census non constituatur plus, quàm ad rationem unius pro decem, seu, quod idem est, ad rationem decem pro centum.

6. Quarta, ut ad majorem securitatem census possint pœnæ, & pacta apponi (utique, ut semper tamen

ponitur, nec injusta, nec contra substantiam contractus) juxta arbitrium contrahentium; ut admirer Summam Coronam, quæ postquam exscripsit dictam Bullam, ubi clarè adest illud (pœnis, & aliis, &c cæt.) ait, esse contra hanc Bullam, apponi pactum pœnale, ut bona incidant, in commissum. Meliùs dixisset, ut nos *superiùs* diximus, *cap. 4. §. 4.* & iterum dicemus *inferius, hoc eodem capite 6. §. 8. n. 7.* non esse, ex se iniustum, nam secùs non concessisset Pontifex, sed ex avaritia emptoris posse facilè esse iniustum, quando pœna non est moderata, vel tantum onus non aliunde compensetur.

## §. II. *Proponitur Bulla Gregorii XIII.*

1. GRegorius autem XIII. dum approbat prædictam Nicolai Bullam, vult, ut sequentes conditiones observentur. Prima, ut tollantur abusus contra Bullam Nicolai V. fortè introducti.

2. Secunda, ut possit census redimi.

3. Tertia, ut in creatione census fiat mentio unius, aut plurium rerum certarum, & nominatarum; addi tamen possit generalis obligatio omnium bonorum.

### *Quam obligationem inducant prædicta duæ Bullæ.*

4. Inquires: Prædicta intelliguntúrne etiam in foro conscientiæ, ita, ut contractus censualis celebratus in utraque Sicilia sine his conditionibus non solùm sit irritus in foro externo, sed etiam sit irritus in foro interno?

Respondeo: Ita multi putant cum Bonacina *de contract. disp. 3. quæst. 4. p. unic. num. 43.* loquente de conditionibus Bullæ Pii V. nam certè idem is diceret de conditionibus nostris à Nicolao requisitis. Hi enim tenent, omissionem solemnitatis, saltem non levis (nam de levibus diximus *suprà, cap. 5. num. 27.*) reddere nullum contractum, etiam in se, unde etiam in conscientia. Aliqui tamen probabiliter (ut id esse probabile idem Bonac. *ibidem* fatetur) affirmant, non esse irritum in foro conscientiæ (nisi expresè irritum redditum à lege fuerit ut in casu dicendo *infrà, §. 5.*) in quo foro illæ solùm conditiones requiruntur, quas jure, naturæ, seu ex natura contractûs requiri dictum est in superioribus, præsertim *cap. 4. initio*, quamvis in foro externo præsumatur usurarius contractus ex defectu cujuslibet conditionis ex prædictis, saltem non levis momenti. Immò Molina, Salon, Navarr. Salas apud Bonacin. *loc. cit.* aliique existimant, contractum non habendum esse usurarium, & nullum in quocunque foro ante sententiam Iudicis, modò celebratus fuerit, servatis conditionibus requisitis ex natura contractus, & consequenter posse ab emptore perseverari in contractu jam celebrato, absque onere computandi in sortem pensiones acceptas, nisi à Iudice condemnetur. Post quam condemnationem stare sanè sententiæ condemnatus debet; quia justæ sententiæ semper est parendum.

5. Iam verò singulas conditiones Nicolai, & Gregorii percurramus, memineris tamen, etiam apud nos Siculos locum habere ea, quæ *suprà* de censu in genere tractata sunt, & pertinent ad ipsam naturam contractûs censualis.

## §. III. *Prima conditio Census in Sicilia super Re, vel Rebus.*

1. PRima conditio Nicolai est, ut census constituatur super re certa, vtique immobili, & fructifera, vel generaliter super omnibus bonis. Notas? Nicolaus V. dicit (*vel*) at Gregorius id restringit; vult enim vt semper constituatur super vna re, vel pluribus certis & nominatis (vtique, ut dictum est, immobilibus & fructiferis) addita tamen generali omnium bonorum obligatione. Et certè in Regno nostro census passim creantur hodie juxta hanc Gregorii conditionem, in qua sola videtur differre constitutio Gregorii ab illa Nicolai. Sed jam primam hanc conditionem quinque quæstionibus illustremus.

### *Quid intelligatur nomine rei immobilis?*

2. Quæres autem primò. Quid intelligatur nomine rei immobilis?

Respondeo: Prædia, Domus, & alia hujusmodi ex natura sua perpetua, immò ipse census habetur pro re immobili. Vnde licebit per vnum censum constituere alium, etiam æqualem, ut docet Molina, *d. 289. claus. 1.* Navarr. *in comment. de vsur. n. 87.* aliíque, si sicuti de facto constituitur census super alios census, jura, & reditus Principum, & Civitatum, ut etiam super gabellas, officia perpetua, &c.

3. Adverte tamen, censum, super quem aliis census imponitur, debere ex se esse irredimibilem, aliter posterior census, priore pereunte, periret; nam propterea (saltem ad hunc effectum) inter mobilia reputatur reditus non perpetuus à Glossa, *in Extravag. ad condit. v. Mobilibus*, Bald. *in l. Hæ ædili. §. 15. Illud, C. de sec. nupt.* Tiraquell. *de retractu, p. 1. §. 4. num. 119.* aliíque. Putat nihilominus Lessius, *l. c. c. 22. d. 12. n. 77.* posse collocari censum super censum redimibilem, quando, qui in primo casu censum secundum fundavit, esset paratus (addo, & legitimè se obligaret) pereunte primo censu, in alia re fundare secundum.

### *An satis sit, super omnibus bonis? Vbi de infectione bonorum illius, qui possidet rem subjectam Censui.*

4. Quæres secundò, an Siculis liceat nunc, fundare censum generatim in omnibus bonis, nullum certum exprimendo? Siculis, dico; nam scio, seclusa lege, licitum esse, ut vult Farinac. *l. 1. decis. 10. n. 1.* Tol. *5. c. 45. n. 3.* patétque ex Bulla Nicolai V. in qua id conceditur, ut vidimus, quod certè non concessisset, si id ex natura sua esset illicitum. Sed, quia Gregorius XIII. ut modò vidisti, id prohibuit Siculis, ideò de ipsis hæc quæstio procedit.

5. Respondeo: Quamvis ante Bullam Gregor. XIII. fuerit id Siculis licitum; tamen post illam non licet, pro foro externo. Patet ex voluntate expressa Gregorii, ut notavi *dicto n. 3.* Sicuti etiam, nec licebit, ubi est recepta Pii V. Bulla, ut patet ex secunda conditione ejusdem Bullæ allatæ *c. 5.* Dixi (pro foro externo.) Nam pro interno, dixi *C. eodem*, §. 1. *n. 4.*

Illud autem emolumentum est, quando ponitur census in vna re certa & simul in aliis venditoris bonis, ut quamvis pereat res nominata, non tamen pereat census, quia jam pensio debebitur super cæteris venditoris bonis.

6. Notandum insuper esse, latum discrimen inter obligationem, quæ in censu fit super re certa & illam, quæ fit super omnibus bonis in confuso: quod sic breviter declarat De Lugo, *d. 32. de Iust. num. 33. & 34.* Cum dictum sit, rem hypothecæ subjectam deferre secum semper onus illud, & obligationem realem, hinc fit, ut ad quemcunque possessorem transierit, possit creditor debitum ex illa exigere: non potest tamen ex jure novo, etiam ex hypotheca expressa, agere creditor adversùs tertium possessorem, nisi præcedente excussione in bonis debitoris, & fidejussorum, & eorum hæredum; ut habetur *in Authent. de fidejussoribus, §. Sed neque, & paulò post.* Doctrina hæc non procedit in feudo super quo census aliquis impositus est; hoc enim, si vendatur, vel alienetur, defert ita secum onus illud, ut non debeat priùs à venditore census peti reditus, sed immediatè ab ipso tertio possessore. Neque enim illa est propriè hypotheca, de qua agimus, sed est venditio partialis dominii vtilis illius feudi, ut explicuimus agentes de censibus (ego id dixi *superiùs, cap. 2. §. 3. n. 1.*) Aliud verò esset de bonis aliis, quæ hypotheca generali obligata sunt pro securitate census, hæc enim sit transeat ad ter-

tium possessorem, non debent illum obligare ad solvendum nisi facta priùs excussione prædicta, quia illa non sunt vendita, sed solùm hypothecata. Hæc De Lugo: sanè præscindendo à pacto (quod certè apud nos apponi in ejusmodi contractibus censualibus solet, putà: *Ne specialitas generalitati deroget, vel contrà.*

*Infectio bonorum possidentis prædium subjectum Censui.*

7. Iam verò hîc vbi agimus de obligatione omnium bonorum, opportunum erit, discutere solemnem illam praxim in Sicilia, quâ, si tu emas, v.g. prædium, in quo ab aliquo tertio fundatus est census pro Francisco, v.g. & suis hæredibus, non solùm debeas Francisco, vel hæredibus pensionem ex fructibus talis prædii, sed, dum illud possides, debes solvere etiam ex fructibus aliorum omnium bonorum tuorum, quæ veluti inficiuntur ex consortio possessionis illius prædii subjecti censui. Id quod, an solidum habeat fundamentum, cùm census realis ex natura sua solùm debeatur ex fructibus rei in fundatione census obligatæ, dubitabant aliqui ex nostris Theologis; non enim videbant, cur dictus possessor deberet subire tantum onus infectionis prædictæ.

8. Verùm, hoc esse ita dispositum ab Alphonso I. Rege, qui Nicolai V. Bullam impetravit, certum est, ut mox ex ejus Pragmatica videbis, vnde, & ex dicta auctoritate Regis, & ex consuetudine iam antiqua, stylóque nostræ Curiæ tam firmo, non apparet, cur Theologus dubitare adhuc possit de justitia hujus infectionis, quæ inducta à Rege meritò fuit ob securitatem majorem emptoris census. Nec tamen dicas, id esse pactum nimis grave contra venditorem census, seu contra eos, qui vnquam rem subjectam censui possidebunt. Ne id dicas, inquam; nam propterea Pontifex concessit, ut census possit fundari ad rationem decem pro centum, judicavit enim, pro illa sua ætate sic compensari posse ejusmodi infectionis onus, quod, saltem in confuso, prævidebat apponendum à Siculis, dum onerosa pacta, quæ ipsi vellent, apponi posse, concessit; fortasse etiam hoc infectionis onus Pontifici à Ministris Alphonsi significatum fuit: pro nostra autem ætate Dominus Rex voluit, ut fundaretur non plùs quàm ad rationem quinque pro centum, quia meritò judicavit prædictum tantum onus, & cætera alia sic satis, supérque compensari, ut latiùs dicam mox *infrà*, §. 5. *à num.* 2.

Verba autem Alphonsi Regis *loco suprà citato*, inter Pragmaticas hujus Regni hæc sunt: Hac edictali lege perpetuò valitura sancimus, hujusmodi censualium contractus, seu instrumenta tanquam res judicatas nulla appellatione, seu provocatione suspensas, promptam, ac paratam executionem habere, & non solùm contra personas, res, & bona illorum, qui originaliter censualia hujusmodi vendiderit, necnon eorum fidejussorum, hæredum, seu vniversalium successorum, sed etiam absque aliqua bonorum principalis debitoris discussione contra personas, & bona quorumcunque singularium detentorum, rerum, jurium, vel bonorum, sub quibus censualia ipsa fuerint specialiter onerata, quandiu apud eos illorum detentio fuerit, &c.

*Remedium, quo vitetur dicta bonorum infectio.*

9. Denique hîc non est omittenda explicatio cujusdam artificii, quo, ne sua bona dicto modo inficiantur, negotiatores aliqui diligenter vtuntur, quando in nostro Regno emunt aliquod immobile, de quo sciunt, vel dubitant, an constitutus super illud fuerit alius census; nam curant, ut famulus, vel ancilla, vel quicunque fidelis amicus, qui nulla bona alia habeat, emat prædium illud cum ipsius ejusdem negotiatoris pecuniis; sic enim nulla bona inficiuntur, non negotiatoris, quia exteriùs non apparet, hunc emisse prædium illud censui subjectum: neque bona famuli, vel amici; quia, ut dictum est, nulla bona is possidet, quæ infici queant. Negotiator verò liberè gaudebit illo prædio per subinde [illegible] personas empto, à quibus molestiam nullam alia [illegible] inferendam, certò scit. Quæret igitur aliquis an hoc [illegible] ficio vti sine injustitia, vel peccato possimus?

10. Respondeo, præcisa falsitate juramenti, quæ [illegible] in hoc contractu emptionis intermisceri, cui [illegible] regulas de juramento æquivoco posset occurri, [illegible] hoc stratagemate vti licitè posse. Tum, quia [illegible] etiam timoratos illo vti solere. Tum, quia [illegible] tuo, dum illud emis alterius nomine, quod [illegible] tum ex se non est. Adde id aliud non esse, nisi [illegible] damnum proprium. Neque dici potest, sic damnum [illegible] teri inferri, non, inquam, id potest dici; num [illegible] obligor melioris conditionis facere pensionem [illegible] censuistæ, & ex alia parte non sit pejoris conditionis [illegible] census ex meo hoc stratagemate, sed remanet in [illegible] conditione, in qua erat antea, idest, antequam [illegible] intermediam illam personam bonum illud immobile [illegible] quirerem.

*An possit imponi Census super pluribus bonis, quæ singula tim non sufficerent.*

11. Quæres tertiò: Si vnam rem sufficientem [illegible] ni vendendæ non habeam, habeam verò tres, vel quatuor quæ simul acceptæ sufficiant, possúmne super has tres tuere censum?

Respondeo, affirmativè cum Molin. *d.* 333. [illegible] modò eæ certæ sint, & nominentur à venditore. [illegible] est, quia per æquivalentiam, illæ res constituuntur [illegible] quid, & perinde est, ac si constituatur super vnam [illegible] ficiens.

12. Ex dictis tamen sequitur, ut pereunte vno [illegible] pereat (si nihil aliud addatur) pro rata, pensio [illegible] quia supponimus, cæteras res non esse sufficientes [illegible] re tunc perinde esset, ac si prædium, v.g. sufficiens [illegible] quo pensio imposita fuit, periret ex parte. Dixi (si [illegible] hil aliud addatur) quia, quando solet addi aliud pignus, sive pignus, sive assecuratio, quæ aliunde compen [illegible] non est mirum, si solvatur pensio tota, ut ex supradictis patet.

*Si duo Census super vna re impositi inveniantur, qui solvendus?*

13. Quæres quarto: Quando super eadem re constitutus est duplex census à duobus emptoribus, quilibet eorum solvendus est, si fructus non sufficiant pro vtroque.

Respondeo, non solvendum pro rata, sed solvendum censum, qui priùs fuit impositus super illa re, quem [illegible] risperiti vocare solét anteriorem, nam hîc maximè [illegible] regula Iuris: *Qui prior est tempore, potior est iure.* Et [illegible] manifesta est, quia primus censuista jam habuit obligatum totum prædium, quoad omnes fructus, & sic [illegible] Dominus illius juris statuti, ac emit censum. Ergo [illegible] secundo nihil remanet fructuum, nihil pro secundo [illegible] nebit pensionis, in quod damnum ne fœdè impingat, [illegible] sanè per summam diligentiam cavere soleant [illegible] censuum emptores.

14. Contrà, si res, supra quam institutur census, [illegible] vidatur in plures hæredes, vel per partes pluribus [illegible] neis dividatur, poterítne censuista, qui est Dominus [illegible] sus totam suam pensionem à qualibet parte [illegible] (ut, præciso pacto, supponere debemus) exigere, [illegible] singulis pro rata?

Respondeo, posse totam à qualibet parte, & ita [illegible] receptum esse, docet Less. *l.* 2. *c.* 22. *num.* 89. quicquid dicat Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 4. *p. vn. n.* 38. *v. Quarto §.* & De Lug. *d.* 27. *de Iust. num.* 6. & *num.* 106. Ratio est, quia illa [illegible] sio non facit Dominum census pejoris conditionis. Si [illegible] go ante divisionem poterat ex quacunque parte [illegible] sufficienter pensionem suam exigere, immò & in illa [illegible] tum censum fundare, sic post illam divisionem [illegible]

fectò quisnam emere census vellet cum adeo frequenti periculo, ut sua pensio dividenda esset in minutissimas partes, & consequenter cum summa molestia eam exigendi?

*An constitui possit Census super re Feudali, vel Emphyteutica, vel dotali, vel vinculata?*

15. Quæres quintò, an super his possit constitui census? Respondeo, certum est, non posse. Ratio in feudo, præter cæteras, est, quia ejus dominium directum est apud Dominum feudi; cùm ergo Feudatario delinquente, feudum liberè redire absolutè debeat ad Dominum, emptor census amitteret suum censum, atque adeo damnum pateretur.

16. Idem est in re emphyteutica. Nam cùm ejus Dominus directus sit Proprietarius, ea non potest alienari, *leg. 2. C. de Iure emph.* nec alteri obligari sine consensu Domini.

17. Quod dictum est de re emphyteutica, dici etiam debet de re dotali, quæ sine consensu vxoris obligari non potest, imò alicubi, ut in nostro Regno, ne cum ejus quidem consensu, constante Matrimonio.

18. Idem denique dic de re vinculo aliquo alteri obstricta, quia, cùm libera debeat res hæc pervenire ad illum alterum, sanè cum damno emptoris pensio dissolveretur. Debent igitur bona, in quibus constitui potest census esse sub vero, & libero dominio vendentis censum, seu, ut loqui solemus, sub dominio subjugantis, quæ bona à Iuristis vocari solent Burgensatica. Qui secùs ergo fecerit, decipiet emptorem, atque adeo peccabit, & ad restitutionem obligabitur.

*An bona fides faciat, ut possit exigere pensionem ex contractu Census invalido?*

19. Petes: Si emptor bona fide emit censum constitutum in re aliena, vel vinculo aliquo obnoxia, idque ipse emptor, vel ipsius hæres ignoret, potéstne licitè, & sine injustitia exigere pensionem?

Respondeo: Dum ignorat, posse non est dubium; non solùm ex conscientia, quâ ipse putat, rem non esse alienam, sed etiam, quia illas pensiones accipit sibi, ut debitas ex vi contractus censualis. At cùm idem emptor, vel ejus successor compererit, illam rem esse alienam, non poterit recipere pensionem, ut habet Mol. *d.* 394. Nav. *in comment. de Cens. b. n.* 118. Less. *l. c. 2. cap. 22. n.* 19. aliique. Ratio est, quia tunc, dum cognoscit, rem illam esse alienam, cognoscit etiam, sibi nullum esse Ius in fructus alinæ rei nulliter ipsi à non Domino venditum. Posse tamen ab emptore cogi venditorem ad reddendum pretium, & ad cætera damna restituenda, vel ad constituendum censum super alia re propria, certum est. Quod si clarè non appareat, sed sub dubitatione, quæ factis diligentiis, tolli non possit, rem esse alienam, pergat censuista ad suas pensiones exigendas, quia tunc ipsi favet possessio.

20. Sed iterum petes, & primò quidem: Ad quid obligabitur censuista, si postquam clarè cognovit, censum impositum fuisse super re aliena, inveniatur, apud se habere ipsam individuam pecuniam, quam pro suis pensionibus habuit, seu exegit tempore bonæ fidei, vel inveniatur esse in illa factus locupletior? Nam, si nihil habet, nec factus est in aliquo locupletior, quia, v. g. latiùs vixit, ad nihil teneri ex regulis generalibus restitutionis tractantibus de restitutione ex re accepta, vel modicè doctus non ignorat. Secundò autem, circa id ipsum petes: Quid erit obligationis, si hanc pecuniam individuam, vel id, in quo factus est ditior exegit censuista bona fide ab aliquo tertio, in cujus possessione fortè res invenitur, nec talis possidens particeps fuit doli venditoris census?

21. Ad Vtramque petitionem respondeo, ex iisdem principiis vniversalibus de restitutione colligi, in vtroque hoc casu absolutè obligari ejusmodi censuistam ad restituendum id, quod invenitur habere. Si enim ex contractu nullo illam pecuniam habet, certè alienam rem habet, atque adeo restituendam.

22. Adest tamen differentia inter vtrumque casum valde notanda, nam in priore potes tu censuista tantam pecuniam retinere (si te per culpam decipit venditor census, vendendo tibi rem alienam) quanta sufficit ad damnum tibi factum resarciendum, sive sit iusum Capitale, sive damnum emergens, sive lucrum cessans, sive quodcunque aliud interesse, taxandum judicio viri experti. At in posteriori casu (quantum est ex hoc capite) non potest idem prætendere, quia nullam culpam commisit tertius: Cùm enim ipse censum non fundaverit; pecuniam nullam à re, vel à tuis majoribus per fraudem habuit, quam restituere teneatur.

25. Dixi (quantum est ex hoc capite) nam si propter onus impositi census, aliquis tertius minùs à primo census Fundatore, seu venditore emisset prædium illi censui subiectum, vnde ipse tertius aliquid deberet ipsi Fundatori, posses tu modo dicto deceptus, sequestrare pro te id, quod dictus tertius ei fundatori debet, juxta Regulas vniversales, quibus creditor potest sui debitoris credita, ut sibi satisfaciat, præoccupare.

## §. II. *Secunda Conditio Census in Sicilia.*

*Vt redimi is possit, & quidem eodem pretio.*

1. OLim solebat apponi pactum, ut census redimeretur majori pretio, quàm fuerit venditus, id Pontifex in hac clausula omnino prohibet. Quare etiamsi sustineri posset, illud pactum fuisse ex se licitum (quod tamen puro sustineri non posse) tamen hodie jam ex Pontificis hac prohibitione id amplius licitum non est.

2. Illud quæri posset; An licitè ponatur pactum à Siculis (ut certè poni non rarò consuevit) ut, quando venditor velit redimere, seu extinguere censum, teneatur totum pretium integrè solvere? & Respondeo, licitè poni. Ratio est, quia id nec prohibetur à Pontifice, nec est contra naturam contractus, imò juxta ipsius naturam est. Vt nimirum, sicuti venditus est census, integro soluto pretio, ita eodem integro extinguatur, vel redimatur. Vide quæ dixi *c. 4. §. 6.*

*De Redemptione Census animo faciendi fructus suos.*

3. Iam verò explicationem magis distinctam dictæ redemptionis census, hîc afferamus, quam reluitionem à verbo luere (quod ex vocabulario Iuris significat liberare) nostrates appellant; per hanc enim à debitore census liberantur; seu, ut etiam loquimur, affrancantur bona censibus subjecta. Et certè ejusmodi debitor, qui illud Ius luendi habet, vel est ipse primus venditor census, vel ejus hæres, vel quicunque tertius, ad quem sive pervenerunt prædicta bona, sive ejus interest affrancatio.

4. Respondeo, hoc dictum, *Debitor potest redimere Censum*, duplicem habere significationem potest. Primò, hanc: Debitor quicunque, dando integrum pretium, idest, Capitale, & solutis pensionibus decursis, potest liberare suum prædium, censúmque extinguere. Secundò, hanc: Debitor, qui solet esse tertius, qui bona prædicta possideat, dando dictum integrum pretium, solutisque decursis pensionibus, potest sibi emere prædictum censum, seu Ius ad fructus dicti prædii. Ita, ut debitor hîc faciat fructus illos deinceps suos pro casu molestiæ, quam aliquis fortè inferet contra possessionem ejusdem prædii. Vides discrimen; in priore significatione extinguitur, cessátque omnino census, atque adeò redemptio est extinctiva census: at in posteriori non extinguitur census, sed redemptio est translativa Iuris census; transfert enim Ius percipiendi consequentes pensiones in ipsum, qui erat antea debitor.

bitor, quique nunc redimit, vsuras illo jure pro tempore dictæ molestiæ.

His igitur ad explicationem terminorum positis, difficultas est, an creditor licitè possit, & an etiam obligetur revendere cum dicta cessione translativa, quam secundo loco explicuimus, quoties debitor ille seu tertius possessor rei subjugatæ offert capitale cum decursis? Nam quòd obligetur extinguere censum, eo modo quo explicuimus primo loco, res est certa, & disputatione non indiget. Loquamur priùs de potestate breviter, tum aliquantò latiùs de obligatione. De quibus legi possunt Amatus *resolut. 7. à num. 29.* Rodric. *de an. red. lib. 2. quæst. 16.* Pont. *consil. 87. lib. 1.* Felician. *de Cens. l. 4. c. vlt.* Mastrill. *de Cens. q. 5.* Giurba *decis. 87.* aliique.

5. Quoad prius: Res est certa, creditorem, seu Dominum census, si velit; posse licitè censum revendere debitori, seu cuicunque possessori prædii subjecti censui transferens in illum jura omnia sua, immò etiam cuicunque alteri, cui fortè debitor census concessit Ius luendi, quod ipse debitor habebat. Ratio est manifesta, quia quilibet potest jura sua alteri cedere, quando nihil obstat in oppositum, ut certè nihil hic obstat, & sanè quotidiana praxis ostendit id esse licitum, cùm frequentissimè ejusmodi revenditiones translativæ jurium in nostro Regno celebrentur.

6. Quoad posterius, in quo consistit præsens, & quidem gravis difficultas: Dico, obligari creditorem revendere censum debitori, seu hujus cessionario, idque cum prædicta cessione, seu translatione juris: quod est dicere, ejusmodi revenditionem translativam juris esse necessariam, non solùm voluntariam. Probatur duobus præsertim argumentis, alterum ducitur ab æquitate, alterum à rigorosa Iustitia.

7. Nam primò, celebre axioma in moralibus, est, ut *illud quod tibi non nocet & alteri prodest faciendum sit.* Quod principium habetur ex *l. In creditore, ff. de evictionibus*, ibi, *Cui non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi, quod sine dispendio creditoris factum est?* Sed ejusmodi revenditio translativa, ut videtur *num. 3. & 4.* ex vna parte non nocet creditoris, quia semper apponitur, seu apponi intelligitur illa clausula: *Dummodo contra ipsum ea cessio non retorqueat*, & ex alia, prodest debitori deponenti pretium: ergo ex æquitate facienda est.

8. Dices, si solùm ex æquitate est facienda, non obligabitur creditor ei acquiescere, nisi ex congruitate; Id enim solùm importat æquitas, ut ea distinguatur à Iustitia.

9. Respondeo: Aliqui, ut huic instantiæ satisfaciant, recurrunt ad illud aliud principium in Iure: *Paria sunt compelli, & posse compelli.* Quare afferunt, in hoc casu adesse obligationem, etiam ante mandatum Iudicis, quamvis solùm consideremus prædictam æquitatem, quia ad obligationem inducendam satis est, quod ex mandato Iudicis possit creditor compelli. Animo non sedet hæc responsio, quia non semper compelli, & posse compelli, paria sunt: ad multa enim post sententiam Iudicis aliquis obligatur, ad quæ non obligatur antea, adeóque compelli antea non potest, v. g. non obligatur quis ante sententiam solvere pœnam, restituere rem litigiosam se possessione spoliare, quando ratio contra ipsum luce clarior non apparet, &c. quæ tamen obligabitur facere post sententiam.

Respondeo igitur, hoc primum argumentum, nisi addatur id, quod mox proferam *num.* 10. non esse valdè efficax ante sententiam Iudicis, esse solùm efficax post Iudicis mandatum, quia sententiæ latæ à Iudice secundùm æquitatem judicante, est omnino parendum, quia etiam sic justa est. Addamus ergo id, quod efficaciter intentum nostrum probat.

30. Nam secundò, ex vi rigorosæ justitiæ sic probatur nostra conclusio. Certum, & infallibile principium est *Pacta justa esse servanda*: sed in fundatione census pactum, ut emptor, seu Dominus census obligetur decrescum prædicta translatione juris; ergo, &c.

11. Minor, in qua hæret vis argumenti probandi, mò quia contractum præsertim bonæ fidei inter quo, qualis certè est contractus, de quo agimus, sus enim, ut notat De Lugo, *d. 27. de Iust. ipsa* species venditionis, & emptionis, quæ est ctus bonæ fidei: qui, inquam, contractum fidei init cum aliquo, se implicitè obligat ad da ea omnia, quæ ex æquitate in eo contracti nentur; sed in contractu creationis census æquitas ad translationem illam jurium, ut videmus ergo ad illam æquitatem servandam se obligat ditor.

12. Eadem Minor probatur secundò, quia in fundarionis census juxta formam Bullæ Nicolai V. brati, bonitur hæc clausula: *Cum potestate redimendi* Immò, etiamsi ea non explicitè poneretur, adhuc ligeretur implicitè adjecta, quia in Sicilia semper nitur fundari census in forma dictæ Bullæ. Sufficit hoc verbum (*redimere*) non significat solùm extinguere censum, & solam affrancationem prædii sed etiam novam emptionem rei (quæ hic non est ptio ipsius census, seu juris ad fructus ex eo prædio cipiendos) ergo cùm pactum in ipsa fundatione positum, & à Pontifice requisitum sit, ut debitor quandocunque voluerit, & sibi vtile erit, redimere sum, sanè creditor revendere debebit modo sibi sine injustitia ex non observato pacto, immò n obedientia contra Pontificis præscriptum vllo modo posset.

13. Si Bulla diceret: *Cum potestate redimendi dium*, census forrasse posset esse, cum potestate randi, seu affrancandi prædium, (sicuti dicimus mere servum, & redimere captivum ab eo, qui potestate habet, idest, liberare servum, seu captivum extinguere) & tunc, saltem clarè, non apparet nisi pactum mere illum censum extinguendi, de Bulla dicat: *Cum potestate redimendi censualia*, appellat Pontifex prisco illo more census,) non esse census, nisi quem nos contendimus, ideò potestate emendi ipsum censum per translationem juris in se. Patet, quia non potest intelligi, quis emat censum, & non consequenter, immò in eo ipso emat, seu recipiat jus ad percipiendos fructus prædicti census, adeóque cum translatione juris. Profectò hujusmodi est census in similibus locutionibus; Cùm enim dicimus, *redimere domum*, seu Domum ab alio occupatam iterum, pretio dato, recipere, & Ius in ipsam reassumere; Et cùm dicimus *redimere hæreditatem*, sensus est, venditam hæreditatem iterum recipere, iterúmque Ius in ipsam assumere: quæ sunt, vel patum literatis cognita apud Calepinum *Redimo.*

Dixi (cum Bulla dicat, &c.) ejus enim verba insignatè sunt:

*, Concedimus Siculis, hujusmodi censualia contra; per rebus, & proprietatibus, ac facultatibus mo, dem, instrumento gratia pro consimili prædictus, dimendi.*

Vides, Tò (illa redimendi) posse referri ad censum ut ego contendo, dixit enim (illa) non (illas) & pu vtcunque referri ad res, & proprietates ideft, sub genere neutro, ad bona, & prædia, ut contendere adversarii (licèt præter ordinarium loquendi modum) possit tamen ego assero, meam interpretationem esse genuinam rendam. Ratio est, tum quia dicit (illa) ut jam notavi non (illas) tum, quia cùm hoc pactum à Pontifice requiratur in favorem ipsius venditoris census; ut in superioribus vidimus, illud interpretari oportet, quando magis favet, maximè in re, à qua in nihilo nocet Emptori, quia nunc est revenditor, diximus *n. 4.*

14. Atque hinc collige minùs rectè loqui illos qui

cum Roderico *de ann. reddit. lib. 2. quæst. 16.* (quamvis nobiscum is sentiat) in reliquis; negant tamen in creatione prima census adesse hoc pactum; minus, inquam, rectè loqui, nam illi, nec considerarunt implicitum pactum servandæ æquitatis, quod diximus *num. 9.* nec advertunt illud: *Cum potestate illa redimendi*; rationabilius referri ad censualia, ut modò dictum est.

15. Confirmatur primò, ex praxi, quam testantur Ioseph. Carleval. *t. 2. de Iudic. lib. 1. t. 3. disp. vltima*, & Arias de Mesa *lib. 1. resol. cap. 22.* adesse in Sicilia, & Neapoli, quâ debitor cedit, vel donat ius suum luendi censum, & cessionarius, vel donatarius, deposito pretio, cogit Dominum census ad reventitionem animo faciendi fructus suos, in quo casu hic acquirit censum cum eadem anterioritate, qua primus creditor fruebatur. Si ergo cessionarius seu donatarius primi debitoris potest cogere ad prædicta primum creditorem census, cur idem non poterit ipse debitor, qui censum vendidit, vel ejus hæredes, si eorum interest?

16. Confirmatur secundò, quia clausulam hanc potestati redimendi positam in contractu erectionis census, ita debere explicari de stylo Notariorum ut importet obligationem in revendente, ad cedenda iura census quando ea postulat is qui reluit, testati sunt in quodam casu occurrenti, aliqui Notarii non ignobiles à quodam Patre Nostræ Societatis, qui id mihi retulit, de hac re consulti.

## DVBIVM INCIDENS.

*An Ecclesia obligetur revendere Censum cum prædicta cessione translativa Iurium.*

17. Nec obligari Ecclesiam, nec sine Pontificis facultate posse validè, quia illegitimè alienaret bona Ecclesiastica, contendit P. Tanc. *in q. moral. t. 1. tract. 2. d. 109.*

Nihilominus assero, & validè posse, obligari. Ratio est duplex: Primò, quia Ecclesia non facit contra prohibitionem non alienandi bona, quando alienat ex necessitate & non ex voluntate, sed in casu, de quo agimus, alienat ex necessitate, & non, &c. ergo, &c.

Major patet, quia quoties in Iure prohibetur alienatio, non venit necessaria, sed tantùm voluntaria: & meritò, quia Pontifices noluerunt per prohibitionem præiudicare Iuri aliorum, nam propterea, ita passim firmant Doctores, Bordonius *tom. 1. resolut. 27. de alienat. rerum Eccles. num. 6.* id probans *ex l. Alienat. ff. Famil. Erciscæ. & t. 3. controv. 26. num. 10.* allegans alias leg. Rotam Romanam, Surdum, aliósque plures: idem eosdem sequens refert Tiraquell. *de retract. §. 1. Glossa 14. num. 11.* & plures denique, Arias de Mesa *lib. 3. cap. 26. num. 21.* aliique.

18. Minor autem probatur evidenter ex dictis *à num. 9.* ubi ostendimus, eius modi reventionem translativam Iuris esse necessariam ex æquitate, & ex Iustitia iuxta requisita à Summo Pontifice; ut etiam hinc possimus contendere pro dicta reventione adesse iam Pontificis concessionem. Lege Bonacin. *de Alien. Bon. Eccles. quæst. vnic. p. 2. num. 10.* qui inde in simili existimat Retroventionem non esse alienationem vetitam Ecclesiasticis, quando pactum retrovendendi positum est in prima venditione, quia tunc retroventio non est novus contractus alienationis, sed est impletio contractus prioris. Certè simillimus est, ne dicam idem, casus noster.

19. Secunda ratio nostræ assertionis ducitur ex eo, quòd Ecclesia obligatur acceptare pretium sibi ablatum, vnde extinguatur census; id, quod omnes sine controversia fatemur. Iam hinc sequitur, quòd, si ipsa cedat, prædicta Iura, nihil gravetur, nihil de suo amittat, nihil damni patiatur. Iam enim ipsa extincto, censu, quem tamen extinguere abligatur, nihil amplius habet, quod amittat, seu in quo gravetur. Si ergo in nihilo gravatur, sequitur rursus, ut non prohibeatur ea Iura cedere. Probatur sequela, quia ab illa alienatione prohibetur Ecclesia abstinere, quæ ipsam gravat, ut habet Bordonius *t. 2. resol. 64. quæst. 4. & alibi*, & quidem jure, si enim ipsam non gravat, frustranea esset prohibitio, & imprudenter, imò invidenter Pontifex se gereret, si vellet, ut alteri denegaretur, quod sine Ecclesiæ gravamine concedi posset.

20. Confirmatur primò, nostra assertio; quia ex præhabita consideratione hæc nostra Iurium cessio non est vocanda, nec censenda alienatio, nisi valdè æquivocè, & impropriè: nam alienatio in re nostra est distractio alicujus boni ab Ecclesia, sed hæc nostra Iuris cessio, nihil boni distrahit, seu tollit ab Ecclesia, ut dictum est, ergo, &c.

21. Confirmatur secundò, eodem Bordonio *tom. 3. contr. 26. quæst. 1. num. 5.* qui cùm illud (*redimere potest*) positum in contractibus censuum, intelligat non de extinctione dumtaxat, sed de venditione cum translatione Iuris, ita pro nobis docet: *Census*, inquit, *habet hoc speciale, quod redimi potest; non obstante quavis longissima, & immemorabili temporis præscriptione, & qui habet jus illud exigendi, licèt sit Ecclesia, tenetur illud vendere sine aliqua juris solemnitate requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum.* Hæc ille. Notas? Vendere, dixit, non extinguere. Notas iterum? Vendere jus exigendi, dixit, quæ profectò clara est assertio nostra.

22. Et vide inconsequentiam contrariæ opinionis, ea enim concedit, posse ad prædictam juris cessionem compelli laicum; at negat posse cogi Ecclesiam, Manifesta inconsequentia. Si enim ideò laicus cogitur, quia sive ex æquitate, sive ex justitia obligatur, certè ex eadem æquitate, & justitia obligatur Ecclesia: Nam, & Ecclesia pari modo subditur legi æquitatis, & justitiæ, ac subditur laicus, sicuti pari modo est Domina census cum iisdem gravaminibus, & pactis, cum quibus est laicus. Et sanè mirum esset, quod jus exigendi censum à prædio, verbi gratiâ, Lucano donatum, vel venditum laico Petro, obliget (postulante debitore) Petrum ad revendendum cum cessione translativa jurium, ut hæc sententia, quam impugnamus, concedit: at idem jus exigendi eundem censum ab eodem Lucano prædio donatum, vel venditum Ecclesiæ, nequaquam ipsam obliget, eodem debitore postulante. Vnde, quæso te, naturam mutavit ejusmodi census, quandoquidem, ut supponimus, cum iisdem oneribus, & pactis ad Ecclesiam pervenit?

Superest jam rationes adversariorum solvere, quas facilè quis ex dictis infringerere, & quidem evidenter potest.

23. Objiciunt enim primò, sic: Ius, quod Ecclesia habet exigendi census, seu reditus ab hoc prædio, est bonum stabile; ergo, si illud transfert in debitorem censuum, alienat bonum stabile contra prohibitionem.

24. Confirmatur primò, quia hæc prohibitio, cùm sit favorabilis Ecclesiæ, comprehendit quamcunque cessionem jurium in extraneum, ergo, &c.

25. Confirmatur secundò, quia sic adderetur novum onus Ecclesiæ, nam initio fundationis census solùm fuit appositum pactum, ut extingueretur census, non verò, ut in debitorem transferretur.

26. Respondeo, nego consequentiam objectionis: ut patet ex dictis; nihil enim alienat, quod bonum suum sit.

27. Ad confirmationem primam, distinguo antecedens: Comprehendit quamcunque cessionem jurium in quemcunque extraneum, cum quo nullum præcessit pactum, concedo antecedens: Comprehendit quamcunque cessionem in extraneum, cum quo (seu cum cujus majoribus, vel similibus) præcessit pactum transferendi, nego antecedens. Vnde, & nego consequentiam.

28. Ad confirmationem secundam, nego induci novum onus, jam enim centies dictum est, hoc onus fuisse, sive implicitè, sive explicitè positum initio contractus,

ctus, imò jam etiam dictum est, non esse onus, facere id, quod tibi non nocet, & alii prodest.

29. Instas: At saltem erit onus Ecclesiæ, quod debitores censuum scientes Ecclesiam posse cogi ad revendendum in translatione dicta jurium, facilius quærent se redimere: id, quod sæpissimè cederet in damnum Ecclesiæ, quæ, nec æqualem, nec promptum invenire posset censum, quem emeret cum pretio sibi reddito.

30. Respondeo, esto, hoc sit aliquod onus, tamen, quia est appositum in erectione ejusdem census, ideo cùm patientia tolerandum. Dixi (esto) quia revera, tam modicum, & tam remotum hoc gravamen est, ut non venire debeat in considerationem, maximè in re nostra; neque enim Ecclesia per prohibitionem alienationis rerum Ecclesiasticarum vetatur, ne sit mera, & remota, occasio, & ne se ostendat facilem ad revendendum, sed solùm ne revendat; quando res prohibita est revendi, & quando ipsi est voluntarium, revenditionem denegare.

31. Obiiciunt secundò, Doctores passim docent, si prædium vendatur pupillo cum pacto, de hypotheca, non posse fieri hypothecam sine Decreto Iudicis, quia statim, atque fuit prædium in dominio pupilli, cœpit esse sub lege prohibente, ne pupillus sine auctoritate Iudicis hypothecam, idest, alienationem faceret. Ergo pari, imò maiori ratione, in casu nostro, etiamsi pactum præcesserit non poterit Ecclesia hoc pactum exequi sine licentia Pontificis.

32. Respondeo, claras esse disparitates, Primò, In pupillo nocitura supponitur, seu meliùs timetur erectio hypothecæ: at in casu nostro nihil nocet Ecclesiæ translatio Iuris, de qua loquimur, ut toties probatum est. Secundò, Pactum pupilli cum vendente prædium, est initum inter ipsos privatos, éstque speciale inter has personas contrahentes, at in casu nostro est pactum universaliter requisitum à Summo Pontifice pro omnibus contrahentibus, & ut lex publica ab eodem lata, quare sine restrictione servanda. Tertiò, Ratio, cur requiratur à Pupillo Decretum Iudicis in erectione dictæ hypothecæ, est parva ætas pupilli, qui non iudicatur, adhuc aptus ex se solo ad contrahendum, & ad dicernendas conditiones contractuum. Id quod nihil est in casu nostro.

33. Obiiciunt denique tertiò, auctoritatem cuiusdam docti Causidici, & cuiusdam viri fide digni, asserentium Tribunalia in nostro Regno decidisse, Ecclesiam hac in re, nec debere, nec posse compelli.

34. Respondeo, Tunc id ita fortasse fuisse decisum, quia probabilis visa fuit illa opinio. Sed hodiè, quando rationes iam sunt diligenter expensæ, certè in favorem nostræ, hoc est, veræ sententiæ erit, pronuntiandum.

### §. V. *Tertia conditio Census in Sicilia, Vt pensio non excedat decimam pretii.*

1. TErtia conditio est, ut non constituatur census, nisi ad rationem unius pro decem, seu ad rationem decem pro centenario: id, quod iussit Pontifex, ne, si amplius censuarii dare deberent, facilè in paupertatem dilaberentur.

Quorum mercè Carolus V. in Germania, & Philippus II. in Sicilia, & Clemens VIII. pro statu Ecclesiastico auxerunt pretium census, modo, quo *suprà* dictum est, ideò statim oritur difficultas, an, si Siculus, cui iam concessit Nicolaus emere censum ad rationem decem, pro centum, & cui Philippus negavit ut sic emeret, cùm solùm velit ad rationem quinque pro centum, an, inquam, possit Siculus in conscientia (nam in foro externo Rex, seu illius Iudex ipsum sine dubio condemnaret) licitè, & validè emere ad ratione pluris, quàm quinque pro cẽtum, putà ad rationem sex, septem, decem, &c. De hoc *suprà*, *c.4. §.3. n.3. & c.6. §.2.n.8.* bis dictum est, id tamen iterum hic, quasi in proprio loco est discutiendum.

2. Et quidem primo aspectu, posse videtur, quia non potuit Princeps restringere id, quod Summus Pontifex concessit.

Nihilominus respondeo, non posse. Ratio est, quia Nicolaus V. solùm permittens declaravit, ut ex quibus *suprà, c.6. §.1. n.2.* positis apparet, non fuisse licitum emere censum in Sicilia ad rationem decem pro centenario. Cæterùm non ademit à Regis auctoritate & providentiam, quam habere debet decernendi de rerum, & consequenter pretia censuum, id, quod fecisse in Sicilia, propter multa pacta, quæ hic ponere in creatione censuum, notavi *superiùs*, *l.c.*

3. Et certè inter alia onera *superiùs* tacta, nonnullum onus est facultas emptoris sibi adjudicandi prædium ad discursum, quando pensio à venditore amortizatur? De qua re pluribus mox dicetur §.7.

Adde aliam rationem ex generali doctrina, quòd pretia rerum crescere ex copia ementium: Cum igitur multi, penè sine numero sint, qui emunt ejusmodi census in forma Bullæ Nicolai, mirum non esse debere majori nunc pretio esse dignos. Quare Rex, ad quem pertinet decernere rerum pretia, rectè judicare, & potuit, nunc, in tanta emptorum copia, (qui tunc fortè non judicavit) additis oneribus præfatis, ejusmodi justum pretium esse debere ad rationem usque pro centum. Quòd autem etiam in venditionibus valeat, ad majus, vel minus pretium conveniendum, emptorum parvus, vel magnus numerus, docet D. Lugo *d.25. de Iust. n.200.* & fatentur omnes.

4. Quando autem *num.3.* asserui, non posse, nec licitè, nec validè. Non licitè, quia pretia rerum quando sunt à Principe taxata, obligant, ut illa invisibiliter serventur, quemadmodum *alibi* dictum est. Non validè, quia Rex Philippus nullos reddit contractus in posterum creandos, si superent præfictum modum, cujus verba irritantia contractum majori pretio subortum hæc sunt: „In 2. tom. pragmat. Reg. Sicil. tit.46. pragmat.3. de Cens. juxta form. Bullæ.

5. „*Ordinamo, è comandamo, che di quà innanti non*
„*si possa in detto Regno di Sicilia imporre, constituire, ne fondare di novo rendita nassata di giugationi, ò Censi redimibili, ne ricatare a meno*
„*prezzo di vintimilia il migliaro, che è il frutto*
„*di cinque per cento, è che li contratti di vendite*
„*ò Censi, che d'altra maniera si faranno, siano nulli*
„*ò di nessimo valore, & effetto,* (notas irritabilium contractus?) *è non si possa per virtù di quelli intentare*
„*dare, ne vicuperare in iudicio, ne fora, più in una*
„*detta regione, è rispetto.*

### §. VI. *Quarta, seu ultima conditio Census in Sicilia. Vt possint apponi pacta ad arbitrium contrahentium.*

1. VAldè notabilis, & ampla est hujus clausulæ concessio, quia in aliis Bullis multa pacta prohibentur, ut ex Superioribus constat. Sed in nostro Regno possunt adjici contractui census, ex vi illius concessionis, omnia, & quæcunque pacta velint contrahentes, dummodo (ut semper supponitur) apponantur ea, quæ sunt conformia juri naturæ, ad quæ nihil aliud requiri, nisi, ut servetur æqualitas granamina competentia, & pacta non sint inter se contraria, notavi cum Lessio *supr. cap.4. num.1. initio.*

2. Atque hinc fit, ut quando in Sicilia apponitur pactum (& solet quidem semper) ut si censuarius non solvat pensionem, possit censuista prædium sub quo habet census, sibi adjudicare, non existimetur esse usurarius, & meritò: non enim est contra naturam contractus, & meritò: non enim est contra naturam contractus, quia illud nullo modo destruit naturam contractus, & ex alia parte non videtur esse illicitum, quando ita stum onus imponatur venditori, quia supponimus compensari aliunde ejusmodi gravamen, & nunc post pragmaticam Philippi maximè competentia, ut dictam Philippi Pragmaticam maximè competentia, ut eo, quòd emptor non acquirit pensionem, nisi ad rationem quinque pro centum, ut *suprà* vidimus. Nonnullum

etiam est illicitum ex alio capite injusto, quia etiam supponimus, illud non apponi, propter quamcumque modicam pensionem non solutam, sed propter multas, quæ possint aliqua tandem ratione attingere dimidium valoris prædii, modo mox explicando, & supponimus etiam, poni in pœnam mod. ratam per Iudicis sententiam infligendam, ob culpam potentis, & nolentis solvere censum, ut *supra, cap. 4. §. 4. & hoc eodem cap. 6. §. 1. n. 6.* vidimus. Non denique est illicitum ex lege positiva, quia jam concessit Nicolaus V. posse poni quæcunque pacta justa, &c.

His in genere prælibatis, ad aliqua scitu necessaria de hac adjudicatione progrediamur.

§. VIII. *An possit quis, vi cessionis habitæ à Domino census, sibi adjudicare, hoc est, auctoritate Iudicis sibi appropriare prædium censui subjectum?*

1. NOn ratò, putà, quando censuarius, idest, debitor census, sive ob paupertatem, sive propter aliud, non solvit pensiones censuistæ, idest, creditori debitas, dictas pensiones solvit alius tertius suâ pecuniâ, cui tertio dictus censuista, qui est Dominus, & creditor census, cedit totum Ius, quod ipse habet in dictum debitorem, & in quæcunque bona obligata, vel hypothecata suo censui. Postquam autem ejusmodi tertius obtinet hoc Ius propter multas pensiones à se solutas, petit, & obtinet à Iudice, ut sibi attribuantur illa bona loco censuistæ, à quo ipse tertius Ius habuit. Quæstio igitur est, an id valide hat, & licitè?

2. Respondeo, suppositâ æqualitate debiti, & valore prædii, seu boni adjudicati (de qua re mox §. *seq.* fusè disputabimus,) Respondeo, inquam, validè, & licitè fieri, ut ab usu ipso communi in Regno videmus approbari. Et ratio est manifesta, quia ex una parte censuista, quando ei non solvuntur suæ pensiones, habet hoc Ius adjudicandi sibi prædium, ut diximus §. *præced. num.* 2. & ex alia, idem censuista, utpote dominus talis Iuris, illud cedere alteri, non prohibetur.

3. Hoc profectò facile est. Verùm, hinc insurgit molestissima difficultas: An scilicet, si Tertius hic, non quidem sua pecunia, sed pecunia ipsius censuarii solvat aliquot pensiones censuistæ: quot sufficiùt ad adjudicandum prædium; An, inquam, hic Tertius submissus, qui solet esse, vel Famulus, vel Ancilla ipsius Censuarii, vel fidelis amicus, licitè possit acquirere idem Ius, & sibi bona illa; v.g. prædium adjudicare, & adjudicatum donare ipsi Censuario, qui jam in posterum possidebit, quasi per Donationem prædium idem, quod antea possidebat, & quia non est extinctus Census (cùm adjudicatio processerit solùm ob pensiones annuas, seu fructus præteritos non solutos, sibique ille submissus censum sibi, ut loquimur accolaverit) ideo idem Censuarius possidebit etiam in posterum prædictum Censum. Et consequenter suas faciet ejusdem Census pensiones, seu fructus eo modo, quo sibi eas feciſſet Tertius. Vides artificium? Si Censuarius ipse, qui est debitor, nomine suo Censum solviſſet, nihil Iuris acquisiviſſet solutio, sed solùm plenè per ipsam satisfactum fuiſſet Censuistæ. At quia solvit ille Tertius, qui debitor non erat, ideo potuit, ex Iure sibi concesso, prædium sibi adjudicare, ut pecuniam solutam recuperaret.

4. Respondeo. Nunquam mihi persuadere potui, licitè, & justè fieri à sciente fraudem, ejusmodi artificiosam cessionem. Primò, quia est contra Iustitiam commutativam. Secundò, contra Iustitiam legalem, seu bonum publicum. Tertiò, contra virtutem Religionis.

5. Probatur primum, nam tunc censuista, vel quicunque sit, per hæreditatem, aut ex alio titulo est Dominus census, & cui debentur à censuario pensiones, tunc, inquam, censuista nullum Ius dare ipsi Tertio valet, unde ipse Tertius nullum Ius acquirere potest. Quare, si cum illo apparenti Iure sibi postea adjudicabit prædium, injustè, & invalidè ipsi censuario rem illam donabit, &



censuarius rem alienam, si eam acceptavit, possidebit injustè.

6. Quòd autem censuista nullum Ius dare valeat illi Tertio, ubi est sita tota vis argumenti, luce ipsa clarius mihi videtur, si solùm animo penetretur hujus negotiationis fraus. Nam censuista nullum Ius habet adjudicandi sibi prædium censui subjectum, quando censuarius illi solvit ex sua pecunia pensionem, quia pactum, seu pœna adjudicationis est adnexa non solutioni, ideſt, tunc habet hoc Ius adjudicandi sibi prædium censuista, quando censuarius non solvit, cùm possit, ut vidimus *n.* 1. At in casu, de quo est sermo, jam censuarius verè, & re ipsa ex sua pecunia solvit; ergo non remanet in censuista Ius quod illi Tertio possit cedere.

Neque dicas: Potuit censuarius mutuare, & fortasse mutuavit hanc pecuniam tertio illi, & sic ille tertius pecuma propria pensionem solvit; Nè id dicas, inquam, Primò, quia verè censuarius non mutuat. Id certè patet, nam pauperi famulo, vel ancillæ, immò etiam homini diviti nemo mutuat sine securitate, aut pignore, aut fidejussore: quæ omnia longè absunt à casu nostro. Secundò, Profectò nonnisi fictè mutuat, qui mutuat volendo, & intendendo, sibi deinde donari fideliter prædium, & omne Ius acquisitum, vel acquirendum ex illa pecunia.

7. Confirmatur nostra doctrina, nam, quando censuarius potest solvere pensionem, & non vult, nullum debet ex hac injustitia commodum reportare: at nunc potest solvere, quia jam habet pecuniam, quam numeret illi tertio, & tamen non vult ipse solvere pensionem; ergo qua ratione reportabit illud commodum acquirendi prædium?

8. Iam quod id sit contra Iustitiam legalem; Probatur, quia, quando censuista sciens fraudem, cedit per publicum Notarium illud Ius, quod ut diximus, non habet, idque regulariter sub juramento (de quo mox) & quando deinde censuarius, atque ille tertius per publicum Iudicem exigunt, & acceptant adjudicationem ex nullo Iure in conscientia procedentem, non solùm peccant contra Iustitiam commutativam sub restitutionis onere, ut dictum est, sed etiam contra Iudicia, & officia publica, dum per publicos actus, & scripturas ad solvendas, & palliandas suas fraudes utuntur Iudicum, & Notariorum officiis; ergo etiam peccant contra Iustitiam legalem. Nam propterea, quando Iudices, & Notarii iniquum hoc stratagema advertunt (quod facilè adverti ab iis potest, quando ille tertius submissus est pauper, vel, si est dives, quando apparet nil ad ipsum attinere solutionem illam) peccant mortaliter contra eandem Iustitiam legalem, sicuti, quia cooperantur injustitiæ commutativæ, peccant item contra commutativam, & subeunt etiam ipsi restitutionis onus.

9. Dixi autem (sciens fraudem, à sciente fraudem, &c.) nam, si quis ex dictis nesciat, nec sit dubium, quod fraudes illæ adsint, potest, & debet judicare non adesse, quia delictum nunquam præsumendum est, & tunc (factis tamen diligentiis ad veritatem indagendam) poterit is sequi doctrinam datam *n.* 1. & 2. quia tunc prudenter putabit, illum tertium solvere censum ex pecunia propria.

10. Dices: Vel loqui possumus de censuario, qui non vult solvere immediatè pensionem, nisi mediante illo tertio, & tunc peccare censuarium, concedatur, quia cùm habeat pecuniam, quam solvat, teneatúrque ipse eam solvere, perperam agit, non solvendo, unde & perperam tertius cooperando cum ipso. At censuista videtur excusandus, quod coactus à suo interesse, ideſt, ad suas pensiones recuperandas, cedat illi tertio Ius suum; supponimus enim illum tertium non soluturum, nisi ejusmodi Ius ipsi cedatur à censuista.

11. Respondeo, non solum censuarium, & tertium illum, sed nec censuistam posse per hanc tuam considerationem excusari. Ratio est, quia ad suas pensiones recuperandas, non potest censuista vendere id, quod non habet, sicuti non posset idem censuista, ad recuperandam suam pen-

sionem, vendere equum, v. g. meum illi tertio, quia censuista nullum Ius habet ad equum meum. Cùm ergo censuista, quando ei solvitur sua pensio expectuniis censuarii nullum prorsus Ius habeat, seu nullum Ius ei remaneat, quid vendere, seu vendere alteri poterit? Quoniam autem tunc solùm (præciso alio inconvenienti) posset censuista, vel quilibet alius contrectare equum meum, quando extrema necessitas illum ad hoc urgeret, in qua necessitate omnia sunt communia, (præcisè tamen quantum sufficit ad extremam necessitatem sublevandam) ita in casu nostro, &c. Sed quæso te in nostro casu, quandónam tanta necessitas?

12. Denique tertiò, Quod prædictum artificium sit contra virtutem Religionis, probatur: Nam in eo contexendo, semper solet intervenire juramentum, quo censuista jus suum cedit illi tertio, & quo hic tertius donat prædium censuario. At qua veritate possunt ipsi jurare, vendere, vel donare Ius, vel prædium, quod, ut probavimus, suum non est.

13. Nonnulli prædicta juris ficta (ut ego meritò appello) cessione utuntur ad finem excludendi alios creditores. Exemplo rem facilè intelliges: Petrus, v.g. emit prædium subjectum tributo, v. g. Censuum obligationibus, propter quas dictum prædium debet Titio, v.g. anteriori decem annuos aureos, alii posteriori, v. g. Caio, alios decem, Sempronio denique magis posteriori decem item alios. Petrus ergo subnittit aliquem fidelem hominem, cui numerat decem aureos, quos homo hic solvit Titio anteriori, sibique accipit cessionem Iurium à dicto Titio contra prædium possessum à Petro, idque continuat per multos annos, nam postquam summa soluta sufficit ad prædium sibi adjudicandum, illud sibi homo ille fidelis adjudicat (fidelis quidem homini, sed infidelis Deo) & ut potè qui illud acquirit ex vi census anterioris, excludit Caium, & Sempronium posteriores, prætextu, quod pro illis nihil remaneat fructuum dicti prædii, & prædium sic liberum à se acquisitum donat dictus homo fidelis Petro.

14. Assero, hanc negotiationem esse injustam, propter dicta in præcedentibus. Adde, si prædium illud ab initio (ut debet præsumi) erat sufficiens, & nunc est etiam fortasse sufficiens ad omnes tres pensiones solvendas, quo jure, possunt hac arte excludi Caius, & Sempronius? Vel certè, quo jure potest ipsis difficillima reddi solutio suarum pensionum? Quod si prætendatur non esse sufficiens, cur non relinquitur cuique suum Ius experiendi an omnes possint habere suas pensiones, vel portionem saltem aliquam in anno fortasse aliquo fertili.

*Per hanc occasionem quærimus, quid in conscientia de quadam simili Cessione in favorem Censuarii?*

15. Sensus quæstionis est, An, si ipse censuarius possessor prædii pensionem tibi censuistæ solvens, requirat à te, ut ipsi cedas tuas actiones contra alios quoscunque. An, inquam, licitè ille requiret, & tu cedes item licitè?

16. Respondeo, esse bene distinguendum: Quando enim is fundavit censum, seu suum prædium subjecit censui tibi solvendo, vel (dum dictum prædium sibi adjudicavit, seu emit) sibi eidem censum illum (ut dicimus) accollavit, hoc est, solvere promisit, dico, nec justè, nec licitè ipsum posse requitere ejusmodi cessionem, nec te illi cooperari cedendo (idem de hæredibus, qui Antecessoris personam repræsentant) Ratio est, quia, si is fundavit censum, jam habuit pecuniam correspondentem valori census; si verò sibi illum accollavit, vel emit, jam tantò minoris habuit prædium, quantum importat debere solvi talem censum. Ergo cùm ipse sit abundè satisfactus, non potest amplius petere dictam cessionem; sic enim acquireret Ius ad iteratam satisfactionem ex vi dictæ cessionis; nam quando fundavit, vel accollavit, vel emit sibi censum, fuit jam, ut dixi, satisfactus: quare, si ex vi hujus cessionis posset petere eandem summam ab alio, certè esset, velle iterum satisfieri.

17. Quando autem prædium prædictum nunquam nulli oneri subjectum is habuit, sive ex emptione, sive dote, sive ex alio contractu oneroso, si deinde illud prædium inveniretur subjectum alicui censui tibi solvendo, & de facto is tibi ipsum solveret, justè requireret cessionem, illámque ei tu ex Iustitia faceres: nam tunc habet Ius possidendi liberum, ut supponimus, & tuum prædictum prædium; unde, si pro ipso tibi aliquid solvat, justè poterit ab altero, qui censum solvere debet, petere. Et quidem, si bene advertis, hæc Iuris cessio eadem est, vel similis, ac dicta *n.* 1. & 2. est enim ac si tertius solveret sua propria pecunia, quam debere ab ipso amitti, plane certè non est.

18. Dixi autem (contractu oneroso) si quidem is lucrativo, si attentè consideres, est eadem, vel similis ratio, ac si ipse censum fundasset, vel sibi censum accollavisset, nam propterea justa tunc cessio non esset. Donatarius enim, ut alibi dictum est, obligatur solvere onera rei donatæ sine spe recompensationis.

19. Inquires: An si cuti hic possessor, solvens ipsi Domino census pensionem, possit licitè à te petere, ut habere cessionem prædictam, quando emerat prædium francum, & liberum, ita in eodem casu empti liberum prædii, possit supponere illum tertium fidelem amicum, ut fiat cessio modo prædicto?

20. Respondeo, nequaquam posse. Ratio est, quia possessor solvens suis propriis pecuniis, quas non debet, non est defraudandus Iure, quod possit illas recuperare, est enim, ut modò innui, tunc ferè casus idem, qui dictus est *num.* 3. At illi tertio, cùm ipse tertius non solvat, ut hìc supponimus, sua propria pecunia, cedi non debet, nec potest ullum Ius. Multò magis, quia solutio facta possessore prædii censui subjecti, cùm sit solutio pensionis debitæ Domino census, nullum effectum relinquit post se contra ipsum censum, prædiumque censui subjectum; at, facta tertio, valde notabilem effectum relinquit: posset enim ipse tertius jam cessionaria applicare sibi totum prædium, vel ejus partem, & sic remanerent inconvenientia dicta à *n.* 4.

## §. VIII. *An adjudicatio, quæ fieri consuevit in Regno Siciliæ sit justa?*

*Præmittuntur aliqua necessaria ad quæstionis intelligentiam.*

1. Dominus census Bullatis nostri Regni adjudicare, seu per judicis sententiam appropriare sibi potest bona suo censui subjecta, seu, ut Græco vocabulo utimur, hypothecata. Ad quod duobus procedit potest modis. Primò, lædendo censuarium supra dimidium, quæ læsio in hac materia vocatur enormissima. Secundò, lædendo eundem infra dimidium, quæ saltem vocatur ita non enormissima, nam, quando nulla est læsio, cùm una ex parte adjudicatio sit justa, de ea hìc agendum non est. Quomodo autem intelligatur hoc (ultra, vel infra dimidium) passim docent Doctores, ut Less. *l.* 2. *c.* 21. *num.* 31. Fagund. *l.* 5. *de contr. c.* 40. *n.* 2. Castropal. *de Just. comm. p.* 17. §. 1. *n.* 3. breviter autem sic habet Less. l. c.

2. *In foro externo non datur actio ei, qui emendo rem vilius, vel vendendo vilius, non est deceptus ultra dimidium justi pretii, v. g. si agrum tuum, valentem nunc centum librarum, vendas septuaginta, vel sexaginta, vel etiam quinquaginta libris, non potes intentare actionem ad rescindendam venditionem, aut resumendum pretium, quia non es deceptus ultra dimidium justi pretii, secus autem, si vendidisti quadraginta octo, vel quadraginta novem, vel minoris, tunc enim quodammodo, si agrum, valentem centum libris, emas centum quinquaginta duo, vel pluris, potes agere, ut, vel rescindatur excessus ille, vel emptio rescindatur; non tamen si emeres centum quadraginta, vel etiam centum quinquaginta.* Hæc recte Lessius.

3. Permittit autem lex utramque deceptionem, quæ

non est ultra dimidium.ad vitandas lites:sed non ità esse in conscientia docet communior sententia cum Sancto Thoma,secundùm quam in conscientiæ foro debet suppleri justum pretium.Sed quid alii sentiant cum quibusdam limitationibus, seu declarationibus mox dicetur *à num.* 8.

4. Duo insuper nota.Primum, cùm licitum sit, vendere pro supremo,& emere pro infimo, illud pretium, sumendum est respectu venditoris agentis de læsione, quod infimus sit, quia emptor justè potuit eo emere. Respectu verò emptoris agentis de læsione,esse sumendum summum pretium, cùm venditor justè potuerit eo vendere.Ita Covar. *lib.2.var.c.2.num.3.* aliique.Id autem dictum est,quando est pretium vulgare habens summum, medium,infimum;nam,quando est pretium legitimum, idest,taxatum à Principe,cùm id constat in indivisibili, semper illud sumendum erit.

5. Secundum : Excessus dimidii justi pretii constituitur ex quolibet minimo, etiam uno dumtaxat obolo, quod dimidio addatur,juxta Textum legis. *L. Hæc adjectio plur. De verb.signif.* Verùm,huic dicto refragatur Fagund,*lib.3.de contract.cap.40.num.2.* sequentibus verbis *Rebellius resolvit satis esse, quod unus nummus excedatur à dimidio,& inducit sibi pro se Tiraquell. Baldum, Salicetum sed id non credo,quia parum pro nihilo reputatur, nec de minimis juvat Prætor.Arbitrio ergo Iudicis id committitur, quem oportet habere favorabilem in hoc, & similibus negotiis arbitrariis.* Hæc Fagundez,sed certè praxis nostri Regni in adjudicationibus est,ut semper Judex judicet juxta dictum Rebellii.

*Adjudicatio enormissimè non lædens, an sit licita ?*

6. His positis. Assero primò,in posteriori casu, idest, si Dominus pensionis adjudicavit prædium censuarii, illum enormissimè non lædens, lædens nimirum dumtaxat infra dimidium, ipsum esse tutum in conscientia,ac justè prædium illud sibi eo modo legitimè adjudicatum possidere, ejúsque fructibus tanquam legitimum Dominum frui posse. Ratio potissima est,quia ejusmodi adjudicatio fit ex vi pacti appositi in contractu creationis census, per quod conventum cum censuario fuit, ut in casu negatæ solutionis pensionum,venderetur prædium in licitatione,seu,ut loquimur,in subhastatione ad discursum ultimo emptori plus offerenti. Quod pactum apponi semper solet, & quidem in censu,de quo loquimur,quia Nicolaus V. concessit Siculis,in creatione census posse apponi quæcunque pacta.

7. Quod autem hoc pactum sit justum ; Probatur primò,quia ex una parte non est destructivum contractus census,ut ex se patet,& ex alia, si afferet venditori census aliquod gravamen, iam compensatur ex multis, quæ (ut *suprà* diximus) sunt ex parte *cap. 4.§.4.& hoc eodem cap. 6. §.1.num.6.* emptoris,seu Censuistæ.Secundò,quia si non esset justum, non posset in conscientia Judex in vim ipsius procedere ad sententiam adjudicationis,ne in foro quidem externo,quia non posset licitè uti pacto inito contra Justitiam, & tamen quotidie videmus illum sine scrupulo procedere, & cum scrupulo injustitiæ si non procederet. Quòd si,etiam procedit in enormissima læsione, de qua mox,non absolutè procedit,nam, ut dicimus paulò post semper relinquit locum Beneficio gratioso. Tertiò,quia praxis tot annorum,per quam ejusmodi pactum palam coram Notario, & Testibus semper apponitur,clarè ostendit, id non esse illicitum.

8. Confirmari potest assertio nostra ex doctrina Excobar Corro,*in tract.Trib.select.tract.1. de utroque foro, casu secundo,art.5.num.36.* Lege item Tanc.*part.2.quæst. Mor. Tract.5.quæst.64.n.19.* qui non solùm in subhastatione,nec solum præcedente ejusmodi pacto, ut res ad Discursum vendantur, sed etiam absolutè,docet,ementes vel vendentes cum læsione dimidium non excedente esse tutos in conscientia. Et quia hæc doctrina ad nos maximè facit,breviter subdo ea,quæ ipse pluribus ad satietatem congerit. Sic ergo *l. c.* docet.

9. *Constanter asserimus, hanc propositionem probabilem esse : Leges Civiles, & Pontificiæ, quæ sustinent contra emptiones,& venditiones,locationes, & conductiones, & similes* (idest similes emptioni,non verò aliosv.g.solutionis dotis,legati,census, &c.) *etiamsi in pretio, vel mercede lasso intercedat,vel infra, vel supra justum pretium, vel mercedem,dummodo dimidium non excedat,sunt justæ.Et accepta prout debent,nempe deficiente omni dolo, fraude,& falsa asseveratione, etiam procedunt in foro conscientiæ. Et venditor pro majori,& emptor pro minori justi pretii cum his conditionibus tutus manet in utroque foro. Semper intelligo,modo noscat contrahens pretium,& rem.* Quod ultimum advertit pro Pueris,Mulieribus,Rusticis,si fortè ob levitatem,vel insciti am involuntariè agant.

10. Hanc propositionem probat hic Auctor duodecim argumentis.Primò,quia talis est praxis ementium,& vendentium.

Secundò,quia sic non permittunt solùm, sed disponunt,& positivè concedunt Leges Civiles, quod latè ipse prosequitur.

Tertiò,quia pacta debent servari,quando abest fraus, & dolus:at in casu nostro bona fide pactum inter venditorem,& emptorem,ut si hic pecuniam illam det, recipiet rem.

Quartò,quia sic decernunt positivè, nec solum permissivè Leges Canonicæ ; quod probat itidem ipse pluribus.

Quintò,quia,quando concurrunt duo præcepta, illud quod est majus,seu gravius servari debet,at in nostro casu duo præcepta concurrunt.Alterum : *Pacta debent servari.* Alterum : *Inter rei valorem,& pretium debet intervenire æqualitas.* Sed majus quid,& gravius est pactum, ut definitur *l.1.de pactis,*& alibi:ergo hoc debet servari.

Sextò,quia doctrina communis est,legem posse transferre dominia rerum in alium,sed in casu nostro factum est à lege,& quidem positivè,ut ipse ex legibus probat; ergo &c.

Septimò:stante voluntate,& scientia contrahentium sine dolo, & fraude, nulla est injustitia : præsumuntur enim invicem sibi remittere ; ergo nullum peccatum, nullaque restitutionis obligatio.

Octavò,quia,si esset injustitia,leges non approbarent undequaque, & absolutè læsionem dictam in pretio,sicuti non approbant læsionem in ipsa re vendita, qua quis,verbi gratiâ, loco decem mensurarum panni venditi,daret novem.

Nonò, quia id probat illud (*naturaliter*) positum in *l. item sic,§. quemadmodum:Naturaliter* (inquit dicta lex) *concessum est,quod pluris sit,minoris emere,quod minoris sit, pluris vendere, & ita invicem se emptores, & venditores circumscribere,*id est, decipere.

Decimò,ex doctrina Theologorum, qui id concedunt in subhastatione,at eæ leges sunt rationes extra illam.

Undecimò, ex doctrina plurium docentium, si læsus sciat rei valorem, nulláque fraus interveniat, nulláque levitas, &c. alterum contrahentem tutum esse in conscientia. Hos Doctores præter illos, quos citat dictus Excob.vide apud Dian.*p.5.tr.14.resol.38.* agentem *de empt. & vend.Alearum,& Taxillorum in domo ludentium.*

Duodecimò,quia opposita sententia est causa inquietudinis conscientiæ,& scrupulorum propter frequentissimam varietatem,quam sortiuntur in dies,immò horas, pretia rerum.

11. Hæc ille,quæ pluribus,& sanè latissimè prosequitur,atque pro hac opinione citat *num.* 204. plusquam 40. Doctores.

12. Ex qua doctrina sic formatur pro casu nostro argumentum : Quoties in communibus venditionibus, & emptionibus læsio non est enormissima,nó fit ex sententia hujus Doctoris injustitia;sed in nostra adjudicatione,

de qua nunc sermonem habemus, quæ tandem reducitur ad emptionem, & venditionem, non adest læsio enormissima, prout de illa loquimur; ergo, &c.

13. Confirmatur, quia in nostro casu, dum judex publicus expedit adjudicationem, non permissivè solum, sed positivè se habet, transferens dominium; id quod, præter alias rationes efficaciores, confirmant etiam argumenta modò dicta ab Excobar. Quæ enim probant, Judicem in emptionibus, & venditionibus dominium positivè in alios transferre ob bonum publicum, ne sint lites, vel ob aliud, multò magis idem probant in casu nostro, ne scilicet, ob avaritiam debitorum, credita ex censu remaneant inexacta.

14. Nonnulli acriter contra nostram doctrinam invehuntur, quasi dicamus posse nos pretio injusto, per adjudicationem, rem alienam facere nostram; sed prorsus nunquam id dicimus, asserimus enim, illud esse pretium justissimum, tum quia est pretium, quod habetur justè in subhastatione, ad quam subhastationem consensit debitor in pacto initio in fundatione census, ut sæpè dictum est, tum quia etiam extra subhastationem esset justum pretium illud, de quo loquimur, vel certè à venditore voluntariè remissum, ut modò dixit Excobar, tum quia id fit ex mandato Principis in casu nostro, qui princeps potest transferre dominia, &c.

15. Objicies primò. At in adjudicatione, de qua nobis est sermo, adest involuntarium, neque enim, nisi coacte id patitur censuarius.

Respondeo, non quidem coactè sed maximè voluntariè hoc censuarius patitur, quia, per maximam libertatem, consensit in pactum illud, quando vendidit censum, ut ex dictis patet.

16. Objicies secundò in jure *L. A. D. Pio, §. Pignora, ff. De re judicata*, communi præcipitur, ut quando pignus à Judice addicitur creditori, debeat, præcedente æstimatione vendi, etiamsi vendatur sub hasta. In nostro item Jure Siculo *in Capitulo Rituum, v. Et data quæ est n.* 112. *&* 113. conceditur, ut possit creditor, saltem in aliquo casu, accipere dumtaxat pinguevalens, idest, ultra summam sui crediti, lucrari possit insuper quartam partem dictæ summæ ex ea re, quæ vendenda fuisset sub hasta, sed præcedente item æstimatione; ergo in nostro, & in communi Jure debet pretium rei esse, quanti illa verè in se valet; ideo enim præcedere debet æstimatio, licèt deinde concedatur dicta quarta pars: At in adjudicatione, de qua loquimur, nulla præcedit æstimatio: ergo semper injustum erit, sic vendere, vel emere.

17. Respondeo; quæ dicta sunt in Majore, rectè procedere ex Jure communi, & Siculo in cæteris, in quibus nullum adest pactum ad discursum, seu ad subhastationem, per quod renuntietur prædictæ æstimationi præcedenti. Sed in nostra adjudicatione notanter huic Siculo, & communi Juri in fundatione census renunciatur, præsente, approbante, & exequente Principe. Cur ergo, urges ea Jura legitimè renunciata? Juribus autem, quæ sunt ad peculiarem cujuscunque utilitatem, quemlibet renunciare posse, ne ipsi quidem adversarii diffitentur, multò magis ipso Principe consentiente.

18. Objicies tertiò: Aliqui injusta onera, injustáque debita fingunt, ut adjudicatio per fas, vel nefas procedat; Vel fraudes in subhastatione committunt, removendo licitatores, &c. ergo saltem ex his capitibus manifesta committitur injustitia.

Respondeo. Hi certè non sunt tolerandi: Verùm, malitia illorum nequaquam ei officere debet, qui sincerè remedia à jure, & à justa conventione concessa sine fraudibus usurpat.

19. Objicies quartò: De natura subhastationis est, ut concurrant plures volentes emere. Id, quod non est in nostra adjudicatione, ubi fiunt quidem proclamationes in foro, sed, vel coram paucissimis, vel nullo emptore pretium re vera offerente.

Respondeo primò, satis esse creditori; si nulla fraude & sincerè curet faciendas publicas proclamationes, terum per accidens est, ut nulli apparent licitatores.

20. Respondeo secundò, Debitores iam solent communiter in hac licitatione immobilium tardi, vel nulli comparere, præter ipsum creditorem, & tamen pro ejusmodi licitationi, sic communiter usurpatæ legem fundatione census consenserunt; ergo etiam emens non injustè emit; volenti enim & scienti non injuria ab eo, qui sine fraude procedit.

Has paucas objectiones attulisse, ac diluisse sufficiat; nam cæteras poterit quilibet ex dictis, & dicendis difficulter eluere.

21. Verùm, non est hîc omittendum quid dicat Diana, *part. 4. tract. 4 res. 12.* & quid ejus summa: Is (inquit Diana timidè favens nostræ secundæ (*Lector, cogita, an excusare possis adjudicationes, quæ solent fieri solent in hoc Regno ex pacto vulgo dicto* (à Diana *dummodo sine fraude, & non ultra dimidium efficiantur; nam in tali casu illa bona venduntur sub hasta & ad vocem Præconis; ergo si sine fraudibus, & consuetudinibus requisitis emuntur intra dimidium justi pretii, talis emptio justa, & emptor non tenebitur restituere rem, neque fructus, ex rationibus, & auctoritate Doctorum asserentium, merces ultroneas non solum vilescere pro parte, & de hoc non est dubium, verum etiam pro medietate, & ideo, ut dixi, tu cogita.* Hæc Diana. *Ita Palatius, Cajetanus, Megala, Rebellius, Salas, & alii, sed bona, quæ venduntur sub hasta, ubi venditor non gore pacti ad discursum, dicuntur merces ultroneas, & docet Molina, Bordonus, & alii, ergo licitè possunt pro medietate, & ideo, ut dixi, tu cogita.* Hæc Diana.

22. Quibus summa Dianæ *v. Pretium n.* 3. immediatè addit de suo in hunc modum; *Sed obstat prægnatia Regis Alphonsi, quam dicunt de pinguevalente, in quo varis diminutio in adjudicationibus taxatur.* Hæc ille.

Sed Regem Alphonsum loqui de adjudicationibus, pro quibus non adest pactum ad discursum, ipsimet adversarii fatentur, & nos innuimus *n.* 17. Quare pactum, & debebat hujus summæ Auctor, hoc de suo nequam addere.

*Adjudicatio enormissimè lædens, an sit licita?*

23. Asserò secundò: In priori casu, quem diximus *num.* 1. si Dominus pensionis adiudicavit sibi prædium censuarii, illum enormissimè lædens, nimirum ultra dimidium, ipsum non esse tutum in conscientia, & nequam prædium illud possidere, fructúsque percipere. Ratio est, quia pactum, in quo fundatur adjudicatio, quando tanta est enormissima læsio, cùm sit nimis onerosum contra venditorem, & nimis prodigum (vendit enim ultra dimidium infra dimidiū justi pretii, quod semper fuit ita justa existimatum intolerabile damnum) pactum, inquam, tale contra bonos mores, bonúmque publicum est, dans occasionem depauperandi, atque adeo illiciturn, & non licitandum, nec enimti conferens ullum Jus, cùm sit injustum. Rectè ergo in Textu *C. cum causam, C. cum Dilecti, De Emption. & Vendit.* irritatur contractus Emptionis, & Venditionis ultra dimidium justi pretii, in rebus, quæ valet centum, emas quadraginta novem, vel vendas centum, & quinquaginta uno, etiamsi absque dolo, & fraude fiat: Recte, inquam, sic enim bonum publicum requirit, ut dictum est.

24. Atque hinc bene fit, ut, si in ordinaria subhastatione, quæ solet esse rerum mobilium, cadat de paupertatio accideret, ne illa quidem venditio esset justa. Verùm, communiter non accidit, quia ex venditione rerum mobilis, non tam facilè homo depauperatur. Patet, per destractionem enim rei mobilis solum amittitur res, & pauciissimi fructus fortè ex illa re, ut ex secunda equalitate proveniendi; nam ideo præter hanc rationem, addo, & alias, quas diximus *l. 8. in Decal. tr. 3. c. 7. §. 4. n. 23.* adhibet enim ibi fuit locutio, quam appellamus (*all'incontro*) cessimus in subhastationibus mobilium posse rem vera quan-

quanti minoris sine fraude potest. At per distractionem boni fructiferi, de quo hic nos loquimur, non solum amittitur res, sed plurimi etiam fructus, idest, per consequentes annos perpetuos, adeóque causa ea est depauperandi. Et aliqua quidem adest, sed toleranda, sed parva, imò propter bonum publicum, positivè concessa a nostris legibus in adjudicatione, quando est læsio infra dimidium. At certè magna, & intolerabilis, nec concessa, quando supra.

25. Confirmatur nostra doctrina, quia per Beneficium, seu remedium, quod nos appellamus gratiosum, à Prorege conceditur censuario, quandocunque ipse censuarius voluerit, actio ad repetendum bona adjudicata, quando invenietur læsio enormissima, per quod Beneficium jubet Princeps recognosci à Iudice adjudicationem illam, ut si constet bona adjudicata excedere dimidium pretii, pro quo processit distractio, tunc, soluto debito unà cum legitimo interesse, restituantur dicto eidem censuario bona illa, eorúmque fructus, quæ fuerunt adjudicata. Si ergo per judicem restituuntur bona in læsione enormissima, signum est illam adjudicationem non fuisse approbatam à legibus, sed solùm, ut debitum solveretur, fuisse permissam. At contrà, cùm illud Beneficium gratiosum non concedatur à Principe, seu à legibus in læsione non enormissima (in qua læsione solum quadrimestre ad redimendum conceditur censuario, intra quod ipse possit, soluto debito, pro quo processit distractio, recuperare bona adjudicata; nam cæterùm, eo quadrimestri elapso adjudicatarius legitimè, & perpetuò bona illa adjudicata deinceps possidebit.) Cùm, inquam, illud beneficium gratiosum non concedatur, satis manifestum signum est, adjudicationem, procedentem ex læsione non enormissima, non permitti solum à legibus, sed etiam positivè concedi.

26. Hic ergo nota, quando adfuit dicta enormissima læsio, etiamsi censuarius beneficium illud à Prorege non petat, te in conscientia posse solum retinere tandiu Prædium adjudicatum, quandiu, per perceptos fructus, deductis expensis, tuo credito, ob quod processit adjudicatio, sit satisfactum: nam deinde, etiam ante sententiam, teddere obligaris rem Domino, ne scilicet alienum sine titulo possideas: id, quod, etiam in alio eventu, quando læsio non fuit enormissima, peregisse non paucos, sed certè ex liberalitate scio, quod, ut laudabile consilium ab omnibus excipiendum, meritò proponi potest.

27. Objicies: Non apparet disparitas, cur in læsione enormissima adjudicatio sit illicita, licita autem in læsione non enormissima.

Respondeo primò, aliquam disparitatem à me allatam fuisse modò *n.* 24.

Respondeo secundò, verbis iisdem, quibus utitur in simili prædictus Excobar *loco supra, citato num.* 214. Sic enim habet: *Per aliquos prædicta doctrina, id est, quod in conscientia, sit etiam licita emptio, vel venditio cum enormi læsione, locum etiam habet, quamvis pretium sit infra, vel ultra dimidium justi, hoc est, etiamsi res ematur minori justo pretio infra dimidium, vel vendatur majori, quamvis excedat dimidium, dummodo deceptio prædicta non interveniat ex dolo, modo supra explicato, &c. Noluerunt enim leges ipso jure irritare ejusmodi contractum, quia ex substantialibus nihil in eis deficit, nempe res, pretium, & consensus; quare prædicti erunt tuti in conscientia in horum sententia, donec per judiciale Decretum contractus rescindatur. Et quamvis id, fundamento hoc, probabile esse aliquibus videatur; nos tamen tale firmare, vel consalere non audemus: Tum, quia plurimum esset, laxare habenas in re periculosa: Tum, quia aliquibus videbitur audacia, ita loqui contra tantos Doctores contrarios. Denique aliqui non fuerunt ausi probabilitati principali nostræ opinionis subscribere, & sic multo minus probabilitati hujus. Omittamus ergo, ut alii, novis fundamentis visis, hoc dicant, nam nos hoc non dicimus, sed omninò negamus.*

Pars III.

28. Et paulò post *num.* 225. sic eandem sententiam habet: *Declara nostram opinionem, quod accipi debet de læsione infra dimidium justi pretii: non si excedat: Tum, quia ita volunt Doctores dictam nostram opinionem tuentes, à quibus recedere non audemus. Tum, quia in tam gravi læsione potius ignorantia læsi præsumitur, quam scientia, & sic deficit consensus præsumptus saltem, & docent Covarr. & Menoch. cum aliis apud Hermosillam.* Hæc ille.

Et hæc nos, allatæ objectioni proportionaliter applicanda. Ex quibus non assentior Patri Vincentio Tancredo, *tom. 1. quæst. mor. tract. 2. quæst.* 53. qui adjudicationem, etiam cum læsione enormissima, approbat, excipiens solum, quando adjudicans cognoscit Dominum prædii esse ineptum ad petendum remedium gratiosum, sed certè nunquam est approbanda, ut constat ex dictis.

*Dubium incidens de onerum Accollatione.*

29. Quærimus, an onera, quæ rem afficiunt, sive sint onera proprietatis, sive census, sive alterius contractus realis, quæ verè debentur supra bona, quæ adjudicare quis sibi intendit, minuant valorem rei, an verò possint computari in pretio ejusdem rei, in ordine ad videndum, an in adjudicatione datum sit pretium cum læsione, vel sine læsione enormissima. Fac, verbi gratiâ, prædium à te adjudicandum valere aureos centum, tuum autem creditum, propter pensiones non solutas, esse aureorum decem: Si eidem prædio sit adnexum onus solvendi alicui tertio aureos quinquaginta, onus hoc minuétne valorem dicti prædii, an computabitur in pretium? Nam, si in pretium computetur, non erit læsio enormissima, idest, non erit læsio ultra dimidium, quando tu adjudicabis ejusmodi prædium pro tuo credito decem aureorum: erit verò enormissima, si dictum onus sit demendum de valore prædii.

Ostenditur id manifestè; si enim illud onus quinquaginta aureorum ingrediatur, ut ita loquar, in pretium, certè totum pretium pro prædio, quod valet centum, erit aureorum sexaginta, id est, decem ex pensionibus non solutis, & quinquaginta ex onere accollato, quo pacto Dominus prædii, pro suo prædio valente centum, habebit in adjudicatione sexaginta, quæ non est læsio enormissima. At verò, si onus hoc demitur de valore prædii, remanebit ejus valor aureorum quadraginta. Tu ergo, si pro decem aureis ex pensionibus non solutis tibi adjudicabis prædium hoc, accipies rem valentem quadraginta aureis pro decem aureis, quæ est manifestè læsio enormissima, quia est ultra dimidium, atque adeo, ex vera nostra sententia nulla erit adjudicatio. Ecce quantum interest hæc præsens discussio.

30. De qua duas invenio Iurisperitorum nostri Regni sententias. Altera docet, ejusmodi onera accollata minuere rei valorem, atque hanc sequitur Ioannes Franciscus Castill. *decis.* 127. *num.* 9. pro qua multos Doctores etiam citat Antonius de Amato *in variar. resol. l. 2. res.* 61. Et Castillo quidem addit, hanc esse conclusionem dubitatam, cùm agitur de adjudicatione ex vi contractus cum pacto ad discursum, afférque duo argumenta præcipua, quæ etiam affert de Amato *l. c.* Primum sic formari potest.

31. Adjudicatio, ut est certi nostri juris, nulla est, si pretium, seu creditum, pro quo fit, non est verum, etiamsi deficiat in uno obolo: sed, quando onus accollatum, non est verum, (ut accidere certè potest ex ignoratione facti) Adjudicatio non est nulla; ergo onus non est pretium.

32. Secundum, quia cùm debitor vult sibi redimere rem alteri adjudicatam (quod posse facere, dictum est *supra*) tenetur solvere pretium, & tamen non tenetur solvere onera accollata, etiamsi ea adjudicatarius redemisset à Censuario; ergo onera non sunt pretium.

33. Altera sententia tenet prædicta onera computari in pretio, quam sequitur Provinzal, *in suo Consil. quod*

*habetur inter Decis. Mastril. Decal.* 7. Franciscus Baronius, *l. mox citando.* Vincentius Tanet. *tr. 2. q. mor. q. 53.* Et hic quidem rationem affert, quia, inquit, adjudicator emit prædium, prout est totum, & virtute solvit pretium valore totius prædii. Addit primò, onera esse partem pretii, citátque quandam legem dicentem, *quasi in parte pretii ea res sit.* Addit secundò, si non computarentur in pretio ipsa onera, creditorem non posse causare executionem contra debitorem, undè sic defraudaretur suo credito.

34. In praxi item contrarias invenio in Regno Decisiones, nam quod onera accollata à creditore computentur in pretio, decisum fuisse in Regno testatur Baronius, *de citat. l. 2. in Addit ad quæst. 16. num. 211* Quod autem non computentur, apparet decisum apud Castill. *loc. cit.* & apud de Amato *loc. cit.* Ex quibus colligitur, utramque sententiam habuisse hactenus, etiam in praxi, Patronos suos, sed spero fore, ut omnes in posterum ad primam sententiam prorsus accedant.

35. Nam, si rem Theologicè expendere velimus, inveniemus, onera ejusmodi non posse in pretium computari, atque adeo primam sententiam veram esse, non quidem ex vi argumentorum Jurisperitorum, quæ fortasse quilibet in utramque partem vertere nō difficulter posset, sed ex ratione à priori, quam jam subdo: Etenim, ut *supra, cap. 2. §. 3. num. 1.* diximus, per pecuniam, qua censum annuum emimus, nè sit usura, illud facimus, ut emamus Jus ad fructus alicujus boni fructiferi, seu, ut emamus partem ususfructus alicujus prædii. Illud igitur Jus, seu pars ususfructus, pars est prædii empta ab illo, qui censū fundavit, nec est illius, qui prædium nunc possidet. Quando ergo ab hoc possidente prædium, illud mihi adjudico, non possum mihi adjudicare Jus illud, seu partem illam ususfructus, quæ non est in dominio præsentis possessoris, sed alterius anterioris Censuistæ: quare debet hæc pars tolli à prædio, quod prædium ego per adjudicationem, & ad discursum mihi emo. Ergo non potest intelligi, quomodo onera illa accollata sint in pretium; sunt enim Jus fructuum, seu ususfructus alterius censuistæ, quod Jus ego mihi nunc non adjudico, nec emo, nec mihi attribuere possum, cùm pertineat ad alium prædictum censuistam, & ipse habet hoc Jus, non possessor præsens.

36. Ex hac præterea ratione patet, nec meum Capitale hujus prælentis census, ob cujus fructus non solutos procedit adjudicatio, me posse ponere in pretio, quod offero, nam eadem ratio jam dicta, si rem attentè penetres, id manifestè probat.

37. Denique ex dictis vides primò, rationem secundæ sententiæ allatam *num.* 33. esse nullam; supponit enim adjudicatorem emere prædium, prout est totum, quod falsum esse, nostra ratio modò allata *num.* 35. evidenter ostendit. Idem dic de eo, quod addit primò, supponit enim id, quod est probandum. Et quidem lex, quam *ibidem* inducit, contra ipsam secundam sententiam est, non illud (*quasi in pretium*) ostendit onus accollatum, dum demit partem, atque adeo valorem à re, facit, ut ejus rei pretium debeat esse minus, quàm si illa onera non adessent. Postremò, quod addit secundò, ideśt, creditorem, non posse causare executionem, si onera non computentur in pretium, nimis est falsum; potest enim executionem causare pro pensionibus non solutis, ut item pro expensis, pro quibus Jus duntaxat habet.

38. Post hæc scripta volui duos Jurisperitos certè ex primarijs hujus Regni de hac difficultate consulere, qui dixerunt, esse distinguendum; nam de censu perpetuo irredimibili proprietatis primam sententiam excipiendam esse, contendebant: De censu autem redimibili, qualis est is, de quo hactenus locuti sumus, in forma Bullæ, esse excipiendam secundam. Volui hujus distinctionis rationem cognoscere, & nihil ad rem obtinui. Illa ergo posset esse fortasse, quia hi fortè putabant, censum redimibilem esse debitum supra rem, non autem rem ipsam, seu partem rei, atque adeo esse pretium cùm contra census proprietatis putarent, esse rem ipsam, seu partem rei, nam tota res constat ex proprietate, & usufructu, atque adeo non esse pretium.

39. Verùm, distinctionem hanc nullam esse, patet ex dictis; in utroque enim casu, sive census sit redimibilis, sive non, pars rei non emitur in adjudicatione, neque detrahi omnino debet à valore ejusdem rei quæ adjudicatur.

40. Prædicta denique confirmentur ex Iurisperito recentissimus nostri Regni Jurisperitus Marius Cald. *Tr. 1. de Donat. Disc. 2. part. 6. n. 180.* nostram sententiam sequens sic induxit.

*Læsio verò in hoc remedio non ita mensuratur, ac volunt alibi putant, quando in Decreto ultra pretium adsunt additiones, computando videlicet illas in pretio; nam verum est, quod prius debeant de valore rei detrahi summa additatæ, quæ faciunt rem minus valere, ut ex Textu in Authent. de restitut. habitatorum, l. 1. Cod. de rescind. vendit. & l. ult. Cod. de rescind. vendit. & l. 1. Gloss. 2. Tit. 11. lib. 5. fol. 379. & Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 22. num. 43. & 44. & l. 2. Tit. 11. lib. 5. fol. 379. & Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 22. num. 43. & postea videre, si pretium sit minus dimidio justi valoris rei. Etenim, si excedat etiam in modo, non est huic remedio. Neque in Regno, quoad fructus, reputatum est, ut alia læsione opus sit, quam illa, quæ dimidium excedit, quicquid sit de jure communi, secundum late tradita per Molinam de rit. Nupt. lib. 2. quæst. 28. tot. Vbi omnes citat.*

41. *Exemplum sit: Si fuerit vendita res, quæ esset valoris unciarum quatuor centum, pro pretio unciarum trecenta novem cum accollatione aliarum unciarum ducentarum. Nam minuto pretio rei in illis ducentis accollatis, tantæ adjudicata remanet valoris ducentarum unciarum, & amplius ret distracta pro 99. resultat evidenter læsio enormissima uncia supra medietatem.*

42. *Quæ, quàm distent à computo, quod alii fatuum nemo est, qui non videat: Namsi in casu prædicto unciæ trecentæ accollatæ jungerentur cum pretio importante unc. 99. non adesset læsio, quia res valens 400. esset vendita pro unc. 299.*

43. *Hæc posui, quia Castillus* decisione 14. & Mastrillus decisione 33. & 247. *Gimbri* decisione 105. *vel quia inhuerunt rem pro indubitata, vel aliter, omissam patere hanc praxim, unde sæpius super hoc vidi Judices dubitare & partes cruciare. Cum hac vero praxi vidi sæpius decisive ego obtinui anno 1626. pro Nepote contra Abbatem Rizzari, referente D. Ioppulo: Adde Castelli allegat. decis. 127.* Hactenus Cutelli.

Sed nos vela contrahamus, atque de tota hac materia tra brevitatem consuetam nostram, prædicta dicta sufficiat.

## §. IX. *De Fingente velle redimere Censum.*

1. SI quis carens omnino animo redimendi, imò cum etiam pecunia necessaria ad redimendum, fingat velle redimere censum annuum, quem alicui, v. g. Petro quotannis debet, idque, ut eo metu inductus Petrus minuat aliquid de pensione, consentiens minuram, quo census maneat cum obligatione minoris pensionis, ut pensio, v. g. quæ erat quinque pro centum, fiat quatuor vel tria pro centum, si quis ita, inquam, fingat, peccat cum obligatione restitutionis? Id certè solet in multis Censibus Bullaribus passim occurrere, nam proprium in calce hujus Capitis id omittendum non fuit.

2. Respondeo: Quamvis sic fingens, primo facie, forte maliter non videaris injustè agere, quia verè habes potestatem redimendi censum; tamen dico cum Delugo, *tr. de Just. num. 171.* te sic fingentem injustè agere, & obligari ad demnandum ad restitutionem; extorques enim contra justum illum per fraudem, fingendo, te velle censum redimere, cùm tamen nolis, & aliquando ob carentiam pecuniæ, non possis. Cùm igitur dolus tuus in hoc casu det causam contractui diminutionis census, obligaberis ad restitutionem, & ad relcissionem contractus, idque non ex eo, quod non habeas Jus, velut tamen

redimendi, sed eo, quod cum hoc Iure uti nolis (verè enim redimere non vis) ita dolosè agis, ut ejusmodi dolus det adæquatam causam contractui. Quod autem, quando dolus contrahentis dat causam contractui, invalidus sit constractus, est doctrina communis, & nos illam explicuimus *l. 8. Decal. tr. 3. §. 11. n. 15.*

3. Addit Ioannes Delugo *l. c.* Thomam Sanch. Less. Castr. Dianam apud eundem Delugo, aliósque fortasse concessuros, ita fingentem non obligari ad restitutionem, expliquo: Quæri solet, an metus de malo, quod Iure alicui infligi potest, irritet contractum? V.g. An, si tu sine animo exequendi commineris accusare, vel punire Petrum de delicto ab eo commisso, justè possis accipere proportionatam pecuniam, quam ipse tibi solvat, ne illum accuses, vel punias? Et prædicti quidem Doctores respondent, justè posse, validámque esse solutionem, & justam, quia satis cedit Iuri suo, qui, cùm possit, in tui gratiam subit onus privandi se illa potestate, quam antea habebat: quam doctrinam probabilem esse fatetur *n. 168.* ipse Delugo, licèt ipse cum Bonacina, & Molina illam non sequatur. Cùm igitur Doctores prædicti id teneant in hoc casu de accusatione, ideo Delugo dixit, idem fortasse eos esse putaturos de prædicta comminatione Redemptionis census.

4. Ego nihilominus constanter assero, eos non idem putaturos. Ratio est, quia aperta apparet adesse disparitas, nam qui fingit velle accusare, potest accusare, licèt animum accusandi non habeat. Hanc igitur potentiam vendit: quare hic contractus non fundatur in dolo, sed subsistit in hac potentia, quæ venditur: At, qui fingit velle redimere, cùm redimere verè nolit, vel non possit, nihil vendit, & nihil promittit: ex alia verò parte, ejusmodi contractus diminutionis census innititur totus, ut dictum est, in dolo, ergo, &c. Quòd si cùm posses, velles, jam non esset fictio, unde, nec injustitia, &c.

## CAPVT VII.

### *An à Montibus, qui vulgò nominantur Vacabiles, vel non Vacabiles, justè emantur Census, vel Pensiones annuæ?*

1. PRæmittendum est primò, hujusmodi Montes sic solere constitui, Principes, vel Domini, vel Civitates ex Gabellis, Fructibus, seu Iuribus suis solent singulis annis colligere certam quandam summam, seu reditus, quo omnes, vel certam partem, dicti Principes, vel Civitates constituunt aliis vendere: quare dividunt summam in varias partes, nimirum in decem, viginti, triginta, &c. ut sic hujusmodi reditus vendi faciliùs multis possint. Tota ergo hæc summa annuorum reddituum reposita pro pensionibus solvendis iis, qui ement, vel emerunt, dicitur Mons: ipsi autem annui reditus vocantur Montes, qui aliquando denominantur à re, supra quam pecuniæ accipiuntur, ut Mons Farinæ, Mons Carnium, Mons Vini: aliquando ab eorum Institutore, ut Romæ adest Mons Pius, Mons Sixtus, Mons Iulius: aliquando à causa, propter quam fuerunt instituti, ut Mons Pacis, Mons Finei, &c.

Nota, singulas portiones, & pensiones horum reddituum appellari loca Montium, & eos, qui illas emunt, vocari Emptores locorum Montium.

2. Præmittendum secundò: Aliquos ex his dici Montes irredimibiles, quia empti sunt cum pacto, ut redimi non possint: aliquos redimibiles, quia Princeps, seu Dominus potest eos redimere, reddendo pecuniam capitalem iis, qui loca Montium emerunt: rursùs aliquos dici Montes non Vacabiles, cùm non pereant obitu ementis illos, sed transeant ad hæredes: aliquos Vacabiles, seu temporales, quia obitu Emptoris vacant; neque enim ad hæredes transeant, sed redeant ad Principem, seu Dominum.

3. Præmittendum tertiò, hos Montes, ut ex eorum explicatione cognovisti, nihil aliud esse, nisi speciem census, sive perpetui, sive vitalitii, sive alterius conditionis ex iis, quos *suprà* initio hujus Tractatus explicuimus; speciem, inquam, nam fundantur in Gabellis, Iuribus, fructiferis, ut modò dixi numero primo: cùm cæterum census in genere possint fundari super alia quæcunque bona fructifera, modo, quo, *suprà, cap. sexto, §. præsertim 3. num. 2.* explicatum est.

4. Quare, si ponas, aliquem Montem carere bono fructifero, ille sanè illicitus omnino erit; Nam pensio, quæ annuatim reciperetur, esset merum lucrum ex mutuo, quæ ipsissima est usura, nisi aliunde ex damno emergente, vel lucro cessante, vel simili titulo justificaretur, ut justificari *suprà, tr. 1. de Mutuo, & Vsura c. 3. §. 9.* diximus Montes Pietatis, & rectè notat in Montibus, de quibus hic loquitur, Delugo, *d. 45. de Iust. num. 198. & num. 203.*

5. His ad cognitionem Terminorum præpositis, assero, Montes esse licitos, sed, ut liciti sint, requiruntur conditiones quatuor. Prima est, ut reditus, seu loca supra quæ fundantur pensiones, verè existant. Secunda, ut supra ejusmodi reditus nequaquam imponantur plures pensiones, quàm ipse Mons contineat. Tertia, ut, si Mons pereat, pereant etiam pensiones, & loca: Si verò Mons pereat ex parte, etiam ex parte pereant pensiones, nam, ut *suprà* vidimus, perente re, perit census, seu Ius, in eo constitutum, præscindendo ab aliquo justo pacto, ut ex supradictis satis patet. Quarta, quæ certè est præcipua, quæque etiam colligitur ex supradictis. ut, quando Montes sunt vacabiles, dentur majores pensiones, seu loca, quàm quando sunt non vacabiles, seu perpetui, & ita sanè fert consuetudo, ut vacabiles emantur ad rationem novem, decem, & alicubi duodecim pro centum, non vacabiles verò ad rationem quinque, vel quinque cum dimidio.

6. Iam verò his conditionibus vallatos hos Montes licitos esse, manifestè probatur, nam sunt, & ipsi, quidam census. Quemadmodum ergo in censibus emitur Ius percipiendi annualem pensionem, ex bonis fructiferis alterius, ita, qui ejusmodi loca emunt, Ius emunt percipiendi annuam pensionem ex bonis, & Iuribus fructiferis dictorum Montium.

7. Adverte, eos, qui emerunt dicta Montium loca, posse aliis ea vendere pluris, vel minoris, quàm ipsi emerint: Emerunt, verbi gratiâ, aureis centum, sed vendere possunt centum, & quindecim, vel nonaginta: nempe, quia sequuntur naturam aliorum censuum, qui, modo, quo *superiùs, cap. 3. §. 2. à num. 9.* docuimus, justè pluris, vel minoris venduntur, quando concurrunt plures, vel pauciores Emptores, unde crescit, vel decrescit pretium, vel quando similes circumstantiæ pretium rei vendendæ, vel augent, vel diminuunt. Atque hæc de censibus satis.

# TRACTATVS III.

## DE CONTRACTU CAMBII.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit Cambium?*

1. CAMBIUM, ut hîc accipimus, est *Permutatio unius pecuniæ cum altera*, sicut cambire in universum nihil aliud est ex Tiraquello *de retractu, lib. 1. cap. 30. init.* nisi *Rem cum re permutare.* Ex Aristotele autem *pr. phys. cap. 6.*

triplex est permutatio. Prima, rei cum re, ut, si dem vinum pro frumento; & hæc dicitur absolutè permutatio. Secunda, pecuniæ cum re, ut, si aurum pro vino; & hæc dicitur emptio, & venditio. Tertia, pecuniæ cum pecunia, ut, si dem auream pecuniam pro argentea, vel etiam pecuniam præsentem hîc, pro alibi existente, & hæc permutatio vocatur cambium.

2. Hinc vides, rectè docere Aristotelem *l. c.* & S. Th. 2 2. *q. 78. art. 1. & cap. 14. de Regim. Principum*, Pecuniæ, alium usum esse primarium, atque hunc esse, ut sit aliarum rerum pretium. Alium, esse secundarium, minúsque principalem, cúmque esse, ut possit permutari, emi, vendi, commodari; Cujus posterioris usus ratio est manifesta, quia aurum, & argentum non relinquunt naturam suam, suámque æstimabilitatem materiæ ex eo, quod per consensionem gentium sint in pretium aliarum rerum instituta.

3. Quæres: In quo genere contractuum est numerandum cambium?

Respondeo: Aliqui volunt referri ad contractum permutationis; permutatur enim pecunia, v.g. Aurea cum argentea, vel pecunia præsens cum absente: Aliqui ad contractum innominatum, do, ut des: Aliqui ad contractum emptionis, & venditionis; Emitur enim una pecunia pretio alterius: Aliqui ad contractum locationis, & conductionis, nam Mercator, v.g. locat alteri industriam, & operam suam, quâ transfert pecuniam ex uno loco in alium, vel quâ conquirit pecuniam, scilicet argenteam, ut possit dare pro aurea, &c. Omnes hi profectò loquuntur suo modo probabiliter. Stet nihilominùs, semper debere servari æqualitatem inter datum & acceptum.

## CAPVT II.

### *Quotuplex sit Cambium Reale?*

1. REale dico; nam siccum, cùm contineat meram usuram, non est à nobis explicandum, sed expellendum: Siccum autem appellatur, & est illud, quod fingitur esse reale, cùm non sit; fingitur enim commutari pecunia cum alia, sed verè non commutatur: Sicut fingitur aliquando fieri solutio in alio loco, cùm tamen fiat in loco, ubi datur: Et meritò appellatur siccum, quasi sterile, & carens humore, quia non habet justum titulum, unde lucrum afferendum sit. Ita Mol. *d. 368. num. 6.* Less. *l. 2. c. 23. n. 5.*

2. Porrò Cambii Realis tres invenio Classes. Prima, continet Cambia minuta, id est, quando mutatur pecunia major cum minori; pulchra cum deformi; nova cum veteri; vetita cum legitima; usualis in hac Provincia, cum usuali in alia Provincia, & hoc vocant aliqui ex Valentia *t. 3. in 2. 2. d. 5. q. 23. p. 1.* purum, seu simplex Cambium, seu etiam manuale, quia de manu ad manum fit, idque in eodem loco regulariter.

3. Secunda Classis continet Cambia per litteras, quæ vocantur etiam Cambia localia, id est, quando præsens pecunia commutatur cum absenti. Quod Cambii genus, cum fiat per literas communiter, à literis nomen accepit.

4. Tertia Classis ad Cambia per literas addit unam quandam circumstantiam peculiarem, id est, quod soleat fieri ejus solutio in quibusdam Nundinis, nam propterea vocatur Cambium ad Nundinas. Vocatur item aliquando Cambium cum Recursa, & Cambium cum Recambio, id, quod paulò post explicabitur latiùs.

5. Hinc, ne in vocibus hæreat, nota ex Lupo *comment. 3. de usur. §. 3. num. 49.* illum, à quo petitur Cambium, appellari Campsorem, Numularium, Argentarium, Mensarium, Bancarium, Trapezitam, & Collybistam (Collybus enim significat propriè illud detrimentum, quod Nummularius patitur ex permutatione pecuniæ, ob quod meretur compensationem, *Dec. lege quisquam, §. Si verum petatur.* Qui Cambio accepto dat, dicitur Campsarius, sumpto modo accipit, dicitur Donatarius, qui mutuum, Mutuarius. Iam verò per singula tria cambia, quæ *num. 2.* adduximus, discurramus.

## CAPVT III.

### *De Cambio Minuto.*

#### §. I. *An pro hac Cambio liceat lucrari?*

1. PRo Cambio minuto licitè posse moderatum pretium acquiri à publico Nummulario, jam extra communis est nunc opinio Covar. *de collat. Numis. c. n. 4.* Less. *l. 2. c. 23. n. 7.* Mol. *d. 399.*

Ratio est in promptu, quia in illo justi adsunt titi, unde quis exigere possit ejusmodi lucrum, nam [illegible] habet Delugo *disp. 28. de Just. à num. 8.* & ut verum, [illegible] mò sæpius erit mox in similibus à nobis repetendum, ii, qui cambiunt, seu qui cambiis dandis operam navant, coguntur facere expensas, pericula subeunt, labores in conquirendis, asportandis, congerendis, custodiendis pecuniis varii generis: tenentur etiam numerare [illegible] & dictas pecunias permutare, quando sunt Ministri publici ad hoc deputati, alia item mercimonia debent officinam conducunt, Reipublicæ serviunt, in locis aliquando pecuniam non asportant, unde forsitan [illegible] valeret, &c. Ex quibus omnibus, vel singulis fiat in officio ipso cambiendi, aliquod moderatum lucrum [illegible] pere, æquum sit.

2. Moderatum autem erit id, quod sive usu in loco receptum est (sine fallacia tamen, & sinevi) sive Principe est constitutum; Sive (si, nec usus, nec Principis adsit taxa) id, quod à prudenti viro, consideratis omnibus prædictis circumstantiis, præsertim molestiæ, vel paucitate petentium, vel donantium ad Cambia, judicatum fuerit. Ita Tol. *lib. 5. c. 51. n. Tertio, ut Rat. in Summa, 2. p. c. 105. n. 2.*

### PRIMA DIFFICVLTAS.

#### §. II. *An privatis lucrari ex Cambio minuto liceat?*

1. DIco, licere, teste Lessio *loc. cit. dub.* non solùm Ministris publicis, ut modò vidimus, verùm etiam hominibus privatis aliquid moderatum, & exiguum lucrari, multò magis, quando in permutatione se aliquo commodo quis, vel emolumento putet. Quare, si tibi dem pecuniam pretiosam, pulchram, splendidam, magnam, antiquam, raram, tradaturus mihi minutam, detonsam, deformem, æream, possim aliquod moderatum recipere. Sicut, si tibi dem aureum pecuniam aptam ad deaurandum Calicem, tu verò des mihi aureum, sed non ita aptam, possim aliquid lucri habere. Ita Sylvest: *v. Usura, §. 1.* quia illa aptitudo est pretio æstimabilis. Moderatum autem dico illud, quod, vel Iudicio prudentis, vel usu ipso, vel aliqua lege constitutum sit.

2. Quid, si prohibitum alicubi sit, ne privati hæc minuta Cambia exerceant?

Respondeo: Licèt aliqui doceant, tunc eos peccare mortaliter, si lucrum accipiant, & ad restitutionem teneri: tamen probabilius est, nec teneri ad restitutionem, nec peccare mortaliter: Non tenentur ad restitutionem, nam, ut docet Molina *disp. 399.* Lessius *loc. cit. num. 17.* non potest assignari, cuinam restituere tenentur; non enim tenentur restituere illis, cum quibus permutant, quia non plus ab eis receperunt, quàm [illegible]

nibus expensis, valeat pecunia, ut supponimus, nec Reipublicæ, nec alteri, quia hæc, vel alter nullum damnum passi sunt; ergo cùm aliud assignari nequeat, nulli restituendum est. Nec peccant mortaliter, ut habet idem Mol. *loco citato*, quia, si damnum alteri non faciunt, undénam (propter aliquam venialem inobedientiam) habetur peccatum mortale?

3. Ex dictis *num.* 1. Illud discrimen collige inter Ministros deputatos ad hoc officium, & inter non deputatos; nam hi non possunt tantum pretium exigere, quantum Ministri ex officio deputati? Qui enim tenentur ex officio, coguntur congregare varietatem monetarum, subeunt pericula, expensas, labores, &c. quæ, saltem omnia, & necessariò, non subeunt non deputati.

4. Cœlestinus *T. de Cambiis, cap.* 2. existimat, tantumdem posse exigere eos, qui spontè exercent Campsariam, quantum qui ex officio, in locis, in quibus pretia dictorum minutorum cambiorum, jam sunt constituta, sive ex taxa Principis, sive ex usu recepto. Cujus doctrinæ ratio esse posset, quia tunc jam pretium Cambii in foro est commune, atque adeò justum pro omnibus exercentibus Campsariam. Quare si idem usus etiam esset inter homines privatos, qui talem artem ex officio, sive voluntario, sive à Republica injuncto non exercerent, profectò, & hi possent, modo dicto lucrari; sicuti enim, si ratione latrociniorum auctum sit pretium frumenti, omnes possent, aucto pretio, vendere; ita in hoc casu posset privatus cambire pretio secundùm æstimationem communem.

5. Hæc pro doctrina Cœlestini. Verùm, diligenter videndum, an ejusmodi usus universaliter adsit; ego enim ejusmodi universalem usum nondum vidi: licèt enim in aliquibus Regionibus, si deputatus ex officio det tibi unum, verbi gratiâ, tarenum argenteum, soleat à te pro suo lucro unum, verbi gratiâ, granum Siculum acquirere; non tamen acquirere simile granum soler, si tu des illi tarenum argenteum, ille verò grana tibi reddat ærea. Multò minùs ergo Privatis aliter facere licebit.

6. Quæres: An licitum sit nummulario cuicunque permutare pecuniam hic Panormi, v. g. ut alibi, v. g. Neapoli, aliam minutam, vel ibi usitatam recipiat, sed ita, ut acquirat lucrum, non ad rationem lucri Cambii per litteras, de quo mox, sed ad rationem lucri, quod ex tali minuto Cambio conquiri solet?

Respondeo, cum Caiet. *in opusc. de Cambiis, cap.* 6. licere, nam hoc lucrum ex minuto Cambio solet esse minus, quàm illud ex Cambio per litteras, nec loci distantia reddit illicitum, quod ex se licitum est.

## SECUNDA DIFFICULTAS.

### §. III. *De Cambio, additâ pecuniæ custodiâ.*

1. HUc etiam id reducitur, nam dum deponitur aliquando pecunia apud Mensam, seu, ut Panormi consuevimus loqui, apud Tabulam, redditur deinde non eadem *n.* 7. sed alia, unde videtur esse quoddam Cambium, quod Cambium custodiæ appellant nonnulli. De hoc igitur difficultas est: An Tabularii possint lucrum aliquod ex tali custodia recipere?

2. Respondeo: Si sint Ministri ad hoc ex officio deputati propter sumptus, quos habent in conservandis pecuniis, in exscribendis libris, & in subeundis cæteris laboribus, licitè aliquid moderatum accipere clarè colligitur ex dictis. Ita Val. *t.* 3. *in* 2.2. *d.* 5. *quæst.* 23. *p.* 3. Lop. *de contr. l.* 2. *c.* 2. *concl.* 2. Lege item Delug. *d.* 28. *de Iust. à n.* 61. *& totam sect.* 6. Verùm, multis in locis nihil solvitur à deponentibus pecuniam, vel ab extrahentibus illam à Banco, vel Tabula, ne propter numerationem quidem pecuniæ, jam alicubi ejusmodi deputati ad custodiam, non sunt merè Depositarii; non enim debent reddere eandem pecuniam, sed tantumdem, unde cùm fiant illius domini, possunt illa uti ad licitas negotiationes, & sic multum lucrati. Alicubi verò restitua quædam, imò, & tota pecunia, de qua non disponit expressè is, qui illam deposuit, vel ejus legitimus hæres, attribuitur Tabulæ cum non contemnendo ejusdem Tabulæ lucro. Hæc igitur, & similia emolumenta compensant laborem custodiæ, unde nihil pro illa solvi consuetum sit.

3. Quòd si pecuniam custodiens sit homo privatus, potest, vel non potest lucrum aliquod accipere juxta obligationem, periculaque, quæ suscipit, compensata utilitate ex depositis pecuniis, ut habetur ex dictis.

4. Illa duo quæsita nuper à nobis fuerunt. Primum, si quando est solvenda ratio custodiæ, à quo est solvenda, à deponente pecuniam, an à Tertio, cui fortè deponens mandavit, ut illi Tertio numeraretur? Secundum, Potéstne Custos ejusmodi, quando deinde reddidit, seu solvit Domino pecuniam aliquid accipere ob laborem illam enumerandi?

5. Respondeo ad primum, solvendum esse à deponente. Ita Valent. *loco citato*, nam labor custodiæ assumitur in gratiam deponentis, non verò in gratiam illius Tertii, cujus justitia postulat, ut integrè ipsi solvatur, quod ei debetur.

6. Ad secundum, Respondeo, Custodem nihil posse recipere ob dictam numerationem; nam hanc suscipit in gratiam suam, ne plus solvat, quàm debet. Cùm autem paulò *superius* dixi, Nummularium posse aliquid sumere pro numerandis pecuniis, ideò dixi, quia ipse subinde numerat in gratiam alterius, ut notat Lessius, *l.* 2. *cap.* 25. *num.* 79. & quia debet numerare multas pecunias hinc inde conquisitas, ut sit promptus ad cambiendum, non verò ob numerationem, quam exhibet, quando aliquid ipse debet.

7. Huic responsioni ad secundam hanc quæstionem se opponit Sotus, *l.* 6. *q.* 11. *art.* 5 & Valent. *loco citato*, quatenus asserit, esse consuetudinem aliquid accipiendi ratione numerationis: unde videtur (inquit Sotus) Respublica ad id licentiam concessisse. Sed Respondeo, à Republica hanc licentiam nunquam concessam fuisse, quia Respublica non potest licentiam dare non solvendi totum, quod ex Iustitia creditori debetur; nisi, quando bonum publicum requireret oppositum, quod bonum in hac re minima non videtur adesse.

8. Nihilominus puto, sententiam Soti in eo casu mihi videri probabilem, quando Custos nihil lucri habet ex custodita pecunia. Tunc enim, licèt, dum illam tibi reddit, suâ intersit reddere, quantum debet; tamen hoc totum pendet à Beneficio, quod tibi contulit, volendo tuam pecuniam sine ullo suo emolumento custodire. Cur ergo ex eo Beneficio detrimentum patiatur, & tibi tuam pecuniam enumerare propriis sumptibus obligetur?

## TERTIA DIFFICULTAS.

### §. IV. *De eo, qui ex industria cambit monetam alterius.*

1. FAmulus habens à Domino viginti, v. g. tarenos ut cum illis satisfaciat sui Domini creditoribus, vel emat pro suo Domino vinum, oleum, &c. utitur hac industria, ut illos permutet in monetam æream cum suo lucro; accipit enim moderatum quid, unum, v. g. granum ex singulis tarenis, sibique illud reservat. Quærimus, an hoc unum licitè possit retinere, posito, quod jam per monetam æream placitum Domini bene complevit, ut hic semper supponendum est.

Respondeo, posse, cum Mol. *d.* 402. Less. *loco citato*, *num.* 18. Bonac. *de contr. d.* 3. *quæst.* 5. *de Cambiis, num.* 3. Delug, *d.* 28. *de Iust. à num.* 24. quia hoc est lucrum ejus industriæ, non enim pecunia est sicuti ager, & pecus, quæ fructus pariunt Domino, sed est ex se sterilis: quare totum

totum lucrum ex illa debetur ei, qui ponit industriam.

## CAPVT IV.

### *De cambio per literas.*

VEL Campsor recipit hîc pecuniam, & alibi solvit; vel hîc solvit, & alibi recipit. Hæc duo nunc, an Campsori liceant cum lucro, investigemus.

#### §. I. *Hic recipiens, & alibi solvens.*

Dico primò, licitè Nummularium, seu campsorem ex officio aliquid moderatum recipere ex eo, quod hîc pecuniam suam recipiat, & solvat alibi, sive in diversa Provincia, sive solùm in diversa Civitate. Capita autem, seu tituli, unde justificetur ejusmodi moderatum lucrum, solent meritò afferri sex, vel septem, quæ sigillatim jam profero.

2. Primum, ratione officii. Secundum, ratione, laborum, & expensarum parandi scilicet, vel conservandi pecuniam, domum conducendi, scribendi rationes, literásque chirographi Cambii. Tertium, ratione famulatus, quem alteri Campsor præstat, dum in ejus commodum transfert pecuniam alibi, vel ibi conservat. Quartum, ratione periculorum. Et quidem quò longius distat locus, ubi solvenda est pecunia à Campsore, eò majora solent esse pericula, cùm difficiliùs pecuniam in locum remotum, quàm in propinquum transferatur; nam propterea pro Cambio in eadem Provincia minus lucrabitur Campsor, quàm in diversa, juxta mox dicenda *num. 6.* Quintum, ratione assecurationis; Campsor enim veluti locat operam suam, qua se obligat pecuniam tutam, ac certam alibi transferre, & quidem periculo suo, nam, si pereat, in damnum ipsius perit. Ita Less. *lib. 2. cap. 23. dub. 3.* Molina *disp. 403.* Rodriq. *p. 2. summæ, cap. 106. num. 1. & passim.* Huc sextò reducitur illud, quod Campsor, vel ejus Procurator potest sumere ratione provisionis, ob operam, vel assecurationem, quam exhibet pro Campsorio, de qua re dicentur aliqua *inferius*, & videri interim potest Lessius *loc. cit. num. 73.* Septimum denique caput, est quia sæpè minor est æstimatio pecuniæ propter ejus abundantiam, vel quid simile, ubi recipitur, quàm, ubi solvitur, idque fortè propter ejusdem pecuniæ penuriam, vel propter adventum Principis, vel propter majores expensas, quæ in loco illo distanti fiunt.

3. Si in loco aliquo sit lex justa, ne quis aliquid lucretur ex Cambio in eadem, v.g. Provincia, esset servanda; sed non puto obligandum, ut habet Mol. *d. 405. n. 9.* Vide quæ *suprà* dixi *c. 3. §. 2. num. 2.* ante Iudicis sententiam, ad restitutionem, eum, qui lucrum recipit, quando verè, & in conscientia Campsor præstitit obsequium dignum ex mercede, nec enim ejusmodi leges videntur, incapaces reddere Campsores hujusmodi lucri, saltem ante sententiam Iudicis.

4. Objicies: Si Campsor accipit justè pretium, quia transfert per literas pecuniam de uno in alium locum; ergo tantum deberet accipere, quantæ sunt expensæ, cum quibus transferri solet pecunia ipsa, quæ certè sunt multò majores, quàm soleant Campsores ex suo Cambio per literas accipere.

Respondeo, negandam esse consequentiam, ut certè negant Molina, & Lessius *ll. cc.* quia illud est justum pretium rerum, quod communi æstimatione justum judicatur. Quoniam ergo ex eo, quod majores labores, & pericula, in transferenda re ipsa, & materialiter pecunia, suscipiuntur, quàm per literas (quia illud difficiliùs, hoc multò faciliùs, ut constat, exhibetur) ideo communi hominum judicio, illa major est pretii æstimatio, hæc minor, & consequenter hæc meritò servatur in casu nostro.

5. Dico tertiò, non solùm Nummularium ex officio, sed etiam hominem privatum ex simili Cambio per literas posse moderatum quid recipere. Ita Valent. *2. 2. disp. 5. quæst. 23. part. 6.* Ratio est, quia in hoc non omnia illa capita, certè adsunt sufficientia, quæ autem debere accipere hunc privatum, quàm illum ex officio, colligitur ex dictis, quia illi potiora capita favent, quam huic, nisi tamen pro hoc posset optari doctrina data paulò antè *superius, cap. 3. num. 5. & 6.*

6. Dico quartò, pro hoc Cambio per literas, justum pretium accipi justè potest, quod (juxta *superius, cap. 3. num. 2.*) dicta hîc proportionaliter applicanda debere taxa Principis, vel usus communis, vel judicium prudentis eis æquum judicavit, considerata distantia, vel propinquitate loci, imò aliquandò, & temporis (non quidem per se, ratione solius temporis, sed per accidens, quia longius tempus plura pericula solet afferre) considerata penuria, vel copia pecuniæ, ac frequentia, vel infrequentia petentium ad Cambia, nam propterea plus lucrabitur in Cambio recipiendo in Civitate, in qua sunt Nundinæ, vel adest adventus Principis, quando multi indigent pecunia, quàm in eo loco, in quo ejusmodi circumstantiæ non adsunt. Tandem video, in frequentioribus Valentiæ Europæ esse usu receptum, ut illud sit pretium justum, quod in foro currit, & taxat ipsa mercatorum consuetudo, quod, dummodo id fiat bona fide; & sine fraude, non est ab illo recedendum.

7. Nonnulli dubitant, an, si pecunia sit prorsus ejusdem valoris hîc, & alibi, adhuc qui accipit, ut alibi det, quod contrà hîc dat, ut alibi recipiat, de quo in §. *seq.* possit lucrum Cambii acquirere. Verùm, etiò, ut à præciso capite ejusdem valoris, non possit: adsunt tamen semper alia capita expensarum, laborum, obsequii, pro valere præsentem pecuniam, quàm absentem, &c. Quæ semper tibi favebit aliquis titulus recipiendi moderatum lucrum. Lege Mol. *d. 407. & d 410.* Val. *l. c. q. 23. §. 4. c. 17. sum. à n. 294 & in comment. de usur. n. 51. & 53.* Lugo *d. 28. de Iust. n. 50.*

#### §. II. *Hic solvens, & alibi recipiens.*

1. Dico primò, hoc Cambium cum aliquo titulo posse licitum esse. Ita Mol. *disp. 404. d. loc. cit. dub. 4.* Cajet. *opusc. de Cambiis, cap. 6. & 7.* Val. *loc. cit.* Lugo *loc. cit. tota sect. 4.* alique, sive exercendo deputato ex officio, sive à privato, sive in diversa, sive in eadem provincia, modo §. 1. dicto. Ratio est, quia non dissimiles tituli justi lucri hîc adsunt, quam adsunt in præcedenti. Reducuntur autem summatim ad septem.

2. Primò, quia in hoc casu Campsor dat tibi præsentem pecuniam, ut à te illam alibi recipiat: At tanti (quarum naturam hîc virtualiter, seu æquivalenter recipit pecunia) loco absentes minoris æstimantur, quàm præsentes, & quæcunque bona in re, semper plus valent, quàm in spe.

Secundò, quia Campsor veluti ex alio loco in hunc locum transfert pecuniam in tui obsequium, quam indigebat pecuniam tibi indigenti hîc solvat: pecuniam autem quam hic tibi præsentem facit Campsor, æquivalet, quæ inde huc transtulisset.

Tertiò, quia item te liberat à portanda, seu transferenda pecunia in alium locum, quod certè tu tuo periculo portares, seu transferres.

Quartò, quia idem Campsor subit periculum, an tu alibi solvas, vel saltem non cum tanta facilitate. Quod si aliquando Campsor sine labore, vel expensis, vel periculo habet alibi pecuniam, non propterea, hanc ibi habere caret sua æstimabilitate, & condignitate admetiendem judicio prudentis proportionatam, modo dicto §. *superiore.*

Quintò, quia ratione officii, si ad hoc sit aliquis ab dictus, & ratione industriæ, seu operæ, qua semper est, pro

pro petentibus paratus ad dandum, & quâ officinam conducit, alia negotia non gerit, alios contractus non exercet, uno verbo, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sua non est compensatione fraudandus.

Sextò, idem dic, ratione assecurationis, qua sub sua fide Campsor aliquando non petens à Campsario fidejussorem, nec pignus, acceptat solutionem sibi in loco distanti faciendam.

Septimò, quia sæpè æstimatio pecuniæ est, ob aliquas circumstantias, major in loco, ubi datur, quàm ubi redditur. Relege, quod modò dictum est §. *præced. num. præsertim* 5. facit enim etiam pro doctrina hujus §.

3. Objicies: Si pecunia loco absens minotis æstimatur, quia est absens, ergo pecunia tempore absens minotis æstimabitur, quia etiam sic est absens; ergo, sicuti quia est loco absens, possum lucrum accipere à te, cui præsentem pecuniam numero; potero etiam, quia est tempore absens par lucrum accipere à te, cui nunc numero pecuniam: At hæc est mera usura, quia sic accipitur lucrum solum ratione temporis, ergo, & illa erit usura, quæ est ratione loci.

4. Adde: Si pecunia in nostro casu est veluti merx, quam absentem ego emo, præsenti data pecunia; ergo, sicuti præsenti nunc pecunia possum emere alias Merces, v. g. triticum hinc ad annum tempore messis colligendum, possum, inquam, emere minori pretio, quàm nunc, ergo possum nunc eodem modo minori pretio pecuniam emere, quam hinc ad annum solvam, quæ, ut dictum est ipsissima est usura.

5. Respondeo, adesse disparitatem. Nam pecunia loco absens, ideo minoris valet, quia subjicitur illis periculis, expensis, laboribus, &c. quod ex se non est ita in pecunia tempore distante. Dico (ex se) nam, si etiam ipsa, ratione temporis, aliquibus ex iis incommodis subjiceretur, certè posset etiam tunc aliquid accipi, non quidem merè ratione temporis, sed ratione illorum. Multa hîc congerit D. Lugo *d.* 78. *de Iust. à num.* 42. dicens difficilem esse prædictam objectionem.

6. Ad id, quod additur, adest etiam non dissimilis disparitas, nam mercium aliarum, v. g. frumenti, vini, &c. varia est æstimatio, unde, & varia est impositio taxæ, atque adeo non est mirum, si ex varietate circumstantiarum, varietur etiam illarum pretium: At pecuniæ æstimatio, ut mensura est rerum, eadem prorsus semper est: Si ergo possum emere nunc minoris frumentum, quod erit futurum, id ideò est, quia frumentum, quod erit post menses, minoris nunc æstimatur: at pecunia sub dicta consideratione, sive sic distans, sive præsens sive futura, semper est ejusdem valoris. Quod si sumatur, ut merx, quod est secundarium munus pecuniæ, & vestiatur aliqua ex prædictis circumstantiis, tunc valebit, vel majoris, vel minoris, sicuti cæteræ merces: undè ab illa lucrum, ratione illarum circumstantiarum, justè conquiri poterit.

7. Colligitur ex dictis, si Titius dans pecuniam Petro, v. g hîc, ut ab eodem, vel à suo correspondente alibi recipiat, noscat Petrum nullam pecuniam, nullúmque correspondentem, seu Procuratorem ibi habere, qui possit ipsi facere solutionem, unde prædicta solutio faciendа sit hîc, putà, in eodem loco, ubi data est pecunia & quidem cum lucro ejus, qui dedit, colligitur, inquam, esse meram usuram, & cambium siccum, quia re ipsa nullum est cambium, sed merum mutuum cum lucro: de ratione enim realis cambii est, ut fiat realis commutatio inter pecuniam præsentem, & inter pecuniam, quæ sive in se, sive aliquo tandem modo, virtute, vel æquivalenter, sit alibi: id, quod in casu, de quo loquimur, non invenitur. Quid autem sit ejusmodi pecunia æquivalens, mox *infrà* dicemus *cap.* 5. §. 1. *num.* 9. & *num.* 15.

8. Quòd si bona fide do meam pecuniam hîc Petro, putans, illum in loco distanti habere correspondentem, qui ibi solvat, tamen de facto ipse non habeat, unde nec stet promissis, nec solvat, non est mirum, quod justè possum ab ipso hic exigere, quanti mea interfuit, pecuniam non fuisse solutam in eo loco: non est, inquam, mirum, quia tunc ejus falsax promissio fuit mihi causa talis damni.

Nota id verum esse, tum in hoc genere cambii, de quo hic loquimur, tum de aliis, sive per literas, sive ad Nundinas: par enim est ratio, ut, si tu non stes mihi promissis, debeas mihi solvere damnum emergens, & lucrum cessans. Vide tamen omninò quæ mox dicam *infrà*, *cap.* 5. §. 1. *num.* 16. & *n.* 17.

### §. III. *Quando tum Campsario, tum Campsori Cambium profit, cujus erit lucrum?*

1. Titius cupit habere Neapoli centum aureos, verbi gratiâ, quos tamen habet hîc Panormi: Caius autem cupit similia centum habere hîc Panormi, quæ tamen habet Neapoli. Hi ergo invicem cambiunt, & uterque obtinet, quod ipsius est utile, unde unus alteri æquè famulatur. Inquiro, cujusnam erit lucrum ex tali cambio?

2. Respondeo, fore illius, qui prævenitur, & ita Mol. *disp.* 405. Caietan. *de Camb. cap.* 6. & 7. Sylvest. *v. Vsur. num.* 4 *quæst.* 8. §. *Secundum.* Garc. *cap.* 3. 3. *de contract. num.* 5. Lop. *lib.* 1. *de contract. cap.* 4. aliique apud Bonacin. *disp.* 3. *de contract. quæst.* 5. *num.* 25. Si enim Titius ad te Caium veniat, ut Cambias, illa centum, tuum erit lucrum, si tu ad Titium, lucrum erit Titii. Ratio est, quia, qui prævenitur, præstat alteri obsequium ex se æstimabile, & per accidens est, ut id aliundè vertatur in suum commodum. Sicuti (ait Molina) si Petrus, v. g. deberet cum expensis equum, quem conduxit, remittere hinc Panormo Messanam, & Paulus indigeret equo, quo iter facturus Messanam sit, posset, qui prævenitur totum & integrum pretium locati equi recipere, quia ei, qui prævenitur, solvitur justum illud pretium, quod est condignum illo obsequio à se exhibito.

3. Ex quo exemplo infert idem Molina, quod sicuti, si Petrus sciret necessitatem Pauli quærentis equum, qui illum Messanam portaret, & Paulus sciret necessitatem Petri volentis reducere equum Messanam, possent licitè simul convenire, ut vel gratis, vel cum aliquo lucro ex alterutra parte reduceretur equus, & quomodocunque conventio inter illos fieret, licita esset, quia neuter tenetur celebrare contractum in alterius commodum, sed potest in suum; pari ratione in casu nostro, &c.

4. Quid, si ego indigens pecunia Neapoli, dem illam hîc Panormi Numulario, ut ipse meo nomine det ad cambium tertio, qui illam fortasse optat habere hîc Panormi, daturus eamdem cum legitimo lucro Neapoli, posúmne licitè tunc ego ejusmodi lucrum Neapoli acquirere, ubi jam habeo pecuniam, quam optabam?

Respondeo, licitè posse, ut colligitur ex dictis, quia quod immediatè tu potes, si immediatè præveniari, & quod potes, si cum alio convenias, idem potes, si prævenitur, vel conventionem faciat ille Numularius, qui tunc tuas vices gerit.

---

## CAPVT V.

### *De Cambio ad Nundinas.*

### §. I. *De Cambio ad Nundinas absolutè.*

1. Mercatores certas quasdam Nundinas in aliquibus locis, seu Vrbibus instituerunt, ut ibi debita solvantur, vel contrahantur, & item ut ratiocinia reddantur, & scribantur in libris dati, & accepti. Solent præsertim in Italia hæ Nundinæ fieri quater, singulis

gulis annis, spatio inter se distantes trium mensium, quod spatium datur, ut solutiones commodè expediri queant. Primæ dicuntur Nundinæ Apparitionis, & celebrantur circa festum Epiphaniæ. Secundæ Paschatis, incunte Maio. Tertiæ, Augusti; eo enim mense fiunt. Quartæ, omnium Sanctorum, quia, paulò post ejusmodi festum, celebrantur. Alicubi, ut Francofurti bis celebrari has Nundinas, monet Lessius *loco mox citando*, nimirum circa Pascha & circa Septembrem, nam propterea Cambium ad has Nundinas vocatur à Lessio Francofurtense. Cùm autem Cambia dicuntur fieri ad Primas, vel ad Secundas vel ad Tertias, vel ad Quartas Nundinas, sensus est, quod solutio pecuniæ faciendæ est post tres, vel post sex, vel post novem, vel post duodecim menses.

2. Quid, si dentur pecuniæ hîc, ut in eo loco fiat earum solutio, ubi Nundinæ non celebrantur?

Respondeo: Tunc constituuntur quidam termini, & ita dicitur pecunia dari, & accipi ad Primos, vel Secundos, vel Tertios, vel Quartos terminos, idest, post tres, sex, novem, vel duodecim menses. Imò, quando non est magna locorum distantia, ut horum mensium spatium necessarium non sit, ad frendas literas Cambii, constituuntur alii breviores termini, pro solutionibus faciendis: Et quidem sæpissime constituitur terminus, qui judicatur sufficiens ad hujusmodi literas perferendas, incipiendo à die, quo fiunt literæ Cambii, aliquando verò incipiendo à die, quo literæ recipiuntur à Correspondente, seu procuratore Campsarii in hunc fere modum: *Post dies quindecim vel post dies viginti, vel post mensem, &c. à receptione harum literarum, fiat solutio.*

3. Iam verò, si solutio fiat realiter, enumerata in Nundinis pecunia, certè, vel nihil, vel vix differat tunc cambium à cambio per literas, de quo egimus *in cap. præced.* Sed quia in dictis Nundinis solutio transigi sine ulla numerata pecunia solet, datis nimirum tantummodo, & acceptis syngraphis, ideò peculiares inde emergunt difficultates, quæ propriam, atque solemnem hîc habent disputationem.

4. Hunc autem modum cambiendi, si nihil aliud addatur, vocamus absolutè Cambium ad Nundinas; si enim eveniat, ut in loco destinato ad cambium, ita fiat solutio, ut necesse sit addere aliud Recambium, tunc vocatur Cambium cum Recambio, seu Cambium cum Recursa, de quo in §. *seq.* nam nunc solum statuere debemus, an hoc Cambium absolutè ad Nundinas licitum sit. Et quidem licitum esse, tum mercatoribus, tum aliis privatis, modò adsint quædam conditiones, iam communis est opinio. Et quidem Less. *lib. 2. cap. 23. dub. 6.* Navarr. *in summ. cap. 17. num. 300.* aliorumque apud Delugo *disp. 38. de Iust. tota sect. 3.* Ratio est, quia aliquibus conditionibus, quas mox afferemus, adhibitis, non apparet, ubi sit injustitia, & ex alia parte adsunt justi tituli, unde acquiratur lucrum.

5. Duo igitur sunt explicanda. Primò, hi justi tituli, quorum certè aliqui concedunt cum allatis in §. *præcedentibus*.

Secundò, illæ conditiones, quorum item non paucæ insinuatæ *superius* sunt, sunt tamen hîc in suo proprio loco, claritatis gratiâ, breviter repetendæ.

### *Tituli justificantes lucrum Cambii ad Nundinas.*

6. Primus Titulus est, quia Campsor carebit pecunia, quam tibi ipse tradit, post tres, vel plures menses, unde privabitur, etiamsi non sit mercator, opportunitate, & libertate aliquid lucrandi cum illa pecunia à te reddenda per alias fortè negotiationes sese offerentes.

7. Secundus est periculum cui pecunia tibi à Campsore data exponitur. Et quidem, si pro longiore tempore data est, majora erunt pericula: Nam propterea tunc non propter meram temporis longitudinem, sed propter hæc pericula, & aliquid plus exiget non injustè Campsor. Quod si is habeat pignus suæ pecuniæ à Campsario, quod certè, potest habere, quia quilibet potest cum omni sua cautela, & securitate, tunc non habebit hîc periculi titulus; sed alii.

8. Tertius titulus est, quia dum interim expectat solutio, plures possent esse, qui peterent Cambium, pauciores, qui darent. Cùm igitur ex majore numero petentium, & minore numero dantium crescat pretium, crescet etiam in casu nostro. Lege Less. *num. 56.*

9. Quartus est trajectio actualis, vel, ut hîc communiter est, trajectio virtualis pecuniæ ex uno in alium cum. Neque dicas ibi non adesse pecuniam, quæ trajici, sed solum esse transactionem syngraphæ dati, & accepti, ne id (inquam) dicas, nam ipsa syngrapha continens creditum de pecunia, tanti, vel fere tanti æstimatur, quanti ipsa pecunia, nam propterea syngraphæ credita continentes, appellantur & habent vim pecuniæ virtute, & æquivalenter.

10. Quintus titulus est, quia in loco, ubi fit solutio, secundùm majorem, vel minorem pecuniæ copiam, major, vel minor est ejus æstimatio.

11. Sextus titulus est, quia communiter in illis locis, ubi facienda est solutio, adest taxa valoris pecuniæ communiter recepta in illis Nundinis, vel in illo loco, quæ à Mercatoribus, omnibus circumstantiis expensis, vel certè ipso negotiantium usu comprobatur. Non raro evenit, ut pro varietate circumstantiarum, aliquando majus, aliquando minus lucrum habeatur ex Cambio. Cùm igitur etiam privato licitat servare id pretium, quod in communi foro currit, potest quisque licitè hoc pretium acquirere lucrum, ut etiam *supra* innuimus.

12. Septimus ducitur ab expensis, quas Campsor facit, conducendo, vel habendo alibi suum correspondentem, cui committat literas Cambii.

### *Conditiones adhibendæ in Cambio in Nundinis.*

Iam verò conditiones debent esse sequentes, non omninò tres, tum pro locis, ubi non adest Bulla Pii V. *mox citanda*, tum pro locis, ubi adest: notatus enim id, quod est de Jure naturæ. Aliæ verò tres pro locis, ubi illa fortè recepta est.

### *Conditiones tres ex Jure Naturæ.*

13. Prima conditio ex notantibus Ius naturæ est, ut non exigatur plus, vel minus ratione solutionis temporis, quàm modò dictum est. Verùm, quia dictum est, etiam, ne lucrum Cambii non solere taxari, seu usurpari à plerisque negotiatoribus ex solo tempore, sed ex circumstantiis illis adnexis, ut *ibidem* vidimus, ideo hæc conditio apud bonos negotiatores deesse nunquam solet.

14. Secunda, ut re ipsa literæ de uno in alium locum transmittantur, quarum virtute fiat verè solutio pecuniæ quæ recepta fuit in alio loco. Tibi, v. g. hîc Parisiis dedit Campsor pecuniam ad Cambium pro Neapoli, ibique vel tu, vel aliquis Procurator tuo nomine faciet solutionem pecuniæ Neapoli: Si ergo non fiat ibi solutio, accèt literæ illæ missæ fuerint, tamen cùm recipiantur post solutione ibidem factæ inanes redibunt, sicque atque ita cum usura Campsor exiget lucrum Cambii, quia Cambium nunquam completum fuit, ut iterum in simili forma monuimus.

15. Tertia conditio maximè notanda, & circa quam sunt difficultates innumeræ, quæ materiam hanc de Cambiis celebrem, & satis ætate nostra exagitatam reddiderunt, est, ut campsor sciat, vel rationabiliter existimet, Campsarium habere in loco, ubi fieri debet solutio, pecuniam, sive in credito, quæ solutio, pecuniam, sive numeratam, sive in credito, quæ sit pecunia æquivalens, habere, inquam, saltem apud bonum Procuratorem, vel amicum, à quo vel mutuam, vel ad novum Cambium dictus Campsarius accipiet. Ratio convincens, in Cambio debere esse hanc conditionem, est

est manifesta, quia cambium, vel est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, vel emptio pecuniæ absentis pretio pecuniæ præsentis, vel quid simile, ut *suprà* diximus. Si ergo campsor existimet campsarium, nec habere pecuniam in se, nec in credito, nihil ipse campsor permutabit, vel emet; ergo erit vel clara usura, vel clarum furtum, si aliquod lucrum campsor sumat ex permutatione, vel emptione, quæ nulla est. Lege Lessium *num.* 61.

16. Illud approbavimus *suprà*: Si postquam campsor bona fide dedit ad cambium in locum aliquem, putans, campsarium habere, vel habere posse ibi pecuniam deprehendat, se à campsario esse deceptum, quia nullam ibi is habet, nec habere potest pecuniam, approbavimus, inquam, tunc justè posse ab ipso campsario recipi in eodem loco, quo dedit, solutionem sui lucri, immò, & omne interesse, quod fortè ipse campsor est passus. Ratio est, quia tunc campsarius tenetur ex fraude, qua fingit habere pecuniam in illo loco, unde campsor deceptus fuit. Hanc doctrinam probabilissimam putat Bonacina *d.* 3. *de contract. quæst.* 5. *num.* 24. licèt ipse in aliquo refragetur. Verùm, si sine palliata fraude procedatur, eam certissimam, ne dum probabilissimam, puto.

17. Siste autem hîc tantisper, Amice Lector. Ex hac vera nostra concessione fœdè labi solent aliqui, dum ex hac doctrina putant, se justè semper exigere posse dictum cambii lucrum, quia nimirum campsarius, id est, ille, qui recipit hîc pecuniam solvendam ab ipso in alio loco, non est inventus in dicto loco; v.g. Neapoli habere pecuniam; nec item habere correspondentem, qui solvat, immò, & aliquando inventus est, ne literas quidem illuc missiles; labi inquam, solent, quia non advertunt ad usum, quo ejusmodi cambia fieri frequenter consuevêre, campsarius enim, & campsor conveniunt, ut curam inveniendi in loco distanti pecuniam nomine campsarii, & inveniendi correspondentem, & cætera necessaria ad verum cambium, suscipiat campsor. Si ergo hæc deficiunt, culpa campsoris deficiunt, non verò culpa campsarii. Quare campsarius non est condemnandus ad solvendum lucrum cessans, & damnum campsori emergens, cujus damni non fuit causa campsarius, sed ipse campsor.

*Conditiones tres requisitæ, à Pio V^o.*

18. Progrediamur jam ad alias conditiones tres requisitas à Bulla Pii V. quæ incipit: *Pro nostra Pastorali*: quam tamen Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 9. *fine*, putat, aut paucis in locis esse receptam, aut certè nusquam, quoad conditiones, quæ de Iure naturæ non sunt, ut in. simili *suprà*, *in tract. de cens. cap.* 5. *num.* 3. *& cap.* 6. §. 2 *n.* 4. tanquam probabile, dictum à nobis est.

19. Prima conditio est, ut non fiat pactum ab initio de certo interesse, etiam in casu, quo non fieret solutio tempore præfixo. Certo, inquit, non ergo Pius prohibet pactum de lucro incerto solvendo, quod postea deprehendetur dandum ex interesse, quod passus est campsor ex non soluto cambio. Immò aliqui dicunt, non solùm, ubi non est recepta, sed etiam, ubi est recepta dicta Bulla Pii, posse fieri pactum de determinato lucro ad arbitrium prudentis (vide omnino *infrà*, §. 7. *n.* 13. & 14.) cùm Bulla solùm prohibeat, fieri ad arbitrium campsoris, qui amore lucri allectus errare posset. Et certè, quando campsor caret experientia, vel rebus suis nimis inhiat, de Iure naturæ est, ut ejus arbitrio nequaquam stetur.

20. Secunda, ut non possint fieri cambia, nisi pro primis, seu proximis Nundinis, ubi Nundinæ celebrantur, vel pro primis Terminis (ut mox *n.* 22. clariùs explicabo) ubi Nundinæ non habentur. Id autem prohibetur, quando ratione magis distantis termini augetur lucrum cambii; nam, si non augeatur, & tamen longius tempus pro facienda solutione concedatur, certè gratiam campsario faceret campsor.

21. Quòd si quis, ut notat Lessius *loc. citat num.* 27. plus exigeret, dando ad secundas Nundinas, quam dando ad primas, exigeret, inquam, plus non ratione ipsius meri longioris temporis, sed ratione veri interesse, quod tunc pateretur, non esset ad restitutionem condemnandus, etiam in locis, ubi recepta est Pii V. Bulla, saltem ante sententiam Iudicis, quia ob verum titulum in conscientia tunc exigit: nam si exigeret ratione solius temporis, etiam de Iure naturæ, esset condemnandus, ut dictum est in superioribus sæpe.

22. Tertia denique est, ut in terminis solutioni præfigendis, habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio est facienda, ut scilicet plus possit lucrari campsor, si debeat numerare pecuniam in loco magis distanti; quàm in loco distanti minùs. Ubi vides, hic non agi de Nundinis, quæ semper fixæ in suis locis sunt, nisi forte tangatur difficultas, quæ ponetur mox *num. seq.* sed agitur de aliis locis, ubi non sunt Nundinæ, si enim cambias hîc Panormi, ut fiat solutio Messanæ, ad quam Messanam Urbem perveniri potest tempore quinque dierum, v. g. cur potius termino solvendi post duos menses, & vis acquirere illud lucrum, quod acquireres in Nundinis, quæ sunt longè distantes, seu quod acquireret ille, qui subit pericula duorum mensium, expensásque facis, quæ solent fieri, quando transfertur pecunia in locum magis distantem itinere; v. g. dictorum duorum mensium: Id certè, etiam de Iure naturæ, verum est. Quod si lucrum in hoc casu non augeas, tunc non erit illicitum, immò gratiam facies campsario modo dicto *num. præced.* Præterea, nec item erit illicitum, ut vult Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 5. *num.* 13. velle lucrum, quod solet haberi in Nundinis, si locus solutionis est æque distans à Nundinis, & credatur probabiliter in loco, ubi solutio sit facienda, æqualiter valere pecuniam, at valet in Nundinis.

25. Inquires: Campsores statuere consuevêrunt, lucrum ex cambio eò majus esse solvendum; quò longius est tempus, ad quod cambium datur, etiam in ordine ad primas ipsas Nundinas, ut, si primo mense dent, pecuniam ad cambium solvendum in proximis primis Nundinis, plus lucri exigant, quàm si dent secundo, vel tertio mense: idne licitum est?

24. Respondeo: Non pauci, ut Lop. *lib.* 2. *de contract. cap.* 13. Rodr. 2. *p. summ. cap.* 107. *num.* 6. aliique putant esse illicitum, quia sic habetur ratio brevioris, & longioris temporis, quod proprium est usuræ. Sed Mol. *d.* 404. Less. *l. c. dub.* 6. *&* *d.* 11. Cajet. *de Camb. cap.* 7. Philiat. *lib.* 5. *cap.* 24. *dub.* 2. aliique cum magna probabilitate aiunt esse licitum, quia in longiore tempore majora sunt pericula, diutius campsores privantur sua pecunia, quâ negotiari possent, & lucrari, & major est numerus, qui sic petunt ad cambia, unde pretium crescit ut in simili dictum est *suprà*, non igitur solum ratione meri temporis, &c. Et quidem cùm illud sit pretium justum rerum, quod bona fide Periti statuunt, præsertim consuetudine sic scita, & tolerata, ideo non sunt prædicti campsores condemnandi.

25. Inquires iterum: Dictum est, ut cambium hoc sit licitum, oportere, ut illæ tres conditiones concurrant, quas diximus *à num.* 13. Quo modo igitur, se geret vidua, vel homo non multæ literaturæ, qui has non discernit, & solum dat alteri pecuniam suam ad cambium?

26. Respondeo. Hæc praxis, quæ maximè hîc est cognitu necessaria, explicabitur *inferiùs*, §. 5. *num.* 6. *& iterum* §. 7.

## §. II. *De Cambio cum Recambio, seu Recursa.*

1. PRaxis hujus Cambii (quod Bisuntinum, vel Placentinum apud Lessium *l.* 2. *c.* 23. *n.* 59. appellatur) nostro ævo frequentissima, hujusmodi est: Titius campsor hîc Panormi, v. g. dat Caio centum aureos solvendos ab eodem Caio in proximis Nundinis Placentiæ

celebrandis, vel in aliquo Italiæ,vel Siciliæ loco. Quoniam verò Caius neminem habet Placentiæ, vel in aliis aliis locis,qui ejus nomine solvat, quod ipse Caius debet; Ideò Titius offert eidem Caio suum correspondentem,nomine,v.g.Scium,residentem in illis locis. Offert, inquam, ut,sicuti est correspondens Titii cum omni potestate ipsi Seio concessa ab eodem Titio, ita in hoc negotio, ut sit etiam correspondens Caii, & solvat cambium, idest, dictos centum aureos cum lucro ibi apud Mercatores, seu apud forum decerni solito: Sit autem hoc lucrum nunc, v. g. aureorum quinque. Acceptata oblatione, scribit ad Scium Titius, nomine utriusque, putà ejusdem Titii, & dicti Caii, ut scilicet Scius acceptet creditum Titii, & debitum Caii, & ut correspondens jam Caii solvat cambium, ejusque lucrum, id est, centum & quinque aureos, & ut correspondens Titii eos aureos recipiat, & sic extinguatur cambium.Sed, quia Scius, ut correspondens Caii pecuniam non habet; ideo ipse idem Scius, ut correspondens Titii, seu Titii nomine offert, & dat illam pecuniam sibi eidem, ut correspondenti, seu Procuratori prædicti Caii, dat, inquam ad cambium (quod certè erit secundum cambium,seu, ut loquimur, recambium) solvendum à Caio Panormi. Cum accepta ergo hac pecunia Scius, ut correspondens Caii, extinguit, seu solvit, ut dictum est, prædictum cambium primum Panormi celebratum, ita, ut nihil omninò amplius debeat pro dicto primo cambio Caius. Lege Lessium, qui rectè notat, si dictus Scius fugeret,vel decoqueret, campsorem Titium non posse agere nomine suo contra campsarium Caium; is enim Caius jam solvit cambium ipsi campsori Titio.

2. Quoniam verò dictum secundum cambium parere suum lucrum debet,quod erit, v. g. aliorum quinque aureorum, qui solvendi erunt à Cajo Panormi, ideo Cajus debebit Panormi solvere Titio centum, & decem aureos, idest, centum ex primo capitali, quinque ex lucro primi cambii extincti Placentiæ cum pecunia habita à Procuratore Titii, & quinque ex lucro cambii extinguendi Panormi ab eodem Caio.

3. Suppono ad Iustitiam secundi cambii, Caium, seu ejus Procuratorem non cogi ad dictum secundum cambium, posset enim Caius,seu ejus Procurator extinguere primum cambium pecunia præsenti, sine necessitate sumendi recambium, vel certè posset sumere recambium ab alio, quàm à correspondente Titii.

4. Solet autem occurrere, ut Caius, ne Panormi quidem, promptam eam summam habeat, quam debet Titio, undè rursus toram illam eandem summam, ac, si iterum illam accepisset à Titio ad cambium, se obligat solvere cum suo lucro iterum Placentiæ, vel alibi, ubi rursus fiet, quod modò *n.* 1.diximus, & sic continuantur per multos aliquando annos cambia, & recambia, donec re ipsa, & numerata pecunia totum capitale cum omnibus lucris intercurrentibus solvat Titio Caius;nam propterea Mercatores hoc appellant etiam cambium cum Recursa; recurrit enim, undè incœperat.Et adverte permaximè, totum hoc negotium, præter primam traditionem illorum centum aureorum Caio à Titio numeratò datorum, & præter ultimam hanc solutionem, quam numeratam denique fieri oportebit, tractari, & expediri per solas syngraphas, seu per acceptationes,& dationes crediti, & debiti, quæ in libris dati, & accepti scribantur.

5. Quæret is, qui hanc quæstionem introspicere cupit: Quando Scius extinguit primum cambium Placentiæ, quodnam est prius? Quod Scius, ut correspondens Caii,solvat dicta centum, & quinque sibi ipsi,ut vicem Titii tenenti, an quod idem Scius, ut correspondens ejusdem Titii,det summam illam sibi, ut correspondenti ejusdem Caii ad novum cambium finiendum postea Panormi? Breviter, quodnam est prius, extinctio primi cambii, an institutio secundi?

6. Respondeo, Certè in praxi (ut puto) ne à peritis quidem Mercatoribus id advertitur,ipsi vero in libris ratiocinatorum scribunt rationem datæ acceptis momento.Cæterùm, quid prius, quid posterius bis Theologis relinquunt,considerandum, nam ipsi conscientia satis habent,si intelligant, se multum (quo licitè possunt) solvere primum cambium, & tuere secundum: Theologi autem non pauci, sed valdè implicitè loquuntur, vel certè potius id nunc, quàm declarant. Nos ergo pro nostra vena sic discurramus.

7. Puto, posse utcunque dici, quod sit prius solutio primi cambii,quam institutio secundi,sed expeditius, quòd sit prior institutio secundi cambii,quàm primi cambii solutio: qui certè posterior modus, quam facio ad justificationi cambii,ex *infrà* dicendis clarè colligetur.

8. Prius igitur solvetur cambium primum,quam constituatur secundum,si Scius,correspondens Titii,per aliquas suæ voluntatis,verbo,vel scripto ostensum habeat, quod per acceptilationem pro solutis,illos centum, & quinque aureos debitos à Caio;sic enim jam nihil amplius debebit Caius pro primo cambio,quia jam est illi remissum, potente illud remittere, nempe à Scio,qui tota Titii testate gaudet.Esto deinde,quod Caius,seu Scius nomine Caii, qui talem remissionem acceptavit, velit statim solvere ex gratitudine retrodonare, & instituere secundum cambium ad illam totam pecuniam solvendam Italiæ; tur discurrere Naldus *in summa v. Cambium, n.4.*

9. Contrà. Posteriùs finietur cambium primum, & prius instituetur secundum cambium, si Scius, qui acceptavit creditum Titii,& debitum Caii, nunc, ut correspondens Caii,accipiat centum illos, & quinque aureos, ad recambium Panormi cum suo lucro solvendum, accipiat,inquam, à seipso correspondente Titii, & tunc illis sic acceptis,extinguat cambium primum:nec eo modo antecedit recambium, nam cum hac summa habita per dictum recambium, ipse, ut correspondens Caii, solvit primum cambium sibi ipsi, ut correspondenti Titiis. Hunc modum nos insinuavimus *n.1.* eundemque insinuat Lessius *l.c.n.61.*in iis verbis: *Sufficit, quod Campsarius possit habere Correspondentem, qui illi eat pecuniam det mutuo, vel ad Cambium.* Eundem modum suppon Delug.*de Iust.d.28.n.85.86.87.&n.94. v.* Secundò, eundémque innuere videntur alii Theologi, & mercatores, nam prior modus suas habet difficultates,quas *infra n.11.* breviter affermus.

§. III. *Decernitur,an hoc cambium cum recambio licitum sit.*

1. QVamvis multi,ut Mol.*d.* 409. Sot. Coninck. Delug.*l.c.n.77.* Merend.apud Dian.*p.9.tr.8.* dicant esse illicitū:Multi tamen,ut Nat *Cons.13. n.3.*referens ita sensisse virū quendam Doct.Sorbon. ninsig.*c.7.de cambiis.à n.7.* Sa *v.Cambium.* Dian.*p.4. à ref.1.& p.9.tr.8.ref.67.* Less.*lib.2.c.23.n.61.* Delug.*l.* satis probabiliter (quos ego sequor) licitū esse dicentes explicatione danda mox §.4 Probatur,quia,si Campsarius haberet Placentiæ aliquem amicum, qui illi averet cambium contractum Panormi, esset justum cambium, ut *suprà* vidimus; ergo etiam, si solvat Procurator,seu correspondens ejusdem Caii. Certè,si Caius, Titius ipsi iidem se Placentiam conferrent, possent per se ipsos totum hoc negotium licitè absolvere: enim id negare potest? cùm ergo id, quod per se ipsum quis facere potest, possit per legitimum Procuratorem, poterunt Titius,& Caius in casu nostro,per Scium Procuratorem utriusq;idem efficere;nam,quæ dictum est Procurator Caii,& Titii non vitiat contractum,cùm Procurator Caii,& Titii non vitiat contractum,cùm simè idē possit sustinere vices duorum in contractibus idem possit esse Procurator multorum, nec dum taxat:Sicuti autē,si prædictus Scius esset Procurator tri,& Antonii posset ad mandatum horum, & singulorum, & solvere pecuniam alicui titulo,videlicet ex Cambio teri ex his debitam, & tunc realiter fieret vera solutio quamvis non numeraretur pecunia, sed solum mutuo

ferretur debitum, & creditum in libris dati, & accepti, ut Italicè dicimus: *Passar le partite*: ita in casu nostro, &c.

2. Non igitur solutio est ficta, ut putant adversarii, sed vera, & realis, unde, & cambium erit reale, & non fictum. Nec solutio cum lucro Cambii facti Panormi solvitur in eodem loco, ideſt, Panormi, quod esset usura, sed Placentiæ, ubi finitur primum Cambium, & pari modo recambium factum Placentiæ, non solvitur Placentiæ, ubi institutum est, sed Panormi.

3. Nec obstare, quod in hoc Cambio, cujus natura, ex meliori opinione, assimilatur contractui emptionis, & venditionis, nihil adsit, quod ematur, quia deberet emi pecunia absens, id est, quæ sit, Placentiæ, ut dictum est *supra*, at ibi nulla pecunia est Caii, sed solùm in Codice, & libro rationum transferuntur credita, & debita; non obstat, inquam, nam falsum est, quod non adsit aliquo modo pecunia, ipsæ enim literæ, seu chirographa, seu libri, qui continent credita, tanti, plus minus valent, quanti ipsa pecunia numerata; nam propterea potest dici, ibi adesse pecuniam, sed verò virtualem, seu æqualitatem, & quæ sufficientissima sit, ad veram solutionem faciendam.

4. Nec item obstat, quod Campsarius videatur obligari, sumere pro suo correspondente illum ipsum hominem, qui est correspondens Campsori, non, inquam, obstat propter duas rationes. Primò, quia ad hoc non cogitur campsarius, ut notavimus *supra*, immò addo, sic Campsario fieri Beneficium, dum promptè ipsi offertur à Campsore correspondens in loco, ubi campsarius difficillimè illum inveniret. Ita Lessius *loco citato, numero secundo*.

Secundò, quia, etiamsi cogeretur, illi non fieret injuria; quilibet enim est Dominus, & arbiter suæ rei, & quilibet habet Ius apponendi conditiones, quas vult, dummodo non sit contra naturam contractus, quem celebrat, ut certè hæc non est, & dummodo, si conditio addat aliquod onus, illud compensetur, ut sanè in hoc casu, de quo loquimur compensatur; nam audio, de facto semper aliquid diminui de pretio debito Campsori, scilicet octavam quandam partem, quam partem octavam libenter minuit Campsor, quia suæ utilitati cedit, quod Campsarii se obligent ad sumendum eundem correspondentem, qui est Campsoris.

5. Quæres hac occasione primò, Quanta merces detur his correspondentibus, seu Procuratoribus pro labore, & industria, quam adhibent in cambiendo aliorum nomine, & in scribendo, numerando, mittendo literas, &c.

Respondeo apud Delugo *d. 28. de Iust. n. 72.* ego, in singulis Nundinis solere dari tertiam partem aurei pro singulis centenariis, quam provisionem vocari, *supra* diximus, quod ferè coincidit cum dicto Lessii *l. c. n. 50.* asserentis solere dari binos, vel ternos aureos in singulos millenarios.

6. Quæres secundò. Quænam est utilitas, quæ nascitur Campsori ex eo, quod Campsarius accepter pro suo correspondente eundem, qui est campsoris?

Respondeo. Prima utilitas est, ut suo amico, seu correspondenti accrescant salaria, seu pensiones ex his novis negotiis, quæ ille succepit in gratiam campsariorum.

Secunda utilitas est, quia deinde invicem, quid simile committet fortè correspondens Placentinus huic Mercatori Panormitano, & ita hic Panormitanus lucrabitur suas similes provisiones.

Tertia utilitas est, ut ille correspondens habeat multa credita ex Recambiis, per quæ multis fortè debitis Mercatoris Panormitani satisfacere possit.

Quarta, ne alii, qui campsoris familiares non sunt, cognoscant rationem negotiorum ipsius campsoris, quod permaximè cavent prudentes Mercatores.

Quinta, ne se campsor exponat periculo decoquendi si non totum habeat correspondentem, sicuti totum cognoscit suum.

Pars III.

### §. IV. *Quandoquidem tribus modis Cambium cum Recambio celebrari potest, approbatur primus, & secundus, sed reprobatur tertius.*

1. Assero primò, licitum esse Cambium cum Recambio, si supponas, prædictum Procuratorem Seium habere pecuniam propriam, vel credita propria, vel habere apud se pecuniam Titii Campsoris, vel credita alia exigibilia ejusdem Titii (alia, inquam, præter dictum Creditum ex primo Cambio; nam, quando non adest, nisi hoc creditum, dicetur mox *num. tertio*) de quibus Seius disponere posset (quæ sunt pecuniæ virtuales) & idem Seius det Caio, seu sibi ipsi, ut Correspondenti ejusdem Caii totum illud pecuniæ, quod necessarium est ad extinguendum primum Cambium; det, inquam, vel mutuo, vel ad novum Cambium, seu, quod idem nunc est, ad Recambium Panormi solvendum; quia pecunia actuali, vel virtuali, id est, credito per dictum Recambium, vel Mutuum, habito, solvat Caius, seu extinguat primum Cambium, soluturus Recambium, seu Mutuum, postea Panormi. Assero, inquam, hunc modum cambiendi esse licitum. Ratio est, quia tunc jam habet Caius, seu Seius, ut Caii Correspondens, pecuniam, sive actualem, sive æquivalentem seu virtualem (talia enim, ut sæpè diximus, sunt credita illa exigibilia) qua ipse solvit primum Cambium. Quoniam autem primum cambium modo dicto solutum, justum est, sequitur quod etiam sit justum Recambium, ideſt, cambium secundum, quod solvetur postea Panormi, & etiam sint justa omnia Recambia, quæ modo supradicto sine fraude continuabuntur, quia easdem conditiones prorsus hæc continuata Recambia habent, quas habet primum cambium, ut supponimus.

2. Assero secundò; esse etiam, immò multò magis, licitum, si supponas campsarium, id est, Caium habere amicum nomine, v. g. Antonium, Placentiæ, qui Antonius cùm habeat, unde solvat, literas pro ipso Caio acceptet, & solvat. Ratio est clara, nam qui per amicum solvit, satis dicitur solvere per se ipsum. Atque idem erit, si ad Antonium non scribat Caius, sed scribat Titius campsor dicens, ut sub sua fide Antonius acceptet, solvátque cambium Seio correspondenti ipsius Titii. Ratio est, quia pari modo tunc solvit Caius per alium; id quod est perinde, ac si per seipsum solvat.

3. Hæc duo dicta jam sunt ætate nostra, vel satis certa, vel satis probabilia, (quamvis sciam, nonnullos citatos §. *præced. n.* 1. mordicus priori dicto contradixisse) unde sequitur, ut cambia, & recambia usurpata altero ex his modis dictis *n.* 1. & 2. justè, & licitè apud bonos negotiatores exerceri possint. Ita DD. citati *d.* §. *præced. n.* 1.

Iam verò maxima difficultas est: An sit etiam licitus tertius alius modus; Quando scilicet prædictus Seius correspondens utriusque scilicet Caii, & Titii nihil aliud habeat nisi ipsum creditum Titii contra Casum.

4. Et difficultas consistit in eo: An tunc Caio possit Seius vendere, vel mutuare, vel ad Cambium solvendum Panormi, dare illud creditum, quod certè etiam, & ipsum est pecunia virtualis, sicut cætera alia credita, qua virtuali pecunia habita, vel per emptionem, vel per recambium, vel quocunque simili tandem modo à Caio, idem Caius, seu Seius, ut Caii correspondens solvat primum cambium, illúdque extinguat, sicuti modò *n.* 1. extinguere idem cambium potuit Seius, mutuando, vel dando ipsi Caio ad recambium, credita, quæ erant alia ab hoc credito primi cambii, quod nunc primò solvendum, seu extinguendum est Placentiæ.

5. Et quidem aliqui, quos non nominat Delugo, *d. 28. de Iust. n. 92.* affirmant, licitè posse. Primo, quia etiam illud creditum est pretio æstimabile. Quare sicuti illud posset vendi, mutuari, dari ad cambium aliis, sic poterit Caio, seu ejus Procuratori: quo habito, quasi habita pecunia poterit Caius primum cambium solvere.

6. Secundò quia Seius Procurator Titii, posito, quod in sua potestate est hoc credit. tum, de quo disponere potest, iam habet fidem qua tantundem ab alio Tertio mutuari posset: ergo iam est potens dare Caio pecuniam, quæ non sit ipsummet creditum, quam potentiam satis esse, docet Lessius *lib. 2. cap. 23. n. 60.* ad justificandum hoc cambium.

7. Verùm ipse Delugo *l. c.* cum quo sentio, & Patres Sacræ Congregationis apud eundem, nolunt, id tanquam licitũ admittere. Ratio potissima breviter est, quia, quamvis ejusmodi creditum contra Caium possit aliis vendi vel dari ad cambium; non tamen potest ipsi Caio debitori, seu, quod nunc idem est, prædicto Seio, qui est correspondens dicti Caii debitoris. Id autem probatur facilè, nam ex hac donatione, seu venditione consurgeret in Caio Jus Justitiæ ad se ipsum, quod est impossibile, cùm Justitia essentialiter sit ad alterum. Sequela probatur, quia sic Cajus emeret creditum contra se ipsum; emeret enim Jus exigendi illam pecuniam à se ipso: ergo consurgeret Jus Justitiæ contra se.

8. Quod si dicas, emere ejusmodi creditum, nihil aliud esse, nisi ipsi Caio remitti debitum, sane tunc aliud fortius argumentum sic urgebit: Emere hoc creditum nihil est aliud per te, nisi remitti à Creditore debitum, seu haberi illud pro soluto. Ergo si sic iam est solutum, seu extinctum debitum cambii, nihil posteà poterit solvi, seu extingui, quia jam supponis per hanc remissionem omne debitum esse solutum, & extinctum: non poterit enim solvi, quod jam antea solutum fuit.

9. Confirmatur, quia cambium est essentialiter permutatio pecuniæ cum pecunia; ergo duplex intervenire debet pecunia, sive talis, saltem virtualis, seu in credito, nimirum altera, quam do, altera, quam recipio; sed in casu nostro unum est creditum, atque adeò una pecunia; ergo tunc non permutabitur una pecunia cum alia, ergo non erit cambium, ergo neque hæc remissio erit solutio cambii.

10. Dices: Esto, hæc sit mera remissio, atque adeo non sit solutio vera cambii, satis nobis est, quod jam per dictam remissionem extinguatur primum cambium; hoc autem extincto, accipiet immediatè posteà Caius, seu Sejus ut Caji correspondens, pecuniam ad secundum cambium, seu ad recambium solvendam Panormi, nam volet voluntariè ex gratitudine solvere capitale, & lucra primi cambii, licèt sibi immediatè antea remissa, quæ est doctrina Naldi allata à nobis *supra*, §. 2. *n. 6.*

11. Respondeo, id speculativè aliquo tandem modo defendi posse, non adeo sum hebes, ut non videam: tamen negare non potes, esse difficillimum, & incredibile, ut ejusmodi modus seriò, & non palliatè ad regendam usuram fiat: nunquam enim mihi persuadebis Mercatorem, seu campsorem suo inhiantem lucro, seu Seium prædictum nomine campsoris, ex vero animo remittere totum creditum. Nec item mihi persuadere poteris, inopem campsarium velle retrodonare pecuniam, quæ sibi remissa est, quámque immediatè ante, ut sibi remissam acceptaret, velléque, se constituere debitorem ejus pecuniæ, cujus solutio ipsi condonata iam fuit.

12. Ad rationem contrariæ opinionis allatam *num. 5.* jam patet, quia illud creditum est vendibile alteri, non verò ipsi Caio debitori.

Ad allatam verò *num. 6.* facilè respondetur, nam esto, possit dictus Seius mutuò accipere ab aliis, at de facto non accipit, sed vendit, seu dat Caio illud ipsum creditum, quod habet contra eundem Caium: id, quod jam inane prorsus esse ad effectum, de quo loquimur, probatum est. Lessius ergo dicto *num. 7.* allatus, si admittendus est, debet intelligi sano modo, nimirum quod sufficiat posse pecuniam mutuari, sed cum effectu, ut scilicet re ipsa mutuetur.

13. Verùm, objicies contra hanc doctrinam nostram sic. Multi Doctores vocant probabilem opinionem affirmantem, cum uno illo credito posse exhiberi totum hoc negotium, multò magis, quia hæc sententia dicitur approbata à Pio Quinto pro Bononiensibus, ergo non debet cur illa retineri etiam in praxi possit.

14. Respondeo: Nec Pius Quintus, nec Doctores, qui nominatim citantur pro sententia affirmante loquuntur de nostro casu, seu expressè de casibus, seu modis cambiendi *num. 1. & 2.* allatis, cósque solùm approbant Doctores, quos ego legere potui: Quare nihil contra nostram doctrinam evinci auctoritate illorum potest. Verba aliquorum ex iis in medium proferantur.

15. Et quidem incipiamus à verbis Pii V. quæ, ut ibi licè fuerunt data ad Bononienses, ejusmodi sunt: *Chevero persona possa dar danari à Cambio, e fare, che le lettere siano recapitate sopra essi datori, è così tenerli sin à Cambi che saranno rimborzati da chi haver à preso i danari.* Ita Pius. Qui approbat quidem Cambium, & recambium, sed nihil statuit de modo cambiendi, sive de primo, sive de secundo, sive de tertio paulò antè à nobis infinuato: id enim reliquit Theologis decernendum.

16. Quoad Doctores, sufficiat afferre verba trium, qui magis apparenter alicui videri possent esse contrarios. Primus quasi agmen ducens sit Lessius *lib. 2. cap. 23. num. 61.* Verùm ejus verba sunt hujusmodi: *Si hoc Cambium esset injustum, id ideo esset quia Campsarius non habet pecunias in eo loco. At sufficit, si habeat in credito apud Amicum, qui eas sibi det mutuo, vel ad Cambium, ut recte docet Navarrus*, Hæc ille. Notas? *in Credito*, dicit, qui *Amicum, qui eas det mutuo*, nunquam verò dicit, *in eodem credito.*

17. Secundò, solet citari Marcus Serta, *tom. 2. tr. 7. art. 4.* At ipse sic habet: *Probabile est, licitum esse Cambium quod dirigatur ad locum, ubi Campsarius, nec aliam pecuniam, nec fidem, nec Correspondentem aut Procuratorem habet; sed Campsor exhibet Cãpsario suum Factorem, qui ibi respondeat, & solvat ex pecuniis ipsius met Campsoris, & postea eandem pecuniam per aliud Cambium remittat, &c.*

Vides? Nihil de nostro casu circa illud unum cautum, nam *ex pecuniis ipsius Campsoris*, dicit, qui est primus cambiendi modus allatus, & approbatus à nobis *num. 1.* non verò dicit *ex illo solo credito*, qui est tertius cambiendi modus, à nobis *n. 7.* reprobatus.

18. Tertiò, citant aliqui Dianam *p. 1. tr. 8. res. 1. & p. 3. tr. 8. res. 67.* Sed ejus verba dictæ primæ partis, sic leguntur: *Si Campsor mittat literas ad proprium Factorem, quibus mediantibus, ex pecunia sua, vel aliena Factor ille Cambium ab ipso Factore collatum persolvat, debito ille per alias literas ad eundem rursus remisso, cur non licitus videatur Campsori, ut ex sua propria pecunia illud similiter persolvatur?* Hæc ibi.

Deindè verò *in dicta p. 9. loc. citat.* eandem Doctrinam ita confirmat, ut prorsus nihil aliud addat præter id, quod proponit enim in hunc modum: *An licitum sit Cambium quando Responsor ex pecuniis ipsius Campsoris extinguat primum Cambium, modo, quo dictum est in prima parte?* Et sic respondet; Negativam sententiam probabilem esse existimavi *loc. cit.* & consulendam: affirmativam tamen probabilem esse dixi. Hæc ille. In quibus locis nihil de casu, de quo nos loquimur.

19. Dices, ergo Diana *p. 1. tr. 8. res. 3.* sibi ipsi repugnat, nam alibi docet, Correspondentem campsoris posse esse pauperrimum. Si ergo potest esse pauperrimus, nihil aliud habebit, nisi unum illud creditum campsoris quo scilicet totum hoc negotium expediendum sit.

20. Respondeo, Dianam sibi non esse repugnantem, nam statim addit: *Dũmodo substantialia supradicta Cambii, talis Correspondes efficiat, literásque mittat, & alia ut supra faciat.* At suprà, tanquam necessarium policit, ut Cambia *faciat. Et suprà, tanquam necessarium policit, ut Cambia faciat.* At suprà, tanquam necessarium policit, ut Cambia faciat. At suprà, tanquam necessarium policit, ut Cambia faciat. At suprà, tanquam necessarium policit, ut Cambia faciat.

legit probabile, confundit cum alio, quod ejusmodi forsasse non est. Id timeo, ne occurrat in Tractatu de Cambiis, nam dum legis, multos Auctores citati pro approbantibus cambium ad Nundinas expediendum à Correspondente campsoris, etiam pauperis, putas, citari item pro eo casu, quo nonnisi per illud unum creditum ejusdem campsoris, modo à nobis explicato, & rejecto, expeditur. Prudentiùs igitur Delugo *loco citato*, cùm aliquos Doctores afferat approbantes ejusmodi cambium, signatè notat *num.* 77. illos docere, esse id licitum cum aliquibus moderationibus, inter quas profectò hæc, de qua hactenus disputavimus, præcipuum locum tenere debet, ut scilicet habeatur alia pecunia, sive realiter, sive æquivalenter, præter ipsum unum creditum, quod est contra campsarium.

§. V. *Praxis, quoad eos, qui utuntur operâ alterius, ad expedienda Cambia, & Recambia.*

1. POsita jam nostra sententia, practicè omnino suscipienda, sic, claritatis gratia, quotidianum casum proponamus, & dissolvamus.

2. Vidua, vel quilibet non Mercator dat viro indigenti, verbi gratiâ, Caio, centum aureos ad Cambium, sive Neapoli, sive Placentiæ, sive alibi solvendum: & quia neuter habet ibi Correspondentem, confugiunt ad hominem, verbi gratiâ, nomine Antonium, hîc Panormi existentem, qui habet in illis locis Correspondentem, seu Procuratorem nomine Seium, & rogant, ut ipse Antonius accepter, dirigátque dicti cambii negotium. Annuit Antonius, format literas juxta formulas cambii, & mittit ad suum dictum Correspondentem Seium, idque nomine Viduæ, & Caii prædictorum sic volentium, qui Seius acceptat, solvit, remittitque Recambium. Tunc autem, tum Antonius, tum Seius licitè pro suis laboribus consuetas acquirunt provisiones. Potéstne igitur sine injustitia, vel peccato aditi prædictus Antonius quicunque tandem is sit; & quemcunque habeat Correspondentem?

3. Respondeo, esse bene ex prædictis distinguendum? Si enim Antonius, ejúsque Correspondens sint viri locupletes, vel qui habeant alia contra alios credita, licitè, & justè ad eorum operam confugietur: sed injustè, & illicitè, si sint ita pauperes, ut non habeant alia credita, de quibus disponere possint, nisi illud illius Viduæ. Ratio ex proximè allatis ducenda est, Nam, si habent pecuniam, vel alia credita, potest Correspondens in primo cambio, & Antonius in Recambio, vel Recambiis (quæ subinde solent continuatè fieri) mutuare pecuniam Caio, vel eandem dare ad Cambium eidem Caio. Potest, inquam, & de facto; licèt enim id à Mercatoribus explicitè non advertatur, cùm tamen ipsi habeant intentionem expediendi cambia, meliori modo, quo licitè possunt, tacitè mutuant, vel dant ad cambium, quando pecuniam, vel illa alia credita habentes, transferunt credita; & debita in libros rationum dati, & accepti. Verùm, si dictus Antonius, ejúsque Correspondens, nec pecuniam habent, nec prædicta alia credita, non possunt, nisi illud unicum creditum, quod habent, vendere, vel dare mutuum ipsi debitori Caio vel ejus Procuratori, quod tamen non esse aptum, ad extinguendum primum cambium jam §. *præcedente*, probatum est.

4. Quod si ponas, Antonium pauperem, & omninò ineptum, sed Seium Correspondentem divitem, seu modo dicto idoneum ad solvendum cambium, tunc dico, posse justè, & licitè fieri primum cambium, quod extinguere debebit Seius, qui habet undè, sed non posse justè, & licitè fieri Recambium, quod debebit extinguere Antonius, qui supponitur non habere, undè solvat.

5. Quoniam ergo; in nostris Regionibus, ex illis qui hoc officium continuandi cambia exercent, aliqui sunt locupletes, quales sunt Mercatores satis à nobis cogniti, qui mercaturam exercent, undè, & præsumuntur habere alibi Correspondentes, qui, vel ex se, vel ex ipsorum Mercatorum bonis apti sint; Aliqui verò sint satis Pauperes, qui contrà, præsumuntur, nonnisi sibi similes habere Correspondentes, ideò ego semper consilium dedi, ut probi Negotiatores ad Mercatores illos locupletes confugerent, solitas ipsis dantes provisiones pro tali continuatione, semper enim judicavi, illicitè, atque adeò cum onere restitutionis recurri ad pauperes illos Continuatores, idque propter rationem jam dictam quia sicuti Mercatores illi præsumuntur habere pecuniam aliam, vel alia credita, sic hi pauperes non habere, præsumuntur. Hinc etiam sequitur, ut pauperes hi Continuatores non possint juste accipere provisiones, cùm nullam operam utilem exhibeant, dum ad nullum cambium reale, vel solvendum, vel faciendum concurrunt; Ut interim taceam non semel contigisse, hos Continuatores infimæ notæ, ne literas misisse quidem, sed ad suum arbitrium domi conscripsisse, quas voluêre: qua ratione illud cambium siccum, & usurarium fuisse vel cæcus videt.

6. Atque ex his etiam cognita nobis erit praxis; quam hîc declarandam non multò antè §. 1. *num.* 26. promisi, qua ratione scilicet se gerat Vidua, & quicunque homo non magnæ literaturæ, qui non cognoscunt tot conditiones, quot in cambio justo intercurrere debent. Dico enim prudentes, & sine rationabili scrupulo hos posse dare cambium Mercatoribus locupletibus, nec manifestè malis, qui sub sua cura recipiunt expedire ea, quæ sunt necessaria ad Cambium, & Recambium: & de hoc modo dicam clarius. §. 7.

Dico item, te posse dare ad cambium, cuilibet, confugiendo tamen pro mittendis, remittendisque litteris, non quidem ad illos inopes Continuatores, sed ad prædictos Mercatores, qui hæc negotia cambiorum exercere solent quia sic prudenter præsumere potes; hos, ut expertos non errare, & ut bonos, nolle facere in conditionibus necessariò ponendis, ac denique, ut divites habere, unde cambia prædictis duobus illis modis licitis solvant.

Dices: Delictum nunquam est præsumendum, ergo cur ego debeam præsumere illos, quamvis inopes continuatores delinquere, & injustam praxim solvendi cambia exercere; judicabo bonos, & bona fide ad eos, eorúmque correspondentes confugiam.

7. Resp. Delictum nunquam est præsumendum, ut homine ad aliquam pœnam condemnem. At, ut mox conscientiæ consulam, & ut certò & justo titulo lucrum ex alienis pecuniis accipiam, debeo non sub dubio, sed certò justitiam cognoscere, quæ certitudo hîc, spectata illorum inopia, non adest. Et quidem magni momenti est prædicta ratio; non enim ego possum (ut alibi fusiùs dictum est) mihi sumere rem certò alienam ab alio possessam si dubitem esse meam, quia illi favet possessio: ergo, neque ego possû lucrum ex pecunia, quâ alius certò, ut suam possidet mihi sumere, prætextu cambii, de quo dubito, an sit verum, & justum, atque adeo, an adsit mihi verus titulus sumendi.

8. Respondeo secundò, delictum non esse præsumendum in dubio, & quando non adest evidens conjectura delicti, at nunc videor satis prudenter dubitare, spectata paupertate dictorum continuatorum, ipsos alia credita non habere, de quibus disponere possint.

9. Dico (de quo disponere possint) nam etiamsi habeant credita aliorum, qui pari modo ad ipsos confugiunt, si tamen eorum creditorum ipsi non sunt Domini, nec à Domino liberam habent potestatem de iis disponendi; qua ratione ea credita valent aliis vêdi, vel dari; certè nulliter dabûtur. Quod si ejusmodi correspondentes, quamvis pauperes de prædictis aliorû creditis disponere ex Dominorû volûtate possent (quod in his pauperibus non est præsumendû) jam non essemus in casu, nunc enim jam alia credita haberent, quæ dare possent ad cambium, vel mutare, &c.

10. Denique propter hæc, & similia viri timorati sanum illud consilium dant, ut in contractu Cambii, qui

solet coram Notario celebrari, semper scribatur nominatim persona, quæ efficium agit Correspondentis, & in casu mutationis, ut Campsor obligetur mutationem Campsario notam facere, aliúmque qui supponitur, nominare; nam hoc modo facilè cognoscetur, an is aptus sit, ad prædictas necessarias translationes dati, & accepti, de quibus dictum est, peragendas.

### §. VI. *De pactis, quæ solent apponi in contractu Cambii.*

*Pactum de pœna ex Mora.*

1. PRimum pactum solet esse, ut si Campsarius sit in Mora solvendi Cambium; idque sua culpa, teneatur solvere Campsori interesse lucri cessantis, & damni emergentis juxta legitimas regulas ejusmodi lucri, & damni. Quæres igitur, an licitum sit ejusmodi pactum? Respondeo, esse licitum, ex Less. *l. 2. c. 23. n. 69.* quia Campsor ex culpa aliena damnum pati non debet. Adverte tamen id, quod *suprà, hoc eodem c. 5. §. 1. num. 17.* monui, jam nunc id esse consuetum in praxi, ut Campsor ex conventione cum Campsario suscipiat apud se curam solvendi, & finiendi Cambium, quare, hac conventione posita, nihil ex prædicta Mora debebitur campsori, quia nulla culpa est in campsario.

*Pactum de obligatione ad recambiendum.*

2. Secundum pactum esse solet, ut, si elapso tempore solutionis, campsarius sua culpa non solvit in loco condicto, quod debet, obligetur ad recambiendum, id est, ad accipiendam eandem summam ad Recambium, qua summa solvat primum cambium. Quæres igitur, an id pactum sit justum?

Respondeo, esse justum, si ex ejusmodi Recambio campsor tantum habeat, quantum verè ex Mora solvendi, ipsi cessat de lucro; secùs justum non esset, quia esset onus superadditum. Ita Less. *loc. cit. n. 38.* Recole tamen, iterum, conventionem, quam modò recolui *num. præcedente*, qua scilicet campsor suscipit sibi obligationem ad eundum de Recambio.

*Pactum de continuando Cambio.*

3 Tertium pactum esse solet, ut postquam literæ à Correspondente redeunt, Placentia, v. g. Panormum cum Recambio, si campsarius pecuniam debitam numerato Panormi non solvat; intelligatur iterum fieri tertium Recambium, & sic continuare, &c. Quæres igitur, an hoc pactum sit justum?

Respondeo, justum esse pactum, si fiat de lucro, quantum campsori cessat, vel quantum eidem emergit de damno, quantum nimirum acquisivisset, si alteri dedisset suam pecuniam ad cambium, vel deductis deducendis, alias negotiationes inivisset. Campsor enim non debet suis lucris privari ex culpa campsarii.

Dices: Ergo numquam hæc executio haberi poterit, & recuperari suum à campsore, quia semper campsarius dicet, se bene satisfacere per novum cambium. Respondeo. Nego consequentiam, Nam ut colligis ex dictis § 2. Campsor liberè celebrat novum cambium, quare poterit illud non celebrare, & consequenter Recambium non facere, & sic poterit cogere campsarium ad reddendum numerato capitale, & lucrum inde acquisitum.

*Pactum de solvendo in eodem loco.*

4. Quartum consuevit esse, ut non solvatur cambium in loco, ubi destinatur solutio, sed omnino in eodem loco, ubi datur, v. g. in exemplis *supra* positis, non Placentiæ, sed Panormi. Quæres igitur, an hoc pactum sit justum?

Respondeo, hoc pactum nimis clarè esse iniquum, quia destruit naturam contractus cambii, ut satis dictum est *suprà, c. 4. §. 2. n. 7. & hoc c. 5. §. 1. n. 14.* quod tamen opus in proprio loco hîc, ubi de pactis agimus, fuit notum recolendum.

*Pactum, ut pars soluta intelligatur de lucro.*

5. Quintum pactum, ut non obligetur idem campsor sumere partem pecuniæ, quam campsarius fortè dedit campsori, computando in capitale, sed possit dictus campsor computare in lucra capitalis, seu cambii, donec omnia lucra solvantur. Quæres ergo, an hoc pactum sit justum?

Respondeo affirmativè, quia, quando debentur redditus, & fructus ex radice procedentes, solutio prior debetur facta pro fructibus, *Lege prima, C. de Solutionibus*, unde etiamsi ejusmodi pactum non fieret explicitè, tamen ex praxi communi, jam implicitè fieri semper illud intelligitur, ut notat Delugo *d. 28. de Just. n. 106.*

*Pactum de adjiciendo lucrum Sorti.*

6. Sextum pactum esse solet, ut donec re ipsa, & numerata pecunia solvatur totum capitale, & lucra capitalis secundi cambii, quod campsarius, seu ejus Procurator accipit à campsore, vel ejus Procuratore possit conflare, non solum ex summa, quam campsarius accipit in loco, ubi primum cambium institutum est, sed etiam ex lucro talis cambii, & rursus, ut in tertio cambio idem fiat, idem in quarto, & sic deinceps, uno verbo, ut superadditur lucrum sorti, donec, ut dixi, totum capitale, & lucra omnia numerato solvantur. Quæres igitur, an hoc pactum licitum sit?

7. Respondeo, licitum esse, ut habet Delugo, *l. cit.* tum, quia jam lucrum cedit campsori, qui campsor potest ex eo conflare summam capitalis ad suum libitum, & illa aliis dare ad cambium, quare non est ratio, cur non possit simili modo dare huic Campsario. Illud advertte, id non procedere, si ab initio pactum institutum fuerit, ut solveretur interesse, & lucrum totum in fine totius cambii, tunc enim, cùm nondum ejusmodi lucrum esset acquisitum campsori, non posset ipse illud adjicere sorti, ut per se patet, & idem Delugo notat *loco cit.* & distinctius *n. 113.*

*Pactum de solvendis Provisionibus.*

8. Septimum pactum esse solet, ut campsarius solvat Provisiones. Quæres igitur, an hoc pactum sit justum?

Respondeo: Si pactum fiat, ut campsarius solvat ea, quæ debet ex opera, quam correspondens, vel quilibet alius suscipit pro ipso campsario, æquum est pactum, ut patet. At iniquum erit, si fiat, ut idem campsarius obligetur solvere operam, quam dictus correspondens, vel quilibet alius suscipit pro campsore; hanc enim correspondens exigat ab eodem campsore, cui servit, si alias stipendium non habet, non à campsario. In quatuor autem videtur correspondens suscipere laborem & operam in gratiam campsarii, pro quibus dictus correspondens poterit suas provisiones legitimè taxatas, vel usu ipso approbatas à campsario, accipere: Primò, quando acceptat ejus literas Placentiæ.

Secundò, quando quærit, & invenit pecuniam ibi ad secundum cambium, ut primum solvat.

Tertiò, quando illud solvit. Quartò, quando literas ad campsarium remittit Panormum. Porrò, cujus summæ sint hæ provisiones, diximus *suprà §. 3. num. 5.* & legi potest Lessius, *l. 2. cap. 23. numero 55.* qui pro multorum variorum locorum varia esse ejusmodi pretia eruditè demonstrat.

*Pactum de executione in personam, & bona Campsarii.*

9. Octavum pactum solet fieri, ut si non solvat campsarius id, quod debet, intelligatur, non solum fieri novum cambium, & continuari Recambia, ut modò *num. 3.*

*num.* 3. dictum est, sed etiam, ut possit idem campsor in campsarii personam, ejusque bona legitimè executionem exercere, vel curare, ut in carcerem conjiciatur, &c. Id certè Notarii solent ea clausula notare: *Et currentibus, vel non currentibus Cambiis, posit nihilominus is, qui dedit pecuniam cogere recipientem causando executionem contra ipsum vel eum carcerando, &c.* Quæris ergo, an hoc pactum sit justum?

Respondeo, clarissimè injustum esse pactum. Ratio est, quia, si currunt cambia, & Recambia, iam campsor est per illa satisfactus: per Recambium enim solvitur cambium præcedens, & per Recambium secundum satisfit Recambio primo, & sic de cæteris fortè consequentibus. Qua igitur Justitia campsor iam satisfactus poterit pro soluto debito campsarium compellere?

*Pactum de dando Pignore.*

10. Nonum pactum solet celebrari, ut campsarius det Pignus, vel Fidejussorem, vel utrumque. Quæres ergo, an id sit justum?

Respondeo. Pactum hoc esse licitum, ac justum, memini me dixisse *superius*, quia quilibet suum negotium, exercere, quàm securissimè potest. Ibidem tamen monui, injustum esse, si tunc velit campsor lucrari aliquid titulo periculi, quando enim pignus habet, periculo non subsstat, unde ergo ex hoc capite aliquid poterit exigere? In hoc igitur casu, quando accipit pignus, vel similem certam securitatem, ex aliis titulis lucrum accipere poterit, ut *ibidem* dictum est. Si campsor nolit pignus, sed ipse assecuret, accipiendo in se periculum, ut item, si apud Correspondentem fidejubeat pro campsario, aliquid posse recipere, innuimus etiam *superius*, & videri potest Delugo *d.* 28. *de Iust. à n.* 124.

*Pactum de pretio lucri.*

11. Decimum pactum solet esse, ut detur lucrum cambii ad pretium fori, quod currat tempore solutionis, non verò ad pretium, quod fortè tunc currit, quando datur pecunia. Quæres igitur, an id sit justum?

Respondeo, si res est incerta pro æquali periculo campsarii, & campsoris, dubium scilicet sit, an pretium decrescendum, an crescendum sit, justum esse pactum, quia par periculum; at, si certò sciatur de incremento, vel decremento, vel totum pactum sit in favorem campsoris, injustum esset, quia tunc, vel esset injustitia pro alterutra parte, vel, nimis supra meritum, faveretur campsori.

*Pactum de accipiendo Correspondente.*

12. Undecimum denique est, ut Campsorius obligetur acceptare pro suo Correspondente eundem, qui est Correspondens campsoris, sed de hoc dictum est satis *sup.* §. 2. *n.* 3. & §. 3. *n.* 4.

## §. VII. *De Usu cambiendi per alium.*

1. DUplici id modo consuevit usurpari; Primò, si tu, quicunque sis, sive vidua, sive pupillus, uno verbo non Mercator, des immediatè tuas pecunias ad cambium alicui item non Mercatori, & ex utriusque consensu conveniat is, sive Mercatorem aliquem, sive continuatorem, ut *suprà* vocavimus, cambiorum, qui vobis provideat de Correspondente in loco distanti, in quo solvendum est cambium. Correspondens verò accepter, scribat, omniáque absolvat, & de hoc modo sufficienter diximus §. 5. *n.* 6.

Secundò, si tu quicunque item sis, des Titio Mercatori, seu campsori tuas pecunias, ut ipse, cum tuo moderato lucro, & suis consuetis pensionibus, illas tradat ad cambium fortè petentibus: quare tu nihil agas, sed solùm contribuas pecuniam; ipse autem Mercator tanquam tuus socius, cambia, & recambia instituat, finiátque. De hoc posteriore modo hîc breviter agendum erit.

2. Dico primò. Certum est (sunt verba Delug. *d.* 28. *de Iust. num.* 130.) peccare eos, qui dant pecunias suis Campsoribus, ut lucrentur per cambia, & participent de lucro, si sciant, vel timeant, Campsorem daturum esse ad cambia illicita, & usuraria, secùs, quando credunt non nisi ad cambia licita daturum. Hæc ille. Nota illud (si timeant) utique rationabiliter; id, quod confirmat ea, quæ dicta sunt paulò antè §. 5. de cambientibus per pauperes illos continuatores, &c. Posita autem idoneitate Mercatoris.

3. Dico secundò. Ut faciliùs tuum etiam determinatum lucrum sine scrupulo, & certò habeas, quando per socium, quasi per mediatorem exercere vis cambium, securus erit modus, si cum dicto Mercatore tres contractus (qui possunt sanè fieri, sive in una, sive in pluribus scripturis) ineas: In primò celebres contractum Societatis, in quo tu te obligas tantam pecuniam exponere, ille suam industriam conferre (de hoc contractu Societatis suo loco latè agemus *inferius.*) In secundo, ille se obliget, ad assecurandum tibi capitale. In tertio, ille idem se obliget, ad assecurandum tibi aliquod moderatum lucrum, pro his tamen oneribus in secundo, & tertio contractu impositis Mercatori, dabis ipsi aliquam moderatam mercedem. Ex figuratione casus res fiet clarior. Tu centum, v. g. aureos exponis Societati, Mercator, seu socius promittit, se eos negotiaturum per annum, dando illos ad legitima cambia, & recambia. Suppone autem, quod Iudicio prudentis viri in prædictis recambiis sint acquirendi ex lucro, aurei triginta, rectè ex vi primi contractus, qui est puræ Societatis, ex hoc lucro tibi cedunt quindecim aurei, quindecim verò cedent Mercatori socio. At verò pro secundo, & tertio contractu, per quos Mercator tibi assecurat dictum capitale centum aureorum, & aliquod determinatum lucrum: debebit idem Mercator aliquid habere pro hac assecuratione, quam pro te suscipit. Habeat ergo aureos quinque, quos retinebit sibi ex lucro quindecim aureorum, qui tibi cedere debebant vi primi contractus Societatis, nam hinc fiet, ut tu denique habeas securum tuum capitale, & aureos decem de lucro; ille verò habeat aureos viginti.

4. Hunc modum negotiandi esse licitum, ex eo patet quod singuli illi contractus, seorsim celebrati liciti sunt, ergo, etiam, & unitim, quia unio non mutat, unde, nec vitiat naturam contractus, ut fusiùs probabitur *in citato Tractatu de contractu Societatis.*

5. Quod autem etiam hîc possit accipi in majorem tuam securitatem pignus, probat eadem ratio, quam *suprà §. 6. num.* 10 diximus, & in hoc casu, de quo hîc loquimur signatè, concedit Delugo *disp.* 30. *de Iust. num.* 51.

6. Præterea, quantum sit hoc lucrum, quod tibi tandem cedere debeat, melius Mercatores sine fraude negotiantes decernere debent omnibus circumstantiis expensis, quàm possimus nos Theologi. Et meritò quidem Molina 307. allatus à Delugo *d.* 28. *de Iust. n.* 5. notavit, in his negotiis stari debere praxi Mercatorum, quia melius ipsi noverunt Iustitiam pretii in Cambio, quàm Theologi. Maximè autem ad id decernendum, valet, si utrique Socio commodum sit in tali negotiatione tale prætium. Nam illa est æstimatio recta (ait in simili Valentia *t.* 3. *d.* 5. *q.* 25. *p.* 2. *v. Qui autem*) quæ est prudens, & ea est prudens, quæ utrique parti commoda est. Intellige, in negotiatione dicta ex se justa.

Denique quatuor consideranda hîc esse, præter Regulas generales, ad determinandum ab ipsis Mercatoribus dictum lucrum ex cambio, rectè admonent Theologi.

7. Primò, ut assecuratio capitalis non debeat magni, sed moderatè æstimari. Ratio est, quia Mercator

non solet dare illas pecunias à te cambio expositas, nisi personis securis, Sed, quia adest nihil hominus aliquod periculum, quod illæ eædem personæ, vel sint infideles, vel decoquant, ideo aliqua mercede dignus omnino erit.

8. Secundò, lucrum, quod speratur futurum, ex tali pecunia, non sumatur summum, nec infimum, sed medium; cùm non sit major ratio, quod futurum sit summum, vel infimum, unde æquitas dictat, ut sumatur medium. Et profectò ab experto, & probo viro non aliud, quàm medium decerni solet. Vide, quæ dicam mox *num.* 13. & 14.

9. Tertiò, debet perpendi etiam labor, & industria Correspondentium, quibus debetur sua provisio, ut omnibus prudenter consideratis, quantum lucri ex exposita pecunia supersit, mensuretur.

10. Quartò, quia hæc conventio per dictos tres contractus, quæ certè fieri non potest, non solùm cum Mercatore ad exercenda cambia, de quibus hic agimus, sed etiam cum quocunque negotiorum gestore, vel artifice, vel professore cujuscunque officii, de quibus agemus suo loco *in citato tractatu de Societate*, ideo universaliter docent Theologi, quantum debeat esse ejusmodi lucrum, colligi debere ex natura negotiationis, ex gravioribus periculis, quæ timeri possunt, ex majoribus vel minoribus expensis, & breviter ex variis variorum negotiorum circumstantiis, plus enim lucratur quis, si det operam emendo, vendendóque frumento, quàm vino, quàm pannis, quàm lignis, &c. plura pericula, si extra Regnum, quàm in Regno agatur negotium, majores expensæ, si conducendæ sint naves pro longiore navigatione ad transportandas merces, quàm pro breviore, &c. nam propterea rectè Bonacina, *d. 3. de contr. quæst. 3. p. 11. n. 3. & 6.* cùm supposuisset, posse licitè exposci pro lucro quinque pro centum, addidit *num. 6.* In conventione trium contractuum posse plus exigi, quò negotiatio majorem fructum affert. Scortia autem *in Constit. Pontif. Theor. 290.* supponit tum in cambiis, tum in aliis negotiis posse, per hos tres contractus, pro singulis centenariis capitalis, acquiri sex ob lucrum, sed cartè id loco exempli dixit; nam cæterùm, si negotiatio ejus est conditionis, ut plus lucri pariat, cur plus lucri acquiri non possit, quod si ejus est conditionis, ut pariat minus lucri, qua tu fronte plus lucri contradere, non dubitas?

11. Ex his igitur universaliter dictis collige, idem esse considerandum in casu nostro. Siquidem Cambii lucra pro locis distantibus, vel propinquis, pro Civitatibus, ubi adest pecuniæ copia, vel inopia, pro variis aliis circumstantiis majoris, vel minoris pretii pecuniæ. Cambii, inquam, lucra majora esse possunt, vel minora, & juxta has circumstantias, demptisque iis, quæ demi pro Provisionibus solent, sunt mensuranda, sive ad quinque, vel ad decem pro centum, sive ad minus, vel majus, &c. & ita observant ad unguem probi Negotiatores; nam in Nundinis supradictis taxari solent Cambiorum pretia consideratis prædictis omnibus circumstantiis, unde videmus, non semper idem constans esse lucrum, ut, vel mediocriter experti in hac negotiatione probè callent.

### *Praxis trium contractuum in Cambiis.*

12. His itaque quasi theoricè explicatis, ad praxim horum trium contractuum exhibendam in Cambiis, maximè faciet, si formulam hîc legas, quâ solent Negotiatores Genuenses illos usurpare; eam autem ponit ad verbum idem Scortia *l. c.*

Contractus hujusmodi (inquit) est frequentissimus, & admittitur, ut justus, à Confessariis, tam in cambiis, quàm in aliis negotiationibus, sub hac, vel simili forma:

*Io Titio in virtù di questa dico, haver ricevuto in Cartolario 25. di argento da voi Sempronio scudi dieci mila, quali prometto, e mi obligo negotiar sopra cambii real idelle fiere di Piacenza, ò di quei lochi, dove per la maggior vostra sarà stimato, e farvanno dette fiere, per Milano, &c. ad utile vostro sotto mio nome, rischio, pericolo, e spese, per un anno continuato in pagamenti di Agosto di questo anno, e da farsi in pagamenti d'Agosto del seguenti 1621. Aggiungendo, che quel tempo, che mi mette, è mi obligo, restituire detti dieci mila scudi con tutti il guadagni, è beneficii, che sopra essi saranno stati. Il qual pagamento però si farà in quella qualità di moneta, che sarà corrente, ò d'oro, che all'hora si pagheranno li cambii di dette fiere: obligando per ciò mia persona, è beni stabili, &c. Dichiarando che per il sudetto tempo, e quello di più, che restassero detti denari appresso di me; habbi da pagare a voi Sempronio, per conto di detti guadagni, & utili, a ragione solamente di sei per cento, v.g. l'anno, essendo così convenuti, è che tutto quello, che potesse essere di più delli sei per cento, netti di ogni spesa spetti a me per la fatica promessa, che faccio de negotiarli, ò fare negotiare sopra cambii a detto mio rischio, pericolo, è spese. E quando non fossero meno delli detti sei per cento l'anno, senza alcuna spesa alcuna, ragionando li cambii, come saranno li cambi, cioè à Milano per fiera, & in fiera per Milano, sia tenuto non havere io da pagare, se non quel tanto havessero disposto, è risponderò, che così habbiamo accordato, e per fede ho firmato di mia mano, &c.*

13. Hæc Scortia. In hac autem ultima clausula, in qua decernitur, si lucrum non ascendat ad sex pro centum, sed sit minus, minus esse solvendum, ponitur, observatur in hac formula, ad majorem securitatem conscientiæ; nam cæterùm, si sincerè, omnibus expensis, æquale dubium, ut lucrum futurum sit majus, vel minus, prudenterque sine fuco, & fallacia antea determinandum quid certum; v. g. dicta sex, semper poterunt sic accipi, ut paulò *supra n. 9. 1. num. 19.* innuimus, & in simili docui *l. 8. dec. tr. 3. §. 7. n. 9.*

14. Apud nostrates negotiatores solet hoc lucrum Cambii, non quidem in ipso, quo celebratur Cambium, sed postea, quando fluitur, decerni, nam tunc certò scitur ex continua relatione, quam solent habere Mercatores, quanti valuit lucrum in loco solutionis Cambii, & secundùm illud, demptis demerendis, statuitur, quantum remaneat pro eo, qui initio pecuniam solvit. Illud aliqui ex iisdem, qui pecuniam exponit, ad majorem conscientiæ quietem, addunt, *modò lucrum non excedat ad rationem decem pro centum.* Si enim excedat, hi timorati expositores nolunt illum excessum agere, sed relinquunt in utilitatem prædicti Socii, seu Mercatoris.

Hactenus de cambiis, nunc elanguentibus, ex estivo calore, viribus, nonnihil quietis defesso calamo concedamus?

# TRACTATVS IV.
## DE
# LOCATIONE
## ET CONDVCTIONE.

QVEMADMODVM unus, idémque est contractus Emptionis, & Venditionis, differunque solùm per diversam relationem; tu enim dicoris vendere, verbi gratiâ, equum Petro, Petrus autem emere; ita idem est contractus Locationis, & Conductionis, ut habet Laym. *l. 3. tract. 4. cap. 22. num. 1.* licèt tu dicatis locare tuam domum, v. g. Petro, unde, vocetis Locator, Petrus autem appelletur Conductor, & à te dicatur domum conducere.

2. Hic ergo *est Contractus, quo Locator rem, vel personam aliquam, etiam se ipsam, concedit Conductori ad usum, vel fructum sub certa, justáque pensione, seu stipendio*

*nullo addito injuste pacto, idque pro duratione temporis designati.* Multa complectitur hæc descriptio, cujus si omnia verba separatim explicentur, absoluta erit hæc de Locatione tractatio.

## CAPVT I.

### Explicans illud descriptionis,

### *Contractus, quo Locator Conductori, &c.*

1. QVandoquidem Contractus est, saltem duorum, ultro, citróque se obligantium, consequenter fit, ut Locator Conductori, & hic illi obligetur in aliquo. Prius igitur de obligationibus Locatoris, tum de obligationibus Conductoris hîc agendum breviter erit.

### §. I. *Obligationes Locatoris.*

1. TRes Locator obligationes contrahit. Primò, tradendi rem, quam locat minimè vitiatam. Secundò, faciendi aliquas expensas rei locatæ. Tertiò, solvendi melioramenta, quæ ipse imposuit facienda.

*Locator ne det rem vitiatam.*

Intellige, quæ non sit vitiata in ordine ad usum locandi, ne, v.g. vas locatum ad continendum liquorem sit pertusum, ne equus ad iter agendum sit claudus. Intellige iterum, (non monito Conductore) nam, si hic monitus rem ita vitiatam sub debita justa mercede velit, nullam recipiet, quoad hoc, injuriam. Ratio autem datæ doctrinæ est manifesta, quia sicuti inter vendentem, & ementem, ita inter Locantem, & Conducentem intervenit implicitum pactum, ut quemadmodum Conductor solvit pretium sine defectu, ita locans rem det sine vitiò. Quare si das, v.g. vas pertusum pro sano, omnia damna conductori resarcire debes. Ita Nav. Mol. Filliuc. Sylv. apud Bonac. *d. 3. de contract. q. 7. p. 2. n. 3.* quia sic damni periculum totum in te suscepisse, præsumendus es.

2. Quid, si inculpabiliter Locator vitium ignoret, vel non avertat?

Respondeo, Vel loquimur in foro conscientiæ, vel in foro externo. In foro conscientiæ, nulla erit culpa Locatoris, nec obligatio restitutionis damnorum, ut patet ex Regulis Generalibus *alibi* traditis. Duo tamen debes omnino præstare. Primò, ut quando rem advertis, Conductorem admoneas; ne longius procedat damnum. Secundò, debes à pensione solvenda aliquid demere, juxta quod minùs est res utilis Conductori.

3. In foro autem externo ex circumstantiis colligendum, quid præsumi debeat de te, an scilicet ex culpa, an verò inculpatè rem vitiosam locaveris. Sic à Iure *l. Sed adde, §. 1. ff. locati*, non excusatur, qui vas pertusum locat, quia non præsumitur ejus Dominus illum defectum non cognovisse. Contrà, excusatur à Doctoribus is, qui agrum locat, in quo fortè herba inventa est, quæ boves veneno infecit, quia id sciviſſe Dominus agri non præsumitur.

4. Huc pertinet, ne Locator det rem tributis, & oneribus subjectam, ac si talis non esset; tributa enim, & omnia onera solvi debent à Domino, cujus est res (præscindendo ab aliquo justo pacto) qui enim sentit commodum integræ pensionis, par est, ut sentiat onus. Lege Rebell. *2. p. l. 14. q. 9 n. 11.* Azor. *3. p. l. 8. c. 8.* Caroc. *4. part. §. ad legem finalem, ff. de Iure Fisci*, alios citantem.

5. Respondeo Primò, si neutri data est possessio, multò magis, si possessio est apud eundem primum. At si possessio sit penes secundum, puto probabilius, hunc secundum esse præferendum, sicuti in pari casu, secundus, cui tradita est rei possessio, præfertur in venditione. Et ratio ulterior est, quia possessio ea, seu ea detentio, quam habet secundus, dat ipsi Ius, ne spolietur. Ita contra aliquos, qui contendunt, esse primum præferendum, docet Azor. *loco citato, quæst. 5.* inducens quasdam decisiones Rotæ ad nostram hanc majorem probabilitatem confirmandam.

6. Huc denique pertinet, ne Locator locet rem, de qua disponere non potest; tunc enim traderet rem, quasi substantialiter vitiatam, ut ex se patet.

7. Quid, si res sit æquè communis pluribus, & unus velit rem communem alteri locare, alter verò nolit?

8. Respondeo. Assero primò, valere locationem, si socius sine justa causa dissentiat; socio tamen debetur pars pensionis, quamvis res locetur, absque ipsius consensu, quia adhuc illa pars est fructus rei suæ.

9. Assero rursus, si alter ex dictis sociis habet notabiliter majus Ius, huic, utpote principali competere Ius locandi.

10. Assero tertiò, eum, qui vult locare rem personæ honestæ, præferri ei socio, qui vult locare inhonestæ, nisi hæc plus offerat.

11. Assero quartò, quando socii sunt æqualis Iuris, & propter aliquam causam dissentiunt, vel per sortes, vel per Iudicem contentionem dissolvendam fore. Lege Bonacinam *d. 3. de contr. q. 7. p. 1. n. 7.* alios citantem.

*An locator teneatur ad expensas rei locatæ.*

12. Non est sermo, quando sive tacitè, sive expressè præcessit aliquod justum pactum, vel quando consuetudo justa, & legitima Regionis est, ut Locator, non solvat expensas, sed loquimur, nullo præcedente pacto, vel consuetudine.

13. Et quidem aliæ ex his expensis sunt necessariæ, aliæ, licèt non necessariæ, sunt tamen utiles, ut si illæ factæ fuissent ad plantandam vineam in agro, &c. aliæ, nec utiles, nec necessariæ, sed solùm facientes ad ornatum, quas voluptuarias *lib. 8. in Decalog. tractatu 3. cap. 3. §. 5. num. 13.* appellavimus, ut sunt fontes, statuæ, &c.

*De expensis necessariis.*

14. Primò ergo, si de necessariis loquamur, est distinguendum: Vel sunt necessariæ ad colligendum, v.g. fructus ex agro, ut est arare, fodere, metere, & has facere, pertinere ad conductorem, non est dubium: vel sunt necessariæ ad usum, hoc est, ut conductor possit uti re conducta, quale est reficere tectum domus locatæ, vel reparare murum minantem ruinam; quale est etiam, agro necessarias fossas, & aggeres facere, ne officiant flumina; quale etiam est calceos ferreos apponere equis, ad iter agendum; quale denique est med camenta adhibere eidem equo infirmo, ne sit ineptus ad ambulandum, &c. & has expensas facere, seu quod expensum est, pro illis solvere, pertinet ad Locatorem, quia is debet tradere Conductori rem aptam communi usui, unde, & eam non aptam, aptam reddere. Quòd si eas compensare renuat Locator, potest Conductor sibi, ut vult Delugo *d. 29. de Iust. n. 67.* Molin. *d. 496. num. 3.* occultè compensare, vel sibi retinere rem locatam, donec ejus usu recompensetur expensæ in ea factæ, quia præscindendo à pacto, vel consuetudine, id probat eadem ratio modò dicta. Non ergo assentior Antonio Gomez *2. tom. variar ca. 3.* putanti, has de quibus loquimur, expensas si modicæ sunt, pertinere ad Conductorem, non, inquam, assentior, quia, si illud pactum, vel consuetudo non interfuit, eadem ratio, quæ probat de expensis notabilibus, probat de modicis.

*De expensis non necessariis, &c.*

15. Secundò, si loquamur de expensis non necessariis, sed tamen, quæ non reddant rem locatam meliorem, & utiliorem, sed solùm faciant ad ornatum, vel ad meram commoditatem Conductoris, quas vocamus voluptua

voluptuarias, ad solvendas non obligari puto Locatorem, quia non adest ad has consensus ipsius Locatoris; sibi igitur imputet Conductor, si tales fecit expensas. Excipere autem semper debemus, nisi Locator expresse, vel tacitè illas approbaverit, ut ex se patet.

16. Tertiò denique, si loquamur de expensis, quamvis non necessariis, iis tamen, quæ reddant rem utiliorem, ut si Locator plantaverit vineam in agro conducto, &c. pari modo non esse solvendas docent Mol. *loc. cit. num.* 5. Delug. *loc. cit. num.* 68. idque propter eandem rationem, & ad quasdam leges, quæ huic dicto contrariæ videntur. Respondent iidem, eas loqui, quando adest tacitus, vel expressus consensus Locatoris, & quidem Locator tacitè videtur consentire in expensis non multùm gravibus, quia æquitas id requirit; præsertim, quando rem locatam meliorem per illas expensas reddidit conductor.

17. Ego *dicto lib.* 8. *Dec.* attuli eundem Delug. *d.* 17. *de Iust. num.* 53. ubi dicit, Possessorem bonæ fidei (qualis certe est Locator) imò & malæ fidei posse exigere à Domino rei expensas, & Dominum obligari eas compensare, si meliorementa sint necessaria, vel utilia, non verò, si voluptuaria. Ne ergo hoc, (vel uti ita) & illud, quod *numero præcedente* diximus ex eodem Delugo, sit sibi repugnans, intelligе in priore loco ipsum Delugo loqui absolutè; in posteriore hoc loqui, Domino consentiente tacite, vel expressè, nam, quia tacitè Dominus consentire præsumitur, quoties meliorementa rem utilem reddunt ipsi Locatori, idcò tunc Locator solvere debebit expensas in utilibus meliorementis factas. Ita puto, hæc duo Delugo, imò, & Molinæ, ab eodem citati, dicta posse conciliari.

18. Addit item idem Delugo duo. Primò, posse Conductorem ea meliorementa, de quibus nunc loquimur, sibi sumere, si sine detrimento rei conductæ separari, vel extrahi possunt.

Secundò, id non posse fieri ab Emphyteuta, quia Emphyteusis ex sua prima institutione ordinata est ad meliorandum prædium: quare ad illa semper adest consensus Domini illud concedentis: atque adeo ea meliorementa sibi appropriare justè Dominus, soluto pretio poterit, ut dicam *cum de Emphyteusi.*

Denique lege *præcitatum locum libri octavi in Decalogum*, nam *lib.* 8. *in Decalog. tract.* 3. *c.* 3. §. 5. nonnulla invenies scitu necessaria de ejusmodi meliorementis.

*Locator tenetur ad expensas pro meliorementis, ad quæ se fortè obligavit.*

19. Hactenus dictum est de meliorementis, quæ ex se facit conductor: nunc de iisdem dicendum est, quæ facienda imponit Conductori Locator. In quo casu tria sunt explicanda, unum certum, duo controversa.

20. Certum est, si Locator imposuit, ut fierent dicta meliorementa non necessaria, sive utilia, sive non, idque expressè suis expensis, certum est, inquam, deberi à Locatore dictas expensas: quod sanè probatione non indiget, quia sic Locator jam consensit, immò promisit, expensas refarcire.

21. Controversum autem est primò, An, si Locator imposuit, ut fierent prædicta meliorementa, sed non explicatum fuit, cujus expensis, an, inquam, ad Locatorem pertineat, an ad Conductorem hujusmodi expensarum solutio?

22. Respondeo, Molina *disp.* 496. ait, pertinere ad Locatorem. Verùm Delugo *lib.* 29. *de Iustit. num.* 69. melius ait, pertinere ad Conductorem, & meritò, quia, dum Locator proponit, & conductor se obligat ad ea meliorementa, se etiam obligat ad ea, quæ sunt necessaria ad talia meliorementa facienda, & consequenter ad expensas; qui enim se obligat ad finem, etiam se obligat ad media necessaria: Sicuti, si te obligas ad solvendam pensionem in loco à te distanti, te etiam obligas ad expensas asportationis pecuniæ ad illum locum. Semper intellige, si conductor sustineat hoc onus, quod aliunde, sive ab ipsa utilitate fortè erunda à talibus meliorementis, sive ex alio capite non compensetur. Si enim aliunde non compensetur, debere id aliquo alio modo à re Locatore compensari, ipsa naturalis æquitas dictat.

Ad ejusmodi expensas, de quibus hactenus, fiunt etiam illæ, quæ mox dicentur §. *seq. à n.* 4.

*Sublocator, an aliquando teneatur ad expensas prædictas?*

23. Controversum est secundò: Quid fiet, quando præter Locatorem adest Sublocator? Verùm, id ne figurationem casus intelliges expeditius: Petrus Dominus fundi illum locat pro quinque annis Caio, Caius sublocat illum Titio, qui Titius ob spem, quam habet retinendi fundum quinque annis, pro eodem tempore, illum valde meliorat, plantando vineam, inserendo arbores, &c. Idque expendendo de suo. Accidit autem, ut primo anno moriatur Caius Sublocator, unde resolvitur Locatio, & fundus redeat ad ipsum Petrum, impenso, horum meliorementorum, sanè utilium, expensis repetémne Titius à Caii hæredibus, an à Petro, an eas amittet? Idem dubium est, si Paulus esset Usufructuarius dicti fundi per dictos quinque annos, & illum locaret Titio, &c.

24. Respondeo, hujus quæstionis resolutionem dependere ex dictis *à num.* 13. Nam primò, eas expensas valebit petere Titius, quas *ibidem* diximus esse necessarias ad usum, nimirum ad hoc, ut ipse Titius Subconductor uti re subconducta possit. Secundò, alias petere non valebit, sed amittet, præter illas, ad quas tacitè, vel expressè Petrus consensit. Tertiò, illas, quas petere potest, necessarium erit ab hæredibus Caii petere. Ratio primi, & secundi dicti est, quia Caius totum suum Ius per sublocationem transtulit in Titium. Quare Titius hoc Iure instructus poterit illas expensas dumtaxat petere, quas Caius potuisset à Petro. Cum ergo Caius potuerit solùm petere expensas, quibus expressè, vel tacitè consensit, & quibus res fierent apta ad usum, ut modò diximus, has solùm justè Titius poterit, & non alias exigere. Ratio tertii dicti est, quia illum Titium à Caio subconduxit Prædium, sed Caii potiùs nam nunc repræsentant hæredes, ergo ab his petere poterit, non ab aliis: esto, iidem hæredes deinde possint à Petro Domino easdem repetere. Ita intelligo responsionem, quam Delugo *l. c. num.* 70 *fine*, circa hanc quæstionem videtur afferre.

25. Propter eandem rationem certum est, Subconductorem immediatè debere Sublocatori pensionem solvere, non verò primo Locatori, quamvis Domino; cum Sublocatore enim ipse contractum iniit. Primo autem Locatori solvere tenebitur ipse primus conductor. Notant tamen Doctores, ut Mol. Vasq. Less. aliique apud Bonac. *de contract. d.* 3. *quæst.* 7. *p.* 1. *num.* 5. bona Subconductoris, si fortè inveniantur in domo subconductæ, remanere hypothecata ipsi primo Domino; non enim id negandum, primum Locatorem habere Ius, si non immediatè, certè mediatè contra Subconductorem.

*Ex occasione innuitur, quis non possit locare?*

26. Ex dictis habes, eum non posse aliquid alicui locare, qui non potest prædictas observare conditiones, id, quod cùm facilè sit, pete, si velis, à Doctoribus citatis, multò magis, quia ex dictis à nobis alibi de his, qui contractus inire possunt, facilè hoc ipsum decernere, non erit difficile.

## §. II. *Obligationes Conductoris.*

AD tria item obligatur conductor. Primò, ad solutionem pensionis. Secundò, ad aliquas expen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sas. Tertio, ad reddendam, finito tempore Locationis, ipsam rem integram, sicuti accepit. De singulis sigillatim.

*Ex occasione innuitur, quis conducere possit?*

2. Eum, qui hæc tria servare non potest, vel à lege prohibetur (ut prohibentur Milites, agros conducere) conducere non posse, & eum, qui eadem potest servare, conducere posse, sic facile scitu est, sicuti modò dixi de Locatore. Quare à citatis, & citandis ea pete, si placet. Vide etiam *infrà*. Nos, ut promisimus, prædictas tres conductoris obligationes separatim explicemus.

*Conductor obligatur ad solvendam pensionem.*

3. Hæc obligatio luce clarior est; ideò enim conductor fruitur re locata, ut pensionem conventam, & certè justam (sicuti supponimus) solvat. Quanta autem hæc pensio esse debeat, & nonnulla alia, quæ huc pertinere possent, *infrà* tradam *cap.* 4.

*Conductor obligatur ad aliquas expensas.*

4. Ad illas conductor expensas obligatur, quas modo §. *præced.* dixi, esse necessarias pro colligendis fructibus. Lege Layman. *lib.* 3. *tractat.* 4. *cap.* 22. *num.* 4. *& communiter.* Quid de illis, quæ fortè sunt necessariæ ad rem, quam quis conduxit; conservandam? (non dico meliorandam, de hoc enim jam dixi dicto §. *præced.*) Conduxit domum, v. g. sed ecce imminet incendium. Conduxisti agrum, sed ecce ab inopinata alluvione est reparandus, &c. ex quibusnam expensis hæc præstanda, si illa pericula in re conducta accidant sine tua culpa? Nam, si cum culpa tua, non est dubium à te esse præstanda.

5. Respondeo, Delugo *loco citato* universaliter docet, secluso pacto, vel consuetudine, ex natura hujus contractus conductorem non teneri ad expensas illas, quæ fiunt ad perpetuam utilitatem rei locatæ, vel pro longiore tempore conductionis. Ex quibus verbis colligere quis posset, incendium illud domus, & alluvionem illam agri, esse Locatoris expensis avertenda; quia faciunt ad utilitatem perpetuam rei conductæ. Sed puto, illum non loqui universaliter, sed dumtaxat de expensis faciendis in re ita reparanda, ut reddatur perpetuò melior, ut si murus novus in domo sit ædificandus, &c. At nos hîc loquimur solùm de avertendis malis, quibus res conducta periret.

6. Dico igitur, mihi videri esse distinguendum, nam, vel magnis expensis hæc mala sunt avertenda, vel modicis, & ordinariis. Si hoc posterius, debet fieri expensis conductoris. Ratio est, quia, qui rem conducit, obligat se ad illam ordinariis modis, & consuetis, atque adeo ordinariis expensis custodiendam, & ni custodiat, erit in culpa, & consequenter incidet in onus resarciendi totum damnum, quod consequetur: posito enim quòd ipse conductor rem aptam habeat à Locatore, debet idem conductor providere, ne inepta reddatur. Maximè igitur id est notandum; ad mala enim avertenda modicis, & ordinariis expensis, obligaris tu conductor, quia obligaris rem custodire: At ad aptitudinem dandam rei conductæ obligatur Locator, ut docuimus *suprà*, §. *præced. num.* 14.

7. Confirmatur hæc ex Textu. Item (ait Imperator) prospicere debet conductor, ne aliquid rei Ius, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur.

8. Si autem contingat illud prius, ut scilicet magnis, & extraordinariis expensis ea mala, casu, vel certè sine culpa conductoris occurrentia, sint avertenda, puto (salvo meliori judicio) esse id præstandum expensis Locatoris, qui est rei Dominus. Ratio est, quia, præciso alio pacto in contrarium, ad hæc extraordinaria non se obligavit conductor, ne tacitè quidem, quia nemo in hujusmodi contractibus intelligitur obligari, nisi ad consueta, & ordinaria. Confirmatur, quia mox dicemus, si casu conducta res perit, Locatori qui est Dominus, perire: ergo, si sit expendendum, ne pereat, Dominus expendere debet, præciso, ut dixi, pacto in contrarium. Cùm ergo adsit solum pactum in contractu ipso implicitè imbibitum de exiguis expensis, ut modò vidimus, non verò de magnis, de quibus hîc loquimur, ideo illas solùm debebit conductor, non has.

9. Quando autem conductor avertit malum magnis expensis suis (quod facere certè debebit, si potest, etiam mutuando sibi pecunias, quia ad hoc etiam, quando sine magno incommodo potest, urget illum obligatio custodiendi) debebit eas Locator reddere conductori, & eo nolente, poterit conductor sibi occultè compensare, vel retinere tantumdem de pensione, vel etiam, si meliorem modum recuperandi suum non habet, poterit retinere rem locatam, donec ipsi satisfiat ex fructibus, inde percipiendis. Ratio est quia tunc, conductor utilem rem gerit pro Domino, quamvis ad illam ex vi contractus non obligetur. Quare Iustitia postulat, ut sit à Domino resarciendus.

*Conductor obligatur reddere eandem rem conductam integram.*

10. Id certè maximè est de essentia hujus contractus; cùm enim res conducta remaneat in dominio Locatoris, & conductor solum usum illius habuerit, ratio clarè dictat, eam totam, integramque esse reddendam.

Hinc obiter collige, usu consumptibilia, v. g. frumentum, vinum, pecuniam nequaquam locari posse (nisi fortè ad pompam, ut, si locares pecuniam auream ad ostensionem, vel ornatum) quia non potes dare alteri ejus usum absolutum, salva re, cùm usus ipse rem consumat.

*Quid debeat Conductor si res conducta deterior fiat.*

11. Sed quid erit, si res ex aliquo accidenti pereat, vel diminuatur? Id certè hîc maximè expendunt Doctores. Loquamur prius, si id eveniat ex culpa conductoris nostri sine culpa.

12. Et quidem, si culpa, vel pueri sciunt, debere à conductore totum valorem resarciri. Quod autem, & qualis debeat esse ejusmodi culpa ad tantum onus conductori imponendum, dicemus cùm de contractu Societatis erit agendum, illud denique resolvemus; tunc committi præd ctam culpam cum onere restitutionis in foro conscientiæ, quando quis non adhibet eam diligentiam in servanda re conducta, quam adhiberet in re simili sua custodienda.

13. Verùm, ut hîc in proprio loco id illustremus, breviter recolendum est. Primò, ex legibus dictum, *lib.* 8. *in decal. tract.* 3. *cap.* 2. §. 4. à nobis esse, juridicam culpam esse triplicem, latam, levem, levissimam. Lata est omissio diligentiæ, quam solent in simili adhibere prudentes, diligentésque: levis, quam solent diligentiores: levissima quam diligentissimi.

14. Secundò, recolendum est, quod *ibid. cap.* 5. §. 1. diximus nempe eum, qui rem accipit in suam solam commoditatem, ut est in commodato teneri ex culpa levissima: qui verò in utilitatem solam deponentis, ut in depósito gratis accepto, teneri ex dolo, vel lata culpa, non vero ex levi, vel levissima: qui denique in utilitatem utriusque, nempe tum dantis, tum recipientis, ut in locato ubi alter solvit pensionem Locationis, alter utitur re locata teneri ex dolo, vel culpa lata, vel levi, non verò ex levissima. Atque hæc præscindendo ab alio pacto, quod intervenire justè posset inter contrahentes, ut *ibidem*, & sæpe *alibi* notavimus.

15. Tertiò, recolendæ sunt dispositiones trium legum, quæ maximè ad rem nostram faciunt. Prima lex, *l. si Merces*, §. *Qui Columnam*, *ff. locati*: *Qui columnam* (inquit)

(inquit) *transportandam conduxerit si fracta sit, id periculum is præstet, cujus operâ quis utitur, si ejus culpa acciderit: culpa non abest, si omnia fracta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem, si dolia, vel lignum, vel alias res transportandas conduxerit.* Hactenus Lex.

16. Intellige autem hoc ultimum (*vel alias res*) eas debere esse similes columnæ, quæ in ea asportanda facilè frangi, vel similes dolio pleno, quæ facilè effundi possunt. Et Doctores hîc proponunt etiam exemplum de transportandis vasis vitreis. Porrò, cur hæc lex tam rigorosa est, ut dicat (quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset,) quod certè est condemnare conductorem ex culpa levissima, cùm tamen ex aliis legibus, quas attulimus. *l. 8. cit. in Decal. cap. 2. §. 4.* sciamus, conductorem obligari solùm ex culpa levi, non levissima, cur, inquam, est tam rigorosa?

17. Respondeo, rationem esse, quia ea, quæ est levis culpa in custodiendis aliis rebus, est lata, & gravis in custodiendis, vel transportandis iis, quæ facilè frangi, vel effundi possunt, nam quando quis se obligat ad hæc transferenda, se etiam ex pacto, saltem implicito, obligat ad exactissimam diligentiam, cùm se obliget ad transferendum secundùm artem, & secundùm operam, quam in illis rebus periculosis ipse poneret, si res esset propria: ar, si cundùm artem, & secundùm operam, hæc requirunt diligentissimam cautionem: hanc igitur, qui eam conduxit, promisit, eandemque servare ex Justitia debet. Atque hinc confirmatur illud, quod toties à me *locis citatis, & alibi* inculcatum est, nempe eam negligentiam, quæ levis est in uno opere, v. g. in effodienda terra, non esse levem, sed latam in alio, v. g. in medendo ægro; imò in eodem ægro, culpa, quæ levis est in medendo levi ejus dolore capitis, gravis certè erit in medenda vehementi febri; quia res ipsa, quam quis suscipit faciendam, quasi juxta suam levitatem, vel gravitatem clamat, ut proportionata diligentia non amittatur.

18. Secunda dispositio: *An* (inquit Textus *L. Videamus. ff. locati,*) *servorum culpam, & quoscunque induxerit, præstare Conductor debet?* Et paulò post: *Mihi placet ut culpam, etiam eorum præstet, si tamen culpam in inducendis admisit.*

19. Hactenus Lex, Cujus est sensus. An, si incendatur, v. g. domus conducta ex culpa tui servi, tu debeas resarcire damnum, ac si tua fuisset culpa.

Respondet Jurisconsultus distinguendo: Si tu cum culpa induxisti servos illos, nempe cognoscens, esse pravos, vel ineptos, debes: Si sine culpa, non debes, quia tunc respectu tui, censetur fuisse casu domus incensa.

20. Quòd si quæras, quænam culpa hæc esse debeat, qua tu condemneris ex delicto servi, vel operarij à te, inducti?

Respondeo, certè gravis, qua scilicet defeceris in eligendis servis, & quidem juxta modò dicta, ut major diligentia opus sit in eligendo operario ad res majoris momenti, quàm ad minotis. Et sanè in foro externo faciliùs in hoc casu condemnaberis (cui standum erit post sententiam) quàm in foro interno, nam Judex facilè præsumet tuam negligentiam, cùm in conscientia facilè te excusare poterit ignorantia, inadvertentia, bona fides, qua servum illum, nihil mali futuri præsciens, vel suspicans, induxisti.

21. Tertia dispositio: *Si hoc* (ait *L. Eundem, §. Si hoc,*) *in Locatione convenit, ignem ne habeto, & habuit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium, quia non debuit ignem habere.* Et ibidem, §. ultimo: *Convenerat, ne in villa urbana fœnum componeret, &c. posuit, deinde servus igne illato succendit; ait Labeo, teneri conductorem ex locato, quia ipse causam præbuit inferendo fœnum contra conductionem.*

22. Hæc ibi. Cur autem hæc? quia jam paulò antè monuimus, pacta justa esse servanda, secus damna sequuta meritò imputantur ei, qui pactum non servat.

23. His in memoriam redactis, ut quod modo *num.* 10. illustrandum proposuimus, affectamus, quærimus, ad quid teneatur is? Si primò, præscripto tempore reddas equum, v. g. locatum, & is casu moritur? Si secundò, equus locatus item fuit ad tot milliaria progenda, & tu ad alia illum dirigas, unde casu is mihi veam præceps ruat: Si tertiò, idem locatus fuit ad molam farcinam, nisi equitem portandum, & tu contra facias, unde, & pariter moriatur equus.

24. Respondeo, te teneri ad omnia damna sequuta, quia contra pactum explicitum egisti, nisi forte in casu appareat, eodem modo moriturum fuisse equum, si inventus fuisset in potestate Domini: de qua tamen re suæ sunt considerationes, *lib. 8. in Decal. tr. 3. cap. 3. d. num. 7.* à nobis expensæ.

25. Quando tamen rationabiliter conjicis, non esse contra voluntatem Locatoris, te ad alium usum re conducta uti, tunc certè nec culpam, nec restitutionis onus subibis.

26. Sed quid, si mala putatione vites, v. g. infirmo reddidisti pro aliquibus annis post finitum tempus conductionis; Quid, si de muro domus ruinam praestes Dominum domus tempori, ut succurreret, non admonuisti? Quid, si ob negligentiam, servitutem subiit in præd um conductum permisisti; Quid, si ingruentem tempestatem contra navem conductam, cùm posses præcavisti.

27. Respondeo, Teneris etiam ad ejusmodi damna, non quidem ex pacto explicito, quod supponimus illum non adesse, sed ex implicito, quod Locator implicitè promittit, rem locatam, ut suam custodire, eo modo quo in superioribus dictum est. Denique legatorum titulum *ff. locati, & conducti*, ac Jurisperitos in eundem locum, nam innumera his similia non difficulter invenies.

28. Si nulla culpa conductoris res conducta pereat, sed casu & fortuna, planum est, & legis præsidio millies repetunt, nullo foro teneri conductorem, nisi aliquod justum pactum præcesserit, &c. nec aliud hic in re dicendum occurrit, quod ex dictis colligi non possit.

29. Sed quid in dubio? Si domus conducta incendio consumpta est, & dubitetur de incendij causa, conditione præsumetur fuisse in culpa incendij?

Respondeo, cum Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. num. 6.* cum Masc. & Menoch. nequaquam præsumi, sed conductorem absolvendum esse, nisi Locator culpam ostendat. Ratio universalis est, quia, delictum nunquam præsumitur, nisi clarè probetur. Aliam rationem pro incendio legunt eundem Laym.

## CAPVT II.

### Explicans illud descriptionis.

*Rem, vel personam aliquam, etiam se ipsum concedit Conductori.*

1. POtest enim locari non solùm res, sed etiam persona quæ obliget suum famulatum, seu operam sum alteri. De persona commodiùs dicam in calce hujus tractatus separatim. Quare de re hîc dumtaxat agemus.

2. Res ergo, quæ locantur, possunt esse sive mobiles, sive stabiles. Sic locatur domus, prædium, equus, vestis, &c. Et quoniam nomine stabilium veniunt etiam jura, si quis habeat Beneficium Ecclesiasticum, quod est jus ad percipiendos fructus Beneficij, vel potiatur aliqua re bella; habet enim Jus illam exigendi, ideo etiam hæc locari possunt, pro pretio, omnibus expensis justo: dummodo sis memor, omnia, quæ vendi possunt, posse, & locari exceptis iis, quæ lege prohibentur.

3. Prohibentur autem primò, locari prædia Ecclesiæ, *Extravag. Ambit.* Lege Doct. cit. à Mol. 465. usi ad triennium Vide mox *num.* 7.

Secundò

Secundò, prædicta quæcunque conduci à Militibus, *L. iis, quis obligati sunt Curiæ, L. Milites, L. Curiales ff. locati*, & Curialibus vetantur.

Tertiò, prædia eadem quæcunque prohibentur conduci à Clericis negotiandi causâ, licèt iidem possint succedere conductori. *C. 1. de vit. & honest. Cleric.*

Quartò denique, domus vicina habitationi Magistrorum, *L. un. C. de studiis liberal. urb. Romæ, & l. 1. de stud. literarum*, prohibetur locari fabro, aut alij magistro, quando eorum voces confunderentur. Circa hoc tamen notat Bonac. *de contr. quæst. 7. part. 1. n. 2.* non videri esse in usu, nisi reclamet Magister.

4. Illud quæri hic primò potest: An si quis pauper obtineat facultatem à Pontifice, vel Episcopo petendi eleemosynam, possit hoc, (ut ita appellemus) Ius locare alteri pro tanta pensione sive diurna, sive menstrua, sive annua?

5. Concedit Sanch. *lib. 1. consil. c. 7. dub. 2.* quia, inquit, nullo iure id prohibetur, & pauper tunc locat Ius, quod habet, estque contractus fortunæ, nam; si, v. g. omnibus expensis circumstantiis, locetur facultas petendi eleemosynam in hac frequenti Civitate pro pretio decem aureorum, potest evenire, ut Conductor percipiat plus, vel, ut percipiat minus. Negat verò Delugo *d. 19. de Just. n. 4.* Ratio eius potissima est, quia, quicquid sit, an sit iustus hic contractus inter conductorem, & locatorem, erit iniustus contra Fideles dantes eleemosynam, qui voluint dare pauperi, non verò huic conductori, qui pauper non est.

6. Sed certè responderi potest huic argumento, nam Fideles sic dando, dant mediatè ipsi pauperi. Quare prior sententia, quam docet Sanchez approbari potest, modò nihil aliud addatur, quod iniustitiam redoleat. Illud negare non potuit *ibidem* Delugo, non fore contra voluntatem Fidelium, quando ipse pauper petere per se ipsum nequit, ut petat alius, cui detur ex eadem eleemosyna pretium sui laboris.

7. Potest secundò quæri maior explicatio vocis illius *Triennium*, dum Pontifex prohibet, ne prædia Ecclesiæ locentur, nisi *ad Triennium*, De qua re ego sic ratiocinor:

8. Annus in Iure duplex est: Ita apud Glossam *in l. ult. C. de temporibus in integrum Restitut.* Bald. *ibid.* & *in Ædem, col. 1. C. locati.* Rebuff. *l. cum Prætor. ff. de verb. signific.* Covar. *loc. mox citando*: Alius continuus, alius utilis: illum appellarem physicum, hunc verò moralem. Continuus, seu physicus currit, completúrque duodecim non interruptis mensibus, etiamsi in iis dies adsint aliqui, in quibus actor agere non valet, nec reus se defendere; nec operam dare causæ Iudex, quos dies, meritò, vocamus inutiles.

9. Annus autem utilis moralis conflatur, completurque duodecim mensibus, qui careant legalibus impedimentis, putà, quia sint ad litigandum idonei: etiamsi plures dies supra duodecim menses physicè continuos sint necessarij, ad complendos duodecim menses litibus aptos.

10. Ex hac certa, & iuridica Anni utriusque significatione manifestè colligitur, duplex esse Triennium. Aliud continuum physicè; Aliud utile moraliter. Illud continet tres annos sine interruptione; Hoc autem complectitur annos tres, demptis diebus inutilibus, atque adeo comprehendit aliquando quatuor, aliquando quinque, aliquando sex annos, iuxta interruptionem, quam dabunt dies inutiles, eo tempore occurrentes. His habitis:

11. Dico, *in extravag. citata*, valdè probabile esse, triennium sumi pro triennio utili, hoc est, includere tres annos utiles ei, qui prædium ab Ecclesia conducit, atque adeo tres fructificationes, quas dictum prædium progignit. Hoc dictum explicabitur, & probabitur verbis Filliucij *tom. 3. tract. 44. cap. 2. num. 8.* citatis Navarr. Covar. Ioann. Andr. Barbant, Azor. Quarè tam. Ita etiam docet Barb. *in Collect. ad dictam extravag. num. 9.* referens Riccium, Bonacin. aliosque, qui sic habet: *Itaque, si sit fundus, qui alternis annis tantum sit fertilis, poterit locari ad sex annos; si tertio quoque anno sit fertilis, poterit locari ad novennium; quod iidem Doctores disertè docent. Ratio huius est, quia Annus in Locatione taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum. Quare, ubi fundus alternis, vel tertio quoque anno fertilis est, tunc biennium, vel triennium computatur pro annuo tantum spatio: atque ita fundus, qui in sex; vel novem, annos locatur, si hoc toto tempore ter tantum fructus ferat, verè in tres annos locatur; nimirum utiles, & feraces.* Hæc Filliuc.

12. Ex quibus vides, quando Pontifex vult locationem feudi Ecclesiastici ad triennium tantùm, & non ultra, velle triplicem fructificationem, & consequenter, si pro eiusmodi triplici fructificatione requirantur quatuor anni, vel quinque, vel sex, vel, septem, vel plures, semper fore locationem ad triennium. Et ita sumi locationem ad triennium concessam à prædicta extravaganti, notant Doctores allegati.

13. Sed ecce scopulus: Ergo, si ager Ecclesiæ fructificet bis in anno, ut in quibusdam locis accidit, non potest locari; nisi ad annum, & menses sex.

14. Respondeo: Hunc scopulum non advertunt præcitati Doctores, ego, qui adverti, facili via declinare illum sic volo: Cum sententia asserens, nomine triennij, in hac extravaganti, intelligi annum continuum physicè, qui est annus naturalis, sit satis probabilis; illamu sequi poteris, quando agrum Ecclesiæ, bis in anno ferentem fructus, locaturus es, & sic per tres annos naturales illum tutò, ex dicta probabili sententia locabis.

15. Verùm, nondum omnia sunt explicata; Magna enim est cura sciendi, quidnam intelligatur nomine fructificationis.

Dico, non intelligi germinationem herbarum inutilium, quæ sponte ex terra nascuntur, quia nullus hujusmodi germinationem appellat fructificationem, cùm eæ, vel non colligantur, sed à bestiis communibus depascantur, vel certè (ut supponi debet) non sint illi fructus, qui à Conductore, & à Locatore fundi Domino intenduntur.

16. Meritò igitur idem Filliuc. *loc. cit. num. 8. initio*, dicit fructificationem esse *editionem Fructus iusti*. Fructus autem iustus (ut ego interpretor) est ille, quem fundus more consueto excultus emittit, ut frumentum, hordeum, vinum, &c. vel qui communiter, ut fructus expectatur à Colonis, quales sunt glandes, castaneæ, & poma silvestria, quæ etiam sine cultura, sed cum Domini proventu, à terra progignuntur.

17. Meritò item Covar. *t. 2. var. lib. 2. cap. 36. n. 6.* sic habet: *Extravagans Ambitiosæ intelligenda est in Fundis, seu terris, quæ quolibet anno coluntur, & ex eis fructus, quolibet anno colliguntur. Alioqui, si res Ecclesiæ eius sint conditionis, ut eo quolibet triennio unicus tantùm fructus percipiatur, poterit in novem annos locari.*

18. Hæc Covarruvias. Dixit autem (in fundis, & terris) Nam si nemora, & arbores silvestres singulis annis suos silvestres fructus edant, castaneas, glandes, ligna, &c. certè ea singulis annis fructificationem propriam habere dubitare nullus potest, quia hi sunt fructus, qui ab eiusmodi silvis expectantur à conductore, quique locantur iusto pretio à Locatore.

19. Ex prædicta doctrina voluit doctus quidam Theologus excusare quendam Abbatem Sanctæ Mariæ de Nemore in Territorio dicto Catamauro, qui superioribus annis locaverat Ecclesiæ suæ fundum ad quinquennium, contendebat enim, eum id legitimè potuisse quia in eo quiquennio physico vix triennium utile continebatur.

20. Hæc excusatio pro nostris Siculis regionibus mihi difficilis visa est, quia eiusmodi feuda, saltem ut plurimum, apud nos sunt omnibus, & singulis annis fructifera, siquidem, sive frumentum, vel quid simile ferunt,

ex cultura, sive herbas, quæ certè non sunt communes omnibus, nec à Dominis negliguntur, sed venduntur passim, sed locati solent, sed fructibus silvestribus Arborum comparantur: quare, qui ea conduxit, colligit singulis annis proportionatos fructus, licèt altero anno parciores, alterò pinguiores, & qui eadem locat proportionatum item suum pretium semper acquirit.

## CAPVT III.

Explicans illud descriptionis,

*Ad usum, vel fructum.*

1. AD usum locatur, v.g. vestis, equus, domus. &c, Ad fructum locatur ager, grex, vinea, &c. ex quibus conductor fructus colligere, eosque sibi consumere potest. Sibi, inquam, vel cui Ius suum sublocavit. Non enim ex vi contractus prohibetur conductor (nisi aliud explicitè, vel implicitè conveniatur) rem sibi locatam alteri sublocare. Vide Laym. *lib. 3. tr. 4. c. 22.* afferentem illud juris *Nemo prohibetur, rem, quam conduxit, fruendam, alij locare, si nihil in contrarium conventum fuerit.*

Quando autem affuerit, vel non affuerit implicite hæc conventio, colligi ex circumstantiis debet. Si enim ego tibi honesto viro locavi domum honestam meam, non potes illam meretrici sublocare, quando id in domus meæ dedecus vertit, & sic in similibus.

2. Vsu consumptibilia non posse locari, nisi fortè ad pompam, recolo, me dixisse *superius, c. 1. §. 2. num. 10.* Vt etiam ex supradictis colligi potest, ad alium usum, præter illum, ad quem conventum est cum Locatore, non posse re conducta te uti. Inde item manifestè consequitur, te non posse ad diversum usum alteri rem conductam sublocare, nisi ex rationabili præsumptione voluntatis Domini, &c.

*An fructus omnes agri conducti sint Conductoris?*

3. His porrò, quæ satis sunt declarata, suppositis, inquires: Fructus agri, propter quos conductor pensionem solvit, suntne Locatoris, qui est dominus proprietarius agri sui, an Conductoris, qui est veluti usufructuarius?

4. Respondeo: Antequam obligentur (quando vocantur à Iuris Consultis fructus pendentes) sunt proprietarij. Ratio est, quia tunc fructus faciunt unum cum arboribus, & plantis, cùm igitur hæ sub Proprietarij sint dominio, erunt eiusdem, & illi.

5. At verò, postquam sunt collecti, & separati à prædio, fiunt conductoris, ut habet Mol. *d. 497.* Delugo *d. 29. de Iust. n. 26.* contra Gloss. Barb. aliósque, etiam si is nondum solverit pensionem. Interim tamen Dominus agri habet hypothecam in dictis fructibus, idest, ipsi fructus sunt pignus, seu tacitè subiecti pro pensione solvenda, unde rectè appellaretur fur ille conductor, *L. Si servus communis, §. locavi. ff. locati*, si clam eos extra prædium asportaret, Locatore invito. Quòd autem fructus naturales sint pignus pensionis solvendæ, apertè habetur in Iure, *L. in fructibus. ff. in quibus causis pign. vel hypoth.*

6. Ex hac secunda parte responsionis confirmari potest decisio, quam affert Diana *p. 3. tr. 1. res. 19.* Lege etiam Rebell. *p. 2. l. 14. q. 9. n. 10. Coloni* (inquit) *Religiosorum tenentur solvere gabellam ex fructibus collectis, si eosdem deferant de loco ad locum, aut alienent; tunc enim sunt bona Laicorum, & non pertinent ne indirectè quidem ad Ecclesiasticos.* Ita Fill. *tom. 2. tr. 16. c. 11. n. 302.*

7. Hæc ille. Qui dum dicit (*ne indirectè quidem*) non propterea negat esse pignus pensionis solvendæ; quamvis enim sint omnino in dominio Religiosorum; quia tamen eiusmodi Laicus est Conductor, non Dominus, illi fructus non amittunt subjectionem, qua inficiuntur de pensione solvenda Religiosis.

8. Ex prima autem parte pensionis confirmatur ibi decisio ab eodem Diana *ibidem* allata. *Coloni* (inquit) *Affectatores prædiorum Ecclesiasticorum non tenentur solvere gabellam vulgò dictam* Del Fiore: *quia, quando illi est separatus à solo Ecclesiastico immuni à gabella, & ab eo Carolus de Grassis, de effectib. Cleric. effect. 3. n. 9. scripsit: In facti contingentia hic Panormi fuit decisum prædictis fructibus fructuum pendentium cuiusdam Viridarij Rectori Melitensis contra dictos Gabellotos, qui prætendebant has Gabellas fructuum ab ipsis Emptoribus, & hoc, quia fructus non erant separati à solo tempore venditionis.* Hæc ex Diana, quasi is, & Carolus dicerent, quia illi fructus non erant separati à solo, idest, ab arboribus solo affixis, pertinebant ad Viridarium, seu eius erant partes, atque adeo immunes à gabellis, sicuti immune erat ipsum Viridarium. Lege item Reb. *l. c. n. 11.*

*Quæstiuncula incidens, An à Pharmacopola locari possint Medicinæ?*

1. Denique ex eo, quod usu consumptibilia, ut modò *num. 2.* innui, locari non possunt, resolvitur, an usum sit ille contractus, quem affert, & commendat Megala apud Delugo, *d. 29. de Iust. n. 84.* Diana *p. 1. tr. de contract. res.* 89. quemque ego claritatis gratiâ sic expeditiùs proponam: Pharmacopola locat per octo, v. g. annos alteri officinam, vasa, tabulata, & item medicamenta in vasis contenta, dummodo alter reddat interim triginta aureos, v. g. pro singulis annis, decem pro officina, decem pro vasis, decem pro medicamentis; exactis autem octo annis, omnia reddat integrè cum similibus medicamentis. Vt autem sciatur, quid sit restituendum, præcedit æstimatio prædictorum. Resolvitur, inquam, contra Megalam, licitam iniri locationem quoad viginti aureos pro officina, & vasis, supponimus enim, per expertos pensionem illam æqualem iudicari pro officinæ, & vasorum usu annuo, et quoad decem illos aureos pro medicamentis dico, eiusmodi esse iniustitiam, nam medicamenta sunt usu ipso consumptibilia, quæ locationi subiacere non possunt, ut dictum est & patet: Quid enim locas? Respondebis usum medicamentorum. Legitimè respondisti. At usu ipso medicamenta destruuntur; ergo si conductori illorum usum dedisti, & ipsa medicamenta usu ipso destruenda, dedisti, & consequenter nihil apud te illorum remanet, à quo fructum pensionis exigere possis.

2. Dices: Esto, non sit locatio, erit iusta venditio medicamentorum seu permutatio horum cum aliis medicamentis in fine designati temporis subrogandis.

Respondeo: Legitimè iterum locutus es. At, si ea medicamenta vendidisti, seu permutasti, erunt illa in dominio ementis, vel possidentis; ergo nihil horum ad te pertinebit, ex quorum fructu pensionem exigas. Solùm tunc ea medicamenta, dum non destruuntur, remanebunt hypothecata ad pretium venditionis, ut evenit in cæteris rebus venditis, pretio non soluto.

3. Quod si dicas, Medicamentorum te remanere Dominum, sequitur, te illa nequaquam vendidisse, unde & sequitur Conductorem iis uti non posse, cùm in iis dominium non possit separari ab usu. Vnde & denique sequitur iniustè te exacturum fore pensionem à re, cuius dominium, & usus remanent apud te.

## CAPVT IV.

Explicans illud descriptionis,

*Sub certa, iustáque pensione.*

1. CIrca pensionem à Conductore solvendam, quæ aliquando est in pecunia, non rarò autem in fructibus, putà in tot mensuris frumenti, olei, vini, &c. videndum est, quanta, quando, & ubi solvenda?

§. I. Quan-

§. I. *Quanta pensio solvenda sit?*

1. PRofectò quanta per justam conventionem decreta est: justè autem decernitur, si judicio experti, & omnibus consideratis, ipsa non excedat fructus speratos, deductis expensis, cæterisque subducendis, qualia sunt, Gabellæ, debita fortè aliis ex aliis titulis, &c. Hæc igitur re, tanquam nimis manifesta, constituta adhuc.

*Læsio in pensione quid operetur?*

2. Inquires primò, si sive Locator, sive conductor lædatur in pensione, datúrne ipsis semper actio, qua resarciri læsio possit?

Respondeo: Diximus, cùm egimus de contractu venditionis, dari, *Ex lib. 2. C. de rescind. vendit.* in foro externo actionem, & remedium læso ultra dimidium justi pretij, non autem læso infra dimidium ejusdem pretij. Diximus item satis communem esse doctrinam, in foro interno semper obligari lædentem resarcire læso, sive læsio fuerit ultra, sive citra dimidium. Idem ergo dicendum erit de Conductione, & Locatione propter paritatem rationis.

3. Signatè dictum est (satis communem esse sententiam) nam, quando læsio est infra dimidium, nonnulli tenent, non obligari id quod fusè *suprà, in tract. de Censib. cap. 7. §. 8. à num. 8.* agitavimus.

*Inutilitas rei locatæ, an demat de pensione.*

4. Inquires secundò: Si fortè res locata inutilis reddatur ad usum conductoris, sive ex toto, sive ex parte, debebitne eadem pensio solvi?

5. Respondeo, esse distinguendum cum Layman. *l. 3. p. 4. cap. 22. num. 3.* Vel enim primò, inutilis res conductori est propter impedimentum, quod se tenet ex parte ipsiusmet conductoris, ut, si ipse, quia est, v.g. infirmus, non potest colere agrum conductum, vel quia fuit in catcerem conjectus, non potuit habitare in domo conducta, unde ager, & domus conductori inutiles fuerunt, & in hoc casu debere à conductore totam pensionem solvi, dubium nequaquam sit; quia tunc res conductæ veluti paratæ sunt ad serviendum conductori, & per domum, vel agrum non stat, &c. Nam propterea, si famulum conducas, & per ipsum non stet operari, sed ex eo, quod tu, impeditus ob morbum, v.g. illi operas faciendas non offers, ad stipendium eidem solvendum obligaris, præscindendo ab alio pacto expresso, vel tacito, vel legitima consuetudine regionis, quia non est defraudandus sua mercede is, qui ex se tibi servire paratus est.

6. Vel secundò, inutilis conductori est res conducta propter impedimentum, quod se teneat ex parte rei locatæ, ut, si incendio conflagravit domus, alluvione ager fuit destructus, bello ingruente res derelicta, justa lite ab alio prælium fuit evictum, & in hoc casu Regula Generalis est, quando sine culpa conductoris hæc, sive ex toto, sive ex parte eveniant, esse sive totam, sive partem pensionis diminuendam. Semper excipe (nisi, ut modò in simili dixi, aliquo justo pacto contrarium sit conventum.) Ratio Regulæ est manifesta, quia pro usu conductor accepit, & pro eodem Locator rem illi tradidit: hoc igitur usu sine culpa conductoris amoto, amovendum est onus pensionem solvendi. Immò addi debet, quando in hisce casibus adest culpa Locatoris ipsum obligari non solùm ad damna, quæ ea de causa sequuntur conductori, sed etiam ad omne lucrum cessans: & quidem non solùm ad lucrum cessans intrinsecum, hoc est, quanti pluris in se valituri erant illi fructus, atque usus rei locatæ, sed etiam ad extrinsecum, idest, quantum cum illis lucratus, deductis deducendis, fuisset conductor, si cum illis fuisset negotiatus. Ratio est, quia omnium horum causa est Locator, si ejus culpa desit conductori usus rei locatæ. Idem diximus in mutuo, si mutuanti pecuniam, tempore, eam non restituis. Lege Molinam *d. 493. n. 5.* Bonac. *disp. 3. de contract. quæst. 7. p. 3. à num. 6.* Sa Less. Filliuc. Rebel. aliósque ab eod. citatos.

*Rem conductam relinquere ob pestem.*

7. Subinquires primò: Si propter pestem deseratur à me domus conducta, eítne judicandum, relinqui à me qui sum conductor, culpa mea?

Respondeo: Si deseratur tota ferè Civitas peste infecta, unde, & tu cum aliis relinquis dictam domum, non est censenda tua culpa, nam propterea pensio à te solvenda non erit. Si verò deseratur à te solum domus illa, erit subdistinguendum, num, si domus est infecta peste sine tua causa, non debebis pensionem, si verò domus, tua culpa, vel causa contraxit contagium, & idem est, si cùm libera sit contagio, illam tamen tu deserere velis, pensionem debebis. Ratio est, quia ibi non tua culpa, hîc tua culpa, seu causa, domum derelinquis. Ita Delugo *d. 19. de Just. num. 29.* Esto, aliqui cum Molina ab eodem citati, absolutè negent, à te deberi tunc pensionem, & esto, alii cum Panormitano, & Lessio absolutè affirment, saltem ex consuetudine deberi: esto (inquam) nam allata à nobis distinctio est rationabilior, dummodo fatearis, si alicubi alia sit consuetudo legitimè introducta, non esse ab ea recedendum.

*Res conducta, si sterilescat.*

8. Subinquires secundò: Si propter sterilitatem ager, vel molendinum; v.g. nullos, seu paucos fructus pariat debebitúrne tota, & integra pensio?

9. Respondeo primò: Cùm communiter conductor, in his conducendis, soleat ex pacto in se periculum sterilitatis totum suscipere, sicuti suscipit totam spem abundantiæ, ideo communiter tota pensio debebitur.

10. Respondeo secundò, licèt ex vi contractus conductionis hæc pericula, æquè, ac spes magni lucri ex ubertate fructuum, pertineant ad conductorem, ad quem pertinent fructus pro tempore conductionis, sicuti similia pericula, & spes pertinent ad eum, qui agrum emit, non verò ad eum, qui illum vendidit, ut notat Lessius, *l. 2. c. 24. num. 16.* & Molina *d. 495. num. 4.* tamen (præscindendo à justo aliquo pacto) ob quandam æquitatem, & benignitatem Iuris: *L. Si merces, §. vis major, L. Ex conducto, §. Si vis ff. locati, L. licet, C. locati,* introductum est, ut notabili sterilitate ex quacunque causa proveniente, remittatur, vel, juxta mensuram sterilitatis, diminuatur pensio; id, quod per minutiores casus disputatum videri potest apud citatos, & apud Iurisperitos in easdem leges, apud quos, scilicet Molin. Less. *ll. cc.* Dian. *p. 3. tract. 6. Miscel. res. 17.* Bonac. *d. 3. de contr. quæst. 7. p. 3. à num. 13.* etiam habebis, quid intelligatur nomine magnæ, seu notabilis sterilitatis; An semper incumbat conductori onus probandi sterilitatem; An si conductor renuntiet casibus fortuitis, intelligatur de solitis; An etiam de insolitis, & si de insolitis; An etiam de inopinatis, vel de inopinabilibus sive quoad sterilitatem ipsam, sive quoad alios casus, &c.

*Rem conductam relinquere Domino, qui eam possit alteri locare, an minuat de pensione?*

11. Subinquires tertiò: Si impedimentum ex ipso conductore proveniat, relinquat autem dictus conductor rem domino, qui dominus possit alteri locare, obligabitúrne conductor ad pensionem solvendam?

12. Respondeo: Obligabitur, & quidem ad totam pensionem; nec enim assentior Less. *l. 2. c. 24. n. 10.* asserenti, tunc propter libertatem, quam conductor relinquit Domino, ut is possit eam rem alteri locare, debere aliquid minus, etiamsi deinde dominus actu non locet (nam si de facto

facto locat, mox dicam) non assentior (inquam) quia tota pensio ex contractu debetur Domino, & sibi imputet Conductor, quod nolit re uti, nam illa libertas parum utilis est Domino, si de facto non locet, cùm, contra pensio illi certè integra debeatur. Aliqui afferunt contra nos Molinam, *d.* 493. *num.* 4. sed, Textu Molinæ diligenter expenso, dico, immeritò illum contra nos afferri; neque enim contrarium nostræ doctrinæ docet, nisi quando Conductor consentit. Ecce molinæ verba: *Si superveniat impedimentum ex parte ejus, qui domum, v. g. conduxit, ut si eam non possit habitare, quia alibi migraturus est, vel ob alium fortuitum casum se tenentem ex parte ipsius, tenetur ad pensionem integrè solvendam Locatori, nisi cum eo consentiente paciscatur, ut remittat aliquid ratione potestatis, quam illi faciat locandi rem alicui alteri, ut potest juxta ea, quæ dixi* disput. 489. *Ita habetur* l. sed homines, §. cùm quidam, ff. locati. Hæc Molina. Notasti illud (*cum eo consentiente?*)

13. Illud tamen esto certum, si Dominus alteri locet æquali pretio suam rem, ut etiamsi famulus expulsus à Domino inveniat, qui æquali pretio serviat, nihil tunc deberi à primo conductore, vel à prædicto Domino, quia tunc ipsum Conductorem rem conductam deseruisse, vel famulum fuisse expulsum, nihil damni intulit. Si locet minoris, deberi, quod deest ad æquale, certum etiam sit ex dictis.

14. Sed quæres, quid si majori pretio? Locasti, v. g. Petro domum centum aureis ad annum; deservit eam Petrus: tu verò eandem locasti Francisco ad eundem annum aureis centum & decem: ille excessus, id est, decem aurei, cui debebuntur? tibi, an Petro?

15. Respondet Delugo, *d.* 29. *citata num.* 30. Petro primo conductori, quia sicuti res vendita fructificat Domino, qui eam emit, sic res conducta pro tempore conductionis fructificat conductori, qui eam conduxit.

16. Sed ego circa hanc quæstionem duo considerabam. Primam, certum videri, tibi Domino domus deberi pretium notabili laboris, & industriæ, si fortè illam adhibuisti, in quærendo alium conductorem, ad quem quærendum tu non obligabaris. Secundum, non videri verum, in hoc casu rem conductam fructificare primo conductori; conductor enim ille eam rem renuntiat, & Locator acceptat, resumit enim domum suam: ergo fructus erunt Locatoris, qui est Dominus, vel certè, etiamsi ejusmodi renuntiatio valida non esset, adhuc illi fructus tunc non essent conductoris, quia cùm rem dereliquit, videtur etiam abdicare à se, & veluti pro derelictis, habere fructus quoscunque, sive copiosos, sive modicos ex illa provenientes. Vidit hoc Molina, *d.* 493. *n.* 4 *fine*, idque non obscurè insinuavit: *Licet Locator* (ait) *non teneatur locare alteri rem illam, possitque accipere integram pensionem à primo Conductore; si tamen illam locet, non facta priùs translatione, & compensatione cum primo Conductore, utique tenetur deducere de prima pensione pretium, quod pro secunda locatione accepit, nisi primus Conductor, quasi pro derelicto relinquat usum illum, ac fruitionem illius rei toto illo tempore, ad quam habet Ius, etiam ut ipse posset eam locare alteri.* Hactenus Molina.

17. Ex dictis ergo ad quæstionem propositam respondendum est, cum distinctione; nam si primus conductor non abdicat à se rem conductam, verum est, excessum ipsi competere, at si abdicat, ut certè sæpissimè accidit, dum is rem conductam derelinquit, tunc sanè excessus ille pertinet ad locatorem, qui est Dominus, & primò occupat.

### §. II. *Quando pensio solvenda?*

1. QVando aliquod pactum designans tempus præcessit, vel consuetudo Regionis explicuit, solutionem fieri, sive in fine anni, sive in fine cujusdam mensis, & quidem, vel totam, vel partem, dimidium, v. g. post semestre, & aliud dimidium post finem anni, vel quid simile, non est difficultas; tunc enim ejusmodi pacta & legitimæ consuetudines sunt servandæ. At nihil horum adest, nec ulla consuetudo, quando sit solutio ejus peragenda?

2. De eo ex circumstantiis, & natura rei constabit id esse dignoscendum: Si enim ad annum locet, vel si ad anni dimidium, vel si ad mensem, certè in fine realis dignati temporis erit solutio præstanda; id enim potat illud (ad annum, ad dimidium, ad mensem.) Et ratio ulterior est, quia tunc æquum est, ut solvam tibi pensionem, quando jam habui totum usum rei tuæ: at hunc, nonsi usque ad finem concessi temporis totum habeo. Vnde propter eandem rationem, si rem naturaliter fructuosam loces, tunc videtur conventum tempus solvendi, quando colliguntur fructus. Quòd si loces per quatuor, quinque, plures annos, tunc etiam in fine singulorum annorum erit facienda solutio, quia ex communi usu, & legibus, *C. Scire debemus, L. Pluribus ff. de verb. signific.* ejusmodi una locatio plurimum annorum, æquivaler pluribus annis. Ita Mol. *d.* 497. *n.* 1. Bonac. *d.* 3. *de contr.* 9. 3. *n.* 5. quibus utuntur leges, & doctores.

3. His tanquam communibus, & certis jam habitis, mihi sese offert hæc dubitatio: Petrus locavit Paulo domum per novem annos, qui Paulus ostendit chyrographa, quæ testantur ipsum solvisse pensionem per tres annos ultimos, & proximos elapsos, tenetúrne solvere pensiones antecedentium annorum?

Respondeo, cum Textu Iuris, *L. Quicunque, C. de Apochis public.* qui sic disponit: *Is, qui ostendit scripto proximis annis solvisse retro solvisse præsumitur, nisi contrarium probetur.* Atque ex hoc (*nisi contrarium probetur*) sequitur, ut si verè solutæ non fuerint, obligetur conductor solvere in conscientia, & locator exigere possit, etiam se occultè compensando juxta Regulas justæ compensationis. Excipe, nisi aliqua retro antecedens pars fuerit legitimè præscripta.

4. Quid, si omnibus conjecturis expensis (expendunt Menoch. *de præsumptionibus*, & Mascardus *de probationibus*) dubium sit, an conductor pensionem solverit?

Respondeo, deberi à te conductore pensionem, quia locator est in possessione crediti contra te. Vide tamen, quæ ego *l.* 1. *in Dec. c.* 3. § 7. *v. Restituio*, dixi universaliter de eo, qui dubitat, an restitutionem exhibuerit.

### §. III. *Vbi solvenda Pensio?*

1. DE hac re, quando solvendum aliquid contingit ex aliis capitibus, quàm ex locatione, egi latè, superque *lib.* 8. *in Decalog. tract.* 4. *cap.* 1. § 8. Nunc ergo ea applicando ad locationem, breviter dico, pensionem debere solvi in eo loco, in quo conventum est, vel, si nulla facta est conventio, debere in eo loco, qui hanc est de consuetudine in ea Regione, vel denique, si nihil est conventum, & nulla est ejusmodi consuetudo, debere solvi in eo loco, quem ipsa natura contractus locationis requirit, hæc autem requirit, ut in eo loco solvas, ubi conduxisti.

## CAPVT V.

### Explicans illud descriptionis,

### *Nullo addito injusto pacto.*

1. ID vel indoctus quisque non ignorat. Verum, aliqua pacta, quæ dubia apparent, cognoscere, justàne sint, an injusta, hoc enim verò perdifficile, etiam doctissimis est. Quod tamen facilè, spero, redditur, si hìc nonnulla ejusmodi pacta breviter examinemus.

*Primum pactum, quo res conducta permittitur vendi.*

2. Ego loco Cæsari hanc domum pro justa pensione centum aureorum singulis annis, quod si mihi quandocunque tradet mille aureos, quanti scilicet justè valet domus, cessabit pensio, & Cæsaris erit domus. Estne justa conventio?

Respondeo, esse justam, cum Asor. 3. p. l. 8. c. 11. quæst. 6. & Filliuc. tr. 36. c. 5. n. 81. quia, donec solvitur totum pretium domus, est contractus Locationis, & domus est in tuo dominio. Verùm, pretio soluto, jam domus venditur, sitque alterius, idest, Cæsaris: id, quod ita se habet, sive æstimes ipso initio domum, sive non æstimes; modò quando initio æstimas, æstimatio non faciat Venditionem.

3. Explico hoc ultimum: Si æstimes domum, ut sciatur, quantum debeat Conductor, si ejus culpa domus pereat, vel deterior fiat: pari modo, si æstimes, ut videatur, quantum pretium debebit tradere Cæsar, quando domum emet, tunc æstimatio non facit venditionem. At, si æstimet, ut domus transeat in dominium alterius, quamvis pretium solvendum differatur ad annos, æstimatio facit venditionem. Ex hac ergo explicatione, responsio allata manifesta est, nam tametsi Cæsar ad suum libitum possit, vel domum reddere, & illam non emere, vel totum pretium solvere, & ibi, ut venditam applicare domum, injustè à te non agitur, dum pensionem in totum exigis, quia, non soluto pretio, (quamvis facta æstimatione, quæ tamen non faciat venditionem) domus est tua, & pensio tibi solvitur pro tua re, eo tamen soluto, vel facta æstimatione, quæ venditionem faciat, jam tua non est ampliùs, sed est mentis, unde cessat tunc pensio, necesse est.

4. Quid, si concedo Cæsari, ut domum meam ab ipso conductam possit, si velit, aliis vendere?

Respondeo, nec est injustitia, si id rectè fiat (quicquid dicat Azor. & Filliucius citati) nam donec Cæsar domum alteri vendat, domus est tua, in tuóque dominio persistit, undè tibi pensio meritò, & justè solvitur, sed non post venditionem, ut dictum est.

*Secundum pactum, quo omnia pericula conjiciantur in Conductorem.*

5. Loco tibi hoc prædium, hunc gregem, hunc equum, modò omne periculum sive fortuitum, sive insolitum, quandocunque illud sit, tu subeas: éstne justa conventio?

Respondeo, esse justam, cum Asor. p. 3. l. 8. cap. 11. q. 7. si adsint duæ conditiones. Prima, ut hæc non sit venditio, hoc est, illæ res remaneant in dominio locantis, unde si res accidat non petire, debeant omnino eædem reddi tibi locanti, non vero pretium ipsarum. Secunda, ut dematur de pensione solvenda, quantum compensetur tantum onus. Ratio est, quia si adest prima conditio, cùm res non sint venditæ, pensionem ex rebus suis habere justè Dominus poterit. Et rursus, si adest conditio secunda, nulla erit injustitia, si quidem ex diminutione pensionis jam inducitur æqualitas.

*Tertium pactum, quo grex, vel quid simile rèddatur in fine Conductionis in eodem numero, & bonitate.*

6. Loco tibi hos ovium greges, hos boves, hos equos, quorum usum fructúmque percipias eo pacto, ut semper debeas conservare eundem numerum, integrúmque mihi reddere finito tempore designato. Interim verò pensionem rei locatæ solvas, éstne justa conventio?

Respondeo, esse justam, modò serventur duæ prædictæ conditiones, idque propter easdem rationes.

7. Objicies: In ove, quæ fortè interim morietur, primò v. g. anno non potest continuari locatio ad secundum, aliósque consequentes annos, cùm ea nihil sit. Quòd si respondeatur, ovi demortuæ aliam subrogari, ad servandum numerum, non satisfit objectioni; hæc enim subrogata non erit Locatoris, quo modo igitur accipiet ex ea pretium justæ locationis?

8. Respondeo, negando hanc subrogatam non esse Locatoris; statim enim atque moritur ovis, perit quidem quoad illam locatio, quæ non potest continuari in mortua. Verùm, statim, ac subrogatur alia, cùm subrogetur nomine Domini Locantis, ejus illa erit, & quoad illam incipiet nova physicè locatio: Locator autem semper remanet Dominus ejusdem, & quidem totius gregis, quia ascitis novis subinde animantibus, moraliter remanet idem grex, sicuti remanet idem fluvius, quamvis aqua continuò varietur.

9. Quid si locentur, v. g. quatuor boves cum pacto, ut non solùm reddendi sint ejusdem numeri, verùm etiam ejusdem juventutis?

Respondeo. Videtur primo aspectu injustum pactum, & sic censet Azor. l. c. c. 12. q. 2. Sed certè, cùm hoc pactum non sit, nisi præter naturam contractus locationis, & locationem non destruens, quia non fit, ut supponimus, venditio (cùm dominium boum remanet apud Locatorem) unde nec fiat contractus mutui, aut alterius generis, ex hac parte non erit conventio injusta. Si ergo ex alia parte pro tanto onere (ut etiam supponimus) omninò aliquid judicio experti, de pensione subducatur, re verà prædictum pactum industriam nequaquam continebit.

*Quartum pactum, quo fiat contractus (à godere)*

10. Ego trado tibi mille aureos, tu locas mihi domum ea lege, ut tunc reddatur à nobis acceptum, quando alteruter velit: interim, nec tu dabis mihi ullum lucrum ex illis aureis, nec ego tibi pensionem solvam ex illa domò, éstne justa conventio, quæ vocatur in Italia contractus *à godere*?

Respondeo: Si ego tibi tradam rem fructiferam, domum, v. g. locabilem, tu verò mihi prædium æqualium fructuum, fore justum pactum, non est mihi dubium: At si tu des pecuniam, quæ non est ex se fructifera, est illicitum pactum, nisi ex damno tibi emergente justificetur, ut à me dictum est satis, l. 8. *in Dec. tract.* 3. c. 7. §. 6. n. 16.

*Quintum pactum, quo locentur cum prædio necessaria ad illud colendum?*

11. In nostris Regionibus solet locari prædium cum omnibus bobus illi necessariis, item cum toto apparatu necessario ad messem, vel vindemiam, aratris, ferramentis, doliis, torculari, &c. quæ priùs æstimata, sed non vendita, debeant locatione finita, reddi Locatori, ejusdem æstimationis, éstne conventio justa?

Respondeo: Est sanè, dummodo serventur duæ illæ conditiones, quas diximus n. 3. unde & justitiæ probationem petere facilè potes.

*Sextum pactum, quo tum Conductor, tum Locator participet de periculo rei conductæ.*

12. Loco tibi bovem æstimatum, v. g. viginti aureos pro tribus aureis in anno, justa pensione, omnibus ab experto viro compensatis. Loco autem hoc pacto, ut, si post annum minuatur æstimatio bovis, vel is pereat sive casu, sive culpa tua, tu Conductor dimidium jacturæ amittas, & dimidium ego Locator. Estne justa hæc conventio, quæ in aliquibus Italiæ locis usurpati solet?

13. Respondeo: Injustam esse, ait Comitolus: sed ejus pace, nec injusta est, nec ut aliqui perperam dicunt, usuraria. Non usuraria, quia hic nullum intercedit mutuum, cùm bos non vendatur, & pretium mutuetur, sed bovis dominium remaneat apud te Locatorem, & solùm ego Conductor per alium contractum assecurationis suscipio, ex parte, periculum, si fortè bos moriatur vel pereat. Non injusta, quia supponere debemus juxta

experti (ut toties diximus) judicium, pro onere, quod conductor suscipit, debere diminui pensionem. Sanè Delugo *d.29.de Iust.num.*78. ait, in aliquibus locis Italiæ in hoc casu pensionem æqualem oneribus esse, si pro bove æstimationis viginti aureorum detur pensio aureorum trium, idque aliquos probare ex ipsorum rusticorum confessione, qui judicant, sic bene compensari ejusmodi onus.

## CAPVT VI.

### Explicans illud descriptionis,

*Pro durationè temporis designati.*

1. QVamvis nimis sit manifestum, non prorogari locationem, nisi pro tempore designato; ad id enim solum adfuit legitimus consensus contrahentium: quare eo finito, debebit res reverti ad Dominum mododicto, tamen non parvæ dubitationes huc pertinentes enodandæ omnino sunt, quas ad tria capita reduco. Primò, ad ipsos contrahentes. Secundò, ad successores Locatoris, vel Conductoris. Tertiò, ad ementem rem locatam.

#### §. I. *Contrahentes.*

1. INquires primò: An, finito tempore locationis, conductor debeat pro æquali pretio præferri cuilibet alteri novo conductori?

Respondeo: Quamvis alicubi aliquæ personæ ex privilegio id habeant, & alicubi fortasse sint propriæ leges id disponentes, eodémque privilegio gaudeat quilibet conductor prædii communis, vel fisci, ut in Iure, *l. penult. & ult.C.de Locat.prædii civil. lib.* 11. decernitur; tamen universaliter ex jure communi nequaquam conductor præferri debet. Ita *ibidem* in fine legis, & *L.ne cui, C.de locato.* Ita etiam Gomez, Mol. Filliuc. apud Bonac. *d. 3. de contr. q.* 7. *p. ult. n.* 1.

2. Respondeo. Textus *L. Item quoties, §. Qui impleto, L. Sequens ff. locati*, hanc quæstionem resolvit, distinguendo: Si remansit in prædio rustico sive hominis privati, sive etiam Ecclesiæ, vel Reipublicæ, prorogari solùm in annum, quamvis prima locatio fuerit ad annos plures, idque sub eodem pretio, & cum iisdem hypothecis, & pignoribus, non verò cum eodem fidejussore, nisi hic iterum fidejubeat. At verò, si remansit in prædio urbano, videlicet in domo (nota hanc sic vocari apud Iurisperitos) censeri Locationem prorogatam, prout alteruter ex contrahentibus velit à conductione recedere.

3. Excipe in utroque casu, nisi Dominus obiisset, vel in amentiam incidisset, nam tunc, cùm nullus consensus, ne præsumptus quidem haberi ab eo possit, non adesset illa conditio modò dicta (sciente, & patiente Locatore.) Ita Mol. *d.* 498. *n.* 5. Bonac. *l.c.* alique.

4. Si prædium rusticum non ferat fructum, nisi singulis biennii in casu, de quo loquimur, pro biennio prorogatur locatio, ut notat Bartolus apud Mol. *l.c. num.* 12. Quòd si contrà, dictum prædium ferat fructum bis in anno, per annum intelligetur prorogatio, immò per annum intelligetur etiam in prædio urbano, videlicet Domo, quando Domus non habet usum uniformem in toto anno. Item apud eundem, vel non solent adesse toto anni tempore conductores, ut sunt Tabernæ ad Nundinas, & similes.

5. Inquires tertiò: Cùm sit certum, ut habet Laym. *lib.3.tract.4.cap.* 22. *num.*9. *& comm.* posse loquendo, non posse Dominum Locatorem expellere à domo, vel prædio conductorem; an nihilominus sint casus, in quibus expellere conductorem ante tempus possit?

6. Respondeo, esse quatuor, quas percurrit Azor. *d.3.lib.8.cap.8.quæst.*2. Primò, si pensionem debitam non solvat per biennium, nec in promptu offerat præsentem non solutas. Is tamen expulsus, non debebit pensiones post expulsionem, quia harum carentiam ipsi Locatori voluntariam esse præsumitur, ut notat Lessius *lib.*2. *c.*21. *num.*38 Secundò, si causa gravis superveniat, quâ domus v.g. necessaria sit Locatori ad proprium usum, aliqua ea præviſa non fuerit, quando initio facta fuit locatio, sed tunc conductor expulsus, cùm in nulla sit culpa, eò magis non debebit, nisi pensiones pro tempore quarem conductam tenuit. Lege Molinam, *d.* 499. quia multa affert hujus necessitatis exempla, ex quibus colligo gradum necessitatis, ob quam justè conductorem expellere potes. Et quidem si, cùm aliam non habeas, contuleris, in qua tu habitas, vel in illam Hostes irruant, si eam ducas, vel dignitatem assequaris, vel filium colloces matrimonio, unde egeas majori domo, sufficientes necessitates sunt ad expellendum conductorem, si ex non fuerint initio prævisæ. Idem Mol. *l.c.* docet, id non concedi Locatori jure naturæ, sed ex privilegio Iuris communis, & quia jura non loquuntur, nisi de domibus, sito advertit, non esse id ad alia prædia extendendum. Idem habet Bonac. *l.c.*

7. Tertiò, expellere conductorem potest Locator, si res conducta indigeat refectione, quæ fieri non possit, manente in prædio conductore. Verùm, ut modò in simili dictum est, tunc conductor non debebit ratam pensionis, quæ correspondet tempori absentiæ, quia tunc conductor non abest ex ipsius culpa, ut supponimus.

8. Quartò, quando Conductor damnum infert rei conductæ, ut si porcos alat in domo, si arbores cædat, si agrum non colat, &c. Vt item, si re conducta abutatur contra bonos mores, ut si introducat in domum contectam meretrices, lenones, & similes cum dedecore domus, vel cum scandalo, poterit eum Locator expellere. Et Lessius quidem *lib.*2. *cap.*24. *num.*36. meritò putat, in hoc casu deberi ab hoc pravo conductore pensionem temporis sequentis ab expulsione; usque ad tempus designatum Locationis (intellige juxta dicta *supra, cap.*4. *§.* 1. *à num.* 11.) quia secùs causa, & culpa conductoris cessaret Locatori sibi debitum lucrum pensionis. Potest aliqua ex his causis, poterit Locator expellere conductorem; sed ne ansa detur injustitiæ, alicubi cautum est, ne id fiat sine auctoritate Iudicis, notat *ibid.* Azor. *l.* 10. *Quæres an.*

#### §. II. *Successores.*

1. SUccessor alius esse universalis potest, qualis est hæres, alius particularis, qualis est Legatarius, vel is, cui quis donavit, vel vendidit rem forte locatam. Sit ergo triplex regula.

*Successor universalis.*

2. Prima, Successor universalis tenetur stare locationi, vel conductioni factæ à suo prædecessore; ita Manticam, Carocium, aliósque apud Bonac. *d.*3. *de contr. quæst.* 7. *p. ult. num.* 2. Ratio est, quia hæres universalis repræsentat personam ejus, cui in omnibus succedit. Quare debet omnia servare, ad quæ suus prædecessor se obligaverat.

3. Excipe successorem etiam universalem in Majoratu, & item fideicommissarium quemcumque; ii enim accipiant bona ab eo, qui instituit Majoratum, seu fideicommissum, & non ab eo, qui prædium, vel bi prædeicommissum, & non ab eo, qui prædium, vel bi prædetiâ, locavit, quique non poterat disponere de prædio, nisi pro tempore suæ vitæ, ideo non obligatur stare promissionibus Locatoris; is enim non fuit legitimus administrator, ut ita loquar, pro tempore sequenti ad suam mortem.

Successor

*Successor particularis ex Donatione, Legato, &c.*

4. Regula secunda habet duas partes. Prima est: Successor particularis ex donatione, legato, vel simili contractu gratioso, sive succedat in proprietate, sive solùm in usufructu talis rei particularis, non tenetur stare locationi prædecessoris, seu donatoris, & consequenter, nec conductor tenetur stare ejusmodi conductioni.

5. Secunda pars regulæ est: Si tamen conductor velit stare, & non permittatur, potest ipse conductor agere ad interesse contra eum, qui ipsi rem locavit, vel contra ejus hæredes. Ita iidem Doctores, & passim. Ratio prioris partis regulæ est, quia successor particularis non succedit in omnibus juribus, vel debitis prædecessoris, seu donationis, sed in illo tantummodo bono peculiari, quod sibi datur, ergo non obligatur ad servanda jura, vel debita, quæ fuerunt contracta inter locatorem, & conductorem, quæ cùm fuerint personalia, non fuêre translata in ejusmodi particularem successorem, qui nec legantis, nec donantis personam repræsentat. Ratio posterioris partis regulæ est, quia tunc per translationem rei conductæ in alium, locator, vel ejus hæredes sunt conductori causa illius interesse. Unde meritò sic deciditur in Jure, *l. Emptor, C. de locator. l. Si merces, §. Qui fundum. ff. locati, l. Nihil, §. ult. ff. de legatis primo.*

6. Quoad primam partem regulæ, excipe primò, nisi signatè initio locationis deductum esset in pactum, ut pro tempore locationis res locata remaneret particulariter ipsi conductori subjecta, seu hypothecata ad securitatem suæ conductionis: nam tunc invalida fuisset, seu certè invalidanda alienatio subsequens, facta à locatore, cùm fuerit contra Jus particulare conductoris ipsi ortum ex vi talis pacti. Dictum autem est (nisi signatè, &c.) nam si res locata solùm generaliter hypothecata fuisset in hunc ferè modum: Omnia mea bona sint tibi conductori subjecta ad securitatem tuæ conductionis, tunc valida sine dubio fuisset subsequens alienatio, sed conductor, juxta secundam partem regulæ, haberet Jus se defendendi contra Locatorem, seu Locatoris hæredes, volentes eum expellere, ut fusè Molina, *d.* 490. qui deinde *n.* 9. prosequitur, quid dicendum sit in re locata à Fisco, & paulò post, in quibusnam idem Fiscus succedere soleat.

Excipe secundò, id, quod mox excipiam §. 3. *n.* 2. cùm de Emente.

*Successor sui Administratoris.*

7. Regula tertia: Quando aliquis alteri prædecessori sive defuncto, sive viventi succedit, etiam in re particulari, qui prædecessor administrationem rerum illius, qui succedit legitimè habebat, quique prædecessor rem illam locaverat, debet ejusmodi successor stare locationi factæ. Ita Moll. Rebell. Mantica, Gomez apud Bonac. *loc. cit. n.* 7. Ratio regulæ est, quia quilibet obligatur rata habere ea, quæ facta sunt à suo legitimo Administratore, seu suo Procuratore, quamvis deinde hic moriatur, vel à munere amoveatur. Cùm ergo hic Locator, de quo agimus in hac regula, fuerit legitimus Administrator, unde legitimè locaverit, debebit ejus successor eam locationem ratam habere.

8. Hinc Pupillus debet stare locationi factæ à Tutore, vel Curatore. Hinc ex meliori sententia, quam sequitur cum aliis Molina *d.* 492. Uxor, mortuo Marito, debet stare locationi non solùm bonorum dotalium, sed etiam paraphernalium factæ ab eodem Marito, quia Maritus non solùm est usufructuarius rerum dotalium, sed etiam est legitimus Administrator earumdem rerum dotalium, & etiam, saltem, quando uxor non prohibuit, paraphernalium. At verò Maritus tunc solùm obligatur stare locationi antea à dotante factæ, v.g. domus datæ ipsi in dotem, quando Maritus eam rem in dotem accipiens, sciebat, esse locatam, quia sic tacitè visus est locationi consentire; secùs, teste Mol. *ibid.* n. 4. si nesciebat, quia tunc, cùm sit successor particularis in dominio utili, recurret secunda regula jam *n.* 4. allata.

9. Hinc denique Prælatus, Abbas, Beneficiarius debet stare locationi factæ à suis prædecessoribus de bonis pertinentibus ad Ecclesiam, quia horum illi prædecessores fuerunt legitimi Administratores, & hi posteriores succedunt in his bonis Ecclesiæ, quasi eandem Ecclesiam repræsentantes, ut repræsentabant prædecessores.

10. Dixi (de bonis pertinentibus ad Ecclesiam) nam de bonis, quamvis Ecclesiasticis, sed pertinentibus ad suam dignitatem, vel Beneficium, cujus fructus sui sunt, cùm ea dictæ personæ administrent, ut res suas, quoad fructus, valide quidem locant pro tempore suæ vitæ, sed non pro tempore post suam mortem, unde tunc successor stare locationi non obligatur. Et nota, in his bonis pertinentibus ad eorum dignitatem, vel Beneficium, successores succedere, tanquam in Majoratu, quibus prædecessor præjudicare non potest, unde si hic prædecessor exegit pensionem pro tempore post mortem suam, potest successor eam nihilominùs exigere. Lege Bonacinam *disputat. 3. de contract. quæst. 7. part. ult. num.* 10. *fine.*

11. Atque in hoc toto casu hujus *n.* 10. Sicuti Locatoris successor potest recedere à Locatione, præter casum, quem mox § 3. *n.* 2. & 3. dicam, cùm de Emente, sic conductor potest conductionem relinquere. Denique memineris, hæc omnia dicta semper esse, præscindendo ab aliqua legitima consuetudine fortè alicubi introducta, vel justo pacto, &c.

## §. III. *Successor particularis ex Emptione.*

1. Emens rem ab aliquo, est ejus successor particularis. Emens ergo rem locatam, eadem prædicta secunda regula, duas habente partes, utatur, quam modò §. 2 *n.* 4. attulimus.

2. Unum tantùm casum excipio, in quo is, qui emit, saltem ex æquitate, stare debet contractui, nec expellere potest Conductorem. Nam colonus, v. g. si, postquam agrum conduxit, illum seminavit, non debet ejusmodi colonus expelli ab emente memoratum agrum, donec messis colligatur. Ita Sylvest. Tabiena, aliique apud Bonac. *loco citato num.* 6. quia secùs intempestivè expelleretur, cùm æquum non sit, colonum fructuum jacturam perdere.

3. Idem cum Quaranta, & Ricc. cum eodem Bonac. *ibidem num.* 10. dic de Prælato successore bonorum Ecclesiasticorum particularium Prædecessoris; nam, si res non est integra, & Conductor operas adhibuit in agro Beneficiarii colendo, dictus successor non potest Conductorem expellere, donec annus, vel fructuum collectio finiatur, ne scilicet intempestivè cum alterius damno abscindatur locatio.

4. Ex quibus colligo, idem debere dici de omnibus similibus, vel dissimilibus successoribus, quia æquitas non patitur, ut Conductor aliquo damno, dum bona fide in operas processit, afficiatur.

---

# CAPUT VII.

## Explicans illud descriptionis,

### *Personam aliquam, vel seipsum.*

1. Hæc pars descriptionis notat, posse quempiam, vel seipsum, vel aliam personam, in quam quis Ius habet, v.g. suum servum, locare alteri; quod est operâ famulatus alteri promittere, sive universaliter in omnibus, ut sunt famuli, qui sub pretio se exhibent ad ser-

viendum in quacunque te Domino, sive in aliquo peculiari opere, ut sunt artifices, coloni, scientiarum magistri, &c. De his ergo sub communi nomine famulatus nonnulla perstringam, nec solùm ea, quæ strictè pertinent ad contractum locationis, de quo loquimur, sed etiam (quandoquidem adest hæc occasio) ad alia universaliter, quæ spectant ad famulos, & consequenter ad Dominos.

2. Vt autem ordinatim procedam. Primò, agam de famulis, qui iuxta promissum, seviunt, seu servierunt. Secundò, de his qui promissionem violantes, non serviunt, cùm possint. Tertiò, de his, qui non serviunt, cùm non possint.

### §. I. *De Famulis, qui serviunt, seu servierunt.*

1. Iis, qui debitum obsequium exhibent, vel exhibuerunt, deberi iustum stipendium, quis ignorat? Sed quærenda sunt adhuc duo. Primò, quodnam est debitum obsequium? Secundò, quodnam est iustum stipendium.

#### *Quodnam est debitum obsequium?*

2. Illud est, quod moralitet; & communiter in illo genere ab aliis exhiberi solet. Et quia illud habet latitudinem, iuxta quam diligens, diligentior, diligentissimus famulus servire potest, satis erit, in gradu infimo, id est, ut famulus exhibeat diligentiam, nec necessariò maximam, nec illam, quæ vergat ad desidiam, idque præciso pacto maioris diligentiæ, pro qua daretur maius stipendium, ut ex se patet.

3. Hinc fit primò, ut si famulus prædictam diligentiam, saltem in infimo dicto gradu, non servet, ex quo sequatur damnum aliquod Domini, fit, inquam, ut obligetur ad restitutionem damnorum, immò, propter paritatem rationis, etiam lucrorum, Domino inde cessantium. Verùm, hîc maximè est notanda monitio alia, *lib.8. in Decalog. tract.3.c.5.§.1. num. 5. & lib.1. cap.3. §.7. v. Depositum*, & iterum dicam *infra, lib.9. tract.7. de Societ. cap.8. n.15.* sæpè tradita, nimirum negligentiam, quæ in uno genere famulatus, v.g. in transferendis lignis, est levis, gravem esse in transferendis vasis vitreis. Locum omninò recole.

4. Fit secundò, ut si, posita prædicta diligentia, famulus alias operas exerceat, lucretúrque, possit hoc lucrum sibi acquirere, & retinere, quia quando sese addixit Domino, eiusmodi à se potestatem non abdicavit.

#### *Quodnam est stipendium iustum?*

5. Iustum item stipendium habet summum, medium, & infimum gradum, estque illud, quo communiter in foro solent operæ, famulíque talis ministerij conduci, & satisfaciet Dominus, si (præscindendo ab aliquo iusto pacto) det infimum, ut notat Bonacin. *loc. cit. p.4. num.3.* sicuti, nec iniustè aget amuius, si petat summum: si petat, inquam, nam si tacet, videtur infimo contentus esse, atque adeò non potest, prætextu supremi debiti, compensare sibi usque ad summum.

6. Hæc ita in genere dicta rem exactè nequaquam definiunt; adhuc enim restat scrupulus, ecquòdnam sit eiusmodi iustum, licèt infimum stipendium, præsertim, quia nesciri vix potest in tanta varietate operarum, & ministrorum, quodnam stipendium in foro, & communiter currat? Id ergo & prudens, & expertus vir facilè expiscabitur, si quatuor expendat capita, quæ iam subdo.

7. Primò: Expendat, famulos interdum condonare defectum mercedis Domino ob quatuor potissimùm subinde rationes, nempè primò, quia ab ipsis Dominus sperant favorem, & gratiam, immò etiam munera in Republica, & Beneficia; hæc enim sola spes est pretio æstimabilis, tamet deinde nihil reipsa acquiratur.

Secundò, quia obsequium est admodum exiguum, unde remanet ipsis locus, sive otiandi, sive alio modo lucrandi.

Tertiò, quia; dum serviunt, aliquam artem addiscunt, ut sunt servientes artificibus, Professoribus Medicinæ, Musicæ, & similibus, quin aliquando ob hoc alimenta victus, & non rarò ne ob victum quidem, sed solùm ob eiusmodi unum finem addiscendi, famulantur.

Quartò denique, quia compensatur satis, saltemque merces ab honore officij. Sic aliqui officiales in Curatibus, quos Iuratos Siculi appellamus, modicissimo stipendio frauntur, licet maximis Reipublicæ occupationibus distendantur, eo scilicet honore contenti, pro quo adiscendo, sæpissimè multum se expendisse, nam gloriantur.

8. Secondo, expendat vir prudens numerum famulari volentium, qui frequentissimus hodie solet esse; nam enim famulorum copia valdè diminuit de ipsorum mercede, quia tunc ultrò se offerunt pro quocunque pretio, ultroneas autem meres vilescere usque ad tertiam partem, immò aliquando etiam usque ad dimidiam, docui à nonnullis diximus *alibi, lib.8. in Decal. cap.7.§.4.n.6.* & certè tunc vilius esse debere stipendium, mirum non est: sicuti in cæteris rebus venalibus, quando hæc abundant, usu venire solet.

9. Tertiò, expendat etiam necessitatem ipsorum famulorum, nam licet mera necessitas servi non debeat minuere pretium sui labotis, neque enim, si ego habeo necessitatem vendendi frumentum, præcisè ex hoc tu infra infimum pretium potes emere, nisi aliunde dictum pretium vilescat: tamen, quia, quando hac necessitate laborant multi servi, non inveniuntur Domini, qui maius prerium præbere velint, inde fit, ut stipendium, tunc communiter currens in foro, sit minus, & consequenter hoc, quamvis vilius, sit iustum.

10. Quartò, est etiam perpendenda, ad Iustitiam stipendij cognoscendam, ipsa liberalitas domini, qui non ratò ad suæ familiæ decus pertinere putat, si (ut magni Principes consuevetunt) plus suis famulis impertiatur, quàm eorum famulatus mereatur.

Atque ex hoc ultimo solvitur illa quæstio: An si dives dominus det suo honorario famulo victum pro ipso, & hordeum, v.g. pro equo, vel aliam victus portionem, quâ is honorarius famulus alium pro se famulum habeat, ipse verò, nec equum, nec alium alat, possit sibi illud hordeum, & portionem illam reservare? Posse enim puto, non soltùm, quia ea non videntur dari, ut ille habeat equum, & famulum, sed, ut possit habere, & totum defectus non redundat in damnum, seu dedecus Domini, sed solùm ipsius honorarij famuli: quæ sunt rationes Magistrorum Salmanticensium approbantium hanc doctrinam apud Delugo, *d.16. de Iust.n.* 82. verumetiam, quia ejusmodi Principes, ac divites Domini non ad infimum stipendium, ut modò dixi, sed ad liberalem beneficentiam ea mensurant, quæ donant.

11. Quando non stat per famulum, ut serviat sed per Dominum, qui nolit uti eius opera, an habere debeat æquale stipendium, ac si serviret, dixi satis *supra, cap.4. §.1. num.5.*

#### *Famulorum expulsio.*

12. Huc reducamus illam quæstionem: An si aliqua causa, ex qua iustè possit Dominus, ante finitum conventionis tempus, ejicere servum famulari volentem.

Respondeo: Præcisis nonnullis legibus, quæ fortè alicubi vigent, de quibus Molina, *d.505. & 506.* potest dimitti prædictus servus ex causa gavi superveniente, quæ in initio prævisa non fuit, vt *ibidem* docet Molina.

13. At, quænam est causa nova?

Respondeo, non solùm esse gravissimam, ut si Domini vitæ

vitæ insidiaretur famulus, si furaretur bona Domini, si damnum eidem afferret, &c. Verumetiam, si famulatum notabiliter negligeret, ita ut adhiberet notabiliter minorem infra infimum gradum ordinariæ diligentiæ; quem in simili ministerio solent alii famuli communiter adhibere.

Ratio est, quia jure naturæ, & præcisis legibus positivis, vel peculiari pacto, talis videtur esse intentio contrahentium, ut sicuti Dominus dat bonum stipendium, ita bonum obsequium famulus præstare debeat, quod certè illud est, quod saltem infimum diligentiæ gradum attingit, modo, quo paulò antè *n.* 2. & 3. explicatum est. Ni ergo illum famulus attingat, meritò Dominus stare contractui, non obligabitur.

*Famulorum recessus.*

14. Huc etiam reducamus quæstiunculam præcedenti affinem: An scilicet famuli, quando tempus serviendi non est ex pacto determinatè definitum, possint, quandocunque velint, à famulatu recedere?

Respondeo, posse absolutè, sed maximè tunc attendendum esse ad consuetudinem Regionis, qua famulus soleat, vel non soleat ad libitum à contractu recedere. Perpendendum etiam erit genus famulatus, nam aliquando ipsa res, in qua obsequium versari debet, ostendit, an ad annum, ad menses, ad dies, an etiam ad horas dumtaxat extendatur. Quibus consideratis, recedendi facultas, sive denegetur, sive concedatur à viro pudenti.

*Compensatio famulorum.*

15. An famulus, si justam mercedem illi deneget Dominus, possit, si alia via suum habendi non apparet, occultè sibi compensare?

Respondeo, posse, sicuti in similibus certum est. Venùm, valdè cavendus ille scopulus, quo famulus immeritò putet, mercedem justam non habuisse.

16. Solet autem hic maximè quæri (& molestissimam esse difficultatem Confessariis, in hac decidenda, faretur Rebell. 2. *part. lib.* 14. *quæst.* 15. *num.* 9.) an, quando famulus pro sua necessitate promittit operam Domino pro stipendio minori, quàm infimo, an, inquam, possit occultè sibi compensare, quod deest, usque ad justum infimum pretium: nam usque ad medium, vel summum jam diximus *n.* 5 non posse.

17. In hac difficultate ob duo capita regulariter non posse, judico, præter caput ductum à condonatione, quæ aliquando præsumitur, fieri à famulo, ut dictum est modò *n.* 7.

18. Nam primò: Si eam necessitatem habet famulus famulandi huic Domino pro vili pretio, ideo est, quia non invenit alium Dominum pro majori pretio; ad illum enim confugeret, si facilè esset illum invenire: si ergo non est facile, sequitur, vile pretium esse commune in foro; atque adeo justum: ergo excedi non poterit à servo. Id vidit Delugo *disp.* 16. *de Iustit. num.* 80. qui sic habet: *Quare verò credendum in hac parte famulis obtendentibus defectum justi stipendii: Cur enim alium Dominum non quærunt cum majori stipendio, vel non quæsierunt, si invenire facilè poterant? Si autem non poterant, non ergo fuit injustum pretium, quo majus communiter non poterant invenire.*

19. Secundò, quia dum servus dicit, se vili mercede servire, decipit Dominum, qui regulariter in tanta multitudine servorum, qui hodie serviendo victum quærunt, alium, eadem, immò interdum minore mercede, inveniret; ergo servus, cùm sit causa talis damni Domino, resarcire debet: resarcire autem, non petendo stipendium illud majus, quod aliàs, si Dominum non decepisset, habere justè potuisset.

20. In hoc secundo capite habeo contrarium prædictum Delugo: sed fusè, & ad evidentiam, ut mihi videtur, ejus rationes ego dissolvi per aliam occasionem, *in opusc. de Sacrific. Missæ, lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. quando de hac excusatione famulorum pluribus disseruit.

Dixi autem *n.* 19. (regulariter) quia, si servus, qui necessitate compulsus, se ob vilem mercedem locavit, vere invenisset majorem, non decepisset eum effectu Dominum, quia is nunquam invenisset servientem viliori pretio, atque adeo posset servus sibi compensare ex probabili sententia, quam ibidem explicuimus.

21. Huc etiam pertinet, quando servus, vel amicus exhibet aliqua obsequia, ad quæ non tenebatur; quæritur enim, an hic possit sibi compensationem ex bonis Domini, vel amici facere? Et quidem, si gratis fecit, certum est, non posse; Lege Navar. Less. Vasquez citatos à Bonacin. *disp.* 3. *de controv. quæst.* 7. *num.* 4. nec enim semel donata potest quis, mutata voluntate, sine consensu ejus, qui recepit, sibi resumere. At si invitus, posse (si nihil aliud addatur) dicendum est. Idem *ibid.* quia labori debet æqualis merces solvi, & nemo facilè præsumitur condonare; cùm condonatio sit donatio, quæ non præsumitur, nisi exprimatur.

22. Dixi tamen (si nihil aliud addatur) nam maximè cavendum est, ne Dominus, vel amicus rationabiliter putet, gratis à te ea obsequia præstari, & sic tua culpa deceptus, cùm potuisset illa habere gratis, ab alio, ipse ad nihil juxta dicta *à num.* 17. tenetur, & tu contra justitiam compensationem attentes.

*Famulorum stipendium, quando committitur arbitrio Domini.*

23. Inquires tertiò: Si quis serviret, remittendo se sui Domini arbitrio, quantum esse debebit justum stipendium, quod Dominus obligaretur solvere?

Respondeo cum Bonacin. *loco cit. num.* 10. esse, illud, quod communiter aliis solvi consuevit, consideratis tamen iis omnibus, quæ modò *à num.* 6. ut justum stipendium taxetur, consideravimus; in hoc enim sæpè falluntur famuli, qui remittunt se arbitrio Domini, & deinde mensurant absolutè famulatum, non verò ex illis capitibus, putà sive ex condonatione, sive ex eo; quod in propria necessitate justum stipendium est satis vile, sive ex eo, quod decipiunt Dominum, sive ex spe, quam à Domino concipiunt, &c.

*Stipendii famulatus Præscriptio.*

24. Inquires quartò: Si, per annos aliquot, famulus non petat stipendium sui famulatus, potestne Dominus illud præscribere, ita, ut non obligetur amplius solvere?

25. Respondeo, ex jure communi posse: Si enim servus, cùm possit petere, non petit suum creditum, & Dominus, quia non est requisitus à servo, bona fide, debitum non solvit per triginta annos, jam vi præscriptionis, non obligatur amplius prædictus Dominus.

26. Dixi per triginta annos, quia hæc est communis doctrina de præscriptione debitorum, ut videri potest breviter apud Delugo *disp.* 7. *de Iust. n.* 80.

27. Dixi rursus (de Iure communi) nam in aliquibus regnis triennium sufficere ex jure particulari, non ignoro. Consulat ergo quisque Regionis suæ municipalia, jura, & quidem de jure Hispanico, quoad hanc præscriptionem stipendii servorum, vide fusè Thom. Hurtad. *tract.* 8. *moral. cap.* 2. *à n.* 245.

*Solutio stipendii non requisita.*

28. Petrus Dominus probè novit, Paulum olim suum servum; anno, v. g. superiore, sibi interfuisse fideliter, non tamen habuisse stipendium, & nunc, quando non est amplius ejus servus, videt, illum non petere, Inquires, an obligetur ipse Dominus non requisitus illud ei dare?

29. Respondeo, hanc quæstionem dissolvit idem Th. Hurtad. *l. c. n.* 248. dicens, Dominum non teneri stipendium

dium offerre, nec deferre famulo extra domum suam existenti, & non petenti (nam intra, semper tacitè petit, seu expectat.) Ratio est (inquit) quia dum servus sciens sibi deberi mercedem non petit (addo tamen tanquam omnino necessarium, cùm possit, nec ob timorem Domini, vel quid simile retrahatur) Dominus meritò cogitabit, servum velle dictum stipendium donare, seu relaxare; id, quod Hurtadus confirmat ex aliis Doctoribus, qui, & in gabellis, & in legatis idem dicunt, ut scilicet, quando à Gabellariis, & à Legatariis scientibus sua credita, & petere valentibus, ea non petuntur, non sit obligatio illa offerendi.

*Auctis servitiis, augendum pretium famuli.*

30. Si famulus tuæ familiæ obsequio se obligavit pretio certo, sed deinde augetur familiæ numerus, debétne augeri pretium. Idem quæri potest de quocunque incremento laborum in serviendo?

Respondeo, cum necessaria distinctione: Si parum augetur de labore, non esse pretium augendum, si multùm labor augeatur, etiam proportionaliter augendam mercedem. Ratio est, quia pro parvo augmento involvitur consensus implicitus, pro valdè magno, non item. Idem dic in Medico, si se obligavit ad inserviendum Monasterio, Seminario, Familiæ, &c. quando pari modo augentur personæ inserviendæ, ut notat Corradus, *de contr. q.* 88. Azor. 3. *p. l.* 8. *c.* 14. *q.* 1. & 2. Notentur tamen dicta *num.* 21.

31. Quòd si in pretio statuendo, habita est ratio singulorum, ut quando conventum fuit dari, pro inserviendo singulis, tantum pretii certè, si crescat numerus personarum, debere & crescere pretium sic taxatum, dubium esse non potest.

32. Quid, si quis se conduxit certo pretio ad æ lificium, v. g. faciendum, & deinde apparet, notabilem auctum fuisse laborem, immò & auctas expensas, quas sibi faber assumpsit faciendas?

Respondet Bonac. 3. *de contr. q.* 7. *p.* 4. *n.* 18. debere augeri & stipendium. Verùm, non semper id admittam in praxi, quia solet, in his conventionibus sine fraude iniris, admisceri periculum æquale ex utraque parte contrahentium; nam aliquando ædificium, vel simile quippiam absoluitur paucioribus, aliquando pluribus expensis ergo est æquale periculum pro utraque parte. Profectò idem Bonac. *ib.* docet, non debere augeri stipendium illi, qui se obligavit, ad transferendas cum navigio merces alterius, putans se aliquibus diebus posse iter absolvere, sed postea ventorum adversantium causa, multò pluribus absolvit; id, inquam, docet, quia poterat etiam ventorum favore multò paucioribus. At simile quid etiam evenire poterit in casibus aliis.

33 Si Mercator promisit pretium Gubernatori navis, ut merces, verbi gratiâ, ad Indos, vel ad alium locum transueheret, sed medio confecto itinere, ob reluctantes ventos reversa est navis in portum, unde discesserat, quale pretium esse debebit? convennúmne, an aliud minus?

Respondeo, de hoc peculiari casu pluribus disputant Molina, *d.* 502. Bonacin. *loc. cit. num.* 20. Delugo *d.* 29. *de Iust. num.* 34. aliique, quos adi; nos enim monent famuli à promisso famulatu deficientes, ut ipsos non deseramus.

*Stipendium datum Famulo in damnum Creditorum Domini.*

34. Denique, si Dominus famulo stipendium solvens fiat impotens ad solvenda ea, quæ hic Dominus debet suis creditoribus, potéstne licitè illud acceptare famulus. Immò, si hanc impotentiam prævideat idem famulus, poteritne illius obsequiis se addicere?

35. Respondeo Bonac. *d.* 1. *de restit. q. ult. punct.* 2. *n.* 30. breviter sic docet: Famuli inservientes alicui domino, quem sciunt fieri impotentem ad restituendum creditoribus, non possunt aliquid ab eo accipere, aut acceptum retinere, nisi fortè tantundem Domino acquisierint inserviendo: Propterea consulendum est hujusmodi famulis, ut discedant. Ita Valentia, Aragonius, Novar. Molina, aliique. Horum sententiam limitarem cum Valentia, modò Dominus illius, non indigeat, ita ut sine illius vitio non possit absque magno dedecore, juxta qualitatem & conditionem personæ. Nam si hoc modo illis indigeat, existimo, eos posse sui famulatus stipendium accipere; sicut enim Dominus excusatur ob suum tantum incommodum, ita famulus. Hinc ita patet à fortiori, Medicum, Pharmacopolam, & alios præbentes necessaria infirmo, qui non est creditoribus solvendo, posse ob prædictam rationem pretium accipere. Ita Valquez, Itte Bonacin.

36. Quibus ego aliam limitationem adderem, seu declarationem: Nam, ut famulo non liceat stipendium à Domino acceptare, vel illius obsequio se addicere, debet ei constare, Dominum impotentem sic reddi ad satisfaciendum suis creditoribus; constare, inquam, fide certitudine morali; non enim præsumendum est, delictum committi, (quale certè à Domino, si volens inhabilem reddere, committeretur) nisi de eo constet. Cùm ergo famulus nesciat plerumque, nec scire possit potentiam, vel impotentiam Domini, facilè excusari poterit à peccato, &c.

§. II. *Famuli, qui non serviunt, cùm possint.*

1. PRo tempore, quo Famulus, cùm posset, non servivit, jam scimus non debere ipsam accipere mercedem, eandémque ei negari meritò posse à Domino. Sed quid pro tempore, quo servivit? Potéstne aliquando ei negari merces eo prætextu, quod nunc ipse non præstet quatur famulatum promissum?

2. Respondeo, non posse absolutè negari, quicquid dicat cum Sylvestro Azor. 2. *p. l.* 8. *c.* 39. *q.* 6. putans posse aliquid arbitrio boni viri detrahi. Ratio nostræ doctrinæ est, quia operarius dignus est conventa mercede pro tempore, quo operatur. Si ergo aliquando operatus est, sua mercede pro illo tempore defraudandus non erit.

3. Dixi, *Absolutè*, nam si ob recessum famuli, nolentis servire, aliquod lucrum Domino cesset, vel damnum emergat, potest dominus tantum de mercede præsenti famulatus retinere, quantum ea damna compensentur; tunc enim famulus injusta causa est jacturæ Domini.

4. Hinc Rusticus, qui se locavit pro toto anno, transacta autem hyeme, recedit, invito Domino, à famulatu, ut æstivo tempore alibi, majori stipendio, serviat, quando cariores sunt rusticantes famuli, obligatur in conscientia, restituere Domino, quantum ipsius interest, famulum recessisse. Quare illud dominus, ex mercede forte nondum soluta, poterit sibi retinere.

5. Præterea servus in casu, de quo loquimur, obligatur redire ad Dominum, ut toto promisso tempore famuletur, quia ex contractu, & aliquando ex addito juramento, se obligavit illud complere. Neque liberare se ab hoc reditu potest, etiamsi omnia damna refaceire velit; quia dominus habet Ius ad personalem illam obligationem factam à servo.

6. Quid de Domino, semel recedente culpa sua famulo, obligabitúrne is cum iterum recipere?

Respondeo, saltem non obligari videtur. Ita Delugo *d.* 29. *de Iust. num.* 56. quando recessus ipse tanta culpa æstimatur, ut, propter æqualem, potuisset dominus illum expellere.

§. III. *Famuli, qui non serviunt, cùm non possint. Vide de Famulo ægrotante.*

1. SErvus, durante tempore statuto ad obsequium, conjicitur in Carcerem ob aliquod delictum (sua ea

ea intentione paratum, ut non serviat ( vel, ob mortem sui parentis, adstringitur ad curam suarum rerum, vel in morbum incidit; quo affectus servire non potest, vel in aliqua similia impedimenta incurrit, quæ impossibile illi, sive physicè, sive moraliter reddunt, posse prosequi famulatum: Servus, inquam, ejusmodi fine dubio potest famulatum relinquere, & dominus obligatur consentire, solvendo tamen ratam mercedis debitam factis obsequiis, quia contractus, initio initus, semper censetur factus sub conditione, quod aliquid grave non obstet. Sicut enim dominus, si conjiceretur, v. g. in carcerem, unde non indigeret servis, posset illos dimittere, ita & servus, &c.

2. Quæstiunculæ autem tres hîc solent de ægroto famulo adnecti. Prima, an sit curandus expensis domini.

3. Secunda: An idem debeat accipere mercedem pro eodem tempore, quo propter infirmitatem ( idem propter aliud rationabile impedimentum ) non famulatur.

4. Tertia: An servus locatus, v. g. in annum, si ægroter, seu legitimè impediatur per mensem, v. g. obligetur, post annum supplere hunc mensem in serviendo, & an dominus, pro hoc mense supra dictum annum, admittere illum debeat, soluta debita ipsius mensis mercede. Loquimur autem in his semper, præciso pacto, sive implicito, sive explicito, ad quod dominus, vel famulus se obligasset.

5. Respondeo ad primam, negativè; Ita multi apud Dianam *part. 1. tr. de contr. ref 86.* Bonac. *d. 3. de contr. q. 7. p. 4. n. 13.* quia ad illas expensas ex vi conductionis non se obligavit dominus: immò nec se obligavit ad alimenta pro illo tempore; quo sibi infructuosus futurus esset servus. Quidquid affirmet de his alimentis Azor. *3. p. l. 14. q. 3.* Excipi debere extremam necessitatem, quando ex Charitate debet quilibet cuilibet succurrere, admonitione opus non est.

6. Respondeo ad secundam, item negativè. Ita multi apud Dianam *l. c.* Ratio est, quia, cessante fine famulatus, non apparet, cur non debeat cessare, & obligatio solvendi illius mercedem. Scio, apud eundem *l. c.* aliquos esse contrarios huic nostræ, & quidem communi sententiæ, sed non sunt audiendi, quia argumentum ipsorum ductum ex Textu, *l. 1. §. Divus Severus ff. de variis, & extraordin. Condit.* in quo Imperator concedit advocatis defunctis mercedem, etiamsi non servierint, facilè solvitur; loquitur enim Imperator de Advocatis mortuis quidem, sed pro tempore, quo vivebant, & quo per ipsos, dum vivebant, non stetit, quin servirent. Advocatorum enim, ut Procuratorum, Medicorum, Barbitonsorum, & similium ejus naturæ officia sunt, ut tunc satis, supérque censeantur continuato servire, quando sunt prompti ad obsequium, & in occasionibus, quæ se offerunt, à serviendo non deficiunt. Non ita se habet communiter famulorum, de quibus potissimè loquimur, conditio; horum enim est continuò servire, & in dies, immò, in horas. Dixi tamen ( Communiter; ) nam, & his etiam suam deberi mercedem, quando in suo serviendi modo per ipsos non stat, famulari, *supra, c. 4. §. 1. n. 4.* indicatum est.

7. Ad tertiam, respondeo item negativè. Ratio est: quia contractus fuit addictus ad illum unum annum, quare eo elapso, elabitur obligatio, tum pro servo, tum pro domino; Is enim non obligatur admittere servum volentem refarcire tempus subtractum, sed poterit, juxta supradicta, partem stipendii correspondentem tempori, in quo famulus non servivit, ab ipso demere, illumque dimittere, Sicuti enim votum jejunandi huic anno, vel huic diei addictum, anno, vel die transacto, non amplius obligat, ita Conductio, & Locatio, sive domus, v. g. sive famulatus pro hoc anno, vel die, iis exactis, non amplius obligant.

# TRACTATUS V.

## DE

## EMPTIONE, ET VENDITIONE: Remissivè.

DE hoc argumento latè, & pluribus egi *lib. 8. tr. Decal. tract. 3. c. 7. per totum*, quare ibi dicta non sunt à me repetenda, nisi fortè Typographus velit totam illam tractationem hic ad Lectoris commodum transcribere, quod certè non recusarem.

*An vino vendendo misceri aliquando possit aqua.*

Ne autem inutile sit hujus Tractatus meminisse libet sequentem difficultatem pertinentem ad Venditionis, Emptionisque argumentum, diligenter excutere.

§. Unicus. *An vinum aqua dilutum possit aliquando vendi pretio vini puri?*

1. DIxi *l. 8. Dec. tr. 3. c. 7. §. 5. n. 4.* in hanc sententiam: *An immisceri aliquid possit rei extraordinariæ bonitatis, & conflatum sic redditum æquale cæteris, taxato pretio, vendere, ut frumentum electum mixtum hordeo, vinum generosum mixtum aquæ?*

*Respondeo, Concederem id aliquando frumento, vix unquam vino.*

2. Hæc ibi dixi, nunc verò, re diligenter expensa, sic aio: *Concederem id aliquando frumento, nunquam vino.* Ita communiter de vino, Doctores, ut Petr. de Ledesm. Rebell. Salas. Med. Molin. Navar. Rodriq. Azor. quos citat Diana *p. 1. tr. 8. res. 51.* Rationes multæ ad id asserendum, me urgent.

3. Primò, Ideo pro vino puro vendere posses, ut ais, vinum aqua dilutum, taxato, vel communi pretio, quia per aquam illud redditur æquale vino, quod in eodem foro venditur, tuum enim vinum valde generosum facis, ex aqua, simile communi vino debili. At omnino falsum est, vinum sic reddi æquale, vel simile vino communi: Ergo caput non habes, unde æquali pretio vendere possis.

Minor adeo vera est, ut potiùs explicatione indigeat, quam probatione: Vinum tuum est conflatum ex vino, & aqua: Vinum fori est vinum solùm. Ergo tuum non est redditum huic æquale, vel simile. Licèt enim ignoranti mistionem, æquale, vel simile appareat, verè tamen hujusmodi non est; sicuti manus Iacob, quæ apparebant manus Esaü, verè tamen manus Esaü non erant. Quemadmodum ergo, nisi ibi latuisset Mysterium, verè Iacob parentem decepisset, ita tu decipis ementem.

4. Atque hinc emergit secunda ratio ducta ex involuntario: Si Emptor adverteret, in vino adesse aquam, communiter nollet illud sic emere, Emens enim vinum, substantiam vini petit, non substantiam aliam. Ergo involuntariè tuum vinum emit, ergo tu iniquè vendis. Dico ( communiter. ) Nam esto, aliqui de hac mistione nil fortè laborent, certè in tanta copia ementium semper non pauci nollent sic emere. Saltem igitur hos, qui involuntarii sunt, decipis.

5. Tertiò, etiamsi concedatur ( quod tamen minimè concedi, dicam mox *num. 13.* ) te non obligari ad restitutionem, si quando das tuum vinum, quod mistum illa aqua verè tanti pretii æstimetur, quanti tu vendis. At quis te liberabit à peccato, quo per dolum, & fraudem ementem inducis ad emendum? Si ego te fraude, vel vi, vel metu compellam ad emendum meum, v. g. æquum, justo, immò modico pretio, quo valet, nonne sum

tibi

tibi injurius, & contra te pecco, dum fraudem induco, vel timorem incutio ?

6. Quartò: Quia magna est disparitas inter vinum, & frumentum illisque similia, unde concedere, aliquando possimus mistionem illam frumenti, aquæ autem infusionem nunquam vino. Disparitas autem est duplex. Prima: Quando in frumento, quod communiter venditur in foro, adest aliqua hordei, v. g. vel lolii pars illi commixta, tuum autem sit sincerum, & purum, si hordeū, vel lolium, vel quid simile addas tuo (nam addere terram, arenam, vel quid omninò diversum, quod simile non est in frumento fori, non concedo) æquale, ac simile facis tuum illi, quod venditur communiter in foro, quod æquè mistum est hordeo, lolióque. At non ita in vino, cui admisceatur aqua. Vinum enim fori est sola substantia vini, non ita tuum, quod à te factum est vinum, & aqua. Hinc facilè concedam, posse te vino generoso admiscere vinum tenue (nisi aliud obstet (sic enim reddere illud potes æquale vino communi, non verò, aquam, quæ est peregrina substantia à vino. Dixi (nisi aliud obstet.) Nam, si adsit lex, v. g. ne vinum unius Regionis vendatur tanti, quanti venditur vinum alterius, sanè tunc non posset fieri mistio illius vini cum hoc, illúdque pretio hujus vendi, ut ex se patet. Sed hæc est alia quæstio, de qua alibi. Præterea, si vinum fori communiter venderetur mistum aqua, concedam, licere tibi aquam immiscere tuo generoso, & puro vino, quia sic facis tuum communi vino æquale. At vinum fori tale esse non supponitur, immò, nec præsumitur, præsertim hìc Panormi, ubi adeò rigorosa lex adest, ne vino vendendo admisceatur aqua, ut pœna plectatur is œnopola, qui in sua officina, vel parvum aquæ vasculum habere inveniatur.

7. Secunda disparitas: In tuo vino latet deceptio, quia illius Emptor aquam in eo, seu alienam substantiam nequit discernere, atque adeo est involuntarius, ut dicebam, in ea emenda: At in frumento facilè potest advertere, intercurrere hordeum, vel quid simile purgamentum, idque in tanta, vel tanta quantitate, &c.

8. Quintò: Si tantus rigor in arcenda aqua à loco venditionis vini est in Republica, ut modò innuimus, tantáque vigilantia, ne fiat ejusmodi immistio, viget apud Rectores Civitatum, signum profectò est, magnum hoc esse civium damnum. Atque indè colligimus, eam mistionem, quamvis aliunde prava non esset, esse tamen illicitam ex eo capite, quod non est aperienda via ad furta & injustitias.

9. Sextò: Vinum merum usui est Consecrationi Sanctissimi Christi Sanguinis; est aptum ad multa medicamenta, est ebibendum ab iis non ratò, quibus nocumentum affert aqua, quamvis modica, & cuicunque, quamvis generoso vino permixta. Consule Medicos.

10. Septimò: Quid, & si servandum sit vinum ad multos dies? Sanè mistum aqua acescet facilè, non ita, si sit merum. Vidit hoc inconveniens Bonacina, *loco mox citando*, qui ita loquitur, ut videatur concedere, mistionem prædictam, quando vinum est consumendum statim, quod solet esse in venditionibus, ut loquimur, ad minutum; non verò, quando in magna quantitate, quia in minutis non est diu servandum, sicuti in quantitate notabili. Sed quæso, unde scias mensuram, quamvis parvam à paupere emptam, non esse conservandam ad aliquem diem, vel usque ad Vesperas? Cùm tamen experiamur vinum aqua dilutum etiam uno die, non infrequenter acescere, vel saltem notabiliter evanescere. Vel unde scias non parari ad medicamentum, vel ad quid simile? Est igitur, id negligere, periculosum plenum opus aleæ.

11. Octavò: Vinum, ut habemus ex omnium Medicorum suffragio, digeritur, & convertitur in alitum, cùm aqua, quia est elementum, & non corpus mistum non convertatur in aliti substantiam, sed sit tantummodo alimenti vehiculum. Hinc ergo fit, ut qui emit vinum ebibendum, etiam statim, vinum velit purum emere, ut possit ad suum libitum, vel, ut vehiculo uti, vel præcipuè, ut alimento, non verò velit emere aquam, quæ, tametsi generoso vino immista, substantiam ejus non adauget.

12. Afferam in hanc rem narratiunculam non illepidam, quam ab amico, qui præsens interfuit facto, nuper accepi: Appulit non multis abhinc annis Panormum Civis Mediolanensis ex Comitum familia nobilis, qui paris nobilitatis viro ad prandium cum paucis aliis germoribus invitatus, magna, ut fit, sesculentorum copia, & generoso nostrate vino exceptus opiparè fuit. Sub hora convivii, incidit sermo de vino propinato, ex qua forsitan licet regione procreatum esset, dictumque est, ex lautissimo fundio Bacchariæ prope Panormum (An à Bacchi nomen hoc duxerint majores nostri, an aliunde, nobis incertum) similiáque ferè esse non pauca, quæ ex variis locis ad nos afferuntur vina.

Tunc advena, laudare vinum Regionum suarum, nostrum deprimere, bibi suum sine timore, vel ebrietatis, vel offensionis amabile esse, gratum, suave. Contrà, Parnormitanum vellicare nimis palatum, in caput evolare protinus, sensus, ac rationem interturbare, de eo fortasse Sapientium illam paræmiam usurpari, Primum vini calicem afferre sanitatem, secundum delicias, (sed certè dicebat non mihi.) At verò tertium, esse omnino venenum. Aderat ibi inter Ministros, convivio servientes, quidam homo, *Leporum*, (ut cum Catullo loquar) *disertus Pater, & facetiarum*. Is ita Comiti respondit: Nobis etiam, Nobilissime vir, Panormi, suppetit artificium, quo, quando libuerit, generent vites sobrie vinum vino Mediolanensi quàm simillimum. Immò in Cella vinaria domini mei hujus generis copia non deest. O lepidum caput! subjunxit Comes, Bonum vinum, instar Evangelici Architriclini ad finem convivii reservasti? Adduc ad nos, amabo te, vel unum ex illis. Afferam, ille respondit, si jubes, amphoram. His dictis, processit homo à loco, & clam in remoto cubiculo, miscet rubro vino nostrati commodam aquam, eoque cantharum plenum cyathum, viro Mediolanense vinum experienti, & expectanti, reverenter propinat. Vt vinum is delibavit. Proh! dixit, quàm excellens vinum? hoc illud erat, quod ego exoptabam, quódque meritis laudibus extollam. Tunc facetus ille. Dicam, inquit, ingenuè. Locus, ac regio, undè præstantissimus hic latex advehitur, putens est, fons salientis aquæ est: Quoties nos vinum tenue Mediolanensi simile expetimus, aquam infundimus, & Mediolanense procreamus. Plausum dedère assidentes Convivæ. Sed Comes, ut erat vir cordatus perinde, ac fieri sibi non defuit, respondítque promptissimè. Heus Domini: At ego, at nostrates, at Medici omnes vinum in stomacho volumus, non aquam. Ad quæ nutiie amplius est nemo.

13. Aio ergo, Ementem vinum, etiam deputandum statim, vinum in stomachum trajicere velle, non aquam. Undè, si tu illi hanc intrudis, injustitiam illi facis, ac restitutioni fis obnoxius, quia plumbum pro argento pretio argenti, hoc est, aquam ex fluvio, pretio vini exhibendis.

*Quid de ejusmodi Venditione vini diluti, sentiant Doctores.*

14 Objicies: Delugo, *disputat. 26. de Just. à num. 67.* dixit: *Concederem rarissimè vino, &c.* ergo in aliquo, licet raro casu, licebit. Rursus Lessius *lib. 2. cap. 21. n. 83.* Bonacina *l. mox citando*, Diana *l. mox citando*, citatis aliis, ut Lopez, Ioan. de la Cruz, Homob. quibus adde ex parte Bauci *in singul. casu. 220.* prædictam mistionem concedunt cur ergo tam alieni ab illa recedimus?

Respondeo, Expende, Lector, naviter hos quatuor Doctores; apud quos habentur cætera omnia aliorum fundamenta, & inde tu ipse Iudex decisionis esto.

15. Delugo *loc. cit. num. 68.* sic loquitur: *Hac sententia concedens mistionem prædictam, non mihi displicet cum aliis quibus*

quibus limitationibus. *Prima est, quòd verè nullum damnum emptori sequi possit: nam si vinum aquæ mistum servare vellet, detrimentum pateretur, eo, quod citius acesceret, vel corrumperetur propter aquam admissam. Secunda, quòd, quando lege taxatum est pretium, admistio non fiat ex materia omninò peregrina, sed ex ea, quæ secluſa industria, admiscèri solet tali rei per se loquendo. Nam tritico inæa, alia quædam semina diversa, quæ cum tritico nasci solent, miscentur, sicuti, & paleæ, pulvis, sordes, quæ si in eadem solùm quantitate misceantur ex industria tritico puro, non exhibitur à statu, quem habet triticum lege taxatum. Vinum verò secluſa industria, non solet esse mistum aquæ: quare lex taxans pretium vini, loquitur de vino puro, quale est omne vinum ex torculari extractum, & ideo, qui habet centum amphoras vini puri, & admisceat illis duas aquæ, jam vendit singulas amphoras vini puri pretio excedente taxam, quæ sola refertur ad vinum purum.*

*Si tamen consuetudo esset alicubi, admiscendi parum aquæ vino, quando conficitur, quia id periti necessarium judicant ad perfectionem talis vini, non esset illa mistura peregrina, nec præter intentionem legis, quia pertinet ad ipsam confectionem talis vini.*

*Quando verò pretium non est lege taxatum, & mistio nullum affert necumentum, quo res minùs bona sit, quàm aliæ puræ, non video, cur mistio illa contineat aliquid contra Justitiam.* Et paulò post: *Infero primò, quando pretium non est lege taxatum, mistionem, etiam materiæ peregrinæ, non nocere, nec impedire, quod commune pretium pro illa re accipiatur, si verè non secundum solam apparentiam, sed in sua bonitate, & utilitate æquivaleat rebus paris. Aqua verò vino mista rarissimè excusare poterit Venditorem, quia licet vinum generosum sit, multum tamen patitur ob eam mistionem, & ad plures effectus minùs utile esse solet.*

16. Hæc Delugo, in quibus animadvertis, quàm limitatè, cautèque loquatur, undè, si attentè ejus doctrina expendatur, apparebit illud, quod rarissimè concedit, esse solùm, in eo casu, quem ipse idem dixerat, & nos etiam admisimus, *l. 8. in Decal. tr. 3. c. 7. §. 11. n. 6.* quando necessaria est ex arte ad vini confectionem.

17. Lessius *l. c.* sic habet: *Si res ex admistione non esset minùs bona, quàm ea, quæ ab aliis venditur non esset condemnandus injustitiæ, qui eodem pretio venderet, quia illa fraude nullum damnum infert emptori. Cur enim rem suam non possit ad eum statum reducere, in quo sunt res aliorum & tunc eam vendedere eodem pretio, quo alii? Fit hoc interdù in vino, tritico, & similibus speciebus, dum vino valdè præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua, aut tritico valdè puro, Secalem tamen moderatione, ut non sint deteriora, quàm, quæ ab aliis passim venduntur.* Et paulò post: *Crediderim tamen, talem posse puniri tanquam specierum vendendarum adulteratorem, & emptorum deceptorem. Tales enim mistiones sunt in Republica valdè odiosæ, & Auctores infames.*

18. Hæc Lessius. Vbi vides primò, eum loqui, cùm quis rem suam potest reducere ad statum rei, quæ venditur in foro, & in quo sunt res aliorum. At certè aliorum vina non sunt in statu vini lymphati: ergo ad lymphatum Lessii dictum non se extendit. Sed se extendere, solùm potest, quando admiscetur vinum tenue, vel illa modica aqua necessaria in confectione primordia vini, & de hac necessaria aqua ipse intelligendus est, quando dicit (*Dum vino præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua*) illa enim necessaria aqua valde præstanti vino, seu musto adhiberi solùm in aliquibus valdè calidis, siccisque regionibus solet, vel certè in aliis, quando suo tempore opportunæ pluviæ defuerunt.

19. Vide secundò, moderationem ab illo affixam, (*ut non fiant deteriora*) at semper deterius fit vinum, ut probatum est. Vides tertiò, quàm severè damnet ejusmodi venditores, dum eos vocat adulteratores, deceptores, infames.

20. Vides quartò, dum pronuntiat, te posse puniri, ut adulteratorem, & deceptorem, manifestè docere, te in culpam, seu peccatum incidere (nec solùm ex præsumptione, quam unam indicavit Valentia mox afferendus *n. 23. fine*) pœna enim injustè inferretur sine culpa. Quòd si paulò antè, te non condemnavit injustitiæ, undè colligere posses, te non obligari ad restitutionem, ideo te non condemnavit, quia, ut ex prædictis patet, loquebatur in iis casibus, in quibus res tua, tuumque vinum deteriora ex mistione non fierent, & statum bonum similem aliis, quæ communiter venduntur, haberent. Id quod loquendo de vino, tunc est, quando vino præstanti admiscetur vinum tenue, vel aqua illa necessaria in ejus confectione.

21. Bonacina, *de contr. d. 3. q. 2. p. 6. n. 17.* cùm prædictam mistionem absolutè concessisset, has rationes addit: *Prima, quia Venditor potest res suas ad eum statum revocare, in quo res aliorum existunt. Secunda, quia nullum damnum, vel injuriam infert emptori, cùm non teneatur illi tradere res majoris perfectionis, & integritatis, quàm ab aliis vendantur. Tertia, quia æstimatio rei desumitur per ordinem ad usus humanos; cum autem res per admistionem recensitam sit adhuc æquè utilis ad usus humanos, ad quos emitur (ut suppono) sequitur, venditorem non peccare contra Justitiam, nec teneri ad restitutionem. Quarta, quia sicut venditor potest minuere mensuram, quando alia ratione non potest justum pretium extorquere ab emptore, ut ait Valentia, t. 3. disp. 5. c. 20. p. 4. concl. 4. ad finem. Sed corrige, concl. 5. ita, qui vino generoso apponit aquam, cujus appositione vinum non fit deterius eo, quod passim ab aliis venditur; nisi fortè periculum sit, ut emptor intentionem habeat illius servandi, sed vinum servare nequeat ob aquæ admistionem.* Et paulò post: *Arcendi tamen sunt venditores ab hujusmodi mistionibus, & fallaciis, &c.*

22. Hactenus Bonacina. In quo notas primò primam rationem non posse applicari ad rem nostram, quia vinum per aquam à vini statu distrahitur. Secundam falsam nimis esse, damnum enim & injuria fit omnino involuntariè. Tertiam esse item falsam, vinum enim lymphatum non est æquè utile ad usus humanos. Et ipse quidem dicit, (*esse æquè utile, ut suppono*) quod certè supponere non debuerat. Præterea, licet venditor non teneatur tradere rem melioris conditionis, certè tenetur, non tradere deterioris.

23. Notas secundò, non rectè applicari eam doctrinam Valentiæ ad casum nostrum: Aliud enim est, vendere rem demendo de mensura, simul demendo de pretio (quod cum quibusdam conditionibus fieri possit, diximus etiam nos *lib. 8. in Decal. tract. 3. c. 7. §. 11. a n. 4.* ex eodem Valentia) Aliud est; vendere id, quod emens directè non intendit emere, & quod caput est, vendere eodem pretio, quo venditur alia substantia, &c. hoc posterius nunquam profectò docuit Valentia. Ecce ejus verba hîc ad apicem exscripta *l. c. concl. 5.* non autem quarta, ut citat Bonac. *Quando rei vitium adversatur intentioni absolutæ, vel conditionali, sive sit occultum, sive de se manifestum, illicita est venditio, cum venditor sciens, Emptorem vitium rei ignorare tacitus rem ei vendit. Si tamen vitium neque absolutæ, neque conditionali intentioni emptoris adversetur, & venditor justè minuat rei pretium propter illud vitium, licita est venditio, quamvis rei vitium dissimulet.* (Id semper intellige cum conditionibus, & ab ipso *l. c.* & à me *loco item citato*, explicatis.) Et paulò post: *Similiter, si quis, v. g. nollet dare justum pretium pro tanta mensura tritici, licitè posset venditor minuere mensuram tacitus, & dare illi tantum tritici, quantum justè emeretur pretio, quod ille vellet dare. Cæterum cavendum est, ne in hac parte permittatur nimia licentia Caponibus, & hujusmodi; nam hi ferè ex cupiditate lucri proclives sunt ad fraudes in mensurandis rebus, ut meritò possit ferè semper Magistratus præsumere, illos iniquè facere, atque adeo eos punire.* Hæc Valentia.

24. Neque ipse idem nobis obstat, dum paulò post, sic addit: *Si quis venderet alteri vinum dilutum, quod perinde sit illi futurum usui (quia emit tantum bibendi causa) licitè poterit tacitus illud vendere pro justo pretio.* Non, inquam, obstat, nam illud *pro justo pretio*, si bene contextum ejus doctrinæ perpendas, significat illud (*demendo de pretio*) *juxta ac demis de mensura.* Et quidem in eo casu, quo ex malitia nollet emptor dare justum pretium, ut modò ipse

Valentia dixit, & ego latiùs explicui *lib.8. citato Decal. tr.3.c.7.§.11.n.5.*

25. Notas tertiò, quàm moderatè deinde monet Bonacina, arcendos esse ejusmodi venditores ab ejusmodi mistionibus, & fallaciis.

26. Et tamen Diana, *p.1.tract.8.res.51.* ut ad ipsum deveniam, sic habet: *Putabam hanc sententiam concedentem prædictam mistionem citatos Doctores dumtaxat* (Ioan. de la Cruz, Lessium, Homobonum,) *patronos habere, sed postea inveni Bonacinam virum doctum, etiam illam amplecti. Et probat validissimis rationibus, quas accipe.* Hæc Diana, qui deinde exscribit rationes modò à nobis allatas, rejectasque; ut sanè posset quis exclamare; Proh! validissimas rationes, quæ tam facilè infirmari potuêre? Adde primò, vix Bonacinam posse dici eam opinionem in praxi amplecti, à qua arcendos tam severè monet venditores. Adde secundò, qua veritate posse illum citari, quasi absolutè concedentem, si ipse disertè limitat ad eum solum casum, quo prævideatur, vinum non esse servandum? Id, quod ego notavi, ejúsque, quamvis limitatam concessionem *n.*10. rejeci. Adde denique tertiò, si quamvis Bonacina, aliíque *n.*10. citati benignius quid indulserint, re, si nunc viverent, maturiùs considerata, futurum fortasse esse, ut in posterum idem non concederent.

# TRACTATVS VI.

## DE EMPHYTEVSI, LIBELLO, & Feudo.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Emphyteusis, & qua ratione differat à quibusdam similibus contractibus.*

IN Iure *l.1. C. de Iure Emphyt.* sic describitur Emphyteusis: *Est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem alteri meliorandam, quoad dominium utile, sub certa pensione reali* (ideſt, vel in pecunia, vel in fructibus, vel in alio) *solvenda Domino proprietatis, vel ejus legitimo hæredi.*

2. Qui accipit ejusmodi dominium utile, vocatur *Emphyteuta.* Ipse contractus, quo id datur, & accipitur, appellatur Græcè, *Emphyteusis*, latinè, *Insitio*, seu *Implantatio*: solet enim hic contractus celebrari præcipuè circa agros, in quibus debeant plantari, & inseri arbores. Ipsa pensio solvenda vocatur Græcè *Canon*, hoc est *Regula*, quasi pensio ex certa, & fixa regula sit solvenda. In contractu hoc necessariam omninò esse scripturam, tenent Iulius Clarus *lib.4.sent.§.Emphyteusis*, aliique. Verùm, non absolutè, & omnino necessariò, sed solum ad vitandas lites, tenent alii apud Azor. *p.3.lib.10. de Emphyt. c.5.q.3.*

3. Porrò ex data descriptione facile erit cognoscere discrimen, quo Emphyteusis discrepat, Primò, à Censu reservativo. Secundò, à Censu consignativo. Tertiò, à Venditione. Quartò, à Locatione. Quintò, à Libello, & Feudo, cum quibus tamen in multis convenit.

Nam primò, à Censu reservativo (qui est, quando ego domum, v.g. tibi trado, & reservo ex illa certam pensionem, à te mihi solvendam) differt in quinque. Primò enim Emphyteusis debet ex se constitui in re quidem immobili, sicuti debet census, sed insuper debet esse ejus generis, ut cultura, vel opera possit fieri melior, ut mox explicabitur, quam meliorationem non requirit contractus census reservativi.

Secundò, per Emphyteusim non transfertur dominium directum, (quod idem est) Proprietas, hæc enim remanet in domino, sed solum dominium utile. Ad utrumque transfertur per censum reservativum in emphyteusim.

Tertiò Emphyteusis non fit ad tempus brevius decennio, secùs, ut mox dicemus, est locatio; at census reservativus potest, ut liber, ad tempus quodcunque fiat.

Quartò, qui rem accipit in Emphyteusim, si Canonem non solvat, amittit rem, hoc est, res etiam cum omnibus meliorationibus ab Emphyteuta factis, redit ad dominum, & tunc dicitur res cadere in commissum, seu caducitatem, id quod non accidit in censu reservativo, quia illo satis sit, omissas solvere pensiones.

Quintò, idem Emphyteuta non potest rem vendere, nisi priùs admoneat dominum directum, (qui si velit ipse emere, erit aliis præferendus, debetque expectare ejus deliberatio per duos menses) & nisi solvat eorum quoddam pretium, quod Laudemium appellatur, eo, quod per illud dominus laudat, seu approbat alienationem faciendam. Quòd si Emphyteuta dominum non admoneat, eique non solvat dictum pretium, post modo cadet res in commissum, redibitque ad dominum directum: quæ pœnæ, seu obligationes non sunt in contractu census reservativi.

4. Iam verò secundò, à Censu consignativo, qualis est, quem nos Siculi in formam Bullæ, seu Bullarem appellamus; differt inter cætera, quia in Emphyteusim transfertur possessio totius prædii sub dicta obligatione pensionis solvendæ, at in censu consignativo non transfertur possessio dicti prædii in alium, sed ipse censualista remanet dominus sui prædii, illúdque possidet sub obligatione reddendi dictam pensionem, quam alius, qui vocatur Censualista, sua pecunia emit, eo modo, quo fusè diximus *in Tractatu de Censibus.*

5. Tertiò, à Venditione differt Emphyteusis in eo, quòd per venditionem transfertur dominium utile, & directum irrevocabiliter, cùm in Emphyteusim transferatur utile dumtaxat. Illud hîc adverte, quod sicuti, qui emit, venditque perfecto emptionis contractu, non potest resilire, ita, qui accipit ad Emphyteusim; quare Emphyteuta non potest dimittere rem Proprietario non consentienti.

6. Quartò, à Locatione differt, quia hæc non est, nisi ad annos pauciores decennio, cùm Emphyteusis debeat esse, saltem ad decennium, & solet interdum duci ad unius vitam, vel ad vitam duorum, trium, plurium, imò & in perpetuum. Hinc si locatio esset ad decennium aliqui apud Bonac. *n.*4. dicunt, non esse locationem, sed Emphyteusim. Aliam magis intrinsecam differentiam invenio in aliquibus Doctoribus, (quam nostrùm non est hîc discutere) nam per Emphyteusim transfertur (aiunt) dominium utile, & Ius in re in Emphyteutam, at per locationem non transfertur ejusmodi utile dominium, & jus in re, sed solùm jus ad rem, quia res non manet obligata conductori, sed solùm ipsa persona, quæ rem locavit, ita insinuat Delugo, *d.29.de Iust.n.*86. (sed vide Mol. *d.* 44. *n.*7. Lopez *2.p.de contract. c.*29. Sylv. *v. Emphyt.* num. Less. *l.2.c.24. dub.9.* aliósque.

In locatione item major solet pensio imponi, quàm in Emphyteusi, quia huic ex se additur onus meliorandi, de quo mox.

7. Quintò, à Libello, & Feudo, quomodo differat Exphyteusis, dicam mox, cùm de ipsis.

Ex dictis colligas, velim, discrimen inter bona Emphyteutica, & Allodialia, seu Allaudia; hæc enim, tum quoad dominium utile, tum quoad directum pertinent plenè jure ad possessorem, & sic appellantur, quia sunt sine Laudo, seu Laudatione, seu Laudemio, quod alius præstare debeat, quod, contrà, est (ut jam vidimus) in bonis Emphyteuticis.

8. Inquires: Quando dubium est, an aliquis contractus sit Emphyteuticus, an censualis, qualisnam censendus erit?

Respondeo: Censualem docet meritò Covar. *lib.3. var.cap.7.n.*1. quia id minùs aggravat possidentem, facit enim

enim illum esse Dominum etiam Proprietatis, quod non faceret Emphyteusis, quæ solum constituit dominum utilem.

Dixi (*Quando dubium est*) nam si alicubi res ex consuetudine semper dari soleat in Emphyteusim, Emphyteusis est judicanda, sed tunc non esset dubium, nam ex illa consuetudine res esset moraliter certa. Lege Molin. *d.* 381. *n.* 8.

Ex cognita natura Emphyteusis, & differentia à cæteris aliis contractibus vides, in ipsa quinque proprietates inveniri, sequentibus quinque capitibus, breviter explicandas. Prima est, quod res danda debeat esse apta meliorari. Secunda, habiles personæ debeant esse, hoc est, altera ad dandum prædium, altera ad meliorandū. Tertia, debeat solvi canon. Quarta, debeat admoneri dominus directus, & solvi Laudemium, quando prædium fortè sit alienandum. Quinta denique, eadem onera Emphyteutica subire debeat legitimus successor; Atque hæ quidem proprietates sunt de jure communi, cæterùm, si alicubi aliæ sint leges Municipales, vel legitimæ consuetudines, illas observato.

## CAPVT II.

### Prima Proprietas Emphyteusis.

*Res apta meliorari.*

REs immobiles, quæ meliorari queunt, dari solùm possunt ad Emphyteusim, ut domus, ager, vineæ, arboresque solo adhærentes. Hinc ea non potest instituì, nec circa res mobiles, nec circa immobiles, quæ ex se per melioratione non sint augendæ, ut sunt pecunia, census, reditus, &c.

Dixi, *ex se*, nam, quando deinde res sunt fortè satis melioratæ, dari etiam solent in Emphyteusim, quasi continuetur præcedens contractus, & quidem dari poterunt juxta valorem melioration um sub majori pensione, quia magis sunt fructuosæ ipsi possidenti.

## CAPVT III.

### Secunda Proprietas.

*Habilitas Personarum.*

1. DUo sese offerunt hîc explicanda. Primò, quis cedere. Secundò, cui concedi res potest ad Emphyteusim.

2. Quoad primum: Omnes ij concedere possunt rem ad Emphyteusim, qui potestatem habent alienandi; per hunc enim contractum alienatur dominium utile in alium. Qui autem ij sunt, diximus *in lib. Dec. tr. 3. c. 7. §. 2. n. 1.*

3. Hinc colligitur, Prælatum, Rectorem, Beneficiarium Ecclesiæ non posse res Ecclesiæ concedere ad Emphyteusim ex vulgata Bulla, *Ambitiosæ*. Sed hîc insurgit ea communis difficultas: An Prælatus possit concedere ad eandem Emphyteusim, iisdemque pactis rem Ecclesiæ, quæ dari solita erat à prædecessoribus: & breviter, posse docemus, dummodo non fuerit incorporata ipsi Ecclesiæ, & saltem æqua conditio sit nunc Ecclesiæ, atque æquale tempus, perinde erat antea, ut fusè poteris videre apud Bonac. *tom. 1. d. de Alienat. Bon. Eccl. quæst. p. 2.* Mol. *d.* 468. *concl.* 8. *n.* 18. Lezanam citantem multos *cons.* 37. *à n.* 7. aliósque.

4. Quoad secundum: Illis concedi potest res in Emphyteusim, qui rem meliorem reddere possunt, & ex alia parte prohibiti non sunt inire contractus, de quibus diximus, *lib.* 8. *in Dec. tr.* 3. *c.* 7. *§.* 2. *n.* 1.



## CAPVT IV.

### Tertia Proprietas.

*Solutio Canonis.*

1. TErtia Proprietas est, ut, si Emphyteuta Canonem non solvat, cadat in commissum. Et quidem usu receptum esse, ut ejusmodi Canon solvatur in fine anni, testatur Azor. 3. *p. lib.* 10. *de Emph. c.* 7. *q.* 2. Quanti autem prerii is esse debeat, *infra, c.* 5 *n.* 6. dicam.

2. Nota duo. Alterum: Si Canon solvendus est Ecclesiæ, is autem per duos annos non solvatur, cadet res in commissum. Ita *C. Potuit, de locat.* Fill. *tr.* 36. *c.* 7. & passim, nisi admonitus rei possessor, statim solvat. Statim dico; nam per celerem solutionem purgatur mora. Illud autem, *Statim*, Aliqui explicant, si solutio fiat quocunque tempore, sed ante judicialem citationem, vel si fiat post illam, at sine dilatione, quâvis ex Clato, *lib. 4. sent. § Emph. q.* 8. & Molina *d.* 453. probabilius sit, arbitrio Judicis esse judicandum, subitane sit, an tarda solutio? Verùm, si Canon solvendus sit personæ privatæ, requiritur quidem omissio solutionis per tres annos, sed per celerem solutionem non purgatur mora de rigore Iuris, statim enim Emphyteuta amittet rem; si dominus directus se declaret, velle rem sibi applicare. Ita Julius Clarus *loco citato*, aliique; & quidem ab hoc puncto, in quo se dominus declarat, non verò à puncto moræ, censebitur Emphyteuta cecidisse in commissum, ut iidem fusè docent.

3. Alterum: Si Emphyteuta ignorantiam, vel legitimum impedimentum, cur non solverit, ostendat, non cadet in commissum. Id certè æquitas ipsa requirit, ut scilicet qui sine culpa est, non toleret pœnam commissi. His positis:

4. Inquiras adhuc primò, tum in hoc, tum in aliis casibus caducitatis, an teneatur ipse Emphyteuta relinquere prædium ante sententiam Judicis?

Respondeo, & quidem, (quandoquidem universaliter id requiris) distinguendum erit, nam si finitur tempus præfixum ad Emphyteusim, tunc de justitia contractus, res, ante omnem sententiam, relinquenda erit conscientiæ, si verò res tollenda sit ab Emphyteuta in pœnam Canonis, vel Laudemii non soluti, vel ex eo, quod ob culpam Emphyteutæ res efficitur notabiliter deterior, requiritur Judicis sententia, quia nemo tenetur pœnas hasce temporales subire, antequam condemnetur.

Hinc sequitur, fructus perceptos ante dictam sententiam, licèt ii fuerint percepti post caducitatem, pertinere ad Emphyteutam; perceptos verò post sententiam pertinere, teste Mol. *d.* 453. *n.* 4. ad proprietarium, deductis tamen expensis, nam fructus censentur illi esse, qui, ablatis expensis, supersunt.

5. Cùm dicimus, non obligari Emphyteutam relinquere prædium, nisi post sententiam, intellige id non debere extendi ad ipsum Canonem, & Laudemium, hæc enim, cùm sint solvenda ex Iustitia contractus, sunt ante omnem sententiam in conscientia solvenda. Ne ignores item, Emphyteutam notabiliter rem deteriorem efficiendo, obligari in conscientia ante omnem sententiam ad ea quæcunque damna, quæ fortè Proprietarius ex d cta d terioratione passurus est, ut constat ex regulis generalibus damni dati.

6. Quando autem leges, quas citat Castropal. *t. 1. tr.* 3. *d.* 1. *p.* 19. *n.* 7. & 8. edicunt, hæredem alicuius non solventem Canonem per biennium, ob cuius negligentiam cadit in commissum, purgari sufficiéter, si iuret, se ignorasse rem esse Emphyteuticam, intellige purgari sufficienter ipsam caducitatem, quæ est pœna, quam nemo sine culpa subire debet, non vero purgari ipsum Canonem qui erat per biennium solvendus, is enim semper solvi debebit, cùm sit ex Iustitia, ut modo dictum est.

7. Si per annos elapsos ego non solvi Canones, vel Laudemium, unde sit à me incursa caducitas, quam tamen prædecessor proprietarius non inventavit, potéstne intentare successor ejus, an potiùs judicandum sit, mihi fuisse à prædecessore condonatam?

Respondeo, diversas esse sententias, quarum ad Iurisperitos pertinet discussio: eas ergo apud eosdem lege. Et præcipuè apud Mangonium *dec.* 61. §. 21.

8. Inquires secundò, an sibi præjudicet Proprietarius, si post incursam ab Emphyteuta caducitatem, recipiat Canonem, ita, ut censeatur caducitas remissa?

Respondeo: Post expulsum Emphyteutam, & valdè probabiliter antequam expellat, si recipiat Canones respondentes tempori ante caducitatem, non sibi præjudicat proprietarius, quia nemo, etiam indubio præsumitur, velle præjudicare suis juribus, quando acceptat id, quod sibi debetur. At verò, si recipiat Canones respondentes tempori post caducitatem, præsumetur sibi præjudicare, etiamsi protestetur, se caducitatem non remittere. Ratio potissima est, quia, si accipis Canonem, jam vis illum, à quo accipis esse tuum Emphyteutam, secùs peccares acceptando Canonem; Ergo illum non expellis, ergo caducitatem remittis. Protestatio autem nihil tibi favet, cùm ea sit contraria facto, quod certò plus valet, quàm verba. Ita Clarus *l. sup. cit. q.* 10. Sylv. *v. Emphyteusis, q.* 9. Rebell. *p.* 13. *q.* 11. Ruin. *consil.* 110. Surd. *decis.* 6 *n.* 7. Mantica *de tacitis, & ambiguis Convention. tom.* 2. *tit.* 33 *n.* 22. Castropal. *l. c. n.* 8. alique. Esto, contrarium judicet Mangonius *decis.* 61. *n.* 20. Bart. aliique à prædictis DD. citati.

Monet autem Castropalaus, *l. c.* id intelligendum esse, quando dominus scivit, Emphyteutam à jure suo cecidisse, secùs si ignoravit, nam si ignorans recipit solutionem pensionis, ne tacitè quidem renovat Emphyteusim, quam quidem ignorantiam, cùm sit ignorantia facti, & non juris, juramento Domini probari sufficienter, tradit Mascardus apud eundem.

9. Inquires tertiò, an casu, & sine culpa Emphyteutæ, pereunte re, obligetur is solvere pensionem?

Respondeo, afferendo illos versus, qui sunt apud Iulium Clarum *loc. cit. q.* 10.

*Si perit tota, non debet Emphyteuta.*
*Sed si pro parte, nulla se liberat arte.*

Ratio prioris dicti est, quia res Domini Domino perit. Destructo autem subjecto, destruatur etiam necesse est id, quod in ipso fundabatur, idest, pensio. Unde etiam sequitur, Emphyteutam non obligari reædificare, v. g. domum casu, & sine sua culpa destructam, quia non ipsi, sed proprietario perit. Ratio posterioris dicti est, quia pensio non tam solvitur in compensationem fructuum, quàm in recognitionem dominii directi, & sicut crescit res in utilitatem Emphyteutæ, ita decrescit in ejusdem damnum. Atque ex doctrina data infertur, in priori casu non cadere in commissum Emphyteutam, si is non solvit ampliùs Canonem, cadere in posteriore, & quidem non solùm in partem, sed in totum, ut tenet Clar. *l. c. q.* 8. Filliuc. *tr.* 36. *n.* 134. Mol. *d.* 454 *n.* 3. Rebell. 2. *p. lib.* 13. *q.* 9. aliique. Si pensio est magna, & pars rei, quæ remanet, sit modica, de æquitate non debere eam solvi, notat Fill. *l. c. n.* 13.

Adderem libenter, si ita res periret, ut pars admodum parva remaneret, judicandum esse, ac si perirer tota, sic enim tota perit moraliter, cùm parum, quod supereſt, pro nihilo reputetur. Addo item nos loqui, quando pensio constituta est indivisim super totam illam rem, cujus pars perit, nam quando est constituta, quasi super pluribus rebus, tunc sunt plures Emphyteuses, & sic, pereunte una, non dicitur perire pars, sed tota ipsa una, & solùm pensio illi correspondens non debebitur, remanente interim pensione correspondente alteri.

10. Inquires quartò, Emphyteuta expulsus propter caducitatem, vel, quia finit tempus præscriptum, potéstne exigere à proprietario expensas, quibus meliorata est res?

Respondeo, quando est expulsus propter suam culpam, non posse; in pœnam enim omnia amittit, ut *suprà* etiam innuimus.

At, quando finit tempus, dico, esse distinguendo: nam primò, potest Emphyteuta exigere à Domino directo expensas, ipsique debebunt solvi à dicto Dominio directo pensæ fuerint magni valoris, & melioramenta perillæ facta remanent (finita Emphyteusi) cum utilitate Domini.

Secundò, si sunt modicæ, & ordinariæ, quæ solent ad meliorandum, reparandúmque pertinent, non tenetur ipsi Emphyteutæ à Proprietario resarciendæ. Idem dic, si fuerint factæ ab Emphyteuta ob speciale pactum in tum initio contractus cum Proprietario. Lege Mol. *d.* 456. *Concl.* 1.

Tertiò, si sint superfluæ, quamvis magnæ, non erunt à dicto Proprietario resarciendæ.

Ratio primæ partis distinctionis est, quia, si expensæ sunt magnæ, & utiles, æquum est, ut eas non auferat Emphyteuta, nec enim aliena re ditari debet Proprietarius.

Ratio secundæ partis est, quia si sint modicæ, vel sint ordinariæ conducentes ad uberiores fructus colligendos, pertinent ad ipsum Emphyteutam, tum, quia ipse res colit, & reparat ob utilitatem suam, tum, quia per contractum Emphyteusis, ipse, ut *suprà* apud Rebell. *q.* 9. Mol. *d.* 455. & 463. Clar. *l. c. q.* 4. Filliuc. *tr.* 36. *n.* 131. Diximus, prædium meliorare promisit.

Ratio denique tertiæ partis distinctionis est, quia, si sint superfluæ, non erunt utiles, quare Proprietarius illo jure poterit resuere, quia non est cogendus emere res sibi inutilem. Hæc omnia vide latius apud Doctores disputata *in l.* 2. *C. de Iur. Emph.* Vide etiam *suprà*, in tr. *Loc. c.* 1. §. 1. *n.* 14. & 15.

## CAPVT V.

### Quarta Proprietas.

*Admonitio Proprietarii, & solutio Laudemii.*

1. QVarta Proprietas est, ut, si res sit vendenda ab Emphyteuta, duo fieri debeant. Primò, ut moneatur dominus Proprietarius. Secundò, ut solvatur Laudemium, ideſt, certum pretium, de cujus quantitate, jam mox *n.* 5. dicam. Si hæc non fiant, cadet res in commissum.

2. Venditio autem sine dicto consensu tunc inducet caducitatem, quando est perfecta, unde per solam venditionem sine traditione, vel venditionem sub conditione, si dominus directus consenserit, non incurritur caducitas; nec item incurritur per Venditionem servitutis in re Emphyteutica, quia hæc non nocet, nisi Domino illi, & durat, donec res non revertitur ad Dominum directum. Per venditionem hoc sequenti modo factam: *Vendo tibi hanc rem, salvo iure Domini directi*, incurri caducitatem secuta traditione, docet Rebell. *l. c. q.* 11. *n.* 12. quia re ipsa perfectè vendit, cùm protestatio sit contraria facto.

3. Iam verò, ut hæc magis elucescant, Inquires primò: Sicuti potest Emphyteuta rem vendere, itáne potest alienare, locare ad decennium, vel ultra, legare, tradere in solutionem, uno verbo, quocunque modo alienare?

Respondeo, posse. Intellige, quoad Ius suum utile, quo ipse potitur; debebit tamen directum Dominum admonere; eidémque Laudemium dare, etiamsi à Domino non petatur. Et regula generalis est, quod semper debeat solvi Laudemium, quando alienatio voluntaria fit ab Emphyteuta; Solvendum autem est (nisi alia sit alicubi contraria consuetudo, vel justum pactum) à novo Emphyteuta. Vide *l.* 3. *c. de iur. Emph.* Mol. *d.* 461. *n.* 1. Clar. aliosque.

4. In quatuor autem sequentibus casibus, nec consensus Domini directi requiritur, nec solutio Laudemii. Primò, quando hæres notorius, qui dicitur suus, succedit in re Emphyteutica, ut Filius Patri, &c. Secundò, quando res Emphyteutica redit ad primum Emphyteutam, dissoluto contractu, non verò per contractum novum. Tertiò, quando Pater aliud non habens, dat in dotem filiæ

liæ rem Emphyteuticam, Quartò, quando plures habentes rem Emphyteuticam in communi, eam inter se dividunt. Quorum omnium ratio est, quia in his quatuor casibus translatio est, seu reputatur, necessaria. Vide hæc minutiùs tractata à DD. præcitatis.

5. Inquires secundò, quantum est pretium dicti Laudemii.

Respondeo. Ex jure communi *l. 3. cap. de Iure Emphyt.* est quinquagesima pars pretii rei, de qua re est Emphyteusis, at ex consuetudine esse trigesimam, asserit Less. *l. 2. c. 24. n. 57.* sed esse decimam, ait Garsias *c. 24. de contract.* ex qua loquendi varietate collige, esse diversam in diversis Regionibus Laudemii taxam, quæ certè servanda est.

6. Neque ab hac doctrina longè abest etiam taxa Canonicis solvendi, cùm enim, ut *suprà* innui, Canon solvatur non tam in pretium, quàm in recognitionem dominii proprietatis, est multum expendenda consuetudo Regionum; solet autem, ut plurimùm esse multò minor, quam sit pretium præsentis utilitatis, quæ venditur in hoc contractu. Præsentis utilitatis, dico, nam futura utilitas, quæ proveniet ex melioramentis ab Emphyteuta faciendis, pertinet ad ipsum Emphyteutam, qui ea melioramenta faciet. Nec tamen inficior in dicti Canonis taxa definienda, debere haberi rationem non solùm dictæ utilitatis veluti in genere, sed hujus rei specialis, quæ ineisse à prudenti viro, & experto affirmatur in hac peculiari re, quæ datur in emphyteusim; pluris enim valet dominium utile hujus prædii in perpetuum, quàm ad aliquot annos: pluris, quando res, vinea, v. g. recenter plantata sine multo labore speratur esse melioranda, & uberiùs fructificatura, quàm vinea effœta, & vetus: pluris, si, ut fructus vendi possint, debeant ii cum paueis expensis ad locum vicinum deportari, quàm si ad longè distantem, &c.

7. inquires tertiò, an possit Proprietarius primò, non approbare alienationem, quam intendit facere Emphyteuta, seu, ut loquimur, non dare investituram novo Emphyteutæ. Secundo, an possit nolle accipere Laudemium, imò & Canonem?

Respondeo ad primum, non posse, si res alienanda sit ad hominem aptum, & qui pensionem solvere possit, legitimèque solvere promittat. Quare tunc proprietarius tenebitur assentiri, solumque duos menses habebit ad deliberandum, utrùm ipse velit præferri, nécne; Respondeo ad secùdum, nec posse, si oportuno loco, & tempore, tum Laudemium, tum Canon offeratur, & nolit liberaliter remittere. Ratio utriusque responsionis est, quia tunc Emphyteuta jure suo alienandi dominium utile, quod suum est, utitur, Laudemiúmque, & Canonem justè, & sine mora offert, cur ergo illi non erit acquiescendum? Lege Rebellium, *l. c.* Sylv. *l. c. quæst.* 14. Less. *l. c. num.* 54. aliósque.

## CAPVT V.

### Quinta Proprietas.

*Successio in eadem onera,*

1. QVod easdem habeat obligationes successor legitimus, quas contraxit ex justo contractu prædecessor Emphyteuta, nimis est manifestum, quare nihil in hoc amplius immorandum.

2. Quæres tamen, qua ratione successoribus deveniant ea, quæ prædecessores acceperunt in Emphyteusim?

Respondeo: Longa est & propria Iurisperitorum hæc tractatio: Illa ergo ab eisdem, Clar. *de Emphyt.* Bart. *in Auth. ingress. num.* 37. *De Sacrosanctis Eccles.* Redoan. *de spol. Eccl.* Covarr. 2. *variar. c.* 18. (nec omittantur Theologi, ut Mol. *d.* 482. *& alibi* Azor. 3. *p. lib.* 10. *c.* 10. Fill. *Tr.* 36. *c.* 8.) erit meritò requirenda.

3. Notant autem nonnulli, quos inter Bonac. *d.* 3. *de cont. q.* 8. *p.* 2. *num.* 34. *v. Septimò sequitur*, in Emphyteusi, & multò magis in Feudo, non succedere filias fœminas, nisi expressè aliud exprimatur. Adderem ego, & nisi alicubi alia sit consuetudo) cùm in contractibus nomine filiorum non veniant filiæ, quicquid sit, an veniant in ultimis voluntatibus, sed certè in his, & similibus maximè perpendendæ sunt (ultra consuetudinem, quam ego modò addidi) leges municipales, & propriæ.

## CAPVT VII.

### De Libello.

1. LIcèt communiter etiam Feudum, & Emphyteusis vocari possint Libellum, seu Livellum, seu contractus Libellatius, propriè tamen Libellum est contractus subfeudalis, seu subemphyteuticus, quo scilicet quis Feudum, vel Emphyteusim ab aliis accepta, alteri tradit sub justa, & quasi ad Libellum mensurata pensione (de qua mensuratione, qualis ea esse debeat, vide Sylv. *v. Usur. 2. quæst.* 16.) Sicut enim conductor potest rem conductam justo pretio sublocare, sic Emphyteuta rem acceptam in Emphyteusim potest alteri, ut ita dicam, subemphyteuticare.

2. Nihil ergo de hoc contractu est dicendum, quod ex allatis in superioribus colligi non possit, cùm Libellum, ut dico, verè sit contractus Emphyteuticus. Quòd si inquires, à quonam debebit Laudemium solvi, quando initur ejusmodi Subemphyteusis, & cui solvi oportebit?

Respondeo, juxta *suprà*, *cap. 5. num.* 3. dicta, debere Laudemium solvi à novo Emphyteuta Domino directo, eundémque Dominum directum approbare debere ejusmodi sub Emphyteusim, investituram, seu possessionem, eam tradendo novo Emphyteutæ.

## CAPVT VIII.

### De Feudo.

*§. I. Summaria Cognitio Naturæ, & Divisionum Feudi.*

1. HÆc Iurisperitorum est Germana tractatio: nam propterea solùm hic nonnulla delibabo, quæ à Moralibus Theologis ignorari, turpe nimis esset. Et quidem quatuor dumtaxat seligenda erunt Primò, quid, & quotuplex sit Feudum. Secundò, quæ sunt conditiones contractus Feudalis. Tertiò, quæ obligationes Feudatarii, ideſt, ejus, qui feudum recipit. Quartò quæ causæ feudatarium Feudo privant. Nam de aliis quæstionibus, putà quis possidere feudum possit, quis in eodem succedere, quis de litibus feudalibus sit legitimus Iudex, & de sexcentis aliis, legantur Iurisperiti passim agentes de feudis.

*§. II. Quid, & quotuplex sit Feudum.*

1. SIc in universum describitur, Glossa allata à Sylv. *v. Feud. initio*, Feudum, *Est concessio rei immobilis pro Homagio.* Ideſt, pro obsequio personali, quale est associare Principem ad Bellum, convenire ad publica comitia, quod vocant Parlamentum, &c. Qui feudum concedit vocatur dominus, qui recipit, Vassallus, seu etiam Feudatarius.

Porrò, Genera Feudorum undecim numerantur

1. Primò, Proprium, & Improprium.
2. Regale, non Regale.
3. Antiquum Paternũ (est etiam Maternũ) & novum:
4. Nobile, Ignobile.
5. Ecclesiasticum Sæculare.
6. Masculinum; Fœmininum.
7. Hæreditarium (quod certè debet filius computare in portionem legitimam) & non hæreditarium.
8. Reale, Personale.

9. Dividuum, non dividuum.

10. Ligium (ideſt, quo quis jurat ſe fidelem futurum, v.g. ſuo ſupremo Principi, nullo excepto) & non Ligium (id eſt, quo quis jurat ſe fidelem, v. g. ſuo Duci, ſed is exceptis, quæ tendunt contra Regem, vel Imperatorem, ſeu Supremum Principem, contra quos nullo modo ſe obligat Duci fidelitatem ſervare.

11. Francum (ideſt, liberum ab omnibus ſervitiis, vel ab omnibus legibus pœnalibus Feudorum) & non francum (ideſt, non liberum à prædictis.) Hactenus Diviſiones.

## §. III. *Quinque conditiones contractus Feudalis.*

1. MOneo, ut alibi ſæpè in ſimilibus monui, nos loqui de jure communi, ſcimus enim, diverſiſſimas eſſe leges municipales de Feudis.

Ad contractum ergo Feudi, de communi jure, requiritur primò, ut dominium directum remaneat apud dantem, utile ſit apud recipientem, in quo, ut vides, convenit cum Emphyteuſi: atque inde fit, ut fructus omnes feudi pertineant ad feudatarium, omnes inquam, à die poſſeſſionis uſque ad ſuam mortem, vel uſque ad abdicationem Feudi, ſi fortè illud vivens, juxta mox dicenda, relinquere contingat.

2. Secundò, ut conſtituatur in re immobili Agro, Oppido, Civitate.

3. Tertiò, ut Vaſſallus, ſeu Feudatarius non poſſit Feudum alienare ſine Domini conſenſu ſub pœna cadendi à poſſeſſione Feudi, in quo etiam convenit cum Emphyteuſi: vide tamen, quæ mox dicam §. 4. *n.* 3.

Quartò, idem Feudatarius præſtare debet obſequium Domino, quando illud dominus requirit, nam in hoc maximè differt Emphiteuſis à Feudo, quod Emphyteuta, etiam non requiſitus, debet penſionem ſolvere: at obſequium, (quod certè eſt perſonale) Feudatarius non debet, niſi requiſitus. Quando autem, præter obſequium perſonale additur in aliquo Feudo obligatio ſolvendi aliquod reale, certè hoc erit ſolvendum ſine requiſitione, quia tunc conceſſio degenerat à puto Feudo, & participat de Emphyteuſi.

5. Vaſſallus idem, quando incipit poſſidere Feudum inveſtiri debet à Domino directo, ipſique juramentum fidelitatis præſtare: qua autem cæremoniâ fiat inveſtitura, hæc per dictum juramentum? (quæ nihil aliud eſt, niſi immiſſio in poſſeſſionem Feudi) & utrùm juramentum ſit de ſubſtantia? Vide Iulium Clarum, aliósque Iuriſperitos de Feudis.

6. Quæres, quid, ſi omnibus conjecturis expenſis, dubitetur, quale ſit prædium, judicandúmne, eſſe Feudale, an Allodiale?

Reſpondeo, Allodiale: Omnis enim res cenſetur, *L. Latius, L. In ædibus, C. De ſervitutibus*, libera, niſi clarè cõtrarium probetur, & ulterior ratio eſſe debet, quia prius eſt, rem eſſe ſui juris, quàm alieni. Ergo illud prævalere debet, ut *L.* 1. *Decal. c.* 3. §. 7. dictum eſt.

Et nota, ad probandum eſſe feudale, non ſufficere tibi quod in aliquo loco juriſdictionem habeas, poteſt enim quis habere alicubi juriſdictionem, non vero Vaſſallos, & Feudum; quia ſubjectio feudi major eſt, quàm ſubjectio juriſdictionis.

## §. IV. *Tres obligationes Feudatarii.*

1. PRima eſt, ut Feudatarius, ſeu Vaſſallus præſtet juramentum fidelitatis, ſicuti modò indicatum eſt. Et quidem omnes (ſi plures ſint feudatarii; & non per modum collectionis, ſeu communitatis, qui feudum poſſidere debent) jurent, neceſſe eſt, quia omnes fideles eſſe debent. Contrà, ſi plures ſunt, qui ſint Domini directi, ſatis eſt, ſi uni præſtetur juramentum, quia nemo cogitur habere plures Dominos. Clarus, & Azor. *ll. cc.* aliíque.

2. Secunda, ut dictus Feudatarius præſtet obſequium promiſſum, modo jam dicto, & quia hoc ſolet eſſe obſequium perſonale in bello, ideo fœminæ excluduntur feudis, niſi expreſsè admittantur. Tunc enim dominus vel remittit ejuſmodi obſequium, vel concedit, poſſe exhiberi per alium, quod certè poteſt, quia de re ſua diſponit.

3. Tertia, ut non alienet Feudum ſine Domini voluntario conſenſu, quem tamen dare, nequaquam cogatur.

Hinc fit, ut Vaſſallus feudum, nec donare, nec in Emphyteuſim tradere, nec in alium transferre poſſit, cum omnem poſſit, ut diximus, Emphyteuta, cum ſimili quidem conſenſu Domini directi in alienationibus voluntariis, ſed quem conſenſum dominus dare teneatur.

Hinc etiam fit, ut feudatarius non poſſit feudum habitum à Rege, vel Imperatore, inrer multos filios dividere, tum, quia diviſio eſt genus quoddam alienationis, cum multò magis, quia ita cautum eſt propter alias rationes in Iure, *Lib.* 2. *Feudorum*, *Tit.* 55. *l.* §. *Præterea.*

4. Hic notat, poſſe nihilominus feudatarium abdicare à ſe feudum, ſeu illud Domino relinquere, cum tamen Emphyteuta non poſſit à ſe abdicare, ſeu relinquere Domino rem acceptam in Emphyteuſim, nec Conductor rem à ſe conductam. Ratio diſcriminis eſt, quia feudum datum eſt in utilitatem feudatarii, quare ipſe poteſt illo nolle frui: at Emphyteuſis, & locatio eſt in utilitatem dantis, cui debetur ſupradicta melioratio ſui prædii, & penſio.

5. Alia minora feuda non habita ab Imperatore, & Rege, poſſe Filiis dividi, docent Doctores, quia nemo cogitur vivere in communi, & ex alia parte jura non loquuntur de his minoribus feudis.

6. Inquires: In alienatione feudi, dicta *num.* 3. ſufficitne dictus voluntarius conſenſus Domini, aut requiritur etiam conſenſus Agnatorum, quibus competat jus ſuccedendi?

Reſpondeo, requiri utrumque, quia regula generalis eſt, quando ex alienatione multi patiuntur injuriam, ſeu damnum, debere omnes alienationi conſentire. Unde vides, quantum injuſtè agant ii, qui rem vineatam pro poſteris, vendunt, vel concedunt extraneis. Ade damnum, quod ementes patiuntur, quando rem legimis ſucceſſoribus compellentur reddere. De hoc re vide latiùs Clarum, *l. c. quæſt.* 41. & Azorium 3. *p. lib.* 10. *de Feud. cap.* 14.

## §. V. *Cauſæ amittendi Feudum.*

1. AD quinque commodè reducuntur. Prima eſt gravis ingratitudo Vaſſalli contra Dominum directum. Lege *Lib.* 2. *Feudi, Tit.* 24. §. *Illud, & Tit.* 28. §. *de hoc.*

Sed quænam eſt gravis judicanda?

Reſpondeo: Ex aliquibus peculiaribus caſibus, quos afferunt ſignatè Doctores, colligi, & ſimiles à prudenti Iudice poſſunt. Si enim feudatarius Dominum (excepto hæreſis, vel læſæ majeſtatis crimine) accuſat apud Iudicem, etiam ex juſta cauſa: Si fugæ ſe dat, relicto Domino periclitante in bello juſto, quem juvare, ſed ſine ſua morte, potuiſſet: Si non admonet Dominum, ſciens illi parata eſſe inſidias, Vaſſallus enim, ideſt, feudatarius conſentiens dumtaxat inſidiarum, iudicatur complex, *L. Non ideò, ff. de Accuſ. & l. Sciente, ff. ad L. Pompeiam, de Parricid. Mild. de Accuſ. & l. Sciente, ff. ad L. Pompeiam, de Parricid.* Mild. magis, ſi ipſe inſidias paret, rebelliſque ſit ſuo Domino, ſi turpiter agat cum filia, nepte ex filio, vel ſorore, vel uxore Domini, etiamſi hæc ſit vidua, ut putat Clarus, cum uxore Domini, etiamſi hæc ſit vidua, ut putat Clarus, *l. c. 99.* aliíque, ſi, inquam, Feudatarius hæc committat, judicatur eſſe graviter ingratus, & Feudo privandus.

2. Secunda cauſa eſt, non obſervaſſe pacta, ſub quibus feudum quis accipit. Hinc primò ſi feudatarius, vel eius hæres non petit à Domino inveſtituram, ſeu renovationem feudi intra annum, & unam diem, amittit feudum, excuſabitur tamen, ſi juſta ſit cauſa differendi, ut morbus gravis, inimicitiæ capitales, & ſimilia: immo Mantica rem, ſi intra legitimum tempus non petit, poſſe gaudere privilegio

privilegio restitutionis in integrum, merito docent non pauci, inter quos est Clar. *l.c. quæst.* 47.

Hinc secundò, multò magis feudo quis privabitur, si in extraneum alienet feudum, secuta traditione, sine debito Domini consensu. Hinc tertiò, idem erit si vassallus vocatus à Domino in Curiam, nolit accedere.

3. Tertia causa, sunt duo crimina, quæ fortè committat feudatarius: Alterum, si occidat suum proprium fratrem (addit Sylvester *l.c.v. Feudum, quæst.* 16. patrem, vel fratris filium) saltem, si id faciat spe hæreditatem obtinendi? Alterum, si occidat quemcunque alium, sed proditorie, *l.* 2. *de Feud. tit.* 37.

4. In his tribus causis, & explicatis *num.* 1. 2. & 3. debere sententiam judicis præcedere, nec obligari teste Azor. 3. *p. lib.* 10. *de Feud. cap.* 14. Filliuc. *tr.* 36. *cap.* 10. *q.* 9. *num.* 196. Feudatarium, ante illam, feudum à se abdicare, quia hæc est pœna, constat ex dictis.

5. Quarta denique causa est ex ipso jure. Nam primò, lapsu termini præscript. in investitura. Secundò, morte feudatarii sine filiis, vel Agnatis. Tertiò, morte civili professoris in Religione incapaci, vel clericatu, quando in investitura Clericus excluditur, de qua re vide Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 15. Quartò præscriptione legitima triginta annorum, sicut enim Feudum eo tempore acquiri potest per præscriptionem, ita eodem tempore amitti; in his, inquam, casibus perdit feudatarius, seu desinit possidere feudum ipso jure.

6. Inquires, quando vassallus feudum admittit, quisnam illud acquirit.

Respondeo, cum necessaria distinctione, adhibenda ad varias causas, ob quas amittit.

7. Primò igitur. Amittis feudum lapsu termini? Redit feudum ad dominum.

8. Secundo. Amittis morte tua naturali, vel civili per professionem in Religione incapaci, non existentibus Agnatis, idest, consanguineis ex suo sanguine paterno? Redit item ad Dominum.

9. Tertiò: Amittis ob alienationem sine consensu Domini factam; Transfertur feudum ad agnatum strictiorem in gradu, exclusis tamen filiis à te descendentibus, quia hic magis personam tuam repræsentant, quàm alii agnati: quare filii, delictum tuum videntur repræsentare, non verò alii agnati.

10. Quartò; Amittis ob aliquam culpam ex dictis *num.* 1. 2. & 3. Idem prorsus dicito, quod dictum est in præcedente casu, in quo amisisti ob alienationem sine consensu domini: In hac autem quarta, & in prædicta tertia causa amittendi adest exceptio, nam, quando feudum est novum, idest, quando feudum non obtinetur ex successione, sed cœpit in ipsa persona inveniri, tunc feudum redit ad Dominum, non verò ad agnatum strictiorem.

11. Quintò. Amittis, quia feudum, quod accepisti à Domino, abdicas à te, seu illud absolutè eidem renuntias, ut certè potes, juxta dicta §. 3. *num.* 4. Redit ad Dominum.

12. Sextò. Amittis præscriptione? Transfertur ad eum, qui legitimè præscripsit.

13. Septimò. Amittis ob ea crimina, ob quæ bona delinquentis devolvuntur ad fiscum? Distingue diligenter; nam, tuum feudum est ejus generis, ut illud possis transferre in quos velis, seu in externos sine Domini licentia, ad fiscum devolvetur, si verò sit ejus generis, ut illud alienare non possis sine licentia Domini, ad ipsum Dominum redibit. Ratio prioris dicti est, quia tunc ad fiscum pertinent omnia bona, quæ sunt liberæ dispositionis delinquentis. Ratio posterioris dicti est, quia fiscus jure alterius, atque adeo in casu nostro juri Domini nunquam præjudicat. Prius autem dictum intelligitur, quando crimina commissa non sunt contra eundem Dominum; nam, quando sunt contra ipsum, semper ad ipsum reverteretur feudum. Quæ & similia, ut etiam cui in ejusmodi missione cadant melioramenta facta à vassallo in feudis, vide *in dicto lib.* 2. *feudi*, & apud Clarum, *q.* 34. 66. 84. 88. aliósque Jurisperitos de feudis latè tractantes nec deferatur Azor. 3. *p. lib.* 10. *de feud. cap.* 16. & Filliuc. *r.* 36. *cap.* 10. *quæst.* 10.

# TRACTATVS VII.

## DE FIDEIVSSIONE, PIGNORE, Hypotheca, Deposito, Commodato, Precario.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Fidejussione.*

#### §. I. *Quid sit Fidejussio?*

*EST contractus, quo quis in se suscipit obligationem debiti alieni, quod se obligat solvere, (si non solvit seu obligationem non implet debitor) idque in favorem creditoris.* Ita expeditè describi potest fidejussio.

2. Dixi autem primò (*Contractus*) nam inde fit, ut fidejubens contrahat cum creditore, & cum debitore. Cum priore, cui se obligat, cum posteriore, contra quem semper potest agere, si ipse fidejussor solverit, eique creditor, cui solutio facta est, suam actionem cesserit contra debitorem, ut certè cedere cogetur. Atque hinc fit, ut ipse debitor obligetur restituere fidejussori id, quod pro ipso solutum est creditori, ut ex se patet.

3. Quæres hic primò: An obligetur debitor solvere fidejussori etiam expensas, & damna, quæ fortè passus est ob ejus fidejussionem?

Respondeo, si debitor ex culpa non solvit, certè obligabitur, quia justum non est, ut alter damnum patiatur ex officio, quod in gratiam, vel utilitatem alterius suscipit. At si debitor non fuit in culpa, quia, v.g. erat impotens solvendo, tunc non obligatur ad dicta damna, & expensas, quia tunc ejusmodi damna non imputantur ipsi debitori, sed necessitati.

4. Quæres secundò: Potéstne se occultè compensare fidejussor, si solvit fidejussionem, nec alium modum habet, quo à debitore recuperet illud, quod pro ipso solvit; Si, v.g. tu fidejussisti Titio debenti centum Caio, & compulsus à Iudice fuisti, ea solvere Caio, potésne centum occultè tibi accipere à Titio?

Respondeo posse, etiamsi, nec Titius, nec alius expresse promiserit non obventurum tibi damnum ob susceptam fidejussionem. Ratio est, quia (nisi prorsus contrarium exprimatur, quod certè exprimitur, quando fidejussor se obligat, ut debitorem in solidum cum debitore principali) semper implicitè intelligitur idem fidejussor nolle quid amittere de suo, cùm donatio nunquam præsumatur, nisi expresse fiat. Ita Lessius *Lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 23. id tanquam certum supponens.

5. Dixi secundò (*suscipit obligationem debiti alieni*) nam propterea fidejussor non obligatur, nisi ad id, quod alter debet. Esto igitur, fidejussor possit, se obligare sub juramento, vel sub hypotheca, vel cum instrumento, seu scriptura publica, vel cum concessione viæ executivæ contra se, quod Juristæ vocant Guarentium, quo parata habetur executio, &c. Quas obligationes fortè non habebat debitor; tamen hæ obligationes non extenduntur ad aliud debitum, sed solùm cum majori securitate ad illud dumtaxat, quod alter sive civiliter, sive naturaliter debet.

6. Hinc fit primò, ut non solùm injustè obligaretur fidejussor, si cogeretur solvere centum, cùm debitor

debeat quinquaginta, sed etiam, si cogeretur solvere post annum, v.g. vel in loco distanti, vel determinatè aliquid, quando debitor debebat solvere post duos annos v.g. in loco præsenti, hanc, vel illam rem indeterminatè, &c. quia cogeretur ad aliud, ad quod debitor non tenebatur.

7. Fit secundò, ut si appareat, obligationem debitoris nullam esse, sive, quia contractus inter ipsum, & creditorem fuit nullus, sive, quia creditor satisfactus jam fuit, vel quid simile, nulla etiam sit fideiussio, quia hæc nullam aliam obligationem induxit, nisi illam debitoris. Excipe semper, nisi aliter constet de voluntate fideiubentis, quia voluerit firmam facere obligationem minoris v.g. aliàs claudicantem; Sed tunc non fideiuberet, sed principalem se debitorem constitueret, subeundo novam obligationem. Maximè enim est advertendum, aliud esse fidejubere, aliud assecurare contractum. Prius enim solùm facit, ut si non solvit debitor, solvat fideiussor. Vnde, si liberatur debitor, liberabitur & fideiussor. Posterius verò facit, ut etiamsi liberetur ex aliquo iusto capite debitor, ut, si contractus non fuit ritè confirmatus à suo superiore, vel quid simile, non tamen liberabitur assecurator; hic enim non adhiberetur in subsidium, sed ut principalis, id, quod mox explicabitur clariùs.

8. Dixi tertiò (*quo se obligat solvere*) Fideiussor enim, tum in foro externo, tum in interno, obligatur ad suam fideiussionem implendam, quando facta, contra debitorem principalem discussione (de qua mox) ab hoc haberi debitum nequivit.

9. Sed quid, obligatúrne tunc in foro interno ante sententiam Iudicis, an possit illam expectare?

Respondeo, teneri ante sententiam Iudicis, docet, cum Rodriguez, Bonac. *disput. 3. de contract. quæst. 9. part. 1. num. 3.* quia tenetur pro principali debitore; sed hic tenetur ante sententiam; quia est debitor v.g. ex contractu, ut supponimus: ergo, & fideiussor, qui eandem subit obligationem: Verùm, hæc ratio me non urget, diximus enim modò, fidejussorem, licèt idem debiti obiectum respiciat, non tamen eodem modo, quo debitor ipse: posset ergo esse, ut ex minori obligatione idem debeat solvere fideiussor nempe, expectata sententia, quod non possit ipse debitor. Non teneri ergo, nisi post sententiam, sentiunt aliqui apud Bonac. *l.c.*

10. Equidem id existimo dependere ab intentione fideiussoris: nam si se intendit solùm obligare in foro externo, vel solùm in interno post datam sententiam, non est dubium posse sententiam expectare: Contrà, si se intendit obligare in foro interno absolutè, quis item dubitet, sententiam expectare licitè non posse? Difficultas ergo sola est, quando hæc non præcogitantur, sed absolutè quis pro alio fideiubet.

11. Profectò, dicet aliquis, cur in hoc casu non possit defendi, licitum esse, & iustum, expectare sententiam? Nam ex una parte quilibet intendit, se quantò minùs potest, obligare, & ex alia parte in similibus obligationibus politicis quilibet se implicitè intendit obligare secundùm usum receptum, & communem: at communis usus videtur invaluisse, ut nemo ex fideiussoribus solvat fideiussionem absolutè, modo dicto datam, nisi coactus à Iudice.

12. Verùm, quia, nec consuetudo hæc, nec implicita illa intentio mihi constat, ideo de hac re prædicto modo dubitasse sit satis. Victorellus *l. in Addit. ad Emman. Sà. in edit expurgata. v. Fideiuss.* perinde se gessit, ac ego, noluit enim id decernere, sed sic habet *Fideiussorem teneri solvere debita, antequam à Iudice cogatur: Alij aiunt, Alij negant. Vide Petrum Navarrum* de restitutione, *l. 3. cap. 4. num. 150. & 151.* Hæc ille.

13. Dixi quartò (*Si non implet debitor*) quæ clausula est admodum hìc notanda: per hanc enim explicatur, fideiussionem esse obligationem accessoriam contractui, & in subsidium, non verò principalem, nam fideiussor se obligat in eo solo casu, in quo principalis debitor non solvit: quare, si quis pro alio se constituat debitorem, cùm non se se obliget in defectum alterius, & accessoriè, sed æquè principaliter, non est fideiussor, sed debitor principalis.

14. Atque hinc fit, ut iam hodie fideiussor etiam ratus; nec teneatur, nec cogi possit ad solvendum, nisi postquam facta est discussio in bonis debitoris, non tamen primò, nisi ipse fideiussor renunciaverit huic privilegio, quod cùm sit inductum in particularium hominum commodum, ipsi particulares valide possunt renuntiare, ut certè renuntiare fæpissimè solent. Secundò, nisi propter aliquam rationem absentiæ, v.g. Debitoris, vel claram impotentiam, vel quid simile, manifestè appareat, non posse, præmitti dictam discussionem. Tertiò, nisi ipse fideiussor conventus neget, dicit fideiussorem; tunc enim amittere hoc privilegium vult lex, *Si dubitetur*, §. 1. *ff. de fideiuss.*

15. Advertit tamen Lessius *lib. 2. cap. 28. num. 10.* Si fideiussor ante dictam discussionem solverit, tamen est solutionem, ne rem sibi solutam credito obligare & relinquere. Ratio est, quia creditor illud, quod ipsi debebatur, recipit. Præterea cum fideiussor, ut dictum est, possit ante dictam discussionem solvere, si velit, idèo non poterit, *l. Henriq. §. fideiuss. ff. Mandato*, rursùs creditore repelli, nam dum fideiussor id non facit ob aliquam fraudem, utriliter, & legitimè gerit negotium debitoris.

16. Ex dictis vides, quàm rectè idem Lessius dixerit, quatuor conditiones necessariò intercurrere debere, in fideiussione: Primam, ut hic contractus sit accessorius, supponens aliam obligationem, Secundam, ut fideiussor non obligetur ad plus, quàm debitor. Tertiam, ut existente invalida obligatione debitoris, nulla sit fideiussio. Quartam, ut fideiussor conveniri non possit, ni facta discussione principalis debitoris.

17. Hactenus de fideiussione in rebus temporalibus quæ solet esse usu communiori: Cæterùm ad quid teneatur, si quis fideiusserit exhibere reum, uti similem personam, lege apud Doctores, ut Bonac. *d. 3. de contr. q. 3. punct. 1. n. 9. & 10.* & alios.

## §. II. *Multi Fideiubentes.*

1. Sed adhuc, inquires primò: Si multi simul fideiubent, omnésne cogi possint ad totum?

Respondeo: Si in solidum, idest, ad totum, & non ad ratam, seu ad partem suam singuli fidejusserunt, eorum est, ad totum posse cogi, nam secùs, solùm cogi poterunt ad suam partem, pro qua suam fidem interposuerunt.

2. Si eiusmodi fideiussor in solidum, antequam totum solvit, conveniat cum creditore, ut is creditor promittat cedere ipsi fideiussori actionem contra alios fideiussores ad ipsorum ratam, poterit postea, immò debet, testibus Mol. Lessio, Reginaldo, aliisque in Bonac. *l.c. n. 6. & 7.* alios citante, creditor, etiam post solemnem integram à dicto fidejussore factam, cedere eidem fideiussori eam actionem, quia ad illam acquisivit ius fideiussor per prædictam conventionem, cui consentit omnino certè debet creditor, idque propter privilegium, quo gaudet fideiussor, appellatum in iure privilegium cedendarum actionum.

3. At, si hac conventione non præcedente, dicit fideiussor totum solvit, non poterit deinde creditor eidem modi actionem eidem fideiussori cedere, quia creditor integrè satisfactus nullum ius habet contra fideiussores. Quare fideiussor præmittere non negligat prædictam conventionem; nam si non præmittet, nihil aliud remedii habebit, nisi se contra debitorem dirigat, juxta dicta §. 1. *n. 2.*

### §. III. *Prorogatio termini solutionis.*

1. INquires secundò: Si creditor prorogat debitori terminum solutionis, remanétque fidejussor liber à sua fidejussione?

Respondeo, cum necessaria distinctione: Si enim fidejussor se obligavit ad annum, v.g. liber remanebit, quia obligatio non se extendit ultra partium conventionem. Nota, sicuti, qui fidejussit pro capitali, non intelligitur fidejussisse pro interesse; ita qui pro uno tempore, non intelligitur pro alio. At verò, si fidejussor se obligavit absolutè, nullum determinando tempus, non remanebit liber. Ita Azor. 3. *p. l.* 11. *c.* 22. *dub.* 12. Sylv. *v. Fidejussor, quæst.* 14. quia indefinita fuit obligatio. Addit Mantica, *de tacitis, & ambiguis obligationibus*, tempus in dubio censeri appositum ad limitandam obligationem, ex *l. Item quæritur*, §. *Qui impleto*, *ff. locati, & conducti.*

### §. IV. *Pretium ex Fidejussione.*

1. INquires tertiò: An ex obligatione, quam subit fidejussor, possit accipere pretium, seu mercedem à debitore, in cujus favorem fidejubet?

Respondeo: Si adsit periculum solvendi fidejussionem, certum est, posse proportionatum quid accipere, quia sic fidejubere, est pretio æstimabile, ut ex se patet: & quamvis deinde fidejussor nihil damni senserit, potest tamen illud accipere, quia non accipit pro damno, sed pro periculo.

2. Quid autem, si nullum prorsus est periculum, nulla molestia, nulla incommoditas, ut si fidejussori certum sit, nullum ipsi ex fidejussione damnum eventurum, poterit-ne aliquid accipere?

Respondeo, adhuc cum Azor. *loc. cit. dub.* 5. Bonac. *loc. cit. num.* 12. alios afferente, posse aliquid proportionatum experti viri arbitrio mensurandum. Ratio est, quia adhuc illam obligationem, quamvis sine incommodo susceperé, est pretio æstimabile, illámque gratis assumere nemo tenetur.

### §. V. *Quis possit fidejubere?*

1. INquires quartò: Quinam possunt fidejubere?

Respondeo, qui bona habent, vel eorum liberam administrationem. Hinc pauperes, pupilli, filiifamilias non habentes peculium castrense, vel quasi castrense, Religiosi à fidejubendi munere repelluntur.

2. Repelluntur etiam Clerici à fidejubendo pro Laicis, licèt teneat fidejussio, si fideiubeant. *Cap. ultim. de fidejussionibus.* Immò usu iam receptum videtur, apud Less. *l.* 2. *c.* 28. *q.* 19. Bonac. *l. c. p.* 2. saltem rarò posse eos fidejubere etiam Laicis, modò id faciant de suo patrimonio, vel fructibus sui Beneficii sine damno Ecclesiæ, & sine periculo, ut depauperentur.

3. Repellitur item mulier, quæ invalidè fidejuberet pro viro: validè tamen pro filiis, sed cum quibusdam solemnitatibus, id est, cum instrumento publico, adhibitis testibus tribus cum subscriptione. Verum, ipsa eadem potest eam fidejussionem rescindere (si voluerit uti privilegio Senatusconsulti Velleiani, sed ante sententiæ executionem) & tunc ipsa ad nihil obligabitur etiam in conscientia. Lege Delugo *d.* 32. *de Iust. n.* 11.

4. Excipiuntur autem aliqui casus, in quibus mulier fidejubens uti hoc Velleiano privilegio non valet. Primò, si pretio conducta fidejussit. Secundò, si huic privilegio renuntiavit coram Magistratu, vel cum juramento, nam cùm hoc privilegium in ipsius favorem peculiarem concessum sit, renuntiare illi potest. Tertiò, si fidejussit pro dote, vel pro suo creditore, vel pro libertate servi. Quartò, si fidejussit in fraudem. Quintò, si post annum à fidejussione pignus dedit, aut obligationem iterum suscepit. Quæ omnia pluribus tractata videri possunt apud Doctores. Mol. Rebellium, Less. Gomez, aliósque citatos à Bonac. *loc. cit. p.* 2. & à Sanch. *lib.* 4. *matrim. d.* 3. *num.* 15.

### §. VI. *Quando fidejussor potest agere, ut liberetur à Fidejussione?*

1. SAnè in tribus casibus, qui enumerantur à Sacro Textu *C. fin. de fidejussorib.* his verbis: *Eum, pro quo te Fidejussorem obligasti, si diu in debiti obligatione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te à fidejussione debeat liberare.* Hæc Textus. Vide Glossam, & textus Civiles ab illa citatos.

---

## CAPUT II.

### *De Assecuratione.*

1. *ASsecuratio est contractus, quo quis ob pretium suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius rei compensationem ita, ut pereunte tota re, totam compenset, pereunte parte, partem.* Licitus est ejusmodi contractus, quia est contractus sortis, & propter eandem rationem erit licitus, etiam, quando assecuratur vita alicujus per aliquot annos, &c.

2. Debet tamen, ut sit justus, habere quatuor conditiones: Primam, ut adsit æqualitas inter pretium, & pericula: id, quod certè vel lex, vel usus communis, vel vir expertus judicabit. Secundam, ut assecuratio sit libera, non extorta. Tertiam, ut assecurator admoneatur de periculis, quo scilicet sic videat, an velit, & quantum possit petere pro gravamine, quod subit. Quartam, ut res, quæ assecuratur, existat, & quidem cum periculo, secùs quid assecurabitur? Adde, & quintam, ut qui assecurat habeat bona, quibus totius rei assecuratæ compensationem facere possit, si ea tota pereat, vel partis, si solam partem assecuravit.

### *Qui scit rei eventum, an possit assecurationem præstare?*

3. Ex dictis conditionibus infero primò, si quis petat assecurationem à te certò sciens, rem Navium, v.g. periisse, vel eam esse vacuam mercibus, invalidam esse tuam assecurationem de Navi, vel de Mercibus, atque adeo injustè illum accipere deinde à te compensationem, quia re ipsa nihil assecurare potuisti. Dico, (Certò) nam si sit dubium, quod dubium tibi notum fiat, poterit procedi ad assecurationem pretii ejusmodi dubio proportionati.

4. Quæres: Quid contrà? Si ergo sciam per Astrologiam, v. g. non fore tempestatem (sic supponamus) vel per admonitionem amicorum certam, mare tutum esse à Piratis: Breviter sim certus nullum subesse periculum, possumne ob assecurationem Navis tantum accipere, quantum alius acciperet, qui hæc nescit?

Respondeo, posse docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 27. Sed mihi, & Bonac. *disput.* 3. *de contract. quæst.* 9. *part.* 3. *num.* 3. *v. Sed contrarium mihi*, videtur non posse, quia, si nihil re vera assecuraretur, non esset contractus sortis.

### *Qui nihil habet, an possit assecurare?*

5. Infero secundò, si tu assecurator nulla bona habens, nec habere sperans, quibus possis compensare rem, si forte pereat, fingas habere, assecures, invalidam esse tuam assecurationem, & injustam, & quia non est æqua conditio ex utraque parte, unde nihil potes accipere pro ejusmodi assecuratione.

Qui

*Qui partem habet, an possit præstare assecurationem totius?*

6. Infero tertiò, quid dicendum, si quis habens in suis bonis, vel habere sperans quinque millia, v.g. tantum, assecuret Merces Navis onerariæ merentes decem millia, poteritne justè pretiū assecurationis accipere, & retinere? Pretium, inquam, correspondens, si non decem millibus, saltem correspondens bonis, quæ jam habet, id est, quinque millibus?

7. Respondet Bonac. l.c. probabilissimum esse, quod non possit, ne partem quidem accipere, sine onere restitutionis, quia contractus assecurationis ejusmodi est invalidus; fraus enim assecurationis dedit causam huic contractui, nam consensum nullo modo Mercator huic præstasset, si sciviſſet ejus partialem impotentiam: Ipse tamen Bonacin. citans Rebell. ait, se putare posse justè partem correspondentem accipere, & retinere, quia hic assecurator jam solvisset pro una parte, id est, pro quinque millibus; pro aliis verò quinque millibus jam se exposuit periculo illa resarciendi, & de facto obligabitur restituere, si fortè ad pinguiorem fortunam devenerit.

8. Equidem non video, qua ratione sit probabilis hæc posterior Bonac. & Rebell. sententia, nam semper urget ratio modò dicta ex involuntario Mercatoris, qui certè nunquam consensum præbuisset, etiamsi sciviſſet Mercatorem se obligare ad damna solvenda, postquam ad pinguiorem fortunam devenerit; ipse enim statim volebat & quidem certam compensationem, non verò futuram & incertam. Sanè quoad peccatum mortale ipse idem Bonac. omnino debebit concedere, assecuratorem illud commisisse, quandoquidem in re gravi decepit Mercatorem, dum illum posuit in periculo, ut si res periisset, debuisset expectare integram compensationem, sub tanta incertitudine, post indeterminatos annos, putà, quando fortè assecurator in meliorem fortunam incidisset. Dic ergo prædictum assecuratorem, & peccasse, & restitutionis onus subiviſſe.

*Assecuratio pretii justi in subhastatione Hispanioè, Prometidos, an licita?*

9. In Hispania solet quidam contractus assecurationis celebrari, quem referunt, & approbant Azor. 3. *p. lib.* 11. *cap.* 21. *dubio* 3. & Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 10. *num.* 57. nam dum reditus, seu gabellæ publicæ (idem dici poterit de aliis rebus) sub hasta, voce Præconis, vendi, vel locari proponuntur, ne desint Emptores, vel Conductores, promittitur certa pecuniæ summa alicui viro, qui pretium augeat usque ad pretium rei subhastationi expositæ justum, cum pacto, ut si non sit alius, qui plus offerat, reditus, seu gabella illi detur, qui pretium justum auxit. Vides? hic vir assecurat Magistratibus pretium justum, & Gabellæ locationem. Magistratus verò proportionatam mercedem illi solvit. Estne ergo licita ejusmodi assecuratio?

Respondeo, esse licitam, docent prædicti Azor. & Filliuc. & meritò, quia Magistratus redditur securus de justo pretio, déque locatione suæ gabellæ, & vir ille pro eo, quod promittit (quod certè onus est) mercedem justam accipit: Cæteri verò, qui concurrunt ad rem emendam, vel conducendam non possunt conqueri, quia ille assecurator Ius habet (ut & alii omnes) offerendi pretium majus, & minus, &c.

## CAPVT III.

### De Pignore.

*§. I. Quid sit Pignus.*

1. Pignus, sicut & Depositum, & Commodatum aliquando sumuntur pro ipsa re, quæ traditur, aliquando pro contractu, sub quo datur, & in hac posteriore significatione hic de his potissimùm est locutio, licet & prior significatio non rarò intercurrat.

2. Pignus ergo est *Contractus, quo res alicui traditur, seu obligatur ad securitatem crediti.* Quoniam verò aliquando pignus consignatur creditori, ut communiter solet fieri, in rebus mobilibus: pro pecunia enim, quam tibi debeo, trado tibi vas argenteum, v. g. in pignus; aliquando verò non consignatur creditori res, sed remanet in manu debitoris, obligata tamen ipsi creditori, ut communiter solet fieri in rebus immobilibus; nam pro pecunia, quam tibi debeo, obligo meum prædium tibi, illúdque apud me retineo, tibi tamen realiter obligatum in securitatem tui crediti. Ideo duo sunt genera contractus pignoris: Alterum, quo res traditur creditori. Et vocatur propriè, strictéque pignus: Alterum, quo res remanet apud debitorem, & appellatur hypotheca, quod est verbum græcum, latine, *suppositio*, quia res suppositа, seu obligata alteri. In utroque autem eſu dominium rei remanet apud eum, qui pignus dat. Ut vides, hic nos nullo modo loqui de bonis, v.g. de fundo, super quo Census aliquis impositus est; quamvis enim tunc fundus dicatur hypothecatus censui; non tamen illa est propriè hypotheca, de qua agimus, sed ut probabilissima sententia venditio partialis dominii illius fundi, ut diximus, cùm de Censibus, & notat Dlugo, *d.* 27. *de Iust. n.* 20.

3. Dictum autem modò est (*ut communiter fiat in rebus immobilibus*) nam interdum etiam res immobilis, v. g. prædium creditori datur, ut ipsum apud se habeat, & tunc sanè erit pignus strictè, & propriè sumptum.

4. Ex prædicta differentia cognoscis, cur pignus semper sit res determinata; hypotheca verò possit dici indeterminata, & in confuso. Ratio est, quia pignus debet dari, ut remaneat in manu creditoris, quod rei indeterminatæ competere non potest: at in hypotheca istis est, ut res remaneat obligata credito alterius, quæ obligatio licèt imponatur subinde in aliqua re determinata, & particulari, v. g. in hoc determinato prædio, quo pacto vocatur hypotheca particularis; potest tamen imponi, & non rarò imponitur, in omnibus bonis futuris, præsentibus, &c. quo pacto vocatur hypotheca generalis.

5. Quando denique dicimus, posse imponi in prædictis bonis hypothecam, semper intelligimus juxta quantitate, qua valet, nam propterea prædium hypothecatum uni, non potest alteri obligari, si prædium non est sufficiens ad utramque obligationem, ut rectè post Azor. 3. *p. lib.* 7. *de pign. cap.* 2. Filliuc. *tr.* 38. *cap.* 3. *quæst.* 2. *num.* 179.

*§. II. Quis potest oppignorare, & quæ bona?*

1. JAm verò à quibus, & quæ bona possint dari in pignus, seu hypothecam?

Respondeo, uno verbo (quod apud alios non reperies) ab his, qui habent bonorum liberam administrationem, quique habent bona, immò & jura, quæ possunt vendi, & alienari. Non ergo, bona Ecclesiastica: non, bona publica: non homo liber: non bona, quæ non sunt sub suo, vel dominio, vel libera administratione, in pignus dari

vel hypothecari posſūt. Lege Vasqu. *in opusc. c. 1. de pignore*, Azor. *3. p. l. 7. de pign. c. 5. &* 6. Mol. *d.* 529. Delugo *d.* 32. *de Iust. à n.* 26. aliosque. Et Bonacina quidem. *lib. 3. de contr. q.* 10. *p.* 1. concedit posse te pignus, quod ab alio accepisti, in pignus dare (intelligo semper, præscindendo ab aliqua iusta explicita, vel tacita conventione) quia potes alteri cedere Ius, quod tu habes in pignore. Sed adverte, id non esse, nisi pro quantitate, quæ tibi debetur, & pro tempore, quo durat tuum ius, nam ideo, si dominus pignoris tibi debitum solvat, cessare debebit hæc nova oppignoratio.

### §. III. *Fructus pignoris cuius sint? Remissivè*

1. His cognitis, quærimus, si fortè à meo debitore obtinui in pignus rem fructiferam, cuius erunt eius fructus?

Respondeò, Debitoris, quia is semper remanet dominus pignoris, ut *superius* dictum est fusè *in tr. de mutuo, & usura. cap.* 6. §. 1.

### §. IV. *Res data in pignus propriè dictum, si varietur an remaneat pignus, & quomodo reddendum?*

1. Si res oppignorata fructifera, v.g. prædium, contingat variari, remanétne eodem modo obligata pro creditore, sicut antea? Idem etiam potest venire in re non fructifera, &c.

2. Respondeo, cum hac distinctione: Potest res variari, vel in peius, vel in melius: Si in peius, quia, v.g. vinea destruitur, domus corruit, sylva cæditur, remanebit oppignoratum id, quod saltem de substantia supererit, nempè solum, seu fundus, ut etiam, quia ligna sunt pars sylvæ, remanebunt etiam & ipsa oppignorata. Si tamen ex dictis lignis fiat aliquod artefactum, v.g. Navis, non amplius oppignorata erunt, quia videntur multùm mutata per illam novam efformationem, ita disponente lege, *l. Si convenerit* 2. §. *Si quis*, *ff. de Pignoratitia, Actione.*

3. Dixi, *Saltem de substantia*, nam, si supererit solùm aliquid de qualitate, non remanebit pignus, unde remanentibus lignis è Navi oppignorata, vel corio ex oppignorato bove, inclinat Molin. *c.* 533. *fine*, non remansura ligna, & corium subiecta pignori.

4. Sed cur modò ligna sylvæ remanserunt oppignorata, non verò hæc ligna Navis?

Respondeo: Ratio fortasse est quia ibi ligna sunt partes immutatæ respectu sylvæ, unde rectè dicuntur esse de substantia tui pignoris, quod erat sylva. At hic ligna ex Navi destructa sunt partes valdè mutatæ respectu Navis; & ideo vocantur qualitates Navis, cuius substantia tota consistit in artificio. Vnde, sicuti modò à citata lege (*Si convenerit*) propter novam efformationem, seu compositionem Navis, deobligata fuerunt ligna sylvæ oppignoratæ ab onere pignoris; ita nunc propter difformationē, seu destructionem Navis, ligna ab onere pignoris pari modo deobligantur.

5. Si verò in melius res oppignorata varietur, quia prædium, v.g. fuit à possessore melioratum, plantando ibi, v.g. vineam, domus amplior fuit effecta, &c. remanebit etiam ipsum augmentum pignori subiectum, quia accessorium sequitur principale.

6. Sed quid fiet deinde, quando ego debitor solvam, quod debeo, & volo, ut reddatur mihi dictum prædium, seu dicta domus, danda mihi est sic meliorata, nécne?

Respondeo: Vel primò, hæc melioramenta, utique utilia, de quibus nunc loquimur, sūt facta ab ipso Creditore, vel secundò, facta sunt à Tertio, ad quem fortè prædium illud pervenit.

7. Si fuerit hoc posterius, sentit Molina, *d.* 533. contra Covar. Molin. sequitur Delugo *d.* 32. *de Iust. num.* 32. non teneri hunc Tertium tradere prædium, nisi prius sibi solvatur, quod expendit, & quod plus valet ratione sua utilis melioritionis; Addit Molina eidem tertio dari optionem, ut vel faciat, quod dictum est, vel solvendo illum valorem, quo prædium, antequam illud augmentum accepisset, æstimabatur, sibi prædium retineat. At Covar. sentit, cogi posse hunc tertium, ut reddat prædium, accipiendo pretium suarum melioritionum. Et certè hæc sententia Covar. mihi probabilissima videtur, quia prædium, cùm sit verum pignus in hoc casu, de quo loquimur, domini est, & illi debetur.

8. Si fuerit illud prius, hoc est, si tuum prædium datum in pignus fuerit auctum ab ipso tuo creditore, in cuius manu prædium erat, licèt ipsi non detur optio prædicta; tamen non tenetur tibi reddere illud, nisi tu præter antiquum debitum, solvas, etiam id, quod ille utiliter expendit pro melioramentis dictis eo modo, quo dictum est, *suprà, in tr. de Locat. c.* 1. §. 1. *n.* 14. *&* 15. à me universaliter. Imò poterit, teste Molin. *loc. cit.* sibi tandiu retinere prædium, quamdiu ipsi resarciantur expensæ utiliter factæ. Ratio omnium prædictorum est, quia non est æquum, ut is, qui rem suis expensis utilem tibi fecit, defraudetur sua mercede. Deductis semper deducendis, ut semper supponi debet.

9. Sed quid, si rem auxit huiusmodi possessor, sed inutiliter? Vt, si creditor, in manu cuius fuit dictum prædium, fecisset in illo picturas, fontes, aliáque ad ornatum superfluum, & inutilem?

Respondeo: De his non agit expressè hîc Molina, sed ex eius doctrina, & ex Sanchez *l. 2. suffim. cap.* 23. *n.* 139. & ex his, quæ ego *ibid. loc. cit. num.* 13. *& lib.* 8. *in Decal. tr. 3. cap.* 3. §. 5. *à num.* 13. dixi, colligi potest, hæc non debere solvi ab eo, cuius est pignus, sibi enim imputet, quod in aliena re, quam iam sciebat esse alienam, inutiliter sive parum, sive multùm expenderit. Recole necessariò *citatum locum nostrum de Locatione*; nam ex doctrina ibi tradita poterunt, & debebunt multa huc pertinentia, vel explicari, vel addi.

### §. V. *In rem sibi hypothecatam quidnam iuris habeat Creditor?*

1. Respondeo, si rem tuam, v.g. prædium, obligasti in securitatem alicuius debiti in favorem creditoris, illam tamen creditori non tradidisti, sed apud te reservasti, creditor semper habebit ius in eam rem, quæ onus hoc, & obligationem realem secum semper defert, ut *suprà* iterum dictum est. Hinc fit, ut ad quemcunque possessorem transierit, possit creditor debitum suum ex illa exigere, quamvis ex iure novo non possit, *in Authentico de fideiussione*, §. *Sed neque*, etiam in hypotheca expressa, agere dictus creditor contra tertium possessorem, nisi præcedente excussione in bonis debitoris, & fideiussorum. Debet ergo probare creditor, rem illam fuisse debitoris tempore contracti debiti, vel postea, & fuisse comprehensam in hypoteca, factamque esse discussionem in bonis debitoris, & fideiussorum. Quando autem tertius possessor rei hypothecatæ, cogetur solvere, debet ei dictus creditor cedere ius, quod habebat contra debitorem principalem, & fideiussores. Ita Delugo. *d.* 32. *de Iust. num.* 23. qui non notat eam doctrinam, quam nos in simili notavimus *suprà, cap.* 1. §. 2. *num.* 3. quæ tamen erat omnino notanda, propter paritatem rationum, éstque multum in praxi animadvertenda.

2. Illud denique nota, quod dictum est de discussione facienda in bonis debitoris, non procedere, ut habet Delugo *l. c. n.* 34. in fundo, v.g. super quo census aliquis impositus est: hic enim, si vendatur, vel alienetur, defert ita secum onus illud, ut non debeat prius à venditore census peti reditus, sed immediatè ab ipso tertio possessore. Ratio est, quia illa, ut modò *num.* 7. dixi, non est propriè hypotheca, de qua hîc agimus, sed venditio particularis dominij utilis illius fundi: at verò circa bona alia, quæ hypotheca generali obligantur pro securi-

tate

tate eiusdem census, eris obseruanda dicta Authentica, hoc est, si transeunt ad tertium possessorem, non habent hunc tertium obligare ad solvendum, nisi facta prius excussione prædicta, quia hæc alia bona non sunt vendita, sed propriè hypothecata.

### §. VI. *Pignoris Venditio.*

1. INquires quartò: Si præfixo tempore debitor debito non satisfacit, liciténe creditor pignus, quod apud se retinet, vendet, ut habeat, quod ipsi debetur, reddito semper excessu, si adsit, ipsi domino pignoris?

2. Vt respondeam, scito, pignus aliud vocari conventionale, éstque illud, quod Partes inter se dant, recipiúntque; aliud Prætorium, aliud Iudiciale, atque hæc sunt ea, quæ auctoritate Prætoris, vel Iudicis dantur.

3. Iam nunc Respondeo, non esse difficultatem, primò, quod pignus Conventionale vendi possit, si inter partes conventum est, ut illud post moram solutionis vendatur, iuxta ea quæ explicuimus *supra, tr. 1. de Mutuo, & Vsur. c. 6. § 2.* Nec secundò, esse difficultatem, quod vendi non possit, si, ut illud non vendatur, conventum est. Aliqui tamen in priori casu post dictam moram, requirunt, semel saltem, monendum esse Dominum pignoris, sed non esse necessariò monendum, docet Azor. *3. p. l. 3. q. 3.* Reginald. *l. 22. c. 6. n. 605.* quia eiusmodi monitio non fuit deducta in pactum. Alij item, (& sanè valdè probabiliter) cum iisdem Azor, & Regin. in posteriore casu, quando præcessit pactum, ne pignus venderetur, dicunt, adhuc posse vendi, sed post monitionem, nam de ratione, & natura pignoris est, ut vendi possit, sed assistente debitore, si velit, ne fraudem suspicetur.

Difficultas ergo est, quando de eiusmodi venditione facienda, vel non facienda, nihil est conventum.

4. In hoc casu leges, *l. fin. §. Sin autem, C. de Iure Dominij impetrandi*, disponunt, ut creditor non possit vendere pignus conventionale, nisi præmissa una monitione, & elapsis duobus annis à monitione. Antea igitur nulla ratione vendere poterit: illis autem elapsis, poterit creditor pignus propria auctoritate vendere, sed præsente, & sciente domino. Quod si non inveniatur, quod velit emere, conveniendus est Iudex, monito domino, qui si nolit comparere, certum tempus ei assignabitur à Iudice ad comparendum, quo non comparente, poterit creditor petere à Principe, ut pignus sit ipsius creditoris, licèt cum conditione, ut, si intra alios duos annos compareat debitor, satisciátque creditori, sibi pignus recipiat.

5. De pignore Prætorio nihil est statutum. Remanet igitur, ut vendi possit arbitrio Iudicis.

6. De Iudiciali, leges statuunt, ut illud non detur in manu Creditoris, nisi post quatuor menses à lata sententia Iudicis: potest tamen ab eodem Iudice hoc arctari, vel produci ex iusta causa: postea verò expectentur alij duo menses, post quos pignus vendi potest, sed certè auctoritate Iudicis intercedente.

7. Notat autem Molina *d. 5, 8. n. 12.* illud biennium, quod requiri modò diximus in conventionali, posse reduci ad quatuor, vel sex menses, si creditor recurrat ad Iudicem, qui convertat pignus illud conventionale in Iudiciale, hoc est, ut ipsi creditori detur illud pignus auctoritate publica, quod iam habebat ex conventione privata, nam si pignus iam redditum Iudiciale, huius naturam sequatur, necesse est.

Hæc statuunt leges communes: Quod si alicubi sint alia statuta, vel consuetudines, servanda ea omnino erunt in foro externo. Sed quid pro foro interno?

8. Respondeo: Ad vendendum Prætorium, vel Iudiciale pignus semper auctoritate Iudicis opus esse, etiam in foro interno conscientiæ, mihi certum videtur, quia sicuti ea pignora ab auctoritate publica procedunt legitimè, ut supponimus; ita ab eadem dissolvi debent. At quoad pignus conventionale, voluissem sanè in aliquem Theologum incidere, qui mihi disertè explicasset, an illa lex de Pignore conventionali, quam modò attulimus, urgeat solùm in foro externo, an etiam in interno conscientiæ? Explico: Si quis creditor, ante omne Iudicium exterius, post moram solutionis à debitore interpellatus, ipsóque monito, vendat, illis duobus annis, non obstante pignus iusto pretio, quod sibi ex integro satisfaciat, quodque fortè supereſt, reddat pignoris Domino, an (quicquid futurum timeatur in foro externo) tutus eiusmodi creditor sit?

9. Certè putarem (nisi me mea fallit opinio, quam nolo ratam, nisi doctiorum accedat assensus) Primò, quia fortasse, sed tacitè eiusmodi pactum, de vendendi pignus modo dicto, initum esse cum domino pignoris, semper supponitur, quo pacto supposito posse vendi pignus, diximus *n. 3.* Supponitur autem tacitè eiusmodi pactum, quia dum debitor dat pignus in manum creditoris, illius arbitrio relinquere illud videtur, quatenus, designato tempore ipsi non satisfaciet.

10. Secundò, quia durum, & nimis grave est creditori, tot menses, tótque annos expectare, ut sum recuperet.

11. Tertiò, quia recursus ad iudicem, & tam longa expectatio vergit in damnum ipsius debitoris: nam obligatur ad expensas, quas facturus subinde est creditor in eiusmodi terminis computandis, & ad plura alia damna, quæ facilè idem creditor causa debitoris patietur, dum sibi non satisfit per duos illos annos à Domino pignoris.

12. Quartò, quia præsumendum est, eiusmodi legem esse constitutam ad fraudes tollendas: ubi igitur fraudes verè non adsunt, ut quid tot subtilitates iuris in conscientia servandæ sint?

13. Quintò, quia possumus affirmare ob hæc leges non invalidari, nec illicitos reddi actus fortes, præter illius dispositionem, aut iudicis sententiam, amittere ad nullam restitutionem obligabitur, quamvis ipse creditor, qui vendidit pignus sine illis solemnitatibus, condemnetur à Iudice ipsius sententiæ stare omnino debeat, quia semper iustæ Iudicis sententiæ, etiam in conscientia parendum est.

14. Sextò, quia Glossa huius legis in figuratione casus ait, creditorem vendentem pignus sine dictis solemnitatibus, amissurum etiam debitum suum. Ergo Glossa supponit, hanc esse legem pœnalem, quoad hanc partem, per quam scilicet debeat dictus creditor amittere debitum, ergo valdè probabile erit, esse pœnalem, etiam quoad totum: lex autem pœnalis communiter, non nisi post latam sententiam, conscientias ligat. Sic conditalis sufficiat.

## CAPVT IV.

### *Quid, & quotuplex sit Hypotheca?*

1. QVid sit Æypotheca, diximus per occasionem lib. *cap. præced. §. 1.* Quotuplex autem ea sit, diximus *c. §. 5.* indicavimus. Breviter, alia est expressa, alia tacita. Hypotheca expressa est ea, quæ ex pactum conventum habetur, quarum aliam esse specialem, seu particularem, aliam generalem *loco citato*, breviter innuimus. Tacita est illa, quæ implicitè involvitur in alio contractu, & dispositione Iuris. Illud igitur duntaxat hic explicandum erit. Ecquinam sint eiusmodi contractus, in quibus ex dicta Iuris dispositione resultat hypotheca, tacita, seu quæ illi celebrantur, per quam hypothecam bona unius obligata alteri ex contrahentibus.

2. Respondeo esse novem. Primò enim inveniur tacita hypotheca in bonis mariti, quæ tacitè sunt appignorata, seu hypothecata pro dote.

3. Secundò, in bonis Ministrorum Ecclesiæ, quæ sunt hypothecata pro mala administratione.

4. Tertiò, in bonis promittentis dotem, donec illam promittens solvat.

5. Quarto,

5. Quartò, in bonis contrahentis cum Fisco.
6. Quintò, in bonis Patris administrantis bona filii.
7. Sextò, in bonis Tutoris, & Curatoris pro administratione bonorum Pupilli, & Minoris.
8. Septimò, in fructibus fundi locati, qui censentur hypothecati pro pensione solvenda, & pro damno fortè facto conductore in eodem fundo.
9. Octavò, sunt etiam hypothecata pro eadem pensione, & damnis, res in fundum (quem vocamus prædium rusticum) invectæ, sciente Domino, res in domum (quam vocamus præ lium Vrbanum) invectæ, etiam domino ignorante, modò ejusmodi res invectæ non sint alienæ, & modò sint ibi permansuræ, nam propterea merces vendendas non intelligi hypothecatas, licèt in domum sint invectæ, notat Mol. *d.* 499. *n.* 4.
10. Nonò denique (quod est pro praxi valdè notandum) tacita hypotheca invenitur in omni re, ad cujus conservationem mutuatur, seu datur pecunia. Illa enim res ex ejusmodi pecuniæ auxilio conservata remanet obligata pro ea pecunia cum prælatione ante alios habentes priorem hypothecam. Lege hæc distinctiùs, aliáque huc pertinentia apud Molinam, *d.* 489 & 497. Bonacinam *d.* 3. *de contract. q.* 10. *p.* 2. Azor. Salon. Vasq. apud citatos, aliósque.

# CAPVT V.

## *De Depositо.*

### §. I. *Quid sit Depositum?*

1. DEpositum est *Contractus, quo sola rei custodia alterius fidei committitur.* Et quidem, si à Iudice tibi ejusmodi custodia committatur, vocabitur depositum Iudiciale; id, quod solet fieri, quando res aliqua litigiosa datur alicui in custodiam, donec lis terminetur, nam propterea vocatur etiam sequestrum. Si inter personas privatas res agatur, depositum appellatur depositum privatum, de quo nobis potissimùm erit locutio.

### CONTRACTVS.

*Vbi de rebus apud hospitem depositis.*

2. Dictum est primò, (*Contractus*) quo significatur requiri consensum, tam deponentis, quàm depositarii. Quare non eo ipso, quod domi meæ aliquid deponis, ego depositi contractum tecum celebravi, nisi signa ostenderim, quibus depositum acceptaverim, vel certè, nisi ex officio id muneris habeam, tunc enim, dum illud officium exerceo, implicitè rem custodire promitto. Hujus generis ferè sunt Navigiorum Domini, Hospitiorúmque Administratores; tacitè enim Navigantium, Hospitúmque res sub sua cura recipiunt: licèt satis probabiliter Lessius, *l.* 2. *c.* 27. *n.* 10. hanc promissionem in his, & similibus non cognoscat: idque propter multitudinem in illa loca, quasi publica, accedentium, indéque recedentium, addens, saltem non esse communiter in usu tantam obligationem custodiendi, nisi ab hospitibus peculiaris cura suarum rerum actu illis commendetur.

### REI.

3. Dictum est secundò (*Rei*) sanè communiter mobilis: non repugnat tamen posse, & immobilia deponi, ut quando vellem, v. g. prædium meum amico custodiendum tradere.

### CVSTODIA.

*Vbi de expensis pro Depositо factis, & de lucro acquisito ex eodem.*

1. Dictum est tertiò, (*Sola rei custodia*) quo significatur primò, rem esse realiter tradendam depositario, neque enim custodiri potest, quod re ipsa non recipitur. Secundò, esse statim restituendam, petente Domino. Tertiò, esse restituendam, in eodem loco, in quo tradita est, quia, nisi aliud justè fuerit conventum hæc verba (*Sola rei custodia*) significatur item aliquam mercedem esse dandam pro labore custodiæ. Vide, quæ dixi *suprà, tr.* 3. *de Cambiis, c.* 3. §. 3. Significatur denique, pactum, quo depositarius non teneatur depositum custodire, vel, quo non teneatur ex dolo, injustum esse & invalidum, quia est contra naturam contractus depositi: adde esse contra bonos mores, ut notat cum aliis Barthol. à S. Fausto *in spec. Conf. d.* 8. *n.* 11.

2. Iisdem verbis illud item significatur, nimirum per depositum non transferri dominium in depositarium, nec illi concedi usum; committitur enim sola custodia. Quòd si concedatur usus, jam transibit contractus in mutuum, vel commodatum, vel locatum.

3. Præterea, ex eo, quod per depositum non transfertur dominium in depositarium, colligitur justè depositarium exigere expensas factas circa rem depositam, v. g. circa equum (excipe, nisi equo usus fuerit, usúsque compensetur cum expensis) eundémque depositarium posse sibi retinere depositum, donec ipsi solvantur dictæ expensæ ut notat Mol. *d.* 526. nam non tenetur suis sumptibus depositarius alere, seu conservare rem, quæ nec ejus est, nec ab ea emolumentum recipit.

4. Hinc insuper sequitur, ut meo deposito uti nequeat depositarius, quia res deposita ejus non est, sed mea. Sunt tamen duæ exceptiones. Prima, quando creditur, usum non displiciturum Domino. Secunda, quando dominus usum concessit saltem tacitè. Tacitè autem concedere præsumitur, quoties deponit rem usu consumptibilem, & quæ functionem habet; si v. g. deponit quis apud te pecuniam, vel frumentum, nec interdicit tibi ejus usum (interdicere mihi videtur, saltem tacitè, si deponat apud te vinum v. g. generosum, vel quid simile difficulter reddendum in sua bonitate, &c.) potes illis uti, quia ex natura rerum hujus generis, præsumitur dominus, non curare, si illis utaris, eáque convertas in mutuum; jam enim es futurus promptus illa omnino æquivalentia reddere sine mora. Ita Mol. *d.* 524. & Fagund. *in dec. l.* 7. *c.* 16. *num.* 18. Ita etiam Layman. *l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 4. *c.* 25. *n.* 4. *concl.* 3. aliíque apud Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 14. *p.* 1. *n.* 3. loquens de Officialibus; & Magistratibus, apud quos frumentum, & similia deponuntur.

5. Quid, si depositarius utatur ad negotiationem dicta, v. g. pecunia, vel frumento apud se depositis, retineréne, justè poterit sibi lucrum ex ea negotiatione receptum?

Respondeo, Si id faciat, invito deponente, non posse, docet Sylvester, *v. Depositum, n.* 10. sed lucrum esse dandum ipsi deponenti, retentis solùm expensis, & æstimatione sui laboris. Sed posse, etiamsi deponens sit Communitas, Magistratus, vel privatus homo quicunque, probabilissimum est. Ita Fag. Layman. *ll. cc.* quia illud lucrum est partus industriæ depositarii, & ex alia parte jam hic promptus est reddere integrè, & sine mora depositum, statim, ac dominus illud petierit.

A depositario autem deberi deponenti non solum rem ipsam depositam, seu etiam damnum lucri cessantis, si fortè aliquod factum fuit eidem deponenti, nullus ignorat. Vt etiam, quando res deposita fuit ex illis, quæ functionem non recipiunt, qualis esset, v. g. vestis, deberi item, quanti valet ejusmodi usus, vel pueri sciunt.

6. At peccátne is, qui sic se gerit, Domino præsertim positivè invito?

Respondeo: Ita puto, sed certè ad mensuram rationabilis involuntarii Domini, quia aliqua tandem injuria mihi fit si mea pecunia, quamvis sine meo damno, tu velis uti, me positivè prohibente, unde & volente, ne illa pecunia deposita transeat in mutuum.

ALTERIVS FIDEI COMMITTVR.

*Vbi, an depositum confiscatum reddendum sit Fisco ?*

7. Dictum est quartò (alterius fidei committitur) nam propterea, si depositum perit culpâ depositarii, obligabitur is ad restituendum tantumdem.

8. Quod autem requiritur, ut videre est *l.* 8. *in dec. tr.* 3. *c.* 5. §. 1. ad hanc obligationem inducendam culpa gravis, & quando hanc intervenisse judicandum sit, *alibi* diximus, ubi etiam notavimus, si casu res deposita pereat sine depositarii culpa, domino perire, quia sicuti domini est, sic Domino perit.

9. Quamvis autem tuæ fidei commissum sit depositum; docet nihilominus Navarrus, quem citat, sed non sequitur Bonac. *de contract. d.* 3. *quæst.* 14. *p.* 3. *num.* 7. cum Reginald. & Azor. aliisque, te debere depositum Fisco reddere si fortè illud fuerit legitimè confiscatum, quia publicatis bonis alicujus, fisco competunt illa bona, quæ & deposita ubicumque inveniantur. Verùm, contrarium sustinet uterque Sà Geminus, & Expurgatus, *v. Depositum, n.* 6. qui sic habet: *Depositum dandum fisco, si ei omnia bona deponentis sunt adjudicata*, ait Navarrus: *Ego ei, qui deposuit, restituendum crediderim, quoad forum conscientia, nisi id Iudex prohibuisset.* Hæc Sà, quem citans sequitur Lessius *loc. cit. d.* 3. *n.* 4. addens posse etiam restitui Fisco, quia etiam ipse habet Ius rem illam confiscatam sibi vendicandi. Vide, quæ in hanc rem dixi, *l.* 2. *in dec. cap.* 1. §. 5 *n.* 21. & 22.

## §. II. *Quis Deponens, qui Depositarius esse possit ?*

1. OMnes ii ratione utentes, qui rei alicujus administrationem habent, eam rem deponere apud fidelem virum, immò & apud infidelem, sed suo periculo, possunt. Res hæc majore non indiget explicatione. Lege Azor. *p.* 3. *l.* 7. *c.* 3. Omnes præterea (abstrahendo ab aliqua peculiari prohibitione) ratione utentes, etiam Pupilli, etiam Fœminæ, etiam Clerici, etiam Religiosi, sed hi cum licentia suorum Superiorum, possunt esse Depositarii. Modò notes, neque Ecclesiam, neque Monasterium ad quidquam obligari, si depositum (quamvis cum culpa depositarii Clerici, vel Religiosi) pereat, nisi quando ipsius Ecclesiæ, vel monasterii nomine acceptatum fuit depositum, quia ex culpa peculiaris Religiosi non obligatur Ecclesia, ut pluribus prosequitur Castropal. *tom.* 3. *tr.* 16. *d.* 3. *p.* 16. & *ibid. disp. mox cit. p.* 13. §. 3. *n.* 6. alique.

*Duo selecta de religioso Depositario*

2. Primum: Si Religiosus, v.g. Superior legitimè, nomine Religionis, depositum suscipiat, illúdque expendat pro ipso Monasterio, idque constet, poteritne Religio licitè, & sine pœnarum timore, bonum stabile alienare, quando alia via non suppetit, ut sic depositum domino reddi possit ?

3. Respondeo, posse docet Castropal. *t.* 3. *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 13. §. 4. *n.* 6. non solùm in casu proposito, sed etiam si culpabiliter amissum fuit, licèt non in utilitatem Monasterii expensum. Si plura velis illum lege.

4. Secundum: Si Religiosus depositum suscipiat, Superiore non consentiente, mortalitérne contra paupertatis votum peccat.

Respondeo, cum ea distinctione, quam rectè adhibet Idem *ibid. d.* 3. *p.* 21. *n.* 6. Si pecuniam, vel aliud quidvis (inquit) à sæculari accipias in custodiam, excusaris à vitio Paupertatis. Et paulò post: *Adverte tamen, supradictam depositionem non debere admitti, in vim depositi, sed solum in vim cujusdam familiaris custodiæ, alias peccaret Religiosus adversus Paupertatis votum, depositi, contractum celebrando: quia esto, contractus nullus sit, nullámque obligationem Monasterio imponat: at velle, quantum est ex se, obligationem subire, & vim depositi deponenti concedere, Superiore inconsulto iniquè est.* Hæc ibi. Quando ergo idem *ibid. d.* 4. *p.* 13. §. 4. *n.* 3. citans Mol. *d.* 523. & Sanch. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 27. docet Religiosum peccare, si depositum graviter materiæ sine licentia accepter, est intelligendus (nisi sit contrarius) de depositio concedente Ius alteri ut jam dixinimus.

5. Eodémque modo intelligendum esse puto Delug. *d.* 33. *de Iust. sec.* 1. *n.* 6. qui cùm dixisset, Religiosum malefacturum (hoc est, ut ego interpretor, incongrue, quando loquimur de depositio in vim familiaris custodiæ recipiendo depositum sine prælati licentia, citavitque Mol. *d.* 525. *modò citata*, & Layman. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 24. *n.* 6. dixit: *Non tamen credo, id esse contra votum Paupertatis sistat in mero depositu.* Quod idem dixerat Delugo *d.* 33. *Iust. num.* 150. ubi citaverat Tom. Sanch. *l.* 7. *summ. c.* 11. *n.* 50. Nota enim illud (*si sistat*) id enim est perinde, ac si dicat: *Si sistat in mero depositu familiaris custodiæ, nec transitum faciat ad dandum Ius deponenti.*

6. Hæc absolutè: Si enim in aliqua Religione sit præceptum sub mortali, de non recipiendo depositu, nec servandum id esse, nullus dubitat.

## §. III. *Incrementum, & decrementum Depositi cujus sit ?*

1. EX dictis §. 1. duas enodabis difficultates, quarum alteram hîc propono, alteram *in paragrapho sequenti*: Titius deposuit centum aureos apud me, eósque non petiit per annum. Interim eorum valor crevit, vel interim idem valor decrevit: inquito, cui crevit, cui decrevit? Ex una enim parte domino dicendum esset, res ea sicuti domino perit, si ea perit; ita eidem crescet, decrescétque. Ex alia verò dicendum esset, perire depositum, quando deponuntur res, quæ functionem accipiunt; hîc enim ex tacita licentia deponentis, fiunt, ut modò diximus depositarii, & est perinde ac si mutuum illi datum fuisset, cujus natura est, ut per illud transferatur dominium in mutuatarium. Ergo ipsi, ut porè domino, crescit valor, decrescétque. Consultò dixi (*Res quæ functionem accipiunt*) de his enim est locutio. Nam res, quæ functionem non habent, qualis est, v.g. equus, vas argenteum, &c. (quas omnes scimus, eam similitudinem commodati exstare, vel decrescere ipsi deponenti, utpotè Domino.

2. Respondeo, hîc naviter expendendum esse: An depositarius res illas functionem habentes, v.g. illos centum aureos pro mutuo expressè, vel tacitè jam acceptaveris, tuósve, saltem per eorum usum, effeceris, cum obligatione reddendi tantundem. An verò depositam dictam pecuniam, ut depositam dumtaxat habueris, cujus posterioris modi signum inter cætera est, si illam obligaverim in sacculo, vel clausam in arca per modum massæ repositi. Si prius, valor tibi crescet, tibíque eidem decrescet, quia incrementum, & decrementum est tuæ rei: & solum nobis ipsum mutuum, ut *suprà, in tr. de mut. & usur. c.* 1. explicuimus, mutuanti reddere. Si posterius, certè crescet, decréscetque deponenti, quia donec depositum in alium contractum transeat, & consequenter ante usum à te factum dictæ pecuniæ, vel certè ante acceptationem ejus pecuniæ in mutuam, semper remanebit depositio, cujus natura est, rem esse domini deponentis, incrementumque, vel decrementum ad ipsum pertinere. Ita tandem concludit Bonac. *l. c. n.* 4. *fine*, & ita etiam dicendum de filamento, v.g. depositio in tuo horreo, si illud crescat, &c.

## §. IV. *Præsumpta voluntas, in commutando Depositu, quid operetur ?*

1. ALtera difficultas sic proposita nudiustertius fuit. Antonius Faber lignarius deposuit apud Titium Mercatorem, in taberna ejusdem Titii extra urbem sita, mille tabulas abiegnas, quarum omnino similes in bonitate idem Titius habebat in alia taberna intra Civitatem. Accidit autem, ut invento emptore, ei Titius vendiderit mille prædictas tabulas: sed quia emptor iis juxta Civitatem ad fabricam domus suæ sufficere indiguit, Titius ei dedit Antonii tabulas, applicuitque

Antonio

Antonio similes eas, quas in Civitate ipse servabat, ratus, gratam Antonio se rem sic facere, quem sciebat, vel è taberna suas tabulas (certè non sine sumptibus) in Civitatem invehere. Verùm, quid deinde consecutum est? Ex incendio in Vicinia fortè excitato, pars domus Titij, eiúsque penè tota taberna cum tabulis *ibid.* ab Antonio depositis conflagravit, quæsitúmque, non multò post, fuit, Titióne, an Antonio illæ tabulæ perierint?

2. Respondeo, huic casum valde similem olim accidisse, déque eo fuisse interrogatum Molinam. Nam quidam Navarchus vehebat in Navi suas & alienas amicorum arcas saccaro plenas, qui inter navigandum in quandam Insulam appulsus, vendidit suas arcas; sed, quia hæ in fundo erant Navis, unde difficulter extrahi poterant, dedit Emptori illas alienas, quæ supereminebant, animóque applicuit amicis suas; æqualis omnino bonitatis, & pretij. Postea verò capta Navi à Piratis, quæfierunt aliqui à Molina, An arcæ illæ, quas cœperunt Piratæ, Navarcho perierint, an Amicis? Qui respondit *d. §23. n. 6.* amicis periisse. Quæ responsio approbatur à Delugo *d. 33. de Iust. n. 5.* sed non à Bonac. *l. c. num. 3.* Ratio potissima Molinæ ducitur ex præsumpta, & rationabili amicorum voluntate, quia Navarchus suas arcas commutavit cum arcis ipsorum. Hac ergo commutatione facta, arcarum sublatarum damnum amicis, nempe, ut illarum Dominis, attribui, omnino debuit.

3. Bonacinæ autem ideo Molinæ decisio minùs placet, quia illæ arcæ (inquit) à Piratis captæ, erant Navarchi, non verò, ut Molina putat, amicorum: non enim verè permutatæ fuerunt cum illis, quæ fuerunt venditæ, siquidem permutatio, ut potè contractus mutuo consensu perficitur, qui consensus, amicis absentibus, intervenire non potuit.

4. Verùm, hæc Bonacinæ ratio facilè solvitur; Negatur enim, non intercessisse consensum mutuum, non quidem actualem, & explicitum, sed tacitum, seu præsumptum, qualem ad similes commutationes, imò, & Donationes, similésque contractus sufficientem esse, concedunt omnes. Quòd autem eiusmodi tacitus, seu præsumptus amicorum consensus affuerit, ratio Molinæ manifestè probat.

5. Redeo ad casum propositum de abiegnis tabulis, atque assero, eas Antonio periisse, non Titio, quia per illam commutationem ex præsumpto Antonij consensu factam, sub Antonij dominio erant, quando conflagrarunt.

### §. V. *Multa de Depósito. Remissivè*

1. AN res depósita nocitura domino, v. g. gladius furioso, vel pecunia, illam repetenti ad malum finem, reddenda sit, dixi *l. 8. dec. tr. 4. c. 2. §. 3. a n. 2.*

2. An res aliena apud te depósita à fure, possit reddi domino, colligi potest ex iis, quæ ego dixi, *l. 8. decal. tract. 2. c. 3. §. 2.*

3. An ex depósito possit Depositarius sibi compensare id, quod ipsi à Domino rei depositæ debetur, *l. 8. dec. tract. 2. c. 5. §. 7. n. 5.*

4. Ex qua culpa teneatur Depositarius, ad reddendum depósitum, si pereat *l. 8. dec. tr. 3. c. 5. §. 3.*

5. An, si rem depósitam Depositarius mittat ad deponentem per hominem, (ut credebatur) fidelem, & hic illam non afferat, an, inquam, ad aliquid æquivalens obligetur Depositarius? Colligi potest ex dictis, *l. 8. dec. tr. 4. c. 1. §. à n. 3.*

6. An depositarius in pari periculo suæ rei, & rei depositæ, obligetur rem alienam præferre suæ? Dixi, *l. 8. decal. tr. 3. c. 5. §. 3.*

7. An deponens res suas apud aliquem, qui sit aliorum debitor, præferatur aliis creditoribus depositarij? Videri potest apud Less. Bonac. *ll. cc.* Mol. *d. 526.* Delugo *d. 20. de Iust. n. 84.* aliósque.

8. An Depositarius uti re depósita possit, &, an cum illa luerari? Dixi, *l. 8. in dec. tr. 2. c. 9. §. 1. d n. 22. & tr. 3. c. 3. §. 5. n. 10.*



## CAPVT VI.

### *De Commodato.*

1. COmmodatum est contractus, *quo ad solum usum pro aliquo tempore res alicui gratis conceditur.*

2. Dicitur primò, (*Contractus*) quia in Commodato requiritur consensus Commodatarij, & Commodantis, in quo convenit cum aliis similibus contractibus.

3. Dicitur secundò, (*Quo ad solum usum*) in quo differt à mutuo, per quod transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium: Nam in commodato solùm transfertur usus, non dominium, imò neque possessio naturalis; nam commodans pergit, etiam naturaliter, possidere per commodatarium, quasi per suum ministrum. Semper autem intellige, usum illum, quem concedit commodans, ut notavit Sà, *v. Commodatum, num. 4.* Vnde peccaret contra Iustitiam, qui rem commodatam in unum usum, usurparet in alium; non peccaret autem, si suum usum alteri commodaret, nam (si aliter non expresserit commodans, vel ex circumstantiis aliud non colligatur de Domini voluntate) de hoc commodatarius disponens, disponit de suo, propter eandem enim rationem conductor, usufructuarius, & similes possunt commodare rem conductam, &c. quamvis Domini non adsit consensus, dummodo pactum aliquod non præcesserit, vel tacitus Domini dissensus non intercurrat. Lege Mol. *d. 194.*

4. Per hoc etiam differt commodatum à puro depósito, per quod, nec usus, nec dominium transfertur.

5. Denique ex eadem particula definitionis infertur Primò, expensas ordinarias pro conservanda, seu alenda re commodata, v. g. equo, domo, servo, pertinere ad commodatarium, cuius est usus; extraordinarias verò graves, ut sunt expensæ pro curando equo, vel servo, & pro reficiendo pariete domus collapsæ, pertinere ad commodantem. Ratio est, quia ordinariæ cedunt in utilitatem commodatarij, extraordinariæ verò in utilitatem commodantis, qui est Dominus.

6. Dictum est signatè (extraordinarias graves) nam leves pertinent etiam ad commodatarium, quia valde rationabile, est, ut is, qui alienæ rei usu fruitur, consentiat in eiusmodi modicas expensas.

7. Infertur secundò: Si absque culpa commodatarij pereat res commodata, non ipsi, sed commodanti perite, quia res, quoad proprietatem, commodantis est.

8. Infertur tertiò: Si commodas rem vitiosam, v. g. dolium vitiosum: hoc est, perforatum, peccare te, cum obligatione restituendi damna, si non admonuisti commodatarium de vitio, quia decepisti eum, cùm, pro usu, obtulisti id, quod usui aptum non erat.

9. Dicitur tertiò (*Pro aliquo tempore*) in quo differt à precario, quod, ut mox dicemus, ad nutum illud concedentis, repeti potest. Hinc commodans iniustè ageret, subirétque restitutionis obligationem, ante tempus concessum, rem commodatam, cum interesse commodatarij, repeteret: Tempus autem hoc, vel expressè præfinitur, ut: *Commodo tibi librum ad annum, ad mensem, ad diem*: vel tacitè ut: *Commodo tibi librum, ut illum legas, vel, ut illum rescribas*; tunc enim tacitè præfinitur tempus sufficiens, & quidem ad legendum brevius, ad conscribendum prolixius. Si quis commodaret dolium, v. g. ad mustum servandum, tacitè plus temporis præfiniret pro volente illud servare ad usum, quàm pro valente illud vendere, postquam ebulliit. Ex his disce cætera.

10. Dicitur quartò, (*Res*) sive regulariter mobilis, sive aliquando, etiam immobilis, commodatur enim etiam domus, officina, prædium, &c.

11. Dicitur quintò, (*Gratis*) secùs esset locatio, quæ pro usu, qui conceditur, exigit stipendium, vel certè esset alius contractus innominatus, *Do, ut des, do, ut facias.*

12. Hæc sunt ferè certa, & communia. Illud alinquantu-

lùm controversum: An commodans justè possit repetere rem suam, v.g. equum commodatum pro mense, ante finitum mensem, ex eo capite, quòd illo indigeat.

13. Respondeo, cum distinctione: Nam si indigentiam suam non prævidit, posse, certum est, quia præsumitur nunquam intentionem commodantis fuisse, usum suæ rei alteri concedere pro tempore, & occasionibus, quibus ipse indigeret. Ita Molina *d.* 294 Less. *l.* 2 *c.* 27. *n.* 1. Azor. 3. *p. l.* 7. *de Comm.* Delugo *d.* 33. *de Iust. n.* 10. Fill. *tr.* 34. *c.* 8. *n.* 183. contra Nav. & Regin. citatos, sed non approbatos à Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 16. *p. unico, n.* 1. aliique.

14. At, si prævidit, & adhuc voluit commodare, nequaquam repetere potest, quia in hoc casu commodans cessit Iuri suo, donavitque illud absolutè commodatario pro illo tempore.

15. Si commodatarius habuisset à Petro, v. g. equum commodatum, sed, quia tu commodasti illi equum tuum, is non petiit illum à Petro, tunc te non posse ante tempus equum tuum repetere, ne in necessitate quidem, etiam non prævisa, docet Bonac. *loc. cit.* citans Sa, & Sylv. Verùm, Delugo, Molina & Lessius *loc. cit.* asserunt, posse, quia nisi animum adeo liberalem habuisses, quo, vel expressè, vel tacitè aliud intendisses, semper præsumeris, etiam in hoc casu, te non voluisse ita privari tua re, ut in pari necessitate illam te petere nequaquam possis.

*Multa de Commodato, remissivè.*

16. Denique hic agendum esset. Primò, ex qua culpa teneatur commodatarius, si fortè ejus causa res commodata periit. Sed de hoc egimus *lib.* 8. *dec. tr.* 3. *c.* 5. §. 3. *n.* 2.

17. Secundò, quid si res perit ita in manu, & ex culpa commodatarii, ut eodem modo periisset apud commodantem? Sed egimus de hoc *lib.* 8. *decal. tr.* 3. *c.* 2. §. 8. *n.* 3.

18. Tertio, ad quid obligatur commodatarius, quando est in mora solvendi suo tempore? De hoc universaliter egimus *dicto c.* 2. §. 6. *à n.* 6. *juncto c.* 8. §. 6. *à n.* 7.

19. Quartò, an possim compensare, quod mihi debes, retinendo commodatum? Egimus de hoc *lib.* 8. *dec. tr.* 2. *c.* 6. §. 7. *n.* 7.

20. Quintò; An, si ad te mittam rem commodatam per hominem fidelem, & hic ad te illam non afferat, an, inquam, obliger, ad mittendum æquivalens? De hoc dizimus etiam *lib.* 8. *dec. tract.* 4. *c.* 1. §. 5 *à n.* 3.

21. Sextò; An in periculo æquali debeam rem tuam mihi commodatam præferre rebus meis? De hoc egimus item *lib.* 8. *Dec. tr.* 3. *c.* 5. §. 3.

## CAPUT VII.

*De Precario.*

1. PRecarium, prout sumitur in Iure Civili, est *Contractus, quo quis alteri petenti, seu precanti concedit aliquod utendum, sive illud sit mobile, sive immobile, sive servitus, sive aliud quodcunque Ius, cum potestate revocandi, quandocunque ipse dominus voluerit.* Differt ergo à commodato, quia pro hoc, sive expressè, sive tacitè, præsumitur tempus utendi: at Precarium ex natura sua hoc habet, ut sit quocunque tempore revocabile. Ita ex legibus Iuris communis habent passim Doctores, Delugo *d.* 33. *de Iust. n.* 15. Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 15. *p. un.* Less. *l.* 2. *c.* 27. *d.* 1. Mol. *d.* 298. Azor. 3. *p. l.* 7. *de Precario, c.* 1. aliique.

2. Dixi (*in Iure Civili*) nam in Iure Canonico agitur de precario in toto titulo de precariis, quod significat concessionem alicujus boni Eccles. astici pro tota vita alicujus, vel ad certum tempus, intra quod revocari ea solet de quinquennio in quinquennium, ne Ius Ecclesiæ in oblivionem abeat. De hac autem nobis nunc sermo non est.

3 Iam verò de nostro precario, duo satis erit pro instituto, quod nos suscepimus, adnotare. Primò: in precario adhuc debere, ut vult Bonac. *l. c.* citans Nav. Delug. & citans Mol. *d.* 298. alióque, concedi aliquantulùm temporis, judicio prudentis, definiendum, quo alter utatur re concessa, quia secùs præsumeretur fraus, & dolus, dum ex una parte concederetur usus rei, & ex alia statim tolleretur.

4. Secundò: Quandónam finit Precarium? Cessat finit, quandocunque concedens petierit, ut modò diximus. Sed difficultas urget, quando, antequam petat, moriatur ipse concedens, vel is, cui precarium concessum est. Circa quam difficultatem.

5. Aio primò, morte ejus, cui precarium concessum est, ipsum precarium finire: quare ad hæredes recipientis non transit. Precario, v. g. mihi concessisti, posse per tuum prædium me transire. Si ego morior, non gaudebit hac concessione meus hæres, quia concessio precarii est personalis, *l. Cum Precario, §. ult. ff. de Prec.*

6. Aio secundò; Morte concedentis non finiri precarium concessum absolutè, nisi hæres, seu successor defuncti revocet, *l. Quæsitum, §. Quod à Titio, ff. de Precario*, quia per solam mortem non fit revocatio concessionis.

7. Aio tertiò, si tamen concedens, sicut habet Molin. *d.* 298. Sanch. *l.* 8. *matr. d.* 28. dixit: *Concedo ad meum beneplacitum*, seu: *quandiu voluero*, tunc probabiliter finiri precarium morte concedentis, nam cùm mortuus, non habeat placitum, nec beneplacitum, nec voluntatem, jam remaneret sine placito, & sine voluntate precarium, quod non videtur voluisse concedens, quia concessisse videtur, donec durat ejus beneplacitum.

8. Aio quartò, si concessit in hunc modum: Dimc *revocavero*, vel *dum non revocavero*, non finiri precarium morte ipsius concedentis, quia non fuit posita ejus revocatio, nec ampliùs à mortuo poni potest. Quare, ut tunc precarium finem habeat, ponenda erit revocatio à hærede defuncti.

9. Dixi *n.* 7. (*Probabiliter*) nam alii, inter quos est Castropal. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 16. §. 5. *n.* 5. non minùs probabiliter putant, sub neutra ex his formulis, dictis *n.* 7. & 8. finiri concessionem, seu gratiam, morte concedentis, quia, in communi loquendi modo, illa clausula (*ad beneplacitum*) æquivalet illi (*donec revocavero*) quam doctrinam ego *supra, lib.* 5. *de pœnit. cap.* 4. §. 1. *à num.* 5. libens excepi, & explicui satis.

# TRACTATVS VIII.

## DE

# CONTRACTV SOCIETATIS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit contractus Societatis, ejusque Conditiones.*

1. PRÆMITTENDUM est, Societatem esse duplicem. De qua agit *L. Societatem Vivianus, ff. pro socio, & alibi.* Altera est omnium bonorum, cum licet duo, vel plures coëunt Societatem, sive pro tota vita, sive pro determinato tempore, itaut omnia ipsorum bona omnibus sint communia. In qua, nisi aliud exprimatur, intelligitur communicatio bonorum præsentium, & futurorum, quæ durante Societate acquirentur, sive acquirantur Donatione, sive Hæreditate, sive Legato, sive Lucro. Castrensi, vel quasi, quæ omnia dissoluta Societate (de qua dissolutione *infrà, c.* 10.) dividenda sunt æqualiter inter socios, vel ejus hæredes, nisi aliquid sit, ob rationabilem causam, expressum de inæqualitate portionum.

Hæc Societas justè potest iniri, etiamsi aliquis ex sociis plura bona habeat, quàm alter. Primò, quia forte potest

poterit habere etiam, & hic, decursu temporis majora bona. Secundò, quia liberè, qui plura habet, vult communicare cum Socio minus habente.

2. Altera Societas est circa aliquam negotiationem, vel circa bona aliqua particularia. Hæc autem duplici contrahi modo potest. Primò, sic: *Contrahimus Societatem omnium bonorum*, nec in quo modo non additur illud, *omnium bonorum*, nec determinatur peculiaris materia: in hac ergo ratione contrahendi, Societas non intelligitur contracta, nisi ad omnes contractus onerosos, qui etiam comprehendunt locationes propriæ operæ, non verò comprehenditur legatum, vel donatio, ut nec ea, quæ alicui ex Sociis debebantur contractu onoroso. De hac Societate agitur in iure, *l. Soc. cum aliquibus sequentibus, ff. pro Socio.* Sed certè hodie hic Societatis modus non est usu receptus, nam nostra ætate accuratè explicari solet materia negotiationis, & particularia bona. Secundò igitur contrahitur Societas in prædicta particulari materia, seu negotiatione, & de hac, cùm sit frequentissimo usu recepta, hic nos acturi pluribus sumus.

3. Est ergo Societas, de qua loquimur, & colligitur hæc descriptio ex lib. 1. & sequentib. ff. Pro Socio: *Contractus, seu conventio duorum, vel plurium habilium suam pecuniam, operam, industriam, vel laborem pro aliqua negotiatione conferentium ad commune lucrum, itémque ad commune damnum, si forte illud occurrat.*

Dixi *habilium*, nam multi non possunt inire Societatem, ii nimirum primò, qui rationis compotes non sunt. Secundò, ii qui facultatem non habent disponendi ad suum libitum, de rebus, quæ conferant ad Societatem; cujus generis sunt Religiosi, servi, pupillus, & minor absque Curatoris, vel Tutoris licentia. Denique filiifamilias de bonis non Castrensibus, vel quasi, seu alias sibi non liberis. Tertiò, Medicus cum infirmo, durante infirmitate. Quartò, Advocatus cum Cliente. Quintò, Curator, vel Tutor cum pupillo, jure sic disponente, quæ latis sit inmisse, & videri possunt apud Doctores, ut Bonac. *d. 3. de contract. q. 6. p. 2.*

4. Certum autem est, hunc Societatis contractum, justè iniri posse; sicuti enim quisque ex solis suis rebus lucrari potest per honestam negotiationem, ita etiam plures conjunctim.

5. Certum item est, Societatem differre à mutuo. Nam, qui mutuat, dominium suæ pecuniæ transfert in mutuatarium: At, qui dat pecuniam Mercatori, v. g. vel artifici ad Societatem, dominium pecuniæ apud se retinet (præscindendo ab aliquo peculiari pacto, vel alio modo contrahendi; de quibus *infrà*) confert enim illam, solum ad usum negotiandi. Quamvis autem conferens sit illius pecuniæ dominus, non potest tamen, teste Mol. *d. 411.* aliisque illam sibi resumere, nisi finita Societate, quia illius usum communem cum socio ex vi hujus contractus fecit.

6. Permaximè autem est advertendum, quod modò in proxima parenthesi dixi, nimirum (præscindendo ab aliquo peculiari pacto) si enim ineas, v. g. cum Nauclero pactum, ut asportet tuum frumentum in locum, ubi plurìs venditur, te conferente frumentum dictum, ipso autem conferente operam, & expensas asportationis; prima facie videtur hæc esse Societas, & tamen non semper ita est. Nam duplici modo te habere in hoc potes. Primò, si ponas tu frumentum, ille verò operam integram asportandi, pro qua tu solvas illi mercedem, nempe sive pecuniam, sive partem aliquotam, sextam, v. g. vel septimam lucri ex frumento, quod majori pretio probabiliter venderetur, quæ pars, attentis omnibus, judicetur æqualis æstimabilitati talis operæ, seu laboris. Cæterùm damna omnia, si cui & alia omnia lucra tibi soli cedant. Ecce hæc non est Societas, sed locatio, sed conductio operæ, in qua Nauclerus non habebit, nisi mercedem justam suæ operæ; centum, v. g. aureos, vel sextam, vel septimam lucri partem. Secundò, potes te gerere, ita, ut tu ponas frumentum, ille operam, & industriam cum promissione communis lucri, vel damni, & sic, si lucrum frumenti vendendi, v. g. esset mille aureorum, tu quingentos, Nauclerus alios quingentos lucraretur; ecce quomodo hæc est vera Societas, & Nauclerus plus acquiret per hanc, quàm acquisivisset per solam illam locationem suæ operæ. Hanc doctrinam iterum notabo *c. 9. n. 2.*

*Conditiones Iustæ Societatis.*

7. Ex allata descriptione, & ex regulis generalibus pertinentibus ad justitiam, & octo conditiones debere adesse in Societatis contractu, constat. Primò, ut omnes socii aliquid conferant. Secundò, ut negotiatio sit honesta. Tertiò, ut æqualitas servetur in omnibus, in conferendo scilicet, quod erit conferendum ab utroque Socio. Quartò, ut pecunia fortè collata stet periculo Domini, ideòst, illius, qui illam confert. Quintò, ut pro quantitate partium collatarum, lucrum dividatur. Sextò, ut dividantur etiam damna. Septimò, ut expensæ sint item communes, seu certè æquè compensandæ. Octavò, ut non apponantur pacta injusta.

Iam singulas has conditiones suo ordine per singula capita percurramus, & illustremus: nam sic, omnibus absoluta numeris, erit præsens de Societate tractatio.

## CAPVT II.

### Omnes Socii aliquid conferant.

*Quæ est Conditio Prima.*

1. QVi ad negotiationem simul coëunt, debent omninò aliquo tandem modo ad illam concurrere, sive pecuniam, sive operam, sive industriam, sive instrumenta, vel materiam præbendo, &c. Ratio est, quia, si nullo modo concurrant, unde titulum habebunt ad lucrum ex Societate contrahendum? Palliat ergo usuram, seu meliùs furtum manifestè committit, qui ex negotiatione aliorum partem lucri habere velit, sedente ipso domi, & nihil prorsus conferente. Id, præter quam, quod sæpè tangetur in sequentibus, ita clarum est, ut majori discussione non indigeat.

## CAPVT III.

### Negotiatio sit honesta.

*Quæ est Conditio Secunda.*

1. HAnc conditionem, ut negotiatio, in qua contrahitur Societas, & pro qua pecunia exponitur, debeat esse licita, ponunt communiter Doctores, ut Molina *d. 412. num. 3.* eámque sic affert Textus, L. Neé permittendum, ff. pro Socio. Favet L. Quod enim, L. Quod autem eodem: *Si maleficii Societas coïta sit, constat, nullam esse Societatem; generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam Societatem esse.* Ex hoc ergo videtur sequi, si ego numerem pecuniam meretrici, v. g. ut illa commoda domo instructa, & vestibus ornata lucretur, nullam prorsus fore Societatem.

2. Verùm, distinguendum omnino est ante factum, & post factũ, ut innuit Bonac. *d. 3. de contr. q. 6. pun. 1. n. 3. ipso init.* Si enim consideres hanc illicitæ negotiationis Societatem, antequam lucrum habitum fuerit, vel antequam turpis negotiatio fuerit facta, nulla est Societas, obligantúrque socii, eam dissolvere, etiam re non integra, quia obligantur semper à peccato recedere; At verò postquam peccatum commissum est, seu turpis negotiatio est patrata, & lucrum conquisitum, non videtur æquum, ut nulla sit Societas, ita ut in dicto exemplo meretrix totum lucrum sibi in foro conscientiæ retineat, nihil verò det ei, qui pecuniam contulit. Dico (*in foro conscientiæ*,)

nam in foro externo conferenti pecuniam in usum malum, non dari actionem, immò eum puniri debere, jam scio; vide *Leges citatas*, *ff.pro Socio*.

3. Vt allatæ distinctionis aliud exemplum habeas, fac, duos, vel pleres per Societatem coïre, ut occidant, v. g. Petrum, spe, vel promissione acquirendi centum aureos ab ejusdem Petri inimico. Hi profectò ante patratum scelus semper obligantur, iniquam hanc conspirationem deponere. At verò, si iniquitate persistente, facto ab omnibus impetu, collatóque sibi invicem auxilio, Petrum occidant cum æquali periculo, ne ipsi potiùs occidantur, quàm Petrus, & ne à Principe æquali morte puniantur, non erit æquum, ut unus tantum acquirat centum prædictos aureos, & nihil Socii participent de lucro.

4. Quòd si conferas tuas pecunias cum aliquo, qui illis pecuniis usuras exerceat, non est mirum, si tu nihil debeas participare de lucro, nam neque ille alius participare poterit, quia tunc totum lucrum est restituendum illi, à quibus acceptum contra Iustitiam est: at in exemplis prædictis, in quibus, post patratum scelus, pecunia, ex probabili sententia, retineri potest, ut *L. 7. in Dec. c. 5. §.*; *à n.* 8. docuimus, sanè militat nostra doctrina.

5. Ex qua sic breviter, distinguendo, concludo, nullam esse Societatem ante factam negotiationem inhonestam, quia est rescindenda; post factam autem, tunc solùm esse nullam, & totum ejus lucrum fuit restituendum ei, à quo receptum fuit, quando lucrum fuit contra Iustitiam commutativam receptum, non verò alias.

## CAPVT IV.

### Vt æqualitas servetur in conferendo.

*Quæ est Conditio Tertia.*

1. PRofectò non est æquum, ut tu, v.g. conferas centum, & alius, v.g. decem, addito pacto, ut æquale deinde lucrum reportetis. Quare, vel tunc æquales sunt in æstimabilitate partes, quas uterque conferatis, vel certè lucrum, quod tu recipis, sit ad ratam ejus, quod contulisti; ut in quinta Conditione dicemus.

2. Vt autem magis explicetur hæc conditio dictam æqualitatem requirens; quæritur hic: An licitum sit, inire Societatem ita, ut unus solùm conferat pecuniam, alter verò solùm operam, seu industriam, vel solùm instrumenta, ut equum, navigium, molendinum; vel suam materiam, ut lapides, cœmenta, ligna, & similia ad susceptam negotiationem necessaria: & facilè respondetur, esse licitam, §. *De illa*, *Instit. de Societ. L. Si non fuerit, ff. de Socio*, quia opera, vel illa cætera æqualem possunt habere æstimabilitatem cum pecunia collata, æqualiterque ad lucrum intentum percipiendum.

3. Subinquiritur: An cùm alter pecuniam, centum, v. g. aureos, alter operam contribuit, debeat, (ut servetur æqualitas collationum) comparari opera ad totam pecuniam, ad centum, v. g. aureos prædictos, an solum ad periculum, quo centum illi aurei possint in negotiatione deperdi? Quod periculum licet aliquando multum esse possit, aliquando tamen, valde erit exiguum, quando scilicet negotiatio susceptа, est valde secura, & tuta. Subinquiritur, inquam, an in casu periculi exigui, cui exponuntur centum prædicti aurei, quod periculum sit, v. g. ut tria, debeat alterius socii operæ æstimabilitas esse, ut centum, an verò, ut tria dumtaxat.

4. Respondet Sotus, *lib. 6. de Iust. q. 6. art.* 1. debere operam comparari ad periculum; Vnde in exemplo allato, debere operæ æstimabilitatem esse, ut tria. Ratio est, inquit, quia ipsa pecunia ex se est sterilis, opera verò est fructifera, paritque lucrum: ergo, si opera comparari deberet cum pecunia, sequeretur, quod, qui confert operam in contractu Societatis, ubi intenditur partus, ut ita dicam, lucri, totum conferret, & qui pecuniam conferret nihil: probatur consequentia, quia cùm pecunia non sit fructifera, conferens pecuniam, nihil conferret ad fructum lucri, sed totum conferret, qui conferret operam, quæ sola fructum parit; Si igitur æqualitas in hoc Societatis contractu velimus, ut certè velle debemus, tanta sit æstimabilitas operæ unius socii, quanta periculum pecuniæ alterius, & non quanta est pecunia. Hic mihi videtur esse discursus clarè expositus Soti in *citato*.

5. Nihilominus meritò Navarrus *in summa*, *cap.* 17. *num.* 251. asserit, hoc esse novum inventum Soti. Cui Navarro sentiunt Lessius, *lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 14. & Valentia *tom.* 3. *in* 2. 2. *d.* 5. *q.* 24. *p.* 1. debet enim haberi comparatio ad pecuniam, nec solùm ad periculum, cui exponitur pecunia. Ratio est duplex: A priori, quia quilibet potest lucrum reportare ex re sua: ergo ex pecunia sua etiam in securissima negotiatione, & præscindendo à periculo: licèt enim ex se pecunia sit sterilis, est tamen, ut fabile negotiationi, multùm ferax: cùm ergo socius conferat pecunias, quæ sunt præcipuæ radices lucri (nam opera sine illis inanis est) non est defraudandus suo competenti lucro: A posteriori, quia id esset contra praxim omnium Mercatorum immò Fidelium, etiam timoratæ conscientiæ; quando enim confert Socius mille aureos pro negotiatione certa, & sine periculo, adhuc accipit lucrum correspondens mille aureis, seu, ut explicabimus *infra*, *c. sequenti*, §. 1. *n.* 3. usui mille aureorum.

6. Ad argumentum Soti jam est responsum, nego dum enim est eum, qui confert pecuniam sine periculo nihil conferre; confert enim ipsam pecuniam, quæ est index lucri, non ex se sola, sed, ut conjuncta cum negotiatione.

7. Non nego interim, aliquando operam aliquando plus valere, quàm pecuniam, si hæc sit parva, illa multùm industriæ contineat; immò non raro valere multò plus poterit opera, quia hæc propinquius, & efficacius facit ad pariendum lucrum, cùm pecunia solum sit materia; sed nihilominus aio, plus aliquando valere pecuniam; quando videlicet hæc est magna summa, opera verò exigua: quæ omnia sunt à prudenti viro expendenda, ut ex his decernatur, quæ rata lucri danda sit Sociis.

8. Denique ad praxim hujus æqualitatis servandam recurratur ad Consilium Caietani *d.* 2. *q.* 78. *art.* 2. quod refertur à Rodriquez, *p.* 1. *summ. cap.* 41. *num.* 1. nimirum, ut conveniantur Mercatores (Addo ego Mercatores ejus negotiationis, super qua initur Societas) nam hi, ut pote experti, consideratis omnibus, æstimabunt pretium peritiæ, & operæ, vel industriæ, quanti valeant in illa negotiatione, & quæ rata deinde lucri singulis sit distribuenda.

## CAPVT V.

### Vt Pecunia collata stet periculo Domini.

*Quæ est Conditio Quarta.*

1. COnditio hæc quarta duo involvit. Primò, eum, qui confert pecuniam, debere, Societate completa, totam pecuniam sibi resumere, diviso, pro rata, lucro acquisito, diviso, inquam, inter ipsum, & socium, seu socios, qui operam contulerunt. Secundò, si forte pecunia pereat, totam perire ei, qui illam contulit; pecunia ergo pereat, totam perire ei, qui illam contulit; hæc scindendo ab aliquo justo pacto, de quo mox §. 3. enim duo dicit illud, stet periculo Domini, de quibus duobus separatim jam subdo.

§. I. Ita

### §. I. *Tota pecunia, finita Societate, debet dari ei, qui illam contulit.*

1. CLaritatis gratiâ, sic figuramus casum: Antonius confert centum aureos in Societate, quam, præscindendo ab alio pacto, init cum Petro; Petrus verò confert operam suam, quæ iudicio prudentis, valet decem, v.g. aureos. Finita Societate, lucrum ex negotiatione inventum esse viginti aureorum, ex quibus, certum est, decem deberi Antonio, & decem Petro. Sed quæritur, an ex illo capitali centum aureorum debeant dari solùm quinquaginta Petro, dando reliqua quinquaginta Antonio, An verò omnes centum debeant dari eidem Antonio, qui eos contulit?

2. Molina, *disp.* 416. *conclus.* 1. Caietan. 2. 2. *quæst.* 28. *artic.* 2. *ad* 5. Delugo *disp.* 30. *de Iustit. à num.* 26. aliíque, quorum fundamentum mox proferam, asserunt, debere dari Antonio solùm quinquaginta. Sed Valentia *tom.* 3. *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 24. *part.* 2. Navar. *in summa, cap.* 17. *n.* 252. *&* 253. Caietan. sibi contrarius *in summa, v. Mercionalis Societas*, Sà *v. Societ num.* 5. Filliuc. *tract.* 38. *c.* 3. *num.* 44. plures referens, aliíque asserunt, debere dari Antonio omnes centum, præscindendo, ut dictum est, ab aliquo pacto in contrarium. Hanc posteriorem opinionem, utpotè ipsa praxi comprobatam, ego libentiùs sequor, quam esse de Iure communi, docet cum multis Bonac. *disp.* 3. *de contract. quæst.* 6. *p.* 3. *n.* 11. quatenus Iura volunt, ut pecunia pertineat ad eum, qui eam contulit. Hæc autem opinio probatur. Nam, ut *suprà* diximus, & docet Sanctus Thomas. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 5. qui pecuniam alteri in Societatem confert, non transfert dominium pecuniæ in illum. Ergo finita Societate, illam totam, ut suam, reassumere, non est prohibendus: sicuti totam ipse solus amitteret, si casu periret, ut §. *seq.* dicemus. Adde, in praxi nullum societatem initurum, si ad se non reditura esset tota pecunia (quod certè esset damnum Reipublicæ) nam Antonius, qui in exemplo allato contulit centum, deinde finita societate non haberet, nisi sexaginta, nimirum quinquaginta de sua pecunia, & decem de lucro. Quod inconvenis ostendit, argumenta adversariorum efficacia non est.

3. Porrò, omnia adversariorum argumenta reducuntur ad hoc, quod sic propono: Si non esset dividenda pecunia collata in socios, finita societate, servaretur æqualitas, ergo, &c, Antecedens probatur, nam alter amitteret totum, quod contulit, id est, totam suam operam, quæ, v. g. æstimabatur, (ut hîc supponimus) decem aureis, & alter non amitteret, sed recuperaret totum, quod contulit, id est, totam suam pecuniam; Quæ certè est inæqualitas intoleranda.

4. Respondeo: Nego antecedens; cùm enim pecunia à te in Societate collata debeat iterum ad te, integra reverti, falsum est, centum aureos collatos valere in casu nostro, ut centum (id nota, amabo te studiosè Theologe) nam in casu nostro, in ordine scilicet ad negotiationem societatis, centum aurei cum morali spe, quo ad te recursuri sint, non valent centum; est enim, ac si solum locares usum illius pecuniæ pro aliquo tempore, qui usus non valet, ut centum, sed longè minus, & fortè, ne ut decem quidem: Sicuti si tu unus ex sociis conferres navigium ad asportandas merces tibi, & sociis communes, quod navigium valet mille aureos, non iudicareris conferre mille, sed valdè minus, v. g. quinquaginta; non enim confers navigium, nam non facis illud commune cum sociis, sed confers usum navigij; quod valet solùm, ut quinquaginta. Ita proportionaliter in casu nostro. Nam licèt conferas centum aureos expendendos in negotiis Societatis: tamen, cùm illi ad te rediturí sint, morali æstimatione, immò re ipsa, non valent pro Societate tanti, quanti, valerent si rediturí non essent. Contrà verò opera, ut decem, cùm in casu nostro reditura nunquam sit, sed omnino peritura, semper, & absolutè, ut decem valet. Prudens ergo vir cùm æqualitatem partium collaturus expendit, rectè dicit te (qui centum aureos confers, eosdem, finita Societate, integros recuperaturus) &, me (qui confero operam, ut decem, omnino deperdendam) æquales partes conferre, atque adeo, finita Societate, iustè posse inter nos æqualiter dividi lucrum; vel ad ratam in aliis casibus, ubi idem vir prudens, his omnibus perpensis, iudicabit, vel te, vel me minus contulisse.

5. Dixi autem (præscindendo ab alio pacto) nam licitum est, contrahere Societatem cum pacto, ut pecunia, quam confers, sit communis cum Socio, qui operam solam ponit. In qua conventione, finita Societate, dimidia pars dictæ pecuniæ tibi dabitur, dimidia Socio, & quia sub hoc pacto pecunia, dum viget Societas, esset in dominio utriusque, quia, ex conventione, facta est pro eo tempore communis, ideo, & lucrum, ut habent Navarr. *loc. cit. num.* 254. aliíque, quod enascetur ex pecunia utriusque, erit utrique distribuendum, & (si illa peribit) utrique æqualiter perire debebit. Hoc autem Beneficium, quod facis Socio, communicando illi hoc pacto tuam pecuniam, debere compensari aliquo modo à socio, manifestum est, & sanè compensaretur, si opera eius esset magni momenti ad lucrum consequendum, tua autem pecunia esset modica, vel quid simile.

6. Inquires: Quando celebratur contractus Societatis sine expressione prædicti pacti, intelligiturne factus cum conventione faciendi communem pecuniam cum Socio, necne?

7. Respondeo, afferendo priùs duo principia. Primum, quod habetur, l. prius, §. Si placuit ff. de aqua pluvia arcenda. L. Quod si nolit, §. Qui assiduam, ff. de ædilitio edicto: *Quando contractus quilibet celebratur, censetur celebrari iuxta consuetudinem loci, in quo fit*, cuius ratio est, quia, in his communibus contractibus, quilibet implecitè intendit facere, quod alij communiter faciunt. Secundum, de quo vide Nald. v. Actus, n. 7. & Lezanam in Consulto 49. num. 3. *Contractus in dubio censetur celebrari cum æqualitate utriusque contrahentis*, nam secùs præsumeretur delictum in contrahente, quod nunquam præsumi debere; nisi clarè de illo constet, omnia iura clamant.

8. Ex his Respondeo ad quæstionem propositam: Si in loco, ubi celebratur contractus, adsit consuetudo, ut per illum contractum fiat communis pecunia cum Socio, vel non fiat, iuxta illam est iudicandus celebratus fuisse, si aliud expressé conventum nequaquam sit; Patet id ex primo principio, & docet Sylvest. *loc. cit.* Sà *v. Sacietas*, Mol. *disp.* 416. *conclus.* 2. aliíque. Quod si non adsit eiusmodi consuetudo, præsumitur pecunia non esse communicata, sed remanere sub dominio conferentis. Patet id ex principio secundo, secùs enim præsumeretur delictum inæqualitatis committi, supponimus enim non compensari aliunde, si enim appareret in contractu eiusmodi compensatio, iam adesset expressa conventio, & non essemus in dubio.

### §. II. *Si perit sine culpa Socij pecunia, perit ei, qui eam contulit.*

1. MEritò, præscindendo ab aliquo peculiari pacto, vel consuetudine Regionis. Ratio est, quia sicuti tota Domino remanet, si remanet: ut §. *præced.* diximus, ita, si sine culpa Socij perit, tota eidem pereat, necesse est. Id, quod verum est, non solùm, si pereat post inceptam negotiationem, verùm etiam, si pereat, antequam negotiatio, seu opera Socij incipiat, sed post contractum Societatis initum, quia etiam tum illa pecunia, ut ex prædictis constat, est ejus, qui illam contulit, atque adeo illi perit. Ita Toletus *lib.* 5. *cap.* 42. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 64. Sylvest. *v. Societas primò, q.* 6 Navarr. *in summa, cap.* 17. *num.* 251. aliíque. Dixi sine culpa Socij pereat) si enim illa adsit, socium culpan-

tem fieri reum restitutionis, dicetur *infrà* latè.

2. Dices pro Molin. *d.466.conclus.* 1. & Lessio *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 2. *num.* 11. contrarium sentientibus: Si unus socius negotiationis causa conferret centum aureos, & alter alios centum, ex quibus ducentis centum ponerentur in una Navi, & in alia Navi alij centum, quarum deinde Navium una dumtaxat submergeretur; sanè ex centum salvis, dimidia pars, id est, quinquaginta, essent unius socii, & quinquaginta, id est, alia dimidia pars, esset alterius; Ergo pari modo in casu nostro; si perit pecunia, quamvis antequam incipiat negotiatio, dimidium pecuniæ uni, dimidium alteri perire debebit, sicuti periit in præcedenti casu.

3. Respondeo: Nego paritatem, disparitas enim est valdè manifesta; siquidem, in casu Navium, illa ducenta propter communicationem talis Societatis, erant utriusque socii, & quando in unam Navim invecta fuerunt centum, non fuerunt invecta illa centum unius socii, sed utriusque, ergo & utriusque esse debent illa centum, quæ periêre. Non sic in casu nostro, ubi illa pecunia collata tota est unius socii, ante cœptam negotiationem, ut supponimus, & dictum rotics est, ergo tota ipsi uni pereat necesse est.

4. Signatè autem *num.* 1. additum est (nisi peculiare pactum intercedat) possunt enim socii inter se convenire, ut damnum pecuniæ inter se sit commune, ita, ut si pecunia pereat, utrique pereat, id est, dimidia pars conferenti illam & dimidia alteri socio. Ita Navarrus, *loc. cit. num.* 253. asserens hanc doctrinam esse communem. Et quidem hoc pactum illicitum non est quia conjungi solet cum illo alio pacto, quod explicuimus §. *præced. num.* 1. hoc est, ut si pecunia remaneat integra, dividatur cum socio, quod esse licitum *ibidem* dixi, nam positis conjunctim his duobus pactis, est æquale periculum, ut socius acquirat dimidium, vel ut, illud amittat, & solvere de suo debeat.

5. Quod si par periculum non adest, vel velis pacisci, salvam pecuniam totam tibi fore dandam, amissam verò non tibi fore totam amissam, sed socio, illicitum clarè id pactum erit, nisi fortè inde tantum onus, quod imponis socio, compenses, ut *ibidem* dixi. Et cum hac compensatione solum approbat id in Iure Pontifex. Vide *cap.* 1. *de Commodato, & cap.* 2. *de Depositо.*

## §. III. *An sit modus, quo licitè periculum capitalis, imò, & lucri, totum rejicitur in Socium.*

Ubi:

### *De Societate cum tribus Contractibus.*

1. EX vi solius contractus Societatis non licere, totum periculum in socium rejicere, nimis clarè patet ex dictis; id enim, ut vult S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Valent. 4. *sup. c.* & passim repugnat naturæ contractus Societatis ut vidimus.

2. Verùm ingeniosi Theologi fortè ab ipsis Mercatoribus, quorum res interest, admoniti, invenerunt modum rejiciendi totum periculum in unum ex sociis sine injustitia. Si nimirum celebrentur tres contractus. Primus, sit Societatis, ex cujus vi periculum stabit solùm ex parte unius socii. Secundus sit contractus Assecurationis, quo ille Socius, qui operam suam promittit, assecuret alteri Socio conferenti pecuniam, quæ est capitale, seu, quæ dicitur Sors principalis; assecuret, inquam, illam, & pro hac assecuratione aliquod moderatum pretium, & proportionatum accipiat à Socio conferente prædictum capitale. Tertius sit alius contractus similis Assecurationi, quo videlicet idem Socius, qui operam suam promittit, assecuret alteri socio, qui pecuniam contulit, lucrum aliquod certum, quod prudenter crederetur acquirendum esse ex tali negotiatione, & item pro hac secunda assecuratione aliquid proportionatum accipiat à Socio.

3. His tribus contractibus positis (qui possunt fieri, vel separatim, vel simul) Socius conferens pecuniam est securus de sua sorte, & de lucro: Alius autem erit securus de pretio, quod accipit propter assecurationem quam facit, sed subit periculum solvendi sortem, & lucrum, si fortè hæc pereant. Recole ea, quæ dixi *supra, tract.* 3. de *Camb. c.* 5. §. 7. ubi eosdem tres contractus explicuimus, & addidimus, posse etiam ad majorem securitatem accipi pignus, &c.

4. Hic modus licèt ab Azor. 3. *p. lib.* 9. *de Societ. cap.* 1. *quæst.* 6. Soto *de Iustit. lib.* 6. *quæst.* 6. *artic.* 2. aliisque damnetur, tanquam usurarius, approbatur tamen ab aliis, ut Valent. *tom.* 3. *in* 2. 2. *d.* 5. *quæst.* 24. *p.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. Rodr. *in summa, p.* 1. *cap.* 46. & Delugo, *d.* 30. *de Iust. num.* 40. vocante hanc sententiam satis communem, aliisque multis apud citatos, qui addunt cum Delugo, *l. c. n.* 37. illum non esse contra motum Sixti V. qui incipit: *Detestabilis avaritia*, condemnantis, ut usurarias, Societates, in quibus salvum exposcitur capitale, condemnavit enim dumtaxat, quando non intercurrunt gratiæ assecurationes.

5. Meritò autem juvat me sequi hanc posteriorem sententiam, nam sicuti hi tres contractus possunt cum tribus distinctis personis liberari, quia honesti sunt, & justi, ut etiam ipse idem Azor. *loc. cit. c.* 4. *quæst.* 4. negare non potuit *ibidem*, ita poterunt, cum eadem, quandoquidem identitas personæ substantiam contractus non destruit.

6. Objicies cum Soto, aliisque, qui nostræ sententiæ sunt contrarii: Is, qui per quoscunque contractus pecuniam suam ita tradit, ut periculum ipsius in alterum transferat, non censetur illam dare in Societatem, sed dare mutuam, ergo non potest licitè ex illa acquiere lucrum; ex mero enim mutuo usura est, lucrum ergo. Antecedens probatur; Primò, quia is amittit tunc dominium illius pecuniæ, & transfert in alium. Secundò, quia potest tunc socius illa pecunia uti ad quoscunque usus voluerit, quod est clarum signum, dominium pecuniæ in ipsum fuisse translatum, cùm ergo in mutuo transferatur dominium pecuniæ mutuatæ in mutuatarium, in Societate autem non ita, ut vidimus *supra num.* 4. consequenter fit, ut in casu trium contractuum is, qui pecuniam confert, mutuam det pecuniam, non verò in Societatem, unde lucrum inde sperare non poterit.

7. Respondeo, Negando antecedens: Ad probationem primam, Respondeo, negando item antecedens; non enim collator pecuniæ amittit dominium pecuniæ collatæ, nam sicuti, si pactum assecurationis iniret cum tertio, non amitteret suæ pecuniæ dominium, ita, si init cum eodem socio; Et sicuti non amittit dominium Mercium, nec domus, nec prædii, si illi quis ea assecuret, & idem ea retineat, vel titulo famulatus, vel conductionis, & tamen si domus, vel merces casu pereant, damno ejus qui assecuravit, pereunt, ita in casu nostro. Radicalis autem ratio hujus rei est, quia per se, & absolutè, atque directè, merces illæ, ut etiam pecunia, de qua agimus, pereunt ipsi collatori, quia ipsius sunt; res enim, quæ pereunt, perit, Domino perit; Nihilominùs veluti indirectè damno assecuratoris pereunt, quia assecurans, pretio assecurationis accepto, promisit illud damnum fortè proveniendum domino resarcire. Ad secundam probationem antecedentis, Respondeo, Socium illum non posse per se uti illa pecunia ad usus, quos voluerit, sed solum ad negotiationem conventam: esto, possit per accidens; quatenùs ipse se exhibet resarcire totam pecuniam, si ea fortè pereat, & resarcire item totum damnum, si fiere ex eo arbitrio suo usu damnum aliquod patiatur Dominus pecuniæ.

8. Confirmatur, nam si socius, qui pecuniam accepit, illámque assecuravit, nullam aliam pecuniam haberet, nisi hanc, & tamen ipse esset debitor alicujus etiam anteriorum creditorum, non posset hac indivi- duali pecunia solvere illa debita, quamvis antecedens, & privilegia

ptiv. legiata, hæc enim pecunia tota Collatoris est, non Socij. Immò, si Socius illam alteri dedisset, certè Collator ageret rei vindicatione, & eam tanquam individualiter suam, recuperaret; ergo falsum est, quod Socius assumpsit, nempè, pecuniam illam esse mutuam socio datam. Lege Valentiam *tom. 3. in 2. 2. disp. 5. q. 24. part. 2.* Molin. *d. 417.* Less. *lib. 2. cap. 25. dub. 3. num. 29.* alósque.

9. Quæres per hanc occasionem: Si socius accipiens pecuniam ad negotiationem illam, tamen non negotietur, poteritne iustè Collator, qui prudenter processit, exigere ab ipso lucrum (quamvis illud non assecuraverit) ac si ex negotiatione illud acquisitum esset?

Respondeo, licitè cum Mol. *loc. cit.* & Less. *loc. cit. n. 31. v. Notandum tamen est primò*, posse, non quidem tanquam lucrum immediatum suæ pecuniæ, iam enim pecunia non fuit data ad negotiationem, sed poterit exigere tanquam lucrum, quod ipsi cessavit ex fidelitate.

Dixi (qui prudenter processit) nam mera esset usura, si dares ei, quem scis, non negotiaturum, tunc enim non esset vera, sed ficta societas: in quo vereor, ne multi hac nostra ætate turpiter labantur.

*Praxis prædictorum trium Contractuum*

10. Iam verò non gravabor facilitatis gratiâ hîc ponere formulas Contractus, seu Chirographi, quibus, sive implicitè, sive explicitè ineatur societas in quacunque materia per tres dictos Contractus. Sunt autem huiusmodi, quas ad verbum lego apud Cælestinum *tr. 12. c. 6. v. Quæres secundò*. Expressè, inquit, sic coniungi possunt hi Contractus:

*Ego infrascripus confiteor hoc meo Chirographo, accepisse à Titio mille aureos, ut eos impendam legitimæ negotiationi, & loco lucri incerti maioris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto, me illi daturum sex, & partem quartam in centum quotannis, & ejusdem summæ mille aureorum periculum præstiturum.*

11. Tacitè, sic: *Confero tibi mille ad mercaturam, cum pacto, ut quotannis solvas quinque, vel sex, salva sorte.* Vel: *Ego subscriptus testor, me accepisse mille in mercuturam cum pacto, ut solvam quotannis sex, & quartam partem in centum, salva sorte.*

Hæc Cælestinus in universum. Nam cæterùm nos formulam, quâ per hos tres contractus datur pecunia, ad peculiarem negotiationem Cambij, attulimus *suprà, tr. 3. de Camb. c. 5. §. 7. n. 12.*

12. idem Cælestinus *ibidem* rectè deinde (quod accepit à Lessio *loco citato*) monet, expedire hoc tempore consilium dare Fidelibus, ut hoc modò contrahant, quia, sic contrahere, cedit in Mercatorum commodum, & Fideles pecuniam suam negotiari volentes, ab usuris se liberant, & tamen lucrum ex sua pecunia reportant.

*Quantum lucri Collator pecuniæ potest acquirere cum dictis tribus contractibus.*

13. Denique ad complementum præsentis doctrinæ, Inquiret timoratus, quantum lucri possit exposcere pro se; relicto reliquo ipsi socio, pro assecurationibus dictis. Dat, v. g. centum, potéstne pro se velle solum sex, ut est in prædictis formulis Cælestini, an etiam possit plus, septem, octo, decem, &c.

Respondeo, ex Delugo, *d. 30. de Iust. n. 40.* lucrum certum, quod potes exigere, debere esse adeo moderatum, ut attento capitali, quod confers, & spe lucri, quod posset esse in tali negotiatione, appareat, compensari iustè periculũ, quod alter socius subit circa securitatem capitalis, & certitudinis lucri, quod tibi promittit. Ratio est, quia secùs non satisfit iustè tanto oneri, quod socius subit assecurandi, tum capitale, tum lucrum.

14. Ex qua doctrina sequitur, aliquando posse, ex centum iustè quotannis expoſci sex, vel septem, aliqua nodo decem, imò aliquando etiam plus, quando nimirum prudentes Mercatores sine fraude iudicant, lucrum ex susceptа tali negotiatione posse adeò esse notabile, ut valeat Socius, & decem, & plus tradere Collatori pecuniæ & cum ea parte lucri, quæ ipsi remanet, possit iudicari satisfactus de periculo, quod subit per dictas assecurationes. Rectè ergo Bonac. *d. 3. de contract. quæst. 3. p. 11.* cùm supposuisset, *ibidem, num. 3.* posse licitè expoſci quinque pro centum, addit, ibidem, num. *6. In Societate trium contractuum potest plus exigi, quò negotiatio maius lucrum affert.*

15. Ex eadem doctrina sequitur, contrà aliquando, vix duo, vel tria expoſci iustè posse ex centum, quando scilicet ea negotiatio, quæ suscipitur, lucrosa valdè non est. Determinent igitur experti, attenta qualitate negotiationis, & similibus circumstantiis, quas circumstantias in simili, ne dicam in eadem re, considerandas ego proposui *suprà, in tract. de Camb. c. 5. §. 7. à n. 6.*

16. Vtile est etiam, ad lucrum hoc decernendum, expendere id, quod in simili expendit Valentia, *tom. 3. in 2. 2. d. 5. quæst. 25. part. 2. v. Qui autem.* Loquens enim de Emptione Census Realis ex re fructifera ad quinque pro centum quo pacto ex utraque parte, id est, Venditoris, & Emptoris, ut revendi, & reëmi quocunque tempore ab iisdem possit, & altero volente, omnino debeat, & tradit, definire volens quantitatem justi pretij pro dicto Contractu: *Illud est æstimatio recta, quæ est prudens, & ea est prudens, quæ est utrique commoda* Ita ergo in casu nostro, si definitio tanti lucri cedat sine fuco, & fallacia in commodum utriusque Socij, ptudente iudicio sic decernente, (definitio, inquam, tanti lucri, non mensurata ex necessitate alterutrius Socij, sed ex vi talis negotiationis susceptæ) poterit rectè pronuntiari, iustè lucrum illud acquiri.

## CAPVT VI.

### Vt Pro Quantitate Partium collatarum lucrum dividatur.

*Quæ est Conditio Quinta.*

1. QVoniam variis modis partes à Sociis conferri possunt, nam posset unus operam dumtaxat conferre, alter dumtaxat pecuniam vel unus partem pecuniæ, & operam, alter verò tantummodo pecuniam, vel uterque pecuniam, & nihil operæ, quam operam, ponere posset Tertius quilibet ex communi utriusque, immò, & multorum sociorum pecunia conductus, vel contrà, nemo pecuniam, sed omnes operam tantummodo, ut quando plures conveniunt, ut lucra omnia ex suis exercitiis acquisita sint communia, nullum capitale conferendo, ideo tunc lucrum erit dividendum, vel per partes æquales, vel proportionales iuxta maiorem, vel minorem æstimabilitatem eorum, quæ contribuuntur, quod est servari æqualitatem Geometricam, non verò Arithmeticam. Memores enim nos esse oportet Æsopi fabulæ: Leo, Asinus, & Vulpes, inita societate, egressi sunt ad venandum. Multa igitur præda capta, præcepit Leo Asino, ut eam ipsis divideret. Ille, tribus patribus factis æqualiter, ut eligerent eos hortabatur. At Leo excandescens Asinum devoravit. Vnde Vulpi, ut divideret mandavit. Illa verò in unam partem omnibus congestis, sibi minimum quoddam seposuit. Tum Leo ipsi: Quis te, ô optima, dividere sic docuit? est ea Asini (inquit) calamitas *Affabulatio Æsopi.* Fabula significat, castigationes esse hominibus aliorum infortunia. *Affabulatio mea pro re nostra.* Divisionem in societate iuxta singulorum merita esse expediendam. Neque enim par est, ut is, qui strenuam, Leonis instar operam navat, perinde, ac imbellis quilibet, æquali præmio decoretur.

Iam

Iam verò, ut facilius in praxim deducatur, quod sic in universum dictum est, ascribamus hîc quatuor peculiares casus, seu exempla, in hunc modum.

2. Primum exemplum: Petrus in Societatem confert mille aureos, cujus usus prudentis Mercatoris judicio, valet aureis centum; Paulus verò confert operam valentem judicio experti item centum aureis, lucrum verò totum est viginti aureorum. Quomodo finita societate distribuendum est?

Respondeo, Petrus extrahat primo loco suos mille, deinde accipiat decem, & alius socius alios decem. Ratio hujus est, quia æquali contributioni, æquale lucrum jure debetur.

3. Hîc adverte, cum Mol. *d.* 418. *num.* 7. Bonac. *d.* 3. *de contract. quæst.* 6. *part.* 4. *num.* 3. *v. Octavo sequitur*; tum pro hoc casu, tum pro aliis, lucrum ex societate esse illud, quod remanet, ablatis expensis, quæ expensæ debent primo loco ex communi lucro solvi. Vt habetur *l. Mutius, ff. pro Socio.* Quare, si in dicto exemplo, ubi lucrum totum fuit viginti aureorum, expensæ fuissent aureorum quinque, lucrum, quod dividi tunc deberet, non esset viginti aureorum, sed dumtaxat aureorum quindecim.

4. Secundum exemplum: Petrus, & Paulus Socii æqualem pecuniam, æqualémque operam ponunt, ita ut Petrus conferat centum, centum item Paulus cum æquali utriusque industria, lucrentur autem viginti. Quomodo deinde pecunia, & lucrum sunt distribuenda?

Respondeo: Extrahat Petrus centum, additis decem ex lucro, centum extrahat Paulus, additis item decem ex eodem lucro, & facta erit justa distributio, ita Valent. *tom.* 3. *in* 2. 2. *d.* 5. *q.* 24. *p.* 1. nam ex opera neuter aliquid potest accipere. Ratio est, quia, ut supponis, non minùs pecunia & industria unius conduxit ad lucrum, quàm pecunia, & industria alterius; ergo uterque habebit justè æqualem pecuniam, & justè neuter ex æquali opera aliquid acquiret.

5. Quid, si occurrat negotiatio aliqua, in qua notabiliter plus conducat opera unius, quàm alterius.

Respondeo, tunc non esse mirum, si pro ejusmodi æstimabiliore opera aliquid amplius proportionatum Socius accipiat, ut sic censeatur plus conferre in Societatem. Vide Valent. *loc. cit.* Navar. *in summa, cap.* 17. *num.* 251.

6. Tertium exemplum: Petrus unus ex Sociis confert centum, Paulus verò confert partem pecuniæ, v.g. quinquaginta, & operam. Si ex negotiatione pariatur lucrum viginti aureorum, quo modo pecunia, & lucrum distribuendum?

Respondeo: Petrus extrahat suos centum aureos, Paulus verò suos quinquaginta; deinde perpendatur æstimabilitas operæ, & industriæ dicti Pauli. Si enim hæc Pauli opera in tali negotiatione valeat, quanti valent quinquaginta redituri ad Petrum, juxta id, quod aliquantò superiùs *c.* 5. §. 1. *n.* 4. explicui, dividendum est lucrum æqualiter, quia æquale singuli posuerunt. At, si dicta industria valet plus quàm quinquaginta, dandum est, teste Mol. *d.* 416. & 417. Paulo aliquid plus, vel minus proportionatum, quod ejusmodi majori, vel minori operæ, seu industriæ correspondeat.

7. Quartum exemplum: Petrus, & Paulus nihil pecuniæ conferendo, conveniunt, ut omnia lucra, quæ per decem annos acquirent ex sua arte navigandi (idem dic de cæteris exercitiis) fiant communia æqualiter: accidit autem, ut Petrus mille acquisiverit, Paulus verò vix centum. Quomodo dividendum est ejusmodi lucrum?

Respondeo, æqualiter æqualitate Arithmetica, & sic singuli habebunt quingentos, & quinquaginta aureos. Ratio est clara, quia, ut supponimus, quando inita fuit Societas, æquale erat periculum, ut Petrus, vel Paulus plures haberent, vel pauciores, qui confluerent ad ipsum, navigandi causa. Fac te iniisse Societatem cum aliquo in ludendo, & te plus lucratum esse, quàm alium, nónne lucrum æqualiter erit dividendum? Ita fundo, quia fuit contractus fortunæ, & poterat esse contrarium, ut scilicet alius plus lucraretur, quàm tu. Pari igitur modo in casu nostro. Atque hanc decisionem habes apud Dolugo *d.* 30. *de Iust. num.* 27. loquentem de simili Societate inita inter duos Curiales Romanos circa lucra ex negotiis expediendis.

8. Quæres: Petrus, antequam fluat tempus illud decem annorum, cùm videat plus nunc acquirere, quàm Socius, vult dissolvere Societatem, possitne licitè?

Respondeo, non posse, quia contractus ille fuit, (ut supponimus,) justus, ergo servandus pro statuto tempore, est, cùm nulla hîc culpa intercedat Socii, qui est paratus est ad ponendam operam, quam promisit.

## CAPVT VII.

### Vt dividantur, seu, ut communia sint damna.

*Quæ est Conditio Sexta.*

1. SI nullum sit damnum in negotiatione subeunda, totam pecuniam collatam ab uno ex sociis deinde modo explicato, ad ipsum redire, diximus *supra*. Sed quid, si sit damnum in rebus, vel mercibus ex illa pecunia comparatis? Nam, si damnum sit in ipsa pecunia, sive post, sive ante susceptam negotiationem, totam perit Domino jam diximus *c.* 5. §. 2.

2. Vt id explicemus, duo genera damnorum hîc considerari debent; aliud enim est veluti intrinsecum, eveniens in ipsa re, seu negotiatione susceptâ, ut, si pereat Navis, à Pyratis capiantur merces, &c. Aliud est extrinsecum, estque, illud, quod ratione Societatis cuidam evenit, at non ipsis mercibus, sed sociis, vel eorum necessariis ministris pro communi negotiatione, ut si aliquis ex his saucietur à latronibus, &c.

*Damna intrinseca, cui ex Sociis cedant, & occurrant sine ullius culpa?*

3. Si de prioribus agamus, expedita est resolutio. Nam si ipsa res, v.g. frumentum emptum ex communi negotio pereat, vel vitietur sine ullius culpa, certum est, teste Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 6. *punct.* 4. *num.* 2. Delugo *d.* 30. *de Iust. num.* 31. *l. Cum duob.* §. *Quidam Sagarium ff. Pro Socio, &* §. *Illud, Institut. de Soc.* debere ejusmodi damnum esse commune omnibus sociis. Sicut enim commune est lucrum, ita, & damnum esse debet; & sicuti expensæ sunt communes, ita, & hoc damnum, quod valdè affine videtur esse naturæ expensarum, quæ ad expendentem non redeunt, sed veluti deperduntur. Et ratio à priori est, quia frumentum illud fuit emptum cum pecunia unius, & cum opera alterius, ergo ad utrumque socium pertinet; ergo utrumque ejus damnum sentire fas est.

4. Hinc, si res Societatis furto ablatæ fortè sint, in utriusque socii damnum ablatas fuisse, rectè docet ibi Bonac.

5. Præscindimus autem à peculiari pacto assecurationis, quo damnum conjiciatur in unum ex sociis: hoc enim, compensatis oneribus, fieri posse *supra* vidimus, quare tunc, si assecuratori incumbat damnum refarire, mirum sanè non est.

Damna

*Damna extrinseca, cui ex Sociis cedant, si pari modo sine ullius culpa, occurrant.*

6. Iam verò, si de posterioribus damnis agamus, præmittendum est, ea, vel evenire ex Societate, tanquam, ex causa proxima, vel tanquam ex occasione, seu ex causa remota.

7. Tanquam ex causa proxima eveniunt, si proximè, propter ipsam negotiationem ex Societate susceptam, accidant. Vnde, si exercens Societatem, naufragium patiatur, vel à Latronibus diripiatur, vel, ut defendat collatam mercaturam, vulneretur, & ad vulnus curandum necessaria remedia, quæ communiter adhiberi solent, expendat, damna hæc dicentur evenisse ex Societate, tanquam ex causa proxima.

At, si quis exercens Societatem, in via, v.g. à suo inimico vulneretur, unde multas expensas facere cogatur ad se curandum, vel dum eandem Societatem exercet extra patriam, non sit institutus hæres à suo amico, damnum hoc accidisse dicetur ex Societate; tanquam ex occasione, seu tanquam causa remota. Hac distinctione posita:

8. Dico primò, damna prioris generis, hoc est proxima, debere esse communia, vide *l. Cum duobus, §. Venit, & §. Damno, l. Fratres, §. Siquis. ff. de Socie.*, quia sicuti lucrum ex Societate est commune, ita, æquum est, ut sint communia damna ex eadem Societate proximè provenientia.

Id tamen intelligitur in bonis Societatis, non enim tenetur Antonius v. g. qui contulit centum aureos in Societate, cum Petro conferente suam operam, solvere iamiam ipsi Petro obvenientia, nisi ut vult Petr. à Navar. *lib. 3. de Iust. c. 2. num. 465.* Rod *p. 1. summæ c. 47. num. 6.* Bonac. *disp. 3. de contr. q. 6. p. 4. num. 3.* cum illis centum aureis collatis, seu cum parte eorum. Ratio est, quia damna debent resarciri ex bonis Societati subiectis: at nunc solùm illos centum aureos Antonius Societati subjecit.

9. Inquires: Ex prædictis expensis factis in curatione vulnerati, causa societatis, detrahendumne est id totum; quod is socius (qui nunc est æger) pro se expendisset, si sanus fuisset?

Respondeo affirmativè: nam societas non obligat, nisi ad interesse socij, quod is patitur ratione dictæ Infirmitatis, ergo solùm ad illud, quod nunc in infirmitate, & eius ratione expendit, quodque sanus non expendisset, solùm enim, in hoc, ipse, causa Societatis, patitur interesse.

10. Dico secundò, damna posterioris generis, hoc est, remota, non debere esse communia, vide Petr. à Navar. Rodriq. *ll. cc.* Mol. *d.* 418. Less. *lib. 2. c. 25. dub. 4. num.* 37. sed qui ea patitur, eadem solus sustineat. Ratio est, quia cùm hæc damna non sint propriè ex Societate, non censentur socij ad illa consensisse: cedunt ergo soli ei, quia, ea patitur.

12. Inquires: Qui exercens Societatem, v. g. emendi frumenta tempore æstivo, incidit in febrim, unde multa damna patiatur, debétne putare, ea esse damna prioris generis, atque adeò sibi compensanda, an posterioris?

Respondeo: Mihi videtur, regulariter hæc esse damna posterioris generis, & consequenter non esse damna communia sociis attribuenda, quia per se hæc non veniunt ab Societate, tanquam ex causa, sed potiùs ex conditione personæ, & certè in praxi ita servari iudico, ut scilicet socius in Societate ægrotans, suo damno ægroter. Dixi (regulariter) nam, si fortè sit aliqua consuetudo, vel pactum iustum in contrarium, ea sunt servanda, sicuti mox dicemus de aliis expensis, vel item in casu, quo constaret infirmitatis causam, verè fuisse negotium Societatis.

12. Hactenus de damnis sine socij culpa promanantibus, nunc de provenientibus ex culpa.

*De Damnis provenientibus ex culpa alicuius ex Sociis.*

13. Culpantem Socium debere resarcire omnia damna ex sua culpa Societati occurrentia, nemo quærit, quia, nemo nescit: At difficultas est dignoscere quantitatem culpæ, quæ huiusmodi restitutionis onus imponit. Ad quam difficultatem enodandam, utile est, præmittere verba legis, *§. ult. Instit. de Societ. l. Socius, ff. pro Socio*, quæ in hunc modum enuntiant: *Prævaluit etiam, culpæ nomine, teneri Socium; Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est, sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet, nam, qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibique hoc imputare debet.*

14. Hactenus Textus, ex quo quæstionem propositam de culpa in Societate commissam sic explico, formando hanc regulam, tum pro foro interno, tum pro externo: *Quoties socius ponit diligentiam in negotiatione Societatis quam poneret, si illud negotium ad se solum pertineret, ad nihil tenatur, si fortè damnum sequatur. Quoties verò eam non adhibet, tenetur, &c.*

Ratio Regulæ est, quia, nemo intendit se, suámque operam magis pro aliena re obligare (præscindendo à peculiari pacto, cui esset omnino standum) quàm pro suâ, &c. Alter maiorem diligentiam ab altero non petit, nisi quæ in rebus propriis adhiberi solet: si hanc igitur adhibeat socius, non est unde damnari rationabiliter possit.

14. Quæ verò sit diligentia, quam quis adhibere solet in rebus propriis, est maximè hic considerandum, ut etiam nos per aliam occasionem *lib. 8. in Decalog. tract. 3. cap. 5. & lib. 1. cap. 3. §. 7. ver. Depositum*, considerauimus. Non enim tu putas, debere in tuo agro, v. g. excolendo, eam diligentiæ mensuram apponere, quam apponeres in tuo filio infirmo curando, & sanè illa diligentia, quæ parva iudicatur in Nauclero, si Navim regat plenam lignis, & paleis: magna, & gravis est, si frumento, vel auro, pretiosisque mercibus onustam regat. Idem in artibus, & professionibus. Turpiter enim errabit Grammaticæ Professor, si proferat, v.g. Mater meus, at non, si merus Scriptor eodem modo scribat: Et artifex quidem in fabre faciendo Calice ex auro exquisitam diligentiam adhibet, ne auri momenta, vel leviss ima deperdat, quam non tam exactam ponit in fabre faciendo vase stanneo, nè stanni particulas amittat. Ex quibus vides, non debere diligentiam socij esse eodem modo mensurandam in gravibus negotiationibus, ac in levibus, in difficilibus, ac facilibus, in raris lucrandi oportunitatibus, ac in frequentibus, &c. Cùm enim ipse operam suam prudenter promiserit, eam tunc adhibebit, tum in foro conscientiæ, tum in foro externo, quando, omnibus expensis, eandem pro propria re sua sine infidelitate ponet. Atque ad hanc doctrinam, reduci tandem ea, quæ sive de culpa iuridica lata, levi, levissima, sive de culpa Theologica mortali, vel veniali in contractibus commodati, locati, depositi diximus *loco citato*, & rectè Delugo *d. 8. de Iust. numero* 110. loquens de quibusdam legibus condemnantibus commodatarium, vel conductorem de levi culpa, sic habet. *Quis unquam à Conductore equi, pretium equi petat, quando Conductor diligentiam circa eum adhibuit, quam diligens quisque, & prudens circa proprios equos adhibere solet? non sunt ergo usu receptæ leges in alio sensu.*

Hæc ille, quæ ad culpam in Societate commissam aptari facilè possunt.

16. Sed adhuc mordicat scrupulus: Quid enim, si quis non quidem graviter per delictum mortale, sed leviter per veniale deficiat ab hac diligentia, per ignorantiam, v.g. vel inadvertentiam venialiter culpabilem, Lege *l. 8 in Decal. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 3.*

17. Respondeo (salva meliore sententia, & semper præscindendo à peculiari conventione) de qua omnino sunt

sunt videnda ea, quæ ego *alibi* dixi, ubi ex nova promissione obligavi in duobus casibus ad exquisitissimam diligentiam. Respondeo, inquam, hunc non esse reum restitutionis, nam qui adhibet diligentiam absolutè, quantam adhiberet in re propria, non obligatur ad restitutionem, ut hactenus dictum est, sed qui deficit leviter, non dicitur absolutè deficere de dicta absoluta diligentia, quia parum pro nihilo reputatur; ergo, &c.

18. Confirmatur, quia *ibidem* diximus, & confirmatur à Delugo, *d.8. de Iust. n.56.* non esse obligationem gravem restituendi materiam gravem ex delicto venialiter tantùm culpabili: at in casu, de quo hîc loquimur, restitutio facienda, tota tandem refunditur in delictum negligentiæ, ergo si hoc erit veniale, & non grave, non poterit parere obligationem gravem.

19. Siste Lector. Advertisti prædictam doctrinam Delugo, unde posse confirmari dixi, nostram responsionem. Adverte nunc, qua ratione alio in loco sentiat oppositum eius, quod dixi *n.17.* Ecce eius verba, *d.30. n.31. Prima Regula sit, si, culpa saltem levi Socij, damna evenerunt, ipsi computari, nec alios debere concurrere, imò, si quid ea de causa alij paterentur, ab eo resarciendum esset, cuius causa damnum illud advenit.*

20. Hic denique non oportet aliquid monere de ignorantia, vel de inadvertentia, quæ vinci non possunt, quando enim hæc adsunt, cùm nulla adsit culpa, pœnam restitutionis non consurgere, *alibi* latè declaravimus.

## CAPVT VIII.

### Vt Expensæ sint communes, vel certè compensentur.

*Quæ est Conditio Septima.*

1. DVplicis generis esse possunt eiusmodi expensæ (quantum pertinet ad rem, de qua agimus) aliæ enim sunt expensæ, quæ fiunt Societatis causâ, quæ scilicet exhibentur pro negotiatione, quam socij susceperunt, ut mox magis explicabitur; aliæ sunt expensæ, quas socius, qui suam promisit operam, fortè facit, ut evitet damna, quæ imminent negotiationi. His distinctis.

2. Dico primò, has posteriores, & quidem ordinarias, debere, ut vult Mol. *d.418.* Less. *lib.2. cap.25. dub.4. num.36.* fieri ab ipso socio, qui operam promisit, præscindendo ab alio pacto, quia, qui promittit operam, debet adhibere ea, quæ adhiberet in rebus suis, at ad conservanda sua, expensas quisque ordinarias, & moderatas facit.

3. Dixi ordinarias, quia ad extraordinarias non præsumitur quis se obligasse, præscindimus enim, ut toties diximus, à pacto, vel consuetudine, quæ possunt intervenire. Quare de his extraordinariis idem dictum erit, quod mox dicemus de expensis prioris generis.

4. Quoad illas igitur primi generis expensas, dico eas nisi ex pacto inito, vel iusta consuetudine illæ pertineant ad omnes socios (potest enim iustum esse ejusmodi pactum, & consuetudo, quando hoc onus æquè compensetur, vel, quando ineatur Societas cum tribus illis contractibus, quos paulò *superius* explicuimus) dico, inquam, eas expensas prioris generis debere, teste. Mol. *l.c.* Less. *l.c. num.36.* esse communes sociis, patet, quia immediatè, & proximè fiunt ob negotiationem communem sociorum.

5. Hîc insurgit brevis quæstiuncula: An ex his expensis deducendæ sint eæ, quas feciisset pro se ille socius, qui operam promisit, si socius non fuisset, seu, si societatem dictam non iniviisset. Petrus, verbi gratiâ, Societatem iniens cum Paulo expendit ob destinatam negotiationem quindecim aureos pro suo victu, si autem non vacasset eiusmodi negotiationi, expendisset domi suæ quinque aureos, debétne Petrus deducere hos quinque aureos, & sic solùm decem computare pro expensis societatis? Semper autem, ut nimis sæpe monui, loquimur, abstrahendo à iusto pacto, vel consuetudine legitima Regionum.

6. Respondeo: ita putant probabiliter nonnulli, v. Bald. *in l.2. num 9. C. Pro Socio.* Angel. *v. Soc. 1. num.* Petr. à Navarr. *lib.7. cap.2. num.466.* Navarr. *id. cap 17. num.283.* Verùm, probabilius, testibus Salas, Petr. Navarr. Molina, & Lessio *loc. cit.* Bonacin. *de contract. disp.3. quæst.6 p.4. num.3.* alios citante, non esse deducendas, iudico, sed omnes debere esse communes omnibus sociis. Ratio est, tum, quia Iure absolutè constat, proficiscentem ad negotium Societatis posse ex communibus bonis Societatis alimenta accipere; tum, quia præscindendo à pacto in contrarium, qui locat operam suam extra domum à Conductore, cui servit, meritò alendus. Dico (extra domum suam) Nam ibi advertit *l.c.* Molina, quando expensæ pro tuo victu fiunt in tuo domicilio, quia nimirum negotiatio non est talis, ut à tuo loco discedere oporteat, eas non esse communes; cuius dicti ratio alia esse non potest, nisi, quia qui locat operam suam non discedens à sua domo, sibi consuevit alimenta præstare. At à domo sua discedens, non ita, &c.

7. Confirmatur ex Iure, *L. Cum duobus, §. Quidam, L. Si Fratres. §. Siquis pro Socio*, in quo habemus, quod quis proficiscitur ad negotia Societatis, expensas esse extrahendas ex communibus bonis Societatis. Nota, *quando quis proficiscitur* (ait) quasi dicat, non verò, quando non proficiscitur, sed domi suæ negotiationem socii exercet.

8. His habitis, ad maiorem explicationem, inquiro quis: Quænam sunt illæ expensæ, quæ fiunt causa Societatis?

Respondeo, esse illas, quæ sunt necessariæ, vel utiles Societati, ut, si necessarium sit jumenta conducere, ad merces deferendas, domum, & servum habere, ad eadem conservandas, gabellas solvere, ac similia. Huius enim generis sunt expensæ, quas *capite septimo*, diximus fieri propter damna quæ eveniunt ex causa Societatis, non verò, quæ ex occasione.

9. Illud semel quæsitum fuit: An eleemosynæ moderatè factæ intuitu Societatis, ut ea scilicet prosperum exitum habeat, sint extrahendæ à communibus bonis Societatis? Et quidem rectè respondet Petrus à Navarr. *l.3. ad disp. c.n.467.* Rodriq. *p.1. sum. c.47. d.5.* esse à communibus bonis extrahendas. Ratio est, quia socius potest ex communibus bonis facere eas expensas, quas prudenter putantur utiles Societati, sicuti ergo putantur utile, humano subsidio, ad negotiationem suscepturi, uti, ita, imò magis uti Divino.

10. Propter eandem causam, si socius advehens pro mare merces à magna tempestate impetreretur modumtúmque votum eleemosynæ pro incolumitate navigium faceret, illud ex communibus bonis esse prosequendum, mihi dubium esse non potest.

11. Illud iterum fuit quæsitum: An, si faciendæ sint expensæ necessariæ pro negotiatione, & non possit liberi pecunia communis ex societate, teneatur is, qui operam promisit, illas expensas facere ex suis propriis bonis, vel saltem petere mutuas ab aliis, ad illas faciendas.

Respondeo, obligari, non modò ex charitate, ut fusiùs contendit Reb. *l.15. q.7. n.7.* sed ex iustitia. Ratio est, quia socius, ex vi contractus Societatis, obligatur, illam diligentiam, & operam adhibere, quam adhiberet in re sua, ergo ut nuper latè diximus: at pro re sua ita quis faceret, ergo &c. Non est tamen negandum, ipsum posse, ut vult Mol. *d.118. n.5.* Less. Fill. aliique cum Bonac. *d.3. de contr. q.4. p.4. n.5.* has pecunias repetere à Societate, cùm utiliter gesserit eiusdem Societatis commune negotium.

## CAPVT IX.

### Vt non apponantur Pacta iniusta.

*Quæ est Conditio Octava.*

1. CVm ea pacta sint iniusta quæ contra naturam huius contractus sunt, quæque inæqualitatem inter socios afferunt, ideo non alio meliori modo eadignoscentur, quàm perpendendo, quæ actenus de natura huius contractus sunt explicata; Nihilominus multùm ad eiusdem rei praxim faciet, aliqua hîc peculiaria pacta discutere, quæ iam ex ordine subscribo.

2. Primum pactum: Antonius confert in Societate centum aureos; Petrus operam suam, ita tamen, ut Petrus certam quantitatem, vel certam lucri partem habeat, quanti scilicet æstimatur eius opera, sive ex negotiatione pariatur lucrum, sive nõ, & sive pereat pecunia Antonij, sive non, éstne hoc pactum iustum?

Respondeo, esse iustum, cum Mol. *d.* 411. *n.* 2, Angel. *v. Societas, pr. n.* 6. sed certè in eiusmodi negotiatione non intervenit contractus Societatis, sed potiùs locati, & conducti. Nam in hoc casu Antonius conducit operam Petri, & dat ipsi certam mercedem, sive ex lucro negotiationis, sive aliunde; qui modus contrahendi iustus omnino est quando iusta merces operæ præstandæ correspondet.

3. Quid, si ita pactum ineatur: *Si Societas bene succedet in lucro, longe majorem dabo tibi mercedem, si male, longè minorem?*

Respondeo, adhuc iustè pactum iniri; non enim sic in eo contractum Societatis, sed pari modo contractum locati, & conducti; Ego autem in hunc modum paciscor, ut ea spe diligentior sit socius in negotiationis munere exercendo; Adde, æquale esse periculum maioris, vel minoris mercedis, &c.

4. Secundum pactum: Idem Antonius celebrat contractum Societatis cum Petro, ea lege, ut ipsi Petro obveniant duæ partes lucri, & una solum damni, & una lucri, éstne iustum?

Respondeo: Si hæc unius socij onera compensentur pecuniâ, vel re æquivalente ab alio socio, iustum erit pactum, si verò non compensentur, nimis manifestè erit iniustum; quando enim compensantur, servabitur æqualitas, secùs non item.

5. Quid, si fiat pactum, ut ad unum ex sociis, v.g. Antonium, nulla damni pars pertineat, & tamen pertineat aliqua lucri pars, totum verò damnum reiiciatur in alterum, v.g. in Petrum sed cum parte lucri, si ex negotiatione lucrum perveniat?

Respondeo, cum prædicta distinctione; eadem enim hîc militat ratio. Sed iam vide, te advertere, hunc, & præcedentem, (quando iustè compensantur onera) non esse merum contractum Societatis, sed insuper addi unũ, vel alterum contractum venditionis, vel similis: venditur enim periculum damni, & locatur opera socij, &c. Ita Mol. *d.* 415.

6. Tertium pactum: Idem Antonius confert pecuniam cum pacto, ut solùm tertia pars dictæ pecuniæ pertineat ad ipsum Antonium, & eadem sola tertia pars subsit periculo ad damnum eiusdem Antonij; at verò reliquæ duæ partes pertineant ad Petrum socium conferentem operam, ipsiúsque Petri periculo amittantur, si amittentur; & item tertia pars lucri ad Antonium, reliquæ verò duæ lucri partes pertineant ad Petrum, éstne hæc iusta conventio?

Respondeo, cum memorata distinctione, ut scilicet, si compensentur onera, iusta sit conventio, aliter sit prorsùs iniusta. Ita Molina *d.* 417. quicquid in contrarium dicat Sylvest. *v. Societas, p.... q.* 5. Sicuti enim Antonius, qui cõfert pecuniam, potest, ut *superiùs* vidimus, reiicere in socium totum periculum pecuniæ capitalis, tribuendo ipsi socio proportionatam mercedem tanti oneris, cur non poterit duarum partium periculum in socium reiicere, data pariter proportionata mercede.

7. Quartum pactum: Idem Antonius dat Petro, Paulo, Ioãni Piscatoribus quindecim aureos, singulis nempe aureos quinque, ut scilicet habeant expensas ad piscandum (idem dic de aliis exercitiis, putà excolendis agris, pascendis animalibus, nutriendis bombicibus, ad sericum extrahendum, & similibus) dat, inquam, hoc pacto, ut singuli post piscationem, & pisces venditos dent ipsi Antonio dimidiam lucri partem, quod acquirunt, & insuper aureos omnes ab eodem Antonio ante piscationẽ receptos ipsi eidem reddant: totum autem periculum, quo possent deperdi aurei illi, subeant ipsi Piscatores pro sua rata: Estne iustum hoc pactum?

Respondeo: Esse iniustum, docent Rodriquez, *in summa, p. 1. cap. 46. num.* 3. Navarr. *in summa, cap.* 17. *n.* 282. aliique; nam nimis dura onera (inquiunt) Piscatoribus imponuntur. Et certè iniustitia est (aiunt) velle communicare in lucro, & non iactura, & velle, ut ipsi Antonio reddatur capitale, etiamsi sine culpa sociorum illud pereat. Addit Navarrus, si Piscatores ex dictis pecuniis aliquid expenderint pro sua domo, debere ipsos restituere Antonio, quia Antonius solùm contulit pecuniam ad negotiationem, & consequenter ad expensas negotiationis, non verò ad expensas extra negotiationem domi factas.

8. Hæc illi supponentes, hunc esse contractum Societatis; sed quia verè Is non est, est enim conductionis, & locationis operarum Piscatorum, ut ex dictis *c.* 1. *n.* 6. & ex dictis *n.* 2. *huius capitis* constat, nullo modo erit eiusmodi contractus condemnãdus, si iusta, omnibus expensis, merces Piscatoribus solvatur, sive in pecunia, sive in lucro sperato, ut dictum est.

9. Illud quod modò addidit Navarrus, approbo quidem, sed eo modo, quo ego retuli, nam dicti Piscatores sive expendant domi, vel extra, sive non expendant, iam totum capitale debebunt reddere, ut ex pacto conventũ fuit; At, si Navarrus aliud velit, ut certè velle alicui videri potest, idest, debere à socio operam conferente (quando est initus cõtractus Societatis) deduci expensas, quas domi is fecisset, non approbo, nisi eo modo, quo vidimus *supra, c.* 8. *n.* 4.

10. Quintum pactum. Idem Antonius socium ascifcit Petrum, additque, ut alia negotia suscipiat, iustene sic paciscitur,

Respondeo, iustè, quia sic Antonius vult, Petrum expeditum esse pro suis negotiis, imò, si natura, & qualitas suscepti negotij requirit totum hominem, debebit Petrus, etiamsi non adsit pactum, totum se illi negotio addicere, quando enim ipse promisit suam operam, totam, quæ erat necessaria illi negotio, promisit.

11. Quòd si non requiritur tota, si additur ab Antonio tale onus Petro, debet certè Antonius aliquo modo cõpensare; secus liber Petrus erit, & sic alia negotia, ut ei libet, potest assumere, quia nihil hæc obstabunt Societati cum Antonio susceptæ, ut supponitur. Sic Medicus operam suam tibi promittit, non tamen propterea alios infirmos curandos, cum culpa suscipit, quando omnibus consulere satis potest. Quod dicimus de Socio, dic obiter de famulo; is enim, quando abest præiudicium famulatus Domini, potest; ut innuit Bonac *d.* 3. *d. contract. q.* 6. *p.* 1. *n.* 5. alia negotia suscipere, & lucrari, cùm tamen non possit, quando præiudicium illud adest.

## CAPVT X.

### *De Dissolutione Societatis.*

1. SOcietas, vel instituta fuit ad tempus determinatum ut, si pro duobus tribus, decem annis, immò, & pro tota vita, vel ad tempus indeterminatum, ideſt, sine temporis mentione. De utroque simul sic breviter habe.

2. Dissolvitur Societas primò, mutuo consensu, seu renuntiatione. Secundò, finito tempore designato. Tertiò, finito negotio. Quartò, morte civili. Quintò, morte naturali: quæ omnia, nitidiore stylo, sed subobscuris verbis, sic Textus, *l. Verum, §. ult. ff. pro Socio*, complectitur: *Societas solvitur ex Personis, ex Rebus, ex Voluntate, ex Actione.*

*Mutuo consensu.*

3. Rectè: nam *Res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*; Quod si unus ex Sociis incidit in amentiam, non dissolvitur Societas, nec ejus Curator renuntiare potest, nisi in casibus, in quibus socius ille, si fuisset sanus, potuisset. Quare in hoc casu continuare omnino socii debent Societatem, & lucrum dividere cum Curatore amentis. Vide *l. ult. C. pro Socio.*

4. Quid, si quis ex sociis renuntiet, aliis invitis?

Respondeo: Tunc damnum, quod fortè ex tali renuntiatione subsequetur, ad ipsum solum spectabit: si verò nihilominus sequetur lucrum, illud erit commune aliis, nam ipse, quantum est ex parte sua, jam cessit Iuri Societatis, subivitque prædictam obligationem restituendi id, quod sociorum interest, si non fuisset renuntiatum ante tempus.

5. Sunt tamen quatuor casus, in quibus licitè, aliis invitis, socius renuntiat. Primò, si ei pacta non serventur: nam, *Frangenti fidem, meritò fides frangitur.* Secundò, si socii sint ei injuriosi, vel damnosi, ita, ut prudentis arbitrio non sint tolerandi. Tertiò, si cesset spes lucrum percipiendi ex negotiatione suscepta. Quartò, si socius debeat Reipublicæ causa abesse, nec commodè, vel aliis, vel sociis, suas committere partes possit.

*Finito Tempore designato.*

6. Meritò: Quia ad tempus ulterius non se extendebat conventio, & obligatio, ut dicitur in Iure, *l. actiones*, §. *Item si alicujus, ff. pro Socio.* Semper intellige, nisi tacito, vel expresso consensu sociorum innovetur, seu continuetur Societas, quia tunc novus censetur advenire contractus.

*Finito Negotio.*

7. Et id etiam meritò; ad illud enim dumtaxat se extendebat, ut supponimus, Societas; Finiri etiam negotium censetur, si totum capitale, imò si magna ejus pars casu pereat, vel ita mutetur, ut aptum non sit ad negotium, quale esset frumentum, si eo modo vitiaretur, ut amplius humano usui non esset idoneum. Finiri etiam negotium censetur, *l. Verum, ff. pro Socio*, §. *Solvitur, Instit. de Societat.* si in agro à sociis excolendo, ædificetur auctoritate publica, Ecclesia. Idem dic, si socius non potest contribuere, promissam pecuniam, vel promissam operam, ut si incidisset in paupertatem, vel in ægritudinem, vel in carcerem fuisset conjectus, vel ejus bona fuissent publicata, vel quid simile.

*Morte Civili.*

8. Si quis ex sociis civiliter moriatur, cæteri Societatem Iure dissolvent. Lege Mol. *d. 414. num. 9. juncta disp. 9.* Censetur autem Mors Civilis pro hac re triplex.

Primò, Cessio Bonorum.

9. Secundò, Maxima, aut media capitis diminutio, §. *cit. solvitur, Instit. de Societ.* ideſt, vel deportatio, *l. Verum*, §. *ult. ff. pro Socio*, in insulam cum amissione libertatis, vel solùm deportatio in Insulam. Bonacina, *d. 3. de contr. 9. 6. punc. ult. n. 4.* asserit, finiri Societatem capitis diminutione, quam dicit esse exilium, unde pro eodem accipit exilium absolutè acceptum, & deportationem in Insulam, id, quod aliis, qui Textus Civiles §. 1. & 2. *Instit. de capitis diminutione*, legent, judicandum relinquo.

10. Tertiò denique, censetur capitis diminutio solemnis, *l. Verum*, §. *ult. ff. pro Socio*, professio in Religione, de qua lege Molinam, *d. 9.* Bonac. *d. 13. de contr. 9. 6. n. 4.* aliósque ab ipsis citatos.

*Morte naturali.*

11. Morte item naturali unius ex sociis (etiamsi illi consocii remaneant) finitur Societas, quia conjunctim non separatim fuit conventio (nisi tamen contrarium pacto firmatum fuerit) ita communiter Doctores, & ipsa ejus Societatem non transire ad hæredem defuncti.

12. Quid, si affuerit pactum, ut ad hæredes transeat Societatem, at non *ibidem* remansuram, quoad hæredem defuncti. Sed quid, si pactum, ut transiret ad hæredes, jamemento firmatum sit?

Respondeo: Qui docent juramentum confirmare contractus, affirmant, ejusmodi pactum juratum obligare hæredem ad prosequendam societatem, quia hæres tenetur servare contractus defuncti. Ita Molina *d. 414. n. 6. & Lef. l. 2. cap. 25. n. 6.* At nos, qui docuimus *l. 3. in Decal. c. 3. §. 4.* à juramento non confirmari contractus, debemus existimare hanc obligationem ab hærede defuncti, ut excidit Valascus apud eundem Mol. *l. c.* quia juramentum parum non validat actum à Iure interdictum, & prohibitum.

## CAPUT XI.

*De Societate in Animalibus.*

1. SI primò, tradas alicui tot oves, v. g. ut statuto tempore det tibi earum pretium; Si secundò, eidem eldem tradas, ut ipse fructum ab iis accipiat, soluto tibi pretio; Si tertiò, ut custodiat eas, data illi parte fructuum quidictam custodiam compenses, non celebras, teste Mol. *d. 411. n. 2. & 3.* contractum societatis; nam primus est contractus venditi; Secundus est locati; Tertius est formulatus. Verùm, erit contractus Societatis, si tu oves, v. g. alter verò operam, seu industriam conferat, vel, si unusque contribuatis æqualem partem industriæ, & parem numerum ovium, vel inæqualem, &c. & fructus inde percepti (ideſt, lana, lac, fœtus) sint dividendi, sive Arithmeticè, ideſt, æqualiter, sive, Geometricè, ideſt, ad proportionem ejus, quod à singulis collatum est; hic, inquam, est contractus Societatis, & de eo multa dicta sunt *in præcedentibus capitibus*, in quibus tractatum est *de Societate in universum*; pro majori tamen ejus explicatione:

2. Inquires primò: An hic modus Societatis Animalium sit licitus? *Ego consigno tibi mille oves, ita ut, si aliqui pereat, compleas numerum ex fœtibus, tuque idem apponas operam correspondentem æstimabiliati usus consignatorum ovium, atque in fine singulorum annorum fructus præcedentium ovium, ideſt, lac lana, & pars remanens fœtuum) dividantur inter me, & inter te?*

Respondeo: Ut proponitur, non est hic contractus licitus, quia clarè non servatur æqualitas. Nam propter prudentes, & pii negotiatores, ut effugiant injustitiam, in Animalia non stent cum periculo in manu alterius, v. g. Pastoris, semper solent addere alium contractum assecurationis, solvendo ex ipsa parte fructuum percipiendorum aliquid proportionatum ipsi Pastori assecuranti in hunc ferè modum: *Consigno tibi mille oves, tu apponas industriam & assecures mihi, te tradituum eundem numerum ovium æqualis bonitatis, nam ex fructibus percipiendis tibi compenso tantum onus, quod suscipis.* Addi etiam, solet alius contractus, quo mihi assecuret Pastor aliquod lucrum, sive sex, sive decem, sive plus, minúsve pro centenario ut ex §. 3. satis explicato de Societate cum tribus contractibus.

3. Inquires secundò: Cùm in hoc contractu soleant interesse Societatis æstimari Animalia, ne deinde controversia sit in iis reddendis; Inquires, inquam, cur tunc non dicendus sit potiùs contractus Venditionis, quàm Societatis?

Respon-

Respondeo : quia esto, æstimatio aliquando faciat venditionem, aliquando tamen non facit, ut patet in dote quæ potest ab uxore viro tradi, interdum per æstimationem facientem venditionem, interdum verò per æstimationem non facientem venditionem. Facit venditionem æstimatio, quando res dotalis æstimatur, ut marito tradatur, tanquam vendita eo pretio. Non facit venditionem, quando res æstimatur solùm, ut sciatur valor rei dotalis, ita ut si pereat, & fiat exterior culpa viri constet ad quid teneatur vir in casu restitutionis. Quoniam igitur in casu nostro æstimantur animalia solum, ut sciatur quid, & quantum in fine anni sit restituendum, ideo non est contractus venditionis, nam si æstimatio eorundem animalium fieret, ut illa tanquam vendita eo pretio, traderentur Pastori, esset quidem contractus venditionis, at consequenter non pertineret ad hunc locum, sed ad tractatum de venditione, & emptione.

4. Inquires tertiò : An Socius, præscindendo à contractu assecurationis, sed in vim solius contractus Societatis, obligetur in fine anni, putà temporis designati pro Societate, restituere prædicta animalia æstimata per æstimationem non facientem venditionem, restituere, inquam, obligetur juxta valorem æstimationis, factæ initio anni, an juxta valorem æstimationis, quæ fit in fine anni? Mille oves, v.g. valent initio anni centum aureis, at in fine anni ob magnam illarum penuriam valebunt ducentis aureis, vel propter abundantiam valebunt minoris, v. g. aureis quinquaginta, socius recipiens, debebítne reddere oves valentes centum aureis, an verò ducentis, vel quinquaginta ?

Respondeo : Cum in mero contractu Societatis (nam nunc præscindis ab alio pacto) *suprà* docuimus, animalia remanere in dominio apponentis, si in fine anni crescit vel decrescit eorum valor, ipsi apponenti crescit, atque decrescit, unde juxta æstimationem, quæ fit in fine anni, debebit restituere is, qui ea recepit, & solum illa prior æstimatio inserviet, ut, si culpa recipientis, animalia perierint, vel deteriora evaserint, compensetur illud, quod erit justè compensandum.

5. Instas : In contractu Societatis, si pecuniæ valor crescat, non crescit pro apponente illam, sed pro omnibus sociis, ergo pari modo idem dicendum erit, si crescat valor animalium : Conferat, v.g. Petrus centum ex auro, valentia centum & decem argenteos si finita Societate contingat aureos illos pluris valere, v. g. centum & viginti. Petrus non habebit pro suo capitali collato, nisi tot aureos, quot ascendunt ad centum, & decem argenteos nam alii decem erunt dividendi, utpote lucrum commune sociis, ita igitur in animalibus.

Respondeo, pro doctrina ejus, quod assumitur, & pro responsione ad paritatem, quæ inducitur, sunt hic bene tria distinguenda, quæ tribus dictis ego, claritatis gratiâ, proferam.

6. Dico primò : Si crescat valor pecuniæ collatæ ab uno ex sociis, antequam ea ad merces comparandas expendatur, vel antequam misceatur, ita cum cæteris pecuniis Societatis, ut discerni nequeat, ille est Dominus hujus valoris, qui eam contulit, quia ipse habet illius dominium, & consequenter, & ipsi crescit, & decrescit, & juxa hunc valorem in fine Societatis eidem erit pecunia restituenda.

7. Dico secundò : Si crescat idem valor, postquam comparatæ sunt merces, vel postquam pecunia mista ita est cum cæteris pecuniis sociorum, ut discerni nequeat, incrementi hujus sunt Domini omnes socii, quia ipsi simul habent dominium illarum mercium, & pecuniarum ; quare ex æquo est dividenda, esto, priùs propter pactum Societatis initio initum, debeat extrahi, & reddi apponenti tanta pecunia, quantam appossuit, secundùm illum valorem, de quo *numero præcedenti*, dictum est.

8. Dico tertiò, hinc fieri, ut magna sit disparitas inter animalia, & pecuniam, quando hæc, vel illa conservatur, animalium enim semper Dominus est is, qui ea apponit, at pecuniæ non ita : nam, ut dictum est, postquam merces comparatæ sunt, & pecuniæ sunt cum cæteris admixtæ, pertinent ad totam Societatem ; non est igitur mirum, si incrementum harum, ut vult Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 6. *p.* 3. *n.* 3. *& p.* 5. *num.* 8. pertineat ad lucrum sociorum omnium modo, quo dictum est, non verò incrementum animalium.

## CAPUT XII.

### *De partitione, quam debent exhibere Fratres, mortuo Patre, quæ assimilatur Divisioni, quæ fit ratione Societatis.*

1. IVre novo, *l.* 1. *Ut liberis, C. de collationibus, Auth. ex testam, C. Eodem titulo, Auth. de Triente, & semisse, §. Illud quoque, Coll.* 3. statuitur, ut filii suo Patri succedere volentes, adducant ad partitionem communem, quæ acceperunt à Patre vivente, quod certè similitudinem aliquam præ se fert contractus Societatis, nam ideo hic sequentem regulam breviter habet :

2. Omnes descendentes legitimi, quibus debetur legitima (nam propterea includuntur etiam legitimati, imò etiam adoptati, non autem illegitimi, quia his legitima non debetur) sive masculi, sive fœminæ, sive sint in Patris potestate, sive jam emancipati, volentes succedere Patri, vel Matri (quoad volentes succedere Avo, vel Aviæ, vide apud mox *num.* 3. citandos.) Filii, inquam, volentes succedere parentibus decedentibus testatis, vel non testatis, tenentur conferre ea, quæ habuerunt ex bonis dicti Patris, vel Matris viventium, ut scilicet ex iis in communi adductis, tanquam ex uno cumulo, fiat justa partitio inter ipsos fratres, sororésque. At verò ascendentes, ut est Pater, Mater, Avus, Avia, quando succedunt filiis, vel Nepotibus defunctis, non tenentur conferre ea, quæ habuerunt à filiis, vel nepotibus viventibus. Ratio Regulæ tunc intelligetur, cùm cognoscetur radix, cur facienda sit inter prædictos fratres dicta collatio. Ea autem est, quia omnibus filiis debetur post parentum mortem æqua legitima. Quando ergo parens ante suam mortem aliquid alicui ex filiis tradit, præsumitur, nisi aliud exprimatur, vel tacitè ex conjecturis colligatur) dare illud in computum legitimæ, quam post mortem suam illis debet. Ne ergo frater, plus habeat de legitima, quàm alii, inde est, ut illud debeat in commune adduci, & æquè dividi. Quoniam igitur, quando filii dant aliquid Patri, vel Matri, vel suis ascendentibus, non præsumuntur dare in compensationem legitimæ, cùm ascendens censeatur moriturus, antequam moriatur descendens, sed dare præsumatur per meram donationem, ideò illa non sunt à Patre conferenda, quia, quæ simpliciter donantur, & liberaliter, in commune non conferuntur, nam propterea, nec ipse filius ea, quæ accipit à Patre liberaliter, & non in compensationem legitimæ obligatur ad conferendum, eo modo, quo à nobis. *in lib. 5. Decalog. cap.* 4. §. 2. *à num.* 3. pluribus explicatum est.

3. Nepotes, quando vel mediatè, vel immediatè succedunt Avis, qui, & quatenus debeant conferre, habes apud Molinam, *d.* 237. Ant. Gom. *in l. Tauri* 39. *num.* 37. Tusch. *tom.* 1. *à concl.* 416. Vasq. *in opusc. de test. cap.* 7. §. 2. *d.* 14. Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 6. *p.* 7. §. *unic. n.* 2. *v. Sed modò* aliósque.

4. Qua ratione autem dignosci queat, parentes dedisse aliquid liberaliter, vel in compensationem legitimæ, adeóque conferendum, duæ sunt regulæ, quas attuli *in lib. Decal. loc. cit.* illas, & ab illis deductas illationes, inde pete.

# TRACTATVS IX.
## DE
# PROMISSIONE.

## CAPUT PRIMUM.
### *Quid sit Promissio?*

DE ea loquimur, quando est liberalis, gratuita, si enim est onerosa, idest, sub aliquo onere præstando à Promissario, jam propriè pertinebit ad contractus, sive nominatos, sive innominatos, emptionem, venditionem, locationem, &c. de quibus suo dictum est loco.

2. De eadem item loquimur, ut est promissio, non verò, ut merum propositum, quod pollicitationem etiam nonnulli appellant. Propositum enim, sive consistat in actu solius intellectus, sive solius voluntatis, sive utriusque, sive etiam in vocibus externis, quibus voluntas interna significatur, de quibus Doctores passim, ut Turrecr. *d. 64. de Iust. dub.* 19. Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Vote, cap. 2. 3. & 13. Et in opusc. 4. de libert. Divin. d. 2. sectione 2. à num.* 18. Vasquez *tom. 4. in 3. part. d. 6. de matrimon. cap. 2.* Delugo *d. 23. de Iust. num. 2.* Propositum, inquam, dicit intentionem aliquid faciendi, seu dandi, at promissio superaddit aliquid aliud, per quod is, cui res promittitur, (quem vocare solemus promissarium,) meritò habet fundamentum expectandi rem illam promissam sibi in ipsius utilitatem, seu obsequium à promittente.

Quid autem sit hoc superadditum, varii variè explicant, quod, quia ad speculationem pertinet, videatur apud citatos.

3. Sic autem describitur Promissio liberalis, seu gratuita, de qua præsens est disputatio: *Est affirmatio, & enuntiatio (utique deliberata, & spontanea) alicujus rei possibilis, & licitæ in futurum faciendæ ab aliquo insinuata, & absolutè data alteri, & accepta ab eo, in cujus utilitatem, seu obsequium facienda res est.*

4. Hæc descriptio affertur à Vasq. *loc. cit.* sed addita à nobis una voce. Ipse enim dicit (alteri insinuata) nos verò addimus (& alteri data) cujus additionis ratio est, quia posset insinuari, seu ostendi propositum alicui, nec tamen inde ullam promissionis obligationem nasci. Vt, si tibi ostendam, me velle cras tuum comitem fore in via, & nihil addam præterea, quo id me facturum promittam, tunc enim solùm ostendo, me esse in ea voluntate, non propterea significo promissionem ullam tibi à me dari, ex vi cujus tu meum comitatum cras expectes, sed si expectes, expectabis ex vi meæ constantiæ, quâ non soleo mea proposita mutare, non verò ex vi promissionis. Et sanè sic videtur se gessisse Sanctus Petrus, ut notat Delugo *loc. cit. à numero* 7. quando enuntiavit: *Etiamsi oportuetit me mori tecum, non te negabo.* Nec enim sic aliquid Christo Domino promisit, seu vovit, sed solùm ostendit præsentem voluntatem suam: sic etiam, qui Deo dicit, se nolle ampliùs peccare non promittit, sed solùm suam præsentem voluntatem ostendit. Dicimus igitur, promissionem esse enuntiationem, & ostensionem voluntatis alteri, & insinuatam, & datam, nam sic non solùm explicatur ostensio voluntatis, sed etiam explicatur fides, quæ datur promissario.

5. Vt autem tota de promissione tractatio ordinatim absolvatur, notentur singula prædictæ descriptionis verba, & in modum sequentem explicentur.

Adverte autem, quia liberalis Donatio in futurum ante rei traditionem nihil aliud verè est, nisi promissio donandi. Ideo non pauca ex dicendis hùc competent etiam ejusmodi Donationi in futurum: nam cæterùm de liberali Donatione de præsenti suus mox erit agendi locus *in particulari tractatione de Donatione.*

## CAPVT II.
### De illis verbis:
### *Est Affirmatio, & Enuntiatio.*

1. PRomissio non dicit solam affirmationem, hoc est, actum, quo homo affirmet se aliquid facturum, hoc est, merum propositum ore declaratum, ut jam modò dictum est, sed addere debet enuntiationem factam alteri, qua scilicet idem propositum promissio intimetur; proprie enim enuntiare est alteri rem aliquam huntiare. Actus igitur internus, etiam quo quis vult promittere, non erit promissio, qui, ut sic, præsis est inchoatio quædam promissionis, quam promissio. Unde ejusmodi tuum internum propositum non obligabit te ad rem sic initiativè promissam adimplendam, non obligabit, inquam, ut promissio, quia vere promissio non est, & ita docet Sanchez, *l. 1. matrim. d. 3. &* ex aliis principiis Delugo, *d. 23. de Iust. sect. 2.* quibus addo Baunium, *tom. 3. Theol. moral. l. 2. tract. 4. quæst. 4.* quid in oppositum inclinet Molina, *d. 266. Disp. part. 1. tract. 6. resol. 107.* aliique, qui propendent ad dicendum, validam esse ejusmodi promissionem ex jure naturæ, quamvis possit ex jure positivo revocari à promittente quandocunque is voluerit.

2. Dixi (ut promissio) nam, an tunc adsit aliqua obligatio, ne homo videatur levis corde, & inconstans, dictendo propositum prudenter conceptum *lib. 3. in decal. cap. 11. num.* explicuimus.

### *Promissio externa sine animo promittendi.*

3. Quòd si, contrà, sit externa enuntiatio, seu promissio solùm externè prolata, alteriique sub fide solùm oretenus intimata, sed sine animo, & voluntate promittendi, ejusne vera promissio, & quidem obligans, promissio?

4. Respondeo, me *lib. 3. in decal. cap. 12. §. 1. num.* docuisse, non esse veram promissionem, & consequenter non afferre obligationem veræ promissionis. Ratio principalior fuit, quia non est actus contractus sine animo contrahendi, ergo neque vera promissio sine animo promittendi. Solùm monui, quamvis tunc non afferatur obligatio aliqua ex vi veræ promissionis; tamen sæpè afferri ob damnum, quod fortè sequitur promissio ob deceptionem, &c.

5. Sed quid? Ejusmodi sola exterior promissio præritne obligationem aliquam exequendi rem promissam, si non ex vi veræ promissionis, & propriæ, tamen ex vi promissionis impropriæ?

Respondeo: Certum est, quando dicis externè: *Hoc vel faciam cras*, te debere sentire, sicut pronuntias, secus cras faciam cras, te debere sentire, sicut pronuntias, secus committes mendacium contra virtutem veracitatis. Verum, si non pertinet ad promissionem, hæc enim respicit rem in futurum faciendam, sed ad conformitatem orationis cum mente, quæ tota potest adesse præsenti, etiamsi deinceps rem ita enuntiatam non exequaris. Dum enim affirmas: Ego cras hoc præstabo, ut verum affirmes, satis est, si ejusmodi dictum sit conforme tuæ menti, intendenti id eo qui cras, quamvis cras deinde, mutato animo, non cras quaris, neque enim ad virtutem veracitatis pertinet, ut animum non mutes; hoc enim pertinet ad constantiam, sed solùm, ut ita loquaris, sicuti in mente habes.

6. Difficultas igitur potest esse, si consideremus eandem prædictâ virtutem Fidelitatis, quæ certè respicit futura,

&

& ad quam pertinet observare veram promissionem; inquirere enim possumus: An, sicuti certò ad Fidelitatem pertinet, observare veram promissionem vero animo factam, sic etiam ad Fidelitatem pertineat, observare hanc fictam, solùmque externam promissionem? Si, v.g. promittam sine ullo animo promittendi equum tibi cras donaturum, obligabitne me Fidelitas ad promissionem hanc fictam adimplendam?

7. Respondeo, ex dictis *n.*4. videtur negandum, quia ubi nulla promissio est, ut hîc, nulla erit obligatio. Verùm, nos ibi signatè diximus, nullam adesse obligationem ex vi veræ promissionis, sed nunc difficultas est, an nihilominus adsit obligatio ex vi externæ, quamvis non veræ promissionis, obligationem, inquam, quam inducat eadem virtus fidelitatis.

8. Dico, Fidelitatis virtutem obligare (sub mortali ne, an veniali, dicam *infrà, c.*7.§.3.) sic fictè promittentem ad dictam promissionem observandam. Ita Delugo *d.*23. *de Iust. n.*11. citans Pont. & Turrian. cum aliis. Ratio est, quia hanc promissionem sùm externam respicere, & regere debet Fidelitas. Ad fidelitatem enim spectat, non solùm ordinare hominem in veris, perfectísque promissionibus, quæ conflantur ex externo, & interno actu, verùm etiam, quæ solum continent externum.

Quemadmodum enim veracitas inclinat ad confirmanda externa verba cum animo interno, sic fidelitas, quæ est valde affinis veracitati, tendit ad confirmandas promissiones, etiam solùm externas, cum executione in futurum ponenda, siquidem ad fidelitatem pertinet, vetare, ne decipiatur proximus in recipiendis promissionibus, hîc deciperetur, etiam, quando promissio est solùm facta exterius. Ne decipiatur, inquam, non ex vero iure, quod sit in ipso promissario) tunc enim esset obligatio ex vera promissione) sed ex obligatione, seu debito, quod habet promittens, ne in suis dictis abroget sibi fidem illam non servando, & ne sic impediat commercia humana, decipiendo proximum, quod totum videtur à virtute fidelitatis esse regendum.

9. Obiicies: Ergo eodem modo, si quis se obligaret, solùm verbis externis, ad faciendum aliquid, vel, solùm verbis externis, voveret aliquid Deo, obligaretur ex vi Iustitiæ, vel ex Religione illa observare: quod tamen, *l.*3. *in decal. c.*12.§.1. *n.* 3. agendo de Voto, negavimus, quia sine vero animo se obligandi, seu vovendi, nulla est obligatio, nullum votum.

Respondeo, negando hanc consequentiam, nam, ad obligationem Iustitiæ fundandam, requiritur, ut transferatur Ius Iustitiæ in alium, quod Jus, cùm sit potestas, quam quis habet disponendi, ut liber, de rebus suis, non potest transferri sine ipsius voluntate. Si igitur sine animo obligandi dicas solùm verbis, te obligare, non habes animum transferendi Jus in alium, ergo non transfers Jus, & consequenter non surgit obligatio Iustitiæ. Rursùs ad Votum firmandum requiritur, ut Deus acceptet, seu acceptare existimetur, quod per Votum promittitur; at, quando tu Voto solo externo sine animo vovendi promittis, Deus videt tuum hunc actum non promittendi. Ergo non potest acceptare promissionem, quam nullam esse videt, nec potest eius impletionem rationabiliter à te expectare. Quare Votum istud tuum nullam afferet obligationem Voti. At in casu tuæ promissionis, quamvis solùm externè homini factæ, homo, qui cor tuum non videt, meritò, & rationabiliter à te fidem datam expectat, immò exposcit; ergo meritò virtus fidelitatis te in hoc dirigere debet, ut scilicet promissum, etiam tunc, serves. Hæc breviter pro curiosis dicta sufficiant: nam cæterum *loc. cit.* latiùs prosequitur Delugo.



## CAPVT III.

### De illis verbis:

*Vtique libera.*

1. ID commune esse omnibus contractibus, quia omnes voluntarij esse debent, monitione potius indiget, quàm probatione. Nam propterea contractus furiosi, amentis, ebrij, dum tamen in amentiæ affectione sunt, invalidus est. Quòd si Fabianus Papa *C. Ne furiosum 33. quæst.*7. dicit neque furiosum, neque furiosam cõtrahere matrimonium posse, sed si contractum fuit, non esse separandos, intelligitur, si contractus fuit, dum non erant in affectione furoris, nam eo deinde superveniente, non propterea desinunt veri esse conjuges.

2. His iam certis suppositis, solùm hîc quærimus, an semiplena deliberatio sufficiat ad inducendam obligationem promissionis, sive sub mortali, sive sub veniali?

3. Dico, nequaquam sufficere, sive res promissa sit gravis, sive levis, sed semper esse necessariam deliberationem plenam, quæ est illa, quæ requiritur ad mortaliter peccandum. Ratio est, quia homo ad certam obligationem sibi inducendam, sive sub mortali, sive sub veniali, debet, ut homo, illam sibi inducere. At operans per semiplenam deliberationem non ut homo, sed ut semihomo, ut ita loquar, operatur; ergo, &c.

Confirmatur primò, quia, sicuti per promissionem absolutè se quis sub fidelitate obligat ad hanc rem, v. g. donandam, ita absoluta debet esse deliberatio, qua rem illam à se abdicat.

Confirmatur secundò, quia, sicuti ex communi sententia Legislator non potest imponere alteri legem quomodocunque obligantem, nisi perfectè deliberans. Ita nec ipse homo sibi ipsi. Hanc sententiam, ut communem sequitur Molina, *d.*267. Vasq. *de matr. c.*1. *n.* 3. Sanch. *l.*1. *matr. d.*8. *n.*5. Delugo *d.*23. *de Iust. à num.*17. aliique, quos adi, ut aliquas obiectiones solvas *ibidem* legas.

4. Illud autem hîc notant Doctores iidem, in homine sanæ mentis, quando aliquid promittit ex calore, sive iracundiæ, sive affectionis, sive similis passionis, rarò non adesse plenam deliberationem, quia rarissimè tanta esse solet mentis perturbatio, ut non sufficienter volita sint, quæ tunc fiunt; secùs homicidia, furta, fornicationes nimis facilè (cùm soleant in fervore passionis fieri) à peccato mortali excusarentur.

*Promissio dubiè libera.*

5. Sed quid si verè, omnibus expensis, dubitetur, an adfuerit plena deliberatio, quod quidem aliquando posset evenire in promittente, qui sit mentis sanæ, sæpius autem in amente habente lucida intervalla, vel in amente circa aliquam materiam, non verò circa omnem, & in puero existente intra confinia temporis acquirendi perfectum usum rationis, &c.

Respondeo: Si certus es, quod promiseris, sed dubitas, an perfectè deliberatè promiseris, Sanch. *dict. disp.*8. *n.*17. te obligat ad exequendum, quod promisiti, & idem esse, ait, si sic vovisti. Ratio est, inquit, quia possidet tunc promissio, de qua certus es. Verùm, sive sis certus, quod ore promiseris, sive sis dubius, si tamen dubitas, an perfectè deliberatè, putà an promiseris, dum esses extra perfectum deliberationem, te probabiliter non obligat Castropal. *t.*1. *tr.*1. *d.*3. *p.* 11. *n.*4. & 7. Ratio est, quia, si dubitatur de perfecta deliberatione, non est certum, adesse promissionem, de cuius essentia est, esse à plena rationis advertentia. Quare tunc prævalebit tua libertas, quæ certa est. Hanc ego sententiam, *l.*1. *in dec. c.*3.§.7. *v. Vot. n.*6. secutus sum, ubi dixi etiam, *ibid v. Profess. Relig.* quid sentiendum de Professione Religiosa. De Matrimonio autem dixi *sup. l.*8. *de matr. tr.*3. *de spons. c.*1.§.4. *n.*10.

## CAPVT IV.

### De illo verbo Descriptionis:

*Spontanea.*

1. HOc etiam est commune omnibus contractibus. Quoniam verò id potest deficere in casu nostro, quando promissio extorquetur metu, dolo, vel ignorantia, seu errore, &c. ideo hæc sunt breviter percurrenda.

*Promissio Violenta, Meticulosa, Fraudulenta.*

2. Promissio igitur per vim, vel per metum, vel ex fraude extorta, nulla est. Vnde tu sic, animo, repugnante, promittens, non obligaris facere, vel dare, quod promeris, nec promissarius exigendi Ius ullum acquirit. Ratio autem est, quia tibi sic promittenti injuria fit, unde Ius ullum oriri non potest in alio.

3. Si metus fuit levis, idem aliqui affirmant, aliqui verò negant. Cum his posterioribus ego sentio, quia, dum metus est levis, is facile à te vinci potest (secùs levis non esset) si non vincis, tibi imputatur, non alteri metum inferenti. Dixi tamen *l. 1. in dec. c. 2. §. 6. num. 4.* sententiam affirmantem esse probabilem.

4. Hinc sequitur, promissionem factam Parenti à Filio, Viro ab Vxore, Principi à Vassallo, Latroni à Viatore, propter metum gravem *ibidem* à nobis explicatum, sine quo facta non fuisset promissio, non inducere obligationem.

5. Quid, si Promissioni huic addatur Iuramentum? Respondeo, quando, quod promittitur, potest sine peccato adimpleri, inducit obligationem, non ex vi promissionis, quam nullam esse jam vidimus, sed ex vi reverentiæ Deo debitæ ex virtute Religionis. De qua re fusè diximus *lib. 3. in dec. cap. 3. §. 5. num. 6.* omnino videnda.

*Promissio ex Errore.*

6. Error dupliciter potest in re nostra intervenire. Primò, in ipsa promissione. Secundò, in re promissa.

Quoad prius: Si quis promittat, nesciens, quid sit promissio, vel nesciens, in promissione adesse obligationem exhibendi rem promissam, ad nihil obligatur, quia propter dictam ignorantiam, non potest quis habere voluntatem fidem dandi, séque obligandi: Voluntas enim non fertur in incognitum.

7. Quòd si promittens intendat facere, quod alii faciunt, sanè obligabitur, quia jam alii obligantur, unde sic ipse tacitè obligationi consentit. Lege Bonacinam, *d. 3. de contr. q. 12. punct. 1. n. 9.* alios citantem.

8. Quoad posterius, id est, quando error contingit in re promissa, sic distingue: Si quis erret primò, circa substantiam rei promissæ, seu (quod in idem recidit) circa qualitatem tanti momenti, ut redundent in ipsam rem promissam, vel secundò, circa finem, seu causam principalem promissionis, quam appellare solemus motivam, ad nihil tenetur. Exemplum prioris: Promisi dare tibi hanc laminam æream, quam deinde invenio, esse auream. Promisi dare hoc mancipium, quod deinde invenio habere conditionem quandam magni momenti, v. g. esse meum consanguineum. Promisi dare equum hunc quem deinde invenio, non esse meum. Exemplum posterioris: Promisi tibi centum, quia puto, te esse pauperem, unde tota causa promittendi fuit paupertas, tu verò es dives. Promitto commodare tibi equum, quia puto, te iturum ad venandum, unde tota causa promissionis fuit tua venatio, tu verò Domi sedes. Promitto mea holoserica aulæa, quia puto, te festum talis Sancti in Ecclesia celebraturum, unde tota causa, ut suppono, fuit pietas in illum Sanctum; tu verò vis ad Nuptias celebrandas illis uti. Dico, in his casibus non adesse obligationem servandi, quod promissum fuit. Ratio quando intervenit error in substantia, est, quia non potest esse actus voluntatis me obligans, nisi circa rem quam cognosco; voluntas enim est potentia cæca intelligens ad suum actum eligendum manuductione Intellectus cognoscentis: Si ergo substantiam rei promissæ non cognosco, ad illam tibi donandam, me obligare non potero. Ratio, quando intervenit error circa causam motivam, est, quia promissor non intendit se obligare, nisi ex causa, qua ipse efficaciter moveatur: hinc ego totaliter cessante, cessat effectus, qui totus pendet ab illa causa.

9. Si autem error fuit, Primò, in qualitate rei promissæ, quæ qualitas non sit tanta, ut error circa ipsam redundet in ipsam substantiam: vel, Secundò, fuit in causa minùs principali, quam impulsivam solemus appellare, quæ scilicet non est tanti momenti apud promittentem, ut error circa ipsam faciat notabilem mutationem in ejus voluntate, valida erit, & obligans promissio.

Exemplum prioris: Promitto tibi hanc laminam, quam puto esse aurum commune, deinde invenio, tibi esse aliquantulò majoris perfectionis: Promitto tibi hunc equum, quem puto esse octo, v. g. annorum; deinde invenio esse annorum septem, vel novem, &c. Exemplum posterioris: Promitto tibi centum, quia puto te esse pauperem, deinde invenio te esse aliquantò minus pauperem, quàm ego credideram: Promitto tibi equum, quia puto, te iturum ad tuum prædium, deinde invenio, te iturum ad prædium tui amici æquè, vel plusculum distans à tuo, &c. Dico, in his, & similibus casibus te obligari ad servandum, quod promisisti. Ratio est, quia error non est tantus, ut voluntas non fuerit mota ad promittendum, licèt aliquantò difficiliùs, &c.

10. Scio, esse sæpissime arduum, cognoscere, quando tantus est error, ut faciat, vel non faciat ejusmodi effectus. Verùm, id ego distinctè explicui satis, *l. 3. in dec. c. 3. §. 5. à n. 21. & c. 13. per totum.*

11. Denique, non est hîc præmittendum notabile discrimen inter dolum, & errorem. Nam, si error fuit in qualitate non redundante in substantiam, vel causam finalem, valida est promissio, ut dictum est. Verùm, id non est in dolo, nam, si dolus, sive à promissario proveniat, sive à quocunque tertio, fuit in sola qualitate, quamvis non redundante, nec in substantiam, nec in finem, promissio semper erit invalida, & nihil obligans, ut recte Turrianus *disp. 66. dub. 2. n. 2. & 4.* quem citat Bonacina *disp. de contract. quæst. 12. punct. 1. n. 14. fine.* Ratio esse debet, quia in casu ejusmodi doli, Promissarius acquireret Ius expectandi promissum ex injuria, quæ promittenti infertur per dolum, quod esse non posse, diximus *num. 2.* quæ enim injuria non est in errore.

## CAPVT V.

### De illis verbis:

*Alicujus rei possibilis, & licitæ in futurum faciendæ.*

1. REm debere esse possibilem, & licitam, quia res impossibilis nulla potest esse promissio, & ad rem illicitam, hoc est, ad peccatum, nemo se obligare potest, hic potiùs utpote certum supponimus, quàm inquirimus. Id, quod adeo verum est, ut etiam in promissione, seu contractu oneroso, si quid tibi promisi pro opere turpi, obliger rescindere ejusmodi contractum, ut fusè dictum est, *l. 7. in dec. c. 5. §. 3. à n. 8.*

In hac autem vera, & certa doctrina, quatuor adhuc sunt quæstiones dissolvendæ.

Rel.

*Res promissa partim possibilis, vel licita, partim non item.*

2. Inquires enim primò: Quænam obligatio nascatur, si res partim sit possibilis, vel licita, partim verò impossibilis, vel illicita. Vt si quis tibi promitteret ire Romam ad salutandam amasiam tuam, & ad exigendum tua credita, quæ Romæ legitimè habes.

3. Respondeo: Si res promissa sit dividua, & non promissa fuerit indivisibiliter per modum unius cum alia, obligabit promissio, quoad partem possibilem, vel licitam, ex regula Iuris: *Vtile per inutile non vitiatur.* Si verò sit individua, quæ scilicet separari non potest, vel quamvis separari in se posset, illam indivisibiliter, & per modum unius promisisti, non obligaberis, quia tunc totum, ut sic, impossibile, vel malum est, cùm malum ex quocunque defectu sit, bonum verò ex integra causa. De his autem latè à nobis dictum est, cùm egimus de Voto, ubi advertimus, nec obligare ejusmodi promissionem rei impossibilis, vel illicitæ, etiamsi additum fuerit juramentum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, & ad impossibile nemo tenetur.

4. Hinc, si promittas aureos, v.g. centum, & promissio ejusmodi sit respectu tui impossibilis, vel prodiga, unde illicita, quoad omnes centum, sed possibilis, vel licita quoad partem, v.g. quoad quinquaginta, certum sit, si indivisibiliter promisisti, non valere tuam promissionem, etiamsi illam juraveris, idque propter rationem modò dictam. At si divisibiliter, teste Bonac. *disp. 3. de contract. quæst. 12. punct. 1. num. 16.* valebit saltem quoad partem licitam, vel possibilem, quia tunc, ut diximus, maximè valet illicita: *Vtile per inutile non vitiatur.*

Si cum expensis cœpi exequi id, quod turpiter promisi; An, si me pœnitet, possim petere illas expensas, vide apud Tanc. *p. 2. tr. 5. quæst. mor. 60.*

*Promissio præscindens à Divisibilitate, & Indivisibilitate.*

5. Hæc sunt ex dictis clara: Sed difficultas hac in re est, An, quando quis nihil cogitando de ejusmodi divisibilitate vel indivisibilitate promittat, v.g. summam prodigam, an, inquam, valeat tunc promissio pro parte non prodiga?

6. De hac difficultate *l. 3. in dec. c. 15. §. 5. n. 2.* sic dixi: Quando agitur de pecunia, regulariter promittitur divisibiliter, quia pecunia ex se apta est dividi. Vnde, si contrarium non constet, judicatur promissio facta juxta ipsius naturâ, id est, divisibiliter, & idem etiam docui, *l. 3. in dec. c. 3. §. 5. an. 19.* si addatur juramentũ promissioni prodigæ.

7. Hoc autem, quod dixi de pecunia, dicatur de aliis rebus, quæ similiter ex se dividi solent, ut, si promitteres centum boves, centum oves, prædium tot jugerum, &c. Nam divisibiliter quis præsumitur promittere ea, quæ apta sunt dividi, multò magis, quæ dividi communiter solent.

At verò, quando agitur de rebus, quæ dividi aptæ non sunt, vel certè dividi non solent, indivisibiliter (nisi contrarium expressè constet) promittuntur, adeóque integræ debentur. Quis enim non videt totam vestem integram, integrum torquem, integram ovem etiam cum lana, quam ea habet, debere te donare, si hanc vestem, torquem hunc, ovem hanc absolutè promisisti?

*Promissio rei impeditivæ majoris boni, vel rei indifferentis.*

8. Inquires secundò: An promissio facta homini, si sit impeditiva majoris boni, sit valida & obliget?

Respondeo affirmativè. Neque dicas: Votum factum Deo, quod nihil aliud est, nisi promissio, quæ Deo fit, non obligat in simili casu; ergo neque promissio facta homini. Ne id dicas, inquam, nam neganda est consequentia propter manifestam disparitatem, quam *lib. 3. in Decal. c. 3. §. 2. n. 1. & 2.* attulimus; Deo enim placere non potest id, quod impedit majus bonum (quod tamen quia ratione intelligatur *ibid.* explicuimus) nam propterea Deus ejusmodi Votum impediens majus bonum non acceptat, unde consequenter fit, ut nulla ab eo Voto obligatio inducatur. At homini placet, gratúmque est illud, quod tu ipsi promittis, quamvis impeditivum sit majoris boni, dummodo res promissa non sit peccaminosa, vel contra Divina Consilia. *Lex ibid. c. 3. §. 3. n. præsertim 3. & 10.* Quare non mirum est, si tu sic promittens obligaris ad rem promissam adimplendam.

9. Atque hîc duo alia discrimina discе, inter promissionem factam homini, & promissionem factam Deo, quod propriè est votum. Nam facta Deo debet esse de re positivè licita, & bona, nec sufficit, esse indifferentem, quia Deus non acceptat tanquam rem sibi gratam, illud, quod non pertinet ad bonum salutis, & Dei cultum, ut dixi *l. c. cap. 7. §. 3. num. 2.* At facta homini valet, etiamsi sit indifferens, dummodo, ut dictum est, non sit peccaminosa, quia nemo acceptat rem indifferentem, tanquam sibi gratam.

10. Secundò, promissio facta Deo potest ab habente ejusmodi potestatem per commutationem mutari, vel tolli per dispensationem. At facta homini, & ab ipso acceptata, nec mutari, nec tolli potest, nisi ipso, cui facta est, consentiente.

*Promissio de facto alieno.*

11. Inquires tertiò: Si promisi alicui factum alienum, ad quid obliger?

Respondeo: Triplici modo id esse potest. Primò, sic absolutè: *Promitto tibi Titio, quod Caius ibit Romam, v.g. ad tua negotia peragenda.* Secundò sic: *Promitto tibi, me curaturum, ut Caius Romam eat.* Tertiò sic: *Promitto, Caium Romam iturum, quod si non eat, ego si jubeo pro ipso.*

12. Profectò in secundo casu, me obligari ad curandam Caii profectionem, non est dubium. In tertio item casu, me teneri ad id, quod fidejussi, nec esse dubium potest. Dubium igitur in primo casu versatur. In quo non apparet, an promissum fuerit ipsum factum alienum, an verò procuratio, ut illud ab alio ponatur.

13. Equidem ex dictis *lib. 3. in Decal. c. 3. §. 3. num. 2.* hanc regulam efformare possum: Quoties promittit quis alienum factum, interpretandum est, promissionem fuisse ad præstanda (quantum quis potest) ea, quæ ad executionem conducunt, hoc est, ad curandum verè, & diligenter, ut fiat ab alio id, quod quis promisit. Ratio regulæ est, quia, qui factum ab aliena voluntate dependens promittit, nisi amens sit, id censetur promittere, quod à se dependet, id est, curaturum, ut alter factum illud exequatur, Excipe, nisi expressè, omnisi factum alienum promiserit cum positiva exclusione suæ procurationis; tunc enim is, ex una parte, amentiæ notam incurret, at ex alia, ad nihil tenebitur, quia illius promissio alterum arctare ad nihil potest.

14. Quid, si sit dubium, an id expresserit?

Respondeo, tunc sanè ad prædictam obligationem obligabitur, quia non possumus hunc liberare, quasi melior sit conditio suæ libertatis, nam eam vincit voluntaria promissio, quæ cum sit de facto alieno, semper imbibit, ut dictum est, obligationem procurandi, & quidem si adest juramentum, sub mortali ex se. Si verò sit sine juramento, & sit mera promissio gratuita, sub ea culpa, quam mox dicemus. Atque hæc in foro conscientiæ: in foro autem externo, aliud est dicendum in Iure Civili, aliud in Canonico: Iudex enim Ecclesiasticus, sive in materia Canonica, ut notant passim Doctores, sive (ut ego putaverim propter paritatem rationis) in quacunque materia, cujus judicium pertineat ad Iudicem Ecclesiasticum, Iudex, inquam, Ecclesiasticus condemnabit eum, qui absolutè promittit factum alienum, ad prædictam procurationem, quia ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet omnem culpam, quantum potest, impedire; culpa autem est, non servare id, quod implicitè involvit promissio.

15. At verò Iudex Civilis ad nihil condemnabit, eum

qui absolutè factum alienum promittit, quia Iudex Sæcularis fortassè præsumit, illum sic voluisse locari, vel quid simile. Excipe tamen septem casus, in quibus Iudex idem, quamvis non Ecclesiasticus, promittentem de facto alieno condemnat.

I. Quando quis promittit aliquid, quod à suo hærede faciendum sit.

II. Quando quis promittit aliquid in Iudicio, ut quod alius ad Iudicium se sistet.

III. Quando promittit quis rem pupilli in locumem ab alio esse servandam.

IV. Quando promittit quis, aliquid præstandum à suo servo, vel filio, quos cogere potest.

V. Quando promittit quis Matrimonium alienum.

VI. Quando quis factum alienum promittens, promissionem iuramento confirmat.

VII. Quando quis alienum factum ita promittit, ut adiiciat pœnam aliquam se subiturum, se, v. g. centum aureos soluturum, si illud non fiet.

Et quidem in primis tribus casibus ex dictis Iudex dictus Civilis condemnabit sic promittentes ad interesse promissario fortè secutum. In aliis tribus saltem ad procurandum, ut factum fiat. In septimo ad solvendam ipsam pœnam. Hæc exactius tractata vide apud Sanchez *lib.1. matrim. d.24.* Molinam *d.208.* Delugo *d.23. de Iust. à num.115.* aliósque.

16. Sed quid, si in hoc septimo eventu promittens diligenter curavit, ut ille alter promissum servaret; adhúcne obligabitur ad prædictam pœnam?

Respondeo, probabilius non esse, obligari, idque in utroque foro, quia, qui promittit sub aliqua pœna, implicitè intelligit, si culpam ea pœna dignam committat. Neque enim promittitur solvi pœna, nisi iuxta eius naturam, quæ semper culpam debet supponere. Ita Sanch. *l.c.d.15.num.3.* cum multis.

*Promissio de re aliena.*

17. Inquires quæsò: Quandoquidem diximus de promissione alieni facti, quid sentiendum de promissione alienæ rei? Si v. g. promitto tibi librum, qui non est meus, ad quid teneor, cùm rescivero librum non esse meum?

Respondeo, esse distinguendum: Si promisisti liberaliter hunc numero librum alienum, hunc numero equum, &c. te ad nihil condemno, cùm rescieveris tuum non esse, quia in donationibus liberalibus nemo præsumitur, se obligare ad alterum tantùm, quod Iuristæ dicunt ad evictionem. At, si eadem liberalitate promisisti librum in genere, equum in genere, &c, certè obligaberis sub ea culpa, quam dicemus *infrà*, afferri à promissione liberali, quia eo modo promittendi, rem, quam habere poteras, atque adeo de tuis bonis promisisti. Ita Molina *disp.252. num.6.*

18. Quid, si promitto librum, quem scio, non esse meum?

Respondeo, Nimis est manifestum, nullam esse promissionem tuam, quia de aliena re disponere non vales. Te tamen non effugere notam deceptoris, atque, si sic sis causa alicuius damni, te illud resarcire necessariò debere, nimis etiam manifestum est.

## CAPVT VI.

### De illo Verbo:

*Ab aliquo (& illo) Alteri.*

1. HÆc verba exposcerent, ut hìc enumerarentur ij, quibus promitti, & ij, qui promittere possunt, qui sanè sunt iidem, qui possunt donare, iidémque, quibus donari potest. Verùm de his satis à nobis actum est in aliis locis, quæ notabo cùm *de donatione, capite ultimo.*

2. Difficultas autem illa, quam nonnulli hìc tangunt: An quid promitti possit Hæreticis, Excommunicatis, fidelibus non baptizatis, videatur apud Turrian. *d.47. dub.2.* & Delugo *disp.23. de Iust. n.127.*

3. Rursus, an Promissio facta Hæretico, cui profitenti suam sectam habitet inter Fideles, valida sit, & an licitè videtur apud eundem Delugo, id, quod universìm agitat Verricelli *de Missim. tit.14. Miscell.194.* sub ea quæstione, an possit promitti Religionis libertas.

## CAPVT VII.

### De illis verbis:

*Data alteri, ab eóque acceptata.*

1. PRomissionem liberalem esse datam alteri, significat, ut initio innui, promittentem fidem dare promissario, ut ipse promissarius rem ab ipso promittente expectet: Quare, qui sic promittit, profitetur se suscepisse aliquam tandem obligationem rem promissam exequendi. De hac ergo obligatione ecquantènus sit in præsentia discurrendum erit. Et quidem agamus primùm, quando fides data est, sed nondum acceptata, postea verò, quando & data fuit, & acceptata.

§. I. *Promissio data, sed non acceptata, quam obligationem pariat, quoad obligationem ex Iustitia.*

1. QVamvis Promittens det fidem alteri aliquid præstandi, idque illi per signa externa manifestet, modo *superius* explicato, unde ex parte sua promittens ponat totum illud, quod requiritur ad veram promissionem, seu fidei datione; tamen nullus sit, qui non legitimè acceptet, multò magis, si sit aliquis, qui legitimè respuat (qui sint hi, *mox* §.3. explicabimus) nullam contrahit obligationem ex Iustitia, exequendi, quod promisit.

2. Siste hìc tantisper; Ne enim confundas promissionem factam homini, de qua loquimur, cum promissione facta Deo; Nam hæc semper valet, & quidem concurrente cum Voto, quia Deus semper est præsens, & supponitur acceptare. Verùm; an omnis promissio facta in causa pia, v. g. promissio aliquid donandi tali Ecclesiæ, vel Hospitali, pauperi tali, &c. ante acceptationem horum valeat, quasi semper acceptetur à Deo, variæ sunt sententiæ. Mol. & Laym, quos sequitur, citatque Diana *p.8. tr.1. resol.106.* affirmant, opus enim bonum semper à Deo acceptari credendum est. Negant Baunius, Lessius, & Sanchez apud eundem Dianam, quia ex una parte eiusmodi promissio non semper est votum, ut certum est; Si enim promitto dare pauperi eleemosynam, non statim voveo illum dare, quia non dirigo promissionem ad Deum, & ex altera parte natura promissionis est respectiva ad alium, quare ex consensu etiam alterius debet suam vim accipere. Gratè utraque sententia probabilis est.

3. Iam verò, ut redeamus ad nostra: Hæc doctrina, quòd semper sit necessaria acceptatio ad parienda obligationem ex iustitia, adeo certa est, ut Doctores illam supponentes solùm quærant, an de iure positivo tantùm, an etiam de iure naturæ requiratur hæc acceptatio ad hanc obligationem inducendam. In qua quæstione illi priùs tenet Molina *d.263. num.12.* & Covarruvias apud Sanch. *lib.1. matrim. d.6. num.10.* hoc posterius tenet verò communis opinio, quam sequitur Sanchez *loc. citat.* Less. adductus à Delugo mox citando, Bonac. *d.3. de contract. quæst.12. p.2. n.4* Delugo *d.23. de Iust. n.30.* aliique. Et ratio melior esse debet quia, ad inducendam obligationem iustitiæ, debet promittens transferre ius iustitiæ in promissarium, per quod is habeat potestatem exi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gendi promissum: at hoc Ius transferri in alterum non potest; nisi hic alter illud velit recipere, atque adeo, nisi acceptet. Ni ita diceremus, sequeretur, quòd si Rex mihi donaret Regnum, & ego illud acceptare nollem, invitus essem Regni Dominus.

4. Confirmatur item à posteriori, quia si promissarius, vel donatarius acquireret rem ante suam acceptationem, v.g. servum, sequeretur, eum sine sua voluntate, & omnino coactum, debere habere curam dicti servi, v.g. si ægrotaret, vel ne delinquat, ut pote iam in ipsius dominio constituti. Et rursus sequeretur promittentem, donantémve: posse exercere superioritatem in promissarium, & donatarium, dum illum posset cogere ad habendum, quod ipsi nolint, ut ad curam prædicti servi ægrotantis suscipiendam, &c.

5. Neque dicas, ut acquiratur Ius ad legatum, non requiritur acceptatio, immò, neque notitia legatarij de eo, sed statim, secuta morte Testatoris, res legata ad legatarium pertinet, ergo eodem modo, ut acquiratur Ius ad rem promissam. Ne id dicas, inquam, nam etiam in Legatario, vel eius successore requiritur acceptatio, sed Lex propter bonum publicum disposuit, hac acceptatione posita, acquisitionem Legati retrotrahi ad tempus mortis Testatoris, hoc est, res legata censetur acceptata & acquisita usque à tempore dictæ mortis, ut dicitur *in tr. de Testamentis.*

6. Ex dictis fit, ut promittens possit sine iniustitia promissionem, immò, & donationem revocare, si nondum promissarius, seu donatarius, sive per se, sive per alium legitimè acceptaverit; nam donec ij acceptent, non acquirunt Ius in rem, sive promissam, sive donatam. Ergo ille promittens, revocando, alterius Ius non lædit.

### §. II. *An eadem promissio nondum acceptata obliget ex Fidelitate.*

1. DIctum est autem (nullam obligationem contrahit ex Iustitia) nam, an contrahat aliquam ex virtute Fideliatis, controversia est apud Doctores. Vasq. *d.4. de matr. cap. 4. n.43.* & Turrian. *d. 64. dub. 3. num. 3.* nullam contrahere putant, contrahere aliquam putat Delugo *d.23. de Iust. num. 41.* Huic assentior, cum distinctione tamen; nam; si Promissarius nihil prorsus audivit de tua liberali promissione ipsi facta, nullum contrahes obligationem, & in hac parte convenio cum Vasquez, & Turriano, at si promissarius scivit tuam promissionem, licet adhuc non acceptaverit, tu contrahes obligationem; quam tamen fateor esse levem ex se, ut fatetur idem *ibid.* Delugo) Ratio est, quia, ut *suprà* vidimus, promittens tenetur ex virtute fidelitatis conformare suum dictum factis.

Quoniam ergo, quando nondum promissarius tuam promissionem scivit, tu nihil ipsi dixisse adhuc censeris ideò tunc hanc quidem levem obligationem conformandi dictum factis, in favorem ipsius, seu ratione ipsius suscepisti. At quando is scivit, licèt nondum acceptaverit, iam illi promissionem enuntiasti, quare, & obligationem conformandi tuum dictum factis contraxisti: Quod promissarius deinde nolit acceptare, ex alio capite ab omni obligatione liber eris, nempe, quia obligationem omnem tibi sic ipse remittit.

2. Nota autem, hanc obligationem, quia illa satis est levis, ut dixi, & non ab omnibus admittitur, vix in hoc Tractatu considerari solere; supponere enim semper solemus, nullam obligationem, neque ex Iustitia, ut omnes fatemur, neque ex fidelitate, utpotè satis levem, oriri ex promissione non acceptata.

3. Quid, si promissionem prædictam ante acceptationem iuraveris?

Respondeo: Post notitiam, licet ante acceptationem promissarij, multò magis post acceptationem, obligaberis ex vi iuramenti, atque adeo ex virtute Religionis, seu ex virtute fidelitatis, ut coniuncta cum virtute Religionis, obligaberis enim iuratam rem alteri intimatam exequi quia obligaberis dicta cum iuramento comprobare factis; nisi fortè promissarius nolit acceptare, tunc enim satis abundè remittit, vel, nisi promissio sit de re mala, de qua *infrà.*

4. At ante omnem notitiam promissarij ad nihil obligaris, quamvis iuraveris. Hoc enim iuramentum non est factum Deo, quasi aliquid ipsi promiseris: ergo nihil illi debes, nec est factum homini, neque enim iuramentum fit homini, nisi ipsi fides detur, seu, nisi ipsi dicatur id, circa quod datur fides. Cùm ergo ante notitiam promissarij nihil illi dictum sit, nihil illi iuratum fuit, atque adeo nihil illi debitum.

5. Confirmatur, quia promissio, & donatio, nondum tradita re, facta homini, sive absenti, sive præsenti, semper imbibit conditionem, si alter acceptet. Si ergo quis nec scivit, nec acceptavit promissionem, clarè consequitur illam non posse ullam habere vim, & consequenter nec iuramentum illi adhærens; quia etiam iuramentum intelligitur, si ponatur illa conditio.

6. Dixi (facta homini) si enim Deo fieret promissio ob pietatem operis, quæ promittitur, sane erit votum iuratum, & observandum, quia Deus huiusmodi promissiones pias ipsi directas semper supponitur acceptare; ut dixi *n.1.* Ita Delugo *d.23. de Iust. n.86.*

### §. III. *An sint casus, in quibus promissio liberalis obliget sine acceptatione?*

1. PLures docent esse aliquos casus, in quibus promissio nondum acceptata obliget. Vnde revocari nullo modo possit. Sed revera in his casibus, ideo revocatio locum habere non potest, quia licèt primo aspectu non appareat, adest tamen dicta acceptatio, Discurramus per quatuor casus, qui hic agitari solent.

2. Primus casus est, quando promissio ita est facta ad causas pias, ut ea fuerit directa non ad ipsum locum, personamve piam, sed ad Deum, sic, v. g. *Promitto Deo dare pauperi aureos decem:* Hanc enim promissionem revocari non posse, etiamsi ille pauper non acceptaverit, fatemur omnes; Verùm, id meritò fatemur, nam asserimus, hîc adesse acceptationem; hæc enim est promissio directè facta Deo, atque adeo est ipsissimum Votum quod Deus acceptat, unde, & inducens Voti obligationem, quæ revocari non possit. Ita Sanch. *l.1. matr. d. 6. à n.16.* alique.

3. Secundus casus, quando promissio facta est Civitati, & quidem ex quinque causis. Primò, quando facta est ad reparandam ruinam dictæ Civitatis, ortam, v. g. ex incendio. Secundò, quando facta est ob gratitudinem, quia scilicet aliquid illi promisisti ob honorem ab illa tibi collatum. Tertiò, quando facta est ob aliquod opus, v.g. ob ædificium, quod iam cœptum sit fieri. Quartò, quando facta est promissio de aliqua re Civitati, & illam dedisti Municipibus. In his casibus leges allatæ à Molina *d.263.* iubent, non posse revocari, quod promissum, vel quod datem est; quamvis præscindatur ab acceptatione. Verùm, legatur Delugo, *d.23. de Iust. à num.45.* qui respondet, vel in his omnibus supponi positivam acceptationem factam à præsentibus, qui promissionem audierunt, quique per has leges, quasi Procuratores facti sunt Reipublicæ, vel eas leges iubere promissionem obligare ante acceptationem, sed postea.

4. Tertius casus est, quando aliquid promittitur, vel datur infanti: nam tunc promissio, vel donatio est irrevocabilis ex iure, *L. Iubemus, C. de emancipatione.* Sed certè lex solùm loquitur de emancipatione, non verò de aliis rebus. Quod autem emancipatio data, vel promissa infanti (quamvis eo non acceptante) sit valida, non officit datæ doctrinæ, utmox videbis clariùs *§ seq. n.5.*

5. Quartus casus est, quando promissio facta eidem infanti absenti, directa est alicui præsenti, qui loco absentiæ

sentiæ acceptet, ut,si sic quis promittat : Promitto tibi præsenti dare centum Francisco Infanti. In hoc enim casu revocari non posse promissionem, docetur communiter,etiamsi, non Franciscus Infans, sed tu solus acceptaveris.Verùm, hîc adesse acceptationem factam à tertio, ideſt, à te,iam supponis,à te, inquam, quasi constituto legitimo Procuratore in re utili Infantis. Quid autem requiratur universaliter ad legitimè constituendum aliquem, ut is possit pro alio acceptare, dicetur mox § 4.

### §. IV. *An ad remissionem debiti, & ad cessionem Iuris necessaria sit Acceptatio?*

1. PEr hanc occasionem,Inquires, An ad remissionem debiti requiratur etiam acceptatio eius, cui debitum remittitur;v.g. Si ego tibi meo debitori in aureis centum, eos remittam,sive animo dumtaxat,sive verbis, sed te nondum acceptante, possúmne revocare dictam remissionem, & exigere à te debitum?

2. Respondeo, requiri acceptationem, unde in exemplo allato, te posse revocare, & consequenter exigere debitum.Ratio est. quia remissio debiti donatio est, nam propterea vocari solet condonatio,& per illam transferri debet Ius,quod habet creditor in ipsum debitorem,id, quod sine acceptatione non fit,ut ex dictis Delugo *d.* 23. *de Iust.n.* 54. patet.

3. Illud tamen diligentissimè est advertendum, non idem esse in cessione, seu renunciatione iuris, quæ fit, quãdo quis habens Ius contra rem,quam alius iustè possidet, illi iuri cedit. Exemplo res evadet manifestæ:Sim ego, v.g. ex Testamento Titij substitutus in hæreditate, quam Caio reliquit dictus Tutius, Caius autem nolit adire dictam hæreditatem seu velit cedere suo iuri, dico, etiamsi ego nihil sciverim de hac cessione, illamque non acceptaverim, me Dominum fieri hæreditatis, modo explicato *in tract. de testamentis*, nec illam cessionem amplius revocari posse à Caio.Ratio est, quia ego substitutus iam fui à Tertio adhuc ad habendam hæreditatem, solùm impediebar impedimento ex eo, quòd prius fuit ad hæreditatem vocatus Caius. Remoto igitur impedimento, iam ego ex vi substitutionis hæreditatem legitimè acquiram. Subsumes:Sed ut amoveatur impedimentum neque notitia mea, nec acceptatio requiritur sed solùm voluntas illius, apud quem potestas erat tollendi, vel ponendi impedimentum;ergo, &c.

4. Atque ex hac doctrina, si rectè memineris, colligere *Lib.7.in Decal.cap.* 3.§.3.*num.*7. potui coniugem remittentem alteri coniugi culpam adulterij, non posse eam remissionem amplius revocare, quamvis alter eam nesciverit,& non acceptaverit, quia illa est mera cessio? seu renuntiatio Iuris, non verò remissio debiti. Locum recole.

5. Ex eadem doctrina colligo in præsenti, cur emancipationem infantis fieri sine ipsius infantis consensu, seu acceptatione,disponitur à iure, *L.iubemus, C.de emancipatione.* Ratio est,quia ut notat Turrianus, *d.* 64.*dub.* 5. *n.* 10.in emancipatione pater nihil dat de suo sed solùm cedit patriæ potestati, quam de Iure solo positivo Pater habebat. Ea ergo potestate de licentia eiusdem Iuris legitimè dimissi,filius statim revertitur ad suam naturalem libertatem.

### §. V. *Promissio acceptata quam obligationem in conscientia pariat.*

1. QVid requiratur ad legitimam acceptationem, mox, ut dixi, diligenter explicabimus, nunc enim ea supposita, quærimus, an promissiones liberales ( & idem est de Donatione gratuita in futurum ante traditionem ; tunc enim ea Donatio non est, nisi promissio tradendi )an, inquam, eæ obligationem pariant in promittente, ita ut resilire à promisso non possit promittens ? Liberalis, & gravitta ( dixi ) nam in contractibus,& quibuscunque pactis onerosis tantionem parere obligationem iustitiæ, certum est, nec quæstione dignum. Abstrahimus autem à damno quod ex promissione non servata fortè consequeretur, quale esset, quando tu,v.g.ex eo, quod ego tibi promi mutuare frumentum, & deinde non mutuavi, debu cariùs emere, quàm valebat tempore promissionis, enim quantitatem damni resarcire debeo : damn inquam, intrinseci ipsi promissioni, ideſt, quod passus es, præter id, quod ipsam rem promissam habuisti.

2. Iam verò, tametsi plures negent, ut Caiet Armil. Sotus,Pet.Ledesma,aliique apud Sanch. & Dianam citandos.Plures autem,ut Sanch,*lib.*1.*matrim d.*4.*dub.* apud ipsum,& apud Dian.*p.*4.*tr.*4.*resol.*122.affirmen beralem promissionem parere obligationem gravem re moraliter gravi, assero tamen, id dependere ab tentione promittentis, quæ, hac in re, quadruplex poteſt.

3. Si enim primò, is, qui promisit, voluit se obligare ex virtute Iustitiæ,obligabitur graviter in re gra & consequenter promissionem revocare non potest. le enim se obligare ex virtute Iustitiæ,est,velle trãsfer in promissarium Jus aliquod, ( quod tunc non esset dem in re, sed ad rem promissam)& velle se constitu illi debitorẽ illius rei,perinde est ac si ab illo aliquid confirendum ipsi hoc ius accepisset ; quod enim pretio facere potest, potest ex mera liberalitate facere cùm quilibet de se disponere liberè possit.

4. Si Secundò, is qui promisit, se voluit obligare virtute Fidelitatis dumtaxat, obligabitur dumtaxat malinet. Velle enim se obligari ex Fidelitate, velle te solùm dare promissario rationabilem (quod leve quoddam Jus vocari potest )per quam ea te expectet prudenter rem promissam, quæ spes fru tur non solum in ea obligatione, quam habet quilc confirmandi sine dicta cum facta,sed etiam cum fa te, ut in superioribus explicatum est.

5. Si tertiò, is, qui non graviter promisit, voluit obligare graviter, licet non explicet, seu non cogi ex qua virtute, nunc obligabitur saltẽ graviter ex virtute Iustitiæ. Ratio est, quia obligatio gra hanc ne oriri non potest,nisi ex eo quod promissus transferre Jus ad rem in promissarium,dicam in alio meri tertij. Ita Delugo mox citandus.

6. Si denique quartò, is qui liberaliter, etiam gravem, promisit, non deceruit, ex qua virtute, nec gravavit, & aliquando, nec scivit,gravem,vel levem obligationem, obligabitur solùm venialiter, ut vult Sa *d.*262. Oñate *t.*2.*de contr. tr.* 9.*d.*23.*sq.*7.*n.*93. Delug *d.*23.*de Iust. d.n.*91.ex virtute Fidelitatis.Ratio est,qua *n.* 10. afferam.

7. Primum,ex his quatuor dictis patet,quia posita translatione Iuris,graviter lædereretur in suo iure promissarius,si promissum non servaretur.

9. Secundum idem patet, quia deludere spem illam nonnisi leve est.

0. Tertium patet etiam, quia tunc iam res mo citur ad primum actum, in quo violari diximus Iusti tiam.

10. Quartum denique, quod valde frequens, & quotidianum esse solet, inde probatur, quia, quãdo homines quid promittunt liberaliter, abstrahendo, vel non advertendo ad mensuram obligationis non solent, nec censentur ( quando aliud non addunt)se obligare, nisi ad id, quod requirit natura liberalis promissionis:at hæc non requirit, nisi obligationem levem.

11. Confirmatur, quia, nec ipse promissarius in hoc quarto modo promissionis aliquid amplius expectat, & imprudens ipse in coniuctu humano iudicaretur, si eum eodem rigore expectaret id, quod ipsi modo dicto promittitur, cum quo solet expectari id,quod debetur ex iustitia.

12.Confirma

12. Confirmatur iterum, quia promittens hoc quarto, modo, omnibus expensis est dubius, an graviter obligetur, an leviter. ergo sicuti in lege, quando dubium est, an illa obliget graviter, an leviter, possum ex Castro Palao *tom. 1. tract. 3. de leg. d. 1. p. 9. num. 1.* eligere, quod minus est, putà obligationem levem, ita hîc; ubi adest quasi Lex privata, quam sibi indicit promissor.

13. Dictum autem est in hoc quarto dicto (quando aliud non addunt) Nam si quis addat, v.g. Iuramentum, vel Scripturam publicam, vel aliquod verbum significans rigorosam obligationem, ut si dicas: Obligo me, quantum possum, ad hoc, vel illud faciendum, seu donandum, seu vendendum, &c. quæ verba non sint dicta urbanitatis gratia, si, inquam, aliquod ex his addas, signum est, te voluisse ex Iustitia obligare, juxta dicta in primo, vel tertio modo.

14. Hinc ergo rectè Sa, v. Promissio, num. 1. *Vix*, ait, *quis promittentium obligari intendit, nisi juret, aut faciat Instrumentum.*

15. Hinc Molina *disp. 262. num. 8.* ait, in ejusmodi gratuitis promissionibus homines, ut plurimùm, nisi aliud exprimant, velle solùm ex fidelitate se obligare.

16. Hinc Lessius, *l. c. c. 13. dub. 8. num. 58.* quamvis nobis aliàs contrarius, fatetur multorum promissiones qui leviter solent multa promittere, hoc modo esse intelligendas.

17. Hinc Sanchez *lib. 1. matrim. d. 5. num. 21.* aliàs nobis etiam contrarius, admonet, plurimas promissiones excusari à mortali, quia non intendunt homines se obligare præcisè, sed ex quadam benevola honestate.

18. Porrò indicia, quibus discerni potest, non affuisse animum se obligandi primo, vel tertio modo ex dictis, id est, sub mortali, sunt duo. Primum, si requisitus, ut promissionem juramento firmet, id recuset, non ob juramenti solam reverentiam, (quod certè non est passim etiam cum veritate adhibendum) sed ne astringatur ad promissum servandum. Secundum, si, quando promisisti, rogatus fuisses, an velles te obligare ad mortale, respondisses, te nolle. Lege Oñate, *loc. citat. sect. 8.* qui latiùs hæc signa, unde dignoscatur ejusmodi intentio, percurrit.

### *Promissio dubia.*

19. Quid si, omnibus expensis, sit dubium, an verba indifferentia ad significandam obligationem, vel solam urbanitatem, fuerint à te in promittendo dicta cum animo te obligandi, judicandúmne erit, adesse obligationem?

Respondeo, non esse judicandum. Ratio est, quia in liberalibus Donationibus non censetur quis, se obligare per verba, quæ in alterutram partem sumi possunt, suntque indifferentia ad significandam, vel obligationem, vel urbanitatem, tunc enim ea verba non arguunt animum se obligandi. Ita Delugo, *d. 22. de Iust. num. 65.* & Oñate, *loc. cit.*

20. Quòd si hac occasione quæras: Quid, si verba non sint indifferentia, sed explicent obligationem rigorosam, ut, si dicam: *Promitto tibi hanc rem, & me ex nunc obligo, quantum possum, ad hoc tibi donandum*, sed verè sum negativè dubius, an id ex animo me obligandi, an solùm ex urbanitate sic promiserim?

21. Respondeo: Communis opinio, quam idem Delugo *ibidem à num. 61.* sequitur cum Sanchez *lib. 1. matrim. disp. 5. num. 20.* & Castropal. *tom. 1. tract. 1. disp. 3. p. 10. num. 4.* docet, in utroque foro esse obligationem rigorosam. Nos autem idem docuimus *lib. 1. in Decalog. c. 3. §. 7. v. Votum, num. 6.* sed addidimus, quoad forum conscientiæ aliquid benignius dici posse, idque non esse improbabile. Locum relege. Quæ tamen benignitas, an excipi possit in promissione, quæ imbibitur in solemni professione, & consequenter in Matrimonio aliis expendendum dedimus, *ibid. v. Professio Religiosa.*

### *Notabilis quantitas in Promissione liberali quo modo mensuranda?*

22. Duo supersunt explicanda. Alterum: Diximus *num. 8. & 9.* promittentem, si se velit obligare graviter, peccare mortaliter, quando res promissa est gravis, & ipse non observat. I m scire quis cupiet, ecquænam sit gravis ejusmodi res? In promissione prædicta liberali, v.g. pecuniæ, peccat one mortaliter, eam promissionem in illa quantitate non servando, in qua peccarem, si illam furarer?

23. Respondeo cum Sanchez *lib. 1. matrim. disput. 5. num. 24.* & Delugo *d. 23. de Iustit. num. 119.* requiri quantitatem quadruplo majorem, quàm requiratur in furto: Si, v.g. teneas, furtum quatuor Iuliorum esse mortale, sanè, ut sit peccatum mortale, non servare promissionem, qua te graviter voluisti obligare, requiritur, ut non serves promissionem donandi sexdecim Iulios. Ratio potissima est, quia minùs offendit, qui rem suam non dat, licèt promissam, quàm qui alienam furto rapit. Et certè qui liberaliter promittit, non debet tam rigorosè urgeri, ut à sua munificentia neque urgeatur, ac à delicto furti.

Lege *nostrum Opusculum de Sacrificio Missæ, lib. 3. c. 1. §. 9.* ubi resolvo, an non solvens promissum de celebranda una, vel altera Missâ, graviter peccet.

### *Quid addit Iuramentum supra promissionem acceptatam?*

24. Alterum: Diximus *num. 13.* Iuramentum esse signum, quod quis se ex Iustitia, atque adeo graviter, obligaverit, si illud apposuit liberali promissioni: Hinc quærimus, an præscindendo à ratione signi talis animi, se obligare volentis, juramentum ipsum ex se hoc faciat, id est, an Iuramentum additum promissioni liberali, & non obligatoriæ graviter, eo ipso obligationem inducat sub mortali: & vinculum Iustitiæ superaddat. Vinculum Iustitiæ, dico, nam quod inducat obligationem sub mortali propter vinculum Religionis, quod à juramento superaddatur, certum est ex dictis *lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 3.* quia juramentum semper est in honorem Dei servandum. Solùm ergo hic quærimus, an superaddat vinculum Iustitiæ?

25. Respondeo, id etiam ex *ibidem* dictis decisum remanere. Probabile enim ibi reputavimus, nullum justitiæ vinculum addi per juramentum. Sed solum vinculum Religionis. Quare vera esse existimamus, quæ Caramuël, *lib. 2. Theol. Moral. n. 158.* & latiùs *n. 606. Promissio acceptata* (inquit) *in re gravi, quæ aliter non obligaret, si roboretur juramento, obligat sub mortali, sed solum ex vi juramenti* (hoc est, ex virtute Religionis.) *Unde primò, poterit remitti à promissario. Secundo, si is, qui juravit, obtineat, inconsulto, aut contradicente illo, cui promissio facta fuit, ad nihil obligabitur, & non peccabit, quia tota obligatio nascebatur ex Iuramento, (hoc est, ex Religione) quod jam tollitur à Vicario Christi, hoc est, ab habente potestatem dispensandi.* Hæc ille.

26. Rectè autem dixit, *obtineat legitimam juramenti dispensationem*, ut innueret debere intervenire causam dispensandi, nam ad legitimam quamcunque dispensationem obtinendam, debere adesse causam proportionatam, est communis doctrina. Quæ autem, & qualis, sufficiat, nos explicuimus, cùm de juramenti relaxatione tractavimus *lib. 3. in Decal. §. 3. n. 14.*

§. VI. *Quidnam requiratur ad legitimam acceptationem ?*

## PERSONA LEGITIMA.

1. REquiritur primò, ut Persona, quæ Promissionem (immò, & quamcunque Donationem) acceptat, sit legitima, id est, vel ipse Promissarius, vel alius ejus vices legitimè gerens : quis autem hic sit, dicam mox seperatim.

*Acceptatio sive externa, sive solùm interna.*

2. Requiritur secundò, ut ipsa acceptatio sit quidem, sed non necessariò sensibilis, & externa: ad formandam enim promissionem sufficit, quòd sit interna dumtaxat. Si enim mihi absenti scribas, equum mihi commodatum à te, mihi eidem te donare : & ego sine ullo actu externo, animo interno illum acceptem, acceptabo sufficienter. Idem ergo erit, si scribas mihi, aliquid te mihi promittere, & ego illud internè acceptem. Dixi (ad firmandam promissionem) nam ad hoc, ut promittens, vel donans cognoscat promissionem suam jam esse firmam, noscere sanè debebit acceptationem promissarii, vel donatarii, quod absque acceptatione externa esse, sine Dei revelatione, non potest.

3. Dices : Cur ipsa promissio, vel donatio debet esse sensibilis, immò ipsi promissario intimata, & cognita, ut *suprà* vidimus, acceptatio autem promissarii nequaquam ?

Respondeo : Quia per promissionem, vel donationem debet Dominus transferre Ius rei in promissarium, vel donatarium, quod sine ejusdem Domini expressione fieri nequit ; nequit enim alter, nisi cognoscat hanc voluntatem Domini, consentire ad acquirendum ejusmodi Ius. At promittens, vel donans nullum Ius acquirere debet, quare non est necesse, ut alterius acceptationem sciat.

4. Dices secundò : Cur in aliis contractibus, vel donationibus onerosis ad eorum irrevocabilitatem, & validitatem regulariter requiratur, ut acceptatio sciatur à donatore, vel ab alio contrahente, non autem in casu nostro ?

Respondeo, quia in aliis debet oriri obligatio in utroque contrahentium, & uterque debet acquirere Ius alterius, & transferre Ius suum alteri ; Si enim ego vendo tibi equum, non solùm debeo transferre Ius equi in te, sed etiam debeo acquirere Ius ad pretium, quod mihi tradis, vel promittis, quæ absque eo, quod cognoscam tuum assensum, acquirere non possum : at in casu nostro promittens nihil acquirere debet, ut dictum est. Dixi (*regulariter in aliis contractibus onerosis*) nam esse aliquos casus, in quibus, neque in his, talis cognitio sit necessaria, indicat Delugo, *disp.22.de Iust. à num.* 33.

*Acceptatio absoluta.*

5. Requiritur tertiò, ut promissarius acceptet absolutè, non conditionatè : si enim conditionata esset acceptatio, deberet omnino expectari positio conditionis, ut ex se patet.

6. Hic incidit ea quæstio, quæ à Mol. *d.* 264.*n.* 5. nimis indistinctè proponitur, unde nec distinctè solvitur, An scilicet sufficiat ad legitimam acceptationem, si promissarius hoc modo accepter promissionem, quam illi præsenti facis hujus libri, v.g. *Accepto, si tu vis, vel, si tibi placet.*

7. Respondeo, sufficere, quia, si ego promitto, vel dono aliquid tibi præsenti, jam volo, & mihi placet, ut acceptes, ergo jam purificata est ejusmodi conditio. Dixi (tibi præsenti) nam, si tu esses absens, & per Epistolam, v.g. aliquid tibi ego promitterem ; non sufficeret acceptatio hoc modo facta, quia potuit occurrere, ut ego promittens animum mutaverim, & jam non amplius velit tua acceptatio, quia jam nolo amplius tibi donare, atque adeo, nec tu validè possis acceptare.

8. Quid, si quis ita acceptet ? *Accepto tuam promissionem, si tu illam servare velis*, seu, *Remitto me tuæ voluntati, si velis promissis stare ?*

Respondeo, non sufficere, seu (meliùs) dico, te sic nihil agere ; sic enim acceptando, relinquis promittentem suæ obligationi servandi promissum, ergo promissionem nullam acquiris.

*Auditio Promissionis.*

9. Requiritur quartò, ut qui acceptat, audierit promissionem, vel donationem sibi fuisse factam, audierit inquam, vel ab ipso Domino, sive coram, sive per Epistolam legitimè subscriptam, vel ab internuntio item legitimo, id est, per ipsum Dominum designato : non ergo sufficit, si audierit à quocunque alio tertio, qui fuit promissionis factæ conscius fuit, & promissario eam nuntiavit. Ita Sanch. *l.1.matrim.d.6.num.*3. Molin. *d.* 264. *num.* 3 Bart. Vnus, Clarus, aliique Iurisp. ab ipsis cit. Ratio est, quia solus Dominus, vel ejus legitimè vices gerens potest transferre in te Ius ad rem suam, quod requiritur in valida promissione, vel donatione, non vero quilibet tertius sine legitima commissione ipsi data. Ergo donec Dominus per se, vel per alium hanc translationem notam legitimè faciat, animum verum transferendi non habuisse, judicabitur.

10. Delugo *d.* 23.*de Iust. num.*72. putat, sententiam contrariam (quam sequitur Gregorius Lopez affirens pro se Baldum) quod nimirum sufficiat dictum illius tertii non missi à Domino, esse aliquo modo veram, id est, quando promittens loqueretur coram multis eo animo, ut sic sua promissio perveniret ad promissarium, instar Testatoris, quando loquitur coram Notario, & Testibus, ut cognitio suæ ultimæ dispositionis perveniat ad hæredem viventem, immò etiam ad Successores, qui nondum nati sunt : & instar Dei, qui Mysteria Fidei revelavit Prophetis, ut ad posteros eorum cognitio pariter perveniret.

11. Equidem approbo substantiam hujus doctrinæ, sed assentiri non possum, id esse ex contraria sententia. Manifestè enim est ipsissimum, quod nos docemus, nam illi multi præsentes, qui supponuntur cognoscere promittentem loqui cum animo, ut promissio ad promissarium perveniat, quales etiam sunt Notarius, Testes, & Prophetæ, designantur, & destinantur ad ferendam illam notitiam ; ergo non sunt tertii non missi.

*Acceptatio promissionis vera.*

12. Requiritur quartò, ut acceptatio sit circa veram promissionem, non autem fictam. Immò, si tu promittis tertiò, id est, vero animo promittendi, sed ego putans te fingere, vel jocari, nihilominus acceptem, non erit, ut habet Sanch. *d.6.num.*13. sufficiens acceptatio, quia non est acceptatio veræ promissionis. Ratio est, quia ego acceptare non possum, nisi id, quod cognosco ; cùm ergo non cognoscam, nisi fictam promissionem, fictam solùm accepto, hoc est, accepto nihil.

*Acceptatio post mortem promittentis.*

13. Requiritur sextò, à nonnullis, ut acceptatio promissionis, seu donationis fiat, antequam promittens, vel donans moriatur. Verùm, id rejicit Lessius, & meritò : potest enim fieri acceptatio, etiam post ejus mortem, sive à promissario, seu donatario, sive ab eorum hæredibus. Ratio est, quia cùm promissio, & donatio non revocantur, censentur etiam post mortem remanere ; unde, & apta, ut acceptentur. Ita Less. *l.* 2. *c.*17. *dub.* 8. *n.* 45. & 46. sequuntur Sanch. *l.c.n.*5. Merolla *c.*1. *d.*7. *num.*

14. Iidem Lessius, & Sanchez limitant hanc universalem doctrinam ad casum, quo promissio, vel donatio facta est ab ipso promittente, vel donante, at verò quando commissa, seu mandata est, ut fieret ab aliquo nuntio, aiunt non posse validè acceptari post mortem promittentis, vel donantis, quia mandatum datum nuntio statim spirat morte mandantis, atque adeo cùm nihil remaneat mandati, nihil post eorum mortem acceptari validè poterit à promissario, vel donatario.

15. Sublimitant tandem iidem, seu excipiunt à dicta limitatione, quando mandatum est ad pias causas. Primò, quia in favorem animæ judicatur mandans voluisse, ut suum mandatum datum Nuntio perseveraret. Secundò, quia cùm mandans in alia vita propensior sit ad opera pia, magis est jud candus approbare mandatum illud.

16. Ego, ut ab hac sublimitatione incipiam, illam profectò approbo propter primam rationem dictam, non verò propter secundam.

Secunda enim ratio hæc est, quia in alia vita defunctus propensior est ad opera pia. Hoc dictum absolutè non placet, tum quia fortè defunctus est damnatus in gehenna, tum quia, esto, sit in gloria; tamen ejus approbatio nihil prodest ad rem nostram; Cùm enim defunctus amittat omne dominium rerum temporalium, ejus approbatio post mortem nihil juris transferre poterit.

17. Limitatio autem illa, quam Lessius, aliique tradiderunt *num.* 14. putà, spirare mandatum datum Nuntio à promittente, vel donante, non usquequaque arridet; licèt enim spirare probabile sit, unde invalidè acceptari; tamen probabile etiam judico, non expirare in casu nostro promissionis, seu donationis liberalis, quia mandatum favorabile, cùm sit gratia facta, non expirat morte mandantis. Ita sustinet Sà, *v. Don. n.* 21. & *v. Mandat. n.* 2 & in simili Diana, *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 95. & ego *L.* 8. *in Dec. c.* 1. *tr.* 4. §. 5. *n.* 11. dixi. Stet igitur, sive promissio, vel donatio facta sit ab ipso promittente, vel donante, sive mediante Nuntio, semper posse post ejus mortem validè acceptari.

18. Denique non posse hæredes promittentis, seu donantis revocare promissionem, seu donationem à defuncto factam, & ab ipso ante acceptationem non revocatam, manifestè sequitur ex data doctrina, cùm jus revocandi non transeat ad hæredes, & sic docent apud Merollam *t.* 1 *c.* 2. *d.* 2. *n.* 89. Bartol. Clarus, aliique. Imò ejusmodi promissionem transire in legatum omnino ex justitia tradendum promissario, dicitur *in tract. de Testam.*

*Acceptatio Promissarii, & Donatarii tacentis.*

19. Requiritur septimò ab aliquibus, ut acceptatio fiat expressè. Sed certè etiam tacitè fieri validè per silentium potest; In contractibus enim lucrativis, ut est ille, de quo loquimur, silentium regulariter arguit acceptationem; Si enim ego tibi offeram centum, v. g. aureos, & tu, id à me audiens, taces, approbare, & acceptare convinceris. Ita Sanch *l.* 1. *mor. d.* 6. *n.* 11. aliique, quibus adde multos citatos, & exceptos à Diana, *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 106. *sub finem.*

Ratio est, quia in re sibi utili, & ex qua nonnisi commodum sequitur, maximè valet ea juris regula: *Qui tacet consentire videtur.*

20. Dixi (*regulariter*) fateor enim posse non rarò silentium oriri ex verecundia, ne offendatur, qui offert, si non acceptem, immò, aliquando ex re ipsa oblata oriri potest, ut silentium potius ostendat rem despici, quàm acceptari, ut, quando tam est vilis vel parva, vel me indigna res promissa, ut silentium illud sit, potiùs exprobratio, quàm approbatio: id, quod certè ex adjunctis erit à prudenti viro colligendum.

§. VII. *Quisnam possit pro alio absente legitimè acceptare, seu (quod idem nunc est, quando loquimur... in conscientia) stipulari?*

1. PRæmittendum est primò, te iterum, iterúmque esse moriendum de eo, quod nimis sæpè monuimus, nimirum nos loqui de contractibus lucrativis, idest, de promissione, vel donatione liberalibus, non in contractibus onerosis, cùm ex utraque parte inducatur gravamen, certum est, semper adesse debere consensum utriusque, putà promittentis & promissarii, idque saltem per legitimum Procuratorem; tunc enim jam in Procuratore ipse Principalis consentit, ut habetur expressè in jure, *Instit. Inutil. stip.* §. *Siquis alteri*, & Doctoribus, ut Mol. *d.* 264 §. *Quinto quando.* Merolla *t.* 1. *d.* 1 *c.* 2. *n.* 866. Sanch. *l.* 1. *mor. d.* 7. *num.* 12. Diana *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 93. *& seq.* multos citans.

2. Præmittendum secundò, valdè pro re, de qua agimus, differre, si promissio, vel donatio facta absenti, dirigatur præsenti, &, si dirigatur absenti. Nam, si absente, v. g. Petro, sic dicam: *Promitto, vel dono equum Petro*, atque hanc promissionem, seu donationem acceptet nomine Petri aliquis præsens, quicunque ille sit (etiamsi sit Tutor, vel Curator absentis Petri, & etiamsi sit donatio in causam piam, ut contra aliquos docet Sanch. *l. c. num.* 10. & apud Dianam *loc. cit. res.* 96.) nihil operabitur ejusmodi acceptatio, estque perinde, ac si nulla prorsus fuisset, unde eam ego potero revocare ante absentis acceptationem. Ratio est, quia cùm per hunc modum nulla ratione contrahatur cum præsenti, sed solùm cum absente, hujus consensus est expectandus. Excipe, nisi ille præsens fuisset à Petro ad hanc acceptationem faciendam expressè deputatus: valeret enim tunc acceptatio, quia tunc Petrus dicitur præsens in alio, ut in simili dixi *num.* 1.

3. At verò si sic dicas: *Promitto, vel dono tibi Antonio præsenti equum pro Petro absente*: & Antonius acceptet, tunc enim verò rationabilis quæstio esse potest, an valeat præsentis acceptatio? De priore igitur modo hîc non est agendum, quia, ut dictum est, nihil ea operatur, ut cum multis notat Merolla, *l. c.* citans Bal. Iason. Tuschum, Covarr. Sanch. aliósque, agendum verò est de posteriore, ac decernendum, an illa acceptatio semper sit legitima, & consequenter valida.

4. Sed quæres antea, si verba, nec dirigantur ad absentem, nec ad præsentem, ut, si præsente Antonio acceptante, dicas: *Promitto, me daturum equum Petro*, sensúsne erit: *Promitto, me daturum ipsi Petro equum*, an: *Promitto Antonio præsenti, me daturum equum Petro absenti?*

Respondeo, Merolla, *loc. cit. num.* 868. citans Sanchez, aliósque, ait sensum esse hoc secundo modo, atque adeo aliquid operari ejusmodi acceptationem posse, quia omnes leges clamant, in dubio eum sensum esse eligendum, qui favet actui, ut scilicet actus sit validus.

5. Verùm, Bartolus, aliique ab eodem Merolla citati, sed non recepti, censent, sensum esse primo modo, atque, adeo, nec valere, nec aliquid operari, quia ea verba, dum nullo modo diriguntur ad præsentem, promissio convincitur facta solùm absenti.

6. Ego Bartolum sequor, tum propter rationem jam dictam, tum quia, si omnibus expensis, res adhuc versatur in dubio, cùm dubitetur, an adsit vera, & obligatoria promissio, melior est conditio possidentis suam rem, suámque libertatem, à qua ipsum dimovere non potes, nisi certam probes affuisse acceptationem, quam certam adesse in casu dubio, ostendere non vales, quia sic, casus dubius non esset.

7. Hac expeditâ quæstiunculâ, ut regrediamur ad promissionem directâ præsenti, sed factam absenti. Dico, tunc

tum, solùm valere præsentis acceptationem, quando præsens acceptare pro alio absente legitimè potest. Ratio est manifesta, quia, si præsens non est legitimus promissarii Procurator, nihil nomine promissarii acquirere potest, ergo nihil operabitur, acceptando.

8. Sed ecce difficultas: Ecquandónam ita res se habebit, ut valeat acceptatio præsentis pro absente? Profectò id cognoscemus, si hîc afferamus, Primò, eos, qui certò possunt pro absente acceptare. Secundò, eos, qui certò non possunt. Tertiò, eos, qui sub controversia.

*Quisnam pro alio absente potest legitimè acceptare Promissionem?*

9. Præter illum, quem modò diximus, cui ab absente expressè mandatum est, ut loco sui promissionem accepteret. Primò, potest quilibet pro alio absente legitimè, ac propterea validè acceptare, seu stipulari, quando, & quatenus suâ interest ejusmodi acceptatio. Sed profectò id non tam acceptare pro alio, quàm pro se.

10. Secundò, Pater pro Filio familias, hoc est, pro filio existente sub ejus potestate.

11. Tertiò, filiusfamilias pro Patre.

12. Quartò, Monachus pro Monasterio.

13. Quintò, servus, hoc est, Mancipium pro Domino, mancipium (Dixi) nam servus, qui est famulus, non ita, ut dicam mox *n.* 20.

14. Sexto, Tutor, ut etiam ex probabiliore sententia curator, quia succedunt loco Patris.

15. Septimò, Quilibet pro muliere ob favorem dotis, immò ob donationem propter Nuptias.

16. Octavò. Quilibet pro causa pia: piæ enim causæ eundem favorem habent, quam habet dos. Lege Dian. *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 96.

17. Nonò, Personæ publicæ, hoc est, Magistratus, seu Iudex pro subditis; Prælati item, & Rectores pro propriis Ecclesiis, Vniversitas pro singulis ex Vniversitate, hi enim omnes possunt promissionem, vel donationem ipsis directam legitimè acceptare pro suis, quamvis absentibus.

18. Ratio autem, quòd prædicti acceptare pro aliis possunt, est, vel, quia propter bonum commune, ita statutum est à Legibus, vel, quia non tardò dictæ acceptationes redundant in bonum præsentis, atque adeo adest acceptatio præsentis. Ejusmodi est, quando acceptat Pater pro Filio, Prælatus pro Ecclesia, &c. Bonum enim filii, & Ecclesiæ est bonum Patris, & Prælati. Verùm, hæc minutiùs tractata, atque probata lege apud Sanchez, *lib.* 1. *matrim. d.* 7. Merol. *tom.* 1. *d.* 1. *c.* 2. *an.* 871. Tuschum *tom.* 7. *lect.* 5. *concl.* 703. aliósque, & quoad pias causas Tiraquell. *de Priv. caus. pia, Privil.* 114. quò autem ad personas publicas, & patrem, filiúmque, lege Manticam, *tom.* 2. *de tacit. convent. tit.* 25. & 27. Molinam, aliósque citatos.

*Quisnam legitimè acceptare pro aliis certò non potest?*

19. Ii omnes extranei, qui nullum titulum habent acceptandi pro aliis, quod invalidè acceptent, jam patet ex dictis. Illi igitur hîc numerabuntur, in quibus quamvis appareat aliquis titulus sufficiens; tamen re vera non est.

20. Primò igitur famulus conductus ad serviendum (cùm non ex toto, sed ex parte subdatur hero) pro ipso stipulari legitimè nequit.

21. Secundò: Discipulus nequit pro Magistro, idque propter eandem rationem. Vnde sequitur, quod nec, contrà, Magister pro Discipulo.

22. Tertiò, nec filius emancipatus, id est, existens sui juris pro Patre, quia quando est emancipatus, non est sub Patris potestate.

23. Quartò, nec idem filius, sive emancipatus, sive non, acceptare potest pro Matre, quia filius non est sub potestate Matris, sed solùm Patris.

24. Quintò, nec Frater pro Fratre.

25. Adverte, aliquando per accidens posse hos stipulari pro dictis. Quando scilicet, ut *supra* dictum est, interest stipulatio. Nam propterea, in materia Feudi, Emphyteusi, in usufructu, si quando prædicta speranda se aliquod utile proximè spectaturum, poterunt acceptare pro illis.

*Pro quibusnam controvertitur, posse pro aliis stipulari?*

26. Controvertitur primò: An Pater possit pro filio emancipato, id est, pro filio sui juris acceptare? Affirmat Sanchez *dicta d.* 7. *num.* 7. cum Bartolo & Baldo: Negat Merolla *loc. cit. num.* 880. asserens, & ipse Baldum pro se, aliósque. Vtrumque probabile.

27. Controvertitur secundò: An Mater possit pro filio stipulari? Affirmat Sanchez *loc. cit. num.* 5. etiamsi filii sint emancipati. Negat, tum pro emancipatis, tum pro non emancipatis, Merolla *l. c. n.* 881. qui tamen innuit id, quod ego modò universaliter dixi, posse scilicet Matrem pro filiis stipulari in materia Feudi, vel Emphyteusis, quia tunc stipulatio proximè futura est utilis Matri, ratione utilis dominii. Vtraque sententia probabilis quomodo est.

28. Controvertitur tertiò: An Notarius, qui videtur esse persona publica possit stipulari, seu acceptare promissiones, & donationes ad ipsum directas, sed absentibus factas (ut semper hîc loquimur.) Negat Sanchez *tr. matr. d.* 7. *n.* 11. cum multis, quos ipse citat, quibus addo Castropal. *de Iust. com. d.* 2. *p.* 5. *n.* 6 & 9. Affirmat cum multis Merolla *l. c. n.* 886. & Diana *p.* 8. *tract.* 6. *res.* 59. Vtrumque simili modo probabile. Sequere id, quod tibi magis arriserit. Mihi quidem arridet sententia Sanchez, quia Notarius non est persona publica potestatem aliorum habens in Cives, sed solùm est publica, quia fidem publicam facit de his, quæ ipse, ut Notarius scribit.

29. Illud fateor cum iisdem Sanchez, & Castropal. *ibid.* Notarium stipulari posse pro absentibus, quoad ea, quæ ad judicia pertinent & à Partibus afferuntur. Item conceditur à legibus propter bonum publicum, quod per judicia dirigitur, non verò conceditur extra judicium. Hæc, quæ, pro foro conscientiæ, sunt pro utraque parte probabilia, satis sit, sic summatim retulisse.

*Ex data doctrina de Acceptatione quatuor casus deciduntur.*

## PRIMVS CASVS.

*An semper duplici Promissioni correspondere debeat duplex Acceptatio?*

30. Titius promittit, vel donat, non sequuta traditione Caio prædium, hac conditione, ut post ejusdem Caii mortem prædium transeat ad Seium. Acceptavit Caius, sed postea Titius vult revocare illam conditionem in favorem Scii factam, idque antequam ipse Seius acceptet, liciténe potest, & validè?

31. Respondent aliqui apud Sanch. *lib.* 1. *cons.* 5. *d.* 1. non posse, sed posse, idem Sanch. & Delug. *d.* 23. *de Iust. n.* 85. meritò respondet. Ratio est, quia in hoc casu duplex involvitur donatio; Altera facta Caio, quæ iam est irrevocabilis, quia acceptata; Altera facta Seio, quæ, quia nondum est acceptata, revocabilis est. Idem dic, quamvis ejusmodi donatio iurata fuerit, quod constat ex dictis à nobis *supra, c.* 7. §. 1. *n.* 8. quodque etiam docet *ibid.* Delugo, licèt neget *ibidem* Sanchez.

32. Quod dictum est de promissione, seu donatione, ante rei promissæ traditionem, potest etiam quæri de donatione, sequuta iam traditione, an scilicet si donasti, & tradidisti equum, v.g. Petro, ea conditione, ut post annum tradat illum Paulo, an, inquam, antequam Paulus acceptet, possit eam donationem Paulo factam revocare?

Et respondeo, posse, propter eandem rationem. Lege Dianam *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 105.

SE-CVN

## SECVNDVS CASVS.

*Vti Acceptatio unius prosit alteri, ratione connexionis rei promissæ.*

33. Promitto Petro absenti centum aureos, in quibus decem promitto tibi præsenti, Inquiro, si tu, qui nullum mandatum habes à Petro, ut pro illo acceptes, acceptes tuos decem: Inquiro, inquam, an possim revocare promissionem factam Petro, quoad nonaginta, quos nondum ipse Petrus acceptavit.

34. Respondeo, posse propter eandem rationem in primo casu dictam. Excipe, nisi tuâ interfit, ut Petrus illa centum habeat, ut si, v.g. eo mortuo, ad te, tuósque hæredes ea pertineant, vel, si tu ea decem habere non possis, nisi habeat Petrus sua nonaginta, quod certè evenire posset, si promissio esset, v.g. ut ex vase argenteo promisso, & vendito à Petro, tua decem deberet tibi Petrus numerare.

## TERTIVS CASVS.

*Res pluribus promissa, & ab iisdem acceptata cui attribuenda?*

35. Si eandem rem promittas successivè duobus, tribus, &c. iis legitimè acceptantibus, primo tradere eam debes, etiamsi juraveris tradere secundo, vel tertio. Ratio est, quia promissio facta secundo, vel tertio illicita est, posita promissione facta primo. Iuramentum autem non est vinculum iniquitatis.

36. Non sic, si cùm promiseris primo rem, illámque ipsi non tradideris, promittas deinde secundo, & huic eam tradideris; quamvis enim tu sic peccaveris (ad quid obligeris, dicam *infrà, cap.2. de donat. §.2. n.1.* tamen, quia per traditionem secundus rem facit suam, ipsius erit, & hîc multum valet illud vulgatum Iuris: *Multa facta tenent, quamvis fieri prohibeantur.* Ita Azor. *p.3.l.11.c.4. de Promissione, q.17.* & ita nos *lib.3. in dec.c.3. §.5. à n.7.*

## QVARTVS CASVS.

*Pereunte re promissa, quid debeatur Promissario, qui jam acceptavit?*

37. Id explicabitur planiùs, si sic figures hunc casum: Titius promisit Caio unam ovem ex duabus, vel tribus, vel centum, quas habet, ad electionem ejusdem Caii. Ante electionem verò altera ex illis duabus, vel plures ex illis centum periêre sine Titii culpa. Inquiro an nihilominus Titius debeat dare ovem unam ex illis, quæ superstites sunt?

38 Respondeo: Rectè inquiris (*ante electionem*) nam post electionem à Caio factam certum est, te ad nihil obligari, quia tunc, sicuti post electionem illa electa Caio debetur, ita ipsi pereat, congruum est. Rectè item notasti (*sine Titii culpa*) Si enim ejus culpa periit, seu periêre, debebit sanè superstitem dare, vel omnibus pereuntibus, pretio compensare: id enim damnificatio ex culpa Titii facta, omnino exposcit. In casu ergo proposito distinguendum est: Si enim una, vel aliquot periêre sine culpa Titii, idque ante electionem Caii (remanente altera, vel aliis) obligatur Titius ex iis, quæ superstites vivunt, tradere, etiamsi illa, seu illæ, quæ periêre, fuerint viliores. Ita Bonacina, *d.3. de contr. q.12. p.2. num.17.* quia nondum facta electione, illæ oves Titio periêre, & Caius non est defraudandus de re ipsi promissa. Azor. *apud Bonac. cit.* tamen benignius loquitur, dicens, sufficere, si Titius donet valorem ejus, quæ sine ipsius culpa periit, & pari modo Turrianus *apud eundem Bonac.* dicens, promissorem satisfacere, tradendo similem illi quæ periit, dum similem invenire potest. Si verò omnes, periêre, tunc ad nihil debebit obligari Titius, nec mirum, quia sine culpa deficit materia tota promissionis.

39. Quando autem tum hîc, tum alibi dicimus, adesse obligationem, semper intelligendo illa obligatione, quam ejusmodi promissio inducit, sive ex fidelitate, sive ex justitia, sive ex alio capite, juxta *superiùs* explicata.

## CAPVT VIII.

*De illis ultimis verbis Descriptionis Promissionis (in cujus utilitatem res facienda est)*

HÆc satis sunt explicata per occasionem in superioribus, & præsertim *cap.7. §.4*

## CAPVT IX.

*Quando, & quatenus Obligatio Promissionis, vel est nulla, vel cessat.*

1. ABsoluta tractatione de natura, & conditionibus promissionis, ea duo breviter sunt judicanda, quæ in præsenti titulo proponuntur.

2. Quoad prius ergo, Regula generalis est Promissionem, & donationem ante traditionem, esse invalidam nullámque parere obligationem, quando, vel primò est de re illicita, vel secundò, quando ex ejus observatione daretur occasio peccandi, vel tertiò, quando ex jure positivo, irrita, quæ partim dicta sunt, cùm egimus de juramento, *lib.3. in Decalog. cap.7. §.2.* & voto *ibidem, cap.13. à n.9.* partim ex dictis, & dicendis facilè colligi possunt.

3. Quoad posterius: Promissionis obligatio orta, sive ex fidelitate, sive ex justitia, modo *superiùs* explicato, cessat. Primò, ut *ibidem* dictum est, remissione promissarii. Secundò, ut etiam dictum est *ibid.* cessatione finis principalis promittendi. Tertiò, (quod, & *ibid.* explicui) quando res promissa mutata est sine promittentis culpa, in illicitam, in impossibilem, in inutilem. Quartò, quando circumstantiæ sunt notabiliter mutatæ, quod & *lib.3. in Decal. cap.3. §.4. num.5.* etiam explicuimus. Quintò, denique ex illis iisdem causis, ob quas revocari potest donatio, de qua re dicam *in tractat. de donat. cap.6.*

4. Interdum autem obligationem solùm suspendi, quia fortè solùm ad tempus res à promissario remissa sit, vel mutata, res est per se manifesta. Vt etiam manifestum est, solam partem esse tradendam, quando res promissa est dividua, cessare autem obligationem tradendi partem ineptam, ut etiam *superiùs* indicatum est, & dicemus iterum, cùm *de don.*

5. Ex dictis cum Oñate, *t.2. tr.9. d.29. sect.11. à n.155.* Mol. *d.272. n.2.* Less. *l.2. c.18. d.10.* Diana *p.8. tr.6. res.105.* aliísque, colligi sequentia. Primò, si promisisti gladium ei, qui deinde in amentiam incidit, non obligaris, imò, nec debes promissum servare, quia illi gladius esset damni causa. Adverto, si tibi usui esse debet gladius, ejus pretium Domino deberi, & semper teneri te, vel servare illum ei in aliud tempus, vel tradere illum, vel ejus pretium Curatori: nam per amentiam is non amisit jus ad rem sibi promissam.

6. Secundò, si duo sibi invicem aliquid promiserunt, sive colligatæ fuissent promissiones in unum contractum, qui solet esse sic: *Hoc tibi liberaliter promitto, & in pari modo hoc mihi liberaliter promittis*, sive non colligatæ, sic: *Ego promitto hoc tibi, sed tu sine memoria istius meæ promissionis aliquid promittis.* Si, inquam, sic mutuo sibi, duo promiserint, si alter non impleat, nec tenetur alter; quia hæc justa causa censetur, ut te revocante tuam promissionem, ego meam revocem: sic Mol. *l. c. n.10.* quicquid dicat Navarr. *in summ. c.18. n.7.*

7. Tertiò, is, qui tempore promissionis erat amicus, si ante traditionem superveniat inimicitia mortalis, non tenetur ad promissionem, quia in promissione semper imbibitur, ex mente interpretativa promittentis, carentia tantæ inimicitiæ, esto peccet aliquando peccato scandali, &c.

8. Quartò, sponsi non tenentur ad servandam promissionem sponsalium, si res notabiliter mutentur. Sed de hac re nos fusè *in tract. de sponsal.* diximus *lib. 8. matrim. tract. 3. cap. 5. §. 8.*

9. Quintò: Is, qui alteri promisit pecuniam, etiam in eleemosynam, & deinde incidit in egestatem, non obligatur illam elargiri, &c.

10. Sextò: Si alicujus filius est in gravem infirmitatem lapsus, unde assistentia Patris indigeat, non tenetur Pater ad exequendas illas operas alteri fortè liberaliter promissas, quæ ejusmodi assistentiam impediant; siquidem intendere filio, est præceptum, promissio illa fuit voluntaria; Immò tanta posset esse ægrotantis necessitas, ut etiam alias obligationes ex præcepto superare posset, de suo loco *in tract. de legibus* explicari solet.

# TRACTATVS X.
## DE
# DONATIONE.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit Donatio?*

#### §. I. *Explicatur natura Donationis.*

QVAMVIS, ut *superiùs* diximus, Promissio acceptata multis assimiletur, conveniátque cum Donatione in futurum item acceptata, sed ante rei traditionem: tamen differunt etiam permaximè in multis. Nam promissio intendit dare, & solùm dat jus ad rem promissam, illud tamen ex se esse leve, quātum est ex virtute fidelitatis, diximus *in tractatu de Promissione*. At donatio etiam in futurum intendit dare, & dat rem ipsam, transfértque dominium in donatarium pro tempore præfixo.

Aliqui autem dicunt, per donationem, re nondum tradita, perfectè transferri dominium rei donatæ in donatarium: Solùm enim remanet obligatio tradendi rem, quam traditionem non vocant donationem, sed executionem factæ donationis.

Alii verò dicunt, per dictam donationem, re nondum tradita, transferri dominium initiativè, cùm autem res traditur, transferri perfectè, & tunc perfectam vocari donationem. Vtro ex his modis loquaris, profectò ad praxim parum refert, vel nihil.

2. Hinc quando Bonacina *de contract. d. 3. quæst. 12. punct. 1. n. 2.* aliique docent, si dicam: *Dono tibi librum, quem habeo domi, unde nunc non trado*, non transferri dominium libri in te, quia, inquiunt, ita jus positivum disponit; transferri autem, si librum tibi trado, quando inquam, sic docent, intelligitur, sive intelligere debent non transferri cum effectu, seu executione, vel non transferri, nisi initiativè, & non perfectè, modo jam explicato.

3. Jam verò donatio definiri communiter solet, *esse, datio liberalis*, si enim quid detur ex obligatione, seu debito justitiæ, jam donatio non erit, sed vel venditio, vel restitutio, vel quid simile. At (ut verum fatear) hæc donationis descriptio potiùs est nominis explicatio, quàm definitio, qui enim, vel tenuem latinitatis nitorem attigit, jam cognoscit, donare, nihil aliud esse nisi liberaliter dare. Et nihilominus nobis ad praxim semper intendentibus artificiosiori definitione non est opus. Leg. illam apud Oñaten, *tom. 2. de contract. p. 1. dub. 30. sect. 1.*

#### §. II. *Quantum obliget Donatio?*

1. VT id distinctiùs cognoscatur (& faciet etiam ad majorem explicationem præcedentis doctrinæ) quatuor diligenter sunt distinguenda.

2. Primò enim, sic potes hæc animo dicere: *Promitto tibi librum, v.g. hunc donare.*

3. Secundò, sic: *Donabo tibi librum.*

4. Tertiò: *Dono tibi librum, quem domi habeo.*

5. Quartò: *Dono tibi librum, & nunc illum trado*, illumque re ipsa tu recipis.

6. His distinctis: Prima ex his Promissio simplex est.

7. Secunda est item simplex Promissio, idem enim est dicere: Donabo tibi librum, ac promitto, tibi librum donare: id quod, cùm nihil aliud sit, nisi Donatio in futurum, rectè ab aliquibus dicitur esse promissio donandi.

8. Tertia est donatio transferens dominium rei donatæ in donatarium, sive, ut aliqui loquebantur §. *præced. num. 2.* sine ultimo effectu, seu executione requisita ad hujusmodi donatione, sive, ut aliqui *ibid.* loquebantur initiativè.

Quoniam verò in hac donatione nondum adest illa traditio, ideo à Iurisperitis hæc vocatur donatio, quæ non incipit à traditione, ut etiam appellatur promissio rei donatæ: donatur enim per illam res, & simul tacitè promittitur tradi.

9. Quarta est donatio perfectissima transferens dominium simul, & possessionem, vocaturque ab illam Iurisperitis donatio, quæ incipit à traditione, quæ enim nullam promissionem in se, ne tacitè quidem imbibit, cum omnia sint jam exhibita, translatio nimirum dominii, & possessionis traditio in donatarium.

10. Ex his ergo quatuor dispositionibus: Prima, & secunda, si sint acceptatæ, qua ratione pariant obligationem, sive ex fidelitate sive ex justitia, dictum est *superiùs*, cùm de promissione disputatum est.

11. Tertia si sit item acceptata, parit semper obligationem sub mortali in materia gravi, nec poterit donans illam revocare sine injustitia, obligatúrque rei sic donatæ possessionem, vel statim, vel certè præfixo tempore, si præfixum fortè aliquod fuit, tradere. Ratio est manifesta, quia per hanc donationem translatum est dominium in donatarium, sive perfectè, sive initiativè, juxta varios dicendi modos jam explicatos. Ergo donatario sua res tradi semper debebit ex justitia, præscindendo à causis propter quas ejusmodi donatio revocari potest, de quibus *inferius* dicendum erit.

12. Quarta denique semper, pari, imò fortiori modo, parit obligationem sub mortali, non molestandi eo quam donatarium, res enim donata non solùm est in Dominio, sed etiam in legitima possessione donatarii, præscindendo item à causis, ob quas possit revocari, de quibus *inferius*.

## CAPVT II.

### *De Divisionibus Donationum.*

#### §. I. *Tres principaliores Divisiones Donationum.*

1. PRima Divisio. Alia est donatio meræ gratuita, quæ scilicet, nulla præcedente obligatione, & prorsùs sine ullis meritis donatarii, exhibetur à donatore. Alia remuneratoria, quæ scilicet fit ex aliqua obligatione, non quidem Iustitiæ, sed gratitudinis quæ virtus tendit ad remuneranda Beneficia juxta eorum mensuram

mensuram; Beneficia, inquam, jam facta non facienda, de qua re lege Dianam *part. 8. tract. 6. resol. 115. v. Notandum est.* Ad donationem autem remuneratoriam satis esse, si donator dicat, se donare ob merita donatarii, nec opus esse, ut merita probentur, idem *ibidem resolut. 116.* docet.

2. *Secunda Divisio.* Alia est pura, id est, sine ulla conditione, seu limitatione. Alia non pura, id est, cum limitatione loci, temporis, &c.

3. Subdividitur autem donatio non pura in donationem conditionalem, ut: *Dono tibi equum, si hoc, vel illud faciat*: & in Donationem in diem, ut: *Dono tibi equum, non nunc statim, sed post meam mortem, post aliquot annos, &c.*

4. Et hæc quidem donatio *in diem*, iterum subdividitur: Alia enim est *in diem certum*, qui scilicet certò erit, sive illum determinatè sciamus, quando veniet, sive ignoremus, ut: *Dono tibi equum post meam mortem*, vel *post annos quinque.* Alia est *in diem certum*, quia scilicet incertum est, an unquam adveniet, nam propterea ejusmodi donatio tandem resolvitur in conditionatam, teste Molina, *in summa, d. 205.* ut: *Dono tibi equum pro eodem tempore, quo nupseris, quo Romam adieris, &c.* sensus enim est, *si nupseris, si adieris Romam, &c.*

5. *Tertia Divisio.* Alia est donatio inter vivos, estque ea, quâ donator transfert dominium rei in donatarium in vita ipsius donatoris, quam certè solent aliqui donatores facere revocabiliter, ita ut illam possint revocare, quando velint, aliqui irrevocabiliter, ita, ut eam amplius revocare non possint. Alia est donatio causa mortis, estque ea, quâ donator transfert dominium rei donatæ in donatarium post mortem suam, idest, ipsius donantis.

6 Vbi vides, propriè loquendo, donationem factam sive in sanitate, sive in Testamento, sive in periculo mortis, &c. si per eam donans statim transferat dominium rei, esse donationem inter vivos, si post mortem, esse donationem causa mortis. Lege Ofi tien. *tom. 2. de contr. tr. 10. d. 31. sect. 1. & 5.* Vadignum *tract. de contr. d. 3. d. 9. per tot.* Bonac. *d. 3. de contract. quæst. 14. part. 1. num. 20.* Clar. *apud Bonac. cit.* negantem aliquid ex dictis, Azor. *3. p. lib. 11. c. 11. q 4.* aliosque, nec omittatur Molina *d 287. num. 22.* qui rectè percurrit signa, & conjecturas, quibus dignoscatur, an donatio sit inter vivos, an mortis causa, quando desunt verba expressa, quæ donationem hanc, vel illam notent. Sed certè non erit inutile hic aliqua ex dictis signis summatim afferre.

*Signa Donationis inter vivos, causâ mortis.*

7. Primò, si donas quid, sed transferendo executionem ejusmodi donationis post mortem, tuam donationem facis inter vivos, quia jam nunc donas, & solùm donationis effectum illum, seu complementum differs, quod explicuimus *cavite 1. n. 1.*

8. Secundò, si absolutè dones, nihil aliud addendo, donationem facis inter vivos, quia donare sine addito, est nunc donare.

9. Tertiò, si absolutè dones, quando es ægrotus, etiam cum eo periculo mortis, quo verosimile erat, te ob mortis metum fuisse inductum ad donandum, donationem facis inter vivos quia etiam donare nunc potes, dum es infirmus; Si ergo aliud non expressisti, inter vivos donasti. Excipe, nisi donator ejusmodi donationem, quam donatarius, nec per se, nec per legitimam personam acceptavit, apposuerit in Testamento, vel Codicillo, tunc enim ea donatio indueret rationem Legati, essétque causa mortis, unde, ut mox dicetur, revocari posset.

10. Quartò, si dones cum addito, *post mortem meam*, vel, *si ex hac infirmitate moriar*, vel, *si ex navigatione è vita discessero*, clara est donatio causa mortis, immò, quando in donatione facta est mortis mentio, propendendum est ad pronuntiandum, eam esse causa mortis, nisi aliud clarè appareat in contrarium.

11. Quintò, si donatio facta est coram quinque Testibus, cum solemnitate scilicet requisita à Testamento, vel Codicillo, magnum est signum, esse causa mortis: id enim persuadet solemnitas propria ultimarum voluntatum, inter quas numerandum esse donationem causa mortis, mox dicemus §. 2. *n.* 10.

12. Sextò, contrà, si donatio facta est coram duobus Testibus, signum habes donationis inter vivos, etiamsi executio ejus, ut dictum est *n. 7.* differatur ad finem mortis, quia id persuadet solemnitas sufficiens ad donationem inter vivos. Adde, semper pronuntiandum, ut actus valeat potiùs, quàm pereat ut periret, seu irrita esset dicta donatio coram tam paucis Testibus facta, nisi censeretur esse inter vivos.

Quando omnibus expensis, adhuc dubitatur, qualis sit donatio, qualis sit censenda, dixi *suprà, lib. 8. matr. tr. 7. c. 2. §. 1. n. 15.*

Quando autem dubitatur de ipsa donationis substantia, hoc est, an ipsa fuerit facta, dixi *l. 1. in Dec. lib. 3. c. 7.*

## §. II. *Explicantur magis prædicta Donationum Classes.*

*Res promissa uni alteri tradita.*

1. Dico primò, si promisisti mihi acceptanti equum, v.g. donare, & deinde (sanè cum culpa contra Promissarium *superius* explicata) donasti alteri eundem equum, sequuta traditione, hic alter dominium habebit equi, ego autem possum duntaxat, & debeo habere interesse, si quod passus sum, & n. 1 præterea. Lege, quæ dixi *c. 7. de promissione*, § 5. *n.* 30.

*Prohibita Donatione, non prohibetur Remuneratio.*

2. Dico secundò, si à Principe prohibeatur donatio, ut prohibuit Clemens VIII. Religiosis Donationes, & ut prohibet Ius Civile donationes inter conjuges, gratuita solùm prohibita censetur, non verò remuneratoria; quia hæc aliquantum deficit à propria donatione, quæ propria, tota, quantà, quanta est, fundatur in liberalitate, nec oriri debet ex ullo debito etiam gratitudinis: prohibitio autem alicujus rei, cùm sit odiosa, restringenda semper est ad rem maximè propriè talem. Ita Sanchez *lib. 6. matrim. d. 6. num. 1. & 2.* Dian. *part. 1. tract. de Pauper. Relig. res. 15. & 16. & p. 8. tract. 6. resol. 115.* aliique contra nonnullos ab eodem citatos. Lege etiam Delugo *d. 23. de Iust. n. 131.*

3. Inquires: Si ego donavi aliquid Titio, is autem ob gratitudinem aliud mihi retribuit, si deinde ego aliud quid eidem Titio donavero, estne hæc secunda donatio remuneratoria, an gratuita?

Respondeo: Est gratuita, quia tu sine ullo debito donasti secundo: Donatio enim Titii, cùm non fuerit, nisi ad te remunerandum, non potuit ponere novum debitum in te, sed extinxit suum. Quare tu secundo omninò gratis donasti.

4. Quid, si Titius excessit in retribuendo?

Respondeo: Tunc certè erit gratuita, & liberalis ejus donatio secundùm hunc excessum, & consequenter, secundùm ejus excessus mensuram, erit remuneratoria tua secunda donatio.

5. Subinquires: Quantus debet esse hic excessus, ut dicatur gratuita in retribuente, seu, qui dici possit meritis præcedentibus non æquipollere?

Respondeo: Id certa lege definiri non potest: nam: quamvis aliqui censeant, quemcunque excessum esse gratuitum, satis enim (aiunt) per æquale fit debita retributio, aliqui verò velint gratitudinem postulare, ut plus semper reddatur, quæ est sententia Aristotelis, 8. *Ethic.* & Sancti Thomæ, *2. 2. q. 106. art. 6.* cui adde Senec. *l. 1. de Benef. c. 18.* quod plus, Sanchez, *l. mox cit.* & Diana *part. 1. tract. de Pauper. Relig. resolut. 16.* dicit, esse probabile, quod debeat esse, ut aliqui dixêre, in dimidio, ut si recepisti decem, debeas retribuere decem, & quinque.

Quamvis, inquam, aliqui sic censeant, tamen idem Sanch. *l.8.matr.d.6.n.9. & l.1. Consil.c.6.dub.2.* cui addè Dianam *p.8.tr.6.res.120.* dein que concludit, totum hoc prudentis arbitrio esse relinquendum, attenta præsertim qualitate donantis; plus enim solent, ac debent Principes retribuere, quàm Plebeii, vel Religiosi, &c. Quod autem Religiosis, & Religioni insit etiam debitum gratitudinis, ut iuxta suam vivendi rationem debeant, sed moderatè, benefactoribus retribuere, ipsum lumen naturale manifestè dictat.

*Discrimina inter Donationem conditionalem, & inter Donationem in diem.*

6. Dico tertiò: Est latum discrimen inter donationem conditionalem, & inter donationem in diem certum: Si enim sic dicas per donationem conditionatam: *Dono tibi equum, si moriar*, cùm hæc conditio sit necessaria, verificatur etiam nunc: Quare ex nunc debes mihi equum tradere. Si verò sic dicas sine conditione: *Dono equum, quando morior*, debebo expectare tuam mortem, ut mihi tradatur equus. Ita Mol. *d.281.n.4. & de.205. & 284.* apud quem alia pertinentia ad has donationes in diem certum, vel incertum invenies.

*Discrimina inter Donationes causa mortis, & inter vivos.*

7. Dico quartò: Sunt denique discrimina non pauca inter donationem inter vivos, & donationem causa mortis, quæ latè prosequitur Oñate, *l.c.à.sect.1.* & Vadign. *de contr.d.3.dub.9.* Illud autem est potissimum, nam donatio causa mortis propriè accepta, potest semper revocari; est enim instar testamenti, vel legati, numeratúrque inter ultimas voluntates; At donatio inter vivos, propriè item accepta, rebus immutatis (de qua mutatione mox c.8.) revocari non potest.

8. Dixi (*propriè accepta*) nam, si donatio causa mortis sumatur pro qualibet donatione præsenti, facta ob periculum mortis, quæ tamen transferat, ex voluntate donantis, dominium, ante ipsam mortem donantis, jam hæc non erit essentialiter donatio causa mortis, ut patet ex eius natura, quam explicui §. 1. *num.* 4. & 5. sed desciscet in donationem inter vivos. Sicut etiam, si donatio inter vivos ita fiat, ut addatur clausula, qua possit revocari, quando voluerit donator, atque adeo semper, ante suam mortem, iam hæc non erit essentialiter donatio inter vivos, ut patet item ex eius natura, quam explicui *ibidem*, sed degenerabit in donationem causa mortis.

9. Quòd autem donatio propria, causa mortis, sit numeranda inter ultimas voluntates, & non sit propriè contractus, inter vivos, inde probat, & meritò Oñate, *ibid.d.31.sect.1.num.* 8. quia ipsa habet omnia signa ultimarum voluntatum; habet enim, inquit, Primò, voluntatem deambulatoriam (qua scilicet semper ante mortem potest per meram voluntatem donantis revocari) Secundò, requirit quinque testes. Tertiò, insinuatione non indiget. Quartò, fit plenè inter absentes. Quintò, plures, qui contrahere non possint, possunt mortis causa donare. Sextò, denique confirmatur morte donantis, non autem antea.

10. Si donatione causa mortis adiungatur iuramentum, quod donans promittit, illam non revocare, vel (quod in casu saltem nostro idem moraliter est) quod donans promittat cum iuramento, illam adimplere. Oñate *ibid.sect.*8. docet, revocari eam propter Religionem iuramenti ampliùs non posse, sed tunc degenerare à propriè dicta donatione casu mortis, & fieri donationem inter vivos. Verùm, de hoc iuramento non revocandi testamentum, & consequenter donationem causa mortis, vide quæ nos *l.3.in dec.c.3.§.5.à n.39.* diximus, & quæ dicemus *inf. c.4.§.4* in simili.

11. De donatione causa mortis innumeri Iurisperiti latè disputant, innumerique Theologi, quorum præcipuos citatos habes præter Oñaten *loc.cit.* & Molinam, *à disp.287.* apud Dianam *p.8. tr.6.res.67.* & *seq.* varias de hac dispositione difficultates percurrentem.

*Donatio, non subsistente causa ipsius.*

Vbi:

*De simili Eleemosyna, vel Legato.*

12. An donatio facta ob aliquam causam, ea non subsistente, sit valida?

Respondeo, necessariam esse distinctionem: Donatio enim per errorem facta, quando error cadit in substantialia, est nulla, est autem valida, quando in accidentalia, quia ibi non subsistit causa donandi, quare, nec donatio ab illa dependens; hîc verò sul sistit. Et ratio posterior est, quia, non persistente causa cadente in substantialia, donans meritò iudicatur, ne quaquam persistere in sua dispositione; at verò non persistente causa cadente in accidentalia, quia sic levis est mutatio, in eadem dispositione meritò persistere iudicatur. Vide quæ in simili dixi *de Promissione, cap.4.num.*8.

13. Illud diligenter advertendum, hîc nemine substantialium intelligi omnes illas causas, quæ sunt motivæ donationis, hoc est, quæ, si cognitæ fuissent non adfuissent, facta non fuisset donatio: Accidentalia verò sint causa tantùm impulsivæ, id est, quibus cognitis non adfuisset, adhuc facta donatio fuisset.

Hæc breviter innuisse sufficiat; nam multa de hoc argumento ego dixi, *l.3.in Decal. cap.*3.§.5.*à num.* 21. *ad iuram. & ibid. cap.* 13. *ubi de vot.* Vide Dianam *p.8.tr.6 resol.*89.

14. Non subsistente paupertate, sanctitate, infirmitate, an donatarius obligetur restituere ea, ad quæ donata principaliter motus fuit donans ab his causis, dixi item *l.7.in Dec.cap.5.§.2.n.4* & facit, quod *ibid.dixi.* §. 2.*n.6.* ut etiam *alibi* de occultè defforata, si aliquid accipiat ex causa Virginitatis.

15. In dubio de animo donantis, an causa dominans fuerit motiva, an impulsiva? Restituendum pro tuto hbii puto.

## CAPVT III.

*Quis possit donare?*

DOnare ii possunt, qui legitimè sub suo dominio, vel libera administratione rem donandam habent. Dubitatur autem de aliquibus, de quibus ego alibi, et alias occasiones disputavi, quorum loca, in gratiam Lectoris, indicabo *infra, cap.ult.*

Alia igitur, quæ supersunt, hîc in propria sede suæ tractationem meritò expoſcunt, & ego breviter fusiùs propinabo.

### §. I. *Quædam Classes Personarum quid, & quarum donare possint?*

REGES, ET PRINCIPES.

1. REges, & Principes donare quidem, & remunerari de suis propriis bonis liberè possunt. Verùm de bonis Coronæ quæ se habent, ut bona vinculata, & ipsis data, ad bonam administrationem, & defensionem Regni, non possunt profusè donare in damnum successorum: nam propterea iidem successores possent revocare has nimis exorbitantes donationes ex prædictis bonis factas: quod minutiùs, multis adductis Declarationis habet Diana, *p.8. tr.6.res.*18. *ibid. res.*122. & 123. quem etiam habes donationem remuneratoriam Principis non immoderatam, cùm transeat in contractum, revocari non posse, eandémque multis gaudere Privilegiis.

Illud

2. Illud in his dubitari solet, An, si dicti Reges, ac Principes inveniuntur ære alieno gravati, possint nihilominus donationes liberales, vel remuneratorias facere.

Respondeo, posse, sed certè limitatiùs. Sicut enim tunc possunt expendere ea, quæ sunt ad suum decentem statum necessaria, ita & ad has liberales, sed moderatas donationes, quæ ad eius decentiam sine dubio pertineant, cùm non possit (ait Delugo *d.23. de Iust. n.*148.) Regia Dignitas sine liberalitatis exercitio decenter sustineri.

3. Ex qua doctrina collige idem cum proportione sentiendum de aliis Principibus Sæcularibus, immò, & proportionaliter de Ecclesiasticis, aliisque similibus, ii enim eas donationes sive merè liberales, sive remuneratorias facere possunt, quæ, omnibus à viro prudenti expensis, iudicantur pertinere ad ipsorum statuum decentiam, ita nimirum, ut viles notabiliter haberentur, ni eas facerent: quare, si moderatæ, modo dicto, sint, ut esse certè omnino debent, ad congruam eorundem sustentationem revocantur.

## §. II. *Rectores Civitatum, seu Vniversitatum.*

1. II non solùm possunt expendere necessaria ad publicam utilitatem, ut ad conducendum Medicum, Advocatum, Magistrum Artium, ad fabricandum carcerem, ad Pontes necessarios construendos, vias accommodandas, ad procurandam annonam, &c. Verùm etiam ad moderatas, iuxta quantitatem bonorum civitatis, donationes remuneratorias, immò ad moderatas item, & liberales, conducentes ad bonum Vniversitatis, qualis est eleemosyna, & ad ludos, publicæ recreationis gratiâ, exhibendos, dummodo à necessariis, & à debitis solvendis notabile quid non adimatur. Lege Sach. *in cunsil. l.*1.*c.*6.*d.*8. & Delugo, *d.* 23. *de Iust. num.*144.

2. Illud profectò, quod ex Bartolo affert Diana, *p.*8 *tr.*6.*resol.*16.*sive*, approbare non possum, quod scilicet, si Rectores hoc anno Civitatem gubernantes, non remunerati sunt obsequium Vniversitati factum ab aliquo, nequeant Rectores anni sequentis remunerari, quia remuneratio (inquit Bartol.) est personalis ex parte remunerantis. Approbare, inquam, non possum, nam Rectores sive huius, sive alterius anni non agunt nomine proprio, sed nomine Vniversitatis, seu Civitatis, quæ semper est, & remanet eadem persona moralis, &c.

## §. III. *Parentes.*

1. PArentes, quamvis multos habeant filios, licitè ea possunt donare, quæ pertinent ad decentiam sui status. Si verò ea, quæ ad eiusmodi decentiam non pertinent, profusè donent, validè donant, quia disponunt de re sua, sed illicitè, si notabiliter damnum faciant legitimis filiorum. Validè, inquam, donec filii revocent, nam filios posse donationes Parentum in suæ legitimæ præiudicium factas irritare per Iudices post Parentum mortem, mihi certum est, & videri potest apud Rebell. *p.*2.*lib.*13.*quæst.*11.*num.*1. atque *lib.*5.*in Dec.c.*4.§.1. *num.*2.

2. Quando donationem facit Pater Filio Clerico in fraudem Gabellarum, probat *ibidem* Diana, *p.*2.*tr.*6.*resol.*130. adhuc Gabllam deberi, sed deinde quæstionem irresolutam relinquit. Ego sanè in memoriam tibi revoco, nemini debere hanc fraudem in foro interno suffragari, nam in foro externo, cùm dictum fraudis non præsumatur, evinces litem contra Gabellarios. Quòd si Pater verè, & sine fallacia ex occasione quidem non solvendi Gabellam, sed ex alio decenti motivo, suum Clerico patrimonium assignet, non mihi videtur, esse condemnandus.

2. Quid de donatione Patris facta Filio ad ordines suscipiendos? Id hîc solum quæro, nam cæterum de donatione, quam Pater, vel Mater faciat Filio universaliter, *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. §. 2. dictum est.

Respondeo, Pater non solùm validè potest, sed etiam obligatur dare filio, quod est necessarium ad assumendos Ordines Sacros. Intellige semper, si suppetant Patri facultates, &c. An item ad Ordines Minores, & alia minutiora eruditè tractet, Cutelli *t.*1.*de Donat. disc.*2.*partic.*12. *num.*12. Data autem à Patre in patrimonium, ut Filius Ordines suscipiat, multi apud eundem Cutelli dicunt, computari in legitimam, & venire in computationem cum aliis fratribus. Multi apud eundem negant. Vtrumque probabile, id, quod nos satis explicuimus, *lib.* 5.*In dec.c.*4.§. 2.*n.*6. videri possunt Doctores apud Dianam *p.*8.*tr.*6. *res.*92.

4. Donatio facta à Patre, ut item à quocunque alio facta, filio, vel cuicunque alteri facta, hoc est, ut sequuta ordinatione non petantur sic donata, vel, ut illa ordinatus restituere teneatur, adhibita etiam, ut solet, Antapoca, vel ut vocare consuevimus, Alberano, quatenus invalida sit, & illicita, dixi *supra, lib.* 7. *de Ordine cap.*3.§.3.

## §. IV. *Prælati, sive Sæculares, sive Regulares.*

1. PRælati Sæculares possunt, iuxta prædicta, donare quæ faciunt ad decentiam status ipsorum. Verùm, de his dictum est à nobis *lib.*8.*in Decal. tract.*11.*c.*2. §.4.*num.*2.

Et hi quidem Prælati Sæculares de fructibus sui beneficij magis liberè possunt disponere, iuxta id, quod *ibidem* breviter explicuimus, quam Prælati Regulares, id est, Superiores Religiosorum, quia fructus omnes sunt Religioni, non verò ipsius Regularis Prælati. Quare magis moderatè se gerere ij debent in iis donationibus, præsertim liberalibus, quæ religiosam paupertatem minùs decent. Qui de his distinctius quid nosse re velit, legat Sanch. *.7.summæ.c.*19.*n.*42. Suar. *t.*4.*de Relig.tr.*8. *l.*2.*c.*26.*à n.*82. Vadign. apud Dianam *p.* 8.*tr.*6.*resol.* 12. Delugo *d.*3.*de Iust. à n.*183. aliósque.

2. Dixi (*Superiores Religiosorum*) nam de Episcopis assumptis à Religionibus, quæstio est, an ij possint, quâvis illicitè, validè tamen donare ea, quæ supersunt ad ipsorum congrua sustentatione. Et quidem non pauci dicũt, hos semper donare posse prædicta, quæ supersunt, tum illicitè; tum invalidè: Alii verò sustinent, illicitè, quidem, sed validè, eodem prorsus modo, quo *l.c.* diximus de Episcopis non assumptis à Religionibus. Quoniam verò utramque ex his sententiis probabilem existimamus, satis sit sic innuisse. Rationes enim, & Doctores pro utraque parte videri poterunt apud Dianam *pars.*8.*tr.*6. *res.*132. & 133. citantem Vad gnum, idem de Beneficiario Religioso sentientem.

## §. V. *Donatio Beneficiarij spolio subditi.*

1. AN Donatio Episcopi, & Clerici Beneficiarij subditi spolio intra viginti dies ante obitum suum facta sit invalida?

Respondeo, esse invalidam in foro externo, cum Bonac. aliisque mox citandis, quia præsumitur facta in fraudem. At in foro interno cum eodem Bonac. *d.* 3.*de contr.q.ult.p.*5.*n.*5. & Diana *p.*8 *tract.*6,*res.*88. *l* dico, esse validam, si verè fuit donatio inter vivos de rebus, seu de fructibus suis, de quibus iuxta supradicta disponere valide Beneficiarius poterat. Ratio est manifesta, quia Beneficiarius tunc habet potestatem transferendi dominium illarum rerum in alterum, & de facto per illam donationem verè, & sine dolo, ut supponimus, transtulit.

### §. VI. *Novitius.*

1. AN Donatio causâ mortis facta à Novitio post ingressum in Novitiarum sine licentia Episcopi sit valida?

Respondeo, esse validam, quia Tridentinum, *sess.25. c.16.* Diana *p.8. tr.6. res.* 86. ibique alii hanc licentiam requirunt in donatione inter vivos dumtaxat.

2. An, ut donatio remuneratoria ab eodem Novitio post dictum ingressum fiat, eadem licentia indigeat?

Respondeo, non indigere. Ita idem *ibid. res.* 121. quia Tridentinum loquitur de donatione pura.

3. An donatio facta ab aliquo ante ingressum in Novitiatum, animo ingrediendi in Religionem, sit valida sine memorata licentia?

Respondeo, esse validam. Ita idem *ibid. res.*87. quia dictum Tridentinum loquitur solùm de donatione Novitii, at hic Novitius nondum est.

4. Nota, si prædictus Novitius exeat à Religione, nullam esse donationem ante ejusmodi ingressum factam, resque donatas debere redire ad donantem, quia donatio facta intuitu Religionis, semper imbibit conditionem: *Si in Religione vixero.* Unde idem rectè Cutelli, *de Donat. t.1. disc.2. p.3. à num.11.* Latè Sanch. *l.7. summ. cap.5. à n.54.* extendit ad casum, quo ipse donans exeat à Religione post professionem emissam, quam nullam ex aliquo legitimo capite fortè invenit. Si verò exeat post Professionem validam licitè per dispensationem Papæ, v.g. An recuperet prædicta bona ante ingressum donata, longa est, & Iurisperitorum propria dispuratio. Vide Cutellum citatum, apud quem etiam invenies quid de exeunte à Societate, post vota biennii.

### §. VII. *Tutores, & Curatores.*

1. TVtores, & Curatores, ex Sanch. *cap. 8. consil. c.6. d.8.* Delugo *d.23. de Iust. num.145.* Mol. *d.292. fine*, aliisque, possunt solùm id donare, quod ad prudentem, & decentem administrationem rerum pupilli pertinet, spectata ipsorum pupillorum facultate, & qualitate. Vnde donationes liberales profanas vix his concedo, concedo pias; Sunt enim hæ in eleemosynam, atque adeo in bonum salutis pupillorum, sed adhuc iuxta ipsorum statum.

Nec item nego remuneratorias, sed pari modo, quæ non multùm excedant. Ratio horum est, quia Tutores, Curatoresque minùs possunt, quàm Domini suarum rerum; at Domini, si prudenter, & decenter agant, sunt certè parcè profusi in rebus suis; ergo parcius profusi esse debent Tutores, & Curatores, qui Domini non sunt, sed meri bonorum pupilli administratores.

2. Inquires: Cùm remuneratoria donatio sit illa, quæ fit supra debitum Iustitiæ, quantúmnam hæc importat in hoc casu tutorum? Servivit, v.g. fideliter quis pupillo per decem annos, debentur ipsi ex stipendio pro suo labore centum aurei: at si, Tutor solùm daret centum, nihil daret ex gratitudine, sed solùm ex Iustitia. Inquires ergo, ad quantum extendi potest remuneratio?

3. Respondeo: Id certa regula definiri nequit, quia totum hoc (ait Delugo, *loc.cit.*) pertinet ad prudentiam administratoris rerum pupilli, ut ex una parte non sit nimis profusus, & ex alia non sit durus, & exactus retributor obsequiorum, sed attendat ad id, quod decentia status pupilli exigit, ut eum famuli ingratitudinis nota afficere non possint.

---

## CAPVT IV.

### *Quantum quis donare possit.*

1. PRæscindendo à Iure Civili, quod certè prohibet, ut mox dicemus, aliquas donationes, quilibet validè potest totum, quod habet, alteri donare, quia quilibet de rebus suis disponere, ut libet, potest. An verò rectè, vel illicitè, dependet à fine, cur donet, à damno, quod sibi, vel alteri facit, vel non facit, sic donando, &c. quæ dictis, & dicendis facilè colligi possunt. At considerando Ius commune, duo genera donationum ipsum universaliter prohibet, nimirum donationem ipsum universorum, & donationes carentes insinuatione, de quibus tamen sigillatim.

### §. I. *Donatio omnium bonorum invalida est.*

1. HAnc tam amplam donationem esse in Iure Civili prohibitam sub clausula irritante, atque adeo esse invalidam, certum est in Iure, *l. Stipulat. hoc modo, ff. de verb. significat. l. Ex eo, C. de inutilib. stipulat.* & aliis apud Lilium Clar. *v. donat. q.19* Rebell. *part.2. l.1. q.7.* Mol. *d.280.* Bonac. *d.3. de contract. q.13. p.5.* Dianam *p.8. tr.6. resol.38.* aliósque. Ratio hujusmodi Iuris fuit, quia sic donator non posset testari, à qua impotentia testandi Iura maximè abhorrent, signatèque dicunt, esse id contra bonos mores.

2. Dictum autem est (*inter vivos*) nam donatio omnium bonorum causa mortis prohibita non est, cùm ea potestatem testandi non tollat, immò, ipsam esse ultimam voluntatem, nuper diximus.

3. Dictum rursus est (*in jure communi*) nam leges proprias quilibet consulat. Dictum item est (*omnium bonorum*) nam, si sit non omnium, sed tamen prodigæ, dixi Iuris, *l. 3. in Dec. c. 3. §. 5. à num. 17.*

4. Quæres: Donatio bonorum omnium esse invalida secundùm totum, an solùm secundùm partem? Explico, Fac, te donasse omnia tua bona, ex quibus, à centum aureos, tibi reservasses, jam non donasses omnia bona. Quæro igitur, an donatio omnium, quam fecisti, sit invalida, tum quoad hos aureos centum, tum, quoad alia bona; Idem quæri potest, si donasti omne præsentia, & futura, an valeat etiam quoad præsentia, jam enim, si præsentia non donasses, non donasses omnia.

5. Respondeo, esse invalidam, quoad utrumque. Rationem hujus Decisionis ne aliam expectes, nisi illam, quia nimirum, ita leges voluëre, propter bonum publicum. Ita autem voluere, quia absolutè totam donationem indivisibiliter infirmant, ut patebit accurate legenti præcitatas leges.

6. Dices: At mox dicemus, donationem factam sine solemnitate insinuationis solùm infirmari, quoad partem, id est, quoad excessum, eo modo, quo mox item explicabimus; ergo pari modo dicere debemus in donatione omnium bonorum.

7. Respondeo: Nego consequentiam, quia in donatione sine dicta solemnitate ita clarè decreverunt leges, quod non ita decreverunt in donatione omnium bonorum, *l. Sancimus, C. de Donatione*, leges enim modò nam. citatæ absolutè, & omnino donationem omnium bonorum infirmarunt.

8. Dices iterum cum Diana *loc.cit.* Ex Regula Iuris: *Vtile per inutile non vitiatur.* Ergo non vitiatur illa pars donationis: quæ jam non est donatio omnium bonorum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia cùm in casu nostro leges totam donationem irritent, ut dictum est, neque illa pars dicta utilis est.

### §. II. *Quatuor Casus, in quibus Donatio omnium bonorum valida est.*

1. PRæcedentis doctrinæ sunt exceptiones, seu declarationes quatuor. Primò enim, si quis donet omnia bona præsentia, nihil aliud addendo, valide donat, quia verè non donat omnia; cùm enim non donet futura, & deinceps acquirenda, poterit de his testari. Nam propterea idem docent communiter Doctores, si in donatione

natione omnium reservet sibi quis aliquam partem, certè non valdè modicam, sed hujusmodi, ut ea reservata, censeatur ab homine prudenti non remanere donationem bonorum moraliter omnium. Idem etiam, quando quis sibi reservat usumfructum, vel ius aliquod, quæ simili modo non sint modici valoris; posset enim hæc donator vendere, & de pretio testari. Non sic, si donet omnem suam hæreditatem; tunc enim invalidè donaret, quia tunc de nihilo testari posset, cùm sic, omnia donasset. Lege Dicastil. *de Iust. l. 2. tr. 5. dub. 3. n.* 48. Mol. *d.* 280. *v. Sed dubium postremo est*, aliósque.

Secundò, donatio omnium, facta causæ piæ, est valida, quia est juxta consilium Domini: *Vade vende omnia, & da pauperibus.* Contrà quod Iura Civilia aliquid statuere, non valent. Ita Hurtad. Layman, Vadignus, aliique tum Theologi, tum Iurisperiti apud Dianam *p. 2. tract. 6. res.* 41. qui rejicit Caramuël contrarium.

Hinc etiam, ut vult Sanch. *tom. 2. sum. l. 7. c. 1. n.* 19. reduci potest renuntiatio omnium bonorum, quam exhibent ii, qui Religiosam eligunt vitam; id enim etiam pertinet ad animæ salutem, estque de ejusdem Domini consilio: *Et sequere me.*

3. Tertiò, donatio onerosa omnium bonorum valida est, quia per illam aliud accipit donator, de quo disponere jam poterit.

4. Propter similem rationem ductam ab onere, alienationem, vel donationem omnium bonorum factam causa dotis filio, vel filiæ à Patre, immò & à Matre, plerique apud Marium Cutelli *tom. 2. de donat. disc. 1. spec. 1.* & quoad Matrem colligitur ex eodem *ibidem, disc. 3. spec. 4. initio*, putant, validam esse, quia omnes communiter concedunt, hanc non esse donationem, sed necessitatem onerosam collecandi filios, filiásque matrimonio, quod tamen alii apud eundem negant, nam sic donatis omnibus bonis uni ex filiis ob ejus nuptias, demeretur legitima aliis, quod efficacissimum est argumentum pro negantibus.

5. Quæres: Concesso, quod ejusmodi donatio omnium facta causa dotis, sit revocanda, expectandáne est mors conjugis, ut donatio revocetur, an statim poterit revocari, mortuo Patre?

Respondet idem Cutelli *ibidem, disc. 1. spec. 2.* dicens sententiam asserentem expectandam esse conjugis mortem, esse fortioribus argumentis vallatam. Ipsum lege.

6. Donatio omnium bonorum inter fratres valida est, ex Iulio Claro, cum Bonacina *loc. c. p. 5.* Rebell. quem citat, sequiturque Diana *part. 8. tract. 9. resol. 38. & 40.* & Rebellio, idque ob favorem servandæ agnationis, seu propriæ familiæ. Aliqui tamen id non admittunt. Lege citatos.

7. Porrò, quando dicta donatio inter fratres est reciproca, seu colligata, ut: *Tibi fratri meo dono omnia bona mea, & tu mihi omnia tua*, quid dicendum?

Respondeo, duobus modis id fieri contingere. Primò, in recompensationem, ut sit sensus: *Si tu des mihi tua, ego invicem tibi donabo mea*, & tunc, valida esset donatio, perinde, ac valeret inter extraneos; hæc enim non est donatio, sed commutatio. Secundò, non in recompensationem, sed absolutè sic: *Dono liberaliter tibi fratri meo*; tu verò independenter ab hac mea donatione dicas: *Ego tibi liberaliter dono mea*, & tunc, licèt inter extraneos hæc sit clarè nulla, & invalida, quia est donatio pura ex parte utriusque (vel saltem ex parte alterius donantis prius, in eo casu, quo, qui posteriùs donat, donaret ad retribuendum) tamen inter fratres, si sequaris Iulium Clarum allatum *num. 6.* validam, pronuntiabit donationem, at invalidam, si teneas cum aliis *ibidem* contrariis. Sed hæc Iurisperiti latiùs, de quibus non minùs latè Oñate *tom. 2. de contr. tr. 10. d. 30.* Theologus, aliique ab eodem citati.

### §. III. *Acceptans Donationem omnium bonorum, an obligetur ea restituere?*

1. ID enim verò pertinet ad moralem Theologum, de quo dico, eum, qui acceptavit ejusmodi bona, eáque possidet, non teneri illa restituere, donec à donatore repetantur, quia ex una parte Iura non faciunt inhabilem donatarium ad retinendum, sed solùm concedunt donatori facultatem exigendi, seu revocandi, ut habet Lessius, Rebellius, Turrianus, Filliucius, quos citat in simili, sequiturque Bonac. *d. 3. de contr. q. 13. part. 5. num.* 6. & ex alia, dum donator non repetit, cùm possit, ut supponimus, cedit juri suo, & consentire censetur retentioni alterius. Ita Villalobos, Rodriq. aliique apud Dianam *p. 8. tract. 4. resol.* 39.

2. Sed hic restat dubium, An statim, ac donator privatim requirit res ipsi donatario per prædictam donationem omnium bonorum donatas, obligetur donatarius restituere, an potiùs possit expectare sententiam Iudicis?

3. Respondeo statim, nec posse expectare judicis sententiam. Ratio est, quia donatio ipsa est invalida, nec solùm invalidanda: ergo dominium ejusmodi rerum donatarum est apud donatorem, ipsique omnino debitum: antea verò solùm retinere poterat, quia, ut dictum est, præsumebatur donator cedere Iuri suo, Ita mihi videtur esse discurrendum.

### §. IV. *An Donatio omnium bonorum juramento vallata sit valida?*

1. IVrisperiti communiter docent, esse invalidam, revocarique à donatore posse. Ratio est (inquiunt) quia ejusmodi donatio est contra bonos mores.

2. Sed refragantur Theologi, Molina, Lessius, aliique, quos refert, sequiturque Delugo, *d. 23. de Iust. à num. 163.* quibus adde Bonacinam, *d. 3. de contr. quæst. 13. p. 6. num. 1.* & Oñatem *tom. 2. de contr. tract. 10. d. 11. sect. 6. n. 131.* Vide etiam Dianam *p. 8. tr. 6. res. 43.* citantem Suar. & Vasq. ii enim aiunt, ejusmodi donationem, & validam esse, & non posse à donatore revocari. Ratio est (inquiunt) quia, quamvis ejusmodi donatio prodiga sit, & consequenter non solùm contra bonos mores politicos, sed etiam morales; est enim saltem peccaminosa venialiter, unde non possit confirmari Iuramento, quod non est vinculum iniquitatis; tamen id, quod promittitur sub dicto Iuramento, de quo loquimur, est, nolle revocare donationem jam factam, quod licitum est (aiunt) cùm nemo prohibeatur nolle revocare donationem, quam liberè facit.

3. Profectò tantorum virorum pace hæc doctrina, vel nimis obscura est, vel nequaquam vera. Sic ergo est planè distinguendum: Aliud est donare cum juramento: aliud promittere item cum juramento, se non revocaturum jam donata, ut per aliam occasionem rectè, distinguit Castr, *tom. 3. tract. de Iur. d. 2 p. 8. à n. 6.* Iuro, v. g. me nunc tibi donare equum: ecce donationem juratam. Deinde juro, hanc donationem jam tibi factam me non revocaturum, etiamsi adveniat casus, in quo liberè revocare possem. Ecce promissionem non revocandi, quod donatum est. Pari modo Testamentum condo, juróque, illam esse meam ultimam voluntatem: at non propterea me sic privo potestate illud revocandi, seu habendi postea aliam voluntatem. Quòd si jurem, me Testamentum illud jam factum non revocaturum, tunc profectò promitto per promissorium Iuramentum aliud diversum à Testamento; juro enim Testamentum factum non revocare, & hoc Iuramentum, seu promissionem juratam debere omnino servari, diximus *alibi*, quia hæc non revocatio, nullibi, est prohibita.

4. Sic ergo in casu nostro; si juro, me tibi donare omnia bona, tum donatio, tum juramentum huic donationi adhærens

adhærens, invalida, per omnes communiter Doctores sunt, quia sunt de re peccaminosa, saltem venialiter, déque re contra bonos mores.

Verùm, si jurem, non revocare ejusmodi donationem jam factam, putaverunt modò Delugo, aliíque, valere juramentum, nec posse amplius saltem ex virtute Religionis revocari, quia (iniquiunt) est de re, quæ sine peccato servari potest, cùm leges prohibeant quidem donationem omnium bonorum, sed non præcipiant, ut illa revocetur, vel non revocetur: sed solùm permittunt, ut possit donans revocare, si velit, quam promissionem à se per juramentum abjicere, nec peccatum est, nec contra leges, &c.

5. Verùm, signatè dixi (*putaverunt Deluga, aliíque*) me enim sic philosophari juvat: Sicuti non valet juramentum de re mala, ita nec valere debet juramentum, per quod persistatur in eadem re mala; ergo, si donatio omnium bonorum, ideo non valet, quia est de re prodiga, atque adeo de re peccaminosa, eodem modo valere non debebit juramentum de persistendo, seu de non revocanda ejusmodi donatione, quia est velle persistere in re prodiga, seu continuare culpam prodigalitatis: sicuti, si te injustè ejicerem in exilium, & deinde jurarem, me nolle te, cùm possim, ab exilio revocare: & sicuti, si donarem legitimam mei filii extraneo, & postea juratim, illam à dicto extraneo me revocare nolle, cùm possim.

6. Est igitur res accuratè perpendenda, & sic universim (pro similibus juramentis, de non revocando) distinguendum: Quoties non revocare, malum non est, toties juramentum de non revocando valet, & est observandum: Quoties verò non revocare, malum est, toties, sicuti non valet, nec est observandum juramentum de eo malo patrando, sic non valet, nec est observandum juramentum de non revocando, quia utrobique non debet juramentum esse vinculum iniquitatis.

7. Ex hac autem certa regula fit, ut in casu, de quo loquimur, juramentum non valeat, quia persistere cum illa prodigalitate omnium bonorum, & item nolle eam revocare, cùm possis, æquè malum est. At in exemplis modò allatis de non revocando Testamento, & de non revocanda donatione illius equi, valebit juramentum, observandúmque erit, quia persistere in Testamento legitimè factò, & in donatione equi, nec malum ex se est, nec prohibitum, & eodem modo, etiam res se habet in pluribus exemplis à me adductis. *Lib.3. in Decal. c.3.§ 5. num.39.*

8. Non satisfaciunt ergo nonnulli Iurisperiti, apud Marium Cutelli, *t.1. de donat. disc.2.particul.8.* loquentem *de Iuram. appositio donationi Patris ad filium*, dum sive absolutè concedunt, sive absolutè negant, juramentum de hisce similibus valere: Non satisfaciunt (inquam) nam ad pronuntiandam dictam validitatem, vel invaliditatem, semper expendi debet, utrùm juramentum cadat in rem aliquo tandem modo, sive in se, sive in ejus perseverantia, malam, an non: Si posterius, est validum, observandumque; si prius, nec validum, nec observandum.

## CAPVT V.

### De Solemnitate Donationis, id est, de ejus Insinuatione.

#### §. I. *Quid sit Insinuatio, & in cujus quantitatis Donatione adhibenda?*

1. PRopria donationis solemnitas à Iure requisita insinuatio, ut scilicet donatio debeat judici insinuari, hoc est, manifestari. Ad quod certè satis est, si vel ipse donator, vel ejus procurator, vel ipse donatarius, ex donatoris mandato, compareat coram Iudice, qui Iudex non necessariò sedens pro Tribunali (cùm hîc non sit actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ) mandet Notario, ut eam manifestationem redigat in actis ad memoriam in futurum.

2. Hanc solemnitatem, sine qua donatio est invalida, leges invexere, ut à Iudice, tanquam à persona agente pro Reipublicæ bono, prodigis donationibus moderationem adhiberet. Vnde rectè Oñate *t.2. de contract. tr.10.d.30.num.103.* advertit, non posse Iudicem denegare approbationem ejusmodi donationis, quando nulla apparet causa negandi, posse autem, cùm apparet, quia et hoc instituta est Lex insinuationis, ut prudenter, & sine damno, vel boni communis, vel Tertii, vel etiam ipsius donantis donatio fiat.

#### *Quantitas Donationis insinuanda.*

3. Hæc sunt clara. Illud explicatione indiget. Non jura non requirunt hanc solemnitatem pro quacunque modicæ rei donatione, sed pro ea, quæ nunc post Imperatorem Constantinum, *L. Sancimus, §. ult. & penult. C. de quæ pro Redemp. §. penult. C. de donat.* transcendat valorem quingentorum solidorum.

4. Difficultas autem tota versatur in expiscanda mensura quæ in nostræ ætatis moneta huic summæ quingentorum solidorum correspondeat. Varii varia. Azor apud Bonac. *d.3. de contract. quæst.13. part.6.n.3.* ait, unum solidum æquivalere nummo aureo valenti decem, & septem Regalibus, seu Juliis Italicis (Julium autem continere tarenum Siculum cum granis item Siculis circiter quinque *alibi* monui.)

5. Alii apud eundem Bonac. *loc. cit.* aiunt, solidum æquivalere qui dem nummo aureo, sed numerum autem volunt continere quatuordecim, aut quindecim Regalios, seu Julios, quales sunt Onghari, seu Zicchini Veneti. Unde infert Bonac. ex Molina, & aliis, cùm debeat hæc computatio fieri secundùm tempus, quo valebant solidi, quando condita fuit hæc lex, infert, inquam, validam esse donationem sine insinuatione, si sit valoris septingentorum aureorum.

6. Non longè abest Delugo *d.23. de Iust. num.149.* decens valorem correspondentem quingentis solidis esse in nostra pecunia, septingenta, & tredecim scuta quæ vocantur de moneta:

7. Oñate *t.2. de cont. tract.10. cap.30. num.111.* ait, legem Castellæ quingentos solidos vocasse, & cõmunisse, esse quingentos *Maravedis de oro*, vel quingentos ducatos aureos singulos valoris quatuordecim Regalium.

Sed quia pro temporibus diversis (addit idem Oñate) immò & eodem tempore, in diversis locis varius est valor monetarum, unde, variè ipsorum quantitas correspondet prædictis solidis, ideo non esse mirum quod Julius Clarus asserat, quingentos solidos antiquos continere summam septingentorum scutorum hujus temporis. Bellarius verò dicat, efficere plusquam mille aureos. Alii autem septingentos, & quinquaginta scutos, Angli sexcentos, Alciatus octoginta. Denique idem Oñate testatur se observasse in Peruana Provincia, ubi magna vis aurei viget, solidos 500. valere duobus millibus scutis.

8. Quid igitur in tanta varietate statuendum nobis est? statue juxta prudentem ejusdem Oñates monitionem, nimirum, meliorem computationem, hac in re, esse non posse, nisi eam, quam in unaquaque Provincia tenet, & observat praxis Tribunalium, quia praxis, & stylus Curiæ est optimus hujus legis interpres, eique standum, sive congruat cum quingentis solidis antiquis, sive non. Statue item juxta similem monitionem Bonac qui *d.3. de contract. c.13. p.ult. num.6.* inquit: *Consulenda sunt, hoc in re statuta cujusque loci, & à Causidicis potius, quam à Theologo petenda est consultatio.*

9. Sanè Panormi quæcunque donatio rei immobilis cujuscumque quantitatis insinuari consuevit, tum, ut evitentur lites de ejusmodi quantitate, tum quia Capitulum 61. Ferdinandi, & Constitutio Comitis Castri §. de quibus

quibus mox *infrà*, §.2. *num.* 6. mentionem faciam, præcipit absolutè, & sine limitatione donationes insinuari debere, ( & quidem tum in loco, ubi ea fit, tum in loco, ubi sunt bona donata ) Cùm enim dicta statuta non taxent quantitatem, rectè usus subsecutus explicuit quamcunque.

*An Donatio non insinuata tota sit invalida?*

10. Inquires primò : Si quis donet sine insinuatione rem valentem, verbi gratiâ, mille solidos, éstne invalida tota donatio quoad mille, an solùm quoad id, quod excedit illos quingentos solidos, id est, quoad 500.

Respondeo. Solùm quoad excessum. Quare in casu dicto valebit quoad quingentos, non verò quoad alios quingentos. Ratio hujus rei nulla alia est, nisi quia expresse definitur in Jure, *l. Sancimus, C. de Donat.* aliisque Jurib. adductis à Diana *p.*8. *tr.*6. *resol.*46.

An donatio non insinuata, sed juramento firmata sit valida, & revocari non possit, colligi potest ex supra dictis in simili, *cap.*4. §.4. Vide etiam Dianam *loc. cit. resol.*51.

*Donata sine Insinuatione.*

11. Inquires secundò : Excessum supra quingentos solidos modo explicato mihi sine insinuatione donatum, possúmne retinere in foro conscientiæ ?

Respondeo, posse cum Delugo *t.*2. *de Iust. disp.*23. *num.*156. Vide etiam Dianam *cit. res.*53. donec à donatore repetatur modo, quo dixi nuper de donatione omnium bonorum. Ipse autem semper poterit repetere, si volet, etiamsi sciat, nullam in donatione irrepsisse fraudem, vel vim, quia hanc facultatem illi Leges concedunt. Posse donatorem cedere huic juri, ut scilicet valeat sua donatio sine insinuatione saltem in foro conscientiæ, significant nonnulli Doctores apud Dianam *part.*8. *tr.*6. *resol.*52.

§. II. *Quænam Donationes, quamvis excedentes 500. solidos non indigent Insinuatione?*

1. PRimò, Donatio facta causæ piæ ( inter pias esse numerandam causam redimendi captivos, dubium tibi ne sit ) ita communiter Doctores apud Dianam *p.*8. *tract.*6. *resol.*49.

2. Secundò, facta Principi summo, vel facta à Duce Militibus de rebus mobilibus.

3. Tertiò, Donatio facta in remunerationem.

4. Quartò, facta ob causam. Et quidem donationem Patris, atque, ex meliore sententia, etiam Matris, factam Filio contemplatione Matrimonii ejusdem filii, esse ob causam, diximus *l.*5. *in Dec. c.*4. §.2. & docet Menoch. *consil.*261. Quare hìc consequenter dicendum insinuatione non indigere ex vi Juris communis.

5. At nota, donationem extranei factam alicui, etiam contemplatione Matrimonii non esse ex causa, sed prorsus liberalem, quia est voluntaria, & non procedens ex radice necessitatis, cùm extraneus non obligetur curare Matrimonium alterius. Lege de hoc latè Marium Cutelli, *t.*1. *de Donat. disc.*2. *partic.*6. *à n.*7. atque adeo certum est, semper hanc extranei donationem esse modo supradicto insinuandam.

6. Dixi ( ex vi juris communis ) nam in jure nostri Regni Siciliæ communiter nostri Doctores docent, donationem Patris, vel Matris filiis factam, etiam ob Matrimonii causam, debere insinuari, id enim præcepit Capitulum 61. Regis Ferdinandi, & novissimè constituto Comitis Castri Proreg. anno 1618. §.2. Sed refragatur nihilominus item Cutelli *t.*2. *de Donat. disc.*1. *speciali* 4. contendens, dictum nostrum Jus municipale aliud intendere, non autem necessitatem Insinuationis. Illum adi, si ubi est otium; monitus tamen à me, ut Insinuationem prædictam ne negligas, tum, ut lites, quantum abrumpere potes, abrumpas, tum, quia praxis nostri Regni dictum Capitulum Ferdinandi, dictámque Castri Constitutionem, ad literam, observat, ut *suprà*, §.1. *num.*9. dictum est.

7. Quintò, donatio causa mortis.

8. Sextò, donatio, quâ uxor sua bona donat viro in dotem.

Id quod Diana *p.*8. *tr.*6. *resol.*47. extendit etiam ad sponsalitiam largitatem, sed hæc jure communi, nam in nostro municipali jure idem dic, quod dictum est modò *num.*6.

9. Septimò, Donatio bonorum, quæ Religiosus secum affert ad Monasterium, dum professionem emittit.

10. Hæ septem donationum Classes validæ sunt sine insinuatione, ut habent jura Civilia, & docent communiter Doctores, quorum multi citantur à Diana *loc. cit.* Ratio autem primæ est, quia Legislator Civilis non potest leges condere in detrimentum operum bonorum.

11. Ratio secundæ est, quia donatio facta Principi, vel à prædicto Duce excipitur ab insinuatione in dicta *l. Sancimus.*

12. Ratio tertiæ est, quia remuneratoria, in tigore non est pura donatio, ut *suprà* indicavimus *cap.*2. §.2. *num.*2. Unde donationes reciprocæ, seu colligatæ inter fratres, de quibus dixi *c.*4. §.2. *num.*7. Si fiant in recompensationem, ut ibi explicuimus, non indigent insinuatione, indigent verò, si fiant absolutè, & independenter, quia illæ non sunt puræ donationes, hæ autem sunt.

13. Huc etiam reduco donationem, quâ Filius moderatum aliquid donat Patri, ob emancipationem, ejusmodi enim donatio remuneratoria est: Filius enim accipit à Patre Beneficium solutionis à Patria potestate, Pater autem accipit Beneficium, non amplius alendi filium. Sed cur hæc Beneficia invicem non compensentur, & consequenter quod datur, quamvis propter ipsam emancipationem, cur non dicatur pura donatio indigens insinuatione? Sanè ita cum Pinello tenere videtur Molina citatus, sed non exceptus à Delugo, *disp.*23. *de Iust. num.*162.

14. Ratio quartæ est, quia non est pura donatio ea, quæ fit ex causa, nam donatio, v.g. quam alicui facis, ob obsequium, seu laborem pro te impensum, vocari non poterit liberalis, seu pura.

15. Huc reduco donationem factam ad reparandam domum, quæ ruinâ cecidit, vel ex igne destructa est, dummodò donata ad illum solùm usum expendantur. Ratio est, quia reparatio domus causa legitima est, cùm ad bonum publicum faciat, reparari domus, & ita decernitur in jure, *l. penult. C. de donat.*

Ratio quintæ est, quia donatio causa mortis, ut *suprà* vidimus, potiùs est ultimæ voluntatis dispositio, quàm donatio. Esto, aliqui cum Julio Clar. *q.*17. dicant, donationem causa mortis indigere insinuatione, quod certè etiam probabile est.

16. Ratio sextæ, & septimæ est, quia illæ non sunt donationes, nam sunt quid consequens ad personam, &c.

Sed quid primò, de remissione debiti ?

Respondeo, distinguendo : Nam remissio debiti juris acquisiti, si excedit prædictam summam, sub pœna nullitatis est insinuanda. At verò remissio juris acquirendi non est necessariò insinuanda. Ratio est, quia illa æquivalet donationi, non autem, hæc, quæ solùm est non acquisitio. Nam propterea Confessio, qua, dote non soluta, fateatur Maritus, solutam esse, indiget insinuatione, quia est remissio juris acquisiti.

17. Quid secundò, de donatione pluribus facta?

Respondeo, si donatio pluribus facta simul, eodémque tempore fiat, invalida est quoad excessum, si non

insinuetur

insinuetur, etiamsi donator dicat, se facere diversas donationes, quia adhuc est donatio excedens. Idem dic, si ejusmodi donatio sit diversarum rerum, ut, si quis donaret equum, prædium, vestem, quæ quamvis singulæ non excedant, excedunt tamen simul junctæ. Relege *l. Sancimus*, ubi Legislator hanc donationem pluribus factam insinuationi subjectam vult, & meritò, quia sic depauperari etiam facilè quis potest.

18. At verò, si successivè fiat pluribus, insinuatione non indiget, quia tunc verè sunt multæ donationes, quarum nulla, ut supponimus, excedit summam quingentorum solidorum. Lege Molinam, *d.* 278. & Rebellium *p.* 2. *lib.* 18. *q.* 6. *num.* 7. aliósque apud Dianam *part.* 8. *tract.* 6. *resol.* 48.

19. Hinc, si quis donet censum, qui uno anno non excedit quingentos solidos, excedit autem unitim cum aliis annis, si quis, inquam, donet ejusmodi censum exigendum per multos annos; sed solùm durante vita donatarii, vel ipsius donatoris, non indiget insinuatione, quia sic censetur multæ donationes distinctæ, cùm enim vita possit durare solùm per annum, modica judicanda est donatio, quæ sit certa, quæ autem correspondet aliis vitæ annis, cùm sit certa, non est censenda vera donatio. Contrà verò, si quis donet eundem censum exigendum à successoribus donatarii, & solvendum ab hæredibus donatoris; ut etiam si quis donet eundem censum, determinando tot annos, quibus pensiones census excedant quingentos solidos, indiget insinuatione, quia tunc donatio præsumitur esse facta per modum unius. Ita clarè decernit dicta *Lex Sancimus*, §. *ult.*

20. Quid tertiò, si contrà, hoc est, si multi, v. g. decem, aliquid mihi donent, quorum singulorum donatio non excedat, omnium verò excedat summam 500. solidorum?

Respondeo: Oñate *t.* 2. *de contract. tract.* 10 *d.* 30. *n.* 139. sic distinguit: Si ii decem, communicato consilio, donent uni tibi, insinuatione opus esse, quia est una donatio. Si verò singuli per se donent, insinuatione opus non esse, quia sic, sunt plures donationes. Hæc Oñate, nullam rationem, nec auctoritatem ullam afferens. Non est igitur approbandus, nisi fortè loquatur de donatione facta à multis, qui constituunt unam personam moralem, ut, si Universitas, Civitas, Capitulum donaret; tunc enim esset verè una donatio. Quòd autem, si secùs intelligatur, approbandus non sit, patet, quia intentio legis est moderari effusas largitiones, hoc est, prodigalitatem ex parte donantis. At quæ effusio est, si mille, v. g. homines, communicato consilio, donent tibi singuli ex propriis bonis solidum unum?

## CAPVT VI.

### *De Revocatione Donationis.*

1. Adtres reducuntur causæ, ob quas, tum in foro conscientiæ, tum in foro externo revocari queat donatio (multò magis promissio donandi) sive solùm acceptata, sive etiam omni ex parte completa per traditionem rem exhibitam. Prima causa est ob ingratitudinem. Secunda ob prolem, postea susceptam. Tertia, ob inofficiosam donationem. Breviter de singulis, nam quia satis plenè hæ causæ expenduntur à Jurisperitis, & Theolog. adductis à Delugo *d.* 23. *de Iust. à n.* 167. & Bonacina *d.* 3. *de contract. quæst.* 13. *part. ultim.* ideo in his operæ pretium nobis erit, necessaria dumtaxat afferre, cætera resecare.

### §. I. *Revocatio Donationis liberalis ob ingratitudinem Donatarii.*

1. Hujusmodi ingratitudinem, quæ concedit facultatem revocandi rem donatam, & quidem etiam, teste Dicast. Molin. aliisque citatis à Diana 8. *tr.* 6. *r.* 58. fructuum ex ipsa perceptorum post litis contestationem in quinque casibus locum habere sancire leges.

2. Primò, quando donatarius atroces injurias contra donatorem effundit, intelligo, ex meliore sententia, etiam quando, licèt non verbis, factis tamen atrocem est injurius, ut, si, v. g. cornua ad donatoris pilam affigat.

3. Secundò, quando manus impias infert in donatorem.

Tertiò, quando notabile, & grave eidem detrimentum facit.

4. Quartò, quando vitæ periculum, sive per se, sive per alium eidem affert.

5. Quintò, quando donatarius non vult implere gravamina, sub quibus donans rem fortè donavit. Vide Lugo, quæ dicam *n.* 13.

6. Nota primò, hanc revocationem ob ingratitudinem habere locum etiam in Legato, teste Mol. *d.* 278. *v. Legatum*, Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 13. *p. ult. n.* 5. imò, si Legatarius injurius atrociter esset Testatori, v. g. noscendo dicti Testatoris uxorem, &c.

7. Nota secundò, in prædictis committendis, dictum in culpa esse donatarium: Unde, si justo, v. g. donatorem homicidam accuset, si justè sum reperta, quamvis cum damno donatoris, si justè, ut se defendat, donatorem occidat, &c. non potest ipsi revocari donatio, quia, ubi non adest culpa, nec adest debita pœna.

8. Nota tertiò, ejusmodi ingratitudinem debere coram judice certo probari. Donec ergo quis condemnetur à judice, poterit sibi retinere donata, nec poterit donans ex se illa reassumere, nec si extra judicium, sententiam impetrat, poterit obligare donatarium ad restituendum. Sic Delugo, Mol. Fagund. aliique excepti à Diana *p.* 8. *n.* 1. *res.* 58. Ratio est, quia ad pœnam non obligatur quisquis post sententiam judicis.

9. Illud concederem cum Lessio, ac Rebello, quos sequitur, adducitque Bonac. *l. c. p. ult. n.* 8. cum, qui promisit rem donare, nec dum illam tradidit, posse non tradere ac sibi retinere, si Promissatius aliquam ingratitudinem ex prædictis contraxit, nec aliud ostitur feandalum, quia certè non videtur, se voluisse obligare ad tradendam rem promissam in tanta ingratitudinis circumstantia.

10. Dicastill. *l.* 2. *tr.* 5. *d.* 1. *dub.* 7. *num.* 107. & 110. apud Dianam *l. c.* tamen sustinet, si apertè constet de ingratitudine donatarii, posse donantem ex se reassumere rem donatam, occultéque compensare, quia tota vis potestatis revocandi fundatur in defectu conditionis implicitè appositæ in donatione, id est: *Si donatarius ingratus non extiterit*: quæ certè sententia non est improbabilis.

11. Nota quartò, quid, si ingratitudo æqualis, vel gravior committatur à donatario, præter eas quinque, quas modò numeravimus, eodémne modo poterit donationem donator revocare?

Respondeo, eodem modo, putant plures apud Mol. *d.* 281. *n.* 8. quod etiam amplectitur Diana *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 56. sed ipse Mol. Rebell. Turr. apud Delugo, *l. c. n.* 173. id inquaquam concedunt, nam hæc potestas revocandi donationem, cùm sit ex probabiliore opinione solùm de jure positivo Legum, non verò de jure naturæ, stricta odiosa, solùm restringenda est ad expressa à legibus. Si non ita diceret Dicastillus, qui modò fundavit totam vim ejusmodi revocationis ob ingratitudinem in opposita implicita conditione: *Nisi Donatarius ingratus extiterit.*

12. Illud ego noto, esse tam amplam tertiam conditionem allatam *num.* 3. ut plures comprehendat ex illis, quas ut similes fortasse vocares, sed illæ verè sunt ex expressis, si accuratiùs expendantur.

13. Denique, si donans, cognitâ injuriâ, dum vult donationem non revocavit à donatario modis dictis ingrato, nec revocare incepit, judicari posse, factum esse remissio

remissionem à donante, quod distinctiùs vide apud Mol. d. 281.

14. Si solùm fuit res promissa, & nondum tradita, posse in foro conscientiæ, cessante scandalo, non tradi ob æquivalentes causas ingratitudinis, concedit Rebell. 9.9.n.9. quia præsumi potest donatorem potiùs noluisse rem tradere, quàm obligare rem suam in casu tantæ ingratitudinis: id, quod firmat, quia n. 9. dicta sunt.

15. Nota quintò, hanc potestatem revocandi non habere locum in donationibus factis Ecclesiæ, nam quamvis ejus Prælatus ingratus sit, nihil nocere poterit donationi, quæ non ipsi, sed Deo facta est, qui certè ingratus esse non potest. Ita Vadignus, Laym. Hurt. Delug. Dicastil. aliique apud Dianam p. 8 tr. 6. resol. 56. contra Fagund. ibid. citatum. Quod si onus à donante donatarius ipsi Ecclesiæ impositum non adimplet, cogi poterit à legitimo Superiore, ut adimpleat, non verò ut restituat donata.

16. Denique posset hîc quæri, utrùm potestas revocandi donationem in dictis casibus transeat ad hæredes? Verùm eadem potestas adsit in donatione remuneratoria? Vtrum eadem adsit in donatione Beneficiorum Ecclesiasticorum? Vtrùm eadem adsit in matre respectu filii, vel in Patrono respectu liberi? Verùm, hæc dilucidè tractata habes apud Doctores citatos, & breviter collectos apud Delugo l.c. Mol. l.c. Vide etiam Dianam, p. 8. tr. 6. res. 117. quoad donationem remuneratoriam; Quoad quamcunque autem donationem ex causa, vide apud Martium Cutelli, t. 1. de Donat. disc. 3. partic. 4. initio. Rursus, An donator possit revocare donationem ex eo, quod donatarius non alat donatorem jam lapsum in paupertatem? & an Pater ob causas supradictas possit revocare dotem datam Filiæ, dum vivit ejusdem filiæ Maritus, vel eo mortuo, si extent filii? sed hæc clare habes apud eundem Dianam l. c. res. 55.

Denique. Quid, si donator juravit se renuntiare huic potestati revocandi ex ingratitudine? Verùm, ex supradictis c. 4. n. 4. tunc non posse revocare, colliges ex mea sententia.

## §. II. *Revocatio ob filios, post Donationem susceptos.*

1. LEx, quæ disponit donationem revocari ob suscepros filios, loquitur quidem de libertis, sed Doctores apud Dianam p. 8. tr. 6. resol. 63. sive ob identitatem rationis, sive ob contextus variarum legum extendunt ad alios quoscunque. Verba Legis hæc sunt, L. Si unquam, C. de revocand. Donat.

*Si unquam libertis Patronus filios non habens bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum ad ipsum revertatur.*

Meritò quidem, quia non præsumitur velle quis, etiamsi juraverit, donare rem notabilem aliis (nam excipiendæ sunt res levioris momenti) in eo casu, quo propriam sobolem nanciscatur, sive illam de novo suscipiat, sive de novo cognoscat, esse suam: nam semper ejusmodi donationes imbibunt conditionem, si mihi filius non adsit. Quare tunc donatio erit in totum revocanda, si facta fuit extraneo, nam, si facta fuerit uni ex filiis, dicam num. 14.

2. Adverte tamen donationem factam Ecclesiæ non revocari in totum, sed solùm, quoad legitimam filii, vel filiorum. Adverte item, idem esse, quando quis juravit, non revocaturum donationem; tunc enim solùm, quoad legitimam, erit revocanda; quia cùm de aliis portionibus possit Pater ad libitum disponere, & sine peccato, ut hic omnino est supponendum, juramentum, quoad ipsas validum est, & observandum per dicta c. 4. §. 4.

3. Verùm, non revocatur donatio, quando suscipiuntur filii spurii, vel non legitimi, quia dicta L. *si unquam*, semper loquitur de filiis legitimis.

4. Quid, si legitimentur per subsequens Matrimonium? Respondeo, revocari, quia hi sunt perfectissimè legitimi.

5. Quid, si legitimentur per Principis privilegium? Respondeo, Dicastillus negat, revocari, quia is, ait, non est perfectè legitimus, Hurtadus tamen, & meritò, docet, revocari, quia is gaudet omnibus privilegiis filii legitimi.

6. An dicta dispositio revocandi donationem ob prolem susceptam, locum habeat in donatione remuneratoria?

Respondeo, cum Mar. Cutel. tom. 1. de Donat. disc. 2. partic. 13. Vide etiam Dianam p. 8. tr. 6. ref. 65. negativè, quia hæc, ut toties dictum est, non est pura donatio, de qua loquitur dicta l. *Si unquam*.

7. An quando proles præcogitata fuit, & nihilominus donatio fuit facta, ea sit revocanda?

Respondeo, Aliqui, ut Hurt. & Rebell. apud Dianam l.c. res. 59. putant non esse revocandam, quia favor (inquit) hujus legis factus est Patri, & ideo illum renuntiare poterit. Alii, ut Vadig. Dicastill. Delugo apud eundem, quibus adde Cutel. t. 2. de Donation. disc. 1. speciali 3. censent, esse revocandam, quia, contrà putant, favorem hujus Legis factum esse filiis.

8. An reviviscat donatio, si filius de novo susceptus moriatur?

Respondeo, reviviscere saltem communiter, docet Delugo, d. 23. de Iust. à num. 180. quia intentio donatoris, semper præsumitur esse, ut donatio constet, si filiis, vel nepotibus non præjudicet. Non revivisc ere, tenet Dicastill. apud Dianam l. c. tr. 61. citantem Hurt. & Rebell. quia donatio, inquit, semel extincta per susceptum filium, non potest iterum vivere sine novo consensu donatoris.

9. Nota denique, donatarium, supervenientibus donatoris filiis, teneri in conscientia restituere res donatas, si à donatore etiam extra judicium eæ repetantur, quia hæc non est pœna, ut erat ob ingratitudinem, sed est dispositio Iuris irritans omnino donationem. Si tamen donator non petat, cùm possit, poterunt res donatæ retineri ex eo capite, quod tunc donator præsumitur condonare, ut modò in simili diximus *suprà cap. 4. §. 3. n. 1.* & docet etiam Lessius, l. 2. cap. 18. dub. 14. num. 100.

10. Excipe semper ex regulis universalibus restitutionis, nisi bona fide donatarius res acceperit, bonáque item fide non factus locupletior, consumpserit, ut notat rectè Delugo, d. 24. de Iust. n. 218.

### *Dubium incidens: An Testamentum, & Legata intelligantur revocata ob susceptam, vel de novo cognitam prolem?*

11 Eo ipso revocatum intelligi Testamentum, quoad institutionem hæredis, certum est. Sed quid, quoad legata?

Respondeo: Idem dicendum, ut docet tanquam probabilius, Sanch. l. 4. consil. c. 1. d. 52. num. 4. & meritò, nam, cùm legata sint veluti donationes quædam, ratio, quæ probat, superveniente filio, rescindi donationem, urget, & in Legatis. Est autem in legatis illa exceptio, ut ea legata sustinenda sint, quæ verosimiliter (id, quod ex conjecturis est colligendum) ipse Pater adhuc fecisset, natis, vel cognitis de novo filiis. Ita idem Sanch. cum pluribus, quibus adde Molin. d. 175. §. *Intelligendum præterea.*

12. Si supervivat Pater post natos, vel cognitos filios, & tamen Testamentum nequaquam revocet, putant aliqui, non intelligi revocatum, quia, si potuit (aiunt) & noluit, signum dat, volendi in eo perseverare. Alii tamen cum eodem Sanch. l.c. n. 10. inquiunt, intelligi revocatum. Sed meliùs distinguendum cum Delugo, d. 14. de Iust. n. 53. Si enim ad sunt conjecturæ, non revocatum expressè fuisse à Patre Testamentum, quia expectabat fortè tempus aptius revocandi, sed repente mortuus est, utique revocatum intelligetur. Si verò adsint conjecturæ prædictæ perseverantiæ, non erit revocatum.

13. Denique, si vivente adhuc Patre, qui jam suum condiderat Testamentum, nascatur illi filius, *l. Posthumus, initio, ff. de injusto rupto*, & statim moriatur, convalescet Patris Testamentum, etiamsi in illo fuisset institutus hæres quicunque extraneus; nam in jure, quod à principio validum fuit, facilius recuperat suas vires, quàm, quod fuerat invalidum de novo eas acquirit.

### §. III. *Revocatio Donationis inofficiosæ.*

1. QVoties fit donatio (& quidem notabilis quantitatis, ut *suprà* monui in simili) ab aliquo, qui dum donat, habet filios (nam *in præcedente paragr.* locuti sumus de non habente filios, dum donat, sed habente postea) toties illa donatio, si demat de legitima filiis debita, erit, & appellabitur inofficiosa, idest, contra officium pietatis Patris, vel Matris debitum filiis, rescindi e omnino debet, etiamsi sit juramento firmata, quia juramentum non potest obligare aliquem in præjudicium aliorum, ut hic esset in præjudicium legitimæ filiorum.

2. Adverte autem ejusmodi rescissionem peti non posse à filio, nisi defuncto Patre, quia legitima ei non debetur, nisi post Patris mortem.

Ex hac certâ doctrina, quatuor dubitationes emergunt.

#### *Donatio inofficiosa totáne, an pars sit invalida?*

3. Prima, An donatio inofficiosa facta extraneo sit invalida in totum, an solùm in parte, quatenus scilicet officit legitimæ filiorum?

Respondeo: Si ea donatio non fuit facta animo fraudandi legitimam eorum, quibus debetur, solùm invalidatur, seu revocatur, quoad partem, in quantum scilicet possit remanere dicta legitima. Et puto ad hanc revocationem (sed, ut dixi, post mortem Patris) non esse opus sententia Iudicis, quia legitima semper est, post Patris mortem, debita filiis.

4. At, si ea donatio facta fuit animo fraudandi legitimam, iis, quibus debetur, quod Iurisperiti dicunt, donationem esse inofficiosam re, & consilio: Aliqui apud Molinam *d. 283. n. 12.* negant, revocandam esse in totum, aliqui affirmant, at ipse Molina tandem concludit, favendum esse possessori.

Addit Delugo *d. 23. de Iust. num. 202.* Video etiam Dianam *p. 8. tr. 6. res. 66. & 84.* non esse fundamentum, cur debeat revocari in totum.

5. Ego dico primò, certum mihi esse, revocandam quoad partem correspondentem legitimæ, & quoad partem eandem esse invalidam, & posse filium ante omnem sententiam sibi repetere, & obligari donatarium restituere modo suprà dicto *in §. præced.*

6. Dico secundò: Si fortè judicet quis revocandum esse in totum, certum mihi esse, id non posse fieri, nisi per sententiam Iudicis. Ratio est, quia hæc esset pœna illius animi defraudandi legitimam. At pœnam temporalem subire, nemo cogitur ante sententiam.

7. Objicis: Pater dum vivit, sine in justitia (esto, aliquando cum peccato, quando, v.g. est contra charitatem filiis debitam) potest omnia bona sua alienare in extraneos, etiamsi legitima pro filiis nulla sit remansura, nam dum ipse Pater vivit, est dominus rerum suarum, & legitima non debetur filiis, vel ascendentibus, nisi post Patris mortem; Ergo donatarius non obligabitur in conscientia ante sententiam, tradere legitimam prædictis filiis defuncti, nec filii possunt repetere ante eandem sententiam: quia ea bona non accipit donatarius à Patre contra Iustitiam.

Respondeo: Vrget objectio, sed tamen dico, Esto, sit valida illa donatio, vivente Patre, at hoc mortuo, cùm ea remaneat, seu evadat inofficiosa, posse filium legitimam, seu certè sua congrua alimenta ab illa donatione sibi repetere, ac debere donatarium reddere ante omnem sententiam, quia pars illa donationis correspondens legitimæ post mortem Patris, non est donatarii, sed filiorum. Cujus rei ulterior ratio est similis illi rationi, quæ dicta est §. *præced. num. 2.* Nam sicuti omnis donatus imbibit conditionem, si filius mihi non nascetur, ita imbibit conditionem: *Si filio meo post meam mortem sufficiat legitima, seu saltem sua alimenta non defuerint.*

#### *Donatio inofficiosa respectu Ascendentium.*

8. Secunda dubitatio: An idem sit respectu Ascendentium? Si scilicet filius descendentibus carens, ita donet extraneo, ut non remaneat pro Patre, vel Avo sua legitima, quæ certè ipsis debetur, moriente dicto filio, vel dene donet?

Respondeo, idem esse dicendum, invalidámque esse donationem, eo prorsus modo, quo *suprà* de Patris donatione respectu legitimæ filiorum. Ita Doctores omnes, et *l. Si Filius, C. de inofficiosa donat.* Et ratio nimis est in promptu, quia nimirum æquè illi debetur legitima, &c.

#### *Donatio facta Ascendentibus, an revocanda sit, si deinde nascatur Donatori Filius?*

9. Tertia: Titius nullos habens filios, suo Patri, vel suo Avo donationem suorum bonorum legitimè fecit, unde ad aliquot annos nati sunt filii ipsi Titio. Quæritur, an & quatenùs hæc donatio valida sit, vel invalida?

Respondeo, esse invalidam, idque propter rationem universaliter dictam, quia ob susceptam prolem annullatur donatio.

10. Vrges: Estne invalida quoad legitimam tantùm debitam filio jam nato, an secundùm totum.

Respondeo, esse probabilius, quod sit invalida quoad totum, & consequenter, quod ascendentes post mortem donatoris debeant omnia bona donata restituere ante omnem sententiam filio huic nato. Ratio est, quia secundùm ordinem naturalem facultates Patris descendentibus debentur, & solùm in defectu descendentium debentur ascendentibus.

11. Objicis: Diximus modò, donationem factam Ecclesiæ, si postea nascatur donatori filius, non revocari, nisi quoad nati filii legitimam, ergo pari ratione donatio facta ascendentibus, si postea donatori filius nascatur, non revocari debet, nisi quoad dicti filii legitimam.

Respondeo, negando consequentiam, nam præsto est disparitas, si quidem illa est donatio facta in bonum animæ, quæ, salvâ legitimâ, sustineri censenda est à donatore: at hæc facta ascendentibus nulla ratione censeri à donatore sustineri, cùm (sicuti modò diximus) Ordo naturalis requirat, ut facultates Patris habeant filii, non descendentes, quando hi adsunt, non verò ascendentes. Lege Mol. *d. 282. Dubium ulterius est.*

#### *Donatio inofficiosa facta uni ex Filiis.*

12. Quarta dubitatio: S. Pater det uni ex filiis successivè cum præjudicio legitimæ aliorum filiorum, an donatio éstne inofficiosa?

Respondeo, esse inofficiosam, & revocandam, imò invalidam, atque afferre eandem obligationem restitutionis dictam *n. 5.* secundùm illum excessum tamen, qui præjudicat dictæ legitimæ. Id satis patet ex dictis, quia sua portio legitima semper æquè filiis debetur post mortem Patris.

13. Adde, id locum etiam habere in eo casu, ut vult Cutelli, *tom. 2. de Donat. spec. 2. & spec. 3.* quo Pater causa dotis donationem omnium bonorum, vel excessivam dederit uni ex filiis: erit enim etiam hæc donatio inofficiosa, si non remanet legitima pro aliis filiis, cùm nulla causa possit dari, quæ legitimæ favorem superaret.

14. Illud

14. Illud permaximè hîc est advertendum, in quo maximè labi proclive est ei, qui perfunctorie quæstiones evolvit. Si enim extraneus habuerit à Titio, v. g. donationem excessivam, quam ipse extraneus bona fide acceptavit, bona fide consumpsit, nec in ullo factus est locupletior, ad nihil in conscientia obligabitur, sive Titio deinde nascatur filius, sive, si Titius, tunc, quando donavit, filios forte habuerit; ad nihil, inquam, obligabitur, nec ad legitimam quidem dictorum filiorum. Ratio est, quia sub prædictis circumstantiis ex nulla radice restitutionis urgetur ejusmodi extraneus, ut ex regulis universalibus de Restitutione constat.

15. At verò filius, qui recipit à Patre vivente bona, quæ, juxta alibi dicta, præsumuntur pertinere ad legitimam suam, recipit, inquam, cum præjudicio aliorum filiorum, debebit etiam, teste Delugo *d. 24. de Iust. n. 218. & 219.* in conscientia computare id, quod accipit in suam legitimam, quamvis bona fide acceperit, bonáque fide consumpserit, nec in ullo factus sit ditior. Ratio est, quia, quando Pater illi donavit, jam extinxit obligationem donandi ipsi legitimam, & jam ipse filius suam eandem legitimam habuit. Ergo, quando illam consumpsit, suam legitimam consumpsit. Ergo eandem, mortuo Patre exigere non potest, publicatam enim haberet, quod esset in fraudem suorum præjudicium.

16. aliud esset, si filius bona fide occultè quid acciperet à Patre, & bona item fide consumeret, nec inde fieret in aliquo ditior; tunc enim illud non obligaretur conferre in suam legitimam (quod certè obligatur, si mala fide) quia dum Pater nihil ipsi dedit, non extinxit Ius legitimæ ipsi filio debitæ, quare poterit, mortuo Patre illam exigere. Neque dicas, hunc filium debere Patri id, quod clam ab ipso accepit, consumpsitque, unde debere ipsum compensare hoc debitum cum sua legitima post mortem Patris. Ne id dicas, inquam, nam filius propter bonam fidem jam dictam, & quia res accepta non extat, & in nihilo factus est ditior, nullum debitum habet quod debeat compensare Patri.

## CAPVT VII.

### *Quæstiones nonnullæ de materia Donationis, Remissivè.*

1. AN donatio possit acceptari ab absente? Dixi *suprà, in tract. de Promiss. c. 7. §. 4.*

2. An post mortem donatoris; *ibid. §. 3. n. 5.*

3. An donatio inter vivos facta Capucinis, Minoribus, & Societati Iesu valeat, & quatenus? Vide apud Sanc. *lib. 7. summ. c. 25. 26. & 27.* Castr. *tom. 3. p. 3. n. 9. & 10.* Dian. *p. 8. tract. 6. ref. 104.* aliósque.

4. An maritus confitens, se recepisse hanc, vel illam quantitatem ab uxore pro dote, censeatur illam donare. Vide apud Rodriq. *in summ. t. 1. c. 198. num. 35.* Dianam *loc. cit. ref. 113* aliosque.

5. An donatarius, vel legatarius obligetur implere donatoris, vel testatoris sive vota, sive debita ex Iustitia. Lege apud Dianam *ibid ref. 112.*

6. Donatio liberalis, ut etiam testamentum facta metu, nimia reverentia, vel importunitate, per aliquos irrita sunt, per aliquos irritanda, sicuti irritandi veniunt contractus onerosi. Utramque sententiam judicant aliqui, ut Diana *ibid. ref. 129.* probabiliter. Verùm, ego de hac re dixi *l. 1. in dec. c. 2. §. 5. à n. 11.* ubi adverti, quid intelligendum sit nomine nimiæ reverentiæ, & importunitatis. Vide etiam, quæ summatim dixi *suprà, in tract. de Promiss. c. 4. à n. 2.* cum de promissione.

7. Donatio nunc facta Ecclesiæ construendæ, seu Collegio olim fundando, valet, revocarique non potest. Quamvis enim nullus nunc adesset, qui acceptare legitimè posset, (nam posset fortasse Prælatus) tamen ex voluntate donantis censetur facta nunc pro tunc, quando aderit Rector Ecclesiæ jam fundatæ, seu constructæ, qui acceptare poterit. Ita colligo ex Abb. *in c. ad audientiam, de Eccl. ædificanda.* Duco autem argumentum ex donantis voluntate, nam aliæ rationes, quas pro hac validitate, adducit Diana *p. 8. tr. 6. ref. 125.* non videntur mihi admodum efficaces, lege ipsum.

8. Quid fiat in conscientia, si rem donatam famulus non afferat donatario, & interim donator è vivis decedat? Dixi *l. 8. in dec. tr. 4. c. 1. §. 5. n. 11.*

9. An peccent, & ad obligationem restitutionis teneantur, qui recipiunt ea, quæ alter cum peccato, seu illicitè donat? Dixi *l. 8. in Dec. tr. 1. c. 2. §. 4. n. 2.* & universaliter habet Delugo, *tom. 1. de Iust. d. 4. sect. 3. n. 49. & 50.* Diana *p. 8. tract. 6. ref. 39.* aliique.

10. An peccet, & obligationem Restitutionis contrahat, qui impedit donationem, sive licitè, sive illicitè alteri faciendam? Dixi *l. 8. in dec. tract. 3. c. 4. §. 2.*

11. De donatione, quam alter facit filius familias ex bonis Patris, dixi *l. 5. in dec. c. 4. §. 1. à num. 7. cùm de Ludo, & lib. 8. tract. 2. c. 3. n. 3.*

De donatione Religiosorum, *l. 8. in dec. tract. 2. c. 4.*

De donatione Servorum, *ibid. tract. 1. c. 2. §. 1.*

De donatione, quam facit Pater, vel Mater filio, *l. 5. in dec. c. 4. §. 2.*

De donatione uxoris de bonis mariti, *l. 8. in dec. tr. 1. cap. 2. §. 3.*

De donatione inter uxorem & maritum, déque Sponsalitia largitate, dixi *suprà, lib. 8. de matrim. tract. 7. de oblig. cap. 2.*

An usurarius, an ludæus, an cæcus possint donare causa mortis, vide apud Dianam, apud quem alia non pauca minutiora. Et dum ego tantisper quiesco, tu Vale

# DE CENSVRIS, ET IRREGVLARITATE,

Quæ sunt de Iure Ecclesiastico.

## LIBER DECIMVS.

### MONITIO AD LECTOREM.

*QVONIAM ea, quæ disputanda essent de Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto omnibus sunt obvia, & passim legi apud Doctores possunt, ego, tum ne meri excerptoris notam incurram; tum ne meis Lectoribus, vulgaria ipsis apponendo, tædio sim, selectas dumtaxat aliquas Quæstiones, & sanè præ cæteris utiliores, de triplici hoc argumento in sequentem modum hic propono. De Irregularitate integrè agam.*

## TRACTATVS I.
## SELECTA
## DE EXCOMMVNICATIONE.

### CAPUT PRIMUM.

*Divisio Excommunicationis in latam, & ferendam?*

EXCOMMUNICATIO latæ sententiæ est, quando Lex, vel Prælatus aliquid ita prohibet, ut qui secùs fecerit, statim, eo ipso, seu, ut etiam loquimur, ipso facto, vel ipso jure incidat in excommunicationem; nam ideo in sacro Textu, *C. Pastoralis, de appellationibus*, dicitur excommunicatio trahere secum suam executionem. Excommunicatio ferenda, quam etiam appellamus comminatoriam, est, quando Lex, vel Superior aliquid ita prohibet, ut si quis secus fecerit, non statim incidat in excommunicationem, sed postquam constiterit eum transgressum fuisse ejusmodi Legem, vel Præceptum, & Iudex, præcedente monitione, protulerit contra ipsum sententiam excommunicationis: Qui ergo delinquit contra priorem modum, ut excommunicatum in utroque foro se gerat statim: quia statim, patrato delicto, in excommunicationem incidit; qui verò contra posteriorem, non ita, quia nondum est excommunicatus, donec Iudex sententiam dictam proferat.

2. An verò sicuti excommunicatio lata præcepto addita signum est, ejusmodi præceptum obligare sub mortali, ita etiam, quando additur excommunicatio ferenda, diximus *in opusc. de Sacrificio Missæ, l. 3. c. 1. §. 8. à n. 4.*

3. Dico, hîc operæ pretium est advertere. Primò, quod dictum est de excommunicatione latæ sententiæ, putà, eam habere secum suam executionem, verum esse, etiam in suspensione, interdicto, irregularitate; quando in his apponuntur illæ clausulæ, ipso facto, vel ipso jure, vel quid simile, indicans, ejusmodi pœnas non esse ferendas, sed latas: statim enim (ut dictum est de excommunicatione) sine aliquo Iudicis ministerio incurruntur. At quando eædem dictæ clausulæ apponuntur in aliis pœnis, v. g. *Qui hoc delictum patraverit, qui non obedierit, &c. ipso facto incidat in pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, in pœnam confiscationis bonorum, in pœnam depositionis officii, &c.* non statim ejusmodi pœnæ incurruntur, sed requiritur mandatum, seu sententia Iudicis declarantis, commissum fuisse delictum, qua declaratione prævia, & non antea, delinquens pœnis illis est actu subjectus.

4. Immò idem erit ex Thoma Hurt. *p. 2. fol. 571.* Vide etiam Verric. *fol. 134. n. 2* (licèt alii, ut Bald. citâ Thom. Hurt. *l. c.* & Sam. *de elect. d. 7. contr. 4. tr. 2.* id negent) etsi addatur fortior clausula; sic, v. g. *Ne quis hoc delictum committat sub pœna privationis vocis activæ, &c. ipso jure sine ulla prævia declaratione*: nam etiam tunc requiritur sententia declaratoria delicti commissi. Quòd si expressè aliud superaddatur sic: *Sine ulla prævia declaratione delicti*; tunc non est mirum, statim incurri pœnam, qui in tanta expressione voluntatis Superioris non datur aditus præsumendi, aliam Iudicis declarationem esse expectandam.

5. Si quæras rationem disparitatis, cur in his prærequiratur dicta declaratio, non verò in excommunicatione, suspensione, &c.

Respondet Sanch. *l. 9. de matr. d. 30.* cui adde Suarez *de cens. d. 3. sect. 3. & lib. 5. de legibus, c. 5.* & Sam. *loc. cit. n. 7. & 8.* innumer. adducentes, se nullam invenire, nisi usum antiquissimum Ecclesiæ sic usurpantis.

6. Adverte secundò, difficile aliquando esse dignoscere, an in aliqua lege excommunicatio, vel quælibet alia censura sit lata, an sit ferenda? Nam licèt interdum, quando clara sunt verba, planè discernatur, sæpissimè timen incidimus in ambigua, de qua re Tiraquellus *in l. si unquam, C. de revocandis donat. v. Revertatur*, latissimè. Tunc ergo notentur tres sequentes regulæ.

7. Prima Regula: Quando ex contextu verborum lex requirit actionem alterius, qui executioni mandet pœnam, tunc est pœna ferenda; quando autem non requirit eam actionem, sed lex immediatè pœnam infligit, & exequitur, tunc pœna est lata; & quia, quando ferens censuram utitur præsenti, vel præteriti tempore, nullam restrictionem faciens, non requirit regulariter actionem, seu ministerium alterius, libro regulariter erit tunc lata sententia; quando verò utitur futuro,

futuro, nullam restrictionem faciens, quia importare facile potest alterius ministerium, ideo tunc erit ferenda.

8. Secunda Regula: Quoniam non sunt certæ verborum formulæ, quibus excommunicatio ferri solet, totaque sententia excommunicationis dependet ab intentione illam ferentis; si is se declaret, vel ex aliis circumstantiis obligatur, excommunicationem esse latam, vel ferendam, talis omnino est judicanda.

9. Dixi (clarè) nam secùs nulla feretur excommunicatio; unde rectè Sayrus *l.c. de Cens. cap.* 11. *n.* 15. & 16. notat in his formulis: Fero in te Ecclesiasticæ Censuræ sententiam: Ferio te mucrone Christi, vel mucrone Ecclesiastico; Indignationem Dei, vel Sancti Petri, vel nostram incurrat: Præcipio in virtute Sanctæ Obedientiæ: Sub interminatione maledictionis maledico te, &c. in his, inquam, & similibus, esto peccetur ab eo, qui non obedit, non tamen incurritur ulla excommunicatio, nec ulla censura, quia in prioribus duabus formulis non determinatur, quæ censura, in cæteris nulla clarè imponitur excommunicatio, vel censura.

10. Tertia Regula: Quando res est dubia, tunc juxta regulam decimamquintam Iuris: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, pronuntiare debemus, pœnam, seu excommunicationem esse ferendam, non verò latam. Si dicer, v.g. lex: *Id ne fiat sub pœna excommunicationis*, dubitamus, an intelligenda sit sub pœna ferenda, an sub lata, tunc ergo restringamus, dicamúsque intelligi solùm debere de ferenda.

11. Sed adhuc via scrupea est, nondum enim expeditè cognoscere ex allatis sic universaliter regulis possum, ferendáne sit, an lata excommunicatio? Afferamus igitur ipsas peculiares formulas in modum sequentem: & notentur diligentissimè verba, parum enim immutata ex una significatione in alteram facillimè transiremus.

*Certæ Formulæ Excommunicationis latæ.*

12. Te excommunico, vel excommunicamus: Sententiam excommunicationis contra te promulgamus, seu proferimus: Excommunicationis sententia te ligo: Excommunicationis mucrone te percutio: Præcido te ab Ecclesia: Extra Ecclesiam te rejicio. Ita Sayr. *de Censur. l.c.* 11. A sacris, humanísque te removeo. Ita Bauni *de Cens. tr.* 2. *d.* 1. *quæst.* 17.

13. Privamus illum omni communione, nulla alia expectata sententia, aut declaratione, vel ministerio judicis, authoritate nostra, ex vi hujus legis. Ita Bauni *l.c.*

14. Te anathematizo, seu anathematizamus. Vide Sayr. *loc. cit.*

15. Decernimus, &c. te innodantes excommunicationis vinculo. Lege Sayr. *ibid.*

16. Præcipimus sub pœna, aut sub interminatione excommunicationis latæ sententiæ, vel ipso facto, vel ipso jure, vel statim incurrendæ. Vide Sayr. *l. c.* ipso facto sit extra Ecclesiam, Bauni *l.c.* De illo *statim* vide mox *n.* 43.

17. Excommunicetur, seu omni communione privetur, excommunicatione, seu per excommunicationem latæ sententiæ. Habeatur pro excommunicato; Ita Sayr.

De formula, Excommunicetur, quando nihil aliud additur, vide, *n.* 33.

18. Excommunicationi subjaceat, vel subdatur: In excommunicationem incidat: Excommunicationem incurrat: Ita *loc. cit.*

*Sicut in cæteris aliis formulis, sic in præsentibus semper fæmur, Cum Lez.* in mari magno Prædic. n. 60. *Tiraq.* in l. Si unquam, v. Revertatur, n. 148. & 149. *si sit aliqua alia vox, vel circumstantia, quæ ex subjecta materia restringat ad excommunicationem ferendam, tunc non significari latam: & certè in formulis hujus numeri nihil est, quod restringat.*

19. Noveris, te excommunicationi sub jacere: Decernimus, te excommunicationi subjacere: Statim noveris, te esse excommunicatum. Ita Sayr. *ibid.*

20. Maneat excommunicatus: Censeatur, vel habeatur excommunicatus, vel pro excommunicato: Sicut excommunicatus vitetur. Ita Sayr. *ibid.*

21. Excommunicatus sit: Excommunicationis sententiâ sit innodatus: Excommunicatus existat. Ita Sayr. *l.c.* *Quidquid dicat Navarrus* in man. c. 27. n. 12. *putans (Excommunicatus sit) esse futurum Optativi modi, atque adeo continere excommunicationem ferendam. Quidquid, inquam, dicat. Nam verbum (sum, es, est,) additum præterito, præteritum significat, sicuti additum futuro futurum, seu (ut loquitur Comitolus* in resp. mor. lib. 6. q. 24. *ex Nigidio Grammatico) præterito adjunctum vel futuro trahitur ad præteritum, vel futurum. Et sanè nemo in similibus pœnis, quas ex imperio infligit Superior, cordatè dicet, idem esse: Sit excommunicatus, atque, Vtinam sit excommunicatus; nam verus sensus est Imperativi modi, sic: Esto excommunicatus, vel, Sit jam excommunicatus.*

22. Anathema sit: *Nam licèt hæc formula olim, nil significaret aliud, quam execrabile, & separatum in genere, tamen, teste Sayr. l.c. Suar.* de Censur. d. 3. sect. 3. *ab Ecclesia usurpatur pro peculiari Censura excommunicationis latæ sententiæ, ut clarè colligitur ex fine ejusdem Ecclesiæ volentis damnare separatione ab Ecclesia eos, quos sic damnat.*

23. Qui hoc fecerit, excommunicatur. Ita Bonac. *de Cens. d. 1. q. 1. p. 1. n. 6.*

24. Qui hoc fecerit, est, vel sit, vel erit excommunicatus. Ita Comitolus ob doctrinam datam modò *n.* 21.

25. Noscas, te excommunicatum: Excommunicationis te mucrone noveris percussum: Scias, te excommunicatum; Te excommunicari. Ita Doctores citati.

26. Declaramus, qui hoc fecerit, esse excommunicatum: Declara, vel denuntia illum esse excommunicatum. Ita Avila *de Censur. p. 2. cap. 2. dub. 2.*

27. Denuntiamus, dicimus, definimus, qui hoc fecerit, esse excommunicatum. Ita Comit. *l. c.*

28. *Prædictæ formulæ significant excommunicationem latam; cum monitione tamen data* n. 18.

*Certæ Formulæ Excommunicationis ferendæ.*

29. Præcipio hoc, prohibeo illud sub pœna excommunicationis: Sub interminatione excommunicationis, aut anathematis, sub excommunicationis interpositione, sub anathemate. Ita Sayrus, l.c. *Nam in his, licèt actus percipiendi sit de præsenti, non tamen actus excommunicandi*, sic Avila *loc. cit.*

30. Excommunicetis eum, qui hoc fecerit: Qui hoc fecerit, erit excommunicandus, vel excommunicabitur. Ita Sayrus, *loc. cit.*

31. *Nota verbum futuri temporis per aliquos, ut Naldum*, v. Actus, n. 34. *sequentem Tiraq.* l. supr. cit. *si fuerit geminatum, inducere excommunicationem latæ sententiæ. Sed negat merito Comitolus*, l.c. *quia sive unum, sive iteratum futurum, non ex a futuro, quare, si sic dicat Superior*: Excommunicabitur, Irritabitur, Cassabitur electio, *Irritatio non est lata, sed ferenda.*

32. Excommunicetur: Communione privetur, Excommunicationis vinculo innodetur. Ita Sayrus, *l.c.* Avila, l.c. *Imperativus enim modus (ait Comitolus citatus) ex se futurum respicit, nisi, per aliquod participium præteritum, ad aliud advocetur, ut* n. 21. *dictum est.*

33. *Advertunt item Bonacina*, l.c. *& Bauni*, l. c. *per hoc Imperativum*, Excommunicetur, *vel simile, significari excommunicationem ferendam, quando hoc Imperativum continet præceptum Iudici impositum, ut ferat excommunicationem, quo pacto locutio directa ad ipsum Iudicem, quale est, si Pontifex dicat Iudici*: Excommunica illum, si hoc non fecerit, seu excommunicetur ille à te, si hoc non fecerit. *At, si ipse Superior, vel Lex intendat imponere excommunicationem, & propterea locutio dirigatur ad ipsum delinquentem, erit lata; ut, si feratur sic excommunicatio*: Excommunicetis, &c. *Tunc enim, cognita illa Superioris intentione sensus est*: Excommuniceris à me. *Quo pacto ministerium alterius non requiritur. Si de hac intentione non constat, jam diximus* n. 10. *debere intelligi benigniore.n partem, idest, excommunicationem esse ferendam.*

34. Qui hoc fecerit, in excommunicationem comminatoriam incurrat: Noverit se in excommunicationem incursurum: Sciat, se esse excommunicandum. Ita DD. cit. quibus adde Felinum, Castropal. quos cit. sed non sequitur Leand. *de censur. 1. d. 1. q. 15.*

35. Licitum sit vobis excommunicationis sententiam contra illos promulgare. Lezana *in mari mag. Præd. n. 58.* Sicut excommunicatus vitetur, *quia* (inquit Abbas apud Leand. *loc. cit. quæst. 14.*) *similitudo excommunicationis non est excommunicatio.*

36. Ab anathemate, sub excommunicatione prohibere curetis: Si quis parere contemnat, eum excommunicationi subdatis. Ita Bauni *l. c.*

37. *Hæc ergo, si sic pronuntientur, ferendam important excommunicationem, non latam sive à lege id pronuntietur, sive à Judice, ut notat Avila* de cens. part. 2. cap. 2. dub. 2. *cum Sylvestro contra Hostiens. Applica tamen semper monitionem datam* n. 18.

*Duæ Formulæ Excommunicationis latæ, vel ferendæ.*

38. Nullus Petro communicet, Nullus ei communicet, donec satisfactione præmissa absolvatur.

*Hæ duæ formulæ continent quidem sententiam latam, quia sunt sub modo Imperativo, & locutio non dirigitur ad Judicem, sed ad ipsum delinquentem juxta dicta* num. 33. *Id, quod etiam ostendit illud* (Donec absolvatur.) *Si enim debet absolvi, jam incidit in excommunicationem, sed apud Sayrum* l. c. *dubitatur, an contineant sententiam excommunicationis majoris. Ratio dubitandi est, quia excommunicatio major privat Fideles communicatione hominum, & Sacrorum: at per has formulas privatur Petrus sola hominum communicatione, atque adeo videtur incurrere solum excommunicationem minorem, quæ, ut suprà vidimus, est pars majoris.*

39. *Mihi videtur per hæc verba, nec majorem, nec minorem excommunicationem intelligi, quia tum major, tum minor habet alios effectus præter privationem communicationis hominum, quæ sola in his verbis infligitur, & ex alia parte, cum simus in odiosis, verba non sunt extendenda. Per has ergo formulas, non excommunicatio major, vel minor, sed solùm talis determinata pœna privationis dictæ communicationis dumtaxat infligitur ex mea sententia.*

40. Habeo te pro excommunicato *Significat ferendam sententiam, si à Iudice sic dicatur: at, si à jure, aut in excommunicatione conditionali, quales sunt omnes, quæ dantur cum monitione canonica, aut propter peccata futura, significabit latam, ita Sayrus* loc. cit. n. 17. *citans Sylvest. Tabienam, Navar. aliósque.*

41. *Verùm, ego ambigo de hac doctrina; quæro enim à Sayro, cur* ibid. suo num. 10. (*ut nos retulimus paulo ante* nostro num. 20.) *dixit*: Habeatur pro excommunicato, *esse absolutè excommunicationem latam; cùm idem prorsus sit, vel valdè æquipollens cum hac formula*; Habeo te pro excommunicato. *Non igitur ipsi assentior, nam puto utramque formulam semper ex se significare excommunicationem latam. Ex se, dico, nam si addatur aliqua monitio antea facienda, vel quid simile requirens Iudicis ministerium, tunc non est mirum, quod significet ferendam, quia id Regula generalis dicta* n. 7. *suis persuadet.*

42. *Per sequentes formulas*: Qui hoc fecerit, excommunicationi subjacebit, subdetur, subjicietur, in excommunicationem incurret, incidet, *latam excommunicationem significari, videtur docere Comitolus*, in resp. mor. lib. 6. quæst. 24. *Ego animadverto, ipsum confundere illud*, subjaceat, subdatur, subjiciatur excommunicationi (*quæ certè sunt signa latæ sententiæ,*) *ut vidimus* num. 18. *cùm* subjacebit, subdetur, subjicietur, &c. *cum respiciant futurum tempus, videntur esse signa excommunicationis ferendæ.*

43. *Has particulas.* Subitò, statim, confestim, continuò, incontinenti, è vestigio, repentè, sine mora, incunctanter, indilatè, immediatè, mox, (*quibus addit Bonacina* de cens. d. 1. q. 1. punct. 1. n. 6. penitùs, omninò;) *cum omne temporis intervallum excludant, latam sententiam significare ait idem Bonacina* ibid.

44. *Sed certè id nimis confusè pronuntiavit. Distinguendum esse monet: Quando enim apparet, sententiam, seu legem excommunicationis per illas particulas præcisè velle significationem pœnæ, nec relinquere locum novæ sententiæ ab ministerio Iudicis, est lata, ut, si dicat*: Statim, confestim, &c. noverit se incursurum, seu subiturum excommunicationem, *quæ certa formula, si caveret illis periculis, esset excommunicationis ferendæ, ut vidimus* num. 34. *Quando autem ita tollit tarditatem, ut tamen relinquat, seu introducat novum hominis ministerium, est ferenda.* Ut si dicat, statim, confestim, erit excommunicandus, noverit se statim excommunicandum. *Nam propterea illam formulam, Præcipio sub pœna excommunicationis statim incurrendæ, diximus num. 16.* denotare excommunicationem latam: quia, pœnam Excommunicationis statim esse incurrendam, est de præsenti in illam incidere, nec opus esse alio judicis ministerio.

45. Removeatur, abjiciatur, expellatur, privetur omni communicatione Fidelium, *Non pauci apud Trag. l. c. latam excommunicationem, putant*, At, Removeantur, expellatis, privetis cum omni communicatione, *esse ferendam. Ratio est* (inquam) *quia hic requiritur ministerium ejus, qui removeat, ibi non item.*

46. *Sed mihi videtur, etiam ibi* (*nisi aliud ex circumstantiis clarè colligatur*) *requiri ministerium ejus, a quo quis removeatur, juxta dicta* num 33. *Imo Felinus allatus à Trag. l. c. n. 175. habet, etiam si dicat Superior*, statim, confestim removeatur, *requiri* ministerium judicis, atque adeo esse excommunicationem ferendam; siquidem illæ particulæ solùm hîc accendunt, & accelerant executionem, non faciunt. Atque ad sic sentiendum propendet tandem Tiraquell. *l. c. præsert. à n. 171.* si attente legatur, idemque confirmant ea, quæ dixi *n. 33. cit.*

## CAPUT II.

*Metus gravis quid operetur in Excommunicatione.*

### §. I. *An excuset ab ejus incursu?*

1. OMnino hîc recolendum est, Quid sit metus gravis cadens in constantem virum, Quid-quidlibet vel non incussus ad extorquendam actionem aliquam, Quid justus, vel injustus, & similia, quæ latè Sanchez *lib. 4. matr. à d. 1.* & ego collegi breviter *lib. 1. in c. 13. à §. 2.*

2. Quibus in memoriam revocatis, dico, metum gravem, quo scilicet timetur grave damnum sive in vita, sive in fama, sive in rebus, qui modo *ibidem* dicto, excusat hominem à peccato mortali ob transgressionem præcepti Ecclesiastici, quod non obligat cum tanti mali periculo. Dico, inquam, cum Bonac. *de cens. d. 1. q. 1. p. 3.* & communiter cum Doctoribus ab eodem citatis, & cum Doctoribus citatis à Leand. *de cens. d. 3. à quæst. 25.* excusare etiam ab excommunicatione, quæ ex dispensatione Ecclesiæ ejusmodi transgressioni adnexa est. Dixi (grave damnum) nam leve, nec à præcepto excusat, nec à censuris. Ita Gasp. Hurt. apud Leandrum *tract. 1. de cens. d. 10. quæst. 29.* Quare, si quis fugiens à satellitibus, à quibus timet mortem, vel malæ gloriæ, ingrediatur in Monasterium, verbi gratiâ, Monachum, non incurreret in excommunicationem: & pari modo, si adesset excommunicatio, ne quis, v. g. Clericus arma portaret, si is ob timorem gravem, ne à suo inimico grave damnum patiatur, illa deferat, excusabitur à peccato inobedientiæ; & consequenter ab excommunicatione, cum hæc non actioni ferendi arma, sed actioni peccaminosæ illa ferendi sit conjuncta. Quare sicut pia Mater Ecclesia tutus illum

illum excusat ab observantia præcepti; ita & ab incursu in pœnam. Excipe semper ex regulis generalibus contemptum, scandalum, majus aliquod bonum.

3. Quod diximus de excommunicatione, dic etiam de aliis censuris, idque propter eandem rationem, ut signatè cum multis docet Leander *tract.1. de Cens.d.9.q.quæst.39.*

4. Inquires: Si excommunicatio fulminata sit contra committentes delictum jure naturali prohibitum, v. g. contra delictum homicidii; unde contra hoc delictum concurrant, & præceptum juris naturæ, & præceptum Ecclesiæ, quæ illud prohibeat sub dicta pœna excommunicationis, ego verò homicidium committam ob metum cadentem in constantem virum, præter peccatum, incurramne, etiam excommunicationem?

5. Respondeo, incurrere, non pauci, ut Sanch. dicens esse opinionem omnium *lib.9.matr.d.31.num.6.* Castrop. *de Cens. d.1. p.8. num.11.* Gasp. Hurt. *de Cens. diff. 23. n.100.* sustinent. Ratio eorum præcipua est, quia, quando actio aliunde jure naturæ prohibita est, si ei addatur excommunicatio ab Ecclesia, non magis aggravantur Fideles ex ejusmodi addita pœna; quàm aggravabantur antea: jam enim ex præcepto naturali ab illa actione se abstinere debent, idque sub quocunque periculo cujuscunque damni. Si igitur addita intelligitur nova pœna excommunicationis, non est, unde incurri non debeat. Confirmatur, quia sic videtur Innocentius III. *C. Sacris, de iis, quæ vi*, definivisse.

6. Nihilominus plures, ut Avila *p.2. cap.6. disp.8. d.5.* Conich. *d.13. de Cens. dub.12.* Filliuc. *tract. 11. n.269.* aliique tenent, non incurrere, cum quibus sentire me cogit, præter rationem, ipsa eadem benignitas Ecclesiæ. Ratio autem est, quia, licèt metus non tollat vim præcepti naturalis, tollit tamen vim præcepti Ecclesiastici, quia Ecclesia absolutè, & universaliter non intendit, gravi periculo imminente, suis legibus Fideles astringere. Unde Fidelis, quamvis tunc non pareat Deo, non tamèn inobediens Ecclesiæ ullo modo dicendus est. Nec aliter definivit Innocentius. Is enim solùm dixit, non semper metum excusare ab incursione in censuram, quod certè verum est: quia, ut notat Gasp. Hurt. *de Cens. diff.28.n.98.* metus levis, & metus gravis incussus in contemptum Ecclesiæ, non excusari. Vide Suar. *d.6. de Cens. sect.5.* adde Leand *t.1. de Cens. d.10.q.27.*

7. Quod diximus de Censuris, dicimus, propter eandem rationem, de irregularitate ex delicto. Quare occidens injustè aliquem ob similem timorem ab aliquo ipsi incussum, ob timorem, inquam, mortis, vel damni gravis, irregularis non erit, ut signatè docet Leander, *tract.1. de Irreg.d.9.q.8.* erit verò si occidat ex metu levis mali, ut est ejusdem Leandri *t.1. de Cens. d.10. q.28.* & communi doctrina colligitur.

8. Consonat prædictis Delugo *d.40. de Iust.n.15.* sic dicens: *Etiamsi* (ait) *contra Reum sit plenè probatum delictum, adhuc non tenetur comparere citatus à Iudice, quia non tenetur obedire cum tanto periculo. Item potest fugere licitè à carcere, etiam præcipiente Iudice, ne fugiat, quia ius naturale, ut fugiat mortem, illi licitam reddit fugam.* Hæc Delugo.

Illud (*in tanto periculo*) explicuerat idem Delugo *ibid. n.14.* his verbis: *Primò, si timeatur sententia mortis. Secundò, si damnandus esset Reus ad Triremes. Tertiò, si confiscanda essent omnia bona. Quartò, si periclitaretur omnino in honore, & in aliis casibus similibus.*

Dixi autem (*similibus*) nam, non ita erit in dissimilibus, si nimirum non timeatur damnum adeo grave: nam propterea *ibid.n.16.* subjunxit: *Addidi tamen, Reum obligari etiam sub peccato, quando damnum, quod timet, non esset tanti momenti, quia leges humanæ possunt obligare regulariter ad aliquod damnum subeundum.*

Hæc ex Delugo, cui ea est admonitio subnectenda, ut scilicet evulgetur, ad evitandum scandalum, rationabilis timor gravis damni. Nam, si tua excusatio nesciatur, debe s te gerere, ut excommunicatum, & excommunicationis Absolutionem obtinere, ne videaris auctoritatem Ecclesiæ contemnere.

### §. II. *An metus gravis damni excuset ab observandis iis, quæ alias deberet excommunicatus observare.*

1. Hic sanè opportunum sortitur locum subitatio illa: An sicuti metus gravis excusat ab incursu excommunicationis; ita etiam ab observantia illius? Claritatis gratiâ figuremus casum:

2. Titius Sacerdos incidit ad excommunicationem latæ sententiæ; quare, si is Sacrum celebret, ettamsi per actum contritionis statum gratiæ acquisiverit incurret in irregularitatem, ut certum est, & dicemus *in tr. de Irreg. c.14.§.3.* Porrò accidit, ut quidam Princeps compulerit illum metu gravi ad celebrandum; (atque, ut suppono, propter dicta §. *præced.* non in contemptum Ecclesiæ) ipse autem ejusmodi coactus metu celebraverit, contraxitne irregularitatem?

3. Figuremus, & casum alium: Caius excommunicatus vitandus cogitur per metum gravem, & non in contemptum Ecclesiæ, ut audiat Sacrum, utque communicet in Divinis, Humanisque, atque illa agat, quæ ab Ecclesia prohibentur excommunicato, peccátne, & pœnas contentas in ea prohibitione contrahit?

4. Figuremus, & tertiò sic: Seius Sacerdos, & Confessarius percussit publicè Clericum, suadente diabolo; unde certò incurrit in excommunicationem, & est vitandus, suspensa, vel amissa jurisdictione necessaria ad absolvendum, ipse tamen compulsus metu gravi incusso à nescio quo, pœnitentem absolvit; & quærit in præsentia, an licitè, & validè illum tunc absolverit, quando non observavit id, quod excommunicatus observare debebat, ne scilicet impedita, vel amissa jurisdictione veretur.

5. Respondeo, de duobus casibus primis Titium, & Caium excommunicatos, etiam vitandos, ut volunt plures apud Leandr. *de excomm.d.5.q.3. & sequent.* excusatos fuisse; priorem, ab incurrenda irregularitate, posteriorem verò ab incurrendis iis pœnis, ut etiam à peccato, quantum est ex vi excommunicationis, qua erat affectus; ita plures apud Leandrum. Ratio est ducenda ex dictis, quia existente gravis mali periculo, Ecclesiæ præcepta (ipsa eadem sic volente) non urgent.

6. In tertio autem casu aliqui cum Hurtado *de Cens. diff.23. num.101.* existimant, illam absolutionem, non solùm fuisse invalidam, sed etiam fuisse illicitam, ex duplici capite. Primò, quia Sacerdos non observavit id, quod de jure naturæ est, ut nemo utatur jurisdictione, qua caret. Secundò, quia non observavit Ecclesiæ præceptum prohibentis, ne quis excommunicatus vitandus jurisdictionem exerceat. Sed nos sequimur alios cum Alphonso de de Leone *de Censur. recoll.1. num.433.* probabiliùs docentes, ejusmodi absolutionem, fuisse quidem invalidam, & illicitam, sed illicitam solùm ex priore, non autem ex posteriore capite præcepti Ecclesiæ; quia hoc non obligat in illo metu, ut dictum est.

### *An metus infamiæ excuset ab Observatione Censurarum.*

7. Quæres: Doctrina hactenus allata potèstne extendi ad casum, in quo quis timet incurrere notabilem infamiam, seu notam, excommunicationem observando? Si Parochus, v.g. sit occultè excommunicatus (idem dic, si sit suspensus, irregularis, interdictus.) Et, nisi celebret, timeat, ob abstinentiam à celebrando, infamari se notabiliter, suúmve peccatum manifestari, potèstne celebrare sine peccato contra obedientiam debitam Ecclesiæ prohibentis excommunicato, ne sacrum sub pœna irregularitatis celebret, & sine incursu in dictam irregularitatem.

8 Respondeo, hunc, ne peccet contra reverentiam debitam Sacrificio,& sumptioni Eucharistiæ,debere esse in statu gratiæ saltem per contritionem,si ipsi desit copia Confessarii,jam omnes scimus:sed quoad pœnas ab Ecclesia impositas,Dico,illam doctrinam,etiam ad casum hunc extendi,unde dictum Parochum non peccare contra obedientiam Ecclesiæ, neque irregularitatem incurrere, idque in utroque foro. Ratio est, quia periculum notabilis infamiæ,seu jacturæ bonæ famæ est periculum gravis mali,ut meritò docent plurimi cum Suario, *d. 6. de Cens.sect.3.n.13.& d.11.sect.1.n.4.*Ioan.Sanch.*in select. d.32 num.2.* Pasq.*cent.3.q.28.* multos citans, *tr. 8. quæst. mor.28.n.6.*Avil.*p.2.c.6.d.8.d.5.* Lezan. *v. Irregul.n. 55. vers.Excom.n.7.*Bauni *in casibus sing.f.mihi 279.* alique, quibus adde Sa,*v. Excommun.num.7.*sic docentem: Excommunicatus occultus potest,ad vitandum scandalum, vel gravem jacturam Missam audire,& celebrare,nec fiet irregularis.Hæc Sà. Verùm,addenda omnino sunt duo necessaria documenta.

9. Nam primò,præter statum gratiæ, cujus jam memini *num.8.* debet interim, adhibere omnem diligentiam moralem,qua procuret absolutionem, vel dispensationem.

10. Secundò: Intelligat ejusmodi Censuratus tot actiones prohibitas licere ipsi tunc exercere, tot, v. g. Missas celebrare,quot satis sunt,prudentis arbitrio, ad vitandam infamiam,imò intelligit,etiam ipsi incumbere curam inveniendi modum diminuendi, quantum, sine gravi incommodo potest,actiones prædictas, præterendo,v.g. morbum,peregrinationes, occupationes urgentes,&c. vel transmigrando,si potest,in locum alium,&c. Ratio est manifesta,quia solum eam licentiam ipse habet, quando urgetur periculo gravi: At gravi periculo non urgetur,qui ejusmodi remediis, sine gravi suo incommodo potest uti.

## CAPVT III.

### *Explicantur aliqua de Excommunicatis vitandis.*

1. CVm multa dicant Doctores de Excommunicato vitando, id est, nominatim denuntiato, déque publico percussore Clerici, hîc aliqua pauca breviter explicanda sunt de hac materia; Sunt autem tria.

Primum, Quid requiratur ad prædictam denuntiationem constituendam?

Secundum, An denuntiatus nominatim in uno loco sit alibi vitandus?

Tertium,Quidnam præstabit certitudinem moralem, te esse excommunicatum, vel denuntiatum, vel absolutum, ut scilicet quis tibi debeat, vel non debeat communicationem denegare?

### §. I. *Quid requiratur ad prædictam Denuntiationem legitimè expediendam?*

1. VT sit quis Excommunicatus,ac nominatim denuntiatus,non est satis sententia judicis, per quam aliquis excommunicatur, nec sufficit ejusmodi judicis sententia, per quam declaratur quis, commisisse delictum,cui est annexa excommunicatio, sed debet insuper à judice fieri denuntiatio,seu declaratio,seu publicatio,quod is de quo agitur, incurrerit iam de facto in excommunicationem. Quæ publicatio fit, tum, ut ab omnibus sciatur, quis ille sit,qui vitandus erit,tum, ut ipse denuntiatus rubore suffundatur,& ad resipiscentiam excitetur.

2. Quando igitur ad ejusmodi Denuntiationem est deveniendum, debet præcedere motio partis, secus regulariter,erit injusta,& invalida, deinde debebit à judice per suum Notarium fieri de more scriptura continens nomen proprium,& cognomen excommunicati, vel talia signa,ut de eo individuo omnibus constet,& continens,*c. Debet 11.quæst.3.* causam,propter quam is excommunicatus,ac denique ejusmodi scriptura affigenda erit in loco publico,ut solet communiter fieri,nam una talis certa, individuáque persona excommunicata, ac nominatim denuntiata atque ab omnibus vitanda, præ dictæ scripturæ,quam Cedulones vocamus, non dicit addi picturam,per quam appareat excommunicatus,aut dæmones,monet Pius IV.*in sua Bulla 56.in Bullar.* Et in sententia anathematis non debere adhiberi duodecim Sacerdotes,circumstantes judicem,tenentes in manu cereos accensos,quos in fine in terram projiciant,pedibusque conculcent,declaravit Sacra Congreg.apud Rec.l. *c.62.n.14.*

3. Dixi (*regulariter*) quia in criminibus, quæ ipso jure connexam habent excommunicationem, & crimen sit notorium,non necessariò debere præcedere monitionem,seu citationem,docent non ignobiles Doctores, ut Suar. *de Censur.d.3.sect.10.n.18.* Alterius, aliique apud Leand. *de Cens.d.7.q.11.* Ego sum Auctor judicibus, ut semper eam præmittant,tùm ad tollendas lites,tùm ad majorem securitatem validitatis sententiæ.

4. Eosdem etiam admoneo, ut, si Reus se Tribunali sistat,crimen fateatur,satisfactionemque offerat,omnino illum non denuntient; tunc enimeum non potest,secundùm Suar.*de Censur.d.3.sect.10.n.17.* justè denuntiare,quia totum negotium excommunicationis,ejusque denuntiationis est in medicinam contumaciæ Rei. Si ergo ipse illam deponit,injustè amplius exarcet, sicut injustè excommunicaretur de facto ille, cui intimata est excommunicatio ferenda, si se Ecclesiæ humiliter submittat,& pareat,&c.

5. Denique si excommunicatio fuit à superiore injustè lata in rei veritate,sed justè secundùm allegata,& probata,reique veritas sciatur ab eo,cui superior committat eam excommunicationem denuntiet,an hic executor denuntiare valeat, legere poteris apud Doctores citatos à Leand. *de Cens.d.7.q.17.& seqq.*

### §. II. *An nominatim Denuntiatus in uno loco sit alibi vitandus?*

1. HIs breviter explicatis, illud iam nunc quæramus, quod modò secundo loco proposuimus: An scilicet excommunicatus denuntiatus in eo loco, verbi gratiâ, Neapoli, sit hîc Panormi,& ubique vitandus? Suppono autem solùm in uno loco fuisse denuntiatum,Nam cæterùm, quando Episcopus, qui aliquem excommunicavit, denuntiavitque, requirit alios Episcopos vicinos,v.g.ut etiam ipsi eundem denuntient (quam quidem denuntiationem facere hi Episcopi possunt in Diœcesibus sine necessitate recognoscendi processum,& justitiam sententiæ ab alio Episcopo datæ,sed illam justitiam supponendo,nisi fortè injustam fuisse denuntiationem illam, appareat) & ipsi Vicini Episcopi de facto illum alibi,puta in suis Diœcesibus denuntient, *ibidem* debere ipsum vitari, dubium ne sit, quia iam etiam ibi denuntiatus est.Porrò allatæ quæstioni sequens satisfaciet enarratio.

*Præmittitur occasio scribendi in utramque partem circa quæstionem in titulo propositam, ubi incidit quæstiuncula de Examinatore Synodali per nomen appellativum designato.*

2. Vacabat ob Parochi obitum in Diœcesi Montegalensi animarum cura affectum Beneficium, ab Archiepiscopo D.D.Ioâne Torrisiglia ad Competentium examen de more providendum. Promulgatis ergo conforme edictis dies affuit,quo examen accurrentium expedirent, ad quam expeditionem obeundam, cum examinatoribus Synodalibus tres eligere,juxta Trid.*sess.24.c.18.de Ref.* deberêt,Archiepiscopus me,qui per eos dies Collegio Montegalensi,sanè immeritò,præeram, tanquam unum ex Examinatoribus per nuntium admonuit,ut conjicto lo-

co,

co, ideſt, in Aula ædium Archiepiſcopi cum cæteris duobus conventum. Præſto affui, ſed modeſtè dixi. Quamvis Rector Collegii Montis regalenſis ſit in Synodo Examinator Synodalis electus, tamen, quia ſub nomine appellativo Rectoris, ibi is nominatur, non pauci verò Doctores, ut Garſ. & Doctores Rotæ mox citandi, quibus adde Caſtro Pal. *tom.* 2. *d.* 3. *de Beneſ. p.* 1. § 3. *n.* 8. Thom. Hurt. *reſol. moral. p.* 2. *tr.* 12. *cap.* 1. *num.* 67. citantem Ellinc. Meſſobr. Salgad. Barboſam, dicentémque ſic ſervari Romæ, Dianam *p.* 11. *tr.* 6. *reſol.* 33 meritò contendant, id illegitimè fieri, dixi (inquam) me ab ejuſmodi munere examinandi eſſe omninò ſubtrahendum.

3. Confirmabam: Concilium enim Tridentinum non obſcuræ ſuæ mentis eſſe, ſignificat, à conſenſu Patrum in Synodo confidentium, non ſub nomine appellativo, ſed profectò ſub nomine proprio Examinatores eſſe deſignandos. Quid enim, ſi Rector, Prior, Canonicus pro futuro tempore exiſtentes, indocti nec ad examinandum idonei reperiantur; Examinatores (ſunt verba Trid. *loc. cit.*) in Diœceſana Synodo proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur. Hæc Concilium. Nulla autem ratione ſatisfacere quis, & approbari legitimè, idque ad tam difficile, arduúmque munus, valebit ſi prorſus ejus doctrina, morum probitas, Eccleſiæque debita fides ignoretur, ut ignoratur certè futurorum olim ſucceſſorum apta conditio.

4. At cognita erit (inquies) à Prælatis, vel Superioribus, qui eos in illis dignitatibus, ſedibúſve conſtituent: ſunde ſcilicet Synodus præſens documentum aptitudinis eorum accipere jam ſatis poteſt.

Audio: Sed hoc pacto ii non cognoſcentur immediatè à Synodo, quam immediatam eorum cognitionem requirere videtur Tridentinum. Præterea à futuris ipſis Superioribus vix aliquando habebitur doctrinæ ratio, ſimul, & probitatis, ſimiliúmque conditionum, quæ pro Examinatoribus requiruntur; ſiquidem ad gubernandum, vel Canonicatum, ſimiléſque dignitates concedendas, diverſa prorſus merita conſiderari ſolent, ab iis, quæ in Examinatoribus exigi omninò debent.

5. Confirmabam iterum, nam Garſias afferens Doctores Rotæ *part.* 1. *de Beneſ. cap.* 2. *à num.* 339. ex pluribus Rotæ deciſionibus probat, deſignationes has ſub nomine Dignitatis, poſſe quidem comprehendere exiſtentes tempore Synodi in ea dignitate, quippe jam determinatè cogniti; Succeſſores tamen eorum, cùm cogniti nequaquam ſint, comprehendi non poſſe.

6. Confirmabam tertiò: A Concilio Tridentino diſponitur, ut ſingulis annis Examinatores deſignentur: At, ſi ſufficit eligere Succeſſores in officiis, ad quid tanta ſollicitudo ſingulis annis deſignandi? Facilè enim poſſent eligi appellativo nomine, qui jam pro futuro tempore non deficient.

7. Dicet quis: Reprehendendine ergo de imperitia ſunt ii Synodales Patres, qui Rectorem Collegii ſub nomine appellativo Examinatorem renuntiarunt? Non equidem reprehendo; quilibet enim ſibi ſapiat, ut velit, & tamen mihi perſuadeo, Rectorem eo tempore exiſtentem, quamvis ſub nomine appellativo, fuiſſe à Patribus illis Synodalibus fortaſsè deſignatum, qui probè juxta prædictam Garſiæ doctrinam ab ipſis cognitus erat, non verò ſucceſſorem quemcunque futuro tempore extiturum. Quid, ſi putarunt doctrinam Petri Ledeſmæ *in ſumm.* 2. *p. tr.* 7. *c.* 1. *conſil.* 7. fuiſſe univerſalem pro toto orbe, cùm tamen ipſe ſolùm docuerit, in Regno Hiſpaniæ conſuetudinem eſſe receptam ſub appellativo nomine hos Examinatores deſignandi, cujus tamen apud ipſum ſit auctoritas: at in noſtro Siciliæ Regno; at in Monteregalenſi Diœceſi, ne umbra quidem ejuſmodi conſuetudinis apparet, præter unius ultimæ Synodi deſignationem, quam ſciam, de qua nunc vertitur controverſia.

Tu ergo, Ampliſſime Præſul, ad evitandas ſaltem lites de illegitima Parochi electione (ſubjungebam) alium ex Examinatoribus non ambiguis jubeas, oro, pro tua prudentia ſuſtinendum.

8. Annuit: Sed confeſtim, vigilantiſſimus Vir interrogavit, An ſaltem poſſem intereſſe?

Reſpondi, id minimè prohiberi, modò nequaquam ego ſuffragium feram, ſed tantùm Examinatorum ratio dumtaxat habeatur, afferíque juſſi Caſtr. Pal. & Thom. Hurtadum (eramus enim in loco Bibliothecæ Archiepiſcopali contiguo) qui cùm eſſent allati, oſtendi Caſtro Pal. *tom.* 2. *d.* 3. *de Beneſ. p.* 2. § 4. *n.* 5. abſolutè concedere, eum, qui examinator Synodalis non eſt, poſſe, & examini intereſſe, & ſuum ſuffragium ferre, ſed ſupra trium examinatorum numerum, Hurtadum *reſol. mor. p.* 2. *tr.* 12. *cap.* 1. *à num.* 104. verò probabilius id negare, quia ſi aliis à tribus ſive reſpondere, ſive ſatisfacere examinandi cogerentur, fieret ipſis injuria, cùm præſertim à Concilio Tridentino pro forma examinis ſolùm requirantur, ad concurrentium aptitudinem explorandam, tres examinatores, non plures? Hos, inquam, oſtendi, ſed oſtendi inſuper à neutro ablegari meram præſentiam alterius, qui examinator non ſit: & quidem meritò; id enim, nec formæ examinis ſubſtantiali, nec fini examinandorum obeſſe poteſt.

Approbato conſilio, clauſiſque libris, advocatus eſt tertius examinator, atque is poſt brevem temporis lapſum cùm acceſſiſſet, conſedimus de more, ipſo Archiepiſcopo præſente.

9. Et jam duo candidati tantummodo, coram ſtetere, alter altero ſenior, ſed uterque Doctor. Theologus, uterque virtutibus, ut fama erat, ac probis moribus inſignis, quorum ætate junior meus olim fuerat in Theologicis auditor. Examini ergo datum eſt initium, & ne pluribus te, lector, moleſtè diſtineam, adeo bene, docte, eruditè, in arduis Theologiæ ſpeculativæ, & moralis quæſtionibus propoſitis, uterque ſe geſſit, ut omnes, qui præſentes aderamus, neutri victoriam, ſed utrique gloriam eandem concedendam eſſe cenſuerimus: iis ergo recedere rantiſper juſſis ab Aula, quis antetponendus alteri eſſet, cœptum eſt, deliberari. Et ſine ulla hæſitatione eos, & ad amuſſim in doctrina, & moribus æquales eſſe tres examinatores, quaſi uno ſuffragio pronuntiarunt. Cum autem Concilium Tridentinum præſcribat, ut renuntiatis per examinatores iis, qui idonei judicati fuerint, ex his, Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum exiſtimaverit, ipſe verò Archiepiſcopus, juxta, ac cenſuerunt examinatores, æqualiter utrumque aptum eſſe judicaret; hærebat incertus, quid tandem ſtatuere deberet. Denique fixis per brevem morulam incogitabundi more humi oculis, mox, ut erat ſumma pietate, ac Religione præditus, iiſdem elevatis ad depictam in tabula oppoſitam parieti affixam imaginem Chriſti Domini, proſequamur, inquit, examen, & ex Synenſium conſuetudine, aliquid Theologorum utrique conſcribendum imponamus, qui quæſtionem ingenioſius agitaverit, illi palma eſto. Nulla mora: concertantibus iterum ad noſtrum conſeſſum accitis. Video, inquit Archiepiſcopus, vos pares eſſe in moribus, virtutibus, ſapientia: uno verbo dicam, condignus eſt uterque Beneficio. Quoniam verò quis ex vobis dignior, nondum apparuit, meliori quæſtionem Theologicam vobis proponere, ut illam quiſque ſuo Marte ſeparatim conſcribat; nam ſic, qui in ſcribendo præcellet, victoria decorabitur: veſtro tamen utriuſque conſenſu id præſtandum volo; nolo enim à vobis novum hoc experimentum abſque veſtra omnino libera voluntate repoſcere. Annuerunt ſtatim animoſi pugnatores, & ad ſeniorem ex Examinatoribus converſus Archiepiſcopus: Affer, inquit, in medium, Pater, moralem aliquam Theologicam quæſtionem, quæ, ut horum ſtylus, & doctrina enitéſcere faciliùs poſſit, diligenti diſcuſſione ſit digna.

Ad hæc eruditus Examinaror non diu moratus, ſic enodandam difficultatem breviter expoſuit: Cùm excommunicatus nominatim denuntiatus debeat, ut nemo ignorat, à Fidelium commercio repelli, illud decidi vellem, An denuntiatus in uno loco, v.g. Neapoli, ſit in loco alio, v.g. Montis regalis, imò, & ubique in toto Chriſtianorum

stianorum Orbe vitandus. Excepto scriptionis argumento, datum unicuique est instrumentum scribendi, calamus, pagina, atramentum, & præterea nihil, iisdemque sua separata cubicula, quorum ianuæ in aulam, in qua sedebamus, erant sitæ, ad semihoræ Clepsidram, concessa sunt, nobis interim per suavissimam familiaritatem de variis rebus sermonem de more commiscentibus. Sed iam semihora vix elapsa, conscriptam paginam quisque suam nobiles scriptores ad iudices attulerunt, quorum alter, quem *superius* ætate grandiorem esse diximus, sic quæstionem evolvebat.

*Opinio sustinens, nominatim alibi denuntiatum esse hic vitandum, si Denuntiatio hic occultè sciatur.*

10. Vt proposita quæstio radicitus explicetur, duæ sunt recolendæ Sacratum Legum dispositiones: Altera habetur *in cap. Cùm non ab homine, De sententia Excommunicationis.* Publicus Excommunicatus (inquit ibi Clemens III.) vitetur publicè, occultus occultè.

Altera habetur in illa celebri Extrevagante, *Ad evitanda*, per quam Concilium Constantiense, post Clementem prædictum, ut notat Avila *part.2.cap.6. disp.11. §. 11. ver. Ex hac consil. fine*, concessit fidelibus, ut ij possent communicare cum omnibus excommunicatis quantumcunque publicis, præter excommunicato nominatim denuntiato, & præter publicos Clerici percussores.

11. Sanè, si hæc Extravagans non accessisset, iam iuxta prædictum Clementis III. Capitulum *Cùm non ab homine*, proposita quæstio enodata prorsus fuisset: dicendum esset, excommunicatum alibi, atque *ibid.* nominatim denuntiatum, esse hîc publicè vitandum, si publicè hîc denuntiatio sciatur, esse autem occultè vitandum, si illa hîc sciatur occultè, non verò esse hîc vitandum publicè. Sed quia, ut dictum est, accessit deinde dicta Extravagans Concilij Constant. videndum erit, an hæc deroget illud Capitulum, néene?

12. Assero tanquam probabilius, à prædicta Extravagante illud Capitulum non fuisse derogatum, atque adeo etiam hodie, excommunicatum, nominatimque alibi denuntiatum, si hîc publicè denuntiatio sciatur, esse vitandum, tum publicè, tum occultè, sed, si sciatur occultè, esse vitandum occultè, non publicè. Ita sustinet Avila, *de Censur.2.part.cap.6.disp. 11. dub. 12.* citans Vasquez, Layman, *l.1.tract.5.part.2. cap. 4. num. 3.* Hurtadus, *de excommun.num.28.* citans eundem Vasquez. Ratio unica, & satis efficax videtur esse, quia Concilium Constant. concedendo communicationem cum aliis excommunicatis, & excipiendo nominatim denuntiatos, & publicos Clericorum percussores, solùm declaravit, hos esse vitandos, non autem alios. At per hanc solam declarationem non apparet, derogasse Capitulum illud Clementis III. ergo illud erit etiam hodie ad unguem observandum.

13. Confirmatur, quia statim, ac lex legitimè est promulgata, debet ab omnibus observari, si illa sciatur, ergo cùm denuntiatio nominatim excommunicati sit veluti lex, per quam indicitur fidelibus, ut ipsi cum illo non communicent, si illa sciatur, debet omnino observari. Si ergo hîc illa iam scitur, licèt alibi fuerit facta, hîc est observanda; neque enim, qui denuntiatur excommunicatus nominatim, denuntiatur solùm pro una diœcesi, sed pro toto orbe, quia ubicunque quis inveniatur, secum habet, & antequam absolvatur, secum affert, tum excommunicationem, tum nominatim denuntiationem, quasi propriæ personæ confixam.

14. Hæc confirmatio probare videtur, etiamsi occultè hîc sciatur denuntiatio, debere denũtiatum hîc vitari, etiam publicè: quia eiusmodi denuntiatus semper secum fert suam denuntiationem, ac fideles semper prohibentur excommunicatum denuntiatum vitare: & certè ita primo aspectu, & ex vi excommunicationis videtur. Sed Pia Mater Ecclesia temperavit *in dicto cap. Cùm non ab homine*, tantum rigorem, ut scilicet publicè non caretur hic pro nominato excommunicato is, qui quo ad hîc publicè non cognoscitur, & deo voluit quoad publicum vitandum, sed benignè addidit, occultum occultè dumtaxat.

25. Contra hanc meam sententiam duos habeo Doctores unanimes adversùs illam, sed inter se non pares, cum dissidentes, Comitolum, & Castro Palaum; Comitolus enim dicit, *lib. 1. resp. mor. quæst. 36.* cum Bonacin. *dubit. 2. de Censur. quæst.2. part.6. §.2.num. 42.* esse obligationem eiusmodi excommunicatum nominatim alibi denuntiatum vitandi semper, etiam publicè, tum si denuntiatio sciatur publicè, tum si occultè, quia, inquit, per illam publicam alibi promulgatam denuntionem amisit excommunicatus ius iustitiæ ad finem sum. Lege Delugo *de Iust.d.14.num.72.* Vide num cur, si denuntiationem illam ego occultè sciam, non pesim, debeámque illum publicè vitare; quod etiam magis favet ad terrendos alios, dum vident alibi denuntium, ubique semper, etiam publicè, à communibus exmerciis excludi. Sed nos huic rationi iam modò respodimus, dum diximus, ita quidem esse ex vi excommunicationis, & denuntiationis: & fateor, ita etiam esse ex vi iustitiæ: at non ex perfectione charitatis, quam in illo cap. Clementis III. voluit, circa hanc materiam, amplecti Pia Mater Ecclesia.

16. Castro Palaus autem *de Cens.d.2. p.4.num.9.* contrà putat, nullam esse obligationem hîc vitandi, sive publicè, sive occultè illum, qui alibi fuit publicè denuntiatus, quando hic occultè scitur, sed solùm, quando scitur publicè. Id probabile putat Dian. *part.5.tr.9.r. sol. 134.* cum Alphonso de Leone *de Cens. recol.3.n.14.* contendens hanc esse opinionem Vasquez, quem tamen Avila, & Hurt. pro se modò citarunt. Ratio est, inquit Castro Pal. quia post Concilium Constantiense nemo est vitandus, si eius excommunicatio, seu denuntiatio sciatur occultè, sed solum, quando publicè scitur; Concilium enim requirit ad obligationem vitandi excommunicatum, ut publicè denuntiatus sit (publicè inquit) non solùm respectu loci, ubi fuit publicè denuntiatus, sed etiam respectu loci, ubi fideles inveniuntur, quando cum vitare debebunt.

17. Verùm, nos huic rationi, modò respondimus, dum diximus, Concilium Constantiense solùm concessit communicationem cum aliis excommunicatis, excipiendo nominatim denuntiatos, & publicos percussores, & nullam aliam licentiam addidisse.

18. Atque in his advertisti Doctorum diversa iudicia: Conveniunus enim omnes, si publicè hîc sciatur denuntiatio alibi facta, eiusmodi denuntiatum debere hîc publicè repelliiat si hic sciatur occultè, Comitolus contendit, absolutè debere, etiam occultè, repelli. Castro Palaus absolutè docet, tum publicè, tum occultè abstinere posse. Nos verò cum Avila limitatè dicimus, abstinere quidem posse, imò, & debere publicè, occultè autem non debere, nec posse.

19. Hæc habui, Illustrissime Præsul, quæ tam breve arctatus tempore, librorúmque destitutus auxilio ex ingenij mei imbecillitate promere mamoriter potui.

His cum plausu lectis, ea, quæ iunior Candidatus attulerat, alta voce legi præceptum est.

*Opinio sustinens, alibi denuntiatum non esse hîc, nec publicè, nec occultè vitandum, si hîc occultè tantum sciatur Denuntiatio*

20. In hac controversia, quæ mihi proposita fuit, tres se offerunt sententiæ. Prima (quam sequitur Bonacina *d.2.de Censur.part.6.§.2.num. 48.* cum Comitol. *l.1. resp.moral.quæst.36.*) asserit, denuntiatum alibi, v.g. Neapoli, ubique, atque adeo etiam hîc Panormi esse vitandum, non publicè solùm, verùm etiam occultè abstinendum, etiam paucissimus, ad quod famamortaliter certaquæ vis occulta, de illa denuntiatione pervenit. Ratio huius sententiæ

sententiæ est, quia per excommunicationem, addita publica denuntiatione, iam amisit excommunicatus ius suæ famæ. Ergo non est excusatio, unde legem prohibentem, ne cum denuntiato communicem, servare non debeam. Excusatio enim esse poterat, ne illum publicè, vel occultè repellendo, offenderem in fama, at in fama non offendo, quia eam iam ipse amisit, ergo reppellere possum, & consequenter servare legem, seu prohibitionem prædictam semper, sive publicè, sive occultè compellor.

21. Secunda sententia, quam semper Layman, *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 3.* quámque fateor esse communiorem, distinguit in hunc modum: Facta alibi denuntiatione publica, si hîc publicè, ea sciatur, debet eiusmodi denuntiatus publicè, & semper vitari, Si verò ea solùm sciatur occultè, debet ab iis, qui eam sciunt, occultè vitari, non publicè. Ratio huius sententiæ est, quia *in cap. Cùm non ab homine, de sententia excommunicationis*, præcipit Pontifex, ut publicè excommunicatus, repellatur publicè à Fidelium convictu, occultus verò, occultè. Ergo cùm habeamus hanc claram Iuris dispositionem, ea est omnino servanda. Neque obstat, (inquiunt huius sententiæ sectatores) Decretum Concilij Constantiensis, quod à Mart. Quinto fuit confirmatum, concedens Fidelibus communicationem cum excommunicatis tolerastis, Non obstat (inquiunt) quia idem Decretum excipit nominatim denuntiatos, publicósque Clerici percussores: at is, de quo loquimur, iam nominatim denuntiatus est.

22. Tertia sententia, quam tenet Castropal. aliique mox citandi, absolutè docet, eiusmodi nominatim denuntiatum alibi, v.g. Neapoli, posse admitti hic ad communionem Fidelium, tum publicè, tum occultè, si denuntiatio sciatur occultè, & non posse, solùm, quando scitur publicè. Ratio est, quia obligatio vitandi, etiam secreto, excommunicatum, non oritur post Concilium Constantiense ex excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ergo, si hic non est denuntiatio notoria, sed occulta, nullam hic obligationem pariet illum excommunicatum vitandi, at solùm parier, si sit notoria, & publica.

Hæ tres sententiæ probabilitatis metam attingunt, tum propter rationes, quibus innituntur non contemnendas, tum ob gravitatem Doctorum, à quibus defenduntur. Mihi tamen probabilior sit hæc tertia, quam Castrop. *d. 2. de Cens. p. 4. n. 9.* Diana etiam probab. vocat *p. 5. tr. 9. res. 134.* Alphons. de Leone *de cens. recollect. 3. n. 148.* contendens hanc sententiam Vasquez, quem contrarij ad se truhunt, aliique sequuntur.

23. Confirmo autem sic primò: quia hæc conformior est Concilio Constantiensi volenti, Fidelibus timoratis benignè favere.

24. Confirmo secundò, quia in ipsis verbis Concilij is sensus non obscurè indicatur: *Nemo* (sunt verba Concilij) *teneatur abstinere à communicatione cum excommunicato, nisi sententia, seu excommunicatio fuerit à Iudice promulgata, vel denuntiata specialiter, & expressè.* Cùm enim illud (*Publicata*) dupliceem sensum habere possit. Primò, absolutè, id est, nisi fuerit immediatè à Iudice publicata in loco tandem aliquo. Secundò, respectivè, ad est, nisi comparatione illius loci, ubi exhibenda est evitatio, publicata, mediante fama, vel aliquo simili modo, in illo loco fuerit. Cùm, inquam, duplex is sensus haberi possit, atque uterque aptari valeat Decreti verbis, æquius erit, eligere hunc posteriorem sensum Fidelibus faventem, quibus favere principalis intentio Concilij in eo Decreto fuit. Sanè ex sententia Vasquez, *de Euchar. d. 211. c. 5. n. 45.* leges, quæ obscutam habent interpretationem, possunt bene, etiam ad praxim, intelligi secundùm sensum, qui probabiliter attribui potest illi legi. At negari non potest, posteriorem hûc sensum attribui probabiliter posse verbis prædicti Concilij ergo, &c.

25. Confirmo tertiò. ex paritate cum notorio Clerici percussore, quam sic explico: Avila, *de censur. 2. p. cap. 6. d. 11. dub. 12.* qui tamen nobis in prædictis est contrarius, probabile iudicat percussorem Clerici notorium in una Civitate, v.g. Neapoli, & in alia, v.g. hîc Panormi occultum, non esse hûc vitandum, nec publicè, nec occultè. Et ratio est, quia ex Durando, & Paludano, quando quis est publicè excommunicatus in uno loco, non debet censeri publicè excommunicatus in alio. Id, quod probat Avila, Primò, quia post Constantiense, ut percussorem hunc teneat vitare, requiritur, quod sit notorius percussor, sed hic ubi occultè scitur, non est notorius percussor, ergo, &c.

Secundò, quia hæc supponitur esse notorietas facti: Ergo, ubi factum, id est, percussio est occulta, non poterit dici notoria percussio, & consequenter, nec ille dici notorius percussor, atque adeo, nec vitandus. Quare, ut sit, teste Leand. *d. 15. de excomm. q. 55.* vitandus, debet fama publica constare, illum percussisse Clericum, & item notoriè percussisse.

26. Hæc ex Avila. Ex quibus sic colligo: Concilium Constantiense in percussore requirit notorietatem facti, ad obligandum Fideles, ut illum repellant; unde Avila probabile putat, percussorem alibi publicum, sed hic occultum, non esse hic, nec publicè, nec occultè repellendum, ergo valdè verosimile est, ut idem Concilium etiam in denuntiato, requirat hic publicitatem denuntiationis, ut hic sit repellendus. Probatur consequentia, quia æqualiter Concilium statuere videtur de utroque casu, cùm æquè velit à Fidelibus occasionem tollere scrupulorum.

27. Confirmo quartò, inducendo alio modo paritatem eandem ductam à percussore prædicto. Nam post dictum Concilium non teneor vitare percussorem Clerici, nisi, quando nulla potest eiusmodi delictum tergiversatione celari, seu excusari, ergo valdè conforme dicto Concilio erit, si idem dicamus de eiusmodi alibi denuntiato, hic enim aliqua tandem ratione, seu probabilitate potest excusari. Et sanè nonnulli Doctores tenent, legem etiam Pontificiam, quamvis Romæ publicatam, non obligare in aliis Provinciis, vel Diœcesibus, nisi ibi illa publicetur: quæ opinio, quando in constitutionibus Pontificiis non additur clausula: *Vt publicata Romæ intelligatur in omnibus locis promulgata*, satis probabilis ab aliquibus, ut Farin. *frag. p. 1 v. Constitutio, n. 656.* Sà, Navar. Abbate, Medina apud Castropal. *tom. 1. tr. 3. d. 1. part. 12. num. 1.* existimatur; tamet si fatear à Castropal, *loc. cit.* Azor. *part. 1. lib. 5. cap. 3. q. 3.* circa medium, aliísque multis, & ab aliis improbabilem existimari. Ab iis ergo sustinentibus, eam sententiam esse probabilem, dici poterit, in casu nostro occultum hîc, quamvis alibi denuntiatum, excusari, ut non sit hîc vitandus, quia eius denuntiatio, quæ æquivalet legi, nondum est hîc publicata; publicetur ergo illa per iudicis sententiam, vel immediatè ab ipso, suisve Ministris, vel certè, ut dictum est, ab ipsa fama, vel alio modo, & tunc sine dubitatione, ex obligatione erit ille vitandus. Adde, posse etiam excusari ab Auctoribus *suprà* allatis, qui sententiam nostram hanc disertè sequuntur.

28. Confirmo quintò, quia excommunicatus quomodocunque vitandus, ubi est occultus, est innocens, ergo habet ius petendi quamcunque rem externam, & consequenter nemo tenebitur illam ei denegare, adeóque nec tenebitur eriam in occulto illum vitare. Ita Leander *d. 15. de excomm. q. 56.* alios citans.

Ad rationes adversatiorum facilè respondeamus: nam ad rationem primæ sententiæ inductam à diffamatione, concedo, diffamantem hîc eos, quorum fama alibi maculata est, non peccare contra iustitiam, sed, tacendo interim, an tunc contra charitatem peccetur, dicimus, piè credendum esse, Concilium Constantiense voluisse adhærere perfectioni charitatis, quæ Fideles promovet ad contegenda, quantùm ex nobis fieri potest, proximorum delicta, etiam aliàs publica, iuxta Sancti Pauli pronuntiatum: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

29. Ad rationem secundæ sententiæ dicentis, debere

servari

servari ius *c.Cùm non ab hom.de sent.excomm.* disponens, ut publicus excommunicatus publicè vitetur; occultus, occultè, iam patet ex dictis responsio manifesta. Huius enim legis dispositio satis probabiliter limitata, & mitigata fuit à Concilio Constantiensi, ut dictum est.

30. Hæc pro angustia temporis, quo propositam difficultatem ex temporaneo stylo percurrere jussus sum, minùs studiosè composita, boni consulete, digneris, Antistes amplissime.

*Concertationis finis.*

31. Hactenus Dissertatio Theologi iunioris, & Auditoris olim mei, nam fortassè, quia mei, mihi eruditior visa est, animóque insedit gratiùs. Nec tamen minùs doctam censui Senioris communioni sententiæ innixam disputationem, (nam censeo cum Leandro *d.13.de excom. quæst.56.* utramque opinionem esse probabilem) & nisi Iunioris urbanitas litem diremisset, incerti adhuc, cuinam Beneficium concedendum esset, ego, & examinatorum consessus ambigeremus. Nodus ergo fabulæ sic dissolutus est:

32. Vbi lecta est utriusque conscriptio, & nutibus, plausibúsque, ut videbatur, æquè probata, antequam è loco concertationis discederent, ut iis absentibus liberiora concurrerent suffragia, Theologus Iunior, se aliquid velle in medium afferre, significavit, atque annuente Antistite, sic exorsus est:

Illustrissime Præsul, absoluto iam examine, ad quod accedere, validè me rationes non moverunt modò, sed coëgerunt, cóque à me (quod Summo Deo immortales sint gratiæ) ut ex humanissima horum omnium approbatione coniicio, non infeliciter exacto, oro dominationem vestram, ut Beneficium, de quo est contentio, perfamiliari huic meo concertatori, quem ab infantia semper sum veneratus, me meo iuri, quodcunque illud sit, cedente, liberrimè concedat. Ego Iunior, hic ætate Senior: Ego Patrimonium aliquantulò locupletius possideo, hic aliquantò tenuius. Ego, ut cætera omittam, experientiâ ipso minor, longè maior ipse. Vnum mihi satis erit, supérque, si amplissima dominatio vestra mei non immemor, primo vacante non dissimili Beneficio, illud præstet, quod eiusdem Dominationis vestræ prudentia, atque humanitas gerendum esse, dictaverit.

O verè nobilem animum (erat enim, & sanguine, & genere præclarus) exclamavit, his auditis, Archiepiscopus, &, conferatur (inquit) Parochiæ ministerium amico, sed ne tibi sola spes, quæ fallax esse consuevit, ablandiatur, quandoquidem universi iuris mei Vicarium propediem Romam legatutus sum, te nunc in eius muneris locum substituo, optata nostra, interim, dum ille redit, promovebit Deus. Plausum dedimus ad hæc, quotquot ibi aderamus omnes: Ille ergo Beneficio auctus, hic novo munere decoratus, cùm gratias bono Antistiti egissent, læti discessêre, Examinatorúmque consessus, felici omine dissolutus est.

## §.III. *Quidnam præstet certitudinem moralem quòd quis sit excommunicatus vitandus, vel denuntiatus?*

1. EX omnium sententia ad obligandos Fideles, ut excommunicatum à sua communicatione repellant, requiritur certitudo moralis, quòd quis sit excommunicatus vitandus, hoc est, quòd sit denuntiatus publicè, vel publicus percussor Clerici, & quod non fuerit absolutus. Hæc ergo in præsentia sunt aliquantò distinctiùs explicanda.

1. Dico primò, si sit probabile, aliquem esse excommunicatum vitandum, & item probabile non esse, posse à te illum vitari, & posse non vitari, quia potes alterutrum ex his probabilitatibus amplecti. Quòd si sit probabile illum esse excommunicatum vitandum, sed nulla probabilitas appareat, illum talem non esse, vtrùm certè is à te debebit, quia in materia, hæc dicitur & est certitudo moralis.

3. Dico tamen secundò, ad expellendum excommunicatum à iudicio, concludenter esse probandam excommunicationem, & denuntiationem, nec satis esse probabilem; seu verisimilem, ita enim decidunt *cap.1.de except.in 6.*

4. Dico tertiò: Quid si, facta morali diligentia, (quæ omnino facienda est) remaneat negativè dubium. An primò, quis sit excommunicatus. An secundò, sit denuntiatus, An, tertiò, sit ab excommunicatione vitandi absolutus?

5. Respondeo, in primo, & secundo casu non obligaris illum vitare, quia possidet tua libertas. Lege quæ in hanc rem dixi *lib.1.in Decal.cap.3.§.7. vers. Censura.* Excipit Suarez, Lezana, Avil. apud Castropal. *loc.cit.* aliíque, nisi agatur de administratione, vel receptione Sacramentorum, de qua re nos *lib.1. Decal. cap.3.§.4. num.20.* In tertio, obligaris, quia tunc possidet, ut supponis, excommunicatio vitanda. Absolutio autem est dubia.

6. Dico quartò: Vndénam haberi possit prædicta certitudo moralis, quod quis sit excommunicatus, denuntiatus nominatim?

Respondeo, Habetur primò, à fama publica, quæ est à viris fide dignis orta, Secundò, à testimonio duorum, trium fide dignorum, asserentium, hunc esse denuntiatum. Tertiò à testimonio Parochi, oftensis literis excommunicationis, & denuntiationis, secùs, si is solùm voce testaretur: quia uni testi, quamvis digno non teneor credere, quamvis possim. Addo, uni testi licèt digno non esse fidem habendam, quando agitur de gravi alterius præiudicio.

7. Quæ dicta sunt proportinaliter applica ad certitudinem quæ requiritur, ut percussor publicus Clerici à te, qui eiusmodi percussioni non adfuisti, vitandus sit.

8. Dico quintò: Vndénam habeatur similis certitudo, quod quis, licèt fuerit excommunicatus vitandus, non tamen sit absolutus?

9. Respondeo, ex similibus testimoniis, quæ immodò indicavimus. Quare moralem certitudinem absolutionis præstabit tibi, Primò, eadem fama publica. Secundò, idem testimonium duorum, vel trium, imò hic sufficiet testimonium unius fide digni, iam enim dixi unius fide digno me posse fidem habere, multò magis in casu de quo loquimur, in quo agitur de favore. Tertiò, dicunt ipsius excommunicati, si aliàs, spectata conditione personæ, & negotij, prudenter ipsi credi potest. Quartò, longum tempus, ipsumque, cùm sit timoratæ conscientiæ, se, ut non excommunicatum gerere.

10. Dico denique sextò, Quid, si certò sciam ex tua confessione Sacramentali, te esse excommunicatum? Possúmne tunc, vel debeo te vitare?

Respondeo, cum Suar. Avila, Bonac. Delugo, aliísque cit. à Leand. *de Pœn.tr.5.d.10.q.12.* Quamvis, si à te extra Confessionem sciam, vitandum te esse, debeam te vitare, quia tuum testimonium facit mihi moraliter certam tuam excommunicationem; tamen, si id sciam in tua confessione, nullo modo possum te vitare, neque in publico, neque in occulto, quia, ut *alibi* dixi, nunquam possum uti scientia habita in confessione in commodum Pœnitentis. Quicquid ergo distinguat Leand. *ibid.* & noster *d.15. de excomm.q.48.* qui dicit, te posse vitare, non in publico, sed in secreto, licet ad id non tenearis, absolutè enim dico, nunquam te posse.

# TRACTATVS II.
# SELECTA
## DE SVSPENSIONE.

### CAPUT PRIMUM.

*Modus dignoscendi, quandonam suspensio sit Censura, quandonam mera pœna?*

1. CUM Suspensio, quæ nihil aliud est, nisi censura, vel pœna Ecclesiastica, qua Clericus privatur usu potestatis ei convenientis, aut ratione Officii Clericalis, aut ratione Beneficii, quod fortè Clericus habet, aut ratione utriusque; quæ certè ultima privatio utriusque, id est Officii, & Beneficii esset adæquata, & plena suspensio: Cumque ea, ut Censura sit illa, quæ imponitur in medicinam, hoc est, ut sic Fidelis resipiscat ab inobedientia, ut autem pura pœna, sit illa, quæ imponitur in vindictam delicti commissi, hoc est in ejus delicti punitionem, cum inquam hæc ita se habeant, operosum est cognoscere, utro ex his modis imponatur, & tamen id cognoscere, est omnino necessarium propter diversam doctrinam, quæ à Sacris Textibus, & à Doctoribus datur pro alterutra.

2. Suarez *de suspens. d. 25. sect. 1. n. 3. initio*, hanc Regulam tradit. Tunc suspensio est pura pœna, & non censura, quando imponitur ad certum tempus; Quando vero est censura, non habet terminum præfixum. Addit Suar. *ib. d. 26. sect. 1. n. 15.* si ex materia, & fine legis constet, suspensionem non ferri tantum pro delicto commisso, sed, ut à contumacia recedatur, esse Censuram, si constet ferri tantum pro delicto commisso, meram esse pœnam.

3. Id ipsum Gasp. Hurt. *de susp. diff. 3. & diff. 11.* distinctius sic habet. Si suspensio feratur, vel addendo, *in perpetuum*, vel *sine spe relaxationis*, vel ad tempus limitatum, v. g. *Ad biennium, Ad triennium, &c.* vel *donec Reus re ipsa satisfaciat*, vel *donec Judicaverit*, vel *ad beneplacitum Judicis*, vel simili quopiam modo independenter ab ipsa pœnitentia delinquentis, semper erit pura pœna, etiam si lata sit ob contumaciam. Si vero feratur absque assignatione ulla temporis, sic v. g. *Nisi hoc fecerit suspensus maneat, si hoc fecerit suspensus sit, &c.* Tunc erit censura, seu pœna medicinalis; cujus censuræ duratio erit valdè dependenter à voluntate delinquentis: remittenda enim erit, quando ipse delinquens resipiscet.

4. Hæc doctrina Hurtadi est vera, solum illi addendum est id, quod *num.* 2. addidit Suarez. Sæpè enim potest occurrere, ut ex circunstantiis, & ex verbis, vel ex fine legis appareat, Suspensionem, cui nullus terminus præfigitur, esse puram pœnam: Si enim sic dicatur. *Sit suspensus, quia tale delictum commisit*, num dubitabis hanc esse puram pœnam? Sanè ejusmodi ego puto esse suspensionem illam absolutè prolatam contra culpabiliter ordinatum ante legitimam ætatem, cujus supra *lib. 7. de Ordin. cap. 12. §. 1. num. 59.* meminimus, videtur enim constare, eam esse inflictam propter peccatum commissum.

5. Ratio traditæ, & sic explicatæ Regulæ est, quia Censura, quæ est ex sui natura propriè medicina, non potest habere terminum alium, nisi, donec homo recedat à peccato, ideo enim dicitur ferri in medicinam, ut scilicet à contumacia is recedat. Hinc ergo sequitur, ut quando suspensio fertur ad terminum præfixum, vel in perpetuum, vel sub certa condicione, Censura esse non possit, quia tunc, quamvis delinquens se emandaverit, adhuc illa suspensio, usque ad suum terminum, vel conditionis impletionem, perseverare debebit, ut nimirum delinquens pœnam suo delicto taxatam solvat. At, quando sub nullo termino fertur, judicandum est (nisi ex circunstantiis, ut diximus, colligatur illa ferri pro peccato commisso) ideo tempus à lege, vel judice non fuisse præfixum, quia voluit Iudex, vel legislator, ut ea suspensio penderet in sui perseverantia à voluntate, seu resipiscentia delinquentis, atque adeo, ut esset propriè censura, cujus, ut potè salutaris medicina, natura est, ut statim atque reum sui peccati pœniteat, debeatur ipsi absolutio, quæ certè non deberet, ut diximus, meræ pœnæ, quæ est ad instar vindictæ, &c.

6. Atque hinc aliam differentiam collige. Nam suspensio, quæ est tantum pœna, non requirit præviam judicialem monitionem, quia infligitur delinquenti ob peccatum jam commissum. At suspensio, quæ est censura, requirit præviam monitionem judicis, sicuti requirit excommunicatio, ut latè solet explicari *in tract. de excommunicatione.*

7. Inquires. Si, omnibus circunstantiis expensis, dubia res omnino appareat, an suspensio sit censura, an sit mera pœna, quid judicandum?

Respondeo. Puto, judicandum, eam esse Censuram. Quia in lege odiosa benignior interpretatio est adhibenda; at, suspensionem esse Censuram, magis subdito favet, quam esse pœnam, siquidem Censura est medicina ad salutem, quæ certè gratior est, quam vindicta, & Censura dependet maximè à voluntate Rei, ut dictum est, cum pœna sit necessaria. Adde, apud Doctores, & Sacrum Textum, *C. Quærenti de significat. verborum, & passim.* Suspensionem regulariter, & absolutè numerari inter censuras, quamvis aliquando sit mera pœna. Ergo, nisi aliud explicetur, vel ex circunstantiis colligatur, semper eam merito censuram pronuntiabo.

8. His ita statutis, id, quod ingenio apud Bardi, vel non intelligo, vel approbare quamvis amicus, non possum. Docet ipse duo in expositione Bullæ Cruciatæ V. de Bardi *in exposit. Bull. Cruc. lib. 2. tr. 6. c. 7. sect. 1. n. 5. & 11.* Primum, suspensionem, quæ oritur ex eo, quod quis promoveatur absque licentia proprii Ordinarii, posse remitti à Confessario electo per Bullam. Secundum, suspensionem, quæ est pura pœna, remitti per dictam Bullam, non posse.

9. Ex his dictis, alterum, nempe hoc posterius, ultro amplector, at, contra illud prius, sic argumentari libet. Suspensio, quæ est pura pœna, remitti nequit vi Bullæ ex ipso Bardi: Sed suspensio orta ex promotione destituta Ordinarii licentia, est pura pœna: Ergo nequit per Bullam remitti, quod est contra prius dictum ejusdem Bardi. Minor autem hujus argumenti manifestè probatur ex regula dicta *n. 2 & 3.* Suspensio enim imposita ad tempus, *donec Iudex judicaverit*, est pura pœna. At suspensio orta ex promotione sine licentia Ordinarii est imposita ad tempus, *donec Iudex judicaverit*; Ergo est pura pœna. Ecce Textum Trident. *sess. 23. cap. 8. de Ref.* quod hanc suspensionem imposuit. *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas, & mores Ordinarii sui Testimonio commendentur. Si secus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

## CAPVT II.

*Quæ culpa requiritur ad incurrendam suspensionem.*

1. VT incurratur à persona particulari Suspensio integra afferens illos duos utrosque effectus quos c. 1. n. 1. declaravimus, sive hæc, ut Censura, sive, ut pœna, sive à jure sit lata, sive ab homine, requiritur aliqua culpa. Ratio est, quia, si sit pura pœna, supponit culpam, quæ sit punienda, si sit censura, seu Medicina, requirit item culpam, quæ sit sananda.

2. Aliquam, dixi: nam ex probabili, Henriq. *cap.* 27. *n.* 159. & Avil. 3. *p. d.* 3. *dub.* 3 sententia satis est venialis, sed est æquè probabile necessario requiri mortalem, ut sustinet Vasq. *p.* 2. *d.* 153. *c.* 5. Suar. *d.* 4. *de cens. sect.* 4. Coninch. *d.* 13. *d.* 3. G. Hurt. *de susp. diff.* 2. *n.* 9. aliique de qua re nos diximus *l.* 3. *de Sac. Miss. c.* 1. §. 8. & docet Gabal. cum aliis *de cens. disquis.* 3. *d.* 2. *n.* 5.

3. Dixi (*à persona particulari.*) Nam ut incurratur suspensio ab Vniversitate, erit distinguendum. Si enim Suspensio feratur distributivè contra singulos de Vniversitate, de Capitulo, de Collegio, &c. requiritur culpa in singulis, quia tunc est suspensio fulminata contra personas particulares, licet multas. Si vero feratur collectivè contra omnes, ut sunt partes, seu membra ejusdem communitatis, non requiritur culpa in singulis, tunc enim suspensio sic lata afficiet omnes de communitate, ut sunt ejus partes; cum ergo omnes sint partes, omnes afficiet suspensio; quia quando major pars communitatis delinquit, judicatur delinquere tota communitas, quare tota erit suspensa, etiam minor pars licet ea non deliquerit. Nec est inconveniens; quod hi pauciores amittant jus acquisitum præstandi actiones solitas exerceri à communitate, quia non amittunt per se, sed per accidens, siquidem communitas quando est suspenta ab aliquibus actionibus, perinde est, ac si nulla communitas esset in ordine ad actiones illas. Communitate ergo, quasi deficiente, quid mirum, si ejus partes, sive culpantes, sive non culpantes etiam ipsæ deficiant? Vt ejus partes, inquam, nam, ut sunt personæ privatæ, nihil tunc amittunt.

4. Inquires. Si quæ communitas peccaverit quidem, faciendo contra præceptum prohibens aliquid sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, sed nesciverit illi peccato esse affixam suspensionem, illamne incurret?

5. Respondeo. Incurrere, probabiliter putat Lez. *t.* 1. *qu. Reg. c.* 14. *n.* 4. quia Pontifex sion utitur, inquit, in his similibus prohibitionibus sub pœna suspensionis verbo (*præsumere*) quare tunc illa suspensio incurri debebit, tametsi non adsit dolus, & præsumptio, satis enim erit, si adsit peccatum.

6. Verum probabile etiam est, teste Pasq. *cent.* 4. *q.* 358. non incurrere, quia est probabile ad illam incurrendam requiri scientiam talis pœnæ, seu censuræ; nam si est pura pœna, *l.* 1. *in Dec. c.* 2. §. 10. *à n.* 9. dictum à nobis est, requiri ejus cognitionem, ut incurratur, si vero est censura erit medicina, quæ etiam teste Sanc. *lib.* 9. *matr. disp.* 32. *n.* 21. *fin.* Suar. *de cens. d.* 4. *sect.* 9. *n.* 19. & 20. cognosci debet, quia, nisi Medicinam cognoscam, medicinam mihi applicare non possum.

7. Inquires iterum. Qui metu gravis mali cadentis in virum constantem eas actiones faciat, quibus annexus est incursus in suspensionem, illamne incurret?

Respondeo, illam non incurrere, ut ex supradictis *c.* 2. *de excomm.* patet, qui locus est à me recolendus propter hoc, aliaque multa *ibidem* latius pertractata.

# TRACTATVS III.
# SELECTA DE INTERDICTO.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid servandum est hodie in interdicto locali Generali?*

§. I. *Præmittitur breviter, quid sit interdictum.*

INTERDICTUM, Ecclesiasticum absolutè, & sine limitatione latum, est regulariter censura, qua Fidelibus vetatur, Primò, Officia Divina celebrare.

Secundò, aliqua Sacramenta ministrare, vel suscipere, puta Eucharistiam (nisi in mortis articulo) Extremam Vnctionem (nisi fortè in eodem articulo, quando qui non potuit de proximo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ) & Ordinem. Nam Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & satis probabiliter Matrimonium non vetantur, ut distinctius videre omnino debes apud Doctores passim.

Tertiò vetatur, Ecclesiasticam sepulturam Defuncto exhibere.

Hoc vocatur, & est interdictum integrum: nam et rum ipsum potest ab imponente limitari secundu Nav. Avilam, aliosque eum Leandr. *de Interdict. q.* 9. a aliquos effectus tantum, quia hi tres effectus interdi non sunt ita in jure connexi, sicuti sunt effectus excommunicationis, quos dividere non potest quilibet Prælatus, sed Pontifex Summus dumtaxat.

2. Dictum autem est primò, (*est Censura*) in quo convenit cum excommunicatione, & suspensione. Censura autem est pœna medicinalis, quæ solum infligitur, ut quis à contumacia recedat.

3. Dictum tamen est secundo (*regulariter*) Nam, licuti suspensio potest ferri, & ut censura, & ut mera pœna, in vindictam peccati commissi, & interdictum, Verum, quia valde raro, ne dicam nunquam, ut vult Bull. *in exposit. Bull. Cruc. p.* 2. *tr.* 6. *c.* 7. *sect. à n.* 17. Interdictum imponi solet, ut mera pœna, ideo addidimus illud, *regulariter est Censura.*

4. Regula autem dignoscendi utrum censura sit, utrum mera pœna, eadem prorsus est, quæ in suspensione quamque diximus *in tract. præced. cap.* 1.

§. II. *Præmittitur breviter, quotuplex sit interdictum.*

1. TRiplex profecto est, Personale, Locale, Mixtum. Personale est illud, quo ipsa Persona prædictis prohibitionibus afficitur. Is ergo qui sic personaliter est interdictus, ferret secum impositas prohibitiones, in quemcumque locum pervenerit, quamvis nullo interdicto subjectum.

2. Locale est illud, quo locus aliquis prædictis prohibitionibus astringitur: hoc est, quo in ejusmodi loc vetantur Fideles illas actiones prohibitas exhibere. hoc ergo interdicto, Personæ Fidelium non immedia ratione sui, sed mediatè, puta ratione loci, ab illis actionibus arcebuntur. Nam propterea, si Personæ egredian tur ab illo loco, poterunt liberè se gerere, &c.

3. Mistũ est, quo tum personæ tũ locus prohibentur, &c.

4. Porro subdividuntur deinde eadem interdicta, ut aliud sit Personale generale, aliud Personale speciale, aliud particu-

particulare. Et rursus, Aliud sit locale generale, Aliud locale particulare.

5. Personale generale est, quando interdicitur Populus (qui in hac materia comprehendit etiam habitantes in Suburbiis) Vniversitas, Capitulum, Collegium, nempe communitas quælibet, faciens unum corpus morale, seu politicum.

6. Personale speciale est, quando interdicitur hic, vel ille, etiam si sint plures, sic ille, & ille, & ille, &c. vel sic, *Interdicuntur omnes, qui tale sacrilegium commiserunt*, quo pacto non interdicuntur, ut partes Communitatis, sed singuli, ut personæ particulares.

7. Locale generale est illud, quo interdicitur locus, qui à communitate incolitur, v. g. Provincia, Civitas, Villa, &c. Vnde tunc interdicuntur omnia, & singula loca, ut partes sunt communitatis. Comprehenduntur etiam Suburbia, *C. Si Civit. de excomm. in 6.* Civitate interdicta, etiam alterius dominii, etiam Ecclesiæ Regularium exemptorum, quia secus suo rigore frustaretur interdictum. Vide Trid. *sess. 25. c. 12. de Reform.*

8. Locale particulare est illud, quo interdicitur locus particularis, vel loca particularia, hæc, illa, & illa &c. quæ sunt in aliqua Provincia, Civitate, Villa, &c, non quidem, ut partes Communitatis, in qua sunt, sed, ut particulares Ecclesiæ.

His in memoriam reductis, ut respondeam quæstioni in titulo hujus capitis propositæ, sequentem §. instituo.

## §. III. *Quidnam mitigaverit Bonifacius VIII. in Interdicto locali generali.*

1. Jure antiquo, *C. Permittimus de sent. excommunic. C. Quod in te de Pœnitent. & remiss.* Concedebatur. Primo, Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum, tempore Interdicti, semel in hebdomada Missam celebrare pro conficienda Eucharistia, quæ asservari pro infirmis consuevit.

2. Secundo, Clericis concedebatur, posse legere Horas Canonicas sine cantu, idque non à pluribus, quam tribus simul.

3. Tertio, concedebatur solum Pœnitentia, & Viaticum morituris.

3. Quarto, concedebatur, ut Clerici qui non essent specialiter interdicti, & interdictum generale servaverint, possent in cæmeterio sepeliri.

### *Concessio prima celebrandi privatim officia.*

5. At jure novo Bonifacius VIII. *Cap. Alma mater de sent. excom. in 6.* amplians prædicta, concedit Primo, ut tempore generalis interdicti localis, ut vult Lezana, *V. Interdict. num. 16. junct. num. 22.* (quare, non in locali speciali, nec in ullo personali, ut constat ex contextu dicti *Cap. Alma Mater*, & ex intentione Pontificis, atque ex ipsa praxi) concedit, inquam, ut Ministri Ecclesiæ (atque adeo Religiosi non interdicti personaliter teste G. Hurt. *de Interd. diff. 7. n. 19.* licite valeant, quotidie Missas, & alia Divina Officia celebrare (non autem in Oratoriis privatis, quamvis alias approbatis ad sacrificium) ac si nullum adesset interdictum, cum sequentibus tamen conditionibus. Prima, ut id fiat januis clausis. Secunda ut Submissa voce, quo scilicet audiri moraliter nequeant. Tertia, ut non pulsentur Campanæ, intellige, ad convocandum populum: nam cæterum poterunt eæ pulsari ad convocandum ad Concionem, ad Salutationem Angelicam recitandam, ad diei horas designandum. Ad elevationem autem Sacræ Eucharistiæ in Missa, aliqui ut Lezana *V. Interdict. num. 26.* negant, concedunt aliqui ut G. Hurt. *de Interd. diff. 7. n. 20.* quod posterius probabilius est, quia tunc non pulsatur Campanula, ad convocandum populum, sed ad eos monendos, qui sunt in Ecclesia, de reverentia exibenda. Quarta, ut excludantur excommunicati, & interdicti personaliter.

Hæc concessio facta solum à Bonifacio est prædictis Ecclesiæ Ministris; nam cæteri omnes, non solum, qui dederunt causam interdicto (hi enim semper in jure *C. ult. de verb. signif. in 6.* habentur, ut interdicti personaliter, ac specialiter) verum etiam illi, teste G. Hurt. *l. c. n. 21.* qui habitat in illa Civitate, seu loco interdicto: quia, secus nullum ferè esset interdictum ejusmodi, si prædicti omnes possent admitti ad officia, quamvis privatim celebranda.

6. Ex eo, quod Bonifacius concedit clericis, atque adeò Religiosis modo dicto Divina Officia celebrare, colligit Hurtadus, *de interd. diff. 9. n. 29.* Bonac. *de interd. dubit. 5. part. 5. n. 13.* concedi, posse eos tempore interdicti localis generalis cum iisdem conditionibus sepeliri in Ecclesia, quod est plus quam sepeliri in cæmeterio, quod poterant jure antiquo, ut diximus *n. 4.*

### *Concessio secunda celebrandi publicè in quibusdam Festis.*

7. Concedit Secundo, in dicto interdicto generali locali Bonifacius, ut in diebus festis Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes (& quidem ex probabilissima sententia, tum in primo, tum in sequentibus duobus, atque in Natali Domini in tribus sequentibus, quia ii certè pertinent ad eandem solemnitatem) & in Festis Assumptionis Sanctissimæ Virginis, Festoque corporis Christi cum tota octava, (hoc ultimum concessit Martinus V. & Eugenius IV) concedit inquam, ut divina Officia etiam publicè celebrentur, ac si Interdictum nullum locale adesset, exclusis tamen excommunicatis, sed ipsis interdictis admissis, sub ea lege, ut qui causam interdicto dederunt non appropinquent ad altare.

8. Nota autem hîc Primo, Festivitates ejusmodi incipere à primis vesperis ac finiri completorio inclusivè, ad Festum enim, etiam pertinet completorium.

9. Nota Secundò, iis, qui causam interdicto dederunt, quia censentur interdicti personaliter, non concedi in prædictis solemnitatibus communionem, sed posse solum Missis, ac Divinis Officiis interesse, hi enim removentur ab Altari.

10. Nota Tertiò, discrepare Doctores, an illis, qui interdicto locali causam non dederunt, concedatur in diebus prædictis communio, aliis negantibus, ut G. Hurt. *l. c. diff. 7.* cum Avil. & Sylv. concedentibus aliis, ut Suar. *d. 33, de Cens. sect. 1. n. 36.* Coninch. ap. eit: Hurt. Mihi videtur utrumque esse probabile, quia illa verba Bonifacii *interdicti, qui non dederunt causam admittantur in his Festis ad participationem Divinorum*, significare possunt, iis concedi communionem, id enim videtur sonare illud *Participatio Divinorum*, sed, quia sonare etiam possunt Divinorum Officiorum consortium, dumtaxat externum, ideò quam mavis sententiâ libere amplecti, integrum erit tibi.

11. Non solùm in his Festis, verumetiam aliis quibuscunque diebus, consueto comitatu, tempore interdicti, deferendam esse communionem ad infirmos, dixi *in Opusc. de comm. c. 6. §. 7.*

12. Nota Quartò, dubitari à Doctoribus, an tempore prædictarum Festivitatum concedatur interdictis sepeliri cum omnibus solemnitatibus in loco sacro, perinde, ac si interdum non adesset. Conceditur per aliquos, ut Sylv. Sayr. Nav. Sotum, Henriq. ap. Bonac. *de interd. d. 5. p. 5. n. 7.* quia si Bonifacius concedit principale, id est Divina Officia celebrare, concedit, & accessorium, nimirum Sepulturam Ecclesiasticam, quæ accessoria est ad Officium Defunctorum. Confirmant, quia ex Sacro Textu Cap. Sanè *dist. 24. q. 4. Quibus communicamus vivis, possimus communicare & mortuis*, at illis diebus communicamus vivis, ergo & mortuis, eos sepeliendo. Negant per aliquos, Suar. Avil. Coninch. Filliuc. Ugol. ap. Bonac. *l. c.* quia nolunt sepulturam connumerare inter Divina Officia, quæ solum tunc concedantur. Utrumque probabile.

### *Concessio Tertia tradendi omnibus Sacramentum Pœnitentiæ.*

14. Concedit Tertiò Bonifacius, ut in memorato interdicto locali generali possit omnibus sive sanè, sive malè

valentibus,ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, exceptis excommunicatis, & iis, qui dederunt causam interdicto; cum ex jure antiquo, ut vidimus,solum concederetur id morituris.

14. Nota tamen Primo, Excommunicatis, iisque, qui dederunt causam interdicto concedi *C. dicto Alma Mater.* sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis, sed, si de delicto satisfaciant, vel sufficientem dabunt cautionem de satisfaciendo, vel si neutrum ex his possint,si jurent,quam primum satisfacturos, vel facturos, quantum possunt, ut satisfactio à delinquentibus exhibeatur.

15.Nota Secundo,illum esse tempore interdicti, teste Lez.*V. interd.n.*12. Confessarium,& posse licitè absolvere,qui aliàs habet jurisdictionem, & approbationem legitimam, sed non est interdictus personaliter: si enim personaliter esset interdictus,illicite se gereret,peccaretque graviter,violando interdictum,quo afficitur: Quod si esset interdictus generaliter solum licite posset,si causam non dedit interdicto. Excipiendus semper est casus urgentis necessitatis,eo modo,quo in Superioribus *li. 5. in tr.de casib.reserv. c.*12.*per totum* dictum est late.

## CAPVT II.

### *Quid indulserit Concilium Constantiense in Interdicto.*

1. IN Tractatibus superioribus sæpè dictum est. Concilium Constantiense, seu Martinum V. concessisse ut cum Fidelibus quacumque censura ligatis(nisi nominati fuerint publicèque denuntiati, vel publici clericorum Percussores,) possemus communicare in divinis, & humanis eo modo, quo in tractatu de Excommunicatione explicari solet. Quoniam igitur interdictum censura est, quid ipsi indulgeat in hac communicatione Martinus, videndum est.

2. Et quidem, ex vi interdicti, tres communicationes tantum prohibentur ex jure.Primo enim, interdicti non possunt licitè à Fidelibus sepeliri in loco sacro. Secundo, clerici non possunt licite coram dictis interdictis Divina Officia celebrare.Tertio ii, quibus commissa est cura Ecclesiæ non possunt licite permittere,ut interdictus Divinis Officii assistat.

3. Quærimus ergo, an Martinus V. aliquid in prædictis tribus communicationum generibus, mitigaverit & mitigasse certum est.Nam Primo Fideles, sive clerici, sive laici possunt hodie sepelire in loco sacro non interdicto eos qui, quamvis interdicti sint, etiam personaliter, non sunt tamen nominatim,ac publice, ut interdicti denuntiati. Imò eosdem, ut dico, non denuntiatos nominatim possumus sepelire in loco sacro interdicto, quamdiu locus non sit nominatim, ac publice denuntiatus, ut interdictus.

4. Secundo, Clerici licite possunt celebrare divina coram iisdem etiam personaliter interdictis, quod si (hi si se ingerãt,ipsi peccabunt,non vero clerici) possunt,inquam, nisi ii coram quibus, sint nominatim,ut interdicti, denuntiati.

5.Tertio, illi, qui curam habent Ecclesiæ, possunt admittere eosdem etiam personaliter interdictos(Quod si hi se ingerant, ipsi peccabunt, non illi) possunt inquam, si pari modo hi admittendi non sint nominatim denuntiati, ut interdicti.

6. Porrò illa hîc agitari solet difficultas. An Communitate denuntiata publicè, ut interdicta, intelligantur sic denuntiati etiam singuli de Communitate illa,ita ut singuli, ut interdicti nominatim, sint modo jam dicto vitandi; An solum sint vitandi,ut partes, & membra illius, atque adeo solum in actionibus propriis communitatis.

7. Respondeo. Etiam singulos putat Suarez, Filliuc. Henriq.Sayr.Coninc,apud Bonac.*de Interd.d.*5.*p.*5 *n.*10. citans ac sequens, quia secus,inutilis esset hæc Denuntiatio;Si enim singuli denuntiati non includantur ubi vel parum refert, esse Communitatem denuntiatam.

8. Nequaquam singulos, censet Alterius,Navarr. que apud eundem Bonac. Sà *in utraque edit. V. Interd. num.*3.Simile quid dicit Gibal. *de censur. disp.*4.*quæst. num.*8. loquens *de Suspens. Communitatis*, quia si solæ partes,ut partes illæ,s,atque adeo singuli,non ut personæ, sed,ut ad unum corpus politicum pertinent. Neque tunc erit inutilis denuntiatio, quia facit, ut tota Communitas in iis vitanda sit, quæ ipsam tangunt,quamvis non in iis, quæ tangunt particulares personas, quæ, ut sic nullo modo sunt, ut interdictæ, denuntiatæ.

9. Video sententiam Suarii esse communiorem, & hanc Alterii esse probabilem, & fortasse probabiliorem etiam video.

Atque hæc pauca satis de Interdicto, cujus rara est praxis, & de quo innumeri Doctores sunt, qui agunt.

# TRACTATVS IV.

## DE

# IRREGVLARITATE

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit Irregularitas?*

IRREGULARITAS (quæ censura non est,nec in universum, pura pœna, ut patebit ex dicendis, & videri late probatum potest apud Gibalin.*de Irreg. c.*1.) est impedimentum ut vult Sayrus *de cens.l.*6.*c.*1.*n.*9.Coninch. *de irregul.d.*18.*dub.* n.1.Turrian.*de Censur.l.*8.*disp.*57.*dubit.*1. G. Hurt.*de irregul. diff.*1. Canonicum primario, & directè impediens Fideles à susceptione Ordinum, secundario autem, & indirectè impediens Ordinatum ab ejus usu, & impediens item eosdem à Beneficiis, Jurisdictionéque Ecclesiastica juxta mox pluribus explicanda.

Hæc descriptio clarissima redderur ex dicendis, præsertim à *c.*6.ubi prædicti effectus irregularitatis separatim enodabuntur.

2. Illud dumraxat hîc non est sine explicatione præmittendum, putà,Cur tam signate dictum est (*Impedimentum Canonicum.*)

Respondeo,quia certa est omnium, ut Suar. *de censur. d.* 40. *sect.* 1. Conich. *l. c. num.* 9. & Theolog. Antiquor. *in* 4.*d.*15. *quæst.* 3. *art.* 2. sententia, irregularitatem totam pendere, tanquam à causa efficiente à jure Canonico, quod fertur à Summo Pontifice, ita ut non possit imponi ab ullo alio jure speciali, vel præcepto, vel sententia latis ab inferioribus Papa. Vide, id latius apud citatos.

## CAPVT II.

### *De Subjecto Irregularitatis.*

1. SUbiectum, seu is, qui denominatur irregularis, est ille,qui,Primo,capax est Ordinis,& Secundo, qui juri est Canonico subiectus. Cum enim irregularitas sit impedimentum à jure Canonico inductum, quo vetatur Ordinum susceptio, eorundemque usus, memoratam utramque conditionem requiret in subiecto, cui ipsa affigi debet.

2. Hinc Primo, non baptizatus, hinc Secundo, femina, hinc Tertio,perpetuo amens,quia non sunt Ordinum capaces,

capaces, nec erunt capaces Irregularitatis. Huc reduco Summum Pontificem, qui non est subditus irregularitatem imponenti. Quare falsum est, quod asserit Diaz, *in prax. crim. Canon. cap. 56. num. 6.* Pontificem Summum fore irregularem, si propria manu aliquem occidat. Imò quamvis non debeat ut habet Bon. *de Censur. d. 7. quæst. 1. part. 2. num. 8.* Suar. *d. 40. de Censur. sect. 7.* Irregularis, saltem, publicus, eligi ad Summum Pontificatum; est enim eo gradu indignus; si tamen eligatur, continuo liberatur ab irregularitate.

3. Hinc secundò, Episcopi, imò & Cardinales subditi sunt irregularitati, quia subditi sunt juri communi Canonico, *C. Quia pericul. de sentent. excommun. in 6.* à quo Irregularitas imponitur, & licet ipsi, nisi exprimantur, non intelligantur comprehensi à lege universali Suspensionis & interdicti, sic jure Canonico ob eorum dignitatem disponente, comprehenduntur tamen à lege universali Excommunicationis, & irregularitatis, quia non apparet jus excipiens ab illis. Ita aliis citatis Leand. *de irreg. tr. 1. d. 2. q. 6.*

4. An, non baptizatus, si deinde baptizetur, censendus sit liber ab irregularitate ex homicidio v. g. commisso ante baptismum, commodius dicemus infra *cap. 23. §. 2.*

## CAPVT III.

### *Quibus verbis infligatur à jure irregularitas.*

1. PRimo, si in Iure Canonico, cujus est irregularitatem imponere, ut supra docuimus sic dicatur: *Sit Irregularis, Irregularitatem contrahat, & cæt.* clarum minis est, tunc infligi Irregularitatem. Unum noto, in vetustiore jure hanc vocem irregularitatis non inveniri, non quia usus Irregularitatis non fuerit, sed, quia hæc vox non usurpabatur; utebantur autem aliis dicendi formulis æquivalentibus. Has formulas enumerant Henriq. *l. 14. cap. 1.* Vivald. *in Candel. p. 3. de Irreg. n. 2.* Snar. *de Cens. de 40. sect. 8.*

2. Si per futurum tempus sic dicatur: *Erit, fiet, evadet irregularis, expelletur ab altâri*, multo magis, si dicatur: *Sit Irregularis, repellatur ab ordine, & cæt.* inducetur irregularitas ipso facto. Ita Suar. *disp. 40. de Censur. sect. 8. num. 3.* Ratio est, quia irregularitas non pendet à futuro ministerio judicis, unde illud futurum (fiet, erit, &c.) solum notat, deinceps te debere reputari irregularem, non vero necessarium esse, ut præcedat judicis sententia. Non esse ita in Censuris, diximus *in Tract. de excommunic. cap. 1.*

3. Quod si, omnibus expensis, res dubia remanet an scilicet verba significent induci Irregularitatem, nec ne, cum hoc sit dubium juris, est judicandum, non infligi irregularitatem, quia irregularitas debet esse expressa in jure, quæ expressio non adest, quando omnibus perpensis res est dubia. Imò, etiam si addceretur in jure, quod *talis pœna sit dispensatione delenda*, adhuc per hæc sola verba non tollitur dubium, nam, ut notat Suar. *l. c. n. 10.* necessitas dispensationis potest cadere in alias pœnas, quæ non sint irregularitates.

## CAPVT IV.

### *Quinam actus requiratur in subjecto ad irregularitatem ex delicto incurrendam?*

1. DIxi (*ex delicto*) nam ad irregularitatem ex defectu, nequaquam facit hæc præsens quæstio, quia illa irregularitas incurritur sine peccato. Ad eam autem ex delicto requiritur *Actus externus, Opere consummatus, Deliberatus, Peccaminosus, Cognitus in ratione pœnæ*, Discurre per singula.

### §. I. *Actus debet esse externus.*

1. ECclesia sive nequit, ut vult Præpositus, *in 3. p. q. 5. de Irreg. d. 2. n. 5.* G. Hurt. *de Irreg. d. 1. diff. 2. n. 6.* Suar. *de Cens. d. 40. sect. 3. n. 6.* Avila *de Cens. p. 2. d. 2. dub. 2.* Graff. *l. 2. decis. c. 62. n. 5.* sive non vult unquam punire, seu judicare de actibus mere internis, multo minus vult, eos punire irregularitate, quæ est gravissima pœna.

2. Actus tamen externus licet occultissimus capax est irregularitatis. Ita Suar. *l. c. n. 1.* Avila *l. c.* Coninc. *de Sacr. d. 18. d. 2.* Leander. *de Irreg.* multos citans *tr. 2. d. 10. q. 5. & d. 27. q. 19.* contra paucos dicentes non incurri ex occulto, inter quos est Miranda fortè approbatus à Diana *p. 11. tr. 2. res. 26.* sed exceptus (certè inmerito) à Bruno *de Privil. Reg. tr. 5. c. 4. prop. 1.* statim enim, ac actus in externum prodit, manifestus ex se est, judicioque Ecclesiæ subditus.

Adde Trident. *sess. 24. cap. 7. de Reform.* dicens homicidam, etiam occultum, esse ab Altari repellendum.

3. Neque obstat, quod ex dictis sequeretur hominem, si velit dispensationem Irregularitatis, debere Prælato manifestare suum delictum occultum, ut is judicet de dispensationis causa: non obstat, inquam, quia eiusmodi manifestatio est voluntaria; potest enim irregularis non petere dispensationem, si velit, suum impedimentum Superiori non declarare.

4. Quod si contingat, aliquem abstinere non posse ab usu Ordinis v. g. à celebranda Missa, nisi cum gravi infamia suum crimen divulget, jam non cogetur, ex hoc capite, desistere ab eius usu, dum periculum infamiæ durat, ut docet Navar. *in man. c. 27. n. 239.* & Corduba *casu 41. n. 142.* nosque infrà, *c. 14. §. 3. n. 3.* breviter, & latius supra *de exc. c. 2.* explicabimus cum communi sententia contra Valerum, *in diff. utr. for. V. irreg. diff. 8.* alios que, & universaliter eiusmodi dispensationes debere, ita prudenter fieri à superiore, ut non infametur peccator occultus; monemus omnes; id enim ex regula generali de vitanda proximi infamia, pro certo supponendum semper est.

### §. II. *Opere consummatus.*

1. HOc est, debet actus in ea specie, sub qua prohibetur, esse perfectus.

2. Hinc, qui mortem alicuius concupivit, qui eandem tentavit, qui vulnus, etiam lethale inflixit, non fit, quamvis per miraculum non sit secuta, quia pœna hæc, seu onus irregularitatis, cum odiosum sit, restribuendum est ad opus integrè consummatum, quando aliter expressè non est in iure depositum, Ita communiter Doctores ut Suar. *l. c. sect. 3. n. 13.* Farin. *in frag. V. irreg. n. 427.* Vgol. *de irreg. c. 5.* G. Hurt. *de irreg. disp. 1. diff. 2. n. 6.*

### §. III. *Plene deliberatus.*

1. ITa profectò: non enim tam gravi oneri, seu pœnæ, qualis est irregularitas, est subjiciendus homo, nisi ob actum humanum, & perfectè voluntarium.

2. Hinc infans, dormiens, amens, seu furiosus, ebrius, &c. si occidat, vel baptizetur tempore carentiæ rationis, non fient irregulares. Vide Clement. VII. *de Homic.* Suar. *loco citato*, unde, nec teste Gibal. *de irregul. c. cap. 4. quæst. 2. n. 13.* ulla indigent dispensatione, quando postea usum rationis resument. Porro ex hac certa doctrina duæ emergunt sequentes quæstiunculæ.

#### PRIMA QVÆSTIO.

*Dormiens, vel ebrius assuetus occidere.*

1. SI quis tempore somni, vel ebrietatis, vel furoris, solitus occidere, bibat, vel comedat ea, ex quibus scit, ita affici, ut hominem in ejusmodi tempore occidat, est ne Irregularis? Videtur enim non esse, quia hæc occisio, licet denominetur deliberata ab actu advertentiæ præcedente ipsam occisionem, in se ipsa tamen non

est formaliter libera quia actu fit, dum homo inops est rationis.

4. Respondeo, sub necessaria distinctione. Si is non prævidit occisionem futuram, quod esse non raro potuit, quia non erat assuetus eo tempore somni, vel ebrietatis, occidere, non erit Irregularis, etiam si per gravem culpam se v.g. inebriaverit, vel cubitum ierit cum intentione occidendi suo tempore inimicum. Manifesta est ratio, quia sic occisionis actus nullo ex parte est deliberatus, & voluntarius.

5. At, si is prævidit quia v. g. erat assuetus eo tempore occidere, & non apposuit sufficientem diligentiam, ne occideret, claudendo, v.g. januam domus, adhibitis custodibus, &c. multo magis, si data opera, ut hominem occidat, bibat, vel comedat, somnove se dedat, erit Irregularis. Ratio est, quia tunc adest causa culpabilis occisionis, cui culpæ semper annectitur à Iure Irregularitas, sive ea culpa fuerit ante ipsam occisionem, unde occisio sit denominativè libera, sive culpa fuerit in ipsa occisione, unde occisio sit libera formaliter. Patet, quia, secus, non esses Irregularis, si post propinatum tuo inimico venenum, vel post inflictum vulnus ex quibus is post dies mortuus est, tu interim, ante inimici mortem, resipueris à peccato, & involuntaria omnino actu tibi sit ejusmodi mors. Sufficit ergo, ad incurrendam Irregularitatem, occisionem esse, denominativè liberam, nempè ex causa antecedenter liberè data, ut communiter docent Doctores Sancin. *in C. ad audientiam num. 1. de homic.* Majol. *de irreg. l. 5. c. 48. n. 12.* Covarr. *in Clem. Si furiosus p. 3. initio v. 3.* Vgol. *c. 24. n. 3. & cap. 25. n. 3. & c. 25. n. 4.* Sylv. *V. Ebriet. q. 4.*

6. Confirmatur primò quia, dum Sacri Canones homicidam voluntarium depellunt ab altari, non distinguunt de voluntario in se, & in causa. Cum igitur Voluntarium in causa, sit in omni proprietate Voluntarium, non possumus trahere Canones, quasi ii loquantur solum de Voluntario in se Instar omnium sit: *Cap. de Catero. De Homicidio*, quod solum Voluntarium in causa sufficere, dicit, ad incurrendam Irregularitatem.

*De Catero* (inquit) *noveris, quod Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non ad Sacerdotium promovendus.*

7. Confirmatur secundò, quia qui elegit medium, Canem, v.g. Vrsum, Leonem ad occidendum inimicum, vel, qui prævidet per illud medium esse inimicum occidendum secuta occisione, fit Irregularis. At, qui se inebriat, ut occidat, ut, & qui sine ejusmodi intentione, prævidet tamen occisionem, voluntariè eligit, vel admittit se ipsum in illo amentiæ statu tanquam medium, & instrumentum occisionis; ergo, &c.

8. P. Martinus Prates *in manuscr. de Irreg. d. 1. cap. 4. n. 12. fol. mihi in Colleg. 15.* nostræ Societatis Theologus magnæ literaturæ in opere de Irregularitate, quod in publicam lucem morte præventus effere non potuit, cujus exemplaria omnibus numeris absoluta in Bibliotheca nostræ Domus Professæ nostrique Collegii hîc Panormi servantur, putat, probabilius esse (licet fateatur, præcedentem sententiam esse probabilem) quod ejusmodi assuetus occidere in ebrietate; somno, vel furore etiamsi prævederit occisionem, nec diligentiam, ne ea sequeretur, apposuerit, non fore irregularem, quamvis re ipsa sequatur occisio. Hanc sententiam, quam, nullo Auctore citato, affert, pluribus probare contendit, probationisque summa fideliter collecta hujusmodi est. Quoties aliquis aliquid agens liberatur in jure ab Irregularitate ob aliquam circunstantiam, toties, illa circunstantia interveniente, Irregularitas non incurritur, ut accidit in occidente ob sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, & in accusante Reum mortis cum legitima protestatione Canonica: Sed in jure *Clem. si furiosus de Homicidio*, liberatur ab Irregularitate, qui in circunstantia somni, vel ebrietatis, vel furoris aliquem occidit: Ergo semper, hac circunstantia interveniente, liberabitur. Subsumit: At in casibus, de quibus nostra præsens est disputatio, is qui occidit, quamvis voluntariè in causa, occidit tamen in circunstantia somni, ebrietatis vel furoris; ergo etiam in his casibus absolutus irregularitate liberabitur.

9. Profecto debilis adeo videtur mihi hæc ratio, ut non audeam ejusmodi sententiam probabilitatis nomine decorare. Falsa enim est prædicti argumenti Minor: Nam Pontifex in illa Clementina, ideo immunes ab Irregularitate pronuntiat dormientes, infantes, furiosos (quibus adde, propter identitatem rationis, ebrios, licèt hi in Textu non exprimantur) quia impronuntur ex nulla libertate, ne in causa quidem, homicidium committere. Ratio ergo, cur prædicti liberentur ab Irregularitate, non est ipsa actualis carentia rationis dumtaxat, quam carentiam affert materialis somnus, vel ebrietas, sic enim liberaretur propinans venenum, vel lethaliter vulnerans, ut modo diximus, sed est carentia rationis cum nulla voluntate, nec antecedenti, nec præsenti occidendi. Audi Glossam etatæ Clementinæ *Furiosus* sic dicentem: Furiosus sive continuo furore laboret, sive per intervalla, quandiu furit, pati potest injuriam, sed non facere, id quod per eum fit habetur perinde, ac si casu aliquo accidisset, sine facto personæ, unde, si damnum dat, non tenetur *l. Aquila*, sed est perinde, ac si quadrupes fecisset, vel tegula cecidisset, & idem dicitur de infante, &c. Nota illud (sine facto personæ) & illud (perinde, ac quadrupes, vel tegula.) At in casu nostro adest factum personæ, quo antecedenter prævidit, & non cavit occisionem.

10. Confirmatur ex ipso Textu, qui sic habet,

*Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invasorem.*

Nota illud (ex hoc) quasi dicat, non autem ex alio capite antecedenti per quod ille causa libera actionis fuit.

Ad illud exemplum de occidente alium ob sui defensionem, dico, falsum assumi: non enim semper is liberatur ab irregularitate, nam, si excedit limites moderamnis suæ tutelæ, & sic occidat, erit irregularis, ut infra *cap. 15. §. 15. & mox §. seq. n. 7.* ex omnium sententia dicitur latius, ergo falsum est semper in circunstantia sui defensionis, hominem liberari ab irregularitate, si aliquem occidat.

## SECVNDA QVÆSTIO.

### *Impubes occidens, an incurrat irregularitatem?*

1. IN *Opusc. de Communione cap. 4. §. 2. num. 13.* sententiam negantem, tanquam probabiliorem amplexum sum, nec video, cur in eadem persistere non valeam, quam etiam sequuntur multi, ut Sà *Vers. Censur. num. 2.* Fag. *præcept. Eccles. 2. lib. 1. cap. 3. num. 14.* Sotus citat. a Naldo *Vers. Primum duodecim.* Val. *Tom. 4. disput. 7. quæstion. 9. part. 4.* Castropal. *Tom. 1. tract. 3. dub. 1. part. 14. §. 2. num. 9.* Ioan. Sanch. *dispu. 26. num. 18.* Diana *locis mox citand.* qui universaliter docent, pueros impuberes, quamvis usu rationis pollentes, sive septennio majores, sive minores, nulla Censura, nullisque pœnis affici ab Ecclesia (excipiunt aliqui ex his excommunicationem ob percussionem Clerici) At irregularitas ex delicto, ut qua hîc agimus, pœna sine dubio est. Eandem etiam sententiam sequuntur alii, ut Ioan Sanchez *loco citato* Castropal. *Tom. 1. tract. 3. d. 1. p. 24. §. 2. num. 9.* Diana *p. 5. tr. 6. resol. 88. & part. 11. tr. 2. resol. 56.* qui signate quoad pueros excludunt ab ipsamet Irregularitate,

TERTIA

## TERTIA QVÆSTIO.

*Occidens ex metu.*

1. AN, si quis occidat Iniustè aliquem coactus ab alio, metu cadente in constantem virum incurrat in Irregularitatem? dixi per aliam occasionem, suprà *tract.1.de excommunic.cap.2.§. 1.num. 7.* non incurrere, incurrere verò, si metus est levis mali. Si quis iustè occidat simili metu coactus, dicam infrà, *cap. 15. §. 12. n.15.*

### §. IV. *Peccaminosus.*

1. QVæritur, an ad incurrendam Irregularitatem ex delicto, satis sit peccatum veniale, an omninò requiratur mortale? Mortale semper esse necessarium, affirmant plerique, pauci tamen negant, dicentes, satis esse veniale.

2. Ratio horum negantium, scilicet Silv. *V. Ebrietas q. 2.* Armilla *V.Irreg.n.14.* Cord. *l.2.q. 26.* Mol. *de Iust. t4.tr. 3.d. 77. à n.2.* vocantis hanc communem sententem. sed quo iure, nescio. Caiet. *2.2.q.64.art. 8. & in sum. V. Irregul.* Meg. apud Dianam *part.1.tr.16.resp. 18.* est, quia Ecclesia sæpè in Sacris Textibus mox *n.5.* afferendis indicavit, fuisse incursam Irregularitatem ex delicto ob levem culpam, quod certè signum est manifestum, ipsam de facto sic statuisse.

3. Confirmatur, nam excommonicatio minor inducitur per peccatum veniale, putà per commercium civile cum excommunicatio maiori, & tamen gravis est pœna, cum prohibeat Fidelem à participatione passiva Sacramentorum. Ergo pari modo induci potest Irregularitas quamvis ea item gravis pœna sit.

4. Ratio affirmantium, semper de facto requiri culpam mortalem, est Suar. *de Censuris d. 40.sect.5.n. 17.* Avil. *de Cens.p.7.d.2.dub.3.concl.3.& disp 6.sec.1.dub.11. concl.2.&* 3. Vasq. *p.2.d.150.cap.5.* Filliuc *tract.20.cap. 3. num.58.* Bonac. *de Cens.d.7. quæst. 1 p.8.num.1.* Coninch. *de Cens.d.18.dub.4.n.27.* Dian. *p.2. tr.16.res.18.* G. Hurt. *de Irreg.d.1.diff.2.num.8.* Castrop. *de Cens.d.6. p. 12.§. 4. num.2.* Gibal. *4.q.2.n.5.*

Primò, quia graviſſima pœna non infligitur, nisi ob proportionatam culpam. At Irregularitas graviſſima pœna est, ut omnes concedunt, & ut patet ex effectibus graviſſimis, quos ipsa parit, quosque nos fusè mox explicabimus.

Secundo, culpa levis, sive ob parvitatem materiæ sive ob subreptionem, seu inadvertentiam, non est absolutè & consummatè delictum: at suprà §. 2. vidimus, actum ob quem incurritur Irregularitas, debere esse perfectum, & consummatum in eo genere, quo prohibetur.

Tertiò, quia constans est in iure regula, ut quoties dispositio continens pœnam Irregularitatis, ita sit probabilis, ut etiam opposita probabilis sit, non incurratur (habet id, quod rectè Glossa *in l.etiam si partes, ff. de legib. & l. Divi in Add.marg. ff. de Iure Patr.*) Irregularitas, quia tunc expressa in iure censenda non est. At quis inficiabitur, sententiam hanc esse probabilem, positis eius iam allatis fundamentis, & tot Doctoribus eam sequentibus, qui mordicus contendunt in iure non esse expressam Irregularitatis pœnam, si solum præcedat culpa levis?

Ex his sententiis hæc posterior longè videtur esse probabilior.

5. Ad sententiæ prioris rationem facile respondetur, in casibus illorum Textuum, *C. Tua nos. De homic. C. Continebatur eodem C. Si quis non creatus 15. p. 1. C. Cleric. dist. 50.* Pontificem collegisse pro foro externo, (in quo dispensabat) adfuisse culpam gravé, quia ex præsumptionibus, & circonstantiis concurrentibus illa tunc colligebatur.

6. Ad confirmationem ductam ab excommunicatione Minori, multo facilius respondetur, potest, nam, cum hæc facile absolvi à quolibet Sacerdote simplici valeat, non existimatur, nec certè est adeo gravis, perinde est Irregularitas, quæ ex se est perpetua, privatque Ordinibus, eorumque usu, Beneficiis, &c.

7. Ex dictis, Primò, colligit Abbas, *C. Significasti de Homic.* si quispiam in sui defensionem occidendo aggressorem, moderamen exæssit, eum non vitiaturum Irregularitatem, si id ex proposito fecit, secus si ita ex calore iracundiæ, ut indeliberate fecerit. Meritò hæc dixit Abbas, quia in Sacro Textu *C. quæsitum de pœnit. & remiss.* nonnisi lata, ac studiosa, id est peccaminosa moraliter negligentia dicitur causa Irregularitatis.

Addit insuper idem Abbas, *C. quæsitum de pœnit. & remiss.n.2.* ad Irregularitatem pro foro conscientiæ, satis quidem esse culpam latam (intellige mortalem) at pro foro contentioso, requiri item dolum.

8. Colligit secundò Hurtadus *d.1. de irreg. d.ff.8. n.27.* ex communi doctrina defectum plenæ advertentiæ circa Ius. vel circa factum, ignorantiam, & similia, quoties actum eximunt à peccato mortali, eximere quoque in conscientia ab Irregularitate ex delicto, quicquid sit de foro externo, cui sufficit culpa iuridica, id est per externas probationes præsumpta.

9. Colligit tertio Henriq. *lib.14.cap 15.num. 2.* Avila *de Censur.p.7.d.2. dub.3.concl.3.& disp.6.dub.11.concl. 3.* Præpositus 3. *part.q.5.de Irreg.dub.2.num.6.* quando Iudex, probata secundum præsumptiones culpa iuridica mortali, declarat, aliquem incurrisse in Irregularitatem, si Reo constet culpam fuisse venialem: nec esse Irregularem, nec indigere dispensatione. Quare, citra scandalum, gerere se posset, ut ab omni Irregularitate immunem.

10. Circa prædicta, puta, qualis culpa requiritur ad incurrendam Irregularitatem, multa dicenda sunt inf. à *c.15.* quæ omninò sunt legenda.

### §. V. *Vt incurratur Irregularitas ex delicto, actus debet esse cognitus in ratione malitiæ, & in ratione pœnæ, quibus prohibetur.*

1. TItius, Primò, nescit, vel, non advertit, idque sine culpa, hunc actum, cui ex Ecclesiæ præscripto Irregularitas inhæret, esse peccatum. Secundò, scit quidem, esse peccatum, idque mortale contra Ius Divinum, vel contra ius naturale, nescit tamen inculpate, esse contra Ecclesiæ peculiare præceptum. Scit v. g. hæresim, homicidium, Rebaptismum esse peccatum, sive contra Divinum, sive contra præceptum naturale, sed ignorat, esse contra humanum Ecclesiæ præceptum. Tertiò, denique, quamvis noscat, actum, quem facit, esse peccatum, & esse contra Ius Divinum, vel natutale, vel contra prohibitionem Ecclesiæ, nescit tamen sine culpa, prohibitioni huic Ecclesiæ esse annexam pœnam Irregularitatis.

Quæritur ergo, an semper in prædictis tribus casibus incurratur Irregularitas, si actus eiusmodi prohibitus fiat à Titio?

2. Et quidem in primo casu Titium non incurrere, iam patet ex dictis, quia ad Irregularitatem prærequiritur culpa, &c.

3. In secundo casu, est probabile, non incurrere. Ita Io. Præp. 3 *part.q.5.de Irreg. d.2 n. 9.* Coninch. *d.18.d.4.* Sanchez, *lib.9 mart. d.22.num.17.* Castr. *d.9.de Cens. p.6.* aliique apud Dianam *p.4.tr. res. 85.* sed est item probabile incurrere. Ita Suar. *de Cens.d.40 sect.5.n.10.* G. Hurt. *de Irreg.diff.8.n.20.* Sanchez, *loc.cit.* probat, id esse docens. Idem dicit Castr. *loc.cit. n. 3.* Ratio prioris probabilitatis est, quia Ecclesia censetur ponere, pœnam Irregularitatis solum non obedientibus suæ legi, quam, si quis nesciat, non est ei inobediens. Ratio posterioris est, quia Ecclesia movetur ab indecentia mortali ipsius actus cui adnectit Irregularitatem. Si ergo quis judecen-

tiam actus iam agnoscat? unde mortaliter peccet contra Legem Divinam, vel naturalem, sanè ad se trahet Irregularitatem ejusmodi actui adhærescentem.

4. Dices. Cur Ecclesia arcere per Irregularitatem voluit Ministrum iustitiæ (ut omnes infrà docebimus) iuste occidentem Reos, etiam si Minister non peccet: immò etiam si nesciat hanc Ecclesiæ dispositionem, non vero in priore probabilitate voluit arcere hominem, qui alium occidit iniustè, quando ejusdem Ecclesiæ prohibitionem ignorat.

Respondeo. Rationem puto esse hanc, quia Ministri ex officio, veluti habitualiter, deficiunt à lenitate Christi, parati ex vi sui officij ad occidendum: at ille occidens iniustè cum ignorantia prædicta, cum non occidat ex officio, non deficit habitualiter à lenitate Christi: Vide infrà *c.15.§.13.n.15.* ubi quid simile dicam.

Iam de Tertio casu remanet difficultas, de qua sunt sequentes sententiæ.

5. Prima docet ab ignorante sine culpa Irregularitatem, nunquam illam incurri, una excepta, quæ est ex Homicidio voluntario. Ita Sanch. *lib. 9. matrim. 32. à n. 17.* Ibidem videtur tenere Nav. *Codicum contingit.* Portella V. *Ignor* Peregr. *de Duello q.8. n.18.* Dian. *p.3.tr.15. resol.12. & 67. & p.4.tr.2.res.5.* ubi sibi plaudit ex hac doctrina Merolla *t.1. d.1.c.2.n.48. & 85.* Castrop. *d. 6. de Cens.p.6.*

Præcipua huius primæ sententiæ Ratio est, quia, ut; *lib.1.in Decal.cap.2 §.10.c.12.* dixi, ad omnem pœnam extraordinariam, qualis certè est Irregularitas, requiritur consensus in illam, qui in ignorante esse non potest, &c. recole locum.

6. Neque obstat, Irregularitatem esse non solum pœnam, sed etiam impedimentum, quo quis impeditur, ne ad altare accedat; impedimentum autem contrahi solere, etiam ab nesciente illud, ut patet in impedimentis Matrimonium dirimentibus. Non obstat inquam, quia Irregularitas est impedimentum quidem, sed nonnisi adnexum peccato inobedientiæ, & tanquam pœnam extraordinariam eidem peccato ab Ecclesia coniunctam, id quod non est in dictis Matrimonij impedimentis in quibus solum habetur ratio eius, quod de facto est, v.g. consanguinitatis, Affinitatis, & præscindendo ab eo quod sit pœna, vel non pœna, &c.

7. Excipit tamen, hæc sententia Homicidium iniustum, qui enim hoc committit, erit Irregularis, etiam si nesciat, huic delicto Irregularitatem esse connexam.

Ratio autem huius Exceptionis non est, ut aliqui cum Merolla *t.1.l.c.* Sanc. *l.c.* putant, quia in Irregularitate contracta ex Homicidio iniusto est imbibita Irregularitas ex defectu levitatis, non est, inquam, ut planius explicabimus mox à *n.14.* sed est usus, & consuetudo Ecclesiæ, & sensus per tot annos Fidelium, cum, & Pontifex peculiari rigore homicidam prædictum arceat ab altari, difficiliùsque illi dispenset, & Fideles, nisi expressè eiusmodi dispensationem à Pontifice obtineant, non acquiescunt.

8. Adde inconveniens, quia nimis multi cum Ecclesiæ scandalo essent immunes ab hac Irregularitate, quamvis etiam plures occiderint, siquidem perquam pauci sciunt homicidio, ex vi Iuris, Irregularitatem adhærere, quod certè scandalum non est adeò notabile in Irregularitatibus ex delictis aliis.

9. Secunda sententia docet, ab eiusmodi ignorante Irregularitatem, semper illam incurri, nulla excepta: ita Suar *de Censur. d.4.sec.5.n.9.* Avila *de Cens. p.7.d.2.dub.4.* Io *Præcep.de Irreg.dub.2.n.* 10. G. Hurt. *de Irreg d.1.diff.8. n.28.* Bonac. *de Cens. d.7.q.1.p.3. n.4.* Ratio potior huius sententiæ est, quia Irregularitas ex delicto, non solum est pœna, sed etiam est indecentia, & impedimentum Canonicum, quo, qui est affectus, non potest licitè ordines suscipere, vel exercere: Impedimentum autem incurritur, etiam si illud nesciatur, ut patet in impedimento dirimente orto ex consanguinitate per copulam fornicariam, ante contractum matrimonium. Licet enim illud constitutum fuerit in pœnam delicti fornicationis cum sanguinea Sponsæ in primo, vel secundo gradu, tamen est etiam indecentia, atque adeo impedimentum ex se perpetuum, incurritúrque, etiam si Sponsus ignoraverit, illam esse consanguineam suæ Sponsæ, vel illi delicto eiusmodi pœnam ab Ecclesia fuisse connexam.

Adde, nimis multos sic excusari ab irregularitatibus ex delicto, quia nimis multi illas ignorant.

10. Tertia sententia docet, ab ignorante irregularitatem, nunquam illam incurri, nulla prorsus excepta. Ita Leandr. *tract. 1. de Irregul. disp. 4. quæst. 6.* cum aliis Castrop. *tom.1.tract 4.disp.1.p.17.num.6.* & clarius *d.6.de Cens. p.6.num. 3.* alios citans Tanered. *p.2.tract.5. quæst.mor.2.* saltem post factum, postquam aliis bona fide est sic ordinatū. Ratio est, quia non est maior ratio de una, quam de alia: Cum ergo probabile existimetur, ut probant rationes primæ sententiæ, non incurri ceteras alias ab ignorante illas, probabile etiam erit, non incurri Irregularitatem ex Homicidio, quæ in illa prima sententia erat excepta, atque adeo erit probabile, nullam incurri.

11. Adde, hanc esse pœnam extraordinariam, etiam loquendo de Irregularitate ex homicidio iniusto, ergo, cum pœna extraordinaria nunquam incurratur ab ignorante illam, ut eadem prima sententia docet, nos *Lib. 1. in Decal. c.2.§.10.n.12.* sustinuimus, neque hæc mentetur.

12. Ad præcipua argumenta, quæ adversus hanc tertiam sententiam affert solent, sic respondet Castropalaus d. disputatione 6. de Censib. p. 6. numero tertio. *Non est inconveniens quod multi ab hac pœna in foro conscientiæ excusentur, sicuti excusantur à censuris, cum in eo foro adversus legem Ecclesiasticam complete non deliquant, ignorando pœnam extraordinariam, sub qua lex lata est. Neque item est inconveniens, quod Iudex ignorans suo facto Irregularitatem adnecti, eam contrahat, non tamen eam contrahat homicida ignorans Irregularitatem suo delicto adnecti, quia Irregularitas Iudici, non in pœnam, sed ob decentiam posita est: at homicidæ, tum ob decentiam, tum in pœnam delicti* (Sanè copulativè) *Irregularitas indicitur, quæ Irregularitas gravior est, & difficilioris dispensationis: ac proinde non est mirum, ut cognitionem legis eam indicentis expostulet.*

13. Ex his tribus sententiis prima, & secunda probabiles sunt. Tertiam ægrè in paxim deducerem, an autem sit probabilis, alij statuant.

14. Sed iam superest explicare distinctius, cur numero septimo noluerim admittere contra Merollam, in Homicidio iniusto esse imbibitam Irregularitatem ex defectu levitatis, atque adeo noluerim admittere, ut hac peti solere, & debere dispensationem, quando quis ignorans, homicidio esse adnexam pœnam Irregularitatis, aliquem interfecit.

15. Respondeo rationes inter cæteras, has esse posse. Primo, quia id contra praxim est, tum petentis dispensationem, tum illam concedentis, nunquam enim peti, vel concedi solet dispensatio Homicidij iniusti, nisi sub forma Irregularitatis ex delicto. Et pater, qui Irregularitatem ex defectu ali à Summo Pontifice, & aliquorum citatorum ap. Pasq. *Cens. 3. p. 226* sententia vera est, possunt dispensare, at hæc orta ex Homicidio iniusto semper petitur, & conceditur à Summo Pontifice.

16. Secundo, quia petens hanc dispensationem ab eodem ipso Pontifice; satis esset, si exponeret, se esse Irregularem ex defectu levitatis, quia iam Merolla dicit, in casu ignoratiæ hanc solam incurri, nam vero illam ex delicto: quod certè nullus, satis esse, concederet.

17. Tertio, quia eiusmodi ignorans saltem haberet hoc notabile commodum, ut posset petere dispensationem suæ Irregularitatis, quæ solum est ex defectu, ab aliis, quàm à Pontifice, si, ut diximus, alij hanc Irregularitatem dispensare valent.

18. Quæro

18. Quartò, quia, si vera esset hæc Merollæ doctrina, is, qui cum scientia Irregularitatis aliquem occidit injustè, in duas Irregularitates incurreret, alteram ex delicto, alteram ex defectu, & quidem separabiles, quia quando non adest dicta scientia, sola remanet illa ex defectu: at Doctores unam agnoscunt, licet graviorem, ut modo *n.* 12. dixit Castrop.

19. Quintò denique, Hodie, ut *infrà c.* 15. §. 13. *à n.* 3. videbimus, probabilissimum est, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri, nisi à Ministris justitiæ, & à Militibus in bello justo. Ergo non incurritur ab injustè occidente: si ergo is ignorans, effugit (Merolla fatente) irregularitatem ex delicto, nullo modo ex hac probabilissima sententia subjicitur irregularitati ex defectu lenitatis, quia is non occidit, ut Minister justitiæ, vel, ut Miles, &c.

## CAPVT V.

### §. VNICVS. *Non dubia debet esse in Irregularitatem incursio.*

1. Recole primo, dubium, vel posse esse circa factum, vel circa Ius. Dubitas v. g. an occideris? habes dubium facti, quamvis certus sis, occisioni de jure annexam esse Irregularitatem. Dubitas, an amputans alicui mammillam evadas Irregularis? Habes dubium juris, licet certus sis, mammillam alicui mutilasse.

2. Recole secundò, dubium, aliud esse negativum, aliud esse positivum. Si enim intellectus sit omnino anceps, nullamque rationem saltem probabilem habeat, per quam inclinet ad aliquam partem, dicitur Dubium, & quidem Negativum. Si vero rationem aliquam alicujus momenti habeat, per quam assentiatur alicui parti, dicitur probabilitas, & ab aliquibus vocatur, sed certè impropriè, Dubium positivum. Si denique adsint rationes alicujus ponderis pro utraque parte, utraque erit probabilis, ut latè explicuimus *lib.* 1. *in Decal. c.* 1. §. 1.

3 His in memoriam reductis, quæstio percelebris est, an Dubium negativum de irregularitate, sive circa jus, sive circa factum, inducat irregularitatem: nam quid dicendum sit in Dubio positivo, seu probabilitate mox tangam *n.* 17. *& distinctius n.* 23.

4. Porro valdè desudarunt in hac quæstione Doctorum ingenia, sudorisque causam dederunt Jura, quæ alicubi condemnare videntur Irregularitatis sic dubitantem, alicubi penitus liberare. Nam Clemens III. *c. Ad audientiam. De homicidio*, cum Innocentio item III. *c. significasti, eodem*, statuit, in dubio unumquemque censendum esse Irregularem, quia in dubiis (ait) tutior semper pars est eligenda: Bonifacius vero VIII. *cap. Is, qui de sententia excom. in* 6. vel statuit, vel tanquam indubitatum supponit, nullam incurri Irregularitatem, quæ expresso jure, non fuerit inducta, sed quando adest dubium de facto, vel de jure, Irregularitas non est expresso jure inducta, ergo tunc Irregularitas non incurritur.

5. Nos ergo varias, & quidem difficiles horum Pontificum reconciliationes ab Authoribus excogitatas ultro prætermittentes, facilem eò conciliandi Pontifices viam iniemus. Sed prius Conclusionem sequentem statuamus.

6. Solum in dubio facti homicidii injusti, debent se tenere Fideles Irregulares; in aliis vero quibuscumque dubiis sive Juris, sive facti, præter dictum homicidium se Irregulares tenere nequaquam astringuntur. Ita Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. *n.* 3. Sanchez *in Decal. lib.* 1. *c.* 10. *num.* 45. *&* 48. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 52. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 2. *num.* 23. Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *n.* 219. 245. *&* 246. Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 4. *n.* 39. Bonac. *de Censuris, d.* 7. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Castrop. *disp.* 6. *de Censuris, p.* 3. *n.* 7. *aliique, Nos ipsi lib.* 1. *in Decal. c.* 3. §. 7. *V. Irregularitas.* Quare, si dubitas in aliis materiis, An v. g. Hæreticus fueris, An rebaptizare te, permiseris, &c. quod est dubium de facto circa alias materias, ab Homicidio, non eris Irregularis.

Idem die de Dubio Juris circa materiam ejusdem homicidii, vel circa quascunque alias ab homicidio, ut ex Corollariis mox ponendis distinctius habebis, atque hæc in utroque foro (esto Gibalinus cum aliis putat, solum procedere in foro interno) Ratio hujus conclusionis est, quia illa sic declarata colligitur clarè, ut mox videbimus, ex Sacris Textibus, quos citavimus *n.* 4.

7. Hac conclusione præhabitâ, sic conciliantur prædicti Pontifices. Clemens, & Innocentius, novum jus condendo, decernunt, in dubio facti de homicidio injusto, hominem esse in utroque foro Irregularem, Bonifacius vero, qui fuit post Clementem, & Innocentium, dicit quidem, in aliis dubiis, hominem non esse irregularem, sed supponit, esse Irregularem in dubio facti de prædicto homicidio.

Cum enim ipse solum dicat, nullam Irregularitatem incurri, nisi ea sit expressa in jure; in jure autem non sit expressa pro aliis dubiis, sed solum per dictum Clementem & Innocentium pro dubio facti homicidii injusti, ideo clarè colligitur à Bonifacio supponi irregularitatem in dubio facti homicidii injusti, non vero in dubiis cæteris.

8. Quod autem Clemens, & Innocentius novum jus condiderint, rectè tradit Joan. Præposit. 5. *Irreg. dub.* 8. *num.* 60. quia aliud antiquum jus id decernens antea non aderat. Et nota, quando ipsi dicunt *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, unde inferunt *in dubio facti homicidii debere se hominem gerere, ut Irregularem*, non desumisse in omnibus casibus in dubio debere eligi partem tutiorem; solum enim ipsi, moti ex hoc principio (quod certè non raro solum est de consilio) rectè potuerunt præcipere, & definire, in materia facti homicidii, eam esse servandam.

9. Quæres hic denique, An irregularis ex dubio facti homicidii injusti debeat se tenere pro tali, quoad omnes effectus irregularitatis.

Respondeo. Certè probabile est, ut solum huic non liceat suscipere Ordines, nec Ordines exercere. Nam quoad alium illum effectum de privatione Beneficiorum, & multo magis quoad alias pœnas illi delicto annexas, hunc non esse censendum irregularem, notat Abbas *in cap. significandi de Homic.* & confirmat cum Suario, & Sanch. Castrop. *d.* 6. *de Cens. p.* 3. *n.* 8.

### *Colligimus ex dictis, quid sentiendum in quibusdam dubiis peculiaribus?*

#### *In dubio de Mutilatione.*

10. Ex dictis probabile mihi fit, Primò, per mutilationem quomodocunque dubiam, quamvis injustam, non incurri irregularitatem. Ita Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 10. *n.* 49. Bonac. *de Cens. d.* 7. §. 1. *p.* 5. *n.* 4. Dian. *p.* 3. *tr.* 7. *resol.* 72. Merolla *tom.* 1. *d.* 3. *n.* 252. & in re simili. Suar. *de Cens. d.* 40. *sect.* 6. *n.* 13. Castr. cum aliis *de Cens. d.* 6. *p.* 3. *n.* 10. quicquid dicat Henriq. *l.* 14. *c.* 3. *n.* 4. Quare, si quis sit dubius, sive de facto, an membrum alteri mutilaverit, sive de jure, an tali mutilationi, v. g. mammillæ, annexa sit in jure irregularitas (de quibus inferius distinctè agetur) si, inquam, sit dubius, nulla afficietur irregularitate. Ratio est, quia, nec in jure Clementis, & Innocentii, ut vidimus, nec in alio aliquo jure sit de mutilatione dubia expressa mentio, sed solum de dubio homicidio, mutilatio autem homicidium nequaquam est.

#### *In dubio de Consilio.*

11. Probabile fit, Secundo, cum, qui est quomodocunque dubius (sanè post debitam diligentiam, ut alibi dictum est) de homicidio etiam injusto, an, inquam, illud ex suo consilio fuerit commissum, non esse irregularem. Cùm enim valdè differant, homicidium committere, & ad homicidium consilium dare, irregularitas, quæ imposita est homicidæ dubio, valdè probabiliter non extenditur ad dantem suum consilium, qui dans sit dubius, an per suum consilium concurrerit ad homicidium. Ita docet Gibalinus, *cap.* 4. *de Irreg. n.* 31. citans

Præp.

Præp. Sanch. Rodrig. Vide etiam de his Dianam *p.11. tr. 6. res. 24. & 42.* licet contrarium ego docuerim, *l.1. in Dec. c.3. §.7. V. Irregular.* sed certè nunc, re perpensa, utrumque esse probabile, video.

12. Admoneo tamen (ut *l.c. V. Damnum secutum*, in simili dixi) difficile esse, te dubitare posse, an tuum consilium concurrerit ad dictum homicidium, cum enim ex communiter contingentibus sciamus, consilium regulariter operari, & concurrere ad effectum, ad quem datur, ideo regulariter non eris dubius, sed moraliter certus de tuo concursu ad homicidium, & consequenter de Irregularitate à te contracta.

13. Quando ergo primò, certus sum, te occidisse inimicum, & item certus, me tibi consilium, de eo occidendo, dedisse, sed dubius sum, an tu illum occideris motus ex meo, an ex alieno, vel ex tua voluntate.

Secundò, quando certus sum, me tibi consilium dedisse, & item te ex meo consilio permotum tentasse homicidium, sed dubius sum, an hic verè occisus fuerit, an potius ex inflicto à te vulnere convalverit.

Tertiò, quando certus sum, me consilium tibi dedisse, téque homicidium ex meo consilio attentasse, sed dubius sum, an homo perierit ex vulnere à te inflicto, an ex alia causa. Quando, inquam, hæc ita se habent, ego ex probabili hac sententia liber sum ab irregularitate, quia in his omnibus est dubium, an ego moraliter ad homicidium concurrerim. Præter Gibalinum citatum, lege Thom. Sanch. *lib.1. matr. d.9. n.42.* Joan. Sanch. *lib.42. n.14.* Merolla *tom.1. d.3. c.3. n.451.* Azor. *p.1. l.2. c.17.* Suar. *de Cens. d.40 sect.5. n.10.* & alios.

*In dubio de occisione justa.*

14. Probabile sit mihi Tertio, illum, qui quomodocunque dubius est, an aliquem occiderit in casibus occisionis justæ, quales sunt occisiones, quæ fiunt à Ministris Iustitiæ, & Militibus in bello justo, ut infrà explicabitur, non esse irregularem. Ratio est modo indicata, quia jura Clementis, & Innocentii solum condemnant irregularitatis dubitantem de homicidio absolutè prolato, nihil de occisione justa; hæc enim in jure non venit sub nomine homicidii, sub quo solum venit occisio injusta. Adde prædicta jura ex contextu, & modo loquendi clarè loqui de sola occisione injusta.

15. Objicies *in C. Petitio de Homicidio* infligitur irregularitas ei, qui dubitat in facto occisionis justæ: ergo est falsum, quod *num. præced.* dictum est, non infligi. Hæc sunt verba Textus.

*Petitio tua continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis Castrum invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis, contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quam plurimi exiterunt. Unde cum pro eo, quod aliquos percussisti, Irregularitatem metuas incurrisse, mandamus, quatenus, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius, in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.* Notetur illud (in hujusmodi dubio.)

16. Respondeo. Fateor, Textum esse difficilem. Sed, quia non est clara expressio irregularitatis, non esse timendum. Dico enim, hîc Pontificem non loqui de dubio negativo, sed de probabilitate, quam dubium positivum ab aliquibus appellari modo *n.2.* vidimus: qua certè posita, incurritur irregularitas. Quod autem de hac loquatur Pontifex, patet, Primò, quia in ejusmodi militari conflictu, in quo ipse, qui petit dispensationem, dicit, se aliquos percussisse, non est dubium, sed valdè probabile occisionem fuisse subsecutam. Secundò, quia idem significatur verbis illis Pontificis (si de interfectione cujusquam tua conscientia te remordet.) Tertiò, quia, quando Pontifex dicit (in hujusmodi dubio) significat, se loqui de dubio, quod propositum fuerat, at hoc fuit dubium positivum, ut dictum est. Hanc explicationem allati Textus me docuit P. Martinus Prætes, *in mæus. de irreg. sup. citat. d.1. c.6. §.3. n.23. fine*, & illam, ut expeditiorem merito sequor, omittens aliam, quam affert Metello *dub.* & aliam, quam Sanch. *l.1. in Decal. c.10. n.50.* quas, si lubet, apud eosdem vide.

17. Quod diximus, si est, esse te irregularem, si probabiliter judices, te aliquem occidisse, tum in occisione justa, tum injusta) puto, esse certum, quando probabile est te occidisse, & dubium negativum, te non occidisse, id est, quando nullam rationem probabilem habes, unde colligas, te non occidisse, ut fuit in casu modo allato ex *Petitio*. Ratio est, quia tunc prudenter apparet ratio incursus in irregularitatem, & non apparet evasionis mus. Quod si probabiles rationes habes, quod occideris, & probabiles item, quod non occideris, an utramque partem possis tuto sequi, dicam mox *n.32.*

*In dubio de Abortu.*

18. Probabile sit Quarto, Dubitantem, an fœtus fuerit animatus, in cujus abortum sua opera quis cooperatus fuit, non debere se censere irregularem, quia cum non constet de corpore delicti, hoc est de fœtu animato occiso, homicidium, de quo loquuntur prædicta jura, non præsumitur adesse. Lege Præp. alosque apud Bursi *de consc. d.6. c.7. §.4.* & latè Gibal. *de Irreg. 4. q.1. n.26.* breviter autem ego *lib.1. in Dec. c.3. §.7. V. Irregularitas.*

19. Verum posset aliquis huic probabilitati se opponere. Primò, quia sequeretur occidentem Monstrum, de quo dubitetur, utrum sit homo, an brutum, non fore irregularem, cum tamen ab Ecclesia præsumatur homo, non propterea baptizari illud, jubet, sub conditione.

20. Secundò, quia Sixtus V. damnat irregularitatis procurantes fœtus ejectionem, quamvis animis, ergo multo magis, si sub dubio est fœtus animatus.

21. Tertiò, quia, qui dubitat de facto homicidii injusti ex suprædictis est irregularis: at hic dubitat, an committerit homicidium injustum.

22. Respondeo ad primum concedo do sequelam, non etiam tibi non apparet homicidium esse sequutum, Pia autem Mater Ecclesia ob favorem animæ forte ibi existentem, illud sub conditione baptizat: at irregularitatis odium est, non favor.

23. Ad secundum. Ejusmodi Sixti constitutionem moderatam fuisse à Gregor. XIV. quis est, qui nesciat.

24. Ad tertium, Aio, ex suprædictis illum solum esse irregularem, qui, cum certa sit hominis mors, ipse dubitat, an ad illam cooperatus sit. Recole factum, quod enarratur *C. Petitio de homicidio, ut modo* n.15. vidimus sibi certa dicitur (hinc inde occisi quamplurimi exiterunt) Ecce mortem certâ subsequutam & deinde additur (unde putes eo, quod aliquos percussisti, &c.) Ecce percussionem, Quare dubitatur, an ab ipsa fuerit dicta mors subsecuta. At in casu nostro non est certum mortem fuisse consecutam, quia non est certum de vita hujus fœtus.

*Aliqua ad dubiam Irregularitatem pertinentia, declarantur.*

25. Inquires primò. Cum certum sit, statim, atque dubium exoritur, obligari nos ad indagandam rei veritatem, qua per moralem diligentiam indagata, & non inventa, tunc demum rem esse dubiam pronuntiandam, inquires, inquam, qua ratione in negotio irregularitatis veritatem indagabo?

26. Respondeo, profecto rationum, & circumstantiarum momenta expendendo, & præcipuè peritos consulendo. In quibus, si unus cæteris imperitioribus præcellat, illius sententiæ acquiescito, multo magis, si plures sunt alii, qui idem confirment. Quod si alicubi unus tantum reperiatur v. g. Medicus non imperitus, qui petitus edocere, an ex tuo vulnere secuta sit mors à te vulnerato, nec alii alibi existentes consuli possint, illi uni parendum practicè enim tunc prudenter dubium deponis.

27. Dum prædicta indagatio fit, an possis te, ut libe-

rum ab irregularitate gerere, colligi potest ex dictis quæ

quam in simili tradidi *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. V. Matr. n. 4.*

28. Inquires in hunc modum secundò. Celebravi cum dubio, an excommunicatione, vel simili censura innodatus id fecerim, neglecta diligentia indagandi veritatem, unde certo peccavi. Deinde Religione tactus, omni quo potui studio, veritatem inquirens, neminem inveni, qui dubium, sive adversum me, sive pro me depellere potuerit, debeóne me deinceps, ut irregularem gerere, quandoquidem celebranti cum excommunicatione Irregularitatem esse annexam, mox dicemus?

29. Respondeo, ita probabile esse docet Suarez *de Cens. d. sp. 40. sect. 5. n. 19.* Salas *p. 2. tract. 8. d. unic. sect. 5. n. 169.* quia possessio mala fide inchoata nil juvat possidentem. Sed puto probabilius, cum Bonacin. *de Cens. disp. 7. q. 1. p. 5. n. 5.* Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 10. n. 46.* te solum peccasse, non autem te debere gerere, ut irregularem. Ratio est, quia peccatum committitur quidem ab operante per malam fidem: at irregularitas, nisi à jure inducatur, ex nulla mala fide contrahi potest. Si ergo tu, modo dicto, celebrans dubius tunc fuisti de censura, dubia etiam fuit incursio in irregularitatem, atque adeo nulla, quia solum in facto homicidii injusti irregularitas incurritur à dubitante. Et certè Suar. qui est in opposita sententia, nostram tamen approbasse in simili, loquendo de expositis, videtur. *Fateor*, inquit Suar. *d. 50. de Cens. sect. 4. n. 4. expositum, quia mala fide susceptit Ordines, posse etiam excusari, quamvis ab initio mala fide sit ordinatus, deponendo scilicet illam fidem, & conformando se opinioni probabili dicenti, expositos non se debere, ut illegitimos habere, atque adeo, nec, ut expulsos ab ordinum susceptione.*

30. Inquires tertiò, sic: Dubito, an per legem Canonicam constituta sit pro hac actione irregularitas, unde evolvo ejus juris dispositiones; nihil tamen certi reperio, judicabóne esse constitutam?

Respondeo, imò judicare debes cum Sanchez *l. 1. in Decal. c. 10. n. 32.* & aliis passim constitutam esse prorsus nullam, ex toties decantato Textu, per quem expressa debet esse injure irregularitas. Ex qua doctrina idem dic, si inveneris in jure aliquam dispositionem, quæ ambiguè, ac dubiè irregularitatem imponat; adhuc enim jus non est certum, & expressum. Quid si probabiliter? Id jam universaliter subdo.

31. Inquires enim sic Quarto. Habeo probabiles rationes circa jus, vel circa factum, quæ me de irregularitate condemnant, probabiles item, quæ me liberant, cui adhærebo secutus?

32. Respondeo, cui mavis, etiamsi altera sit probabilior, quia probabilitatem sequendo, semper prudenter te geris.

33. Illud universaliter *l. 2. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 11.* admonui, & nunc in irregularitate moneo cum Cajetano *in summ. V. Opinio*. Si enim probabilitas contra te ita validis rationibus vallatur, ut opposita, quæ alias probabilis apparebat, à sua tenui illa probabilitate dejiciatur, te irregularem pronuntiato: siquidem tanta probabilitas unius partis, quamvis non evidentibus, sed probabilibus rationibus instructa, dicitur, & est certitudinem, quam illam magnam probabilitatem, expectare non possumus, cum nulla ferè veritas sit tam constans, & clarè in hominibus, ut aliquid contra illam afferri non possit. Et ex alia parte modica illa probabilitas, quæ alias prudentem assensum à nobis extorquere poterat, ita nunc vincitur, & opprimitur, ceu parva candela à clarissimo Sole, ut nequeat amplius vocari, & esse proximè, seu practicè probabilis, cum in ea præsentia tantæ probabilitatis unius partis, nequeat intellectus prudenter inclinari ad partem aliam, quæ apparet, tam modicæ veritatis.

## CAPUT VI.

### §. I. *De effectibus Irregularitatis.*

1. IRregularitas absolutè, & totaliter accepta tres effectus parit. Primò, impedit hominem à suscipiendis Ordinibus, atque hic est effectus illius primarius. Secundò, impedit ab Ordinum usu. Tertiò, à Beneficiis, & Ecclesiastica Jurisdictione, ut patet ex dictis *c. 1.* irregularitatem non privare Clericum Privilegiis Clericorum scimus omnes, & mox §. 1. *n. 1.* dicam distinctius: & quoad privilegium ferendi habitum Clericalem. Vide Tanner. *2. p. tr. 5. q. mor. 25.* docentem contra Sanchez co privari, si non sit bigamus.

2. Dixi (absolutè, & totaliter) nam de irregularitate impropria, & secundum quid, quæ aliquem tantum effectum gignit, vel pro tempore non perpetuo, dicetur in Decursu tractationis. Ejusmodi est irregularitas ex defectu ætatis quæ perpetua non est. Ejusmodi est illa ex defectu sanitatis, quæ item cessat, infirmitate cessante, ejusmodi est illa, quæ aliquando supervenit Sacerdoti, impediens ex parte Ordinum usum, ut, si Sacerdos fiat mancus, vel cœcus, poterit enim audire Confessiones, quâvis celebrare nō possit, &c. De integra ergo irregularitate loquendo, discurramus per prædictos tres effectus separatim.

### §. II. *Irregularitas impedit Ordinum susceptionem.*

1. QVi, cum irregularis sit, Ordines quoscunque recipit, ut vult Val. *tom. 4. d. 7. q. 19. p. 2.* Suar. *de Cens. d. 40. sect. 2. n. 2.* Graff. *dec. l. 4. c. 2. n. 6. p. 1.* Sayr. *de Cens. l. 6. c. 2. n. 26. & c. 10. num. 38.* peccat mortaliter, sed validè ut habet Suar. *l. c.* Avil. *de Censur. p. 7. d. 2. dub. 6.* ordinatur, nec teste Suar. *loc. cit. n. 3.* aliam Censuram; vel irregularitatem aliam contrahit. Quod peccet graviter, etiam suscipiendo Minores, teste Suar. *loc. cit. num. 2.* patet, quia sic operatur contra gravè præceptum. Quod validè ordinetur, item patet, quia si habeat quis ea, quæ ex Instituto Christi requiruntur ad Ordinum valorem, non potest, quoad illum valorem, impediri ab Ecclesia. Quod denique nullam aliam censuram contrahat, inde probatur, quia in nullo jure apparet, contra irregularem Ordines suscipientem fulminari censuram, vel aliam irregularitatem.

2. Hinc sequitur, ad liberandum omnino ejusmodi irregularitatem, qui Ordines cum irregularitate suscepit, sufficere, si dispenset ur in ipsa unica irregularitate ante ipsius Ordinum susceptionem contractam, quia per dictam susceptionem irregularitatem aliam non incurrit.

3. Quando igitur in Sacro Textu legis Ordinationem irregularis esse nullam, esse irritam, &c. Intellige, quoad executionem, & veluti, quoad effectum, quia licitè Ordines susceptos exequi, ut mox dicemus, non potest.

4. Quoad primam Tonsuram, quia hæc non est Ordo, ut communis, & vera sententia docet, quantum est ex hoc capite, validè, & licitè susceipi posset ab irregulari, quia is per Sacros Canones solum arcetur ab Ordinibus. At, quia illa est janua, & dispositio ad Ordines, & propter illam gaudet Tonsuratus privilegiis Clericalibus sitque idoneus ad Ecclesiastica Beneficia Ecclesiasticámque jurisdictionem, peccabit graviter irregularis primam Tonsuram recipiens. Ita Suar. *loc. cit. sect. 2.* G. Hurt. *d. 1. de Irreg. diff. 1. & 5.* Avil. *de Censur. p. 7. d. 2. dub. 5* Coninck. *de Irreg. d. 18. dub. 1.* Castrop. *de Irreg. d. 6. p. 5.* Diana *p. 4. tr. 2. ref. 88.* quia tentat fieri ad prædicta idoneus contra Ecclesiæ voluntatem.

5. Interrogabis, Ejusmodi Irregularis tonsuratus gaudebítne privilegiis Clericorum sive Canonis, sive Fori?

Respondeo, gavisurum; quia cum Tonsuram validè recipiat, eam enim nunquam invalidam reddidit Ecclesia (quamvis, quia non est Sacramentum, sed tota dependens ab ipsa, potuisset) cum, inquam, validè recipiat, est verus Clericus, & ex alia parte non invenitur iis, licet

contra

contra eiusdem Ecclesiæ præceptum promotis, Clericorum privilegia esse sublata.

6. Excipe Bigamos: Clerici enim coniugati cum unica, & Virgine, quamvis gaudeant privilegio Canonis, & fori, quia fieri Bigami non sunt, at Bigami utroque privilegio privantur. Lege Sanchez *de matr. l.7.d.46.num.3.* Squill. de Priv. Cler. *c.6.n.24. & commun.*

7. Eiusmodi illicite Tonsuratum puto ibidem, privilegio Immunitatis à Gabellis, propter eandem rationem, gaudere: iam enim est persona Ecclesiastica. Quare, si cæteras conditiones habeat quas ad hoc privilegium participandum requirunt Sacri Canones, non est, unde iis illud denegetur.

8. Denique adverte, Irregularem non expelli à receptione aliorum Sacramentorum, præter Ordinem, nec ab ingressu, & professione Religiosa modo in ea Religione, nec Ordinem, nec Prælaturam, nec Dignitatem sine dispensatione suscipiat. Lege Abb. *in cap. quibusdam n.1. de pœnis.* Maiol *de Irreg. lib.1 c.2. n.7.* Leand. alios citans *de Irregul. d.3. q.7.* Covar. *in c. Alma Mater. p.1. §.2.n.6.* G Hurt. *de Irreg. d.1. diff.5.n.19.* Ioan præp. *3.p. de Irreg. dub.3.n.13.*

9. Potest autem Irregularis interesse Divinis Officiis, Missam audire, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Sacramenta alia, præter Ordinem, tuto suscipere. Ratio est, quia in prædictis ex parte recipientis nullum datur exercitium Ordinis, quod exercitium esse prohibitum Irregulari in *§. seq.* dicimus, & ex alio capite nulla est in Iure probitio de his aliis actionibus, facta Irregulari.

## §. II. *Irregularitas impedit usum Ordinis.*

1. IRregularitate innodatus illicitè, &, *c. ult. de Tempor. Ord. c. Inquisit. de Accus.* quidem mortaliter exercet, sive actus ipsius Ordinis, sive actus, qui fieri nequunt sine potestate Ordinis, idque, sive per activum usum, sive, in uno, per passivum. Explico singula.

2. Per activum usum est, si Episcopus irregularis conferat alteri quemcunque Ordinem, etiam primam Tonsuram, si Sacerdos irregularis Missam celebret, si idem à peccatis absolvat; hi enim sunt actus Ordinis.

Activus item usus est, si idem Sacerdos solemniter Benedictiones Nuptiarum, vel Baptismum & similia exhibeat, vel, si idem Episcopus Irregularis Altaria, Templa, Calices consecret, vel vestimenta Sacrificij benedicat; hi enim sunt actus, qui fieri nequeunt à non habente potestatem Ordinis.

3. Dixi *n.1. (illicitè)* nam valida esset collatio Ordinis' Consecratio. Benedictio, &c Ecclesia enim non potest' pro prima Tonsura (ut supra diximus) & non vult tollere potestatem à legitimis Ministris, &c. An tamen Irregularis validè absolvat à peccatis, cum tunc requiratur Iurisdictio collata ab Ecclesia mox ex §. 4. sciri poterit.

4. Dixi item eodem *num. (sive actus, qui fieri nequeunt sine potestate Ordinis)* nam alij actus, qui possunt exerceri à Laicis, quamvis ex officio à Clericis exerceantur, possunt, ut sunt Bonac *de Cens. d.7. q.1. p.4 n.5.* Turr. *de Cens. d.58. lib.8. dub.1.* & passim, licitè exhiberi ab Irregulari, quia tunc Irregularis non agit, ut Clericus prohibitus per irregularitatem, sed, ut quilibet Laicus.

5. Hinc licitè Irregularis baptizat non solemniter, urgente necessitate: hinc licitè Missæ inservit, præstatque omnia, ad quæ deputantur Clerici in Minoribus, & propter eandem rationem horas Canonicas in Choro, solemni cantu, licitè persolvit, ne tamen dicat (Dominus vobiscum) id enim proprium est Sacerdoti.

6. Dixi *num. 2. (etiam primam Tonsuram, &c.)* nam Irregularis arcetur ab omni usu Ordinis; Collatio autem primæ Tonsuræ, usus Ordinis Episcopalis est.

7. Porro per usum passivum in una sola re impeditur Irregularis, quoad pertinentia ad Ordines, nempe in receptione Ordinis, hoc est Ordines licitè suscipere nequit, ut supra satis vidimus; is enim est præcipuus effectus irregularitatis.

## §. III. *Irregularitas, an, & quatenus impedit à Beneficiis, vel acquirendis, vel retinendis, & à Iurisdictione.*

1. HÆc adeo sunt in citatis Doctoribus distincte disputata, ut non oporteat illa huc advocare, multo magis, quia praxis sunt rarissimæ.

# CAPVT VII.

## *De Irregularitate ex Defectu Sanitatis.*

## §. I. *Quis ille sit?*

1. SAnitas potest deficere, vel in corpore, vel, in mente. Sit itaque duplex regula.

2. Prima. Ij morbi qui horrorem, vel notabilem deformitatem inducunt, & multo magis, si usum ipsum Ordinis impediunt, Irregularitatem afferunt; etiam ad Minores Ordines. In casu dubio Episcopi erit decernere, an eiusmodi sit morbus.

3. Dixi etiam ad Minores: nam, qui ob aliquem corporis, vel animæ defectum est ineptus ad Sacerdotium, est item irregularis quoad alios Ordines, etiam quoad primam Tonsuram, quia tunc est absolute Irregularis, quod *C. Si quis. C. Hi qui. C. qui partem, dist. 55.* Iura explicant per illa verba. *Ne fiat Clericus. Ad Clerum pervenire non possit, Ad Clerum Canones non admittunt, &c.*

4. Secunda regula. Si defectus mentis, id est amentia, sit perpetua, seu per modum habitus, ita ut amens nunquam usus sit ratione, affert incapacitatem Ordinis, nec solum Irregularitatem. Si vero det intervallum rationis, certè irregularitatem inducit. Lege Molinam *tom.4. tr.3.d.70.n.12.* alioque communiter.

5. Quid si fortè ita ab amentia quis convalescat (quod tamen difficile esse consuevit) ut per diuturnam experientiam omnino sanitas comprobetur; Respondet Suar. *de Censur. disp.51. sect.1.* hunc non esse admittendum ad Ordines, quia rarò præsumitur perfectè sanus, vel saltem debere accedere Prælati approbationem, ut prius ei constet de sanitate integrè recepta. Diana *p.11. tract.2. resol.* alios citans ait, desiderari dispensationem. Sed cum ipse citet Suarium, quem modò nos attulius, puto, nomine dispensationis, intelligere prædictam approbationem, quæ certè dispensationi æquivalet.

## §. II. *Quis dispenset in prædictis.*

1. SOlus Summus Pontifex, quia tollendi irregularitatem ex defectu solum Sedes Apostolica facultatem habet, nisi eam aliis ipse concedat.

Aliqui ut Maiol. *de Irregul. lib.2. c.14. n.6. & cap.16. num.12.* Archidiac. *in cap.2. & 3. dist.33.* putant Episcopum dispensare in hac Irregularitate ex defectu Sanitatis cum suis ovibus posse, quoad Minores Ordines, sic oppositum propter rationem allatam est probabilius. Ita Bonac. *de Cens. disp.7. quæst.2.p.2.n.23.* Vgol. *de Irreg. cap.53.n.2. & c.54.n.3.*

2. Neque huic doctrinæ adversantur ea, quæ diximus nuper §.1.n.1. Quodque alij, ut Mol. Suar. aliique apud Dianam *p.3.tr.6.res.61.* communiter docent, pertinere ad Episcopum in casu dubio, decernere, an hic, vel ille defectus, ita sit notabilis, ut inducat Irregularitatem, (defectus, dicemus *infrà. c.8. §.2.* de deformitate corporis divini) Non adversantur, inquam, aliud enim est dispensare, aliud decernere, an sit necessaria dispensatio, necne: illud autem pertinere diximus ad Pontificem, hoc extenditur ad Episcopos.

3. Imò addimus cum Suar. *d.51. de Irreg. sect.2.n.16.* Gibal *c.3.q.2.num.6.* pro Religiosis exemptis posse proprium Prælatum decernere de eiusmodi notabili defectu, ut etiam de deformitate, licet fateamur Episcopo Ordinanti integrum esse, eiusmodi iudicium Prælatorum Regularium posse reiicere, vel admittere.

4. Quando defectus, ut & deformitas sub dubio

supervenit Religioso jam initiato, posse item judicium de eo fieri à Suo Prælato, diximus, *In opusc. de Sacrific. Missæ lib. 1. cap. 7. §. 6. in edit. noviss. Venet.*

## CAPVT VIII.

### *De irregularitate ex corporis vitio.*

1. COgnata est præcedenti præsens Irregularitas; sæpe enim infirmitas deformitatem seu corporis vitium affert. Differunt nihilominus; Infirmus enim integritatem membrorum regulariter supponit. Vitium vero dicit alicujus membri defectum.

2. Sint ergo hîc regulæ duæ. Tunc in homine oritur hæc irregularitas, quando ita pars corporis aliqua ipsi deest, vel reddita est debilis, ut inutilis sit ad ministerium Altaris. Rursus tunc eadem irregularitas oritur, quando ipse ex quocunque simili corporis vitio seu qualitate redditus est notabiliter deformis. Ratio utriusque regulæ est, quia à Sacrificante, necessario multæ membrorum actiones fieri sine ullo defectu debent, & nihil indecens, vel contemptibile in eo apparere conveniens est. Sed proferamus singula ejusmodi vitia, de quibus multa habes in decretalibus toto Titulo de corpore vitiatis, nonnulla item *in Titulo de clerico ægrotante & in Decr. dist. 55.*

#### §. I. *De corpore vitiatis, abstrahendo à propria culpa.*

##### *COECVS.*

1. CArens oculis, vel visu, irregularis nimis certo est, vide *C. ult. dist. 55.*

2. Si autem alicui unus oculus, vel unius oculi usus desit, sic distingue; si desit dexter, & notabilis defectus, seu deformitas non appareat, vel per artem sufficienter tegatur, irregularis non est. Si desit sinister (quem Vulgus oculum Canonis appellat) adest per aliquos Doctores irregularitas. Sed nimis rigide. Quare merito per alios, si ex quocunque capite, legendo, vel recitando Canonem, non debeat Sacerdos, se cum notabili deformitate convertere ad illum legendum (quam certe deformitatem facillimum erit, evitare, irregularitatem ex hoc capite ne pertimescat. Lege Nav. *sum. c. 27 n. 199.* Suar. *de cens. d. 51. sect. 2. n. 15.* G. Hurt. *de ir. d. 2. diff. 14. n. 51.* Io Præp. *in 3. p. q. 5. de irreg. d. 14. n. 113.* Lege item Layman. *l. 1. tr. 5 p. 5. c. 7.*

3. Qui perspicillis indiget, Qui de die solum, non vero noctu videt, Qui maculam habet in oculo, Qui lippitudine, Qui palpebrarum dimissione, inversione, habitu laborat, Qui oculos habet distortos, qui strabo est (italice *guercio*) non sunt, teste Sayr. *de cens. l. 6. c. 8. à n. 9.* Fill. *tr. 9. c. 6. n. 168.* Menoch. *de arbitr. c. 226. fine* Avil. *de cens. p. 7. d. 3. d. 1.* ex se irregulares, nisi forte nimis deformes (quod certe in prædictis defectibus difficile est) spectantibus appareant. Si tamen aliqua sit dubitatio, Episcopi, erit, vel Prælati Regularis, tem decernere, ut in simili dictum est superius.

4. Si perfecta cœcitas superveniat Ordinato, celebrare sane prohibetur, quia ad sacras actiones peragendas, ineptus omnino est. At, si luscus sit, idest parum videns, sed ejus rationis, ut, nec indecore, nec cum periculo errandi, Sacrificium peragere queat, celebrare poterit, aseito præsertim Sacerdote, qui Assistat. Atque huic, si legere non possit, sed memoria Missam aliquam v. g. Defunctorum, vel Sanctissimæ Virginis recitare sciat, illam celebrare posse concedit recte Maranta *p. 4. Resp. 22.* Intellige, si cætera rite, saltem alio Sacerdote assistente, peragat.

##### *SVRDVS.*

5. Vtraque aure omnino surdus irregularis est, quoad Ordines suscipiendos, quia non potest congruenter Ordinis usum exercere, cum non audiat Ministri responsionem. Ita Castrop. *de cens. d. 6. p. 11. n. 3.* Suar. Bonac. Nav. Laym. ap. eundem; cum aliis, dicens, id definitum esse à Canone Apostolorum sextino.

6. Scio Henriq. *l. 14. c. 8. n. 4.* Io. Præp. *q. 5. de irreg. d. 14. n. 113.* sentire, non esse irregularem, quia non est simpliciter necessarium, ut Sacrificans audiat responsiones Ministri, cum satis sit, si certo moraliter putet, eum respondisse. Sed certe id minus recte dictum est (ut notat. Suar. *de cen. d. 51 sect. 2. n. 13.* cui adde Navar. Bonac. Laym. allat. Castrop. *l. c.* & Turr. *de cens. l. 9. de 72. d. 4.*) de promovendo ad Ordines, cum tamen dictum sit recte, si ejusmodi defectus superveniat jam promoto, ut in simili de luscо dictum est superius; siquidem is jam promoto facilius toleramus ejusmodi defectus, quam in promovendo, præsertim, si secreto, & sine notabili indecentia celebretur sacrificium.

7. Surdaster, vel, qui una tantum aure audit, non est irregularis, quia sic supponitur, non deficere ab apte celebrando.

8. Carentem utraque aure, imò altera duntaxat, licet is surdus nequaquam sit, irregularem esse affirmant Nav. *in sum. c. 17. n. 222.* Sayr. *de cens. l. 6. c. 8. n. 17.* Fil. *tr. 9. c. 6. n. 169.* aliique ex illo principio, quia caret membro corporis. Sed melius negant Conine. *l. c. n. 108.* Io Præp. *l. c. n. 113.* Diana *p. 4. tr. 2. res. 73.* & alii, quia principium illud non admittitur in universum; membri enim carentia, quando est sine culpa, tunc solum irregularitatem parit, quando deformitatem, vel debilitatem affert.

##### *MVTVS.*

###### *Vel defectum patiens in ore.*

9. Mutum irregularem esse, quis in controversiam vertit? Si enim (testibus DD. citatis) est elinguis, vel facultate caret loquendi, certe Ministeria Ordinis pronuntiare non poterit.

10. Balbus autem, seu Blesus, idest, qui in loquendo aliquantum præpeditur, Carens dentibus, vel illorum aliquo Male olens ore, non sunt irregulares, ut volunt Iidem nisi notabilis adsit deformitas, vel occasio risus, seu contemptus, &c. & in dubio, arbitretur Episcopus, ut suprà.

11 Qui labium divisum turpiter gerit ad instar leporis, quia ita demissum, ut dentes enormiter appareant, irregularis est. Ita iidem. Verum nota illud; turpiter, enormiter.

##### *MANCVS.*

12. Vtraque, vel altera manu mutilus, digitis omnibus vel pollice, & indice, ita carens, vel ita iis tremulis, ut hostiam frangere, vel eandem, Calicémve tenere nequeat, multoque magis, si hæc patiatur in brachiis, irregularis est. Ita Vgol. *de irreg. c. 48.* Fill. *tr. 19. c. 6. n. 132.*

13. Cui tamen adsint digiti sine unguibus, vel digiti plures, vel inter se uniti, &c. Si id, nec ministerio noceat nec deformitatem patiat. Irregularisne sit. Ita iidem.

14. De carente uno, vel altero ex minoribus digitis, videat Episcopus, an deformitatem afferat, & in alteruttram partem decernat.

##### *CLAVDVS.*

15. Si quis ita sit claudus, ut ad accendendum, vel standum in altari, baculo non indigeat, deformisque, vel indecorus altari non sit, ab irregularitate illum liberant jura, *C. Si qui in infirm. d. 55. C. Null. Episc. de cons. dist. 1.* Castrop. *de cens. d. 6 p. 11. n. 3.* aliique secus condemnant.

16. At vero erute, aut pede mutilus irregularis absque dubitatione est.

17. Sed quid si pede, aut crure ligneo, ita sit instructus, ut deformitas nulla, vel certe modica appareat; præsertim vestium oblongarum usque ad talos auxilio?

Respondeo, Sayr. *l. 6. de cens. c. 8. n. 26.* docet hunc esse absolute irregularem. Verùm puto cum Ros. Silv. Marol. ap. eund. Sayr. & Glian. *V. Claud.* & aliis perinde ac in carente *n. 7.* diximus, distinguendum esse. Si modicus sit defectus, tegique possit, nulla est irregularitas pertimescen-

da: si magnus, vel notabilis, vitari irregularitas nequaquam potest. Si dubius Episcopus, seu superior arbitretur, memor doctrinæ numero eodem datæ, hoc est membri carentiam sine culpa non parere irregularitatem, nisi debilitatem, vel deformitatem afferat.

18. *Varos* Latini vocant, quibus in exteriorem partem crura, pedesque flectuntur, *Valgos*, qui Suras ambas introrsus intortas ferunt, cuiusmodi sunt lacertarum pedes, *Compernes* vero, qui genibus, plus iusto, coniunctis, ambulant. Hi ergo cum communiter deformitatem afferant; vel ad risum movcant, ab Altari removentur, nisi iudicio Episcopi nulla sit, vel modica, vel certe tegi possit deformitas. Certè Quintil. *l.* 11. *c.* 3. *Varicare*, inquit *supra modum, & in stando deforme est, & accedente motu, prope obscœnum.*

*Deformis in Naso, Vultu, Gutture.*

19. Naso, vel illius parte carens, irregularis ex se est, quia, quæ exigua deformitas est in cæteris membris, magis conspicua est in Naso. & tamen alicuius artis ope, cerae, vel forma carnem imittante, indecorus non appareres, irregularitatem effugeres. Vtrum tum in hoc, tum in Naso valde promisso, vel simo valde, iudicet Episcopus, an notabilis adsit deformitas.

20. Idem dicendum de cicatrice, vel simili existente in vultu. Idem in strumis, seu tuberibus existentibus in eodem vultu, vel gurture, de quibus lege Vgolinum, *de irr. c.* 48. *&c. c.* 50. *num.* 27. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *num.* 171.

*Deformis in variis corporis partibus.*

21. Caput gerens valde ingens Pigmeo corpori adiunctum, Duo habens capita. Vnum in fronte fixum ferens oculum, Tres habens manus, vel pedes, Os porco simile protendens, plures habens ita digitos, ut deformis, vel ineptus ad Sacram tractandam hostiam, sit. Cicatricem fœdam, vel vulnus ostendens in facie, Enormiter gibbosus, Brachium alterum longissimum, alterum brevissimum habens, Gigantea, vel Pigmea statura ita longus, vel brevis, ut horrorem, risumve moveat, & similes sunt (testibus D. citatis) irregulares, & in dubio notabilis deformitatis sunt arbitrio Episcopi subiiciendi ut nimis sæpè dictum est.

21. Color, sive albus, sive rubus, sive subfuscus non nocet altari, teste Maiol. *de irreg. l.* 1. *c.* 21. *n.* 2. Fill. *tr.* 19. *c.* 6. *n.* 171. Solum duo sunt addenda.

23. Primo. Qui, ut pulchro niteat colore, faciem fuco oblinit, crinesque, ac barbam mentito tingit colore, non est admittendus (ait *ibidem* Maiolus) nisi post pœnitentiam, ad Ordines, nam, teste Clem. Alexan. *pedag. l.* 3. *c.* 3. *Mentem veram vix gerit, qui caput habet adulterinum.*

24. Secundo. Qui omnino niger est, puta Æthiops, an ex uno hoc capite, arcendus sit ab Ordinibus, duæ sunt sententiæ, Maiolus *l. c.* Gavant. *in Man. Epis. V. irreg. num.* 18. inclinatque Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 84. Gibal. *de irregul. cap.* 3. *quæst.* 2. *num.* 10. non esse arcendum, patat, esse arcendum, cum Vgol. *de irreg. c.* 50. *n.* 4. si promovendus sit apud gentem candidam, nisi non sit admodum niger.

25. Vera sententia est Henriq. *l.* 14. *c.* 18. *n.* 1. Avil. de *cens. p.* 7. *d.* 3. *dub.* 2. Sayr. *de censur. l.* 6. *cap.* 7. *num.* 16. quæ docet, relinqui id Episcopi iudicio, qui omnibus expensis, videat, an indecorum sit, vel, an sit scandalum eiusmodi hominem initiari, iuxta Populi, in quo versatur, mores. Constante autem deformitate, seu declarata ea ab Episcopo, solus Summus Pontifex, vel delegatus ab ipso dispensare poterit, ut mox universaliter dicemus.

## §. II. *De prædictis corporis vitiis propria culpa contigentibus.*

1. Quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad vitia corporis, abstrahendo à delicto illa patientis: Verum, si propria contingant culpa, alia strictior regula ex Sacris Canonibus est statuenda. Si enim cum nulla tua culpa desit tibi, vel debile adsit aliquod membrum, nec inde ineptus, vel deformis existas pro Sacro Ministerio, non eris Irregularis, ut iam diximus *supra cod.* At verò, si tua culpa id accidat, certè Irregularis eris iuxta sequentem regulam. Quoniam cum per tuam culpam abscindis partem tui corporis, toties, ipso facto incurris in Irregularitatem, & quidem non solum, quando per illam abscissionem fieres inhabilis, vel deformis, ut, si tibi ex ira manum abscinderes, verum etiam, quando, nec inhabilis fieres, nec deformis, vt, si tibi abscinderes ex ita pedem, cuius defectum tegere omnino posses.

2. Ratio huius Regulæ est, quia Sacri Canones, in pœnam delicti, quo, quis audet in se ipsum crudelior agere, eum repellunt ab altari, sicuti repellunt eum, qui alteri membrum aliquod mutilat, quamvis talis membri carentia, nec impediret illum alterum pro altaris ministerio, nec deformem redderet, ut inferius suo loco explicabimus. Vt hæc regula magis, magisque declaretur quinque sunt subnectendæ Notationes.

*Notatio prima. Qualis Culpa?*

3. Quoniam hæc Irregularitas infligitur in pœnam delicti, supponendum est, delictum fuisse mortale: tanta enim pœna, quanta est Irregularitas ex delicto, non est nisi culpæ gravi adnectenda iuxta superius dicta.

*Notatio secunda. Qua Corporis pars.*

4. Si partem, seu membrum tui corporis abscindas, immo, si partem notabilem alicuius tui membri, Irregularis eris, non vero, si, particula carnis.

Ratio est, quia prædicta iura *C. Qui partem dist.* 55. Nav. Mol. Sayr. apud Castrop. de *Cens. d.* 6. *p.* 12. & G. Hurt. *d.* 2. *de Irregul. diff.* 14 *num.* 52. de parte corporis, seu membri loquuntur, non de particula, de qua dici potest, *parum pro nihilo reputatur.* Hæc sunt verba Canonis.

5. *Qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscindit, hunc ad clerum Canones non admittunt.*

6. Hinc excusant communiter Doctores ab Irregularitate abscidentem, unguem, barbam, capillos, hæc enim, vel partes corporis vix sunt, vel admodum parvæ: non tamen excusant, si partem digiti sibi quis abscindat, si testiculos, si virilia, si digitos pedis, quamvis nihil inde à Sacri Ministerij aptitudine demutur, quia sunt notabiles membri partes.

7. Atque hinc notes, velim, perdiligenter, differentiam inter eum, qui abscindit à se corporis, seu membri partem, & inter eum, qui eandem abscindit ab alio. Nam, ut prior incidat in Irregularitatem, satis est, si abscindat partem membri, at, ut posterior in eandem incidat, oportet abscindere non quamcumque membri partem, sed membrum fere totum, iuxta ea, quæ inferius *c.* 5. §. 16. *à num.* 4. clarius explicabimus.

*Notatio Tertia. Quæ culpa, vel defectus Notorius?*

8. Si vel tua culpa sit occulta, & non notoria, vel occultus, vel non cognitus tui membri, seu eius partis à te tibi abscissæ defectus, apud Castropal. *l. c.* cum Sayr. Mol. Garz. eris Irregularis, quia id, quod Iura plectunt, est delictum sævitiæ in se ipsum, quæ semper aceft sive notoria sit, sive non ita. Esto Navarr. Henriq. Alm. Val. Covar. ap. Castropal. *l. c.* aliique notorietatem omnino requirant.

9. Illud tamen emolumentum habet hæc culpa, seu abscissio etiam integri proprij membri, quando est occulta, ut possit Irregularitas inde proveniens dispensari ab Episcopo, quia Tridentinum *sess.* 24. *c.* 6. *de Ref.* ita concedit potestatem dispensandi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis præter Irregularitatem provenientem ex delicto Homicidij voluntarij. Cum ergo mutilatio non sit homicidium, poterunt Episcopi, quando provenit ex delicto occulto, &c.

10. Castropalaus, *l. c. n.* 6. ad hanc Episcopi potestatem requirit, ut tum culpa sit occulta, tum ipse defectus manet occultus

seu ejus partis proveniens ab abscissione. Sed immerito requirit, utrumque esse occultum, cum satis sit, culpam occultam esse; Si enim Tridentinum absolutè, & universaliter concedit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto præter provenientem ab Homicidio voluntario, quamvis occulto, cur limitanda est potestas, & non satis sit, ipsum dumtaxat occultum esse delictum? Certè satis esse mihi videtur, & sic absolutè tenet P. Prates in *man. de irreg. d. 2. p. 3. c. 5. n. 9.*

*Notatio Quarta, De Eunucho.*

11. Duo mihi de eo certa sunt, Duo sub controversia. Certum est Primo, eum, qui est Eunuchus ob abscissionem, sive testiculorum, sive virilium à Medicis ob morbum factam, vel factam ante usum rationis, vel per alterius injuriam sine consensu ipsius patientis, non esse irregularem, ut clare pronuntiant Sacri Canones, *C. qui partem. C. Siquis 1. 2. & 3. C. Eunuch. dist. 55.* Vulgi igitur ridiculus error est (ait Navar. *in summa cap. 27. n. 200.*) putare, opus esse, ut membrum abscissum desiccatum, vel redactum in pulverem apud se gestet is, qui ordinari, vel celebrare velit.

12. Certum est Secundo, eum qui, vel abscindit se ipsum ex ira, vel ex zelo indiscreto servandæ castitatis, esse irregularem, ut item Sacri textus manifeste edicunt his verbis, *C. Si quis p. C. Hi qui dist. 55. C. si quis 3. eodem Si quis abscidit se ipsum, ideſt Si quis amputaverit sibi virilia, non fiat clericus, quia sui est homicida.*
Et paulo post: *Qui rem hanc affectant, audentque semetipsos abscindere, non debent promoveri.*
Et *Hi qui se, carnali vitio repugnare nescientes abscindunt ad clerum pervenire, non possunt.*

13. Idem autem esse, si non se quis absciderit, sed ob dictas rationes consenserit, seu permiserit abscindi, notant Doctores, ob verba prædicti Textus dicentis repelli ab altari eos, qui hanc rem nempe abscissionem, affectant Lege Gibal. *de irreg. c. 3. q. 2. n. 12.* de Eunuchismo erudite tractantem.

14. Quid si, nec permisi, nec consensi, sed culpabilem tamen causam dedi abscissioni, ut pro exemplo solet afferri de eo, qui adulterium commisit, vel rixam excitavit injustam, unde à judice, vel inimico in pœnam delicti, vel in rixantis odium fuit in virilibus abscissus?

15. Quæro insuper, Quid, si adulter, vel rixans hanc sibi futuram fore abscissionem, præviderit, quamvis non intenderit?

Respondeo, etiamsi præviderit, dummodo non intenderit, non erit is irregularis, quia nullus Textus irregularem facit eum, qui ejusmodi causas, certe remotas, amputationi dedit. Ita Castropal. *de censur. d. 6. p. 12. num. 3.* citans Tol. Garz. Coninch. Gasp. Hurt. Adde Gibal. *de irregul. cap. 3. quæst. 1.* al. ique contra Vgolinum. Suar. Layman. Avila citat. à dict. Castropal. quibus adde Dianam *p. 43. tract. 2. resol. 6.* alioſque. Confirmo, quia illa vox Sacri Textus (qui affectant hanc rem) si latinitatem, vel primis labiis degustanti, significat apparere, vel exquirere. At, qui adulterium, rixamque vult, quamvis abscissionem prævideat, illam, nec appetit: nec requirit.

16. Iam vero controversum est Primo. An, qui ob alios fines à prædictis *num.* 11. se amputari permiserit, qualis est ad conservandam sonoram vocem, irregularis fiat.

Respondeo, de hac quæstione ego sic breviter. *L. 6. in Dec. c. 2. §. n. 5.* Dixi. Quæret curiosus, an permittens testiculos sibi abscindi ad vocem conservandam, sit irregularis?

Respondeo, esse docent multi, ut Sayr. Mol. Suar. citati à Diana *p. 10. tract. 13. resol. 11.* sed non esse, est etiam cum Castrop. *de cens. d. 6. p. 12. num. 14.* probabile. Rationem idem affert, quia inquit, hic non fecit ex indignatione, aut justo, vel injusto timore perdendæ castitatis, prout requiritur ad irregularitatem hanc à Sacris Canonibus. Præterea nullus Textus hanc pœnam indicens loquitur de eo, qui sibi testiculos abscindit, sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diversum est.

17. Controversum est Secundo, de eo, qui non abscindit, sed mortificat, seu exsiccat testiculos, vel virilia. Verum ex inferius *cap. 15. §. 16. à num. 34.* dicendis colliges, hunc non fore irregularem, quia sic, nec membrum sibi, nec ejus partem abscindit, cui uni abscissioni est inducta à Sacris Textibus hæc irregularitas.

*Notatio Quinta. De attentante sui occisionem, vel mutilationem.*

18. Is, qui sibi laqueo, præcipitio, gladio, veneno mortem afferre tentavit, nec tamen attulit, irregularis non est, quia ex jure homicida irregularis est, non verò homicidium tantummodo attentans.

19. Idem dic de attentante se mutilare, non tamen cum effectu mutilationis. Nam, quando Textus supra *n. 12.* allatus dicit esse irregulares, qui affectant se mutilare, loquitur de affectione, seu consensu cum ipso effectu sequuto, ut ex contextu patet.

20. Quod, si attentatio se ipsum occidendi fuit publica, contrahet attentans infamiam; est enim hoc delictum capitale, & infame, unde ex hoc capite infamiæ, de quo infra, contrahit delinquens irregularitatem. Et sub hac publicitate intelligendus est Cornelio allatus à Diana *p. 4. tr. 2. res. 76.* dum docet, ejusmodi attentantem esse ex infamia irregularem.

§. III. *Quis dispensat in prædictis.*

1. SOlum Papam dispensare posse, in corpore vitiatis sæpè per occasionem in Superioribus admonuimus. Nunc vero iterum in suo loco confirmavimus, solum, inquam, quia, quæ à lege superiore sunt definita, non possunt inferiores immutare.

2. Summum ergo Pontificem dispensare posse v. g. ut omnino Cœcus ordinetur, dubium ne sit. Immo memoriæ proditum est, dispensasse, ut vult Fill. *tr. 19. c. 6. n. 167.* Henr. *l. 14. c. 8. litt. M.* Majolus *de Irreg. l. 1. c. 20. n. 2.* cum Cœco, ut, adhibito adjutore perito, celebraret. Fertur etiam, Pontificem dispensasse cum Roberto Scoto cœco, ut promoveretur ad Archiepiscopatum Armacanum. Ne fidem igitur adhibeas Avilæ, *de Cens. p. 7. d. 3. dub. 3. Vers. ex hac conclus.* qui putat, Summum Pontificem non posse dispensare ad Sacerdotium cum eo, qui caret manibus, quia, inquit, is naturali, & divino jure est inhabilis ad illud, ne fidem, inquam, adhibeas; Sicut enim cum prorsus cœco, ita cum prorsus mutilo posset dispensare Pontifex ob bonum aliquod publicum illum promovendo ad Sacerdotium, non quidem, ut actu celebraret, quia ad hoc naturaliter est ineptus, sed ut exciperet Confessiones, ut ex officio Conciones haberet ad Populum, ut actus jurisdictionis exerceret, &c.

3. Duo denique hîc, vel recole, vel adverte, Primum posse in dubio Episcopum, vel Prælatum Regularem, declarare de qualitate vitii, ut in simili supra diximus. Secundum, quando hæc Irregularitas contingit ex delicto, quo quis se mutilavit, posse Episcopum dispensare, si delictum sit occultum eo modo, quo insinuavimus *§. præced. num. 9.*

§. IV. *De irregularitate ex defectu Sexus. Remissivè.*

DE hac irregularitate (quæ etiam est corporis virilis defectus) memini me dixisse *in Tr. de Ord. c. 6. §. 1.* Ne igitur illa, quæ valde rato usu veniunt, cum molestia repetamus, illic lege.

## CAPVT IX.

### *De Irregularitate ex defectu libertatis.*

#### §. I. *De Servitute.*

1. Servus, hoc est Mancipium, sive ex nativitate, sive ex legitima venditione, sive ex legitima captivitate, quamdiu servitus durat, irregularis est ex Sacro Textu, *Toto Titulo de Serv. non ordinandis, & tota dist. 54.* sic merito desiniente; id enim dignitas Ordinum requirit obsequium à clerico Ecclesiæ debitum? Servi enim cum addicti sint Dominis, atque adeo sint alterius juris, servire Ecclesiæ non possunt. Consentiente autem Domino, poterit quidem ordinari servus, sed statim, atque ordinatur, etiam prima Tonsura, fit liber. Ita Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8.* Suar. *de cens. d. 51. sect. 3. n. 5.* Castr. *de cens. d. 6. p. 11. n. 2.* Azor. *p. 2. l. 2. c. 11.* Arcl. *de cens. p. 7. distin. 3. d. ult.* Fill. *tr. 19. c. 2. n 195.*

2. Si vero servus (quamvis cum peccato) initietur, non consentiente Domino, distingue. Si initietur Minoribus, adhuc remanet servus, nec gaudet ullo privilegio, sive canonis, sive Fori, sive Gabellarum, ut colligitur *ex Cap. ex antiquis d. 54.* Si vero Majoribus, subdistingue. Nam, si Episcopus illum ordinans conscius est servitutis, & videt sine Domini consensu, ipsum Ordines postulare, quod est, Episcopum esse participem doli, servus ita promotus evadit liber, sed ipse Episcopus obligabitur pretium servi duplicatum, vel duos servos reddere Domino. Et quidem unum ex his pretiis erit de justitia solvendum in recompensationem servi, unde ante omnem sententiam: Alterum, cum sit in pœnam, post sententiam, & sic conciliatur Suar. *de censur. d. 51. sect. 31.* non requirens sententiam cum Bonac. *d. 7. de cens. q. 2. p. 4. n. 3. Vers. Tertio Episcopus*, illam requirente. Si non Episcopus, sed alii conscii prædicti doli Episcopum induxerunt ad ordines servo concedendos, ipsi ejusmodi pretium vel servum duplicatum solvere tenebuntur. Si denique nullus fuit doli conscius, is remanebit servus, sed suspensus ab Ordine, si nondum est Sacerdos; Nec tamen poterit uxorem ducere, si Subdiaconatum, vel Diaconatum sic assumpsit; idque propter votum Castitatis iis Sacris Ordinibus adnexum: Valde tamen probabile est, hunc non privari privilegio Canonis, ut tenet Sayrus, *de cens. l. 6. c. 14. n. 5.*

3. At, si ejusmodi servus ordinatus fuit Sacerdotio, liber quidem erit, sed remanebit cum onere solvendi Domino, vel alium servum, vel pretium ex suo peculio, vel ex suis ministeriis Sacerdote non indignis. Filliuc. *loco citato*, ait, hunc servum, tunc amittere suum peculium, eundemque ab hero suscipi posse pro Mysteriorum celebratione.

Sed quid, si prædictus servus nullo modo peculium, vel artem, vel alium servum habeat, unde solvat? Respondeo cum Gibal. *de irreg. cap. 3. q. 5. n. 3.* Manebit liber, sed aliquo spirituali obsequio se gratum præbere studeat Domino.

4. Nondum omnia dissoluta sunt; Inquires enim Primo, si plures in solidum sint domini alicujus servi, satisne est, ut is promoveatur ad ordines ex solo consensu unius ex his dominis?

Respondeo. Ita putat Gloss. *in c. Nullus d. 54.* idque ob favorem, & reverentiam Ordinibus debitam, colligitque ex illis verbis Textus (*Nullus promoveat servum, nisi voluntas accesserit ejus; qui aliquid sibi in eo vendicat potestatis*) illud enim (*aliquid potestatis*) significare videtur quamcumque diminutam potestatem ejus, cui illa particulariter competit. Alia autem Glossa, *ibidem* paulo post dicit, debere accedere consensum omnium, quorum juri detrahitur; id enim significare videtur (ait hæc Glossa) illud (*qui aliquid potestatis*) illud enim (*qui*) sumi debet collective, ita ut sensus sit, ut debeat consentire quicunque aliquid potestatis in servum habet.

5. Sic tamen conciliandæ sunt hæ duæ Glossæ, ut partialis dominus offerat servum pro Ordinibus, sed ab Episcopo admittendus, ut liber, nam ita is dominus tacite se obligat satisfacere (ut certe debebit) aliis dominis, & hac ratione Ordinibus favetur, & dominis nihil detrahitur. At, si partialis dominus solus non consentit, non poterit servus admitti, quia fieret contra jura condominorum; consensus enim dicti partialis domini non ex se offerentis servum sed ex alterum vigore gatu) solum parti suæ videtur præjudicare, non quidem aliorum. Glossa igitur prior de priore casu intelligi debet, posterior de posteriore.

6. Inquites Secundo. Quid de liberis, qui sunt, quos dominus manumittit, hoc est liberos facit, sed reservato temporali aliquo obsequio?

Respondeo, hos propter dictam reservationem esse irregulares, docetur communiter. At, si dominus, qui tunc propriè appellatur Patronus, obsequia omnia remittat, vel solum spiritualia, quæ clericum non decent reservat, *C. Nullus de serv. non ord.* posset ad Ordines admitti, quia tunc censetur jam absolute liber.

8. Denique nota, horum filios nulla irregularitate affici, ingenui enim, hoc est liberi omnino sunt, solumque debent Patrono reverentiam, ut notat Bartol. *ad C. de liber. & eorum liber.* Quid dicendum sit de liberis Ecclesiæ. Vide Vgol. *de irreg. c. 57. §. 4.*

#### §. II. *De Vxorato Remissive.*

1. Etiam Vxorato dicitur deficere libertas ad Ordines suscipiendos; Vxoratus enim sua servitus circa uxorem non caret; Verum nos de hac re toto dictimus satis, superque in *lib. 8. de matr. tr. 1. c. 10.*

#### §. III. *Quis dispensat cum servo ex defectu libertatis.*

2. Certe nonnisi Summus Pontifex, quando illa adest, si enim ea non duret, non adesse tunc irregularitatem, atque adeo dispensatione opus non esse, jam modo vidimus. At vero, si Pontifex dispensaret hos servum ad Sacerdotium, illo jam promoto sine licentia Domini, an deberet Pontifex ex justitia pretium Servi Domino solvere; an potius intelligeretur dispensare, ut (quamvis Sacerdos) remaneat apud dominum in obsequiis temporalibus, saltem Sacerdote non valde indignis, quæstio est ad nostram praxim, nequaquam pertinens.

## CAPVT X.

### *De Irregularitate ex defectu bonæ famæ.*

#### §. I. *Quid, & quotuplex sit Infamia?*

1. Infamia est *Status læsæ dignitatis legibus, & moribus reprobatus*, sicuti bona fama est *status illæsæ dignitatis legibus, & moribus comprobatus. l. Cognit. ff. de variis, & extraordin. Cognition.* Clarius: Infamia *est diminutio, seu privatio bonæ existimationis hominum, ex prædicto læsæ dignitatis statu.* Nomine autem *Dignitatis*, hîc sumitur pro ea naturæ humanæ dignitate, quæ est in hominibus secundum rectam rationem viventibus. Dico (hîc) alibi enim, ut quando in jure dicitur (*Infamibus portæ non pateant dignitatum*) nomen dignitatum sumitur pro quibusdam officiis honorificis, de quibus mox §. 4.

2. Infames ergo cujuscumque generis certò sunt irregulares: vide *C. Infam. 6. quæst. 1. C. Qui in alio, dist. 81. C. Infamib. de Regul. Iuris in 6.* sed cum infamia, secundum Doctores omnes, ut Sanch. *in cons. lib. 6. c. 3. dub. 5. & 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4.* Lez. *in summ. V. Infamia. Tho. de pœn. Eccl. p. 1. c. 33. & 37.* Castrop. *de cens. d. 6. p. 2. n. 2. disp.*

alia sit iuris, seu legalis, quæ est, quando lex disponit, aliquem esse infamem; Alia Facti, quæ est, quando abstrahendo à dispositione legum, ipsum crimen, commissum, seu malum, quod quis patrat, evulgatur, unde sit causa, ut delinquens eadat eo ipso à prædicta hominum bona existimatione, ideo de utraque est, & quidem separatim agendum breviter pro re nostra.

### §. II. *De Infamia iuris Irregularitatem inducente.*

1. EX triplici capite Lex disponit, aliquem esse infamē, puta ex delicto, sive de proprio, sive alieno, ex pœna alicui delinquenti inflicta, & ex officij alicuius utilitate.

*Ex delicto proprio.*

2. Non de omni delicto, sed de quibusdam leges disposuerunt, ut essent infames ij, qui ea committunt; & id quidem duobus modis disposuit. Primo, ut essent Infames eo ipso, quo aliquis illud delictum committit. Secundo, non eo ipso, sed post sententiam de infamia iam contracta ex eo delicto.

3. Prioris modi sunt de iure civili crimina lenocinij, sponsalia duo, vel duo matrimonia contrahentis, locantis suam operam, qua cum bestia mere ob pretium pugnat, certantis cum alio homine mere quæstus causa (non ergo, si ut ostendat fortitudinem,) huiusmodi etiam est miles, vel dux ab exercitu dimissi, vel militiæ insignibus spoliati ob aliquod crimen ibi patratum. Item miles prædia aliena conducens negotiationis causa, usurarius ex officio, & ille, qui non adimplet, cum possit iuratam promissionem. Addit Castrop. *de Cens. d. 6. p.* 20. ex iure sui Regni crimen adimplentis homagium, crimen palinodiam recantantis in iudicio, & crimen sodomiæ. Verum hæc committentes non sunt infames ipso iure civili, sed solum hoc iure speciali.

4. De iure autem Canonico infames ipso facto sunt. Primo, omnes prædicti, qui sunt ex iure civili, nam ius canonicum habet pro infamibus omnes illos, quos leges sæculi (ut loquitur *C. Omn. 6. q.* 1. Adrianus Papa) appellant infames. Excipe tamen infamiam mulieris transeuntis ad secundas nuptias intra annum luctus, hanc enim correxerunt, & abstulerunt iura canonica, ut supra *lib.* 8. *de matr. tr. 7. c.* 2. §. 2. *num.* 7. nobis dictum est late, nam propterea illam non numeravi inter alias allatas *num. præced.* Secundo, infames ipso facto sunt, committentes crimen læsæ Maiestatis humanæ, vel divinæ idest hæresis, eorumque favores. Tertio, insequentes hostiliter Cardinales. Quarto, Mulierum raptores. Quinto, duellum committentes, eorumque patrini.

5. Nota autem, quamvis verum sit, quod diximus ex his delictis statim incurri infamiam de iure, tamen quia hæc est pœna, non teneri delinquentem, ex se illam exequi. Quare is, licet eo ipso sit infamis, quia tamen nondum, ut talis, est declaratus, poterit expectare sententiam iudicis declarantis commissionem criminis, & incursionem in dictam infamiæ pœnam, & interim se gerere, ut liberum ab irregularitate, quando delictum non est notorium, seu publicum, & nec est in proximo periculo, ut publicetur. Ita Sanch. Laym. Thesaurus *locis* supra *citatis*. Vide etiam Gibal. *de irreg. cap.* 5. *q.* 4. Dixi (quando delictum non est notorium) nam, si delictum sit publicum ex alio capite delinquens erit infamis, atque adeo irregularis, nempe ex infamia facti, de qua mox.

6. Posterioris modi infames de iure, hoc est, qui non eo ipso, quod committant crimen, sunt infames, sed post sententiam iudicis condemnatoriam, & ut notat Castrop. *de Cens. d. 6. p.* 20. *num.* 4. quæ sit sententia definitiva iam transacta in rem infames, infames, inquam, de iure sunt illi qui committunt ea delicta, de quibus quilibet de populo potest accusare delinquentem, nam propterea appellari solent crimina publica. Sunt autem in iure civili ij, qui committunt crimen Homicidij, Adulterij, Proditionis, Falsi, Rapinæ, Læsæ Maiestatis (hoc ultimum est supra in iure Canonico crimen inducens in infamiam ipso facto, at nunc est inducens in iure civili infamiam post sententiam) Præterea crimen furti iniuriarum, doli mali, & crimen iniquæ pactionis, nec de his criminibus quis accusetur.

7. In iure autem Canonico sunt ij, qui committunt crimen doli in contractu Societatis, in Tutela, Mandato, Deposito, & crimen, quod quis forte committat, in accusando aliquem de delicto. Hi igitur non sunt infames statim ac committunt hæc crimina, ut erant dicti in priore modo, sed post sententiam definitivam, &c. iura, & Doctores circa prædicta legi, & haberi poterunt apud citatos.

8. Denique hîc opportunum est admonere, opinionem dicentium omnia peccata depositione digna parere irregularitatem in delinquente, non esse veram, eamque bene reiici à Castrop. *d. c. n.* 15.

9. Præterea adverte, nec eo ipso esse irregularem Apostatam teste Farinac. *q.* 183. *à n* 61. Mascard. *de Probat. q.* 112. ab ordine Sacro, vel à Religione, relicto etiam habitu, sed solum ratione infamiæ post sententiam criminis condemnatoriam, vel post notorietatem delicti, quæ ponat infamiam facti, de qua mox. Idem de clerico ebrioso ex iure novo, *Can. in c. Acrap. de vita & honest. Cleric.* idem de peccatis, quæ arbitrio Episcopi puniendi veniunt, &c.

*Ex delicto alieno.*

10. Ex delicto alieno, solum duo genera personarum invenio esse infames, unde, & irregulares, hoc est. Primo, filios nepotesque eorum, qui manus violentas in Cardinalem iniecerunt. Secundo, filios eorum, qui committunt crimen læsæ Maiestatis. Lege Doctores mox citandos.

11. Quare filij, & descendentes Hæreticorum infames non sunt. Ita Sanch *in Dec. l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. aliique ap. Castrop. *ibi*. An vero sint irregulares, dicam cum de irregularitate ex hæresi.

12. Rursus filij legitimi Meretricum, Damnatorum ad triremes, eorumque, qui publice ob pœnam iuste vapulaverunt, nec infames sunt, nec irregulares. Ita Diana *p.* 10. *tr.* 11 *res.* 26. cum aliis.

13. Denique illegitimi, hoc est non ex legitimo matrimonio nati, irregulares quidem sunt, ut infrà *suo loco c.* 17. §. 1. dicemus, sed nullo modo infames, Covar. Molin, & Castrop. eas adducens *l. c.*

*Ex pœna alicui inflicta.*

14. Ex hoc capite, vel poteris esse infamis ex vi ipsius iuris, quando scilicet ipso iure, vel in sententia co nstra te à iudice lata, decernitur, te condemnatum tali pœna, esse infamem: Vel poteris esse infamis, quasi ipso facto, quando scilicet ad pœnam notorio dedecore affectam condemneris.

15. Quæ autem sint pœnæ prioris modi, ipse tenor legis, seu sententiæ debebit ostendere. At, quænam sint pœnæ posterioris, ostendit Regula sequens, *ex iur. Cons. in l. ict. fust. ff. de his. q. not infam.* Quæcunque pœna quæ à lege, vel iudice imponitur; si propter delictum infame imponatur, inducit infamiam per sui executionem, atque adeo irregularitatem, secus non item.

16. Hæc regula planior fiet ab exemplis, quæ iam subdo. Primò, qui puniuntur per fustigatorem non quomodocunque, sed ex sententia lata contra ipsum, vel ex Superioris mandato sic decernente propter notorium, & infame crimen est infamis, adeoque, ut dicemus, irregularis. Ictus ergo fustium non irrogat infamiam iuris, nisi ex infami causa infligatur.

17. Secundò, Damnati ad triremes cum executione, non omnes, sed solum, ut tenet Thesauratus, *de pœn. Eccles. p.* 1. *c.* 33. ij, qui ex causa famosa, hoc est ex crimine publico commisso cum dolo, ad illas damnati fuere, sunt infames, irregularesque, atque hi, etiam si non

præcesserit fustigatio idque etiam (ut idem habet) transacto tempore pœnæ. Quamvis enim Diana *p. 4. tract. 2. res. 83.* indistincte putaverit, esse probabile omnes damnatos ad Triten. esse irregulares, & esse item probabile non esse, Diana *p. 10. tr. 11. res. 26.* tamen sequitur citatum Thesaurum, quem etiam sequitur Donatus, *de Reg. lib. 1. cap. 182. num. 2* & Campanili, *Rubr. 12. cap. 18.* refragantibus Ruitio, *p. 1. Decis. 19.* & Prates, *d. 6. ca. 5. §. 3. numero 5. fol. 622.*

18 Tertio publice pœnitentiatus ob suspicionem criminis famosi, qualis suspectus de hæresi, sed non hæreticus, non putatur à Thesauro loco citato, infamis infamia iuris, sed, si causa suspicionis sit publica, erit infamis, infamia facti. de qua mox dicemus.

19. Dixi (publice pœnitentiatus) id est per illam pœnitentiam, quæ publice sit inflicta à iudice sine certo, & determinato ritu, nam illa pœnitentia, quæ apud Canones appellatur solemnis, quæque fiebat cum certa forma, certisque cæremoniis iam hodie non est amplius in usu.

20. Quarto, ij Milites Religiosi, qui de famoso crimine notati condemnantur ad deponendam Crucem, seu Habitum suæ Religionis: Ij, qui ob toleratum uxoris adulterium, avium pennis amicti, publico spectaculo exponuntur. Ij, quibus, ob furtum in fronte, vel humero, stigmata inuruntur: Ij, inquam, Infames teste Prate. *in manusc. citato, disp. 6. §. 5. num. 56. fol.* 623. sunt infamia iuris, atque adeo Irregulares à solo Pontifice Summo dispensandi.

21. Contra, ex eod. m Doctore. levis verberatio (hac enim solent castigari pueri sine infamia) & Collaris inductio non inducunt infamiam iuris, quia ex levi causa infliguntur. Ita sanè, sed, si ex gravi causa & hæc sit cognita, non dubito, quin eiusmodi pœnæ inducant saltem infamiam facti, de qua mox.

Quinto, an Excommunicatus eo ipso sit infamis. Respondeo tribus dictis. Dico primo, excommunicatum vitandum esse infamem de facto, iam enim publice, donec petat absolutionem, notorius peccator est, atque adeo irregularis, ut mox §. 3. agentes *de infamia facti*, dicemus.

Dico Secundo, excommunicatum non vitandum, si sit occultus. Ita Leand. *de excom. d. 16. q. 10.* non esse infamem de facto, quia sic notoria non est eius inobedientia: At si sit publicus, quamvis non sit iuridice nominatim denuntiatus, nec publicus percussor Clerici, iam erit notorie peccator, inobediens, & Canonice infamis de facto atque adeo modo iam dicto, irregularis.

Dico Tertio, cum Filliucio, excommunicatum, ut sic, non afferre ex se infamiam, unde, nec ex se, irregularitatem. Probatur, quia non affert infamiam iuris ex se, nec ex se infamiam facti, ergo nullam. Non iuris: nam in iure non habetur, eam universaliter esse causam infamiæ, sed solum, quando constituitur ex quibusdam criminibus, quibus peculiariter connectunt iura infamiam, qualis est hæresis, de cuius irregularitate dicetur infra suo loco, & qualis, est etiam percussio Cardinalibus inflicta *c. Felicis, d Pœn. in 6.* Non facti quia, sic etiam Excommunicatione occulta pareret infamiam Facti, quod tamen esse non potest: infamia enim Facti non emergit nisi ex delicto notorio, ut mox dicto §. 3. notabimus.

### *Ex Officio Histriones.*

22. Iura etiam volunt, ut, qui officiis quibusdam vilibus vacant, infames ipso iure sint atque adeo irregulares. Eiusmodi autem sunt ex omnium sententia. Primo. Histriones pretio conducti obscæna representantes. Dicentur autem ex officio, si bis, vel ter in scenam prodeant, de quibus lege Menoch. *de Arbitr. casu 99. n. 24.* & Ricciull. *de statu Repr. l. 5. c. 12* Imò etiam si semel prodeant in scenam, quando ex officio iam assumpto id faciunt. Lege Diaz *in prax. Crim. Can. cap. 63.* Vival. *d. p. 3.* Candel *de Irreg. ex inf. n. 19.*

### *Artes aliæ viles.*

23. Lictores, Satellites, Carnifices sunt infames ex Lezana, *V. Infamia n. 3.* Prates *l. c. d. 2. c. 4. n. 4.* Sed negat Ca. *de Cens. d. 6. p. 20. n. 6.* tum de his, tum de Macellariis & similibus, dicens nullo iure contrarium probari de actos lictores, similesque iustitiæ Ministros (nonne condemnatorum secuta) esse irregulares ex defectu lenitatis alia est consideratio, de quibus infra suo loco.

24. Sunt ergo hi homines infimæ notæ, & propter indignitatem, nulla ratione promovendi, sed certe infames, non sunt. Quis enim audebit Sacris initiare tam, qui actu exercet macellariam, Cauponariam, Cleonariam, Circulatoriam, Fumambulariam, vel similem; addunt his aliqui, ut P. Prates *l. c. d. 4. præl. n. 4.* fol. 220. & merito Anatomistas, qui manu propria incidunt Cadavera, Pollintones, seu Velpillones (*Beccomorti*) &c.

25. Hîc denique ne ignores, Parentes qui eiusmodi exercitationibus se immiscent, eandem vilitatem in filios nequaquam transfundere, si ipsi filij ab eiusmodi abstineant, cum nullus Texus, ut notat Selimus, *in c. cum Deputati de Iud. ex Gloss. in c. Quoniam verus 24. q. 1.* Lege etiam Maiolum *de Irreg. l. 3. c. 1. n. 7.* contra dictos filios habeatur. Imo præclara de hac re sententia Anthei Papæ refertur. *In Episcoporum* (inquit Antes. Pontifex *in Ep. ad Episc. Bœtic.*) *Negotio prosapiam non aquisca. Apostolicus Ordo hoc probat ac tot Pontificum, & Episcoporum numerus, qui vilibus parentibus nati, dignissime Sacerdotio functi sunt.*

### *Ducens Vxorem vilem.*

26. Qui ancillam duxit in uxorem inter infames ut vult Suar. *de Cens. d. 48 sec. 3. fin.* Sanc. *l. 7 matr. d. 19. n. 14. ex c. si quis Viduam. 2. d. 34.* Contra Henriq. *l. 14. de Irreg. c. 5. n. 4.* numeratur, ut item, qui Meretricem duxit, aut repudiatam, aut Saltatricem, vel Scenicam, quamvis Virginem & universaliter, qui fœminas duxit viles; Vilis tum etiam præscindendo ab infamia, persona illa reputatur, qui cum vili, tam arctum commercium contraxit.

### *§. III. De infamia facti.*

1. VT quis iure Canonico habeatur infamis infamia facti, atque adeo irregularis, sufficit quodcumque peccatum mortale, in quo quis notorie perseveret. Vide *C. Testim. de Test. c. const. 3. q. 5. c. Inst. 6. q. 1.* Tria ergo requiruntur, & sufficiunt ad infamiam fundandam peccatum quodcumque mortale, perseverantia in illo, & Publicitas, seu publica, & quidem certa notitia.

2. Quoad Primum, nota id dici in materia, de qua loquimur Irregularitatis, nam in ordine ad alios effectus, ut recte notat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4.* tantus rigor est imperatus multo magis in iure Civili, in quo, testante Molin. *tr. 4. de Iust. d. 7. nu. 6.* multa peccata non reddunt eorum patratores viles, & infames. Lege eundem Molinum *ibidem*, qui recte percurrit aliqua capita per quæ homo iudicetur infamis infamia facti.

2. Quoad Secundum, ideſt, quoad perseverantiam nota, id intelligi, quoad peccata ex se infamiam alias non patientia, nam, si quis v. g. publice sciretur semel cognoviſſe mulierem, non esset quidem infamis, quia iam non perseverat in peccato, quod solum semel facit. At si quis sciretur publice cognoviſſe suam matrem, vel illam occidiſſe, nonne esset infamis infamia facti, donec per veram pœnitentiam, de qua mox §. 5. n. 3. eiusmodi infamiam excuteret.

4. Quoad Tertium, hoc est, quoad publicitatem duo sunt notanda. Primo, crimen debere cognosci à multis, atque adeo non sufficere, si certo sciatur à paucis, nam hoc pacto res diceretur occulta.

5. Secundò,

5. Secundò, notitiam debere esse certam, si non metaphysicè, saltem moraliter, secus te injustè gereres, si quempiam, ut infamem repellas, solum ex levi suspicione inter homines leves exorta.

6. Si tamen opinio de tuo peccato sit vulgata apud viros probos, & prudentes, quamvis non adsit certitudo, multo magis, si orta sit hæc opinio non ex vanis, sed ex probabilibus conjecturis, eris ab Ordinibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis, repellendus, interim, dum te non purgas, juxta *C. Quoties, & C. Inter: de Purgat. canonica.* Neque enim decet in Clericum coaptari eum cujus opinio gravata est. Ita Castropal. *de cens. d. 6 p. 20. n. 7.* quod latè etiam habes apud Sanch. *in Decal. lib. 2. cap. 28.*

7. Ex hac doctrina resolvi nudius tertius, Clericum accusatum apud Episcopum sui Domicilii de commercio cum fœmina, & ab eodem citatum ad comparendum nequaquam ordinari potuisse ab Episcopo sui Beneficii, ut Clericus intendebat. Ratio resolutionis fuit prædicta doctrina, quia non præsumitur Episcopus ille voluisse Clericum citare ad comparendum, nisi motus ex probabilibus rationibus, seu conjecturis. Fatebar interim meram accusationem non satis esse ad hominem reddendum infamem, quia accusatio non raro fit ab inimicis, & non raro item sine sufficientibus probationibus, sed in casu nostro aderat citatio Episcopi, qui, ut dicebam, non præsumitur Clericum voluisse citare sine aliqua tandem probabilitate delicti. Addidi, saltem ante ordinationem oportere, eum se purgare, juxta prædicta, ab opinione, quæ jam erat inter prudentes de commisso crimine. Nam propterea communiter teste Nald. *V. Accusare, num. 4.* Barb. *de pot. Ep. all. 43.* Garsia *de Benef. p. 7. §. 7. à n. 6.* Favet. Gibal. *de Irreg. c. 5. d. 4. n. 27.* docetur, accusatum, pendente accusatione, admitti ad Ordines non posse.

## §. IV. *Effectus Infamiæ.*

1. INfamia, sive Iuris, sive facti in Iure Canonico (nam de Civili nos non agimus) hos duos effectus progignit. Primò, ut infamis ordinari nequeat: id, quod sæpe diximus in Superioribus. Secundò, ut illi Dignitates non conferantur juxta Regulam illam Iuris *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Nomine autem dignitatis hic non intelliguntur solùm Personatus, sed quæcunque Ecclesiastica Beneficia, & Officia publica, puta Iudicis, Assessoris, Advocati, &c.

2. An verò, sicuti; si conferantur Ordines Infami, valet collatio, ita valeat collatio Beneficii, vel Dignitatis, licet in utraque collatione certo peccetur, bipartita est Doctorum Opinio. Molin. *tr. 4 d. 11. n. 5.* aliique apud Castropal. mox citandum cum communi ait, esse invalidam Castropal. *de cens. d. 6. q. 20. n. 11.* cum Garz. puta, in foro externo invalidam quidem esse, sed esse probabile, in foro conscientiæ esse validam, ac propterea ejusmodi provisum posse dignitate, seu officio frui, donec à Iudice collatio rescindatur. Ratio hujus probabilitatis est, quia nullus afferri potest Textus collationem hanc invalidans, nam quando dicitur (*Infamibus portæ non pateant dignitatum*) satis commodus sensus esse potest, quod non pateant licite, annullatio autem actus, cum sit odiosa sine claro Textu inducenda non est. Adde, tanquam Regulam peculiarem haberi *in Tractatu de irregularitate*, quando Textus potest explicari, ut significet aliquid aliud, non esse intelligendum, ut inductivum Irregularitatis.

3. Hæc de Infamia contracta ante susceptas Dignitates. Sed quid, si superveniat.

Respondeo, si superveniat Infamia facti, certum est, eam non privare ipso jure possidentem suas Dignitates, vel Officia, ut est communior opinio, quia in nullo Textu habetur ejusmodi privatio. Si verò superveniat infamia Iuris, licet statim illorum privationem indicet; tamen hujusmodi infamis abdicare à se illa officia nequaquam obligatur, modo quo docet cum multis Castr. *l. c.* & nos diximus *§. 2. n. 5.*

## §. V. *Quis dispenset in Irregularitate contracta ex Infamia.*

1. SI à te incursa fuit infamia Iuris, ex eo nimirum, quod subivisti sententiam, quæ condemnavit ad infamiam, vel, quæ declaravit, te commisisse delictum trahens infamiam juxta paulo ante dicta, opus est tibi, etiam emendato, dispensatione Summi Pontificis ad Ordines suscipiendos, vel Ordines susceptos exercendos. Nam, si non præcessit ejusmodi sententia, te posse gerere, ut non Irregularem, atque adeò te non indigere dispensatione, si res sit occulta, diximus *§. 2. num. 5.*

2. Si tamen crimina infamiam hanc trahentia sunt adulterio minora, Irregularitatem ex ea contractam posse post peractam pœnitentiam dispensari ab Episcopo docet Castropalaus *l. c.* cum Sanc. Henriq. Avil. Mol. & aliis, addens, quando infamia inducta est à jure Civili, eam posse aboleri à Principe sæculari qua abolita, cessabit Irregularitas, quæ in ea infamia inniteba-tur.

3. Si autem infamia facti laboras, illam tu ipse teste Suar. Henr. Mol. cum Castrop. cit. tolles per emendationem delicti, utique notoriam, & quæ saltem per triennium duraverit. Gibalin. *de Irreg. cap. 6. qu. 1. num. 5.* non præscribit tempus, sed solum petit emendationem cogitam.

4. Hinc ergo, qui non fuit condemnatus per sententiam imponentem, vel declarantem infamiam (tunc enim non sufficit emendatio, sed requiritur dispensatio, ut dictum est) licet notorius fuerit Sodomita, Concubinarius Vsurarius, &c. Si, modo dicto, emendatus est, poterit promoveri. Lege Gibalinum *loc. cit.*

An hæc Irregularitas ex infamia tollatur per Baptismum, quando hic suscipitur post ipsam contractam, dicemus infrà *c. 22. §. 1. n. 2.* interim videatur Sanch. *d. 48. de Cens. sect. 2. n. 11.*

---

# CAPVT XI.

## *De Irregularitate ex Novitate Fidei.*

### §. I. *Quisnam eam contrahat?*

1. NOvi in Fide, quos Græca voce *Neophytos* appellamus, in *C. Sicut. d. 48.* sunt, qui cum Iudæorum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem professi fuerint, de novo ad veram Christi Domini Fidem accesserunt.

2. ergo Hos irregulares voluit Ecclesia. *C. 1. dist. 48. C. 1. & 2 distin. 55 C. Si aliquando, & c. Si offic. dist. 59.* Primò, ne (ut ait S. Paulus *2. ad Tim. 3.*) in superbiam elati in judicium incidant Diaboli, ex eo scilicet, quod sibi plaudere plus justo possent, putantes Ecclesiam ipsorum Ministerio indigere. Secundò, quia, ad docendum alios, est ineptus ille, qui bene edoctus non est. Tertiò, quia bonis moribus debet prius assuescere, qui ad tantam Ordinum puritatem, dignitatemque est promovendus.

2. Porrò ex descriptione allata Neophyti tria sunt colligenda. Primò, qui Sacro Baptismi fonte est ante usum rationis ablutus, quamvis filius sit patris infidelis, non est reputandus Neophytus, atque adeo, nec Irregularis. Ita Covarr. *in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. 7. & 8.* Avil. *de Censur. p. 7. d. 4.* Sayr. *de Censur. lib. 6. cap. 11. n. 11.* Bonacin. *de Censur. d. 7. quæst. 2. pun. 1. num. 5.* Ricciullus *de Neoph. cap. 1. num. 3.* Lez. alios citans *consulto 16. numer. 31.* quia eam aliam religionem professus non

est. Ita passim Doctores. Multo ergo minus irregularis erit filius Christiani novi; Solum enim filium Hæretici ob peculiarem Canonum constitutionem irregularem esse, dicemus infrà, quia tunc Ecclesia vult punire delictum patris in filio.

4. Secundò, qui à Christianis natus diu vixit inter Infideles, & Infidelium sectam non est professus, si deinde ad suos reversus rite Baptismum susceperit, non est Neophytus, nec Irregularis. Ita Doctores iidem *in d.c. sicut d.* 48. quia de ratione Neophyti est, ut falsam Religionem ante Baptismum fuerit amplexus.

5. Tertiò si idem à Christianis natus potuit baptizari, sed noluit, quamvis deinde, urgente periculo mortis, Baptismum susceperit, Neophytus est, & irregularis, *C. Siquis dist.* 57. Lege Vgol. *l. de Irreg. cap.* 2. §. 3. *num.* 1. & Gibal. *de Irreg. cap.* 4. *n.* 16. quia susceptio Baptismi, quando urget necessitas, non vacat suspicione infirmæ fidei. Sed notandum, quod additur *in c. Siquis d.* 57. *Nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum ravitas exegerit.* His explicatis supersunt quæstiunculæ tres.

*Quodnam tempus purgat hanc fidei novitatem?*

6. Quæstiuncula prima. Quandiu est expectandum, ut adultus noviter baptizatus judicetur purgasse novitatem, atque adeo amplius Irregularem non esse?

Respondeo, satis esse annum, putat Ricciull. *d. Neophytis cap.* 10. quia Miles, & Servus post annum cum veteranis adscribitur. Duos requirunt Romanus, *sing.* 421. & Campalini *in Divers. jurium Civ. Rubr.* 11. *cap.* 7. *num.* 5. quia circa duos annos potest quis doctrina, & Christianis moribus sufficienter instrui. Navarr. *in manuscr. cap.* 27. *num.* 205. Majol. *de Irreg. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 1. Fill. *tract.* 19. *cap.* 7. *num.* 184. Gas. Hurt. *de Irregul. d.* 2. *diff.* 9. *num.* 51. Bonac. *loc. cit.* & alii decennium requirunt, fortasse propter illud S. Hieronymi (debes multo tempore addiscere, quod docens) multum autem tempus decennio mensuratur in Iure. *L. Si cum* §. *Ariseo ff. Qui & à quibus.*

7. Vera sententia est, id arbitrio Episcopi esse relinquendum. Ratio est, quia in Iure tempus certum non designatur, sed potius sic loquitur Pontifex. *C. Neophyt. dist.* 61.

*Neophytus ne ordinetur. At, si non deest humilitas competens Sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.*

Episcopus ergo nunquam statim à Baptismo Neophytum ordinet, quia tunc certo est irregularis, quia posito, quod quis prudenter judicetur Neophytus, irregularitate laborat à solo Summo Pontifice, ut mox dicemus, dispensanda. Episcopo autem solum competit declarare, an hic sit Neophytus, necne. Verùm, si post aliquod tempus judicet Episcopus, Neophytum ea præstare fide, humilitate, doctrina, ut merito sit cum cæteris Veteranis adnumerandus, adnumeret, & jam tanquam Veteranum promoveat. Ita Covarr. *loc. cit.* Suar. *de Cens. d.* 43. *sect.* 3. *n.* 6. & 7. Bonac. Filliuc. *l. c. n.* 240. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 50. Avila *de Cens. l. c.*

*An Neophytus etiam à Minoribus, & prima Tonsura sit rejiciendus?*

8. Non esse ab his rejiciendum, putant aliqui cum Bonacina. *loc. cit. num.* 5. At rejiciendum, putat Filliuc. *loc. cit. num.* 184. Suar. *de Cens. loc. cit. numer.* 5. Avila *loc. cit. concl.* 1. Vgol. *de Irregul. cap.* 2 §. 2. *n.* 2. aliique. Ratio utriusque sententiæ est, quia priores non putant esse indecentiam, Neophytum his Minoribus initiari, putant posteriores. Sed tandem utramque sententiam esse probabilem, pronuntiat Gibal. *de Irregul. cap.* 3. *quæst.* 3. *numero* 12.

9. Illud certe nemo negabit, quia ad primam Tonsuram, Minoresque Ordines minor aptitudo requiritur, quam ad Majores, facilius posse Episcopum, dispensare, hunc ad illos idoneum esse, quam ad hos, qui petita declaratione, jam irregularis quoad Majores non erit.

*Trahentes originem à Judæis, Saracenis, Infidelibus, & aliqua macula Irregularitatis Canonica conficiantur?*

10. Nulla prorsus, ut lucalenter, & multis citatis, late probat Lezana, *consulto* 16. Nam licet in aliquibus Ecclesiis repellantur ex peculiari Summi Pontificis placito à Beneficiis, & in aliquibus Religionibus repelluntur à Religione; tamen particulares hæ constitutiones non officiunt prædictis, ut volunt Sayr. *de Cens. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 12. Felin. *in c. Ea te, de Reser.* Covarr. *loc. cit.* Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 28. Suar. *de Censur. d.* 43. *sect. num.* 8. ne possint Ordines suscipere, quia quoad Ordines nullum jus est contra illos. Eas autem particulares constitutiones esse legitimas, latissime probat Escobar à Corro *T.* 1. *in Antilog. contra Amayam.* in eruditissima disputatione de hoc argumento. De natis ab Hæretico jam supra indicavi me paulo post esse dicturum, cum de irregularitate ex Hæresi.

§. II. *Quis dispenset in prædictis Neophytis?*

1. SOlus Pontifex. Qua ratione autem Episcopus possit indirectè dispensare, id est declarare, &c. latis indicatum est in præcedentibus.

## CAPVT XII.

*De Irregularitate ex defectu Scientiæ?*

§. I. *Quis eam contrahat?*

1. ILliteratorum quatuor gradus facio. Primum, qui quis tantum scit legere, & scribere lingua materna, nam, qui infrà id, nimis est manifestum, omnino est illiteratum.

2. Secundùm, qui non solum materna, seu vulgari lingua, verum etiam Latina legere didicit, & scribere at ad ea, quæ Latine scribit, legitve, intelligenda non pertingit.

3. Tertium, qui legit, scribit, intelligitque Latina, sed nec perfectè eadem intelligit, nec perfectè ea loquitur, intelligit tamen substantiam ejusmodi locutionis.

4. Quartum, qui hæc omnia perfectè intelligit, loquiturque, sed ad Doctoratum, sive Canonum, sive alterius facultatis, nec pervenit, nec ad illum propter ingenii hebetudinem, vel propter aliud, aliquem potest.

5. His quatuor gradibus distinctis tutam dabimus. Deo favente, de Illiteratorum irregularitate doctrinam. Nam, quia Gibalinus *cap.* 3. *q.* 3 *a num.* 5. hos quatuor in duos tantum gradus contrahit, minus rectè, quia benigne nimis, de hac irregularitate locutus est.

6. Porrò illiteratus primo gradu, *C. non confidat dist.* 5. *C. Illiterat. dist.* 36. *C. nil. de Temp. Ord. in* 6. cum *Gloss.* multò magis infrà ipsum *C. Quemad. de Iure Iur. Navar. si quando excep.* 13. *de res.* Menoc. *de Arbitr. c.* 3. *casu* 425. *n.* 10. Vgol. *de Irreg. c.* 3. §. 2. *n.* 1. Barb. *de Pot. Ep. alleg.* 26. *n.* 9 *alios cit.* est omnino Irregularis, durante tamen ejusmodi imperitia: & merito, quia is non potest ea præstare, quæ pertinent ad ministeria Ordinis, quæ Latina passim scripta leguntur. Vide, tum, qui sic ordinatur peccat graviter, & insuper ipse sic ordinatus, illicite Ordines exercebit.

7. Excipe primam Tonsuram cum Rebuffo *de pacif. poss.*

*pisf.n.27.& 29.*Glossa *C.præcipimus diff.34.*Nam si quando Episcopus adverteret, puerum initiandum scientem dumtaxat legere, & scribere materna lingua, eiusmodi esse indolis, atque in iis circumstantiis, ut facilè credi possit, fore brevi aptum ad scientiam morem, ordinare illum sine incommodo posset, Vide mox §.2.*n.*1.

8. Illiteratus in secundo gradu non est Irregularis, seu ineptus ad Minores Ordines, est tamen ad Maiores propter rationem modo *n.* 6. indicatam. Confirmatur ex Textu *C. Quamvis, de ætate, & qualitate,* in quo Pontifex deponit Episcopum à muneris Pontificij executione, & administratione, quia idemmet Episcopus confessus est, se nunquam Grammaticam didicisse, & nec, vel Donatum legisse. Si ergo Episcopus à suscepto Episcopatu removetur ob eiusmodi illiteraturam, quanto magis removebitur quis ab Ordinibus nondum susceptis?

9. Illiteratus in tertio gradu cum variam habere latitudinem possit, arbitrium erit penes Episcopum respectu sui subditi iudicare, an tantam is habeat literaturam, quanta tequiritur ad singulos Ordines: cum certum sit pro Minoribus minorem peritiam, pro Maioribus maiorem exposci. Id aliquanto distinctius explicabitur mox *in seq.§.ex Trident.*

10. Illiteratus in quarto gradu non est Irregularis: immò ipsa praxis docuit, ad Ordines etiam Maiores non requiri, nec Doctoratum, nec tantam scientiam, quanta consuevit esse in Doctore.

## §. II. *Quid Tridentinum circa prædictam literaturam explicuerit?*

1. HÆc in universum ferè dicta reddidit Tridentinum *sess.23 c.11.13.& 14.de Ref.* clariora, quando unicuique Ordini suum peritiæ gradum affixit, sic enim habet.

*Pro prima Tonsura sciat Tonsurandus legere, & scribere, & rudimenta Fidei.* Nota autem hic Sanch. *in consil. l.7 c.1.dub. 45. num.13.* sufficere, si sciat legere, & scribere lingua vulgari: quod certè est quid amplius, quam quod diximus §.*præced.num.7.* cum Rebuffo, Pergit Trident.

2. *Pro Minoribus latinam linguam intelligat.* Et profecto in bonæ indolis pueris, quando spem præ se ferunt maioris litteraturæ adipiscendæ, potest præsumi, Tridentini mentem non fuisse, eos excludere, si non recte intelligant, quæ rectè latina legunt. Spes enim illa potest æquivalere necessariæ dispositioni. Confirmatur, quia video, eiusmodi esse praxim. Vnde Turrecremata & Gemin. *C. Illiteratos dist.36.* Innoc. *C. In cunctis de Electione,* cum aliis dicit, puerum, qui pro ætate didicit, ostenditque, pro tempore proficere posse, non debere appellari illiteratum. Redeo ad Tridentinum.

3. *Pro Subdiaconatu* (inquit) *& Diaconatu litteris, & iis, quæ pertinent ad eos Ordines, quos suscipit, exercendos, sit instructus.*

*Pro Sacerdotio eas habeat litteras, quibus possit docere populum de his, quæ ad salutem sunt necessaria, sciátque administrare Sacramenta.*

4. Non tamen puto oportere, ut is idoneus sit ad Confessiones excipiendas, tum, quia non omni Sacerdoti hoc munus imponitur, tum, quia, quando imponitur, nova debet ex eodem Trident. *loc.cit.c.*15. approbatio, novumque examen accedere. Favet eiusmodi Sacerdotibus non admodum peritis ea S. Aug. relati *in cap. Speculo dist.* 38. monitio, qua ait non esse corrigendos ab eruditioribus, sed piè tolerandos illos Antistites, vel alios Ecclesiasticos Ministros, qui fortè cum barbarismis, & solœcismis Deum invocant, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligunt, perturbatèque distinguunt, modo hi sententiam intelligant. Hæc Sanctus, & Pius Doctor. Licet autem hic sermo sit de iam promotis, ducere tamen hinc aliquale argumentum poterit prudens Episcopus, pro promovendis.

5. Illud etiam est intelligendum, ut, quando initiandus est necessarius pro alquo oppido, ubi sapientiorem habere Episcopo non datur, possit, (ut observat rectè Menochius de *Arbit.lib.2.casu 415.fine.* cui adde Gloss. *d.55. C. Prisc.& eand. Gloss. d.57.cap.* 1.) minori præditus peritia promoveri.

6. Si hac occasione scire aveas, quænam litteræ requirantur ad Beneficia, sive Maiora, sive Minora Ecclesiastica, lege Canonistas *in C. Cum in cunctis, de Elect.* Castropal. Garsiam, Lotterium. Azor. in propriis *tract. de Beneficiis,* & aliquid tangit Sanchez, *in consil.lib.* 7. *c.*1.*dub.*45.*n.*11. nec omittatur Tridentinum *sess.*24.*c.*12. *de Reform.*

## §. III. *Quænam scientia requiratur in Religioso initiando?*

1. QVoniam Pontifex prohibet ne Episcopi primam Tonsuram conferant illiterato, nisi fortè Religioni nomen det, ideo colligunt aliqui Recentiores, tum pro prima Tonsura, tum pro aliis, quibuscunque Ordinibus, atque adeo pro Sacerdotio, minorem scientiam requiri in Religioso, quam in sæculari. Addunt, cum Religiosus versetur sæpe cum valdè doctis, facile illum ipso usu peritiorem reddi posse.

Equidem scio à multis ut Henriq. & Villa. cit. à Portella *in dub.Reg. V.Ord.Sacri n.6.* Glian. *de Cons. V. Ignorant.* Gibal. *de Integ.c.3.q.3.n.8.fine,* & probab. tutúmque putat Diana *p.2.tr.16.res.29 & p.4.tr.2 res.74.* Castrop. *d.6.de Cens. p.10.n.3.* id tanquam probabile doceri. Verum ego cum Ledesma *in summ.t.1 tr.de Ord.c.7.concl.4.* illis acquiescere nequaquam, propter sequentes rationes, vel nolui, vel non potui.

Primò, quia id nullo iure, sed omnino gratis docetur. Immò in Tridentino *sess.13.cap.12.de R form.* sic præcipitur.

*Regulares, nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque, quoad hoc penitus exclusis.*

Profectò, si diligens examen cum Religiosis est habendum, qua ratione exigua doctrina in illis erit satis? Ad exiguam doctrinam inveniendam diligenti examine non est opus.

Secundò, quia hac nostra ætate non minus à Seculari, quam à Religioso, ne dicam multo amplius, requirunt instrui Fideles, & æquale periculum est in utrisque, tum errandi in docendo, tum errandi in Sacris ministeriis peragendis.

Tertiò, quia non loquuntur consequenter Contrarij, Ipsi enim cum explicant, quid satis sit litteratum pro Religioso Sacerdote, dicunt, sufficere, ut is bene legat, & pronuntiet (utique Latinè) & item, ut mediocriter Latinum Sermonem intelligat. At ego affirmo, fieri non posse, ut quis hæc habeat, quin sit aptus, sive Religiosus sit, sive Sæcularis, ad Sacerdotium, ad arbitrium tamen Episcopi, cui id remisimus paulo ante. §.1.*n.* 8. & §. 2.*n.*5.

Quartò, quia Contrariorum rationes facile diluuntur, nam Textus ab ipsis allatus *n.*1. qui loquitur de sola prima Tonsura, non est ad alios Ordines extendendus, si quidem homini Religionem ingredienti, qui ob ipsum ingressum fit Ecclesiasticus, facile concedetur prima Tonsura, quæ nihil amplius facit, præter quam constituat in eodem statu Ecclesiastico: At in aliis Ordinibus ad altiorem gradum ascenditur.

Ad id, quod additur. Respondeo, etiam parem convictum cum Doctis habere Secerdotem Sæcularem, si suo officio non desit, vacandi semper in Ecclesiis, Præterea nullum Episcopum invenies, qui te velit promovere ad Sacerdotium ob solam spem, quod Patrem, Fatresque germanos habeas, quite continuo instruant. Instructos Sacri Canones, & præcipuè Tridentinum requirunt, non instruendos.

Non autem esse tam rigidus, volo, ut non approbem illa duo, quæ merito approbat Maiol. *de Irr.l.1.c.32.à n.7.*

Alterum

Alterum, aliquid circa litteratum peritiam indulgeri posse pro Regularibus, si sint Anachoretæ, & solitarij.

Alterum, si ordinandus, ut notavi §. 2. *num.* 5. necessarius sit pro Oppido, vel Sapientiores haberi nequeunt, multo magis si indigeat operariis pro vinea Dei in locis infidelium, supposita solida virtute ordinandi, quia præstat Sacerdotem habere non valdè doctum, quam habere nullum.

Adde, & tertium cum Gibalino *de Irreg. cap. 3. q. 3. n. 8. fine*, & Villalobos. Si Canonici, inquit, vel alij Beneficium habentes insignes sint moribus, aut alio quopiam eximio dono prædíti, facile scientiæ defectus aliquis dissimulari poterit. Hæc illi de Beneficiariis, quæ certè Sacerdotio in aliquo raro casu convenire posse, non est repugnandum.

### §. IV. *De examine Ordinandorum ad cognoscendam eorum peritiam.*

2. Vxta Tridentinum *sess. 23. c. 12. de Reform.* ut diximus, omnes, etiam Regulares, sunt diligenter examini subdendi. Circa, quod cum declaratione non indigeat, duo adverto dumtaxat.

Primò, si ordinandus sit aliunde notus, posse examini non subiici, ut notat rectè Sanchez *de censib. lib. 7. cap. 5. disp. 46. n. 8.* in mò convenientius fore, puto, si ille non examinetur, quando eius certa peritia est, ut nimirum intelligant omnes benignè, immò, & cum decore excipi ab Ecclesia Sapientes.

Secundò, Regulares ex vi Tridentini citati subduntur examini Episcoporum, ut probat Castrop. *de Ord. p. 8. n....* non obstantibus eorum privilegiis. Tamen, quia post Tridentinum adest Privilegium Gregorij XIII. quo videntur eximi ab examine prædicto promovendi ex Societate, omnésque ferè Religiones contendant hoc idem Privilegium ipsis per communicationem fuisse concessum (id, quod meum, nunc decernere, non est) ideo solum Episcopis dico, eos posse acquiescere examini, seu approbationi factæ à Superioribus Religionis pro suis Religiosis promovendis, sicuti acquiescere idem Episcopus solet suis propriis Examinatoribus. Id autem dico, quando Episcopo moraliter constat de sinceritate, & diligentia dictorum Superiorum. Quod addo, quia nimis frequenter adverti, Superiores plus æquo esse in re hac indulgentes suis Religiosis, cum tamen etiam ipsos Religionum Prælatos respiciat Præceptum Tridentini, ut diligenter examinent promovendum.

### §. V. *Quis dispenset in defectu scientiæ?*

1. Si constet, esse quempiam illiteratum in eo gradu, quo §. 1. dictum est, statim constabit, eum esse Irregularem ita, ut nemo illum dispensare, nisi Summus Pontifex, possit.

At quia, ut in simili supra notavimus, sæpè Episcopo declarare conceditur, imperitiam non esse in eo gradu, qui constituat hominem illiteratum, atque irregularem, ideò poterit tunc Episcopus eundem ad Ordines promovere.

---

## CAPVT XIII.

### *De Irregularitate ex mala usurpatione Baptismi.*

EX aliorum Sacramentorum abusu nulla, teste Castrop. *de Cens. d. 6. p. 16.* Laym. *l. 1. p. 5. c. 2.* Suar. *d. 42. de Cens. sect. 2.* otitur irregularitas, præter Baptismum, & ordinem, de quibus iam brevem tractationem aggredior.

### §. I. *De Baptismo male suscepto.*

1. QVi Baptismum (utique validum) ab Hæretico scienter extra casum necessitatis recipit, irregularis est. Ita Suarez *3. p. t. 3. de 35. sect. 6. fine.* Thol. *de pace Eccl. p. 2. v. Bapt.*

2. Dixi (scienter) nam tum infans (quicquid dicat Maiolus) tum adultus, qui hanc prohibitionem ignorat, sicuti excusatur à culpa, sic & excusatur ab hac pœna.

3. Dixi item (extra casum necessitatis) quia putà excusaretur modo is, qui morti v. g. proximus Catholico baptizante caterus, ab hæretico baptizari se finxit, excusaretur etiam, qui metu gravi coactus ab hæretico Baptismum susciperet; is enim etiam putatur casu necessitatis.

4. Qui autem, cum sit adultus, Baptismum recipere differt usque ad articulum mortis, sive, quia præsumit voluisse peccare liberius, unde sit indignus Ordinatione, sive, quia est numerandus inter Neophytos, Irregularis est, *C. unic. distinct. 57.* ut supra vidimus *cap. 11. §. 1. n. mero 58.*

5. Quæres. Qui baptizat privatim aliquem sine necessitate, peccat sine dubio: at incurritne irregularitatem?

Respondeo. Aliqui putant tum Laicum, tum Clericum non Sacerdotem incurrere, si sine necessitate sic privatim, sive solemniter baptizent. Sed probabilissimum iam hodie est, Laicum nunquam incurrere, Clericum vero non Sacerdotem incurrere solum, quando solemniter baptizat sine necessitate. Ratio dictæ dictionis est, quia *in c. 1. & 2. de Clerico non ordinato*, ubi hæc irregularitas fulminatur, solum loquitur Pontifex de Clerico non Sacerdote baptizante solemniter sine necessitate. Igitur non est extendenda ad alios, nec ad Baptismum privatum. Quare idem Clericus, si baptizet extra necessitatem privatim, repugnante Sacerdote, vel Parocho præsente, esto peccet, irregularitatem tamen non incurrit. Nec obstat quod *in d. cap.* prohibetur sub irregularitate exercitium Ordinis ei, qui non est ordinatus, non obstat inquam, quia Baptismus non solemnis, non est exercitium, seu actus ordinati, ut ordinati, sed cuiuscunque etiam Laici. Lege Sylvestrum, *V. Irreg. q. 12. & 17.* Graff. *tom. 5. dist. 2. n. 1.* Suar. *de Sacr. 31. sect. 3.* G. Hurt. *de Irreg. d. 2. diff. 2. n. 5.* aliósque.

### §. II. *Ex Rebaptismo.*

1. EX Rebaptismo absolutè facto evadit irregularis. Primò Rebaptizans. Secundò, Rebaptizatus Tertiò, is, qui ex officio ministrat dicto Rebaptizanti. Dico (absolutè facto) nam ex conditionato, puta sic: Si non es baptizatus, te baptizo (quamvis temere, id sine sufficienti ratione dubitandi repetatur Baptismus) nulla inducitur irregularitas. Ita Suar. aliique cit. à Diana *p. 3. tr. 4. res. 9.* Gibal. *de irreg. c. 4. q. 4. n. 12.*

### §. III. *Quis dispenset in his.*

1. IN his unus Summus Pontifex dispensare valet. Excipe Primò, quando Rebaptizans ingreditur Religionem; tunc enim ex *cap. Litterarum de Apost.* potest Episcopum dispensare, docet Prates, *in manuscr. tit. de Irreg. disp. 5. c. n. 16.* Excipe Secundò, quando delictum est occultum; tunc enim ex Tridentino *sess. 24. c. 6. de Refor.* dispensat etiam Episcopus, ut Ioan. Præp. *in 3. p. de Bapt. art. 9. dub. 3. num. 105. & 106.* signate notat.

CAPVT

## CAPVT XIV.

### *De Irregularitate ex Ordinum abusu.*

1. EX tribus Capitibus abusus Ordinum Irregularitatem in quibusdam circumstantiis inducit. Primò, quando ii prave suscipiuntur. Secundò, quando cum eos non habeas, eosdem tamen usurpas. Tertiò, quandò eos habens, eosdem tamen usurpas malè.

### §. I. *Quando Ordines pravè suscipiuntur.*

1. TRia hîc habe. Primò, eum, qui furtivè Ordines susçipit, fieri irregularem per aliquos. Ita Suar. *de Cens. d. 42. sect. 3. n. 5.* Bonac. *de Ordin. q. unic. p. 4. n. 31. & clarius d. 7. de Irreg. q. 3. p. 4. n. 6.* Diana *p. 4. tract. 2. ref. 55.* G. Hurt. *d. 2. de Irreg. diff. 2.* aliique, id quod colligunt *ex c. 1. 2. & 3. de eo, qui furtivè.* Secundo, eum qui extra casus jure permissos, cum sit uxoratus, Sacros Ordines, vivente uxore, suscepit, fieri irregularem. Tertiò, non fieri irregularem, sed dumtaxat suspensum eum, qui per alia quædam similia delicta Ordines prave suscipit. Illustremus breviter singula.

2. Quoad Primùm. Is, propriè dicitur furtive Ordines susçipere ad effectum incurrendi, per prædictos, in irregularitatem, qui se ordinandorum numero admiserit, cum ad eos non fuerit ab iis, ad quos pertinebat, id est ab Episcopo, admissus. Vnde sequitur, eum etiam furtive Ordines suscipere, qui alium supponit examini, & deinde is ad Ordinationem, loco illius, accedit.

3. Dixi autem *( per aliquos )* nam Doctores, ut notat Bonac. *loc. cit. di. num. 6.* non conveniunt, an in hoc casu incurratur suspensio, an irregularitas. Suar. & prædicti modo citati dicunt cum communi, incurri Irregularitatem. Gibal. *cap. 5. de Irreg. q. 1. n. 21.* aliique aiunt, incurri solam suspensionem, fundantúrque utrique Doctores in Textibus citatis, quos qu libet ad se trahit. Nobis hanc litem dirimendi otium non est. Videantur præcitati, sufficit enim scire, hanc esse dispensabilem ab Episcopo, eo modo, & distinctione, quam dixi, cum de Ordine *c. 12. §. 1. à n. 34.*

An prædictus furtive intrusus validè ordinetur, d xi in eodem *tr. de Ord. c. 6. §. 1. n. 13.*

4. Quoad Secundum. Is uxoratus, etiam solum per Matrimonium ratum, qui, præter casus in jure permissos, susçipit Ordines Sacros, irregularis est, vide Extrav. *Antiq. de Voto* idque sive sciens faciat, sive per ignorantiam crassam nesciens, ut, si mortuáne sit sua uxor, ignorare negligat; ignorantia enim crassa dolo æquiparatur, ut *lib. 1. in Decalog. cap. 2. § 10. num. 4.* dictum est?

5. Sed, quinam sunt casus jure permissi?

Respondeo, esse duos tantummodo. Primùm, quando factum est legitimum divortium perpetuum. Secundò, quando adest mutuus consensus, &c. De quibus, déque conditionibus tunc requisitis, supra dixi distinctè satis *lib. de Matrim. tr. 7.*

6. Quoad, Tertium. Per alia quædam delicta circa dictos Ordines, Irregularitas non incurritur. Quare, quamvis aliqui putent. Primò, si quis suscipit Ordines ab Episcopo non conscerato, vel non baptizato. Secundò, si ab hæretico, vel schismatico. Tertiò, si simul à duobus Episcopis, quorum unus materiam exhibeat, alter formam proferat. Quartò, si, qui est de ritu Latino, recipiat Ordines ab Episcopo Græci ritus. De hac re lege Dianam *p. 4. tr. 2. ref. 14.* vel contra. Quintò, si quis Ordines per saltum recipiat. Sextò, si eosdem suscipiat, non suscepto Confirmtionis Sacramento. Septimò, si quis in Ordinum, vel Beneficii susceptione Simoniam committat. Octavò, si quis ordinetur ab Episcopo, qui renuntiavit loco, & dignitati Episcopali. Nonò, si quis excommunicatus ( nisi fortè Sacerdos, ut notat Suar. *de Cens. d. 12. sect. 1. num. 5.* ) faciat coram se Missam celebrare. Decimò, si quis iterato Ordines susçipiat. Quamvis, inquam, aliqui putent, hos incurrere in Irregularitatem, tamen alii probabilius negant, esto, peccent, & aliquando incurrant suspensionem, ut *in tractatu de Ord. cap. penult.* dictum à nobis est. Lege tamen Suar. *loc. cit. & d. 42. de Cens. sect. 3. & 4.* Gibal. *de Irreg. c. 5. q. 1. à num. præsertim 14.* Prat. *in manusc. de Irreg. dict. 5. c. 3. fol. 490.* aliosque.

7. Sed adhuc inquires Primò. Si multi ex prædictis, ut dicitur *in tract. cit. de Ordine,* incurrunt suspensionem, per quam, nec possunt ascendere ad alios Ordines, nec in susceptis ministrare, cum Irregularitas eosdem effectus pariat, quid interest dicere, hos incurrere suspensionem, vel irregularitatem?

Respondeo, interest sanè. Nam, quamvis in aliquibus hæ duæ conveniant, differunt in aliis permaximè. Et sanè, ut cætera omittam, suspensus, si suspensionem violet, præter peccatum, incidit in aliam pœnam, nempe in irregularitatem. At irregularis, si violet irregularitatem, peccat quidem, sed aliam pœnam non incurrit. Rursus, quia suspensio regulariter est censura, non item Irregularitas, qui solum habet auctoritatem absolvendi à censuris, non potest absolvere ab irregularitate, poterit tamen aliquando, ut *in tract. de ipsa,* à suspensione.

8. Inquires Secundò. Excommunicatus, Suspensus, Interdictus, uno verbo, ligatus aliqua censura, si Ordines recipiat, sitne eo ipso irregularis?

Respondeo, licet is gravissime, ut vult Suar. *l. mox citando* Diana *p. 1. tract. 11. ref. 105.* peccet, puto probabilius, cum Suar. *de Cens. d. 31. sect. 1. n. 57.* Leand. *de Ord. d. 6. q. 17. & 18.* non fieri eo ipso irregularem, quia irregularitas hæc ex abusu Ordinum incurritur, quando quis cum censura ministrat, seu exercet Ordines antea susceptos, ut mox §. 3. dicemus: at hic censuratus novum Ordinem susçipit, non vero utitur susçepto.

9. Illud etiam nota, ejusmodi administrationem, quæ te censuratum irregularem facit, debere esse, ut vult Suar. *de Cens. d. 42. sect. 3. n 2.* extra illam Missam, in qua initiaris Sacerdos, quamque cum Episcopo celebras, quia in hac non diceris ministrare, seu exercere Ordinem, sed Ordinari ad ministrandum.

10. Subinquires. Eritne saltem suspensus, qui cum sit Excommunicatus, Ordines recipit?

Respondeo. De hac re dixi, cum *de Ord.* supra *lib. 6. de Ord. cap. 12. §. 1. à num. 8.* ubi asserui, certum esse, incurri suspensionem, si excommunicatus ex percussione Clerici Ordines susçipiat. At, si ex aliis causis, mihi esse incertum, sed propendere ad negandum. Recole omnino locum.

### §. II. *Ordinis, quem non habes usurpatio.*

1. SI quis Clericus carens Ordine aliquo, exerceat proprium actum ejus Ordinis, quo caret, idque serio, & ex animo, atque item culpabiliter, sine dubio contrahet irregularitatem, ut clarè constat ex jure *c. 1. & 2. de Cler. non ordinato ministrante.*

2. Dictum est Primò, *( Clericus )* nam licet communis Suar. *l. c.* Avila *p. 7. de 9. num 2.* & aliorum opinio sit, etiam Laico sic delinquenti affigi ejusmodi Irregularitatem, tamen teste Barb. *in d. c. 1.* Lez. *V. Irreg. num. 59.* Castrop. *de Cens. d. 6. p. 18. n. 10.* G bal. fusè & eruditè *de irreg. cap. 5. quæst. 1. num. 25.* Diana *part. 11. tract. 7. ref. 44. Vbi quid de Diacono porrigente Euchar.* probabilius est, affigi dumtaxat Clerico, quia de solo Clerico meminit prædictum Ius.

3. Dictum est Secundò *( Proprium actum Ordinis )* nam tunc solum incurritur irregularitas, non vero, quando exercetur à Clerico actus, qui proprius non est Ordinis Hinc celebrare Missam, solemniter baptizare, Confessiones audire, & absolvere à peccatis, conferre Ordines, dare Benedictiones: quæ à solis Episcopis, vel Sacerdotibus

dotibus solent dari, qualis est Benedictio Nuptiarum quia, inquam, hi sunt proprii actus Ordinis Sacerdotalis, seu Episcopalis, propterea Clericus non Sacerdos eos exercens sit irregularis. Si quis autem, cum sit Sacerdos tentat, sine legitima approbatione absolvere aliquem à peccatis, vel sine licentia Parochi baptizat solemniter, vel sine eadem licentia Extremam-Vnctionem confert, vel, cum non sit Sacerdos, seu Diaconus, concionatur in Templo, etiam cum stola, vel, cum sit Episcopus, ordinat subditum alienum sine Dimissoriis, vel Ordinationem celebrat in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii, vel, cum sit suspensus à Pontificalibus, celebrat cum Episcopali apparatu, quia hi non sunt proprii actus ordinis, sed actus potestatis jurisdictionalis, ideo Clericus eos actus faciens, licet peccet, irregularitatem non incurret.

4. Propter eandem rationem, quando aliquis actus Ordinis, quoad substantiam, exerceri potest à non habente ejusmodi Ordinem, sed exhibitum sub tali, vel tali modo est dicti Ordinis proprios, si hoc modo à Clerico fiat, fiet irregularis, non vero, si solum fiat, quo ad meram substantiam. Non Diaconus, v.g. si cantet Evangelium in Missa solemni cum Dalmatica, Stola, & Manipulo, & non Subdiaconus cantet Epistolam in simili solemni Missa cum Tunicella, & Manipulo, evadit irregularis (excipe nisi alicubi adesset contraria legitima consuetudo, vel legitimum privilegium.) At iidem, si sine memorato apparatu cantent dictum Evangelium, vel Epistolam, ille sine stola, hic sine Manipulo, quamvis sacris vestibus sint induti, irregulares non fient. Ita Sà *V. Irreg. ex Ord. abusu n.* 3. Squillan. *de pri. Cler. p.* 2. *n.* 67. quia cum stola, vel Manipulo exhibetur actus proprius illorum Ordinum, non vero sine illis.

5. Denique propter eandem rationem, exercere actus Ordinum Minorum à non habentibus illos, non est irregularitatis causa, quia hi actus non sunt ita proprii Ordinum, ut à Laicis exerceri non possint. Lege Leandr. *de Ord. d.* 2. *q.* 23. *&* 24. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *p.* 5. *cap.* 5. Avil. *p.* 7. *d.* 9. *sect.* 2. *dub.* 3.

6. Ad majorem explicationem hujus, de qua agimus, irregularitatis, ne ignores, nonnullos putare, ut Navar. Henr. Avilam, quos cit. sequitúrque Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 2. Thesaur. *loc. cit. V. Ordo c.* 32. eam esse totalem, id est prohibere ascensum ad altiores Ordines, & vetare usum susceptorum, sed addunt, quoad hunc usum, non vero quoad ascensum, posse dispensari ab Episcopo post biennium. Nonnullos vero, ut Suar. & Coninch. apud Layman. *cit.* putare; esse limitatam, per quam scilicet vitetur delinquens ad altiores Ordines ascendere, sed solum ad tempus biennii, vel triennii vetetur sub pœna suspensionis usus ultimi Ordinis suscepti; v. g. vetetur Diacono usus Diaconatus, non vero usus anterioris Ordinis, id est Subdiaconatus, &c. Vtraque sententia probabilis est, quia, clarè Textus *c.* 1. *&* 2. *de Cler. non ordinato ministrante* nequaquam loquitur.

### §. III. *Ordinis, quem habet, usurpatio prava.*

1. SI quis Clericus violet Censuram, id est cum sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus exerceat culpabiliter actus proprios Ordinū Majorum, quos habet, quod certè est violare Censuram, qua quis est innodatus, fit, *toto tit. de Clero excom. ministrante*, statim irregularis, atque adeo incurrit effectus omnes irregularitatis *supra c.* 6. explicatos. Quod autem Clericus, quamvis ipse non interdictus, si violet interdictum locale, & similia, dicitur *in tract. de interdicto.*

2. Dixi Primo, (*Cum Censura, &c.*) Neque enim ex quocunque Ordinis abusu irregularitas incurritur, sed solum ex abusu cum violatione censuræ, nam propterea Sacerdos celebrans in peccato mortali, sed nulla laborans Censura, peccabit quidem, sed nullam irregularitatem incurret.

3. Propter eandem rationem, quia Irregularitas non est Censura. Qui, cum sit irregularis, celebrat v. g. non incurret aliam irregularitatem, ut notat mihi Sayr. in *Cens. d.* 10. *sect.* 2. *&* *d.* 42. *sect.* 3. Bonac. *d.* 7. *de Cens. q.* 1. *p.* 4. *n.* 4. & rectè notant alii, ut Covat. *in Clem. Si furiosus p.* 1. §. 1. *n.* 5. Avil. *de Cens. p.* 7. *d.* 9. *sect.* 2. *dub.* 4. *concl.* 3. illegitimum v g. vel corpore vitiatum, &c. si celebret, cum si Sacerdos, non incurrere in aliam irregularitatem, quia hi defectus non sunt Censura, quam per celebrationem talis Sacerdos violet.

4. Dixi Secundò. (*Inculpabiliter*) nam, si quis bona fide credens, se v. g. fuisse à Censura absolutum, vel ita appellasse, celebret, non fiet irregularis. Ita Thesaur. *V. Cens. c.* 11. Decisio Rotæ Romanæ 408. *inter Posthumum Farinacium*, etiamsi deinde constet appellationem fuisse illegitimam, ut probat Cartar. *decis.* 34.

5. Idem esse, si ob vitandum scandalum, vel nobilem infamiam, celebres v. g. cum excommunicatione, notat Lez. *V. Irreg. n.* 55. Gasp. Hurt. *de Suspens. num.* 17. *diff.* 5. *d.* 13. & nos *de excommunic. cap.* 2. universaliter diximus.

6. Dixi Tertiò, (*Actus proprios*) non enim incurritur irregularitas, si eos actus exerceat Clericus Censuratus, quos alter Laicus exercere potest. Actus autem proprios Ordinum sunt iidem, quos §. *præced. num.* 3. *&* 4. enumerabimus, & minutius enumerat Gibal. *c.* 5 *Irreg. q.* 2. *n.* 1. quæ, si bene percipiantur, confirmant Regulam illam universalem Suarii *d.* 11. *de Cens. sect.* 3. *n.* 26. Excommunicatus ministrans ex officio Sacramentum, fit ipso facto Irregularis.

7. Dixi Quartò, (*Ordinum Minorum*) nam Minores exercens non evadit irregularis. Excipe, nisi fortè quis, cum sit censura irretitus ex eo, quod susceperit hos Minores Ordines cum Simonia, exercet eorundem Minorum Ordinum actus, tunc enim ex constitutione Sixti V. *in const. contra male promotos*, erit Irregularis.

8. Inquires Primò. docetur *in tractatu de suspensione, & interdicto*, aliquando hæc imponi, ut Censuram, id est, ut pœnam medicinalem, aliquando in vindictam, id est in puram pœnam delicti. Inquires, inquam, an, qui violat suspensionem, & interdictum, ut puram pœnam, cum illam non violet, ut censuram, fiat Irregularis?

9. Respondeo, fieri, docet Suarez *d.* 26. *de Cens. sect.* 2. *num.* 4. Adde Bonac. *de Susp. part.* 4. *num.* 5. alios cit. Non fieri, putat Alphonsus de Leone *lib.* 6. *de Cens. num.* 5. & Villal. *tom.* 1. *tract.* 18. *diff.* 3. *num.* 57. quia fuit in odiosis. Verum sentiendum cum Suario, quia efficiter ejus sententia probatur ex *cap.* 1. *de re judicata*, ubi violans suspensionem per unum annum inflictam (quæ certè, ut sic inflicta) ut *in eodem tract.* docent, pura pœna, pronuntiatur irregularis, & merito, quia utraque est eadem ratio, cum utraque privet exercitu Ordinis.

10. Inquires Secundò. Qui pluries cum Censura actus Ordinis exerceat, plureine Irregularitates incurrit?

11. Respondeo, cum necessaria distinctione. Si eadem numero censuram violes, unam irregularitatem contrahes. Quare, si excommunicatus celebres Missas, etiam centies, unam Irregularitatem contrahes, licet pluries sic celebrando, pluries pecces. Ita Sanch. *de matrim. lib.* 4. *d.* 24. *n.* 7. Thes. *loc. cit. c.* 11. Bonac. *d.* 7. *de Cens. q.* 1. *n.* 4. Castrop. *tom.* 1. *tr.* 3. *p.* 16. §. 4. *fine*, contra Gabal. *Cens. disp.* 5. *q.* 5. *num.* 13. *sect.* 43. At, si violes Censuram diversæ rationis, plures irregularitates, juxta pluralitatem dictarum censurarum, contrahes: si excommunicatus v. g. suspensus, interdictus Missam unam celebres, tres contrahes Irregularitates distinctè explicandas, a fortè ab illis dispensationem petas. Ita Lez. *V. irregul. num.* 56.

12. Quid, si violentur plures Censuræ ejusdem rationis? Titius v.g. est pluries excommunicatus, quia pluries percussit Clericos, & cum is excommunicationibus Missam celebravit, incurritne plures Irregularitates?

13. Respon-

13. Respondeo. Ita videri Gibal. *loc. cit. dicto n.* 13. *sect.* 4. sed oppositum non esse improbabile, putat Castrop. *loc. cit.* favétque Avila, *d.* 7. *d.* 10. *dub.* 8. quos, si est otium lege.

14. Inquires tertio. Si quis prohibitus sub excommunicatione latæ sententiæ, ne celebret; ipse tamen celebret, unde, & peccet, & in excommunicationem incidat, inquires, inquam, an etiam incurrat in irregularitatem?

15. Respondeo, nequaquam cum Gibal. *de irreg. c.* 3. *q.* 2 *n.* 11. incurrere, quia in illa celebratione incurrit excommunicationem, ergo prius intelligitur jam celebrasse, & deinde incidisse in excommunicationem. Non igitur celebravit cum excommunicatione. Quod si iterum celebret, tunc enim vero violabit Censuram, & irregularitatem effugere non poterit.

16. Inquires quarto. Si quis irretitus Censura exerceat actum Ordinis, quem habet, qui actus propter aliquam rationem sit nullus, incurretne in irregularitatem? Absolvat v. g. excommunicatus hominem, qui sine debito dolore ad Confessionem accessit, unde sacrilege, atque adeo nulliter absolutionem recepit; seritne hic irregularis? Idem inquiri potest, si idem excommunicatus conseret in aqua, vel in pane non triticeo, si baptizet sine aqua naturali, si Episcopus excommunicatus ordinet fœminam, vel non baptizatum, &c.

17. Respondeo. Distinguit Suar. *de Censur. d.* 11. *sect.* 3. *n.* 14. & 15. Si Minister hic excommunicatus sciens, actum fore invalidum, fictè se gerat, proferet v. g. verba extrinsecè, sed absque intentione faciendi verum actum, seu verum Sacramentum, non incurrit in irregularitatem, quia actus procedens à ficta intentione non dicitur usus Ordinis. Si vero habeat intentionem verum actum, seu Sacramentum faciendi, sed ex defectu materiæ, vel alterius circunstantiæ Sacramentum non facit, probabilius putat in irregularitatem incurrere, quia tunc ille serius, ac voluntarius conatus faciendi actum, abusus Ordinis est. Scio Pratem, *in manusc. de Irreg. d.* 5. *c.* 4. §. 1. *num.* 18. *fol.* 507. putare etiam in hoc secundo casu non incurrere irregularitatem, sed, quia illum sequi saltem tutius nolo, non est necesse in re rara amplius immorari.

18. Inquires quinto. Si Sacerdos excommunicatus toleratus ad petitionem Fidelium non habentium v. g. alium Sacerdotem, nisi hunc, celebret Sacrum die festo, ut ii satisfaciant præcepto, potestne licitè tunc celebrare, & effugere incursum in irregularitatem? Supponimus autem ne is peccet, se posuisse in gratia saltem per contritionem.

19. Respondeo, Castrop. *de Cens. d.* 2. *p.* 8. *n.* 4. videtur concedere his verbis. Ex quo fit, si dies occurrat festivus, neque adsit alius Sacerdos, qui Missam populo faciat posse excommunicatum (utique toleratum) celebrare, quia præsumitur populus petere sacrificium necessarium pro præcepto audiendi Sacrum exequendo, ut bene Navarr. Suar. Filliuc. Bonacina. Hæc Castropalaus.

20. Inquires sexto. Si is, cui est interdictus ingressus in Ecclesiam, celebret, incurretne in irregularitatem?

Respondeo, incurret, quia adhuc tunc violat Censuram ut habes apud Suar. *de Censur. d.* 35. *sect.* 4. Leandr. *de Interd. d.* 7. *ferè per totam*, aliosque.

### §. IV. *Quis dispenset in prædictis ex abusu Ordinis?*

1. IRegularitatem contractam primo modo ex dictis §. 1. hoc est ex furtiva Ordinum susceptione, si tamen ea contrahitur, est dispensabilis ab Episcopo si non præcessit prohibitio excommunicationis. Id quo modo se habeat, dixi *in Tractatu de Ord. cap.* 12. *à n.* 34. & videri potest Thesaurus de pœnis Ecclesiasticis *p.* 2 *V. Ordo c.* 7. *præsertim* §. *Adverte secundo*. Quando autem crimen est occultum, dispensari semper posse ab Episcopo sic concedente *sess.* 24. *c.* 6. *de Ref.* jam non ignoras.



2. Irregularitatem contractam secundo modo ex dictis in eodem §. 1. hoc est ex Ordine susceptо ab uxorato, tunc solum potest Episcopus dispensare, quando sic ordinatus ingrederetur Religionem, mortua jam uxore, vel perpetuo divortio celebrato.

3. Irregularitatem denique contractam ex usurpatione Ordinis, quem non habes, vel ex prava administratione Ordinis, quem habes, de qua dictum est §. 2. & 3. à solo Pontifice dispensatur, nisi, quando est occulta, quæ potest ab Episcopo ex dicto Tridentino.

---

# CAPVT XV.

## *De Irregularitate ex occisione hominis.*

### §. I. *Dispositio eorum, quæ in hoc capite sunt tractanda.*

1. VT ex Ordine progrediamur, agam hîc primo, de homicidio casuali, præter intentionem, & quidem physicè commisso.

Secundo, de eodem casuali, sed moraliter commisso, id est orto ex mandato, consilio, &c. ad aliud, quam ad homicidium.

Tertio, de physicè, & quidem injustè commisso ex intentione, id est de homicidio voluntario.

Quarto, de eodem voluntariè commisso moraliter, per mandatum, consilium, &c.

Quinto, de mutilatione, quæ etiam ipsa causa Irregularitatis est.

Sexto, de occisione justè patrata à Ministris justitiæ.

Septimo, de eadem justè patrata à militibus in bello.

Octavo, de eadem commissa in sui defensionem.

In re sexcentis nodis implexa lucem nobis præferat Lux æterna.

## DE IRREGVLARITATE EX HOMICIDIO CASVALI.

### §. II. *Ex quonam casuali homicidio incurratur Irregularitas?*

1. HOmicidium, quod casuale appellamus ex eo, quod casu, id est præter intentionem occidentis fit, tribus contingere modis potest.

3. Primo, quando quis nolens occidere quemquam, nec de occisione cogitans, vel subdubitans, opus tamen ponit ex quo omnino per accidens sequitur occisio alicujus, præter suam intentionem. Solet afferri exemplum, ut, si famulum quis ducat secum ad venandum, & famulus casu decidat ab equo, moriaturque.

4. Secundo, quando quis opus ponit, ex quo non solet, nec semper, nec sæpè mors alterius sequi, interdum tamen sequitur; ipse autem mortem nullo modo intendit, sed illam prævidens, vel saltem de illa subdubitans, non adhibet remedia, ut non sequatur, vel, si talia remedia non adsint, non desistit ab opere, ut certè nunc ex justitia desistere deberet. Exemplum solet afferri de eo, qui projicit lapides, & ligna in publicam viam, nullo signo dato, quo transeuntes sibi caveant, cum tamen advertat, vel certè de alicujus morte subdubitet, quamvis illam non intendat.

5. Tertio, quando quis opus ponit, ex quo solet sequi occisio, caput v. g. inimici graviter frangit, ictum gladii in pectus impingit, &c. animo tamen illum non occidendi, sed solum vulnerandi.

6. Primum ex his dicitur homicidium verè casuale. Secundum, dicitur mixtum à casuali, & voluntario. Tertium, verè voluntarium.

7. Iam de hoc tertio verè voluntario agemus §. 7. quando de homicidio voluntario disputabimus. De secundo hîc est proprius agêdi locus, nam de primo nihil dicendũ erit, quia per omnes hoc (lege Farin. *de homic. q.* 126. *n.* 1. & 2.)

primo loco dictum homicidium, quod verè, & ex quacumque parte est, casuale, nullam parit irregularitatem; ad hanc enim, quæ est ex delicto, incurrendam, requiritur culpa, quæ cùm hîc absit, aberit, & pœna Irregularitatis, nam propterea plures apud Sayr. *de cens. l.* 7. *c.* 6. *à n.* 29. advertunt, non affici irregularitate illum, qui, ut gravem lapidis ictum, quamvis joco immissum declinet, casu in alium incidit, eumque præcipitavit, vel alio modo absque ipsius dolo occidit, quia tunc mere casualis fuit mors.

8. Porro homicidium mixtum, de quo in hoc §. agendum erit, quodque deinceps brevitatis gratia appellamus casuale (nam primum appellabimus cum addito, verè casuale) vel contingit, dum positivè quis alicui Operi vacat, quod opus aliquando esse posset licitum, aliquando autem illicitum, vel contingit, dum nihil agit, seu dum negativè se habens, omittit aliquid agere ex qua omissione mors alicujus consequitur. Habe jam de omnibus his tres Regulas, singulas singulis hujusmodi casibus respondentes.

## PRIMA REGVLA.

### *Operi licito vacans.*

9. Si rei licitæ vaces, v.g. si domum destruas, & omnem moralem diligentiam, ne quis offendatur, apponas, clamando v.g. ut quilibet sibi ab lapidum, lignorumque projectione caveat, offendatur tamen aliquis, ac præter tuam intentionem moritur, nec peccas, nec consequenter irregularitatem contrahis. Ita Less. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 15. *n.* 103. Castrop. *de lege pœnali l.* 2. *c.* 14. *con.* 1. Gasp. Hurt. *de irreg. d.* 2. *diff.* 8. *n.* 29. Avil. *de cens. p.* 6. *d.* 8. *sect.* 1. *dub.* 1. Sà V. *irreg. ex deform. licita num.* 4. Io Præp. *q.* 5. *de irreg. d.* 11. *n.* 84. Ratio est manifesta, quia, ut modo dixi, ubi nulla culpa, nulla pœna.

10. Contra, si simili rei licitæ vaces, moralemque diligentiam non adhibeas, unde alicujus mors sequatur; & peccas, & irregularitatem contrahis, si tale periculum prævidisti, licet mortem illam non intenderis. Ratio est, quia opus illud licitum, illicitum tunc fit in materia homicidii, propter diligentiam non adhibitam. Vides discrimen? in priore casu periculum prævidisti, & sufficienter cavisti; hîc vero prævidisti, & tamen nequaquam cavisti.

11. Rectè ergo Pontifex *C. Presbyt. de homic.* decrevit, incidisse in irregularitatem Presbyterum, qui puerum intuitu doctrinæ percussit in capite, si puer ex percussione, vel ob infirmitatem ex percussione contractam occubuerit, quia nimirum, ut notant DD. apud Barbos. *in Collect. ad hoc C. Presbyterum. De homicidio*, percussio fuit excessiva, & consequenter non fuit sufficienter cautum in modo percussionis, licet alias verberare ob doctrinam sit res licita. Nam, si percussio (dicunt iidem) fuisset sine excessu, tum quoad numerum, tum quoad qualitatem ictuum, Presbyter nec homicida fuisset, nec irregularis. Eodem modo debes discurrere in similibus, quæ afferuntur in Sacris Canonibus, *C. dilectus de hom.*

12. Inquires. Si prævidi quidem, sed non cavi ex negligentia, seu inadvertentia in foro conscientiæ, & coram Deo, solum culpabili venialiter, erone tunc irregularis?

13. Respondeo. Non eris irregularis, quia, teste Coninch. *de Sacr. d.* 18. *dub.* 9. *n.* 88. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 21. Io Præp. *q.* 5. *de irreg. d.* 10. *n.* 75. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 1. aliis cit. ut sæpè dictum est, tanta pœna, quanta judicatur irregularitas ex delicto, de qua loquimur (irregularitas enim ex defectu levitatis non inducitur ex culpa, ut videbimus) non æquum est, ut à levi culpa, progignatur.

14. Dixi (si prævidi quidem) si enim nulla ratione periculum prævideatur, nec subdubitatio occurrat de periculo, quamvis nulla diligentia apposita fuerit, nullum peccatum admissum est, propter inculpabilem inadvertentiam, & consequenter nulla irregularitas. Vnde is esset ille casus dictus in prima Regula *n.* 1. Vires enim humanas superat, ut quis diligentiam adhibeat ad remotum periculum, de quo nihil in mentem venit, ut notat rectè Meroll. *t.* 1. *d.* 1. *c.* 2. *n.* 118.

15. At verò, si dubium tibi sese obtulit, vel suspicio, quamvis levis, de periculo alienæ mortis affertæ à tua actione, nec tamen tu curasti veritatem prudenter indagare, peccasti profecto sive mortaliter, sive venialiter ad mensuram, ut nox dicam, negligentiæ, quam apposuisti; & quidem, si mortaliter, irregularis eris, si venialiter, non eris, ut jam dictum est.

### *Operi illicito vacans.*

16. Sive opus, cui vacas, sit illicitum in quacumque materia, v. g. materia luxuriæ, furti, &c. sive etiam in materia, homicidii, hoc est, sive vaces operi, cui est annexum periculum mortis, v. g. projectioni lapidum, explosioni bombardæ, &c. semper pari modo, ac in præcedentibus dictum est, excusaberis an irregularitate, si non prævidisti, nec subdubitasti de homicidio, vel, si dubitasti, sufficienter per similem diligentiam, quam modo diximus, prævidisti: Secus, non excusaberis.

17. Hanc regulam non omnes admittunt: probabilissima tamen est, & mihi certa in alia materia quacumque, & satis probabilis in materia homicidii. Ratio est eadem, quæ dicta est de opere licito, nam etiam hîc, dum vacas operi cuicumque illicito, homicidium nullo modo voluntarium est, unde, nec culpabile, & consequenter, non inducens irregularitatem; neque enim, actionem esse quomodocumque illicitam, trahit voluntariam homicidii voluntarii, si, quoad eventum homicidii, sufficienter cautum sit.

18. Rectè ergo de illo, qui equos surripuit, à quibus, dum eos fur abduceret, mulier quædam contrita est, & abortum passa, statuit Pontifex *C. Quantum dist.* 50. furti reum esse, verum, si ipsius voluntas perniciosa non agnoscitur (quia scilicet, ut notat Glossa, mulierem præmonuit, addamus nos, vel nullo modo de damno subdubitavit) aliqua legali pœna affici non debere. Consonat Glianus, *de cens. V. Frater Minor*, qui bene ait, Fratrem Franciscanum, qui equitando calu puerum occidit, peccare quidem contra regulam suæ Religionis, sed irregularem non esse.

19. Contra. Rectè idem Pontifex, *C. continebatur de homicidio* cum narrasset, quosdam Clericos reduntes a cultura vineæ lusisse hac conditione (quæ tunc erat in usu) ut victor uteretur victo pro equo, quendam autem victorem insiluisse, quasi equitaturum, in Diaconum victum, & sic à falce ipsiusmet Diaconi qua erat præcinctus, mortale vulnus accepisse, & post octo dies ex eo vulnere interiisse, cum inquam, id Pontifex narrasset, rectè prohibet, ne Diaconus ascendat ad Sacerdotium, & ne in Diaconatu ministret, quia, ut notat Suar. *de Censur. d.* 45. *sect.* 5. *n.* 3. Henr. *l.* 14. *cap.* 15. *lit. I.* aliique, Diaconus conscius consuetudinis insiliendi, dum ludebat falce præcinctus, non sufficienter cavit periculum alterius.

20. Illud tamen, quando vacas operi illicito in materia homicidii, est diligenter advertendum; quando enim, teste Verric. *tr.* 8. *quæst. mor.* 60. *à n.* 6. tuum opus est valde connexum cum periculo mortis alterius, semper irregularis ex homicidio voluntario pronuntiandus eris, quamvis præsumeris, voluisse malitiosè in causa illud homicidii, cum opus connexum periculo homicidii suscepisti, & in foro conscientiæ, & coram Deo, vere tu non es irregularis, si non prævidisti periculum, nec de eo subdubitasti, vel, si dubitasti, sufficienter cavisti. Quod si aliquo tandem modo de periculo suspicatus es, eris irregularis, quia, vel debebas sufficienter periculum cavere, vel, si caveri non poterat, opus erat omnino ab illa actione desistere.

21. Atque in his eventibus, si certò scias, nullam in te adfuisse negligentiam gravem, seu nullam te mortalem culpam commisisse amoto scandalo, poteris te gerere, tanquam liberum ab irregularitate, quia præsumptio, exercitio

exteriorem veritatem non lædit. Ita Suar. *de Cens.* 45 *sect.* 5. *num.* 8. Contra vero, si exterius judicetur, nullam fuisse culpam, vel satis levem, tu tamen conscius sis, te graviter deliquisse, obligaberis, ut verum irregularem te gerere. Lege circa prædicta Doctores passim, scilicet Coninch. *de Sacr. d.* 18 *dub.* 9 *n.* 80. Sà *V. irreg. ex defect. licita.* Fill. *tr.* 20 *c.* 3 *à n.* 64. G. Hurt. *de irreg. d.* 2. *diff.* 8. *à n.* 20. Dian. *p.* 4 *tr.* 2. *res.* 20. Io. Præp. *q.* 5. *de irreg. dub.* 10. *n.* 63. Gibal. *de irreg. c.* 4. *q.* 2. *n.* 8. alia exempla adducentem.

22. Objicies. Si opus illicitum, cui tu vacas, Irregularitatem ex se non affert, cur Pontifex in multis Sacris Textibus est adeò solicitus in examinando, an committens homicidium casuale, operam dederit rei licitæ, an illicitæ.

23. Respondeo, Quia sic melius fit judicium de animo occidentis, nam adversus eum, qui operi illicito vacat, facilius præsumitur, seu colligitur voluntas occidendi, seu non cavendi homicidium, quam in eo, qui operi licito vacat. Adde, ejusmodi examen non raro fieri ad augendas, vel minuendas pœnas homicidii, & ad faciliorem reddendam, vel difficiliorem irregularitatis dispensationem. Aliam responsionem affert Suar. *l. c. s.* 6. *n.* 3. cui adhæret Coninc. *l. c. d.* 9. *n.* 87. aliam G. Hurt. *de irreg. d.* 2. *diff.* 8. *n.* 29. aliam Io. Præpositus, quos lege.

24. Ex prædictis duabus Regulis colligitur, quid dicendum de quibusdam casibus specialibus.

*De Venatione.*

25. In quacumque Venatione. De hac Cleric. Venat. Vide Sayr. *de cens. l.* 7. *cap.* 6. *n.* 18. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 6. *sect.* 1. *d.* 1. *fine.* Farin. *frag. p.* 2. *V. irreg.* 541. sive Clericus (cui interdicta est Venatio clamosa) sive Laicus, si feram volens sagitta trajicere, vel vulnerare sclopo, hominem inidumis latentem occidat, non irregularis si per invincibilem ignorantiam ibi latere hominem, non advertat, nec suspicatus sit, &, suspicatus si fecerit, cautè se gessit (in hac voce, caute, significo debitas cautelas modo in præcedentibus dictas) secus irregularis erit. Idem dic de eo, qui foveam, seu laqueum aptat ad feras, & casu, in illa impingens homo moriatur.

*De Nutrientibus feras.*

26. Idem sub eadem distinctione dic de nutrientibus feras, puta Leones, Vrsos, Canes, si quando mortem hæc bruta alicui afferant; eris enim irregularis, si ea non custodiveris, ne nocerent: non eris, si caute te gessisti. De his lege Avil. *l. c. d.* 7. Sayr. *l. c. n.* 19.

*De Ludentibus.*

27. Idem sub eadem distinctione, si lusisti. De hoc vide Maiolum *de irreg. l.* 5. *cap.* 48. §. 3. *n.* 2. Vgol. *de irreg. c.* 22. *n.* 2. *concl.* 34. aliosque *ibid.* citatos. Sive enim ludus sit licitus, ut pilæ, Trochi, &c. sive sit illicitus in alia materia, ut alearum, Taxillorum, &c. sive illicitus in materia homicidii, qualis est hastiludium, tractatio gladiorum, Taurorum agitatio, non eris irregularis, secuta alicujus morte, si sufficienter morti consuluisti, eris, si non consuluisti, & modo dicto, cautelas non adhibuisti. Debueras autem omnino ludum relinquere, si sufficienter providere, non poteras.

28. Si ad domum tuam vocares, vel ad admitteres ludentes, etiam ludis ordinariis, si eos cognoveris facilè deventuros ad arma, rixasque, te fore irregularem, morte alicujus secuta, puto; quia tunc es cooperator homicidii.

29. Idem sub distinctione prædicta de ludente cum muliere gravida, & universaliter cum ludente, sive jocante quomodocumque cum alio. Si quis enim gravidam v. g. excitet ad choreas agendas, vel puellæ meticulosæ jocans repentinum incutiat timorem, unde mors sequatur concepti fœtus animati, non eris immunis ab irregularitate, si malum suspicatus cautè te non gessisti, sed eris omnino liber. Ita Hent. cum aliis *l.* 14. *cap.* 15. *num.* 4 quicquid sentiat Faria *l. c. à n.* 40. si inculpatè nihil es suspicatus, vel, si suspicatus gessisti te caute, &c.

30. Is, qui in ludo v. g. pilæ, dum adversarium propellit, ne pilam præripiat, vel dum pilam jacit, puerum in aream prosilientem, vel illac fortè transeuntem interficit. Is, qui dum cum aliis colluctatur, aliquem de more impellens, casu occidit. Is, qui dum nivis globos in adversarios per jocum projiciens, aliquem feriat lapide fortè in globo nivis latente, occidatque. Ii, inquam, regulariter ab irregularitate non afficientur, quia semper supponuntur nihil periculi advertisse: nam secus, afficerentur sine dubio, si debitè non caverunt.

*De Equitate.*

31. Idem sub eadem distinctione dic de licitè, vel illicitè equitante in equo intractabili, ac feroci. Lege Avil. *loc. cit.*

*De cadente ligna, & similibus.*

32. Idem de cædente ligna; seu arborem, sive suam sive furtivè alienam, sive contra superioris prohibitionem: Idem de attollentibus, vel pulsantibus Campanam. Lege Clarum, *in prax. crim. V. homic.* Farin. *tit. de hom. q.* 126. Idem de projiciente ligna, lapides, tegulas, ut supra insinuatum est.

*Dubium incidens de casu, quo plures incautè projiciunt lapides, vel similia.*

33. Si plures lapides, plures sagittæ, plura similia à pluribus projiciantur incautè, & constet prætereuntem quempiam fuisse ex illis occisum, ignoretur vero ex cujus ictu, neminem fore irregularem, docet Avila, quia quilibet (ait) potest prudenter sibi persuadere, non fuisse suum lapidem, suam sagittam, &c. causam mortis.

34. Equidem id probo, si projicientes sint valde multi: at vero, si fuerint pauci, quales certè essent duo, vel tres, quilibet prudenter poterit judicare, vel saltem dubitare, suum lapidem fuisse causam homicidii; dubius autem de facto homicidio se debet tenere homicidam, atque adeo irregularem, ut suprà *cap.* 5. *num.* 6. *ex cap. Ad audientiam de homicidio* dictum est.

35. Imò (ut rectè notat Castrop. *de Cens. d.* 6. *p.* 15. §. 6. *n.* 2.) quando sunt etiam valde plures, qui lapides projecerunt, si quis ex illis propter peculiarem aliquam circunstantiam, dubitet, suum lapidis ictum fuisse causam mortis alterius, debebit, propter eandem rationem dubii, se gerere, ut irregularem, eo modo, quo dixi *l. c.*

36. Nec te tamen prætereat, nos hîc loqui de projicientibus singulis pro se, nam si sit actio aliqua communis omnium, ut est in exercitu, quando omnes unico communique consensu projiciunt sagittas, v. g. in adversarios, dicemus infrà §. 14. *n.* 1.

## TERTIA REGULA.

*Omittens aliquid agere, unde mors alteri sequatur.*

37. Vel omittis aliquid, quod ex justitia agere debes, vel quod ex charitate, quæ, quia diversum jus sortiuntur, separatim sunt explicanda.

38. Quoad prius, Omittens, seu non prohibens aliquid, ad quod tenebatur quis ex justitia, si ex ea omissione sequatur mors alterius, tantum peccat, quanta est omissionis malitia, de qua re disertè locutus sum *l.* 6. *in Dec. c.* 3. §. 1. *à n.* 8.

39. Supposita ergo gravitate peccati, sicuti *ibidem* cum omnibus dixi, incurri obligationem restitutionis, ita ego nunc tanquam probabilius dico, incurri irregularitatem: licet enim Diana *part* 4. *tract.* 2. *resol.* 7. & 8. & *p.* 7. *tr.* 5. *res.* 28. lege Tanered. 2. *p. tr.* 7. *qu. mor.* 17. *latè*. alios citans dicat, non incurri, quia in jure irregularitas videtur imposita solum cooperanti per influxum positivum ad homicidium, quæ certè sententia probabilis est; probabilius tamen est incurri, quod ego *ibidem*

sequutus sum, quia etiam cooperatio negativa est voluntaria, estque causa moralis homicidii, irregularitas autem adnectitur à jure homicidio injusto. Neque mirum, si in eodem jure de ejusmodi negativa cooperatione non fiat expressa mentio; sufficit enim, si in ea cooperatione inveniatur tota ratio formalis malitiæ injusti homicidii.

40. Nota autem, ut prædicta sententia Dianæ sit probabilis, debere eam intelligi, quando merè negativè se quis habet: id quod latè, & clarè explicabimus suo loco infrà §. 9.

41. Quoad posterius, nempe quoad obligationem solum ex charitate, planior est irregularitatis excusatio; Omittens enim agere id, quod ex charitate quis teneatur, si ex hac omissione sequatur alterius mors, peccat quidem juxta gravitatem omissionis, ut dictum est: at vero idem in irregularitatem non incurrit, si homicidium non intendit. Ratio est, quia hæc irregularitas est pœna, quare cum sit odiosa, solum intelligitur imposita propriè dicto homicidio, quod est illud, quod est propriè injustum, & non quod solum est contra charitatem, ut *ibid.* diximus.

42. Et rectè Henriq. *de irreg. c. 3. n. 4.* in Gloss. liter. X. *Circa Irregularitatem*, inquit, *homicidii oportet, illud esse contra Iustitiam, & idem censendum est de Irregularitate, & de obligatione restitutionis, quæ restitutio solum debetur, quando contra Iustitiam peccatur.* Addidi notanter illud (si homicidium non intendit) propter ea, quæ docui *lib 8. in Dec. tr. 3. c. 2. à n. 9.*

Denique de dubio homicidii casualis vide, quæ dixi in superioribus de homicidii dubio *c. 5.*

## §. III. *De homicidio casuali moraliter commisso, id est orto ex mandato, consilio, &c. datis ad aliud quàm ad homicidium.*

1. Si mandatum, consilium, favor, & similia dentur ad occidendum, pertinent ad homicidium voluntarium, seu directè volitum, de qua re paulo post disputabimus: nunc autem, ubi de casuali homicidio sermo est, agimus de iis casibus, quando, mors alicujus per accidens contingens, ortum habet à mandato, consilio, favore, &c. datis ad aliud, quam ad homicidium.

2. Porro, quicquid dicant Suar. *de Cens. d. 45. sect. 2. n. 3. & 4* Filliuc. *tr. 20. c. 4. n. 94.* & alii, puto cum Io. Præpos. *q. 5. de Irreg. dub. 10. n. 78.* Diana *p. 4. tr. 2. res. 10.* aliisque, similem, doctrinam posse servari hîc, quæ in homicidio casuali physicè patrato servata est. Quare quicumque, præcipiendo, consulendo, hortando, vel alio quovis modo, inducit alium ad actum sive licitum, sive quocumque modo illicitum, qui actus cognoscitur conjungi cum periculo mortis, vel mutilationis, tunc sequuta morte, vel multilatione, erit irregularis, quando non cavit sufficienter, ne sequeretur. At, si ejusmodi periculum amovisse prudenter censeatur, secutum homicidium ipsi non imputabitur, eundemque nulla irregularitas afficiet. Pâtet hæc regula ex supradictis. Censendus autem est sufficienter præcavisse, si homini prudenti, & cauto, si in talibus circunstantiis, si sub tali modo agendi actus mandetur, ut quilibet prudens judicare possit, cum Suar. Filliuc. *ll. cc.* Farin. *Frag. p. 2. V. Irreg. n. 504.* Sayr. *de Cens. l. 7. c. 6. n. 2.* homicidium nullum, mutilationem nullam fore patrandam.

3. Hinc, si Ludimagister, etiam disciplinæ causa, jubeat discipulum iratum, & audacem verberari, quamvis à viro cauto, & prudenti, non effugiet irregularitatem, si audax ille discipulus aliquem occidit. Simili modo, nec effugiet, qui puerum incautum mittat adaquatum ad puteum non circumseptum, & qui præcipiat, vel det consilium homini inexperto, ut per tegulas, vel loca periculosa inambulet, quamvis prædictus moneat de periculo, proclametque, ut cautè faciat. Pari item modo, si suadeas, vel mandes, ut Petrus v. g. aliquid faciat, v. g. ut non fugiat; ut obsistat rixanti, ut ineat duellum, unde prudenter periculum sit occisionis alterius, irregularis eris, & quidem ex homicidio casuali, si mortem non intendebas: voluntario, si illam intendisti. Ratio prædictorum est, quia in his periculum prævidisti (ut supponimus) nec tamen sufficienter illud præcavisti.

4. Hinc contra, si quid jubeas, vel mandes, unde nullum periculum mortis prudenter suspicari potuerit, non irregularitatem incurres, ut, si scienti natare jubeas, ut natet, si fugienti hostes, jubeas sistere, prudenter ex circunstantiis putans, hostes remissuros, item sese dedenti, si navim vento perculsam jubeas, pergere in altum vela facere, quam juxta litus evidenti periculo in scopulos, vel in Syrtes impingendi, illos exponere. In his enim, & similibus casibus, si alia sequatur mors, merè per accidens sequetur, cum tu prudenter egeris, irregularitatem timere non debes.

5. Hinc denique, si consilium dedisti Ioanni, v. g. ut Furtum, vel Adulterium committeret, ex quo prævidebas, ipsum capite plectendum, vel, si consilium dedit Bertæ v. g. ut per tectum ad adulterium committendum deambularet, unde cadens abiit in præceps, distinguendum ex dictis est. Nam, si sint tales circunstantiæ, ut hîc, & nunc illæ actiones sint conjunctæ cum probabili periculo mortis, irregularis eris, morte secuta, quia tunc peccas etiam contra justitiam circa mortem homicidii in illo imprudenti consilio. Si secus, non eris, quia solum peccas contra alias virtutes, quod solum potuit docere Gibal. *c. 4. de Irreg. q. 2. n. 19.* dum docuit præ-dictos irregulares non esse.

6. Quid autem resolves in sequentibus quatuor casibus?

*Primus Casus.* Antonius mandavit Cæsari, ut occideret Ioannem hominem satis debilem, sed evenit, ut Ioannes, quamvis viribus Cæsare inferior, occideret ipsum Cæsarem, estne irregularis Antonius ex homicidio casuali commisso ex suo mandato?

7. Respondeo, Bonacina, *de Cens. d. 7. num. 17.* Hurt. *lib. 24. cap. 16. num. 1* Diana *p. 1. tr. 15. resol. 17.* aliique probabiliter putant, non esse irregularem, quia sufficienter Antonius periculum Cæsaris cavit, dum illum ergovit Ioanne fortiorem. Confirmari potest ex mox dicendis *num. 10.*

Navarrus Covar. apud Dian. *loc. cit.* Io. Præpos. *loc. cit.* Conine. *de Sacr. d. 18. dub. n. 68.* Avil. *de Cens. p. 7. dis. sect. 2. dub. 5. concl. 4.* tamen probabiliter item, aliique putant esse irregularem, quia ipse, id est Antonius scire debebat, unde sciviisse, vel saltem dubitasse præsumitur, in ejusmodi occasionibus solere agnum, ad se defendendum, audaciam Leonis induere, quare sola cognitio imbecillitatis Ioannis eum excusare non poterit. Excusaretur tamen in foro conscientiæ, si nihil prorsus dubitasset de morte, vel, si mandavit, ut Ioannes occideretur eminus sclopo, vel sagitta, vel à tergo, ita ut prudenter omne periculum fuisse amotum judicaretur.

8. *Secundus Casus.* Antonius mandat Petro, ut occidat Titium Petro æqualem in viribus, vel eidem suadet, ut Duellum cum eodem Titio committat. Contingit autem, ut ipse Petrus, præter voluntatem, expectationemque Antonii occidatur, eritne Antonius irregularis.

9. Respondeo. Prima sententia quæ est Suar. quem citat, sequiturque Castropal. *d. 6. de Censur. part. 15. §. 2. numero 5.* citatque item Bonacin. & Conrinch. confirmat, atque ab hac non esse recedendum, sive specialitè, sive in praxi, docet Suarius. Loquitur autem de consilio, sed eadem certè est ratio de mandato vel similibus. Ratio est, inquit, quia absolutè loquendo, tunc vacas rei illicitæ, & ex se periculosæ, quæ enim ratio periculosior tibi esse potest ad mortem, quam æqualem aggredi, vel singulari certamine cum eodem pugnare.

10. Secunda

10. Secunda sententia quæ est Vasq. quem sequitur, citatque Casp. Hurt. *de irreg. 2. diff. 6. n. 22.* Turr. *de cens. l. 8. d. 6. 3. dub. 4.* Inclinat Io. Præpol. *q. 5. de irregularium. 78.* Henr. *l. 14. cap. 16.* Delugo *de Iust. d. 19. n. 40. in conscientiæ tantum foro*, negat, saltem in foro conscientiæ, idque etiam, si probabiliter dubitaverit Antonius, Petrum mandatarium exponi vitæ periculo. Ratio est, inquit, quia illud est occidere, vel mandare ut quis occidatur, aliud exponi quempiam periculo ut occidatur. Quamvis ergo consilium, seu mandatum de occisione activa, ut ita loquamur, trahat irregularitatem; non tamen irregularitatem trahit consilium, vel mandatum de se exponendo ad periculum ut occidatur, quia de hoc nullum ius extat, ut inter cæteros notat Io. Præpositus modo citatur. Sanè prior sententia probabilis est, de posteriore iudicet Lector.

11. *Tertius, casus.* Mandavi tibi, ut occideres Caium, tu verò occidisti per errorem Sempronium, imputabiturne hoc homicidium tanquam casuale mihi?

12. Respondeo. Id colligetur ex dicendis mox de irregularitate ex homicidio voluntario §. 7. *n. 29.* & §. 8. *num. 11.*

13. Denique in quarto casu amovendus mihi fuit ab amico nimis meticuloso scrupulus, quo timebat, ne, dum persuaderet cuidam profectionem Indicam ad fidem prædicandam, si hic ab infidelibus esset occisus, ipse amicus reus esset homicidij casualis, atque adeo irregularitatem incurreret.

14. Dixi. Idem ergo multo magis timendum esse illi, qui suaderet fideli, ut fidem custodiens, obsideret Tyranno infideli, unde prævideri facilè posset, fidelem esse à Tyranno occidendum. Verum, apagè à te timor iste; neque enim putandum est, cum Covarr. *in Clem. Furiosus p. 2. §. 5. n. 9.* Vgol. *de irreg. c. 16. §. 5. n. 1.* Ecclesiam velle irregularitate, illum multare, qui animat, erigitque fideles ad fidem tam gloriosè defendendam, vel ad eandem per exteras nationes Gentium disseminandam. Vide paulo inferius §. 8. *n. 39.*

De dubitante, an suum mandatum, &c. concurrerit ad homicidium, egi superius universaliter *c. 5. §. unic. à n. 11.*

## §. IV. *De irregularitate ex morte infirmi, præter voluntatem Medicorum, vel Assistentium.*

1. His aniversaliter expeditis, remanent tria, de quibus multæ solent dubitationes occurrere, nam propterea fuerunt hîc separatim afferenda. Illa autem sunt. Primo, de morte occasione infirmi, de qua in hoc quarto §. Secundo occasione adulterij. Tertio, occasione subitaneæ rixæ, de quibus in §. 5. & 6.

### *Medicus Physicus.*

2. Medicinam duplicis generis facimus: Physicam vocamus alteram, quæ infirmis sine incisione, vel adustione remedia compartitur. Hæc sanè, nec Laicis, teste Sayr. *de cens. l. 7. c. 6. n. 11.* nec Clericis, nec Monachis interdicta invenitur in iure. Alteram appellamus Chirurgicam, quæ scilicet incisione utitur, & adustione, cuiusque usus, tum Monacho, tum Clerico in Sacris prohibitus est *C. sent. Ne Cler. vel Monach.* Huius autem prohibitionis explicationem pete distinctius à Diana *p. 11. tr. 7. res. 8.*

3. Quoad priorem ergo assero primo, Medicum Physicum, nec peccare, nec fieri irregularem, si, cum sit arte peritus, infirmis vacat, deque utilibus, noxiisque monet iuxta artis Canones, præceptaque, quamvis plerisque ex dictis infirmis mors, præter eius intentionem, accidat. Ita habetur *cap. Tua nos de homicidio*, & ita DD. Panor. *in C. Tua nos n. 3. de hom.* Sayr. *l. c. n. 8.* Farin. *Frag. V. irreg. n. 436.* Vgol. *de irreg. c. 19. §. 1.* aliique passim docent. Rationem habebis mox *n. 11.*

4. Assero secundo. Eundem Physicum Medicum, si fortè ob negligentiam vel ob imperitiam, vel ob aliud in infirmi curatione contra quintum Decalogi præceptum mortaliter peccet, incurrere in irregularitatem, secuta infirmi morte. Patet, quia tunc Medicus causa est mortis, ut iidem & fusè, Gibal. *c. 4. q. 2. à n. 25.* notant, Idem dic de Ministris, seu Assistentibus huic Medico, si advertant eius imperitiam, & ipsi cooperentur. Si dubium sit, dixi suprà *cap. 5.*

5. Inquires primo. Si Medicus curare debeat mulierem prægnatem, incurrere in irregularitatem, si pharmacum illi propinet, vel præcipiat venæ sectionem in quo pacto magnum sit periculum, ne fœtus animatus pereat, cum contra, si hæc non præcipiat, sit simile periculum, ne pereat mater? Fœtum animatum dixi, nam, si non sit animatus, iam ex alibi dictis *l. 6. in Dec. c. 2. §. 4. à n. 1.* scimus, eius interitum non esse irregularitatis causam.

6. Respondeo. An, & quatenus tunc peccet Medicus, dixi saris *ibidem*. Nunc autem, quoad irregularitatem, sic breviter statue: Si peccet Medicus iuxta *ibidem* dicta contra quintum Decalogi præceptum, simul incurret in irregularitatem, si non peccet, irregularitatem non incurret. Patet id ex dictis, & confirmabitur, explicabiturque ex mox dicendis *n. 29.*

7. Inquires secundò. Medicus: desperato ægroto, concedens, dari quoslibet cibos etiam noxios, estne irregularis, si inde mors, vel eius acceleratio sequatur?

8. Respondeo affirmativè, qua tunc graviter peccat, crudelis est enim ea pietas, qua, quis citius mortem aliquem subire facit. Nihilominus (ut notat ex Galen. Gibalinus *de Irreg. c. 4. q. 2. n. 27. V. Septimo Medic.*) aliud est si, non valde lædentia ea vehementer cupientibus exhibeatur; tunc enim non videtur, ex illis cibis timeri prudenter posse mors.

### *Medicus Chirurgus.*

9. Monacho, vel Clerico in Sacris, ut modo dixi, vetita est Chirurgia, unde fit, ut quia medicina physica non est his interdicta. Ita Sayr. *de Cens. l. 7. cap. 6. n. 11.* si quis ex ipsis physicam ex arte exerceat, dicatur opus illicitum exercere.

10. Ex nostra autem doctrina, per quam diximus irregularitatem nequaquam pendere ab hac prohibitione, nec ab opere illicito quocunque, sed solum ex eo, quod opus, cui quis vacat, sit causa homicidij, sequuntur ea quæ hîc dicam.

11. Assero enim primo: Si Monachus, vel Clericus in Sacris exercens etiam extra necessitatem Chirurgiam, incidat, vel adurat ex arte, licet peccet contra dictam prohibitionem, quando tamen non apparet culpa homicidij, non fore irregularem. Ita Coninch. *de Sacr. d. 18. dub. 9. n. 87.* Io. Præpol. *d. 5. de irreg. d. 10. n. 86.* Diana *loc. mox cit.* quamvis præter intentionem accidat infirmi mors, vel eius acceleratio, vel mutilatio, (quæ uno verbo appellare consuevimus deformitatem.) Ratio huius assertionis est, quia irregularitatem non parit mera inobedientia cuiuscumque præcepti, sed actio efficiens reatum homicidij, seu Deformitatis.

Quoniam igitur in casu nostro sufficienter cautum est periculo, dum ex arte fit operatio, ideo, non peccabitur contra quintum Decalogi præceptum, nec consequenter timor aderit incursæ irregularitatis. Quicquid ergo in oppositum dicat Castrop. *de cens. d. 6. p. 15. §. 4. n. 10.* aliique apud Dianam *p. 4. tr. 2. res. 14.* qui tamen alio in loco nostram sententiam amplectitur. Lege Dianam *p. 11. tr. 7. res. 8.*

12. Confirmatur, quia, quando adustiones illæ, atque similia remedia fiunt ex arte, mors non præsumitur contigisse propter applicationem medicamentorum, sed propter vulneris gravitatem, propter humores graviter peccantes, &c.

13. Assero secundo: Si idem Monachus, vel Clericus in Sacris peccet contra artem, exercens incisionem, vel adustionem, unde sequatur alicuius mors, cum fore irregularem. Patet ex dictis. Idem dic de Ministris

seu assistentibus dicto Medico, si videant eius imperitiam, & ipsi cooperentur, ut in simili dictum est *n.* 4. Si dubium adsit, suprà *cap.* 5. *§. unic.*

14. Dices: Si medicus ex arte operans, secuta infirmi morte, nulla irregularitate devincitur, cur iudex ex virtute iustitiæ malefactorem capite damnans, eiusdem secuta morte, irregularitatem incurrit?

15. Respondeo, præter voluntatem Pontificis ita disponentis, illa ratio apposite afferri solet, quia iudex mortem malefactoris, licet iuste, intendit, & vult, quæ intentio maculare videtur lenitatem, quam Ecclesia in suis Ministris requirit. At Medicus, & similes, de quibus hic loquimur, nullo modo infirmis mortem, imò potius sanitatem attendunt. Ita Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 6.

16. Ex dictis solvi possunt duo casus, quos sic proposuit Mol. *T.* 4. *tr.* 2. *d.* 57. *n.* 3.

Primus. Quidam Sacerdos ingravescente per civitatem peste, ac deficientibus Chirurgis, multorum apostemata, seu bubones, ut vocant, incidit, curavitque ea arte ac felicitate, ut ex multis centenis hominibus, quos vitæ, ac sanitati restituit, duo tantum obierint, fuitne hic irregularis?

Respondeo cum Molina nequaquam fuisse, quia propter epicheiam iudicandum non est, Sacros Canones tantum virtutis exemplum, bonique publici utilitatem tantam, voluisse irregularitate multare.

17. Sed profecto ex nostra doctrina modo allata assentimur. Mol. dicto *ibid.* Bonacin. *de Irregul. dist.* 7. *q.* 4. *p.* 5. *num.* 4. aliisque, sed clariorem rationem asserimus: Nos enim illam reddimus: qua Sacerdos ille ex arte, & cum debitis cautionibus, ac sine ullo peccato, imò cum insigni Civitatis exemplo incidit, adussitque.

18. Secundus casus. Clericus quidam solum venam aperuit infirmo, unde eidem secuta est mors. Estne Clericus irregularis?

Respondet *ibi* Mol. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 24. nequaquam esse, quia venæ sectio non est Chirurgia, quam Canon supra citatus damnat.

19. Sed iterum aio, me assentiri responsioni: at rationi ideo non assentior, quia venæ sectio est pars artis Chirurgicæ, unde etiam Clericis est interdicta. Ita Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* 4. *p.* 5. *n.* 5. *V. Quarto, Clericum.* Solida igitur ratio est, quia dum Clericus aperuit ægro venam ex arte, & omnem apposuit diligentiam, ne damnum ipsi sequeretur, non, fuit causa mortis: esto per accidens ea subsecuta fuerit. Quod si non ex arte secuisset, nec periculo mortis præcavisset, eum in irregularitatem incursurum fuisse, negabit nemo.

20. Quid si Clericus, vel quilibet alius, cum non adsit homo peritus in arte, secet infirmo venam, vel medicamentum eidem porrigat, unde mors deinde sequatur, eritne is irregularis?

21. Respondeo. Si supponimus, hæc fieri bona fide, vel in necessitate multo magis, si desperata sit salus ægri, & tua actio, vel medicamentum probabiliter salutem sint allatura, tu non peccas, unde, nec in irregularitatem incurris, in quam certè incurreres si imprudenter, & incautè te gereres, ut constat ex dictis.

22. Hic denique incideret celebris illa quæstio, an Sacerdos, qui non habens aliam aquam, infantem moribundum proiecit in puteum, ut illum baptizaret, an, inquam, inciderit in irregularitatem? Verum de hoc casu supra *l.* 2. *de Bapt. c.* 1. *§.* 4 à nobis dictum est.

*Aromatarij seu Pharmacopolæ.*

23. Hi profecto, si medicamenta effœta vendant pro bonis, unde mors alicui sequatur, irregulares sine dubitatione fiunt, quia tunc morti iam cooperantur. Contra, non est ratio, unde irregulares fiant, si fideliter se gerant, &c. Lege Gib. *de irreg. cap.* 4. *quæst.* 2. *à num.* 26. Abb. *in C. Tua nos num.* 4 *de hom.* Vgol. *de irreg. cap.* 16. *§.* 3. *n.* 1. aliosque.

*Infirmarij seu Assistentes ægroti.*

24. Quatuor distingui hac in re eventus possunt. Primus est, quando Assistens advertenter contra præscriptum Medici, vel temere aliquid ægro propinat, vel circa illum aliquid gerit unde mors consequatur, & hic quidem, ut ex se patet, erit irregularis ex delicto. Ita Fatin. *fasc. V. irreg. n.* 510. *ubi de hac re plura.*

25. Secundus. Quando aliquid gerit circa eundem, intendendo eius mortem accelerare, quâvis mortis misericordia, ne diutius æger in agonia laboret, ut si validissimum movere, ut sic citius moriatur, & tunc irregularis erit, secuta morte, idque ex homicidio voluntario merito notat Henr. *l.* 14. *c.* 19. *n.* 3. etiam si id voluerit solummus, si quidem nec tu, nec ipse estis vitæ Domini. Nego consensum præbeas Avilæ *de cens. p.* 2. *de 6. præc. c. ne*, sine fundamento putanti, illud esse homicidium voluntarium à solo Pontifice dispensabile, quod sit enimo crudeli, non vero, quod ex commiseratione.

26. Tertius casus est, quando sive ex officio, sive ex superioris iussu, sive ex charitate, infirmi custodiam susceperisti, & nihil positivè agendo, negativè te habendo, etiam per culpabilem moraliter negligentiam, ut ille moriatur, & tunc peccabis quidem, sed ex probabili sententia non evades Irregularis, licet evadas, ex probabiliore, ut dixi supra §. 2. *à numero* 37. & etenim lotius §. 9.

27. Quartus casus est, quando ea quis circa infirmos bona fide gerit, quæ solent ab infirmariis, ægrotisque assistentibus fieri, & tunc, secuta per accidens morte, non erit irregularis (quicquid aliqui debito scrupulosiores dixerint in oppositum.) Ratio est, quia bona fide, & solita officia charitatis non debuerunt tam rigorosè pœna castigari. Adde, hunc non peccare moraliter, ut certum est, ergo non incurret irregularitatem ex delicto, quæ delictum mortale supponit: sed nec incurret irregularitatem ex defectu lenitatis, quia hanc non incurrit nisi à Ministris iustitiæ, & in bello iusto, innuimus suprà, & latè explicabimus inferius.

28. Hinc ergo, si cibi, potusque aliquid bona fide ægroto præbeas, sive tuo, sive alterius consilio, licet non consulto Medico, si eundem ægrotum in lecto inveneris, ut quietiorem situm inveniat, si eundem subleveris cibum v. g. capiat commodius, si ei suadeas deambulationem per cubiculum, ut sese aliquantulum exhilaret, si eundem verbis aliquâto asperioribus reprehendas, ut cibum, vel potionem sumat, si hæc, inquam, vel similia circa infirmum bona fide agas, quamvis accidat, sed accidat præter tuam intentionem, mors, irregularis non eris. De his, & simil. lege Sayr. *de cens. l.* 7. *c.* 6. *n.* 13. Filli. 19. *c.* 10. *n.* 27. & *n.* 278. Reg. *l.* 30. *tr.* 2. *c.* 9 *n.* 102. Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 70. Mag. *p.* 3. *l.* 7. *c.* 1. *q.* 5. *n.* 56. Castr. *de cens. d.* 6. *p.* 15. §. 5. *n.* 6. Gibal. *de irreg. c.* 4. *q.* 2. *a n.* 25. De dubio in præcedictis dixi universaliter supra *cap.* 4. §. *unic.*

*Non Medicus tradens pumtionem medicatam.*

29. Si eam des ad occidendum aliquem, vel ad abortum fœtus animati faciendum, te esse irregularem ex homicidio voluntario, nullus ignorat. At in hoc loco quærimus, quando ad alium finem potionem eiusmodi porrigis, vel medicamentum quodpiam confers, sed inde, præter intentionem tuam alterius interitus consequitur.

30. Propinare autem potes. Primò, ad sanitatem inducendam. Secundò, ad non concipiendam prolem. Tertiò, ad eandem concipiendam. Quartò, ad amorem, vel odium excitandum, quod poculum amatorium appellamus solemus.

De primo hactenus dictum est: De cæteris hic aliquid est explicandum.

31. De secundo igitur sic habe, qui medicamentum dat, ad non concipiendum, seu ad fœtum inanimatum eiiciendum, si sequatur inde mors illud sumentis, irregularis

irregularis per se fiet ille, qui dedit. Ratio est, quia ejusmodi medicamenta, quæ sunt causa tanti effectus, præsertim fœtum ejiciendi, cum sint, teste Gibal. *de Irreg. loc. cit. numero* 17. persæpè admodum violenta, timeri semper debent, ne mortem afferant. Per se, inquam, unde in foro externo pronuntiaberis semper irregularis. At, si coram Deo nihil periculi mortis prævidisti, nec ullo modo dubitasti, mors sumentis erit tibi verè, & per omnia casualis; quare juxta superius dicta, te in foro conscientiæ irregularem facere, non possem.

32. De Tertio, & Quarto, hoc est de dantibus medicamentum fœcunditatis, vel amatorium, benignius loqui, concedimus; facilè enim eos excusamus ab irregularitate, quia hæc medicamenta non solent similis esse violentiæ. Expendendum nihilominus est genus medicamenti. Quod si periculosum est, deque periculo tu subdubitasti, irregularem (si illud sumens moriatur) te omnino facimus, quia tunc causa ejus interitus fuisti: Si ne dubitasti quidem, irregularem te doctrina hactenus explicata non faciet.

33. Prædictis non obstat Jus Civile, quod tradentes, potionem abortionis, vel medicamentum amatorium morte damnat. Non obstat, inquam, quia id in Legibus Civilibus disponitur. At non semper, quod punitur à Civilibus Legibus pœna mortis, punitur à Jure Canonico pœna irregularitatis. Sic punitur morte peccatum nefandum à jure Civili, at non punitur irregularitate à Jure Canonico. Lege Covar. *in Clement. Si furiosi. p. 2. initio num.* 3. Gomez *variar. T. 5. cap. 3. num.* 33. Carrer. *in pract. crimin. de homic. §. 1. §. 25. & 26. num.* 103. Gibal. *c. 4, q. 2. de Irregul. num.* 16. aliósque qui prædictas leges afferunt.

## §. V. *De Homicidio ex occasione Adulterii.*

1. Assertio prima. Si adulter ex circumstantiis prævidit adulteram esse à suis occidendam, nec sufficienter cautè se gessit, in removendo periculo, erit, sequuta morte, irregularis, non quidem ex adulterio, quod ex se non est causa proxima mortis, seu non est actio sufficienter directa ad mortem inferendam, sed ex memorato periculo, in quod, spectatis illis circumstantiis Adulter conjicit Adulteram, quamvis volentem, quia, neque is, neque hæc Domini sunt vitæ.

2. Si vero sint eæ circumstantiæ, ut ejusdmodi periculum non aufferat, irregularis non erit. Ita Suar. *de Cens. d. 46. sect. 1. n. 12.* Sayr. *de Cens. l. 7. cap. 5. n. 12.* Farin. *frag. d. p. 2. V. Irreg. n.* 505. aliique; quæ Doctrina conciliat Doctores, quorum aliqui affirmant ex adulterio posse oriri irregularitatem.

3. Quod si periculum mortis prævidisti, & illam intendisti, te esse certo irregularem diximus § 7. *n.* 17. Atque hæc monitio custodienda est etiam in sequentibus assertionibus.

4. Assertio secunda. Si committas adulterium, etiam incautè, unde maritus advertens uxoris infidelitatem, se ipsum, propter dedecus inde sibi exortum, occidat, tu irregularis non eris. Ratio est, quia more humano prævidere quidem, & timere poteras de morte uxoris, at de morte Mariti non item. Idem dic, si adultera, ne à marito occidatur, maritum occidat. Fateor tamen, si in aliquo raro casu occasiones has prævidisses, nec sufficienter cavisses, difficile esse, te non pronunciari irregularem, quia, sic, non solum remotam occasionem dedisti talium occasionum, sed verè causam proximam; ad irregularitatem enim contrahendam ex homicidio casuali, non est necesse, ut immediatè sis causa mortis, sed satis est, si à te actio fiat, ex qua prudenter timeatur mortis periculum, quod sufficienter non caveatur, ut dictum est *suprà §. 3. num.* 2. Sic si mittas puerum ad aquam educendam à puteo, advertens ad periculum pueri, si is demergatur, eris irregularis, ut supra diximus quia, quamvis missio aquatum non sit ex se actio conjuncta, seu ordinata ad hominis mortem, est tamen in his circumstantiis, atque adeo ejusmodi missio erit in materia homicidii injusti.

5. Assertio tertia. Si, inter colloquendum, referas adulterium mulieris coram marito, vel coram consanguineis, unde adultera ab aliquo ex his occidatur, irregularitatem non effugies, quia, in hac circumstantia, injusta causa est homicidii. Idem erit; si referas tuo Corrivali copulam cum fœmina, quam Corrivalis petit, unde is fœminam occidat. Ratio est, quia in his circumstantiis solet fieri ejusmodi occisio, & tu eam prævidisti, vel de ea dubitasti, ut supponimus. Quod si nullo modo de ea suspicatus es, vel erant eæ circumstantiæ, ut timenda prudenter non esset occisio timere tu non debeo irregularitatem. Ita Gibal. *de Irreg. cap. 4. quæst. 2. num.* 15. Et sanè in foro externo Episcopus per indicia, & per ea, quæ contingere solent, judicabit in prædictis de tuo incursu in irregularitatem. At in foro interno tua te conscientia, adhibito sapientum consilio, condemnabit, vel absolvet.

6. Si ducas uxorem amasiam, quam prætendebat alius Corrivalis, unde is idem Corrivalis ipsam occidat, profecto, si hanc occisionem non prævidisti, certo non es irregularis, at, si eam prævidisti, licèt eandem non intenderis, te esse irregularem putat P. Prates *in manuscripto Irreg. d. 4. cap. 3. §. 3. num.* 24. contra Maiolum, *de Irreg. lib. 5. cap. 48. §. 3. num.* 16. quia in hac circumstantia causa es mortis. Sed mihi placet sententia dicti Maioli, qui hunc etiam in posteriore hoc casu liberat ab irregularitate, & quidem nihil laborans de ejus ratione, illam ego satis validam assero, quia sine peccato mortali contra Iustitiam in materia homicidii non incurritur irregularitas, ut supra vidimus: at, quod peccatum contra Iustitiam committit is, qui amasiam legitimè uxorem ducit? Imputet sibi Corrivalis, si id ipsi non placet.

7. Assertio quarta. Si Judex, legitimè procedens, de delicto delato, & probato adulteram damnet, v. g. ad inclusionem in Monasterio, maritus autem eam interficiat, non erit Judex irregularis; erit vero, si non legimè procedat, ut, si v. g. adulterium, quod erit occultum patefecit. Prior pars hujus assertionis manifesta est, quia, dum judex justum judicium profert, non peccat, imò meretur, unde illa mors nullo modo ipsi tribuitur, sed malitiæ mariti. Posterior pars probatur, quia tunc judex, extendendo fines officii sui, causa est homicidii, Lege Maiolum, *loc. cit. n.* 15. & Ugolinum *de Irreg. cap. 5. §. 7. n.* 2. Semper autem intelligo, si de periculo subdubitaverit, si circumstantiæ periculum portendebant, nec sufficienter cavit, &c.

## §. VI. *De Homicidio occasione subitæ rixæ.*

1. Recole, homicidium voluntarium esse, & dici illud, quod fit sub expressa intentione occidendi, quale est illud, quo, quis sive occidit, sive occidere aliquem mandat, directè, ut eum inter vivos non amplius esse velit; atque de hoc disputabimus latè paulo post, homicidium autem casuale, de quo hactenus egimus, est illud, quod fit præter intentionem agentis, quale est illud, quod aliquis facit, non intendendo mortem, sed intendendo aliquod aliud opus, cui adnectitur per accidens mors alicujus, quam tamen ipse advertit, licet, ut dixi, non intendat.

2. Porro homicidium factum in rixa causam esse irregularitatis non est dubium, quia jam tunc injustè, ut supponimus, occiditur homo: Sed quæstio est, an illud dicatur, & sit absolutè voluntarium, an casuale. Id, quod scire interest permaximè, nam ex Tridentino irregularitas ex homicidio casuali occulto est facilioris dispensationis, quam irregularitas ex voluntario, & propter alia, quæ dicentur inferius.

3. Quæstionis hujus decisio pendet ex verbis ejusdem

Tridentini. Quoniam ergo nonnulli, ut Salced. Rodriq. Avila apud Castropal. *de Cens. disp.6. p. 15. §. n.2.* Coninch. *disp.18.n.111.* G. Hurt. *de Irregul. d.2.diff.20. n.66.* Diana, Leandr. *de Irregul. T.2.disp.10.quæst.12.* adducitque Didacum Perez dicentem, ita se sæpè respondisse de hac quæstione consultum, aliique apud Dianam, mox cit. nomine homicidii voluntarii, cujus irregularitatem negat Tridentinum, posse Episcopos dispensare, intelligunt solum homicidium illud, quod per insidias, vel per industriam quis committit, quodque nos Itali vocamus (Apostato) homicidium autem factum in subitanea rixa, quamvis sit voluntarium, possétque dici esse ex proposito; tamen, quia non est (Apostato) ideo non excluditur (inquiunt) à potestate quam Tridentinum concedit Episcopis, quando homicidium est occultum, ideo consequenter in hac quæstione non debebit vocari homicidium absolutè voluntarium, sed casuale.

4. Contra vero alii, ut Mol. *tom.4. tr.3. disp.79. n.7.* Suar. *de Cens. disp.44. sect.1.n.3.* Dian. *part.10. tract.11. resol.16.* Castropal. *loc. cit. num.4.* videtur initio esse in prima sententia, sed in fine se declarat pro secunda, quia putant, nomine homicidii voluntarii à Tridentino intelligi quodcunque homicidium directè volitum, sive sit per insidias, sive quocumque alio modo; homicidium autem factum in subitanea rixa, ut hic supponimus, sit omnino voluntum directè, licet ex subitanea passione procedens ideo contendunt, in hac nostra quæstione illud non debere vocari casuale, sed absolutè voluntarium & negari à Tridentino Episcopis facultatem dispensandi irregularitatem ab illo, quamvis occulto manantem.

5. Ego hanc posteriorem (quæ certè est communior) sententiam eligo, quia secus videtur vis inferri verbis Trident. *sess.14.c.7.de Reform.* Illud audi.

*Cum etiam* (inquit) *qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari evelli debeat, quia sua voluntate homicidium perpetraverit, &c. Solus Summus Pontifex dispensat, &c.*

Et paulò post: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu fuisse commissum narretur, &c. Episcopus dispensat, &c.* modo tamen à nobis infra dicendo §. 17. *à num.10.*

6. Notas illam rationem formalem (*quia sua voluntate homicidium perpetravit.*) At ille, in subitanea rixa, jam sua voluntate perpetravit homicidium. Notas item illud (*non ex proposito, sed casu.*) At, qui in subita dicta rixa directè, & ex intentione occidit hominem, non dicitur casu occidere. Casu enim occidere, est, præter intentionem, & indirectè, aliud agendo (ut supra vidimus) occidere.

Hoc jam statuto; Irregularitates ortas ex occisione sequuta in subitanea rixa, de quibus dubitari solet per sequentes figurationes casuum, percurramus.

### *Supervenientis occisio.*

7. Evaginato gladio rixabar cum Antonio: id advertentes aliqui mei, sive amici, sive propinqui, sive exteri, accurrunt ad me defendendum, vel etiam expressè ad occidendum meum inimicum Antonium, ex quibus tamen unus interemptus ab Antonio, vel ab alio fuit, sumne ego irregularis, qui nunquam hujus, sed inimici mortem intentabam?

8. Respondeo. Si aliud non addas, ab irregularitate te immunem pronuntio, quia tu, nec intendisti, nec prævidisti hujus tui defensoris interitum. Ita Glossa *in cap. Petrus, prima q.4.*

Dixi (si aliud non addas) nam, si concertando cum tuo adversario, conjecisses tuos amicos, seu famulos in necessitatem, ut ipsi gladios educerent, cum tu illos ad hoc periculosum, ut supponi debet, opus induxeris, irregularis eris, quia tunc causa mortis fuisti.

### *Provocantium, & Aggredientium occisio.*

9. Convocavi amicos, sive expressè, sive tacitè eos ad rixam, seu ad homicidium committendum, inducens, sed inde factum est, ut unus, vel plures ex his amicis conciderint, & mortui sint; sumne ego irregularis, qui horum interitum nullo modo intentabam, imò ne à occiderentur, strenuè contra adversarios pugnavi?

10. Respondeo. In hoc eventu idem resolvendum erit, quod *suprà §.3. à n.6.* resolvimus de eventu mortis mandatarii, nimirum esse probabile te esse, & te non esse irregularem.

11. Idem, quod dico de te principali Auctore citra dic de convocatis ipsis amicis, qui mortem effugerunt; nam, propter eandem rationem probabiliter erunt. In Filliuc. *tract.20. cap.4. num.122.* & probabiliter non erunt irregulares. Ita idem *n.123.* Pasqual. *decis.420.* Suppono autem, nec à te, nec ab amicis prædictis illos, qui deinde occisi sunt, fuisse conjectos in necessitatem rixandi cum vitæ periculo: Si enim, ita fuisset, vos fore irregulares ex homicidio voluntario in causa, certum esse, & cuti modo in simili diximus, *n.8.*

### *Fortuita occisio ejus, quem occidere non intendis, & Quid si plures occidas?*

12. De eo, qui ex errore putans occidere feram, vel hominem, alium hominem occidit, an incurrat irregularitatem, *lib.6. in Decal. cap.4. §.4. à n.13.* à me disputatum est latè. Hic ergo sequentem dumtaxat casum propono, quem ibi explicare in mentem non venit.

13. Titius, in conflictu, tanto impetu in adversarium irruit, ut non solum eo ictu illum transfuderaverit, verum etiam alium hominem adversarii comitem, hoc ro, duasne irregularitates ex duobus occisis contraxit Titius, an unam? Idem inquiri potest de occidente plures unica bombardæ explosione, &c.

14. Responsio communis est, duas Irregularitates incurri, cum necessaria tamen distinctione, seu explicatione. Si enim Titius duas illas occisiones prævidit, vel de eis dubitavit (ut certè regulariter contingit, si cadat aliquis ex comitantibus adversarium) duplicis erit obnoxius Irregularitatis, alterius, ob homicidium voluntarium directè intentum inimici, alterius, ob homicidium casuale non intentum, sed prævisum, & non sufficienter cautum. At vero, si Titius occisionem alterius nullo modo prævidit (ut facilè occurrere potuit, si cecidit aliquis omnino casu illac transiens) unicæ tantum Irregularitati subjacebit, quia secundum homicidium fuit Titio pure, & plenè casuale. Id autem intellige (ut supra vidimus in similibus) in foro conscientiæ, nam forum externum propter actionem tam proximè annexam occisioni secundi hominis, etiam propter hanc, te secundæ Irregularitati subjiciet.

15. Dixi (Responsio communis) nam cum hic adsit unica tantum actio peccaminosa, atque adeo in sententia multorum unum tantum peccatum modo alibi explicato, posset aliquis dicere etiam unicam incurri Irregularitatem, sicuti in sententia probabili unica incurreretur excommunicatio, si illi duo simul occisi fuissent Clerici: quam probabilitatem nos ex Leandro admittimus in materia excommunicationis. Quid autem in materia Irregularitatis, dicam *infrà hoc cap.15. §.10. à n.14.* commodius. De dubio in prædictis iterum moneo, me locutum esse *suprà cap.5. §. unico.*

## §. VII. *De Irregularitate ex homicidio voluntario physicè patrato.*

### *Quale illud sit, & quando intelligitur esse commissum?*

1. Diximus §. 2. *num 4. & num.21.* Homicidium voluntarium esse illud quod quis committit, directè illud volendo, sive primo, volendo illud immediate,

diatè in se,ut si ictum in pectore inimici, ut illum occidat, infligat, sive secundo, volendo illud in causa proxima, ut, si sine expresso animo occidendi, eundem ictum in adversarii pectus conjiciat;qui enim causam tam proximam mortis vult, certè, nisi sit amens, vult etiam effectum, id est mortem, sicuti, qui vult ignem,vult etiam calorem.Scio Castropalaum *disp.6. de Cens. p.15. §.1.n.1.* asserere, homicidium factum ab eo, qui causam dictam proximam ponit, si is præscindat à voluntate occidendi, esse homicidium casuale: Scio,inquam,id,sed aio,id non occurrere, nisi in planè stulto. Quod si supponas, verè coram Deo hunc,sive per stultitiam,sive per ignorantiam, sive propter aliud,verè non advertisse ad effectum,id est ad mortem, nec de illa ullo modo subdubitasse, illum jam dixi,*dict.cap.2.num.21.* tunc coram Deo non esse,nec homicidam, nec irregularem, quamvis in foro externo esset pronuntiandus voluntarius homicida.

2. Porro, cum ex homicidio voluntario nasci irregularitatem omnium gravissimam nemo sit, qui nesciat; solum hîc erunt nonnulla explicanda,quæ rem magis, ac magis illustrent: id,quod faciam,figurando varios casus, qui in hac materia solent à Doctoribus expendi, & in praxi frequenter occurrunt.

## PRIMVS CASVS.

*Plures graviter eundem successivè vulnerantes.*

3. Petrus heri lethiferè vulneravit Paulum probabiliter moriturum ex eo vulnere post quatuor, vel quinque dies.Accidit autem,ut ejusdem Pauli inimicus alius supervenerit,nullo communicato consilio cum Petro, & eundem Paulum confoderit, occideritque, éstne Petrus irregularis?

4. Respondeo, Covar. *in Clem. Si furiosi.p.2. §.2.n....* absolutè Petrum irregularem enuntiat ex sequenti discursu: Ille, qui est reus homicidii in Jure Civili, est etiam reus irregularitatis in Jure Canonico: at percutiens aliquem vulnere lethali, ut scilicet eo percussus sit certo moriturus, tenetur in Jure Civili reus homicidii, ergo ex Jure Canonico tenebitur,ut reus irregularitatis. Minor probatur, nam sic habet Textus. *L. Ita vulneratus, ff.ad l. Aquil. Lege teneri æstimati sunt, non solum, qui ita vulnerassent, ut confestim vita privarent,sed etiam hi,quorum ex vulnere certum esset, aliquem vita excessurum.*

5. Verum omittendo sensum dictæ legis, discursus hic admitti non habet. Patet, quia in Iure Canonico dubius de facto homicidii irregularis est, ut toties indicavimus, nunquam vero in Iure Civili est puniendus, ut homicida. Rursus,si Iudex torquendo reum excedat torturæ modum, quo fiat,ut reus moriatur, non punitur à Iure Civili pœna homicidii,punitur,teste,Henriq. *lib.14. cap.14.num.5.* irregularitate ex delicto à Canonico. Præterea dans poculum, seu venenum sterilitatis,ut homicida punitur à Iure Civili,non autem punitur irregularitate à Iure Canonico,ut notat Glossa,aliique. Denique,si quis lethaliter aliquem vulneret, vulneratus autem per miraculum non moriatur, irregularis non erit. Ita Coninch.*de Sacram.disp.18.dub.8.n.60.* Ioan.Præp.*3. p.q.5. de Irreg. dub. 8. n.60.* quia vulneratio mortem actu non intulit, erit tamen plectendus, ut homicida.

6. Nos igitur sic expeditius ad propositum casum respondeamus. Vel secundus percussor ita percussit, ut statim Paulus, qui à primo percussore vulneratus fuerat, mortuus sit ex percussione secunda, & tunc dico, Petrum primum percussorem irregularem non esse. Ratio mihi manifesta est, quia tunc nullo modo mors secuta est ex vi vulneris illati ab ipso Petro. Erit igitur tunc solus secundus percussor irregularis. At veto, si non statim sit mortuus, sed ex intervallo, post aliquod scilicet tempus ab accepto utroque vulnere. Dico, Petrum, ut etiam secundum percussorem, esse irregulares. Ratio item mihi est manifesta, quia tunc mors non solum sequitur ex hoc secundo vulnere, verum etiam ex primo; duo enim vulnera lethalia actione communi concurrunt ad eandem mortem inferendam,vel certè accelerandam.

7. Quod si fingas casum rarissimum, quo certus sis, mortem ex intervallo secutam à solo secundo vulnere accidisse, libens dabo, secundum tantummodo percussorem esse irregularem. Certus, inquam,sis, nam, si adsit dubium ex cujus vulnere percussus occubuerit, uterque erit is irregulares, propter doctrinam toties ex *c. Significasti 1.de homicid.* replicatam,quemlibet debere,ut irregularem in facto dubii homicidii se gerere.

## SECVNDVS CASVS.

*Plures eundem leviter vulnerantes.*

8. Titius,Caius,Sempronius,sive mutuo consilio, sive separatim vulneraverunt Antonium, singuli leviter. Sed Antonius, sive ob febrim ex dictis vulneribus supervenientem, sive ex multo sanguine ex iisdem vulneribus, licet levibus,effuso,diem suum obiit.Omnésne sunt irregulares?

9. Respondeo,omnes,ut Suar.*de Cens.d.45.sect.3. n.9.* Sayr.*de Cens.lib.7. c.4. num.14* Ioan. Præp. *q.5.de Irreg. dub.8. n.59.* quia certum est,omnes vulnerasse, & certum est ex illis vulneribus,veluti agmine facto,ex multis concausis, Antonium fuisse interemptum.

## TERTIVS CASVS.

*Plures,qua graviter vulnerantes,qua leviter.*

10. Plures aggredientes Antonium, illum vulnerant, partim graviter, partim leviter,cum appareat unum, vel alterum fuisse vulnus lethale; non apparet tamen à quo illud processit. Suntne irregulares omnes?

11. Respondeo. Omnes pari modo esse irregulares, quia omnes pariter sunt dubii de facto homicidii.

12. Quid, si Titius unus ex his est certus non inflixisse lethale vulnus?

Respondeo. Si aggressio fuit ex compacto cum aliis, vel eis auxilium Titius præbuit ad occidendum, erit, & ipse Titius irregularis, siquidem audacior ex comitatu factus est ille, qui lethaliter percussit. At, si hæc abfuerint, & certus sis, te nullo modo concurrisse ad mortem, non est caput,unde dicaris irregularis. Dico (nullo modo)nam cæterum,ut *n.6. & 7.* dixi, communiter mors sequitur ex actione communi omnium vulnerum. Quare si tu aliquo tandem modo,licet leviter,vulnerasti,irregularitatem non effugisti. Relege ibi dicta.

## QVARTVS CASVS.

*Quando leve vulnus causa est, ut alter graviter feriat.*

13. Ego leviter Petrum vulneravi, sed deinde graviter eundem vulneravit superveniens Titius ex eo, quod Petrus à meo vulnere debilitatus fugere, nec potuit, nec se à Titio defendere,erone irregularis,quandoquidem iam Titius mortuus est?

Respondeo.Si nullum commune consilium cum Titio habuisti de Petro vulnerando,nec de eodem Titio superventuro cogitasti, vel ullo modo dubitasti, reus irregularitate non eris, quia omnino præter opinionem, consensumque tuum factum est homicidium. At, si communicato consilio, eris, ut patet ex dictis: ut etiam eris, si,quamvis,nec communicato consilio,nec morte directè intenta prævidisti tamen, sed non periculum præcavisti, vel, si præcaveri non poterat, ab opere non destitisti, ut etiam ex toties dictis patet. Lege Coninch.*de Sacr.d.18. dub.8.n.70.*Sayr.*l.c.n.15.* Farin. *Frag.p.2. V.Irreg. n.454.* aliosque.Adverte,hîc etiam locum habere doctrinam *n.6. & 7.* allatam, puta, an statim, an ex intervallo Petrus obierit.

QVINTVS

## QVINTVS CASVS.

*Quando levi vulneri supervenit alia mortis causa.*

14 Ego idem, qui Petrum leviter, seu certè non lethaliter vulneravi, jam nunc certo scio, ipsum Petrum diem suum obiisse, ex imperitia, vel malitia Medici, vel ex ipsius Petri intemperantia (quod certè, non nisi ab experto, omnibus conjecturis expensis, definiri posse non ignoro) sumne ergo irregularis?

15. Respondeo. Tuum vulnus potuit esse non lethale & ejus generis, ut facili negotio, nulla, vel satis modica curatione sanari potuerit. Sanè tunc ne te habeas pro irregulari, quia sic tota causa mortis fuit à Medico, vel ab ipso infirmo. Ita Dian. *p.4. tract. 2. resol. 10.* Castrop. *de Cens. disp. 6. p. 15. §. 5. num. 5.* citans Lessium, G. Hurt. Suar. Coninch. At si dictum vulnus fuit ejus generis, ut diligenti curatione opus fuerit, ut sanaretur, ego cum aliis te habeo pro irregulari, quia quamvis periculum mortis augeretur cursu temporis, vel ob aliam rationem ductam à Medico, vel infirmo; tamen regulariter tunc præsumi, seu censeri debet, ipsum tuum vulnus simul cum prædicta alia causa, communi actione, mortem vulnerato attulisse. Dixi (regulariter) nam secus, idem dic, quod modo in simili dictum est *n.* 7.

## SEXTVS CASVS.

*Dans, vel vendens arma, vel similia.*

16. Titius vendit, vel præbet arma, equum, socios, victualia Caio volenti quempiam occidere, eritne, eo occiso, non solum Caius, verumetiam Titius irregularis?

17. Respondeo, cum necessaria distinctione. Si hæc præbeat ad finem occidendi, etiamsi sine illis Caius iturus esset ad hominem illum occidendum, immò etiam si illis usus non esset, sed tamen ex illis audacior fuit, & promptior ad occisionem patrandam, Irregularis erit Titius, quia jam est causa homicidii voluntarii. At, si præbuit, nihil mali intendens, & nihil de illa occisione sciens, nihilque suspicans, nullo modo erit irregularis, quia tunc nulla ratione ipse concurrit ad occisionem. Quid si suspicans, at non intendens? Dicam mox *n.* 20.

18. Ex dictis fit, ut irregularis sit etiam prædictus Titius, si solum dederit arma defensiva, galeam, clypeum, loricam, nam semper ex illis fit audacior homo ad ejusmodi prava facinora. Ita Bonac. *de Cens. d. 7. q. 4. p. 8. num. 35.* aliique apud Dianam *p.4. tr.2. res.* 11. Hurt. *de Irreg. d. 2. diff. 8. n.32.* qui adhæret Gibal. *de Irreg. c. 4. q. 2. num. 21.* docet, solum tunc Titium prædictum fore irregularem: quando præbendo Caio arma, intendit homicidium alterius, secus non item: cum enim (inquit) his possit Caius bene vel male uti, imputabitur mors non Titio, sed uni Caio. Verum non est audiendus, nam ratio ducta à securitate, quam concipit Caius, nimis clarè ostendit, imputari etiam homicidium ipsi Titio securitatem præbenti.

19. Contra, ex iisdem dictis fit, ut, si arma, vel quæcunque alia data Caio nihil prorsus concurrant ad occisionem, nec animosiorem illum reddant, nec alio ullo modo Caium adjuvent, fit, inquam, ut nullum sit caput, cur debeat Titius irregularitate puniri.

20. Prædicta illustrabit sequens casus de sciente, non tamen intendente. Petrus à me Mercatore gladiorum, scloporum, medicamentorum, vel similium, quibus quis uti potest bene, vel male, emit gladium, vel medicamentum violentum, ut aliquem occidat, idque ego prævideo, sed non intendo, sumne irregularis, si re ipsa sequatur occisio? (Sed non intendo) dixi, nam, si intendo, me esse irregularem, jam ex dictis scio.

21. Respondeo. Si tu prævides, vel suspicatis, Petrum emere gladium, vel medicamentum illud ad aliquem determinatè occidendum v. g. ad occidendum suum inimicum, vel uxorem suam deprehensam fortè in adulterio, non possum te, teste Sayr. *lib. 7. c. 4.* excusare ab homicidio, & ab irregularitate, quicquid excuset Hurt. *loc. cit.* Leandr. *de Irreg d. 10. q. 82.* debebas enim non vendere, ne homicidæ contra justitiam (nec solum contra charitatem, ut putat Hurtadus) cooperareris. At, si solum prævideas, vel suspiceris, Petrum emere gladium ad occidendum indeterminatè, ut esset, si emeret v. g. ad bellum injustum committendum, non videris tu esse causa proxima occisionis fortè sequuturæ; in illa enim tanta indeterminatione occisionis potes probabiliter tibi persuadere à gladio à te vendito nullum fuisse injustè occisum. Dixi (ad bellum injustum) nam ad bellum justum, cum nullo modo tunc pecces, non eris irregularis.

22. Si determinatio sit modica, ut si prævideres, mentem à te gladium velle occidere aliquem ex suis inimicis, valde dubito de tua irregularitate, quia videtur tunc esse causa proxima, quicquid in contrarium colligitur ex Hurtado *loc. cit.*

23. Si tu compellas Mercatorem, ut vendat gladium v. g. dicto Petro volenti occidere dictam v. g. uxorem, te esse irregularem secuta uxoris morte, non vero Mercatorem, putat P. Prates *in manuse. de irreg. d. 4. c. 4. fol.* 461. quia tunc totus mortalitatis concursus, seu mortalitatis causa occisionis refunditur in te cogentem, non vero in Mercatorem coactum. Hæc doctrina sic absolutè prolata difficilis est, nisi coactio tanta sit, ut Mercator ad vitandam v. g. mortem suam, vel grave damnum cogatur vendere; tunc enim sicuti excusatur à peccato cooperationis homicidii à Petro patrandi, ita & ab irregularitate; at, si tanta non sit coactio, sed sit metus levis mali non effugiet irregularitatem, ut dixi *cap. 4. §. 4. num. 12.*

## SEPTIMVS CASVS.

*Pœnitentem mortis causam dedisse.*

24. Venenum propinavi meo adversario, vel aliam lethaliter vulneravi; sed antequam is moreretur, valde me per contritionem pœnituit facti, immò antidota, & medicamenta diligentissimè adhibui, ut mortem effugeret: mortuus est tamen: sumne irregularis?

25. Respondeo. Vtique es, quia ejusmodi pœnitentia coram Deo tuam delevit culpam, non vero abstulit dispositionem Ecclesiæ volentis Homicidas ab altari repellere. Lege Suar. *de Cens. d. 44. sect. 3. n. 5.* Coninch. *d. 18. dub. 8. n. 65.* Filliuc. *tr. 20. c. 1. n. 25.* aliosque.

## OCTAVVS CASVS.

*Associantes Occidentem, &c.*

26. Auxilium præbui, astiti, associavi eum, qui iniquum interfecit. Sumne irregularis?

Respondeo. Si auxilium, assistentia, associato ponenda causa efficax, & propinqua occisionis, non inducit irregularitatem; si sit efficax, & propinqua sanè inducet. Posterioris modi erit, quando homicida sine eo auxilio non occidisset, vel non tam celeriter, vel non tam audacter, vel non tam secure, nam, si nihil horum, modi erit prioris.

27. Atque hinc fit, ut, si tu adsis in rixa, qua tuus amicus rixatur cum suo adversario, sed nesciatur id à tuo dicto amico, cum tua præsentia nihil addat ut supponimus, nihil de irregularitatis pœna tibi timendum erit, si ille suum adversarium interficiat. Contra, ut vult Sayr. *de Cens. l. 7. c. 4. n 11.* Ioan. Præp. *d. 5. de irreg. dub. 8. n. 63.* Vgol. *de irreg. c. 17. §. 1.* si te ostendas, unde aliquid animi addatur amico rixanti, quis tunc ab irregularitate te liberabit.

28. Illud, quod docet Henriq. Avila, Nav. citati à Diana *p.4 tr.2. res. 17.* cum aliis approbare non valeo. Si pater, inquit, associet filium rixantem ad finem, ne filium periclitetur, non erit pater irregularis, si filius aliquem occidat, quia tunc patet operam dat rei licitæ: id, inquam, approbare, non valeo: Ita Ioan. Præpos. *loc. cit.*

dum enim Filius rixans videt præsentem Patrem, non potest ab ejus præsentia non audacior fieri, atque adeo opera hæc Patris non potest non fieri illicita immateria Iustitiæ. Idem dic de amico, idémque de famulo associantibus, nisi hi essent adeo debiles, sive Senes, sive Pueri, ut clarè appareat, associationem esse ad obsequia non facientia ad rixam.

## NONVS CASVS.

*Occidens unum pro altero.*

29. De hoc ita *l.6. in Decal.c.4. §.3.n.35.* docui. Qui dicunt homicidium unius Clerici pro alio parere excommunicationem, dicunt, & parere irregularitatem ex delicto; jam enim tunc voluit homo occidere hominem. At, qui negant, parere excommunicationem, negant parere irregularitatem. Ita Collig. ex Fragoso *de Repub. Christ. tit.2.l.1.d.2.§.1.n.36.* &c.

*Et paulo post.* Sanè Farinac. *in 4. tit. declarat. fol. 41. col.1.fine*, & affertur à Fragoso apud Dianam *p.9.tr.4. resol. 31. fine*, affert declarationem Cardinalium, quod mandans occidere Petrum, si Mandatarius occidat Ioannem, non incurrit Mandans in irregularitatem. At, certè par videtur ratio in casu nostro. Vtraque sententia probabilitatis fines videtur attingere.

30. Hæc ibi docui. Adde nunc illud: Si quis cognovit, vel dubitavit, in aliquo loco latere hominem quempiam, nesciens esse hunc, vel illum, nec sufficienter cavit, ne homo occideretur, & tamen occidit, irregularem eum fore per omnes notat Castrop. *de Cens.d.6.p.15.§ 5. n.4.* quia tunc jam is voluit hominem occidere, & de facto occidit; non ita fuit in præcedente casu; in eo enim occidens volebat interficere Petrum determinatè, non vero hominem quemcunque, cum ergo Petrum non interfecerit, interfecerit autem prorsus sine ulla deliberatione Paulum, non est mirum, si probabile esse diximus, occidentem tunc excusari ab irregularitate.

## §. VIII. *De irregularitate ex homicidio voluntario commisso moraliter, id est orto ex consilio, mandato, &c.*

1. SI mandes homicidium fieri, vel ad illud consilium des, exhorteris, suadeas, moneas, consentias, uno verbo, quomodocunque moraliter cooperèris, unde occisio aliqua sequatur, eris sine dubitatione irregularis ex homicidio per concursum positivum à te directè, & voluntariè commissum (de casuali enim dictum est *suprà §.3.*) Ratio est expressus Textus, *c. Sicut dignum §. Illi, ibique Doctores*, extendens irregularitatem ex homicidio ad cooperantes ad illud.

2. Hinc, si Titio affecto injuria dicas. *Verè leges nobilium statuerunt, imminui existimationem viri ingenui, nisi ultione deleatur injuria.* Si mulieri referenti, se ex te concepisse, tu ipsam doceas, hoc, vel, illo pharmaco solere expelli fœtum animatum, si Antonio mandanti occisionem sui adversarii, tu eum instruas de modo, quo possit adversarius imparatus, vel occultè, vel per insidias occidi; Hinc, inquam, fit, ut secuta ex vi prædictorum verborum occisione, tu in irregularitatem incidas; prædictis enim loquendi modis moralis causa homicidii es.

3. Quæres primò. Si cui, v.g. Titio, consilium, mandatum, consensum, &c. dem, ut Petrum occidat, quia v.g. me dictus Petrus gravi affecit injuria: Sed deinde dictus Titius affectus simili gravi injuria ab eodem Petro, Petrum occidat, ero etiam ego irregularis.

4. Respondeo, non eris, si tuus consensus nihil operatus est, eris, si concausa fuit cum Titio, vel ad occisionem patrandam, vel ad patrandam promptius, & obstinatius. Patet ex dictis. An autem fueris concausa, ex circumstantiis est à prudenti colligendum. Quid si id dubium fuerit? Respondeo. De hoc dixi *c.5.§.unic.*

5. Quæres secundò. Ita Cæsar ex meo consilio, mandato, consensu, &c. occidit Brutum, ut, si ego occisionem non suasissem, certò suasisset alius; Egone irregularis ero.

Respondeo. Quicquid sit, quoad alios effectus, certè loquendo de irregularitate, per hoc, quod alius suasisset, non effugere potes irregularitatem, quia tu nunc de facto moraliter ad occisionem concurristi. Et sicuti, si tu aliquem physicè occideres, quem etiam, te non occidente, occideret alius, non vitares irregularitatem, ita, si moraliter occidisti.

*De irregularitate ex mandato.*

6. Percurramus separatim, & in particulari cooperationem ex mandato, & ex consilio, quæ sunt præcipua capita positivi concursus moralis, juxta horum doctrinam facilè judicium feres de aliis capitibus monitionis, suasionis, exhortationis, &c. Nisi etiam velimus dicere, & fortè ita est, omnem moralem concursum ad alterum ex his duobus reduci. Cum enim in eo differat mandatum à consilio, quod mandatum datur in gratiam Mandantis, consilium vero in gratiam ejus, cui consilium præbetur, si moneas, suadeas, roges, consentias, &c. ut fiat homicidium in tuum commodum dicetur illud fieri ex tuo mandato, si eadem facias, ut fiat homicidium in commodum alterius, fieri illud dicetur ex tuo consilio. Scite id confirmat his verbis Bartolus l. non solum §. Si mandato n.2. ff. de injur. *Mandator dicitur ille, qui mandat delictum committi propter se ipsum Mandatum, & ad satisfactionem voluntatis suæ. Persuasor dicitur ille, qui persuadet alicui propter ipsum, cui fit persuasio, & ideo non curo, quibus verbis utatur, sive dicat mando, sive rogo, sive quibuscunque verbis.* Hæc Bartolus.

7. Iam verò de mandato hic loquentes, secernamus quatuor certa ab incertis, item quatuor, sed præterea ne omittas relegere, quæ *sup. §.3.* de concursu morali ad homicidium casuale prolata sunt, multa enim ibi dicta ad ea quæ hîc disputantur, maximè faciunt.

8. Certum est primò, te fore irregularem, etiamsi Mandatarius non servet modum, quem tu præscripsisti in occisione facienda. Iussisti v.g. occidi tuum inimicum in agro, media sclopi explosione, vel ex veneno, tali, vel tali die. Ille vero occidit domi, gladio, alia die. Ratio est manifesta, quia tua jussio substantiam posuit mortis.

9. Certum est secundò, si mandatum sufficienter revocasti, & revocatio innotuit Mandatario; ipse autem nihilominus occidit, te non esse irregularem, quia revocato mandato, quod sciat Mandatarius, nihil tui consensus in ipso remanet. Idque verum censeo, etiamsi fictè, & solis verbis, sed tamen sufficientibus, revocasti. Quando enim ejusmodi fictio non innotescit Mandatario (ut semper hic supponendum est) ipsa verba externa satis sunt apta ad extinguendum tuum mandatum. Si revocatio tui mandati non pervenit ad Mandatarium, te fore irregularem, ne sis dubium, quia tunc tuum mandatum remanens in Mandatario, causa est mortis alterius.

10. Certum est tertio, te non fore irregularem, si constet, Mandatarium ex tua jussione, nec fuisse motum ad occisionem patrandam, nec factum esse animosiorem, securiorem, &c. sed prorsus eodem modo, ac, si tu non mandasses, occidit. Patet ex dictis. Et docet cum multis Gibalin. *de Cens. disp.5.q.3.n.21.* Si non constet, sed sit dubium, dixi *suprà c.5. §.1.*

11. Certum est quartò, te non fore irregularem, si mandasti, ut occideretur Petrus, Mandatarius autem per errorem occidit Paulum, quia, in occisione Pauli, tu nullum consensum præstitisti. Ita declaratum fuisse à Sacra Congregatione notavi *suprà §.7.n.29.*

*Ignorantia, quod mandatum fuerit exceptum.*

12. Iam incertum est primò, an sim irregularis, si mandavi

mandavi tibi, ut homicidium committeres, sed nescio, an tu hoc meum mandatum exceperis, an non, sed respueris; occidisti enim nullo dato signo mandati excepti, vel repulsi. Quare ego nescio, an tu ex meo mandato, an ex tua voluntate hominem interfeceris.

Respondeo, te esse Irregularem, quia dum mandasti homicidium, jam suspicatus es de illo, & tamen non sufficienter illud cavisti, dum mandatum non revocasti, ut debebas. Quare teneris de mandato, nam semper de mandato quis tenetur, quando, re integra, illud expresè, vel tacitè non revocat. Ita Navar. *in summa c.27.num.23.* & Joan.Præp. *q.5.de irreg.dub.8.n.63.*

13. Quod si Mandatarius post multum tempus, ex nova causa, independenter à tuo mandato, occideret, vel occideret, postquam in amicitiam tu cum adversario rediisti, non est mirum, te non fore tunc irregularem, quia per illud longum tempus, cum causa nova, vel per novam illam amicitiam à mandatario cognitam, non præsumitur occisio facta ex tuo mandato, & per illam reconciliationem revocatum tacitè censetur tuum dictum mandatum fuisse.

*Mandatarius respuens, sed postea excipiens mandatum.*

14. Incertum est secundo. An, si mandatarius respuat tuum acceptare mandatum circa tui inimici occisionem, deinde vero, te prorsus nesciente, mutato animo illud acceptans, tuum inimicum occidit, an, inquam, tu sis irregularis.

15. Respondeo, si tu, audita repulsa, sufficienter mandatum revocasti, dicens v.g. Ne ergo in hoc negotio te commisceas. Ne contra adversarium meum aliquid agas, &c. jam tu ex ejusmodi sufficiente revocatione liberis mandati, atque adeo irregularitatis. Si vero sufficienter non revocasti, dicens v.g. Jam te video minus animosum, inveniam alium animosiorem, &c. tunc mandati reus eris, & irregularis, ut pote, qui mandatum sufficienter, non revocaveris.

16. Si denique nihil dixisti, nec ullum dedisti signum, quo repulsam acceptare visus fueris, dico, te esse irregularem, quia ex illo tuo silentio non censetur sufficienter revocatum esse mandatum: licet enim, qui tacet, consentire videatur, unde tu tacens visus fueris consentire repulsæ, atque adeo illam acceptasse; non tamen propterea mandatum illud tuum extinctum fuit; perseveravit enim impressum in mandatario, ex quo mandato occisio, ut hic supponimus, deinde consecuta est. Ita colligo ex Suar. *de Cens.d.44.sect.3.n.9.* Maiol. *de irreg.l.5.c.48.§.2.n.3.* Sayr. *de Cens.l.7.c.2.n.15.* aliisque.

*Mandans sui mandati pœnitens.*

17. Incertum est tertio de eo, quem sui mandati pœnituit. Ego v.g. jussi occidi Petrum, sed, re integra, me valdè hujus pœnituit jussionis, etiam facta Sacramentali Confessione tanti delicti, quia tamen admonere non potui mandatarium longè à me distantem, contigit, ut occisio patrata ab ipso fuerit ex vi mandati. Inquiro, an sim ego irregularis.

18. Respondeo affirmativè, quia non attenditur, ut alibi dixi, ad statum gratiæ, quem fortè nunc habes, sed ad causam homicidii, quam dedisti v. g. propinando venenum, at hîc, per mandatum, licet sine tua præsenti culpa non retractatum, jam dedisti causam; &c. Ita communiter Doctores, ut Suar. *de Cens.d.44. sect.3. n.3.* & Lessius, *l.2.c.13. dub.3. n.17.* quidem notat, te in hoc casu incursurum in excommunicationem, si fortè occisus fuit Clericus, quamvis per pœnitentiam inveniaris in statu gratiæ, sicut etiam incurris in obligationem restitutionis, si quæ debetur ex tali homicidio.

19. Prates *in manusc. de irreg. d.4. cap.2. §.1. num.12.* hanc Lessii doctrinam renuit admittere; agnoscit enim in hoc casu discrimen, siquidem concedit, deberi restitutionem, & incurri irregularitatem à te, quamvis contrito, & in statu gratiæ, at non incurri sictam excommunicationem, quia non potest intelligere, quod Ecclesia velit excommunicare, seu privare communione Sanctorum illum, qui est Dei amicus. Sicut ergo si non afficereris excommunicatione, si interciderit Beatus in Cœlis, propter illam causam, puta, quia esset extra statum Viatoris; ita in præsenti casu, propter amicitiam, quam habes cum Deo, es incapax excommunicationis.

20. Verum cum aliis Doctoribus, ut Bonac. *de irreg. d.7.q.4.p.8.n.15.* Graff. *de effectib. Cleric. effect.9.num.2.* Sayr. *de cens.l.3. cap.26.num.23.* Sylvest. *verf. excom. n.5.* Salas 2.2. *q.20. tract.7. d.6. sect.8. num.57.* jubet nullum agnoscendum discrimen, dicendumque, te in praedicto casu, & obligationem restituendi, & irregularitatem, & excommunicationem contrahere. Ratio est, quia ad terrorem aliorum, ut in simili me, *lib.2. opusc. de Sacrif. Miss. resol.2. § 4. num. 6.* dixisse memini, punitur, quasi invita constringitur Mater Ecclesia, etiam amicos, ac sibi per charitatem unitos, quando punitioni cessi dederunt.

21. Ad illud, quod non potest intelligere Praepositus, plus esse effectus excommunicationis, ut diximus in ejus tractatione, inter quos privatio suffragiorum Ecclesiæ, prohibitio non recipiendi, nec ministrandi Sacramenta, non communicandi in humanis, & divinis cum fidelibus, &c. Dico igitur, quoad privationem suffragiorum Ecclesiæ, mihi videri probabilius, excommunicatum contritum, de quo loquimur, dictis suffragiis privari suffragiis, inquam, nomine Ecclesiæ factis, ut in *opusc. de Sacr. Miss. l.c.* explicuimus, nam debemus hic abstrahere ab ea quæstione, in quonam consistat communicatio Sanctorum, de qua in Symbolo fidei mentio fit. Ait etiam, ut *ibid.* dixi, est probabile, non privari. Quare in hoc peculiari effectu non multum repugno contra Praepositum. Verum quoad alios effectus excommunicationis externos, puto non recipiendi, nec ministrandi Sacramenta, non communicandi in humanis, & in divinis, non participandi sepulturam Ecclesiasticam, &c. non audeo dicere, esse probabile, excommunicatum contritum iis non affici; sic enim facilè eluderetur vis excommunicationis, cum quilibet facilè se esse contritum persuadere posset, & sic se prædictis actionibus committere. Lege Salas *loc.cit.*

*Pertinacia mandatarii nolentis acceptare revocationem Mandati.*

22. Incertum est quarto de eo casu, in quo intercedit pertinacia mandatarii. Ego v.g. mandavi Titio, ut occideret Caium adversarium meum, sed deinde diserte verbis revocavi ejusmodi mandatum, prohibendo expresè ne Titius Caium interimeret; is tamen in sua pertinacia persistens, ad occisionem, me quidem sciente, sed non consentiente; processit: erone ego irregularis?

23. Respondeo. Te irregularem nonnulli, ut Suar. *de cens.d.45.sect.4.n.5.* Turrian. *l.9 de cens.disp.63. dub.3.* Gasp.Hurt. *de irreg.d.2. diff.6.n.24.* Cornelius apud Dianam *p.4. tract.2. resol.14.* pronuntiat, si id sciendo non admoneas Caium de suo periculo, cum possis, saltem per alium, quia secus ex vi tui mandati occideretur Caius. Verum puto cum aliis, ut Henr. *l.14.cap.16.num.2.* Sanch. *l.7.cap.2. num.14.* dicente, hanc sententiam esse communem. Avila *part.7. disp.6 sect.2. dub.4.concl.3.* Diana ibidem. Avila *part.7. disp.6 sect.2. dub.4.concl.3.* Diana ibidem. *cit.* Farin. *Frag.p.2. Vers. irregul. num.558. & 579.* Lessius *l.2.cap.13. dub.3. num.18.* Villal. *tract.21. diff.20. num.7.* Vgol. *de irregul.cap.55.§.5.* te non fore irregularem, quia in tanta pertinacia mandatarii, negandum est, occisionem fuisse secutam ex vi tui mandati; secuta enim illam ex obstinata voluntate mandatarii, solum remotè, & accidentaliter te habente. Vide, quæ dicam mox *num.34.* Quare licet in te adsit obligatio charitatis, ut, si possis sine tuo magno periculo, Caium admonere per idoneum hominem, & juxta leges prudentiæ, & veluti in gene-

te,ne,contra Caius occidat Titium, vel quid simile damnum eveniat; tamen quia ad id non obligaris ex justitia; jam enim mandatum sufficienter ex parte tua revocasti,sed solum, si non admoneas, peccas contra Charitatem, non eris irregularis, ut supra de peccante solum contra Charitatem universaliter dictum est.

*Quatuor Casus similes prædicto.*

24. Prædicto casui videtur affinis ille, quo mandans revocat quidem serio mandatum, sed Mandatarius putans Mandantem non loqui serio, & ex animo; adhuc occidit hominem ex vi mandati quod perseverare ipse putat. Affinis etiam est ille, quo mandatarius acceptat revocationem, sed deinde oblitus talis revocationis, hominem occidit ex vi mandati accepti ante revocationem. Affinis est, & ille, quo Mandans pœnitentia ductus sui mandati, non potest propter distantiam v. g. admonere Mandatarium de revocatione, potuit tamen admonere ipsum occidendum, ut sibi caveat, & tamen non admonet. Affinis, & ille,quo Mandatarius propter distractionem mentis, vel aliud, non percipit revocationem Mandantis.

25. Delugo *d.19.de just. à n.* 25. ait sibi videri in his quatuor casibus,secuta alterius morte,incurri à mandante obligationem restitutionis, unde colligi posset,eum sentire, incurri etiam irregularitatem; siquidem eadem culpa contra justitiam in homicidio parit utrumque onus & restitutionis, & irregularitatis. Et quidem ita mihi videtur, quia,in omnibus his prædictis casibus, alterius occisio à tuo tandem mandato consequitur.

*De irregularitate ex consilio, seu suasione.*

26. Multa, quæ in hac materia ad mandatum pertinent,pertinent ad consilium,& quæ ad hoc,ad illud: ut propterea eadem doctrina proportionaliter sit mutuo utrique commodanda, sed adhuc sunt addenda,quæ sequuntur.

*Suadeo, ut alio modo, ac volebas occidas.*

27. Suadeo tibi, ut interficias Antonium alio modo, quam illo,quo intendebas. Intendebas enim gladio, ego suasi,ut faceres veneno,vel contra,Reusne sum irregularitatis, secuta Antonii morte?

28. Respondeo, esse distinguendum: Si enim modus à te propositus facit occisionem celeriorem, vel occidentem reddit animosiorem, non effugies irregularitatem: Si hæc, vel similia non adsint, effugies. Ratio est quia irregularitas solum incurritur, quando concurrit actio, seu suasio ad ipsam substantiam occisionis, vel ad ejusdem accelerationem.

29. Quare, si tibi suadeam; ut fiat occisio diverso quidem modo,quo volebas,sed, qui non afferat occisionem celeriorem,nec te faciat audaciorem,non video,unde irregularitas mihi oriri in dicta suppositione possit.

Hinc, si tibi quis suadeat, ut occidas cras, quem volebas omnino hodie, non incurret irregularitatem. Lege Dianam *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 42. quia sic potius conservat pro aliquo tempore vitam alterius,quam aufert posito semper quod mors crastina non inferatur animosius ex illius consilio, quam inferretur hodie.

30. Quid si suadeam, ut occidas, mitiore morte, quæ sit celerior? Volebas v.g.occidere maleficio gravia tormenta afferente per annos:ego suasi, ut gladio occideres statim: Volebas conscindere paulatim singula membra, ego suasi, ut occideres unico vulnere præcordiorum, &c.

31.Respondeo.Si id motus Charitate facias, te Reum irregularitatis facere non audeo, quia Pia Mater Ecclesia non videtur utile, tam acri pœna punire consilium de minori malo,quod,ut *l. 5. in Dec.c.* 1. §. 4. *à n.* 6. diximus, bonum quid est. Relege locum; ubi monuimus, quamvis non possis cooperari adjuvando malefactorem ad ipsum minus malum, v. g. ad verberationem loco occisionis; posse tamen suadere, ut potius quis verberet suum inimicum, quam, ut occidat. Confirmatur, quia passim.Doctores,ut Suar.*de cens.d.*45.*sect.*3.*n.*2.*&* 3.Avil. *de cens.p.*7.*d.* 6.*sect.*2. *d.* 3. *concl.* 1. Sayr.*de censl.* 7. *c.* 3. *n.* 13.Dian.*p.*4.*tr.*2.*res.*18.*fine*, propter dictam rationem, asserunt,non incurrere,nec excommunicationem, nec irregularitatem eum, qui suadet volenti occidere Clericum, ut potius eum verberet, vel ut potius mutilet.Ita igitur in casu nostro.

32. Si vero suadeas malo fine, ut esset v.g. quia vis, quantocius potes, tuum inimicum extingui, vel occisi hæreditate potiri,&c.te irregularem facio, quia usui tibi esse non potest excusatio ducta ab intentione piæ Matris Ecclesiæ jam dicta.

33. Si denique id suadeas motus fine indifferenti v. g. ne is,qui occidit, incidat in manus judicum, vel quid simile, non audeo te immunem ab irregularitate pronuntiare, quia non audeo interpretari, ad hunc etiam casum se extendere prædictam piæ Matris Ecclesiæ intentionem.

*Pertinacia nolentis acceptare revocationem consilii.*

34. Suasi tibi multis usus rationibus, ut interficeres Antonium,sed deinde revocavi,omni,quo potui,conatu, hoc consilium, rationes, quibus innitebatur consilium infirmando; Tu vero animo obfirmato retinens meæ rationes, quas proposueram, nunc mihi non acquiescis, sed hominem occidis,Etone Ego irregularis?

Respondeo,id differtè explicui *l.6.in Dec.c.* 4.§. 5. *n.* 3. *&* 4.Adde non fore docti cum multis à Gib.*de cens.d.*5. *q.*3.*n.*26.judicans,utrumque probabile,puta te fore,teque non fore irregularem.

*Consilium de non appellando.*

35. Quidam damnatus ad mortem intendebat ad superiorem judicem appellare: ego autem illi pernoctem consilium suasi, ne appellaret, unde ipse saltem citius, quam si appellasset,mortem subiit. Sumne ego irregularis?

36. Respondeo. Te irregularitatis damnat Henriquez,Sayr.Corneio, Gibalinus, Diana apud Leandrum, *tract.*2.*d.*7.*de irreg. quæst.*35. Ipse tamen Leander distinguit:si tu ex Ministris justitiæ es,v.g. Iudex,Capitaneus, &c.incurris irregularitatem ex defectu lenitatis, si vero persona es privata, v. g. Confessarius, Theologus, &c. non incurris irregularitatem ex defectu lenitatis, si vero persona es privata, v. g.Confessarius, Theologus, &c. non incurris. Ratio est, inquit, quia Ministri solum Iustitiæ incidunt in irregularitatem ex defectu lenitatis, eo modo, quo etiam nos aliquanto post explicabimus: Irregularitatem autem ex delicto solum incurrunt.ii, qui delinquunt, occidendo, vel mortem accelerando quales non sunt prædicti Confessarius, & Theologus, vel similes,qui solum consilium dare,supponuntur, non vero cogere.

37.Ego non omni ex parte assentior huic Leandri doctrinæ.Non primæ parti distinctionis:Potuit enim judex ille,vel Capitaneus persuadere omissionem appellationis non ut judex, sed, ut privata persona, eo modo, quo consilium dare solet Theologus.De hoc ergo casu ita discurrendum tunc erit de judice, vel Capitaneo, sicuti de personis privatis, Theologo, Confessario, &c. de quibus mox. Non secundæ, quia si confessarius, & Theologus imprudenter darent consilium, delinquerent,atque adeo acceleratent mortem injustè, unde effugere irregularitatem non possent.

38. Dico igitur Ministrum justitiæ, si, ut Minister prædictam omissionem appellationis, juste persuadeat, certum est, incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. Verum tum dictus Minister dans consilium,ut privata persona,tum dictus Theologus, & Confessarius suadentes Appellationis omissionem, si moveantur ad suadendum ex bonis & rationabilibus motivis, quod certè

occurrere posset, quando Appellatio esset frivola, & perniciosa, non incurretur irregularitas ex delicto, quia non peccatur, nec irregularitas ex defectu, quia, ut sic non sunt justitiæ Ministri, nec Milites in bello justo. Si vero temere, & sine ratione Appellationem removeant, etiam si non cogant, peccant. Quare non accelerate mortis Rei, & consequenter irregulares non sunt.

*Consilium mortis propter bonum publicum.*

39. Consilium dedi Petro ut se exponeret periculo mortis pro bono publico, vel privato, cui se exponere licite poterat, occisus est, & ego de mea irregularitate ambigo.

Respondeo, ne, quæso, ambigas, sed certo scias, cum Gibal. *de irreg. c.* 4. *q.* 2. *n.* 19. te non esse irregularem propter rationem valde similem ei, quæ dicta est *n.* 30. ut item quid simile dictum est §. 3. *n.* 13.

*De dubio in prædictis remissivè.*

40. De hoc locutus sum satis in superioribus, puta *c.* 5. §. *unic.*

*De irregularitate ex Ratihabitione, seu Approbatione Homicidii.*

41. De hac breviter, sed quantum sufficit, *l.* 5. *in Decal.* 4 §. 5. *n.* 7. dixi, & late habes apud Gib. *de irreg. c.* 4. *q.* 1. *n.* 45. aliosque ab ipso citatos.

§. I X. *An contrahatur irregularitas, quando quis negative se habet ad alterius mortem?*

1. Diximus supra §. 2. *à num.* 37. omittentem facere, quod quis debet ex justitia, ex qua omissione sequatur mors alicujus, fore irregularem; omittentem vero facere, quod quis debet ex Charitate, unde similis mors sequatur, irregularem non fore. Admonui tamen Gasp. Hurt. aliosque, quibus nunc adde Leand. *de irreg. tr.* 2. *d.* 10. *q.* 87. & 88. censere etiam illum, qui omittit ex justitia, non fore irregularem, atque addidi, & hûc explicandum remisi, ut hæc sententia sit probabilis, dictam omissionem debere esse puram. Quare, quænam sit hæc puritas hîc enodandum venit.

2. Illa est omissio pura, cui nullus adjungitur actus positivus, illa autem non pura, cui positivus aliquis actus adjungitur. Exemplis res evadet clarissima.

*Exempla puræ omissionis.*

3. Titius est prætor Vrbis, vel custos Viarum, vel Dux exercitus, vel pretio conductus, vel ex consanguinitate obligatus, sive ex charitate, sive ex justitia ad defendendos suos. Verùm in occasione aliqua illos nequaquam defendit, unde permittit aliquem ex his occidi. Peccat quidem graviter, sed non est irregularis, quia hæc est mera omissio, cui non adnectitur ullus actus positivus. Idemque aliqui ut G. Hurt. *de irreg. d.* 2. *dif.* 9. *n.* 34. citans Vasq. *in man. de irreg.* Turr. *de Cens. l.* 9. *d.* 63. *dub* 3. & prob. put. Io Præp. *q.* 5. *de ir. d.* 10. *n.* 29. & Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 7. dicunt esse, etiam si dolo, & scienter illa mera permissio fiat, quia non extrahit permissionem ab esse puro negativo, cui soli nequaquam irregularitatem adnexuerunt Canones ut supra dixit hæc probabilis sententia.

4. Medicus, Nauclerus, Advocatus, Procurator, quamvis ipsi conducti fuerint, si nihil agendo, sive ob imperitiam, sive ob odium, perire sinant ægrotum, Navim, Clientem, non incidunt ex hac probabili sententia in irregularitatem, licet peccent contra Iustitiam. Quare Medicus v. g. qui jam fortasse habuit, ante pretium sui laboris suscipiendi, sive deinde curam Infirmi suscipere nolit, sive, ea suscepta, illam non exhibeat, sive urgentiore tempore deserat, unde moriatur Infirmus, peccabit quidem contra Iustitiam, ut dixi, sed ex hoc peccato irregularitatem, propter ejusmodi puram omissionem, non contrahet. Ita præter citatos Val. *in diff. utriusque fori V. Homicidium diff.* 5. adnexum Sylvest. Palat. Caiet. Ita etiam Leand. *t.* 2. *de Irreg. d.* 10. *q.* 90. aliique.

5. Iudex capite damnavit tuum fratrem, sed si aliquot pecuniam offeras, is liberabitur, Grassator filium tuum inclusum apud se retinet, teque per internuntium, minatur, ut ei aliquot aureos mittas, secus filium occidet, Tu ea, vel Hostis tuum patrem captivum interficere minatur, nisi tu illius mortem competenti pecunia redimas, verum tu prædictas pecunias numerare negligis, vel cunctaris, non eris, teste Vgol. *de Irreg. c.* 16. §. 4. *fine*, (quia hæc est omissio pura) irregularis, illorum morte secuta, etiam si supponamus ex justitia te debere illas pecunias numerare. Dico (si supponamus) nam de hac re *l.* 5. *in Dec. c.* 1. §. 2. *n.* 9. à me dictum est satis.

6. Inquires hîc. Si Petrus tibi suadeat, ut prædictas pecunias ex justitia debitas non numeres, cui Petrus, morte secuta, irregularis? Idem quæri potest, si Petrus tibi suadeat; ne defendas aliquem quem defendere tuteris, vel, ne tu dives des eleemosynam egeno, qui præ fame perit, vel, tu ne Medicus cures infirmum, vel non molitionem mortis alicujus reveles, &c.

Respondeo, non esse, putat Vgolinus, *ibidem* cui adhæret Leand. *de Irreg. d.* 10. *q.* 94. & *sequentib.* quia licet non es irregularis tu, qui es principalis, & non numeras illam pecuniam, vel ad illas actiones pure negative te habes, ita & Petrus, quia hæc suadet. Verum non est audiendus, si suasio Petri fuit causa, ut v. g. pecunia illa non mitteretur. Ratio est, quia tunc mors illa meritò tribuitur Petro dissuadenti; cum enim is non negative se habet (ut te habes tu, qui nun mittis) sed max me positive per actum persuadendi, incurret in irregularitatem adnexam ex Sacris Canonibus actui positivo, ut modo dixi, & mox in exemplis jam ponendis clarius videbis.

8. Objicis. Mirum est, Petrum, qui se remotius habet ad mortem prædictorum, incidere in irregularitatem, non vero te, qui immediatius.

9. Respondeo, non esse mirum, quia Petrus positive se habet, cui actioni Sacri Canones conjunxerunt irregularitatem, tu vero nihil agis, cui omissioni non est eisdem Sacris Canonibus ulla irregularitas adjuncta.

10. Illud tamen adverte, si Petrus id persuasit bono fine v. g. ne judicis justa sententia pecuniis impediretur, ne Grassatores, ad ejusmodi lucra extorquenda, assisterent, ne hostes illa pecunia fortiores evaderent, Petrum non fore irregularem, quia non est putandum Ecclesiam voluisse sub tanta pœna recta & rationabilia consilia prohibere, ut in simili dictum est sæpe. Nam propterea, nec irregularem fore, puto eum, qui deterreret amicum, ne à manibus Satellitum eriperet illum, qui damnatus ducitur ad mortem, quando id faceret, ne impediretur actus Iustitiæ, vel ne amicus, sic incideret in aliquod propriæ vitæ periculum.

*Exempla omissionis non puræ, ideſt actui alicui adjuncta.*

11. Notarius, Procurator, vel quicunque alius; libet scripturam, qua visa, quis à morte liberaretur, advertens autem, eam perquiri ad dictum hominem salvandum, ipse eam non solum non profert, seu non ostendit, nam sic esset omissio pura, de qua in præcedentibus numeris dictum est, verumetiam illam occultat, vel alio transfert, ut inveniri non valeat, vel laceral, vel comburit, vel rogatus, negat, apud se illam servari, etiam, morte secuta, irregularis, quia omissioni ostendendi scripturam adjungitur actus positivus illam occultandi, lacerandi, &c.

12. Testis non solun, non se sistit judici ad testificandum in favorem alicujus, qui hoc teste destitutus capite punitus fuit; hæc enim esset pura omissio? verumetiam rogatus dixit, se nihil scire, irregularis erit ex delicto, quia illi omissioni adjungitur hic actus positivus.

13. Amicus destinat te nuntium, ut Petrum admoneas, ipsi insidias parari à suo inimico, Tu vero non solum, non

non admones (hæc enim esset puta omissio, etiam si susceperis curam admonendi, & etiam si malo animo contra Petrum ipsum non admoneas) verumetiam literas, quas idem Amicus tibi consignavit ad Petrum, in quibus de iisdem insidiis ipsum admonebat, apud te reministi nec Petro reddidisti, irregularitate non effugies, si Petrus occidatur, quia illa retentio actus positivus est.

14. Dices: Illa susceptio curæ admonendi, nonne etiam est actus positivus? Cur ergo omissio illi coniuncta non parit irregularitatem?

Respondeo, quia susceptio eiusmodi, quamvis actio positiva, nimis remotè se habet ad occisionem; neque enim susceptio curæ admonendi infert ullo modo mortem, sicuti, nec infert in Medico susceptio curæ infirmi, ut modo *n.* 4. dictum est.

15. Consulant aliqui Petrum occidere, tu assistis, taceasque, eris irregularis, morte Petri secuta; illa enim taciturnitas in iis circunstantiis non est pura omissio, sed, quia affert animum consultantibus, est tacitus consensus: Idem resolve de assistentia amicorum, dum aliquis ex illis aliquem occidit, ipsi vero assistunt. Idemque resolvi solet de Principe Ecclesiastico temporali iurisdictione pollente, qui assistit, quamvis nihil dicat, executioni mortis; ipsa enim præsentia Principis auctoritatem dat exequentibus.

16. Mulier concepit à Petro, aitque se velle abortum fœtus animati causare, id, quod audiens Petrus, tacet, unde mulier secura voluntatis Petri, facinus cum effectu aggressa, est, fiet irregulariis Petrus propter eádem rationem *n. præced.* dictam, ut notat etiam Castr. *de cens. d.* 6. *p.* 15. §. 7. *n.* 4.

17. Ambulat Primo, quis de nocte per loca abrupta. Secundo, Alius naufraga navi eiectus iactatur in undis. Tertio, Alius, per angustum pontem, flumen pertransire tentat. Quarto, Alius ad tuæ domus ianuam confugit, quo persequentem inimicum effugiat. Tu vero cum possis, nec facem præfers primo, nec secundo tabulam, seu funem, nec tertio comitem te addis, nec quarto ianuam forte clausam aperis. Non eris irregularis, si horum consequatur mors, quamvis ex odio ad hæc non exhibenda motus fueris, quia hæ sunt puræ omissiones. At vero, si advertes ad eorum pericula, facem fortè accensam extinguas, unde noceas primo, si tabulam, vel funem abreptum submoveas, unde noceas secundo. Si tabulata Pontis dissipes, unde noceas tertio: Si ianuam forte apertam claudas, unde noceas quarto, irregularis eris, postquam aliquis prædictorum pereat, quia hi sunt actus positivi Excusat nihilominus hunc quartum P. Prates *in manusc. de irreg. d.* 4. *cap.* 4. *num.* 20. *fol.* 462. si ianuam claudat ob finem bonum, puta, ne sua domus damnum aliquod patiatur: quod certe solum intelligi debet de damno notabili, & eius rationis, ad quod subeundum, te obligare, non præsumitur Ecclesia, iuxta modo dicta *n.* 10.

## §. X. *De irregularitate orta ex occisione facta à Ministris iustitiæ, quæ dicitur ex defectu lenitatis.*

1. Occisio iusta, quantum ad nos in præsentia pertinet, vel fit à Ministris Iustitiæ, vel à Militibus in bello iusto, vel ad defensionem sui: de singulis separatim, & in hoc quidem §. *De prima.*

2. Conclusio certa est hæc. Iudex Pontifice inferior, qui in causa sanguinis fert sententiam iustam de morte, vel mutilatione alicuius, fit (ea certè secuta) irregularis ex defectu lenitatis, quæ sunt in Christo. Quam late explicat S. Th. 2. 2. *q.* 40. Nav. *in summ. cap.* 27. *num.* 206. Henr. *l.* 14. *c.* 10. *n.* 1. Catar. *dec.* 1. *à n.* 97. Percurre singulas clausulas.

### *IVDEX.*

3. Quicunque (excipitur Summus Pontifex, qui, ut supra *c.* 2. *n.* vidimus, non est irregularitati subiectus;) Clericus, vel Laicus sive ordinariam, sive delegatam habeat potestatem, cum eadem sit ratio de omnibus, hic meritò comprehenditur.

4. Illud nihilominus discrimen est inter Clericum, & Laicum, quod Laicus solum incurrit irregularitatem: cæterum, iuste damnans, meretur. At Clericus, etiam iuste damnans, præter irregularitatem, quam contrahit, peccat, & quidem graviter, eo, quo graviter Clericus prohibetur. *C. Sape 23. quæst. 8. C. Sentent. ne Clerici, vel Monachi*, ne se ingerat in causam sanguinis.

### *In Causa Sanguinis.*

5. Hoc est in causa mortis, vel mutilationis membri, (de qua mutilatione mox expressius dicetur) id enim ex usu loquendi significat causa sanguinis. Hinc si sententia feratur de aliquo præfocando, vel veneno, fameve, sine effusione Sanguinis occidendo, erit nihilominus causa sanguinis. Contra, si feratur de sanguinis effusione, ut de verberatione usque ad sanguinem, sed sine periculo mortis, vel mutilationis, causa sanguinis non erit.

6. Quid si Iudex aliquem iuste damnaverit crudo carceri, vel, ut eidem non porrigatur, nisi panis, & aqua, quo pacto, si statim is non obiit, certe ex eiusmodi angustiis illi (ut contingere non raro solet) accelerata est mors?

7. Respondeo. Si, consideratis Rei viribus, eidem fuerunt permissa necessaria vitæ, nullam irregularitatem timebit Iudex, quia per accidens, tunc ille moreretur. At, si ea permissa non fuerunt, vel carcer valde humidus fuit, unde, vel data esse, vel notabiliter accelerata iudicetur mors, erit irregularis Iudex ex defectu lenitatis, quando ad hæc iuste reum damnavit, puta, ut sensim moreretur, at ex delicto, quando iniuste, &c.

8. Confirmo, quia carceres fœtidi, humidi, subterranei prohibentur, ut notat Farin. *q. crim.* 27. *n.* 95. & 194. Vide etiam Men. *de arbitr. l.* 2. *casu* 305. & Gom. *Var. t.* 3. *c.* 9. *num.* 6. *V. Quia carcer.* Lege director. inquisit. *p.* 3. *q.* 58 *comm.* 107. & solum concessuntur quando quis per sententiam iustam ad mortem sensim suscipiendam condemnatur.

Dixi autem modo (notabiliter accelerata) nam ex ordinariis carcerum angustiis, parcoque victu diminui aliquid de viribus, & consequenter de vita, iam scimus, sed addimus, non incurri tunc irregularitatem ullam, quia, si iusta est condemnatio, iam permissa imò requisita à Sacris Canonibus est ea diminutio. *C. Novim. de verb. signific.*

### *Fert Sententiam iustam.*

9. Si enim iniusta sententia, non ex defectu lenitatis, sed ex homicidio voluntario, secuta morte, fore iudicem Irregularem, nimis est ex dictis manifestum.

10. Sunt autem nonnulli, qui iudicem faciunt ex defectu lenitatis irregularem, etiam antequam sententiam mortis ferat. Sed immerito, quia licet, dum quis est iudex, nó possit promoveri ad Ordines, quia est Curialis, potest tamen, iudicatu relicto, sed non est irregularis, antequam sententiam sanguinis ferat, imò, neque antequam eum effectu sequatur mors.

11. Ideo iudex, ut & Princeps, etiam delirescens sub cortina, & omnes Ministri iustitiæ, etiam infimi Satellites, si assistant executioni mortis in locis suæ ditionis (nam in alienis sunt, ut supponimus, sicuti homines privati, non Ministri) irregulares fiunt, quia ipsorum auctoritate mors infertur. Privati autem alij, ut, & famuli teste Avil. *de Censur. part.* 7. *disput.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. *concl. unica.* Henriq. *l.* 14. *cap.* 14 *num.* 2. mere ad obsequia Dominorum Domestica addicti, etiam si cum Dominis assistant, immunes sunt ab irregularitate, quia, ut item supponere debemus, nihil conferunt ad sententiam exequendam.

12. Quid de Clericis? Respondeo. Idem dic, si assistant, ut auctoritatem præbeant executioni, nam propter hanc rationem quidam Episcopus *C. Ex Litteris de Excessib. Prælatorum.* reus fuit irregularitatis, quia interfuit cuiusdam furis suspendio; astitit enim in proprio territorio, unde, ut auctoritatem afferens executioni, verum si Clerici quicunque, ut & Religiosi assistant alio fine, sive curiositatis, sive amicitiæ, sive alterius causæ gratia, ne timeant irregularitatem, immo ex mera dicta assistentia, nec peccatum. Quod si Textus aliqui. *C. Sententiam Cleric. vel Monachi.* videantur strictius loqui vel satis explicari in alium sensum possunt, vel certe legitime desueverunt. Lege Molin. *de Iust. ap. Dianam p.4.tract.2.res.35.*

*De morte, vel mutilatione alicuius.*

13. Cum non solum mors, verum etiam mutilatio membri alicui à Ministris Iustitiæ illata afferat ipsis irregularitatem, ideo hîc etiam mutilationis expressa fit mentio. De ea tamen separatim infra §. 6. dicam. Nunc autem quatuor sunt difficultates ad præsens argumentum facientes, dissolvendæ.

## PRIMA DIFFICVLTAS.

*An Iudex pluribus sententiis plures condemnans contrahat plures numero distinctas Irregularitates?*

14. Respondeo, plures. Ratio est evidens, quia per plures actiones, puta per plures condemnationes occidit separatim plures; singulis autem occisionibus suæ numero distinctæ irregularitates correspondent.

15. Quod si multos Iurisdictionis actus iudex ante sententiam exerceat, contra hominem unum, tunc fateor unam ab ipso irregularitatem contrahi, quia illi præcedentes actus unum quid faciunt cum una sententia. Nisi fortè præcedentes actus tendant ad mutilationem v.g. & de facto fiat mutilatio, & deinde alij actus consequentes tendant ad mortem, quæ ex intervallo inferatur, ut, si prius Reo manus abscindatur, & deinde, ex intervallo idem Reus suspendatur, tunc enim duæ irregularitates erunt, ut pote consequentes ad duas distinctas, etiam moraliter, actiones.

## SECVNDA DIFFICVLTAS.

*An Iudex una sententia plures simul condemnans plures irregularitates concipiat.*

16. Respondeo. Vgolinus *de Irreg. §. §. 9. num. 2.* ait, tot concipere irregularitates, quot numero homines (quamvis per unicam sententiam) morte punit: Sicut (ait) communis sentétia docet, te per unicam sclopi explosionem pluribus excommunicationibus ipsici, si simul plures Clericos occidas.

17. Bonacina *de Cens. d. 7. q. 4. p. 1. n. 26.* autem docet, posse probabiliter defendi, tunc fore unam numero irregularitatem, sicuti existimantur una blasphemia, quando uno, eodemque, impetu multæ proferuntur, & unicum peccatum unitate morali, quando quis unico bombardæ ictu plures occidit.

18. Tu prudenter sic distingue: Si sit una sententia, unaque delicti causa, qua multi capite plectuntur, & item unus sit locus, unumque tempus, quo plectuntur, valdè probabiliter una erit numero irregularitas, quia tunc illa una sententia de pluribus occidendis, illæque omnes occisiones moralem unitatem habent, sicuti dicunt Plures ap. Leandr. *de Censur. 6. 3. à q. 39.* probabile esse incurrere unam numero excommunicationem, si unica explosione multos Clericos occidat. At, si causa delicti sit diversa pro diversis, vel in diverso loco, vel in diverso notabiliter tempore, quamvis per unam sententiam (quia non apparet prædicta unitas) plures numero erunt irregularitates, sicuti plures incurrit irregularitates qui per intervalla nunc unum, nunc alium occidit. Ita Gibal. *de censu. dis. n. 15. seu. 14* cum Suar. & Mol.

19. Id, quod dictum est de iudice, posset dici de occidente per unicam actionem plures. Si enim occidat quis plures per unicam actionem, puta per unam bombardæ explosionem, unam contrahet irregularitatem, plures vero, si ex intervallo notabili, iuxta ea, quæ aliqui docent apud eundem Leandrum de simili multiplicatione Censuratum. Vide etiam supra *c. 14 §. 3. à n. 10.*

## TERTIA DIFFICVLTAS.

*An Iudex ferens sententiam, ut duæ v. g. manus Rei amputentur, iis amputatis, duplici irregularitate vinciatur. Quod idem quæritur de abscindente physice eidem duo membra.*

20. Respondeo. Si ex intervallo notabili, duæ resultant *de Irreg. c. 5. §. 9. n. 3. fine.* irregularitates enascuntur, si secus, una, id, quod eodem modo explica, quo in difficultate præcedenti explicatum est de similibus.

## QVARTA DIFFICVLTAS.

*An Iudex proferens sententiam sanguinis contra delinquentem, incurrat irregularitatem, quando ad executionem mortis, requiritur sententia alterius Iudicis?*

21. Respondeo, esse distinguendum: Si enim posterior iudicis sententia utatur processu, seu probationibus seu sententia habita à priore iudice, quia tunc uterque concurrit ad mortem, uterque incurrit in irregularitatem; Si non utatur, liber erit prior iudex, & solus posterior in illam cadet, quia tunc prior iudex nullo modo concurrit ad mortem. Non est igitur audiendus Hent. *l. 14 c. 12. n. 5.* cui adhæret Avil. *de Cens. p. 7. d. 5. sec. 2. dub. 1.* qui in hoc casu priorem iudicem liberat semper

*Ea (ideſt morte) certò secuta.*

22. Quod mors debeat esse secuta, ex dictis, utmodo *n. 10.* innui, nimis est manifestum. At illud hîc valdè notandum est, quod diximus (certò secuta) id quod, cui addimus, habes supra *c. 5. §. unico n. 33.*

*De eodem Iudice, quo ad Delegationem quam alteri confert de occidendo vel mutilando.*

23. Præmittendum est, Primo, Principem Sæcularem, ut item Prælatum Ecclesiasticum habentes iurisdictionem temporalem, ex quocunque titulo illam habeant, posse, & Ecclesiasticum in causa sanguinis debere, illam delegare uni Laico, vel pluribus, ut placuerit, dummodo sint apti, idque, vel ad tempus, vel in perpetuum, &, vel ad universas causas, vel ad aliquas, vel etiam ad unam, vel alteram. Patent hæc ex vulgatis Textibus, vulgataque doctrina de Delegatis, & Delegatione.

24. Dixi (uni Laico, vel pluribus) nam licet Prælatus Ecclesiasticus Papa inferior iurisdictionem spiritualem non possit delegare, nisi Clericis, at temporalem potest Laicis.

25. Dixi item (dummodo sint apti) nam irregularis ex delicto sine dubitatione erit Prælatus, si deleget auctoritatem suam iudici, quem cognoscit imperitum, vel prævum, unde iniuste quis morte puniatur, quia tunc Prælatus, gladium iurisdictionis imperito portigens, moraliter occidere innocentem, censendus est.

26. Quod si per occasionem hîc quæras, An Princeps Sæcularis possit Clericis delegare iurisdictionem suam temporalem, sicuti potest Laicis?

Respondeo, id prohibitum esse in Iure, *C. Sed nec C. Clericus. Ne Cler. vel. Monachi* his verbis: *Ne Clericus exerceat Iurisdictionem temporalem, vel causas agitet Criminales sub Principibus Sæcularibus, nec officia Vicecomitis, aut Præpositi Sæcularis obeat.*

27. Notat autem Primo Abbas, per hæc verba illicite acceptari à Clerico dictam iurisdictionem, sed tamen valide, unde valerent sententiæ ab ipso datæ, etiam in causa sanguinis. Ratio est, quia in Textu nulla clausula est irritans delegationem; neque enim per hunc

hunc Canonem Clerici incapaces ejusmodi delegationis redduntur.

28. Notat Secundo idem, si semel unam delegationem acceptaret Clericus ad causam criminalem, non peccare mortaliter, peccare, si multas, quia, ait, sic, non esset exercere, quod denotat frequentiam. Sed certe id, non videtur verum, quia Canones graviter prohibent ne Clerici subdantur Principibus Sæcularibus, eorum jurisdictione utendo, quod certe fieret, etiam si semel acceptarent.

29. Nota tu denique Tertio, duplici modo posse Principem Sæcularem demandare Clerico causarum judicia. Primo conferendo suam jurisdictionem temporalem ipsi Clerico, quo eundem constituat judicem à se dependentem, & hoc prorsus prohibetur à Sacris Canonibus, ut dictum est, tum pro causis in genere, tum pro causis in particulari. Secundo nihil conferendo de sua jurisdictione, nec constituendo Clericum judicem à se dependentem, sed volendo, ut aliquæ causæ, quæ examinabantur, ac judicabantur in suo Sæculari Tribunali, definitentur in Ecclesiastico, quo pacto dicitur forum Ecclesiasticum ampliari. Hoc autem non prohibetur, quia tunc Clericus aget ex jurisdictione Ecclesiastica ampliata ad has, vel illas causas, non vero proprie sub Principe Seculari. Lege Molinam, *Tom. 4. tract. 3. d. 8. num. 10.* Si tamen tunc dictus Clericus ferat sententiam sanguinis, fore irregularem ex defectu lenitatis, secuto effectu non est dubium, quia jam, ut Minister justitiæ se habet.

30. His ita explicatis, redeamus propius ad nostra, & quæramus, an Episcopus v. g. gaudens jurisdictione temporali, deleget hanc suam jurisdictionem alteri, ut delegare certe debet ex dictis *num.* 23. & is Delegatus aliquem pœna capitali puniat, fit ipse Episcopus irregularis; eademque esset quæstio, si Reus appellaret ad ipsum Episcopum Delegatum, & is delegaret alium judicem, qui simili modo morte puniret Reum.

31. Respondeo, Episcopum Delegatum, in utroque casu non fore ullo modo irregularem. Nam sic definitur à Sacro Textu, *C. Episc. ne clerici vel Monachi in 6.* Et ratio definitionis fuit, quia ejusmodi personæ Ecclesiasticæ bene fungi ob Reipublicæ bonum suo officio certe debent. Ergo quandoquidem ipse per se sententiam sanguinis exercere non possunt, secus enim essent irregulares, oportuit illis saltem concedere, ut vices suas aliis committerent. Idem Episcopus, seu quilibet ordinaria jurisdictione temporali pollens, poterit propter eandem, imo majorem rationem, concedere statutum & jus, per quod delinquentibus debeatur mors; id enim postulat eadem recta suorum subditorum gubernatio, neque continet sententiam sanguinis, sed est lex prohibens sub pœna sanguinis. Hæc lege pluribus apud Doctores, ut G. Hurt. *d. 2. de irreg. dub. 2. diff. 11. num. 42.* Suar. *de cens. 47. sect. 1. num. 7.* Dian. *q. 4. tract. 2. resol. 78. 10.* Præpos. *q. 5. de irreg. d. 13. n. 99.* Covar. *in Clem. Si fur. p. 2. §. 5. num. 8.*

32. Hîc habemus Henr. qui prædictam doctrinam nimis coërcet, & Turr. qui ampliat nimis.

Henriquez *l. 14. c. 12. n. 6.* afferendo Testimonium Navarri, ait, fore irregularem Prælatum habentem temporalem jurisdictionem, si delegat causam capitalem particularis Rei alicui Laico, secuta morte, probatque ex Sacro Textu, *C. Ex lit. de Excess. Prælat.* Sed immerito; hic enim Textus irregularem Episcopum quemdam pronuntiat, non quia delegaverit causam mortis particularem sed, quia auctoritatem præstitit executioni mortis illius hominis, quod est longè diversum, & utpote cooperatio dans auctoritatem executioni mortis, est irregularitati subjecta.

33. Turrianus *tom. 1. 2. 2. d. 93. dub. 2.* docet, posse prædictum prælatum exhortari judicem à se Delegatum ut hic exequatur pœnam capitalem. Si enim (inquit) Clericus potest hortari generatim judicem ad servandas justitiæ leges sine timore irregularitatis, & mandatum delegato suo dare, de servandis justitiæ legibus circa hanc causam particularem, cur non poterit mandare, ut pœnam latam de morte judex exequatur? hoc enim mandatum exequendæ pœnæ jam satis involvitur in mandato illo de servanda justitia in hac causa particulari.

34. Verum, est diligenter distinguendum: potest enim ejusmodi Prælatus generatim, & etiam speciatim exhortari de servanda justitia in causis, & etiam in hac causa capitali, imò id etiam mandare, quia hoc concedunt Canones, cum sint ad actum ex se bonum, & remote se habentem ad occisionem. At mandare, ut Iudex executionem mortis hujus rei exequatur, fiat auctoritative ut judex exequens, ex vi talis mandati mortem Reo inferat, non potest prædictus Prælatus; quia sic ipse sua auctoritate cooperaretur ad occisionem, quæ est clara causa irregularitatis. Quod si non mandaret auctoritative, sed solum ita exhortaretur, sicut posset, si esset privata persona, nullam prorsus auctoritatem præbens, non erit irregularis ex doctrina universali mox afferenda, quia tunc non agit, ut Minister justitiæ. Sed certe difficile id in praxi est, quia verba ejusmodi prolata à Superiore, semper, saltem regulariter accipiuntur auctoritative, nam propterea certe aliqui ex dicto *c. ex literis de excessu Prælatorum*, monent, ut Prælatus abstineat, non solum impellendo judicem ad ferendam sententiam sanguinis, dum agitur de causa particulari, verumetiam ab exhortatione, ut aliquem puniat (quamvis taceat designatione pœnæ) quando delictum est dignum morte, quia, inquit, in utroque casu interponeret suam auctoritatem, atque adeo esset causa sententiæ sanguinis.

35. Multo minus potest Prælatus suo Delegato, vel Ministris suis dicere, ut Homicidam hunc merentem suspendium suspendant, vel mutilent, quia sic auctoritatem præberet executioni mortis, vel mutilationis, incurreretque irregularitatem ex defectu lenitatis, quæ ex occisione justa infligitur Ministris justitiæ. Quicquid dicat Avila, *de cens. p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 4. concl. 3.* qui satis immerito putat, hanc esse irregularitatem ex homicidio injusto, immerito, inquam, quia hæc occisio justa est.

36. Propter eandem rationem, prædictus Prælatus, si proponat præmium dandum ei, qui grassatorem hunc determinatum capiat, eo deinde capto, & ex vivis sublato, erit irregularis, Favet Vgol. *de Irreg. cap. 5. §. 8. fine.* Majol. *lib. 5. de Irreg. c. 48. §. 2. n. 8.* non vero erit si grassatorem, nec explicitè nec tacitè designet, sed solum in genere; Ratio est, quia designando dat suam autoritatem ad occidendum, quam non censetur dare dum in genere grassatores extirpare curat.

37. Idem dic, si Prælatus, seu Princeps jubeat, seu edicat, ut sive vivus, sive mortuus ad se is grassator adducatur, imò etiamsi id generatim dicat de grassatoribus aliquo enim occiso, erit Prælatus irregularis, quia clare suam actoritatem interponit. Imò in hoc casu putant Comitolus *in resp. mor. l. 4. qu. 20. num. 8.* Rebell. *p. 1. l. 3. quæst. 11. num. 4.* Valer. *diff. 4. Vers. Homicid.* Caiet. *in summ. Vers. Homicidium*, aliique ejusmodi Prælatum, vel Principem contrahere Irregularitatem ex homicidio injusto, quia, inquiunt, ejusmodi præceptum, semper est injustum, & peccatum contra justitiam, cum sit de occidendo homine inaudito, nec confesso, seu in judicio non convicto. Dicunt (semper) dicerem (regulariter) nam puto, posse occurrere casum adeo clarum, grassatoremque adeo bono publico manifeste nocentem (nullo remedio interim apparente avertendi malum) ut ejusmodi præceptum valde justum censendum sit, unde irregularitas fit ex defectu lenitatis.

38. Quæres hîc denique resolutionem sequentis casus. Episcopus potens dicta temporali Iurisdictione dat auctoritatem Clerico, ut Clericus nominet Iudicem Laicum, qui condemnet Reos, vel talem Reum pœna sanguinis, eritne, secura rei morte, irregularis prædictus Clericus.

Respondeo. Si arbitratui Clerici data fuit potestas eligendi

eligenti judicem prædictum, erit Clericus irregularis, si vero solum Clerico commissum fuit, ut ipse renuntiaret, seu afferret Judici electionem factam ab Episcopo, irregularis non erit. Ratio est, quia, in priori casu, ipse Clericus ex una parte cooperatur cum judice ad deformationem, dando ei potestatem ad deformandum, & ex alia parte non excusatur ab officio temporalem jurisdictionem habente, sicuti excusari diximus Episcopum, id ratione ejusmodi officii, concedentibus Sacris Canonibus. At in posteriori casu ipse Clericus nullam potestatem dat judici, sed solum renuntiat, seu admonet, de potestate illi ab Episcopo tradita, quæ officii nuntiatio non est causa proxima sententiæ deformationis deinde secutæ, Ita Farinac, & Io. Calder *in Cap. ult. Ne Clerici vel Monachi in* 6. favetque Io. And. *ibid.* aliique contra, Vgolinum *l. c.* §. 8. *n.* 11.

*Colligitur ex dictis, qua ratione effugiat Irregularitatem Episcopus, si quando sit constitutus, Siciliæ Prorex.*

39. Id explicabit resolutio danda sequenti quæstione, Cum Episcopus Don Petrus Corsettus vir doctrina, & virtutibus insignis non multis abhinc annis constitutus fuerit hujus Regni Siciliæ Gubernator, dubitari cœptum est, an ejusmodi Provinciam Episcopus subire licitè posserit: Id enim Clericis prohibetur, ut modo *num.* 26. vidimus. Rursus, esto, ipsi licuerit, qua ratione sententiam sanguinis delegare, ut immunis esset ab irregularitate, debuerat?

40. Quoad prius resolutio fuit, licite potuisse, teste Bard. *in select. l.* 7. *q.* 1. *n.* 10. sive ob consuetudinem, sive ob Privilegium, quo gaudet Catholicus Rex præficiendi suis Regnis Ecclesiasticos. Sed quoad posterius major dissensio orta est inter Theologos.

41. Vt ea melius intelligatur, notanda est praxis procedendi in causis sanguinis in hoc Regno. Postquam enim delatum est judicibus delictum aliquod morte dignum, v. g. Petrum commisisse homicidium, idem judices rem Proregi referunt, & ab eo recipiunt mandatum, ut inquirant de delicto, ac referant, quid invenerint, & præterea facultatem procedendi ex abrupto. Iudices ergo cum reum, vel ex probationibus; vel ex propria Confessione convicerint, morteque puniendum decreverint, referunt Proregi quid actum fuerit, qui sic præcipit, *Excellentia sua providet, & mandat, ut Petrus suspendatur*: quo mandato accepto, traditur petrus Ministris suspendendus.

42. Episcopus ergo Gubernator, de quo agimus, advertens, si hoc modo uteretur, se in irregularitatem incidere, duo immutavit. Primo, ut judices in posteriore relatione post plenam probationē delicti ipsi Episcopo faciendam, nequaquam referrent, quid ipsi de morte delinquentis statuissent. Secundo, ut ipse Episcopus alio modo subscriberet relationi judicum, quam alii Proreges consuevissent, hoc est modo sequenti, *Illustrissima Dominatio sua providet & mandat, ut Tribunal inquirat veritatem, & provideat de Iustitia.* Qua commissione habita, judices sic decernebant; *Stante commissione Illustrissimæ Dominationis suæ Tribunal Magnæ Regiæ Curiæ providet, & mandat, ut Petrus suspendatur, &c.* Quæsivit ergo Episcopus, an sic dictis mutationibus uteretur, irregularitatem effugeret?

43. Divisi sunt Theologi. Et quidem ex nostra Societate P. Martinus Prates *in manus. de irreg. d.* 4. *c.* 2. §. 3. *fol.* 287. nullo modo Episcopum irregularitatem effugere contendit; effugere contendit Pater Franciscus Bardi. *l. c.* Equidem dum latissime ab ipsis agitatam hanc quæstionem lego, commendo diligentiam, admiror doctrinam, ingenium utriusque acre complector. Sed mihi videor unica, facilique ratiocinatione quæstionem ex proxime dictis posse dissolvere, quam ipsi satis pluribus prosequuntur.

44. Formetur hoc argumentum. Prælatus gaudens temporali jurisdictione potest, imo debet potestatem proferendi sententiam sanguinis judici Laico committere, ut clare habet Textus *C. Episcopus ne Cler. vel Monachi in* 6. & nos supra signatè docuimus; non potest autem ipse eam proferre sine incursu irregularitatis, nisi ea curâ: Sed Episcopus prædictus Gubernator per memoratam formulam, qua uti ipse intendit, profert ipse sententiam sanguinis, & ex vi illius, & non alterius sententiæ Petrus suspenditur: Ergo Episcopus est irregularis. Ecce argumentum Patris Martini.

Formetur hoc aliud: Prælatus gaudens temporali jurisdictione potest ex Sacro prædicto Textu, imo debet potestatem dictam committere, non potest autem ipse sententiam proferre, &c. Sed Episcopus Gubernator per memoratam formulam, qua uti ipse intendit, non profert sententiam sanguinis, nec ex vi illius formulæ, sed alterius sententiæ, quæ datur à Tribunali, Petrus suspenditur: Ergo Episcopus non est irregularis. Ecce argumentum Patris Bardi.

45. Quæso ergo te studiose Lector, nonne prætiabis, veram esse Minorem prædicti argumenti assumptam à Bardi, falsam vero eam, quam Prates assumit, si perpendatur formula, qua uti intendit Episcopus Gubernator? Ita sane. Manifeste enim per immutationem illam factam ab Episcopo, novamque illam recitam formulam, Petrus non suspenditur ex vi commissionis datæ ab Episcopo, sed ex vi sententiæ latæ à Tribunali, Pater, quia, si hæc à Tribunali non ferretur, nunquam suspenderetur Petrus, unde clare apparet, illam Episcopi Gubernatoris commissionem, seu verba, nihil aliud continere, nisi delegationem jurisdictionis datæ ab Episcopo judicibus in causa sanguinis, quam ipse dare judici Laico sine timore irregularitatis potest, imo à Sacro Textu dare compellitur.

46. Quod autem Prates narrat, Episcopum noluisse acquiescere illis, qui eum ab irregularitate immunem faciebant, unde obtinere à Summo Pontifice voluisse facultatem sic procedendi, nihil nobis officit: Episcopum enim religiosissimum, teneræque conscientiæ virum, id majorem animæ tranquillitatem, id fecisse, putandum est.

*Exceptiones duæ circa obligationem Prælati non ferendi sententiam in causa sanguinis.*

## PRIMA EXCEPTIO.

*In causa Fidei pro Inquisitoribus, & eorum Ministris.*

47. Sacri Inquisitores concluso processu convincunt contra Hæreticum impœnitentem, vel Relapsum pronuntiant in eum sententiam definitivam, qua pronuntiant, illum esse Hæreticum pertinacem, tum tradunt eundem potestati Seculari, protestantes, seu enixe deprecantes, ut, citra sanguinis effusionem, mortisque periculum, illum puniat. Iudices autem Sæculares, nullo vito processu, & sine mora, prædictum Hæreticum sibi relictum, sive Laicus is sit, sive clericus (qui certe prius est degradandus) morte plectunt. Hæc est praxis Tribunalis Sacræ Inquisitionis, in qua quæritur, an Inquisitores secuta Hæretici deformatione, sint irregulares? De ipsa etiam lege Emeric. *in Direct. Inquisit. p.* 3. *in formis*, &c. Lege item Castrop. *T.* 1. *tr.* 4. *d.* 8. *p.* 14. *numer.* 10. Sanch. *de Censur. d.* 47. *sec.* 1. *nn.* 13. Dianam *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 101. cæterantem alios.

48. Et quidem non esse, omnes Doctores conveniunt, sed unde, & quare, non conveniunt omnes: ego judico eos, concurrere ad mortem, sed à Summo Pontifice ab irregularitate liberari, tum propter expressa privilegia Inquisitoribus de hac re concessa, tum etiam licite tacite eo ipso, quod ipsis Summus Pontifex præcipit, ut sic, & sic procedant in causa Fidei tam sancta, & ad Ecclesiæ puritatem maxime faciente. Atque ex hoc, quod Iuquisitoribus tot privilegia concessa sunt, quibus impeditur irregularitas, clarum mihi fit, non esse veram doctrinam Castropalai, *l. c.* & Suarii *loc. cit.* dicentium: Ideo Inquisitores non esse irregulares, quia per dictas actiones, si attente considerentur, non concurrunt ad

ad mortem : clarum, inquam, mihi fit : Si enim per illas actiones non concurrerent ullo modo ad mortem, non indigerent privilegio Pontificis ad irregularitatem evitandam. Confirmatur manifeste, nam dum potestas Sæcularis non ex alio processit, nec ex alia sententia, quam ipsa ferat, Hæreticum impœnitentem capite plectit, tota occisionis causa moralis est processus, sententia, & auctoritas iniquisitorum. Qua ratione ergo non incurrerent irregularitatem, si à Summo Pontifice per peculiaria privilegia non eximerentur ab illa.

49. Quæres. Si non adessent eiusmodi expressa privilegia, possemusne illos liberare ab irregularitate ex eo solo capite, quod modo indicatum est, puta quod tacite Pontifex illos liberet, eo ipso, quod iis præcipit, ut sic, & procedant.

50. Respondeo. Posse, docet Gambacurta in simili, *de imm. Eccl.* 2. §. 7. *V. Absque irreg. nota.* Is enim sermonem faciens de præcepto Gregorij XIV. quo tenentur Episcopi, facinorosos non exceptos ad Ecclesiam confugientes tradere Curiæ Sæculari, docet, eos non incurrere in irregularitatem, damnato ad mortem, occisoque dicto facinoroso, quia Gregorius eos ab illa expressè eximit, additque, probabile item esse, eos, non incurrere, etiam si Pontifex expressè non eximisset; satis enim tacite eximit, dum sic fieri, ipse iubet.

51. Confirmari id potest ex Vgol. *de Irreg. c.* 15. §. 6. *Ver. Quid igitur* universaliter docente, eum, qui ex mandato Pontificis alium interficit, non esse irregularem, quia iussio (inquit) Pontificis est irregularitatis remissio.

52. Verum ego, quamvis id probabile iudicem in materia fidei, immò, & in materia quacunque Ecclesiastica; atque adeo in casu nostro: non enim iudicandum est, pœnam ab Ecclesia institutam subire debere eum, qui Ecclesiæ, eiusque Pastori obedit: at universaliter, ut docet Vgolinus, non mihi videtur probabile: nam sic, quando Pontifex, ut Princeps sui status præcipit suis Iudicibus, ut morte puniant delinquentes, vel suis Militibus, ut occidant hostes in bello iusto, hi Iudices, & hi Milites, secuta horum delinquentium. vel, hostium morte, non incurrerent irregularitatem ex defectu lenitatis; quod certe nemo dicet. Quid si Pontifex iniustè præciperet, ut tu innocetem interficeres; Ego sane te irregularem faciam, ex delicto, si pareas. Dixi modo (ut Princeps,) nam, si, ut Pontifex alia esset ratio, de qua dicam §. 14. *n.* 8.

53. Denique hic duo nota. Primò, mihi nequaquam placere sententiam Ioan. Præp. *loc. cit.* asserentis, non fore irregulares iniquisitores, si prædicta omnia rite agant, quamvis omittant protestationem *n.* 47. dictam; mihi inquam, non placet, quia privilegia concessa Inquisitoribus, & tacita illa Pontificis voluntas, de non incurrenda irregularitate, sunt sub forma præscriptæ protestationis; ea ergo protestatione omissa, non habentur privilegia, vel illa voluntas, sicuti non habetur ab Accusatore, quando omittit similem protestationem, ut mox §. *sequenti* declarabimus.

54. Secundò. Quod dictum est de ipsis iniquisitoribus, extende propter eadem privilegia ad omnes eos, qui ex officio concurrunt, vel auctoritatem dant dictæ sententiæ latæ ab inquisitoribus contra hæreticos, item ad Accusatores, ad Testes, ad Satellites, ad Torquentes eos, ut veritatem dicant, & denique ad cæteros omnes, qui inquisitores adiuvant ad munus ipsorum legitime adimplendum, dummodo hæc faciant in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & immediate ad executionem sententiæ de deformatione non concurrant. Lege Avilam, *de Cens. p.* 7. *d.* 56 *sect.* 2. *dub.* 2 Henriq. *l.* 4. *c.* 12. *n.* 5. *liter. B.* Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 18. *n.* 15. aliosque.

## SECVNDA EXCEPTIO

### *De Degradatione, quæ à iudicibus Ecclesiasticis infligi solet.*

55. Quicunque ex Prælatis, qui legitimè Clericum degradans, eum Sæculari foro tradit, etiam positivè, & directe eum tradendo, nullam incurret irregularitatem, si forte degradatus à Iudice Sæculari morte puniatur, modo Prælatus adhibeat protestationem, seu intercessionem præceptam in Sacro Textu, quam expressam in Pontificali facile poteris legere, quamque habes apud Molinam, *tit.* 4. *tr.* 3. *d.* 49. *n.* 13. aliòsque citatos à Bonac. *de Cens. d.* 4. *p. un. num.* 21. *fine.* aliósque solemnitatem Degradationis explicantes. Ratio est fere eadem, ac dicta de inquisitoribus. Si eam protestationem non adhibeat, idem dic, quod modo *num. præcedenti* de iisdem inquisitoribus dictum est.

### §. XI. *De irregularitate ex defectu lenitatis, quæ oritur ex cooperatione ad sententiam sanguinis per accusationem.*

1. TExtus *C. prælatis de Homic. in* 6. sic habet : *Prælatis, vel Clericis quibuscunque, qui de Laicis suis Malefactoribus querelam penes Sæcularem Iudicem deponentes, & petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expresse, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis, non intendunt, imputari non debet, quamvis de Iure debeat pœna sanguinis irrogari, si iudex mortem illis inferat, iustitia exigente.*

Hæc Textus, cuius tres clausulas breviter expendemus, nam cæteræ clariore explicatione non indigent.

### *Prælatis, vel Clericis.*

2. Quamquam, Textus mentionem dumtaxat facit de his; eadem tamen ratio est de Laicis. Illud tamen discriminis est, ut Laicus accusator non custodiens, quæ in hoc Canone præscribuntur, secuta morte accusati, incurrat solum in irregularitatem, at Clericus, præter irregularitatem, incidat etiam in peccatum, ut habet Suar. *de Cens. d.* 40. *sect.* 4. *n.* 8. Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 18. *n.* 3. Clerici enim propter suum statum curare debent, ne fiant per irregularitatem inepti ad Ordines. An peccatum hoc sit ex se mortale, ex dictis *lib.* 3. *opus. de Sacrific. Miss. c.* 1. §. 8. *à n.* 7. colligi potest.

### *Querelam deponentes.*

3. Sive denuncies, sive querelam exhibeas, sive formaliter accuses, nisi in casibus in hoc Textu concessis, de quibus mox, semper eris irregularis, secuta deformatione rei, quia sic moraliter influis in illam, & tunc numeraris inter Ministros iustitiæ.

4. Hinc multo magis Custodes viarum, quibus curæ est, referre iudicibus quicquid ibi agi contingit, si referant delicta aliquorum, unde eorum aliquis reformetur irregulares erunt, quia hi Ministri tunc iustitiæ sunt.

5. Quid de homine ptivato, qui cum passus sit aliquid à fure, petit à iudice, ut malefactor capiatur vel ubi latet, ostendit, vel similia.

Respondeo. Hic inter accusatores est numerandus. Ita Squillat. *de oblig. Cler. p.* 6. *n.* 93. Sayr. *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 7. defert enim crimen Iudici : impedirt tamen posset irregularitas, si ab ipso fiat protestatio, de qua mox *n.* 34.

6. Quid de illo, qui furem inveniens domi, vel videns furtum asportari, clamat, alios convocans : *Ecce furem, Ecce furem, eum capite, eum capite.*

Respondeo, de hoc mox commodior erit sermo §. 13. *n.* 24.

7. Movit quidam Iuris Canonici peritus hanc dubitationem. Clericus quidam existens in Ecclesia tradidit Episcopo Malefactorem, qui ad eandem Ecclesiam confugerat, contra quem Episcopus sententiam rite tulit, eum non gaudere immunitate, unde eum capientes iudices Sæculares legitimo suspendio punierunt. Dubitavit iuris Canonici professor, an Clericus incidetit in irregularitatē? Sed quidam doctus Thologus distinxit.

Si Clericus ex se Malefactorem Episcopo tradidit, sciés, vel dubitans, de periculo eius mortis, irregularis erit, sed si ne dubitavit quidem, nullam irregularitatem incurrit. At vero, si tradidit Episcopo, ipso Episcopo mandante, non erit irregularis, quia, tunc egit, ut minister Episcopi & ut unum faciens cum illo, quem Gregorius XIV. liberat ab irregularitate, ut diximus modo §. 10. *n.* 52.

8. Ego etiam si Clericus ex se tradiderit, semper excusarem ab irregularitate, quia non tradit, ut minister Iustitiæ Sæcularis, puta, nec ut Satelles, nec ut accusator, nec ut Delator, nec ut testis, &c. At solos Ministros iustitiæ incurrere irregularitatem hanc ex defectu lenitatis, mox late confirmabimus. Adde, traditionem hanc semper esse ex tacito mandato Episcopi, qui non vult in suis Ecclesiis Malefactores, immunitate non gaudentes.

*De suis Malefactoribus, quoad malum illatum.*

9. Suis (inquit Textus) Quare is, qui illum accusat, à quo in propria persona, vel propriis bonis læsus fuit suum Malefactorem in omnium sententia accusat, unde, si Dominus, si Prælatus, Regularis, si Magistratus, cui ex officio incumbit curare bonum publicum, accusent cum debita protestatione eos, qui Servum, Religiosum, Vassallum offenderunt, suum Malefactorem accusant, quia Servus, Religiosus, Vassallus sunt respectivè de bonis Domini, Prælati. Magistratus. Addit Bonacina, *loc. mox citando* idem esse, & modo dicto accuses eum, qui offendit aliquem sub tua protectione existentem.

10. At comprehenduntúrne hic mater, pater, consanguinei, ita ut, si hi accusent eos, qui filium, filiam, consanguineos, &c. offenderunt, &c. contra, dicantur accusare suos Malefactores.

Respondeo, unum mihi hîc esse certum, alterum non item. Certum est comprehendi, si accusent de contumeliis, & iniuriis factis contra prædictos: nam iniuria facta filio, vel consanguineo iudicatur esse patris, vel alterius consanguinei, & è contra. Quare, si accusent, rectè possunt dici accusare suos Malefactores. Incertum autem est mihi, si accusent de damnis illatis realibus, hoc est de bonis temporalibus, v. g. de pecunia per furtum sublata. Cum enim pecunia patris non sit pecunia filij, & pecunia consanguinei, multo minus, sit bonum reale alterius consanguinei, non possunt furantes pecuniam ab uno ex his, dici Malefactores alterius. Quare Bonacina *de cens. d. 7. q. 4. p. 2. n.* 3. Vgol. *de irreg. c. 6. §. 9. num.* 4. cum aliis negant sine irregularitate posse prædictos accusare. Sed Coninch. *de Sacr. d.* 18. *dub.* 10. *n.* 93. Ioan. Præp. 3 *p. q.* 5. *de irreg. dub.* 13. *num.* 101. Diana. *p.* 4. *tr.* 2. *ref.* 33. concedit, semper cum debita protestatione. Ratio fortasse est, quia etiam quoad bona realia malum illatum meo consanguineo propter connexionem sanguinis potest dici meum. Qui autem hi consanguinei sint, qui possint suorum nomine venire, habes apud Clarum, *in Praxi crim. q.* 14. *V. Volo & Abb. c. de cat. n.* 7. *de testib.* Felin. *C. cum dilectus num.* 9. *de accusat.* aliósque qui suorum nomine venire, docent Parentes filios, nepotes, aliósque ascendentes, descendentesque, quibus addunt Diana, & Coninch. *ll. cc.* fratres.

11. Plus addit Gibalinus. *de irreg. c.* 4. *q.* 3. *num.* 60. citans Suar. *d.* 47. *sect.* 2 *num.* 12. & 15. Putat enim, quando accusatio est necessaria, ad reparandum damnum iniustè (de quo hîc agimus) tertio cuique illatum (etiam si omitti accusatio posset sine peccato (non fieri civiliter accusantem irregularem (intellige, si non est alia via illud reparandi) quia non præsumitur Ecclesia, voluisse impedire licitam defensionem, & auxilium Innocentum. Intellige item cum debita protestatione mox explicanda, saltem pro foro externo, ut habet idem Gibalinus *ibid.*

12. Quæres. Si damnum mihi à Grassatore v. g. illatum alio modo mihi compensare, quam accusando possim, possum nihilominus illum accusare, & servatis conditionibus præscriptis, irregularem, secuta accusationis deformatione, non incurrere.

Respondeo, cum Bonac. *l. c. n.* 3. Squill. *l. c. n.* 94. Sanch. *de Cens. d.* 47. *sect.* 2. *n.* 7. *contra Ang. V. Homic. secundo n.* 6. & *contra Silvest. quæst.* 8. posse, immò, esto contra Cajetanum aliquando sic peccés; non tamen in irregularitatem incides, quia hic modus accusationis absolutè est à Sacris Canonibus concessus, si agatur de tuo damno: id enim non extendo ad casum, in quo agitur de damno allato alicui tertio, nam propterea modo *n.* 11. in casu damni alieni interposui illam parentesim (intellige, si non est alia via, &c.

*Quoad malum inferendum.*

13. Scio. Petrum parare insidias suo adversario. Ego id denuntio iudici, unde Petrus convictus deformatur, erone irregularis? Scio Petrum moliri rebellionem contra Regem, Iudici id denuncio, unde Petrus morte punitur, erone irregularis? & sic de similibus.

14. Respondeo. Pro tota hac quæstione sit hæc regula. Si accusans accuset, deferat, denuntiet compulsus lege iustitiæ, vel charitatis, ne scilicet damno illo imminenti afficiatur proximus, liber erit ab irregularitate. Ratio regulæ est, quia lex hæc irregularitatis, Christi mansuetudinem referens, non potest fuisse inducta cum damno Innocentum, obligans ad non manifestandos eos, qui mala moliuntur contra proximum, & quæ obligat ad non observanda præcepta charitatis, atque iustitiæ. Quoties ergo quis, ut observet dicta præcepta, accusat, observatio præcepti facit, ut ea accusatio sistat, & conquiescat in honestate observationis præcepti, & valet per accidens censeatur, quoad ipsum, consequens deformatio.

15. Fit autem accusatio, seu denuntiatio ex obligatione præcepti, si concurrant duo. Primò, ut fiat de malo, quod in futurum immineat. Secundò, ut malum sive publicum, sive privatæ personæ non possit averti, nisi accusatione, vel delatione. Quare, si potest averti alio modo, vel, si potest solum per denuntiationem mali impendentis in genere sine designatione personæ, nec vero illo alio modo non utaris, sed designes personas, irregularis eris, secuta deformatione, quia tunc, esto fiat denuntiatio ex motivo charitatis; non tamen ex obligatione sive eiusdem charitatis, sive iustitiæ. Ita Doctores Sua. *de Cens. d.* 47. *sect.* 2. *n.* 14 Farinac. *q. crim.* 51. *num.* 67. Fill. *tract.* 19. *c.* 9 *num.* 249. late Gibal. *de irregul. c.* 4. *q.* 3. *num.* 3.

16. Atque in prædicta delatione facta ex præcepto obligante non est necessaria protestatio, ut contra Cajetanum, aliósque ap. Sayr. *l.* 6. *de Cens. c.* 18. *n.* 12. rectius docet Molina; *Tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 109. *n.* 7. Avila *p.* 7. *de Cens. d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 12. hæc enim est remedium institutum à Sacris Canonibus ad removendam irregularitatem, quæ aliàs ex delatione erat incurrenda. At ex delatione facta ex obligatione præcepti, nulla unquam incurrenda est irregularitas.

17. Ex dictis collige cum Suario, *loc. cit. num.* 16. tria discrimina inter accusantem in causa propria, & accusantem in causa aliena, nam ad evitandam irregularitatem, accusare in propria causa quis potest. Primò, tum ob damnum sibi illatum modo supra dicto, tum ad præcavendum malum de futuro. Secundò, potest, etiam si damnum sibi illatum alia via reficere sibi posset, ut diximus *n.* 12. Tertiò potest in casu, quo ipsi licita est, & permissa accusatio, quamvis nequaquam obligans. At in causa aliena. Primò, non potest quis denuntiare, sive accusare, nisi de damno futuro imminente, & forte de damno illato, quod ex Gibalino indicavimus *n.* 11. Secundò, non potest, si alia via obviare valeat prædicto damno inferendo, quod est dicere, non posse, nisi ad accusandi, vel denuntiandi obligatio. His

His adde,in propria causa,& in casu dicti *n.* 11. omninò præmittendam esse protestationem, sed in aliena hac obligante,non item,ut dictum modo est *n.* 16.

*De deferente malum leve, unde nihilominus mors accusati secuta sit.*

18. Quidam non multis abhinc annis justè accusavit suum adversarium de levi crimine, vel in causa civili, cui nullo modo aliqua deformatio debebatur. Sed adversario detruso in carcerem plures alii accusatores apparuerunt cumulantes gravissimorum criminum probationes,unde reus capite punitus interiit.Primus accusator fuitne irregularis,si protestationem mox dicendam omisit.

19. Respondi, nequaquam fuisse, quia causa mortis non fuit accusatio illa levis,quæ ad summum fuit causa remota, & occasio. Ita Sayr. *l. c.*

20. Sed quid, si ab hoc levi Accusatore mors accusati prævisa fuisset, vel de ea fuisset dubitatum.

Respondeo, fore tunc ipsum levem accusatorem irregularem.Ita Sayr.*de cens.l.6.c.*18.*n.6.*si protestationem omisit,quia tunc prima accusatio conjuncta cum cæteris non est levis,sed certè gravis,ut punitio orta esse præsumatur ab omnibus conjunctim, & illa prævisio facit, ut tua accusatio non sit amplius causa remota, sed proxima mortis,si enim prævidisti, debebas tibi cavere per canonicam protestationem.

21. Si propter improbitatem, vel malitiam mors infligeretur ei,quem accusasti de crimine levi, & prævidisti,vel dubitasti de morte, quia tunc mors oriretur conjunctim ex tua accusatione, & ex iniquitate Iudicis, te irregularem ex delicto facerem.

22. Quid,si accusatio fuit de crimine levi, tibique leve detrimentum inferente, sed cui ex aliqua peculiari lege mors debeatur? Explico, solent Duces exercitus, vel Principes,(utrum bene *l.*1.*in Decal.c.*1.§.3.*a num.*13. diximus) ob bonum, fortasse publicum, prohibere, ne quis furtum,etiam leve, faciat sub pœna capitis; multis enim militibus parvum furtum committentibus depauperari aliquando hominem contingit, singulis enim sumentibus unum vuæ v. g. racemum, depilatur tota vinea.Quæri ergo potest, an, si militem de hoc levi furto sine protestatione accuses,ejus morte secuta,irregularitatem incurras.

23. Respondeo.Sine dubitatione incurris, quia ex tua accusatione jam cum illa lege, quam supponimus te scire,oritur occisio.Et quidem,si lex est justa, eris irregularis ex defectu lenitatis, si injusta, certè eris ex delicto, quia ad occisionem injustam cum judice injusto cooperaris.

24. Idem dic, si idem latro furtum leve ex bonis Titii v.g.furetur,& aliud leve ex bonis Caii,& aliud simile ex bonis Antonii, &c. Nam, si illum quilibet ex his latronem accuset sine protestatione,unde is ob multiplicata illa furta morte plectatur,erit,propter eandem rationem, accusans irregularis.

25.Prates *in manusc. de irreg. d.*4.*c.*4.§.6.*n.* 32.*fol.* 302. asserit accusatorem propter leve sibi damnum è dicto levi furto illatum, etiamsi præmittat protestationem, fore irregularem,quia est contra Christi lenitatem, velle te prosequi causam mortis ob tam leve damnum tibi illatum. Adde,ideo protestatione præmissa, conceditur, posse accusare,ut tollatur occasio, ne iniqui grave damnum Clericis inferant: at quod damnum est unius uvæ botri, vel unius oboli furtum pati.

26.Verum, posita justitia legis, hæc doctrina firma non est; clarè enim, & absolutè Sacer Textus ab irregularitate liberat eum, qui justè accusat cum protestatione,quamvis deinde (Iustitia tamen exigente) deformetur reus.At,si lex prædicta est justa, justè accusat Clericus justéque condemnat Iudex.Vnde ergo, si præmissa rite est protestatio,subdendus sit Clericus irregularitati?

*Penes Sæcularem Iudicem.*

27. Si quis Ecclesiasticus habeat jurisdictionem sæcularem, tunc accusare de causa sanguinis apud ipsum, est, eum accusare penes judicem sæcularem; tunc enim Ecclesiasticus prælatus, vel judex ab illo in hac jurisdictione delegatus,judex est sæcularis.

28. Accusare autem apud Inquisitores hîc locum non habet, quia supra vidimus ejusmodi Accusatorem eximi per Pontificis dispositionem ab irregularitate.

29. Et eodem modo accusare quempiam apud Iudicem Ecclesiasticum, ut Ecclesiasticus Iudex est, hîc locum non habet, quia Iudex Ecclesiasticus nunquam ad pœnam mutilationis,mortisve procedit.

*Petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, id est agunt civiliter, non criminaliter.*

30. Ea appellatur causa criminalis, in qua examinatur, seu judicatur de crimine alicujus, ea civilis, in qua agitur solum de interesse.

Porro eadem causa criminalis dicitur agi criminaliter, si de crimine agatur in ordine ad illud puniendum, sive per pœnam pecuniariam fisci commodo attribuendam. Dicitur vero agi civiliter, si de crimine agatur in ordine ad refectionem damni illati, puta, ut tibi læso à latrone pecunia ab ipso tibi ablata reddatur, vel etiam ad cautelam,hoc est,ne iterum latro tibi damnum, injuriámque congeminet. Vide de his Doctores Clar. *in praxi crim.*§.*ult.*& §.1.Macar.*de probat. lib.*1. *cons.* 146. Far. *q.crim.*100.*c.* 1.*a n.*3. Tusch. *V. crim. quando dicitur causa concl.* 1083.

31. His præmissis, dico Primò, agenti criminaliter non prodest protestatio ad evitandam irregularitatem, si mors accusati ex vi talis actionis consequatur. Ratio est, quia tunc protestatio esset contraria facto; si enim petitio, seu actio tua sit ad vindictam, quomodo cohærebit cum protestatione, per quam dicis te nolle vindictam?

32. Dico Secundò, ut evitetur irregularitas ab Accusatore, seu Denuntiatore, tria concurrere omnino debent.Primùm,actionem, quamvis ex se criminalem, non debere criminaliter intentari. Secundùm, debere præmitti protestationem mox explicandam, quia ipsa est de forma necessaria,ac substantiali.Ita Vgol.*de irreg. cap.* 6. *num.*1. Tertium,ut accusatio,seu delatio non sit, nisi de iis, quæ sunt necessaria ad prædictam actionem civiliter intentam.

33. Nota,quando in quodam Textu, *C. Postulastis de Homic.* excusatur ab irregularitate is, qui prætendens interesse,agit criminaliter, non esse contra prædicta: In hoc enim Textu illud(criminaliter) accipitur materialiter,hoc est agere,vel accusare de crimine, nam propterea additur prætendens interesse)non ergo præ endens vindictam, quod esset agere criminaliter de formali. Ita rectè explicat Avila *de cens.p.*7.*d.*5.*sect.*2.*d.*10.Val.*diff.*2. *V. Accus.* cum aliis.

*Protestando expresè.*

34. Forma hujus protestationis, quam Canonicam appellamus,quia est à Sacris Canonibus præscripta,hæc est tres clausulas continens.

*Accuso Primò*, C. Prælatis de Hom. in 8.*vel denuntio Petrum v.g.grassatorem de furto mihi illato, ac Secundò peto, ut damnum mihi reficiatur, & caveatur, ne in futurum simile quid is contra me moliatur; expresè tamen Tertiò, profiteor,ac dico, nolle me,ut contra ipsum Petrum vindicta sanguinis exerceatur.*

35. Si à te exhibeantur priores duæ partes dictæ protestationis, omissa tertia, nulla erit protestatio, quia in tertia maximè consistit forma ipsius.

36. Præ

36. Præterea est facienda coram eo, ad quem defertur delictum, seu delatum jam fuit, id est, vel in ipso primo limine querelæ, vel antequam processus fuerit absolutus, vel saltem antequam sententia fuerit lata, quia sic potest semper impediri, quantum est ex parte Accusatoris, rei deformatio. Ac post sententiam, licet ante ejus executionem, inutiliter fieret, quia executio impediri non potest post latam sententiam. Lege Avilam *loc. cit. dub.* 9. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 18. *n.* 3. aliósque.

37. Quoniam vero à jure non requiritur, ut hæc protestatio fiat cum scriptura, satis erit, si solis verbis proferatur, licet ad majorem probationem, consulendum semper sit, ut fiat in scriptis, coram testibus, in foro judiciario.

38. Denique non est necesse, ut fiat ex vero animo liberandi reum à deformitate. Licet ergo, vel Primò scias, videásque crimen, quod defers, esse grave, unde certò mors reo sit inferenda, vel Secundò, tu illam maximè exoptes, & ficto animo externe protesteris, evades, morte secuta irregularitatem? quicquid in hoc secundo aliqui, ut Nav. *l. c. n.* 226. Sylv. *V. Homic. q.* 2. §. 8. Ang. *V. Homic.* §. 6. contradicant, quia satis tu servas, quod Canon præcipit, præcipit autem dumtaxat, ut tu demonstres velle Christi lenitatem; &c. & ita sustinet Coninch. *de Sacr. d.* 8. *dub.* 10. *n.* 93. G. Hurt. *de irreg. dist.* 11. *n.* 141. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *res.* 75. aliique.

*Iustitia exigente.*

39. Ex hac clausula advertis, tibi nihil suffragari protestationem, si verum crimen detulisti, sed illud per falsos testes probasti, vel si judicem muneribus subornasti, vel eundem metu compulisti: sic enim non adesset conditio justitiæ, immò, sic, te fore irregularem ex homicidio injusto, si illud sequatur, nulli dubium esse potest.

## §. XII. *De irregularitate, quam incurrunt testes in judicio ratione cooperationis ad occisionem justam.*

1. TEstis quicunque justè testificans, seu approbans, coram judice Laico in causa sanguinis, fit irregularis ex defectu lenitatis. Ratio est, quia cooperatur ad deformationem, ad quam damnari quis non potest, nisi causa per testes probetur, nam propterea testes sunt ministri, seu sunt assumpti, ut Ministri justitiæ. Excipe, nisi quis testificetur ex obligatione præcepti.

2. Dixi (quicunque) id est sive Laicus, sive Clericus (quicquid dicat Farinac. *q. crim.* 61. *n.* 66. aliique ab ipso citati, excludentes testem Laicum ab hac irregularitate) nam lex Canonica de irregularitate considerat actionem testificandi, illámque irregularitati subjicit; at actio hæc eadem est in Laico, atque in Clerico. Ita Covarr. *in Clem. si furios. p.* 2. §. 5. *n.* 5. Suar. *de cens. d.* 47. *sect.* 3. *n.* 2. aliique. Solum nota clericos peccaturos sic testificando; id enim his est prohibitum, ut fusè tradit Avila *de irreg. d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 13. *concl.* 1. probátque, id quod non est in Laico, addens, Episcopum non posse dare licentiam Clerico testificandi in causa sanguinis contrarium, sed solum in favorem.

3. Nota. Si testes fuerunt multi, omnes incurrent in irregularitatem, morte testificati secuta, quia ex omnium testimonio concluditur veritas totius judicii.

4. Dixi (seu approbans) non solum enim testis examinatus, sive juratus, sive non, sed etiam quicunque sua auctoritate approbat, ut reus torqueatur, &c. hic comprehenditur: hi enim sunt, ut ministri justitiæ, isíque judex utitur, ad condemnandum reum.

5. Dixi (justè) si enim injustè testificaris, unde quis accidat deformari, te fieri irregularem ex homicidio injusto voluntario patet ex supradictis.

6. Dixi (coram judice Laico) nam, si sis testis coram Ecclesiastico, qui nunquam procedit ad deformationem, vel coram inquisitore, à quo per privilegia penitus ablatam esse irregularitatem non multo antea diximus, hic non comprehenderis.

7. Dixi (in causa sanguinis) quia in causis mere civilibus, ut item in causis, in quibus non est usitata deformatio, potest testis quis esse sine metu irregularitatis; nam, si deinde judex ex hujus testificatione procedat, vel propter imperitiam, vel propter iniquitatem ad deformandum reum, ipsi judici imputabitur deformatio, non tibi, quando id nullo modo prævidisti, nam si prævidisti, nec sufficienter cavisti, te esse irregularem ex dicto supra diximus §. *præced. n.* 21.

8. Dixi denique (excipe, nisi quis testificetur ex obligatione, &c.) nam tunc propter similes rationes, quas in simili diximus de Accusatore *sup.* §. 11. *n.* 14. & 15. dicendum est non incurri irregularitatem.

9. Illud aliquando favere potest absolutè testificanti in causa sanguinis. Nam si judex ex aliis probationibus, nulla prorsus ratione ab ipsius testimonio petitis, sententiam sanguinis protulit, irregularitate non afficeret testificans, quia tunc perinde est, ac si is nihil testificatus esset. Ita Navar. *cons.* 18. *de Homic.* Vgol. *de Irregul. c.* 7. *num.* 9.

10. Advertat tamen Testis, sicuti idem debere advertì ab Accusatore diximus § 11. *n.* 32. ne testificetur, nisi ea quæ ad causam civiliter intentandam, prosequendamque necessaria sunt. Si enim sufficit ad actionem civilem actionem testificari de furto, non potest testificari de delatione armorum prohibitorum, &c. At ne poterit, si non sufficit, puta quia non valeat probari factum esse commissum, nisi probaretur furtum, ita arma fuisse usum, &c.

11. Inquires, Testes incurruntne irregularitatem, quando testificantur in causa sanguinis pro eo, qui cum protestatione superius explicata accusat suum Malefactorem, ut damnum is refarciat, si fortè nihilominus judex Reum morti tradat.

12. Respondeo. Probabile est incurrere, tum Covarr. *loc. cit. n.* 4. Vgol. *de irreg. c.* 6. §. 9. *n.* 3. Bonac. *de Cens. d.* 3. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 8. sed non minus probabile est, non incurrere. Ita Farinac. *q. crim.* 62. *num.* 77. Felin. *c. cum de causam* 2. aliique. Ratio prioris probabilitatis est, quia privilegium non incurrendi irregularitatem, conceditur quidem accusanti, qui accusat in propria causa, at Talia testificatur in causa aliena, in causa enim propria nunquam quis admittitur, ut Testis.

Ratio posterioris probabilitatis est, quia Canon concedens id Accusatori, omnino debuit id concedere Testibus, secus quid juvaret Accusatori accusare, si dicti de Testes retardarentur à testificando ex metu irregularitatis.

13. Hic autem adverte, Doctores citatos communiter supponere, etiam Testem debere præmittere illam protestationem: at certè non minus probabiliter ea potest, non debere, quia facta protestatio ab Accusatore, sub illa dari Testimonium à Testibus subintelligitur, quod est ad ejusmodi accusationem necessarium. Et quo colligo, si in accusatione facta fortè non fuit ejusmodi protestatio, tunc enim vere oportere à Teste præmitti.

14. Inquires Secundò. Testis metu gravi compulsus ad testificandum in causa sanguinis criminaliter, incurritne irregularitatem?

Respondeo. Si id faciat metu precati in casibus supra allatis, urgente nimirum præcepto justitiæ, vel Charitatis, non incurrere jam satis dictum est superius: at verò, si faciat ex metu extrinseco illato ab aliquo, quamvis judice, illum cogente, major est difficultas.

15. Dico tamen cum Henric. *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 9. Suar. *de Censur. d.* 47. *sect.* 3. *num.* 8. Vgol. *de Irreg. cap.* 7. *n.* 3. Avila *de Cens. p.* 7. *d.* 5. *sect.* 2. *dub.* 12. G. Hurt. *de Irreg. d.* 2. *diff.* 11. *num.* 40. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 31. cum in irregularitatem incurrere, sive justè fuerit, sive injustè incussa, ita tumor. Ratio est, quia semper cooperatio directa, qualis

lis est cooperatio Testium, quando ea est voluntaria, est causa inducens irregularitatem ex Sacris Canonibus: At metus non tollit voluntarium absolutè, ut alibi cum S. Thoma fusè probatum est; ergo, &c. Et ex, alia parte hic supponimus, non adesse nunc obligationem naturalem iustitiæ, vel charitatis iuxta supradicta §. *præced. n.* 14.

16. Neque obstat, metum gravem excusare à pœnis, & censuris, cum Ecclesia non intendat obligare Fideles cum tanta difficultate, quantam affert metus gravis, non obstat, inquam, quia hæc irregularitas de qua loquimur, non est pœna, vel censura, quæ contrahatur ex culpa, sed sine culpa ex defectu lenitatis, quæ fuit in Christo D. mino.

17. Scio à Diana, *l. c. fine*, Coninch. *de Sacr. d.* 18. *d.* 10. *p.* 96. Ioan. Præp. *d.* 5. *de irreg. dub.* 13. *n.* 105. Bonac. *de Cens. d.* 7. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 8. aliisque probabilem vocari sententiam docentem, hunc non fore irregularem, sed eorum rationes, si accurate expendantur, nihil conficiunt.

18. Illud denique ne te hîc prætereat, testes (idem dic de accusatore, advocato ex officio, &c.) dum causa criminaliter pendet, non posse ad Ordines promoveri, quia, si sint victores, erunt causa deformationis, atque adeo irregulares: si causa cadant, erunt fortasse infames ratione calumniæ. Lege Maiolum. *l.* 2. *de irregul. cap.* 7. *num.* 4. & 5.

## §. XIII. *De irregularitate, quæ oritur in aliis Iustitiæ Ministris.*

1. PRæter iudices, accusatores, & testes, de quibus, hactenus dictum est, incurrunt etiam irregularitatem hanc (morte rei, vel mutilatione secuta) Procuratores, Advocati, Consiliarij, seu Assessores (intellige ex officio, idque in causa criminali, nam de aliis, qui concurrunt non ex officio dicemus §. *sequenti*) incurrunt item notarij, seu scribæ, commissarij, sollicitatores, qui iudicem, ad dandam iustam sententiam deformationis ex officio adiuvant. Iustam, dico, si enim ad iniustam, eos fore irregulares ex delicto, iam sæpè diximus in similibus.

2. Pari modo incurrunt Satellites, Carnifices, cæteræque, qui executionem deformatis exhibent, vel ei executioni auctoritativè assistunt, ne impediatur executio. Quorum omnium ratio est, quia hi ad deformationem concurrunt, tanquam ministri iustitiæ.

3. Huc etiam convoco eos, qui occidunt banditos proscriptos, seu foriudicatos, de quibus occidendis, facultatem legitimè, ac iustè dedit Princeps, quia tunc quilibet de populo constituitur Minister Reipublicæ. Cerrarius autem notat, eam occisionem non posse licitè fieri a Clericis, quia hi non valent constitui Ministri Iustitiæ à Principe: quare, si ipsi proscriptum occidunt, erunt, ait, irregulares ex homicidio iniusto, quia non occidunt ex legitima facultate. Verum id resolvetur melius paulo inferius. *hoc eod. c.* 15. §. 14. *n.* 74. milites occidentes hostes in bello iusto hic comprehenduntur, quia tunc ipsi constituti sunt Ministri contra hostes à Principe, sed de illis separatim erit post pauca disputandum.

### *An contrahatur irregularitas ex defectu lenitatis ab illis, qui cum non sint Ministri iustitiæ, cooperantur iniustè ad deformationem alicuius.*

4. Theologus v. g. vel iurisperitus legum civilium, vel Sacrorum Canonum, qui non ut Advocatus in ea causa (de hoc enim iam dixi,) vel confessarius, vel Parochus, uno verbo omnis ille, qui non est Minister iustitiæ, hoc est non habet ex officio adiuvare Iudicem ad sententiam sanguinis ferendam, nec cooperari ex officio ad executionem dictæ sententiæ, ij inquam, reo occiso, vel mutilato, incurruntne irregularitatem, si sine peccato cooperantur ad illam.

5. Si id ab antiquioribus sciscitaris, tot distinctionibus te distinebunt, ut potius scrupulos ingerant, animumque opprimant, quam illum per claram doctrinam elevent: Si à non indoctis recentioribus, iisque pluribus, idem inquiras, uno, vel altero verbo te expedient; negabunt enim hos esse irregulares, quia solis Ministris iustitiæ, vel militibus in bello iusto hæc irregularitas imponitur.

6. Sed ecce, insurgent statim antiquioris doctrinæ tenaciores, Sacrorúmque Canonum rigidiores interpretes, & cum Martino Prate *in manuscr. de irreg. c.* 4. *c.* 10. *n.* 5. *iuncto n.* 25. exclamabunt, hanc esse sententiam, nec tutam, nec probabilem, nec iure, nec ratione fundatam, immò omninò absurdam, & falsum. At bona verba, quæso, temperate vos ab ira, & qua ratione recentiores hanc doctrinam fulciant, sedatis, præcordiis, accipite.

### *Probatur prædicta recentiorum sententia.*

7. Sententia, quam probandam suscipimus, hæc est: irregularitatem ex defectu lenitatis, solum subeunt ij, qui ad deformationem, vel eius accelerationem iustè, ut Ministri iustitiæ, concurrunt, quales sunt ea genera personarum, quæ diximus *n.* 1. 2. 3. & 4.

8. Cæteri, qui ad Ministros non pertinent, irregularitatem non contrahunt, si sine peccato concurrant, nam, si cum peccato, dicam mox *n.* 16.

9. Probatio autem potissima, qua hæc sententia persuaderur, illa, est satis efficax, in hunc modum efformata. Irregularitas ex vulgari omnium doctrina solum incurritur, quando ea expressa est in Iure. *At irregularitas ex defectu lenitatis solum est expressa in iure contra Ministros iustitiæ, non vero contra non ministros*, ergo ab illis dumtaxat, non autem ab his contrahitur.

10. Adversarij Minorem huius argumenti opposito modo efformant sic; *At irregularitas ex defectu lenitatis est expressa in iure cõtra omnes, sive ministros sive non ministros*: Atque pro sua sententia sic concludunt. Ergo ab omnibus sive ministris, sive non ministris contrahitur.

Possem afferre omnes textus, in quibus fundantur adversarij in hac sua minore firmanda; sed mea brevitas id renuit, cum potissimum quilibet possit, si attente eos legat, cognoscere, nunquam in illis expressè contineri, quod ipsi volunt. Adde, satis debere cuique sufficere auctoritatem doctissimi Patris Vasq. apud Turrianum, *d. Cens. l.* 9. *d.* 66. *dub.* 3. & G. Hurt. *de irreg. d.* 2. *diff.* 11. *n.* 40. dicentis, in iure non inveniri, pro non Ministris, impositam esse eiusmodi irregularitatem.

11. Mihi autem Sacros Canones evolventi solum quædam definitio Clemen. IV. & quidam Canon Innoc. III. videtur utcunque contra nos afferri posse, quæ propterea hic subscribo, & solvo. Figura autē casum cum Abbate, *in C. sent. ne Clerici, vel Monachi*, & aliis, in hunc modum: Princeps quidam cum accepisset litteras à suo ministro, in quibus monebatur, ut talem hominem facinorosum in tali loco latentem capi iuberet, & capite puniri, dedit legendas suo Clerico. Is paruit, legitque unde homo ille morte multatus est: éstne clericus irregularis?

Respondet Abbas, esse, idque, quia sic definivit, inquit, Clem. IV. qua posita definitione, jã apparet, incurri irregularitatem hanc, etiam à non Ministro iustitiæ; Clericus enim ille iustitiæ Minister non erat.

Eadem definitio confirmari potest ex verbis Canonis Innoc. III. *C sent. ne Cler. vel Monach.* in quibus expressè prohibetur, ne quis Clericus literas scribat, vel dictet pro vindicta sanguinis destinandas.

12. Verum hæc facilè solvuntur, nam Primò, de definitione prædicta Clem. IV. non constat. Proferatur eius authentica, & manus fortasse dabimus. Secundò, ea concessa, Clemens fortasse voluit sequi opinionem ea ætate communem Canonistarum. Tertiò, quis tibi affirmavit illum Clericum non fuisse ministrum Principis in omnibus obsequus, atque adeo etiã in criminalibus expediendis, scribendis, legendis.

13. Ad confirmationem. Respondeo, in eo Textu, ut & in aliis, prohiberi, ne Clerici sint ex Officio Ministri Principum

Principium in rebus pertinentibus ad sententiam sanguinis, & mortis, tum propter periculum, ne secuta executione sententiæ, sint irregulares, quia tunc ad deformationem concurrent, ut Ministris iustitiæ, tum, ne commiscentur negotiis sæcularibus.

Verba Textus hæc sunt.

*Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit.*

Et paulò post. *Nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis distinandas, unde in Curiis Principum hæc solicitudo non Clericis, sed Laicis committatur.*

Vides, Textus non clarè loqui de quacunque cooperatione, sed de illa, quæ est ex officio? Certè ea verba (*exerceat in Curia Principum hæc solicitudo. &c.*) clarè dictum officium ostendunt.

14. Stet igitur, hanc sententiam, quæ non multis abhinc annis nova aliquibus visa est, iam nunc esse admodum probabilem, tum propter rationem dictam, tum propter auctoritatem tot Doctorum insignium, qui eam hodie, ut probabilem prædicant, tum, quia innumeros scrupulos à Fidelium conscientiis amovet, quos quidem scrupulos à Sanctissimis piæ Ecclesiæ legibus foveri, credendum non est.

15. Doctores autem eam sequentes plus quam triginta numerat, & citat Diana, *p.11.tr.2.res.63.* Patrem Vasq. omnium antesignanum, Turrianum, Delugo, *d. 22. de pœn.num.3.* G.Hurt. *d.2.de irreg.diff.11.n.4.* Lezanam, Bassæum, Baunium, Cœlestium, Machardum, Stellam, Ciarlinum Antonellum, Verricel. Ioan. Pontium, Brunum, Constantinum à Castro, Guazinum, Dicastillum, Carpensem, Escobar, Castropal. *de Cens.d.6.p.14 §.3.num.7.* Valentiam, Pellizzarium, Martinon. Remigium, ipsumque Dianam, quibus adde novissimè Leandrum *de irreg. tract.2.de.7.q.31.*

16. Sisitabitur Curiosus, rationem conventientiæ, unde Legislator statuit solos Ministros iustitiæ esse dictæ irregularitati subiiciendos, non vero alios.

Respondeo, Mihi illa venit in mentem, quia Legislator iudicavit cooperationem ad necem, quamvis iustam, sed ex officio, minus habere lenitatis, cum, veluti ex habitu, ad occisiones illas patrandas sit ex dicto officio paratus semper: unde, etiamsi semel patraverit, ab altari tamen eum esse removendum censuit, quia patravit ex habitu. At cooperantem sine peccato, & quidem non ex officio, cum non cooperetur ex habitu, idem legislator judicavit, non esse alienum à Christi lenitate, unde nec eum esse Irregularem.

*Corollaria, quæ ex prædictæ sententia colliguntur ad præxim.*

17. Hinc ergo Primò, illi, qui vendunt (ait Gaspard. Hurt. *l.c.n.39.*) aut donant ligna ad vivos comburendos, vel gladios, & funes, aliaque instrumenta ad interficiendos deliquentes; Faber lignarius, qui furcam erigit, Famuli non ministri iustitiæ qui à notorio ministro iustitiæ dictara de punitione deformitatis scribunt; illi, qui vendunt, vel donant arma militi eunti ad bellum iustum, Servi non ministri iustitiæ, qui adducunt equum Domino, qui est iustitiæ minister, ituro ad locum supplicij. ubi auctoritatem tribuat delinquentis occisioni, illi, qui sive voce, sive punctione instigant iumentum, quo interficiendus vehitur, quamvis hi videant, advertantque, inde mortem delinquenti notabiliter acceleari, confessarij, & quicunque alij dantes consilium pœnitenti, iudici, aut cuilibet alteri officiali publico, etiam immediato executori, nempe Carnifici, ut occidant, vel cito occidant aliquem delinquentem, etiam hunc, vel hunc in particulari, etiamsi confessarius neget iudici, vel carnifici absolutionem peccatorum, nisi concurrant ad dictam sententiam mortis, iustè dandam delinquenti, illi, qui privarim, sed non iuridicè petunt à iudice, ut iustè occidat aliquem delinquentem, hi, inquam, omnes non incurrunt in irregularitatem, quia eius concurrunt sine peccato, ut supponimus, non incurrunt, ut Ministri iustitiæ.

18. Quæres hac occasione, Quando quis prædictas vel similes actiones cum peccato exercet v.g. cum ex mortali contra Reum, qui procurat mortem, vel ejus acceleracionem, iustè tamen dandam (nam si iniustè dicimus, tunc incurri, deformitate secuta, irregularitatem, delicto) eritne irregularis?

19. Respondeo. Colligo ex Turr. *de Cens. lib.3. d.6. dub.3.* (& sic supponit Prates *in manuse. de Irreg.q.4.n.23. fine*, hunc fore irregularem, & quidem ex defectu. Rationem huius dicti puto ego, esse illam, quia omnis concursus ad occisionem, vel ad eius acceleracionem privato exhibitus, etiam in prædictis occisionibus vere iustis, est, ut privata persona procedens cum ino iustus, quia iniustitiæ actus est procurare occisionem, cuius sine causa.

20. Quare, quando instigas v.g. iumentum, quo vehitur Reus, ut citius is moriatur, si quidem id facis ex causam puta ob misericordiam, ne Reus diutius angatur, vel certè id facias nullo malo fine motus, non irregularis, nec ex defectu lenitatis, quia non es Ministri iustitiæ, nec ex delicto, quia non peccas. Si vero id facias motus ex odio, irregularis eris ex delicto, quia iniustè facis: Es enim per actum externum iniustus vis alterius, dum, cum fine malo, externè instigas v.g. iumentum, licet odium sit mere internum.

21. Neque dicas: Cur ergo iudex, vel quicunque Minister iustitiæ (ut nos docuimus in Superioribus) non credit irregularis ex delicto, si Reum meritem mortem condemnet, occidátque ex odio? Nec id dicas, inquam, clarè enim est disparitas, nam iudex ialique Ministri iustitiæ cum ex obligatione officij hæc faciant, non iniuste faciunt; nec contra iustitiam peccant, licet peccent contra Charitatem ex dicto odio interno. Tu verò privatus cum non ex officio illa facias, & cum ex alia parte actiones non afficiantur bonitate misericordiæ, vel alterius boni, seu, cum saltem non sint indifferentes, grauent in se peccaminosæ, & contra iustitiam.

Sed redeamus ad Corollaria:

22. Hinc Secundo. Confessarius (ait rectè Corneli apud Dianam *p.4.tr.2.res.99.*) inducens pœnitentem ut dicè interrogatum, ad fatendum delictum dignum morte) si quando tamen est casus, in quo dictus Pœnitens obligetur, de quo *in nostro Decal. lib.3. c.48.2.* dictum est) & ille, qui persuadet reo iam ad mortem damnato, ut acquieseat iustæ sententiæ, nec velit iniustè appellare, & ille privatus, teste Diana *ibid.* qui carnifici rem suspendenti dicat: *En iste adhuc vivit:* ex qua occasione carnifex redit ad reum suffocandum. Hi, inquam non sunt irregulares, quia hæc non agunt, ut Ministri iustitiæ, nec ego semper hîc supponimus) cum peccato.

23. Hinc Tertiò, ille (ait Verticelli *tr.1.q.mor.19.* contra Comit. Bonac. & alios) qui extra iudicium privatus sollicitat Cognatos, vel procuratores causæ, ut petat sententiam, aut pœnam sanguinis iustè infligendam, non est irregularis. Et ille Cardinalis (ait Dian. *p.11.tr.2. res.63.*) qui direxit causam criminalem tanquam privatus consilium dedit, reaptavitque scriptum factum à Fiscali &c. non incurrit, secuta Rei morte, irregularitatem, quia & ille, & hic Cardinalis hæc fecerunt extra officium, & tanquam personæ privatæ, nec illam scripturam Cardinalis nomine proprio subscripsit, nec ullum Advocati munus exercuit in iudicio.

24. Hinc Quartò, (ait Turrianus *loc.cit.*) si quis sine peccato dicat reo, *Pergamus citius, vel Ascendamus citius scalas*, non incurrit irregularitatem, idque propter dictam rationem. Idem colligit ex eodem Turriano Diana de eo, qui dicit Reo: *Suppone caput, ad recipiendum ictum*, unde is citius supponit, & de eo, qui orat carnificem, ut aliquid apret, quo sic citius Reus moriatur (tale iudicarem, si ores, ut carnifex apret pulverem sulphureum in pectore Rei, qui est vere

comburendus ) & de eo, qui dat consilium capiendi viam breviorem ad locum supplicii, vel excitando ministros, dicat horam esse tardam, vel populum nimis detineri.

25. Hinc quinto. Qui detegit Malefactorem ( ait Gibalinus, *de irreg. q.4.c.13.n.61.* ) vel clamat, adesse latronem, ut is comprehendatur, vocando v.g. famulos, vicinos custodes in auxilium, ut capiant furem, non est irregularis, si fur resistens occidatur, vel à judice morte damnetur, Adde, non esse præsumendum Ecclesiam velle fovere latronum, & similium insolentias, quæ certè fovebentur, si propter timorem irregularitatis non possent homines clamare, vel detegere ejusmodi delinquentes. Ne tamen hæc sint, ut ab accusatore, &c.

Et paulo post hoc est *n.* 61. Qui clamore (ait) excitat vicinos in furem qui capitur, & Iudici traditur, ab eoque occiditur, non fit irregularis, quia ipsemet, ut diximus, potuit eum furem capere, & judici tradere.

Excipe, nisi quando sic manifestans esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel alio modo id faceret, ut constitutus ad hæc, vel similia minister justitiæ, ut ex supra dictis constat.

26. Hinc Sexto. Medicus ( ait supra citatus G. Hurt. *l.c.n.43.*) aut Chirurgus, si juxta artem curet, mutilet ve, quamvis ex ea mutilatione, aliave curatione, præter intentionem, eveniat mors, non fiet irregularis, quia irregularitas lata est pro justitiæ ministris, non pro medicis, idque etiam si ejusmodi medicus sit clericus in Sactis, quibus, ut supra nos vidimus, vetitum est chirurgiam exercere. Fiet tamen irregularis ex delicto, si cum culpa mortali ex imperitia, vel negligentia, ut ibidem diximus, occidat, mutiletve.

27. Quod dictum est de Medico, dic de ministrante infirmis, qui si eos vertat ex latere ad latus, vel transferat de lecto ad lectum, vel erigat vel iisdem cibum porrigat, licet ex his actionibus mors, præter intentionem, sequatur, eæque fiant cum cautela, quæ à prudentibus adhiberi solet, non incurret irregularitatem, quia prædicti, justitiæ ministri nequaquam sunt.

*Deciduntur ex prædicta doctrina casus aliqui peculiares.*

*Detegens casu delinquentem.*

28. Colloquebatur (ut refert Nav. *Cons.* 13. *de homic. lib.5.*) quidam de muliere interfecta, cujus delicti auctor ignorabatur: aderat religiosus qui nihil aliud cogitans, interrogavit, an illa mulier esset ea, quam ipse viderat ante tres dies exeuntem cum suo viro extra Vrbem. Admiranda sanè humani ingenii sagacitas. Hæc mera interrogatio delata est à quodam ex astantibus ad judicem, qui inquires de eo viro, deprehendit, illum fuisse interfectorem, & non multo post extremo supplicio eundem adjudicavit.

29. His relatis, quærit Navarr. An religiosus ille fuerit irregularis? Respondetque nequaquam, Navarr. *l.c.* cui subscribit Mol. *tit.4.tr.3.d.74.n.2.* quia remotissime se habuit interrogatio illa ad condemnationem. Recte, sed addere poterat aliam doctrinam, quia hic religiosus, minister non erat justitiæ.

*Detegens signum, unde cognitus fuit delinquens.*

30. Satellites deprehenderunt hominem de nocte ferentem occulte sub pallio vas argenteum, suspicatique sunt illud fuisse furto ablatum, unde mane de die illud exposuere palam in foro, ut comparente forte Domino, suumque esse probante, convinceretur fur, pœnamque deformationis, nempè manus dextræ amputationem, juxta illius loci leges, subiret. Portò apparuit Dominus, clarissimisque testibus ostendit vas esse suum, convictusque fur pœnam luit. Esto Dominus, qui nullam protestationem præmisit, irregularis. Quid etiam de testibus, qui fuerunt ii aurifices, qui vas construxerant.

*Pars III.*

l. 31. Respondeo, ex dictis, §. 11. & §. 12. clare sequi, tum Dominum si accusaverit, tum Testes, esse irregulares. At aliqua apparens difficultas est, An, si Dominus non accusaverit, sed solum dixerit sine protestatione, *Hoc vas est meum*, & aurifices dixerint: *Hoc vas nos construximus pro hoc Domino*, inciderint in irregularitatem? Et nihilominus ex *ibidem* dictis colligi potest non esse irregulares. Ratio est, quia dicta Domini, & Aurificum, non sunt propriè Testimonium contra Reum, si enim, qui aliquod indicium manifestant extra judicium, sed quo Iudex deinde utitur ad inquirendum de Reo, ejusque delicto, vocantur quidem aliquando Testes, sed valde impropriè; Testis enim proprie est ille, qui intra judicium de aliqua re testificatur, & in criminalibus quidem semper in præsentia judicis, ut ex Authentica *de Testibus* § *Quoniam in fine coll.7.* habet Glossa *in C. Tua nos, de homic. V. Nuntiis tradidit.*

*Mittens ad Iudicem intersignia, quibus Latro convictus est.*

32. Scholaris quidam, ut narratur *in Cap. Tuanos, de Homic.* à fure in hospitio suo vulneratus, cum per internuntios interrogatus fuisset à judice, ut diceret, si quid sciret de fure, vel traderet intersignia, si quæ haberet, misit illi cultrum, quem à fure abstulerat, & soti ares, hoc est calceos, quos, ne pedum strepitus audiretur, sibi fur abstraxerat, atque in scholaris domo reliquerat. His receptis à judice signis, fuit amputata sunt à Satellitibus virilia, oculique item eruti. Fur autem ex dolore commotus, nec potum sumpsit, nec cibum, & sic de medio est sublatus. Contraxitne Scholaris irregularitatem?

33. Respondeo. Et quidem Covar. *in Clem. si furiosus, p.2.§. 5.n.1.* Avila *de cens. p.7. d.5. sect. 2.d. 15. concluf.1.* habet illam doctrinam, ut si indicium, quod quis dat judici, pertineat ad cognoscendum Auctorem delicti, ut est in casu proposito, non facit irregularem eum, qui indicavit, si vero pertineat ad delicti commissi probationem facit irregularem. Sed hanc doctrinam admittere non possum, quia æque ex utriusque his indicius procedit judex ad condemnandum Reum.

34. Ego igitur cum Glossa citata, & ex his hactenus allatis puto, hunc Scholarem, ex vi talis indicii à se dati in irregularitatem non incidisse, quia sic, nec fuit Accusator, nec Test s in judicio, solum enim aperuit extra judicium, quid factum fuit, aperuit, dixi, nam ipse, nec accusavit, nec querelam deposuit, nec ullam denuntiationem fecit contra Reum. Quare Pontifex Summus merito ipsum pronuntiavit liberum ab irregularitate.

35. Atque hæc quoad irregularitatem ex defectu lenitatis, quam prædictus scholaris ex missione illorum signorum poterat timere propter secutam mutilationem virilium, & oculorum effossionem illius latronis. Nam quoad irregularitatem ex delicto ob mortem, quam latro sibi conscivit ex occasione sumpta à pœna mutilationis, quam Satellites ei inflixerunt, manifestum nimis est, scholarem illam non incurrisse, cujus enim mortis causam valde remotam ipsum fuisse, vel puer videt.

*Episcopus tradens Ministris justitiæ corpus occisi.*

36. Occiditur Petrus, ejusque cadaver in Ecclesia, vel simili loco Ecclesiastico sepelitur. Iudex autem, ut procedat, ad inquirendum de delicti Auctore, vel ad processum contra aliquem melius confirmandum, vel, ut constet de corpore delicti, petit, ut ejusmodi cadaver exhumetur, inspiciaturque. Potestne Episcopus sine metu irregularitatis licentiam ad id concedere?

37. Respondeo. Posse, aiunt nonnulli, ut Venerus *in exam. Episc. l.9.c.30.n.26.* Bonac. *de contr. d.3.q.21.p.3.n.11.* Lavoricus *Var. t.1.tit.2. cap.4.num.31. & cap.12.num.57.* Diana *p.4.tract.2.resol.95.* alios citans, addunt aliqui debere. Ita Lavor. *loco citato.* Sed profecto, si petitur cadaver, ut constet de corpore delicti, vel ad inquirendum

contra personam indeterminatam, quis scilicet delicti auctor fuerit, omnes consentiunt, posse Episcopum licentiam concedere, quia id solum est, ut quid remotum ad sententiam forte mortis consecuturam. At d fficultas vertitur; an possit, quando cadaver requiritur, ut confirmetur suspicio, vel compleatur probatio contra aliquam personam peculiarem. Sunt v. g. indicia contra Titium, petitur vero corpus Petri intercempti, ut videatur, an vulnus datum conveniat, cum gladio, quem Ministri invenerunt sanguine aspersum apud delinquentem, vel quid simile. Et nihilominus quamvis antiquiores, putaverint, tunc non posse Episcopum licentiam concedere, ne concurrat proximè ad processum sententiæ sanguinis contra personam determinatam; tamen ex prædicta doctrina, quod irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi à Ministris justitiæ, sequitur, posse sine irregularitatis timore, quia totum, quod facit Episcopus, etiam positivè concedendo licentiam, non facit, ut Minister justitiæ, puta, nec ut Accusator, nec ut Testis in judicio criminali, &c.

38. Est tamen notanda monitio Congregationis 22. *Novemb. 1619. in man. Episc. V. Sepult. in Addit. num.* 7. Cardinalium super negotia Episcoporum, quæ apud Gavantum sic habet. *Non debet Episcopus dare licentiam exhumandi corpus ad hoc, ut Laici sumant indicia in Criminalibus.*

### *Episcopus tradens copiam renuntiationis Clericatus.*

39. Titius renuntiavit coram Episcopo Clericatum (idem esset, si Episcopus aliquem verbaliter degradasset) & deinde graviter deliquit, unde à judice sæculari comprehensus est. Nunc petit idem judex ab Episcopo, vel ejus Ministris copiam ejusmodi renuntiationis, vel degradationis, ut scilicet certus de non Clericatu Titii illum legitimè morti adjudicet: potestne Episcopus, vel ejus Ministri eam copiam tradere?

40. Respondeo. Diana *loc. cit.* postquam varius est affirmasse, quod posset, addit: sed tu cogita. Ego vero cogitarem, si prædictam hactenus doctrinam nescirem, vel eam improbabilem judicarem. Nunc verò, cum videam Episcopum, vel ejus Ministros tradendo copiam talis renuntiationis, vel depositionis, non fungi munere ministri justitiæ Sæcularis, nec Accusatoris, nec Testis in judicio, censeo, probabile esse, quod possint. Non ita esset, si traderent eidem curiæ sæculari processum forte ab ipso Episcopo factum de homicidio commisso à Clerico; illum enim processum cum fecerit Episcopus, ut Minister etiam ipse justitiæ, si deinde occideretur delinquens, concurrente, quamvis solum ex parte; ejusmodi processu, nequaquam ab ipso irregularitas evitaretur.

### *Iudex Ecclesiasticus dans Laico Epistolas quasdam, &c.*

41. Iudex Ecclesiasticus potest-ne sine incursu irregularitatis dare judici Laico quasdam Epistolas, inventas apud Reum, quibus idem judex Ecclesiasticus probaverat dictum Reum commisisse homicidium proditorie, atque adeo immunitate nequaquam gaudere?

Respondeo, non posse. Ratio principalior est, quia Ecclesiasticus dare utiliter non potest has Epistolas, nisi etiam det processum, seu partem processus, quo appareat, eas Epistolas inventas esse apud Reum: at omnes Doctores clamant, processum judici Laico non posse dari ab Ecclesiastico, ut supra §. 10. *n.* 21. vidimus. Lege Tancredi *p. 2. q. mor. tr. 5. q. 1. & seq.* qui late hoc prosequitur, sed hujus nostræ solidæ rationis non meminit.

## §. XIV. *De irregularitate contracta à Militibus in Bello.*

1. Si injustum sit bellum, omnes pugnantes, imò omnes cooperantes, quales sunt conducentes Milites, custodientes sarcinas, animantes exhortantes, alimentes cibos (juvant enim hi omnes ad occisiones, etiam si ipsi immediatè arma non tractent) esse irregulares, vel uno dumtaxat occiso, patet ex supradictis. Nihilominus Doctores non ita rigide loquentes de aliquibus ex his, vide apud Dianam *p. 11. tr. 7. Res. 8.*

2. At verò, si bellum sit justum, distinguendum est, an ejusmodi bellum sit aggressivum, seu offensivum, an mere defensivum.

Et quidem in hoc posteriore nullus, nec Laicus, nec Clericus est irregularis, etiam si aliquem propria manu occidat, quia, defendere Patriam, est de jure naturæ, & jus Ecclesiasticum in illa necessitate non obligat, eum id, vel sic, vel reducatur ad defensionem propriam; quando tamen non excedantur limites necessariæ defensionis, quod mox §. *seq.* latius explicabimus.

3. In priore autem belli justi genere, nempe offensivo, pugnantes propria manu, si aliquem occidant, mortaliter vulnerent, sunt irregulares ex defectu lenitatis, *ex cap. 1. & 2. dist. 51.* Lege Lez. *cons.* 23. quia tunc occidunt, ut Ministri publici exercentes justam vindictam contra hostes. At, si propria manu non occidant, licet hostem vel etiam pugnent, aliove modo cooperentur ad hostium occisionem, irregularitatem non incurrent, ita S. Tho. Castrop. Laym. Coninch. Nav. aliique quos citant, & seq. Lezana *dicto cons.* 23. & Castrop. *de irreg. d. 6. p. 1. §. 5.* Diana *p. 11. tr. 8. res.* 2. Ratio est, quia Sacri Canones *C. Petitio de Homic.* non conjunxerunt irregularitatem ex defectu lenitatis in Militibus, nisi illis, qui manu sua occidunt, vel vindictam deformationis per se exequuntur.

4. Illi item, sive Laici, sive Clerici, qui ob honestam causam bello assistunt v. g. ad infirmos curandos, &c. non incurrunt irregularitatem, quia tanta pietas boni illius operis, non est punienda irregularitate imò propter eandem rationem locum hæc habent, etiam in bello injusto, quamvis inde militum animus, ut notat Hurt. *d. 2. diff. 12. de irreg. n.* 43. augeatur.

5. In præfatis unum est addendum de Clericis. Recole enim, ipsis esse prohibitum in jure *C. Ex multa de Voto V. de Cler. & ex multis Capit. caus.* 13. *q.* 8. propria manu pugnare (intellige ex dictis, in bello non mere defensivo) & quidem sub ea prohibitione comprehendi, etiam si sint Duces exercitus, & illi præsint, tactè cum multis notat Diana, *p.* 10. *tr. 2. res.* 1.

6. Dico igitur Primò, si Clerici in dicto bello justo aggressivo neminem immediate deforment, nulla eos irregularitate innodari. Nam non ex delicto, quia Clericis non est prohibitum hortari in bello justo: Neque ex defectu lenitatis, quia hanc solum contrahunt Ministri justitiæ, quales non esse clericos, jam dixi.

7. Dico Secundò, probabile esse, eosdem fore irregulares ex delicto, si propria manu pugnantes aliquem deforment. Ratio est, quia cum ipsi tunc non sint Ministri justitiæ, injuste deformant. Id paulo ante §. 13. *num.* 5. ex Cartario, in simili me dixisse, memini. Verum cum Castropalao *loc. cit.* addo, esse probabilius, hos peccare quidem, non obediendo Sacris Canonibus, qui vetant Clericis pugnare propria manu, at non esse irregulares, ex delicto, sed solum ex defectu lenitatis. Ratio est quia etiam ipsi tunc occidunt, ut Ministri justitiæ, hoc est, ut Ministri Principis, dantis valide, ut dixi supra *dub. c. 15. §. 10. n.* 26. omnibus pugnantibus auctoritatem, ut juste occidant, esto clericus peccet acceptando talem auctoritatem.

8. Dico denique Tertiò, mihi satis esse probabile, si Pontifex det tibi, etiam Clerico, facultatem, ut occidas in bello justo aggressivo, impliciteve tollere à te incursum in irregularitatem, ut notat *ibid.* Castrop. cum tunc Pontifex agat, ut Pontifex, & Ecclesiæ Caput. Ib. quod & nos innuimus §. 10. *n.* 22.

§. XV.

§. XV. *De irregularitate, quæ oritur ex propria Defensione excedente terminos, &c.*

1. QVando quis aliquem deformat ad suam, suarumque rerum notabilis momenti defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideſt nihil faciens supra id, quod morali modo necessarium est ad ejusmodi defensionem, non evadit irregularis; sicuti nec esset excommunicatus, si ob similem defensionem percuteret Clericum. Hæc veritas, quamvis olim in dubium veteretur, nunc claris verbis habetur in jure. C. Si furiosus. Clement. de Homicidio.

*Si furiosus* (inquit Textus) *aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare valens suum occidit, vel mutilat invasorem.*

2. Quare qui ut propriam, vel etiam alterius innocentis vitam, vel membra servet, vel ut grave vulnus sibi vel eidem innocenti infligendum caveat, quique ut propria, vel proximi bona magni momenti, vel honorem & famam tueatur, alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, alio remedio uti non valens, non est irregularis. Lege Gibal. *de irr. c. 4. q. 3. à n. 10. & 18.*

3. Quando tamen quis excedit limites suæ defensionis, ut, si potens se defendere alio modo, v. g. verberando, vel mutilando, occidit nihilominus, is irregularis erit ex delicto, quia deformat injuste, ut ex supradictis patet. Erit autem hoc homicidium casuale, quia se defendens non intendit directe alium occidere, sed se defendere. Hæc, & alia minutiora facile invenies apud Doctores; ut G Hurt. *l. c. diff.* 10. Gibal. *l. c. q.* 2. Delug. & Lez. *ll. mox. citan.* aliosque ab iisdem citatos, sed tres casus ad hæc illustranda non sunt à me prætermittendi.

*Parrochus suos excitans ad Bellum justum.*

4. Quidam Parrochus, qua verbis, qua æris campani pulsato signo, incitavit suos Parrochianos, ut se defenderent ab incursione quorumdam hominum, qui oppidum devastare intendebant, ex quibus oppidani multos occiderunt. Estne Parochus irregularis?

5. Respondeo Delugo *l. 2. Resp. mor. dub. 9* asserit, seu supponit, Parochum incidisse in irregularitatem. Lezana *cons.* 23. negat. Ego ex dictis manifeste colligo, non incidisse. Primo, quia ad defensionem innocentis Patriæ pugnatum fuit. Secundo, quia Parochus neminem proptia manu occidit, &c.

*Sacerdos alium occidens ad propellendam injuriam.*

6. Vgolinus *c.* 29. §. 2. *n.* 3. hîc lepide quærit de quodam Sacerdote, qui occidit hominem, à quo arrepta Barba, trahebatur, & illum à se aliter extrahere non poterat, nisi eundem occidendo? Respondetque hunc Sacerdotem esse irregularem, quia non agebatur de vita.

Verum Gibal. *de irreg. c. 4. q. 3. n.* 15. negat ejusmodi irregularitatem, & merito, quia gravissima erat ea injuria ad quam avertendam licite potuit Sacerdos ille injuriantem occidere.

*Occidens sibi insidias parantem.*

7. Idem Gibal. *ibid.* duo mihi difficilia intrepide & sine distinctione affirmat. Primo, eum, qui sibi insidias parantem antevertit, occiditque, nec peccare, quia se defendit, nec consequenter esse irregularem. Secundo, eum, qui injustum invasorem fugientem incontinenti sequitur, occiditque v. g. post alapam impactam, nec peccare propter eandem rationem, nec irregularem fieri. Hæc, inquam, duo sic absolute dicta mihi apparent difficilia. Nam ego *l. 6. in Dec. c.* 1. §. 1. *n.* 15. pro priore ex prædictis casibus, ne tunc peccaretur, requisivi, ut proxime, & in procinctu paret quis alium occidere, *&* §. 3. *n.* 3. pro posteriore casu dixi, id non esse in praxi recipiendum. Relege locum.

*Ut effugiam periculum vitæ, evitare aliquando possum irregularitatem.*

8. Breviter propono casum, quem proponit Delugo, *de Iust. d. 8. sect. 6. n.* 86. Veneno infecit Petrus ficus comendas à suo inimico. Verum casu advenit amicus, & comedit, Petro vidente eoque, ne suum crimen proderet, tacente. Estne Petrus hujus amici injustus homicida, atque adeo irregularis?

9. Respondet Delugo *ibid.* non esse, quia ex una parte hujus amici mors præter Petri intentionem prorsus evenit, & ex alia, Petrus non fuit injusta causa mortis amici, quia cum tanto suo periculo manifestandi suum delictum, non tenebatur illum monere de veneno.

*Vir occidens uxorem inventam cum adultero, &c.*

10. Huc reduci id potest: pertinere enim videtur ad defensionem honoris proprii. Equidem de hac re quoad Excommunicationem, & tunc in flagranti crimine occidatur Clericus adulter, agitur *in Trac. De excom. Si quis suadente*: nunc vero loquendo de irregularitate, puto, propter similes rationes, quæ *ibid.* dicuntur, esse probabile non incurrere irregularitatem, de quo argumento plura habes apud Dianam.

§. XVI. *De irregularitate quæ oritur ex mutilatione.*

1. NOn solum, qui occidit hominem, verumetiam, qui ejus membrum aliquod mutilat, (ut sæpè in Superioribus per occasionem insinuatum est) in pœnam Irregularitatis incurrit, ejus prorsus speciei, quæ est ea, quæ incurritur ex homicidio, ita ut sicuti ex homicidio injusto, sive voluntario, sive casuali incurritur irregularitas ex delicto, sic ex injusta simili mutilatione. Et sicuti ex homicidio justo incurritur à Ministris justitiæ irregularitas ex defectu lenitatis, ita ex eadem simili justa mutilatione. Quare omnes modos, varietatésque, quas supra haberi diximus ab irregularitate ex morte secuta, dic pari modo, haberi ex mutilatione, nam propterea sæpissime utrumque comprehendimus sub uno nomine *Deformationis*.

2. Vnum tamen, vel alterum discrimen esse inter irregularitatem ex Homicidio, & mutilationem, mox apparebit §. 17. *n.* 25.

Porrò illæ duæ quæstiones propriæ sunt hujus loci. Primo, quid intelligatur nomine membri, cujus mutilatio irregularitatem inducit. Secundo, quid nomine mutilationis.

3. Adverte autem. Primo aliud esse loqui, de eo, cui ob mutilationem membrum aliquod deest. Secundo, aliud de eo, qui sibi ipse membrum amputat. Tertio, aliud de eo, qui alteri membrum mutilat. De Primo, & Secundo egimus supra *c.* 8. §. 1. *&* 2. hîc autem solum de tertio agendum est. Relege locum, ubi maxime advertendum dixi, non valere argumentationem ex uno istorum ad aliud, ut *ibid.* explicui.

*Cujus membri mutilatio alteri facta irregularitatem pariat?*

4. Membrum est corporis animati pars, non quæcunque, sed illa, quæ proprium, ac distinctum munus gerit in corpore, juxta illud S. Paul. ad Rom. c. 12. *Omnia membra non eundem actum habent*, & juxta doctrinam Aristotelis *de part. anim. l.* 10. *c.* 5. dicentis, *operationem in corpore esse propter membra*, ideſt ex membris. Hinc recte ait Bartolus, *in l.* 4. *num.* 13. *De pull. Iud. & l. Non sunt ff. De Stat. Homicid.* statutum contra amputantem membrum, non urgere contra amputantem digitum, & habentem plures solito digitos, non dici habere solito plura membra.

5. Membrum igitur est, quod ex se in corpore est instrumentum propriæ ac distinctæ operationis. Partes autem

membri sunt eæ, quæ ad dictam operationem coadjuvant, quales sunt digiti coadjuvantes ad operationem manus. Lege Covar. *in Clem. si furiosus p. 3. initio n.* 8. Nav. *in summa c.* 27. *num.* 206. Farinac. 8. *n.* 63. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 7. aliosque.

6. Hinc capilli, Barba, Vngues, cum solum sint ad ornamentum, atque operationem, vel nullam habeant, vel certè tenuem, membra sine dubitatione non sunt. Contra, Oculi, Nares, Manus, Pedes, & cæt. quia distinctis pollent operationibus, certo, & ex omnium sententia sunt membra. At vero Dentes, Genæ, Crura, seu Tibiæ, & Brachia, ut distincta ab Ore, à Pedibus, à Manibus, cum non videantur habere proprium actum, sed coadjuvare, incertum est apud Doctores, an membra distincta sunt.

7. Mihi hac in re certa sunt duo, tria aliquibus incerta videntur, quæ tamen mihi non videntur incerta.

Certum mihi est Primo, Oculos, Nares, Aures, Linguam, Manum, Membrum genitale, Pedes esse proprie membra, atque irregularitatem parere in illo, qui aliquod ex his alteri abscindit. Ratio est, quia hæc, extra controversiam, actum, seu operationem distinctam habent.

8. Certum mihi Secundo, Capillos, Barbam Digitos, Dentes, Labia, Nervos, Testes, Palpebitas, Supercilia, non esse membra distincta, atque adeo, neque irregularitatem inducentia in amputante aliquod ex illis. Ratio est, quia hæc, vel solum sunt ad hominis ornatum, vel ad actum coadjuvant, vel insunt in corpore ad munia quædam communia, & secundaria. Cum testes dixi, non intelligo utrosque, sed alterutrum, nam uno dumtaxat deficiente, non tollitur generandi usus, tollitur, deficiente utroque.

9. Nonnulli inter hæc numerant Brachium, & Crus, seu Tibiam, ut separata à Manibus, vel Pedibus, unde dicunt, non fore irregularem eum, qui alteri non habenti Manus, vel pedes abscinderet brachium vel crus. Verum ego de hac doctrina, valde ambigo, dubitationisque rationem mox aperiam *n.* 21.

10. Dices. Qui dentem alteri excutit, vel labia tundit, vel capillos evellit, vel faciei cutem excoriat, vel similia facit, quamvis membrum non mutilet, tamen illum non raro reddit adeo deformem, ut reddat simul irregularem ex notabili deformitate, ergo etiam & ipse, qui irregularitatem in altero parit, erit irregularis ex illo principio, quod aliqui tenent, ut Sylv. *V. Homic.* 2. *q.* 3. Maiol. *de irreg. l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. & *l.* 5. *c.* 50. *n.* 5. cum semper esse irregularem, qui alium irregularem reddit.

11. Respondeo. Negando consequentiam, falsum enim est, ut vult Nav. *in summa c.* 27. *n.* 207. Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 15. *n.* 7. Avila *de Censur. p.* 7. *d.* 3. *dub.* 1. *ver. finem*, eos omnes fieri irregulares, qui alios irregulares faciunt; nam qui filium spurium generat, & qui judex condemnat reum de infamia, & qui veneficio v. g. mentem sani hominis insanam reddit, non sunt irregulares, *de hoc ult* vide mox *n.* 35. cum tamen irregularem reddant filium, reum, hominem illum.

12. Porro incertum est. Primo. An mulieris mammilla sit membrum? Affirmat Dian. *p.* 1. *tr.* 15. *res.* 20. Covar. *l. c. n.* 7. Salced. *de prax. crim. c.* 9. Avil *de cens. p.* 7. *d.* 5. *sec.* 1. *dub.* 1. Aliique negant, quia propriam, & distinctam operationem illa non habet. Suar. *de cens. d.* 44. *sec.* 2. *n.* 9. Sayr *de cens. l.* 6. *c.* 15. *n.* 18. Farinac. *in fragm. V. irreg. n.* 597. & *V. Clericus n.* 373. cum aliis, & cum eodem Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 6. tanquam probabilius affirmat, eamque mutilantem ab altari repellit. Ego cum Suario sentio, quia, & Arist. *de Gener. animal. l.* 4. *c.* 8. & Galen. *de usu partu l.* 8. *c.* 22. & *l. de sper. sub init.* & communiter alii docent, in mammillis fœminarum sanguinem converti in lac: quare actum proprium distinctum ab aliis membris habent. De mammilla autem Mulieris loquimur, nam mammillam hominis distincta operatione carere, videmus omnes.

13. Incertum est Secundo, an Auricula sit membrum? Auriculam dico, hoc est cartilaginem auritum externam nam auris, ideest totum organum audiendi esse membrum, nullus negat.

14. Controversiam rem hanc reddidit Gliarus, in *summ. Cens. V. Auricul.* qui docuit, eam non esse à numero membrorum repellendam, siquidem illa præparat, seu fovet sonos; vocesque, illasque veluti colligit, ut melius audiantur.

15. Confirmat Primo, ex Speculatore *tit. de defect. §. Iuxta finem*, qui quæstioni quærenti, An absciso Auriculæ Malchi facta in horto à S. Petro fuerit causa irregularitatis in Petro? Respondet, non fuisse, quia tunc non erat inducta irregularitas: intelligit ergo Speculator, auriculam esse membrum, nam secus respondisset, non fuisse Sanctum Petrum irregularem, quia membrum non amputavit.

16. Confirmat Secundo, quia Antonius quidam Anachoreta præcidit sibi Auriculam, ne ab Ægyptio advocaretur ad Episcopatum. Sentiit ergo Antonius, Auriculam esse membrum, quandoquidem ejus abscisio debebat illum ab Episcopatu retrahere.

17. Confirmat Tertio, quia, secus, qui alteri Nasum abscinderet, non esset irregularis, quod nemo concedet. At ita se habet Nasus ad odores excipiendos, atque ad odorandum, sicuti Auricula ad audiendum.

18. Verum rego te, studiose Lector, ne rem hanc incertam dicas in posterum. Probabilissimum enim est Auriculam, sicut & Nasum, non esse membra, sed membrorum partes (Nasum dico, non Nares, idest totum organum olfaciendi, hoc enim esse membrum distinctæ operationis, jam dictum est modo) Ratio hujus probabilitatis est, quia Auricula, & Nasus conjuvant ad audiendum, atque olfaciendum secundario dumtaxat, & minus principaliter, cum sine his audire possis, & olfacere. Ex quo solvitur Gliani ratio principalis.

19. Ad confirmationem primam, quicquid Speculator respondere potuisset, satis ipsi fuit, per suam responsionem abscindere radicem totius quæstionis, dicendo, tunc nondum fuisse pœnam irregularitatis inductam.

Ad confirmationem secundam, sicuti Anachoreta ille erravit, sane bona fide (nisi ad peculiare Sancti Spiritus impulsum confugias) amputando sibi auriculam, cujus ipse, ut cæterarum corporis partium, Dominus non erat, sic erravisset, si putavisset, id quod Gliarus contendit. Fateor aut Anachoretam, si Canones scibat, iique tunc prodierant, recte potuisse putare, se irregularem fieri, sibi Auriculam abscindendo, ad irregularitatem enim incurrendam, satis est per Sacros Canones, si sibi quis partem membri abscindat, qualis est Auricula, cum tamen, si alteri abscindat, debeat abscisio esse membri, non membri partis, ut modo dictum est *num.* 4.

20. Ad confirmationem tertiam jam ex dictis patet. Incertum est Tertio, an alteri amputans partem membri sit ab irregularitate semper immunis.

21. Respondeo, quandoquidem multi, ut Fill. *tr.* 19. *c.* 9. *num.* 136. Suar. *de Censur. d.* 44. *sect.* 2. *num.* 9. Turr. *de Censur. l.* 9. *disp.* 67. *dub.* 2. nimis multa hic congerunt, ego hanc brevem regulam ex variis Doctorum dictis colligo. Quando tanta, & tam notabilis est mutilatio partis membri, ut ratione dictæ mutilationis, id, quod remanet, non possit absolute dici illud membrum, seu quando id, quod remanet, habere physicè, & absolutè non potest usum, ad quem ejusmodi membrum institutum est à natura (ut si cui v. g. omnes quinque digiti à manu amputentur) toties ejusmodi amputatio dicetur, & erit amputatio membri afferens irregularitatem in amputante, secus, non item. Ratio regulæ est, quia amputatio tantæ partis est vera, & absoluta amputatio membri, cum amputetur id, quod principaliter facit ad usum membri, cui similis non est amputatio Auriculæ, vel nasi, de qua modo *n.* 18. dictum est.

Hinc mihi difficile fuit *n.* 9. assentiri iis, qui dicebant amputari

amputantem brachium, vel crus illi, qui manu, vel pede carebat, non esse irregularem, difficile, inquam, fuit: Cum enim brachium, & crus sint magna pars membri inservientis ad eorum membrorum usum, qua ratione, qui illud alteri amputet, irregularis non erit.

22. Idem propter eamdem rationem dico de amputante manum ei, qui omnibus caret digitis & de eo, qui à carente pedum digitis, ipsum pedem secet.

23. Quid de eo, qui alterius pollicem, & indicem detruncat.

Respondeo, idem dici debere, quia manus sic amputata fit notabiliter, ne dicam ex toto, inepta ad munus suum exercendum, quicquid in oppositum sentiat Gibal. *de irregul. c. 4. q. 1. num. 46.* nam propterea idem dico tum de eo, qui tres digitos minores simul cum parte manus ipsis correspondente alteri abscindit; jam enim hoc pacto fit manus inepta ad res tractandas, tum de eo qui omnes fere dentes alterit excutit, &c.

### *Quid veniat nomine Mutilationis.*

14. Quod illa mutilatio, quæ tollit membrum, inducat irregularitatem, certi iuris est, ut ex dictis, liquet, & nulla quæstione dignum. At illud dignum est, ut inquiratur, an sola debilitatio membri, qua illud fiat ineptum ad operationes proprias, membro tamen non abscisso, faciat te, qui illud debilitasti, irregularem, qua si ex mutilatione æquivalente.

25. Aliqui, ut Maiol *de irregul. l. 5. cap. 10. n. 8.* Graff. *l. 2. decis. c. 62. n. 3.* aliique absolute affirmant, te irregularem facere, quia inquiunt, paria sunt, aliquid non esse, atque inutile esse; ergo pari pœna est plectendus, qui facit, ut non sit membrum, atque, qui facit, ut sit inutile.

Suarez vero *de censur. d. 44. sect. 2. num. 11.* distinguit: Vel ita debilitasti alterius membrum, ut, licet ineptum remaneat ad operationes proprias, iuvat tamen in corpore, vel ita, ut omninò aridum à te sit redditum, & nihil prorsus iuvat. Si priore modo debilitasti, non es irregularis, quia verè non abscidisti membrum: Si autem modo posteriore, irregularis es, quia moraliter, & æquivalenter tanta arefactio privans vita membrum illud, est moralis amputatio.

26. Sed nec illi placent, nec Suarij licet ingeniosè excogitata distinctio. Aio enim absolute, in utroque, & in quolibet alio simili casu, quo non separetur physice membrum à corpore, hanc irregularitatem non induci. Ratio est, quia, ut toties docuimus, irregularitas non est inducenda, nisi adsit expressum ius: at ius nullibi morale, vel æquivalentem absciſſionem irregularitati subiicit, sed physicam absciſſionem detruncationem, amputationem, &c.

27. Scio aliquando idem reputari in Iure Civili *l. quoties ff. qui satisd. cog. & l. ult. cum Gloss. C. ad legem Flavia de plagiar.* uxorem non habere Maritum, & illum inutilem habere, & in Canonico *C. 1. de translat. Episc.* idem reputari de Prælato inutili Ecclesiæ, ac de nullo; sed hæc disponuntur, quoad aliquos effectus ex iuris fictione, quæ non potest procedere, quoad irregularitatem, quæ expressa debet esse in iure, & pro qua iura nunquam aliquid simile finxerunt. Et quidem signatè dixi (quoad aliquos effectus) nam cæterum, nec uxor potest propter virum inutilem matrimonium inire cum alio, quia nimirum durat vinculum, neque Episcopo inutili, datur successor, sed solum *Tit de Clerit. ægrot.* coadiutor, &c. ut videas non in omnibus paria reputari non esse, & inutile esse.

28. Dices: in Iure Canonico *Clem. si furios. de Homic.* dicitur causa esse irregularitatis mutilatio, & detruncatio: ne igitur altera ex his vocibus sit superflua, illud (detruncatio) significabit debilitationem, quasi æquivalentem detruncationem.

29. Confirmatur, quia in eodem iure *C. Cum illorum §. Qui si Clausurales. De Sentent. excomm.* mutilatio membri, & sanguinis effusio idem censentur in ordine ad incurrendam excommunicationem à percutiente Clericum, non aliud, nisi, quia hæc duo sibi invicem æquivalent, ergo idem in casu nostro, &c.

30. Respondeo non esse novum in iure, ob maiorem explicationem duas poni voces synonimas, idemque significantes. Adde Primo, nimis longe petitam esse hanc significationem, ut detruncatio significet debilitationem.

Adde Secundo, in odiosis non posse à propria significatione vocis ad impropriam deflecti. Adde Tertio, Codices emendatos allati Textus habere (mutilare, & occidere.)

31. Ad confirmationem nego causalem. Ratio enim illius incursus in excommunicationem est, quia sive mutilatio, sive sanguinis effusio semper supponuntur fieri per percussionem, cui ex iure annexa est excommunicatio.

32. Dices Secundo. Qui aridum reddit alteri membrum v. g. manum, illum irregularem reddit, ergo, & ipse irregularis erit.

Respondeo. Huic obiectioni satis responderi potest ex dictis modo *n. 10.*

33. Ex his sequitur eum, qui manum, pedes, vel aliud membrum arefacit totaliter, vel auditum, visumque, immo mentem rationisque discursum alteri tollit, si membrum non amputet, licet, ut certum est, gravissime peccet; non tamen irregularitatem contrahit, quia sic, neque occidit, neque mutilat.

34. Sequitur item, eum, qui sibi debilem, vel aridum, omnino reddit membrum, si illud non abscindat, vel, sic, se deformem, ineptumque ad Ecclesiastica munia non faciat, non fore irregularem, quia nec membrum, nec partem membri sibi abscindit. Quam doctrinam hic decernendam remisi supra *c. 7. §. 2. n. 17.*

35. Sed iam superest curiosa quæstiuncula pertinens quidem ad præcedentia, sed huc commodius transmissa. Inquiro enim, an si quis ab altero abscindat membrum inutile v. g. manum aridam, incurrat in irregularitatem annexam mutilationi.

36. Respondeo, Suarez sua utitur distinctione, atque si membrum, quantumvis omninò inutile, vivat tamen, eum qui illud ab se abscindit, fieri irregularem; quia vere mutilat corporis humani membrum, si autem non vivat, sed est omnino aridum, & siccum, irregularem non fieri quia tunc perinde esset, ac si is membrum abscinderet à cadavere.

37. Equidem tanti viri doctrinam veneror, sed ei acquiescere non possum, eiusmodi enim amputatorem semper fore irregularem, puto, quia semper membrum humanum, seu hominis detruncat, cui detruncationi, Sacri Canones irregularitatem addixerunt, nihil distinguentes. Nec verum est, perinde esse membrum arefactum ab homine vivo recidere, ac recidere à cadavere, qui est homo mortuus: membrum enim quamvis arefactum, aliquid facit ad integritatem hominis vivi, & quamvis nihil faceret, certè mutilum absolute vocare non potes illum, qui membrum, licet arefactum, habet.

38. Qui plura membra alicui mutilat, an plures incurrat irregularitates. Supra dixi, §. 10. *a n. 14.*

Qui item dubitat, se mutilasse, an irregularem se censere debeat, dixi item supra *c. 5. §. unico n. 10.*

## §. XVII. *Quis dispenset in irregularitate ex Homicidio.*

1. Diversi Iuris est dispensatio irregularitatis ex defectu lenitatis, quæ ex dictis incurritur à Ministris Iustitiæ, & à Militibus in bello offensivo justo, & dispensatio ex homicidio injusto casuali, & dispensatio ex homicidio injusto, & denique dispensatio irregularitatis ex mutilatione. Separatim igitur de singulis est dicendum.

2. Cum autem hic loquamur de dispensatione, cujus natura semper requirit causam, adverte, quoties 10 dicturi sumus, hunc, vel illum posse dispensare, semper intelligendum esse cum causa proportionata ad gra-

vitatem irregularitatis, iuxta, quæ dicuntur in Tractatu de Dispensatione. Hanc monitionem hîc appositi, propter frequentes dispensationes, quæ circa irregularitatem ex Homicidio expediri solent, cæterum in omnibus dispensationibus prædictis, & in posterum dicendis, eam esse apponendam, diserte pronuntio.

*Quis possit dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis?*

3. Summum Pontificem posse, nimis est manifestum. Quid Primo, de Episcopo?

4. Decem & octo Doctores enumerat, licet eos non sequatur, Pasq. *q.mor.cent.3.q.226.* docentes, posse Episcopum dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis; Ducunt autem hi probationem allatæ doctrinæ à concessione Episcopis data à Trident. *sess. 24.c. 9. de Refor.* concessionemque esse datam, ita deducunt.

5. Datur Episcopis facultas dispensandi in omni irregularitate, præter illam, quæ est ex Homicidio iniusto voluntario, sed irregularitas ex defectu lenitatis non est ex homicidio iniusto voluntario; ergo de illa datur facultas Episcopis.

6. Vides, fundamento, quam apparenter solido, ij Doctores innituntur? Quod tamen, etiam indulgenter, expensum mihi, tibi, aliisque levissimum apparebit. Falsa enim omnino est dicti Argumenti Maior; Si quidem Tridentinum non dicit Episcopis dari facultatem dispensandi in omni irregularitate, præter illam, quæ est ex homicidio iniusto voluntario, sed dicit, dari facultatem dispensandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto. At irregularitas ex defectu lenitatis nequaquam est ex delicto. Profer, Amice, Tridentini verba.

*Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus,& suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario,& ea,quæ est deducta ad forum contentiosum dispensare.*

Cum igitur Tridentinum solum disponat de irregularitate ex delicto, relinquit irregularitatē ex occisione iuxta dispositionem antiquorum Canonum, quæ soli Pontifici, ut omnes scimus, reservatur, ut nobiscum sentiunt viginti tres Doctores citati ab eodem Pasqualigo, quibus adde ipsum Pasqu. *l.c.* Sacceldo *in praxi Episc p.2.c.6. n.46.* Glianum *in summ.censur.V.Homic.* Leandr. *de irreg. tr. 2.disp.7.q.133. & 137. & rursus d. 27. q. 12. & 13.* aliosque.

7. Neque mirum, si eiusmodi potestate fruatur, tum Commissarius Cruciatæ, tum, in ordine ad suos, Prælati Regularium, pro his enim aliqui putant (an probabiliter dicetur alibi) adesse Pontificiæ concessionem, quæ non est pro Episcopis.

8. Dicit Diana *p.11.tr.5.res.6.in fin.*, eandemque opinionem, esse probabilem docet *p.4.t.2.res.69.* ex Lessio, *in 3.p.D.Th..c.2.de irreg.dub.6.n.21.* per Epicheiam concedi id etiam Episcopis; sed Respondeo, te nimis gratis fingere hanc Epicheiam universalem circa concessionem eiusmodi dispensationis, quæ res universaliter non admodum est necessaria: Epicheia autem solū in necessariis quibusdam casibus insolitis locum habet. Nec auctoritatem Lessij obtendas; is enim id non dicit in libris de Iustitia à se editis, sed in posthumis quibusdam commentariis certe non magnæ auctoritatis mihi, & aliis.

*Quis possit dispensare in irregularitate ex Homicidio iniusto casuali.*

9. Maxime recolendum est, quodnam sit homicidium casuale, quod mere voluntarium, nam casuale sit non ex directa voluntate occidendi, sed aliud intendendo, quale etiam supra diximus, esse homicidium factum in sui defensionem, excedendo limites debitos; tunc enim non intedit quis alium occidere, sed se defendere. Voluntarium autem sit ex directa voluntate occidendi, quale nos ex probabiliore sententia diximus §.6 *num.5.* non solum esse homicidium ex insidiis & aliàs præmeditatum, sed etiam factum in rixa subitanea, quamvis illud fieri in eo tantum calore intendatur id in quem maxime recolendum est, ut bene intelligatur, quatenus se extendat ea potestas, quæ sola est ad dispensandum irregularitatem ex homicidio casuali, non autem ex homicidio voluntario.

10. Iam vero potestatem dispensandi in irregularitate ex homicidio casuali occulto, & non deducto ad forum contentiosum, præter Pontificem, de cuius potestate dubitare esset in meridie cæcutire, inveniri apud Episcopos respectu suorum ovium, est certum ex Tridentino *sess.24. c.6.de ref.* vide etiam ap. Leandr. *de ir.d.27 n.15.*

At vero dispensationem ex eodem homicidio casuali publico non esse apud dictos Episcopos, nisi ipsis committatur à Pontifice, disponit idem Tridentinum *sess.24. cap.7 de ref.* Eius verba hæc sunt: *Si quis propter homicidium casuale, vel causa defensionis incidit in irregularitatem, cui iure quodammodo Dispensatio ad omnes Ordines, Beneficia,& Dignitates debeatur, ipsius causa cognita, committatur loci Ordinario, aut, ex causa, Metropolitano, qui non nisi causa cognita,& probatis precibus,ac narratis, nec aliter dispensare possit. At si irregularitas contracta sit propter homicidium voluntarium carebit perpetuo spe dispensationis, &c.* Notas illud (*causa cognita, & probatis &c.*) id enim significat Concilium, hic loqui de homicidio casuali publico.

Non est igitur credendum March. *de Ord.tr.1.p.9.c.3. à num.9.* cui adde Io.à S.Th *ap. Dianam max citand.* absolute concedēti posse Episcopum dispensare irregularitatem ex homicidio casuali publico, seu notorio, in eo cum illis non credit Leandr. *de irreg. tr. 2.d.27.q.16* Diana *p.11.tr.8.res.68.*

11. Illud tamen hîc habe ex Henriquez, in hac irregularitate ex homicidio casuali quamvis publico, & deducto ad forum contentiosum, posse ab Episcopo dispensari ad Minores Ordines, & ad simplex Beneficium, cum enim de his directe non agat Tridentinum, servandum est ius commune, & hæc Episcopis concedit, an quoad eosdem Minores idem dicere possimus in irregularitate ex homicidio voluntario, dicam mox *num.22.*

*Quis possit dispensare in irregularitate ex Homicidio voluntario.*

12. Falsum, & nulla ratione firmum iudicandum cum communi sententia est contra Abbatem, irregularitatem ex homicidio voluntario esse inductam lue Divina. Quare in illa posse dispensare Summum Pontificem, indubitatum est.

Quod si in aliquibus Textibus hæc dicitur indispensabilis, ideo dicitur, quia difficillime obtinetur, & cum quibusdam oneribus v. g. ut Dispensatus abstineat ab altari per triennium, ut non celebret in loco delicti, ut ingrediatur in Ordinem aliquem Religiosum, &c.

Lege Pyrrhum Corrad. *de Dispensat.toto.l.7.* & Mat. cum Leonem, *in Praxi Pœnitentiaria*, qui referunt, explicantque formulas petendæ huiusmodi dispensationis, sive immediate à Summo Pontifice, sive, quando homicidium est occultum, per pœnitentiariam, sive per Datarium, quando est publicum.

13. Circa illam conditionem, quam solet Pontifex apponere, ne Dispensatus celebret in loco delicti, dubitatum nudius tertius fuit, an excludatur suburbia. Occidisti v.g. hominem Panormi, obtines dispensationem celebrandi, sed non in loco delicti, poteine celebrare in Ecclesia v.g. Cancinorum, vel Sanctæ Theresiæ, vel Sancti Antonini, quæ sunt sitæ extra muros Civitatis?

14. Respondeo cum Diana *p.4.tr.4.re.123.* sed eosdem in odiosis suburbia non veniunt sub nomine Civitatis, esto veniant in favoribus. Id *ibidem* lege latius discputatum, & limitatum quoad iura dicta.

15. Vides autem in hac responsione à Diana supponi, idem esse (in loco delicti) atque (in Civitate, ubi commissum est delictum) Quoniam vero in rigore non idem est, locus, ac civitas, ideo rursus dubitatum fuit, An prohibitus celebrare in loco delicti, excludat alia loca ejusdem civitatis? Occidisti v. g. hominem in vicinia Domus Professæ, vel in Parrochia S. Nicolai, &c. potesne celebrare in Templo Parrochiæ S. Antonii sito in eadem civitate, sed non in eodem vico, quo in loco commissum fuit delictum?

16. Respondeo. Pyrrhus Corrad. *l. 5. de dispens. c. 1. n. 25.* videtur favere sententiæ affirmanti, sic enim habet: *In Dispensatione hac imponitur aliquando, ut Orator in loco commissi delicti, & quandoque (quod idem est) in Ecclesia loci, ubi commissum est delictum, nunquam celebret. Quod si fuerint duæ Ecclesiæ æque viciniores loco delicti, intelligitur de utraque, ut declaravit Clemens VIII.* Hæc Pyrrhus. Vbi vides ipsum putare idem esse (in loco delicti) atque (in Ecclesia loci, ubi commissum est delictum) unde quis argumentari sic posset: Si prohibitio fit, ne Orator celebret in Ecclesia loci delicti, potest in alia Ecclesia remotiore. Ergo, si prohibitio fit, ne celebret in loco delicti, poterit in alia Ecclesia remotiore, quamvis existente in eadem civitate.

17. Sed profecto mihi id non probatur: amplius enim quid est in loco, quam in Ecclesia, & puto nomine loci intelligi, in hac materia dispensationis irregularitatis ex homicidio, totam civitatem. Esto enim, in jure civili relegatus ab aliquo loco non intelligatur relegatus à tota civitate, tamen in nostra materia irregularitatis clare apparet, Pontificem nolle, ut dispensatus celebret in loco, ubi cum aliorum scandalo facile sciatur, homicidam celebrare; facile autem, & sciretur, & videretur à Civibus, qui modo in unam ejusdem Civitatis Ecclesiam, modo in aliam confluere, ad audiendum Sacrum, solent.

## DE EPISCOPO.

18. Certè Episcopus nihil potest circa dispensationem irregularitatis ex homicidio voluntario injusto, sive publicum sit, sive occultum, quia absolute omnem irregularitatem ex homicidio injusto voluntario promanantem excipit Tridentinum, quale etiam est homicidium in subita rixa, ut diximus *n. 9.*

19. Sunt aliqui, qui dicunt homicidium injustum voluntarium, si sit occultum, vel non inducere irregularitatem ullam, vel si inducat, eam esse dispensabilem ab Episcopo.

20. Utrumque dictum est nimis falsum, nam quoad prius, omnes Canones edicunt, omnesque Doctores dicunt absolutè oriri irregularitatem ex homicidio injusto voluntario: At nonne homicidium occultum, homicidium est? Verum de hoc dixi universaliter supra *c. 5. §. unico.*

21. Quoad posterius: Cum Concilium Tridentinum dicerte, & absolute dicat, Episcopum non posse dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario, nec distinguat de noto, vel ignoto, de occulto, vel publico, qua veritate poterit affirmare solum publicum à Concilio Episcopo denegari?

22. Sed potestne Episcopus irregularem hunc ex homicidio voluntario dispensare, saltem ad receptionem Minorum Ordinum, & ad usum jam antea receptorum, & ad Beneficium simplex? Dico irregularem hunc, nam de irregulari ex homicidio casuali jam diximus *paulo ante n. 12.*

23. Respondeo, cum Leand. & aliis *tract. 2. de irregul. disp. 27. q. 21. & 22.* non posse. Ratio est, quia Tridentinum *sess. 24. c. 7. de reform.* licet videatur initio limitare potestatem Episcopi dispensandi in hac irregularitate ad Sacros Ordines, deinde tamen addit: *Omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat*: quæ certè locutio omnium Ordinum, etiam Minorum usum, & receptionem, & omnium Beneficiorum acquisitionem, etiam simplicium comprehendit. Non est tamen improbabile mentem Tridentini fuisse, ut Episcopus possit usum Minorum Ordinum antea receptorum huic irregulari concedere, non vero receptionem aliorum: Beneficiorum autem simplicium acquisitionem, ideo concedere irregulari huic non potest Episcopus, quia Tridentinum sub eadem clausula conferri prohibet irregulari Beneficium curatum, ac simplex. Quoniam ergo certum est Episcopum non posse dispensare ad Curatum, nec ergo ad simplex poterit. Lege Henriq. *lib. 13. c. 57. n. 1.* lege etiam Avilam *de cens. p. 7. disp. 6. dub. 3.* Sayr. *de cens. l. 7. c. 7. num. 14.* alios que, nec omittas Garsiam, afferentem declarat. Cardin. *de Benef. p. c. 5. n. 136.* qui notat pensionem, licet Ecclesiasticam, cum non sit propriè Beneficium, homicidam hunc ab illius receptione nequaquam excludi: id, quod nos etiam diximus supra *cap. 6. §. 3. a n. 10.*

### *Quis possit dispensare in irregularitate ex Mutilatione.*

24. Quod possit Summus Pontifex nimis est manifestum. An possint Prælati Regularium, vel Commissarius Cruciatæ infra universaliter, & fere remissivè.

25. Quoad Episcopos ergo hîc est brevis sermo, & affero, eos posse dispensare in irregularitate ex mutilatione occulta, quia id ipsis conceditur à Tridentino dicta *sess. 24. cap. 6.* dum enim Tridentinum concedit Episcopis, ut possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, cum mutilatio non sit homicidium, clare sequitur, irregularitatem ex mutilatione occulta non esse exceptam, & ita tenet communissima sententia, Doctores fere 25. allat. à Barbos. *in Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de Ref. n. 41.* quibus adde Leand. innumeros referentem *de irreg. tract. 2. disp. 27. quæst. 14.* sive mutilatio sit facta alteri, sive ut dixi *cap. 5. §. 2.* sibi ipsi.

26. Obstat tamen Sanchez *in præcep. Decal. lib. 1. c. 10. n. 49.* cui accedit Franc. Leo *in Trid. fori Eccles. p. 2. c. 4. n. 89.* quia in mutilatione, inquit, ex delicto adest etiam defectus lenitatis, qui ab Episcopis non dispensatur, cum ipsis solum sit concessa potestas dispensandi ex ea parte, qua mutilatio est delictum, non vero qua deficit à significatione lenitatis Christi.

27. Sed facile respondeo, nam Tridentinum, dum concedit Episcopis potestatem dispensandi in irregularitatem contractam ex delicto, concedit etiam potestatem dispensandi in irregularitatem ex defectu lenitatis, quæ imbibitur in ipso delicto; si qua tamen illa ibi imbibita sit, quod supra *c. 5. §. 6. n. 16.* negandum esse, ex probabili sententia diximus, dum docuimus, irregularitatem ex defectu lenitatis, solum contrahi à ministris justitiæ. Ratio autem, quod id etiam concedat, est, quia Tridentinum absolute concedit potestatem dispensandi, irregularitatem ex mutilatione, ut deduximus *n. 25.* ergo cui tu limitare illam velis; Et quidem, si esset hæc potestas limitanda, Episcopus non posset ipse absolutè dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto, quia in illo semper esset imbibita irregularitas ex defectu lenitatis, & tamen omnes concedimus & vi hujus loci Tridentini eos posse. Adde novum esse cognoscere duas irregularitates ex eodem actu provenientes, ut supra *c. 4. §. 5. n. præsert. 18.* contra Merollam pluribus ex pendimus.

28. Irregularitatem ex voluntaria mutilatione publica non potest Episcopus dispensare, quia id ipsi non conceditur à Trid. Solum in casuali publica posse, non mihi videtur improbabile, licet apud neminem legerim, cum illis tamen limitationibus, quas poscit idem Trid. *sess. 14. c. 7.* Nam quamvis ibi Tridentinum loquatur de irregularitate ex homicidio casuali publico; tamen idem videtur esse de irregularitate ex mutilatione publica casuali.

Si sit publicus ipse defectus membri mutilati, sed delictum fuerit occultum, posse ab Episcopo dispensari diximus *c.* 8. §. 3. *n.* 3.

*Monitio pro Impetratore dispensationis irregularitatis ex Homicidio.*

39. Adverte, Lector, nequaquam valere. Ita Avila alios citans *p.7.disp.6.sect.5.dub.* 3. sed esse subreptitiam dispensationem irregularitatis pro secundo homicidio commisso, nisi facta sit mentio de dispensatione data pro primo. Rationem hujus doctrinæ habuisti à me supra satis, *l.8.tr.2.de matr. c.* 8. §.2.

Quid si quem occidi, erat Sacerdos, vel Religiosus, vel Pater, &c.

Respondeo, de his, cum pertineant ad tractationem de Dispensationibus satis sit, si innuam, te ea videre posse apud Pyrrhum Conrad. *lib.5. de Disp. cap.* 1. qui recte advertit, in petitione Dispensationis irregularitatis ex homicidio omnes ipsius homicidii qualitates esse prorsus exprimendas.

## §. XVIII. *Quid possit Commissarius Cruciatæ quoad Dispensationem irregularitatis prædictæ, imò & aliarum.*

*Et remissivè, quid possit ipsa Bulla, & Prælati Regulares.*

1. COmmissario Cruciatæ his verbis conceditur potestas dispensandi irregularitates quasdam in Bulla, apud Ludovicum à Cruce initio expositionis Bullæ. *Ei, qui Commissarius deputatur, datur facultas dispensandi, & componendi super irregularitate cum his, qui, quibuscunque censuris Ecclesiasticis legati, Missas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum Clavium, celebrarunt, seu alias se illis immiscuerunt.*

2. *Et super alia qualibet irregularitate (præter quam ratione homicidii voluntarii, ac Simoniæ, vel Apostasiæ à fide, aut Hæresis, vel propter malam Ordinum susceptionem contractam) cum retentione Beneficiorum, & fructuum in eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde provenientis, abolitione, & executionis Ordinum non male susceptorum restitutione.* Hactenus Bulla, cujus minutiorem explicationem lege apud Bardi, *in Bull. Cruc. p. 3. tract.2. præs.sect.* 4. aliosque ab eodem citatos.

3. Quid autem possit confessarius electus ab eo, qui Bullam Cruciatæ accipit, diximus latè sup. *in tr. de casibus reserv. c.* 23. *à n.* 21.

4. Denique quoad Religiosos vel loquimur de Prælatis, & Confessariis Regularibus comparatione Sæcularium, & aio, saltem pro praxi, tenendum esse, nullam eos habere potestatem in dispensanda irregularitate quacunque, quicquid aliqui dicant apud Dianam *p.* 11. *tractat.* 4. *resol.* 3. quos ipse merito non sequitur: esto idem Diana *part.* 11. *tractat.* 2. *resol.* 26. *fine. Ver. etiam tract.* 6. *resolut.* 4. concedere illis aliquid videatur, & esto multa benigniora concedat, immò pluribus contendat Bruno *de Privileg. Regular. tractat.5. proportion.*1. *capitul.* 1.

Vel loquimur de iisdem Prælatis in ordine ad suos Subditos, & aio, quemlibet ex his sua debere Privilegia consulere, eorumque limitationes, si adsint, quæ videre possunt apud Castropal. *de censur. disput.* 6. *p.* 11. Lezana *Ver. irregular. Comp. Privileg. Societ. Ver. dispensatio à numer.* 2. Donat. *tractat.* 5. *quæstion. Regul.* 36. & *tract.*11. *quæst.* 9. Diana *p.*11. *tract.* 2. *à res.* 1. *usque ad* 30. Bruno *loc. cit. tract.* 4.

# CAPVT XVI.

## *De Irregularitate ex Bigamia.*

### §. I. *Præmittitur quid, & quotuplex sit Bigamia.*

1. II dicuntur, *toto tit. de Bigam. non ordinandis & plura in dist.*24. propriè Bigami, qui, cum sint baptizati duo, vel plura valida matrimonia successivè contraxerunt, & consummatum (in quo consistat, Matrimonium esse consummatum *lib.* 8. *de matrim. tract.* 5. *cap.*7. diximus.) Neque ergo sola sponsalia, vel sola Matrimonia tantummodo rata propriam Bigamiam constituunt, tunc enim propriè ea constituitur, quando quis dividit carnem suam in plures: Cujus rei ratio alia non est, nisi quia congruum visum fuit Ecclesiæ, ut sicuti ipsa Ecclesia unica Sponsa est Christi, ita ejusdem Ministri non dividerent carnem suam in plures uxores, si autem dividerent, essent irregulares irregularitate, quam Sacri Canones *C. deorsum de Bigamis*, vocant ex defectu Sacramenti, id est ex defectu significationis, seu hujus determinatæ rei Sacræ, idest unicæ conjunctionis Sacræ, seu Spiritualis Christi cum Ecclesia.

Porrò in universum Bigamia in tres distinguitur classes. In veram, quæ est, quam *n. præced.* diximus. In interpretativam, quæ est illa, qua afficitur, qui Matrimonium contraxit, consummatque cum Vidua, vel cum violem ab alio, vel cognoscit suam uxorem, quæ cum aliquo adulteravit. In similitudinariam, quæ est, quando quis post solemne Castitatis Votum in aliqua Religione contrahit Matrimonium cum quacunque, etiam virgine.

### §. II. *Bigami sunt irregulares.*

1. BIgamos ergo sive verè, sive interpretativè, sive similitudinariè ab Ordinibus recipiendis esse repellendos, atque adeo irregulares esse, nimis est in jus manifestum, *tot. Tit. de Bigamis*, & passim DD.

Et quidem potest quis propter Bigamiam effici pluribus irregularitatibus specie diversis, ut si sit Bigamus ex vera, si ex interpretativa, si ex similitudinaria, de atque has esse omnino speciatim explicandas, si fuerit earum dispensationem petas, certum sit, ut universaliter aliquanto inferius *cap.* 23. *num.* 18. admonebo. Adverte tamen si quis una Bigamiæ specie laboret, sed ex multis actibus solum numero distinctis; contraxerit v. g. tres, quatuor, plures nuptias, adverte, inquam, hanc unam dumtaxat irregularitatem incurrisse: Sicuti unum contraxit affinitatem cum Maria v. g. ille, qui cum ejus sorore multas, reperitásque copulas habuit. Lege Sanchez, aliosque citatos à Diana *part.*11. *tract.*6. *resol.*44. cui est tè multum Sapientium schola debet ob varietatem sententiarum, quas eruditè in lucem eduxit à Theologis expendendas.

2. Manifestum item est, eosdem Bigamos privari tot Ordinum receptorum.

3. Manifestum est denique, eosdem, post incursum Bigamiam, nullum posse acquirere Beneficium Ecclesiasticum.

4. Quæres: Ordinatus, cui superveniat Bigamia, quidne privilegio fori, & Canonis?

Respondeo, sub necessaria distinctione. Ordinatus in Sacris nullum Clericale privilegium amittit, ut recte notat Sayr. *loc. cit. num.* 2. At Ordinatus in Minoribus utroque prædicto privilegio privatur, imò iisdem Ordinatis in Minoribus, si ipsi evadant Bigami, sub excommunicatione ferenda prohibetur delatio habitus, & tonsuræ Clericalis, Clericalis, inquam, nam, si quis Bigamus fiat Religiosus conversus, poterit ferre habitum, imò, & tonsuram Religionis, ac superpelliceum, si in

ea Religione conversi illa ferre solent, tunc enim non defert,ut Clericus, sed,ut Monachus, uti etiam,qui illum percutiet,in excommunicationem incidet, non quia percutiat Clericum,sed quia Monachum.Plus aliquid addit Sanch. *l.7.consc.d.59.* sed non omittatur Tanc. 2. *p.* 7. *q.mor.num.*25.

### §. III. *Quis dispenset in irregularitate ex Bigamia?*

1. MInus rectè non nemo putavit, posse quidem Summum Pontificem in reliquis generibus Bigamiæ dispensare, non tamen in vera.

Minus, inquam, rectè, siquidem in omnibus potest, quia omnes humano, seu Ecclesiastico iure sunt introductæ.Legatur S.Th.*in addit.*3. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 5. & Val. *t.*4.*d.*7.*q.*19.*p.*3.

2. De Episcopo autem habet tria.Primò, Is non potest dispensare cum verè,vel interpretativè Bigamis(excipe, quod dicam *n.*5.)ad ordines Sacros suscipiendos, similitudinariè(semper intellige ex rationabili causa, & in ordine ad oves suas.)Ratio est, quia posterius conceditur Episcopis in iure, *C. Sanè Sacerd. de Cler. Coniug. C.Qui clerici, vel voventes.* Lege Sanch.*l.7.matr. d.*86.*n.*20. Barbos. *de pot.Episc.Alleg.*49 Sayr.*de cens. l.*6.*c.*6. *n.*10. non vero illud prius.

3. Non ergo sequi possum prædictum Valentiam putantem, posse Episcopum cum Bigamis veris, vel interpretativis dispensare quoad usum Sacrorum Ordinum, non possum, inquam, quia refragantur iura, præsertim *cap.Lector.distinct.*34.

4. Secundò. Idem tamen Episcopus potest dispensare cum Bigamis cuiuscunque generis ad receptionem Ordinum Minorum, & ad eorumdem usum. Ita colligo *ex dicto cap.Lector*, & habetur à Sanchez *loc.cit. num.* 11. Dian.*p.*4.*tr.*2.*ref.*61.Sayr.*loc.cit.cap.*6. *num.* 11. aliisque Scio autem ab aliquibus,ut Castrop.*de cens.*6 *p.*8.*d.*18. Layman.*lib.*1.*tr.*5.*p.*5.*cap.*6.putari probabilius,non posse, quoad receptionem, & concedi dumtaxat, quoad usum. Sed profectò satis est, sententiam nostram esse probabilem.

5. Tertiò. Idem Episcopus potest cum suis Bigamis dispensare in omni irregularitate, quæ proveniat ex delicto occulto. Ita colligitur ex universali Decreto Tridentini, *sess.*24. *cap.* 6. *de Reform.* per quod conceditur Episcopis *potestas dispensandi in omni irregularitate, quæ provenit ex delicto occulto, præter homicidium voluntarium.*

---

# CAPVT XVII.

## *De Irregularitate ex defectu Natalium.*

### §. I. *Illegitimi sunt irregulares.*

1. ILli hoc defectu Natalium laborant, qui sunt illegitimi. Horum autem duplex est classis, quantum ad nos pertinet.Alij enim sunt nati ex Parentibus,inter quos potest legitimum intercedere matrimonium, puta, utrisque solutis, atque hi appellantur filij naturales. Alij vero qui vocantur spurij, sunt ij,inter quorum Parentes non potest matrimonium legitimum intercedere, quales sunt illi,qui laborant aliquo impedimento matrimonium dirimente.

2. Ad hanc posteriorem Classem spectant nati ex coniugibus,quorum alter, vel uterque post consummatum matrimonium de consensu alterius emisit solemne Votum Castitatis in Religione, vel de pari consensu Ordinem Sacrum suscepit. Votum(dixi)solemne, nam, si uterque, vel alteruter emisit simplex Castitatis Votum, eorum filius legitimus est. Non est autem inutile notare,hos filios ex prædictis coniugibus,sive Professis, sive Ordinatis in Sacris, solum esse illegitimos quoad irregularitatem, de qua nobis est sermo,id est esse impeditos ad suscipiendos, exercendósque Ordines, atque ad acquirenda Ecclesiastica Beneficia, non vero in Ordine ad successiones in bonis temporalibus. Hæc constant ex iure, *C.Ex lit.de filiis Presb.* Lege etiam Sanch.*l.9.matr. d.*38.Gib.*c.*3.*q.*1.& Doctores passim.

3. Porrò omnes illegitimos,sive naturales, sive spurios esse in iure,*C. Quando d.*24.*cap.* 1.*de filiis Presb*, Lege Gloss.*in cap.* 3. *de filiis Presbyter.* Irregulares, atque adeo arcendos ab Ordinibus, eorúmque usu,atque à Beneficiis, ac iurisdictone Ecclesiastica, nimis est tritum. Rationes congruentiæ fuere tres: Ordinis reverentia, Paterni criminis detestatio,&, ut ab imitando patre filij deterrerentur.

### *Illegitimitas ignota.*

4.Si quis autem illegitimus ignarus impedimenti bona fide Ordines suscipiat,licet ob ignorantiam inculpabilem non peccet, illos suscipiendo, tenebitur tamen,ut primum de impedimento advertit, tum à susceptorum exercitio,tum ab aliis Ordinibus suscipiendis abstinere, donec dispensationem legitimè obtineat.Pia tamen Ecclesia illud voluit, ut *Arg.C. Nisi cum prid.de Ren.* huic dispensatio non negaretur.

Quod si cognoscens suum impedimentum suscipiat dictos Ordines mala fide: peccabit mortaliter, & pari modo abstinere à susceptis, & suscipiendis multo magis obligabitur.

5. Quæres.Is illegitimus sive suscipiens Ordines,sive iam susceptis utens mala fide,præter peccatum,inciditne in aliam irregularitatem,quasi provenientem ex violatione suæ irregularitatis,per quam prohibebatur ab ordinibus suscipiendis,& exercendis?

6. Respondeo cum Avil. *de censur. p.* 7. *d.* 3. *dub.* 11. *concl.*2.Sayr.*de cens.lib.*6.*c.*10.*n.*30.Bonac.*de cens. disp.* 7. *q.*2.*p.*3.*n.*12.non incurrere aliam irregularitatem (quicquid aliqui satis pauci asserant in oppositum)quia irregularitas non est censura, ex cuius censuræ violatione oriri possit alia irregularitas,ut supra iterum me dixisse, memini.

Quare merito ex Rebuffo docent *ll. cc.*Sayrus,& Bonacina;illegitimo,qui celebravit v. g. ante dispensationem suæ illegitimitatis,satis esse,ne in posterum peccet, ut dispensetur solum in dicta illegitimitate, vel per subsequens matrimonium inter suum Patrem, Matrémque eo modo,quo mox dicemus, evadat legitimus, nec enim opus habet dispensatione circa irregularitatem ortam ex tali celebratione,cum per dictam celebrationem nullam contraxerit irregularitatem.

### *Illegitimitas probabilis.*

7. Qui ita habet probabiles rationes,imò, & probabiliores,se esse illegitimum, ut tamen habeat similes rationes probabiles, se esse legitimum ex doctrina universali alibi data, poterit sequi probabiles has rationes sibi faventes, nec se, ut irregularem reputare, nisi fortè tanta sit probabilitas contraria,ut obscuret probabilitatem legitimitatis, iuxta dicta *c.*5.*§.unic.n.*33.

### *Illegitimitas dubia.*

8. Qui se illegitimum esse, negativè dubitat, debere adhibere diligentiam moralem ad indagandam veritatem,antequam suscipiat,vel exerceat ordines ex doctrina communi scimus omnes, & ante adhibitam eiusmodi diligentiam debere se, ut irregularem tenere, omnes item scimus; qui enim non vult de veritate cognoscere, ex dolo se agere, nimis clarè demonstrat.

9. Solum igitur quæstio esse potest. Primò, an dum quærit sine fraude veritatem,possit exercere suos ordines quos fortè habet,quasi utens illis,quos bona fide,ut supponimus,suscepit, & nunc possidet.

Secundò,

Secundò. Quid post adhibitas diligentias morales, per quas non potuit suam dubitationem expellere: potueritne, ut legitimum, atque adeo irregularitate carentem se gerere?

10. Ad hoc posterius Respondeo, affirmativè, cum Azor. *part.1.lib.2.cap.19.quæst.7.* Diana *part.4.tr.2.res.59.* Coninch. *de Sacr. d.18.dub.12.* Menoch. *de præsumpt. lib.6. præsumpt.54. num 20.* Merolla *t.1.d.3.c.3. num.258.* quia, ut suprà vidimus, solum in facto homicidii debet quis in dubio se Irregularem tenere, non verò in aliis materiis. Vide, quæ dixi *lib.1. in Decalog. cap.3. §.7. V. Legitimus.*

11. Ad illud prius, testibus Vasq. Covar. Tolet. quos citat, sequitúrque G. Hurt. *de irreg. d.2. diff.17. n.56.* Regin. *lib.20. tr.2.c.78.* communis opinio tenet, se, dum de veritate quærit debere, ut illegitimum, atque adeo, ut irregularem tenere, quia posset occurrere, quod inveniat, se verè illegitimum, atque adeo irregularitate affectum, celebrare. Verum ego legentibus considerandam offero doctrinam Caramuelis, *lib.2. Theol. Moral. à num.1425.* quam *lib.1.in Decal.c.3 §.7. V. Matr.n.4.* attuli, dicentis: conjuges bona fide tales, superveniente dubio de impedimento dirimente, interim, dum veritatem exquirunt, non privari facultate, quam bona fide possident, donec moraliter certò constet de impedimento. Videat ergo Lector, an id etiam in casu nostro affirmare possimus, quod idem cogitandum indicavi supra universaliter *c.5. §. unic. n.27.*

## §. II. *Qua ratione Dubitatio de illegitimo Natali removeatur.*

1. QVi natus est ex conjugata, præsumitur legitimus, nisi contrarium clare appareat, siquidem possideret tunc, esse filium ex matrimonio, is enim in Jure *l. Quia Mater, ff. de in jus voc.* filius est, quem nuptiæ demonstrant, & in dubiis, ut notat Menoch. *de arbitr. casu 89. n.40. & de præsumpt. lib. 6. præsumpt.53. n.3.* Mascard. *de prob. conf.788.* Merolla *t.1.d.3.c.3. n.274.* alibique, semper præsumitur id, quod honestum est.

2. Rursus natus ex conjugata, cujus matrimonium sit invalidum ob aliquod impedimentum, sed tamen, vel uterque, vel etiam solus unus ex conjugibus inierit bona fide matrimonium, natus, inquam, ex tali conjugata filius, est legitimus, *C. Ex tenore qui filii sint legit. C. Cum inter C. Prælatum, C. quod nobis eod.* Latè Sanch. *lib.8. de matr. d.34.à n.46.* quia ob bonam fidem, saltem unius ex Parentibus, Ecclesia, quasi venerando faciem illam externam matrimonii, noluit filios ex eo natos reputare illegitimos.

3. Idque verum etiam, pendente lite de validitate matrimonii, & dum parentes, præcepto judicis, essent interim separati, & etiamsi postea illud matrimonium declaretur fuisse invalidum. Ita Jura, *C. Ex tenore qui filii sint legit.* & DD. ut Sanch. *loc.cit.* Giurba *ad consuetud. Mess. t.1.c.1.Gloss.4.n.61.* Maiolus *de success.leg.p.1.q.7.* Campan. *in diversf. Rubr. 11.c.13.à n.140.* Ac tamen, sicuti hic reputatur filius legitimus, sic Parens reputandus sit legitimus Parens, ita, ut v.g. ejusmodi filio succedat, &c. negat Sanchez *l.c.* quem lege.

4. His tanquam certis præhabitis, tria sunt ad Natalium veritatem expiscandam diligenter expendenda. Primò. Rumor, seu fama. Secundò, Testimonium Parentum. Tertiò, Tempus Nativitatis filii.

### *Rumor, seu Fama.*

Vbi.

### *De Expositis, Remissvè.*

5. Si, cum sis filius conjugatæ, adsit Fama contra tua Natalia, legitimum te pronuntio, nisi aliud addatur. Ratio est, quia Rumor, & Fama nihil probant contra justum possessorem, nisi aliis adminiculis adjuvetur. At tu nunc possides, esse filium ex nuptiis, atque adeo esse legitimum. Si verò ignorentur tui parentes, vel ex his alter, vel sis expositus, tunc majorem vim contra te habebit fama, sed tamen non tollit omnino dubium contra te sola, donec aliæ fortiores superveniant conjecturæ.

De Expositis, si quid scire amplius cupis. Lege lib. *nostri Dec. c.3.§.7. V. Legitimus.*

### *Testimonium Parentum.*

6. Non teneris fidem habere, teste Henrio, *lib.1.c.2. num.10.* Sayr. *de cens. lib.6. c.10. n.37. Vtr. Quarto loc.* Joan. Præp. *de irregul. q.5. dub.16. n.128.* Matri affirmanti, te esse illegitimum, etiamsi morti proxima jaceat, neque teneris habere fidem utrique parenti. Ita Alber. *in C. per tuas, n.4. de prob. ubi Glossa V. judic. & sec. Pan. in manusc. de irreg. d.2. p.2. c.6. num.11.* ubi respondet ad *c. Transmissæ qui filii sint legit. allatum contra nos* à Sanch. mox citando, si idem asserant (quicquid dicant Sanch. *cens. d.50. sect.4. num.7.* & Filliuc. *tr.19. n.144. & n.145.*) nisi afferantur aliæ conjecturæ, probationesque, quæ essent, si mater probaret, vel tu scires, eam contra versatam esse cum adultero, & Maritum graviter eò habuisse, vel, si pater ostendat, tempore, quo tu filius conceptus fuisti, se longè à Patria abfuisse, vel similia. Ratio datæ doctrinæ est, quia cum his adminiculis cessat moraliter redditur tui natalis macula, at sine his semper prævalet possessio legitimi matrimonii, atque adeo tua pura nativitas.

7. Matrem eo tempore, quo concepit, admisisse inter suum virum, etiam hominem alium, vel filium facie colore, corporis gestu esse valdè similem adultero, & ejusmodi judicia, quæ falsa esse possunt, non faciunt moralem de tua illegitimitate certitudinem. Vide hæc latius disputata apud DD. Castrop. *t.2. d.4. p.1.* Sanch. *Cons. l.4.c.3.d.1.& 2.* Santarellus *lib.1. Variar. quæst.* Verric. *tr.3.q.mor.45. & tr.8.q.mor.30. in nost. Dec. c.2 §.7. V. filius.*

8. Quid autem erit in sequenti casu? Ego clarè agnosco, inter meum patrem, matremque intercessse impedimentum dirimens, at ignoro, an bona fide contraxerint; si id enim scirem, jam essem legitimus, atque eo modo dictum est. At, quia hoc ignoro, & via nulla datur veritatem expiscandi, inquito, an me legitimum esse putare possim?

9. Respondeo, cum Suar. *loc.cit. sect.4. n.10.* Avila *de cens. p.7. disp.3. dub.10.* Bonac. *de cens. d.7.q.3.p.3.n.4.* quia nemo debet præsumere delictum ab alio fuisse commissum, idémque, ut probabilius puto, cum Bonac. *loc.cit.* G. Hurt. *dub.2. de irreg. diff.14. num.56.* Peyrin. *de Irregulari Præl. t.2. quæst.2.c.89. num.106.* Coninch. *de Sacr. disp.18. dub.12. num.103.* Dian. *p.4.tr.2. resol.59.* contra Suar. *loc. cit.* si unus tantum fateatur se mala fide contraxisse; sufficit enim tibi præsumere bonam fidem in altero.

10. Sed quid, si uterque malam fidem fateatur?

Respondeo, te debere illegitimum reputare, quia nunc ex una parte possidet impedimentum, atque adeo non est casus modo *n.* 5. dictus, quando certum erat, te esse filium ex legitimis nuptiis, & ex alia parte, bona vel mala fides est difficilis probationis, nec aliunde fieri potest, nisi ab operantium dicto: Si ergo ipsi parentes id dicunt, ipsis in hoc erit credendum. Ita philosophantes Prates *loc.cit. num.12.*

### *Tempus nativitatis Filii.*

11. Si mulier filium pariat decimo, vel undecimo, post viri mortem, mense, præsumitur filius legitimus, immò, & talis viri filius, si nequeat supponi, illum ex novis nuptiis legitimis esse, vel ex aliqua illicita copula fuisse natum. Ratio est, quia ex Aristotele *de Nat.*

*anim.*

*animalium l.7.c.4* Hippocr. *lib. de septimo, & octomestri partu.* Valesc. *2.epist.sect.3.comm.25.* Merolla *tit.1.d.3.cap.3. n.376.* toto illo tempore mulieres uterum gerere contingit.

12. Simili ratione, si meretrix nupsit, & filium pariat septimo à nuptiis mense, natus reputatur, in favorem matrimonii, legitimus, nisi clara probatio sit in oppositum, quia ex medicis, & experientia, etiam septem menses apti sunt, ad integrum partum efficiendum.

### §. III. *Qua ratione cessat Illegitimitas, & consequenter hac irregularitas.*

1. CEssat primò, per subsequens matrimonium legitimè contractum inter Parentes. Secundò, an per professionem in aliqua Religione. Tertiò, an ex concessione Principis potentis legitimare? De singulis separatim.

### *De legitimato per subsequens matrimonium.*

2. Natus es v. g. ex Berta, & Antonio solutis, nec ullo impedimento dirimenti alligatis quare tu es eorum filius naturalis. Ii deinde, puta post tuam nativitatem, legitimo matrimonio copulantur, Dico, te statim evadere verè, & propriè, & in omni rigore legitimum, etiam si dictum inter ipsos matrimonium fuerit post multos, & multos annos celebratum, & consequenter, dico, te aptum reddi ad Ordines, & ad beneficia etiam curata, etiam Episcopatus, atque ad successiones temporales; uno verbo, ad omnia, æquè, ac quilibet ab initio legitimus, sine necessitate petendi dispensationem, seu licentiam quamlibet à Summo Pontifice, vel ab Episcopo. Excipe tamen Cardinalatum, ob peculiarem constitutionem Sixti V. *postquam Anno* 1595. absolutè volentis, ne legitimatio per subsequens matrimonium se extendat ad reddendum hominem habilem ad Sacram Purpuram.

3. Hæc doctrina certa est, *Ex C.tanta qui filii sint legit. & ex l.cum quis, C.de natural. liberis.* Covarr. *de Sponsi. p.2.c.8.§.2.n.21.* Maiol. *tr.2.d.172* & passim Doct. citat. à Barb. *in Collect.addit.C.tanta*, quando, inter tuam nativitatem, & eorum Matrimonium, nullum aliud Matrimonium interfit. Sed quid, si intervenerunt aliæ nuptiæ? Eadem v. g. Berta, ex illicita familiaritate cum eodem Antonio, suscepit filium nomine Cæsarem, postea nupsit Petro, quo Petro mortuo, nupsit per secundas legitimas nuptias prædicto Antonio, evaditne legitimus Cæsar.

4. Respondeo cum Azor. *p. 2. l. 10. c.4.num. 5.* Sayr. *de Censur.l.6.cap.10 num.19.* Coninch. *de Sacram. d. 18. dub.13.num.105.* Pont. *de matrim.l.11.c.1.num.15.* aliisque evadere legitimum, quia iam matrimonium hoc legitimum est, atque in nullo impeditur à nuptiis interdictis. Et nota, cum Sayr. *l.c.num.22.* Covar. *l.c.num. 10.* Maiol. *de irregul.l.1.c.5. num. 9.* tum pro hoc, tum pro antecedenti casu, satis esse, si matrimonium subsecutum sit, tantummodo ratum, quamvis nondum sit consummatum.

5. Petes. Si dictus Cæsar beneficium Ecclesiasticum, & Ordines accipit antequam Berta, & Antonius matrimonio copulentur, validene, & licitè beneficium retinere poterit, subsecuto inter dictos suos Parentes matrimonio, & licitene poterit Ordinum usum exhibere.

6. Respondeo. Dividenda est petitio. Nam, quoad beneficium, ii, qui sustinent irregularem invalidè recipere beneficia, consequenter docere debent, invalidè, & illicitè ipsum ea retinere, etiam subsecuto matrimonio. Ratio est, quia actus semel invalidus per solam remotionem impedimenti, vel supervenientem habilitatem non validatur. Cum ergo hi teneant, invalidè ab illegitimo, hoc est ab irregulari, acceptum fuisse beneficium, consequenter tenere debent, non posse revalidari per supervenientem habilitatem legitimitatis, quam acquirit à subsequente matrimonio.

At quia non putamus supra, cum Præp.3.p.q. 1. *de irreg.d.3.num.18.* al. istique validam esse, quamvis illicitam eiusmodi receptionem, ideo consequenter hic concedimus, à superveniente matrimonio illam corroborari ita, ut licitè incipiat possideri beneficium. Retentio enim beneficii in nostra sententia erat illicita solum ob impedimentum irregularitatis; hac ergo sublata, non remanebit illicita. De fructibus beneficii antea perceptis, lege citatos.

7. Quoad Ordines, dico, cum Sayr. *l.c.n.* 30. Regin. *l.3.tr.2.c.2.n.72.* Dian. *p.4 tract.2.resol.59.* posse prædictum Cæsarem eos, quamvis Sacros (quicquid alii sentiant) licitè exercere, subsecuto inter eius parentes matrimonio, & ad alios ascendere. Ratio est eadem, quia eiusmodi actus solùm erant illiciti ob impedimentum irregularitatis, quo per illegitimitatem Cæsar laborabat, à qua iam nunc est perfectè liberatus.

Hæc non admodum sunt controversa. Illa duo controvertuntur inter Doctores difficilius, alterum in matrimonio putativo, alterum in filio spurio.

### *An fiat legitima proles ex matrimonio putativo.*

8. Si v.g. Berta, & Antonius dirimenti impedimento affecti, copularentur matrimonio sine dispensatione, idque bona fide, utpote ejusmodi impedimentum inculpate nescientes, dubitatur, an matrimonium solum putatum legitimum sit idoneum, ad reddendum legitimum Cæsarem eorum filium susceptum ante dictum matrimonium? Ratio affirmandi esse potest, quia, ut supra vidimus, propter bonam fidem Parentum, proles, quæ subsequitur Matrimonium bona fide susceptum legitima est, ergo etiam videtur legitima esse proles, quæ antecessit. Et quidem propter dictam rationem, ita sustinet Basilius. Pont. *de matr.l.11.cap. 1.n.13.* favétque Bonac. *de Cens.d.7.q. 2.p.3.n. 6.V. Addunt.*

9. Respondeo. Et prius moneo duplici modo prædictum casum evenire potuisse. Primò, si Berta, & Antonius erant habiles ad matrimonium inter se celebrandum, quando conceptus, vel natus est filius, sed deinde supervenit impedimentum, propter copulam v. g. quam habuit Antonius cum sorore Bertæ, ex qua dictus Antonius, dictáque Berta facti sunt inhabiles, ad nuptias inter se celebrandas; celebrarunt tamen cum inculpabili utriusque, vel alterius ignorantia: atque in hoc casu Cæsar filius non fuit spurius, sed naturalis. Secundò, evenire potuit, si Berta, & Antonius erant inhabiles ad dictum Matrimonium eodem dicto tempore, quo natus, vel conceptus est Cæsar, quia v.g. erant consanguinei infra quartum gradum, & id inculpate nescientes, Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, atque in hoc casu filius susceptus fuit verè spurius.

10. Hoc monito, dico, tum in priore, tum multò magis in posteriore casu Cæsarem filium nequaquam evadere legitimum. Ita Mol. *tr.2.d.* 172. Suar. *de Cens. d. 50. sect.1.num.* 11. Ratio est, quia hæc prærogativa reddendi legitimum filium, datur Matrimonio, *Tanta est* (ait Textus *cap.tanta. Qui filii sint legitimi,*) *vis matrimonii.* At prædictum Matrimonium putativum, Matrimonium non est. Rationi dubitandi facile occurro: Nam, quòd Matrimonium bona fide putativum legitimet filios post ejusmodi Matrimonium susceptos, expressè habetur in Textu, sed non est expressum, quod simile Matrimonium bona fide putativum legitimet filios susceptos ante dictum Matrimonium, & multo minus filios verè spurios, ex quibus est in secundo casu Cæsar.

### *An aliquando spurius legitimetur per subsequens Matrimonium.*

11. Casum figuremus claritatis gratia. Berta, & Antonius consanguinei per illicitam copulam suscipiunt Cæsarem

sarem filium spurium, deinde dispensationem obtinent, unde legitimum ineunt Matrimonium. Quæro, an Cæsar fiat legitimus? Figura eundem casum hoc alio modo. Berta uxor Petri, & Antonius maritus Catharinæ per copulam adulterinam suscipiunt eundem Cæsarem filium utique spurium. Postea mortuis Petro, & Catharina, unde remanentibus Berta, & Antonio solutis, celebrant iidem inter se secundas nuptias, & inquirunt à me, an Cæsar legitimitatem acquirat.

12. Aliqui absolutè negant, alij concedunt: sed nisi distinguas, vel errabis, vel solidam tui dicti rationem afferre non poteris. Maximè enim sunt distinguenda duo tempora; vel enim prædictus Cæsar in utraque figuratione casus, & fuit conceptus, & fuit natus eo tempore, quo inter Bertam, & Antonium intercedere nequibat legitimum Matrimonium, vel quamvis fuerit conceptus dicto tempore inhabili; natus est tamen tempore, quo iam fuit sive per dispensationem, sive per mortem Petri, & Catharinæ ablatum impedimentum.

13. Hac distinctione præhabita, Dico primò, in priore dictæ distinctionis casu Cæsarem non fieri legitimum. Ratio est, quia, dum conceptus fuit, & natus ex Parentibus actu inhabilibus ad matrimonium, iam contraxit labem damnati sanguinis, nec ullum privilegium illam maculam purgandi unquam à iure concessum est.

14. Dico Secundò, in posteriore eiusdem distinctionis casu Cæsarem fieri legitimum. Ita Molina, *tom. 2. d. 172. n. 4.* Sanch. *l. 8. matr. d. 7. n. 19. & d. 34. n. 47.* Merolla *tom. 2. d. 4. c. 6. n. 128.* Diana. *p. 4. tr. 2. res. 59. V. Nota 2.* alii. que. Ratio est, quia adest privilegium, seu ius, quod concedit per subsequens Matrimonium proli legitimitatem; quando proles, vel concipitur, vel nascitur tempore, quo Parentes erant habiles ad legitimas nuptias. Sed iam nunc Cæsar, si non conceptus est, tamen est natus dicto habili tempore; ergo, &c.

15. Favet dictæ doctrinæ Imperator, qui *Authent., quibus modis natus effigitur §. reliqui in fine collat. 7.* sic habet.

*Cum dubitatur, utrum oporteat conceptus, an partus respici tempus, sancimus, ut non tempus conceptus, sed partus conspiciatur propter filiorum utilitatem. Si verò contigerit tales aliquas circunstantias casuum excogitari, in quibus est utilius conceptionis tempus illud valere magis præcipimus, quod utilius sit nascenti.*

Audisti? Certè in nostro casu utilius est Cæsari inspectio temporis sui partus, quam conceptionis.

16. Verum Pontius *de matr. l. 11. c. 2. n. 4.* Suar. *de cens. d. 50. sect. 1. n. 3.* G. Hurt. *d. 2 irreg. diff. 16. n. 56.* Coninch. *de Sacr. d. 18 dub. 32. n. 105.* aliique qui nostram, & Molinæ sententiam impugnat, affert duos Textus contra nos alterum ex Iure Civili, quod certè attente consideranti nullo modo agit de casu nostro, alterum ex Iure Canonico, quem, quia indiget aliqua explicatione, hic referibo.

*Si autem vir* (ait Sacer textus *Canta qui filij sint legitimi.*) *vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem suscepevit, licet post mortem uxoris eandem duxerit; nihilominus spurius erit filius.*

Hunc textum pro se stare dicit Pontius, sed immerito, nam hic loquitur Pontifex de casu prioris partis nostræ distinctionis dumtaxat, quando scilicet filius, & conceptus, & natus fuit tempore illo inhabili. Patet, id enim clarè significant illa Sacri Textus verba (*ex ea prolem susceperit*) suscipere enim prolem, si grammaticè loqui & intelligere, ut oportet, volumus, non est conceptam solum prolem habere, sed insuper natam. Iuvet hic Latinitatis te non esse ignarum, & Nizolium *V. susceptus fine*, id adnotantem relegere.

17. Adhuc restat casus prædictis affinis. Quid enim si impedimentum cessset medio tempore? Enodemus planius; Berta ex Antonio consanguineo concepit per incestum; mox antequam Berta pareret, facti iidem sunt habiles ad legitimum matrimonium per dispensationem: Verum ante ipsum parienti tempus, utpote novum inter eosdem impedimentum diriment, quia Antonius cognovit Catharinam sororem Bertæ, quo impedimento nondum per dispensationem ablato natus ad lucem est filius. Inquiritur ergo, an hic filius acquirat legitimitatem, si obtenta item dispensatione huius secundi impedimenti, validum ineant Matrimonium Berta, & Antonius.

18. Respondeo. Acquirere mihi videtur, & Pontius *l. 11. matr. c. 3. §. 2.* quamvis enim id expresse non legatur in iure; ex illo tamen colligitur: videtur enim idem privilegium, quod conceditur filio eligendi tempus, sive conceptionis, sive sui natalis, ut sic habeat, quod filius est, videtur, inquam, eidem concedi etiam privilegium eligendi medium tempus, quo gestatur in utero sed prædictus filius Bertæ, & Antonij medio illo tempore, quo portabatur in utero fuit filius Parentum habilium ad legitimum Matrimonium; ergo hoc eligere potuit filius, ut gaudeat privilegio sibi utili acquirendi legitimum natalem ex subsequenti legitimo matrimonio inter parentes suos inito.

Idem colligitur ex Iure Civili institut. de ingenuis.

*Quocunque tempore* (ait Imperator) *contigerit, matrem esse liberam, sive conceptionis, sive nativitatis, sive omni tempore, proles nascitur libera.*

19. Quoniam ergo (ut ibidem habet Oenotomus *ibidem n. 3.*) in iure non minus curæ habetur de favore matrimonij, quàm libertatis, ideo pari modo, si medio illo tempore fuerunt Berta, & Antonius apti ad Matrimonium, filius acquisivit, esse filium naturalem, atque adeo per subsequens Matrimonium acquirit, esse legitimum.

## §. IV. *De legitimato per Professorem Religiosum.*

1. TAnquam fundamentum eorum, quæ sunt dicenda præ oculis hic habe Textum, in quo professioni religiosæ in religionis favorem, & ut ad illam fideles allicerentur, hoc privilegium purificandi natum conceditur: quod licet à Sixto Quinto sublatum fuerit, fuit tamen à Gregorio XIV. restitutum, qui Sixti constitutionem ad terminos iuris communis potius reduxit.

*Filij Presbiterorum* (ait Textus. c. 1. de filiis Presbyterorum ferè simile est c. 1. d. 56.) *& cæteri ex fornicatione nati ad Sacros Ordines, ne promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione Canonica regulariter vivantes: Prælationem vero nullatenus habeant.*

Hæc Textus, cuius singulæ clausulæ sunt expendendæ.

*Filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati.*

2. Ignoro igitur cur aliqui, ut Anton. Ross. *de legitim. l. 3. fine*, dixerint, solum filios naturales, non vero spurios hoc privilegio gaudere. Ignoro, inquam, nam filij Presbyterorum spurij sunt. Omnes igitur, cum Sanch. *Decal. l. 5. c. 5. num. 9.* Castrop. *tit. 3. tr. 16. d. 2. p. 8. n. 8.* aliisque, participes privilegij pronuntia, sive sint spurij ex Presbyteris, sive ex adulteris, sive ex incestuosis, &c. Iam enim hi sunt nati ex fornicatione, quæ transcendit per cæteras luxuriæ species, & sanè id convincit communis ratio pro omnibus, & favor Religionis prædictus.

Neque hilum te dimoveat sola expressio Presbyterorum, id enim factum est ob magnum odium, quo Ecclesia peccantes Ministros suos merito prosequitur

3. Ignoro rursus, cur apud Castro & Sanch. *ll. cc.* aliqui affirment, ex vi huius privilegij tolli per professionem religiosam omnium irregularitatum species, excepta ea, quæ oritur ex Bigamia, & ex homicidio voluntario: ignoro inquam, nam manifestè solum loquitur textus cum Castrop. *l. c.* citante Less. de eiusmodi filiis patrem defectum natalium; de aliis ne verbum quidem. Vide tamen quæ dicam *c. 23. n. 7.*

*Ad Sacros Ordines ne promoveantur, nisi, aut Monachi fiant, &c.*

4. Ex hac clausula affirmant nonnulli, ut Sayr. *de cens. l. 6. c. 11. n. 3.* illegitimum posse quidem post professionem Religiosam ad Sacros ordines promoveri, at, si forte in sæculo fuit sine dispensatione promotus (utique cum peccato) non posse exercere ordinum dictorum actus sine dispensatione pontificia, quia verba Textus concedunt quidem monachis, posse promoveri, non vero eosdem in sæculo jam promotos posse ordinum actus exercere.

5. Verum rejicienda est hæc limitatio, secundum Sanch. *l. 5. in Dec. c. 5. n. 10.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 10. n. 4.* quia id conceditur per professionem illegitimis, quod eisdem, secluſa hac concessione, denegabatur, at denegabatur, tum promoveri, tum promotum posse ministrare. Et quidem, dum Textus solum excipit, ne iis prælatura conferatur, tacite concedit omnia alia, cum exceptio firmet regulam in contrarium.

*Nisi, aut Monachi, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes.*

6. Quoniam Monachus, seu Religiosus quis dici potest. Primo, per ingressum in Religionem per modum educationis, ut loquitur Rodriq. *t. 1. q. Reg. 13. art. 4.* quo quis antequam incipiat annum Novitiatus, animo ingrediendi commoratur in Monasterio. Secundo per ingressum in ipsum annum Novitiatus. Tertio, per ingressum in ipsam Religionem per professionem solemnem & potest addi. Quarto, per ingressum in Societatem Iesu post biennium Novitiatus, nuncupatis votis simplicibus, quæ licet non sint solemnia, constituunt tamen ex peculiari Iure Societatis verum Religiosum. Quoniam, inquam, his quatuor modis potest quis dici Religiosus, inquirendum est hîc, an per hos omnes ingressus acquirat illegitimus dictum Canonis beneficium puta imputari natalis purgationem.

7. Dico Primo, cum Suar. *de cens. d. 50. sect. 5. à n. 12.* Sanch. *l. 5. in dec. c. 5. n. 12.* Castrop. *t. 3. tr. 16. d. 2. p. 8. n. 11.* Gib. *de irreg. c. 6. d. 3. n. 5.* Non acquirit per primum, imò, nec per secundum ingressum: quicquid dicat Rodr. citatus, putans acquirere per utrumque: Ratio nostra evidens est, quia in hac Decretali, de cujus ut loquimur, & quam explicamus, conceditur hoc privilegium illis qui fiunt Monachi: at per educationem, vel ingressum in Novitiatum nemo vere monachus efficitur, sed per illa probatur, ut fiat Monachus. Et quando dicitur (vel in Congregatione Canonica viventes) satis explicatur ex aliis juribus, locutionem esse de perpetuo ibi degentibus. Non rectè igitur Summator præsentis decretalis sic eam inscripsit (*Illegitimus non ordinatur, nisi, ut Religiosus fiat*) sed melius sic inscripsit Abbas (*Illegitimus non potest ordinari, nisi Religiosus fiat.*

8. Dico Secundo. Acquirit illegitimus hoc Natalium beneficium per tertium, & per quartum ingressum. Per tertium certa res est, quia professioni solemni conceditur hoc privilegium. De quarto facile probatur, quia Greg. XIII. *Ascendente Domino*, & probant Sanch. *l. c. n. 13.* & Castrop. *l. c. n. 11.* definivit eos, qui post biennium emittunt Vota, quamvis simplicia, in Societate, esse veros Religiosos. Unde gaudent prorsus omnibus privilegiis, quibus alii professi gaudent.

*An legitimatio per Professionem acquiratur ipso facto?*

9 His adnectendæ sunt duæ celebres quæstiones. Prima, An professio Religiosa concedat ipso facto hoc privilegium, an insuper, præter ipsam professionem, requiratur ministerium superiorum, quasi applicantium suis professis hanc legitimationem, ita, ut, donec accedat ejusmodi concessio, non possit dictus professus ordinibus initiari?

10. Respondeo. Bona venia P. Martini Prat. *in manusc. de Irreg. d. 2. p. 2. c. 8. n. 10. f. 143.* latè id, sed inefficaciter probans, sentio cum Sach. *loc. cit. n. 6.* ipso facto per dictam professionem & per dicta vota biennii hoc privilegium concedi. Ratio mihi manifesta ducitur ex ipsis verbis allatæ Decretalis; Non promoveantur (inquit) nisi Monachi fiant: Ergo, si fiant Monachi, promoveri possunt. Cur ergo tu addis, expectandam esse aliam licentiam à tuis Superioribus concedendam?

11. Dices cum Prate *l. c. n. 12.* Summi Pontifices, tum aliquibus secundum Sixtum IV. *Prædic.* & Min. Eug. 4. *Congr. S. Iustinæ ap.* Rodriq. *t. 1. q. Reg. 13. artic. 6.* Religionibus, tum Societati secundum Paulum III. *licet Debit.* concesserunt peculiare privilegium, ut possint dispensare cum suis Professis in defectu Natalium; ergo supponitur necessaria ejusmodi dispensatio à Superioribus concedenda; si enim ex vi juris communis præsentis Decretalis, quam explicamus, concessa absolute Religiosis fuisset Natalium purgatio, cur fuisset privilegium ipsorum Superioribus concedendum?

12. Respondeo. Per privilegium allatæ Decretalis non tollitur adæquatè defectus Natalium; Excipitur enim receptio Prælaturæ. Hæc ergo concessa est per novum privilegium à Summis Pontificibus. Adde, multa ejusmodi privilegia frequentissimè concedi, ad tollendos scrupulos, vel pro amplectentibus opinionem contrariam, ut à nobis notatum sæpe est *in opusc. de Sacr. Miss. l. 1. c. 2. §. 1. n. 11.* ex Suario *de Euchar. d. 81. sec. 28. V. Quarto addendum.* Castrop. *t. 2. tr. 7. d. 2. p. 4. n. 6.* aliique.

*An legitimatio per Religionem perseveret in Religioso ad sæculum forte revertente?*

13. Altera celebris, & certè utilissima quæstio hîc se offert illa, quam in præsenti titulo proposuimus, in qua certa sunt duo, tertium vero est controversum.

14. Certum est Primo, cum, qui ad sæculum redit ex eo capite, quod probaverit, suam professionem esse nullam, nulla ratione hoc privilegio gaudere in sæculo posse. Patet, quia neque gavisus est in Religione, cum vere nullam professionem emiserit: Professio enim apparens, (ut rectè advertit Lez *V. Irregul. t. 1. Ref. 311.* non habet vim extinguendi Irregularitatem ex impuris Natalibus contractam. Immo non solum dictos illegitimos, sed quoscunque revertentes ad sæculum ex eo, quod nullam suam professionem probaverint, si fuerunt ordinati in Religione ad titulum Paupertatis, esse suspensos, supra *lib. 7. de Ord. c. 6. §. 3. n. 4.* notavimus.

15. Certum est Secundo. Eum, qui ad sæculum ejicitur, ita, ut remaneat ligatus votis Religiosis, sicuti ejici solent Incorrigibiles, hoc privilegio frui, Sicuti enim remanet in ipso solemnis professio, ita effectus ipsius, nempè extinctio Irregularitatis in eodem remanere, necesse est. Adverte tamen, adesse Decretum 21. Sept. 1624. ap. Donatum *de Regal. tr. 8. q. 7. & q. 35. n. 7. & 8.* Sacræ Congregationis, quo omnes electi à Religione, & extra illam degentes, sunt perpetuo suspensi ab Ordinum exercitio, nec Ordinarius posse in hoc dispensare.

16. Controversum autem est, An Religiosus Societatis, qui post biennium emisit vota simplicia, quique, ut supra diximus, defectum Natalium per hæc vota purgavit, an, inquam, ut solutus, ut fit, ejus votis, dimittatur ad sæculum, amittat privilegium legitimati Natalis?

17. Respondeo. Non amittere, docet Sanch. *l. 5. in Decal. c. 5. n. 14.* & Barbosa, *de Iure Eccl. l. 1. c. 42. n. 192.* quia ex una parte extincta fuit ejusmodi Irregularitas per illa vota, & ex alia, nullum vestigium in Iure est, quo probari possit, eam revivisscere, & iterum hominem illum commaculare.

Amittere docet Turrianus *de Censur. d. 75. dub. 2.* Hier. Rodr. *q. 76 n. 7.* Diana *p. 4. tr. 2. res. 66.* cum aliis, unde illum, nec posse suscipere Ordines, nec ministrare in susceptis affirmat. Ratio est, inquit, quia privilegium hoc statui Religioso concessum est, ergo, eo cessante, & illud cessare oportebat. Neque mirum, si in mu-

ratione status personæ, maneretur etiam personæ privilegium, sic enim Vxor, ac Pupillus, si illa Maritum, hic majorem ætatem acquirat, amittunt privilegia illis statibus competentia. Quod si dicas, novum id esse, ut semel data dispensatione de irregularitate, hæc iterum revertatur.

Respondet, ad novum hoc genus Votorum, per quæ efficitur quis vere Religiosus, & tamen dissolvi ea possunt, ex parte superiorum, debuisse novum genus dispensationis connecti juxta mentem Legislatoris concedentis eam statu Religioso, non vero ei, qui liber à prædicto statu recedit.

18. Hæc opinio posterior apparet mihi, & Gibalino *de irregul. cap. 6. quæst. 3. num. 6.* probabilior; priorem tamen tutam, & probabilem esse, idem Gibalinus fatetur.

19. Denique alius casus excogitari, imò, & esse non difficulter posset, si Summus Pontifex Religioso Professo impurorum Natalium contederet ob bonum aliquod publicum, ut omnino à Votis liber reverteretur ad sæculum, An prædictum privilegium amitteret, ita, ut sine novâ dispensatione non posset ministrare in ordinibus si quos haberet, vel eos recipere, si non haberet?

20. Respondeo. Non amittere, suadent rationes modo dictæ à Sanchez, & Barbosa. Adde dispensationem Pontificis, cum sit Summi Principis, atque in præsentia hæc fit ob bonum publicum concessa, videri ampliandam, atque adeo includere & hunc favorem, de quo loquimur.

Amittere suadent rationes modo dictæ Turriani. Adde, cum hæc sint duo privilegia, alterum redeundi ad sæculum, alterum suscipiendi ordines, vel ministrandi in illis, concessionem unius non inferre concessionem alterius. Vtraque ergo sententia mihi videtur non improbanda.

*Prælationem vero nullatenus habeant.*

21. Perplacet mihi consideratio Castropal. *t. 3. tr. 16. d. 2. p. 8. num. 9.* docentis, solam prælationem negari illegitimis ascitis in Religionem. Quare quæcumque alia officia, etiam Beneficia, nec simplicia solum, quod plures sponte concedunt, verum etiam, curata, quæ prælationem secum non afferunt, concedi illis sine alia dispensatione possunt. Ratio est, quia solam prælationem Sacer Textus excludit. Addit tamen Castropalaus duo *l. c.* Primo, in praxi sequendam esse communem sententiam excludentem prædictos à Beneficio curam animarum habente. Secundo, ex hac legitimatione procedente à professione Religiosa, illegitimum non fieri aptum, ad succedendum bonis Paternis, quia nullibi id conceditur, adducitque Suarium, Covarr. Sanchez contra nonnullos, quos iidem citant.

22. Nomine autem Prælationis (utique Suar. Sanch. Castropal. *citati.* sive extra, sive intra Religionem, quia nihil distinguit Textus) veniunt illa omnia officia, quæ adnexum habent jurisdictionis usum in subditos. Ejusmodi funguntur Abbas, Prior, Guardianus, Præpositus, Provincialis, Generalis. Quare prædictus illegitimus, qui professionem emisit, poterit esse procurator, præfectus alicujus ministerii, minister, Ædituus, Magister purus Novitiorum, imò, & habere quodcunque munus, cui cura, & jurisdictio competat vi delegationis. Lege citatos. Non poterit tamen esse Vicarius Generalis Episcopi, quia Vicarius est dignitas habens ordinariam jurisdictionem, ut ex Rodr. Sanch. & Barb. notat. Gib. *de irreg. c. 6. q. 3. n. 9. fin.*

23. At quid de munere Abbatissæ; seu prioritiæ, quod certe est munus prælationis in jure, *C. indemn. §. Sane de elec. in 6.* ut notat Bar. *l. 1 n. 43. C. de dignit. l. 12.* & Dec. *l. Fœm. n. 8. ff. de jur.*

Respondeo. Putant nonnulli, ut Rodr. *t. 1. q. reg. 13. art. 21.* Portella *in dub. Reg. V. Abbat.* Diana *p. 4. tr. 2. res. 101.* illegitimam monialem posse sine dispensatione eligi in Abbatissam, seu Prioritiam. Ratio est (inquiunt) quia in jure prohibente prælaturas illegitimis Religiosis nunquam fit mentio fœminarum. At (sicuti habetur in eodem jure *C. Generali de elec. in 6.* ad illas odia (quæ esset hoc) non extenduntur, nisi de iis expressa mentio fiat, ergo &c.

24. Confirmatur Primo, quia in motu Sixti Quinti edito contra illegitimos Religiosos, qui deinde fuit reductus ad terminos juris communis à Gregorio XIV. ut supra dictum est, expresse conceditur monialibus illegitimis, ut creari Abbatissæ possint.

25. Confirmatur Secundo, quia testatur Sellius, *in select. Can. c. 29. n. 24.* decisum fuisse in una Cordubensi anno 1581. illegitimam esse posse Abbatissam sine Pontificis Summi dispensatione.

26. Nihilominus judico cum Barb. *in coll. ad cap. 1. De filiis Presb.* Sayr. *de cens. l. 6. c. 11. n. 3. fine* Sanchez *Vot. c. 40. n. 7.* Sanch. *in Decal. l. 5. c. 5. num. 19. Vbi, quid de non posse.* Ratio est, quia in monialibus militant eadem rationes, deest timor imitationis incontinentiæ Patrum, & esse indecorum, & periculosum, præfici illegitimas; quæ rationes militant in viris; quando autem entri prorsus est ratio, etiam in odiis, par esse, eandem fore resolutionem, fuse probat Decius. Ex quibus patet argumentum prioris sententiæ.

27. Ad primam confirmationem clara est responsio. Cum enim ea Sixti V. constitutio sit jam reducta ad terminos juris communis; In jure autem communi reputantur fœminæ illegitimæ à prælaturis, propter identitatem rationis cum viris, ut jam dictum est, sequitur nunc, illegitimas moniales non posse ad Abbatissæ munus assumi. Adde evidens signum esse in jure repelli illegitimas ab hoc munere, quandoquidem, ut illæ possent admitti, necesse fuit, ut Sixtus expresse id per illam suam constitutionem tunc declararet.

28. Ad secundam confirmationem. Respondeo, nihil inferri contra datam doctrinam: Decisio enim illa solum dicit, posse sine dispensatione Pontificis, sed non negat adhibendam esse dispensationem Prælatorum.

29. Hanc responsionem melius intelliges, si reminiscaris, Religiosos, ut modo *n. 12.* dictum est, habere privilegium, ut eorum Generales, & Provinciales possint eis dispensare suos professos illegitimos ad prælaturas. Non ergo privilegium habent Moniales, teste Rodr. *t. 1. q. Reg. 13. art. 6. & 23.* ut nimirum, si sint exemptæ, à suis Provincialibus vel Generalibus, si vero sint non exemptæ, à suis Episcopis in hoc dispensari possint. Est enim communis doctrina, legem statuentem de Maribus intendi ad fœminas, quando materia, de qua agitur, æque pertinet ad utrosque. Hoc posito, jam clare intelligitur decisum fuit, illegitimam posse esse Abbatissam hac dispensatione Summi Pontificis; poterit enim esse ex privilegii, (non quidem ex vi juris communis) sive dicit Summi Pontificis immediata, sed semper cum superiorum prælatorum dispensatione.

## § V. *De legitimato per rescriptum Principis.*

1. Legitimatio concessa à Principe differt à dispensatione ab eodem concessa: hæc enim, secundum Mol. *tr. 2. d. 172. n. præsert. 5.* Lotter. *de Benef. t. 1. q. 2. à n. 116.* aliique ap. Covar. *de sponsal. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5.* & Sanch. *de cens. d. 50. sect. 5. n. 7.* relicta illegitimitate, habilem præ nuntiat hominem ad aliquem effectum, ad quem antea erat inhabilis, ut, si illegitimo concedat Pontifex, ut possit ordinari. At legitimatio tollit omnino inhabilitatem, unde si est absoluta, seu totalis, concedit omnes effectus qui legitimo solent convenire. Dixi (si est absoluta, &c.) nam potest princeps aliquem legitimare, sed velle, ut non omnes effectus conveniant sic legitimato, fecit Pontifex legitimando professum in Religione; qui tamen noluit, ut effectus acquirendi Prælaturas illi legitimationi connecteretur. Et Jura Civilia, quamvis naturalem filium legitiment per subsequens matrimonium, tamen Sixtus Quintus noluit, ut haberent effectus acquirendi dignitatem Cardinalitiam, ut supra indicavimus. Meritò ergo absolutam legitimationem, ut

ut distinctam à dispensatione, sic Tuschus V. Legitimat. *concl.....* cum aliis describit.

*Et donum Principis quod, extincto impedimento illegitimitatis, restituit quempiam primævis Natalibus, si ab ipsa sui conceptione fuisset legitimus.*

2. Quoniam vero legitimatio cum sit favor Principis tollens impedimentum, est amplè interpretanda, dispensatio autem, quia, remanente impedimento, restringit leges affigentes multos effectus tali impedimento, est strictè interpretanda, ideo valdè diligenter sunt verba Principis perpendenda, ex quibus colligatur, an rescriptum contineat legitimationem totalem, an legitimationem restrictam, an dispensationem.

3 Et quidem, si Princeps absolutè dicat; *Legitimo te ad omnia:* & nihil addat, quod restringat, manifestè est totalis legitimatio. Si vero verba Principis prius significet legitimationem, & deinde addant restrictionem, erit legitimatio quidem, sed non totalis, ut, si Princeps dicat: *Legitimum te pronuntio, dummodo ad talem dignitatem non assumaris*, Vel: *legitimo te, sed talem effectum legitimationis non habeas.* At, si verba eiusdem Principis in eadem oratione dent legitimationem, & simul restrictionem, tunc erit dispensatio, ut si dicat *Legitimo te ad Beneficia, & dignitates, non autem ad Beneficia curata. Legitimo te ad Ordines tantummodo Minores, &c.* Sed hæc minutius, lege apud Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 7. Mol. Covarr. Lotter. *ll. cc.* Suar. *de cens. d.* 50. *sect.* 5. *à n.* 7. alioſque.

4. Illud denique hîc adverte diligenter, sed videndum latius apud citatos, cum Princeps sit alius sæcularis, qualis est pro hac re nostra Rex v. g. alius Ecclesiasticus, qualis est Summus Pontifex, adverte, inquam, legitimationem, etiam absolutam concessam ab altero ex his Principibus non tollere omnes effectus illegitimationis, sed eos tantum, ad quos se extendit eius Principis auctoritas: neque enim legitimatus à Rege poterit ordines susc ipere, quia Rex non est supra ius Canonicum, nec legitimatus à Pontifice potest succedere in bonis, vel officiis temporalibus, extra loca ipsi Pontifici temporali iurisdictione subiecta.

## §. VI. *De Dispensatione illegitimi.*

1. REmanente, ut modo diximus, illegitimitate, potest Princeps dispensare illegitimum, ut non obstante tali impedimento, aliquem, vel aliquos actus exercere possit, à quibus per illegitimationem erat arcendus.

2. Dispensatio autem, quamvis sit beneficium Principis; est tamen, ut modo item innuimus, stricti iuris, & odiosa, hoc est strictè debet intelligi. Ita Sanchez. *l.* 8. *matr. d.* 1. *n.* 3. *&* n. 10. Suar. *de leg. l.* 6. *c.* 10. *præser. n.* 4. *& c.* 11. *præser. n.* 10. & pluribus ornat Tusc. *V. legit. concl.* 220. Meroll. *t.* 2. *d.* 4. *cap.* 6. *à n.* 38. Principis enim Beneficium tunc latissimè interpretandum est, quando continet præiudicium solius concedentis, conceditúrque præter ius, non vero, quando conceditur contra ius, qualis est dispensantio, de qua nos loquimur, quæ conceditur relaxando iura lata contra illegitimos, quos ipsa Iura irregulares constituunt.

3. Labor igitur noster in hoc §. erit, ut videamus, qua restrictione, vel ampliatione (quando verba non sunt clara) intelligendæ sunt eiusmodi dispensationes circa irregularitatem, de qua noster est sermo. Nec id melius effici posse video, quam subdendo sequentia, quæ ex data doctrina colliguntur; & adverto, hæc omnia usui esse, non solum pro dispensatione irregularitatis ortæ ex illegitimo Natali; verum etiam ex quocumque alio capite; hîc tamen signate ponuntur, quia frequentius pro hoc capite peti, & concedi eiusmodi dispensationes solent.

### *Signa dispensationis amplæ, vel strictæ.*

4. Primo enim dispensatus ad ordines (si nihil aliud addatur) intelligitur solum dispensatus ad primam Tonsuram, & ad minores. Ita Sanchez *loc. cit. num.* 27. Dico (si nihil aliud addatur) nam, si notum dispensanti fuerit, petentem dispensationem fuisse ordinibus Minoribus initiatum, intelligitur de omnibus Maioribus. Ita Sanchez *ibid.* secus dispensatio nihil operaretur, & esset inanis.

5. Secundo, dispensatus ad ordines, atque adeo, ut dictum est, ad minores, non, ut habet idem *ibid.* intelligitur dispensatus ad Beneficia, quia, est res separabilis Ordo Minor à Beneficio, unde non sequitur, concedi hoc, si concedatur illud.

6. Tertio. Dispensatus ad Beneficium intelligitur solum dispensatus ad Beneficia simplicia, Lege Barbos. *de Pot. Ep. Alleg* 45. *n.* 7. Lotter. *de re Benef. l.* 2. *quæst.* 48. *num.* 153.

7. Quarto. Dispensatus pari modo ad beneficium, non intelligitur, nisi ad simplex, non vero ad curatum, nec ad Canonicum, nec ad dignitatem Ecclesiæ Cathedralis. Ita iidem *ibid.*

8. Quinto. Dispensatus ad Beneficia sæcularia non intelligitur dispensatus ad regularia, etiam si ipse fiat regularis, Lege Samuel *de elect. T.* 2. *d.* 6. *contr.* 23.

9. Sexto. Vniversaliter dispensatus in uno aliquo genere determinato v.g. ad dignitates, non intelligitur ad Beneficium curatum. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6 *c.* 3. *q.* 10. Barbos. *de pot. Episc. Alleg* 45. *num.* 11. *&* 13. dignitates enim in Cathedrali, vel Collegiata non includunt curam animarum.

10. Septimo. Dispensatus ad dignitates, etiam si dicatur: *Dispenso te ad omnes dignitates*, non intelligitur ad Episcopatū Ita Azor. *l. c. q.* 8. Bard. *l. n.* 14 Episcopatus propriè non est dignitas, sed culmen dignitatis, licet, & probabile contrarium admittat, & certè merito, Mer. *T.* 2. *d.* 4. *c.* 6. *n.* 59.

11. Contra. Dispensatus ad omnes ordines intelligitur etiam de omnibus Sacris. Ita Sanch. *ibid. num.* 26. Dispensatus ad ordinem superiorem v. g. Diaconatum intelligitur etiam de inferioribus v.g. de Subdiaconatu, non vero de superiore v.g. de Sacerdotio. Lege Sayr. *de cens. l.* 6. *cap.* 11. *n.* 20.

12. Dispensatus ad Clericatum, seu, ut fiat Clericus, intelligitur ex Sanch. *l. c. n.* 26. de omnibus Minoribus, licet intelligi solum de prima Tonsura teneant aliqui, ut Mer. *T.* 2. *d. c.* 6. *n.* 43.

13. Dispensatus ad ordines Sacros. Ita Sà *V. disput. n.* 14. Sanch. *l. c. n.* 48. Meroll *l. c. n.* 48. Castrop. *T.* 1. *t.* 3. *d.* 4. *p.* 9. *n.* 4. Intelligitur, etiam de Beneficio simplici, quia Ordo Sacer ex iure semper debet, ex Trid. *sess.* 21. *de Ref. c.* 2. conferri possidenti titulum Beneficij; habens enim Patrimonium, vel Pensionem, solum ex dispensatione Episcopi potest, ex eodem Concilio, promoveri.

14. An dispensatus ad beneficium maius possit legitimè susc ipere beneficium minus? v.g. dispensatus ad Episcopatum possit susc ipere dignitatem Cathedralis Ecclesiæ, vel, dispensatus ad Archiepiscopatum possit susc ipere Episcopatum, discrepant Doctores. Negant Sanch. *l. c. n.* 32. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 11. *n.* 22. 29. *&* 30. aliique. Concedunt multi apud eundem Sanch quos sequitur latè Prat. *in man. de irreg. d.* 2. *p. c.* 10. *n.* 19. Id vide latius apud dictum Sanch. & apud Meroll. *l. c. n.* 66.

15. Sed adhuc quæres primo, an dispensatus ad Beneficium intelligatur dispensantus ad pensionem?

Respondeo. Nobis, qui sustinemus probabile esse, supra *cap.* 6. §. 3. *n.* 10. Irregularem posse acquirere puram pensionem, etiam Ecclesiasticam facilis est huius quæstionis resolutio. Dicimus enim superfluum nobis esse quærere, an dispensatus ad beneficium intelligatur dispensatus ad puram pensionem; Nos enim negamus ad acquirendam pensionem, opus esse dispensatione. In sententia eorum, qui id non admittunt, is quærat, cui otium est id quærendi.

16. Quæres secundo. Si orator, id est is, qui petit dispensationem, postulat absolutè dispensari sibi in defectu

Natalium,& Pontifex absolutè respondeat:(dispensamus) quomodo interpretanda est huiusmodi dispensatio?

Respondeo. De rigore iuris strictè, atque adeò ad unicum tantum actum,seu effectum,puta solum ad Ordines Minores propter rationem modo *num.* 2. dictam, at de stylo Curiæ, large, atque adeo ad omnes effectus, quos Pontifex potest.Ratio est,quia Pontifex nunquam solet dispensare sic absolutè(dispensamus)nisi, quando vult habilem reddere Oratorem ad omnes effectus, à quibus irregularis arcebatur Et sub hac distinctione interpretandi sunt Suar. *de cens.d.*41.*sect.*3.*n.*3.Sanchez *l. c.n.*28.Castrop. *l.c p.*10.*n.*4.Merol.*l.c.n.* 47. & alij, dum dicunt dispensationem absolutè datam concedere omnes effectus.

## §. VII. *Quid exponere debeat illegitimus, quando petit dispensationem.*

### Vbi

### De illa clausula(*Dummodo incontinentiæ Paternæ imitator non sit.*)

1. QVamvis, spectato iure, aliqua posset tacere Orator,seu postulans dispensationem Natalium spectato tamen stylo Curiæ, qui certè,ne in multas ambiguitates,& scrupulos involvaris, est observandus, scito hanc dispensationem non subsistere firmiter, nisi exprimatur defectus, super quo dispensari debet, omnesque illius qualitates, quibus moveri Pontifex potest ad gratiam concedendam, negandamve. Quare exprimendum est, an parentes fuerint soluti, an coniugati, an Voto solemni Castitatis adstricti, an per adulterium, vel sacrilegium ex utraque parte patratum, an per incestum ex affinitate,vel consanguinitate, & quo gradu. Ita Pyr. Corradus *in praxi dispens.l.*3.*c.*1.Samuel. *de elec.contr.*22. *fol mihi* 400.Leand.*de irreg.d.*4.*q.*61. & 62.alique.

2. Addit *ibidem* Corradus, id etiam esse custodiendum ab iis, qui petunt dispensationem à suis superioribus regularibus, quando hi gaudent privilegio legitimandi suos.Sed Leander *loc.cit.q.*84.probabile iudicat, tunc qualitatem illegitimationis non necessario explicandam, quia superiores regulares semper intendunt tollere absolutè hanc irregularitatem ex quacumque tandem causa provenerit. Certè id probabile esse, inficiari nolo.

3. Huc per occasionem reducamus explicationem illius clausulæ, quæ solet apponi in rescripto huius dispensationis, scilicet(*Dummodo continentiæ paternæ imitator non sit.*)Nec profecto alia explicatio requiritur,nisi, ut videamus, an conditionem importet, ita, ut, si ea non servetur, nulla sit dispensatio.

4. Respondeo. Mandosius *de signat. Gratiæ super defectu natal.* Vide etiam Lotter. *de re Benef. T.*1.*l.*2.*q.* 48. *n.* 137. dicit, non inducere conditionem; si enim esset conditio, infinitæ (inquit) dispensationes nullæ redderentur.P Prates *loc.cit.*censet incontinentia, si sit notoria, dispensationem sub dicta clausula,fore nullam,nihilque Oratori favere, quia notoria incontinentia maximè est detestabilis Ecclesiæ,at fore validam,ait, atque Oratori favere,si sit occulta.

## §. VIII. *Quis dispensare potest in irregularitate ex defectu Natalium?*

1. DE Summo Pontifice non est dubium.De Prælatis Regularibus,& de Commissario Bullæ Cruciatæ innui suprà *c.*15.§.15.Nunc ergo solum est de Episcopis agendum.

2. Dico primo, nec Episcopum, & consequenter nec Capitulum,Sede Vacante,nec Vicarium Generalem,&c. posse dispensare illegitimum ad ordines Sacros, nec ad Beneficia Sacros Ordines requirentia. Patet id ex universali doctrina, qua inferior non potest dispensare in lege superioris, &c.

3. Dico secundo, posse tamen Episcopum ad primam Tonsuram, & ad Ordines Minores dispensare cum quocumque illegitimo suæ Diœcesis etiam ex copula damnata, ut item ad illa Beneficia simplicia,quæ non requirunt in accipiente,nisi primam Tonsuram,vel dictos ordines.Ratio est,quia id concedit ipsis ius commune C.*de filiis Presbyter in* 6. ut communiter notatur à Doctoribus,ut Suar.*de cens.d.*30.*sect.*5.*num.*2. Suar.*de cens.* 6. *c.*11.*n.*8. Lotter.*de re Benef.t.*1.*l.*2.*p.*48.Gutier.*de Pens. q.*17.aliisque.Imò si adsit aliquod Beneficium simplex requirens ordinem Sacrum ex institutio ipsius Episcopi,& non ex iure communi,sane, quia Episcopus potest ex suo statuto ex causa dispensare,poterit item ex causa admittere illegitimum ad tale Beneficium.

4. Hîc, quia sæpè id non advertunt Episcopi, illud moneo,quod alibi universaliter dictum est,nempe ad dispensationem expediendam circa disposita à iure debere multo magis adesse causam rationabilem, secus irritam esse, nec solum illicitam;ad ea enim,quæ sunt iuris communis, non habet Episcopus absolutam potestatem.&c

5.Dixi(suæ Diœcesis)ut notarem,suo familiari intranali, si is fuerit alterius Diœcesis,non posse Episcopum hanc dispensationem conferre: sunt enim duo privilegia admittere illegitimum ad ordines,& dispensare eundem in Natalibus.Quare, quamvis Episcopus illud possit; non potest hoc, quia potestas dispensandi, non extenditur ad diversa,quæ separata subsistere possunt,& à separatis non fit illatio.Ita colligitur *ex C. ad audientiam de Decimis.*

6. Non nego tamen, posse Episcopum huius Diœcesis, admittere ad Beneficium simplex eum, qui a suo Episcopo fuit dispensatus ad ordines Minores, isque fuit ritè initiatus, quia tunc impedimentum illegitimi sanguinis iam ritè ablatum à suo Episcopo,quoad hunc effectum fuit.

7. Ex dictis sequitur,posse ut vult Bath.*de pot. Epi. p.*2.*alleg.*45.*n.*22.Bellet. *disquis. Cleric p.*1.*tit.de dilect. Cler.*§.3.*n.*27.Episcopum dispensare illegitimum ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ,etiam insignis,non requirentem ordinem Sacrum, & dimidias portiones, & ad inferiora Beneficia Ecclesiæ Cathedralis,etiam si his accessorie sit adiuncta animarum cura: hæc enim sunt Beneficia ex se simplicia.

8. Contra,sequitur, non posse Episcopum dispensare prædictum ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, qui Tridentinum *sess.* 44.*c.* 12. *de Refor.* his Canonicatibus adnexuit ordinem Sacrum.Cum ergo Episcopus non possit dispensare illegitimum ad ordines Sacros,nec potest ad eiusmodi Canonicum. Imò puto ap. Barb.*l.c.n.* 32. & Sayr.*l.c.*13.(quicquid cum Prat.*l. c.* alij communiter dicant) etiam ante Trident. & nunc, ubi Tridentinum non esset receptum, non posse.Ratio est, quia eiusmodi Canonicatus longè præstant Beneficiis simplicibus, & ceduntque proximè ad dignitatem; nam propterea in Canonici sunt de Concilio Episcopi, admittuntur ad eiusdem osculum, vocantur ab eodem fratres, eligebantur in Iudices Conservatores per ptivilegia Mendicantium, iisdem committuntur rescripta Pontificia,&c.

9.Supersunt duæ difficultates.Altera, an cum illegitimo promoto ad ordinem Sacrum bona fide,possit Episcopus dispensare, ad illum exercendum, & ad ulteriores suscipiendos?

10. Respondeo.Quamvis Navarrus *lib.* 1. *Cen Tr. de filiis Presb.cons.*4.*num.*2.Castr. *t.*6.*d.*6.*de cens.p.* 9. *num.*10. Laym.*l.*2.*tr.*5.*p.*5.*c.*5.aliique concedant; tamen iis ego & Suar.*de cens. d.* 30.*sect.* 5.*n.* 3. acquiescere non possumus,quia bona fides æquè in hoc,atque mala, non tollit impedimentum illegitimi Natalis. Qua ratione ergo poterit inferior Papa illi dispensare? Contrarium tamen, hoc est Navarri opinionem non improbabilem esse, pronuntiat Dian.*p.*10.*tr.*11.R.24. cui tunc ego suffragabor, quando aliquam is viam significaverit, unde, ad probabilitatem hanc inveniendam, penetrare valeam.

11. Dices.Ecclesia hunc ligatum bona fide Sacris ordinibus

dinibus non præsumitur, nolle admittere ad cæteros?

Respondeo, id nihil aliud probat, nisi facilitatem obtinendæ dispensationis à Summo Pontifice, non vero concessi mem potestatis dispensandi in Episcopo, nisi forte ex universali doctrina, quando, necessitate urgente, aditus ad Pontificem haberi non possit. Sed in re, de qua agimus, quandonam tanta necessitas?

12. Altera difficultas. An Episcopus post Trident. possit dispensare ad Sacros Ordines, &c. hominem ex occulta copula illegitimum.

Respondeo. Ita putant nonnulli, ut Præp. *de irreg. q.* 1. *n.* 331. Peyr. *de Pr. l. Relig. q.* 2. *c.* 5. §. 9. *c.* 143. Layman. *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *c.* 5. dicens, id esse probab. Gerunda *de Episcopatu l.* 2. *d.* 5. *c.* 2. *n.* 7. Cornelius, Avila, Pellizz. apud Dian. *l. c.* qui hanc sent. probabilem vocat, quia Tridentinum concedit Episcopis posse dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto: sed iam dicta irregularitas est ex delicto occulto parentum, ergo, &c.

13. Verum hic discursus firmus nullo modo est, teste Suar. *d.* 50. *de Cens. sect.* 5. *n.* 5. Coninch. Nav. Castropal Dian. *ll. cc.* siquidem ex contextu Tridentini illud (ex delicto occulto) intelligitur de delicto proprio, non alieno.

## CAPUT XVIII.

### *De Irregularitate ex Hæresi.*

#### §. I. *Quinam, ratione hæresis, irregularitate afficiantur?*

1. HÆresi formali publicæ, ut item Apostasiæ, quæ dictam hæresim involvat, sive hæ sint commissæ à Clerico, sive Laico, adnecti in iure irregularitatem, nullus ignorat. Tunc vero est hæresis formalis, quando voluntariè negat aliquem fidei articulum, tunc publica, quando crimen est notorium, vel per evidentiam facti, vel per iud cis sententiam, vel per propriam confessionem in iudicio.

2. Per hæresim autem occultam, quamvis externam, admodum probabile est, nullam irregularitatem incurri (nam per solam internam nullam incurri, certum est ex alibi universaliter supradictis) Ratio dictæ probabilitatis est, quia iura semper loquuntur de pub ica, & ex alia parte, ut ad satietatem, sæpè monuimus, irregularitas non incurritur, nisi in casibus iure expressis. Ita Doctores non pauci ut Sayr. Avila, Henr. cum Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 4 *num* 21. aliisque cum Thes. *V. Hæresis cap.* 1. & Barb. *in Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* contra Santarellum. *de Hæres. quæst.* 192. *num.* 67. alioque apud Dianam *part.* 4. *tr.* 2. *res.* 46. & Castrop. *t.* 1. *tr.* 4. *d.* 4. *n.* 4. Qui Doctores advertunt, ipsi hæresi adnexam esse suam irregularitatem, etiam præscindendo ab infamia, licet Gibalino, *de irreg. cap.* 5. *q.* 3. *n.* 2. aliisque ab ipso citatis placeat, non esse adnexam, nisi ratione infamiæ, quod non credo.

3 Nota, hanc irregularitatem, in quam labitur hæreticus, esse ex se perpetuam, ac durare, etiam post pœnitentiam, & etiam post dictæ hæresis abiurationem. Solum ex quodam Textu colligit Hurtadus loco mox citando Clericum conversum ab hæresi, licet non possit ascendere ad alios Ordines, posse tamen sine dispensatione susceptis uti. Sed id negat Castr. *de Cens. d.* 6. *p.* 39. §. 4. *num.* 2.

4. Aliqui ex prædictis Doctoribus dicunt, hanc irregularitatem incurri à Fautoribus, & Acceptatoribus Hæreticorum. Sed G. Hurt *d.* 2. *de irreg. diff.* 3. difficile indicat, hos esse prohibitos ordinari; Iura enim solum videntur eos reddere inhabiles ad Beneficia, & Officia publica, quorum nomine non venit Ordo, ut ipse *ibid.* probat, si quæ Bullæ in contrarium afferantur, eas non esse in usu, idem affirmat ex Avila Id certè probabile est, quod etiam sequitur idem Gibalinus *loc. cit. quæst.* 4. *num.* 11.

6. Inquires primo. An, qui sine interno errore intellectus, externè, & publicè hæresim profert, incidat in irregularitatem?

Respondeo, Filliuc. *tract.* 20. *n.* 230. & propendet Castrop. *d.* 6. *de cens. p.* 19. §. 1. *n.* 4. aliique tenent, non incidere, quia verè ut sic, non est hæreticus. Incidere, sustinet Sanctarellus cum communi, quia hic secundum forum externum, secundum quod iudicat Ecclesia, hæreticus est.

6. Mihi verior sit Filliucij sententia; neque enim odiosa sunt extendenda, sed potius restringenda, nam propterea suspectum de hæresi hac irregularitate nequaquam puniri, merito docet Coninch. Sanch, & alij apud Dianam *l. c. res.* 47. & 48. Castrop. Thesaurum *V. Hæres. c.* 1. quia, neque hic est verè hæreticus, ut supponimus, quamvis sit de illa suspectus.

7. Ex dictis sit, ut nec primo, purus schismaticus, qui est ille, qui nullam habet admixtam hæresim, nec secundo, Simoniaci, ut vult Suar. *de Relig. t.* 1. *tract.* 3. *lib.* 3. *c.* 56. *n.* 18. & *c.* 58. *n.* 22 Lessius *l.* 2. *c.* 35. *n.* 136. *in fine*, quamvis in iure aliquando comparentur, propter Simoniæ enormitatem, hæreticis, & quamvis sint suspensi, & excommunicati, nec tertio, Sortilegi, Vaticinatores, Magi incestes pactum cum Dæmone, illúmque colentes, invocantes, consulentes, nisi admixtum habeant errorem intellectus, atque adeo, nisi hæresi inficiantur, fit, inquam, ut hi, & similes non sint irregulares, quia non hæretici, quicquid dicat de ultimis Maiolus *de irreg. l.* 5. *c.* 45.

8. Sed quid, si prædicti de hæresi suspecti cogantur à Sacris Inquisitoribus abiurare de vehementi, eruntne tunc irregulares.

Respondeo. Ita putat Azor. apud Dianam. *p.* 4 *tract.* 2. *res.* 47 Verum Suarez Sanch. Sanctarell. Sà, Villalobos, Garzias, apud eundem Dianam, aliique meritò negant. Ratio est, quia ex una parte irregularitas est quidem imposita hæreticis, sed non abiurantibus illam, & ex alia, si quam infamiam ex suspicata hæresi aliquis contraxit, iam illam purgavit per abiurationem, sicuti purgantur suspiciones aliorum delictorum per purgationem Canonicam.

9. Confirmat primo Garzias, quia ita resolutum fuit in Rota.

Confirmat secundo, quia cum Prælatus quidam abiurasset de vehementi, & postero die Missam sine alia dispensatione celebrasset, approbata fuit (inquit) eiusmodi actio à Summo Pontifice, & à tota Romana Curia commendata.

19 Ego puto, hæc rectè dicta esse, considerata dumtaxat suspicione hæresis, eúsque abiuratione; cæterum si præter hæc adsit infamia, sive facti, sive iuris in co delicto, ratione cuius aliquis abiuret, evitari non potest irregularitas infamiæ iuxta dicta *cap.* 10. §. 2. præsertim *num* 18.

Obiter item hîc scito, adesse Decretum Vrbani VIII. 1626. reddens inhabiles ad omnes gradus, & officia suæ Religionis Regulares Pœnitentiatos à Sacra Inquisitione, etiamsi tempus pœnitentiæ expleverint, exceptis tamen pœnitentiis saluratibus. Vide id apud Lezanam *p.* 1. *c.* 15. *n.* 39. eiusmodi pœnitentias explicantem.

### *Descendentes ab Hæreticis, an irregulares?*

11. Non solum ille, qui in formalem hæresim, modo dicto, incidit, est irregularis, verum etiam eius descendentes, ut fert communis opinio, apud DD. mox cit. Descendentium autem nomine intelliguntur hîc filij, etiam illegitimi, & filiorum filij usque ad secundam tantum generationem, quando pater fuit hæreticus, nam quando mater, intelliguntur solum filij. Adest tamen in hac communi sententia, quintuplex exceptio, nam primo non cõprehenduntur descendentes ab hæreticis, contra quos non processit probatio hæresis. Secundo, nec descendentes ab hæreticis emẽdatis, & iam cũ Ecclesia reconciliatis. Tertiò, non comprehenduntur filij nati post commissum

delictum hæresis à Patre. Quarto, nec, qui nascitur à Patre hæretico in iis regionibus, ubi crimen hæresis infamiam non affert, ut in Anglia, & multis Germaniæ partibus. Quinto, nec filius, qui patrem hæreticum Inquisitoribus denuntiavit.

12. Præterea communis opinio (de qua tamen Toletus *lib. 1. cap. 25. num. 8.* dubitat, quia Textus non sunt clari) docet etiam descendentes modo dicto à Fautoribus, & Receptoribus Hæreticorum infici eadem irregularitate. Sed certè negandum, prædictos descendentes esse irregulares, quoad suscipiendos, exercendosque Ordines; solum enim sunt irregulares, quoad Officia, & Beneficia Ecclesiastica (& quidem cum prædictis quinque exceptionibus) sicuti quoad hæc, solum sunt irregulares ipsi Fautores, & Receptores, ut diximus *n. 4.* Ratio est, quia jura loquentia de prædictis descendentibus solum eos removent ab officiis, & beneficiis: at Ordo, nec Officium est, nec Beneficium. Ita G. Hurt. *de irregul. d. 2. d. 3. num. 9.* & Gibalinus *de irregul. cap. 5. quæst. 4. num. 2.*

13. Denique hîc per occasionem nota, doceri ab Avila quem citat, sequiturque Gasp. Hurt. *loc. cit.* ex quorumdam Doctorum praxi, Constitutiones Pii IV. cum extensione Gregorii XIII. prohibentium descendentes Hæreticorum, Iudæorum, & Sarracenorum, ne suscipiant Ordines, non esse usu receptas.

### §. II. *Quis dispenset irregularitatem ex hæresi.*

1. DE Summo Pontifice non est dubium, de Prælatis Regularium, & Commissario Cruciatæ dixi breviter supra *cap. 15. §. 18.* Hic ergo solum debet esse sermo de Episcopis, Episcopalique Iurisdictione fungentibus.

2. Ex suppositione sententiæ aliquorum dicentium, oriri irregularitatem ex hæresi occulta, Dico, esse valde probabile, eam posse ab Episcopo dispensari. Cum enim Tridentinum concedat Episcopis, eos dispensare posse in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & ex probabili sententia, quam alibi diximus supponamus, hanc potestatem non esse ab ipsis ablatam à Bulla Cœnæ, sequitur posse eos dispensare, etiam in hac irregularitate ex hæresi occulta.

3. Dico secundo, Episcopum non posse dispensare in irregularitate orta ex delicto hæresis publico, vel deducto ad forum contentiosum: id, quod constat ex dicto Trident. *sess. 24. c. 6. de Ref.*

4. Solum hîc non erit inutile scire, aliquos, ut Ioan. Præp. *de irreg. d. 5. dub. 7.* Santarellum *de hæresi cap. 25. dub. 21.* Castrop. mox citandum, docere, Episcopum posse ad usum aliorum Ordinum præter usum Sacerdotii, dispensare eum (utique reconciliatum) qui Ordines susceperat ante lapsum in hæresim: quod certè improbabile non est. Ita ex Decreto Pii V. apud Peñam *in Direct. Inquisit. p. 3. comm. 175.* insinuatque Sanch. *in Decal. lib. 2. cap. 25. n. 5.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 2. q. 8.* Castrop. *de Cens. d. 6 p. 19. §. 4. n. 2.* Et hîc per hanc occasionem adverte, Pium V. prohibuisse ne Inquisitores ipsi dispensarent Presbiteros conversos ab hæresi ad Missam celebrandam: quod vide latius apud Santarellum *de hæret. cap. 25. dub. 3. num. 6.*

## CAPVT XIX.

### §. I. *De Irregularitate orta ex administratione officii temporalis, & obligatione ad ratiocinia.*

1. AFfinis est hæc irregularitatis causa ei, quæ aliquanto superius dicta est, à defectu libertatis, per utramque enim est quis alteri obligatus.

Qui ergo sunt adstricti ad administrationem rerum temporalium alterius, & ad reddendam de ea rationem, sive quoad actiones, quas tempore administrationis exhibuerunt, sive quoad bona, quæ tunc administrarunt, sunt irregulares, *C. unico de obligatis ad ratiocinia, C. 1. 2. & 3. dist. 51. & C. 3. dist. 54.* dum ea obligatio perseverat sic enim obligati, sunt minus apti ad functiones Sacras ac d vina officia.

2. Sub nomine autem horum administratorum, quos uno nomine, Curiales appellant Sacri Canones, comprehenditur quilibet administrator rerum publicarum, puta Thesaurarius, Depositarius publicus, Advocatus, Actor, Executor, Magistratus, quos Iuratos nos appellamus, Iudex, Capitaneus, Prætor, Satelles, Solicitator, Procurator, Commissarius, Nuntius publicus. Comprehenditur etiam, ut notat Suar. *d. 51. de cens. sect. 3. n. 19.* G. Hurt. *d. 2. de irreg. diff. 18.* Castrop. *de cens. d. 6. p. 13. n. 7.* Procurator personæ privatæ, quicquid neget Toletus, imò, & Feudatarius, qui obligatur obsequia personalia Domino Feudi exhibere, Dux, Miles, Arcis Præfectus, Tutor, & Curator.

Excipiuntur tamen Administratores Episcoporum, & rerum Ecclesiasticarum, quamvis temporalium, imò, & Tutores pauperum, seu miserabilium personarum, atque adeo Viduarum, Pupillorumque valde indigentium, seu alio adjutore carentium: hæc enim cum sint opera pietatis, Clericalem statum nequaquam dedecent, imò in praxi video, aliquibus in locis, nullum Tonsum expelli ab Ordine: unde colligo, hac in re multum valere consuetudinem, & morem Ecclesiarum. Excipitur item saltem ex consuetudine, & tacita Pontificis concessione Consiliarii Regii tractantes res civiles dumtaxat. Hæc fusius tractata habes apud Suarem, Gasparem Hurtadum, Layman, Castropalaum, citatos aliosque.

3. Quoniam vero hæc, quæ dicimus, tria involvunt. Primò, officii administrationem. Secundo, obligationem ad reddendam rationem. Tertio, post redditam rationem, obligationem ad solvendam summam aliquam pecuniæ, vel ad luendam aliam pœnam ipsi imputandam; ideo non ignores, irregularitatem hanc oriri ex sola officii administratione, & item (ex mea, aliorumque sententia contra Toletum apud G. Hurt. *l. c.*) ex sola obligatione ad ratiocinia, quod solet evenire, quando, deposito officio, nondum parti in Ratiociniis satisfactum est, & multo magis ex utraque. At ex obligatione ad solvendam pœnam post redditam jam rationem, distinguendum est.

4. Si post redditam rationem, nullo interveniente dolo, remaneat quis astrictus æri alieno, vel pœnæ non infami, probabilius est, secundum Suar. *loc. cit. num. 15.* Castrop. *loc. cit. n. 11.* G. Hurt. *loc. cit.* Diana *p. 4 tract. 2 ref. 98.* non esse prohibendum ab Ordine, quia jura de hac re (quæ cum sint odiosa, sunt restringenda) loquuntur de obligato ad ratiocinia, non vero de obligato ad solvenda debita ex datis jam ratiociniis, sicuti, nec loquuntur de debitis ex aliis contractibus, nam propterea, si ex contractu v. g. mutui, vel emptionis, vel depositi & similium nullam administrationem alterius continebat, quamcumque summam alteri debeas, irregularis ex hoc capite non eris.

At, si remaneat astrictus ex dolo, vel certè, si probabiliter timeatur, ne moveatur lis de dicto dolo, erit ex capite infamiæ, vel probabilis periculi, ne succumbendo liti, infamis sit, erit, inquam, arcendus ab Ordine, donec lis finiatur.

Debet tamen definiri tempus ad litem terminandam, ne adversarius nimis in longum eam trahat, ut rectè notat Sayrus, *de Censur. lib. 6. capit. 14. numero 8.*

5. Inquires: Si quis, dum est in officio publico, ordinetur (sanè cum peccato gravi, quia prohibitio de re gravi est) licitene poterit Sacras functiones peragere, & in officio persistere.

6. Respondeo, nequaquam cum Sayr. *loc. cit.* & Tolet

let *lib.1.cap.3.* cum enim hîc, durante officio, vel obligatione ad ratiocinia, sit irregularitate irretitus, liber non erit, ut possit accedere ad altare: quicquid dicat Bonacina *de Censur.d.7.q.2. p.4.n.3. V. Tertio in oblig.* inducens quemdam Textum, qui, si penetretur, id non dicit. Imò, si quis nondum absolutus à ratiociniis initietur, debent illius bona tradi creditoribus. Quod si ea non sufficiant, reliqua tenebitur Episcopus, qui illum initiavit, si id scienter fecerit, compensare. Lege Sayr. *l. c.* Vgol. *de Irreg.c.58. §.1. n.9.*

7. Quod si administratio, vel obligatio ad ratiocinia superveniat jam legitimè ordinato, inferetne irregularitatem.

Respondeo. Non inferet, quia jura semper loquuntur de eo, qui Ordinem non habet, prohibentque, ne quis ordinari possit: At nihil loquuntur de jam ordinato. Ita Vgol. *irreg.l.c.num.8.* Innoc. *c.unic.de obligat. ad ratiocin.* & alii.

### §. II. *Quomodo cesset irregularitas.*

1. CEssabit sine dubio, si dispensetur quis à potente hanc dispensationem concedere, de quo, mox. Verum alio item modo, quasi ex natura sua cessabit, si primo, officium deponatur. Secundo, si reddatur ratiocinium, vel saltem præstetur pignus, seu fidejussio, qua quis administrationis rationem se redditurum promittat, vel in causa motæ litis ratiocinii causam assumit. Tertiò, si quis bonis cedat, eo modo, quo non reddatur infamis, quod certum est in Clerico confugiente ad remedium capitis *de solutio.* Odoardi, ob quod non incurritur infamia, neque mendicitas. Ita Suar. *d.51. de cens. sect.5.n.26.*

### §. III. *Quis dispenset in irregularitate ex officio, vel obligatione ad ratiocinia?*

1. NOn nisi Summus Pontifex, dum durat Officium, vel dicta obligatio, iis enim non durantibus, jam cessare irregularitatem, diximus modo. Episcopum non posse, certum est, quia hæc potestas nullibi ipsi concessa est.

## CAPVT XX.

### *De Irregularitate orta ex Paupertate.*

### §. I.

1 TAmetsi paupertas propriam irregularitatem nequaquam pariat, quia tamen hominem non solemniter in Religione professum impedit ab ordinibus, præsertim Majoribus; ideo de ea hîc nonnulla sunt asserenda. Nonnulla, inquam, plura enim de ea diximus, cum de patrimonio ordinandi locuti fuimus. Hic igitur notanda sunt tantummodo quatuor.

2. Primò, pauper in hac materia ille dicitur, qui congrua sustentatione caret. Quare, si quis locuplete gaudens patrimonio, ita tamen ære alieno gravatur, ut eo pro creditoribus subducto, ipsi non remaneat, quo honestè vivat, pauper est, non ad ordines admittendus. Ita Suar. *de cens.d 51.sect.3. num.25.* Filliuc. *tr.19.cap.7. num.200.* at, si condonationem à creditoribus habeat, vel commoda sustentatione servata; reliquis bonis cedat, modo non inducente, pro consuetudine regionis, infamiam, seu notabile dedecus, ad ordines admitti utique potest, ut dixi *cap. præced.*

3. Si quis, modo dicto pauper, ordinetur, peccare mortaliter diximus cum de Ordine: at si jam (esto cum peccato) initiatus fuit, Inquires primo, an licitè, durante paupertate, Ordinem exerceat, Missam v. g. celebrando? Secundo, an incurrat celebrando, aliquam pœnam?

4. Respondeo. Ad primum, puto illicitè moraliter celebrare. Sicut enim, qui ante ætatem scienter promoveri se sinit, peccat celebrando, nondum adveniente perfecta ætate, quia, ut alibi supra diximus, irregularitas, quæ prohibet hominem promoveri, prohibet, ne sic promotus ante dispensationem susceptum ordinem exerceat: ita in casu, de quo agimus. Neque, dicas si promotus cum patrimonio illud amittat, non prohiberi Missam celebrare; ergo, nec debere prohiberi, prædictum non habentem patrimonium: ne id dicas, inquam, nam, præterquam quod, si illicitè amittat, saltem ab Episcopo est arcendus ab altari, donec sufficienter patrimonio fulciatur; certè est manifesta disparitas; ille enim initiatus fuit, existens in paupertate, atque adeo cum impropria irregularitate, hic vero fuit initiatus cum sufficienti patrimonio, atque adeo non cum irregularitate.

5. Ad secundum. Non invenio aliam pœnam in jure communi.

### §. II. *Qui dispensat in Irregularitate orta ex paupertate?*

1. CErtum est primò, Pontificem dispensare posse, ut pauper promoveatur.

2. Certum est secundo, non posse Episcopum, propter rationem toties dictam, quia inferior Papa non potest dispensare in legibus juris communis.

3. Certum est tertio, tunc solum posse Episcopum admittere pauperem ad Sacros Ordines, quando de Beneficio, vel alimentis illi provideat. Sed hoc non est dispensare in paupertate, sed paupertatem tollere.

## CAPVT XXI.

### De Irregularitate orta ex defectu ætatis Remissive.

### *Et quisnam in illa dispenset?*

1. DE hac latè diximus *in tr. de ord.cap. 6. ibid. c.12. n.16.* addidimus, eum, qui ante requisitam ætatem se initiari permittit, incidere in suspensionem, unde, si ante dictæ suspensionis dispensationem ordinibus utatur, incidere in irregularitatem, ut habuisti in superioribus cum *de irregul.* ex violatione censuræ *c.14. §.3.*

2. Remanet igitur hîc, tanquam in suo loco, indicare, quo modo tollatur ejusmodi ætatis defectus.

3. Breviter, amovetur duobus modis. Primo, ipso temporis decursu; adveniente enim definita ætate, jam evolat irregularitas ex ætate procedens. Averte prædictam suspensionem contractam ab eo, qui ante ætatem se initiari permittit, & prædictam irregularitatem, quam fortè contraxit exercendo ordines cum suspensione, nunquam tolli, nisi per legitimam dispensationem, ut rectè notat Valentia, *t.4. d.19. p.6. §.2.* & Sayr. *de censur. l.6. cap.12. n.12.*

4. Secundo, amoventur per dispensationem, non nisi à Pontifice concedendam, tum, si quis promoveri ad Ordines velit; tum, si velit in iis ministrare ante ætatem requisitam; Cum enim *ibid. n.7.* Castropal. *de censur.disput.6.part.11. n.2.* aliique; Regula Generalis alia dicta sit, ut Irregularitas, quæ susceptionem Ordinum impedit, eadem impediat usum eorumdem, debebit etiam ad ministrandum ante ætatem, tibi, quamvis Ordinato, accedere dispensatio potentis eam concedere, qui unus est Pontifex, cùm Episcopis nihil circa hoc concessum habeatur in Jure.

## CAPVT XXII.

*Summa Prædictorum.*

1. ENodatis jam omnibus Capitibus, unde oritur irregularitas, operæpretium est, ea hîc uno intuitu collecta rescribere, eo prorsus ordine, quo in præcedentibus à me sunt explicata. Sunt autem decem & octo.

1 *Corporis Infirmitas.*
2 *Mentis Alienatio.*
3 *Vitium Corporis.*
4 *Sexus Fœmineus.*
5 *Servitus.*
6 *Infamia.*
7 *Novitas in Fide.*
8 *Defectus Scientiæ.*
9 *Prava Baptismi susceptio.*
10 *Mala Ordinis usurpatio.*
11 *Homicidium.*
12 *Mutilatio.*
13 *Bigamia.*
14 *Natalium defectus.*
15 *Hæresis.*
16 *Obstrictum esse ratiociniis.*
17 *Paupertas.*
18 *Ætas Puerilis.*

2. Quæ his quatuor versibus, rudibus sanè, sed ad memoriæ compendium accommodatis colligare volui.

1 2 3 4 5
*Infirmus, Demens. Vitiatus. Fœmina Servus.*
6 7 8 9
*Infamis. Novus. Ignorans. Baptismate peccans.*
10 11 12 13 14
*Ordine vè. Occidens. Mutilãs. Bigamusq; Nothusque.*
15 16 17 18
*Hæresis. Obstrictus. Pauper. Puer, exulat Aris.*

## CAPVT XXIII.

*De cessatione Irregularitatis.*

1. IN præcedentibus locuti sumus sæpè de ejusmodi cessatione, sed in particulari prout se se obtulit occasio, deinceps aliqua peculiaria capita, ex quibus irregularitas cessare posset, sunt expendenda.

Et sanè de quatuor solet esse tractatio, ex Baptismo, ex ingressu in Religionem, ex cessatione causæ, ex dispensatione. Nam de quinto, puta, ex assumptione ad Summum Pontificatum, dixi supra *cap.2. n.2.*

### §. I. *Ex Baptismo.*

1. AIo primo, irregularitatem ortam ex puro defectu, & sine culpa (excipiam modo *num.4.* ortam ex defectu lenitatis) non tolli à Baptismo. Quare Bigamus, Illegitimus, Deformatus corpore, &c. etiam post Baptismum Irregularis est, quia Baptismus solum culpam, & deformitates ex illa pendentes diluit. An aliqua Bigamia, quæ oritur ex delicto deleri per Baptismum possit, vide Gibalin. *de irreg. cap.6. q.2.n.6.* Avilam, & Henriq. ab eodem citatos, aliosque.

2. Aio secundo, Irregularitatem, quæ ortum ducit à delicto, aboleri à Baptismo, nec illam solam, quæ immediatè à delicto est, irregularitatem, v. g. ex homicidio injusto, sed etiam, quæ mediatè, qualis est ea, quæ oritur ab Infamia commissi delicti. Hæc est melior opinio, quam tradit Glossa, *in C. Siquis omnem prima quæst. n.67 C. deinde d.26.* Gibal. *loc.cit.* Maiolus *de irreg. lib.1. cap.1. num.8. Reg.13.* confirmatque Gibal. aliique. Sicut enim delictum, ita & ejus infamia Baptismo deletur; quia per ipsum, tum peccatum deletur, tum ejus pœna. Aliam viam idem confirmandi init Suar. *de cens. d.4. sect.3. n.2.* Tol. *loc.cit.* Sayr. *de cens. lib.6.c.3. n.27.* Comitch. *de Sacr. disp.18. dub.8. n.59.* Farin. *in frag. V. irreg. n.416.* cum aliis, fortasse expeditiorem; ait enim non baptizatum ob quod committentem delictum v. g. occidens alium injustè, non incurrere irregularitatem, quia jus Ecclesiasticum non ligat eos, qui extra Ecclesiam sunt.

3. Aio Tertio, cum Diana *p.4. tr.2. res.51.* Tolet. *l.c. cap.31. n.3.* Henr. *lib.14. cap.11. n.2.* Maiolo *de irreg. lib.1. cap.11.* contra aliquos relatos à Covarr. *in Clem. Si furiosus p.1. §.7. n.5.* Sayr. *de cens. loc.cit.* Gibal. *loc.cit. n.6.* Irregularitatem ex defectu lenitatis auferri à Baptismo, quid neget Hurtadus *de irregul. d.2. n.63* apud Dianam *loc. cit.* cum Vgolino. Ratio est, quia cum per Baptismum homo constituatur nova creatura, merito Ecclesia disposuit, ut ille expurgaret horrorem, qui ex sanguinis effusione in occisore concipiebatur. Ne igitur argumenteris sic: Per Baptismum non tollitur irregularitas Bigamiæ, quæ est ex defectu significationis Sacramenti, ergo neque irregularitas defectu lenitatis, quæ est ex defectu significationis lenitatis, quæ fuit in Christo: ne, inquam, sic argumenteris; in iis enim, quæ sunt ex voluntate Legislatoris hic modus argumentandi non valet. Aliam magis eruditam solutionem tradit Glos. *C. deinde d.26 V. Inter pec.* quam si lubet apud ipsam lege.

4. Contrahens tamen irregularitatem, imò & quodlibet impedimentũ, in susceptione ipsa Baptismi, non juvatur ab ipso Baptismate, quia non debet ab Ecclesia expectare favorem, qui contra Ecclesiæ leges agit. Quinq; si quis extra necessitatem baptizaretur scienter ab hæretico, non evitaret Canonicum impedimentum irregularitatis, quod in ea susceptione contrahit. Lege citatos.

5. Quid denique dices ad sequentem casum? Petrus nondum Baptisatus propinavit Caio venenum, deinde Sacro Baptismate ritè lotus est. Sed accidit, ut, post susceptum ab ipso Petro Baptismum, Caius ex assumpto veneno moreretur: eritne Petrus tunc irregularis?

6. Respondeo. Erit utique, quia occisio tunc parit irregularitatem, quando homo moritur, sed in casu proposito Caius mortuus est, quando Petrus, ob Baptismum susceptum jam erat subditus Ecclesiæ; ergo, &c.

### §. II. *Ex professione solemni Religiosa.*

1. PEr hanc Professionem, nullam de jure irregularitatem deleri, tenendum est, præter eam, quæ est ex defectu Natalium eo modo, quo suo dictum est loco.

2. De consuetudine, quisque videat: quid in sua Religione sit legitimè introductum? In qua re duo sunt explorata. Alterum, Religionis ingressum reddere facilem irregularitatis dispensationem. Alterum, dictam legitimam consuetudinem, si qua in Religione est, esse servandam. De qua sic habet Suar. *de cens. d.41. sect.1. n.3. fin.* Vbi fuerit talis consuetudo (loquimur autem de consuetudine, qua, quis liber intelligatur ab omni irregularitate) retinenda est, quia licet per se sola non valeat dare jurisdictionem; est tamen sufficiens signum potestatis concessæ, etiam si fortasse tunc de expresso privilegio non constet. Hæc Suarez.

### §. III. *Ex cessatione Causæ.*

1. DIxi sparsim de hac in superioribus. Nunc breviter hæc habe compendiosius. Non est hic quæsito

quæstio de irregularitatibus omnibus,an eæ cessent, cessantibus causis,sed de aliquibus,quæ actu pendent à sua causa. Irregularitates ergo ex Bigamia, homicidio, hæresi,illegitimo Natali, & similes hîc locum non habent; hæ enim semel contractæ à suis causis amplius non dependent,unde ex se sunt perpetuæ, nisi accedat legitima dispensatio.At irregularitates ex defectu ætatis,scientiæ, libertatis,sanitatis,& similium, cum pendeant ab actuali dicto defectu,eo amoto statim cessant,& ipsæ.Lege Suar. Sayr. aliosque citatos.

2.Quid,si cesset lex irregularitatis? Explico. Est certa lex in Ecclesia;ut qui occidit aliquem injustè, sit irregularis. Fac ergo Summum Pontificem hodie statuere, ut non sit irregularis ille, qui hominem injustè occidit, Inquiro,an sicuti non futurus sum irregularis, si in posterum occidam aliquem,sic liberet ab irregularitate, quam contraxi ex homicidio, quod commisi, priusquam hæc nova lex constitueretur?

3. Respondeo, esse id ex verbis legis definiendum; si enim lex hæc loquatur in futurum,ut scilicet in posterum non incurratur ex occisione irregularitas, non cessabit irregularitas,antea contracta.Sicuti,si Pontifex nunc statueret, *ne amplius contraheretur excommunicatio à percutiente Clericos*, non propterea non remaneret excommunicatus,qui ante hanc abrogationem Clericum percussit.

4. Si vero lex loquatur, etiam de præterito, in hunc ferè modum. *Desinio, ut irregularitates ex occisione contractæ non habeant amplius vigorem*, cessabit irregularitas antea contracta,seu melius Pontifex dispensare tunc censebitur contractam irregularitatem.

5. Si denique dubia sint verba legis, num ea se extendant ad abrogandas antecedentes irregularitates, tunc (salvo meliori judicio) puto, eas cessare. Hujus dicti,in quo est difficultas,ratio esse posset, quia in hoc casu, benignior legis interpretatio debet eligi: agitur enim de abrogatione legis pœnalis, qua lege pœnali ablata restituitur homo primævis juribus,ut non reputetur indignus altari. Posita autem hac benigna,& probabili interpretatione, jam non est amplius dubia lex. Aliquid in hanc rem invenies, si legas Suar. *de cens. d.* 41. *sect.*1.*n.*7.Bonac.*de cens.d.*7.*q.*5.*punct.*1.*à n.*2. Fill.*tr.* 20. *cap.* 10.

## §. IV. *Ex dispensatione.*

1. DE hac per occasionem plura,ferè quæ scitu sunt necessaria,dixi in præcedentibus, quibus,ut aliquid hîc agamus, adde duo.

2. Primum. Si quis irregularis assumatur ad Summum Pontificatum, statim in eo cessat omnis irregularitas juris humani: ejusmodi enim assumptio est equipollens Dispensatio. Similis etiam dispensatio æquipollens, seu implicita esset, si Pontifex,sciendo, te esse irregularem, in circumstantia, in qua judicetur Pontifex tuæ irregularitatis memor, te invitaret ad Missam celebrandam, &c.

3. Secundum. Ecquibusnam verbis expediet dispensator ipsum actum dispensandi?

Respondeo, nullam præscribi formam verborum: certum est tamen,saltem,ut de dispensatione constet, aliqua esse verba externa proferenda, illam quomodocunque significantia.

4. Formulas, quibus solet Pontifex dispensare habes latè apud Corradum *de praxi dispens. per totum*. Formulas autem quibus delegatus commissam sibi dispensationem expedire possit, ponit Glian. *in prim. cens. V. irreg. n.* 22. in sequentem modum.

*Auctoritate mihi à* (N.) *tradita dispensu tecum super irregularitate, quam contraxisti ob tales, vel tales causas* (eas tunc exprimet) *& habilem reddo, & te restituo executioni Ordinum, & Officiorum tuorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Si dispensandus nullum habeat ordinem,sic dicat dispensans:

*Habilem te reddo,ad omnes Ordines suscipiendos, &c.*

5. Quod si necesse sit titulum Beneficii restituere, & fructus male perceptos, juxta suo loco dicta restituere, sic addat.

*Et restituo tibi Titulum, seu Titulos Beneficii, seu Beneficiorum, & condono fructus malè perceptos. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen.*

6. Tertium. Qui pluribus irregularitatibus aggravatur, plures v.g.occidit juxta supra dicta *cap.* 15. §. 10. *à n.* 14. Vel cum diversis censuris ordinem exercuit juxta dicta *cap.* 14. §. 3. *à num.* 8. Vel est pluries Bigamus juxta dicta *c.*16 §.2.*n.*1.debetne Pontifici exponere, se tot, talibusque irregularitatibus inficiun satis sit, absolutè dicere, se esse irregularem?

Respondeo. Quamquam non ignoro, hoc posterius ab aliquibus affirmari, tamen tibi Auctor sum, ut singulas, earúmque qualitates exprimas distinctè, secus te semper scrupulis, & perplexitatibus divexatum plorabis. Lege de tota hac quæstione Dianam,*part.* 11. *tr.* 6. *resol.*44.ad quam etiam facit, quod ego in superioribus dixi *c.* 17. §. 4. *n.* 16.

TRACTA

# TRACTATVS DE BVLLA CRVCIATÆ.

## CAPUT PRIMUM.

### Præmittuntur aliqua de natura Privilegiorum Bullæ.

#### §. I. *Quid, & quotuplex sit Privilegium.*

1. DIFFERT propriè loquendo Beneficium à Privilegio, quamvis utrumque sit à Principe benignè concessum: fateor tamen aliquando confundi. Beneficium enim est gratia, seu facultas à Principe collata, seu data, præter, non vero contra jus positivum: Privilegium vero est facultas faciendi aliquid, vel aliquid omittendi, non tantum præter, verum etiam contra idem Ius, hoc est contra leges Canonicas, vel jura Civilia. Ita communiter Doctores ex Abbate *c. olim de verb. sign.*

2. Porrò privilegium, aliud est Reale, quod scilicet conceditur certò generi Actionis, vel causæ vel Negotii, vel Loco, vel Dignitati: quale est v. g. Privilegium Prælationis, quod concessum est pro expensis funerum, vel mutuum dantis Navis v.g. refectionem, &c. Ita Azor. *lib. 5. c. 22.* vel donantis aliquid Ecclesiæ, vel Episcopo, ut Episcopo, &c.

3. Aliud Personale, quod conceditur personæ, ratione ipsius personæ, ipsique immediatè adhæret. Quale est v.g. quod conceditur alicui individuo, Petro v. g. &c.

4. Aliud Mistum, quod partim est personale, partim Reale, quod nimirum conceditur quidem alicui individuo, sed ratione ætatis v.g. vel sexus, vel ex certa & determinata causa. Quale est v. g. datum minoribus 25. annis, ut in integrum possint restitui, ut fidejubere pro alio, vel obligationem suscipere nequeant.

5. Subdividitur autem personale: nam si sit concessum singulari personæ tantum, vocatur in jure absolutè Privilegium. *Ex cap. volentes, de off. legati.* Si vero sit concessum personis, non ut singulis, sed ut conflantibus unum corpus morale, hoc est, unam communitatem, dicitur Privilegium Corporale.

6. Rursus hoc corporale subdividitur, habet enim duas species. Si enim conceditur ita communitati, ut descendat ad singulas personas, hoc est, ut singulæ sunt, & ut membra talis communitatis possint uti illo Privilegio, vocabitur Privilegium corporale personale, & hujusmodi sunt multa concessa Religiosis, Clericis, Militibus, Scholasticis, & similibus. Si vero ita communitati conceditur, ut ipsa sola communitas uti eo Privilegio possit; dicitur Privilegium purè corporale; & hujusmodi sunt, quæ conceduntur Capitulis, & similibus in electionibus faciendis, atque in actionibus à tota communitate, v. g. à Senatu, à Congregatione, seu Concilio expediendis. Atque hoc Privilegium, quia respicit dignitatem ipsam, nempe ipsam unionem multorum vocatur ab aliquibus, ut notat Salas *de leg. tract. 14. d. 17. sect. 2.* Privilegium Reale. Alias Privilegiorum divisiones vide apud Sylvest. V. Privilegium, apud Castr. *tom. 1. tract. de Privil. Initio*, & passim.

#### §. II. *Privilegia Bullæ Cruciatæ cujus sint generis?*

1. DIcendum est, cum Henriquez, Rodriquez aliisque passim *in tr. de Bulla*, esse personalia absoluta. Ratio est manifesta ex dictis. Ea enim sunt à Pontifice concessa determinatis personis utriusque sexus, idque ad finem peculiarem excitandi Fideles ad propugnandum, vel ad precandum, vel ad erogandam eleemosynam contra Infideles. Nam propterea hic potes describere Bullam Cruciatæ. *Est diploma, seu Scriptura Summi Pontificis, continens aliqua Privilegia, quæ ipse concedit Fidelibus cooperantibus, sive per pugnam, sive per preces, sive per eleemosynam, ad extirpandos Infideles.*

2. Dicitur autem (Bulla) quia vox hæc *Bulla* significat (quantum ad nos facit) sigillum pendens ex literis Apostolicis, atque adeo per figuram Synecdoches, sumitur pro ipso toto Diplomate.

3. Dicitur præterea *Cruciatæ*, quia olim Bulla hæc concedebatur militibus, qui signo Sanctæ CRVCIS insigniti ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Vrbano II. & in Concilio Lateranensi sub Iulio III.

4. Ex eo, quod sint personalia ejusmodi Privilegia, sequitur durante Concessionis anno, te Bullam hanc retem posse ejus Privilegiis frui, quocunque te conferas, etiam extra Regnum, in quo ea promulgatur, quia Privilegium personale adhæret personæ, *ex Reg. 1. de Reg. Iuris in 6.* Excipe Privilegium eiborum prohibitorum quo etiam occultè, & sine scandalo uti non potes extra Regnum; quia, ut infra dicemus, id expresse prohibetur.

#### §. III. *An plenè, an strictè sint Privilegia Bullæ interpretanda?*

1. COmmunis est Doctrina, Privilegia, quæ sunt contra jus commune, hoc est, quæ concedunt aliquid, vel omitti aliquid, quod alias erat ex jure faciendum, vel omittendum, debere strictè interpretari, quia (ut loquimur, & egregiè declarat Tiraq. *in l. si unquam V. libert. n. 19.*) quod exorbitat, hoc est, quod te liberabit à communi Iure, odiosum est, atque adeo quantum fieri potest, restringi debet, ne Ius, quod propter bonum commune latum est, corruat cum communis boni damno.

Contra, Beneficium Principis propriè acceptum, quia (ut vidimus) non est contra jus commune, debet latissimè interpretari, cum Beneficia Principum supponantur ex liberalitate Principe digna, hoc est, magna, profici. Excipe (ut ex se patere debet) nisi sit in præjudicium Tertii, hoc enim semper vitare velle, putant princeps.

2. Ex hac ergo doctrina sequitur, Bullæ Privilegia, cum pleraque ex illis vulnerent jus commune, quale est v. g. illud de lacticiniis comedendis quæ non esse comedenda diebus vetitis, præcipit jus, sequitur, inquam, strictè esse interpretanda.

3. Et certè ita absolutè sustinet Sanch. *lib. 8. de Matrim. disp. 2. num. 7.* cum multis de omnibus Bullæ Privilegiis, estque hæc sententia satis probabilis quam etiam sequitur Barb. *in Bull. Cruc. p. 1. tr. 1. cap. 5.* Nam præ-

pro-

per Indulgentias, quæ conceduntur in Bulla. Pœnitentialis satisfactio,& rigor Ecclesiasticæ disciplinæ facilè potest occasione Indulgentiarum enervari. Secundò, electio confessarij, posse interesse sacro tempore interdicti, usus lacticiniorum diebus prohibitis, & similia privilegia Bullæ sunt contra ius commune atque adeo odiosa, ergo strictè sunt interpretanda ex dictis *num.* 1. Tertiò, quia partem discordare à toto, odiosum est, sed id contingit per privilegia Bullæ, ergo, &c.

4. Andreas autem Mendo *d.* 1. *Elucid. Bull. Cruc. à n.*46. & rursus contra Bardi *in App. d.* 1.*cap.*1.Dianam, aliosque citans,sustinet,esse ample interpretanda;estque hæc item sententia satis probabilis.Et quoad indulgentias,eam docet etiam Suar.*de pœn.q.*62.*sect.*5.alique,nam primo quoad has indulgentias, illæ sunt beneficium principis, ergo cum sint sine præiudicio tertij, non est unde sint limitandæ:Neque eædem sunt contra ius ullum; ipsæ enim ita commodum Fidelibus afferunt, ut nullum offendant;nam Deo integra fit solutio,& quandoquidem fit ex meritis infinitis Christi Domini, eiúsque auctoritate,nullum subest periculum,quo ea merita, hoc est, meritorum Christi Domini Thesaurus exhauriatur. Ecclesia item nullo pacto læditur, immò potius per acquisitas indulgentias purior, & in suis membris Deo gratior redditur.

5. Secundò, quoad privilegia continentia potestatem dispensandi vel commutandi,vel absolvendi, idem dici potest, per ea scilicet, nec lædi Deum, nec Ecclesiam.

6. Tertiò, quoad omnia Bullæ privilegia probatur. Nam privilegia & beneficia concessa à Summo Pontifice in favorem fidei, & religionis, quamvis exorbitent à iure, amplè esse interpretanda, meritò docet Azor. *lib.*5. *c.*23.*q.*2.& Suar.*q.*56.*sect.*2.quia debemus,quantum possumus fidei favere, ac iudicare, Pontificem idem amplissimè facere voluisse. Semper autem hic, & in similibus, intellige in iis, circa quæ Pontifex,vel princeps potestatem habet. At privilegia Bullæ omnia(ut modo diximus) sunt concessa,ut fideles excitentur, vel ad pugnandum, vel ad orandum, vel ad porrigendam eleemosynam contra infideles;ergo, cum sint in favorem fidei concessa, amplè sunt interpretanda.

7. Confirmatur, quia est probabilis opinio, quam tenet Henriq. *lib.*7.*de indulg.c.*22.§.11.*& c.*24.5. Sanch. *l.*8.*matr.d.*1.*n.*13.Salas *tr.*14.*d.* 17.*s.*6.aliique, privilegia concessa communitatibus Religionum in perpetuum latè esse interpretanda;cum enim communitati, & non uni personæ concedantur, favorabilia sunt iudicanda, quia æquiparantur legibus, perinde ac incerta essent in corpore iuris: bono enim communi expedit, ut multa privilegia concedantur religionibus, ut iis beneficiis illecti Fideles, eas promptius amplexentur. Probabile item est idem debere sentiri. (ut sentit Salas *l. c.n.*13.citatus)de privilegiis concessis in favorem causæ piæ.Unde Azor.*l.c.*id extendit ad concessa in favorem personarum miserabilium.

Si hæc igitur sunt probabilia, cur non erit item probabile id quod asserimus de Bullæ privilegiis, quæ sunt concessa communitati Fidelium existentium sub dominio Regis Catholici,eaque in favorem fidei,quæ est omnium causarum piarum excellentissima.

8. Rationibus in contrarium allatis *num.* 3.respondeti potest, vel multa privilegia Bullæ non esse odiosa,cum non sint contra ius, vel esto sint contra, ideo non sunt vocanda odiosa,quia vincit favor fidei,vel illa alia capita *numero præcedente* indicata; unde potius sunt dicenda favorabilia.

Vtraque ergo sententia probabilis est, amplectíque tuto potest.

## CAPVT II.

*Dispositio tractandorum*

1. Svmmarium Bullæ Cruciatæ, quam nos explicandam suscipimus,invenies apud Ludovicum à Cruce in expositione huius Bullæ ipso initio libri: ut etiam ibidem invenies ipsam Bullam originalem,quam vocant Plumbeam seu Latinam,eandem etiam habes apud Mendo *disp.*1.

2. Iam vero in eius prima clausula conceditur indulgentia iis, qui personaliter ad pugnandum contra infideles se conferunt.

3. In secunda conceditur eadem indulgentia iis, qui alios mittunt contra eosdem.

4. In tertia conceduntur, præter dictam indulgentiam, aliqua alia privilegia clericis,& regulatibus, qui exercitum contra infideles comitantur.

5. In quarta.& sequentibus clausulis conceduntur indulgentiæ, & alia privilegia iis, qui eleemosynam contribuunt ad prædictum finem.

6 Nos ergo,omittendo primam,secundam, & tertiam clausulam, quæ ad nos hodie non pertinent: incipiemus à prædicta quarta,& deinde cæteras,suo ordine, Deo favente, prosequemur.

### CLAVSVLA IV.

*Item conceditur omnibus prædictis, hoc est, Christi Fidelibus consistentibus, & declinantibus in hoc Regnum (nec non iis,qui nec ibunt,nec mittent, si intra dictum annum, ex bonis sibi à Deo collatis, in hanc expeditionem pro religionis defensione liberaliter contulerint, ut dicto anno durante, possint frui sequentibus privilegiis.*

## CAPVT III.

*Explicans prædictam quartam Clausulam Bullæ Cruciatiæ quoad priores partes Clausulæ.*

### §. I. *A Christi fidelibus.*

1. Dvbitari potest.Primò,de Hæretico externo. Secundò,de merè interno. Tertiò,de Schismatico. Quartò, de Cathecumeno, nam fidelis baptizatus, sine ulla dubitatione, etiamsi sit in statu peccati, mortalis, vel etiam si sit excommunicatus vitandus validè Bullam sumit.Lege Castrop. *de Bull. Cruc.disp. unic.p.* 2. *n.*12. & 13. multos citantem, quicquid alij dicant in oppositum.

*Hæreticus externus.*

2. Hic nullo potest Bullæ privilegio gaudere sive sit externum publicè sive occultè,patet,quia non est ex iis, ad quos dirigitur Pontificis concessio.

3. Illud concedimus, si quis cum sit baptizatus, incidat in hæresim externam, sed deinde ipsum pœniteat commissi delicti, velitque redire ad fidem, posse frui bullæ privilegiis. Neque id mirum,quia iam fidelis,tunc actu est, posito quod hæresim abiuret, volendo ad fidem redire. Ita Trullench. apud Mendo, quem affert,sequiturque Mendo, *disp.* 4.*num.*14.& *rursus in App. d.*1. *num.*32.*fine.*

*Hæreticus merè internus.*

4. Hic probabiliter potest frui, probabiliter non potest, privilegiis Bullæ. Potest quia ex una parte, hic est baptizatus, & ex alia solum internam hæresim Ecclesia non indicat, ergo neque privilegia, quæ aliis baptizatis

baptizatis concedit, illi negare præsumitur, ita sustinet Bardi *q. 1. tr. 2. c. 4. sect. 2.*

5. Non potest, quia non irrationabiliter quis asseverabit, illam vocem ( Fidelibus ) debere in Bulla sumi propriè, & strictè pro vere Fideli, qualis non est hæreticus internus, & ita sustinet Mendo *d. 14. n. 14. & rursus in Append. 1. num. 31.*

*Schismaticus.*

6. Purè Schismaticus hoc est, qui solum obedientiam Summo Pontifici exterpè negat, sed à nullo fidei articulo recedit ( si enim ab aliquo recederet, jam esset hæreticus, de quo iam hactenus locuti sumus ) fortasse primo aspectu, solum verbis bullæ ad litteram consideratis, posset uti privilegiis bullæ, quia sic jam est fidelis. Verum ego persuadere mihi nunquam potui, mentem Pontificis esse, ut velit favere per sua privilegia illi, qui ab ipso tam manifestè recedit, & rebellis est.

7. Adde, si quis Schismaticus sit ex illis, qui negant, hunc Summum Pontificem esse, putans id non esse articulum fidei, qua ratione valet ab eodem acceptare privilegia, quæ nonnisi à vero Summo Pontifice dimanare possunt? Id certè accidere potest, quando idem Pontifex est, qui Bullam concedit & idem, qui ab ejusmodi Schismatico repellitur. Ita contra Bardi merito discurrit Mendo *in Append. disp. 1. n. 32.*

*Cathecumenus.*

8. Hic nullis bullæ privilegiis potiri posse, certum judico cum Delugo *de Pœnit. disp. 27. num. 2.* aliisque quia Ecclesia nunquam, sive suas leges, sive sua privilegia dirigit ad illos, qui nondum lanuam per quam ingredimur in ipsam Ecclesiam, quæ est baptismus, ingressi sunt.

9. Dices at cum Suario, & aliis dictum à nobis est *in Opusc. de Sacr. Miss. lib. 2. §. 4.* probabile esse, quod Sacrificium Missæ applicatum cathecumeno, eidem prodest ex opere operato quoad satisfactionem, & impetrationem; ergo etiam proderit & bulla, sicut enim ibi applicantur merita Christi Domini, ita hic. Hoc modo, argumentatur contra nostram sententiam Henr. *l. 7. de Indul. c. 18. n. 3. & c. 20. n. 8.*

Respondeo. Quoniam multi non distinxerunt quæstionem, minus rectè huic paritati responderunt. Alia enim est quæstio, an possit Cathecumeno prodesse bulla, si ad alios ipsa à Summo Pontifice dirigeretur; alia an ad ipsos dirigatur, unde de facto profit. Prius ex his, esto, sit controversum; & ipsi faveat paritas ducta à Sacrificio Missæ. At ego dico, certum mihi esse posterius, hoc est cathecumenis bullam non prodesse ex illo capite, quod de facto Pontifex ad illos bullam non dirigit. Id quod colligo ex communitet contingentibus, quia nimirum ad solos baptizatos dirigit Ecclesia, & Pontifex suas leges, præcepta, privilegia, & similia, illisque solum profitetur favere, & solum cum illis loqui. At, quod Sacerdos particularis velit dirigere fructum sui sacrificii ad cathecumenum, jam te supponis. Quamvis igitur asserere possimus, Christum Dominum non excluisse cathecumenos, tum à fructu Missæ, tum à suffragiis Ecclesiæ, tum ab ejusdem privilegiis, quia jam sunt initiativè ad portas Ecclesiæ, & veluti initiativè fideles, & quidem externi; quia jam baptismum petunt, ( sicuti non excludentur Novitii à privilegiis Religionis licet nondum perfectè in illam professionem ingressi sint ) quamvis id asserere, inquam, possimus, tamen, quod de facto Pontifex, cui vices suas in terris Christus Dominus commisit, applicet prædictis cathecumenis bullæ privilegia, sicuti applicat novitiis privilegia religionis, & sicut applicat suam Missam iidem cathecumenis Sacerdos, nescimus; immò ex consuetudine Ecclesiæ se semper dirigentis ad baptizatos, scimus non applicare. Ita mihi hac super re discurrendum esse videtur.

*Infantes, Amentes.*

10. Infantibus, & perpetuo amentibus, multo magis phræneticis prodest Bulla Cruciatæ, si quis pro ipsis dum eleemosyna, illam sumat. Ratio est, quia Pontifex generaliter omnibus Fidelibus sine distinctione ætatis, vel conditionis eam concedit, & ex alia parte illi, cum sint Christiani, censentur virtualiter petere ea, quæ ad salutem animæ illis sunt utilia. Ita Trullench. *lib. 1. cap. Dec. §. 1. dub. 6.*

11. Proderit autem his bulla, ut tempore immediate sepeliantur in loco sacro cum moderata Pompa, ut tuta suo loco posse, per bullam, dicitur. Proderit item puero, postquam usum rationis acquisierunt; & amentibus, si fortè convalescent, proderit, inquam, ad indulgentias acquirendas, ad vota commutanda, ad absolutionem à reservatis, ad usum lacticiniorum, &c.

*Religiosi.*

12. Religiosos, vel Religiosas frui posse Bulla Cruciatæ privilegiis, si eam accipiant consueta eleemosyna, ( de qua mox, ) data certum sit. Præscindendo tamen Primò, ab usu lacticiniorum, de quo infra, & præscindendo: Secundò, à privilegio circa pœnitentiæ Sacramentum, de quo ego in opere de Sacramentis *lib. 5. de Pœnit. c. 5. §. 4. a n. 37.* satis egi.

13. Illud autem solum hic adnoto, Religiosos non indigere ad acquirenda bullæ privilegia consensu sui superioris, cum sit concessio data omnibus fidelibus à Summo Pontifice omnium Superiore. Sed nostros è Societate indigere propter ipsius Pontificis restrictionem factam nobis in nostris bullis, docet Bard. *in Bulla, p. 1. c. disp. 1. c. 5. fol. 167.* contra Andream Mendo *in Append. d. 1. cap. 13. & latius in Elucid. Bullæ p. 4. a n. 19.* Institutem, nostros è societate, æquè ac alios religiosos, non indigere consensu superioris ad omnes bullæ gratias acquirendas, præter ea, quæ pertinent ad Sacramentum pœnitentiæ, & ad modo dictum usum lacticiniorum: quidem Mendo *ibidem* explicat bullas Pontificias ( quas in contrarium affert Bard ) loqui solum de gratiis in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, non vero in ordine ad alias materias.

§. 11. *Consistentibus, & Declinantibus in hoc Regnum.*

1. CErtum est, non solum fixe commorantes in hoc Regno ( idem semper hic, & in sequentibus intellige de aliis regnis Hispaniarum Regi subjectis, ubi bulla promulgatur ) verum etiam existentes in illo transeunter, etiam per unum diem, immò, per unam horam, posse accipere & frui bullæ privilegiis, anno durante, tametsi hinc recedant, & deinde alibi, ubi bulla non promulgatur, sedem figant, excepto privilegio usus cibarum prohibitorum propter expressam prohibitionem, ut in superioribus indicavimus, & dicetur inferius. Id manifestè concedit Pontifex in illis verbis ( *consistentibus & declinantibus.* ) Ita expressè Barnabas Galleg. *in expos. Bull. Cruc. Cl. 1. dub. 5.*

2. Quid si externus declinet, seu perveniat solum in Portum v.g. Portum, unde mittat amicum, qui ipsi bullam accipiat, ipso in civitatem, immò in litus non descendente.

Respondeo, idem posse, quia Portus absolutè & strictè pro civitatis, seu regni. Idem puto, si quis absolutè declinet in sinum similem Portui.

3. Quid si ex mari vicino extra Portum, seu sinum? Respondeo. Mihi valdè scrupulosum est, tunc posse. Per mare enim, quamvis vicinum quis perveniens, civitatem mihi videtur, dici posse, quod declinet in regnum, & nonbiscum etiam sentit Mendo *in Append. d. 1. n. 26.*

*Graci.*

4. In hoc Sicilia regno sunt aliqua Græcorum oppida, quorum

quorum Incolæ ritu Græco viventes, tempore quadragesimæ, non solum abstinent, à lacticiniis, sed etiam ex suo ritu à piscibus sanguinem habentibus. Inquiro iam, an bulla iis (ut etiam quoad alia privilegia) prosit.

Respondeo. Tum quoad dictum privilegium de lacticiniis, tum quoad alia, prodest: quia etiam ipsi sunt fideles, & in hoc regno, ubi bulla promulgatur, commorantur, nec est unde ipsi excipi debeant. Quare virtute ipsius Bullæ, licebit illis commedere lacticinia, diebus vetitis, & per consequens, immo potiore ratione, pisces sanguinem habentes, privilegium enim concedens lacticinia, multo magis concedit pisces cuiuscumque generis, qui magis distant à carnibus, quam lacticinia. Ita Bardi *in Bul. par. 3. tr. 1. c. 2. sect. 1. n. 2. in 2. edit.*

### §. III. *Ex bonis sibi à Deo collatis liberaliter contulerit.*

1. TAmetsi in hac clausula non decernatur, quanta debeat esse eleemosyna porrigenda ab eo, qui bullam sumere intendit, quia tamen Pontifex concedit, eam debere decerni à Commissario, ideo eius taxæ standum est. Verba Greg. XIII. à subsequentibus Pontificibus confirmata hæc sunt. *Item conceditur facultas commissario, ut dictam subventionis quantitatem à Fidelibus, ut prædictur, pro Vivis, & Defunctis, iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem, arbitrari possit.*

2. At vero, quantum ipse decrevit? Respondeo. Pro Indis, & Hispanis in India degentibus, pro quibus maior quantitas decreta, vide Trullench. *lib. 1. in Bull. §. 1. dub. 2.* Pro nostris regionibus (id quod scire, ad nos pertinet) Commissarius decrevit sequentem realium taxam. Ita Trullench. *ibid.* Scito autem realem unum valere unum tarenum monetæ Siculæ, & grana quatuor cum eiusdem grani quarta.

3. Pro Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Inquisitoribus, dignitatibus, & pro insignibus quibusdam personis, quas mox indicabimus §. 7. *n.* 4. eleemosyna pro bulla vivorum est octo Realium Castellanorum, hoc est monetæ Siculæ, decem tarenorum, & granorum decem.

4. Pro communibus personis: pro eadem vivorum bulla, est eleemosyna duorum realium, hoc est monetæ Siculæ tarenorum, duorum & duodecim granorum cum dimidio.

5. De eleemoyna danda pro bulla lacticiniorum, quæ Sacerdotibus favet, dicam infra *c.* 8. §. 5.

Vt idem danda pro bulla defunctorum, dicam *c.* 15. §. 2. *n.* 8. Et pro bulla compositionis *c.* 26. §. 6.

His prælibatis multæ sunt dubitationes hic enodandæ, quas in sequentibus §. iam soluimus.

### §. IV. *An ex bonis furtivis, vel usurariis dari eleemosyna possit pro Bulla.*

1. QVoniam Bullæ tenor habet, *ut ex propriis bonis eiusmodi eleemosyna porrigatur* dubitabis, quid si ex bonis furtivis? hoc autem nomine intelliguntur hic etiam usuraria.

2. Respondeo. Doctores fere communiter (præter unum Rodriquez ap. Galleg. mox citandum) loquentes hac de re, Acosta, Vega, Trullench. Bardi, Mendo, Macedo, Escobar, Diana, quos citat, sequiturque Gallegus, *in Bull. c.* 14. *dub.* 182. absolute, & sine ulla distinctione docent furtiva pecunia sumi bullam non posse: quia disertis verbis dicit Pont fex (ex bonis sibi à Deo collatis.) Adde hanc debere esse eleemosynam: sed ex D. Thoma, 2. 2. *q.* 32 & communiter, consitere eleemosyna ex bonis alienis, non potest.

3. Vt hæc doctrina explicatius habeatur, sic distinguendum est. Si fermo sit de ipsa pecunia in individuo furtiva, quando fur aliam propriam non habet, certa est prædicta doctrina proper rationes optime iam allatas.

4. At vero quando fur aliam habet propriam quam posset dare pro bulla, ipse tamen pro bulla furtivam det, valebit bulla, quia tunc materiale quid est, dare hanc furtivam cum iam cum illa fiat eleemosyna æquivalenter. Ita Bardi *in Bull. p. 2. tr. 1. c. 1. b. sect. 3. a n.* 18.

5. Præterea si loquamur de pecunia furtiva, quæ fuerit immixta cum alia propria furis, ita ut discerni nequeat, cum iam illa transierit, propter illam unionem & mixtionem, in dominium furis (ut dixi *in libris decalogi, tr. 3. c. 3. §. 4. n. 3.*) potest utiliter ex illa dari eleemosyna, remanente semper ipsi furi onere restituendi id, quod inique abstulit. Si ergo ex illa facere eleemosynam valide fur potest, valide consequenter cum illa bullam accipiet, unde & illius privilegiis fruetur. Ita Mendo *in Bull. d. 4. c. 1. n. 6.*

6. Huc facit casus sequens. Titius furatus est v. g. decem bullas à depositario, easque distribuit fidelibus, sive pro eleemosyna ordinaria duorum realium, sive minus, retenta pro se pecunia, inquiro an fideles, qui data ea eleemosyna accipiunt bona fide bullas, utiliter accipiant.

Respondeo accipere inutiliter, quia bullæ privilegia conceduntur sub conditione eleemosynæ dandæ Regi in subsidium belli contra infideles, quæ eleemosyna hic non adest. Vnde licet, dum bona fides durat possint dicti fideles vesci v. g. lacticiniis, tamen cognita veritate, non poterunt. Quod si bona fide absoluti fuere à reservatis, esto propter bonam fidem absoluti ab ipsis inde rectè fuerint, at re cognita, debebunt eiusmodi pœnitentes de iisdem reservatis directam à legitimo confessario absolutionem obtinere. De his absolutis bona fide vide multa à me dicta *in lib. de Sacr. l. 5. de Pœnit. t. de Cas. res. c. 12. §. à n.* 7.

### §. V. *An ex pecunia habita ex turpi lucro.*

1. MEretrix v. g. habens pecuniam ex meretricio, potestne cum hac, bullam utiliter accipere?

Respondeo, Potest: quia quamvis illa peccaverit, dum eam, medio peccato, lucrata est, tamen pecunia sua est, suoque sub dominio, ut alibi satis explicuimus, ergo de suo eleemosynam illam dat, dictisque privilegiis bullæ frui merito potest. Idem dic in similibus.

### §. VI. *An ex bonis creditis, vel ab alio datis.*

1. TRes hic sunt casus: primus: Titius obtinet à Commissario bullam credito, hoc est, promittit Titius, se post sex menses v. g. traditurũ eleemosynam præscriptam, utiliter ne bullam obtinet.

Respondeo, & primo quidem Dico, manifeste inutiliter, si habet animum eam eleemosynam non tradendi, quia sic nullam tribueret. At si ipso initio acceptionis, animum habet tradendi (qui est casus propositus) Dico, utiliter etiam pro iis prioribus mensibus antequam promissum solvat. Ratio est, quia id concedit Commissarius Generalis apud Mendo *dis. 14. num.* 4. & merito; obligare enim se ad dandam eleemosynam, eleemosyna est: Atque eiusmodi certe est communis praxis, idque cum emolumento Regis, nam sic multi bullam accipiunt quod non facerent, si numerato cogerentur pecuniam deponere.

Quod si quis habeat initio animum non tradendi, sed post sex menses v. g. mutet voluntatem, velitque dare, tunc sane à die, qua eiusmodi bonam voluntatem habet, lucrari potest privilegia bullæ usque ad finem anni durationis bullæ, quia tunc iam legitime pro illis posterioribus mensibus bullam habet, quam legitime antea non habebat, Ita Bardi *l. c. sect. 6.*

Contra, si initio habuit intentionem tradendi eleemosynam, & postea transactis seu v. g. mensibus mutet voluntatem, nolitque eleemosynam elargiri; Dico à die quo non elagiri proponit, non lucraturum privilegia, quia hæc dantur sub conditione eleemosynæ, quamvis,

propter bonum animum solvendi, quo promisit, frui illis privilegiis in prioribus mensibus potuerit.

2. Sed quid si bona fide quis promisit, sed deinde propter impotentiam inculpabilem, stare promissis non possit fruerturne toto anno bullæ privilegiis.

Respondeo. Fruetur, quia privilegium semel rite obtentum non potest tolli à supervemente impedimento inculpabili, nec rex amittit hujusmodi eleemosynam, jam enim distributor bullarum illam resarcit, quando enim sic creditor bullas distribuit, ipse se obligat ad solvendum, & ita declaravit ipse Commissarius.

3. Secundus casus est de bonis alienis donatis. Caius v. g. meus amicus suis pecuniis accipit bullam pro me. Valetne ea mihi, si eam acceptem.

Respondeo. Valet, nam sic virtualiter eleemosynam facis, est enim perinde ac si tibi amicus pecuniam daret, quam tu deinde eleemosynam dares pro bulla.

4. Tertius casus est de religiosis, qui ut dixi *c.* 3. §. 1. *n.* 12. possunt frui privilegiis aliquibus bullæ. Petrus v.g. religiosus sumpsit bullam, largiendo eleemosynam ex pecuniis ipsi donatis ab amico, uteturne valide bulla? Dubitatio autem fundatur in eo, quod religiosus, etiamsi ab amico, posita quacumque superioris licentia, habeat pecuniam, illa non est ipsius, siquidem quidquid religiosus acquirit, Monasterio acquirit, ergo non potest verificari, quod eleemosynam ex suis bonis impertierit, quod requiritur necessario, ut bulla frui quis possit.

Respondeo, omittendo alias explicationes, Pontificem, quandoquidem in tenore bullæ illam modo dicto concedit nominatim etiam religiosis, huic defectui satis, superque supplere.

## §. VII. *Quænam eleemosyna porrigenda ab insignibus personis.*

### *Et quænam porrigenda à Pauperibus.*

1. CArdinales, Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates habentes Jurisdictionem Episcopalem, Inquisitores, &c dignitates Ecclesiarum Cathedralium, Duces, Marchiones, Comites, Commendatores, Maiores, Proreges, Capitanei, Generales, & alii Officiales Curiæ suæ Majestatis (qui sint hi Officiales, vide apud Trullench. *lib.* 1. *in bulla* §. 3. *dub.* 1. *n.* 2.) Domini Vassallorum, dictorumque uxores, suis viris viventibus, debent pro bulla præstare eleemosynam octo realium, hoc est, ut supra dixi, tarenorum decem, & granorum decem monetæ Siculæ.

2. Jam dubitabis primo, circa hos, an Vicecomites, Barones, Prætores Vrbium, Senatoresque Civitatum, si non sint Domini Vassalorum, ut etiam Fiscalis in Tribunali Inquisitionis, ut idem Filii Ducum, similesque si nullo Titulo, vel Dominio gaudent, an inquam, hi obligentur tradere octo reales.

Respondeo, non obligari, quia hos, si Domini Vassallorum non sint, Commissarius, in taxa ab ipso definita octo realium, non designat; expressio autem eorum, qui designantur, est manifesta exclusio aliorum. Ita Mendo *d.* 14. *num.* 12. & 15. & Gallegus *l. c.* 13. *dub.* 194. Quod si Domini sint Vassallorum, debent omnino octo tradere, quia ita disposuit Commissarius, ut vidimus *num.* 1.

3. Si Rex aliquis exterus in regnum, ubi bulla promulgatur, accederet, ut etiam illi omnes, quos nos Principes in nostro regno habemus, obligantur teste Mendo *ibid. n.* 14. ad octo, siquidem satis includuntur à Commissario in illis similibus dignitatibus Ducis, Marchionis &c.

### *Prædicti duces &c. si careant Vassallis.*

4. Dubitabis secundo. An prædicti Duces, Marchiones &c. si Vassallis careant, præstare debeant octo reales.

Respondeo. Negat Bardi, affirmat Mendo; Verum si diligenter eorum rationes hinc inde ab ipsis allatæ considerentur, debent convenire in hunc modum. Si ejusmodi v. g. Dux nihil aliud habeat nisi merum, & imone Ducis nomen, nullamque habeat ex eo Titulo, seu nomine dignitatem, vel privilegium, vel Prærogativam ut esset v. g. Pater, qui totum Titulum suum, summamque jurisdictionem totam in Vassallos, filio renuntiavit; certe hic Pater sufficienter dabit duos reales, quia nec dignitatem habet, nec jurisdictionem, nec in actu, nec in habitu supra Vassallos. At si, quamvis Vassallis, ac jurisdictione omni quis careat, Titulum tamen Ducis cum aliquibus Ducatus præeminentiis habeat, quales fere plures, quos Titulatos vocamus, & vere sunt hujusmodi, nam coram Prorege caput v. g. cooperiunt, aliisque quibusdam sæcularibus exemptionibus fruuntur, præstare debent octo, quia hi verè, & in omni proportione sunt Duces, Marchiones &c. Hujus etiam generis sunt filii horum, si titulum vere habeant cum prædictis præeminentiis (licet proventibus omnibus Pater gaudeat) quia jam dignitatem habent. Ita Gallegus *cap.* 14. *dec.* 182. Ratio prædictæ distinctionis mihi manifesta apparet, quia, in taxa à Commissario legitime facta, clare, ut duæ classes distinctæ Personarum, assertur; quarum altera continet Duces, Marchiones, & Comites; altera, quæ continet Dominos, habentes Vassallos, & ut patet ex contextu, una non est declaratio alterius. At certe hi, qui solum titulum sibi reservant, sive habent, vere in Classe Ducum sunt, qui vero nec tituli præeminentiis ullis gaudent, nec Vassallos habent, in neutra classe ex dictis connumerati, nil æquivocè, possunt.

5. Quando quis simul est Dux, & Marchio, & Comes gaudens multis titulis multisque Dominiis, non est ab ipso multiplicanda eleemosyna ad multiplicationem titulorum, quia Commissarius taxando eleemosynam assignavit octo reales, singulis personis, non singulis titulis.

6. Quod dixi de his, dic de Episcopis, si enim Episcopatui renuntiatur, ita ut servaverint sibi titulum, & Dignitatem Episcopalem (quam certe semper solent sibi reservare) cum sint vere Episcopi, sicuti etiam sunt Episcopi mere Titulares, præstare debent octo reales, at si renuntiaverunt etiam dignitati, quod fieri non solet; aliquis illos excusaret ab elargiendis octo, aliquis, inquam, nam ego excusare non possum, quia quacumque renuntiatione posita, semper in ipsis residet character Episcopalis, ob quod semper vere sunt, & vocati Episcopi, actusque consecrationis exercere valide possunt. Nisi loquaris de quibusdam Germaniæ, vel aliorum locorum Episcopis, qui sunt meri clerici, & sola jurisdictione Episcopali gaudent. Hi certe, si renuntient, in nihilo remanent Episcopi.

### *Ducum etiam Vxores, & Vidua ex illis.*

7. Dubitabis tertiò, de prædictorum Vxoribus viduis. Respondeo. Vxores dum vivunt prædicti Mariti, sequuntur conditionem virorum, quare perinde ac viri earum, octo debent, tametsi ipsæ ex se titulo nullo gaudeant. At vero viduæ eorundem, si nullo proprio titulo, seu dignitate gaudeant, donent solùm tuto duos reales; si autem ipsæ titulo ex se gaudent, vel dominæ sunt Vassallorum, octo omino debent. Ita clare ostendunt Verba Commissarii eleemosynam taxantis. Fœminæ denique quæcunque si non sit, neque fuerunt unquam nuptæ, habent tamen verum titulum, vel Vassallorum dominium, debent omnino octo, quia tunc habent qualitatem requisitam à Commissario ad majorem eleemosynam; quam quidem qualitatem respexit commissarius in quocunque sexu ea inveniatur.

8. Quid si prædictæ viduæ remaneant usufructuariæ Ducatus, Marchionatus &c. Respondeo, pari modo obligari

gari ad octo, quia sic iam actu habent qualitatem, quæ ex vi taxæ, obnoxia est maiori huic eleemosynæ.

*Privatus promotus ad titulum Ducatus, &c.*

9. Dubitabis Quarto si quis Privatus accipiat bullam initio anni, datis duobus realibus, & deinde in decursu anni evadit forte Dux, vel Marchio &c. ut item Episcopus, Archiepiscopus &c. indigetne à puncto novi gradus alia Bulla cum pinguiore eleemosyna, vel saltem supplementum ad octo reales conferre, ut deinceps Bullæ privilegiis perfruatur.

Respondeo, Non indigere, puto, quia gratia concessa initio fuit collata pro toto anno, ergo pro toto anno durat; fuit enim data absolute, & non dependenter à futuro eventu. Ita Bardi *in Bull. p. 1. tr. 8. c. 2. sect. 3.* dicens hanc dubitationem à nemine fuisse tractatam: fatetur tamen, si clericus ascendat ad Sacerdotium in illo anno bullæ à se sumptæ, non posse deinceps uti privilegio vescendi lacticiniis; quod intio anni, quãdo non erat Sacerdos fruebatur; nec id esse mirum, quia Sacerdoti expresse fit in ipsa bulla prohibitio vescendi lacticiniis; quæ similis expressio non est in Bulla quam prædictus privatus, data elemosyna duorum realium à distributore, hoc à est Pontifice, recepit.

*Prædictarum insignium personarum obligatio quoad eleemosynam pro secunda bulla in eodem anno.*

10. Dubitabis quinto. Si qua ex dictis personis insignibus vellet secundam bullam accipere in eodem anno (quam secundam utiliter sumi posse, non vero tertiam, dicemus infra,) debetne octo contribuere.

Respondeo ita prorsus. Quare falsam iudico sententiam Henriquez (quam refert, & merito reiicit Trullench. *lib. 1. in Bull. §. 3. du. 1. num. 15.* putantis sufficere si præbeat duos; falsam inquam, nam Commissarius sine ulla distinctione primæ, vel secundæ bullæ, pro his personis taxat absolute reales plures. Vnde *c. 14.* ubi ipso initio ponentur verba Pontificis, concedentis hanc iteratam acceptionem Bullæ, nam ibi notabis hæc verba *Servatis tenore, & forma prædictis, quibus eodem anno idem summarium sumpserint.*

*Multi habentes dominium eiusdem Ducatus, &c.*

11. Dubitabis 6. quando duo v. g. habent dominium eiusdem oppidi pro parte, vel pro indiviso, debentne singuli dare octo reales? Respondeo ita putat Mendo *disp. 14. n. 8. & in appen. d. 2. c. 6.*

At Bardi *p. 2. tr. 1. c. 1. sect. 5.* docet, satis esse, utrosque dare octo, hoc est, singulos dare quatuor. Lege apud ipsos rationem conflictus, quia res est raræ praxis. Et tamen ego eo in sententiam Mendo, quia verba commissarij taxantis eleemosynam hanc maiorem, præcipiunt, Ducem, Comitem, seu Dominum Vasallorum debere dare octo; Atqui singuli ex his, de quibus loquimur, habentes pro parte, vel pro indiviso ducatum, comitatum, dominium, sunt simpliciter, & absolute Duces, Comites &c. & talium item titulorum præeminentiis gaudent ergo &c.

Quid si Senatus Panormitanus v. g. qui constat ex sex Patribus conscriptis, sit aliquo insignitus Titulo, sit v. g. Dux alicuius oppidi singuline ex illis debent octo dare.

Respondeo non debere, puto, quia tunc singuli, quibus conceditur bullæ privilegium, non sunt, Duces sed solum simul omnes, ut conflant unum corpus morale,

*Pauperes.*

12. Dubitabis Septimo, an Pauperes debeant eleemosynam dare pro Bulla? Respondeo. Debere, certum sit, quidquid in oppositum innuat Henriq. *l. cap. 20.* ex eo quia in Bulla originali monet Pontifex, ne exigatur eleemosyna à paupere. Quidquid inquam innuat; Tum quia hæc clausula non amplius extat in Bulla; quæ promulgatur; tum quia clare bulla, tanquam opus necessarium requirit pro consecutione eius privilegiorum eleemosynam; tum denique quia fortasse sensus illius clausulæ solum erat ut non cogerentur pauperes accipere Bullam; & consequenter eleemosynam dare, quia bullæ acceptio debet esse voluntaria.

13. Ex hac certa doctrina emergit affine dubium. Cum enim, qui caret Bulla Cruciatæ, non valeat in Regnis, ubi ea promulgatur, acquirere indulgentias, quas ipsa Bulla concedit (de qua re infra *cap. 14.*) dubitatur nunc an, qui propter summam paupertatem eam accipere nequit, acquirat saltem alias indulgentias, quæ sunt extra Bullam, quas Commissarius suspendit, durante anno promulgationis, de qua suspensione infra item dicemus.

Respondeo. Acquirere, docet Bardi *p. 2. tract. 1. c. 1. sect. 6.* Ita etiam tenet Quintanadvenas, *in app. ad singul. de Pœnit. tract. 3. dub. 12. num. 3. & 6.* citans Ludovicum à Cruce. Non acquirere, docet Mendo *in app. ad Bull. dec. 2. c. 3. num. 11.* Ratio affirmantium est, quia præsumitur ex pietate Pontificis, ut non privetur indulgentiis, qui sine culpa bullam habere non potest. Ratio Negantis, cui assentior, est, quia bulla nimis manifestè suspendit pro eo anno omnes alias indulgentias pro iis qui bullam non accipiunt, nec in tanta expressione mentis Pontificis, videtur, posse prudenter, præsumi contrarium.

## CAPVT IV.

*Explicatur posterior pars Clausulæ quartæ superius positæ, hoc est, illud, Anno durante.*

1. EXposcit hic doctrinæ claritas, & ordo, ut declaremus prius, quandonam incipit eiusmodi annus, deinde quandiu durat, seu quando finem habet.

§. I. *Quandonam incipit Annus privilegiorum Bullæ.*

1. SAne eum incipere à die promulgationis Bullæ, certum est. Verum ut id minutius cognoscatur, animadvertenda sunt quatuor.

2. Primo si quis Bullam sumit post sex menses v. g. à facta promulgatione, hic non poterit frui privilegils, nisi ab hora in qua sumpsit usque ad finem consequentium mensium eiusdem anni, quia antea carebat bulla, & post illos menses, hoc est, absoluto dicto anno, ut dicemus, bullæ privilegia expirant. Ita Galleg. *c. 4. c. 15.* citans Nunnum, Villalobos, Trullen. Ludov. à Cruce, aliósque. unde ego merito faltem pronuntiavi in *lib. 2. de Pœnit. tr. de Cas. reser. c. 13. §. 5. n. 5.* quorundam doctorum sententiam putantium, si habens Bullam hoc v. g. anno, non usus est privilegiis circa absolutionem à reservatis, posse sine nova Bulla absolvi à peccatis anno sequenti, locum relege, an autem saltem in aliquo faveat bulla in anno sequenti, dicam mox §. 4.

3. Secundo animadvertendum est, quando dicimus, annum Bullæ incipere à die promulgationis, intelligi de promulgatione, quæ fiat in unaquaque civitate, seu loco, etiam minimo, ut notat Trull. *l. 1. c. 1. dub. 10.* nam non satis esse pro habitantibus in alia civitate, etiam eiusdem Diœcesis, Promulgationem, quæ fit in alia, quamvis hæc sit Metropolis, expresse notat ipse Pontifex tenore Bulæ, esto, pro legibus, aliisque similibus sufficiat ea promulgari in Metropoli.

4. Animadvertendum est Tertio, annum, in quo vi-

gent bullæ privilegia incipere ab ipsa hora, in qua ea in quocunque loco promulgatur, non ergo antea.

5. Animadvertendum est quartò. Cum per dupilcem actum soleat promulgari bulla, primo per solemnem processionem, & deinde per Concionatorem in concione, animadvertendum est inquam sufficere per solam processionem, si quidem per illam solam habetur absoluta Promulgatio.

6. Hinc fit, ut si quis sumat Bullam ante concionem, sed post processionem possit teste Trull. *l.c.* uti eius privilegiis; & sane hæc est praxis ut facta processione, statim incipiant distribui bullæ.

7 Hinc etiam sequitur, ut si quis, etiam data stipe, sumpsisset bullam ante concionem, & ante processionem, non posset uti privilegiis, nisi post processionem, tunc enim ratificatur sumptio.

8. Denique, ne ignores, factam publicationem in Templo maximo sufficere, quamvis promulgatio alia non fiat in aliis Parochiis eiusdem civitatis, quantumvis magnæ: nam unam publicationem in uno loco requirit Pontifex, non vero aliam, & aliam in singulis Ecclesiis loci.

## §. II. *Quamdiu durat annus Bullæ.*

1. PRæmitto, alium esse annum naturalem, alium Ecclesiasticum. Naturalis est spatium temporis, quo sol suo motu redit ad eandem cœli partem unde motum incœperat, v. g. à primo gradu signi Arietis, ad eundem, quod spatium est duodecim mensium, & sex horarum aliquibus minutis minus.

Ecclesiasticus est spatium temporis, quod ex more Ecclesiæ intercurrit ab aliquo termino deputato ab Ecclesia ad alium similem v. g. à Pascha ad aliud Pascha à Pentecoste ad Pentecosten, quod spatium aliquando continet plures aliquando pauciores dies, ut ex computo Ecclesiastico scimus omnes.

2. Quærimus iam an privilegia bullæ durent per annum naturalem; An per annum Ecclesiasticum? Si prius semper erit idem tempus privilegiorum; si posterius, modo maius erit ipsorum tempus, modo minus.

3. Dico, probabile esse, annum bullæ durare per annum naturalem hoc est à die promulgationis usque ad finem duodecim mensium, & item esse probabile durare per annum Ecclesiasticum, idest à promulgationis die ad alterius promulgationis diem. Priorem probabilitatem sequitur Rodriq. *in Bull.* §. 5. *n.* 2. Thom. Sanch. *l.* 8. *matr. d.* 15. *num.* 17. *in med.* Mendo *d.* 2. *cap.* 1. & *in App. d.* 1. *cap.* 14. Posteriorem Gallegus, *c.* 4. *dub.* 14. Io. Sanc. *d.* 55. Trullench. *l.* 1. §. 1. *d.* 11. *numero* 3. Ludovic. à Cruce *d.* 1. *cl* 10. *dub.* 2. Bardi. *p.* 1. *tract.* 2. *c.* 6. *à n.* 11. Ratio utriusque sententiæ est, quia, in communibus nunc hominum commerciis, nomine anni recte alteruter solet intelligi.

Favet posteriori sententiæ illa confirmatio. Quia in præsenti sumus in re Ecclesiastica, Ecclesiæ autem communis praxis solet anno Ecclesiastico uti. Sic communio pro obligatione præcepti annui, sic interstitia pro Ordinibus suscipiendis, sic obligatio recitandi Horas Canonicas solet mensurari per annum, vel diem Ecclesiasticum non vero per per naturalem.

4. Hinc, quia annus Ecclesiasticus aliquando est brevior anno naturali, ut si pomulgerur bulla in Dominica v. g Septuagesimæ, quæ sit dies vigesimus Ianuarij, anno autem sequenti promulgetur in eadem Dominica, quæ incidat in diem decimum eiusdem mensis Ianuarij, unde brevior, hoc est minus decem diebus erit annus Ecclesiasticus, quam sit annus naturalis: hinc inquam fit, ut, in priore sententia possis frui bullæ privilegiis usque ad vigesimum diem sequentis Ianuarij, etiam promulgata nova Bulla: at in posteriori non possis usque ad dictum vigesimum diem, quia adveniente nova promulgatione veluti perimitur, in hac posteriore sententia, bullæ vigor. Sed certe, ut diximus, utrumque probabile est.

5. Nota. Si forte supponas Pontificem nolle, ut nova alia promulgatio bullæ fiat anno sequenti, vel velle novam promulgationem diu differre, unde non possimus tunc habere terminum desitionis per novam promulgationem, quia promulgatio nova non erit. Nota, inquam, tunc Doctores convenire, quod bullæ privilegia durent per annum naturalem: tunc enim cum desit annus Ecclesiasticus, subintelligitur necessario naturalis. Ita Bardi *l.c. num.* 33. Dixi (necessario) nam non placet quod Idem Bardi *l.c. num.* 34. docet ex Trullench. numerum quando Pontifex diu differt, tunc durare per 35. dies postea, intra quorum latitudinem solet finiri annus Ecclesiasticus (non placet autem, quia id videtur esse nimis gratis dictum.

6. Nota insuper, quamvis moriatur Pontifex, vel Commissarius Generalis intra dictum annum, non posse tibi Bullæ privilegia pro illo anno, quia pro illo tempore sunt gratiæ factæ, ut recte notat Castrop. *de Bulla Cruc. p.* 3. *mm.* 4.

## §. III. *Quando in uno loco tardius, in alio citius fuit promulgatio, quid iuris erit in accipiente Bullam, si sequamur prædictam posteriorem sententiam.*

1. EX figuratione duorum casuum huius Quæstionis decisio clarius intelligitur.

Primus casus. Titius existens Panormi, promulgatione ibidem facta in Dominica Septuagesimæ die v. g. 20. Ianuarij, sumit statim bullam, & inde proficiscitur Syracusas v.g. ubi anno sequenti promulgari solet bulla die primo Cinerum, qui incidet v. g. die 9. Februarij, hoc est 14. diebus postea, inquiro, gaudebitne Titius iam commorans Syracusis bullæ privilegiis usque ad Dominicam Septuagesimæ anni sequentis, quæ incidet v.g. 26. Ianuarij, quando Panormi promulgabitur nova Bulla, an usque ad nonum diem Februarij iuxta promulgationem, quæ fiet in sua civitate.

2. Secundus casus, quid si contra, Caius v.g. commorans Syracusis accepit bullam in die Cinerum, qui forte incidit 12. Feb. deinde accedit Panormum, ubi promulgabitur nova Bulla 20. Ianuarij, gaudebitne privilegiis solum usque ad vigesimum diem Ianuarij iuxta promulgationem Panormitanam, an usque ad diem Cinerum anni sequentis iuxta promulgationem quæ fiet in civitate prædicti Caij, qui dies incidet, ut dictum est, nono Februarij.

3. Respondeo. In utroque casu, stando in posteriore sententia, sub qua loquimur, gaudere quis potest Bulla solum iuxta promulgationem factam in loco, ubi quis accipit Bullam. Quare in priore casu allato *n.* 1. Titius gaudebit Bulla, usque ad vigesimum sextum Ianuarij, in posteriore vero allato *n.* 2. Caius Bulla fruetur, usque ad nonum diem Februarij. Ratio utriusque dicti est, quia quando tu accipis Bullam promulgatam in hoc v.g. loco quasi dicat tibi distributor bullarum nomine Pontificis (*Quandoquidem tu erogasti legitimam eleemosynam, concedo tibi privilegia Bullæ duratura per totum hunc annum, donec ego iterum aliam hic promulgavero*) Huius autem rei ulterior ratio est, quia ad illum distributorem, à quo tu recipis Bullam, non pertinet videre, seu taxare tempus promulgationis alterius distributoris. Quare, nomine Pontificis, dat tibi privilegia secundum suas promulgationes, non vero secundum promulgationes alterius. Ita Bard. *p.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 24.

4. Scio Ioan. Sanch. *d.* 55. *n.* 24. in casu dicto *n.* 1. velle Titium posse solum, usque ad nonum diem Februarij, sed propter rationem nostram non est audiendus.

Scio etiam Mendo *loc. sup. cit.* sustinere, tum Titium, tum Caium prædictos, posse solum gaudere Bullæ privilegiis, durante anno naturali, quocunque tandem die fiat nova

nova promulgatio. Sed profecto id ipse dicit, quia sustinet annum pro bulla debere esse naturalem, quam sententiam cum dixerimus supra, esse probabilem, probabile etiam erit hoc præsens ipsius dictum; Sed quia nos hic loquimur ex suppositione, quod sequamur sententiam posteriorem, quæ est etiam probabilis, ideo, quamvis dicto prædicti Doctoris assentiamur, tamen non assentiamur illi limitationis (solum.)

### §. IV. *An finito anno, in aliquo faveat Bulla.*

1. INstituo hic quæstionem hanc, quia maximè pertinet ad praxim. In duobus casibus quærunt rationabiliter Doctores an Bulla prosit, absoluto anno? Dico (rationabiliter) nam casum alium, quia est ratione destitutus, jam excluso modo §. 1. *n.* 2.

Quærunt enim primo in eo casu, quo promulgatio bullæ fit in aliqua magna civitate, seu opido, unde non valeant omnes bullam sumere, an si habeat quis animum sumendi, durabit illi vetus bulla per paucos v. g. per octo dies post promulgationem novam? Affirmat Villalobos, & Ludovicus à Cruce. Id quod temperat Io. Sanchez asserens hoc verum esse quando per omnes illos dies durat difficultas novam sumendi, vel ex malitia, seu incuria distributoris, nova haberi non possit.

2. Profecto non possum hanc sententiam, quamvis à Sancio mitigatam, non reiicere cum Gallego multos citante *tom. 4. dub.* 18. Nam ut aliam omittam, nimis manifestè ea est contra tenorem bullæ, ibi (*anno durante*) & ibi (*summarium Bullæ à volentibus uti privilegiis, accipi, ac retineri debere.*)

3. Quærunt secundo Doctores in casu confessionis inceptæ, vel commutationis votorum; & quia de hac commutatione dicemus inferius *c.* 3. §. 1. *num.* 30. solum hic agimus de confessione; an scilicet, si qua legitima confessio bona fide apud confessarium electum per bullam incepta finiri intra ejusdem bullæ annum non potuit, sive propter pœnitentis scrupulos, sive ob prolixam confessionem, sive ob aliquod rationabile impedimentum, quo pacto dicitur res, non esse integra, quia confessio jam fieri cæpit; an inquam, possit confessor, post finitum annum suum prosequi opus, & pœnitentem à peccatis etiam reservatis, ut per bullam conceditur absolvere.

Respondeo posse, ac si esset intra tempus anni concessi, idque etiam cum interpolationibus humano modo solitis; Ratio est, quia ex eo, quod cœptum est negotium confessionis, tempore habili, jurisdictio radicem fixit in delegato, hoc est in confessario (ut loquuntur jura) ex rationabili voluntate concedentis; quare illa in eo perpetuatur, usque ad complementum incepti negotii. Idem solent Doctores dicere in Iubilæo, si confessio bona fide incepta non potuit bona fide finiri intra Iubilæi dies, de qua re ego universaliter *lib. de pœnit. cap.* 4. §. 10. *num.* 3.

4. Dictum autem est primo (bona fide) quia persuadere mihi non possum, quando id in fraudem fiat, adesse consensum superioris ad prædictam jurisdictionis extentionem, quidquid aliqui dicant. Id autem bene intellige, siquidem ejusmodi fraus duobus fieri modis potest, tum hic, tum in Iubilæo. Primo, si differas confessionem, consulto; usque ad ultimum diem durationis privilegii, & deinde pœniteat te, non esse confessum, & vere velis confiteri, confessionemque bona fide incipias, faciens, quantum potes, ut illam compleas, riteque absolvaris ante finem privilegii, sed propter aliquam rationabilem causam compleri confessio non potest. Et in hoc casu negligentia prior, immo & fraus, si qua in te fuit, prorogandi tempus, purgatur ex vera pœnitentia, & ex conatu Sacramentum perficiendi, & consequenter radicabitur in confessario, extenderturque Iurisdictio, quia jam tunc nulla fraus adest. Secundo, si sive tu, sive confessor, cum possitis perficere confessionem eam non perficitis, hac ipse, (quam ego merito fraudem appello) ut radicata jurisdictio sit in confessario, quasi possit extendi ad tempus sequens. Et in hoc casu dixi, persuadere mihi non posse, superioris voluntatem esse, ut ea jurisdictio radicetur.

5. Dictum est secundo, (si qua confessio incepta &c.) quod intellige, esse certum si cepisti peccata legitime explicare confessario. Immo dicta inceptio confessionis tunc etiam dicitur adfuisse, quando comparuisti genuflexus coram confessario, pectusque percussisti, & recitasti Confiteor, & multo magis, si vel unum peccatum veniale patefeceris, hæc enim externa signa sunt confessio incepta.

6. Objicies. Sola præsentatio literarum delegationis facta delegato non facit negotium cœptum, seu causam inchoatam, ut cum multis docet Mercolla, *to. 2. q. 4. c. 6. dub. 21. n. 492.* quia literarum sola præsentatio, quamvis accepta, non est exercitium jurisdictionis, per quod radicet sibi delegatus jurisdictionem, ergo neque in casu nostro sufficiunt prædicta signa.

Respondeo: nos (ut signate notat Bardi *p. 1. tr. 3. c. 6. à n. 61. & an.* 116.) pro signo sufficienti non poscimus solum petitionem confessionis quandocunque, sed requirimus talia signa, quæ sint pars materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quæque cum exhibentur, sint Sacramentalis confessionis exercitium.

7. Dictum est tertio (si qua legitima confessio) nam non prorogatur jurisdictio confessarii si invalida, sive propter defectum Pœnitentis, sive propter defectum confessarii esset prædicta incepta confessio. Ratio est, quia per verum actum confessionis Sacramentalis (sic enim exercetur hæc jurisdictio) radicatur potestas in confessario delegato, non vero per invalidam confessionem, quæ cum nulla sit, nullum parere effectum potest.

8. Confirmatur Doctrina *n.* 3. data verbis ipsius Bullæ Originalis. *Item* (ait) *declarat Pontifex, quod, expirante anno omnes prædictæ facultates, gratiæ, & Indulta expirant, tantum potuerunt causæ pendentes ad finem perduci.* Nota (causæ pendentes &c.)

Ex prædictis verbis colligit Bardi *loc. cit. n.* 66. doctrinam à nobis hactenus dictam, solum habere locum, quando pœnitens, post prædictum annum Bullæ finitum, non committit alia peccata. Nam siquis, inquit, nondum finita confessione, peccet, finito jam bullæ anno, peccato reservato, non potuit ab hoc peccato absolvi per confessarium electum vi dictæ bullæ, quamvis confessio cœpta fuerit ante lapsum anni; Immo neque item poterit (ait) ab aliis commissis antea, quia confessio non potest dimidiari, quæ dimidiaretur, si ab his absolvi posset, illo alio commisso post annum non absoluto. Colligit, inquam, ex his verbis, in quibus expresse Pontifex solum concedit, causas pendentes finiri posse: at confessio hujus peccati nunquam fuit inchoata tempore anni Bullæ, ergo &c. Quare hic Auctor concedit, per Iubilæum posse simile novum peccatum absolvi, non vero per Bullam Cruciatæ, quia in Iubilæo non adest hæc restrictio *tantum potuerunt causæ pendentes ad finem perduci.*

9. Verum contra hanc explicationem insurgit Mendo, *d. 23. cap. 3. num. 28. fine in appen. d. 1. cap. 16. nnm. 61.* ait enim, non esse majorem rationem, quod hoc peccatum novum impediat totalem absolutionem, non autem quod absolutio aliorum peccatorum huic pœnitenti debita propter prorogationem jurisdictionis, trahat ad se facultatem, ut quia non potest dimidiari confessio, detur potestas confessario, ut etiam novum illud absolvat.

Adde, cum adhuc vere pendens sit causa, quia confessio jam est incepta, & absolutio nondum data, non posse peccatum hoc novum superadditum habere vim impediendi prorogationem jurisdictionis.

Certe prior sententia tutior est. Posteriorem me Sapientiores examinent; præsertim quia video in causis judicialibus

dicialibus, ad quarum formam est institutum Sacramentum pœnitentiæ, non dari Delegato prorogationem jurisdictionis, per quem judicet aliud novum delictum, quod forte committat quis post elapsum tempus Delegationis.

10. Sed adhuc inquires Primo, si confessor, apud quem incepisti prædictam confessionem, moriatur, vel alio modo desit, eligere ne possum alium confessarium, qui mea peccata omnia audiendo, me absolvat ab illis, finito anno bullæ, vel finito Iubilæi tempore.

Respondeo cum Castrop. *tom. 1. tr. 3. disp. 4. p. 16. §. 7. n. 13.* aliisque posse, sive hæc electio novi confessarii fiat ante spiratum tempus privilegii, sive postea in casu proposito prorogatæ propter incompletam confessionem jurisdictionis. Ratio est quia confessores vi Bullæ, vel Iubilæi se habent ut unum: quare quando quis ex uno ad alium migrat, non judicatur, nisi eundem eligere.

Neque dicas causam pendentem debere *c. 1. de off. deleg.* ex jure (ut notat Navarrus *l. 1. cons. in 2. edit. de eodem off. de leg.* prosequi coram eodem judice, coram quo cœpta est: Ne id dicas, inquam, nam id verum est in causis fori externi, non vero in casibus interni fori. Cujus disparitatis ratio illa est, quia facultas data pro foro conscientiæ intelligenda est juxta naturam ejusdem fori, At in hoc foro pœnitens potest mutare confessarium, ut ipsi placet, donec finiatur causa per absolutionem.

11. Inquires Secundo, si post absolutionem hanc dictus pœnitens recordetur alicujus peccati mortalis reservati commissi ante dictam absolutionem, poteritne virtute Bullæ, vel Iubilæi iterum absolutionem, rit è accipere à dicto confessario, qui solum habeat potestatem absolvendi vi Bullæ, vel Iubilæi? Respondeo non posse; quare tunc necesse erit illud peccatum oblitum confiteri apud alium legitimum confessarium habentem potestatem ad illud absolvendum, ut ego dixi *lib. 5. de pœnit. cap. 4. §. 10. num. 4.* Ratio est quia delegatus cum functus est officio suo nihil amplius potest, at prædictus confessarius electus jam dando absolutionem adimplevit suum officium; ergo &c.

Lege tamen Dicastillum apud Dianam, *p. 11. tract. 8. res. 28.* qui putat, esse probabile, quod possit, si quidem tunc (ait) sequens confessio pertinet ad priorem, & est prioris complementum. Verum ne id extendas ad peccata commissa post absolutionem illam priorem; hæc enim nec separatim, nec conjuncta cum oblitis absolvere dictus confessarius amplius ex vi privilegii Bullæ, vel Iubilæi poterit, quia nulla ratione pertinet ad absolutionem datam vel dandam ex vi Bullæ, vel Iubilæi.

## CLAVSVLA V.

*Ut possint in Ecclesiis* (locutio est de iis, qui bullam sumunt) *in quibus alia divina officia* (*interdicto durante*) *quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominus amoveatur, & qui facultatem ad id à commissario Generali habuerit, etiam per horam, antequam illucescat dies & per horam post meridiem, in sua, ac familiarum, & consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia divina officia per se ipsos si presbiteri fuerint, vel per alium celebrare facere, & tempore interdicti divinis interesse. Eis tamen qui privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, et quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eosdem victoriâ fundere, teneantur; imponitur.*

## CAPVT V.

### *Primum Bullæ Privilegium quod est circa tempus interdicti.*

BVllæ privilegium, interdicti tempore tres complectitur favores, quorum primum relaturi in præcedente quinta clausura hic explicamus, mox in sequentibus alios duos explicaturi.

#### §. I. *Præmittitur Summaria explicatio interdicti.*

1. INterdictum Ecclesiasticum absolute, & sine limitatione latum, est regulariter censura, qua fidelibus tria vetantur. Primo officia divina, præsertim Missa, celebrari. Secundo Sacramenta aliqua ministrare, vel recipere; nam non prohibetur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Matrimonium; sed ministrare vel recipere Eucharistiam, Extremam-Vnctionem, Ordinem, licet communoderationibus, quas passim afferunt Doctores mox citandi, aliisque in tractatu de interdicto. Tertio, denique vetatur Ecclesiastica sepultura.

2. Interdictorum autem variæ sunt classes, Personale, ideſt illud, quo ipsa persona prædictis tribus prohibitionibus, afficitur.

3. Locale, ideſt illud, quo locus aliquis iisdem afficitur prædictis prohibitionibus, hoc est, quo in tali loco vetantur fideles, illas tres actiones exercere.

4. Mistum, ideſt, quo tum persona, tum locus prohiberur.

5. Porro subdividuntur deinde eadem interdicta; nam quo ad interdictum personale, aliud est personale generale, estque quando interdicitur totus populus, tota communitas, seu universitas, Collegium, Capitulum &c. quatenus hæc faciunt unum corpus morale. Aliud est personale speciale, hoc est, quando interdicitur hic, vel ille.

6. Rursus interdictum locale, aliud est locale generale, atque est illud, quo interdicitur locus, qui à communitate incolitur, v. g. Provincia, civitas, oppidum villa, aliud est locale particulare, estque illud, quo interdicitur locus particularis, vel loca aliqua particularia, v. g. hæc Ecclesia hujus civitatis, illa Ecclesia illius oppidi &c.

Hæc cum suis explicationibus, & limitationibus præsertim iis, quas concedit *Cap. alma mater de sent. excomm. in 6.* habes passim apud Suar. Hurt. Bonac. Leym. Coninch. Avil. aliosque innumeros Doctores scribentes de interdicto.

7. Illud pro re nostra est advertendum, Bullæ Cruciatæ privilegia solum esse, stante interdicto locali generali, quamvis auctoritate Apostolica imposito: quare ut personaliter quoquo modo interdictis, nec loco specialiter interdicto Bulla Cruciatæ privilegia ulla concedit. An autem persona particulariter interdicta possit ejusmodi interdicti absolutionem obtinere virtute Bullæ, infra *c. 11. §. 6.* suo loco dicetur.

#### §. II. *Favor primus Bullæ tempore interdicti, posse Missas, & divina Officia celebrare &c.*

1. HIs prælibatis, ut explicetur primus hic Bullæ favor, pro tempore interdicti. Nota primo illud non concedi iis, qui dederunt causam interdicto, vel per ipsos stat interdicti remotio.

2. Nota secundo. Illa verba (*in Oratorio private*) Doctores ex modo loquendi Bullæ, & ex intentione Pontificis extendunt ad omnes alias Ecclesias, dummodo fiat privatim officium, & solum coram suis, ut mox explicabitur. Vide id late probatum à Ludovico à Cruce, *in Bull. d. 1. cap. 5. dub. 2.*

3. Nota

3. Nota tertio prædictum Oratorium debere esse approbatum, & deputatum ad divinium cultum, qua de re ego pluribus egi *in Opusc. de Sacrif. Miss. l. 1. c. 4. à n. 11.*

4. Nota quartò illud (*in sua, & suorum præsentia*) quod à me pluribus explicatum invenies *loc. cit. à n. 28.* & late item habet Trullench. *lib. 1. §. 3. dub. 5.*

5. Nota quintò. Illud plurale *Missas, & alia officia*, & illud *per alium, vel alios*, hæc enim verba absolutè, & non respectuè prolata, ostendunt mihi, non unam tantummodo, sed plures Missas concedi eodem die per hoc privilegium, nec solum semel, & iterum, & item sæpè divinis officiis privatim interesse.

*An habens Bullam tempore interdicti obligetur Missæ privatim interesse.*

6. His ita notatis, suum hic locum habere debet illa quæstio: An, sicuti bullam habens potest modo dicto interdicti tempore privatim assistere Sacro, ita obligetur, quando incidit dies festus de præcepto.

Respondeo. In utramque partem, æquo quasi Marte, congrediuntur Doctores, ut late habes apud Ludov. à Cruce, *l. c. d. 4. n. 5.* & latissime apud Bard. *p. 2. tract. 2. c. 3. sect. 6.* & Tullench. *loc. cit. dub. 6.*

Ratio de obligantium (inter quos sunt Coninch. Avila, Alterius) præcipua est, quia nemo cogitur uti suo privilegio; Is ergo qui recipit cum bulla privilegium assistendi Missæ tempore interdicti privatim, poterit hoc privilegio nolle uti, & sic stare prohibitioni interdicti, quod verat assistentiam ad Sacrum, & pro illo tempore aufert præceptum de hujusmodi assistentia.

7. Ratio obligantium (inter quos numerantur Lud. à Cruce, Villalobos, Joan. Sanch. Trullench.) illa item præcipua est, quia in tantum non obligaris, interdicti tempore, interesse Sacro in diebus festis, in quantum impediris interdicti lege: At per bullam hæc interdicti lex jam à te removetur, ergo, remoto jam impedimento, redire debes ad obligationem assistendi.

Utriusque ratio cum probabilis, hoc est, alicujus momenti sit, utramque sententiam probabilem reddit.

8. Sed ecce, per hanc occasionem, alia subnascens quæstiuncula. In tractatu de interdicto omnes Doctores statuunt per *Cap. Alma mater de Sent. Excomm. in 6.* concedi Clericis, & Ministris Ecclesiæ, atque adeo Religiosis, posse, interdicti tempore, Missas, & alia Divina Officia privatim, hoc est clausis januis, &c. (ut ibi distinctius explicatur) celebrare. Jam inquiro, an dicti Clerici, & Ministri obligentur Missæ privatim interesse diebus festis.

Respondeo, obligari. Nam invenio disparitatem cum Lud. à Cruce, *l. c. n. 6.* inter hos Ministros ex vi dicti capituli *Alma Mater.* & inter alios ex vi Bullæ Cruciatæ. Siquidem prædictum privilegium collatum *in c. Alma Mater.* datur Ordini Ecclesiastico, cui privilegio non potest renuntiare quilibet privatus. At privilegium in Bulla conceditur ipsi personæ in particulari, cui ipsa particularis persona renuntiare libere valet. Non est igitur mirum, si ipsa praxis & receptus inter Fideles usus declaravit, Ministros prædictos obligari ad assistendum Sacro diebus festivis, tempore interdicti, quia ut dictum est non possunt, non uti privilegio concesso tori Ordini Ecclesiastico. At, quia potest persona particularis, non uti privilegio sibi dato; ideo potest in Bulla, quæ datur particulari personæ, habere locum prima sententia dicta *n. 7.*

## §. III. *Quid concedat Bulla, quoad celebrationem Missæ in Oratoriis Privatis extra tempus Interdicti.*

1. BVlla præter dictum favorem valendi celebrare, vel facere celebrare tempore interdicti in Oratoriis privatis, concedit etiam in iisdem eundem favorem extra interdicti tempus. Sed de hoc ego late egi in *Opusc. de Sacrif. Missæ lib. 1. c. 4. §. 4. à n. 36.* quare non est id cum molestia Lectoris hic repetendum.

## §. IV. *An per Bullam possit quis erigere Oratorium privatum, in quo celebretur sine alia Pontificis licentia.*

1. AFfirmat Castrop. *de Bull. disp. un. p. 6. num. 2. fine* his verbis *Bulla ergo*, inquit, *concedit sumenti ipsam ut possit habere privatum oratorium, & in eo celebrare Missas, vel celebrari facere, dummodo oratorium sit divino tantum cultui deputatum, & ab ordinario designatum juxta formam* in Trid. sess. 22. *in Decreto de celebran. Missis præscriptam, & dum eo quis utitur, fundat preces pro unione Christianorum Principum, & eorum contra infideles victoria.* Hæc ille, cui assentitur Lud. à Cruce *Bull. d. 1. c. 5. d. 1.*

2. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est, quia in Bulla expresse conceditur, ut in Privato Oratorio (visitato utique, & designato ab Episcopo) tempore interdicti celebretur, ergo supponitur concedi etiam aliis temporibus non vetitis, quod est minus juxta Regulam Juris *in 6. Cui conceditur quod est plus, conceditur quod est minus.* Adde, in Bulla Latina expresse poni sic (*etiam tempore interdicti.*) At particula hæc (*etiam*) cum exprimat casum difficiliorem, supponit, tanquam certum, casum minus difficilem.

Verum hanc sententiam prorsus rejicit Trullench. *de Bull. lib. 1. § 3. dub. 4.* Gallenus *de Bull. c. 4. dub. 3* 1. Diana *p. 9. tr. 1. resp. 23.* Medo *d. 6. c. 1. n. 6.* qui omnes non possunt (& quidem merito) sibi persuadere, Pontificem velle concedere Privilegium celebrandi Sacrificium Missæ in domo cujuscunque Privati, Sacrificium, inquam, quod est Summus actus Religionis, quem exercere in hac vita Fideles possunt, quemque cum summa, & possibili reverentia debent.

3. Hæc ex illis. Sed quia Adversarii possent, has, & similes rationes ex inconvenientia ductas eludere; illa mihi hac de re diu cogitanti efficax menti occurrit: Quod Summus Pontifex, dum licentiam concedit, ut etiam interdicti tempore celebrari valeant Missæ in Oratorio privato, supponit, Oratorium jam esse alias ab ipso, vel ejus Delegato concessum, non autem per Bullam concedit. Sicuti cum dixit ut notavimus modo *§. 2. n. 2.* Concedo, ut habens Bullam possit celebrare in Ecclesia, etiam tempore interdicti, supposuit jam constitutam esse perfectè Ecclesiam, non enim per hæc verba constituit. Ita in casu nostro, Perfectè autem constituta supponitur Ecclesia, quando non solum materialiter, sed formaliter etiam est perfecta, hoc est, legitimè, ad Sacrificium Missæ in ea celebrandum, ab habente potestatem approbata.

## §. V. *An Commissarius Cruciatæ possit prædictum Oratorium perfectè constituere, seu concedere?*

1. DVæ hic sunt sententiæ. Altera negat cum Dian. *p. 4. tr. 1. resp. 20.* aliisque, atque adeo negat Commissarium Generalem Cruciatæ posse concedere facultatem ut quis, in Oratorio domus suæ celebret, vel faciat celebrare. Ratio potissima est, inquit, quia non apparet verbum ullum in Bulla etiam Originali Cruciatæ, per quod Summus Pontifex hanc facultatem commissario quamvis generali, communicaverit. Adduntur aliæ rationes, quæ certe non ita efficaces judicantur, perinde ac prædicta.

2. Altera concedit Trullench. *lib. 2. §. 5. dub. 3. numer. 7.* Mend. *d. 37. à num. 105.* Galleg. *cap. 14. d. 182. contra Dianam*, modo Oratorium, antequam in eo celebretur, visitetur, & deputetur ad Divinum Cultum ab Ordina-

rio. Ratio hujus sententiæ est. Prima, quia Petrus de Carario in comp. trium Gratiar. p. 276. apud Mend. *loc. cit.* inter cæteras facultates Commissarii Generalis recensetur hanc. *Item possumus* (loquitur Commissarius Generalis Cruciatæ) *concedere licentiam, ut quis celebret, vel celebrare faciat in Oratorio privato, quod prius fuerit ab Ordinario visitatum.*

3. Secunda, quia idem Mendo. & Gallegus locis citatis testantur de ipsa praxi in Hispania, quia per annos multos à Variis Commissariis Generalibus hæc concessio facta est pluribus, sed certe solum Nobilibus, ac Dinastis, & in dies fit id quod ipsi probant ex informatione, quam iidem exceperunt ab ipsis Commissariis Generalibus, & ab eorumdem Secretariis, qui ejusmodi licentiam expedire solent.

4. Tertia, quia quod in Bulla Cruciatæ hoc Privilegium non inveniatur, nihil obstat. Credendum enim pro certo est, haberi ex aliqua alia Bulla, vel rescripto Commissariis directo, vel certè dicendum, usum tot annorum circa hanc facultatem legitimè concessisse jam Commissariis Generalibus ejusmodi potestatem.

5. Vt quid ergo sentio, clarius proferam: Sciendum est Commissarium Generalem Cruciatæ residere in Hispania, atque ab hoc solere constitui alios commissarios provinciales in quacunque provincia, in qua Bulla promulgatur, & ab his Provincialibus substitui, seu nominari alios commissarios particulares in singulis civitatibus seu Diœcesibus.

6. His distinctis, puto Primò, esse valde probabile, commissarium generalem, qui in Hispaniis residet potiri, (saltem pro Nobilibus, pro quibus est praxis) potestate prædicta, id enim admodum verisimile reddunt modo allatæ rationes.

7. Et quidem existimo (ut id suo hoc loco non præteream) eum cui conceditur à Commissario Generali hoc Privilegium, non necessariò debere habere Bullam Cruciatæ, quia hanc conditionem de habenda bulla, non videtur requirere tenor hujus concessionis; putarem tamen aliquam eleemosynam ad arbitrium Commissarii esse dandam in subsidium belli contra Infideles; quia in his privilegiis Cruciatæ semper habetur à Pontifice dicti subsidii temporalis ratio.

8. Puto Secundò, commissarios provinciales, multò minus particulares, hac potestate nequaquam gaudere. Ratio est, quia licet commissarius generalis habeat à Pontifice facultatem communicandi commissariis provincialibus omnem eandem potestatem, quam ipse commissarius generalis habet; sic enim dicitur in Bulla originali, quam originalem affert Ludovicus à Cruce ipso initio expositionis Bullæ. *Item ut Commissarius Generalis deputare possit Commissarios in singulis Provinciis per locorum Ordinaries, quorum conscientiæ onerantur, prævia matura deliberatione approbandos, cum simili, vel limitata potestate*, licet, inquam, hac universali potestate gaudeat, unde dicere quis posset etiam hanc, de qua loquimur, posse concedere commissariis provincialibus; tamen non habemus solidum fundamentum affirmandi quod de facto concesserit.

9. Dices. In delegatione, qua commissarius generalis delegat commissarium provincialem, sic habetur, ut ad verbum refert Tanc. T. 2. Q. Mor. tr. 5. q. 46. *Damus potestatem, & facultatem cum omnibus suis incidentiis, & dependentiis, adnexitatibus, & connexitatibus secundum, & sicuti nos habemus à Sanctitate Summi Pontificis, & sicuti nos illas tenemus plenissime.* Ecce ergo quomodo totam potestatem suam, atque adeo hanc, Generalis de facto communicat Provincialibus.

10. Respondeo, recolendo, quod modo *n.* 4. dictum est, hanc potestatem non habere commissarium generalem ex vi tenoris Bullæ Cruciatæ, quia in illa, ne verbum quidem de hac, sed aliunde, &c. Dico igitur, esto commissarius generalis habeat potestatem communicandi omnia, quæ pertinent ad privilegia Bullæ Cruciatæ, sed unde habet quod possit communicare etiam illud, quod aliunde habuit, vel ex alio rescripto, vel ex consuetudine præscripta, & connexionem vel nullam, vel satis remotam habet cum ejusdem Bullæ privilegiis, vel, dato quod possit, unde habet, quod per prædicta verba de facto communicet, cum per hæc solum communicet connexa, & adnexa tenori Bullæ Cruciatæ, in quo tenore, ne vestigium quidem est hujus Privilegii de Oratoriis privatis concedendis: Incerta igitur item res est, & cum sit magni momenti, non est facile præsumenda.

11. Nec valet, si dicas aliquando id concessum fuisse Panormi à commissario provinciali fuisse. Nec valet quam, quia semel, aut iterum id esse factum non præscriptionem; & credendum est, per errorem id esse bona fide tunc factum quod hodie re diligenter examinata, fieri non potest.

### §. VI. *Quid possit concedere Commissarius circa celebrationem Missæ, quoad horam celebrandi.*

1. PRopter connexionem, quam habet hæc quæstiuncula cum præcedentibus, hîc eam breviter tractamus. Præmittenda autem ad ejus explicationem est sequens doctrina.

Celebrandi hora est Auroræ tempus, usque ad Meridiem, ut *in Opusc. de Sacr. Miss. lib.* 1. *c.* 6. §. 4. declaratum à nobis est; ubi in summa dixi licere probabilissima opinione Missam incipere duabus plus minus horis, ante Solis ortum; hoc est, antequam corpus solare oculis nostris appareat: Terminus autem, ultra quem celebrari non licet, dixi *ibidem*, esse Meridiem, sed certè moraliter acceptum, hoc est, ut inchoari Missa possit ante Meridiem, vel in ipso Meridie licet absolvatur postea.

2. Generalis ergo commissarius potest Nobilibus tamen, aut (juxta arbitrium ipsius commissarii) personis qualificatis concedere, ut per horam, antequam illucescat dies & per horam post Meridiem, Missæ, & aliis Divina Officia incipi possint, idque coram ipsa persona qualificata habente Bullam, & ejus familiaribus, & consanguineis. Vbi vides, non quemlibet, etiam qualificatum habentem Bullam, id ex se posse, sed solum illis qualificatis Bullam habentibus, quibus expresse concesserit commissarius. Hanc potestatem communicari a commissario generali commissariis provincialibus, quibus juxta dicta §. 4. *n.* 8. conceduntur connexa, & adnexa, probabile judicato.

3. Inquires. Quandonam incipit hæc hora, quæ datur ex privilegio?

Respondeo. Cum Privilegium debeat aliquid operari, omnes autem Missam possint incipere duabus horis ante solis ortum; Ideo qui habet hoc privilegium potest tribus, plus minus horis ante dictum ortum. Et quia omnes item possunt incipere Missam in ipso Meridie, idcirco, qui hoc privilegio gaudet potest incipere una hora post ipsum Meridiem. Ita Trull. *de Bulla Lib.* 1. §. 5. *d.* 3. *à n.* 3. cum aliis.

## CLAVSVLA VI.

*Conceditur item tempore interdicti (id est interdicti localis generalis) Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis, posse recipere.*

CAPVT

## CAPVT VI.

*Favor secundus Bullæ tempore interdicti.*

Posse recipere Sacramenta.

1. NOta Primò, hunc favorem intelligi cum iisdem cautionibus quas diximus *c. præced. n.* 1. puta si non dederint causam interdicto, nec per ipsos stet interdicti remotio; & privatim, &c.

2. Nota Secundò illud (& alia Sacramenta) quod esse magnum Privilegium rectè dicit Ludovicus à Cruce *de Bull. d. 1. c. 5. d. 5. n.* 1. qui cum addit, licere habenti Bullam recipere Eucharistiam, & alia Sacramenta, quando placuerit, & ubi placuerit, semper est intelligendus, dummodo id fiat ianuis clausis & privatim, si sit tempus interdicti, nempe, iuxta ac requirit interdicti tempus; neque enim Bulla, & Privilegia debent in aliis non expressis interdicti legibus officere.

3. Nota Tertiò illud (*Præterquam in die Paschatis*) solum enim per hæc verba prohibetur receptio EVCHARISTIÆ, quæ ex obligatione in propria Parochia præstari debet, imò, quia Bulla hanc solam obligationem communicandi in Parochia, ad satisfaciendum præcepto, excipit, colligunt Doctores, esse valdè probabile, etiam ipso die Paschatis, hoc privilegio te uti posse, modo ante, vel postea Parochiæ satisfacias. In aliis ergo diebus poterit quis cum Bulla recipere EVCHARISTIAM à quocunque Sacerdote; ut tenet Vasq. quem cum aliis sequitur Diana mox citandus, licet neget Suar. aliique apud eundem Dian. *p. 1. tr. 11. res. 20.*

### CLAVSVLA VII.

*Item conceditur mortuorum corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.*

## CAPVT VII.

*Favor tertius Bullæ tempore interdicti.*

Posse Ecclesiasticè sepeliri.

1. NOta, hoc privilegium dari omnibus, qui recipiunt Bullam, id enim clarè habet eius tenor, & quidem si non dederint causam interdicto, vel per ipsos non steterit, &c.

2. Nota Secundò, hoc privilegium esse magni faciendum; nam per iura antiqua solis Clericis conceditur, posse eos sepeliri in cœmeterios & de iure noviore per *c. Alma Mater*, etiam in Ecclesia. At Laicis nullus quoad sepulturam, conceditur favor, nisi fortè in aliquibus festivis diebus Paschatis Resurrectionis, &c, vel pro non denuntiatis nominatim, ut fusè agitur in Tractatu de interdicto. His ergo Laicis, & pari modo omnibus Christi Fidelibus Bullam habentibus conceditur, ut possint in interdicto generali locali Ecclesiasticè, sed cum moderata pompa, sepeliri.

3. Si autem quæras, quænam sit hæc moderatio. Respondeo esse illam, (ut habet Corduba apud Ludovicum à Cruce *loc. cit. d. 7. num.* 2. qua cum cantu, & tribus, Campanarum clamoribus cadaver deferatur, & sepeliatur, apertis ianuis Ecclesiæ, sed sine Missa. Addit idem Author, in quodam Commentario Bullæ declarari per Pompam moderatam intelligi medietatem pompæ, & solemnitatis, quæ alias fieret iuxta qualitatem defuncti. Verum Ludovicus à Cruce *l. c.* concedit, standum esse consuetudini Patriæ, vel dispensationi Ordinarij, vel si hoc desit, Parochi.

*Monitio pro oratione fundenda in usu prædictorum favorum.*

4. Quoties uteris Bullæ favore celebrandi in privato Oratorio, vel celebrandi ante horam. Quoties idem facis tempore interdicti: Quoties Missam celebras, vel celebrare facis ante, vel post horam debitam cum concessione dicta commissarij: Quoties divinis adsistis eodem interdicti tempore, toties aliquas preces Deo pro Vnione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eosdem infideles victoria porrigere teneris. Sufficere autem unum Pater, & Ave, & eius omissionem non esse nisi venialem dictum est, *in Opusc. Sacr. Miss. l. 1. c. 4. §. 4. n.* 41.

Idem dic, quoties Eucharistiam sumis, modo dicto superius, & quoties Ecclesiasticè aliquem ex vi Bullæ tempore interdicti sepelis, nam in Bulla originali, quam toties citavimus, quamque habes apud Ludovicum à Cruce initio suæ expositionis hæc monitio de oratione fundenda, ponitur immediatè post illos prædictos favores, unde pro omnibus requiri videtur.

### CLAVSVLA VIII.

*Item, ut durante dicto anno, intra ipsa Regis Hispaniæ Regna* (intellige, ubi promulgatur Bulla) *& non extra carnibus de consilio utriusque Medici temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadragesimalium, vesci, ac pro eorum libitu, ovis, & lacticiniis: Itaque qui carnes comederint, servatain cæteris Ieiunij Ecclesiastici forma dicto Ieiunio satis feciſſe censeantur.*

*Excipiuntur ab Indulto vescendi ovis, & lacticiniis, quoad Quadragesimalia Ieiunia tantum, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Superiores, vel inferiores Prælati, & qualibet Persona Regularis, & ex Sæcularibus illi, qui in Presbyteratus Ordine constituti sunt, nisi fuerint Sexagenarij.*

Hactenus clausula *Indultum quod deinde concessit Prælatis, ac Sacerdotibus Sæcularibus vescendi lacticiniis Vrbani VIII. ponemus, & exponemus non multo post in fine eius capitis §. 5.*

## CAPVT VIII.

*Secundum Privilegium circa cibos vetitos.*

HOc Privilegio tum quoad carnes, tum quoad lacticinia, non posse nos uti extra Regnum, seu Regna ubi non promulgatur Bulla, supra indicavimus, & nunc confirmamus suo in loco, quia nimis id clarè apparet in bullæ tenore. Quare, si tu habens bullam Panormi, eas Neapolim, ibi hoc Privilegio vescendi prohibitis frui non potes, potes autem, si eas in quamlibet Siciliæ Civitatem, ut etiamsi adeas Hispaniam aliaque Regna, in quibus bullæ promulgatio conceditur.

### §. I. *Posse carnibus vesci de consilio utriusque Medici.*

1. VT hoc Privilegio fruamur, requiritur consilium utriusque Medici. Circa quod dubitabis, quid emolumenti affert hoc Privilegium? Nam, vel certus sum, me ob infirmitatem gravem posse comedere carnes, & tunc licitè possum illis vesci sine ullius consilio: Quod si sim incertus, & Medicus solus corporalis declaret, me carnibus indigere etiam possum liberè, ut ex se patet: Vel sum certus, vel certus reddor à Medico me non indigere carnibus, & tunc nullo modo licitè illis vesci possum: vel denique sum in dubio, & dubius est medicus de mea indigentia; & nunc probabile putant nonnulli, ut *l. 1. in Dec. c. 3. §. 7. V. Ieiun.* nos diximus, me

posse

posse iis vesci, ne scilicet in periculum certum gravis morbi dilabar; quo periculo stante, (ut quando est dubia mea indigentia, semper stat) certè non obligor (aiunt hi) ad abstinendum à carnibus. Quid ergo emolumenti affert bulla?

2. Respondeo, duo emolumenta affert. Primùm, quia est alia sententia, & quidem communior, docens, in prædicto dubio esse obediendum præcepto: præceptum enim abstinendi à carnibus die vetito, est certum; excusatio autem, ut supponis, est dubia; unde prævalere debet certitudo præcepti: Ideo Pontifex sequentibus hanc communiorem sententiam, imò etiam sequentibus primam, ne scrupulorum sit locus, concedit per bullam ejusmodi comestionem.

Secundùm, quia (ut habet bullæ tenor) quæ data est à Pio Quinto, quæque refertur à Lud. à Cruce *de Bull. d.* 1. *c.* 5. *d.* 10.) concedit Summus Pontifex, ut qui in reliquis servat formam Iejunii (intellige si semel tantum comedat ad satietatem, &c.) censeatur implere præceptum, & sic consequatur Iejunii meritum, quod certè est magnum privilegium. Meritum autem dixit improprio, & vulgari modo loquendi, significare volens prædictos consequi eam satisfactionem ex dispensatione Thesauri Ecclesiæ per Summum Pontificem, quam consequeretur, si sine carnibus jejunarent. Id quod Pontifex in clausula hac, quam præ manibus habemus, verbis magis propriis, & manifestis habet, ibi (ut jejunio satisfecisse censeantur.)

3. Dubitabis secundò, quid intelligatur nomine utriusque Medici.

Respondeo, Quoad primum, intelligi quemlibet Confessarium, etiamsi non sit tuus, quia etiam is Medicus spiritualis est, & quia in foro conscientiæ omnes Confessarii reputantur ut unum quid. Ita Gallegus, *c.* 6. *dub.* 45. addens, satis esse, si id consilium detur extra confessionem, non enim bulla confessionem actualem requirit. Imò idem & Bardi *p.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. *sect.* 2. docent satis esse quemlibet Sacerdotem, quamvis non approbatum ab ordinario ad confessiones suscipiendas, quia etiam hic potest absolvere à venialibus, & absolutè dici potest confessarius, quicquid in oppositum dicat Mendo *in app. d.* 2. *c.* 8.

4. Quoad secundùm. Difficultas est. Vtrum, sicuti certum est doctorem in Medicina sufficientem esse, ita quemlibet, nec doctorem, nec scientiam Medicinæ profitentem, sed hominem, vel etiam mulierem in medicando ægroto expertam?

Respondeo, sufficere, quia nomine Medici non intelligitur ad literam, qui doctoratus laurea est insignitus. Nam, si est Doctor, sed tamen mihi constaret esse inexpertum, non sufficeret; esset enim directè contra mentem Pontificis; intelligitur ergo, qui est peritus; unde rectè de hac re sic dixit Henr. *l.* 6. *c.* 23. *Si modo medicus, aut expertus vir explicet subesse causam.*

5. Dubitabis Tertiò. Cum Prælati omnes, ut etiam omnes Regulares, & Sacerdotes omnes, etiam Sæculares, nisi sint Sexagenarii excipiantur, per Bullam Cruciatæ ab usu Privilegii vescendi lacticiniis diebus vetitis, ut mox dicemus latius, possuntne ii uti hoc privilegio comedendi carnes ex consilio utriusque Medici?

Respondeo, posse quia in Summario Latino Bullæ allato à Ludov. à Cruce toties citato & in Summario vulgari tum Hispanico, tum Italico, quod traditur fumentibus bullam, non est illa exceptio in privilegio comedendi carnes, adest vero solum in privilegio edendi, lacticinia. Non placet ergo Mendo *d.* 18. *c.* 3. *n.* 23. nobis contrarius.

6. Dices, at Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 2. licet nobis favens, affert tamen verba Bullæ Latinæ, ubi videntur excludi prædictæ personæ etiam ab usu privilegii circa carnes.

Respondeo. Vidit hunc loquendi modum Bullæ Latinæ Bardi *p.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. *sect.* 3. illumque timuit, unde optat majorem explicationem à commissario generali, in quo residet potestas translatandi, ut ita dicam, & declarandi dictam Bullam.

7. Ego commissarii generalis majorem explicationem optare non possum, quæ enim major declaratio quam illa, quæ habetur in dicto Summario Latino, & in Translatione Hispanica, & in Italica, quod Summarium F. delibus datur à distributore bullarum; & quod cum magna consideratione à commissario compilatum fuisse nemo prudens dubitare poterit; at in hoc non est illa restrictio quoad carnes contra Prælatos, Religiosique & Sacerdotes.

8. Quod si quis dubitet: An commissarius ejusmodi extensionem facere potuerit, dubium evincet ex usu tot annorum, quo distribuitur Fidelibus prædictum Summarium; id, quod, vel ostendit, commissarium hac potestate non caruisse ex tenore concessionis bullæ, vel ex alio Pontificis novo rescripto, vel saltem eam acquisivisse ex tot annorum consuetudine præscriptam.

9. Dubitabis quartò an hoc Privilegium valeat non modo pro diebus jejuniorum (ut loquitur bulla Latina) verum etiam pro diebus totius anni, quando non est jejunium, nempe pro diebus feriæ sextæ, & sabbati, ut habet bulla Italica.

Respondeo, etiam pro diebus totius anni dictis propter rationem modo ductam à potestate commissarii potentis bullam declarare, qui signate id in bulla fallat declarare profitetur. Adde illud bullæ Latinæ (*pro Diebus Iejuniorum,*) legitimè posse extendi ad dies feriæ sextæ & sabbati, quia à sacris Canonibus hi dies vocantur etiam dies jejunii, licet non tam rigorosi, ut sunt quadragesimales, Bardi *loc. cit. sect.* 1. id probat ex illa *regula juris in* 6. Cui licet, quod est plus licet, utique quod est minus. Verum quia hæc regula plures patitur limitationes, ut videre est apud Sanchez, *lib.* 8. *matrim. disputat.* 1. *n.* 32. ideo nostræ rationes videntur esse expeditiores.

10. Dubitabis quintò, An dispensatus ad carnes, modo dicto, per bullam, possit pluries in eodem die carnes comedere?

Respondeo, esse valde probabile posse, nisi à dispensante restringatur ad aliquas vices tantum: Id quod cum universaliter *l.* 4. *in dec. c.* 5. §. 1. *n.* 2. dixerim, aliaque ad rem addiderim, eadem hic cum molestia repetere non oportet: Memineris tamen hunc dispensatum per Bullam meritum jejunii habiturum, ut dixi *n.* 2. si semel tantum comederit; formam nimirum jejunii in cæteris observans.

### §. 11. *Posse temporibus jejuniorum totius anni etiam Quadragesimalium vesci lacticiniis.*

1. PRo tribus temporibus datur privilegium comedendi lacticinia. Primò, pro feriis sextis, & sabbatis cujuscunque Hebdomadæ. Secundò, pro Vigiliis, & quatuor temporibus. Tertiò, pro quadragesima.

Et quidem pro quadragesima hoc clarè est privilegium, quia tunc sine Bulla esset à lacticiniis abstinendum. In cæteris autem diebus anni est etiam privilegium, nimirum pro locis illis, ubi est legitima consuetudo non comedendi tunc lacticinia: Imò etiam in aliis locis, ubi est consuetudo tunc comedendi lacticinia, est privilegium, nam per illud sedantur saltem conscientiæ timoratorum.

2. Iam verò dubitabis primò. An qui habet bullam, possit vesci lacticiniis in jejuniis ex voto, ex pœnitentia Sacramentali, & ex Iubilæo.

3. Antequam respondeam, recolo, sive jejunare debeas ex voto, sive ex pœnitentia data à confessario, sive ad lucrandum Iubilæum, recole inquam, esse opinionem probabilem, te tunc posse jejunare comedendo lacticinia, nisi tamen vel expressè, vel ex circumstantiis colligatur,

gatur, votum,& pœnitentiam,& conditionem jejunii in Jubilæo fuisse, etiam de abstinentia à lacticiniis,ut *lib. 3. in Decal. c. 15. §. 6. n. 11. de voto*, ibidem *lib. 4. c. 5. §. 1. n. 25. de pœnit. Jubil.* à me dictum est. Cujus probabilitatis ratio principalior est, quia ratio jejunii Ecclesiastici stat cum lacticiniis, quare nisi aliud expressum in prædictis fuerit, satis jejunium exhibebitur, etiam cum lacticiniis; quia jam sic ponitur id, quod absolutè jejunium Ecclesiasticum est.

Respondeo nunc ad dubitationem, affirmativè. Nam si est probabile,ut etiam habet Bardi *de Bull. p. 2. tr. 3. c. 2. sect. 10.* te satisfacere illis sine bulla,multo magis cum illa, si tamen aliud expressum non fuit ut dictum est, nam tunc ad illam non se extendit bulla,quæ solum dispensat in jure communi.

4. Dubitabis secundò. Minor viginti uno anno qui non jejunat in die v. g. Quadragesimæ, potestne tunc lacticinia cum bulla comedere. Idem quæritur de aliis non obligatis ad jejunium.

Respondeo posse; quia privilegium hoc,quo ad lacticinia, est absolutè concessum,& quidem ad libitum, nec restrictum ad conditionem jejunandi.

## §. III. *Ovis, & Lacticiniis.*

1. QVid veniat lacticiniorum nomine, quid ovorum *lib. 4. Decal. c. 5. §. 1. à n. 19.* dixi ut item *ibidem à n. 14.* dixi non intelligi sanguinem, medullam, laridum, assuntiam, pinguedinem quamcunque licet probabiliter in nostro Siciliæ Regno intelligatur sagimen ex sue, quod est laridum suis liquefactum.

2. Sed hic dubitabis Primò, quid de sanguine, liquefacto ex adipe aliorum animalium,Gallinarum,Anserum Cervorum.

Respondeo, non intelligi, saltem in nostris regionibus, nomine lacticiniorum. Ratio est, quia fundamentum, unde *loco citato*, diximus, probabile esse, intelligi sagimen porcinum, est quia in nostris regionibus illud communi hominum existimatione connumeratur inter lacticinia. At non video, sagimen aliorum animalium, cum rarum sit,ita connumerari. Quare licet physicè eadem sit ratio de hoc atque de suillo, non est tamen moraliter, & ita sustinet Bardi *p. 2. tract. 3. c. 3. num. 15 & 16.* contra Layman & Pasqualigum, quos ipse citat, qui pro nostris Regionibus contrarii non essent nostræ sententiæ.

3. Dubitabis secundò de Ovis quæ vocamus,& certè sunt non ova.

Respondeo. Dixi *ibidem*, enumerari inter lacticinia, non vero racemum, unde ea pendent, quia illa sunt eadem substantia ac ova, id est ipsissima Caro. Pater Bardi refugit numerare inter lacticinia ovicula illa instar acini quæ dicto racemo sunt affixa, quia adhuc, inquit, retinent naturam sanguinis, & non sunt in substantiam ovi conversa. Sed profecto sapor, color, aliaque omnia ostendunt ea non esse sanguinem, sed jam concreta, in substantiam ovi.

## §. IV. *Excipiuntur Patriarchæ, &c. ab indulto lacticiniorum.*

1. IN jejuniis Quadragesimalibus vesci lacticiniis, non possunt cum Balla hac communi quam nunc explicamus(nam cum alia §. 5. dicemus) Primò Prælati. Secundò, quævis Persona Regularis. Tertiò, omnes Presbyteri sæculares, excipe nisi prædicti fuerint Sexagenarii.

2. Dictum est autem (Quadragesimalibus) nam certè possum in sextis feriis,& Sabbatis,& in jejuniis Vigiliarum,& Quatuor Temporum quæ non incidant in Quadragesimam. Ratio est,quia bulla solum Quadragesimæ jejunia excipit.

3. Dictum item est (in jejuniis) nam de Dominicis Quadragesimæ,quando non jejunatur, dicam mox *n. 14.* Verum discurramus de tribus prædictis classibus personarum separatim.

### *Omnes Prælati.*

4. Ii sunt primò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi Episcopi: Secundò alii Prælati inferiores,ut Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Superiores locales Ordinarii, hi enim omnes sunt Prælati, id est habentes jurisdictionem ordinariam,eamque spiritualem.

Inter Episcopos, (sub quo nomine intellige in posterum omnes primi generis)& inter Prælatos inferiores, est unum discrimen: nam hi inferiores renunciata prælatura vel finito ejus tempore, cum non sint amplius Prælati, nec aliquid ejus Dignitatis habeant, ut supponimus non excludentur tunc, ab hoc indulto, nisi sint Religiosi. At Episcopi renunciato Episcopatu, quia semper remanent in dignitate Episcopali, semper excluduntur.

5. Dubitabis porrò hîc primo. Episcopus solum electus, sed nondum confirmatus à Pontifice, excluditurne?

Respondeo. Non excluditur: quia nondum verè est Episcopus.

6. Quod si sit confirmatus, sed nondum consecratus?

Respondeo. Excluditur: quia verè tunc acquisivit potestatem Episcopalem exercendi jurisdictionem temporalem, & spiritualem. Unde potest censuras ferre, approbare Confessarios, Indulgentias concedere, &c.

Dico (potest) nam cæterum,ut actu exerceat, debet accepisse possessionem Episcopatus, quod rectè notat Azor. *p. 2. lib. 3. quæst. 9. ex cap. Injuncta, de elect. in extrav. commun.*

7. Dubitabis secundò. Cardinales excluduntúne ab hoc indulto vescendi lacticiniis,si fortè legitimè bullam sumant?

Respondeo. Non excluduntur,si solum sunt Cardinales,quia hi in exclusione non nominantur. At si sint,vel Episcopi, vel Religiosi, sanè excluduntur,non ratione Cardinalatus,sed ratione prælaturæ, vel professionis regularis. Ita Galleg. *Claus. 7. d. 54.*

### *Quævis Persona Regularis.*

8. Hoc est,omnes, qui professionem religiosam emiserunt per sua vota: Hinc excluduntur ab hoc Indulto Religiosi, etiam Laici, etiam moniales, etiam conversæ, etiam Scholares ex votis biennii Societatis JESU, quia omnes sunt verè Religiosi.

Contra non excluduntur Novitii, vel Tertiariæ (*Monache di Casa*) nec Tertiarii, nec puri Heremitæ, nec Scholares Societatis, si fuerint legitimè dimissi, quia omnes hi non sunt verè Religiosi, ut notat Trullench. *l. 1. §. 4. dub. 5.* alique.

9. Inquires de Religiosis Ordinum militarium: Respondeo. Hi includuntur à bulla, quoad hoc privilegium vescendi lacticiniis, nam non solum Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, aliique similes, de quibus est controversia, an sint Religiosi, verum etiam equites Hierosolymitani, quos Melitenses appellamus, hoc privilegium vescendi lacticiniis participant, si bullam legitimè sumant, ut patet in Summario Bullæ vulgari, quod Fidelibus distribuitur.

10. Subinquires, Sacerdotes horum Ordinum Militarium includunturne in hoc privilegio. Ratio dubitandi est, quia Pontifex paulo post excludit ab hoc privilegio omnes Sacerdotes, unde videtur excludere, etiam hos Sacerdotes militares; & ex alia parte idem Pontifex includit in hoc privilegio omnes militares; at hi, quamvis Sacerdotes ex Ordine Militari sunt,

Respondeo

Respondeo. Certant in hac re Bardi, & Mendo, locis citatis, & Bardi quidem illos excludit, quia sunt Sacerdotes; Mendo autem includit, quia sunt Militares, componamus nos breviter litem, affirmando utramque sententiam esse probabilem, quia utraque expositio probabiliter cadit in verba Pontificis.

11. Subinquires iterum, Regulares Ordinum Militarium possuntne uti hoc eodem privilegio. Respondeo; posse, docet Mendo, afferens Basilium, & Alphonsum testantem, talem esse praxim. Ratio est, quia Pontifex includit in hoc privilegio omnes, qui sunt ordinis Militaris. Ita etiam tenet Galleg. *Claus. 6. dub. 8.* atque hanc doctrinam practicari in Conventu S. Mariæ del Monte Ordinis Militaris S. Ioannis in Diœcesi Toletana.

12. Subinquires tertiò, Quid, si quis ex ordine Militari sit Episcopus. Respondeo. Vti non posse hoc privilegio, tandem concludit Mendo *d.18. c.3.* & colligitur ex iis quæ dicemus §.5. ex eo, nimirum, quod prævalet Dignitas Episcopalis. Id tamen cum sit raræ praxis, vide apud citatum Mendo.

*Omnes Presbyteri Sæculares.*

13. Presbyteri (inquit) quare non excluduntur ab hoc indulto, Clerici minores, Subdiaconi, Diaconi, qui non sunt religiosi.

14. Porrò quia in tenore bullæ dicitur (in jejuniis Quadragesimalibus) ideo, tum de dictis Presbiteris, tum de Prælatis, regularibusque supradictis dubitabis, an in diebus quadragesimæ, in quibus non jejunatur, hoc est in Dominicis, possint hi cum bulla licite, & ipsi frui lacticiniis?

Respondeo, concedit Mendo, non solum cum bulla sed etiam sine illa, prædictos, immò Fideles omnes posse uti lacticiniis in dominicis prædictis. Quod posterius dictum, hoc est sine bulla, quam falsum sit, ostendit Dian. *p.10.tr.11. Resol.46.* præsertim ex eo, quod Sacra Congregatio Sancti Officii, & Congregatio Iudicis Romæ mandavit ut hæc opinio deleretur à quodam libro.

15. At quoad prius dictum, ideſt cum bulla, puto, illud esse probabile, hoc est cum bulla posse prædictos omnes diebus Dominicis quadragesimæ vesci lacticiniis. Ita sustinet Trullench. Ludovicus à Cruce, Galleg. Villalobos, Diana, & Bardi *p.2.tract.3. cap.2 sect. 7.* eos, aliosque citans. Puto tamen esse aliquo modo etiam probabile, non posse, ut tenet Henriq. Rodriquez, aliique apud eumdem.

16. Ratio prioris probabilitatis est quia, bulla latina Gregorii XIII. expresse dicit, posse comedi lacticinia cum bulla in omnibus temporibus & jejuniis extra quadragesimalia jejunia tantum. Subsumo, sed dominicæ non sunt jejunia quadragesimalia, tunc enim non jejunatur, ergo, &c.

17. Ratio posterioris est, quia in bulla vulgari translata ex Latino dicitur, prædictos non posse cum bulla comedere lacticinia, quoad dies Quadragesimæ: subsumo: Sed dominicæ prædictæ licet non sint jejunia ideſt non sint dies, in quibus jejunatur, sunt tamen dies quadragesimæ. Ergo, &c.

18. Huic autem rationi respondere potest prior sententia, asserens, magis standum esse Latinæ bullæ originali, quam vulgari in hoc casu, ubi non est declaratio, sed dispositio pertinens ad substantiam concessionis excedens potestatem Commissarii, quare vulgaris est explicanda juxta sensum Latinæ atque adeo per dies quadragesimæ intellexisse Commissarium solos dies jejuniorum, qui sunt in quadragesima, non verò dies dominicos, & quidem merito: nam dies dominici sunt ultra dies quadraginta, qui dies proprie sunt quadragesima.

*Nisi Sexagenarii sint. Vbi de Pueris aliisque non obligatis ad jejunium Ecclesiasticum.*

19. Prædicti, Episcopi, Regulares, Presbyteique Sæculares, si sint sexagenarii, possunt lacticiniis frui cum bulla.

Sed inquires primò, quinam sunt sexagenarii? qui jam attigerunt sexagesimum annum, necdum complerunt, an, qui jam complerunt? Breviter annos sexagesimus ad hunc effectum, debetne esse completus, an iam est incompletus?

Respondeo. Ego quamvis sciam ex Doctoribus citatis aliquos requirere completum, aliquos esse contentos incœpto, puto tamen cum his posterioribus, satis esse incœptum, atque adeo sufficere, si quis attigerit sexagesimum. Non me movent rationes, quæ afferuntur à prædictis. Respondere enim illis facile quis posset, sed ipsi verba Pontificis, non enim Pontifex in nostra bulla utitur illo modo loquendi (*Concedo hoc Privilegium illis, qui sexaginta annos habent*) qui modus loquendi varie in utramque partem explicari posset, sed dicit *Concedo hoc Privilegium illis, qui sunt sexagenarii.* At, qui attigit sexaginta annos, licet non compleverit, dicitur, & est sexagenarius, ut etiam pari modo dicuntur octogenarii, centenarii etiam ii, qui octoginta, centum attigerunt. Sexagenarius enim propriè, & Latinè dicitur ille, qui agit sexaginta annos, non vero qui jam egit, illeque complevit. Hæc est mea ratio. Adde, credibile valde esse Pontificem voluisse indulgere prædictis, atque hoc Privilegium concedere, quando ex recepta jam consuetudine non obligantur amplius ad jejunium Ecclesiasticum: Sed jam uterque Sanch. & alii multi apud Lezd. *de Præc.Eccl.tr.5.d.8.q.17.* ex probabilissima opinione hi sunt illi, qui solum attigerunt sexagesimum. Ergo, &c.

20. Inquires secundò, qui non obligantur ad jejunium, quales sunt pueri, puellæque usque ad vigesimum primum annum completum, & Pauperes mendici qui non habent cibum sufficientem, quo refectionem simul facere possint, ut etiam artifices, qui artibus laboriosis vacant, possuntne iis diebus, quibus non jejunant, concedere legitime lacticinia cum bulla.

Respondeo. Posse. Id quod supra §.2.*n.4.* universaliter dixisse me, memini. Ratio autem est eadem *ibid.* dicta: quia bulla absolute id concedit, & non sub conditione jejunandi.

21. Subinquires per hanc occasionem, Pueri, qui nondum septimum attigerunt annum, indigentne bulla ad comedenda lacticinia?

Respondeo. Certum est non indigere, etiam ad comedendas carnes, si non sint rationis capaces, sive ante, sive post septennium, quia puer rationis impotens, vi non est subditus legibus, vel ab ipsis excusatur: Certum est item, indigere post septennium, si sint rationis capaces, quia jam sunt subditi legibus, ut à nobis dictum est, *in Opusc. de comm. c.4. §.2. an.7.*

Quæstio igitur solum superest de raro casu quo puer ante septennium sit certo rationis capax, de quo dico, cum multis, ap. Io. Sanch. *d.52.n.31.* & Palq. *de jejun. disc.5 o. n.2. & 5.* esse probabile, non posse sine bulla vesci lacticiniis, & item esse probabile, posse. Ratio, quod non possit est, quia omnis, qui ratione utitur, subjacet legibus. Quod vero possit, est, quia Ecclesia, nisi quid amplius explicet, solum dirigere præsumitur suas leges ad eos qui communiter sunt in ætate, in qua solet esse plena discretio, ideſt post septennium, non vero pro casu raro & per accidens ante septennium.

22. Quid si dubium sit, an usu rationis puer polleat?

Respondeo. Tunc, cum multis *ap. eosdem*, ante septennium, ne illum obliges ad prædicta Præcepta Ecclesiastica, ne illum obliges ad prædicta Præcepta Ecclesiastica, ne illum obliges ad prædicta Præcepta Ecclesiastica

universaliter Castr.*t.1.d.1. de leg.p.*24.§.3.*n.*3. Quæ sententia cum certe sit saltem tutior, est à nobis amplectenda, quam etiam docet in simili Sanch.*l.*6.*Sum.c.*16.*n.*7.

§. V. *De Privilegio edendi lacticinia concesso ab Vrbano VIII. aliquibus ex prædictis exceptis.*

1. URbanus VIII. Episcopis, & Presbyteris sæcularibus, qui sunt excluſi ab indulto lacticiniorum per bullam communem, illud concessit iisdem (non vero Religiosis) in hunc tenorem.

*Venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis, nec non Presbyteris sæcularibus dumtaxat, ut Quadragesimali tempore (hebdomada tamen maiore excepta) ovis similiter ac lacticiniis pro eorum libitu, uti, & vesci, indulgemus data eleemosyna per commissarium generalem taxanda.*

2. Porro circa hanc Bullam (quam vocare solemus Bullam parvam, vel Bullam lacticiniorum) multa essent inquirenda, sed quia hæc est extensio Bullæ Cruciatæ, ea, quæ superius diximus, hic etiam dicta esse censendum est. Solum igitur alia ipsius propria sunt hic proferenda. Quare.

3. Inquires primo. Quanta eleemosyna eroganda est pro hac bulla?

Respondeo. Commissarius generalis sequentem taxam constituit. Memineris autem, Realem esse unum tarenum monetæ Siculæ grana quatuor, & ejusdem grani partem quartam.

Pro Episcopis &c. & Abbatibus Reales 24.

Pro dignitabus Canonicalibus Ecclesiarum Cathedralium, vel collegiatarum Reales 8.

Pro illis, qui gaudent portionibus, vel portionum medietatibus, & pro beneficiariis curam habentibus animarum, vel non habentibus, quorum redditus annus fit scutorum trecentorum Reales sex.

Pro habentibus beneficium, Capellaniam, vel Portionem, quorum reditus annus non minus sit, quam scutorum trecentorum, Reales quatuor.

Pro Clericis, & Presbyteris sæcularibus Reales duos.

4. Inquires secundo, Virtute hujus bullæ, quam quis hic recipit, utine potest lacticiniis extra regnum &c.

Respondeo, cum Galleg.*clauſ.*6.*d.*53. nequaquam, nam hæc bulla cum sit extensio prioris, seu communis bullæ intelligitur cum eadem limitatione, qua illa est.

5. Inquires Tertio. Quando hic excipitur hebdomada major, excipiturne etiam Dominica Palmarum?

Respondeo. Excipitur. Unde, ex vi hujus parvæ bullæ non possunt prædicti lacticiniis vesci ea Dominica. Nam cum quælibet Hebdomada, constet septem diebus, manifestum est, Dominicam includi in Hebdomada. Dixi (ex vi hujus parvæ bullæ) nam quia probabile est, cum bulla communi licite posse comedi lacticinia à prædictis personis exceptis in Dominicis Quadragesimæ, ut supra diximus §. 4. *n.*15. Ideo qui ex dictis personis illam communem habet, poterit ut vult Gall. *l.c.d.*55. Trull. *in App.n.*12. ex vi illius bullæ ea comedere in dicta Dominica Palmarum.

6. Inquires Quarto. De quorum bonorum reditu intelligitur quando juxta Bonorum annuorum, fit mentio?

Respondeo. Bonorum Ecclesiasticorum, hoc est Bonorum quæ quis habet ab Ecclesia, seu ratione beneficii Ecclesiastici, deductis operibus, quæ forte sint in illo beneficio. Quare si quis habeat bona patrimonialia, vel propria industria conquisita quantumvis pinguia, si tamen id quod habet ratione beneficii, portionis, pensionis &c. non accedat ad reditum annuum in prædicta taxa definitum eam majorem eleemosynam dare pro hac parva bulla non obligabitur. Ita Gal. *ib.d.*56. Trull. *ibid.n.*13.

7. Inquires Quinto. Si Episcopi, Abbates, ut item dignitates Canonicales, pro quibus non fit mentio quantitatis bonorum Ecclesiasticorum pauca habeant, hoc est habeant bona Ecclesiastica non pertingentia ad annuum reditum secutorum trecentorum, obligenturne taxam 24. vel 8. Realium contribuere pro hac bulla?

Respondeo, cum Trull. *in exposit. hujus bull. parv. n.*14. Obligantur, quia dum commissarius taxavit eleemosynam pro his, non respexit ad reditus, sed solum ad dignitatem. Addit. Gall. *clauſ.*6.*d.*57. hos obligari ad prædictam taxam, etiamsi nihil habeant.

8. Inquires sexto. Coadjutor v.g. Canonici, vel cujuscumque beneficiarii venitne nomine Canonici, vel beneficiarii, ita ut debeat dare eleemosynam constitutam pro illis, quorum est Coadjutor.

Respondeo Nequaquam, quia Coadjutor non est vere Canonicus, vel benficiarius, habet enim solum jus ad rem non in re, ut notat. Trull. *l. c. n. ult.* lege id latius apud Gal. *ib. d.*58. qui id confirmat ex Suario docente, Coadjutorem, vivente proprietario, non esse Canonicum, licet habeat locum in stallo, & vocem in capitulo absente proprietario.

9. Inquires septimo. An qui vult frui indulto hujus bullæ lacticiniorum, debeat etiam sumere bullam communem.

Respondeo nequaquam; cum Bardi. *p.*2.*tr.*3.*c.*2. *f.*8. *n.*131. quia id non requirit tenor bullæ: & merito, hæc enim non dependet necessario ab illa communi, sed est nova declaratio, seu potius nova extensio, novumque privilegium.

10. Inquires Octavo. Prælati superiores, v.g Episcopi, si fuerint assumpti ad Episcopatum ex Religione, gaudentne Privilegio lacticiniorum hujus parvæ bullæ? Ratio dubitandi est, quia ejusmodi Episcopus, qua Episcopus est, videtur gaudere hoc Privilegio, at, qua Religiosus non videtur; quæ igitur qualitas ex his prævalebit?

Respondeo, cum Trul. *l.c. n.*9. prævalere qualitatem Episcopatus, atque adeo frui hac bulla posse, quia dignius debet ad se trahere minus dignum. Confirmatur: quia licet, qui assumptus est ad Episcopatum à statu religioso secum ferat Vota Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ quæ sunt de essentia status regularis, tamen non fert obligationes ad cæteras observatias regulares, quia illæ sunt pro statu, quo vivunt in religione, ut signate non ferre has obligationes, & abstinentias regulæ docet Sanch. *l.*6. *Sum.c.*6.*n.*15. Imo etiam si religiosi S. Francisci de Paula habeant pro voto abstinentiam à carnibus, & Lacticiniis, qui tamen ex illis assumuntur ad Episcopatum, ut etiam si quis ex iisdem ejiciatur à religione per legitimam ejectionem, illo voto non obstringuntur, quia illud votum tametsi sit de essentia hujus Religionis est tamen solum pro statu, quo ibi vivunt. Ita discurrit Bardi *l. c. f.*10.*n.*132. Quoniam igitur Episcopus qui extra religionem vivit non tenetur ex vi Religionis, abstinere ab illis cibis, à quibus debent abstinere in religione, & consequenter bulla hæc parva ei prodesse poterit &c.

11. Cardinalis autem non Episcopus, qui sit bresbiter à religione ad Cardinalatum assumptus, non poterit hac Lacticiniorum bulla gaudere, quia exuna parte de religioso nulla fit concessio in hac bulla; & ex alia nulla in eadem fit concessio meræ dignitati Cardinalatus, ut patet ex tenore bullæ. Quod si ejusmodi Cardinalis sit Episcopus, tunc non mirum, posse gaudere, quia cuicunque Episcopo hæc parva bulla conceditur.

12. Denique Episcopi, sive regulares, sive sæculares si sint mere Titulares, quia scilicet renuntiaverunt jurisdictioni Episcopali, gaudere possunt hoc indulto, quia adhuc retinent dignitatem Episcopalem. At verò si forte sint degradati, non gaudebunt, quia per actualem degradationem amittunt omnia privilegia. Si quis autem renuntiavit, tum Jurisdictioni, tum Dignitati, nec posse gaudere putat Bardi *l.c.sect.*8 *n.*128. quia tunc jam caret omni dignitate. Sed mihi difficilis est hæc Decisio, quia cum in eo semper remaneat Character Episcopalis, nunquam poterit se dignitate Episcopali spoliare.

13. Inquires Nono. Quando dicemus infra, in communi Bulla debere scribi nomen eius, qui illam sumit, eamque debere apud se retinere eo modo, quo ibidem explicabitur, id ne etiam est necessarium in hac parva Bulla? Respondeo, non esse simpliciter necessarium, docet Trullench *l.c.num.*8. quia id in hac Bulla, nec ab ipsa, nec ab eius Declaratore Commissario requiritur.

## CLAVSVLA. IX.

*Item prædicti Bullam sumentes, qui diebus Ieiunio non suppositis, ad implorãdam Divinum Auxilium pro Vnione & Victoria prædictis, voluntarium Ieiunium, vel si Ieiunare impediti legitime fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confessarij, vel Parochi assumpserint, & simul pro Vnione, & Victoria prædictis preces fuderint, toties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annis, & totidem quadragenæ de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxantur, & insuper omnium precum, elemosynarum, Peregrinationum, etiam Hierosolimæ, & aliorum honorum, quæ in universali militante Ecclesia, & singulis eius membris fiunt participes reddantur.*

## CAPVT IX.

### *Tertium Privilegium de quibusdam indulgentiis & participatione bonorum operum.*

SVb prædictis conditionibus duo hîc conceduntur puta, indulgentiæ quædam peculiares, & participatio bonorum operum fidelium. Iam de Singulis.

### §. I. *Quænam indulgentiæ hic concedantur.*

1. SOlebant olim in Ecclesia (nam hodie in usu non sunt) imponi delinquentibus diversæ pœnitentiæ iuxta diversam culparum gravitatem, ad arbitrium sacerdotis, v.g. Ieiunia, flagellationes, inclusiones in Monasteria, & simule ut habetur in multis Sacris Canonibus, qui ponuntur in fine decreti post tertiam eius partem; & illæ quidem, quæ imponebantur, ut duraturæ per Quadraginta dies v.g. vocantur Quadragenæ, seu Quarantenæ; quæ v. g. per septem dies appellabantur septenæ, & sic de cæteris. Quando ergo ob Ecclesiæ benignitatem condonabatur alicui pœnitenti pœna ipsi iniuncta quæ aliàs durare, ut dictum est, debeat per quadraginta v.g. dies, dicebatur ei relaxari una Quadragena; quando autem octoginta dies, dicebantur ei relaxari duæ Quadragenæ, ut etiam, sic per annum durare oportebat, vel per duos annos, dicebatur ei remitti unius vel duorum annorum Pœnitentia.

2. Hinc facile iam intelligis quid concedat Pontifex, dum in præsenti clausula dicit, accipienti Bullam, ac ieiunanti cum circunstantiis in ea designatis, relaxari quindecim annos, & totidem Quadragenas de Pœnitentiis ei iniunctis. Concedit enim ipsi remissionem debiti agendi pœnitentiam per quindecim annos & totidem quadragenas, seu Quarantenas dierum: quæ quidem Quarantenæ ascendunt (nisi in computatione fallor (ad dies ducentos, & nonaginta; sive autem id explices tunc remitti de pœna Purgatorij, pœnam prædicti anni prædictorumque dierum, sive tunc remitti de purgatorij pœna, quanta tibi remitteretur, si per illud tempus pœnitentiam in hac vita egisses, semper magnum erit beneficium. Vter autem ex his modis sit probabilior, vide apud Scholasticos, præsertim apud Suar. *de pœn. d.*50. *s.*5. *præsert. n.*5.

3. Scito autem, quando dicimus, per indulgentias remitti pœnam, nos intelligere, remitti in foro Dei; Falsa enim est illa opinio, quæ dicit, per indulgentias remitti solum pœnitentiam in Foro Ecclesiæ, lege Suar. *l.c. sect.*2. *n.*2. qui censet esse de fide, posse ab Ecclesia conferri indulgentiam, ut per eam extra Sacramentum Pœnitentiæ remittatur pœna apud Deum, cum Christus Dominus absolute dixerit, (quemcumque solveris super terram, erit solutus, & in cælis)

4. Quando autem dicimus *in foro Dei*, intelligimus solum remitti eas pœnas nostris peccatis debitas, quibus pœnis satisfacere debemus in foro conscientiæ. quare si tu à tuo Prælato condemneris ad aliquam pœnam sive spiritualem, ut sis v.g. suspensus per annum, sive temporalem, ut sis v. g. inclusus in monasterio per similem annum, ab his pœnis non liberant te huiusmodi indulgentiæ, Idem die de pœnitentiis, quas summus Pontifex vel pœnitentiaria tibi imponit, quando aliquid dispensat, per has enim pœnitentias à Pontifice, vel Prælato impositas, non satisfacimus immediate Deo ob nostras culpas, quarum satisfactiones respicit, ut diximus, indulgentia, sed immediate Ecclesiæ.

5. His cognitis. Inquires Primo, quando Pontifex in nostra Bulla Cruciatæ dicit, ieiunanti remitti dictos annos, & quadragenas de iniunctis pœnitentiis intelligis ne, remitti solum de iniunctis, seu impositis, an etiam de cæteris quomodocunque debitis ab ipso ieiunante.

Respondeo. Licet doctores, ut videre est apud Delug. *d.*27. *de pœn. sect.* 2. discrepent quando Pontifex limitare dicit, (de pœnitentiis iniunctis) Aliqui enim dicunt comprehendi tum iniunctas, tum alio modo debitas ut tenet Suar. *l. c. sect.* 3. Aliqui vero solum iniunctas, ut tenet Delugo *l.c.n.*11. tamen in nostra bulla, non discrepant, seu certe discrepare non possunt, certum enim est remitti de utrisque, quia sic clare conceditur in bullæ nostræ tenore ibi. (*De iniunctis, & quomodolibet debitis Pœnitentiis.*)

6. Inquires Secundo. An possit indulgentia huius clausulæ multoties acquiri, si multoties fiant quæ in illa imponuntur?

Respondeo, posse; siquidem hoc manifeste significat illud (*toties, quoties.*)

Inquires Tertio. An per obtentam, vel obtinendam Indulgentiam possit Confessarius nullam Pœnitentiam imponere pœnitenti vel pœnitens impositam omittere, si indulgentia fuit plenaria, vel illam diminuere ad proportionem indulgentiæ, si ea partialis fuit, qualis est hæc quam in præsenti clausula explicabimus, An, inquam, possit ob illam rationem, quod iam per indulgentiam pœnitens satisfacit pœnæ, sibi debitæ, propter quam solam satisfactionem imponitur pœnitentia vindicativa, de qua solum hic loquutio esse potest: nam veram Medicinalem semper esse necessario exhibendam, nec à pœnitente omitti posse, iam scimus.

Respondeo, non posse omitti, semper esse exhibendam docet Suar. *t.*4. *in* 3. *p. d.*38. *s.*10. *n.*10. Sed posse, concedit propter rationem iam dictam, aliasque, Delug. *de pœn. d.*27. *n.* 22. addens esse sententiam communem doctorum.

Ego quamvis videam, hanc communem sententiam esse admodum reipsa probabilem, de qua aliquid indicavi *in Met. Conf. l.*4. *c.*1. *à n.*6. quia tamen ea supponit, pe lucratũ esse, vel lucraturum indulgentiam, id, quod certe communiter non caret aliqua incertitudine propter multas conditiones, quæ requiruntur ad indulgentias certo acquirendas: ideo in Praxi semper à Confessario iniungatur Pœnitentia in cõfessione, & à, pœnitente adimpleatur: ut nimirum certi simus de adhibita satisfactione, & ita notat Bardi *p.*1. *tr.*4. *c.*1 *sect.*3.

### §. II. *Quænam Communicatio operum hic concedatur.*

1. INter iustos constitutos in Ecclesia sub uno Capite Christo adesse communicationem operum, quam fatemur in Symbolo ibi (*Sanctorum communionem*,) de fide certum est sed in quonam ea consistit?

Sanè, non solum consistit in fluxu, quo Christus Dominus, tanquam caput in sua membra gratias imperrit &

& in communicatione sacramentorum omnibus fidelibus communium; verum etiam in eo, quod quilibet justus possit applicare sua opera, & de facto applicet, quando ei libet, in satisfactionem pœnarum quas alij debent pro suis culpis, & item, ut possit per sua bona opera impetrare, & de congruo obtinere pro aliis aliquod donum supernaturale, vel naturale, nimirum auxilium gratiæ, conversionem à malo statu, sanctitatem, bona temporalia, &c.

2. Quoniam autem hæc communicatio est omnibus fidelibus communis, quid supra hanc concedit hic Bulla Cruciatæ? Nihil, Respondet Lud. à Cruc. *d.1.c.8.d.14. n.* 11. & Trull. *l.1. in bull. §.5. n.9.* sed eandem communicationem novo titulo acquirendam.

3. Verum probabilius esse debet, aliquid aliud concedi, quandoquidem adeo signate eam concedere, Pontifex profitetur, &, ut ex contextu patet, tanquam novum Privilegium.

Sed quodnam id aliquid est?

Respondeo, si prius memineris opera cujuscunque justi esse meritoria, impetratoria, & satisfactoria. Et quidem per opera, ut meritoria, quæ vocantur à Theologis meritoria de condigno, solum justus favet sibi operanti: At per opera impetratoria, quæ vocantur à Theologis merita de congruo possunt fideles impetrare, & mereri de congruo, tum pro se, tum pro aliis, hoc est mereri ex liberalitate convenienti Deo aliquod beneficium sibi, vel alteri.

4. His in memoriam revocatis, sic aliqui discurrunt, quo ad satisfactionem. Petrus v. g. justus jejunet v.g. per diem, sanè satisfacit pro aliqua parte pœnæ, quam fortasse adhuc debebat pro suis culpis, vel, si illud jejunium applicet pro aliis, v.g. pro Paulo, valebit satisfactio talis jejunij pro pœnis debitis à Paulo. At vero si Petrus inveniatur, sive per alia similia opera, sive per acquisitam indulgentiam plenariam, nihil omnino debere pro suis culpis, & ex alia parte pro alio ipse non applicet, vel si applicet pro alio, hic alius sit incapax, puta, quia existit in mortali, vel est in gloria, vel est in Gehenna, tunc illa satisfactionis quantitas Petro superabundans ex prædicto jejunio, quæ ipsi non est necessaria, quæque soli Deo cognita est, reservatur in Thesauro Ecclesiæ, cujus solus Pontifex est distributor. Idem ergo Pontifex per hoc privilegium communicationis, de qua loquimur concedit hoc beneficium, ut illa satisfactio superabundans, antequam reponatur apud Ecclesiæ Thesaurum, participetur (secundum taxam, quæ à solo item Deo est præscripta, & nota) ab eo, qui bullam habens jejunat cum circumstantiis explicatis.

Satisfactio autem dicta, quæ participabitur, erit illa, quæ superabundat in eo puncto quo habens bullam modo dicto jejunat, vel forsasse etiam (ut tenet Gallegus *clauſ.7.d.66.*) erunt illæ satisfactiones omnes, quæ erunt postea faciendæ, & non applicandæ durante anno ejusdem bullæ, quod certe, ut idem notat *ibid. d.59.* est magnum beneficium. Simile quid dici posset de impetrationis fructu, quod videre poteris apud Gal. *l.c.* & melius apud Cast. *de bull. d. vnc.1.n.5.*

Hæc explicatio, quam affert Bardi de Bulla *part. 2. tract.4.cap.2.sect.1.num.7.* solum illud habet boni, quod alia melior non occurrit, nam cæterum gratis videtur conficta. Ego autem potius dicerem, dari quidem eiusmodi communicationem per bullam, quandoquidem sic expresse conceditur à Pontifice, sed quænam sit, ignoratur, donec Deus dignetur per aliquem, qui ipsi placuerit, declarare.

### §. III. *Sub quibus conditionibus prædicta conceduntur.*

1. PRimo, sub Jeiunio, vel te non valente jeiunare, sub opere tibi commutato à Confessario, vel Parocho. Secundo, sub oratione fundenda pro unione Principum Christianorum contra Infideles & pro victoria contra eosdem. Non posse autem hæc opera fieri per alium ad hunc effectum, videtur manifestum, nam ex modo loquendi Pontificis imponuntur ut Personalia.

2. Jam vero quoad Jeiunium illud debet esse voluntarium, unde non valet ad hunc effectum Jeiunium ex pœnitentia tibi à Confessario imposita, nec Jeiunium ex Præcepto Ecclesiæ. Scio Ludovicum à Cruce sustinere Jeiunium Quadragesimæ sufficere, idque ex præsumpta voluntate Pontificis, qui non est censendus toto illo Quadragesimæ longo tempore, velle Fideles privare his indulgentiis; scio inquam, hoc, sed assentire non possum; quia ubi verba disponentis sunt clara, non est locus præsumptioni; at, quid clarius, quam illud, (*diebus Jeiunio non suppositis.*)

3. Maior difficultas est, an satis sit jeiunium ex Voto Bardi *p.2.tr 4.cap.3.sect.1.n.3.* cum aliis putat, non sufficere, Gallegus autem, *l.c.* sufficere, quia Pontifex excludit jeiunium, præcepto non suppositum; & vult ut sit voluntarium, at jeiunium ex Voto non est jeiunium ex præcepto, & est maxime voluntarium, atque ex devotione ventis, Non mihi displicet hic discursus.

4. Præterea commutans prædictum jeiunium iis, qui sunt impediti, non potest esse alius nisi vel Confessarius, explicatus supra *c.8. §.1.n.3.* vel Parochus: & quia dicit Pontifex (eorum arbitrio) arbitrium autem in jure semper debet esse rationabile, ideo commutatio debebit fieri prudenter juxta aliquam proportionem ad jeiunium spectata qualitate Personæ.

5. Prædictus Galleg. *l.c.dub.65.* sustinet, jeiunium hoc non posse commutari ad hunc effectum in orationem, sed debere commutari in aliud opus bonum pium distinctum ab oratione, aitque erravisse Rodriquez cum dixit posse in Orationem, quia inquit Gallegus, Pontifex vult duo opera, & non solum Orationem. Certe ego puto id tutius saltem esse, sed non video, unde ita opera duo distincta exigat Pontifex, ut non possit jeiunium per replicatam Orationem compensari.

6. Illud denique hic concedo, quod concedit Cast. *l.c.p.5.n.2.* nam si quis ex aliqua causa infirmitatis, laboris, vel ætatis à præcepto excusetur, poterit jeiunare ad hunc effectum valide; quia iam illi eiusmodi jeiunium est voluntarium, & supererogationis.

7. Secundo, quoad Orationem fundendam, nihil esset explicandum cum in tenore Bullæ, quæ ad hanc pertinent sint clara, nisi Rodr. *in Add.bul.§.7.* cum Cast. *l. c. n. 3.* scrupulum quemdam induxisset. Dixit enim, hanc Orationem debere esse externam seu vocalem, nec sufficere solam mentalem; quia Pontifex (inquit Rodriquez, quando præcipit opera satisfactoria; requirit externa, & visibilia. Verum puto, satis superque esse, mentalem, quia quando Pontifex vult vocalem Orationem illam explicat iniungendo Rosarium v. g. Septem Psalmos, Litanias, &c. Quod autem assumit Rodr. gratis assumit, nos enim dicimus, quamvis Oratio vocalis sit magis proportionata visibili Ecclesiæ, non tamen semper eam esse necessariam, cum Pontifex possit concedere indulgentiam se conterenti v. g. & sæpe soler eam concedere dicenti, Jesus, in corde, si ore non potest. Lege Suar. *t.4. in 3. p.d.52.sect.5.à n.5.*

8. Scito denique hic duo. Primo, ad lucrandam hanc indulgentiam, satis esse illam eleemosynam, quæ datur in acceptione bullæ quia aliam non requirit. Clausula hæc, ut notat Gall. *Clauſ.7. d. 60.*

Secundo, satis esse non valde longas preces, sed id distinctius dicam mox *c.10.§.2.n.4.*

## CLAVSVLA X.

*Item, qui, dicto anno durante, in singulis diebus Stationum almæ Vrbis, quinquies Ecclesias, seu Altaria, seu in illorum defectu, quinquies unum altare devote visitaverint, precesque ad Deum pro Vnione, & Victoria prædictis fecerint omnes, & singulas indulgentias Stationum intra, & extra*

*muros prædicti Urbis, tam pro se, quam per modum suffragii, pro defunctis, pro quibus visitaverint, consequantur.*

## CAPVT X.

*Quartum Privilegium. De Indulgentiis Stationum quas concedit bulla*

1. Visitantibus Ecclesias Almæ Urbis Romæ conceduntur variæ indulgentiæ, quarum aliquæ, quæ conceduntur iis, quæ visitaverint hanc vel illam designatam à Summo Pontifice Ecclesiam, sunt solemniores, vocanturque proprio vocabulo, Stationes, quia ut indulgentiæ eæ acquirantur, itur ad standum ibi, & *ibidem* orandum.

Has ergo indulgentias Stationum, non autem alias, quæ aliis titulis conceduntur in aliis Ecclesiis concedit nunc in Bulla Pontifex, si illi qui bullam acceperunt, sequentes conditiones, quas statim explicabimus ponant.

2. Et quidem singulis quibuscunq; diebus anni, esse Romæ dictas stationes, & *ibid.* præter alias acquiri indulgentiam Plenariam, notat Gall. *cl.* 6. *d.*6. *d.*60. & Castr. *de bull. p* 5. *n.*9.

### §. I. *Quinque Ecclesias, vel altaria visitaverint.*

1. Nomine Ecclesiæ venit locus Deo dicatus, authoritate publica Episcopi erectus, ad Missam, divinaque officia celebranda. Altaris autem nomine, venit locus ille, seu illa mensa firma, lapidea, vel lignea, super qua exhibetur sacrificium. Nam propterea Altaria quædam in plateis, vel congregationibus, vel locis similibus, ubi sacrificare non conceditur, à nomine Altaris hic excludantur.

2. Rursus licet Oratorium privatum, in quo, ex peculiari concessione Pontificis Missa celebratur in domo privata, dubitetur, an ad hunc effectum comprehendatur sub nomine Ecclesiæ docente Diana, *p.* 5. *tr.* 2. *res.* 43. ac Trull. *l.* 1. *de bull.* §. 6. *d.* 12. comprehendi, negante autem Gall. *c.* 8. *d.* 73. tamen Altare sic per omnes comprehenditur sub nomine Altaris, quia sine controversia habet omnia requisita ad verum Altare.

3. Jam vero cum Pontifex ejusmodi visitationem concedat sub disjunctione, Ecclesiæ, vel Altaris, puto cum Trull. *l. c. d.* 2. esse certum, te lucrari has indulgentias, si visitas quinque Altaria unius Ecclesiæ, quamvis in tuo Oppido plures adsint Ecclesiæ.

4. Propter eandem disjunctionem puto cum Lud. à Cr. *d. c.* 8. *d.* 13. *n.* 1. aliisque te ad libitum posse visitare tria v.g. Altaria unius Ecclesiæ, & duo alterius, vel contra, quamvis in utraque plura extent Altaria. Sed

5. Inquires Primo. Altare, in quo actu non adest illud quod vocamus Portatile seu Altaretum, aptumne est ad hunc effectum, de quo loquimur?

Respondeo, esse probabiliter aptum, quia satis est, si illud sit ex se Altare, & ex licentia Superioris, aptum ad sacrificium; secus, si non adsint hæc vel tres Tobaliæ, non sufficere. Afferri pro hac Resolutione posset Rodriq. *in add. ad Bul.* §. 8. *p.* 23. qui docet, si in aliqua Ecclesia sit aliquod Canonicum impedimentum, ob quod ibi celebrari legitime nequeat, esse aptam ut ad hunc effectum lucrandi indulgentias Bullæ, visitetur, cum sufficiat locum esse Sacrum authoritate Episcopi, & deputatum ad celebrandas Missas.

6. Quod si ponas, sive Altare Oratorii Privati jam esse redditum prophanum, sive Altare Ecclesiæ à Ministris redditum omnino ineptum ad Sacrificium per partialem v.g. vel totalem destructionem; non est mirum, si tunc illud excludamus; quia, ut sic non retinet essentiam, ut ita loquar, Altaris.

7. Inquires secundo, si forte in aliquo Oppido non inveniantur quinque Ecclesiæ, nec una cum Altaribus quinque, sed cum uno tantum Altari, quid faciendum?

Respondeo. Tunc profecto concedit Summus Pontifex, satis esse si visitetur unum Altare quinquies.

8. Hinc, si alicubi existas, ubi solum sit Oratorium privatum cum uno Altari, poteris cum fructu hujus Privilegii quinquies visitare dictum Altare, jam enim illud est verum Altare, ut dictum est modo.

9. Quid si alicubi existam ubi sunt quinque Ecclesiæ vel una cum quinque Altaribus sufficiet, si unum Altare quinquies visitem.

Respondeo. Nequaquam sufficere, quia Privilegium visitandi quinquies unum Altare, conceditur dumtaxat, quando desunt quinque Ecclesiæ, vel quinque Altaria.

10. Et nota cum Henriquez, *l.* 7. *c.* 10. *n.* 1. deficiente quinque Altarium non satis esse, si sint in ea Ecclesia quam tu eligis visitandam; sed requiritur, ut ejusmodi defectus adsit in toto Oppido.

11. Inquires Tertio. Si ego habens Bullam detineor aliquo impedimento, unde nequeam visitare quinque Ecclesias, nec quinque Altaria, poterone cum fructu visitare quinquies unum Altare, ad quod possim facilime me conferre? Ejusmodi certe sunt Moniales, quæ non raro unico gaudent altari in sua Ecclesia; ejusmodi sunt in carcere inclusi, ejusmodi infirmi, ejusmodi qui gravi malum ab inimico v. g. timent si abeant per Ecclesias.

12. Respondeo. Si prædictis suppetat copia unius Altaris, posse illud cum fructu hujus Indulgentiæ quinquies visitare probabiliter docet Bardi *p.* 2. *Tr.* 4. *cap.* 4. *sec.* 4. *n.* 44. Et ratio quidem nequaquam est, quia non debemus præsumere, Pontificem velle excludere ab his Indulgentiis plures, qui dictis impedimentis sine sua culpa detinentur, non est, inquam, hæc ratio, quia non facile præsumo extensionem, quando nullum est verbum in Privilegio, quod extensionem insinuet: sed ratio est, quia in tenore hujus Privilegii sunt illa verba, (In illarum defectum) quæ certè satis verificari videntur non solum quando defectus est ex parte Ecclesiarum vel altarium; verum etiam quando est ex parte habentium Bullam, siquidem personis vere impeditis vere deficiunt illa quinque Altaria.

13. Inquires Quarto. Dum quis visitat quinque Altaria in eadem Ecclesia satisfacitne, si ex eodem loco sine mutatione situs ea visitet, Quid Secundo si sine dicta mutatione visitet quinquies idem Altare?

Respondeo. Dum visitas quinque Altaria, certe securius es, si dum fundis preces facias aliquem corporis motum versus illud Altare ad quod preces porrigis: secus, ea visitatio non videretur esse quintuplex, sed una. Dum item visitas unum Altare quinquies (quæ est secunda quæstio) securius etiam erit, si prima visitatione, hoc est, prima oratione finita, caput v.g. inclines, vel si es genuflexus, surgas, & iterum genuflectas, & sic facies in singulis, ut nimirum appareant, & quidem sensibiliter, esse plures visitationes. Ita Trull. *l.* 1. §. 6. *d.* 21. *n.* 4. & Gallegus *l. c. d.* 75. & 79.

14. Dixi (securius) nam ceterum probabile est, sufficere corde moveri, hoc est mente distinguere unam visitationem ab alia. Ita Diana *p.* 1 *tr.* 12. *res.* 102. plures que alii allati à Gallego, *dict. d.* 79. ut Sà, Bon. Azor. Lud. à Cruc. Vill.

15. Inquires Quinto, Si quis inveniat Ecclesiam plenam ob multitudinem ad illam confluentium, satisfacitne, si quinque Altaria visitet, stando pro foribus Ecclesiæ;

Quid Secundo. Si Ecclesia sit clausa.

Respondeo. Si sit clausa non puto sufficere si stans foris, visites, quia vere illud non est visitare Altare. Esset fortasse visitare Ecclesiam sed non, ut dico, visitare Altare; sicut non sufficienter tunc tu esses moraliter præsens missæ, quæ in hujusmodi Altari celebraretur.

16. At si sint apertæ fores, & tu ob multitudinem ingredi in Ecclesiam non posses, certo sufficiet, ibi orare non solum pro visitanda Ecclesia, verum etiam pro visitando eo Altari, qui sit in prospectu, quia tunc tu re-

cum

cies unum cum tota multitudine, quæ tota dicitur moraliter præsens illi Altari, sicuti etiam præsens *ibidem* dicereris, ad satisfaciendum præcepto de assistentia sacri die festivo.

17 Quod si altare, seu Altaria in prospectu tuo non sint, non sufficiet inde orare (quicquid dicat esse probabile quod scilicet sufficiat, Galleg. *loc. cit. dub.* 77.) quia tunc, non esses Altaribus moraliter præsens. Ita Trull. *l. c.*

18. Quod certe idem esset, si vacua Ecclesia tu visitares Altaria, quæ non videas, quia v. g. sint in Capellis intro sita, quare tunc non sufficeret ea, modo dicto, visitare, quia iis non es moraliter præsens, ut non sufficeret ad assistendum sacro pro obligatione præcepti. Lege *l. 3. nost. Dec. c. 2. §. 1. à n. 11.*

Imò idem dicendum est, si, vacua magna Ecclesia, v. g. S. Petri Romæ, tu orares ad Altare, quod sit in tuo prospectu, sed notabiliter longe distanti. Quis enim tunc diceret hominem in janua dictæ vacuæ Ecclesiæ consistentem esse Altari maximo moraliter præsentem?

Non ita si est plena Fidelium orantium, quia, tunc omnes faciunt unum moraliter, ut dictum est.

### §. II. *Devote visitaverint.*

1. Devote inquit, quare licet in aliis dispositionibus, ubi non ponitur hæc vox (Devote) visitatio Altaris venialiter peccaminosa, v. g. cum vana gloria, vel ex vana gloria sufficeret ad ponendam visitationem requisitam in illis dispositionibus, de quo tamen est controversia inter doctores, quæ lege apud Bellar. *l. 1. de ind. t. 3. q.* 2. potest tamen in casu nostro, saltem longe tutius, debet esse, sine ullo peccato visitare, visitare enim Altare cum inani gloria, vel cum immodestia, vel confabulando, vel ad finem aliquem, quamvis venialiter non bonum, devote certe visitare non est.

2. Præterea, quia Pontifex dicit, *Sumentes Bullam visitaverint*, ideo hæc visitatio non potest exhiberi per alium, est enim opus injunctum personæ.

3. Et duo quidem debet præstare Fidelis in hac visitatione. Primo, habere intensionem saltem virtualem visitandi ob finem à Pontifice requisitum. Secundo debet orare pro rebus ab eodem præceptis atque præscriptis, nempe pro Unione & Victoria prædictis, sufficere autem si oret pro intentione Pontificis, mihi certum est, id enim jam est orare pro prædictis. Satis item esse orationem mentalem, diximus in simili supra *c.* §. licet addam (ut advertit Gall. *l. c. d.* 81.) tutius esse si addatur aliqua vocalis oratio.

4. Si brevis, seu exigua sit oratio, te diminutam, & orationi proportionatam indulgentiam lucrari, putat idem Gall. *c. 7. d.* 61. in simili citatque pro se Nunium. Profecto tutius erit, notabilem orationem fundere, ad minus quinque Pater, & Ave, verum qui recitaret tantummodo unum Pater, & Ave, non condemnarem, quia jam ponit quod Pontifex præscribit, puta visitationem Altaris cum precibus. E ita tenet Cast. *de Bull. p. 5. n.* 3. docens sufficere Orationem minimam.

### §. III. *An pluries possint hæ Indulgentiæ stationum acquiri, repetendo visitationes, & preces.*

1. Posse, sustinet Trull. §. 7. *cit. d. d.* 3. *n.* 2. & probabile putat Gal. *c. d.* 8. citans S. Ant. Palud. Cord. Nav. quia quando Pontifex absolute & sine restrictione indulgentiam concedit facienti opus aliquod, potest ea toties acquiri, quoties opus illud repetitur. Accedit, privilegium indulgentiæ, cum non sit in ullius præjudicium ample esse interpretandum.

2. Sed profecto ipsa Fidelium praxis, qua semel sumpta indulgentia uni diei addicta, ii non solent eodem die iterum eandem sumere, ostendit, intentionem Pontificis, non esse, ejusmodi iteratam acquisitionem concedere. Non ita, si Indulgentia ad dicta tempori nequaquam sit, quales sunt indulgentiæ affixæ sacris numismatibus, tunc enim ipsi iidem Fideles pluries opera injuncta repetunt, quo pluries illas indulgentias acquirant, ut in simili habent S. Thomas, *in add. ad 3. p. q. 25. à 1. ad* 4. & Ludovic. à Cruce *d. 1. de bull. c. 8. d. 13. n.* 10. cum aliis. Ratio autem disparitatis est illa, quia quando addicta uni tempori est indulgentia, pro una vice, in eo tempore concessa videtur, at quando nulli tempori est addicta, non videtur determinata ad vicem unam.

3. Confirmatur, quia hîc non acquiruntur nisi indulgentiæ Stationum Romæ, quæ sunt, durante uno tantum die Ecclesiastico, idest à primis Vesperis usque ad Occasum diei sequentis. At certè determinatio temporis, tam brevis ostendit (ut ex Suatio notat Castrop. *de Bull. n. 5. n.* 11.) intentionem Pontificis esse, ut singulis diebus una vice acquirantur, sive de die, sive de nocte exhibeatur visitatio, altero nimirum dante locum alteri ex multis illuc confluentibus.

### §. IV. *An hæ Indulgentiæ Stationum applicari valeant pro defunctis.*

1. Posse has Stationum Indulgentias applicari pro fidelibus defunctis ex vi bullæ, nimis est certum, quia id nimis manifeste conceditur in tenore Bullæ dummodo ipsi iidem fideles Stationes dictas visitent ex intentione pro defunctis.

2. Hoc autem non intelligitur, quasi tu, qui Bullam sumis stationesque seu Ecclesias, vel Altaria visitas, concedas ipse indulgentias defuncto, quia Fidelis homo potest quidem suum bonum opus alteri concedere, quoad satisfactionem, & impetrationem, nullo tamen modo indulgentias; si quidem indulgentia est applicatio Thesauri Ecclesiæ, cujus distributio uni Summo Pontifici convenit, sed intelligitur ipse Summus Pontifex (posita tanquam conditione, tua voluntate, cum operibus requisitis) concedere defuncto indulgentiam.

3. Atque hinc sequitur, licet dum quis est in statu peccati mortalis nihil possit satisfacere, vel impetrare pro aliis, sicuti non potest pro se, quia est Dei inimicus valde tamen probabiliter potest per Indulgentiarum satisfactionem defunctis prodesse. Et Cast. *de bull. p.* 12. quidem vocat communem sententiam, fructuose applicari indulgentiam defunctis ab eo, qui est in statu peccati mortalis; ut etiam satisfactionem Missæ. Ratio autem ducitur ex prædictis; quia nimirum homo dumtaxat ponit conditiones requisitas à Pontifice, & à Christo Domino, at Pontifex, & Christus Dominus est deinde, qui impetit defuncto indulgentiarum & sacrificii fructum. Lege D. T. *l. 4. sent. dist. 20. artic. 5. q. 3. seu in add. ad 3. p. q. 27. art.* 3.

4 Atque etiam indocti, ut nisi Pontifex dicat, se indulgentiam ita Fidelibus concedere, ut possit ea applicari pro defunctis, non poterunt Fideles applicare, quia cum ille, qui vere dat defuncto indulgentiam, sit ipse Pontifex, si is non dicat, concessam indulgentiam posse pro defunctis applicari, nihil, quoad eam conducet sola Fidelium applicatio.

### CLAVSVLA.

*Item quo omnes, & singuli prædicti purius ad Deum preces effundere, & efficacius divinum auxilium implorare possint conceditur, ut possint eligere quemcumque Presbyterum secularem, vel regularem ex approbatis ab ordinario, & ab eo quoruncunque peccatorum, etiam censurarum, etiam Sedi Apostolicæ & in Bulla Cœnæ Domini reservatorum, & reservatarum plenariam indulgentiam & remissionem semel in vita, & semel in articulo mortis. Aliorum vero Sedi Apostolicæ non reservatorum aut reservatarum toties, quoties confitebuntur, Absolutionem & remissionem, mediante salutari pœnitentia, secundum culparum indigentiam obtinere: dummodo ubi necessaria erit, per ipsos, vel, dato impedimento per Hæredes, aut alios satisfactio fiat.*

Nota Gregorium XIII. concessisse, ut Privilegiis, in hac clausula contentis possit quis iterum cum secunda Bulla frui, sed non tertio, ut infra distinctius explicabimus.

Porro clausula hæc duo continet privilegia, quæ sunt quintum, & Sextum in ordine, de quibus sigillatim sua propria Capita jam instituo.

## CAPVT XI.

### *Quintum Bullæ Privilegium circa Absolutionem à reservatis.*

1. QVi Bullam Cruciatæ sumpserit potest, durante anno, eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, per quem Confessarium absolvi possit pro foro interno ab omnibus casibus, & censuris, satisfacta parte, & quidem, toties quoties à reservatis Episcopis, à reservatis autem Pontifice (excepta semper hæresi) semel in vita & semel in periculo mortis; atque ab iisdem Pontificiis iterum, si secundam bullam sumpserint; non vero tertio, si tertiam, modo, quando delicta sunt deducta ad forum contentiosum, cautiones mox dicendæ §. 6. adhibeantur.

Hoc privilegium quod sanè magnum est explicui quidem *l. 5. pæn. §. 4. à n. 11.* & Trull. *de cas. re. c. 12. §. 9.* Sed nunc in proprio loco per partes suas sic explicamus, seu iterum recudimus.

### §. I. *Explicatur illud* ex approbatis ab Ordinario.

1. SI in Bulla aliqua, vel rescripto quocunque ut certe in Jubilæo sæpe vidimus, dicitur, posse Fidelem, cui sic concessio absolvi seu dispensari à quocunque Confessario, sed addatur (*approbato ab ordinario loci*) non est mihi dubium requiri approbationem Episcopi, seu ordinarii illius diœcesis, quamvis non tuæ, ubi fit confessio, nisi forte limitetur, hoc vel simili modo (*à tuo Ordinario, vel ab Ordinario tui loci,*) tunc enim servanda esset limitatio.

2. Dubium ergo solum est, quando absolute dicitur *approbato ab Ordinario*, ut certe dicitur in Bulla Cruciatæ, de qua noster præsens est sermo. Nam cum sic non appareat, à quo ordinario procedere debeat approbatio, quærendum est, quisnam Ordinarius per hæc verba designetur.

3. Pugnant loquendo de dicta Bulla paribus armis utrinque doctores. Non pauci aiunt, sufficere, si in Sacerdote adsit approbatio cujuscumque Ordinarii, sive loci, sive ipsius Confessarii, sive Pœnitentis legitime collata, etiam si dictus Sacerdos alio suum domicilium transferat, & ex Indiis v. g. huc accedat, modo ipsi approbatio nondum spiraverit; nam si spiravit, dicam mox.

Ratio potissima hujus sententiæ est; quia nihil amplius requirunt illa Bullæ Cruciatæ verba, *Ex approbatis ab Ordinario*, dum aliud non addunt. Ita tenet Henriquez Valer. Tho. Hurtad. Tho. Sanch. Diana, aliique quos ego cito *Lib. 5. de Pœnit. c. 5. §. 4. à n. 8.*

Semper autem notetur illud (*legitime*) in hac sententia; id quod explicatius intelliges ex sequenti decisione.

Ordinarius v. g. Messanensis potestne valide approbare Sacerdotem sive commorantem in alia diœcesi v. g. Panormi, ad hoc, ut sit eligibilis per Bullam Cruciatæ à Civibus Panormitanis, uti etiam, ut sit eligibilis à quibuscumque aliis Christi Fidelibus?

4. Ita nonnulli putant, quia hic jam erit Sacerdos approbatus ab Ordinario, id quod solum requirit Bulla, esto ille qui approbat, non sit ordinarius loci, nec Pœnitentis nec Confessarii.

5. Verùm id nulla ratione sustinendum est. Nam Tridentinum & Bulla & Rescripta, quando requirunt approbationem ordinarii, loquuntur de approbatione, quæ legitime, & secundum jura conferatur? At secundum quam lege ordinarius Messanensis potest Sacerdoti diœcesis alienæ concedere approbationem, solum ut sit ab omnibus eligibilis per bullam? hoc vere non offert approbare pro Confessionibus; sed dare dicto Sacerdoti facultatem, ut possit per bullam eligi, quod est extra Episcopi potestatem. Approbet ergo hujusmodi Episcopus dictum Sacerdotem ad excipiendas confessiones suæ Diœcesis Messanensis, quod jure posse ab ipso fieri, non dubitamus, quia potest pro suis ovibus undecumque convocare Confessarios; siquidem tunc, quia ejusmodi Sacerdos legitime erit approbatus ad confessiones, erit consequenter juxta hanc primam sententiam eligibilis ab omnibus per bullam.

6. Iam vero plures negant, sufficere unam approbationem, quamvis legitimam cujuscumque Ordinarii, ut quis per bullam eligi in confessarium queat. Ita Sanc. Vasq. Delugo, Laym. aliique *ibid.* à me citati.

Ratio hujus secundæ sententiæ potissima hæc est, Summus Pontifex in hac Bulla Cruciatæ, dum postulat Confessarium approbatum, profitetur, velle se conformare dispositioni Concilii Trid. Sed Tridentinum requirit approbationem Episcoporum in singulis diœcesibus, ut nos diximus *l. de pæn. c. 5.* ergo etiam eandem requirit in Bulla Pontifex.

7. Huic tamen rationi sic respondere posset Prima sententia. Pontifex in bulla Cruciatæ dum postulat confessarium approbatum, profitetur se conformare cum dispositione Tridentini in substantia approbationis; ut scilicet confessarius sit legitime approbatus, conceditur. In aliis, & præsertim in multiplici approbat negatur.

Neque gratis id negatur: Quando enim Pontifex in dandis similibus Privilegiis vult, in multiplici approbatione se conformem reddere dispositioni Tridentini, id explicite facit, apponendo illud *ab ordinario loci*, vel quid simile: ergo, cum in bulla non sic se explicet, cense in approbatione illa multiplici conformem se reddere Trid. non intendit.

8. His ita explicatis pronuntio nihilominus, utramque sententiam esse probabilem.

9. Si quis quærat. Secundam sententiam sectantes, cujus Episcopi approbationem requirunt?

Respondeo. Varii varios. Vasq. aliique citati à Bosio, *de Iub. sect. 3. c. 2. n. 209.* requirunt approbationem Episcopi loci, in quo fit confessio: Laym. aliique apud Aver. *q. 16. de pæn. n. 29* Approbationem Episcopi Pœnitentis, illius scilicet, qui debet absolutionem recipere. Suarez cum Delugo, Sanch. *l. 3. matr. d. 26. n. 2.* requirunt approbationem Episcopi Sacerdotis, puta illius, qui exceptus est confessionem atque absolutionem collaturi.

### *An sufficiat pro bulla Approbatio qua cessavit.*

10. An confessarius, cui legitime spitavit, vel à quo legitime revocata est approbatio, possit eligi per Bullam? Idem quæritur de Parocho, à quo forte ablata est Parochia.

11. Respondeo negativè cum Castr. *de bull. p. 8. §. 1. n. 5.* solum enim est eligibilis pro eo tempore, quo durat approbatio. Ratio est, quia privilegium bullæ concedit, eligi posse sacerdotem approbatum; & sensus videtur esse, ut sit actu approbatus, Atqui is, cui illa cessavit, non dicitur amplius actu approbatus, sicuti excommunicatus, qui est jam absolutus, non dicitur amplius excommunicatus. Adde inconveniens, quod mox dicam *n. 15.*

* Illud ergo *Approbatus* non est participium præteriti temporis quasi, qui fuit approbatus, sed est nomen concretum, quod requirit formam approbationis actu moraliter adesse, hoc est, eam non fuisse revocatam.

12. Aliqui cum Acosta, & ex parte Rodr. Apud Castr. *l. c.* & Marco Serio *in bull. Cruc. hic*, in Bullam Cruciatæ dicente id esse probabile; concedunt, contendentes sufficere fuisse semel approbatum, quamvis fuerit pro illo tempore approbatus, quo elapso, non fuit ex legitima causa reprobatus, quam sententiam refert, & non rejicit Call.

Castr. *l.c.* Illum lege : nam, quia in praxim deducere hanc sententiam nec volo, nec audeo, satis habeo, illam tibi brevibus innuisse.

*An sufficiat pro bulla, limitata approbatio.*

13. Qui est approbatus limitatè pro mulieribus non pro viris, pro rusticis non pro mercatoribus &c. Potestne ex privilegio bullæ, vel similis Rescripti eligi ab omnibus illimitate ?

14. Respondeo cum Suar. *de 28. pœn. sect. 7. n. 3.*) aliisque (quos ego cito *l. 5. de pœn. c. 5. §. 4. n. 29.*) nequaquam, sed solum pro illis, pro quibus est approbatus. Ratio est, quia supra diximus, eligibilem per bullam debere esse legitimè approbatum, at hic respectu illorum, à quibus excluditur, approbatus legitimè non est.

15. Scio non paucos cum Diana, aliisque à me *ibid.* citatis concedere posse ab omnibus illimitate, quia verificatur (aiunt) illum esse aliquo tandem modo approbatum, neque enim bulla distinguit, an debeat esse approbatus illimitate, an limitate, sicuti approbatus ab Episcopo pro sua diœcesi potest dici limitate approbatus, & tamen prima sententia modo allata probabiliter sustinet, posse hunc illimitate eligi.

16. Video argumentum urgere, sed non convincere, etiam video. Nam inconveniens, quod sequitur, ostendit, sententiam hanc non esse probabilem. Sic enim Sacerdos approbatus pro una fœmina, vel pro uno puero esset eligibilis per Bullam pro tota Diœcesi, imo, in prima sententia, pro toto orbe; ex quo inconveniente colligimus, non posse præsumi, Summum Pontificem id voluisse concedere. Quod inconveniens non apparet in casu dicto *n. 15.*

17. Simile inconveniens eveniret in eo, qui fuisset approbatus per unum, vel per alterum diem ut solet in Hebdomada Sancta aliquando ab Episcopis fieri, posset enim is per totum Terrarum orbem, & semper eligi, quod nemo dicere audebit.

18. Doctores nonnulli ex proxime citatis *n. 3.* sustinent limitate approbatum posse ab omnibus per Bullam eligi, sed solum quando limitatio non est apposita ob defectum scientiæ, si enim esset propter ejusmodi defectum apposita, non posset (aiunt) ab omnibus eligi.

19. Verum cum approbatio non sit solum testificatio scientiæ, sed morum, sed prudentiæ, sed decentiæ ut vidimus *in tr. de pœn.* cur horum defectus æque non restringant approbationem ?

*Religiosi an ex Bulla Cruciatæ possint eligi ?*

20. An Religiosus Sacerdos possit à Fidelibus eligi in Confessarium vi Bullæ ? Respondeo. Certum est, Sacerdotem Religiosum posse eligi ex vi Bullæ à Fidelibus, sed debere esse approbatum ab Ordinario modo jam dicto, nam sic etiam ipse Religiosus erit Confessarius legitimus respectu Fidelium sæcularium.

At verò an Regularis approbatus solum à suo Prælato sit eligibilis per bullam à sæculari, quæstio esse posset. Ad quam respondeo negativè quia Trid. *sess. 23. c. 13. de Reform.* semper pro sæcularibus vult, ut etiam religiosi approbentur ab Episcopis. Et ex alia parte semper præsumendum est, Pontificem velle se conformare Tridentino in substantia approbationis, ut *n. 13.* diximus, atque adeo etiam in Bulla.

## §. II. *An possit absolvi à reservatis Episcopo toties quoties & à reservatis Papa semel, &c.*

1. Quoad prius, nihil est, quod explicatione indigeat, clara enim sunt bullæ verba. Vide tamen, mox §. 5. unum quod huc pertinet.

2. Quoad posterius, hæc habe. Si à commisso delicto reservato Pontifici, v. g. per lectionem publicam libri hæretici de Religione tractantis, fuisti per bullam jam absolutus, & deinde in eodem anno incidas sive in idem peccatum legendi publicè librum hæretici, sive in aliud specie distinctum, occupandi v. g. publicè bona naufragantium, non potes ex vi ejusdem bullæ in vita absolvi, nec à peccato novo publicè legendi, nec à peccato occupandi. Ratio est, quia bulla non concedit, ut possis in vita absolvi semel à quolibet peccato Pontifici reservato, concedit enim solam unicam absolutionem in vita à peccatis Pontifici reservatis. Indigebis ergo tunc secunda bulla, ea tamen lege, ut si tertiò incidas, non tibi profutura sit tertia. Ita Bard. *in p. 2. tract. 6. c. 1. sect. 1.* cum aliis. Contra quem pugnat Leand. *tr. 2. de excomm. d. 17 §. 2. q. 83.* dicens, esse probabile per unicam bullam concedi, posse absolui ab omnibus, dummodo ab unoquoque in specie semel tantum intra publicationis annum quis absolvatur. Certè id esse probabile, negare non possum ; quia hanc sensum facere commode possunt verba bullæ ; si attente legantur.

Dictum autem est (*publicè*) nam de Pontificiis occultis dicam mox seperatim §. 5. *cit.*

3. Ex eo autem, quod in nostra sententia bulla semel dictam reservatorum absolutionem concedat, fit, ut si in ea confessione aperias singula, vel plura peccata contracta ex pluribus aliis delictis diversis Pontificiis, puta occupatione bonorum naufragantium, percussione Cardinalium, læsione immunitatis Ecclesiasticæ, &c. fit (inquam) ut possis ab omnibus simul absolvi per unam bullam, quia sic unam recipis absolutionem. Idem per secundam bullam, sed non tertiò, ut dictum est.

## §. III. *In Mortis Articulo.*

1. Si quilibet Sacerdos in hoc articulo potest absolvere à reservatis, ut diximus latè in tractatu de Pœnit. quid emolumenti affert hoc bullæ Privilegium.

2 Respondeo. Duo emolumenta. Alterum, quod absolutio hæc potest conferri ab electo ex vi bullæ, etiam præsente proprio ægrotantis Parrocho, quod certe inserviet pro illis qui, ut ibidem vidimus, sustinent, tunc id non posse quemlibet Sacerdotem.

3. Alterum, quod si tunc absolvaris ab excommunicatione reservata, liber eris ab onere te præsentandi Superiori, quia electus per bullam, jam est tuus Superior delegatus à Pontifice, à quo onere, quando absolveris ex universali facultate concessa pro periculo mortis, liber nequaquam es.

## §. IV. *Excepta Hæresi.*

1. Quamvis mihi multa asserant, quibus probent, hæresim formalem externam (mere enim internam non esse casum reservatum, *lib. 2. in Decal. c. 1. §. 8. n. 2.* diximus) saltem occultam, posse per bullam Cruciatæ absolvi ex illo principio, quod ex una parte potestas concessa Episcopis absolvendi ab illa, adhuc in ipsis, ex probabilissima opinione remanet, etiam potest bullam Cœnæ, & ex alia parte, Bulla Cruciatæ concedit posse absolvi omnia quæ possunt Episcopi; nihilominus cum propter ejus gravitatem hæresis absolutio non veniat in concessione generali, ideo saltem hodie, ubi est Tribunal Sacræ Inquisitionis Hispaniæ, non possumus hujusmodi sententiæ adhærere : Id quod etiam *alibi*, puto, saltem consulendum. Cæterum, qui de hac quæstione rationes late utrinque adductas cognoscere cupit, eas legat ab aliis fusè agitatas præsertim Bardi Trullench. Ludovico à Cruce citatis à Leand. *l. c. q. 85. & 86. & q. 38. & 39.*

2. Dixi autem signate (hæresim formalem) ideò, cum errore intellectus. Nam quando intellectus error non intervenit, ea tanto rigori non subest. Quare sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum,

num, sollicitatio in confessione, blasphemiæ hæreticales, & omnia alia crimina contenta in Editis inquisitorum, possunt per bullam absolvi toties, quoties, si sunt Episcopalia: at semel in vita, & semel in morte, si sint Pontificia, qualis est v.g. lectio publica libri hæretici de religione tractantis, & hoc iterum cum secunda bulla. Sed non tertio, &c. Ita Leand. *l.c.* §. 3. *q.* 88. multos referens.

3. Quæres per hanc occasionem. An per bullam Cruciatæ concedatur posse absolvi pœnitentem, antequam denuntiet aliquod crimen inquisitori ex obligatione denuntiandi? Respondeo non posse (quidquid dicat Navarrus apud Leandrum *l.c. disp.* 17. *q.* 85.) quia in bulla hujusmodi potestas non invenitur.

### §. V. *An toties, quoties ab occultis Pontificiis.*

1. Æquè probabile judico, per bullam posse absolvi ab occultis Pontificiis eriam Cœnæ domini, & non posse, (excipe etiam hæresim occultam de qua modo §. *præcedente* dictum est) sic Sanch. Trullen. Diana cit. à Leandro *l.c. q.* 84. Ratio quod possit, est quia per bullam potest quis absolvi ab Episcopalibus. Sed jam casus omnes Pontificii occulti sunt hodie Episcopis concessi à Tridentino, *sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* atque adeo sunt tandem aliquo modo Episcopales, ergo, &c. Neque obstat idem dici, propter hanc rationem posse de hæresi occulta: non obstat, inquam, quia, propter ejus enormitatem, & propter sensum Ecclesiæ quæ eam regulariter excipere solet, non dicimus de illa loqui, perinde ac de cæteris.

2. Ratio, quod non possit, est quia hi casus Pontificii occulti ex eo quod concedantur Episcopis non desinunt esse Pontificii. Adde in bulla dici sine limitatione, omnes Pontificios posse solum absolvi semel, ergo excludit occultos.

3. Sed huic rationi respondet prima sententia dicens, occultos desivisse esse Pontificios, statim atque concessi fuerunt Episcopis jure ordinario, quod nobis satis est, loquentibus de privilegio bullæ, quod est favorabile. Ad id, quod additur, respondet, limitationem illam publicatis implicite poni in bulla, dum per eam conceditur, ut Episcopales quales sunt Pontificii occulti absolvi possint toties quoties, non verò alii. Utraque ergo sententia, ut diximus, probabilis est.

### §. VI. *Ab omnibus Censuris.*

1. Certum mihi, & Tho. Sanch. *l.6. sum. c.*17. *n.*41. & 43. cum Castrop. *de Bull. p.*8. §.4. *n.*8. aliisque est, per bullam posse absolvi excommunicationem, suspensionem, interdictum personale, quando hæc postrema duo sunt proprie censuræ. (Nam excommunicatio semper censura est, ut in propriis tractatibus late explicatum est à nobis) sive hæ censuræ sint occultæ, sive publicæ, & deductæ ad forum contentiosum, sive sint à jure, sive ab homine per sententiam specialem contra aliquem in particulari fulminatam, & sive prædictæ sint censuræ denunciatæ nominatim, sive sint excommunicationes contractæ ex percussione publica Clerici, & quidem toties, quoties, si hæ sint Episcopales, sed semel in vita, & semel in morte, si sint Pontificiæ, atque iterum cum secunda bulla, sed non tertiò, (excipimus autem propter superius dicta excommunicationem ex hæresi contractam, &c.

Ratio tantæ Potestatis est, quia in bulla, quoad hæc nulla apponitur restrictio, & ex alio capite beneficium Principi latè est interpretandum. Vide Leandrum *de excomm. d.*17. *q.*87. & 95.

2. Quando autem dictum est (etiam deductæ ad forum contentiosum) maximè advertere debes illud. Quod quamvis per bullam possit quis absolvi ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, pendente tamen lite, illicite concederetur absolutio; nam sic efficeretur præjudicium judici Ecclesiastico.

3. In quo tamen excipe, quando judex vellunge differat, vel injustè agit, vel nimis rigorosè se gerendo, negat absolutionem: tunc enim si Pœnitens ex parte sua est promptus justo ejus, qui excommunicationem fulminavit, præcepto obedire, cum cesset contumacia, potest pro foro interno, (& semper satisfacta parte, ut dicimus) absolvi per bullam.

4. Id quod diximus *n.*2 dictum etiam sit pro excommunicatis nominatim: quamvis enim per bullam possint absolvi pro foro conscientiæ nominatim excommunicatus, tamen non erit passim absolvendus, sed erit ad forum Prælatum remittendus ne veniat in contemptum juris electi Prælati. Adhibe nihilominus exceptionem *numero præcedente* allatam.

5. Certum item est, vi bullæ absolvi non posse cessationem à divinis, nec interdictum sive Generale sive Speciale locale, nec personale generale, ut *in tract. de interdicto* dicitur, & notant hic Trullen. & Castrop. *ll. cc.* nec eas irregularitates, quæ non sunt censuræ, nec illas quæ sunt inductæ ob indecentiam, quia quis laborans repellitur ab administrando altari, qualis est v.g. irregularitas ex Bigamia: quia bulla solum concedit absolutionem à censuris, ex quibus non est irregularitas ex indecentia.

6. Quæstio igitur solum proponi solet de irregularitate, quæ incurritur in pœnam alicujus delicti, v.g. ob malam administrationem Sacramentorum cum violatione censuræ contractæ, ob hæresim, ob Apostasiam à fide, ob Clerici percussionem, an scilicet possit absolvi per bullam.

Respondeo. Affirmant Leander, *de irreg. disp.*27. *q.*36. aliique apud Dianam, *p.*1. *tr.*11. *res.*27. saltem tanquam probabile, excipiunt tamen iidem, imò & omnes, quos legi (legi autem non paucos) irregularitatem ex delicto homicidii, vel mutilationis, quia huic irregularitati, vel semper est annexa indecentia, ut aliqui philosophantur, vel ut alii, quia saltem ita usu ipso, & praxi in Ecclesia propter ejus delicti enormitatem, & scandalosam conditionem, introductum legitime est.

7. Verum omninò puto, esse absolute de omnibus negandum cum Suarez *de cens. disp.*1. *sect.*13. *n.*6. Leand. *l.c.* Castrop. *l.c. n.*5. aliisque.

Ratio autem est, quia eas censuras tollere potest bulla, & olim, ad summum eas pœnas, quæ impediunt receptionem Eucharistiæ, vel Sacramenti pœnitentiæ ut notat *l.c.* Suarez, & significant illa bullæ verba (*quo piorius indulgentiam fideles consequantur, &c.*) non autem aliàs, quæ non impediunt ejusmodi receptionem, de quibus loquimur. Adde in bullis recentioribus, ut notat Leander *l. c.* ablatum esse illud, *ut possit absolvi à pœnis*, adde item rationem, quam affert Henriquez *l.*7. *c.*13. *n.*6. quia inquit, in bulla, ut patet ex ejus tenore nulla datur potestas confessario ad dispensandum, sed solum ad absolvendum. At irregularitas, ut etiam suspensio, quæ sit pœna, per dispensationem tolluntur, non per absolutionem, ergo potestas concessa prædicto confessario ad eas non extenditur. Scio aliquando absolutiones largè sumi pro dispensatione sed hic in clausula hac bullæ ubi agitur de absolutione à peccatis, & à reservatis, ex ipso bullæ contextu colligimus, nomen absolutionis proprie sumi.

### §. VII. *Satisfacta Parte.*

1. Quamvis aliquando contrahi possit excommunicatio sine læsione partis: ut est v.g. excommunicatio ob peccatum hæresis, unde tunc nulla erit satisfactio exposcenda, sed solum emendationis propositum; tamen non raro adest partis læsio, v.g. in percussione Clerici. Nomine igitur satisfactionis intelligitur restitu-

tum

tutio pecuniæ, vel famæ, vel honoris, quæ parti læsæ debetur, ut notat Suar. *de Censuris lib. 5. de pen. c. 12. §. 4. n. 12.* à me citatus.

2. Hinc fit, ut pœna pecuniaria si forte debeatur Fisco, vel Notario non veniat in hanc præsentem considerationem, quia prædicti hic non sunt pars læsa.

3. Hinc etiam, quamvis plures in percussione religiosi partem læsam judicent, esse religionem, sive ejus prælatum, tamen satis probabiliter multi, quos citant & sequuntur Vericelli, & Leander item *ibid. num. 14.* à me citati, putant non esse, nisi ipsum Religiosum percussum cui satisfaciendum sit, idque in utroque foro, si enim ipse percussus fuit, ipse pars læsa est. Confirmatur, quia quando dicitur, *concorda parte*, non intelligitur Respublica, sed persona particularis: Confirmatur iterum, quia si in casu dicto excommunicationis pars læsa esset publica potestas, seu prælatus, certè esset Ecclesia, vel Pontifex, qui excommunicationem contra prædictam percussionem tulit: Atqui Pontifex, dum concedit, ut quis absolvatur, jam ipse condonat.

4. Iam vero quoniam certum est, te antequam impendas absolutionem, sive ex vi bullæ, sive ex vi cujuscumque facultatis, debere sub mortali exigere à pœnitente, ut satisfaciat, vel reddendo ablatum, vel compensando injuriam factam, vel remissionem à parte læsa obtinendo, quæritur primo, quid faciendum in praxi, si ea nullatenus exhiberi possit, sive ob impotentiam Pœnitentis, sive ob dubium, quod forte vertitur de qualitate satisfactionis sive ob obstinationem læsæ personæ quæ non est contenta satisfactione rationabili ipsi oblata, sive ob quid simile.

5. Respond. Quando impotentia non solum est præsens, sed moraliter certo prævidetur semper esse futura, nihil requirendum à pœnitente; nam res frustranea requireretur. At vero quando potentia probabiliter futura sit; si loquamur pro foro externo debet pœnitens antequam absolvatur, præmittere cautionem de satisfaciendo, idest, debet dare vel pignus, vel fidejussionem; vel si ea non possit, debet juramentum proferre, quod satisfacier, ut nimirum certa sit promissa satisfactio.

At si loquamur pro foro Sacramentali, seu conscientiæ, quamvis Delug. *de pœn. d. 20. n. 204.* cum aliis multis eandem cautionem requirat, quia sine distinctione de ea præmittenda Canones loquuntur; nihilominus alii cum Trullench. *in bull. l. 1. c. 7. §. 2. dub. 12.* alios citante, eam non esse necessariam probabiliter docent. Excipe delictum dandi causam interdicto, quando in periculo mortis conceditur delinquenti Sacramentum pœnitentiæ; de qua re *in tract. de interdicto*. Ratio autem quod pro foro Sacramentali non sit necessarium juramentum, &c. sed sufficiat seria promissio in casibus prædictis est, quia illa cautio, sive pignoratitia, sive fidejussoria, sive juratoria pro solo foro externo imposita à Sacris Canonibus esse videtur, si quidem similes cautiones exposcere, ut plurimum illi solent, quando de rebus ad exteriorem Ecclesiam pertinentibus, disponunt. Sufficiet ergo tunc, si Pœnitens habeat propositum satisfaciendi, quando poterit, & sic, tum valide, tum licite per bullam, vel similem facultatem absolvetur.

6. Nota autem ex Ludovico à Cruce *in bull. d. 1. c. 4. dub. 8.* si forte is excommunicatione absolutus non servet promissionem, scilicet non satisfaciat, cum poterit, licet peccet, non tamen reincidere in ullam excommunicationem, quia à nullo jure imponitur hæc reincidentia contra non satisfacientem.

7. Quæritur Secundò. Quid si præmitti potest satisfactio, & non præmittitur? Respondeo certe tunc, per se loquendo, & tu confessarius peccas, & pœnitens ut habet Leander. *tr. 3. de excom. d. 17. §. 3. quæst. 90.* Tu quia dees muneri tuo, imò etiam, quia aliquando noces parti, cum post absolutionem difficilius exhiberi soleat satisfactio. Pœnitens, quia differt notabiliter, & sine causa (ut hic supponimus) reddere id, quod debet, injuste retines sive rem, sive famam, sive honorem alienum.

8. Dixi (per se loquendo) nam talis esse posset pœnitens, talesque circunstantiæ, ut confessarius deberet esse contentus solo proposito restituendi, seu satisfaciendi, etiam si antea, sæpe jussus neglexerit. Et Molina quidem apud Dicastillum, *lib. 2. de rest.* exemplum adhibet ut; si confessarius non leviter credat, pœnitentem reipsa restitutum statim sine mora, quia non ea acrimonia fuerit illi jussa restitutio in aliis confessionibus, vel si aliæ adsint circunstantiæ ad id credendum; præsertim si injungat illi, ut non prius accedat ad EUCHARISTIAM, quam restituat; adhibe autem hic illam exceptionem de dantibus causam interdicto, quam modo *numer. 5.* innuimus.

9. Quæritur Tertiò, quando Bulla Cruciatæ requiritur, ut excommunicationis absolutio non concedatur, nisi satisfacta parte, aut, si ea propter inadvertentiam, vel propter aliud conferatur ante promissam satisfactionem, conferatur valide, nam, an licite, jam dictum est modo.

Respondeo. Vt universaliter decidatur, an, non satisfacta parte valide conferatur hæc absolutio quando adest pars læsa, distinguendum est. Nam si conferatur à Superiore, valide confertur: siquidem satisfactio non est pars essentialis absolutionis excommunicationis. Si vero conferatur à Delegato ipsius, erit subdistinguendum. Si enim ejusmodi delegato detur absoluta facultas absolvendi excommunicationem, idem dic, quod dictum de Superiore est. Verum, si delegato detur ejusmodi facultas cum prædicta clausula, *satisfacta parte*, duplex est sententia.

10. Prima negat, valide conferri ejusmodi absolutionem, quia satisfactio in hoc modo delegandi exigitur per modum conditionis: at conditione non servata, in irritum abit concessio. Major probatur ex illa communi doctrina, quod Ablativus absolutus, qualis est ille (*satisfacta parte*) resolvitur in conditionem, (*si parti satisfeceris.*) Ita tenent apud Castrop. *de bull. p. 8. §. 5. n. 6.* & apud Dian. *p. 5. tr. 9. res. 12.*

11. Secunda quam sequitur Layman. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 8.* cum multis, affirmat, conferri valide; quia quoties in delegatione exprimitur ea forma, quæ à jure communi requiritur, non aliter requiritur, quam requirat ipsum jus, nisi aliter in concessione delegationis exprimatur.

Sed in jure communi exigitur quidem satisfactio, ut licite ejusmodi delegatio exerceatur, at, non ut valide: in nullo enim jure aliter, ac dicimus, invenies, ergo &c. Vtraque ex his sententiis probabilis est, & ita tandem pronuntiat Ludov. à Cruce, *in bull. d. 1. cap. 4. dubit. 6.* quamvis addat, priorem sententiam esse in praxi sequendam.

12. Dixi (*nisi aliter exprimatur*,) nam si in concessione delegationis dicatur (*si non satisfactum fuerit, irrita sit concessio, irrita sit absolutio, nulla, invalida*) Absolutionem invalidam fore certum est, quia illa expressio indicat aliquid plus requiri quam à solo jure requiratur.

13. Cum ergo in bulla Cruciatæ, ut etiam in facultatibus concessis regularibus absolvendi excommunicationem ponatur quidem illa clausula (*satisfacta parte*) sed sine aliis verbis expresse irritantibus, probabile satis erit, validam fore absolutionem, parte nondum satisfacta.

## §. VIII. *In foro interno.*

1. QVamvis non pauci afferant absolutionem excommunicationis ex vi bullæ habitam prodesse etiam pro foro externo, quia concessio bullæ est absoluta,

soluta, nec restricta ad aliquem forum, ut tenet Vega, Garsias, & alij apud Castropalaum mox citandum; vera tamen sententia est, non prodesse, nisi pro foro interno. Excipe ea, quæ mox dicam à *n.* 5. Ita tenent Sanch. Tolet. Suarez, aliique communiter apud Castrop. *de bull. p.* 8. *§.* 5. *num.* 9 Ratio huius veræ sententiæ est, quia intentio Pontificis concedentis, per bullam absolutionem Censurarum, est, ut cum pura conscientia possint fideles ad Sacram EVCHARISTIAM accedere, & indulgentiam acquirere, ad quod certè satis, superque est absolutio pro foro interno.

2. Confirmatur, quia incredibile est Summum Pontificem voluisse concedere cuicunque confessario tantam potestatem, per quam eluderentur; & perturbarentur, immò & contemnerentur Tribunalia Ecclesiastica.

3. Confirmatur iterum, quia hodie extat Bulla Cruciatæ concessa ab Vrbano VIII. ubi declaratur, Bullæ hoc Privilegium suffragari in foro conscientiæ tantum, ut late habes multis citatis apud Dianam, *part.* 11. *tr.* 2. *resol.* 62.

4. At inquires, quid sit, seu quam utilitatem conferat hæc absolutio excommunicationis pro foro interno duntaxat.

Respondeo. Qui sic est absolutus coram Deo & in rei veritate liberat ab excommunicatione, unde potest se gerere, sicuti se gerunt cæteri fideles non excommunicati: Sed ita, ut quoad actiones externas, & præsertim, quoad subeundum iudicium iudicis Ecclesiastici, sit perinde, ac si absolutus nullatenus fuisset.

5. Qui igitur est excommunicatus excommunicatione occulta, & deinde legitime absolutus in foro conscientiæ duntaxat, se poterit gerere, ut non excommunicatus, in omnibus actibus tum publicis, tum privatis, nam excommunicatione coram Deo caret, & quia excommunicatio erat occulta, nihil erit scandali coram hominibus. At quando excommunicatio non est occulta, sed deducta ad forum externum, tunc si absolvaris in foro tantum interno (quod solum licebit in casibus dictis supra §. 6. *à num.* 2) Primò caute te gerere debes in actionibus externis. Secundò, à iudicio externo Ecclesiæ liber non eris. Quæ duo si alia duo addam, satis lectoribus fient manifesta.

6. Primum. Absolutus in foro conscientiæ ab excommunicatione aliis nota, potest se immiscere tum humanis, tum divinis, sed non cum aliorum scandalo. idest, non coram iis, qui excommunicationem sciunt, & nesciunt absolutionem.

7. Quid si iis dicam & probem, me esse absolutum per bullam v.g. Respondeo, adhuc te peccare, si coram eisdem publicè, & indifferenter te geras, quia sic videris contemnere Ecclesiam, quæ te pro excommunicato in foro externo habet: at si caute, & coram paucis, qui tuæ sint conscij absolutionis, te ingeras, non peccas, quia sic prædictus contemptus non intervenit. Lege Suarium, *t.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 2. *n.* 36.

8. Quid si denique tua excommunicatio sit aliquibus cognita, sed non fuit deducta ad forum externum.

Respondeo, Tunc sane potes, etiam te gerere, ut non excommunicatum coram iis, qui sciunt tuam absolutionem, quia tunc nullus est contemptus.

9. Alterum, quod addere modo promisi, illud est. Quamvis in foro conscientiæ sis absolutus, potest nihilominus contra te Iudex procedere, ac si absolutus non fuisses, idque tum ob delictum; ob quod in excommunicationem incidisti, tum ob ipsam excommunicationem, tum ob actiones externas prohibitas quas forte post dictam fori interni absolutionem cum peccato gessisti. Quare poterit iudex procedere ad te denuntiandum, ut excommunicatum, ad finem, ut viteris ab aliis, & si forte publice celebrasti Missas, vel obtinuisti beneficium post dictam absolutionem, te declarare irregularem, & privatum beneficio.

10. Dixi (cum peccato, & publicè) mihi enim cum Suar. *l. c. n.* 38. videtur probabile, quod iudex Ecclesiasticus, si ipsi constet eiusmodi absolutio, ut ita loquar, privata, non possit procedere contra sic absolutum ob communicationem cum fidelibus, celebrationemque Missarum, vel impetrationem beneficij, si hæc facta fuerunt cum moderatione dicta *n.* 4. & 5. ubi enim non est delictum, non potest iudex urgere ad pœnam. Ito, (ut notat ibidem Suarez) pro aliis actionibus peccaminosis, poterit quidem illum punire, sed mitius, quatenus scilicet præcise est necessarium, ad satisfactionem scandali per illum dati.

Potest tamen dictus iudex procedens ex officio non tamen, si contra instet pars quæ legitime contradicat se mitem præbere cum eiusmodi privatim absoluto, quando ipsi iudici moraliter constat absolutio. Potest enim illum excusare, potest illum non denunciare excommunicatum, potest non declarare irregularem, nec beneficio privatum, potest repellere accusationem procuratoris fiscalis contra reum forte instantis; uno verbo, potest esse contentus illa absolutione, aliamque nequaquam requirere. Ita Coninch. aliique apud Dianam, *p.* 11. *tr.* 2. *resol.* 61.

11. Si rogès, per quid iudici constabit de dicta absolutione? Respondeo, vel per testificationem fide digrorum vel per schedulam confessarii testantis, se illum absolvisse vigore bullæ. Hanc autem schedulam ad solam pœnitentis instantiam facere poterit confessarius; ne scilicet confessionis sigillum violet, & quidem ejusmodi schedulam in re nostra fidem facere, docet Suar. *de cens. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 26. de qua multa habes apud Dianam, *p.* 11. *tr.* 2. *resol.* 62.

Notat autem Filliucius, *tr.* 11. *c.* 11. *n.* 293. eam posse quidem à confessario dicto modo scribi, sed raro, & non nisi ex rationabili causa. Quod posterius ego intelligo, quando est timor, seu periculum, ne ea abutatur pœnitens, contemnendo, procutare absolutionem pro foro externo, secus, cur danda non sit.

## §. IX. *Tres Notationes ad præditta facientes.*

1. HIc denique tria sunt notanda. Primo posse absolvi quempiam virtute bullæ, etiamsi in eo confidentiam peccaret; non verò per eandem posse componi in male ablatis ex eiusdem confidentia. Ratio est quia id in bulla compositionis expresse prohibetur, quod non prohibetur in hac bulla.

2. Notandum Secundò, in Summario bullæ poni formulam absolutionis, qua uti potest confessarius, quando absolvit virtute Bullæ à casibus, vel excommunicationibus reservatis. Sed consulto dixi (*potest*) non enim est huiusmodi formula de substantia absolutionis, cui satis sit formula absolutionis ordinaria cum intentione absolvendi iuxta tenorem, & facultatem bullæ, ut advertit Nuñus allatus à Galleg. *de bull. claus.* 14. *du.* 181. Imò, quo ad excommunicationem, etiam satis sunt quælibet verba illam absolutionem significantia.

3. Notandum tertiò, certum esse ut notat Sanch. *l.* 9 *matr. d.* 16. *n.* 11. cum aliis, per se non esse necessarium ut is, qui absolvendus est ab excommunicatione confiteatur sua peccata, & simul à peccatis, & ab excommunicatione absolvatur. Absolutio enim excommunicationis non est Sacramentalis: tamen quia ut licite tu eam recipias, debes habere propositum parendi mandatis Ecclesiæ, idest non committendi in posterum eam actionem cui tua excommunicatio annexa est: hoc verò propositum, & similia requisita, tanquam dispositiones, ad recipiendam absolutionem excommunicationis, melius ponuntur in Sacramento ipso pœnitentiæ, idcò illa regulariter intra hoc Sacramentum, sed ante absolutionem peccatorum conferenda erit, nec extra illud, nisi notabili causa sic persuadente.

Dixi autem (*per se*) nam si facultas, quæ tibi confessario data fortasse est, absolvendi excommunicationem reservatam,

reservatam, est concessa cum hac formula *ut absolvat intra ipsum Sacramentum pœnitentiæ*, vel sub hac, *in foro Sacramentali*, tunc certè invalide conferres absolutionem extra, ut ex se patet.

4. Sed ecce difficultas in casu nostræ bullæ. Quandoquidem in ipsa dicitur, ut confessarius solum absolvat pro foro interno, quæro, an hæc clausula velit, absolutionem excommunicationis vi bullæ dandam esse intra confessionem Sacramentalem ita necessario, ut extra, invalide conferatur.

Respondeo, non ita esse intelligendum. Quare valida erit absolutio excommunicationis vi bullæ collata extra Sacramentum pœnitentiæ. Ratio est, quia illud *in foro interno*, quod requirit bulla, significat, absolutionem valere, quoad forum conscientiæ, & coram Deo, non autem significat, debere absolutionem dari in foro Sacramentali, ut late videri poterit apud Sanchez, *l. 8. matr. d. 16. num. 11. & d. 30. n. 21.* & Suarez, *tom. 4. de relig. l. 9. cap. 2. n. 17.*

## CAPVT XII.

### *De sexto Bullæ Privilegio, hoc est, de indulgentia quæ in hac clausula undecima conceditur, semel in vita, & semel in morte.*

### §. I. *Semel in vita.*

1. TVtior Praxis accipiendæ, sive acquirendæ hujus Indulgentiæ, (quæ semel tantum, anno bullæ durante, acquiritur, sed iterum eodem anno cum secunda bulla, non vero tertio cùm tertia) est, ut confessarius ab aliquo ordinario modo dicto approbatus, electus à pœnitente habente bullam, die quocunque quem ipse pœnitens voluerit, confessionem pœnitentis audiat, illumque à peccatis absolvat, & indulgentiam hanc ipsi immediate post absolutionem applicet. Ita Mendo *d. 27. de Bull. cap. 2. num. 18.* dicendo hæc vel similia verba. *Ego tibi applico Indulgentiam plenariam, quam ex Bulla tibi concedit Summus Pontifex in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Potest etiam applicare in ipsa absolutione, hoc est per ipsa verba absolutionis Sacramentalis habens intentionem absolvendi Pœnitentem à culpis, & à pœnis. Ita Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 50. sect. 1. num. 8.*

2. Dixi (*tutior*) nam in collatione hujus indulgentiæ duo sunt, de quibus Doctores non conveniunt, ut mox videbitur, at sub prædicta praxi conveniunt omnes.

Primò igitur non conveniunt, an hæc applicatio requirat fieri in ipso Sacramento pœnitentiæ, an possit etiam extra, hoc est, quamvis pœnitens non confiteatur.

Respondeo. Requiri actualem confessionem, docet Trullench. *in Bull. l. 1. §. 7. d. 19. n. 4.* nisi forte, ob piam interpretationem de voluntate Pontificis, aliud præsumeretur, quando Pœnitens incidit in phrænesim, vel morbum, qui ipsi impediat usum rationis: Ratio autem quod requiratur per se confessio est, inquit, quia Pontifex sic omninò disponit copulative. *Vt possit habens bullam eligere confessarium, & à quo indulgentiam obtineat.* Ita etiam tenet Galleg. *clauf. 9. dub. 109.* dicens, esse leve fundamentum eorum, qui non requirunt.

At plures, inter quos est Suarez & Filliucius, eosque citans Diana *p. 1. tr. 11. res. 105.* docent, satis esse contritionem. Imò addunt, si pœnitens nullo mortali gravetur, nullam requiri tunc confessionem, sed posse in eo casu confessarium sine alio requisito applicare Indulgentiam. Ratio est, (aiunt) quia Pontifex tunc requirit confessionem, quando dando necessario est simul, & copulative absolutio cum Indulgentia, quod evenit, quando Pœnitens non est in statu gratiæ, non verò quando disjunctivè sola indulgentia concedenda est, quod evenit, quando pœnitens peccato lethali caret, atque adeo in gratiæ statu versatur.

4. Vtraque sententia est probabilis, quia utrumque sensum Bullæ verbà habere possunt; sed, ut liquet ex se, prior est tutior: unde & tutius erit, pœnitentem debere esse præsentem; nam si non esset necessaria actualis confessio, profectò hæc Indulgentia, (ut notat Bardi *de bull. p. 2. tr. 4. c. 5. sect. 4. n. 15.*) applicari absenti posset.

5. Secundò non conveniunt Doctores, an confessarius debeat esse approbatus ab Ordinario, an satis sit, si sit purus Sacerdos: Respondeo: Certe si applicatio hæc debeat necessario fieri sub actuali confessione, approbatio in confessario requiritur, saltem quando pœnitens debet absolvi à mortalibus, secus, satis fortasse erit purus Sacerdos, quia ubi nulla, vel solum venialium confessio exhibenda est, non est necessaria approbatio.

6. Sed jam vides, ficuti in doctrina *n. 3. præcedentis*, requirente confessionem, prior sententia tutior fuit, ita & hic, esse tutius, requiri approbationem.

7. Illud certe nullo modo est sustinendum, quia sufficere quemcunque Clericum, vel Laicum, vel seipsum, si alius desit, nullo, inquam, modo. quia in hac indulgentia acquirenda in vita (nam alia erit ratio de acquirenda in morte, ut mox §. *sequenti* dicitur) clare Pontifex requirit confessarium, vel saltem Sacerdotem, & quidem distinctum, seu alium ab ipso Pœnitente.

### §. II. *Indulgentia semel in morte.*

1. PRaxis acquirendæ hujus Indulgentiæ, & quidem Plenariæ, partim est similis, partim dissimilis præcedente, quæ acquiritur in vita. Nam aliud est dicendum si quis moriatur ex morte non repentina, sed cum spatio alicujus usus rationis, aliud, si repentina, sine ullo spatio.

2. Si prius, ideſt, si quis constitutus in articulo mortis, vel in ejus periculo, (id quod late explicui *lib. 5. de pœnit. tr. de casibus reserv. c. 12. §. 2. à n. 37.* quoque breviter est illud, quando quis in magna versatur proximæ mortis probabilitate.) Si quis, inquam, ita constitutus confiteri potest, confiteatur, & tunc confessarius illum absolvat, simulque impertiatur Indulgentiam, similibus verbis, quibus usus est suprà §. *præced. n. 1. in vita.* Ego tibi applico, &c.

3. Si posterius, id est si à repentina morte invadatur nec possit habere confessarium, sive ob absentiam Sacerdotum, sive ob aliam causam, nec fuerit negligens ad agendam pœnitentiam de suis peccatis ob fiduciam hujus indulgentiæ, ipse moribundus, si sit contritus, vel si nullo gravetur mortali peccato, ex se, sine alterius ministerio, seu alterius applicatione, & sine alia oratione sibi Indulgentiam plenariam applicet, seu acquirere intendat, nam tunc illam consequetur.

4. Hoc privilegium non est in Clausula hac undecima, quam præ manibus habemus, sed infra, hic tamen illud ponimus ob doctrinæ conjunctionem. Verba Pontificis hæc sunt.

Item si dicto anno durante, contingat per repentinam mortem, vel confessariorum absentiam sine confessione decedere, modo contriti decesserint (*intellige modo in gratia decesserint: nam cum Bardi l. c. n. 29. non puto habenti solum Venialia opus esse de his confiteri*) & prius statuto tempore confessi fuerint, neque hujus concessionis fiducia negligentiores fuerint, Plenariam, ut supra, consequantur.

5. His habitis. Inquires primò. Si quis semel in periculo dicto acquisierit indulgentiam, potestne in alio periculo ejusdem anni, servatis dictis conditionibus, iterum acquirere.

Respondeo, non posse, quia jam hoc privilegium habuit suum effectum, ergo redire sine nova concessione

non

non potest, nam propterea cum secunda Bulla potest iterum eodem anno, quia id de novo concessit Pontifex, licet non tertio cum tertia.

6. Inquires secundò an, si sic applicet confessarius, *si morieris, concedo tibi, seu applico hanc indulgentiam, si non morieris non applico.* An inquam, si Pœnitens convalescat, redeunte deinde periculo alterius infirmitatis, vel eadem recrudescente, possit lucrari dictam indulgentiam ex eo, quia Privilegium non habuit effectum in illa prædicta priore conditionata applicatione.

Respondeo posse putat Dian. *p.1.tr.11.resol.106.* quem sequutus est Galleg. *claus.9. disput.107.* Innititur autem uterque in quodam testimonio Commissarii, quod super hac re se habere, dicit. Sed negat Trullen. *de bull.l.1. §.7.c.2.d.19.n.8.* cum aliis, & merito. Nam cum hanc Indulgentiæ suspensionem non concedat Pontifex, non est audacter pronunciandum, ea te uti, posse. Nec testimonium illud commissarii obstat, nam tanta commissarii potestas nullibi legitur, ut notat Bardi *p.2. tract.4.c.5. §.4. num.27.*

7. Inquires tertiò. Si confessarius accedens ad proximè moriturum, qui bullam sumpsit, invenit illum sensibus destitutum, itaut confiteri nequeat, potestne ipsi confessarius, seu Sacerdos applicare indulgentiam hanc, cum tunc non prosit concessio Pontificis dicta *num.4.* quia jam est præsens confessarius.

Respondeo. In nostra, & aliorum sententia, quos adducit Diana *l.c.resol.108.* poterit tunc Sacerdos absolvere hunc sub conditione illa, quam explicavimus *in methodo Confessionis l.1.c.10.à n.4.* & deinde indulgentiam poterit applicare modo dicto. In sententia iterum eorum, qui dicunt, hanc, qui non petit confessionem, non debere absolvi; poterit etiam ei indulgentia applicari à dicto præsente Sacerdote, saltem ex præsumpta Pontificis voluntate, ut in simili esse probabile, diximus §. *præced. n.2.* & 4. Et quia fortasse erit contritus, seu alias in statu gratiæ, fructum indulgentiæ lucrari poterit. Ita Acosta, & Rodriq. cum Diana *l.c.*

8. Inquires quartò, occasione illius, quod modo dictum est *n.3.* (sibi indulgentiam applicet, seu acquirere intendat, &c.) inquires, inquam, an ut indulgentia quælibet, adeoque hæc ex Bulla Cruciatæ acquiratur, necessarium sit, ut illam quis intendat acquirere, an satis sit, ut faciat opus injunctum à Pontifice, cum circumstantiis ab eodem requisitis licet non intendat, imò nec sciat, tali operi esse annexam indulgentiam, loquimur autem, ut ex se patet, quando concedens indulgeutiam scientiam illam, vel intentionem, vel simile quid non requirit, sed ab illa præscindit.

9. Respond. Duplex est sententia. Rodriq. *in Bull.§.8. n.9.* & Trullench. *in bull.l.1.§.6.dub.2.n.5.* aiunt nisi quis sciat, intendatque, sane non lucrari indulgentiam. Ratio hujus sententiæ esse potest, quia indulgentia est per modum privilegii, quod ignoranti non acquiritur, sed requiritur scientia, & voluntaria privilegii acceptatio.

10. At Portella, *in add. ad dub. Reg. V. indulgentia*, dicens, se hanc sententiam accepisse à Ludovico Molina, & Josephus de Augustino, aiunt, etiamsi quis nesciat, sed requisita tamen ad indulgentiam ponat, illam acquirere. Ratio est (inquit de Augustino) quia, vel talis scientia, ut vult Joseph de August. *in brevi notitia tit. de indulgentia n.ult.* & intentio non est necessaria, siquidem non ponitur in tenore concessionis, ut supponimus, vel si est necessaria, semper adest implicita intentio, qua quilibet homo, dum bene operatur, vult acquirere totum fructum, quem potest ex illo bono opere, & ex ejus annexis.

11. Confirmat primò Portella ex exemplo satisfactionis ex opere operantis: licet enim quis nesciat, nec explicite intendat per suum opus bonum v. g. per suum jejunium satisfieri pœnis, quas debet ex suis peccatis, tamen acquirit satisfactionem annexam tali operi. Ergo eodem modo, elevato tali opere ad majorem valorem satisfactionis ex opere operato, quod fit in ied dignitis authoritate Pontificis, qui habet ad id potestatem potuerit quis absque scientia, & consequenter absque intentione obtinere totum ejus fructum.

12. Confirmat secundò Delugo *de pœnit. d.17. num.8.* quia fructus suffragii mihi ab alio applicati, v.g. jejunii fructus, quem mihi applicat meus amicus pro me jejunans, imò, & fructus Sacrificii Missæ, quem mihi (si licet quidem ex opere operato) applicat aliquis Sacerdos pro me Missas celebrans, mihi applicantur, tametsi nihil ego sciam vel intendam. Ergo cur non idem dicendum, si mihi indulgentiæ fructum ipse Pontifex applicet, me nihil sciente, vel intendente? Cur enim Christi satisfactio applicata per Sacrificium Missæ, prodest mihi nihil scienti, & prodesse non poterit eadem satisfactio per potestatem Pontificis applicata.

13. Confirmo ego tertiò, quia de facto Pontifex dum quando solet concedere, & in hac nostra bulla ut, vidimus *n.4.* concedit moribundo à sensibus destituto Indulgentiam Plenariam, & tamen tunc ille nihil advertit, nihilque potest intendere.

14. Ad rationem Rodriquez, & Trullench. respondet Delugo, *l.c.* Indulgentiam non esse privilegium, quod debeat exequutioni mandari per ipsum privilegiatum, sed potius esse solutionem pro illo, quæ potest fieri per alium, nihil sciente debitore, ut si quis amicus pro me nihil sciente, solvat centum aureos, quos ego uni creditori debeo, satisfactus erit creditor, nec ego aliquid debebo.

Cujus rei ulterior ratio est, quia ad has, vel similes solutiones semper adest intentio implicita dicta *n.* quæ satis in hujusmodi solutionibus est.

15. Hanc secundam sententiam probabilissimam judico, tamen usus fidelium merito semper curat, intendere expresse indulgentias sibi acquirere: tum quia id tutius absque dubitatione est, tum quia non est certum, licet sit verosimile, ut loquitur Delugo citatus, Pontificem ita se habere in omnibus indulgentiis concedendis, sicuti se habet in casibus modo *n.3.* dictis. Et cum cum requisita ad indulgentias acquirendas, sint, ut plurimum, varia, & sub variis conditionibus ponendis, ut hæc apponantur, debent sciri, & consequenter regulariter semper aderit acquirendi intentio.

16. Illud (ne erres) adverte. Nam indulgentiam lucrari volens quis pro defuncto, vel sua opera applicare pro ejusdem Defuncti satisfactione, debet habere necessario intentionem determinatam lucrandi, & satisfaciendi pro eo. Ratio est, quia adest quidem illa intentio implicita lucrandi sibi per suum bonum opus, quantum potest, non autem adest lucrandi pro alio, & ita docet idem Delugo. *ibidem loc. cit. num.74. & disput.18. num.28.*

## CLAVSVLA. XII.

*Item sumentibus bullam conceditur, vota omnia, ultramarino, Castitatis, & religionis excepta, in aliquot subsidium hujus expeditionis per eundem confessum commutari.*

## CAPVT XIII.

### *De septimo Bullæ Privilegio, hoc est, de commutatione Votorum*

NOn loquimur hic, an potestatem habeat commissarius Cruciaræ commutandi vota fidelium, sed de ea quam habet confessarius electus à pœnitente libente bullam. De Commissarii enim potestate non est hic agendi locus.

§. I. De

*§. I. De commutatione Votorum præter excepta.*

1. Differt Voti commutatio à dispensatione. Nam commutare est transferre vinculum & obligationem voti ex una materia in aliam, ut ex ieiunio in flagellationem. Dispensare autem est, vinculum voti omnino relexare; quæ dispensatio aliquando est in totum, aliquando ex parte iuxta gravitatem causæ. Quoniam vero per bullam nullum tibi conceditur privilegium, quoad dispensationem, sed solum, quoad commutationem, de hac erit præcipuè nostra locutio.

2. Ea autem triplex esse potest, vel enim votum commutatur in minus, ut ieiunium in unum Pater & Ave, vel in maius, ut Pater, & Ave, in ieiunium, vel in æquale, ut ieiunium diei v. g. Veneris in crastinum diei v. g. Sabbati.

Porro in minus nihil potest per Bullam, quia illa potius est dispensatio, quam commutatio, In maius non est necessaria Bulla, quia quilibet ex se potest sibi commutare in maius, ut late *lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 5.* diximus.

3. Bulla ergo solum proderit, ut tuus confessor per illam electus possit tuum votum in æquale commutare. Sed quia, ut ibidem diximus, est probabilis opinio, posse quemlibet ex se suum votum commutare in æquale, quia Deus æque satisfacit per æquivalens, ideo, ut per Bullam aliquid amplius habeatur, concedimus, satis probabiliter posse per eam commutari votum in aliquo aliquanto minus, non vero minus notabiliter. Hæc ibidem tractata latius habes, & videri possunt apud Castrop. *tr. 3. de Voto p. 14.* Suar. *l. 6. de Voto cap. 12. & 17.* Sanch. *l. 4. summ. c. 50.* aliosque.

4. Scio autem, valde operosum esse, dignoscere hanc æqualitatem, vel quasi æqualitatem in his votorum commutationibus; sed ego ibi, quantum potui, regulas & exempla id cognoscendi diligenter tractavi. Illud nūc scies, à Castrop. *de Bull. disp. un. punct. 9. n. 6.* æquitatem hanc relinqui tandem decernendam à prudenti confessario, qui eo ipso, quod bona fide procedat commutatio effectum habebit.

*Quis Confessarius.*

5. His ita constitutis. Inquires Primo, Quinam confessarius requiritur ad hanc commutationem expediendam? Respondeo quem tu habens Bullam voluetis, dummodo sit approbatus ab ordinario, modo supradicto.

6. Primo igitur non est satis quilibet Sacerdos, quia id tam ample non concedit Bulla. Secundo non est necesse, ut commutatio fiat in ipsa Sacramentali confessione, quia hæc restrictio non habetur in bulla. Tertio nec est necesse, ut qui commutat sit tuus confessarius, dummodo confessarius modo dicto sit, quia bulla requirit quidem confessarium, sed non dicit, debere esse tuum.

*Causa ex qua prædicta vota commutari valeant.*

7. Inquires secundo quænam causa requiritur, ut eiusmodi commutatio valide, & licitè virtute Bullæ peragatur.

Respondeo. Profecto ad dispensationem voti maior requiritur causa, quam ad commutationem. Quoniam vero nostrum est, loqui solum de commutatione, dico universaliter requiri causam leviorem ad illam, quam ad dispensationem, & Lessius *de Voto dub. 11. n. 96* quidam affirmat, in commutatione voti à quocunque facienda sufficere propensionem solam voventis, placet enim id Deo, ut sic magis hilariter Vota Fideles observent. Atque id, ut dixi, universaliter loquendo. At in nostra commutatione facienda ex vi Bullæ, aliam habemus causam, quam requirit Pontifex in ipso Bullæ tenore Nam præter eleemosynam illam, quæ pro bulla porrigitur requirit aliud nimirum quod, qui velit vi Bullæ sibi votum commutari, per aliquod subsidium pro belli expeditione contra infideles.

8. Sed ecce difficultas admodum agitata inter Bullæ explanatores. Ecquodnam est hoc subsidium, temporalene, id est aliqua alia eleemosyna, an spirituale, idest aliqua v. g. oratio.

Alphonsus Deza, aliique, quos citat, sed non sequitur Castrop. *de Bull. disp. un. punct. 9. num. 7.* probabile docent, sufficere spirituale, maxime si vovens sit pauper, quia Bulla dicit *in subsidium* At spirituale subsidium, subsidium est.

9. Suarez, Sanchez, Henriquez aliique apud eundem Castropalaum *l. c. n. 9.* asserunt fieri posse in subsidium partim temporale, partim spirituale, ne scilicet multum detrahatur de subsidio temporali, si solum spirituale satis sit.

10. Castropalaus vero *loc. cit.* alios adducens, docent esse omnino temporale, tam ex modo loquendi, & fine Bullæ, quæ concessa fuit ad congregandam pecuniam contra infideles, aliud subsidium non intelligitur, nisi temporale.

11. Ego omnino Castropalaum sequor, in qua sententia me firmavit Galleg. *claus. 9. d. 160.* Ineni postquam (probans Castropalai sententiam) attulisset Petrum Ledesmam, Sotum, Aloysium Lopez, aliosque, citat Machardum longam tractationem hac de re ita concludentem. *Verum hac ætate cessat omnis de hac dubitatione controversia: siquidem Commissarius Generalis Cruciatæ, cui de iure competit declarare dubia, quæ se offerunt circa Bullam Cruciatæ, expresè declaravit, commutationem votorum omnino faciendam vi Bullæ in subsidium temporale, idque præcipit omnibus confessariis sub pœna excommunicationis, quam declarationem, publicavit anno 1642.* Lege Gallegum, qui ponit formalia verba prædictæ declarationis.

12. Praxis autem cui in hoc Regno Siciliæ consignanda sit hæc pecunia pro commutatione voti datur in instructione quam pro Prædicatoribus Bullæ Commissarius Generalis huius eiusdem regni publicavit hic Panormi, ac typis impressis evulgavit, ubi *n. 4.* sic habetur.

*Quarto s'auverte, che Penitenti da loro, stesi ripongano nella cassa, che sarà riposta nella Chiesa o chiese à tale effeto, dove sarà scritto (cassa di compositione) tutta quella somma che i loro Confessori haverano ordennato pagare, altrimente facendo, non hanno complito con l'obligo loro ne sono commutati i loro voti.*

13. Nota autem aliam esse praxim, si quando expediatur compositio ab ipso commissario in his materiis, quas ipse expedire potest, nam de hac compositione ita habetur in prædicta instructione.

*Si da notitia à tutti li Penitenti, che quella eleemosina, che li sarà tassata dal Commissario Generale della Santa Cruciata per alcuna compositione, ô dispensa, sono obligati detta eleemosyna pagare al Tesoriero Generale della S. Cruciata, o à suoi Procuratori legitimi in presenza di detto Commissario Generale, o degl' altri suoi Delegati che facessero, se non la detta compositione ô dispensa è nulla.*

14. Rogas. Quantam eleemosynam debet taxare confessarius ad commutandum meum votum quam ego deinde in prædictam causam inferre debeam? Respondeo tantam esse taxandam, quantam iuxta qualitatem personæ eiusque facultates, ac iuxta gravitatem voti, omnibus circunstantiis consideratis, iudicabit confessarius, id quod certe non nisi ex eius prudentia, ac iudicio, hic, & nunc decerni potest.

*Vota, ad qua se extendit commutatio per Bullam.*

15. Quæ vota commutari queunt per Bullam? Respondeo

sponcto. Omnia, præter votum castitatis, Religionis, & Peregrinationis Hierosolymitanæ. Hæc autem quando in aliquo deficiunt, an possint etiam commutari, dicam mox §. 2. Omnia inquam, sive sint personalia; sive realia, sive mixta; ut item sive fuerint emissa ante sive post promulgationem Bullæ.

16. Hic etiam reducunt aliqui votum, quod tu recordaris emisisse, sed oblitus es eius materiam, posse enim commutari docet Sanch. *l. 4 sum. cap. 54. num. 34.* quia adhuc est votum. Id tamen negat Suarius, Siquidem commutatio, ait, quæ debet esse prudens, non potest ferri in incognitum.

17. Sed profecto, quandoquidem est probabilis opinio te, si voti es oblitus, ad illud non obligari, quia nescis quid operis facturus sis, tenquam ex voto, parum utilis est hæc quæstio quoad praxim.

Porro hic proprio in loco sunt quinque exagitandæ difficultates.

## PRIMA, ET SECVNDA DIFFICVLTAS.

*De voto non petendi commutationem*

18. PRima an confessarius electus possit commutare votum, quod quis emisit de non petenda commutatione sui voti v.g. ieiunij.

Respondeo valide posse, (nã num licite id petat vovens dicam mox.) Ratio est, quia hæc voventis voluntas non tollit à confessario electo potestatem commutandi; hoc enim votum non est ex exceptis, quare poterit confessarius commutare prius hoc votum non petendi commutationem, & deinde commutare poterit ipsum votum. Idem dic, si vovisti non petere commutationem nisi à Pontifice immediate: nam propter eandem rationem, adhuc per duplicem dictam commutationem poterit confessarius electus tibi consulere.

19. Verum insurgit secunda difficultas, an scilicet peccet, qui petit commutationem voti; si voverat se illam non petiturum.

Respondeo. Gallegus *claus. 9. d. 144.* putat hunc petendo commutationem, valide quidem commutationem recipere, sed peccare, quia facit contra votum illam petendo, quam non petere promisit Deo.

20. Verum, ut huic difficultati plene satisfiat, recolenda sunt prius ea quæ *lib. 3. in decal. c. 15. §. 4. n. 8.* dixi, ubi sic habeo: Votum non petendi sine causa dispensationem vel commutationem voti facti, vel faciendi validum pronuntio, quia ad prudentiam petinet, nolle sine causa à voti obligatione eximi. At votum non petendi dispensationem, vel commutationem absolutè nequaquam valere puto cum Sanch. *lib. 4. in decal. 6. 8. n. 22.* quia impedit maius bonum præsens, nempe libertatem petendi dispensationem quæ aliquando necessaria, vel saltem valde utilis erit voventi. Hactenus ibid.

21. Ex quibus concludendum est, in casu, quo validum fuit votum, te sane peccaturum graviter, vel leviter (iuxta gavitatem, vel levitatem voti) si contra illud agas, & commutationem petas sine causa, quia contra votum agis. At in casu posteriore, quando votum non fuit validum non peccabis, idque ex prædicto capite, quia nimirum contra nullum votum facis. Immo tunc commutatione voti non indiges si quidem votum non habet, qui invalide vovit.

## TERTIA DIFFICVLTAS.

*De commutatione pœnæ voti.*

22. TErtio. An possit commutari pœna quam sibi quis incurrendam imposuit, si votum frangeret. Emisit v.g. quis votum non ludendi, quod si luderet, sibi in pœnam non servati voti, imposuit, ut obligetur aliquid pium facere, puta eleemosynam pauperi, vel Ecclesiæ tribuere, ieiunium unius diei servare &c. difficultas, inquam, est an hæc eleemosyna, vel ieiunium possint per Bullam commutari.

23. Respondeo posse. Quia hæc pœna est debita propter relationem quasi essentialem, quam habet ad Votum. Concessa ergo facultate per bullam circa votum, concessa intelligitur circa hanc pœnam. Ita Sanch. *de matr. l. 8. d. 15. & in sum. l. 4. c. 52.* aliique contra Soyr. in *clavi reg. c. 12. n. 20.* confirmat Trull. *l. 1. in decal. 3. 7. c. 1. dub. 7. n. 4.* quia votum, absolutum, & directum quodammodo videtur magis obligare ad materiam, in quam directe cadit v.g. ad omissionem ludi, quam ad pœnam, in quam videtur votum cadere indirecte. Si ergo potest Bulla in prius, quod est maius, multo magis in posterius quod est minus.

24. Hinc ergo fit, ut sicuti per Bullam potest commutari in opus pium æquale, vel quasi, iuxta superius dicta, votum, quod quis absolute emittat de eleemosyna alicui Pauperi vel Ecclesiæ danda, saltem quando Ecclesia, vel Pauper non acceptavit (quod omnes concedunt) quia non est ex exceptis; Ita potest votum alterius materiæ v. g. Votum ieiunij, quod quis emisit sub dicta pœna dandi eleemosynam, atque hoc non solum antequam votum fregit, sed item post voti fractionem, seu etiam post multas fractiones, & consequenter postquam contraxit debitum solvendi illam eleemosynam, quamvis magnam.

25. Adverte hic tria. Primo si petis, & obtines commutationem voti pœnalis, non propterea statim intelligeris obtinere commutationem pœnæ iam contractæ, si forte dictum votum fregisti; sed debes petere, & obtinere expresse commutationem dictæ pœnæ.

Ratio est, quia non eo ipso, quod habes commutationem unius, habes & alterius; confessarius enim dum commutat, solum ad illud dirigit commutationem, quod tu explicuisti. Ita Suar. Sanch. Rodriq. Lud. à Cruce cum Trull. *l. c. dub. 8. n. 7.*

26. Advertè Secundo. Si forte qui emisit eiusmodi votum pœnale non ludendi v.g. sub pœna, si luderet, dandi v.g decem pauperibus; si forte (inquam) fuisti cum inculpabili ignorantia, vel inadvertentia voti, vel, quamvis fuerit memor voti, immemor tamen inculpatæ fuerit pœnæ, non indigere commutatione pro hac pœna, quia pro illo casu non tenetur ad pœnam, excusante nimirum inculpata oblivione, quæ æquiparatur ignorantiæ.

27. Adverte tertiò. Commutationem, licet convenientissimum sit, non tamen est necesse, ut fiat in favorem eius Sancti; vel Ecclesiæ; vel pauperis; cui factum est votum. Item opus non est, ut votum personale in actionem personalem, vel votum reale in realem commutetur; possunt hæc enim aliunde per prudens Confessarij iudicium compensari, ut satis dictum à nobis est *lib. 4. in decal. c. 16. §. 6.*

28. Quæres cur *n. 24.* dictum modo est (saltem quando Ecclesia, vel Pauper non acceptavit.) Respondeo, quia votum reale de danda v. g. eleemosyna Ecclesiæ huic particulari, vel huic particulari Pauperi, non ita certum est, an possit per bullam commutari, quando fuit acceptatum à rectore Ecclesiæ, vel ab illo paupere. Non est ita (inquam) certum, sicuti certum, est commutari posse, quando non est acceptatum, ideo addidi illud (saltem, quando &c.) Et nihilominus, quamvis communis doctrina dicat, tunc non posse, quia per acceptationem iam ius illi acquisiverunt, ut sustinet Sayrus, in *clav. reg. lib. 6. c. 14. n. 13.* Sanch. *l. 4 sum. c. 52. n. 6.* aliique tamen adhuc commutari posse, non improbabile reputat Trullenc. *l. 1. d. 8. n.* quia votum factum Deo, non acceptat legitime homo, sed Deus, cuius voluntatem Pontifex, qui dat Bullam, interpretatur.

Vide, quæ ad hanc sententiam confirmandam fundunt, ego *lib. 3. in decal. c. 17. § 2. n. 15.* dixi, cui nunc adde Ioann. Delugo *d. 20 de iust. n. 93.*

QVARTA

## QVARTA DIFFICVLTAS.

*De commutatione voti iurati.*

29. QVartò, an votum iuratum per bullam commutari possit.

Respondeo, posse, non solum si iuramentum accedat ad votum iam factum, ut si quis dicat, *Iuro, me servaturum ieiunium, quod heri vovi*, vel si accedat, cum fit, ut si dicat, *Voveo, & iuro ieiunium.* Verum etiam si solum adsit iuramentum, *ut iuro me ieiunaturum.* Ratio est, quia nunc (ut supponimus) totum hoc iuramentum nihil aliud confirmat, nisi promissionem factam Deo. Quod si iuramentum esset homini præstitum, tunc sane non posse per bullam commutari, certum est, quia bulla non respicit, nisi quod promissum est Deo, cuius voluntatis, ut diximus, interpres est Pontifex. Quare cum in casibus, propositis illæ non sint modo nisi promissiones Deo factæ, erunt vota, quæ possunt per bullam commutari. Ita Suar. *tr. de rel. l. 6. c. 14.* Pont. *de matr. l 6. c. 11. n. 4. & 5.* Castrop. *t. 3. tr. 1. d. 2. p. 1. n. 3.* Meroll. *t. 2. d. 4. c. 6. n. 114.* aliique.

## QVINTA DIFFCVLTAS.

*De duratione potestatis commutandi vota.*

30. QVintò. Quamdiu durat potestas commutandi vota per bullam? Respondeo. Certum est, durare per annum bullæ, quod si pœnitens nullum suum votum à Confessario commutandum petit, certum item est, non posse commutari post annum, quia potestas tunc iam spiravit. Sed propria difficultas illa hæc est, an si pœnitens accedat ad te confessarium ultimo v. g. die durationis bullæ, petatque commutationem voti, tu vero, sive quia es negotio alicui intentus, sive quia vis libros, vel te doctiorem consulere, &c. an (inquam) possis breviter sic pronuntiare? *Ego tibi commuto ex nunc votum tuum istud in aliud opus, quod post aliquot dies ego, vel quidam doctus designabit.*

Respond. Posse; quia hoc modo dicere possumus; commutationem factam esse tempore durationis bullæ, & solum designationem subrogationis fieri postea. Id quod non est uti iurisdictione post tempus spiratum Delegationis, sed est exequi, quod tempore habili commutatum est. Ita Sanch. *in sum. l. 4. c. 54 n. 5.* Suar. *l. c. c. 11.* aliique quibus adde Leand. *t. 1. tr. 5. d. 14. q. 138.* & ita contra Andream Mendo, tenet Bard. *de bull. p. 2. tr. 7. c. 1. à num. 43.*

Dices Potestne aliquis dicere, per solam petitionem commutationis voti fieri causam cœptam, & rem non esse integram (ut in simili supra diximus de confessione inceptâ) unde posse commutationem finiri post elapsum delegationis tempus? Respondeo. Mendo *de bull. d. 26. à n. 165.* affirmat sufficere solum eiusmodi petitionem, ut possit dici causa cœpta: Sed certe eam solam sufficere, mihi difficile est, ut difficile fuit supra *c. 4. §. 4. n. 6.* meram petitionem confessionis illam facere causam cœptam.

### §. II. *Explicantur vota excepta in bulla.*

1. DEcernamus nunc, quænam vota nequeant per bullam commutari? Dico commutari non posse vota absoluta castitatis, religionis, peregrinationis ultramarinæ (qua voce, quasi per Antonomasiam intelligitur peregrinatio Hierosolymitana) emissa devotionis causa. Idem dic de iuramentis, quibus prædicta observanda iurantur, quando nimirum per ea iuramenta confirmantur promissiones Deo factæ; sunt enim etiam hæc reservata, quia tunc non sunt, nisi vota, ut supra dictum est: Promissiones, dico: nam si quis per iuramentum confirmet duntaxat, sic assertive. *Iuro me habere, vel habuisse voluntatem, seu propositum conservandæ v. g. castitatis*, cum sic non promittat, sed enuntiet, iuramentum est assertorium de præsenti, vel præterito, non vero promissorium, atque adeò votum non est.

2. Dictum est autem (vota absoluta) ut enim vota hæc tria excipiantur, ea intelligi debent, quæ sunt absolute, & perfectè talia, nullaque ex parte deficientia. Id permaxime notandum est, nam ex hoc multa, quæ vota excepta esse prima facie apparent, excepta tamen nequaquam esse, invenientur, ut iam ex corollariis, quæ colligam, palam fiet.

*Votum Castitatis diminutum.*

3. Hinc enim primò, votum non fornicandi, votum non se polluendi, votum non habendi, votum castitatis coniugalis, votum virginitatis præcisè, idest consistentis in abstinentia primi actus luxuriæ, quasmus scilicet virginitas involvit corporis integritatem, votum integræ castitatis, sed ad tempus, ad quod rationabiliter præsumatur ætas hominis perventura; vota inquam, hæc quia sunt castitatis diminutæ non numerantur inter excepta, quare sunt per bullam commutabilia.

4. Præterea votum castitatis vere conditionale hoc v. g. modo emissum. *Voveo castitatem, si convaluero, hoc est si à Deo sanitatem impetrabo*, satis probabiliter, etiam sanitate obtenta, non est ex exceptis, quia deficit à puro voto castitatis quod illud in rigore est tale, & absolutæ, quod propter Dei cultum simpliciter fit, at hoc respicit motivum utilitatis propriæ. Cur autem dictum sit (*vere conditionale*) mox intelliges, *n. 11.*

5. Idem satis etiam probabiliter dic de voto pœnali in hunc modum facto) *Voveo v. g. non ludere, quod si ludam in pœnam voveo castitatem*) vel in hunc alium modum, non vovendo omissionem ludi, sed castitatem in casu ludi, sic, *nolo ludere, quod si ludam, voveo castitatem.* Idem dic (*inquam*) quia hæc non sunt pura vota castitatis, sed relata ad tuum ludum. Faciunt ad hoc ea, quæ dixi supra §. 1. n. 22.

Denique votum castitatis per partes emissum, cui tamen integro noluit vovens se subiicere, huc reducitur, nec enim est ex exceptis. Vovet quis v. g. hodie, nolle assentiri pravis internis cogitationibus, cras vovet se non fornicaturum, perendie se nolle actum impudicum externe peccaminosum habere; dico hæc singula non esse reservata, quia sunt vota diminutæ castitatis, atque adeo esse per bullam commutabilia, nisi tamen vovens, voluerit in ultimo voto simul omnia colligere, illisque esse subiectum, nam tunc votum erit perfectæ, & integræ castitatis.

*Votum Religionis diminutum.*

6. Hinc Secundò. Votum de assumendo Ordinem Sacrum; votum de serviendo toto vitæ tempore Hospitali, vel Monasterio, seu Religioni, nisi sic intelligas, rite in illa profiteri, votum de ingrediendo in Religionem, si intelligas solum ingressum, non vero perseverantiam, seu professionem in ea (hoc vide distinctius apud Doctores citatos à Diana *p. 1. tract. de bull. Cruc. ref. 79.* hæc inquam quia non sunt vota perfecta de Religione non sunt reservata, sed per bullam commutari, fas est.

7. Idem pronuntia, si votum religionis sit verè conditionale, vel pœnale, propter rationes modo *num. 4* dictas.

*Votum Peregrinationis Hierosolymitanæ diminutæ.*

8. Hinc tertiò, vota de invisenda Sanctissima Virgine Lauretana vel S. Iacobo in Compostella, vel votum Peregrinationis ad Limina Apostolorum, vel etiam Peregrinationis Hierosolymitanæ non ob visitanda Loca Sancta, sed ob alium, tametsi honestum, & pium finem v. g. ad sua peccata ibi cum confessario illic forte de-

gente confitenda, vel ad suum parentem ibi ægrotantem adiuvandum; Hæc inquam vota, cum non sint ad loca Hierosolymitana Sancta, non sunt reservata, unde sunt per bullam commutabilia.

9. Idem dic, si votum eiusdem Hierosolymitanæ Peregrinationis sit vere conditionale, vel pœnale propter rationes adductas *n.* 4.

*Duæ Notationes facientes ad prædicta.*

10. Duo tandem diligenter notari velim. Primo, qualitates quasdam annexas his reservatis votis posse per bullam commutari v.g. Novisti Peregrinationem Hierosolymitanam pedestrem, vel mendicando in itinere, vel sine magno comitatu, potest confessarius per bullam electus has circunstantias sibi commutare, modo interim perstet ipsa Peregrinationis substantia, quia hæc est reservata, nequaquam illæ.

11. Nota Secundo. Cur quando dicimus votum conditionale commutari per bullam posse, addimus illud (*vere conditionale.*) Ratio enim est, quia non raro, quamvis in modo loquendi adsit in tuo voto illud (*si*) tamen non semper significat conditionem, sed tempus, atque æquivalet particulæ, *quando*, voves v.g. si convalueris, si Pater tuus incolumis domum redierit, si tua soror honeste nupserit, voves, inquam ire Hierosolymam, vel religionem te addicere, vel castitatem perpetuam sartam tectam custodire. Aio, si sensus sit verè conditionatus in hunc modum *Voveo, si hæc prædicta mihi concesserit Deus, Religionem, Peregrinationem. Castitatem*, erunt, ciusmodi vota commutabilia: at si sensus sit hic alius, *Vovo, quando ego convaluero, quando meus pater redierit, quando mea soror honestè nupserit, &c.* sane non erunt vota conditionata, sed absoluta pro præfixo tempore, quare nequaquam commutationis favore gaudebunt.

§. III. *Vota de quibus est aliqua maior controversia, an per bullam commutari queant? Vota coniugum.*

1. PRima controversia est de voto perfectæ castitatis emisso à coniuge, an sit reservatum, ac proinde neutiquam commutabile per bullam.

Respondeo. Certum est, si votum hoc fuit à coniuge emissum ante initum matrimonium, esse reservatum, etiam post matrimonium initum, siquidem ex matrimonio naturam non mutat; & ipse quidem peccavit matrimonium contrahendo, licet propter ius bona fide ab alio coniuge acquisitum, posset debitum reddere, at petere quidem non potest; & quamvis iuxta probabiliorem sententiam possit Episcopus, & forte Mendicantes per sua privilegia dispensare hunc ad petendum debitum, dumtaxat dum coniux vivit, tamen nec ad hoc, nec ad totum votum commutandum bulla quidquam potest, quia id esset Bullæ potestatem extendere ad vota per Pontificem excepta.

2. At, si sit sermo de voto castitatis, quod forte coniux emittat dum est in matrimonio, quinque modis emitti ab ipso posset. Primo ab altero absque licentia alterius Coniugis. Secundo, ab altero cum licentia alterius. Tertio, ab utroque sine mutua, licentia. Quarto, ab utroque cum mutua licentia, non per modum contractus, quo quisque cesserit iuri suo petendi. Et in his quatuor potest bulla, quia sive cum licentia, sive absque ea cum alter, qui dedit licentiam, non se privaverit iure suo, ut in his quatuor modis supponimus, remanet, votum non esse perfectæ, & absolutæ castitatis. Verum Quinto modo, si votum castitatis emittatur ab utroque sed mutua licentia, & per modum contractus quo quisque Iuri suo cedit, cum iam sit votum perfectæ castitatis, reservatum erit, & in commutabile.

Notat tamen Sanchez, *l. 9. matr. d. 37. n. 13.* si dicti coniunges remittant sibi, & acceptent mutuam cessionem iuris petendi, & reddendi debitum, posse per bullam tunc, ejusmodi votum commutari; siquidem quod remanet, votum integrum castitatis non est. Sed advertere, sic remittendo peccare graviter coniuges, quia ut supponimus, contra votum operantur.

*Votum strictioris Religionis, & quoad tempus.*

3. Secunda controversia, an per bullam commutari queat votum religionis strictioris in laxiorem, ut inter, quoad tempus præfixum à vovente, hoc est quoad dilationem ingressus.

Respond. utrumque posse per se, quia ut supra vidimus, circunstantiæ extrinsecæ non sunt reservatæ.

4. Dixi (per se) nam si in laxiore non vigeat observantia Regularis, & dilatio temporis sit tanta, ut voventi periculo exponatur votum non implendi, tunc in nostro casu poterit aliquid bulla, ut nec Episcopus, quia esse commutare substantiam voti, & ita tenent Sanch. *l. 1. d. 9. n. 19. & l. 4. sum. c. 40. n. 76.* & Cast. *t. 3. tr. 11. d. 4. p. 11.*

*Votum Religionis Militaris.*

5. Tertia controversia. An votum Religionis Ordinum Militarium possit commutari per Bullam? Respondeo votum Religionis Militaris Sanct. Ioannis Hierosolymitani (cuius Religiosi Melitenses vulgo appellantur) non posse, quia hæc est in omnium sententia vera religio. Aliarum vero, puta S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ &c. posse probabiliter; quia in multorum sententia probabili, hæ non sunt, saltem hodie veræ religiones, quamvis in aliorum probabili, & fortasse probabiliori sententia, etiam hodie, sint. Lege Sperellum, *par. 1. dec. 2.* aliosque ab eodem citatos.

Excipe Regulares ex his Ordinibus; nec mirum, quia hi sunt veri Religiosi &c. ut Andreas Mendo *in app. ad bul. dil. c. 31. n. 118.*

*Votum sub distinctione.*

6. Quarta controversia est huiusmodi. Quamvis conveniant Primo Doctores, si tu voveas sub disjunctione duo vota reservata, v. g. voveas vel castitatem, vel Religionem, conveniant, inquam, tunc neutrum posse per bullam commutari, quia utrumque est reservatum, & quamvis, Secundo, conveniant, si voveas sub disjunctione duo vota, quorum alterum sit reservatum, alterum non, ut si voveas, vel ieiunare per aliquot annos, vel castitatem; conveniant, inquam, utrumque posse commutari per bullam, quia tunc propter illam libertatem, quam habes eligendi ieiunium, non est castitas perfecte, & absolute promissa; Controversia tamen est inter illos, an facta à te electione reservati, quando licet, tu omissis ieiuniis, elegisti partem illam voti, quæ erat castitatis (sine novo voto ipsius, ut semper supponimus) an inquam, possit per bullam prædictæ castitatis votum commutari.

7. Respond. Esse reservatum, atque adeo commutari per bullam non posse, docet Sanch. *l. 8. matr. d. 9. n. 14. & in sum. l. 4. c. 40. num. 43.* Ratio est, quia inquit, facta electione illius, iam Deus, qui electionem vidit, illam acceptavit, ergo iam remanet esse à Deo acceptum votum integræ castitatis.

Non esse reservatum, sustinet, si attente legas, Sanc. *l. 6. de voto c. 2. n. 3.* & Castropalus *t. 3. d. 2. p. 11. num. 6.* Ratio est, inquiunt, quia illa electio non est votum, sed mera voluntas, & propositum illam partem servandi; ergo votum remanet, ut erat prius, puta cum imperfectione, quam habebat, ergo non perfecte tale. Hæc sententia est mihi probabilior.

Ex qua fit, ut si pars altera non reservata fuerit redacta impossibilis, evadet v. g. prædictus vovens impotens ad ieiunandum, non propterea voti illa pars altera, quæ est castitatis evadit reservata, quia illa impotentia non mutat votum, seu voti imperfectionem, sub qua erat

erat antea; Et ita tenent Suar. *l. c.* Sanch. aliique apud Dian. *p.1.tr.de bull. resol.74.*

*Votum reservatum sed dispensatum.*

8. Quinta controversia. Vovi castitatem absolute sed quia obtinui rite dispensationem à Pontifice, is mihi imposuit, ut loco voti, jejunarem semel in Hebdomada, vel quid simile, quæro, an hoc jejunium possit per bullam mihi commutari.

Respond. Non posse quia est reservatum, putant multi Canonistæ apud Sanch. *l. 8. matr. disp. 9. num.20.* ex ea ratione, quod subrogatus sortitur naturam ejus, cui subrogatur. Posse, quia non est reservatum putat Sanch. Suar. Less. Trull. aliique apud Bardi, *p.2.tr.7. c.2.n.79.* quia materia reservata jam fuit à Pontifice in materiam non reservatam translata. Ad rationem Canonistarum dic, subrogatum naturam ejus, cui subrogatur sortiri in intrinsecis, & in honestate operis, atque, ut res sit proportionata, & æqualis, vel quasi, non vero in extrinsecis, ex quibus est reservatio, quæ valde per accidens conjungitur cum illa materia. Hæc posterior sententia est probabilior.

9. Quid si in hoc casu ego per multum tempus omisi jejunium, (sane cum peccato) reviviscitne in me votum castitatis? Nam si non reviviscit, prodest, bulla, ut per illam dictum jejunium in aliud opus mihi commutati queat.

10. Respondeo. Redire sentit Rodriq. *in add. ad bull. §. 9. num. 118.* siquidem votum, ait, fuit commutatum sub conditione præstandi jejunia, conditione ergo hac nequaquam posita, votum castitatis commutatum non intelligitur.

Non redire, docent Sanch. *l.8. matr. d.9.n.21.* aliique (cum quibus sentio) quia falsum est, votum fuisse à Pontifice commutatum sub ea conditione; hujus enim conditionis nulla fit mentio in dispensationis, seu commutationis rescripto; quare votum illud fuit extinctum ejusque obligatio translata fuit in aliam materiam non reservatam.

11. Urges si fuit extinctum, cur vovens potest, relicta dispensatione, vel commutatione, reverti ad prius votum.

Respond. Hanc difficultatem dissolvi *lib. 8. in Decal. lib.3. in decal.c.16. §.7. n.4.* ac dixi reversionem hanc solum concedi ex benignitate Dei. Locum relege.

*Commutatio voti reservati in aliud reservatum; vel in opus præstantius.*

12. Sexta controversia. Vovi Peregrinationem Hierosolymitanam v. g. Potestne Confessarius à me per bullam electus ejusmodi votum reservatum, vel in opus aliquod melius, & præstantius v. g. in votum castitatis, vel in subsidium belli contra infideles, mittendo centum v. g. homines propriis expensis, & viginti millia aureorum, atque loco laboris proprii tolerandi peregrinationis molestias; jejunare quotidie per annum; quæ duo, nimirum castitas, vel ejusmodi subsidium ita præstitum, sunt opera sine dubio præstantiora, quam ipsa mera Peregrinatio.

Respondeo. Posse, putat Aragonius *2.2.q.88. art.12.* quia non debet impediri melius bonum, quod magis libenter acceptari à Deo præsumendum est. Non posse, docent Sanch. *in decal. l.4. c.52. n.4* & Suar. *l.6. de voto c.21.n.21.* quia nulla potestas data est circa vota reservata à Pontifice per bullam, neque in aliam materiam reservatam quamvis utiliorem, & præstantiorem; totam enim potestatem, seu jurisdictionem commutandi prædicta tria vota sibi reservavit Pontifex. Neque sic impeditur per se majus bonum, sed solum non datur jurisdictio ad ea vota commutanda.

Ego *lib.3. decal.c.16.§.5.num.4.* sustinui (id enim hac occasione scire operæ pretium erit) propria authoritate non posse quempiam commutare suum votum reservatum in opus melius. Sed post ea scripta incidi in quæstiones Morales Vincentii Tancredi, *p.1.tr.3.de voto disp.6. Quæres 2.fol.492.* qui universaliter docet esse probabile, votum reservatum posse propria authoritate commutari in melius, etiam non reservatum, quia melius semper acceptatur à Deo.

Neque valet ait, paritas, Non potest per bullam, vel per privilegium mendicantium, ergo non poterit authoritate propria. Non valet inquit, quia potestas commutandi per Bullam, & per privilegia fundatur in jurisdictione concessa à Pontifice, quæ circa reservata nondum est concessa; at potestas commutandi in melius, authoritate propria fundatur in acceptione Dei, qui semper præsumitur melioris operis esse contentus. Hanc Tancredi sententiam probabilem esse, inficiari, non possum.

*Votum subditorum.*

13. Septima controversia. Scimus vota personarum sub alterius potestate existentium posse irritari ab eo in quo potestas ejusmodi residet, v.g. vota Filii à Patre, uxoris à marito, servi à domino &c. eo modo, & cum illis limitationibus, quas diximus, *lib.3. in decal. cap.16. §.3.* cum de voti relaxatione tractavimus. Jam quæritur si filius v.g. impubes vovit castitatem absolutam, potestne ejus commutationem obtinere à suo confessario per bullam.

Ratio dubitandi est, quia hoc votum, quamvis reservatum, potest irritari à Patre, ut ibidem dictum est, ergo videtur deficere à perfectione voti reservati, & consequenter videtur commutabile, tum per bullam, tum ab Episcopo.

Respondeo. Ita putat propter dictam rationem Gutierres, *in q.can.l.2.cap.22. num.49.* Sed profecto perperam; nam nec per bullam, nec ab Episcopo commutari potest. Siquidem vota illa ideo irritantur à Patre &c. quia Pater habet dominativam potestatem in filium: quam potestatem dominativam non aufert, nec limitat Pontifex, quando sibi vota illa excepta reservat. At à confessario, vel aliis Prælatis, idem Pontifex aufert, vel limitat jurisdictionem per quam debeant illa vota commutari, vel dispensari, qua quidem limitatione supposita, nihil prædicti poterunt omnino. Ita Suar. *l.6. de voto cap.26.n.4.* Castrop. *tom.3.tr.3.disp.2. punct.12. n.11.* aliique.

*Vota reservata, quorum dispensatio est necessaria.*

14. Octava controversia. In aliquibus casibus urgentis necessitatis potest Episcopus dispensare in his reservatis votis, quando scilicet imminet grave aliquod damnum ni dispenset; & ad Pontificem aditus non est; ut si quis ligatus voto religionis, tamen, nisi puellam, quam defloravit, sine mora ducat uxorem, timeantur gravia scandala, & rixæ, nam tunc poterit Episcopus dispensare. Jam quæro, an tunc possit hoc votum commutari per bullam? Ratio autem id affirmandi est, quia per bullam commutari possunt omnia vota, quæ dispensare potest Episcopus; cum igitur possit hoc Episcopus dispensare, poterit, & confessarius per bullam electus, commutare.

Respondeo. Ita propter dictam rationem putant aliqui apud Dianam, *p.6.tr.6. resol.50.* Sed negandum omnino est cum Sanchez, *lib.8. matr.d.15.n.16.* Pontio *l.9. matr.c.10.num.11.* aliisque: ratio est, quia non est verum confessario electo per bullam concedi, posse commutare vota omnia, quæ potest Episcopus. Episcopus enim habet potestatem ordinariam, at confessarius solum delegatam, unde non est mirum, si confessarius non possit, quia illi nullo modo in sua delegatione per bullam conceduntur vota reservata, conceduntur autem

tem Episcopo in illa necessitate, propter quandam Pontificis tacitam licentiam.

## CLAVSVLA XIII.

*Item prædicto Commissario datur facultas, ut suspendere possit, dicto anno durante, omnes similes aut dissimiles indulgentias, & facultates ab eisdem, & à Sede Apostolica, vel ejus auctoritate concessas quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, in Regnis, Insulis, Terris, locis, & Dominiis prafatis &c.*

Et paulo post.

*Ita, ut interim, neque publicari, neque prædicari possint, neque publicatæ cuivis hominum communiter, vel divisim suffragentur. Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres.*

*Item, dicto commissario conceditur etiam facultas, ut ipse, per se, vel per alium, vel alios, quantum, & quoties sibi videbitur) Indulgentias, & alias Gratias per eum suspensas in favorem illorum, qui præsentium Gratiarum in hanc causam pro Religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint, revalidare, absque alio præmio possit.*

## CAPVT XIV.

### *De Suspensione Indulgentiarum &c.*

IN his clausulis conceditur potestas commissario Cruciatæ suspendendi omnes alias indulgentias, & gratias, qui de facto suspendit, quando bullam promulgat (pro illo scilicet promulgationis anno) quamvis deinde idem commissarius in eadem promulgatione concedat Bullam sumentibus revalidationem prædictarum indulgentiarum, & gratiarum. Quare qui bulla caret, non acquirit illas indulgentias, quia pro ipso suspensæ remanent; qui autem bullam accipit, eas acquirit, quia pro bullam accipientibus revalidantur ea, quæ Commissarius paulo ante suspenderat.

Porro plura hîc sunt clara, plura sub controversia, de quibus breviter, & sigillatim.

### §. 1. *Quænam gratiæ per promulgationem bullæ suspendantur, vel non suspendantur quo ad Saculares.*

1. EX contextu tenoris bullæ recte doctores eas indulgentias, facultates, gratiasque suspendi colligunt, quæ obstant expeditioni hujus bullæ Cruciatæ, hoc est, quæ illam aliquo tandem modo impediunt, non suspendi vero, quæ nequaquam impediunt.

2. Rursus eas suspendi, quæ à Summo Pontifice, vel ejus auctoritate concessæ sunt.

3. Denique eas suspendi, quæ sunt concessæ Ecclesiis, Hospitalibus, Piis Locis Universitatibus, Confraternitatibus, singularibus personis in regnis, locisque in quibus bulla promulgatur.

4. Hinc ergo suspenduntur privilegia prædictis concessa celebrandi ante auroram, vel post meridiem, & similia, quæ concedit bulla, quia illa impedirent bullæ expeditionem; nam fideles contenti illis suis privilegiis, non essent valde faciles, ad recipiendam bullam.

5. Contra, non suspenduntur indulgentiæ, privilegia, & facultates in corpore juris contenta, quia Commissarius solum suspendere valet illa, quæ speciali auctoritate Pontificis conceduntur, hæc autem in jure contenta, sunt concessa autoritate quidem ejusdem Pontificis, sed publica, & veluti communi. Adde, per clausulam generalem non suspendi ea, quæ in jure continentur, nisi eorum fiat mentio, ut docet Bartholus in *extrav. ad reprimen. V. non obstantia.* communiter receptus, & Castrop. *de bull. p. 11 n. 4.* aliisque. Hanc sententiam quod per bullam non suspendantur quæ in jure communi continentur, sequitur Diana *p. 1. tr. de bull. res. 87.* & multi apud Gallegum, *c. 12. d. 173.* qui recenset aliquas facultates, concessas in dicto communi jure, quamvis secus Mendo *disp. 29. à n. 10. & in app. d. 3. c. 1. n. 3.* contrarium sentiat, sed contra illum late agit Bardi, *de bull. p. 3. tr. 1. cap. 2. n. 7. in 2.*

6. Nec item suspenduntur facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quas habent Episcopi, quia facultates hæ non conceduntur, nec locis, nec singularibus personis, sed dignitati Episcopali.

7. Nec denique suspenduntur indulgentiæ & gratiæ, quas aliis concedunt dicti Episcopi, quia Commissarius solum suspendere potest, quæ concedit Pontifex.

8. Gratiæ, quæ sunt omnino dissimiles illis, quas concedit bulla, qualis est v. g. facultas testandi, Missas celebrandi cum altari portatili, ingrediendi Monasteria Monialium, non suspenduntur, si quidem hæ non impediunt expeditionem bullæ. Quando ergo in hac decima tertia clausula dicitur, suspendi gratias similes, vel dissimiles, sintelligitur de dissimilibus quoad modum sic enim impediretur bullæ expeditio, qualis esset v. g. facultas celebrandi duabus horis post meridiem, cum bullæ Commissarius solum personis Qualificatis concedat per horam unam. Ut diximus sup. *c.* § 6. *n.* 2. Hæc sunt res certa ex Castropalao *de bull. p. 11.* breviter collectas.

9. Jam dubitari potest 2. An suspendantur indulgentiæ, quas possunt fideles acquirere, exhibentes aliquod opus pium dum habent numismata sacra, imagines, coronas, grana &c. quibus affixit Summus Pontifex indulgentias.

10. Respondeo. Suspendi docent Castropalaus *l. c. n.* 7. & Bardi *l. c. n.* 6. quia quæ sunt concessæ singularibus personis eas Imagines deferentibus: nam bullæ tenor est, se suspendere indulgentias singularibus personis concessas. Verum non suspendi, unde has acquiri sine bulla, docent Trullench. Rodriq. Riccius adducti à Bardi *l. c.* quia non singularibus personis, sed omnibus Christi fidelibus, sub illa tamen conditione, si illas imagines habeant, eæ indulgentiæ conceduntur. Hæc posterior sententia est mihi probabilior.

11. Dubitari potest tertio, de Jubilæo, quod toti Reip. Christianæ solet concedi à Pontifice.

Respondeo. Hoc non suspendi, certum sit, atque adeo non esse opus Bulla ad illius indulgentias, & privilegia lucranda. Ratio est, quia hoc non conceditur determinatis locis, vel personis, sed omnibus totius orbis fidelibus. Ita Gallegus afferens praxim, qua Commissarius Cruciatæ non impedit Jubilæi publicationem, nec addit, se requirere bullam, ut in aliis indulgentiis requirit.

12. Dubitari potest quarto, de Altaribus privilegiatis.

Respondeo. Suspendi docet Delugo, *de pœnit. d. 27. n. 49.* & Bardi, *p. 3. tract. 4. c. 4. n. 14.* quia hæc indulgentia est concessa loco peculiari, affertque alios pro hac sententia inter quos numerat Dianam, *p. 1. tract. de bul. resol. 86.* Sed certe Idem *p. 9. tr. 2. res. 22.* docet non suspendi, sicuti ibid. *Resol. 23.* sustinet, Altare privilegiatum non suspendi per annum Sanctum.

13. Dico igitur, esse probabile, non suspendi, adeoque pro altari privilegiato nos indigere bulla. Ita sustinet, præter dictum Dianam, Trullen. *de bull. l. 1. § 9. n. 3. dub. 4.* Quintanad. *in app. tr. 1. dub. 14.* Galleg. *late claw. 2. dub. 17.* Ratio est, quia est probabile, bullam solum suspendere indulgentias pro vivis, non vero pro defunctis.

Confirmat Gallegus, *l. c.* quia bulla dicit, se suspendere indulgentias concessas locis, vel personis singularibus, at indulgentia altaris privilegiati non conceditur particularibus personis, sed animabus Purgatorii, anima autem in communi, & humano modo loquendi (moraliter, inquit Gallegus loquor, non Metaphysice) non est persona absolute dicta. Bene est; Sed illud, moraliter non Metaphysice

Metaphysicè loquor) non est bene. Nam etiam Metaphysicè, loquendo, anima, nec est, nec dici potest completè, & absolutè persona (quamvis sua partiali subsistentia non careat) sed incompletè solum.

14. Dubitari Quintò potest de pauperibus. Respond. De his dixi satis *supra c.3.§.7. n.12.*

15. Dubitari Sextò potest de privilegiis quibusdam introductis ex legitima consuetudine, an scilicet illa per Bullam suspendantur.

Respondeo. Si sunt contraria bullæ, (de quibus hic sermo esse debet) ita ut ejus expeditionem impediant, suspenduntur ex Bardi *part.3.tract.1.cap.2 sect.1.* qui in secunda editione mihi videtur aliquantulum obscurè loqui; Andreas autem Mendo *ibid. in vendicatione, n. 17.* ab eodem Bardi citatus absolutè docet, non suspendi. Idemque tenet Gallegus, *claus. dub.175.* Ratio hujus sententiæ esse potest, quia introducta per consuetudinem non sunt immediatè concessa à Papa, Bulla autem videtur solum suspendere, quæ immediatè à Papa conceduntur.

## §. II. *Quænam privilegia suspendantur, vel non suspendantur per bullam, quoad religiosos.*

1. IN prædicta clausula duodecim in fine, sic à prædicta suspensione excipiuntur Facultates Religiosorum Mendicantium, & consequenter religiosorum, etiam non Mendicantium, qui cum illis communicant in privilegiis, sic inquam, excipiuntur, *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres.*

2. Nomine *Mendicantium* hic intellige primo quatuor Ordines, puta Carmelitarum, S. Augustini, S. Dominici seu Prædicatorum, S. Francisci, seu Minorum, qui Mendicantes dicuntur *cap. unic. de Relig. Domib. in 6.* Intellige Secundò alios, qui à Summis Pontificibus Mendicantes dicti sunt in particularibus bullis, inter quos sunt Minimi, seu Fratres Sancti Francisci de Paula ex declaratione Pii V. & ex eodem est nostra Societas. Intellige Tertiò illos omnes Religiosos, qui communicant in privilegiis Mendicantium, hæc enim exceptio, de qua loquimur, privilegium sine dubio est.

3. Nomine *Fratrum* intellige omnes personas religiosas, sive constitutas in sacris, sive non, sive clericos, sive conversos, seu Laicos, seu Moniales, sive novitios, novitiasque: ratio est, quia favor hic ex contextu bullæ conceditur religiosis, at hi omnes veniunt nomine religiosorum, & sic, utpote in re favorabili, etiam novitii. Non intelligo autem Tertiarios, & Tertiarias, qui non sint Religiosi, Religiosam professionem emittentes. Ita Lud. à Cruce, *de Bulla d.2.c.6.dub.4.* V. Ilal. *tr.27. claus.12, n.12.* & 13. & alii.

4. Nomine *facultatum*, quæ excipiuntur à prædicta suspensione veniunt, non solum quæcunque alia privilegia, verum etiam indulgentiæ quæ dictis religiosis quatenus religiosis talium Ordinum sunt concessæ, hæ enim certè facultates, & gratiæ sunt. Ita Lud. à Cruce *l.c. dub.1.n.6.* Trull. *lib.1.§.9.dub.3.n.1.* cum aliis Adde, excipi omnia quæ suspendi à commissario possunt, at possunt etiam indulgentiæ prædictæ.

5 Dices verba bullæ excipientia religiosos diriguntur ad Superiores Ordinum Mendicantium, ergo dicendum est, illas solas facultates, & indulgentias excipi, quæ conceduntur Superioribus, licet pro subditis, non vero quæ ipsis subditis immediatè conceduntur.

Respondeo. Ex intentione Pontificis volentis, esse religiones exceptas ab hac suspensione, manifestè apparet, excipi etiam, quæ immediatè conceduntur religiosis, ratione tamen ipsius religionis, non vero quæ ratione ipsius personæ particularis. Ita Quintanadvenas *in append. ad Iubil. & indulg. regularibus concessa*, alios citans. Addit idem auctor, id declarasse, & concessisse Leonem X. Minoribus, atque adeo omnibus communicantibus cum ipsis.

6. Ex his ergo collige. An sæcularis bulla carens possit absolvi ab illis religiosis, qui habent per sua privilegia facultatem absolvendi, &c. Nihil hic dicimus, an sæcularis possit acquirere indulgentias concessas Ecclesiis, seu Monasteriis, ea v.g. tali die visitando, &c. nam de his jam *§.præc.n.3.* vidimus, illas acquirere sine bulla, sæculares nequaquam posse loquimur ergo hic solum de prædicta facultate absolvendi.

Respond. Negant non pauci, ut Trull. *l.c.d.1.n.3.* Rodr. *in expl. bull §.12.n.4.* Gal. *claus.12.d.174.* non pauci autem concedunt ut Henr. *l.6 c.16.n.4.* & *l.7.c.28.n.7.* plures citans, Lud. à Cruce *l.c. dub.2. n.6.* Sanch. *in sum. l.6. c.54. n.62.* Ego, licet negantes probabiliter loqui, fatear, quia Pontifex excipit solum facultates, quoad Fratres: tamen concedentes loqui item probabiliter puto, quare sine bulla posse, circa sæculares, à religiosis exerceri sua prædicta privilegia, tutum erit, id quod mutans sententiam alibi etiam docuit Rodriquez modo citatus *in addit. ad bull. ibid.*

7. Prædictorum doctorum suas quisque pro se rationes affert, illa mihi sufficiens videtur, quia Pontifex, ut supra vidimus, eas facultates à commissario suspendi concedit quæ sunt concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Locis Piis, Universitatibus, particularibus personis. At hæ facultates religiosorum sunt concessæ toti Ordini religioso. Nemo autem Ordinem v. g. S. Francisci, nominavit Ecclesiam, vel Monasterium, vel locum pium, vel Universitatem, vel singularem personam, sed Religionem, sed Ordinem, sed familiam religiosam, &c. Adde praxim timoratorum Religiosorum, qui suis prædictis privilegiis utuntur sine scrupulo, etiam in Ordine ad sæculares non habentes Bullam. Quæ continuata praxis potuit certè legitimam consuetudinem introducere.

8. Posse tempore interdicti sine bulla Regulares suis quibusdam privilegiis uti, quæ pro illo tempore habent, qualis est v.g. Pulsatio Campanarum in aliquibus festivitatibus tempore interdicti occurrentibus, sequitur ex dictis, & confirmat sanè probabiliter Mendo, licet neget Bardi, id quod quia est raræ praxis, satis sit, hos Auctores indicasse.

## CLAUSULA XIV.

*Item mandatur à Summo Pontifice, ut Summarium Bullæ (sanè in vulgari sermone impressum, & sigillo Commissarii, vel ejus Delegati munitum) per omnes Christi Fideles ad prædictum bellum contribuentes; qui hujusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiatur, & retineatur.*

---

# CAPVT XV.

## *De Receptione, & Retentione Bullæ.*

### §. I. *Bulla, quæ recipiendæ debet esse scripta, impressa, &c.*

1. QUamvis, ut privilegium habeat vim, non sit semper necessaria scriptura, nisi forte in foro externo. Ita Sanch. *l.8.matr.disp.29.n.20.* ut appareat, qualenam illud sit; tamen in hisce nostris bullæ privilegiis necessaria est receptio Bullæ scriptæ, & impressæ, ac sigillo, nominéque Commissarii, vel ejus delegati firmatæ. Ratio est manifesta, quia sic expresè vult Pontifex, & clarè enuntiat commissarius Cruciatæ, dum in Summario vulgari, quod Fidelibus in Sicilia distribuitur, sic habet.

*Dichiaramo, che quelli, che la pigliaranno, habbino da ricevere, e conservarsi questo Summario, e Bolla, ch'è stam-*

*pata, sigillata, e firmata di nostro Nome, e sigillo, perche d'altra maniera no gaudagnano detta Bolla, ne le gratie di quella.*

2. Rectè autem dicit (*quelli, che la pigliaranno*) sensus enim est (*qui velint recipere*) siquidem, nemo ad eam sumendam, obligatur, ut insinuat Saych. *lib. 2. Sum. c. 13. num. 14. fine*, quando docet ægrotum in periculo mortis constitutum non valentem adire Superiorem pro absolutione Reservatorum, non teneri bullam accipere, ut à Reservatis absolvatur, sed posse absolvi à simplici Sacerdote, quia non tenemur, inquit, inquirere modos extraordinarios, & privilegia, sed uti possumus modis ordinariè ab Ecclesia constitutis. Vide alium similem casum apud Trull. *l. 1. §. 1. dub. 2. n. 2.*

## §. II. *An requiratur, ut in Bulla inscribatur nomen ejus, qui illam accipit?*

1. QUærimus, an sit necesse conscribere ejusmodi nomen in ipsa bulla. Id enim, quamvis fieri diligenter soleat, disponatque sic debere fieri commissarius, tamen scire omnino debemus, utrum id solum expediat, an ita sit opus, ut nulla acquirantur privilegia ab habente bullam, si in illa suum recipientis nomen non sit inscriptum.

2. Respondeo. Solum expedire, non autem esse obligationem, judicat Bardi *p. 3. n. 8. c. 2. à n. 3.* & apud ipsum Ludovic. à Cruce, Rodriq. Hent. Villalobos, Trull. quibus adde Castrop. *de Bull. p. 11, num. 7.* verba Summarii, quod in nostro Regno Fidelibus distribuitur, hujusmodi, hac de re, sunt.

*E porche Voi, Titio de Amatis, havete dato due Reali, &c. & havete ricevuta questa Bolla essendosi in essa scritto il Vostro Nome, dichiariamo; ch'havete conseguito, e vi si concedono le dette Indulgenze, Gratie, &c.*

3. Prædicti igitur doctores declarant illud (*essendovi scritto il vostro nome*) non, quasi dicat conditionem, sic (*si est rescriptum tuum nomen, conceduntur tibi bullæ privilegia*) sed solum demonstret id, quod de facto est in hunc modum (*Per hanc bullam, in qua nomen tuum scriptum est, tibi conceduntur privilegia,*) *&c.*

Ego cum Gall. *clauſ. 14. d. 119.* volo, ut inscribatur nomen, saltem, quo securius in re tanti momenti procedatur.

4. Fateor tamen, nomen posse à quocunque inscribi, nec esse necesse, ut id fiat à depositario bullarum, quia in Summario Vulgari prædicto, dicitur quidem, ut inscribatur nomen ibi (*essendosi in essa scritto il vostro Nome*) sed non præscribitur, à quonam scribi debeat.

5. Fateor item, nomen appellativum sufficere, ut (*Dux talis, Princeps talis, &c.*) modo sic, singularis, & determinata persona signetur.

## §. III. *Sufficitne Receptio sine Acceptatione, vel Acceptatio sine Receptione.*

1. PRofecto non sufficit: unde qui bullam sumit, seu recipit, debet simul illam acceptare: Privilegia enim personalia solum iis favent, qui illa acceptant. Rursus qui illam acceptat, debet apud se illam actu & physicè recipere, quia differtè, ut modo vidisti, id mandat Pontifex. Quare nec sufficit receptio sine acceptatione, neque hæc sine illa.

2. Multo minus sufficit habere intentionem accipiendi: cujus rei sequens exemplum habe. Titius non multis abhinc annis accessit aliquanto tardius ad fores Ecclesiæ, ubi distributor bullarum sedebat, petiitque ab eo bullam, atque consuetam eleemosynam elargitus est, idque in libris suarum rationum notavit distributor, scripto item *ibid.* Titii nomine. Sed quia bullas omnes, quas domo in Ecclesiam secum attulerat, aliis fidelibus is distribuerat, dixit Titio. *Ito fruere privilegiis bullæ, nam ego nunc determino pro te tuam ex bullis, quas distribuendas domi custodie, & illam tibi applice, tuque sors amado est.* Acceptavit Titius, suamque domum revertit, eumdit lactitia die illo, qui dies erat ex diebus Quadragesimæ legitimene se gessit distributor, licitèque vetitos cibos ad mensam adhibuit Titius, abstractado à bona fide, quæ fortè tunc intercesserit?

3. Respondeo, nec legitimè, nec licitè. Ratio primi est manifesta, quia nimis clarè commissarius generalis, cujus est explicare, quæ pertinent ad bullam, vultur ad acquirenda bullæ privilegia, ea physicè, & materialiter recipiatur, nec sufficiat bullæ possessio veluti civilis, quis habeat per alium, seu per bullarum distributorem, hoc enim significant illo duo bullæ verba signata unita (*recipiatur, & retineatur.*)

4. Confirmatur, quia ut habet Sch. Acost. *in expl. bul. q. 12.* commissarius generalis in *§. ult.* instructionis edite pro iis, qui de bullæ Privilegiis conciones apud populum habituri sunt, prohibet sub excommunicationis pœna, *ne suscipiens bullam Cruciatæ illam relinquat apud Thesaurarium, ne scilicet inde subrepant aliquæ fraudes.* Hæc ille. Si ergo non est bulla relinquenda apud distributorem, seu Thesaurarium, postquam illa actu recepta est, eritne relinquenda antea.

5. Rectè igitur Henriquez *lib. 7. c. 20. n. 5.* Sic notat. *Olim inquit, sufficiebat conscribi in libro Depositarii proprium nomen suscepturi Bullam, atque ita frustabatur suis Privilegiis Bullæ; nunc vero, ut Privilegiis suis fruatur, satis non est intentio sumendi, & conscriptio, nisi Bulla recipiantur.*

6. Porrò hic, ubi versamur in Receptione & Acceptatione bullæ, aliquot se offerunt dubitationes explicandæ.

## PRIMA DVBITATIO.

### *De receptione Bullæ pro existente in alio loco.*

7. Si existas in eadem civitate, tu, & Amicus qui pro te bullam jam promulgatam accipiat, illamque ad te ferat, vel te de acceptione moneat, tuque accepres, sufficere ad acquirendas à te gratias bullæ, non est dubium, confirmatque ipsa praxis, qua servis, amicisque utimur ad bullam recipiendam. Sed dubitatio est, quando tu, & amicus in diversa commoramini civitate, vel Regno. Erquidem res evenire his modis potest.

8. Primò, si existas tu, & amicus in eodem regno, ubi bulla promulgatur, sed in diversa civitate, si v. g. tu Panormi habitans actu accipias bullam pro amico v. g. Titio consistente Messanæ, quæ est Civitas ejusdem Siciliæ regni; atque ille à te admonitus de receptione, acceptet: gauderene poterit bullæ Privilegiis?

Respondeo, gaudere posse. Hæc enim receptio non est actio, ut ita dicam, personalis, quæ scilicet debeat ab eadem persona fieri, quæ privilegium recipit; satis est enim fieri per suum amicum, tanquam per suum instrumentum, seu Procuratorem. Patet id in impertrationibus dispensationum, & similium, quæ mihi prosunt, si fiant à meo Procuratore: dummodo cætera servem, quæ requiruntur. Requiruntur autem in casu nostro, ut tu porrigas eleemosynam loco amici, ut inscribatur ejusdem nomen, & ab eodem acceptetur; & denique ut bulla conservetur apud te nomine ejusdem amici, quam conservationem sufficere, mox dicemus §. 4. Atque ita sustinent Suar. Henriq. Villalob. Trull. allati, & approbati à Gall. *clauſ. 1. d. 170.*

9. Secundo modo prædictus casus accidere posset si tu existas in uno regno, & amicus in alio, sed in utroque promulgetur bulla, ut, si tu existens hic in Sicilia, sumas bullam pro Caio v. g. existente in Hispania, proderitne Caio (postquam is acceptaverit, &c.) illa bulla, quam tu pro eo in Sicilia sumpsisti?

Respondeo. Mihi videtur profutura, quia jam Caius existit in loco apto ad sumptionem bullæ? id quod solum requirit

requirit Pontifex, dum dicit se dare Privilegia bullæ *existentibus in Hispaniarum Regnis, in Sardinia, & in Insulis Hispaniæ adiacentibus, &c.* At Caius iam exstit in Hispaniarum regnis, &c.

10 Tertius modus est, si tu existas in regno, ubi bulla promulgatur, amicus vero sumens bullam pro te existat in Regno, ubi non promulgatur bulla, tu v. g. existas in Sicilia, sumasque bullam pro Sempronio existente Neapoli.

Respondeo. Duobus modis figurari hic casus potest. Primò, si Sempronius sit Neapolitanus, & commoretur Neapoli, & neutiquam declinet in Siciliam, tu vero in Sicilia existens v. g. Panormi, sumas pro ipso bullam. Et in hoc casu certum apud omnes est, Sempronio non prodesse prædictam Bullam, quia Pontifex vult, ut solum existentibus, vel declinantibus in Regnum concedatur bulla. Secundo modo, si Sempronius sit Siculus, sit v. g. Panormitanus, & maneat Neapoli, nec personaliter declinet in Regnum ubi promulgatur bulla; tu vero bullam pro illo acceptante v. g. sumas, &c. & in hoc etiam casu mihi certum est (& tenet etiam Gal. *Claus.* 1. *d.* 6. quicquid non nemo sentire posset in oppositum,) non prodesse ejusmodi bullam Sempronio. Ratio est, quia licet dictus Sempronius civiliter dicatur esse per suum Procuratorem Panormi, id tamen ex est fictione juris, at Summus Pontifex ibi (*consistentibus, & declinantibus*) loquitur de vera, & physica consistentia, veraque declinatione, non vero de juridica, & jure ficta.

Confirmatur, quia si id conceditur Sempronio Panormitano existenti Neapoli, non est ratio, cur non concedatur Sempronio Neapolitano *ibid.* id est Neapoli consistenti, uterque enim poterit esse civiliter in suo Procuratore Panormi, & tamen omnes, ut vidimus, negant de Sempronio Neapolitano: esse autem Panormitanum, vel Neapolitanum nihil confert ad hanc rem nostram, quando uterque est in regno, ubi nequaquam bulla promulgatur.

## SECVNDA DVBITATIO.

*De certitudine acceptionis bullæ.*

11. Si meus pater v.g. soleat ipso die promulgationis bullæ singulis annis existens hic Panormi sumere pro me bullam, ego autem existam v.g. Syracusis, possumne uti bulla, antequam me ille de acceptione admoneat? Idem quæro, si amico commiserim, ut acciperet pro me bullam & sciam, ipsum esse diligentissimum, & multoties pro me illum ipsa die promulgationis accepisse.

Respondeo. Quamvis supponeremus certitudinem moralem, quod pro te accepta rite fuerit bulla, satis esse ad illius privilegia consequenda, nihilominus dico, hic non adesse eiusmodi moralem certitudinem. In tantis enim periculis mortis, infirmitatis, oblivionis, absentiæ à loco promulgationis, multitudinis negotiorum, quibus tuus pater, vel amicus subiicitur ob humanam conditionem, non potes certo moraliter scire, acceptam ab illis fuisse bullam, cum hic præsertim agatur de re tanti momenti, quanta est absolutio à Reservatis, & similibus, quæ certam requirunt protestatem, vel saltem verè probabilem, quæ probabilitas hic non adest, cum pericula prædicta rem faciant valdè dubiam. Ita Gal. *claus.* 14. *dub.* 180. citans Vegam, & Rodrig. Esto Diana *part.* 11. *resol.* 96. Henriq. & Villalobos citari à prædicto Gallego sentiant, tunc adesse certitudinem moralem, sed non sunt audiendi.

## TERTIA DVBITATIO.

*De duabus Bullis, quarum alteram tantum quis acceptet.*

12. Ego pro amico bullam modo dicto accepi, eiusque nomen inscripsi, illumque de acceptione admonui, sed ipse, quia invenitur iam bullam suscepisse, non acceptat: Possumne cum fructu vel ego, vel ille, alteri eam applicare, qui det mihi eleemosynam, quam ego dedi, deletoque amici nomine huius nomen inscribere?

Respondeo. Villalobos mox citandus dicit, te posse, quia dum acceptasio facta non est, potest bulla applicari, servatis servandis, cui velis; tunc enim tu es veluti Distributor, seu Depositarius illius bullæ, dum alteri perfectè applicata non fuit; nam propterea tunc mutare nomen, nullam fallitatem continet, sed est corrigere clarum errorem, ita Villalobos apud Dianam *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 95.

13. Ipse idem Diana, postquam prædictam doctrinam approbavit ex Villalobos, sic immediatè addit. *Notandum est tamen, quod si Petrus sumit bullam pro Ioanne, qui iam alteram acceperat, non potest Petrus illam alteri applicare quia, ut ait Vega in sum. tom.* 1. *c.* 43. *casu.* 6. *realiter ille sumpsit eam Bullam cum intentione applicandi Petro, & non aliter, ergo, &c. & ita testatur, respondisse de hoc casu interrogatum Medinam.* Hactenus Diana, in quibus mihi videtur esse contradictio. Si enim ipse ex Villalobos dixerat, posse te cum fructu applicare alteri bullam acceptam pro amico, qui invenitur iam accepisse, & nolle nunc acceptare, qua ratione deinde negat cum Vega, aitque Petrum sumentem bullam pro Ioanne eodem modo non acceptante, non posse alteri applicare? Certè utrobique fuit intentio applicandi ei qui invenitur iam bullam accepisse, quare videtur idem casus, non diversus.

14. Vidit, puto, hanc contradictionem Galleg. *claus.* 24. *dub.* 178. voluitque concordare, & sic distinxit. Si tu quando sumpsisti bullam pro amico, nulla reflexione usus es, sed solum dixisti, *Volo accipere pro amico*, potes alteri applicare, si amicus non acceptet, atque hic est (ait) casus concessus à Villalobos. Si verò usus hac reflexione es in hunc modum. *Volo accipere pro amico v. g. Ioanne eum intentione illi eam applicandi, non autem alteri*, non potes alteri applicare, atque hic est casus Vegæ.

15. Ego sanè non sum adeo ingeniosus, ut inter duos hos casus discrimen illud introspiciam. Iam enim quando accepi pro amico sine illa signata reflexione, amico volui applicare, non alteri. Quid enim significat illud, pro amico, applicare, & consequenter non alteri. Præterea illa bulla in utroque casu remanet sine perfecta applicatione, posito quod in utroque casu absit acceptatio. Denique pro utroque non est præsumendum Commissarium, qui iam habuit eleemosynam, velle sibi eam retinere, & fructum Privilegij Bullæ nulli conferre.

16. Mihi igitur videtur Villalobos fuisse in sententia concedente posse illam bullam alteri applicari; sed Vegam in sententia negante. Quamobrem non est, quod recurramus ad concilianda sive duo illa dicta Dianæ, sibi contraria, sive duas sententias ex opposito diversas, ut propterea Delugo *de pœn. d.* 27. *num.* 88. merito expressè advertat, Dianam hac in re non fuisse consequenter loquutum.

17. Portò dictus Delugo *l. c.* prædictam sententiam Villalobos negat, impugnaque ex eo, quod posito, quod eleemosyna facta ab amico nomine meo fuit, & non nomine alterius, nequit per ratificationem deinde alter acceptare; quasi sit facta nomine suo; nemo enim potest ratum habere, quod nomine suo non est factum, sed nomine alterius.

17. Verum esto (respondere posset Villalobos.) Eleemosyna illa non sit facta nomine illius alterius amici, quia tamen ego nolui acceptare, tanquam factam nomine meo, remanet facta nullius nomine; ergo potest ille alter amicus non quidem ratificare, sed illam acceptare nunc, tanquam pro se factam.

QVARTA

## QVARTA DVBITATIO.

*De duabus bullis, quarum utraque sit à te acceptata.*

19. QVid dicendum quando accessit acceptatio? Casus figurari in hunc modum potest. Commisi amico, ut quotannis sumeret Panormi pro me Bullam: ego autem memor hujus commissionis accepi Bullam Siracusis animo utramque acceptandi. Vel Syracusis acceptavi eam quam ego sumpsi, oblitus illius commissionis impositæ meo illi amico, nam quia, etiam in hoc oblivionis casu commissionem illam nunquam revocavi, & Bullam sumptam Panormi in meo Procuratore me acceptasse convincor, fasse etiam in hoc eventu aderit legitima acceptatio.

Inquiro iam, cum rescivero Bullam unam mihi sufficere, possumne alteram ex his alteri tertio acceptanti cum fructu applicare, qui mihi eleemosinam à me collatam resarciat?

20. Respondeo. Hodie postquam Pontifex Gregorius XIII. (ut mox *cap.* 14. videbimus) concessit, ut cum fructu bis in anno eodem possit Bulla sumi, puto te non posse alteri applicare. Probatur, quia bulla semel alicui applicata, & quidem cum fructu, nequit alteri applicari, ut exte patet, secus enim possem meam primam Bullam alteri applicare, quod nullus dixit. Sed tu iam tibi applicasti utramque, & quidem cum fructu concesso à Gregorio XIII. ergo &c. Minor probatur, & explicatur: nam quanquam fortasse tu non indigebis secunda Bulla, tamen ut illam cū fructu habeas, satis est, si ex illa acquiras (ut certe acquiris) potestatem illa utendi. Neque enim, prima Bulla fortasse indigebis, eaque fortasse numquam uteris, & tamen non inde dices, te non accepisse illam cum fructu, & posse illam alteri à te applicari; fructus enim veluti immediatus est ipsa potestas fruendi &c.

21. At si loquamur ante hanc concessionem Gregorij, ut item de tertia bulla quæ fructuosa tibi non est, tu vero illam, sive per ignoratiam, sive ob aliam causam tibi applicasti, puto, esse probabile, te posse, alteri volenti eam applicare, & ab eodem eleemosynam à te datam recuperare. Ratio est quia cum illa applicatio fuerit exhibita ex errore circa substantiam, ideſt circa Privilegia, & fructus utiles Bullæ, vera & valida applicatio non fuit, atque adeo irrita. Ne ergo hæc tertia bulla remaneat inapplicata, & ne commissarius data eleemosina immerito gaudeat, ideo propter eandem doctrinam, quæ *num.* 12. *& num.* 15. est allata poterit alteri conferri.

### §. IV. *Explicatur illud (Retinere.)*

1. NOn solum Bullam accipere, sed retinere apud te, seu (ut loquitur Bulla latina) penes te habere debes, id quod gravioribus verbis sic præcipit Summarium Bullæ quod in nostro Regno distribuitur.

*Dichiariamo che quelli che piglieranno questa presente Bolla habbino da ricevere, e conserva si questo Summario, e Bolla ch'è stampata, sigillata, e firmata di nostro nome, e sigillo, perche d'altra maniera non gaudagnano la detta Bolla, ne la gratia di quella.*

Hoc (*Retinere* seu *conservare*) nimis strictè, ne dicam inepte, explicant nonnulli, putantes opus esse, illam secum ferre, imo ineptius aliquid oportere eam manu tangere, quando utuntur eius aliquo Privilegio, v.g. quando absolvuntur à reservatis. Dico igitur satis esse eam domi suæ retinere, quamvis, in alia Civitate, imo satis esse servare eam apud amicum, etiam absentem, (sed non apud Thesaurarium ex dictis §. 3. *num.* 4.) moralis enim retentio præcipitur, non physica: nam Pontifex loquitur, juxta morem, quo solent homines res suas asservare; & ita sane praxis ipsa timoratorum docet.

3. Hinc solvitur ea dubitatio, An si amittas Bullam, amittas eius Privilegia, quandoquidem eam in eo casu iam non retines.

Respondeo cum necessaria distinctione. Si inculpabiliter amittas, non est, unde cadas à Gratia. Non enim obligaris ex tenore Bullæ, ut iam vidimus, nisi ad eam humano modo custodiendam. Custodisti autem, dum morali diligentia illam conservasti quamvis deinde sine tua culpa ea amisse, lacerata, vel combusta fuerit. &c.

4. At si consulto illam amittas, proficias, laceres &c. concides sanè à Privilegiis, non propter rationes, quas quidam minus apte afferunt, præsertim illam, quia videris à te velle removere Bullæ Privilegia; id enim rerum æquaquam est: siquidem non sequitur: Proficio bullam seu eius scripturam, ergo eius privilegia proficio. Non inquam propter eiusmodi rationes, sed quia clare, diserte, & expressis verbis sub hac conditione, ut Bullam humano modo conserves, Pontifex tibi eius Privilegia communicat. Id enim notant ea verba commissarij, cum est mentem Pontificis circa Bullam declarare. (*Habbiano da ricevere, e conservarsi questo Sommario &c. perche d'altra maniera non gaudagnano la detta Bolla, ne la gratia di quella.* Hæc est doctrina communis apud Gal. *lib.* 14. *d.* 18. Dian. *p.* 10. *tr. res.* 4. aliosque ab eisdem citatos. Solum invenio Andream Mendo *de bulla disp.* 21. *num.* 3. putantem, etiamsi culpabiliter quis amittat, posse frui Bullæ Privilegiis, sed non est propter nostram rationem audiendus.

### §. V. *Duo discrimina notabilia inter bullam communem & Bullam Compositionis quoad earum retentionem, & nominis inscriptionem.*

1. DE bulla communi dictum hactenus est, eam scripto nomine accipientis, debere, tum accipi, tum conservari.

Primo igitur contra hoc posterius posset quis in hunc modum argumentari. Bullam compositionis de qua infra, non obligamur conservare, sed satis est, illam recipere, ergo & Bullam communem. Antecedens probatur ex verbis Bullæ compositionis, quam distribuit hoc Regno Commissarius, quæ hæc hodie sunt.

*Et ordiniamo precisamente, che riceviate in voi questa Sancta Bolla, essendoci in essa scritto il vostro nome perche così vole, e commanda sua Santità, e che altrimente non godiate della compositione, che per essa vi si concede; laquale Bolla ordiniamo, che sia stampata col nostro nome, e sigillata col nostro sigillo.*

2. Immo etiam antea sic legebatur in Bulla compositionis anno 1618. *& ordiniamo precisamente che riceviate in voi questa Bolla perche così vuole, e comanda Sua Santità, e che altrimente non godiate della compositione, che per essa vi si concede &c.*

3 Vides igitur, tum hodie, tum antea, numquam in Bulla compositionis apponi, ut illa conservetur, sed solum ut recipiatur &c.

Respondeo nunc ad propositam paritatem, negando cōsequentiam. Hoc enim est primum notabile discrimen inter Bullam communem & Bullam compositionis, requiri nimirum conservationem Bullæ communis, Bullæ compositionis conservationem non requiri. Et ratio manifesta est; quia Pontifex per suum commissarium conservationem mandavit in bulla communi, ut vidimus *præced.* non vero in bulla compositionis ut modo habuimus *n.* 2. & 3.

4. Sed inquiret curiosus cur id? Respond. recte Bardi *part.* 3. *tr.* 5. *c.* 2. *sec.* 10. quia in communi Bulla multa adsunt Privilegia, quæ habent tractum successivum pro toto anno (unde congruū fuit mandare, ut ea conservarentur, ne scilicet erraret Privilegiarus, quādo uti eius Pontifex, ne scilicet erraret Privilegiarus, quādo uti eius Pontifex legiis voluerit. At in bulla Compositionis unica est gratia qua scilicet Bullam hanc recipiens liberatur à redditia qua scilicet Bullam hanc recipiens liberatur à redditia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tutione incertorum, qua gratia semel habita, nihil refert Bullam conservare.

5. Secundò, potest quis ita argumentari contra Inscriptionem nominis in hunc modum. In Bulla Compositionis hodie necesse est, ut inscribatur nomen accipientis sub pœna Compositionis gratiam non obtinendi, ut apparet ex verbis *n.* 2. recitatis; ergo sic erit bulla communi, & tamen *supra* §. 2. diximus ex Bardi in hac communi Bulla expediens id esse non necessarium.

Respondeo simili modo, quo respondimus ad præcedens argumentum, non esse scilicet id mirum, quia in textu bullæ communis non apparent, saltem manifestè in illa sententia P. Bardi verba, quæ annullent concessionem, si non scribatur nomen, ut ibidem dicto §. 2. legisti. At vero apparent clare in Bulla Compositionis, ut jam item modo legisti *n.* 2. Atque hoc est secundum notabile discrimen inter has duas Bullas.

Cur autem hoc; Respondeo, me putare, Pontifici satis fuisse, rationem honoris recipientis bullam habuisse, dum non requisivit, ut hæc bulla conservaretur; unde eidem non visum est necessarium concedere, seu permittere, ne inscriberetur nomen.

Respondeo secundò. Rationem, cur hoc discrimen voluerit Pontifex, Pater Bardi afferre debet, non autem nos, qui citato § 2. docuimus, scribendum esse nomen, etiam in Bulla communi.

## CAPVT XVI.

### *Concessio Gregorii XIII. per quam bis Bulla sumi potest.*

EA sic habet apud Gal. *in cal. lib. clauf.* 11. & apud Trull. *l.* 1. *de bull.* §. 8.

*Ac etiam, ut omnes Christi fideles, non tantum semel, sed bis, singulo quoque anno, servatis tenore, & forma prædictis, quibus eodem anno idem Summarium sumpserint, tam pro se, quam per modum suffragii, pro Animabus in Purgatorio detentis, indulgentiis, Concessionibus, Gratiis, & indulgentiis prædictis uti & potiri, & gaudere, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino misericditer concedimus, & indulgemus.*

### §. Unicus. *De secunda prædicta Bulla, quæ eodem anno recipi potest.*

1. CUm hæc Bulla sit mera extensio ad solam iteratam receptionem (sed certè non ad tertiam) ideo omnia sunt pro illa servanda, quæ diximus præcedentibus, nam propterea non sunt repetenda. Notanda tantummodo sunt duo.

2. Primò, hanc secundam bullam posse sumi simul cum prima, vel postea intra annum, quando libuerit. Ita Gallegus *clauf. cit. tit.* Inserviet autē illa, sive pro toto anno, si initio accepisti, sive pro solo tempore, quo sumpsisti, usque ad anni finem. Inserviet, inquam, pro tribus Privilegiis. Puta primo, ut possit acquirere iterum Indulgentiam plenariam in vita, & iterum in morte, licet per primam bullam eam acquisieris. Secundò, ut obtineas iterum absolutionem ab iis reservatis, à quibus semel fortè absolutus fuisti per primam bullam. Tertiò, poteris iterum, seu bis, accipere eodem anno bullam pro defunctis, de qua *c. seq.* atque adeo bis applicare pro ipsis plenariam Indulgentiam.

3. Notandum secundo eleemosynam pro hac secunda receptione bullæ, conferri debere à privatis duorum tantum, ab insignibus vero personis, octo; Hoc est, præter eleemosynam datam pro prima bulla, debet alia similis pro hac secunda porrigi, ut diximus *c.* 3. §. 7. *n.* 10.

Atque hæc de bulla Vivorum, sequitur de Bulla pro Defunctis, de qua Bulla Compositionis brevis, sed pro praxi, ad quam semper intendimus, sufficiens explicatio.

## CAPVT XVII.

### *De Bulla pro Defunctis.*

1. IN Bulla Latina sic habetur.

*Item, eadem Indulgentia (utique pœnaria) suffragabitur per modum suffragii animabus defunctorum, pro quibus in hujusmodi subsidium (nempe belli contra infideles) proficisci, vel militare mitti contigerit, aut pro quibus non eunte, nec militante, tamen eleemosynam de bonis suis juxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta, faciendam, pro Religionis defensione contulerint.*

### §. I. *Explicatur illa (per modum suffragii.)*

1. QUemadmodum si quis in carcere esset detentus ob debita, quibus premitur, duplici posset modo liberari, primo, si Princeps illum absolveret per sententiam, vel alio legitimo modo, ab ejusdem debitis; secundo, si amicus aliquis offerret creditoribus solutionem dictorum debitorum; quorum prior liberatio dicetur haberi per absolutionem, posterior per modum auxilii, quod per absolutionem satisfactionis affertur ab amico; Ita anima, quæ existit in Purgatorio posset liberari, primo, si Deus, vel delegatus ab illo illam absolveret. Secundò, si quis per sua bona opera pœnalia offerret pro ipsa tantam satisfactionem, quanta sufficit ad debita dictæ animæ compensanda. Prior ex his modis vocetur absolutio, ut ita loquar, liberatio, seu condonatio, seu Indulgentia per modum absolutionis. Posterior vero vocetur liberatio, seu Indulgentia per modum suffragii, sive auxilii; ille enim, quia sua opera pro anima offert, auxilium affert animæ.

2. Jam vero Summus Pontifex, cui dictum est, *Quæcunque solveris super terram*, &c. concedit vivis per potestatem Judiciariam, qua valet suos subditos absolvere, concedit, inquam, auctoritativè Indulgentiam, & liberationem à pœnis, quas illi debent: nam ex Thesauro Ecclesiæ ipse, qui est ejus administrator, & distributor satisfactionem tantam, auctoritate à Christo sibi communicata exhibet Deo, quantam debet Fidelis, cui Indulgentiam confert. At vero quia eidem Pontifici non sunt subditæ animæ Purgatorii, nec ab ipso legari, vel solvi auctoritativè possunt, cum tamen possit idem per modum auxilii offerre Deo pro anima tantam satisfactionem, quantam ea anima debet, ad hoc enim non requiritur, quod anima sit illi subdita, ideo tunc dicitur, quod per modum suffragii, seu auxilii ejusmodi animas liberet. Unde vides, non differre Indulgentiam Plenariam pro vivis ab Indulgentia Plenaria pro Defunctis; utraque enim animam liberat, solum pro vivis Pontifex, per Indulgentiam illam, remittit pœnam juxta prædicta, ut administrator; pro Defunctis autem, ut auxilians. Hæc tudi Minerva pro indoctioribus delibasse sufficiat.

3. An autem utraque hæc satisfactio à Pontifice oblata Deo acceptetur ab ipso de condigno, & ex justitia, ut tenent tanquam probabilius Trull. *in Bull. dub.* 4. *num.* 6. aliique apud Bardi *p.* 4. *de Bullar. tr.* 2. *ap.* 2. *sect.* 4. an potius de congruo ex liberalitate, & misericordia, ut tanquam probabilius tenent Sotus *in* 4. *disp.* 19. *q.* 2. *artic.* 4. aliique, quos sequitur ibidem Bardi, quamque valdè rationabile existimat Bellarm. *l.* 1. *de Indulg. cap.* 14. *n.* 4. ut item, an Deus illam acceptet infallibiliter, ut tenere consequenter debent Trullench. aliique eum sequentes; an vero fallibiliter, ut tenent alii cum Soto, sunt quæstiones Theologicæ videndæ apud prædictos, & apud Suar. 3. *p. tom.* 4. *disp.* 84.

§. II.

§. II. *Conditiones requisitæ pro Bulla Defunctorum.*

1. OMissis iis, quæ pertinent ad animas illorum, qui ad bellum contra infideles proficiscuntur, vel eorum, qui ad idem bellum Milites destinant; nostrum erit, de hodierna tantummodo communi praxi loqui, qua fideles, data eleemosyna (modo quo supra diximus *c.16.§.un.n.6.*) Indulgentiam plenariam virtute bullæ applicant pro defuncto, hoc est pro anima existente in Purgatorio.

Hoc autem initio ne te præterant duo. Primò, hanc indulgentiam, quæ per hanc bullam confertur, esse diversam ab illis indulgentiis stationum explicatis in superioribus, *c.10.* quæ possunt etiam, ut *ibidem* vidimus, pro defunctis applicari. Secundò, à fidelibus solum designari animam, cui est applicanda indulgentia, at à Pontifice illam impartiri, ut latè diximus eodem *cap.10. §. 4. num.2.*

2. Quoniam autem hæc defunctorum bulla est pars bullæ vivorum, ideo potest bis sumi modo dicto *c. 16. n.2.* Debet item accipi, acceptari, ac retineri, seu conservari, modo, quo de bulla vivorum supra decrevimus *c.13. §.2. & seqq.*

3. Quid de inscriptione nominis?

Respondeo propter eandem rationem, quia hæc est pars bullæ vivorum, idem dic, quod de inscriptione dicti nominis diximus *ibid.*

4. Certè praxis est, in illa scribi nomen, tum ejus, qui bullam accipit, tum ejus, pro cujus anima accipitur. Verba hujus bullæ, quæ in regno nostro distribuitur, sunt sequentia.

*Per quanto voi, Pietro Romano, dastivo due Reali di plata cioè d'argento ch'e quello, che sta tassato, e dichiarato per noi il Dottor D. Pietro Paceco Commissario Generale della Sancta Cruciata à beneficio dell'Anima di Bernardo Amodeo, e riceveslivo in voi questa Santa Bolla, li è concessa l'Indulgenza sopradetta, &c.*

Jam vero proprias difficultates ad bullam hanc pertinentes, hîc subnectamus.

## PRIMA DIFFICULTAS.

*An qui bullam defunctorum accipit oporteat esse in statu gratiæ; ut Animæ prosit acceptatio, & applicatio pro illa?*

5. Respondeo, valdè probabile esse, non oportere propter rationem dictam *c.10.n.3.* sed quia alii sustinent oportere, ideo providum est consilium, ut proximè moriturus committat hæredi, ut sumat pro ipso, quando morietur, hanc bullam, nam quando deinde hæres illam accipiet vel applicabit id faciet nomine alieno, non proprio, unde certo non requiritur in hærede status gratiæ. Quemadmodum si meo servo peccatori jubeam eleemosynam pauperi dare, nihil mihi officit ejus peccatum, quia non agit nomine suo, sed meo. Aliud simile consilium habebis *infra n.7.*

## SECUNDA DIFFICULTAS.

*An hæc bulla possit applicari pro multis defunctis?*

6. Respondeo. Ita putat Mendo, *d.36.n.2.* quo pacto, indulgentiæ fructus dividetur in illos plures pro rata. Sed illum audire non possum, si quidem in bulla hac, quæ distribuitur, expresse ponitur, ut modo vidisti, (*pro anima talis personæ*) ergo solum pro una applicari potest, cui rationi nimis frigidè ipse Mendo respondet, dum dicit, id poni, quia communiter fideles pro una anima solent applicare.

## TERTIA DIFFICULTAS.

*Quanam ratione facienda est Applicatio?*

7. Respondeo, modo duplici, vel nimirum primo, si qui accepit bullam determinet ipse, vel alius eidem animam, vel secundo, si dicat seu intendat, se velle liberare illam animam, quam determinabit Deus. Ita docet Mendo *l.c. & d.13.n.14.*

At quandonam anima liberabitur, quando accipitur Bulla, an quando applicatur? Respondeo, si Bullam recipiens erogata, seu promissa, modo supradicto, eleemosyna, simul applicat, tunc liberabitur, at si prius accipiat, sed inde ad tempus applicet, sanè liberabitur quando applicat. Ratio est, quia ultimum requisitum est applicatio. Unde, si tu, dum Bullam accipis, non sis in gratiæ statu, expedict. non applicare tunc, sed quando eris in gratia, ut nimirum securius opereris, propter illam opinionem, quæ requirit in Fideli gratiæ statum, ut is operetur utiliter pro Defuncto.

Nota semel facta applicatione pro anima v. g. Petri, te non habere potestatem applicandi alteri, quia facta a te applicatione, jam suum effectum adæquatè habuit tua Bulla.

## QUARTA DIFFICULTAS.

*An pro hac Bulla Defunctorum requiratur dari Eleemosynam?*

8. Respondeo. Requiritur; ita enim explicuit, seu taxavit Commissarius, cui data est taxandi potestas.

Illud tamen ne ignorato, pro hac Bulla sufficere eandem quantitatem eleemosynæ pro omnibus, sive privatis sive insignibus personis; & quidem in nostro Regno duos Reales. Ratio est, quia pro viventibus distinctionem apposuit commissarius inter privatas & insignes, non autem pro Defunctis: & merito, quia voluit illis sanctis animabus favere liberalius.

## QUINTA DIFFICULTAS.

*An hæc defunctorum bulla possit sumi pro existente in alio Regno.*

9. Respondeo verbis Ludovici à Cruce de bulla in ipso Procem. (*Concedit*, inquit, *S. Pontifex, ut qui hanc defunctorum bullam sumpserint, possint cuicunque animæ in Purgatorio existenti applicare, dummodo duos argenteos in subsidium Belli contra infideles solvant, &c.* Notas illud *cuicunque animæ*? Vivus ergo recipiens bullam, debet esse in Regno, ubi Bulla promulgatur, non autem necessario illi, cui applicatur, vel applicanda est indulgentia.

## SEXTA DIFFICULTAS.

*An hæc Indulgentia possit acquiri pluries pro Defuncto?*

10. Respondeo, solum semel cum una Bulla, & iterum cum alia, sed tertio cum tertia, &c.

Illa autem opinio Trull. putantis, quoties cum una Bulla applicatur à fideli qui Bullam hanc accepit, hæc indulgentia, toties indulgentiam acquiri pro anima mihi videtur opinio nimis fictitia: nam cur requiritur nova concessio Pontificis, ut bis hæc Bulla sumi possit; quæ iterum acquiratur indulgentia? & cur fideles nunquam hac praxi quod sciamus, usi sunt?

11. Illud occasione hac solet inquiri; cur bis in anno potest utiliter sumi hæc Bulla; imò cur fructuosum est, altero & altero anno pro eodem defuncto sibimet bullam sumere. Ratio dubitandi est, quia si per unicam Bullam semel habita indulgentia, Deus liberat animam

nimiam, iam non est opus alia secunda, multo minus tertia &c.

Respond. Sanè cum fructu pluries Bullæ sumuntur, quia possunt concurrere circunstantiæ, ob quas per priores Bullas non acquiratur indulgentia: ut si accidat, non esse causam sufficientem, ad illam indulgentiam concedendam, si non sit in gratia, qui Bullam suscipit, applicatque (nam non est, nisi in opinione, quod in prædicto non requiratur gratia) denique si Deus non acceptat (est enim in simili opinione, an Deus infallibiliter nec ne acceptet, ut §. *præced. n.* 3. indicavimus.) Addit Castropalaus *de Bull. p.* 12. *n.* 4. neminem scire posse, an opera ad Indulgentiam requisita ipse exequatur, prout Pontifex intendit, & necessarium est ad Indulgentiæ valorem, & rursus neminem scire an, etiam te ignorante, eleemosyna erogata pro Bulla sit aliena, vel an Depositarius, seu Distributor tibi dederit Bullam alterius; vel, an ipse sit raptor, simulator, vel non legitimus Minister. Præstabit igitur iterata Bullarum acceptio, non pro defunctis modo, verumetiam pro viventibus. Quod dicitur de his Indulgentiis per Bullam: dic universaliter, de aliis Indulgentiis; prudenter nimirum eas, pluries, & pluries sumi. Hactenus *de Bulla defunctorum* satis.

## CAPUT XVII.

### *De Bulla Compositionis.*

1. PEr hanc Bullam concedit Pontifex fidelibus etiam Religiosis: ut vult Castrop. *de Cru. p. ultimo, ipso initio*: si quidem diximus supra *c.* 3. §. 2. *n.* 12. Religiosos posse omnibus Bullæ Cruciatæ Privilegiis frui, præter usum lacticiniorum, & quæ ad Sacramentum Pœnitent. pertinent, ut si fortè habeant aliquid ex bonis malè ablatis, vel retentis, facta eleemosyna, positisque conditionibus mox explicandis, possint illa omnia sibi tuta conscientia retinere.

Huius autem concessionis Iustitia & honestas ut etiam potestas Pontificis ad illam exhibendam hîc à nobis, qui solum ad praxim intendimus tanquam certa supponitur, videnda si placet apud Trullench. Bardi, Lud. à Cruce, aliosque huius Bullæ diligentes explanatores.

Porro verba Pontificis hanc compositionem concedentis hæc sunt. *Vt possit Commissarius componere super illicitè habitis, nec non super medietate legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta sunt, si Legatarij per annum in exactione negligentes fuerint, ac super illis quæ facta erunt (hoc est, quæ invenientur esse iam facta) & quæ dicto anno durante fient, si legatarij inveniri non potuerunt, nec non super malè ablatis, & per usuram prævitatem, aut aliter malè acquisitis, si in omnibus præmissis casibus (præterquam dictæ annualis negligentiæ) personæ, quibus restitutio, seu solutio facienda est (præstito per restitutorem Iuramento de diligentia per eum facta pro inveniendo Legatario seu Creditore, & minimè invento) non reperiantur; possit, inquam, Commissarius componere, & ita debitores liberari.*

Et paulò post.

*Ita etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum eis, qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum Canonicarum tenentur, ita, ut quantitas compositionis, pro medietate Ecclesiæ, vel aliis locis quarum vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate, in subventionem huius negotij detur.*

§. I. *Explicatur Caput illud primum se componendi, id est* super illicitè habitis, & super malè ablatis, aut aliter malè acquisitis.

1 ILlicitè habita seu retenta sunt, quæ quamvis sine peccato, propter bonam fidem, vel ob iustum contractum, vel ob aliud habita olim fuerint, suo tamen tempore restituta non sunt. Malè vero ablata sunt illa, quæ cum peccato, & iniustitia surrepta fuere, nec domino reddita, quod posterius magis magisque enodare volens Pontifex addidit, *& per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis.*

2. Pro his igitur format Generalem hanc Regulam Trullench. *in expos. Bul. compos. l.* 5. *c.* 19. Compositio de qua loquimur, generaliter fieri potest in omni eventu in quo constat, restitutionem faciendam esse, ratione rei in quo constat, vel iniustæ retentionis, duabus conditionibus concurrentibus. Prima, ut, facta debita diligentia, dominus certus, aut eius hæres non appareat, (quam primam conditionem paulo post §. 5. nos illustrabimus,) Secunda, ut hæc bona ablata non fuerint ex confidentia huius Bullæ. De qua item conditione nonnulla nos addemus non multo post §. 7. *n.* 4.

3 Proferunt & illam aliam regulam Doctores apud eundem Trullench. *ibid. l.* 3. *dub.* 4. *n.* 4. Delugo *d.* 6. *de inst. num.* 134. Quotiescunque aliqua cedunt Pauperibus, vel Locis Piis, hoc est, deberent illis distribui, potest fieri compositio.

Signatè dictum est (*cedunt*) non vero dictum est (*debentur*) id quod sic explicat Andr. Mendo *de.* 35. *de Bull. c.* 2. *n.* 10. Si restitutio facienda sit Ecclesiæ (ait) ex eo quod fiatis aliqua in illam patrata est, non potest debitor componi per Bullas, quia à Pontifice, & Commissario non conceditur compositio de bonis, quæ certo domino debentur, at hîc certus est dominus, nempe determinata illa Ecclesia. Nec conceditur de omnibus bonis pertinentibus ad pia opera, quorum Pontifex est administrator, sed de his, quæ non sunt ablata ab ipsis piis operibus, & tamen restitutio esset ei facienda, vel quia dominus non est certus, vel quia bona turpiter acquisita sunt, & proprio domino non sunt reddenda. Hinc si quis abstulisset bona pertinentia ad Ecclesiæ fabricam non posset per Bullam componi, sed deberet ipsi fabricæ restituere, &c.

Prædictarum Regularum ratio illa est, quia de his Pontifex Summus, ut administrator rerum etiam temporalium, quando ad bonum animarum faciant, modo à Doctoribus latius explicato, potest disponere, atque adeo de illis compositionem concedere.

Iam vero, ut quæ sunt in titulo huius §. explicarentur, apposuit Commissarius Cruciatæ multos casus in ipso Summario vulgari, quod compositionem postulantibus distribuit, qui breviter sunt sequentes.

### *De quæsitis cum peccato.*

4. Et quidem quoad malè ablata, quæ ex iniusta receptione, vel damnificatione debentur. Potest primo compositione expediri, (ait Commissarius) si Iudices, si Advocati, si testes, si Notarij, si similes Officiales aliquid iniustè receperint, iraut secundum regulas restitutionis restituere incertæ personæ obligentur; satisfacto semper illo, cui damnum fortasse ab ipsis illatum est. Nota aliquos Trull. *l. c. cas.* 9. Henr. *ex p. l.* 7. *c.* 35. *n.* 4. DD. compositionem hanc Iudicibus concedere solum super accepta ob administrationem Iustitiæ in causis temporalibus: Sed Castropalaus *de Bull. punct. ult.* §. 2. *n.* 9. concedit, etiam in spiritualibus. Illum lege.

5. Secundo, si quis iniustè aliquid receperit, ut intercederet pro iniusta sententia, restituto semper damno parti læsæ.

6. Tertio, si in ludo per fraudem aliquid iniustè quis acquisierit ab eo quem nunc invenire non potest.

Nota, si tu fortè luseris cum Beneficiario, viceriscque illam partem superfluam, quamvis teneatur distribuere pauperibus, doceri à Delugo *l. c.* dictam partem deberi pauperibus, atque adeo posse, te de ea componi; at doceri à Bardi *p.* 3. *tr.* 5. *dec.* 2. *sect.* 3. pauperibus non deberi, neque componi te posse. Ratio huius posterioris sententiæ, quam libentius sequor, est, quia, cum sit hodie probabilis opinio Beneficiarium esse dominum,

etiam illorum bonorum, quæ ipsi sunt superflua, iam à te scitur dominus, puta Beneficiarius, ergo illi, non vero pauperibus restituere debes, si per fraudem vicisti. Quod si vicisti sine fraude, illa tibi retine, quia ea habuisti à domino suæ rei: esto Beneficiarius peccaverit, sic ludendo, fortassè etiam, tu sciens cooperatus es cum illius peccato.

7. Quarto, si ob fictam paupertatem, vel similem fictionem aliquid recepisti, quod restituere obligeris.

8. Quinto, si quid debeas ob damnum, quod venando, piscando, pascendo, vel alio modo alicui intulisti, semper incerto eo, cui damnum illatum est.

9. Sexto, si honesta mulier (non publica meretrix) aliquid ob turpem usum habuerit.

10. Septimo si per iniquitam venditionem, vel emptionem, vel aliarum rerum, sive fraus fuerit in mensura, sive in alio, &c.

### *De acquisitis sine peccato, ubi de Inventis.*

11. Quoad rem acceptam: Potest, primo, fieri compositio, si quis habeat pecuniam, vel aliud incerti domini apud se depositum.

12. Secundo, si ex contractu, vel quocumque alio capite aliquid quis incertæ personæ debeat.

13. Tertio, si quis aliquid habeat, quod casu invenerit, nec sciri possit dominus: Hæc autem alicubi esse à Rege, & sub præcepto, vel excommunicatione à Pontifice applicata Ordinibus S. Mariæ de Mercede, vel Sanctissimæ Trinitatis ad redimendos Captivos, unde non posse de illis componi, contendit Lud. à Cruce *de Bul. d. 3. d. 15.* Verum nos sequimur alios Doctores Mend. *de Bul. d. 33. c. 2. n. 12.* citantem Nav. addentemque Mol. & Castrop. ad rem prope pendentes, cum quibus.

14. Dico primò, Casu inventa, si post debitam diligentiam inveniri dominus non potest, probabilissimum esse, posse ea sibi asservari ab Inventore cum intentione ea domino reddendi, si is comparuerit. Ratio est, quia nec ex iure naturæ, nec ex iure positivo probari potest oppositum, modo dictum animum habeat Inventor. Id fusè probat Mendo *l. c. n. 17.*

Addit idem *disp. 14. c. 17. n. 182.* Idem esse de bonis naufragantium, eo ipso enim quod inveniri non potest eorum dominus, sunt æquè bona inventa, & excommunicatio in Bulla Cœnæ solum loquitur, cognito, vel comparente domino.

15. Dico secundo cum Mendo *dict. d. 33.* nec ullam esse in conscientia obligationem reddendi bona incerta inventa sive animata, sive inanimata, Cruciatæ, aut Prædictis Ordinibus. Ratio est quia si Inventor ea licitè, iuxta hanc opinionem retinet, non cadet in ipsum, nec præceptum, nec excommunicatio, quæ solum sunt lata iuxta aliam oppositam, quæ certè probabilis est.

16. Idem Mendo *d. disp. 33. n. 23.* docet, posita præscriptione (quæ ponitur post certum tempus à lege definitum de qua passim Iurisconsulti) non obligari inventorem reddere rem inventam domino comparenti, quia per præscriptionem legitimâ is acquisivit rei dominium absolutum; sic concedentibus legibus Præscriptionis.

17. Sed difficilis mihi est hæc Decisio, ad legitimam enim præscriptionem requiritur, ut res à possidente teneatur tanquam sua absolute, & non nomine alterius; at hic inventor nomine domini possidet, dum eam retinet sub conditione donec dominus comparuerit, non vero absolutè, & nomine suo. Sd redeamus ad nostra.

18. Ex dictis patet, te non indigere compositione pro prædictis inventis in nostra opinione, indigere autem in alia probabili, quam hic sequitur Commissarius.

19. Hi sunt prædicti casus in summario collecti, in quibus semper intellige, quando facta debita diligentia, ignotus est domi nus, ut item semper intellige, quando is, qui ea habet, restituere obligatur. Quod advertitur, quia Commissarius in multis ex prædictis casibus enumeratis, secutus est opinionem probabilem, quod illa bona restituenda sint, ut v. g. mulier de dante idem sui corporis, & in rebus casu inventis, ut modo dictum est &c. Nam cæterum quando adest opinio probabilis quod restituenda non sint, potest quilibet hanc sequi, & sic de compositione non esse sollicitus. Et quidem Tullench. Bardi & Mendo latius in expositione huius Bullæ similiter quidem agunt de casibus, quando prædicti obligantur restituere, quando non item; sed quia id est, digredi ad alias materias, ideo ab his mihi abstinendum hic omnino fuit.

### §. II. *Explicatur illud secundum Caput*, super meditate legatorum.

1. EX figuratione casus id facilius docebitur. Titius in fine vitæ cognoscens seu dubitans apud se esse summam centum v. g. aureorum ex male ablatis (ut exoneret suam conscientiam) legat Ecclesiæ S. Petri, vel Paulo pauperi summam illam. Accidit autem, ut illa Ecclesia, seu eius Rector, & pauper ille, fuerint negligentes per annum nequaquam exigentes à Titij hæredibus eiusmodi legatum. Aio, hos Titij hæredes posse super medietate huius legati, hoc est supra quinquaginta aureis se componere per hanc Bullam, data tamen alia medietate illi Ecclesiæ vel pauperi, legatariis.

2. Nota autem hic primo, in hoc casu non requiri incertitudinem domini, nam in aliis requiritur (ut supra dictum est) dominum esse ignotum. Sicuti etiam, non requiri dicetur §. 4. in omittente horas Canonicas. Quod autem etiam si notus sit dominus, possit hanc compositionem concedere Pontifex non solum pro legatis faciendis in illo anno post promulgationem Bullæ, quod concedunt omnes, verumetiam pro legatis iam factis ante Bullæ promulgationem, quod negat Delugo, legit apud Bardi etiam hoc posterius concedentem.

3. Nota secundo debere intercessisse negligentiam Legatarij; unde si eiusmodi legati notitiam sine sua culpa nequaquam is habuit, non currit adversus illum prædictus annus, nisi à die notitiæ legati.

4. Nota tertio, malè ablata, pro quibus constituta diximus hæc legata, non debere esse facta ob confidentiam Bullæ, tunc enim, ut dictum est, compositio nulla conceditur.

5. Nota quartò, id quod advertam §. 7. *n. 5.*

6. Nota quinto, si summa medietatis legati excedit summam centum mille maravedis Hispanicarum, seu unciarum Sicularum 128. tar. 20. & gr. 6. (id quod mox explicabimus clarius §. 6.) de excessu debere compositionem immediatè cum Commissario, si non excedit, sumi posse tot Bullas quot. §. eodem definimus.

7. Porro, cum certum sit apud omnes, hæredem, ne supprimat rem alterius, debere admonere legatarium de legato ipsi à defuncto relicto (si aliunde is non scierit) ut à die notitiæ, ut diximus, currat prædictus annus, inquires, quemnam admonebit, si legatum factum est pauperibus, vel pio loco in communi?

Respond. Admoneat Procuratorem pauperum vel Rectorem loci pij, vel Episcopum, vel breviter illum, qui curam habet de iis legatariis, quibus defunctus voluit prodesse. Ita Mend *d. 34. c. 4. n. 56.*

Inquires iterum. Si dicti Procuratores sint negligentes; unde post annum amittat locus pius v. g. medietatem legati ex eo, quod hæres se composuit, ad quid Procuratores obligabuntur?

Respond. sine dubio ad restituendam tali loco illam medietatem amissam, si per culpam ipsorum gravem ea amissa est. Semper suppono, hos esse Procuratores de officio, & stipendio, vel quia muneri suo est annexa procuratio, nam si eam ex charitate gerant, quamvis peccaverint ad restitutionem non tenebuntur. Ita Mendo *ibid. num. 57.*

§. III.

§. III. *Explicans Caput illud Tertium.* At super illis legatis, &c.

1. SI quando adsint legata quæcumque tametsi non fuerint facta ad exonerandam conscientiam; legata, inquam, sive facta ante Bullæ promulgationem, sive quæ fient post illam, durante anno tuæ Bullæ, quæ quidem legata tu, utpote hæres legantis, solvere legatariis adassem teneris, si tamen dicti legatarij, adhibita mortali diligentia, inveniri non possunt, poteris tibi consulere per hanc compositionem non solum quoad partem, verumetiam quoad totum. Hæc enim cum sint in hoc casu incerti Domini, debentur pauperibus, atque adeo sunt compositionis capacia. Differt hic casus à præcedenti in duobus, nam in præcedente notus erat Dominus. Et legatum factum erat ad exonerandam conscientiam, quæ duo non sunt in casu præsenti.

2. Nota autem hic primo, si summa excedit decem mille Maravedis hispanos mox explicandos §. 6. debere fieri compositionem per Commissarium, si non excedit posse per tot Bullas, quot mox eodem §. 6. dicemus. Et subadverte, quando compositio fit per Commissarium, debere eiusmodi hæredem iurare se diligentiam moralem adhibuisse ad inveniendos legatarios modo universaliter explicando §. 5. *fine*, quod iuramentum non requiritur, cum per Bullas, &c.

3. Nota tertio. Quod dicitur de legatis prædictis incertis, dic de fideicommissis incertis, nam legata, & fideicommissa saltem in hoc æquiparantur, ut rectè Vill. *tr.29 n.22.* Mendo *d.34. c. 4.n.43.* aliique.

4. Nota quarto id quod infra dicam §.7.*n.5.*

5. Nota quinto si Caius v. g.ª determinatæ personæ Titio v.g. leget aliquam summam, quam à Titio furatus fuerat, vel quomodocumque ab illo habuerat, non posse prædictos Caij hæredes, uti compositione, quia tunc certus est creditor, & legatam illud potius est restitutio quam verè legatum.

Si defunctus habebat bona, super quæ poterat componi, an iisdem possit componi hæres, dicam mox §.4.*n.13.*

§. IV. *Explicans illud quartum Caput.* Et super fructibus debitis ex omissione Horarum Canonicarum & fructibus ex redditibus Ecclesiasticis malè perceptis.

1. SI quis Ecclesiasticus Beneficiarius non recitavit Horas Canonicas, vel Beneficium habuit sine titulo, vel aliud non Canonicè obtinuit, & tamen fructus Beneficij percepit, cum iniustè receperit, debet eos restituere, sed ut vult Mendo *d.34.c.3.* potest uti hac compositione, de qua loquimur; quantum debeat restituere; qui omittit Horas Canonicas vide Cast. Trull. *l.mox cit.* Bardi *p.3.tr.5.d.2.*

Idem, si excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis eos fructus perceperit, idem, inquam, dic in sententia eorum, & in casibus illis in quibus prædicti non faciunt fructus suos, de quibus vide Trul. *l.3.de Bull. cas.* 2. Mendo *d.34.c. 2. n.* 28. aliosque. Idem quod dicitur de Beneficiario non recitante Horas, dic de pensionario, (propter eandem rationem) non recitante officium B. Mariæ Virginis.

2. Hoc autem est quædam conditio observanda, ut ultra duos Reales, quos eiusmodi beneficarius debet erogare pro una Bulla, quæ remittit ipsi mille Maravedis Hispanos, mox explicandos §. 6. debeat dare alios duos Reales Ecclesiæ in qua est beneficium, pro quo compositio expeditur, & sic pro aliis singulis Bullis quibus indigebit Beneficiarius. Quòd si summa à Beneficiario malè percepta excedit decem mille Maravedis *eod.* §. mox explicandos, unde debeat compositio immediatè fieri cum commissario, summa compositionis debet dividi, cuius altera pars media datur in subsidium belli, altera tribuenda est pari modo Ecclesiæ, ubi est Beneficium. Hunc sensum faciunt illa verba summarij vulgaris, quod in nostro regno distribuitur pro hac compositione *Che habbi de dare altri due Reali alla fabrica della Chiesa del Beneficio, &c. è volendosi componere di piu s'offervi l'ordine dichiarato sopra.*

3. His declaratis, Nota primo, super distributiones quotidianas, si quando quis cum non interfuerit Choro, illas tamen accepit, non posse, ut volunt Henr. Rod. Lud. à Cr. cum Trull. *l.3.cas.2.n.5.* aliique, fieri compositionem. Ratio est manifesta, quia hæ accrescunt interessentibus, ergo cum Dominus sit certus, non est locus compositioni.

4 Idem propter eandem rationem dic de fructibus Beneficij cuiuscumque, quando ex speciali statuto, vel consuetudine legitima aliis sint attributi. Lege Andream Mendo, qui tandem concludit, id esse, saltem tanquam tutius amplectendum.

5. Nota secundo, nec item posse, ut vult Trul. cum aliis *ibid.* compositionem super reditus, quos fortè perceperunt Parochi, vel Episcopi non residentes ultra tempus ipsis à Trid. *sess. 23. c. 2. de Reform.* concessum. Ratio est, quia ibi Concilium prohibet, ne de iis fiat compositio; & ex alia parte non apparet in Bulla hac revocari huiusmodi prohibitionem.

6. Idem rectè docet Lud. à Cruce de fructibus, qui male ritè perceptis ex Beneficiis incompatibilibus, quia & Trid. citato non residentes non possunt, ut modo dictum est, componi; at ille qui habet duo Beneficia incompatibilia non potuit in utroque residere & ita testatur dictus Lud. respondisse Commissarium Cruciatæ de hac re interrogatum? sed bene notat Mend. *d. 34.cap.3.n.36.* posse componi de fructibus Beneficij, ubi fortè resedit, quia, quoad hoc non repugnat Trid.

7 Nota quarto, quid de fructibus Beneficij vacantis? Respond. De his fusè loquentem legi posse Trull. *l.c.* qui denique ait, fructus tempore veræ vacationis provenientes, in sententia multorum deberi successoribus, vel convertendos esse in Ecclesiæ utilitatem atque ideo cum sic certi sint creditores, non habet (ut aliqui censent) locum compositio.

8. Dixi (ut aliqui censent) nam ceterum ipse idem Trull. *l.c.* cui adde Mendo *d.34.c.3.n.42.* putat, etiam super fructibus veræ vacationis prodesse compositionem, tametsi successoribus deberentur (de qua tamen re hoc est cui debeantur tales fructus est solemnis quæstio: & tandem Suar. *l.4.de Relig.c.53.n.26.* dixit consuetudinem legitimam cuiuscumque loci esse servandam.) Ratio propter quam super his compositio possit expediri, est, quia adhuc antequam successor illos sumat, sibique vendicet, sunt in dispositione Pontificis, qui Commissario delegavit potestatem super illis compositionem concedendi.

9. Nota quinto, non posse, teste Lud. à Cr. *disput. 3, d.18.* Trull. *l.3.cas. vult. fine*, expediri compositionem super stipendiis pro Missis celebrandis malè perceptis: nam constat, eas Missas esse celebrandas pro iis determinatè sive vivis, sive defunctis, pro quibus ij intendebant, qui stipendia seu eleemosynam tribuerunt; quare etiamsi tu illorum non recorderis, neque illos scias; personæ incertæ nequaquam sunt, cum à Deo, ad quem pertinet earum fructum concedere, satis superque noscantur.

10. Nota sexto. Quid de Beneficiario cum distractione voluntaria Horas Canonicas recitante? Supponendo eam sententiam, quæ docet recitantem cum voluntaria distractione non satisfacere in conscientia obligationi, quam inducit vel ipsa ratio orationis, vel Ecclesiæ grave præceptum.

Respond. Aliqui hunc negant, compositione indigere; aliqui affirmant; Ratio affirmantium est, quia ad orationem cum atentione faciendam obligatur Beneficiarius, atque adeo, cum peccet, nec ponat, quod ab ipso ratione Beneficij requiritur, contra iustitiam operatur,

unde cum obligetur fructus sic perceptos restituere, indigebit compositione, vel eos Ecclesiæ restituat. Ratio negantium est, quia esto is peccet contra Religionem, non tamen justitiam, jam enim externè recitat, ad quod solum vi Beneficii teneri videtur. Utraque sententia est probabilis, lege Bardi *in 2. edit. Bull. Cr. p. 3. tr. 5. diff. 2. c. 3. sect. 2.* & ab eodem citatum, & non in omnibus approbatum Andream Mendo.

11. Huc reducitur illa Quæstiuncula, an officium hodie omissum à similibus Beneficiariis, si cras ab eodem suppleatur, recitando officium duplicatum, satisfaciat quoad justitiam, etiam pro hodierno die, & sic non indigeat compositione pro ejus omissione?

Respond. Ita putat Suar. *lib. 4. de Hor. Can. c. 29. n. 11.* cum nonnullis aliis; sed certè oppositum est, ut habet Bard. *l. c.* omnino tenendum, quia officium est addictum ab Ecclesia huic diei quo elapso nulliter, quoad diem hunc suppletur. Neque obstat altero die suppleri aliquando posse Missam, quam hodie celebrare debeat Beneficiarius, non obstat, inquam, quia Missa regulariter non est addicta à dantibus pro ea eleemosynam huic diei, quia ab ipsis solum spectari solet utilitas, & fructus Missæ, quæ regulariter æquè habentur altero die. At officium addictum est huic diei ab Ecclesia, quæ respexit ad hunc præcisè diem, ne scilicet dies ullus præteriret sine religioso cultu per officium.

12. Nota septimo. An hæres defuncti Beneficiarii possit utiliter se componere de fructibus, malè ab ipso Beneficiario perceptis, & nunc jam à dicto hærede alias legitimè possessis?

Respon. non posse existimat Delugo *disp. 21. de just. à num. 116.* quia compositio pro debitis certis, non videtur esse concessa, nisi illi qui ea debita personaliter contraxit, at hæc debita contraxit Beneficiarius, non hæres. Verum Bardi *part. 3. tract. 5. diff. 2. cap. sect. 3.* concedit, posse donec aliud non declaret Commissarius Cruciatæ, quia non apparet in Bulla, compositionem pro debitis certis esse solum ei concessam, qui illa immediatè contraxit.

13. Atque, hac posita decisione, multo magis sequitur universaliter hæredem posse se componere super omnibus illis bonis, sive malè receptis, sive malè retentis, super quibus poterat se componere defunctus, dum inter vivos existebat, nam ad hæredes proveniunt bona defunctorum iisdem qualitatibus affecta, quibus apud defunctos erant.

## §. V. *Explicatur illud*, si facta diligentia non invenitur creditor.

1. PRæter illud de medietate Legatorum ex negligentia Legatarii, & præter dicta de fructibus receptis in omissione horarum Canonicarum, semper in aliis requiritur, sicut supra dictum est, ut constet creditorem esse incertum, seu ignotum. Id autem constare debet per diligentiam morali modo factam, hoc est, ut adhibita sit ea diligentia, quam vir bonus, & timoratus in simili casu consideratis, quantitate, & qualitate rei, apponeret in re sua; non enim eadem diligentia sufficiet ad quærendum Dominum pretiosi Adamantis; quæ ad Dominum unius, vel alterius aurei. Et quidem de hac sufficienti diligentia exhibita, debet à debitore fieri juramentum, quando fit compositio immediatè cum Commissario, quando autem fit per acceptionem Bullarum, satis est, ut ipse debitor sit certus, illam fecisse, & hanc esse praxim affirmat signate Trull. *l. 3. cas. 2.*

2. Nota hic primo. An dicendus sim esse certus, an incertus, si sciam rem, quam ego abeo, esse alicujus ex duobus vel tribus, vel quatuor, nesciam vero cujus in particulari?

Respond. cum Henr. *l. 7. in d. cap. 35. n. 1.* te dicendum esse certum; quare tunc res est dividenda inter illos pro rata dubii.

3. Quid si dubium versetur inter decem, quindecim, viginti, centum?

Respond. Cum hæc res debeat morali & humano modo pensari, debet prudenti judicio, spectata qualitate personarum, reique quantitate, decerni an sit tantum dubium, ut res illa ad certitudinem potius, quam ad incertitudinem vergat.

4. Nota secundo. Quid si creditor certus sit absens?

Respondeo. Tunc sanè, (ut rectè advertit Sotus *lib. 4. de Just. quæst. 7. art. 1.*) is erit per se loquendo, certus; absentia enim Domini ejus certitudinem non tollit. Dixi (per se loquendo) nam id limitat Henriquez, *l. c.* & Lud. à Cr. *disp. 3. d. 6.* nisi res esset ad Dominum mittenda maioribus expensis, quam ipsa valeat, tunc enim æquiparatur rei incerti Domini. Sed adverte, hoc tunc locum habere, quando non speratur, fore opportunum tempus eam restituendi Domino, & quando debitor non tenetur illas expensas facere.

Quod ultimum ideo dicitur, quia quando res est illa citè à te acquisita debes regulariter tuis expensis (si habeas unde) mittere ad Dominum juxta alibi à me dicta, & consequenter non suffragabitur tibi compositio.

5. Nota tertio. Quid si sub dubio debeam aliquam summam Titio v. g. Creditori mihi satis cognito, sub dubio, inquam, an illam debeam decem an quindecim, an viginti, an nihil?

Respond. Putat Henr. *l. 7. de ind. c. 13. §. 5.* debere dici Titio aliquid juxta prudens judicium, spectato dubio, & spectata rei quantitate, de reliquo autem posse componi. Cujus decisionis illam rationem redderem, quia de eo quod est reliquum, verè nescitur Dominus.

6. Inquires quarto. Si quis vendens v. g. vinum, sciat, se decem aureos per fraudes surripuisse in hoc oppido vel vicinia, ignoret tamen personas peculiares quibus damnum illatum fuit, utine, ac frui, compositione potest. Si enim eas noscendi spes elucet, debet diligentiam apponere, illisque inventis reddere, nec tunc licebit, ut toties diximus, ad compositionem confugere.

7. Respond. Vill. *tract. 29. n. 36.* putat, non esse tunc compositioni locum, sed obligari vendentem restituere summam surreptam communitati, vel vendere vilius in illo eodem loco.

Addit Cast. *de Bull. p. ult. §. 2. n. 15.* hanc sententiam sequens rationem illam, quia tunc communitas est læsa, quæ, cum sciatur, ipsi est restituenda facienda, quo sic læsis, quantum fieri potest, satisfiat.

8. Verum distinguendum omnino est. Si damnum illatum fuit communitati, accipiendo ab illis v. g. Thesaur. vel ab aliquorum cumulo, quia communitas est læsa, ipsi Thesaur. seu cumulo facienda est restitutio, ut qui damnum passi sunt resarciantur.

At si furtum fuit factum ex bonis variorum Civium, qui cognosci non possunt, tunc certe pars læsa est incerta, nam (ut rectè Delugo *disp. 6. de just. num. 133.* notat) nihil refert, scire, esse alicujus ex illa Civitate seu communitate, si enim id satis esset, usurarii & furis debita non essent incerta, quia licet, quinam sint ab ipsis læsi, ignorentur, scitur tamen ex qua Civitate sint. Vide quæ ego *lib. 8. in Dec. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 19.* & de hac re dixi.

9. Denique facta à me legitima compositione, si forte appareat Dominus ad quid me obligabis?

Respond. Non pauci, ut Rodr. Villal. Luc. à Cr. quos citat, sed non sequitur Trull. *l. 3. d. 4. n. 8.* affirmant, obligari te, etiam ante sententiam ad restituendum compareti Domino id in quo factus es ditior. Ratio est inquiunt, quia Pontifex per compositionem nec intendit, nec intendere potest juri alieno præjudicare, quare illam concedens, concedit sub conditione, si, seu, donec, Dominus apparet.

10. Contra. Non pauci, ut Henr. Bañez, Acost. Trul. eos citans, affirmant, te ad nihil obligari in foro con-

scientiæ

scientiæ, siquidem eiusmodi compositio facta est à Pontifice, qui cum sit administrator bonorum temporalium fidelium, quando hæc concernunt bonum spirituale, potest disponere de rebus,&c. & re ipsa disponit sine ulla conditione, quæ certè gratis asseritur,cum in Bulla, ne vestigium quidem illius appareat.Et quidem si id potest Princeps sæcularis per præscriptionem, cur non possit per compositionem Pontifex ? item sicuti si distribuisses totum pauperibus,nihil tu debe es postea Domino comparenti, ut omnes concedunt; Ita si per compositionem legitimè tibi,& subsidio contra infideles auctoritate Pontificia divisisti.Hæc sententia est à nobis promptius amplectenda.

11. Dixi (in foro conscientiæ.) Nam, quia Bulla Cruciatæ, quanta est, solum respicit forum internum,posse te condemnari à iudice tenet Trullench. *l. c.* ut rem reddas Domino comparenti, & nunc post sententiam, non vero antea,debebis iustæ sententiæ parere ac reddere.

12. Sed nihilominus valere etiam pro externo foro, docet Acosta *q.95.*cui assentitur Delug.*d.6.de iust.n.*105. quia compositio est expedita absolutè auctoritate Pontificis potentis liberare,atque sine ulla restrictione liberantis debitorem.

13. Prudenter autem addit Bardi, valere quidem compositionem in foro externo, sed quia in foro eodem debet constare,eam legitimè fuisse expeditam, constare autem difficile est, ideo regulariter illa non proderit, nisi in foro interno, semper enim creditor dicere poterit compositionem non fuisse factam super suo credito, non fuisse præmissam debitam diligentiam, &c.

### §. VI. *Explicatur quantitas, de qua quis componi valeat.*

1. DVæ sunt viæ, per quas incedere potes ad compositionem acquirendam. Altera est per sumptionem tot Bullarum, altera per compositionem immediatè faciendam cum ipso Commissario.

Si fiat priore via, quantitas, super qua fieri potest compositio pro una Bulla, sunt duo mille Maravedis, quæ in moneta Sicula sunt unciæ duæ, tareni decem, & septem cum granis quatuor seu sunt scuta sex, tareni quinque & grana quatuor : fierique possunt sumptiones tot Bullarum usque ad quantitatem centum mille Maravedis,hoc est usque ad uncias centum viginti octo, tarenos viginti, & grana sex, seu usque ad scuta trecenta viginti unum,tarenos octo, & grana sex. quare, sumendo,vel simul, vel successivè intra annum publicationis, quinquaginta Bullas invenies (si rectè rationem inibis)extinxisse dictam quantitatem centum mille Maravedis.

Nota, per unam, seu per singulas Bullas solvi debere Commissario seu Distributori Bullarum duos Reales à quocumque sive persona sit privata, sive insignis: hæc enim distinctio est, pro sumenda Bulla communi, non vero pro compositionis Bulla. Ita Bardi *p.3.tr.5.diff.1. cap.3.num.3.*

2. Quod si Summa, pro qua fieri postulatur compositio, excedit dictam summam centum mille Maravedis; tunc erit recurrendum ad posteriorem viam, id est, erit conveniendus Commissarius, ut ipse taxam suo arbitrio(nam non est definita pro omnibus;) designet, iuxta personarum qualitatem, & quantitatem bonorum. Notat tamen Henr.*l.7.in d c.33.n.1.* solere designari decem, quæ à debitore in subsidium belli erogentur, pro singulis centenariis.

3. Inquires in hunc modum. Ego ex restitutione incertorum debeo mille uncias aureas, vellem autem per priorem viam sumere Bullas quinquaginta pro extinctione unciarum Sicularum centum viginti octo, tarenorum viginti,& granorum sex,quæ sanè est mihi utilior via, & pro reliquis per viam posteriorem componere me cum Commissario, possumne ?

Respondeo, validè & licitè posse. Ita Trull. *d.l.3. d.3. n.2.& 3.*Quia,& id signate concedit ipsa Bulla compositionis,& ita praxis habet innixa in eo, quod commissario non est limitata quantitas, de qua componere ad prædictum suum arbitrium possit.

4. Subinquires. Vellem pro tota summa confugere ad Commissarium.

Respondeo, confugito, ut libet, propter eandem rationem, & ita notat Bard.*p.3.tr.5.diff.1.c.3.n.5.*

5. Subinquires iterum, Debeo ducentas uncias Siculas, mihi provideo de tot Bullis quot sufficiunt ad extinguendas centum ; deinde aliquot post diebus sumo totidem Bullas pro aliis centum, legitimene me gero ?

Respondeo, Nimis teste Bard. *l.c.num.* 9. te illegitimè geris : debes enim ad Commissarium pro posterioribus centum recurrere, sive bona,sive mala fide eam divisionem feceris, sive etiam oblitus fueris invincibiliter, te debere ducenta. Ratio est, quia Privilegium, quod datur per receptionem tot Bullarum intrinsecè limitatum est, ad tantam limitatam summam materialiter, & non ad amplius.

### §. VII. *Conditiones requisitæ pro recipienda hac compositionis Bulla.*

1. PRima est,ut iuxta dicta pro Bulla communi, à fideli baptisato(non est necesse, ut existat in statu gratiæ, ut notat Mendo *d.34.cap.5. num.*38.) recipiatur summarium huius Bullæ à manibus legitimi Ministri, data eleemosyna, quam diximus §.*præced.num.* 1.*fine*, & quidem impressum,& signatum nomine & sigillo Commissarij. Debet autem is, qui vult compositionem, existere in Regno, ubi Bulla promulgatur,vel ad illud personaliter declinare, iuxta dicta superius de Bulla communi. Quare Neapolitanus v. g. qui Panormi incolit, vel obiter etiam per paucas horas Panormi manet, potest, dum manet, recipere hanc Bullam, vel componere cum Commissario, & consequenter, teste Trullench. *l.b.2.dub.2.* liberari à restitutione bonorum, de quibus componitur.

2. Secunda conditio ut inscribatur nomen id, quod per occasionem clarè diximus supra *cap.* 15.§.4. Non requiritur autem,ut vult Mend.*disp.22.cap.5.n.* 52. ut conservetur, quod etiam per eandem occasionem dictum ibidem est. Lege, si est otium, Mendo, & Bardi, *loc. cit.* qui contra hoc posterius asserunt, & solvunt obiectionem quandam non admodum necessariam.

3. Tertia, ut non aliena surripiat quis in confidentiam huius compositionis. Nota autem compositionem negari surripienti ex confidentia, non autem negari surripienti cum confidentia. Explico id afferendo verba Henriq.*l.7.de Indulgent. c.* 34. *Non valet*,inquit, *compositio si iniustè hæc bona quis occupaverit tanquam ex immediato motivo aut fine principali ; At non prohibetur compositio, si iam decreverat furta facere, aut ea diutius tenere*, Hæc ille, cuius sensus est, non prohiberi compositionem si spes Bullæ inveniat iam voluntatem furandi, non autem illam moveat ad furandum.

Esse etiam confidentiam,puto cum Mendo *disput.33. num.*43. si quis quid furetur ab aliquo sperans, fore, ut illum quem nunc cognoscit, sit fluxu temporis ignoraturus.

4. Huc facit sequens quæstiuncula. Si Petrus v. g. spe compositionis faciendæ retineat bona hæc incerta, nec restituat, sed nec distribuat pauperibus ; peccat necne ?

Respondeo. Si longa est mora qua retinet, peccat mortaliter, quia unusquisque obligatur statim restituere, dum potest. Adverto tamen quod si deinde expediat legitimè compositionem, valet compositio. Ita Acosta in

*expl. Bull. q. 92. Lud. à Cr. de Bull. d. 3. dub. 15.* quia Pontifex negat compositionem surripienti in confidentiam Bullæ, non vero surrepta retinere

5. Adverte tamen quod si hæres, spe huius compositionis retinet legata, de quibus dictum est §. 2. &. 3. non potest uti compositione, quia hoc in hærede non est solum retinere, sed in radice, est furari; idem dic in similibus.

6. His ita satis, superque declaratis, inquires primo circa primam conditionem. An hæc Bulla compositionis prosit Fidelibus defunctis? Respondeo si defunctus antequam animam efflaverit, mandavit suo hæredi, vel alteri ut sumeret eiusmodi Bullas, vel, ut faceret compositionem cum commissario, utilis ei Bulla seu compositio erit. Ita Trull. *l. 2. dub. 2.* Lege Andr. Mend. *d. 33. c. 5. n. 50.* agentem in aliquo contra Trull. id quod ritè solet fieri, quando, dum quis est morti proximus, dubitat, an aliquid ex malè ablatis habeat, undem andat hæredi, ut habita consultatione cum Theologis, si ipse debeat, hæres, sumat tot Bullas, &c. Quod si is nil mandavit, utilis ei Bulla non erit, quia Bulla accipi debet nomine illius, cui ea profutura est; at non potest fieri nomine defuncti, id quod defunctus nequaquam mandavit.

Dices Quid faciet igitur hæres, si fortè cum hæreditate ipsi adveniant aliqua defuncti bona, quæ ipsi constat esse aliena, dominumque inveniri non possit? Respondeo Quærat ipse nomine proprio Bullas, vel compositionem ut dixi §. 4. *n.* 3.

7. Inquires secundo. Circa conditionem tertiam. Quæ fuerunt ablata ex confidentia huius Bullæ, & dominus ignoratur, si non sunt capacia compositionis, eatenus restitui debent.

Respondeo pauperibus, vel locis piis, inter quos pauperes rectè nominantur Animæ Purgatorij, quæ teste Mend *disp. 34. c. 4. n. 59.* maximè indigent Missis, & suffragiis; ut etiam ipsa Monasteria, & ipsi item, secundum eundem *disput. 35. cap. 1. n. 66.* Religiosi in particulari. Illa enim sunt loca pia, hi sunt, vtrè Pauperes voto paupertatis adstricti, si illud ritè servent. Pauperibus, inquam vel locis piis deberent ex se ea restitui, ut disponit Alexander Pontifex *lib. 8. in dec. tit. 4. cap. 1. §. 3. n. 20.* à me adductus.

8. Dico, *ex se*, nam quia in hac Bulla disponit Pontifex, ut ablata ex dicta cõfidentia applicentur in totum ad huius belli subsidium, ideo ita debere sub peccato mortali applicari, & non dari pauperibus, vel piis locis docet Trull *l. c. n. 19.* ubi tamen viget consuetudo sic applicandi, ubi enim ea consuetudo non esset, abrogata iudicaretur hæc dispositio. Verum tantum rigorem peccati mortalis negat Bardi, quia in Bulla non est verbum inducens obligationem sub mortali, & ex alia parte mutare unum opus pium in aliud item pium, id est, quod deberet dari expeditioni huic contra infideles, dare pauperibus, non est (nisi aliud addatur) materia gravis, saltem, ut plurimum. Atque hæc de Bulla compositionis breviter scripsisse sufficiat.

GERMANA

# GERMANA DOCTRINA R. P. THOMÆ TAMBURINI SOCIETATIS IESV;

PERSPICUE REFELLENS IMPUGNATIONES

REV. P. VINCENTII BARONII

ADVERSUS ILLAM ALLATAS.

## OPVSCVLVM

*R. DOM. DON LUCII SAN MARCO Sacerdotis, & Caltanissettæ in Diœcesi Agrigentina Vicarii F.*

COnstantinus Imperator, effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de authoribus sumendum, & dicentibus, quod omnem ipsius faciem saxis conculcaverint: manu faciem palpans, & leniter ridens, dixit: *Ego vero neutiquam vulgus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero & tota integra facies est.* S. Chrysost. hom. 20. ad populum Antiochenum.

---

*Imp. Martinez Rubio G. & V. G. Imp. Abbas D. Octavius de Augustino pro Sept. de Dainotto F. P.*

# GERMANA DOCTRINA REV. P. THOMÆ TAMBVRINI SOCIETATIS IESV;

## ADVERSUS IMPUGNATIONES REV. P. VINCENTII BARONII.

JESUS MARIA.

*Mandatis parens Reverendiſſ. P. Ambroſii Fracaſſini Quæſitoris Gen. Venetiarum recognovi expeditam explicationem in Præcepta Decalogi R. P. Thomæ Tamburini. Legendo, & electa perpendendo, animo ſublevabar, admirans Opuſculum, paucis, plurima continens; quod nedum difficilia extricata; verum inutilibus rejectis, utilia quæque aliàs diſperſa, affluenter, &, quod plurimi valet, tutè collecta refert. Vnde quæ corrigerem minimè, at, quæ diſcerem, utique excepi. Quapropter veluti opus ſolerter elaboratum, in nullo offendens, pluribus favens, omnibus conducens, & quod ſuum ſapit Auctorem, dignum, ut lucem obtineat, judico, deſidero, & efflagito. Datum in noſtro S. Bonavent. Venetiarum Cœnobio, ultimo Aug. 1653.*

Ego Fr. Ægidius è Melo, Minor de Obſerv. Refor. Lector Gen. S. Theol. Diffinitor, ac Sancti Officii Venet. Conſul.

### *OCCASIO SCRIBENDI, ET intentio Authoris.*

1. PAter Vincentius Baronius in Theologia Morali, quam ſcribit adversùs laxiores Probabiliſtas, præſertim contra Caramuelem, Anonymi nodos in P. Marconum, Theophilum Raynaudum, & Amadæum Guimenium, ut Theophilum carpat, inter cetera eundem reprehendit *diſp. p. ſect. 5. art. 2.* quod Opus in Decalogum R. P. Tamburini Concivis, & Præceptoris mei approbaverit, & commendaverit, præfixeritque dicto Operi impreſſo *Lovanii* 1659. & iterum *anno* 1665. hæc verba.

2. *Opus R. P. Thomæ Tamburini in Decalogum, poſt accuratam Theologorum recognitionem, annuentibus majoribus, in Italia cuſum, dignum eſt, iteratò cudi, ob doctrinæ ſoliditatem, & in explicandis nodis conſcientiæ perſpicuitatem. Idem videtur de Opuſculis quibuſdam moralibus expoſitioni Decalogi attextis. Neque vero Author à ſola doctrinæ ſoliditate, & res dubias exponendi dexteritate, in his lucubrationibus commendandus eſt; Sed etiam quia bonis moribus in eiſdem exquiſitè conſulnit. Lugduni in Collegio SS. Trinitatis 9. Febr.* 1658.

Theophilus Raynaudus Soc. Jeſ.

Carolus Dulieu, Soc. Jeſ.

3. In ipſo veſtibulo (da veniam, lector, ut id non taceam) adverto calumniam contra R. P. Theophilum: nam cur Baronius non attulit alias approbationes eidem Decalogo affixas? Nolo hic tranſcribere commendationes Patrum Soc. Jesu, quos Janſeniſtæ ſuſpectos omnes habent, ſed viri eximii ex Minoribus de obſervantia Reform. dumtaxat, cujus teſtimonium datum Venetiis, ubi primo excuſum eſt dictum opus in Decalogum, eſt hujuſmodi; & in eadem pagina, in qua refertur Theophili approbatio, reſcriptum apparet, & tamen de eo magnum Baronii ſilentium; illud interim Theophili inerepans totis buccis.

5. Cur item non meminit Approbationis relatæ initio ejuſdem Decalogi reimpreſſi Inſulis in Belgio anno 1660. quæ eſt breviuſcula, & facilè poterat in loco notari, cum illam, ex ea conjectura colligam, quod ipſe Baronius viderit, quia hujus Belgicæ Impreſſionis Dedicatoriam citat. *diſp. p. ſect. 9. §. 2.* Approbatio autem eſt hujuſmodi.

*Hoc idem Thomæ Tamburini è Societate* Jesu *Sacerdotis, Opus eximium, perquam utiliter imprimendum, cenſui.*

Mathias Navæus Theol. Doct. Can. Tornac. Librorum Cenſor. 20. Febr. 1660.

6. Verum encomia hæc, & plura alia, (utpote extra Inſtitutum meum) negligamus, Quod ego in hoc opuſculo intendo, benignè lector, non eſt, Theophilum ſapientiſſimum inter noſtri ſæculi viros vindicare; aliis me ſapientioribus id relinquo; ſed mei Præceptoris doctrinam tam injuſtè inſimulatam, in ſua germana luce legentibus offerre, tenebraſque, quas offundit prædictus Baronius, ab oculis minus eruditorum (ſapientes enim mea opera non indigent) amovere. Nec per prolixas Diſceptationes id facta mihi opus erit. Domi habeo, domique naſcuntur, quæ rem expugnabunt. Omnia enim luce clarius patebunt, ſi conferam dumtaxat

id

id, quod cavillatur Baronius cum eo, quod scribit Tamburinus. Admiraberis, prudens Lector, qua fronte audeat quispiam aliquem carpere, quasi quid noxium is dixerit, exscribendo partem, (non vero totum) ex iis, quæ reprehensus cum prudentissimis limitationibus, commodisque explicationibus docet; imò qua fronte addat subinde aliquid de suo, parum scilicet, in referendis sententiis, de necessaria fidelitate laborans. Non te diu morabor, iam absque longiore procœmio operam aggredior.

Sed prius lege hic, probra & dicteria, quæ Baronius profert adversus innocentem præceptorem meum, ut scilicet quo animo affectus is cum illo agat, ne sis nescius,

## PROBRA, ET DICTERIA BARONII in Tamburinum.

A pag. 71. ad paginam 83. in titulo, & sæpe. *Laxitates Tamburini, laxitates Tamburini, &c.*

Disp. prima sect. 5. art. 1. pag. 71. *Opus Tamburini in Decalogum auctas exaggeratasque habet OMNIVM Authorum liberiores, & periculosas opiniones.*

Ibid. §. 2. pag. 73. *Ego sanè, si ita (ut Tamburinus) de abdicatis, aut ad minus diminutis divinæ legis præcipuis partibus sentirem, aut scriberem, vererer illam ex Scriptura sententiam:* Væ qui dicitis bonum malum.

Ibid. pag. eadem. *Relatæ opiniones (Tamburini) adeo à sensu totius Ecclesiæ, ab æquitate humana, & à reverentia in legem divinam alienæ, ut ex Curatis (Parisiensibus) unus doctissimus in illas librum meditaretur, titulo ANTIDECALOGI cum hoc versu:* Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.

Ibid. pag. 74. *Cum Curati Parisienses obtinuerint prohiberi Apologiam Casuistarum, frustra fore, monent tot Episcoporum censuras, & Facultatis Parisiensium, summique Pontificis decreta, quæ pernicios issimos errores, quibus scatet ille liber, damnarunt, si pari audaciâ liceat, eosdem errores evulgare, & mutatis Authorum nominibus interpolare, id verò evenisse, editione Tamburini Operis in Decalogum Lugduni facta, cuius plura exemplaria Parisios delata sunt, nec solum damnatos Apologiæ errores eo libro contentos propugnari, sed addi atrociores, qui adeo ab omni æquitate, & pietatis sensu abhorreant, ut unus videatur scopus huic Authori (Tamburino) constitutus; nempe, comprobare, in quam cœcitatem devenire possit mens humana, ubi relicto Fidei, ac traditionis lumine, ac tramite, suis se permisit cogitationibus abripi. Conqueruntur (iidem Curati) non partem Religionis eo opere lacessitam, sed totam funditus everti, &c.*

Et paulo post. *Illudi etiam (iidem Curati conqueruntur) legibus Ecclesiasticis, his maximè, quibus iejunia instituuntur, argutiis pudendis, & ridiculis* (Deus me adiuvet. Ubinam in gravissimo opere Tamburini sunt hæc pudenda, & ridicula?) *Denique principia constitui iis corruptelis inducendis, & excusandis, quæ adeo latè pateant, ut nullum sit scelerum genus adeo insolens, & horrendum, quod his regulis defendi, & honestari nequeat.*

*Quare, ut moderatius, quam ferat rei atrocitas, loquantur, verissimè pronuntiant, huiusmodi Ethicem (Tamburini) tanto studio per totum orbem sparsam minimè Christianam esse, quandoquidem hominis Christiani bonam mentem extinguit; nec Hebræam, ac Pharisaicam, cum procul absit, quam Iudæi summè colebant legis literam & externi hominis probitatem, quam Pharisæi præferebant; nec debere Philosophicam, & humanam dici, cum infensa sit æquitati naturali, Fidei humanæ, & sensui communi, quibus Philosophia humana, ut certis regulis, adhæret; hæc Civilem, an Politicam esse censendam, cum Societatis humanæ fundamenta convellat; & quæ huiusmodi Ethicam admittent Regna, & Imperia, brevi, depulsa omni lege, & fide, mutuis Civium odiis fraudibus, & cædibus sint peritura: Quare nullum aliud superesse, quo nuncupetur, nomen, quam illud Iacobi.* Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis. *Hæc Curati Parisienses de opere Tamburini.*

Ibidem eadem pag. *Summus Pontifex sua constitutione damnavit Apologiam (illam Casuistarum) quæ multo cautius, minusque licenter agit, quam Tamburinus.*

Ibidem pag. 76. *Inde vides, erudite Lector, quo tendem Tamburinus promoverit probabilitatum inita, & malum Theologorum, salutem è Societate, probabilitatis loco extra omnes, ne dum veritatis, sed etiam similitudinis veri fines, periculosius laxasse.*

Ibid. eadem pag. *Tamburinus aliorum consilia, & labores corrumpit.*

Ibidem pag. 77. *Quid ad hæc Tamburinus? Nihil istos sui instituti Authores moratur: uno audaci ac precipiti saltu transilit hos quatuor gradus ab illis accurate constitutos, & veluti aggeres ad legis, & salutis defensionem oppositos hominum cupiditatibus, uno impetu amnitur, & deturbat.*

Ibidem pag. 78. *Quis non obstupescat, ista doceri tanta fiducia, & assecuratione, ut Tamburinus nihil dubitet certiora asserere, quam ut sua discussione indigeam, & habuisse laudatorem (Theophilum) qui scripserit ea sua Theologiæ basi exquisitè Tamburinum bonis moribus consuluisse.*

Ibidem pag. 79. *Ne mireris lector Tamburinum à ceteris omnibus in sua probabilitate constituenda, dissentire, cum nec secum conveniat. Nullum est certius falsi argumentum, quam à se ipso distentire. Non caret hoc vitio Tamburinus, & cum ferè omnes deseruerit, sibi ipsi repugnat, ut inde agnoscant omnes, quam periculosum sit, hunc ducem sequi.*

Eadem disp. 1. sect. 5. art. 3. §. 13. pag. 91. *Sed multo liberalior, & laxior Tamburinus, Videtur sanè eo fine scripsisse, ut quæ præcesserant Authorum laxitates, omnes superaret.*

Et paulo post. *Nec dubito quin (Tamburinus) velit videri, quasi in laxandis conscientiis gloriam, & singularitatem affectasse.*

Hactenus Baronius falsissimè, ut sequens opusculum legenti patebit.

Hæc autem volui simul colligere, ut si quid in consequentibus sese offerat severè à me dictum contra Adversarium, videat lector, comparatione facta cum iis, quæ ille contorquet, quam parce ego egerim cum ipso, quam liberè ipse contra præceptorem meum.

## CAPVT PRIMVM

### *Congeries sententiarum, quæ Tamburino imputantur.*

1. VBi Baronius modo relatam Theophili approbationem damnavit, ut damnationis testimonium ostenderet, in medium profert *disp. 1 sect. 5. artic. 1 §. 1. fol. 71.* Propositiones non paucas, quasi à Tamburino in suo Decalogo scriptas, atque à Theophilo perperam approbatas. Et profecto eo modo, quo Baronius, ut plurimum, illas refert, censurandæ omnino essent; verum, ut eas Præceptor meus docet, nonnisi maximè commendandæ.

2. Afferamus ergo prius integrum Paragraphum, in quo veluti unico contextu ab Impugnatore illæ, prout ipsi placuit, hoc est infideliter traduntur; nam deinde eædem erunt à me separatim distinguendæ, & cum germana Tamburini doctrina conferendæ, quo pacto, studiosus, nullo negotio, unius veritatem, vel alterius falsitatem, assequetur.

Baronius *dicto.* §. 1. sub hoc titulo. (*Notatur varia laxitates Tamburini*) sic eas proponit.

3. I. *In primis commodum securitatem asserit lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. cuilibet opinanti, etiam tenuissimæ probabilitati,*

*babilitatis, quam sequeris unius Authoris suffragio fultus, omisso tutiori, communi, etiam in articulo mortis.*

II. *Præcepta Charitatis, Fidei, Spei, Cultus Religionis, aliarumque Virtutum inter Christianas præcipuarum omnino tollit, aut quod perinde est, vim illis aufert, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designent quo illi actus sint eliciendi, an vitæ Christianæ prima institutione, an illius progressu, an ad finem.*

III. *Et quam Christus vult esse perpetuam, & nunquam interruptam ad Deum Patrem orationis necessitatem ferè negat.*

IV. *Et inter orandum, liberam mentis distractionem permittit, etiam dum interstis Sacro.*

V. *A quo eximit eos, qui avidius lucro inhiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.*

VI. *Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus divini?*

VII. *A Ieiunij lege eximit omnes artifices, & ferè coniugatos.*

VIII. *Officium colendi Patrem filiis remittit; si probabiliter putent, matrem coniugis fidem non admodum sanctè servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.*

IX. *Indulget etiam illis ius ineundi matrimonium cum dispari, Patre inconsulto, & invito.*

X. *Permittit vota paterna mortis, ut vacuam hæreditatem adeant.*

XI. *Nec minus liberalis est in Reges, quam in Privatos: dat illis ius belli, si aliqua illis faveat probabilitas ex iure in eum, qui parem, aut maiorem habet probabilitatem rei possessæ adiunctam.*

XII. *Habet etiam rationem subditi: eximit illum à vectigali, cuius non habeat compertam æquitatem.*

XIII. *Non sunt expertes eius liberalitatis, & Beneficiorum Iudices. Quæ omnia profert ex inexhausto Probabilitatum Thesauro, & Promptuario.*

XIV. *Inde asserit, illis ius rerum omnium, quæ in lis apud ipsos movetur, ut visum fuerit, abdicationis, & adiudicationis; quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria?*

XV. *Qui adeo largus est in Iudices, non est parcus in fures, & in reos: permittit, instante gravi necessitate, cuique, non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.*

XVI. *Si reum vitæ, & carceris tædeat, potest, illo authore, sibi falsum crimen imponere, morte mulctandum.*

XVII. *Potest idem in testem iniquum, idque citra omnem iniustitiam; imò citra culpam mortalem, & fortè etiam venialem.*

4. Advertis, quantorum scelerum authorem facit Tamburinum Baronius? Si quis magnæ auctoritatis vir parisque virtutis in civitate aliqua degeret, ob multa in Reipublicæ bonum præclare gesta, notus omnibus, ac Summis, Mediis, Infimis apprimè carus: adesset autem inibi quispiam eius illustris viri invidus æmulator (cuiusmodi bonorum hominum oppugnatores deesse nunquam solent) qui late per urbem disseminaret, illum esse homicidam, adulterum, incestuosum; Quis rogo, vel ex numero plebis, non sanctè iuraret, hunc mendacem esse, & calumniatorem, quique in hunc ferè modum non exclamaret? Ergone tantæ virtutis, atque innocentiæ vir, in quo tot annos, ne levem quidem vitæ labem animadvertimus, imò Angelicos mores admirati sumus semper omnes, homicida, adulter, incestuosus audiet? Apage tanta hæc scelera in virum optimum contorta, esse nimis manifestè calumnias, putandum est. Profecto, simile quid de meo præceptore (date Amanti veniam, lectores) sic proferam disertè.

Tamburinus adeo ab ipsis penè incunabulis pius, ut vix decimo sexto ætatis anno cooptari in Religiosum Societatis Jesu Ordinem obtinuerit; adeo doctus, ut Rhetoricam Philosophiam, Theologiam Speculativam, & Moralem per annos plusquam viginti in Panormitano, ac Messanensi Collegio, atque, in hoc, studiorum Præfectus, cum plausu, docuerit; Adeo prudens, ut ex Superiorum imperio Collegium Caltanissettense, Montis Regalense; Messanense, Panormitanum gubernaverit; Rursus adeo doctus, & prudens, ut à tota Sicula Provincia, ad gravissima negotia Congregationis Generalis Sociatis Jesu Romæ pertractanda, electus fuerit; Præterea, adeo doctus, prudens, & pius, ut in Tribunali Sacræ Inquisitionis huius Regni Qualificatoris, & Consultoris munere fungatur: Tamburinus, inquam, tantorum scelerum, quanta Baronius, uno fermè spiritu, accumulat, Reus erit? Apage. Calumniæ hæ calumniatorem nimis apertè condemnant. Sed, quæso, ne verbis, & amplificationibus exultemus: dividantur prædictæ imposturæ, & ex uno multa facientes, singula Baronij dicta cum germana Tamburini doctrina conferamus.

---

## CAPUT II.

### *De Qualitate Probabilitatum.*

1. Baron. *IN primis omnimodam securitatem affert (Tamburinus.) lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. cuilibet opinioni, etiam tenuissimæ probabilitatis, quam sequeris, unius Authoris suffragio innixa tutiorè, communi, etiam in articulo mortis.*

2. Vides, quam ieiunè, quam indistinctè & sine explicatione ulla hæc referat Baronius? Adi, nunc Tamburinum, & eius germanam Doctrinam agnosce.

Tamb. *Num. 3. Iam verò, qui aliquid operatur* (ait *lib. 3. in Decal. c. 3. §. 3. n. 3.*) *motus ex opinione probabili, bene operatur, & sine peccato; quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula humanarum actionum, operentur, nonnisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod ita certum est, & ita à Doctoribus* Vtroque Sanchez *l. c.* Castrop. *tom. 1. tr. 1. d. 1. p. 2.* Vasq. *p. 2. d. 62. c. 4. n. 8.* Mirol. *tom. 1. d. 3. c. 4 d. 1. & novissimè* Bardi contra Philalet. *de conscien. d. 4. c. 10. comprobatum ut nostra discutione non indigeat, etiam opinione probabiliore relicta ex* Castr. *loc. cit.* Joan. Sanch. *d. 42. num. 12. etiam omissa tutiore ex iisdem ibid. etiam communi iuxta* Castrop. *l. c. n. 1.* Tom. Sanch. *l. 1. in Dec. c. 9. num. 9. etiam in articulo mortis cum* Joan. Sanch. *d. 19. num. 8.* Pasqualig. *Dec. 27. quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui,* iuxta Pasqual. *dec. 2.* Basset, Franciscum de Amico apud Bardi *l. c. cap. 13. modo à probabilitatis finibus non exeatur, ut explicabitur mox* num. 11. fine, *cursim, aliquid agimus, semper prudenter agimus. Neque obstat, quod in dubiis tutior pars sit eligenda, nam* (*præter alia*) *nos hîc sumus in probabilibus, non in dubiis.*

4. Si hos Doctores hîc laudatos legit Baronius; ut certè legisse puto, cur solum censuræ subiicit Theophilum, qui Tamburinum laudat, præterit autem tot insignes Theologos, qui idem tractantes Tamburini doctrinam approbant? & quod peius est, cur suggillat Tamburinum, perinde quasi ipse unus isthæc docuerit?

5. Rursus, Baroni, cur exscribis (*opinioni etiam tenuissimæ*) cum Tamburinus scribat (*tenui*)? quamvis enim videatur alicui, parum inter hæc discriminis intercedere; tamen animadverto, in ipsis primis cavillationibus aliquid de tuo te voluisse superaddere. Sed de hac tenuitate mox *n.* 8.

6 Præterea cur illud (*quam sequeris unius Authoris suffragio*) tam frigidè, & mutilatè retulisti? quod, quidem sic diminutè dictum merito damnandum est, quemadmodum SS. Pontifex Alexand. VII. in decreto S. Congr. dato anno superiore 1665. damnat propositionem illam; *Si libersit alicuius Iunioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reictam esse*

*esse à Sede Apost. tanquam improbabilem.* At Tamburinus cautè loquitur, nec statim ac ab uno Doctore, sive iuniore, sive antiquiore dicitur aliqua opinio probabilis, censet illam putandam esse probabilem; sed ut sit probabilis, accedere debent multa additamenta, quæ breviter sic enumerat.

TAMB. Num. 5. *Tunc solum puto* (ait *l. c. n. 5.*) *sufficere unum, tametsi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est* DOCTVS, *rem* EX PROFESSO *tractat, firmamque* RATIONEM *pro se habet* (nota id,) *Nec apparet contra ipsum aliquod convincens. Ita Azor. Vasq. & alij.*

8. De hac unius authoritate vide omnino, quæ docet Lezana, aliis multis Doctoribus, hanc doctrinam confirmans, *cons.* 48.

*Explicatur illud* (Tenuis probabilitas.)

9. Cur denique, Baroni, oculos non admovisti ad illud modo allatum à me num. 3. meo quod Tamburinus addit (*ut explicabitur mox num. 11. fine*) qui certè locus erat omnino videndus; & maximè notandus à Theologo: nam omnem invidiam avertit à legitimis propugnatoribus probabilitatum. Hi enim eam probabilitatem ad nostras actiones dirigendas sufficere docent, ut colligere poteris ex Suario de Pœnitentia *disput. 22. sect. 9.*) quæ omnino constet, & nullo modo ab opposita parte dejiciatur. Ecce locum Tamburini.

10. TAMB. Num. 11. *Atque hæc ratio* (ait *l. c. n. 11. fine*) *allatam doctrinam probat, etiamsi altera pars sit probabilior, modo maior probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut deficiat à probabilitate illam oppositam, quia tunc vis tuta iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus.*

11. Ex quibus, & ex toto contextu apparet, germanam doctrinam nostri Authoris sanam esse, nec Baronij censuræ subdendam. Id quod item melius cognosces, Lector mox *n. 16.* & item quando legeris illa, quæ afferam de hac tenuitate *c. 20. & 23.* Quæ autem sint illa, quæ dejiciant, vel non dejiciant probabilitatem oppositam, cordate prosequitur Tamburinus *n. 12.* suo, qui immediatè sequitur ad præcitatum *n. 11.*

12. Antequam vero ad reliqua progrediar, iuvet audire aliquos Doctores ad pleniorem prædictorum cognitionem. Verum moneo, tum hos, tum alios, quos infra per alias occasiones produxero, non ideo à me illos afferri, quasi præceptor meus in illorum verba omnia iuraverit; sed solum, ut cognoscatur doctrinæ punctum, de quo ibi disputatur, non esse adeo singulare, ut unus Tamburinus de novitate notetur. Id quod si iterum, iterumque monebo, ne te tædeat, Lector, hanc enim notam nimis sæpè obiicit, aërem tamen semper verberans, adversarius noster. Iam Pasqualigus *decis.* 20. sic habet.

*An quis possit sequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis?*

13. PASQVAL. *Tradunt duos casus Doctores, &c. At licitum est eam sequi, tenet Bresserus, de cons. c. 7. n. 77. quæ sententia mihi magis placet, & puto, si rectè consideretur, non habere difficultatem.*

14. *Licet enim opinio habeat minimum gradum probabilitatis, adhuc tamen illum habet, & verè probabilis est, sicuti si in pariete sit minimus gradus albedinis, adhuc verè paries albus est, &, si in anima sit minimus gradus gratiæ, verè sancta est, & iusta: Ego verè, & secundum rectam rationem possumus eam tuta conscientia sequi, quia possumus eam amplecti, ut probabilem; Atque adeo, ut rectam mensuram humanæ operationis. Opinio namque probabilis non facit, quod operatio sit honesta, quia habeat tantam vel tantam probabilitatem, sed quia probabilis est, atque adeo id præstat ratione probabilitatis secundum speciem.*

15. *Atque hoc habet locum, etiamsi opinio, quæ habet minimum gradum probabilitatis concurrat cum opinione probabilissima, quia adhuc in comparatione illius retinet suam tenuem probabilitatem, ratione cuius adhuc est secundum rectam rationem, atque adeo etiam operatio per ipsam mensurata.*

16. Hoc postremum sic absolutè dictum noster Tamburinus non recipit, nam requirit semper illam semper dictam exceptionem, hoc est, (*modo à probabilitate minore oppositæ partis non dejiciatur.*) Id quod ipse explicare consueverat exemplo candelæ, vel stellæ, quarum lux, si efferatur coram Sole, statim elanguet. Ita enim sententia tenuis in probabilitate, si opponatur probabilitati magnæ, statim suam vim ita amittit, ut ne umbra quidem probabilitatis noscatur amplius in illa.

17. Atque hic per hanc occasionem duo diligenter nota. Primo (quod modo dixi *n. meo. 12.*) multa, tum in hactenus allatis, tum deinceps afferendis Authoribus in hoc meo Opusculo, non recipi à Tamburino, à me tamen proferri pro ea dumtaxat doctrina, quæ cum ipso convenit.

18. Secundo nota, me scire ab adversariis probabilitatum plura perinde negari in Tamburino, ac in aliis: nam propterea moneo lectorem, ut ex his, quæ affero, illa solum pro modo recipiat, quæ ad rem nostram, hoc est ad defensionem germanæ doctrinæ nostri Authoris confirmandam faciunt. Cæterum non deerunt alij, qui universalem propugnationem legitimarum probabilitatum molientur.

*Explicatur magis illud* (Instante morte.)

19. Illud de (instante morte) quod admirationem ab indocta plebe, si ea instruatur, amovebit operæpretium est stabilire rationibus, & Doctoribus, (nec vero Iesuitis) Audiamus ergo nunc solum duos, ne tædium fiat lectoribus. Ioan. Sancium, & Pasqualigum, nam alios habebis *infrà c. 25. à n. 16. meo.*

IO. SANCH. d. 19. n. 8. *Opinio, quæ in salute secum reddit conscientiam ad operandum, vel non, tutam quoque reddit in articulo mortis, cum in utroque tempore æqualiter constringatur homo Deum non offendere. Tum quia, ut dicemus d. 42. n. 12. inter opiniones in conscientia securas, revera una non est securior altera quoad impotabilitatem. Nam supposito, quod iuxta quamlibet; nullus committit peccatum, non magis securus erit operans ex una, quam ex alia opinione, cum nulla detur maior securitas, quam non peccare, ut dicemus latius d. 44. n. 11. tum quia ut dicemus latius d. 44. n. 1. quotiès sit comparatio unius opinionis probabilis ad alteram probabiliorem, liberum est cuique minus probabilem pectari ob rationem ibi adductam, &c.*

20. Hoc ultimum non usquequaque recipit Tamburinus, ut simile non recepit modo *num. meo 16.* Sed audianus Pasqualigum ex nobilissimo ordine Theatinorum *decis.* 27.

*An etiam tempore mortis liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.*

21. Pasqual. *Respondeo affirmativè cum Ioan. Sanch. In selectis dis. 19. n. 8. quia non magis tenemur fugere tempore mortis offensam Dei, quam quocumque alio tempore. Vide si in alio tempore possumus sequi absque periculo offensæ Dei opinionem minus probabilem, poterimus etiam tempore mortis: quia sola obligatio vitandi offensam Dei, potest facere, quod non possimus sequi.*

22. *Deinde militat eadem ratio tempore mortis, quæ militat reliquo tempore; ideo enim possumus sequi opinionem minus probabilem, quia est conformis regulis rectæ rationis; in hoc enim consistit probabilitas, & inde eam sequendo, honestè operamur: seu cum conformitate ad rectam rationem; hoc autem semper est licitum, cum ex*

*genere*

genere suo dicat illum modum operandi, quo homo ordinatè se habet respectu ultimi finis. Vnde tempus mortis non potest excludere talem modum operandi.

23. Nec obstat, quod homo tempore mortis debeat habere majorem curam suæ salutis, & proinde sequi, quod securius est, atque adeo probabiliores opiniones, quia hinc non sit, quod debeat amplecti probabiliores opiniones; nam eo ipso quod amplectitur probabiles, securus est, quod non peccet. Vnde non minus curat propriam salutem, quam si amplecteretur probabiliores. Imò cum opinio probabilior non sit certa, ipsa quoque continet idem periculum; præsertim quia ex se potest esse falsa, sicuti est minus probabilis. At verum est, quod nulla continet periculum, quia nulla operatio ex opinione probabili imputari potest, etiam ad minimum peccatum. Hæc Pasqualigus.

## CAPUT III.

### De Præcepto Charitatis, fidei, &c.

1. Baron. II. Præcepta Charitatis, Fidei, Spei, cultus Religionis, aliarumque virtutum inter Christianos præcipuarum omnino tollet, aut quod perinde est vim illis aufert, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designant, quo illi actus sint eliciendi, an vitæ Christianæ prima institutione, an illius progressu, an ad finem.

2. Et potes cum conscientiæ securitate proferre, tolli à nostro Authore, vel diminui harum virtutum actus? legatur ipse, & incipiamus à fide, *lib. 2. in Dec. c. 1 à n. 8.*

### FIDES.

3. Tamb. Num. 8. *Vel primò sermo est de actu Fidei necessario necessitate salutis, & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modo vidimus* num. 3. (*cum Sanchez, & Aragonio*) *eliciendus autem est, ut primum propositi sufficienter sunt articuli fidei.* Et paulò post. *Cum igitur actus fidei ex necessitate salutis eliciendus sit etiam, ut notant Theologi, de necessitate præcepti, quia omnia obligamur facere, quæ necessario ad nostram salutem requiruntur, consequenter ad talem actum, quamprimum scilicet possumus, (id enim videtur requirere tanta necessitas) eliciendum obligabimur.*

4. Vide igitur, Baroni, an tollat actum fidei, qui non solum ait, esse eliciendum ex necessitate præcepti, verumetiam de necessitate salutis, id est (ut loquuntur Theologi, de necessitate medij, sine quo scilicet salus nullo modo obtineri datur? Sed pergamus ad reliqua.

5. Tamb. Num. 9. *Vel secundò est sermo de actu Fidei ex necessitate præcepti, quo scilicet obligamur credere ea, quæ diximus* num. 5. *Sanè nondum obviam habui Doctores, qui id explicando, mihi satisfecerint; Vnde omnibus perpensis, subdendo tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. judicio, puto per se, & directè nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicitè, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei (nam medij simul, & præcepti jam modo dictum est, qua ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sæpissimè vero obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia ut diximus in Opusc. de exped. Sacrif.* (*lib. 2. cap. 2. §. 16. n. 5.*) *nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practicè esse completum, taleque fuisse præceptum Confessionis, ut item Communionis extra mortis articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus Paschale, ibidem innuimus: ex Delugo de Eucharist. d. 16. sect. 1. num. 28. & de Pœn. d. 15. sect. 3. num. 39. At numquam invenimus determinatum tempus esse, quo obligemur ad prædictum,* (præter illum de necessitate medij, de quo jam dictum est num. 3.) *actum fidei eliciendum.* ut ex num. seq. *patebit; ergo, &c. Ratio posterioris dicti est, quia multoties occurrit, debere nos ad servanda aliqua præcepta elicere quosdam actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei, ergo tunc per accidens, ratione scilicet actus adjuncti, obligabitur fidelis ad eliciendum prædictum actum fidei, sine quo actus per se præceptus constare nequit, ut ex mox dicendis à num. 11. clarius intelligetur. Hinc vides prudenter Christum Dominum præceptum per se de prædicto actu fidei non imposuisse, quia satis, superque esse judicavit actum fidei ex necessitate,* (hoc est medij, de quo suprà) *salutis, & insuper alios necessario prærequisitos observandis, ut dictum est, aliis præceptis.*

6. Num. 10. *Confirmatur primo nostra sententia; ex Azor.* p. 1. l. 9. c. 4. q. 1. fin. *qui docet, Charitatis præceptum tunc solum obligare, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus; quia hoc præceptum non videtur obligare, nisi ut medium justificationis, vel ut dispositio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo, similiter dici posse de fidei actu, & consequenter de actu spei; ut cum de Charitate agam infrà c. 2. §. 1. n. 2. huc me remittens, rursus innuam, & infrà cap. 3. §. 2. n. 2. non teneri scilicet nos ad actum fidei, & spei; nisi quando tenemur justificari per contritionem, & ego addo, vel per attritionem cum Sacramento &c. atque adeo ratione alterius actus Virtutis, non autem per se.*

7. Num. 11. *Confirmatur secundo discurrendo per aliqua tempora, quæ nobis contrarij Doctores assignare solent hujus obligationis. Primum tempus, quo fideles per hos Doctores obligantur ad eliciendum actum fidei assignatur ab Azorio* p. 1. l. 8. c. 27. q. 8. *quando obligatur quis gratiam per peccatum amissam recuperare, tunc enim non poterit actum v. g. contritionis, vel attritionis cum perceptione Sacramenti elicere, nisi credat, ea, sine quibus constare hi actus nequeunt; nisi enim credat in Deum, spem veniæ ab ipso sperando, nisi credat pœnas Inferni, cujus timore v. g. atteritur, nisi credat Sacramentum Confessionis, cujus perceptione liberari à peccatis intendit; contritionem, attritionemve dictam exercere non poterit.*

8. *Verum quis non videt, ut ipsemet Azorius vidit, & fassus est, fidei actum tunc non præcipi, nisi ratione contritionis, vel attritionis, non vero per se? nam propterea bene infert Sanchez* lib. 2. in Decal. cap. 1. n. 3. fin. *omittentem se tunc conterere, non peccare contra præceptum fidei, sed solum contra præceptum recuperandæ gratiæ, id quod verum est in aliis casibus, quoties scilicet tale præceptum fidei ratione alterius actus, hoc est per accidens obligare, mox docebimus.*

Num. 12. *Secundum tempus assignatur ex Valentia* 2. 2. d. 1. q. 2. p. 5. concl. 4. *quando tenetur quis aliquid exterius facere, quod nequit commodè præstare sine interno actu fidei, ut si teneatur ipsam fidem exterius confiteri. At* ibid. *idem Val. jam fatetur, tunc non obligare præceptum fidei per se, sed ratione præcepti adjuncti, nempe confessionis exterioris. Imò addo, si quis meré exterius tunc fidem confiteretur, præscindendo ab omni actu fidei interno, jam satisfacturum, præcepto; id quod fortasse aliquibus Sanctis Martyribus accidit, quando toto animo intenti ad exteriorem confessionem & ad tormenta patienda; minus ad actum internum fidei eliciendum, & cum externa confessione conjungendum, attendebant.*

Num. 13. *Tertium tempus simile huic esse potest, quando quis ex fidelibus obligatur jam factus capax rationis, scire prædicta mysteria, non enim commodè scire ea poterit, nisi illis assentiatur; sed jam vides, id etiam esse per accidens ratione præcepti scindi.*

Num. 14. *Quartum tempus ex Ledesma* tom. 2. sum. tr. 1. c. 8. concl. 4. *assignatur semel singulis annis, quando tempus præcepti Confessionis, & Communionis instat. Sed jam tunc non erit nisi ratione præcepti adjuncti, quod si*

*aliud præceptum tunc agnoscat Ledesma, gratis agnoscit.*

Num. 15. *Quintum assignatur à Val. 2. 2. d.1.q.2 p.6. conclus. 1. Articulus mortis, quia tunc se debet Fidelis fidei actibus contra dæmones in tanta necessitate munire, sed rectè Sanchez* lib.2.in Decal.cap.1.n.3. *id tempus reprobat, cum nulla ratione, vel textu comprobetur.*

Num. 16. *Sextum assignatur ab eodem Sanchez ibid. quando quis gravem aliquam contra fidem tentationem patitur, tunc enim tempus est resistendi contrariis fidei actibus. Sed certè hoc etiam gratis dicitur. Primò, quia potest is, aliò v.g.mentem divertendo, tentationi non succumbere. Ergo non habet necesse, per contrarium fidei actum ei tentationi obsistere. Secundo quia nimis durum patienti tentationem fidei est, illum omnino sub mortali obligare ad contrarium actum. Certè tentatum ad odio habendum Deum non obligas ad contrarium actum amoris eliciendum, satis enim erit non consentire tentationi. Cur igitur obligabis in tentatione de fide?*

9. *Dices. Pone, aliquem non posse vincere tentationem contra fidem, nisi eliciendo actum contrarium, tunc is iam obligabitur ad actum fidei. Resp. tunc etiam esset per accidens, ratione subiecti sic affecti, vel certè ratione præcepti negativi de fide non abneganda, non vero ratione præcepti positivi de actu credendi de quo hic signanter cum Doctoribus agimus. Adde primo, hunc casum fore tam rarum, ut vix posit in moralem considerationem cadere. Adde secundo, quomodo sciet tentatus talem tentationem contra fidem non posse aliis remediis, aliisque virtutum actibus vinci, sed solum actu contrario fidei? quis ei id revelavit? Ergo iam apparet, per tuam doctrinam scrupulos ingeri fidelibus, & nil præterea. Meam vero in simili approbat Castrop.* tom. 2. d. 1. de orat. p.8. num. 4. *qui loquens de necessitate orationis sic habet. Nota, te ab hac necessitate in supradictis casibus contingere, excusari, quia obligationis invincibiliter oblivisceris, cum nec cognoscas gravitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem. Sic Val. Less. Suar. Hæ Castropalaus.*

Num. 17. *Septimum tempus assignatur à Bañez* 22. quæst.12. art. 1. dub. 2.*quando adest gravis tentatio etiam in aliis materiis, tunc enim recurrendum est ad Deum, quod non potest fieri sine motu fidei circa ipsum Deum, ad quem fugi, non potest, nisi illi credatur. Sed iam vides, ut in superioribus dictum est, id esse ratione actus adiuncti.*

Num. 18. *Octavum denique tempus assignatur ab eodem Sanch. ibid.cum primum fides alicui sufficienter proponitur, quia cum actus fidei sit de necessitate medij, non est ratio, cur, quam primum non amplectatur. Sed hoc certè non negatur, ut num.8. vidimus, cum id sit ex necessitate medij. At vero hic loquimur de necessitate præcepti dumtaxat.*

Num 19. *Ex his duo illa num. 9. dicta facilè colligis, & sapissimè per accidens urgere præceptum de actu fidei, & rationabiliter proinde præceptum per se, directeque exigens illum actum (præter illum ex necessitate medij dictum num 5.) non fuisse impositum.*

Hactenus de fide. Legatur nunc *lib.2.c.3.§.2.* ubi agitur de obligatione præcepti Charitatis.

## CHARITAS.

17. Tamb. Num. 1. *Laborant Doctores in assignando tempore, quo debet Fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum; variaque tempora, ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminatè sumpta, ut saltem semel in ea amittur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus specialiter Deo vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odij Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.*

12 Num. 2. *Mihi placet doctrina Azorij* tom.1.l. 9. cap 4.quæst. 1. circa finem, *qui docet hoc præceptum Charitatis impositum fuisse ob iustificationem impij, solum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, qua se iustificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei supernaturalis involvit. Consequenter igitur, & irideretur ratione suæ iustificationis ad actum charitatis fideles obligantur. Vide* suprà cap. 1. §. 1. num. 10. *Vbi idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actus Fidei, & Spei. Nam per ibidem dicta & confirmabitur hæc Azorij doctrina, & impugnari poterunt tempora modo assignata* num.præced.

Num. 3. *Confirmatur, quia licet communis sententia Doctorum doceat, dari præceptum speciale de amando Deo in illis verbis* Diliges Dominum Deum tuum, & alibi, *tamen non ignobiles DD. docent, hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale imbibitum in omnibus præceptis. Sicuti secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum, nam propterea dicitur in his duobus præceptis, id est dilectione Dei, & proximi, universa lex pendet.* & Prophetæ, &, qui habet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit me, & plenitudo legis est dilectio. *Si enim qui servat præcepta, diligit, quique diligit, servat; iam unum ex his continetur in alio, & consequenter præceptum Charitatis indirectè solum; & ratione aliorum obligabit.*

13. Num. 4. *Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum, qui negant fideles initio usus rationis* (Sic Castropalaus tom. 1.tr.6.de Charitate d.1.p.4.n.2.*cum Azor. Val. Sanch. Suar. Coninch, ab eodem cit.* )Et fine vitæ (*Sic idem.* ibid. n.9.*cum Azor. & Sanch.* ab eodem cit.) *obligari ad se convertendum ad Deum, illum amando. Ponere enim eiusmodi obligationem, qua certè fundamento solido non innitur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere, non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minus advertunt, sed doctoribus, &c.* Lege Castrop. Azor. Sanch. modo cit. *Hactenus Tamb.*

14. Et sanè, Baroni, quandoquidem præcitatos Authores absque dubitatione legisti, & legisti item alios DD.ex Schola S.Thomæ valde favere prædictæ doctrinæ, ne dicam, eam apertè docere, inter quos Caietanus unus ex tuis sapientissimus Thomista docet 2. 2. q.26. *art.* 2. ad hunc modum. *Infra limites præceptum communi modo servandorum, salvatur dilectio Dei super omnia,* & Ioan.Henriquez Augustinianus, qui *in Sum. q.9.* Hispanè, sed in latinum fideliter translatus sic ait. *Probabilior, & magis litteralis intelligentia de amore Dei est, intelligi hoc præceptum debere, transcendentaliter, respectu aliorum præceptorum, ita ut, quamvis sit ab aliis distinctum, tamen eius observantia includatur in custodia eorum.* Quandoquidem, inquam, hæc legisti, cur solum in meum Decalogi Authorem tam durus inveheris? Hæc de Charitate.

Legatur denique Tamburinus *lib. 2.in Decal. c.2.§. 1.* de obligatione actuum Spei.

## SPES.

15. Num. 1. *Spes virtus Theologica est, &c. Duo sunt peccata commissionis contra ipsam, alterum per excessum, id est præsumptio, alterum per defectum, id est desperatio.*

N. 2. *Dixi commissionis, nam adest etiam contra ipsam peccatum omissionis, estque omissio sperandi dictæ beatitudinem eo tempore, quo urget necessitas illam sperandi. Id quod*

quando

*quando sit, colligi potest ex dictis supra* cap. 1. §. 1. à n. 8. *de necessitate actus Fidei; cum ferme in iisdem casibus, in quibus urget actus credendi, urgeat regulariter, & sperandi, nimirum per accidens, & indirectè, nunquam autem directè, & per se. Ita Layman* lib. 1. tr. 2. c. 2. n. 1. *Sanch.* in D. c. 1. 2. c. 33. n. 3. *lege etiam Castropalom* 1. tr. 5. de virtute Sp. 1 p. 4.

16. Hactenus Tamburinus de necessitate actuum Fidei, Spei, & Charitatis, quæ cum dicit, tollitne virtutum exercitium, quandoquidem frequentiùs, quam alij, eos actus multiplicari, contendit? An fortè qui, indirectè id faciendum esse, monet, dicit, illud non esse faciendum? & oro te, ut ineas computum actuum harum virtutum iuxta sententias prædictorum Authorum, quorum quisque suum tempus pro dictis actibus definit, & confert cum illo actuum numero, quos indigitat noster Author; nam certè invenies multo plures esse hos, quam illos.

Non alia igitur ratione illa omnia, quæ Baronius brevibus illis, atque incisis verbis attribuit Tamburino quispiam refellet, nisi naviter perpendendo, quæ ex ipso excripsimus. Vnde is merito potuit signate illas sive clausulas, sive verba efferre, quibus, frequentissimos actus virtutum ipsum velle, manifestè ostenditur. (*Sæpissimè obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum.* (Item illa,) *quia multoties occurrit, debere nos elicere aliquos actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei.* Et illa (*ex his duo num. 9. dicta facilè colliges*) quorum primum erat, *sæpissimè per accidens*, ratione scilicet actus adiuncti obligari fideles, &c. Et illud *de actu fidei ex necessitate medij, &c.*

Adverte autem, te non debere esse ita rudem, ut hoc *per accidens* intelligas, quasi contingenter, seu accidentaliter, & non necessario; sed eo modo, quo Author ipse, & doctissimus Azorius, à quo desumpta est hæc doctrina, se explicant; iuxta frequentissimum modum loquendi DD. id est, per alium, seu consequenter, seu in alio, seu in necessitate, qua unum in alio continetur.

17. Præterea de Charitatis actu notentur illa verba. (*Præceptum Charitatis est generale imbibitum in omnibus præceptis.*) Hoc, Baroni, est tollere, ponere nimirum illud imbibitum in omnibus? & illa ex Christo D. (*qui servat præcepta diligit, quique diligit, servat, iam unum ex his continetur in alio*) si ergo toties fideles diligere ex vi Charitatis debere noster Author edicit, quoties alia præcepta debent implere, sæpissimè diligent, & fere in singulis horis, quia in singulis occurrunt non raro præcepta servanda.

Vtamur item alia ratiocinatione, seu mavis explicatione. Aliud longè diversum est, asserere, tolli præceptum, aliud, illud transferri. Tollit, qui neminem obligat ad eliciendum actum, quem aliquod præceptum requirit. Transfert, qui ad illum actum eliciendum me obligat quidem (unde non tollit) sed obligat, ut eliciatur occasione alterius præcepti, quod non posset compleri sine illo actu.

18. Imò si id, quod dicimus, rectè intelligatur, non est propriè transferre, sed designare tempus, & occasionem exercitij. Patet id ex Authoribus citatis modo à Tamburino, nam, dum Valentia vult, actum Fidei eliciendum esse, quando quis obligatur exterius Fidem confiteri, non tollit præceptum, sed assignat tempus executionis illius. Et quando Ledesma vult, eundem Fidei actum esse eliciendum, quando quis debet Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere, præceptum non tollit, sed definit tempus, & occasionem, in qua ille Fidei actus est exercendus, &c. Ita nos, cum dicimus actum Fidei eliciendum esse, quando obligamur servare alia præcepta, quæ sine actu Fidei exerceri nequeunt, non tollimus præceptum, sed assignamus tempus. Ex quibus vides, eum, qui censurat Tanaurinum, censurare etiam debere Valentiam, Ledesmam, illosque alios citatos, certè Theologorum lumina.

19. Dices hæc propositio. Fideles non tenentur unquam vitæ suæ tempore elicere hos actus ex vi talium præceptorum, videtur malè sonare. Nec malè sonare tantum, sed etiam videtur tanquam scandalosa iam fuisse damnata à Sanctissimo Pontifice Alexandro VII. in decreto edito anno superiore 1665. die 4. Sept. quo damnantur saltem ut scandalosæ plures propositiones, inter quas, ipso primo loco, hæc damnatur.

*Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentes.*

Ergo non est defendenda.

Resp. Nec nos defendimus. Dicimus enim teneri Fideles sæpissimè, hos actus eligere ex vi divinorum præceptorum Fidei, Charitatis, & Spei; sed tempus eos actus exercendi esse quando servanda sunt alia præcepta. Vnde posito quod Deus præcepit, ut hi actus elicerentur, quando alia præcepta servanda erant, noluit præcipere, ut insuper separatim elicerentur ex præcepto. Excipe iuxta supradicta illum actum Fidei, qui est de necessitate medij.

Atque ad extremum dico, authoris nostri nomine, illum, pro sua in Sedem Apostolicam observantia, ei decreto se per omnia submittere: Quod si fortassis olim ante Decretum quidpiam scripserit, quod, sive quoad rem ipsam, sive quoad modum loquendi, videri possit cum illo minus consentiens, illud non aliter, quam iuxta ipsius Decreti mentem accipi & intelligi omnino velle.

*Explicatur magis illud* (Per se.)

20. Dices iterum, hoc ipsum videri inconveniens, affirmare non per se, sed per aliud, seu in alio hoc præceptum obligare. Resp. Si nos diceremus, præceptum Charitatis v.g. per se, simpliciter, & absolutè non obligare, sanè videretur inconveniens, sed nos cum S. Thoma mox proferendo, semper id dicimus cum addito, sic. (Non per se, sed in alio) quo pacto includimus illud (per se) non excludimus; & sensus genuinus est, quod eiusmodi præceptum per se in alio præcepto invenitur, ibique obligat. Sicuti præceptum attentionis in orando, per se obligat (in communiere sententia) licet obliget in alio, id est in præcepto orandi; sic nos dicimus, quod præceptum Charitatis (sicuti etiam Fidei, & Spei) non-nisi obligat per se, sed in illis aliis præceptis, quæ impleri nequeunt sine actibus dictarum virtutum. Quare in subftantia præcepti ab opinione communi non dissentimus, nisi fortè in modo loquendi, qui tamen loquendi modus, sustinetur ab aliis Doctoribus, ut videbis mox *num. meo* 24. & 25. Et, cum etiam usurpetur à S. Thoma, non est, nisi valde commendandus: sic enim habet Sanctus Doctor.

21. S. Thomas. *Tertio Charitas*, (ait. 2. q. 44.) *est præcipua in omnibus virtutibus, ad quas ordinantur præcepta, si ergo de Charitate dantur aliqua præcepta, deberent poni inter præcipua præcepta, quæ sunt præcepta Decalogi, non autem ponuntur; ergo nulla præcepta sunt de Charitate danda.*

Et paulo post. *Ad tertium dicendum, quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi; & ideo præcepta Charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur.*

22. Quis autem ex eo, quod præcepta hæc includuntur in aliis, colliget non adesse absolutè, & simpliciter eiusmodi præcepta? Pari ergo modo ex eo, quod dicimus, hæc præcepta obligare, & item observari in aliis quis colligere rectè poterit, ea absolutè, & simpliciter non obligare, seu non observari, atque adeo (ut cavillatur Baronius) ea tolli?

23. Hic etiam idem confirmemus ex aliis Doctoribus apud Leandrum *in decem Decal. Prac. tract. 4. d. 1. q. 18.*

An præceptum dilectionis Dei obliget per se, cum quis contritionem peccatorum habere tenetur extra Sacramentum?

LEANDER. *Affirmant communiter Doctores omnes, obligare quidem hoc præceptum toties, quoties quis contritionem habere obligatur, eo quod hæc sine actu Charitatis perfectæ obtineri non possit. Vnde solum erit difficultas inter eos, an obliget tunc per se, an solum per accidens ratione contritionis.*

*Negat tunc obligare per se Azorius, &c. Quem citat & sequitur Thom. Sanch. ita etiam Filliuc. Sylv. Ægydius, Diana.*

24. Et paulo post. *Alij contra, dicunt, obligare quidem per se; non per accidens, eo quod tale præceptum institutum est, tanquam remedium ad iustificationem impij. Ergo per se tunc obligat ad eliciendam sui actus. Addunt, quod contritio est actus elicitus à Charitate; ergo quoties quis ad contritionem per se astringitur, etiam per se ad eliciendum Dei amorem. Ita tenet expressè Bonac. quem citat, & sequitur Trullench. sic etiam Navarr. Caiet. Tolet. Sà. Valen. Philiarc. Granad. & expressè Rocafull. qui Rocafull. addit rationem. Et ratio est, inquit, quia hoc præceptum includitur in contritione, & quamvis quidam asserant, tunc obligare per accidens, tamen verius alij dicunt, obligare per se: quia tunc per se est necessarium habere actum charitatis, quod per se includitur in actu Contritionis. An tunc committeret quis duo peccata, non eliciendo actum Contritionis, Sanchez, & Filliucius dicunt, non committere duo, quia non ratione sui, sed ratione alterius obligat actus Charitatis. Ego tamen duo peccata committere existimo, quia agit contra duas Virtutes Pœnitentiæ & Charitatis.*

Ita ex Rocafull. Leander; qui tamen hoc ultimum non approbat; sustinet enim ipse cum Sanchez, & Filliuc. Committi unum peccatum, quia licet duo sint præcepta, sunt in ordine ad unum finem, &c.

25. Advertisti Lector, vel non esse novum prædictum loquendi modum, vel non esse magni momenti, si unum dicendi modum potius sequaris, quam alium?

26. Denique ne quis minus eruditus hæreat in aliquibus ex prædictis, audi quid multi Authores habeant apud eundum Leandrum in decem Decal. *Prac. tr. 4. d. 2. q. 11.* qui, quamvis is eos non sequatur, faciunt maximè nihilominus ad institutum meum.

*An hoc amoris præceptum obliget per se, pro aliquo determinato tempore.*

27. LEANDER. *Negabunt à fortiori Gaspar Hurtadus, Maldonatus, Iansenius, Ioan. Sanch. Vasq. & Molina, qui, ut vidimus sup. quæst. 2. nullam obligationem specialem eliciendi actum amoris supernaturalis agnoscunt. Negabunt & alij, qui id dixere, loquendo de obligatione, & præcepto eliciendi actum Fidei Theologicæ. De quo* tract. 2. de Fide *d. 1. 2. quæst. 30. & novissimè id negat Regius, &c.*

Et apud eumdem ibid. dicta q. 2. sic habetur.

*An etiam sit speciale Præceptum de Amore proprio Dei.*

28. LEANDER *Negandum videtur primo, quia in Decalogo non continetur tale præceptum. Secundo quia, &c.*

Et paulo post. *Propter hæc tenet Gaspar Hurtad. qui citat pro se Maldonatum, Iansenium, & Ioan. Sanch. & pœnes illum Vasquez & Molina, & D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 1. ad 2.* Hactenus Leander.

Hæc D. Thomæ verba modo ego deprompsi *num. 21. & 22. meis.*

Explicatur magis illud (*quando non est determinatum tempus implendi præceptum.*)

29 Ad illud, quod notare videtur hîc, & forsalle alibi Baronius, hoc est, quando non est determinatum tempus, quo aliquod præceptum est actu observandum, non inducere illud obligationem, donec ab Ecclesia determinetur; alia responsio afferenda non est, nisi admonere Lectorem, ut legat Delugo, cuius omnibus perspecta est sapientia, & quem, quia illum Tamburinus hîc adducit pro sua hac doctrina, deberat impugnator accuratè legere. Is ergo quærens quandonam Sacerdotes obligentur Missæ Sacrificium offerre iuxta illud Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, Sic habet *d. 20. de Euchar. n. 9.*

30. DELVGO. *Hoc argumentum retorqueri potest adversus P. Vasq. qui latè probat præceptum Christi de Confessione extra casum necessitatis fore omnino inutile, nisi simul præciperet Ecclesiæ, ut determinaret tempus illius præcepti divini, eo quod, seclusa determinatione Ecclesiæ, nemo posset scire, quando, aut quoties obligaretur ad confessionem. Vnde infert n. 9. Ecclesiam debere omnino determinare tempus præcepti divini. Similiter ergo præceptum Christi singulis Sacerdotibus impositum offerendi sacrificium, inutile foret, nisi ab Ecclesia singulis determinetur tempus, quo obligentur ad sacrificandum. Nemo enim scire poterit, seclusa tali determinatione, quando obliget illud præceptum. Vnde primo sequitur, Ecclesiam debere omnino illud tempus determinare. Secundo, quando ab Ecclesia non determinatur, prout de facto adhuc non est determinatum, Sacerdotes singulos non obligari ex vi solius præcepti divini.*

Idem DELVGO *de Euch. d. 16. n. 28.*

31. *Hinc oritur dubium, quoties debet Eucharistia accipi ex Præcepto Christi, seclusa omni alio præcepto Ecclesiastico. Aliqui dicunt tertio saltem, vel quarto anno, Ita Suarez & alij. Melius alij, Christum non determinasse tempus, sed reliquisse determinandum ab Ecclesia, quando fidelium negligentia id exigeret.*

Item de Pœnit. *d. 15. n. 39.*

*Extra mortis vero articulum videtur satis, iuxta intentionem Christi, & iuxta conditionem huius præcepti (Sacramenti Pœnitentiæ) esse, quod Ecclesia insistat, & obliget subditos, ne diu negligant aut differant Confessionem. Cæterum immediate, & per se non videtur præceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter; quatenus voluit obligare, pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirum, cum aliunde præceptum sit præmittendi Confessionem ad Eucharistiam sumendam, iam ex hoc capite obligantur fideles ad Confessionem præcepto divino, nec oportebat aliam obligationem seorsim adiungere in ordine ad Confessionem.* Hæc Delugo.

Vides, præter alia, quantum hæc doctrina faveat modo loquendi Tamburini paulo ante explicato, quod nimirum aliud præceptum seorsim ferri non oporteat? Iterum tamen protestor, P. Tamburini nomine, illud, quod *suprà n. 19.* sum protestatus.

## CAPVT IV.

*De Præcepto Orationis.*

1. BARON. III. *Etsi quam Christus esse perpetuum, & nunquam intermissum orationis necessitatem, ferè negat.*

Ferè negat? Vbinam gentium sumus, ut tam manifestum insomnium proferatur? Et fuit, qui ex Censoribus hunc Baronij codicem approbavit? qui facultatem evulgandi concessit? qui distrahendi per Provincias permisit?

Somnium

Somnium hoc; eadem ratione discutietur, sicuti plura alia eiusdem Baronij, nempe oculis vigilantibus percurrendo germanam nostri Authoris doctrinam.

2. TAMB. Num. 3. *Duplex est, ait* (lib. 2. in Decal. c. 4. § 2. n. 3.) *Præceptum de orando, idemque est de adorando Deum. Alterum naturale, quia præciso quocumque Præcepto Ecclesia tenemur bona, quæ sunt nobis convenientia, procurare, & mala removere. Removere autem tentationes, multaque alia mala & procurare bona, maximè, supernaturalia; & præsertim perseverantiam in bono; non possumus nisi ea expectando, & impetrando à Deo. Hoc naturale præceptum confirmatum fuit à præcepto Dei positivo.*: Deut. 6. ibi. Dominum Deum tuum adorabis, & *ibid*: Oportet semper orare, &c. & alibi. *Alterum præceptum est Ecclesiasticum, quo obligamur assistere Sacro diebus festivis; tunc enim omnes circunstantes una cum Sacerdote offerunt Deo Sacrificium, illumque adorant, & orant per orationes, adorationesque ab eodem Sacerdote exhibitas.*

3. Docere, adesse præceptum naturale expectandi, & impetrandi à Deo, & adesse præceptum Ecclesiasticum, quo obligamur, assistere Sacro, &c. id negare est orandi præceptum? Sed pergit Tamburinus *n.* 4.

*At quandonam obligat praditum naturale præceptum adorandi, vel orandi? Doctores modo citati varia tempora assignare conantur. Ego hic sentio, quod supra* cap. 1. §. 1. à num. 8. *dixi de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis, non dari scilicet certum tempus, & determinatum, in quo directè obligat, sed esse illud, in quo obligat indirectè, quando scilicet urget necessitas alicuius boni acquirendi, vel mali, seu tentationis avertendæ, quæ acquirere, vel avertere sine Dei auxilio nos non posse, tunc animadvertimus. Vide ibidem dicta, quæ huc maximè faciunt. Vnde sequitur omittentem eo tempore orare, E. G. tempore tentationis gravis contra castitatem, non peccare, nisi contra castitatem, quia solum ex periculo violandi castitatem, culpabilis est talis omissio orationis. Ita Lessius* lib 2. c. 37. d. 3. fine, *apud Castrop.* l. c. n. 6.

4. Dicit Tamburinus (*obligat, quando urget necessitas boni acquirendi, vel mali avertendi*) tu vero, Baroni, per negativam malignâtis naturæ dicis, eam ferè negare? Coniicio, te bonis valde esse cumulatum, te tentationibus non affligi, te nullum timere malum; ac propterea cum oratione non indigeas; putas, nec illa alios fideles indigere. Sed pergit Author eodem *n.* 4.

5. TAMB. *Verum tametsi sentiremus, directè hoc præceptum nos obligare, non est nobis in eo explicando diu immorandum, cum illud facilè ab omnibus impleatur; quis enim tam perditus est, ut aliquando* Pater & Ave Maria *non recitet, vel alio modo auxilium à Deo non imploret.*?

6. Vel à perditis Author dicit servari hoc præceptum, & est, qui dicat, illum eiusmodi præceptum negare?

---

## CAPVT V.

### *De Distractione in orando.*

1. BARON. IV. *ET inter orandum liberam mentis distractionem* (Tamburinus) *permittit, etiam dum interest Sacro.*

Producamus germanam, integramque nostri Authoris doctrinam.

### *De intentione & attentione in orando.*

TAMB. Num. 7. *Nisi intendas, orare* (ait l. 2. in Decal. cap. 4. à n. 7.) *licet orationem ore fundas, vel mente obvolvas, orationem Deo non perrigis; satis tamen est voluntas implicita, seu virtualis: quare si Breviarium legas, v. g. ut studeas, non oras, at si Breviarium legis cum intentione orandi, etiamsi ab illa intentione actuali cesses, adhuc oras; quia remanet voluntas orandi nondum retractata in ipso effectu, quo Breviarium legis.*

*Requiritur item attentio sive interna, sive externa, quæ triplex est ex S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. ad Verba, ad Sensum Verborum, ad Deum.*

3. *Cum nulla attentione voluntariè orare, an sit mortale. Dixi satis Opusc. de Sacrif.* lib. 2. c. 9. & infra c. seq. *repetam. Saltem autem esse veniale, omnes supponimus, quia irreverentia tandem aliqua est, cum Deo loqui, alio mentem voluntariè divertendo.*

Et de audiendo Sacro sic habet germana Tamburini doctrina.

4. TAMB. Num. 9. *Nono* (ait lib. 2. in Decal. c. 2. §. 1. n. 19.) *desideratur attentio, estque communis quæstio cum attentione ad divinum Officium. Necessarium esse attentionem internam, hoc est internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum, docent communiter Doctores, Vasquez, Sanch. Suar. innumerique alij citati à Diana* p. 3. de Horis Can. res. 2. vide etiam p. 3. tr. 4. res. 101. *ubi de Missa. Oppositum, id est, solam externam satis esse ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvest. Duran. Medina, S. Anton aliique, quos refert Diana. Ex recentioribus Coninch. Gasp. Hurtad. Dian. & probabile vocant Less. Henriq. Victorel. Laym. Novissimè denique Io. Delugo de Euchar.* d. 22. sect. 2. n. 27. *prædictos citatos, optimis rationibus id confirmat. Vnde & ego, sicut in* Opusc, 3. de Sacro Missæ l. 2 c. 3. *ita hic idem probabile iudico.*

*Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est in negatione eius negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. g. velle Historiam legere, confabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.*

*Ratio potissima huius probabilis sententiæ est, quia falsum assumunt adversarij, dum contendunt actualem internam attentionem esse de substantia orationis, unde cum Ecclesiæ præcipiat orationem, necesse est, præcipere etiam dictam attentionem; falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet absque ea posse consistere orationem.*

*Patet id in forma Extremæ Vnctionis, quæ est substantialiter oratio, & tamen si Sacerdos sive voluntariè, sive involuntariè distrahatur, adhuc conficit Sacramentum. Signum est igitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Patet iterum, quia, orare, est loqui cum alio, ac certè ego tecum loqui possum, licet non attendam, Vt esset si ex scripto, vel verbis memoriæ traditis, tecum agerem, imò & cum Rege, & cum Principe, interim aliquid aliud cogitando. Patet denique in eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur cum excommunicato vitando; vel professionem in Religione emitteret. Nam & ille in excommunicationem incideret, & hic veram emitteret professionem; si intendisset ille loqui, & hic emittere. Aliud enim est intentio interna, quæ omnino est necessaria, de qua locuti sumus* num. præc. *& sufficere virtualem diximus* in Opusc. de Sacr. Missæ lib 2. c. 1. §. 2. *aliud attentio interna* (*quam non esse sub mortali, esto sub veniali, suprà* lib. 2. cum de orat. *&c. necessarium, hic affirmamus.*) *Cum enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam; unde certo habes, Ecclesiam, quotiescumque orationem præcipit, præcipere & attentionem? Nisi certo habeas, non debes onus tam gravis legis certo fidelibus imponere.*

*Alia minutiora in hanc rem, præsertim vero oppositorum solutiones vide apud citatos.*

6. Iam vero cum tot insignes Doctores hanc amplectantur sententiam (sed cum illa additione de attentione externa, & item de peccato veniali, quæ tamen Baroni, alto præteris silentio & non vides, liberè non permitti, id quod sub peccato, quamvis veniali, prohi-

betur ? quorum aliqui sunt de tui præstantissimi Ordinis familia, cui in unum Tamburinum, tanquam in unicum tuum ferienda scopum collimas? Miserum me, cuius Præceptor, quia extollitur à Theophilo æmulo, ut putas, tuo, in tam gravem incidit invidiam! Si Theophilus aliquid contra vestrum Ordinem deliquerit, ad me decernere, nequaquam pertinet. Pertinet vero toti Vestro Sanctissimo Ordini enarrare id quod vestri venerabiles Patres, qui Caltanissetam Siciliæ civitatem, Patriam mei Præceptoris, & meam, paucos ante annis, incoluerunt, satis norunt; quanto scilicet animi affectu Tamburini Parens, eiusque Familia in Patres Dominicanos ferebatur. Ea, nomine Agatha Tamburini, nobilis Matrona, neptis Baronis Niscimæ, relicta Vidua, pene iuvenis habitum Sororum S. Dominici assumpsit, eodemque humili, sed ipsi gratissimo vestimento induta, eiusdem Ecclesiam per annos ferè triginta Patrum vestrorum familiaritate semper usa est, ac tandem in eodem habitu sanctè obiit. Quid ergo adversus eius filium, quem Thomam nominari in obsequium S. Thomæ Aquinatis etiam Mater voluit, tam severè agis, Baroni? id ne gratus tuus animus permittit? At dices. Hæc ignorabam. Respondeo. Ideo nullus tibi ignotus erat vulnerandus, ne incideres, ut imprudenter incidisti in illud S. Augustini in Psal. 54. *Et plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.*

## CAPVT VI.

### *De Die Festo.*

BARON. V. 1. *A Quo (Sacro audiendo) eximit eos (Tamburinus) qui avidius lucro inhiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.*

Videamus nunc in germana doctrina Authoris, quantum claudicet hæc Impugnatio, ut vel puero perspicuum esse possit.

2. TAMB. Num. 5. *Tertio excusat à Missa* ait *lib. 4. in Dec. cap. 4. § 2. n. 5.*) *omne iustum, ac probabile periculum notabilis mali, vel amissionis boni, sive timeatur damnum in vita, sive in honore, sive in bonis.*

3. Et paulo post. *Quod mihi contigit in Collegio Montis Regalis, cum eius Præfecturam gererem, ut Lectorem à seria lectione tantisper avertam, breviter enarrabo. Emerat Collegij Procurator, ut stabulo provideret ex area cuiusdam coloni non paucas palearum mensuras. Interim ergo, dum paratur mulio ad eas transportandas, incidit dies festus; quare à me Procurator exquisivit, an rusticus ille noster, quem ad paleas custodiendas addixerat, obligandus esset ad Missam audiendam. Ego, sive Religione Sacri tactus, sive damni securus, dixi, custodi indiceret, ut Sacro interesset. Addidi, tantum præceptum mihi videri non esse transgrediendum propter eas paleas, quamvis non exigui pretij, quæ difficulter, imò vix furto erant obnoxiæ, præsertim intra tam modicum temporis unius, vel alterius horulæ, quod in itu, reditu, Missaque consumendum erat. Ita igitur factum est. Verum quid deinde est consequutum? Eo temporis momento, quo longè abfuit custos, ignis repente, nescio è quo loco vicino casu accensus, in aridas paleas incidens, totas incendit, ita, ut cineres per aream sufflasset, non iam paleas, imò ne palearum quidem pauculas reliquias invenerit, regressus ad custodiam post Missam famulus; qui statim me convenit, de infortunio docuit, factoque ipso me monuit, ne multum difficiles, sed vero prudentes in similibus se exhibeant Confessarij.*

4. Consideret hîc Lector, an Tamburinus, qui tam religiosè iussit, famulum Missam non omittere, sit censendus (ut blaterat tam immeritò Baronius) cultum Religionis, virtutumque exercitium omnino tollere, & Orationis necessitatem ferè negare. Ipse autem *num. 7. seq.* sic pergit.

TAMB. Num. 7. *Sed redeo ad difficultatem posterio-rem in titulo indicatam, an Missa omitti possit sine culpa in die Festo propter lucrum, quod nisi esset, si Missa adesset? Communis hæc mihi videtur quæstio esse, An in eodem die festo propter lucrum notabile, possit quis operibus servilibus vacare? &, ut affirmative de ea respondeamus* infra c. 3. §. 2. n. 8. *sic & affirmative propter eandem rationem de hac erit sentiendum. Rationem utriusque doctrinæ ibidem proferemus.*

6. Quoniam vero Author se hîc remittit ad ea, quæ infra dicturus est, ea nos, ne discedamus ante mysticia, hic tantisper sistamus, atque illa de nostro more proferamus, ut, quam solida sit eius doctrina pernoscatur.

TAMB. Num. 8 *An sicuti damni gravis timor (ait lib. 4. in Decal. c. 3. §. 2 n. 8.) nobis concedit opera servilia, sic etiam concedat spes lucri notabilis. An scilicet, sicuti, ne amittam vindemiam, possum die festo eam facere, sic etiam possim vacare labori, quo notabile mihi lucrum conquiram? De extraordinario lucro sermonem facimus, nam secus, cuilibet artifici pro diurna mercede integrum esset, laborare; quod ex hoc præciso capite ei nequaquam concedi, certum est. Respondeo, quamvis Suarez loc. cit. cap. 33 à n. 8. & Castropalaus tom. 2. d. un. de fest obser. p. 1. c. n. 3. inclinent in sententiam negativam, tamen affirmativam sententiam esse probabilem. Ratio est, quia, ut notat rectè Diana p. 2. tr. 15. Miscell. res. 34. fin. & Sanch. in consil. 5. c. 2. dub. 19. notabile lucrum amittere, grave damnum est. Adde, non esse existimandum, piam matrem Ecclesiam velle obligare fideles ad rem oppido difficillimam, qualis est ob abstinentiam servilium amittere centum, ducentos, mille, plures aureos, quod certè consequenter dicendum, esset, si semel probabilitatem nostræ sententiæ denegaveris.*

*Favet denique Pontifex, qui cap. licet de Feriis concessit Halecum piscationem die festo (excipit festa solemnia, sed non sub mortali, ut monet Sanch. in consil. l. 5. d. 20. n. 4.) quæ certo anni tempore nostra maria excurrunt. Favent que DD. Cajet. Navar. Sotus, alijque apud Sanch. l. c. d. 20. num. 5. qui ex paritate cum dictis halecibus piscationem tynnorum eodem festo, ne magnum lucrum amittatur, concedunt. Scio, hanc concessionem ab aliquibus trahi ad necessitatem, seu utilitatem publicam, ne victus communis hæc deficiant, & ab aliis ad dispensationem; nam propterea ibidem Pontifex imponit piscatoribus, ut dent aliquam eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ viciniori. Verum ad prædicti lucri necessitatem ab aliis probabiliter etiam reduci, nec ullam ex præcepto, sed solum ex consilio dandam esse eleemosynam, etiam scio.*

7. Notasti verba illa (*Lucri notabilis. De extraordinario lucro sermonem facimus. Notabile lucrum amittere damnum grave est. Centum, ducentos, mille aureos vel plures amittere; Ne magnum lucrum amittatur,*) & nihilominus Baronius audet reprehendere Tamburinum, quasi exemerit eos, *qui avidius lucro inhiant*, quæ certè verba ostendunt, quodlibet lucrum sufficere, cum avidius lucro inhiantes, vel paucos lucrari argenteos, affectent. Verum Baronius dum invidiam eventilat adversus hominem innocentem, eiusmodi pensitationes nil moratur.

## CAPVT VII.

### *Repetitio aliquorum ex dictis.*

1. BARON. VI. *Quid putas alia præcepta curarum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus Divini?*

2. Hæc, ut in superioribus vidisti, manifestè ludibria falsa veri soporis sunt, ex iis videlicet, quæ à porta eburnea giunt eburnea: quæ tamen, quia vera sunt ingenia contra Tamburinum intorta, patienter ab ipso ferri, et eius vitæ probitas exposcit; pro certo habeo.

CAPVT

## CAPVT VIII.

*De Ieiunio.*

1. BARON. VII. *Ieiunij lex eximit omnes artifices, & fere coniugatos.*

Parcius isthæc, Baroni. Omnes artifices? coniugatos fere omnes? Certè nimis audacter loqueris. At, ne ita loquaris, lege, quoad Artifices, unum verbum, quod addit Tamburinus, & tuam exaggeratam hyperbolem agnoscens, te ipsum pudebit in posterum dicere (omnes) D. Hieronymus *in Dialogo contra Luciferianos*. Hanc igitur hastam (inquit) quam totis viribus misisti de qua nobis minitaris, uno, (ut aiunt,) digitulo repellam. Simili quopiam dicendi colore efferam ego. Hanc hastam, quam misisti, &c. uno dumtaxat verbulo repellam. Et quod tandem illud est? En (Laborantes) legamus Authoris doctrinam de Artificibus; nam mox de coniugibus.

2. TAMB. Num. 18. *Officium, seu Ars* (ait *lib. 4. in Dec. c. 5. §. 7. n. 18.*) *quam quis exercet, si sit ex se laboriosa, hominem per se liberat à Ieiunio. Ita DD. citat, & passim. Et ita quidem, ut etiamsi in illo exercitio quis inveniatur, posse tolerare Ieiunium; adhuc ad illud non astringatur. Ex declar. Eugenij IV. anno 1442. in Compend. Privil. Fratrum Minor. ver.* Ieiunium num. 2. apud Fag. p. 1. Eccl. 4. l. 1. c. 8. n. 15. *quia semper aspicitur à lege id, quod est communiter, & per se. Quare posito quod lex universaliter omnes artem laboriosam exercentes excluserit, non erit hic includendus. Adde rationem, quia laboriosis artibus vacantes, frequenti indigent refectione, ne in debilitatem, quando minus putant, labantur. Hinc Arator, etiam robustus, patientissimusque taedia* (*contra Reg. l. 4. c. 16. n. 216.*) *imò etiam ditissimus* ex declarat. cit. *non tenetur ad ieiunium, quia per se omnes Aratores excusantur? Et, ex alia parte Ecclesia non intendit privare fideles suo officio, modoque vivendi. Praterea, quamvis exercitia ex se non laboriosa obligationi ieiunandi subiaceant; tamen si quis ita sit debilis, ut suum officium aliis leve, ipsi sit laboriosum, à Ieiunio, per accidens, hoc est, ratione suæ complexionis, excusabitur. Ita Th. Sanch.* in *cons. l. 5. c. 1. dub. 6. n. 8. Reg. loc. cit. n. 219. quia Mater Ecclesia cum tanto dispendio obligare fideles non intendit. Hinc Scriptores v. g. obligantur ad Ieiunandum, quia scribendi officium levis est laboris; & fortè modice Ieiunans, melius scribet ac facilius, quam cibo refertus; tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sine duplici refecti ne suum munus obire nequat, certè excusabitur per accidens, ratione suæ complexionis.*

3. *Hæc doctrina ante oculos in tota hac materia perdiligenter habenda est. Et enim frequenter, ut in aliquo Doctore invenias, excusari quempiam à ieiunio, sed per accidens, tu vero credas excusari per se, regulamque ad omnes alios minus legitimè deducas. Nudius tertius fuit, qui referret, quemdam Theologum non vulgaris litteraturæ excusasse à Ieiunio hominem, equo iter agentem; addebatque Theologus (ut idem referebat) rationem, quia succussans equus ita malè hominem tractabat per integros dies, ut satis laboriosum fuisset illud iter equestre. Quibus verbis clarè excusatio per accidens fuit, non per se, ille tamen, qui solutionem narrabat, acriter contendebat, Theologum in ea esse sententia, ut iter equo agentes excusandi sint à Ieiunio. Cumque ego inculcarem eiusmodi excusationem nequaquam esse universalem, sed tali peculiari personæ additam fuisse, nunquam constans vir veritati manus dedit. Deus immortalis! quantum refert non apices rerum aspicere; Sed interiora earum viscera penetrare?*

4. *Si quæras, quænam sunt officia ex se laboriosa? Dico ea esse, quæ exercentur cum magna agitatione membrorum corporis, tunc enim multi spiritus consumuntur, unde & ciborum auxilio opus est, & inedia, quæ magis corpus exedit non est addenda.*

*Porro plura sunt exercitia clarè laboriosa, plura denique, de quibus qualia sint, dubitatur; suo igitur ordine breviter singula delibemus, &c.* Hæc omnia Tamburin.

5. Quid hîc mea notatione sit opus; cœcus intuebitur, qua enormitate falsum sit, à Tamburino omnes artifices à Ieiunio liberari, sed veniamus ad Coniuges, & videamus, an fallacia alia aliam trudat.

*Declaratur illud* (de Coniugatis.)

6. TAMB. Num. 37. *Coniux non raro* (inquit *ib. n. 37.*) *excusatione ducta ab ipsa conditione Coniugij, liberatur à Ieiunio.*

*Liberatur autem primo in eo casu, quo non possit alteri reddere debitum, si ieiunet. Ita D. Thom. S. n. h. lib. 9. de matr. d. 3. n. 10. Less. l. 4. c. 2. n. 44. Ioan. Sanch. d. 54. n. 25. alij. Ratio est, quia ius Iustitiæ prævalet præcepto Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore ieiunium. Ita Ledesma p. 2. quæst. 4. art. 2. vers. Ex prædictis colligitur; quia faceret contra ius alterius, dum ad reddendum illi debitum, se notabiliter impotentem reddit. Tunc autem hic casus locum habet (quando coniux notabilem debilitatem contraheret ex eo, quod cum ieiunio debitum redderet. Debitum, inquam, moderatè ab altero petitum, quæ moderatio attendenda est, spectata qualitate coniugum; iuvenes enim, fortioresque sæpius, sines, imbecillioresque ratius matrimonio uti convenit. Cum ergo quis non teneatur reddere, nisi iuxta qualitatem suæ complexionis, ad quod solum, & non ad amplius virtualiter consensit coniux, cum matrimonium contraxit; ideo solum tunc debitum coniugale coniugem à ieiunio immunem reddit; Quod si precibus, aliove modo posset coniux removere alteram à petendo debitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque adeo posset non ieiunare, & sic reddere. Ita Thom. Sanch.* loc. cit. *Ratio est, quia personalis obligatio est ex Iustitia, quæ non obligat, nisi ad reddendum personaliter debitum non vero ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat.*

7. *Negligi item ieiunij præceptum non potest, ut potentior, seu etiam ut potens quis sit ad petendum debitum à coniuge, Ita Thom. Sanch.* ibid. *quia solum obligatio iustitiæ reddendi debitum excusat à ieiunio, at coniux non habet obligationem iustitiæ petendi, sed solum reddendi debitum.*

8. *Scio quemdam concedere solutionem ieiunij ei coniugi, qui nisi comedat, est ineptus ad petendum debitum moderate; quia sicut faber dives, inquit, ne suum officium, ad quod ius habet, deserat, potest laborare, & consequenter non ieiunare; Sic coniugatus, ut suum officium usus matrimonij, ad quem ius habet, non amittat, poterit non ieiunare, non quidem ut sit valentior, & potentior ad extraordinarias copulas, sed ut sit potens ad petendas copulas moderatas ad quas ius habet. Verum nulla ratione placet hæc concessio, non solum, quia ferè sic omnes coniugati liberarentur à ieiunio, siquidem pro omnibus est illud sine Cerere, & Baccho friget Venus, idemque possent coniuges prætendere, quoad comestionem carnium, quod certè esset inauditum; verumetiam, quia cum usus matrimonij quoad petitionem sit liber in coniugibus, prævalet lex ieiunij, quæ est obligans. Sicuti quia fideles omnes tenentur interesse Sacro diebus Dominicis, non potest quis excusari ab illo, quia vult uti sua libertate, qua se conferat iisdem diebus Dominicis ad venandum, & sicut quia Sacerdotes omnes tenentur recitare Horas Canonicas, non potest quis aliquem Sacerdotem excusare ab iis recitandis; quia is vult uti sua libertate, qua Breviarium suum projiciat in mare. Et ratio horum omnium est, quia idem præceptum, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media proxima, & necessaria ad illum, & ne tempore, quo præceptum urget, ponantur impedimenta voluntaria ad eius executionem, ut alibi à nobis dictum est.*

*Neque obstat paritas ducta ab Artifice divite, cui a lex ieiunij absolutè non obligat opifices laborantes: Vnde non est mirum, quod eosdem non obliget, si divites sint, per accidens enim est eos esse locupletes; at lex ieiunij obligat etiam per se coniuges: unde ij ob solam rationem coniugij, nisi alia addatur excusatio, dictam legem à se non possunt excutere.*

9. *Illud approbo, si adveriat coniux periculum incontinentiæ in alio, posse petere, etiamsi, ut petat, opus sit ieiunium frangere, quia tum illud periculum æquivalet petitioni, & petitio huius redditioni, ad quam urget iustitiæ ratio. Idem puto (non enim absimilis est ratio) si, nisi petas, ingeras malam suspicionem in altero, quod adulteraveris; vel aliam adamaveris.*

10. *Liberatur secundo Vxor, si ex ieiunio reddatur ita extraordinariè pallida, macieque confecta, ut timor rationabilis sit, ne à viro minus rationabiliter ametur. Ita Sánchez ieiunium n.9. Thom. Sanch. l.9 de matr. d.3. n.11. Ioan. Sanch. d.54. n.24. præceptum enim ieiunij quieto matrimonij statui, quem certo, sine debito amore, periclitari necesse est, obstare non debet.*

11. *Liberatur tertio si eadem uxor ita prohibeatur à viro ieiunare, ut si ieiunet, rixæ oriantur, & notabiles discordiæ. Ita Thom. Sanch.* loc.cit.num.13. *alter. Sanch.* l. c. num. 26. *Fag.* pr. 4. Eccl. l. 1. c. 9. n. 8. *quamvis peccet vir, si id sine sufficienti causa faciat; uxor tamen si obediat, non delinquet, propter rationem num. præcedent. dictam.*

12. *Liberatur quarto uxor Catholica si prohibeatur à viro hæretico ieiunare, itaque non in contemptum Ecclesiæ, vel præcepti ieiunandi, sed ob alias causas puta ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispendium eos emendi, vel quid simile, Ita Azor.* p. 1. l. 7. cap. 18. q.7. *Fag.* l.c.n.10. *Trull.* l.3. in Dec.c.2.dub.7.n.22. *Ratio est, eadem, vel ferè eadem, ac modo dicta.*

13. *Liberatur quinto (ut id hac occasione dicam) puella nubere volens, si ex continuato ieiunio Quadragesimæ (nam in ieiunio eius, vel altero, quod incidit infra annum, id vix locum habere potest.) Speciositatem faciei notabiliter amitteret. Ita Thom. Sanch.* l.c.n.12. *Ratio est, quia puellæ honestum matrimonium aucupanti notabile damnum infert speciei deperditio; Sed quod signum tantæ iacturæ? Quando ita colorem deperderet, maciemque contraheret, ut ea visa, statim de dicta macie extra suum morem notaretur.* Hactenus Tamburinus.

14. Vnum hîc à Lectore efflagito, ut omnes conditiones, & limitationes hac in re à Tamburino dilucidè explicatas expendat, & ita, inde colligat, an ipse omnes fere coniugatos eximat à ieiunio, & eos, quos eximit, an sine rationabili causa, & absque doctis, piisque Authobus immunes reddat. Expedit hic audire alium à Tamb. Is sit idem Pasqualigus, quandoquidem innumeros alios Doctores inducit *Dec.* 280. *de Ieiunio.*

An coniuges excusentur, si non ieiunent, quando impediuntur, ne sibi invicem possint reddere debitum.

15. Pasqual. *Communiter affirmativè respondetur. Ita Caiet. Armill. Medin. Navar. Manuel. Ledesm. Valent. Angles Eliaæ. Sanch. Less. Molfes. Tolet. Reginald. Filliuc. Fagundez, Layman, Bassæus, Sylvius, Bonac. Graff. Ludou. Tabien. Villalob. & alij.*

*Hæc sententia pro certa habenda est, quando tamen ieiunium impediret, ne debitum posset reddi. Nam in hoc casu concurrunt duo præcepta, nempe præceptum iustitiæ reddendi debitum, & præceptum Ecclesiæ de ieiunio. Tum quia obligatio iustitiæ est strictior, & propter ius alterius præfertur obligationi virtutis, qualis est abstinentia. Tum quia Ecclesia non intendit obligare ad ieiunium, quando impediret observantiam aliorum præceptorum, præsertim quæ concernunt iustitiam. Tum quia præceptum reddendi debitum est naturale divinum, & ideo anteponendum præcepto humano, quale est præceptum ieiunij.*

15. Et paulò post. Sed difficultas est, quando censeatur solutus ab obligatione ieiunandi, ut possit reddere debitum.

*Respondeo, tunc esse solutum ab obligatione ieiunandi, quando non posset sine notabili debilitate reddere illud debitum, quod tenetur reddere ex iustitia. Tenetur autem ex iustitia reddere debitum moderatè, ut desumitur ex D. Th.* in 4 dist. 32. quæst. unic. à primo ad tertium, & cum pluribus notat Sanch. l.c. disp. 3. n. 5.

15. Et paulò post. *Denique (ut notat Ledesma) ex prædictis colligitur, quod uxor peccat, si se ita ieiunio obligat, ut se impotentem faciat ad reddendum debitum. Et ratio clara est, quia voluntariè ladit virum circa dominium sui corporis, quod ipse habet; Vnde deteriorem facit rem alterius in ordine ad quem ipse habet ius, & ideo peccat contra iustitiam.*

## CAPVT IX.

### *De Filio erga Patrem.*

1. Baron. VIII. *Officium colendi Patrem remittit filiis, si probabiliter putent, matrem coniugij fidem non admodum sancte servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.*

2. In primis id non esset patris colendi officio detesse, tunc enim iam non ut suum patrem Caius v.g. illum v. g. Titium agnosceret, sed pro suo patre agnosceret adulterum. Quare tota difficultas in eo versari debet, quandonam Caius v. g. poterit suæ matris Bertæ maritum negligere, & alium tanquam suum patrem revereri? quam difficultatem mox explicabit meus Tamburinus.

3. Deinde displicet hîc maximè, quod Baronius imputet Tamburino, quasi dixerit, posse Caium negare Titio marito Bertæ reverentiam filij, ex eo, quod ipse Caius potuisset, ex adulterio nasci. Profecto tantam stultitiam fuisse à quolibet indoctissimo prolatam, si Baronius mihi iuraret, fidem ei habere non possem, Nam, sic, omnes quotquot homines sunt, fuerunt que, & erunt in mundo, essent probabiliter spurij, vel illegitimi, quia omnes partim potuerunt, partim poterunt, ex adulterio nasci. Sed iam video, quid vult dicere Baronius: vult enim iterum subintelligi illud (probabiliter) ita ut sensus sit si probabiliter putent, matrem fidem non servasse, & se probabiliter ex adulterio nasci, potuisse, &c. Verum, nec hoc mihi sedet: nam differta locutio fuisset, dicere (*si putet se probabiliter natum esse ex adulterio.*) Ita quidem. At solemne est calumniantibus, immiscere possibile cum actuali, & sæpè putare, imò & pronuntiare, se v. g. offensum esse ab adversario, quia ab eo offendi potuisset.

4. Venio nunc ad elucidandam veram Tamburini doctrinam. Nobile stratagema, in his sugillationibus educendis, latet in Baronio: Loca enim, in quibus de argumento Tamburinus tractat, religiosè tacet, rationem ne (ut suspicor) viso loco, mendacium larvam deponere cogatur. Cum autem difficile cuiquam sit, totum librum evolvere, ut Doctrina reprehensa inveniatur, constat, hæretque firmius impostura. Id autem mihi nullum fecit negotium, siquidem ope cuiusdam amici in mei præceptoris doctrina versatissimi, statim invenio quidquid invenire oporteat. Fateor nihilominus quonam in loco de hoc puncto, quem præ manibus habemus, loquatur Tamburinus, fuisse difficillimum expiscari, quia ne umbra quidem eius, quod illi imputat Baronius in doctrina germana Authoris apparet. Locus autem, ubi hac de re loquitur, contrarium discrè habens, hic est, nempe *lib. 1. in Decal. cap. 5. §. 3. ver. legitimus*, sed disertissimè in alio loco mox afferendo *num. 10. meo.*

6. Tamb. *Quando anceps (ait) es, utrum sis legitimus, an naturalis, cum certus sis, te esse filium v. g. Bertæ, qualis eris reputandus? Dico, esse reputandum legitimum. Ita Delugo* de Iust. tom. 1. d. 15. sect. 2. n. 25. Merol. Barb. Baldelli, Franc. Delugo aliique quos citat, & sequitur Bardi d. de conf. c. 7 §. 11. *quia culpa patris est dubia, pœna illegitimitatis infligenda tibi Filio esset certa. Ergo, si esses reputandus illegitimus, pro culpa incerta Patris daretur pœna certa tibi filio. Adde, quemlibet esse damnandum, quanto minus potest, nam propter eandem rationem si dubitetur an aliquis sit spurius, id est ex coitu damnato, an naturalis, naturalis est reputandus. Ita Menoch.* l. 1. præsumpt. 19. n. 28.

*Hinc expositi in Hospitali possunt sine dispensatione ordinari, Beneficia acceptare, ad Prælaturas ascendere, &c. Ita iidem apud eundem Bardi, quia cum nesciatur, an sint illegitimi, legitimi reputantur.*

*Illud adverto, quoad effectum acquirendi hæreditatem ab alio possessam, non posse hunc dubiè illegitimum recurrere ad prædictam doctrinam. Ita Castrop.* tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 5 à n. 3. *Ratio est, quia ille alius est certus possessor, at dubius de facto præcedere certo possessori non debet.* Hactenus Tamburinus.

6. Ex hac igitur doctrina clarè colligitur, quod sicuti Caius filius Bertæ, quando anceps est, an sit legitimus, an naturalis, debet se pro legitimo habere, & consequenter maritum Bertæ, hoc est Titium, pro vero Patre, cognoscere; ita si idem Caius est anceps, an sit spurius ex adulterio matris, debebit se pro legitimo tenere, quia pari modo culpa matris dubia legitimitati filij nocere non debet, atque adeo negare ipsi non licet, Titium esse suum patrem, illumque reverentia debita non colere.

7. At dices, hîc sumus in dubio, quid si probabiliter putaret Caius, se natum esse ex adulterio?

Respondeo de hoc non agit Tamburinus, sed certè affirmo clarè ex ipsius principiis colligi, etiam tum debere suam legitimitatem illæsam servare, seque Patri Titio, hoc est Bertæ marito observantem præferre. Ratio est (quia ut in superioribus vidimus,) solemnis Tamburini doctrina est, probabilitatem dirigentem actiones tunc adesse, quando contrarium non est certum, seu non est moraliter convincens. At in hoc eventu cum certum sit, Titium esse Bertæ maritum, certum item hoc matrimonium fuisse in facie Ecclesiæ celebratum; certum etiam Titium cohabitasse in eodem tecto, & lecto cum Berta; erit etiam moraliter certum, Caium esse Titij filium, & ita debere in utroque foro iudicari, præsertim, quia delictum (matris) non præsumitur, nisi probetur, & consequenter quod is sit filius ex adulterio, non erit proximè probabile. Adde id, quod supra diximus ex Tamburino, quod hic, & alibi iterum, iterumque repetere non gravabor.

8. Tamb. *Atque hæc ratio* (ait lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. num. 11. fin. *allatam doctrinam probat* (id est nos posse sequi opinionem proximè probabilem) *etiamsi altera pars sit probabilior; modo maior probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut dejiciat à probabilitate illam oppositam, quia tunc, expulsa iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat intellectus.*

9. Quoniam ergo Titius maritus Bertæ habet tantam probabilitatem de suo filio, (etiamsi ad certitudinem moralem non pertingeret) deiecitur iam illa probabilitas, quæ apparet in Caio volente fortè negare, se esse legitimum, & patrem Titium non revereri. Quare Caij probabilitas, si qua esset de illegitimitate, verè probabilitas non est, nec minima, nec tenuis, quia à finibus probabilitatis est expulsa. Vides Baroni, sanam, solidamque mei Præceptoris doctrinam? Alter locus, ubi disertissimè docet, à prædicto Caio debere recognosci Titium maritum Bertæ, ut patrem, est in Tomo de Sacramentis c. *in tract. de Irregul.* c. 10. §. 2. his verbis.

Qua ratione dubitatio de illegitimo Natali removeatur.

Tamb. n. 1. *Qui natus est* (inquit) *ex coniugata, præsumitur legitimus, nisi contrarium clarè appareat, siquidem possidet tunc, esse filium ex matrimonio. Is enim in iure filius est, quem Nuptiæ demonstrant,* l. quia Mater, ff. de in ius vocando. *Et in dubijs* (*ut notant Menochius, Mascardus, Merolla*) *semper præsumitur id, quod honestum est.* Hæc ibi.

Si ergo Caius, donec contrarium clarè appareat, legitimum se tenere debet, non poterit ex germana nostri Thomæ doctrina, quacunque probabilitate posita, Titium suæ matris maritum non revereri ut patrem.

## CAPVT X.

*De matrimonio Filij inconsulto Patre.*

1. Baron. IX. *Ndulget etiam illis (Filiis) ius ineundi matrimonium cum dispari, Patre inconsulto & invito.*

Quam aridè id affers, ad excitandum odium? Verum lege, quam plenè & sapienter Tamburinus ratiocinetur ex S. Thomæ principiis. Tu vero, ut meum Thomam, suggilles, nihil pensi habes deserere tuum S. Thomam, quamvis eius doctrinam sequi profiteari.

2. Tamb. *Certum, exploratumque est* (ait l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n. 2.) *si Filij invitis parentibus ineant matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare lethaliter, imò ne venialiter quidem, si prius modeste à parentibus facultatem petierint, tametsi nequaquam exoraverint. Ratio potissima est, quia in electione status, & maximè matrimonij, filij nemini subduntur. Ita S. Tom.* in 4. d. 29. quæst. unic. art. 4. *Ita Sanch.* lib. 4. de matr. d. 22. n. 24. *Ita cæteri.*

*Hinc regulariter non tenetur Filius implere sponsalia, quæ absque eius consensu Pater promisit, sic enim teneretur ad matrimonium. Agit de hac re dilucidè Sanch.* ibid. d. 23. n. 3.

3. *Hinc etiam merito Tridentinum* sess. 24. c. 9. de reform. matrim. *ipso facto excommunicat impedientes matrimonia; quæ excommunicatio licet solum sit contra eos, qui cum habeant Iurisdictionem fori externi in subditos, eos à matrimoniis iniustè impedium, vt clarè colligitur ex contextu Trid. quales sunt Episcopus, & Princeps secularis* (*excipitur Rex, & Imperator, quia hos oporteret exprimi; excipitur item Parochus, quia fori externi iurisdictionem is non habet in suos*) *tamen tam rigida prohibitio ostendit sensum Ecclesiæ nolentis, ut matrimonia impediantur. Et merito, cum independenter à lege positiva, ex se culpa mortalis est, impedire in re gravi ius alterius. At vero, ut diximus, in status electione quilibet sui iuris est, atque adeo nec à suis, nec ab alio, si peccatum mortale ij vitare velint, impediendus.*

4. *Dixi* (iniustè) *nam quando adest iusta causa, ut quia matrimonium est indignum, vel quid simile, non peccat Princeps, vel amicus modis suavibus absque vi, vel metu impediens; ut est concors DD. sententia ipso lumine rationis comprobata. Lege Sanchez* ibid. d. 22. num. 7. *Difficultas igitur sola superest, an cum indignis possint filij licitè contrahere, patre, vel genitrice dissentientibus? Et quidem licet aliquibus videatur non posse, idque sub mortali, quod certè valdè probabile est. Ita Sotus, Corduba, Navar. aliique Sanch.* l. de matr. d. 23. n. 9. *quibus adde Bellarm.* l. 1. de matr. c. 19. prop. 3. & in fine. *Fateor tamen probabile item esse, ac tutum, quod possint. Ratio præcipua est modo dicta, filium scilicet omnino liberum esse, nec alicui subiici in hac re. Addit S. Thom.* 2. 2. q. 104. art. 5. in corp. *In iis, quæ ad propria corporis sustentationem, prolisque generationem attinent, omnes homines esse pares, atque adeo, ne filios quidem in his duobus subiacere parentibus,*

tibus. Et rectè docet Sanchez adeo filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum nubere valeat, etiam indigno, & sine patris consensu, ne alias matrimonij libertas impediatur, deturque puellis ansa occultè delinquendi.

5. Illud adverto, esse conveniens, ut saltem à Patre consilium petatur; siquidem, in re tanti momenti, congruit patris consilium explorare, licet sine obligatione sequendi. Et quamvis Sanch. l. c. arbitretur peccare mortaliter filios, si, in matrimoniis eligendis, à parentibus eiusmodi consilium non exposcant, ego tamen, pace tanti viri, huic sententiæ non assentior. Quid enim tantum peccati mortalis onus e si eis tandem consilium patris respuere concedatur? Adde primo si non nisi causa consilij patrem docere de meo matrimonio debeo, posse fortasse me à prudentiore viro illud petere, & sic non indigere paterno.

6. Adde secundo. Cum nos, & ipsemet Sanchez, agamus in præsentia de filiis volentibus contrahere cum indignis: si sub mortali obligaremus filios ad patris consilium exposcendum, illos regulariter conjiceremus in pericula rixarum. Certum enim erit, patrem contradicturum, cum agatur de suæ familiæ dedecore; multo magis si constans supponitur filius in accepto proposito contra patris apertum consilium, quam constantiam licere sartam tectam servare posse, meritò fatetur idem Sanchez.

Satius ergo fore, videtur, curare, ut ignoret pater, quam ut noscat &, coram, eius authoritas despiciatur.

7. Prudenter paulo post Tamburinus sic monet.

Hæc dicta sunt, quando ex eiusmodi matrimonio non timetur fore, ut sequantur gravia mala, sive scandala sive alia incommoda, tunc enim, ut notat Sanch. l.c. num. 11. contra Charitatem, ex alio capite, quam ex solo parentum involuntario peccati labes posset emergere.

## CAPVT XI.

### De Voto Paternæ mortis.

1. BARON. X. PErmittit filiis vota paternæ mortis, ut vacuam hæreditatem adeant.

Verba hæc sunt accusantis: sed quæ sequuntur sunt verba innocentis rei.

2. TAMB. Inquires primo an sicuti (ait. l. 5. in Dec. cap. 1. §. 2.) inimico licet velle malum punitionis modo dicto, ita universim possit quis proximo malum ex aliquo motivo desiderare?

3. Resp. Certè non statim ac illud licet, sequitur & hoc licere: nam inimico desideratur illa punitionis pœna, quam iustè meretur, at proximo nullam merenti pœnam malum desiderare, iniquum per se est. Id ergo diligentius excutere hac occasione, ne gravemur. Et solent quidem afferri exempla. An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse filius paterna hæreditate fruatur? An mater possit desiderare mortem filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Prælati, ut Prælatura ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur? & similia. Si solum desideres, vel cum gaudio excipias eiusmodi effectus, hæreditatem, molestiæ carentiam, Prælaturam, &c. Facilis est responsio. Licitè enim hæc optas, vel amplecteris, quia non gaudes de alieno malo, sed de proprio bono. Certè non potest quis licitè gaudere de fornicatione, de comessione carnis, ut festo die vetita, &c. nec illa desiderare, ut tunc fiant, quia gauderet de peccato, illudque desideraret. (Lege Castrop. tom. 1. tr. 2. d. 2. p. 10. §. 2. n. 11.) tamen posito, quod hæc cum peccato quis commisit, potest de habita prole sibi complacere, deque viribus refectis, quia non de peccato gaudet, sed de effectu sequuto, qui bonus est; Ita in casu nostro.

4. Rursus, si desideres sub conditione, facilis item est responsio, licite posse. Si quis enim hunc actum eliciat. Si meus pater moreretur, ego hæreditate potirer. Si mea filia occumberet, ego molestia liberarer, & gauderet ille bono non de patris, vel filiæ morte, sed de hæreditate, deque molestia carentia, culpam odij non committeret, neque quis simili modo de bono suo gaudeat, non autem de alieno malo.

5. Denique si absolutè desideres in hunc modum. Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causa boni mei, nimirum quia exinde mihi accrescit hæreditas, vel dos, vel libertas, vel quies, ego eius hæreditatem amabilo. Vel sic. Vtinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas solicitudines excutiam, &c. Si, inquam, hæc desideres, maior est resistendi difficultas, quia tunc eligis malum velle illi, quamvis ut causa tui commodi, quod non videtur culpa vacare.

6. Et ita quidem putat Bonacina tom. 1. d. 4. circa 4. Decal. præceptum q. un. p. 3. n 3. his verbis. Secundo fertur, illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis parentibus exoptat v. g. cupiendo illis mortem, ut quamprimum in hæreditatem succedat. Ita Sylvest. Navar. Graff. Reginald. Toled. Clavis Regia, Molfesius, Hac Bonacina.

7. Nihilominus Castrop. tom. 1. tract. 6. d. 4. de Charit. p. 2. num 11. postquam firmavit, posse malum proximo desiderari propter bonum iustitiæ, vel bonum publicum, vel ipsius proximi, unde licere ex zelo iustitiæ desiderare punitionem, & condignam mortem malefactori, gaudere de morte peccatoris scandalosi, qui non amplius erit causa ruinæ plurimorum, cupere effrænato filio mortem, ne longiore vita graviora peccata committat, gravisque condemnetur; optare patri seni, infirmoque, vel filiæ inopi mortem, ne in tormentis vivant, & similia; quia hæc desideria sunt tantum de bono proximi, non de malo; postquam hæc formavit, sic addit. Credo, si cum debita moderatione fiant, ut posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere; illamque inefficaci effectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, inde secutum. Sic docere videtur Emanuel Sà, ubi absolutè dicit, te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Rip. bonum, & honestum, & hostibi, aliquo valdè nocivo mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum. Item de morte eius gaudere ob bonum inde sequutum. Azor. & Bonac. tom. 2. disp. 3. circa primum Decal. præceptum q. 4 p. ult. §. 7. n. 7. affirmat, licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere, & idem esse dicunt, si ob illarum causam malè tractaretur à marito, posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. Consentit his Sanchez, qui sic inquit; licitum est tibi optare, vel proximo mortem, ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito inflictam; & alia huius generis, dummodo desideres ut à Deo infligenda, non ab homine iniustè, vel à Dæmone. Ratio est, quia huiusmodi desiderium & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo ipsius proximi, quam de bono inde secuturo. Ergo non habet malitiam, quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit; cum tota species actus inefficacis ex fine desumatur. Hæc Castrop. qui etiam respondet ad quasdam rationes in contrarium. Recte autem dictum est (morte naturali) nam si occasionem iniustam desiderares, te sine dubio peccatum, paulo ante vidimus.

8. Vereor autem ne Bonacina modo à nobis n. 31. fine allatus, sibi adversetur. In alio enim loco contrarium docuit, ut merito eum pro se Castropalaus citare potuerit. Ecce Bonacinæ verba tom. 2. d 3. circa primum Decalog. præceptum q. 4. p. ult. §. 1. n. 7. citat. iam modo à Castrop. adversantia suismet verbis dicto num. 31. à nobis allatis. Ex dictis sequitur, eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui malum exoptat ex displicentia personæ, & non ob bonum ipsius, vel alterius. Et paulo post. Secus si gaudeat de malo, vel tristetur de bono ex bono motivo; actus enim inefficax specificatur à motivo, ab eoque bonitatem

*tem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicuius tristatur, quia ex recta valetudine occasionem sumit peccandi.* Et pot pauca. *Idem dicendum videtur de matre, quæ mortem filiabus exoptet, quia occasione ipsarum malè secum agitur à marito aut iniuriis afficitur; non enim propriè detestatur filias ex displicentia ipsarum, sed in detestationem proprij mali. Hæc Bonacin.* ex quibus vides opinionem Castropal. esse satis probabilem.

9. Hæc Tamb. quæ si tibi fortasse non arrideat, ne uni Tamburino succenseas, sed Castropalao, sed Bonacinæ, sed aliis, quorum doctrinam ille refert, & Emanuelis Sà expurgato à tuo R. M. Sacri Palatij V. Charitas n. 8. qui, si eius ratio penetretur, multum favet dictis à Castropalão.

Nota nihilominus quam cauta si horum locutio, (*credo si cum debita moderatione facias*) & illud (*non est desiderium de malo, sed de bono venturo*) & illud (*est actus nefficax, qui specificatur à bono.*)

## CAPVT XII.

### *De Rege quoad bellum gerendum.*

1. Baron. XI. *Nec minus liberalis est in Reges, quam in privatos. Dat illis (Regibus) ius belli, si aliqua illis faveat probabilitas ex iure in eum, qui parem, aut maiorem habet probabilitatem rei possessæ adiunctam.*

2. Hìc Baronius videtur modum ponere in scirpo. Tamburinus disertissimè docet in prædicto casu non posse unum Regem intentare bellum adversus alium; addit tamen esse aliquos nobiles DD. aientes, posse, & id ita esse probabile ex extrinseca authoritate illorum, ut id non sit recipiendum, quasi sit universalis doctrina, sed in aliquibus casibus; Baronius autem, dicit illam esse sententiam Tamburini, & quia ille ait aliorum doctrinam esse in aliquibus casibus probabilem, ipse durum nodum vel addit, vel supponit, quasi data esset, ut doctrina universalis.

Proferatur textus Tamburini.

3. Tamb. Num. 29. *Rex, seu Respublica* (ait l. 1. in Dec. c. 4. §. 4. n. 29) *ad gerendum bellum, vel habet probabilitatem fundatam in iure, vel in facto. In iure est, quando est opinio Doctorum, Regnum in aliquo casu certo, posse occupari. Eac. v. g. Regem alicuius Regni esse spurium, certè si adesset opinio Doctorum probabilis, eiusmodi, Regem licitè posse à suo Regno repelli, esset hæc probabilitatis innixa in iure. Probabilitas fundata in facto est, quando duo, plures ve scripturis, vel testibus contendunt probare regnum ad se pertinere.*

4. Num. 30. *Dico, in probabilitate orta ex iure, quemlibet Regem licitè bellum gerere contra alium posse. Sic Ioan. Sanch.* d. 44. à n. 57. *Ratio est, quia, ut est toties dictum, potest quis sequi opinionem probabilem omissa probabiliore. Quid si alter possideat? ut est in casu proposito* num. præc, *Resp. tunc ex mea sententia non posse; quia ut supra* § 3. num. 14 *dixi, & mox* num. seq. *repetam, possessionem favere possidenti, est lex Canonica ab omnibus observanda. An tunc recurri valeat ad iudices mox tangam* num 33.

5. Num. 31 *Dixi* (*ex mea sententia*) *nam ex bonorum authorum opinione posse, video; qui nihil obstante praditta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege bello impeti Regem possidentem posse. Lege item Castrop.* tom. 1. d. 2. p. 7. n. 1. *Ioan. Sanch.* d. 44. n. 58.

6. Num. 32. *Quid si sit opinio practicè probabilis fundata probabiliter in iure, quod dictus Rex possit Regnum ab alio possessum occupare? Resp. tunc sanè, etiam in mea sententia, posse: nec mirum, quia iam supponis eam opinionem esse practicè probabilem. At ego adverto hanc opinionem nunquam fore practicè probabilem ex principiis intrinsecis (nam esto ex authoritate extrinseca* n. 31. *dicta) posse Regnum ab alio Rege possessum occupari, si eiusmodi Rex cum probabilitate iuris sit in eius non controversa possessione, quia nemo, ut toties cantavimus, per hominem privatum (qualis profectò est Rex, vel Respublica quæcumque respectu alterius, qui sit sua absolutæ potestatis) nemo, inquam, spoliari potest à sua possessione, nisi certo moraliter constet, possidentem iniquè possidere.*

7. Num. 33. *In probabilitate ex probabilibus facti negant absolutè plerique, posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Iudices, modo latè tractato à Castrop.* l. c. n. 5.

8. *Sed sic est distinguendum, Potest primò Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione, non potest contra ipsum intentari bellum ab alio Rege, etiam probabiliores habente rationes facti.* Ioan. Sanch. d. 64. num. 56 *Ioan. Delugo* tom. 1. de Iust. d. 16 sect. 5. num. 98 *quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes fideles subsunt, quamque nos supra* §. 3. n. 14. *attulimus, & inculcavimus.*

9. *Certè in hoc casu possessionis, quando probatio facti ex probabilioribus rationibus uni favet Regi, & in casu, quem* num. 30. *huc remisimus, non est improbabile posse recurri ad Iudices eo modo, quo laudatus Castropalaus* l. c. *prosequitur; illum si placet, adi, non enim nobis est otium, ea, quæ raro contingunt, universa percurrere.*

10. Num 34. *Potest secundo dictum Regnum vacare; hoc est in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in eiusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet. Ita Vasquez & Tanner, quos sequitur citatus Merolla tom.* 1. d. 3. cap. 4. dub. 3. num. 204 *Ratio est, quia obstat ius Regni vacantis, dum enim non est certum ius pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet. Sic Salas,* p. 2. tr. 8. d. un. sect. 13. num. 128. apud Castrop. cit. n. 10. *prævalet enim Regni libertas, si non constat de servitute. Quare tunc Regnum vel se gubernet, vel si alterutri ex Regibus gubernandum sponte tradat, vel certè recurratur ad Iudices eo modo, quem idem Castropalaus ibidem affert.*

11. Num. 35. *Postremò si certus sit Rex Regnum ab alio Rege possessum esse suum, illum admoneat, ut Regnum consignet Domino: si renuat, bellum gerere contra ipsum poterit. Ita Vasq. Molin. Salas apud Castrop.* cit n. 13. *quamvis enim Rex, qui occupat Regnum, non cognoscat veritatem, adhuc iniuriam materialiter facit, quam propulsare licet illi, qui de sua re certus est.*

12. Limitationes autem necessarias antea attulerat Tamburinus, in quas Baronij oculos non incidisse mirum non est (quare sinceræ illum nunc excuso) siquidem illæ alio in loco sunt ab eo, in quo agitur de Rege. Sunt enim, ubi est universalis disputatio de probationibus æqualibus circa ius, vel circa factam, & sunt huiusmodi.

13. Tamb. Num. 14. *Verum, quando rem* (ait l. 1. cap. 3. §. 3. num. 14.) *de qua sunt æquales rationes quoad probationes Iuris, altera ex partibus possidet; an possit parti non possidenti ea attribui, maior est controversia; puto tamen privatos (nam quid in hoc casu facturus sit Iudex, dicam* mox §. 4. à n. 1.) *non posse sibi à parte, quæ possidet palam, vel occultè, eam auferre. Ita Thom Sanch.* l. 6. in Decal. c. 3. n. 7. & l 4. in Decal. c 40. n. 18. *Castrop.* tom. 1. t. 1. d. 3. p. 2. n. 11.

*Ratio est, quia licet quis habeat opinionem probabilem, imo probabiliorem, quo ad ius, aliquam rem esse suam, nisi habeat certitudinem saltem moralem, rem verè esse suam, non est probabile, posse facere spolium authoritate propria contra possidentem. Vtiorior autem ratio est, quia etiam hìc maximè militat illud, in pari causa melior est conditio possidentis. Par autem moraliter semper est causa utriusque litigantis, donec utriusque causa in iure probabilis perseverat; & altera extra non transit in certam.*

14. Num. 15. *Non ignoro aliquos apud Ioan. Sanchez* d. 43. à Num. 49. *docere, habentem rationes probabiles, quo*

*quo ad ius, posse licitè alterum similes probabiles rationes habentem occultè à possessione spoliare, sibique rem vindicare, modo res non sit deducta ad forum contentiosum; tunc enim ratio dictat, ut expectetur Iudicis sententia: Et modo cesset scandalum & turbatio. Non, inquam, id ignoro, nam propterea propter authoritatem Doctorum extrinsecam hac sententia non est censenda, saltem quoad aliquos casus, improbabilis.*

15. *Et certè quamvis Ioannes Delugo* de iust. tom. 1. d. 16. num. 106. *non audeat universaliter hanc sententiam approbare, tamen in particularibus quibusdam eventibus, quos Doctores afferunt, (affiram ego* mox num. 25. *exemplo 19. & 20. &* §. 4. num. 31. nonnullos) *non invitus approbat, quia, inquit, fortasse in particularibus casibus Doctores id propter aliquod caput concedere voluerunt; cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere, potuerint.*

16. Audisti, Lector, illud *(modo non sit deducta ad forum contentiosum)* & illud *(modo cesset scandalum, & turbatio)* quæ certè turbatio soleat magna sequi, quando proceditur ad bellum, & illud restrictivum *(saltem ad aliquos casus)* & illud *(Doctores non audent hanc sententiam universaliter approbare)* & illud, *(non viderunt caput; unde in omnibus casibus idem concedere, potuerint.)*

17. Quod si Ioan. Sanch. aliique nempe Suar. Thom. Sanch. Navar. Reginald. Malder. Victoria Covar. Filliuc. quos pro se Ioan. Sanch. *disput. 44. à num. præsertim 58.* aliquid plus concedant, quam concedat germana Tamburini doctrina, fides apud illos sit, cum Tamburinus non approbet sententiam Ioan. Sanch. absolutè. Et, quando addit *suprà n. meo 5. & 6. num. autem suo 31. &* 32. ex bonorum Doctorum authoritate inferri bellum posse, video) ostendit se id videre, non tamen absolutè approbare. Et, quando *num. meo 14. suo autem num. 15.* dicit, eam sententiam non esse censendam improbabilem, addit limitationem (saltem quo ad aliquos casus) non ergo universalitèr.

## CAPVT XIII.

### *De subditis quoad Gabellas.*

1. BARON. XII. *Habet etiam rationem subditi, eximit illum à Vectigali, cujus non habeat compertam æquitatem.*

2. Hæc audes comminisci, & ne legisti quidem textum Authoris? Faciam ego ut hîc legas, & sanè absque magna ingenii contentione intelligas. Doctrina Tamburini hæc ipsissima est.

3. TAMB. *Subditus* (ait lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. vers. Gabella) *qui omnibus expensis dubitat, an Gabella sit justè imposita, teneturne illam solvere? teneri docent alii, ut Less. & Malder. apud Caramuelem mox citandum, quia possessio iustitiæ præsumenda est pro Principe. Non teneri putant Villal. Castrus, Aragon Molin. Filliuc. Sylvest. aliique apud Caramuelem mox citandum, quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de Iustitia. Caramuel* lib. 3. Theol. moral. num. 1466. *asserit tributa sive nova, sive prisca non poni levitèr, sed magnæ considerationi, ergo dubia nequaquam erit tributi justitia, sed certa, vel probabilis. Si certa omnino debebitur, si probabilis non debebitur, quia probabilia neminem involuntarium cogunt, nisi in ea Rep. esset lex acceptata, ut subditi teneantur ad obediendum, etiam in materia probabili. Omnes hæ tres sententiæ sunt probabiles, quia bonis fundamentis innituntur, & Ianuarius quidem* p. 1. resp. 51. *citans Lessium, aliosque contra Suarez docet, non teneri quempiam ad Gabellas non solum quando dubiè, sed nec quando, opinabiliter solum, sunt justæ, cujus doctrinæ fides sit apud ejus Authores.*

4. Duas igitur hîc secernit Author quæstiones; altera est, an, quando, omnibus expensis, dubitatur, num Vectigal, seu Gabella sit justè imposita, liceat eam non solvere. Et licere, dicit, esse probabile cum Villabos, Castro, Aragonio, Molin. Filliuc. & tui Ordinis Sylvestro, & cum priore parte dicti Caramuelis, quia tunc dubia est obligatio solvendi, ac possessio libertatis, & rerum subditi, certa. Altera est, an quando Gabella est solum opinabiliter (quod idem est, ac probabiliter) justa, licitè possit ab ejus solutione se subtrahere subditus, & dicit, Ianuarium citantem Lessium, aliosque docere, utique licitè posse. Sed noster Tamburinus expressis verbis vel non assentitur, vel decernere refugit. Nam sic addit. *Cujus doctrina fides sit apud ejus Doctores.*

5. Qua igitur ratione absolutè asseris, Tamburinum eximere subditos à solutione Vectigalis, cujus non habent compertam æquitatem, cum ipse, vel non requirat ad obligationem solvendi, ut compertam, hoc est, certam habeant æquitatem subditi, vel si habeant opinabilem, id est probabilem, remittat ad eorum Doctorum fidem.

6. Et consequenter quando illas tres sententias esse probabiles, censet Tamburinus, cum quæstio proposita solum fuerit de casu in quo res est anceps, seu dubia, solum pro eo casu dubii tres illas sententias ipse approbat. Nam, quoad posteriorem partem dictam à Caramuele, quando scilicet justitia vectigalis est probabilis, jam id erat Tamburinus relicturus apud aliorum fidem. Video clarius potuisse, & distinctiùs loqui præceptorem meum, addendo sic, cujus doctrinæ fides sit apud ejus Doctores, & apud Caramuelem quo ad posteriorem partem sui dicti. Sed excusandi sunt scriptores, nam multa sæpè omittunt, quæ accuratus lector ex contextu, & ex præcedentibus, & subsequentibus ex se ipse intelligat.

## CAPVT XIV.

### *De Iudicibus.*

1. BARON XIII. *Non sunt expertes ejus liberalitatis, & beneficiorum Iudices. Qui omnia profert ex inexhausto probabilitatum thesauro, & promptuario.*

XIV. *Inde asserit illis jus rerum omnium, quarum lis apud ipsos movetur, ut visum fuerit abdicationis, & adjudicationis, quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria.*

2. Et rursus audes dicere omnium? omniumne legisti in Tamburino, nec notasti, quam cautè ipse ratiocinemur? Et, ut fiat dignum patella operculum, addere audes de tuo, consecutionem illam, *Quam vendere quis vetat, cum sit gratuita, & arbitraria?* Tamburinus hanc consecutionem prorsus inde suo in Decalogo negat, quia antecedens, unde colligi poterat, improbabile omnino putat. Sed hunc locum Baronius, vel non legit, vel dissimulavit; legam ego, & benevolis lectoribus legendum mox tradam, ut pote qui fideliter loca Authorum referre, profitear.

3. Sed prius illud agamus, quod prius propositum est, nempe illud (omnium) postea de consecutione superaddita.

TAMB. *Si omnibus expensis,* (ait. lib. 1. in Decal. cap. 3 §. 3. ver. Iudex) *lis civilis sit dubia, neutro ex litigantibus possidente (nam, alterutro possidente, lis non erit dubia, sed probabilis pro ipso possessore, ut suprà* §. 4. *à num. 1. vidimus, quem locum omnino recole) si lis, inquam, civilis sit dubia, Iudex non potest, nisi rem dividere, idque propter officium Iudicis, ut ibidem latè dictum est. In lite, seu causa criminali reus erit liberandus, ut ex* ibid. n. 10. *dictis colligi potest.*

4. Hoc nempe est *rerum omnium, quarum lis apud Iudicem*

*Iudicem movetur?* & hoc item est (*ut visum illis fuerit.*) Verum legamus etiam locum, ad quem nos remittit Tamburinus. Ubi quam frequenter, & quam contentiosè infringantur istud (omnium) apertissimè constabit.

5. TAMB. Num. 1. *Dico primò si sint rationes* (ait l. 1. in Decal. c. 3 § 4.) *æqualiter probabiles circa factum inter civiliter litigantes, Iudex non potest sequi, quam maluerit, opinionem, sed tenetur rem modo mox expliando dividere. Sic Salas, Villal. Coninch. Sanch. aliique apud Castrop.* tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 10. n. 2. *quibus adde Laym.* l. 1. §. 3. n. 16. *Ratio est quia juxta nuper dicta hic aliquid obstat, ne probabilem quamlibet opinionem Iudex sequatur; est autem ipsum munus Iudicis. Præscribit enim lex, imo ratio ipsa dictat, ut, ex officio, vel ex pacto tacitè inito cum Rep. Iudices inquirant diligenter, quantum possunt, veritatem, & judicent secundum allegata & probata, merita causæ ponderando. Adjudicent ergo rem melius probanti; vel si major ratio non adsit pro alterutro, dividant utrique. Quid si res sit individua? aliqua ratione res componatur inter partes, dando uni rem alteri æstimationem suæ partis, & ni sic litigantes quiescant (cum non sit major ratio, cur uni res adjudicetur, alteri pretium) sorte poterit lis, quoad hoc, definiri. Ita Merolla* tom. 1. d. 3. c. 4. dub. 3. concl. 4. num. 170.

6. Num. 3. *Ex hac conclusione vides primo, cur privatus possit authoritate propria dare crumenam illam modo dictam Petro, vel Paulo, ut libuerit; Idem autem non possit Iudex ex officio, qui tenetur eam dividere,* vide supra §. præc. num. 27. v. Septimo si sint. *Ratio enim est, quia Iudex debet sarta tecta custodire merita causæ ex pacto inito cum Republica; cum privatus, quia à simili pacto liber existit, utatur jure suo, sequendo opinionem, quam malit, probabilem, & sic illa circumstantia muneris Iudicis facit pro ipso proximè improbabilem opinionem illam, quæ proximè probabilis est pro privato.*

7. Num. 4. *Vides secundo, cur aliqui* (& quidem merito) *limitant hanc conclusionem, ut Iudex in aliquibus civilibus causis, puta dotis, matrimonii, libertatis, pupilli, peregrini, viduæ, locorum piorum, quæ sunt causa priviligiatæ non possit rem dividere, sed obligetur ad ferendam sententiam pro his privilegiatis. Ratio enim est, quia lex, quam servare tenetur Iudices, decrevit, ut his in pari casu fueretur: id, quod si est otium, vide fusius apud DD.* Lege cap. fin de sent. & re judicata. *Mascard.* de probat. v. opinio n. 14. concl. 1143. 10.

8. Num. 5. *Dico secundo, si rationes circa factum inter eosdem civiliter contendentes, probabilius pro uno probent, quam pro altero, tenetur Iudex probabilius probanti rem per suam sententiam adjudicare. Sic Sanch.* d. 44. num. 51. §. in secundo. *Ratio ducitur ex eodem principio, quia Iudex, ex legibus, & pacto inito cum bono publico, ferre sententiam debet pro melius probante causam suam. Excipe nisi maioritas probabilitatis sit adeo exigua,* (*quia modica*) *pro nihilo reputanda sit; tunc enim recurrendum erit ad præcedentem conclusionem num. 1. dictam.*

Num. 6. *Maior autem probabilitas omnibus diligenter à Iudice, sive ex parte facti, sive ex parte iuris, perpensis, prudentis arbitrio est ponderanda, & quidem non raro tanta potest esse maior probabilitas, ut etiam si alter, cui minor probabilitas favet, possideat, debeat per iudicem à possessione depelli; id enim Iudici ex officio incumbit, ut dictum est.*

9. Num. 7. *Dico tertio, si rationes circa Ius probent æqualiter pro collitigantibus civiliter, nec impediunt rationes circa factum, ut impediret, si de facto alter possideat, vel quod dixi* num. 40. *Iudex non potest, ut ego certum puto, rem, cui maluerit, adjudicare, sed modo paulo ante dicto, debet rem dividere. Ratio efficax mihi videtur esse quia non video, cur hic non militet eadem ratio ducta à Iudicis munere, modo inculcata. Quæso, Lector, rem naviter perpende, nam summam paritatem, ne dicam iden-*



*titatem invenies. Dixi* (*ut ego certum puto*) *nam propter extrinsecam bonorum Doctorum authoritatem, asserentium in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit sententiam pronuntiare, potes id, ut probabilem si velis, amplecti, cum limitationibus dictis* n. 4. *lege Merol.* tom. 1. d. 3. c. 4. n. 182. *Ita Sanch.* in Decal. l. 1. c. 9. n. 45. *Franc. Deluge.* p. 1. de cur. q. 8. n. 66. *Texeda* tom. 1. *contra Mer.* l. 2. contr. 8. n. 15. *aliique.*

10. Num. 8. *Dico quarto. Multo magis res à Iudice dividenda modo dicto est in Civilibus, si sint rationes tam circa Ius, quam circa factum æqualiter probantes. Sic Merol.* l. c. n. 166. *Banez, Sanch. Layman. aliique apud eundem. Id enim multo fortius probat dictum Iudicis munus; Ita ut aliqui, qui nobis adversantur in præced. conclusione, ultro hanc præsentem amplectantur.*

11. Num. 9. *Dico quinto. Si rationes circa jus probent magis pro uno, quam pro altero in litigantibus civiliter, non potest Iudex, nec dividere etiam pro rata probabilitatis nec tribuere cui maluerit, sed ferre sententiam debet pro habente maiorem probabilitatem in jure. Semper excipe, nisi maioritas sit exigua, nam tunc iuxta regulam communem, Parum pro nihilo reputandum erit, & iudicandum, ac si essent rationes æquales modo iam dicto. Ita Sot. Val. Tamer. Suar. Sanch. Beesser, aliique, quos citat & sequitur Pater Sardi* de consc. d. 4. cap. 27. num. 10. *Ratio autem nostri dicti est, ipsum munus Iudicis toties repetitum, quod hic uti agitur de iure, iuxta quod resp. vult Iudicis dirigi, permaximè militat.*

*Sico, Doctores non infimæ notæ contrarium asserere, ut Io. Sanc. Salon. Salas, Texed. Casp. Hurt. aliique apud Bardi* l. c. *putant enim in hoc casu posse Iudicem, cui voluerit, rem adiudicare, quia semper probabiliter, atque adeo prudenter adiudicabit. Sed profectò non probabiliter proximè propter novam hic superadditam rationem muneris Iudicis; nolo tamen à probabilitate saltem extrinseca tantorum sententiam DD. excludere.*

12. *Non nemo hoc ex P. Bardi* l. c. à n. 14. *admittit hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto allatam, illamque peracriter probat. Sed deinde* l. c. n. 20. *non admittit doctrinam à nobis modo* n. 8. *in quarto tradicto traditam Verum nec ipse tentat disparitatem afferre, nec solidam afferi posse videtur. Hæc omnia habet textus.*

13. Quot divisionibus, & limitationibus Tamburinus Judicis potestatem restringit? & nihilominus Baronius dicit, *ipsum concedere illis ius rerum omnium, quarum lis apud eos movetur.*

Venio nunc ad consecutionem, quam ex suo inexhausto thesauro, & propriæ voluntatis Promptuario educit Baronius, hoc est ad illam (*quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria?*) de hac venditione sic habet noster Author.

*Venditio sententiæ probabilis.*

14. TAMB. *Occurrit hic non absimilis difficultas* (ait l. 8. in Decal. tr. 3. cap. 7. §. 13.) *in Iudice. Supponamus probabilem esse eum opinionem, de qua latè dixi* l. 1. c. 3. *quam præter ibi citatos sequitur Dicast.* l. 2. de Just. tr. 1. d. 5 dub. 7. à num. 280. *licere Iudici ex duabus opinionibus æquè probabilibus unam eligere, & iuxta illam proferre sententiam. Iam inquiro, licitene, & iustè accipiat Iudex pecuniam, ut potius illam eligat, quæ mihi favet, quam illam, quæ meo adversario.*

*Respondeo. Cum illam sententiam ego improbabilem iudicaverim, & pluribus reprobaverim ibidem, consequenter asservo locum hic non habere quæstionem hanc, eam tamen legat qui velit apud Less.* l. 2. c. 24. d. 9. n. 64. *Val.* 22. q. 63. art. 4. d. 5 q. 7. p. 4. *Salon.* 22. q. 62. a. 4. contr. 2. *ac probabile iudicat Fag.* l. 8. in 8. Dec. præcept. c. 26. n. 34. *licet probabilius putet oppositum.*

15. Ubi in his postremis verbis cum dicit Author (*ac probabile iudicat Fagundez.*) solum refert hujus judicium, & non approbat, cum ipse modo dixerit, eam sententiam improbabilem esse, & à se pluribus reprobatam.

16. Vnde etiam videre potes, tametsi modo *num. meo 9. num. autem seq 7. & item num. meo 11. num. autem seq 9. fin.* dixerit Tamburinus, propter authoritatem extrinsecam posse Iudicem ex duab. probabilib. opinionib. eligere, quam malit, tamen hic, dum inculcat eam libertatem in Iudice fuisse à se reprobatam, audeo suspicari, si quid antea fortè Tamburinus concesserat, ipsum nunc retractasse, dum tam expresè ut dico, docet, eam sententiam fuisse à se reprobatam pluribus.

Præterea recole, quod suprà *cap. 12. num. meo 15.* dixit ex Delugo Tamburinus, hoc est, in aliquibus casibus fortasse DD. aliquid, propter aliquod caput, concedere valuisse, cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere potuerint Recole, inquam, id, fortasse enim simili modo aliqui ex illis Doctoribus qui concesserunt eam libertatem Iudici in sententia ferenda, non propterea statim concedent, sententiam illam, posse ab eodem vendi. Ab hac enim consecutione dum illi abstinent, fortasse indicant aliquid vidisse, unde illam deducere non potuerint: Baronius vero nimis cito eam consecutionem efformare, non dubitavit.

## CAPVT XV.

### *De Furibus*

1. BARON XV. *QVi adeo largus est in Iudices, non est parcus in furibus, & reis. Permittit, constante gravi necessitate, cuique non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.*

Duo hîc consideranda proponuntur, alterum *(instante gravi necessitate permittit propria occultare bono publico.)* Alterum *(permittit in eadem gravi necessitate, etiam aliena surripere.*

2. Quoad prius afferam Tamburini germanam doctrinam, & à Doctoribus comprobatam de occultatione propriorum bonorum, quæ solet fieri Fisco, volenti occupare bona confiscata. Id enim (puto) intelligit Baronius per illud (*bono publico*) nam si per hæc verba intelligat bonum publicum Reip. quod periclitaretur, si occultarentur bona privatorum necessaria ad dictam Rempublicam conservandam: certè valdè diversa quæstio esset, quam latè, & cordate cum suis necessariis distinctionibus tractat Tamburinus *lib. 5. in Decal. c. 1. §. 1. a n. 6.* qui locus, quia ad rem nostram minimè pertinet, legatur ab eo, cui est otium, & id sciendi cupiditas. De occultatione igitur bonorum facta Fisco, quæ videtur tandem aliquo modo facta Reip. atque adeo bono publico, ita habet Tamburinus.

3. TAMB. *Secunda Regula* (ait lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 4. n. 10.) *ex DD. mox citandis. Sive dicamus, talem hæreticum amittere dominium suorum bonorum à puncto commissi criminis, sive non amittere; certum sit non obligari in conscientia, ante sententiam se spoliare suis bonis, seu ea Fisco tradere. Ratio huius Regulæ est, quia extra potestatem legislatoris humani est, posse per legem obligare delinquentem ad exequendam contra se ipsum pœnam gravem, & acerbam; cum bono communi repugnet talis obligatio; est enim humanæ infirmitati contraria, multisque transgressionibus obnoxia; at gravissima pœna est, sua substantia amittenda quempiam executorem constituere. Ex hac Regula vides quantum inveniuntur delinquentes, non solum in hæresi, sed etiam in aliis criminibus, quibus ipso facto annexa est pœna confiscationis: possunt enim sine scrupulo retinere, & frui suis bonis, donec detur sententia declaratoria saltem criminis. Possunt item, ante eam occultare sua eadem bona, & Fisco non tradere, nec Fiscus ante dictam sententiam potest sibi ea accipere, quia delinquentes adhuc iure possident. Solum posset Fiscus ea sequestrare, & alicui custodienda tradere, ne distrahantur. Possunt, denique ea dando, alienare, vel vendendo, modo ea recipienti damnum evenire non possit; quia licet illa alienatio annullanda veniat, tamen donec annulletur, valida est. Si igitur ex futura annullatione damnum proventurum non sit recipienti, non est unde illicita censeri possit. Ita Sanch. l. 2. in Dec. c. 12. n. 69. Far. de hæresi q. 190. §. 5. n. 82. Bonac. 3. de contr. q. 8. p. ult. §. 3. n. 4. aliique ab his citati.*

4. *Tertia Regula ex Doctoribus citatis* (addit & Cotrop. disp. 5. punct. 18. n. 3.) *Post sententiam licet possit delinquens retinere ea bona, paratus tradere, si exigantur, nec obligetur ea offerre, seu manifestare Fisco, tamen non potest positivè resistere eius executioni. Ratio posterioris partis Regulæ est, quia post sententiam Fiscus acquisivit perfectum dominium illorum bonorum. Ratio prioris est, quia nimis durum esset, obligare delinquentem ad exequendam tantam pœnam contra seipsum, quare præsumitur, tanta lex concedere ea bona fruenda delinquenti, donec Fiscus exigat. Quam legem sequitur Covarr. Simanc. Azor Molin. Sanc, Bonac Suar. Farin.* ab eodem ibid. cit. *Scio Castropalaum l. c. n. 6. contrarium nobis esse in hac priore parte Regulæ; quia si delinquens, ait, amisit omnino dominium & possessionem per sententiam; non poterit ulla conscientia ea retinere. Scio, inquam, hoc; sed ei sic simpliciter respondetur; ita quidem futurum fore, nisi lex, ut dictum est, concideret; concidit autem, ne quid nimis acerbum & extra humanas vires præcipere, convincatur.*

5. *A que ex hac Regula sit primo posse delinquentem ita iis bonis frui, non exigente Fisco, ut postea Fisco exigenti non obligetur ad resarciendum consumptum; quia, ut dictum est, donec is non exigit, conceditur delinquenti suorum bonorum liber usus.* Ita iid. m.

*Fit secundo, non posse eundem delinquentem, imò & eius hæredem, vel quemcumque possessorem eorum bonorum ex proposito, tunc* (scilicet post sententiam) *occultare, nec Fiscus ea occupet, nec iidem possunt negare se ea habere, si à Fisco interrogentur, nec tradere alteri clam conservanda, quia sic positivè resisterent, ne Fiscus iam exigens consequeretur ea bona, quæ per sententiam sua iam omnino sunt. Ita iidem.* Hactenus Tamburinus.

Hæc sunt perspicua adversus priorem evillationem Baronij, transeo ad posteriorem, de rapiente aliena, gravi instante necessitate. Sic autem habet Tamburinus.

### *An extremè, vel graviter indigenti liceat furari,*

6. *Quid sit extremè* (ait l. 8. in Decal. tr. 1. cap. 5.) *quid graviter, quid communiter indigere, satis ex licimus in superioribus l. 5. cap. 1. §. 1. num. 13. qua omnino sunt recolenda; ut etiam quæ sunt bona necessaria ad vitam, quæ ad statum, quæ superflua. Quibus habitis, tria pro certis ab omnibus teneri puto, tria esse controversa.*

7. *Certum est primo, extremè indigentem posse quolibet surripere, quod sit necessarium ad extremam indigentiam sublevandam, Ratio communis est, quia res temporales sunt à Deo datæ, ut vita omnium rerum temporalium nobilissima conservetur, quod vita conservanda iuxta cum nemo à se abdicare poterit per rerum divisionem iure Gentium introductam; Fit ut in ea necessitate omnia sint communia; nec illorum Dominus possit sine peccato eius scientia, quam mox §. 2. à n. 4. decernam, impedire, imo si impediet, posset cum moderamine inculpatæ tutelæ ab indigente occidi. Si tamen sit, qui probabiliter indigentem sublevet, vel ipse exercendo artem suam sibi succurrere possit, non peccabis impediendo, vel non dando, & ipse si à te sumeret, fur esset, & Latro. Ita Castrop. tom. 1. tr. 6. d. 2. de Char. p. 2. n. 4 quia in his circumstantiis non est in necessitate.*

8. *Certum mihi est secundo, idem esse dicendum in valde gravi necessitate, quod in extrema. Ita idem n. 13. & p. 9. num. 5. Lessius l. 2. cap. 12. num. 71. Suarez alibi. quo quos refert Delugo loc. cit. sect. 7. num. 153. contra Turr. Azor. Caietan, ab eodem relatos Dicastil. lib. 2. de Iust. tract. 2. d. 9. dub. 9. n. 256. alios citans. Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem,*

*qua*

*quæ facilè vergit ad extremam, à se quisque, quoquo modo poteſt, avertat.*

9. *Unum pro utriſque his certis adverto, à proximo extreme, vel graviter indigente, te extreme item indigentem non poſſe illud ſurripere, quod indigentiam ſublevet, nec, te indigentem graviter ab graviter indigente. Ratio communis eſt, quia tunc ſine controverſia melior eſt conditio poſſidentis, atque adeo hic habet potius jus utendi rebus ſuis, ne pereat, vel ne cadat ex gravi ad extremam, quam quilibet alius.*

*An poſito, quod ſurripueris, obligeris in pari neceſſitate reſtituere, alia eſt quæſtio, alibi, Deo dante, decidenda.*

*Certum eſt tertio, ſicuti poteſt indigens in prædictis caſibus pro ſe ſurripere, ſic etiam alium pro ipſo ſurrigere in iiſdem caſibus poſſe, ſi is alius non habeat, unde poſſit de ſuo indigentem ſublevare. Ratio eſt, quia tunc is ſurripit nomine indigentis, & ut ejus inſtrumentum; ſed ſi is habeat unde poſſit de ſuo, non vulgaris eſt difficultas. Verum quia non eſt admodum frequens, & nimis prolixas expoſcit diſtinctiones, ſatis eſt eam videre apud Bonac. p. 2. de reſt. in part. q. 8. p. 3. n. 8. Vaſq. c. 2. de Eleemoſ. dub. 1. 2. 3. Delugo de Juſt. tom. 1. d. 16. ſect. 7. à n. 173. &c. Nam quæ ſequuntur non faciunt ad præſens inſtitutum.*

Hæc eſt vera Tamburini Caſtrop. Leſſ. Vaſq. & aliorum doctrina, quam ſi Baronius, vel Janſeniſtæ deſpiciunt, afferant meliorem, & acquieſcam.

## CAPUT XVI.

### *De Reo imponente ſibi falſum crimen.*

1. BARON. XV. *SI Reum vitæ, & carceris tædeat, poterit, illo authore ſibi falſum crimen imponere morte mulctandum.*

Valde liberalis eſt Baronius, putans ſolum tædium vitæ, & carceris (qui certè modus loquendi videtur ſignificare, moleſtiam non eſſe valde gravem) ſufficere ex authoritate Tamburini. Videamus ergo quid hic ſignate requirat ſtrictius, *lib. 9. in Decal. c. 3. § 6. n. 4.*

2. TAMB. *Sunt tamen diligenter duo diſtinguenda. Poteſt enim ſe quis infamare, vel propalando peccatum ſuum verum, vel impingendo ſibi peccatum falſum. Hoc difficilius eſt, illud ſanè facilius.*

3. *Dico enim primo, ad evitanda tormenta gravia, imò & levia, poſſe quemlibet occultum ſuum, quod commiſit crimen, manifeſto proferre, etiamſi ſit tibi mors imminens ſequutura. Ita Leſſ. Salon. Clavis Reg. aliique apud Bonac. d. 2. de reſt. q. 4. p. 10. n. 7. quibus adde Tolet. alioſque cit. à Delugo l. c. num. 174. contra Molin. alioſque ibid. cit. Ratio eſt, quia quilibet poteſt cum laude mori propter ſcelus à ſe patratum morte dignum, & ex alia parte obligatio conſervandæ famæ non eſt tam rigoroſa, ut ex dictis patet.*

4. *Dico ſecundo, ad tormenta, damnaque gravia vitanda, poſſe quemlibet ſibi falſum crimen imponere, etiam ſi mors ſit ſibi ſecutura: at non ad vitanda levia. Ita Barthol. à Fauſto. in ſpec. Confeſſ. d. 21. q. 6. n. 5. & 6. licet immemor ſui dicti, non poſſe ſine mortali dicat ibid. d. 1. q. 24. n. 14. Ratio prioris partis eſt, quia nemo tenetur cum tanto incommodo vitam ſibi conſervare, ut alibi dictum eſt. Ratio poſterioris eſt, quia quilibet tenetur vitam cuſtodire, quando non ſine magna difficultate poteſt, at nunc poteſt tormenta levia ſuſtinere: ideo enim levia ſunt, quia ſuſtineri à te poſſunt, ſecus eſſent gravia. In priore dicto ſemper ſupponimus abeſſe perjurium, cui infamator ſui providere non difficulter poterit per æquivocationem; itemque abeſſe damnum tertii: quod ſi fortè occurret, ut ſi idem infamet familiam, &c. providere etiam illi damno poterit, ſe ſtatim retractando, ac publicè fatendo, ſe tormentorum vi ſibi crimen compoſuiſſe. Verum debet eſſe ſpes, ejuſmodi retractationem profuturam, quæ regulariter non adeſt: nunquam enim illi retractanti creditur à Judicibus?* Hæc noſter Author.

5. Notanda ſunt illa verba *ut imponente ſibi falſum abſit perjurium*) cui tamen adhibet remedium ductum ab æquivocatione; hanc enim adhiberi poſſe cum cauſa, ſupponit ex multis Doctoribus, &c. Et item illa (*ut ſit ſine damno Tertii*) &, quamvis hic adhibeat etiam remedium ex retractatione, concludit *huic retractationi regulariter fidem non haberi.* Cum igitur, ut vides, Lector, tot cautiones Tamburinus adhibeat, potes non ſuccenſere Baronio qui duobus verbis tam diminutè ejus doctrinam evulgat? quique quod nimis ſæpè conqueſtus ſum) ſupponere videtur eſſe hanc ſolius Tamburini? Audiamus Joan. Sanchez alios citantem.

6. JOAN. SANCH. *Hinc ad vitanda gravia* (ait diſput. 47. num. 16. *tormenta excuſabitur quiſquam etiam à veniali labe, falſum ſibi imponendo, licet ob illius confeſſionem eſſet morte plectendus, quia vita non eſt digna tanto dolore, & mendacium excuſatur æquivocatione in mente retenta, ſcilicet crimen commiſſe non re, ſed ſolum ut fateatur Judici ad evitanda tormenta. Hanc docet Leſſius, licet ſolum à mortali excuſet; at par ratio currit ad excuſandum etiam à veniali, & non eſſe mortale docet Navar. Angelus dicens id licitè fieri, ex quo excuſat etiam à veniali, Sylveſt. Tolet. Sotus, Vega, Sa, Coriolanus, Anton. Ragucius, & eſt multorum Recentiorum. Favet enim hæc opinio multis miſeris, qui alioqui non ſolum corpore, ſed etiam anima perirent, confitendo crimina falſa metu tormentorum, &c.* Et paulò poſt. *Quod etiam verum judico, licet falſum ſibi impoſitionem juret, &c.*

## CAPUT XVII.

### *De eodem Reo imponente falſum crimen teſti iniquo.*

1. BARON. XVI. *POteſt Reus falſum crimen imponere in teſtem iniquum, idque citra omnem injuſtitiam, imò citra culpam mortalem, & fortè venialem.*

Quod Tamburinus cum Bañez, Ledeſma, Joan. Delugo, Dicaſtillo docet, id non eſſe peccatum contra juſtitiam, verum eſt, at quod ſit ſine culpa, hoc profectò eſt nimis audacter, & falſo dictum. Ecce Tamburini germanam doctrinam.

2. TAMB. *Hæc paſſim in ore ſunt omnium* (ait lib. 9. in Decal. c. 2. § 2. à n. 4) *Illud ſingulare eſt, & difficile, an ſi alio modo te ab injuſto teſte tueri nequeas, licitè falſa crimina poſſis illi objicere, quanta ſufficiant ad tuam juſtam defenſionem? Dico affero, unum mihi ſatis probabile, alterum ſatis incertum.*

*Probabile mihi eſt, te, ſi id facias, non peccare contra juſtitiam, unde nec obligari ad reſtitutionem. Ita Bañez, Ledeſma, Joan. de la Crux allati à Delugo* tom. 2. de Juſt. d. 40 ſect. 1. num. 26. *Dicaſtillo latè contra quemdam innominatum l. 2. de Juſt. tr. 2. d. 12. p. 4. dub. 2. n. 434. & apud Dianam p. 9. tr. 8. reſol. 43. Ratio eſt, quia ſicuti, ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendaciis, & ſtratagemate curares, ut ille v. g. in foveam caderet, mendax quidem eſſes, ſed non injuſtus, cum (quoad juſtitiam) habeas jus te defendendi omnibus viis. Ita in caſu noſtro, &c. Ratio à priori eſt, quia defenſio vitæ contra injuſtè aggredientem aufert à quacumque tua actione ad defenſionem neceſſaria, omnem rationem injuſtitiæ.*

*Incertum mihi eſt, an id poſſit fieri licitè ſine ulla culpa? & quidem Delugo* ibid. ſect. 2. n. 25. *ſic habet. Certum eſt, non licere, quia ad minus erit mendacium, quod nunquam licet* (poſt quatuor interjectas lineas.) *Hoc falſum*, ait, *crimen teſtis erit probandum per teſtes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale & per*

*consequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale. Hæc ille, qui explicat Joannem de la Cruz, Bañez, Orell. Ledesm. apud Dianam mox citandum, quos in contrarium citat idem Dian. p.3.tr.5 res.4. atque, eos docere, non esse mortale ex parte injustitiæ, non vero, non esse mortale, ex parte perurij.*

4. *Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & perjurium, sequitur si solum esset mendacium sine juramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolutè de malo gravi contra proximum, tamen cum justè à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressè concedunt Hurtard. & Bañez apud Dianam p.9.tract.8. res.43.*

*Secundo, etiam accedente juramento, posset adhiberi æquivocatio, tum à me, tum ab iis, quibus certa est mea innocentia, & sic vitari perjurium, & mendacium, quo solo posito, negant communiter Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrinæ contrarij. Juramento autem æquivoco, etiam in judicio, sed illegitimum sit, me licitè posse uti docet Castropalaus cum aliis tom.3. d.1. de Juramento p.7.n.1. ergo etiam in judicio, ubi injustus est testis. Videbitur igitur alicui posse vitari mortale ab eo, qui, in prædicto casu, falso, vel illegitimo testimonio falsa crimina impingit.*

5. *Adhuc tamen incertum id esse pronuntio, ut quid enim? Si sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum? Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio, sed adhuc hæreo. Quid enim si sit necesse publicas scripturas ementiri, posset ne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis. Id enim non est Infidelem esse Reipub. sed maximè Fidelem, dum eiusdem Reip. sic innocentes defenduntur. Verum, si aperiatur hujusmodi ostium, quomodo stabunt publica judicia? Inveniantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt Tribunalia, Dum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica Judicia firmantur potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio. Quia tamen adhuc dubium audio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo. An reo liceat crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam inferius c.3.§.6.* Hactenus ille.

6. Quæ jam lecta sunt manifestè te convincunt de falsitate, Baroni; nam Tamburino videtur difficilis determinatio. Tamburinus hæret ad argumenta. Tamburinus in aliud tempus resolutionem differt, & tu tamen dicis, illius esse doctrinam, id fieri citra culpam posse? Quæ est isthæc licentia fingendi? Olim didici à Poëta Lyrico illud toties decantatum *Pictoribus, atque Poëtis, quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Nunc disco, etiam Theologum, etiam Magistrum, etiam Prædicatorem posse, imò re ipsa comminisci quæcumque velit.

Hactenus super congerie Tamburino imputatorum, transeamus ad alia, ad quæ Baronius transit.

## CAPVT XVIII.

### *De iis quæ in §.2. affert contra Tamburinum Baronius.*

1. TRia in hoc §.2. *pag.*73. jacula contorquet Baronius. Primo ait, se fidem habere nolle editioni Belgicæ affirmanti, protectam fuisse in Inquisitione Italica Doctrinam Tamburini in Decalogo allatam.

Secundo, se tamen fidem magnam habere Curatis Parisiensibus, qui curarunt offerre supplicem libellum adversus ejusdem doctrinam.

Tertio amplificat, censurat, detestatur opiniones prædictas, quas (cum quanta veritate seu fidelitate supra vidisti, lector) in §. primo imputaverat Tamburino, atque inducit quasdam impias consecutiones ex ejusdem doctrina.

Separatim scribremus singula initium facientes in hoc Capite à primo, nam de cæteris seorsim in capitibus sequentibus commodius disputabimus.

### *De protectione Sacræ Inquisitionis Italicæ super Decalogo Tamburini.*

2. Baronius fidem non habet editioni Belgicæ, & commentitium judicat testimonium in favorem doctrinæ Tamburini.

Profecto fateor, commentitium esse prædictum testimonium de ea doctrina, quam fingit Baronius esse Tamburini. Quis enim approbaret eas propositiones, ut ipse ex magna parte cum falsitate refert; nam paucæ cum veritate referri ex supradictis cuicumque perspectum est. Dico tamen verissimum esse suffragium Sanctæ Inquisitionis de vera doctrina Tamburini. Legimus prius testimonium, & deinde illius veritatem indagemus.

### *Epistola dedicatoria præfixa Decalogo Tamburini Insulis impresso.*

Reverendissimo Domino D. Hieronymo de Vecchiis Abbati Montis-Regalis in Belgio, & Burgundiæ Comitatu cum facultatibus Nuncij, Apostolico Internuncio.

3. THoma Tamburini è Societate Jesu, viri cum primis eximii lucubrationes eruditissimas Practicæ Theologiæ summam continentes, totaque Sicilia, & Italia celebratissimas nactus, huic etiam nostro Belgio ad suaviorem desideratissimæ pacis auram post diuturnas gravissimorum bellorum tempestates, nunc primùm respiranti, communicare cum esset visum, reverendissime Domine, cæpi circumspicere cuius potissimum auspiciis illud aggrederer; cum ecce venit in mentem, nihil prater modum me salturum, si ad Reverendiss. Dominationis Vestræ splendorem accederem, ut istæ sub hoc lucem aspicerem, si ad eiusdem amplitudinem confugerem, ut istas illâ tuteris lâ, ac protegeres, quas in Sicilia, quas in Italia à Cavillatorum maledicendi libidine securas reddiderunt Sacri Catholicæ Fidei Inquisitores. Et vero quis dubitet, &c. Insulis anno 1660.

Reverendiss. Dominationis Vestræ
addictissimus servus,

NICOLAUS DE RACHI.

4. Hoc testimonium fideliter esse relatum tum conjecturis, tum accessione alterius testimonii eorum dico esse censendum.

Conjecturæ sunt primo, verisimile non esse, dedicantem opus voluisse Nuntio Apostolico per solemne mendacium illudere. Secundo; Dedicationes hujusmodi solent antequam evulgentur, communicari Patronis, ad quos Dedicatio dirigitur, ne scilicet in aliquo, vel minimo apice ea sit causa offensionis. Quare Reverendissimus Dominus nequaquam permisisset mendacia (quæ facilè poterant Romæ convinci) se concelebrari. Tertio, credibile fit, ipsum Reverendiss. Internuncium hoc testimonium protectionis enarrasse in Belgio: cum enim Nuncii Apostol. frequentissimo commercio utantur cum Romana Curia, non erraret, qui putarat, ipsi Reverend. Domino Roma scriptum id fuisse.

5. Sed fac, nihili esse faciendas has conjecturas, aio, asse aliud testimonium, quo prædictum (si livore careas) certo confirmatur.

Nam ego juratus, hoc est, testem mei dicti Deum O. M. invocans, affirmo, Virum omni exceptione majorem, magnaque fide dignissimum enarrasse mihi, se ab hinc

hinc quinque circiter annos Romæ ob sua negotia commorantem audiviſſe, coram, à graviſſimo Miniſtro Sacræ Inquiſitionis Rom. ipſum eumdem Miniſtrum præſentem affuiſſe, quando ad dictam Sactæ Inquiſitionis Congregationem opus Decalogi P. Thomæ Tamburini (mihi videtur, addidiſſe etiam ejuſdem tria opuſcula, ſed hujus non bene memini) fuit allatum, diligenter fuiſſe lectum, eiuſque propoſitiones, quæ inſimulatæ erant cum libris ipſis, comparatæ, ac nihil inventum fuiſſe, quod expurgatione, aliave nota dignum cenſeretur. Hæc vir ille Sacræ Inquiſitionis Miniſter; addens, aliud explicatius ſe enarrare, ob horum Miniſtrorum ſolemne ſecretum, nequaquam poſſe.

6. His ego, & quilibet non livore tactus, fidem habere cogimur, ſi Baronius refragatur, credat ſuis Curatis, ut libet. Illud certè commendabile omnino fuit, quod Patres Sacræ Inquiſitionis Rom. mutilatæ doctrinæ compendioſa propoſitione contenti nequaquam fuere, ut Antigoniſtæ Tamburini fecerunt, ſed Codicem ipſum, ſed contextum doctrinæ ſed connexionem propoſitionum, & ſimilia propriis oculis excurrere voluerunt.

## CAPVT XIX.

### *De ſupplici libello Curatorum Pariſienſium.*

1. SEcundo Baronius *in d. §. 2. pag. 73.* ait, ſe fidem magnam Curatis Pariſienſibus habere, qui ſupplicem contra Tamburini Doctrinam libellum obtulere.

Miror ego, Baronium hujuſmodi Curatorum libellum magni facere, cum ipſe ſciat, ſive non oblatum, ſive non admiſſum, ſive ab illis, ad quos dirigebatur approbatum neutiquam fuiſſe, quia fortaſsè non eſſe germanam doctrinam Tamburini, cognoverunt. Et ſanè ſi umbra tenuiſſima alicuius reprobationis contra eam doctrinam affuiſſet, proh quantum in ea exultaret Baronius! ſed meritò vel invitus tacet.

Quare hîc mihi nullum ſupereſt onus hunc libellum refellendi, ſolum enim per abſolutam negativam pronuntio, & in Superioribus jam oſtendi, ſi propoſitiones illas *ſuprà cap. 1.* allatas continebat huiuſmodi libellus, ut ibi iacent, eas non eſſe, nec ſapere Tamburini germanam doctrinam, exceptis, ut modo notabam, paucis propoſitionibus, quas ex Superioribus colligere quis poterit.

2. Quod tamen profert hac occaſione Baronius æquis auribus audire non poſſum, nec debeo. Comparat Curatos illos cum Sacris Inquiſitoribus Italiæ, & audet dicere, eos non eſſe his inferiores. Hæc ſunt eius verba dicta *pag. 73.*

3. BARON. *Nec Inquiſitoribus Siciliæ, & Italiæ (quorum ſuffragium commentitium cenſeo) hi Curati (Pariſienſes) pietatis, eruditionis, prudentiæ, integritatis opinione, aut etiam amplitudine poteſtatis in ſubditos, inferiores ſunt, ut ex vera illorum expoſtulatione graviſſima nota non uratur, & illi commendatio accedat ex Inquiſitorum ſuffragio.*

4. Itane tuis Pariſienſibus Curatis (licet alias præſtantiſſimis) adularis, ut eos Superiores facias Eminentiſſimis Cardinalibus Romanam, ſeu Italicam Inquiſitionem moderantibus? Ergo Prælatos graviſſimos Sacræ Italicæ Inquiſitionis Præfectos, Præſtantiſſimos Viros à Summa Inquiſitione Hiſpanica in Siciliam Delegatos, Sapientiſſimos Doctores, Theologos, Jutiſconſultos, inter quos tui Sacri Ordinis plures doctiſſimi Magiſtri ſedent; ergo, inquam, hos tuis Parochis æquales, vel inferiores exiſtimas? Mirum: ſed illud magis, quod addis (*& etiam amplitudine poteſtatis in ſubditos*) ſive enim intelligas de multitudine ſubditorum, ſive de amplitudine iuriſdictionis, inquiro, an plures ſint ſubjecti ſingulorum dictorum Curatorum, ſeu etiam omnium collectivè ſumptorum, quam ſubditi totius Regni Siciliæ, totiuſque Italiæ? & iterum inquiro, an Parochorum tuorum iuriſdictio, & amplitudo poteſtatis ſe extendat ad ea, ad quæ latè excurrit iuriſdictio Inquiſitorum? Verum hæc ad meum inſtitutum non pertinent.



## CAPUT XX.

### *De jurgiis contra Doctrinam Tamburini; deque conſequentiis impiis, quas ex illa male intellecta deducit Baronius.*

1. PRior huius Cavillationis pars ex ſe, & ex dictis ruit. Ex ſe, quia quæ ſunt mera verba, vel iurgia, ſtatim atque contorta ſunt, langueſcunt, ſi Chriſtiana patientia tolerentur. Ex dictis, quia iam in ſuperioribus capitibus huius Opuſculi germanas Tamburini ſententias mecum ponderavit, approbavitque quilibet non iuvidus lector. Et nota artificioſam Baronii amplificationem. Ea enim ſubinde vertitur circa illud Tamburini verbum (probabilitas tenuis) & in *hoc §. 2.* Baronius rurſus dicit, quaſi à Tamburino dictum ſit (probabilitas tenuiſſima) imò ut Rhetoricè gradatim amplificet, vocat illam, filum tenuiſſimæ probabilitatis, & nunquam memmit doctrinæ ſolemnis Tamburini, qua ea tenuis probabilitas dejiciatur ita ab oppoſita parte, ut jam amplius probabilitas non ſit; ſed iam de hoc in ſuperioribus dictum eſt aliquid *c. 2. n. 9. & c. 9. n. 8.* & mox *num. ſeq.* & iterum *& cap. 23.*

Expendenda ergo ſolum à nobis eſt pars poſterior dicti à Baronio. Hoc eſt, videndæ ſunt conſecutiones impiæ, quas deduci poſſe ex Tamburini doctrina cavillari non dubitat. Eius autem conſecutiones in forma dialectica diſpoſitæ, hæ ſunt in unico argumento, à me facilioris intelligentiæ gratia collectæ.

2. BARON. *Ex Tamburino omnis tenuiſſima probabilitas ſufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citra culpam.*

*Sed Titius v. g. habet tenuiſſimam probabilitatem de mortalitate v. g. Animæ rationalis; quis enim dubitat eſſe de hac aliqua levia fundamenta, & conſequenter adeſſe tenuiſſimam aliquam probabilitatem? Idem de creatione mundi non facta à Deo. Idem de negatione exiſtentiæ eiuſdem Dei. Idem de libertate arbitrii non concordante cum gratia, & ſimilibus, quis enim dubitat, de his adeſſe aliqua levia fundamenta, &c.*

*Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeoque citra culpam, ſi aſſentiatur his propoſitionibus: Anima rationalis eſt mortalis. Deus mundum non creavit. Deus non eſt. Libertas non ſtat cum gratia, & ſimilibus.*

3. O dialecticum excellentem! quia uſum diſtinctionum non uſurpaſti, ideo in fallacias fœde lapſus es. Diſtinguenda enim eſt maior, & minor tui ſyllogiſmi ex ſolida doctrina Tamburini, & ſic reſpondendum.

TAMB. *Omnis tenuiſſima, imò tenuis, imò mediocris probabilitas ſufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citra culpam, quando hæc probabilitas abſorbetur ab oppoſita probabilitate, ſicuti abſorbetur candela à maiore luce, nego maiorem; quando non abſorbetur, concedo maiorem.*

*Sed Titius habet tenuem, vel etiam mediocrem probabilitatem de mortalitate animæ rationalis, quæ probabilitas non abſorbeatur, ſeu deiiciatur ab oppoſita probabilitate, nego minorem; quæ abſorbeatur, concedo minorem. Idem dic de creatione mundi, non facta à Deo, de negatione exiſtentiæ Dei, de libertate non concordante cum gratia, & ſimilibus.*

*Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur adeoque citra culpam, ſi aſſentiatur illis propoſitionibus, nego, pernego, & quilibet non cæcus pernegabit impiam conſequentiam, quia tunc non operabitur ex illa probalitate, quia iam dicta fuit.*

4. Quoad autem in prædictis omnibus illa sint levia fundamenta, quæ absorbeantur à solidioribus oppositæ partis, nulla est dubitatio, & fatetur ipse idem Baronius, dum dicit, illa esse fundamenta levia. Adi Theologos; imò pro aliquibus ex his consule Metaphysicos, nam ab his illarum veritatum solidissimæ rationes explicantur.

5. Præterea cum fideles his, & similibus mysteriis constanter, & certissimè assentiantur ex fide divina, non indigent aliis fundamentis, & rationibus probabilibus, seu probabilioribus ad assensum illorum, quasi expectent, quod probabilitas major de his mysteriis absorbeat illam probabilitatem de oppositа parte, sive mediocrem, sive tenuem, non, inquam, indigent; siquidem hæc certitudo fidei dejicit omnem probabilitatem cujuscumque gradus, quæ possit opponi pro parte contraria.

6. Unum hîc denique moneo lectorem, ut vigilet, quando in *hoc* 2. §. repetit Baronius, & impugnat propositiones eas, quas simul concessit §. 1. nam tunc semper erit recurrendum ad responsiones, seu ad explicationes nostras, seorsim in superioribus Capitibus allatas.

## CAPUT XXI.

### *Primum Paradoxum ex tribus imputatis Tamburino, hoc est, Jurare verbis æquivocis.*

1. PErgit Baronius *l. c.* §. 3. contorquere in Tamburinum multa multum amarulenta, quæ, ut alias dixi, ab animo pacato oleoque tranquilliore præceptoris mei sunt silentio superanda. Nulla enim tam atrox intentari potest injuria, quæ animum illum perturbare queat, qui vel ad patientiam à pietate, vel ad earum despectum à generositate movetur.

Iam post hæc primum Paradoxum Tamburini sic producit *lib. 5. cap. 3. fol. 91.*

BARON. *Hujus generis (Paradoxum) est, quod Tamburinus asserit, certum esse, jurare verbis æquivocis cum causa, perinde licitum, ac sine causa, illicitum esse.*

Addit immediatè in hunc modum.

*Quasi paris veritatis, & æquè receptum sit apud omnes, honestari posse quacumque causa juramentum æquivocum, ac sine causa damnari.*

2. In Tamburini doctrina non apparet illud (perinde) unde Baronius colligat interpretationem suam, (quasi paris veritatis) neque illud (quacumque ex causa) unde Baronius etiam de levissima agi causa conqueri possit, neque aliquod verbum, unde Baronius possit reprehendere Tamburinum, quasi dicat doctrinam illam esse receptam ab omnibus, quare igitur illa promit? Sed fœcundissimus est nostri impugnatoris campus; & semper Africa novi aliquid apportat.

2. Venio ad rem. Duas habet partes hæc doctrina quam refert Baronius, ut idem ipse notat; Prior est, jurare cum causa verbis æquivocis, est licitum. Posterior jurare verbis æquivocis sine causa, est illicitum.

Quoniam ergo hæc pars posterior certa est omnibus, etiam Baronio id fatenti, cur is appellat hanc doctrinam Paradoxum, per quam vocem à Græcis vocantur admirabilia præter opinionem omnium? Prior autem pars cum à multis Doctoribus (ut ipse idem Baronius notat, licet acriter impugnet) censeatur vera, esto à multis falsa, cur eam inter Paradoxa connumerat? Certè si is dixisset, partem hanc priorem à Tamburino dictam esse improbabilem, esse à veritate alienam, posse rationibus fortibus refelli, nihil succenserem: sed cur hoc vocabulo odioso Paradoxi illam appellat? & injuriosius, atque falsius in eodem §. 3. addit, esse hæc Paradoxa à Tamburino inventa, & ab aliis Doctoribus longè distantia? Ultra opinionem ne est, & à reliquis Doctoribus longè distans id, quod plures doctissimi Theologi non levibus innixi fundamentis opinantur? Hos plures Doctores mox proferam *a meo n. 6.*

4. Dices illud dixi, quia Tamburinus paris veritatis, & certitudinis facit priorem partem cum posteriore. Respondeo, ubinam est hæc paritas, quam indicem Tamburinus? Nonne illam fingis, sicuti finxisti alia supradicta? Tamburinus non dicit esse paris certitudinis unam, & alteram partem, sed istum dicit, certum esse, unam partem esse licitam, alteram non item, sine ulla prorsus comparatione, & esto adsit implicita aliqua comparatio, hæc non est in omnibus: Paritas enim non est necesse, ut ambulet (juxta rusticorum locutionem) cum quatuor pedibus. Comparatio enim in casu nostro solum effugiet, in eo, quod utrumque apud Tamburinum sit certum. Quis enim ignorat, posteriorem partem admitti ab omnibus, non autem priorem? sed ipse uterque ut certam admittit ob satis firmas rationes, ut mox videmus. Quare quando dicit, priorem partem esse certam, non dicit esse certam omnibus, sed sibi, qui modum loquèndi in meo præceptore in suis operibus est frequens; quando enim sententiam ipse judicat certam, nec solum probabilem, licet alii eam non admittant, dicit (certum mihi est hoc vel certum hoc est,) nam quando est certum etiam aliis, solet addere, sic, vel quid simile (certum est apud omnes, &c.).

Verum hîc duo non sunt omittenda. Primo ipsa verba hac de re Tamburini. Secundo, hanc doctrinam non esse ipsius singularem, sed multorum; unde non posset vocari Paradoxum.

### *De illicito usu Iuramenti dolosi promissorij.*

5. TAMB. Num. 1. *Certum est primo* (ait lib. 3 in Dec. cap. 3. §. 2. n. 1.) *jurare sine animo implendi esse mortale. Ita Less.* l. 2. c. 42. d. 8. n. 42. *Snar.* tom. 2. de Relig. l. 3. de Iur. c. 17. à num. 7. & communiter, *patet ex dictis. Certum est secundo, Jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, vel jurare verbis æquivocis, non esse licitum sine causa, licitum esse eum causa, juxta ea, quæ diximus* cap. 2. §. 2. & 3. *quæ sunt recolenda, quia, quantum ad hoc, eadem est ratio assertorii, & promissorii. Illud est advertendum, facilius ex hoc capite in promissorio mortaliter peccari posse, quam in assertorio, quia in promissorio aliquid tertio promittitur, unde facilius potest proximi damnum intercedere, quo notabili accedente, mortaliter peccatur.* Hæc ille.

Nota verba hæc (*juxta ea, quæ diximus c. 2. §. 2. & 3. quæ sunt recolenda*) per errorem sive Scriptoris, sive Typographi, sive alterius huc irrepsisse; hos enim §. 2. & 3. *dicti cap. 2. hujus lib. 3. in quo secundo cap.* agit Author de juramento assertotio, hos inquam §. nunquam invenies. Verum hoc obiter pro studiosis Lectoribus moneo, ne scilicet quærendo prædicta loca, frustra laborent.

6. Superest nunc illos plures Theologos, qui nostram sententiam amplectuntur, proferre. Ecce apud Castrop. & Ioan. Sanch. illos citatos.

CASTROP. *Dixi esse solum* (ait tom. 3. tr. 14. d. 1. p. 7. num. 4. *venialem culpam, quando hoc juramentum sit absque necessitate. Si enim aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedit, qualis esset, si ob tuam, inimicique salutem, honorem, rem familiarem tuendam, conveniens occultatio, aut si conveniret, ne annueres interroganti insiste, nullam culpam committis, sic amphibologice jurans. Et ratio est clara, quia defectus judicij, qui in tali juramento esse poterat, cessat, interveniente causa justa, sic occultandi veritatem. Sic tenet expresse Navar.* (non cito loca, quia facilè possunt videri in ipso Castrop.) *Tolet. Snar. Valen. Less. Bonac.*

*Quod verum habet, tametsi non rogatus juret, sed ut offeras ad jurandum, si tamen jurandi, occultandique veritatem honesta causa intercedat, qualis intercedere potest, cum*

*cum obligaris famam proximi restituere, neque alia via commodiore reparare potes, quam usu amphibologici juramenti. Sanch. Bonac.*

*Ex hac certe doctrina deciduntur plures casus in praxi contingentes. Primo, rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non teneris manifestare, vel ex eo quod non juridicè rogaris, vel ex eo quod tibi grave nocumentum ex manifestatione provenire, negare poteris, feciße, subintelligendo, in carcere, vel ad dicendum. Sic Sanch. Clav. Reg. Navar. Bonac.*

*Secundò, &c.* Hactenus Castrop.

Joan. Sanch. sic. *Reus* (inquit disput. 46. num. 17.) *cuius delictum est semiprobatum in causa sanguinis, ob quod morte esset plectendus, aut ad triremes, vel exilium, aut bonorum amissionem esset damnandus, veritatem delicti Iudici interroganti apperire non tenetur, eo quod nullus ad sui damnationem jurare constringitur; est namque jus conservandi vitam adeo strictum, quod nulla lege positiva abrogari possit; tum si reus constringeretur veritatem manifestare, constringeretur sua damnationis esse totalem authorem: nam quod testis adversus illum testimonium tulerit, nihil conducit ad condemnationem, cum sine delinquentis confessione damnari non possit.*

9. Paulò post. *Quod possit æquivocatione utendo, veritatem celare, docent Navar. Less. Sà Valer. Sylvest. &c. Docet item hanc opinionem Villalob. Octavianus Spatarius, tanquam certam, docet. Item Rodriquez tanquam certam, & hanc pro viribus defendit. Item ut probabilem docet Pitigianus, Peyrinus, & Layman, Salcedo, ut sibi certam. Aragon. ut probabilem, & Reginal. Scot. Filliuc. Malderus & sustinent aliqui viri docti, quos consului. Quæ quidem sententia non solum mihi probabilis, sed certa videtur.*

*Quod verò fas sit quoque, in prædicto casu Deum in testem adducere, mihi quoque certum; nam eadem causa, quæ existit ad excusandum mendacium, intercedit pariter ad excusandum juramentum juxta dicenda* (disp. 46. num. 17. *ubi Authores referemus.*

10. Dicta autem *disp. 46. n. 17.* idem sic repetit.

*Nam eadem causa, quæ adest ad excusandum mendacium, æquivocatione retenta, sufficit etiam ad excusationem juramenti, ut docet Angel Silvest. Navarr. Azor. Val. Salon. Sanch. Tolet. Manuel. Philiar. Suar. Less. Mart. Delrio, alios adducens Sà &c.*

11. Undenam igitur hunc purum errorem hausisti, Baroni, quod scilicet hoc sit Tamburini inventum & à doctoribus longissimè distans? Præterea si tam multi (ut modo legisti) Castropalaus, Joan. Sancius, Spatarius Rodriquez, Salzedo non solum id ut probabile sustinent, sed ut certum, qua ratione tibi admirabile Paradoxon sit? Legite si est otium lectores ingenui, & obstupescite ad tam injustas iniurias, quas in hominem innocentem hìc iactat Baronius; Hanc unam ex remissioribus audire, ne molestum sit.

BARON. Ibid. fol. 91. *Hic (Tamburinus) etiam multis Paradoxis à se primum inventis, quasi Parasangis, à reliquis Doctoribus etiam sui Instituti, longissimè distat; nec dubito, quin velit videri, quasi in laxandis conscientiis, gloriam, & singularitatem affectasse. Hujus generis est, &c.*

Nunc monet tempus, ut agamus de Juramento ficto, hactenus enim locuti sumus de æquivoco.

---

# CAPUT XXII.

## *De Juramento ficto.*

1 IN hoc eodem loco transit Baronius ad Juramentum fictum, doctrinamque Tamburini de eo vocat alteram Paradoxi partem, quam certè ego vocatem partem tertiam, sic autem habet.

2. BARON. Ibid. fol. 93. *Altera vero Paradoxi pars sit contra consensum omnium Theologorum. Nam Soto l. 8. de Just. q. 1. a. 7. Ita habet. Emergit dubium, utrum jurare exterius fictè sine intentione jurandi, sit peccatum mortale; quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem qui dicit se jurare, & non jurat, mentitur: ergo lis est extra controversiam posita inter vetustiores Theologos, juramenta sine jurandi animo etiam ex causa, illicitè proferri.*

3. *Cum tamen Tamburinus, certum velit esse, ab omni culpa excusari hujusmodi juramenta. Sed longè recedit non solum ab antiquorum Doctorum, & extraneorum mente, sed etiam ipsius Suarij, qui hujusmodi juramenta accusat & gravis peccati mortalis ex genere suo. Neque enim potest nomen Dei fictè assumi ad jurandum, nisi vanè assumatur; id est ad decipiendum potius, quam ad confirmandum veritatem. Quid autem vanum magis, quam ipsa fallacia, & deceptio, qua non solum irrogatur Dei nomini iniuria, sed etiam resolvitur vis juramenti, & sanctitas violatur; cum nequeat ejus contemptus efficacius induci, quam sibi persuadeat, posse adhiberi iuramentum, nulla intentione iurandi. Idipsum confirmari posset variis exemplis ex Suar. Caietan. & aliis. Si liceat fictò animo iurare ex metu, vel alia quacumque de causa, quidni proferre blasphemias? ut arguit Suarez. Quidni Idola colere in speciem, animo ab Idololatria alienissimo? ut ex Caietano urget Sotus, quod tamen fictè Idololatriæ genus imputatur Marcellino Pontifici in grave crimen &c.* Hactenus ille.

4. In primis verbis nimis indistinctè asseris, juramentum fictum ex causa esse peccatum. Præterea dum id confirmas ex consensu omnium Theologorum, cur deinde id probas unius Soti testimonio? sed mox videbimus de hujusmodi omnium consensu.

5. Prius enim advertendum est, hìc tres debere quæstiones diligenter distingui. Prima est, an juramentum sine animo jurandi, hoc est sine animo vocandi Deum, sit verè, & essentialiter juramentum, & nullus ex mediocribus Theologis affirmabit esse juramentum; deest enim illi essentia juramenti, quæ est Dei invocatio. Quæritur autem an ita externè jurare cum causa, sit licitum, præscindendo ab alio inconvenienti, sed sit culpa ex ipsa ratione juramenti; nam si addas, dictum aliquod inconveniens, erit peccatum ex inconvenienti illo. Et in hac prima quæstione Tamburini sententia est, id, quando adest causa, & nullum adest aliud inconveniens, non esse illicitum.

6. Secunda quæstio est an uti hoc juramento, in quo solum oretenus invocatur Deus, ad aliquem decipiendum, sit culpa, etiamsi fiat cum causa. Et in hac secunda quæstione, Tamburini doctrina est, esse dupliciter peccatum. Primo, esse peccatum contra iustitiam, quo proximus decipitur. Secundo, esse peccatum contra Religionem, quia iurans utitur Dei sacro nomine, tanquam medio ad firmandum peccatum; id quod nemo dubitat, esse contemptum Dei; & de hoc loquitur Suarez à Baronio citatus illis verbis, quæ ipse modo *num. 3. meo* attulit. *Neque enim potest nomen Dei fictè assumi ad jurandum, nisi vanè assumatur, id est ad decipiendum*, & poterat citari etiam Sanch. *lib. 3. in Decal. c. 6. n. 18. & 22.*

7. Tertia quæstio est; an iurare sine animo iurandi, ut item sine animo utendi iuramento ad decipiendum aliquem, sed solum mentiendo, dum quis abstrahendo à quocumque alio damno proximi dicit iurare velle; cum tamen non invocet interne Deum, sed solum externè, sit licitum: Et in hac tertia quæstione Tamburini sententia est; non esse licitum etiam ex causa, quia intervenit mendacium, atque adeo esse peccatum saltem veniale, nemini posse esse dubium. Porro hoc dumtaxat loc. cit. docet Sotus: dicit enim. *Quandoquidem dicit, se jurare, & non jurat, mentitur, ergo lis est extra controversiam, &c.* Hoc enim (ergo) est nota consequentia, quæ deducitur ab antecedente: At in antecedente locutio fuit hæc: *Qui dicit se jurare, & non iurat, mentitur,*

*titur.* Quare hæc erit doctrina extra litem, quam omnes ultro fatemur, nempe etiam ex causa illicitè proferri & quidem, in præciso casu de quo loquimur, venialiter.

8. Jam vero quia has tres quæstiones Baronius non advertit, ideò tam immeritò insurgit contra Tamburinum. Quæstio enim hoc in loco non est, neque Secunda, neque Tertia, sed prima: siquidem locutio sit de juramento ex vi juramenti, non vero si addantur alia prædicta inconvenientia. Verum ad pauca respicientes facilè pronuntiant.

9. Quod autem ex principiis Tamburini juramentum quodcumque si assumatur, tanquam medium ad decipiendum, sit contra Religionem, non solum contra justitiam, sic ipse docet *lib.3.in Decal.cap.1.§.4.num.5. fine.*

Tamb. num. 5. *Sumere Dei testimonium tanquam medium ad iniquè agendum præsumptio est, & irreverentia contra Deum.*

Et iterum alio loco, nempe eodem *lib.3. cap.3.§.3. num.9.* sic habet.

10. Tamb. Num.9. *Petes, quodnam peccatum est promittere cum iuramento rem non licitam? Respondeo cum Sanch.* lib. 3. in Dec. c.9. n.14. *esse mortale sacrilegium, si res est illicita mortaliter; quia uteris divino testimonio ad rem iniquam faciendam, quæ est summa Dei irreverentia; de qua dicimus* sup. cap.1.§.4.n.5. *Unde vides in confessione esse explicandum, an iuraveris peccatum mortale, v.g. homicidium cum intentione illud exequendi, vel cum intentione non exequendi, nam prius habet duas species malitiæ, nempe homicidii, & irreverentiæ, posterius, solius periurii.*

*Quod si res sit illicita venialiter, vel sit contra consilia, ut cum veritate iures, te dicturum mendacium officiosum, vel non daturum eleemosynam, non ingressurum Religionem, non acceptaturum officium Prætoris, &c. puto cum Fagundez* l.2. in præc. Decal. secundum cap.14. n.1. *esse veniale, quia non videtur gravis iniuria Dei, uti divino testimonio ad rem levis & illicitam, ut ibidem dixi.as.* Hæc ibi.

11. Vides in iuramento assumpto ad firmandum peccatum etiamsi sit cum veritate, esse peccatum contra Dei reverentiam, nec solum contra justitiam? ut si quis v. g. cum veritate juraret, se cras occisurum suum inimicum, &c. id quod non est ex ratione iuramenti, quia hoc verum esse supponitur, sed ex eo, quod invocatur Deus ad finem malum, seu ad firmandum peccatum sic jurantis. Ex hac doctrina clarè colligis, Tamburinum esse in ea sententia ut talis invocatio quæcumque, sive cum vero animo iurandi, sive cum animo non iurandi, in casu scilicet, quo invocatio Dei sit solum externa, semper esse contra Dei reverentiam, si dirigatur ad peccatum firmandum, vel ad decipiendum, &c. quia tota malitia tum sumitur à pravo hoc fine, quo scilicet dehonoratur Deus, seu ipsius sanctum Nomen, dum adhibetur ut medium ad peccatum firmandum: id quod cum sit intrinsecè malum, non potest ex ulla causa à culpa excusari.

12. Ne igitur, Baroni, contra Tamburinum proferas Suarii authoritatem, nec paritatem ductam ex adorante Dæmonem, vel fidem negante solum exterius. Ultro enim ipse fatetur, sicuti hæc, quamvis solum externa, sunt in Dei contemptum, ita esse juramentum quando fit ad decipiendum, vel quando adiungitur aliud inconveniens ut dictum est. Sed nostra Quæstio, bone Vir, huiusmodi non est, sed illa primo loco dicta. An iuramentum sine animo iurandi, hoc est, An iuramentum fictum ex vi solius actus iurandi, præscindendo à prædictis adiunctis, sit illicitum, quando fit ex causa; Et non esse illicitum, docet Tamburinus; quia illud non est iuramentum essentialiter. Cum, iurare sine intentione iurandi, sit simile ac orare sine intentione orandi, quod non solum non est ne materialiter quidem malum, sed aliquando est commendabile, veluti quando urifex, dum labori intendit, canit Pater v.g & Ave.

*Agrestique suum solatur voce laborem.*

Et ex alia parte illa causa facit, ut nulla sit despiciatio, quæ aliàs esset in illo actu exteriore, qui non conformatur cum animo interiore. Ideo enim illa, dicitur natio fuisset, quia aliquem deciperem; vel quia mendacium confirmarem; at hæc, aut quid simile in hac quæstione primo loco explicata supponimus, non adsit. Quæ mox afferam ex Sanchez id rectè confirmabunt.

13. Nunc oro lectorem, ut claritatis, & majoris confirmationis ergo, sinat me referibere Tamburini doctrinam hac de re breviter allatam, & latius à Castrop. & Sanchez explicatam.

Tamb. suprà cap.21.meo n.5. *Certum est primo jurare sine animo implendi esse mortale. Ita Less. Suar. & communiter. Certum est secundo, iurare sine animo iurandi si res levis sit, sive gravis, non esse licitum sine causa, licitum esse enim causa.*

Hoc dictum Tamburini si bene à Baronio reprehendendum erat, oportebat distinguere, quando quis sine animo iurandi iurat verum, quando vero falsum. Nam hac distinctione præ oculis habita, neque paradoxum est quod dicitur à Tamburino, neque singulare. Cognoscamus id à Castropalao.

14 Castrop. *Dico secundo* (ait Castrop. Tom.3.tr.14. d.1.p.8.n.4.) *Si iuras sine animo iurandi, peccatum est; vel iuras verum, vel falsum. Si iuras falsum, non in iudicio, quam extra, est peccatum mortale. Si iuras verum, probabile est esse solum veniale extra iudicium; in iudicio & contractibus, mortale. Priorem partem conclusionis, nempe iurare falsum sine animo iurandi, esse mortale, defendunt Caiet. Sot. Covarr. Petr. Ledesm. Less. Suar. Bonac. Sanch. Rationem reddunt, quia iuramentum externum, quod est Divinæ Maiestatis cultus, assumitur ad falsitatem confirmandam. Unde sicut genuflexio, aliusque externus cultus, si Idolo tribueretur, esset peccatum grave, quia applicaret materiæ indebitæ actio solum debita Deo; similiter ejus gravis irreverentia contra Religionem, iurare falsum verum tantum absque intentione, quia externus cultus Dei per iuramentum debitus, materiæ indebitæ applicatur. Caterum hæc ratio solum videtur convincere in iuramento exacto per Idola vel Creaturam sistendo in ipsa.*

*Et quæ sequuntur*: Ea enim non est necesse hîc referibere, cum non faciant ad nos, ipse autem paulo post sic pergit dicere quæ ad nos pertinent.

15. *Caterum retinenda est communis sententia, quia extra casum, quem dixi ex Lessio nullum invenio Doctorem (etsi plures evolvi) qui affirmaret, non esse peccatum mortale iurare falsum, etiam sine animo iurandi. Et ratio esse potest, quia videtur Deo gravis irreverentia fieri ea, quod tantum in apparentia, & nomine tenus in re tam falsi invocetur. Nomini enim Dei summa reverentia debetur, &c.*

Et infrà.

16. *Secunda pars conclusionis, nempe probabile esse, non esse mortale, si verum iures sine animo iurandi, tenet Less. Sanch. Bonac. Ratio est, quia non videtur ex hac iuratione fieri gravis iniuria Deo neque homini. Non Deo, quia illi simuletur adduci in testem, adducitur in testem veritatis. Sicuti cum simulate oras eo tempore, quo non teneris precepto orandi, non ob inde censeris Deo facere gravem iniuriam: neque etiam ex tali iuramento provenit gravis iniuria, quia supponimus, graviter inde illum non lædi. Ex nullo ergo capite mortale peccatum esse potest. Et tamen absque dubio peccatum veniale, & grave, quando nulla legitima, & honesta causa fieret, quia est quidam filius vani iuramenti enervans.* Hæc Castrop.

17. Notas, hæc ultima verba? (*quando nulla legitima, & honesta causa fieret*) quasi dicat, secus si honesta & legitima fieret causa, quæ est doctrina Tamburini.

Quæ

Quare non est hæc ab illo inventa, ut Baroni, dicis. Loquitur enim Tamburinus, quando quis sine animo iurandi iurat illud, quod est verum: nam quando est falsum, quia tunc decipitur proximus, ut sæpè diximus ex eodem, est illicitum, & in materia gravi est mortale contra iustitiam. Præterea, etiam in materia levi, & in quacumque materia si adhibeatur tale fictum iuramentum ad finem peccaminosum, seu ut medium ad firmandum peccatum etiam veniale, est Peccatum grave contra Regionem, ut suprà vidimus.

18. Hinc fit, ut si Baronius invenisset, Tamburinum loqui de iurante falsum sine animo iurandi, rectè dixisset id esse contra consensum omnium Doctorum: nam etiam est contra consensum ipsius Tamburini. Nunc vero cum ex principiis nostri Authoris modo dictis meo *n. 9. & 10.* non possit hæc doctrina intelligi, nisi de casu, quo iuratur res vera, nihil poterit contra ipsum afferri. Sed certè excuso Baronium in præsentia, siquidem verè difficile solet esse, principia Authorum in suis quæque locis dispersa inquirere, ut deinde ex ipsorum mente quæstio decidatur.

19. Porro ne tibi, Lector, sit molestum prædicta etiam cognoscere à Thoma Sanchez.

Th. Sanch. *At verius est,* (ait lib. 3. in Decal. cap. 6. num. 10.) *quod sic distinguit Valentia. Si iurans (sine animo iurandi) dicit verum, tunc solum peccat venialiter, quando vult significare se habere iurandi animum, quia est mendacium, & non perniciosum, ut bene Doctores præcitati; secus si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum, ut mox dicemus. Tunc enim* Nulla Culpa *est. Si autem iurat falsum, velitque illa externa iuramenti verba referre ad materiam falsam, confirmando illa in eo externo iuramento, est mortale, ut probat ratio* num. 8. *adducta, & concordant omnes DD.* num. præced. *relati, & citati* num. 8. *Si autem interiori animo nolit illa ad materiam falsam referri, nec potest ob aliquas rei circunstantias rationabiliter ab aliis putari id velle, ut inde scandalizentur; sed tantum jure suo utens, usurpat ea verba, ad significandum aliquid aliud interius conceptum, quod verum sit, vel usurpat ea tantum materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat juramentum indebitæ materiæ. Imò ego credo, nec* hunc venialiter *peccare, quia nullum est mendacium, & cogita causa iusta uti ea aquivocatione, & constabit magis ex statim dicendis à* num. 15 *Atque idem fatetur Sotus* num. præced. *allegatus, quando iniustè coactus usurparet ea verba materialiter: tunc enim non peccaret, ut si ita responderet; Ego iuro, vel dico; Deus est mihi testis; secus (ait Sotus) si diceret. Dico, quia Deus est mihi testis; quia tunc, ait, capit verba formaliter. Sed existimo, potius id pendere ex intentione dicentis, quippe posset hunc quoque dicendi modum capere solum materialiter, vel ad aliquid aliud significandum, ut proximè diximus ex Val.* Hæc Sanchez.

20. Notas, quantum faveat nobis tuus idem Sotus? Verum hæc dicta sufficiant ad ostendendum, hanc non esse sententiam adeo novam, ut singulare inventum, vel Paradoxon appellari mereatur.

---

## CAPVT XXIII.

### *Secundum Paradoxum imputatum Tamburino.*

### Prima Pars huius Paradoxi.

*De Reo non respondente ad mentem Iudicis non certò legitimi*

1. VT secundum Paradoxum loco citato efformet, tria dicit Baronius. Primo rediens ad tenuissimam illam probabilitatem à se toties frustra decantatam, ex hac deduci ait, multa incommoda, posita illa alia Tamburini doctrina; quæ affirmat posse reum interrogatum à Iudice, non tamen omnino certus, an legitimus sit, ad eius Iudicis mentem non respondere. Secundo, impugnat eundem dicentem, posse idem, etiam constante competentia legitima Iudicis interrogantis. Tertio, reprehendit eundem, quasi sibi contradicentem.

2. Incipiamus à primo dicto, utque id bene intelligatur, ponamus in forma Syllogistica Baronij ratiocinationem *l. c. §. 3. fol. 93.*

Baron. *Quando habeo tenuissimam probabilitatem, non pecco, operando secundum illam.*

*Sed ex quacunque incertitudine de incompetentia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, quia semper, vel saepissimè adsunt aliqua fundamenta huiusmodi incertitudinis. Ergo habens quamcumque incertitudinem, non pecco secundum illam, & consequenter possum sine peccato, ad mentem Iudicis non respondere.*

3. Huic argumento sic facilè respondetur ex germana doctrina Tamburini, sicuti responsum est *supra* in simili *cap. 20. à num. meo 3.*

*Quando habeo tenuissimam opinionem, non pecco, operando secundum illam. Distinguo maiorem. Si haec tenuissima opinio obscuretur à parte oppositа, sicuti obscuratur parva lux à magna, concedo maiorem, si obscuretur, nego maiorem.*

*Sed ex quacumque incertitudine de incompetentia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, me non obligari ad mentem Iudicis respondere: distinguo item minorem. Si haec probabilitas obscuretur à contraria parte, sit certe in casu nostro obscuratur, quia levia fundamenta, quae solum incertitudinem pariunt, satis absorbentur à possessione, in qua est iudex, & à similibus circunstantiis, nego minorem. Si non obscuretur, quod posset evenire in alio casu diverso ab eo, qui proponitur, concedo minorem.*

*Ergo habens quamcumque incertitudinem non peccabo, &c. Nego consequentiam.*

4. Perperam igitur Baronius absolutè imponit hîc Tamburino, quasi dicenti, satis esse ad non respondendum menti Iudicis, quod habeatur tenuissima probabilitas, multo minus, quod adsit incertitudo. Hæc enim tenuissima probabilitas, & hæc incertitudo non est vera probabilitas ex doctrina Tamburini. Vnde non rectè per artificiosum Epiphonema sic concludit impugnator ibidem.

5. Baron. *Tanti momenti est apud Tamburinum aequivocandi libertas, ut illius libertatis servanda causa, eludi, & perverti possit quacumque Iudiciaria potestas, quantumlibet probabilis & recepta, si aliquod dubium subsit oppositae sententiae, quae faveat reo, vel tenuissimam probabilitatem afferat.*

6. Non rectè inquam, concludit. Nam ubinam ex ipsius doctrina colligit, receptam potestatem Iudiciariam, & quantumlibet probabilem posse tam facilè eludi, cum Tamburinus plurimi semper fecerit circunstantiam possessionis? Hanc enim credo à te significari per illud (*receptam potestatem*) quasi dicas per receptam possessionem Iudiciariæ potestatis. Addis, satis esse tenuissimam probabilitatem. Addis, satis esse dubium oppositæ sententiæ faventis reo. Quæ omnia debebant distingui sub illa necessaria pensitatione; an deficiantur, seu obscurentur ab oppositа parte. Sed non est hîc omittendum legere quanti ponderis sit apud præceptorem meum dicta possessio.

7. Tamb. Num. 12. *Dixi autem* (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 12.) (nisi quid aliunde obstet) *ut signate notarem, hanc limitationem, seu exceptionem semper prae oculis habendam esse, antequam decernatur, non aliquid sit solum remote probabile, à quo non possumus licitè dirigi ad actiones peragendas, an etiam proximè, seu practicè, à quo possumus. Nam si adest aliqua lex, vel consuetudo disponens de contrario, vel pactum, vel circunstantia urgeret aliqua, una tantum pars excipi tuto valeret. Exemplo*

*res explicabitur. Si Paulus illam inventam crumenam supra dictam, pacificè possideret, non posset quis eam ab ipso tollere, & dare Petro, æqualibus testibus vallato, quia tunc obstaret aliquid: obstaret enim illa lex definiens, (quod in pari causa melior est conditio possidentis) & sic, quamvis verum sit, stante æquali probabilitate facti pro duobus, posset alterutri rem atribui; at si alter inveniatur habere rei possessionem, non erit amplius probabile, id est non erit practicè, seu proximè probabile, posse dari alterutri? sed possidens debet omnino illam possidere, ac retinere. Ita Suar. Thom. Sanchez d.44.num. 58. & d. 33. num.29.*

*Ut notationem huius numeri adeo necessariam altius menti figamus, afferamus alia exempla, quæ illam, qua magis explicent, qua confirmant, & quæ sequuntur. Hactenus ille.*

8. Ex huiusmodi principio, quod in dubio debeat prævalere is, qui est in possessione: resolvit Tamburinus, quid sit decernendum in puncto de Reo, in dubio loquitur, non in probabilitate. De hac enim iam datæ sunt in superioribus suæ Regulæ. Quod autem in loco hoc de dubio sermonem faciat, ecce *lib. 1. in Decal. cap. 3. § 3. ver. Reus & Testis.*

9. TAMB. *Dubitant hi, an legitimè interrogentur à Iudice, obligabunturne ad eius mentem respondere? Supponimus hic, obligari hos legitimo Iudici parere. Nam cæterum infrà l. 2. c. 4. §. 3. de tota hac re benignius disputabitur.*

*Respondeo, non obligari, etiam si Iudex præcipiat sub pœna excommunicationis. Ita Fagundez in decal. præc. 2. l. 2. cap. 11. n. 18. Delugo de Iust. tom. 2. d. 40. sect. 1. num. 3. Sanch. in Decal. l. 6. cap. 3. n. 13. & in consil. l. 6. cap. 3. dub. 31. Pasqual. dec. 129. Ratio est, quia reus, & testis sunt in possessione suæ libertatis volendi æquivocare ex causa, ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causa autem hîc semper intervenit, quia semper ij possunt velle custodire suum Ius, cui possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa, & manifesta obligatione non debeant.*

10. *Scio quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à reo, vel teste magnum malum, non vero exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere, &c. Sed hos sequi non possum, quia prædicta possessio libertatis in reo, & teste æquè prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur. Lege Dianam p. 3. tr. 5. resol. 106. qui sine distinctione universaliter nostram sententiam amplectitur. Unde colligit, quando superior inquirit generaliter super aliquo notorio delicto, cuius, author nescitur, posse re vocatum ad testificandum æquivocare, si dubites, num infamia, vel indicia sint contra delinquentem, licet verè delinquentem scias. Nec contrarium docent Sanch. & Delugo, ut quidam putant. Audi Delugo l. c. num. 6. Regulam hanc (inquit) non procedere admonet Sanchez num. 3. & 4. in rebus levioribus, ubi leve sequitur periculum; & in quibus, si certo constat, Iudicem esse virum probum & peritum, tam reus, quam testis debent in dubio respondere, & manifestare veritatem. Tantum Delugo ex Sanch. vides? tunc solum obstringunt hi Doctores reum, & testem, cum Iudex pius est, & peritus, sanè quia propter has circunstantias præsumendus est Iudex certo legitimè interrogare, ergo iam non sumus in casu dubio. Quare si verè perseverat, omnibus pensatis eiusmodi dubium, nunquam hi Doctores videntur nostram Responsionem in levi damno limitasse, solum alienanda ex peritia, & pietate Iudicis, legitimam, certo esse interrogationem, collegerunt.*

*Illud nihilominus advertendum est, quando periclitaretur bonum commune, vel innocentis grave damnum, te interrogatum à Iudice debere ad eius mentem in similibus dubiis respondere, si solum tibi subsit leve periculum, quia pugnarent hîc tua libertas, & bonum grave innocentis, at bono communi semper tuum bonum peculiare est postponendum, & bonum grave innocentis tuo levi damno iuxta vulgares leges charitatis.* Hæc Tamburinus.

11. Ex illis clausulis (*si constet Iudicem esse peritum & probum. Quando periclitaretur bonum commune. Quando innocentis grave damnum. Quia pugnarent hîc tua libertas, & bonum grave innocentis*) colligas quam caute & solide discurrat Tamburinus.

## Secunda Pars.

### *De Reo non respondente ad interrogationem, quamvis legitimam; Iudicis.*

12. IN hac secunda Paradoxi parte de duobus infirmatur Tamburinus. Primò quod concedat reo, si adsit spes vitæ, posse, licitè æquivocando, non respondere Iudici quamvis legitimè interroganti. Secundo, quod idem concedat, tametsi vitæ spes non adsit.

Quoad primum, antequam respondeam, necesse est, hîc referibere germanam Tamburini doctrinam, quæ est huiusmodi.

13. TAMB. *Iam si legitimus sit Iudex* (ait l. 3. in Dec. cap. 4. §. 3.) *legitimeque per semiplenam probationem interroget; unde reus ex nullo capite ex his excusari videtur à fatenda veritate, celebri quæstione quæritur, an ob periculum vitæ, quod, sincerè respondendo, subit, possit excusari, atque adeo ipsi negare veritatem cum æquivocatione, liceat?*

14. *Non excusandum, quamvis immineat vitæ discrimen, docet Sanch.* in consil. tom. 2. l. 6. cap. 34. dub. 19. & dub. 33. *S. Thom. Sylv. Navar Sotus, aliique permulti apud eundem, & apud. Ioan Sanch.* in loc. mox cit. *præsertim antiquiores. Ratio potissima est, quia inter partes Iustitiæ potissima est obedientia, qua tenetur quis obedire superioribus, iustè, & legitimè præcipientibus. Sed iam supponimus, legitimè præcipere, idque iam noscere reum; unde ergo excusari poterit à parendo? Adde, non vulgare Reip. detrimentum forè, si talis obligatio fatendi crimen magnetur; passim enim, hac impunitatis spe, grassarentur maleficia.*

15. *Duo tamen hi Doctores notant; alterum est ad hoc, ut reus teneatur, sine æquivocatione respondere (de reo loquimur, non de teste, de quo alia est ratio videlicet, si placet apud cit. Delugo de Iust. tom. 2. d. 40. sect. 1. n. 8. & d. 39. sect. 2. num. 14. Thom. Sanch.* in consil. cit. l. 6. cap. 3. d. 56.) *requiri prius, infamiam, vel indicia contra ipsum esse legitimè probata in processu, saltem per semiplenam probationem, quam sive dubio facit unus testis idoneus de visu, & item requiri, ut id totum ipsi reo sit notificatum. Ratio est, inquit Sanch.* in consil. l. 6. c. 3. d. 32. *quia secus posset reputare reus, suum crimen esse occultum, & sic excusari à fatenda veritate: & quia* (inquit Sotus apud Sanch. l. c.) *sicut nemo tenetur ante promulgationem legis, legi obedire; ita nec teneatur Iudici, antequam notificet, se iuridicè interrogare.*

16. *Alterum est, si forte quis veritatem Iudici occultavit, non obligari ad se coram Iudice retractandum, sive fuerit absolutus sive damnatus, sive adhuc iudicium pendeat, sive non. Sic Sanch.* in Decal. lib. 3. de Iur. c. 7. n. 8. *Ratio potissima est, quia esto, tegendo, suum crimen, peccaverit contra obedientiam, tamen huic criminis satis mediocriter, si de illo ritè doleat, &c.*

17. *Secus iam alij recentiores ut Delugo l. c. n. 15. Ioan. Sanch.* in Scl. d. 43. à n. 23. *cum Doctoribus vigiliæ deputatis, post accuratam discussionem, advertentes, onus esse supra naturæ vires difficile, reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra seipsum, cocui probabiliter mum esse, & tutum, reum minimè obligari ad fatendum suum crimen, unde tantum malum sibi parari, videlicet, Potissima ratio illa mihi videtur, quia nemo obligandus est concurrere ad se ipsum occidendum, cum sit de iure naturæ, non solum vitam sibi tueri, sed etiam ad mortem suam quantum quis potest, non concurrere. Adde, ipsi dedecus communem, rem multo difficilem reputari moraliter impossibilem, ad quam præcipiendam nulla potestas humana*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*extendi possit. At præceptum de dicenda hac veritate, quod nunc tradit reo Iudex, humanum est, & positivum, ergo non se extendit ad rem tam difficilem; qualis est ea confessio, quæ reo mortem parat.*

18. *Hinc solvitur ratio adversariorum* num. 3. *allata. In re enim tam ardua Iudex, superior non est. Quod si is soleat cogere, ideo est, quia sequitur contrariam opinionem, quæ saltem ob authoritatem Doctorum probabilis est. Ita Ioan. Sanch.* in sel. d. 43. n. 14.

19. *Ad id, quod additur, negandum est, periclitari bonum Reip. alia enim via, nempe inquirendo testes, & incutiendo timorem torturæ reo, ut fateatur, potest se tueri Respublica sine necessitate obligandi reum sub mortali; Et certè patet experientia, nihil adhuc profuisse timorem peccati per tot annos, in quibus opinio prior passim evulgabatur, de qua testatur Delugo* tom. 2. de Iust. d. 40. sect. 1. num. 6. *Quotusquisque enim fuit ille, qui ob eiusmodi peccati timorem sium crimen aperuit? Adde non esse certum, quod ego pro bono communi, ad quod non teneor ex stipendio, seu ex iustitia, obliger mortem subire. De qua re alibi. Interim lege Ioan. Sanch.* in selec. d. 43. n. 41. *Hactenus Tamburinus.*

20. Advertisti, Lector, hanc sententiam in eo casu, quo spes affulget evadendi vitam, excipi à Delugo Eminentissimo æquè ac Sapientissimo Theologo; & à Ioan. item Sanch. cum viginti duobus alijs? Qua igitur de causa Baronius in unum Tamburinum, tanquam in obiectum sibi scopum, suas insimulationes contorquet? & cur hanc sententiam inter paradoxa numerat, hoc est inter dicta ultra opinionem, quam tamen, tot Authores, non spernendis suffulti rationibus, opinantur? Dixisset, hanc sententiam ab ipso existimari improbabilem, vel minimè veram vel quid simile; nam tunc profecto non ostendisset se à livore contra Theophilum, eiusque causa, contra Tamburinum innocentem inardescere: Et vide veritatem impugnantis: sic addit *ibid. fol.* 54.

21. Baron. *Iis recentioribus ita mordicus Tamburinus adhæret, ut antiquorum sententiæ nullam intrinsecam, sed solum extrinsecam probabilitatem concedat ab authoritate Doctorum, &c.*

22. Sic ille; ille, inquam, ex suis consuetis somniis. Nam Tamburinus affert quidem huius sententiæ authoritatem extrinsecam, sed exprimit eam disertissimè rationes intrinsecas. Oro te, Lector, ut iterum legas, quæ modo legisti *num.* 14. *meo.*

23. Tam. *Nam excusandum* (ait. l. c. n. 3.) *quamvis immineat discrimen, docet Sanch. S. Thom, Sylv. Navar. Sot. & alij permulti apud eundem, & apud Ioan. Sanch. præsertim antiquiores. Ratio potissima est; quia inter partes iustitiæ potissima est obedientia, qua tenetur quis obedire Superioribus iustè, & legitimè præcipientibus. Sed iam supponimus, legitimè præcipere, idque iam noscere reum: unde ergo excusari poterit à parendo? Adde non vulgare Reip. detrimentum fore si talis obligatio fatendi crimina, negaretur: passim enim, hac impunitatis spe, grassarentur maleficia.*

24. Hæ, Deus bone, non sunt rationes intrinsecæ? Abi ergo, oro te, Baroni, in ultimas insulas, ibique tuas fabellas enatra.

25. Illos multos Doctores, video te Lector, velle cognoscere. Sanè libenter producam, ut scilicet sententiam hanc magis confirmem, & clarè ostendam, illam nimis immeritò fuisse vocatam Paradoxon. Sic ergo scribit Delugo.

26. Delvgo. *Dubitatur sextò,* (ait T. 1. de Iust. d. 4. num. 14.) *an semper, quoties præcedit probatio semiplena, vel iuridicè interrogatur, teneatur reus rogatus fateri veritatem contra se. Hæc est quæstio celebris, & necessaria ad praxim quotidianam; oportet enim omnino scire, quomodo Confessarius se debeat gerere cum eiusmodi pœnitentibus.*

*Communis sententia docet, teneri semper reum legitimè interrogatum fateri veritatem, etiam si propter eam, morte plectendus esset. Hanc docet D. Thom.* in præsenti q. 29. art. 1. *Cajet. Henr. Palud. Cabr. Sot. Navar. Covarr. & alij, quos affert, & sequitur. Lessius* cap. 3. n. 12. *Tol.* l. 5. c. 58. *Malder.* in præsenti tr. 6. c. 3. dub. 1. *& alij innumeri, quos congerit, & sequitur Sanch.* d. c. 3. du. 23.

27. *Secunda sententia negat, illam obligationem esse adeo universalem. Excipiuntur autem ab aliquibus varij casus. Primus est, si timeatur sententia mortis. Secundus, si damnandus esset reus ad triremes. Tertius, si confiscanda omnia bona. Quartus, si periclitaretur in honore, & in aliis casibus similibus. Hanc sententiam tenet Navar.* l. 2. de rest. d. 4. n. 137. & seq. *ubi refert Panorm. Sylvest. Ang. Armill. & alios.*

28. *Eandem sequitur Eman. Rod.* in sum. tr. de ord. Iudic. cap. 10. num. 1. *ubi citatur Salzedo* in pract. crim. ap. 46. pag. 431. *eamve dicit probabilem Vega* in pract. lib. 5. cap. 422. *& Less.* ubi suprà n. 16 *Sà* ver. Malder. ubi sup. *Suarez etiam consultus* ann. 1596. *eam dicit probabilem, sicut & P. Salas, P. Henriquez cum aliis Theologis; ut testatur idem Salas in schedula propria manu subscripta, quam apud me habeo. Vnde excessit Turrianus in præsenti* disput. 10. dub. 2. n. 7. & in select. cent. 1. de cens. Theol. dub. 75. *dum hanc sententiam improbabilem omnino esse affirmat, & nō habere pro se nisi tres, aut quatuor Summista, quorum in hac re nulla authoritas est: Sed certè ex recentioribus tot iam eam probabilem dicunt, ut is demptis etiam antiquioribus sufficerent. Villalob.* in sum. to. 2. tr. 16. diff. 1. n. 10. *Filliuc.* tr. 4. n. 166. *Fagund.* ubi sup. c. 31. num. 11. & seq. *Alcozer.* in sum. c. 16. §. & reo *Reginald.* in praxi tom. 2. l. 24. c. 3 sect. 3. n. 3. *Portel.* in dub. reg. tit. *Correctio Fratrum. v* Reus n. 43. *Peyrin.* de religioso subdito t. 1. q. 1. c. 16. *Dian.* tom. 1. Miscell. resol. 27. *Ioannes Sanchez* in selectis dub. 43. n. 29. & seqq.

29. *Prima sententia probabilissima est, maximè accedente communi authoritate: Secunda tamen est valdè probabilis, & in praxi omnino secura, præsertim in causis capitalibus. Debet autem intelligi, quando reus sperat posse, negando, fugere condemnationem, alioquin negatio erit omnino inutilis. Probatur hæc sententia, &c.* Hactenus Delugo.

30. Atque hæc, quoad prius, quando spes allucet effugiendi mortem. Quid quoad posterius, quando spes eiusmodi non apparet? De hoc sic habet noster Author.

Tamb. Num. 7. *Doctrinam hactenus à nobis* (ait l. c. num. 7. *allatam, limitant citati Doctores, asserendo, posse à reo negari sub æquivocatione crimen, modo aliqua tandem eluceat spes effugiendi mortem; secus enim negatio, aiunt, esset inutilis, si ipse nihilominus convictus esset, & certo damnandus. Ego vero censeo, etiam nulla elucente spe, saltem à mortali esse etiam eiusmodi reum excusandum* (*excipio cum Sanch.* in Decal. l. 3. c. 7. n. 11. *casum hæresis; convictus enim de illa, fateri debet, ne negativus hæreticus cum scandalo pœnam subeat. (Ratio, quæ me movet est, quia ex una parte de iure naturæ est, hominem non posse constringi ad concurrendum ad mortem suam, & ex alia parte ad summum in hoc casu offenditur* (*si tamen offenditur*) *potestas Superioris in re levi. Si enim reus iam convictus est, certoque plectendus, nihil addet confessio rei, quantum ad punitionem criminis, de qua est sermo; cum Iudex sit ad damnandum satis instructus. In qua igitur re gravi offenderetur potestas Ipsius?*

31. *Sed certè notat Sanch.* l. 3. in Decal. cap. 7. n. 11. *Iudices reum interrogantes, quam solere statum causæ probationesque illi aperire, ex quibus formandam sententia, quod id, ad legitimè interrogandum, non requiratur. Cum igitur reus statum suæ causæ ignoret, semper præsumere poterit, fore spem effugij, si ipse crimen non fateatur; & sic semper in praxi etiam in adversariorum sententia posset veritatem occultare.*

32. *Denique quod dictum est de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcumque malum grave, puta exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam*

*miam, &c. Ita Delugo* l.c.num. 15. *ad hæc enim tam gravia mala perinde, ac ad mortem ave[illegible]am, ius naturæ nos armat, imò nos urget.*

33. *Quid de malo levi? præcipiat mihi superior, ut fatear, an dixerim mendacium iocosum, an sim furatus obolum, an silentium in Religione fregerim, ex qua confessione mihi non nisi malum leve accidere possit? vel præcipiat, ut fatear homicidium, furtum grave, &c. ex cujus confessione certus sim (ita suppono) solum malum leve me incursurum, si negem cum æquivocatione quodnam peccatum committam?*

34. Respondeo. *A mortali fortasse excusandus esses; quamvis contrarius sit Delugo* tom.2. de Iust.d.40.sect.1. num. 16. fine. *Ratio esse potest, quia vel de iure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam; vel, quia, si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve, & non rigorosum superioris præceptum; vel, quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reip. si solum levis pœna sit imponenda. Hic tamen excipio, nisi aliàs bonum commune alter postularet; vel nisi sic deberet adverti malum grave impendens Tertio; Tunc enim charitas exigit; ut meo levi malo bonum grave Reip. vel proximi præponatur.* Hactenus Tamburinus.

35. Non me cohibere possum, quin cautiones has reptem, (*saltem à mortali excusandum, excipio hæreticum, non offenditur potestas publica in re gravi. Quod præsim semper reus potest præsumere spem effugij*), *&c.* nam ii de manifestum fit quam mutilare referantur dicta Tamburini, ut his possit facilè ab ignorantibus accusari; at certè non à sapientibus.

## Tertia Pars.

*In qua dicitur Tamburinus non sibi constans.*

36. Baron. Sic habet *l.c.§.3.fol.95.*

*Hæc duo docet Tamburinus. De iure naturæ est, ne leve mihi vulnus infligam. Et ad tormenta, damnaque gravia vitanda, potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiam si mors sit inde secutura. Hæc duo non conveniunt. Si enim ius naturæ obstet, ne quis sibi vulnus infligat, qua ratione patietur, ut quis se interimat mendacio.*

37. Sed nimis obvia est mihi responsio: hanc enim secundam partem docet quidem meus Thomas; sed primam non docet certo, sed sub verbo dubitandi. Deinde Tamburinus non dicit, *Ius naturæ obstat, ne quis sibi leve vulnus infligat*, sed, *de iure naturæ videtur, ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam.* Quæ duo sunt longè diversa; nam ex primo sequeretur, peccare in omni casu sibi vulnus leve infligentem, quod falsum est: digitum enim v. g. licitè vulnero, imò abscindo ne totum brachium marcescat. At ex secundo sequitur tantum, quod ex iure naturæ me possim defendere à levi vulnere, non quod omnino debeam. Simile quid dicimus, de iure naturæ esse matrimonium. Non enim sic hominem ad matrimonium obligamus, sed solum ostendimus, eius iuris esse, ut matrimonium inire possit. Præterea non dicit Tamburinus (*se mendacio posse interimere*) sed cum æquivocatione, quod certè mendacium non est. Et item non dicit (*se interimere*) sed per dictam æquivocationem se liberare posse à tormentis gravibus, esto deinde per accidens sequatur mors, à se non intenta, sicuti infirmus potest recusa remedicinam, v. g. sectionem difficillimam, quia (ut alibi dicitur, & notavit Ioan. Sancius sugrà *cap.17.num.meo 6.* allatus) vita non est digna, ut cum tanto dolore conservetur

Quare falsum est, duo Tamburini dicta sibi non convenire, conveniunt enim maximè. Eiur enim dicta hæc duo sunt. Natura concedit, *ut ego possim me tueri à vulnere levi*, Natura patitur, seu concedit, *ut ego per æquivocationem fugiam tormenta gravia*, esto indirectè sequatur mors, à me nequaquam intenta, nec à me mihi danda. Vbinam vel umbra hic est discordiæ?

Cum hæc igitur sit vera Tamburini doctrina, qua veritate illum contra se pugnasse confingis?

38. Advocatus quidam (narrat Iacobus Massonius in arte argutiarum *fol. mihi* 300) in sæculo plerumque causarum in iudicio victor, postquam Religiosum ordinem subiisset, ac pro Monasterio lites propugnaret, victus plerumque cessit: causam rogatus, cur ante victor, nunc amitteret, Non audeo (respondit) mentiri, ut antea. At Baronius, an ab huius pij hominis documento longè disterit ipse consideret. Distat enim ab eo, non solum Parasanga, quæ apud Persas intervallum est XXX. stadiorum ut ipse suprà *cap. 21, num. 11. meo* dixit de Tamb. sed plus quam schœno, quæ est LX.

39. Hic præterea non omittam id, quod omisit Baronius, is enim prædictam primam partem his verbis, & ieiune refert & quasi ut certo à Tamburino dictam, *De iure naturæ est, ne leve mihi vulnus infligam*, alias autem rationes à longè salutat.

40. At Tamburinus illam sub adverbio dubitandi (*fortasse*) id est sub incertitudine affert ut modo innui, nec eiusmodi sententiam munit sola ratione ducta ex iure naturæ, sed aliis; & denique nonnullas limitationes admodum linientes adiungit, quæ omnia pro suo instituto prudenter silentio noster impugnator obvolvit. Legat iterum Anagnostes germanam Tamburini doctrinam *lib.3.cap.4.§.3.n.10.*

41. Tamb. *Quid de malo levi, v.g. præcipiat mihi superior, ut fatear, an dixerim mendacium iocosum? An sim furatus obolum? An silentium in Religione fregerim? ex qua confessione mihi, non nisi malum leve, accidere possit? vel præcipiat, ut fatear homicidium, furtum grave, &c. ex cuius confessione certus sim (ita suppono) solum malum leve me incursurum, si negem cum æquivocatione, quodnam peccatum committam?*

42. *Respondeo à mortali fortasse excusandus esse, quamvis contrarius sit Delugo*, T.2. de Iust.d.40. sect.1. num. 16. fine. *Ratio esse potest, vel quia de iure naturæ videtur esse ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam, vel, quia si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve, & non rigorosum superioris præceptum, vel, quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reip si solum levis pœna sit imponenda.*

43. *Hic tamen excipio, nisi aliàs bonum commune aliter postularet, vel nisi sic deberet adverti malum grave impendens Tertio, tunc enim Charitas exigit, ut meo levi malo bonum grave Reip. vel proximi præponatur.* Ita Tamburinus.

Animadvertis, Quoties Baronius infideliter agit? Si semel in hunc errorem prolapsus esset, illum benignus excusarem; primus enim lapsus, vel casui imputatur, vel imprudentiæ, at quia iteratus, stultitiæ dari solet, aut insciticæ, non possum non meminisse illius lyrici carminis.

*Et Cithariædus*
*Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.*

## CAPVT XXIV.

### Tertium Paradoxum.

*De instigante iurare falsum, quod iurans verum putat.*

1. Tertium hoc Paradoxum sic evulgat Baronius, maiore, quam Sybaritæ fastu prætumidus.

Baron. ibid. fol. 95. *Superiora Paradoxa videntur posteriora vincere, & augere. Refert idem Author (Tamburinus* lib.3.c.1.) *quæsitum, an liceret ad falsum iuramentum adducere testem, cui bono animo verum putat iuramentum adducere testem, cui bono animo verum putat iuramentum, sed authori ad iurandum, compertum est, esse falsum.*

Ad

*Ad hanc Quæstionem prius negativè respondit Tamburinus ab exemplo ducto illius, qui instigaret ebrium ad incessendum contumeliis parentem vel infantem ad blasphemandum Deum, vel servum ad laborandum die, quem ignorat, festo.*

2. Et paulo post. *At hoc consilium retractavit postea commentitia quadam differentia, quia qui author est ebrio conviciandi parentem, vel servo die festo laborandi, cognoscit eas actiones materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, ac proinde nec intendi, nec persuaderi posse. Ad iuramentum, inquit, quod sine damno proximi bono animo iurantis sit, etiam de re falsa, actus est studiosus Religionis, quem potest, ut finem inspicere, qui persuadet iuramentum rei falsæ.*

3. *Atque huius inventi gaudio, vix sui compos, addit.* Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis hæc sententia ab Hurtado inventa, antea improbabilis, donec ista nova cogitatione accessit illi probabilitas. *Ad minus aliqua tenuissima. Sed revera nulla accessit. Quid enim dicet ad exemplum servi inducti ab hero ad colendum agrum, quod opus servile potest studiosè fieri à servo, obedientiæ, aut iustitiæ causa? Quid de viro cum cognata iuncto, cui reddere debitum putat opus iustitiæ? Quid si quis ex ignorantia invincibili colat Diabolum, quem credit esse Christum? vel adoret Hostiam, quam etiam ex errore putet consecratam? &c.*

4. Audito Baronio, audiamus Authorem.

Tamb. *In quibusdam Civitatibus* (ait l. 3, in Dec. c. 1. §. 6. n. 4.) *sunt quædam officia, quæ civibus, non verò exteris, quamquam diu inibi per omnimodam domicilij mutationem sint commorati, distribuuntur. Titius ergo, qui à teneris unguiculis in quadam ex his Civitatibus educatus, credebatur à pluribus naturalis civis, à pluribus autem incola, cupiebat eos, qui verum sciebant, negligere, qui autem sibi favere possent, in testimonium de certa scientia adducere. Verum an id fieri à se posset, quantum ad iuramentum pertinebat, à me peramice scisciatus est: nam quantum ad cætera, quæ obstare poterant (vere enim id erat contra iustitiam, siquidem intendebatur præferri veris naturalibus) sibi aliunde consuluisse, prætextu quarumdam compensationum asserebat; cumque ego negativè respondissem, ac modo allatam doctrinam Bonacinæ ostendissem, noluit acquiescere; asserens, in hoc casu nec peccaturos amicos, quia verum se iurare putabant, nec ipsum, quia nihil ipse iurabat; Vnde ergo peccati ratio deduci posset? Dixi, culpam esse inductionem ad illud iuramentum, licet solum materialiter falsum.*

*Illustravi id exemplis allatis à Delugo*, l. mox. cit. *Fac, tuum fratrem ebrium esse, quem inducas ad contumelias graves contra communem parentem contorquendas: certè non peccabit ebrius, at in peccatum tu incides, qui mediante fratre iniurius esse non vereris patri. Fac, te commovere infantem ad blasphemandum Deum, vel conculcandam sacram Imaginem; infans propter infirmam mentem non delinquet; quis autem te unquam excusabit, dum advertens verba illa, & facta esse blasphema, ea in os, & animum infantis immittis? Fac, tuum servum putare, hodie non esse diem festum, si eum tu sine causa compellis ad laborandum, nonne ipse excusabitur, tu vero de præcepti violatione damnaberis? Hæc & similia, quæ traduntur à DD. apud Castr. t. 1. d. 1. de leg. p. 2. §. 2. in ea Quæstione an sive excusatis à lege, sive à lege non comprehensis liceat subministrare contra legem, ut audivit amicus, viditque, similem apparere casum nostrum, manus non invitus dedit.*

*Non me latet Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana* p. 3. tr. 7. de Scandalo resol. 4. *& Tancred.* t. de Relig. d. 5. de Periurio, n. 31. *docere, esse probabile, non esse culpam inducere testem ad iurandum in prædicto casu. Sed nec me latet, Ioannem Delugo* tom. 2. de Iust. d. 39 sect. 3. à n. 21. *putasse, eiusmodi Hurtadi sententiam apparenter solum posse defendi.*

*Verum, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses, subiit mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla allata, quibus niteretur tota vis consilij mei, ille enim homo excitando ebrium ad iniuriandum, puerum infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit, eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, quare eas nec velle, nec intendere, nec consulere potest. At in casu nostro advertit in eo, qui modo dicto, sine proximi damno, (ut supponimus) iurat, adesse bonitatem virtutis Religionis; iurare enim id, quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum si ex proportionata saltem causa intendat is, qui ad illud iuramentum proximum inducit, non peccabit, quod bonum formale cum non sit in illis aliis actionibus, non est mirum, si in illas proximum inducere, nequaquam sine peccato possit. Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio: ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata sententia.* Hæc omnia habet Tamburinus.

5. Nunc expendamus nonnulla. Primò, hæc distinctio inventa non est à Tamburino, sed ab Hurtado, ut mox videbis, & miraris me iterum, iterumque conqueri, quod cæteris omissis, unus meus Præceptor, tanquam sceleris inventor accusetur, & Theonino dente rodatur?

6. Secundò, Baronius ait (*huius inventi gaudio vix sui compos Tamburinus*) oro te, Lector, ut repetas lectionem prædictæ doctrinæ Tamburini, modo prolatæ; & vide, an sit unum, vel minimum verbulum, quo is præseferat eiusmodi gaudium, & eius generis gaudium, quo vix sui sit compos. Quo igitur in loco hoc gaudium vidit Baronius? extat apud Manutium *fol. mihi* 883. illud Adagium de eo, qui aliud pro alio fallentibus oculis intuetur. *Hic, in duobus, tria videt*; Acutior est amicus noster, qui, pluſquam tria videt, in nihilo.

Tertiò, dicit quidem Tambur. eiusmodi disparitatem, post aliquot menses, eius mentem subiisse? sed potius animi submissionem sic indicat, cum fateatur ingenuè disparitatem illam antea non vidisse, quam tamen viderat, & scripserat Delugo, cuius Tamburinus doctrinam legerat; quia illam, ut vidisti, citat, & nihilominus prædictam disparitatem non adverterat. En verba Delugo, quæ etiam ostendunt ipsum non admodum dissentiri ab hac sententia, præsertim in ultimis verbis *num. suo.* 22.

7. Delugo *aliter magis apparenter* (ait tom. 2. de Iust. d. 39. n. 22.) *posset id defendi dicendo, iuramentum eo casu, nec formaliter, nec materialiter esse malum; quod probari posset ex doctrina à nobis tradita* disp. 23. de pœn. sect. 4. n. 76. *nempe voces, & assertiones nostras vocales directè, & immediatè significare solum conceptus nostros, res vero indirectè & mediatè. Quare quando dicis, Petrus est in foro, asseris immediatè scientiam tuam, ac si diceres. Ego scio Petrum esse in foro; quod idem dicendum est si iures: nam immediatè adducis Deum in testem scientiæ, & mentis tuæ. Sicut si diceres. Sit Deus testis, quod ego puto, Petrum esse in foro. Vnde videtur, numquam fieri periurium, etiam materiale, quando aliquis iurat iuxta suam mentem, quia semper est verum id, quod immediatè, & directè affirmat, & iurat, nempe se putare, rem ita esse. Tunc autem dici posset periurium materiale, quando aliquis scienter iuraret contra suam mentem, putans invincibiliter, periurium non esse peccatum, vel non advertens ad eius malitiam propter distractionem, vel consuetudinem, &c.*

*Cum ergo testis in casu nostro putat, rem ita esse, verum iurat, nempe se putare rem ita esse, atque adeo qui iuramentum ei consulit, non consulit periurium etiam materiale, sed iuramentum verum de scientia, vel opinione, quam revera habet.*

8. Num. 22. *Quidquid tamen de hoc sit, ego non video, cur in prædicto casu non liceret petere à teste, non ut in re rem ita esse, sed solum existimare, rem ita esse, tunc enim proculdubio nec formale, nec materiale periurium consuleretur, sed verissimum testimonium, nempe de existimatione, actuali, quam revera habet.* Sic Delugo.

9. Quarto, ait Baronius, Tamburinum dixisse, hanc disparitatem alicui videri posse subtilem. Fateor; sed quid inde? Subtilis visa est ipsi Tamburino ex sui animi submissione, & huiusmodi videtur fortasse alicui merè Casuistæ, non vero tibi, Baroni, nam si tecum dumtaxat, vel cum tui similibus ingeniosis Theologis se ille loqui putasset, ab hac subtilitatis mentione abstinuisset.

10. Quinto, Baronius præter exempla contra prædictam Sententiam de instigante clerum ad conviciandum parentem, vel infantem ad blasphemandum, &c. quæ actiones ita sunt malæ, ut nemo posset eas consulere, etiam illi amenti, qui putat esse bonas, vel nescit esse malas, affert alia exempla de servo laborante die festo ad obedientiam domini, de viro cum consanguinea conjuncta, ei reddente debitum ex virtute iustitiæ; de colente Cacodæmonem, quem falso putat ob ignorantiam, esse Christum, &c. quæ, & similia exempla fortius ait militare contra prædictam sententiam; quia actus obedientiæ servi, & illi alij sunt actus virtutum, & tamen non potest illi dominus laborem in die festo præcipere; nec aliquis excitare consanguineam ad reddendum illud debitum, & sic de aliis. Ergo pari ratione non potes consulere testi, iurare, quod ipse putat esse verum, quamvis sit actus virtutis Religionis, & ipse sic per ignorantiam putet. Verum ferè similis Responsio danda est huic, & similibus exemplis, perinde ac data est aliis, antea dictis, & ut clarius id intelligas, relege illa verba modo allegata Tamburini.

11. Tamb. *Ille homo excitando clerum ad iniuriandum patrem, infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, &c.* &c Tamb.

12. Itaque duo hîc dicuntur. Primo, illas actiones esse materialiter pravas. Secundo, illas nullo modo induere ullam bonitatem. Dico ergo ex hac germana Tamburini doctrina haberi responsionem ad posteriora exempla. Nam esto adiungantur ibi illi virtutum actus, tamen semper illæ actiones laborandi die festo, reddendi debitum non suæ, colendi Diabolum, &c. remanent, & sunt materialiter malæ. Vnde vides in prioribus exemplis duo illa intercedere, esse scilicet materialiter mala, & non habere adiunctum ullum actum virtutis, at in posterioribus adesse solum illas esse materialiter malas, quod satis est, (quia malum ex quocumque defectu) ut non possim ad illas neminem instigare. Non ita profecto, non ita in iuramento, quo de agimus; nam in illo intervenit quidem actus virtutis Religionis; sed hîc non satis esset ad nostrum intentum; sed nullo modo, ut est in se, est materialiter malus. Me enim iurare, quod puto verum, ut toties diximus, ne materialiter quidem est malum.

13. Hoc, quod tu non vidisti, Baroni, vidit Cotonius ex Tertio Ordine Sancti Francisci *lib. 1. contr. 11. cap. 1. num. 11.* cuius verba hîc ponam. Nec mirum quod viderit, assuetus enim erat ad intelligendas Tamburini phrases utpote Auditor Præceptoris mei in Theologicis, qui sanè ex eo tempore præferebat ingeniosissimum adolescentem. Sic ergo is habet loco cit.

Coton. *Melius ergo*, ait, *id explicatur, quod in casu iuramenti assertori, materia actus est obiectum, non prout est in re, sed prout est in iudicio. Quare cum quis inducitur ad iurandum id, quod existimat verum, non inducitur ad actum malum, ne materialiter quidem.*

Videant igitur sapientes, an sit commentitia hæc distinctio, ut Baronius putat.

14. Sextò, ait Baronius, hæc à se dicta esse solidiora, quam excogitata à Tamburino distinctio. Advertis? Modo *num. meo* 3. is eundem reprehendit de nimio gaudio ex eo, quod dixerit eam distinctionem ipsius mentem subiisse. At nunc cum ipse idem Baronius ait, à se dicta esse solidiora quam excogitata ab adversario, sibi blandiri nequaquam cognoscit. Vel, unum vide mus manticæ, quod in tergo est.

Porro, quod sint solidiora, iudicent sapientes. Quod autem huiusmodi distinctio sit à Tamburino excogitata, fabella mera est; quid quod, ut palam faciam, cogor in medium proferre (nec sanè extra rhombum) tres illos, qui ab eodem Tamburino citati, ante ipsum eam attulerunt, quos, quia Baronius noluit tunc quando scripsit, legere; æquum est, ut tandem in præsentia legat. Primus sit Diana.

Diana. *An sit licitum* (ait p. 5. t. 7. res. 14.) *inducere Petrum ad iurandum de aliqua re, quam ipse ex ignorantia veram putat esse, licet revera falsa sit, Vt, v.g. si petat aliquis in Academia petere ab alio, ut sub iuramento affirmet petentem audivisse per maiorem anni partem, & tamen qui petit scit, illud esse falsum, & alter, a quo petitur deceptus putat esse verum.*

*Negativam sententiam docet Azorius, Suarez, Basilius. Sed ego puto, contrariam sententiam esse probabilem, ut illam etiam vocat, & tuetur Hurtadus de Mendoza* in 2.2. d. 173. sect. 16. §. 199. *quia peccatum illud non est scandalum activum, quia neque formaliter, neque materialiter occasionat proximo ruinam. Non formaliter, quia non vult, ut alter peccando ruat; Non materialiter, quia non petit materiam hic, & nunc, malam, sed potius hic & nunc, bonam, quia actus petitus hic, & nunc oritur à Religione, ergo illa petitio non est scandalum passivum. Confirmatur, quia, quando nostrum peccatum præviderit, nullum damnum spirituale illaturum proximo, non habet circunstantiam scandali, ergo hac petitio non habet circunstantiam scandali. Neque item est peccatum contra Religionem, quia Deo nulla irrogatur iniuria; ego enim peto ab amico actionem, quæ est in honorem Dei, iuxta enim quod inculpatè apprehendimus esse verum, est actus Religionis. Ego vero illum actum peto, & non alium; quod autem ego scium, obiectum illud esse falsum, nihil interest; quia ego id obiectum non iuro, neque volo, ut alius iuret, quod scit esse falsum. Tota igitur iniuria Dei esset in iuramento falso. At iuramentum illud non est materialiter falsum, sed verum, ergo in illo nulla est iniuria Dei, sed honor. Ignorantia autem invincibilis nullum interest hius instituti, quia illa reddit iuramentum honestum, ob quod & meam petitionem honestat. Hinc ad argumentum responderi posset. Procurare aliquem ad iurandum cognitum ut falsum esse contra Religionem, non vero provocare ad iurandum falsum, cognitum ut verum, &c.* Hæc Diana.

Secundus est Hurtadus, sed hunc iam habuisti apud Dianam.

15. Tertius igitur est Vincent. Tancredi, qui de *Relig. tr. 4. l. 3. d. 5. q. 2.* sic docet.

Tancredi. *Denique si petas iuramentum ab aliquo, quod sine mendacio præstare non potest, erit semper mortale, quia inducere ad peccatum mortale, est mortale. Sed in iuramento sine veritate semper est peccatum mortale, ergo: Hæc Suar.* cap. 14. ad n. 8. *quem in omnibus laudat Sanch. & cæteri supponunt.*

*Putat Suar.* n. 8. *non licere, petere ab alio, ut iuret determinate v. g. quod Petrus sit Doctor, quod putat verum, si petens sciat revera esse falsum, contra vero posse petere indeterminatè: Iura, quod scis de hac re, persona, &c. & Sanch. addit, esse mortale, & Basil. & Castrop.*

*Sed contrarium est probabile, & tutum, quia nec est incitatio ad peccandum, cum revera iurans non peccet; imò facit actum Religionis iurando; nec est contra Religionem, cum Deo per illum actum nulla fiat iniuria, sed potius honor tribuatur, cum revera sit actus Religionis. Nec, quod ego sciam, esse falsum, reddit malum iuramentum, cum ego non iurem, nec petam iurari falsum. Sic Hurtad. de Mendoza* in 2.2. d. 173. sect. 16. §. 199. *quem citat & sequitur Diana, &c.* Hæc Tancredi.

16. Dicet aliquis, hos postremos Doctores esse laxe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nistis infensos, atque adeo eorum doctrinam ab iisdem non admitti.

Respondeo; Ne ab ipsis admittatur, certè admittetur ab aliis sapientissimis viris, quod nobis satis superque est.

17. Illud nolo hîc silentio prætermittere, Antonium Cotonium Philosophum, ac Theologum nostro ævo insignem, sanè modestius se gessisse, quam se gesserit Baronius. Cum enim retulisset *l.1.controv.11.de Juram.n.12. & 13.* prædictam Hurtadi sententiam, citassetque pro ea Tamburinum, quem suum Præceptorem appellat, deinde modestissimè loquens, ita insinuat eam sententiam ipsi minus placere, ut tamen nulla censuræ nota illam inurat; imò videatur illi indulgere nonnihil. Sic enim loquitur num. 14.

18. Cotonius. *Melius ergo explicatur id, dicendo, quod in casu iuramenti assertorij materia actus est obiectum non prout est in re, sed prout est in iudicio. Quare cum quis inducitur ad iurandum id, quod existimat verum, non inducitur ad malum, ne materialiter quidem, & certè ut fatetur* Delugo n. 23. *potest quis inducere alium ad iurandum, non quod res ita sit, sed quod ipse ita existimat, in quo nulla est culpa. Absolute tamen non licet, quia etiam si iuramentum cadat immediate supra Iudicium, mediatè, & remotè cadit etiam super obiectum.*

19. Hactenus Cotonius, cujus ultimæ huic doctrinæ Hurtadus respondere posset ex dictis, nimirum eos, de quibus loquimur, non petere, nec jurare, nisi quod immediatè verum est; nam ab eo, quod est mediatè, & remotè præscindunt; perinde ac, si quis juraret v.g. te esse Civem Parisiensem, supposita re sibi moraliter certa, verum juraret, quia juraret illud, quod est moraliter certum, quidquid sit, an re ipsa falsò, vel verè tu Parisiensis civis existas.

20. Septimò reprehendit Baronius Tamburinum, quod sic docuerit.

Baron. fol.96. *Sed certè vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtardi hoc modo explicata sententia.*

Quibus Tamburini verbis Baronius hæc alia verba subnectit, quasi à Tamburino dicta.

*Hæc sententia antea improbabilis, donec ista nova cogitatione accesit illi probabilitas.*

21. Hæc verba non sunt in mei Præceptoris textu, ille autem ea de more (nam frugi usque frugi est) addit ex abundantissimo penu suo. Quæ verba, quamvis parum rem elevent, vel deprimant, nihilominus unum video, alterum suspicor. Video imponi multa Tamburino, quæ ipse non dicit; Suspicor id à Baronio esse additum ad excitandum odium adversus dictam doctrinam quasi saltem de novitate suspectam.

Denique in calce hujus imputati Parodixi illud inconveniens colligit ex data doctrina, his verbis.

Baron. fol.97. *Nec dubium est (inquit) quin ex hac sententia excusare posset Scholasticos Tamburinus; qui, ut suum cursum probent, & muniant sibi iter ad gradus, & subinde ad officia, & beneficia, adhibent in testes ex amicis duos, qui rei sibi incompertæ, suspecti etiam falsi, verbo, & si velis iuramento, fidem faciant, illum sedulo lectiones frequentasse.*

23. Nollem esse ita injurius, ut dicerem hîc obdormivisse Baronium, sed tamen id innuere cogor. Siquidem si paulo ante retulit Tamburinum docentem, tunc illud juramentum excusari à peccato, quando sine damno proximi, bono animo jurantis fit, quomodo nunc dicit, ex hac sententia Tamburini posse à Scholastico excitari amicos ad testificandum de sua frequentia, cum tunc multa damna intercurrant? Intercurrit enim primo damnum quod infertur Scholis, seu Universitatibus; spe enim ejusmodi testificationum non adeo frequentes essent Auditores. Secundo, ipsis studentibus, qui, hac item spe, valde laborabunt de frequentandis lectionibus. Tertio, præsertim ipsi Scholastico ejusmodi juramentum exposcenti. Quarto, quod caput est, maximum fit damnum Ecclesiis, & Cathedris, quæ si ejus generis juramenta concederentur, ab ineptis Ministris subinde regerentur, quod est intolerabile damnum publicum.

Dices, at Hurtadus, Diana, & Tanneci modo allati non adjunt hanc limitationem, qua excludatur damnum proximi. Respondeo, id mirum esse mihi, quod hi hanc limitationem non addant, & Baronius reprehendat Tamburinum, qui addit, & quidem hinc colligo solidam Tamburini, & cautè enucleatam doctrinam, nam animadvertens, hac limitatione non addita, non posse eam sententiam admitti, ipse expressè prudenter illam apposuit.

## CAPUT XXV.

### *Injusta Gradatio Baronii.*

1. Inter cæteras amplificationes Baronij adversus Tamburinum, excedit illa, quæ per gradationem inducit sententiam ejus esse laxiorem, quam sint aliorum è Societate sententiæ, atque id ita audacter, & ita verbis, seu injuriis insolentibus, ut me pudeat tantæ ejus impudentiæ. Iurgiis ergo prætermissis, hæc sunt ejusdem verba *disp.1.sect.5 § 2.fol.77.* quæ faciunt ad nos.

2. Baron. *Comitolus l.1.q.15. nunquam patitur, recedamus à sententia, quæ stat pro lege semper servanda, si sanciat res necessarias ad salutem, efficacia medii, vel causæ.*

*Alii ex Societate id concedunt, si opinio tuta, quæ favet rebus necessariis, tum necessitate medii, tum præcepti, sit probabilior, & communior, id est firmioribus argumentis, maiori numero Doctorum, vindicat opinionem, quæ stat pro libertate, & commodo.*

*Sanchez* lib.2.in Dec. c.10. *credit, sin toto vitæ decursu sectandus sit hac sententia; versanti ad minus in articulo mortis esse eligendam, ne de æternitate periclitetur.*

*Tamburinus uno audaci, & præcipiti saltu transilit hos quatuor gradus; quare securitatem pollicetur iis, qui deserunt opinionem pro lege stantem,* etiam tutiorem, etiam communiorem, etiam in articulo mortis.

Et paulo post. *Quo vero gradu probabilem licebit sequi? Omnium minimo, non utraque probabilitate, sed altera, vel extrinseca ab uno Authore contra innumeros, vel intrinseca ab aliquo argumento tenuissimæ probabilitatis.*

*Quis non obstupescat ista docuit tanta fiducia, & habuisse Laudatorem (Theophilum) &c.* Hæc Baronius.

Tot sunt hîc ineptè, & falsò dicta, ut ego contra obstupescam, tanta audacia hæc ab homine Religiosi Ordinis efferri.

Porro recolendum est primo, quænam sit germana doctrina Tamburini in hoc negotio probabilitatum, quam supra exposuimus cap. præsertim secundo à *num. meo 8.cap.20.& cap.23.* nimirum esse illam, quæ semper debeat esse ejusmodi, ut à probabilitate oppositæ partis non obscuretur.

Ex hac solemni ejus doctrina clarè ostenditur ipsum potius strictius; non autem minus loqui, quam prædicti loquantur (si tamen ita loquerentur, nam cæterum mox videbimus, eos infideliter citari.) Ostendo, initium faciens ab ultimo gradu, id est à dicto Sanchez.

4. Hic (esto) absolutè concedit, sectari nos posse opinionem probabilem solum extra mortis articulum. At Tamburinus id non concedit sic absolutè, sed omnino vult, ut fiat semper comparatio cum sententia opposita, quod, si inveniatur ejusmodi, ut obscuretur, illam non liceat sequi, nec extra articulum mortis, nec in illo.

5. Alij è Societate Jesu concedunt, debere nos sequi

opinionem probabilem, si opinio tuta sit probabilior, & communior, id est firmioribus argumentis, & majori numero Doctorum vincat opinionem, quæ stat pro libertate, & commodo, concedunt, inquam. Sed quid contra Tamburinum? hæc enim est ipsa germana ejus doctrina; nam non solum is id concedit, ut alii, sed prorsus id requirit. Quando enim opinio sit tuta, sit probabilior, sit firmioribus argumentis, sit majori numero Doctorum vallata, certè obscurabit aliam oppositam, quare hæc, amissa (ut ita loquar) probabilitate, non poterit eligi, sed omnino illa alia erit eligenda.

6. Suarez (esto) vult, valere sententiam Comitoli de opinione, quæ stat pro lege semper servanda, si hæc sanciat res necessarias necessitate medii, vel causæ; At Tamburinus amplius vult, ut nimirum quando opinio, quæ stat pro lege ea est, ut non obscuretur ab opposita parte, non solum recipi debeat, si sanciat res necessarias medii, & causæ, sed etiam debeat recipi, si res sint necessariæ ex quocumque capite, seu præcepto.

7. Denique Comitolus (esto) nunquam patitur, ut recedamus à sententia, quæ stat pro lege. At Tamburinus, si non sic absolutè, certè cum sua solemni exceptione, nunquam patitur, ut recedamus à sententia, quæ stat pro lege, si probabilitas ex parte legis obscuret, seu vincat illam, quæ est oppositа. Quando autem vincat, vel non vincat, latè ipse prosequitur (ut aliàs notavi) *lib.1. in Decal.c.3.§.3.a n.12.*

*Aliæ observationes contra prædicta à Baronio.*

8. Recolendum est secundo, Tamburinum noluisse recipere, ut vidimus suprà *cap.2.num. meo 16.* illam sententiam, quæ dicebat, posse nos indifferenter sequi opinionem in minimo gradu probabilem, quomodo ergo, Baroni, nunc de Tamburino absolutè dicis (Gradu omnium minimo?)

9. Recolendum est tertiò. Tamburini sententiam, per quam possimus authoritati extrinsecæ fidere; debere vallari à quatuor conditionibus; hoc est, ut Author, qui illam affert, sit primò, doctus. Secundò, rem ex professo tractet. Tertiò, firmam rationem pro se habeat. Quartò nihil appareat contra ipsum convincens, ut vidimus *suprà cap.2. num.7. meo.* Quomodo igitur nunc temerè mutilans doctrinam ejus, dicis (vel extrinseca ab uno Authore) & nil præterea, tacens tanti momenti conditiones?

10. Recolendum quarto, quod millies repetii, unde vereor, ne quis mihi exprobret crambem recoctam (sed ignoscat benevolus Lector, adigor enim ab Adversario) Recolendum, inquam, quarto, nunquam Tamburinum admisisse tenuissimam probabilitatem, & quando admisit tenuem, cum illa exceptione semper admisit, modo ab oppositа parte tenebras non conceperit. Cur ergo tu iterum, iterúque inculcas illud (tenuissimæ probabilitatis?)

11. Recolendum quinto, alios Doctores non Jesuitas, ut vidimus *suprà cap.2. à num. meo 13.* sustinere etiam in fine mortis probabilitatem illam eligi posse. Cur ergo tu unum Tamburinum reprehendis?

Respondebis, quia hic est à Theophilo commendatus. Optima responsio. Non ergo doctrina te vellicat, sed aliquid aliud.

## CAPVT XXVI

*Qua fidelitate prædicti Doctores citentur.*

1. Dictum est modo (esto, esto, &c.) nam cæterum prædicti Doctores, qua fidelitate afferantur, nunc, Attica fide, breviter expendam.

Initium sumo à Comitolo, ejus verba sic retulit modo Baronius.

BARON. *Comitolus l.1. q.15. nunquam patitur, recedamus à sententia, quæ stat pro lege, quæ una illi tuta est.*

Audiamus nunc Comitolum, ac videamus an hæc ipse dicat *loc.cit.lib.1.q.15.*

QUÆSTIO XV.

COMITOL. *Annuæ confessiones sive anni, quo quis de suis peccatis confiteri debet, initium sumendumne sit ab extrema confessione, an à tempore Paschatis, à doctis quæsitum, & disputatum. Sotus annum confessionis exordiatur à postrema. Sanctus vero Antonius confitendi tempus unde esse Paschæ, &c.*

Et paulò post. *Posterior sententia (hoc est S. Antonini) verior existimari debet, non solum numero, & authoritate Doctorum, sed etiam potissimum ratione, quia Ecclesiæ leges, quæ generales sunt, debent esse certa, & fixa, & certa, & fixa habere tempora; ut & ii, qui parere debent, sciant, quando parendum sit, & Judices, qui non obedientes coërcere debent, intelligere possint quando his obtemperatum non est. Id quod fieri non posset, si à postrema confessione, quæ arbitraria cuique esse potest, annus initium duceudum foret.*

13. Hæc Comitolus, & ne verbum quidem amplius. In quibus nulla prorsus mentio probabilitatis, nulla de ejus vi disputatio, nihil de opinione, quæ stet, vel minus stet pro lege; sed solum docet, legem debere esse certam, fixam, & certa, fixaque habere tempora. Quæ quidem rectè esse dicta, quis ambigat? Quo ergo organico instrumento, Baroni, isthæc trahis ad probabilitatem, qua de agimus? fortasse ex illis verbis (leges debere esse fixas, ac certas) sed non advertis, id dici ex parte objecti; id est, quod ipsæ leges certæ, & fixæ esse debent à legislatore latæ; nostra autem quæstio est ex parte actus; an scilicet homo possit putare probabiles, vel non probabiles rationes pro dicta lege, vel contra ipsam. At nimis subtiles istæ distinctiones videbuntur amico nostro, quamvis illæ sint hodie etiam Tironibus logicis compertissimæ.

14. Progrediamur ad Suarium, quem sic refert Baronius.

*Vult Suarius illius (Comitoli) sententiam valere, &c. si sanciat res de necessitate medii, vel causæ, &c.*

15. Nimis indistinctè affers sententiam Suarii, & tamen distinctio in aliquo tibi Baroni favet. Duo hoc in loco *t.4. d.26. sect.6.à n.5.* docet Suar. prius, in materia Jurisdictionis ad absolvendum à peccatis; ut item in materia de Baptismo, deque aliis Sacramentis, debere semper eligi tutiorem viam, & probabiliorem, omissa probabili. Posterius in quacumque alia materia universaliter, quæ pertineat ad factum conscientiæ, id esse sentiendum. Non refero ejus verba, fateor enim ita illum sentire in citato loco. Sed pronuntio, quoad prius, in eadem omnino esse sententia, Tamburinum cum Suario, ut videre licebit ei, qui leget, *lib.1. in Dec.cap.3.§.3. num.suo.* 20. ubi ipse agit de Ministro Sacramentorum. Quo ad posterius, fateor etiam id Suarium dicere in hoc loco, sed incidenter (nam alibi, ubi de hoc ex professo tractat, favet legitimæ probabilitati; ut mox *n.meo* 19. vid. bis cum Sanchez) sed noster Tamburinus alios Authores, & eundem Suarium in hoc alio, ut dixi, loco secutus est, cum limitationibus tamen suprà explicatis. Quare si ex fide Baronius loqui voluisset, dicendum illi erat, Tamburinum secutum esse Suarium in eo loco ubi de re ex professo tractat.

16. Denique accedamus ad Thomam Sanchez *loco cit.* à Baronio, qui sic illum refert.

BARON. *Sanchez credit, si in toto vita decursu sectanda sit hæc sententia, versanti, ad minus in articulo mortis esse eligendam, ne de æternitate periclitetur.*

17. Dicis ergo, si bene tua dicta interpretor, Baroni, Th. Sanch. docere *si in toto vitæ decursu non sectanda sit sententia eligens partem tutam, vel probabiliorem, omissa probabili.*

*probabili, saltem esse diligendam in articulo mortis, ne de æternitate periclitemur.* Ita sanè dicis, sed dicis falsò. Nam Sanchez ait, etiam in articulo mortis sequentem opinionem probabilem non peccare, quia sequens opinionem probabilem securus est à peccato; sed addit, si quis habeat peccatum, quod probabiliter credat non esse mortale, licet ob probabilitatem quam habet, non teneatur illud confiteri, quia sequitur opinionem probabilem, tamen, quia coram Deo illud peccatum fortè verè fuit mortale, ideo necesse habebit, saltem de eo conteri, nam opinio probabilis excusat à culpa, non tamen remittit peccatum, si fortè verum fuit. Hæc Sanchez. Falsò igitur Baronius dicit, Sanchez absolutè velle, ut sententia probabilis non eligatur in articulo mortis; potest enim eligi per illum, etiamtum, sed cum allata explicatione.

Hæc autem sunt verba Sanchez *l.1. cit. in Dec. c.10. à n.75.* quæ libenter hîc ascribo, quia præter id, de quo nunc disputamus, faciunt ad totam quæstionem de Probabilitate.

18. THOM. SANCH. Num.75. *Hactenus egimus, quid in dubio supereſt, quando Iudicium est probabile, seu opinio. Salas ait, licet tanquam probabilius opinetur Pœnitens non esse aliquod peccatum mortale, vel jam Confessione detectum, teneri eum ad illud confitendum, &c.*

*Sed dicendum est, non teneri hunc fateri peccatum, quod probabili opinione credit, non esse mortale, quia potest quispiam licitè operari, sequendo probabilem sententiam, ut satis probavi cap. præc. n. 14. nec contrarius Ecclesiæ usus testimonio aliquo ostenditur.*

19. *Atque ita docent Rosella, Sylvest. Gerf. Henriquez, Suar.* to.n.3. in 3 p. d.22. sect 9 n.5. & 6. qui optimè eo num.6. ait, *hoc esse verum, etsi hic judicet tanquam probabilius, illud esse peccatum mortale, quia non tenetur quis sequi probabiliorem opinionem: sed satis est probabilem, ut satis probant cap. præced. à n.14.*

20. Notas, Suarium hoc in loco, ubi de probabilitate serio tractat (ut vel cœcus in ejus textu citato videbit) non favere solum, sed legitimam omnem probabilitatem amplecti?

Verum pergit Sanchez.

21. *Atque eadem ratione idem est dicendum, quando Pœnitens probabiliter opinatur, se id peccatum fassum fuisse, quamvis probabilius credat oppositum. Sic Suar. quod non obscurè etiam docuit Navar. &c.*

Et paulo post, id est seq. n.77.

22. *Hinc* (ait) *excipit Henriquez, nisi Pœnitens sit in mortis articulo; tunc enim ait, teneri illum conteri de illo peccato, quamvis probabiliter credat, non esse mortale; quia & si opinio probabilis excuset à culpa, non supplet tamen necessarium remissioni peccatorum medium; si fortè hoc coram Deo fuit mortale, ubi de confessione nil dixit; & quidem merito, quia probabilis opinio eum excusat à confessionis præcepto, & ei periculo defectus remedii necessarii ad ejus remissionem, si fortè fuit mortale, subveniret satis contritione illa, cum id non teneatur, durante ea opinione, fateri; & ideo contritio illa remittet id peccatum in ordine ad claves Ecclesiæ, &c.*

Hæc Sanchez, qui, ut legisti, nimis perspicuè docet, probabilitatem vim suam excusandi à culpa exercere, etiam in articulo mortis, quamvis non ponendi, seu supplendi illud, quod est de necessitate medii. Hoc enim posterius nullus, vel laxissimus Probabilista somniavit.

## CAPUT XXVI.

### *An sibi conveniant duo nostri Authoris dicta.*

1. SIbi pugnantia docuisse Authorem nostrum, frustra dixisse Baronium, vidimus sup. *c.23. à meo n.36.* Simile quid in præsentia cavillatur, *l.c. §.2. fol.79.*

BARON. *Sibi ipsi (Tamburinus) repugnat, &c. Audisti, ad securitatem conscientiæ ipsum requirere probabilitatem opinionis ab extrinseco tantum, & ab Authore, vel ab intrinseco, & argumentis. Sed quasi hujus doctrinæ ipsum pœniteret, utramque permiscet probabilitatem; dum respondet lib.1. in Dec. c.3. §.3. ad illud quæsitum. An Authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilitatem tutam. Respondet, inquam, unum sufficere contra innumeros, si doctus sit, rem ex professo tractet, firmam rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Atqui hæc omnia ad probabilitatem intrinsecam pertinent.*

2. Dicis ergo Tamburini repugnantiam in eo consistere, quod in priore loco requirat ad securitatem conscientiæ probabilitatem, vel extrinsecam, vel intrinsecam, at in posteriore miscet probabilitates, & requirit ad dictam securitatem utramque, hoc est probabilitatem tum extrinsecam, tum intrinsecam.

Verè usurpabo de te puerile illud, & tritum, *legere, & non intelligere, est negligere*; intellexistine doctrinam Tamburini, unde colligas in posteriore loco ipsum requirere ad securitatem conscientiæ utramque probabilitatē? Imò ipse in hoc posteriore loco signatè dicit, satis esse extrinsecam; exscribamus hîc text. Tamb. *l.1. in Dec. c.3. §.3. n.5.*

3. TAMB. *Tunc solum puto, sufficere unum, tametsi contra innumeros DD. is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque pro se rationem habeat: nec apparet contra ipsum aliquid convincens. Ita Azor. Vasq. Ratio est, quia ex tali Authore sic vallato nascitur merito prudens Iudicium. Quod si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur, idque in Doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere: cum tamen possit indoctus. Ratio est; quia tibi non potest tunc innasci Iudicium prudens: Indocto potest; vel certè illum* (Authorem) *sequi eidem indocto, qui sine culpa ei Doctori fidem habet, culpæ non datur.*

4. *Dico* (*regulariter*) *nam potest contingere, ut ille sit adeo doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minus à te penetratam, vel notam; & item judicare, ipsum, rationem in contrarium tibi probatissimam, facile posse diluere; in hoc enim eventu ejus opinionem, utpote EXTRINSECE probabilem, si amplectaris, prudenter agis.* Hactenus Tamb.

5. Equidem lego hîc, posse indoctum, qui non novit rationem, qua fulcitur ille Doctor, hujus sententiam sequi. Id quod quidnam est, nisi mera, puraque probabilitas extrinseca? Et clarius lego in postremis productis lineis (utpote EXTRINSECE probabilem) ergo quibus tu perspiciliis adiutus legisti tantùm (*ut ais*) INTRINSECE? Verum id factum est, ut noveris, amice Baroni, in quos errores te abripuerit maledicendi Orexis.

6. Sed vela contrahamus, atque arma defensiva pro veritate hactenus, quasi paraspisten, tractasse sit satis: arma enim offensiva ab aliis impugnator expectet. Meum interim Præceptorem iis verbis solabor, quæ S. Hieron. usurpavit in Epistola ad Furiam de viduitate servanda.

S. Hieron. *Fieri non potest, ut absque morsu hominum vita hujus curricula quis transeat.*

FINIS.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Sancto Michaeli meæ Civitatis Caltanissettensis Patrono.*

# INDEX.

## RERVM ET VERBORVM quæ continentur in hoc Volumine;

*CUI INSERTUS EST OPUSCULI INDICULUS.*

### A


ABLUTIO, materia proxima Bapt. V. Baptismus.

Absentium matrimonio qui Parochus debeat assistere? lib. 8. tract. 6 cap. 2. § 5. n. 23. pag. 221

Absolvere quis valeat à reservatis jure Ordinario, lib 5. tract. de casibus reser. cap. 8 §. 1. 73

Is, cui reservatur. ibid.

Superior. ibid.

Inferior, cui delegatur. ibid.

An summus pœnitentiarius. ibid.

An Vicarius Episcopi, ibid.

An Vicarius Prælatorum Reg. ibid.

An Minister in Societate. ibid.

Absolvere à reservatis quis possit jure delegationis, ibid. c. 9. §. 1. 74

Variæ formulæ dictæ delegationis. ibid.

Quomodo intelligantur. ibid.

Absolvendi potestatem à reservatis, an, & quando obligetur dare Ordinarius? lib. 5. tract. de casibus reservatis, c. 8. §. 2. 74

Absolvendi à reserv. potestatem sibi datam ignorans, an valide absolvat, ibid. c. 9. §. 1. n. 18 76

Absolvere à Papa lib. casib. & excomm. an Episcopus valeat? V. Episcopus.

An Prælati regulares? V. Superiores Reg.

An quilibet Sacerdos in articulo mortis? ibid. cap. 12. §. 1. 84

An in impedimento perpetuo? ibid. §. 2. 86

An in alia necessitate, puta periculo infamiæ, & cætera, ibid. §. 3. 87

Absolvi, quæ valeant ex vi Bullæ Cruciatæ, V. Bulla Cruciatæ.

Absolvi an possint peccata commissa in confidentiam concessionis potestatis ea absolvendi? ib. c. 9. §. 2. 76

Quid de commissis post prædictam concessionem datam, ibid. §. 9. ibid.

Absolvi an possit quis aliquando ab inferiore, relicto Superiore lib. 5. tract. de casibus reservatis c. 12. per totum. 84

Absolvi quis potest per Bullam à reservatis Episcopo toties quoties, sed à reservatis Pontifici publicis semel in vita, & semel in morte, iterumque ab iisdem, si primam Bullam sumpserit, non vero tertio, si tertiam (exceptâ hæresi) clausula 11. cap. 11. n. 1. 462

Absolvi nemo potest per Bullam ab hæresi formali externa, licet occulta, secus si non sit formalis, ut merum sortilegium, merum maleficium, mera superstitio, &c. ibid. §. 4. n. 2. 464

Neque ab obligatione denuntiandi aliquod crimen inquisitori, ibid n. 3. ibid.

Absolvi an possit quis per bullam ab occultis Pontificiis etiam in Cœna Domini toties, quoties, cap. 11. §. 5. n. 1. & seq. ibid.

An à suspensione, excommunicatione, interdicto personali, &c. sive hæ censuræ sint occultæ sive publicæ, sive à jure, sive ab homine, sive ad forum contentiosum deductæ, sive non, ibid. §. 6. n. 1. ibid.

Non potest ab excommunicatione contracta ab hæresi. ibid.

Absolvi non debet excommunicatus nominatim, sed erit ad suum Prælatum remittendus, ibid. n. 4. 464

Excipe quando judex vel longè distat, vel injustè agit, vel rigorosè se gerendo, negat absolutionem, ibid. n. 3, ibid.

Absolvi non potest per bullam cessatio à divinis, nec interdictum, sive generale, sive speciale locale, nec personale generale; ibid. n. 5. ibid.

Nec irregularitas contracta ex indecentia, qualis esset ex bigamia. ibid.

An irregularitas quæ incurritur in pœnam alicujus delicti. Item an contracta ex homicidio, vel mutilatione, ibid n. 6.

Absolvi quis non potest per bullam à censuris, nisi satisfacta parte læsa, c. 11. §. 7. per totum. ibid.

Pars læsa non dicitur Fiscus, vel Notarius, cui debetur pœna pecuniaria, ibid. n. 2.

Nec religioni, sed religioso particulari læso debet satisfieri, n. 3.

Absolvi quis potest vi bullæ etiamsi in ejus confidentiam peccaret, c. 11. §. 9 n. 1. 466

Absolutio peccatorum conferri an possit absenti, lib. 5. c. 2. §. 1. n. 2. 32

Absoluto in foro interno quid importet, lib. 5. tr. de casibus reserv. c. 12. §. 5. n. 35. 93

Absolutio pœnitente, qui oblitus est peccati reservati, an tale peccatum remaneat reservatum, ibid. c. 9. §. 4. 77

In confessione valida. ibid.

In invalida. ibid.

Quid de excommunic. oblitis. ibid.

Absolutio à reservatis potest in articulo mortis conferri ab electo ex vi Bullæ, etiam præsente proprio agentis Parocho, c. 11. §. 3. n. 2. 463

Absolutio ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, pendente lite, illicite concederetur, ibid. c. 11. §. 6. n. 2. ibid.

Excipe casum, qui habetur in n. 3. seq. 464

Absolutio habita ex vi Bullæ ab excommunicatione, non prodest, nisi pro foro interno, cap. 11. §. 8. num. 1. & seq.

Absolutio ab excommunicatione, etiam ex vi Bullæ, potest validè conferri extra confessionem peccatorum; nec est necesse, ut absolvendus confiteatur sua peccata, nisi absolutio sit adnexa Sacramento pœnitentiæ, ibid. §. 9. n. 3. & 4. 466. & 467

An licitè, ibid.

Absolutio ab excommunicatione requirit in homine absolvendo propositum non reincidendi in eandem, ibid. n. 3.

Absolutionis formula ab excommunicatione, & reser-

vatis posita in Summario Bullæ non est de substantia; sed satis est formula ordinaria cum intentione solvendi iuxta facultatem Bullæ. ibid.
Absolutus semel per bullam à reservatis Pontifici publicis nequit in vita per eandem bullam iterum absolvi ab alio novo, nec simili, nec specie diverso peccato cap. 11 §. 2. n. 1. & seq. 463
An sententia, quod possit, sit probabilis. ibid.
Absolutus ab excommunicatione, si postea cum possit, non servat promissionem de satisfaciendo parti, licet peccet, non tamen reincidit in ullam excommunicationem, c. 11. §. 7. n. 6. 465
Absolutus pro foro interno à censuris ex vi bullæ, quomodo se debeat gerere, quo ad actiones externas, c. 11. §. 8. n. 3. & seq. 466
Potest Iudex contra eum procedere in foro externo, ibid. n. 7. ibid
Absolutus per bullam à censuris pro foro interno etiamsi dicat, & probet iis, quid sciunt excommunicationem, se esse absolutum per bullam; adhuc peccat coram eisdem publice, & indifferenter se gerendo, secus si caute, & coram paucis ex iisdem, ibid. n. 6.
Et quid si excommunicatio sit aliquibus nota, sed non deducta fuit in forum contentiosum, ibid. n. 7.
Absolutus ab excommunicatione reservata à confessario electo per bullam, est liber ab onere se præsentandi superiori, c. 11. §. 3. n. 3. 463
Acceptatio bullæ necessaria, est, nec sufficit sola eius sumptio, seu receptio; sicut nec acceptatio sine sumptione seu receptione, licet pro ea eleemosynam largitus sis, & bullarum distributor eam tibi applicet, ac suæ domi servet, c. 15. §. 5. n. 2. 478
Acceptatio promissionis matrimonij quæ requiritur, ut promittens uxoratus subeat impedimentum dirimens, lib. 8. tract. 1. c. 6. §. 3. n. 7. 135
Acceptatio peccaminosa litterarum sine licentia est casus reservatus in Societate, lib. 5. tract. de casibus reserv. c. 7. §. 8. n. 24. 71
Acceptare quis pro alio valeat? lib. 9. tract. 9. cap. 7. §. 7. 349
Acceptatio, an requiratur ad firmandam promissionem? lib. 9. tr. 9. c. 7. §. 1. & seq. 344. & seq.
An ad remissionem debiti, vel cessationis iuris? lib. §. 4. 346
Accessus ad Moniales, V. Moniales.
Accollatio onerum. V. Onerum accollatio.
Accusatorius libellus Curatorum Parisiensium, cap. 19. num. 13. 509
Acolytatus quid sit, quæ eius forma, quæ materia? lib. 7. cap. 2. §. 5. 101
Quæ eius munera? n. 4.
Acquisitio iurisdictionis, V. Iurisdictio.
Actus qui non valet eo modo quo fit, valet quo potest? l. 8. tr. 3. c. 5. §. 5. n. 18. 189
Adam, si resurgeret, an uxorem ducere valeret? l. 8. tract. 1. cap. 5. §. 1. n. 21. 132
Adiudicatio consueta fieri in Sicilia, an iusta? lib. 9. tr. 2. cap. 6. §. 8. 278
Admonitio proprietarij facienda ab alienante rem Emphyteuticam? l. 9. tr. 6. c. 5. 316
Adoptio, lib. 8. tr. 3. c. 5. §. 3. 133
Adulterium; quod est impedimentum matrimonij? lib. 8. tr. 2. c. 6. §. 1. 134
Quale? ibid. §. 2. n. 6. ibid.
Quando dat causam divortij? V. Divortium.
Adultus baptizandus, qua dispositione, qua attritione, qua scientia mysteriorum fidei indiget? lib. 2. cap. 3. part. 3.
Ægroto famulo, an stipendium debeatur? lib. 9. tract. 4. cap. 7. §. 3. 310
Ægrotus in periculo mortis non valens adire superiorem pro absolutione reservatorum non tenetur bullam accipere, sed potest à simplici Sacerdote ab illis absolvi, cap. 15. §. 1. n. 2. 476
Æqualitas in conferendo, quænam ex in contractu Societatis? lib. 9. tr. 8. c. 4. 330
Æquivocare in Iuramento, V. Iuramentum.
Ætas excedens, V. Causæ dispensandi.
Ætas Ordinandorum, V. Ordinandus cuius ætatis.
Affinitas est impedimentum matrimonij, lib. 8. tr. 1. c. 12. §. 1. 139
Quænam sit? ibid.
Quamdiu durat? ibid.
Quantum nunc extenditur ex copula licita? & sequela licita? ibid.
Quantum ex illicita? ibid.
Affinitas superveniens matrimonio quid operetur? ibid. §. 3. 140
Affinitatem, quænam copula pariat? ibid. §. 4. 141
Alienatio rerum, sive in fraudem, sive non in fraudem creditorum, an ab Vsurario fieri possit? lib. 9 tr. 1. c. 8. §. 2. & 3. 260
Allodialia bona, quænam sint? V. Bona Allodialia.
Altaris nomine venit locus ille, aut mensa firma seu lapidea, seu lignea super qua fit sacrificium, non autem Altaria in plateis, vel congregationibus ubi non fiunt Sacrificia, c. 10. §. 1. n. 1. 459
Altera in Oratorio ex Pontificis licentia concessa in domo privata venit nomine Altaris in bulla requirente visitationem altarium pro lucrandis indulgentiis, ibid. num. 2.
De Altaris visitatione, vide plura, verbo Visitatio.
Altare privilegiatum an intelligatur suspensum à Commissario Cruciatæ in publicatione? cap. 14. §. 1. n. 12. & seq. 474
Amentes, an & quibus privilegiis bullæ gaudeant, si quis illam pro ipsis sumat? cap. 3. §. 1. n. 16. & seq. 444
Amentia superveniens, an impediat contractionem matrimonij? l. 8. tr. 4. c. 4. §. 1. n. 11. 198
Angustia loci, V. Causæ dispensandi.
Anima defuncti in Purgatorio existens, pro cuius liberatione accipitur bulla defunctorum, liberatur à Deo, quando bulla à sumente applicatur, c. 17. §. ... n. 7.
Annus privilegiorum bullæ incipit ab hora promulgationis factæ in ea Civitate ubi sumitur bulla, non autem factæ in alia eiusdem Diœcesis, quamvis, hæc sit Metropolis, c. 4. §. 1. n. 1. & seq. 447
Annus naturalis quisnam sit, & quisnam Ecclesiasticus? cap. 4. §. 2. n. 1. 448
Annus, quo durant privilegia bullæ, an debeat esse naturalis, vel Ecclesiasticus? ibid. n. 2.
Supposita sententia, quod privilegia bullæ durent per annum Ecclesiasticum, id est à die promulgationis usque ad novam aliam promulgationem, si tamen non sequatur nova promulgatio, tunc durat per annum naturalem, ibid.
Annus bullæ incipit ab hora promulgationis factæ in ea Civitate, in qua accipitur bulla, & supposita sententia prædicta, durat usque ad novam promulgationem factam in eadem met Civitate, etiamsi, sumpta bulla, accedas ad aliam, ubi vel tardior, vel citior fiat nova promulgatio, ibid. §. 3. n. 1 & seq. 448
Annus utilis, vel inutilis qui? V. Dies utiles.
Antonius Cotonius Tertij Ordinis S. Francisci laudatur, & citatur, c. 24. n. 13. 518
Et iterum n. 17. 519
Approbatio, quæ requiritur ad absolvendum à peccatis? lib. 5. c. 5. §. 1 43
Approbatio dicta, an valida, si extorta fuerit ex metu? lib. 5. c. 5. §. 1. ibid.
Approbationem, ut quis obtineat debet examinari, lib. 5. c. 5. §. 3. 47
Approbatio debet esse certa. ibid. §. 4 à n. 41. 51
Quid, si illam mihi concessit Episcopus, sed ego eam nesciam? ibid. n. 45. ibid
Quamdiu durat; ibid.

Approbationis revocatio, quandonam valida, ibidem num 47. ibid
Approbatio gratis non data, an valeat, ibid. §. 5. 52
Approbatio Inquisitorum pro Decalogo Tamb. cap. 18. num. 3. 508.
Approbatio Theophili pro eodem. 489
Censoris librorum Venetiis. ibid.
Censoris librorum Insulis. ibid.
Aqua rosacea & similes an sint materia Baptismi, l. b. 2. c. 1. §. 1. n. 8. 8
An missa in panem extrahat illum à materia Eucharistiæ, lib. 4. c. 1. §. 1. n. 19. 27
Argumenta sine distinctione inducta à Baronio, cap. 20. num. 2. 509
Et iterum, c. 23. n. 2. 513
Arrhæ in sponsalibus, V. Sponsalia quid sint.
Articulus, vel periculum mortis, quando adsit, ad effectum, ut possit quis absolvi à Reservatis? latè lib. 5. tr. de cas. reserv. c. 12. §. 1. 84. & seq.
Artifices quinam excusantur à ieiunio? c. 8. à n. 2. 499.
Assecuratio dat mutuum ex lucro, V. Lucrum ex mutuo.
Assecuratio capitalis in cambio, lib. 9. tr. 3. c. 5. §. 7. n. 7. 295
Assecuratio quid sit, & quatenus? lib. 9. tract. 7. c. 2. & seq. 321
Assecuratio in contractu Societatis, V. Societatis contractus.
Attentio in Oratione, cap. 5. 497
Alia interna, alia externa, ibid.
Authoritas unius quando facit probilitatem? cap. 2 num. 6. & 7. 491

B

BAlsamum an requiratur in materia confirmationis? lib. 3. c. 1. §. n. 3. 21.
An misceri possit oleo infirmorum, lib. 6. cap. §. 1. num. 3.
Baptismi materia; forma, lib. 2. c. 1. 7. & seq.
Quæ coniunctio requiratur inter eius materiam, & formam, lib. 1. c. 1. §. 1. 1
Quæ mutatio verborum ipsi obstet, ibid. n. 10. 2
Quo loco conferendus Baptismus. ibid.
Qui Minister, lib. 2 c. 2. 14.
Cum qua obligatione, ibid.
Quando reiterandus. ibid.
Cum qua solemnitate. ibid.
Baptismus datus moribundo infami per proiectionem in puteum, an validus, vel licitus, ibid. c. 1. §. 4. 9
Baptismi, an sit aptum subiectum Amens, Infans, filij infidelium, ibid. c. 3. §. 1. 15
Baptismus quasnam cognationes pariat, & quomodo, ibid. c. 4. à §. 1. 17. & seq.
Vide. V. Patrinus.
Baptismus, an det nativitatem pro Ordinibus, lib. 7. c. 7. §. 2. n. 13. & seq. 114
Baptizandus quam dispositionem habere debet, V. Adultus baptizandus.
Bellum gerere contra Regem, quando alius Rex possit? c. 12. à n. 3. 503
Benedictiones, seu Velationes in matrimonio, lib. 8. tr. 6. cap. 4. §. 1. 226
Quis benedicit. 227.
Quis benedicitur. ibid.
Quo tempore. ibid.
Beneficium Ecclesiasticum dat nativitatem pro Ordinibus, lib. 7. c. 7. §. 2. n. 25. 19
Beneficiarius vel Pensionarius potest per Bullam se componere super fructibus ab ipso debitis ex omissione Horarum Canonicarum, cap. 18. §. 4. num. 1. 482
Item super fructibus malè perceptis, ex reditibus Ecclesiasticis, vel quia Beneficium Canonicè, aut cum titulo non habuit, vel quia aliunde non debebat ex iure facere fructus suos. ibid.
Beneficiarius ultra duos reales, quos debet eregare pro qualibet Bulla compositionis sumenda debet etiam p o qualibet dare alios duos reales Ecclesiæ, ubi est beneficium, pro quo fit compositio, ibid. n. 4.
Beneficiarius non potest se componere super fructibus, quos percepit non residens ultra tempus à Tridentino permissum, ibid. n. 5.
Quid super fructibus perceptis ex beneficiis incompatibilibus, n. 6.
Quid si horas Canonicas, ad quas tenebatur non omisit, sed voluntariè distractus recitavit, in opinione docente, stantibus voluntariis distractionibus, non satisfieri obligationi, ibid. n. 10 483
Quid si officium hodie omittit, cras vero illud supleat, recitando Officium duplicatum ibid. n. 11.
Beneficium Principis licet aliquando confundatur cum privilegio, differt tamen ab illo, & quomodo, c. 8. 1. num. 1. 442
Latissimè est interpretandum, quando non est in præiudicium tertij, ibid. §. 3. n. 1. ibid.
Bimestris, quando concessus coniugibus ad deliberandum de Religione, lib. 8. tr. 5. c. 6. §. 3. 216
Biscoctum, an sit materia Eucharistiæ, lib. 4. cap. 1. §. 1. num. 19. 27
Bona fide matrimonium cum impedimento contractum, an Episcopus dispenset, lib. 8. tr. 2. c. 4. §. 3. 150
Bona matrimonij tria. Bonum Sacramenti, Bonum prolis, Bonum Fidei, lib. 8 tr. 2. c. 2. §. 3. 135
Bonorum, sive corporis, sive animæ, sive Fortunarum mutatio, an dissolvat sponsalia, V. Mutatio notabilis.
Bonorum Ecclesiasticorum invasio est casus reservatus Panormi, lib. 5. tractat. de casibus reserv. cap. 6. §. 3. num. 50. 65
Bona illicitè habita, seu retenta dicuntur, quæ (licet sine peccato) propter bonam fidem, vel ob iustam contractum, vel ob aliud habita olim fuerunt, sine tamen tempore vero domino restituta non sunt, c. 18. §. 1. n. 1. 138
Bona casu inventa, sive animata, sive inanimata, vel item bona naufragantium, si post debitam diligentiam inveniri dominus nequit, posse sibi ab inventore asservari cum intentione ea domino reddendi, si is comparuerit, probabilissimum est, ibid. n. 14. 481
Et tunc nemini tenetur in conscientia inventor ea restituere in hac opinione, ibid. n. 15.
Comparente tamen domino restitui ei debent, nec super ipsis prodest præscriptio, ibid. n. 16. & 17.
Bona allodialia, quænam sint, lib. 9. tr. 6. cap. 1. num. 7. 314
Bona fides, an faciat, ut possis exigere pensionem ex contractu invalido census? lib. 9. tract. 2. cap. 6. §. 3. num. 19. 273
Bona usurarij, an sint hypotecata pro usuris, V. Usurarij bona.
Bona, quæ oppignorari possunt, V. Pignus.
Bona confiscata quando possunt occultari c. 15. à n. 3. 506
Bona confiscata quando possunt occultari c. 15. à n. 3. 506
Bonorum infectio, Vide infectio Bonorum.
Bonorum omnium donatio invalida, lib. 9. tract. 10. c. 4. §. 1. 316
Bullæ Pontificum pro creatione censuum, Martini, Calisti, Nicolai, Pij, Gregorij, lib. 9. tract. 2. cap. 5. 268. & seq.
Bullæ Cruciatæ vi, an sit Parochus ab omnibus eligibilis, lib. 5. c. 5. §. 3. n. 7. 47
Quid si amisit Parochiam, ibid. n. 8. ibid.
A quo Ordinario debet approbari, qui eligendus est vi bullæ, ibid. §. 4. n. 11. 48
An sufficiat una unius Episcopi approbatio. ibid.
An quæ cessavit. ibid.
An limitata. An

An Religiosi vi Bullæ possint eligi in confessarios. lib.5.c 5.§.2.n.35. 46
An eligere? ibid §.4.n.37. 50
Bulla Cruciatæ, quam potestatem tribuat confessariis, lib.5.c.12.§.5. 91
Explicatur prima clausula. Ex approbatis ab Ordinario, ibid.n.2. ibid.
II. Et iterum cum secunda Bulla, ibid. ibid.
III. In mortis articulo, n.6. ibid.
IV. Excepta Hæresi, n.8. ibid.
V. Toties quoties, &c. n.12. 92
VI. Ab omnibus censuris, n.16. ibid.
VII. Satisfacta parte, n.27. 93
VIII. In foro interno, n.35. ibid.
Bullæ Cruciatæ Commissarius quid possit? V. Commissarius Bullæ Cruciatæ.
Bulla Cruciatæ quid sit, & quare ita vocetur, cap.1.§.2. n.2 & 3. 442
Validè sumitur à fideli baptizato, etiam ab extero, qui non descendit in Civitatem, ubi promulgatur, sed solum declinavit ad portum, seu alium similem sinum ejusdem civitatis unde misit amicum, ad eam sumendam, quamvis postea illinc discedat, c.3.§.2. num.2. 444
Et quid si ex mari vicino extra portum, seu sinum? ibid.n.3.
Prodest etiam eis qui Graico ritu vivunt, ibidem num.4.
Inutiliter recipitur, etiam cum ordinaria eleemosyna ab aliquo, qui ipsam bullam fuerat sit depositario seu distributori bullarum, c.8.§.4.n.6. 445
Et si per eam absolutus bona fide fueris à reservatis, teneris postea re detecta ab iisdem reservatis absolutionem à legitimo confessario petere. ibid.
Validè sumitur credita, & non numerata pecunia, si habeatur animus eam tradendi, & fruitur quis ejus privilegiis, etiam pro tempore, quo pecuniam adhuc non tradit, secus vero, si sumitur sine eo animo, c.3. §.6 n.1. 445
Quid si quis initio habeat animum non tradendi, & post sex menses animum muret, vel è contra. ibid.
Quid si bona fide promisisti eleemosynam, & postea evadis inculpabiliter impotens, ad eam solvendam? ibid. n.2.
Sumpta ab amico suis pecuniis pro me an vale t mihi, si ego eam acceptem, ibid.n.3. 446
An in aliquo prosit finito anno, c.4.§.4.n.1. 449
Bulla communis non est necessaria Prælato, vel Sacerdoti ad hoc ut sumat Bullam lacticiniorum, c.8.§.5. num.4. 457
Bulla communis, ut prosit, debet necessario, & recipi, & acceptari, & simul retineri impressa, aut scripta, ac sigillo nomineque Commissarii Generalis firmata? c.15.§.1.n.1. 475
Non prodest, si solùm recipiatur, seu sumatur, sed debet etiam necessario acceptari, nec è contra sufficit acceptatio sine sumptione, etiamsi pro ea eleemosynam fueris elargitus & distributor Bullarum eam tibi applicet, ac domi servet, c.15.§.3.n.2. 476
Multo minus si solam intentionem accipiendi habueris. ibid.
Postquam actu recepta fuit, nequit retineri, seu conservari apud distributorem seu Thesaurarium sub pœna excommunicationis, ibid.n 4.
Potest sumi pro te ab alio existente in eadem Civitate, si ad te illam ferat, vel te de acceptione moneat tuque acceptes, ibid.n.7. 476
Imò, & in diversa civitate, sed in eodem regno, ubi promulgatur bulla, si admonitus de bullæ receptione pro te facta, eam acceptasti & amicus, seu procurator pro te eleemosynam dedit, tuumque nomen in illa inscripsit, & pro te servet. ibid.
Quid si tu existens in Regno Siciliæ v.g. ubi bulla promulgatur, sumas bullam pro Caio existente in Hispania, proderitne Caio, priusquam is acceptavit, sed non distributor, n.8. ibid.
Non prodest, si alius in regno, ubi bulla promulgatur, sumat bullam pro te existente in alio Regno, ubi non promulgatur, etiamsi tu esses nativus illius Regni, ubi bulla solet promulgari, ibid.n.9.
Non prodest mihi, antequam sim admonitus de acceptione pro me facta ab amico, seu consanguineo, sive in eadem, sive in diversa ejudem Regni Civitate existamus, etiamsi illi id ego commiserim, & sciam eum esse diligentissimum in exequendis meis negotiis, vel quolibet anno solitum esse eadem de bullam pro me sumere, n.11. 477
A me sumpta pro Caio, cujus nomen in ea inscripsi, si Caius non acceptet, an possit cum fructu vel à me, vel ab ipso alteri applicari, qui det eleemosynam, &c. deletoque Caii nomine, alterius nomen inscribi, ibid.n.12.
Ut prosit, non necesse, ut eam quis secum ferat, vel manu tangat, quando vult aliquo ejus privilegio uti, sed satis est eam domi suæ retinere, quamvis in alia civitate, imò apud amicum etiam absentem, c. 15. §.4 n.2. 478
Non autem apud Thesaurarium, vel distributorem, ibid.
Si amittatur inculpabiliter, potest adhuc qui amisit, ejus privilegiis uti, secus si consultò amittatur, projiciatur, vel laceretur, ibid.n.4.
Bulla communis potest, tum à privatis, tum ab insignibus personis, quando libuerit bis sumi, data utraque vice eleemosyna taxata: Et secunda bulla prodest, ut iterum Indulgentiam plenariam in vita, & iterum in morte habeas, licet per primam acquisieris. Rursus ut iterum possis absolvi à reservatis. Tertiò, poteris iterum eodem anno accipere bullam pro defunctis, c 16§.1. 479
Bullam habens potest in privato Oratorio ad divinum cultum deputato, & designato, &c. celebrare, vel celebrari facere Missas, c.5.§.5.n.1. 451
Bullas duas si acceptaverim, unam à me sumptam, v. g. Panormi, alteram pro me Siracusis à meo Procuratore, an possim unam ex his alteri tertio acceptanti cum fructu applicare, qui mihi eleemosynam à me datam resarciat, c.15.§.3.n.19. 478
Bulla lacticiniorum pro Prælatis, & Sacerdotibus sæcularibus non prodest extra regnum, c.8.§.5.n.4. 465
Bulla pro defunctis potest quoque bis sumi; Item debet acceptari, & conservari sicut bulla vivorum, cap.17. §.2.n.2. 480
Ut prosit defuncto, an requirat, ut qui eam accipit, sit in statu gratiæ, ibid.n.5. 485
Potest sumi nomine defuncti, si is, dum erat proximè moriturus, commisit hæredi suo, ut sumeret pro ipso quando morietur. ibid.
Nequit applicari nisi pro una anima tantum, ibidem num.6.
Applicatur si accipiens bullam determinet ipse, vel alius, talem animam, vel si dicas seu intendas te velle liberare illam animam quam determinabit Deus, ibid. num.6.
Semel applicata pro anima Petri v.g. nequit applicari alteri, ibid.n.7.
Requirit necessario eleemosynam à Commissario taxatam, ibid.n.8.
Potest sumi etiam pro anima defuncti, qui dum vivebat existebat in alio quocunque Regno, dummodo sumens sit in Regno, ubi bulla promulgatur, ibid.n.9.
Bulla pro oratione animæ ejusdem defuncti, cur potest cum fructu bis eodem anno sumi, imò, & singulis annis, ibid.n.11.
Bulla compositionis est, qua Pontifex concedit, ut qui forte

fortè habeat aliquid ex malè ablatis, vel illicitè retentis, facta eleemosyna, &c. positisque aliquibus conditionibus, possit ea bona tuta conscientia retinere. c. 18. in princ. 481
Prodest etiam Religiosis. ibid.
Requirit primo, ut facta debita diligentia Dominus certus, aut hæres ejus non appareat, secundo ut bona ablata non fuerint ex confidentia hujus bullæ, ibid. §. 1. n. 2.
Habet etiam locum, quoties malè ablata cedunt, seu deberent distribui pauperibus, vel locis piis, ibid. n. 3.
Pro malè ablatis, seu acquisitis cum peccato, quibus personis, quas ob causas & in quibus casibus concedatur, ibid. à n. 4. 481. & seq.
Pro acquisitis sine peccato, quorum tamen restitutio facienda est, sed Dominus est incertus, quibus personis concedatur, & quare, ibid. à n. 11. 482
An sit necessaria si agatur de bonis, sive animatis, sive inanimatis casu inventis, & de bonis naufragantium quorum Dominus, facta debita diligentia, sciri nequit ibid. à n. 15. & seq. ibid.
Competit hæredibus pro medietate legatorum relictorum loco pio, vel pauperi, si per annum Ecclesia, vel pauper legatarius fuit negligens in legato exigendo, c. 18. §. 1. n. 1. & seq. ibid.
Etiamsi legatum reperiatur factum ante promulgationem bullæ, ibid. n. 2.
Non competit ei, qui cum deberet, non interfuit choro, & tamen distributiones quotidianas accepit, §. 4. num. 3. 483
Nec super reditus, quos fortè perceperunt Parochi, vel Episcopi non residentes ultra tempus ipsis à Tridentino permissum, ibid. n. 5.
An possit haberi super fructibus perceptis ex beneficio vacante, ibid. n. 7.
Nequit expediri super stipendiis pro Missis celebrandis malè perceptis, ibid. n. 9.
Non prodest nisi facta diligentia, quam vir bonus, & timoratus in simili casu faceret in re sua, ibid. §. 5. num. 1. 484
Quæque bulla compositionis extinguit debitum duorum millium maravedis, quod in moneta Sicula importat scuta sex, tarenos quinque & grana quatuor, c. 18. §. 6. n. 1. 485
Pro qualibet bulla compositionis solvi debet Commissario, seu distributori bullarum duo reales à quacunque persona sive privata, sive insigni. ibid.
Ut profit, debet recipi à manibus legitimi ministri, data eleemosyna taxata, & debet esse signata nomine, & sigillo Commissarii, ibid. n. .
Non est necesse, ut à sumente conservetur, & quare, c. 15. §. 5. n. 4. & seq. 478
Prodest fidelibus defunctis, si defunctus ante mortem mandavit suo hæredi, vel alteri, ut ejus nomine eam sumeret, si vero nihil modo dicto mandavit, utilis ei non erit, c. 18. §. 7. n. 6. 486
De bulla compositionis vide aliquæ verbo, Debitor. Beneficiarius. Compositio.

C

Cæremoniæ solemnes Baptismi, an repetendæ in Baptismo conditionato, lib. 2. c. 1. §. 6. n. 5. 13
Quid, quando præcedens Baptismus reperitur nullus, ibid. c. 2. §. 3. n. 3.
Caltanissetta Patria Authoris Decalogi, & item patria Autheris præsentis Opusc. cap. 5. n. 6. 497
Cambium quid sit, lib. 9. tract. 3. c. 1. 283
Quotuplex, ibid. c. 2. 284
Cambium minutum, ibid. c. 3. ibid.
Cambium per litteras, ibid. c. 4. 286
Hic recipiens, & alibi solvens, vel contra, ibid. §. 1. & 2. ibid.
Cambium ad Nundinas, lib. 9. tract. 3. cap. 5. §. 1. 278. & seq.
Ejus justitia.
Tituli.
Conditiones. ibid.
Cambium cum recambio, seu recursa, ibid. §. 2. 289
An sit licitum, §. 3. 289
Qua conditione, seu modo solvi debet. §. 4. 290
Ejus praxis, ibid. §. 5. 291
Cambij pacta, ibid. §. 6. 293
Cambiendi usus per alios, §. 7. 294
Canonis solutio, proprietas Emphyteusis, quid sit, quæque explicatio, lib. 4. tract. 6. c. 4. 195
Capitulum sede vacante, quando dat dimissorias, lib. 7. c. 8. §. 2. n. 3. 115
An datæ durent post sedem plenam, ibid. §. 3. num. 117. 2
Capitulum, an dispenset in impedimentis matrimonij, lib. 8. tr. 2. c. 5. n. 4.
An ejus Vicarius, ibid. c. 12. §. 1. n. 11. 167
Cardinales à quo absolvuntur à peccatis, lib. 5. cap. 5. §. 2. num. 11. 44
Cardinalis qui non est Prælatus, vel Religiosus non excluditur à privilegio bullæ circa usum lacticiniorum, c. 8. §. 4. n. 7.
Si fuerit assumptus ex Religione aliqua non poterit uti bulla Lacticiniorum, nisi tamen sit simul Episcopus, ibid. §. 5. n. 11. 456
Charitatis præceptum, c. 3. n. 11. 494
Castitatis votum quodnam est matrimonij impedimentum? V. Impedimenta matrimonij.
Casus reservati, quid sint, lib. 5. tract. de casibus reservatis, cap. 1. 55
An ligent ignorantes. ibid.
An pueros. ibid.
An exteros. ibid.
Casus reservare quis possit, & quatenus, ibid. c. 2. ibid.
Casibus reservatis, quinam subjacent, ibid. c. 3. 56
An operans ex conscientia erronea. ibid.
An operans ex metu. ibid.
An Moniales. ibid.
An Novitij. 57
Casus reservati an fieri possint peccata venialia, ibid. c. 4. ibid.
An mortalia aliàs absoluta. ibid
An dubia. ibid.
An interna. ibid.
An non completa. ibid.
Casuum reservatorum Pontifici, & Episcopis differentia, ibid. c. 5. 59
Casus reservati Pontifici qui, ibid. §. 2. 60
Episcopis qui, c. 6. §. 1. ibid.
Casus, quos servare sibi potest Episcopus, ibidem §. 2. ibid.
Casus hodie reservati Archiepiscopo Panormitano, & eorum explicatio, §. 3. 61
Casus reservati in Societate, eorumque explicatio, cap. 7 §. 3. 69
Casus, quos servare possint Prælati regulares, ibid. cap. 7. 65
Decretum circa hos Clementis VIII. & ejus explicatio, ibid. §. 2. 66
Casus reservati, quando possint absolvi à simplici Sacerdote, V. Sacerdos simplex.
Casus reservatos, an possit quis fateri Superiori, & non reservatos inferiori, vel contra, lib. 5. tr. de casib. reserv. c. 9. §. 7. 79
Casuum reservatorum absolutio. V. Absolvere à reservatis.
Catechumenus non gaudet privilgiis Bullæ Cruciatæ c. 3. §. 1. n. 8. & seq. 444
Causæ dissolventes sponsalia. V. Sponsalia, quæ causa. Causæ

# & Verborum.


Causæ dispensandi in impedimentis matrimonij, lib. 8. tr 2.c.7. 156
Causa falsa, quæ,& quatenus vitiat dispensationem,l.8. tract.2.c.10 164
Causa vera,sed verificata falsis testibus,quid operetur in dispensatione, ibid.c.11.§.3.n.12. 169
Causa honesta occultandi veritatem,c.21.n.6. 511
Censor librorum non debuit permittere librum Baronij, cap.4.n.1. 496
Census quid sit,& quotuplex, lib.9.tr.2.c.1. 262
Censuum prædictorum iustitia, ibid.c.2. 263.& seq.
Censuum pretium quod, ibid.c.3. 264.& seq,
Census super pluribus bonis. ibid.
Census plures super unicum bonum, ibid.c.6.§.3. 271
Census super re feudali,vel simili, ibid. n.15. 273
Census quo pretio in Sicilia, ibid §.5. 276
Censum redimere fingens, quid peccet. V. Fingens velle.
Certitudo quæ mortis coniugis requiritur ad aliud matrimonium, lib.8.tr.1.c.10. 137
Certitudo quæ adulterij ad divortium, lib.8. tr.7.cap.3. §.5. 237
Certitudinis de susceptο baptismo, quæ signa, lib. 2. cap.1.§.7. 13
Cessio quæ iuris faciat, ut ex eius vi adiudicatio prædij intentari queat, lib.9.tract.2.c.6.§.7. 277
An sit licita, ibid.à n.4. ibid.
Quid de cessione in favorem censuarij. ibid. à n. 15. 278
Clandestina, an esse queant sponsalia, lib.9.tr.3.c.2 §.4. 182
Clandestinum matrimonium, sive puberum, sive impuberum,an pariat sponsalia, ibid.n.3. ibid.
Clausulæ rescripti dispensationum. V. rescripti clausulæ.
Clericum non ferentes Ordinati,an peccent? V. Ordinati,an peccent.
Clerici furtiva promotio est casus reservatus Panormi, lib.5.tr.3.de casib.reserv.c.6 §.3.n.46. 64
Clericus qui initio anni accepit Bullam datis duobus realibus,si deinde in decursu anni ascendit ad Sacerdotium, nequit deinceps uti privilegio comedendi lacticinia,c.3.§.7.n.9.
Clerici ex cap.Alma mater, possunt tempore interdicti non solum in Cœmeterio,sed etiam in Ecclesia sepeliri,c.7.n.2. 453
Cognatio, impedimentum matrimonij. V. Impedimenta matrimonij.
Cognatio naturalis. V. Gradus consanguinitatis.
Cognatio superveniens matrimonio quid operetur?l. 8. tr.1.c.5.§.2.n.6. 133
Cognatio spiritualis ex Baptismo. V.Baptismus quis, & V.Patrinus.
Cohabitatio coniugum. V. Obligationes coniugum.
Commissarius Bullæ Cruciatæ, in quibus impedimentis matrimonij potest dispensare? lib. 8. tract.2. cap.5.à num.6. 153.
An possit aliis suam hanc potestatem delegare ? ibid. num.2. ibid.
An delegati ab ipso subdelegare possint ? ibid. n. 9.
An ad hanc dispensationem requiratur eleemosyna, ibid.n.15. 154
Commissarius Generalis Cruciatæ,qui residet in Hispaniis potest etiam non habentibus bullam concedere licentiam saltem nobilibus, ut possint in Oratorio privato ab Episcopo ad divinum cultum designato celebrare, vel celebrari facere Missas,cap.5.§.5. per totum. 451
Dummodo aliqua eleemosyna detur,ibid.n.7. 452
Hanc facultatem habet aliunde, quam ex vi Bullæ, ibid.n.4. 451
Prædictam facultatem non habent Commissarij Provinciales,& multo minus particulares,ibid.n.8.452
Commissarius Generalis potest, nobilibus tamen, aut iuxta ipsius arbitrium personis qualificatis concedere, ut per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem Missæ,& alia Divina officia incipi possint. ibid.§.6.n.2. 452
Et hac facultate gaudent,etiam Commissarij Provinciales, ibid.
Intellige,inclusis etiam duobus horis, per quas potest de iure communi ante Solis Ortum Missa celebrari, ideoque hac facultate habita à Commissario,potest incipi Missa tribus minus horis ante dictum oratum, ibid.n.3.
Commissarius Bullæ Cruciatæ potest durante anno suspendere omnes alias similes, & dissimiles indulgentias & facultates,seu gratias concessas,exceptis tamen gratiis concessis ordinum Mendicantium superioribus quoad eorum fratres,c.14. per totum. 474
Suspensas tamen potest quantum,& quoties sibi videbitur,vel per se, vel per alium absque præmio revalidare pro Bullam sumentibus,ibid.
Vide verbo, Suspensio.
Commissaria Lex quid sit, & quatenus obliget pactum de ea? lib.9.tr.2.6.§.2. 271
Commissum(seu cadere in commissum ibid. cap. 4 §.4. 267
Commodatum quid sit, & quatenus? lib. 9.tr.7. cap. 6. 327
Communicandi præceptum. V. Eucharistiæ sumendæ præceptum.
Communicare ieiunè, an sit fortius præceptum, quam communicare in Paschate. V. ibid.
Communicatio bonorum operum quid sit in Ecclesia? cap.9.§.2.n.1. 458
Est omnibus fidelibus communis,ibid.n.2.
Quid aliud speciale concedat Pontifex in Bulla Cruciatæ, eam concedendo, ibid.à n.3.& seq.
Commutatio voti differt à dispensatione,cap.13. num.1. 468
Conceditur habentibus Bullam circa omnia vota sive realia, sive personalia,sive mixta, sive emissa ante, sive post promulgationem Bullæ,c.13. per totum, & §. 1. n 15. 469
Excipe votum Castitatis, Ultramarinum, & Religionis,de quibus vide verbo, Votum.
Possunt commutari circumstantiæ prædictis tribus reservatis annexæ. Vt, si voviſti peregrinationem Hierosolymitanam pedestrem, vel mendicando in itinere, vel sine magno comitatu, possunt hæ circumstantiæ à Confessario per Bullam electo commutari,remanente substantia ipsius peregrinationis, ibid.§.2.n.1. 471
Commutatio voti est triplex in minus,in maius,in æquale, ibid.§.1.n.2. 469
Potest fieri per Bullam in aliud opus æquale, vel aliquanto minus, non vero in minus notabiliter,ibid. num.3. 469
Ea æqualitas, vel minoritas non notabilis remittitur arbitrio prudentis Confessarij,ibid.n.4.per Bullam fieri solum potest à Confessario approbato, licet non sit tuus Confessarius,ibid.n.6.
Commutatio voti requirit minorem, vel leviorem causam,quam dispensatio, ibid.n.7.
Facienda ex vi Bullæ,requirit etiam præter eleemosynam illam,quæ pro Bulla porrigitur,aliquod etiam subsidium dandum pro belli expeditione contra Infideles,ibid.
Quodnam, & quantum debeat esse hoc subsidium; vide verbo, Subsidium.
Commutatio Voti per Bullam non est necesse, ut fiat in favorem eius Sancti, vel Ecclesiæ, vel pauperis, cui factum est votum, licet id conveniens sit, ibid. n. 27. 470
Non est necesse, ut votum personale, in aliud per-

sonale vel reale in aliud reale commutetur. ibid.
Commutari potest per bullam pœna quam quis sibi imposuit, si votum frangeret, c. 13. n. 22. 469
Commutatio, voti pœnalis per bullam obtenta, non ideo intelligitur commutata etiam pœna, sed debes hanc petere expressè, ibid. n. 25. 470
Vide plura, V. Votum.
Componi quis non potest ex vi Bullæ in malè ablatis, si ea fiant ex Bullæ confidentia. c. 1. §. 9. n. 1. 466. & c. 18. §. 7. n. 3. 484
Componi, usque ad quam summam possit debitor super malè ablatis, vel illicitè retentis? cap. 18. §. 6. num. 1. ibid.
Compositio super malè ablatis, vel illicitè retentis si summa non excedit centum mille maravedis Hispanos, id est uncias centum viginti octo, tarenos viginti, & grana sex monetæ Siculæ, potest fieri per præsumptionem tot Bullarum, si vero excedit debet fieri immediatè cum Commissario, an de solo excessu, an de tota summa? ibid. n. 2.
Taxam vero de signat suo jarbitrio Commissarius iuxta qualitatem, & quantitatem bonorum, licet ferè soleat designare decem pro singulis centenariis, ibid.
Si summa excedit centum mille maravedis, non possum eam, nec totam simul, nec paulatim extinguere per præsumptionem tot Bullarum successivè & pluribus vicibus factam, ibid. n. 5.
Compositio facta immediatè cum Commissario Bullæ super malè ablatis, vel illicitè retentis, non prodest fidelibus defunctis, nisi quando defunctus ante mortem hæredi suo, vel alteri mandaverit, ut eam compositionem faceret, c. 18. §. 7. n. 6. 485
Vide plura verbo, Bulla compositionis.
Concessio absolvendi largene an strictè interpretanda? lib. 5. tr. de cas. reserv. c. 9. §. 2. 76
Concilij Trident. dispositiones variæ. Quoad Patrinos in Bapt. lib. 2. c. 4. §. 1. 7
Quoad Confirmationem suscipiendam ab Ordinato? lib. 3 c. 3. §. 4. n. 4. 24
Quoad Patrinum in eadem confirmatione, ibid. c. 4. ibid.
Quoad jurisdictionem necessariam ad absolvendum à peccatis, lib. 5. c. 4. §. 1. 34. & seq.
Quoad Approbationem, ibid. c. 5. 43. & seq.
Quoad potestatem Episcopi ad absolvendum, & dispensandum occulta, lib. 5. tractat. de casibus reserv. cap. 6. 60
Et latè ibid. cap. 10. 79. & seq.
Quoad ætatem Ordinatorum, lib. 7. cap. 7. §. 2. 109
Quoad titulum eorumdem, ibid. §. 3. 110
Quoad Ordinandum suum familiarem, ibid. c. 7. §. 2. num. 3. 113
Quoad dimissorias, ibid. c. 8 116. & seq.
Quoad examen Ordinatorum, ibid. cap. 9. 117. & seq.
Quoad interstitia, ibid. c. 11 119. & seq.
Quoad pœnas malè ordinati, ibid. c. 12. 121
Quoad impedimentum matrimonij ob publicam honestatem, lib. 8. tr. 1. c. 11. 138
Quoad impedimentum affinitatis, ibid. c. 12. 139
Quoad impedimenta solum impedientia. ibid. cap. 16. 147
Quoad præsentiam Parochi, lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 1. 217
Quoad matrimonia præsumpta, ibidem §. 2. num. 4. 218
Quoad denuntiationes præmittendas matrimonio, ibid. cap. 3.
Quoad benedictiones seu, vel ationes, ibid. cap. 4. §. 4. 227
Quoad traductionem Sponsæ in domum Sponsi, ibid. §. 5. ibid.
Conditiones tres requisitæ, ut quis urgente necessitate absolvatur, l b. 5. c. 12. § 4.
Promissio de comparendo. 89
Standi mandatis Ecclesiæ, satisfactio. ibid.
Conditiones requisitæ in sponsalibus, lib. 8. tract. 3. c. 2. 179 ibid.
Conditiones in matrimonio appositæ quid operentur, lib. 8. tr. 4. c. 5. §. 1. 199
Præsens, vel præterita, ib. §. 2. 200
Futura necessaria, ibid. §. 3. ibid.
Futura contingens, ibid. §. 4. ibid.
Futura impossibilis physicè, ibid. §. 5. 201
Impossibilis putata possibilis, ibid. 203
Valdè difficilis. ibid.
Turpis, ibid. §. 6. ibid.
Quæ inest contractui matrimonij, ibid. §. 7. 204
Quæ sit contraria eidem, ibid. §. 8. ibid.
Positiva, vel negativa, ibid. §. 9.
Conditione adveniente, an iterum renovandus consensus in matrimonio, lib. 8. tr. 4. c. 5. §. 4 209
Conditio, quæ personæ est impedimentum matrimonij. V. Impedimenta matrimonij.
Conditio si Papa dispensaverit, an firmet sponsalia, lib. 8. tr. 2. c. 5. §. 5. n. 25. 155
Conditiones censuum ex Pio V. V Bullæ Pontificum ex Nicolao V. V. ibid. & latè lib. 9. tract. 2. cap. 6. §. 3. 271. & seq.
Conditiones Cambij. V. Cambium.
Conditiones contractus Societatis. V. Societatis contractus.
Conductio, & locatio, lib. 9. tr. 4. 296
Conductoris obligationes, ibid. c. 1. §. 2. 298. & seq.
Conductor quando, & quatenus expelli à re conducta possit, ibid. c. 6. 306
Conductoris Successor. V. Successor Locantis.
Confessarius quilibet dicitur Medicus Spiritualis, cap. 8. §. 1. n. 3. 455
Potest dare consilium illud comedendi carnes, quod requirit Bulla, etiam extra confessionem, ibid.
Quoties in Bulla, seu alio rescripto Pontificio dicatur, quod debeat esse approbatus ab ordinario loci requiritur approbatio Episcopi seu Ordinarij illius Diœcesis, quamvis non tuæ, ubi fit confessio, nisi dicatur *à tuo ordinario, vel ab ordinario tui loci*, c. 11. §. 1. n. 1 461
Eligendus à pœnitente per Bullam Cruciatæ debet esse legitimè approbatus, ibid. à n. 3.
A quonam ordinario debet esse approbatus, an loci, sive pœnitentis, sive confessarij, an cuiusque, ibid. à num. 6. 462
Cui legitimè spiravit, vel à quo legitimè revocata sit approbatio, an possit eligi per bullam? ibid. à n. 10. ibid.
An sufficiat, si sit limitatè approbatus pro viris v. g. non pro mulieribus, pro rusticis, non pro mercatoribus, &c. ibid. n. 13. ibid.
Tenetur confessarius sub mortali non absolvere per Bullam à censuris, &c. nisi exigat à pœnitente, ut satisfaciat parti læsæ, vel reddendo ablatum, vel compensando iniuriam factam, vel remissionem à parte læsa obtinendo, c. 11. §. 7. n. 4. & 7. 464
Pars læsa non dicitur Fiscus, vel Notarius, cui debentur pœna pecuniaria, ibid. n. 2.
Sicut, non religioni, sed religioso læso in particulari danda est satisfactio, ibid. n. 3.
An possit absolvere, quando satisfactio non potest à pœnitente exhiberi, vel ob impotentiam, vel propter obstinationem personæ læsæ, non contentæ satisfactione rationabili, ipsi oblata, vel ex alio capite, ibid. à n. 5. & seq.
Non potest Iudex absolvere, si satisfactio probabiliter exhiberi potest à pœnitente, nisi prius à pœnitente cautione de satisfaciendo, vel dando pignus

gnus, vel fideiussionem, vel si hæc non possit, præstito Iuramento, Quid pro foro Sacramentali, ibid. num. 5.
Potest confessarius electus absolvere ex vi Bullæ à censuris, &c. quando circunstantiæ sunt tales, ut debeat esse contentus solo proposito pœnitentis de satisfaciendo patri læsæ, etiamsi pœnitens sæpè antea iussus satisfacere, neglexerit, ibid. n. 8.
Quid si pœnitens dederit cautam interdicto, num. 5. & 8.
An validè pœnitentem ex vi Bullæ absolvat à censuris ante satisfactionem partis, & quid si talis confessarius non sit superior, sed habeat potestatem delegatam, ibid. n. 9 & 10. cum. seq. 465
Potest per schedulam testari se absolvisse per Bullam Titium v. g. ab excommunicatione, dummodo tamen id faciat ad solam pœnitentis instantiam, & non nisi raro, & ex rationabili causa, ibid. §. 8. n. 11. 466
Confessarij Approbatio, V. Approbatio, & V. Iurisdictio.
Qua scientia debet pollere? lib. 5. c. 7. §. 1. 53
Qua probitate lib. 1. c. 2. §. 2. 4
Confessarius pro aperiendis litteris pœnitentiariæ qualis, lib. 8, tr. 2. c. 13. §. 1 170
Confessio bona fide, & validè apud confessarium per Bullam electum infra annum eiusdem Bullæ cœpta, si infra eundem ob legitimam causam finiri non potuit, expleri potest post finitum annum, & tunc an pœnitens à peccatis etiam reservatis per Bullam absolvi queat, c. 4. §. 4 n. 3. & seq. 449
Idem dic de confessione facta infra dies Iubilæi, ibid.
Secus vero si id fiat in fraudem, & quomodo hæc fraus committi possit, ibid. n. 8.
Quid si Confessarius, apud quem cœpisti confessionem, moriatur, vel alio modo desit, an possis alium confessarium eligere, qui te absolvat ab illis peccatis reservatis, finito tempore Bullæ, vel Iubilæi, ibid. n. 10.
Item, quid, si post absolutionem hanc pœnitens recordetur alicuius mortalis reservati commissi ante dictam absolutionem, poteritne iterum absolutionem recipere à dicto confessario, qui solum habebat potestatem absolvendi vi Bullæ, vel Iubilæi, ibid. n. 11. 450
Coniux si ante initum matrimonium voverat perfectam castitatem, peccavit ineundo matrimonium, nec potest debitum petere, licet possit reddere, cap. 13. §. 3. num. 1. 471
Potest tamen dispensari ab Episcopo, ad illud petendum, coniuge dumtaxat vivente. ibid.
Confessio Sacramentalis an possit fieri per scripturam, lib. 5. c. 2. §. 1. 32
Confirmationis Sacramenti Materia, Forma, lib. 3. cap. 1. §. 1. 21
Qua Episcopi manu est expedienda, ibid. §. 2. 22
Sacra confirmationis Vnctio. ibid.
Qui Episcopus. ibid.
An possit Sacerdos simplex. ibid.
Sub quibus obligationibus. ibid.
Circa quos, Infantes, Amentes, &c. ibid.
Confirmationem non suscipientes an peccent, ibid. c. 2. §. 2. 23
Confirmationis Patrinus, V. Patrinus in Confirmat.
Confirmationem iterantis pœnæ, lib. 3. c. 5. 35
Congeries impugnationum Baronij contra Tamburinum, c. 1. 490
Coniugum cohabitatio, V. Obligationes coniugum.
Coniuges an mutare statum possint? V. Mutatio status
Coniugum obligationes, Vide Obligationes coniugum.
Coniugati quando non tenentur ieiunare? c. 8. à n. 6. 499
Conspiratio occisionis, quæ est imped. matrimonij. V. Impedimenta matrimonij.
Consensus novus an requiratur post dispensationem ad sponsalia, inita ante dispensationem, lib. 8. tract. 3. c. 3. §. 2. n. 10. 184
Consensus mutuus dissolvit sponsalia, lib. 8. tract. 3. cap. 5. §. 5. 185
Consensus matrimonij qualis, lib. 8. tractat. 4. cap. 2. 194
Consensus, non cognito impedimento, an sufficiat, ibid. §. 2. 195
Circa quod versari debet, ibid. §. 3. ibid.
Externus, ibid. cap. 5. 196
Consensus conditionatus in matrimonio quid operetur V. conditiones in matrimonio.
Consensus ex dolo, metu, errore, quando invalidat matrimonium, lib. 8. tr. 4 c. 6. 205. & seq.
Consensus quando est renovandus à coniugibus, ibid. c. 7. §. 1. & 2. 206. & seq.
Consecutiones, quas perperam inducit Baron. n. 10. 509. Et iterum, c. 23. 513
Conspiratio occisionis, quandonam est impedimentum matrimonij, V. Impedimenta matrim.
Constitutiones Pontificum circa Census V. Bullæ Pontificum
Conventionalis pœna, V. Pœna conventionalis.
Correctio mutua coniugum, V. Obligationes coniugum.
Conversorum matrimonium, V. Infidelium matr.
Contractuum trium in Cambio praxis, lib. 9. tract. 3. c. 5. §. 7. n. 12. 296
Contractuum trium in Societate praxis? lib. 9. tractat. 8. cap. 5. §. 2. 335
Contradicente Patre, an filio liceat matrimonium inire? c. 10. à n. 4. 501
Contritio involvit actum amoris Dei, c. 3. à n. 23. 496
Crimen falsum an possit imputari testi iniquo? V. falsum crimen.
Crimen, impedimentum matr. V. Impedimenta matrimonij.
Custos pecuniæ, an quid lucrari possit ex custodia, lib. 9. tract. 3. c. 3. §. 3. 285

## D

Damnum emergens quid sit? lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3. 249
Damnum in contractu Societatis cuius est, lib. 9. tract. 8. cap. 7. 334
Debitor, qui vult se componere de malè ablatis, seu illicitè retentis, debet eam diligentiam in quærendo vero Domino apponere, quam quilibet vir timoratus in re sua adhiberet, cap. 18. §. 5. numero 1. 484
Si compositio fiat immediatè cum commissario, debet præstare iuramentum de prædicta diligentia adhibita, quando autem fit per acceptionem Bullarum sufficit, ut ipse debitor sit certus illam fecisse, ibid.
Dicitur quis esse certus de creditore, itaut nequeat se componere per Bullam, quando scit rem esse alicuius ex duobus, vel tribus, vel quatuor, licet nesciat cuius sit in particulari. ibid. n. 2.
Quid si dubium versetur inter decem, viginti, aut centum, &c. ibid. n. 3.
An possit se componere, quando creditor certus sit absens, ibid. n. 4.
Quid si sciat se debere Titio certo creditori, nesciat vero an debeat decem, an quindecim, aut viginti, ibid. n. 5.
An possit se componere debitor, qui vendendo vinum v. g. scit se decem aureos surripuisse per fraudem in hoc oppido, vel suburbio, &c. ignoret tamen

men personas particularess quibus damnum illatum fuit,ibid.n.6.&seq.
Si post factam legitimam compositionem, appareat verus Dominus, an obligetur in foro interno vel externo ad restituendam totam summam, ibid. à n.9. & seq. 484
Volens se componere, vel per sumptionem Bullarum, vel immediatè cum Commissario debet existere in Regno, ubi promulgatur Bulla, vel ad illud personaliter declinare, licet obiter, & per paucas horas ibi maneat,c.18.§.7.n.1 484
Debet inscribere suum nomen in Bulla compositionis, quam sumit, non tamen est necesse, eam retinere, & conservare,ibid.n.2. ibid.
Nequit se componere,, si aliena surripuit in spem,& confidentiam huius Bullæ, ibid.n.3.
Potest tamen si spes Bullæ solum comitetur,non vero moveat voluntatem furandi. ibid.
Si non surripuit in confidentiam Bullæ, sed surrepta, retineat spe compositionis faciendæ, si longa est mora, licet mortaliter peccet, valet tamen postea compositio, ibid. n.4. 485
Decretum Clem.VIII. de casib. reservat.regul.lib 5.tract. de cas.resc.7.§ 2. 66
Delegatio Iurisdictionis absolvendi à quo emanat,lib.5. c.4.§.5. 37
Quamdiu durat, ibid.§.10. 42
Delegatio concessa per Bullam Cruc.circa absolutionem, V. Bulla Cruc.
Concessa Episcopis pro casibus reserv. V. Episcopus absolvere.
Concessa Regul. V. Religiosi quo privilegio.
Concessa aliquando simplici Sacerdoti, V. Sacerdos simplex.
Concessa Religiosis Soc.V.Soc.Iesu Religiosi.
Delegatus Principis ad Vniversitatem causarum, quomodo possit subdelegare, lib.8. tract. 2.cap. 7. §.2.à num. 14. 158
Denuntiationes præmittendæ in matrimonio, lib. 8.tr.6. cap.3. 224
Quis in ipsis dispensat? ibid.
Ob quas causas, ibid. 225
Earum praxis,ibid.§.2 ibid.
A quo Parocho. ibid.
Depositum quid, quis potest deponere, quæ bona, lib.9. tract.7.c.5. 325.& seq.
Desiderare alicui malum, an aliquando liceat? c.11. num.3. 502
Detractio famæ est casus reservatus in Soc,lib.5.tract.de casib.reserv.c.7.§.3.n.21. 70
Vide etiam n.59. 73
Diaconatus quid sit, eius Materia, Forma, Officium, lib 7.cap.4.§.1.& 2. 106.& 107
Quam obligationem subit recitandi Nocturnum, & celebrandi Missas quando promovetur ad Sacerdot. ibid.cap.3.§.4. 106
Diacono an liceat deferre Pixidem, in qua sint Sacræ formulæ.ibid.c.4.§.1.n.5. 107
An sit eius munus prædicare, ibid.n.6. ibid.
Dicteria Baronij in Tamburinum. V. Probra.
Dies termini quando non computantur in terminum,l.5. tr. de casib. reserv.c.9.§.1.n.3. 74
Dies utiles, vel inutiles qui, lib.9. tractat. 4. cap 2.n.8. 301
Die festo quibus conceditur exercere servilia? cap.6. à num.6. 498
Dilatio quæ irritat sponsalia, lib.8.tr.3.c.3.§.1. 183
Dimissorias litteras, & commendatitias quis concedere potest, lib.7.c.8.§.2. 116
An Capitulum Sede Vac. ibid.
An Vicarius. ibid.
An Prælati Regulares. 117
Quamdiu durant,ibid.§.3. ibid.
An datæ Sede Vac.durent sede plena, ibid.
Dimissoriis an indigeat qui ordinatur ex brevi Pont.fo. cio,lib.7.c.8.§.2.n.10. 117
Vide etiam,c.12.§.2.n.19. 124
Discordiarum seminatio est casus reserv.in Soc.lib.5 tr. de casib.reserv.c.7.§.3.n.21. 70
Vide etiam,n.28. 71
Disparitas inter suadentem amenti conculcare sacra, & suadentem iurare falsum putatum verum, c.24. præsertim n.10. 118
Dispensandi potestas delegata,quando expirat,lib.8 tr.2. c.14 §.4. 173
An acquiratur sine accept.ibid.§.1. 174
Dispensare impedimenta matr.quænam Pontif.a potest, lib.8.tr.1.cap.3. 150
Quæ Episcopus,cap.4. ibid.
An impedientia, & dirimentia. ibid.
An quando bona fide contractum fuit matrimonium, §.3. 111
An in necessitate. ibid.
An in occulto, publico dubio, sive post contractum, sive ante contractum matr. ibid.
Dispensare hæc impedimenta an possint alij à Summo Pontifice, vel Episcopo,ibid.c.5. 153
An Vicarius Episcopi. ibid.
An Capitulum Sede Vac. ibid.
An Regularis. ibid.
An Commiss. Bullæ Cruc. ibid.
Dispensare quis possit ad petendum debitum ei qui vovit castitatem, vel contraxit affinitatem cum sua coniuge ex copula fornicaria, lib.8.tr.2 c.6. 156
Dispensare quis possit ad ordines in extra tempora & interstitiis,lib.7.c.10.& 11. 118 & 119
Dispensatio quid sit,& quatenus, &c.lib.8.tract.2.cap.1. 149
Ipsa strictè, potestas ipsius largè est interpretanda, ibid.n.2. & c.2. ibid.
Dispensatio,quando est subreptitia, lib.8.tract.2.cap.8. 159
Repulsa alias data, §.1. ibid.
Dispensatio alias concessa,§.2. 160
Plura subesse impedimenta,§.3. 161
An quando tacetur, matrim. fuisse contractum cum impedimento. ibid.
Qualitates extrinsecæ,§.5. 162
Individuales gradus §.6. ibid.
Gradus proximior,§.7. ibid.
Copula incestuosa, §. 8. 163
Quando ob expressionem falsi, c.10. 164
Vnum impedimentum pro alio §.1. ibid.
Vnus gradus coniunctionis pro alio, §.2. ibid.
Vnica causa falsa, §.3. ibid.
Quando exponitur inter plures causas aliqua falsa,§.4. 165
Vna causa falsa pro una dispensatione,altera vera pro dispensatione alia,§.5. ibid.
Dispensationem an vitiet error, sive in nomine supplicantium,sive in nomine Diœcesis, ibid. §.6.& 7.ibid. 166.
Dispensatio dubia quid operatur, lib.8. tract. 2. cap.1. ibid.
Dispensationem magnis expensis procurare, quamdonam quis debet, lib.8. tractat. 3. cap.6. parag.7. num.7. 191
Dispensatus per bullam ad comedendas carnes, an possit pluries eodem die carnes comedere,cap.8.§.1.num.10. 454
Dispensationes Conc.Trid.V.Conc Trid.
Dispositionem quam debet habere Minister Sacramentorum, V. Ministri Sacramentorum.
Dissensus pervenientis ad puberratem, quo modo sponsalia antea inita dissolvat,lib.8.tr.3.cap.5.§.1.num.15. 186

Distractio mentis in oratione, c.5.à n.4. 497
Distractus voluntariè in administratione Sacramentorum, V. Voluntaria distractio.
Divisio à capite est casus reservatus in Soc.lib. 5. tr. de cas.reserv.c.7.§.3.n.20. 70
Divortium quid sit, & quotuplex, lib. 3.tract.7.cap.8. 235.
Causæ Hæresis, solicitatio ad peccandum, sævitia, ibid. 239 & 240
Divortij ex adulterio effectus tres,ibid.§.8. 248
Ex hæresis, ibid.§.9. 241
Ex solicitatione, vel sævitia,§.10. ibid.
Doctor unus quando parit probabilitatem, cap.2.num.7. 492
Domicilium, quod quis habere debet,ut possit ordinari ab Episc. lib.7.c.7.§ 2.n.6. 115
Quid, ut absolvatur à peccatis, V. Iurisdictio ad absolvendum.
Dominium usurarum, an usurarius acquirat, lib. 9. tt.1. cap.7. 258
Donatio quid sit,lib.9.tr.10.c.1. 353
Quantum obliget, ibid.§.2. ibid.
Quotuplex sit,ibid.2.§.1. ibid.& seq.
Donare quis possit, & quantum, ibid.c.3. 354
Reges, Principes, Rectores Civitatum, Parentes, Prælati,Beneficiarij, Novitij, Tutores, Curatores, ibid.
Donatio omnium bonorum invalida, lib. 9. tractat. 10. cap.4.§.1. 356
Aliquando valida,ibid.§.2. ibid.
Donatio quæ, & quando indiget insinuatione, ibid. c.5. 358.& seq.
Donatio, quandoam revocari potest, ibidem cap. 6. 360
Donationis inofficiosæ revocatio, ibid.§.3. 362
Doniones liberales inter coniuges an validæ, lib. 8. tr.7.c.2.§.1. 230
Quid per sponsalitiam largitatem,Vide largitas sponsalitia.
Dos,an restituenda, facto Divortio.lib.8. tract. 7. cap.3. §,8. n. 14. 241
Dubia dispensatio,V.Dispensatio dubia.
Dubium impedimentum matrim.an Episcopus dispenset, lib.8.tract.2.c.4.§.4.n.23. 153
Duces, Comites, Marchiones quid solvere debent pro bulla, V. Verbo eleemosyna.
Duo census, an imponi possint super una re, lib. 9. tr.2. cap.6.§.3.n.13. 272
Duratio Dispensationis,vel Potestatis dispensandi,lib.8. tr.2.c.14. 172
An cesset sine acceptatione,§.1. ibid.
An ex renuntiatione,ibid.§.2. ibid.
An ex non usu. ibid.
An ex revocatione,§.3. 173
Duratione temporis in conductione, quæ & quatenus, lib.9.tr.4.c.6. 306

E

Ecclesia, an obligetur revendere censum cum cessione translativa iurium, lib. 9. tract. 2.cap 6.§.4. à num.17. 275
Ecclesiæ nomine venit locus Deo dicatus auctoritate publica Episcopi erectus ad Missam, divinaque officia celebranda,cap.10.§.1.n.1. 459
An veniat Oratorium in domo privata, Vide Verbo Oratorium.
Ecclesiasticorum bonorum invasio est cas.reserv. Panormi, lib.5.tr.de casib.reserv.c.6.§.3.n.50. 65
Effectus Divortij V. Divortium.
Eleemosyna danda pro Bulla Cruciatæ quanta debeat esse pro personis privatis, cap.3.§.3.n.2. & seq.445.& §.7.n.1. 446



Quid pro Indis, & Hispanis in India degentibus? ibid.
Quid pro Cardinalibus,Primatibus, Patriarchis, Abbatibus,Inquisitoribus,&c.Item pro Ducibus,Marchionibus, Comitibus, Commendatoribus maioribus,Proregibus Capitaneis Generalibus, aliisque officialibus S.C.Maiestatis,& dominis Vassallorum, dictorumque uxoribus. ibid.
Danda est ex bonis propriis, capit. 3. §.3. numero 1. 445.
An, & quando dari possit ex bonis, seu pecuniis furtivis, vel usurariis,ibid.§.4.per tot.
An ex pecunia ex turpi lucro habita,ibid.§.5.n.1.
An ex bonis creditis, vel ab alio datis, ibidem §. 6. num.1.
Pro Vicecomitibus, Baronibus, Prætoribus Urbium, Senatoribus Civitatum, Fiscalibus Inquisitorum, & filiis Ducum, &c. Si nullo alio titulo, aut dominio gaudent,debet esse duorum realium,si vero sunt Domini Vassallorum, debent solvere octo reales, c.5.§.7.n.2. 446
Pro Ducibus,Comitibus, Marchionibus, &c.qui non habent Vassallos, neque ullam aliam dignitatem, iurisdictionem, ac prærogativam, nisi merum titulum, debet esse duorum,realium, alias octo, ibidem num.4.
Quid de Episcopis merè titularibus, & iis, qui Episcopatui renuntiaverunt, ibid.n.6.
Etiamsi multiplicentur, tituli, & dignitates, non est solvenda nisi eleemosyna octo realium, ibidem num.5.
Solvenda à fœminis quibuscumque habentibus verum titulum, & dominium Vassallorum, est octo realium, ibid.n.7.
Solvenda à Viduis Ducum,Marchionum, &c. si nullo titulo gaudent, &c.est duorum realium: si vero remaneant usufructuariæ Ducatus,Marchionatus,&c. octo, ibid. n.8.
Tanta est solvenda ab uxoribus, quanta à viris suis, ibid n.7.
Solvēda à Regibus exteris in Regnum,ubi Bulla promulgatur,accedentibus, est octo realium, ibid. §.7. num.3.
Danda eadem est pro secunda Bulla, ac pro prima, etiam ab insignibus personis, ibid.n.10. 447
Quid si duo habent dominium eiusdem oppidi pro parte, vel pro indiviso, debentne singuli dare octo reales, ibid.11.
Quid si Senatus Panormitanus v.g. qui constat ex sex Patribus conscriptis,sit aliquo titulo insignitus,puta Ducatus alicuius oppidi,singuline Senatores debent dare octo reale. ibid.
Danda pro Bulla Lacticiniorum sumenda à Prælatis, vel Sacerdotibus quanta debeat esse,cap.8.§.5.à n.3. & seq. 467
Vbi de omnibus dignitatibus sigillatim
Danda est de bonis Ecclesiasticis,ideoque id, quod habes,ratione Beneficij, portionis,&c.non excedat ad annum redditum in taxa definitum, eam maiorem eleemosynam date non tenetis de bonis patrimonialibus,ibid.n.6.
In Episcopis,Abbatibus,& Canonicis non fit mentio quantitatis bonorum, ibid.n.7.
Solvenda à Coadjutore Beneficiarij, vel Canonici,an debeat esse tanta,quanta solvere teneretur ipse Beneficiarius, &c. ibid.n.8.
Pro Bulla defunctorum est duorum realium tam pro privatis,quam pro insignibus personis,&c.c.17.§.2. num.8. 480
Idem dic pro Bulla compositionis,c.18.§.6.n.1. 485
Emptio, & Venditio cum læsione, V. Læsio.
Emptio, & Venditio Vini aqua mixti, V. Vinum.
Emphyteusis,& Emphyteuta quid sint, quæ eorum conditiones,

ditiones, quæ obligationes, lib. 9 tract. 6. cap. 1. 314. & seq.
Enormis, vel enormissima læsio, V. Læsio.
Episcopatus, an sit Ordo diversus à Sacerdot. l. 7. cap. 1. §. 1. n. 5. 101
Episcopus, ut absolvatur à peccatis, an indigeat confessore approbato à confessario Ordinario, lib. 5. cap. 5. §. 1. num. 7. 59
Episcopus quoad concedendam iurisdictionem ab absolvendum, vel approb. V. Iurisd. & Approb.
Episcopus, quos casus sibi reservare potest, lib. 5. tr. de casib. reserv. c. 6. §. 2. 60
Quosnam hodie sibi reservat Archiep. Panormitanus, ibid. §. 3. 61. & seq.
Episcopus suas oves absolvit ab occultis, lib. 5. tract. de cas. reserv. c. 10. 79
Quis, à quibus occultis, quos, ubi, pro quo foro, an semper per se, ibid. & seq.
Episcopus, an & quatenus dispenset in interstitiis, V. Interstitia.
Episcopus quoad Ordines conferendos. V. Ordinis Minister.
Episcopus quid potest in lege superioris, lib. 8. tract. 2. cap. 4. §. 2. 150
An possit revalidare dispensationem subreptitiam datam à Pontifice, ibid. §. 4. n. 25. 153
An quid possit impediment. matrimonij, ibid. cap. 5. ibid.
Quando potest expedire dispensat. à Summo Pontifice commissas, ibid. c. 12. §. 1. 167
Episcopus solum electus, & nondum confirmatus non excluditur à privilegio Bullæ circa usum lacticiniorum in ieiuniis quadragesimæ, cap. 8. §. 4. num. 5. 455
Secus vero si sit confirmatus, licet nondum consecratus. ibid. n. 6.
Quid si sit Episcopus ex ordine militari, c. 8. §. 4. n. 13 ibid.
Assumptus ex religione an gaudeat privilegio lacticiniorum parvæ Bullæ, c. 8. §. 5. n. 10. 457
Episcopus merè titularis gaudet privilegio lacticiniorum Bullæ parvæ, sive sit sæcularis, sive regularis, ibid. num. 12.
Quid si sit degradatus. ibid.
An possit dispensare in votis Pontifici reservatis in casu urgentis necessitatis, cap. 13. §. 3. n. 14. 473
Per Epistolam potest contrahi matrimonium, lib. 8. tr. 4. cap. 4. §. 2. 199
Equites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & similes Ordinum militarium, etiam equites Melitenses, seu Religionis Hierosolymitanæ an gaudeant privilegio Bullæ circa usum lacticiniorum diebus quadragesimæ, cap. 8. §. 4. n. 9. 455
Error, impedimentum matrimonij, V. Impedimenta matrimonij.
Error quid operetur in sponsalibus, lib. 8. tract. 3. cap. 2. 179
Error qui obstat valori Sacramentorum, lib. 1. cap. 1. §. 2. num. 3. 2
Error communis confert Iurisdictionem, lib. 5. cap. 4. §. 7. 38. & seq.
Error in nomine, vel in Diœcesi, quando vitiet dispensat. V. Dispensatio, quando vitiet.
Errorem committens Executor in dispensando, quid faciet, lib. 8 tr. 2. c. 12 §. 1. 167
Expensas in re locata quis solvet, lib. 9. t. 4. c. 1. §. 1. à n. 12. & §. 2. à n. 12. 297
Expensas in contractu Societatis quis solvit, lib 9. tr. 8. cap. 8. 336
Eucharistiæ Materia, & Forma, lib. 4. c. 1. 26
Sanctissimi corporis materia. ibid.
Certo aptao ibid.
Certo inepta. ibid.
Dubia, ibid.
SS. Sanguinis materia, §. 1. 27
Certo inepta. ibid.
Dubia. ibid.
Eucharistiæ forma, lib. 4. c. 2. ibid.
Debet esse supra materiam præsentem. ibid.
Determinatam. 28
Bene prolata. ibid.
Quam dispositionem requirit in suscipiente illam, ibid. c. 4. ibid.
An maiorem gratiam conferat plures formalis sumpti, ibid. 29
Eucharistiæ sumendæ præceptum, lib. 4. c. 5. ibid.
An sub specie bus SS. Sanguinis, ibid. §. 1. 30
An possit concedi dispensatio non communicandi in Paschate, ibid. §. 2. ibid.
Quod præceptum fortius, communicare ieiunè, an communicare in Paschate, ibid. à n. 4. ibid.
Eunuchus an matrimonium inire queat, lib. 8. tract. 1. c. 13. §. 2. n. 6. 31
Examen Ordinandorum, lib. 7. c. 9. 141
Excommunicationes reservatæ, quandonam possint absolvi à simplici Sacerdote, V. Sacerdos simplex. 117
Excommunicato coniugi an alter communicare possit, lib. 8. tr. 7. c. 1. §. 1. n. 14. 219
Excommunicatus an possit ordinari, l. 7. cap. 6. §. 1. n. 13. 109
Excommunicatus valide sumit Bullam Cruciatæ, c. 5. §. 1. num. 1. 443
Excusationes ministrantis Sacramenta in mortali, l. 1. c. 3. à n. 10. 7
Exorcistatus Materia, Forma, Manera, lib. 7. cap. 2. §. 4. 101
Expensas magnas an quis aliquando obligetur facere, ob impetrandam dispensationem, lib. 8. tr. 3. cap. 5. §. 7. à num. 7. 191
Externus consensus in matrimonij contractione, V. consensus qui externus.
Extra tempora. V. Ordines quo tempore.
Extrema necessitas, V. Necessitas extrema.
Extrema Vnctio quid sit, lib. 6. c. 1. 95
Materia, Forma. 96
Propinquitas inter has. ibid.
Solemnitas. ibid.
Ordo Vnctionum. ibid.
Subiectum, ibid. c. 2. 97
An reiterari possit, ibid. c. 2. §. 6. 99
Quo tempore ministratur, ibid c. 4. 100
Minister quis, ibid. c. 3. §. 1. 99
Sub qua obligatione, ibid. §. 2. ibid.
Adiutor Ministrantis quis, ibid. §. 4. 100

F

Falsificatio litterarum, ac sigilli Archiepiscopalis Curiæ est casus res. Pan. lib. 5. tr. de cas. res. cap. 6. §. 3. n. 35. 63
Falsificatio sigilli Officialium est cas. res. in Soc. ibid. c. 7. §. 3. n. 64. 73
Falsum crimen an imputari testi iniquo possit? cap. 17. à num. 2. 507
An sibi ipsi, c. 16. à n. 2. 506
Falsum Iuramentum, V. Iuramentum.
Falsum testimonium est casus res. in Societate, ibidem num. 13. 79
Falsitas causæ quando irritat dispensationem, V. causa falsa.
Famuli quas obligationes subeant, lib. 9 tr. 4. cap. 7. 307 & seq. 308
Qui serviunt, ibid. §. 1. 314
Qui non serviunt cum possint, ibid. §. 2. 315
Qui non serviunt cum non possint, ibid. paragr. 3 ibid

Famulorum ſtipendium,an præſcribi poſſit , ibid.cap.7. §. 1.n.5. 308
Famulorum receſſus, compenſatio, expulſio. ibid.
Famulus non diligenter famulans , quandonam tenetur reſarcire damna,lib.9.tr.9.c.7.n.15. 335
Famulus , an acceptare poſſit ſtipendium in damnum creditorum Domini, lib.9.tr.4. cap. 7. §. 1. num. 34. 310.
Fœmina an ordinariqueat,lib.7.c.6 §.1.n.2. 109
Feſtus dies quiſnam pro initiandis,lib.7.cap.10.num.11. 118.
Feſto die quibus conceditur laborare? V. Die feſto.
Fœdum quid ſit?lib.9.tr.6.c.8. 317
Quotuplex? ibid. §.2. ibid.
Quæ illius conditiones?ibid.§.3. 318
Quæ conditiones Feudi,ibid.§.4. ibid.
Cauſæ amittendi Feudum,ibid.§.5. ibid.
Ficta promiſſio quid operetur in ſponſalibus,lib.8.tr. 3. c.1.§.4. 178
Fictum Iuramentum, V. Iuramentum.
Fidei præceptum, c.3.à n.3. 492
Fidei divinæ certitudo obſcurat omnes probabilitates in contrarium, c.20.n.5. 510
Fideiuſſio quid ſit, & quatenus, lib 9. tr.7. cap.1.& ſeq. 319. & ſeq.
Filij ſuſcepti poſt Donationem ſunt cauſa unde illa revocari queat, lib.9.tr.10.cap 6.§ 2 361
Filius Principis quis eſt , ut liceat ipſi conferre Baptiſmum in Oratorio privato ? lib. 2.cap.2. §. 3. num. 7. 15.
Filius quando tenere ſe poſſit natum ab adulterio ? c. 9. 500.
Filius an contrahat licitè matrimonium , inconſulto Patre ? c.10.à n.2. 501
Finis qualis eſt intendendus in contractione matrimonij, lib.8.tr.4.c.2.§.3.n.5. 195
Fingens velle redimere cenſum quid peccet?lib. 9. tr. 2. c.6.§.9. 282
Fiſco occultare bona confiſcata , quando liceat ? c.15.à num. 3. 506
Foro dumtaxat interno data Abſolutio , quantum prodeſt, lib. 5.c.13.§.5.à n.35. 95
Fornicatio utriuſque,vel alterius Sponſi,an irritet ſponſalia?lib.8.tr.3.c.5.§.6. 190
Fratrum Religioſorum nomine, veniunt omnes perſonæ Religoſæ,ſive in ſacris,ſive non,ſive Clerici,ſive converſi, ſeu laici , ſive etiam Moniales , At Novitij & Novitiæ in favorabilibus,c.14.§.2.n.3. 475
Fructificationes,quæ,& quot conſiderantur in locatione prædij Eccleſiaſtici, lib.9.tr.4.c.2.n.11. 301
Fructus Suffragij v. g. Ieiunij , vel fructus ſacrificij Miſſæ ab alio mihi applicatus acquiritur à me,etiamſi nil de eo ſciam, aut intendam , cap.12.§.2.num.12. 368.
Fructus Pignoris cuius ſunt?lib.9.tr 1.c.6.§.1. 255
Fructus agri conducti cuius ſunt, lib. 9.tr.4.c.3.à num.3. 302.
Fructus Pignoris cuius ſunt, V.Pignus,
Furtiva promotio Clerici ad ordines eſt caſus reſ. Pœn. lib.5.tr.de caſ.reſ.c.6.§.3.n.46. 64

G

GAbellas quando ſubditi ſolvere tenenti r ? c. 13. à num.3. 504
Gradatio ſententiarum inducta à Baronio, c. 25. per tot.
Gradus cognationum qui,lib.8.tr.1.c.5.§.1.n.10. 131
In linea recta ?
In Tranſverſali æquali? ibid.
In Tranſverſali inæquali? ibid.
Quinam irritant matr. ibid.
Gradus non numerantur in cognatione ſpirituali , ibid. §.2.n.5. 133
Gradum unum cognationis, ſi delegatus diſpenſare poteſt,non poteſt,ſi ſit ex duplici ſtipite, lib. 8 tr.2.c.2. num.2. 150
Gradus individuales conſanguinitatis, vel affinitatis explicandi in petitione diſpenſationis, lib.8. tr.2.cap.9. §.6. 162
Gradus proximior,quando, & quatenus explicari debet? ibid. §.7. ibid.
Gradus unius, ſi pro alio exponatur, an reddatur diſpenſatio ſubreptitia,ibid.c.10.§.2. 165
Græco ritu viventes gaudent,etiam omnibus Bullæ privilegiis,c.3.§.2.n.4. 441
Gratia quandonam expirat amotione ab officio,vel concedentis,lib.8.tr.2.c.14.§.4.n.14. 274
Gratia ut ſit valida, an requirat Scripturam, V. Litteræ conceſſionis gratiæ.
Gravamen dat lucrum in mutuo, & quatenus, lib.9.tr.1 c.3.§.2. 248
Gregorij XIII. Bulla de cenſ,lib.9.tr.2.c.6.§ 2. 270

H

HÆres , qui debet ſolvere legatum certæ Eccleſiæ , vel pauperi ad exonerandam conſcientiam à teſtatore relictum,ſi inf.a annum dicta Eccleſia,vel pauper legatarius fuerit negligens in eo exigendo,poteſt ſe componere per Bullam ſuper medietate ipſius legati, c.18.§.2.n.1. 482
Etiam ſi legatum reperiatur factum ante promulgationem Bullæ,ibid.n.2.
Debet admonere legatarium , ſeu eius procuratorem de legato facto ſi is non ſciverit aliunde,ad hoc ut à die notitiæ currere ei incipiat annus prædictus , ibid.n.1.ibid.
Si legatum fuit factum pauperibus, loco pio in communi, debet amonere Rectorem loci pij , vel Epiſcopum,vel eum,qui curam habet,&c.ibid.
Poteſt ſe componere per Bullam ſuper totum legatum,quando legatarij, facta debita diligentia , nequeunt inveniri,ibid.§.3.n.1. 482
Si ſumma legati excedit decem mille maravedis Hiſpanos , debet in exceſſu ſe componere immediatè cum Commiſſario, ſi vero non excedit , poteſt ſumere tot Bullas,&c.ib.§.2.n.6.481.& §.3.n.482.29.
Quando ſe componit immediatè cum Commiſſario , debet iurare,ſe moralem diligentiam adhibuiſſe ad inveniendos legatarios,ibid.§.3.n.2.
Poteſt non ſolum ſuper legatis, ſed etiam ſuper fideicommiſſis modo dicto ſe componere , ibidem num.3.
Nequit ſe componere quando legatum fuit factum creditori,ſeu Domino,à quo teſtator eam ſummam furatus fuerat,vel quomodocumque ei debeat ibid. num.5.
Poteſt univerſaliter ſe componere ſuper iis bonis, ſive malè receptis ſive illicitè retentis,ſuper quibus poterat defunctus,ibid.§-4.n.13. 484
Si ſpe compoſitionis faciendæ retinet legata,non poteſt uti compoſitione, c.18.§.7.n.5. ibid.
Hæres defuncti Beneficiarij an poſſit utiliter ſe componere de fructibus malè à Beneficiato perceptis , & nunc ab ipſo hærede poſſeſſis, cap. 18. §. 4. n. 12. ibid.
Hæreſis formalis externa etiam occulta nequit per Bullam Cruciatæ abſolvi, c. 11.§.4.n.1. 463
Secus vero ſi non ſit formalis, ut merum ſacrilegium, mera ſuperſtitio , mera magia,&c. ibid.
Hæreſis à quonam abſolvitur?lib. 5.c.11.§.1 à n.12. 81.
Quando eſt occulta , qua ratione ab Epiſcopo ? ibid. c.10.§.un.n.13. 80
An per Bullam Cruciatæ?ibid. c.13.§.5.n.8. 92
Hæreſis ſuperveniens ſponſalibus,an illa ſolvat ? lib. 8.. tr.3.c.5.§.6. 190

An det causam divortii, lib.8.tr.7.c.3.§.7. 238
Quid de Hæretico emendato? ibid.n.6. 239
Effectus divortii ex Hæresi, ibid.§.9. 241
Hæreticus externus sive publicus, sive occultus non gaudet privilegiis Bullæ, c.3.§.1.n.2. 443
Gaudet tamen, si ipsum postea pœnituerit commissi delicti, ibid.n.3.
Hæreticus internus an iis privilegiis gaudeat? ibid.n.4 & seq.
Hermaphroditus, an ordinari queat? lib.7.cap.6.§.1.n.3. 109
An matrimonio conjungi, lib.8.tr.1. cap.13.§.2. n.25. 144
Histi aliquando an possit desiderari malum? cap.11.à num.4. 502
Hypothe.ca quid sit, & quotuplex? l.9.tr.7.c.4. 324
Hypothecatam in rem quid juris habeat Creditor? ibid. cap.3.§.5. 323

I

Jejunium impletur, quoad satisfactionem, ab eo, qui ex privilegio Bullæ cum consilio utriusque medici comedit carnes, dummodo servetur in reliquis forma Jejunii, cap.3.§.1.n.2. 454
Jejunium requisitum ad consequendam Indulgentiam quindecim annorum, & totidem quadragenarum à Bulla concessam, debet esse voluntarium, nec sufficit Jejunium ex præcepto Ecclesiæ, vel pro pœnitentia à Confessario impositum, cap.9.§.3.n.2. 459
An satis sit Jejunium ex voto? ibid.n.3.
Potest impeditis commutari in aliud opus bonum pium à solio tamen confessario, & Parocho, ibidem num.4.
An possit tunc commutari in orationem? ibid.n.5.
Jejunio Ecclesiastico quinam tenentur? cap.8. à num.3. 499
Jejunium negligere, quando conjugatus valeat? cap.8. à num.6. ibid.
Jejunare voluntariè dicitur, quoad effectum lucrandi Indulgentias Bullæ, qui non tenetur ex aliqua justa causa, à qua excusatur, c.9.§.3.n.6. ibid.
Ignorans casum esse reservatum, an illum incurrat? lib.5. tr.de cas. res.c.1.n.2. 55
Ignorans sibi datam esse facultatem absolvendi à res. an validè absolvat? ibid. c.9.§.1 à n.18. 76
Ignorantia quid operetur in sponsalibus? lib.8.tr.3.c.2. §.1. 179
Ignoratæ qualitates, postea cognitæ, an irritent sponsalia? ibid.c.5.§.9. 193
Ignorantia in contractione matrim. V. Error.
Illustris familiæ conservatio V. Causæ dispensandi.
Impedimenta matrimonium dirimentia, lib.8.tr.1.cap.1. 125
Error, ibid.c.2. ibid.
Conditio, cap.3. 128
Votum solemne Castitatis, c.4. 130
Cognatio, c.5. ibid.
Naturalis. ibid.
Spiritualis. 133
Legalis. ibid.
Crimen, cap.6. 134
Conspiratio cum occisione. ibid.
Adulterium cum promissione matrim. ibid.
Adulterium cum occisione sine conspiratione. ibid.
Adulterium cum promissione matrimonio attentato. ibid.
Cultus disparitas, c.7. 136
Vis, cap.8. ibid.
Ordo Sacer? c.9. ibid.
Ligamen, c.10. 137
Publica honestas, c.11. 138
Affinitas, c.12. 139
Impotentia, cap.13.
Quid si hæc superveniat matr. ibib.§.5. 141
Raptus, c.14. 146
Absentia Parochi, & Testium, c.15. ibid.
Impedimenta matrimonii solum impedientia, lib.8.tr.2. cap.16. 147
Sacratum tempus. ibid.
Votitum. ibid.
Sponsalia. ibid.
Votum. ibid.
Impedimenta matrimonii quis dispenset. V. Dispensare.
Impedimenta matrimonii, an irritent sponsalia? lib.8. tr.3.c.3.§.2. 184
Impedimentum excludens à Soc.tacuisse, est casus res. in ipsa, lib.5.tr.de cas. ref.c.7.§ 3.n.23. 271
Impedimentum supervenions, an dissolvat sponsalia, li.8. tr.3.c.5.§.5. 198
Impeditus contrahere matr. an si metu cogatur, contrahat validè, vel licitè? lib.8. tractat. 1.cap.17.§.2. 148
Quid de putante se esse impeditum, cum non sit, §.3. 149
Impeditus si contrahat, quam pœnam incurrit? ibid.§.4. ibid.
Imperator à quo absolvitur? lib.5.c.5.11. 44
Impositio manus, an sit de forma Sacerdotii? V. Sacerdotium.
Impotentia. Impedim.matr. V. Impedim.matr.
Impubes an matrim. contrahere queat? lib.8.tr.1.cap.13. §.2.n.16. 143
An sponsalia? ibid.n.24. 144
Impuberum matrimonium clandest. quid? lib.8.tr.3.c.2. §.4. 182
Incestus cum conjuganda, an explicanda in petitione dispensat? lib.8.tr.2.c.9.§.4. 161
Incestus, an sit ex se impedimentum? lib.8. tract.1.c.16. 147
Indigenti quando furari liceat? cap.15.n.6. 506
Indissolubilitas matrimonii infidelium? lib.8.tr.5.cap.5. 211
Fidelium Ratum, c.6. 214
Fidelium consummatum, c.7. 217
Indulgentiæ quænam per Bullam concedantur? c.9.§.1. per totum 457.& cap.10. per totum 459. & c.13. per totum 468
Indulgentia quindecim annorum, & totidem quadragenarum per Bullam concessa requirit, vel Jejunium, vel aliud opus pium arbitrio confessarii, vel Parochi, & simul preces ad Deum fundendas pro unione, Principium Christianorum, & victoria contra Infideles, cap.8.§.5.n.1. & seq. 456.& seq.
Nequeunt tamen ea opera fieri per alium. ibid.
Indulgentiæ, quoad remissionem pœnæ, intelliguntur solum quoad forum Dei, quod scilicet remittantur pœnæ pro peccatis debitæ in foro conscientiæ, cap.9. §.1.n.4. 478
Indulgentia, qua remittantur per Bullam jejunanti quindecim anni, & totidem quadragenæ de pœnitentiis injunctis, & quomodolibet debitis, quomodo intelligatur, ibid.n.5.
Potest ea Indulgentia infra annum acquiri toties quoties fiunt opera per Bullam requisita, ibidem num.6.
Indulgentiæ quænam concedantur per Bullam visitantibus altaria, &c. cap.19.per tot. 459
Indulgentiæ affixæ Sacris numismatibus pluries acquiruntur, [si eodem die pluries repetitur opus injunctum, non tamen quando sunt addictæ uni ei tantum, cujusmodi est Indulgentia per Bullam concessa visitantibus altaria, &c. c.10. §.3.n.2. 490
Indulgentiæ stationum à Bulla concessæ visitantibus Ecclesias, vel altaria, possunt applicari pro defunctis, c.

cap.10.§.4.n.461. Quomodo id intelligitur, num.2 ibid. 50
Fructuosè applicantur defunctis, etiam ab eo, qui est in statu peccati mortalis, ibid n 3.
Indulgentia quælibet nequit applicari pro defunctis, nisi id Pontifex expressè dicat, ibid. 4.
Indulgentia plenaria ex vi Bullæ semel in vita, quomodo debeat à Confessario applicari, cap. 12. §. 1. n. 1. 467
An possit applicari, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ? ibid. n. 2.
Item, an possit applicari à puro Sacerdote, qui non sit Confessarius approbatus? ibid. n 5. 467
Certum est, non posse à Clerico, vel Laico, nec à se ipso applicari, ibid. n. 7. 62
Indulgentia plenaria vi Bullæ semel in mortis periculo concessa, quomodo sit applicanda? cap. 12 §. 2. n. 1. & seq. ibid. An sit necessaria Confessio Sacramentalis? ibid.
Si repentinum est mortis periculum, nec potest haberi confessor, poterit ipse moribundus, si sit contritus ex se sine alterius ministerio aut applicatione, aut sine alia oratione, eam sibi applicare, ibid. n. 3.
Applicata semel in periculo mortis, non potest in alio simili periculo eiusdem animi iterum applicari, ibid. n. 5.
Applicata à Confessario sub conditione, *si morierit*, *applico*, si pœnitens reconvalescat, an possit deinde in periculo alterius Infirmitatis, vel eadem recrudescente, acquiri ibid. n. 6.
An possit applicari proximè morituro sensibus destituto, qui Bullam sumpsit? ibid. n. 7.
Indulgentia quælibet ex vi Bullæ, ut acquiratur non requirit necessario intentionem explicatam acquirendi, licet tutior sit, eam habere, ibidem à num. 8. & seq.
Si vero applicetur pro defunctis requiritur ea determinata intentio, ibid. n. 16. 468
Idulgentiæ quænam suspendantur à Commissario Cruciatæ in publicatione Bullæ? vide verbo Suspensio.
Indulgentia plenaria concessa à Pontifice pro vivis non differt à concessa pro Defunctis, nisi solum quod Pontifex per Indulgentiam vivorum remittit pœnam auctoritativè, seu ut Judex; pro defunctis vero per modum suffragij, seu ut auxilium, cap. 17. § 1. n. 1. & 2. 479
An autem satisfactio à Pontifice oblata Deo, sive auctoritativè, sive per modum suffragij acceptetur à Deo de condigno, vel de congruo, & ex liberalitate? item an infallibiliter? ibid. n. 3. 480
Indulgentia, quæ confertur per Bullam Defunctorum est diversa ab iis Indulgentiis stationum, quæ conferuntur per Bullam communem, licet hæ possint, etiam pro defunctis applicari, cap. 17. §. 2. num. 1. ibid.
Indulgentia in Bulla pro Defunctis potest solum acquiri semel cum una, & iterum cum alia Bulla, sed non tertio cum tertia, ibid. n. 10. 480
Infamiæ periculum. V. Causæ dispensandi.
Infantem Turcarum captum à Christianis, an liceat ad suos remittere? lib. 2. c. 3. § 2. n. 16. 16
Infantes Infidelium, vel Hæreticorum, quando baptizandi? lib. 2. c. 3. §. 2.
Infantes an, & quomodo gaudeant privilegiis Bullæ, si quis eam pro ipsis sumat? c. 3 §. 1 n. 10. 444
Infectio bonorum quid sit, & an licita, lib. 9. tr. 2. cap. 6. §. 3. à n. 7. 72
Remedium, quo ea vitetur, ibid. n. 9.
Infidelium matrimonium, an sit Sacramentum, lib. 8. tr. 5. cap. 4. 211
An dissolubile, & quando? ibid. c. 5. ibid.
Infidelium matrim. an subiaceat impedim. lib. 8. tr. 1. c. 7. 136.
Infirmus, quando extremè ungendus? V. Extremæ-Unctionis subiectum.
Ingratitudo est causa, unde possit revocari Donatio, l. 9. tr. 10. cap. 6. §. 1. 360
Ingravatare verbum Siculum, an sufficiat in forma Baptismi, lib. 2. c. 3. §. 5. n. 52. 12
Inobedientia expressa, est casus reservatus in Societate, lib. 5. tr. de cas. c. 7 §. 3. n. 17. 70
Vide etiam, ibid. à n. 30. 71
Et ibid. à n. 52. 72
Inofficiosa donatio, quando, & quatenus revocanda, lib. 9. tr. 10. c. 6. §. 3. 362
Inquisitio veritatis facienda ab Executore dispensationis, verbo veritatem inquirere.
Inquisitionis Sacræ testimonium de doctrina Tambur. cap. 18. n. 3. 508
Inquisitores iidem comparantur à Baronio cum Curatis Parisiensibus. c. 9. n. 2. 509
Insinuatio, quid sit & quando præstanda, ibid cap. 5. 358
Instante morte, V. morte instante.
Intentio Ministri Sacramentorum, V. Minister Sacramentorum Eucharistiæ, lib. 4. c. 3. 29
Intentio sola accipiendi Bullam sine sumptione, seu receptione actuali non sufficit ad hoc, ut quis eius gratias acquirat, etiamsi iam pro ea fuerit eleemosynam elargitus, & Bullarum distributor aliquam illi applicaret, & domi servet, c. 15. §. 3. n. 2. & 3. 476
Item, etiamsi nomen suscepturi Bullam scribatur in libro depositarij, seu distributoris, ibid. n. 5.
Intentio orandi necessaria in oratione, cap. 5. n. 2. 497
Interdictum Ecclesiasticum quid sit, & quotuplex? c. 5. § 1 à n. 1. & seq.
Interdictum personale non comprehenditur in privilegiis Bullæ pro tempore interdicti, sed solum locale, ibid. n. 7.
Interdicti tempore habens Bullam Cruciatæ, potest in Oratorio privato, dummodo sit approbatum, & deputatum ad divinum cultum divina celebrare, vel per seipsum, si Presbyter fuerit, vel per alium celebrari facere, & divinis interesse, ibid. §. 2. num. 2. & 3. ibid.
Extende ad alias Ecclesias, dummodo privatim fiat officium, ibid.
Nec solum unum, sed etiam plures Missas eodem die, ibid.
An in sua tantum, & suorum præsentia? ibidem num. 4.
Interdicti tempore habens Bullam an diebus festis teneatur de præcepto interesse sacro, ibid. n. 6.
Interdicti tempore obligantur Clerici Ministri Ecclesiæ, & Religiosi privatim Missæ interesse diebus festis, ibid. n. 8. 451
Interdicti tempore Bullam habens potest recipere Eucharistiam, aliaque Sacramenta à quocunque Sacerdote, & quando placuerit, dummodo id fiat ianuis clausis, & privatim, c. 6. n. 1. & 2. 452
Quid in die Paschatis, quo quis ex obligatione in propria Parochia Eucharistiam sumere debet, ibid.
Potes ipso die paschatis, dummodo ante, vel postea Parochiæ satisfacias, ibid.
Interdicti tempore an possint ex privilegio Bullæ corpora mortuorum, etiam Laicorum, qui viventes Bullam sumpserunt, Ecclesiasticè, & cum moderata pompa sepeliri, c. 7. n. 2. 452
Quomodo intelligatur hæc pompæ moderatio, ibid. num. 3.
Interdicto causam dantes, vel ij, per quos stat, ne amoveatur, non gaudent privilegiis Bullæ tempore interdicti, cap. 5. §. 2. n. 1 450. & cap. 6. n. 1. 452. & cap. 7. n. 1. 453
Interruptio verborum quæ invalidat Sacramentum, lib. 1. c. 1. §. 1. n. 1. 2

Interstitia quid sint, lib.7.c.11.§. 119
Eorundem dispensatio à quo, ibid.§.2. 120
Irregularitas, an dispensari queat per Bullam Cruciatæ? lib.5.tr.de cas.ref.c.12.§.4. 89
Irregularitatem an incurrat baptizans infirmum, unde is moriatur, lib.2 c.1.§.4.à n.7. 10
Iter agentes Religiosi à quo absolvantur, lib.5 cap.5.§.2. num.16. 44
Vide etiam libro eodem, tr.de casibus ref. c.11.§.1.à num.25. 83
Iter agentes Religiosi, si sint Confessarij an possint alios absolvere sine nova Approbatione, lib.5. cap.5.§.6. num.2. 53
Iudex qua ratione se geret, si dubia sit potentia coniugum? lib.8.tr.1.c.13.§.4. 145
Quando coniuges consentiunt? ibid. 145
Quando dissentiunt. 146
Iudex Ecclesiasticus an possit progedere contra eum, quem scit fuisse per bullam absolutum ab excommunicatione aliisque censuris pro foro interno, & an possit illum punire, & quomodo se debeat gerere in eo puniendo, si accusatur, c.11.§.8.n.10 466
Prædictam notitiam de absolutione potest habere vel per testificationem fide dignorum, vel per schedulam Confessarij id testantis ad instantiam pœnitentis, ibid.n.11.
Iudices quid possint in sententia probabili? c.14.à n.3. 504
An illam vendere, ipse liceat? ibid.n.14. 505
Iuramentum æquivocum, cap.21.à num.5. & deinceps. 511
Iuramentum strictum, c.22.per tot. ibid.
Iuramentum ad firmandum peccatum semper est peccatum, c.12.à n.9. 512
Iuramentum falsum putatum verum, an possit quis suadere? c.24 per tot. 516
Iuramentum de servanda Castitate, vel de Peregrinatione ultramarina, seu Hierosolymitana, vel de ingrediendo Religionem, an possit per Bullam commutari, cap.13.§.2.n.1. 471
Vide verbo, Votum.
Iuramentum additum Promissioni quid operetur lib.9 tr.9.c.7.§.5.n.24. 347
Iuramentum additum Donationi omnium bonorum, an convalidam reddat, lib.9.tr.10.c.4.§.4. 357
Iurisdictio ad absolvendum à peccatis quænam? lib.5. c.4.§.1. 34.
Quis illam habeat? ibid.
Quis illam alteri concedat, ibid.§. 35
Quandiu concessa durat? ibid.
Circa quos exerceri potest? ibid. 36
An circa advenas, Peregrinos, &c ibid.
Iurisdictio collata per metum, vel fraudem an valeat, lib.5.c.4.§.5.n.2.& 4. 37
An acquiratur ex ratihabitione? §.6. ibid
An ex errore communi, & titulo colorato, §.7. 38
An ex opinione probabili, §.8. 40
An ex subdelegatione, §.9. 41
Iurisdictionem à quo debent habere Religiosi, ut absolvant, lib.5.c.4.§.2. à n.26. 45


## L


Labor dat lucrum ex mutuo. V. Lucrum ex mutuo.
Labor, an deducendus in lucro cessante? lib.9. tr.3.c.3. §.4.n.. 250
Lacticiniorum, & ovorum usus ex privilegio Bullæ exerceri potest pro temporibus Ieiuniorum totius anni, etiam quadragesimalium, c.8.§.2.n.1. 454
An in Ieiuniis, quæ implere quis debet ex præcepto vel ex pœnitentia Sacramentali, vel ex Iubilæo, ibid.n.3, 17
An à minore viginti uno anno, qui non tenetur ieiunare? ibid.n.4.
Lacticiniorum nomine non venit sanguis, medulla, lardum assuntia, nec pinguedo quæcumque licet in Rongno Siciliæ probabilius veniat sagimen porcinum, ibid.§.3.n.1. 455
Non venit tamen sagimen liquefactum ex adipe aliorum animalium, ut gallinarum, anserum, cervorum, &c. ibid.n.2.
Lacticinia licitè comedere non potest die vetito is, qui solum habet intentionem accipiendi Bullam, & non adhuc eam actu recepit, cap.15.§.3.num.2. & seq. 476
Læsio enormis, vel enormissima, quæ & quatenus dat causam Adiudicationi, lib.9.tr.2.c.6 § 8. 278
Quid in Venditione, & Emptione, ibidem à num. 8. 279
Læsio in pensione quid operetur in conductione, lib.9. tr.4.c.4 §.1. 303
Lapsus carnis voluntarius est casus ref. in Societ, lib.5. tr.de cas. ref.c.7.§.3.n.13. 70
Larga eleemosyna. V. Causæ dispensandi
Largitas sponsalitia quid sit, lib.8.tract.3.cap.1.§.3.n.6 177
Quando valida, lib.8.tr.7.c.2.§.2 232
Quando est pura. ibid.
Quando non pura. ibid.
Laudemium quid sit, & quando solvendum, lib.9 tr.6. cap.5. 316
Laus P.Francisci Scorsi, lib.2.c.1.§ 5.n.53. 12
Laus P.Petri Mastricæ, lib.7.c.12.§.2.n.1. 123
Et lib.8.tr.1 c.11.§.2.n.7. 138
Lectoratus quid sit? Forma, Materia, Munera, lib.7.c.2. §.3. 101
Legalis cognatio, V. impedimenta matrim.
Legata non deuntiantes, V. Notarij.
Legem Superioris, an possit dispensare aliquando inferior, lib.8.tr.2.c.4.§.2. 150
Legitimum se esse, quando negare possit filius, cap.9.à num.5. 501
Lex commissaria, quæ, lib.9. tr.1.c.6.§.2. 297
Libellum quid sit, lib.9.tr.6.c.7. 317
Libellus suplex Curatorum Parisiensium, cap.19.n.1. 509
Licentiam excipiendi Confessiones Sæcularium quis Episc concedit Religiosis, lib.5.cap.5.§.2.num.35. gag 46.
Licentia data, an expiret morte concedentis? lib.8.tr.2. c.14.n.9.& 21. 174
Licentia præsumpta à quibus signis colligitur, lib.5.c.4. §.6. à n.11. 38
Ligamen impedim.matr. V. imped. matrim.
Litium sedatio. V. Causæ dispensandi.
Litteræ concessionis gratiæ, an sint necessariæ ad valorem, & usum eius? libro 8. tractat. 2. capit. 14.§.5. 175 299
Locatio, & conductio, lib.9.tr.4. 297
Locatoris obligationes, ibid.c.1.§.1. 300
Locari, quæ res possint, ibid.c.2.à n.1. ibid. & seq.
Locare quis non possit, ibid.à n.3.
Locantis successores. V. Successor. 248
Lucrum ex mutuo, lib.9.tr 1.c.3.§.2.& seq. ibid.& seq.
Quid ad illud tituli?
Lucrum in Montibus Pietatis, an sit licitum. ibid.§.9. 252 250
Lucrum cessans quid sit, ibid.§.4. 262
Lucrum ex pecunia sine usura, ibid.c.11. 285
Lucrum ex custodia pecuniæ, lib. 9.tr.3.c.3.§.3.
Lucrum ex Cambio, V. Cambium.
Lucrum quod, concedit laborare die festo? c.62 n.6. 498

# & Verborum.


M

Malè ablata dicuntur, quæ cum peccato, & iniustitia surrepta fuere, nec Domino reddita, c. 18. §. 1. n. 1. 480

Malè ablata ex spe, & confidentia Bullæ, si dominus ignoratur, & ea non sunt capacia compositionis, cuinam restitui, seu applicari debeant? ibidem, §. 7. n. 7. 485

An possint distribui pauperibus, vel locis piis, vel monasteriis Religiosorum; item an pro Missis, & suffragiis defunctorum? ibid.

An debeant sub peccato mortali in totum applicari in subsidium Belli contra infideles, uti Bulla disponit? ibid.

Vide Verbo Compositio.

Malum alicui desiderare, an aliquando liceat? cap. 11. à num. 3. 502

Mancipium an peccet, si matrimonium contrahat, repugnante domino, lib. 8. tr. 1. c. 3. §. 1. n. 7. 128

Matrimonij imped. V. Imped. matr.

Matrimonium ratum parit impedimentum publicæ honestatis, lib. 8. tr. 1. c. 11. §. 3. 139

Matrimonij institutio, Forma, Materia, Minister, lib. 8. tr. 5. c. 1. 210

Matrimonium an iniri possit solum ad mutuam Societatem, lib. 8. tr. 1. c. 13. §. 2. 142

An cum alio contractum solvat sponsalia, lib. 8. tr. 3. cap. 5. § 5. 188

Matrimonij nomine quid proprie venit? lib. 7. tr. 4. c. 1. § 1. 194

Matrimonij ratificatio. V. Ratificatio matrim.

Indissolubilitas, V. Indissolubilitas matr.

Matrimonium V. Infidelium matr.

Eunuchi, V. Eunuchus.

Matrimonium an consummetur per copulam antecedentem illud, lib 8. tr. 5. c. 6. §. 3. n. 8. 216

Matrimonia præsumpta ablata à Trid. lib. 8. tr 6. c. 2. §. 2. num. 4. 218

Matrimonium inire, an filius, invito Patre, possit, c. 10. à num. 2. 501

Medicorum præceptum circa Confessionem ægrotantium, lib. 5. c. 2. §. 2. 131

Medicus, etiam Doctoratus laurea insignitus, si tamen constat esse inexpertum, non sufficit, ut possit dare consilium circa comestionem carnium ex privilegio Bullæ concessam die verito, c. 8. §. 1. n. 4. 454

Medici nomine, quantum ad prædictum consilium dandum, intelligitur non solum doctor, sed etiam quilibet vir, etiam mulier, si tamen sint in medicando ægroto experti, ibid.

Medicinæ, an locari possint? V. pharmacopolæ.

Melioramenta quis solvit in re locata? lib. 9. tr. 4. c. 1. §. 1. à n. 19. 398

Mendacium cum æquivocatione, cap. 23. præsertim num. 28. 515

Mendicantium Fratrum nomine, intelliguntur quatuor Ordines, Carmelitarum, S. Augustini, S. Dominici, & S. Fransc. Item Fratres S. Francisci de Paula, & alij Omnes Religiosi, qui communicant in privilegiis Mendicantium, cap. 14. §. 2. n. 2. 475

Mentiri nefas Religioso, c. 23. n. 38. 516

Metum incutiens ad sponsalia, ad quid obligatur, lib. 8. tr. 3. c. 2. §. 2. n. 8. 180

Metu extorta copula, an ratificet matrim. lib. 8. tract. 4. c. 7. § 4. 209

Metus an invalidet matr. lib. 8. tr. 1. c. 17. §. 2. 148

Vide etiam t. 4 c. 6. §. 2. 205

An invalidet sponsalia? lib. 8. tractat. 3. cap. 2. §. 2 179

An peccet qui sic contrahit, lib. 8. tr. 1. cap. 17. §. 2. n. 4. 148

Metus dolosus, an invalidet matrimonium? Vel professionem Religiosam, lib. 8. tr. 4. c. 6. §. 2. n. 13. 206

Milites ordinum Militarium à quo absolvi à peccatis possunt, lib. 5. c. 5. §. 2. n. 20. 45

Minister in Societate, an possit absolvere à reservatis? lib. 5. tr. de cas. ref. c. 8. §. 1. n. 53. 72

Eidem dicere *Nolo parere*, est casus ref. in Societ. ibid. c. 7. §. 2. à n. 53. ibid.

Minister Sacramentorum, quam intentionem, quamque probitatem habere debet? lib. 1. c. 2. 3

Minister Bapt. Confirmationis, & cæterorum Sacramentorum. Vide in suis propriis vocibus.

Minores viginti uno anno, licet non teneantur ieiunare, possunt tamen lacticinia comedere, cum Bulla, cap. 8. §. 4. n. 2. 457

Missa potest incipi duabus plus, minusve horis ante solis ortum, & ante meridiem, vel in ipso meridie, licet absolvatur postea, cap. 5. §. 6. n. 1. 452

Et addita alia hora ex privilegio Bullæ, & concessione Commissarij facta personis nobilibus, potest tribus plus minus horis ante solis ortum, & una hora post meridiem, ibid. n. 3. 17

Missæ omissio quibus conceditur die festo? cap. 6. à n. 2. 498

Missio literarum peccaminosa sine licentia est casus reservatus in Societate, lib. 5. tr. de cas. ref. c. 7. §. 3. n. 24. & 29. 71

Moniales à quo absolvuntur? lib. 5. tr. de cas. ref. c. 5. §. 2. num. 18. 45

Quid à reservatis? ibid. à n. 3. 56

Monialibus turpiter colloqui est casus reservatus Pan. lib. 5. de cas. ref. c. 6. §. 3. n. 20. 62

Quid de accessu ad easdem? ibidem à numero 22. ibid.

Monitio ad Parochos, ne recipiant consensum ad matrimonium sub conditione, lib. 8. tr. 4. c. 5. §. 10. 205

Montes Pietatis liciti sunt, & quatenus, lib. 9. tr. 1. c. 3. §. 9. 252

Montes vacabiles, vel non vacabiles, quid sint? lib. 9. tr. 2. c. 7. 283

Morte instante, quæ opinio recipienda? cap. 2. à n. 19. 492

Mortis paternæ votum, V. Votum paternæ mortis.

Mortalia peccata alias absoluta non reservantur, lib. 5. tr. de cas. ref. c. 4. n. 3. 57

Nec dubia n. 6. 58

Nec merè interna, n. 13. ibid.

Morte delegantis, an cesset dispensandi potestas data delegato, lib. 8. tr. 2. c. 14 §. 4. 173

Mulier pariens cum vitæ, vel prolis periculo, an matrimonium contrahet, &c. lib 8. tr. 1. cap. 13. §. 2. num. 11. 143

Munere Sacerdotis, Diaconi, cæterorumque Ministrorum. Vide in propriis vocibus.

Mustaicoli an Eucnatistiæ materia, lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 16 27

Mutatio notabilis an solvat sponsalia, lib. 8. tr. 3. cap. 5. § 8. 193

Mutationem status suscipere, an valeant coniuges, lib. 8. tr. 7. c. 4. 242

An Professionem Religiosam, ibid. §. 2. ibid.

An Ordines Sacros, ibid. §. 2. 243

An Votum simplicis Castitatis, ibid. §. 3. 344

Mutatio verborum quæ obstat Sacramentorum Confectioni, lib. 1. c. 1. § 20 2

Mutuum quid sit, l. b. 9. tr. 1. c. 1 §. 1. 244

Quantum restituendum. ibid.

Quando. ibid. & seq.

Sub quo valore? ibid.

Mutuum dare, an sit in præcepto, ibid. §. 3. 246

Mutuum, quandonam usuram certo non continet, ibid. c. 3. & seq. 247

Quando certo usuram continet, ibid. c. 4. 253


Quando

Quando certo usuram continet ibid.c.4. 253
Quando sub controversia,ibid. 255
Mutui lucrum, V.Lucrum ex mutuo.
Mutuum quomodo differat à Precario,lib.9. tr.7. cap.7. 328

N

Necessitas,quæ dat potestatem Episc.dispensandi in impedim.matr.lib.8.tr.2.c.4.§.4 & seq. 251
Quæ dat potestatem Commiss. Cruc. ad dispensandum,ibid.c.5.n.22. 155
Quæ dat potestatem simplici Sacerd. ad absolvendum.l 5.tr.de cas.c.12. 84
Necessitas extrema dat ius aliena rapiendi , cap.15. n.7. 506
Necessitas gravis quando idem concedit ? ibid. num. 8. ibid.
Negotiatio debet esse honesta in contractu Societatis , lib.9.tr.8.c.3. 329
Nicolai V.Bulla de censibus, lib.9.tract. 2. cap. 6. §. 1. 270
Nomen sumentis an sit necesse ut scribatur in bulla lacticiniorum,c.8.§.5.n.13. 457
In Bulla communi saltem ut tutius procedatur, debet scribi,c.5.§.2.à n.1.& seq. 476
Sufficit tamen ut scribatur à qualibet persona, ibid. num.5.
Item sufficit nomen appellativum ut Dux talis , Princeps talis,&c. modo singularis & determinata persona significetur, ibid.n.4.
In Bulla pro defunctis,præter nomen sumentis, solet etiam ex praxi inscribi nomen eius , pro cuius anima accipitur, cap.17.§.2.n.3. 133
Notarij legata non denuntiantes incidunt in cas.res.Pan. lib.5. tr.de cas.res.c.6.§.3.n.42. 64
Novitiatus ingressus,an impediat sponsalia ? lib.8.tract.. cap.5.§.2. 186
An solvat matr. ratum?lib.8.tr.5.§.2.n.2. 214
Novitij à quo absolvi possunt,l.5.c.5.§.2.n.12. 44
Quid à reservatis in Relig.ibid. c 3.n.5. 57
Quid à reservatis Papæ, ibid.c.11.§.1.n.3. 81
Novitij,& Novitiæ gaudent privileg o Bullæ circa usum lacticiniorum,c.8.§.4.n.8. 455
Veniunt nomine Fratrum in favorabilibus , c.14. §.2. num.3. 474
Novitius quid,& quatenus donare potest,lib.9.tr.10.c.3. §.6. 356
Nuptias qui benedicit?V.Benedictiones quæ.

O

Obligationes coniugum, lib.8.tr.7.c.1. 228
Cohabitatio, ibid.§.1. ibid.
Præstatio alimentorum, ibid.§.2. 229
Educatio filiorum. ibid.
Correctio, ibid.§.3. ibid.
Debitum coniugale, ibid.§.4. ibid.
Obligationes locatoris,lib.9.tr.4.c.1.§.1. 297
Obligationes Conductoris, ibid.§.2. 298
Obligationes Famulorum, ibid.c.7. 307
Obligatio promissionis,quandonam cessat, lib.9.tract.9. cap.9. 351
Obstetricis baptizatus, an rebaptizadus , lib. 2.c.1.§.7. num.7. 13
Eiusdem obstetricis obligatio circa scientiam modi baptizandi,ibid.n.10 ibid.
Occisio,quæ est impedimentum mattim. V. Impedimenta matrim. verbo.n.10.
Occulta peccata Pontif.reserv quæ Pont.Episc.absolvere?lib.5. tr. de cas.res.c.10.§.un. 79
Occultum impedim. matrim. quando Episc. dispensat? lib.8.tr.2.c.4.§.4.& seq. 151
Occultare Fisco bona confiscata , quando liceat?c.17. à num.3.
Occultare veritatem quando?c. 21.à num.præsertim 6. 506 510
Oleum non benedictum , quatenus possit addi non benedicto, lib.6.c.1.§.1.n.2.
Oleum ex oleastro, an possit esse materia Confirmationis?lib.3.c.1.§.1.n.2. 95
Onerum Accollatio quid sit, & quid Iuris afferat?lib. 2.tr.2.c.6.§.8 à n.29. 21
Opinio probab. an conferat Iurisdictionem ? lib.4.c.4. §.8. 281
Orationes faciendæ ad consequendas Bullæ Indulgentias , an debeant omnino esse vocales, vel sufficiant mentales?c.9.§.3.n.7. 40
Orationes prædictæ quantæ debeant esse ? Vide Verbo Preces. 459
Si brevis, seu exigua sit oratio an diminuatur, & orationi proportionatam Indulgentiam lucretur?c.10. §.2.n.4.
Orandi intentio necessaria oranti,c.5.n.2. 461
Orationis necessitas, c.4.à n.2. 497
Eiusdem præceptum quando obligat?ibid.à num.3. ibid.
Oratio cum voluntaria distractione,c.5.à n.3. ibid.
Oratorium privatum , in quo celebratur, an possit erigi virtute Bullæ sine alia Pontificis licentia?cap.5.§.4 per totum. 451
In domo privata à Pontifice concessum Oratorium an veniat nomine Ecclesiæ seu Altaris , quantum ad effectum Visitationis in ordine ad lucrandas Indulgentias stationũ à Bulla concessas?c.10.§.n.2. 459.
Ordinarius v. g. Messanensis nequit approbare Sacerdotem commorantem in Diœcesi Panormitana solum ad hoc ut ineligibilis per Bullam Cruciatæ à Civibus Panorm.c.11.§.1.à n.3.& seq. 461
Ordinarij nomine, quantum ad probationem confessarij per Bullam eligibilis,an veniat Ordinarius Pœnitentis, vel confessarij , vel quicunque ? Vide Verbum Confessarius.
Ordinatio ; quæ do reiteratur , quid servandum?lib.7. cap.5.§.2.n.13. 108
Ordo quid sit,& quotuplex?lib.7.c.1.§.1. 100
An omnes sint Sacramentum?ibid.§.2. ibid.
Materia, & Forma Pr.Tonsibid.§.1. 101
Ostiariatus,ibid.§.2.
Lectoratus,ibid.§.3. ibid.
Exorcistatus, ibid.§.4. ibid.
Acolythatus,ibid.§.5 ibid.
Materia, & Forma, &c. Subdiaconatus, ibid.c.3.n. 103. Diaconatus. Vide in suis propriis vocibus Sacerdotij.
Ordinis subiectum, lib.7.cap.6.§.1. 109
An fœmina?ibid.n.2. ibid.
An Hermaphroditus?n.3. ibid.
An puer?n.11. ibid.
An excommunicatus?§.n.13. ibid.
Minister.
Ordinum conferendi tempus, vel dies, libro 7. cap.10. 118
Extra tempora. An quocunque die festi, ibid. n. 11. ibid.
An hoc privileg. gaudeant Relig.n.16. 119
Ordinandorum ætas, lib.7.c.6.§.2. 109
Ordinandorum,titulus, V. titulus Ordinandorum.
Eorundem Dimissoriæ. V. Dimissorias.
Commendatitiæ litteræ. 117
Examen, lib.7.cap.9.
Quibus Interstitiis, V. Interstitia.
Ordines malè susceipientium pœnæ,lib.7.c.12.§.1. 121
Ordines malè suscipientium pœnæ,matrim.
Ordo Sacer imped.matr.V.Impedim.matrim. 112
An dissolvat matr. Infid.lib.8.tr.5.c.5.§.3. Ordines

Ordines suscipiens, an obligetur Eucharistiam sumere? lib.7.c.1.§.6.n.1.
Eosdem suscipiens spe Beneficii, an peccet? à n.11. ibid.
Ordinatus in Minoribus, an peccet ducendo uxorem? ibid. à n.14. ibid.
Ordinandi, an peccent non ferendo Clericam, vel tonsuram, vel habitum? ibid. à n.16. 103
Ordo Sacer, an dissolvat matr. Ratum? lib.8.tract.5.c.6. §.2. 214
Ordines sacros, an suscipere possit conjux post matrim. Ratum? V. Impossibilitas matrim.
Eosdem suscipere, an possit conjux facto Divortio. V. Mutationem status.
Ovorum comestio ex privilegio Bullæ, V. Verbo lacticiniorum Usus.
Ovorum nomine, quantum ad privilegium Bullæ attinet ova vulgo dicta *non nata* veniunt, non tamen racemus ille carneus, unde ea pendent, c.8.§.3.n.3. 455
Veniunt etiam ovicula illa instar acini dicto racemo affixa, ibid.

P

PActa, quæ suscipere possint Sponsalia, lib.8.tract.3. cap.4. 184
Pacta, quæ imponi possunt in censibus, lib.9.tr.2. cap.4. 266
Quæ in Reg. Siciliæ, ibid.c.6.§.6. 276
Quæ in Cambiis, & Recambiis, lib.9. tract.3.c.5.§.6. 294
Quæ in locatione, lib.9.tr.4.c.5. 304.& seq.
Quæ in Contractu Societatis, lib.9. tractat.8. cap.9. 337.
Pactum Redemptionis ante, vel post certum tempus, an licitum, lib.9.tr.2.c.4.§.1. 266
Quid de pacto redimendi absoluto ex parte utriusque, ibid.§.2. 267
Quid de pacto solvendi pensionem perenne re, ibid. §.3.
Quid de pacto cadendi in commissum, ibidem §.4. ibid.
Quid de pacto restituendi contractum, ibidem §.5. 268
Quid de pacto redimendi cum eadem moneta, ibid. §.7.
Paganarum mulierum abusus casus res. Pap. l.5.tr.de cas. res.c.6.§.3.n.19. 62
Panis qui est mat. Euch. lib.4.c.1.§.1. 26
Paradoxa tria Tamburino imputata, cap. 21.& deinceps. 510
Parentes quantum donare possunt? V. Donare quis possit?
Partitio Filiorum, mortuo Patre. lib. 9. tract. 8. cap.12. 339
Parochus approbatus eo ipso est ad absolvendum, lib.5. cap.5.§.3. 47
An possit alteri suam Jurisd. conferre? ibid.n.6.
Ex vi Bullæ, an semper possit eligi, & ubique num.7. ibid.
Parochus quoad assistentiam matrim. V. Solemnitates matrim.
Particulas plures Euchar. recipere, l.4.c.4.n.2. 29
Paternæ mortis votum, c.11.à n.5. 502
Patre inconsulto, an filius matrimonium inire queat? cap.10.à n.2.
Patrimon. necessarium Ordinandis, lib.7.c.6.§.4. 111
Quid, si sit fictum? ibid.
Quid, si cum permissione illud retrodonandi? ibid.
Quid, si sit sufficiens, sed non arbitrio Episcopi? ibid.
An alienari queat? ibid.n.19. 112
Patrimonium amittens, an Ordinari, vel Ordines exercere possit? lib.7.cap.6.§.4.n.28. ibid.
Patrimonium certo expectans, an Ordinari queat? ibid. num.33. ibid.
An vir litteris, & virtute insignis? n.31. ibid.
Patrinus in Baptismo debet esse rationis compos, lib.2. cap.4.§.2. 18
Baptizatus, ibid.n.3.
Non hæreticus, ibid.n.6.
Unus, vel unus, & una, ibid.n.9.
Designatus, ibid.n.13.
Non Pater, vel Mater, ibid.n.16. 19
Non Religiosus, ibid.n.20.
An Frater, vel Soror, ibid. 22
Patrinus ut fias, quam actionem suscipiendi exercere debeas, ibid.§.4. 20
Patrinus an fias, si nescias, quem suscipis, lib.8.tr.1.c.5. §.2.n.3. 133
Patrinus in Confirmat. quis, & quatenus, lib.3. cap.4. pag.24.
Pauperes debent dare ordinariam eleemosynam pro Bulla, c.3.§.7.n.12. 447
Qui ob summam paupertatem nequeunt accipere Bullam, an acquirant alias indulgentias extra Bullam, quas Commissarius suspendat, durante anno promulgationis, ibid.
Paupertas, V. Causæ dispensandi.
Peccata mortalia, V. Mortalia peccata.
Venialia, V. Venialia peccata.
Reservata, V. Casus reservati.
Peccati qua specie peccat, qui cum imped. matr. contrahit, vel copulam habet, lib.8.tr.1.c.17. 147
Pensio in Censibus, V. census quo pretio.
Pensio quæ, quando, ubi, & quatenus solvenda à conduct. lib.9. tr.4. à c.1. 296. & seq.
Pensionarius potest se componere super pensione malè percepta, puta, quia non recitavit Officium B. Mariæ, &c.c.18.§.4.n.1. V. Verbo beneficiarius.
Per se, quid significat? c.3. n.10. 495
Periculum mortis, quando est? V. Articulus mortis.
Perjurium casus reservatus in Societate, lib.5.tr.de cas. reserv. c.7.§.3. n.13. 70
Periculum amittendi sortem dat lucrum ex mutuo, l.8. tr.1.c.3.§.6. 251
Petens ad usuram quandonam peccat, lib.9.tr.1. cap.9. 260.& seq.
Petitio debiti à conjuge, an aliquando excuset à jejunio? c.8.n.6. 499
Pharmacopola, an possit locare Medicinas, lib.9.tr.4.c.3 à n.1.2. 302.
Pignus, quando, & quatenus potest accipi in securitatem mutui, lib.5.tr.1.c.6. 256
Pignoris fructus, V. fructus pignoris.
Pignus, quando & quomodo pariat pingue valens, lib.9. tr.2.c.6.§.8.n.76. 280
Pignus in cambio, an licitum, lib.9.tr.3. c.5.§.7. n.10 296
Pignus quid sit, quis possit oppignorare, quæ bona ejus, fructus cujus sint? Ejusdem incrementum, vel decrementum cujus, lib.9.tr.7.c.3. 322.& seq.
Pœna conventionalis quid sit, lib.9.tractat.1.cap.3.§.5. 250
An apponi possit in mutuo. ibid.
Pœnam, quam incurrit, qui impeditus contrahit matrimonium, lib.8.tr.1.c.17.§.4. 149
Quam, qui sine Parocho, & testibus, lib.8.tract.6.c.2. §.3.n.24. 221
Qui malè, vel bis baptizat, lib.2.c.5. 20
Qui iterum confirmat, lib.3.c.5. 25
Qui malè Ordines confert, vel suscipit, lib.7.cap.12. §.1. 121
Pœna in sponsalibus quid operetur, V. Spons. quid sint.
Pœnitentiæ Sacram. aliquando validum, & informe, l.1. c.3.§.2.n.11. 7

Ejus

Ejus Materia, & Forma, lib.5.c.1. 32
Vide V. Confessio, & V. Absolutio.
Ejusdem Minister, lib.5.c.3. 34
Cum Jurisdictione, V. Jurisdictio.
Cum Approbatione, V. Approbatio.
Vide etiam, V. Confessarius.
Præceptum de hoc Sacram. suscipiendo, ibid.c.2.32.
Pœnitentiarius an possit absolvere à cas. reserv. lib.5. tr.de cas.reserv.c.8.§.1.n.2. 73
Pœnitentia quæ danda ab executore dispensat.lib.8.tr.2. c.14.p.3. 171
Pœnit.non finita, an possit dari dispens. ibid.n.7.
Pœnitentia Sacramentalis vindicativa an possit per obtentam vel obtinendam à pœnitente Indulgentiam non imponi à confessario, vel imposita omitti à pœnitente, vel diminui juxta proportionem indulgentiæ, cap.9.§.1.n.6. 458
Si sit medicinalis, certum est, non posse omitti, ibid.
Præceptum datum medicis circa confessionem Ægroti, lib.5.c.2.§.2. 33
Præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, Vide in suis locis.
Præcepta amoris Dei, & proximi involvuntur in aliis præceptis? c.5.à n.20. 495
Præceptum, cui non assignatur tempus, quando implendum? c.3.à n.29. 496
Prælati ordinarii, an, & quando obligantur dare potestatem absolvendi, lib.5. tract. de cas. ref. cap.8.§.2. pag.74.
Prælati Regulares, an suis dent dimissorias, lib.7. cap.8. §.2.n.13. 117
An dispensent in extra temp. lib.7.c.10.n.16. 119
An in Interstitiis, lib.7. c.11. §.2.n.12. 121
Prælati omnes excluduntur à privilegio Bullæ ordinariæ circa usum lacticiniorum in diebus quadragesimalibus? non autem in feriis sextis, Sabbatho, & diebus Vigiliarum, & quatuor temporum, quæ non incidunt in quadragesimam, cap.8. §.4. num.4. & 5. 455
An excludantur à privilegio comedendi carnes, Vide Verbo Privilegium.
An in diebus Dominicis Quadragesimæ gaudeant privilegio lacticiniorum ex Bulla, ibid.n.14. 455
Gaudent tamen eo privilegio, si sunt sexagenarii, ibid. n.19. 456
Prælati nomine, quoad exclusionem à privilegio lacticiniorum per Bullam, veniunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Generales Religionum, Provinciales, & Superiores locales ordinarii, c.8.§.4.n.4. 455
An veniat Episcopus solum electus, & nondum confirmatus, & an confirmatus, nondum consecratus, V.Verbo Episcopus.
Prælati omnes, si sumant aliam Bullam particularem ab Urbano VIII. concessam, possunt lacticinia comedere, etiam diebus Quadragesimæ excepta tamen Hebdomada sancta inclusivè à Dominica Palmarum, c.8. §.5. per totum. 457
Prælati Episcopi assumpti ex Religione an gaudeant privilegio lacticiniorum parvæ Bullæ ab Urbano VIII. concessæ, ibid.n.10. 457
Præscriptio stipendii Famulorum, lib.9.tract.4.cap.7.§.1. 308
Præsentia quæ pœnitentis requiritur in Sacramento pœnitentiæ, lib.3.cap.2.§.1.à n.10. 33
Præsumpta voluntas quid operetur in commutando deposito, lib.9.tr.7.c.5.§.4. 326
Pragmatica Regis Philippi de creandis Censibus ad rationem quinque pro centum, lib.9.tr.2.cap.6.§.5.n.4. & 5. 276
Pragmatica Regis Alphonsi de infectione bonorum ex Censu, ibid.§.3.n.8. 272
Praxis expediendi cambia, lib.9.tr.3.c.5.§.5. 293
Praxis cambiendi per alios, ibid.§.7. 295
Praxis trium contractuum in cambiis, ibidem num.12. 296
Praxis trium contractuum in contractu Societatis, lib.9. tr.8.c.5.
Precarium quid sit, lib.9.tr.7.c.7. 331. & seq.
Preces fundendæ ab eo, qui vult uti privilegio Bullæ celebrandi ante horam, vel in privato Oratorio, vel in quibuslibet reliquis privilegiis tempore interdicti, sufficiunt, si fiant per unum Pater & Ave, cap.7. 453
Eorum omissio est Venialis. ibid.
Fundendæ in visitatione altarium sunt omnino necessariæ; sufficit tamen etiam unum Pater, & Ave, c.10.p.2.n.4.
Pretium, quod in censibus constituendis, lib.9.tr.2.c.3. 264.& seq. 460
Quodnam in jam constitutorum venditione, ibid.§.2. num.9. 266
Quid in locatione, V.Pensio quæ, quando.
Quid in Cambio minuto, lib.9.tract.3.c.3. 284
Quid in Cambio per litteras, ibid. cap.4.§.1.num.6. 286
Privatus si accipiat Bullam initio anni, datis duobus Realibus, & deinde in decursu evadat Dux, vel Mitrochio, vel Episcopus, &c. non ipse get pro illo anno alia Bulla cum pinguiore eleemosyna, nec tenetur ad supplementum octo realium, c.3.§.7.n.9. 446
Privilegium, licet aliquando confundatur cum beneficio, differt tamen ab illo, & quomodo, cap.1.§.1.num.1. 442
Aliud reale, aliud personale, aliud mixtum, ibid.n.2. & seq.
Personale, vel est concessum uni tantum personæ, & dicitur absolutè personale, vel communitati, seu pluribus, & dicitur corporale, ibid.n.5.
Corporale vel conceditur pluribus, ut pluribus seu ut facientibus communitatem, & tunc dicitur purè corporale, vel pluribus ut singulis, & tunc dicitur corporale personale, ibid.n.6.
Privilegium contra jus commune est strictè interpretandum, c.1.§.3.n.1. 442
In favorem fidei, & Religionis, etiamsi exorbitet à Jure communi, est amplè interpretandum, sicuti & concessum communitatibus Religionum in perpetuum, ibid.n.6.& 7. 443
Privilegium Bullæ circa absolutionem à reservatis non suffragatur, elapso anno promulgationis Bullæ ei, qui infra dictum annum non est usus privilegio, nisi sumat novam Bullam, c.4.§ 1.n.1.n.2. 447
Privilegium Bullæ ut possit quis comedere carnes diebus vetitis de consilio utriusque medici, quidnam operetur, c.8.§.1.n.1. & seq. 455
Privilegium Bullæ circa usum carnium prodest omnibus etiam prælatis; Item regularibus omnibus, & Sacerdotibus quoque sæcularibus, c.8.§.1.n.5. 454
Valet absolutè pro diebus totius anni, etiam diebus Jejunii, &c. & feria 6. & Sabbatho, ibid.n.9
Privilegia omnia Bullæ sunt absolutè personalia, c.1.§.1. num.1. 442
Durante concessionis anno, prosunt etiam extra locum promulgationis, si tamen Bullam acceperit in loco promulgationis sive ubi permanenter exulebas, sive transeunter etiam per unam horam commorando, ibid.n.1.
Excipe privilegium lacticiniorum, ibid.n.4.& c.3.§.1. num.1. 444
Privilegia Bullæ largenè an strictè sint interpretanda, c.1.§.3.per tot. 442
Privilegia Bullæ quibus personis concedantur, cap.2.à n.1.& seq. 445
Privilegia Bullæ incipiunt suffragari solum ab hora, qua ipsa Bulla sumitur usque ad finem consequentium mensium

mensium ejusdem anni,cap. 4.§. 1. n. 2. 447
Privilegia Bullæ an durent per annum naturalem, vel Ecclesiasticum, id est à die promulgationis, usque ad aliam promulgationem. Vide Verbo Annus Non spirant,si infra annum moriatur Pontifex, vel Commissarius Generalis, c.4.§.2.n.5. 448
Privilegia Bullæ tempore interdicti. Vide Verbo interdictum.
Privilegium Bullæ circa usum Carnium, & Lacticiniorum die vetito,non prodest eunti extra Regnum, seu Regna, ubi non habetur Bullæ promulgatio, cap.8.in princ. 450
Privilegia Religiosorum, V. Religiosi.
Societatis, V. Societatis Religiosi.
Privilegium onerosum, vel liberale quid sit,lib. 8. tr. 2. cap.14.§. 3. 173
Principis filius,quisnam sit,ut possit baptisari in Oratorio privato,V. Filius Principis.
Probabilitas quænam sit verè talis? c.2.n.3.& deinceps. 491.
Tenuis quæ? cap.2.n. 9. 492
Magis explicatur,ibid. n. 16.
Probra, & Dicteria Baronii in Tamburinum. 490
Procurator qualis esse debet ad contrahendum matrimonium, lib.8. tr.4. c. 4.§.1. 197
Procurator suscipientis in Baptismo, an contrahat cognationem, lib.2.c.4.§.4.n. 6. 20
Procurator loci pii, vel pauperum, quibus relictum est legatum, si infra annum à die notitiæ currentem fuerit negligens, in eo exigendo ab hærede, tenetur etiam ad restitutionem medietatis legati, super qua fortè hæres se composuit ex privilegio Bullæ, cap.18. §.2.n.7. 482
Prolis suffocatio est casus reserv. Panorm.lib. 5. tract.de casib.reserv.c.6.§.3.n.13. 61
Promissio de comparendo est conditio requisita, ut quis in necessitate absolvatur ab excomm.reserv.lib.5.tr.de cas.reserv.4.c.12.§.4.n.2. 89
Standi mandatis Ecclesiæ,ibid.n.9. ibid.
Satisfaciendi, ibid.n.12. 90
Promissio ficta in sponsalib. lib.8.tr.3.c.1.§ 4. 178
Promissio matrimonii, quæ est impedimentum matrimonii,lib.8.tract.1.c.6.§.3. 135
Promissio quid sit, & quatenus,&c.l.9.tr.9.per tot. 340
Interna,externa,libera,Rei possibilis, & licitæ data, acceptata,Quid de Dubia,de Iurata, de ejus quantitate, &c. ibid. à c.2. ibid. & seq.
Promissio mutuandi, an det lucrum ex mutuo, V. Lucrum ex mutuo.
Promissiones solvendæ in Cambiis,lib.9.tr.2.c.5.§.7.n.8. 294
Promotio furtiva Clerici ad Ordines est casus res. Pan. lib.5.tr.de cas.c.6.§.3.n.46. 64
Promulgatio Bullæ,quæ fit in una civitate non suffragatur pro alia, c. 4. §.1.n.2. 447
Sufficienter dicitur facta per solam processionem solemnem Bullæ, nec requiritur essentialiter sequens concio,ad hoc ut quis incipat uti privilegiis Bullæ ibid. n. 6.
Item sufficienter dicitur facta per publicationem in Templo maximo, quamuis non fiat in aliis parochiis ejusdem Civitatis, ibid. n.8. 448
Provincialis Societatis,an dispensare possit in extra tempora, lib.7.c.11. §.2.n.16. 121
An in interstitiis. ibid.
Puberum, vel impub.matr.lib.8.tr.3.c.2.§.4. 182
Sponsalia,ibid. c.3.n.1. 183
Publica impedimenta matr. quandonam potest Episcopus dispensare,lib.8.tr.2.c.4.§.4.à n. 11. 152
Publica honestas impedimentum matr. V. imped. matr.
Puellæ ne contrahat nimiam maciem, an concedatur non jejunare? c.8. n. 23. 500
Puer qui nondum attigit septimum annum, non indiget
Bulla ad comedendas carnes,vel lacticinia, cap. 8. §. 4. num. 21. 456
Indiget tamen post septennium, si est rationis capax, ibid.
Quid si ante septennium, sit certo rationis capax ibid.
Quid si post septennium dubium sit an usu rationis polleat,ibid.n.22.

Q

Quadragenæ in Bulla Cruciatæ, vel alia concedentis Indulgentias,quid significent,c.9.§.1.n.1. 457
Quale debet esse Adulterium, ut sit impedimentum matrimoni,lib.8.tr.1.c.6.§.2.n.6. 134
Qualis debet esse consensus in matrimonii contractione,lib.8.tr.4.à c. 1. 194
Qualitatis error, quando invalidat matrimonium, lib.8. tract.1.c.2.à n. 11. 126
Qualitates extrinsecæ, quando debent explicari in petitione dispensat,lib.8.tr.2.c.9.§. 5. 162
Quandiu durat dispensatio, vel dispensandi potestas, lib.8.tract.2.c.14. 172
Quando furari liceat? c.15,à n.6. 506
Quando quis sibi imputaret falsum crimen, ut posset excusari? c.16.à n. 2. 507
Quando testi iniquo? c.17.à n.2. ibid.
Quando licet uti æquivocatione, vel juramento ficto. V. Iuramentum.
Quantitas,quæ obligat sub mort. in promissione, lib.9. tr.9.c.7.§.5.n.22. 347
Quantitas donationis insinuandæ quæ,lib.9.tr.10.cap.5. §. 1.n.3. 358
Quantum & quid restituendum in mutuo? V. Mutuum quid sit.
Quantum lucrari potes in Cambio, lib.9. tr.2. c.5. §. 7. n. 6. 295
Vide,V.Cambium.
Quantum donare possunt Reges, Rectores, Parentes Prælati,& similes? Vide donare quis possit.
Quantum hodie extendatur affinitas ex culpa?lib.8.tr.1. c.12.§.1. 139
Quandiu durat,ibid.n.7. 140
Qui tacet, consentire videtur uxorato promittent.mat. lib.8.tr.1.c.6.§.3.n.7. 135
Quod tibi non nocet,& alii prodest, faciendum, lib. 9. tr.2.c.6.§.4 n.7. 274
Quomodo supplendum pretium census, quando injustum fuit, lib.9.tr.2.c.3 §.2.n.6. 265
Quotuplex sit Cambium? Quotuplex Census. Quotuplex Societas. Quotuplex Vsura? V. Cambium, Census. Societatis contractus, Vsura.

R

Ratificatio matrimon.variè fit ex variis causis,lib. 3. tr.4.cap.7. 206
Ratihabitio de præsenti,vel præterito,vel futuro, an afferant jurisdictionem,lib.5.c.4.§.6. 37
An approbationem,ibid.à n.15. 38
Vide etiam,V.Licentia præsumpta.
Ratum matrimonium an, & quatenus dissolvi possit, lib.8.tr.5.c.6. 214. & seq.
Raptus Virginis est casus res.Pan.lib.5.tr.de casib.reserv. c.6.§. 4.n. 11.
Rebaptismus,quando,& quomodo sit concedendus, l.1. c.1.§ 3. 3
Et latius,lib.2.c.1.§.7. & 8 13
Recambium,V. Cambium.
Rectores Vniversitatum quantum donare possunt, V. Donare quis possit.
Redditio debiti conjugis an aliquando excuset à jejunio? c.8.à n.6. 499

Redemptio census, lib. 9. tract. 2. cap. 6. §. 4. 273
Redemptio ejusdem animo faciendi fructus suos, ibid.
à n. 3. ibid.
Reges quantum, & quæ donare possunt, V. Donare quis possit.
Regnum vacans Rege quemnam eligèt pro suo Rege? cap. 11. n. 10. 503
Regulares, si id habeant ex suis privilegiis, absolvere possunt sæculares, qui Bulla caret, à reservatis, c. 14. §. 2. num. 6. 475
Tempore interdicti possunt sine Bulla suis privilegiis uti, quæ pro illo tempore habent, ibid. n. 8. 485
Religiosi, vel Religiosæ an frui possint Bullæ privilegiis, c. 1. §. 1. n. 12. 444
An indigeat consensu sui Superioris, ibid. n. 13.
Quid de Religiosis Societatis Iesu. ibid.
Religiosi omnes, vel Religiosæ, etiam conversæ, etiam scholares ex votis biennii Societ. Iesu excluduntur à privilegio Bullæ circa usum lacticiniorum diebus quadragesimæ, c. 8. §. 4. n. 8. 455
Nisi sint sexagenarii. ibid. n. 19. 457
Quid si sunt Regulares, Ordinum militarium, ibid. num. 11.
Item, quid in diebus Dominicis quadragesimæ, ibid. num. 14. 455. & seq.
Religiosus an validè Bullam sumat ex pecuniis sibi ab amico donatis, c. 3. §. 6. n. 4. 446
Religiosus si sit approbatus ab Ordinario, potest eligi per Bullam Cruciatæ in Confessarium, cap. 11. §. 1. n. 19. 462
Non potest, si solum sit approbatus à suo Prælato, ibid.
Religiosi Societatis, V. Societatis Religiosi.
Religiosi iter agentes à quo absolvuntur, lib. 5. cap. 5. §. 2. num. 16. 44
Quæ possunt tunc absolvere, ibid. §. 6. n. 2. 53
Vide etiam, ibid. in tr. de cas. res. c. 11. §. 1. n. 25. 83
Religiosi quam licentiam habere debent, ut absolvant sæculares, lib. 5. c. 5. §. 1. n. 26. 83
A quo approbandi, ut eligantur ex vi Bullæ Cruciatæ, ibid. §. 4. n. 35. 50
An ipsi possint eligere Confessarium ex vi Bullæ, ib. num. 37. ibid.
An semel approbati possint reprobari, ibid. n. 49. 51
Religiosi, quandonam possint absolvi ab Episcopo, lib. 5. tr. de cas. res. c. 10. §. 1. n. 7. 80
Religiosi an possint extremè jungere, lib. 6. c. 3 §. 3. 99
Religiosi an qui possint in dispensandis impedim. matrimonii, lib. 8. tr. 2. c. 5. n. 5. 153
An ad petendum debitum ob supervenientem conjugibus affinitatem, vel ob votum cast. ibid. c. 6. 156
Religiosus non debet mentiri, c. 23. n. 38. 526
Religionis ingressus dissolvit sponsalia, lib. 8. tr. 3. c. 5. §. 2. 186.
Remedium, quo vetetur infectio bonorum ex censu, l. 9. tr. 2. c. 6. §. 3. n. 9. 272
Renovari, quando, & quatenus debet consensus, si invalidè conjuges contraxerint, lib. 8. tract. 4. cap. 7. §. 1. 2. & 3. 206. & seq.
Renuntiatio dispensationis, vel potestatis dispensandi quid operetur, lib. 8. tr. 2. c. 14. § 2. 172
Repetitio quæ syllabarum obstet formis Sacramentorum, lib. 1. c. 1. §. 1. n. 16. 2
Rescripti clausulæ pro Dispensatione fori externi declarantur, lib. 8. tr. 2. c. 12. 166
Pro foro interno, ibid. c. 13. 170
Restitutio Usurarum, quando, & quatenus, & à quibus præstanda, lib. 9. tr. 1. c. 9. 260. & seq.
Reviviscuntne aliquando sponsalia, lib. 8. tr. 3. c. 5. §. 3. n. 3. 187
Revocatio consensus quid operetur in contractione matrimonii, lib. 8. tr. 4. c. 4. §. 1. n. 5. 198
Revocatio dispensationis, vel potestatis dispensandi quid operatur, lib. 8. tract. 2. cap. 14. §. 5. 173
Revocatio injusta approbationis, vel jurisdictionis an valeat, lib. 5. c. 5. §. 4. n. 48.
Revocari ob quas causas donatio possit, lib. 9. tr. 2. c. 6. 360. 51
Ob ingratitudinem, ibid. §. 1.
Ob susceptam prolem, ibid. §. 3. ibid.
Si sit inofficiosa, &c. ibid. §. 3. 161
Reus quandonam potest æquivocatione uti? cap. 12. à num. 6. 504
Et cap. 23. per totum. 511
Idem an possit sibi falsum crimen imponere? c. 16. à n. 1. 513
Idem an possit testi iniquo falsum imponere? c. 17. à num. 1. 507
Rex Regem quando impetere bello potest? cap. 12. à num. 1. 507
Rex à quo absolvi potest à peccatis. l. 5. c. 5. §. 2. n. 11. 44

§

Sacerdos, si deficiat non prolatis omnibus verbis consecrationis SS. Sanguinis, an repetenda tota forma, lib. 4. c. 2. §. 3. n. 23. 29
Sacerdos simplex potest absolvere à venialibus, & mortalibus aliàs absolutis, lib. 5 c. 4. §. 2. n. 1. 3
Quid in articulo mortis, ibid. tr. de cas. res. in impedimento perpetuo, c. 12. §. 2. 58
In alia necessitate, §. 3. 87. & seq.
Sacerdos in sui Ordinatione, an obligetur recitare Noct. & celebrare Missas, lib. 7. c. 3. §. 4. 106
Sacerdotis munera, ibid. c. 5. §. 2. 108
Sacerdos quilibet, etiam non approbatus ab Ordinario potest dare consilium circa usum carnium ex privilegio Bullæ concessum, c. 8. §. 1. n. 3. 434
Sacerdos quilibet potest in articulo mortis constituto à reservatis absolvere, c. 11. §. 3. n. 1. 463
Sacerdotes Ordinum Militarium an gaudeant privilegio Bullæ de lacticiniis comedendis, &c. c. 8 §. 4. n. 11. 455
Sacerdotes omnes, etiam sæculares, excluduntur à privilegio Bullæ circa usum lacticiniorum, diebus quadragesimalibus, nisi sine sexagenarii, cap. 8. §. 4. n. 13. ibid. & num. 19. 457
Quid in diebus Dominicis Quadragesimæ, ibid. n. 14. 455.
Intellige per Bullam ordinariam, nam si sumant aliam Bullam particularem Urb. VIII. possunt lacticinia comedere, excepta solum hebdomada majore, à Dominica Palmarum inclusivè, §. 5 n. 1. & seq. 456
Sacerdotium quid sit, ejus Forma, Materia, Ritus simul conferendi, &c. lib. 7. c. 5. 107
Sacerdos quando obligatur sacrificare ex præcepto? c. 3. num. 30. 406
Sacramentum Confessionis, & Communionis quando tenemur suscipere? c. 3. à n. 30. ibid.
Sacramenta omnia constant materia, & forma, lib. 1. c. 1.
Qua ratione hæ se habere debent. ibid.
Sacramentum validum, & informe, an detur, lib. 1. c. 3. à num. 8. 6
Sacramentum qua ratione repetitur, quando adest dubium de eo, lib. 1. c. 1. §. 2. & 3. 2. & 3
Sacramento abutentes qua ratione est casus res. Pan. l. 5 tr. de cas. res. c. 6. §. 3. n. 31. 63
Sacramentum suscipiens, sive adultus, sive Infans, sive Amens qua dispositione indiget, lib. 1. c. 3 §. 1. 5
Sacramentum an sit matr. inter absentes, l. 8. tr. 5. c. 3. 211
Sacramentum tempus est impedimentum impediens matrim. lib. 8. tr. 1. c. 16. n. 2. 147
Sacrificium Missæ potest Catechumeno applicari, eique prodesse ex opere operato, quoad satisfactionem, & impetrationem, c. 3. §. 1. n. 8. & seq. 449
Sacrilegium an sit contrahere matr. cum impedim. lib. 8. tr. 1. c. 17. §. 1. n. 7.

Sæcularis Bulla carens potest absolvi de reservatis ab iis Religiosis, qui per sua privilegia habent facultatem absolvendi à reservatis, c. 14. §. 2. n. 6. 475
Satisfactio est conditio necessaria, ut quis absolvatur. lib. 5 c. 12. §. 12. §. 4 n. 12. 90
Quomodo requiratur in Bulla Cruc. ib. § 5. n. 27. 93
Schismaticus non gaudet privilegiis Bullæ Cruciatæ, c. 3. §. 1. n. 6. & 7. 444
Scriptura an requiratur ad validitatem gratiæ, V. Litteræ Gratiæ.
Secunda sponsalia, an aliquando valeant, V. Sponsal. cum alia.
Sedatio inimicitiæ, & litis, V. Causæ dispensandi.
Seditio in Superiorem est casus reservatus in Sec. lib. 5. tr. de cas. reserv. c. 7. §. 3. n. 20. 70
Senex decrepitus an valeat inire matrim. lib. 8. tr. 1. c. 13. §. 2. n. 7. 142
Sententia probabilis an vendi à Iudice possit? c. 14. n. 14. 505
Separatio quæ verborum invalidat Sacramenta, lib. 1. c. 1. §. 1. n. 10. 2
Servitus quæ est imped. matr. lib. 8. tr. 1. c. 3. 128
Servitus non debet impedire cohabitationem coniugum, lib. 8. tr. 7. c. 1. n. 15. 229
Sexagenarij dicuntur ij, qui sexagesimum annum attigerunt, licet illum adhuc non compleverint, cap. 8. §. 4. num. 19. 456
Servorum obligationes, & alia ad ipsos pertinentia, V. Famul.
Signa certitudinis suscepti Bapt. lib. 1. c. 1. §. 7. 13
Signa, quibus uti quis debet in contractione matrim. li. 8. tr. 4. c 3. n. 6. 197
Pro sponsalibus, lib. 8. tr. 3. c. 2. §. 3. 181
Simultas quæ requiritur in consensu viri; & mulieris, cum contrahunt matr. lib. 8. tr. 4. c. 3. n. 7. 197
In Sacramentis aliis? V. Sacramenta omnia.
Societatis Iesu Religiosi, V. Religiosi.
Societatis Iesu Religiosi quo privilegio gaudent excipiendi confessiones aliorum, dum sunt in itinere? l. 5. cap. 5. §. 6. n. 2. 37
Religiosi iidem à quo possunt absolvi dum sunt in itinere, lib. 5. tr. de cas. res. c. 11. §. 1 à n. 25. 85
Iidem an aliquando possint absolvi à reservatis per confessarium inferiorem, ibid. c. 12. §. 3. à n. 10. 88
Societates superiores à quibus absolvuntur quoad reservata, ibid. c. 11. §. 1. 80
Iidem non omnia, quæ possunt pro aliis, possunt pro se, quoad reservatorum absolutionem, ibid. c. 11. §. 1. num. 19. 82
Societatis peccata reservata quæ? V. casus res. in Societate.
Societatis contractus quid sit, & quatenus, &c. lib. 9. tr. 8. per totum. 336
Eiusdem octo conditiones, ibid. à c. 2. 329. & seq.
Societas in Animalibus, ibid. c. 11. 338
Sodomia est cas. res. Pan. l. 5. tr. de cas. res. c. 6. §. 3. n. 15. 62
Solemnitates matr. lib. 8. tr. 6. c. 1. 217
Præsentia Parochi, & Testium, ibid. §. 2. ibid.
Denuntiationes, ibid c. 3. §. 1 224
Velationes, seu Benedictiones, ibid. c. 4 §. 2. 226
Solicitatio ad peccandum est causa Divort. V Divort.
Solidus antiquus, cuius est valoris. lib. 9. tr. 10 cap. 5. §. 1. num. 4. 358
Solutio Laudemij V. Laudemium.
Sortilegium est casus reserv. Pan. lib. 5. tract. de casibus res. c. 6. §. 3. n. 31. 63
Spei præceptum quandonam obligat.? c. 3 à n. 15. 494
Spes vitæ an det Reo causam æquivocandi? c. 23. à n. 14. 514.
Spiritualis cognatio. V. Impedimenta matr.
Sponsalia, quando inducant impedimentum matrimonij? lib 8. tract. 2. c. 11. 138
An iam dissoluta? ibid.
An secunda? ibid.
An conditionata? ibid.
Sponsalia. Impedimentum impediens, ib. c. 14 n. 6. 147
Sponsalia quid sint, quando, & quantam promiss. obligationem contineat? lib. 8 tr. 3. c. 1. & deinceps. 175
Sponsalia ficta, ex errore, ex deceptione, metu, lib. 8. tr. 3. c. 2. & deinceps. 179. & seq.
Sponsalia certo signo expressa esse debent, ibid. §. 3. 181
An possint esse clandestina? ibid. 182
Sponsalia qui possint contrahere? l. 8, tr. 5. c. 3. 185
Pubes. ibid.
Impubes. ibid.
Sponsalia an irritentur ab impedimentis dirimentibus, idib. §. 2. 184
An indigeant novo consensu post Dispensationem? num. 10. ibid.
Quæ pacta licitè admittant, ibid. c. 4. ibid.
Sponsalia quæ causa dissolvit, lib. 8. tr. 3. c. 5. 185
Mutuus consensus. ibid.
Religionis ingressus, ibid. §. 2. 186
Quid eiusdem Voto? ibid.
Ordo Sacer, ibid. §. 3. 187
Quid de voto eiusdem? ibid.
Votum simplex Castitatis, §. 4. ibid.
Sponsalia cum alio contracta an dissolvant prior., lib. 8. tr. 3. c. 3 §. 5. 188
An reviviscant? ibid. ibid.
An præferantur, quæ sunt cum copula, ibid.
Sponsalitia largitas, V. Largitas sponsalitia.
Statum alium an coniuges suscipere valeant? V. Mutationem status.
Stipendium Famulorum, V. Famulorum stipendium.
Subdiaconatus quid sit, lib 5. c. 3. §. 1. 103
Eiusdem Materia, Forma? ibid.
Tres obligationes, id est servandi Castitatem, horas recitandi, alimenta possidendi, §. 3. 105. & seq.
An recitandi Nocturnum in sua Ordinatione, ibid. §. 4 106
Subditi quando excusantur à Gabellis? c. 13. à n. 3. 504
Subdelegatus, an possit concedere alteri Iurisdictionem, lib 5 c. 4. §. 9. 41
Sublocator ad quid tenetur? lib. 9 tr. 4. c. 1. §. 1. n. 12. 297
Subreptitia quandonam est Dispensatio, V. Dispensatio. quando est subreptitia.
Subreptitiam dispensationem Pontifex an valeat revalidare Episc. lib. 8. tr. 2. c. 4. n. 25. 153
Subsidium pro belli expeditione contra Infideles præstandum ab eo qui vult sibi à Confessario votum commutari ex vi Bullæ, debet esse pecuniarium, non vero spirituale, seu aliqua oratio, c. 13. §. 1. n. 7. 468
Quænam praxis servanda in eo præstando? ibid. n. 11. 469.
Quantum debeat à confessario taxari? ibid. n. 15.
Successor Locantis, vel Conducentis ad quid obligetur? lib. 9. tr. 4. c 6. §. 2. & 330. 6. & seq.
Suffocatio prolis est casus res. Pap. lib. 5 tr. de cas. res. c. 6 §. 3. n. 15. 61
Superiores Regulares, V. Prælati.
Superiores Regul. qua ratione se gerere debent in reservandis cas. lib. 5. tr. de cas. res. c. 7. §. 2. 65
Superiores hoc est Prælati Regularium, an possint absolvere suos ab omnibus reservatis, lib. 5. tr. de cas. res. c. 11. §. 1. 80
Quid de Novitiis? ibid.
Quid de proximè ingressuris? 83
Quid de delictis publicis? ibid.
Quid de Hæresi? ibid.
Superiores ipsi à quo absolvuntur à res. ibid. 85
Suplex Libellus, V. Libellus suplex.
Suspensionem an incurrat, qui ordinatur sine Titolo, lib. 7. c. 6. §. 4. 111
Suspensio Indulgentiarum, facultatum, & gratiarum, quæ fit per Confessarium Bullæ Cruciatæ intelligitur

tur facta solum de iis, quæ obstant expeditioni, ipsius Bullæ, c. 14. §. 1. n. 1. 473
Item de iis, quæ à Summo Pontifice, vel eius auctoritate concessa fuerunt, ibid. n. 2.
Item de iis, quæ sunt concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Locis piis, Vniversitatibus, Confraternitatibus, singularibus personis in Regnis, in quibus Bulla promulgatur, ibid. n. 3.
Item de privilegiis celebrandi ante auroram, vel post meridiem, ibid. n. 4.
Non tamen suspenduntur facultates, & privilegia contenta in corpore Iuris, ibid. n. 5.
Nec facultates absolvendi, dispensandi, commutandi quas habent Episcopi, ibid n. 6.
Nec Indulgentiæ, & Gratiæ quæ aliis ipsi Episcopi concedunt, ibid. n. 7.
Nec gratiæ dissimiles iis quæ conceduntur in Bulla, ut v.g. facultas testandi, Missas celebrandi cum altari portatili, ingrediendi Monasteria Monialium, &c. ibid. n. 8.
Nec probabiliter suspenduntur Indulgentiæ sacrorum numismatum, & Imagnum, Coronarum, granorum, &c. ibid. n. 9.
Nec Iubilæum, ibid. n. 11.
Nec tertare privilegiatum, ut probabile est, ibid. n. 12. & 13.
Nec privilegia introducta ex legitima consuetudine, ibid. n. 15.
Nec privilegia, & Indulgentiæ Religiosorum, ibid. §. 2. num. 1.
Etiam quæ sunt concessa immediatè subditis ratione religionis, sed suspenduntur, quæ concessa fuerunt ratione personæ particularis, ibid. n. 5.
Suspensio gratiarum, facultatum, &c. facta per clausulam generalem, non intelligitur facta de iis, quæ in corpore Iuris continentur, nisi earum fiat mentio, cap. 14. n. 5.

T

TAmburini munera, cap. 1. n. 4. 491
Eiusdem pia parens. c. 5 n. 6. 497
Tamburinus malè notatur de inconstantia sui dicti, c. 23. à num. 36. 516
Et iterum, cap. 26. num. 1. ibid.
Tempore quo verificanda est causa dispensationis, l. 8. tr. 2. c. 12. §. 3. n. 4. 168
Tempus quod potest intercedere inter consensum viri, & mulieris, quando ineunt matrimonium, lib 8. tr. 4. c. 3. n. 10. 197
Tempus sacratum, impedimentum impediens, V. Sacratum tempus.
Tempus restituendi mutuum, V. Mutuum quid sit
Tempus, quod in conductione, lib. 9. tr. 4. c. 6. 306
Terminus appositus, vel non appositus ad contrahendum matrimonium quid operetur. lib 8. tr. 3 cap. 5. §. 1. 185.
Tertiarij, vel Tertiariæ, vulgo *Monache di Casa* gaudent privilegio Bullæ de lacticiniis comedendis, cap. 8 §. 4. num. 8. 455
Non veniunt nomine Fratrum, neque in favorabilibus, c. 14. §. 2. n. 3. 474
Testes in contractione matr. V. Solemnitates matr.
Testes qui certitudinem faciunt de morte coniugis, lib. 8. tr. 1. c. 10. n. 7. & 11. 137
Testis quando æquivocare potest, c. 23. n. 9. 514
Testi iniquè an imputari possit falsum, vel verum crimen, cap. 17. 507
Titulus coloratus, quandonam dat iurisdictionem, lib. 5. cap. 4. §. 7. 38
Titulus Ordinandorum, lib. 7. c. 6. §. 3. 110. & seq.
Patrimonium. ibid.
Beneficium? ibid. & seq.
Paupertas Religiosa.
Tonsura, V. Ordo.
Tormenta ut vitet Reus, an possit sibi imputare falsum crimen? cap. 16. per totum.
Traductio Sponsæ in domum Sponsi, quando, & quanus facienda? lib. 8. tr. 6. c. 4. §. 5. 307
Transgressio quorumdam Votorum est casus reserv. in Societate lib. 5. tr. de cas. ref. c. 7. §. 3. n. 25. 227
Triennium in locatione, quale? tr. 4. lib. 9. c. 2. n. 6. 301

V

VAcabiles, vel non vacabiles Montes. V. Montes vacabiles.
Valori Sacramentorum quænam interruptio verborum, vel mutatio obstet? V. Verborum interruptio.
Eidem quinam error obstet? V. Error qui.
Vectigalia, V. Gabellas.
Velationes in matrimonio, V. Solemnitates matr.
Venditio Census, V. Census. Et V. Pretium Census.
Vendere sententiam probabilem an liceat Iudici? c. 14. num. 14. 505
Venditio, & Emptio cum enormi, & enormissima læsione, V. Læsio.
Venialia peccata non reservantur, lib. 5. tr. de cas. ref. c. 4. num. 3. 57
Verba non bene prolata qua ratione impediant Consecrationem, lib. 4. c. 2. à n. 16. 29
Verba quæ requiruntur in contractione matrim. lib 8. tr. 4 c. 3. n. 6. 197
Verborum mutatio, vel interruptio quæ obstet Sacramentorum Confectioni, lib. 1. c. 1. §. 1. & 2. 2
Verba certo, vel non certo constituentia sponsalitia, lib. 8 tr. 3. c. 2. §. 3. 181
Verba, quibus debet uti Procurator in contractione matrim. lib. 8. tr. 4. c. 4 n. 15. 190
Veritatem inquirere debet Executor Dispensationis pro foro externo, lib. 8. tr. 2. c. 12. §. 3. 168
Quid pro interno, ibid. c. 13. §. 2. 171
Vetitum, est impedimentum impediens matrim. lib. 8. tr. 1. c. 16 n. 3. 147
Vetula decrepita an valeat inire matrim. lib. 8 tr. 1. c. 13. §. 2. n. 10. 143
Vicarius Prælati Regul. an possit absolvere à reservatis? lib. 5. tr. de cas. ref. c. 8. §. 1. 73
Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli an habeat iurisdictionem ordinariam ad absolvendum à peccatis, l. 5. c. 4. §. 2. n. 9. 35
An ab occultis, & ab hæresi, l. 5. tr. de cas. ref. c. 10. §. num. 9. 80
Et ibid. n. 13.
Vide etiam ibid. c. 12. §. 2. n. 39. 87
An possit dare dimissorias, lib. 7. c. 8. §. 2. n. 11. 117
An possit aliquid in impedimentis matrimonii, lib 8. tr. 2. c. 5. n. 2. 153
Vic. Gen. quandonam potest exequi dispensationes matrimoniales, lib. 8. tr. 2. c. 12. §. 1. 167
An relicto officio? ibid.
An Vicarius succedens? ibid.
An Capituli? ibid.
An possit subdelegare? ibid. 168
Viduam esse debet explicari in petitione dispensationis, lib. 8. tr. 2. c. 9. §. 5. 161
Vinum mixtum aqua, an aliquando vendi pretio currenti liceat, lib. 9. tr. 5. 311
Vis, impedim. matr. V. impedimenta matrimonii.
Visitare quinque altaria unius Ecclesiæ sufficit in ordine ad lucrandas Indulgentias stationum per Bullam concessas, licet in tuo oppido plures adsint Ecclesiæ, c. 10. §. 1. n. 3. 460
Visitare sufficit, in ordine ad dictum effectum, tria altaria unius, & duo alterius Ecclesiæ; vel è contra, licet in utraque plura extent altaria, ibid. n. 4.

Visitare an sufficiat altare, ubi actu non est illud, quod vulgo vocatur portatile; seu Altaretum. ibid.n. 5.
Quid si sit omnino ineptum, ibid.n. 6.
Visitare unum altare quinquies sufficit in loco, ubi non sunt quinque Ecclesiæ, nec una cum quinque altaribus, ibid. n. 7. 460
Imò altare in privato oratorio, si alicubi existas, ubi solum sit Oratorium privatum, ibid.n.8.
Si vero alicubi existas, ubi sunt quinque Ecclesiæ, vel una cum quinque altaribus, non sufficit unicum visitare, ibid. n. 9.
Nec satis est defectus quinque altarium esse solum in ea Ecclesia, quam tu eligis visitandam, sed requiritur, ut talis defectus sit in toto oppido, ibidem num. 10.
Visitare quinquies unum altare sufficit, si legitimè impediris visitare quinque, ut sunt aliquæ moniales non habentes, nisi unum altare, ibid.n.12.
Visitare quinque altaria eiusdem Ecclesiæ an dicatur is, qui ex eodem loco sine situs, & corporis mutatione, & motione visitat, eas visitationes sola mente distinguens, ibid.n.13.& 14.
Visitatio prædicta potest fieri stando pro foribus Ecclesiæ, si hæc forte reperiatur plena ob multitudinem ad eam confluentium, ibid.n.15.
Non valet, si ianua Ecclesiæ sit clausa, ibid.n.16.
Visitatio non valet, si altaria, quæ visitas, non sint in prospectu tuo; nec si tu notabiliter distares ab altari, ibid num.17.
Visitatio prædicta an, ut sit cum fructu indulgentiarum debeat fieri devotè, id est sine ullâ etiam culpâ veniali, ideoque ut non fiat cum vana gloria, vel immodestè, vel confabulando, ibid.§.2.n.1. 461
Visitatio altarium, ad effectum lucrandi indulgentias stationum vi Bullæ, non potest exhiberi per aliam, ibid. n.2.
Debet fieri cum intentione, saltem virtuali, visitandi ob finem à Pontifice requisitum, & cum orationibus à Bulla præscriptis, nempe pro unione Principum Christianorum, & victoria contra infideles, ibid.n.3.
Sufficit tamen orare ad Intentionem Pontificis, ibid.
Visitatio altarium si pluries eodem die simul cum orationibus requisitis repetatur, an pluries acquirantur indulgentiæ concessæ, cap.10.§ 3.num.1. & sequent. ibid.
Vltramontani si ordinentur sine Titulo suspenduntur, l.7.c.6.§. 4.n.15. 111
Item sine dimissoriis recognitis, ibid. cap. 8. §.1.n.4. 116
Voluntaria debent esse sponsalia, lib.8.tract.3.cap.2.§.1. 179
Voluntariè distractus in confectione Sacramenti, lib. 1. c.2.§.1.n.4. 3
Votum solemne Castitatis, impedimentum matr. V. Impedimenta matrimonij.
Votum simplex, V. ibid.
Voto Castitatis astrictus, si sit uxoratus, à quo dispensari potest, lib 8.tr.2.c.6. 156
Votum Religionis, ordinis sacri, Castitatis an irritet sponsalia, V. Sponsalia, quæ causa.
Votum solemne in Religione an dissolvat matrim. Infidelium, lib.8.tr.5.c.5.§.3. 212
Vota Biennij Societatis an dissolvant matr. ratum, lib.8. tr.5.c.6.§.2.n.10. 215
Votum solemne Castitatis emittere, an liceat conjugi facto Divortio, lib.8.tr.7.c.4.§.1. 242.& seq.
Quid de simplici, ibid.§.3. 244
Vota quænam & quomodo possint per Bullam Cruciatæ commutari, V. verbo commutatio.
Commutari possunt solum, durante anno ipsius Bullæ, c.43.§.1 n.30. 102
An possit ultimo die anni commutari votum in aliud opus pium designandum tamen post annum, vel ab eodem confessario, vel ab alio viro docto, prout confessarius decreverit, ibid.n.30.
Vota absoluta castitatis Religionis, & peregrinationis, Vltramarinæ, seu Hierosolymitanæ emissa devotionis causa, nequeunt ex vi Bullæ commutari, cap.3.§.2.n.1. 470.
Votum castitatis diminutum, puta non fornicandi, non se polluendi, non nubendi, votum Castitatis conjugalis, votum Virginitatis præcisæ, id est consistentis in abstinentia primi actus luxuriæ, quatenus scilicet Virginitas involvit corporis integritatem, votum integræ Castitatis, sed ad tempus, possunt per Bullam commutari. c.13.§.2.n.3. ibid.
Item votum Castitatis verè conditionale, v.g. voveo castitatem, si convaluero, ibid.n. 4.
Item votum Castitatis pœnale v.g. voveo non ludere, & si ludam, in pœnam voveo castitatem, vel nolo ludere, & si ludam voveo castitatem, ibid.n.4.
Item votum castitatis per partes emissum, ut si quis hodie voveat, se non consensurum pravis cogitationibus, cras voveat, se non fornicaturum, perendie, se nolle habere actum externum impudicum, &c. ibid.n.5.
Nisi tamen voluerit omnia simul in ultimo voto colligere, illisque esse subiectum. ibid.
Votum Religionis diminutum potest per bullam commutari, ut de assumendo ordinem Sacrum, & serviendo toto vitæ tempore Hospitali, vel Monasterio, votum ingrediendi religionem sine intentione emittendi in ea professionem, ibid.n.9.
Item votum Religionis verè conditionale, vel pœnale, ibid.n.7.
Votum peregrinationis ultramarinum diminutum, & votum de invisenda SS. Virgine Lauretana, vel S. Iacobo in Compostella. Quid de voto peregrinationis ad limina Apostolorum, vel voto peregrinationis Hierosolymitanæ, non ob visitanda loca Sancta, sed ob alium honestum, & pium finem, an reservata, ibid. num.8.
Item votum ultramarinum verè conditionale vel pœnale, ibid.n.9.& 10.
Nequeunt tamen commutari tria vota prædicta castitatis, ultramarini, & religionis, si non sunt verè conditionalia, puta cum particula *si* significat idem, ac *quando*, v.g. voveo castitatem, si convaluero, ita ut sensus sit, quando convaluero, ibid.n.11.
Votum perfectæ castitatis à coniuge emissum ante initum matrimonium, nequit per bullam commutari, & peccat coniux matrimonium contrahendo, nec potest petere debitum, licet possit reddere, cap. 13. §.3.n.1. 471
Emissum vero post initum matrimonium potest commutari, nisi emittatur ab utroque coniuge mutua licentia, & per modum contractus, ibid.n.2.
Potest tamen commutari si dicti coniuges remittant sibi, & acceptent cessionem iuris petendi, & reddendi debitum, licet sic remittendo, peccent contra votum, ibid.n.2.
Votum strictioris Religionis potest per se commutari vi Bullæ in laxiorem, & item quoad dilationem ingressus, ibid.n.3. 471
Excipe, quando in laxiore non viget observantia, & quando dilatio temporis sit tanta, ut vovens periculo exponatur votum non implendi, ibid.n.4.
Votum Religionis Hierosolymitanæ, seu Melitensis non potest per Bullam commutari, licet probabiliter possit votum suscipiendi alios ordines militares, ut Sancti Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ibid.n.5. 471
Excipe votum suscipiendi Religionem ex his ordinibus. ibid
Votum sub disiunctione, si utrumque sit reservatum, nequit.

quit per Bullam commutari, secus vero si alterum non sit reservatum, ut voveo, vel castitatem, vel ieiunium per aliquot annos, ibid.n.6.
Si postea legisti castitatem, omisso ieiunio, sed sine novo voto, an facta ea electione possit commutari, ibid.n.7.
Quid si evasisti impotens ad ieiunium, an possit pars altera castitatis per Bullam commutari, ibid.n.7.
Votum reservatum, sed dispensatum a Pontifice, qui loco reservati subrogavit aliud non reservatum, v.g. Ieiunium loco Castitatis, probabilius est, posse per Bullam commutari, ibid.n.8.
Quid si in hoc casu per multum tempus omisisti ieiunare, an reviviscat in te votum castitatis, itaut fiat incommutabile per Bullam, ibid.n.9.
Votum reservatum an possit per Bullam in aliud etiam reservatum commutari, ibid.n.12.
An in aliud melius, & præstantius sive à confessario sive propria ipsius voventis actoritate. ibid
Votum personæ sub alterius potestate existentis quando potest irritari ab eo qui talem potestatem habet, c. 13. §.3.n.12.
Votum absolutè castitatis à filio impubere emissum, nequit per Bullam commutari, nec ab eius confessario, nec ab Episcopo, licet possit à Patre irritari. ibid.
Votum etiam iuratum potest per Bullam commutari, si non sit reservatum, c.13.§.1.n.29. 471
Votum reale de danda v.g. eleemosyna huic determinatæ Ecclesiæ, vel pauperi an possit per Bullam commutari, si fuit acceptum, ibid.n.28. ibid.
Quid si sit votum v.g. ieiunij, sed sub pœna dandi eleemosynam certo pauperi, vel Ecclesiæ, ib.n.24.470
Votum Pontifici reservatum, licet possit in aliquo casu urgentissimæ necessitatis, & alicuius gravis damni imminentis ab Episcopo dispensari, non tamen potest, tunc à confessario per Bullam commutari, cap.13.§.3. num.14. 473
Votum quod tu recordaris emisisse, sed oblitus es materiam, potest per Bullam commutari, cap.13.§.1.n.16. 470
Votum non petendi absolutè dispensationem, vel commutationem an sit invalidum, ibid.n.20.
Quid si fiat de non petenda dispensatione, vel commutatione sine causa, ibid.n.18.
Votum paternæ mortis, c.1.à n 5.
Verum an & quando tunc peccet, ibid.à n.19. 502
Vovens v.g. non ludere sub pœna dandi decem pauperibus, si lusit cum inculpabili inadvertentia voti, vel pœnæ, non tenetur ad pœnam, cap.13. §. 1. num.16. 470
Vsura quid sit, quotuplex, qua ratione prohibita, lib.9. tr.1.c.2. 247
Vsura in mutuo, quando certò non adest, lib.9.tr.1.c.3. ibid.
Quando adest certo, ibid.c.4.
Quando sub dubio, ibid.c.5. 255
Vsurarius, quandonam acquirit dominium rerum per usuras acceptatum, lib.9.tr.1.c.7 § 1. 258
Vsurarij bona, an sint hypothecata pro usuris, ibid.§.2. 259.
Vsurarius, quando, & quatenus obligatur ad restitutionem, ibid.c.9. 260.& seq.
Quando, & quatenus eius hæredes, vel legatarij, ibid. §.3. 261
Vsura cur sit lucrum ex tempore, non vero ex loco, lib.9. tr.3.c.4.§.2.n.3. 287
Vsus cambiendi per alios, lib.9.tr.3.c.5 §.7. 295
Vsusfructus in locatione, lib.9.tr.4.c.3. 301
Vtilitas tum Campsoris, tum Campsarij, seu utriusque contrahentium, quando adest, cuiusnam erit lucrum, lib.9.tr.3.c.4.§.3. 287
Vxoricidium quod, est impedimentum dirimens matrimonium, V. Impedimenta matrimonij verbo, Crimen.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TABVring.

Th
573a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


M. nec in Bibl.
TAMBURINI
Opera Omn.
E. IV.
Z. 6.